CONFESSIONIS CATHOLICÆ,

In qua

DOCTRINA CATHOLICA ET EVANGELICA, QVAM ECCLESIÆ AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTÆ PROFITENTUR, EX ROMANO-CATHOLICORUM SCRIPTORUM SUFFRAGIIS CONFIRMATUR,

AUTHORE

JOHANNE GERHARDO, D.

LIBER I. GENERALIS.

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino

DN. WILHELMO,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Bergiæ Duci, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravenspurg, Domino in Ravenstein, S.M.R. Suecicæ Exercitus Generali Locumtenenti, Heroi gloriosissimo,

Principi ac Domino suo Clementissimo,

Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum Iesum in Spiritu Sancto.

ILlustrissime ac Celsissime Princeps, Heros gloriosissime, Domine clementissime, inter ἐπιχειρήματα illa, quibus Romano-Catholici Ecclesiæ suæ veritatem, nostræ verò falsitatem evincere satagunt, non postremum est illud, quod digito quasi indice sibi demonstrari postulant, *ubi Ecclesia fuerit ante Lutherum*, quem primum Ecclesiæ nostræ autorem ac parentem esse, forti quidem, sed vana imaginatione sibi persuaserunt. Cum enim de perpetua Ecclesiæ duratione divinæ & infallibiles promissiones extent, ex eo ἀναντιῤῥήτως colligi posse censent, *Ecclesiam nostram, utpote, quæ non possit majores suos ab Apostolis serie continua & nunquam interrupta descendentes numerare ac nominare*, quæve (ut Pistorius in hodeg. cap. 4. de Ecclesia nugatur) *Anno demum 1517. ex libero aëre extiterit, non esse veram, sed spuriam ac adulterinam.* Huic Pontificiorum ἐγκλήματι variis responderi potest modis, uti suo loco ex professo fuit comprobatum; hac vice unicum illud urgemus, quod Waldensium Ecclesiæ aliquot ante B. Lutherum seculis floruerint, quas cum nostris doctrinæ consanguinitate conjunctas fuisse, ne ipsi quidem Adversarii inficias iverint, cum Poplinerius scriptor Pontificius (cui Genebrardus hoc elogium tribuit, quod *pure ac simpliciter ad Historiæ veritatem, non ad causæ gratiam cuncta narraverit*) in Histor. Franc. lib. 1. fol. 7. edit. Anno 1581. *doctrinam VValdensium parum differre* dicat *ab ea, quam hodie Protestantes profitentur*; ac Edmundus Campianus rat. 3. illos *majores nostros* appellare non vereatur:

Denominationem vero acceperunt Waldensium Ecclesiæ à *Petro quodam VValdo* sive Waldensi, qui à patria *VValdis*, quod est oppidum in Marchia Galliæ, cognomen illud sortitus, circa Annum Christi 1160. cum Papale regnum ad ἀκμὴν jam pervenisset ac Cimmeriis Papatus tenebris omnia involuta & oppressa viderentur, puriorem verbi cœlestis doctrinam in variis non Galliæ solum, sed totius Europæ provinciis spargere cœpit. Ac quia idem *Petrus VValdus* fuit civis *Lugduni*, quod vulgo etiam *Leon* appellatur, inde, qui ejus doctrinæ suffragium præbuerunt, dicti etiam fuere *Lugdunenses* ac *Leonistæ*; Item ab eventu *Pauperes de Lugduno*, & *Humiles* sive *Humiliati*, quia possessionibus suis excussi in summa paupertate hinc inde migrare coacti fuerunt. Dicti etiam fuere *Fratricelli, Albienses & Albingenses*, (quo nomine in Concilio Lateranensi sub Alexandro tertio censentur,) propterea, quod quidam eorum in *Albiorum* sive *Albinatum* civitate in Tholosatibus sita concionarentur.

Quæ vero Waldensium istorum fuerit doctrina, ex seculorum priorum scriptoribus, adeoque ipsis eorum Adversariis cognosci poterit. Frater Rainerius Sachonus, qui circa annum 1250. quatuor libros contra Waldenses scripsit, ipsis hoc elogium tribuit, *quod bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Ecclesia continentur, recipiant, solam autem Romanam Ecclesiam blasphement & oderint.* Distinguit autem errores ipsorum in tria capita, quod sc. erronea quædam doceant, *contra Ecclesiam Romanam, contra doctrinam de Sacramentis & de Sanctis, & contra honestos ejusdem Ecclesiæ ritus. De Ecclesia Romana*, inquit, *docent, non esse Christi Ecclesiam, sed Ecclesiam malignantium, quæ jam inde à Sylvestri tempore, quo venenum temporalis dominii in eam effusum fuerit, à puritate doctrinæ defecerit; proinde eam non amplius esse Christi sponsam, sed meretricem illam magnam in Apocalypsi Iohannea descriptam; Papam esse omnium errorum caput ac fontem; Ecclesiæ Romanæ Antistites Scribis Iudæorum, Monachos Pharisæis conformes, à doctrina Evangelii ad humanas traditiones deflexisse. Sacramenta lingua peregrina administrari improbant, cum Patrini, quid in Baptismo respondeant aut spondeant, non intelligant; exorcismos item, signationes crucis & cætera hujusmodi in Baptismo adhiberi solita respuunt. Missam sacrificium esse negant, ejus Canonem Apostolis ignotum fuisse asserunt, ac verbis Christi vernacula lingua proferendis Eucharistiam consecrandam esse docent. Præter sacrorum Bibliorum textum nihil in Ecclesiam admittunt, non Decreta, non Decretales Epistolas, non Sanctorum Legendas, non Ecclesiæ traditiones. Inde invocationem Sanctorum, adorationem crucis, consecrationes palmarum, cineris, chrismatis, agnorum, quos vocant, Dei, salis & aquæ, peregrinationes religiosas meriti opinione susceptas repudiant.* Negant etiam *Purgatorium, dicentes, post mortem duas tantum vias esse, unam electorum ad cœlum, alteram damnatorum ad infernum; omnes Missas & præcipue eas, quæ pro mortuis ex Purgatorio liberandis cantantur, impias, eoque penitus abolendas esse, ut & anniversaria & suffragia hujusmodi.* Idem Rainerius de ipsis memorat, *quod V. & N. T. in linguam vernaculam, Gallicam sc. à Petro VValdo translatum summo studio evolverint, ejusdemque describendi potestatem cuivis fecerint.* Æneas Sylvius, postea Pius secundus, Pontifex Romanus, in Historia Bohemica cap. 35. hæc Waldensium dogmata perstringit. *Romanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse; inter Sacerdotes nullum discrimen esse, Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem; animas è corporibus excedentes, aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia; purgatorium ignem nullum inveniri; vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ Sacerdotalis inventum; Dei & Sanctorum Imagines* (ad cultum prostantes) *esse delendas; aquarum, palmarum benedictiones irridendas; Mendicantium religiones malos Dæmones invenisse; nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia tolerandum; Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem inter Ecclesiæ sacra minime contineri; auricularem Confessionem*

nugacem esse, sufficere quemque sua Deo in cubili suo confiteri peccata; Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura, recipiendum; cœmiteriorum inanem usum, quæstus causa repertum; quacunque tegantur tellure humana corpora, nil distare; templum Dei late patentis ipsum mundum esse, coarctare majestatem ejus, qui Ecclesias, Monasteria, Oratoriaque construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur; Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas, vasaque hujusmodi nil habere momenti; Sacerdotem, quocunque loco, quocunque tempore, sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare; sufficere, si verba Sacramentalia tantum dicat; suffragia Sanctorum in cœlis regnantium frustra impetrari, quæ juvare non possunt; in Canonicis horis cantandis, dicendisque tempus frustra teri; nulla die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur; celebritates Sanctorum rursus rejiciendas; jejuniis quoque ab Ecclesia constitutis nihil inesse meriti &c. quæ tamen dogmata pro odio, quo in eos fervet, Sylvius suis verbis satis invidiose exponit, sed in Confessione ipsorummet Waldensium Regibus Bohemiæ ab iis, qui ex Gallia ejecti in Bohemiam profugerant, aliquoties exhibita enucleatius explicantur. Habuit Petrus iste Waldensis in docendo parastatas *Petrum de Bruis*, sive *Bruizium* &, qui ei successit, *quendam Henricum*, à quibus *Petrobrusiani* denominationem acceperunt. Contra illos scripsit Petrus Cluniacensis in suis Epistolis, in quib. hæcce dogmata ipsis tribuit. *Infantes non salvari aliena fide, sed oportere sua, id est, propria fide baptizari & salvari; Corpus & sanguinem Christi in theatrica Missa non offerri, neque eam oblationem fieri pro animarum salute; doctrinam de speciebus Sacramenti, ipsis nimirum substantiis mutatis, esse falsam; Sacrificia, id est, Missas, orationes, eleemosynas & reliqua vivorum opera pro defunctis esse stultitiam & impietatem, nihilque eis prodesse; Sacerdotes & Monachos debere uxores potius ducere, quam impudicitiæ fornace comburi, aut scortari; cruces non adorandas & venerandas, & tot cruces superstitioni servientes, potius amovendas, quam retinendas; templa tot tantisque sumtibus non esse extruenda; canticis illis, quæ Monachi aut Sacerdotes in templis personant, Deum irrideri; die Dominica & aliis licitum esse, carnibus vesci; soli Scripturæ sacræ credendum, Patrum vero scripta non esse pari autoritate cum Scriptura sacra habenda.* Hæc fuere præcipua Waldensium & Petrobrusianorum doctrinæ capita, quibus in Confessione ipsorum etiam hæc adduntur, *Sacramenta esse duo tantum; Eucharistiam sub utraque specie Sacerdotibus & Laicis dandam; Ecclesiam Christi veram esse, quæ verbum Christi habeat & Sacramentis utatur, ubicunque illa sit*; & quæ sunt hujus generis alia.

Sanè non inficiamur, præter hæc dogmata, quæ si recte explicentur, Scripturis sacris ex asse sunt conformia, errores detestabiles & horrenda flagitia, tum à superiorum seculorum, tum nostri temporis Scriptoribus, eisdem tribui. Accusant enim illos *Manichaismi*, ut constat ex Baronio Ann. 1178. n.17. & 21. sed hæc accusatio dubio procul ex famoso cap. Unam sanctam. extr. de majorit. & obed. originem traxit. In eo enim Bonifacius Octavus eos, qui Monarchiam & supremam Pontificis potestatem negant, (quod Waldenses fecisse constat) confert cum Manichæis duo rerum principia statuentibus. Conjungunt illos cum *Gnosticis, Catharis, Montanistis, Adamitis*, hæreticis pestilentissimis. Guido Carmelita & ex eo Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæres. in verbo Coitus, hæresi. 1. tribuit Waldensibus, quod docuerint, *urente carnis libidine omnem carnalem commixtionem tam inter viros, quam inter fœminas esse licitam.* De Petrobrusianis Petrus Cluniacensis Epist. 2. scribit: *Fama est de ipsis, quasi non integrum canonem h. e. non omnia V. & N. T. scripta, sed solum Evangelium recipiant.* Epist. 1. tradit, ipsos docuisse, *quod fides propria sine Baptismo nihil prosit; quod parvuli, infra ætatem intelligibilem constituti, Baptismo Christi non possint salvari; quod baptizati in infantia postea adulti iterum sint baptizandi; quod sacra Cœna nunc non sit hominibus danda, quia semel tantum Apostolis sit data; quod templa omnia sint diruenda &c.* Utrisque tum Waldensibus, tum Petrobrusianis tribuunt, quod *debitum Magistratibus obsequium denegarint; quod sortilegia & veneficia exercuerint; quod promiscuos concubitus extinctis luminibus in conventibus suis peregerint.*

Sed accusationum istarum vanitas ac falsitas ex ipsorum adversariorum scriptis, & Waldensium actis facili negotio demonstrari potest. Rainerius de illis sic scribit: *Inter omnes sectas, quæ sunt vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ Dei, quam Pauperum de Lugduno, tribus de causis. Prima, quia diuturnior; quidam dicunt, quod duraverit à tempore Sylvestri, alii dicunt à tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior, fere enim nulla est terra, in qua hæc secta non serpat. Tertia, quod omnes aliæ, cum immanitate blasphemiarum in Deum, horrorem inducant, hæc Leonistarum magnam habens speciem pietatis, eo quod coram hominibus justè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur.*

Quodnam vero honestius de ipsorum doctrina & vita dari posset testimonium, quam hoc ipsum ex hostis ore expressum? Fridericus II. Imperator in suis contra illos Constitutionibus nihil quidquam de atrocibus & horrendis istis criminibus meminit, sed hoc duntaxat nomine eos damnat, *quod ab Ecclesia Romana, ejusque cultu & Ceremoniis discesserint*, ut ex Epistolis Petri de Vineis Cancellarii ejusdem Imperatoris perspicue elucescit, lib. 1. cap. 25. 26. 27. Memorabile cumprimis est publicum innocentiæ testimonium à Legatis Ludovici XII. Galliarum Regis Waldensibus datum. Cardinales & Episcopi Merindolanos & Cabrerienses, Waldensium reliquias, coram Rege *hæreseos, veneficiorum, incestuum ac aliorum criminum* reos agebant, ac Regis animum ad bellum contra ipsos suscipiendum inflammabant. Merindolani ac Cabrerienses de cruentis hisce Cardinalium & Episcoporum consiliis, ac atrocibus illis, quibus apud Regem deformati erant, calumniis certiores redditi, Legatos ad Regem decernunt, per quos & innocentiam suam tueantur, & bellum deprecentur. Illos Cardinales & Episcopi aditu Regis prohibere conabantur, serio ipsum monentes, ne in conspectum vel colloquium suum Waldensium Legatos admitteret, cum *Jure Canonico omne cum hæreticis consortium sit interdictum.* Verum Rex mascule respondit: *Etiamsi adversus Turcam aut Diabolum mihi suscipiendum esset bellum, eos tamen prius audire vellem, inauditum enim damnare ac bello oppugnare est sceptro & jure abuti.* Accersitos ergo Legatos introduci jubet, qui debita cum reverentia exponunt, *Merindolanos & Cabrerienses Evangelium, Biblia, Symbolum Apostolorum, Decalogum, Sacramenta agnoscere atque amplecti; cæterum nec Papæ, nec ipsius doctrinæ adhærere; si rem aliter se habere Rex deprehenderet, nullum supplicii genus sese recusare.* Illa an se ita haberent, an vero secus, Rex cognoscere expetens, Adamum Finnæum libellorum supplicum Magistrum, & Parvum Dominicanum, qui à Confessionibus ipsi erat, ad Merindolanos & Cabrerienses ablegat, qui certis quibusdam quæstionibus iisdem propositis rem omnem penitius explorent. Reversi isti ad Regem referunt: *Illis in locis homines baptizari, articulos fidei & Decalogum doceri, Dominicos dies religiose coli, Dei verbum exponi, veneficia & stupra apud eos nulla esse: cæterum se in ipsorum templis neque imagines, neque ornamenta Missæ ulla reperisse.* Rex hisce auditis tantum abest, ut bello eos adoriri voluerit, ut jurejurando addito dixerit, *& me & cætero populo meo Catholico illi meliores sunt.*

Claudius Seisellienſis Archiepiscopus temporibus ejusdem Ludovici XII. ex professo contra Waldenses scripsit, sed in eodem scripto ipsos *homines probos, integros, innocentes, in conversatione irreprehensibiles & præceptorum Dei sedulos observatores fuisse profitetur.* Idipsum quoque agnovit Guilielmus Paradinus in Annalibus Burgundiæ, qui, *se Historias legisse*, ait, *in quibus & Albingenses & Principes Regulique, eorum fautores, ab omnibus istis calumniis vindicantur, & eo tantum nomine tot modis vexati dicuntur, quod Ecclesiæ Romanæ traditiones publice reprehenderent.* Prima istarum accusationum Waldensibus intentatarum origo tribuenda videtur Petro Sarnensi Monacho Cisterciensi, qui Historiam de Waldensib. calumniis probe suffarcinatam Innocentio III. Pontifici inscripsit, ex quo reliqui materiam præjudiciorum desumsêre, qui sinistra de Confessoribus istis judicia in scriptis suis protulere.

Neque est, quod Pontificii regerant, ipsos fuisse *manipulum exiguum, cœtum contemtum, factionem recens exortam.* Fuit profecto illorum cœtus numerosissimus, ab Alpibus ad Pyræneos usque montes per plurimas regiones diffusus, unde Rainerium conquerentem audivimus, *quod nulla fere terra sit, in qua hæc secta non serpat.* Primum enim tenuerunt locum in montibus & convallibus Allobrogum, in provincia *Galliæ* Narbonensi & Aquitanica, in Albiensi, Ruthena, Cadurcensi, Agennensique Diœcesi, ut Jacobus de Rebiria in suis de urbe Tolosæ Collectaneis testatur. Ex hac terra patria Petrus Waldus in *Belgium*

pro-

progressus, in Picardia multos sectatores invenit. Inde in *Germaniam* transiit, ac diu per Vandalicas civitates diversatus est, ut Jacobus Augustus Thuanus lib. 6. Hist. memorat. Guido Perpinianus libro de hæresibus annumerat etiam *Angliam*, in qua An. 1174. Waldenses docuerint. Idipsum testatur Guilielmus Neubricensis rerum Anglicarum lib. 2. cap. 13. ubi etiam addit *Hispaniam & Italiam*, refertq; in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæq; provinciis tam multos illorum adhæsisse doctrinæ, (quam ipse quidem ex præconcepta opinione *pestem* vocat) *ut secundum Prophetam multiplicati super numerum arenæ maris viderentur*. Fridericus 2. Imp. in suo contra Waldenses Edicto testatur, quod *per totam Italiam usq, in Siciliam dogma suum sparserint*. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi memorat, *ex eis captos quosdam in urbe Argentinensi coram omni populo & plebe confessos publice fuisse, quod tantus eorum esset numerus, ut si quis ex eis è Colonia Mediolanum ire statuerit, omni nocte hospitem ex secta eorum inveniret*. Idem testatur, innumeros ejus professionis in Austria, Bohemia, vicinisque regionibus fuisse, & quendam ex ipsorum Concionatoribus Viennæ igni damnatum, ad supplicium adductum, *plures quam 80000. in illis regionibus eam religionem amplexos* professum esse, quorum in diversis locis multi passim flammis traditi. Naucletus volum. 2. generat. 41. memorat, *hanc doctrinam*, quam Romanæ Ecclesiæ linguâ *heresin* vocat, *in Italia mirifice crevisse*, tum in equestri ordine, tum in plebeio, ac Confessores ejus quotannis in doctorum suorum sustentationem collectam aliquam Mediolanum misisse. Deniq; etiam eos in *Bulgariam, Croatiam, ac Dalmatiam* pervenisse autor est Matthæus Paris, ac Flacius Illyricus in Catal. testium veritatis ex Fragmentis librorum Inquisitoriorum probat, *doctrinam Waldensium per Lombardiam, Alsatiam, totum tractum Rhenanum, Belgium, Saxoniam, Pomeraniam, Borussiam, Poloniam, Livoniam, Sueviam, Silesiam, Bohemiam, Moraviam, Calabriam & Siciliam longe lateque fuisse propagatam*.

Nec solum adhærentium multitudine, sed etiam autoritate, illorum cœtus illustres ac conspicui fuère. Autoritatem illam sibi conciliarunt, Primum quidem *eminentia & dignitate adsectarum*. Adhærebant enim illis Proceres pleriq; Raimundus Comes Tolosæ & S. Ægidii, Regis Franciæ consobrinus, Raimundus Rogerius Biterrarum & Carcassonæ Comes, Petrus Rogerius Gabareti Regulus, Raimundus Fuxensis, Regis Aragoniæ propinquus, Guasto Bearnii Princeps, Comes Bigerronum, Domina Lavauraci, Comes Carmanii, Raimundus de Thermis, Americus de Monstrolio, Guilielmus de Minerbio & innumeri alii prosapiæ nobilitate insignes, cumprimis verò Rex Aragoniæ & Comites Tolosates patrocinium illis præstabant, unde Rainerius sic de illis scribit: *In omnibus civitatibus Lombardiæ & in Provincia, & in aliis regnis & terris auditores habebant, & in publico disputabant, populumque vocabant ad Stationes solennes in foro & in campo, & prædicabant in tectis. Non erat, qui ipsos impedire auderet propter potentiam & multitudinem fautorum.*

Secundò *sacrarum literarum scientiâ*, quam ex assidua lectione sibi comparaverant, cum contrà Pontificii doctores inscitiæ infamia apud omnes laborarent, quâ de re Jacobus de Rebiria d. l. sic scribit: *Eo tempore, quo Waldensium in Gallia celebrior erat fama, nullo aut parvo in precio erant ii, qui Sacerdotes se, Episcopos & Ministros Ecclesiæ dici volebant. Indigni enim omnes & rerum omnium ignari pene cum essent, facile illis fuit, eruditione & doctrina præcellentissimis, primas in populo partes sibi vendicare; ex quibus cum præ cæteris Waldenses acutius de religione disputarent, admittebantur sæpe à Sacerdotibus publice docendi causa, non quod eorum sententia sibi probarentur, sed quod Waldensibus ingenio pares non essent. Tanto in honore erat hujusmodi hominum secta, ut & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & multo plura ex morientium Testamentis consequerentur, quam Sacerdotes.*

Tertiò, *indefessa docendi ac discendi industriâ*, cujus laudem Reinerius ipsis tribuit, sic scribens. *Viri & mulieres, parvi & magni, nocte & die non cessant discere & docere. Audivi ab ore credentis cujusdam, quod quidam hæreticus, quem novi, ad hoc tantum, ut eum à fide nostra averteret & ad suam perverteret, perduceretque, nocte, hyemali tempore, per aquam, quæ dicitur Ibis, natavit ad ipsum. Erubescat negligentia fidelium doctorum, qui non sic zelant Catholicæ fidei veritatem, sicut Leonistæ zelant infidelitatis errorem.* Et postea. *Novum & Vet. Test. vulgariter transtulerunt, & sic docent ac discunt. Vidi & audivi rusticum idiotam, qui Job recitavit de verbo ad verbum, & plures alios, qui totum N. T. sciverunt perfecte.* Idem de ipsis commemorat, *quod in sola Parochia Camerach habuerint decem scholas.*

Quartò, *in fidei suæ professione constantiâ* & in sustinendis persecutionibus tolerantia. Quamvis enim instinctu Romani Pontificis horrendis persecutionibus adversus Waldenses Principes & Magnates certatim sævirent, nec ad summam crudelitate quidquam reliquum facerent, nullis tamen periculis, nullis minis, nullis cruciatibus permoveri potuerunt, ut à veritate ex Scripturis sacris agnita desisterent, unde Petrus de Vineis, Friderici Imperat. Cancellarius in Epistolis suis ipsos vocat *vitæ prodigos & necis improvidos sectatores*; & addit, *quod ipso facto durissimum est, superstites etiam non terrerentur exemplo, adfectant, ut vivi in conspectu hominum comburantur.* Innocentius 3. pares Indulgentias pollicebatur illis, qui Albienses bello invaderent, atq; illis, qui Saracenos oppugnatum irent, ac quæ in bellum sacrum contra juratos Christiani nominis hostes indicta erat pecunia, eam in Waldensium necem intervertebat. Neq; belli duntaxat, sed etiam Inquisitionis faces ipsis fuere admotæ. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi memorat, *Argentinæ ad octoginta ex illorum ordine combustos fuisse, inque vicino agro trucidatos ad centum uno die.* Ibidem præcipitem adversus illos procedendi modum hisce perstringit verbis: *Eodem, inquit, tempore in Alemania multi nobiles & ignobiles, Clerici, Monachi, Moniales inclusæ, Burgenses, cives & rustici à quodam Fratre Conrado de Marpurg Ordinis Prædicatorum (qui generalis Inquisitor hæreticorum à Sede Apostolica fuerat constitutus) per diversa Teutonica loca ignis supplicio nimis præcipiti sententia, ut multis tunc fuit visum, sub hæresis nomine sunt addicti. Nam, ut quidam scribit, eodem die, quo quis accusatus, sive juste, sive injuste, nullius appellationis, nullius defensionis sibi refugio proficiente, damnatus & crudelibus flammis injectus est.* A Clemente Pontifice proscripti, & vita & bona eorum libidini & prædæ quorumvis exposita fuere, ut uno in loco, in quem forte se receperant, quatuor millia eorum simul fuerint obtrita, superstitibus prærupta montium petentibus, inq; eis latibulum quærentibus. Superiore seculo An. 1540. A quis in eos lata fuit sententia, *ut omnes promiscue opprimerentur, ut dirutis ædificiis vicus* (Merindolum, in quo habitabant) *solo æquaretur, resecarentur etiam arbores omnes & locus omnino desertus redderetur.* Sed hasce injurias, hasce carnificinas, hosce bellorum impetus Waldenses forti & imperterrito animo sustinuerunt, ac miraculosas quandoq; victorias ab hostibus, qui præter meritum ipsos adoriebantur, DEI beneficio retulerunt, cujus rei memorabile exemplum commemorat Jacob. Augustus Thuanus libr. 27. Histor. pag. 559. *Desiderati*, inquit (in prælio cum Trinitensibus) *ex Waldensibus tantum duo, ex Trinitensibus magnus & incertus numerus &c. Tot verò præcedentibus præliis ac velitationibus ex Convallensibus tantum quatuordecim occisos memorant, remque miraculo propiorem etiam ab hostibus habitam, ut palam in castris Sabaudi jactaretur, jam manifestum esse, bellum, quod adversus Waldenses gereretur, contra DEI voluntatem susceptum, & quidem Sebastiano Virgilio ad prælium cum atrocibus minis vadenti ab hospita prædictum scribunt, eo die reipsa experturum, Sabaudi an Waldensium causa esset justior. Nam si Sabaudi justior esset, ejus quoque fore victoriam. Cum igitur vulneratus ac prope exanimis in diversorium referretur, tunc eandem hospitam inclamasse, Waldensium causam potiorem esse, quippe cum exiguo numero contra tam potentem exercitum superiores extitissent.*

Denique non fuisse Waldenses factionem aliquam repentine ac recens exortam, patet ex eo, quod Rainerius testatur, *quosdam à tempore Sylvestri*, (quo venenum terrenæ dominationis in Ecclesiam fuit infusum) *quosdam à temporibus Apostolorum originem eorum arcessere*: quodque Thuanus libr. 6. Histor. testatur, *illos fidem suam à majoribus accepisse, & per aliquot annorum Centurias docuisse, atque inde factum esse, ut Luthero reformatam doctrinam proponenti tam multi in diversis ac dissitis locis per universam Europam sese conjunxerint.* Confer Balæum in Catalogo Scriptorum Britanniæ Centur. 2. Catalogum testium veritatis libr. 15. pag. 1498. Sleidani Historicam Relationem de Waldensibus lib. 17. Petri Wesenbecii orationem de Waldensibus in hac Academia Jenensi habitam & typis exscriptam. Mornæi Historiam Papatus &c.

Sed præter Waldenses etiam alii complures veritatis cœlestis Confessores produci possunt, qui Papalibus erroribus cataclysmi instar inundantibus nulla periculorum ac minarum ratione habita mascule contradixerunt, quorum complures testimonium suum voce vel scripto prolatum etiam sanguine suo obsignare minime dubitarunt. Illorum testi-

monia

monia in hac confessione Catholica in medium producere fuit animus, ut liquido manifestum fieret, superioribus illis, quæ doctrinæ reformationem præcessêre seculis, nec Deo Ecclesiam, nec Ecclesiæ veritatem, nec veritati Confessores unquam defuisse.

Vestræ vero Celsitud. Princeps illustrissime, Domine clementissime, hanc opellam meam humiliter inscribere & volui & debui, ut pro singulari clementia & eximiis, quæ in me contulit, beneficiis gratum meum animum subjectissime declararem, & illustrissimi nominis vestri gloriam, quam rebus belli pacisque temporibus præclare gestis Cels. V. sibi comparavit, æternæ posteritatis memoriæ transscriberem. Religionem Evangelicam ex limpidis Scripturæ fontibus haustam, cui in hoc scripto ex ipso Adversariorum ore suffragium quæritur, V. Cels. non solùm ipsamet sincero corde amplectitur, sed etiam in ditionibus suis, quarum regimen divinitus ipsi commissum, publice prædicari ac propagari curat, constitutis ad eam rem fidelibus Ecclesiæ Doctoribus, perpetua quadam λαμπαδοφορίᾳ sibi invicem succedentibus. De justitiæ administratione Cels. Vestra non minus solicita, subditis æquâ lance jus distribuit, operâ cumprimis Dnn. Consiliariorum, quos eruditione solida, prudentiâ singulari, (longo rerum usu & multorum annorum experientiâ comparatâ,) autoritate eximiâ & eloquentiâ mirabili, adeoque requisitis omnibus ad sublime hoc officium necessariis instructos in partem solicitudinis sibi ascivit. Eâ insuper clementiâ, eo paterni amoris affectu V. Cels. subditos suos amplectitur, ut proprii corporis objectu injurias hostiles ab illis prohibere non fuerit hactenus verita, cum longo annorum usu eam rei bellicæ peritiam sibi comparaverit, atque eâ animi prudentiâ ac robore polleat, ut magnus ille Svecorum, Gothorum, Vandalorum Rex *GUSTAVUS ADOLPHUS*, Germanicæ libertatis vindex, cui secula longa non habuere parem, non habitura parem, cujus gloria iisdem, quibus Solis cursus, terminatur limitibus, Cels. Vestram rerum summæ præficere non dubitârit, ac in Exercitu secundum à se esse jusserit. Atque, ut reliquas V. Cels. virtutes & magna in Rempubl. merita sicco pede prætercam, vel hoc solùm nomine nunquam intermorituram laudem apud seram posteritatem Vest. Cels. sibi conciliavit, quod unà cum Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, Dn. JOHANNE PHILIPPO, Saxoniæ, Juliæ Cliviæ ac Bergiæ Duce &c. Domino ac Principe meo clementissimo &c. precibus meis humilimis locum relinquere, ac Baronatum Rembda & arcem Apolda cum omnibus pagis, reditibus ac fructibus annuis Academiæ Jenensi jure hereditario possidenda tradere voluerit, ut bonis hisce fundata ac firmata, dotata & ditata, non solum ab eo, quem minari videbatur, interitu vindicaretur, sed inposterum etiam adversus quosvis sinisterioris fortunæ impetus inconcussa persisteret, atq; ex ea, velut ex equo Trojano, prodirent viri in omni disciplinarum genere probè instructi, quorum operâ in Ecclesia & Republica orbis Christianus salutariter uti frui posset. Ibit in secula hoc Cels. Vestræ beneficium, nec ulla temporum futurorum oblivio memoriam illius ex animis hominum delebit. Certè quicquid boni, quicquid commodi ex hac Academia in tres Hierarchias Dei benedictione inposterum redundabit, illius partem longè maximam Cels. Vestra jure quodam suo sibi vendicare poterit. Suscipe ergo, Illustrissime Princeps, Heros gloriosissime, sereniore vultu chartaceum hoc munusculum profectum ab eo, qui beneficii hujus amplissimi proxenetam ac paratium se fuisse impensè lætatur, & ad pias preces ac servitia subjectissima Cels. Vestræ se vel eo nomine æternum obstrictum atque obligatum profitetur. Benignissimus Deus Cels. Vestram cum conjuge Illustrissima & sobole generosissima quam diutissimè salvam atque incolumen tueatur, atque omnia, quæ Christiani, quæ Principis vota esse possunt, cumulatissimè eidem concedat. Jenæ Cal. Januarii Anni ineuntis 634. cujus decursum felicissimum bonis omnibus animitus adprecatur

Cels. Vestræ

subjectiss.

JOH. GERHARD, D.

AD AUTOREM.

Tot cum Judicio legere, & disponere, quot Tu
Libro uno exponis Magne Gerharde *Libros,*
Humani non est Animi labor ille, sed ille
Divini Labor est maximus Ingenii.
Quod si, non fuit; aut simile haud opus esse futurum,
Dixero, dum stetit, aut stabit hoc Orbis opus:
Dixero quod res est, & dixero, Te tamen Unum
Authorem tanti Magne Gerharde *Libri.*

Caspar Facius, Consiliarius Saxonicus.

PROOEMIUM.

De Juliano Imperatore Historiæ Ecclesiasticæ monumentis proditum est, quòd lege publicâ prohibuerit, *ne Christiani gentium doctrinâ imbuerentur.* Causas hujus edicti complures recensent Socrates lib. 3. Histor. Eccles. cap. 14. Sozomen. lib. 5. Hist. Eccl. cap. 17. Niceph. lib. 10. Hist. Eccl. cap. 26. inter quas non est postrema, quòd veritus fuerit, ne ex ipsis gentilium libris idololatria Ethnica, cui addictus erat, oppugnaretur. *Videbat enim, Apollinarium Syrum, virum omni doctrinæ genere & orationis formis instructum, adversus gentiles Philosophos pro veritate librum scripsisse, in quo sine ullis sacrarum literarum testimoniis* (adeoque ex ipsis gentilium libris) *planè ostendebat, eos in illo, quod de Deo sentiendum est, per errorem vehementer lapsos esse*: quem cum Episcopi illius temporis ipsi legendum offerrent, respondit; ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, *legi, cognovi, damnavi*: sed Episcopi rescripsêre, ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως, *Legisti, sed non cognovisti: si enim cognovisses, non damnasses.* Rectè omninò, siquidem ipsummet istud edictum testatur, Julianum nequaquam hoc Apollinarii scriptum susque deque habuisse, sed ab eo gentilium idololatriæ detrimentum metuisse, unde Socrates Imperialis edicti causam explicans, subjungit d. l *Pro certo sciebat Imperator, fabulas, quæ apud gentiles Scriptores sunt, ejus, quam tenebat, opinionem reprehensioni facilè exposituras, quas quidem Socrates Philosophorum apud illos facilè princeps improbans, perinde ac si Dæmonia ipsorum delere laborasset, à judicibus condemnatus est.* Et sanè si pervolvamus libros eorum, qui contra gentiles disputarunt, Justini puta, Tertulliani, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Arnobii, Lactantii, Minutii Felicis, Eusebii Pamphili, Julii Firmici & aliorum, liquidò conspicuum fiet, ex propria gentilium confessione & hypothesibus ipsos argumenta petere, quibus Christianæ religionis veritatem, Ethnicæ contra superstitionis falsitatem demonstrent. *Possunt*, inquit Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 12. *gentilium doctrina prodesse ad ipsos gentiles expugnandos, ut cùm adversus eos pugnamus, suo ipsorum gladio eos jugulemus, ut David occidisse Goliathum sacra testatur Historia. His namq; armis Justinus Martyr adversus gentes pugnat in Apologetico, quem de eadem re fecit. Ideo Damascenus lib. 4. de orth. fide cap. 18. ait: Si autem ab his, qui foris sunt, decerpere quippiam utile valuerimus, non aspernabile est. Efficiamur ut probati trapezitæ, legitimum & purum aurum acervantes, adulteratum autem refutantes. Sumamus sermones optimos, Deos autem ridiculos & fabulas alienas canibus projiciamus. Nam plurimum ex ipsis contra seipsos fortitudinem habere valebimus.* Illis piorum veterum vestigiis insistentes, constituimus doctrinæ Catholicæ & orthodoxæ, quam Ecclesiæ Augustanæ confessioni addictæ profitentur, veritatem ex Romano - Catholicorum Scriptorum suffragiis confirmare. Verissimè enim scribit Thom. Mortonus in causa regia, sive dissert. adversus Bellarm. tract. de officio

tio Principis Christiani cap. 3. p. 127. *Vix controversia ulla est inter Protestantes & Pontificios vehementius agitata, in qua ex Ecclesia vestra (Romana) non aliqui authores sanè gravissimi causæ nostræ patroni disertissimi extiterint.* Antequã verò rem ipsam divinâ favente gratiâ aggrediamur, Procemii loco præmittemus *I. utilitatum ex hoc scripto expectandarum enumerationem. II. exceptionum quarundam Pontificiarum refutationem. III. de quibusdam Scriptoribus, quorum testimonia adducentur, necessariam commonefactionem.*

CAPUT I.

De utilitate ex hoc scripto expectanda disserit.

PRIMA ac præcipua utilitas, quam ex ipsorum Adversariorum testimoniis pro nostra Confessione adductis percipere possumus, est *veritatis confirmatio.* Ut enim *domestici testimonii fides improbatur* l. Etiam 3. C. de testibus, ita è contrario testimonium, quod ab hoste proficiscitur, magnum omninò pondus obtinet & repudiari minimè potest. Ostendit enim, fulgorem veritatis esse tantum, ut clausos etiam feriat oculos, ac vim ejus esse tantam, ut ab hostibus ipsis vel invitis vel inscius suffragium q. extorqueat, inde cœlestis veritatis præcones non dubitarunt ad ipsorum adversariorum testimonium provocare.

1. *Moses* Deuter. 32. v. 31. in Cantico suo cygnæo dicit: *Non est Deus noster, ut Dii eorum,* (gentilium) *inimici nostri sunt judices.* LXX. quidem sic reddiderunt, οἱ δ' ἐχθροὶ ἡμῶν ἀνόητοι, pro פְּלִלִים proculdubio legentes נְבָלִים. Sed Chaldæus paraphrastes eodem modo vertit, quo vulgatus Interpres Latinus, quam versionem textui Hebraico optimè hoc quidem loco congruere judicamus, siquidem פְּלִלִים *judices atq. arbitros* significat Exod. 21. v. 22. Job. 31. v. 11. פְּלִלִים sunt דַּיָּנִים inquit R. Mardochai Nathan in capit. Concord. Hebraic. Sensus igitur est, Deus noster, qui est petra nostra, non est sicut petra gentilium, id est, ut Dii gentilium, quos petræ & refugii loco habent. Illi enim tam impotentes & infirmi sunt, ut nec se nec suos defendere vel ulcisci; nec cultoribus suis benefacere, nec hostibus malefacere possint, noster vero Deus, utpote omnipotens, *facit mirabilia magna solus,* Psal. 72. v. 18. ipse exercet judicia adversus suos ac suorum hostes, cujus rei testes sunt etiam ipsi inimici nostri, Ægyptii, Amalecitæ, gentes Cananææ, &c. quæ potentiam & severitatem Dei nostri expertæ sunt, & inposterum gravius experientur. Possunt tamen eadem verba generaliter accipi, ut sit sensus, etiam inimicis nostris testibus hæc sunt vera, quæ de Deo nostro hactenus prædicavi, unde Bellarm. lib. 4. de not. Eccl. cap. 16. in princ. ex hoc loco probat, *tantam esse vim veritatis, ut etiam adversarios cogat interdum, testimonium sibi dare.*

2. *Christus* Matth. 11. v. 19. & Luc. 7. v. 35. Judæis pertinacem Evangelii contemtum exprobrans inter cætera dicit: *Et justificata est Sapientia à filiis suis.* Variis quidem modis hoc dictum Christi exponitur. Chrysostomus sic accipit: *Sapientia divina omnia tentavit & nihil eorum omisit, quæ ad conversionem & salutem filiorum pertinent, justificata igitur, id est, absoluta & excusata est, ita ut culpa perditionis sit penes ipsos.* Quidam justificari accipiunt pro *absolvi & liberari ab obligatione.* Act. 13. v. 38. ut sit sensus. Sapientia ex promissione Patribus factâ quasi jure quodam obligata erat Judæis, sed quia illam repudiant, qui debebant esse *filii sapientiæ,* id est, qui eam debebant quærere & investigare, Sir. 4. v. 12. ideo absoluta est ab illo jure seu obligatione, & libera est, ut prædicatione ad gentes transferatur. Lutherus in vers. Germ. Brentius in Confess. Wirtemb. p. 286. Försterus in Lexico justificari accipiunt hoc loco positum pro *corripi, argui, reprehendi. Justificata est Sapientia à filiis suis,* hoc est, Qui debebant Sapientiæ tanquam filii obedire ac subjici, eam ut sapientiores & Magistri reprehendunt. Sententia pronunciatur tanquam in judicio de Sapientia ab illis, qui eam, ut pueri, audire, & se ejus judicio submittere debebant. Quidam referunt hanc pericopen ad credentes, ac *copulativam* καὶ juxta usitatam Scripturæ phrasin exponunt *adversativè,* hoc sensu: Quamvis pervicaces verbi contemtores me recipere nolint, tamen sapientia, quam doceo, justa & acceptabilis judicatur à filiis suis, qui eam promto corde suscipiunt, seque ab ea patiuntur regi & ad vitam æternam perduci. Ut enim *filii lucis* dicuntur, qui sunt interius illuminati, Johan. 12. 36. Ephes. 5. v. 8. *filii obedientiæ,* qui sunt obedientes; 1. Petr. 1. v. 14. *filii pacis,* qui sunt pacifici; Luc. 10. v. 6. *filii promissionis* Galat. 4. v. 28. qui per fidem promissionem sibi applicant; sic *filii sapientiæ* dicuntur, qui per Spiritum Sanctum cœlesti sapientiâ sunt donati ac verè sapientes. Basilius in Psal. 7. v. 107. τέκνα δὲ σοφίας ὁ κύριος εἶπε τοὺς ἐν τῇ θεογνωσίᾳ μεμορφωμένους. Nulla ex his expositionibus cum fidei analogia pugnat, quibus conjungi potest ea, quæ ad primam Chrysostomi expositionem proximè accedit, quâ verbum *justificandi* accipitur pro justitiæ & veritatis testificatione, ut sit sensus: Illi ipsi, qui se filios sapientiæ gloriantur, cum sint ejusdem adversarii, proprio cordis testimonio convicti, justitiæ & veritatis testimonium illi dare coguntur, quod nihil eorum prætermiserit, quæ ad conversionem & salutem ipsorum requirebantur. Psal. 51. v. 6. Luc. 7. v. 29. Hanc si sequamur explicationem, dictum Christi instituto nostro haud inconcinnè accommodari potest.

Propius huc accedit locus Matth. 12. v. 26. Luc. 11. v. 19. ubi Christus, contra calumniatores Pharisæos disputans, sic loquitur: *Si ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri erunt.* Chrysostomus & Augustinus, quos multi ex recentioribus sequuntur, per filios illos Judæorum existimant intelligendos esse Apostolos & discipulos Christi, quos in ablegatione ad prædicandum in Judæa Evangelium dono ejiciendi Spiritus immundos instruxerat Matt. 10. v. 8. Marc. 6. v. 7. Luc. 9. v. 1. illos vocari Judæorum judices, quia in die novissimo *sessuri sint super duodecim thronos & judicaturi reliquas tribus Israel.* Matt. 19. v. 28. Luc. 22. v. 30. Sed concinnius est per filios Pharisæorum intelligere *Exorcistas,* qui tũ temporis in populo Judaico reperiebantur ac dicebantur *filii Pharisæorum,* quia doctrinam Pharisæorum amplectebantur; sicut *filii Prophetarum* dicuntur, qui doctrinã Prophetarum amplexi in scholis eorum singulari studio informabantur. 1. Reg. 20. v. 35. 2. Reg. 2. v. 3. &c. Hi exorcistæ ante Christi adventum Diabolos expellebant è corporibus obsessorum ex pacto, quod cum Diabolo inierant. Sed cum Christus Evangelicæ prædicationis ministerium inchoaret, experiebantur, artes suas Magicas nihil amplius valere, illis proinde omissis assumebant nomen Jesu, eodemque in ejiciendis Dæmoniis utebantur Matt. 7. v. 22. Marc. 9. v. 38. Luc. 9. v. 49. Act. 19. v. 13. Ad illorum igitur testimonium Christus hoc loco provocat, quod in corde suo convicti sint, ipsum ejusmodi virtute Dæmonia expellere, quæ Magicâ sit longe major, & toto, quod dici solet, cœlo ab ea distincta. Sensus igitur verborum Christi hic est: Nequaquam ex occulta quadam cum Beelzebub conspiratione Dæmonia ejicio, quia filii vestri, qui alias dogmata vestra approbant, sponte fatentur, se post meum adventum ac Evangelii prædicationem in expellendis Dæmoniis nihil quicquam posse, nisi meum assumant nomen.

3. *Paulus Apostolus* contra Ethnicos disputans ex tribus gentilium Poetis testimonia producit, quæ eo ipso *sanctificata esse* Tertullianus libr. 1. ad uxorem cap. 8. pronunciat. Primum opponit Philosophis Atheniensibus ex Phænomenis Arati petitum, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Act. 17. v. 28. Alterum prophanis Corinthiorum quorundam resurrectionem carnis negantium dissertationibus oppositum ex Jambis Menandri adducit 1. Cor. 15. v. 33. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Socrates lib. 3. Histor. Eccles. cap. 14. ex Euripidis Tragœdiis illud desumptum esse existimat, sed Hieronymus Epistol. 84. ad Magnum Oratorem testatur, hæc esse ipsissima Menandri verba. Tertium petitum est non, ut quidam volunt, ex Callimacho, sed ex Epimenide Cretensi, qui à Cretensibus Propheta fuit habitus, cui etiam teste Diogene Laertio in vit. Philos. post mortem sacrificarunt, Tit. 1. v. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. *Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.*

Hisce Mosis, Christi & Pauli ad ipsorum hostium testimonia provocantium vestigiis feliciter institerunt primitivæ Ecclesiæ Doctores, qui vel contra Judæos, vel contra gentiles, vel contra hæreticos in arenam disputationis descenderunt, id quod multis confirmari posset exemplis. Sed quia nemini, nisi in ipsorum scriptis planè hospiti, illud est ignotum, ideo hac vice annotabimus ipsorum dicta, in quibus vim veritatis ex eo agnosci asserunt, quod etiam per ora invitorum erumpat, nec ullis reluctantium pectorum claustris ita cohiberi possit, ut non manifestis indiciis sese exerat, & ex potestate detinentium quasi manumissa exeat.

Irenæus lib. 4. adv. hæres. cap. 14. p. 241. edit. Gallasii, hac de re sic disserit: *Probatio vera & minime contradictioni obnoxia, qua etiam ab adversariis ipsis singula* (quidam legunt signa, alii symbola) *testificationi profert, in ipsa quidem manifesta sua visione convictis de præsenti negotio & testificantibus & significantibus, postea vero ad inimicitiam erumpentibus & accusantibus, & volentibus non esse verum suum testimonium.*

Tertullianus (vel potius Novatianus) in lib. de Trinit. pag. 634. *Hoc in loco licebit mihi argumenta etiam ex aliorum hæreticorum parte conquirere. Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.*

Origenes homil. 4. in Cant. *Samson veri & fidelis Doctoris tenet imaginem, qui ut hæreticos capiat & assertionibus veritatis convincat, caudam ad caudam alligat, id est, adversantes sibi sententias eorum connectit, & inter se confert, & ex propriis eorum dictis & argumentis propositiones & conclusiones colligit, quas tanquam faces ignitas in eorum segetes immittit, ut ipsorum sectas & errores comburat.*

Autor Disputationis Sylvestri cum Judæis: *Tunc demum convincitur rationabiliter pars, quæ è diverso est, cum suorum fuerit dictorum autoritate convicta.*

Basil. hom. in Christi nat. f. 233. αἱ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρίαι ἀξιοπιστότεραι.

Chrysostomus homil. 57. in Genes. col. 454. exponens verba Jacobi ad Labanem socerum: *Tu nosti, quomodo servierim tibi. Non sic fide digna erant,* (inquit) *quæ Jacob dicebat, ut quæ à Laban dicebantur, qui idola adhuc colebat. Semper enim infidelium & adversantium religioni testimonia majorem habent fidem. Et hoc est ex omnipotenti sapientia Dei, ut inimici veritatis fiant ipsi testes veritatis & suâ linguâ prædicent.*

Idem homil. 82. in Joh. p. 423. exponens verba Christi: *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt.* Ἐρώτησον τοὺς ἐχθρούς, τοὺς ἐπιβούλους, τοὺς δήσαντας. οὗτοι λεγέτωσαν. αὕτη γάρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἀναμφισβήτητος ἡ ἀπόδειξις, ὅτ' ἄν τοὺς ἐχθρούς τις (ὑπὲρ) ὧν λέγει καλῇ μάρτυρας. *Interroga inimicos, insidiatores, qui me ligarunt, illi testificentur. Id enim veritatis irrefragabile est argumentum, cum quis inimicos in eorum, quæ dicit, testimonium adducit.*

Maximus hom. 1. Paschal. p. 622. *Speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis, velut propriis laqueis, irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis convincere, ut pugnatoris tui argumenta tuis probentur utilitatibus militare.*

Theodoretus serm. 10. de provident. tom. 2. p. 627. *Testimonium, quod ab hostibus ferebatur, eum, qui prædicabatur, sermonem fide dignum reddebat.*

Isidorus Pelusiota lib. 2. Epi. 228. p. 200. σεμνὴ γάρ ἡ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία. *Grave atq; autoritatis plenum illud etiam testimonium est, quod ab hostibus sumitur.*

Nicephorus lib. 10. Hist. Eccl. cap. 26. p. 587. *Suis ipsius armis hostem ferire strenui admodum & fortis viri est.* Et postea: *Ideo etiam legimus gentilium libros, attenti præcipue ut simus, ne quis prædam è nobis agat per inanem & vanam Philosophicorum dogmatum seductionem. Id autem quomodo perspicere possimus, nisi in illorum subeamus arma? non quidem ut eis usurpandis eadem, quæ illi, sentiamus, sed ex abundanti suis contra eos potius utamur telis, & malum quidem aversemur, quod verum autem & oportunum est, legentes caute recipiamus. Ubicunque enim aliquid boni est, ipsius veritatis id est.*

Hùc referri potest illud B. Lutheri im Bericht von beyder Gestalt/ tom. 3. Germ. Jen. f. 360. Zum ersten solt du bedencken der Papisten eigen Bekäntniß. Denn sie bekennen öffentlich/ daß es wahr sey und in der Schrifft gegründet beyde Gestalt des Sacramentes zu empfahen / nach Christus unsers HErrn Einsetzung/ etc. Solch bekennen solt u wol mercken/ denn man kan den Teuffel nicht besser eintreiben und unser Hertz wider ihn stärcken/ denn durch sein eigen Wort und Bekäntniß/ wie Christus spricht: Aus deinen Worten wirst du gerechtfertiget / und aus deinen Worten wirst du verdampt. O wie solten sie pochen und trotzen/ wo sie ein solch Bekäntniß von uns hätten.

JCti dicunt: *Confessio oris proprii est omnium probationum optima & superlativa.* Josephus Ludovicus in Decisionibus Rotæ Lucensis Decis. 5. n. 37. f. 42. *Confessio est major quocunque alio publico instrumento, & quibuscunque testium depositionibus & efficacior quacunque alia probatione de mundo.* Idem in Decision. Perusinis part. 1. decis. 17. n. 17. f. 98. *Nulla est efficacior probatio, quam propria confessio.* Joachim. à Beust ad l. admonendi. ff. de jurejur. f. 458. per l. cum te 5. C. de transact.

Ecquid vero impedit, quo minus ut in aliis inposterum ad ipsorum adversariorum suffragia provocabimus, ita quoque in hoc ipso eos audiamus? Georgius Benignus de Salviatis Archiepiscopus Nazarenus (qui de mysterio Trinitatis sub titulo *de vexillo victoriæ Christianæ* ad Galliarum Regem Franciscum hujus nominis primum scripsit) in commendatione Petri Galatini (*qui ad reseranda Catholicæ veritatis arcana, ea quæ in Hebraicis Codicibus inventa fuere, in lucem protulit,* ut ipse de se scribit lib. 3. de arca. cap. 30.) inter cætera sic loquitur: *Ad probandam veritatem nihil est testimonio adversariorum efficacius.*

Idem Galatinus in præfat. operis sui Capnionem sic loquentem introducit: *Si ex ipso Thalmud orthodoxi dogmatis veritas elucesceet, & potissimum Judæorum nostri seculi refellentur errores, & Christianæ veritati, quam illi impugnare nunquam desinunt, validissima adversus eos ex eorummet Scripturis testimonia afferentur.*

Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 1. §. Accedat, &c. inter alia argumenta, quibus obscuritatem Scripturæ probat, producit propriam nostram Confessionem. *Accedat,* inquit, *testimonium Adversariorum, quod, velint nolint, huic veritati coguntur perhibere.* Lib. 4. de Eccl. cap. 16. §. 1. inter notas Ecclesiæ decimo tertio loco refert *Confessionem Adversariorum,* & addit: *Tanta vis est veritatis, ut etiam adversarios cogat interdum sibi testimonium dare.*

Idem in concion. 4. de verit. Cathol. doctrin. non longe ab initio: *Veritatis certissimum signum esse consonantiam doctrinæ, errores vero & mendacia semper seipsa destruere, usque adeo verum & omnibus notum atque perspectum est, ut id non solum viri sapientes doceant, sed etiam confirmet vulgus, & ipsi quoque mendaces veritatis hostes sæpe fateri vel inviti cogantur.*

Ibid. allegat dictum Lutheri ex lib. de Votis Monast. *Mendacia certius dignoscere non potes quam quando sibimetipsis contraria sunt, à Deo enim ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, & ut mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur.* Et addit: *Testimonium hoc verum est.*

Salmeron in comm. Rom. 5. Disp. 51. §. At quoniam: *Validum est testimonium, quod ab adversariis vi veritatis cogente excutitur.*

Gregorius de Valent. lib. 1. de unit. & Trinit. cap. 7. in fine: *Omnibus pene hæreticis commune est, ut pugnantia dicant, quo ipso non hæresis notam effugiunt, sed simul etiam in contradictionis atque repugnantiæ notam incurrunt.*

Maximilianus Sandæus Jes. Theol. in Acad. Herbip. quondam Professor Ann. 1618. edidit thema seculare *de causis deserendæ Synagogæ Protestanticæ:* In ejus frontispicio primâ statim paginâ fac. b. adducit dictum Lutheri in lib. contra Anabapt. *Nos fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos devenisse; quippe fatemur, in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum Baptismū, verum Sacramentum Altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, ut sunt Oratio Dominica, decem Præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse,* & subjungit: *Inimici nostri sunt judices Deut. 32. v. 31.*

Pazmannus in hodego lib. 3. peculiari capite probare instituit, *quod ipsimet Lutherani fateantur, Ecclesiam Papalem non errare in fide, ibidemque multis exaggerat, quod Deus hæreticos aut homines pravitati suæ adhærentes proprio suo judicio condemnet, ut propriis jugulentur gladiis, sicut David Goliathum, Susanna* (debuisset dicere Juditha) *Holofernem propriis gladiis interemerunt.*

Hæc omnia dubio procul permoverunt D. Andream Rivetum, ut in præmonit. Orthodoxo Catholico præfixa sic scriberet: *Quod liti huic dirimendæ ex ipsis Adversariis testes produxi &c. nolim ita interpretatum, ac si necessarium esset doctrinæ nostræ mendacissimorum alias hominum suffragium: sed tantum ut veritatis currum triumphalem victi hostes, onerati colla catenis, sequentes victrici accinere coacti, indubitatum apud omnes victoriæ testimonium ferrent: vel si præfracto animo in eam iterum irruere conarentur, hoc stratagemate inter se commissi, & animis, aut saltem sententiis distracti, mutuis se vulneribus conficerent, hoc nobis jucundum præbentes spectaculum, quod obverterit Dominus gladium unius in alterum per tota castra eorum. Judic. 7. v. 22. & effecerit, ut, quos conflaverant gladios, iis se confoderent, & iis, quibus se accinxerant ensibus, caput abscinderetur*

retur novis Goliathis, quod in hoc conflictu Adversariis accidisse experietur quilibet & in eo magis confirmabitur, si quando Polemica eorum scripta cum exegeticis aut didacticis comparet. In illis enim abalienati mente & præjudiciis occupati, quicquid possunt ad suas pertrahunt copias sine delectu: in his extra disputandi æstum constituti concedunt & confirmant non raro, quod alibi præfracte negaverant; vel contra negant, quod asseruerant.

Atque hæc de prima ac præcipua utilitate ex Adversariorum testimoniis pro nostra sententia adductis resultante (quæ est *veritatis confirmatio*) dicta sunto. Altera utilitas est, *vanæ gloriationis confutatio.* Pontificii Scriptores de tribus potissimum gloriari solent. 1. De Ecclesiæ Romanæ infallibilitate. *Nostra sententia est*, scribit Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 14. *Ecclesiam absolute non posse errare, nec in rebus absolute necessariis, nec in aliis, quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non.* Illud verò de Ecclesia Romana accipiendum esse docet lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 4. *Romana*, inquit, *particularis Ecclesia non potest errare in fide.* Pistorius in hodeg. cap. de Eccles. *Romana Ecclesia nunquam, ne minimum quidem, errare potuit.* Contra hanc gloriationem tale nectimus argumentum. Quando Romanæ Ecclesiæ filii in dogmatibus controversis talia proferunt, quæ nostram confirmant sententiam, tum aut errant, aut non errant. Si prius asseritur, falsa est Pontificiorum gloriatio, quod Ecclesia Romana non erret. Si posterius, falsa est Pontificiorum accusatio, quod Ecclesiæ nostræ erronea dogmata propugnent.

2. De negata nostris Ecclesiis veritate. Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 16. scribit: *Nusquam inveniuntur Catholici laudasse doctrinam aut vitam ullorum hæreticorum.* Quod si ergo demonstratum fuerit, Romanæ Ecclesiæ filios in multis laudasse & approbasse nostram doctrinam à communi Romanæ Ecclesiæ confessione dissentientem, & quidem in illis ipsis capitibus, de quibus inter nos & Pontificios controvertitur, fateri cogetur Bellarminus, vel gloriationem illam esse vanam & frustraneam, vel nos non esse hæreticos.

3. De omnimoda Ecclesiæ suæ unitate. Gloriatur Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 10. quod *omnes Catholici* (Romanenses) *toto orbe dispersi de omnibus fidei dogmatibus idem sentiant.* Costerus in Enchir. cap. de Ecclesia nota 1. §. At verò. *Catholici omnes ubivis terrarum sub uno capite, Romano Pontifice, cui omnes parent & Principes & Reges, ut Christi Vicario, eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia, & ne in minimo quidem religionis articulo discrepant.* Tannerus in Dioptra fidei lib. 1. cap. 4. pag. 69. dissensum nobis objicit, contra verò *de fidei unitate in Ecclesia Romana* gloriatur. At vanam & falsam esse hanc gloriationem, ostendent ea, quæ ex ipsis Pontificiis Scriptoribus pro nostræ sententiæ suffragio adducemus. Ex illis verò manifestum fiet, non solum ab aliis, sed etiam à seipsis Scriptores Pontificios interdum dissentire, ut merito illud Augustini de ipsis usurpemus lib. 2. cont. Epist. Parm. cap. 4. *In quibusdam confirmant, quod in aliis exsufflant, eo ipso verò, dum in quibusdam improbant, quod in aliis approbant, in his accusantur, in illis contra se testimonium dicunt. Ps. 5. v. 10. Non est in ore eorum constantia. Psal. 12. v. 3. Labia eorum sunt divisa, in corde & corde locuti sunt.* Itemq; illud Chrysostomi homil. 4. in Acta: *Cum adfuerit improbitas, unum hoc quærit, ut aliquid omnino dicat, non ut aliquid dicat ad rem pertinens, sed ut dicat.*

Tertia hujus operæ utilitas est *audacis facti retorsio.* Pontificii Scriptores aliquoties ad propriam nostrorum confessionem in dogmatibus utrinque controversis provocant. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 1. Scripturæ sacræ obscuritatem probaturus, inter cætera sic argumentatur. *Accedat testimonium adversariorum, quod, velint nolint, huic veritati coguntur perhibere. Nam si Scriptura esset tam clara, ut ipsi dicunt, cur tot commentaria Lutherus & Lutherani scriberent? cur tam diversas ederent Scripturæ versiones? cur tam varie Scripturas explicarent?* Lib. 4. de Eccl. cap. 16. demonstraturus Romanæ Ecclesiæ veritatem, provocat ad testimonium Lutheri in lib. cont. Anabapt. *Nos fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonum Christianum.* Jodocus Coccius in Thesauro in omnibus ferè articulis sub finem provocat *ad testimonia Adversariorum.* Quo jure, quave injuria; qua veritatis specie ad confessionem nostram provocent, alibi disputatur, hæc vice retorsionis jure usi, ad ipsorum propriam confessionem provocare non dubitabimus. Verum enim est & ex hoc ipso scripto verum esse deprehendetur, quod Erasmus de Pontificiis Scriptoribus asserit in Epist. ad Fridericum Saxoniæ Ducem, tom. 1. oper. Latin. Luth. 210. *Illos præcipiti lædendi studio sæpe criminari in alio, quod ipsi domi probent.*

Quarta utilitas est *hæreseos declinatio.* Pontificiis perpetuò in ore & calamo, Augustanæ Confessionis socios esse hæreticos. Staplet. de princ. doctrinal. controv. 3. lib. 7. cap. 15. *Hæretici & Protestantes sunt synonyma.* Sed ex hac domesticorum in Ecclesia Romana testium depositione manifestum evadet, præter jus & æquum pro dogmate hæretico in nobis damnari, quod proprii Pontificiorum Scriptores, quandoq; etiam ipsi Romani Pontifices, quos ἀνυπευθύνους esse statuunt, in scriptis suis approbaruut. Maldonatus in expositione Joh. 6. v. 53. fateri cogitur, *se impeditum esse, quo minus acriter & vehementer in Protestantes invehatur, quia Catholici quidam iis sese in ea junxerant.* Idem ergo etiam in reliquis controversiis & Maldonatus & alii observent. Ex hoc ipso quoque fundamento demonstramus, Pontificios cauteriata conscientia in nobis damnare, quod in suis Scriptoribus æquo animo legunt.

Quinta utilitas est *accusationis de novitate depulsio.* Pontificiis solenne est, Confessionem nostram novitatis accusare. Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 5. Pistorius in hodeg. cap. 4. nugatur, *nostram Ecclesiam ex libero aere extitisse.* Lessius in Consult. p. 61. *Lutheranam religionem ante annum 1517. non extitisse in mundo.* Sed si ex ipsis Pontificiis Scriptoribus, illis præsertim, qui ante Lutherum vixerunt, nostræ Confessionis suffragia adducuntur, in fumum abit isthæc Pontificiorum accusatio.

Sexta denique & ultima utilitas est, ad πολυθρύλλητον Pontificiorum *quæstionem responsio.* Pontificii perpetuò à nobis quærere solent, *Ubi fuerit Ecclesia ante Lutherum? in qua orbis regione vel angulo latuerit?* ac postulant à nobis, ut κατ' ὄνομα recenseamus eos, qui in dogmatibus controversis nobiscum senserint. Producimus igitur testimonia illorum, qui ante Lutherum docuerunt & scripserunt, iisdemque probamus, nec Ecclesiæ veritatem, nec veritati testes, nec testibus παῤῥησίαν defuisse.

CAPUT II.

Ad Pontificias quasdam exceptiones responsum exponit.

QUando domesticis ejusmodi testimoniis Adversarios premimus, varia quærunt elabendi subterfugia, quo minus veritatem, cui eadem suffragantur, nobiscum amplectantur. Primum ac præcipuum est, quod *Scriptores illi & se & sua scripta Ecclesiæ judicio subjecerint, proinde quicquid Ecclesia Romana in illis repudiat, vel certe non approbat, illud pro indicto habendum esse.* Bellarminus, postquam lib. 4. de Ecclesia cap. 10. audacter gloriatus esset, *omnes Catholicos* (Romanenses) *toto orbe dispersos de omnibus dogmatibus fidei idem sentire,* statim subjicit: *Nec possunt aliter sentire, cum subjiciant sensum suum sensui unius & ejusdem summi Pastoris, ex cathedra Petri cum consilio aliorum Pastorum Ecclesiam dirigentis.* Idipsum postea sic declarat: *Omnes Catholici & se & sua subjiciunt Ecclesiæ Romanæ definitioni, ideo in rebus fidei omnes conveniunt.* Inde lib. 1. de Euchar. cap. 5. § Porro. sic disserit: *Multum interest inter Catholicos & hæreticos, licet in sententia eadem convenire videantur, quia Catholici subjiciunt se ac sua censuræ Conciliorum ac Pontificum, quod hæretici non faciunt.* Lib. de matrimonio cap. 15. §. ultimo. *Tres isti, Erasmus, Cajetanus, Catharinus in hoc multum ab hæreticis distant, quod se Ecclesiæ judicio disertis verbis subjiciunt.* Lib. 2. de Justificat. cap. 1. §. Deinde. *Bucerus & cæteri Sectarii sententiam suam obstinate defendunt, neque Ecclesiæ Catholicæ judicio acquiescere sunt parati, proinde non errantes, sed hæretici merito nominantur. Piggius autem & Colonienses semper in Ecclesiæ communione manserunt, parati illius judicio judicium suum sententiamque subjicere.* Cumprimis vero multus est hac in re Jacobus Gretserus Jesuita in tractatu *de jure & more prohibendi & expurgandi libros hæreticos & noxios.*

Resp. 1. Non omnes *Romanæ*, sed *Catholicæ* Ecclesiæ judicio suam sententiam voluerunt esse subjectam. Romanum vero & Catholicum non esse terminos æquipollentes, ipsum nomen arguit. Romana enim Ecclesia *particularis* est, Catholica vero *universalis.* Pontificii quidem Ecclesiæ Catho-

licæ nomine solam Ecclesiam Romanam, ejusque cives solos Catholicorum nomine dignantur. Lindanus lib. 4. panopl. cap. 84. *Ecclesia non est Catholica, nisi quatenus cum Romano Pontifice est conjuncta, extra quam Ecclesiam non est salus.* Sed discrimen inter Catholicam & Romanam Ecclesiam statuendum esse, ex ipsis adversariis demonstrare possumus. c. Novit. dist. 12. ex Gregorio ad interrog. August. *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo posset placere, solicitè eligas.* (At si Romana Ecclesia non esset distincta à Catholica, tanquam pars à toto, non posset cum Gallicana tanquam pars cum parte conferri. Itemque si Romana Ecclesia esset caput reliquarum omnium & sola Catholica, utique ab ea tanquam à capite & fonte rectæ disciplinæ forma unicè esset haurienda.)

Gregorius Episcopus Roman. lib. 19. moralium cap. 9. *Universæ Ecclesiæ, quæ unam Catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur, non jam vetustæ per culpam, sed novellæ per gratiam.* (Si universæ Ecclesiæ faciunt Catholicam, Ergo non sola Romana est Catholica.)

Idem lib. 4. Epist. 38. *Nomine Catholicæ Ecclesiæ universalis omnium temporum, locorum & populorum Ecclesia intelligitur, quæ per totum orbem diffusa, omnes Sanctos ante legem, sub lege & sub gratia complectitur.*

Innocentius III. lib. 2. Epist. 206. quæ incipit, Apostolicæ Sedis &c. apud Bzovium tom. 13. Anno. 1199. num. 4. *Dicitur universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco sermone Catholica nominatur; & secundum hanc acceptionem vocabuli, Romana Ecclesia non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, velut caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet Ecclesias universas; & secundum hanc nominis rationem, Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis cæteris est prælata, sicut & Deus Universalis Dominus appellatur, quoniam omnia sub ejus dominio continentur.* (Acceptamus, quod Pontifex concedit, *Ecclesiam Romanam non esse Ecclesiam Catholicam sive universalem, sed universalis Ecclesiæ partem.* Quod vero addit: *Romanam Ecclesiam esse & dici universalem, quia sub se universas continet, ac singularis privilegio dignitatis cæteris est prælata,* illud principium petit, quia adhuc in quæstione est, an Romana Ecclesia sit omnium reliquarum caput ac domina & quidem jure divino. Ac si vel maximè primatus aliquis honoris ei concedatur, non tamen propter illum primatum Universalis Ecclesia vere & propriè nominari potest.)

Patres Concilii Basileens. sess. 3. *Dicimus, Romanam Sedem principalem inter alias Sedes, sed nunquid dum partem laudatis, obliti estis totius? nunquid dum unam Ecclesiam extollitis, eam, quæ universalis est, in qua Romana continetur, prætermittitis?*

In Appendice illius Concilii dicitur: *Romana Ecclesia non est universa, sed de Universitate.*

Concil. Ferrariens. sess. 6. *Romana Ecclesia universali Ecclesia inferior est.*

B. Rhenanus in argum. libri Tertull. de Præscriptionibus: *Docet quidem Tertullianus in hoc libro, unam esse aliquam Ecclesiam, ex qua reliquæ, hanc autem nulli loco affigit. Quanquam honorifico laudis elogio Romanam exornat Ecclesiam, non tamen tantam illam facit, quantam hodie fieri videmus. Nam inter Apostolicas Ecclesias illam enumerat, non solam facit Apostolicam, hoc est, summatim eam facit, non summam, ut patet ex quarto ejus libro adversus Marcionem. Videmus, inquit, quod lac à Paulo Corinthii hauserint &c. Porrò si hodie superesset Tertullianus, non istud impune diceret, nam quas Tragœdias vidimus excitatas ob similem causam!*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 5. §. 2. *Ecclesia Catholica, id est, collectio fidelium est una tantum, licet habeat prolem variam.*

Georg. Cassander in lib. de officio pii viri: *Romana Ecclesia est magna illius & Catholicæ Ecclesiæ non contemnendum membrum.*

Melchior Canus in lib. 1. Locor. Theolog. cap. 3. distinguit inter Ecclesiam Catholicam & Romanam. Nam tertio loco inter domicilia argumentorum Theologicorum numerat *autoritatem Ecclesiæ Catholicæ*: quinto loco *autoritatem Ecclesiæ Romanæ.*

Bellarminus lib. 1. de Sacram. in genere cap. 27. §. Petes. *Ut quis vere baptizetur, necesse non est, ut Minister intendat facere quod facit Ecclesia Romana, imo verus est Baptismus, etiamsi intendat, non facere quod Romana Ecclesia facit. Sufficit intendere, facere, quod facit Ecclesia Catholica.* (si hæc intentio Ministri distinguentis Ecclesiam Catholicam à Romana est recta, utique Catholica & Romana Ecclesia distinguuntur.)

Idem Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 16. resp. ad 3. demonstraturus, *populum Judæorum sive Ecclesiam V. Test. non fuisse Universalem sive Catholicam,* probat illud hoc argumento, quia *extra illum populum inveniebantur fideles & justi, ut Melchisedec, Job, & postea Cornelius Centurio &c.* (Atqui eodem argumento probari potest, etiam Romanam Ecclesiam non esse Universalem sive Catholicam, quia extra eam non solum aliqui fideles & justi, sed etiam integræ Ecclesiæ inveniuntur, quas non possunt à communione Ecclesiæ Catholicæ penitus excludere, cum ad minimum infantes quidam extra Romanam Ecclesiam baptizati salventur.) Et quid multis? Albertus Pighius Cardinalis lib. 6. Hierarch. Eccl. cap. 3. fol. 217. rectè monet, quod *addita denominatio particularis* (quando dico Romana Ecclesia) *vetet, quo minus universalem Ecclesiam possis intelligere.* Ibid. dicit, *quod per Romanam Ecclesiam nemo unquam intellexerit Universalem, nisi forte Latini sermonis ignarus.*

Balthas. Hagerus Jes. Herbip. in Coll. Aug. Conf. in Epilogo, *Ecclesiam Catholicam dicit esse Universalem illam Ecclesiam, quæ omnes omnino fideles omnium temporum comprehendat; Romanam definit particularem Ecclesiam, cujus metropolis Roma.*

At, inquit Baronius ad Ann. 45. n. 10. *jam olim Romanum & Catholicum dici solitum pro eodem.* Resp. 1. Quando Romani Episcopi sese appellarunt vel appellari permiserunt *Catholicæ Ecclesiæ Episcopos*, nomen Catholicæ opponitur hæreticæ. Probatur id evidenti argumento, quod non solus Episcopus Romanus, sed etiam alii Episcopi hoc elogio fuerint honorati. Concilium Nicenum apud Socratem lib. 1. Hist. Eccles. cap. 6. nominat Episcopos *Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ* qui sub Alexandro erant. Epiphanius in Meletianis eos sic vocatos asserit à Meletio quodam, in Tiberiade facto Episcopo τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, *Universalis Ecclesiæ.* In Canonibus Carthaginensis Concilii Græcè editis Canone 94. extat forma congressionis cum Donatistis, in qua hæc leguntur: Ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας εἶπεν. In gestis Collationis Carthagini habitæ Honorii Cæsaris jussu subinde hæc occurrunt: *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ. Fortunatius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus. Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ.* Sozomenus lib. 8. Hist. Eccles. cap. 1. asserit: *Sisinnium Novatianorum Episcopum Ecclesiæ Catholicæ Episcopis fuisse gratum.* Epiphanius hæresi 61. de Photino hæresiarcha: Ἐπίσκοπος γίγνεται τῆς ἁγίας καθολικῆς Ἐκκλησίας, *factus est Episcopus sanctæ Universalis Ecclesiæ.* In Actis Synodi Ephesinæ Cælestinus scribens ad Nestorium, vocat Atticum Constantinopolitanum *Episcopum Catholicum.* Constantius Imperator, apud Socratem lib. 2. Hist. Eccles. cap. 18. Ecclesiam Alexandrinam absolute vocat *Catholicam.* 2. Ac ut manifestius appareat, nomine Catholici ad doctrinam Catholicam, non autem ad primatum aliquem Monarchicum, vel loci Catholicismum respectum fuisse habitum, notandum, quod addere fuerint soliti nomen urbis, cui in Episcopali munere præerant. In gestis Collationis Carthaginensis, *Aurelius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Carthaginensis.* Sozomenus lib. 2. cap. 24. Callinicum vocat *Episcopum Catholicæ Ecclesiæ in Pelusio.* 3. Vicissim, ne quis cogitet, Romanum Episcopum absolutè Episcopum Catholicæ Ecclesiæ fuisse dictum, notandum, quod Damasus ad Stephanum Archiepiscopum sic scribat: *Damasus servus servorum Dei & per gratiam ejus Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ.* 4. Mos ille, quo Romanum & Catholicum pro eodem dici solitum, non fuit ab initio. *Argumento* sunt exempla, quorum quod antiquissimum repetitur à Theodosio juniore, & Victore Uticensi, & Gregorio Turonensi post quartum à Christo nato seculum. 5. Occasionem sumsit à ratione Politica. Gothi, Vandali, &c. Romanis bellum inferebant. Illi omnes erant Ariani, hi Catholici; inde factum, ut Romanorum nomine omnes Catholici venirent. 6. Cœptum hoc usurpari non

à Ca-

à Catholicis, sed à Gothis, h. e. Arianis. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 25. de Ariano Principe: *Cogitavit intra se dicens: Quia ingenium est Romanorum* (*Romanos enim vocitant homines nostræ religionis*) *ut ita accidat &c.* Petrus Siculus in Historia Manichæorum dicit: *Manichæos seipsos appellasse Christianos, vere Christianis Romanorum nomen assignantes.*

Quod si ergo eo sensu Romanam Ecclesiam Pontificii hodierni *Catholicam* appellarent, ut significarent, eam esse sanam & orthodoxam, utpote quæ fidem Catholicam teneat, quo sensu Cyprianus Epist. 55. Ecclesiam Aphricanam *Catholicam* nominavit, ac Jus Civile in Cod. de sum. Trin. & fide Cathol. Christianos appellat *Catholicos*; ac fidem illam Romanæ Ecclesiæ ex tabulis Catholicæ fidei ex Scripturis sacris demonstrarent, possent forte obtinere, quicquid in rebus fidei adversatur Ecclesiæ Romanæ, idem etiam adversari Ecclesiæ Catholicæ, propter ὁμογένειαν partis & totius; sed cum eo sensu Romanam Ecclesiam appellent Catholicam, quod *de necessitate salutis omnes cogantur Romano Pontifici absolutè sese submittere, in rebus fidei ejus sententiam unicè sequi, sive Scripturis eam conformem esse intelligant, sive ab eis discrepantem, ac proinde extra Ecclesiam Romanam nemini salutem obtingere posset*, ideò hanc Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ *ἰσοδυναμίαν* ipsis concedere minimè possumus. Sed nec illi eam concedunt, qui Romanæ Ecclesiæ corruptelas & errores jam olim taxarunt, Catholicæ vero Ecclesiæ se & scripta sua interim subjecerunt.

2. Quod quidam *Romanæ Ecclesiæ* (hoc est, ut ultima analysis docet, Romani Pontificis) judicio suam sententiam subjiciunt, hoc non efficit, quo minus dicantur in controversiis fidei articulis id sensisse, quod disertis verbis scripserunt, sed arguit præposterum ipsorum erga Romanum Pontificem obsequium, quod in illius gratiam repudiaverint ac damnaverint ea, quæ ex clarissima Scripturæ luce cognoverunt. Veritatem in controversis articulis cognoverunt, sed propter præconceptam opinionem de infallibilitate Romani Pontificis, (quod ab ejus judicio absolute infallibili tum legitima Scripturæ interpretatio, tum controversiarum decisio unicè pendeat) veritatem illam sub obsequium Romanæ Ecclesiæ captivarunt. *Efficaciam veritatis* arguit, quod luculentum ei ex Scripturis præbuerunt testimonium; *efficaciam erroris*, quod in gratiam Romani Pontificis veritatem agnitam arbitrio ipsius subjecerunt, interdum etiam repudiarūt. Sic Thomas in 4. sent. 27. q. 3. art. dist. 1. disputans de quæst. *An doctus, pius & idoneus, sed bigamus, qui non proprie sed Canonice* (hoc est Papistica fictione) *talis est, ob viduam unicam olim ductam, in Sacerdotem aut Episcopum electus promoveri possit?* postquam pro parte affirmante firmas rationes & manifesta Scripturæ dicta in medium protulisset, tandem in partem negantem concedit, addita hac sola ratione, quia *Papa in Decretalibus contrarium dixerit & præceperit.* Gabriel Biel, cum in lectionibus super Canonem Missæ lect. 57. multis argumentis confirmasset, *Indulgentias Papales non prodesse animabus Purgatorii*, post librum evulgatum videns Bullas Sixti IV. & Innocentii VIII. Pontificum, qui rectà dabant Indulgentias defunctis, priorem sententiam retractavit, teste Molinæo.

Sed & aliqui honoris potius ac moris causâ, quam ex animo Ecclesiæ Romanæ judicio sese submittunt. Johannes Baptista Cigala Episcopus Albinganensis in Concilio Tridentino dicebat: *Usitatas Doctorum in simili casu attestationes, de semetipsis Ecclesiæ arbitrio permittendis, verba esse, quibus de more fidem & observantiam suam homines profitentur, quibus pari respectu sit respondendum, in partium contrarietate neutris adhærendo: sic moribus esse comparatum, ut qui ab alio cultum expectat, eundem ipse reverenter habere debeat, neq; facile credendum, eum, qui separatum dicat ad se submittendum ac subjiciendum, eo esse reverà animo, si sui prodendi occasionem adipiscatur &c.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trid p. 285.

3. Quando sententia aliqua subjicitur Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Pontificis judicio, tunc illa ab Ecclesia Romana judicatur vel hæretica vel orthodoxa. Si prius, declarantur hæretici, quotquot eam post Ecclesiæ definitionem amplectuntur, ac proinde Pontificii eidem sententiæ suffragantes non minus erunt hæretici, nec magis orthodoxi, quam Protestantes; cum judicium illud Romanæ Ecclesiæ sit generale, concernens omnes, quotquot damnatam illam sententiam amplectantur, quocunque tandem nomine veniant: Si posterius, Protestantes nec magis erunt hæretici, nec minus orthodoxi, quam Pontificii in sententiæ illius approbatione cum Protestantibus consentientes, ob rationem ex judicii generalitate modo assignatam. Præterea partes in Papatu invicem dissidentes retinent mordicus suas opiniones, ut Ecclesiam ab alterutra necesse sit dissentire, si, uti tenetur, ita quoque velit, judicium ferre ex Scriptura. Sin ipsa quoque Ecclesia erret, generalis ille in erroribus consensus specialem contrarietatem minime tollit, neque enim minus duo vitia sunt contraria, licet in communi Naturæ vitii concurrant. Non est, quod dicas, *in Protestantibus cum errore conjunctam esse pertinaciam, quæ à Pontificiis in controversis quibusdam capitibus cum Protestantibus per errorem consentientibus absit.* Quisquis enim post Concilii Tridentini decisionem, *quam esse vocem Ecclesiæ Catholicæ* scribit Bellarmin. lib. 1. de Justific. cap. 12. §. ult. contrarium statuit ei, quod in Concilio illo definitum & confirmatum, is sciens ac volens à Romanæ Ecclesiæ decisione hac in parte discedit, ac proinde à pertinaciæ crimine absolvi nequit, antequam erroneam illam (ex hypothesi adversariorum loquendo) sententiam abjiciat ac damnet. Jam vero ex sequentibus manifestum fiet, multos Pontificios Scriptores etiam post Concilii Tridentini decisionem contrarium docuisse illis, quæ in Concilio isto fuere definita, Ergo hac in parte scientes ac volentes à Romanæ Ecclesiæ decisione discesserunt. Aut igitur in Protestantibus hæc sententia, itidem ut in Pontificiis illis Scriptoribus, toleranda, aut in Pontificiis Scriptoribus æquè ac in Protestantibus tanquam hæresis damnanda.

Altera exceptio est, quòd *Pontificii hypothesin aliquam cum Protestantibus communem amplectentes, bonam foveant intentionem, qua cum destituti sint Protestantes, ideo magnum inter utrosq; discrimen intercedere, ut proinde Pontificii hypothesin illam amplectentes maneant Catholici & orthodoxi, Protestantes vero tales esse desinant.* Bellarmin. lib. 1. de Eucharist. cap. 5. §. Porro. *Multum interest inter Catholicos & hæreticos, licet in sententia eadem convenire videantur, quod Catholici id senserunt optima intentione, ut videlicet facilius defenderent veritatem, hæretici autem ut facilius eam oppugnarent.* Ex hoc principio excusat Bielem, Cusanum, Cajetanum, Tapperum, Hesselium, Jansenium & alios, qui unanimiter cum Protestantibus docent, *in cap. 6. Johann. non agi de Sacramentali corporis Christi manducatione & sanguinis Christi bibitione.* Resp. dogmatis ac hypotheseos alicujus veritas non potest nec debet æstimari ex intentionis qualitate, sed ex conformitate cum tabulis cœlestis veritatis, hoc est, cum Scriptura sacra. Quod si ergo hypothesis illa, in cap. 6. Johann. non agi de Eucharistia, pugnat *cum ipso textu Scripturæ, cum testimonio Ecclesiæ, cum Patribus & plurima parit absurda*, uti Bellarminus d. l. demonstrat, utique graviter errat, quisquis eam amplectitur, quacunque tandem intentione eam amplectatur, cum veritas suis suffulta viribus mendacii patrocinio minimè indigeat, ac bona intentio, ut furtum & alia peccata, ita quoque errorem minime excuset.

Tertia exceptio est, *testes illos pro nostra sententia adductos esse paucos & obscuros, comparatione facta ad numerum eorum, qui Romanæ Ecclesiæ adhærent.* Resp. ostendemus suo loco, videlicet in quæstione, an multitudo sive amplitudo sit propria, perpetua atque infallibilis veræ Ecclesiæ nota, veritatem in fidei articulis non esse æstimandam ex Confessorum multitudine vel paucitate, sed ex dogmatis alicujus cum fidei regula, hoc est, cum Scripturis sacris conformitate. Liberius Romanus Episcopus, cum à Constantio Imperatore Ariano ipsi objiceretur: *Quota pars tu es orbis terrarum qui solus facis cum homine scelerato,* (Athanasio,) *& orbis terrarum ac mundi totius pacem dissolvis:* masculè & vere respondit: *Non diminuitur solitudine mea verbum fidei. Nam & olim tres solum inventi fuere, qui edicto resisterent.* Theodor. lib. 2. Histor. Eccles. cap. 16. Ab hoc Romani Episcopi responso longe discrepat Bellarmini Romanæ Ecclesiæ Cardinalis judicium, qui *Ecclesiæ veritatem ex multitudine æstimandam esse* docet lib. 4. de Eccles. cap. 7.

CAP.

CAPUT III.

De quibusdam Scriptoribus, quorum testimonia adducentur, commonefactionem continet.

IN hanc testium classem referimus 1. *Gregorium Magnum* & alios Episcopos Romanos, qui ante Bonifacium Sedi Romanæ præfuerunt, non quod Papali religioni, qualis est hodie, in omnibus & singulis articulis eos addictos fuisse Adversariis largiamur; (constat enim Gregorium Magnum de primatu Pontificis, quem Bellarminus in præfat. librorum de Summo Pontifice vocat *summam rei Christianæ*, uti etiam de operum humanorum imperfectione & immunditie, inque aliis quibusdam controversis capitibus idem nobiscum docuisse;) Sed quia fuit *Episcopus Romanus*, ac proinde ex hypothesi Adversariorum infallibilis, & quia ipsius tempore inclinatio doctrinæ fuit facta, dum ex apparitionibus Spirituum purgatorius ignis confirmari & pro dogmate fidei in Ecclesia haberi cœpit.

2. Accensemus insuper testibus hisce nostris *Bernhardum*, non quod per omnia Pontificiæ doctrinæ hodiernæ astipulatorem eum fuisse concedamus, quia naturales liberi arbitrii in spiritualibus vires, merita operum, fiduciam in opera & alias doctrinæ corruptelas nobiscum repudiavit, ac Pontificem Eugenium mascule redarguit, unde B. Lutherus etiam *ipsi Augustino in quibusdam eum præferre* non dubitat, in Colloq. Mens. cap. 30. ac Chemnicius p. 2. Locor. p. 497. *eum in articulo Justificationis aliquid lucis habuisse* asserit; sed quia tempore dominantis Papatus, videlicet duodecimo post Christum natum seculo, vixit, & à torrente quorundam errorum liberè in Ecclesia tunc grassantium abreptus est, unde Tannerus in Dioptra lib. 2. cap. 17. magno conatu probare satagit, *ipsum fuisse Papistam*, secutus hac in parte Bellarminum, qui lib. 4. de Eccles. cap. 16. scribit: *Bernhardus fuit certè Papista*. Et postea: *Bernhardus, Franciscus, Dominicus nostri, fuere boni & laude digni.*

3. Accensemus testibus hisce eodem intuitu Glossam ordinariam, cujus autorem Strabum, qui vixit circa annum 840. Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. verb. Strabus, laudat ut *virum seculari literaturâ abunde expolitum, divinæ Scripturæ peritissimum, & veterum autorum lectione varia & assidua delectatum.* Bellarminus lib. 3. de Eucharist. cap. 20. ad ann. 800. de eo sic judicat: *Tantum valet, ac si orthodoxorum Patrum testimonium obtineret.*

4. Joachimum Abbatem (qui vixit circa Annum 1195.) Alphonsus à Castro lib. 2. adv. hæres. titulo Apostoli, levitatis insimulat, scriptaque ejus omnia carpere non dubitat. *Multa*, inquit, *scripsit, in quib. meo judicio suum leve ingenium ostendit, quoniam in omnibus fermè libris suis, ut se futurorum præscium ostenderet, consuevit miscere prognostica, quod maximæ levitatis & gloriæ cupiditatis indicium est, maxime cum aliter se in posterum res habuit, quam ipse prædixit.* Ante Alphonsum Antoninus parte 3. Chron. cap. 1. §. 7. de ipso memorat, quod *Concilium Lateranense sub Innocentio III. ut habetur in c. Damasus extr. de summa Trinit. & fide Cathol. libellum, quem hic Joachimus edidit de unitate seu essentia Trinitatis adversus Lombardum, damnaverit, quatenus in eo asseritur, non dari essentiam unam communem tribus personis.* Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccl. de eo sic scribit: *Circumferuntur ejus nomine quædam vaticinia de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum sit judicium.*

Sed Vincentius Belvacensis in Speculo Histor. lib. 29. honorificum ei defert elogium, quod, *cum prius non multum ab homine doctore didicisset, donum intelligentiæ divinitus acceperit, adeo ut facunde & disserte quaslibet Scripturarum difficultates & obscuritates enodare potuerit, quodq; duobus Regibus Franciæ & Angliæ Philippo & Richardo, in terram sanctam iter parantibus, Messanæ prædixerit, illos parum profecturos, eò quod tempus liberationis Jerusalem nondum adsit.* Sixtus Senensis lib. 3. Bibl. tit. de Prophetica expositione, de hoc Joachimo scribit: *ipsum Prophetica expositione, quæ nullo humano ingenio excogitata, sed solo divini spiritus afflatu revelata Scripturas sanctas ad prædictionem futurarum rerum certa & immobili veritate convertit, excelluisse.* Lib. 4. Bibl. verbo Joachim. *ipsum ut virum in divinis Scripturis studiosum & exercitatum, & suo tempore verissimum Prophetam creditum* dilaudat. Blasius de Viegas Jes. in cap. 3. Apoc. p. 183. de eo sic judicat: *Vir fuit divinarum literarum cognitione non mediocriter instructus, quia Jeremiam, Esaiam, Danielem & Apocalypsin commentariis suis illustravit, at multa alia edidit ingenii sui & eruditionis monumenta. Prophetæ Spiritum habuisse suo tempore fuit existimatus, quemadmodum testatur Sylvester Meucius de Castellione Aretino, in Epistola, quam de Joachimi operibus scripsit ad Ægydium Presbyterum Cardinalem, quæ eisdem operibus præfigitur. Antoninus part. 1. Chronic. tit. 14. cap. 1. §. 12. Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. & Guilielmus Parisiensis in libro de virtutibus. Diciturq; templum S. Marci Venetiis celeberrimum lapidibus stravisse atq; exornasse glyphicis, mysticisq; notis, ænigmaticisq; figuris, rerum in Italia vicissitudines, civilium bellorum turbines, alienissimaq; illa tempora, in quæ ad hodiernum usq; diem incidit, & in posterum etiam incidet, continentibus. Itaque Clemens III. ei præcepit, ut Apocalypsis interpretationem, quam de mandato Lucii & Urbani fuerat auspicatus, ad finem tandem perduceret, sibique offerret, ut constat ex literis Clementis ad eundem, quæ in principio Commentariorum Joachimi in Apocalypsin circumferuntur.*

5. Platinæ (qui vixit circa ann. 1481.) fidem Pontificii Scriptores quandoque elevant. Bellarmin. lib. 3. de Pœnit. cap. 13. §. Sed neque. *Platina*, inquit, *libri Annales nostri dici non possunt, quia sæpè ab Historicis nostris reprehenditur.* Ibid. *Nulla publica autoritate Platina vitas Pontificum scripsit.* Bulengerus in resp. Cathol. ad Plessiaci librum, cum in Platinæ mentionem incidisset, *Egregium vero*, inquit, *autorem!* Landtherr im scharffen runden Auge Admir. 11. lit. p. 1. fac. 1. Dem Platinæ und seines gleichen ist anderswo eine ziemliche Platen geschere.

Sed hæc ἐγκλήματα refelluntur, tum ex operis inscriptione, quia Sixto IV. Pontifici maximo illud nuncupavit, tum ex præfatione, in qua inter cætera sic loquitur: *Tu Theologorum & Philosophorum Princeps, maxime Pontifex, non frustra mandasti, ut res gestas Pontificum scriberem*; tum ex aliorum honesta testificatione. Hieronymus Balbus Episcopus in lib. de coronat. ad Carolum V. Imp. §. Post mortem &c. egregium ipsi defert elogium: *Quæ*, inquit, *Platina de vitis Pontificum scripsit, vera sunt existimanda, quippe cum ea ex publicis tabulis, aliisque legitimis documentis depromserit, in quibus res gestæ Pontificum Historica fide continentur.* Quid quod ipse Bellarminus ejus testimonio utitur lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 13. *Extat*, inquit, *etiam apud Platinam forma electionis.* Costerus itidem in Apolog. part. 3. cap. 5. *De Zacharia Pontifice unius Platinæ sufficiet testimonium.*

6. Quod autem de *Gregorio & Bernhardo* diximus, idem etiam statuendum de aliis, qui proximioribus ante reformationis opus vixere seculis, videlicet, quod in quibusdam veritatem Catholicæ & Evangelicæ doctrinæ in Scripturis sacris clare refulgentem agnoverint & confessi fuerint, in quibusdam vero erroribus suorum temporum impliciti hæserint, quod ipsum permovere nos debet, ut sepositâ quorumvis hominum autoritate soli Dei verbo in Propheticis & Apostolicis Scripturis comprehensio adhæreamus, illudque pro infallibili & immota veritatis regula unice amplectamur.

Præter hos quosdam adducimus, qui post cœptum reformationis opus scripserunt, inter quos sunt, quorum autoritatem subinde elevare solent Adversarii, de quibus in specie aliquid monendum.

1. Extat liber aliquis, cui titulus, *Onus Ecclesiæ.* Compilatum fuit hoc scriptum Ann. 1519. ut in fine libri habetur, ac primum quidem Landshutæ in Bavaria Ann. 1524. per Johannem Weissenbergerum, postea vero Ann. 1531. Coloniæ editum. Autor ejus censetur *Johannes Episcopus Chemensis*, Archiepiscopo Salisburgensi à Suffragiis, cujus nomen etiam editioni posteriori in frontispicio statim præfigitur. Testimonia ex eo adducta Pontificii repudiare non possunt, quia Lutheri doctrinam multis locis perstringit, ex quo, ut & aliis indiciis colligitur, Romanæ religionis hominem ipsum fuisse. Vide cap. 12. §. 7. cap. 17. §. 11. cap. 39. §. 3. cap. 41. §. 3. cap. 43. §. 5. & 8. cap. 57. §. 12. cap. 64. §. 1. & 5.

2. *Erasmum Roterodamum* Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 9. §. Nec solum. vocat *Semi-Christianum*, hoc est, semi-Catholico-Romanum. In præfat. lib. de beat. Sanctorum *Luciano* cum comparat. Lib. 2. de bon. operib. cap. 3. §. Ad eandem. *præcursorem hæreticorum* eum vocat. Hardingus detect. 307. *Erasmus & Agrippa sunt viri non magnæ fidei.* Delrio lib. 2. Disq. Magic. q. 26. s. 1. p. 225. Erasmũ *hæreticis* accenset. Salmeron in Epist. Paulin. lib. 1. part. 1. disp. 19. §. Inprimis; *propter lubricã fidẽ ambiguũ esse* scribit, *sitne inter hæreticos, an inter catholicos nu-*

numerandus. Concludit tandem, *inter Catholicos eum non esse numerandum. Neque enim* (inquit) *Ecclesia Dei inter hæreticos & Catholicos, medios sexindifferentes homines, hoc est, neutri parti addictos agnoscit, quæ cum Sponso suo & capite Jesu Christo dicere potest: Qui non est mecum, contra me est, quod crimen, ut si dicam, neutralitatis ut inexpiabile ei objecit, dum adhuc viveret, Jacob. Latomus Doctor Lovaniensis.* Sed illius testimonia non possunt Adversarii repudiare, tum propter honorifica encomia à Pontificibus, Cardinalibus & aliis Pontificiis ipsi data, tum quia Romanæ Ecclesiæ filium sese publice professus est, nec ab eadem repulsus vel ejectus. Leo X. in Epist. versioni N. Test. præfixa eum vocat *dilectum suum filium.* Auspiciis Pontificis annotationes ipsius in N. Testam. in lucem prodierunt, ut ipse testatur in annot. 1. Thess. 2. Paulus III. proximo ante ipsius mortem anno cogitavit de eo in Cardinalium Collegium cooptando, ut patet ex Epist. Bembi ad Erasmum lib. 27. p. 1108. Sadoletus & Bembus Cardinales maximi ipsum æstimarunt. Sadoletus ad eum sic scripsit: *De tuo judicio (ita mihi Divos omnes opto propitios) in ea sum sententia, ut nihil meorum mihi probari possit, quod ad religionem quidem & ad literas sacras pertineat, si non id antea tibi probatum. Quamobrem, mi Erasme, omnis in te spes mihi est, tuum judicium, quod tu modeste imminuis, ego autem plurimi facio, idque non injuria, nunc quidem ipsum perfugium & portus est & totius mei laboris expolitio; Egoque in te uno, tuoque in me amore ac spectatissima tua virtute & doctrina acquiesco.* Lib. 4. Epist. 5. Ann. 1533. Bembus ad eum in hæc verba scripsit: *Ego autem vehementer lator, doctrinã singularem tuam & probitatem & continentes atque perpetuos tot annorum labores, quibus te plane confecisti, ut nostros homines scriptis erudires & locupletares tuis, apud illum virum omnium hominum Principem* (Rom. Pontif.) *eo loci esse, quo merentur. Itaque modo recte valeas, neque te imbecillitas impediat tua, mihi spes est, re ab eo omnia summa honoris & dignitatis insignia brevi consecuturum.* Lib. 6. Epist. Anno 1535. apud Erasmum lib. 27. p. 1108. Thomas Morus in Epistola, quæ sic incipit: *Ecquid vidisti &c.* ipsum vocat *optimum & doctissimum.* Idem in alia Epistola, quæ sic incipit: *Hodie ad te*, inter cætera ipsum sic compellat: *Gaudeo Paraphrasin tuam sub prælo esse. Invideo medius fidius Lovanio, cui tantum contigit beneficium, quantum, ut video, vix agnoscit.* Hosius Cardinalis lib. 2. de legitimis judicibus rerum Ecclesiasticarum vocat *virum singulari præditum ingenio neque vulgari doctrina.* Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæres. cap. 13. de ipso sic judicat: *Erasmus Roterodamus vir longe doctissimus erat & de bonis literis optime meritus.* Quamvis vero Salmeron d. l. à multis doctis & Catholicis viris ipsum *Lutheri præcursorem* habitum fuisse asserat, *ut hic posuisse ova, Lutherus ea exclusisse videatur*; ac Bellarmin. lib. 4. de Eccles. cap. 13. in fine à *doctrina Protestantium non omnino abhorruisse visum* scribat; tamen Erasmus ipse huic de se conceptæ opinioni & verbis & factis contradixit, quando publico scripto B. Lutherum oppugnavit. Lib. 11. Epist. 1. sic scribit: *Lutherus tam ignotus est mihi quam ignotissimus, nec adhuc vacavit hominis libros evolvere, præter unam & alteram pagellam* Lib. 17. Epist. 26. ad Montioium: *Nec cum Luthero nec cum ullo Lutherano fœdus clancularium inii, & adeo non addidi cuiquam animos, ut omnes, quos potui, deterruerim ab instituto pernicioso.* In Epist. ad Bilibaldum se, ut hominem Pontificium, à Romanæ Ecclesiæ autoritate in solidum dependentem depingit. *Quantum apud alios* (inquit) *valeat authoritas Ecclesiæ, nescio. Certe apud me tantum valet, ut cum Arianis & Pelagianis sentire possim, si probasset Ecclesia, quod illi docuerunt. Nec mihi non sufficiunt verba Christi, sed mirum videri non debet, si sequor Interpretem Ecclesiam, cujus autoritate persuasus credo Scripturis Canonicis &c.* Odium ejus adversus Lutherum satis testantur tot ipsius Epistolæ ad Ducem Saxon. Georgium scriptæ. Inde Duræus in scripto advers. Witakerum f. 232. de eo pronunciat, quod *à Luthero ita abhorruerit, ut malle se in mille partes discerpi dixerit, quam illius Sectæ adhærere.*

3. De *Beato Rhenano* Sandæus Jes. Herbip. in resp. ad librum Jacobi Laurentii de prodiga Jesuit. liberal. p. 301 sic judicat: *Glossemata Rhenani dum pervolvo, quem cum Erasmo componam potius, invenio neminem. Adeo uterque veteris puritatis est osor, amator novitatis, utrique sacra omnia religiosa displicent, incertum, uter improbius veterum Patrum autoritatem elevet.* Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annot. 154. Beatum Rhenanum vocat *hæreticum Lutheranum.* Hardingus detect. 307. *Beatus Rhenanus, Platina, Appendix Concilii Basileensis sunt nullius momenti.* Greg. de Valentia lib. de Eucharist. *Nihil de B. Rhenano laboramus, apud nos minime beato.* Sed idem Valentianus lib. de necess. Confess. cap. 2. eum inter Catholicos recenset, inter quos etiam Canus Cantuar. Episcopus Relect. de pœnit. part. 5. oper. p. 884. eum numerat. Thomas Morus in Epist. ad M. Dorpium honorifico eum exornat elogio: *Frustra* (inquit) *homo ille aliena laude intabescens in B. Rhenanum oblatrat, frustra involat in Elephantem culex. Rhenanum ego laudare nec nunc volo, nec si vellem, satis possem.* Possevinus tom. 2. Apparat. p. 150. totum Rhenanum in Indice Romano prohibitum esse dicit, sed in Indice Expurgatorio Hispanico Madritiano quindecim duntaxat loca expungenda annotantur.

4. *Ludovicum Vivem* quidam vocant *Semi-Catholicum.* Nihusius de invocatione Sanctorum cap. 2. q. 3. *Religio hujus viri magis in Philologia quam in Theologia consistit. Solent autem qui nil nisi Philologi sunt, sicut ultra crepidam suam non sapere, ita Rhinocerotis, vel certe Luciani nasum gerere.* Sed Claudius Espensæus Episcopus comm. in 2. Tim. part. 2. eum appellat *virum undiquaque doctissimum, extra omnem animi irreligiosi suspicionem. Scriptorem legi dignissimum.* Franciscus Craneveldius in Epist. dedicat. ad Paulum III. Pontificem, libris quinque Ludovici Vivis de veritate fidei Christianæ præfixa eum vocat *eruditissimum & veræ pietatis amantissimum.* Ibidem asserit, quod *omnia sua Sedis Romanæ arbitrio ac censuræ subjecerit.* Alphonsus de Castro lib. 8. adv. hæreses verbo Fatum: *Obsecro te Lector, ut legas commentarios doctissimi viri Ludovici Vivis &c.* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. p. 271. de lucubrationibus ipsius ejusmodi fert elogium, quod *sint nobilissima, docte prorsus & accurate conscripta, quodque in eis summam eloquentiam cum absolutissima eruditione & Christianissima pietate conjunxerit.*

5. Contra *Georgium Cassandrum* Bellarmin. lib. de Laicis cap. 19. ex professo disputat. Jacobus Gretserus in Labyrintho p. 105. *Cassandrum, quem tu citas, tanti pendimus, quanti Cassandram Priami filiam.* Andreas Fornerus im außgezogenen Goliaths schwerdt artic. 10. cap. 8. f. 552. Es ist so gar nicht wahr / daß Georgius Cassander, dessen vergiffte Feder Gegentheil offt und dick gebrauchet / Päbstisch soll gewesen seyn / weil er ja viel mehr Lutheranismum als Catholicismum unter dem Deckmantel Phariseischer Gleißnerischer Heucheluna / wie es seine Lehren am Tagelicht geben / im Busen stecken gehabt / wie auch aus gutem Lutherischen Magen zimliche grobe Brocken außgekotzet. Sed ex Ferdinandi & Maximiliani II. Augg. Impp. literis Cassandri operibus præfixis apparet, ipsum fuisse magni ab his Diis terrenis habitum. Ferdinandus in prioribus literis ad ipsum datis sic loquitur: *Docte, fidelis, dilecte, cum nobis eximia tua eruditio ac singularis pietas, ardentissimumque juvandæ Ecclesiæ Catholicæ studium magnis laudibus commendatum fuerit, in certam spem venimus, tuam præsentiam & operam nobis in quodam magni momenti negotio, ad gloriam Dei Opt. Max. ac salutem & beneficium regnorum & dominiorum nostrorum atq; universæ Germaniæ pertinente, quod modo præ manibus habemus, haud vulgari usui futuram.* In literis posterioribus ipsum sic affatur: *Dolemus te, uti virum, cujus pietas, doctrina & ardentissimum juvandæ Reipub. studium nobis commendatum est, morbo impediri &c.* Maximilianus II. in literis ad Archiepisc. Trevirensem: *Causæ nobis oblatæ sunt, ob quas honesto & docto viro Georgio Cassandro, qui nobis tanquam pius, eruditus, discretus & in sacris literis valde bene versatus commendatur, opus habemus.* In Epitaphio, quod Coloniæ in templo Francisci extat, vocatur *Theologus in perscrutandis sacris Bibliis, & expendendis Sanctorum Patrum monumentis atque sententiis diligentissimus, qui hoc nomine, tum pietate, animique moderatione clarus, ab Invictissimis Impp. de conciliandis articulis in religione controversis consultus & in aulam ascitus fuerit.* Itemque *vir vario doctrinæ genere præstans.* Consultatio ipsius de Augustanæ Confessionis articulis vocatur *liber perutilis.* Jacobus Aug. Thuanus lib. 36. in Histor. Anni 1564. p. 323. de eo sic scribit: *Ferdinandus Maximiliani F. optimi juxta ac prudentissimi Principis consilio usus, de controversis Augustanæ Confessionis articulis amice conciliandis serio cogitare cœpit, qua in re opera Georgii Cassandri, viri optimi ac doctissimi, qui Duisburgi tunc erat, uti voluit. Is ad exactissimam rerum sacrarum scientiam, summum animi candorem ac moderationem addiderat, & in cognoscendis hujus ævi controversiis, rationibusque, quibus hæc tempestas utcunque sedari, & ne major*

distractio & dilaceratio in Ecclesia fiat, occurri possit, conquirendis, omne vitæ spacium contriverat. Theologi Colonienses in præfat. Consultat. Georgii Cassandri edit. Colon. Ann. 1577. hæc habent: *Cum multa ex nonnullis familiaribus de Georgii Cassandri probitate, vitæ genere & eruditione cognovisset pius Imperator* (Ferdinandus I.) *Epistolas ad tres Ecclesiasticos Principes Rom. Imperii Electores, Ducemque Clivensem dedit, ad singulos singulas, quibus ab iis enixe poposcit, ut Cassandrum ad se mitterent, quò ipse eo uteretur vel ad publicam utriusque Religionis ex sacris literis ineundam tota Germania concordiam, vel ad eam in suis saltem provinciis retinendam &c.* Et postea: *Hic liber* (Consultationis) *ut multi sentiunt præstantes ingenio viri, non levem apud Catholicos & Protestantes autoritatem habere debet. Eam primum promeretur integritas autoris summa; Et quod neque favores unquam, neque dignitates ullas, neque honores vel opes ambiverit. Quare causæ omnes ei defuere, quo minus libere ac sincere de propositis controversiis judicaret. Deinde quò magnifaciendus sit, eique in iis censendis maxima sit eruditio tribuenda, omnes studiorum suorum labores (quos nullo afflictæ valetudinis incommodo, nulloque vitæ periculo deterritus, quoad vixit, immensos pertulit) ipse his tantum controversiis cognoscendis atque diligenter examinandis consecravit, & omne Scriptorum huc pertinentium genus (hoc est, Græcos, Latinosque Patres veteres, tum eos, qui vulgo Scholastici nominantur, ac recentiores omnes tam Catholicos quam Protestantes, iisque conjunctos cæteros, qui à Pontificia Romanaque Ecclesia dissentiunt) diligentissime perlegit, evolvit & excussit. Porro eorum, qui ipsum, cum nihil ejusmodi cogitaret, ab optimo in his rebus judicio piis illis Imperatoribus* (Ferdinando I. & Maximiliano II.) *tantopere commendarunt, minime certe contemnenda est sententia; sed gravissimi potius de ejus doctrina ponderis vicem obtinet. Atque ii etiam Imperatores, qui ita ipsum ob præstitos in hac conciliatione labores, tantoque studio amplexi sunt, dignissimi sane sunt, qui huic quoque libro & propter singularem pietatem suam & propter majestatem, ipsi equidem autoritatem aliquam adjungant. Eò præterea accedit publicum inclytæ Ubiorum Civitatis, in qua annos plus minus viginti vixit, cum summa benevolentia conjunctum testimonium. Tantum enim ejus virtuti doctrinæque tribuit, ut ejus funus & Consules & Senatus & Clarissimi v[illegible], omnes etiam florentis ejus Academiæ Doctores, honorificentissime prosecuti fuerint, & ei perpetuæ memoriæ causa percelebris templi loco perquam honorifico tumulus cum inscriptione sit positus. Postremo auctor in hunc librum, quod caput est, conjecit, quantum per temporis brevitatem licuit, dilucide & exacte, quicquid ipse plurimorum annorum adsidua & indefatigabili industria, quicquid adversariorum Scriptorum mutua collatione, quicquid ex diligentissima inquisitione veteris Ecclesiæ doctrinæ, ad quam semper judicavit atque censuit præsentes controversias exigendas esse, paratum perfectumque habuit. Quò fit, tum quod moriens se in hac, quam idem liber continet, doctrina vivere morique velle, ille apud amicos testatus est, ut hic liber accurate & sepositis præjudiciis & amotis animi perturbationibus esse scriptus videatur, eoque nomine plurimi certe fieri debeat.*

6. In scriptis *Iohannis* Feri Expurgatorius Index multa deleri jubet, ac de commentariis ipsius in Johannem dicit: *Quia commode expurgari nequeunt, penitus aboleantur.* Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. p. 269. honorificum illi perhibet elogium: *Johannes Ferus natione Teutonicus, Ordinis Minorum, summæ apud Moguntiam ædis Concionator, vir in divinis literis nobiliter doctus, eloquentia singulari præditus, cui parem in officio Evangelicæ prædicationis Catholicæ Germanorum Ecclesiæ hac nostra tempestate non habent, scripsit Latino & culto sermone pias & eruditas, juxta Catholicam doctrinam, lucubrationes, in quibus tam veterum quam recentium expositorum labores veluti in compendium redegit.* Commentarios Feri in Matthæum Philippus Agricola D. & Ecclesiastes Moguntinus D. Ferdinando I. Imp. Augustiss. inscripsit Anno 59. Salmeron ex fontibus Feri areolas suas ita irrigavit, ut pagellas integras in Commentarios suos ex eo transtulerit. Conqueritur quidem Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 46. & 74. *Scripta Johan. Feri esse ab hæreticis corrupta.* Sed nullum affert hujus rei indicium, & juxta Bellarmini sententiam lib. 4. de verbo Dei cap. 7. *Hæc est expeditissima succumbentium responsio*, quam si in Feri scriptis locum habere posse judicassent, Dominicus Soto & Michaël Medina Polemicis invicem scriptis de commentariis Feri concertantes, hac una exceptione litem omnem dirimere potuissent. Rectius vero hanc scriptorum Feri corruptelam Sixtus Pontificiis, fidei suæ sociis, tribuisset. Qui enim curatores fuerunt editionis Lugdunensis Ann. 609. non partem solum eorum ex commentariis Feri in Matthæum turpissimo plagio sustulerunt, quæ Indices Expurgatorii obduci aut mutari jubebant, sed integras periodos, integras paginas omiserunt, quæ in editione Ann. 1559. extant; atque ex his ipsis in Matthæum commentariis ea, quæ Ferus pro limitata Sacerdotum potestate ad cap. 9. v. 8. quæ ad illud, *Confide fili*, de efficacia veræ fidei & propria infantum fide; quæ ad cap. 11. v. 28. pro absolutione, quod sit prædicatio Evangelica; quæ ad cap. 8. de differentia Historicæ & salvificæ fidei prolixe disseruerat, & propriis Feri verbis Sixtus Senensis lib. 6 Biblioth. annot. 46. & alibi passim repetierat, manifesto falsi crimine surripuerunt.

7. *Johannis Aventini* (cujus testimonia in controversia de Pont. Rom. adducuntur) fidem & autoritatem elevare conantur Pontificii, prætendentes ipsum esse *Scriptorem novitium, Catholicæ religioni non addictum, & fabulatorem potius quam* Historicum. Kellerus contra Heilbrunn. Papatum Acatholicum cap. 3. p. 315. Lamparterus in Statera p. 844. Bellarminus in Append. libror. de summo Pontifice cap. 10. de eo sic scribit: *Johannes Aventinus autor est fidei parum probatæ, & non sine causa illa omnia in odium Pontificum vel finxisse vel amplificasse creditur.* Georg. Holzhever Jesuita de eo sic judicat: Des Aventini Maul und Feder stincket vom Neuevangelischen Odem und Tintenfaß. Tannerus in Antichristo proscripto præscript. 5. p. 89. Aventinum vocat *infidum & malæ notæ Historicum.* Sed quanta fide & industria in conficiendis Annalibus usus sit, testatur ipse in Præfat. ad Illustr. Bavariæ Duces, sic scribens: *Pro virili parte laboravi, multa tuli, feci, sudavi & alsi, totam Bojariam perlustravi, omnia contubernia Sacerdotum penetravi; scrinia, Bibliothecas publicas omnes curiosius perscrutatus sum; libellos, codicillos, donaria, commentarios, fastos, Annales omnium gentium, diplomata, instrumenta publica & privata evolvi; signa, sacra, lapides, trophæa, epigrammata sepulchrorum, picturas, inscriptiones, titulos, templa, omnia denique antiquitatis monumenta exploravi atque perspexi; nihil intactum, nihil intentatum reliqui; omne genus Scriptorum excussi, omnes pene angulos perreptavi, &c.* Et postea: *Bonam partem ætatis, patrimonii, valetudinis perlustrando Germaniam, Gallias, Italiam, Sarmatiam, Pannoniam exhausi.* In ead. Epist. Dedicat. sic loquitur: *Tertius jam agitur annus, Principes Illustrissimi, dum mandatis vestris pareo, dumque tam religioso, tam memorabili vestræ pietatis desiderio atque proposito satisfacere & respondere summa ope studeo atque nitor. Cum enim ego potissimum delectus, & ob hoc liberali perpetuoque stipendio condonatus fuerim, ut Bojorum clarissima quæque facinora literarum æternitati commendarem; non committendum putavi, quo aut expectationem meam fallerem, aut sumptus impensæve perderentur.* Matthæus Marschalck/ & Conradus Adelman von Adelmanßfeld/ Canonici Augustani Ann. 1526. die 10. Decembr. ad Aventinum inter cætera hæc scripserunt: *Cupimus avidissime, ut tuas lucubrationes Historicas edas aliquando, ac pro patriæ communis decore diutius latere non permittas. Quin miramur etiam vehementer, cur partum illum tuum egregium patriæ non pepereris. Te igitur plurimum rogamus, ut illius nos tandem participes facias, &c.* Et post pauca: *Intelligimus, quam religiose Historiæ legem, id est, veritatem in scribendo servaveris.* Extant hæ literæ in editione Latina Ingolstadiensi. Hieronymus Ziglerus in præfat. oper. Aventini, de eo sic scribit: *Cum igitur Illustrissimi Principis & Domini, Domini Alberti Palatini Rheni, utriusque Bavariæ, &c. Ducis, consensu sæpe dicti Annales per Celsitudinis suæ Consiliarios mihi dati essent, ut scilicet eos de novo exscriberem atque prælo appararem, continuo libros singulos perlegi, annotans, ut in mandatis habebam ea, quæ videbantur duriora.* Et paulo post: *Nam bona fide affirmare ausim, Historiæ ipsi nihil quidquam detractum, omnia fideliter reddita, testibus multis & doctissimis viris, quorum negligentiam, ut Terentii verbo utar, æmulari malo, quam quorundam obscuram diligentiam, aut, si mavis, iniquum judicium.* Idem in vita Aventini sub finem: *O vir recti exempli, cujus laudem ad astra extollere vere deberemus! qui tanto ardore antiquitatum indagator fuit, quanto nullus alius nostro ævo.* Ibidem de ipso commemorat, quod *Ingolstadii & Lutetiæ Parisiorum in studiis vixerit, Præceptoribus usus Jacobo Fabro Stapulensi, & Jodoco Clichtoveo, quod Viennæ cum Conrado Celte, primo inter omnes Germanos Poëta Laureato, Johanne Stabio, Cæsareæ Majestatis*

tis

tis Mathematico, Johanne Cuspiniano Imperatoris Oratore, Joachimo Vadiano, &c. familiariter vixerit, quod Monaci Illustriss. Principum Ludovici & Ernesti fratrum, Bavariæ Ducum Præceptor constitutus, ac in Italiam cum Ernesto profectus fuerit, quod auspiciis ac sumtibus trium Bavariæ Ducum Wilhelmi, Ludovici & Ernesti opus Annalium conscripserit.

Natus ergo est in medio Papatu Ann. 1466. in Academiis Pontificiis educatus, Præceptores habuit Pontificios, & opus ipsum auspiciis & sumtibus Principum Pontificiæ religioni addictorum est conscriptum. Pro fidei socio eum agnovête Beatus Rhenanus, Matthæus Mareschalcus, & Cunradus Adelman ab Adelmansfelden/ Canonici Augustenses, qui (ut jam ante monuimus) ipsi hoc elogium deferunt, quod *legem Historiæ, veritatem scil. religiosè in scribendo observarit.* Anno 1533. rebus humanis excessit, & corpus ipsius Ratisbonæ apud D. Haimeranum in templo Pontificio primario honorificum locum obtinuit. Epitaphium ejus sic habet: D. O. M. JOH. AVENTINUS VIR SINGULARI ERUDI. FIDE AC PIETATE PRÆDITUS: PATRIÆ SUÆ ORNAMENTO, EXTERIS ADMIRATIONI FUIT, BOJORUM ET GERMANIÆ STUDIOSISSIMUS, RERUM ANTIQUARUM INDAGATOR SAGACISSIMUS, VERÆ RELIGIONIS, OMNISQUE HONESTI AMATOR, &c. Quid, quod Bellarminus ipse inter Historicos, quibus Gregorium VII. Pontificem defendit, etiam Aventinum adducit lib. 4. de Pont. Rom. cap. 12. quod & facit Landherr im scharffen runden Auge/ Admir. 11. O. iij. fac. 1. Idem Bellarminus lib. 1. de reliq. & imag. cap. 14. §. Præterea &c. denuo Aventini testimonio utitur.

8. *Cornelium Agrippam*, utpote de Magia suspectum repudiant. Nihusius de Invoc. Sanctor. cap. 2. q. 3. in solut. object. *Pro Henrico Cornelio Agrippa perinde fuisset, si allegasset Eulenspigelium & Marcolfum, tam authenticus ille mihi Theologus est & Christianus.* Sed in frontispicio librorum Coloniæ Agrippinæ editorum vocatur *Juris utriusq; Doctor, Eques auratus, à Consiliis & archivis Judiciarius sacræ Cæsareæ Majestatis.* De libris occultæ Philosophiæ sic judicat: *Verum de Magicis scripsi ego juvenis adhuc libros tres amplo satis volumine, quos de occulta Philosophia nuncupavi, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo, permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.* Lib. de vanit. scient. cap. 30. *Ego quidem hanc artem* (Magicam) *à parentibus puer imbibi, in qua non modicum tempus amisi, jam me tædet & pœnitet insumtæ olim operæ, cuperemq; omnem illius memoriam usumq; exspoliare.* Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annotat. 73. eum *hæreseos Lutheranæ sectatorem vocat.* Sed quam hoc sit à vero abnorme, patet ex cap. 6. lib. de vanit. scient. in quo Lutherum acriter perstringit.

9. *Andreas Fricius Modrevius* Regis Poloniæ Secretarius, notatus fuit ab Indice Expurgatorio. Autoritatem illius, utpote minùs Catholici, repudiat Rayhingius in Enchirid. Cathol. p. 850. Atqui Pontificiis, imò Pontificibus olim magnus fuit. Jussus erat unà cum aliis Legatis ad Concilium Tridentinum proficisci, ac sua ad religionis negotium tractandum consilia conferre, idque, ut ipsemet persuasus erat, non absque consensu, imò hortatu Romani Pontificis. Sic enim scribit in Epistola sua ad Paulum IV. Pontificem: *Puto, Pater sancte, Regem, quos Legatos decrevit, eos decrevisse tuo hortatu, ut non minus me tuo hortatu, à Rege designatum esse existimem atq; ipsos Oratores.* Cassander in sua Consultatione *ab eruditione, studio concordiæ, & animi moderatione* eum maximoperè commendat. Sic enim scribit in Consult. artic. 4. de Justif. p. 919. *Andreas Fricius vir eruditissimus, & concordiæ, ut apparet, & moderationis amantissimus, quamvis Protestantium partis studiosior videatur.* In additionibus ad Bibliothecam Sixti Senensis lib. 4. addit. ad lit. A. de ipso dicitur, quod *vixerit & mortuus sit Catholicè.* Libri ejus quinque de emendanda Republ. impressi sunt Cracoviæ Ann. 1551. Illos si quis legat fol. 210. 243. 260. 264. 334. 541. &c. dubitare non poterit, quin Romanæ religioni addictus haberi voluerit.

10. *Georgius Wicelius* Evangelicæ religioni primum addictus fuit, unde ejus autoritatem elevabunt. Sed constat, quod abnegatâ Evangelii doctrinâ ad Romanam Ecclesiam accesserit. Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. vocat eum *virum variæ eruditionis; Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguæ peritissimum, ingenio excellentem & sermone disertum.* In titulo libri de controversis Religionis scripti, quem vocat *viam Regiam sive compendium de semitis antiquis, &c.* appellatur *Sacræ Theologiæ Doctor Catholicus, & Ferdinandi Romanorum Imperatoris Consiliarius.* Ipse Imp. Ferdinandus in literis ad eum datis honorificum ei defert testimonium: *Honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Etsi nobis gratissimum fuisset, quod, sicut abs te clementer postulaveramus, superioribus diebus huc ad nos venisses, & nobis in arduo quodam negotio ad gloriam Dei optimi maximi, & veritatem ac tranquillitatem Ecclesiæ Catholicæ spectante potius operam navare potuisses, quam haud dubie pro tua eximia pietate, eruditione, prudentia ac rerum usu nobis in animi nostri sententia magna cum utilitate præstitisses, quia tamen propter ætatem & affectam valetudinem venire non potuisti, clementer tibi parcendum duximus &c.* Maximilianus II. in literis eum his compellat verbis: *Honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Allatum nobis est scriptum, quod ad benignam petitionem & jussionem quondam Serenissimi ac Potentissimi Principis Ferdinandi, electi Romanorum Imp. Augustæ memoriæ, Domini & Genitoris nostri observandissimi, in negotio religionis composuisti & præclarum studium, operamq; tuam, quam pia, ut apparet, intentione ac bono zelo in illo impendisti, perquam clementi & grato animo abs te accepimus.*

Denique pro confirmatione nostræ sententiæ adducimus plerunque coronidis loco *Adversariorum dissensiones.* Illæ enim cum summam dogmatis illius Papalis, quod oppugnamus, incertitudinem demonstrent, eo ipso nostram sententiam eidem dogmati Papali oppositam confirmant. Quod autem dissensiones illæ incertitudinem Papalium dogmatum arguant, res ipsa testatur, & confirmari insuper potest ex ipso Bellarmino, is enim cum lib. 4. de Eucharist. cap. 23. prop. 4. formasset ejusmodi propositionem: *Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una;* subjungit: *hanc propositionem non esse adeò certam, cum de ea variè sentiant Theologi, neq; Concilium eam apertè definierit.* Transferendo ergo hypothesin ad thesin dicere possumus, assertiones illas, de quibus variè sentiunt Theologi, sive ante, sive post Concilii Tridentini definitionem, non esse certas, ac proinde dissensiones illas Theologorum Pontificiorum dogmata Papalia reddere suspecta, quo ipso nostram illis oppositam confirmant sententiam.

Idipsum disertis verbis asserit Johannes Picus Mirandula in Apologia sic scribens: *Discordia in Scriptoribus argumentum est falsitatis, cum sit necesse, quod saltem unus discordantium falsum dicat, quia necessario pars altera contradictionis est falsa. Ideò August. lib. 16. de Civ. Dei probat Script. sacræ veritatem ex mutua concordia Scriptorum ejus, in qua omnes concordant & nullus ab alio discordat, quod attestatur Scripturæ sacræ, indubiæ & infallibili veritati. Vero enim & veritati, ut dicit Philosophus 1. Ethic. omnia consonant.*

Cæterum Appendicis loco in quolibet articulo 1. respondemus querelis Pontificiorum, opiniones ejusmodi sibi tribui conquerentium, quæ nunquam in mentem sibi venerint. Sic Gregorius de Valent. tom. 3. col. 309. nos accusat, *quod minus rectam sententiam ipsis sæpè assignemus;* Eisengrein lib. de Eccles. p. 342. *quod infideles simus in citandis testimoniis.* Apud Bellarminum nihil occurrit frequentius, quam quod *mendacia Lutheri, Philippi, Chemnicii* & aliorum crepat. Pistorius, Rayhingius, Hunnius, &c. ex illo ipso principio Pontificiæ Religionis veritatem confirmare satagunt. Vindicanda ergò hic erat bona fides nostrorum librorum Symbolicorum & aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum. Neque enim æquitati vel candori congruit, peregrinas opiniones velut adulterinos fœtus alicui substituere.

2. Diluimus *calumnias*, quibus mendaciter Confessionem & Ecclesiam nostram onerant, & utramque in extremum apud omnes contemtum adducere satagunt. Fatetur Jacobus Hack Jesuita contra Tossanum q. 1. cap. 17. p. 126. *Historicos Pontificios Luthero multa affingere.* Bellarminus in causa Veneta adversus fratres suos Paulum Servitam & Johannem Marsilium ad fin. Respons. ad tract. septem Theol. Venetorum super interdicto Pauli V. urget, *ferendum iis æquo esse animo, si in falsitate deprehensis de cætero nullatenus credatur.* Hanc regulam si sequamur, Jesuitis nostras Ecclesias securè calumniantibus meritò omnis fides denegatur, cum toties mendacia eorum publicæ luci sint exposita.

3. Recensemus *opiniones absurdas, falsas & erroneas,* quæ Papalem doctrinam, qua talem, meritò omnibus suspectam reddunt.

LIBER I.

CONFESSIONIS CATHOLICÆ GENERALIA CAPITA COMPLECTENS.

IN omni tractatione Methodicâ *specialibus* præmittenda sunt *generalia*. Antequam igitur ad fidei articulos inter nos & Pontificios controversos *in specie* descendamus, præmittemus *generalia* quædam Catholicæ Confessionis capita, quæ concernent, *1. principia*, ex quibus tum nostra, tum Pontificiorum Confessio propugnatur. *2. media*, per quæ utraque propagatur. Duas igitur libri hujus primi constituemus partes, quarum prior *de principio & mediis nostræ*; posterior *de principiis & mediis Pontificiæ religionis* disquisitionem instituet.

PARS PRIOR.

DE PRINCIPIO ET MEDIIS RELIGIONIS VERE CATHOLICÆ.

CAPUT I.

De Scripturæ sacræ perfectione.

PRincipium religionis vere Catholicæ hoc est; verbum Dei in Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensum de omnibus ad salutem necessariis perfectè nos informare, ac proinde esse unicam normam & regulam omnium fidei controversiarum, quæ in Ecclesia agitantur. Esto igitur Thesis prima, *Scriptura sacra est perfecta.*

Ἔκθεσις. *1. Perfectionis* encomio Scripturæ attributo hoc intelligimus, quod de omnibus, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, plenè ac perfectè nos informet. 2. Non eo sensu Scripturam vocamus *perfectam*, quod omnia, quæ ad fidem & mores sunt necessaria, αὐτολεξεὶ sive κατὰ ῥητὸν, *secundum literam* & totidem verbis in Scripturis extent, sed quædam *explicitè*, quædã *implicitè* in illis contineri dicimus, ut per legitimam & immotam consequentiam ex illis deduci possint. Quod ergo Bellarminus in loco mox allegando, eumque secutus Bailius Jesuita in Catechismo tractat 1. q. 10. negant, in Scripturis omnia ad salutem necessaria *expresse contineri*, illud, si *de sono vocis* accipiatur, concedimus: si *de veritate rei*, negamus. Dicimus enim cum Nazianzeno Orat. 5 de Theol. *quædam esse, quæ tametsi nominatim & expressè in Scripturis non dicantur, tamen ex iis colliguntur, quæ necessariò id efficiant & probent.* 3. Non est quæstio de *Ceremoniis & ritibus*, liberè ab Ecclesia introductis & observatis, sed *de articulis fidei*, an illi plene & perfectè in Scriptura tradantur. Ritus Ecclesiastici *in specie* non extant in Scripturis, *genus* tamen in illis traditur 1. Cor. 14 v. 40. 4. Perfectionem Scripturæ æstimandam esse dicimus, non ex numero librorum, sed ex sufficientia dogmatum ad salutem scitu necessariorum, unde quidam distinguunt inter *perfectionem objectivam* ratione rerum, *signativam* ratione verborum, & *quantitativam* ratione librorum. Id quod scriptum fuit, quovis Ecclesiæ tempore perfectum Canonem exhibuit. 5. Cum Augustino tractat. 49. in Johan. dicimus: *Christum Dominum multa dixisse & fecisse, quæ scripta non sunt, electa verò esse quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt, unde* quidam distinguunt inter *perfectionem dogmaticam & Historicam.*

Antithesis. Johannes Fischerus Roffensis Episcopus art. 27. p. 585. *Falsum est, quod omnia, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad leges morum & operum, plenè sint in Scripturis exposita.* Lindanus lib. 5. Panopl. cap. 7. *Sunt Protestantes Semi-Evangelici Doctores, qui existimant, omnia necessaria uno Bibliorum libro contineri cum verbum Dei ex duabus constet partibus, scripto & non scripto.* Censura Coloniensis Dial. 6. p. 221. *Pestilentissima hæresis est, nihil esse credendum, nisi quod sacra Scriptura aperte docet.* Eccius in Enchirid. Loc. Comm. tit. 4. f. 33. *Non sunt solùm credenda & servanda (id quod volunt Lutherani) quæ expresse habentur in divinis literis, aut probantur ex ipsis, verum etiam ea oportet credere & servare, quæ sancta mater Ecclesia credit & observat.* Hesselius in Catech p. 44. *Non hoc egerunt Apostoli scribentes, ut totam fidei doctrinam scripto traderent, sed pro necessitate nata, quod verbo absentes præstare non poterant, hoc literis egerunt, contenti satisfacere difficultati occurrenti.* Melchior Canus lib. 3. Loc. Theol. cap. 3. p. 151. *Non omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, sunt etiamnum in sacris literis expressa: sed multa pertinent ad Christianorum doctrinam & fidem, quæ nec apertè, nec obscurè in sacris literis continentur.* Martinus Peresius lib. de Traditionibus part. 2. fol. 28. *Luce clarius manifestum evadit, non omnia, quæ tenenda sunt, à Scriptura petenda esse, ac proinde non omnia divinitus tradita in Scripturis contineri.* Gregor. de Valentia lib. 5. analys. fid. Cathol. cap. 3. p. 30. *Scriptura sola de præcipuis fidei quæstionibus & inprimis ad salutem necessariis, quæ scil. de autoritate sunt ipsius Scripturæ, nihil, ne obscurè quidem, definit.* Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 3. *Nos* (Pontificii) *asserimus, in Scripturis non contineri expressè totam doctrinam necessariam; sive de fide, sive de moribus, & proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum, hoc est, divinas & Apostolicas traditiones. At ipsi* (Evangelici) *docent, in Scripturis omnia contineri ad fidem & mores necessaria, &c.* Costerus in Enchirid. p. 47. *Quando quæritur, utrum omnia, quæ ad fidem pertinent, sint scriptis, hoc est, in verbo Dei scripto, expressa, dicendum est, omnia fidei mysteria, cæteraq; creditu, scituq; necessaria in corde Ecclesiæ esse clarissimè exarata, in membranis tàm Vet. quam N. Test. multa desiderari.* p. 48. addit: *Cautum à Deo fuisse, ne omnia fidei dogmata scriptis commendarentur, quo minus margaritæ ante porcos projicerentur.*

Nostram sententiam probamus

1. Ex appellatione. Lex Domini vocatur *perfecta*, *sapientiam præstans parvulis*, Ps. 19. v. 9. Libri Biblici vocantur *libri Vet. & N. Test. 2. Cor. 3. v. 14.* Jam verò Testamentum legitimè factum & comprobatum plenam Testatoris voluntatem continet, ut nemini liceat ἐπιδιατάσσειν Galat. 3. v. 15. maximè si ea fuerit Testatoris sapientia, ut potuerit; isque animus, ut voluerit omnia necessaria Testamenti verbis complecti. Scriptura sacra insuper vocatur *Canonica*, quia *fidei* canona, sive *regulam* continet Psal. 19. v. 5. Galat. 6. v. 16. Jam verò fidei regulam oportet esse perfectam, alias ne quidem regula erit, Basil. lib. 1. contr. Eunom.

2. *A causa efficiente principali*, quæ est Deus sapientissimus ac perfectissimus. A causa perfecta voluntaria, perfectum effectum producere volente & non impedita, perfectus procedit effectus. Talis causa Scripturæ est Deus, quippe qui eo fine Scripturas exarari & extare voluit, ut de sua essentia & voluntate ad salutem plenè nos instruerent, neque ullum impedimentum huic effectus productioni intervenit vel intervenire potuit. Ergo &c. Pulchrè Irenæus lib. 2. adv. hæres. cap. 47. *Scripturæ sunt perfectæ, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.*

3. *A materia.* Scriptura sacra *omne consilium Dei* de salute nostra proponit, Act. 20. v. 27. cap. 26. v. 22. Rom. 1. v. 1. & 2. omnes Christianismi partes explicat, ut ex ea possimus discere fidem in Christum & doctrinam bonorum operum, 2. Tim. 3. v. 16 & 17. Johan. 20. v. 31. ut proinde *ei nec addi nec detrahi* quicquam debeat, Deuter. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. (quod de *verbo scripto* intelligendum esse patet ex Deuter. 28. v. 58. & Jos. 1. v. 8.) Prov. 30. v. 5. Galat. 1. v. 8. Apoc. 22. v. 18. & 19. unde Apostolus monet, *ne quis sapiat ultra id quod scriptum est* 1. Cor. 4. v. 6.

4. *A fine & effectu.* Ex Scriptura modus consequendæ salutis perfectè disci potest. Luc. 1. v. 4. cap. 16. v. 29. Joh. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. 2. Tim. 3. v. 15. 2. Petr. 1. v. 19. 1. Joh. 1. v. 4.

5. *A comparatis.* Scriptura unum idemque dogma sæpius inculcat, ac ea etiam proponit, quorum cognitio non est absolutè eo modo ad salutẽ necessaria, ut ignorantia cum damnationis periculo per se sit conjuncta. Ergo multò minus deficit in necessariis, sed dogmata ad salutẽ necessaria perfectè proponit.

6. *Ab*

6. Ab exemplo Apostolorum, qui ex Scriptura Vet. Test. negativè sunt argumentati. Act. 26. v. 22. Heb. 1. v. 5. & 13. cap. 2. v. 16. cap. 7. v. 3. Id verò locum non habuisset, nisi Scriptura esset perfecta.

Nostræ sententiæ suffragantur

1. Gregorius Episcopus Romanus homil. 9. in Ezechielem: *In hoc volumine cuncta, quæ ædificant, omnia quæ erudiunt, scripta continentur.* (Loquitur autem de Scriptura sacra.)

Idem lib. 18. Moralium cap. 14. *Qui ad vera prædicationis verba se præparat, necesse est, ut causarum origines à sacris paginis sumat, ut omne, quod loquitur, ad divinæ autoritatis fundamentum revocet, atq; in eo ædificium locutionis suæ firmet.* Et paulò antè: *Qui verè loqui desiderant, ex sacræ autoritatis paginis sumere debent, quid loquantur.*

2. Bernhardus serm. 2. super Cant. *Adinventio mea est, si non idem & vos recognoscitis de Scripturis.*

Idem in tract. de Dispensat. *De quibus Scriptura non tradit, nec præceptor expectandus, nec probibitor auscultandus.*

Bernhardo adjungemus ejusdem Ordinis Abbatem Cluniacensem Odilonem, qui lib. 1. Collat. cap. 1. dicit: *Omnis ratio, quâ vel Deum, vel nos cognoscimus, divinis libris continetur.*

3. Jus Canonicum. c. Si solus. dist. 8. ex Cypriano: *Si solus Christus* (in Scripturis nos docens, ut ex toto contextu intelligitur) *audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam Prophetam loquatur Deus & dicat: Sine causa colunt me mandata & doctrinas hominum docentes.*

c. Si quis vult. dist. 36. ex Hieronymo: *Hæc duo sunt Pontificis opera, ut aut à DEO discat, legendo Scripturas divinas & sæpius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet* (in Scripturis scil. sacris, ut patet ex præcedentibus.)

c. Omnes. dist. 38. ex septima Synodo: *Substantia summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, hoc est, vera divinarum Scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius.* (Verba Dionysii sic habent in lib. de divin. nomin. cap. 1. *Omnino non audendum est quicquam de summa abstrusaq; divinitate aut dicere, aut cogitare, præter ea, quæ nobis divinitus inspirata scripta divina enunciaverunt.* Quod autem de essentia Dei Dionysius asserit, idem quoque de voluntate Dei statuendum, videl. quod nihil extra Scripturam de ea asserendum.)

c. Episcopum. dist. 45. ex Can. Apost. *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes & per hujusmodi volentem timeri, dejici ab officio suo præcipimus, quia nusquam nos docuit hoc Dominus.*

c. Si qui Clericorum. caus. 11. q. 1. *Quæ supra sacras admittuntur Scripturas, autoritate & districtione Papali sunt reprimenda.*

c. Si is qui præest. caus. ead. q. 3. ex Isidoro: *Is qui præest, si præter voluntatem, vel præter quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid vel imperat, tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur.* (Nota hunc Canonem contra Bellarminum, qui libr. 4. de verbo Dei cap. 10. disputat, per τὸ *præter* in textu Apostolico Gal. 1. v. 8. intelligi *contra*, ac *proinde non prohiberi nova dogmata & præcepta, modo non sint contraria jam traditis, sed prohiberi duntaxat dogmata & præcepta contraria.* At hic canon expressè decernit, non solum eum, qui *contra*, sed etiam qui *præter* Dei voluntatem in Scripturis propositam aliquid in cultu divino fecerit, vel facere præceperit, tanquam falsum Dei testem habendum esse.)

c. Lex divinæ. caus. 27. q. 2. ex Benedicti Papæ decreto: *Cur prohibeatur, quod prohibendum nunquam sancta Scriptura declarat?* (Si nihil prohibendum quod Scriptura non declarat prohibendum, utique Scriptura de prohibitis perfectè nos informat.)

c. Quod si dormierit. caus. 31. q. 1. ex Augustino: *Nobis definiendum non est quod Apostolus non definit.*

4. Scholastici. Lombardus lib. 1. sentent. dist. 11. lit. B. *Evangelium* (scriptum, ut apparet ex contextu) *fidem integram continet.*

Idem lib. 3. sent. dist. 5. lit. C. *Quæritur, utrum eadem divina Natura debeat dici caro facta, sicut Verbum dicitur caro factum? Si enim idem est incarnari, quod est carnem fieri, videri potest ita debere dici, quod sit caro facta, sicut dicitur incarnata. Ad quod dicimus, quia si illud dictum in sacra Scriptura reperiretur, ex eadem intelligentia acciperetur, qua cum dicitur incarnata. Sed quia illud autoritas subticuit &c. melius silere hoc puto vel negare, quam temerè asserere.*

Thomas p. 1. q. 1. art. 8. *Sacra doctrina autoritatibus Canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando, autoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ non quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.*

Part. 1. q. 29. art. 3. ex Dionysio: *Universaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare, præter ea, quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa.*

Part. 3. q. 1. art. 3. *Ea, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura continentur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* (Suarez tom. 3. Comm. in Thom. part. 3. q. 1. art. 3. & 4. p. 117. hunc Thomæ locum adulterat, Verba hæc sunt: *Quæ ex sola voluntate Dei proveniunt, supra omne debitum creaturæ, per solam revelationem innotescunt. Licet enim D. Thomas non per revelationem, sed per Scripturam dicat, sensus tamen illius idem est. Nam sub Scriptura complectitur omnem revelationem seu omnem regulam infallibilem fidei, sive sit scripta, sive non scripta traditio aut Ecclesiæ definitio.* Hæc ille, cui contrarius est Thomas de Vio, Card. Cajetanus super Thomæ locum.)

In Supplem. p. 3. q. 6. art. 6. *Quia Ecclesia fundatur in fide & in Sacramentis, ideo ad Ministros Ecclesiæ novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova Sacramenta instituere, aut instituta removere non pertinet, sed hoc est potestatis & excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.*

Lect. 3. in 2. Tim. 3. *Quadruplex est effectus sacræ Scripturæ, scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculativam; eripere à malo & inducere ad bonum, quantum ad practicam. Ultimus ejus effectus est, ut perducat homines ad perfectum, non enim qualitercunq; bonum facit, sed perficit.*

In caten. aurea Luc. 16. *Fideles illis tantum micis, hoc est, dogmatibus pascuntur, quæ de mensa Domini, hoc est, de Scriptura sacra cadunt.*

In lib. Dionys. de div. nom. cap. 1. f. 181. *Nullus potest verè loqui de Deo vel cogitare, nisi quantum à Deo revelatur, quæ quidem divina revelatio in Scripturis sacris continetur.*

In Comm. 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 1. adducit dictum Hieronymi: *Non mihi credas, si quid tibi dixero, quod vel ex V. vel N. T. haberi non possit.*

Nicolaus de Nysse in Resolut. Theol. ex Scoto tract. 1. proœm. q. 2. *Doctrina supernaturalis nobis necessaria utiliter & sufficienter habetur in Scriptura.*

Scotus in prol. 1. sent. q. 1. *Utrum cognitio supernaturalis necessaria viatori sufficienter est tradita in Scriptura sacra? Dico, quod ista tradit, quid sit finis hominis in particulari, qui visio & fruitio Dei est, ipsa etiam determinat, quæ sunt necessaria ad finem, & quod illa sufficiunt, &c. Mandatorum explicatio & quantum ad credenda, & quantum ad speranda, & quantum ad operanda explicatur ex diversis locis Scripturæ. q. 2. Patet, quod S. Scriptura sufficienter contineat doctrinam necessariam viatori.*

Q. 3. art. 3. ad totam Scripturam accommodat dictum Apoc. 22. *Si quis addit, &c. Sicut* (inquit) *Theologia beatorum habet terminum, ita & nostra ex voluntate Dei revelantis. Terminus autem præfixus à voluntate divina, quantum ad revelationem generalem, est eorum, quæ sunt in sacra Scriptura, quoniam sic habetur in Apocalypsi cap. ult. Qui apposuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro isto. Igitur Theologia nostra de facto non est nisi de his, quæ continentur in Scriptura, & de his, quæ possunt elici ex ipsis.*

Durandus in præfat. super lib. sentent. *Universaliter de his, quæ tangunt fidem, loqui oportet ad ea, quæ tradit Scriptura sacra, ne quis incidat in illud Apost. 1. Cor. 8. Si quis existimat se aliquid scire, nondum cognovit, quomodo oporteat scire. Modus enim est, non excedere mensuram fidei. Sacra Scriptura mensuram fidei exprimit.*

Idem in lib. 3. sent. dist. 25. q. 2. *Sacra Scriptura est regula fidei, cui non licet aliquid addere vel demere.*

Bonavent. 3. sent. dist. 1. q. 2. art. 2. *Nihil à nobis dicendum præter ea, quæ nobis ex sacris eloquiis clarent.*

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis 1. sent. q. 1. art. 3. *Tunc solum dicimus aliquid Theologicè probari, quando ex dictis S. Scriptura concluditur.*

Idem: *Principia Theologica sunt ipsæ sacri canonis veritates, quoniam ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursus, & ex iis principaliter singulæ conclusiones deducuntur.*

Idem 2. sent. q. 12. *Hæc nova Evangelicæ legis doctrina est, penetrans ut gladius, conterens ut malleus, ardens ut facula, rutilans ut lucerna;*

terna; quæ velut gladius omnium errorum abscindit zizania; quæ, velut malleus, hæreses interimit universas; quæ, velut facula, nostrorũ fasciculos criminum caritatis fervore comburit; quæ, velut lucerna, per nocturna hujus mundi silentia lumen commeantib. exhibet, ne pedẽ suum ad lapidem erroris exul homo & peregrinus offendat. (Si Scriptura omnes hos effectus revera præstat, utiq; eam oportet esse perfectam.)

In 4. sent. q. 2. *Recurrendum est ad solas Scripturas, ut vitam æternam adipiscamur.*

Gabriel Biel. 3. sent. dist. 25. q. unic. art. 1. not. 1. *Omnia credenda, in Scriptura Canonica continentur.*

Idem 4. sent. dist. 4. q. 1. adducit & approbat dictum Hieronymi: *Quicquid non descendit de monte Scripturæ, eadem facilitate rejicitur qua asseritur.*

5. Qui vel Scholasticorum tempore, vel post Scholasticorum tempora usque ad Lutheri ætatem vixerunt.

Anshelmus Cantuariensis sive sit Hervæus in Comm. 2. Tim. 3. *Sacræ literæ te possunt instruere, h. e. sufficienter doctum reddere ad æternam salutem.*

Hugo Cardinalis in Postilla 2. Tim. 3 *Omnis enim Scriptura, id est, sacra Scriptura, quæ est de omnibus necessariis ad salutem & quæ est omnis, id est, perfecta, & ideo privilegiat sibi nomen Scripturæ per antonomasiam.*

Lyran. in c. 4. Deut. sup. verba: *Non addes, nec detrahes. Eminentia Legis ostenditur ex perfectione, cum dicitur, Non addetis ad verbũ: illud n. perfectũ est, quod non habet aliquid superfluum aut diminutũ.*

Idem in præf. sup. lib. Tobiæ: *Sicut in Scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: Sic in Scripturis à Catholicis Doctorib. traditis veritas cognoscitur quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad autoritates Scripturæ sacræ Canonicas, quæ sunt habitæ revelatione divinâ, cui nullo modo potest subesse falsum.*

Idem in præfat. Evang. secundum Lucam, super verba: *Visum est mihi. Accipitur hic, omnia, quod scripsit de omnibus, quorum notitia erat necessaria ad salutem.*

Idem in c. 16. Lucæ: *Habent Mosen, qui docuit moralia & agenda; habent Prophetas, qui docuerunt mysteria & credenda, & ista sufficiunt ad salutem.*

Burgensis in addit. ad prolog. Lyrani fol. 5. *Attendendum est, quod sensus literalis Scripturæ sacræ tantæ capacitatis est seu virtutis, quod in eo continentur virtualiter omnia ad finem seu bonos mores & virtutes pertinentia, unde Magister, qui Patrum sententias brevi volumine compilavit, in cujus voluminis expositione Doctores postremi seu Scriptores omnia quodammodo Theologica introduxerunt, in hujus sensus literalis testimoniis totum suum opus fundavit &c.*

Idem in resp. ad cujusd. Epist. *Constat, quod omnia, quæ de necessitate salutis traduntur credenda seu agenda, in sacris Scripturis sub sensu literali reperiuntur.*

Hervæus in præf. super Epist. Pauli fol. 1. scribit: *In Evangelio nobis exempla & præcepta vivendi plenissimè digesta esse.*

Joh. Gerson Cancellarius Parisiensis (quem Wimphelingus in prolog tom. 4. oper. Gersonis vocat *sempiternam Parisiensium gloriam, & Concilii Constantiensis columnã*,) de exam doctrin. part. 2. n. 17. *Attendendum est, si doctrina sit conformis Scripturæ sacræ tàm in se, quàm in modo traditione. Declaratur ex autoritate B. Dionysii dicentis in sententia, nihil audendum dicere in divinis, nisi quæ à sacra Scriptura nobis tradita sunt, cujus ratio est, quoniam Scriptura sacra nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usq; ad finem seculi.*

Idem in concione coram Papa apud Tarasconam in Festo Circumcis. habita part. 1. *Quid mali, quid periculi, quid confusionis attulerit contemtus Scripturæ sacræ usq; sufficientis pro regimine Ecclesiæ, alioqui Christus fuisset Legislator imperfectus, interrogetur experientia.*

Idem tract. de distinct. verarum visionum à falsis: *Scriptura est officina, ubi cuneus regiæ monetæ spiritualis reconditur, quia si vel in aliquo vel minimo punctulo (dogmatis fidei) denarius ab eo discrepat, in sua figuratione procul dubio falsatus est.*

Joh. Trithemius q. 4. ad Maximil. *Cum Scriptura, de qua loquimur, DEI sit opus, necessarium est, eam in omnib. confiteri perfectã.*

Et postea: *Nisi divina Scriptura vera, sancta perfectaq; in omnib. credatur & integra, fundamento suo fides privaretur Christiana.*

Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus in Comm. Deut. 4. *Non addas nec detrahas quicquam. Hic commendatur Lex à perfectione, quia perfecto nec addi potest, nec auferri debet, ut patet.*

In defens. part. 2. cap. 53. *Fundamenta necessaria ad salutem tàm in fide quàm in opere omnia posita sunt per* CHRISTUM & *Apostolos ejus in scriptis, quæ reliquerunt.*

In Ind. p. 177. cap. 3. *Sacra Scriptura omnibus suis partibus perfectissimè constat, ut nec additamentum nec subtractionem patiatur.*

Ibid. *Soli S. Scripturæ & non alii adhibenda est firma fides.*

Idem præfat. in Genes. p. 2. *Sacratissima Scriptura, quæ Spiritu sancto dictante composita est, in omnibus partibus suis ita perfectissimè constat, quod nec ei subtrahi nec addi conveniat, ut patet Deut. 4. & Apoc. ult. cap.*

Antoninus part. 1. Summæ tit. 1. cap. 3. §. 1. *Vera Theologia plenissimè habetur in Biblia à Spiritu sancto revelata, ideo verissima.*

Part. 3. tit. 18. cap. 3. *Materia congrua prædicationis est Scriptura sacra. Semel enim loquitur Deus, loquitur autem in Scriptura sacra, & ita copiosè, ut exponit Gregorius lib. 22. moralium, quod non oporteat Deum iterum loqui aliquid necessarium cum omnia ibi habeantur.*

Jacob. de Voragine in vita Antonii Eremitæ & Petrus Cantor in verbo abbreviato, de Antonio referunt, quod *rogatus à discipulo, Quid custodiens, Deo placebo?* responderit: *Quocunq; vadis, semper Deum tuum præ oculis habeas; in his quæ agis, testimonium sacrarum Scripturarum adhibeas.*

Discipulus de tempore serm. 23. *In sacra Scriptura locus tenet ab autoritate negativè secundum illud Hieronymi Quicquid dicitur & Scriptura sacra autoritate non probatur, eâ facilitate contemnitur, qua adducitur.*

Johannes de Wessalia Concionator Wormatiensis in libro contra Indulgentias circa annum 1464. docuit, *necessaria ad salutem omnia in sacris literis contineri; tantùm verbo Dei credendum, non glossæ aut Patribus.*

Picus Mirandulanus lib. 1. de fid. & ord. credendi: *Extra Biblia non est veritas infallibilis.*

6. Quidam qui vel Lutheri tempore, vel post Lutheri tempora ad nostram usque ætatem vixerunt.

Autor oneris Ecclesiæ cap. 2. §. 7. adducit dictum Christi ad Brigittam ex Revel. ipsius: *Cave omnino, ne unum verbum de Spiritu tuo addas ad verba Spiritus Dei.*

Cap. 14. §. 7. *Lex Evangelica, quam Spir. sanctus promulgavit est efficacissima & ad omnes causas saluti nostræ necessarias sufficientissima, unde apud Catharinam Senensem dicitur: Omnibus hominibus perfectis & imperfectis regula & iter est doctrina Christi ad discipulos inquientis: Quò vado, scitis, & viam scitis, ego sum via, veritas & vita. Ecce in Evangelicis regulis & doctrinis quilibet potest investigare ac invenire viam salutis & consolationis suæ.*

Cajetanus Cardinalis in Comm. 2. Tim. 3. *Sermo est de sacris literis V. T. quæ te possunt instruere, pro, sapientiam docere ad salutem per fidem &c. Habent enim facultatem docendi sapientiam non hujus mundi, sed ad æternam salutem. Ut sit homo Dei perfectus. h. e. integer, constans ex omnibus requisitis ad perficiendum hominem Dei.*

Johannes Fischerus Roffensis Episcopus contra Lutherum art. 37. *Scriptura est quoddam q. conclave veritatum omnium, quæ Christianis omnibus necessariæ sunt.*

Ibid. *Cum doctrina purgatorii sit Christianis omnibus scitu necessaria, non est credibile, illud non posse ex Scripturis probari.*

Jacob. Faber Stapulensis Præfat. in Evang. *Hæc* (Scriptura sacra) *sufficit ad vitam, quæ unica vitæ æternæ regula est, cætera quibus non allucet verbum Dei, tam non sunt necessaria quam superflua.*

Ibid. *Utinam credendi forma à primæva peteretur Ecclesia, quæ tot Martyres Christo consecravit, quæ nullam regulam præter Evangelium novit, nullum scopum præter Christum, nullum cultum præterquam Deo trino impendit!*

Erasmus in annot. Luc 22. *Ambrosius duos gladios interpretatur V. & N. Test. quia nihil ei desit, quem utriusq; Test. doctrina munierit.*

Idem in Epistola ad Carondil. præfixa operibus Hilarii: *Hoc demum est eruditionis Theologicæ, nihil ultra quàm sacris literis est proditum definire, verum id quod proditum est, bona fide dispensare.*

Dietenbergerus in Bibliis Germanicis super verba Es. 8. Ihr solt euch mehr zu dem Gesetz und zu dem Gezeugniß der heiligen Schrifft halten/und von denen Rath suchen/bey welchen ihr auch Raths gnug finden werdet. Luc. 16. Daraus zu nehmen ist/daß man in und aus H. Schrifft gnugsam Bericht findet zu allem dem/das der Seelen Heil. betrifft/ 1. Petr. 3.

Arias Montanus in cap. 1. Gal. *In rebus divinis autoritas divina spectanda est, neq; decet multitudinem aut conditionem personarum, sed rem ipsam æstimari:* (quod congruit cum illo Chrysost. in c. 1. Gal. *Personarum dignitas non recipitur, quoties expenditur veritas.*)

Idem Arias in Hymno de sacr. lit. studio ad Benedict. Gregosium, Scripturæ hoc tribuit elogium:

Doctor

Doctor ô verax hominum, Deiq; | *Nil cares rerum, cupidus boni queis*
Efficax sermo, nihil ut redundas, | *Instruitur vir.*

Hector Pintus in cap. 8. Esai. p. 92. *Si non dixerint, confugiendum esse ad legem, sed ad ariolos & mortuos, in caligine versabuntur, habebunt in profundo veritatem demersam.*

Claud. Espensæus in 2. Tim. 3. *Ad hoc data est Scriptura, ut docet Ambrosius, ut proficiat imperitis, instauret deformes, attrahat iniquos ad justitiã. Ex multis Sedulii & Primasii fragmentis sic colligas licet, datam esse Scripturam, qua possint ignorantes doceri, insolentes argui, errãtes corripi, pœnitẽtes corrigi, ut homo Dei, h. e. ut non malè Cajetanus, quicunq; fidelis, qui totũ seipsum Deo dedit, cujuscunq; sit gradus, sive subsit sive præsit, ad suũ opus bonũ exercẽdũ, cõsũmat⁹ esse possit.*

Ibid. *Scripturæ, si quid scire, si quid agere opus est, verum docent, falsum coarguunt, reducunt à malo, inducunt ad bonum; nec verò qualitercunq; bonum faciunt, sed perficiunt, eaq; possunt hominem ad salutem erudire, & sufficienter doctum reddere.*

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap 2. *Scripturarum testimonia, tanquam prima in hac scientia* (Theologica) *principia & velut arma omnibus communia suscipienda sunt, quibus & hæreticum se tueri oportet & nos adversus eundem pugnare. Est enim sacra Scriptura turris David cum propugnaculis munita, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium. Hæc est etiam torrens, unde David lapides sumsit, quibus superbum Goliath prostravit.*

Idem lib. 3. adv. hæres. tit Scriptura p. 263. *Scriptura est mystica turris David, ex qua omnis armatura fortium & Catholicorum virorum pendet, ideò hæretici conantur sacris Scripturis detrahere.*

Ederus in Oecon. Biblica lib. 1. p. 44. tab. 51. *Quæcunque non sunt necessaria, ea consultò sunt omissa, quæ ad salutem necessaria sunt, ea procul dubio perscripta sunt omnia.*

Ibid. *August. in Epist. ad Madaurenses dicit, Scripturam sanctam continere omnia, quæ ad verã salutẽ pertinent. Quamvis verò hæc de re dubitari soleat, propter dicta Joh. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, c. 20. Sunt & alia multa quæ fecit Jesus; responderi tamen solet verbis Origenis in homil. de arca Noæ, qui dicit: In nulla scientia omnia esse explicata, sed illa tantum, ex quib. reliqua omnia sufficienter possint elici.*

Idem p. 75. tab. 84. *Scripturam sanctam omnibus esse accommodatam, nec quæri posse ad salutem quidquam, quod non totum nunc in Scripturis sit adimpletum, pulcherrimè declarat Chrysostomus sup. Matth. 22. hom. 42. operis imperfecti.*

Conrad. Kling. lib. 3. Loc. Comm. cap. 29. p. 265 *Placuit divinæ pietati Scripturam & fidem nostram chartis exarare, ut haberemus fidei nostræ certissimam rationem, formam, & modum, quæ credenda, & quæ non forent, contra pestilentissimum hæreticorum ac infidelium insultum, essetque Scriptura speculum, quo Deum & nosipsos intueremur, & quid nobiscum egerit Deus & facturus est, cognosceremus.*

Laurent. Villavicent. lib. 1. de rat. stud. Theol. cap. 3. *Scripturæ & quidem solæ possunt nos ad salutem erudire per fidem Christi.*

Et postea ad verba: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. Quibus sanè verbis, inquit, Apostolus omnia complectitur, quæ ad salutem hominis sunt necessaria. Quando in sacris literis in promtu habes, quicquid ad doctrinam, quicquid ad actiones, quicquid ad consolationes pertinet, quid amplius desideres?*

Gundissalvus de Villadiego Apostolici Palatii Auditor in lib. de hæret. q. 21. *Sacras Scripturas V. & N. T. Theologiæ principia esse dicit, & ex his necessario argumenta duci, absque illis non remanere veritatem ad probandum articulos fidei Christianæ; nec disputandum contra negantem hoc principium.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 102. *Omnia de Dei Natura, omnis legum morumque ratio, omnis omnium hujusmodi notitia in sacris Bibliorum eloquiis traditur.*

Didac. Stella in cap. 2. Luc. *Si Joh. Baptista sanctificatus in utero, quo major nemo est inter filios hominum, testimonio Prophetæ dictum suum probat, quid est, quod velis credi tibi nullo adducto testimonio? Proba igitur quod dicis, & fidem tibi adhibebimus.*

Idem in cap. 4. Luc. *Ex Deuteronomio omnes tres responsiones ad tres tentationes excerpsit Christus, ut doceret, sacram Scripturam arma habere contra adversarios & inimicos veritatis.*

In cap. 16. Lucæ, super verba, *habent Mosen. Vocat Mosen & Prophetas Mosaicam Legem & Scripturam Propheticam, quia per Legem instrui poterant de operibus, & per Prophetas de fide. Prophetæ dixerunt, quid credendum; & Lex, quid faciendum. Sufficienter igitur providit Deus de his quæ ad salutem pertinent.*

Fevardentius ad Iren. lib. 2. cap. 47. annotat; *Sacra scripta omnibus numeris perfecta esse,* (tantum addit *esse obscura*, quod ad aliam pertinet controversiam.)

Ad lib. ejusd. c. 46. sic annotat: *Observandum, quam honorificè de sacris Scripturis Irenæus sentiat, quas attente legit, ad eas alios ablegat, ut fontem, quo pietatem hauriant universam.*

Joh. Driedo l. 1. Catal. de dogm. var. c. 1. *Scriptura vocatur instrumentũ, quia instruit hominem, quid debeat sperare, credere, agere.*

Emanuel à Saa Lusit. de primogenitura v. 30 *Script. sacra est, quæ fontem veritatis retinet, ipsa est domicilium fidei & templum Dei, quo si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est.*

Joseph. A costa lib. 3. de noviss. temp. cap. 3. *Inter externa auxilia principem locum obtinet Scriptura divina, cujus auctoritate invicta adversus dolos & innumerabiles fraudes Antichristi, quib. gentes toto orbe seducet, nullum est divinitus Ecclesiæ Catholicæ datum majus fortiusque præsidium. Ad omnes. n. Diaboli insidias detegendas, ad omnes Diaboli machinas superandas valet excelsum atque insuperabile divini eloquii robur. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se, Prov. 8, & gladius Spiritus est verbum Dei, Eph. 6.*

Jodoc. Coc. tom. 1. thesauri lib. 6. art. 30. p. 749. citat & adprobat dictũ Irenæi lib. 2. cap. 47. *Rectissimè scimus, quia Scripturæ perfectæ sunt, quippe à vero Deo & ejus Spiritu dictæ.* p. 750. citat & approbat dictum Orig. in c. 3. Rom. *Posthac verò, uti moris est, de Scripturis sanctis vult* (Apostolus) *affirmare, quod dixerat, simul & Doctorib. Ecclesiæ præbet exemplũ, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumta sententiis, sed divinis munita testimoniis proferant. Si n. ipse tantus ac talis Apostolus autoritatẽ suorum dictorum sufficere posse nõ credit, nisi doceat in Lege & Prophetis scripta esse, quæ dicit, quanto magis nos minimi hoc observare debemus, ut non nostras, cum docemus, sed Sp. S. sententias proferamus.* Et paulo ante approbat illud ejusdẽ Orig. tr. 25. in Matt. *Debemus ad testimoniũ omnium verborũ, quæ proferimus in doctrinâ, proferre sensum Scripturæq; confirmantem, quem exponimus, sensum. Sicut n. omne aurum quotquot fuerit extra templum, non est sanctificatum, sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam Scripturã, quãmvis admirabilis videatur quibusdã, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum solum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templũ proprium aurũ.* p. ead. col. 2. citat & approbat illud Epiphanii hær. 65. *Nos unius cujusque quæstionis inventionẽ non ex propriis ratiocinationib. aucere possumus, sed ex Scripturarũ consequentia.* p. 753. citat & approbat dictum Hilarii lib. 3. de Trin. *Bene habet, ut iis tantũ, quæ scripta sunt, contentus sis:* & ejusd. dictum lib. 12. *Dei sermo & veræ Sapientiæ doctrina, quæ loquitur, & perfecta, & absoluta sunt.* p. 754 citat & approbat illud Ambr. lib. 3. Hexaëm. c. 3. *Ego, quid facere potuerit Deus, nunc prætermitto; id quod fecerit quod apertè Scripturarũ autoritate non didici, q. secretum prætereo.* It. illud Hier. in c. 23. Matt. *Quod de Scripturis autoritatẽ non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* p. 755. citat & approbat illud Justi Orgelitani in Cant. super verba: *Mille clypei pendent ex ea. Potest hac turris Scriptura Canonica V. ac N. T. convenienter intelligi, quæ per Sp. S. velut turris excelsa constructa est. Mille clypei pendent ex ea. Hic numerus per plenitudinem potestatis accipitur, sicut in Psalmo: Verbi, quod mandavit in mille generationes. Itaq; in hac sancta Script. omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra Diabolum, vel contra ministros ejus fortiter repugnatur. Nam & ipse Dominus, cum in deserto à Diabolo tentaretur, ex hac turri arma produxit, cum eum prolatis ex sacræ Script. testimoniis usquequaq; devicit.* p. 758. citat & approbat illud Pet. Blesens. Ep. 60. *Sacra lectio cibus est per hunc cibum spiramus & vivimus. Certè solo eloquii sacri testimonio Christus contra omnes tentationes Diaboli usus est in deserto.* p. 759. citat & approbat illud Jo. Trithemii hom. 4. *In Scripturis divinis quicquid salutaris requirit scientia, copiosissimè reperitur expressum, ut quod ibi non inveneris, minimè ad salutem sit necessarium.*

Georg. Cassand. in lib. de off. pii viri p. 8. *In iis, quæ fidei quæst. attingunt, nihil est, quod Script. sacris non aliquo modo contineatur.*

Bellarm. lib. 1. de V. Dei c. 1. *Prophetici & Apostolici libri sunt verum verbum Dei & certa ac stabilis regula fidei.* (Atqui regula proportionis paritatem habet cum illa re cujus est regula. Si igitur Scriptura est regula fidei, utiq; fides non extenditur ultra Scripturam, ac proinde traditiones non scriptæ non pertinent ad fidem. It. Regula consistit in indivisibili, i. e. ita constituta est, ut nec diminutionem nec augmentum admittat. E. si Script. est regula, non admittet traditiones ἀγράφους.)

Id. lib. 2. de V. Dei cap. 1. §. 3. argumentatur ex Scriptura negativè. *Opinio illa, quod Esdras Scripturam sacram tempore captivitatis Babylonicæ deperditam reparaverit, improbabilis est. Non enim alio fundamento nititur, quam testimonio libri Apocryphi, h. e. quarti Esdræ &c. ex libris autem Canonicis nihil tale colligitur.* Negativè ex Scripturis idem argumentatur lib. 1 de Rom. Pontif. cap. 14. §. Ac primum &c. *Soli, inquit, Petro dictum est Pasce oves meas.* Lib. ejusd. cap. 17. §. Est autem &c *Soli Petro ex omnib. Apost. Christus nomen mutavit,* Lib. ejusd. c. 18. §. Altera &c. *cum ab Evã-*

gelistis nominantur Apostoli, vel omnes, vel aliqui, semper primo loco Petrus. Lib. 3. de Rom. Pontif. c. 12 §. Præter &c. sic disserit: *Sententia est sanctorū Patrū, Antichristū de muliere fornicaria nasciturū, non ex legitimo matrimonio. Sed cùm non possit ex Scripturis ostendi, est quidē probabile, nō tamē certū.* Lib. 4. de R. P. c. 3. §. Respondent &c. *Dominus soli Petro dixit, Oravi pro te, & pasce oves meas &c. Solū Petrū vocavit petrā & fundamentum &c.* ex quib. omnib. Primatū Petri Monarchicū colligit. Lib. de Bapt. c. 4. resp. ad 4. arg. *Quid tunc* (in V. T.) *fieret, sciri nō potest, cùm Script. nihil dicat* (videl. de remedio pro infantibus ante octav. diē mortuis.)

Maldonat. in in c. 1. Matth. v. 16. itidē ex Scripturis negativè argumētatur. *Nullos*, inquit, *fratres habuisse Mariē virginā, non ex traditione tātum, sed ex S. Script. manifestum est, quæ ejus, si quos habuisset, fratres non tacuissent.*

Mich. Ghislerius in Cant. Cant. cap. 3. v. 7. Expos. 1. pari ratione etiā in Historicis negativū ex Scriptura ducit argumentū: *Quamvis*, inquit, *fieri possit, ut secundū Historicā veritatē Salomon sexaginta fortissimos viros constituerit ad Custodiam lectuli, in quo cubaret, qui noctu ipsum, suamq; conjugē costodirēt, quia tamē id nō habemus in sacris paginis expressum, cum communi fere sententia dicendū, numerū istū determinatū poni pro indeterminato.* (Atqui si in quæstionib. Theolog. dogmaticis, quinimo etiā Historic. negativè ex Script. argumētari possumus, utiq; Script. est perfecta.)

Id. Bell. lib. 4. de V. D. c. 11. §. His notatis, sic scribit: *Dico, omnia illa esse scripta ab Apostolis, quæ sunt omnib. necessaria & quæ ipsi palam omnibus vulgò prædicaverant.*

Lib. & c. iisdem §. Primū est, ad dictum Irenæi. lib. 3. cap. 1. *Quod Apostoli primùm præconiaverunt, postea in Scripturas redegerunt, fundamentum & columnam fidei nostræ, &c.* respondet, *loqui Irenæum de dogmatibus simpliciter omnibus ad salutem necessariis, quorum est notitia explicita necessaria ad salutem.*

Lib. & c. iisdem, §. Tertiò producit, & c. largitur nobis *Constantini Magni* suffragium, quod extat apud Theodoretum lib. 1. Eccl. Histor. c. 7. Is namq; commemorat, Constantinum Magnum in Concilio Niceno dixisse: *Evangelici & Apostolici libri & antiquorum Prophetarum oracula planè nos instruunt, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili posita discordiā ex verbis divinitùs inspiratis sumamus quæstionum explicationes.* (Excipit quidē Bellarm. 1. *Constantinum fuisse magnū Imperatrē, sed non magnum Eccl. Doctorem*: verùm reponimus ipsi verba Episcopi Eipensæi in Comm. 1. Tim. 3. p. 56. *Hunc Imperatorem Deus q. communem quendam Episcopum Ecclesiæ ad pacem Ecclesiæ constituendam ordinabat.* Gretserus Jesuita Leonis Imp. homilias Græcè & Latinè publicavit. Num patienter feret sibi opponi: *Leonem fuisse magnum Imperatorem, sed non magnum Ecclesiæ Doctorē?* Adde quòd *tota Synodus hanc Constantini sententiam approbaverit*, ut apud Theodoretum d. l. additur: Ergo non tàm Constantini Magni, quàm maximi Concilii Niceni authoritate in hac causa nitimur. 2. *Loqui Constantinum de dogmatibus, quæ ad Naturam Dei pertinent.* Atqui eadem est omnium fidei Christianæ dogmatum hac in parte ratio, omnia enim vel de Dei essentia, vel ejusdem voluntate nos informant, proinde omnia sunt divina dogmata. 3. *Verum Scripturæ sensum pendere ex traditione.* Atqui Contrarium suo loco inferiùs demonstrabitur, videlicet ex ipsis Scripturæ verbis verum ejus sensum eruendū esse. 4. *Arianos fuisse damnatos ex sermonibus non scriptis.* Atqui contrarium docet ipse Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 12. *Concilium Nicenum*, inquit, *cùm definivit Filium Patri ὁμοούσιον, conclusionem deduxit ex Scripturis.*)

Lib & c. iisdem §. Ultimò profert &c. *Chrysostomi* suffragiū nobis largitur. Cùm enim adduxisset verba Chrysostomi in c. 22. Matth. *Quicquid quæritur ad salutem, totum jam impletum est in Scripturis*, subjungit: *Loquitur Chrysostomus de remediis vitiorum, ac docet, nullum esse vitium, ad quod sanandum non inveniatur in Scriptura aliquod remedium, quod etiam docet Basil. orat. in 1. Psal. Sed quid hæc valent contra traditiones?* (Plurimùm omninò, quia hac ratione aqua benedicta, chrisma, extrema unctio, votivæ peregrinationes & alia hujus generis remedia, quæ in spirituali Scripturæ pharmacopolio non habentur, nullius erūt pretii æstimanda. Præterea, si Scriptura ad sananda omnia vitia efficax est, utique etiam ad omnes omnium hæreticorum errores convincendos efficax erit cùm vitiorum & errorum hic sit par ratio.)

Lib. ejusdem cap. 9. præcedente, §. 1. *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Non enim novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi, qui fuerunt ministri sermonis, & propterea dicitur Eph. 2. ædificata super fundamentum Prophetarum.* (Subjungit quidem, *illa omnia, quæ tenet Ecclesia, tradita esse ab Apostolis aut Prophetis, aut scripto aut verbo.* Atqui ut ea, quæ Deus per Prophetas revelavit, quæque ad salutem piis in V. Test. scitu fuêre necessaria, in Propheticis scriptis omnia continentur; fatentibus quibusdam Pontificiis, ita quoque vi adducti textus Apostolici statuendum, quod omnia, quæ per Apostolos revelavit, quæque ad salutem piis in N. T. scitu sunt necessaria, in scriptis Apostolicis contineantur.)

Lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 3. in resp. ad object. 6. *Non est de rebus, quæ pendent à divina voluntate, aliquid asserendum, nisi Deus ipse in Scripturis sanctis tale aliquid revelaverit. Scripturæ autem nusquam tradunt, post diem judicii futuras hominū sedes, nisi duas &c.* (Subsumo. Omnia omninò fidei dogmata, vel agunt de Dei essentia, vel pendent à divina voluntate, ergò nihil de fidei dogmatibus asserendum, quod non Deus ipse in Scripturis revelaverit. Observa etiam, Bellarminum argumentari ex Scripturis negativè. *Post diem judicii non erunt plures, quàm duæ hominum mansiones. Ergo non sunt plures mansiones statuendæ.* Atqui eadem omninò ratio est omnium dogmatum. Ergo de omnibus negativè ex Scripturis licebit argumentari.)

Lib. 1. de Justif. cap. 10. §. 2. *Fides in nihil aliud collimare debet, nisi in verbum Dei. Non enim potest esse certa & infallibilis, nisi ejus autoritate nitatur, qui nec falli potest, nec fallere.* (Alibi quidem verbum Dei dividit *in scriptum & non scriptum*. Sed verbum illud *non scriptum* est dubium & incertum, proinde non potest præbere certum & infallibile fidei fundamentum. Ergo & hîc locum habeat vulgatum illud, *tene certum, relinque incertum.* Adde quòd Bellarminus demonstraturus, in verbo Dei nusquam reperiri annunciatam salutem vel remissionem peccatorum huic vel illi in particulari, tantùm *ex verbo scripto* probationem petat, ut apparet ex eod. §. 2. Nisi ergò argumentum probans angustius statuere velimus conclusione probandâ, dicendum erit, in argumento Bellarmini per *verbum Dei* intelligi duntaxat verbum scriptum.)

Lib. 3. de Justif. cap. 8. *Non potest aliquid esse certum certitudine fidei nisi aut immediatè in verbo Dei contineatur, aut per evidentem consequentiam ex eo deducatur. Fides enim non est, nisi verbi divini autoritate nitatur. Neq; de hoc principio vel Catholici vel hæretici dubitant.* (Si quis excipere velit, *Bellarminum nomine verbi divini intelligere etiam traditiones non scriptas*, notandū quod statim subjungit: *In verbo Dei non continetur immediatè particularis ista propositio, talis vel talis homo verè est justificatus, exceptis enim paucissimis, ut Magdalenā & quodam paralytico, cæteri homines in sacris literis ne nominantur quidem.* Quod superiùs dixerat, *in verbo Dei hoc non contineri*, illud *in sacris literis non contineri* dicit, ergò verbum Dei & sacræ literæ ipsi h. l. sunt ἰσοδυναμοῦντα.)

Idem tom. 6. op. col. 54. d. 35. a. *Scriptura est nobiliss. antiquiss. perfectissima. Scripturæ cæteræ, etiamsi sanctorū hominum sint, semper habent aliquid imperfecti &c. & verba eorum & sermones eorum nunquam erant ita perfecta, quin aliquid desiderari posset. Scriptura vero divina, propterea quod Deum autorem habet, cujus perfecta sunt opera, ejusmodi est, ut nihil penitùs habeat imperfecti. nihil ei detrahi, nihil addi, nihil in ea reprehendi, nihil desiderari possit.* (Quod est perfectissimum, quod nihil penitus habet imperfecti, in quo nihil desiderari possit, illi perfectionis elogium minimè potest derogari. Sed Scriptura divina est &c. Ergo.)

Gregorius de Valentia tom. 3. col. 123. ex Thoma fatetur, *sufficienter in doctrina Christi & Apostolorum contineri omnia, quæ pertinent ad fidem.*

Albertus Hungerus in Dispur. Ingolstadii Ann. 82. habita sub tit. *Defensio Scripturæ sacræ, contra Pseudoscripturarios*, conclus. 14. *Scriptura sacra est turris illa David, quæ ædificata est cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnisq; armatura fortium, Cantic. 4. est ille torrens, ex quo David lapides desumsit, quibus superbum Goliath prostravit.* Si adversus hæreticorum errores ex Scripturis perfectè muniri possumus, utique eam oportet esse perfectam.)

Salmeron in arg. Epist. ad Rom. Disp. 6. postquam dixisset: *Protestantes ab autoritate Scripturarum in fidei articulis negativè argumentari, sed hanc argumentationem esse futilem & minimè solidā*; subjungit: *Non dissimulabo, quòd interdū videatur Apostolus hanc rationē argumentādi in una & eādē Epist. quater usurpasse. In c. 1. Heb. semel sic; Cui n. Angelorū aliquādo dixit: Fili' me' es tu? Psal. 2. id est, quòd Pater tantā Filii Dei dignitatē Angelo tribuat, in sacris literis non invenitur. Deinde in fine capitis arguit negative in hunc modum: Ad quem Angelorum aliquando dixit Deus: Sede à dextris meis? id est,*

idest, nunquam in Scripturis hoc Angelis dictum E. Tertius locus est in cap. 2. Nusquam n. Angelos apprehendit, i. e. nullo in loco Scripturæ legi potest, quod Angelum assumserit. E. Quartò in cap. 7. de Melchisedech. Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi, sine patre, sine matre, ubi apertè agnoscit, in eo, quod Scriptura suppressit, argumentum sumi. (Respondet quidem Salmeron ad hoc argumentum duplici modo: Sed neutra responsio est solida & firma. Primò dicit: Apostolus non expressit, se de sola Scriptura loqui, sed excludit tàm Scripturam quàm traditionem. Atqui res ipsa ostendit, præsertim in ultimo exemplo, Apostolum de sola Scriptura loqui. Arias Montan. in annot. Hebr. 1. Probat Apostolus, Christum etiā, quà homo est, tantò præstantiorē omnib. Angelis esse, quantò filii legitimi servis & ministris excellūt. Hoc cōquisitis ex sacra lect. testimoniis confirmat, utpote qui cū Hebræis agit, quib. curæ erat Prophetico sermoni attendere & observare, an hæc ita se haberent. Ribera in Comm. c. 7. Hebr. Melchisedech dicitur sine patre & matre, nō quòd absq; patre & matre fuerit, sed quòd subitò introducatur in Genesi occurrisse Abrahæ à cæde hostium revertenti, & nec ante nec post ejus nomē feratur adscriptum. Hæc est omniū Patrū expositio, nim. quòd divina Script. aliorū genealogiam, quoad avos & abavos recensuit, tàm eorum qui præcesserunt Melchisedech, quàm qui eum sequebantur, Melchisedech autem nec patrem nec genus docuit divina Scriptura, neq; quanto tempore vixit &c. Secundò respondet Salmeron, satis esse Scripturam tales dignitates Angelis nunquam tribuisse, quia illis minimè conveniebant, nec illis possint ullo modo convenire, ideoq; qui argumentaretur, hujusmodi perfectiones nunquam tribui illis, solide quidem argumentatur & efficaciter, etiamsi negativè ex Scripturis. At si in hoc fidei articulo de Messia Apostolus solidè ex Scripturis negativè argumentatur, utique idem in reliquis fidei articulis locum habet. Adde, quòd ipsimet Pontificii exemplum Apostoli secuti in fidei articulis negativè ex Scripturis argumētentur, ut ex Bellarmino paulò antè ostendimus.)

Idem Disp. 3. in 2. Thess. 2. p. 399. Consignata sunt in Scripturis omnia necessaria ad salutem, sed non ob id redundant traditiones Apostolicæ vel Ecclesiasticæ, quia & ipsæ mandantur in Scripturis, ut serventur. (Si omnia necessaria ad salutem in Scripturis consignata, utique in reb. fidei non opus erit traditionum supplemento. Ecclesiasticas constitutiones ad τάξιν & εὐσχημοσύνην spectantes non repudiamus. Inde Salmero subjungit: Sine traditionib. Ecclesia esset inordinata & incomposita in disciplina. Imo & hæretici, qui novas erigunt Ecclesias, sine traditionib. in officio continere suos non possunt, alioquin elaberentur illis è manibus. Unde jam apud illos numerosiores sunt traditiones quàm in Ecclesia Romana. Ea siquidē docent principia, quæ sine peculiaribus constitutionibus ac præceptis consistere non possunt. At si per traditiones Pontificii nihil aliud intelligerent, quàm constitutiones Ecclesiasticas ad εὐσχημοσύνην spectantes, facili negotio eas admitteremus.)

Costerus in Enchir. cap 1. §. Cæterùm. p. 48. Non inficiamur, præcipua illa fidei dogmata ad salutem omnibus necessaria perspicuè satis comprehendi in Scripturis. Hujusmodi sunt, mysteria sanctæ Trinitatis, incarnationis, Historia passionis Dominicæ, remissionis peccatorum, promissionis vitæ æternæ.

Idem ibid. in cap. de fide p. 181. Illa sola credenda sunt, quæ Deus revelavit & credenda proposuit. Nunquam autem in verbo Dei de privati hominis justificatione quicquam legimus. (Ne quis excipiat, ipsum intelligere verbum tū scriptum, tum non scriptum, notandum, quòd statim subjiciat,) utpote cujus in sacris literis nulla fit mentio. Non est ergo fide cuiquam tenenda peccatorum suorum remissio vel justificatio.

Jesuitæ in Colloq. Ratisbon. edit. Spirens. Ann. 602. §. 216. ad locum Augustini de unit. Eccles. cap. 16. à nostris adductum annotarunt, se paratos esse ex sola Scriptura sacra suam Ecclesiam adversus Lutheranos demonstrare, imò articulos fidei ex sola Scriptura sufficienter defendi posse adversus eos, qui Ecclesiæ & conciliorum autoritatem non admittunt.

Pistorius in ἐπιγραφῇ Hodeget. itidem jactitat, se paratum esse de omnibus articulis ex sola Scriptura nobiscum disputare.

Idem literis ad Theologos Wittenbergicos die 24. Aprilis stylo novo anno 1589. exaratis Absolutâ generali tractatione (de Eccl.) procedamus, si opus erit, ad specialia: & secundùm Augustanæ istius sæpè mutatæ Confessionis cursum, singula capita ordine excutiemus, & ostendemus tum ex sacris literis, tum ex testimonio Ecclesiæ, falsa esse. Nulla est pars controversiæ, quam ego per Dei gratiam non pro nobis & contra vos ex sola Scriptura defendere non cogitem.

Tannerus in Compend. relat. Colloq. Ratisbon. p. 135. Non negant Catholici, omnia, quæcunq; ad relig. spectant, & circa eam observanda sunt, aut in Scriptura apertè contineri, aut ex ea quoquo modo, etiam per validam consequentiam deduci posse.

Michaël Ghislerius in Comm. Cant. cap. 5. v. 12. in Append. Expos. ex Patribus: Nihil fecit aut docuit Christus absq; Scripturarum autoritate. (Ejus exemplum etiam nos imitari, ejusdemq; vestigiis insistere convenit.)

In cap. 3. v. 4. expos. 2 Ecclesia in Scripturis sanctis universos sapientiæ suæ thesauros conditos habet.

In cap. 2. v. 8. in Append. Exposit. adducit & approbat illud Origenis homil. 3. ex quatuor in Cant. Christus, cùm ad transformandū se venit, non in aliqua planicie aut convalle fuit, sed montē conscendit, ubi transformatus est, ut intelligas, eum semper in montib. aut collib. apparere, & ut te doceat, ne usquā eum nisi in Legis & Prophetarum montibus quæras. (Si Christus non est usquam, nisi in Scripturis veteris & novi Testamēti, quæ per colles & montes autore Origine intelliguntur, quærendus, utique etiam Christi doctrina non est extra Scripturas quærenda.)

Cornelius à Lapide proœm. in Pentat. fol. 1. col. 2. d. Visum est divinæ & interminæ sapientiæ, Scribæ scil. sapientissimo velociter & mirâ dignatione scribenti, alium (quàm nempe fuerat Scripturæ liber) adhibere calamum, alias nobis subjicere tabulas, alios longè sui depingere characteres, qui non mutam aliquam speciem, sed distinctas oculis voces, auribus sonos, mentibus sensa, vivasq; divinorum imagines insererēt, quibus & semetipsum, cœlestesq; mentes, creataq; omnia, & quicquid ad benè beateq; vivendum nos manuducit, tam luculenter, quàm benevolè ac sapienter describeret. (Si in Scriptura sacra quicquid ad benè beateque vivendum nos manuducit, continetur, utique Scriptura sacra est perfecta.)

Johannes de Tena in Isagoge: Dubitari non debet, quin finis Scripturæ sit vita æterna. Id etiam mihi videtur Johannes Apostolus & Evangelista disertis verbis tradidisse cap. 20. cùm ait: Hæc scripta sunt, ut credatis, & Paulus 2. Tim. 3. cùm ad sacrarum literarum lectionem exhortans, ait: Quæ, scilicet Scripturæ, te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu &c. (Si ex Scriptura possumus habere vitam æternam, utique Scriptura est perfecta.)

Cosmas Magalianus in proœm. Commēt. in Epist. ad Tim. & Titum sect. 2. Epistolas Pauli vel in ipso ortu suo Ecclesia Dei magni fecit &c. quare debuit non duabus tantùm aut tribus Epistolis, ut alii, nascentem Ecclesiam juvare, sed pluribus, quibus omnes fidei & morum controversias dirimeret.

Leon. Marius proleg. in S. Scripturam q. 2. sect. 5. De sacris libris dixit B. Apostolus Paulus Epist. ad Tim. 2 cap. 3. Possunt te instruere ad salutem, additq; per eos fieri, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonū instructus. Et verè ita est, discimus enim ex iis nō tantùm quid credere, sed etiā quid agere, quomodo juvari & quid sperare ac metuere debeamus, in quibus tota vitæ humanæ perfectio consistet.

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad locum Apostolicum 2. Tim. 3. v. 15. & seqq. Bulengerus adversus Plessæum excipit, τὸ σοφίσαι non esse propriè sapientem reddere, sed instruere.

Resp. 1. Cajetanus in annot. ad h. l. ostendit, instruere in Latinâ versione positum esse pro sapientiam docere. 2. Erasmus ad h. l. σοφίσαι id est, erudire sapiētē reddere. 3. Salmeron Disp. 4. in post. Timoth. Instruere ad salutem, sive, ut verbū Græcum habet, σοφίσαι id est, sapientem reddere, vel erudire, ut legit Ambrosius.

2. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 10. ad eundem locū Apostolicum excipit: πᾶσα non significare totam, sed omnem Scripturam. Cùm dicit (inquit) omnis Scriptura, non solùm toti corpori Scripturarum, sed etiam singulis libris tribuit eam laudem, quòd utiles sint ad docendum, arguendum. Et tamen fatetur Kemnitius non sufficere quemlibet librum sacrum. Idem statuunt Stapletonius, Hayus, &c.

Resp. 1. Dionysius Carthusianus in Comm. h. l. vocē πᾶσα subjecto additam collectivè explicat, tota Scriptura (in qua significatione Rom. 3. v. 3 & alibi passim in Scripturis vocula πᾶς usurpatur, & hoc loco sic accipiendam esse prædicata ostendunt.) 2. In versione vulgata Pontificiis authentica omne sæpè idem notat, quod totum, Matth. 26. v. 59. Marc. 1. v. 33. cap. 14. v. 55. Act. 2. v. 47. cap. 7. v. 10 cap. 15. v. 22. Philip. 1. v. 13. 3. Estius in Commēt. illius loci monet, non id velle Apostolū, quòd unaquæq; pars Scripturæ sit utilis ad omnia ista, hic enim sensus liquidò falsus esset, sed quòd in universa Scriptura hæ quatuor utilitates reperiantur. (Unde constat, rectè verti illud πᾶσα tota collectivè, non omnis, distributivè, quamvis etiam vox omnis collectivè accipi possit. Certum est, per πᾶσαν γραφὴν totam Scripturam, idem intelligere Apostolum, quod antea per ἱερὰ γράμματα sacras literas, quâ phrasi Scriptura universa significatur.)

3. Exci-

3. Excipiunt alii, *Scripturam quidem ad hæc omnia, quæ ab Apostolo enumerantur, esse utilem, sed non sufficientem.*

Resp. Ubi est sufficiens omnium, quæ ad perfectionem alicujus rei requiruntur, enumeratio, ibi ex tali utilitate inferri potest sufficientia & perfectio. Talis verò utilitas est, de qua Paulus ibi agit. Gabriel Biel in Can. Missæ lect. 71. f. 1466. *Quomodo anima hominis vivere posset vitâ justitiæ & gratiæ, nisi cognosceret Dei voluntatem; & quæ secundùm hanc justa sunt vel injusta, quæ agenda & quæ fugienda, quæ amanda & quæ contemnenda; quæ timenda & quæ audenda; & quæ credenda & speranda; & cætera nostræ saluti necessaria, quæ omnia sola docet Scriptura sacra?* Guilielmus Pepin Dominicanus in Postill. Dominica II. Advent. Conc. I. *Sola hæc Scriptura docet perfectè & planè, quid credendum, ut sunt articuli fidei; quid agendum, ut sunt divina præcepta; quid fugiendum, ut sunt vitia; quid timendum, ut sunt æterna tormenta; quid appetendum & desiderandum, ut sunt cælestia gaudia.* Gregorius de Valentia in Anal. fid. lib. I. cap. 15. *Neq; verò in uno aliquo vel altero genere, sed in omni prorsus hæc doctrina hominibus utilis est, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Docet ignorantes, solatur tristes, torpentes excitat, confirmat atq; erigit afflictos. Deniq; nulla animorum ægritudo est, cui mederi non possit. Nam verissimè sapiens, Omnis, inquit, sermo Dei ignitus, clypeus sperantibus in se. Quam Scripturæ sanctæ virtutem cum essent Maccabæi experti, licet hostibus undiq; septi essent, magnisq; difficultatibus premerentur, nullâ re tamen indigere se ajebant, habentes solatio libros sanctos, qui sunt in manibus nostris. Mihi quidem hoc Maccabæorum testimonium sæpenumero ejusmodi visum est, ut eo audito, qui non omnino sit malæ mentis, salutarem hanc & divinam sacræ Scripturæ virtutem etiam sine alia experientia sentire possit.* Ludovicus Sotomajor in Comm. 2. Tim. 3. verba Pauli sic explicat: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata apta seu idonea est, id est, facultatem præbet, vel materiam suppeditat uberem ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad erudiendum. In ea enim facilè & q. ad manum paratum invenies, quod doceas populum fidelem & Clerum, quò redarguas hæreticos, quo pravos etiam mores atq; sermones corrigas sive prava dogmata, quo insuper erudias & instituas parvulos, qui velut infantes lacte opus habent. Deniq; utilis est ad omnia, quæ necessaria & consentanea sunt ad consequendam veram justitiam, pietatem atq; salutem, id est, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

2. Ad locum Johan. 20. excipit Bellarminus lib. 4. de V. D. cap. 10 *Johannem tantùm loqui de miraculis Christi, ac dicere, se scripsisse tantùm aliqua miracula, non omnia, quia illa sufficiebant ad persuadendum mundo, Christum esse Dei Filium.*

Resp. Hugo Cardinalis ad eum locum sic annotat: *Specialiter intentio hujus libri, generaliter verò totius Scripturæ finis his verbis declaratur.* (Nimirum duæ sunt contextus Apostolici partes: Prior continetur in his verbis: *Multa etiam alia signa edidit Jesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.* De hac nulla est controversia, quin sit de miraculis intelligenda, quæ non sunt omnia scripto mandata. Posterior continetur in his verbis: *Hæc autem scripta sunt,* quam nihil obstat, quò minùs generaliter intelligamus, de iis omnibus, quæ Johannes in Evangelio suo exposuit, quæ interpretatio confirmatur ex sequentibus, nam sola miraculorum Historia non sufficit ad fidem Christianam, aut ad vitam obtinendam.)

3. Ad locum Ps. 19. *Lex Dei perfecta &c.* excipit Hayus pro vera Ecclesiæ autorit. q. I. *Legem non dici à Propheta perfectam, sed immaculatam sive irreprehensibilem,*

Resp. I. Pagninus in Thesauro docet תמם significare idem, quod *perficere, consummare, absolvere.* Inde etiam Pagninus & Arias Mont. תמימה hoc loco reddiderunt *perfecta.* 2. Genebrardus annotavit, *immaculata, perfecta propriè, docens non tantùm facienda, verùm & credenda, colenda, & reliqua.* 3. Lorinus ad h. l. *Hebræa vox significat integram, perfectam, absolutam, cui nihil desit,* (quam versionem confirmat, quod statim sequitur, *sapientiam præstans parvulis,* quia sapientia est perfecta scientia.)

4. Ad locum Gal. I. *Etiamsi nos aut Angelus è cœlo &c,* excipit Bellarm. d. l. *non loqui Paulum de solo verbo scripto, sed de omni verbo sive scripto sive tradito. Non enim dixisse, præter id quod scripsimus, sed præter id quod evangelizavimus, nec præterquam, quod in sacræ Scripturæ libris continetur, sed præterquam quod accepistis.* Resp. idem Bellarm. lib. 4. de V. Dei cap. 2. distinguit *traditiones in divinas, Apostolicas & Ecclesiasticas;* Ecclesiasticas dicit esse eas, *quæ neq; ad Deum, neq; ad Apostolos autores referri possunt, sed ad Ecclesiam & Ecclesiæ Prælatos.* Ergo ad minimum Ecclesiasticas illas traditiones Paulus hoc loco excludit. Dicit enim Apostolus, nihil recipiendum *præter id, quod evangelizaverat.* Atqui Ecclesiast. traditiones nō evāgelizaverat, aliàs essent Apostolicæ. 2 *non prohiberi nova dogmata, sed contraria; & illud παρὰ positum esse pro ἀντί.* Resp. hæc exceptio contradicit priori. Si enim Evangelium intelligendum est de doctrina tàm scriptis, quàm vivâ voce tradita, aut fatendum erit, Paulum non omnia docuisse, ne quidem vivâ voce, quod affirmari nequit; aut si omnia docuit, ergo non tantum non esse *contrarium* inducendum, sed ne quidem quicquam *præter.* Alterum ergo exceptioni nuncium mittere Bellarm. oportet.

5. Ad locum Apoc. 22. v. 18. *Si quis apposuerit &c.* excipit Bellarm. d. l. Apostolū ibi prohibere corruptionem illius libri.

Resp. Adamus Contzen lib. 9. Politic. cap. 23. §. 3. *Hæc de universa doctrina Christianæ œconomia & credendi norma tàm accipienda sunt, quàm de Apocalypsi Johannis, quandoquidem eâdem autoritate dictata sunt. Spir. S. corrigit, quisquis ista mutat; divinam sapientiam negat, quicquis humano ingenio supremi judicis sententiam moderatur.*

Argument. Advers. I. *Multi libri sacri & Canonici perierunt. Ergo etiam totus Canon Scripturarum simul sumtus non est sufficiens.* Bellarm. lib. 4. de V. D. cap. 4.

2. *Si Christo & Apostolis fuisset propositum, verbum Dei coarctandi & restringendi ad Scripturam, rem tanti momenti Christus apertè præcepisset, & Apostoli testarentur, se ex mandato Dei scribere. At illud nusquam legimus.* Bellarm. d. l.

Resp. ad hæc duo argumenta ex propriis Adversariorum verbis & hypothesib. respondebimus inferiùs lib. 2. art. I. cap. 4. th. I. & 2. hoc loco illud duntaxat monemus, non posse negari, Mosi apertè fuisse à Deo mandatum, ut scriberet, ipsumq; testatū, quod ex Dei mādato scribat, quæ duo etiā Bell. ipse fateri cogetur, neq; tamen concedit sufficientiā Scripturæ Mosaicæ.

3. *Multa à nobis ignorari non possunt, quæ tamen in Scripturis non continentur.* Nam

Primò, *Tempore V. T. sine dubio non minùs fœminæ, quàm viri remedium aliquod habebant contra peccatum originis, & tamen pro masculis tantum instituta erat Circumcisio, quid esset pro fœminis, nusquam habet Scriptura.*

Resp. I. Si ignorantia illius remedii tollit perfectionem Scripturæ, ne ipsi quidem Pontificii perfectam habebunt doctrinam, si vel maximè verbum *non scriptum* verbo *scripto* assuant, quia remedium illud ex traditionum suarum scrinio proferre nequeunt. 2. Lombardus 4. sent. dist. I. lit. G. *Quæritur de fœminis, quæ fuerunt ante & post institutam Circumcisionem, quod remedium contra peccatum habuerint? Quidam dicunt, sacrificia & oblationes eis valuisse ad remissionem peccati. Sed melius est dicere, illos, qui de Abrahamo prodierunt* (masculos) *per Circumcisionē justificatos, mulieres verò per fidem & operationem bonā, vel suam, si adultæ erant; vel parentū, si parvulæ,* (Sententiā ipsam non probamus, sed hoc duntaxat in his verbis urgemus, quod Lombardus nihil quicquam somniaverit de peculiari remedio Sacramentali peccati originalis pro fœminis instituto.) 3. Hugo lib. I. de Sacram. part. 12. c. 2. Biel 4. sent. dist. I. q. 4. *Salvabantur fœminæ solâ fide, sacrificiis & oblationibus, aliisq; Legis Ceremoniis justificatæ.* 4. Alphons. Tostatus in cap. 17. Gen. p. 260. *Fœminæ, quia carebant illo membro, in quo fiebat Circumcisio, non circumcidebantur, sed in eis sufficiebat fides Messiæ venturi saltem implicita, in qua omnes salvandi erant.* 5. Petrus Rom. 4. Disp. 6. n. 29. *Quoniam peccatum originale non per fœminas, sed per masculos transfundebatur in posteros, Sacramentum, quod in ejus remedium dabatur, voluit Deus esse peculiare virorum, fœminarū a. tollendo originali peccato aliâ ratione consultū fuit.* (videl. per preces parentū & sacrificia pro ipsis oblata.) 6. Si fuit remedium aliquod omnib. fœminis necessarium ad salutem, tum in Scripturis habetur, ex confessione Bellarmini lib. 4. cap. II. de verb. Dei, ubi concedit, *omnia scripta esse, quæ sunt omnib. necessaria.* Remedium enim fœminis necessarium, æquè est omnibus necessarium ac illud necessarium est masculis. 7. Ex sententia Bellarmini lib. 2. de Sacram. cap. 13. *neque circumcisio, neq; ullum Sacramentum V. T. purgabat à peccato aut justificabat.* Cur ergò hoc loco disputat, *sine dubio tale remedium purgans à peccato necessariū fuisse fœminis, cùm viris circumcisionem in illum finem institutam affirmet solummodò secundùm opinionem multorum.*

Secundò, *Parvuli ante institutam circumcisionem pro purgatione peccati originalis habuerunt certum remedium, & tamen nihil extat de eo in Scriptura.* Pazmann. lib. 6. Hodegi &c.

Resp. I. Lombardus 4. sent. dist. I. lit. G. *Dicendum est, eos, qui fuerunt*

fuerunt ante circumcisionem parvulos, in fide parentum; parentes verò per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis, justificatos, unde Gregorius in . Moral. cap. 2. Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. Non probamus hanc sententiam, quod *parvuli ante institutam Circumcisionem sola parentum fide absq; fide propria fuerint justificati*, cùm tota Scriptura testetur, neminem absq; fide propria justificari & salvari, sed hoc in verbis Lombardi urgemus, quod non excogitarit peculiare aliquod remedium Sacramentale pro parvulis ante institutam Circumcisionem.) 2. Thomas part. 3. q. 70. art. 4. *Dicendum est, quod sicut ante institutionem circumcisionis fides Christi futuri justificabat tàm pueros quàm adultos, ita circumcisione data.* In lib. 4. sent dist. 2 q. 6. *Parvulis ante circumcisionem datam ad salutem suffecit sola fides sine omni externo signo.* 3. Eccius de Circumcis. *homil.* 1. *Quæritur, quod fuit remedium culpæ originalis parvulis ante Legem datam circumcisionis? respondetur, nullo unquam tempore Deus suos dimisit absq; interiori medicina.* (Nullus ex his somniavit de remedio quocũ Sacramentali ante Circumcisionem divinitus instituto.) 4. Toletus annot. 19. in cap. 2. Rom. *Circumcisio non erat necessaria* (absolutè & simpliciter) *ad justitiam consequendam.* 5. Vasquez. in Thom. p. 3. q. 61. art. 1. contendit, *Sola parentum fide fuisse tum temporis servatos infantes, non ullo instituto remedio. De signo*, inquit, *instituto pro parvulis, non est omnium concors sententia. Scotus & Durandus asserunt, ad justificandos parvulos ante Legem scriptam & Circumcisionem non fuisse satis fidem parentum & adultorum, sed etiam fuisse necessarium signum aliquod, sine quo fides illis non prodesset. Et juxta horum opinionem necessario fatendum, eo tempore fuisse propriè Sacramentum aliquod à Deo institutum. Communis tamen & vera opinio est fidem solam sine alio signo exteriori satis fuisse ad justificandos parvulos tametsi credibile sit parentes aliqua signa pro applicatione suæ fidei ex devotionis tantũ affectu absq; ulla institutione & necessitate adhibuisse.* Huic sententiæ confirmandæ quæstionem dicavit integrã 165. in Thom. 3. (Distinguendum ergo inter gratiam peccata remittentem ac salvantẽ; & inter gratiæ illius symbolum Sacramentale externum. Illa etiam locum habuit ante institutam circumcisionem, licet hoc minimè locum habuerit.)

Tertiò. *Non est ullo modo credibile, non fuisse remedium ullum pro masculis morientibus ante octavum diem, quo solo poterant circumcidi & tamen nihil extat hac de re in Scriptura.* Bellarm. d. l. Tann. in Exam. Relat. Hunn Resp. 1. Lombardus 4. sentent. dist. 1. lit. L. *Si quæritur de parvulis, qui ante diem octavum moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex lege, utrum salvarentur vel non, idem potest responderi, quod sentitur de parvulis ante Baptismum defunctis, quos perire constat.* 2. Gretserus in Colloq. Ratisb. p. 44. & Bellarm. ipse lib. de Bapt. cap. 4. eandem hypothesin amplectuntur. (Falsa quidem hæc est hypothesis, unde Facultas Parisiensis ad locum Magistri sententiarum modò citatum adscripsit, *Hic Magister non tenetur*: interim stante illa hypothesi, frustrà quæritur de remedio aliquo pro talibus infantibus instituto. Quod si enim remedium aliquod pro infantibus ante octavum diem mortuis divinitus fuit institutum, utiq; propter Circumcisionis carentiam non perierunt. Vicissim si propter carentiam Circumcisionis perierunt, utiq; nullum aliud contra originale peccatum habuerunt remedium.) 3. Idem Lombardus d. l. subjungit: *Fortè tamen sub Lege, ingruente necessitate mortis, ante octavum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modo fit in Ecclesia ante Baptismũ.* (Hypothesin ipsam non amplectimur, quia Circumcisio divino mandato ad diem octavũ fuit adstricta, stante autem illa hypothesi denuo frustra quæritur aliud Sacramentale remedium.) 4. Alexand. Alensis part. 4 q. 7. memb. 4. art. 3. statuit, quod *parvuli illi salvati fuerint in fide parentum, quia præceptum de circumcidendo non obligaverit nisi venientes ad octavũ diem.* Idem ibid. q. 4. art. 3. *Parvulos ante octavam diem decedentes salvatos* asserit *per fidem parentum cum oblationibus & sacrificiis.* 5. Biel 4 sent. dist. 1. q. 4. idem statuit: *De pueris* (inquit) *ante Circumcisionem defunctis quidam, inter quos Magister, dixerunt quod perierunt in peccato originali. Sed hoc nimis durum, nec veritati consonũ, fuissent enim deterioris conditionis sub Lege Mosis, quàm sub lege Naturæ & similiter quàm fœmellæ: Ideo Hugo & Alensis dicunt, quod parvuli illi salvati fuerint in fide parentum.* (Hypothesin ipsam nõ amplectimur, quia nemo absq; fide propria justificatur, interim stante illa, frustra cogitatur de alio quodam Sacramentali remedio.) 6. Alphonsus Tostatus in cap. 17. Genes. fol. 260. *Si periculum mortis ante octo dies puero eveniret, nec propter hoc Circumcisio accelerari debebat, tamen puer sic moriens si non ex negligentia parentum omitterentur Ceremonialia, non perdebatur, sed transferebatur in sinum Abrahæ, salvus in fide parentum promtorum facere, quod Lex mandabat, nisi DEUS hoc impediret vel Natura.* 7. Cornelius à Lapide in cap. 17 Genes. *Si infans ante octavum diem periculum vitæ aliret, poterat, æque ut fœminæ, salvari remediis & ritibus legis Naturæ:* (hoc est, ante institutam Circumcisionem usitatis. Quod ergo fuit omnium infantium ante institutam Circumcisionem, & fœmellarum post institutam Circumcisionem remedium, illud etiam fuit masculorum ante octavum diem extinctorum remedium. Nimirum Deus ipsos per preces parentum & Ecclesiæ sibi oblatos in gratiam recepit fide donavit & salutis participes fecit.) 8. Quod hoc loco Bellarm. *nullo modo credibile esse affirmat*, illud ipsemet alibi incertum esse pronunciat. Hæc enim sunt ejus verba lib. de Bapt. cap. 4. ad arg. 4. *Quod petitur ab istis infantibus, totum argumentum constat ex rebus incertis Non scimus, an ante octavum diem haberent infantes Judæorum aliquod remedium & quod illud esset.* Et postea: *Nunc* (in N T) *determinatum est à Christo certum remedium &c. tunc autem quid fieret, certò sciri non potest, cùm Scriptura nihil dicat.* (At si valet hæc conclusio: Scriptura de hoc remedio nihil dicit, Ergo de eo nihil certo sciri potest, frustra de hoc remedio Bellarm. disputat.) 9 Pererius in cap. 17 Genes. *dicat aliquis quod igitur remedium ad expiationem peccati originalis adhibebatur infanti ante octavum diem de vita periclitanti? illud idem profectò quod ante institutam Circumcisionem in lege Naturæ ad eum finem usitatum & comparatum fuerat. Applicationem dico fidei parentum vel curatorum infantis offerentium exteriori aliquo signo eum Deo, & ejus providentiæ commendantium. Nam post latam Circumcisionis Legem remedium illud antiquatum est, uno tantùm excepto casu, si ante octavum diem Circumcisionis mors infantis timeretur, tunc enim remedium illud erat salubre & efficax non minùs certè, quàm simpliciter fuerat ante præceptum Circumcisionis.* 10. Sed nec ex traditionibus potest tale aliquod remediũ proferri. Ergo Scriptura etiam cum traditionum assumento foret imperfecta. 11. Perquàm etiam absurdũ est, quòd Bellarm. solicitè cogitat de remedio pro masculis V. T. ante octavum diem mortuis, ne statuere cogamur, eos omnes simpliciter & absolutè esse damnatos, atq; interim confidenter & sine scrupulo asserit, *infantes N. T. ante Baptismum perceptum morientes à regno cœlorum excludi.* Cur nõ etiam illis prospicit de peculiari aliquo remedio ex traditionibus, cùm gratia N. T. sit uberior & abundantior quàm V. Testamenti? Æquè credibile est, nullũ fuisse remedium pro infantibus Judæorum ante diem octavum morientibus, ac illud quod à Pontificiis asseritur, nullum esse remedium pro infantibus Christianorum morientibus antequam possent baptizari.

Quartò. *Gentiles multi salvari poterant & salvabantur tempore V. T. & verè ad Ecclesiam pertinebant, & tamen nihil de eorum justificatione à peccato originali aliisq; peccatis in Scriptura habetur.* Bell. d. l.

Resp. 1. Lombardus 3. sent. dist. 25. lit. A. *Sine fide Salvatoris nullum hominum vel ante vel post* (*adventum Christi fuisse salvum, sanctorum autoritates contestantur.* 2. Acosta lib. 5. de procuranda Indorum salute cap. 3. *Ad Patrem nemo venit per Christum, nulla alia via quà eatur, nullum aliud ostium, quo intretur ad vitam &c. Augustinus docet lib 8. de C. D. cap 47. neminem ex iis, qui ex gentibus ante tempus Evangelii servati sunt, salutem contigisse absq; revelatione unius Mediatoris Dei & hominum Christi Jesu.* Aut ergo illis, de quibus in Argumento agitur fides in Christum promissum Messiam tribuenda, aut salus eis deneganda. De hac quæstione ex professo agetur in art. de Christo cap. 4. thesi 3.)

Quintò. *Necesse est nosse, extare libros aliquos verè divinos, quod nullo modo ex Scripturis haberi potest. Nam etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certo id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. In Alcorano legimus, Alcoranum de cœlo missum, & tamen ei non credimus.*

Sextò. *Non satis est scire, esse Scripturam divinam, sed oportet scire, quæ sit illa, id quod nullo modo potest haberi ex Scriptura. Quomodo enim colligimus ex Scriptura, Evangelia Marci & Lucæ esse vera, Evangelia Thomæ & Bartholomæi esse falsa?*

Septimè. *Oportet non solum scire, qui sint libri sacri, sed etiam in particulari istos, qui sunt in manibus esse illos. Non enim satis est, credere, Evangelium Marci esse verum Evangelium, sed oportet etiam*

credere hoc Evangelium quod nunc legitur nomine Marci, esse illud verum & incorruptum, quod scripsit Marcus. At illud ex Scripturis haberi nequit.

Resp. 1. Bellarm. lib. 3. de Ecclesf. cap. 14. sic differit: *Credere Historias T. V. vel Evangelia Marci, Lucæ &c. esse Canonica scripta, imò illas esse divinas Scripturas, non est omnino necessarium ad salutem, quod sine fide hac multi salvati sint, antequam Scripturæ exararentur.* (Stante hac hypothesi non poterit imperfectio Scripturæ ex argumentis adductis demonstrari.)

2. Idem Bellarm. lib. 1. de V. D. cap. 2. §. sacris, sic scribit: *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est certius, nihil notius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem habendam neget. Notissimas enim esse, testis est orbis Christianus & consensio omnium gentium, apud quas multis jam seculis summã semper autoritatem obtinuerunt; certissimas autem ac verissimas esse, nec humana inventa, sed oracula divina continere; Primò testis est veritas vaticiniorum. Secundò incredibilis quadam & planè divina conspiratio atq; concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina cõscripserunt, ut non tàm ipsi Scriptores diversi, quàm unius Scriptoris diversi calami fuisse videantur. Tertiò testis est Deus ipse, qui aliquando cœlesti animadversione Scripturam hanc suam ab humana profanatione defendit. Quartò testis est ipsa Scriptura, cujus si veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum præsentium testimonia? Verum igitur est, quod ait David 2. Reg. 23. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Verum, quod ait Zacharias Luc. 1. Benedictus Dominus Israel &c. sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus. Verum, quod ait Petrus 2. Petr. 1. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Et Paulus 2. Tim. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata. Verum deniq;, quod omnes Prophetæ identidem repetunt: Hæc dicit Dominus. Postremò testis est infinitus prope numerus divinorum miraculorum, quæ omnibus seculis facta sunt, ad ea dogmata comprobanda, quæ in his literis continentur.* Cum quo congruit illud Alphonsi à Castro lib. 1. adv. hæref. cap. 2. fol. 4. *Velle rationibus convincere, sacram Scripturam esse veracem, tanta mihi videtur dementia, ac si quis vellet rationibus fulcire prima alicujus scientiæ principia. Sacram Scripturam esse veracem axioma est cuilibet se pro Christiano gerenti, contra quem solum arma sumsimus. Non enim adversus Ethnicos & Saracenos est nobis sermo, sed adversus eos, qui se Christianos jactant, cum nihil minus sint.* (Atqui si Scripturis sacris *nihil notius, nihil certius*, utiq; ex alio principio illarum autoritas & veritas non pendet, aliàs aliquid illis esset notius ac certius. Inde August. lib. 6. Confess. cap. 5. *Culpandos esse*, dicit, *non audiendos, si qui fortè dicerent, unde scis, libros illos unius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? idipsum enim maximè credendum erat.* Colligimus etiam ex Bellarmini verbis hoc argumentum: *Si Scriptura ipsa testis est*, in Propheticis & Apostolicis literis divina oracula contineri, ergo ex Scriptura haberi potest, extare aliquos libros verè divinos & istos, qui sunt in manibus, esse illos.)

3. Idem Bellarm. lib. 4. de V. D. cap. 8. §. His adde, fatetur: *Quosdam Catholicos concedere, quod Judæi non habuerint traditiones ἀγράφως.* (Atqui etiam ipsis necessarium fuerit nosse, quòd sint libri aliqui verè divini, videl. Mosaici & Prophetici, quodquè isti, quos in manibus habuerunt, sint illi.)

4. Si ad id, ut Scriptura habeatur pro libro divino, necessarium est, *verbum non scriptum*, quod de Scriptura hoc ipsum testetur, tum verbo illi non scripto fides habetur, vel propter se, vel propter aliud verbum non scriptum. Non propter aliud verbum ἄγραφον quia aliàs quæstio semper recurreret & fieret processus in infinitũ. Remanet igitur, quod verbo isti ἀγράφῳ fides habeatur propter seipsum. Jam verò in Conc. Trident. sess. 4. statuitur, *æqualem esse autoritatem verbi scripti & non scripti.* E. concedere coguntur, si verbo non scripto, qui testatur de Scripturæ majestate, fides habenda propter seipsum etiam Scripturæ de sua majestate testificante fidem habendã esse propter seipsam, aut statuere cogentur non æqualem verbi scripti & nõ scripti autoritatem. Quinimò si Scripturæ de seipsa testificanti fidem haberi posse ac debere negatum ire pergant, stultitiæ meritò insimulantur, quia Bellarm. scribit: *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continẽtur, nihil esse certius, nihil notius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem habendã neget*, lib. 1. de V. D. cap. 2.

5. Alphonsus de Castro lib. 1. cont. hæref. cap. 2. post aliquot recitata testimonia è libris sacris sic concludit: *Ex quibus omnibus* (inquit) *manifestè colligatur, Scripturas aliquas divinas esse.* (Sic ergo Alphonsus ex Scripturis ipsis colligit, *esse aliquas Scripturas divinas*, quod Bellarminus ex Scripturis colligi posse negabat. Rectè autem Alphonsus contrarium statuit, cùm enim tam multa de Scriptura divina in libris Propheticis & Apostolicis legantur, utpote *oportet impleri Scripturas, Scrutamini Scripturas, Tota Scriptura divinitus est inspirata &c.* quomodo incertum relinquitur, an sit aliqua divina Scriptura? Ad exceptionem Bellarmini, *Etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certò id credam, nisi priùs credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam*; respondemus κατὰ βίαιον: Nihil prohibere, quò minùs de traditione eodem modo concludamus. Etiamsi traditio dicat, esse aliquas traditiones nõ scriptas, tamen id non certò credam nisi priùs credidero, traditionem, quæ hoc dicit, esse divinam.)

6. Ipsimet Pontificii fatentur, Scripturam non destitui internis κριτηρίοις, ex quibus demonstrari & agnosci possit, illos ipsos, quos in manibus habemus libros, non humana inventa, sed oracula divina continere. Scotus super Prologum sentent. q. 2. autoritatem & evidentiam Scripturæ ostendit, *ex prænuntiatione Prophetica, Scripturarum concordia, autoritate scribentium, diligentia recipientium, rationabilitate contentorum, irrationabilitate singulorum errorum, Ecclesiæ stabilitate, miraculorum claritate.* (At hæc omnia ex Scripturis ipsis demonstrari possunt.) August. Eugubinus Bibliothecarius Pontif. in princip. Cosmop. *Qui putant, sacrorum librorum, quibus nunc omnis orbis assentitur, autoritatem sola legentium fide teneri, nec afferre secũ divinas quasdam potentissimasq; rationes, magnorum animorum judicia ad se trahentes, falluntur.* Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. artic. 30. p. 755. citat & approbat illud Junilii Africani lib. 2. de partibus divinæ Legis cap. 29. Disc. *Unde probamus, religionis nostræ libros divina inspiratione conscriptos esse?* Mag. *Ex multis, quorum primum est, ipsius Scripturæ veritas: deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritasq; verborum: additur conscribentium & prædicantium qualitas, quòd divina homines, excelsa viles, infacundi subtilia, non nisi divino Spiritu repleti tradidissent. Tum prædicationis virtus, quam dum licet à paucis despectis) prædicaretur, obtinuit. Accedũt his rectificatio contrariorum, ut Sibyllarum vel Philosophorum, expulsio adversariorum, utilitas consequentium, exitus eorum, quæ per acceptationes & figuras & prædictiones, prædicta sunt: ad postremum miracula jugiter facta, donec Scriptura susciperetur à gentibus, de qua hoc nunc ad maximum miraculum sufficit, quòd ab omnibus suscepta cognoscitur.* Franciscus de Mendoza in Comm. lib. Reg. tom. 1. fol 7. *à Dei divinitate quadam sacris literis divinitas confertur.* Quod ergo Jacob. Gretserus de vulgata versione Latina dixit, idipsum multò rectiùs de Scripturæ textu authẽtico pronunciare possumus. Sic verò ille de vulgata versione differit, tom. 1. Apolog. lib. 2. cap. 10. *Quæ causa, cur Patres cæteris omnibus hanc versionem prætulerint, tam constanter, tam consentienter & unanimiter, totq; seculis? Certè id non est factum, nisi quia authentica vis in illa translatione latens, & aliquando non obscurè inde emicans, Patrum ac Doctorum corda ad se singulari Spiritus sancti impulsu trahebat.*

Cæterum ut à genere ad speciem descendamus, κριτήρια ista, ex quibus divina Scripturæ autoritas demonstratur, potissimũ sunt quinque, videlicet, *rerum majestas, styli proprietas, harmoniæ concinnitas, prædictionum veritas, & efficaciæ singularitas.*

Primò *de rerum majestate* sic differit Stapletonus lib. 2. de autor. Script. cap. 5. *Scriptura sacra res gravissimas & divinas tractat, eâ gravitate & castitate sermonis, ut omnia ad DEI gloriam & legentium instructionem scripta videantur, non ad personarum commendationem, aut rerum, quas tractat, amplificationem, sed ut homines planè divinos decet, ut scribit Augustinus lib. 4. doctr. Christ. cap. 16. His & aliis mediis Ecclesia libros suppositit ios à veris & divinis discernebat.*

Secundò *de styli proprietate* sic differit Lindan. lib. 3. c. 8. p. 116. *Scriptura sacra sua quoq; est lingua, propriæ loquendi formulæ, sua cuiq; dicendi character, quæ si quis imprudens prætereat & sacras literas ex Cicerone aut Demosthene opinetur intelligendas, ingravissimos necesse est impingat errores.* Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 15. *Certè quòd puer olim magno assensu virorũ sapientum dixi. si aut Christus aut Paulus istorum* (Philosophorum aut Oratorũ) *mihi linguâ loqueretur, nec Christus mihi, nec Paulus esset. Non est, mihi crede, nitidulus Christus, non comptulus, non elaboratè ornatus. Permitte Christo linguam suam, uterq; est calamus Scribæ velociter scribentis.* Stapletonus lib. 2. de autorit. Script. cap. 5. §. 8. *Inter medias,*

media, præter simplicem Ecclesiæ autoritatem, quibus & ipsa Ecclesia & nos uti debemus ad discernendas Scripturas, primo loco propono characterem & phrasin Apostolicam. Gregorius de Valentia tom. 3. col. 91. 92. *ex stylo & sermone Apostolorum* ipsam Scripturæ divinitatem agnoscit. Bened. Justinianus Disp. 2. in Epist. Pauli docet, *ex stylo divinam Scripturæ majestatem argui posse.* Nicolaus Serrarius cap. 4 q. 7. Proleg. Biblicorum probat ex dicto Apostolico 1. Cor. 2. v. 4. *styli Scripturæ singularitatem.*

Tertiò, *de harmonia concinnitate* sic disserit Bellarmin lib. 1. de V. D. cap. 2. *Scripturas divina oracula continere testis est incredibilis quædam & planè divina conspiratio atq; concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt &c.* quod probat ibidem ex Augustino lib. 18. de Civ. Dei cap. 41. Gregorio præfat. in Jobum & Theodoreto præfat. in Psalmos.

Quartò, *de prædictionum veritate* ibidem sic disserit: *Scripturas sacras divina oracula continere, testis est veritas vaticiniorũ, de qua sic loquitur Augustinus lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. Scripturæ fides mirabilem autoritatem non immeritò habet in orbe terrarum atq; in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras, inter cætera quæ dixit, verâ divinitate prædixit, & cap. 10. Quanto minùs credendum est illis literis, quas plenas fabulosis velut antiquitatibus proferre voluerunt, contra autoritatem notissimorum, divinorumq; librorum, quæ totum orbem sibi crediturum prædixit, quæ vera se narrasse præterita ex his, quæ futura esse prænunciavit, cùm tanta veritate complentur, ostendit.* Et postea: *Testis est ipsa Scriptura, cujus veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum præsentium testimonia?* Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 30. p. 757. citat & approbat illud Rudolphi Flaviacensis præfat. in Levitic. *Quamvis non parum ad credendum nos movere debeat, quòd fidei primò contrarius nunc subditur mundus fidei, quòd fides ipsa tot miraculis declarata, tot Martyrum cruore testificata est: singulare tamen fidei firmamentum in Scripturis habetur, dum hoc luce perspicuâ nostris temporibus videtur expletum, quod ante millia annorum præsignatum & prænunciatum intelligimus tum Patrum Sacramentis, tum Prophetarum oraculis.* Christophorus Castro Jes. hoc κριτήριον *de vaticiniorum veritate*, latè prosequitur præloq. in duodec. Prophet. minores.

Quintò *de efficaciæ singularitate* sic loquitur Agrippa lib. de vanit. scient. c. 100. *Litera Scripturæ sacræ omnes argumentationum machinas elidit, & fateri compellit, Digitus Dei hic est Exod. 8. v. 19. quia nunquam sic locutus est homo, Joh. 7. v. 46.* Thomas de Vio Cardin. Cajetan. in 1. Cor. 14. *Idiota & infidelis coarguuntur ab omnibus, dijudicantur ab omnibus (Prophetis, ut in hoc eodem capitulo Paulus dixit) loquentibus ædificationem & consolationem spiritualem, idiota aut infidelis audiens conferendo vitam suam, superstitiones suas & affectus suos cum iis quæ audit, arguitur in seipso & dijudicatur in seipso. Occulta enim pro, & sic, occulta cordis ejus manifesta fiunt. Non dicit cui manifestantur, progressus tamen susceptæ reprehensionis & discussionis habet, ut sibi ipsi manifestet occulta cordis proprii, hoc est, peccata, quæ nesciebat esse peccata, manifestet sibi, quòd sint peccata.* Gregorius de Valent. in anal. fid. lib. 1. cap. 25. *Cùm multa sint in ipsa doctrina Christiana, quæ ipsa per se fidem illi atq; autoritatem conciliare possunt, tamen mihi maximum illud esse videtur, ut est à Patribus* (Clemente Alexandr. Lactantio, & aliis) *observatum, quòd suâ, nescio quâ, admirabili vi divinè prorsus hominum animos afficit atq; ad virtutem impellit. Est scripta verbis simplicibus, & caret ferè artificio orationis & ornamentis, nihilominus ita vehementer commovet lectoris mentem, ut nulla alia doctrina. Nam humana omnis utitur lenociniis, sine quibus ad animarum motum nihil valet. Sacra Scriptura virtutem Maccabæi cùm essent experti 2. Maccab. 12. licet hostibus undiq; septi essent, magnisq; difficultatibus premerentur, nullâ tamen re indigere se ajebant. Hoc Maccabæorum testimonio audito, nemo, qui non sit omninò malæ mentis, salutarem hanc & divinam* Scripturæ *sacræ virtutem sentire non possit, unde Apostolus Rom. 15. Quæcunq; scripta sunt, ad doctrinam nostram scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Quod argumento est* (pergit Valent.) *illius autoritatem omninò divinam esse, non humanam, hæc enim sine verborum arte & orationis q. lenociniis ad efficiendum animorum motum non valet.* Michaël Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 1. v. 4. Exposit. 2. *Verba Sapientum (Eccl. 12. v. 11.) verba sacræ Scripturæ, quæ per sapientes prolata sunt, sunt sicut stimuli excitantia pigros homines ad Dei dilectionem, sicq; cor hominis penetrant usq; ad intima, sicut clavi, qui defiguntur in altum, quò enim figuntur altiùs, eò plus penetrant, id siquidem significat in altum figi: Vel melius juxta lectionem Septuaginta, Sicut clavi πεπυρωμένοι, id est, igniti. Sicut enim clavi igniti altius & faciliùs lignis infiguntur, illa incendentes: ita & Sapientum verba in penitissimos sinus intellectus nostri figuntur, suoq; igne & nostra inflammant corda. Hanc v. vim inde habent, quòd à Deo uno pastore summo, qui est prima veritas & regula veritatis procedunt &c.* Bonfrerius Jes. præloq. in Pentat. *divinissimos Scripturæ effectus* prolixè demonstrat. Mendoza tom. 1. in 4. libros Reg. fol. 9. col. 1. Scripturam ob divinos illos effectus vocat *ignem, instrumentum fugans omnes affectus, imò cultores suos divinos faciens & Deificans.* fol. 12. *Scripturam*, dicit, *esse medicum myropolium, bellicum armamentarium, singulare ad vitam revocandam amuletum, & Christum nobis arma in Scriptura monstrasse asserit.*

Sextò. Ipsimet Pontificii ex inscriptionibus & subscriptionibus librorum Biblicorum probant, eos esse autorum illorum, quibus tribuuntur.

Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 7. §. 2. *Constat Testamentum novũ Græcè scriptum esse ab iis Apostolis & Evangelistis, quorũ nomina in titulis singulorum librorum vel Epistolarũ præfiguntur.*

Cornel. à Lapide in 2. Thess. 3. v. 18. *Uti nos Epistolis Vale subscribimus: ita Apostolus subscribit: Gratia Domini nostri Jesu Christi. Hoc enim hactenus omnibus ejus Epistolis subscriptum invenitur. Hac ergo sententia q. signo dignosci vult suas Epistolas ab Epistolis supposititiis Pseudo-Apostolorum.*

7. Ex interno Spiritus sancti testimonio divinitatem Scripturæ agnosci & in cordibus nostris maximè obsignari, agnoscunt ipsi Pontificii. Salmeron, postquam Disp. 20. in cap. 11. Hebr. multa adduxerat argumenta, quæ persuadere alicui possent, *Deum ea, quæ credimus, revelasse; qualia sunt, plurima & ingentia signa, Scripturarum multa testimonia, vita recta credentium, innumerabilis multitudo fidelium, Ecclesia sancta Catholica in hunc usq; diem continuata &c.* Tandem subjicit: *Quanquam hæc & similia magnam probabilitatem & persuasionem & consolationem credenti afferre soleant, solum tamen lumen sive testimonium divinum intus & quietum & pacatum per omnia reddens intellectum cæteris omnibus antecellit, quia facit videre ea quæ credimus, esse fide dignissima. Et ut lumen externum & sensibile non indiget lumine, ut videatur, sed per seipsum facit se videri & colores: ita lumẽ fidei seipsũ ostendit cordi, in quo est, & ipsos articulos, qui humana ratione nõ videntur.*

Gregor. de Valentia tom. 3. in Thom Disp. 1. q. 1. punct. 4. §. 2. propositis 17. argumentis ad fidem Christianã inducentibus, tandem 18. subjicit, ut principale & capitale, ab ipsa verbi divini efficacia, & interno Spiritus sancti testimonio petitum. *Nescio*, ait, *an non sit argumentum iis omnibus majus, quod qui verè Christiani sunt, ii se animo ita affectos esse, quoad fidem attinet, sentiunt, ut quidem præcipuè propter nullum argumentum, quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud nescio quod, quod alio quodã modo & longè fortius, quam ulla argumenta, animis nostris persuadet, (est autem id revera divinum ipsum testimonium) ad firmiter credendum se moveri intelligant.*

Cajetanus in 1. Joh. 5. super verba: *Spiritus est, qui testatur &c. Ecce tertius testis, imò ecce ille, qui solus est sufficiens testis.*

Nicolaus Serrarius in proleg Biblic. cap. 8. q. 5. fol. 25. docet: *Deum in omni actu, quo creditur S. literarum autoritas, cuilibet in corde privatim testimonium de autoritate illa perhibere*, idipsum ex *Scriptura & Patribus confirmat.*

Jacobus Naclantes Episcopus Clugiensis in cap. 8. Rom. p. 120. b. *Certus sum, tum inspirantis attestatione, tum sacrarum Scripturarum autoritate.*

Christophorus à Castro in cap. 31. Jerem. fol. 276. super verba: *Non docebit vir proximum. Præcipuè loquitur Propheta de interna Spiritus sancti institutione, qui tam est omnibus obvius, ut si externa institutio etiam necessaria cum interna comparetur, q. nihil esse videatur, ut absq; ea nihil est.*

Et postea: *Homo internus à Deo movetur & suaviter impellitur ad credendum.* Ibid. *Divinus Spiritus intus docet omnia & suggerit omnia, quæcunq; Christus etiã ipse, ut quivis alius doctor, nobis dixerit.*

De hoc interno Spiritus sancti testimonio sic disserit Bonavent. part. 5. Breviloquii cap. 7. *Necessaria est illustratio veritatis animam elevans, necessaria est etiam testificatio veritatis animam firmans. Primum fit per fidem infusam, secundum per Scripturam authenticam, quorũ utrumq; est à veritate summa, per Jesum Christum.*

Huc etiam referri potest illud Tanneri tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 2. dub. 3. n. 59. *Patres docent, illuminationem internam esse necessariã ad credendum, neq; fidem unquã concipi, nisi Deo interius per gratiã prævenientem illuminante, quò inprimis spectat illud Jo. 6. v. 44. 45.*

v. 14. 15. De eadem inspiratione divina loquitur S. Thomas q. 2. art 9. à 13. ubi ait: *Ille, qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum. Inducitur enim autoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmata, & quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis.*

n. 61. *Quocirca prudenter de hac re scripsisse mihi videtur Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 4. § 3. argum. 18. Experientia constare, credentes ita animo divinitus affectos esse, ut præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod ad fidem persuadendam externis proponitur, sed propter aliud quiddam divinum, quod alia quodam modo & longe fortius, quam ulla argumenta animum afficiat, ad firmiter credendum moveri se intelligant.*

De eadem interiore Spiritus sancti testificatione sic disserit Joh. Malderus Episcopus Antverpiens. de objecto fidei q. 1. sect. 8. *Quia lumen supernaturale sic Deus suppeditat, ut secundum Scripturam hominem interius docere dicatur, manifestum est quoad hanc partem, DEUM non tantum mediante Ecclesia, sed etiam immediate nobis loqui interius. Quia itaq; in divina hac revelatione, idem qui loquitur interius, per Ecclesiam penetrat & loquitur in corde, interior ista ejus locutio est quasi pars completiva, ex qua simul & externa illa locutione integretur unaq; locutio totalis, quâ loquitur unicuiq; credenti.*

8. Deniq; de Scripturæ αὐθεντίᾳ etiam miracula testantur. Surius 11. Febr. & ex eo Bonfrerius in Præloq. Pentat. fol. 20. *Cũ Diocletianus & Maximinianus vi extortas à Christianis Scripturas flammis addixissent, ignis miraculosè subitò extinctus est, copiosumq; in modum grando decidit, ut omnia Elementa pro sacrorum librorum autoritate conspirare velut conjurata videantur.*

Plura ad hoc argumentum spectantia adducentur inferius in quæstione, de autoritate Scripturæ lib. 2. art. 1. cap. 5.

Octavò. *Ex Scripturis sciri nequit, quis cujusq; libri Canonici sit autor? Quomodo colligemus ex Scriptura Evangelia Marci & Lucæ esse vera, Evangelia Thomæ & Bartholomæi esse falsa? cum ratio potius dictet, magis credendum libro præferenti titulum Apostoli, quàm non Apostoli.* Bellarm. d. l. Resp. 1. Gregorius in præfat. Jobi: *Quis hæc scripserit, valde supervacaneè quæritur, cum tamen autor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Si magni cujusdam viri susceptis Epistolis legeremus verba, eaq; quo calamo essent scripta, quæreremus, ridiculum profecto esset, si non Epistolarum autorem scire, sensumq; cognoscere, sed qualis calamo earum verba impressa fuerant, indagare studeremus.* 2. Ederus lib. 3. Oecon. p. 322. *Quod posthabitis aliis Evangeliis quatuor tantum Evangelia in canonem sunt recepta, cum tamen duo ex Evangelistis intermedii, Marcus videl. atq; Lucas, non ut cæteri ipsius Christi, sed Pauli tantum & Petri fuerint discipuli, ejus rei prima causa est, docente Medina lib. 2. cap. 4. quod sancti Patres veri judices rerum, & non dignitatum, non tàm personam aut titulos, quam sancti Spiritus afflatum in Scriptura quærebant.* 3. Melchior Canus lib. 2. Locor. Theolog. cap. 11. *Librum esse hujus aut illius Scriptoris, non admodum interest Catholicæ fidei, dummodo Spiritus sanctus autor esse credatur, quod Gregorius in procemio super Jobum cap. 1. eruditè tradit & explicat. Nec enim refert, qua pennâ Rex Epistolam scripsit, si verè scripsit.* 4. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 20. §. Quod autem. *Glossa in c. sancta Romana. dist. 15. dicit, Apocryphos vocari libros, quorum autor ignoratur. At hoc non est probabile, nam tunc multi libri sacri essent Apocryphi, ut liber Judicum, Ruth, Job, & permulti alii, quorum autores ignorantur.*

Nonò. *Credendum est, in N. T. Pascha esse celebrandum die Dominico, nam hæretici habiti sunt ab Ecclesia Quartodecimani, & tamen nihil prorsus extat hac de re in Scripturis sacris.* Bellarm. d. l. Resp. 1. Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 100. rectè scribit: *Paschæ celebrandæ illa olim variata per regiones diversitas fidei nihil officiebat.* (Ergo in se ac per se hæreticũ non est, Pascha celebrare die alio, quàm Dominico.) 2. Salmeron in Comm. Gal. 4. *Reprehendit Apostolus in his verbis, dies observatis & menses &c. eos, qui observantias Judaicas jam extinctas tanquam Judaizantes observare volebant,* (ideò ergo Quartodecimani pro hæreticis fuêre habiti, quod contra Apostolicum præceptum Judaicas observantias tanquam necessarias in N. T. urgerent.) 3. Alphonsus de Castro lib. 12. adversus hæreses in verbo *Pascha. Hic admonere oportet lectorem, ne putet hujus erroris tutores* (Quartodecimanos) *ideò dici hæreticos, quia Lunâ 14. Pascha celebrabant, sed quia ita esse necessario faciendum credebant.* Et postea: *Istorum sententia inde convincitur hæreseos, quod supra in titulo de Lege ostendimus, esse hæresin, asserere, Ceremonias & judicia Legis veteris obligare tempore Legis Evangelicæ. At quo tempore sit Pascha celebrandum, ad Ceremonias pertinet, ideo oportet, ut tale præceptum de celebratione Paschatis decimâ quartâ Lunâ sit etiam per mortem Christi inane redditum. Nam Paulus reprehendens Galatas, eò quod Ceremonias Legis observandas putarent, inter alia dicit: Dies observatis & menses, & tempora, & annos. Galat. 4. Quibus verbis apertè docuit, dierum observationem, qui in Lege veteri præcipiebantur, jam esse malam; tantum abest, ut eam esse sub præcepto crediderit.* 4. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 19. §. Est autem. *Observandum est, licet Irenæus & alii tunc putaverint, imprudenter egisse Victorem,* (*quod tantas Ecclesias ob diversitatem temporis in celebrando Paschate à corporis Ecclesiastici unitate præscinderet*) *tamen reverâ prudentissimè egit, ut postea tota Ecclesia judicavit. Nam unus ex præcipuis autoribus illius sententiæ de Paschate cum Judæis celebrando fuit Blastus, qui eo modo paulatim Judaismum introducere volebat, ut scribit Tertullianus lib. de præscription. in fine. Blastus, inquit, latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum Legem Mosis decima quarta die mensis. Hic autem Blastus Romæ hæresin seminare cœpit tempore Victoris Papæ, ut testatur Eusebius lib. 5. Histor. cap. 15. Quoniam ergo Victor Papa videbat, illam diversitatem de Paschate, non esse diversitatem solius observationis, sed adferre secum hæresin, imò ipsum Judaismum, maturè occurrendum putavit. Probaverunt autem sententiam Victoris Patres Niceni Concilii, ut patet ex Eusebio lib. 3. de vita Const. & deinceps hæretici habiti sunt & Quartodecimani appellati, qui contrarium senserunt, ut patet ex Epiphanio hæres. 50. & Augustino hæres. 29.* (Pugnavit ergo Quartodecimanorum opinio cum omnibus Scripturæ dictis, quæ testantur à jugo Legum Leviticarum Christianos in N. T. liberatos esse.)

Decimò. *Credere oportet, Baptismum parvulorum esse ratum. Id autem ex Scripturis solis probari nequit.* Bellarm. d. l. Tannerus in Colloq. Ratisb. Gretserus in defens. p. 1601. &c. Resp. 1. Eccius in Enchir. cap. 30. *quatuor argumenta* pro adstruendo Pædobaptismo ex Scripturis adducit. 2. Catech. Tridentinus part. 2. tract. de Bapt. urget hoc argumentum: *Circumcisio figura erat Baptismi. Pueros autem circumcidi solitos, nemo est qui ignoret, as quibus circumcisio manufacta in expolatione corporis carnis proderat, iisdem Baptismum, qui est Circumcisio Christi non manufacta, prodesse perspicuum est.* Ibid. *Cum legimus in Actis totas familias ab Apostolis fuisse baptizatas, satis apparet, etiam pueros fonte salutari ablutos fuisse.* 3. Index Biblicus additus Bibliis Sixti V. baptizandos parvulos docet *quindecim Scripturæ locis.* 4. Croquetius Catechesi 109. *Unum caput Matthæi totam quæstionem posset absolvere, ubi Christus redarguit Apostolos, quia prohiberet eos, qui infantes oblatum illi veniebant.* 5. Bellarminus lib. de Baptismo cap. 8. *tria argumenta* ex Scripturis format: Primum *sumit à figura V. Test. Nam Circumcisio figura erat Baptismi adeò manifesta, ut Baptismus à Paulo dicatur Circumcisio Col. 2. At Circumcisio dabatur infantibus Genes. 17. cur igitur non etiam Baptismus?* Secundum colligitur *ex duobus locis Evangelii simul junctis, Joh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Hic locus probat, infantes sine Baptismo in æternum perire, est enim generalis Domini comminatio. At quod parvuli non pereant, Dominus docet Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. Sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum cœlorum.* Tertium colligitur *ex locis illis, ubi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, Act. 16. 1. Cor. 1. At certè in integris domibus rarum est, ut non sint infantes aliqui.* Lib. ejusdem cap. 9. § 2. subjicit: *Licet non inveniamus expressè mandatum, ut baptizemus infantes, tamen id colligitur satis apertè ex Scripturis, ut supra ostendimus.* Lib. & cap. iisdem §. Octavum argumentum. *Infantes baptizandos esse, deducitur evidenter ex Scripturis.* (Si satis apertè & evidenter pædobaptismus ex Scriptura deducitur, quid ulterius desideramus?) Lib. 4. de V. Dei cap. 11. fatetur, *Omnia scripta esse ab Apostolis, quæ sunt simpliciter omnibus necessaria* (Atqui Baptismum statuunt maximè necessarium.) 6. Gregorius de Valentia lib. de Baptism. cap. 2. §. Probatur &c. tale format argumentum: *Omnis, qui possit esse membrum Ecclesiæ, possit esse particeps Baptismi. Eph. 5. mundans eam lavacro aquæ. Et parvulos pertinere ad corpus Christi, patet Joel. 2. Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & Matth. 19. Dominus benedicebat parvulos. Idem etiam probatur ex Circumcisione, quæ pro parvulis valuit. Deinde ex Act. 16. ubi legimus integras familias baptizatas fuisse, at non verisimile est, quin aliqui parvuli inter eas fuerint. His testimoniis Patres usi sunt.* 7. Suarez tom. 4. in Thomam f. 255. pædobaptismum itidem *ex Scripturis* probare instituit. 8. Idem faciunt Jansenius in Concord. c. 100. Maldonatus in Matth. 28. v. 19. Joh. 3. v. 5. in quo loco posteriore disputans contra Calvinum negantem per *aquam* intelligi Baptismũ, inter cætera utitur hoc arguméto: *Si per aquã in verbis Christi non intelligeretur Baptismus, consequens*

consequens foret, non esse baptizandos infantes. Ratio est, quia non possit aliunde probari. 9. Quid, quod ipse Pontifex Innocentius III. lib. 3. Decretalium tit. 42. c. Majores, ex *sacris literis* pædobaptismum confirmat. (At Pontifex Romanus ex hypothesi Bellarmini non errat, utique ergo ex Scripturis pædobaptismus probari potest.)

Undecimo. *Scriptura non potest dicere, quis sit verus suus sensus, requiruntur igitur traditiones, ex quibus genuina Scripturæ Interpretatio peti possit ac debeat.*

Resp. 1. Ostendemus inferius libr. 2. art. 1. cap. 3. th. 2. ex ipsis Pontificiis, Scripturæ sensum esse ex ipsa Scriptura eruendum. (Inde quidam distinguunt inter *traditiones exegeticas* ea ratione, quod quædam sint *divinæ*, quædam *humanæ*. Divinæ vel *objecto* tantum *sive materia*; vel *objecto & modo tradendi* simul. *Humanæ* itidem vel *quoad modum tradendi* tantum, vel quoad *objectum simul* & *modum communicandi*. Utroque respectu divinæ traditiones sunt, quibus Scriptura seipsam exponit. Objecto autem divinæ sunt & modo exponendi humanæ, cum sensum verbis Scripturæ contentum Doctores Ecclesiæ pro modo gratiæ sibi concessæ ostendunt. Utroque autem respectu humanæ sunt, cum sensus vel ab intentione Spiritus sancti in textibus particularibus, vel ab analogia totius fidei alienus infertur in Scripturam. Quamvis ergo traditiones quædam exegeticæ respectu modi communicandi non sint in Scriptura, tamen ratione objecti, sive materiæ sunt in Scriptura, quia sensus divinus, quem Ecclesiæ Doctores per legitima interpretationis media studio humano eruunt, in Scripturis continetur.) 2. Alphonsus Tostatus in Comment. Deut. 4. super verba: *Non addas, nec detrahas quidquam &c.* sic scribit: *Aut ille, qui addit Scripturæ, addit tanquam aliquid de textu vel necessarium, sicut alia, quæ sunt in textu, velut dictum à Spiritu sancto, & hoc vocatur propriè addere, & qui talia agunt, mortem æternam incurrunt &c. Alio modo fit additio Scripturæ per modum interpretationis &c. Taliter in sacra Scriptura addentes, quantum Spiritus sanctus unicuiq; largiri dignatur, vituperandi non sunt, cum eos & ipsa Scriptura commendet, non parvum laboris præmium ponens Eccl. 24. Et ista interpretatio non propriè vocatur additio, quia additio facit in re magis esse. interpretatio autem non facit aliquid magis esse. Unde non accrevit Scriptura sacra ex multiplici expositione omnium Dd. Catholicorum, qui ab exordio primitivæ Ecclesiæ fuerunt usq; hodie, unus apex aut jota unum. Et sic tanta erat Scriptura, cum nullus eã adhuc exposuerat, quanta in finemundi, quando super eam q; infiniti libri confecti fuerunt.* (Ergo ex interpretatione non potest probari Scripturæ imperfectio.) 3. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei c. 11. fatetur, *obscurissimas quæstiones non habere testimonium traditionis in tota Ecclesia receptæ ut plurimum.* (Quæ v. necessaria sunt, ex ipsis Scripturis intelligi possunt.)

Duodecimo. Melchior Canus lib. 3. Locor. cap. 3. ut probet, *non omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, esse in sacris literis expressa* affert inter cætera illud quod *triũ personarum in divinis per relativas proprietates distinctio in illis non sit expressa, quæ tamen tam certa sit in fide, ut contrarii dogmatis autores Ecclesia hæreticos judicarit.*

Resp. 1. Otto Frisingensis lib. 1. de vita Friderici cap. 57. *De proprietatibus, an personæ essent, nihil definitum fuisse* testatur *in Synodo Rhemensi præsente Episcopo Romano ob Theologicas rationes, quæ hinc inde habentur, cum tamen de eo capite controversiam movisset Gilbertus Episcopus Pictaviensis.* 2. Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 8. testatur, *Ecclesiam nondum definivisse, utrum personæ divinæ constituantur in esse personali per respectiva, an verò per absoluta. Quidam,* inquit, *dicunt, personas divinas constitui in esse, ut loquuntur, personali per respectiva, aliis affirmantibus constitui per absoluta. Alii rursum dicunt, non constitui per aliqua, sed seipsis esse personas. Quis non videt aliquem horum errare, cum tamen quilibet eorum suæ adhæreat opinioni impune & sine hæresis nota?* (Quod si Scriptura propterea est imperfecta, quia hunc articulum non exprimit, certe etiam Ecclesia, quæ eum non definivit, imperfecta erit.) 3. Ipse Melchior Canus libr. 8. Locor. cap. 2. hunc articulum accenset illis, *qui citra salutis dispendium vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui.* (Quomodo igitur ex prætermissia hujus quæstionis decisione Scripturæ imperfectio inferri poterit?)

Decimo tertio. Jacobus Davius Episcopus Ebroicensis imperfectionem Scripturæ probat inter cætera ex eo, quod *cum Iudæi à Mose acciperent Legem, crediderint immortalitatem animæ, resurrectionem corporum, judicium novissimum, Paradisum, inferna, creationem Angelorum, eorundemq; distinctos ordines, Diabolos esse & creatos, & alia, quæ tamen non continebantur in libris Mosis, aut saltem illis contineri, non habebant exploratum.*

Resp. 1. Pererius in cap. 2. Gen. v. 7. q. 2. sic commentatur: *Non est dubitandum, ex his paucis verbis, quibus Moses creationem animæ rationalis indicavit; demonstrari & probari posse animam hominis esse immortalem, quod etiam multifariam & hoc libro & aliis suis libris Moses significavit.* 2. Salmeron tom. 8. tract. 61. *Dominus ad statuendam resurrectionem cum plurimos & apertos locos Prophetarum posset producere, ut Esaiæ, Ezechielis, Danielis, Iobi, Oseæ & Ioelis, consultò omisit & ex Mose resurrectionem demonstravit.* (Atqui cognata sunt hæc dogmata, immortalitas animæ, resurrectio corporum, judicium, Paradisus, infernus, ut qui unum concedit, reliqua negare non possit.) 3. Pontificii ipsimet agnoscunt non de solis Mosaicis, sed etiam reliquis Prophetarum & Apostolorum scriptis agi, quando de Scripturæ perfectione quæritur.)

Decimo quarto. *Mariæ perpetua virginitas est articulus fidei, & tamen non extat in Scripturis.* Mel. Canus, Bellar. Bailius &c.

Resp. 1. Mariæ perpetua virginitas triplici sensu nominatur, vel ut significet virginem absque virili copula & semine, modo supernaturali & extraordinario Salvatorem peperisse. Hoc dogma pertinet ad fidei articulos & potest ex Scripturis probari: vel, ut significet, in partu non esse violata, quæ vocant, claustra virginitatis, neque servatum communem pariendi morem. Hoc dogma non potest referri inter articulos fidei, cum non possit apodictice ex Scripturis probari, unde etiam quidam ex veteribus & ex nostris Dn. Chemnicius contrarium statuunt: vel ut significet, B. Virginem post Christum natum à viro perseverasse intactam. Hoc dogma itidem non potest inter fidei articulos referri, cum & ipsum non possit apodictice ex Scripturis probari. Basilius in homil. de nativ. Domini: οὐκ ἐγίνωσκε γὰρ αὐτὴν, φησὶν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν πρωτότοκον. Τοῦτο δὲ ἤδη ὑπόνοιαν παρέχει, ὅτι κατὰ τὸ καθαρῶς ὑπηρετήσασθαι τῇ γεννήσει τοῦ Κυρίου τῇ ἐπιτελεσθείσῃ διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου τὰ νενομισμένα τοῦ γάμου ἔργα μὴ ἀπαρνησαμένης τῆς Μαρίας. Ἡμεῖς δὲ εἰ καὶ μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ, μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαία ἡ παρθενία, τὸ δὲ ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν, ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοὴν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ Θεοτόκος, ἐκείνας ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐταρκεῖς. *Non cognovit eam*, inquit, *donec peperit filium suum primogenitum. Hoc jam suspicionem injicit, Mariam postquam purè inservivisset generationi Domini, quam perfecit Spiritus sanctus, legitima conjugii opera non esse aversatam. At nos, etsi nihil illud officit pietati (nam, donec inserviendum erat dispensationi Dominicæ, necessaria erat virginitas, deinceps verò quid actum sit, non putamus, quod quidem attinet ad mysterii rationem curiosius investigandum:) nihilominus quia fidelium aures ferre non possunt, aliquando Dei genetricem desiisse esse virginem, credimus illa testimonia sufficere.* Credimus & nos cum Basilio, Mariam virginem etiam post partum à viro intactam mansisse, sed ut articulum fidei ad salutem necessarium hoc dogma non habemus. 2. Cæterum ipsimet Pontificii Mariæ virginitatem ex Scripturis probant, ergo non potest haberi pro dogmate ἀγράφῳ. Alphonsus de Castro lib. 10. adv. hæreses, titulo *virgo Maria. Si beata Dei genitrix postquam Christum peperit, ut Elvidius ait, cognita est à viro suo & genuit filios, quare Christus moriens non commendavit eam alicui ex aliis filiis? Injuriam namq; fecisse videretur aliis filiis, commendando matrem suam alii, quàm filio, quoniam per hoc videretur parum confidisse de filiis, quod debitum matri exhiberent obsequium. At cum ii, quos Elvidius asserit, fuisse filios Virginis viri fuerint sanctissimi, credendum erat, eos sollicitam curam acturos pro Dei genitrice, si illorum mater fuisset. Nam, ut de cæteris taceam, Iacobum, qui dictus est frater Domini, constat, virum fuisse sanctissimum. Si ergo hic filius fuisset Dei genitricis, non erat opus illam Iohanni commendare, neq; Christus unquam illam Iohanni commendasset, quoniam hoc in invidiam aliorum filiorum factum esse videretur. Præterea in sepulchro Christi, sicut nec ante, ita nec post Christum quisquam alius positus est. Si ergo corpori Christi defuncti talis exhibitus est honor, ut nullus alius in ejus sepulchro positus fuerit, propter illius reverentiam, multo major honor oportet fuerit ventri Virginis exhibitus, ut nec ante Christum nec postea ullus hominum ventrem ipsius intraverit, præcipue, quod in ea non solum corpus Christi defuncti, ut in sepulchro, in quo solum corpus absque anima, Deitati tamen conjunctum, jacuit, sed totus Christus integer reconditus fuerit. Accedit ad hæc etiam testimonium illud Matthæi, quod nobis*

objicit

objicit Elvidius. *Suo enim ipsius gladio ipsum Elvidium, tanquam alterum Goliath, transfigere oportet. Sic enim ait Matthæus: Non cognovit eam Ioseph, donec peperit filium suum primogenitum. Tunc percontari oportet Elvidium, quare Ioseph abstinet à tactu Virginis usque ad diem partus? Certum est, eum non alia de causa abstinuisse, nisi ob reverentiam ejus, qui in utero Virginis gestabatur. Audierat namque Ioseph Angelum sibi in somnis dicentem: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Qui ergo propter* Angeli *vocem sibi in somno factam abstinet, nonne multo magis abstinebit, cum oculis suis innumera videat miracula, quæ pueri nati majestatem & divinitatem, & matris dignitatem apertissime ipsi Ioseph demonstrabant? Ioseph namque videt, eam præter communem aliarum mulierum legem parientem sine dolore: audit multitudinem Angelorum cantantium & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Videt Pastores clamantes, Magos adorantes. Cum hæc ergo & alia plurima vidit post partum, credendum est, tunc magis reveritum fuisse Virginem Deiparam, magisque ab illa abstinuisse, quam ante partum. Nam si prohibentur omnes, ne tangant montem, in quem Moses recepturus Legem ascendit, eo quod ibi apparuit Dominus, quanto magis erit prohibitum, Ioseph tangere Virginem gloriosam, quæ est mons ille, unde abscissus est lapis sine manibus, Christus Deus noster.* Barradius tom. I. Concord. Evang. lib. 7. cap. 10. *Admirabilis Deiparæ virginitas multas in divinis literis similitudines habet & adumbrationes. Inprimis quemadmodum primus Adam de virgine terra est formatus est, ita secundus Adam de virgine matre conceptus ac natus. Ambrosius sermon. 37. de quadrag. Irenæus lib. 3. cap. 31. Tertull. lib. de carne Christi &c. Item quemadmodum rubus ille, in quo Deus apparuit olim Exod. 3. ignem concepit & virorem conservavit, ita Virgo ardentem ignem Christum concepit & virginitatis virorem non amisit. Gregor. Nyssen. in lib. de vit. Mosis. Tertiò, quemadmodum Iud. 6. Gedeonicum vellus ex carne ovis absque vulnere carnis detonsum est: ita caro Christi ex corpore Virginis absque detrimento virginitatis est sumta. Bernhard. homil 2. super Missus est. Ambros. serm. 13. Quartò, quemadmodum Aaronica virga Num. 17. absque humano opere flores emisit, ita virgo absque viri opera florem Christum concepit. Bernhard. homil. 2. Huc pertinet illud Esai. 11. Egredietur virga de radice Iesse. Quinto, quemadmodum Dan. 2. lapis è monte sine manibus excisus est, ita Christus ex utero virginis absque viri operâ natus. Epiphan. in Orat. de laud. virg. Iustinus in Dialog. Sextò, Deiparæ virginitatem porta illa clausa Ezech. 44. hortus ille conclusus, fonsque signatus Cant. 4. adumbrat Epiphanius d. l. Ambrosius lib. de instit. virginis.* (De illis testimoniis dicimus ex Basilio & cum Basilio ea sufficere, licet non sint ἀποδεικτικαὶ demonstrationes.) 3. Si ex Scriptura probari non possit, Mariam perpetuo virginem mansisse, aut non poterit ex eadem probari, ipsam votum perpetuæ virginitatis emisisse, aut non fuisse fœdifragam. Primum est contra Pontificiorum communem sententiam, qui ex responsione Mariæ Luc. 1. v. 34. *Virum non cognosco*, colligunt, *eam profiteri se perpetuam vovisse virginitatem.* Hoc posito argumento κατ' ἄνθρωπον necessario evincimus, Mariam perpetuo fuisse virginem, ex Scriptura secundum Pontificios probari. Quæ vovit perpetuo virginitatem & nunquam peccavit peccato actuali, illa non fuit fœdifraga, & per consequens perpetuo virgo mansit. At secundum Pontificios probatur ex Scriptura, Mariam vovisse perpetuam virginitatem & nunquam peccato actuali peccasse. Ergo secundum Pontificios probatur ex Scriptura, Mariam perpetuo virginem mansisse. 4. Idem probatur ex silentio Scripturæ, quæ non tacuisset, si Maria alios habuisset liberos. Neve excipiant, *non valere argumentum ab autoritate negative*, repetimus verba Maldonati in Matth. 1. v. 16. in quibus manifestè innuit, *ab hac regula excipiendam esse Scripturam in rebus cognitu ad salutem necessariis. Nullos*, inquit, *fratres habuisse Virginem Mariam, non ex traditione tantum, sed ex sacris Scripturis manifestum est, quæ ejus, si quos habuisset, fratres non tacuissent.* Eodem jure & nos dicere possumus. Non amisisse virginitatem etiam post partum sacram Virginem, non solum ex traditione, sed etiam ex sacris literis manifestum est, quam si amisisset, vel alios liberos præter Christum habuisset, illæ non tacuissent.

Decimo quinto. *Symbolum fidei sic factum, & factum ab Apostolis, non potest ostendi ex Scripturis. Et tamen Symbolum illud omnino pertinet ad fidem.* Charronæus, Bailius &c.

Resp. 1. Thom. 2. 2. q. 1. art. 9. ad. 1. *Veritas fidei in sacra Scriptura diffusè continetur & variis modis, & quibusdam obscure, ita quoad eliciendum fidei veritatem ex sacra Scriptura requiritur longum studium & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt. Et ideo fuit necessarium, ut ex sententiis sacræ Scripturæ aliquid manifestum summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum, quod quidem non est additum sacræ Scripturæ, sed potius ex sacra Scriptura sumtum.* Thomam secutus est, imò ferme descripsit Durandus in 3. dist. 25. q. 2. 2. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 11. sic scribit: *Ad testimonium illud ex Augustino lib. de doctr. Christ. 2. cap. 9. in his, quæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, respondeo: loquitur de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, qualia sunt, quæ habentur in Symbolo Apostolico & in Decalogo.* (Ergo Symbolum Apostolicum, quoad doctrinam, aperte invenitur in Scriptura, quod fidei nostræ sufficit, ad quam non pertinet necessario modus, quo Apostoli has sententias collegerunt.) 3. Idem Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 24. §. 2. sic differit: *Non debent Adversarii petere, ut ostendamus in Scripturis aut Patribus nomen septenarii numeri Sacramentorum &c. Scriptura enim & Patres non scripserunt Catechismum, sed tantum tradunt res ipsas variis in locis. Neque est hoc proprium Sacramentis, sed commune aliis multis rebus. Nam Scriptura refert Christi miracula, & nunquam numerat, quot sint; tradit articulos fidei, & nusquam dicit, quot sint. Apostoli postea ediderunt Symbolum duodecim articulorum certis de causis. Sic etiam ex Scriptura non potest sciri, quot sint libri Canonici, sed Concilia postea ediderunt canonem & certum numerum, quem ex traditione didicerant.* (Ex eo sic colligimus. Quemadmodum ex Scripturis probari potest, quot sint Sacramenta, etiamsi binarius vel septenarius numerus non exprimatur formaliter: ita quoque ex Scriptura cognosci potest, qui & quot sint articuli fidei, licet numerus eorum in Symbolo Apostolico contentus formaliter haud exprimatur. De miraculis, quæ Bellarminus addit, est dispar ratio. Eorum enim numerus non potest sciri ex Scriptura, si considerentur absolute, h. e. si simpliciter quæratur, quot miracula Christus ediderit, Joh. 20. v. ult. Sed hoc nihil præjudicat Scripturæ perfectioni; cum nec ex traditione hoc sciri possit. Si vero considerantur relate, quatenus sunt in Scripturis annotata, eatenus illorum numerus ex Scripturis colligi potest.)

Decimo sexto. *Processio Spiritus sancti à Filio est articulus fidei, & tamen non extat in Scripturis.* Azorius lib. 8. cap. 4. Institut. Canus &c.

Resp. 1. Petrus Damiani lib. 3. Epist. 3. sic scribit: *Cum Filius dicit, ego & Pater unum sumus, quomodo potest Spiritus sanctus ab eo, quod unum est, & procedere & non procedere? Sed res ineffabilis, quæ nullo valet humanæ rationis ingenio concipi, nullo potest mentis intuitu vel consideratione discerni, ex divinorum dumtaxat eloquiorum sententiis debet colligi.* Et aliquanto post: *Quod autem à Patre procedat simul & à Filio, unde scilicet quæstio est, Evangelica nos docet autoritas.* 2. Petrus Lombardus libr. 1. dist. 11. §. 1. *Quod autem de utroque procedat, multis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur.* Johannes Major in eandem quæstionem: *Omnis conclusio ex contentis in Scriptura sacra per se ducta est simpliciter vera, & ut articulus fidei tenenda. Hæc est ejusmodi. Igitur.* 4. Eustathius à S. Paulo part. 1. Summæ Theologiæ tract. 2. Disp. 8. q. 2. *Probatur inprimis autoritate sacrarum Scripturarum, ex quibus id apertè satis colligitur.* 5. Becanus in Summa Theologiæ part. 1. tract. 2. cap. 6. q. 2. *Licet expresse non habeatur in Scripturis, potest tamen evidenter inde deduci.*

Decimo septimo. *Duas in Christo esse voluntates & operationes est articulus fidei, & tamen non extat in Scripturis.* Stapletonus &c.

Resp. Alphonsus à Castro lib. 4. hæresi 6. de Christo, postquam contra Monotheletas unum atque alterum argumentum produxerat, subjicit: *Sed omissis his argumentis scrutemur Scripturas sacras, quoniam, ut Christus ait, illæ testimonium perhibent de illo.* Ac statim disputat ex Scripturis, *duas esse in Christo voluntates.* (Si duæ Naturæ in Christo admittuntur, duæ etiam operationes ac voluntates necessario confitendæ sunt. Sed duas in Christo Naturas Scriptura docet. Ergo.)

Decimò octavo. *Peccatum originis dari est articulus fidei, illud tamen non potest probari ex Scripturis.* Stapletonus.

Resp. Didacus Alvares de auxiliis gratiæ lib. 5. Disp. 45. *Secundum fidem Catholicam asserendum est, parvulos descendentes ex Adam per seminalem propagationem contrahere peccatum originale. Probatur evidentissimis testimoniis sacræ Scripturæ tam ex veteri quam ex novo Testamento.*

Decimo

Decimonono. *Baptismum non esse iterandum est articulus fidei, & tamen non extat in Scripturis.* Charronæus.

Resp. 1. In Indice Bibliorum Sixtinorum sic legitur: *Baptismus non est iterandus*, ad Eph. 4. v. 5. ad Heb. 6. v. 6. & 10. v. 26. Idem declarat ipsius figura Gen. 17. v. 14. 1. Cor. 9. v. 2. 2. Tiletanus parte altera defens. Trident. ad artic. de Charactere: *Respondemus, Catholicos constantissime semper tradidisse, Baptismi Sacramentum semel rite susceptum nulla ratione iterari & repeti posse, idque non solum propter impressionem characteris, verum etiam propter solidissima & manifestissima Scripturarum fundamenta & testimonia.*

Vigesimo. Becanus de Judice controvers. §. 53. p. 81. *Sensus verborum Christi Matt. 28. v. 19. verus & legitimus est, quod in Baptismo pronunciari debeant hæc verba: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. & quod Baptismus sine tali verborum pronunciatione non sit validus. At si aliquis negaret hunc esse sensum & diceret, non esse opus pronunciare hæc verba in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed sufficere, si quis inter baptizandum habeat internam voluntatem & intentionem baptizandi in nomine sanctissimæ Trinitatis, quomodo illum confutaremus? an ex solis Scripturæ verbis? nihil minus. Nam illa verba, baptizantes eos in nomine Patris &c. non dicunt vocalem Trinitatis invocationem adhibendam, unde ergo constat oportere? ex praxi & traditione Ecclesiæ. si hanc respuis, non habes ullum præsidium contra adversarium, qui negaret, vocalem prolationem esse necessariam.* Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 19. & lib. 1. de Bapt. cap. 3. itidem negat, *formulam Baptismi in Ecclesiis nostris usitatem, Ego te baptizo in nomine Patris &c. ex solo Evangelio demonstrari posse; sed necessario ad traditiones recurrendum.*

Resp. 1. Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæreses verbo Baptismus, hæres. 2. sic scribit: *Vera Baptismi forma, quam Christus docuit, ponitur in Matthæo. Euntes, inquit Christus, in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ex quibus verbis duo colliguntur esse necessaria ad formam Baptismi, videl. expressa Trinitatis pronunciatio, tribus scil. personarum nominibus explicata, & verbum exprimens actum ipsum Baptismi. Baptizantes, inquit, eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. De primo dicitur in Canonibus Apostolorum can. 49. Si quis Episcopus aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, abjiciatur.* (Appellatio nominis in verbis Institutionis clare innuit, in publica actione Baptismi nominandum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; ac diserte in nomine trium distinctarum personarum Baptismus administrari præcipitur. Quemadmodum vero officium docendi Apostolis ibidem commissum non est mutum: sic nec actio in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, debet aut potest esse muta, unde enim aliâs Ecclesiæ constaret, hunc vel illum esse baptizatum?) Et postea: *Quòd requiratur verbum exprimens actum baptizationis, patet ex ipsis verbis Christi, baptizantes eos &c. ubi ponitur Participium baptizantes, exprimens actum ipsum.* Ibid. hæresi 5. *Forma, quam Christus docuit, apud Matthæum descripta, tria exprimit necessaria, quæ sunt; verbum exprimens actum baptizandi, nomen designans personam baptizatam, invocatio Trinitatis expressa. Baptizantes, inquit, eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Baptizantes, ecce primum: eos, ecce secundum, scil. persona baptizata. In nomine Patris &c. ibi ostenditur tertium.* 2. Lorinus in cap. 2. Act. f. 129. *formulam Baptismi ab ipso Christo præscriptam* asserit. 3. Corn. Jansenius in Harm. cap. 149. fol. 307. ex Christi verbis: *Euntes docete omnes gentes &c. ab Apostolis & universa Ecclesia intellectum esse* dicit, *quibus verbis baptizari debeant Christiani.*

Vigesimo primo. *Nunquam sacræ literæ sacratissimam Virginem nomine matris Dei appellaverunt, sed solam matrem Christi aut matrem Jesu eam nominant. Nihilo tamen minus Concilium Ephesinum contra Nestorium censuit, eam Θεοτόκον, h. e. matrem Dei vere & merito esse nominandam.* Alphonsus à Castro lib. 6. adv. hæreses, verbo Ecclesia, hæresi 3.

Resp. 1. Cornelius Jansenius in cap. 4. Harm. *Dicens* (Elisabetha) *mater Domini mei* (Luc. 1.) *ostendit, à Spiritu edoctam se utramque fœtus Naturam, Dei sc. & hominis. Propter Naturam enim humanam dixit: Fructus ventris tui: propter Naturam divinam Domini mei. Itaque his verbis jam aperte Nestorii impietas convincitur, qui negabat, Mariam dici vere posse Θεοτόκον, id est, genitricem Dei*, 2. Salmero tom. 3. tract. 10. p. 93. *Cum articulo dixit, ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου, id est, mater illius summi Domini, qui Naturâ Deus & homo est. Credibile enim est, Elisabetham dixisse, mater Jehovah, vel loco ejus Adonai, quod soli Deo in Scripturis tribuitur. Demari voce utitur Syriacum Evangelium, id est. Domini mei, ac proinde retunditur Nestorii, aliorumque hæreticorum insania, contendentium illam matrem Christi, sed non matrem Dei.* Ibidem refellit Erasmum, qui negabat, *posse ex hoc loco evinci, Mariam dictam matrem Dei*, atque inter cætera urget hoc, quod Christus Matth. 22. probet Messiam Deum ex eo, quod à Propheta dicatur *Dominus*, juxta illud: *Dixit Dominus Domino meo &c.* 3. Toletus in cap. 1. Luc. sic commentatur: *Indignam se confitetur, quæ à matre Dei visitetur &c. Dominum suum appellat, quia Christus Deus erat ac Dominus, & ut Angeli verbis conformetur, qui dixerat, Dominus tecum &c. Maria mater Dei erat, quem Dominum vocat.* Similia occurrunt apud Barradium & alios passim.

Vigesimo secundo. Bailius in Catech. Controv. tract. 1. q. 9. *Ubi habetur, celebrandam esse diem Dominicam loco Sabbathi, contra expressum Scripturæ mandatum, quæ nobis sanctificationem Sabbathi proponit?*

Resp. 1. Christus non solum sua ex mortuis resurrectione, utpote operis redemtionis consummatione, diem illum consecravit, sed etiam exemplo suo eum commendavit, nam per dies illos quadraginta, quibus in terris versatus est ante ascensionem, die illo solebat se suis Discipulis manifestare & de rebus ad regnum Dei pertinentibus disserere. Refert Johannes cap. 20. v. 26. *Post dies octo à resurrectione venisse Jesum ad Discipulos & stetisse in medio eorum, ex quo loco*, teste Maldonato in Comment. ejus loci *tenuis quadam conjectura sumi potest, Dominicum diem aliquam ex Christi voluntate originem habuisse, quem tamen, ex communi fere omnium Theologorum sententia, ex jure Ecclesiastico institutum esse vult*, de quo nemini litem movebimus, si jus illud & institutum ad Apostolos referatur, quorum tempore observatam fuisse hujus diei solennitatem, & communibus Christianorum cœtibus dicatam, constat ex Act. 20. v. 7. 1. Corinth. 16. v. 2. 2. Ribera ad Apocal. 1. v. 10. *Fui Spiritu correptus die Dominico*, sic annotat, *perspici ex hoc loco, etiam tempore Apostolorum Sabbathi solennitatem mutatam fuisse in diem Dominicam, resurrectione Domini consecratam, cujus meminit Paulus, jubens, ut in ea collectæ fiant, quoniam tunc omnes ad Ecclesiam conveniebant solennitatis diei causâ.* Ad quem etiam diem existimat cum nonnullis ex Patribus respexisse Prophetam in quibusdam Psalmis inscriptis pro *octava*, qui ad resurrectionem pertinent. 3. Ex eodem loco Apocal. Blasius de Viegas in cap. 1. Apocal. sect. 22. *diei Dominicæ antiquitatem* probat.

Vigesimo tertio. Idem Bailius ibidem: *Ubi invenitur* (in Scripturis) *posse comedi sanguinem avium & animalium suffocatorum, cum id in Lege naturali fuerit prohibitum Genes. 9. in Lege Mosaica Levit. 17. & adhuc in lege Evangelica Act. 15?*

Resp. 1. Baronius tom. 8. Annal. ann. DC. XCII. n. 30. adversus Patres Concilii VI. qui etiam tum expresso Canone prohibebant usum suffocatorum & sanguinis, sic disserit: *Vel ex hac parte Judaizantes, dum quod in primitiva Ecclesia illa ad conjungendos simul gentiles credentes cum Judæis, jam Christianis, Apostoli præceperunt isti, in perpetuum observandum etiam sanxerunt, non secus ac si quis virum quemlibet semper lacte esse nutriendum, ea ratione contenderet, quod eidem infanti sugendum fuit propinatum. Quod si dicant, id ipsum reverentia Apostolorum servandum esse: certe universam Ecclesiam Catholicam jam senescentem iis vinculis modo obligare, quis non censeat esse dementia? cum præstet Apostolico Spiritu libertatem indictam sequi, ut manducans non manducantem non spernat, & non manducans minime spernere debeat manducantem.* (Hic locus fuisset refellendi Græcos traditione non scripta, si aliqua fuisset, quam cum nullam haberet Baronius, scripta traditione eorum superstitionem redarguit.) 2. Lorinus in cap. 15. Actor. notat, *Legem mere positivam remoto contemtu, scandalo & periculo alio non videri adeo arctè obligare.* (Talem vero fuisse constitutionem illam Apostolicam & vult ipse, & negari non potest, cum ad Leges Ceremoniales V. Testam. pertineat.)

Vigesimo quarto. Idem Bailius d. l. *Ubi scribitur hanc esse solam & veram Baptismi formam: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum dixerit Petrus Act. 2. Baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Jesu Christi. Et Act. 8. Samaritanos baptizavit Philippus in nomen JESU. Et Actor. 19. Multi post auditum Paulum baptizati sunt in nomine Jesu. Traditio est.*

Resp. Forma Baptismi manifeste colligitur ex ejus institutione, ut ostendimus superius object. 20.

Ad

Ad Apostolorum exemplum in Actis descriptum resp. 1. Catechismus Concil. Tridentin. cap. de Baptismo: *Quod si Apostoli in nomine tantum Domini nostri Jesu Christi baptizarint, id quidem Spiritus sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debere, ut initio nascentis Ecclesiæ Jesu Christi nomine prædicatio fieret illustrior divinaq; ejus potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitius introspicientes facile intelligere, nullam earum partium in ea forma desiderari, quæ ab ipso Salvatore præscriptæ sunt,* (nota:) *Qui enim JESUM CHRISTUM dicit, simul Patris personam, à quo unctus, & Spiritum sanctum, quo unctus est, significat.* 2. Negamus vero Apostolos baptizasse *tantum* in nomine Christi, ob rationes quas affert Costerus in Append. Enchir. cap. de Baptismo, tum *quod ipsimet*, ut inquit D. Hilarius lib. de Synodis, *in crimine fuissent, tanquam prævaricatores regulæ divinæ sibi datæ, si aliis verbis usi essent:* tum quod invocatione Spiritus sancti baptizaverint, ut manifeste patet ex interrogatione à Paulo facta Act. 19. Discipulis Johannis, qui nullam Spiritus sancti notitiam habuerant, *in quo ergo baptizati estis?* quasi diceret, adhiberi etiam solet Spiritus sancti nomen in Baptismo, non quidem solius, sed ut ait B. Dionysius Areopagita Ecclesi. Hierarch. cap. 2. part. 2. *dum trina immersione & emersione tres beatitudinis divinæ personæ inclamantur.* 3. Ad illud, quod ex Actis affertur de solo Jesu nomine respondet, *melius censere, qui B. Lucam non de forma Baptismi, sed de virtute Christi locutum affirmant, qui sua passione vim Baptismo tribuit. In quorum numero fuit Cyprianus Epist. 73 ad Jubajanum, Jesu Christi,* inquit, *mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Deniq; ubicunq; post resurrectionem Apostoli à Domino ad gentes mitterentur, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt baptizatum in nomine JESU CHRISTI remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizare jubeat in plena & adunata Trinitate?* 4. Lorinus in cap. 2. Act. v. 38. annotat: *Petrum alloqui baptizandos, non baptizaturos, ut agnoscant, cui acceptam ferre debeant virtutem Baptismi, non ut his præscribat formam. Deniq; eodem tenore loqui Paulum Rom. 6. Quicunq; in CHRISTO baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Neminem verò dixisse in forma Baptismi adjecta esse posteriora verbo. Utraq; ergo solum significare efficaciam Baptismi provenientem ex Christo & ex morte Christi.* 5. Eodem abit Catechismus Concil. Trident. d. l. ubi hoc genus loquendi confirmat ex Galat. 3. cum inquit: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* ut significaret in fide Christi, nec aliâ tamen forma, quam idem Salvator & Dominus noster servandam præceperat, baptizatos esse. 6. Similia occurrunt apud Sanctium ad caput 2. Act. num. 93.

Vigesimo quinto. Idem Bailius ibidem: *Ubi*, inquit, *in Scripturis inveniuntur Exorcistæ, cum certa formula adjurandi Dæmones? Quis instituit? an Salomon vel alius? Apparet tamen ex Matth. 12. & Actor. 19 tales fuisse.*

Resp. 1. Maldonatus illud Matth. 12. interpretatur de Apostolis. *Filii vestri, hoc est, Apostoli, qui ex populo vestro sunt, in quo Dæmonia ejiciunt? nonne in nomine meo? Si ergo illi non in nomine Beelzebub, sed in nomine meo Dæmonia ejiciunt, quomodo dicitis me in nomine Beelzebub ejicere? Et si Apostoli mea virtute ejiciunt, quod negare non potestis, multo magis ego, cujus est virtus.* (Sequitur in hac expositione Maldonatus Hilarium, Chrysostomum, Autorem imperfecti operis, Hieronymum, Theophylactum & Euthymium.) 2. Act. 19. v. 13. agitur *de filiis Scevæ*, qui ut *circulatores hanc artem professi fuere*, ut Lorinus ad illum locum annotat. Quod ipsum probatur ex illis, quæ de origine istorum Exorcistarum memorat Josephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. nempe *Salomonem incantationes quasdam instituisse, quibus adstricti Dæmones, ne denuo redirent, effugarentur, quæ cura,* inquit ille, *hactenus apud nos multum prævalere cognoscitur. Vidi enim quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano & ejus filiis & Tribunis, adeoq; simul exercitu, curantem eos, qui à Dæmonibus vexabantur, Dæmoniaci naribus admoto annulo, habente sub signaculo radicem à Salomone monstratam, deinde per nares odorantis dæmonium abstraxit & repente cecidit homo. Postea id adjuravit, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab eo inventas recitans.* (At quis feret sic argumentantem, Scriptura non continet institutionem Circulatorum vel Agyrtarum, qui artem Exorcisticam exercebant apud Judæos. Ergo non continet omnia ad salutem necessaria?) 3. Quod Josephus dicit, *Salomonem illas incantationes instituisse*, id Thomas Aquinas q. 6. de potent. art. 10. ad 3. &c. Et Victoria relect. de arte Mag. num. 28. accipiunt *de tempore, postquam factus est idololatra.* 4. Pontificii norunt, scire certe debent, quæstionem esse de dogmatibus ad salutem scitu necessariis, an illa perfecte in Scripturis tradantur. Atqui non est ad salutem scitu necessarium, quosdam fuisse institutos Exorcistas, qui peculiari forma in expellendis Dæmonibus usi.

Vigesimo sexto. Idem Bailius d. l. *In quo libro Mosis, aut in quo Propheta continetur usus, qui apud Judæos invaluerat, reum mortis dimittendi in Paschate?* Ex quo colligit, *hoc fuisse ortum ex traditione non scripta.*

Resp. 1. Maldonatus quidem *ad traditionem* hanc consuetudinem revocat, interim *incertum esse*, dicit, an *ex traditione vel consuetudine originem hæc dimissio habuerit.* 2. Baradius tom. 4. Conc. lib. 7. cap. 5. solius consuetudinis meminit: *Cogebatur,* inquit, *Pilatus consuetudinis vi dimittere unum, non pro libitu, sed quemcunq; Judæi postulassent. Ratio consuetudinis fuisse videtur, quia illo tempore Paschali olim populus Hebræus ex Ægypto dimissus.* 3. Johannes Ferus in annot. ad Matthæum & Johannem hanc consuetudinem improbat *tanquam fictam & hypocrisi plenam.* Primo *quia erat contra Legem Dei, præcipientem sontem occidi.* Secundo, *contra Legem Mosis erat instituere aliam Legem præter eam, quam Deus in Paschate servandam dederat per agnum & azymos panes.* Tertio *cur non omnes vinctos dimittunt, cum omnes essent in Phase ex Ægypto liberati?* 4. Quamvis vero Salmero tom. 10. tract. 28. hasce Feri rationes evertere laboret, tamen hujus dimissionis originem non revocat ad traditionem, sed ad consuetudinem. *Post Origenem,* inquit, *Theophylactus statuit, hunc morem sumtum ex Jonathæ filii Saul liberatione, qua eum populus jam patris sententia morti addictum liberavit,* ut dicitur in 1. Reg. volum. 5. Francisc. Lucas Brugensis in Matth. cap. 27. v. 15. *Verisimile est, antiquam hanc fuisse consuetudinem, ut die festo Paschæ condonaretur unus eorum, qui ob crimen morte dignum tenerentur captivi &c. Quando ea consuetudo cœperit, incertum est, sed Romanos eam invenientes, cum rerum Judaicarum dominium invaderent, retineri permiserunt, ut cætera Judaicarum observationum, non inquirentes ex Lege ortum haberent, nec ne.* (Quicquid sit, manifestum est, etiam hunc morem non pertinere ad dogmata fidei, quorum cognitio ad salutem necessaria.)

Vigesimo septimo. Idem Bailius d. l. quærit: *Quo in loco V. Test. scriptum sit, in fœderis sanctione mixtam fuisse aquam cum sanguine Testamenti, ad aspersionem totius populi, cum tamen Paulus illius mixtionis mentionem faciat Hebr. 9?*

Resp. 1. Thomas lect. 4. in cap. 9. Epist. Hebr. *Sciebat Apostolus, quia nutritus erat in Lege, quod ille usus erat in emundationibus secundum Legem, quod aspersio erat cum sanguine hircorum & vitulorum, & aqua admixta hyssopo, & lana coccinea tanquam aspersorio. & ideo licet de his non agatur in Exodo, tamen Apostolus hoc accepit ex consuetudine ritus Legalis.* (Quæ consuetudo in Lege sæpissime scripta invenitur in aspersionibus. Aspersio ergo ipsa, qua sanguinis Christi effusio ad expianda peccata nostra significata est, expresse apud Mosen descripta est Exod. 24. v. 7. & 8. sed modum aspersionis, & ejusdem instrumenta, & sanguini adjuncta supplevit Apostolus non ex aliqua non scripta traditione, sed ex aliis Scripturæ locis, per analogiam quandam aliarum aspersionum, quas Deus jam ante usurpari voluerat.) 2. Thomæ responsioni subscribit Nic. de Lyra in cap. 9. Hebr. addens, *in Exodo Mosen ista tacuisse, quia non erant principalia.* (Proinde explicata eorum cognitio non erat ad salutem necessaria.) 3. Ribera in cap. 9. Ep. Hebr. *Mihi videtur Paulus in Lege doctissimus, ex his verbis Mosis atq; ex aliis Spiritu sancto inspirante intellexisse, factum fuisse, quod Moses tacuit. Nam adhibitam fuisse aquam & lanam coccineam, & hyssopum illis adjunctum, ex his verbis Mosis colligi potest, cum ait: Ille sumptum sanguinem respersit in populum. Sanguine enim tantus populus late per campos dispersus respergi non poterant, nisi aqua ei admisceretur. Concresceret enim frigore & densior paulatim fieret, atq; ad aspersionem ineptior. Oportebat ergo aquam admisceri, vel ut excresceret sanguis, ut ait Abulensis in cap. 24. Exodi, vel ut clarior esset ad aspersionem, ut hic ait Lyranus, præsertim cum ad alias purificationes aquam adhiberi jubeat lex.* Ut id probet, ex Scriptura confirmari ostendit, ex cap. 12. Exodi, *Hyssopum in aspergendo sanguine fuisse usitatum;* quod idem etiam *de mixta cum sanguine aqua* ex Ceremonia purificationis leprosi deducit, in qua *passer immolabatur in vase fictili super aquas viventes, cujus sanguine aspergebatur septies leprosus cum ligno cedrino, cocco & hyssopo. Hinc,* inquit, *habemus aquam mixtam cum sanguine, & hyssopum ac lanam coccineam ad aspersionem, atq; eadem fere ad alias purificationes exiguntur; ut Num. 19.* 4. Eodem modo Estius ad cap. 9. Hebr. v. 19. *Cum Ribera,* inquit, *& aliis quibusdam dicamus, hæc omnia posse intelligi ex iis, quæ tum*

tum eo loco (Exod. 44.) *tum alibi à Mose sacrificiorum ritus exponente scripta sunt, sicuti Paulum arbitramur intellexisse hominem in Lege doctissimum. Et quidem non solum vitulos oblatos fuisse colligitur ex Scripturæ verbis: Et obtulerunt holocausta, immolaveruntq́, victimas pacificas Domino, vitulos. Ubi dicuntur quidem vituli oblati in hostias pacificas, sed quod genus animalis in holocausta fuerit oblatum, non exprimitur. Constat autem ex Lev. 1. Num. 7. & aliunde, potuisse hircos in holocaustum offerri. Quare consentaneum videtur, etiam istam holocaustorum oblationem de vitulis accipi &c. Porro aquam ad usum aspersionis non defuisse, satis res ipsa loquitur. Erat enim sanguis victimarum late spargendus in populum, quod factu perdifficile erat, nisi sanguini commisceretur aqua, ut & liquidior esset ad aspersionem, & copiosior. Unde Theodoretus sanguinem aqua commixtum interpretatur &c. Nam & simili fere ratione praceptum fuit, ut ex cineribus vacca russa fieret aqua aspersionis in usum populi Num. 19. Quanquam & alibi passim legimus ad purificationes legales aquam adhiberi solitam, utpote Elementum aspersionibus & abstergendis sordibus aptissimum. Ex hyssopo autem & lana coccinea colligatis fiebat aspergillum, quo sanguis aquæ mixtus in populum spargeretur &c. Hac verò tacite intelliguntur in iis Scriptura verbis, quibus dicitur Moses sumtum sanguinem respersisse in populum. Non enim respergere potuit sine instrumento ad hunc usum accommodato, quale juxta prascriptum Legis erat fasciculus ex hyssopo & lana coccinea compositus, ut intelligi datur ex aliis locis, velut Exod. 12. Lev. 14. & Numer. 19.* (Sic ergo ipsimet Pontificii Interpretes docent, Paulum ex Scriptura totam illam suam narrationem contexuisse, etiam in minimis circumstantiis, quarum cognitione si vel maxime destitueremur, nihil saluti nostræ decederet.)

Vigesimo octavo. Idem Bailius ibid. traditionum necessitatem & Scripturæ insufficientiam probat ex certamine in Epistola Judæ descripto. *Judas*, inquit, *narrat pugnam Archangeli & Diaboli de corpore Mosis, Quo in loco V. Test. belli illius mentionem reperietis?*

Resp. 1. Glossa ordinaria ex Beda hæc recitat: *De quibus Scripturis hoc testimonium assumserit, non patet* (nimirum si secundum literam accipiatur) *sed allegorice planum est. Corpus Moysi populus Israel, quia Moyses populi illius portio fuit, ideoq́, quod de populo factum legitur in Zacharia, rectè de Moysi corpore factum forsan dicit Apostolus. In Zacharia legitur, ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad Satanam: Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem. Quia Jesus Sacerdos desiderabat Israel de captivitate liberari, & in terram propriam redire, resistebat ei Satanas, nolens populum liberari, sed hostibus gentilibus mancipari. Ideo Angelus, qui populi adjutor erat, increpabat, atq́, ab injuria populi removebat.* 2. Estius varias adducit responsiones: *Quaritur*, inquit, *unde B. Judas istam Historiam Michaelis cum Diabolo disputantis acceperit? Multi depromtam putant ex libro quopiam Apocrypho, velut illo, cui titulus, Assumtio Mosis, vel juxta alios, Ascensio Moysi. Quod si ita est, non idcirco periclitatur autoritas hujus Epistola. Nam ut in hareticorum libris non omnia falsa sunt, ita nec in Apocryphis, Apostolus autem Spiritu divino praditus haud dubie discernere potuit inter ejusdem libri vera & falsa, quemadmodum & Paulus discrevit, qui tribus ex locis affert ex Poetis Ethnicis testimonia, ut Act. 17. 1. Corinth. 15. & Tit. 1. Quanquam fortasse probabilius est, Judam hac habuisse ex traditione majorum non scripta, sicut & Paulus nomina Magorum Pharaonis 2. Timoth. 3. Nisi quis dicat, ea qua hic commemorantur, scripto tradita fuisse nec Apocrypho, nec sacro, sed quod fidem tamen mereretur humanam, ut sunt multa alia ab hominibus scripta, qua etsi non sint autoritatis divina, non tamen ut Apocrypha rejiciuntur.*

Vigesimo nono. Idem Bailius. d. l. *Ubinam perspicue scriptum est nomen illud trium personarum in Trinitate & trium proprietatum?*

Resp. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 2. *Retinentur à nobis illa nomina, essentia, homousios, hypostasis, substantia, persona, proprietas, relatio, notio, circumincessio, Trinitas, quia utilia sunt ad explicãda mysteria Scriptura, & quia etsi in Scripturis non habeantur, tamen habentur eorum semina & aquivalentia. Negant Transylvani inveniri synonyma & aquivalentia, sed hoc esse mendacium, mox planum faciemus.* Confer ea, quæ inferius part. 2. cap. 5. adducentur, uti etiam D. Rivetum in scripto erudito contra Bailii Catechesin.

Trigesimo. Becanus libr. 1. Manual. cap. 5. p. 188. imperfectionem Scripturæ probat ex eo, quod *non tradat Sacramentorum certum numerum seu determinationem.*

Resp. Bellarminus libr. 2. de Sacram. cap. 24. §. Quantum ad primum &c. sic disserit: *Non debent Adversarii petere, ut ostendamus in Scripturis aut Patribus nomen septenarii numeri Sacramentorum, nam nec ipsi possunt ostendere nomen binarii vel ternarii vel quaternarii. Scriptura enim & Patres non scripserunt Catechismum, ut modo facimus propter hæresium multitudinem, sed tantum tradunt res ipsas variis in locis.* (Si à Pontificiis non debemus exigere, ut nomen septenarii in Scripturis aut Patribus monstrent, utique etiam ipsi non debent à nobis exigere, ut nomen binarii in Scripturis monstremus, sed sufficit, si rem ipsam ex Scripturis probare possimus, videl. duo tantum esse N. Test. Sacramenta à Christo instituta, non plura nec pauciora.)

CAPUT. II.

De Norma & Regula Controversiarum fidei in Ecclesia.

QUIA Scriptura sacra eo fine per Prophetas & Apostolos Dei voluntate est consignata, & Ecclesiæ tradita, ut de illis, quæ sunt ad salutem necessaria in fidei & morum doctrina perfecte nos informaret, ideo etiam est perfecta atque unica omnium fidei controversiarum regula atque norma. Esto igitur.

Thesis secunda. *Scriptura sacra est unica norma ac regula omnium fidei controversiarum & cultus divini in Ecclesia.*

Ἔκθεσις 1. Notanter dicimus, *Scripturam sacram*, id est, verbum Dei in libris Propheticis & Apostolicis comprehensum esse normam controversiarum. Pontificii concedunt, verbum Dei esse perfectam atque unicam fidei regulam, sed verbum Dei dividunt *in scriptum & non scriptum*, proinde non solum verbum scriptum, sed etiam non scriptum normæ loco habendum esse statuunt. 2. Notanter dicimus, Scripturam sacram esse *unicam* normam ac regulam. Quidam Pontificii concedunt, Scripturam sacram esse normam, sed negant esse unicam normam, cum non sit perfecta.

Antithesis. Scripturam esse normam controversiarum fidei αὐτοτίμως negant, qui eam *naso cereo & Lesbia regula* comparant. Canisius in opere Catech. f. 44. Melch. Canus lib. 3. Locor. cap. 2. Salmeron in Comment. Epist. Pauli in genere Disp. 8. §. Tertio &c. quorum verba adducentur in Appendice lib. 2. art. 1. Turrianus lib. 1. contra Sadeelem. *Si Scripturam solam fidei regulam in Ecclesia Christus reliquisset, quid aliud quam gladium Delphicum haberemus?* (Certe si Scriptura est nasus cereus, qui se quòvis trahi permittit; si est regula Lesbia & gladius Delphicus, nullo plane modo potest esse norma & regula, quia fidei regulam oportet esse ἀκλινῆ, ἀκριβῆ, immotam, certam & immutabilem.)

Carranza controv. 2. *Nos dicimus, quod prior regula & notior & multo latior est Ecclesia, quam Scriptura Canonica, & hac per illam debet regulari & non contra.* (Scriptura ergo non erit regula, sed potius regulatum; soli vero Ecclesiæ nomen regulæ competet.)

Gregorius de Valentia lib. 5. anal. fidei Catholicæ cap. 4. p. 31. *Scriptura sacra sic omnino composita est, ut experientia etiam doceat, eam per se solam non tam regulam accommodatam esse ad declinandos omnes errores, quam arcano Dei judicio esse velut lapidem offensionis, & in tentationem (ut sapiens de Dei creaturis inquit) pedibus insipientium, ut qui velint ea sola niti, facilime impingant & errent. Unde enim ulli errores existunt, nisi de Scripturis male intellectis? aut qui fieri potest, ut qua doctrina tam facile ab hominibus adulteratur, ut in patrocinium omnium errorum advocetur, eadem sit accommodatissima, appositissimaq́, regula ad rejiciendum omnes omnino errores. Non magis hoc certe stare potest, quam si quis diceret, illud esse accommodatissimum remedium ad recte videndum, ex quo accideret omnes cæcutire quicunq́, fierent cæci.* (Si hæc vera sunt, Scriptura nullo modo est norma controversiarum, sed potius errorum occasio.)

Albertus Piggius lib. 1. Eccles. Hierarch. cap. 2. fol. 8. *Cùm Apostolorum ministerio Ecclesia jam esset diffusa in orbem pene universum, excitavit sacer ille Spiritus pro confirmanda fide & devotione fidelium sanctorum quorundam virorum pium studium, ut literis commendarent, redemtionis nostra à Christo peractam Historiam &c. Non quidem, ut scripta illa praessent fidei, religioniq́, nostra, sed subessent potius, sicut accesserunt eisdem jam propagatis in orbem, non praecesserunt.* (Si Apostolorum scripta fidei ac religioni nostræ non præsunt, sed potius subsunt, utique nullo modo sunt fidei norma ac regula.)

Idem Piggius in præfat. Hierarch. Eccles. ad Paulum III. Pontif. *Ecclesiastica traditio sola est certa & inflexibilis recta intelligentia Scripturarum amussis, qua illis non adhibita veluti plumbea quadam regula omni figura, ita omni errori eadem haud difficulter*

accommodari possunt. (Si Scriptura sine traditione est regula plumbea, quæ omni errori haud difficulter accomodari potest, utiq; sola & in se cōsiderata nullo modo est fidei regula.)

Costerus in Enchir. p. 43. *Christus Ecclesiam suam neq; à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, quod Moses olim magna ex parte fecerat carnali populo, sed cùm spiritualem constitueret Ecclesiam suo Spiritu sancto informatam, usus est sublimiori charactere scribens digito Dei in corde Ecclesiæ,* (Si Christus noluit Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, utique Scriptura nullo modo est fidei regula.)

Henricus Lamparterus contra D. Reihing. tom. 1. p. 101. Die Schrifft ist selbst partheiisch / (quomodo ergo poterit ullo modo esse norma ac regula?) tom. 2. p. 271. Es ist keine Rede so einfältig noch scheinet / deren ich nicht leichtlich einen frembden Verstand anstreichen wil. (*Si Scriptura admittit quosvis sensus,* quomodo poterit ullo modo esse controversiarum dijudicandarum norma ac regula?)

Ab his non multum abit Bellarminus, quando lib. 4. de verbo Dei cap. 4. scribit: *Si doctrinam suam literis consignare* (Apostoli) *ex professo voluissent, certe Catechismum aut similem librum confecissent. At ipsi vel Historiam scripserunt, ut Evangelistæ, vel Epistolas ex occasione aliqua, ut Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Johannes, & in iis non nisi obiter disputationes de dogmatibus tractaverunt.* (Si Evangelistis & Apostolis non fuit propositum ex professo doctrinam suam literis consignare, ac si in scriptis suis non nisi obiter disputationes de dogmatibus tractant, utique ipsorum scripta nullo modo sunt fidei regula.)

Lib. ejusd. cap. 12. resp. ad 2. argum. sic disserit: *Scripturæ finis proprius non fuit, ut esset regula fidei, sed ut esset commonitorium quoddam utile ad conservandam & fovendā doctrinam ex prædicatione acceptam.* Et paulo post: *Finis Scripturæ præcipuus non est, ut sit regula fidei, sed ut variis documentis, exemplis, adhortationibus, nunc terrendo nunc instruendo, nunc minando, nunc consolando adjuvet nos in hac peregrinatione. Hinc enim est quod Scriptura non est opus quoddam continuum, quale esse deberet regula fidei, sed continet varia opera, Historias, Conciones, vaticinia, Carmina, Epistolas.* (Hæc non obscure eò abeunt, quod Scriptura nullo modo sit regula fidei.)

Lib. 3. de verbo Dei cap. 9. §. 1. *Scriptura varios sensus recipit, nec pot. si ipsa dicere quis sit verus.* (Si Scriptura non potest dicere quis sit verus sensus, plane nullo modo est regula, antequam aliunde de vero ejus sensu constet.)

Petrus Thyræus Jes. in Disp. de potest. Ecclesiæ habita Moguntiæ part. 3. cap. 15. *Sacra Scriptura hanc potestatem non habet, ut ab ipsa, si quando controversum dogma occurrit, definitionē & sententiam petamus. Non fuit semper in Ecclesia Catholica Scriptura, & tamē fuit semper de fidei controversiis quid sentiendū sit, facultas statuendi.*

Nostram sententiam confirmamus 1. *Ex appellatione.* Scriptura sacra vocatur *Canon & Canonica Scriptura* Psal. 19 v. 5. (confer Rom. 10. v. 18.) Esai. 28. v. 10. Galat. 6. v. 16. Phil. 3. v. 16. verbum Dei & quidem scriptum vocatur *rectum & verbum rectitudinis* Psal. 19. v. 9. Ps. 45. v. 7. Eccl. 12. v. 12. non solum quia in se rectum, infallibile, immotum ac firmum, sed etiam quia est norma omnis rectitudinis in Ecclesia.

2. *A divina jussione.* Ad verbum Dei primum quidem prædicatum, postea per Dei voluntatem in Scripturas redactum, tanquam ad unicam normam & regulam omnem omnino cultum omnemque fidei & vitæ rationem exigi volunt Moses Deut. 4. v. 2. cap. 5. v. 32. (confer Gal. 6. v. 16. ubi probe notandum, Apostolum loqui *in futuro*, quia non propter Galatas tantum, sed futuras etiam generationes hæc scripsit. *Quotquot juxta hunc canonem,* i. e. Canonica dogmata, quæ scripsi, *incedēt, super illos pax & misericordia & super Israel Dei,*) Deuter. 12. v. 28. 30. & 32. cap. 27. v. 26. (confer Galat. 3. v. 10.) cap. 31. v. 9. 11. & 12. Josua cap. 23. v. 6. Esaias cap. 8. v. 19. & 30. (confer 2. Petr. 1. v. 19.) Christus Luc. 16. v. 29. Joh. 5. v. 39.

3. *Ex cultus divini reformatione.* Juxta verbum DEI scriptum tanquam unicam normam & regulam reformatio divini cultus in V. T. divino mandato & beneplacito fuit instituta, ut ostendunt exempla Ez. 2 Reg. 18. v. 3. 4. & 6. Josiæ 2 Reg. 22. v. 2. 8. & 13. c. 23. v. 3. & 4. Esdræ & Nehemiæ. Neh. 8. v. 1. & seqq.

4. *A Christi & Apostolorum ad Scripturas provocatione.* Christus & Apostoli ad scriptum Dei verbum in controversiis fidei unice provocant. De Christo hoc probatur ex Matth. 4. v. 4. & seq. cap 19. v. 4. cap. 22. v. 29. & 31. cap. ejusd. v. 43. Marc. 9. v. 12. Luc. 10. v. 26. cap. 24. v. 26. Johan. 5. v. 42. De Apostolis Act. 3. v. 20. cap. 7. v. 2. & seqq. cap. 13. v. 33. & seqq. cap. 18. v. 28. cap. 26. v. 22. cap. 28. v. 23. Rom. 4. v. 3. 1. Cor. 15. v. 3. Gal. 3. v. 6. Hebr. 8. v. 5. &c.

5. *Ex Scripturæ encomio & commendatione.* Scriptura commodo dicitur *utilis* ad διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, ac παιδείαν, *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, atq; ut hominem possit instruere ad salutem* 2. Timoth. 3. v. 15. 16. & 17. utique ergo est sufficiens norma, juxta quam in Ecclesia docendum, juxta quam omnes hæreses refellendæ, juxta quam vita & mores corrigendi. Item Scriptura erit in die extremi judicii norma, juxta quam pronunciabitur sententia absolutoria erga electos, & damnatoria erga reprobos. Dan. 7. v. 10. Johan. 12. v. 48. Rom. 2. v. 19. Apoc. 20. v. 2. utique ergo etiam in hac vita potest esse fidei & vitæ sufficiens norma.

6. *Ex normæ proprietate & conditione.* Proprietates normæ omnium in Ecclesia dogmatum sunt primo publica autoritas, oportet enim eam suprema & divina autoritate esse ordinatam. Regulam dogmatum non solum oportet esse ἀδιάψευστον, sed etiam αὐθεντικόν. Secundo unitas, immutabilitas & infallibilitas, oportet enim eam esse ἀκλινῆ & immutabilem. Tertio principii autoritas ejusque generalitas, oportet enim eam esse principium generale, ad quod omnia in isto genere reducuntur. Quarto cum normato ἰσότης sive æqualitas. Quinto inter eam & normatum ὁμοιότης sive identitas. At hæ proprietates soli Scripturæ sacræ conveniunt, quippe quæ est θεόπνευστος & publice in Ecclesia recepta 2. Tim. 3. v. 15. est invariabilis & infallibilis Matt. 5. v. 18. Joh. 10. v. 25. in quam primam veritatem & summum credendi principium omnia resolvuntur Matt. 17. v. 5. Joh. 5. v. 39. est mensurato suo adæquata, quia perfecte & perspicue docet omnia ad salutem necessaria 2. Tim. 3. v. 16. est ὁμογενὴς omnibus quæ in Ecclesia tradenda, quia à Deo profecta. Scriptura sacra habet rationem principii, est regula credendi sola certa & recepta, est invariabilis & uniformis perpetua, subtractionis & additionis nescia, suo mensurato adæquata & cognitionis ac certitudinis nostræ Magistra. Ergo est vera & perfecta regula.

7. *Ex sufficiente enumeratione.* Non competit autoritas normæ privatis & incertis revelationibus 2. Cor. 11. v. 13. non corruptæ rationis judicio 2. Cor. 10. v. 5. non dubiis traditionibus & verbo ἀγράφῳ Joh. 21. v. 23. non voci Pastorum absolute, alias *Spiritus non essent probandi.* 1. Johan. 4. v. 1. Ergo unicum verbū scriptum est perfecta & sufficiens norma veritatis in Ecclesia.

Nostræ huic sententiæ suffragatur

1. Quod quidam agnoscunt, Scripturam sacram de illis, quæ sunt ad salutem necessaria, perfectè nos instruere; quorum testimonia in cap. præced. sunt enumerata. (Ex eo enim immote sequitur, sacram Scripturam esse unicam & perfectam regulam veritatis cœlestis in Ecclesia.)

2. Quod quidam agnoscunt, Scripturam esse unicam & perfectam fidei regulam.

c. Relatum. dist. 37. ex Epist. 5. Clementis. *Cum ex divinis Scripturis integram quisque & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus studiis, quæ forte etiam in pueritia attigit, ad assertionē veri dogmatis conferat, ita tamen ut ubi vera didicit, falsa & simulata declinet* (In hoc Can. Scriptura diserte vocatur *integra regula veritatis.*)

c. Nec sufficere caus. 8. q. 1. ex Beda in Matth. *Nec sufficere nobis ad salutem arbitremur, si turbis negligentium vel quorumlibet indoctorum fide vel actibus adæquemur, quibus in sacris literis unica est credendi pariter & vivendi regula præscripta.* (In hoc Canone Scriptura diserte vocatur *unica credendi pariter & vivendi regula.*)

Durandus in prolog. sent. *Mensura in duob. consistit videl. ut non subtrahatur fidei, quod sub fide est, nec attribuatur fidei, illud quod sub fide non est. Utroq; enim modo mensura fidei exceditur, & à continentia S. Scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur.*

Idem 3. sent. dist. 25. q. 2. *Sacra Scriptura est regula fidei, cui non licet aliquid demere vel addere secundum illud Deut. 4.* (Regula, cui non licet aliquid addere, est perfecta regula.)

Gerson de exam. doctr. part. 2. consid. 1. n. 17. *Scriptura sacra nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum usq; ad finem seculi. Est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina vel abjicienda est ut hæreticalis aut suspecta, aut impertinens ad religionem prorsus est habenda.*

Joh. de Ragusio de commun. sub utraq; specie 7. suppos. *Sacra Scriptura in sensu literali sane & bene intellecta est infallibilis fidei regula & sufficientissima.*

Jac. Faber Stapulensis præf. in Comm. super Evang. *Vitam credendi forma à primæva illa peteretur Ecclesia, quæ nullam etiam regulam novit, præter Evangelium &c.* Et paulo ante: *Verbum Dei sufficit, Hæc unica regula vitæ æternæ Magistra est.*

3. Quod

3. Quod quidam agnoscunt, omnia dogmata in Ecclesia ad Scripturæ amussim esse exigenda ac dijudicanda.

c. Quæ contra, dist. 8. ex Augustino lib. 3. Conf. cap. 8. *Cùm Deus aliquid contra morem vel contra pactum quorumlibet jubet fieri, etsi ibi nunquam factum est, tamen faciendum est; & si omissum est, restaurandum est; & si statutum non erat, instituendum est &c. Deo regnatori universæ creaturæ ad ea quæ jusserat, sine dubitatione serviendum est.*

c. Ego solis dist. 9. ex Augustin. Epist. 19. ad Hieron. *Ego solis eis Scriptorum qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere &c. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores vel Canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* (Si soli Canonici Scriptores ab omni erroris suspicione vacui, utique soli in decisione controversiarum erunt consulendi.)

c. Sicut. dist. 38. ex Epist. 1. Zepherini Papæ: *Sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium & inhærentes firmamento sanctæ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.*

c. Quid autem. caus. 24. q. 3. ex Leone Epist. 10. ad Flavianum: *Quid iniquius est, quam impia sapere & sapientioribus, doctioribusque non cedere. Sed in hanc insipientiam cadunt, quicunque ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, non ad Evangelicas autoritates, sed ad semetipsos recurrunt, & ideo magistri erroris existunt, qui veritatis discipuli non fuerunt.*

Rubrica c. Omne quod caus. 25. q. 1. *Stare non valet, quod contra Evangelicam vel Propheticam doctrinam seu constitutionem factum fuerit.*

Caspar Bruschius in Chron. recitat Epistolam quandam Gregorii III. Pont. Rom. ad Udilonem cæterosque Bavariæ Sacerdotes, in qua Pontifex inter alia sic loquitur: *Concilia pro salute populi Christiani bis quotannis cogita. In hisce controversiæ ac causæ omnium secundum Christi Servatoris nostri legem, & placita Evangelii, Paulique Legati Christi scita, cognoscantur.*

Carolus Magnus in Legibus Ecclesiasticis Parisiis Ann. 1550. excusis statuit: *ut soli Canonici libri in Ecclesiis legerentur*, & cap. 76. præcipit, *ne Episcopi & Parochi figmenta hominum & quidquam ex suo sensu, sed purum Dei verbum prædicent populis, curentque se exercere in scientia veritatis, ut verbum Dei currat, crescat & multiplicetur & superstitiones eradicentur.* (Judicavit ergo Scripturam sacram esse unicam veritatis normam.)

Petrus de Alliaco in prolog. sentent. q. 1. art. 2 *Ad Scripturas fit ultima resolutio Theologici discursus, & ex illis primo singulæ controversiæ Theologicæ deducuntur.*

Lyranus in præfat. Tobiæ: *Sicut in disciplinis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: sic in Scripturis à Catholicis Doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ ex divina revelatione, cui nullo modo potest subesse falsum.* (Si de Scripturis Doctorum, quantum ad ea, quæ fide tenenda judicandum unice ex Canonicis Scripturis, utique illæ sunt unica norma & regula.)

Idem in cap. 4. Deut. *Sicut ea, quæ manifestissime sequuntur ex principiis per se notis absque hæsitatione tenentur, tanquam per se vera, quæ autem repugnant, repudiantur tanquam falsa: sic ea, quæ sequuntur ex divina Lege, debent tanquam vera approbari, & quæ repugnant, tanquam falsa repudiari.*

Gerson p. 1. de dist. verarum visionum à falsis: *Est sacra Scriptura locus vel officina, ubi cuneus regius monetæ spiritualis reconditur. Quod si in aliquo vel minimo puncto denarius discrepet, in sua figuratione absque dubio falsatus est.*

Alphonsus Tostatus in cap. 4. Genes. p. 16. *Cum in omni veritate veritas divina sit certior & immutabilior, ergo omnes aliæ debent regulari per illam & in quantum conformantur illi sunt vera, in quantum autem ab illa deviant, deviant à Natura veritatis.*

Idem in Indic. 177. f. b. *Soli sacræ Scripturæ & non alii adhibenda est firma fides.*

Petrus Cantor Paris. in lib. de verbo abbreviato: *Recurrendum est magis ad testimonium & Legem divinam, ut ex ea alleges vel ex æquitate manifesta, vel viva ratione probes, quibus nulla unquam autoritas possit refragari.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 18. §. 13. *Infinita & superstitiosa dubia in Scholis & Cathedris moventur &c. in quibus vere totus studiorum decursus inutiliter & vane consumitur, quo fit, ut pauci textus Biblia, ceu doctrinæ certæ, & fundamento stabili, & veritati inconcusse incumbant, sed plures in sabulo dogmata construunt mox ruinosa, nec non fructu neglecto folia carpunt, & cortice disputationis contentiosæ detenti medullam divinæ sapientiæ in sacra & authentica Scriptura ultro se offerentem pertranseunt. Non attendunt istam legalem Augustini sententiam dicentis; Ego solis eis libris, qui Canonici appellantur, hunc honorem deferri didici, ut nullum Scriptorem eorum errasse firmissime credam &c.*

Alphonsus à Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 2. f. 4. *His omnibus* (Scripturis sacris) *fidem integram præstare debemus, nec eis magis quam Deo illarum autori refragari licet. Harum ergo Scripturarum testimonia tanquam prima in hac scientia principia, & velut arma omnibus communia suscipienda sunt, quibus & hæreticum te tueri oportet, & nos adeo adversus eundem pugnare. Est enim sacra Scriptura turris David cum propugnaculis munita, ex qua mille clypei dependent, omnisque armatura fortium. Hæc est etiam torrens, unde David lapides sumsit, quibus superbum Goliath prostravit.*

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 7. circa princ. succenset illis, qui *Scripturam sacram cereo naso in utramque partem flexibili comparant, quo pacto & autoritatem Scripturæ detrahi, & majestatem divinorum oraculorum obscurari* asserit.

Johannes Driedo lib. 1. de dogm. var. cap. 1. *Ex quibus* (Scripturis) *tota Sanctorum Schola, tota Prophetarum & Apostolorum Ecclesia fidei nostræ assertiones constare voluerunt, & quarum sententias in dubium revocare judicarunt esse nefarium, ex quibus tota salutis nostræ via discenda est, ex quibus quotidianus vitæ nostræ panis est colligendus, ex quibus haurienda sunt sapientiæ salutaris pocula, ex quibus Dei voluntas, sapiētia, misericordia, bonitas & justitia est investigāda, ex quibus etiā corroboranda est omnis orthodoxæ fidei veritas.*

4. Quod agnoscunt Scripturam sacram esse Canonem ac regulam fidei & vitæ. Nam juxta Isidorum lib. 6. etymol. cap. 16. allegatum in c. Canon. dist. 3. *Canon Græce, Latine regula nuncupatur. Regula autem dicta est ex eo, quod recte ducit, nec aliquem aliorsum trahit. Alii vero dixerunt regulam dictam vel quod regat, vel quod normam recte & bene vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat.* (Quod si ergo Scriptura sacra est canon & regula utique omnes illas utilitates exhibet, recte nos ducit in via veritatis, regit fidem & vitam, normam recte vivendi præbet, quod vel in fidei confessione vel morum conversatione distortum corrigit.)

c. Sancta dist. 15. ex Gelasio. *Sacra Romana Ecclesia post illas V. & N. Test. Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet* (regulariter, h. e. pro regula fidei & morum.)

c. Non afferamus, caus. 24. q. 1 ex Augustin. lib. 2. de Bapt. cap. 6. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes: Hoc grave est, hoc leve est, sed afferamus divinam stateram de Scripturis sacris tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus,* (apud Augustinum additur, *imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.*)

Thomas lect. 1. in 1. Tim. 6. *Doctrina Apostolorum & Prophetarum Canonica dicitur, quia est quasi intellectus nostri regula.*

Idem 1. 2. q. 90. art. 1. *In unoquoque genere id, quod est principium, est mensura illius generis, sicut unitas in genere numeri & motus primus in genere motuum.* (At Scriptura est principium in rebus fidei. Ergo etiam mensura fidei.)

Aquilan. 1. sent. dist. 7. q. 3. art. 3. Tataret. 1. sent. dist. 8. q. 3. *Unumquodque mensuratur per id, quod est perfectissimum in suo genere.* (Jam vero Scriptura est principium fidei summum & perfectissimum. Ergo est fidei mensura & quidem perfecta.)

Brito in expositione prologi B. Hieronym. super librum Tobiæ (in operibus Nicol. Lyran. part. 2. f. 283.) *Biblia recte canon dicitur, nam canon Græce, regula dicitur Latine, unde Biblia dicitur canon, i. e. regula, eò quod regat, & quod normam recte vivendi præbeat vel distortum, pravumque ad modum regulæ corrigat.*

Johannes Ferus in Exam. Ordinand. fol. 18. *Scriptura dicitur Canonica, id est, regularis, quia à Deo nobis data vitæ & veritatis regula, qua omnia probemus & juxta quam vivamus.*

Andradius lib. 3. defens. Conc. Trident. p. 258. minime sibi displicere dicit eorum sententiam, qui *Scripturæ libros ideo Canonicos vocari statuunt, quia pietatis, fidei & religionis canonem, hoc est, regulam atque normam è cœlis summo Dei beneficio ad nos delatam continent amplissimam.*

Matthias Bredenbachius in lib. de dissid. Ecclesiæ componendis lit. G. 6. *Scripturam Ecclesiæ à Deo traditam dicit tanquam regulam, ad quam tanquam ad amussim, aut quod dici consuevit, Lydium lapidem omnium hominum tum vitam, tum fidem, tum doctrinam exigere atque examinare debet.*

Guillandus Doctor Parisiensis in 2. Petr. 1. *Ut lucerna*

posita in obscuro loco viam aperit transeuntibus, ne impingant, & tenebras evadant, ita Scriptura attenta & fideli mente lecta lectoribus, ne usquam offendant, quod à veritate abducat, viam veritatis aperit & è senticosis haereticorum diverticulis avertit.

Cornelius Jansenius in Psal. 119. *In praesentis vitae tenebris, atque in affectuum nostrorum nocte verba legis tuae rectam mihi virtutis viam commonstrant, ne deviem, impingam & cadam, quemadmodum contingit iis, qui in tenebris illis sine lucerna legis tuae ambulant, secundum praescriptum legis tuae non viventes.*

Genebrardus in eund. locum: *Verbum Dei est lux, lucerna, lumen: quoniam ad Deum dirigit in agendis, credendis, sperandis, amandis: & ducatum praestat, ne usquam offendamus & labamur in vita hujus tenebris: neve aberremus ab ea via, quae ducit ad beatam vitam, est enim fidei & vitae regula, monstrans viam in tenebris mundi ad vitam aeternam.*

Toletus in cap. 2. Rom. v. 20. *Formam scientiae & veritatis, id est, regulam agendorum & credendorum in lege ipsa & Scriptura habes.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 30. p. 754. citat & approbat illud Faustini, de fide contra Arianos. *Scripturae divinae ob hoc editae sunt, ut secundum illarum sensum nostram fidem erigamus.*

p. 755. citat & approbat illud Benedicti Abbatis in Reg. cap. 73. *Quae pagina aut quis sermo divinae autoritatis, veteris ac novi Testamenti non est rectissima norma vitae humanae.*

Lorinus in Comm. Act. 17. v. 12. de Beroensibus. *Laudantur à Luca, qui quotidie scrutabantur Scripturas, si ita se haberent, quae ipsis praedicabantur.* (Ergo juxta Scripturae normam de praedicatione Pauli judicabant.)

Salmero tom. 1. proleg. 1. fol. 4. *Sacrae Scripturae Canonicae appellantur, quia bene vivendi & recte credendi sunt regula; deinde quoniam omnes alias doctrinas, leges, Scripturas, sive sint Ecclesiasticae, sive Apocryphae, regere ac moderari debent. Nam quatenus illis consentiunt, aut certe non dissentiunt, eatenus admittuntur, repudiantur vero aut reprobantur, quatenus vel in minimo contradicunt.*

Leonhardus Marius tom. 1. oper. in proleg. sect. 8. n. 20. ex Irenaei lib. 6. cap. 69. definit Scripturam τὸν κανόνα ἀληθείας ἀκλινῆ, *regulam veritatis indeclinabilem.*

Didacus Stella tom. 2. in cap. 10. Luc. fol. 23. b. *Dominus arguit Israelitas per Esaiam dicens: Os Domini non interrogastis. Deus enim est qui loquitur nobis in Scriptura, & ad illum recurrendum nobis est, ut videamus, quid sit scriptum in Lege, haec namque nos illuminat, nos instruit, & viam dirigit & quid faciendum, quidve fugiendum docet. Inde in Proverbiis: Mandatum lucerna est & lex lux. Et Dominus in Evangelio Iohannis: Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis viam habere.*

Adamus Gonzenin qq. procemialibus in quatuor Evang. q. 6. §. 2. Scripturam vocat *normam ac certissimam regulam religionis & pietatis.*

Sanctius in Comm. Esa. 8. *Cum eò venerunt insaniae, ut de Pythonibus consulendis cogitaverint, jubet, ut remittantur ad legem & ad testimonium. Qui non fecerint juxta verbum hoc praescriptum, non erit illis lux clara & matutina, per quam felicitas intelligitur, sed vivent potius in tenebris, vel quia caecis semper errabunt vestigiis abducti post errorem; vel quia nihil illis continget non adversum.*

Bellarminus in orat. habita Romae loco praefat. tom. 1. praemissa. *Convenit inter nos & omnes omnino haereticos, verbum Dei esse regulam fidei, ex qua de dogmatibus judicandum sit.*

Idem lib. 1. de verbo Dei cap. 1. *Prophetici & Apostolici libri &c. sunt verum Dei verbum & certa ac stabilis regula fidei.*

Idem cap. 2. probat ex eo, *quod Moses, Propheta, Christus ipse, Iohannes Baptista & Apostoli vel divina dogmata ex Scripturis ipsi confirmabant, vel certe ad Scripturas legendas alios hortabantur.*

Ibid. *Sanctus Moses controversias exortas in populo Dei, ex Lege Domini dijudicandas docet satis aperte. Deuter. 17. Christus Pharisaeos non ad Spiritum aliquem internum, sed ad Scripturas divinas rejicit, Ioh. 5. Iohannes Baptista testem legationis suae Esaiam Prophetam adhibuit, Iohan. 1. Beroenses, cum Paulum Apostolum audivissent, quotidie scrutabantur Scripturas, si haec ita se haberent, Act. 17.* (Illis omnibus Scriptura fuit fidei regula.)

Idem lib. 4. de verbo Dei cap. 12. §. Dico secundo. *Scriptura etsi non est facta praecipue, ut sit regula fidei, est tamen regula fidei.* Et postea: *Quia Scriptura est regula, inde habet, ut quicquid continet sit necessario verum & credendum, & quicquid ei repugnat, sit necessario falsum & repudiandum.*

Ibid. *Augustinus dicit, Scripturam esse regulam, ad quam examinari debent scripta veterum Patrum, ut ea recipiamus, quae Scripturae consona sunt; illa rejiciamus, quae Scripturae adversantur.*

Jesuitae in Colloq. Ratisbon. p. 12. *Scriptura est norma infallibilis* (addunt quidem, quod *nec sola*, *nec unica sit norma*, sed quid de hac limitatione statuendum sit, patet ex dictis. Canon definiente Varino est μέτρον ἀδιάψευστον, πάσαν προσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. Quod si ergo Scriptura est *vera & infallibilis mensura*, utique etiam respectu rei mensuratae, i. e. credendorum est perfecta nullam additionem vel detractionem admittens.)

Michael Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 3. v. 4. exposit. 2. *Lapis Lydius, ad quem probanda sunt, quaecunque revelata feruntur, est sacra Scriptura, quam dictavit Spiritus sanctus.*

5. Quod invicem non consentiunt, quid per verbum ἄγραφον, quod una cum verbo scripto normam statuunt, accipiendum sit.

Bellarminus solas traditiones per illud intelligit, sic enim scribit lib. 4. de verbo Dei cap. 13. *Totalis regula fidei est verbum Dei sive revelatio Dei Ecclesiae facta, quae dividitur in duas regulas partiales, Scripturam & Traditionem.*

Idem statuit Becanus in lib. de Judic. controvers. p. 12. *Catholici docent, normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia, non esse solam Scripturam, sed Scripturam & Traditionem simul.*

Sed Jesuitae Bavarici in Colloq. Ratisbonensi praeter Scripturam tres alias normas proponunt, videlicet *traditiones, Ecclesiae definitiones & Doctorum orthodoxorum consensum.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Comm. Disp. 1. q. 1. puncto 7. §. 42. col. 302. pro norma commendat 1. *Scripturam sacram.* 2. *Traditiones antiquas.* 3. *Definitiones Conciliorum.* 4. *Consensum Patrum.* 5. *Consensum fidelium,* ibidemque in Papae arbitrio relinquit, ut vel hanc vel illam vel istas regulas consulat, quatenus requirat ratio subjectae materiae.

Idem in Analysi fidei p. 332. sic disserit: *Si Pontifex determinaturus est dogma aliquod, ut divinitus relatum,* (revelatum) *illa consulat oportet, quibus divina revelatio integra atque pura custoditur: cujus generis est primo Scriptura sacra, ut quae tota est revelatio divina. Secundo traditio Apostolica, quae & ipsa quaedam revelatio est, tametsi non consignata literis. Tertio definitio priorum Pontificum & Conciliorum. Quarto concors sententia Patrum ac Doctorum omnium. Quinto quadam etiam ratione consensus fidelium.* (Sic ergo tria addit Valentianus verbo Dei scripto & non scripto, quae sint velut regulae definiendi, quibus Pontificum definitiones inniti soleant, ut loquitur.)

Quinimo praeter haec media Pontifex adhuc peculiarem aliquam Spiritus sancti revelationem expectandam esse docuit, antequam controversiam de immaculata B. Mariae conceptione definire vellet, ut constat ex Legatione Hispanica Antonii de Treio.

6. Denique quod tales ponunt regulae proprietates, quae soli Scripturae conveniunt.

Bellarminus lib. 3. de grat. & lib. arbitrio cap. 8. §. Postrema ratio &c. sic disserit. *Regula debet esse immobilis, uniformis, determinata, necessaria, alioqui perniciosa esset & Lesbiae regulae similis, quae ut Philosophus testatur lib. 5. Ethic. cap. 10. quod plumbea esset, facile flectebatur in varias partes.*

(Subsumimus: Verbum Dei scriptum est immobile, uniforme, determinatum, necessarium. Bellarm. lib. 1. de verb. Dei cap. 2. §. At sacris &c. *Sacris Scripturis, quae Propheticis & Apostolicis literis continentur nihil est notius, nihil certius.* Ergo verbum Dei scriptum est *regula credendi & quidem certissima ac tutissima*, ut Bellarm. ibidem. §. Quare &c. loquitur. Contra vero traditiones non sunt immobiles, uniformes, determinatae, necessariae. E. non sunt regula, & per consequens sola Scriptura est regula.)

Exceptio Advers. *Scriptura est quidem fidei regula, verum non totalis, sed partialis. Totalis enim regula fidei est verbum Dei sive revelatio Dei Ecclesiae facta, quae dividitur in duas regulas partiales, Scripturam & Traditionem.* Bellarm. d. l.

Resp. Huic exceptioni opponimus

1. Testimonia eorum, qui Scripturam non simpliciter tantum vocant *regulam*, sed cum προσδιορισμῷ regulam *integram, sufficientem, unicam, cui nihil liceat addere,* quae enumerata sunt membro 2. hujus capitis.

2. Testimonia eorum, qui Scripturam agnoscunt esse *perfectam* in tradendis necessariis ad salutem, quae enumerata sunt in cap. praec. Si enim Scriptura perfecte nos informat de ne-

de necessariis ad salutem, utique est perfecta fidei & vitæ regula.

3. Dicta piorum veterum, in quibus negant regulam propriè dictam posse dici partialem. Basil. lib. 1. contra Eunom. *Canon & regula, quamdiu nihil ei deest ad id, ut sit Canon & regula, nullam recipit additionem, qua accuratior fiat, additio enim fit propter defectum, ubi vero defectus, non regula amplius, non Canon appellentur.* Theophylact. in cap. 3. Phil. *Regula & amussis nec appositionem habet nec diminutionem.* Confer Photium apud Oecumen. in cap. 3. Phil.

4. Bellarminus libr. 1. de verbo Dei cap. 2. ex eo probat, *Propheticos & Apostolicos libros esse certam ac stabilem regulam fidei, quia Moses, Prophetæ, Christus, Iohannes Baptista & Apostoli divina dogmata ex Scripturis confirmabant, vel certe ad legendas Scripturas alios exhortabantur, nec ullum unquam ad interni Spiritus judicium neglectis Scripturis remiserunt*, quo fine adducit multa Scripturæ dicta, utpote Deut. 17. Esa. 8. Malach. 2. Psal. 118. Luc. 4. Marci 12. Matth. 22. Joh. 5. Act. 17. 2. Petr. 1. 2. Tim. 3. Subsumo: Moses, Prophetæ, Christus & Apostoli ad solas Scripturas sacras auditores suos remittunt, & ex illis solis doctrinam suam confirmant, ut argumenta nostræ sententiæ superius adductæ demonstrant. Ergo Scriptura sacra non solum est *certa & stabilis*, sed etiam *unica* & *perfecta* fidei norma. Item. Ut Moses, Prophetæ, Christus & Apostoli neminem unquam in rebus fidei ad internum Spiritus judicium remiserunt, ita quoque neminem ad incertas & dubias traditiones extra Scripturam remiserunt. Ergo sola Scriptura est perfecta fidei regula.

5. Idem Bellarmin. lib. 4. de verbo Dei cap. 12. ex Augustino docet, *Scripturam ideo dici & esse fidei regulam, quia ad eam examinari debent scripta veterum Patrum, ut ea recipiamus, quæ Scripturæ consona sunt, rejiciamus, quæ Scripturæ adversantur.* Atqui si Patrum scripta ad regulam Scripturæ sacræ examinari debent, utique etiam omnium in Ecclesia Doctorum scripta & dicta, cum omnium hac in parte sit par ratio, & per consequens sola Scriptura est & manet unica & sufficiens fidei regula.

6. Idem Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 12. scribit: *Regulam fidei debere esse unum opus continuum*: (cum eo parum congruit, quod ibidem contendit, *Scripturam esse regulam partialem, & verbum Dei complectens Scripturam & traditiones esse totalem fidei regulam.*)

Argum. Advers. *Si præcipuus finis Scripturæ esset, ut sit regula fidei, continere deberet omnia & sola illa, quæ ex se ad fidem pertinent, sicut videmus factum esse in Symbolo. At in Scripturis plurima sunt, quæ ex se non pertinent ad fidem, ut patet de omnibus Historiis Test. V. de multis etiam Historiis Evangelii & Actuum Apostolorum, de salutationibus Pauli in Epistolis, aliisque id genus rebus.* Bellarm. loco proxime citato.

Resp. Johannes XXII. in Extrav. tit. 14. cap. 5. Quia quorundam &c. statuit, *quædam directè pertinere ad fidem, ut articulos nostræ fidei, quædam reductive seu per viam consequentiæ pertinere ad fidem, ut credere quicquid continetur in Scripturis.* Verba decreti sic habent: *Dicant nobis, ubi legunt assertiones hujusmodi, quod ad fidem vel mores pertineat, Christum & Apostolos non habuisse in iis, quæ habuerunt, nisi simplicem usum facti? Profecto directè hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, ut patet in Symbolis, in quibus articuli fidei continentur, nec etiam reductè, ne quasi hoc sacra Scriptura contineat, quo negato tota Scriptura redditur dubia, & per conseq. articuli fidei, qui habent per Scripturam probari, redduntur dubii & incerti &c.* (Quamvis ergo plura in Scriptura tradita sint, quam quæ ex se & directe pertinent ad fidei articulos, quæque ad salutem omnibus scitu sunt necessaria, tamen ex eo inferri nequit, Scripturam non esse eo fine præcipue editam, ut sit regula fidei, quia illa omnia reducuntur ad articulos fidei & morum præcepta, proinde per illa quæ uberioris explicationis & confirmationis gratia adducuntur, Scripturæ finis & proprius haudquaquam tollitur.)

CAPUT III.

De Iudice Controversiarum in Ecclesia.

QUia Scriptura sacra est unica & perfecta norma ac regula, juxta quam in controversiis fidei judicandum, ideo etiam recte vocatur *Iudex controversiarum* in Ecclesia, sensu scilicet eo, quod sit vox supremi Judicis Spiritus sancti; & norma, juxta quam inferiores judices pronunciare debent, sicut in Republica lex est vox supremi judicis & norma, juxta quam inferior judex sententiam ferre debet. Esto igitur

Thesis tertia. *Scriptura sacra est judex controversiarum in Ecclesia.*

Ἔκθεσις. 1. Duplex est controversiarum Theologicarum judex, *absolutus & principalis*, qui est Deus ipse summus Scripturæ autor, vel quod idem est Spiritus sanctus, quia in operibus ad extra nominata una persona Trinitatis non excluduntur reliquæ; & *ministerialis ac inferior*, qui juxta superioris judicis vocem sententiam suam unice conformare debet.

2. Judex ministerialis & inferior est Ecclesia, inque ea præcipue Pastores & Doctores Ecclesiæ, quorum munus est de controversiis fidei ex Scriptura judicare.

3. Scriptura sacra est tum vox judicis absoluti & principalis, tum norma ac regula, quam judex ministerialis & inferior unice respicere, ac juxta eam judicare debet, unde vocatur *judex directivus*, respectu ad ministerialem & inferiorem judicem habito, quem dirigit in judicando, ne à veritatis tramite aberret. Quando ergo Scripturam appellamus judicem, tum illud fit sensu eo, ut significemus, ex ea controversiarum Theologicarum decisiones esse unice petendas.

4. Deus ergo utpote absolutus & principalis judex judicat ἐξοχικῶς & *αὐθεντικῶς*; Scriptura ut judicii norma *κανονικῶς*; Ecclesia ut judex ministerialis & inferior *διακονικῶς*.

5. *Ministerialis judex* docendi causa duplex statui potest *publicus & privatus*. Publicus judex est Ministerium Ecclesiasticum; privatus est membrum aliquod Ecclesiæ, persona sc. privata.

6. Quidam hancce adhibent distinctionem, Judex est vel ὀργανικὸς sive *instrumentalis & realis*; vel *διακονικὸς, Ministerialis & personalis.* Scripturam non dicimus esse *judicem Ministerialem & personalem*, sed *instrumentalem & realem*, quia est judicis supremi vox ac Ministerialis judicis norma, quam in judicando debet sequi.

7. Scriptura judicat 1. *directivè*, quia cum ad eam examinantur religionis Christianæ capita, judicem inferiorem tum publicum tum privatum dirigit, ut certū & infallibile ferre possit judicium, quatenus juxta hanc normam judicat. 2. *definitivè*, quia tanquam vox supremi judicis dubia religionis definit ac determinat. 3. *coactivè*, non quidem vi & externa coactione corporis, sed interna tractione cordis, qua Spiritus sanctus per Scripturam sacram partes litigantes in conscientiis suis convincit.

8. Quamvis Scriptura in judicando non utatur lingua articulata beneficio linguæ formata, sicut judex personalis inferior; non tamen destituitur voce scripta ac typis exarata, quæ est vocis articulatæ succedanea, unde *Mosen & Prophetas audire* jubemur, qui hodie non lingua sed Scriptura vocem edunt Luc. 16. v. 29.

9. Distinguendum igitur inter judicis sententiam sermone enunciato prolatam, & inter sententiam sermone scripto exhibitam, vel typis exaratam. Scriptura non priore sed posteriore modo sententiam judiciariam profert. Non statuimus, Scripturam judicare, quomodo solent Judices Politici, ipsas personas nominatim examinantes & condemnantes, sed tantum, quatenus est regula vel jus scriptum, cum quo quicquid non convenit, rejici debet, tam judicio cujusque fidelis juxta regulæ illius directionem, quam judicio Ecclesiæ publico, cum res id postulat.

10. In *judicio spirituali* de veritate credendorum ad convincendum intellectum & conscientiam tranquillandam non sunt requirendæ omnes *humanorum judiciorum* formulæ: neque judicii divini valor exigendus est aut ponderandus ad praxin eorum, quæ observantur in jurisdictionibus hominum, vel ad aliorum infirmitatem sublevandam, vel ad varias fraudes præcavendas, cum in Deo & ejus verbo locum non habeant, quæ in hominum sive testimoniis sive placitis sæpe reprehenduntur. In *judicio humano* nemo simul potest esse accusator, testis & judex simul; sed in *judicio divino*, quod per Scripturam exercetur, hæc omnia simul sunt conjuncta.

11. *Autoritas judicandi infallibilis*, quam Pontificii in Ecclesia requiri perpetuo urgent, dupliciter intelligi potest: Uno modo, ut *ad judicem* accommodetur, qui viva voce litem dirimat ac sententiam pronunciet, quam non liceat examinare aut in dubium vocare: altero modo, ut transferatur *ad normam*, regulam, seu legem, quæ infallibiliter, quod docendum, agen-

agendumve sit, proponat, & juxta quam de rebus divinis judicium ferri opus sit, à quocunque etiam sententia concipiatur & promulgetur. Alterutram autoritatem infallibilem in Ecclesia oportet esse vel *judicis*, vel *normæ*. Sufficit autem posterioris generis autoritatem infallibilem in Ecclesia præstò esse, hæc enim quicquid prior illa præstare posset, præstabit, ejusque ratione satis prospectum erit hominibus: Huic namque tanquam divinæ & infallibili regulæ innititur fides; hac omnes hæreses, quæ non congruunt ad regulam, damnantur.

Antithesis. Alphons. de Castro lib. 4. adv. hæreses verbo Concilium: *Christus non dixit, Scrutamini Scripturas, quia illæ judicium ferunt de me, sed quia testimonium perhibent de me. Ergo Scripturæ tantum tenent locum testium, non judicis.*

Johannes Fischerus Roffensis Episcopus in Confut. Luther. art. 28. col 592. *Tu Scripturam vis esse judicem, sed hanc rationibus plurimis ostendimus judicem fieri non posse.*

Conradus Clingius lib. 3. Loc. Commun. cap. 11. p. 216. *Is judex in Ecclesia, ut hæretici moliuntur, non potest esse Scriptura sacra. Nam neque apud Iudæos lex ipsa erat judex, & maxime quando de verbis legis contentio agebatur.*

Matthias Bredenbach. de dissid. Eccles. componendis. *Neque enim Scriptura est judex Ecclesiæ, sed Ecclesia & judex & interpres est Scripturæ.*

Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 9. *Non ignorabat Deus multas in Ecclesia exorituras difficultates circa fidem, debuit igitur judicem aliquem constituere. At iste judex non potest esse Scriptura.*

Gregorius de Valentia in anal. lib. 5. cap. 1. & 2. multis probare conatur, quod *Scriptura sacra omnium fidei controversiarum judex esse non possit.*

Costerus in Enchir. p. 133. *Si Scripturam solam Christus nobis judicem reliquisset, hoc judice non satis provisum & consultum fuisset Ecclesiæ.*

Theologi Bavarici in Colloq. Ratisb. sess. 7. p. 168. edit. Laving. *Sacra Scriptura non est judex omnium controversiarum fidei & religionis Christianæ.*

Gretserus in eodem Colloq. sess. 9. p. 292. *Sumus in conspectu sacræ Scripturæ & Spiritus sancti. Pronunciet sententiam, & si dicat, Tu Gretsere male sentis, cecidisti causa tua. Tu Iacobe Heilbrunnere vicisti, tunc ego statim transibo ad vestrum scamnum. Adsit, adsit, adsit & condemnet me.*

Becanus lib. de Jud. controvers. p. 17. *Duo probanda sunt. Vnum est, quod Scriptura, si literam spectes, non possit esse judex controversiarum. Alterum, quod neque si sensum spectes, possit esse judex.*

Bailius Jes. in Catech. Controv. tract. 1. q. 8. *Scriptura testis mutus est tantum, lex & edictum cui interpretatione opus est. Quis unquam vidit testem esse judicem.*

Nostram sententiam confirmamus ex eo. 1. Quod in Scriptura & per Scripturam Deus nobis loquatur, & suum de controversiis fidei judicium nobis manifestet Matt. 22. v. 32. & 43. Luc. 16. v. 27. Rom. 3. v. 19. Gal. 4. v. 30. utique ergo est *vox judicis*, & proinde etiam certo respectu judex in fidei controversiis.

2. Quod partes judicandi Deus ipse verbo suo & quidem scripto diserte tribuat. Ps. 148. v. 9. Esa. 2. v. 4. Dan. 7. v. 10. Johan. 12. v. 48. Rom. 2. v. 16. Hebr. 4. v. 12. Apocal. 20. v. 12. quo pertinet, quod verba Domini in Scripturis contenta vocantur *judicia Domini* Exod. 24. v. 3. Levit. 18. v. 4. *judicia oris Domini* Psal. 105. v. 5. Psal. 119. v. 3. &c.

3. Quod Scriptura sacra sit unica, immota & infallibilis norma, juxta quam ministerialis judex de controversiis fidei pronunciare debet, utique ergo eo sensu & respectu recte vocatur judex.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam judiciarias partes Scripturæ tribuunt.

Bernhardus serm. 65. in Cant. *Evangelium appellasti, ad Evangelium ibis.*

In Concilio Basileensi tale decretum fuit factum. *Lex divina, praxis Christi, Apostolica & Ecclesiæ unà cum Conciliis & Doctoribus fundantibus se veraciter in eadem pro verissimo & indifferente judice in hac Basileensi Synodo admittantur.*

Dalburgius dixit, *quatuor judices minime suspectos Concilio esse præficiendos, Hebræa, Græca, Latina & Germanica Bibliorum sacrorum exemplaria.*

Andradius in defens. fid. Trident. lib. 2. p. 122. *Scripturam sacram controversiarum judicem constituimus, non quidem quod omnia in ea necessaria contineantur, sed quia pro nefariis & sacrilegis illa habenda sunt, quæ ipsi quovis modo repugnant.*

Ibid. f. 213. *Cum libri sacri præcipui controversiarum sint judices, atque præstò esse debere Augustinus dixerit, cum quævis de religione quæstio existeret, ut si quæ ex illis proferri possent certa documenta, res ad inquisitionis terminum perducta esse videretur &c. liquet sane in quæstionibus, quæ apertis sunt Scripturæ testimoniis constitutæ, nihil esse amplius inquirendum.*

Johannes Ferus in Comm. Johan. 12. *Sermo, quem locutus sum, judicabit eum. Potest hoc intelligi de verbo Evangelii, quod Christus prædicavit. Sicut enim lex dicitur judicare latronem, quia ostendit eum judicio & supplicio capitali dignum esse: ita quoque opera Christi & verba judicabunt infideles, quia aperte prodent eos æternâ condemnatione dignos esse*, quæ verba repetit Salmeron. tom. 8. Comment. tract. 57.

Ad locum egregium Optati Milevitani lib. 5. de schism. contra Parmen. (*Dubitatur, an post Trinitatem in eadem Trinitate Baptisma geminare liceat? Vos dicitis, licet. Inter licet vestrum & non licet nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis. Omnes contentiosi sumus. Quærendi sunt judices, si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris ergò quærendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Iudæus, inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium: de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio Testamentum? Quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est quod quivis hominum habens numerosos filios, his quamdiu præsens est pater, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium Testamentum. Sic & Christus, quamdiu in terris præsens fuit (quamvis nec modo desit) pro tempore quicquid necessarium erat Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, cum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam rupta pace litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas duraturas; & si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur Testamentum: & qui in tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur vivus. Is cujus est Testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas ejus velut in Testamento, sic in Evangelio requiratur, &c.*) ad hunc, inquam, Optati locum sic annotat Balduinus, postquam ad partes Pontificiorum transiisset, in notis ad Optatum edit. Paris. apud Michaelem Sonnium Ann. 1567. *Nullus in hoc libro illustrior locus, quam ex libris Iurisconsultorum repetitus est, de Testamento, cujus testimonio de voluntate Testatoris judicari solet. Vt tali exemplo probet Optatus, ex tabulis sacrarum literarum dirimendam quoque etiam litem, quam movent Donatistæ. Augustinus, qui Optatum imitari solet, videtur simili usus argumento.* Mox subjicit duo Augustini loca ex enarr. 2. Psal. 21. & lib. 5. de hæres. huic Optati similia.

Bellarmin. lib 4. de verbo Dei cap. 11. §. Alium locum & ad dictum Basilii Epist. 80. *Non putamus æquum esse, ut quæ apud illos obtinuit consuetudo, pro lege & canone habeatur recta doctrina. Stemus itaque arbitratu à Deo inspiratæ doctrinæ*, respondet, *Basilium, qui ex contrariis consuetudinibus nihil certi haberi potuit, contra hæreticos provocasse ad Scripturam, quam nemo rejicere possit, cujus judicio utrique stare debeant.* (Concedit ergo in controversiis fidei ad Scripturã à consuetudine provocari posse, & Scripturæ judicio utrosq; tum hæreticos, tum Catholicos, stare debere.)

Estius in Comm. Hebr. 4 v. 12. *Nobis eorum sententia magis probatur, qui sermonem Dei interpretantur, quem Deus ad homines loquitur &c. Cum sermo Dei sit ipse Deus loquens, promittens, minas intentans; non mirum, si Apostolus ea omnia, quæ hic dicuntur, & Deo propria videntur, adscribat sermoni Dei. Ita hunc locum ediderunt post Chrysostomum, Theodoretus & Theophylactus, & inter recentiores Hesselius, Adamus & noster Galenus. Cui commentario multum probabilitatis accedit ex aliis Scripturæ locis, ubi similiter verbo Dei tribuuntur ea, quæ sunt Dei propria.* Et postea. *Non solum quid quisque cogitet in corde suo, verum etiam quâ intentione cogitet ac velit, exactissime novit, discernit ac judicat sermo divinus.*

Ghislerius in Cant. Cant. cap. 5. v. 2. exposit. 2. dictum hoc Apostolicum itidem accipit de verbo προφορικῷ.

Stapletonus, quamvis alicubi ex professo disputet, Apostolum Hebr. 4. v. 12. non de sermone προφορικῷ, sed ὑποστατικῷ agere, sui tamen oblitus & fulgore veritatis convictus lib. 11. de princip. cap. 2. sic scribit: *Quia Scriptura divina sensu intellecta & credita ad salutem animæ æternam facit, nec solum vana scientia pascit, ut cæteræ humanæ Scripturæ, propterea dicitur Evangelium virtus esse ad salutem & sermo Dei vivus & efficax.*

2. Quod

2. Quod Christum in verbo suo scripto ad nos loquentem judicem constituunt. (Perinde enim est, sive dicamus, Christum in verbo & per verbum ad nos loquentem esse judicem, sive dicamus verbum Christi ad nos loquentis esse judicem, cum Christus judiciariam suam sententiam non pronunciet nisi in verbo & per verbum, cumque verbo ideo tribuantur judiciariæ partes, quia est Christi judicis verbum. Sic Rom. 11. v. 32. *Deus* dicitur *concludere omnes sub incredulitate*, & Galat. 3. v. 22. *Scriptura* dicitur *omnia concludere sub peccato*; nimirum quia Deus voce Legis accusantis omnes concludit sub incredulitate, & Scriptura sive scripta Dei Lex omnes concludit sub incredulitatis peccato.)

c. Si solus. dist. 8. ex Cypriano. *Si solus Christus* (in Scripturis ad nos loquens, ut ex toto contextu apparet) *audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam Prophetam Deus loquatur & dicat, sine causa me colunt mandata & doctrinas hominum docentes.*

Lyranus in cap. 12. Joh. ad verba: *Sermo, quem locutus sum &c. Ostendit Christus, quis sit iste judex, quando dicit, sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Sicut enim lex civilis dicitur judicare latronem, in quantum ostendit eum dignum judicio & condemnatione, sic facta Christi & ejus doctrina judicabunt infideles, quod ostendent eos dignos condemnatione, sed quia ipsemet Christus judicabit effective in adventu secundo, ideo sequitur, quia ex meipso non sum locutus, propter hoc enim sermo Christi ostendet infideles condemnabiles, quia procedit ex infallibili veritate, sc. à Deo Patre.*

Huc referri potest, quod agnoscunt, Mosen, id est, Mosaicam Scripturam condemnare impœnitentes & incredulos. (Hæc enim condemnatio est actus judicialis.)

Thomas in cap. 5. Johan. super verba: *Est qui accusat vos Moses. Accusat eos Moses dupliciter. Materialiter, quod ex hoc quod prætergressi sunt mandata ejus, sunt accusandi. Rom. 2. Quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Item accusat eos, quod Moses & alii sancti potestatem habebunt in judicio.*

Cornelius Jansenius in Harm. cap. 36. *Dicitur Moses accusare Iudæos, quia declarat eos, suis scriptis, esse puniendos.*

Barradius tom. 2. Evang. Concl. lib. 6. cap. 8. *Dubium est, quonam modo Moses dicatur Iudæos accusare. Respondet sic Cajetanus, Mosen accusare Iudæos, est ex suis Scripturis suppliciis esse dignos ostendere propterea quod Christo non credant. Itaque Moses accusare creditur Iudæos libris, quos scripsit, quoniam Christum, quem illi prædicant, non recipiunt. Sensus ergo est. Ipse Moses in libris suis vos accusat: ipsa à Moyse de me scripta vaticinia vos reos faciunt, quoniam illis non creditis.*

Et postea. *Quod si quis velit, Moysen ipsum per se Iudæorum accusare incredulitatem, non magnopere repugnabo. Potuit enim fieri, ut Moses in limbo Patrum tunc existens notam haberet Iudæorum incredulitatem, & zelo permotus apud Deum accusaret. At verosimilius est, fuisse potius, ut illuminarentur Iudæi, oraturum, quam ut damnarentur, accusaturum. De libris igitur Mosis locus intelligatur.*

3. Quod Scripturam agnoscunt esse verbum & vocem Dei judicis supremi & infallibilis. (Ex eo enim immote sequitur, verbum illud in quo & per quod judiciariam suam sententiam Deus promulgat, esse judicem. Quoties ergo Scripturam vocant *verbum Dei, eloquia Dei, judicia Dei &c.* quoties dicunt, *Deum per Mosen, Esaiam, Prophetas & Apostolos loqui*, toties agnoscunt, agnoscere certe coguntur, Scripturam esse judicem, cum eo sensu Scripturam judicem dicamus, quia est vox summi judicis.)

4. Quod Scripturam agnoscunt *normam*, juxta quam inferior & ministerialis judex in fidei controversiis judicare debet. (Eo enim sensu Scripturam vocamus judicem, quia est norma judicii directiva.)

Dicta illa in cap. præced. sunt enumerata.

Argument. Advers. 1. *Scriptura est litera muta & mortua*, Bellarmin, Salmeron, Gordonus &c.

Resp. 1. Vulgata Bibliorum versio, quam Concilium Tridentinum pronunciavit authenticam, toties huic assertioni refragatur, quoties in ea leguntur hæc verba: *Quid dicit Scriptura? Nonne dicit Scriptura? Sicut dicit Scriptura.* Johan. 7. v. 38. & 42. Rom. 4. v. 3. cap. 8. v. 17. cap. 10. v. 8. Gal. 4. v. 30. Item *Moses dicit, Propheta dicit*. Matth. 1. v. 22. cap. 2. v. 15. Rom. 10. v. 16. & 20. &c. Item *lex dicit, lex loquitur*. Rom. 3. v. 19. cap. 7. v. 7. 1. Cor. 9. v. 8. &c. (Quamvis Scriptura non utatur viva voce, tamen quia viva vox non alium in finem usurpatur, quam ut sensum loquentis exprimat, & vero in Scripturis sensus loquentis Dei clarissime exprimatur, ideo eam mutam esse hactenus falsum est.) 2. Inferius lib. 2. art. 1. cap. 3. thesi 2. ex propria Adversatiorum Confessione demonstrabimus, Scripturæ sensum ex ipsa Scriptura erui & posse & debere, utique ergo Scriptura potest dicere, quis sit suus sensus. 3. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 3. *Convenit inter nos & adversarios, ex solo sensu literali firma argumenta peti posse.* Utique ergo literalis ille sensus ex Scriptura erui potest, alias ex eo non possent peti firma argumenta. (Conjungendum vero cum hac Bellarmini assertione pronunciatum illud Eccii in Enchir. cap. 4. circa fin. *Lutherani recipiunt Scripturas sacras, sicut Iudæi V. Test. quia insistunt solum sensui literali.* Ex sensu literali ducuntur firma argumenta, inquit Bellarminus. Lutherani insistunt solum sensui literali, inquit Eccius. Conclusio sponte emergit. Ergo Lutherani proferunt firma argumenta.) 4. Hac ratione etiam Traditiones, Decreta Conciliorum, Decretales Pontificum &c. erunt literæ mutæ & mortuæ.

2. *Scriptura varios sensus recipit, nec potest dicere, quis sit verus sensus.* Bellarm.

Resp. 1. Pelbartus in Rosario tom. 3. cap. de fide. *Licet Scriptura possit aliter exponi aliquo modo, saltem ad evadendum absque contradictione manifesta, tamen simpliciter loquendo non potest alio modo rationabiliter exponi, quin semper appareat expositio Catholica fidei rationabilior.* 2. Agrippa de vanit. scient cap. 100. *Scripturæ divinæ tanta est majestas, tanta energia, ut nullas externas, ne quidem Evangelicas glossas, patiatur, nec tanquam cera ad humanorum ingeniorum placita se flecti permittat, nec humanarum fabularum more in alios sensus tanquam Proteus aliquis transformari, sed sibiipsi sufficiens seipsam exponit. Unum, constantem & simplicem habet sensum, quo solo constat veritas, qui omnes argumentationum machinas elidens & dissipans dicere & fateri compellat, quia digitus Dei hic est.* 3. Melchior Canus lib. 3. Locor. cap. 2. *Fateor esse nonnulla Scripturarum loca, quæ in alium atque alium sensum trahi ne à contentiosissimis quidem possint.* 4. Maldonatus in Matth. 20. v. 1. *In hoc loco non videtur mihi alio Interprete, quam ipso Evangelista opus esse.*

3. *Iudex debet videri & audiri ab utraque litigantium parte, debet habere autoritatem coactivam, absque tali judice non est sperandus controversiarum finis.*

Resp. 1. Joh. Ferus in cap. 18. Joh. *Regnum Christi inter alias causas ideo negatur esse de hoc mundo, quia administratur alio modo, quam regnum mundanum, hoc enim administratur gladio materiali, regnum autem Christi non opus habet hoc gladio. Nam ejus gladius est verbum Dei.* (Ergo ex modo, quo controversiæ in politia terminantur, non est æstimandus modus, quo controversiæ in Ecclesia terminari debent, unde ipse Bellarminus lib. 1. de Roman. Pont. cap. 5. §. Secundum &c. disparitatem Ecclesiæ & politiæ ostendit.) 2. Idem Bellarmin. lib. 2. de Concil. cap. 19. *Non est mirum, si manet Ecclesia sine remedio aliquo humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex sit Deus. Potest ac debet Ecclesia supplicare, ac certum est, Deo curæ fore ejus salutem.* 3. Ibid. Bellarminus disputat, *Papam dubium & incertum haberi pro non Papa.* (At sæpius fuere Papæ plures. Quis tum fuit visibilis & authenticus judex in Ecclesia?) 4. Distinguendum inter *judicis officium* & *litigantis vitium*. Vincere & convincere est officium juste & prudenter judicantis, victum & convictum se nolle fateri est vitium pertinaciter ac pervicaciter litigantis. Sufficit, quod Scriptura possit erroris reos potenter convincere, Act. 18. v. 28. licet rei, se victos esse, exterius fateri nolint. Distinguendum etiam inter judicium Spiritus sancti in hac vita inchoatum in Ecclesia militante, & judicium Christi in die novissimo consummatum. In hac vita hæretici convicti & judicati sæpe sunt pervicaces & obstinati; in die novissimo erunt convicti, constricti ac confusi, pervicaciam suam serio, sed nimis sero agnituri.

4. *Scriptura est tantum testis mutus, lex & edictum, cui interpretatione opus est. Id sæpe Iudæis inculcavit Dominus. Scriptura testimonium perhibent de me. Quis unquam vidit testem esse judicem?* Bailius Jes. in Catech. controv. tract. 1. q. 8.

Resp. 1. Sanctius Jesuita ad cap. 16. Jobi v. 29. sic annotat: *In cœlo testis est meus & conscius meus in excelsis; quasi dicat: In terra minus æquos habeo judices, qui de mea causa incorrupte deliberent,*

rent, quia qua ego patior, ignorant, & ut aliena judicant, aut errore aut quovis affectu immoderatius abutuntur. At est in cœlis conscius & testis Deus &c. Deum itaque judicem appellat, qui cordis arcana probè novit. 2. Polychronius in catena Græca interprete Comitolo Jesuita cap. 11. p. 129. *Dei,* inquit, *judicium appello Is enim cum perfectè cognoscat omnia, neque ex iis, quæ videntur, sed ex ipsa veritate sententiam ferat, scilicet eorum, quæ à me dicuntur, testis esse potest.* (Sicut Deus est simul testis & judex, ita Scriptura, quæ est *Dei testimonium*, est etiam *ejus judicium*, unde Propheta Psal. 19. v. 119. eadem vocat *testimonia & judicia Dei.* Cùm Scriptura sit testis divinus, etiam judex est, quia Deus judicat, cum testatur. Inde non solum testificandi, sed etiam judicandi partes ei tribuuntur. Hebr. 4. v. 12.) 3. Quomodo Scriptura est testis & judex mutus, cum sit vox scripta? (Bellarmin. lib. 4. de verbo Dei cap. 11. §. Profert quinto &c. *non contenti vocibus scriptis*) & quidem *vox clamans*, (Bellarm. lib. 1. de V. D. cap. 2. §. Moses igitur &c. *Moses aperte docet, Esaias clamat.*)

CAPUT IV.

De Doctrina in Romana Ecclesia corruptione.

QUia Scriptura sacra est unica ac perfecta omnium fidei dogmatum *regula* & *judex* controversiarum in Ecclesia, ideo de cujusvis particularis Ecclesiæ integritate vel corruptione ex Scriptura ferendum est judicium. Quando doctrina in Ecclesia aliqua publice sonans Scripturæ est conformis, tunc Ecclesia illa merito judicatur ratione confessionis pura atque integra; quando vero doctrina in Ecclesia publice sonans cum Scripturæ regula non congruit, tunc Ecclesia illa merito judicatur corrupta. Quod si ergo statum Romanæ Ecclesiæ, qualis fuit tempore eo, quo Lutherus docere cœpit & qualis adhuc hodie est, intueamur, eundemque ad normam Scripturæ sacræ exigamus, manifestum erit, multa in ea proponi dogmata non solum *præter*, sed etiam *contra* Scripturam, ac proinde eam non esse amplius ratione confessionis puram atque integram, qualis fuit temporibus Apostolorum, sed multis modis corruptam ac depravatam. Esto igitur

Thesis quarta. *Doctrina, quæ in Ecclesia Romana tempore Lutheri publice sonuit, atque adhuc hodie in ea propagatur & propugnatur, non congruit omni ex parte Scripturæ, proinde etiam Ecclesia Romana est corrupta & per consequens opus habuit reformatione.*

Ecthesis. 1. Non dicimus, Ecclesiam Romanam penitus *defecisse*, ita ut nullus in Romanæ Ecclesiæ cætu salvari potuerit vel salvatus fuerit. Quemadmodum enim in Ecclesia Israëlitica per corruptum verbi Ministerium geniti fuerunt Deo *filii & filiæ* Ezech. 16. v. 20. ita quoque sub Papatu conservari potuit & vere conservata fuit vera Ecclesia. In mediis Papatus tenebris singulari Dei beneficio conservatus fuit *Codex Biblicus*, cujus quædam pericopæ publice fuerunt populo prælectæ & expositæ, atque integri quidam libri in Scholis enarrati, mansit etiam sub Papatu *Symbolum Apostolorum*, quod est epitome præcipuorum ac fundamentalium fidei Christianæ articulorum, mansit *Decalogus*, mansit *Oratio Dominica*, mansit *Historia passionis Dominicæ*, mansit *Baptismus* regenerationis Sacramentum, manserunt *quædam doctrinæ cœlestis capita incorrupta*. Ecquis vero dubitare potest per hæc media Spiritus S. in quorundam cordibus fuisse efficacem ad regenerationem & salutem? Si autem quidam vere pii & credentes manserunt superstites, utique etiam superstes mansit Ecclesia. 2. Idipsum, quod videlicet in Ecclesia Romana Papali jugo pressa conservatum fuerit Deo semen sanctum ac populus fidelis, demonstrari potest quatuor hominum generibus ad veram Ecclesiam pertinentibus. Primo *infantes baptizati* sunt pars Ecclesiæ non minima. Jam vero Sacramentum Baptismi, quoad substantialia, in Papatu mansit integrum, proinde infantes per illud vere fuerunt regenerati, ac filii Dei, membra veræ Ecclesiæ & hæredes vitæ æternæ constituti. Sicut adultera nondum repudiata marito parit liberos, ita quamdiu Ecclesia corrupta *matrimoniales tabulas*, ut nominat August. lib 4. de Symb. ad Catech. cap. 2. hoc est, verbum cum ejus sigillis Sacramentis à Christo institutis obtinet, tamdiu ipsi filios & filias generat. Secundò *simplices quidam Christiani* repudiatis errorum Papalium corruptelis, doctrinæ, quam ex prælectione pericoparum Evangelicarum, ex Symbolo Apostolorum, ex meditatione Historiæ passionis &c. perceperant, unice adhæserunt. Tertio quidam *imminente mortis agone* abjecta propriorum meritorum fiducia ad unicum Christi meritum fide confugerunt, qui si vel maxime Papales quosdam errores amplexi sunt, tamen fundamentum fidei apprehendentes salvati sunt, quasi *per ignem*, exustis sc. stipulis, tentationum & crucis igne. Quarto excitavit Deus singulis seculis aliquos *publicos & constantes fidei Confessores*, qui Papatui publice se opposuerunt, quorum quidam usque ad sanguinem illi resistentes Martyrii coronam reportarũt. Confessores illi in tres distribui possunt classes. Prima complectitur *integras Ecclesias* Waldensium & Græcam. Altera complectitur *Imperatores ac Reges*, qui Papali Tyrannidi se opposuerunt. Tertia *Doctores & Martyres*, qui errores & abusus in Ecclesiam invectos taxarunt. 3. Non dicimus, omnia omnino dogmata in Ecclesia Romana fuisse corrupta, sed quædam mansisse integra dicimus, Deum esse in essentia unum & in personis trinum, Christum in personæ unitate esse Deum & hominem, eundemque sua passione & morte pro peccatis nostris satisfecisse, & plura hujus generis, quæ in Ecclesia Romana tempore Papatus longe lateque dominantis fuere publice proposita, sunt vera veræ fidei dogmata, quibus velut tritico errorum Papalium zizania fuere intermixta. 4. Ex eo consequens est, Lutherum in reformationis opere non fuisse novi alicujus dogmatis inventorem, sed antiquæ fidei assertorem; nec fuisse novæ Ecclesiæ autorem, sed pristinæ repurgatorem. Erat in Papatu *pretiosum*, videlicet Scripturæ sacræ, Baptismus, Symbolum Apostolorum, quædam doctrinæ capita incorrupta &c. erat etiam in eo *vile*, videlicet prava Scripturæ interpretatio, traditiones humanæ, superstitiones, errores, idololatria &c. Illud erat Dei, hoc vero Papæ; illud Christi, hoc Antichristi. Lutherus igitur mandatum divinum Jerem. 15. v. 19. secutus *separavit pretiosum à vili*, divinum ab humano, Christianum ab Antichristiano, verum à falso &c. illo retento, hoc vero abjecto. proinde non discessit ab Ecclesia Catholica in medio Papatu conservata, nec à fide Catholica, sed Ecclesiam & fidem à corruptelis, erroribus ac superstitionibus in eam invectis & superadditis repurgavit. Inde est, quod Protestantes in Comitiis Augustanis distinxerunt *Ecclesiam Romanam, à Curia Romana*, quam distinctionem Lutherus tom. 1. Jen. in cap. 1. Gal. p. 327. valde commendat, & Principes Germaniæ in Comitiis *recte, sancte & auguste ita discrevisse* dicit: Eodem etiam sensu distinguitur inter Ecclesiam Romanam, qua Ecclesia est, & qua corrupta est.

Antithesis. Pontificii statuunt, *Ecclesiam Romanam non solum esse puram & incorruptam, nec in fide unquam errasse, sed etiam errare minime posse*, quam thesin non tantum stylo, sed etiam pilo; non solum atramento, sed etiam ferramento, propugnant. Petrus à Soto in Confess. Cathol. in cap. de Ecclesia. *Ecclesia habet Magisterium vivum & præsens omnium eorum, quæ pertinent ad salutem æternam &c. neque ea aliquando erravit, neque erratura est unquam.* Bellarmin lib. 3. de Eccles. cap. 14. *Nostra sententia est, Ecclesiam absolute non posse errare, nec in rebus absolute necessariis, nec in aliis, quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non.* Quod autem *in genere* de Ecclesia *Catholica* asserunt, illud de *Romana* Ecclesia se intellectum velle, ipsimet addunt. Bellarmin. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. *Romana particularis Ecclesia non potest errare in fide.* Lib. 3. de Eccles. cap. 10. *Romana Ecclesia particularis non potest destitui vera fide.* Pistorius in Hodeget. cap. de Eccles. *Romana Ecclesia nunquam ne minimum quidem errare potuit, alias totam Ecclesiam errare oportuit.* Becanus lib. de Eccles. q. 2. notat, *Ecclesiam Romanam dupliciter sumi posse, tum pro illo solo particulari cætu qui olim Romæ fuit & nunc est, tum pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi adhærent Romano Pontifici, & hunc cætum à nobiliore sui parte Romanum dici asserit, atque Ecclesiam Romanam utroque modo sumtam ab omni errore immunem esse asserit*, concl. 1. & 2.

Nostram sententiam confirmabimus: Et quidem primo, quod Romana Ecclesia errare possit, illud probamus sequentibus fundamentis. 1. *à statu cujusvis Ecclesiæ particularis.* Omnis Ecclesia particularis in hujus vitæ infirmitate errare potest, id quod inferius part. 2. cap. 11. demonstrabitur. Romana Ecclesia, sive sumatur pro particulari illo cœtu, qui Romæ olim fuit & nunc est, sive pro cœtu eorum omnium, qui Romanum Pontificem caput Ecclesiæ agnoscunt, est particularis Ecclesia. Ergo. 2. *à defectu promissionis de infallibilitate.* Cui Ecclesiæ non est data in verbo Dei promissio de absoluta infallibilitate, illa æque ac aliæ particulares Ecclesiæ errare potest. Romanæ Ecclesiæ nuspiam in verbo Dei data est promissio de absoluta infallibilitate. Ergo. 3. *à divina præmonitione.* Quæ Ecclesia seriò & graviter monetur, ne erret in fide, illa utique errare

errare potest, alias enim præmonitio illa fuisset plane frustranea. Romana Ecclesia ab Apostolo serio & graviter monetur, ne erret in fide Rom. 11. v.20.21.22. ubi probe notandum, quod Apostolus ab Ecclesia Israëlitica ad Romanam argumentetur, non tantum ut à pari, sed etiam ut à majori ad minus.

Secundo, quod Ecclesia Romana actu ipso erraverit & à puritate fidei antiquæ discesserit, probamus ex claris & perspicuis Scripturæ dictis in omnibus & singulis articulis, in quibus nostræ Ecclesiæ à Romana dissident. Inde enim atque ideo hoc vel illud dogma Romanæ Ecclesiæ tanquam falsum repudiamus, quia non congruit cum regula Scripturæ. Hoc loco notandum, quod ex collatione dogmatum, quæ in Ecclesia Romana hodierna propugnantur, cum Symbolo Apostolico & cum Epistola ad Romanam Ecclesiam à Paulo olim exarata, manifestum reddi possit, Ecclesiam Romanam hodiernam à sinceritate fidei Apostolicæ & pristina sua integritate recessisse. Videatur hac de re tractatus de Ecclesia §.125. & 250.

Nostræ huic sententiæ suffragatur

1. Quod quidam ante Lutheri tempora fassi sunt, doctrinam Romanæ Ecclesiæ fuisse corruptam & reformatione indiguisse. (Inde Electores, Principes & Status Evangelici Schmalcaldiæ Anno 1537. congregati, Oratori & Vice-Cancellario Cæsareo Matthiæ Heldio inter alia responderunt, multos præstantes, pios & eruditos viros jam inde à temporibus antiquis de abominationibus & abusibus Pontificiis fuisse conquestos, apud Dn. Hortlederum lib. 1. cap 26. p. 101. ac iidem Electores & Principes Augustanæ Confessioni addicti in causis recusati Concilii Mantuani sic scribunt: Nachdem etliche alte Schrifften am Tage sind in frembder Nation/ lange vor dieser Zeit/ von unrechter Lehr/ Mißbräuchen/ und falschen Gottesdiensten und Abgötterey/ so eingerissen/ geschrieben/ hoffen wir/ es sind in denselben Nationen noch auff den heutigen Tag etliche solche gelehrte Gottesfürchtige Leute so die Christliche Lehre recht verstehen/ ob sie gleich durch des Pabsts Tyranney gedrücket werden/ und sich weigern müssen/ ec. Theologi Aug. Conf. in Conf. doctrinæ Saxonicarum Ecclesiarum Synodo Tridentinæ oblata An. 1551. p. 8. *Cum multi errores & abusus in Ecclesiam multis jam seculis hæreant, quos multi docti & pii etiam ante hæc tempora & deplorarunt & taxaverunt, fieri non potuit, quin hi errores & abusus reprehenderentur, cum de fontibus harum controversiarum dicendum est ei.* Ibid. cap. de remiss. peccatorum & justific. p. 122. *Cum late vagaretur opinio, quæ fingit, homines mereri remissionem operibus, fuerunt tamen aliqui rectius sentientes, etiamsi fundamento stipulas adderent, ut Hugo, Bernhardus, Gilbertus, Guilhelmus Parisiensis, Taulerus, Wesselus & alibi alii.*)

Querelas hujus generis multas adducit Wolffius in Lectionib. memorabilibus ex Bernhardo, Autore Fasciculi temporum, Theodorico à Niem, Francisco Petrarcha, Ludovico Cardinali Arelatensi, Ænea Sylvio, Bredenbachio, Abbate Urspergensi, Platina, Hildegardi, Mathildi, Elisabetha, Brigitta, Nicolao de Clemangis, Durando Episcopo Mimatensi, Nicolao Oresmo; Nicolao Florentino, Johanne Sarisberiensi, Abbate Joachimo, Francisco Zabarella Cardinali, Johanne Gersone, Joh. Francisco Pico, Baptista Mantuano, Palingenio, Guicciardino, Budæo, Ludovico Gomezio &c. Quasdam earum hic recensebimus.

Paulus Warnefrid Patriarchæ Aquilejensis Diaconus, Regi Longobardorum Desiderio acceptissimus, in Theologia & Historia excellentissimus circa Annum Christi 780. lib. 21. Rerum Roman. inter cætera sic scripsit: *Expergiscimini, ô viri Christiani, è gravi scelerum somno, atraque mortis caligine, auriumque & omnium sensuum chordas rescindentes verba mea intentissime percipite. Quia legem Domini Dei nostri in latrinam, & omnes ejus divinos sermones in oblivionis & contemtus cloacas abjecistis, cepistis in virtutum exercitatione prorsus delirare &c.*

De Carolomanno (qui rerum potitus est circa annum Christi 880.) memorat Aventinus lib. 3. Annal. Bojorum p. 292. edit. Ingolst. Ann. 1554. quod reformandæ Ecclesiæ causa Concilium convocaverit, & causam convocati Concilii in publico edicto verbis hisce exposuerit: *Convocavi, ut mihi consulant, quo pacto justitia & Christiana devotio instauretur, quæ negligentia & ignavia superiorum Principum labefactata, collapsa, terris depulsa corruit: qua denique industria populus Christi à falsis & pravis Sacerdotibus hactenus deceptus, & per anfractus confragosos & devios seductus ad veritatis semitam reducatur.* p. 368. commemorat, quanta cura & industria Carolus Magnus Clerum reformaverit. *In Episcoporum Senatum* (inquit) *haud temere quempiam adlegit: eruditionem atque bonitatem in cooptandis illis potissimum spectavit. Neminem nisi antea sibi probatum & cognitum creavit. Nam eum ordinem ad pristinum modum & splendorem à D. Paulo præscriptum reduxit. Curiose cavit, ne quis avarus aut ambitiosus luxuve perditus unquam Pontificalem apicem adipisceretur.*

Hildegardæ Reginæ petenti pro sacrificulo suo, idem Proceribus aulæ rogantibus, respondit: *Idoneo, etsi pauperi, jam destinavi. Imperatorem mentiri aut fallere non decet, ut obtrudat superis, cujus vitam, mores, ingenium ignoret, & tantone oneri par sit, compertum non habeat.*

Episcopum Moguntinum, quod lituum aureum distinctum gemmis *instar Cæsarei sceptri usurpasset, severissima coërcuit oratione, eidem avaritiam & superbiam pro concione propalam exprobravit, indignabundus & clamitans: En, ait, Pastores nostros, crucem Christi professos, qui spreta cura & pascendarum ovium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemvis opulentissimum lacessant!*

Quendam pridie feriarum D. Martini designatum Episcopum, quod is auctus tanta dignitate amicis cœnam exhibens, & uti fit, mero sese nimium onerans, somno deinde oppressus noctu divinis rebus non interfuisset, rursus Sacerdotio movit, intolerabilem, negligentissimumque fore ratus; qui primo die sibi non temperaret, ut suis compos Deum ad iracundiam non provocaret. Item alium lætiorem ob Pontificatum donatum atque gestientem, & ab humo in equum absque scamno sive suppedaneo uno impetu subsilientem, revocavit. Vales, inquit, ut video, viribus, & eques haud malus es: tua opera in bellis, ubi tua virtus enitescat, indigeo. Proinde ignobili & imbecillo oves & gregem pecudum relinque.

Lib. 4. p. 384. exponens causam, propter quam Lotharius Caroli Magni nepos Romam profectus fuerit, inter alia sic loquitur: *Ideo Lotharius eò contendit, statum Reipubl. quem superiorum Pontificum ambitio immodica, insatiabilis avaritia, versutiaque improba conturbarat, componit.*

Synodus Remensis circa Annum Domini 991. celebrata cap. 28. *Sed ô lugenda Roma, quæ nostris majoribus clara Patrum lumina protulisti, nostris temporibus monstrosas tenebras futuro seculo famosas effudisti.*

Lambertus Schaffnaburgensis Monachus Hirsfeldensis circa Ann. 1078. in Chronic. sic scribit: *Zizania totum sacri gregis corpus quasi tabe quadam infecerunt. O mores! ô tempora! ô abominationem desolationis stantem in loco ubi non debet, & Mammonam nostris temporibus publice sedentem in templo Dei, ut extollat se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur!*

Petrus Damianus Cardin. Episcopus Ostiensis, (qui solet inaugurare & consecrare novum Pontificem) apud Baronium tom. 11. Ann. 1061. num. 24. Sedem Apostolicam vocat *cathedram pestilentiæ* & Sacerdotes ejus *peremtores Christi.*

Johannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis (circa Annum 1150.) Epist. 230. *Nunc novum aliquid addidistis, usurpantes amplius & in ipsam religionem. Quid restat, nisi ut adjiciatis & ipsis Angelis sanctis dominari?*

Idem: *Pontificis magni Legati, Scribæ & Pharisæi ita debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan à facie Domini &c. Qui ab eorum dissentit doctrina, aut hæreticus judicatur aut schismaticus. Manifestet ergo seipsum Christus, & palam faciat viam, qua nobis est incedendum.*

Idem in Epistola ad Johannem Episcopum Pictaviensem apud Baronium tom. 12. Ann. 1167. num. 63. sic querulatur: *Deus bone, quid novitatis accidit? Dicit Spiritus sanctus in lege sua, clama, ne cesses: & ecce nescio quis Spiritus ab urbe in urbem exiens, prædicatoribus dicit, Tace, ne clames. Præcipit Apostolus Episcopum instituens: Ministerium tuum imple; & ecce Apostolicus præcipit: Ab officii tui ministerio desiste, &c. Pudeat quæso Dominum Papam conscientiæ suæ, provideat famæ & honori & saluti Ecclesiæ. Et vos hæc ei diligentius intimate, & persuadete Dominis Cardinalibus, ut meminerint judicii Dei, quod jugiter implorant pauperes Christi contra omnes libertatis Ecclesiæ inimicos.*

Waldenses sive Pauperes de Lugduno circa Ann. 1160. multos errores Papales taxarunt, docentes, *solis sacris Scripturis credendum esse, in iis, quæ ad salutem pertinent; ac sacras literas integre continere ea omnia, quæ ad salutem sunt necessaria &c.*

unum esse tantum Mediatorem, nec invocandos esse Sanctos; Missas, quæ pro mortuis canuntur, esse impias, traditiones humanas esse rejiciendas, vel certe pro necessariis ad salutem non esse habendas; primatum Papæ super omnes Ecclesias, inprimis potestatem ejus super omnes politias, seu utrumque ejus gladium, penitus esse negandum; Romanam Ecclesiam esse Babylonem, Papam Antichristum; Indulgentias Papales esse rejiciendas; Conjugium Sacerdotum esse pium & necessarium; verbum Dei audientes ac recte sentientes ejus esse Ecclesiam, &c.

Petrus Cantor Parisiensis, in libro, cui titulum fecit, Verbum abbreviatum, circa Ann. 1190. objurgat Concionatores, quod *omissa doctrina sana ad fabulas & curiosas otiosasque cogitationes sese convertant, easque prædicent & doceant.* Objicit eis quoque *obscurationem, elusionem, depravationem genuini sacrarum literarum sensus.* Dicit, *recte de illis prædicari illud Scripturæ, quod verbum Dei admixta aqua adulterent & cauponentur; abusus in Ecclesia ac religione in immensum excrevisse & omnia oppressisse* asserit, *ut vere dici possit, à capite usque ad plantam pedis sanitatem in ea non esse.*

Abbas Joachim. circa Ann. 1200. in lib. de concordia utriusque Testamenti, sic scribit: *Quam longe sit omnis moderna religio à forma primitivæ Ecclesiæ ex multis intelligi potest.*

In Commentar. super Jerem. scribit, quod *infantia Salomonis fervorem Ecclesiæ primitivæ, senectus vero præsentem Ecclesiæ statum fere penitus corruptum significet, quod doctrina virorum Evangelicorum suscitandorum in toto orbe erit patens & libera, & multi ad eorum prædicationem convertentur; quod Aaron, qui sculptile conflavit, hodiernos Præsules repræsentet.*

In cap. 24. Jerem. sic loquitur: *Non ambigo, quin sit futurum, quod ira Dei veniat super Ecclesiarum Rectores & Præsides pro eo, quod Dei servitium non solum impediunt, sed etiam adulterant verbum Dei.*

Honorius Augustunensis (circa annum 1220. in Dial. de prædestinat. & lib. arbit. *Verte te ad Clerum & videbis in eis bestiæ tentorium, Dei servitium negligunt, terrenis lucris inserviunt, Sacerdotium per immunditiam polluunt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes Scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt.*

Vincentius (circa Ann. 1240.) in Speculo Historiali lib. 24. memorat, quod *Carolus Magnus habuerit visionem quandam nocte, qua raptus ad inferos cum interrogasset Pontifices Patris & avunculorum suorum, quos ibi multos reperit, cur tam gravia paterentur tormenta? responderunt illi, quoniam patrem tuum, avunculos, populumque de pace, concordia & pietate non, ut debuimus, admonuimus, sed seruimus falsa dogmata, discordias, & fuimus incensores malorum, ideo nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, & nos alii & alii homicidiorum & rapinarum amatores, & huc venient tui quoque Episcopi, qui similiter faciunt.*

Wilhelmus de S. Amore, Magister Parisiensis & Canonicus Belovacensis, circa Ann. 1250. in libro de periculis mundi Monachos accusat, quod *prædicent contra vel præter veritatem divinæ Scripturæ, quod faciant novas & superstitiosas traditiones, ut sanctiores aliis videantur.*

Idem cum aliis quinque Parisiensis Scholæ Magistris oppugnavit librum, quem Monachi confinxerant, & *æternum Evangelium* vocaverant.

Beghardos circa Ann. 1253. docuisse, quod *Romana Ecclesia non sit vera & Catholica Ecclesia, ac multa Romanorum Pontificum statuta condemnasse,* testantur Palmerius & Lutzelburgius.

Arnoldus de Villa nova circa Ann. 1290. scripsit, quod *Diabolus totum populum Christianum fecerit aberrare à veritate Jesu Christi, quod omnes falsificent doctrinam Christi, quod male fecerint Theologi, miscentes Philosophiam Theologiæ; quod in jure Papæ tantum de hominum mandatis & operibus agatur.*

Frater Robertus Callus, circa Ann. 1291. scripsit librum Visionum, in quo inter alia sic loquitur: *Factum est, dum in Ecclesia S. Victoris in altari B. Mariæ Missarum solennia celebrassem, depositis sacris vestibus more solito me in oratione prostravi, ut Domino Deo meo gratias agerem, dumque redderem, vidi S. Petrum Apostolum purpuralibus rubeis indumentis indutum, tiaramque in capite. Et ecce hirsutus, incomtus & iratus apparuit, tenens claves magnas ferreas in manu sinistra. Cumque inspicerem ad dextram ejus, vidi brachium ejus dextrum nigrum, siccum & quasi aridum, miratusque dixi: Quæ sunt hæc Domine JEsu? Dixitque ad me Spiritus, qui hæc mihi monstrabat, à dextris stans, pars dextra Ecclesiæ nigra, sicca & quasi arida facta est.*

Idem: *Orabam flexis genibus, erecta facie ad cœlum juxta altare S. Jacobi Parisiis à dextris, & vidi q. in aëre ante me corpus unius Summi Pontificis albis sericis indutum, tenebatque dorsum ad Orientem, elevatis manibus ad Occidentem, sicut solent Sacerdotes stare, dum agunt Missarum secreta, nec videbatur caput ejus, diligentiusque intuens, an esset omnino sine capite, vidi caput ejus aridum, macilentum, ac si esset ligneum. Dixitque Spiritus Domini: Statum Ecclesiæ Romanæ significat.*

Durandus Episcopus (circa Ann. 1300.) de modo celebrandi Concilii generalis part. 1. tit. 2. *Si duo, à quibus regitur humanum genus sicut à Ministris Dei, videlicet Ecclesiastica autoritate & Regali potestate, vellent intendere ad dictam reformationem & salubre regimen humani generis, deberent vitam amplecti prædictam, ut videlicet seipsos & humanum genus regerent, secundum quod in Lege, Evangelio & Conciliis Spiritus Sancti instinctu probatis, & in aliis humanis & comprobatis legibus & juribus continetur, & quicquid per alios invenitur in regimine mundi in contrarium attentatum corrigeretur & reformaretur, prout melius posset, & provideretur, ne porro quid in contrarium impune attentaretur, & quod hujus vitæ novitas non negligeretur, quæ ab antiquitate fuerunt hactenus consulta & provide constituta; & insuper quod omnes usus seu verius abusus, consuetudines, quæ censendæ sunt corruptelæ, dispensationes, privilegia, libertates & exemtiones, contrarietates & contrariantia supradictis divinis & humanis legibus approbatis & generalibus tollerentur.*

In Præfat. partis secundæ conqueritur, *primitivam Ecclesiæ formam ferme abolitam esse. Sane* (inquit) *cum Alexandro Papa recolentes, quomodo hæc sancta plantatio Ecclesiæ Dei fuerit instituta, dolenter dicere possumus cum eodem, quod, etsi non ab omnibus, neque in omnibus, à plerisque tamen & in pluribus ab illa sancta institutione primitivæ Ecclesiæ, & decretis sanctorum Patrum, Conciliorum & Romanorum Pontificum in tantum videtur esse declinatum, ut aliqui ex nobis primæ institutionis videantur obliti.*

Part. 3. tit. 16. conqueritur, quod *Monachi neglectis sacris literis hominum figmentis vacent & concionentur.*

Dantes Aligerius de Florentia (circa Annum 1303.) in scriptis suis, cumprimis Cantic. 29. conquestus est, *intermissam esse verbi Dei prædicationem, & pro eo prædicatas à Monachis vanissimas fabulas, eorumque nugis fidem haberi, atque ita oves Christi non vero pabulo Evangelii, sed vento pasci, Papam ex Pastore factum lupum, vastare Ecclesiam, non curare una cum suis Spiritualibus verbum Dei, sed tantum sua decreta.*

Ubertinus à Casali Minorita (circa An. 1308.) scripsit librum de septem statibus Ecclesiæ (quem Autor Oneris Ecclesiæ sæpius allegat.) Item de reformatione Ecclesiæ contra Romanam curiam, in quibus de corrupto Ecclesiæ statu multis conqueritur. Inter cætera sic scribit: *Sicut Pontifices, Scribæ & Pharisæi dicebant, se defendere Legem & Legis cultum, & honorare Deum, & tamen ipsi crucifixerunt Filium Dei, Legis medullam ac finem: sic similibus modis similes istis in Ecclesia dicent, se tenere locum Christi & veritatem docere Evangelii, & perfectionem vitæ Christi horrendis transgressionibus & malitiosissimis condemnationibus crucifigent.*

Idem: *Dicitur carnalis Ecclesia, nova Babylon, quæ Ecclesia vocatur meretrix magna, cum quia ordo virtutum est in ipsa per deordinationem vitiorum enormiter confusus, & verus cultus & amor Sponsi JEsu turpiter adulteratus; tum quia in malo non solum intensive, sed etiam extensive est magis, ita quod boni sunt in ea, sicut pauca grana tritici sub immenso cumulo palearum; tum etiam quia sicut filii Israel fuerunt in Babylone captivati & vehementer oppressi, sic Spiritus justorum hujus temporis supra modum angustiatur & opprimitur à principatu & prædominio Babylonis, & velit nolit, in multis meretricis actibus ei servire compellitur. Non mireris ergo si de casu tanti sceleris cantatur à Sanctis hujus vitæ solennissimum Alleluja.*

Idem: *Sicut pius & patiens JEsus post illusionem & despectum & post multas injurias fuit crucifixus & mortuus: sic & post multas illusiones Spiritus sui in relaxationibus multis mortificata est veritas non solum vitæ, sed scientiæ & doctrinæ & prælationis Romanæ.*

Alvarus Pelagius Episcopus Selvensis (circa Ann. 1320.) de planctu Ecclesiæ lib. 2. art. 2. fol. 104. *Ecclesia est, quæ justificat Sodo-*

Sodomam sicut Ninivitas & Reginam Saba, comparative scilicet. Caput mandata DEI *facere & postea contempsit, & quod pejus est, mala deaurando tegit, simulando virtutes cum Ceremoniis suis, quas non habet. Et Spiritus immundus exierat ex ea, sed quia invenit eam otiosam & vacantem à bonis operibus, ornatam exterius Missis & cantibus, & in solennitatibus suorum preciosis apparatibus, & verbosis prædicationibus, & eleemosynis furfurum & micarum remanentium de adipibus, nidoribus & deliciis Prælatorum, remanentibus aliis occultis vitiis & manifestis in ea, cupiditatum, ambitionum, Simoniarum, Kenodoxiæ & Phylargyriæ, & invidiæ, & Tyrannidis & aliorum flagellorum indicibilium, ideo reversus est ad membra ejus cum septem Spiritibus nequioribus se &c.*

Lib. ejusdem art. 15. postquam primorum Romæ Episcoporum laudes decantaverat, ita de eorum Successoribus conqueritur: *Successerunt, jam sunt multa tempora, Successores eorum autoritate, sed dissimiles sanctitate: Romano Pontificatui se ingerentes, procurantes, utinam ante promotionem non paciscentes, convenientes & promittentes, cumulantes absque mensura, parentes ditantes & exaltantes; & consanguineos promoventes, in deliciis viventes, amicos dignificantes, plurimumque alios conculcantes; in Babylonia, hoc est, Roma secundum Hieronymum, turres & palatia ædificantes, guerras nutrientes, partem tenentes in Italia, cum sit una Ecclesia, bona Ecclesiarum dissipantes, indignos promoventes, in curribus & Elephantibus & dextrariis, pretiosis vestibus, familia amplissima, militum & Baronum armatorum, & in mundi potentia gloriantes: temporalium Dominorum aliquoties terminos invadentes, de salute animarum parum curantes, & quid plura; quæ carnis sunt sapientes.*

Ludovicus Bavarus Imperator circa Annum Christi 1335. de Pontificio veritatem obscurandi studio, hisce conquestus est verbis: *Nonnulli sanctuli, qui sibi sacrarum literarum magisterium arrogantissime sumunt, per fallacias verba Dei arguunt, simplicitati Christianæ imponunt, divinæ sapientiæ oracula polluunt, sacram Historiam falso interpretando suæ causæ servire cogunt, suis moribus atque vitiis, nempe ambitioni, superbiæ, avaritiæ accommodant, veritatem adulterant humanis nugis, cœlestem Philosophiam commentis depravant, invertunt, à germano sensu ad suum negotium suasque nundinas, captiosis ratiunculis detorquent, non voluntatem legi sacræ, sed legem voluntati jungunt.* (Extat apud Goldastum tom. 3. Constitut. Imperial. p. 400.)

Johannes Wicleph (circa Annum 1357.) docuit, *Papam non solum non esse* CHRISTI *Vicarium, sed etiam Antichristum, ejus Privilegia, Bullas, Dispensationes & Indulgentias esse otiosas, inutiles & iniquas, Spiritualibus non esse dandum dominatum Politicum, Papam ac ejus Spirituales rapuisse claves regni cœlorum, & nec ipsos ingredi, nec alios permittere intrare. Transsubstantiationem, Missas, Officia, horas Canonicas & alias battologias improbavit. Ex Baptismo sustulit chrisma, ac simplici aqua fideles baptizandos esse docuit, sicut* CHRISTUS *fecit. Confessionem auricularem vel ejus abusum improbavit. Reprehendit & Papisticam doctrinam de Pœnitentia & Satisfactione. Ait, esse talem satisfactionem imponendam, qualem* CHRISTUS *adulteræ imposuit. Vade & noli amplius peccare. Tantum duos Ministrorum ordines esse debere judicavit, nempe Presbyteros & Diaconos. Sacramentum Confirmationis & Extremæ Unctionis plane improbavit: Venerationem Reliquiarum & Sanctorum reprehendit. Affirmavit, Doctores summos & infimos tantum catenus audiendos, quatenus verbum* DEI *afferunt. Ritus humanos & novas umbras ac traditiones plane rejecit. Negavit cuiquam licere quicquam addere ad religionem in sacris literis comprehensam, eamque facere difficiliorem, sicut Papam fecisse conqueritur. Basilicas & totam istam pompam & cultus Papæ, itemque varios Spiritualium gradus tollendos judicavit. Ordines Monachorum tanquam superstitiosos, impios & veræ religioni plurimum noxios damnavit, & quamprimum deserendos censuit. Accusavit Papam & ejus Spirituales, quod multipliciter Ecclesiam aggregaverint, eamque libertate à Christo donata spoliaverint. Defendit quoque Communionem sub utraque specie, ut ex damnatione Johannis Huss apparet.* Æneæ Sylvii testimonio scripsit plusquam ducenta volumina, pleraque contra Papatum, Monachorum & Cleri impiam vitam, traditiones & abusus.

Johannes de Molinis (circa An. 1360.) in Speculo Carmelitarum cap. 6. *A tempore Heraclii Imperatoris usque ad nostra tempora, die vergente ad vesperam, eclipsin passa Ecclesia ad Occasum cecidit, imo fere ad defectionem pervenit.*

Johannes Taulerus Ecclesiastes Argentinensis (circa Ann. 1370.) docuit, *Ecclesiam egere gravi quadam reformatione.* In Concione Epiphan. dicit: *Nostros Prælatos esse cæcos & cæcorum duces, verendumque esse, ne & duces & ducti simul in æternum exitium ruant.*

Brigitta (circa Ann. 1370. al. 1380.) lib. 4. Revelat. cap. 142. introducit Christum ad Papam sic loquentem: *Curia tua mundana deprædatur Curiam meam cælestem. Tu superbe spolias me ovibus meis &c. rapis & deprædaris à me innumerabiles animas, nam quasi omnes, qui veniunt ad Curiam tuam, mittis in gehennam ignis, ex eo, quod non diligenter attendis, quæ pertinent ad Curiam meam, &c. Incipe renovare Ecclesiam meam, quam ego acquisivi proprio sanguine, & renovetur ac spiritualiter reducatur ad pristinum statum suum sanctum.* (Ex quibus verbis Autor Oneris Ecclesiæ cap. 19. §. 11. sic infert: *Ecce veluti Deus olim per Jeremiam: ita hic Christus per modernam Prophetissam Brigittam præcipit Summo Pontifici, quem constituit hodie super gentem Christianam, & super regna Ecclesiæ reformanda.*)

Eadem Brigitta lib. ejusdem cap. 132. Christum sic loquentem introducit: *Sacerdotes non loquuntur mirabilia mea, nec docent doctrinam meam, sed mundi amorem & voluptatem suam prædicant, perdiderunt clavem, qua miseri deberent aperire cœlum, illam autem, qua aperitur infernus, diligunt & reconditam habent.*

Eadem Papam vocat *animarum interfectorem, ovium Christi dispersorem & laceratorem.* Dicit, *eum esse abominabiliorem Judæis, immitiorem Juda, injustiorem Pilato, pejorem & deteriorem ipso Lucifero. Sedem Papæ demergendam dicit in profundum, sicut lapidem ponderosum, Clericos dicit convertisse divinam sapientiam in aliam pravam & vanam &c.*

Franciscus Petrarcha (circa Ann. 1374.) in Italicis suis rhythmis de Roma sic scribit: *Schola de errori, & templo de heresia,* hoc est, Schola errorum, & templum hæreseos.

Fons ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, sectarum nobile templum.

Idem Epist. 18. *Futura ibi* (Romæ) *vita spes inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia. Resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad judicium venturus inter nænias habentur.*

Idem, postquam in Epistol. demonstrasset, *per Babylonem in Apocalypsi intelligi Romam,* subjungit: *Audi, amice, vocem de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus.*

Idem: *O quanto periculo fluctuat Petri navicula! Prædicatio Pauli contemnitur & doctrina Salvatoris non curatur. In Curia Romanæ Ecclesiæ à planta pedis usque ad verticem non est sanitas.*

Matthias Parisiensis (circa Ann. 1390.) in lib. de Antichristo dicit: *Opera Antichristi esse, quod fabulæ & adinventiones hominum in Ecclesia regnent, quod passim statuæ & falsæ reliquiæ colantur, quod alii alios Sanctos & Servatores pro Christo colant. Nam, ait, unumquemque hominem & unamquamque civitatem suum Christum habere, jactare, hic aut ibi esse Christum, & vel hunc, vel illum Sanctum pro Christo ac Servatore suo colere.* Negat, esse *alligandam pietatem aut cultum divinum ad loca, personas aut tempora, tanquam hoc loco magis exaudiaris quam illo, aut hoc tempore quam alio.* Reprehendit Monachos, *quod relicto unico Servatore Christo sibi suos Franciscos, Dominicos &c. elegerint, quos pro suis Servatoribus habeant, negligere ait Monachos vel potius sepelire verbum Christi, & pro eo celebrare ac omnibus obtrudere suas regulas & canones &c.* Scribit, *Antichristum omnes Universitates & eruditorum Collegia seduxisse, ita ut jam nihil sani doceant, aut Christianis recte sua doctrina præluceant.*

Extat Colloquium quoddam Petri & Pauli incerto Autore scriptum, Ann. 1404. quod à Johanne Husso & aliis sub titulo *Speculi aurei* citatur. Dividitur illud in tres partes, quarum hæ sunt propositiones. *Primo,* inquit, *gravissimos errores Curiæ Romanæ detegam. Secundo scripta & dicta ejus erronea, minusque Catholica confutabo. Tertio totam Curiam Romanam erroneam, & in statu damnationis laborantem, ex verissimis fundamentis declarabo.* In præfatione inquit: *Sic tota Romana Curia à planta pedis usque ad verticem capitis patenter excæcata est erroribus, ipsaque errorum suorum veneno inebriavit omnes ferme mundi partes &c.*

In fine post multas querelas tandem concludit Paulus: *Reformet ipse unigenitus Dei Filius Ecclesiam suam.*

Franciscus Zabarella Cardinalis (qui obiit Ann. 1417.) in tractat. de schismate Innocentii VII. & Benedicti pag. 20. scribit: *Eos, qui voluerunt placere Pontificibus per multa retro tem-*

pora & usque ad hodierna, suasisse eis, quod omnia possent, & sic quod facerent, quicquid liberet, etiam illicita, & sic plusquam Deus. Ex *hoc enim infiniti secuti sunt errores, quia Papa occupavit omnia jura inferiorum Ecclesiarum, ita quod inferiores Prælati sint pro nihilo. Et nisi Deus succurrat statui Ecclesiæ, Universalis Ecclesia periclitatur.*

Nicolaus de Clemangis Archi-Diaconus Ecclesiæ Bajocensis (circa An. 1417.) peculiarem librum scripsit, *de corrupto Ecclesiæ statu*. Item alium, quod *tam corpore à Babylonia* (Roma) *fugiendum sit quam mente.* In priore libro inter cætera sic loquitur: *Sacrorum eloquiorum studia cum suis Professoribus in risum atque ludibrium omnibus sunt versa, & præsertim, quod magis prodigiosum est, Pontificibus, qui suas traditiones divinis mandatis longe anteponunt.* cap. 26. Synagogam Romanam sic affatur: *Expergiscere aliquando, & tuæ ebrietati diu satu edormitæ modum impone, Prophetamque istum & cæteros vide, lege, intellige, si tamen non usquequaque tua ebrietas Prophetæ testimonio cor absorbuit. Si ergo ulla in te sani cordis scintilla superest, Prophetarum dicta sedulo revolve. Tu inquam illic statum & tuam confusionem non utique dormitantem, sed è vicino impendentem considera, videbis, quis te exitus expectet, quanquam male & periculose in his sordibus tamdiu jaceas.*

Age vero summam libri Clemangis de corrupto Ecclesiæ statu recenseamus. Cap. 5. differit *de exorbitantiis per summos Pontifices in Ecclesiam introductis; de abolitione electionum & reservatione beneficiorum, de Camera Apostolica, quæ electionem abolevit, non ut laudabiles promoveantur, sed pecuniis abundantes.* Cap. 6. *de expectativis, de qualitate currentiū ad Curiam Romanam.* Cap. 7. *de fraude colligendi nummos ex vacantiis ex decimis & angariis.* Cap. 8. *de institutione Collectarum, de malis per Collectores illatis.* Cap. 9. *de litigiis Curiæ Romanæ, de regulis & constitutionibus Cancellariis, de Curia Romana latronibus plena.* Cap. 10. *de Cardinalium statu, qui vera sint superbiæ simulachra, quale olim fuerit Cardinalium officium, & contra quantus eorum hodie sit fastus.* Cap. 11. *de multitudine beneficiorum Cardinalium & eorum incompatibilitate, de contractibus Simoniacis, quomodo Cardinales beneficiis abutantur.* Cap. 12. *quod Cardinales omnis nequitiæ autores, de prætermissione multiplicis vitiorum Ecclesiæ.* Cap. 13. *quomodo Papa per Principes Sedem suam stabiliat, quomodo Præsulatus vi obtineantur, digni que ab hominibus arceantur.* Cap. 14. *quod congregatio pecuniæ sit præcipua cura Prælatorum, quod rideant pios, unde illa auri fames in Prælatis.* Cap. 15. *de promotionibus jurisdictionis Episcoporum & eorum abusibus, de exactionibus pro concubinis tolerandis, de collatione Simoniaca sacrorum Ordinum ac Sacrorum.* Cap. 16. *de indignis & indigne promotis, quanta eorum inscitia, ac vita eorum quam impia.* Cap. 17. *de perpetua absentia Prælatorum à suis Ecclesiis, de Prælatis in Curiis Principum residentibus & ibidem parasitos agentibus.* Cap. 18. *quod tales Prælati mercenarii dicendi sint, quod propter solam quietem Prælaturam aucupentur.* Cap. 19. *quod utilior sit talium Prælatorum absentia à suis Ecclesiis, quam præsentia, eò quod lupi sint.* Cap. 20. *de Capellanis & Canonicis, de pace & fraternitate eorum, quomodo se ab omni disciplinæ pretio exemerint.* Cap. 21. *de vita & moribus Monachorum, cur iis nunc ea desint, quibus olim abundabant.* Cap. 22. *de Mendicantibus & eorum inani jactantia & gloria, quod sint lupi rapaces.* Cap. 23. *de impudica vita & conversatione Monialium, quæ faciunt ex Monasteriis Veneris prostibula & ex puella velata scortum publicum. Quid,* inquit, *aliud sunt hoc tempore puellarum Monasteria, nisi quædam non Dei sanctuaria, sed Veneris execranda prostibula, sed lascivorum & impudicorum juvenum ad libidines explendas receptacula, ut idem hodie sit puellam velare, quod & publice ad scortandum exponere.* Cap. 25. excusat se super *generali deformitate accusationis Ecclesiasticorum.* Cap. 27. *quod Ecclesiasticus status propter superbiam tendat ad ruinam.*

Petrus de Aliaco, Archiepiscopus Cameracensis & Cardinalis (qui circa Annum 1426. claruit,) in Concilio Constantiensi fassus est, *Ecclesiam Romanam longo jam tempore multipliciter fuisse deformatam, indiguisseque & nunc maxime indigere, ut in fide & moribus reformetur*, unde etiam peculiarem librum scripsit, *de reformatione Ecclesiæ*, quem dicto Concilio exhibuit, in quo asserit, *necesse esse, quædam reformari circa caput corporis Ecclesiæ & statum Curiæ Romanæ.*

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis, Petri de Alliaco discipulus, (qui obiit Ann. 1429.) in concione coram Papa apud Tarasconam, in festo Circumcisionis habita, part. 1. cap. 6. conqueritur, *Statum Ecclesiæ factum esse totum quasi brutalem & corruptum.*

Item: *Ecclesiam fornicatam esse cum adultera meretricula, sapientia terrena, animali & Diabolica.*

Idem in serm. Dom. II. post Pascha in Concilio Remensi coram Pontifice & Episcopis Ann. 1408. inter cætera sic loquitur: *Pauci sunt sermones in tam multis*, (qui à Vicariis Episcoporum ad populum habentur) *multis, inquam, numero, sed perfectionis laude rarissimis. Quare? quia adulteratur verbum Dei, atque corrumpitur, dum vel quæstus existimatur pietas, vel dum miscentur errorum mala semina, vel inutilia steriliaque narrationum frivolarum zizania superseminantur.*

Idem part. 1. de exam. doctrin. consid. 7. conqueritur, quod *plus Papæ, quam Christo ejusque Evangelio credatur.*

Idem in tract. cui titulus, *Compendiosa declaratio defectuum virorum Ecclesiasticorum* asserit, *Ecclesiam indigere correctione & emendatione.*

Ludovicus Arelatensis Archiepiscopus Cardinalis (circa Ann. 1430.) in Concilio Basileensi diserte fassus est, quod *Oratores Eugenii Papæ ubique novam doctrinam prædicent & Concilium Pontifici subjiciant.*

Nicolaus de Buldersdorff in eodem Concilio Basileensi damnatus est, eò quod aliquot articulos Curiæ Romanæ reprobasset. Dixit inter cætera: *Romanam Ecclesiam volutare se in thalamo fornicationum & adulteriorum, & suæ improbitatis causa tandem à facie Domini reprobatum iri.*

Anno 1431. Taboritæ (sic dicti non à revelationibus, quas jactarint, quasi Christum transfiguratum non secus ac Apostoli in monte Thabor vidissent, & ab eo sic viso doctrinam suam accepissent, ut volunt Æneas Sylvius in Hist. Bohem. & Johan. Cochlæus, sed ab oppido Tabor, quod post dissidium cum Calixtinis ortum ad Lusnizium amnem condiderunt,) *Confessionem* suam scripserunt, quam Flacius typis excusam Basileæ edidit Anno 1578. & nuper emaculavit denuò Balthasar Lydius, inque tomo 2. Waldensium Synopsin dogmatum ab ipsis propositorum exhibuit. In ea pleraque *Waldensium dogmatum* contra Papistas Taboritæ amplectuntur. Confer Flacium in Catalogo testium Anno 1431.

Johannes Robitzana (al. Rokezana) Archiepiscopus Pragensis (circa Annum 1435.) docuit, *Sacerdotes falsa pro veris populo proponere, vim soli convenientem Deo Sacramentis hominumque meritis tribuere, Ecclesiam urbi magnæ ab hoste vastatæ persimilem esse, ex qua veri cives alii ægrè evaserunt, alii repugnantes cæsi, capti alii, ipsaque facta sit latibulum ferarum, & spelunca latronum immanium, sentibus obsita atque ruderibus, cujus recuperatio & reformatio perdifficilis foret.*

Thomas Rhedonensis Gallus Carmelita, celebris (circa Ann. 1436.) Concionator, teste Antonino, inter concionandum per Galliam & Italiam solitus erat dicere: *Romæ magnas abominationes fieri, Ecclesiam magna reformatione indigere.*

Jacobus Cartusensis (circa Ann. 1440. scripsit de septem Statibus Ecclesiæ in Apocalypsi descriptis, & de autoritate Ecclesiæ, ejusque reformatione, in quo scripto multum accusat Prælatos, Curiam Romanam & Papam. Ostendit, *Ecclesiam Papa superiorem esse, & queritur, spirituales, præsertim verò Curiales semper reformationem Ecclesiæ impedivisse*, ac dicit, *eos vel tantum ad nomen Concilii contremiscere.* Scripsit librum *de erroribus modernorum Christianorum*, in quo non tantum *vitia* reprehendit cum *Laicorum*, tum *aliorum*, sed etiam *idololatriam, ut peregrinationes, concursus ad Statuas, conficta avaritiæ causa miracula.* Additque, *ob ejusmodi manifestas vanitates & impietates derideri ab infidelibus nostram religionem ac à Judæis multos nostros etiam in fide languefieri, quod Christianis, & præsertim imperitioribus proponant illas manifestarias falsitates, erroresque, quibus à Sacerdotibus quæstus gratia ludificentur, indeque eos & reliqua nostræ religionis vanitatem probare conari.*

Thomas Patriarcha Barbariensis in libro, cui titulus, *Fortalitium fidei*, circa Annum 1450. scripto testatur, *fuisse suo tempore non paucos, qui Purgatorium & auricularis Confessionis necessitatem, Missas & Vigilias pro mortuis improbarent.*

Vincentius Ferrarius Italus de Valentia Theol. D. Ordinis Prædicatorum, in Opusculo suo circa Annum 1455. Statum Ecclesiæ, quo à primæva sua integritate degeneravit, confert cum Statua Danielis, in qua auro successit argentum, argento æs, æri ferrum. Inter cætera sic loquitur: *Cum dolore possumus dicere, quod hodie verificata est Prophetia hæc, quæ dicit: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum:*

Thren.

Thren. 4. *Nam aurum bonæ vitæ obscuratum est in mundo. Mutatus est color optimus, id est, verbum Evangelicum, quod animas depingit variis coloribus, id est, virtutibus, mutatum est, quia intellectus sacræ paginæ colorem nunc habet Philosophicum aut Poëticum, ita quod Prædicatores omnes, nisi pauci, non prædicant Evangelium aut Biblia, sed Tullium vel Aristotelem.*

Jacobus Junterbuck, Carthusianus (circa Ann. 1466. scripsit *Avisamentum ad Papam pro reformanda Ecclesia*, teste Antonio Possevino in Apparatu sacro tom. 2. lit. I.

Wernerus Rollvvinck, Pastor Hofensis, in Fasciculo temporum (circa Annum 1494. (sic exclamat: *Heu, heu, Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! Qualia contigisse circa hæc tempora etiam in sancta Sede Apostolica, quam usque huc tanto zelo custodivisti, legimus scandala! Quales contentiones & æmulationes, sectæ, invidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones! O tempus pessimum, in quo defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum! &c.*

Idem: *Conscientia pura secundum timorem Dei olim in Prælatis vigens Ecclesiam Christi laudabiliter vita & exemplo rexit & provexit. Dehinc successu temporis, cum jam Ecclesia in temporalibus abundare cœpisset, oblita quodammodo conscientia, scientia, quæ inflare solet, multos in Ecclesia præsidere fecit, qui sacram Scripturam diversis versutiis palliantes, justitias Domini rectas, quæ cor lætificare consueverunt, propter delitias carnis falsificare non timebant, multas hæreses & sectas seminabant & plura beneficia pinguia per Papam dispensando cumulabant. Veruntamen aliqui, licet pauci, cum scientia retinentes conscientiam puram, & scientia sancta illuminati multos ad justitiam erudierunt, qui jam quasi splendor firmamenti in æterna felicitate rutilare creduntur. Sed heu nefandis his temporibus, solum entia Sponsam Christi gubernare videmus, personas videlicet conscientia scientiaque carentes & velut entia insensibilia, nec Deum, nec Sanctos ejus verentes beneficia super beneficia sibi usurpare. Et, quod plus est, videmus vilissimos quosq; Laicos Parochias & Monasteria, & quod nefas est dicere, oblationes altarium amodiare. Hinc patrimonium Christi solis ministris ejus deputatum & pauperibus distribuendum, in usus devenit Tyrannorum & meretricum, Ecclesiæ & Monasteria sacra in loca deserta rediguntur, hinc guerræ mortiferæ, destructiones civitatum & regnorum, mortes innocentium lamentabiles & mala infinita nunc facta cernimus, quæ omnia ex pompa Episcoporum, & insatiabilium avaritia Prælatorum detestanda processisse cognovimus.*

Jacobus Wimpfelingus (circa Ann. 1496. in Gramm. Proœmio sic scribit: *Sunt nonnulli Prædicatores in locis etiam insignibus, qui crebro clamitant vacua & arundinea verba iterum atq; iterum, nullam vero Scripturam solidam, nullum vestigium efficacis doctrinæ, nihil quod ab antiquissimis, probatissimisque Theologis scriptum est, in medium afferunt, sicque irrevocabile tempus consumunt, otiosis verbis templa replent, avidosque cibi cœlestis animos jejunos abire patiuntur.*

Johannes Marius Belga, Ludovici XII. Gallorum Regis Historicus, in lib. de schismate & Concil. circa Ann. 1497. *Tria præcipue Ecclesiæ universali magnum damnum attulere, nimirum ambitio avaritiæ mater, omissio seu neglectus Conciliorum generalium, legitimi matrimonii Sacerdotum in Ecclesia Latina prohibitio. Ad quæ tria testimonia adduco. Primum est Papæ Pii II. qui dicere solebat graviter; Virtutes Clerum ditasse, vitia pauperum facere, Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri. Secundum Gaguini, qui in vita Caroli VII. his verbis sententiam suam explicat: Vetustissima contentio de Universali Concilio, utrum majus sit Papa, sæpe hactenus inter Ecclesiasticos perseverat, quo mea sententia factum est, ut generales Synodos cogere Pontifices detrectent. Formidant enim suam tam late patentem, ne dicam usurpatam autoritatem Conciliorum decretis cohiberi. Tertium est Platinæ in Benedicti IV. vita dicentis: Sanctitate enim & doctrinâ, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, Pontificum decus sine ullis opibus primo quidem auctum est inter tot hostes, obstinatosque persecutores Christiani nominis; mox vero ubi cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia DEI, versis ejus cultoribus à servitute ad luxuriam, peperit nobis tanta luxuria peccandi hæc monstra, hæc portenta.*

Baptista Mantuanus circa Annum 1500. multis in locis affirmat, *non omnia sibi placere, quæ Romana Ecclesia pro fide credendis affert, licet ea aliquando etiam ipse scriptis comprobaverit.* Detestatur multas in Papismo abusiones iniquas, ac peracriter insectatur.

In 4. Fastorum Leonem Pontificem sic compellat:

Sancte Pater, succurre Leo, Respublica Christi
Labitur, ægrotatque fides jam proxima morti.

Johannes Franciscus Picus, Comes Mirandulanus in literis ad Imp. Maximilianum Ann. 1500. scriptis: *Reliquum est, maxime Cæsar, ut qua te fide & pietate possum, deprecer, ut sanctissimum illud propositum tuum vendicandæ in pristinam libertatem Christianæ Reipublicæ, quam citius fieri potest, adimpleas. Concutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & JEsu Christi Domini nostri sanguine circumseptum & consecratum ovile pejora multum perpessum est, indiesque patitur à lupis magis sub ovina quam propria pelle grassantibus. Age igitur jam optime, & excitis, quâ ratione potes, Christianis Regibus, te Christo Regum omnium Regi, oves suas tam ab hostibus quam à perfidis pastoribus jamjam liberaturo, fidum ministrum exhibe.*

Johannes Scheyringus, circa Annum 1507. crebro sermone usurpare solitus fuit: *Quantò Papatus sese altius evexit, tantò profundius iterum dejicietur, quod nisi propediem fiat, non poterimus amplius illæsa conscientia prædicare. Itaque Deus restauratorem Ecclesiæ suæ missurus est, qui verbum suum in aperta luce proferat atque e tenebris, quibus involutum, eruat.*

Jacobus Spigelius, Consiliarius Cæsaris in Comm. super versus Guntheri lib. 6. *Nullum caput ista super se Aspicit, &c.* circa idem tempus sic scripsit: *Hoc si quis hodie constanter asseveraret, hæretici nomen apud Pontificios adulatores non effugeret. Contrariam tamen partem, ut veritati affinem, magni nominis viri tutati sunt, licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui universam prope Scripturam divinam adulterinis interpretationibus subverterunt.*

De Præsule Misnensi Johanne, qui circa Annum 1508. Episcopalem Sedem tenuit, in Annalibus Misnensibus memoratur, quod dicere fuerit solitus: *Si sacra Biblia lego, aliam invenio religionem, quam quæ hodie nostra est, & illam nostris moribus & institutis valde dissimilem.*

Johannes Syringus, Theologiæ Doctor, & summi templi Magdæburg. Canonicus & Concionator, circa annum 1511. in concionibus suis crebro fuit solitus dicere: *Religionem sacrificulorum non esse sinceram, necessario ruituram, multaque in eam sententiam sæpe disserere solitus fuit.*

Dicitur etiam passim in suis Theologicis libris in margine adscripsisse, ubi aliqua parum vera sententia in textu fuit, hæc verba: *Sic nunc sentit communiter Ecclesia, sed contrarium ex Scriptura probari potest.*

Andreas Proles Lipsiensis Theol. D. Augustinianorum Provincialis, referente Henningo Monacho Augustiniano in *Porta cœli*, circa idem tempus, Anno scil. 1512. inter prælegendum dicere fuit solitus: *Auditis, fratres, testimonium Scripturæ, quod gratia sumus, quicquid sumus, & gratia habemus, quicquid habemus. Unde igitur tantæ tenebræ & horrendæ superstitiones? O fratres! res Christiana opus habet forti & magna reformatione, quam quidem jam prope instare video. Quærentibus fratribus, quare ipse non inciperet reformationem ac erroribus se opponeret?* respondebat: *Videtis, fratres, me esse ætate grandævum, corpore & viribus debilem, & agnosco me non esse præditum tanta doctrina, industria & eloquentia, quantam hæc res postulat, sed excitabit Dominus heroem, ætate, viribus, industria doctrina, ingenio & eloquentia præstantem, qui reformationem incipiet, erroribusque se opponet, et Deus animum dabit, ut Magnatibus contradicere ausit, & ipsius ministerium salutare Dei beneficio comperietis.* Solitus etiam est inter prælegendum dicere: *Regnum Papæ magnam minatur ruinam, quia nimis alte ac nimis cito crevit.*

Bernhardus Liblinensis, Scriba Magnifici Domini Johannis Pilecii, in quadam Epistola Anno 1515. scripta manifeste indicat, se plures errores Papales damnare. Inter cætera dicit: *Extra Evangelium nullas planè hominum constitutiones curandas, quia sine illis salus hominum constare bene possit; impossibile plane esse, totum mundum uni parere; satis esse, si Christo solum credatur; salvari etiam illos, qui nihil de Papa sciant, nec ab eo ullam autoritatem petant aut accipiant; ait miserrimam esse Christianorum sortem, quibus etiam manifestæ veritati propter decreta hominum assentiri non liceat; Papas adeo non idem sentire, ut quod alter approbarit, alter damnet & contra; adulatores Paparum nihil non Papis tribuere, & non ferre, ut quisquam quidquam etiam pio zelo de Papis dicat, cum illi interea contra Deum multa dicere & blaterare non vereantur.*

D. Johannes Keisersbergius turba 99. in Narrenschiff recenset

censet Pontificem Romanum triplici corona insignitum inter *stultos moderatores*, (die Reaiernarren) ac diserte dicit, *Pontifices hodiernos non esse similes Gregorio Magno*: turba 11. inter stultos numerat, qui tontemtim & abjecte de Scriptura loquuntur, quod *sit nasus cereus, in omnem partem flexibilis*. Ac de sui temporis Doctoribus dicit: *Percussit Deus Ægyptum cum his argumentorum & minutiarum muscis plaga magna nimis, Misereatur nostri Deus.*

In Ulmensi Ecclesia fuit olim Doctor Ulricus Cato, publico probi Parochi elogio ac cognomento, in ea Republ. (in qua patritio sanguine etiam natus fuit) adhuc hodie celebris, qui ante Lutherum *idolomanias & nundinationes Pontificias*, & publice taxavit plurimas, & abrogavit etiam non paucas, veritatemque diligenter scrutatus, in maximo templo Ulmensi præclare docuit, vir literis, pietate & virtute clarissimus, & immortali gloria dignissimus. Casp. Brusch. in notis ad picturam Monast. Gossiaci.

Coronidis loco subjungemus observationem Johannis Wolfii, JCti celeberrimi, Centenario primo lect. memorab. pag. 3. *Constat*, inquit, *in nominibus Mosis & Christi ex Methodii fragmentis maxima mysteria recondita esse. Si enim numerus literarum* Μωυσῆς *computetur, deprehenditur, quot annos Lex Mosaica duraverit.* M. 40. ω. 800. υ. 400. σ. 200. η. 8. ς. 200. *qui numeri conjuncti faciunt 1648. Nam si à morte Christi retrò numeres annos 1648. usque ad id tempus, quo Pharao Ægypti Tyrannus Israelitas maxime afflixit, & nasci debuit Moses, qui eos ex hac miseriarum servitute liberaret, pervenies ad annum mundi 2348. circa quod tempus quidam Sacerdos divinationibus intentus dixit Amenophi Regi, se circa pueros Hebræorum attendere, quod nasci deberet unus, qui populum Israël de Ægypto educeret, & regnum Ægypti humiliaret: qua re motus Pharao jussit omnes Hebræorum filios in flumen projicere & interficere, referente Josepho & Lyrano. Sic quoq; nomen Christi in numeros redactum dat annos 1480.* χ. 600. ρ. 100. ι. 10. σ. 200 τ. 300. ο. 70. ς. 200. *qui numeri conjuncti faciunt 1480. Nam circa finem illius à nato Christo temporis omnes vates, mystæ ac Prophetæ, Lubertus Hanschild, Wesselus, Vincentius, Purveus, Barath, Capistranus, Torquatus, Savanarola, Frater Nicolaus Eremita, Albertus Leicheisen, Frater Fleck, Jacobus de Paradiso, Wessalia, Capgravus, Hermannus Rhid, Baptista Mantuanus, Kikel, Laurentius Miniatensis, D. Johannes Scheiring, Hilten, Horius, Bovillus, Syringus, Andreas Proles, Mancinellus, Mellerstadius, Castrick, Salhusius, & alii plurimi uno quasi ore clamarunt, abusibus & sordibus traditionum Papisticarum, misere defœdatum, obliteratum, & pene ex Ecclesia amissum esse Evangelium; & prædixerunt, instare reformationem Ecclesiæ ac religionis, & nascendum esse, quod & factum fuit Martino Luthero nato Anno 1483. qui doctrinam Evangelicam repurget, & ab inquinamentis istis emundet, lucemq; divinæ veritatis mundo restituat.*

2. Quod quidam tum Lutheri σύγχρονοι, tum post Lutheri tempora fassi sunt, doctrinam & statum Romanæ Ecclesiæ fuisse corruptum & reformatione indiguisse. (Inde Philippus Melanchthon in Præfat. Apologiæ Augustan. Confess. sic scribit: *Neq; enim negari potest, quin multi loci doctrinæ Christianæ, quos maxime prodest extare in Ecclesia, à nostris patefacti & illustrati sunt, qui qualibus & quam periculosis opinionibus obruti olim jacuerint apud Monachos, Canonistas & Theologos Sophistas, non libet hic recitare. Habemus publica testimonia multorum bonorum virorum, qui Deo gratias agunt pro summo hoc beneficio, quod de multis necessariis locis docuerimus meliora, quam passim leguntur apud Adversarios nostros.*)

Pertinent ad hanc classem

Primo Imperatores, Reges, Principes & Status Romani Imperii.

Anno 1518. celebravit Imperator MAXIMILIANUS Comitia Imperii Augustæ Vindelicorum, quibus omnes Electores interfuerunt. In illis etiam actum fuit de doctrina Lutheri, & de controversia illa, quæ ob Papales Indulgentias mota fuerat. Itaque Imperator dedit literas ad Pontificem Leonem, in quibus monet, *ut causam Lutheri excutiendam suscipiat, multos enim etiam magni nominis viros Luthero, qui hæreticus censeatur, adhærere. Petere igitur, ut Pontifex inutiles & otiosas quæstiones rescindat, omnemque Sophisticen & verborum contentionem ex ambitione Doctorum ortas inhibeat. Jamdudum antiquorum Scripturæ Interpretum doctrinam jacere neglectam, quædam etiam ipsorum scripta facta esse mendosa. Itaque mirum non esse, si quos aliorũ oportuit esse Doctores, ii sæpius aberrarint &c.*

(Ex *quo colligi potest*, inquit Osiander Centur. 16. Eccl. Histor. libr. 1. cap. 23. *Imperatorem Maximilianum dogmata Pontificia non per omnia probasse.*)

CAROLUS V. Imp. Aug. in Oratione Bononiæ Anno 1530. ad Pontificem Clementem habita, inter cætera sic loquitur: *Audivi & ego, sæpe Platonicum illud mihi dici, ut parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus & religionibus vitia quædam dissimulanda esse. Modus est ejus rei & in Imperiis & in Ecclesia. Fundamentum certe in Ecclesia retinere oportet. Et hæ leges æternæ in Imperiis & Ecclesia retinendæ sunt, quæ prohibent idolorum invocationes & libidinum confusiones. Irrepserunt autem in Ecclesiam quædam invocationes contumeliosæ contra DEUM, & turpitudo libidinum in conspectu est. Nec tantum horum malorum emendatio Synodum requirit, sed universæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod una voce omnes gentes in omnibus templis sonent.*

De eodem Imperatore Carolo V. testatur Petrus Suavis in Historia Concil. Trident. lib. 3. quod *formulam emendationis Ecclesiasticæ à Præsulibus, aliisque viris doctis maturo judicio collectam digestamque in publicum emiserit*, cujus capita fuerunt 22. in quibus capitibus reperiantur 130. monita, honestati & æquitati consona.

Idem lib. 1. Concil. Trident. p. 62. de eodem Imperatore Augustiss. testatur, quod *post exhibitam Augustanam Confessionem in illis Comitiis Protestantibus fassus fuerit, esse in Ecclesia Rom. nonnulla, quæ requirant emendationem, & quibus corrigendis ille operam sit daturus.*

Illustrissimi ac Reverendissimi Principes, nec non alii S. R. Imperii Ordines in civitate Norinberga Anno 1523. congregati, in responso Adriani VI. Pontificis Romani Legato dato, inter cætera sic loquuntur: *Majori populi parti jampridem persuasum est, & modo Lutheranis libris ac dogmatibus populorum opinio sic informata, ut pro comperto habeant, nationi Germanicæ à Curia Romana per certos abusus multa & magna gravamina & incommoda illata esse, ob id si pro executione Apostolicæ Sedis sententiæ, vel Imperatoriæ Majestatis edicti quippiam acerbius attentatum esset, mox popularis multitudo sibi hanc suspicionem animo concepisset, ac si talia fierent pro evertenda Evangelica veritate, & sustinendis manutenendisque malis abusibus & impietatibus.*

Et postea: *Nisi istiusmodi abusus & gravamina, simulque certi articuli, quos Seculares Principes juxta hæc specialiter designatos scriptis exhibebunt, fideliter reformentur, vera pax & concordia inter Ecclesiasticos, Secularesq; Ordines, hujusq; tumultus & errorum extirpatio per Germaniam minime speranda est.*

Paulo post: *Ex quo hoc seculum in omni Statu tam Ecclesiastico quam Seculari corruptissimos habeat mores, sintque non tantum ex parte Lutheranæ Sectæ, sed ex aliis causis multi errores, abusus & corruptelæ, quæ ita inoleverunt, ut istis oportunis remediis providere summopere necessarium sit, ideo liberum & Christianum Concilium ad locum convenientem indicendum.*

Eodem anno exhibuerunt Gravamina sua scripto comprehensa, in quibus inter cætera sic loquuntur art. 8. *Rogant Sanctitatem Apostolicam Imperii Principes, cæteriq; Status, quatenus Sanctitas sua paterno animi affectu offendicula & gravamina hæc Indulgentiarum, Dispensationum, Stationariorum, Terminariorumque è medio tollere, atque ita negotium temperare velit, ut libertas Christiana servitute humanarum constitutionum penitus extinguatur, illaqueenturq; conscientiæ Christi fidelium mandatis hominum, quibus nullum est peccatum majus, quam nummis carere.* Artic. 21. *Cum fere fiat, ut majus pretium annuum offerat, qui ad Ecclesiæ munus quam minimum sit idoneus, evenit, ut conductitii illi Pastores, (an prædones rectius quis eos dixerit, dubium est,) simplici Christi plebeculæ pro Evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas ac ruderibus oppletas propinent lacunas, dum Legendas, quas vocant, Sanctorum nec ab Ecclesia receptas, & gentilibus fabulis, quàm Christianæ & Evangelicæ doctrinæ similiores ad populum Christi publice in concione docent. Quid enim aliud docerent indocte docti ac idiotæ illi, qui lanam magis quam salutem ovium ut curarent, munus hoc Ecclesiasticum pecunia etiam non modica conduxerunt, at mercenarii sunt, non (quod Evangelium abominatur) pastores? Ita enim fit, ut simplex Christi plebecula per suppositios hos Pastores à germana Christi fide ac in Deum fiducia, in quibus sola requiescit animæ salus, ad hominum superstitiosa somnia ac commenta, per quæ res familiaris mercenariorum conductitiorum potius, quam Christi gloria augeatur, ducatur, trahaturque.*

Petrus Suavis lib. 1. Hist. Conc. Trident. p. 30. *Principes & Or-*

& Ordines Imperii in Responso, quod Francisco Cheregato Pontifi-
cu Adriani Legato in Comitiis Norinbergensibus scripto exposuerunt,
inter cætera sic loquuntur. Cum non de Luthero solum agendum
sit, sed de eradicandis multis erroribus & vitiis longa consuetudine
inveteratis, quibus alii per imprudentiam, alii per malitiam patro-
cinantur, non aliam esse viam commodiorem magisq; efficacem malis
ingruentibus obviam eundi, quam pium, liberum & Christianum
Concilium.

Quod Caroli V. mandatum contra Lutherum executioni
commissum non sit, causam Status Imperii in Comitiis No-
rinbergensibus reddiderunt eam, quia intolerabiles abusus Ro-
manæ Curiæ Germani amplius tolerare non possint, (apud Dn.
Hortlederum tom.1. pag. 7.)

Cum Legatus Pontificis à Statibus Imperii petiisset, ut
Concionatores Lutherani Norinberg. carceri includerentur, respon-
derunt Status Imperii, fieri hoc non posse, nisi veritatem Evange-
licam opprimere, & abusus stabilire velint, (apud Dn. Hortlederum
tom.1. pag. 10.)

Ferdinandus I. in Epist. ad Georgium Wicelium, Majest.
suæ Consiliarium die 28. Maji Ann. 1564. scribit: Sibi à piis,
doctis, Catholicis & modestis viris non exiguam spem factam fuisse re-
cuperandæ unitatis & concordiæ in Ecclesia, si manifesti illi abusus,
qui hisce novissimis & calamitosissimis temporibus in Ecclesiam Ca-
tholicam irrepserunt, expurgarentur & è medio tollerentur. (Apud
Goldastum in Collectan. Constitut. Imperialium f. 580.)

Oratores hujus Imp. Ferdinandi I. Legatis Pontificis
Pii IV. Concilio præsidentibus sess. 20. secundum sua à
Cæsare mandata capita Reformationis hæc proposue-
runt:

1. Orandum summum Pontificem, ut seipsum & Rom. Curiam
reformari benigne patiatur.

2. Ut numerus Cardinalium reducatur, si non ad duodenarium,
saltem ad duplicatum cum duobus supernumerariis nempe 26.

3. Providendum, ne fiant amplius dispensationes scandalosæ.

4. Revocandas omnes exemtiones contra jura communia passim
concessas, Monasteriaque omnia sub Episcopi potestate constituenda
sub cujus sunt Diœcesi.

5. Tollendam prorsus pluralitatem beneficiorum, & statuen-
dum, quod singulæ Ecclesiæ Cathedrales & Collegia singulas erigant
Scholas, & quod Ecclesiastica officia non dentur conductitiis Pres-
byteris.

6. Episcopos omnino ad residentiam cogendos, nisi in extrema
Ecclesiæ necessitate, ut officia sua per seipsos, non per Vicarios exer-
ceant. Quod si Episcopi non sint idonei vel potentes, non uni Vi-
cario totius Diœceseos curam mandandam, sed pluribus personis;
insuper Visitationes Diœcesanasque Synodus quotannis haben-
das.

7. In Ecclesia omnia ministeria gratis præstanda, & quæ sunt
adeo tenuis reditus, ut Ministeria Ecclesiastica absq; quotidianis emo-
lumentis nequeant supportare, incorporanda cum aliis beneficiis, non
curatis, pinguioribus.

8. Revocandos in usum veteres Canones contra Simoniacam pra-
vitatem.

9. Constitutionum Ecclesiasticarum multitudinem nonnihil con-
trahendam, superfluis resectis, neque Prælatorum sanctionibus obli-
gationi juris divini æquiparatis.

10. Excommunicatione non utendum extra casum peccati mor-
talis & notoriæ irregularitatis.

11. Officia divina diligenter & devote celebranda, quæ aliquan-
do ita præcipitate à celebrantibus proferuntur, ut nec ipsi se intelli-
gant, nec ab aliis intelligantur.

12. Breviaria & Missalia purganda, resecandaque omnia, quæ
non ex divinis sunt desumta literis, & tædiosam prolixitatem Psal-
morum & Orationum, habito delectu, contrahendam.

13. Officiis divinis, quæ Latino sermone peraguntur, preces lingua
vernacula fideliter versas immiscendas.

14. Clerum & Ordinem Monasticum ad primitivam Institutio-
nem redintegrandum, ne tantæ Monasteriorum divitiæ tam flagitiose
dissipentur.

15. Considerandum sacro Concilio, an non res ipsa efflagitet ali-
qua juris positivi relaxare, & de pristino rigore aliquid remittere su-
per discrimine ciborum ac jejuniis, & in conjugio Clericorum aliquibus
nationibus concedendo.

16. Ad conciliandos populorum animos tollendas multiplices
Evangeliorum Postillas, & novam publica autoritate per peritos Theo-
logos faciendam: & similiter novam Agendam sive librum Ritua-
lem, quem Parochi omnes recipere teneantur.

17. Rationem adinveniendam non ad malos Parochos expellen-
dos, quod esset factu facile, sed ad meliores substituendos.

18. Plures Episcopatus in latioribus Provinciis erigendos, & opu-
lenta Cœnobia in hunc usum convertenda.

19. Quod ad bona Ecclesiastica in alios usus conversa & dis-
tracta, præstare forsitan hoc tempore, ut hæ dissimulentur in-
juriæ, &c.

(Extant hæc capita in Historia Concilii Tridentini Petri
Suavis lib. 6. cujus germanus Autor à quibusdam creditur
esse Pater Paulus, qui causam Venetorum adversus Paulum
V. Pontif. acerrime defendit, à quo primùm Italica linguâ
conscripta est, & postea auspiciis Marci Antonii de Dominis
in Latinam linguam translata, qui eam aliquoties commen-
dant. Extant eadem apud Goldastum tom. 2. Const. Impe-
rial. fol. 375.)

Apud eund. Goldastum tom. 3. Const. Imperial. p. 561. re-
citatur Epistola ejusdem Imperatoris Ferdinandi ad B. Luthe-
rum, quæ sic habet:

Ferdinandus Dei gratia Romanorum, Hungariæ & Bo-
hemiæ Rex &c. Venerabilis, docte, devote; Tametsi antehac,
cum in juventute nostra in Germaniam venimus, & primum Du-
calem, postea itidem divina favente clementia Regiam administra-
tionem ingressi sumus, libri tui tunc & deinceps editi nobis displicue-
rint, & ex instructione quorundam Concionatorum & Confessario-
rum nostrorum eosdem hereticorum, seductoriorum, & sanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ Statutis & præceptis adversantium loco habuerimus:
nihilo minus proxime præterito biennio, tantum temporis & otii de
negotiis necessario nobis incumbentibus detraximus, quantum ferebat
& sinebat necessitas, ut quosdam tuos libros, præsertim Commenta-
rios in Psalmos ad Principum & Regum gubernationem præcipue for-
matos, percurreremus. His etiam hoc intervenit, quod quidam ex
Confessariis nostris Ordinis Minorum, quem nobiscum ex Hispania
adduximus, non ita pridem in Domino defunctus, paulo ante suum
obitum nos ad se evocavit, fassus, nos hactenus à se fuisse seductos, nec
veram semitam ad cæleste regnum monstratam, etiam atque etiam
obsecrans, ut amore Dei ducti sibi ignosceremus, atque inposterum
unà cum à Deo nobis concessis Regnis, Principatibus & Regionibus
salutiferum Evangelium per te diligenter & fideliter traditum, & in
lucem prolatum absque omni mora amplecteremur, & charissimum
Dominum & fratrem nostrum Rom. Imperatorem eò dirigeremus &
adduceremus, ut similia factitaret. Hoc si fieret, eò libentius & ala-
crius se obiturum mortem. Adhæc ex Generosis & Nobilibus Consi-
liariis nostris, Regnique dilectis & fidelibus Johanne Offing, Cancel-
lario Bohemico, & Andrea Ungnad, utroque Barone, qui concionem
tuam superiore autumno Torgæ audiverunt, & præterea Collo-
quium tecum instituerunt, intelleximus, quomodo tunc Christianum
sermonem habueris, & inter bona opera bonum discrimen statueris,
illisque sufficienter & cum ratione, quibus tua doctrina nitatur
fundamentis, exposueris. Ex his & id genus aliis Christianis mo-
tivis potissimùm quia vidimus, Papam & defensores ejus, quos
tu propter doctrinam & mores, ut partim ex lucubrationibus tuis
cognovimus, variis modis aspere & severe aggressus es, in magnam
pusillanimitatem redactos, & (quod tibi dictum volumus) pror-
sus imparatos ad tibi resistendum esse, accidit, ut Regius noster ani-
mus tibi antea parum propitius, fuerit mitigatus, & (Deo in ætér-
num sint debitæ grates, laudesque) eò impulsus, ut doctrinam
tuam, quatenus constanter divinæ, & Biblicæ Scripturæ insistes, nec
quidquam seditiosum vel Christo dissentaneum docebis, æquo animo
tolerare possimus. Jam enim, proh dolor, experimur, Papam ejus-
que assectas hactenus quæsivisse, quæ sua sunt, nobisque paleas pro
tritico præbuisse & venditasse. Hinc constituimus, hujus & alio-
rum magni ponderis negotiorum gratia ad Cæsaream Majestatem,
Dominum & Fratrem nostrum carissimum, commemorabilem Le-
gationem, Evangelio faventem, in Hispanias amandare, quæ ad
Majestatem suam preces, obsecrationes & obtestationes nostri Con-
fessarii, piæ memoriæ, & ea itidem, quæ ex libris tuis ipsimet
cognovimus, referat, cumque Majestate & Caritate ejus diligen-
ter tractet, num in eandem sententiam pertrahi possit, de quo qui-
dem minime dubitamus. Posito autem, Cæsaream Majestatem
in eandem sententiam adduci non posse, decrevimus nos nihilominus,
tanquam Romanorum Rex, non obstante indicto à Papa Concilio, Co-
mitia loco & tempore oportuno convocare, ut nos cum Ordinibus &
Civitatibus sacri Imperii ex tuo & aliorum Theologorũ consilio, æqui-
tati divinæ & humanæ convenienter in rebus ad religionẽ spectantibus,

tandem unanimi consensu conformemus & uniamus. Hoc te, veritatis eò efficacius promovendæ gratia celare noluimus. Datum in Comitatu nostro Tyrolensi, in civitate nostra Oeniponte, primo die Februarii Anno 1537. nostrorum regnorum Romani septimo, cæterorum duodecimo.

Venerabili & docto, nostro & Imperii dilecto, fideli, Martino Luthero sacræ Scripturæ Doctori Witebergæ.

Meminit hujus Epistolæ Imperialis etiam D. Polycarpus Lyserus in Strena ad Jacobum Gretserum Ann. 1607. edita p. 43. hisce verbis: *Non ita pridem quandam Epistolam scriptam & vetusto Codici, qui olim Lutheri erat, insertam inveni, eam tecum communicabo &c.* p. 49. *Hujus Epistolæ transsumptum, ut dixi, inveni in libro, qui mihi ex Bibliotheca Lutheri obtigit. Αὐθεντικὸν, fateor, non vidi, nec ubi lateat, novi. Neque enim mihi in archiva Principum, Regum vel Superiorum inquirere licet. Qualiter illud inveni, taliter bona fide transcripsi. Non dubito, quin multi boni viri illud viderint, qui non minus de eo testabuntur, quam ego.* (Illorum ergo fide hanc Epistolam recitamus, ad exhibitionem vero authentici Exemplaris nos minime obstringimus.

Rex Poloniæ Paulo IV. Pontif. hæc quinque postulata per Legatum exhibuit, 1. *De Missa emendanda.* 2. *De Cœna Domini sub utraque specie percipienda.* 3. *De Sacerdotum conjugio.* 4. *De annatarum solutione.* 5. *De Concilio ejus Nationis ad abusus ibi reformatos convocando.* Petrus Suavis in Histor. Concil. Trident. p. 448.

Secundò Pontifices, Cardinales & Episcopi.

Adrianus VI. Pont. Rom. Instructione Francisco Cheregato, Legato ad Comitia Norinbergensia misso data: *Dices, nos ingenue fateri, quod DEUS hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferri permittit propter peccata hominum, maxime Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum &c. Clamant Scripturæ, peccata populi derivari à peccatis Sacerdotum. Propterea que, ut ait Chrysostomus, Salvator noster curaturus infirmam civitatem Hierusalem ingressus est prius templum, ut peccata Sacerdotum primo castigaret instar boni Medici, qui morbum à radice curat. Scimus, in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in Spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit, &c.*

Et postea: *Polliceberis, nos omnem curam adhibituros, ut primum Curia hæc, (unde forte omne hoc malum processit) reformetur, ut, sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet, ad quod procurandum nos tantò arctius obligatos reputamus, quantò universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus &c. Subjecimus colla nostra summæ dignitati Pontificatus ad deformatam Christi Sponsam, Ecclesiam Catholicam, reformandam &c. Quanquam nemo mirari debet, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex. Pedetentim in ejus cura procedendum est, & prius gravioribus, magisque periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformare volentes omnia perturbemus.*

Et postea: *Scimus, quam DEI honori & animarum saluti ac ædificationi obfuerit, quod jamdiu beneficia Ecclesiastica maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerunt hominibus indignis.* Petrus Suavis lib. 1. Hist. Conc. Trid. p. 29. In Fascic. rerum expetend. fol. 172. Colon. 1535. excuso.

Paulus III. (referente Pet. Paulo Vergerio in annotat. super Catalog. hæretic. tom. 1. f. 251.) ex omni Episcoporum & Cardinalium numero novem delegit, quibus gravissimis verbis mandavit, *ut Ecclesiæ morbos accuratè circumspicerent, & nulla aut ipsius Papæ, aut cujusquam alterius habita ratione sibi demonstrarent, jurejurando eos obstringens,* addita etiam excommunicationis pœna, hanc ut magno silentio rem agerent. Quocirca deliberatione habita libello comprehenderunt morbos nonnullos, sed ex levioribus, neque enim ad vivum, h. e. ad corruptas speciatim doctrinas manum admoverunt, tametsi usi fuerint aliquando verbis paulo liberioribus. Scripserunt enim:

Ecclesiam Christi jampridem collapsam apud eos.

Papas coacervare ad desideria sua Magistros prurientes auribus, non sol. ab illis ut discant, quod facere ipsos convenit, sed ut illorum studio & calliditate ratio ineatur, qua breviter, quodlibet, liceat.

Per eosdem Papas, Cardinales atque Episcopos blasphemari nomen Christi inter gentes.

Indignissime atque impiissime facere eos, qui prætextu potestatis clavium pecuniam emungant contra apertissimum Christi mandatum: Gratis accepistis, gratis date.

Ordines Clericorum, Presbyterorum præsertim, fieri apud illos incredibili negligentiâ, atque ordinari improbos rudesque asinos.

Exerceri nundinationes Sacerdotiorum sive beneficiorum omnino Simoniacas ac flagitiosissimas.

Cardinales æstuare ambitione atque avaritia, ambire à Regibus & Principibus Episcopatus, alere factiones, bella serere.

Episcopos creari nulla neque eruditione neque vita honestate commendabiles, ut qui desertis atque contemtis Ecclesiis, ovibusque Christi sibi commissis, hùc illuc otiose per luxum vagentur.

Pœnitentiariam atque Datariam (sic enim vocant) *sceleratissimum quemque Clericum, eundemque nebulonem pecunia præstita absolvere, atque Ordinarii jurisdictione eximere.*

In Monasteriis tam virorum quam mulierum horrenda fieri flagitia, quo in loco etiam de pueris, qui apud Monachos degunt, fit mentio, quos Theatinus ex illis fornicibus submovendos ipse censuit.

Urbem Romanam refertam esse mulieribus impudicis atque scortis, quæ vestitu omnique apparatu cætero nihil differant à matronis honestis, quæque, dum per mediam urbem mulis vehuntur, sectatores habeant in media luce primi nominis Cardinalium familiares atque domesticos.

Vigere in urbe odia & factiones, Christi nomen tam è cordibus hominum quam operibus eorum abolitum esse.

De eodem Paulo III. sic scribit Petrus Suavis in Serenissima Venetorum Republica Monachus Servitarum, in Hist. Concil. Trid. lib. 1. *Paulus III. Pontifex statuit sui reformandi, Cardinalium & aulæ Rom. negotium denuo aggredi, et in delectis 4. Cardinalibus & 5. Præsulibus. Hisce 9. mandavit, ut morbos, qui Medicam manum requirebant, accurate circumspicerent, remedia simul eisdem cito & facile removendis applicarent, ut ad bonam valetudinem Ecclesia posset redire. Hi 28. peculiares abusus in rerum Ecclesiasticarum administratione & Rom. regimine observarunt, & scripto comprehensos Pontifici tradiderunt.*

Quamvis vero Pontifex totum illud negotium arcanum esse voluisset, tamen hic libellus opera Nicolai Archiepiscopi Capuani, postea Cardinalis facti, natione Bohemi, astutissimi Monachi, qui illud consilium irridebat, in Germaniam emanavit, in qua Ann. 1538. publicæ luci expositum fuit.

Ac quia Paulus III. hunc libellum inter hæreticos retulit, notandum, quod Petrus à Soto ejus autoritatem à Brentio sibi objectam, minime in dubium vocet. *Delecti* (inquit) *Cardinales à Paulo III. ad consultandum de Rom. Curia & Ecclesia emendanda, libera & sincera veritate, prout sibi injunctum fatentur, significant ei gravissimos morbos, quibus jampridem Ecclesia & præsertim Rom. Curia laborabat.* Quin & addit, *Spiritum, qui in Prophetis fuit, cum arguerent vitia populi & Sacerdotum, & dicerent, à planta pedis usque ad verticem non est sanitas, eundem se in his Cardinalibus & Prælatis agnoscere, quare lætandum esse, quod Romæ sit verus sensus malorum, nec desint viri gementes & dolentes super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.*

De Marcello II. Pont. Rom. refert Petrus Suavis in Histor. Concil. Trident. lib. 5. quod communicato cum Cardinalibus consilio dixerit, *è Decessoribus suis quinque successione perpetua ipsum emendationis nomen abhorruisse, quod persuasum haberent illi Autores autoritatis Pontificiæ extenuationem solummodo spectare, se vero longe aliter sentire, nihil æque facere ad autoritatem eam vel conservandam vel amplificandam.*

Paulus IV. Pontif. Rom. in Epist. ad Johannem Gropperum, designatum Cardinalem scribit, *multos male defendere doctrinam & Ceremonias Romanæ Ecclesiæ, in quibus multa nec excusari nec defendi possint.*

Pius V. Pont. Rom. in Bulla præfixa Breviario Romano: *Quæ divini Officii formula à Gregorio VII. reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa est, quæ ad pristinam orandi regulam revocaretur. Alii enim præclaram veteris Breviarii constitutionem multis locis mutilatam, alii incertis & alienis quibusdam commutatam deformarunt.*

Autor oneris Ecclesiæ Johannes Episcopus Chemensis cap. 13. §. 7. *Ecclesia pugnando cum Tyrannis ceu externis hostibus ubi crescebat & roborabatur. Nunc autem devastatur pedetentim per sectitarios & hypocritas ceu domesticos hostes, qui pro Pastoribus lupos agunt, pro Angelis lucis Angelos Satanæ, pro ministris Christi præcursores Antichristi.*

Cap.18. §.11. *Sicut olim Pontifices, Scribæ & Pharisæi jactaverunt se legem defendere, qui crucifigi curarunt ipsum legis impletorem, sic hodie mundo sapientes asserunt, se suis argumentationibus fidei veritatem defendere, medullam vero Evangelii & perfectionem legis Christianæ perversis doctrinis & Sophisticis Syllogismis cruci affigunt.*

§.13. *Pauci textui Bibliæ ceu doctrinæ certæ, & fundamento stabili & veritati inconcussæ incumbunt, sed plures in fabulo dogmata construunt mox ruinosa, nec non fructu neglecto folia carpunt & cortice disputationis contentiosæ detenti medullam divinæ sapientiæ in sacra & authentica Scriptura ultro se offerentem pertranseunt.*

Cap. 19. §.6. *Sedes bestiæ, hoc est, Ecclesiæ perversæ, est in Curia Romana, cujus regnum est tenebrosum.*

Cap. ejusdem §. 15. *Ecclesia maxime indiget reformatione, quemadmodum Brigitta exclamat. Ad reformandam Ecclesiam & ad reducendum statum pristinum bonum & sanctum, necesse est, ut Papa prius seipsum, deinde Cardinales & Episcopos caterumque Clerum emendet, alioquin veniet ira DEI super ipsum Papam, omnesque Clericos tam majores, quam minores &c. Reformatio autem non erit unius hominis, utpote Papæ, nec multorum Cardinalium officium, sed totius Christianitatis, imo cunctipotentis Dei, qui solus sapit ac valet suam reformare Ecclesiam &c. Renovabitur Ecclesia in agnitione Dei.*

Cap.27. §.4. *Duo mala fecit populus Israël, per quem repræsentatur populus Christianus, Deum enim dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas.*

Cap. 31. §. 2. *Ecclesia fidesque Catholica jam tota pene claudicat.*

Cap.44. §.3. Statuam Danielis accommodat ad Ecclesiam, quæ primo quidem fuerit *aurea*, postea vera facta sit *argentea*, progressu temporis *ærea*, hodie verò sit *ferrea & lutea*.

Historia Concilii Tridentini à Petro Suavis conscripta, lib. 1. introducit Cardinalem Johannem Petrum Caraffam Theatinum, statuentem, *adeo necessariam his temporibus reformationem esse, ut sine grandi piaculo omitti non possit.*

Lib.7. Cardinalis Lotharingius *reformationem Universalem necessario inchoandam pronunciat, & in Roman. Curiæ corruptelas libere invectus* asseverat, *Romam esse fontem, unde omnes abusus manassent.*

Eadem Historia lib.8. sistit nobis Franciscum Richardotum Episcopum Atrebatensem in sess. 24. Concilium in hunc modum liberaliter admonentem: *Cum jam totum biennium illa sancta Synodus parturiret, omnesque in summam expectationem adducerentur ejus partes non convenire, ut fœtum aliqua sui parte truncatum ac mutilatum emittat, cum prolem solidis membrorum artubus & partum integrum orbis expectet. Id ut effectum detur, in Apostolos intuendum & Martyres, & Ecclesiam antiquam, eamque sibi proponendam exemplar, unde prolis nascituræ lineamenta sumantur. Hæc esse, doctrinam, religionem, disciplinam, quæ omnia cum his temporibus degenerarint, in pristinum statum esse restituenda, atque hoc illud esse, quod tamdiu expectatione sui commoverit & adhuc expectetur.*

Idem Autor lib. 1. Episcopum Quinqueecclesiensem commasculata fronte & his verbis pii zeli plenissimis Patres allocutum esse scribit: *Imperatorem omni cura belli solutum propter inducias cum Turco factos, nihil amplius desiderare, quam Ecclesiæ reformationem, eamque ad exitum perduci posse, dummodo in Concilio Episcoporum aliqua pars adnitatur. Quapropter & hortari & orare, ut Deum reveriti pro ea caritate, qua Christianus quisque Ecclesiam amplecti debet, causam adeo honestam, justam & utilem non deserant, adeoque ut mandent scriptis, quod cui videbitur constitui posse ad Dei honorem, seposita omni cujuscunque respectus humani cogitatione, neque sibi ob oculos ponant partis alicujus emendationem, sed universum Ecclesiæ corpus in capite & membris reformandum.*

Hujus orationi subscribens Archiepiscopus Granatensis, qui se in Concilii subscriptione nominat Petrum Guerreronem, *reformationis necessitatem & oportunitatem* ostendit. In hunc igitur finem Hispanorum Legatorum coitiones factæ sunt, & cum inter se de reformationis necessitate disseruissent, & bonam successus spem, Cæsare etiam eò propendente, sibi affirmassent ad varios abusus enumerandos porro perrexerunt. Horum omnium originem ad Curiam Romanam referebant, quæ non solum in se corrupta esset, sed corruptelæ ac deformitatis in omnibus Ecclesiis causa.

Melchior Canus Episcopus Canariensis lib. 11. Loc. Comm. cap.5. *Nec enim Historias omnes tueri est animus, quæ passim in Ecclesia lectitantur. Video tantum vulgi non solum in Laicis, sed etiam in Ecclesiasticis esse, ut eas quoq; fabulas oppido quam libenter accipiant, quas jamdiu Ecclesia explosit. In his certe Pontificum non diligentia modo, verum etiam prudentia desideratur. Quidam enim dum reduviam curant caput incommodant. Videlicet Historias graves pro Apocryphis reddunt quidem, sed divinum Ecclesiæ officium eo usque præter solitum immutant, ut vix ulla antiquæ religionis forma in quotidianis precibus relicta esse videatur.*

Guilielm. Lindanus Episcopus Ruræmundensis in annot. ad Liturgiam Petri, *postremis Ecclesiæ temporibus omnia paulatim in deterius versa fuisse agnoscit.*

Idem lib. 3. de opt. Script. Interpr. gen. cap. 3. postquam Petri Cluniacensis dictum citasset exclamat: *Bone Deus, quid dixisset, si vidisset ac audivisset, quæ hodie leguntur, non solum ex Nicodemi Evangelio Apocrypha infarta, verum etiam secretas preces, atque adeo, proh dolor! ipsum Missæ canonem turpissimis modis conspurcatum!*

Lib. ejusd. cap.5. *Sic Apostolicorum canonum, imo verbi Dei oraculorum decreta, quam jacent longo adhuc tempore, quam conculcantur, quam sunt denique flocci, imo nihili! sed quid nobis peperit isthæc lugenda Pastorum negligentia, aut somnus potius altissimus, omnibus piis est manifestum.*

Corn. Mussus Episcop. Bitontinus in cap.6. Epist. ad Rom. p.279. *Divinæ Scripturæ olim, proh dolor! quanto omnium damno negligebantur! vigebat spinosa & molesta, nescio quæ, Theologia de instantibus, relationibus, de quidditatibus, de formalitatibus. Itemq; hæc omnia Syllogismis arte contortis & humanis duntaxat argutiis, quæ procul dubio qua autoritate recipiuntur, ea & rejelli possunt, pertractabantur. Tota pene ætas hominum decretis, quæ inter se pugnantia semper, nullo tempore concilianda, alunt perpetuam per secula litem, conterebatur. Is sublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro suis traditiunculis affingere sciret, pretiiq; pars erat gloriola inanis, non intelligi grandia illa verba, quæ alto supercilio inter mulierculas de sacris literis philosophantes trutinabant. Juraverant universi divini verbi duces in Magistrorum verba; hinc sexcentæ sectæ; Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, Baconistæ, Albertistæ, Ægidiani, Alexandrei. O scelus! posthabebantur Evangelia, Epistolæ; Christiana Philosophia delitescebat, à paucissimis tractabatur, sed frigide, non enim dicam insincere.*

Matthæus Langius Archiepisc. Saltzburgensis in Comitiis Augustanis, Ann. 1530. ingenue fassus est, *Missæ reformationem sibi videri honestam; & postulationem, ut homines Christiani humanorum mandatorum onere liberentur, æquam & justam esse, licet non sit id tolerabile, quod misellus Monachus omnia reformet*, referente Petro Suavis in Histor. Conc. Trident. lib. 2. p. 189. ac Chytræo in Histor. Aug. Confess. pag. 74.

Ipsi Concilii Tridentini Patres sess. 6. de reformat. cap. 1. fatentur, *collapsam esse admodum disciplinam Ecclesiasticam, depravatosque in Clero & populo Christiano mores ac antiquos canones in, curia temporum pene in desuetudinem abiisse.*

Sess. 22. de observandis & evitandis in celebrat. Missæ; *Multa in Missa celebratione sive temporum vitio, sive hominum injuria & improbitate irrepsisse videri à tanti sacrificii dignitate abhorrentia atque aliena, quorum partem avaritia, idolorum servitus; partem irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest; partem superstitio veræ pietatis, falsa imitatrix invenerit.*

Sess. ult. decret. de Indulg. *Varios abusus ex iisdem causis & consimilibus, ex avaritia plurimos, ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque, sed abusus etiam in Indulgentiis irrepsisse.*

Præses illius Concilii Johannes Martinus Cardinalis, in prorogatione sess. 11. asserit, *innumerabiles abusus in ministerio Sacramentorum irrepsisse.*

Sess. 5. can. 2. de Reformat. sess. 24. Decret. 4. & 12. de Reform. pessimum illud Sacerdotum cacoëthes *vel plane non, vel insulsa prædicandi* detegit: (quibus tamen Concilii Decretis adeo nihil emendatum est, ut Claudius Espensæus hos Decretorum fucos merito *dolos & fraudes* appellaverit. Digress. 2. in Epist. ad Tit. fol. 480.)

In Oratione Synodica Tridenti 4. Sept. Ann. 1562. in sessione 4. coram Patribus nomine Regis Galliæ, Antonius Sebastianus Uxentinus Episcopus, inter cætera dixit: *Equidem humana imbecillitate fortassis & aliqua Præfectorum Ecclesiæ incuria, vel etiam (ne quid gravius dicam) præpostera pietate irrepsisse*

in Ecclesiam res nonnullas antiquatione, abrogatione, vel moderatione dignas fateamur necesse est.

Et postea: Sic contra à nobis peccari fortasse potest, dum omnia, quæ seculis muniuntur & longa vetustate, mordicus retinenda esse putamus, neque satis spectamus, quid inclinatio rerum, quid momenta temporum, quid publica quies postulet. Nonnulla, atque haud scio, an verius dixerim multa, communi concordiæ permittenda sunt.

(Edidit Matthias Flacius Illyricus libellum Germanicum in Epitomen ex decem reformationibus congestum, in quibus ipsi Papæ, Cardinales, Episcopi sæpissimè gravibus verbis & valde seria oratione, ac maximo animi dolore confitentur, multos ac crassos abusus & palpabiles errores atque corruptelas in Ecclesiam religionemque suam invectos esse, & præter fœdissimam morum vitæque Ecclesiasticorum, sive Spiritualium, quos ita vocant, corruptionem, multipliciter etiam regimen vitiatum testantur.

Tertio Theologi, Politici & Historici.

Richardus Wasseburgius, Archidiaconus Verdunensis in Austrasia: Statuo ego, dictam Sectam Lutheranam esse apprime utilem & necessariam. Spero enim, quod per illam Deus velit reformare & emendare statum Ecclesiæ & Ecclesiasticorum turbas, tam primates & summa capita, quam membra & inferiores &c. Cum multis affirmo pro certo, Lutheranæ Sectæ primariam causam esse scelera horrenda eorum, qui primi esse volunt in Ecclesia & correctionem nullam admittunt. Et plus dico, sectam illam Lutheranam, licet illam approbare nolim, non sine divina providentia introductam, utpote ad corrigendos errores & reformandam Ecclesiam omnino necessariam.

Albertus Crantzius in Hist. Ad pristinam observantiam si nostra tempora referimus, Ethnici videbimur. Quid enim hodie perdispensationem Apostolicam non obtinentur?

Idem: Magnitudine superstitionum bonas Evangelii fruges quasi vepres & spinas conculcasse asserit.

Erasmus in lib. de modo confitendi: Considerent lernam malorum, quæ hactenus orta est ex Confessionibus & mirari desinent, si quid admonui de recte confitendo. Considerent item, quanta fuerit superstitio in cultu divorum, quanta pestis ex Ceremoniis humanis, & videbunt nostram admonitionem maxime necessariam fuisse, &c. At quidam clamitant, Quis nesciebat, in Ceremoniis non esse constituendum finem pietatis? imo, quis nescit, totam religionem hactenus redactam fuisse ad Ceremonias, ac vigorem illum Evangelicum fuisse per eas propemodum antiquatum?

Idem in Præfat. in Militem Christianum ad Paulum Volzium Abbatem Curiæ-Hugon. scripta suas querimonias sic Ecclesiæ exponit: In tanta rerum caligine, in tanta humanarum opinionum varietate, quo potius fugiendum, quam ad sacram anchoram Evangelicæ doctrinæ? Quis vere pius non videt, ac suspirat hoc seculum longe corruptissimum! quando unquam Tyrannis, quando avaritia regnavit, aut latius aut impunius? quando unquam plus tributum Ceremoniis? quando licentius exundavit iniquitas? quando sic refrixit caritas? Quid affertur, quid legitur, quid auditur, quid decernitur, nisi quod ambitionem quæstumque sapiat?

In ipso Enchiridio militis Christiani can. 6. sic ait: Admiror potestatis & dominii ambitiosa vocabula ad ipsos usque Pontifices summos & Episcopos invecta fuisse. Apostolus, Pastor, Episcopus, officii sunt vocabula, non dominatus. Papa, Abbas, caritatis cognomina sunt, non potestatis: sed quid ego mare illud vulgarium errorum ingredior, ad quodcunque hominum genus se converterit, multa ubique videbit homo vere spiritualis, quæ rideat; plura, quæ fleat. Plurimas opiniones deprehendet depravatissimas & à Christi doctrina longe lateque dissidentes.

Idem in Ecclesiaste hancce recitat Historiolam: David Burgundus, Philippi Boni filius, Princeps pro isthoc seculo eruditissimus, cum ad Episcopatum Ultrajectensem sublimatus audivisset, ex illis, qui sacris initiebantur, paucissimos esse, qui literas scirent, bonum factum putavit, si ipse rem propius cognosceret. Jussit ergo sibi in aula cathedram poni, proponit Candidatis quæstiones, singulis pro gradus, quem affectabant, ratione faciles vel difficiles. Quid fit? trecenti erant. Repulsavit omnes, exceptis tribus. Obstupescebant illi, qui examinibus istis præesse solebant, & multis exorabulis id contendebant apud Præsulem, ut sententiam suam moderaretur, reputantes, hoc seculum non gignere Paulos & Hieronymos, contentus esset illis, quos præsens ferret ætas. Addebant cum magno Ecclesiæ dedecore conjunctum fore, si ex trecentis tres tantum admitterentur. Quid Episcopus? ille ut erat fervido ingenio respondebat, se Paulos & Hieronymos non requirere, non commissurum tamen, ut pro hominibus asini admitterentur. Id enim si fieret, cum Ecclesiæ publico dedecore fore conjunctum. Hac cum non succederet, alia aggressi sunt Præsulem via. Alius aries admotus. Si tu hos non admiseris, inquiebant, oportet ut nostra nobis augeas salaria, alioqui sine his asinis non est, unde vivamus. Hoc ariete, qui tamen multis modis retundi potuisset, dejectus est erectus Præsulis animus.

Idem in Præfat. Method. Theol. Nunc Siculis gerris vaniora, nunc cujuslibet deliri senis aut etiam aniculæ somnia huc irrepserunt, & indies magis ac magis irrepunt.

Idem in Comm. Psal. 2. Ecclesiastici nostri diligunt opes, diligunt voluptates carnis, diligunt Tyrannidem. Et ideo non ferunt sermonem Evangelicum, quia contrarius est cupiditatibus ac factis eorum.

In Præfat. super Paraphr. N. Test. Hoc magis deplorandum, quod plerique Sacerdotes hujusmodi sumus, ut nunquam serio cogitaverimus, quid sit esse vere Christianum. Titulo, consuetudinibus, Ceremoniis Christiani sumus magis quam ex animo. Aut inopia scientiæ non habemus, quod doceamus populum, aut cupiditatibus mundanis corrupti, nostrum negotium agimus potius quam Jesu Christi. Quid igitur mirum, si in tenebris versatur populus, cum ii quoque tenebricosi sint, quos oportebat esse lucem mundi, cum ipsi nihil Christo dignum sapiant, quos conveniebat esse salem terræ; cum ipsi caecutiant, quos oportebat esse lucernam toti domui lucentem; cum sordidis lucris ac voluptatibus immersi sint, quos oportebat esse civitatem in edito monte sitam, quæ monstret viam errantibus? Atque utinam non essent tam multi, in quos vere dici possit illud Esaiæ, Speculatores ejus cæci omnes!

Ibid. Fidei sinceritas variis modis vitiatur: pax Christiana distrahitur. Non ego nunc in hanc, aut in illam partem pronuncio. Ubicunque dissidium est, ibi Diabolus est.

Idem in Epistol. ad Spalatinum apud Schultetum in Annal. Decad. 1. pag. 58. scribit, quod tempore cœptæ per Lutherum reformationis publica morum corruptela tanta fuerit in Romana Ecclesia, ut nemo non fateretur, opus fuisse publico remedio.

In Epist. ad Barbirium apud eundem p. 92. Nemo non fatetur, vehementi quadam medicina opus fuisse Ecclesiæ, nimium collapsis moribus.

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 4. Lutheranorum causa factum est, ut relictis quibusdam nugis, quibus à trecentis annis huc usque homines sese dedidere, ad meliora studia sese transtulerint, quo fit, ut multo plures viros doctos nunc Ecclesia possideat, quam à quadringentis retro annis huc usque habuerit.

Lib. ejusd. cap. 12. Viri Catholici zelum habent multò ardentiorem, quam Lutherus &c. Quapropter etsi ferventiùs & sincerius Ecclesiæ reformationem optaverint & nunc optent, patienter tamen tolerant, dissimulantque tanquam periti & experti Medici, qui cum vident morbum invaluisse, totasque occupasse medullas, nihil tentare audent, sed Naturæ curandum relinquunt, timentes, ne medela vires præbeat morbo, qui parum auctus infirmum interimit. Sic etiam viri boni & docti zelantes pro Domino exercituum, videntes Ecclesiam in pluribus ejus membris gravissimis laborare morbis, Deo, qui verus est Medicus, curandum committunt, atque ideo orant sine intermissione, ingemiscunt, deprecantur cum improbitate &c.

Nicolaus Machiavellus in principio suæ Historiæ scribit: Circa annum Domini 600. consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cum miraculis novæ pugnare cœpisse. Nam spectrorum apparitiones & alias imposturas Satanæ miraculorum veterem illam formam religionis prorsus evertisse. Verba Autoris in lingua Italica recenset Wolfius tom. 2. lect. memorab. p. 811.

Idem libr. 1. Histor. Florent. ad Clementem VII. dicit: Miracula modernæ Ecclesiæ pugnare cum antiquæ Ecclesiæ fide, & ex mutatione religionis magna scandala & discordias ortas esse. Refert Deckherus in Præfat. tract. de Jesuitis.

Henricus Cornelius Agrippa lib. de vanit. scient. cap. 97. p. 485. Pro Evangeliis, pro verbo Dei meras nugas & humana verba crepant, prædicantes Evangelium novum, adulterantes verbum Dei, quod annuntiant non ad gratiam, sed ad quæstum & ad pretium.

Johannes Hoffmeisterus Eremitarum Augustini Vicarius generalis in Præfat. Loc. Comm. adducit, & ad Rom. Ecclesiam applicat dictum Basilii Epist. 69. Subversa sunt pietatis dogmata, turbati pietatis ritus.

Id. in Harm. Fabricii art. 7. abusuum: Reprehendunt in nostris Confessores, quæ citra impudentiam excusari, nedum commendari possunt minime.

Et postea: Continenter traducunt ea, quæ Pastorum negligentia in Ecclesia irrepserunt certe non dissimulanda vitia. Quis enim tergiversari possit, multos abusus irrepsisse in Ecclesiam, sive verbi prædicationem, sive Sacramentorum administrationem respicias.

five tam Clericorum, quam Laicorum mores consideres? (Existimat autem *nec omnia à nostris melius ordinata esse*, forte quia res Ecclesiæ nostræ non fuerunt illi tam notæ quam abusus Ecclesiæ Papisticæ.)

Georgius Cassander in Consult. de August. Conf. art. 7. de Eccles. *Nullam Ecclesiæ firmam pacem sperandam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt; hoc est, ut qui Ecclesiasticæ gubernationi præsunt, de nimio illo rigore aliquid remittant, & Ecclesiæ paci aliquid concedant, ac multorum piorum votis & monitis obsequentes manifestos abusus ad regulam divinarum literarum & veteris Ecclesiæ, à qua deflexerunt, corrigant.*

Art. eod. expresse fatetur, quod *præsens Ecclesia* (Romana) *non parum in morum & disciplinæ integritate, quin etiam in doctrinæ sinceritate ab antiqua illa, unde orta & derivata est, dissideat.*

Idem in Consult. art. 25. *Concedimus, obtestandos esse illos, penes quos Ecclesiarum procuratio est, ut compertos jam & manifestos abusus, quorum aliquot supra commemoravimus, ex quibus motus, quibus hodie Ecclesia jactatur periculosissime, & affligitur, extiterunt, tolli & aboleri curent, id quod non modo sine offensione, sed etiam cum summo applausu & congratulatione optimorum & doctissimorum virorum fieri poterit, in quibus tamen tollendis cautio adhibenda est, ne subita innovatio simplicium & imperitorum animos perturbet. Assentimur autem Confessioni, cum ait: Si Episcopi hos abusus, præcipue qui Missam & alias partes divini cultus invaserunt, in tempore correxissent, minus nunc esset dissensionum, neque tantum monendos & rogandos putamus, verum etiam ut antiquos aliquot Ecclesiæ ritus & mores progressione & inclinatione temporum obsoletos & immutatos, pietati vero promovendæ & Ecclesiæ pacificandæ utiles, revocari studeant, cujusmodi est usus Sacramenti Dominici sanguinis, seu plenæ ac legitimæ communionis corporis & sanguinis Domini. Item, ut in celebratione mysteriorum, sive Missis, Sacramentorum distributio adhibeatur.*

Idem art. eod. *Religio vera & solida paulatim in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est, & accrescentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvæ Ceremoniarum successerunt, in quibus veræ pietatis operibus pene neglectis summa totius religionis constituta est, quarum Ceremoniarum inanis observatio usque adeo veram apud plerosque Monachos religionem imminuit atque obscuravit, ut nusquam fere licentior & profanior vita, quam in nonnullis Monasteriis reperiatur.*

Idem in Judicio de officio priv. ac publ. tranquill. vere amantis viri in hoc religionis dissidio pag. 18. edit. Lugd. Ann. 612. non inficiatur, *Romanam Ecclesiam à prisco suo illo decore & splendore non parum diversam, multisque morbis & vitiis deformatam, nonnunquam & gubernatorum Tyrannide miserabiliter pressam.*

Ibidem: *In iis, qui Romanæ Ecclesiæ gubernatores & propugnatores haberi volunt, illud improbandum existimo, quod morbum nullum agnoscunt, & quod huic rei consequens est, remedia non admittunt, imo de correctione admonentes, & ad curationem adhortantes, operamque suam ad id efficiendum offerentes, non modo rejiciunt & ab Ecclesiæ societate depellunt, verum etiam multis in locis crudeliter interficiendos censuerunt, quæ res huic miserabili schismati occasionem dedit.*

Ibid. *Non diffiteor, postremis his temporibus una cum ignorantia, avaritia, ambitione, superstitiosos quoque nonnullos cultus & ritus in Ecclesiam irrepsisse, ita ut vitium ipsis rebus adhæreat, ipsorumque observatio fidei integritati officiat.*

Benedictus Arias Montanus in cap. 8. Judic. de Ephod Gideonis sic disserit: *Consilium ejus non ex Dei jussu aut oraculo initum, vitiosum tandem exitus arguit, ut multa alia, quæ à mortalibus recto, ut initiis videntur, studio instituta, non multo post in abusum degenerant, atque ex abusu in scelus, ex scelere in calamitatem tum publicam, tum privatam collabuntur.*

Johannes Ferus Concionator templi Cathedralis Moguntini ad eundem locum Judic. 8. v. 27. *Ephod fuit Gideonis familiæ in tendiculam &c.* sic annotat: *Quis non videt similia in Ecclesia contingere? quam multa instituerunt sancti bona intentione, quæ tamen nunc videmus partim in abusum, partim in superstitionem verti? Exemplo sint festa, Ceremoniæ, Imagines, Missæ, Monasteria &c.* (Sub hoc, & cætera multa omnino comprehenduntur.)

Idem Ferus in cap. 15. Matth. libr. 3. pag. 3. postquam Pastorum in constituendis ritibus nimiam liberalitatem castigasset, sic tandem exclamat: *O DEUM immortalem, quis explicare sufficiat, quot quantæque abusiones circa hujusmodi fiant. Primo enim plerumque justitiam in observatione hujusmodi constitutionum collocamus, quemadmodum Judæi in præceptis Legis Mosaicæ & Ceremoniis & Sacrificiis &c. sic & nos plerumque sentimus.*

Et postea: *Omnium maxime reprehensibile est hoc, quod Constitutiones Ecclesiasticas plerunque præceptis divinis æquamus, imo præferimus cujus judicium est, quod majores conscientias propter hoc formamus, quam propter transgressionem præceptorum Dei. Deinde transgressores Ecclesiasticarum constitutionum rigidius punimus tam in foro conscientiæ, quam in exteriore foro, quam transgressionem Legis divinæ.*

Pag. 5. *Hæc idcirco pluribus & diffusius tractavi. Scio enim quid pro majore parte in eadem superstitione sumus, in qua olim Pharisæi, contra quos Christus loquitur. Hinc plerisque nostrûm ut timendum est, eveniet in judicio id, quod virginibus fatuis, quibus dictum est, Amen dico vobis nescio vos.*

Idem in Postill. parte æstiv. conc. 3. in Domin. X. post Trinit. habita Moguntiæ Ann. 1547. ibidem excusa Ann. 1569. fol. 555. Wir (Päbstische) müssen bekennen / daß man uns unsere Sünde und Untugend / unsere Mißbräuch und Aberglauben / und was des Unraths mehr ist / nie deutlicher für die Augen gestellet. Was wir uns aber solcher Ding noch gebessert haben oder noch im Sinn haben zu bessern / weis man auch wol.

Becelinus in Epist. ad Episcop. Moguntiacensem, referente Rivio in lib. de abusibus Ecclesiasticis p. 134. *Numera vitia, abusus supputa, & confitebere, nulla hominum ætate pejore in statu rem fuisse religionis.*

Idem testatur, *Monachos & Theologos Scholasticos novum docendi genus invexisse, & nova quædam docuisse, quæ nescierit antiquitas. Ad hæc multa eos majore damno quàm utilitate Ecclesiæ Dei, divinis literis & orthodoxorum Patrum scriptis addidisse, sic ut additamenta illa plus dominarentur in Ecclesiastico populo, quam ipsum verbum Dei & doctrina Patrum, hujus rivulus.*

Idem: *Inerant Ceremoniis vitia & quidem multa. Hæc igitur amputari oportuit magis, quam totum tolli. Fidebat hisce vulgus, putabat hæc necessario requiri, credebat se justiorem ob hæc, credebat hæc efficere, ut peccatis venia sit, anteferebat hæc præceptis Decalogi, hoc modo spectabat, in hæc procumbebat, nullo respectu probæ vitæ habito.*

Andreas Fricius libr. 4. de Republ. emend. cap. 5. *Plerique* (Catholici) *multa & in doctrina & in Sacramentorum administratione & in disciplina emendari optant. Quin Pontifex ipse Adrianus VI. in dicta Legatione, quam ad Conventum Norinbergensem Ann. 1522. miserat, à planta pedis ad verticem capitis nihil esse sani in toto corpore ordinis Ecclesiastici affirmat.*

Idem: *Nonne Pontifex decretis suis supra sortem humanam sese extulit? nonne animum suum Tyrannidis appetentissimum patefecit? an in altum adeò evehi potuisset, nisi primum vera doctrina extincta?*

Georgius Wicelius in via regia sive Compendio de semitis antiquis. *Si altum siluerunt conciones usque ad hæc tempora de præcipuis bonis operibus & exercitiis fidei, nos ejusmodi detrimenta tuenda non suscepimus, uti non probamus, incultas tantum fuisse. Constitutionum humanarum commendationes de feriis plus æquo numerosis, de jejuniis coactis & per eos injunctis populo, qui ipsi non jejunarunt, de falso Monachatu, hujusque manifesta hypocrisi & vita parum pudica, raro sobria, de fictis fraternitatibus vel ad quæstum vel ad comessationes, vel ad veræ fraternitatis, quæ est in Christo, ludibrium, de peregrinationibus votariis, quæ quid Reipublicæ Christianæ ad veræ pietatis ædificationem profuerint, totus nunc orbis novit, de cultu Sanctorum, quem præter Canonicam Scripturam introduxit in Ecclesiam turpis lucri cupiditas, & terque quaterque maledicta superstitio, uno Deo non contenta, de rosariis, adde de reliquiarum quæstuariis, aut potius de reliquiis Sanctorum ad quæstum prostitutis, quæ ab ebriis nugonibus quibusdam conficta erant, ac si Sanctorum essent, cum illis extiterit nihil nugacius, quod postea ipsi inter pocula effutierunt, denique de Indulgentiis, siquidem harum intolerabilis abusus sua sponte interiit, in præsens nihil attingemus. Ejusmodi si qui publicitus concionari fuerunt ausi, næ illi fideles servi Domini & digni sunt, qui supra multa constituerentur obeunda. Fatemur caliginem, nec imus inficias, per eos fuisse ejusmodi in Ecclesiam invecta, per quos minime debuit, & quos nunc autores esse oportuit, ut Augiæ non fabulosum stabulum expurgaretur. Abhorrent animi piorum hominum, si percipiant,*

cipiant, isthæc in concionibus bonorum operum loco fuisse apud majores nostros declamata, qui error quantus sit, nemo facile crediderit.

Et postea: *Deploramus nos quoque hanc Ecclesiæ calamitatem, quod regnarint in ea varii cultus, quos Græci λατρείας appellant, & quod in humanis Ceremoniis fiduciam spemque salutis unicam collocantes, in errorem seducta simplicium corda, cum fiducia spesque salutis æternæ unica poni solum debuit in Christo Jesu Servatore nostro.*

Et postea: *Operæ pretium fuerat istis feriis præter alia Historias Divorum divulgare veras, non aniles recitare fabulas, ut hactenus comptum fuit. Dicas follibus mendacia pingvissima fuisse efflata, nec non vulgo credita pro veris narrationibus.*

Idem in Festo Petri & Pauli fol. 250. edit. Mogunt. Ann. 1571. Zu unsern Zeiten ist allenthalben grosse Klage über unsere Hirten / wil nicht sagen grosses Maledeyen über sie / und solches thun viel / die selbst ungerecht und sträfflich sind. Wolt aber GOtt / (das ich mit innigen Seufftzen rede) es were alles weniger wahr / weder es ist. Sorge es werde dieser Zeit im Christenthumb nicht gut werden / man büsse denn und kehre sich zum Vätern. Unreformiret bleiben wollen / wird das grössere Theil unserer Nation / sampt andern in Abfall schrecklicher Weise bringen.

Claudius Espensæus Theologus Parisiensis, quid aliud agit in Præfatione operum suorum ad Cardinalem Lotharingum, Digressione 2. lib. 2. in 1. ad Timoth. Digress. 2. in Epist. ad Titum & subsequente Commentario in v. 9. capitis primi, in 2. Timoth. 4. Digress. 19. & passim per omnes fere paginas, quam ut de publica tam doctrinæ quam morum Cleri corruptela conqueratur, In Comment. Tit. 1. fol. 486. scribit: *Episcopos nec per se docere, nec si per Substitutos doceant, ad pietatem exhortari, sed juri Canonico & Civili operam dare, imo pene peccatum putare, si quis Scripturas legat, eosque qui in Lege Domini meditantur, quasi garrulos inutilesque contemnere. Et memini Episcopum Italum nobilem, nec vero imperitum mihi dicere, conterraneos suos à studio Theologico deterreri & quodammodo abhorrere, ne sic fiant hæretici.*

Fol. 487. ait, *quendam qui Possiaci non ita nuper Episcopum ignorantem rectam sanamque doctrinam tradere, ad Scholas amandabat, nunc hæreticum audire, quasi vero Concilia non eodem tales amandent. Sed ecquónam alið tales? ad ganeas, an ad disciplinas?*

Lib. 2. Digress. in Timoth. fol. 176. conqueritur, *Episcopos modo in caupones, procuratores, dispensatores esse redactos, imo superare tales rerum mundanarum cura & solicitudine, curaque animarum, quam ipsos habere oportebat, dimissa, quæ villicis, quæstoribus, publicanis curanda sunt, quotidie solicite curare & cogitare. Optimos eorum, (nam sunt, ait, qui in Episcopas suas tota vita pedem nunquam intulerunt) præcipuis anni festis, vel potius quoties in anno ridet Apollo, nimirum semel, non quidem Concionari, quæ splendida ipsorum erat functio, sed forte rem sacram cum solenni apparatu, trabeatis, Choreutis & subadjuvis operari.*

Ibid. fol. 179. *Concilium Tridentinum decretis suis tantum effecisse ait, ut decretorum specie reformationem poscentibus illuserit. Novi Episcopos, inquit, etiam Græce peritos, qui se teneri præfractè negent, ut ad istam docendi servitutem se demittant & ad istas sordes descendant, generosi sc. & excelsi viri, quod cum Episcopas assecuti sunt, mos iis non esset docendi populum.*

Idem in Concione Synodali, quam Anno 1531. Bellovaci habuit, & Episcopo Bellovacensi Cardinali Castilianæo inscripsit de dicto CHRISTI: *Vos estis sal terræ & lux mundi*, oratione plane pathetica demonstrat, *neque sal scientiæ neque lucem pietatis suis Sacerdotibus inesse. Magna* (inquit inter cætera fol. 918. & seqq. in edit. Paris. Ann. 1566. fol. 34.) *sunt ovium offensa à Pastoribus improbis, sed ab ignaris non minus incommodum. Misit Dominus famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Commoventur quærentes verbum Domini, nec inveniunt: deficiunt virgines pulchræ & adolescentes in siti: majores miserunt minores ad aquam, venerunt ad hauriendum, non invenerunt, reportaverunt vasa vacua, quia non venit pluvia in terram, cerva peperit & reliquit, & cætera quæ sequuntur Jerem. 14. v. 5. 6. Thren. 4. v. 5. Parvuli petierunt panem & non erat, qui frangeret eis. Plebecula rogat Scripturas sibi exponendo comminui & propter Doctorum penuriam dicam, an desidiam? Spiritualis intelligentia caret alimoniâ. Populus non habuit scientiam, nobiles ejus interierunt fame, multitudo siti exaruit. O utinam vulgus Ecclesiasticum saltem comederet hunc panem in pondere, & biberet hanc aquam in mensura, & non deficientibus aqua & pane contabesceret in iniquitatibus suis. Verum lex periit à Sacerdote, consilium à Senioribus. Sacerdotes inter sanctum & profanum non statuerunt distantiam, inter pollutum & mundum non intellexerunt, tenentes legem nescierunt: Pastores ignoraverunt intelligentiam, Speculatores cæci sunt & cæcorum Duces, & ambo in foveam cadunt. Væ tibi Pastor, si tacueris, si non evangelizaveris, si videns non aperueris iniquitatem populi, ut ad pœnitentiam provocetur. Sed hodierni canes aut muti sunt non valentes latrare, aut è Cathedra non jam Mosis, sed Domini nostri Jesu Christi impudenter juxta ac imperite recitant pro Historia fabulam, pro veritate mendacium, pro Canonicis Apocrypha, pro Ecclesiasticis hæretica, pro seriis joca, pro virtute Dei fictitia miracula, ne dicam Dæmonum portenta, quibus illud convenit. Erratis nescientes Scripturas: populares autem qui Legem non noverunt, non minus interim maledicti sunt.*

Idem Espensæus in 2. Tim. 4. Digress. 2. adducit Petrum Cluniacensem ante quadringentos annos dicentem: *Nosti quantum me pigeant falsa in Ecclesia DEI Cantica, quantum nugæ canoræ mihi odibiles, inter quas (nam plurimæ sunt) cum nuper in festo magni Patris Benedicti hymnum cantari audirem, præter ineptitudinem sententiarum mendacia ad minus 24. reperi, &c.*

Ibid. adducit Petrum Pictaviensem Epist. 31. conquerentem *de hymno inepto ac falso in laudem S. Mauri super aquas currentis efficto*; Raphaëlem Volaterranum lib. 6. Anthropol. dolentem, *aperta in horis Canonicis legi mendacia.* Inceperat ibidem ab hoc voto: *Utinam non haberent Catholici, quod ad Ecclesiam ut ad Synagogam olim sic lamentarentur. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta*; aitque, *dolorem suum de iis, quæ in publicum cultum irrepserunt, Apocryphis sibi cum plerisque bonis esse communem.*

In 1. Tim. Digress. 1. f. 225. ex Lindano lib. 3. de opt. Script. Interpr. rat. cap. 3. hæc repetit: *Lindanus proponit Episcopi Lugdunensis querelam de Missalibus & Antiphonariis expurgandis. Antiphonarium, inquit, correximus, amputatis, quæ superflua, falsa & blasphema videbantur: qui Episcopus nostra, inquit Lindanus, si conspiceret Antiphonaria aut Missalia, Deum immortalem! quo ea pingeret nomine? ubi secretæ preces mendis spurcissimis conspurcatæ sunt: sed scelera nostra emendationem non ferunt Episcoporum incuria, qui cessant.*

Lib. 2. Digress. cap. 11. *Fides ex auditu. Auditus vero verbi Dei. Ubi ergo verbum negligitur, nec auditur, fidem ibi perire & labefactari necesse est. Et hodie, proh dolor! omnibus locis cernimus, ut ad tempora appropinquare videamur, de quibus Dominus: Putas, Filius hominis veniens fidem inveniet in terris! Qualiter in hac tempestate legatur sacræ Scripturæ Canon, satis est manifestum, ubi ex indesuetudine & indevotione Ministris Ecclesiasticis sacra in fastidium venerunt.*

Confer eundem fol. 327. 424. 480. 575. 624. & alibi passim.

Sotus in Assert. f. 60. *Imperitiâ quorundam & aliorum negligentia abusus aliquos irrepsisse fatemur.*

Didacus Stella in cap. 11. Luc. f. 70. *Nostra tempestate alii qui Doctores verbi Dei & prædicatores, conciones & prædicationes, quas ad populum habent, in fabellas & humanas leges, in Poëtas & Philosophos convertunt.*

Lorichius de Missa propaganda in 7. part. Canon. *Sunt Pseudo-Catholici, qui reformationem Ecclesiæ quoquo modo remorari conantur.*

Adamus Conzenius libr. 2. Politic. cap. 17. §. 4. *Nulla alia causa tot errorum fuit, quam quod doctrina sacra negligeretur, eruditorum beneficia, Sacerdotia, honores, homines imperiti, profani, milites occuparent; parvuli vagientes in cunis episcopabantur, vix nati jam Abbates erant.*

3. Quod longe plurimi de corruptelis morum publice in Ecclesia Romana grassantibus conquesti fuerunt. Non dicimus, vitæ sanctitatem esse cum doctrinæ puritate indivulso nexu conjunctam, nec inficias imus, quosdam recte docere posse, qui tamen minus recte vivant: Sed hoc est, quod dicimus, 1. à publicis morum corruptelis ad errandi possibilitatem argumentum recte duci hoc modo: Si Ecclesia Romana potuit corruptelas morum admittere, utique etiam in errores fidei potuit incidere. Ex eodem enim fonte promanant peccatum & error, videlicet ex Naturæ corruptione. Sicut peccatum corruptæ voluntati, ita error corruptæ menti abblanditur. Error est in intellectu, peccatum

tum in voluntate. Si ergo voluntas hominum renatorum sive Ecclesiæ civium in hac vita nondum ita confirmata est in bono, ut ab omni periculo peccati sit immunis, utique etiam intellectus nondum divino lumine ita plene collustratus est, ut ab omni periculo errandi sit immunis. Peccatum ipsum est quædam erroris species, quia voluntas errat in electione boni οἰομένως duntaxat talis, pro bono, quod ὄντως tale est. Inde Schultingius de discipl. Eccles. pag. 4. fatetur, *moribus bonis sublatis ipsam tandem fidem corruere.* 2. infallibilitatem & immediatam Spiritus sancti assistentiam, quam Pontifici Romano visibili Ecclesiæ Romanæ capiti tribuunt, cum notoriis & enormibus delictis externis consistere minime posse, qua de re suo loco inferius plura. 3. à corruptelis morum proclivem esse transitum ad ipsius doctrinæ corruptionem, qua de re sic disserit Arnoldus de Villanova in Colloquio cum Friderico Siciliæ Rege circa Annum 1290. scripto: *Homines pestilentes dissipant civitatem Agni cœlestis & maximè in statu, qui de altitudine perfectionis Evangelica gloriatur, & subvertunt Evangelicam veritatem, ac diruunt ædificium ejus in populo non solum perversis operibus & exemplis, sed corruptione doctrinæ in suis prædicationibus & præconiis. Nam cum sint amatores vitæ carnalis ac terrenæ felicitatis, & oderint vitam spiritualem, necessario sequitur, quod tribus modis corrumpunt Evangelicam doctrinam in suis sermonibus, scilicet detrahendo illis quibus invident, & diffamando blasphemiis & calumniis, & adulando eis, à quibus extorquere cupiunt. Ad quæ duo sequitur tertium, scil. prævaricatio sacrorum eloquiorum. Nam cum in dolo & astutia malignitatis prædicent, quandoque indirecte allegant, quandoque impertinenter applicant & perverse, & quandoque Sophistice distinguunt, & inconvenienter exponunt, & sic veritas Scripturæ obtenebratur per eos, nec exponitur auditoribus clarè, sed adulterantur per eos eloquia Dei.* 4. Simoniam vocari *hæresin* in aliquot canonibus caus. 1. q. 1. Jam vero Curia Romana ob Simoniam in toto orbe olim fuit infamis, qua de re suo loco plura.

Certum igitur esto, quod à corruptelis vitæ & morum præsertim per negligentiam Doctorum publice receptis, proclivis sit transitus ad doctrinæ & fidei corruptelas.

Ecquis vero enumerare posset querelas de corruptelis vitæ & morum, quæ tum ante Lutherum, tum ætate Lutheri publicè in Ecclesia sonuerunt? Integrum omnino librum ex ejusmodi querelis complere possemus, si speciatim eas recensere velimus ex Bernhardo, Joachimo Abbate, Johanne Sarisberiensi, Hugone de sancto Victore, Honorio Augustodunensi, Ubertino à Casali, Marsilio Patavino, Alvaro Pelagio, Nicolao de Clemangis, Brigitta in Revelationibus, Johanne Gersone, Platina, Mantuano, & aliis longe plurimis, quorum testimonia pleraque Catalogus testium veritatis & Johannes Wolfius in Lectionibus suis memorabilibus magno numero adducunt. De Pontificum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, Jesuitarum, Monialium delictis in publicas literas relatis nihil hoc loco dicemus, sed adducemus duntaxat querelas quasdam tum *generales* de toto Romanæ Ecclesiæ statu corrupto, tum *speciales* de quibusdam corruptelis morum publicè grassantibus.

Ad querelas generales pertinent sequentia testimonia, Leo IX. Pontif. Roman. apud Baronium tom. 11. Ann. 1054. n. 7. hancce profert querelam: *Abundante iniquitate, & refrigescente caritate, Romana Ecclesia & Apostolica Sedes nimium diu obsessa fuit mercenariis & non Pastoribus, à quibus & sua & non quæ sunt Jesu Christi quærentibus, devastata jacebat.*

Bernhardus serm. 33. in Cantic. sic scribit: *Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatius, eoque periculosius, quò interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut à quo abscondet se? omnes amici & omnes inimici. Omnes necessarii & omnes adversarii. Omnes domestici & multipacifici. Omnes proximi & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt & Antichristo serviunt. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ & cibis & scyphis, inde comessationes & ebrietates, inde cithara & lyra, & tibia, inde redundantia torcularia, & promtuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi, quod olim perambulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt & multiplicata sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ & ideo in pace ejus amaritudo amarissima.*

Serm. 1. in convers. Pauli: *Et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur. Amici tui Deus & proximi tui adversum te appropinquaverunt & steterunt. Conjurasse videtur contra te universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum. A planta pedis usque ad verticem non est sanitas ulla. Egressa est iniquitas à Senioribus, Judicibus Vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, ut populus, sic Sacerdos, quia nec sic populus ut Sacerdos.*

Idem in libris de consideratione ad Eugenium Papam, Ecclesiæ Romanæ vitiosum & corruptissimum statum graphicè depingit, lib. 1. cap. 10. *Plena est ambitiosis Ecclesia, non est jam quod exhorreat in studiis & molitionibus ambitionis, non plus quam spelunca latronum in spoliis viatorum.*

Lib. 3. cap. 1. *Et forsitan audivissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset. Tuum est huic plagæ remedium providere. Sed est insipientia, quæ ipsam quoque jam propemodum stultam facit sapientiam fidei. Quomodo & Ecclesiam Catholicam pene totam hoc virus infecit.*

Lib. 4. cap. 2. de Clero & populo Rom. sic loquitur: *Ante omnia sapientes sunt, ut faciant mala, bonum enim facere nesciunt. Hi invisi terræ & cœlo, utrique injecere manus, impii in Deum, temerarii in sancta, seditiosi in invicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos. Pauperum vita in plateis divitum seminatur. Argentum micat in luto; accurritur undique, tollit illud pauperior, sed fortior, aut qui forte citius præcurrit. A te tamen mos iste, vel potius mors ista non cœpit, in te utinam desinat! Sed reliqua prosequamur. Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere, Dæmonum magis, quam ovium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat? Vides omnem zelum Ecclesiasticum fervere sola pro dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil aut parum.*

Serm. 6. in Psalm. 91. Qui habitat: *Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiere, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Superest, ut reveletur homo peccati, filius perditionis, Dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum, quod non solum transfiguratur in Angelum lucis, sed extollitur supra omne quod dicitur Deus aut colitur.*

Epist. 178. ad Innocentium: *Vox una omnium, qui fideli apud nos cura populis præsunt, justitiam in Ecclesiam deperiri, annihilari Ecclesiæ claves, Episcopalem omnino vilescere autoritatem, dum nemo Episcoporum in promtu habeat ulcisci injurias Dei, nulli liceat illicita quævis, ne propria quidem parœciæ castigare. Causam referunt in vos Curiamq; Romanam. Recte gesta ab ipsis, ut ajunt, destruitis, juste destructa statuitis. Quique flagitiosi & contentiosi de populo sive Clero, aut etiam ex Monasteriis pulsati currunt ad vos, redeuntes jactant & gestiunt, se obtinuisse tutores, quos magis ultores sensisse debuerant. An non gladius Phinees promtissime atque justissime eductus fuerat ad condemnandum incestuosum concubitum Draconis & Milis? sed confusus atque retusus abiit retrorsum, scuto nimirum Apostolicæ defensionis opposito. Proh pudor, quos cachinnos res ista movit, & movet Ecclesiæ inimicis, cuique etiam ipsis, quorum fortasse metu aut favore à recto tramite abducti sumus?*

Epistol. 290. ad Cardinalem Ostiensem: *Pertransiit Legatus vester de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, fœda & horrenda vestigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & regno Teutonicorum per omnes pene Ecclesias Franciæ & Normanniæ & circumquaque circumiens usque Rothomagum vir Apostolicus replevit non Evangelio, sed sacrilegio. Turpia fertur ubique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formulosos pueros in Ecclesiasticis honoribus, ubi potuit, promovisse, ubi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos pervenire non potuit, exegit & extorsit per nuncios. In Scholis, in Curiis, in triviis*

fabulam

fabulam seipsum fecit. Seculares, religiosi omnes male loquuntur de eo. Homines quoque suæ professionis ipsi sunt, qui magis exhorrent, & famam ejus ac vitam. Et scitote minus me dixisse, quam publicè prædicatur.

Epist. 235. *In domo DEI videmus horrenda &c.*

Epist. 237. *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? Quam cupio, illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es Sedem. Pecunia, inquit, sit tecum in perditionem.*

Sub Honorio II. Pontif. Roman. (qui sedit circa Annum 1124.) venit Romam quidam Presbyter Arnolphus, vir magnæ devotionis & prædicator egregius &c. qui cum inter annunciandum verbum Dei Clericorum lasciviam, libidinem, avaritiam & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & Apostolorum ejus, integerrimamque vitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem Nobilitate, ut verus Christi discipulus, laudatus est, sed Cardinalium & Clericorum odio nimium est habitus, à quibus & noctu captus, occulte est interfectus. Hoc suum Martyrium antea, cum adhuc esset in eremo, divinitus ipsi fuit revelatum, cum per Angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Unde & publicè dixit: *Scio, quod animam meam quæritis Scio, quod me brevi jam occidetis. Sed quare: veritatem vobis dico, fastum, superbiam, avaritiam, luxuriam, nimiumq; studium, quod comparandis divitiis miseri impenditis, reprehendo, propterea vobis non placeo. Ego testem invoco cœlum & terram, quod annunciaverim vobis ea, quæ mihi Dominus præcepit. Vos autem contemnitis & me & Creatorem vestrum, qui vos per unigenitum Filium suum redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem vobis veritatem annunciantem morti tradituri estis, cum etiam, si sanctus Petrus hodie resurgeret, & vitia vestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehenderet, ei minime parceretis. Cum hæc alta voce clamasset, subjunxit: Ego quidem mortem subire pro veritate non timeo, vobis autem in verbo Domini prædico, quod omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcitia pleni plebem vobis commissam præceditis ad infernum. Deus vindex est. Cumque odium cleri propter veritatem in eum sævire cœpisset, eodem insidiis captus & submersus est.* Trithemius in Chron. Sabellicus & Platina suspensum affirmant.

Innocentius III. Pontif. Rom. (qui sedit circa Annum 1198.) in Bulla ad Christianorum universitatem Ann. 1212. exarata, sic conqueritur: *Vineam Domini Sabaoth multiformes satagunt bestiæ demoliri, quarum incursus adeò invaluit contra ipsam, ut ex parte non modica pro vitibus spinæ succreverint, & quod gementes referimus, ipsæ jam vites projerant pro uva labruscam infecta multipliciter & corrupta.*

Et postea: *Quia hæc universorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium juxta priscam consuetudinem sanctorum Patrum convocamus, propter lucra solum animarum opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpandum vitia & plantandas virtutes, corrigendos excessus & reformandos mores, eliminandas hæreses & roborandam fidem, sopiendas discordias & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, libertatem fovendam provide statuantur inviolabiliter observanda.*

Hugo Cardinalis (qui vixit circa Annum 1264.) cum nomine Papæ valediceret Lugdunensibus: *Amici*, inquit, *magnam fecimus, postquam in hanc urbem venimus, utilitatem & eleemosynam. Quando enim primo huc venimus, tria vel quatuor prostibula invenimus, sed nunc recedentes unum solum relinquimus, verum ipsum durat continuatum ab Orientali porta civitatis usq; ad Occidentalem.* Refert Matthæus Paris in Henrico III.

Durandus (qui vixit circa Ann. 1280.) in lib. de modo Concilii celebrandi, multis conqueritur *de corruptissimo Ecclesiæ, Prælatorum & cumprimis Romanæ Curiæ statu*, eumque optat in Concilio emendari.

Circa Annum 1351. à Nicolao Orem edita fuit Epistola Luciferi, in qua ingentes Ordini Ecclesiastico gratias agit, quod relicta doctrina CHRISTI & Apostolorum, qua nullæ omnino animæ ad infernum transmittebantur, nunc omnibus flagitiis, idolomaniis & traditionibus dediti infernum totum animabus repleant, & illi primi sint, qui descendant. Bullæ ejus mentionem etiam facit Vicentius lib. 25. cap. 89.

Inter cætera in ea hæc habentur: *O societas gratissima Dæmonibus, nobis olim per Prophetam promissa, & ab illis priscis temporibus antiquitus reprobata, dum te CHRISTUS vocavit Synagogam Satanæ, & te signavit per meretricem magnam, quæ fornicata est cum Regibus terræ, facta de matre noverca, de Sponsa CHRISTI adultera, de casta meretrix. Confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ, caritatem primam reliquisti & nobis adhæsisti. O dilecta nostra Babylon! ô cives nostri, qui huc de Jerusalem transmigrastis! Vos merito diligimus, vobis applaudimus, quia leges Simonis Petri negligitis, & legibus Simonis Magi amici nostri penitus adhæretis &c. Jam Laici de fide hæsitant, & si quæ sibi prædicatis quandoque, licet rarò, tamen non credunt, quando vident manifestè, quod quilibet vestrûm contrarium operatur, & sic ostenditis aliud esse, quam dicitis.* Integra Epistola habetur tom. 1. Wolfii memorabilium p. 654.

Albertus Argentinensis in Chronico. Ann. 1353. affixa fuit quædam clausa litera ostio Cardinalis, Papæ & Cardinalibus directa, qua aperta reperitur, quod Leviathan princeps tenebrarum salutat *Vicarium suum Papam & Cardinales Servitores suos, quorum ope jam Christum vincat nitentem exaltare pauperes & humiles contra Rempubl. mundi, & introductis Prophetis eos de omnibus commendat vitiis, & salutant eos mater eorum superbia, & sorores eorum Avaritia, Luxuria & cæteræ, quæ se jactant eorum adjutorio bene stare & multa talia.* Et subscribitur: *Datum in centro inferni præsente caterva Dæmonum. Et commotus Papa perquirere nititur & postea statim in infirmitate gravissima detinetur, de qua tamen convaluit.* Sed Scriptor literæ prædictæ certificari non potuit.

Franciscus Petrarcha (qui floruit circa Annum 1374.) Epist. 14. *Novi expertus, quod ibi* (Romæ) *nulla sit pietas, nulla caritas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil justi, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant, de veritate quidem sileo. Nam quis usquam vero locus, ubi omnia mendacii plena sunt, aër, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diversoria ædium, penetralia templorum, judicum subsellia, Pontificum ædes.*

In Epist. 15. *Insignis illa JESU CHRISTI aula, illa olim arx divini cultus eximia, nunc tandem peccatis nostris id agentibus cœlesti auxilio destituta, immanium spelunca latronum facta est.*

Idem lib. 2. de vita solit. *Heu quid præter gemitum & querelas relictum est misero, quando & nostri Reges nil nisi delitias; & nostri Pontifices nil nisi delitias amant; populi vero vel servi flent & insaniunt, liberi, & omnes, quæ sua sunt, quærunt; quæ Christi autem, nullus.*

Jacobus de Paradiso, in lib. de septem Statibus Ecclesiæ, circa Annum 1457. *Reformationem generalem extreme necessariam fore nostris temporibus mores corrupti totius orbis pronunciant, cum reverà penè omnis caro corrupit viam suam, sed quomodo eam fore possibilem in effectu fieri nondum est positum ad praxin, licet aliquoties per Concilia generalia sit attentatum. Et licet quædam decreta in hunc finem prodierint ab iisdem Conciliis, tamen tanta resistentia altæ dignitatis personarum tam spiritualium quam secularium facta est, ut vidimus, quod totum negotium lugemus infectum, & cum tempus pariendi advenisset, vires non habuit parturiens.*

Dionysius Carthusianus (qui floruit circa Ann. 1471.) part. alt. Serm. de Sanctis, de S. Francisco pag. 332. b. *Utinam cum summa diligentia Pontifex summus Reformationi totius insudaret Ecclesiæ, & nunc per alios hoc operaretur pro posse, imo seipsum inprimis, ac Curiam suam, ac Romanam Ecclesiam reformaret, juxta hæc, quæ super hoc scripserunt viri doctissimi, Domini Petrus de Aliaco, & Cancellarius Parisiensis, Johannes* (Gerson,) *deinde ante eos ferventissimus ac sanctus Pater Bernhardus, & alii quidam Catholici.*

Platina, (qui vixit Ann. 1481.) in vita Marcellini) qui sedit circa Ann. 296.) *Nostra ætate vitia adeo crevere, ut vix apud Deum misericordiæ locum nobis reliquerit. Quanta sit avaritia Sacerdotum & eorum maximè, qui rerum potiuntur: quanta libido undique conquisita, quanta ambitio & pompa: quanta superbia & desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius, tum doctrinæ Christianæ, quam parva religio & simulata potius quàm vera, quam corrupti mores vel in profanis etiam hominibus, quos seculares vocant, detestandi, non attinet dicere, cum ipsi aperte & palam peccent, ac si inde laudem quærerent.*

Idem in vita Stephani III. (qui sedit circa Annum 752.) *Nunc vero adeo refrixit pietas & religio, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur. Non flent*

eundum, vel dum sacrificatur, ut illi sancti Patres, sed rident, & quidem impudenter. De his etiam loquor, quos purpura insigniores facit, non hymnos canunt; id enim servile videtur, sed jocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? Quo quis dicacior est & petulantior, eò majorem in tam corruptu moribus laudem meretur. Severos & graves viros reformidat hic noster Clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt vivere, quàm bene monenti aut cogenti obtemperare, & ob eam rem Christiana religio quotidie in pejus labitur.

Idem in vita Bonifacii V. (qui sedit circa Annum 614.) pag. 89. *Expectant Seculares, ut Presbyteri tuendæ religionis causa pecunias in sumtus bellicos polliceantur & subministrent, nec in pejores usus effundant, quemadmodum facere plerique consuevere, pecunias eleemosynis & sanguine Martyrum comparatas in aurea & argentea vasa, & prægrandia quidem fundentes, parum de futuro solciti, DEI, quem tantum utilitatis gratia colunt, & hominum contemtores.*

Idem in vita Gregorii IV. (qui sedit circa Annum 828.) hanc Apostrophen dirigit ad Ludovicum Imperat. *Utinam nostris temporibus Ludovice viveres! Indiget nunc Ecclesia tuis sanctissimis institutis, tua censura; adeò in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leve fortasse videretur, sed equos & jumenta; præcedente, dum incedunt, magno adolescentum & altero Presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, ut Christus nostri dogmatis autor & bene vivendi unum in terris exemplar, sed in equis praeferocibus & phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum supellectile, deque cibariis non attinet dicere, cum & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii dici possint. Quid verò ex hac intemperantia nascatur, prætermittam, ne os, ut ipsi ajunt, in cælum ponam.*

Idem in vita Benedicti IV. (qui sedit circa Ann. 899.) p. 148. *Sanctitate & doctrina, quæ non nisi magnis laboribus consummataq; virtute comparantur, Pontificum decus sine ullis opibus primò quidem auctum est inter tot hostes, & obstinatos persecutores Christiani nominis: mox verò ubi cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à servitute ad lasciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coërcente, hæc portenta,* (inter Pontif. Roman.) *à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri Sedes occupata est potius, quam possessa.*

Idem cum in vita Anteri Papæ (qui sedit circa Annum 236.) pag. 30. constitutionem ejus notasset, qua cautum erat, *ne quisquam Episcopus in alium Episcopatum transferretur nisi causa necessitatis vel utilitatis, non sui ipsius sed ovium*, in hanc de suis temporibus lamentationem erumpit: *Quod hodie à plerisque contra fit: ad utilitatem enim propriam respicientes, imo voluptatem, ut habeant, unde expleant, ad uberiorem semper respiciunt. Non quod oves & quæ ratione pascendæ sint, quærentes, quod est officium boni Pastoris, sed sciscitantes, quantum singulis annis inde excerpi possit. De cura animarum parva sit mentio, de augendis proventibus magna: quo plura jumenta, & plures servos, ac eos quidem ignavos & stolidos domi alant.*

Autor libri, qui inscribitur, Stella Clericorum (qui vixit circa Ann. 1500.) *O Domine, Pastores tui mutati sunt in tonsores, defensores in dissipatores; qui deberent esse sobrii, quotidie sunt ebrii; qui Prælati, Pilati; qui casti, incesti; qui Pastores, Seductores.*

Bernhardinus Morlanensis Monachus, à Possevino in Apparatu sacro in Appendice priori ad tom. 1. lit. B. celebratus, tres de contemtu mundi libros artificiosis rhythmis scripsit, in quibus impietatem Ecclesiæ Romanæ à capite ad calcem depingendo primum quidem generatim omnibus Statibus *adulteria, ebrietatem, ambitionem, dissimulationem, fraudes, furta, homicidia*; dein speciatim Clero *ignorantiam, negligentiam, Sodomiam, Simoniam*, aliaque Scelera objicit. Tandem Romam ingressus fœditatem *Romanæ Babylonis* tam clarè toti mundo ob oculos ponit, ut dubium alicui videri possit, majorne sit illius impietas, an hujus παῤῥησία.

Apud Goldastum tom. 1. Monarchiæ Rom. Imperii pag. 11. extat querela Petri Cassiodori Ecclesiæ Anglicanæ; *In luto, ait, & latere ancillata; dataque in manus ejus, de quo non possit surgere absque auxilio sublevantis. Compatiantur sibi, clamat, omnes transeuntes per viam, quia non est dolor, sicut tuus. Jam enim præ dolore nimio atque effusione tua nimia lachrymarum supra carbones est facies tua denigrata, ita quod non es cognita amplius in plateis. In tenebrosis te tuus præfatus superior, Pontifex Romanus, collocavit, inebriavit te absynthio & felle. Afflictionem populi tui, ejusque gemitum audi. Vide Domine & descende, quia cor dicti viri super cor Pharaonis est nimium induratum. Tuum populum abire liberum non dimittit, nisi in fortudine manus tuæ.*

Apud eundem tom. eod. pag. 25. quidam Scriptor de ætatibus Eccles. sic loquitur: *Eò perventum est, ut nunc ablata ab oculis veritate, nec antiqua religio, neque humanitatis ratio teneatur.*

In Concilio Lateranensi postremo sub Julio II. (qui sedit circa Annum 1503.) Orationem habuit Simon Begnius Episcopus Modrusiensis sess. 6. In ea hæc leguntur: *Tædet vero pigetque fidem, pietatem, religionem, nostris temporibus ita tepuisse, & pene dixerim, contabuisse videri, ut vix earum ulla vestigia sint reliqua. Et in nobis, quo tempore Ecclesia ab hæreticorum persecutionibus vacua, summa pace & libertate fruitur, tantopere fidem & fervorem majorum nostrorum animis insitum refrixisse, ut cum Hieremia vere dicere possimus, Egressus est à filia Sion in omnes decor ejus, innocentiæ scil. & castitatis. Principes ejus facti sunt ut arietes: hostes ingressi sunt sanctuaria ejus: Ecclesias polluerunt: virgines ejus & juvenes in captivitatem abierunt: Sacerdotes & senes spreverunt DEUM. Non est lex: non est mandatum: judicia pervertuntur. Haccine est illa filia Sion, Sponsa Christi, quæ una esse debet.*

In Sess. 9. Antonius Puccius, singulos ordines prolixè exagitavit & de Clericis cum dixisset: *Eos olim vel deponi, vel saltem suspendi solitos ab officio, qui non recte se gererent; Quod si*, inquit, *Ecclesiæ matris nostræ benignitas providis suis consiliis à tanta priscorum canonum severitate aliquantulum non temperasset, quonam ejusmodi Clerici nostra tempestate confugerent? quo consciam sibi tot scelerum faciem obvolverent?* Severius etiam sess. 10. Stephanus Archiepiscopatus Patracensis: *Magnus ille Dominus, vitia, scelera & peccata ac blasphemias contra Deum, Virginem & sanctos turpissimas, quæ in Romana & universali Ecclesia, ac populo suo Christiano, & orbe universo perpetrantur, pro sua justitia amplius tolerare non valet.*

Et postea: *Si cardines orbis, si Reges tum cœli, Ecclesiæ, tum terræ: si quatuor rotarum Patres & religiosi, si Magistri & Doctores, si advocati, & procuratores, si judices & Romanæ Curiæ Officiales, Ecclesiarumque rectores, tantam magnitudinem magni Domini & inviolabilis justitiæ suæ Sceptrum recta, simplici ac pura mente, juxta legis Dei & regularum divinum intellectum suscipere vellent, tot enormia & legi immaculatæ contraria, fracto jugo Christi, sine caritate ac Dei timore, plebem Christi quasi panē devorantes, non perpetrarent.*

Rursus: *Sancti Apostoli & illi, qui nostram Ecclesiam suo sanguine ædificarunt, cœlestia & immortalia bona; nos vero caduca, mortalia & terrena quærimus: illi miracula & virtutes, nos piacula & scelera; illi summis virtutibus gratiā, nos vitiis iram consecuti sumus.*

Concilium Pisanum (anno 1511.) ad Maximilianum I. fol. 62. *Gravissimis*, inquit, *notoriisque criminibus ad scandalum usque manifestissimum misella Ecclesia opprimitur, atque ita opprimitur, ut nisi protinus occurratur, naufragium factura procul dubio videatur, spreto Constātiensis constitutionis præcepto, spreto solenni voto & juramento Universalis Ecclesiæ, reformationem tamdiu tanto cum discrimine tum prætermittere, aut potius contemnere, tum præterea eos, qui pietatis intuitu & promissionis religioni, Spiritu sancto duce, opem ferre studeant, uti rebelles hostesque & infideles insequi, quasi jam palam facere quærat summus Pontifex, nihil magis cordi sibi esse, quam ut olim de subacta dirutaque Ecclesia Dei, id est, de bonis illis membris, quod absit, aliquando triumpharet.*

Autor Oneris Ecclesiæ c. 19. *Militanti Ecclesiæ imminet plaga divinæ iræ cum ob Clericorum, tum ob Laicorum cæcitatem & malitiam, &c. Inprimis sedes bestiæ, id est, Ecclesiæ perversæ est in Curia Romana, cujus regnum est tenebrosum. Heu sicut olim in Romano Imperio, sic hodie in Romana Curia est vorago divitiarum turpissima. Crevit avaritia, periit lex à Sacerdote, ac visio de Propheta, & consilium à Senioribus. Claves Ecclesiæ sunt in abusu & in servitute Simoniæ & ambitionis. Vitia enim ferme Curialium celari, negarique vix possunt. Roma quasi gurges flagitiorum. Ecce Roma nunc est vorago & mammon inferni, ubi Diabolus totius avaritiæ capitaneus residet, vendens patrimonium Christi, Cardinales extenti & effusi sunt ad omnem superbiā, cupiditatem & delectamentū carnis.* c. 20. *In ore Episcoporum est lex vanitatis pro lege veritatis, & labia Sacerdotis custodiunt scientiam secularem, non spiritualem. Nunc temporis Episcoporum status & dignitas perpenditur in terrenis opibus ac plebis curis, in bellorum procellis, in imperiis mundalibus.*

Cap. 21. *Tria facinora exercent Ecclesiæ provisores. In canone vitam meretricalem habent. Secundò sunt insatiabiles similes voragini maris ad cupiditatem pecuniæ. Tertio bona irrationabiliter & prodigaliter, sicut torrens in impetu suo aquam fundens, pro superbia largiuntur: quorum horribilia peccata ascendunt ante conspectum Dei.*

Status & Ordines Imperii in Centum gravaminibus Legato Pontificio in Comit. Norimb. An. 1523. exhibitis, Grav. 31. *Quicunque Ecclesiasticos recipit Ordines, majores seu minores, per hoc omnium pœnarum Magistratuum secularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit: & ita ordinati ab Ecclesiasticis summa conditionis statibus in hac peccandi licentia manutenentur: pudicitiam matronarum & virginum attentant & noctu interdiuque solicitant: uxores ac filias maritis patribusque detinent & remorantur, minantes interim gladio, aqua, ignive ulturos repetitas uxores. Mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentium delatione, igni, rapina, furto, falsa cudendo numismata, ac mille scelerum formis interim contra divina humanaque jura omnia non sine magno etiam aliorum offendiculo liberrimè ac impune quotidie committant. Et ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis ac magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatem aliquatenus interdictum est Archiepiscopis & Episcopis, ne in malefactores hos publice criminali judicio reos agere possint, nisi prius degradatos, id quod tantis sumtibus tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissime uncti illi malefactores meritâ plectantur pœna.*

Aventinus in præf. lib. 6. Annal. Bojorum p. 604. *Quando ejus* (Pontificis Romani) *tanta potestas est, cum tanta messis, cur non metit? cur non amat? cur non pascit, quando tot oves fame pereunt? cur ovili capros, hircos, lupos, libidinosos, adulteros & perfidos, perjuros imponit? Non audita loquor, ea, quæ hisce oculis video, narro. Cur lupis oves committit? cur gregem suum simulatoribus religionis perniciosissimis, rem suam duntaxat agentibus servire, cur pueros & effeminatos agnis suis dominari permittit? Episcopi nostri quales sint, pudet dicere. Pauperum alimentis canes, equos, ne dicam scorta alunt, potant, amant, literas velut contagionem vitant. Nullam curam inopum, quorum opibus incubant agunt. Nihil in eisdem præsidii est pauperibus, superbia, luxu, armis cum quovis vel Persicis Regibus locupletissimo Imperatore decertant, &c. Imperatores, Reges & Principes nostri tot cœlites, paupertatis Christianæ amatores, & nullius præterquam pacis & literarum studiosos nobis dedêre &c. At, si diis placet, nunc venatores inauspicatissimum in sacris literis genus hominum omnibus imponunt, sanctissimis patribus ad hæc conniventibus.* Et paulo post: *Ea est temporum infelicitas, non licet loqui quæ sentis, nec sentire, quæ loqueris. Oves tondere, deglubere, occidere uti libuerit, sub specie religionis longinqua est consuetudo.* Et postea: *Sacrosanctam Philosophiam divinitus à S.S. editam, interpretando suis moribus aptam faciunt, ambitioni suæ servire cogunt, scita decretaque Christi non servare, sed servire sibi volunt. Legibus à Christo latis semetipsos solvunt, placita ejus contemnunt, ne dum illis parere studeant.*

Theologi Pontificii, quibus in Comitiis August. An. 1530. id datum erat negotii, ut Confessionem Augustanam refutarent, sub finem suæ confutationis sic scribunt apud Chytræum in edit. vern. p. 311. *Quod vero de abusibus conquesti sunt* (Confessionistæ) *norunt sine dubio omnes Principes & status Imperii, quod neque Majestas Cæsarea, neque ullus Principum, imo nullus Christianus ullum abusum approbet, sed quod omnes optent, ut Principes & status omnes communi consilio dent operam, quò abusus abrogentur & emendentur, & quod in utroque statu hactenus nimium sit aut minus, omnino abrogetur, aut in melius reformetur. Et ut tandem Status Ecclesiasticus multifariam debilitatus, atque Christiana religio, quæ in multis refriguit & remisit, pristinæ devotioni, gloriæ & nitori restituatur. Qua in re Majestas Cæsarea, quod omnibus notum, multum laboris atque curæ posuit, atque clementer promisit, se imposterum ad promovendam hanc emendationem nihil curæ aut industriæ omissuram.* (Non ergo negarunt abusus Romanæ Ecclesiæ, sed agnoverunt utriusque Status Ecclesiastici inprimis defectum, ejusque emendationem nomine Cæsareæ Majestatis & Principum promiserunt.)

Paulus III. Pontifex Ann. Christi 1538. quatuor Cardinalibus, duobus Archiepiscopis, Episcopo, Abbati & aulæ Papalis præfecto hanc imposuit provinciam, ut consilium de reformatione Ecclesiæ Romanæ unanimi suffragio scripto complecterentur, quod extat tom. 3. Conc. edit. Colon. 1551. ex officina Johann. Quentel. cum privil. S. C. Majest. p. 819. In quo inter cætera sic loquuntur: *Spiritus ille Dei, quo virtus cœlorum firmata est, ut ait Propheta, labantem, imo fere collapsam in præceps Ecclesiam, per te* (Pontificem) *restaurare, & huic ruinæ manum, ut videmus, supponere decrevit, eamque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere, certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi tui, aut cujuspiam alterius habita ratione tibi significaremus abusus illos gravissimos, videlicet morbos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana Curia, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua Spiritu Dei erudita, qui loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, probe noverat, principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices, tui prædecessores, prurientes auribus, coacervarunt sibi Magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Inde effectum est, (præterquam quod omnem Principatum sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficilimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum:) quod confestim prodirent Doctores, qui docerent, Pontificem esse beneficiorum omnium Dominum, ac ideo cum Dominus jure vendat id, quod suum est, necessario sequi, in Pontif. non posse cadere Simoniam; ita quod voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes ac actiones dirigantur, ex quo procul dubio effici, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupêre in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, vel manasse harum rerum famam ad infideles usque, (credat Sanctitas Vestra viam scientibus;) qui ob hanc præcipue causam Christianam religionem derident, adeò ut per nos, per nos, inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes.*

Ann. 1562. in Conventu Procerum ad Sangermannum Hospitalius Cancellarius inter cætera hæc protulit: *Patres, qui Ecclesiam adversus Arium & hujusmodi Sectarios tutati sunt, S. Ambrosium dico, Chrysostomum, Hilarium, &c. Si cum Episcopis, qui nunc, componamus, quam malè religionis rebus & nostræ securitati prospectum sit, deprehendimus.* Refert Thuanus lib. 28. Histor.

Pius V. Pont. Rom. (qui sedit circa An. 1566.) in Collegio Cardinalium aliquando sic locutus est: *Fundamentum omnium hæresium est dissoluta vita Sacerdotum, qui si pie viverent, omnibus hæreticis rationes, quibus causam suam defendere conantur, præriperent.*

De eodem Pontifice memorat Papyrius Massonus in ipsius vita, quod aliquando dixerit, *tam corruptis temporibus tamque perversis vix fieri posse, ut summus Pontifex ad æternam cum Deo tranquillitatem & gloriam perveniat.*

Legati Sedis Apostolicæ ad Patres in Concilio Tridentino hæc in medium protulerunt: *Nostram ambitionem, nostram avaritiam, nostras cupiditates his omnibus malis populum Dei prius affecisse statim inveniet, atque harum vi ab Ecclesiis Pastores fugari, easque pabulo verbi privari, bona Ecclesiarum, quæ sunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis Sacerdotia conferri, & illis, qui nihil à Laicis, præterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum est, quod negare possimus per hos annos à nobis factum esse? Quare si Turca, si hæretici hoc idem adversus nos faciunt, quid hic aliud quam flagitia nostra & simul justum Dei judicium videmus? Judicium vero plenum misericordiæ. Si enim pro meritis nos castigaret, jam pridem sicut Sodoma & Gomorrha fuissemus.*

In congregatione quadam Synodi Tridentinæ potens quidam & opulentus Præsul oratione meditata ostendit, *ad emendationem morum ante omnia respiciendum, deformitate omnium Cleri membrorum vehementer exaggerata, simul inculcato, nisi vasa nostra perpurgentur, Spiritum sanctum in nobis habitare non posse, ideoq; nec rectum de rebus judicium unquam sperandum.* Refert Petrus Suavis in Hist. Trident. Concil. lib. 2. p. 162.

Cornelius Episcopus Bitontinus in oratione coram Patribus Tridentini Concilii habita inter cætera sic loquitur: *Quibus turpitudinum monstris, qua sordium colluvie, qua peste non sunt fœdati, non corrupti in Ecclesia Dei sancta & populus & Sacerdos? In vestro judicio causam repono, Patres, & à sanctuario Dei incipite, si ullus jam pudor, si ulla pudicitia, si ulla superat bene vivendi vel spes, vel ratio; si non libido effrenata & indomita, si non audacia singularis, si non scelus incredibile! Heu quomodo obscuratum erat aurum, quomodo mutatus color optimus &c. Potentiores* ab

ab autoritate in dominium, à dominio in Tyrannidem, à jure in injuriam, à sceptro in virgam ferream, à Dei cultu in impietatem, à tutela Ecclesiæ ad internecionem, à modo ad libidinem, à ratione ad nutum, à tributis ad importabilia onera, à pace ad bella crudelia, à simplicitate ad dolos, à prudentia ad malitiam, à liberalitate ad luxum, à parsimonia ad avaritiam, ab ornatu ad pompam, ab obœdientia ad apertam rebellionem conversa sunt. Utinam non à religione ad superstitionem, à fide ad infidelitatem, à Christo ad Antichristum, quin à Deo ad Epicurum vel ad Pythagoram velut prorsus unanimes declinassent, dicentes in corde impio & in ore impudico, non est Deus. Neq; jamdiu fuit Pastor, qui requireret, non fuit, inquam, qui requireret, quia omnes, quæ sua sunt, quærebant, quæ Jesu Christi, ne unus quidem.

Nicolaus Machiavellus Florentinus; citante Wolffio præfat. tom. 2. Lect. memorab. *Quod si hæc tam diligens cura divini cultus à Reipubl. Christianæ Principibus observata esset secundùm primam institutionem & præcepta ejus, qui illam nobis tradidit, longe majori felicitate ac pace frueremur in orbe terrarum Christiano. Nunc cum nusquam minus vel pietatis vel religionis sit, quam in iis hominibus, qui Romæ viciniores habitant, eaq; Christianæ religionis caput censeatur, facile conjicere potes, Christianum orbem magnopere periclitari. Quod si quis etiam diligenter consideret eum religionis cultum, qui nostra ætate jam in usu est, cumque conferat cum prima Christianæ religionis institutione ac veris fundamentis, is non poterit illius interitum non metuere, vel divinam ultionem non formidare, imò omnis Italiæ infelicitas ex eo redundat, quia Romana Ecclesia nequaquam secundum Christianæ religionis præcepta vivit, sed ea adulterat atq; corrumpit.*

Johannes Hoffmeisterus, Eremitarum Augustini per Germaniam Vicarius generalis homil. in Dom. XI. post Trinit. p. 323. edit. Antverp. An. 1550. *Adversarii nostri nusquam non jactant Evangelium, cum nemo magis quàm ipsi contra Evangelium pugnent. Nos jactamus autoritatem Ecclesiæ & traditiones Patrum, cum interim malis nostris moribus dehonestemus Ecclesiam Christi sponsam; & non traditiones Patrum sed pessimas corruptorum hominum consuetudines sectemur, & interim tam suaviter nobis blandimur ac in sinu gaudentes alteri alteros calumniamur. Nos illis depravatum Evangelium, illi nobis corruptam Ecclesiam objiciunt, & meo judicio neutri fit injuria, utrique vera dicunt.*

Idem Domin. 26. post Trinit. *Sed quod Judæis dictum est, etiam ad nos pertinere putamus. Illi enim videbantur esse, quod nos cupimus appellari, videlicet filii Dei, populus electus, gens sancta: Verum quoniam illi, ceu diximus, nominetenus tantum & externa quadam umbra erant filii Dei; verbis autem & factis diversum testabantur, ideò tantum naufragium fecerunt. Cum igitur in templis & Monasteriis multis plus hypocrisis & superstitionis, quam veræ pietatis & religionis fuerit, quis miretur idem in nostris templis fieri, quod in illorum templo factum esse constat? Nam idem Deus & Judæorum & Christianorum, & quod in illis punivit, nobis nequaquam laudi dabit.*

Claudius Espensæus in cap. 1. Tit. Digress. 11. *Tam diuturnorum motuum non alia causa major, quam quod tot annis* (à Concilio Tridentino) *nihil immutatur, & omnis reformandi spes inde abrupta, quod reliquum Ecclesiæ corpus reformatum velint, qui tam multis annorum Centuriis urbem* (Romam) *in qua merum atque mixtum habent imperium, deformatissimam adhuc reliquerunt. Quid enim vel excusare, vel excogitare verum aut verisimile possunt* (Romani Pontifices) *quibus non vel Rex, vel Cæsar, non populus, non Clerus, non generalis Synodus, non tota deniq; Ecclesia dicere potest, Cur ita facis? quid, inquam prætexere possunt, quod eis sibi suisq; reformandis moram vel remoram tamdiu fecerit? Et ubi tamen sub Sole major malorum omniū licentia, clamor, impunitas, ne dicam infamia & impudentia? talis sane ac tanta, ut nemo credat, nisi qui viderit; nemo neget, nisi qui non viderit. Missam faciam omnium temporum ab Hieronymi usq; seculo querimoniam & quidem perpetuam. Et cujus quæso distichon hoc est:*

Vivere qui sancti cupitis, discedite Roma.
Omnia cum liceant, non licet esse bonum?

Certè non Poëtæ tantum, sed & Philosophi, & Theologi, & quidem Itali Mantuani, à Clenardo itidem Theologo, linguæ sanctæ Professore Lovanii, Lutetiæ & in Lusitania &c. in Epistolis non semel citatum. Et ausus est homo nihil minus quam Lutheranus idem altero disticho comprehendere, sic:

Quisquis opes sacras nummo reperire prophano
Quærit, eat Romam, sacra sunt venalia Romæ;

quod verbis Mantuani latissimè persequitur, subinde hæc interserens: Audiat igitur & utinam tandem exaudiat S. D. N. Pius IV. quod nescio audierit, nec ne, certè minus exaudivit Sixtus IV. &c.

Postea memorat, *Legatos Caroli IX. An. 1563. die 3. Januarii à Tridentina Synodo postulasse art. 5. Ut Presbyteri, sacrisq; initiati & cujusvis Ecclesiæ ministerio addicti in ea vocatione, in qua à Domino vocati sunt, permaneant, nec in alio munere & officio, quam quod Dei ministerium deceat, versentur. Juxta hoc postulatum, ait, nullos habebit Gallia Episcopos vel Presbyteros. Sextum articulum fuisse ait, ne ullus eligatur Episcopus, qui non & ætatis sit legitimæ, itaq; moribus & doctrina præditus, ut populum docere, & ei vitæ exemplar esse possit, & qui non sit satis in omnibus instructus, quæ sufficiant ad Episcopi munus ritè per se obeundum. Et quotusquisque nostratium Episcoporum, quorum nomine hæc postulata circumferuntur, Tridento redux, suos per se docet?*

Ibid. f. 480. oper. exagitat, quod non *solum Collegium IX. Cardinalium Bononiæ collectum, Paulum Papam III. à simonia nequiverit abstrahere, sed quod idem Paulus decretum 2. sessionis 7. Concilii Tridentini mira fraude eluserit, quando decreto simpliciter jubente, ne quisquam cujuscunque dignitatis, gradus aut præeminentiæ sit, plures Metropolitanas seu cathedrales Ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta recipere & simul retinere præsumat, ac si quis jam plures detineat, reliquas demittat, una tantum retenta alioquin illæ eo ipso vacare censeantur; non solum suam sedem exemtam esse ducebat, sed decreto contrariam insuper glossam addebat. sic, ut plurium uxorum vir plures Episcopatus obtinens, fructus omnes sibi reservare posset, tantum ut aliquid assignet Resignatario pro sua dignitate utcunq; tuenda. Retineat etiam regressum ad omnes illos Episcopatos quos resignavit, ut si accideret, Resignatarium cedere vel decedere, Episcopatus ad resignantem regrediatur, qui eadem conditione eum alteri, cui velit, possit resignare. Et hac Paulini decreti praxi*, ait ibid. Espensæus, *obiisse nuper quendam ex Gallis Cardinalibus, qui quinq; Episcopatuum præter Abbatias totidem, fructus perceperat, assignato quatuor Resignatariis pro sua cuiq; scil. dignitate vix ac ne vix quidem tuenda.*

Fol. 408. dicit: *Protestatos fuisse graves aliquot Episcopos Hispanos maxime, quibus erat cordi necessaria, ut nihil magis, morum & abusuum reformatio, & causatos, quod ne uni quidem ex causis, propter quas convocatum erat Concilium, plene adhuc satisfactum esset.*

Fol. 483. *Percutiat Pius P. R. Sanctuarium suum, & à domo sua incipiat, piet, ac repurget juxta nomen suum sua primum, suis primum medeatur, & taxas illas αἰσχροκερδεῖς nomine multis meritò maledictis taxatas, reliquamq; Cameræ, Cancellariæq; Apostolicæ nihil minus quam Apostolicam, quam Paulinam aut Petream negotiationem nundinationemq; quasi quoddam Augiæ stabulum tandem vel repurget.* Ibid. *memorat, Cardinales ad finem Concilii diserte dixisse, se plus optare quam sperare, ut Christi nomen à Clericis, nedum à gentibus oblitum, in cordibus nostris hac ratione restituatur.*

In 1. Timoth. p. 374. repetit Bernhardi querelam & ad sua tempora applicat: *Væ generationi huic! Totum corpus Ecclesiæ laborat; quò latius, eò desperatius serpit hodie putida tabes hypocriseos per totum corpus Ecclesiæ.*

Ruardus Tapperus, Decanus & Cancellarius Lovaniensis in Orat. Theol. f. 199. *Et agnoscimus ipsi & ingenue confitemur, gemimus & deploramus, in corpore Ecclesiæ à planta pedis usq; ad verticem capitis non esse sanitatem, & corrupta esse omnia præsertim in statu Ecclesiastico, omnesq; sua quæ sunt quærere & studere avaritiæ: atque per dispensationes super beneficiorum pluralitate & super aliis plurimis, super quibus nec Christus ipse dispensare posset, per commendationes Abbatiarum & Episcopatuum, per monstrosas provisiones, regressus & retrogressus, omnia esse venalia, subprætextu tamen nescio cujus causæ rationabilis, quæ ex more nullo facto examine prætexitur, & bullis inseritur semper, multamq; propterea in capitibus Ecclesiæ damnabilem esse hypocrisin.*

Cornelius Mussus, tom. 2. ser. 2. Dom. V. in Quadrages. p. 565. Colon. Ann. 1594. Romam inter cætera sic alloquitur: *Cesset tua avaritia, cesset luxuria, cesset superbia, cessent tanta tua scandala &c. Et renova illum* (veterem mundum) *Pater sancte, reforma illum, hoc enim opus Deus tibi reservavit. Quod si bonam in aula Romana videro reformationem, jam tunc nomine Romæ mihi carissima dicam contra Aquilonem, & Orientis Tyrannum: Paveant illi, & non paveam ego; confundantur illi, & non confundar ego. Sed quamdiu illam reformationem non video, semper in auribus mei insonant illa verba Nolite confiteri, dicentes, Templum Domini, templum Domini, &c. Nolite mirari, si Concionatores omnes vociferentur, à Roma reformationem esse auspicandam Roma deformata deformat mundum. Roma reformata reformat mundum &c. Nolo hic*

longa

longa oratione recensere abusus hujus Romanæ Curiæ, sed id saltem dico, populum non nosse distinguere inter Curiam & Ecclesiam, putatq; abusus unius errores esse alterius. Hinc oritur, quod nostro hoc seculo nomen Romanum apud omnes nationes exosum est, & ipsa Ecclesia videte quæso quam exiguo sit in pretio propter scandala, quæ audiuntur, videntur, tanguntur. Non jam loquor de inimicis, qui vocant eam Babylonem, infernum, Meretricem, qui dicunt eam omnium errorum esse sentinam, sed de amicis loquor, qui gemunt & in semetipsis suspirant quotidiè, dicentes: O civitas sancta, quomodo facta es prophanata! O civitas gloriosa, quod sic viluisti, sic contempta es & neglecta!

Hector Pintus, in cap. 32. Es. p. 232. *Etsi aqua sit eadem, etsi doctrina sit una, tamen in Ecclesiæ principio fluebat per canales illos aureos & excellentissimos Christi, ejusque discipulorum: nunc vero plerumque manat per canales terreos & luteos.*

Stapletonus in Relect. controv. 1. q. 5. art. 3. q. 158. *Ad reliquas omnes vexationes accesserunt enormia & horrenda Rom. Pontificum peccata atque flagitia. Vix enim ullum peccatum (sola hæresi excepta) cogitari potest, quo illa sedes turpiter maculata non fuerit, maximè ab An. 800. & infra.* Platina in vita Stephani 3. pag. 118. *Itum est à Lateranensi Basilica ad S. Petrum cum maxima omnium religione, nudis pedibus & à Pontifice, & ab omnibus, qui tum aderant. Nunc vero adeo refrixit pietas & religio, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur: Non flent inter eundum vel dum sacrificatur, illi Patres, sed rident & quidem impudenter, de his etiam loquor, quos purpura insigniores facit, non hymnos canunt, id enim servile videtur, sed jocos & fabulas ad risum conciтandum inter se narrant. Quid plura? quò quis dicacior est & petulantior, eò majorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Severos & graves viros reformidat hic noster Clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt vivere, quam bene monenti aut cogenti obtemperare & ob eam rem Christiana religio quotidie in pejus labitur.*

Bellarminus de beat. sanct. c. 8. §. Primo modo. *Alexander III. & postea Innocentius III. videntes abusus, qui oriebantur circa sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro sancto coli inciperet sine Romani Pontificis approbatione.* Ut patet cap. 1. & 2. de reliq. & sanctor. venerat. (Agnoscit ergo, circa sanctorum cultum progressu temporis in Ecclesia abusus fuisse ortos, an vero per Romani Pontificis approbationem ad canonizationem sanctorum postmodum requisitam abusibus illis obviã fuerit itum, de eo haud immerito dubitatur.) Idem tom. 6. op. conc. 26. col. 296. *Annis aliquot, antequã Luther. & Calvin. hæresis oriretur, nulla fermè erat, ut ii testantur, qui tum temporis vivebant, nulla, inquam, propè erat in judiciis Ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris literis eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodũ jam erat religio. Eximius ille Cleri & sacri ordinis decor perierat, vilissimo cuiq; ludibrio erãt Sacerdotes, à populis contemnebantur, despiciebantur, gravi diuturnaque laborabant infamia. Et undenam hæc omnia? nonne ex eo, quod Pastores ordine præpostero non præcipuè gloriam Christi & ovium suarum salutem, sed panes & pisces, h. e. reditus & proventus potissimum in Ecclesiasticis muneribus quærebant.* Mox eosdem castigat ab exemplo Apostolorum Act. 6. *Non derelinquentium verbum Dei ob mensas;* & subjicit: *At vero paucis ante annis quam multi reperiebantur (quorum similes utinam nulli modò reperirentur) qui si non verbis, certe reipsa & factis dicebant: Non est bonum nos, ut verbo Dei vacemus, redituum & proventuum curam negligere. Ponamus in Ecclesiam & in suggestu vicarium unum, qui modico stipendio sit contentus, ipse prædicet verbum Dei, ipse ovium curam habeat, nos vero opibus & honoribus cumulandis & augendis instantes erimus. Hæc igitur origo, hic fons malorum omnium fuit.* Hæc omnia Bellarminus.

Ibid. conc. 42. col. 503. *Quis non videt, quam graviter affligetur corpus Ecclesiæ, quam debilitatem & lassitudinem omnia membra præ se ferant, & hoc unde, nisi quia stomachus calorem ad cibos concoquendos non habet? Si Clerici, qui duces aliorum & matres & nutrices esse debent, lac non habent, perfectionem ignorant, quomodo cæteros alere, docere ac ducere possunt? Soror nostra parvula est & ubera non habet. Quod faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? Quid quod hæretici nihil habent in ore, quam corruptos mores Clericorum? qui igitur illis discedendi occasionem fortasse aliquando dedimus, obsecro & redeundi occasionem demus.*

In concione de lumine fidei, de Laicorum & Sacerdotum impietate tempore Lutheri passim grassante graviter conqueritur: *Erant*, inquit, *mores Christianorum magna ex parte corruptissimi. Sacramenta, religio, disciplina Ecclesiastica contemnebantur, & regnabant omnia vitiorum genera.*

Similem querelam de socordia Sacerdotum depromit in lib. de gemitu columbæ lib. 2. cap. 5.

Sexcentas hujusmodi querelas ex variis autoribus afferre operæ quidem pretium foret non contemnendæ, sed prolixioris & ab instituto nostro remotioris. Notandum tamen, quod longe plures ejusmodi querelas de corruptelis doctrinæ & morum in Romana Ecclesia possemus adducere, nisi per Indicem Expurgatorium litura illis fuisset inducta. Inde Expurg. Hispan. f. 60. *Verba Espensæi, Roma facta est lupanar, & hæc, Sedis Apostolicæ summa jura, h. e. summæ injuriæ; privilegia, h. e. abusus; consuetudines, h. e. corruptelæ, hæc omnia deleantur.*

F. 158. Ex *Thomæ Mori viri clarissimi scriptis hæc verba, O Sacerdotes nostris longe sanctiores! & hæc, Quinta est acta ætas quasi decrepita & confecta sub Pontificibus Romanis & Cæsaribus Germanis; atque hæc, quod inde per omnes Cæsares usque in Pontifices Romanos duravit, deleantur.*

Index Expurgatorius Hispanus ex Alberti Argentinensis Chronico deleri jubet: *De potentia & superbia sedis Apostolicæ ac Prædicatorum & Minorum.* Idem cum Belgico ex editione Augustini ab Erasmo facta: *Quam probitatem hodie non temerè reperias in Sacerdotibus & Abbatibus.*

In specie conqueruntur,

1. De dispensationibus Pontificum, etiam contra Conciliorum decreta. Franciscus de Victoria lib. de potest. Papæ relect. 4. *Tempore Conciliorum antiquorum Pontifices similes erant Patribus Conciliorum, ut non opus esset aliquo decreto ad revocandum ab ineffrenata & immoderata licentia. Nam si benè revolvuntur Historiæ, reperiemus, quod non præsumebant Pontifices Decreta Conciliorum tam facile dispensare, sed tanquam divina oracula observabant, sed jam nec mala nostra, nec remedia pati possumus.*

Albertus Cranzius in Histor. *Ad pristinam observantiam si nostra tempora referimus, Ethnici videbimur. Quid enim hodie per dispensationem Apostolicam non obtinetur? &c. Mathildis multa obsequia impenderat Romanæ sedi, multas pro sua fortuna operas & impensas fecerat conscribendis & alendis pro summo Pontifice exercitibus. Sed non potuit tum in vicem gratitudinis in tertio gradu affinitatis ad matrimonium dispensationem impetrare. Ea tum erat temporum observantia, ut ne ullus sermo de dispensatione fieret. Nostra sunt tempora liberaliora, nescio si meliora, quando una puella tertium experitur maritum primis duobus superextantibus, quando summorum Pontificum sanguis ex Archiepiscopatu in Cardinalatum, & ex illo gradu in secularem Ducatum perducitur.*

2. De impunitis Ecclesiasticarum personarum delictis.

Gravamina Principum & Statuum Imperii art. 31. *Quicunq; Ecclesiasticos recipit ordines, majores seu minores, per hoc omnium pœnarum Magistratuum secularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit. Neque hoc ita ordinati temerè præsumunt, quod ab Ecclesiasticis summæ conditionis statibus in peccandi hac licentia manutenεantur.* Et postea: *Non raro evenit, ut Sacerdotes uxores ac filias maritis patribusque detineant & remorentur, minantes interim gladio, aqua, igni ve ulturos repetitas uxores, atque tantorum malorum segetem ex insana libidine contrahunt, mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falsa cudendo numismata, ac mille scelerum formis interim contra divina humanaque jura omnia non sine magno etiam aliorum offendiculo, liberrime ac impunè quotidie committant, nempe immunitate ac peccandi sua licentia, quam ex privilegiis canonum sibi usurparunt in hoc freti. Cum enim & semel compertum habeant, licere eis impunè quicquid libuerit, tum nedum Magistratibus civilibus, sed & suis Episcopis ac superioribus medium ostendunt unguem quodcunque illi jubeant vel vetent. Et tandem ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem aliquatenus interdictum est Archiepiscopis & Episcopis ne malefactores hos publice criminali judicio reos agere possint, nisi prius degradatos, id quod tantis sumtibus tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissime uncti illi malefactores merita plectantur pœna. Adhæc adstringuntur obliganturque Episcopi per sua capitula, ut personas in sacris ordinibus quod dicitur, constitutas, secundum Canonica etiam jura pœnis utcunque levibus punire, affligereque non audeant.*

3. De concubinatu permisso.

Claudius Espenæus in comm. Tit. 1. p. 67. *Turpissimum est, quod sinuntur Clerici & Laici cum Concubinis cohabitare.*

Gravamina Principum & Statuum Imperii art. 75. & 81. *In locis plerisque Episcopi & eorum Officiales Sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa persolvatur pecunia, & recepto ab eisdem hoc annuo censu publice cum suis concubinis, pellicibus, & aliis id genus meretricibus illegitimè cohabitare, liberosque procreare sinunt &c. Sed & Sacerdotes continentes, & qui absque concubinis degunt*

gant; Concubinatus censum persolvère cogunt, asserentes, Episcopum pecuniæ indigum esse, qua soluta licere Sacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant.

4. De lupanaribus permissis.

Cornelius Agrippa, de vanitate scientiarum cap 64. *Recentioribus temporibus Sixtus Pontifex Maximus Romæ nobile admodum lupanar extruxit.* Ibid. *Romana scorta in singulas hebdomadas Julium pendent Pontifici, qui census annuus nonnunquam viginti millia ducatorum excedit.*

5. De asylis institutis.

Polydorus Virgilius lib. 3. de rer. Invent. cap.12. *Sunt hodie in orbe nostro Christiano præsertim apud Anglos passim asyla, quæ non modo insidias timentibus, sed quibusvis sontibus, etiam Majestatis reis, patent, quod facit, ut manifestè appareat, nos id institutum non à Mose, qui illis duntaxat, qui nolentes hominem occidissent, asylum posuit, sed à Romulo esse mutuatos, quæ nempe res haud dubie in causa est, cur bene multi minus à maleficiis suas abstineant manus. Quid quod templa nostra ubique gentium istiusmodi sceleratis hominibus instar asylorum sunt, & id contra quam Moses constituerat.* Ex. 21.

Plures hujusmodi querelas de officiis Ecclesiasticis in homines indignos collatis, de Indulgentiis, de Missarum nundinationibus, & aliis corruptelis longe plurimis adducere in proclivi foret, sed quia in Romanæ Ecclesiæ civibus non tam vitæ & morum quam doctrinæ & fidei corruptelas taxamus, nec propter illas, sed propter has secessionem ab ea fecimus, ideo recensendis illis supersedemus.

4. Quod superioribus seculis multi & voce & scriptis testati sint, *Pontificem Romanum esse Antichristum*, quorum testimonia adducentur in lib. 3. artic. 3. (Si enim Papa Romanæ Ecclesiæ caput est Antichristus, utique in Ecclesia Romana vigent dogmata Antichristiana.)

5. Quod agnoscere coguntur, ante Lutheri tempora supinum lectionis Scripturarum neglectum non solum apud Laicos, sed etiam apud Clericos viguisse. (Cum enim Scriptura sacra sit primum Theologicæ sapientiæ principium, ideo ex neglectu lectionis Scripturarum non potuerunt non corruptelæ in Ecclesiam inundare.)

Johannes Cochlæus, comment. de actis & scriptis Lutheri sub anno Christi 1522. fol. 55. *Factum est, ut turba Lutheranorum* (ex lectione Nov. Testament. à Luthero editi) *longe plus operæ impenderit discendis sacris literis ita translatis, quam impendit populus Catholicorum, ubi Laici eam curam potissime in Sacerdotes & Monachos rejiciebant. Unde contigit, nonnunquam à Laicis Lutheranis plures Scripturæ locos ex tempore citari in Colloquiis, quam citarentur à Presbyteris & Monachis Catholicis. Ac jamdudum persuaserat Lutherus turbis suis, nullis dictis habendam esse fidem, nisi quæ ex sacris literis proferrentur. Idcirco reputabantur Catholici ab illis ignari Scripturarum, etiamsi eruditissimi essent Theologi. Quin etiam palam aliquando coram multitudine contradicebant eis Laici aliqui, tanquam mera pro concione dixerint mendacia aut figmenta hominum.*

Et postea: *Juvenes & ingenio alacres & laborum patientes* (linguis & politioribus literis exculti) *mox sacris literis, quibus Lutherus unum tribuebat sensum & eum solummodo literalem, ita profecerunt literaliter, ut triginta annorum Theologi tam prompti in citandis Scripturæ locis non viderentur, quam erant illi.*

Johannes Aurifaber, in præfat. super Colloquia Lutheri Anno Christi 1569. edita memorat, Lutherum sæpenumero recensuisse, quod D. *Andreas Carolstadius per octennium Doctor Theologiæ salutatus fuerit, antequam Biblia legere inciperet.* (Creatus autem fuit Doctor Theologiæ totidem annis ante reformationem Lutheri & in Disputationibus ac Examinibus pro Licentia, ut vocant, *sufficientissimus* tunc temporis juxta Statuta Collegii Theologici Academiæ Wittebergensis habitus fuit.) Plura hujus generis adducentur inferiùs lib. 1. part. 2. cap. 4.

CAPUT V.

De Reformationis prædictione.

NON solum plurimi, etiam ante Lutherum, de corruptelis doctrinæ & vitæ in Ecclesia Romana publicè grassantibus conquesti sunt, ac reformationem anxiis desideriis expetiverunt, sed eandem etiam secuturam Spiritu Prophetico impulsi, vel certè argumentis minimè dubiis persuasi prædixerunt. Non adducemus hoc loco vaticinia in sacris literis de secuturo reformationis opere à *Prophetis & Apostolis* annotata, qualia occurrunt Daniel. 8. vers. 25. cap. 11. vers. 44. Jerem. 51. vers. 48. Malach. 4. vers. 55. & 6. Matth. 24. vers. 14. 2. Thessal. 2. vers. 8. Apocal. 14. vers. 6. 8. & 9. cap. 18. vers. 1. sed pro ratione instituti nostri alia aliorum vel vaticinia, vel omina de futuræ reformationis opere ab Historicis annotata recensebimus.

In Prophetia quadam carmine comprehensa, cui Sibyllæ nomen adscriptum, diserte prædicuntur tum alia, tum etiam exilium & reditus potentum ob veram pietatem. Prædicitur quoque ruina *phantasticæ Ecclesiæ* ac successus veræ. (Jam verò non constat inde usque à CHRISTO Principes aliquos ob veram pietatem exulasse & postea rediisse, sicut superiore seculo Elector Saxonicus & Coloniensis, qui tamen pro reditu ad terrenum Principatum ejusque longiore perfruitione maluit ad cœleste regnum commigrare. Exulavit & pientissimus Princeps Otto Henricus, Comes Albertus, Caspar Pflug, Baro Bohemicus, aliique insignes ac illustres viri.) Catalogus testium, Wolfius cent. 3. Lect. p. 73.

Circa annum 1152. Fridericus Barbarossa in Carinthia ædificavit templum ad Ingingam, quod statuis decoravit lapideis multifariis. Earum quædam (autore sine dubio docto quodam & futurorum, ac quod aliquando Ecclesia reformanda foret, haud ignaro,) repræsentavit Monachum cingulo præcinctum, discoopetto capite, ut Monachus consuevit esse. Supra caput autem illius scriptum erat literis majusculis: *LUTHERUS.* Theophrastus Paracelsus in descript. Carinth. Argentorati impressa f. 250.

Fridericus II. Imperator Ann. Christi 1228. à Papa Gregorio IX. excommunicatus Reges & Principes hortatus est, ne Papæ & Cardinalibus obedirent. Illi tribuitur hoc distichon:

> *Roma diu titubans variis erroribus acta*
> *Corruet, & mundi desinet esse caput.*

Dantes Alighetius de Florentia circa Annum 1321. annum reformationis haud obscure prædixit sic canens: *Hoc ego video certe, ac propterea id narro. Addandum ei tempus jam stellæ propinquæ secura ab omni contrapositione & omni resistentia sunt Quo unus quinquies centum & decem & quinque missus à Deo excidet scortum istud, & gigantem istum qui cum ipsa delinquit.* (Anno Christi 1515. Lutherus Theologiæ Doctor renunciatus est, sicque ad veritatem docendam juramento adactus, quam post biennium in publicam lucem producere cœpit.)

Richardus Armachanensis in Hibernia Primas & Episcopus Juris & Theologiæ peritissimus, Nov. Test. in Hibernicum sermonem translatum anno uno aut altero ante suam mortem in quodam templi muro occultavit, in cujus fine q. prophetizans hoc scripsit: *Cùm hic liber inventus fuerit, veritas toti mundo manifestabitur, vel Christus orbi mox apparebit.* Et repertus est ille liber circa annum à nato Servatore 1530. in reparatione ejusdem templi; abdidit librum anno 1358. mortuus enim dicitur Anno 1360. Ex Balæo Wolffius tom. 1. memorab. p. 643.

Franciscus Petrarcha, circa Ann. 1374. Epist. 19. *Tu Christe, qui potes, à quo imperia omnia & in terris & quæ sursum & quæ deorsum sunt, precario possidentur, qui hanc meam & maxime publicam querelam vel in silentio audis, exaudi quæsumus, si justa est.*

Catharina Senensis, circa Ann. 1378. *His tribulationibus & angustiis modo imperceptibili hominibus purgabit Deus Ecclesiam suam sanctam, & suscitabit Spiritum electorum suorum, sequeturque post hac tanta reformatio Ecclesiæ sanctæ Dei, & renovatio pastorum sanctorum, quod ex solo cogitatu exultat Spiritus meus in Domino, & sicut alias pluries vobis dixi, sponsa, quæ nunc est tota deformis ac pannosa, tunc erit pulcherrima monilibus pretiosis ornata, cunctique fideles gaudebunt, se tam sanctis pastoribus decoratos.* Wolff. tom. 1. p. 685.

Matthias Parisiensis, circa Ann. 1390. prædixit: *Futurum, ut Deus adhuc semel pios Doctores excitet, qui Spiritu ac zelo Eliæ ferventes errores Antichristi, ipsumque Antichristum mundo patefaciant ac refutent.*

Circa Ann. 1398. fuit Curiæ Sacerdos quidam, qui crebrò sacrificulis dictitare solitus fuit: *Vos jam Paulum sub scamnum abjecistis, veniet aliquando tempus cum ipse inde prorepens vicissim vos sub scamnum protrudet.*

Speculum aureum (circa Ann.1404.) in præf. conqueritur: *Totam Romanam Curiam à planta pedis usque ad verticem capitis patenter excæcatam esse erroribus, & addit: Reformet ipse unigenitus Dei Filius suam Ecclesiam.*

Mechtildis (circa Annum 1410.) prædixit: *Deum exsuscitaturum novos Pastores, qui sanam Christi doctrinam piis proponant, ejusque jam ferme collapsam Ecclesiam, sedulò reædificent & instaurent, Christianamque religionem, quæ multis erroribus esset contaminata, repurgent ac contra Antichristum concionentur.*

Franciscus Zabarella, JCtus, (circa Ann.1410.) *Nisi Deus succurrat statui Ecclesiæ, universalis Ecclesia periclitatur.*

Circa Annum 1413. Frater Richardus, in suis Revelationibus sic scribit: *Sicut ante incarnationem Christi tempore Julii & Octaviani omnia regna mundi devicta sunt: ita omnes gentes, quæ confligunt, ut sunt Ismaelitici & Saraceni, tandem consumentur à Romano Imperio, sed prius purgato & castigato clero, & profanata Ecclesia Romana, & cessante summo Sacerdotio ad tempus propter peccata populi & Cleri, h.e. purgabitur Ecclesia Romana à suis sordibus ante destructionem Turciæ & terræ Saracenorum.*

Johannes Huss, contra datam ab Imperatore Sigismundo fidem Constantiæ (Ann.1414.) impulsu Episcoporum Papalium fuit exustus. Is paulo ante mortem dixit: *Hodie anserem uritis,* (Huss enim lingua Bohemica significat anserem) *sed post centum annos ex meis cineribus nascetur cygnus, quem non poteritis assare.* Inde Treutlerus de Joh. Husso sic canit:

Anser eras, & te Romana caterva cremabat,
Quod nimis obstreperus Pontifici Anser eras.
At tua vindicias habuerunt fata, repertus
Nempe fuit, quem vox summa canebat, olor.
IgnIs Corpora saCra saCrI ConsVmserat HVssI,
Post HVssVM CæCo CyCnVs In orbe CanIt.
Constantem inconstans Constantia sustulit Hussum,
Pro Christo ardentem cum subit ille rogum.
Anni abeant centum, causam Christoque mihique
Dicetis, cygnus cum anseris ultor erit.

Idem in Epist. 13. sui carceris in fine: *Spero in Deum, quod mittet post me magis strenuos ac nunc sunt, qui melius patefacient malitiam Antichristi, & exponent animas suas ad mortem propter veritatem Domini nostri Jesu Christi.*

Epist.46. ex carcere scripta: *Illa vita Christi per puros Prædicatores meliores me melius depingetur, gaudente populo, qui diligit vitam Christi, de quo ego gaudebo evigilando & resurgendo à mortuis.*

Eodem tempore Hieronymus Pragensis, Hussi discipulus repetito Præceptoris vaticinio reformationem prædixit hisce verbis: *Post centum annos respondebitis Deo & mihi.*

Neve quis Johannis Hussi testimonium elevet, ipsumque hæreseos damnatum fuisse prætendat, notandum quod Pistorius in præf. Anatom Lutheri p.2. Johannem Hussum in omnibus fermè Confessionis articulis Pontificium facere satagat, & *Catholicè*, seu in fide Papistica *mortuum esse*, falsò licet, contendat. (Gretserus in comm. de duob. numm. p.43. prædictionem Hussi & Hieronymi Pragensis in dubium vocat. Pistorius Epistol. 3. ad Pappum planè negat. Sed præterquam quod habetur in operibus Hussi Noribergæ editis, refertur eadem à Poggio supplicii spectatore in Epistola ad Leonem Aretinum. Ac Petrus Matthæus, Historiographus Regis Galliæ lib.2. memorat, Bohemos desiderio Hussi numismata cudisse inscriptione postremorum ejus verborum: *Post centum annos respondebitis Deo & mihi.*)

Sigismundus Imp. cum videret reformationem Concilii Constantiensis in fumum abire, animo valde doluit, & cum aliquando Possenii in Ungaria quietem caperet, in somnis ei apparuit vir honestæ speciei in habitu Sacerdotali, qui ei significabat: *Papæ & Sacerdotum errores futuro tempore per doctos homines revelatum iri, qui auxilio quorundam Principum Ecclesiam juxta verbum Dei reformaturi essent.* Referunt Jacobus Schopperus, in Chorographia, Henricus Token, Canonicus Magdæb. apud Wolffium tom.1. Lection. memorab. p.804. Revelatio facta Sigismundo Imperatori apud eundem tom. eod. p.809.

Circa Annum 1465. Magister Johannes Ostendorpius, Canonicus templi D. Lebuini Daventriensis, vir multo studio longaque experientia doctissimus, adolescens admodum, Magistrum Johannem Wesselum, Groningensem Frisium, qui *Lux mundi* vulgo dicebatur senem adiit, & inter cætera audivit ab eo quasi jam, quod per Lutherum futuram erat, prævidente: *Studiose adolescens, ad illu m vire diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum istorum Theologorum, Thomæ, Bonaventuræ & aliorum ejusdem farinæ ab omnibus vere Christianis Theologis explodetur.*

Laurentius Miniatensis, Pontani præceptor in tertio operis sui libro (quem circa An.1470. scripsit) hos versus scriptos reliquit:

Illa autem nostris jam jam ventura sub annis
Est melior, nostræ legis vix pauca refringet
Aspera quæ nimium, sacris & dura ferendis.
Et genus omne mali tollet, pompasque sacrorum.
Ac Regem dabit innocuum, qui temperet orbem,
Et regat imperio populos, gentemque rebellem
Imperio subdet, toti & dominabitur orbi.

(His versibus vates ille reformationem Ecclesiæ, & instaurationem religionis prædixit, clareque fassus est, adesse in religione Papistica superfluas pompas & multa nimium dura & aspera, i.e. quibus conscientiæ excarnificantur. Quod addit de Rege per totum orbem imperaturo, id haud dubiè de Christo intellexit, cui regnum, dejecto Antichristo, instaurandum restituendumque est juxta Danielis prophetiam, & non de Cæsare, ut quidam semiadulatores interpretantur, qui nec mediæ Europæ imperat.) Catal. testverit.

Hieronymus Savanarola, Monachus Dominicanus, vir eruditione & pietate insignis, qui à Johanne Pico, Mirandulæ Comite, *sanctus Propheta* appellatur, & proprio scripto contra Papam defenditur, Florentiæ jussu Alexandri VI. Pontif. Roman. Anno 1498. exustus est, propterea quod voce & scriptis Papæ, ejusque doctrinæ sese opposuerat. Is paulo ante vitæ finem dixit: *Brevi futurum est, ut Romani Pontificis abominationes & idololatriæ puniantur, nascaturque talis Doctor, cui nemo possit resistere.* Item: *Quidam instar Cyri Alpes transibit & totam Ecclesiam vastabit,* (id quod de spirituali Ecclesiæ Pontificiæ per prædicationem Evangelii vastatione accipiendum.) Item: *Nullo modo cogitandum, Biblia diutius in pulveribus & angulis istis delitescere, sed in lucem esse vel tandem restituenda, quibus ad veritatem plurimi sint convertendi.* Ex Nauclero & Balæo, Catalogus testium, & Osiander Centur.16. pag.15.

Tilemannus Spangenberg, Doct. Johannis Spangenbergii Theologi parens, qui circa Annum 1499. diem extremum clausit, inter alia pia monita ad liberos suos & vicinos sæpe dixerat: *Brevi eam religionem, quæ tum vigebat, in summum venturam contemtum: tum eos visuros, Sacerdotes & Monachos ob malitiam, avaritiam, odia & fœditates ejectos ex templis & Monasteriis discurrere, & aliam veram tum religionem fore instaurandam. Non enim patietur Deus* (dixerat) *corruptissimos horum hominum mores, præsertim cum vix unicum verbum Evangelii doceant, & præterea vitam quolibet etiam Ethnico indignam ducant.*

Sebastianus Doctor Theologiæ, Canonicus Erphordiensis & Concionator in summo templo D. Virginis, circa Annum 1500. cum de cœco nato Evangelium recitaret, dixit: Es wird die Zeit kommen / daß man euch das Evangelium wird aus dem Buch lesen. Euer etliche werdens erleben. Ich werde es nicht erleben. (Nam Papistici Concionatores plerunque memoriter recitant Evangelia.) Crebro etiam solitus est prædicere reformationem religionis & Ecclesiæ.

Abbates Carolo V. Imperatori Ann.1500. nato ad Baptisterium dono obtulerunt Vet. & Nov. Testam. cum hac inscriptione, *Scrutamini Scripturas*, quo ipso reformationem religionis ipsimet licet inscii præfigurarunt. Circa idem tempus Ann. sc.1500. vixit Johannes Hiltenius, Monachus Isennacensis, de quo Apologia Confess. August. titulo de Votis Monasticis hoc commemorat: *Apud nos in oppido Thuringiæ Isennaco Franciscanus quidam fuit ante annos triginta Johannes Hilten, qui à suo Sodalitio conjectus est in carcerem, propterea quod quosdam notissimos abusus reprehenderet. Is multa prædixit, quæ partim evenerunt hactenus, partim jam videntur impendere. Cum vel propter ætatem vel propter squalorem carceris in morbum incidisset, accersivit ad se Guardianum, ut suam valetudinem illi indicaret. Cumque Guardianus accensus odio Pharisaico duriter objurgare hominem propter doctrinæ genus, quod videbatur officere culinæ, cœpisset, tum iste omissa jam mentione valetudinis, ingemiscens inquit, se has injurias æquo animo propter*

Chri-

Christum tolerare, cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quod labefactare statum Monachorum posset, sed tantum notos quosdam abusus reprehendisset. Sed alius quidam, inquit, veniet Anno Domini 1516. qui destruet vos, nec poteritis resistere.

Hanc ipsam sententiam de inclinatione regni Monachorum, & hunc annorum numerum postea etiam repererunt amici ejus perscriptum ab ipso in commentariis suis inter annotationes, quas reliquerat in certos locos Danielis.

Jacobus Prunus, Astronomus Ulmensis, circa annum 1500. sic scripsit: *Surget quidam Anno 1520. publicis typis divulgaturus libros Latinos & Germanicos contra Pontificem nostrum Romanum, ejusque Cardinales & Sacerdotes atque totum Clericatum, & patefaciet ac deteget omnem ipsorum improbitatem & nequitiam. Et hæc in libris illis admodum perspicuè & candidè demonstrabuntur, unde populus irarum æstu fluctuans, se tamdiu fraudulenter delusum esse atque seductum, odio infestabit Papam & Clericos, adeoque universus Christianismus contra Ecclesiasticos insurget, seque technis eorum ac dolis opponet indesinenter.*

De crucibus in peplis mulierum Anno 1501. apparentibus videatur Nauclerus in Chron. & Paralipom. Urspergensis. Illæ cruces præsagia fuerunt reformationis post 16. annos secutæ. Signa enim non tantum crucis, sed etiam lanceæ, coronæ, clavorumque CHRISTI quoque videbantur, docentia *meritum, crucem & mortem Christi jamjam rursus prædicatum iri.* Ezech. 9. Euseb. de vita Constant. lib. 1. cap. 22. In Johannis Friderici Electoris Saxoniæ nascentis dorso ferunt crucem aureo fulgentem colore visam fuisse, matre post paucos dies in puerperio extincta: Quam ubi conspexit Sacerdos vir pius & admodum senex à matronis aulicis accersitus: *Hic puer, inquit, crucem gestabit toti orbi conspicuam, cujus indicium tam manifestum in ipsius ortu se exerit.* (Ecquis verò non intelligit, crucem hanc futuræ crucis & gravissimarum calamitatum, quas ob heroicam in Evangelii confessione constantiam per totam vitam expertus est Joh. Fridericus, indubitatum fuisse præsagium? Chytræus Saxon. lib. 2. in pr. Dresserus millen. sext. part. 2. in vita Johannis Friderici. Bucholzerus ad annum 1503. Wolffius in Epist. dedicator. tom. 1. lect. memorab. p. 16.)

D. Fleccus, Monachus in Cœnobio Sternlausick cum Anno 1502. una cum aliis inaugurationi Academiæ Witebergensis auspiciis Friderici Sapientis erectæ interessent, concionem habuit publicam, in qua inter cætera dixit: *Ab hoc albo monte totus mundus accipiet sapientiam.*

Idem Fleccus cum Ann. 1517. primas Lutheri propositiones de Indulgentiis legeret, exiliens præ lætitia in refectorio exclamavit: *Is profectò faciet. Venit, venit, quem diu exspectavimus.*

Michael Stifelius retulit, se admodum sæpe olim inter Monachos & Sacrificos versantem audivisse eos narrantes, *esse veteres Prophetias, secuturam adhuc aliquando violentam sacrificulorum reformationem*; dixit etiam patrem suum Conradum Stifelium circa Annum 1503. crebris sermonibus usurpare solitum, *id certò brevique futurum.*

Circa idem tempus D. Johann. Geyler, Keisersbergius, Concionator Argentinensis vehementer de religionis corruptelis conquestus est, prædixit etiam emendationem religionis futuram, *venturum,* (inquiens) *puto quendam divinitus excitatum, qui religionem instauret, quin & diem videre gestiit, qui emendationem talem apportaturus erat.*

Clementius Clementinus Amerinus, in tractatu de peste circa Annum 1501. edito: *Ante annum salutis 1515. multò majorem rerum novitatem decernent illæ septem magnæ conjunctiones trium superiorum Planetarum, quæ superiori Anno 1504. vel circa fuere sub cancro. Significant enim his temporibus alterationem aëris, sterilitatem, penuriam, bella & maximam novitatem Anno 1513. Extollent enim quendam potentissimum Dominum, qui falsam infidelium religionem destruet, & ditioni suæ magnam orbis partem subjiciet.*

Ann. 1508. cum Lutherus Erphordiæ studiis incumberet & graviter ægrotaret, quidam senex sacrificulus ipsum invisens dicebat: *Confide Domine Baccalauree, non morieris, evades in magnum virum & multos consolari poteris.*

Ann. 1511. Martinus Pollichnius Mellerstadius, Philosophus, Medicus & Theologus de Luthero dixit: *Hic Monachus omnes doctores perturbabit, novam doctrinam proferet, Ecclesiam Romanam reformabit, quia tractat libros Propheticos & Apostolicos, nititur verbis CHRISTI, quibus nemo potest resistere.*

Circa idem tempus, Anno scil. 1511. Johannes Syringus, Theologiæ Doct. & summi templi Magdæburgensis Canonicus, & Concionator sæpe conquestus fuit, *veritatem miserè esse corruptam, venturum ergo reformatorem.*

Anno 1512. cum Vicarius generalis, & totus Conventus Augustinianorum concluderet, fratrem Lutherum in Theologiæ Doctorem promovendum, Staupitius omnium nomine id Luthero sub arbore in Cœnobio Witebergensi referebat. Cum vero Lutherus prætenderet, *se esse tenui valetudine, virum magis idoneum & confirmatæ valetudinis quærendum esse,* respondit Staupitius: Es läst sich ansehen / es werde unser HERR GOtt bald im Himmel und auff Erden viel zuschaffen haben / darumb wird er viel Junger und arbeitsamer Doctores haben müssen / durch die er seine Händel verrichte / ihr lebet nun oder sterbet / so darff euch GOTT in seinem Rath / darumb folget und thut / was euch euer Conventus aufflegt.

Idem Staupitius audiens in aula Romana jam olim extitisse rumorem, *Eremitam quendam coronam Papæ contrectaturum, joco* ad Lutherum dixit: Ich habe gedacht / es würde es ein Einsiedler thun / so mercke ich wol / es soll ein Augustiner Mönch seyn.

Bucholceri in Indice Chronolog. hæc est observatio: *Anno ante natum Christum 1517. Ecclesia Vet. Testam. populus nempe Israëliticus per mare rubrum ex Ægyptiaca servitute educebatur. Anno vero post nativitatem Dominicam itidem 1517. Ecclesia Nov. Testam. afflictissima ex Pharaonis Romani servitute & tenebris plusquam Ægyptiacis emersit.*

Anno eodem, quo Lutheri theses de Indulgentiis in lucem prodierant, videlicet anno 1517. tres Saxoniæ Principes Fridericus, Johannes, & Johannes Fridericus, cum in nocte nativitatis Christi Vinariæ ex Monasterio post mediam noctem ivissent cum multis ministris, super arce ibidem in sudo & sereno cœlo *sanguinei coloris crucem* satis magnam & figura perspicue expressa conspexerunt, quæ lucide coruscabat, quo Deus significare voluit, instare tempus, in quo sincera de cruce & merito Christi doctrina contra Papales corruptelas sit prædicanda, ob quam Domus Saxoniæ & tota pariter Germania crucem & calamitates sit expertura. Jobus Fincelius p. 2. de mirac. Laur. Lindemannus in orat. de Joh. Saxoniæ Duce.

Eodem tempore, quo Lutherus opus reformationis cœpit, tritum fuit vaticinium, *Imperator Fridericus, quando advenit, liberabit sanctum sepulchrum Domini.* Sed cum prophetiæ ita se habeant, ut citius impleantur, quam intelligantur, ita quoque cum hac accidit. Nam Dux Saxon. Fridericus Elector, sub quo Lutherus Papatum reformare cœpit, Francofurti ab Electoribus unanimi consensu in Imperatorem electus fuit & revera Imperator fuerat, si modo assensum præbuisset, sed propter senectutem se excusans Carolum V. voto suo Imperatorem designavit & petiit. Perinde autem Deo est, quamdiu quis Cæsar sit, modo sit. Idcirco hic Cæsar Fridericus, h.e. Elect. Sax. per prædicationem D. Lutheri, *sanctum sepulchrum*, i.e. sacram Scripturam, in qua veritas Christi à Papalibus erroribus extincta diu sepulta jacuit, quam Mendicantes & Inquisitores hæreticæ pravitatis custodierant, ne discipuli Christi venirent, eamque auferrent, liberavit per ministerium Lutheri à custodibus Monachis & Sacrificulis. Wolffius tom. 2. lect. memor. p. 114.

Autor Oneris Ecclesiæ Ann. 1519.) cap. 39. §. 7. adducit locum ex Revelat. Brigittæ lib. 4. c. 57. *Beata Maria inquit, Roma est quasi ager, super quo Zizania excrevit. Ideo prius debet mundari cum acuto ferro, deinde igne purgari, postea arari cum jugo boum. Illi enim urbi præparatur talis pœna, quasi judex diceret: Excoria totam pellem, extrahe totum sanguinem, & excide omnem carnem.*

Anno Dom. 1531. ist zu Gotha im Augustiner Kloster ein Altar kurtz hinter der grossen Thür zur rechten Hand / da jetzund der Tauffstein stehet / an der Wand gewesen / die Ehre S. Sebastiani erbauet und auffgerichtet / welchen man abgebrochen und Weiberstüle in dieselbige Ordnung gemacht. Da man nun den Altar von der Wand abgebrochen / da hat man an der

der

der Wand hinter dem Altar (wie noch etlichen Leuten in dieser Stadt wissent) mit feinen scharffen und schwartzen Buchstaben folgendes leserliches distichon geschrieben funden:

M C quadratum, LX. quoq; duplicatum,
Orans peribit, & Huß Wiclefq; redibit.
Wenn man wird schreiben tausend Jahr
Fünffhundert und 20. nim wol war/
Denn da wird falln das böse Geschrey
Bittet für uns ihr Heiligen frey/
Und wird des Huß und Wicleffs Lahr
Wieder blühen bey uns viel Jahr.

Wolfferam, Min. Eccl. Goth. in quinque Cent. testim. de sola fide lit. Oo. 1. fac. 1.

De vaticiniis Joh. Francisci Pici Mirandulani, Johannis Scheyringi & Andreæ Prolis: Itemque de observatione D. Wolffii, quod nomen Christi in numeros redactum exhibeat Annos 1480. circa quem plurimi reformationis opus instare prædixerunt, in cap. præcedente membro 1. egimus.

CAPUT VI.

De Reformationis Organo.

EX enumeratis vaticiniis colligitur, non solum tempus & locum, sed etiam personam ipsam, per quam reformationis opus peragendum sit, prædictam fuisse. Complementum illarum prædictionum secutum fuit An. 1517. quo Martinus Luth. Theologiæ D. & in Academia Wittebergensi Professor, ibidemque Ecclesiastes, *contra Indulgentias* Papales thesibus in valvis templi arcis publicè affixis disputare cœpit. Salutare hoc reformationis organum divinitus excitatum calumniis & convitiis exquisitissimis Pontificii, cumprimis Jesuitæ, onerant, ut testantur scripta Cochlæi, Staphyli, Fratris Nass, Pistorii, Alberti Hungeri, Conradi Vetteri, Ungersdorffii, Bellarmini, Gretseri, Sartorii & aliorum, in quibus non solum doctrinam, sed etiam vitam, quin & ipsos parentes Lutheri fœdissimè infamant. Modo asserunt: *Ipsum fuisse spurium ex matre balneatrice progenitum*, modo *ex Diabolo incubo susceptum esse* nugantur. *In doctrina, ipsum non solum veteres hæreses complures ex orco revocasse, sed insuper etiam novas addidisse, nunquam sibi ipsi constitisse, sed perpetuò sententiam mutasse; In vita fuisse insignem meribibulum, contentiosum, pertinacem, impatientem, incestuosum &c. Vitam pessimam tandem secutum fuisse exitum non dissimilem, postquam enim vesperi lætus ac sanus opiparam cœnam sumsisset, ac facetiis suis omnes ad risum provocasset, repentina morte sublatum fuisse.* Modò nugantur, *corpus ejus intolerabilem fœtorem emisisse, ut nemo ei appropinquare potuerit*, modò ex *loculo illud à Diabolo abreptum esse* mentiuntur. Et quis potest omnia percensere convitia, quibus Lutherum reformatorem divinitus excitatum insectari non desistunt? Nos convitiis illis opponimus sequentia fundamenta. 1. Confessio nostra non nititur Lutheri persona vel doctrina, sed immoto Dei verbo. Non tribuimus Luthero Propheticam vel Apostolicam autoritatē, nec absolutam infallibilitatem, nec scripta ejus Propheticis & Apostolicis scriptis exæquamus, nec sine probatione ex Dei verbo ipsi aliquid asserenti credimus, sed habemus eum pro insigni Ecclesiæ Doctore, quem Deus extremis hisce temporibus Ecclesiæ Papali jugo pressæ excitavit, ac singularibus donis, eximioque animi robore instruxit, ut corruptelas & abusus pura Evangelii prædicatione tolleret, & veritatem errorum tenebris ferè obrutam in lucem revocaret. 2. Nec alium superiorem honorem, nec Papalem aliquam potestatem, nec Apostolicam Autoritatem Lutherus sibi unquam vindicavit, nec omnium prorsus infirmitatum expertem se esse unquam gloriatus est, quin potius tom. 1 Jen. Ger. f. 363. sic scribit: *Sæpius dixi, personam meam carpat aliquis quomodocunque volet, non me profiteor Angelum esse, sed doctrinam meam, quam scio non meam, sed ipsius Dei esse, reprehendi non patiar, in ea enim mea proximiq; mei salus Deiq; honor sita sunt. Sed opinor, Witebergensibus meis quibus cum quotidie familiariter vivo, plus fidei habendum quam absenti mendacissimo Emsero.* Ergo si vel maxime Lutheri personam nobis redderent contemtam, ipsiusque scripta è manibus nobis excuterent, (quod tamen per Dei gratiam nunquam obtinebunt:) nihil tamen ex eo veritati doctrinæ, quam Lutherus ex Propheticis & Apostolicis scriptis in lucem protulit, quæque immoto *Prophetarum & Apostolorum nititur fundamento*, Eph. 2. 20. ad quod unicè discipulos suos Lutherus passim revocat, decederet. 3. Si enormia & atrocia istiusmodi crimina vere potuissent Luthero imputari, mentionem eorum neutiquam prætermisissent Sylvester Prierias, Joh. Fischerus Roffensis, Eccius & alii, qui primi in arenam disputationis cum ipso descenderunt. Sed talia ἐγκλήματα in ipsorum scriptis nuspiam occurrunt, verum ab illis, qui aliquot post Lutheri post mortem annis contra ipsum insurrexerunt, falsò sunt conficta. 4. *Stultum est* (inquit Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 14. §. Respondebimus.) *credere potius absentibus, quam iis, qui interfuerunt.* Ac notum est illud Augustini lib. 3. contra Petilian. cap. 10. *Nec amico laudanti, nec inimico detrahenti fides adhibenda.* Jam vero autores illorum convitiorum de Lutheri natalibus impuris, vita impia & morte pessima, non fuere præsentes, nec oculati testes, insuper etiam sunt jurati Lutheri hostes. 5. Quia variorum errorum & turpissimarum assertionum Lutherus ab adversariis reus agitur, ac calumniæ huic ex scriptis Lutheri color aliquis quæritur, ipsa requirit æquitas, ut lectionem scriptorum Lutheri auditoribus suis permittant, quo videlicet certo & liquido constare possit, accusationes illas esse veritate suffultas, nemo enim condemnandus nisi prius audiatur, & *sui defendendi copiam habeat.* Joh. 7. v. 51. Actor. 25. v. 16. Sed hoc frustra speramus ab adversariis. Quomodo enim lectionem scriptorum Lutheri auditoribus suis permitterent, cum nec ipsius sacræ Scripturæ lectionem divino præcepto omnibus demandatam Joh. 5. vers. 39. ipsis permittant? 6. Pro uno crimine, quod Luthero mendaciter impingunt, possemus ἀντεγκλήματος loco crimina longe plura & graviora Romanis Pontificibus impingere, idque non invita veritate, sed ex domesticis ipsorummet Pontificiorum scriptorum testimoniis. Quod si ergo Papali doctrinæ isthæc publica & notoria Paparum flagitia fraudi esse nolunt, multò minus doctrinæ, quam Lutherus ex verbo Dei protulit, convicia illa quicquam derogare possunt. 7. Argumentum illud evadit illustrius, si cogitetur, adversarios Romano Pontifici absolutam infallibilitatem & peculiarem Spiritus Sancti assistentiam tribuere, quæ cum notoriis illis delictis consistere minime potest, Psal. 25. v. 14. Psalm. 111. v. 10. Sap. 1. v. 4. & 5. Johan. 14. v. 15. 16. 1. Joh. 2. v. 4. nos vero Papalem ejusmodi autoritatem & infallibilitatem Luthero nequaquam vendicare, sed omnia ipsius dogmata juxta normam verbi examinare. 8. Negari non potest, multa & magna beneficia per Lutherum Ecclesiæ esse præstita. Doctrinam de vera ad Deum conversione & gratuita per fidem in Christum justificatione ex limpidis Israëlis fontibus in lucem protulit, discrimen legis & Evangelii fideliter monstravit, sinceritatem omnium & singulorum fidei articulorum contra varia hæreticorum monstra masculè propugnavit, Scripturam Vet. & N. Test. in vernaculum sermonem fideliter transtulit, præcipua doctrinæ cœlestis capita in gratiam rudiorum & infirmorum perspicue in Catechesi exposuit, articulos fidei Christianæ plerosque cantionibus sacris complexus est, tres Hierarchias divinitus institutas in pristinum dignitatis gradum collocavit, Antichristum in templo Dei sedentem revelavit, &c. quæ omnia Lutherum salutare illud reformationis organum omnibus bonis commendant. 9. Conviciis illis meritò opponimus honorifica eorum testimonia, qui & doctrinæ sanæ, & vitæ honeste actæ, & donorum eximiorum honorificum Luthero exhibuēre præconium, quorum enumeratio pro ratione instituti nostri ad hunc locum proprie pertinet.

Doctor Mellerstadius dixit: *Attendite diligenter, Adolescentes, Monacho Luthero, eo enim ingenio præditus est, quo nemo alius, & in præstantissimum virum evadet.*

Cum Anno 1518. in Comitiis Wormaciensibus Thomas Cajetanus, Cardinalis Legatus Pontificius plurimum urgeret Staupitium, ut ad palinodiam canendam Lutherum invitaret, respondit Staupitius: *Hoc ipso oleum & operam in Luthero perditum iri, nam ipsum se longè doctiorem in sacris literis esse.*

Maximilianus I. in iisdem Comitiis ad Degenhardum Pfeffinger

Pfeffingerum Electoris Saxonici Consiliarium dixit: *Signifi-cato Electori, ut Monachum illum nobis diligenter custodiat & bene habeat, brevi enim opera ejus utemur contra injurias & conatus Romanensium.* Wolff. tom. 2. lect. memorab. p. 114. (Legerat enim sapientissimus Imperator Lutheri disputationem contra Indulgentiarum ærusćatorem Tetzelium.)

Eodem Comitiorum tempore Udalricus ab Hutten, Eques Epistolam edidit, quæ sic incipit: *Udalricus ab Hutten, Cardinalibus, Abbatibus, Episcopis, Præpositis & Universo Sacerdotum Concilio Lutherum & veritatis ac libertatis causam apud Wormaciam nunc impugnantibus, resipiscere. Video vos per potentiam æquitatem opprimere, & leges conculcare &c. quando Martinum Lutherum hominem vita & moribus sic probatum, ut ne ab inimicis quidem vobis improbetur, prædicatorem veritatis & Evangelicæ doctrinæ dispensatorem fidelissimum per scelus & iniquitatem affligi à vobis, lacerari & concerpi video.*

Et postea: *Evangelium nec ipsi prædicatis, nec prædicari ab aliis nisi magna interposita cautione sinitis, timentes, ne quod vobis ulcus tangatur, ac Luthero, quia veritatem dixit vobis, exitium molimini.*

Ibid. *Vos Lutherum damnabitis divini verbi annunciatorem invictum &c. Non desinitis Luthero viam veritati facienti, & ob id magnis adjuto omnis generis hominum fautoribus mortem & si quid inveniatur morte adhuc gravius, sæpissime & atrocissime intentare.*

Erasmus Roterodamus, Ann. 1519. 3. Calend. Jun. Lovanio ad Lutherum sic scripsit: *Habes in Anglia, qui de tuis scriptis optime sentiunt & sunt hi maximi. Sunt & hic, quorum est eximius quidam, qui tuis favent.* Et paulo post: *Degustavi commentarios tuos in Psalmos, vehementer arrident, & spero magnam utilitatem allaturos. Est Antverpiæ Prior ejus Monasterii vir pure Christianus, qui te unice deamat, tuus olim discipulus, ut prædicat. Is omnium pene solus Christum prædicat, cæteri ferè aut hominum fabulas, aut suum quæstum prædicant.*

Idem ad Godschalcum Rosemundum, Lovaniensis Academiæ Moderatorem 15. Calend. Novembr. Ann. 1520. scribit: *Non deesse magnos Theologos, qui non vereantur affirmare, nihil esse in Luthero, quin per probatos autores posset defendi.* Et paulo ante: *Tot sunt millia Rabinorum, tot sunt qui sibi Dii videntur, nullus extitit, qui Luthero sobrie docteque responderit, sive inscitia fuit in causa sive ignavia, sive metus, quorum nihil competit in probos Theologos.*

Idem in Epist. ad Præsulem Moguntinum lib. 12. Epistol. p. 421. sic loquitur: *Illud video, ut quisq; est vir optimus, ita Lutheri scriptis minimè offendi. Ego Lutheri nec accusator sum, nec judex, nec patronus. De Spiritu hominis non ausim judicare, est enim difficillimum, præsertim in partem pejorem, & tamen si illi faverem, ut viro bono, quod fatentur & hostes; & ut reo, quod juratis etiam judicibus permittunt leges; si ut oppresso, quod dictat humanitas, ab his qui simulato prætextu devotis animis tendunt adversus bonas literas, quæ tandem esset invidia, modo ne causæ me admiscerent?*

In Epist. ad Thomam Cardinalem Eboracensem lib. 11. Epist. 1. *Hominis* (Lutheri) *vita magna omnium consensu probatur, jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant quid calumnientur.*

In Epist. ad Fridericum Ducem Sax. *Lutherus mihi tam ignotus est, quam cui ignotissimus, ut suspectus esse non queam, quasi faveā amico. Hujus lucubrationes nec tueri meum est, nec improbare, ut quas hactenus non legerim nisi carptim. Certè vitam hominis nemo qui novit non probat, quæ cum longissime absit ab omni suspicione avaritiæ atq; ambitionis, & morū innocentia vel apud Ethnicos favorē invenit. Quàm non congruit mansuetudini Theologicæ protinus ac ne quidem perlecto libro tam immaniter debacchari in nomen ac famam viri probi, idque apud imperitam plebeculam, quæ prorsus caret judicio, præsertim cum ille disputando proposuerit, cum omnium judicio se submiserit, quorum non oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo revicit. Tantùm vociferantur hæreticum, seditiosis clamoribus ad lapides provocant. Dicas, eos sitire sanguinem humanum, non salutem animarum. Quò invisius est hæreseos nomen auribus Christianis, hoc minus committendum est, ut temere in quenquam impingatur. Non statim quivis error hæresis est; neque protinus hæreticum est, quicquid huic aut illi displicet. Neq; semper fidei negotium agunt, qui prætexunt hujusmodi splendidos titulos: imo pleriq; suum agunt negotium, vel quæstui suo consulentes vel Tyrannidi. Quin præcipiti lædendi studio sæpe criminantur in alio, quod ipsi domi probant. Nunc quidem nova comminiscuntur fundamenta, (sic enim novant) h.e. novas leges condunt, per quas docent, hæreticum esse quicquid non placet.*

In fine Epistolæ subjicit Erasmus: *Hæc, Illustrissime Dux, eò scribo liberius, quo minus ad me pertinet causa Lutherana. Cæterum ut tuæ Celsitudinis est, Christianam religionem pietate tua protegere: ita prudentiæ est, non committere, ut quisquam innocens te justitiæ Præside sub prætextu pietatis aliquorum impietati dedatur. Quid isthic* (Romæ) *de Luthero sentiant, nescio. Certe hic video, libros ipsius ab optimis quibusq; cupidissime legi &c.*

Ejusdem de Luthero tale extat judicium tom. 2. oper. Lat. Lutheri Jen. f. 331. *Personæ, per quas res agitur, suspectæ. Cum optimus quisque & Evangelicæ doctrinæ proximus dicatur minime offensus Luthero. Qui Lutherum impetunt, ea inducunt, quæ nullæ aures piæ ferunt. Mundus sitit veritatem Evangelicam & fatali quodam desiderio videtur huc ferri, unde forte adeò non oportet odiosè resisti.*

Schleidanus lib. 1. comm. pag. 30. memorat, Erasmum Roterodamum dixisse, *quod Lutheri libri magno cum applausu à viris bonis ac doctis evolvantur, quod in uno folio commentariorum Lutheri plus solidæ Theologiæ contineatur, quam in multis prolixis Scholasticorum & similium scriptis.*

Cum Martinus Caracciolus, & Hieronymus Aleander, Romani Oratores Erasmo Coloniæ Ann. 1520. Papæ verbis Episcopatum promitterent, si contra Lutherum pro Pontificia autoritate stylum stringeret, respondit ille: *Major est Lutherus, quam ut in illum ego scribam. Major est Lutherus, quam ut à me intelligatur. Planè tantus est Lutherus, ut plus erudiar & proficiam ex lectione unius pagellæ Lutheranæ quam ex toto Thoma.*

Ejusdem Erasmi de Luthero judicium recitat Philippus in præfatione 3. tomo operum Lutheri præfixa, quod solitus fuerit dicere: *Neminem esse Interpretem dexteriorem omnium, quorum extant scripta, post Apostolos Luthero.*

Fridericus Saxoniæ Elector pridie Idus Maji Ann. 1519. ad Erasmi Epistolam ad se datam paulo ante citatam inter cætera sic respondit: *Non damnari ab eruditis causam Lutheranam, & D. Martini lucubrationes ab optimis quibusque isthic cupidissime legi lætamur, eòque magis, quod plerique bonorum & eruditorum in nostris quoque regionibus & principatibus, nedum externis, hominis tam vitam & mores, quam eruditionem miro consensu laudant. Quod enim hactenus in Saxonibus nostris degit, non tam homini, quam causæ dedimus, nihil minus unquam conati, quam ut dignos præmiis pœna premeret.*

Paulus Langius, Monachus in Chronico Ziricensi Ann. 1520. scripto de Luthero sic judicat: *Anno Domini 1503. Fridericus Saxoniæ Dux & Elector, Princeps noster sapientissimus emporium sive literarum studium universale erexit & instituit Witebergæ in Saxonia, unde Electura Imperialis manat. ubi hoc anno, quo hæc scribo, Dominicæ incarnationis 1520. ubi florentissimum ac famatissimum Theologiæ & omnigenæ sapientiæ studium feruntur mille quingentique studentes existere, fama eruditissimorum virorum Martini Lutheri, Augustinensis, & Andreæ Carolstadii, Archi-Diaconi & Canonici Ecclesiæ Collegiatæ, & exemtæ omnium sanctorum ibidem, nec non Philippi Melanchthonis Rhetoris, sacræque Theologiæ Baccalaurei, Græcè & Latinè peritissimi, allecti & adunati. Et memorati quidem integerrimi, doctissimique duo illi Hierophantes, Martinus ut luminare majus, Andreas ut luminare minus hujus Academiæ, Theologiæ studium & divini verbi triticum absque omni palearum, i.e. secularis Philosophiæ, Syllogismorumq; mixtura purissimè tractant & edocent sacram Scripturam, & potissimum Christi Evangelium & Paulum Apostolum habentes pro archetypo & fundamento, cum ipso literarum studio timorem Dei & cunctarum virtutum semina, verbo, exemplo & calamo in discipulorum pectora spargentes.*

Ibid. Lutherum vocat *Venerandum virum & profundissimum Theologum, Theologorum nostræ tempestatis omnium facile sapientissimum Principem,* & postea subjicit: *Quæ de Martini Lutheri doctrina disserui, non sicut discipulus illius assertive, quod absit, sed potius admirative posui utpote nullius adhuc juratus in verba Magistri. Sed cum & ego sim more suspensus multorum, quousq; per œcumenicum, universale & generale Concilium, quid in tam ardua re tenendum sit, decretum fuerit, paratus nihilo tamen minus & modo & semper à recte sapientibus doceri, quorum etiam & potissimum Romanæ Ecclesiæ judicio hæc præsentia & alia qualiacunque mea scripta & corrigenda & examinanda subjicio.*

Idem: *Martinus Theologus consummatus, profundus, incomparabilis, sacram Theologiam ad fontalem dignitatem, primævamq; puritatem, nec non Evangelicam, sinceram, simplicemq; suam illam innocentiam, omni prorsus seculari Philosophia explosa revocare conatur.*

Ibidem

Ibidem, postquam ex Simone de Cassia quædam adduxisset, subjicit. *Hæc omnia ille Simon de Cassia Christianissimus Theologus, quem per omnia sui quidem ordinis, nostri sed temporu magnus ille Theologus Martinus Luther, Witenbergensis Academiæ ornamentum & corona, in divinarum expositione Scripturarum imitatur, qui & ipse omni prorsus posthabita & contemta Philosophia purissime tractat docetque S. literas, assidue admiranda & pene inaudita divinorum eloquiorum arcana producens in lucem, ob magnitudinem ingenii & dexteritatem toto clarus in orbe, quanquam nec ipse instar D. Hieronymi æmulorum careat invidentia, Scholasticorum videlicet Theologistarum, qui in sacris Philosophantur literis, persecutione.*

Johannes Fischerus, (Episcopus Roffensis in Anglia, & Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius, *vir singulari eruditione omnifaria doctissimus*, ut habet titulus libri de Sacerdotio; *eruditionis copiâ, pietatis sinceritate, & animi constantia cuique ex sanctissimis & acerrimis Ecclesiæ propugnatoribus merito comparandus*, ut habet elogium, quod Sixtus Senensis illi tribuit lib. 4. Bibl. sanct. tit. Joh. Fischerus) in Epistola ad Erasmum Lutheri doctrinam mirifice commendat ac *se cupere*, ait, *illum convenire, si possit commode, ut nonnulla ex illo quæreret, quæ ipsum male habebant.* Addit etiam fuisse *Lutherum Scripturarum ad miraculum usque peritum*, optat modo, ut de Papa tacuisset. (Idem tamen postea contra Lutherum publicè scripsit.)

Petrus Mosellanus in Epistola de Colloquio Lipsiensi inter Lutherum & Eccium Ann. 1519. *Martinus statura est mediocri, corpore macilento, curis pariter & studiis exhausto, sic ut propius intuenti omnia pene ossa liceat dinumerare, ætate virili adhuc & integra, voce acuta & clara. Doctrina vero & cognitio Scripturæ admirabilis in eo, adeò ut omnia pene in numerato habeat. Græce & Hebraice hactenus didicit, ut de interpretationibus judicium facere possit. Nec deest dicendi materia, suppetit enim rerum & verborum sylva ingens. Porro in ipsa vita & moribus civilis & facilis, nihil Stoicum, nihil superciliosum præ se fert, imo omnium horarum hominem agit. In congressibus festivus, jucundus, alacris, & securus ubique, semper læta facie florens, quantumvis atrocia comminentur adversarii, ut haud facile credas, hominem tam ardua sine Numine Divûm moliri. Sed quod ei vitio dant plerique omnes, in reprehendendo impudentior paulo & mordacior, quam vel tutum sit τῷ τὰ θεῖα καινοτομοῦντι, vel decorum homini Theologo, quod vitium haud scio an non cum omnibus ὀψιμαθέσι habeat commune.*

Johannes Cellarius, Anno 1520. de Luthero Lipsia sic scripsit: *Verissime dico, quod Martinus noster eâ fide sacram Scripturam tractet, qua palmam omnibus adversariis, Italis, Græcis & Hebræis longè præripiat. Et dico amplius. Martinus Evangelicam veritatem magis amat, ac omnes adversarii. Scripta ejus ita mihi placent, quæ diligenter hactenus evolvi, ut ab illis haud ullus Papa me, non Cardinalis aut Monachus, quantumvis atrox sit, avellere possit.*

Nicolaus Ulnerus, Vicarius Coloniensis, vir octogenarius legens Lutheri scripta Anno 1520. dixit, *singulis nominis ejus literis omen inesse hoc modo: Lux Vera Totius Ecclesiæ Romanæ.*

Johannes Podusca, Sacrificulus in Bohemia Anno 1522. Luthero in hanc sententiam scripsit: *Magna me tenet admiratio, mi Martine, quod cum cæteri omnes, ut videri volunt, doctissimi taceant, tu solus ad prædicandum palam surrexeris, haud in animum inductus tot criminationibus & execrationibus, quibus isthac tua doctrina obnoxius es. Et tu solus è Germania prodiisti, qui simplicem Christi mentem, non adulteratam traditionibus humanis & opinionibus, ut ajunt, bonis inquinatam proponeres. Te profectò vigilem populi Deus constituit, quem scio non mercenaria fraude, quæ necessaria sunt ad salutem, docturum esse.*

Eodem Anno 1522. Henricus Phœnicius, scriptum edidit, in quo Luthero ejusmodi testimonium tribuit. *Bonus ille, pius & Christianus homo, Martinus Lutherus, summa ope nititur, ut nos è captivitate Babylonica rapiat, at nos cæci sumus, & in carcere cum voluptate permanere volumus, cum potius Deo gratias agere deberemus, ut qui nobis hunc, velut Eliam quendam, misserit in angustiis nostris, orare deberemus indesinenter pro tanti viri vita. Sed nedum hoc agamus, illum etiam interficere cupimus, & ecce salus nostra præ foribus est, at nos ostio pessulum obdimus.*

Matthæus Schirnerus, Episcopus & Cardinalis Sedunensis, ubi primo intuitu nonnulla de Lutheri scriptis legit, exclamavit: *O Luthere, Luthere, tu sane secundum nomen tuum Lutherus es, & limpidus.* Idem etiam cuidam, qui se mox bona nova de victoria Eccii contra Lutherum Lipsiæ disputantis allaturum esse promittebat, expedite respondit: *Disputet Eccius de quo voluerit, Lutherus nihil nisi veritatem scribit.*

Wenceslaus Rosdialovinus, Præpositus Pragensis dixisse legitur, *Spiritum CHRISTI per Lutherum in Ecclesia operari.* Et in literis ad ipsum sic loquitur: *Quod in Bohemia Johannes Huss, id es tu Martine in Saxonia. Perge modo in Domino, ne nimium fidas hominibus, ne metuas si te feriant anathemate; quod accidit Apostolis & ipsi Christo, ne mireris id tibi quoque accidere.*

Margareta Archi-Ducissa Austriæ, Belgarum Rectrix, cum coram ea Lovanienses Monachi sub initium reformationis de universa Reipubl. Christianæ per Lutheri scripta eversione graviter conquererentur, rogavit ab illis, *Quem ergo dicerent Lutherum esse?* respondentibus ipsis, *indoctum esse Monachum*; prudentissimè regessit, *Scribite multi docti adversus unum indoctum, & procul dubio plus orbis crediturus est doctis multis, quam uni indocto.*

Emserus fassus fuit, *idioma Lutheri in Germanica Bibliorum versione elegans esse, nec se melius vertere posse Nov. Testam.* referente Luthero in prolixa Epistola German. tom. 5. Jen. Germ. f. 140.

D. Martinus Kigelin, Professor Theologiæ in Academia Fribergensi, ad Johannem Wendlinum, Monachum olim Bebenhusanum Anno 1528. sic scripsit: *Cum sacris literis multum caliginis & incommodi adducat in alienas linguas translatio, crediderim non inutile fore, si adjunxeris vulgarem, præsertim Vet. Testam. Lutheri interpretationem. Non quod hominem ipsi probem aut errata defendam, sed quod & ab hoste, sicubi prosit, doceri fas esse putem. Neque vero periculum erit, ne tibi imponat incauto, si memineris, non tibi scholia sua, sed textum Scripturæ spectandum. Multa certe sic Germanico sensu explicuit brevibus, ut non plus aliorum numerosæ paginæ præstent, præsertim in libris Mosaicis. Quo certe multi multum usi sunt hactenus & adjuti docti simul ac pii.*

Andreas Masius, (vir doctus & plurimarum linguarum peritissimus, qui in adornandis Bibliis Antverpiensibus bonam operam navavit, & Hispalensi adjutor fuit, ac Anno 1574. fatis concessit, quem non *minus Catholicum & pium, quam eruditum & disertum* vocat Pererius Comment. in Genes. II. lib. 6. disput. 17. n. 255. quemque Bellarminus aliquoties allegat,) tametsi Pontificiam religionem profiteretur, tamen in convivio Cœnobii Wingartensis præsentibus Pontificiis & Lutheranis aperte fassus est, *Theologiæ solidæ plus esse in uno Lutheri folio, quam interdum in toto libro alicujus Patris.* Refut. orth. Conf. p. 7. Osiand. Cent. 16. Histor. pag. 837.

Wolffgangus Severus olim Ferdinandi Regis præceptor de Luthero hoc composuit Distichum:

> *Japeti de gente prior majorve Luthero*
> *Nemo fuit, nec habent secla futura parem.*

CAPUT VII.

De Reformationis Occasione.

INter cætera ἐγκλήματα, quibus Lutherum adoriuntur Adversarii, non infimum locum obtinet illud, quod Lutherus ex mera invidia, fastu & ambitione Papatum oppugnare cœperit. Sic enim ex Cochlæo scribit Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 13. §. Eodem modo. *Initium primum omnium hæresium hujus temporis constat fuisse invidentiam & ambitionem Lutheri, ægre ferentis munus promulgandarum Indulgentiarum à suis ordinis Monachis (Augustinianis) ad Monachos ordinis Prædicatorum translatum fuisse, unde in disputatione cum Eccio habita Lipsiæ Ann. 1519. exclamavit: Hæc causa nec propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur.* Quod ex Bellarmino repetit Parmannus in hodego.

Cornelius à Lapide in com. 2. Epist. Petri cap. 2. p. 397. *Lutherus omnium hujus ævi (hæresium) choragus & antesignanus hæresin orsus est concionando contra Indulgentias, eò quod earum promulgatio à se, suoque ordine Augustiniano ad Fratres Prædicatores translata esset, uti narrat Cochlæus in actis Lutheri Ann. 1517.*

Petrus Cutsemius in Saxon. Cathol. p. 11. *Lutherus iracundia accensus in religiosos S. Dominici Patres, vulgo Prædicatores, Sylvestrum Prieriatem & Johannem Tecelium, quibus tunc temporis commissa erat Indulgentiarum publicatio, cœpit & homines & alienes verbis & scriptis pungere, sensimque ipsam Ecclesiæ de Indulgentiis doctrinam mordere.* Similia occurrunt apud Hosium lib. 1. adversus Brentium, Laurent. Surium comm. Histor. p. 11. Lessium Consult. Consid. 9. rat. 5. p. 155. Jacobum Hack... contra Tossanum q. 1. cap. 6. pag. 56. Tannerum in Antid...

præscripto, præscript. 2. pag. 38. Append. pag. 246. Possumus hanc calumniam ipsius Lutheri verbis refellere, in quibus propter solam DEI gloriam & Ecclesiæ salutem reformationis opus cœptum esse asserit, utpote quando in Comitiis Wormaciensibus hosce protulit & ingeminavit gemitus: O du mein GOtt/ mein GOtt stehe mir bey wider aller Welt Vernunfft und Weißheit. Thue du es/du must es thun/ du allein/ ist es doch nicht meine/ sondern deine Sache/ hab ich doch vor meine Person allhie nichts zu schaffen / und mit diesen grossen Herrn der Welt zuthun / wolte ich doch auch wol gute geruhige Tage haben und unverworren seyn / aber dein ist die Sache.

Tom. 2. Jenens. German. in admonit. ad omnes Christianos, ut sibi caveant à seditione f. 71. Es ist nicht müglich/daß ein Mensch solte ein solch Wesen anfahen und führen. Es ist auch ohne mein Bedencken und Rathschläg so ferne kommen/ es soll auch ohne meinen Rath wol hinaus gehen/ und die Pforten der Höllen sollens nicht hindern/ein ander Mann ist/der das Rädlein treibet.

Tom. eod. Wider den falschgenannten Standt der Geistlichen fol. 107. Ich bin gewiß/ daß mein Wort und Anfang aus GOtt sey/daß meine Lehre nicht mein/sondern Christi ist.

Tom. 1. Jenens. Germ. fol. 549. fac. b. Es ist offenbar/ wie ich kein Geld darumb nehme/ solches zu lehren / wie sie nehmen/ Johannes Eck ist aber mit reich worden/und etlicher mehr. So habe ich je keine Gunst davon / so hab ich alle Schand und Fahr davon.

Cochlæi calumniam ab Emsero mutuatam, & à Bellarmino approbatam disertis & perspicuis verbis Lutherus ipse diluit in responso ad Emserum tom. 1. Jenens. Germ. fol. 404. ubi inter cætera sic scribit: Es ist geschehen zu Leipzig auff dem Schloß in der Cantzley / dadurch die Eckische Practick gehandelt ward / von der Disputation nach seinem Vortheil und meinem Nachtheil / und wir sahen / daß die Ehre ward mehr denn die Warheit gesuchet von dem Widerpart / und ich biß zu der Zeit gehoffet / sie hättens in Gottes Namen / wie ich angefangen / da sprach ich mit kläglichen Worten und betrübten Gemüt / das Ding ist nicht in Gottes Namen angefangen / es wird auch nicht in GOttes Namen außgehen ꝛc. Also haben meine Wort nicht auff mich/sondern auff Ecken/der die Disputation angefangen / und die Leipzischen Theologen gelautet / welche mir Emser verkehret auff Jüdische Art/ ꝛc.

Plura hujus generis ex Lutheri scriptis adduci possent, sed pro ratione instituti nostri ipsorum potius adversariorum testimonia de reformationis occasione afferemus. Eorum verò quidam asserunt;

1. Quod corruptelæ doctrinæ reformationi occasionem dederint.

Erasmus in Epist. ad Archiep. Moguntinum Cal. Nov. Ann. 1519. *Spectandi inprimis sunt mali hujus fontes: Mundus oneratus est constitutionibus humanis, oneratus est opinionibus & dogmatibus Scholasticis, Tyrannide fratrum Mendicantium, qui cum sint satellites sedis Romanæ, tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Roman. Pont atque ipsis adeo Regibus sint formidabiles. His, cum pro ipsis facit, Pontifex plusquam Deus est; in his quæ faciunt adversus eorum commodum, non plus valet quam somnium. Non damno omnes, sed plurimi sunt hujus generis, qui ob quæstum & Tyrannidem data opera illaqueant conscientias hominum, ac perfricta fronte jam cœperant omisso Christo nihil prædicare nisi sua nova & impudentiora dogmata, &c. Hæc opinor, moverunt animum Lutheri, ut primum se auderet quorundam intolerabili impudentiæ opponere &c. Ausus est Lutherus de Indulgentiis dubitare, sed de quibus alii prius nimis impudenter asseveraverant. Ausus est moderatius loqui de potestate Romani Pontificis, sed de qua isti nimis immoderate prius scripserant, quorum præcipui sunt tres Prædicatores, Alvarus, Sylvester, & Cardinalis sancti Sixti. Ausus est Thomæ decreta contemnere, sed quæ Prædicatores pene præferunt Evangeliis. Ausus est in materia confessionis scrupulos aliquos discutere, sed in qua Monachi sine fine illaqueant hominum conscientias. Ausus est ex parte negligere Scholastica decreta, sed quibus ipsi nimium tribuunt & in quibus nihilominus inter se dissentiunt. Postremo quæ subinde mutant pro veteribus rescissis inducentes nova. Discruciabat pias mentes hoc, cum audirent in Scholis fere nullum sermonem de doctrina Evangelica, sacros illos ab Ecclesia jam olim probatos autores haberi pro antiquatis, imo in sacris concionibus minimum audiri de Christo; de potestate Pontificis, de opinionibus recentium fere omnia, totam orationem jam palam quæstum, adulationem, ambitionem ac fucum præ se ferre. His imputandum opinor, etiamsi qua intemperantius scripsit Lutherus.*

Eundem Erasmum Fridericus Saxoniæ Elector Sapiens cognominatus Coloniæ ad se accersivit; ac quid de Luthero sentiret, ex ipso quæsivit; respondit Erasmus: *causam odii illius, quo Lutherus in Curia Romana laboraret, sitam esse in eo, quod Lutherus duo maxima commisisset peccata, impetendo suis disputationibus Monachorum ventres & Pontificis coronam,* (dominatum Pontificis & otiosorum Monachorum errores) *doctrinam quidem ipsius veram & certam esse, velle tamen & optare se, ut stylum contra adversarios moderetur.*

In eandem sententiam scripserat ad Fridericum ab ipso consultus etiam Laurentius à Bibrach, Episcopus Herbipolensis, singularis prudentiæ & integritatis laude in toto Imperio celebris, ac subjecerat, *se multorum eruditorum judicia super hoc negotio explorasse.* Chytr. in Hist. orbis Arctoi. Manlius in Collectan. Contin. Crantzii.

Georg. Cassander in consult. art. 7. de Eccles. p. 52 (in al. edit. pag. 71.) *Non negarim, multos initio pio studio ad acriorem reprehensionem quorundam manifestorum abusuum impulsos fuisse.* Et paulò post. *Quare nullam Ecclesiæ firmam pacem sperandam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam* (nota) *dederunt, id est, ut ii, qui Ecclesiasticæ gubernationi præsunt, de nimio rigore aliquid remittant, & Ecclesiæ paci aliquid concedant & multorum piorum votis & monitis obsequentes manifestos abusus ad regulam divinarum literarum, & veteris Ecclesiæ, à qua deflexerunt, corrigant.*

Art. 25. *Concedimus, obtestandos esse illos, penes quos Ecclesiarum procuratio est, ut compertos jam & manifestos abusus, quorum aliquot supra commemoravimus, ex quibus motus, quibus hodie Ecclesia periculosissime jactatur & affictatur, extiterũt, tolli & aboleri curent, &c. Assentimur Confessioni* (Protestantium) *cum ait, si Episcopi hos abusus, præcipue qui Missam & alios divinos cultus invaserunt, in tempore correxissent, minus nunc esset dissensionum &c.*

Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 1. *Non alia doctrina,* inquit Lutherus, *in Ecclesia tradi aut audiri debet quam purum Dei verbum, id est, Scriptura sacra.* (Ergo quia Lutherus vidit multa non solum præter, sed etiam contra Scripturam in Ecclesia proponi, inde corruptelis illis sese opposuit.) Huc referenda sunt testimonia illorum omnium, qui de corruptelis doctrinæ in Ecclesia publice grassantibus ante Lutheri tempora, & ipso reformationis initio conquesti fuere, quorum plurima superius sunt enumerata.

2. Quod immodica Indulgentiarum Papalium præconia reformationi occasionem dederint: (quam occasionem etiam Lutherus inculcat in præfat. operum Latinorum: *Casu,* inquit, *non voluntate & studio in has turbas incidi, Deum testor. Cum Anno 1517. Indulgentiæ in his regionibus venderentur turpissimo quæstu, ego tum eram Concionator & juvenis, ut dicitur; Doctor Theologiæ, & cœpi dissuadere populis & eos dehortari, ne Indulgentiariorum clamoribus aurem præberent, habere eos meliora quæ facerent, & in iis certus mihi videbar, me habiturum patronum Papam; cujus fiducia tum fortiter nitebar, qui in suis decretis clarissime damnat Quæstorum immodestiam.* Hæc Lutherus, ex quibus diserte colligitur, veram thesium contra Indulgentias scriptarum causam non fuisse fastum, aut amorem pecuniæ, aut odium Papæ; sed intolerabilem illum quæstum Nundinatorum; quo Papæ autoritatem imminui posse videbat, quam tum asserere potius quam impugnare in animo habuit, licet DEUS totum hoc negotium aliter direxerit. Quantum verò Indulgentiis tribuerint tribunitii illarum buccinatores, exponit in Epistola ad Electorem Moguntinum tom. 1. pag. 1. gloriati scil. sunt de suis hisce mercibus, *quod animæ de purgatorio statim evolent, si contributionem in cistam quis conjecerit. Item; tantam esse hanc gratiam, ut nullum sit tam magnum peccatum, quin possit solvi. It. quod homo per Indulgentias liber sit ab omni pœna ac culpa.* Hæc fuere περίσματα, quæ Lutherus jure ac merito impugnavit. Atqui si à reprehensione Indulgentiarum Lutherus initium reformationis fecit, ergo non ex studio propagandarum Indulgentiarum, adeoque ex invidia translatæ promulgationis ad alium Ordinem, ut mentiuntur Autores supra recensiti.)

Paulus Langius Monachus in Chronico Citizensi: *Exaltavit Leo Papa inter alios præcipue Sylvestrum de Prierio Theologum, sacriq; Palatii Magistrum, & Thomam Cajetanum totius Ordinis*

nis Prædicatorū generalem Magistrum, ipsum Cardinalem sancti Sixti faciens & creans, quem & paulò post in Germaniam misit Legatum. Creavit denique eodem tempore & alios triginta Cardinales, à quibus ex pacto quingenta millia aureorum suscepit, promiserat enim eis grandia. Ast cùm de patrimonio D. Petri competenter eis satisfacere nequivisset, aut forsan detrectasset, attamen ut omnes juxta condictum ditaret & magnifaceret, excogitato modo, (ne dicam dolo) quatuor ad diversas mundi partes Legatos, quatenus sub prætextu Turcarum, infinitam colligerent pecuniam, cum summis & plenissimis misit Indulgentiis, ut collectam pecuniam tali astu tandem copiose inter Cardinalium novas creaturas suas distribuere posset. Præterea ex cunctis fidelium regionibus, præsertim Germania, mediantibus Indulgentiarum Commissariis, sub specie fabricæ basilicæ S. Petri pecuniam omnimodis aggregare ferventissime annisus est technis, tametsi ad dictæ fabricæ consummationem prædecessor suus Julius Pala, qui eandem operose & magnifice inceperat, thesaurum reliquerit innumerabilem. Nihilo secius & lente & segniter cœptum opus progreditur. Nec mirum, cum lapides secti in die, noctu ut dicitur, ad palatium grande Florentinorum de Medicis dictum, quod nunc construitur, clam deferantur, & ipsa pecunia collecta non in usum fabricæ, non contra infideles, sed inter amicos Papæ Cardinalesque distribuatur. Nam cum in hunc finem (ut præsumitur) ipse Papa Indulgentias maximas, & antea (ut declamabant) inauditas, octennio per Germaniam duraturas dedisset, & jam pene triennio in Misnia & Saxonia & circumquaque viguissent, & infinita pecunia congesta per Commissarios fuisset, tandem Germani nostri Romanensium & fraudem & astutiam, Indulgentiasque prædicantium abusum & avaritiam intelligentes, manus retrahere cœpere, potissimùm contra easdem Indulgentias, imo (ut dixi) declamantium intolerabilem abusum & excessum disputante, prædicante & scribente Venerando viro & profundissimo Theologo, Patre Martino Luthero, Witenbergensis Academiæ & Conventus, qui sua & doctrina & prædicatione mirabili Indulgentiarum omnium valorem annihilarit, populumque ab earundem redemtione avertit, eas minime ad salutem fore necessarias affirmans, non remissionem peccatorum, sed pœnitentiæ neglectum & aliorum pietatis operum relaxationem, impedimentum, & vitium esse, nec merita Christi & sanctorum thesaurum Indulgentiarum esse, cum in primitiva Ecclesia & longe post, pene per mille & ultra annos nihil de eis scriptum per sanctos reperiatur orthodoxæ Ecclesiæ Doctores, nec quippiam magnifice (ut nunc auri amore fit) de eis creditum aut æstimatum fuerit: asserens insuper & probans, Romanam Ecclesiam non esse jure divino primam & caput omnium. Hujusmodi ejus doctrina nova & prædicatio confestim toto insonuit orbe, & infinitos in suam traxit sententiam, adeo ut passim populi dolum Romanensium agnoscentes, & dictorum veritatem perpendentes, Indulgentias ipsas relinquere, nauci que pendere cœperint, potioribus, id est, pœnitudinis & misericordiæ sese operibus Martini ejusdem hortatu mancipantes. Et in tantum ipse unus homo suis declamationibus invaluit, ut ipsi Indulgentiarum Præfecti & Commissarii, imo Archiepiscopi & Episcopi in Ecclesiis suis ipsas Indulgentias deponere & suspendere cogerentur. Quamobrem ipse Papa & Cardinales omnesque Romanenses modum in mirum contra Martinum & fremere & excandescere cœperunt, doctrinam ejus anathematizantes, idolum Martini suis cum scriptis velut hæresiarcham igne publice cremantes, & in præsens usque modo omnibus ceu alterum Athanasium persequi non desistunt. potissimum quod disputaverit, Romanam Ecclesiam non esse jure divino primam & caput Ecclesiarum orbis, & alia quædam ejus ardua & rara dogmata, quæ non modo Romanenses, sed & complures alii doctissimi, præcipue tamen Thomistæ, impugnare non cessant. Veruntamen Martinus ille Theologorum nostræ tempestatis omnium facile sapientissimus princeps, doctrinam suam Evangelicis testimoniis & Divi Apostoli Pauli, nec non priscorum Orthodoxorum Patrum originalibus dictis roborans & comprobans, eatenus perstitit invictus, habens & ipse nihilominus adhærentes consentientes etiam aliarum regionum consummatissimos Theosophiæ doctores, ut eruditissimum & eloquentissimum illum divinarum Scripturarum Interpretem novum Erasmum de Roterodamo, Johannem Reuchlin, Jacobum Stapulensem, Jodocum Clitovæum & plures alios.

Jacobus Fontanus in Histor. Eccles. (Anno 1522. scripta) lib. 1. *Anno salutis humanæ 1517. ex liberalitate autoritatis Apostolicæ sedis concessis Indulgentiis, ad remissionem omnium peccatorum firmiter certiusque consequendam, imprudenter nimis immodice vili pecuniæ studio flagrantes plurimi, nimirum præcones beneficiorum sive Indulgentiarum, his inquam concessis Indulgentiis abusi ansam F. Martino Luthero supra modum malignandi, invehendi contra Indulgentias, deinde vero annihilandi autoritatem Ecclesiæ dederunt. Cæterum si res ita se habet, nec dico, nec asserere queo, nihilominus recordor interim, beneficium Indulgentiarum concessarum à supradicto Pontifice nomen à cruce mutuasse (cruciata,) earumque Indulgentiarum declamatoribus seu prædicatoribus ingentes bajulantibus & circumferentibus per loca tunc atque parochias seu Ecclesias crucis imagines ex ligno fabricatas & rubricatas, ibidemque circumcirca relictis, gravi exactione populum mulctasse cum impostura & derisione populi illius. Verum qualecunque sit vulgi hac de re judicium, illud quoque constat, omnem illam pecuniam talibus artibus comparatam, in alium usum esse conversam. Etenim hinc neque templum seu basilica D. Petro nuncupata, emolumentum aliquod accepit, nec Turcarum Principis extincta aut diminuta fuit potestas, atque Tyrannis adempta. Unde plerisque persuasum est, numeratam istam pecuniam Pontificis, aliorumque Principum & Prælatorum communem fuisse prædam & spolium. Et hic summus Pontifex, cæterique tam pretiosi beneficii dispensatores officii sui memores esse debent, & hanc Apostoli sententiam dispicere, quæ dicit: Potestatem dedit nobis Deus in ædificationem & non in destructionem vestram. Temeritas nempe & incircumspecta negligentia, tum etiam error multorum in conferendis Indulgentiis, nuncupatis vulgariter à crucis signis, toti fere Christianismo hanc præsentem intulerunt perniciem, quâ cum & animorum & vitæ periculo sunt proh dolor! exterminati non pauci mortales.*

Laurentius Surius in Appendice ad Chronicon Naucleri tom. 2. col. 566. *Quia interdum non parvi abusus ejusmodi Indulgentiis evulgandis sese immiscuerant, inde sumta occasione Lutherus primum in Indulgentiarum immodicos quosdam & sordidos suo duntaxat quæstui inservientes buccinatores acriter invectus est &c. In ipsis hujus Tragœdiæ initiis visus est Lutherus etiam plerisque viris gravibus & eruditis non pessimo zelo moveri, planeque nihil spectare aliud quam Ecclesiæ reformationem, cujus quidam deformes abusus non parum male habebant bonos omnes.*

Guicciardinus (qui Lipsio in notis ad politic. lib. 1. pag. 371. *liber, verax & ab effectibus immunis est*) lib. 13. Histor. ad annum 1520. fol. 296. edit. Basil. *Luthero occasionem dederunt Indulgentiæ nimis licenter concessæ à Pontificibus, quæ quia pecuniæ tantum à mortalibus exigendæ causa concedi notum erat, magnam turbam excitarunt, & quandoquidem in seipsis, quæ damnari poterant, non correxerunt, qui Pontifici adhærebant, ignem flatu accendebant, & ut homines Natura ad vehementia medicamenta adhibenda sunt proni, quod dissimulatione dissolvi potuisset, rigor & minæ perdiderunt.*

Idem Guicciardinus occasionem turbarum adscribit non Luthero, sed 1. Papæ Leoni, *qui nimis licenter Pontificatus autoritate utebatur, Laurentii Puccii Quatuor sanctorum Cardinalis consilium secutus, nullo locorum ac temporum habitu delectu per universum orbem amplissima privilegia, quibus non modo vivis delictorum veniam consequendi, sed & defunctorum animas ejus ignis, in quo delicta expiari dicuntur, pœnis eximendi facultatem pollicebatur, promulgarat.*

2. Manifestæ indignitati Bullarum Pontificarum. *Amplissima illa privilegia pecuniæ tantum à mortalibus extorquendæ gratia concedi notum erat.*

3. Impudentiæ Quæstorum. *Et à quæstoribus huic negotio præfectis impudenter administrabantur.*

4. Ipsarum Indulgentiarum impietati verbis paulò ante ex ipso prolatis notatæ. *Quia per eas non modo vivis delictorum veniam consequendi, sed etiam defunctorum animas ejus ignis, in quo delicta expiari dicuntur, pœnis eximendi facultatem pollicebantur.*

5. Subjicit Guicciardinus effectum. *Magnam plerisque in locis indignationem offensionemque concitarunt, & præsertim in Germania, ubi à multis ex ejus ministris hujusmodi mortuos pœnis liberandi facultas parvo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ subjici cernebatur. Auxit hanc indignationem, quod fama loqueretur, eam pecuniam, quæ extorqueretur, non ad Pontificem, sacrumque ærarium, unde fortasse, ut aliqua ejus pars in bonos usus converteretur, fieri potuisset, deferri, sed destinatam esse ad explendam cupiditatem mulieris,* (cujus vero? etiam hoc exprimit Historicus.) *Pontifex multarum Germaniæ partium ex hujusmodi venia exactionum emolumentum Magdalenæ sorori suæ dono dederat, quæ cum Arembaldum Episcopum ejus mini-*

ris, quod per summam avaritiam & extorsionem exercebat, dignum ministrum huic exactioni præfecisset, & per totam Germaniam eam pecuniam, quæ extorqueretur, non ad Pontificem sacrumve ærarium, unde fortasse, ut aliqua ejus pars in bonos usus converteretur, fieri potuisset, deferri, sed ad mulieris cupiditatem explendam destinatam esse, fama loqueretur, non modo eam exactionem & ministros ad eam delegatos, verum etiam ejus, qui tam inconsulte concedebat, nomen autoritatemque detestandam reddiderat.

Polydorus Virgilius lib. 8. de rer. invent. cap. 4. pag. 492. *Quartum postremo vidit religionis dissidium nostra ætas, novitate rerum nimis solicita, cum Leo X. Roman. Pontif. illo ipso anno, qui fuit humanæ salutis, MDXVII. haberet etiam in Germania Procuratores Indulgentiarum, quas vocant, & illi suæ quoque utilitatis studio prædicarent, eas Indulgentias non solum valere ad salutem vivorum, verum etiam ad sublevandas mortuorum animas, quæ in purgatorio, quod dicitur, essent: Tum Witebergæ in oppido Saxoniæ celebri præstò fuit quidam Martinus cognomento Lutherus, Augustinianus Monachus, homo in Theologia apud suam gentem primarius, qui illud improbavit. Procuratores ea re valde commoti primo quoque tempore Romam ad Magistratus deferunt nomen Lutheri. Is continuo ut Deorum contemtor accusatur, citatur, causa agitur. Sed quia ad diem dictam non adfuit Romæ præsens, ut responderet, paulò post declaratur hæreticus. Verum quoniam ejusmodi Indulgentiarum quæstus jam in odia hominum cum Procuratoribus incurrerant, permulti magni viri Martino protinus adjumento fuerunt, & in his Fridericus Saxoniæ Dux, quod Lutherum consilio, autoritate, armis denique tegeret, ne ulla eum vis attingere posset. Lutherus igitur tali præsidio munitus paucis post mensibus non dubitavit ire Augustam, quò Thomas Cajetanus Cardinalis S. Sixti Monachus Dominicanus ejus turbæ reprimendæ gratia à Leone legatus fuerat. Ibi cum Thoma acriter conflictatur de Indulgentiis, de Pontificis Romani potestate disputat: sed veritus, ne Cardinalis ad extremum rem omnem magis imperio, quam disceptatione definiret, idque sibi timens domum redit, ac tum faventibus amicis majora ausus de omnibus denique religionis mysteriis scribere, suaque scripta foras dare cœpit. Ita licentiâ partâ loquendi secta brevi tempore mirabiliter crevit, quæ Evangelica dicta est, eò quod haud ullam assereret recipiendam esse legem, quæ ad animarum salutem pertineat, nisi quam Christus aut Apostoli dedissent.*

Alphonsus de Castro lib. 2. advers. hæres. verbo Absolutio, hær. 1. *Lutherus ab Indulgentiis suorum errorum auspicium sumsit. Nam cum rabulas quosdam Indulgentiarum Prædicatores audisset, qui tot ac tanta (ut hujus farinæ homines solent causa majoris quæstus effutire) de Indulgentiis dixerunt, ut illis obviandum fore decerneret, Zelo sed non secundum discretionem motus in publicum prodiit &c.*

Jacobus Augustus Thuanus Parlamenti Parisiensis Assessor lib. 1. Histor. Ann. 1515. pag. 7. edit. Offenbach. *Peccatum in sacris muneribus dispensandis admissum Leo X. Pontifex mox longè graviore cumulavit. Nam cum alioqui ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumtus undique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatibus, omnium delictorum expiationem, ac vitam æternam pollicitus est constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate penderet, in eamque rem per provincias Quæstores & ærariæ ordinavit, quibus additi Præcones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiose compositis, propositisque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent, quod licentiose nimis à Pontificiis ministris passim atque in Germania præcipue fiebat, ubi qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per lustra & popinas quotidie sine pudore in aleæ lusum ususque turpissimos potestatem extrahendi animas defunctorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Augustinianus, VVitebergæ in Saxonia Theologiam professus, qui refutatis primum, mox damnatis Præconum concionibus, eò postremo devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam successu temporis labefactatam dicebat, crescentibus per contentionem animis descenderet.*

Bzovius tom. 19. Annal. ad annum Christi 1517. pag. 323. *Factum est, ut partim quorundam Concionatorum importunitate, partim vulgi credulitate & imprudentia, partim etiam Antistitum incuria & securitate abusus quidam in hoc sanctissimo (Indulgentiarum) subnascerentur negotio.* Quinimo Concilii Tridentini Patres ipsimet agnoscunt. *Quæstorum abusus, quorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo & querela deprehendatur, ut de eorum emendatione spes nulla relicta videatur.* Sess. 21. cap. 9.

Neque vero in solos Pontificum servos, in *Quæstores* Indulgentiarum, omnis culpa conferenda, cum ipsi Pontifices abusuũ illorum utplurimum sint autores, vel certe commodi sui causa ad eos conniveant. Inde Massonius Pontificius scriptor in vita Leonis X. fol. 384. sic loquitur: *Revertar ad Indulgentias, ut illud verissime dicam, Romanos Pontifices adhuc nimium indulgentes fuisse.*

Petrus Suavis in Hist. Concil. Trident. lib. 1. pag. 5. *Ann. 1517. statim post promulgatam generalem Indulgentiarum concessionem, Leo partem pecuniarum ante distribuit, quàm aut commode in vulgus spargerentur aut colligerentur, diversarum provinciarum reditibus diversimode tributis & parte aliqua in usum suæ Cameræ reservata. Sed nominatim Saxoniæ proventum & totius ejus tractus Germaniæ qui Saxoniam & Mare interjacet, Magdalenæ sorori dono dederat, Francisco Cibo Innocentii VIII. Pontificis spurio junctæ &c. At Magdalena soror, ut ex dono Pontificio fructum caperet uberiorem, cum Indulgentiarum prædicandarum, tum pecuniæ conquirendæ curam committit Aremboldo Episcopo, qui assumta Præsulis dignitate, nullam tamen periti mercatoris & quidem Genuensis artem exuerat. Is vero explendæ mulieris cupiditati, quam expendendis hominum meritis magis intentus, harum publicandarum potestatem fecit iis, qui eas plurimo licitarentur, nullo mediocris fortunæ hominibus ad contrahendum relicto loco, sed his solis, qui sui similes per sordes & avaritiam omnia administrarent. Invaluerat in Saxonia consuetudo, quoties Pontifices eò mitterent Indulgentias, earum divulgandarum curam Fratribus Ordinis Eremitanorum demandare. At quæstores Aremboldi parum consultum rebus suis autumantes horum uti opera, qui in hac palæstra veterani sua clam captantes emolumenta lucri partem viderentur involaturi, certe nihil extra ordinem, præterque solitum pensitaturi; Fratres ordinis Dominicanorum eam capessere provinciam maluerunt. Qui præcones facti tanti beneficii, dum illius magnitudinem apud populum supra verum insolito verborum apparatu extollunt, in magnam audientium offensionem venere, aucta ex eo rei indignitate, quod qui pecunias ab Aremboldo conduxerant, in lustris & popinis, aleæ lusu aut deterius id profundebant, quod populus suum defraudans genium redimendis peccatis è diario miser cõparebat. His excitatus Martinus Lutherus frater Ordinis Eremitarum D. Augustini in quæstores, eorumque præcones concionatur: ac primum novos & immoderatos abusus reprehendit, sed mox concionibus atque libellis ab alteris lacessitus totam Indulgentiarum materiam ab ipsis fundamentis ac radicibus perscrutatur. Tum novos abusus cum veteribus comparando, deprehensis totius structuræ juxta ac fundamentorum erratis super hoc argumento theses emittit XCV. VVittebergæ publice exagitandas &c.*

Et postea. *Certamine utrinque* (inter Lutherum, Tecelium, Eccium & Sylvestrem Prierias) *incalescente, dimicatio ab Indulgentiis ad alia majoris momenti themata divertit.*

Carolus Miltitius Tetzelium conductitium illum Indulgentiarum præconem ad se vocavit, & verbis minisq; Pontificis territum ita fregit hominem hactenus terribilem cunctis & imperterritum, ut inde contabesceret & tandem ægritudine animi conficeretur. (At hoc non fecisset Pontificis ille à latere Legatus, nisi Tetzelii licentiam dissidio huic causam dedisse animadvertisset.)

Status Imperii in Comitiis Norinbergensibus Ann. 1522. art. 3 Gravam. sic loquuntur. *Illud importabile jam olim increbuit Indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut Basilicas Romanas constituere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus nimiumque credulis Germanis exsuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longe majoris est faciendum, per has imposturas ac earum conductitios præcones ac Prædicatores profligata est germana Christianorum pietas.*

Ibidem. *Dum extrudere volebant venales suas Bullas, laudes suis mercib. occinebant miras & inauditas, condonari per emptitias has condonationes nedum noxas præteritas aut futuras viventium, sed & defunctorum vitâ, existentium in purgatorio igne, modo numeret aliquid, modo tinniat dextra.*

Artic 4. *Compertum habere,* ajunt, *Germanos, pecuniam illam corrasam non in rem fidei, aut alioqui Reip. Christianæ necessariam, sed in propinquorum luxum ac sublevandam familiam illorum esse versam.* Hæc ergo fuit reformationis publice ab omnibus desideratæ occasio.

Bellar-

Bellarminus ipse lib. 2. de Indulgent. cap. 1. §. 1. *Martinus Lutherus hæresiarcha nostri seculi à reprehensione Indulgentiarum sectam suam auspicatus est &c. Cum Albertus Cardin. & Archiepiscopus Moguntinus præpositus esset à Leone X. Pont. Max. Indulgentiis quibusdam per Germaniam prædicandis, scripsit ad eum Lutherus Epistolam, in qua notabat errorem illorum, qui usque adeo Indulgentiis confidebant, ut securos se de salute sempiterna esse arbitrarentur, si nummum argenteum in arcam juxta præscriptum Indulgentiæ conjicerent &c. Deinde paulò post longius progressus edidit Resolutiones de Indulgentiis, & mox libellum pro iisdem Resolutionibus, in quibus docuit, Indulgentias esse pias fraudes matris Ecclesiæ, qua promissione Indulgentiarum excitat filios suos ad opera bona &c. Ita progressus est à reprehensione abusuum ad reprehensionem Indulgentiarum.*

Sic ergo non diffitetur Bellarminus, abusus quosdam in Indulgentiis publice tunc temporis receptos fuisse, id quod clarius testatur lib. 1. de Indulg. cap. 12. §. Observandum &c. sic scribens: *Laudandus merito est Clemens VIII. Pontif. Max. qui nunc sedet, quod decretum Conc. Lateranensis sub Innocentio III. de moderandis indiscretis Indulgentiis: & decretum Concil. Tridentini sess. 25. de revocandis Indulgentiis ad veterem adprobatam Ecclesiæ consuetudinem executioni mandare studet. Veteres enim parcissimos fuisse in Indulgentiis conferendis notissimum est. Siquidem Sergius 2. trium tantum annorum Indulgentiam dedit, & Paschalis 2. quadraginta solum dierum. Testatur quoque Innocentius 3. Apostolicam Sedem solitam esse ordinarie non extendere Indulgentias ultra condonationem pœnitentiæ unius anni vel 40 dierum &c.*

3. Quod immoderata Papalis potestatis præconia, ejusdemque abusus reformationi occasionem dederint.

Erasmus in Epistola ad Archiepisc. Moguntin. *De Indulgentiis sic loquebantur, ut nec idiotæ ferre possent &c. Hæc, opinor, moverunt animum Lutheri, ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentiæ opponere.*

Georgius Cassander in consult. art. 7. de Eccles. pag. 52. in al. edit. pag. 71. *Non negarim &c. præcipuam causam hujus calamitatis & distractionis Ecclesiæ illis assignandam, qui inani quodam fastu Ecclesiasticæ potestatis inflati rectè & modeste admonentes superbe & fastidiose contemserunt & repulerunt.*

Artic. 14 pag. 102. (in aliis edit. pag. 134.) *Accusandi sunt nostri, qui inani titulo inflati, eoque ad dominatum abutentes hominibus non malis huic Ecclesiastico Ordini detrahendi & ab eo deficiendi occasionem dederunt.*

Item. *Neque unquam controversia apud nos de obœdientia erga Romanos Pontifices extitisset, nisi illi hac autoritate ad dominationis quandam speciem abusi fuissent, eamque extra fines à Christo & Ecclesia præscriptos, ambitionis & cupiditatis causa extulissent.*

Johannes Ferus in Comment. cap. 16. Matth. lib. 3. pag. 23. *Illud ingenue fateor, si successores Petri eo modo potestate sua usi essent, quo Petrus, nemo Christianus potestatem impugnasset. Quia autem plerique hac potestate abusi sunt, (quemadmodum nemo est qui nesciat;) hæc causa & seminarium est hujus tumultus, neque spes aliqua est tumultum hunc cessaturum, nisi tollatur causa.*

Notandum hoc loco, quod Julius 2. Papa Ann. 1511. inchoaverit Concilium Lateranense, quod Leo X. continuavit. Ibi Sess. 4. fol. 564. (edit. Binii) Julius 2. publice audit, *alter Deus in terris.* Leo verò salutatur, *Sponsus Ecclesiæ, Leo de tribu Juda & radix David.* Sess. 4. 7. & 9. Hic mortali homini accommodantur, quæ Prophetæ & Apostoli de æterno Dei filio & Messia dicunt. Sess. 7. fol. 588. *Ceu leo Rex quadrupedum, tu alter Leo, hominum non alter Rex tantum, sed Regum Rex & orbis terrarum Monarcha effectus.* Sess. 9. fol. 610. Leonis conspectus *divinæ majestatis conspectus* appellatur. Sess. 10. fol. 625. affirmatur, quod Leoni sit *data omnis potestas in cælo & in terra.* Huic ambitiosissimo Concilio, in quo Papatus consummatus & ad summum omnibus numeris absolutæ dominationis fastigium perductus, finis est impositus mense Martio Anno 1517. Post septem verò menses Deus Ecclesiæ suæ misertus excitavit & heroico Spiritu instruxit Megalandrum Martinum Lutherum, qui Monarchiam illam Papalem oppugnavit, & Ecclesiam reformavit.

4. Quod corruptelæ morum publice in Ecclesia grassantes occasionem Reformationi dederint.

(De hoc corruptissimo Ecclesiæ statu, qui Reformationi occasionem dedit, gravissimæ in ipsius B. Lutheri Scriptis occurrunt querelæ, tom. 1. Jenens. German. fol. 105. a. fol. 191. a. b. fol. 248. a. fol. 347. a. b. tom. 5. fol. 80. a. fol. 281. a. tom. 6. fol. 96. a. fol. 510. b. fol. 517. a. tom. 7. fol. 193. a. b. tom. 8. fol. 215. b. fol. 235 &c.

Adducemus ex illis unicum duntaxat locum, qui habetur tom. 5. fol. 281. a. Keyserl. Majest. soll gesagt haben/ wenn die Pfaffen from wären/ so dürfften sie keines Luthers. Was ist das anders gesagt/ denn wie Salomon sagt/ des Königs Lippen weissagen. Denn seine Majest. wil damit so viel anzeigen/ daß der Luther sey der Pfaffen Ruthe/ und habens auch wohl verdienet und seyen nicht recht in ihrem Wesen. Das ist auch genugsam bekennet von ihnen selbst/ denn der Bischoff zu Saltzburg hat zu Magister Philippus gesagt: Ach was wolt ihr doch an uns Pfaffen reformiren/ wir Pfaffen sind nie gut gewesen. Da sihe doch und höre die frommen Leute/ sie wissen und bekennen daß sie böse sind und unrecht haben/ wollen darzu auch so bleiben/ ungereformiret seyn/ und der öffentlichen Wahrheit nicht weichen/ und schreyen doch und ruffen Keyser und alle Fürsten an/ man solle für sie kriegen und schirmen.

Sed nec ipsimet Pontificii scriptores publicas illas vitæ & morum corruptelas dissimulant. Sic enim

Laurentius Surius in Commentar. Histor. pag. 122. *Et quia multa erant in Clero vitia quem ille* (Lutherus) *apud Laicos in odium & invidiam adducere modis omnibus causabatur, ea summa animi acerbitate omnibus propalare, mire exaggerare, & impudenter multa fingendo in vulgus spargere studuit. Et certè brevi ille multis id effecit locis, ut Clerus omnis non alio, quam luporum loco apud Laicos passim habitus sit, adeo ut passim in suis domibus Pontifices, Sacerdotes, Monachos luporum forma & specie depingi curarint, & incredibili odio atque contemtu prosecuti sint. Et fuit id quidem verissimum, Clerum multis abominandis scatere vitiis, quæ cum nulla Prælatorum severitate castigarentur, permisit præpotens Deus hujus importuni & improbi Apostatæ conatus non inanes habere successus, Clerumque in summum venire contemtum, ut vel sic tandem resipiscerent.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæreses, cap. 12. *Alia est demum hæresium parens & origo Zelus scilicet, sed non secundum justitiam & discretionem &c. Ex hac occasione, ut testatur Æneas Sylvius in lib. de origine, Bohemorum lapsus est Johannes Huß, & forte hoc nostro seculo Martinus Lutherus. Hi enim zelo & odio malæ vitæ Clericorum & quorundam Monachorum cæperunt debacchari in Clerum, in Pontificem Romanum, in Ecclesiasticos Ordines, in Monachos omnes. Et cum aliquibus ignaris fortasse ac vitiosis maledicere possent, in omnes Sacerdotes, absque ullo discrimine latrare cœperunt, omnem Monachatum evertere, omnes Ceremonias ab Ecclesia procul abigere, omnem Ecclesiasticum ordinem confundere tentarunt. Materiam quidem reprehensionis habuerunt. Nam malitia abundabat, & nunc proh dolor in tantum abundat, ut evenisse experiamur, quod Propheta Oseas dicit: Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Os. 4. Huic tamen morbo aliter obviandum erat. Admonendus erat Clerus atque corripiendus, non tamen tollendus.*

Erasmus d. l. *Non damno omnes, sed plurimi sunt hujus generis, qui ob quæstum & Tyrannidem data opera illaqueant hominum conscientias. Ac perfricta fronte jam cœperant omisso Christo nihil prædicare nisi sua nova & subinde impudentiora dogmata &c. His & ejusmodi multis rebus paulatim evanescebat vigor Evangelicæ doctrinæ, & futurum erat, ut rebus semper in deterius prolabentibus tandem prorsus extingueretur illa scintilla Christianæ pietatis, unde redaccendi poterat extincta caritas. Ad Ceremonias plusquam Judaicas summa religionis vergebat. Hæc suspirant ac deplorant boni viri: hæc ipsi etiam Theologi nec non Monachi quidam in privatis colloquiis fatentur. Hæc, opinor, moverunt animum Lutheri, ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentiæ opponere. Quid enim aliud suspicer de eo, qui nec honores ambit, nec pecuniam cupit?*

Jacobus Fontanus in Histor. Eccles. lib. 1. *Hæresis Lutheri nunquam eum progressum sortita fuisset, si non perpetua vuissitudo affinium & cognatorum magis quam doctorum hominum ratio haberetur, quibus Ecclesiarum cura delegata fuisset; si quoque non fœneribus, divitiis & genere pastoralem curam exercuissent indocti, sed rectius, verius, & dignius; Si de viris probioribus & doctoribus quam hactenus, Ecclesiæ prospectum fuisset.*

Laurentius Cardinalis, Papæ Legatus Ratisbonæ circa Ann.

Ann. 1524. ad reformandos abusus Ecclesiæ & reformandum Clerum, Constitutiones quasdam edidit, in quibus inter cætera sic scribit: *Paribus sententiis receptum fuit, hanc perditissimam hæresin rudi populo plausibilem ob libertatem illi falso persuasam prætextu Evangelicæ charitatis non parvam tribuisse occasionem, partim à perditis moribus & vita Clericorum, partim ob non diutius dissimulandum Sacrarum Sanctionum Ecclesiasticarumque Constitutionum abusum, & proinde non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum Lutheranorum & eorum sequacium Sectæ, si Clerici ad honestatem vitæ, moresque suos illos, quos D. Paulus exigit & præscribit, debita censura reducti, abususque Laicos male offendentes sublati fuerint.*

Richardus Wasseburgius Archidiaconus Verdunensis in Austrasia. *Statuo ego, dictam Sectam Lutheranam esse apprime utilem & necessariam. Spero enim, quod per illam Deus velit reformare & emendare statum Ecclesiæ & Ecclesiasticorum turbas tam primates & summa capita, quam membra & inferiorese.*

Idem. *Cum multis piis affirmo pro certo, Lutheranæ sectæ primariam causam esse horrenda scelera eorum, qui primi esse volunt in Ecclesia & correctionem nullam admittunt. Et plus dico, sectam illam Lutheranam (licet illam approbare nolim) non sine divina providentia introductam, utpote ad corrigendos errores & reformandam Ecclesiam omnino necessariam.*

Carolus V. Imperator dicere fuit solitus. *Si nostri Clerici & sacrificuli sua sponte pietatem coluissent, non eguissemus opera Lutheri.*

Florimundus Ræmundus Galliarum Regis Consiliarius Pontificius, in Historia de ortu & progressu hæreseon lib. 1. cap. 8. & 4. *Fateamur libere, enimvero nolimus velimus fatendum est, non sine causa vitia eorum, qui animarum curam agere debebant, à Luthero fuisse reprehensa. Multi enim non oves, sed lanam; non gregem, sed adipem gregis quærebant. Paucis cura erat caulæ reficiendæ, & contra luporum insidias & impetus obstruendæ. Ventris curam plerique agebant & popelli simplicitate abutentes in vendendis indulgentiis, carnis diebus vetitis comedendæ licentiâ, quæstum magis, quam animarum purgationem spectabant.*

Bellarminus tom. 6. conc. 26. *Annis aliquot, antequam Lutherana & Calviniana hæresis oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui tum temporis vivebant, nulla inquam prope erat in judiciis Ecclesiasticis severitas, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum jam erat religio.*

5. Quod Sedis Romanæ propugnatorum pertinacia emendationem proterve respuens, reformationi & separationi occasionem dederit.

Georgius Cassander in tractatu de officio boni viri. *In his, qui Romanæ Ecclesiæ gubernatores & propugnatores haberi volunt, illud improbandum existimo, quod morbum nullum agnoscunt, & quod huic rei consequens est, remedia non admittunt, imo de correctione admonentes, & ad curationem adhortantes, operamque suam ad id efficiendum offerentes, non modo rejiciunt, & ab Ecclesiæ societate depellunt, verum etiam multis in locis crudeliter interficiendos censuerunt, quæ res huic miserabili schismati occasionem dedisse videtur.*

6. Quod nemo eorum qui primi contra Lutherum scripserunt, ipsi objecerit, quod ex mera invidia & ambitione controversiam illam moverit.

Scripsit Johannes Tezelius, Indulgentiarum Præco primarius, *Antitheses* in Academia Francofurtensi ad Oderam Anno 1517. Thesibus Lutheri de Indulgentiis oppositas, quarum tamen autor ipse non fuit, sed Conradus Wimpinas Academiæ illius Theologus, quibus titulum *satisfactionum* præmisit, in quo scripto causa illa à Cochlæo excogitata ne verbo quidem attingitur. Scripsit postea contra easdem theses Lutheri Sylvester Prierias, itemque Jacobus Hochstratus. Sed neuter horum simile quid Luthero objecit. Quis ergo Spiritus causam illam Cochlæo revelavit?

7. Quod quidam fatentur, Lutherum hanc causam incepisse in DEI nomine. Johannes Staupitius Augustinianorum Generalis (de quo Jacobus Fontaneus in Eccles. Histor. lib. 1. scribit, *quod fuerit vir ingenio & præclaris facinoribus præditus, insuper quoque ex illustri familia procreatus, in vultu & statura majestatem præ se tulerit, ac facundia polluerit:*) Augustæ Vindelicorum Lutherum sic allocutus est: *Memento mi Martine, ne tantam rem negligenter agas, quam in nomine JEsu Christi incepisti.*

8. Quod fatentur, inscitiam & barbariem eorum, qui docendi muneri præfecti fuerunt, reformationi occasionem dedisse.

Alphonsus à Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 4. *Lutheranorum causa factum, ut relictis quibusdam nugis, quibus à trecentis annis huc usque homines sese dedidere, ad meliora studia sese transtulerint.*

Lindanus lib. 3. de optim. scriptur. interpret. gen. cap. 5. *Sic Apostolicorum canonum, imo verbi DEI oraculorum decreta quam jacent longo adhuc tempore, quam conculcantur, quam denique fiunt flocci, imo nihil! Sed quid nobis peperit isthæc lugenda Pastorum negligentia, aut somnus potius altissimus, omnibus piis est manifestum.*

CAPUT VIII.

De Elogio Veritatis Confessioni Ecclesiæ nostræ Evangelicæ attributo.

QUemadmodum plurimi eorum, qui vel ante Lutherum vel ætate Lutheri, vel post Lutheri tempora vixerunt, conquesti sunt, doctrinam in Ecclesia Romana publice sonantem esse corruptam, ac proinde Romanam Ecclesiam indigere Reformatione: ita viceversa doctrinæ, quæ in Evangelicis Ecclesiis proponitur, veritatis elogium à quibusdam eorum, qui vel ætate Lutheri, vel post Lutheri tempora vixerunt, fuit attributum. De singulis articulis in specie differetur in posteriore hujus Tractatus libro; hoc loco generalia duntaxat testimonia expendenda veniunt. Suffragatur ergo nostræ doctrinæ, nostræque Ecclesiæ veritati,

1. Quod quidam agnoscunt, doctrinam nostram Scripturæ sacræ esse conformem.

In Comitiis Augustanis Anno 1530 celebratis præcipui ex Doctoribus Pontificiis fatebantur, *Confessionem Augustanam Cæsari oblatam non posse ex Scriptura sacra refutari.* Nam Wilhelmus Bavariæ Dux à lectione illius Confessionis in diversorium rediens Johannem Eccium Theologum suum his compellavit verbis: *Longe alia & magis horrenda de doctrina Lutheri mihi narrata sunt hactenus, quam ipse hodie audivi. Et tu quidem præclaram spem mihi fecisti, posse illam doctrinam facile refutari*: ad quæ cum Eccius responderet, *Patrum quidem scriptis doctrinam Protestantium refutari posse, minime vero ex Scriptura sacra*, subjecit Wilhelmus: *Ergo quantum audio, Lutherani sedem & fundamenta suæ doctrinæ habent in Scripturis sacris, nos vero Pontificii extra eas*, atque versa ab illo facie abiit. Spalatinus tom. 5. Oper. Luther. German. Jen. p. 35. Rosinus in vita Joh. Elector.

In iisdem Comitiis alius quidam magni nominis & autoritatis vir dixit. *Egregie sane Doctores nostri nos defendunt; fatentur ipsimet, nostram religionem & ea, pro quibus nos tanquam pro aris & focis pugnare volunt, non esse fundata in sacris literis.*

In iisdem Comitiis Episcopus Augustanus Christophorus Stadius sive à Stain in privatis Colloquiis hanc vocem edidit: *Illa quæ recitata sunt, sunt pura veritas, non possumus inficiari.* Chytræus in Histor. August. Confess. pag. 74. Idem Pontificios Principes & Episcopos in publico consessu 6. Augusti graviter serioque monuit, *summam omnes darent operam & attente circumspicerent, ne quid verbo divino contrarium & ab æquo justoque discrepans in causa religionis definirent atque statuerent. Nimis enim verum & manifestum omnibus esse, quod Lutheranæ sententiæ addicti nullum Christianæ fidei articulum hactenus assertionibus & disputationibus suis oppugnare vel evertere conati essent.* Cælestinus Hist. Comit. Aug. Ann. 1530. tom. 3. præfat. & p. 25. b.

Selneccerus in Hist. August. Conf. de eo commemorat, quod monuerit Principes, *ut pie & prudenter in hac causa agerent, quandoquidem Lutherani nihil docerent, quod non cum fidei articulis congrueret, ideo magis de concordia quærenda, quam de bello cogitandum esse.* Huic Saltzburgensis Episcopus Matthæus Langius Cardinalis respondit, *mirari se ipsius novam religionem & sanctimoniam, qui antea longe alius fuerit: velle quidem & se Missam reformari, & libertatem in cibis & aliis traditionibus permitti, sed non ferendum esse, ut Monachus fiat Reformator & pacem turbet.* Augustanus rursum, *Scio*, inquit, *me multipliciter deliquisse & doleo, ac tempus esse video desistendi à peccatis nostris enormibus, quorum tu quoque tibi probe conscius es, oro autem Deum, ut custodiat me, ne peccata peccatis, præsertim condemnatione innocentum augeam, & ne veritati cœlesti, sive à Monacho, sive ab aliis*

demon-

demonstrata me opponam. Ad hoc Elector Brandenburgicus exclamat: *Non verum dici, quod Lutherani contra nullum articulum fidei quidquam doceant, siquidem negent hunc articulum, Credo Ecclesiam Catholicam, sanctorum invocationem*; Augustanus *Sanctorum communionem, non invocationem in Symbolo contineri* ostendit, & Lutheranos *de Ecclesia Catholica recte sentire ac docere, & tantummodo abusus & errores Romanæ Ecclesiæ taxare, quorum non pauci, sed nimis multi & crassi sint.*

Joachimo Brandenburgico de Lutheranis penitus exstirpandis multa locuto respondit Hermannus à Wida, Archiepiscopus Coloniensis, *se contra apertum Dei verbum nec velle nec debere vel minimum quidquam tentare, ad publica vero crimina, quibus Germania exuberet, tollenda, omnem operam libentissime impensurum esse.*

Henricus Brunsuicensis Dux Philippum ad convivium invitans dixit, *se non posse negare articulos de utraque specie, conjugio Sacerdotum, & indifferentia ciborum.* (Hinc Lutherus in cap. 5. Matth. tom. 5. Jen. Germ. p. 373. a. *Nos audenter ab Adversariis nostris postulare non dubitamus, ut vel unum locum vel articulum Scripturæ proferant, quem irritum fecissemus & non recte docuerimus, siquidem Augustanis Comitiis ipsi confiteri coacti sunt, doctrinam nostram esse mere Scripturam: illi vero ob hoc vociferantur & nos damnant, quod Pontificia decreta & putridas ac vermibus scatentes traditiones non observamus.*) Videatur Cælestinus tom. 3. Hist. Aug. Confess. pag. 25. 26. Petrus Suavis in Hist. Concil. Trident. lib. 1. pag. 62.

Ex Cardinalibus etiam quosdam affirmasse proditum fuit, *& causam Protestantium justam, & doctrinam eorum esse rectam, verum hujusmodi mutationem doctrinæ & rituum non tam paucorum arbitrio, sed plurium consilio & adjumento fuisse suscipiendam.*

In iisdem Comitiis Carolus V. Imperat. audita Confessionis prælectione dixisse memoratur, *optare se, ut per totum orbem ita doceatur.* Historia illorum Comitiorum tom. 5. Jen. Germ. fol. 35. Rosin. in Orat. de vita Johannis Constantis Saxon. Elect. Item, es müsse diese Lehr (der Protestirenden) besser seyn als man vermeinet. tom. 5. Jen. pag. 281.

(Quò pertinet, quod Gerhardus Busdragus Episcopus Argolicensis in Epistola ad quendam Cardinalem anno 1558. scripsit, *Carolum V. morientem Episcopo Toletano dixisse, Lutheranos habere justam causam in articulo justificationis.*)

In iisdem Comitiis Augustanis animus Cæsaris dubio procul ardentissimis Lutheri precibus id impetrantibus ad moderationem divina virtute fuit flexus. Cum enim D. Pontanus diceret, *se niti testimoniis Scripturæ, quibus Pontificii prorsus destituantur, ideoque se nullarum minarum fulminibus terreri!* optimus Imperator circumdatus agminibus variorum hominum cum gemitu & suspiriis hæc verba profert: *Ah necesse est, doctrinam illam, quam Lutherani profitentur, plus habere fundamenti, quam nos opinamur.* Selnec. in orat. de Aug. Conf. p. 51.

Cum viginti & unus Theol. Pontificii, qui adfuerunt (videl. D. Johannes Eccius, Johannes Faber Præpositus Budensis & Coadjutor, qui postea donatus est Episcopatu Viennensi, August. Marius, Episcopus Salonensis, Conradus Wimpina Ordinarius Francof. ad Oderam, Johannes Cochlæus Georgii Ducis Sax. Concionator, à patria Wendelstein pago ad Norinbergam sito ita dictus, Paulus Hugo Provincialis Prædicatorum, Andreas Stosse Provincialis Carmelitarum, Conradus Colle sive Colinus, Inquisitor & Prior Coloniensis, qui contra Lutheri nuptias scripsit, Bartolomæus Uingen vel Usingius Augustinianus apud Episcopum Herbipolensem, Conrad. Thoman Ratisb. Cóncionator, Joh. Mensingius Ordinis Prædicatorum apud Elect. Brand. Dietenberger Prior Confluentinus, Joh. Burchardi Vicarius Ordinis Prædicatorum, Petrus Speiser Suffraganeus & Vicarius Episcopi Constantiensis, Frater Medardus Regis Ferdinandi Concionator, Ordinis Minorum, Augustin. à Geterheim, Bremensis, Wolffgangus Rebdörffer Præpositus Stendaliensis, Hieronym. Moguntinus Suffraganeus Pataviensis, Matthias Kretz Concionator Augustanus, Frater Michael Prædicatorii Ordinis Moguntiæ:) cum inquam hi interrogarentur à suo quisque Magistratu & tandem conjunctim, *num Confessio Saxonum*, ita enim tunc illa nominabatur, *refutari possit veris & solidis fundamentis & argumentis?* responderunt unanimiter: *Propheticis & Apostolicis scriptis refutari illam minime posse, opus autem esse Patrum & Conciliorum arietibus & decreti ad illius confutationem.* Idem in ead. orat. de August. Conf.

Cardinalis Campegius, Pontificis ad Comitia Augustana Ann. 1530. Legatus, perlecta & cum Theologis, quos Italia secum adduxerat, multum considerata Protestantium Confessione, etsi illi oppugnandam censerent ac censuram ipsius Legati nomine evulgandam: tamen cum & prævideret, eam majorib. molestiis præbituram occasionem, & palam assereret, *dissensum in doctrina maximam partem videri verbalem, nec multum interesse hoc modo potius an illo quid dicatur, tum rationi consentaneum haud esse, ut in disputationib. Scholasticis Sedes Apostolica partem constituat*; non est assensus, ut nomen suum his dimicationibus apponeretur. Petrus Suavis lib. 1. Hist. Trid. Conc. p. 61.

Chytræus in Histor. August. Confess. edit. vernac. pag. 311. 312. recitat verba Confutationis in Comit. Aug. Anno 1530. Aug. Confess. *Quia Majestas Cæs. ex Confessione Electoris, Principum & Civitatum cognoverit, quod cum Sectis per Imperium Romanum sparsis nihil habeant commercii, sed easdamnent, sperare ejus Majestatem, quod in reliquis etiam, in quib. fortassis hactenus à Catholica & Romana Ecclesia dissenserint, sese consensui Romanæ Ecclesiæ sint conformaturi &c.* Non sunt ausi dissensum à Catholica Ecclesia Protestantibus impingere, sed cum addubitandi particula *fortassis.*)

In Histor. August. Confess. Cælestini tom. 1. pag. 36. extant literæ Georgii Spalatini ad D. Lutherum, in quibus inter cætera sic scribit: *Ex aula Cæsareæ Majestatis* (quæ eo tempore adhuc in Italia erat) *huc præscriptum est, mihique Dn. Cornelius* (Scepperus) *utriusque Juris D. Mercurini* (qui fuit Cancellarius Imperatoris Caroli V.) *amicus intimus & multis legationibus vir exercitatissimus ipse retulit, Dn. Mercurinum præsentibus & audientibus multis nobilissimis & clarissimis viris dixisse & confirmasse, se nihil magis habere in votis, aut amplius à Deo petere, quam ut Dux Elector Saxoniæ, sociique conjuncti constanter in Evangelii professione pergant & persistant, ac Concilium pium & liberum flagitent atque urgeant. Si enim vel minis deterreri & abduci à proposito, vel aliis verbis lenibus sese decipi, sibique imponi patiantur, & non legitima Concilii cognitione causa decidatur, definiatur atque componatur, animum suum per totius vitæ curriculum, in quo acquiescere possit, non habiturum, sed semper vacillaturum & de vera ac certa salutis adipiscendæ & vitæ æternæ possidendæ ratione atque via perpetuo dubitarum esse.*

De hoc eodem Cornelio Sceppero, qui Cæsari ab Epistolis secretioribus erat, refertur in Historia Trident. Concilii Petri Suavis Pol. pag. 62. & apud Chytræum in Histor. Augustan. Confess. pag. 78. ipsum dixisse, *quod non candidiores religio nostra ferret calculos, auri tantum inopiæ deputandum, ac nos si bene nummati essemus, facile religionem, quam vellemus, ab Italis licitaturos: ut autem religio non collustrata auri splendore orbi lucem affulgeat, frustra expectari.*

Lutherus in der Warnung an seine liebe Teutschen tom. 5. Jen. Germ. fol. 280. 28. Keys. May. (Carolus V.) soll gesagt haben / es müsse ja nicht so gar eine böse Lehre seyn / weil so viel grosser / hoher / gelehrter und redlicher solche annehmen / welches sich auch also erfunden hat zu Augspurg / da unser Bekäntniß für Keys. May. ist gelesen worden / haben das Widertheil selbst erfunden / daß diese Lehre nicht so böse sey / als sie durch ihre giftige Prediger und Ohrenbläser und häßige Fürsten ist fürgebildet / ja sie hätten sich gar nicht versehen / daß so eine gute Lehre seyn sollte / haben ihrer viel selbst bekennet / es sey die lautere H. Schrifft / man könne sie mit der Schrifft nicht widerlegen / daß sie gar viel anders zuvor bericht gewesen.

Tom. eod. Jen. Germ. f. 98. Als den 6. Augusti die Unterhandlung für die Hand genommen werden solte / ist der Bischoff zu Augspurg (Christophorus Stadius oder von Stein) Vir prudens & constans, aufgestanden / ihme Ursach zu reden genommen / und die Fürsten und Bischoff vermahnet / sie solten ja darauff sehen / und wider Recht nichts handeln / denn es ja war / daß die Lutherischen wider keinen Artickel des Glaubens halten / und ob wol der Ertzbischoff zu Saltzburg un Churfürst zu Brandenburg solches hefftig widersprochen / so ist doch der Bischoff zu Augspurg darauff bestanden / es sey dennoch war / und hat der Streit so lang gewäret / biß Chur Meintz gebeten auffzuhören.

Albertus Archiepiscopus Moguntinus cum anno 1530. in Comitiis Augustanis Codicem Biblicum, quem in manus

mensa collocatum reperiebat, obiter aperuisset, foliaque ejus aliquot perlustrasset, hæc tandem dixisse fertur: *Equidem nescio quid hoc libri sit. Illud video, omnia, quæ eo continentur, nobis adversa esse.* Refert Sixtin. Amama lib. 1. Antibarbari p. 78.

Lucius Paulus Rosellius per literas Cal. Aug. An 1530. Venetiis datas, Philippum Melanchthonem monuit, ut *cùm istorum* (Monachorum seu Theologorum Pontificiorum) *insulsam diligentiam, eorumq; improbam animi malitiam noverit, ardentiùs velit eorum iniquitatibus resistere, & Serenissimo Imperatori cæterisque præsentibus Christianis Principibus eorum improba studia detegere. Illos enim nihil virtute duce, sed fraude ac dolis consequi studere.* Cœlest. in Hist. Aug. Conf.

Joh. Gastius in Memorabil. lib. 1. An. 1539. *In oppidulo quodam, quod strenuè & incessanter hactenus Evangelium Christi persecutum est, & adhuc odio prosequitur, quidam Franciscani Ordinis Monachus concionatus est. Senex erat homo, multa passus propter veritatem à Monachis. Inter alia cum vellet concionem finire, alta voce dixit, Evangelium tam clarè & solidè prædicatur nostro seculo, atque temporibus Apostolorum. Veritas ipsa igitur consideranda & amplectanda, non secundum affectus judicanda, qui magis obscurant lucem verbi Dei quàm aperiant. Cogor,* inquit, *hoc dicere, somnia Monachorum obscurarunt verbum Dei. Cùm autem hæc dixisset,* (plura absque dubio adjicere voluit) *in terram desedit leni motu & absque strepitu. Quidam accurrerunt hominemque lavarunt, & quid ei obvenerit, perquirunt; qui dixit: Audite adhuc pauca: Si Evangelii veritatem ita pergitis damnare & persequi pios, judicium Domini non effugietis. Agite pœnitentiam, securis est ad radicem posita, tolerabilius erit Sodomæ & Gomorræ quàm vobis, qui ex destinata malitia peccatis. Hoc sermone finito, qui brevis fuit propter morbi vehementiam, sed omnino dulcis, ut multi lachrymas continere non potuerint, tradidit Spiritum Domino in ipso templi suggestu.*

Epistola cujusdam Canonici Spirensis, Pontificii, ad Decanum quendam itidem Pontificium Ann. 1540. perscripta, (apud D. Hortlederum tom. 1. lib. 1 de bell. Germ. cap. 34.) n. 28. Wenn wir die Glaubensartickel besehen / so ist kein Symbolum von den alten Synodis gemacht / daß nicht mit uns zugleich die Lutheraner bekennen solten. Was sie aber lehren von der Gnade GOttes / vom Glauben und vom Verdienst / laset ihr dasselbe nicht auch außdrucklich in den Actis Concilii Africani, auff welchen auch der Augustinus gewesen? Denn ihr singet ja an zuschreyen / Es wäre ein recht Lutherisch Concilium gewesen. Was aber von den heiligen Sacramenten und Ceremonien Reichung und Nutzung in Concilien gesagt ist / habt ihr erkant / daß es so gut auff der Lutherischen Seiten und wider uns / daß ihr euch über der Theologen Kühnheit und Unverschamheit nicht gnugsam verwundern köntet / welche schreyen / die Lutheraner huben die Gebrauch und Ceremonien auff / welche von den H. Conciliis bestetiget und von den Vätern und Kirchen von vielen Jahren her gehalten worden etc. Ingleichen was tadeln heut zu Tag in unser Meß und Reichung des heiligen Nachtmals die Lutheraner / welches nicht auch in dem Kirchenrecht und heiligen Väter Schrifften und Gewohnheiten als unrecht verworffen wird? etc. Ingleichen daß beyde Stück des Sacraments so wol des Bluts Christi als des Leibes von dem gemeinen Volck / so wol als der Priesterschafft soll genommen werden. Ferner daß man auch die H. Schrifft / die Gesäng und die Gebet dem Volck in solcher Sprach und auff solche Weise fürtragen sol / daß sie darauß an Gottesfurcht zunehmen / und Amen darzu sprechen mögen.

Ferdinandus Imp. ad Matthesium Pragam evocatum dixit; *Redi domum & tuos doce, ut hactenus fecisti, secundum Augustanam Confessionem.* Et paulò ante obitum Ann. 1564. dixit; *Si Romana Ecclesia mihi deserenda esset, conferrem me ad Lutheranos, quos video retinere verbum Dei, & rectè sentire de Sacramentis, & non habere dubias opiniones, quales habent sectæ Anabaptisticæ & Calvinisticæ, sed vallatos esse testimoniis Scripturæ, quæ unica est ratio & via victoriam coram Deo & hominibus obtinendi.* Hanc vocem ex ore Ferdinandi audivit & cum aliis piis & sapientibus sermonibus annotavit D. Nævius Medicus.

Doct. Paulus Riccnerus, Ferdinandi Regis Romani Medicus, honorificè de Lutheranis eorumque Confessione locutus est, *sibique admodum displicere pertinaciam adversariorum dixit.*

Maximilianus II. Imperat. ad Augustum Saxoniæ Electorem dixit: *Frater, tuæ ego sum fidei & doctrinæ, sed age quæso viam ostende extricandi me ex labyrinthis, quibus involutus hæreo.* Cùm Selneccerus jussu Electoris offerret ei Psalterium suum, audiit illum clementissimè, & præsente Zasio Vice-Cancellario inter cætera dixit: *Quòd moneor de Constantini, Theodosii & Marciani exemplis imitandis, agnosco pietatem. Sed quis ego sum, aut quid & quantum possum? Orate pro me misero, qui in doctrina vestra, quæ Augustanâ Confessione comprehenditur, vivam & moriar.*

Huc referri potest, quòd Adversarii lectione Scripturarum Laicis interdicunt, & in certamen de controversiis fidei ex sola Scriptura decidendis nobiscum descendere subterfugiunt: Utrumque enim arguit, quod in conscientia convicti sint, nostram doctrinam Scripturæ sacræ esse conformem.

Episcopi jussu Pontificis Bononiæ congregati in suo Consilio, quod de stabilienda Romanæ Ecclesiæ dignitate Paulo III. An. 1549. dederunt, quod à Petro Paulo Vergerio postea editum fuit, inter cætera sic loquuntur. *Denique quod inter omnia Consilia, quæ nos dare hoc tempore possumus, omnium gravissimum ad extremum reservavimus, oculi hic aperiendi sunt, omnibus viribus annitendum erit, ut quàm minimùm Evangelii poterit* (*præsertim vulgari linguâ*) *in iis legatur Civitatibus, quæ sub tua ditione ac potestate sunt, sufficiatq; tantillum illud, quod in Missa legi solet, nec eo amplius cuiquam mortalium legere liceat. Quamdiu enim pauculo illo homines contenti fuerunt, tamdiu res tuæ ex sententia successere, eædemque in contrarium labi cæperunt, ex quo ulterius legi vulgo usurpatum est. Hic ille, in summa, est liber, qui præter cæteros hasce nobis tempestates ac turbines concitavit, quibus prope abrepti sumus. Et sane si quis illum diligenter expendat, deinde, quæ in nostris fieri Ecclesiis consueverunt, singula ordine contempletur, videbit plurimùm inter se dissidere, & hanc doctrinam nostram ab illa prorsus diversam esse, ac sæpè contrariam etiam, quòd simul atque homines intelligunt, à docto si aliquo adversariorum nostrorum stimulati, non antè clamandi finem faciunt, quàm rem planè omnem divulgarint, nosq; invisos omnibus reddiderint. Quare occultandæ paucula illa chartæ erunt, sed adhibitâ quadam cautione ac diligentia, ne ea res majores turbas ac tumultus concitet.*

Albertus Pighius lib. 1. Eccles. Hierarch. cap. 4. *Si hujus doctrinæ* (quòd cum hæreticis non sit disputandum ex Scripturis) *memores fuissemus, meliore sane loco essent res nostræ. Sed dum ostentandi ingenii & eruditionis gratiâ cum Luthero in certamen descenditur Scripturarum, excitatum est hoc, quod proh dolor! videmus, incendium.*

Antonius Legatus Pyranensis dixit, *Hominibus non concedendum esse, ut Epistolas Pauli legant. Multos enim scio,* (ajebat) *qui ex solis Paulinis Epistolis Lutherani effecti sunt, velut nuper Herbipolensi Ecclesiastæ Johanni Sylrano Athesino contigit, ut ipse in sua Confessione typis excusa confitetur, se in Paulo reperisse, doctrinam & religionem Papisticam, quam ipse diu exercuerat, falsam & Antichristianam esse.*

Episcopus quidam dixit: *Scitisne quid ego cum Epistolis Pauli agerem, si eas solus haberem? sub rosa dictum sit, in ignem eas conjicerem, Ehem tunc dirutum omne Lutheranorum armamentarium foret.* Wolff. Cent. 16. p. 623.

Hasenmullerus in Hist. Ord. Jesuit. cap. 9. refert, *Jesuitam Petrum aliquando dixisse, Bibliorum lectio citiùs hæreticum Lutheranum, quam Catholicum Romanum facit.*

2. Quòd fatentur, nostram doctrinam promovere Dei gloriam.

Ferdinandus I. Imp. Aug. dicere fuit solitus, *duo sibi in Lutheranis placere, primò, quod in omnibus suis actionibus dent gloriam Deo; secundò quod in Ecclesiis suis de Magistratu honorificè sentiant & prædicent.*

Johannes Staupitius ad Lutherum dixit: *Euge, mi Martine, hoc mihi plurimùm arridet, quod non in hominum gratiam, sed ad honorem Dei, cui nimium dari non potest, omnia tua studia dirigis.* Item, *quòd doctrina, quam prædicas, gloriam & omnia soli Deo tribuit, hominibus autem nihil, jam verò Deo non potest nimium gloriæ ac bonitatis tribui.* Luth. tom. 4. Jenens. Lat. in cap. 1. Galat. f. 23. (Hoc Staupitii judicium non ex affectu, sed ex veritatis fonte profluxisse, res ipsa manifestum facit. In articulo de *Scriptura* sacra damus Dei gloriam *bonitatis*, quòd in Scripturis revelaverit nobis omne consilium suum de salute nostra, & gloriam *sapientiæ*, quòd ipse, ut mentis ac linguæ artifex, clarè & perspicuè locutus sit, unde etiam sacras literas velut omnipotentis DEI ac

Regis omnium Regum decreta veneramur, & majestatem earum prædicamus. In articulo *de Deo* docemus, gloriam religiosæ invocationis soli Deo tribuendum. In articulo *de Christo* agnoscimus Christum esse unicum Mediatorem, Redemtorem ac Salvatorem nostrum, à quo etiam firma cordis fiducia unice pendemus, ac ex solo ipsius merito remissionem peccatorum & vitam æternam unice speramus. In articulo *de Prædestinatione* beneficam Dei erga omnes homines voluntatē prædicam9, quod scilicet seriò velit omnes homines salvos fieri & hoc nomine Filium suum toti mundo miserit, ejusque beneficia in verbo Evangelii omnibus offerat. In articulo *de Imagine Dei* bonitatem & sapientiam Dei prædicamus, quod primum hominem condiderit justum, sanctum, innocentem & rectum, absq; ulla pravæ concupiscentiæ labe. In articulo *de Peccato Originis* docem9 omnes homines, solo Christo excepto, post protoplastorum lapsum nasci originali peccato obnoxios, ac hunc Christi honorem non esse cum ullo alio homine ipsi communem. In articulo *de libero Arbitrio* conversionem hominis soli gratiæ divinæ adscribimus, quæ doctrina Dei bonitatem amplificat. In articulo *de Lege* docemus, perfectam & omnibus numeris absolutam legis impletionem in hac Naturæ infirmitate, ne quidem à renatis perfectè præstari posse, quæ doctrina gloriationem humanam de justitiæ propriæ perfectione plane deprimit. In articulo *de Evangelio*, Christum non novum legislatorem esse, sed legem pro nobis implevisse, & Evangelium ex sinu patris protulisse docemus, ac discrimen legis & Evangelii diligenter explicantes, honorem Christo debitum vendicamus. In articulo *de Pœnitentia*, remissionem peccatorum non meritis nostræ contritionis, confessionis, & satisfactionis, sed gratis propter solius Christi meritum credentibus obtingere docemus, Christi gloriam hac ratione extollentes, hominum vero gloriationem deprimentes. In articulo *de Justificatione & bonis Operibus* docemus, gratis nos justificari fide in Christum, sine operibus legis; bona opera esse fructus fidei & Spiritus multis nominibus debitos; meritum autem aliquod proprie dictum illis tribuendum esse negamus; bona opera cum vera fide semper conjuncta esse docemus, sed operibus æquè ac fidei justificationem tribuendam esse negamus, quâ ratione iterum Christi Salvatoris nostri gloria extollitur, hominum v. gloriatio excluditur. In articulo *de Sacra Cœna*, institutionem Christi unici Magistri nostri fideliter ab omnib. observandam esse, ac corpus Christi mediante benedicto pane manducari, sanguinē Christi mediante benedicto vino bibi docem9. Cùm cōtrà Pontificiis corruptelis gloria Dei & Christi labefactetur, ut suo loco pluribus fuit demonstratum. Salmeron tom. 3, tract. 43. p. 393. concedit hanc propositionem; *Illa doctrina est cum veneratione suscipienda, qua magis illustrat Christi gloriam, fallere non posse, sed esse omni acceptione dignam*; Negat autem, hoc γνώρισμα nostræ doctrinæ competere. Sed suo loco, videl. in Disput. de Gloria Dei, multis idipsum fuit demonstratum.

3. Quod agnoscunt doctrinam nostram in agone mortis præbere solidam consolationem. Episcopus Wintoniensis morti jam vicinus de Justificatione per solum Christi sanguinem obtinenda ab alio Episcopo admonit us, *periculosum esse* respondit, *populo hanc rimam aperire, sibi tamen suiq; similibus in simili casu constitutis hanc doctrinam tutò manifestari ac detegi posse.* Foxus in Martyr. p. 1788.

Carolus V. Imper. doctrinam de gratuita justificatione per fidem amplexus piè placideque ex hac vita decessit, referente Gerhardo Busdrago Episcopo Argolicensi in Epistola ad Cardinalem quendam Anno 1558. exarata, unde Secretarius Pauli IV. Pontificis act. 2. an decreta Concilii Tridentini armis imperanda? f. 108. edit: Pfortzheim. scribit. *Metuo, ne sit oleum additum camino, cum ad Sanctitatem vestram Toletanus Episcopus scripserit, ipsum Carolum morientem dixisse, sibi videri veram esse Lutheranorum de Justificatione sententiam. Fama idem statim per universam Europam tulit, & simul quod Sanctitas vestra dixerit, se nolle ipsi propterea, quod cum Lutheranis in præcipuo religionis capite sensisset, ullas exequias celebrare.*

De eodem Imper. laudatissimo referunt Bucholzerus in Chronol. p. 648. ac Jacobus Augustus Thuanus lib. 11. Histor. Ann. 58. p. 428. quod circa vitæ finem D. Bernhardi lectione delectatus, & toto pectore in DEUM revolutus sic fuerit ratiocinatus: *se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum cœlorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & patris hæreditate & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, &c. propriis meritis fidere non esse fidei sed perfidiæ &c.* Imaginem Christi crucifixi identidem in oculis, ulnis, ore & tota mente complexum, in eo solo seomnem spem salutis collocare declarasse, sumtoque viatico dixisse: *In me mane dulcissime Salvator, ut ego in te maneam.*

Maximil. II. Imperator gloriosissimus, cum in agone mortis constitutus esset, atque ad ipsum Episcopus Neapolitanus D. Lambertus Gruterus 12. Octobris Ann. 1576. accessisset, noluit eum ad se intromitti, nisi prius polliceretur, *se de nulla alia re verba facturum quam de Christi merito & sanguineo sudore.* Præstitit illud Episcopus, & de Christi meritis elegantem & plenam consolatione habuit orationem. Cumque Maximilianus interrogaretur, *an in hac fide & consolatione vellet ex hac vita decedere?* respondit: *non aliter faciam.*

Plura hujusmodi exempla inferius in articulo de Justificatione adducentur. (Quod autem doctrina nostra solidam in omnibus tentationibus, cumprimis vero in agone mortis consolationem præbeat, ostendit res ipsa. Docemus enim, Christum perfectam legi obedientiam pro nobis præstitisse, ac perfectam pro omnibus nostris peccatis & peccatorum pœnis satisfactionem obtulisse, remissionem peccatorum propter solum Christum Mediatorem gratis nobis obtingere, justitiam Christi fide nobis imputari, nec electionem nec justificationem pendere ex operum nostrorum meritis, sed ex perseverante in Christum fide, de gratia Dei in Christo non esse dubitandum, promissiones Evangelii esse merè gratuitas, nec habere conditionē additam legis perfectè implendæ &c. Contrà vero Pontificii nostra merita Christi merito, nostras satisfactiones Christi satisfactioni conjungentes, fidei & operibus simul justificationem tribuentes, de gratia DEI perpetuo dubitandum esse docentes, veram & solidam consolationem labefactant, ut suo loco pluribus fuit demonstratum.)

4. Quod agnoscunt præcipua fidei Christianæ capita purè & integrè in Ecclesiis nostris doceri, abusus duntaxat quosdam, errores & corruptelas veritati doctrinæ cœlestis superadditas improbari, nosque proinde in Catholicæ Ecclesiæ gremio contineri.

D. Johannes Eccius in Comitiis Augustanis Ann. 1530. ad Electorem Moguntinum sic scripsit: *Articuli difficulter concordabiles; de cultu Sanctorum, de Communione sub utraq; specie, de conjugio Sacerdotum, de votis Monasticis, de sacrificio Missæ, de constitutionibus humanis. In his sex punctis arbitror omnem latere difficultatem, quæ in aliis articulis si simul essent duo Principes & duo docti, ex utraq; parte, facilè componi & tolli poterit.* Cœlestin. tom. 3. p. 37.

Similia occurrunt apud Dresserum mill. 6. part. 2. p. 455. *Moguntinus*, inquit, *Autor fuit Eccio, ut de singulis articulis Confessionis suam sententiam explicaret. Is ergo, cum ordine singulos examinasset, sex ex iis notavit, quos non ferri posse judicavit &c. de ceteris vero conveniri posse, si utrinque Principes duo & Theologi totidem colloquerentur arbitratus est.*

Ferdinandus I. Imp. gloriosissimus in literis ad Georgium Wicelium, Majest. suæ Consiliarium, die 28. Maji Ann. 1564. datis, sic loquitur: *Recordamur super articulis Augustanæ Confessionis, quæ nonnullis S. R. Imperii Electoribus, Principibus & Statibus Divo fratri nostro præclarissimæ memoriæ Imperatori Carolo V. Anno 1530. exhibita fuit, unà cum Apologia ejusdem Confessionis, concordiæ & unitatis sarciendæ gratiâ antehac in S. Romano Imperio diversis locis & temporibus sæpius Conventus, Colloquia & Tractatus institutos fuisse, & utcunq; tales Conventus & Tractatus non omnino sint sortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes seu disputantes de nonnullis articulis non penitus quadantenus convenisse, reliquorum vero qui adhuc sunt in controversia, non usq; adeo magnum esse numerum, nobisque à multis piis, doctis, Catholicis & modestis viris non exiguam spem factam fuisse, recuperandæ unitatis & concordiæ in Ecclesia, nec non conciliandorum animorum, qui nunc perniciosissima diffidentia & simultate ob religionis differentiam distracti sunt, si manifesti abusus, qui hisce novissimis & calamitosissimis temporibus in Ecclesiam Catholicam irrepserunt, expurgarentur & è medio tollerentur, & quædam quæ magis sunt positivi juris quàm divinæ constitutionis*

decem-

derentur ac permitterentur, ac propterea quadam disputationes nimis
subtiles & abstrusa, quarum cognitio cum excedat captum rudis po-
puli, non videtur usque adeo illi ad salutem esse necessaria, ad alia feli-
ciora tempora rejicerentur, modo in cateris qua ad fidem & mores
ac intellectum & usum Sacramentorum & Ceremoniarum perti-
nent, probe institueretur &c. (Apud Goldastum in Collect.
Constit. Imperial. p. 580.

Georgius ille Wicelius mandato Imperiali morem gerens,
scripsit librum cui titulum præfixit talem : *Via regia, sive Com-*
pendium de semitis antiquis apud Jeremiam Prophetam, Ecclesia re-
formanda aut restituenda potius, & concordia tandem sancienda, pro-
que salute Christi Evangelio rectè credentium populorum necessariò ac
summâ fide pramonstratum. In eo plerosque Augustanæ Con-
fessionis articulos approbat, & multa dogmata in Ecclesiam
Romanam recepta improbat. Inter cætera sic loquitur :
Conjungimus nostrum consensum cum libro proposito (Augustan.
Confess.) *de commendatione vere bonorum in fide operum adversus*
ista quadam, qua nec bona opera dici merentur, nec mala nec media,
& utinam fuissent mundo semper incognita. Deploramus ergo nos
quoque hanc Ecclesia calamitatem, quod regnarint in ea varii cultus,
quos Graci λατρείας appellant, & quod in humanis Ceremoniis fidu-
ciam spemque salutis unicam collocantes, in errorem seducta simplici-
um corda, cum fiducia spesque salutis aterna unica poni solum debuit
in Christo Jesu Servatore nostro unico ; tantum abest, ut eam poni
conveniat in meritis bonorum etiam operum, qua pracepit DEUS,
ut faceremus &c.

Et postea : *Audivimus satis patienter ac benevole, qua sermonis*
consuetudine, & qua diligentia inculcent atque subinde idem repetant
receptam suam istam Pithanologiam, qua tamen à doctrina Ecclesia
recta non ita multum dissidet, si res ipsa penitus discutiatur.

Georgius Cassander, qui pari ratione ad mandatum Imp.
Ferdinandi consultationem de Augustana Confessione scri-
psit, in Consultationis illius art. 7. sic loquitur : *Etiamsi Prote-*
stantes seclusi ab Ecclesia viderentur, & in aliquo per tempus errore ver-
sarentur, non putarem tamen ab interna illa, quam animo & volun-
tate colerent, alienos habendos esse. Non negarim, multos initio pio
studio ad acriorem reprehensionem quorundam abusuum impulsos fu-
isse, & pracipuam causam hujus calamitatis & distractionis Ecclesia
illis assignandam, qui inani quodam fastu Ecclesiastica potestatis in-
flati rectè & modeste admonentes superbe & superciliose contemse-
runt & repulerunt. Quare nullam Ecclesia firmam pacem speran-
dam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt,
h. e. ut ii, qui Ecclesiastica gubernationi prasunt, de nimio illo rigore
aliquid remittant, & Ecclesia paci aliquid concedant, & multorum pi-
orum votis ac monitis obsequentes manifestos abusus ad regulam di-
vinarum literarum & veteris Ecclesia, à qua deflexerunt, corrigant,
(Ergo nos non facimus schisma, sed patimur.)

Idem in libro de officio pii viri docet, *Lutheranos esse vera*
Ecclesia membra, licet in particularibus quibusdam dogmatibus à Ro-
mana Ecclesia dissentiant : (quo nomine ipsum perstringit Bel-
larm. lib. 3. de Laicis cap. 19.) *Cassander* (inquit) *& alii pacifi-*
catores reconciliationem inter nos & Protestantes moliebantur, quos
dixerunt esse vera membra Ecclesia, licet in aliquibus dogmatibus dis-
sentiant. Verba Cassandri sic habent d. lib. p. 20. *Interim ta-*
men eos damnare non possum, qui in fundamentis Apostolica doctri-
na persistentes studio sincera religionis, cum aliqua correctionis indi-
gere ab eruditis & piis viris admoniti intelligant, in aliqua Ecclesia
parte, praeunte summa autoritate, accedente communi illius Ecclesia
consensu, in doctrina genere aliqua repurgarunt, & Cere-
monias aliquot etiam vetustiores, cum id populi magna u-
tilitas & prope necessitas exigat, auferendas, aliasque pieta-
ti & disciplina convenientiores sufficiendas esse putant; modo id quam
minimo scandalo & perturbatione fiat, & communio Spiritus &
vinculum pacis cum reliquo Ecclesia corpore conservetur. Quis e-
nim membro vitio vertat, si reliquo corpore laborante, & sui curam
negligente ipsum sui curam suscipiat? non ut reliquo corpori insul-
tet, sed curandi exemplum prabeat & ad imitationem invitet? Eos
igitur, qui in his cœtibus ita versantur, ut nihil aliud quam CHRI-
STI gloriam & Ecclesia ejus instaurationem quarant, totoque animo
ad Ecclesia pacem & unitatem incumbant & cum reliquo Ecclesia
corpore, etiamsi quadam rituum & opinionum diversitate discrepent,
caritatis tamen vinculo colligentur, à CHRISTO capite & corpo-
re ejus, quod est Ecclesia, separare, & removere non possum, quamvis à
nonnullis omnem Ecclesia instaurationem & reformationem vel in-
considerato zelo, vel privato animi morbo aspernantibus, ut haretici,
schismatici & Ecclesia hostes traducantur & condemnentur.

Episcopi Bononiæ congregati in Consilio, quod Paulo III. Pontifici Ann. 1549. dederunt: *Lutherani Symboli Apostolici articulos omnes recipiunt ac confitentur &c. negant velle se ullam aliam doctrinam admittere, quam unicam illam, qua Christum & Apostolos autores habet.*

Anno 1561. Catharina Galliæ Regina ad Pium IV. Pontificem Romanum inter cætera scripsit: *Cum inter eos* (Protestantes) *nemo reperiatur, qui ullum Symboli Apostolici articulum abneget, aut VI. Oecumenica Concilia, plerisque consultum videri, ut licet* diversa in aliis sentientes *ad communionem Ecclesia admittantur.*

Michael ab Isselt in Histor. sui temporis, Ann. 1566. p. 29. (edit. Colon. apud Quentelium Anno 1602.) *Lutheranam religionem viri honorati pra cateris laudabant, quod ea Principibus Imperii probabatur, quod minus, quam Calviniana, esset seditiosa, quod multa retineret, qua Catholica Ecclesia comprobasset.*

Anno 1597. editus est Constantiæ libellus Pontificius Anno 31. ante quoque excusus, super quem Johannes Hoffmeisterus Catholicus Censuram quandam scripsit, in qua asserit, *Confessionem seu religionem Lutheranam non esse ex omni parte damnandam, sed quodammodo posse probari & acceptari.*

Eodem Anno 1597. editus est alius libellus à Casparo Northausen insigni Pontificiæ religionis defensore Coloniæ Agrippinæ, sub titulo, *de Lutheranorum cum Papistis Concordia*, in quo dicitur, *Lutheranos à Pontificiis dissidere in 21. articulis, & illorum quidem tredecim esse Evangelicos & Apostolicos, cum reliquis vero ita comparatum esse, ut facile uniri possint, atque continere defectus, quibus tamen certis mediis occurri possit, ut ad constantem Concordiam descendatur.* Inter cætera Autor illius libri sic loquitur: Wenn man die Lutherische Lehre nach ihrem Mittel betrachtet/ das ist/ wie sie in der Augspurgischen Confession verfasset/ welche Anno 1530. zu Augspurg auff dem Reichstag Keyserl. Maj. übergeben/ so ist auch so grosser Unterscheid zwischen Catholischen und Lutherischen nicht / wie etliche vermeynen. (Optimum vero conciliationis modum ostendit D. Philippus Heilbrunnerus in libello, cui titulum fecit: De Augustana Confessione & contrario judicio, censuraque Papistarum de eadem.

Huc pertinet, quod non rebaptizant infantes in nostris Ecclesiis baptizatos: (quod enim Dux Albanus in Belgio hac in parte contrarium fecit, non probatur à reliquis, nec in imitationem trahitur.) Ergo coguntur agnoscere infantes nostros ad minimum esse vera veræ Ecclesiæ membra, ac salvari.

3. Quòd agnoscant propriam hæreseos definitionem nobis non competere.

Episcopus quidam Germanus, splendore generis & autoritate conspicuus, in comitiis Augustanis Ann. 30. celebratis in publico Imperii consessu dixit: *Lutheranos non posse pro hareticis haberi, cum nullum Christiana fidei articulum negent.* (Osiand. cont. Feucht. concion. 7. p. 214.)

c. Hæreticus 24. q. 3. definitur hæreticus, qui *temporalis commodi, & maxime vana gloria Principatusque sui tuendi gratia falsas ac novas opiniones gignit & sequitur.* Hanc definitionem non nobis, sed Pontificiis potius convenire, latè ostendit Vergerius in Scholis super literas Papæ ad Senatores Laicos regni Poloniæ.

c. Quid autem. cauf. & quæst. iisdem hæretici dicuntur, qui *non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, non ad Evangelicas autoritates, sed ad seipsos recurrunt.* (At nos in omnibus unice ad Scripturas provocamus, cùm contrà Pontificii ad traditiones, cumprimis ad judicium Pontificis nos remittant, ac Petrus à Soto in Assert. fid. Cathol. p. 84. scribat, *non esse Spiritus Evangelici soli Scriptura intentum esse.*)

6. Denique huc referri potest, quod B. Lutherus Pontificiis passim opponit propriam Confessionem verbis claris & perspicuis propositam. Probat enim ipsos fateri,

1 Quod totus Papatus sit multis vitiis contaminatus.

Tom. 5. Jen. fol. 93. b. Ihr wisset (wenn schon kein Evangelium were / daß euer Wesen und Stand auch wider euer eigen Recht aus der masse und zu viel gefallen und verderbt lieget / daß sichs nicht leiden wird mit dem Kopff hindurch wollen. So wisset ihr auch wol / was Pabst Adrianus durch seine Legaten zu Nürnberg selbst bekant / daß der Römische Stuel viel Jammers Ursach wäre / und erbot sich zur Besserung.

Tom. 8. fol. 214. a. Ich selbst zu Rom hörete auff den Gassen frey reden/ ist eine Hölle/ so stehet Rom darauff/ das ist/ nach den Teuffeln selbst ist kein ärger Volck den der Papst mit den seinẽ.

2. Quod doctrina Lutheri sit vera.

Tom. 1. Jen. fol. 131. fac. a. Der Papst sol sieben der gelehrtesten zu Rom über des D. Martins Positiones gesetzt haben/ welche nach fleissiger Besichtigung sollen gesagt haben: Es ist wahr/ was D. Martinus schreibet/ aber es ist ärgerlich.

3. Quod eadem Romę sit defensa.

Tom. 1. Jen fol. 113. fac. a. Ein Prediger-Mönch hat zu Rom Positiones D. Martini Meynung entgegen disputiret/ da ist ein Hispanus kommen und hat den Prediger-Mönch also beschlossen/ daß er keinen Pfeil mehr hat können auffbringen.

4. Quod ex Scripturis Confessio Augustæ à nostris exhibita non possit refutari.

Tom. Jenens. fol. 98. fac a. sexta Augusti ist die Unterhandlung fürgenommen/ ist der Bischoff von Augspurg/ vir prudens & constans, als Diœcesanus des Orts/ auffgestanden/ ihme Ursach zu reden genommen/ und die Fürsten und Bischöffe vermahnet/ daß sie darauff sehen solten und wider Recht nichts handeln. Denn es ja wahr/ daß die Lutherischen wider keinen Artickel des Glaubens halten/ darumb soll man auff Mittel und Wege trachten zum Frieden der Kirchen.

Ibid. fol. 35. fac. b. fol. 202. fac. b. Man sagt nochmals/ auch etliche Beyern selbst/ daß Hertzog Wilhelm von Beyern zu Doctor Ecken gesagt habe/ man hat mir viel anders von des Luthers Lehr gesagt denn ich in ihrem Bekentniß gehört habe. Ihr habt mich auch wol vertröstet/ daß ihre Lehre zuverlegen sey/ da habe D. Eck gesprochen/ mit den Vätern getrauet ichs zuverlegen/ aber nicht mit der Schrifft.

Tom. 6. Jen. fol. 13. fac. b. Ich halt/ daß wol für euch kom̃en ist/ wie jetzt auff dem Reichstage zu Augspurg unser Widertheil selbst bekant hat/ daß unsere überantwortete Schrifft und Lehre nicht sey wider die Artickel des Glaubens/ und hat viele gar fast verwundert/ daß so eine reine Lehr/ als die bißhero durch ihre gifftige Ohrenbläser so überteubet gewesen sind/ daß sie gedacht/ es were nie keine schädlichere Lehre auff Erden kommen/ und würde nimmermehr so freudig seyn/ daß sie für dem Keyser und Reich sich dürffte darstellen und lassen ansehen/ ja sie haben auch bekennet/ daß ihr Ding/ nemlich die Papisterey/ sey nicht in der H. Schrifft gegründet/ also/ daß auch ein grosser Herr gesagt/ von ihren eigen Doctoren/ warlich unsere Doctores vertheidigen uns fein/ etc. Cöser tom. 7. fol. 408. fac. a. tom. 8. fol 243. f. a.

5. Quod doctrina de utraque specie perspicuè tradita sit in Scripturis.

Tom. 6. Jenens. fol 14. fac. b. Ich höre Wunder sagen/ wie schimpflich die Verhörer auff dem Rathhause zu Leipzig sind angelauffen mit ihrem examiniren/ denn das Vortheil haben wir/ daß sie selber bekennen/ wie unser Artickel von beyder Gestalt stehe klar und hell im Evangelio und in S. Paulus/ da können sie nit fürüber/ da müssen sie schamroth für werden/ etc. Urget etiam,

6. Quod politici fuerint, se nolle Lutherum & asseclas ejus pro hæreticis habere.

Tom. 1. Jen. fol. 111. fac. b. Der Legat (Cajetanus) hat sich freundlich erboten/ und unter andern gesagt/ Er halte D. Martin nicht für einen Ketzer.

Tom. 5. Jenens. fol. 275. fac. a. Es wissen und bekennen die Papisten selbst/ und dancke ihnen der Teuffel/ daß sie anders sagen solten/ daß unsere Lehre wider keinen Artickel des Glaubens/ noch wider die H. Schrifft sey/ sondern wider ihren Kirchengebrauch und der Päpste Gesätz/ darumb sie uns auch nicht mögen Ketzer schelten/ oder müssen Lügen straffen ihr eigen Hertz und Maul/ weil keiner kan ein Ketzer gescholten werden/ der nicht wider die H. Schrifft/ oder Artickel des Glaubens lehret.

Hujus loci insuper est, quod Lutherus Confessionem Pontificiorum de reformationis negotio facto ipso expressam, publice annotarit, utpote,

1. Quod Pontificii noluerint permittere, ut Augustana Confessio publice prælegeretur.

Tom. 5. Jen, fol. 280. fac b. Zu Augspurg/ da unser Bekentniß für Keys. Maj. ist gelesen wordẽ/ haben dz Widertheil selbst erfunden/ dz diese Lehr nicht so böse sey/ als sie durch ihre gifftige Prediger und Ohrenbläser und hefftige Fürsten ist fürgebildet/ ja sie hatten sichs gar nicht versehen/ daß so eine gute Lehr seyn solte/ haben ihr viel selbst bekennet/ es sey die lautere heilige Schrifft/ man könne sie mit der Schrifft nicht widerlegen/ des sie gar viel anders zuvor waren bericht gewesen. Das war auch die Ursach warumb man schwerlich zuliesse/ daß sie gelesen ward/ denn die Neidfürsten und gifftige Lügner sorgeten wol/ wo sie gelesen würde/ daß ihre gifftige Lügen müsten zu Schanden werden/ hetten gern gesehen/ daß Keysers. Majest. stracks ungelesen und ungehöret alles verdampt hette. Aber da seine Keyserl. Majestät nicht kondte erhalten/ daß man sie öffentlich für jederman lesen liesse/ thuet sie dennoch so viel/ daß man sie für den Reichsständen hören und lesen muste/ wie hoch auch solches andern Fürsten und Bischoffen/ und Sophisten wider war/ und sie bitterlich verdroß.

2. Quod Confutationem Confessioni Augustanæ oppositam noluerint nostris communicare, robori ejus diffisi.

Tom. 5. Jen. fol. 98. fac. a. Da die Evangelische Stände ihnen dieselbe (Confutation) Schrifftlich zu übergeben begehret hat man von Keys. Majest. Antwort gegeben/ Daß die Chur- und Fürsten sampt den ihren solten bey ihren Eyden sich gegen Keyserl. Maj. verpflichten/ daß sie ihre Confutation niemand geben noch abschreiben lassen wolten/ auch nicht darauff antworten/ alsdenn wolte man ihnen der gemelten Confutation Abschrifft lassen geben: darauff die unsern fürbracht/ K. Maj. wolle des Ausschreibens gnädiglich gedencken/ wie unziemlich es Keyserl. Maj. nachzusagen seyn würde/ daß man so unfreundlich mit ihnen handelte.

3. Quod posthabito Aristotele majore studio sacras literas evolvant.

Tom. 4. Jen. fol. 381. fac. b. Ich habe die Papisten in die Bücher gejagt/ sonderlich in die Schrifft/ und den Heyden Aristotelem und die Summisten sampt den Sophisten mit ihrem Sententiarum vom Platz getrieben/ denn sie weder auff der Cantzel noch in Schulen so regieren und lehren/ wie sie zuvor gethan haben/ welches ich achte/ das kein Concilium hette vermocht.

4. Quod Indulgentias moderatius dispensarint.

Tom. 4 Jenens. fol. 381. fac b. Ich habe ja das grosse Gepräng und Jahrmarckt des verführischen Ablaß stiller gemacht/ welches kein Concilium hette dürffen anrühren.

5. Quod peregrinationes & alios cultos electionis minoris facere cœperint.

Tom. 4. Jen. fol. 381. fac b. Den Wahlfarten und Feldcreutzeln hab ich fast die Strasse geleget. So hoffe ich auch der Klöster und Stiffter soll hinfort eine Masse werden/ und viel andere Stück mehr/ welche die Papisten müssen fallen und liegen lassen.

6. Quod in religione quædam mutarint.

Tom. 5. Jen. fol. 77. fac. b. Zu Wormbs muste das edle Blut unser lieber Herr Keyser Carol thun/ was ihr woltet/ und mich mit meiner gantzen Lehr verdammen/ welche ihr doch nu bisher in vielen Stücken habt heimlich angenommen und brauchet/ und euer Prediger hetten jetzt nicht zu predigen/ wo des Luthers Bücher nicht wären/ denn ihr Sermonbüchlein/ und was vorzeiten auff der Cantzel das Geschrey war/ lassen sie fein unter der Banck liegen/ und fahen an wieder mit uns vom Glauben und guten Wercken zu predigen/ und dergleichen/ davon man vorhin nichts hörete noch wuste.

7. Quod Pontificis excommunicationem fusque deque habeant.

Tom. 6. Jen. fol. 505. fac. a. Es ist ein seltzam Ding/ daß diejenige/ so sich sehr ernstlich stellen/ als hiengen sie trefflich fest an dem heiligen Bapsthumb/ und wollen das Evangelium fressen sampt allen die dran glauben/ vielweniger von ihrem Endechrist halten/ denn der Luther selbst/ denn es müste gar ein starcker Planet an den Himmel kommen/ der das vermocht/ wo der Bapst solte oder wolte sie verbannen/ daß sie es leiden würden/ ob sie es gleich wider sein heiliges Geistliches Endechristisch Reich tausentmal und überflüssig verdienen/ so gar überauß gut Lutherisch und böse Bäpstisch sind sie/ und wollen doch allzugut Bäpstisch und Lutherisch seyn.

CAPUT IX.

De mediis per quæ Religio nostra propagatur.

PONTIFEX Adrianus in Mandato, quod Francisco Cheregato Fabrianensi Episcopo ad Norinbergensia Comitia in Germaniam misso dederat, (quo illi præscriptum erat

erat, ut Principes Imperii ad Lutheranam pestem exscindendam septem rationibus animaret,) rationem septimam hancce ponit: *Lutherum ad disseminandam suam hæresin iisdem artibus uti, quibus olim usus Mahometes, exsatiandis carnis cupiditatibus frena laxans, licet ad efficacius fallendum majore in speciem moderatione.* Calumniam hanc postea plurimi Scriptores Pontificii, Jesuitæ præsertim, repetiverunt. Sed quâ veritatis specie Luthero tribui potest, quod exsatiandis carnis cupiditatibus frena laxet? 1. Cum Scripturæ judicio omnia sua submittat, quæ certe minime docet carnis cupiditatibus frena laxare. 2. cum bona opera, inter quæ etiam est carnis mortificatio, esse inviduos veræ fidei comites doceat. 3. cum Apostolicum præceptum, *si secundum carnem vixeritis, moriemini; sin autem Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis, &c.* perpetuò inculcet. Ministris Ecclesiæ conjugii potestatem facere, ac superstitiosum ciborum discrimen impugnare, non est carnis cupiditatibus frena laxare, sed libertatem caro pretio à CHRISTO nobis partam postliminii jure reducere, & laqueos conscientiis injectos gladio verbi cœlestis præcidere.

Quemadmodum ergo primum & unicum nostræ religionis principium est VERBUM DEI in Propheticis & Apostolicis scriptis propositum, ex quo solo & unico Confessionem nostram propugnamus, ita quoque ad doctrinæ & Ecclesiæ nostræ propagationem non utimur aliis mediis, quam quibus Christus & Apostoli, uti etiam primitivæ Ecclesiæ Doctores olim usi, videlicet prædicatione verbi sincerâ, & Sacramentorum administratione legitimâ. Nec fraudulentiam, nec violentiam adhibemus, sed sincere coram DEO & hominibus agimus; quinimo tantum abest, ut honores, potestatem, voluptates carnis & alia hujus mundi bona illis, qui doctrinam Evangelii recipiunt, nostræque Ecclesiæ sese aggregant, polliceamur, ut contrà potius crucem & adversitates, tribulationes & persecutiones inviduos Evangelii comites fore præmoneamus. Quotquot igitur nostræ Ecclesiæ sese aggregant, nec blandis promissis illecti, nec minis coacti ad nos accedunt, sed vi & efficaciâ ipsius doctrinæ permoti, & in conscientiis suis de veritate cœlesti convicti Ecclesiæ nostræ sese adjungunt, *magis eligentes cum Mose affligi cum populo DEI, quam delitiis hujus seculi frui, ac majores divitias æstimantes thesauris mundi improperium Christi.* Hebr.11.v.25.26. Idipsum exempla luculente comprobant.

De Petro Paulo Vergerio, Episcopo Justinopolitano Schleidanus libr.21. Comm. Ann.1548. p.650. sic scribit: *Cùm à Colloquio Vormatiensi, quod fuit initio Anni* 1541. *Romam vocatus rediisset, Pontifex creaturus novos Cardinales ipsum quoque designabat inter alios. Erant autem qui clanculum insusurrarent, illum multa jam consuetudine Germanorum esse factum Lutheranum. Hoc ubi Vergerius ex Cardinali Ginucio, cui Pontifex dixerat, audivit, valde fuit attonitus, & ut sese purgaret, in patriam secedit, atque librum orditur, cui titulum dedit, Adversus Apostatas Germaniæ. Dum autem confutandi causa libros Adversariorum diligenter excutit, & antè considerat argumenta, captum se victumque sentit, & abjecta spe Cardinalatus ad fratrem suum germanum Johannem Baptistam, Polæ civitatis Episcopum abit, & re tota commemorata consilium exquirit. Frater initiò territus conditionem hominis deplorat, sed cum illius precibus inductus ad Scripturæ pervestigationem sese applicasset, inprimis autem illud doctrinæ caput, quod est de justificatione, diligenter expendisset, facta sententiarum collatione cedit, & falsam esse Pontificiam doctrinam judicat; Itaque mutuò sibi gratulantes, quod proprium est Episcoporum munus, populum erudire cœperunt per Istriam, & Christi beneficium humano generi collatum diligenter inculcant, & cujusmodi opera Deus à nobis requirat, ostendunt, ut ad purum cultum homines revocarent.*

Quid Hermannum Archiepiscopum Coloniensem, quid Antonium Albizium Nobilem Florentinum, quid alios innumeros impulit, ut relictis splendidis Episcopatibus, honoribus, facultatibus Evangelicæ Ecclesiæ sese associarent, exilio spontaneo & præsentissimo mortis periculo se objicerent, quàm quod doctrinam in consonantem verbo Dei conformem esse in conscientiis suis convicti fuere?

Jacobus Reyhingius, Theolog. Doctor, & Principis Neoburgici Concionator, in scripto 621. edito publicè fassus est, *se nec honoribus nec voluptatibus illectum, sed veritate Evangelicæ doctrinæ ex lectione Scripturæ agnita convictum, ac conscientiæ stimulis adactum Papatui nuncium misisse, quem magno conatu prius defenderat;*

Sic enim scribit in Laqueis contritis p.6. *Auditores* (in Palatinatu Neoburgico) *magnam partem Evangelici aut ad Papatum recens allecti Scripturas requirebant: Adversarii, contra quos dicebam, aut scribebam, ad Scripturas me provocabant & compellebant. Quid agerem? Scripturis sacris insistendum & inhærendum fuit, ne inter tenelles, sed Scripturæ tenaces auditorum animos causa diffidere, imò causam prodere viderer. Itaq; hoc egi, ut è Scriptura divinâ libris Papatum stabilirem, Confessionem Augustanam everterem. Hic Concionum, Colloquiorum, Scriptorum scopus fuit. Feliciter pugnare multis, imò mihimet, videbar, & tanquam clarus victor ibam ac passim habebar. Sed alius cœli calculus fuit, alium cœlesti consilio pugna exitum habuit. Tandem enim quasi per cœlestem radium cœca superba mentis caligine detersa, ab anno & amplius indies clariore cœlitus illustratæ mentis obtutu cernere cœpi, in maximis quibusque controversiis sacras Scripturas contra Pontificios pro Evangelicis apertissime stare. Atque ita demum Pontificiis erroribus mendax veritatis larva detracta, Evangelicæ veritati fraudulentus erroris fucus abstersus est. Ita demum turpis error diu q. Veritas propugnatus succubuit; & candidissima Veritas erroris instar impugnata, in animo meo stetit, vicit, triumphavit.*

PARS POSTERIOR.

DE PRINCIPIO ET MEDIIS RELIGIONIS PONTIFICIÆ SIVE ROMANO-CATHOLICÆ.

CAPUT I.

De Primo & Summo Religionis Pontificiæ Principio.

PRimum & summum religionis Pontificiæ, quà talis principium hoc est, *Pontificem Romanum, utpote Christi in his terris Vicarium, & Petri in Sede Apostolica Successorem ex Cathedra pronunciantem esse in tradendæ fidei ac morum doctrina infallibilem, adeoque ab omnibus Christianis sine ulteriori disquisitione obedienter audiendum.*

Hoc esse primum & summum religionis Pontificiæ sive Romano-Catholicæ principium probamus, primò ex *ultima reliquorum principiorum*, ex quibus disputant, *in hoc ipsum tanquam primum & summum, resolutione.*

Quemadmodum fluvius, qui Paradisum irrigabat, *in quatuor capita dividebatur*, Genes.2.v.10. sic principium, ex quo Pontificii sua dogmata confirmare, nostra vero oppugnare satagunt, in quatuor principalia capita, ad quæ reliqua omnia reduci possunt, diffunditur. Opponunt enim nobis 1. *oracula Scripturæ.* 2. *autoritatem Ecclesiæ.* 3. *Conciliorum decreta.* 4. *Patrum testimonia.*

Stapletonus lib.11. princ. fid. doct. controv. 6 quatuor ponit media interpretationis Scripturæ 1. *regulam fidei*, sub qua complectitur *Traditiones.* 2. *Ecclesiæ praxin.* 3. *Patrum consensum.* 4. *Decreta Conciliorum.* Hanc methodum interpretandi Scripturas & decidendi controversias se sectatos fuisse gloriantur Patres Tridentini, ut apparet ex literis de salvo conductu decreto Sess. 15. *Et signanter* (inquiunt) *quod causæ controversiarum secundum sacram Scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum & sanctorum Patrum autoritatem tractentur & illustrentur.*

Bellarminus ferè in singulis controversiis ex his *quatuor fontibus* argumentorum suorum rivulos deducit.

Tannerus tom.3. Theol. Schol. Disp.1. q.4. dub.6. n.256. communes fidei regulas enumerat hasce: *S. Scripturam, Traditiones Apostolicas, Concilia approbata, consensum SS. Patrum, aliorumque Doctorum, consensum fidelium in rebus ad religionem pertinentibus.*

Initio quidem certaminis hujus Ecclesiastici *ad Scripturas sacras* perquam inviti pertrahebantur, unde Albertus Piggius Rom. Eccles. Cardinalis scribit lib.1. de Eccles. Hierarch. c.4. fol.15. *Quid cum hæreticis, qui sua nobis contra communem Catholicæ Ecclesiæ fidem conantur persuadere, factum est*

natus

matris Ecclesiæ filiis? nunquid ad disputationis certamen in arenam cum illis descendendum est, ut Scripturarum convincantur argumentis efficacioribus & evidentioribus? Tertulliano imprimis non videtur hoc utile consilium. Sed nec Paulo Apostolo. Hæreticum, inquit, hominem post unam atque alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est. Quid est, quod ait? hæreticum de Scripturis convinces? minimè. Imo hæreticum hominem devita, quod disputando facere non possumus, sed fortaßis post unam & alteram correptionem. Corripiendus igitur est, non disputatione convincendus hæreticus. Et post correptionem alteram devita, inquit. Ibid. Quantumvis in Scripturis quis exercitatus cum illis (hæreticis) disputatione congrediens nihil proficiet neque ipsis, neque audientibus orthodoxis. Quoniam sive defenderis tu quid, sive negaveris, Sripturas, velut Lesbiæ ædificationis plumbeam quandam regulam ingenii versutia in contrarium sibi accommodabunt. Quos si dixeris vim afferre Scripturis & incongrua eos expositione torquere, idem occlamabunt tibi, à se videlicet veritatem earundem stare, à te verò adulterari easdem. Itaque si tu cum illis in congressum descendas Scripturarum propter causam alterius, quem dubitantem in via fidei velis confirmare, is cum videbit ex Scripturis nihil aliud, quam hinc inde altercationes fieri, discedet incertior ignorans quam partem hæresin judicare debeat, æqua parte videl. negandi & affirmandi.

Et postea fol. 16. Si hujus doctrinæ Apostolicæ (quod cum hæreticis non sit disputandum ex Scripturis) memores fuissemus, meliore sanè loco essent res Christianæ. Sed dum ostentandi ingenii & eruditionis gratia cum Luthero in certamen descenditur Scripturarum &c. excitatum est hoc, quod proh dolor! videmus incendium. Cum quo convenit illud Censuræ Coloniensis pronunciatum Dial. 4. contra Monhemium p. 130. Si Lutherus ante 40. annos ferro aut igni sublatus fuisset, aut alii è medio tollerentur, non tam abominandis dissidiis, non tot sectis totus orbis concuteretur.

Stanislaus Hosius tom. 1. libr. 1. de expresso Dei verbo p. 618. postquam ex Tertulliano quædam adduxisset, tandem concludit: Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in iis constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa.

Wilhelmus Lindanus in Præfat. in Panopl. Evangel. ab initio: Quod nonnullis probatum video consilium, Scripturarum videl. meris testimoniis hæreses esse refellendas, nobis sanè ceu sacrum quoddam Thesei filum, quod dicitur, ad explicandas labyrinthorum istorum universorum errores sufficere, isthac sanè tempestate minime videbatur, quod quæstionis omnium fere aliarum principis de Scriptura nimirum, an ad dogmata omnia adstruenda & corroboranda sufficiat nec ne, status in controversia imprimis sit positus.

Ostendimus etiam in præced. part. c. 8. quosdam ex Adversariis liberè confessos fuisse, doctrinam nostrarum Ecclesiarum Scripturis conformem esse, nec ex illis solis refutari posse.

Atque hæc quidem antiquorum Pontificiorum in primo præsertim certaminis hujus initio fuit sententia. Sed recentiores Pontificii, cumprimis Jesuitæ, emunctæ naris homines, probè animadvertunt, hanc μισογραφίαν, & ut Tertullianus lib. de resurrect. carnis vocat, Scripturarum lucifugium, Papalia dogmata apud cordatos & pios homines suspecta reddere, ideò vocem ac stylum jam mutant, & pleno ore clamant, se paratos esse ex sola Scriptura sacra suam Ecclesiam adversus Lutheranos demonstrare, imo articulos fidei ex sola Scriptura sufficienter defendi posse adversus eos, qui Ecclesiæ & Conciliorum autoritatem non admittunt, quæ sunt ipsissima verba Jesuitarum in Colloquio Ratisbonensi proximo §. 216. edit. Spir. in Resp. ad loc. Augustini de unit. Eccles. c. 16. Pistorius in ἐπιγραφῇ Hodegetici sui jactitat, quatuordecim illa religionis capita, de quibus in scripto illo tractat, ex unica sacra Scriptura esse demonstrata. Bellarminus in omnibus ferè ac singulis controversiis in prima acie collocat Scripturæ oracula. Jacobus Gordonus Huntlæus tom. 1. Epit. controv. 1 cap 1. p. 2. Id præcipuè agimus, ut ostendamus, Catholicam & Romanam fidem ex ipso verbo Dei scripto evidenter & firmiter evinci, adversariorum vero dogmata nullum plane habere fundamentum in Scripturis sacris, sed cum illis manifestè pugnare.

Ad Scripturam igitur hodie provocant, sed Scripturæ sensum Ecclesiæ subjiciunt, adeoque Scripturæ nomine Ecclesiam & quidem Romanam intelligunt. Scripturam enim non aliâ conditione ut principium disputandi admittunt, nisi eo sensu intelligatur, quo Romana Ecclesia eam interpretatur.

Nicolaus Cusanus Rom. Eccl. Cardinalis Epist. 2. contra Bohemos de Commun. sub una specie sic disserit tom. 2. p. 834. Videmus in Scripturarum intelligentia varia hominum ingenia varios sensus explicare, variamq; autoritatis Scripturarum opinionem existere, poßibileque fore, aut in autoritate earundem, aut intellectuum inextricabilem dubietatem hominum mentes suspendere. Ubi erit solidum refugium peregrinantium? Certè in alio nullo, quam in militantis Ecclesiæ usu & approbatione, sive hoc sit circa Scripturam & ejus autoritatem atque intellectum, sive extra Scripturam in consuetudine accepta per Ecclesiam. In his enim firmitas est, ut in solida petra ac veritatis columna, lex exarata, quæ talia dictat, acceptanda sit, aut sententia cui obediendum, aut opere, in quo concurrendum. Et ita via cujusque in Ecclesia existentis est, ut per Ecclesiam & Scripturã ad ejus intellectum aut usum non scriptum se convertat, non ut per Scripturarum autoritatem ad Ecclesiam pergat, & cum ... cum Scriptura non concordat, juxta priscorum aut suum intellectum in operis exercitio impune spernere poßit, & Scripturæ inhærere. Hæc est omnium sane intelligentium sententia, qui Scripturarum autoritatem aut intellectum &c. in Ecclesiæ approbatione fundant, quæ unam accipit & alteram abjicit, & non è converso Ecclesiæ firmamentum in Scriptura locant.

Et postea: non te moveat &c. Scripturas esse ad tempus adaptatas & variè intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem ritum Universalem exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutaretur &c. Quare etiamsi hodie alia fuerit interpretatio Ecclesiæ ejusdem præcepti Evangelici (de Communione sub utraq;) quam aliquando, tamen hic sensus nunc in usu currens ad regimen Ecclesiæ inspiratus, uti tempori congruus, ut salutis via debet acceptari.

Alponsus à Castro lib. 6. adv. hæres. tit. Eucharistia: Ostendimus sensum Scripturæ ab Ecclesia petendum &c.

Et postea: Cum ex Ecclesiæ decreto teneamus, hanc aut illam esse divinam Scripturam, ex ejus etiam decreto oportebit sensum Scripturæ, quem illa nobis præstiterit, tenere.

Stanislaus Hosius Rom. Eccl. Cardinalis in lib. de expresso Dei verbo tom. 1. p. 622. Ab Ecclesiæ sensu qui discrepat, ejus os non Deus, verum Diabolus aperit. p. 623. De Deo loquitur, non quicunque Scripturas quomodolibet profert, sed qui Scripturas non suo proprio, sed omnium, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ sensu profert. Atque hoc est, quod propriè dicitur verbum Dei, quando Scripturæ verbis non proprius adstruitur sensus, verum is qui omnium, qui Ecclesiæ Catholicæ est, quem eundem esse Dei sensum ambigendum non est.

Ibid. Etiamsi minus aperta videri possent alicui Scripturæ verba, quæ talis profert, quoniam tamen Ecclesiæ sensu profert, expressum Dei verbum profert.

Et postea: Si pertinaciter ejusmodi sententiam contra communem totius Ecclesiæ sensum & consensum tuetur, hæreticus est &c. & quamlibet multa Scripturarum testimonia producat, non tamen expressum DEI, sed expressum Diaboli verbum producit.

Bellarminus in primo Controversiarum limine ejusmodi format theorema lib. 1. de verbo Dei cap. 1. Prophetici & Apostolici libri, juxta mentem Ecclesiæ Catholicæ & olim in Concilio III. Carthaginensi cap. 47. & nuper in Concilio Tridentino sess. 4 explicatam, sunt verum Dei verbum, & certa ac stabilis regula fidei. (Principaliter quidem in his verbis Bellarminus id intendit, quod in Carthaginensi & Tridentino Concilio definitum sit, quinam libri pro libris Propheticis & Apostolicis sint habendi, secundario tamen simul eò respicit, quod verus & genuinus Scripturæ sensus unicè ab Ecclesia sit petendus, ut constat ex illis, quæ sequentur.)

Quæ enim sit illa mens Ecclesiæ Catholicæ, id libr. 3. de Verbo Dei cap. 3. declarat his verbis: Convenit inter nos & adversarios, Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ sunt, hoc est, Spiritu sancto. Tota igitur quæstio est, ubi sit iste Spiritus? Nos (Pontificii) existimamus, hunc Spiritum, etsi multis privatis hominibus sæpe conceditur, tamen certo inveniri in Ecclesia, ideo dicimus judicem veri sensus Scripturæ & omnium controversiarum esse Ecclesiam.

Ex hac hypothesi lib. 1 de Sacram. in genere cap. 26. sic scribit: Certum est, quod consuetudo universæ Ecclesiæ perpetua non possit pugnare cum verbo Dei, quodq; clarior sit consuetudo quam ipsum verbum Dei, proinde ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum, non ob verbum Dei obscurum & ambiguum consuetudinem abolendam, ut Lutherani hoc tempore faciendum esse contendunt.

Lib. 3. de Eccles. cap. 10. §. Adhæc. Scripturæ traditiones & omnia plane dogmata ex testimonio Ecclesiæ pendent.

Pamigarolla lib. 1. Dicept. Cathol. Omnes controversiæ, quæ inter nos & Calvinistas sunt, exiguum est, quod dixi, imo omnes

Contro-

controversiæ, quæ unquam fuerunt, quæ sunt, quæve ullis temporibus futuræ sunt, ad fidem Catholicam pertinentes, ad hoc unum redeguntur, ut reperiatur, quænam sit vera Ecclesia. Et causam assignat, *quia quoties se aliqua quæstio offeret, percunctabor,* inquit, *quid Ecclesia sentiat.*

Gordonus Huntlæus Scotus eandem inflat tibiam in Epitome Controv. controv. 1. cap. 3. sic differens: *Verbum DEI duabus constat partibus, literâ, quæ in libris scribitur, & vero literæ sensu, qui est veluti anima & vita literæ, quippe sine quo sola litera occidere potest, vivificare non potest. Sensum verò illum Scripturæ, qui ejus anima est, ex Ecclesiæ interpretatione unicè petendum esse* cap. 4. subjungit.

Ex his apparet, Pontificios talem Scripturæ ideam nobis proponere, quod sit quasi sceleton quoddam exanime ac imago mortua, quæ per Ecclesiam sit animanda, unde eam *literam mutam & mortuam* vocant, ut in Appendice articuli de Scriptura inferiùs ostendetur; Item, ipsos sensum Spiritus S. à verbis Scripturæ non solùm distinguere, sed etiam separare, eundem ab Ecclesia unice petendum esse, asserere, & quod inde consequens est, ad Scripturam dicis causa provocare, *Scripturæ* v. nomine *Ecclesiam,* à qua Scripturæ sensus petendus, intelligere.

Transitum ergo facimus ad alterum disputandi principium, quod est *Ecclesia,* ex ipsorummet Adversariorum ore audituri, quid nomine Ecclesiæ intelligant.

Sanè Bellarmin. libr. 3 de Eccl. cap. 2. Ecclesiam definit, quod *sit cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii Rom. Pontif.* ac lib. ejusd. cap. 17. circa fin. disertè scribit: *Una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnum Dei.* (Cum quo congruit, quod Eisengrinius lib. de Eccl. p. 109. docet, *nomen Ecclesiæ esse collectivum, atq; ideò fidem non posse manere in uno;* ac quod Lorich. in Instit. Cath. p. 48. scribit: *Non possunt se Clerici exclusis Laicis dicere Ecclesiam, cum & Ecclesia sit Laicorum.*)

Illud posset alicui suspicionem movere, quod Ecclesiæ nomine non intelligat unam aliquam personam, sed integrum Ecclesiæ cœtum. Verùm enim vero si penitius ipsius mentem scrutemur, apparebit, quod *Ecclesiam* quidem nominet, sed Ecclesiæ nomine *Romanum Pont.* intelligat. Cùm n. Ecclesia constet ex Doctorib. & auditoribus, (unde duplicem statuunt Ecclesiam, *materialem seu concretivam,* quæ est totus fidelium cœtus ex Pastoribus & auditoribus constans; ac *formalem seu abstractivam,* quæ est duntaxat cœtus docentium. Tataret q. 2. prolog. & 1. sent. dist. 5. q. 1. quam posteriorem recentiores vocant *repræsentativam*:) quærimus ex ipso, an infallibilitas illa, quâ Ecclesiæ tum in scripturis explicandis, tum in controversiis dijudicandis assignat, Ecclesiæ *materiali & concretive,* id est Doctorib. & auditoribus conjunctim, an vero Ecclesiæ *formali & abstractive,* hoc est, Doctorib. seorsim & separatim tribuat? Respondet vero ad hoc quæsitum lib. 3. de V. Dei, cap. 10. resp. ad 11. arg. *Quando Paulus jubet omnia probare, & Johannes Spiritus probare, non hoc volunt,* (nota) *ut omnes in Ecclesia hoc faciant, sed ut id faciant ii, ad quos pertinet, sicut si scribatur ad aliquam Academiam, ut examinet aliquem librum, non significatur, ut detur examinandus liber omnibus hominibus illius Academiæ, sed tantum Doctoribus ejus Facultatis, de qua liber ille tractat.*

Lib. 2. de Concil. cap. 2. *Idem est, Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Episcopos non posse errare.*

Lib. 3. de Eccles. cap. 14. *Id quod docent omnes Episcopi, tanquam ad fidem pertinens, necessariò est verum & de fide.*

Lib. 1. de Clericis cap. 7. resp. ad 2. arg. *Debet quidem populus discernere verum à falso, sed non aliâ regulâ, quàm diligenter attendendo, an is qui prædicat, dicat contraria illis, quæ dicebantur à prædecessoribus, vel iis, quæ dicuntur ab aliis ordinariis Pastoribus, præsertim ab Apostolica Sede & Ecclesia principali.*

Quod si ergo ad auditores, sive populum Christianum à Doctoribus Ecclesiæ contradistinctum, vel plane non spectat probare Spiritus, vel non alia ratione eos probare, quam attendendo, an proferant contraria illis, quæ dicuntur ab ordinariis Pastoribus, cumprimis ab Apostolica, hoc est, Romana Sede, utique infallibilitas in explicandis Scripturis & dijudicandis controversiis non est apud auditores, sed apud Doctores Ecclesiæ unice quærenda. Inde, cum Bellarminus lib. 3 de verbo Dei, cap. 3. scripsisset: *Spiritum illum, quo Scripturæ intelligi debent, certò inveniri in Ecclesia,* statim ἐξηγητικῶς addidit, *hoc est, in Concilio Episcoporum confirmato à summo totius Ecclesiæ Pastore, sive in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum.*

Et paulo post: *Dicimus, judicem veri sensus Scripturæ & omnium controversiarum esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniunt, & habetur expressè in Concilio Tridentino.*

Idem lib. 3. de Eccles. cap. 14. *Id quod docent omnes Episcopi, tanquam ad fidem pertinens, necessariò est verum & de fide.*

Lib. 2. de Concil. cap. 2. *Tota autoritas Ecclesiæ formaliter non est nisi in Prælatis, sicut visus totius coporis formaliter est tantùm in capite. Ergo idem est, Ecclesiam non posse errare in rebus fidei definiendis, & Episcopos non posse errare.*

Gregor. de Valent. in anal. lib. 6. cap. 4. p. 41. *Idcircò fideles omnes errare non possunt, quia Pastores & Doctores omnino errare nequeunt.*

Intelligimus igitur, quòd infallibilitatem in solis Pastoribus statuant, à quorum judicio auditores in rebus fidei unice pendere debeant.

Quod si quærendo quis pergat, an in omnibus Ecclesiæ Doctoribus infallibilitatem statuant, distinguunt inter *Presbyteros & Episcopos,* ac solis Episcopis in Concilio congregatis infallibilitatem tribuendam esse docent.

Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. *Episcopos seorsim existentes non docet Spiritus S. omnem veritatem, ergo saltem Episcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem.* (Si Episcopos seorsim existentes non docet Spiritus sanctus omnem veritatem, multò minus alios Clericos, qui non sunt Prælati, ut loquuntur.)

Idem lib. 3. de Eccles. cap. 10. resp. ad 2. *Non potest Ecclesia ab Episcopis decipi, cum Ecclesia non possit errare, & tamen teneatur eos sequi, quos pro veris Pastoribus habet. Quod postremum sano modo accipiendum est, videl. si hujusmodi Episcopi in doctrina omnes conveniant, aut summi Pontifices sint. Neque enim dubium est, quin Episcopi particulares, si ab aliis dissideant, errare possint.*

Quod autem soli Episcopi ad Concilia vocandi, ac soli in illis habeant jus decidendi, asserit,

Lib. 1. de Concil. cap. 15. *Catholicorum sententia est, solos Prælatos majores, eosque omnes, id est, Episcopos in Conciliis generalibus habere jus suffragii decisivi ordinariè, ex privilegio autem & consuetudine etiam Cardinales, Abbates & Generales Ordinum, licet Episcopi non sint.*

Quod si quærendo quis pergat, an in Episcoporum Conciliis quovis modo se habentibus infallibilitatem statuant, an verò Episcopi teneantur sequi instructionem Romani Pontificis, ut sic in *solo Pontifice* omnium Episcoporum & totius Ecclesiæ, ut ipsum vocant, visibili capite infallibilitatem statuant, respondet exertis verbis Bellarminus libr. 4. de Rom. Pont. cap. 1. *Habent quidem Concilia tàm generalia quàm particularia judicium de controversiis religionis, sed illud judicium tum demum est firmum & ratum, cum accesserit summi Pontificis confirmatio, proi... judicium est summi Pontificis.*

Lib. ejusdem cap. 2. *Ipsa infallibilitas non est in cœtu Consiliariorum,* [hoc est, Cardinalium] *vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice:* (quibus in verbis notanda tùm *oppositio*, non est in cœtu Consiliariorum vel in Concilio Episcoporum, sed in Pontifice, tùm *particula exclusiva appositio,* est in *solo* Pontifice.)

Et paulò antè: *Omnes Catholici conveniunt in eo, Pontificem vel solum* (nota optimè) *vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.*

Summe Deus! quæ hæc verborum monstra! *Pontificem vel solum vel cum suo particulari Concilio* (hoc est cum Cardinalibus) *in re dubia aliquid statuentem, sive errare possit sive non, esse ob omnibus fidelibus audiendum.* Ἀντικείμενον id est ἐν προσκειμένῳ. Si enim errare potest Pontifex, non est absolutè & simpliciter tanquàm infallibilis ab omnibus fidelibus obedienter audiendus. Vicissim, si absolutè & simpliciter tanquam infallibilis ab omnibus fidelibus obedienter est audiendus, errare profectò non poterit, errantem enim nemo sequi tenetur, quin contra potius eum non sequi, sed *ab eo fugere* tenetur. Joh. 10. v. 5.

Sed hanc contradictionem, quam malagmate distinctionis inter Pontificem, ut *personam privatam, & publicum Doctorem,* utcunque obvolvere satagunt, hac vice non urgebimus,

illud

illud duntaxat ex Bellarmini verbis probè notari jubemus, quod *infallibilitatem*, quam alibi Ecclesiæ tribuit, *in solo Pontifice* statuat, quodque Pontificem *etiam solum in re dubia aliquid definientem* ab *omnibus fidelibus obedienter audiendum esse* asserat. Sic ergò infallibilem Scripturæ interpretationem & omnium fidei controversiarum decisionem, quam aliàs *Ecclesiæ* tribuunt, ex *solius Pontificis* infallibilitate unicè dependere, & ex solo Papalis pectoris scrinio peti debere statuunt, ac post longas disputationum de Ecclesiæ autoritate & infallibilitate ambages ad unicum Pontificem Romanum tandem nos deducunt, quem proinde Scholastici dicunt, *esse Ecclesiam virtualiter*. Verè igitur à nobis dictum fuit superius, quod ut in primo disputandi principio Scripturam nominent, sed Scripturæ sensum unice ab Ecclesia petendum esse statuant, adeoque augusto illo Scripturæ nomine Ecclesiam, à qua juxta illorum hypothesin autoritas & interpretatio Scripturæ unice dependet, quæque Scripturæ tanquam literæ mutæ & mortuæ sensum indit, intelligant; ita quoque in secundo disputandi principio *Ecclesiam* nominent, sed augusto illo Ecclesiæ nomine *Pontificem*, in quo solo infallibilitas unice resideat, intelligant.

Progredimur ad tertium disputandi principium, quod sunt Conciliorum decreta. Solenne est Pontificiis, Conciliorum autoritatem extollere, atque ex illis suorum dogmatum stabilitionem, nostrorum vero eversionem meditari. *Concilia repræsentant ipsum Deum*, inquit Thomas Bozius lib. 5. de notis Eccles. cap. 7. *repræsentant Ecclesiam Catholicam*, inquit Eccius in Enchirid. cap. 2. *Spiritus sancti Magisterium præsentissimum habent*, inquit Petrus à Soto in Assert. Cathol. cap. de Concil. *Arrectus Conciliorum omnium valido & exquisito Præsidio, cur nō ingrediar in hanc palæstram animo tranquillo & præsenti, observaturus Adversarium, quò se proripiat? Concilia generalia mea sunt, primum, ultimum, media. His pugnabo. Hastam expectet Adversarius amentatam, quam evellere nunquam poterit!* exclamat Campianus Thraso rat. 4. sub finem.

Sed *Concilia* nominant, interim Conciliorum nomine *solum Pontificem* intelligunt, quia nulla Concilia ipsis probantur, nisi sint à Pontifice confirmata, & ut loquuntur, *autorisata*. Sic enim Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. *Fide Catholicâ tenendum, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide nec in moribus.*

Et paulo post: *Concilia particularia à summo Pontifice approbata & confirmata errare non possunt in fide & moribus.*

Lib. ejusdem cap. 11. in ἐπιγραφῇ. *Concilia generalia ante confirmationem summi Pontificis errare possunt, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem.* §. 4. *Constat Concilia à Pontifice reprobata nullam habere autoritatem.* §. 6. *Firmitas Concilii nascitur ex consensione & conjunctione corporis cum capite. Si consentientibus omnibus & Legatis Pontificis in Concilio generali aliquid statuatur, illud tamen nondum est infallibile, si Legati non habuerunt certam instructionem, & antequam caput aperiat suam sententiam. Etsi enim Legati præsunt nomine Pontificis, tamen revera non sunt Pontifices, nec sciunt quæ sit mens Pontificis, nec habent illud privilegium non errandi quod habet Pontifex.* §. 10. *Concilium generale non est, antequam adsit sententia summi Pontificis.* §. 11. *Si quis omninò velit, ejusmodi Concilium absolutè totam Ecclesiam repræsentare, respondere poterit, Concilium generale non censeri penitùs absolutum, nisi post confirmationem Pontificis. Cum autem dicitur Concilium generale non posse errare, & ejus decreta certam fidem facere, id esse intelligendum, quando absolutum fuerit penitus.*

Lib. ejusdem de Concil. cap. 17. §. Probatur quinto. *Omnia Concilia revocantur tandem ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur; quæ improbat, rejiciuntur.*

Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 22. §. Secundò. *Omnes isti Canones Concilii Chalcedonensis non habent apud nos robur, nisi quatenus sunt renovati à Romanis Pontificibus.*

Lib. ejusdem cap. 17. §. Quare. *Decretum illud Concilii Chalcedonensis* (quod Romana Ecclesia à Patribus habuerit Primatum) *magni quidem est Concilii, sed non legitimè factum, proinde nullius est roboris vel autoritatis. Nam ex ipsa Act. 16. ejusdem Concilii constat, decretum illud absentibus Legatis Apostolicæ Sedis, qui Concilio præsidebant, esse factum. Constat item, eosdem Legatos postea apertissimè reclamasse. Non esse autem legitimum decretum generalis Concilii, quod sine Romano Pontifice aut ejus Legato fit, testatur 6. Synodus &c. Nec solùm Legati S. Leonis in Synodo restiterunt, quantum ad illud decretum attinebat, sed ipse etiam S. Leo, qui reliqua decreta Concilii confirmavit, illud unum damnavit ac reprobavit.*

Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. §. Respondent. *Christus soli Petro dixit: Oravi pro te, ne deficiat fides &c. Pasce oves meas. Non dixit hæc Petro & Concilio. Item solum Petrum vocavit petram & fundamentum, non Petrum cum Concilio, ex quo apparet, totam firmitatem Conciliorum legitimorum esse à Pontifice, non partim à Pontifice, partim à Concilio.*

Lib. ejusd. cap. 12. §. Secundò. *Concilium Anglicanum non est probatum ab Apostolica Sede, ideò non facit rem de fide.*

Lib. 2. de Sacrament. cap. 25. *Omnium Conciliorum & omnium dogmatum firmitatem ab autoritate præsentis Ecclesiæ* (hoc est Pontificiis, ut ultima analysis docet) *pendere asserit.*

Melchior Canus ad eundem collimans scopum de autoritate Conciliorum quatuor format propositiones, lib. 5. Locor. Commun. cap. 4. Prima hæc est: *Concilium generale, quod nec congregatum, nec confirmatum est autoritate Pontificis, potest in fide errare.* Altera sic habet: *Concilium generale etiam à Romano Pontifice congregatum errare potest, nisi ab eo fuerit confirmatum.* Tertiam sic informat: *Concilium generale à Rom. Pont. congregatum & confirmatum certam fidem facit dogmatum Catholicorum, & contrarium tenere est hæreticum.* Quarta tandem sequitur: *Concilia provincialia, quæ à Papa confirmantur, errare non possunt, reliqua autem possunt.*

Idem lib. 6. cap. ult. *Conciliorum conatus de legibus aut ferendis aut abrogandis nihil quicquam valet, nisi summi Pontificis sententia decreto confirmetur.*

Gregorius de Valentia de Cœlibatu p. 861. §. Objiciunt. *Trullana Synodus nullius est autoritatis, quia non erant ejus Canones approbat à Pontifice Romano.*

In Legatione Regum Hispan. Philippi III. & Philippi IV. ad Pontificem, de definienda controversia immaculatæ conceptionis B. Mariæ per Waddingum edita p. 286. *Non tribuit Concilium infallibilitatem Pontifici, sed à Pontifice habet Concilium, ut sit ratum & firmum.*

Ex his Sole meridiano clarius elucescit, quod omnem Conciliorum autoritatem & infallibilitatem à Romano Pontificis infallibilitate unice arcessant. Quæcunque Conciliorum decreta Pontifex confirmat, illa recipiunt; quæ vero confirmare renuit, illa repudiant. *Concilia* ergo nominant, sed augusto Conciliorum nomine *Romanum Pontificem* intelligunt.

Quartum denique disputandi principium, sunt *Patrum dicta*. Ad ea majore audaciâ quàm veritate provocant, quoties in arenam nobiscum descendunt.

Ad Patres, inquit Campianus rat. 5. in princ. *si quando liceat accedere, confectum est prælium. Tàm sunt nostri, quàm Gregorius ipse decimus tertius filiorum Ecclesiæ pater amantissimus.*

Ibid. in fine rat. 5. *Securus in hanc aciem potui descendere, bellaturus cum iis, qui, quasi auribus lupum teneant, æternam causæ maculam cogantur inurere, sive recusent Patres, sive deposcant. Nam in altero fugam adornant, in altero suffocantur*

Nos Patrum veri filii sumus, inquit Duræus contra Witakerum p. 125. *non illos pro SemiPatribus habemus, sed totos nobis tanquam Patres vendicamus.*

Et postea: *Nos Patrum doctrinam non aliquâ ex parte admittimus, aliâ repudiamus, sed integram amplectimur.*

Coaxent, inquit Canisius in Præfat. librorum Vegæ de Justif. *ranæ hæ Egyptiacæ*, (Protestantes de patrum nævis) *incircumcisi Philistæi agminatim conspirent, an idcircò Patrum perduelles isti nos abstrahent à præscriptis Patrum terminis, bonorumque possessione extrudent? avertat tantam à nobis dementiam Deus.*

Catholici, inquit Costerus in Præfat. Enchirid. de moribus hæretic. antithes. 9. & cap. 1. §. Unde p. 45. *magno in honore habent antiquas majorum Traditiones, Conciliorum Decreta, sanctorum Patrum concordem & consentientem doctrinam, à quorum placitis transversum digitum discedere nefas arbitrantur. Hos Magistros in omnibus audiunt, horum mente divinas literas interpretantur.*

Collocutores Bavarici in Colloq. Ratisbon. p. 18. *Præter hanc normam* (Scripturam) *necessariò admitti debent Traditiones & Ecclesiæ definitiones, Doctorumque orthodoxorum consensus.*

Kellerus tom. 2. Cathol. Papatus p. 888. *Nostri sunt omnes Patres, omnia Concilia, omnes Scriptores Ecclesiastici. Omnes Doctores veteres nobiscum consentiunt.*

In Epist. Dedicat. ad Wolffgang. Com. Palat. *Nos ipsis* (Patres) *sententiis atque animis æternam per seriem cohæremus.* Sed

Sed *Patres* nominant, interim sub honorabili isto nomine *Romanum Pontificem* intelligunt, quia nulla Patrum dicta, nulla veterum scripta ipsis probantur, nisi Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Pontificis judicio sint conformia. Sic enim scribit Nicolaus Papa ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ c. Si Romanorum. dist. in princ. *Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod verè Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur.*

Expurgari curasti Beatissime Pater, scribit Sixtus Senensis ad Pontificem Pium V. in Epist. nuncup. operi suo præmissa, *omnia Catholicorum Scriptorum & præcipuè veterum Patrum Scripta.*

Patres non censentur Patres, inquit Duræus lib. cont. Witakerum, rat. 5. *cùm suum aliquid, quod ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt, vel docent.*

Bellarmin. lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. resp. ad 16. *Augustinus & cæteri Patres in Commentariis fungebantur officio Doctorum, at Concilia & Pontifices funguntur officio judicis à Deo sibi commisso.* (Si ergo Conciliorum judicium submittitur autoritati Pontificis, quantò magis Patrum Commentarii.)

Si Pontifex, scribit idem lib. 2. de Pont. Rom. cap. 27. §. Ultimo, *tanquam Pater ab omnibus honoratur, non habet ipse ullos in Ecclesia Patres, sed omnes filios. Quid verò mirum est, si non Pater filiis, sed filii Patri suo subjiciantur? Papa nec Patribus, nec eorum Canonibus cogi potest.* (Quod addit, *Papam nec Patres, nec eorum Canones contemnere*, de eo videbimus suo loco.)

Lib. 2. de Concil. cap. 11. *Pontificum decreta ideò vocantur Canonicæ Scripturæ, ut distinguantur à scriptis Patrum, quæ non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.*

Pistorius in Hodeget. p. 51. *Patrum interpretationes tum demum valent, cum eas approbaverit Ecclesia*, (hoc est Romanus Pontifex, ut docet ultima analysis.)

Cornelius Mussus in concion. ex cap. 14. Epist. ad Rom. *Quem ergo pro Deo habemus, in his quæ Dei sunt, quicquid ipse dixerit, tanquam Deum audire debemus. Ego, ut ingenuè fatear, plus uni summo Pontifici crederem in his, quæ fidei mysteria tangunt, quàm mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis, ne dicam Richardis, Scotis, VVilhelmis.*

Sic ergo Pontifex omnes Patres habet pro filiis, utpote talem edentes vocem, non quam Pontifex ex ipsis audire & discere, sed quam pro lubito suo illis indere & infundere velit, ut Patres ipsi sint *νήπιοι* & pueruli in cunis, ipse vero Pater *νηπίων*, doceatque eos fari, (sicut Apostolus Rom. 2. v. 20. de Pontificibus Judæorum dicit, *quòd se Magistros fecerint νηπίων*) atque eò quidem pejus, quod labiis Patrum, quotquot pro Pontifice & ex Pontifice Bellarminus & alii loqui jubent, Romanum illinunt bitumen.

Ostendimus hactenus ex ultima reliquorum principiorum, ex quibus Pontificii contra nos disputant, in judicium Romanæ Pontificis resolutione eorundemque ad judicium Romani Pontificis determinatione, Pontificios *Scripturam, Ecclesiam, Concilia, Patres*, pro astruendis dogmatibus controversis afferre, nobisque opponere; sed Scripturæ, Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum nomine solum *Pontificem Romanum* intelligere, *inque ipso solo infallibilitatem* statuere, ac proinde primum & summum Papalis fidei principium esse Romani Pontificis judicium.

Idipsum 2. ex diserta eorum confessione demonstrandum restat, ubi afferemus primò *Pontificum*, secundò *Canonistarum*, tertiò *recentiorum Scriptorum* testimonia.

Inter Pontifices Stephanus c. Enimvero. dist. 16. sic statuit: *Quia in speculum & exemplum sancta Rom. Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, proposita est, ab omnibus, quicquid statuit, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter observandum est.*

Gregorius IV. c. Nulli. dist. ead. *Nulli fas est vel velle vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet caritatem.*

Nicolaus ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ c. Si Romanorum dist. 19. *Si vetus, novumque Testamentum sunt recipienda, non quòd Codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendis Sancti Innocentii Papæ prolata videatur esse sententia, restat nimirum, quod Decretales Epistolæ Pontificum Romanorum sunt recipiendæ, etsi non sunt Codici canonum compaginatæ, quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis Papæ capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari.*

Idem Nicolaus. c. Satis dist. 96. *Sic omnes sanctiones Apostolicæ Sedis suscipiendæ sunt, tanquam ipsius divinâ voce Petri firmatæ*, ubi glossa hanc rationem addit: *Nam Papa sanctitatem recipit à Cathedra.*

Paschalis in c. Significasti. de elect. & elect. potest. dicit, quòd *omnia Concilia per Romani Pontificis autoritatem & facta sint & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur autoritas.*

Bonifacius VII. c. Unam sanctam extr. de majorit. & obed. statuit, *de necessitate salutis esse, ut Romano Pontifici omnis creatura subsit* (in fidei & morum decretis.)

Idem c. Licet in 6. Decretalium, de constitutionibus libr. 1. tit. 1. *Romanus Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere.*

Paulus II. cùm à Platina admoneretur, ut causam Abbreviatorum judicio Rotæ committeret, referente ipsomet Platina in ipsius vita, fastuosè respondit his omninò verbis: *Itàne nos ad judices revocas? ac si nescires omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse? sic stat sententia; loco cedant omnes, eant quò volunt, nihil eos moror. Pontifex sum, mihiq; licet pro arbitrio animi aliorum acta & rescindere & approbare.*

Glossa Juris Canonici in c. proposuit. extr. de cōcess. præbēd. libr. 3. Decret. Gregorii tit. 8. *Papa dispensat contra Apostolum.* c. Lector. dist. 34. *contra canones Apostoli.* c. Presbyter. dist. 71. *contra vetus Testamentum in decimis non dandis*, infra de decim. ex parte. *Item in voto. Item in juramento.*

Eadem in c. Autoritatem. caus. 15. q. 6. *Papa contra jus naturale potest dispensare, dum tamen non contra Evangelium vel contra articulos fidei, tamen contra Apostolum dispensat.*

Eadem in c. Sicut 1. extr. de præsumtionib. lib. 2. Decretal. Gregor. tit. 23. *Adverte, quod verba textus non sunt verba Papæ, sed Salomonis in Parabolis, & habentur originaliter in cap. 26. Sed quia textus est canonisatus, facit fidem & inducit necessitatem, sicut si editus fuisset à Papa, quia omnia nostra facimus, quibus autoritatem nostram impertimur.*

2. Inter *Canonistas* Johannes Andreæ in c. ad honorem. de aut. & usu pallii. Hostiensis in c. Quantò de translat. Episcop. & post illum Panormitanus c. Licet de Elect. scribunt: *Papam & Christum unum facere Consistorium, excepto peccato Papam q. omnia posse facere, quæ potest Deus & à nemine judicari debere.*

Papam omnia jura habere in scrinio sui pectoris, asserit Gomesius.

Papam contra jus & supra jus esse & extra jus omnia posse. Phil. Decius.

Quicquid Papa vel approbat vel reprobat, id omnes vel approbare, vel reprobare debere, Quintilianus Mandosius.

Papam esse omnia & super omnia in spiritualibus. Baldus.

Papam formam Sacramentorum ab Apostolis traditam posse mutare, Archidiaconus.

Papam esse fundamentum fidei. Canones.

Papam esse supra universalem Ecclesiam. Concilium Florentinum.

Papa judicium in his, quæ fidei & ad humanam salutem necessaria sunt, non posse errare. Johan. de Turrecremata.

Papæ absolutè credendum esse, ne istud os mentiri asseramus, unde veritas oriri debet, Marcus Mantua.

Deum subjecisse Papæ omnes leges, ac celsitudini ipsius nullam legem imponi posse. Fortun. Gartia.

Papam contra Epistolas Pauli statuere posse, (ubi tamen addit, *cum causâ, in his quæ non concernunt fidem.*) Carolus Ruinus.

Papæ potestatem esse majorem Apostolo, ac posse eum dictis Apostoli derogare. Anton. Maria.

Papam dispensare posse contra quatuor prima Concilia, ac contra verba Evangelii, licet non contra mentem. Sigismund. Neapolitanus.

Papam esse lumen fidei & q. Solem & splendorem veritatis. Anton. de Rosellis.

Quæ omnia citantur in Caus. recusati Concil. Tridentini causa 8. p. 134. & seqq.

Papæ judicium esse infallibile, eique soli concessam esse in privilegium, ut errare non possit. Franciscus Bursatus.

Non præsumi tantæ celsitudinis apicem posse errare. Busdragus.

Papam posse dispensare contra vetus Testamentum. Joh. Franciscus de Pacunis.

Qui non sentit cum Papa, eum non sentire cum Christo. Johan. Capistranus.

Papam solum articulos fidei solvere, solum supra jus dispensare & de justitia injustitiam facere. Glossa c. Quantò. extr. de transl. Prælat.

Papæ solius opinionem prævalere opinioni totius mundi. Card. Jacobatius

Pontificum decreta dictari à Spiritu sancto. Lælius Jordanus.

Papam esse imaginem Christi & divinum Spiritum in illo hospitari. Marcus Mantua.

Christum non fuisse diligentem patremfamilias, nisi aliquem vices suas in his terris gerentem reliquisset, qui ea omnia posset, quæ ipse potest. Panormitanus Abbas.

Ad Papæ autoritatem pertinere editionem Symboli, cùm ad ejus autoritatem pertineat finaliter determinare ea quæ sunt fidei.

Quæ & his similia citantur à Wolffio tom. 1. Lect. memorab. p. 991. & seqq.

3. Inter *recentiores* eandem potestatem & autoritatem Romano Pontifici cum Canonistis plurimi tribuunt.

Erasmus in annot. 1. Cor. 7. p. 327. *Plerique Theologi* (nota vocem plerique) *tantum autoritatis tribuunt Romano Pontifici, ut possit abrogare, quod ab Apostolis, ideoque ab ipso Petro institutum. Nec desunt, qui vocent in quæstionem, num jus habeat, & adversus Evangelicam doctrinam statuendi quippiam. Nec prorsus abnuunt, quin aliqua ratione possit, si non abrogando, quod statuit Christus, certè vel interpretando vel relaxando, quod non veritus est Paulus, quoties ait, Ego, non Dominus, secundùm indulgentiam agens, non ex imperio.*

In annot. 1. Ti. 1. p. 465. *De Romani pontificis potestate penè negotiosiùs disputatur, quàm de ipsius Dei potestate, dum quærimus de duplici ejus potestate, & num sit universale caput totius Ecclesiæ, & num sit superior generali Concilio & an possit abrogare, quod scriptis Apostolicis decretum est, an possit aliquid statuere, quod pugnet cum doctrina Evangelica, an possit novum articulum fidei condere in Symbolo fidei; utrum majorem habeat potestatem quam Petrus, an patrem; an possit præcipere Angelis, an possit universum purgatorium, quod vocant, tollere; an possit arbitratu suo cœlo excludere etiam immerentes; utrum simplex homo sit, an q. Deus; an participet utramque Naturam cum Christo; an clementior sit quàm Christus fuerit, cum is non legatur quenquam à purgatoriis pœnis revocasse? Sexcenta id genus disputantur magnis editis voluminibus, idque à magni nominis Theologis, præsertim professione religionis insignibus. His seriò occupantur Theologorum Scholæ; his ætas rerum omnium fugacissima conteritur, cum pleraque sint ejus generis, ut doctius nesciantur quàm sciantur, ut ridiculè quærantur, temerè definiantur.*

Melch. Canus lib. 5. Locorum Theol. cap. 5. p. 160. *Cajetanus affirmat, Concilium per Legatos Pontificis actum errare in fide posse. Superest enim adhuc ille, pro cujus fide rogavit Christus, ille inquam, ad quem fidei summa tandem referenda.* (Nota ad Pontificem tandem summa fidei referenda.)

Stapletonus relect. princip. fid. controv. 3. q. 6. p. 400. *Circa fidei definitionem & dubii dogmatis determinationem, tanta semper fuit Roman. Pontificis autoritas, ut unumquoque dogma Pontifex Romanus prius damnaverit, vel Synodo Romana prius eâ de re habitâ, vel per litteras suas ad Concilium missas, antequam in Concilium Patres venissent, atque ejus doctrinam ac determinationem semper reliqui Episcopi & Concilii Patres ad amussim secuti fuerint.*

Gregorius de Valent. in Analysi lib. 6. cap. 41. *Summa hæc est, si quando oriantur controversiæ de fide, Ecclesiam non posse in iis definiendis à veritate aberrare. Hæc autem infallibilis Ecclesiæ autoritas ad definiendum non est singulis fidelibus, quippe qui sine controversia possunt errare singuli. Neque est etiam in omnibus omninò fidelibus. Frustra enim data illis esset, cum fieri vix possit, in fidei causis, ut ab omnibus illis sigillatim sententia dicatur, sed residet summa Ecclesiæ autoritas in Christi Vicario, summo Pontifice, sive unà cum Episcoporum Concilio, sive absque Concilio res fidei definire velit.*

Idem tom. 3. Comment. in Thomam Disp. 1. q. 1. p. 1. §. 6. c. 29. *Ponimus Ecclesiam esse cœtum omnium fidelium. Hos nō omnes autoritate esse pares, sed esse in Ecclesia peculiarem potestatem sive autoritatē divinitus institutam, quâ fideles tum doctrinâ, tum præceptis informentur. Hanc autoritatem plenè in Romano Pontifice Christi Vicario & S. Petri Successore residere, qui scilicet de fidei & morum controversiis ad universalem Ecclesiam pertinentibus vel per se, vel unà cum generali Concilio sufficienter constituat. Et denique ejus autoritatis usum adeò Spiritui sancto curæ esse, ut in eis, quæ ad fidem & mores fidelium constituendos pertinent, nullus error contingat. Jam igitur, cum dicimus, propositionem Ecclesiæ esse conditionem necessariam ad assensum fidei, nomine Ecclesiæ intelligimus ejus caput, id est, Romanum Pontificem per se vel unà cum Concilio ex prædicta autoritate propositiones fidei fidelibus declarantem,*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei, cap. 10. in resp. ad 15. argum. *Verbum Pontificis docentis ex Cathedra non est omninò verbum hominis, hoc est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo Dei verbum, hoc est, prolatum assistente & gubernante Spiritu sancto.*

Et postea: *Propositio fidei concluditur tali Syllogismo. Quicquid Deus revelavit in Scripturis est verum. Hoc Deus revelavit in Scripturis. Ergo hoc est verum. Ex propositionibus hujus Syllogismi prima certa est apud omnes, secunda apud Catholicos est firmissima, nititur enim testimonio Ecclesiæ, Concilii vel Pontificis, de quibus habemus in Scripturis apertissimas promissiones, quòd errare non possint. At apud hæreticos nititur solis conjecturis, vel judicio proprii Spiritus.*

Idem in Præfat. librorum de summ. Pontif. *Cùm de Primatu Pontificis agitur, de summa rei Christianæ agitur.*

Ibid. ad Rom. Pontif. accommodat dictum Propheticum Esai. 28. *Ecce ponam in fundamentis Sion, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento positum.*

Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 29. resp. ad 9. argum. *Pontifex est supra Ecclesiam.*

Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 1. §. Sed nec &c. *In disputatione de verbo Dei jam ostendimus, judicem controversiarum non esse Scripturam, nec seculares Principes, nec privatos homines, quamvis probos & doctos, sed Ecclesiasticos Prælatos. In Disputatione verò de Conciliis demonstrandum erit, habere quidem Concilia tam generalia, quàm particularia judicium de controversiis religionis, sed illud judicium tunc demum esse ratum & firmum, cum accesserit summi Pontificis confirmatio, proinde ultimum judicium esse summi Pontificis.*

Lib. ejusd. cap. 2. §. Videntur &c. *Hi autores* (Thomas, Thomas Waldensis, Johannes de Turrecremata, Johannes Driedo, Cajetanus, Hosius, Eccius, Johannes à Lovanio, Petrus à Soto, Melchior Canus.) *videntur quidem aliquo modo inter se dissentire, quia quidam eorum dicunt, Pontificem non posse errare, si maturè procedat & consilium audiat aliorum Pastorum; alii dicunt, Pontificem etiam solùm nullo modo errare posse, sed reverâ non dissident inter se. Nam posteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex maturè procedere & consulere viros doctos, sed solum dicere volunt, ipsam infallibilitatem non esse in cœtu Conciliorum* (Cardinalium) *vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice:* (NB.) *sicut è contra priores non volunt ponere infallibilitatem in Consiliariis* (in Cardinalibus) *sed in solo Pontifice; verum explicare volunt, Pontificem debere facere, quod in se est, consulendo viros doctos & peritos rei, de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pontifex erraret, si temerè definiret? sine dubio prædicti autores omnes responderent, non posse fieri, ut Pontifex temerè definiat. Qui enim promisit finem, sine dubio promisit & media, quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum, quando non temerè definit, nisi & sciremus, non permissuram DEI providentiam, ut ille temerè definiat.*

Lib. ejusd. cap. 3. §. Ultimo. *Plurimas hæreses Rom. Pont. sine Concilio generali damnavit &c. quas eo ipso pro veris hæresibus tota Christi Ecclesia habuit & exhorruit, quòd à Rom. Pontif. damnatæ essent. Ergò signum est totam Ecclesiam sentire, Pontificem Rom. in ejusmodi rebus errare non posse.*

Lib. 2. de Concil. cap. 12. §. 1. *Principia fidei vocat verbum Dei scriptum & Pontificem.*

Lib. ejusdem, cap. 17. §. 1. *Summus Pontifex simpliciter & ab-*

& absolutè est supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.

Illud inter alia argumenta. §. Quartum est &c. probat ex eo, quòd *Pontifex sit Ecclesiæ Sponsus*, (quem honorem, utpote soli Christo convenientem 2. Cor. 11. v. 2. ne quidem Johannes Baptista, quo inter natos mulierem nemo major Matt. 11. v. 10. acceptare voluit Johann. 3. v. 29.)

Lib. de Clericis cap. 7. resp. ad 3. *Ecclesia est columna veritatis, quia semper audit Petrum* (in Pontifice & per Pontificem Rom. Successorem) *pro quo Dominus oravit, ne fides ejus deficeret.*

Lib. de beat. Sanctor. cap. 8. § Secundo &c. *Eo modo canonizare Sanctos, ita ut in tota Ecclesia Sancti habeantur, communis sententia est, pertinere ad summum Pontificem &c. Nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiæ, quid sit credendum & quid agendum in iis, quæ sunt religionis, qui toti Ecclesiæ præest.*

Confer. lib. ejusd. cap. 7. §. 2. ubi *canonizationem* definit, quòd nihil aliud sit, *quàm publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti.* (Ergo juxta hanc Bellarmini hypothesin judicium Pontificis est judicium Ecclesiæ.

Lib. ejusd. cap. 9. *Pontificem & Ecclesiam* habet pro terminis ἰσοδυναμοῦσι. Nam in ἐργασίᾳ capitis §. 2. dicit, *Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum.* In ἐπιγραφῇ capitis dicit, *Pontificem non errare in canonizatione Sanctorum.* (Hæc omnia liquidò demonstrant, juxta Bellarmini hypotheses, ultimum judicium & infallibilitatem in solo Rom. Pontifice esse statuendam.)

Costerus in Enchirid. p. 134. *Penes Ecclesiam Catholicam est quidem judicium veritatis, sed quòd ea per vastum orbem diffusa sine gravissimis incommodis in unum locum coire nequeat, & pro re nata difficiliores quæstiones non rarò exoriantur, necessum erat, majori compendio Christianorum commodis fideique integritati prospicere. Christus igitur summâ sapientiâ & caritate unum judicavit in Ecclesia constituendum nominandumque hominem, cui sic suam præsentiam, sanctique Spiritus gratiam addiceret, ut de quæstionibus fidei & religionis decernens nunquam erraret, sed fidem ab Apostolis plantatam inviolatam, integramque conservaret, ad quem in dubiis recurrerent omnes, doctrinam suam ad ejus fidem collimarent, & ejus, quem non posse errorem pojponere nossent, sententiam sequerentur.* Eum vero dicit esse *Pont. Romanum, Petrique successorem, cui à Domino dictum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.*

Jacobus Gretserus tom. 1. Defens. Bellarmin. col. 1450. sine circuitione fatetur, quod multis hactenus evincere laboravimus. *Quando Ecclesiam dicimus esse omnium controversiarum fidei judicem, intelligimus Pontif. Romanum, qui pro tempore præsens naviculam militantis Ecclesiæ moderatur.*

Hasenmullerus in Hist. Jesuit. cap. 6. memorat, quòd Pater Fabricius Romæ apud S. Andream Ann. 1583. die 3. Augusti dixerit: *Nos Biblia habemus Pontificem Romanum, quem sequentes, errare & decipi non possumus. Papa etiam seipsum interpretari potest, Biblia autem nequaquam, ideò tutius illius Decretis, quàm hujus obscuritatibus confidere possumus.*

Johannes Lorinus Jesuit. in Act. 15. v. 7. *Summa est, à Pontifice maturè providendum & consultandos viros doctos, cæterum omnem infallibilitatem esse in ipso solo. Quòd si hujusmodi consultationem non adhibeat, arbitror, definienti nihilominus affore Spiritum sanctum, ne erret: alioqui sane semper anxii esse possemus, utrum Pontifex sit usus sufficiente diligentiâ.* Remittit Lectorem ad Albertum Pighium Cardinalem cujus sine dubio hæc verba designavit libr. 4. Hierarch. cap. 8. *Tametsi multorum consilia adhibeantur ad definitionem eorum, quæ referuntur ad Cathedram Apostolicam; unius tamen præsidentis autoritate & privilegio profertur indubiæ veritatis sententia.* (Omnis ergo infallibilitas in solo Pontifice residet, qui definiens ex Cathedra non errat, etiamsi non adhibeat ullam consultationem.)

Antonius de Treio Episcopus Carthaginensis, Philippi IV. Hispan. Regis ad Paulum V. Pontif. Legatus in Orat. 2. quâ definitionem quæstionis de immaculata conceptione B. Virginis Mariæ expetit, inter cætera sic loquitur, (in Histor. Legationis apud Waddingum p. 8.) *Jubeor tuam orare clementiam, ut certo & unico, quod in tuo pectore situm est remedio, seculi turbines & regnorum procellas velis prævenire.*

Et postea: *Infallibili & irrefragabili tuo oraculo dubium hoc aperire renuisti.*

Item: *Non dubito, quin citò viam, per quam æquè omnibus incedendum sit, tu verus Ecclesiæ Mercurius nobis jam tandem digneris aperire.*

Hæc omnia ostendunt, Pontificiis Ecclesiam & Pontificem esse terminos æquipollentes, Ecclesiam ab ipsis nominari, sed solum Pontificem intelligi. Cogitet v. quilibet, quàm absurdum sit, Ecclesiæ nomine collectivo solum Pontificem intelligere! Agnoscunt hoc ipsimet.

Eisengrein de Eccles. pag. 109. b. *Vox Ecclesiæ est nomen collectivum, non individui significativum.*

Bellarmin. lib. 3. de Eccl. cap. 16. §. Resp. ad primum: *Duo homines non sunt Ecclesia, sed tantum initium Ecclesiæ.* Multò igitur minùs unus homo est Ecclesia.

Lib. ejusd. cap. 17. §. Ultimo. *Una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnum Dei.*

CAPUT. II.

De Pontificis Romani fallibilitate.

QVEMADMODUM Gerson Cancellarius Parisiensis tractatum de *auferibilitate Papæ*, ita non absurdè huic capiti, in quo demonstrandum erit, Pontificem Romanum in rebus fidei errare posse, ac proinde *primum illud ac summum Papalis fidei principium esse incertum, lubricum & ruinosum*, titulum præfigimus, *de Pontificis Romani fallibilitate.* Esto ergò

Thesis. *Pontifex Romanus in rebus fidei errare potest, ac, proinde non est infallibilis.*

Ἔκθεσις. 1. Dicimus, Pontificem Romanum in rebus fidei errare posse, non solum, ut est *persona privata*, quod quidam ex Adversariis concedunt, sed etiam ut est *persona publica* & ex cathedra pronunciat. 2. Pontificem ex cathedra pronunciantem non solùm in *quæstionibus facti* errare posse dicimus, quod Adversarii concedunt, sed etiam *in quæstionibus fidei.* 3. Pontificem tunc errare dicimus, si à *regula fidei* in Scripturis sacris proposita discedat, ac proinde ipsius decreta ex Scripturis examinanda esse asserimus. 4. Petrum, quem primum Pontificem Romanum fuisse falsò asserunt, post acceptum Spir. sanctum *in omnem veritatem* ab eo ductum fuisse Joh. 16. v. 13. concedimus, sed tale privilegium non errandi Pontificibus Romanis cempetere negamus.

Antithesis. Bellar. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 2. *Sententia est certissima, pontificem, sive hæreticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid hæreticum à tota Ecclesia credendum. Hæc est communissima opinio ferè omnium Catholicorum, ut Thomæ 2. 2. q. 1. art. 10. Thomæ Waldensis lib. 2. doctrin. fidei cap. 47. & 48. Joh. de Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 109. & seqq. Driedonis lib. 4. de Eccles. dogmat. cap. 3. Cajetani in opusc. de potest. Papæ & Concilii cap. 9. Hosii lib. 2. cont. Brentium, qui est de legitimis judicibus. Johann. Eccii lib. 1. de primatu Petri cap. 18. Johannes à Lovanio lib. de perpetua Cathedræ protectione & firmitate cap. 11. Petri à Soto in Apolog. part. 1. cap. 83. 84. & 85. Melch. Cani lib. 6. Loc. cap. 7.* Ibid. paulò ante Bellarm. sic disserit: *Catholici in his duob. conveniunt, Primò, Pontificem cum generali Concilio non posse errare in condendis fidei Decretis, vel generalibus præceptis morum. Secundò, Pontificem solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* Quinimò lib. 3. de V. D. cap. 10. in resp. ad 15. arg. scribit: *Verbum Pontificis ex cathedra pronunciantis non esse omninò verbum hominis, i. e. verbum errori obnoxium, sed aliquo modo Dei verbum.* Staplet. in relect. princ. controv. 4. q. 1. art. 1. p. 433. *Hæretici volunt, Ecclesiam* (id est, Pontificem Romanum, ut docet ultima analysis) *esse verbo Dei annexam, h. e. non aliâ conditione illam audiendam esse, nisi verbum Dei proferat, aut nisi consentanea Scripturæ doceat. Hæc a. cōditio apposita verè est hæretica.* Et postea: *Ecclesiæ* (Romani Pontificis) *testificantis & docentis vox sic ab omnibus fidelibus est audienda, ut non de ea judicemus, rectène, an secus docuerit, sed satis nobis sit, quod Ecclesia hoc vel illud docuerit.* Becan. in resp. ad Aphorism. Jes. p. 80. *Pontifex in sua persona potest errare circa res fidei, sed in pascendis ovib. & gubernandis Christianis, non potest falsam doctrinam illis instillare.* Id declarat hac similitudine: *Rex habet duos filios, dat illis Pædagogum, qui ipsorum studia moderetur. Pædagogo, tametsi per se errare & perverti possit, adjungit virum maturum, & prudentem, à quo ita dirigatur & observetur, ut filios à Rege sibi commissos pervertere non possit: sic Christus agit cum*

Pontifice, dat illi instituendos Christianos & ne illos pervertat, adjungit illi Spir. sanctum, per cujus assistentiam & gubernationem ita gubernetur, ut fideles non possit in errorem ducere.

Nostram sententiam probamus ex eo 1. quòd absoluta illa infallibilitas Pontificis non possit aliquo perspicuo & evidente Scripturæ dicto demonstrari, De Petro, de summo Sacerdote V. T. quædam proferuntur dicta, sed de Pontifice Romano nullum. 2. quòd Pontifices V. T. quorum tamen ordo à Deo institutus erat, erraverint, ut *Aaron* Exod. 32. *Urias* 2. Reg. 16. *Passur* Jerem. 8 & 20. *Jason* per pravas sanctiones 2. Macc. 4. *Caiphas & Hannas* Matth. 26. Joh. 9. & 11. Act. 4. 7. & 23. &c. Huc referendæ sunt Propheticæ querelæ de erroribus Sacerdotum Esai. 28. v. 7. Jer. 2. v. 27. cap. 26. v. 11. Ezech. 22. v. 26. &c. 3. quòd fuerit perversa Judæorum opinio à Prophetis reprobata, summos Pontifices non posse errare. Jer. 7. v 4. cap 18. v. 18. 4. quod omnis *Pontifex ex hominibus assumtus eandem infirmitatem, quâ priùs*, ut persona privata, *circumdatus erat, retinet*, Hebr. 5. v. 2. ac proinde etiam errare potest, nisi ductum verbi sequatur. 5. quòd solis Prophetis in V. & Apostolis in N. T. privilegium absolutæ infallibilitatis competat, unde *Ecclesia super fundamentum eorum dicitur extructa* Ephes. 2. v. 20. Qui non est immediatè à Deo vocatus, ille frustra jactitat privilegium non errandi, utpote quod Prophetis & Apostolis immediatè à Deo vocatis fuit proprium. Pontifex Rom. non est immediatè à Deo vocatus. Ergò. 6. quòd omnes reliqui Ecclesiæ Doctores ad *regulam verbi* in Propheticis & Apostolicis scriptis propositi sint astricti. Deut. 4. v. 2. Esai. 8. v. 9. Matth 28. v. 20. Galat. 1. v. 8. &c. 7. quod Concilia non essent necessaria, si Papa solus omnia fidei dogmata, & omnes religionis controversias infallibiliter definire posset. 8. quod *multi Pontifices inventi sint à fide apostatasse*, ut Lyranus in cap. 16. Matth. testatur.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam concedunt, Pontificem in rebus fidei errare, ac hæreticum fieri posse.

c. Si Papa. dist. 40. *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus nihilominus, innumerabiles animas catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Hujus culpas isthic redarguere præsumat mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus nisi deprehendatur à fide devius.* (Si ergò propter hanc unicam causam judicari potest, utique etiam à fide deviare potest. Bellarminus primò excipit, *Canonem hunc loqui de personali, non de judiciali errore.* Sed quia antea dixerat, *probabile esse & piè credi posse, Papam, etiam ut particularem personam, hæreticum esse non posse*, cum quo hæc exceptio pugnat, ideo statim subjicit: *Si demus, Papam posse esse hæreticum, hoc solum erit, negando aliquam veritatem antea definitam, nam ipse non potest hæreticus esse, dum novi aliquid definit, quia tùm non sentit contra aliquid definitum ab Ecclesia.* Sed perinde nobis est, sive Papa veteri hæresi subscribere, sive novam hæresin in Ecclesiam introducere possit, non minus enim hæreticus est qui veterem, quam qui novam hæresin tenet, ac qui veterem hæresin tenere potest, potest etiam novam hæresin introducere.)

c. Diaconi. dist. 93. ex Hieronymo *Nunc, ex quo in Ecclesiis, sicut in Romano Imperio, crevit avaritia, perit lex de Sacerdote, & visio de Propheta. Singuli quippe per potentiam Episcopalis nominis, quam sibi ipsi illicitè absque Ecclesia vendicarunt, totum quod Levitarum est, in usus suos redigunt, nec hoc sibi quod scriptum est, vendicant, sed cunctis auferunt universa.* (Agitur in his verbis indefinitè positis præcipuè de Pontifice Romano, ut totus contextus ostendit.)

Adrianus VI. pontifex Romanus lib. 4. sentent. de Sacram. Confirm. art. 3. §. ad 2. principale. *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quòd possit errare in his, quæ tangunt fidem, hæresin per suam determinationem aut Decretalem asserendo. Nonnullos etiam Pontifices* dicit *fuisse hæreticos.* (Accuratè nota, quod Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. ac lib. ejusdem cap. 10. resp. ad 21. inter eos Catholicos, qui statuunt, *Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse hæreticum. & docere hæresin, si absque generali Concilio aliquid definiat, & de facto aliquando accidisse*, numeret hunc Adrianum VI. Quamvis verò Adrianus hæc scripserit antequam conscenderet Sedem Papalem, cum adhuc esset Professor Lovaniensis, tamen hanc sententiam non reperitur retractasse postquam ad Papatum evectus fuit. Hanc ergo ingenuam confessionem in Bellarmino laudamus, sed hac ratione pessimè summo fidei Papalis principio consulit, & asciam propriis cruribus illidendo insanabile vulnus sibi ipsi infligit. Aut enim Adrianus Pontifex hæc definiens vera loquitur, aut falsa. Si vera loquitur, errare possunt Pontifices, etiam in his quæ tangunt fidem, hæresin per suam determinationem asserendo, quia Adrianus de ipsis hoc asserit. Si falsa loquitur, iterum sequitur, Pontifices posse errare, quia Adrianus hæc de illis asserens erravit.)

Nicolaus Pontif. Rom. c. Sententiam caus. 35. q. 9. *Romanæ Sedis sententiam in melius commutari posse* asserit.

Æneas Sylvius (postea Pontifex Pius II.) libr. 1. de gestis Concil. Basil. p. 19. taxans eos, qui nolunt Concilia congregari sine autoritate Papæ, inter cætera sic scribit: *Quid remedii erit, si criminosus Papa perturbet Ecclesiam, si animas perdat, si pervertat exemplo malo populos, si denique contraria fidei prædicet, hæreticisque dogmatibus imbuat subditos?*

Ibid. p. 9. *De Romanis Pontificibus liceret exempla admodùm multa referre, si tempus sineret, quoniam aut hæretici, aut alii imbuti vitiis, sunt recepti. Nec nos fugit, Marcellinum jussu Cæsareo idolis thus sacrificasse, alium verò quod majus & horribilius est, Diabolicâ fraude Rom. Pontificatum ascendisse.*

Glossa in c. à recta. caus. 24. q. 1. *Quæro, de qua Ecclesia intelligas, quod hic dicitur, quòd non possit errare? Si de ipso Papa, qui Ecclesia dicitur, c. Scire debes. caus. 7. q 1. Sed certum est, quòd Papa errare potest c. Anastasius. dist. 19 & c. Si Papa. dist. 40. Respondeo, ipsa congregatio fidelium hic dicitur Ecclesia c. Ecclesia. de consecrat. dist 1. & talis Ecclesia non potest non esse, nam ipse Dominus orat pro Ecclesia &c.*

Eadem Glossa in c. Præterea. dist. 23. ad verbum, Fallat &c. sic annotat: *Non ergò Papa habet omnia jura in pectore suo. Unde etiam Urbanus dicit, quòd non reperitur prohibitum, quin vir & uxor simul possint suscipere puerum, ut 30. q 4. quòd autem. Et tamen antecessor hujus Leo illud prohibuerat, de consecrat. dist. 4. non plures. Et hoc concedo.*

Eadem Glossa in c. Si Papa. dist. 40. quærit: *Nunquid Papa posset statuere, quòd non posset accusari de hæresi? Respondet, quòd non, quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia, quod non licet.*

Eadem Glossa in cap. Quoniam. de renunciatione in 6. *Papa etiam invitus propter hæresin deponi posset c. si Papa dist. 40.*

Et postea: *Papa propter solam hæresin deponitur, sed alii Prælati propter insufficientiam deponuntur.*

Panormitanus c. Significasti extr. de Elect. *Concilium potest damnare Papam de hæresi, ut in c. Si Papa. dist. 40. ubi dicitur, quòd Papa potest esse hæreticus & de hæresi judicari.*

Ibid. *Privato homini & fideli, qui meliores rationes afferat, potiùs credendum quàm toti Concilio aut Papæ.*

Albertus Magnus in cap. 16. Joh. *Non tibi tradissemus eum, nos qui sumus tantæ autoritatis & religionis. Similes adhuc summis Pontificibus nostris, qui ex sola autoritate innocentes opprimunt & credi sibi in sanguine innocentum volunt. Est enim de nostra autoritate tanta præsumtio, quòd nihil perperam faciamus.*

Lyranus in cap. 16. Matth. *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quia multi Principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse à fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia & vera confessio fidei & veritatis.*

Guilielmus Occam9 Minorita (qui vixit circa annum 1320.) quindecim rationibus & multis exemplis demonstrat, quod *Papa Canonicè intrans possit errare contrà Catholicam veritatem.*

Lib. 7. Dialogi part. 1. cap. 70. *Una causa, ex qua multitudo Christianorum Papæ hæretico adhæret, est falsa & erronea æstimatio, quam habent nonnulli de Papa. Est enim ea æstimatio multiplex. Quidam enim putant, quòd Papa peccare non potest, quemadmodum quidam imaginantur, & quod in loco antiquo legi, in favorem Sergii Papæ tradiderunt. Unde quidam ut audivi his temporibus publicè dicunt, quòd Papa est Deus in terris, non quidem ut omnes Sacerdotes dicuntur Dii, qui tamen peccare possunt, sed sic ut malefacere nequaquam posset, & in terris omnia, quæ vult, possit. Quidam putant, quòd Papa contra fidem errare non potest. Quidam putant, quòd licet Papa peccare & errare contra fidem possit, de omnibus tamen, quæ facit, debemus supponere, quòd sint bene facta, & de nullo quod facit, licet nobis judicare, quòd sit male factum. Quidam putant, quòd licet valeamus reputare, aliqua facta esse mala &*

la & malefacta, tamen nulli licet Christiano Papam arguere vel judicare, reprehendere aut aliquam contra eum judicialiter ferre sententiam. Et ex his quatuor æstimationibus falsis de Papa & ex qualibet earum accideret, quod Papa effecto hæretico ei Christiani aliqui adhærebunt.

Idem cap. 123. operis nonaginta dierum. Si Papa per quamcunque potentiam definiret aliquid contra illud, quod scientia dictat definiendum in fide & in bonis moribus, definitio sua nulla penitus esset, imo liceret cuilibet Christiano hoc scienti ipsam detestari, conspuere & sicut hæreticam reprobare.

Petrus de Alliaco lib. de reformat. Ecclesiæ oblato Concil. Constant. vehementer urget Concilium generale, inter cætera hoc argumento: Reformatio totius corporis Ecclesiæ & particularis Ecclesiæ Romanæ est de arduis pertinentib. ad fidem. Nam ejus generalis deformatio non mediocriter fidem tangit & per consequens ejus quoque reformatio. Ideo in hoc non debet Papa aut ejus Curia deliberationem generalis Concilii respuere, quia sicut dicit glossa dist. 19. super c. Anastasius, Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, ubi agitur de fide, quod non solum intelligo de articulis fidei, sed de arduis tangentibus universum statum fidelis Ecclesiæ, quod notavit Archidiaconus 15. dist. c. Sicut, ubi dictam glossam approbans addit, quod nimis periculosum esset, fidem nostram committere arbitrio unius hominis. (Si errare non posset, hoc non esset periculosum.)

Johan. Gerson lib. de appellat. à Papa. n. 14. Tam Papa, quam Episcopus sunt à fide deviabiles.

De exam. doctrin. consid. 5. Staret, quod aliquis simplex non autorisatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum, in casu doctrinali, suæ assertioni, quam Papæ declarationi, constat enim plus esse credendum Evangelio, quam Papæ.

Panormitanus super 2. primi c. Quanto. fol. 7 col. 3. Nemo potest corrigere Papam, nisi incideret in hæresin, & tunc potest deponi per Concil. generale.

Alphons. Tostatus defens. p. 2. cap 30. Papa potest errare in fide & operibus, & effici hæreticus, ut in Marcellino, Liberio & Johanne XXII. apparet. Neque sequitur, Papa condemnat aliquam propositionem tanquam hæreticam, ergo est hæretica.

Idem Tostatus q. 11. in cap. 18. Exodi: Summus Pontifex, in quantum est unus Judex, errat aliquando, quia non cognoscit omnia, licet dicatur habere omnia jura in scrinio pectoris sui, ut patet in 6. dist. rescriptis c. Licet Romanus. Et sicut aliquando contingit eum peccare mortaliter, perdendo caritatem: ita contingit eum perdere rectum judicium, quantum ad aliquid.

Et paulò post: Romanus Pontifex licet magnam habeat potestatem, interdum non est vir multum virtuosus, quia tamen non habet Deum ita ei respondentem ad omnia, sicut habebat Moses, facilius errare potest.

Id. in 1. Reg p. 147. col. 1. Persona est eadem numero Gregorius ut Papa, & ut non Papa, & ideo æqualis sapientiæ est utroque modo, sed non æqualis potestatis, quia Papatus potestatem addit. Potestas autem est ad aliquid jubendum, non aliquid verius dicendum. (Opponendum hoc distinctioni Jesuiticæ, quod Papa erret ut privatus, non ut Papa.)

Dionys. Carthusian. in festo S. Hilarii. Nec verba Hieronymi possunt sic sumi, quod omnes summi Pontifices fuerunt & erant vere Catholici, quia hujus oppositum legitur in multis locis.

Antoninus part. 3. Summ. tit. 22. cap. 7. in fin. Cum omnia possit Papa, potest etiam hoc, quod est commune omnibus, sc. errare & peccare juxta illud, Omnis homo mendax.

Nic. Cusanus lib. 1. de Conc. Cathol. cap. 14. Tam in successione directa, in linea recta Pontificum Romanorum, quam collateralium certi Pontifices in hæresin ceciderunt.

Lib. ejusd. cap. 15. Judicium fidei non est semper in nutu unius Pontificis definibile, quia hæreticus esse potest. Cap. 17. Papa etiam à fide potest excidere.

Marsilius Patavinus in defens. pacis: In concernentibus fidem, unius etiam privati ac Laici dictum præferendum est dicto Papæ, si moveatur melioribus autoritatibus V. ac N. Test. quam Papa.

Joh. de Turrecremata lib. 4. Summ. de Ecc. part. 2. cap. 20. Papam eo ipso quò in hæresin incidit, etiam interiorem tantum, esse extra Ecclesiam & depositum à Deo, quocirca ab Ecclesia posse judicari, id est declarari, esse depositum jure divino & deponi de facto, si adhuc renuset cedere.

In c. Si quis pecunia. dist. 39. n. 6. concedit, Papam posse fieri hæreticum, & quæ sunt illis annexa aut necessaria.

Petrus de Palude lib. de potest. Eccl. Papa quando labitur in hæresin, tunc eo ipso est præcisus ab Ecclesia, & desinit esse caput.

Baldus ad c. Cum adeo X. de rescript. Papa est homo, & quandoque patitur lethargum.

Idem consil. 389. Papa in causa Regis Roberti magis fuit partialis quam Apostolicus.

Carolus Galliæ Rex in Decreto de abrogatione Annatarum Ann. 1406. publicato, inter cætera sic loquitur: In illis, de quibus notorie turbatur Status Ecclesiæ, etiam Papæ non obœdire, consulunt sancti Doctores.

Theodoricus à Niem in tract. de Schismate (circa Annum 1418.) Dominus quilibet Papa, & omnes Domini Cardinales, & omnes Ecclesiastici Prælati, & omnes Christiani, cum sint omnes filii Adæ & Evæ, in quibus ex inobœdientia peccato & errore corrupta est humana Natura &c. possunt quandoque errare, peccare, decipere & decipi, & incaute, & inconsulte, & indiscrete, & stulte & dolose.

Patres Concilii Basileensis in Epist. Synodica 3. scribunt, se sæpius expertos esse & legisse, Papam errare.

Thomas de Corcellis circa Annum 1428. apud Æneam Sylvium in Hist. Concil. Basil. Fides Ecclesiæ, cujus personam Petrus gestabat, intemerata semper permansit. De Romanis vero pontificibus liceret exempla admodum multa referre, quoniam hæretici, aut aliis vitiis imbuti, sunt reperti.

Johannes Wesselus Gröningensis, vulgo Lux mundi dictus circa Annum 1455. in libro, cui titulus Farrago, inter cætera sic scribit: Mihi sane non parvæ illorum causæ videntur, qui propter indubitatam Scripturæ autoritatem necessario confitendam in probabili sententia Pontificum discesserunt &c. A puero mihi semper ridiculum & indignum fuit visum, credere, aliquem hominem suo Decreto posse facere, quo bonum in oculis Dei, ut quatuor, fieret bonum ut octo, solo Decreti humani accessu aut interventu.

Ibid. Subditi non tenentur credere Papæ, nisi recte credenti. Obligamur enim credere melius credenti, & fides nostra non homini, sed Spiritui sancto obligata. Valde namque periclitaretur via justi, si penderet ex via Papæ, cum summorum pontificum plerique pestilenter errarint, ut novissimis diebus nostris in Concilio Constantiensi claruit. Benedictus, Bonifacius & Johannes XXIII. qui graviter fidem lacerarunt. Et nostris postremis diebus Pius II. & Sixtus IV. quorum alter patentibus bullis regna terrarum sibi vendicavit, alter turpissimas dispensationes, non solum super præstito in causa civili juramento, sed etiam de præstando, de plenitudine potestatis plumbatas bullas emisit, in abusu potestatis Apostolicæ.

Ibid. Cum ergo non homini credere oportet, neque Papæ oportebit. Valde enim in ambiguo fluctuaret fides nostra, si illi credendum, qui ipsemet sæpe errat, ut in & ex Decretalibus convinci potest, & Rabbino Andegavis publice in cathedra arguenti mihi confessus fuit, inquiens: Si hæc ita sunt, universum nostrum fundamentum falsum est. Si ergo canonibus jam solenniter publicatis aut authentice roboratis credere non oportet, quia sunt contra sacrum Canonem, non Papæ ulli credere oportet, sed diligere, venerari & obœdire, quando recte officio fungitur.

Id. Non parum horrori mihi est verbum istud tuum, quo mones, quod magis mihi pro ratione debet esse autoritas Papæ. Nunquam Parisiensi Facultati Theologicæ, non dico ratione major fuit, imo nunquam fuit pro ratione Clementis Papæ autoritas, quoniam temeritatem illius Angelis præcipientem reprehenderunt & correxerunt, quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellent, elargiebatur. Item quando indulgentias à pœna & culpa publicabat, horum tamen eorum hodie plumbatæ bullæ reperiuntur. Tu tamen mones, hujusmodi Papæ autoritatem non solum pro ratione, sed & super rationem esse mihi debere. Quæ quæso in his ratio mea, nonne Scriptura sacra? Nunquid vis Papæ autoritatem supra sacram Scripturam ferre? Papæ voluntas & Scripturæ autoritas non æque constituta sunt, sed ut voluntas Papæ secundum Scripturæ veritatem, non veritas sacræ Scripturæ à Papæ voluntate regulanda sit.

Jacobus de Paradiso in lib. de septem Statibus Ecclesiæ circa Annum 1457. Si singulis membris medicina est parata, cur capiti denegatur? cum hoc magis indigeat sanatione quam alia, quia eo ægrotante omnia membra ægrotare videntur. Nisi forte quis insaniens ad hunc errorem prorumpet, quod diceret, Papam impeccabilem & indeviabilem, quasi jam extra terminum viatorum volentes eum collocare. Non recensent, Petrum primam Papam fuisse reprehensum à Paulo uno, singulari & sibi inferiore, ad Galat. 2. Et Ecclesiastica Historia, & Speculum Historiale, & certa ac indubitata experientia manifestat, cum & in fide & in moribus similem esse posse

cæteris peccatorem ex vertibilitate liberi arbitrii nondum confirmati.

Idem. *Inspiciamus primum Papam, qui cum in vera fidei confessione Christum DEI filium pronunciasset, dictum est ei à Christo, Beatus es Simon Bariona. Cum vero à vera Dei regula, quoad Christi passionem impediendam (quanquam pie illud visus fuisset sensisse) ei dixisset. Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Respondit Jesus Petro, Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Matth. 16. Ecce qualis mutatio facta est in eodem homine, non mutata persona, sed habitu mutato de beatitudine in Satanam! Et si simile contingeret in persona Papæ, cur non simile sibi attribueretur in appellatione, cum ipse Successor sit Petri? non inde potestas culpatur, sed vitium personæ in reprobum sensum mutatæ.*

Johan. Franciscus Picus Mirandul. de fide & ordine credendi theor. 16. *Si pars major contra divinas literas contraque ea, quæ violare nefas est, decernere quicquam vellet, reliquis qui pauciores essent, contranitentibus, numero minori adhærendum esset, quemadmodum accidit in Ariminensi Concilio & in Ephesino secundo. Quinimo simplici potius rustico & infanti & aniculæ, quam & Pontifici Maximo & mille Episcopis credendum, si contra Evangelium isti, illi pro Evangelio verba facerent.*

Lib. 1. de injust. excomm. Hieronymi Savanarolæ cap. 1. *Plerique cum Theologorum, tum juris Interpretum asseverantissime voluerunt, Pontificem, Conciliumque in dirimendis controversiis hallucinari posse, pro vero falsum pronunciantes, præterque rationes afferunt exempla, quandoquidem & Ariminense & Ephesinum II. & Aquisgranense aliaque nonnulla aberrarunt. Et summorum Pontificum alius Arianæ pravitati subscripsit, alius idolis sacra fecit, alius aliter devia sectatus est.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 15. num. 33. *Promulgatores Indulgentiarum allegant absolutam autoritatem summi Pontificis, de cujus potentia illud Sap. 12. induci potest: Nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes? non enim est alius Deus, sc. terrestris, quam tu. Mox postquam aliquis veritatis zelator verbum superioritatem Ecclesiasticam mordens profert, hæreticus accusatur, igni deputatur & morte dignus condemnatur, penitusque opprimitur, quia inutilis est nobis & contrarius operibus nostris. Sap. 2. Aliter nos instruit exemplo patientiæ & doctrinæ primus Papa, cui discipulus in faciem restiterat, Gal. 2.*

Num. 34. *Summi quoque Pontifices illud pestiferum considerant dictum: Non præsumi, tantæ celsitudinis apicem errare. Verum Pontifex tot monstris Dæmonum & impiorum aulicorum obsessus magis, quam stipatus, non potest errare, nisi cum totius Ecclesiæ maximo damno. Assentatur insuper eidem Pontifici adulatione illa, in pectoris sui scrinio esse omnia jura, unde in V. T. Pontifex rationale ferebat in pectore. Sed pectus Papæ non semper justum, exinde nonnullæ injuriæ sæpe emanant, quia carneum est, atque Papa homo unus ex ipsis, quorum curam habet. Omnis namque Pontifex ex homin. b. assumitur, quibus aliquando non solum errores, sed portenta placent. Et licet Papa cum Cardinalium cœtu censeatur esse Ecclesia repræsentativa & virtualis, tamen errare potest, tametsi universalis Ecclesia, quam repræsentat legitimum Concilium generale, errare nequeat, uti doctissime probat quidam Cardinalis Cameracensis. Advertendus est itaq; Papa, quando ut Papa, id est, secundum Canonicam Scripturam loquitur, non quando pro arbitrio sui capitis præfatur. Alioquin multorum crudelium Pontificum cædes, hæreses, factiones, aliaque facinora præsumerentur fuisse beneficia piorum Pastorum, cum tamen fuerint immania Tyrannorum Latrocinia.*

Num. 35. *Plerique contra Ecclesiastica Statuta in Pontifices Simoniace electi, ambitiose intrusi, & aliquando in tantum vitiati fuerunt, quod rursus ab Ecclesia rejecti, è sede expulsi, damnatique sunt, ac interdum propter suos defectus manifeste à Deo percussi. Quocirca in Canonib. cavetur, quod sententiam Romanæ Sedis commutare, & ea, quæ non sunt bene definita, retractare licet. Quinimo unus Papa alterius Indulgentias, etiam licite prius concessas, plerumq; revocat. Verum etiam Sixtus IV. indulgentias à seipso concessas plerumque revocat.*

Cap. 19. n. 4. *Ecclesia quidem regitur à Spiritu sancto, sed ejus rectores tanquam homines fragiles, quandoque à Spiritu maligno exagitantur. Ita Papa Liberius Arianæ hæresi consensit. Ita fœmina Agnes, quæ ultra biennium Papatum occupavit, impregnatur ac palam peperit prolem. Unde non omnis Papa est sanctus, sed aliquando ceu reprobatus punitur. Exemplo est Anastasius II. natione Romanus. Plures quoque in canonib. reperiuntur Pontificum facta esse correcta, tanquam iniqua, alioquin Julii III. acerbitates essent sancta &c. Si omnium Pontificum sancita essent inviolabilia, veluti Evangelia, certè Sedes Apostolica hujusmodi Pontificum sancita, prout sæpe contingit, non enervaret, neque commutaret, neque unus Papa alterius sui legitimi Antecessoris Decreta vel indulta revocaret neq; infirmaret. Alioquin Christus, cujus personam uterq; Papa successivè gerere gestit, esset divisus. Ad hoc optimè sacra Scriptura affirmat, Paulum primo Papæ Petro reprehensibili in faciem restitisse.*

Joh. Aventinus lib. 5. Annal. memorat, *Gregorium VII.* (Hildebrandum) *Antichristum propterea dictum fuisse, quòd semetipsum errare non posse gloriaretur.*

Lib. 7. sic scribit: *Eberhardus Episcopus Juvaniæ vocavit nomen blasphemiæ scriptum in fronte Antichristi, quòd dixerit, Deus sum, errare non possum.*

Anton. de Rosellis in tract. de Imp. & Papæ potestate, circa finem, vers. unde conclusio &c. statuit, quòd *Papa perseverans in notorio scandalo de hæresi est suspectus, videlicet quòd non credat, Deum ultorem esse criminum, sive aliam vitam.*

Volaterranus lib. 22. Anthrop. probat, *Pontifices quandoq; gravissimè errasse.*

Gundisalus de Villadiego tract. de hæret. q. 7. n. 7. &

Joh. de Pisauro in consiliis Bruni consil. 114. n. 6. fatentur, *Pontificem errare posse.*

Jacobus Almain de autorit. Eccles. cap. 10. *Papa potest errare errore judiciali, de errore personali omnibus notum est.* (quam propositionem ibid. prolixè confirmat.)

Caranza controv. 4. postquam prolixè tractasset illorum sententiam & argumenta, qui asserunt, *Papam non posse esse hæreticum,* subjicit: *Hæc solutio non involvitur tantis difficultatibus, atq; aliæ præcedentes. Sed utinam tàm vera esset quàm est facilis & pia! Non ausim affirmare, nec est verosimile, nullum Episcopum Romanum in fide errasse.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 2. *Papam solum, absque congregatione Concilii, posse in iis, quæ ad fidem spectant, errare, multi non contemnendæ autoritatis Theologi asseruerunt, imò aliquos Pontifices summos in fide errasse compertum est. Deinde si tanta esset solius Papæ autoritas, quanta totius Concilii plenè & rectè congregati, frustrà tantus labor pro Conciliorum congregatione sumeretur. Ad cùm semper judicatum fuerit, Conciliorum congregationes maximi esse momenti, ad lites, quæ de rebus fidei emergere subinde contigit, tollendas, convincitur inde, aliquid magis esse autoritatis penes totum Concilium rectè, ut decet, congregatum, quam penes solum Pontificem. Unde manifestè error Gratiani deprehenditur, qui in volumine Decretorum in exordio dist. 20. ita dicit: Decretales itaque Epistolæ canonibus Conciliorum pari jure exæquantur. Hoc autem vel ex eo convincitur esse falsum, quòd nulla recta ratio patitur, ut regula, quæ à rectitudine deviare potest, nullo pacto sequetur rectissimæ atque certissimæ, infallibiliq; regulæ.*

Lib. ejusd. cap. 4. *Omnis homo errare potest in fide, etiamsi Papa sit. Nam de Liberio Papa refert Platina, illum sensisse cum Arianis, & Anastasium II hujus nominis Pontificem favisse Nestorianis, qui Historias legerit, non dubitat. Cœlestinum Papam etiam errasse circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresin, res est omnibus manifesta. Neque hic Cœlestini error talis fuit, qui soli negligentiæ imputari debeat, ita ut illum errasse dicamus, velut personam privatam & non ut Papam, qui in qualibet re seria definienda consulere debet viros doctos, quoniam hujusmodi Cœlestini definitio habeatur in antiquis Decretalibus, in cap. Laudabilem. tit. de conversione infidelium, quam ego ipse vidi, & legi. Si ergò nulli homini puro tenemur in interpretatione sacrarum literarum credere, propterea quòd quilibet homo solus errare potest, erit necessariò judicium interpretationis penes totam Ecclesiam.*

Lib. ejusd. cap. 8. *Nomen Sedis Apostolicæ non pro solo summo Pontifice debet accipi, cùm hic in fide errare possit, ut superiùs de Liberio & Anastasio & Cœlestino ostendimus, sed Sedes Apostolica, quæ nunquam erravit, comprehendit tam Collegium, cujus consilio juvatur Pontifex, quam ipsum Pontificem. De hac autem Sede non constat eam aliquando errasse &c. Quapropter justum est, ut in re tanti momenti, qualis est fides Catholica, consulat fratrum suorum Collegium, antequam quicquam definiat, adjunctis etiam, si id possibile foret, viris aliis sanctitate perinde ac doctrinâ eminentibus.*

In prima editione libri Alphonsini An. 1534. sub prelo Alcensiano lib. 1. cap. 2. hæc habentur: *Papa in fide errare potest, ut meliùs sentientes tenent, etiam ex his, qui Papatui plurimum favent, inter quos est Innocentius ejus nominis quartus Pontifex, in cap. primo de summa Trinitate.* Lib. 1. cap. 4. hæc habentur: *Non credo aliquem esse tam impudentem Papæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, nec in interpretatione sacrarum literarum*

rum hallucinari possit. Item: *Pontifices posse errare constat ex eo, quod plures eorum adeo illiterati fuerint, ut Grammaticam penitus ignoraverint*, Sed in posterioribus editionibus hæc sunt omissa. Interim sufficit nobis, quod Alphonſ. de Castro adhuc testetur, *Pontifices, etiam ut Pontifices, errare posse.*

Erasmus in annot. 1 Cor. 7. p. 337. *Si verum est, quod quidam asseverant, Pontificem Romanum errore judiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus Conciliis, quid opus in Concilium accersere Jurisconsultos, ac Theologos eruditos, si pronuncians labi non possit? cur datus est appellationi locus vel ad Synodum vel ad eundem rectius edoctum, posteaquam semel de causa pronunciavit Pontifex? quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei quæstionibus distorqueri, cum ex uno Pontifice, quod verum est, audire liceat?*

Et postea: *In causa fidei Schola Parisiensis aliquando publicitus improbavit Romani Pontificis sententiam, eumque ad palinodiam compulit, si qua fides Historiis.*

In annot. Gal. 2. v. 11. *Articuli Parisienses dicunt, Petrum in fide errasse.*

In supput. error. Bedæ p. 4. *Hæc à me dicuntur, non ut infimulem Facultatem* (Parisiensem,) *sed quod excusatum velim, si quid scripsit Beda, quod ea Facultate sit indignũ, ut certe scripsit permulta tam manifestæ falsitatis, ut etiamsi summus Pontifex ea probaret, sim appellaturus ab eo dormiente ad eundem vigilantem.*

In Præfat. Hilarii; *Quidam, posteaquam nihil non definierant de rebus divinis, novam etiam in his, qui nihil aliud sunt, quam homines, θεότητα commenti sunt, quæ quidem plus quæstionum & atrociores tumultus exaravit orbi, quam olim Arianorum temeritas.* (In margine notatur, *de potestate Rom. Pontificis.*)

Ambrosius Catharinus lib. de cert. grat. assert. 13. *Neque enim quodcunque Pontifices in suis Decretis enunciative aut opinative magis, quam decisive loquuntur, illud haberi debet q. decisum & determinatum, ut ipsi attestantur. Nam ipsemet Innocentius in c. Literas de restit. spoliat. cum proposita esset quæstio quadã, circa quam erat oraculum Clementis Papæ, non habuit oraculum illud pro determinatione, imo nec ipse voluit determinare. Magnum enim esset ac vere nimis durum, ex quovis prolato Pontificum alligare intellectum sapientum, non enim semper & in omni verbo assistit illis Spiritus sanctus.*

Idem in Comm. Gal. 2. *De quolibet alio Papa, præter B. Petrum, conclusio sit. Nihil prohibet, Papam errare etiam in fide ac deficere, etiamsi quidam novitii Scriptores ausi sunt oppositum defendere, præter communem sensum Doctorum.*

Andreas Fricius lib. 4. de Rep. emend. cap. 5. *Eugenius IV. hæreticus & schismaticus à Concilio Constantiensi pronunciatur, quia scripta schismatica à fide devia & hæretica, quæ tamen ipse sententiam definitivam appellaverat, in publicum sparserit. Atque hoc est, quod mea sententia dictis illorum valde repugnat, qui omni asseveratione affirmare audent, numeratis omnibus Pontificibus, à Petro ad Julium III. nullum unquam hæreticum sedisse in Curia Romana.*

Arboreus in Theosophia lib. 4. cap. 32. *Papa potest errare in fide, & aberrant illi tota via, qui aliter sentiunt.*

Ibid. *Vocat eos assentatores, qui eum immunem à lapsu hæreseos & schismatis dicunt.*

Genebrard. lib. 4. Chronol. pag. 807. *Multi Papæ fuerunt apostatici.*

Corn. Agrippa de vanit. scient. cap. 62. *Inter Romanos Pontifices multos schismaticos, reprobos & hæreticos, aliquando etiam fœminam ad tanti apicis culmen conscendisse legimus.*

Theophrastus Paracelsus in annot. ad figuram 15. Joach. Abbatis. *Papa, si à scorto suo non abscedat, h. e. à luxu & falsa doctrina, cum omnibus his, qui gestarunt vel gestant adhuc ejus characterem, similis erit Caiphæ & Hannæ, qui fuerunt pontifices Hebræorum.*

Et postea: *Doctrina præceptaque ejus non sunt Christiana, sed Judaica & Ethnica &c. Quemadmodum doctrina eorum à Deo est aversa, ita & eorum imago.*

Ad fig. 19. *Idololatria occupavit regnum Papæ, sequaciumq; ejus.*

Melchior Canus lib. 6. Locor. cap. ult. resp. ad 11. pag. 214. *Quamvis Albertus Piggius multis in locis satis probabiliter dicat de summi Pontificis autoritate,* (omnes Romanos Pontifices errorum nota liberans, & contendens, nullum unquam in hęresin incidisse:) *tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, cui veritatem tueri ac retinere sententia est. Dicit itaque ille multa multis locis de hac quidem re, sed aqua hæret, ut ajunt. Defendat Liberium Piggius, quem tædio victum exilii in pravitatem hæreticam subscripsisse, autor est Hieronymus in Chronicis. Excuset Marcellinum, quem timor fractum, idolis sacrificium obtulisse, memoriæ proditum est. Victorem vendicet, quem Paulianistæ suum esse mentiti sunt, ut scribit Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 2. Anastasium liberet, quem, sine certo & probabili testimonio, Gratianus hæreseos insimulavit. At Honorium quomodo ab errore vindicabit? quem hæreticum fuisse tradit Psellus in carmine de septem Synodis, Tharasius ad summos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, sanctæ urbis, ut 7. Synodo act. 3. scriptum est, Theodorus cum Synodo sua Hierosolymitana in confessione fidei, quæ habetur eadem actione 3. Epiphanius respondens hæreticis in conspectu Concilii ejusdem act. 6. tom. 2. tota demum ipsa 6. Synodus act. ult. & in Epist. ad omnes Sacerdotes & Clericos. Adrianus quoque Romanus Pontifex in act. 5. Synodi octavæ generalis, De Romano, inquit, Pontifice quenquam judicasse non legimus, licet enim Honorio ab Orientalib. post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quod fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minorib. majorum suorum motib. resistere. Hactenus Adrianus, ubi etiam addit, sententiam in Honorium latam ex Romani Pontificis consensu fuisse, id quod exploratum est in 6. Synodo generali act. 4. ubi Agatho in Epistola ad Concilium, Honorium ipsum anathematizat. Beda item de rerum Natura cap. 67. In sexta Synodo, ait, Macarius cum suis sequacibus simul & Prædecessoribus, Ciro, Sergio, Honorio, Pyrrho anathematizatus est. In libro præterea Pontificali refertur Leo II. sextam Synodum suscepisse, in qua condemnati sunt Cirus, Honorius. Atque in fine sextæ Synodi ponitur Epistola Leonis ad Constantinum, ubi post susceptum confirmatumque Concilium, Anathematizamus, inquit, Cirum, Sergium, nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed prophana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. Præterea illud caput, Si Papa dist. 40. quod pro nihilo habet Campensis* (Piggius,) *nos maximi habere debemus, quoniam ille unus casus, in quo oves pastorem suum judicare possunt, sc. cum fuerit hæreticus, habetur, ut alia loca præteream, in quinta Synodo Romana 218. Episcoporum in hæc verba: A multis Antecessoribus nostris Synodaliter decretum atque firmatum est, ut oves pastorem suum nec reprehendere, nisi à fide exorbitaverit, præsumant. Idem tradit Anacletus in Epist. 3. de Patriarchis & Primatibus, inquiens: Pastor Ecclesiæ, si à fide exorbitaverit, erit à fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distinguendus, quia rectores Ecclesiæ à Domino sunt judicandi &c. Non est igitur negandum, quin summus Pontifex hæreticus esse possit.*

Johannes Driedo de dogmat. libr. 4. cap. 3. *Quamvis propter promissiones Salvatoris sit firma fide credendum, Petrum non defecisse finaliter à fide, hoc tamen non oportet sic credere de Successoribus Petri, qui neque in fide confirmati, ut Petrus, neque tales habuerunt promissiones à Christo, qui dixit, Sedebitis super sedes duodecim. Neque videtur ulla esse Scriptura, quæ cogamur credere, universalis Ecclesiæ Pontificem non fieri unquam hæreticum.*

Didacus Stella in cap. 22 Lucæ super verba: *Oravi pro te &c. Petrus peccavit post hæc verba Matth. 16. Tu es Petrus &c. & fides in eo defecit, & multi Pontifices Romani erraverunt, sicut Marcellinus, qui idolis sacrificavit, & Liberius Papa, qui Arianis consensit, & Anastasius quoque Secundus propter hæresis crimen repudiatus fuit ab Ecclesia, & alii etiam plurimi contra Catholicam fidem tenuerunt, ut Johannes XXII. qui asseruit, quod animæ Sanctorum non videbunt Deum usque ad ultimum seculi diem, & quod Filius Dei sit major Patre & Spiritu sancto, & plurimos alios habuit errores. Sed in quantum est caput Ecclesiæ, nullatenus errare potest, & tunc est caput Ecclesiæ, cum facit quod in se est, nempe cum consilio doctissimorum Virorum & Cardinalium definiendo, ubi errare non potest.*

Stapleton. in relect. princ. cont. 3. q. 4. p. 384. *Non videtur hæreticum* (dicere, Papam posse errare) *propter multos Catholicos, qui contrarium sustinuerunt.*

Benedictus Justinianus Jesuita in Comm. Rom. 1. v. 8. *Mirum est, quosdam Christianos Theologos, qui se doctissimos haberi volunt, sua cum hæreticis studia conjungere, & Romanos quosdam Pontifices hæresis atque impietatis impudenter damnare, quos æquum erat viris doctis* (Jesuitis) *fidem habere, qui eos non ab errore solum, sed etiam erroris suspicione liberant, cum præsertim Agatho & Nicolaus I. ad Michael. Imperat. Romanos Pontifices ab omni prorsus errore immunes fuisse testentur.*

Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. *Quorundam Catholicorum sententia est, Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse hæreticum & docere hæresin, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur Nilus in suo libro adversus Primatum Papæ. Eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson & Almain in libris de potest. Eccles. nec non Alphonsus*

sus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 2. & Adrianus Papa in quæstione de confirmatione, qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia, sive in Concilio generali tantum constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.

Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 7. §. 2. *Non est omnino certum, an possit necne esse hæreticus Rom. Pontifex.*

Greg. de Valentia in anal. f. 320. adducit aliquot Scriptores Pontificios, qui concedunt *fieri posse, ut Pontifex non modo privatim in hæresin incidat, sed etiam præterea eundem errorem in fide manifestum perverse adversus exploratam alioqui in Ecclesia fidem, Ecclesiæ obtrudere velit.* Et addit, *illos rem opinari non penitus improbabilem.*

Tannerus in Apologet. contra Anti-Tannner. p. 106. *Notandum est, esse aliquos Doctores Catholicos, qui existiment, Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse hæreticum & docere hæresin, si absq; generali Concilio aliquid definiat & de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem, ut ait Bellarminus, sequitur Nilus in suo libro adversus Primatum Papæ. Eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson & Almain, nec non Alphonsus de Castro & Adrianus VI. Papa, qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia sive Concilio generali tantum constituunt infallibilitaem judicii de rebus fidei.*

Idem tom. 3. Theolog. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 6. n. 237. *Papa an possit privatim esse hæreticus, disputatur inter Catholicos salva fide & caritate.*

Pazmannus lib. 7. Hodegi cap. 3. multos Autores Romano-Catholicos allegat, qui statuunt, quod *Papa errare possit & de facto erraverit.*

Lib. ejusd. cap. 9. *Ex Catholicis Doctoribus non pauci audacter docent, Romanum Pontificem privatim & per se, sine generali Concilio, falsum quoque posse docere, & hac de causa suum ipsius judicium tantum ad fidei confirmationem sufficiens esse non poterit.*

Nicolaus Crassus in Antiparænes. ad Baronium Patavii Ann. 606. edita pag. 62. *Nunquid summus Pontifex errare & labi non potest in ferenda sententia? Id vero omnes Theologi pro certo affirmant, & res ipsa loquitur, refertissima enim sunt Historiæ hujusmodi exemplis.*

(Ex his omnibus manifestum, ipsos Pontificios Scriptores quamplurimos concedere, *Papam posse in rebus fidei errare, ac in hæresin incidere.* Excipiunt quidem 1. *Pontificem errare posse, ut personam privatam, non autem ut Pontificem; posse fieri hæreticum, non autem in fidei judicio contra fidem definire.* Sed manifestum est, & ipse Bellarminus agnoscit, quosdam eorum, quorum testimonia adduximus, disertis verbis docere, *quod Pontifex, etiam ut Pontifex, errare possit, si solus absque Concilio definiat.* Præterea, quidam Pontifices propter publicos errores à Papali Sede per Ecclesiam sunt deturbati, ut postea apparebit, ergo illi ad minimum quoad personam publicam errarunt. Adde, quod Papa semper sit persona publica, & publicus Ecclesiæ Doctor, proinde si errare potest non solum ante suam ad Papatum evectionem, sed etiam in ipsa Sede Romana constitutus, ergo etiam ut Papa errare potest. Insuper si Papa potest fieri hæreticus, quid impedit, quo minus etiam hæresin docere ac definire possit? Si infallibilis Spir. sancti assistentia prohibet, quo minus hæresin doceat ac definiat, utique etiam prohibet, quo minus hæresin amplectatur. Quia officium nihil aliud est, quam qualitas ad personam accedens, non potest non illud affici ex vitiis aut virtutibus personæ. Sic quamvis matrimonium proprie personam spectet, tamen si idem qui uxoratus est, fit Episcopus, tum dicitur uxoratus Episcopus. Pari ratione quamvis hæresis proprie sit vitiosa qualitas personæ, tamen si hæc persona fit Episcopus, fieri nequit, quin idem sit hæreticus Episcopus. Inde Bellarm. ipse lib. 4. de Pont. cap. 6. à persona publica concludit ad personam privatam: *Quomodo*, inquit, *confirmabit fratres in fide & veram fidem semper prædicabit Pontifex hæreticus?*

2. *Papam in hæresin prolapsum non amplius esse Papam.* Resp. Sic ergo Papa, qua talis, non potest fieri hæreticus. Si enim Papatum amittit, quamprimum fit hæreticus, fieri non potest, ut Papa, qua talis, fit hæreticus, quemadmodum renati, qua tales, contra conscientiam non peccant, quia quando contra conscientiam peccant, desinunt esse renati 1. Johan. 3. v. 9. Vicissim si Papa potest fieri hæreticus ac eo in casu desinit esse Papa, ut multi ex ipsis Pontificiis concedunt, perpetuo dubitatio illa in animis hominum hærebit, an Papa non inciderit in hæresin, ac proinde desierit esse legitimus Pontifex.

Rectè ergo monet Alphonsus de Castro lib. 1. cap. 4. *Illos qui respondent, Papam desinere esse Papam, si hæreticus fiat, jocari in re seria. Sic enim* (inquit) *quis posset asserere, nullum fidelem posse in fide errare, nam cum hæreticus fuerit, jam desinet esse fidelis;* (quæ tamen verba ex posterioribus Alphonsini libri editionib. sunt expuncta.)

2. Quod exempla testentur, multos Pontifices in rebus fidei errasse.

Gulielmus Occam, Minorita (qui vixit circa annum 1320.) adducit aliquot exempla. *Quod Papa*, inquit, *Canonice intrans, errare possit contra Catholicam veritatem, multis exemplis ostenditur. Apertum autem exemplum est de Apostolorum Principe B. Petro, quem ideo, ut videtur, divina providentia, postquam ipsum ad Papatum assumsit, errare permisit, ne Successores ejus ipso fide, constantia & sanctitate longe inferiores, se non posse errare putarent. Quod autem B. Petrus contra veritatem Evangelii erraverit, B. Paulus ad Galatas cap. 2. manifeste asserit, dicens, cum autem venisset &c. Ex quibus verbis datur intelligi, quod B. Petrus à veritate deviarit. Unde quod à fide Christi exorbitaverit, habetur in Decretis 2. q. 7. c. 7. testes. Ecce ibi Gratianus allegat, quod subditi valeant reprehendere Prælatos per exemplum de Paulo, qui reprehendit Petrum, cui allegationi respondet, dicens, quod hoc licet, quando Prælati à fide exorbitant, sicut exorbitavit Petrus. Unde dicit ibidem in hæc verba. Paulus Petrum reprehendit, qui Princeps Apostolorum erat; unde datur intelligi, quod subditi possunt reprehendere Prælatos, si fuerint reprehensibiles.* (Ubi tamen notandum, quod Petrus in doctrina non peccaverit directe, practice, ratione applicationis, exercitii & exempli, quia subduxit se à gentibus, fuit simulator, non recto pede ad veritatem Evangelii incessit, quod Petri peccatum consequenter & indirectè læsit articulum de libertate Christiana & gratuita iustificatione.)

Secundum exemplum est de Marcellino Papa, qui contra fidem erravit, idola adorando, de quo Nicolaus Papa, ut habetur dist. 21. Nunc autem, ait, Tempore Diocletiani & Maximiniani Augustorum, Marcellinus Episcopus urbis Romanæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeo compulsus est à paganis, ut templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret. Et in legenda ejus sic legitur. Marcellinus ad sacrificandum ductus est, ut thurificaret, quod etiam fecit. Et in Chronicis sic habetur; quia compulsus à Diocletiano, incensum idolis dedit. Et infra; ad scelus, inquit, idololatriæ judico me deponendum, & anathematizo, quicunq; corpus meum sepulturæ tradiderit, & flens dixit: Heu me anathematizavi & non possum in Sacerdotio remanere. Et hic colligitur, quod B. Marcellinus Papa contra fidem erravit, scelus idololatriæ committendo.

Tertium exemplum ponitur de Liberio Papa, qui consensit perfidiæ Arianæ, sicut in Chronicis legitur manifestè. Potest Papa hæreticari, licet nunquam Papatui renunciet.

Quartum exemplum ponitur de Anastasio II. Papa, qui propter hæreticam pravitatem fuit à Romana repudiatus Ecclesia, de quo in Decretis dist. 19. sic legitur: Anastasius Secundus natione Romanus, fuit temporibus Theodorici Regis. Eodem tempore multi Clerici se à communione ipsius abegerunt, eò quod communicasset sine consilio Episcoporum vel Presbyterorum Ecclesiæ cunctæ Catholicæ Diacono Thessalonicensi nomine Fotino, qui in scelere communicaverat Acatio, & quod voluit occulte revocare Acatium & non potuit, nutu Dei percussus est, & dum assellaret, emisit viscera.

Quintum exemplum de Symmacho hæreseos insimulato.

Sextum de Leone convicto ab Hilario Pictaviense.

Septimum de Sylvestro II. qui Diabolo homagium fecerat, & dum Papa fuit, eum consuluit.

Octavum de pluribus summis Pontificibus diversa contra fidem sentientibus, ut de Johanne XXII. & de Nicolao III. Item de Innocentio III. & aliis pluribus.

Johannes Capistranus Monachus Silesius circa Annum 1444. docuit, *Papam errare posse, idque confirmavit exemplo Papæ Liberii, qui fuit Arianus, juxta Chronicon Martini; & Anastasii II. qui volens revocare Acatium hæreticum, divino judicio percussus fuit, quod dum ad Naturæ necessaria accessisset, egerendo intestina miserabiliter vitam finivit.*

(Age vero de quibusdam Pontificibus in specie ex ipsorum Pontificiorum confessione demonstremus, quod in fide erraverint.)

1. *Clemens* (quem Petri Successorem proximum esse plerique volunt, alii vero Linum interponunt) Epist. 5. *Communis vita omnibus est necessaria & maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque Discipulorum imitari*

imitari volunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, & alius istud, & sic inter mortales facta est divisio. Denique quidam Græcorum sapientissimus hæc ita sciens esse communia debere, ait amicorum esse communia omnia, in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges. Et sicut, inquit, non potest dividi aer, neque splendor Solis, ita nec reliqua, quæ communiter omnibus data sunt ad habendum, dividi non debere, sed habenda esse communia. (Massæus lib. 9. Chron. p. 114. putat, *hanc Epistolam non esse Clementis, sed Nicolaitæ cujuspiam, propterea quod etiam uxores statuit debere esse communes.* Sed Gratianus sub nomine Clementis hæc citat c. Dilectissimis. caus. 12. q. 1. Glossa illud *de uxoribus* putat intelligendum *non quoad usum carnis, sed quoad usum obsequii.* Sed hæc glossa non congruit textui, laudatur Platonis sententia, qui omnimodam communitatem statuit, inde Surius in margine notavit, *hæc verba Nicolaismo favere*, ac Turrianus lib. 5. defens. Epist. Decret. c. 2. putat hæc verba, *in omnibus sunt sine dubio & conjuges*, eisseab aliquo adscripta. Sed Gratianus ea ex Clemente allegat, ac laudata Platonis sententia, eadem requirit. Quod si vel maxime illa submoveantur, manet tamen adhuc alius error in hac Epistola Clementis, videl. quod *omnibus vita communis sit necessaria, quod omnia non minus debeant esse communia, quam aer & Solis splendor.*)

Idem Clemens in Canonibus Apostolorum (quos collegisse judicatur) *tertium Maccabæorum librum in Canonem recipit*, (quem tamen Apocryphum esse ipsimet Pontificii fatentur.) De utroque plura inferius cap. 8.

2. De Zepherino (qui sedit circa annum 203.) Beatus Rhenanus in argum. lib. Tertulliani adv. Praxeam sic scribit: *En Zepherinus Pontifex Montanizat. Agnovit enim Prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ pro veris.*

(Pamelius quidem excipit, *Tertullianum non dicere, quod Zepherinus approbaverit illas prophetias, sed quod agnoverit.* At totus contextus ostendit, Tertulliano agnoscere hoc loco esse idem, quod approbare. *Agnitio*, inquit, *Paracleti & defensio disjunxit nos à Psychicis*. h. e. Christianis orthodoxis.

Aliter igitur excipit Bellarmin. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 8. §. Sexto &c. 1. *non esse fidem habendam Tertulliano, cum fuerit Montanista.* Sed exceptionis hujus infirmitatem animadvertens, subjungit, 2. *Credibile est, Zepherinum Pontificem à Montanistis persuasum esse, doctrinam Montani non esse diversam à doctrina Romanæ Ecclesiæ, & ideo eundem Pontificem voluisse ipsis pacem reddere, quam abstulerint ipsius Prædecessores, non quidem quod approbaret errorem, quem sui majores improbaverant, sed quod arbitraretur, falsò de istis erroribus fuisse accusatos Montanistas. Hoc autem non est errare circa fidem, nec Montanizare, sed errare circa personam, id quod multis aliis Sanctis accidit.* At nec huic exceptioni Bellarminus solide insistere potest, ideo præmittit, *credibile est*, nec tamen ullum credibilitatis ostendit fundamentum, sed sua nobis narrat somnia; non autem hic quæritur, quid credibile, sed quid verum.)

3. De Marcellino (qui sedit circa Annum 296.) memoratur in Pontificali Damasi, & in Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imp. quod idolis sacrificaverit. c. Nunc autem. dist. 21. *Tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum Marcellinus Episcopus urbis Romæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeo compulsus est à paganis, ut eorum templum ingressus, grana thuris super prunas imponeret.* Anastasius Bibliothecarius de hoc Marcellino sic scribit: *Ad sacrificium ductus est, ut sacrificaret, quod & fecit; & post paucos dies pœnitentia ductus capite truncatus est.* Caranza in Summ. Conciliorum: *Marcellinus convictus est sacrificasse in templo Isidis & Vestæ.* Johannes Stella Sacerdos Venetus in Chronico: *Marcellinus Papa idolis thura obtulit & ea adoravit.* Baptista Mantuanus in Carm.

Tum Marcellinus & ipse
Romulidum Pastor, victus formidine, Christum
Prodidit, & plena Marti libavit acerra.

Idem de Marcellino referunt Concilium Sinuessanum, Luitprandus, Marianus Scotus, Platina, Papirius Massonius &c.

(Baronius quidem Anno 302. n. 96. & seqq. aliquot rationes adducit, quibus hæc Marcellini thurificantis Historia refutari, & obreptitia ostendi possit. Sed nec Collegæ suo Bellarmino, nec Severino Binnio, qui tomos Conciliorum cum annotationibus in publicum edidit, hoc persuadere potuit. Bellarminus enim lib. 4. de Rom. Pontifice, cap. 8. §. Ultimo, de eo sic disserit: *Marcellinus nec docuit aliqua contra fidem, nec fuit hereticus vel infidelis, nisi actu externo propter metum mortis.* Et postea: *Satis constabat omnibus, eum solo metu idolis sacrificasse*, Binnius autem tom. 1. Concil. pag. 222. sic disserit: *Quanquam rationibus à Baronio adductis probabiliter ostendi possit, hanc Marcellini thurificantis Historiam esse obreptitiam, tamen non facile recedendum esse putamus ab ea sententia, quæ communi hactenus consensione credita est, atque in antiquis tabulis Ecclesiasticis recepta fuit, Marcellinum nimirum metu mortis Jovis simulachro thus adolevisse.*

Notandum verò, quod Bellarminus quamvis initiò, cum controversias scriberet, non negaverit, *Marcellinum idolis sacrificasse*, tamen in Recognit. librorum suorum mutata sententia dicat, *Non videri id omnino esse certum, cum nec Eusebius nec alii veteres ejus rei meminerint, cum Augustinus lib. de unic. Bapt. cap. 16 scribat, id objectum fuisse à Donatistis, sed minime probatum, cum Theodoretus laudet Marcellinum, qui sese in persecutione præclarissime gesserit.* Atqui non solum in Synodo Sinuessana, quæ extat tom. 1. Conciliorum, & teste Baronio in antiqua collectione Cresconii, sed etiam ab omnibus, quotquot scripsere Vitas Pontificum Romanorum, Anastasio, Luitprando, Platina, Albone, Papirio Massonio &c. uti etiam in Chronicis Mariani Scoti, Martini Poloni & recentiorum illud affirmatur. Baronius ipse, quamvis veritatem hujus Historiæ labefactare conetur, fatetur tamen d. l. n. 95. *Hæc hujus immolationis acta extare, veneranda antiquitate adeo signata, & veteribus testata monumentis, ac tabulis Ecclesiasticis consignata, plurimorumque testificationibus confirmata, ut ab his desciscere stultum, & tot testibus obniti temerarium existimari possit*; & in 2. edit. Annalium anno sequenti ex professo impugnat argumenta, quibus Synodi Sinuessanæ acta labefactari videbantur, ut sic inter Baronii & Bellarmini Cardinalis utriusque φροντίδας ἀντίῤῥας plurimum omnino intersit. Nam ille se fatetur primum inclinasse in partem eorum, qui Actorum Synodi Sinuessanæ veritatem labefactarent, sed postea amore veritatis mutasse; hic vero cum primum factum concederet, secundo putavit consultius negare. Quæ in contrarium ex Augustino, Eusebio & Theodoreto afferuntur, ad ea respondet Chamierus tom. 1. Panstrat. lib. 3. cap. 7.

4. De Liberio (qui sedit circa Annum 351.) Compilatio Chronic. cap. de Liberio sic loquitur: *Liberius Pontifex erat hæreticus, nec legitur conversus ad fidem.* Benno Cardinalis in Epist. de vita Hildebrandi circa Ann. 1076. *Liberius, postquam publice communicavit excommunicatis, duas Ecclesias faciens unitatem scidit. Sed non tacuit B. Presbyter Eusebius, quo legitime defendente unitatem usque ad mortem, & vita & morte ejus clarificante doctrinam Catholicam, Liberius declaratus est hæreticus.* Antoninus Florent. part. 3. Summ. tit. 22. cap. 7. in fine: *Cum omnia possit Papa, potest etiam & hoc, quod est omnibus commune, scilic. errare & peccare &c. Nam & hæresin incurrere potest, sicut narratur de Liberio Papa &c.*

Gobelinus Cosmodromii cap. 21. ætatis 6. adducit verba Hieronymi in Chronic. *Liberius tædio victus exilii, & in hæreticam pravitatem subscribens Romam quasi victor intravit.*

Lyranus in cap. 11. Zachar. *Potest etiam exponi de Liberio, qui dicitur Pastor stultus, eò quod fuit finaliter Arianus.*

Platina in vita Liberii: *Cum hæreticis (Arianis) in rebus omnibus, ut quidam volunt, sentiens &c.*

Et postea: *Pontifex, tametsi cum Arianis sentiebat, Ecclesias Dei diligenter exornavit.*

Johannes Stella Sacerdos Venetus in Chronic. *Liberius Papa sensit cum hæreticis Arianis.*

Idem de Liberio testantur Thomas Aquinas lib. 3. de regim. Princip. cap. 16. Rheginolibr. 1. Histor. Martinus Polonus in Liberio, Vincentius in Speculo Histor. lib. 15. cap. 11. Sabellicus Ennead. 7. lib. 7. Johannes de Turrecremata libr. 2. Summæ de Eccles. cap. 103. Nicolaus Cusanus de Concord. Cathol. libr. 2. cap. 5. Alphonsus de Castro lib. 1. cap. 4. (in editione prima) Didacus Stella in cap. 22. Luc. Gaulterius Jesuita in tabul. Chron. fol. 282. & ante illos omnes Damasus Liberii Successor, in ipsius vita: *Liberius*, inquit, *consensit Constantio hæretico.* Quin & Liberius ipse in Epistola ad

Episco-

Episcopos Orientales (quam recitat Baronius tom.3.Annal. 357.num.43.) de suo cum Arianis consensu testatur, *Ubi cognovi, inquit, justè vos Athanasium condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris, literasque ad hæcque super nomine ejus, id est, de damnatione ipsius per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super quo Statuta omnium vestrûm à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis & cum universis Episcopis Orientalibus, seu per universas Provincias pacem & unitatem habere. Nam ut verius sciatis, me veram fidem per hanc Epistolam meam proloqui, Dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Syrmii à pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata, & exposita, & suscepta est, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradicens.*

Bellarmin.lib.4.de Rom. Pontif. cap. 9. §. Undecimus &c. fatetur, *hanc sententiam, quòd Liberius Arianæ hæresi fuerit addictus, habere testes Authores gravissimos, Athanasium, Hieronymum, Damasum Papam,*

§. Quod hæreticus. *Duo mala Liberius commisit: Unum, quòd subscripsit in damnationem Athanasii: Alterum, quòd cum hæreticis communicavit.*

(Sane ibidem eum excusat, quod coactus hoc fecerit. *Quod, inquit, hæreticus verè non fuerit, docet Athanasius loco citato, ubi dicit, Liberium invitum & coactum vi tormentorum fecisse quòd fecit: nec esse censendam ejus sententiam, quam mina & terrores extorserant.* Sed contrarium testatur Platina in vita Liberii, eum à Constantino Imp. Ariano Sedi suæ, à qua fuerat pulsus, restitutum. Est ergo verisimilius, illum potius Arianorum beneficiis, quàm metu ad hæresin fuisse perductum, quod & Sabellicus Ennead.7.lib.8. confirmat, unde Bellarminus ipse voluntariam apostasian fatetur, d.l. sic scribens.)

§. Ex quibus &c. *Legi ipse Epistolas Liberii manu scriptas, in quibus apertè significabat, se tandem Imperatoris voluntati acquiescere voluisse. Ad hæc, nisi fateamur, Liberium aliquo tempore defecisse à constantia in fide tuenda, cogimur Felicem II. qui Liberio vivente Pontificatum gessit, à numero Pontificum excludere, cum tamen hunc ipsum Felicem, ut Papam & Martyrem, Ecclesia Catholica veneretur. Denique Sozomenus lib 4. Histor. cap. 14. & Nicephorus lib.9.cap.37. obscurius quidem, tamen subindicant, Liberium in Concilio Syrmiensi convenisse cum Valente & Ursacio Arianis, & eâ pace factâ sedem suam recepisse, adjutum etiam literis ejusdem Concilii.*

§. Dicet aliquis &c. *Liberius etsi non expressè, tamen interpretativè in hæresin consensit. Nam Athanasium damnari permisit, quem sciebat causâ fidei persecutionem pati, & cum Valente & Ursacio communicavit, quos non ignorabat hæreticos esse, etiam si illi aliud se esse simularent.* (At hæc omnia manifestè probant, Liberii mentem Arianæ hæreseos labe fuisse corruptam.)

5. De Felice II. (qui sedit circa Annum 355.) sic differit Bellarminus libr. 4. de Rom. Pont.cap.9.§. Deinde &c. *Operâ Arianorum, ac præsertim Acacii Cæsariensis Episcopi, Felix Diaconus Romanus Episcopus creatur in locum Liberii, qui propter hoc beneficium liberè cum eis communicabat, licet ipse Arianus non esset. Sic enim scribit Ruffinus lib 10 Hist.c.22. In ejus (Liberii) locum Felix Diaconus suus ab hæreticis surrogatur, & non tàm sectâ diversitate, quàm communionis & ordinationis convenientia maculatur. Et Theodoretus lib.2. Hist.cap.17. Successum, inquit, est Liberio à fideli quodam illius Diacono, nomine Felice, qui tametsi fidem in Concilio Niceno expositam ipse servavit integram; tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicavit. Ac propterea nemo ex Roma habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit. Idem quoque scribit Sozomenus lib.4.Hist. cap.10. nec ab his dissentit Hieronymus in Catalogo Scriptorum, in Acacio.*

(Atqui illa ipsa communio cum Arianis fuit manifestum ac publicum testimonium de consensu in doctrina, vel certe turpis, detestabilis ac damnanda hypocrisis. Albertus Pighius Cardin. lib 8. Hierarch. cap. 4. fatetur hunc Felicis lapsum, sed eum ex numero Paparum expunxit. Contrà verò pro Papa eum habent Papirius Massonius, Genebrardus, Baronius, Gaulterius in tabulis p.284.286. ubi secus sentientium opinionem falsam esse dicit. Bellarminus d. l. Felicem itidem inter Papas refert. In Catalogo Pontificum editioni Gregorianæ Juris Canonici præfixo ex Collectionibus Augustini Archiepiscopi Taraconensis, petito, Felix Pontificibus annumeratur.)

6. De Innocentio I. (qui sedit circa Annum 402. sic scribit Maldonatus in cap 6 Joh.v.53. *Ea fuit Augustini & Innocentii I. sententia, Eucharistiam etiam infantibus esse necessariam.*

Idem de hoc Innocentio testatur Augustinus lib.1. contra Julianum cap. 2. & lib.2. contra duas Epist. Pelag cap.4. unde Beatus Rhenanus in annot. ad lib. Tertulliani de corona milit. refert, *antiquum fuisse morem in Ecclesia, ut pueri non modo baptizarentur, sed & sacrosanctæ communionis fierent participes.*

(Atqui hæc sententia hodie ab ipsis Pontificiis repudiatur, cum tamen fuerit olim sententia Pontificis. Concilium Tridentinum Sess.5.cap.4.can 4. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.*)

Eundem Innocentium I. *in suspicionem fuisse adductum, quia tam libere Pelagiani Romæ grassabantur, ac si cum eis colluderet, & propterea ab Augustino fuisse admonitum*, refert Baronius Anno 416.num.12.

Idem Innocentius I. Epist. 18. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum, negat in Baptismo hæreticorum dari Spiritum sanctum. Verba ipsius sic habent: *Nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo Baptismate, illisque ministeriis, arbitramur, quoniam cum à Catholica fide eorũ Autores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt; nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius, quam per fidem dixerim, perdiderunt.*

(At hoc pugnat cum dogmate Catholico ab ipsis Pontificis approbato, quod Baptismus ab hæreticis, Institutiones Christi servantibus, collatus, sit legitimus & efficax.)

7. De Cœlestino (qui sedit circa Annum 423.) Laurentius Valla in lib. de donat. Constantini, sic scribit: *Neque aliquem sua dignitas ab increpationib. tutum reddit, quia Petrum non reddidit, multosq; alios eodem gradu præditos, ut Marcellinum, quod idolis litasset, & Cœlestinum, quod cum Nestorio hæretico sentiret.*

8. Sub nomine *Sixti III.* Papæ (qui sedit circa Ann. 432.) Romæ Ann. 1572. editi sunt libri tres, quorum primus est *de Divitiis*, secundus *de malis Doctoribus*, tertius *de Castitate*, quos Coccius & Turrianus aliquoties sub nomine Sixti citant, & Papalia dogmata ex illis probant. De illis sic scribit Baronius Ann. 440.n 6. *Dolui vehementer, haud pridem illa opuscula, absque diligentiore consideratione, nomine Sixti Rom. Pontificis excusa, Pelagianismis referta.* n.7. *doluit mecum vehementer atque ex alto ingemuit pectore Lindanus Episcopus Andevagensis &c. haud æquo animo ferre valens sub falso nomine tanti Pontificis Pelagianorum fœtus esse suppositos.*

9 De Anastasio II. (qui sedit circa Annum 496.) sic legitur in Appendice c. Secundum. dist. 19. *Quia illicite & non Canonice, sed contra Decreta Prædecessorum & Successorum suorum hæc rescripta dedit, ut probat Felix & Gelasius, qui Acatium ante Anastasium excommunicaverunt, & Ormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acatium postea damnavit, ideo ab Ecclesia Romana repudiatur & à DEO percussus legitur.* c. Anastasius dist. ead. *Anastasius II natione Romanus, fuit temporibus Theodorici Regis. Eodem tempore multi Clerici se à communione ipsius abegerunt, eò quod communicasset sine Concilio Episcoporum vel Presbyterorum & Clericorum cunctæ Ecclesiæ Catholicæ Diacono Thessalonicensi, nomine Fotino, qui communicaverat Acatio, & quia voluit occulte revocare Acatium, & non potuit, nutu divino percussus est.* Glossa in illum Canonem: *Fotinus Diaconus Thessalonicensis communicavit Acatio in hæresi. Post mortem vero Acatii Anastasius Papa communicavit Fotino sine Concilio Clericorum, & occulte voluit advocare Acatium defunctum in hæresi, ut orationes pro eo in Ecclesia fierent.* Eadem glossa in c. Ita Dominus. dist. ead. *Anastasius ideo fuit damnatus, quia communicavit Fotino hæretico.* Alphonsus de Castro lib. 1. adv hæres. cap. 4. *Anastasium II. hujus nominis Pontificem favisse Nestorianis, qui Historias legerit, non dubitat.*

Fasciculus temporum: Iste *Anastasius primo bonus fuit, sed postea seductus est ab Acatio & communicavit ei, & ob hoc Clerus separavit se ab eo. Et quod voluit restituere Acatium occulte, licet non potuerit, divino judicio percussus est, intestina ejiciendo. Et hic videtur secundus infamis Papa, de toto Catalogo Pontificum usque huc, quia primus scil. Liberius favebat Arianis, iste Nestorianis, utrobique concurrente vesania Imperatorum.*

Similia habent Anastasius Bibliothecarius, Luitprandus Ticinensis, Albo Floriacensis, Platina, Naucleus, & alii.

10. De

10. De Vigilio (qui sedit circa Annum 537.) sic scribit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 10. §. Vigesimus &c. *Vigilium Liberatus in Breviario cap. 22. refert, Epistolam scripsisse ad Theodoram Imperatricem & alios hæreticos, quâ confirmabat hæresin ipsorum & anathema dicebat iis, qui confitentur duas in Christo Naturas.* *Respondeo &c. Vigilium scripsisse illam Epistolam & damnasse Catholicam fidem saltem exteriori professione. Sed hoc nihil obesse nostræ causæ: Nam id fecit, cum adhuc viveret Sylverius Papa, quo tempore ipse Vigilius Papa non erat, sed Pseudopapa. Neque enim duo simul veri Pontifices summi esse possunt, & constabat tunc omnibus, Sylverium verum Pontificem esse, licet in exilio degeret.* (At non probat Bellarminus, Vigilium cùm ad Sedem Papalem veheretur, ab hæresi discessisse.) Idem: *Epistolam scripsit, nefariam quidem & Christiano homine indignam; tamen in ea Catholicam fidem non damnavit palàm, neque hæretico animo, sed occultè propter cupiditatem præsidendi.* (Atqui exteriore professione hæresin approbat, eidem sese addicit. Per illam exteriorem hæreseos professionem Christus negatur Matt. 10. v. 37. *Ex verbis tuis condemnaberis.*)

11. De Gregorio I. (qui sedit circa Annum 599.) memorat Sixtus Senensis libr. 6. Bibliothec. Sanct. annot. 47. quod *non alienus fuerit ab opinione illorum, qui putant, suffragia & orationes, quæ hic in Ecclesia aguntur, prodesse etiam his, qui æterna gloria fruuntur, cùm in libro Sacramentorum ejusmodi orationis formulam in sacris Missæ mysteriis usurpandam præscribat. Sumsimus, Domine, divina mysteria, quæ sicut Sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam.*

Damascenus in serm. de mortuis memorat: *Gregorium animam Trajani annis penè quingentis ante ipsius tempora defuncti, oblatione & precibus suis ex inferis liberasse.*

(At communis Pontificiorum Schola hodie docet, suffragia & orationes, quæ fiunt pro defunctis, nec beatis in cœlo, nec damnatis in inferno prodesse.)

12. De Honorio I. (qui sedit circa Annum 622.) sic scribit Melchior Canus lib. 6. Locor. cap. ult. *Honorium fuisse hæreticum* [Monotheletam] *tradunt Psellus, Thrasus, Theodorus cum Synodo Hierosolymitana, tota Synodus sexta, Adrianus Pontifex Romanus &c. ac Agatho Pont. Rom. ipsum anathematizavit.* Idem de Honorio testantur Caranza in summa Conciliorum, Pontificale in vita Leonis II. Sanderus lib. 7. de visib. Monarch. Hardingus contra Ivellum, Genebrardus in Chronol. in Honorio I. Torrensis de 6. 7. & 8. Synodo &c.

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 11. excipit, primò *Epistolas Honorii fortè confictas esse & Synodo insertas ab hæreticis.* Sed Andradius lib. 2. defens. Trid. fol. 101. exceptionis hujus vanitatem agnoscit. *Etsi*, inquit, *Pighius, aliiq; doctissimi viri, fuisse à Græcis corrupta exemplaria dicant, pro eorum more in invidiam Romanorum Pontificum, tamen non audeo id affirmare, sed opto quidem valde sic esse.* Item: *Non video, quomodo hoc dici sine maximis & firmissimis argumentis debeat.*

Secundo igitur Bellarminus excipit, *non contineri in illis Epistolis Honorii errorem, quòd enim Honorius dicit, Christum unam tantum habuisse voluntatem, illud eum sic intellexisse, quòd Christus unam tantum habuerit voluntatem humanam, non duas pugnantes voluntates, unam carnis, alteram Spiritus, sed Spiritus tantùm; non negasse vero, esse quoque in illo divinam voluntatem.* Sed hac exceptione Bellarminus damnat tres Pontifices, Adrianum, Agathonem & Leonem, qui Honorium, ut Monotheletam, anathematisarunt. *Anathematizamus*, scribit Leo II. in Epistola, quâ Synodum 6. confirmavit, quæ act. 8. ejus Synodi inserta, *Honorium, qui hanc Apostolicam Sedem non traditionis Apostolicæ doctrinâ lustravit, sed profanâ traditione immaculatam fidem subvertere conatus est.* Ac probè notandum, quod cum Bellarminus acervum testimoniorum Antiquitatis contra Honorium militantium congerat, tamen ne unum quidem ex Antiquitate nominare potuerit, qui de innocentia Honorii testetur.

Tandem igitur eò impudentiæ abit Bellarminus, ut non vereatur scribere, *deceptos fuisse Patres sextæ Synodi, qui Honorium damnarunt; deceptos fuisse septimæ Synodi Patres, qui sextæ Synodi sententiam confirmabant; deceptum Adrianum VI. Papam, qui Honorium hæreticum fuisse putabat; deceptum Leonem II. Papam, qui Honorium hæreticum execratus est; Psellum etiam, Tharasium, Epiphanium aliosq; omnes, qui Honorio hæresin tribuunt, deceptos fuisse. Accidere n. posse*, ait, *ut Concilium generale erret, in quæstione facti, non fidei.*

(Atqui audiat Bellarminus seipsum. Quando ipsi à nostris objicitur error Caiphæ summi Pontificis Judæorum in Concilio, à quo excommunicati erant, qui confitebantur, *Jesum esse Christum*, Joh. 11. Pontificiis aliis respondentibus, *errasse Caipham tantùm in quæstione de facto, non de jure, num Jesus necandus esset*, responsum hoc tollit lib. 2. de Concil. cap. 8. §. Proponunt &c. *Nam quæstio illa*, inquit, *quamvis de facto esset, tamen involvebat quæstionem de fide gravissimam, nimirum an Jesus esset verus Messias & Dei Filius, atq; adeò Deus verus.* Idem Bellarmino reponimus. Fieri profectò nequit, quin simili prorsus ratione sententia illa, quâ Honorius Pontif. Rom. hæreseos damnatus est, conclusionem fidei involverit, nempe Pontif. Rom. etiam ut publicum Doctorem, hæreticum esse posse, atque adeò à fide deficere, quâ Romanæ fidei de infallibili Papæ judicio articulus principalis & fundamentalis evertitur.)

Alii excipiunt, *Honorium errasse ut privatum Doctorem, non ut Pontificem.* At Honorius à Concilio non ut privatus Doctor, sed ut Pontifex judicatus & damnatus est.

Pluribus de hac distinctione agetur inferiùs.

13. Gregorius II. (qui sedit circa Annum 716.) ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum scribit: *Interea agrestem caballum aliquantos adjunxisti comedere, plerosque & domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps sanctissime finas frater, sed quibus potueris, Deo juvante, modis per omnia compesce & dignam eis indicito pœnitentiam, immundum enim est atque execrabile.* Extat Epistola tom. 2. Concil. edit. Quentel. 2. p. 434.

Ad eundem Bonifacium Gregorii Successor Zacharias (qui circa Annum 741. sedit) inter cætera sic scribit: *De quibus flagitasti à nobis, quæ recipienda, quæ respuenda sunt, imprimis de volatilibus, id est, graculis & corniculis atque ciconiis, quæ omninò cavendæ sunt ab esu Christianorum, etiam & fibri, atque lepores & equi sylvatici multò amplius cavendi.* Extat Epistola tom. eod. p. 452.

In eadem Epistola invenitur constitutio *de lardo*, *quòd non debeat illud mandi, priusquam super fumo siccetur, aut igne coquatur.*

(Ad tales constitutiunculæ pugnant cum libertate N. Test, 1. Cor. 10. v. 25. 29. 30. Rom. 14. v. 3. 14. 20. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. *Ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu à cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus? Et qui fortè adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur.*)

Idem Zacharias Virgilium quendam Germaniæ Episcopum, Philosophiæ & Mathematices peritum, *ob assertos Antipodas* excommunicavit, argumento motus eo, quòd *hac ratione alium mundum, alium Solem, & aliam Lunam introduceret.* Aventinus lib. 3. Annal. p. 172.

14. Gregorius III. (qui sedit cira Annum 731.) c. Quod proposuisti c. 32. p. 7. concedit marito, cujus uxor diuturnâ infirmitate laborat, ut cum alia consuescat. *Quod proposuisti*, inquit, *si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat conjugalis? bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret; sed quia hoc magnum est, ille, qui non poterit se continere, nubat magis, non tamen ei subsidii opem subtrahat, quam infirmitas præpedit, non tamen detestabilis culpa excludit.*

(Excipiunt, *conjugium secundum concedi, non tanquam justum, sed tanquam minus malum, minùs enim malum videtur, ut aliquis unam tantum concubinam habeat, quàm ut cum multis passim scortetur.* Resp. è duobus malis culpæ non unum eligendum, sed utrumque prohibendum, Rom. 3. v. 8 unde Gratianus ad d. c. Quod proposuisti. rectè dicit: *Hoc decretum Gratiani sacris Canonibus, imò Evangelica & Apostolica doctrina penitùs invenitur adversum;* ac quidam fatentur, *Pontificem hac in re ex ignorantia esse lapsum*, id quod nostræ sententiæ confirmandæ sufficit. Ex ignorantia enim lapsus Gregorius ex autoritate Pontificia hoc definivit, sic enim concludit Epistolam: *Hæc, frater charissime, ex Apostolica Sedis vigore scripsisse sufficiat;* proinde Glossa in c. de libellis. dist. 20. *Gregorium propter hunc Canonem reprobari asserit.*

15. Adriani Papæ (qui sedit circa Annum 772.) sententia de religiosa Imaginum veneratione jam olim ut erronea, est repudiata, quia Carolus Magnus in Synodo Francofurtensi Ann. 794. celebrata, Acta Synodi Nicenæ II. quam Adrianus Papa per suos Vicarios rexerat, ejusdemq; Acta ad Carolum confirmanda miserat, in præsentia ipsius Theophy-

lacti & Stephani de consensu reliquorum Patrum rejecit & damnavit; & Synodum Nicenam secundam, quam Pontifex *septimã & universalem* vocaverat, nec septimam, nec Universalem dici debere pronunciavit, ut apparet ex collatione Epistolarum Papæ ad Imperatorem & Tarasium, & Capitularis libri à Caroli editi.

16. Nicolaus I. (qui sedit circa Ann. 858.) in Epistol. ad consulta Bulgarorum, rogatus, *quid de Baptismo cujusdam Judæi statuendum esset, qui multos baptizarat, cum non constaret, an esset paganus, an Christianus?* respondit, *non debere illos rebaptizari, qui ab ipso baptizati erant, si modò in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizaverit.* c. A quodam Judæo. de consecrat. dist. 4.

(At posterius hoc pugnat cum forma Baptismi à Christo præscripta, inde Bellarminus lib. de Baptism. cap. 3. statuit, *hanc Nicolai sententiam, quod pronunciatio trium personarum non sit de Baptismi essentia, esse contra testimonia Pontificum, & contra traditionem omnium Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum,* quibus duobus sententia aliqua aliàs à Bellarmino ut explorata & antiquitus reprobata hæresis damnari solet.)

17. De Johanne XVIII. (qui sedit circa Ann. 1003.) sic scribit Sifridus Presbyter Misnensis in Compend. Histor. *Johannes XVIII Papa ordinatur. Hic dum quendam librum, ut dicebatur, hæreticum & perversum dictaret, subitò domus, in qua sederat, super eum corruit & in tantum concussit, ut infra spacium quinque dierum miserabiliter moreretur, replicans sæpius hæc verba, vel similia: Quid fiet de libello meo? Quis complebit libellum meum?*

18. De Gregorio VII. (Hildebrando aliàs dicto, qui sedit circa Ann. 1073.) Urspergensis in Chronico p. 237. scribit, quod ab Episcoporum Conventu Ann. Domini 1080. 7. Cal. Julii Brixiæ celebrato, nominatus fuerit *homo procacissimus, sacrilegia & incendia prædicans, perjuria & homicidia defendens, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Christi in quæstionem ponens, hæretici Berengarii antiquus discipulus, divinationum ac somniorum cultor, manifestus necromanticus, pythonico Spiritu laborans & idcirco à vera fide exorbitans.* (Vide Const. Imperial. Goldasti tom. 1. p. 49.) De eodem scribit Benno Cardin. in lib. de vita & gestis ipsius, *quòd multi Cardinales intolerabiles & gravissimos ejus errores publicè detestati, eum deseruerint, quòd Scripturas sacras violenter detorserit in adjutorium falsitatis; quòd in descriptione excommunicationis contra Imperat. ea interseruerit, in quibus manifestè à fide Catholica erravit, quòd jejunium indixerit Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectius sentiret de corpore Domini, Romanane Ecclesia an Berengarius? per hoc manifestè probatus infidelis, cùm in Niceno Concilio scriptum sit, quia dubius in fide, infidelis est; quòd de corpore Domini signum quæsiverit, quòd Johannes Porticensis Episcopus, qui intimus fuerat à secretis Hildebrandi, ascenderit in ambonem B. Petri, & inter multa, audiente Clero & populo, dixerit, Tale quid fecit Hildebrandus; & nos, unde deberemus vivi incendi, significans de Sacramento corporis Domini, quod Hildebrandus responsa divina quærens contra Imperatorem fertur injecisse igni, contradicentibus Cardinalibus, qui assistebant ei, quòd conscius proditionis prædixerit Imperatorem ante proximum Petri festum moriturum, seque nisi ut fieret, non habendum esse Papam, sed perditorem & mendacem: cumque id non fuerit secutum, ideò divino motu actum esse, ut à seipso quoque damnaretur hæreticus, quòd in Synodo generali hæretica prædicaverit, prædicando excommunicatis communicare consenserit, prædicata scripserit, prædicatione & scriptis alteram Catholicam, alteram excommunicatorum Ecclesiam faciens, unitatem sciderit & scripta per orbem terrarum disseminaverit, prædicando, scribendo, scripta disseminando, seipsum hæreticum manifestaverit, & ore proprio & confessione hæreseos non extortâ, divino urgente judicio condemnaverit, quòd tredecim Cardinales sapientiores & religiosiores ipse Archidiaconus & ipse Primicerius, & multi alii Lateranensium Clericorum, quorum judicio ex privilegio factæ Sedis totus subjacet mundus, apostasiam ejus intolerabilem perpendentes, ab ejus communicatione recesserint, quòd in hæresin Liberii reciderit, qui postquam publicè communicavit excommunicatis, duas Ecclesias faciens, unitatem sciderit.* Cardinales in literis publicis Romæ Anno 1098. 7. Iduum Augusti ad omnes Deum timentes datis sic scribunt: *Nolumus ignorare prudentiam vestram, quòd ad destruendas hæreses noviter ab Hildebrando inventas, & antiquas sub nomine pietatis impiè ab ipso renovatas, & ad defensionem fidei Catholicæ & ad exterminandam impietatem eorum, qui noviter ipsam fidem Catholicam, quantum in ipsis erat, scindere non timuerunt, DEO auctore Nonis apud sanctum Blasium convenimus &c. ipsas pestilentes hæreses damnatas, sicut majores nostri, ita & nos damnamus, adeoque unà omnes sectatores, communicatores, complices semel damnatæ pravitatis pari sorte censemus.*

Sigebertus in Chronico Ann. 1074. de eo scribit, quod *gravissimum schisma in Ecclesiam invexerit, cujus occasione multos pseudo-magistros excitaverit, qui profanis novitatibus plebem seduxerint.*

Urspergensis in Henrico IV. de hoc Hildebrando scribit, quod *novos & inauditos errores in Ecclesiam introduxerit.*

Aventinus lib. 5. Annal. de eodem asserit, quod *pestiferæ hæreseos autor ab Episcopis & ab aliis apertis & bonis fuerit habitus.*

19. De Cœlestino III. (qui sedit circa Annum 1181.) Alphonsus à Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 4. memorat, quod *erraverit circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresin,* ac dicit, *rem hanc esse omnibus manifestam.* Occurrit etiam exceptioni, quod *errarit, ut persona privata. Neq;,* inquit, *hic Cœlestini error talis fuit, qui soli negligentiæ imputari debeat, ita ut illum errasse dicamus velut privatam personam & non ut Papam, qui in qualibet re seria defendenda consulere debet viros doctos, quoniam hujusmodi Cœlestini definitio habebatur in antiquis Decretalibus in c. Laudabilem. tit. de Conversione infidelium, quam ego ipse vidi & legi.*

(At Concilium Tridentinum sess. 24. can. 5. hoc pronunciat esse hæreticum. Innocentius III. in definiendo contrario his verbis utitur: *Licet quidam Prædecessores nostri sensisse aliter videantur.* Salmeron in 1. Cor. 7. Disp. 22. *Hæresis non dissolvit matrimonium ante hæresin contractum, etsi aliter cuidam Pontifici aliquando visum fuit.* Agnoscunt ergo, Cœlestinum III. hanc erroneam sententiam definivisse. Excipit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. *Cœlestinum non definisse aliquid certi de hac re, sed tantùm respondisse, quod sibi probabilius videbatur.* Sed hoc Cœlestini rescriptum in antiquis Decretalibus extitisse, testis est Alphonsus à Castro, nec diffiteri potest Bellarminus. Atqui Decretales tanti apud Pontifices & Pontificios æstimantur, ut Scripturis sacris eas fermè æquare non dubitent. c. Si Romanorum. dist. 19.

20. De Innocentio III. (qui sedit circa Annum 1198.) sic scribit Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 1. §. Tertia ratio. *Tametsi Innocentius III. lib. 4. de myst. Missæ cap. 6. opinatus sit, Christum nullis verbis consecrasse, id tamen communiter refelli solet.*

(Atqui sententia Pontificis, utpote infallibilis, non ita communiter refelli deberet.)

Idem Innocentius III. in Decretalibus, *Qui filii sint legitimi* cap. per *venerabilem*, docet legem veterem nondum planè esse abrogatam, his verbis: *Sanè cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in N. Test. debeat observari.*

(Excipit Bellarminus, *Innocentium noluisse dicere, Deuteronomium hoc tempore debere observari ad literam, sed quatenus, quæ in eo dicebantur, figuræ erant N. T.* At si hoc esset verum, non de solo Deuteronomio, sed de tota lege Mosis ita loqui oportuisset, cum etiam in Exodo, in Levitico, in Numeris non pauca sint, quæ mysteria Nov. Testam. adumbrent, nec fuisset argumentum ducendum à nomine, nec dicendum fuisset, ea quæ ibi decernuntur, observari debere, sed ea, quæ ibi significantur.)

21. De Johanne XXII. [qui sedit circa Annum 1316.] testatur Adrianus VI. Pont. Rom. in lib. 4. sent. de Sacramento Confirmat. art. 3. §. Ad secundum principale &c. quod *publicè docuerit, declaraverit & ab omnibus teneri mandaverit, animas piorum e corporibus migrantes non frui visione Dei & beatitudine cælesti ante judicium universale.*

Ad hoc Adriani VI. testimonium provocat Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. verbo Beatudo, hæresi 6. *Armeni,* inquit, *docent, nullam animam ante diem judicii esse beatam. Eandem hæresin etiam tuentur Græci &c. Post istos surrexit Johannes XXII. hujus nominis Pontifex. Sed ne verbis meis aliquis hac in parte fidem deroget, verba Adriani Papæ referam, qui in suo quarto sententiarum in calce cujusdam quæstionis de Sacramento Confirmationis ita ait: Novissimè fertur de Johanne XXII. quòd publicè docuit, declaravit & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei: & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem jurasset se defensurum & perpetuò ei adhæsurum.* Hæc Adrianus. Idem de hoc Johanne 22. refert Marsilius 4. sentent. q. 13. art. 3. Guilielmus Occam in Compendio errorum, & in opere 93. di-

93. dierum hæreses & errores huic Pontifici tribuit Johannes Gerson in ser. in festo Pasch. coram Proceribus regni Galliæ habito de eo scribit, quòd publicè docuerit, declaraverit & ab omnibus teneri mandaverit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habeant stolam, quæ est clara & facialis Dei visio. Antonius part. 3. tit. 21. cap. 6. §. 15. Johannes 22. sermonem faciens in publico Consistorio dixit quandam hæresin sapientia, ideoq; à multis judicatus est hæreticus: Nauclerus generat. 47. scribit, multos eximios viros dogmatizasse, hunc Johannem fuisse hæreticum. Quinimo Ludovicus IV. in publico Imperii edicto testatur, hunc Johannem 22. à Franciscanis, universis Theologis suffragantibus, hæresiarcham fuisse declaratum, referente Aventino lib. 7. Annal. p. 471. Similia de hoc Johanne 22. extant apud Paulum Langium in Chronic. Cizensi ad annum 1330. Sixtum Senensem lib. 1. Biblioth. annot. 340. Sanderum lib. 7. Monarch. f. 494. Greg. de Valent. lib. de Purgat. f. 277.

(Excipit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. Johanni sic licuisse sentire, quia nulla præcesserat Ecclesiæ definitio. Atqui 1. illa ipsa Papæ definitio pro Ecclesiæ definitione fuit habita, certa juxta Bellarmini hypothesin, juxta quam Ecclesia & Pontifex sunt termini æquipollentes, haberi debuit. 2. Guido Carmelit. in Summa de hæres. & Alphonsus de Castro d. l. testatur, multos ante Johannem hanc hæresin tenuisse, quæ in Arabicis & Armenis fuit damnata. 3. Si licuit Johanni ãte Ecclesiæ definitionem sic sentire absque hæreseos periculo, cur Christianus Massæus in Chron. lib. 18. disertè scribit, Papa Johannes prædicavit errorem? Cur Genebrardus de eo dicit, errorem Lactantii & Irenæi de receptaculis animarum usque ad resurrectionem tenuit, & publicè prædicavit? Cur Severinus Binius de eo sic loquitur. Erroneam aliquando sententiam de animabus certo loco ante diem judicii detentis ille sustinuit? Certè error in fide absque hæreseos periculo non potest publicè prædicari. 4. Quomodo verò negare potest Bellarminus, de hac quæstione ante Johannem XXII. fuisse aliquid in Ecclesia definitum; cum lib. 1. de Eccles. triumph. cap. 2. ex Ecclesiæ testimonio demonstraturus, animas Sanctorum ante diem judicii frui visione DEI, provocat inter alios testes Innocentium III. qui id disertis verbis docuerit c. Apostolicam. extra. de Presbytero non baptizato. Is enim Innocentius, decimus nonus fuit in ordine Pontificum, ante hunc, de quo agimus, Johannem intervallo annorum circiter centum. 5. Quæ, insuper, erat illa Ecclesia, quæ contra hoc caput suum definitura erat?

Aliter igitur excipit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. & de Sanct. beat. cap. 2. §. Atque hinc &c. Johannem Pontif. revocasse errorem suum ante mortem. Resp. 1. Gregor. de Valent. lib. de Purgat. fol. 277. dicit, nisi de morte ereptus esset, publicè in tota Ecclesia hunc errorem definivisset. 2. Alphonsus de Castro d. l. adducit Bullam Benedicti XI. in qua sic habetur: Cum Prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in suo Consistorio publico, tam fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, injungendo districtiùs & mandando, ut super visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè unusquisque diceret, quod sentiret, tamen morte præventus perficere illud nequivit. (Hæc ergo fuit revocatio, quod significaret Papa, se socios suos de hoc negotio percepturum, ipse interea opinioni suæ ad mortem usque inhæsit.) 3. Quæ de relatione Johannis Villani Bellarminus habet, qui secus quid ex fratre suo in aula Johannis Papæ aliquando degente inaudiverit, λῆροι sunt fide omnino indigni. Sanderus judicat, admirabilem Dei providentiam circa Sedem Apostolicam hinc perspici, quòd non sit passus falsum Decretum in causa fidei à Vicario suo in falsam partem nimiùm inclinante interponi, sed potiùs morte hominis honorem Sedis Apostolicæ stabiliverit. Confer Ivellum contra Hardingum f. 469. Raynold. de Rom. Eccl. idolol. lib. 1. cap. 7.)

De eodem Johanne XXII. sic scribit Platina in ipsius vita: Edictum proposuit, quo eos declaravit pertinaces & hæreticos qui affirmarent, Christum ejusque discipulos nihil privati habuisse, quòd certè cum sacra Scriptura non multum convenit, quæ multis in locis testatur, Christum ejusque Discipulos ac veros imitatores nil propriè habuisse.

22. De Clemente VI. (qui sedit circa Annum 1342.) Gretserus lib. 2. de Discipl. cap. 4. fatetur, quod omnibus Christi fidelibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuerit, ne de cætero flagellationibus publicis uterentur.

(At Jesuitæ publicas illas flagellationes tanquam opus meritorium & satisfactorium commendant. Aut ergo Papa erravit, aut Jesuitæ hodie errant. Non est, quod excipiant, flagriones suos tectâ facie procedere. Nam & prisci illi Flagellatores Anno 1260. & Anno 1349. cooperto capite & facie incedebant, referente Trithemio in Chron. Hirsaug. Anno 1349. nec tamen opus illud à Papa, ullave persona autorabili approbatum fuit, ipsomet Gretsero lib. 2. de Discipl. cap. 4. fatente.)

23. De Johanne III. (qui sedit circa Annum 1410.) testatur Concilium Constantiense sess. 11. tom. 4. Concil. Venet. edit. f. 294. quod sæpe & sæpius coram diversis Prælatis & aliis honestis ac probis viris pertinaciter, Diabolo suadente, dixerit & asseruerit & dogmatizaverit, vitam æternam non esse, neque aliam post hanc vitam; quodque dixerit & pertinaciter crediderit, animam hominis cum corpore humano mori & extingui ad instar animalium brutorum.

(Excipit Bellarminus, Johannem hunc non fuisse indubitatum Papam. At platina in ipsius vita testatur, eum Bononiæ omnium consensu Pontificem creatum. Bellarminus ipse lib. 2. de Concil. cap. 13. §. 1. scribit: Post discessum Johannis XXIII. ex Concilio Constantiensi Concilium remansisse sine capite. Ergo fuit prius caput Concilii ac proinde verus Pontifex.

24. Eugenius IV. Ann. 1439. in Concil. Basil. sess. 34. 7. Calend. Julii pertinax hæreticus declaratus est, ut habetur tom. 4. Concil. edit. Venet. p. 517. tom. 3. edit. Colon. p. 106.

25. De Nicolao V. (qui sedit circa Annum 1447) ex Jacobo Sprangero refert Bodinus lib. 3. de Dæmon. cap. 5. quod Episcopo cuidam concesserit, ut sagæ operâ ad recuperandam valetudinem uteretur, hac addita dispensationi clausula, ut ex duobus malis fugiatur minus.

(At hoc omni hæresi pejus merito judicatur.)

26. De Innocentio VIII. (qui sedit circa Annum 1484.) memorat Raphael Volaterranus libr. 7. Geogr. quod permiserit Norvegis, ut sine vino sacrificium celebrarent.

(At hoc pugnat cum institutione Christi, & improbatur ab ipsis Pontificiis. Cajetanus in Thomam part. 3. q. 80. art. 12. q. 1. Sacrilegus est Sacerdos consecrans panem & non vinum. Bellarmin lib. 4. de Euchar. cap. 22. prop. 2. In una specie non habetur perfectè & integrè sacrificii ratio, sed utraque necessaria est. Excipit idem Bellarminus. lib. ejusd. cap. 24. §. Quartum &c. Id Pontifex ille ideò concessit, si tamen concessit, vel quòd ejus sententiæ esset, non esse de jure divino, ut sacrificium in utraque specie confici debeat, vel quòd judicaverit, jus divinum ita interpretandum esse, ut excipiatur casus necessitatis. At neutra responsio Pontificem ab errore absolvit, cum Bellarminus ipse agnoscat, in sacrificio utramque speciem jure divino esse necessariam.

Aliter igitur excipit lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 14. §. Ultimo. Pontifex non edidit ipse Decretum, quo universæ Ecclesiæ declararet, licere sine vino sacrificium offerre. Itaque si erravit, facto erravit, non dogmate. Deinde non permisit loco vini alium liquorem consecrari, quod fuisset materiam Sacramenti pervertere, sed id solùm permisit, ut in altera tantùm specie Eucharistiam consecraret, idque ob extremam necessitatem, cùm in ea regione vinum conservari non possit quin statim acescat: quod quidem aut nullus error est, aut certè exploratus error non est. Resp. 1. Etsi non ediderit Pontifex Decretum generale, tamen edidit Decretum speciale. 2. Nec in quæstione aliqua facti, sed juris ac fidei, utique enim quæstio fidei est, an liceat sine vino Eucharistiam administrare? 3. Quæ verò hæc collectio: Pontifex non permisit loco vini alium liquorem consecrari, nec Sacramenti materiam pervertit. Ergo non erravit permittendo, ut sine vino Eucharistia administretur? Non solum errat, qui materiam Sacramenti pervertit, sed etiam qui materiam Sacramenti penitus tollit; imo qui materiam Sacramenti penitus tollit, gravius errat, quam qui eandem mutat & pervertit. 4. Fictitiam illam necessitatem evertit ipse Bellarminus, quando immediate hoc loco subjicit: Accedit, mirum videri, si eo tempore vini usum non habuerint, aut conservare non potuerint, cùm hoc tempore adeò sit frequens, ut sine illo ne communicare quidem velint.)

27. A Decretis Leonis X. (qui sedit circa Ann. 1513.) Universitas Parisiensis appellavit ad liberum & legitimum Concilium, ut constat ex Fasciculo rer. expetend. & fugiend. Tenor Appellationis extat apud Wolfium tom. 2. memorab. p. 97.

3. Suffragatur nostræ sententiæ, quod Pontificum Decreta & rescripta invicem pugnent. (Cum enim plus uno verum esse non possit, alterutrum eorum, qui contraria decernunt, errasse, ex eo conspicuum est & manifestum.)

Thomas p. 3. q. 66. art. 6. *Nicolaus I. Papa ad consulta Bulgarorum respondens, dicit, quòd qui in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, rebaptizari non debeant.* (Extat Decretum c. à quodam. de consecrat. dist. 4. ubi hanc suam sententiam probat autoritate Apostolorum in Actis & Ambrosii.)

Sed Pelagius Papa statuit, quòd baptizati tantum in nomine Christi sint rebaptizandi. (ext. Decr. c. Si revera. dist. ead. de consecr.)

Thomas ibid. art. 8. *Pelagius Papa Gaudentino Episcopo scribit, Evangelicum præceptum, ipso Domino & Salvatore nostro tradente, nos admonere in nomine Trinitatis trinâ immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere. Sed Gregorius scribit Leandro Episcopo: Reprehensibile nullatus esse potest, infantem in Baptismate vel tertiò vel semel immergere.*

Erasmus in annot. 1. Corinth. 7. p. 327. *Si Pontifex errare nequit, qui fit, ut Pontificis hujus Decreta cum illius pugnent Decretis? Ut enim taceam de Formoso, nonne Papa Johannes XXII. & Nicolaus Decretis totis inter se pugnant? idque in his, quæ videntur ad fidei negotium pertinere, quorum alter pronunciavit judicialiter, ut illorum more loquar, Christum & Apostolos nihil habuisse nec in communi, nec privatim. Alter contrà pronunciavit, habuisse. Id ex ipsorum Extravagantibus licet cognoscere.* (Decretum Nicolai IV. extat c. Exiit de verbor. significat. in 6. Decretum Johannis XXII. in Extravag. ad condit. canon. tit. 14. de verbor. significat. In contrariis hisce Decretis conciliandis plurimum laborat Johannes de Turrecremata lib. 2. Summ. de Eccles. cap. 112. Sed Bellarminus ingenue scribit, *profectò, nisi ego vehementer fallor, in omnibus conciliari nequeunt.* Verba Johannis XXII. sunt manifesta: *Opinio, quæ asserit Christum & Discipulos nihil habuisse in communi, erronea est & hæretica.* At Nicolaus *abdicationem omnium rerum Christum verbo & exemplo firmasse docet.* Inde Almain de autor. Eccl. cap. 10. de his Pontificibus scribit: *Unus eorum determinavit judicialiter, Christum & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in proprio: alter oppositum, ut videre est in eorum Extravagantibus:* ac Platina in Johann. XXIII. de eo scribit: *Edictum proposuit, quo eos declaravit pertinaces & hæreticos, qui affirmarent, Christum ejusque discipulos nihil privati vel proprii habuisse, quòd certè non multum cum Scriptura convenit.*

Johannes Delphinus libr. 2. de Cœlibatu, ex Nicolai verbis quatuor elicit axiomata: *Abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in speciali, quam etiam in in commune, spectare ad perfectionem: Apostolos hanc abdicationem à Christo accepisse & didicisse: hanc Apostolos servavisse: aliis exemplo & doctrina servandam tradidisse.* Porro: *Johannem initio pontificatus idem sensisse cum Nicolao, nempe Christum & Apostolos proprietatem & dominium rerum omnium temporalium deseruisse. Itaque confirmasse Decretalem, Exivi de Paradiso, in qua Francisci regula exponitur & laudatur &c. sed elapso anno sexto Pontificatus sui, quatuor statuta fecisse supradictis Constitutionibus omninò contraria, videlicet Christum & Apostolos in omnibus temporalibus rebus, quas Scriptura testatur eos habuisse, tam in particulari, quàm in communi proprietatem, dominiumque temporalium rerum minimè abdicasse, nec illa reliquisse, nec hujusmodi abdicationem unquam docuisse, quin omnes, quotquot asserunt aut docent oppositum, æquè damnandos esse atque impios hæreticos &c.*

Pergit Erasmus ibidem, & plura dissensionum adducit exempla. *Innocentius III. ac Cœlestinus de matrimonio dirimendo prorsus pugnantia definiverunt, quorum hic jus facit alteri conjugum iterare matrimonium, si alter fuerit in hæresin prolapsus; Innocentius negat, quemadmodum legimus lib. Decret. 4. tit. de divortiis c. Quãto. Nec illic dissimulat Innocentius, quendam prædecessorum suorum secus statuisse, Cœlestinum indicans, ut aperit Glossema declarans, Cœlestini super hac re Constitutionẽ olim extitisse in Decretalibus lib. 3. tit. de cõversione infidelium in fine. Id eò magis verisimile est, quod is titulus paucissimis constet capitibus, ut intelligas esse decurtatum.*

(Monuimus superius, Alphonsum de Castro de se testari, quod viderit & legerit Cœlestini constitutionem in antiquis decretalibus.)

Ibid. Erasmus aliud dissensionis affert exemplum. *Pelagius ut extat in Decretis dist. 31. c. ante triennium, constituerat, ut Hypodiaconi Siciliæ ab uxoribus abstinerent, quas ante constitutionem legitime duxerant. Id Decretum velut iniquum & cum Evangelico pugnans præcepto, retractat & abrogat Gregorius, ejus nominis Primus, qui Pelagio successit, statuens, ut in posterum nemini ad eum ordinem pateret aditus, nisi vovisset castitatem. Cæterum durum & iniquum esse, ut ad castitatem cogatur, qui non vovit castitatem, nec ullâ culpâ commeruerit, ut eò debuerit compelli. At quod hic iniquum videtur Gregorio, non visum est iniquum Innocentio III. qui ita respondet iis, qui objiciebant, præter æquum videri, conjugem relictam jure suo privari sine culpa, præsertim cum contumeliosior sit in Christum, qui baptizatus recidit in hæresin aut paganismum, quam qui natus Ethnicus recusat ad Christi professionem transire.* (Gregorius in Decreto suo dicit, *Decretum Pelagii sibi durum & incompetens videri.* Glossa in Gratianum c. Ante triennium. dist. 31. asserit, *constitutionem hanc esse iniquam. Item, statutum Pelagii fuisse contra Evangelium, in quo excipitur sola fornicatio.* c. Quos Deus. caus. 33. q. 2. *& ideò meritò fuisse à Gregorio reprobatum.*)

Cardinalis Johann. de Turrecremata in annot. ad c. Ante triennium. dist. 31. ex illo Gregorio facto sumit argumentum, quod *Successor potest cassare Statutum sui Prædecessoris, si injustitiam contineat, & si præstet exemplum mali.* Ergo statuta Pontificum possunt injustitiam continere & exemplum mali præstare.

Jacobus Almain de autorit. Ecclesiæ cap. 10. adhuc gravius insurgit. *Atqui, inquit, Pontifices statuerunt contra Evangelium, ut Pelagius, qui fecit constitutionem, quòd omnes Subdiaconi Siciliæ à suis uxoribus abstinerent, quas in minoribus ordinibus duxerant, aut ob officio cessarent: quam, quia erat iniqua & contra Evangelium, retractavit Gregorius I. ejus Successor, ut patet 31. dist. c. Ante triennium, in textu & in glossa.*)

Pergit Erasmus & novum dissensionis Papalis producit exemplum. *Adhæc inquit, seculis aliquot hanc sententiam amplexa est Ecclesia Mutinensis, ut qui contraxisset cum Barbara verbis legitimis & ex animo, sed non intercedente coitu, postea contraheret cum Cornelia & coitum adjungeret, cogeretur priore relicta posteriori convivere. Id palam rescindit Innocentius Romanus Pontifex, ex diametro, quod ajunt, diversam pronuncians sententiam, videlicet priorem esse legitimam uxorem, quod cum posteriore sit actum, adulterium esse, non matrimonium, ut proditum est libro Decretalium Epistolarum 4. tit. 4. cap. Quæ dudum. & ejusd. tit. cap. Licet. Alexander III. indicat suo rescripto, fuisse statum ac definitum aliquando à Prædecessoribus suis, hoc est, Romanis Pontificibus, quod in Mutinensi Ecclesia damnat Innocentius. Quantò id periculosius quam causa divortii? & tamen hic Decreta Pontificum mutavit Romanus Pontifex.* (Decretum Alexandri III. extat cap. Licet. de Sponsa duorum.)

Concludit tandem Erasmus: *Sed quid ego de Pelagiis aut Alexandris loquor, aut Innocentiis, cùm non puduerit Petrum Apostolorum Principem melioribus auscultare, postquam admonitore Paulo suum agnovit errorem? si tamen amplectimur hac in parte Divi Aurelii Augustini sententiam.*

Jacobus à Saa Lusitanus libr. de primogenit. num. 30. itidem aliquot dissensionum exempla affert: *Videmus, inquit, Pontifices, qui omnia jura se in scrinio pectoris habere dicunt, in multis capere aliarum Constitutionum oblivionem, ut patet ex c. Præterea 23. dist. & in c. ultimo 30. q. 4. dicit Urbanus Papa, prohibitum non reperiri, virum & uxorem simul posse puerum in Baptismo suscipere, quamvis antea Leo id satis prohibuisset in c. Non plures. dist. 4. de consecrat. quod etiam tenet Glossa d. c. Præterea, licet Glossa in c. ultimo id excusare teneatur. Alexander III. in c. Licet. extra. de voto, sponsalia contracta verbis præsentibus statuit per aliud sequens matrimonium copulâ carnali consummatum non solvi, licet quidam illius Prædecessores aliter statuissent. Et ut colligitur ex c. Quanto. extr. de divortiis, de dirimendo matrimonio. Innocentius III. & Cœlestinus III. pugnantia statuerunt, ut etiam patet ex cap. 1. dist. 31. & ibi glossa. Decretum, quod constituerat Pelagius, ut Subdiaconi Siciliæ abstinerent ab uxoribus, quas antè legitimè duxerant, Gregorius I. dictus Pelagii Successor retractavit. Ex quibus infertur, quod Jason in l. præscriptione. C. si contra jus vel utilit. publ. post Baldum dicit, quod licet Papa est Doctor utriusque juris, ex eo quod est Papa, tamen est Doctor autoritate, non scientia.*

Sabellicus lib. 1. Ennead. 9. *Inolevit mos pessimi exempli, ut sequentes Pontifices priorum Acta rescinderent.*

Præter hæc, etiam alia dissidentium Decretorum Papalium afferri possunt exempla.

Gregorius de quatuor Conciliis Oecumenicis, inter quæ etiam est *Chalcedonense*, dicit, quod *ea ceu quatuor Evangelia amplectatur.* Sed Leo Epist. 59. de Synodo Chalcedonensi scribit,

scribit, *Semper se reprehendisse, quæ in hac Synodo decreta sunt.*

Gelasius in c. Sancta Romana. dist. 15. *Canonum Apostolorum librum* numerat inter Apocrypha. Zepherinus c. Sexaginta dist. ead. *sexaginta* Canones recipit. Leo I. c. Clementis dist. ead. *quinquaginta* Canones recipit. Sexta Synodus c. Placuit. dist. ead. *octoginta quinq;* capitula Canonum Apostolicorum acceptat.

Leo II. in Epist. qua Syoodum 6. confirmavit, anathematizavit Honorium Pontificem propter Monotheletarum errorem. *Anathematizamus*, inquit, *Honorium, qui hanc Apostolicam Sedem non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est.* (Aut ergo Honorius erravit Monotheletarum errorem approbando; aut Leo II. erravit, Honorium anathematizando.)

Deusdedit Pontifex in Epistola ad Gordianum c. Pervenit. caus. 30. q. 1. statuit, *ut viri ab uxoribus separentur, qui aliquo casu natos proprios ex lavacro sancto suscepissent.* Sed Nicolaus in Epist. ad Salonitanum c. Nosse desideras. caus. & q. usd. contrarium statuit. *Nosse*, inquit, *desideras, utrum mulier, quæ viri filiũ ex alia fœmina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari, quos ideo conjungi posse decernimus, quia secundum Canones sacros nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causâ pietatis operatur impietatem, maximè cũ Apostolus præcipiat. Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus &c. Et iterum, Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas &c.*

(Sic ergo Nicolaus Decretum Pontificis Deusdedit, tanquam Apostolico præcepto repugnans, refellit ac repudiat.)

Gregorius II. Pont. Rom. *irritum pronunciat Baptismum administratum ab eo, qui ipse non est baptizatus.* c. Quos à paganis. dist. 4. de consecrat. Sed Nicolaus I. *ratum illum habet*, in rescripto, quod legitur inter Decreta tom. 3. Concil. (Bellarminus dicit lib. 1. de Bapt. cap. 7. *Rem jam esse definitam in Concilio generali Florentino, quod talis Bapt. sit ratus.*)

Gelasius c. Comperimus. dist. 2. de consecrat. asserit, *eos arcendos à toto Sacramento Eucharistiæ, qui calici non communicant. Non posse enim unius ejusdemque mysterii divisionem sine grandi sacrilegio fieri.* Bellarminus & alii Pontificii autoritate hujus can. pressi excipiunt, *Gelasium loqui solum de Sacerdote sacrificante, qui non possit sine sacrilegio unam tantum speciem sumere, quia imperfectum sacrificium redderet.* Esto sane. Interim Gelasio Pontifici contradixit Innocentius VIII. itidem Pontifex. Is enim teste Raphaele Volaterrano lib. 7. Geograph. *Norvegis concessit, ut sine vino sacrificium celebrarent*, quod Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 14. sic exponit, *non permissum esse à Pontifice, ut loco vini alium liquorem assumerent, sed solum ut in altera tantum specie Eucharistiam consecrarent.* Ergo ut à calice abstinerent. Credidit ergo Innocentius, unius ejusdemque mysterii divisionem sine sacrilegio fieri posse & proinde Gelasio contradixit.

De suffragio Imperatoris in Pontifice eligendo contraria extant Pontificum Decreta. *Adrianus III. statuit*, (inquit Fasciculus temporum,) *ut Imperator nullo modo se intromitteret de summi Pontificis electione. Sed apparet, quod hæc Constitutio parum obtinuit. Imò Leo VIII. disertè contrarium statuit postea.* Extat vero ista Leonis Constitutio apud Gratianum, dist. 63. qua concessit Ottoni I. & Successoribus, ut eligant & ordinent Romanum Pontificem. *Constituimus*, inquit, *& confirmamus & corroboramus, & per nostram Apostolicam autoritatem concedimus atque largimur Domino Ottoni I. Regi Teutonicorum, ejusque Successoribus hujus regni Italiæ, in perpetuum facultatem eligendi Successorem atque summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi.* Similiter Adrianus cum Synodo decrevit, *Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias investituras à Carolo Magno accipere*, quo jure frequentes usi sunt ejus Successores. Hanc tamen satis legitimam causam judicarunt Gregorius VIII. ejusque Successores, propter quam Henricum IV. Henricum V. Fridericum I. atque alios Impp. excommunicarent, excitatis eam ob rem bellis perniciosissimis.

Stephanus VI. Pontifex tanto odio in corpus Formosi Pontificis mortui sæviebat, ut ejus digitos abscinderet, illos præsertim, quibus in consecratione usus erat & acta ejus omnia dissolvebat. Stephano successit Romanus, qui omnia Stephani Pontificis acta improbavit & abrogavit. Post Romanum Johannes IX. Pontifex creatus, qui quatuor & septuaginta Episcoporum habito conventu, & Stephani res gestas improbavit, & Formosi acta restituit, dijudicans, perperam à Stephano factum, qui censuit eos iterum ordinandos esse, quos Formosus ad sacros ordines asciverat. Post Johannem IX. Sergius III. Pontifex creatus est, qui Formosi acta ita improbavit, ut denuo ad sacros ordines eos admittere necesse fuerit, quos Formosus antea Sacerdotali ordine dignos censuerat. Neque hanc quidem ignominiam mortuo intulisse contentus, ejus cadaver è sepulchro tractum capitali supplicio, ac si viveret, affecit, corpusque ipsum in Tiberim projecit, tanquam sepultura & humo indignum. Platina in vitis horum Pontificum, (ubi diserte addit, *Post Stephanum hanc consuetudinem servatam fuisse, ut acta priorum Pontificum sequentes aut infringerent, aut omninò tollerent.*

Albert. Crantzius cum *hanc stupendam* (ut vocat) *in Sede Pontificia perturbationem* recitasset, subjungit: *Ita gravissimo totius Christianismi scandalo Romani Pontifices velut ebrii, imò furiosi, jactabantur. O Petre, Line, Clete, Clemens, ad quid pervenit vestro sanguine vestratumque, imò Christi cruore partus principatus ?*)

Bonifacius VIII. *in tantam arrogantiam erexit seipsum*, (inquit Fasciculus temporum) *ut dominum totius mundi se diceret, tàm in temporalibus quàm in spiritualibus.* Idem *de necessitate salutis esse* statuit, *omnem creaturam subesse Romano Pontifici.* Sed Innocentius III. in Decretalibus, *Qui filii sint legitimi* cap. *per venerabilem*, cum loqueretur de Rege Franciæ, diserte significat, *eum Regem in temporalibus superiorem minimè recognoscere.* (Neque hæc dissensio levis momenti æstimanda, quia *de summa rei Christianæ agitur, quando de suprema Pontificis Romani potestate quæritur*, si credimus Bellarmino in Præfat. libror. de Summ. Pontif. id asserenti.)

Alexander III. c. ex parte. de Sponsalibus & matrimon. sancivit, *oportere quemvis hominem, cujuscunque professionis sit, vivente adhuc dimissâ conjuge, continere.*

Contra Innocentius III. c. Quanto. de divortiis. *Licet Prædecessor ejus aliter senserit, se decernere, eam partem, quæ ad fidem Catholicam conversa fuerit, vivente adhuc altera posse nubere.* (Non est quod excipiant, *hæc decreta non concernere articulum aliquem fidei*, quæstio enim de solubilitate & indissolubilitate matrimonii est omnino de fide.)

Gregorius c. Si lapsis. dist. 50. *Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia conceditur, vigor Canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ.* Martinus c. Qui semel. dist. ead. *Qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci.*

Contra Calixtus c. Ponderet. dist. ead. *Sanctus David de mortiferis criminibus pœnitentiam egit, & tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lachrymas fudit, quando Dominum se negasse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit &c. Errant itaque, qui putant Sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino non posse ministrare & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium dignè custodierint.* Ad hoc Calixti Decretum provocat c. Presbyter, dist. 82. ex Concilio Gangrensi.

Pelagius constituerat, *Diaconos Siciliæ ab uxoribus abstinere debere.* At hoc Decretum Gregorius Successor rejecit c. Ante triennium. dist. 31. in quem locum sic commentatur Joh. Turrecremata Card. *Facit quatuor: Primò ostendit, quando prohibitio illa fuit facta, scil. ante triennium. Secundo, quod illa prohibitio fuit iniqua. Tertio, cassat illam prohibitionem, ex quo porrò colligit Turrecremata, posse Successorem Prædecessoris sui statuta cassare, si ea injustitiam & malum exemplum contineant.*

Gregorius Papa caus. 35. q. 2. *gradus cognitionis prohibitos ad 7. usque extendit.* Idem constituit Julius.

Contra vero Innocentius III. in Lateranensi Concilio. *Prohibitio*, ait, *copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat.*

Johannes XXII. in Extrav. de verb. signif. cap. 2. & seqq. dicit, *non obstante interdicto Innocentii IV. in generali Concilio, novas religiones introductas esse.*

Leo X Erasmianam N. T. versionem commendavit, ejusque Autorem vocat *filium suum dilectum.* Sed Paulus IV. eam in censum librorum damnatorum retulit.

Sixtus V. vulgatam Bibliorum versionem à quibusdã Cardinali-

dinalibus & viris doctis revisam & castigatam in Sede Vaticana inprimi curaverat, eamque per publicum Decretum toti orbi Christiano *tanquam authenticam & puram* commendaverat. Sed post ipsius mortem Cardinales Decretum hoc abrogarunt & editionem Sixtinam, utpote *multis defectibus ac mendis adhuc laborantem*, suppresserunt. Postea Clemens VIII. Sixti Successor editionem illam sub correctionis incudem revocari curavit, ac bullam Sixti, qua editionem suam commendaverat, abolevit. Confer Thomæ Jamesii Angli *bellum Papale* Londini editum, in quo demonstrat Clementis & Sixti Paparum repugnantiam in Scripturæ textu genuino edendo.

Inde Theologi Reipubl. Venetæ in tract. de interdicto Pauli V. propos. 10. p. 15. sic scribunt: *Frequentissimè videmus, à Successoribus revocari leges & præcepta suorum Prædecessorum, aut etiam propria instituta, quando meliorem informationem nacti sunt. Et in Decretalibus Pontifices sæpe profitentur, se paratos esse revocare suas sententias, si demonstratum fuerit, contra justitiam ipsos aliquid commisisse.*

4. Quod tales concedunt hypotheses, ex quibus sequitur, Pontifices in rebus fidei errare posse.

Primo *canonizatio Sanctorum* pertinet ad publicum Romani Pontificis judicium. Bellarm. lib. 1. de beat. Sanct. cap. 8. *Soli Pontifici Romano competit canonizare aliquem generaliter, ita ut in tota Ecclesia pro sancto habeatur, nec ulli liceat de ejus sanctitate dubitare.* Cap. 9. *Credendum est, Pontificem non errare in canonizatione Sanctorum.* Cap. 10. *Canonizatio est publicum Ecclesiæ judicium de vera gloria hominis defuncti.*

Jam vero Pontifex in canonizatione Sanctorum potest errare. Probamus hoc contra Bellarminum id negantem ex ipso Bellarmino.

Concedit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 12. §. Succedit &c. *In quæstionibus facti, adeoque in iis, in quibus ab hominum aliorum testificatione Pontifex pendere necesse habet, ipsum errare posse.* Idem fatetur Tannerus tom. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 6. num. 240. *Potest*, inquit, *Papa in particularibus quæstionibus facti errare, verbi gratia, an hæc vel illa Respubl. excommunicationi rectè subjiciatur.* (Atqui Sanctorum canonizatio nititur aliorum relatione & testificatione.)

Idem Bellarmin lib. 4. de Rom. Pontif cap. 11. §. Ad quartum. *Adrianus Papa deceptus à Synodo 6. judicabat, Prædecessorem suum Honorium fuisse hæreticum.*

Lib. & cap. iisdem, §. Sextum. *Leo Papa Honorium mortuum execratus est, tanquam qui Sedem Apostolicam suâ hæresi contaminasset.*

Lib. ejusd. cap. 11. §. Succedit &c. *Papa Stephanus in Formosi Papæ corpus mortuum sæviebat, acta ejus rescindens. Sed hoc fecit odio in Formosum incensus, nesciens, vel non credens, Formosum fuisse à Martino publicè absolutum. Idcircò publicè decrevit eum nunquam legitimum Papam fuisse, & ideo irrita esse debere omnia ejus acta. Concedimus autem Papam in quæstione facti errare posse.* (Si Papa errare potest eum pro hæretico habendo qui non est hæreticus, utiq; etiam errare potest & decipi, habendo aliquem pro Sancto qui non est Sanctus. Ejusdem enim est vel impotentiæ vel impietatis Sanctos damnare & damnatos canonizare.) Inde Bellarminus lib. 1. de beat. Sanctor. cap. 8. *Canonizationem Sanctorum ad solum Pontificem unicè pertinere* probat ex eo, *quòd ad Pontificem spectet proponere toti Ecclesiæ, quid sit credendum & agendum in iis, quæ sunt religionis; Item declarare qui sint hæretici, ita ut à tota Ecclesia pro talibus habeantur.* (Quod si ergo potest errare in declaratione qui sint hæretici, utique etiam errare potest in declaratione, qui sint Sancti.)

Melchior Canus libr. 5. Locorum Theolog. cap. 5. p. 171. *Thomas* (quodlib. 9. art. ult.) *& Antoninus* (part. 3. tit. 12 cap. 8.) *dicunt, non certò & firmiter, sed piè credendum esse, Ecclesiam in canonizatione Sanctorum non errare. Nam quod absolutè possit, illa ratio confirmat, quòd in id genus judiciis Ecclesia hominum eorum testimoniis innititur, qui & fallere & falli possunt.*

p. 175. *Ecclesiæ judicia, quæ ab incertis hominum testimoniis proficiscuntur, infirma sunt ad certam & exploratam faciendam fidem, quale illud est, quo Sanctum aliquem Divorum Catalogo adscribendum censet.* (In margine annotantur Thomas, Antoninus d. l. & Cajetanus in opusc. de Indulgent. cap. 8. Subjungit quidem Canus, *nec tamen impune licet hujusmodi Decreta in dubium revocare, quin temerarium & irreligiosum est in Divis consecrandis Ecclesiæ abrogare fidem.* Sed nobis sufficit, quod concedere cogatur, *non esse hæreticum, dubitare de Ecclesiæ, id est, Pontificis infallibilitate in Sanctorum canonizatione, unde hanc dissertationem suam tandem ipse sic concludit, qui fidem Ecclesiæ in his detrahunt, illi non quidem hæretici, sed tamen temerarii, impudentes & irreligiosi sunt censendi.*)

Alphonsus Vivaldus in Candelabro aureo cap. 13. n. 23. fatetur, *Pontificem posse errare in canonizatione Sanctorum.*

Tannerus tom. 3. Theolog. Scholast. Disp. 4. n. 287. fatetur, *in hac quæstione, an Pontifex possit errare in canonizatione Sanctorum, Scriptores Pontificios invicem dissentire*, ac refutat eos, qui affirmantem quæstionis partem tuentur.

Huc referendum, quod Pontifex quandoque canonizaverit non-Sanctos.

Gregorius VII. Liberium Arianum inter Divos retulit, annotante Balæo.

Thomas Beketus in Anglia cæsus, quod per seditionem Clerum Regis obsequio subducere conatus esset, Clero procurante ab Alexandro III. relatus est in numerum Sanctorum, quanquam quæstione Parisiis inter Sorbonistas ventilata, utrum damnatus an salvatus esset, nonnulli morte ac damnatione dignum pronunciarunt, quod contumax fuisset in Regem Dei ministrum. Cæsar. lib. 8. Dial. cap. 69.

Item, quod sæpe, quem unus Pontificum in canonem Sanctorum recepit, alius inde excludere fuerit conatus.

Sic Hermannum Ferrariensem in numerum Divorum antea relatum, Bonifacius VIII. inde exemit, ejusque cadaver jam ante triginta annos humatum è sepulchro erui & concremari jussit, teste Balæo.

Secundo, *Ordinum approbatio* pertinet ad publicum Romani Pontificis judicium. Bellarmin. lib. 2. de Monach. cap. 4. *Hoc munus, Ordines consecrandi & instituendi, est Romano Pontifici proprium.* Jam vero in Ordinum approbatione Pontifex errare potest.

c. unic. Sancta Romana, Extravag. Johannes XXII. tit. 7. de religios. domibus. *Nonnulli profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli seu Fratres de paupere vita Bizochi sive Beguini, vel aliis nominibus nuncupantur in partibus Italiæ &c. novæ religionis habitum assumere, Congregationes & Conventicula facere, & Superiores sibiipsis eligere &c. præsumserunt &c. prætendentes se à sanctæ memoriæ Cœlestino Papa quinto Prædecessore nostro hujus status seu vitæ privilegium habuisse, quod tamen etsi ostenderent, non valeret, cum bonæ memoriæ Bonifacius VIII. Prædecessor noster ex certis causis rationabilibus omnia ab ipso Cœlestino Prædecessore nostro concessa, quæ per ipsum Bonifacium non contingeret approbari, viribus penitus vacuaverit, dictumque vitæ privilegium non inveniatur per eundem Bonifacium approbatum.*

Melchior Canus lib. 5. Locorum, cap. 5. p. 177. *Ordines probare vel refellere, quoniam non è scientia id solùm, sed etiam è prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus Pontifex errare nequit. Atqui jam vel in Concilio Lateranensi advertebatur, multitudinem nimiam religionum, quam nunc esse videmus, valdè Ecclesiæ Dei incommodare. Concilium quoque Lugdunense fatetur, quòd importuna petentium inhiatio contra Synodi Decretum aliquarum religionum confirmationem extorsit. Unde quosdam Ordines per Sedem etiam Apostolicam approbatos tanquam Ecclesiæ vel noxios vel inutiles abolendos esse decrevit, ut nullum deinceps ad eorum professionem admitterent. Et Cœlestinus V. statum vitamque Fratricellorum suo privilegio confirmavit, quod tamen confirmationis privilegium Johannes XXII apertè infirmum esse dixit, quòd Bonifacius ex certis & rationabilibus causis ea, quæ Cœlestinus concesserat, viribus penitùs evacuasset. Paulus item tertius Ordinem, quem in Italia Frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur. At nuper & Ordo ille à Venetis est edicto publico explosus, & Baptistæ doctrina, cui illius Ordinis homines inhærebant, Romæ est condemnata. Imbecillum igitur eorum argumentum est, qui ex hujusmodi privilegiis, quæ his facilè temporibus vel conceduntur, vel potiùs extorquentur, novas religiones non aliter ac de cœlo lapsas excipiendas esse confirmant &c. Nostro hoc seculo tàm multæ religiones sunt à Pontificibus confirmatæ, ut, qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Ecclesiæ vel utiles vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine jure optimo summiq; rationibus arguatur.*

Greg. de Valent. tom. 3. cap. 292. *Quibusdam visum est, errari posse à Pontifice, sic ut religionem aliquam admittat, quam circumstantiis omnibus spectatis oportuisset rejicere. Sed ea tamen opinio jure ac meritò reprehenditur.* Ibid. *In hac quæstione dicendi libertas Autoris cujusdam & Catholici alioqui & benè eruditi, meritò est ab aliis notata & reprehensa.*

Tertio, *Indulgentias promulgare* pertinet ad publicum Pontificis

tificis judicium. At in dispensatione Indulgentiarum errare potest Pontifex.

Onus Ecclesiæ cap. 15. num. 15. *Quid Papa cum mortuis agere potest, qui nunc forum suum egressi ad tribunal justi Dei devenerunt? Sed nihilominus Indulgentiarum Concionatores inter alia figmenta proclamant absurdum scandalum, ut comedant sacrificia mortuorum, dicentes, statim ut jactus nummus in cistam tinniverit, evolare animam, pro qua nummus imponitur. Certum profecto est, nummo in cista tinniente augeri quæstum posse, suffragium vero Papæ seu Ecclesiæ in solius Dei arbitrio consistere.*

Cap. ejusdem. §. 35. *Unus Papa alterius Indulgentias etiam licite prius concessas plerumque revocat. Verum etiam Sixtus IV. Indulgentias à seipso concessas revocavit.*

Cap. 19. n. 13. *Contra dispensationum* (Indulgentiarum) *exorbitantiam Sigismundus Cæsar in Concilio Constantiensi objecit, dicens: Legimus, Christum Petro potestatem relaxandi peccata, non admittendi dedisse. Quot autem & quantæ exorbitantiæ cum concessione & publicatione Apostolicarum Indulgentiarum committantur, explicare nemo potest.*

Massonius Scriptor Pontificius, & qui Lutherum impiæ doctrinæ præconem nominat, in vita Leonis X. fol. 384. *Reversar*, inquit, *ad Indulgentias, ut illud verissime dicam, Romanos Pontifices adhuc nimium indulgentes fuisse.*

Quarto, *dispensationes in gradibus cognationis* & aliis prohibitis dare, pertinet ad publicum Pontificis judicium. At in illis dispensationibus Pontifex potest errare, ut ostensum fuit lib. 1. Confess. general. part. 1. cap. 4. n. 3. ac pluribus ostendetur in artic. de Matrimonio.

Inda Franciscus Toletus Cardinalis concedit, posse aliquem instructum dispensatione Pontificis, interim non esse tutum in conscientia. Sic enim scribit lib. 5. Casuum conscientiæ cap. 8. Secunda regula. *Non obstante jure isto Conciliorum, qui cum Pontificis dispensatione plura quæcunque & quomodocunque habet, tutus est in conscientia. Sed adverte, ut in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio, tamen ut in conscientia & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est causa dispensationis. Hæc autem causa debet esse in utilitate Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo.*

Quinto, *asyla instituere* pertinet ad publicum Pontificis judicium. At Pontifex in asylis instituendis errat.

Gregorius Tholosanus lib. 13. de Republ. cap. 23. *Innocentius III. ejusmodi fecit Decretum. Liber confugiens ad Ecclesiam, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus. Idem statuit Gelasius. Sed Justinianus Imperator homicidas, inquit, inde extrahes, & supplicia eis inferes. Servatur potius hoc jus civile hodie in maleficis è sacris templis extrahendis, quam jus Pontificium, quod non permittebat.* (Et merito, quia jus civile hac in parte congruit legi divinæ Exod. 21. v. 14. & praxi Regis sapientissimi 1. Reg. 2. v. 31.

Sexto, disputant, *an Papa hæreticus deponi possit.* (At si Papa, ut Papa, in articulis fidei non potest errare, frustra tam operose quæritur, an Papa hæreticus deponi possit, quemadmodum otiose quæreretur, An Angeli in bono confirmati gratia & salute æterna excidere possint. Quia enim sunt in bono confirmati, ideo felicitate illa excidere nequeunt. Et vice versa, Si Papa hæreticus factus ab Ecclesia judicari & deponi potest, utique falsum est, Papam in Scripturis explicandis & controversiis fidei determinandis esse infallibilem.)

Glossa in c. Si Papa. dist. 40. *Bonifacius Martyr consultus, an Papa ab aliquo judicari possit? respondit, quod non, nisi hæreticus deprehendatur, &, si occulta esset hæresis, de illa possit accusari. Idem probatur ex Concilio 5. sub Symmacho, & Concilio 8. generali ac septimo, ex Anacleto Epist. 3. Eusebio Epist. 2. Innocentio III. in serm. de consecrat. Pontif.*

Cajetanus de autoritate Papæ cap. 20. *Papam hæreticum ab Ecclesia recte deponi disputat.*

Alexander Carerius de potest. Pontif. lib. 1. cap. 24 num. 1. *Hisce ita constitutis hæc formatur conclusio: Papam hæreticum manifestum per se desinere esse Papam & caput, sicut per se definit esse Christianus & corporis Ecclesiæ membrum, quare ab Ecclesia posse eum judicari & mulctari.*

Caranza contr. 4. tractans quæstionem de autoritate Concilii supra Papam, cum negasset, *nullum esse criminis casum, in quo Ecclesiæ universalis Pastor judicari possit, aut deponi ab ullo Episcoporum Concilio*, subjicit, *Casum tamen hæresis omnes excipiunt.*

Et postea: *Quod autem Papa hæreticus esse possit, nemo est qui ambigat.*

Bellarminus libr. 2. de Roman. Pontif. cap. 30. §. 1. *De quæstione illa, An Papa hæreticus deponi possit, sunt quinque opiniones: Prima est Alberti Piggii libr. 4. Hierarch. Eccles. cap. 8. ubi contendit Papam non posse esse hæreticum, proinde nec deponi ullo in casu, quæ sententia probabilis est & defendi facile potest.* (Sed Melchior Canus libr. 6. Locor. cap. 11. ex professo contra hanc Piggii opinionem disputat, & exemplo Honorii ostendit, illam nullo modo defendi posse, unde ipse Bellarminus per correctionem quandam subjicit:) *Quia tamen non est certa & communis opinio est in contrarium, operæ pretium erit videre, quid sit respondendum si Papa hæreticus esse possit.* (Atqui si non est certum, Papam à periculo hæreseos esse immunem, utique multo minus certum erit eum ab erroris periculo immunem esse.) *Est ergo secunda opinio, Papam eo ipso, quo in hæresin incidit, etiam interiorem tantum, esse extra Ecclesiam & depositum à DEO, quocirca ab Ecclesia posse judicari, id est, declarari depositum jure divino & deponi de facto, si adhuc recuset cedere. Hæc est Johannis de Turrecremata lib. 4. pag. 2. cap. 20. Sed mihi non probatur.* (At quamvis hæc opinio Bellarmino non probetur, aliis tamen Pontificiis non improbatur. Nam Johannes de Turrecremata in summa de Ecclesia libr. 2. cap. 93. scribit: *Hanc sententiam sequi alios clarissimos & præcipuos in Theologica Facultate Magistros,* ac mox nominat Albertum, Thomam, Alexandrum de Ales, Bonaventuram, Petrum de Tarantasia, Innocentium V. Ulricum, Richardum de alta villa, Petrum de Palude, Herveum, Augustinum de Ancona, Alexandrum de Alpidio; *qui omnes*, inquit, *apertissime tradunt & attestantur, Rom. Pontif. verum & indubitatum extra casum hæresis strictè sumtæ nullum in terris judicem habere superiorem.*) *Tertia opinio est in altero extremo, nimirum Papam neque per hæresin occultam, neque per manifestam esse depositum aut deponi posse. Hanc refert & refellit Turrecremata d. l. Et sane est opinio valde improbabilis. Primo, quoniam hæreticum Papam posse judicari, expresse habetur c. Si Papa. dist. 40. & apud Innocentium serm. 2. de consecrat. Et quod majus est in octava Synodo act. 7. recitantur acta Concilii Romani sub Adriano & in iis continebatur, Honorium Papam jure videri anathematizatum, quia de hæresi fuerat convictus, ob quam solam causam licet minoribus judicare majores &c. Adde quod esset miserrima conditio Ecclesiæ, si lupum manifeste grassantem pro Pastore agnoscere cogeretur. Quarta opinio est Cajetani in tract. de autoritate Papæ & Concilii cap. 20. & 21. ubi docet, Papam hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, sed posse ac debere deponi ab Ecclesia, quæ sententia meo judicio defendi non potest. Nam imprimis quod hæreticus manifestus ipso facto sit depositus, probatur autoritate & ratione. Autoritas est B. Pauli, qui in Epist. 3. jubet hæreticum post duas correptiones, id est, postquam manifeste apparet pertinax, vitari & quidem ante excommunicationem & sententiam judicis, ut ibidem scribit Hieronymus. Ratio vero & quidem certissima hæc est. Non Christianus non potest ullo modo esse Papa, ut fatetur Cajetanus, quia non potest esse caput id quod non est membrum, & non est membrum Ecclesiæ is, qui non est Christianus. At hæreticus manifestus non est Christianus &c. hæreticus igitur manifestus Papa esse non potest. Quinta opinio vera est, Papam hæreticum manifestum per se desinere esse Papam & caput, sicut per se desinit esse Christianus & membrum corporis Ecclesiæ, quare ab Ecclesia posse eum judicari ac deponi. Hæc est sententia omnium veterum Patrum & doctissimorum recentiorum.*

Idem Bellarminus libr. & cap. iisdem §. Tertia opinio &c. sic scribit: *Etsi probabile sit, Honorium non fuisse hæreticum, tamen non possumus negare, quin Hadrianus cum Romano Concilio, imo & tota Synodus 8 generalis senserit, in causa hæresis posse Romanum Pontificem judicari.*

Landherr im scharffen runden Auge lit. D. iiij. fac. 2. Wenn der Papst fellt in eine Ketzerey / soll man ihn vom Apostolischen Stuel werffen / weil er der Kirchen sichtbarliches Haupt ist unter dem unsichtbarlichen / das Christus der HERR ist / den der Papst solte repræsentiren ꝛc. Dem Häupt stehet zu nothwendiger weise andern Gliedern ihr Leben zu conserviren / oder wo sie verstorben / das Leben eingiessen: Weil aber des Lebens Anfang oder Ursprung in geistlichen Dingen ist der Glaube / und der Papst vom Glauben abgefallen und exorbitirt hat / und also geistlicher weise tod / so muß folgen / daß er nicht mehr

das Kirchen Haupt seyn kan. (Qui potest fieri hæreticus ille non est absolute infallibilis. Qui potest ita se gerere, ut desinat esse Ecclesiæ caput, ille non simpliciter est infallibilis.)

Septimo, Pontifices quidam à Papali Sede propter errores per Ecclesiam fuere deturbati, illos publice errasse, negari nequit.

Habebatur, inquit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 9. §. Post biennium &c. *Liberius hæreticus propter pacem cum Arianis factam, & ex ea præsumtione merito potuit ei Pontificatus abrogari. Non enim homines tenentur aut possunt corda scrutari, sed quem externis operibus hæreticum esse vident, simpliciter hæreticum judicant, ac ut hæreticum damnant.*

Anastasium Romana Ecclesia repudiabat, inquit Gratianus c. Anastasius, dist. 19.

Johannem XXIII. Synodus Constantiensis à Papatu removebat. Æneas Sylvius lib. de gestis Concil Basil.

Ad illud, quod *Honorium Monothelètam fuisse Synodus sexta, septima & octava Constantinopolitana judicabant, eumque damnabant*, Bellarminus lib 4. de Rom. Pontif. cap. 11. §. Ad tertium &c. respondet: *Patres septimæ Synodi secutos esse Synodum sextam corruptam & solum repetivisse, quod in ea legerant. Proinde deceptos fuisse ex sexta Synodo, quæ vel corrupta erat, vel per errorem Honoriũ damnaverat &c. Dices, at certe crediderunt ista Concilia, Papam errare posse, cum Honorium hæreticum fuisse crediderint? Respondeo*, inquit Bellarminus, *credidisse solum eos Patres, Papam errare posse, ut privatum hominem, quæ est opinio probabilior.*

Octavo, concedunt, Papam admoneri, eique resisti posse. (Utique ergo Papa errare potest, quia Papæ ex hypothesi Pontificiorum Ecclesiæ capiti & summo Monarchæ non resistendum, nisi erret & alios ad errorem inducere tentet.)

Baldus in c. Olim extr. de rescript. *Contra Papam sua potestate abutentem, primo utendum est verbis, hoc est, comminationibus; tertio lapidibus; & ubi non sufficit virtutis ingenium, ibi valere debet armorum præsidium.*

Ludovicus Romanus consil. 525. n. 15. *Si ipse Papa Ecclesiam non honorat, aut ipsam salubriter admonentem, nec tum merebitur ab Ecclesia honorari, ita ut toleret ipsum cum scandalo regentem atq; incorrigibilem*; subjiciens illud Oratoris Domitii: *Cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* (quod extat c. Esto subjectus. dist 95. ex Hieronym. lib. ad Nepotian. de vita Clericorum.)

Matthæus Paris in Histor Angl. de Roberto Lincolniensi Episcopo memorat, quod circa annum 1253. Innocentio IV. Pontifici, à quo injustum acceperat mandatum, in hæc verba rescripserit: *Noverit discretio vestra, quod mandatis Apostolicis affectione filiali devote & reverenter obædio. His quoque, quæ mandatis Apostolicis adversantur, paternum zelans honorem, adversor & obsto. Ad utrumque enim teneor ex divino mandato. Apostolica enim mandata non sunt, nec esse possunt alia, quam Apostolorum doctrinæ, & ipsius Domini nostri J. C. Apostolorum Magistri & Domini, cujus typum & personam maxime gerit in Hierarchia Ecclesiæ Dominus Papa, consona, & conformia. Ait enim ipse D. N. J. C. Qui non est mecum, contra me est. Contra ipsum autem nec est, nec esse potest Apostolicæ Sedis sanctitas divinissima. Non est igitur prædictæ literæ tenor Apostolicæ sanctitati consonus, sed absonus plurimum & discors.*

Et postea: *Non potest igitur sanctissima Sedes Apostolica, cui à sancto sanctorum Domino nostro Jesu Christo tradita est potestas omnimoda, testante Apostolo, in ædificationem, non in destructionem, aliquid vergens in hujusmodi peccatum, Domino Jesu Christo tam odibile, detestabile & abominabile, & humano generi summe perniciabile* (quo per provisiones animarum cura negligitur) *vel mandare, vel præcipere, vel quoquo modo aliquid tale conari. Hoc enim esset sua potestatis evidenter sanctissimæ & plenissimæ vel defectio vel corruptio vel abusio, vel à throno gloriæ Domini nostri J. C. omnimoda elongatio, & in cathedra pestilentiæ pœnarum gehennalium duob. prædictis tenebrarum principibus* (Lucifero & Antichristo) *proxima coassessio. Nec potest quis immaculata & sincera obœdientia eidem sedi subditus & fidelis, & à corpore Christi & ab eadem sancta Sede per schisma non abscissus, mandatis vel præceptis vel quibuscunque conaminibus undecunque emanantibus, etsi à supremo Angelorum ordine obtemperare, sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare. Propter hoc ego ex debito obœdientiæ & fidelitatis, qua teneor utrique parenti Apostolicæ Sedis sanctissimæ, & ex amore unionis in corpore Christi cum eâ, his quæ in prædicta litera continentur, & maxime, quia, ut prætactum ad peccatum Domino JESU CHRISTO abominabilissimum, & humano generi perniciosissimum evidentissime vergunt, & Apostolicæ Sedis sanctitati omnino adversantur & contrariantur Catholicæ fidei, unite, filialiter & obœdienter non obœdio, contradico & rebello. Nec ob hoc potest inde vestra discretio quicquam durum contra me statuere, quia omnis mea hac in parte & contradictio & actio, nec contradictio est nec rebellio, sed filialis divino mandato debita, patris & vestri honoratio.*

Cajetanus de potest. Papæ cap. 27. *Resistendum est etiam in faciem Papæ publice dilaniantis Ecclesiam.* Citat Franc. de Victoria de potest. Papæ rel. 4. prop. 22.)

Remenses annot. Galat. 2. sect. 8. *Papa reprehendi possunt, & merito admonendi sunt suorum defectuum, idque ipsos oportet in optimam partem accipere, si procedat ex zelo & amore.*

Bellarminus libr. 2. de Pontif. cap. 29. resp. ad 7. *Sicut licet resistere Pontifici invadenti corpus, ita licet resistere invadenti animas vel turbanti Remp. & multo magis si Ecclesiam destruere niteretur. Licet inquam ei resistere, non faciendo quod jubet, & impediendo ne exequatur voluntatem suam, non tamen licet eum judicare vel punire vel deponere, quod non est nisi superioris.*

Idem libr. 2. de Concil. cap. 19. §. Respondeo, non mirum. *Licet Pontificem servata reverentia admonere & modeste corripere, repugnare etiam vi & armis, si Ecclesiam destruere velit.*

Nono inter causas, ob quas Concilia celebrari solent, numerant etiam suspicionem hæreseos in Romano Pontifice. Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 9. (At si certum esset, Pontificem ab omni erroris periculo penitus immunem esse, quorsum opus foret convocare Concilium hujus rei dispiciendæ causa?)

Idem Bellarminus libr. ejusd. cap. 14. quærit: *An non liceat Concilium indici ab alio quam à Papa, quando Papa non debeat illud inducere, eò quod sit hæreticus.* At quorsum opus foret hoc quærere, si ἀδύνατον esset Papam fieri hæreticum.)

Decimo concedunt, Papam in definiendo debere adhibere media humana & ordinaria. (At si Papa debet adhibere media humana, ergo ipsius infallibilitas non pendet ex immediata Spiritus sancti assistentia. Qui à DEO docetur immediate, non opus est, ut media humana adhibeat. Et vicissim, qui media humana adhibere debet, ille non docetur immediate à Deo.)

Bellarminus libr. 1. de Concil. cap. 11. §. Etsi vero. *Non debet Pontifex in controversiis fidei dijudicandis, aut solo suo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, & media ordinaria, & tum demum expectare assistentiam Spiritus S. & directionem divinam.*

Idem libr. 4. de Rom. Pontific. cap. 7. ad 2. rationem: *Si solus Pontifex potest infallibiliter definire dogmata fidei, ergo frustra sunt Concilia vel certe non sunt necessaria*: respondet hoc modo: *Id non sequitur. Nam etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana & ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur, medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus, pro magnitudine vel parvitate rei, de qua agitur.* (Hæc responsio non satisfacit argumento. Nam si infallibilitas est in solo Pontifice, Concilia non sunt *necessaria*, etiamsi possint esse *salutaria*. Conciliorum infallibilitas ex hypothesi Adversariorum à Pontificis infallibilitate dependet, ergo Pontificis infallibilitas non pendet à Conciliorum investigatione. Præterea si Pontifex ut infallibiliter definiat, non debet contemnere media humana, ergo in Papam eligendus esset doctissimus quisque, mediis humanis ad veritatis inquisitionem maxime instructus. At in electione Pontificis quandoque non tam doctrina quam potentia attenditur, ac Pontifices quandoque sunt illiterati.)

Melchior Canus libr. 5. Locor. cap. 5. *Autores sacri ex proxima DEI vel revelatione vel inspiratione scribunt Catholica dogmata. Nec enim egent exteris ad scribendum incitamentis, aut humana ratiocinatione, è Scripturis aliis argumentantur, disquirunt, colligunt. At Concilium & Pontifex humana via incedunt, rationemque sequuntur, atque argumentando verum à falso discernunt. Non enim existimandus est summus Pontifex eam habere facultatem, quæ in Apostolis, Prophetis & Evangelistis inerat, ut proposita una qualibet de fide quæstione protinus dignoscere possit, utra quæstionis pars vera falsave sit &c.*

Undecimo, Bellarminus d. l. scribit: *Definitiones de fide pendere præcipue ex traditione Apostolica & consensu Ecclesiarum. Ut*

Ut autem cognoscatur de orta aliqua quæstione, quæ sit totius Ecclesiæ sententia, & quam traditionem servent Ecclesiæ Christi, non esse aliam meliorem rationem, quàm si in unum conveniant Episcopi ex omnibus Provinciis & quisque referat Ecclesiæ suæ consuetudinem. (Ergo infallibilitas nec solum nec præcipue pendet à Pontifice, sed ab Episcopis in Concilio congregatis, qui omnium optime de sententia Ecclesiæ & traditione Apostolica testari possunt, cum non possit dari alia melior ratio Ecclesiæ sententiam & traditionem Apostolicam investigandi.)

Duodecimò concedunt, *Pontifices errare posse in præmissis*, (utique ergo etiam in conclusione sive definitione, quia conclusio sequitur Naturam præmissarum, & in præmissis hærens ex illis deducitur. Vega de incertitud. gratiæ lib.9.cap.14. *Media fallibilia manifestum est, præstare certitudinem non posse, cui non possit subesse falsum. Nam effectus nequit causam suam excedere, & conclusio certior esse non potest præmissis, ex quibus infertur, quia ex posterioristica doctrina, propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale.*)

Ludovicus à Ponte in Cantic. Cant. cap.5.v.ult. Exhort. 28. *Licet Ecclesia doceatur per caput ejus visibile, quod est Rom. Pontif. cui infallibilis inest autoritas definiendi res fidei, tamen ne hoc temerè fiat, consuevit etiam congregare Episcopos & Doctores, ab illisque interrogare, quid sentiendum sit circa veritatem propositam.*

Urgemus igitur immotum hoc argumentum. Qui humana via incedit, rationem sequitur, & argumentando verum à falso discernit, is si in præmissis errat, necessario etiam errat in conclusione. At Pontifex humana via incedit, rationem sequitur, & argumentando verum à falso discernit, ut audivimus ex Melchiore Cano. Ergo si in præmissis errare potest, necessario etiam errare potest in conclusione.

Stapletonus lib.8. princip. fidei doctrinal. cap.14. *Doctrina Ecclesiæ in mediis discursiva, in conclusione Prophetica.*

Cap.15. *In Disputationibus, quæ circa quæstiones ad dogma fidei publicum necessariò pertinentes versantur, vel alioqui in controversiam apertè vocantur, consulta Ecclesia concludendo quidem & asserendo nunquam errat. In mediis autem ipsis & argumentis hallucinari & errare poterit salvâ tamen promissa Ecclesiæ infallibilitate.*

Idem in relect. princip. fidei doctrin. controv.4.q 2.p.468. *Ecclesia* (Romanus Pontifex, ut ultima docet analysis,) *in singulis mediis non habet infallibilem & peculiarem Spiritus sancti directionem, sed potest in illis probabili interdum, non semper necessaria collectione uti, nihilominus in conclusione fidei semper est certissima & infallibilis; ejus doctrina est in mediis discursiva, in conclusione autem ipsa est Prophetica & divina.*

Melch. Canus lib.6 Loc. Theol. cap.8.ad 4. *Papæ conclusiones veræ sunt & necessariæ, etsi præmissæ nec veræ nec certæ sint.*

Gregorius de Valent. lib. de Cœlibatu cap. 2. probat manifesto exemplo, quod Pontifex in præmissis errans veram ex illis deduxerit conclusionem.

Leo Papa serm.8. de Jejunio ex Luc. 21. *Attendite ne corda vestra graventur curis hujus vitæ &c. collegit, Ecclesiæ ministros debere à conjugio abstinere, siquidem cum matrimonio maximæ curæ sunt conjunctæ. Respondeo,* inquit Valentianus, *Christus illis verbis non prohibet omnes curas, sed nimias curas & solicitudines, quæ avocant & avertunt à necessaria cura salutis spiritualis, & probatur, quia omnibus fidelibus hoc sanctum esse voluit, & 1.Tim. 5. v 8. Episcopis imponitur cura moderata rerum secularium, domus suæ prospicientes.* (At hoc ipsum exemplum docet, ex falsis præmissis per se non posse veram conclusionem elici. Proinde si Pontifex in præmissis non est infallibilis, utiq; etiam non est infallibilis in conclusione.)

Decimo tertio, concedunt, *Pontificem ut personam privatam, vel etiam ut privatum Doctorem errare posse.*

Salmero in Comment. Gal.2. Disp.24. §. Excusabilius &c. pag.107 col.1. fatetur: *Papam quemlibet, ut privatum, errare posse & à fide deficere, etsi,* inquit, *novi Scriptores aliud defendere tentaverint, præter communem Doctorum sensum.*

Costerus in Apologia cap.2. *Dico, nullum apud nos dubiū esse, Romanum Pontificem, ut hominem privatum, errare ac in hæresin labi.*

Gregorius de Valent. lib. in analysi fidei lib.8, cap.2. §. Id autem. *Papa ut privata persona, vel ut privatus Ecclesiæ Doctor, ut sententiam suam veram esse putat, hæreticus esse possit.*

Bellarminus libr.4. de Rom. Pontif. cap.1. §. Vicesimus sextus. *Nicolaus I. docens, Baptismum in nomine Christi collatum sine expressione trium personarum esse ratum, erravit quidem, sed non definiendo quæstionem de fide illud dixit, sed solùm ut Doctor particularis exposuit obiter opinionem suam.*

Et paulo post: *Pelagius non definit quicquam, sed solùm ut Doctor explicat opinionem suam.*

Pazmannus lib.10. Hodegi cap. 4. *Papa in privatis dictis & factis errare potest.* (At si Papa potest errare in rebus fidei, ut *Doctor privatus*, utique etiam errare potest, ut *Doctor publicus*, nisi velimus dicere, Spiritum sanctum ita ab ipso in cathedra sedente extorquere veritatem, ut definiat aliquid esse verum, quod tamen in corde suo statuat esse falsum; vel ut definiat esse falsum, quod tamen in corde suo statuat esse verum; id quod absurdum & hypocriticum, & ut Bellarminus ipse loquitur libr.2. de Conciliis cap. 9. §. 4. *vehementer durum ac violentum.* Si Papa errare potest ut homo, certe non poterit ab errore immunis esse, ut Pontifex, aliàs omnes Episcopi possent eo modo excusari. Non est enim magis in Romano separatum officium à persona, quam in alio quolibet Episcopo. Cathedra non mutat Pontificem, ut ex peccatore fiat sanctus, ex indocto doctus, ex cœco perspicax, sed qualis est ante Pontificatum, talis est & manet in Pontificatu; qualis est extra cathedram, talis in cathedra. Contraria sunt, hæreticum esse in corde ut hominem privatum, & infallibiliter veritatem ore definire, ut personam publicam; cujus enim cor per hæresin factum est Diaboli spelunca; ejus lingua non erit infallibilis Spiritus sancti cathedra. Certe quisquis errorem religionis animo concepit, is eundem propagare magno desiderio expetit 2. Timoth.2.v.17.

Inde Bellarminus ipse discedit ab hac distinctione, quando lib.4. de Rom. Pontif. cap.6. sic scribit: *Probabile est, pieque credi potest, summum Pontificem, non solùm ut Pontificem, errare non posse, sed etiam, ut particularem personam, hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo. Quia id videtur requirere suavis dispositio providentiæ Dei. Nam Pontifex non solùm non debet, nec potest hæresin prædicare, sed etiam debet veritatem semper docere & sine dubio id faciet, cum Dominus illi jusserit confirmare fratres suos & propterea addiderit: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, id est, ut saltem non deficiat in throno tuo prædicatio veræ fidei. At quomodo quæso confirmabit fratres in fide & veram fidem semper prædicabit Pontifex hæreticus? Potest quidem Deus ex corde hæretico extorquere veræ fidei confessionem, sicut verba posuit quædam in ore asinæ Balaam. At violentum erit & non secundùm morem providentiæ Dei suaviter disponentis omnia.*

Distinxerat Cajetanus inter Herodem *ut Hominem privatum* & Herodem *ut Regem*, hisce verbis, *Evangelista dicens, tristatum fuisse Regem, optimè pinxit non Herodem, qui affectabat occidere, sed Regem, qui exteriori signo officium contristati Regis ostendit. Simulata ergò fuit ista contristatio.* Sed Ambrosius Catharinus Compsanus Episcopus in annot adv. Cajetan. p.339. repudiat hanc distinctionem: *Ego vero,* inquit, *picturam hanc optimam nō satis perspicio. Si enim verè contristatus est Rex, & Rex est Herodes, cogor confiteri juxta meam Logicam etiam contristatum Herodem. Et si Herodes vult occidere Johannem, Rex vult occidere, & si Rex fingit nolle se occidere eum, etiam Herodes fingit.* (Eodem argumento conficta distinctio inter Papam ut personam privatam, & publicum Doctorem everti potest. Si Papa ut persona privata est rudis, imperitus, errori ac hæresi obnoxius, certè etiam ut publicus Doctor erit rudis, imperitus, errori ac hæresi obnoxius. Administratio publici officii præsupponit idoneas personæ privatæ qualitates, quibus si quis destituitur, nunquam poterit officii publici administrationi par esse.)

Improbat eandem distinctionem Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap.3. *De Liberio Papa constat fuisse Arianum &c. Quòd autem alii dicunt, eum tunc non esse Papam, ac per hoc affirmant, Papam non posse esse hæreticum, est in re seria verbis velle jocari. Ad hunc enim modum posset quis citra impudentiam asserere, nullum fidelem posse in fide errare. Nam cùm hæreticus fuerit, jam desinet esse fidelis. Non enim dubitamus, an hæreticum & Papam esse, coire in unum possint, sed id quærimus, an hominem qui aliàs in fide errare potuisset, dignitas Pontificialis efficiat à fide indeviabilem.* Rectissime. Pontifices enim illi, qui *privatim* tantum errasse dicuntur, nusquam suas opiniones hæreticas publica censura, & ex cathedra damnarunt, quo ipso per silentiū easdem approbarunt. Qui Pontifex suum privatum errorem, quo totā Ecclesiam offendit, non publice damnat ut Pontifex,

& ex

& ex cathedra, eo ipso errorem suum tanquam Pontifex intempestivo silentio publicè approbat. c. Si rector 1. dist. 13. Quod ergo Abulensis in 1. Reg. 8. q. 204. p. 255. opponit illis qui dicebant, *Gregorium Primum perperam judicasse, sed ut virum sapientem, non ut Pontificem; Persona*, inquit, *eadem est numero Gregorius ut Papa & ut non Papa, seu privatus Doctor: & ideò æqualis sapientiæ, sed non æqualis potestatis, quia Papatus potestatem addit, potestas enim est ad aliquid jubendum vel statuendum, sed non aliquid veriùs dicendum*: Idem etiam Jesuitico illi effugio obvertimus, videlicet Pontificis personam publicam ad aliquid magis publicè decernendum valere posse, sed non ad aliquid magis verè & orthodoxè sentiendum & definiendum.)

Decimo quarto concedunt, *Pontificem errare posse in temporalibus*, Glossa in cap. . constit. in 6. Gundissalus de Villadiego de hæret. q. 7, num. 7. (At si errare potest in judicio de causis temporalibus, multo magis in judicio de spiritualibus, quæ supra humanæ rationis captum posita, argumento dicti Christi Joh. 3. v. 12. *Si terrena vobis dixi, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia creditis?* ut & pronunciati Sap. 9. v. 16. *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt scrutari, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?*]

Decimo quinto, negant Pontificis Decreta esse scripto Dei verbo æquiparanda. (At si Pontifex per immediatam Spiritus sancti revelationem addiscit sententiam Ecclesiæ in controversis fidei dogmatibus promulgandam, tum pari passu ambulant ejus Decreta cum scripto Dei verbo. Si non sunt ejus Decreta scripto Dei verbo exæquanda, utique non gaudet immediata Spiritus sancti revelatione, sed modo communi & ordinario per diligentem Scripturæ lectionem, meditationem & scrutationem veritatem addiscere cogitur, & per conseq. non est absolutè infallibilis.)

Bellarmin. lib. 4. de verbo Dei cap. 10. resp. ad 10. arg. *Aliud est loqui de novis revelationibus, aliud de explicatione doctrinæ jam acceptæ. Nam novæ revelationes non sunt alligatæ Pontificibus, nec nunc, nec in Testamento veteri. Nam in Test. V. prophetabant Esaias, Jeremias & similes, non Aaron & ejus Successores: & in Test. N. prophetavit Agabus & filiæ Philippi, & tamen Pontifices, Linus & Clemens & cæteri non prophetabant. At explicatio doctrinæ acceptæ & judicium de dogmatibus semper spectavit ad Pontifices.*

Lib. 4. de verbo Dei cap. 9. §. 2. *Ecclesia nunc non regitur novis revelationibus, sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis, & propterea dicitur Eph. 2. ædificata supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum.*

Lib. 1. de Concil. cap. 2. §. Etsi vero. *Non debet Pontifex expectare divinam revelationem, sed ordinarium medium adhibere*

Lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Observandum. *Scriptura est verbum Dei immediate revelatum & scriptum quodammodo Deo dictante 2. Petr. 1. 2. Tim. 3. &c. At Concilia* (& Pontifices) *non habent neque scribunt immediatas revelationes, aut verba Dei, sed tantùm declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum, vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & præterea ex eo per ratiocinationem deducunt conclusiones.*

Decimo sexto, Bellarminus libr. 3. de Justif. cap. 13. resp. ad 3. sic scribit: *Quis certus esse potest certitudine fidei, se Spiritum inhabitantem habere?* (quasi dicat, nullus potest esse certus certitudine fidei, se Spiritum habere, hunc enim sensum postulat series contextus. Ex eo sic colligimus. Qui non potest esse certus certitudine fidei, se Spiritum sanctum inhabitantem habere, ille etiam non potest esse certus de infallibili Spir. S. assistentia. Pontifex non potest esse certus, certitudine fidei, se Spir. S. habere. Propositio enim Bellarmini, est universalis. Nemo, excepta Dei revelatione peculiari est certus se habere Spir. sanctum. Peculiari quadam Dei revelatione, Pontificem de inhabitatione Spir. S. esse certum, non poterunt dicere, & si audebunt dicere, unde probabunt? Manet ergo, quod de infallibili Spir. S. assistentia Pontifex certus esse non possit. At si ipse non potest de ea esse certus, quanto minus alii.)

Decimo septimo, Papa ipse quandoque dubitat an Decretales, quæ allegantur, sint veræ & genuinæ, (quomodo igitur aliis certi quid de earum veritate constabit?)

c. Pastoralis 8. libr. 2. Decretal. tit. 22. de fid. instrum. *Quia sæpè contingit, quòd etiam coram nobis Decretales hujusmodi proponuntur, quas esse authenticas dubitamus, fraternitati tuæ benignius respondentes &c.*

5. Quod frigide & oscitanter Paparum errores excusant, ut nec sibi ipsis, nedum aliis satisfecisse videantur. (Jam vero qui frigide excusat, eo ipse accusat, & qui succumbit in defensione, reus tenetur in crimine.)

Primo vulgatissimum est, negare publica Historiarum & probatorum Scriptorum monumenta, in quibus Paparum errores annotati.

Non est omninò fides habenda Tertulliano hac in parte, (quod Zepherinum hæresin Montani approbasse asserit,) *quandoquidem ipse Montanista erat*. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 8. resp. ad 6.

Vox illa Arianum, apud Hieronymum in Catalogo Scriptorum in Acacio, videtur irrepsisse aliunde. Lib. ejusd. cap. 9. §. Idem quoq;.

Illud de Photino, (quòd Anastasius II. Pont. sine concilio Episcoporum, Presbyterorum & Clericorum totius Ecclesiæ ei communicaverit, cum tamen Photinus communicasset cum Acacio hæretico, ut habet Autor Pontificalis in vita Anastasii, ac Gratianus c. Anastasius dist. 19.) *fortè est mendacium, sicut de revocatione Acacii.* Lib. ejusd. cap. 10. resp. ad 19.

Multi existimant, hunc locum Liberati in Breviario in cap. 22. (in quo asserit, Vigilium anathema dixisse eis, qui confitentur duas in Christo Naturas) *esse corruptum ab hæreticis* resp. ad 20.

Posset etiam dici, Epistolam illam Vigilii, cujus meminit Liberatus, fuisse confictam ab hæreticis. Liberatum autem credidisse falso rumori, quem hæretici sparserant. Ibid. § Posset.

Fortaßè Epistolæ illæ Honorii [ad Sergium in VI. Synodo] *sunt confictæ & insertæ Concilio generali ab hæreticis.* Libr. ejusd. cap. 11. §. Ad primum.

Sine dubio Honorii nomen inter eos, qui damnantur à sexta Synodo insertum est ab æmulis Romanæ Ecclesiæ, & similiter quicquid aliud ibi dicitur contra Honorium. Ibid. §. Ad secundum.

Dico Epistolam Leonis (in qua Honorium execratur, tanquam qui Sedem Apostolicam hæresi contaminaverit) *ab iisdem esse corruptam, à quibus corrupta est sexta Synodus.* Ibid. §. Ad sextum.

In libro Bedæ de sex ætatibus mundi irrepsit nomen Honorii inter eos, qui recensentur damnati in VI. Synodo. Videtur enim aliquis sciolus addidisse nomen Honorii in libro Bedæ, eò quod in VI. Synodo ubique inveniatur cum nominibus Cyri, Sergii &c. Ibid. §. Addi.

Zachariæ canon mihi valdè suspectus est. Lib. ejusd. cap. 12. § Neque obstant.

Sine dubio fabulæ sunt, quæ narrantur de Magia & morte Sylvestri secundi. Ibid. resp. ad 30.

Ego Bennonis librum (de vita & rebus gestis Gregorii VII.) *legens, alterum è duobus mihi persuasi, aut revera eo tempore nihil tale scripsisse Bennonem, sed aliquem Lutheranum esse hujus libri Autorem, qui eum sub Bennonis titulo ediderit, aut certè Bennonem illum non tam scripsisse vitam Gregorii VII. quàm sub nomine Gregorii VII. voluisse depingere ideam pessimi Pontificis.* Lib. ejusd cap. 13. §. Ego autem.

Probabile vehementer ac ferè certum est, errorem illum (quem Johanni XXIII. Concilium Constantiense tribuit, quòd negaverit carnis resurrectionem & vitam futuram] *falsò illi tributum fuisse.* Lib. ejusd cap. 14. resp. ad 37.

In his omnibus Bellarminus antiquorum Scriptorum fidem elevat. Idem in hac quæstione facit Albertus Pighius lib. 4. Hierarch. cap. 8. ubi verba Hieronymi in Chronic. *Liberius tædio victus exilii & in hæreticam pravitatem subscribens, Romam q. Victor intravit*; dicit esse *subditititia & ab aliquo seu addita ignorantiá infarta.* Quod si idem nobis liceret, facilè ad ea omnia, quæ ex antiquitate contra nostram sententiam proferuntur, respondere possemus)

Secundo, si fidem Autorum elevare non potest, respondet *illos, qui errasse memorantur, non fuisse veros Pontifices.*

Felix nunquam Arianus fuit, tametsi cum Arianis aliquando communicaverit, eo videlicet tempore, quo verus Papa non erat, postea verò, quam verus Papa esse cœpit, non modò Arianus non fuit, sed etiam Arianos publicè detestatus est. Bellarmin lib. 4. de Pont. cap 9. resp. ad 12.

Vigilius scripsit Epistolam illam nefariam, cùm adhuc viveret Sylverius Papa, quo tempore Vigilius ipse Papa non erat, sed Pseudo-Papa. cap. 10. resp. ad 20.

Johannes

Johannes XXIII. non fuit Pontifex omnino certus & indubitatus, proinde non necessario defendendus. Lib. ejusdem cap. 14. resp. ad 37.

Benedictus XIII. non fuit legitimus Pontifex, cum Clementi VII. successerit, qui vivente Urbano VI. vero Pontifice Sedem invaserat. Ibid. Resp. ad 38.

(At, quomodo privatus homo potest certo cognoscere, quis sit verus & legitimus Pontifex, quando tempore schismatis plures de Papali dignitate invicem disceptant, ac quilibet eorum legitimus Pontifex haberi expetit, *cum ipsi Pontifices errare possint in hac quæstione, quis sit legitimus Pontifex, ac de facto in quæstione erraverint Stephanus & Sergius?* ut totidem verbis scribit Bellarminus libr. 4. de Pontif. cap. 12. §. Succedit. Certe, si ipsi Pontifices errare possunt in quæstione, quis fuerit verus Pontifex, utiq; etiam, imo multo magis homines privati. At si errare possunt privati in hac quæstione, utique non possunt esse certi de primo & summo fidei suæ principio.)

Tertio, si negare nequit, veros & indubitatos fuisse Pontifices, quorum errores sunt in propatulo, respondet, *ipsos errasse in quæstionibus facti, non autem in quæstionibus fidei.*

Gregorius non edidit aliquod Decretum, sed solum concessit, quibusdam Presbyteris, ut absentibus Episcopis confirmarent, proinde si in hac re Gregorius errasset, non doctrinæ, sed facti error fuisset. Bellar. lib. 4. de Pont. Rom. c. 10. resp. ad 21. (At quæstio de ministro Confirmationis est quęstio fidei & doctrinæ, non autem facti, unde Adrianus VI. Pont Rom. in quæst. de confirm art. ult. ex hoc ipso Gregorii Decreto colligit, *Pontificem posse errare in definiendis fidei dogmatibus.* Bellarm. ibid. respondet, *Adrianum in eo errasse.* Sed hac ratione iterum sequitur, Pontificem errare posse, quia Adrianus ille æque Pontifex ac Gregorius.)

Errarunt Stephanus VI. & Sergius III. sed in quæstione facti non juris. Et postea: *Præcipua quæstio fuit, an Formosus fuisset Papa legitimus, nec ne, in qualibus quæstionibus non negamus posse errare Pontifices, & de facto errasse Stephanum & Sergium.* Lib. ejusd. cap. 12. resp. ad 27. (Atqui quæstio illa, quis sit verus & legitimus Papa, concernit ipsum fidei fundamentum, ergo, qui in illa quæstione errat, in ipso fidei fundamento errat. *Quando de potestate Pontificis quæritur, de summa rei Christianæ agitur,* scribit Bellarm. Præfat. lib. de Pontif.)

Stephanus & Sergius non ediderunt aliquod Decretum, quo decernerent ordinatos ab Episcopo degradato, vel nominatim à Formoso, tanquam degradato, esse iterum ordinandos, sed solum de facto jusserunt eos iterum ordinari. Ibid. §. Respondeo Stephanum &c. (Atqui non solum jusserunt ordinatos à Formoso iterum ordinari, sed etiam omnia acta Formosi & sic etiam ea, quæ, ut Pontifex in rebus fidei decreverat, abrogarũt & irritarunt. Et qua veritatis speciè dici potest, illos non edidisse Decretum, quod ordinati à Formoso iterum sint ordinandi, cum factum ipsum præsupponat Decretum, utpote ex Decreto susceptum? Jam vero fatetur ipse Bellarminus §. Sed objicies. *Esse errorem in fide, dicere, ordines sacros à Formoso collatos non fuisse veros ordines sacros, cum Formosus aliquando verus Episcopus fuerit, quoad characterem & ordinis potestatem, quæ non potest ullo modo auferri.* Proinde, quia reipsa hoc dixerunt Stephanus & Sergius quando jusserunt ordinatos à Formoso iterum ordinari, ideo errorem in fide amplexi fuere. Hic ergo Bellarminus vidit se esse constrictum, addit quidem, *jussionem illam Stephani & Sergii non processisse ex ignorantia, aut hæresi, sed ex odio in Formosum.* Sed nihil interest, an ex ignorantia, vel ex hæresi, vel ex odio tale Decretum fecerint, modo constet in illo Decreto contineri errorem in fide, quod nobis sufficit.)

Innocentius VIII. permittens Norvegis, ut sine vino sacrificium celebrarent, non edidit Decretum, quo universa Ecclesia declararet, licere sine vino sacrificium offerre. Itaque si erravit, erravit facto, non doctrina. Lib. ejusdem cap. 14. resp. ad 40. (Atqui non erat quæstio facti, sed fidei, an ullo in casu sine vino liceret sacrificium offerre, cum institutio Dominica testetur, Sacramentum Eucharistiæ sub duob. Symbolis, pane & vino esse celebrandum.)

Urgemus vero Pontificios ex hac concessa hypothesi, quod *Pontifices in quæstionibus facti errare possint,* hoc modo:

1. Qui in quæstionibus facti ex cathedra definiendis errare potest, illius judicium non est divinum. Pontifex Romanus in quæstionibus facti ex cathedra definiẽdis errare potest. Ergò. Major est manifesta. Cujus enim judicium in pronunciando sententiam est divinum, ille in nulla re errare potest.

2. Quando Pontificii ex dicto Christi, Matth. 18. *Dic Ecclesiæ,* probare volunt, *ad Ecclesiæ judicium esse in rebus fidei recurrendum, quippe quod sit infallibile,* & vero à nobis respondetur, quod de privatis injuriis ibidem sermo sit, tum regerunt: *Si in privatarum injuriarum negotio Christus ad Ecclesiam nos remittit, id multo magis dicendum esse in controversiis fidei.* Eodem modo contra ipsos, ex hypothesi concessa, concludere possumus: Si in quæstionibus facti Pontifex errare potest, multo magis id concedendum erit de fidei quæstionibus.

3. Sæpe judicium juris pendet à multis singularibus factis, quæ informationes & testimonia requirunt. Sic si oriatur in Ecclesia Romana quæstio de doctrina aliqua extra Scripturam, quæ ex traditione definiri debeat, ibi certe traditionis illius probatio ad factum pertinet, non ad jus. Recurrendum enim erit ad scripta Patrum, qui falli potuerunt, aut quorum scripta depravari potuerunt, quæ omnes sunt quæstiones facti, in quibus si Pontificem errare contingat, quomodo judicium doctrinæ erit infallibile? Ita quoque judicium *de canonizatione Sanctorum* pendet ex testimoniis humanis eorum, qui de sanctitate & miraculis alicujus canonizandi testantur.

Quarto, si negare nequit, quosdam Pontifices etiam in quæstionibus fidei errasse, respondet, *eos non definivisse aliquid contra fidem, sed suam tantum sententiam ut privatos Doctores exposuisse.*

Vigilius tunc (quando anathema dixit eis, qui confitentur duas in Christo Naturas) *non definivit aliquid contra fidem, tanquam Pontifex, nec animo hæreticus fuit, siquidem Epistolam scripsit nefariam quidem, & Christiano homine indignam, tamen in ea Catholicam fidem non damnavit palam, neq; hæretico animo, sed occulte propter cupiditatem præsidendi.* Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap 10. resp. ad 20. (At, quando contrarium sentientibus anathema dicitur, certe aliquid fide tenendum definitur.)

Nicolaus I. docens, Baptismum sine expressa mentione trium Deitatis personarum esse ratum, non definiendo quæstionem de fide illud dixit, sed solum, ut Doctor particularis, exposuit obiter opinionem suam. Lib. ejusd. cap. 12. resp. ad 26. (Atqui Decretum Nicolai insertum est juri Canonico c. à quodam. dist. 4. de consecrat.)

Pelagius non definit quicquam, sed solum ut Doctor in Epistola ad Gaudentium explicat opinionem suam. Ibid. §. Neque obstant. (Et tamen ejus Decretum insertum est juri Canonico c. Multi. dist. 4.)

Zacharias Pontifex laudavit quidem Concilium Anglicanum, (quod definierat Baptismum, sine expressa mentione trium Deitatis personarum collatum, esse irritum c. In Synodo. dist. ead.) *& ejus Decreta citavit ad suum propositum, non tamen propriè ut Pontifex & ex intentione confirmandi acta Concilii, illud probavit. Aliud enim est, Pontificem serio confirmare Decreta Conciliorum, aliud vero ad aliquod aliud propositum ea commendare,* ibid. (Unde vero cognoscere possumus, Pontificem serio confirmare aliquid, si ad illius notitiam non sufficit, quod in publico Decreto Pontifex illud confirmat?)

Nec Alexander, nec ejus Prædecessores aliquid definiverunt, sed solum quid sentirent, explicuerunt. Lib. ejusd. cap. 14. resp. ad 32. (At Decretum Alexandri manifestum extat cap. cum esses. ex. de Testamentis. Si dubitare licet, an Pontifices illud definierint, quod in publicis Decretis in Decretales relatis, continetur, de omnibus eorum Decretis licet dubitare ac nihil certi relinquetur.)

Nec Cælestinus, nec Innocentius aliquid ea de re (an per hæresin solvatur matrimonium, quoad vinculum,) *certi statuerunt, sed uterque respondit, quod sibi probabilius videbatur.* Ibid. resp. ad 33. (Atqui Cœlestini Decretum in antiquis Decretalibus habetur c. Laudabilem. de conversione infidelium, quod Decretum se vidisse testatur Alphonsus de Castro libr. 1. adv. hæres. cap. 4. Innocentii Decretum contrarium extat c. Quanto. de divortiis. Regerit Bellarminus, *ex eo, quod Cœlestini Decretum fuerit in antiquis Decretalibus, non posse colligi, factum esse à Cœlestino Decretum plane Apostolicum & ex cathedra, cum constet, multa esse alia in Epistolis Decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solum opiniones Pontificum de ea re nobis declarant.* Hic Bellarminus fuit constrictus, si enim ea, quæ in Decretalibus continentur, non sunt Decisiones ex cathedra, sed tantum opiniones Pontificum, semper dubitandum, an publicum Decretum, an privata opinio à Pontifice proponatur.

Nicolaus non definivit tanquam articulum fidei, quod paupertas

tas sit sancta & meritoria, cujus contrarium statuit Johannes. Et paulò ante: *Videtur Johannes Pontif. in eo errasse, quod statuit in rebus usu consumtibilibus non posse separari usum à dominio, sed non fuit error in re fidei.* Ibid. §. de prima & §. de secunda (Utriusque Pontificis rescriptum extat in Decretalibus, Nicolai in c. Exiit. de verbor. signif. in 6. Johannis in Extravag. Ad conditorem, tit. de verb. signif.)

Eodem prætextu Paparum errores etiam alii excusant.

Honorius in sua persona fuit hæreticus, sed hæresin suam non promulgavit. Genebrard. in Chronol. in Honor. I.

Gregorius de Valentia libr. 2. de idololat. cap. 5. *Gelasius hoc dixit tanquam Doctor aliquis, & non ut Pontifex determinans.*

Quinto, vel eò confugit, quod *Pontifices exemplo tantum erraverint, non autem doctrina.*

Marcellinus (idolis sacrificans) *non docuit aliquid contra fidem, nec fuit hæreticus, vel infidelis, nisi actu externo, ob metum mortis.* Et postea: *Solo metu idolis sacrificavit.* Lib. ejusd. cap. 8. resp. ad 10.

Liberius non docuit hæresin, aut hæreticus fuit, sed solum peccavit actu externo. Et postea: *Duo mala Liberius commisit, unum, quod subscripsit in damnationem Athanasii, alterum, quod cum hæreticis communicavit; in neutro fidem expresse violavit.* Cap. 9. §. Ex quibus, & §. Quod hæreticus.

Liberius, etsi non expresse, tamen interpretative in hæresin consensit. Nam Athanasium damnari permisit, quem sciebat causa fidei persecutionem pati, & cum Valente & Ursacio communicavit, quos non ignorabat hæreticos esse, etiamsi illi aliud se esse simularent. Ibid. §. Dicet.

Tametsi Liberius hæreticus non erat, tamen habebatur propter pacem cum Arianis factam hæreticus, & ex ea præsumtione merito potuit ei Pontificatus abrogari. Non enim homines tenentur, aut possunt corda scrutari, sed quem externis operibus hæreticum esse vident, simpliciter hæreticum judicant, & ut hæreticum damnant. Ibid. §. Post biennium.

(Hic Bellarminus fuit constrictus. Si enim Liberius ob subscriptionem in Athanasii orthodoxi damnationem, ac cum Arianis communicationem *merito fuit pro hæretico habitus*, & Pontificatus ei abrogatus, utique in hæresin incidit, alias enim immerito Pontificatus fuisset abrogatus. Quod merito ei abrogatus fuerit Pontificatus ob hæreseos præsumtionem, probat Bellarm. ex eo, *quia homines non tenentur, nec possunt corda scrutari*: ex eo immotè colligitur, quod is, qui se ipso facto declarat hæreticum, jure & merito hæreticus censeatur. Frustraneum ergo est effugium, quod Pontifices exemplo tantum, non doctrina erraverint.)

Virgilius scripsit Epistolam nefariam & homine Christiano indignam, & damnavit fidem Catholicam saltem exteriori professione. Cap. 10. resp. ad 20.

(Ex illa professione exteriore merito haberi poterat pro hæretico, ideo etiam Bellarmin. exceptionem illam deserit & eò confugit, quod *non fuerit tunc temporis verus Papa.*)

Si Gregorius erravit (concedendo Presbyteris, ut Sacramentum Confirmationis extraordinarie administrent) *non fuit error doctrinæ, sed exempli.* Ibid. resp. ad 21.

Stephanus VI. & Sergius III. erraverunt malo exemplo, non falsa doctrina. cap. 11. resp. ad 27.

(At huic exceptioni merito opponimus illud Gratiani in Appendice c. Vestes. caus. 2 q. 7. quod *par sit in se à fide exorbitare & alios exemplo, vel verbo à fide dejicere.*)

Sexto, si negare non potest, Pontifices etiam in rebus fidei errasse, eò confugit, *quod licuerit ita sentire, cum nondum fuerit ab Ecclesia aliquid certi definitum.*

Sententia Nicolai (quod ratus sit Baptismus sine expressa mẽtione trium Deitatis personarum collatus) *falsa quidem est, meo judicio, non tamen hæretica. Nam non invenitur ulla certa definitio Ecclesiæ de hac re.* Cap. 12. resp. ad 26.

Johannes XXII. revera sensit, animas non visuras Deum, nisi post resurrectionem, cæterum hoc sensit, quando adhuc sentire licebat sine periculo hæresis, nulla enim adhuc præcesserat Ecclesiæ definitio. Cap. 14. resp. ad 36.

Innocentii VIII. Norvegis sacrificiũ sine vino concedentis aut nullus est error, aut certe exploratus error non est. Cap. ejusd. resp. ad 40.

(Atqui Ecclesiæ definitio non facit aliquod dogma esse hæreticum, sed tantum declarat. Hæreticus est, qui pertinaciter in fundamentali aliquo articulo errat, & cum Scripturis pugnantia propugnat, etiamsi nondum accesserit Ecclesiæ definitio. *Si Pontifex hæreticus desinit esse Papa, etiamsi nondum ab Ecclesia declaretur pro hæretico*, multò magis dogma cum Scripturis pugnans est hæreticum, etiamsi ab Ecclesia nondum pro hæresi declaretur. Prius asserit Bellarm. lib. 2. de Pontif. cap. 30. §. Est ergo.)

Septimo, vel eo confugit, *quod Pontifices ex ignorantia erraverint.*

Credibile est, Zepherinum Pontificem à Montanistis persuasum fuisse, doctrinam Montani non esse diversam à doctrina Rom. Ecclesiæ, ideo eundem Pontificem voluisse eis pacem reddere, quam abstulerant ipsius Prædecessores, non quidem quod approbaret errorem, quem sui majores improbaverant, sed quod arbitraretur, falso de illis erroribus fuisse accusatos Montanistas. Hoc autem non est errare circa fidem, nec Montanizare, sed errare circa personam. Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 8. resp. ad 6.

In priore editione Bellarminus concesserat, *Gregorium permittentem marito, ut mulierem ob infirmitatem sibi cohabitare non valentem dimittat, ex ignorantia esse lapsum.* Sed in posterioribus editionibus illud est omissum.

(Quod si ergo tot ac tam variis modis potest Pontifex errare, videl. *circa personam, ex ignorantia, facto externo, ob metum mortis, ut homo privatus, ut Doctor particularis, exemplo, opinionem suam obiter exponendo, occulte, propter cupiditatem præsidendi, in quæstione ab Ecclesia nondum definita, interpretative in hæresin consentiendo, errandi occasionem aliis præbendo, fidem Catholicam exteriore professione condemnando, cum hæreticis communicando, in orthodoxorum damnationem consentiendo, in iis quæ pendent ab aliorum relatione, in declaratione opinionis propriæ, in præmissis, ex quibus decisio deducitur &c.* quæ omnia totidem verbis Bellarminus d. l. Stapletonus controv. 3. q. 4. controv. 4. q. 2. & alii concedunt, quis me certum reddet, ipsum in rebus fidei ex cathedra determinantem errare non posse præsertim cum infallibilitatem illam non probent evidenti aliquo Scripturæ dicto? Quis non videt varia illa effugia eo tantum fine argute atque astute esse excogitata, ut Paparum erroribus in oculos & manus incurrentibus color aliquis obduci posset? Nemo prudens Christianus unquam hæc simul omnia certo scire poterit, an Papa pronunciet sententiam 1. *ex sensu privato.* 2. *metu hæresin simulando.* 3. *actu externo propter metum mortis &c.* ideo etiam nemo prudens Christianus de infallibili veritate sententiæ à Pontifice promulgatæ certus esse potest. Quin imo si hoc unicum maneat, *posse Pontificem errare in casu nondum ab Ecclesia definito*, & vero omnis casus dubius sit talis, si enim jam fuerit definitus, non foret dubius, non opus esset definitione Pontificis, sequitur, Pontificem in omni casu definiendo errare posse.)

6. Quod ipsi Pontifices sibi derogant requisita ad infallibilitatem supremi judicis omnino necessaria.

1. Innocentius III. se profitetur officio insufficientem. Lib. 5. Decretal. tit. 20. de crimine falsi. cap. Licet ad regimen 5. verba sic habent: *Licet ad regimen Apostolicæ Sedis, quæ disponente Domino, omnium Ecclesiarum mater & Magistra, insufficientes meritis, vita & scientia reputemus: quantum tamen Dominus inspiraverit, & sua miseratione concesserit, ab his proposuimus abstinere, per quæ nobis possit merito derogari, quanquam infirmitatis humanæ defectu non sic formam perfectionis semper & in omnibus imitari possimus, quin aliquid aliquando in nostris surrepat operibus, quod minus circumspectæ providentiæ valeat imputari. quod tamen non ex industria vel conscientia certa, sed interdum ex ignorantia, vel nimia occupatione contingit.*

Inde Bonifacius VIII. quæstionem, *an Pontifex, qui se insufficientem agnoscit officio*, (qualis fuerat Cœlestinus V. Antecessor ipsius) *illi renunciare possit?* sic decidit, in sexto Decret. lib. 1. tit. 7. de renunciat. c. Quoniam 1. *Quoniam aliqui curiosi disceptantes de iis, quæ non multum expediunt, & plura sapere quam oporteat, (contra doctrinam Apostoli) temere appetentes, in dubitationem solicitam, an Romanus Pontifex (maxime cum se insufficientem agnoscit ad regendam universalem Ecclesiam, & summi Pontificatus onera supportanda,) renunciare valeat Papatui, ejusque honori & oneri deducere minus provide videbatur. Cœlestinus Papa quintus prædecessor noster, (dum ejusdem Ecclesiæ regimini præsidebat) volens super hoc hæsitationis cujuslibet materiam amputare; deliberatione habita cum suis fratribus, Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, (de quorum numero tunc eramus) de nostro & ipsorum omnium concordi consilio & assensu, autoritate Apostolica statuit & decrevit, Romanum Pontificem posse libere resignare.*

2. Papa fatetur, fieri aliquando, ut per ignorantiam, negligentiam,

gentiam, occupationem nimiam & subreptionem impetrentur invalida Decreta Pontificum.

Innocentius III. libr. 5. Decretal. tit. 39. de sent. excom. cap. Si aliquando 41. hanc edit confessionem: *Si aliquando forte contigerit, quod eis, qui autoritate Apostolica sunt excommunicationi subjecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc communicationis credatur sententia relaxata, cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam surreptionem contingat hujusmodi literas impetrari.*

3. Papa aliquando non audet casus propositos decidere, eosdem aliorum discretioni committens.

De quæstione, *An hæreticus honeste vivens impio Catholico præferendus*, ita statuit c. Quæro ergo 21. caus. 6. q. 1. *Utrum Catholicum pessimis moribus alicui hæretico, in cujus vita, præter id, quod hæreticus est, non inveniunt homines quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam.* (Sunt quidem verba Augustini, interim à Pontifice in Jus Canonicum relata.)

Quæstionem, *An ad cujusvis peccati remissionem necessaria sit confessio & satisfactio*, Gratian. caus. 33. q. 3. dist. 1. can. Quamvis plenitudo 89. hisce finit verbis: *Quibus autoritatib. vel quibus rationum momentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus: cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* (Verba hæc Gratiani in Jus Canonicum sunt relata, nec Pontifex quæstionem decidit.)

Quæstio, *An sterilem uxorem dimittere, & causa fœcunditatis aliam ducere liceat*, caus. 32. q. 7. can. Tantum valet 27. sic definitur: *Plane uxoris voluntate manente ipso conjugio adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine alterius, aut jure, aut potestate apud antiquos Patres fas erat, utrum etiam nunc fas sit, temere non dixerim.* (Verba sunt Augustini, sed in Jus Canonicum relata, nec Pontifex quæstionem decidit.)

4. Papa profitetur suum judicium incertum & fallax.

Johannes XXII Constitutionem Clementis Antecessoris sui tit. 9. de Torneament. cap. unic. Quia in futurorum &c. his formalib. revocat: *Quia in futurorum eventib. sic humani fallitur incertitudo judicii, ut, quod conjectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio utile pollicetur, damnosum quandoque contingat, nonnunquam quod consulte statuitur, ex sanioris inspectione judicii consultius revocatur. Sane felicis recordationis Clemens Papa &c.* Et postea. *Nos ad dilectum filium nobis viri Philippi claræ memoriæ regentis Franciæ & Navarræ Regis, & aliorum de domo regia, nec non quamplurium magnatum & nobilium tam in regno Franciæ, quam aliunde considerantium præmissa discrimina repetitæ supplicationis instantiam, sententias excommunicationis & interdicti prafatas, præmissorum supplicationibus inclinati, & ducti consideratonibus ante dictis, & ex causis etiam rationabilibus aliis in favorem sæpe fati negotii de fratrum nostrorum consilio revocamus, eos, qui propter exercitium torneamentorum seu hastiludiorum ipsorum hujusmodi sententias incurrerunt, absolventes ab illis &c.*

Excipit Tannerus præscript. 5. pag. 101. *Pontifices humilitatis affectu de seipsis suaque sufficientia aut humana imbecillitate hæc fateri.* Resp. 1. verba ipsa ostendunt, ipsos ex veritate & animi sententia, non autem modesta extenuatione locutos. 2. in causa officii divini nemo debet esse præpostere humilis, siquidem ejusmodi intempestiva humilitas in divini officii contemtum & ipsius DEI contumeliam vergit. 3. cum absoluto infallibilitatis privilegio non consistit judicium incertum & fallax, decretum invalidum, ex ignorantia, negligentia, occupatione nimia & subreptione impetratum, remissio ad aliorum judicium &c.)

7. Quod nondum inter se conveniunt, quousq; infallibilitas illa Pontificis se extendat, (quæ dissensio non omnino nullum præbet argumentum, infallibilitatem illam esse lubricam & incertam.)

Costerus in Apolog. cap. 2. scribit: *Dico nullum apud nos dubium esse, Romanum Pontificem, ut hominem privatum errare ac in hæresin labi.* (Et sana multi ex Pontificiis ita statuunt, ut ostendimus superius in hoc ipso capite num. 4. membr. 13. interim ea non est omnium consentiens opinio. Nam Alb. Piggius Cardinalis lib. 4. Hierarch. Eccles. cap. 8. contendit, *Pontificem, etiam ut privatum, non posse in hæresin incidere, nec ullum unquam Pontificem hæreticum fuisse*, quem hoc nomine refellit Melch. Canus lib. 6. Locor. cap. ult. pag. 213. ubi inter cætera scribit: *Piggius multa quidem multis locis de hac re dicit, sed aqua ipsi hæret, ut ajunt. Honorium enim quomodo ab errore vindicabit?* pag. 214. *Non est igitur negandum, quin summus Pontifex hæreticus esse possit.* Idem præced. lib. 5. cap. 5. pag. 177. sic disserit: *Qui summi Pontificis omne de quacunque re judicium temere ac sine delectu defendunt, illi Sedis Apostolicæ autoritatem labefactant, non fovent; evertunt, non firmant. Nam quid tandem adversum hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint non judicio, sed affectu patrocinium autoritatis Pontificiæ suscipere, nec id agere, ut disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed ut se ad alterius sensum, voluntatemque convertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget.* Sed Melchioris Cani verissima admonitio non potuit Bellarminum permovere, quo minus in Piggii sententiam inclinaret, & omnes omnino Pontifices, etiam ipsum Honorium, ab hæreseos crimine purgare solicite laboraret. Proinde juxta Cani judicium Sedis Apostolicæ autoritatem potius labefactavit, quam fovit; evertit, quam firmavit.)

Sed necipse Bellarminus dissimulat Pontificiorum de infallibilitate Romani Pont. dissensiones, sic enim dict. lib. cap. & paragr. scribit: *Non debet Pontifex in controversiis fidei dijudicandis, aut solo suo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem,* (nota) *sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat & media ordinaria, & tum demum expectare Spiritus sancti assistentiam.* (Ergo juxta Bellarminum non requiritur peculiaris quædam divina revelatio in Pontifice ad dijudicandas & definiendas fidei controversias, sed si adhibeat media ordinaria, tunc præsto est ipsi Spiritus sancti assistentia & directio divina.)

Sed in Legatione Reg. Hispan. ad Pontificem de definienda immaculatæ conceptionis B. Mariæ controversia p. 41. prętendit Pontifex, quo minus controversiam hanc decidat, *denegatam sibi eo tempore Spiritus sancti inspirationem.*

pag. 45. Paulus V. Pontifex inter cætera sic loquitur: *Pontifices omnibus Regum & Principum votis adesse non possunt, præsertim in iis, quæ non humana, sed divina terminantur sententia, nec hominum judicium, sed Spiritus sancti inspirationem & internum exposcunt impulsum. Spiritus autem quando & ubi vult, spirat, secundum suæ divinæ dispositionis & providentiæ secretum.* (At potuisset, imo etiam debuisset Paulus ille adhibere diligentiam & media ordinaria, non autem expectare divinam revelationem, si Bellarminum audire voluisset.)

Gregor. de Valent. in Anal. fidei lib. 8. cap. 5. *Scriptorem sacrum agi potius à Spiritu sancto asserimus, quia scribit omnino necessario &c. cum tamen summus Pontifex arbitrio suo libero in definiendo utatur.* (Frustra ergo Pontifex Paulus V. expectabat Spiritus sancti inspirationem & internum impulsum.)

Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 11. §. Etsi vero &c. astringit Pontificem ad usum mediorum ordinariorum. *Non debet*, inquit, *Pontifex in controversiis fidei dijudicandis, aut solo suo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam quantam res tanta postulat & media ordinaria, & tum demum* (nota tum demum) *expectare assistentiam Spiritus sancti, & directionem divinam.*

Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 7. ad 2. rationem, *Si solus Pontifex potest infallibiliter definire dogmata fidei, ergo frustra sunt Concilia, vel certe non sunt necessaria*, respondet hoc modo: *Id non sequitur. Nam etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana & ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur, medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus pro magnitudine, vel parvitate rei, de qua agitur.*

Sed Gregorius de Valentia in Analysi fidei pag. 325. probe videns hac ratione infallibilitatem Pontificis incertam, ac dubiam reddi, cum nemo sciat, an debitam & dignam adhibuerit diligentiam, nec ne, absolvit Pontificem ab hac adhibendæ diligentiæ necessitate. *Sive*, inquit, Pontifex *in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat, modo tamen controversiam definiat, infallibiliter certe definiet, atque adeo reipsa utetur autoritate sibi à Christo concessa, quod ex promissionibus divinis de veritate per Magisterium unius Pastoris Ecclesiæ factis certissime colligimus.*

Exponant etiam Pontificii rationem, qui factum fuerit, ut inter Mariam Lauretanam, & Pontificem Romanum (circa cultus dispositiones ex hypothesi Pontificiorum infallibilem) tam gravis extiterit dissensus, ut cum Pontifex lapidem ex Cella Mariana tollere permisisset, idque ceu DEI Vicarius ex divinæ potestatis plenitudine, Maria Lauretana tanta cum indignatione id prohibuerit, ut in eos, qui tale quid tentare

ausi

ausi fuerant, graviter animadverterit, referente Horatio Tursellino lib. 4. Histor. Lauret. cap. 3. pag. 360. (Aut Papa divina potestate & infallibilitate destituitur, aut potestate illa tunc fuit abusus, aut Maria se divinæ potentiæ & voluntati opposuit.)

Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. §. Quib. ita constitutis. *Quatuor de Pontificis judicio sunt diversæ sententiæ. Prima est, Pontificem, etiam ut Pontificem, etiamsi cum generali Concilio definiret aliquid, posse esse hæreticum in se, & docere alios hæresin & de facto aliquando ita accidisse. Hæc est Lutheri &c.*

Secunda sententia est, Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse hæreticum, & docere hæresin, si absq; generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur & tuetur Nilus in libro adversus Primatum Papæ. Eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson & Almain in libris de potest. Eccl. nec non Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. cap. 2. & Adrianus VI. in quæstione de Confirmatione; qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia sive in Concilio generali tantum constituunt infallibilitatem judicii de reb. fidei.

Tertia sententia est in alio extremo, Pontificem non posse esse ullo modo hæreticum, nec docere publice hæresin, etiamsi solus rem aliquam definiat. Ita Albertus Pighius lib. 4. Hier. Eccl. cap. 8.

Quarta sententia est quodammodo in medio, Pontificem, sive hæreticus esse possit, sive non, nõ posse ullo modo definire aliquid hæreticum à tota Ecclesia credendum. Hæc est communissima opinio fere omnium Catholicorum, ut Thomæ Aquinatis, Thomæ Waldensis, Joh. de Turrecremata, Joh. Driedonis, Cajetani, Hosii, Joh. Ecci, Joh. à Lovanio, Petri à Soto & Melchioris Cani.

Videntur quidem hi Autores aliquo modo inter se dissentire, quia quidam eorum dicunt, Pontificem non posse errare, si mature procedat, & consilium audiat aliorum Pastorum: alii dicunt, Pontificem, etiam solum, nullo modo errare posse, sed revera non dissident inter se. Nam posteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex mature procedere & consulere viros doctos, sed solum dicere volunt, infallibilitatem non esse in cœtu consiliariorum vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice; sicut è contrario priores, non volunt infallibilitatem ponere in Consiliariis, sed in solo Pontifice, verum explicare volunt, Pontificem debere facere, quod in se est, consulendo viros doctos & peritos rei, de qua agitur.

Ex his quatuor sententiis primam Bellarminus vocat *hæreticam*; secundam *non proprie hæreticam, tamen erroneam & hæresi proximam*; tertiam *probabilem, non tamen certam*; quartam *certissimam & asserendam.*

Quamvis vero Piggii sententiam neget esse certam, ipse tamen in eam propendet, quia omnes omnino Pontifices, etiam ipsum Honorium ab hæreseos accusatione defendere summis conatur viribus, ac lib. ejusd. cap. 6. talem format propositionem: *Probabile est, pieque credi potest, summum Pontificem, non solum ut Pontificem, errare non posse, sed etiam ut particularem personam hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo. Probatur hoc, primo, quia id videtur requirere suavis dispositio providentiæ Dei &c. Secundo, ab eventu, nam hactenus nullus fuit hæreticus, vel certe de nullo probari potest, quod hæreticus fuerit. Ergo signum est non posse esse.* Et remittit nos ad Piggium, qui pluribus hoc probaverit. (At non quæritur in hac *summa rei Christianæ*, & primo fidei principio, quid sit probabile & pie credi possit, sed quid sit apodicticum & certo credi debeat. Nec quæritur, quid videatur requirere suavis dispositio providentiæ DEI, sed an extet talis promissio, quod Pontifex, etiam ut particularis persona, non possit esse hæreticus? Nec sufficit ad probandum fieri non posse, ut Pontifex in hæresin incidat, etiamsi probetur, hoc non fuisse factum hactenus, cum multa fieri possint, quæ tamen facta non sunt; sed requiritur, ut afferatur certum promissionis verbum, quod Deus hoc permittere nolit.)

Idem lib. ejusd. cap 11. §. Dices. *Patres Synodi octavæ crediderunt, Papam errare posse, ut privatum hominem, quæ est opinio probabilis, quamvis contraria videatur nobis probabilior.*

Idem lib. 2. de Concil. cap. 2. §. Tertia classis. *Etsi sunt aliqui Catholici, qui existimant, Pontificem errare posse, illi tamen dicunt, tunc solum posse errare, quando non adhibet omnem diligentiam. At cum generale Concilium convocatur, sine dubio adhibet omnem diligentiam in re illa investiganda, quid enim amplius facere potest? ergo saltem tunc omnium consensu non errabit.* (Mira disputandi ratio. Pontifex in Concilio judicans non errat, quia tunc adhibet omnem diligentiam. Vicissim Concilium non errat, quia confirmatur à Pontifice.

Tannerus in Apologet. p. 106. *Nobis in Colloquio, ut etiam antea semper visum est verissimum, quod cæteri Doctores præter Nilum, Gersonem, Almainum, Alphonsum de Castro, Adrianum VI. communiter defendunt, Pontificem, ne si solus quidem publicam aliquam religionis controversiam definiat, errare non posse.*

8. Quod infallibilitatem Pontificis non audent referre inter fidei articulos, nec infallibilitatis illius negationem referre inter hæreses damnatas.

(At si infallibilitas illa non est fidei articulus, quomodo poterit certum & immotum fidei fundamentum exhibere? si non est hæresis statuere, quod Pontifex solus absque Concilio definiens errare possit, quomodo infallibilitas illa erit firmum contra omnes hæreses munimentum?)

Stapletonus controv. 3. q. 4. p. 384. *Hæc sententia, (quod Romanus Pontifex, ut privata persona, tam in fide sit defectibilis, quam in moribus peccabilis, sed ut persona publica est, id est, quando de fide consultus ex officio respondet & decernit, hæreticum dogma nec unquam tradiderit, nec tradere possit:) nunc apud Catholicos certa & recepta est, etsi non de fide. Et contrarium sustinere, esset assertio erronea, scandalosa & offensiva, etsi forte non hæretica.*

Ibid. p. 385. *De fide contrarium opinari, saltem quoad possibile, non videtur esse hæreticum propter multos Catholicos, qui contrarium sustinuerunt.*

Bellarminus libr. 4 de Roman. Pontif. cap. 2. *Hæc sententia, quod Pontifex, etiam ut Pontifex, possit esse hæreticus & docere hæresin, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse, non est proprie hæretica. Nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur, tamen videtur omnino erronea & hæresi proxima.*

Lib. ejusd. cap. 7. *Nec Cyprianus fuit hæreticus, nec modò censentur manifeste hæretici, qui dicunt, Pontificem posse errare.*

Rayhingius in Manual. Catholico contra D. Höe pag. 213. fatetur, *non esse fidei articulum, sed plurimorum Theologorum sententiam, quod Papa solus, absque Concilio in rebus fidei aliquid definiens, errare non possit.*

pag. 285. agnoscit, *infallibilitatem Ecclesiæ Romanæ, ut Ecclesiæ particularis, & Pontificis solius absque Concilio definientis, non esse fidei articulum, sed probabilem tantum sententiam.*

(Recte faciunt, quod agnoscunt hanc infallibilitatem absolutam non esse fidei articulum. Sed addimus, eam non solum non esse fidei articulum, sed etiam erroris principium. Ad hanc enim de infallibilitate Pontificis præconceptam opinionem merito accommodari potest, quod habet Franciscus Turrianus in Epistola libro Gregorii de Valentia contra Ubiquitatem scripto præfixa. *Scripsit Athanasius ad Eustathium contra eos, qui jubent credere, quæ ipsi dicunt, & non prospicere, deceat, an non deceat. Istorum hæresin, ait, cunctas hæreses renovare & cunctas superare. Jubent isti,* inquit, *accipere simpliciter quæ dicuntur, ut nemo exquirat, quid in iis aut decens, aut indecens sit.*)

9. Quod in probanda Pontificis infallibilitate deficiunt. Nam

Primo, non possunt afferre evidens ac perspicuum aliquod Scripturæ dictum, aut etiam universalis alicujus Concilii Decretum, in quo hoc primum & summum fidei principium, quod Papa in rebus fidei definiens sit infallibilis, vel expressis verbis contineatur, vel per claram, perspicuam & cuivis obviam consequentiam ex eo deducatur.

Johannes Franciscus Picus de fide & ordine credendi theor. 4 *De firmitate judicii tum Conciliorum, tum Pontificum, non extat hactenus ullum Decretum, quod vel ex eo apparet, quod Johannes de Turrecremata nullum profert, etsi magnus Pontificiæ autoritatis assertor.*

Secundo, infallibilitas illa nititur hac hypothesi, quod Pontifex sit in Sede Apostolica Petri Successor. At hanc hypothesin fatentur non extare in sacris literis.

Cajetanus tract. 2. de comparat. Pont. & Concil. c. 22. scribit: *Non Evangelicam institutionem causam esse, ob quam Rom. Pontifex Petri Successor esse debeat, sed appropriationem Romanæ Ecclesiæ.*

Melchior Canus lib. 6. Locor. cap. 8. p. 210. *Illud quoq; magnopere advertendum est, Romanum Pontificem Petro succedere, non esse per se quidem in sacris literis revelatum, sed aliunde constare, ex eo scilicet, quod Historiæ gravissimæ prodidere, Petrum Apostolum suam sedem cathedram Romæ demum collocasse, ibique cum esset Episcopus, fuisse defunctum.* (At Historiæ extra Scripturam nõ possunt firmum & immotum fidei fundamentum exhibere, sed fidem nostram oportet niti Dei verbo.)

Ibid.

Ibid. p. 211. *Fides nostra non solum scripto, sed etiam traditione continetur. Ita licet Romanos Episcopos Petro succedere, in sacris libris non habeatur scriptum, ab Apostolis tamen Ecclesiæ quasi per manus traditum est.* (At Traditiones extra Scripturam non possunt certum & immotum fidei fundamentum exhibere.)

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. observ. 3. *Licet forte non sit de jure divino, Romanum Pontificem, ut Romanum Pontificem, Petro succedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinet. Non enim est idem aliquid esse de fide & esse de jure divino. Nec enim de jure divino fuit, ut Paulus haberet penulam, est tamen hoc ipsum de fide, Paulum habuisse penulam. Etsi autem Romanum Pontificem succedere Petro, non habeatur expresse in Scripturis, tamen succedere aliquem Petro, deducitur evidenter ex Scripturis, illum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex traditione Apostolica* Petri, *quam traditionem Concilia generalia, Pontificum Decreta, & Patrum consensus declaravit.* (At nondum sufficit, demonstrare ex Scripturis *aliquem succedere Petro*, sed demonstrandum insuper ex Scripturis, *Romanum Pontificem esse illum*, qui Petro succedit, si tanquam dogma ad fidem Catholicam pertinens ab omnibus Christianis hoc debet acceptari. Bellarminus ipse demonstraturus contra nos Scripturæ imperfectionem, utitur hoc argumento lib. 4. de Verbo DEI, cap. 4. §. Quarto & seqq. *Necesse est nosse, extare libros aliquos vere divinos, quod certe nullo modo ex Scripturis haberi potest. Nam etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certo id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nec satis est scire, esse Scripturam divinam, sed oportet scire, quæ sit illa, id quod nullo modo potest haberi ex Scripturis. Oportet etiam non solum scire, qui sint libri sacri, sed etiam in particulari, istos, qui sunt in manibus, esse illos &c.* Idem Bellarmin. lib. 3. de Justif. cap. 8. confirmaturus incertitudinem Justificationis sic ratiocinatur. *Non potest esse aliquid certum certitudine fidei, nisi aut immediate contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi divini verbi autoritate nitatur. Neque de hoc principio, vel Catholici, vel hæretici dubitant. At in verbo Dei non continetur immediate particularis ista propositio, Talis vel talis homo vere est justificatus, exceptis enim paucissimis, cæteri homines in sacris literis ne nominantur quidem &c. Oportet igitur, ut ex verbo DEI per evidentem consequentiam id colligat, quisquis eam certitudinem habere se jactat.* Si quæ vis concludendi inest hisce discursibus Bellarmini, potest eadem contra Bellarmini præsentem discursum retorqueri hoc modo: Non satis est ex Scripturis demonstrare, aliquem Petro succedere, sed oportet etiam ex illis demonstrari Rom. Pontificem esse illum, qui Petro succedit.)

Tertio, quando igitur urgentur Pontificii, ut infallibilitatem Pontificis ex Scripturis demonstrent, adducunt dicta Christi, *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua*, Luc. 22. v. 31. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. v. 18. *Pasce oves meas*, Joh. 21. v. 17. (Sed hac ratione principium petunt & circulum committunt. Cum enim in his dictis nulla Pontificis Romani fiat mentio, quæritur, unde constare mihi debeat, infallibilitatem Pontificis in his dictis contineri, certe quod respondeant, aliud nō habent, quam *Ecclesiam*, h. e. ut ultima analysis docet, *Pontificem ea sic exponere*, qui tum in Scripturis exponendis, tum in controversiis dijudicandis sit infallibilis. Confer Bellarm. lib. 4. de R. P. c. 3. ubi disputat, *septem Pontifices illa promissa Christi ad se & Sedem Petri accommodasse.* Sic ergo præsupponitur tanquam certum, quod erat prius probandum. Pontifex ideo est infallibilis, quia Scripturæ dicta, quæ infallibilitatem Pontificis contra negantes eam probare debent, eo sensu sunt intelligenda, quo Pontifex, qui est infallibilis, ea explicat. Circulum hic à Pontificiis committi, observavit jam olim D. Luth. tom. 1. Jen. Lat. p. 62. de antagonista suo Sylvestro sic scribens: *Robur divinæ Scripturæ, h. e. verbi Dei vim, quod est ipse Deus, ex illius hominis, etiam impii, autoritate pendere statuit, cum tamen omnes simul fateantur, Papæ autoritatem robur habere ex illo Christi, Tu es Petrus; Et, pasce oves meas, hoc est non Scripturas ex Papæ autoritate, sed autoritatem Papæ ex Scripturis pendere. Nequeunt, ubi urgentur, aliò confugiunt, quam ad harum Scripturarum asylum, quo se muniant & roborent. At nunc Satan iste Scripturas per hominem roborat.*

Progredimur ergo argumentando contra Pontificios hoc modo:

Pontificem Rom. esse infallibilem, vel est *principium per se notum*, vel est dogma *ex Scripturis demonstrandum*. Prius dici nequit, quia principiis per se notis, statim ut proponuntur, intellectus hominis assentitur, quod hic locum non habere, experientia testatur. Manet ergo posterius. Atqui si Papæ infallibilitas ex Scripturis probanda, ergo Scriptura illa aut in se & ex se est clara & perspicua, ut absque alieno lumine infallibilitatem Papæ doceat, aut per Pontificem prius infallibiliter explicanda. Posterius dici nequit, quia peteretur principium & circulus committeretur. Manet ergo prius, & per consequens Scripturæ sensus ex ipsa Scriptra erui potest & debet.

Pari ratione quærimus, *unde Papa ipse norit se esse infallibilem?* Certe non novit hoc ex peculiari, immediata & extraordinaria quadam revelatione Spiritus sancti, sed ex Scripturis, illarum enim testimonia adducit, quoties suam infallibilitatem aliis vult persuasam. Atqui si ex Scripturis eam novit, Ergo Scriptura est fidei principium & regula credendi tum Papæ, tum universis fidelibus, non autem autoritas Ecclesiæ, hoc est Pontificis Romani.

Quarto, infallibilitatem Pontificis probant *ex ipsorummet Pontificum testimoniis*, ut patet ex Bellarmino d. l. cum tamen Christus dixerit Joh. 5. v. 31. *Si testimonium de meipso perhibeo, testimonium meum non est verum:* ac JCti dicant, *testi in propria causa non credi.*

10. Quod fateri coguntur, quosdam Pontifices fuisse literarum & humanarum & divinarum ignaros. (Stapletonus lib. 8. de doctrin. princip. cap. 14. dicit, *Pontificem debere diligentiam adhibere ad rimandam veritatem, cum ejus doctrina sit discursiva in mediis.* Atqui si Pontifex debet diligentiam adhibere ad rimandam veritatem, utique ipsum oportet esse sacrarum & humanarum literarum non ignarum, alias destitutus erit mediis rimandi veritatem.)

De Honorio III. (qui c. Super specula ne Cleric. vel Monach. &c. studio juris civilis beneficiariis quibusdam interdixit,) Goffredus Beneventanus Juris Pontificii interpres in literas retulit, *Honorium non aliter ac vulpem fecisse, quæ cum uvas proceræ cujusdam vitis decerpere frustra diu conata esset, tandem eas contemsit ac damnavit, quod sibi acerbiores viderentur,* quo dicterio ignorantiam juris in eo notavit, referente Francisco Duareno lib. 4. de sacr. Eccles. minist. cap. 2.)

De Paulo II. Pontifice, (qui Ann. 1471. 6. Calend. August. apoplexia percussus subitanea morte obiit) Platina in ipsius vita memorat, *ipsum tantum fuisse hostem bonarum literarum, ut omnes illarum studiosos appellaret hæreticos.*

Johannes de Selva in tract. de beneficio part. 3. q. 5. n. 5. scribit, *Cardinales sæpe eligere prorsus illiteratum Papam, qui tamen propter defectum scientiæ nequaquam illis repellendus videatur.* Quo videtur etiam allusisse Baldus, cum ait: *Papas esse Doctores utriusque & Civilis & Canonici Juris, autoritate quidem, sed non scientia:* quod & Jason in l. præscriptione. col. 2. c. Si contra jus vel utilitatem publicam, & Andreas Tiraquellus in tract. de nobilitate cap. 31. n. 498. in fine notarunt.

Hanc quorundam Paparum inscitiam expendens Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 4. itidem ex ea concludit, Pontifices non esse infallibiles. *Non credo*, inquit, *aliquem esse adeo impudentem Papæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, aut in interpretatione sacrarum literarum hallucinari possit. Nam cum constet, plures eorum adeo illiteratos esse, ut Grammaticam penitus ignorent, qui fit, ut sacras literas interpretari possint?*

11. Quod fateri coguntur, Pontifices posse in crimen Simoniæ incidere & ipso actu quosdam Simoniacos fuisse.

Wilhelmus Durandus in lib. de modo celebrandi general. Concil. part. 2. tit. 10. dicit, *in Ecclesia Romana regnare Simoniam, ac si nullum esset peccatum.*

Franciscus Petrarcha in Dial. de Romana Curia evitanda scribit, *Romæ Simonem Magum cum conjuge sua Simonia revixisse.*

Antoninus part. 3. summ. tit. 20. cap. 3. §. 3. *Clemens V. ut Chronici referunt, fuit nimis cupiditatib. deditus, propter quod scelus Simoniæ viguit in Curia sua circa beneficia. Quod autem quidam dicunt, in Papam non posse cadere Simoniam, B. Thomas hoc reprobat.*

Idem part. ejusd. tit. 22. c. 7. in fin. *Cum omnia possit Papa & multa alia, potest etiam hoc, quod est commune omnibus, sc. errare & peccare juxta illud, Omnis homo mendax; gravius cæteris puniendus, nisi pœniteat, in inferno. dist. 40. Si papa. Nam & Simoniam committere potest secundum Thomam, in dando spiritualia pro temporalibus apprecative, sicut divulgabatur de Bonifacio nono &c.*

Nicolaus de Clemangis lib. de corrupto Ecclesiæ statu

cap.27.pag.25.edit.Lugd edit.613.de Papa Clemente, qui relicta Roma sedem suam Avinionem in Galliam transtulerat, sic loquitur: *Ex illo plane suam cladem immunere praenosse debuit, ex quo propter suas fornicationes edibiles Romuli urbe relicta Avinionem confugit, ubi quanto liberius, tanto apertius & impudentius vias suae Simoniae & prostitutionis exposuit &c.*

Æneas Sylvius (postea Pius 2. Pont.Rom.) Epist 66. *Nihil est, quod absque argento Curia Romana dedat. Nam & ipsae manuus impositiones & Spiritus sancti dona venduntur; nec peccatorum venia nisi nummatis impenditur.*

Ordines Imperii An. 1523. Norinbergae congregati *de multiplici Simonia* in suis Gravaminibus Pontificem & ejus Curiam Rom. accusarunt.

Restaurus Castald. in tract. de Imper. Papam vocat *totius Simoniae Monarcham.*

Menochius Consil. 67.n. 21. & 22. *Papam incidere in crimen Simoniae, quando concedit spiritualia pro temporalibus, statuunt Theologi, ut videre est apud Commentatores Thomae 2.2.q.100.art.4.5.& 6. Sylvestr. Prier. in Summa, in verbo Simonia. v. 4. & Thomam Campegium in tract. de pot. Papae in illo titulo, An Papa labem Simoniae incurrere possit?*

Praelati & alii Galli in Concilio Tridentino dicebant seorsim apud omnes Oratores, *protestationes se habere contra personam Pontificis* (E ij. 4.) *qui se pro Papa gerebat, cum legitimus non esset, electione sc. invalida & nulla propter vitium Simoniae, innuentes eam syngrapham, quae Cardinali Carafae data à Duce Florentiae, cum promissione certa pecuniae, quam Cardinalis ille postea ad Regem Catholicum misit, asserens confici non potuisse nisi de consensu Pontificis, antequam ad Papatum assumeretur. Simul illam alteram syngrapham manu ipsius Papae tum, cum Cardinalis esset, in conclavi Cardinali Neapolitano factam.* Petrus Suavis lib. 8. Hist. Concil. Trident. p. 849.

De Alexandro VI. Pontifice, qui Rodericus Borgia ante dictus fuit, testatur Guicciardinus lib. 1. Histor. Ital. sect. 2. *Cardinales ei vendidisse potestatem exercendi mercimoniam sacrorum thesaurorum in editissima & principali parte templi.*

Sannazarius lib 3. Epigram. de Leone X.

Sacra sub extrema, si forte requiritis, hora
Cur Leo non potuit sumere: vendiderat.

Jam vero Simonia ab ipsis Pontificiis inter haereses numeratur. Paschalis Papa c. Patet. caus. 1 quaest. 7. *Patet, Simoniacos, velut primos & praecipuos haereticos ab omnibus fidelibus respuendos.*

Et postea: *Omnia crimina ad comparationem Simoniacae haeresis quasi pro nihilo reputantur.*

Durandus in lib. de modo celebr. Concil. *Si Christus Simoniacos de templo ejecit & eos latrones vocavit, & cathedras Simoniacorum evertit, quis est, qui in Ecclesia DEI audeat introducere tales?*

Cardinal. Jacobatius in tractat. de Concil. de Papa Simoniaco sic scribit. *Quia ita est, quod cultor idolorum est haereticus, sequitur quod Simoniaci, qui non nisi propter avaritiam pecunias quaerunt, haeretici dicantur.*

Autor Oneris Ecclesiae cap. 23. §. 9. repetit & approbat verba Paschalis, *quod Simoniaci velut primi & praecipui haeretici, sint ab omnibus fidelibus respuendi, & si commoniti non resipuerint, ab exteris potestatibus opprimendi.*

Rodericus Zamorensis in Speculo vitae hum. *Simonia, quae haeresis appellatur, Episcopis familiaris.*

Alphonsus de Castro lib. 13. advers. haeres. verbo, Simonia. *Fuit quaedam execranda haeresis, qua creditum est, spiritualia Dei dona posse pecunia comparari. Hujus haeresis autor fuit Simon Magus Actor. 8. à quo ea nomen accepit.*

Et postea. *Tharasius Constantinopolitanus Episcopus in quadam Epistola ad Adrianum Papam sic ait: Tolerabilior est Macedonii & eorum, qui circa ipsum sunt, sancti Spiritus impugnatorum haeresis impia. Illi enim creaturam & servum Dei Patris & Filii Spiritum sanctum delirando fatentur: isti vero eundem Spiritum sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim Dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid eorum, quae possidet. Similiter & qui emit, dominus ejus volens esse, quod emerit, per pretium pecuniae illud acquirit. Haec ille. Quae verba citantur à Gratiano in Volumine Decretorum in prima causa, quaestione etiam prima d. can. Eos. Cum ergo tam grave peccatum sit Simonia, per quam tam perversa de DEO habetur opinio, ideo justissime multis Conciliorum decretis cautum est, ne pro alicujus rei collatione aliquod pretium recipiatur.*

Costerus part 2. serm. p. 144 docet, *Simoniam esse haeresin,*

Menochius dicto Consil. 67. n. 3. *Simoniacum* scribit, *à multis haberi haereticum, praesertim à Rebuffo in praxi beneficiorum in titul. de Simonia, in resignatione n. 12.*

Ex illis omnibus sic colligimus: Simonia est haeresis. Papa potest incidere in Simoniam. Ergo potest incidere in haeresin, & per conseq. potest errare.

12. Quod fateri coguntur, multos Pontifices vitam manifeste flagitiosam egisse, quin & quosdam Diabolicis artibus operam navasse. (Atqui privilegium illud infallibilitatis cum vita manifeste flagitiosa & Diabolicarum artium exercitio consistere nequit. Non negamus, doctrinae veritatem cum vitae impietate aliquandiu interdum consistere posse.)

Quis non videt, scribit Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. resp. ad 37. *non recte colligi haeresin ex malis operibus? Quot enim numerari possunt, qui rectissime credunt & perditissime vivunt?*

Sed notandum Primo, hic non esse quaestionem *de doctrinae veritate*, sed de *absoluta infallibilitate*, quae est peculiare Spiritus sancti donum, ab ejus immediata assistentia descendens, an illud cum vita manifeste flagitiosa & Diabolicarum artium exercitio consistere possit, de eo haud injuria dubitatur, cum scriptum sit, Psal. 25. vers. 14. *Secretum Domini timentibus eum.* Sap. 1. v. 4. *In animam malitiosam non intrabit sapientia, nec in corpore subdito peccatis habitat.* vers. 5. *Nam Spiritus disciplinae Sanctus fugit quod fictum est, atque à stultis cogitationibus recedit.* (In quae verba sic commentatur Glossa ordinaria ex Rabano. *Frustra sibi blandiuntur Philosophi & haeretici & falsi Christiani. Soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt accipere.* Joh. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.* v. 16. *Et ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* v. 17. *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.*)

Recte proinde Glossa in c. Si Papa. dist. 40. dicit. *Quando Papa est in statu, qui plerisque est offendiculo & scandalizat Ecclesiam, nec est corrigibilis, tunc non potest esse judex, quia videtur male sentire de fide.* (Hanc glossam omnes Canonistae sequuntur, ut testatur Panormitanus in c. significasti. num. 4. & ibidem Decius n. 9. de elect. Et quamvis Petrus de monte in tract. de Monarch. Concil. sub titulo de modo resistendi Papae eam appellet *maledictam*, illum tamen idem Nicolaus propterea reprehendit, subjiciens, *sacrilegium & protervum esse de ea dubitare.*)

Secundo, *Magos & Necromanticos ut plurimum esse infideles & Diabolum pro Deo colere*, ut scribit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 12. respons. ad 30. quomodo igitur peculiarem Spiritus sancti assistentiam in illis agnoscemus?

Tertio, eos, qui vitam manifeste flagitiosam & impiam ducunt, ipso facto testari, quod non credant resurrectionem mortuorum & vitam aeternam, qui sunt fundamentales fidei Christianae articuli. Inde Antonius de Rosellis in tract. de potest. Imp. aut Papae circa fin vers. Unde conclusio, scribit: *quod Papa perseverans in notorio scandalo de haeresi sit suspectus, videlicet quod non credat Deum ultorem esse criminum sive aliam supernam vitam.* *Quia vulgus videbat*, scribit Bellarminus d. l. cap. 14. resp. ad 37. *Johannem 23. esse vitae dissolutae, existimare capit atque etiam dicere, eum non credere vitam futuram. Neque id absurde, quia homines non tenentur aut possunt corda scrutari, sed quem externis operibus haereticum esse vident, simpliciter haereticum damnant,* ut idem Bellarm. scribit lib. ejusdem cap 9. §. post biennium. Ergo si vel maxime in flagitiose impiis notitia veritatis aliquandiu manet, tamen privilegium infallibilitatis eos habere non est indubitatum, ac licet verbo non noceant, tamen exemplo seducunt & in errorem alios inducunt.

Quarto, ipsosmet Pontificios vitae sanctitatem in Scripturae Interprete requirere, quanto igitur magis illa requiretur in eo, qui se infallibilem Scripturae Interpretem profitetur.

Gregor. de Valent. tom. 3. col. 139. *Mens caeno vitiorum obruta atque excaecata, in Scriptura non potest videre lumen veritatis &c. non fuligine, non vitiorum tumore, sed humilitate cordis animum requirit.*

Franc. Ribera in Hagg. n. 7. fol. 599. *Recentes Scriptores, quanto inferiores sanctitate Patribus sunt, tanto fere minus videntur abeodem Spiritu illustrari.* Prooem. in Mich. n. 1. *peccatores indignos esse docet Scripturae intellectu. Multa,* inquit, *peccata nos indignos reddunt, ut cum sponsa introducamur à rege in cellam vinariam.*

Prooem. in Sophon. *Peccatores à Dei Spiritu abesse. Nam in tenebris delicti*

delitate & avaritia & omni morum turpitudine absunt à Spiritu Dei, ad quod probandum adducit dicta Gen.18.vers.18.19. & Joh.14. vers.21.

Similia occurrunt apud Bonfrerium præloq. in Pentat. sect.6.fol.34. Salmeron tom.1. proleg.1. fol.7. & proleg.9. fol.96. Mendozam in tom.1. in 5.Reg.fol.16.a.b. Cornelium à Lapide in comm. 2.Petri 1.v. vult. ubi inter cætera adducit dictum Athanasii lib. de incarnatione Verbi prope finem: *Sine pura mente & Sanctorum imitatione, nemo comprehendit Sanctorum verba.*

Denique quinto notandum, quod Bellarm. lib.1. de Verbo Dei cap.5.§. Deinde &c. demonstraturus *librum Ecclesiastæ non esse conscriptum à Salomone eo tempore, quo mulierum amore corruptus erat,* inter cætera utatur hac ratiocinatione: *In hoc ipso libro, de quo agimus, constanter affirmat Ecclesiastes, sapientiam suam, quam videlicet divino munere quondam acceperat, ad eam usque ætatem secum permansisse. Non est autem verisimile, cœlestis sapientiæ lumen cum ea cordis depravatione simul habitare potuisse.*

Hæc omnia ostendunt, vitam flagitiosam & impiam cum infallibilitate in doctrina non posse simul consistere.

Quod autem multorum Pontificum vita fuerit flagitiosa & impia, fatentur ipsimet Scriptores Pontificii. Non descendemus hac vice in specie ad quorundam Pontificum delicta, sed generalibus testimoniis erimus contenti.

Guilielmus Occam cap.124. operis nonaginta dierum. *De multis Pontificibus Ecclesia, reputans eos sanctos viros, erravit. Unde dicitur in Chronicis, circa 27. vocatos Romanos Episcopos, postquam Ecclesia extitit temporalibus divitiis dotata, fuisse, qui sceleribus maximis publicis & notoriis, postquam fuerunt ad Papatum assumti, vel in ipsa assumtione ad Papatum, irretiti sc. crimine hæresis, idololatriæ, intrusionis fautoriæ, pravitatis hæreticæ, blasphemiæ, fornicationis & aliis multis enormibus criminibus involuti fuerunt.*

Wernerus Rolvvinck in Fascic.temper.circa annum 900. *Heu, heu Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! Qualia contigisse circa hæc tempora etiam in sancta sede Apostolica, quam usque huc tanto zelo custodisti legimus scandala! Quales contentiones & æmulationes, sectæ, invidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones! O tempus pessimum, in quo defecit sanctus & diminutæ sunt veritates à filiis hominum! Veruntamen post hæc tempora fuerunt multi sancti Papæ; Sed non sic continue & in tanto numero, sicut in præcedentibus.*

Antoninus Florentinus part.3. Summ. tit.22.cap.7. in fine. *Papa potest necromantiæ intendere, sicut in Chronicis habetur de quodam Sylvestro Papa Mago, sed pœnituit; & rapinis involvi, sicut de Benedicto Papa narrat Petrus Damianus; etiam luxuriis vacare, sicut de Johanne undecimo narratur in Chronicis, qui cum in adulterio oblectaretur, à Diabolo subitò percussus est, & quæcunque alia flagitia committere potest.*

Panormitanus scribit, *multos Pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum vel vitam æternam credere.*

Platina in vita Benedicti IV. *nonnullos Pontifices propter vitæ improbitatem monstra & portenta fuisse testatur.*

Johannes Stella Sacerdos Venetus multorum Pontificum pessima facinora recenset, & tandè Historiam suam concludit hisce verbis: *Fateor atque Deum meum testor, me non falsa scripsisse.*

Ægidius Corrocetus Italus de Raphaele Urbinate pictore refert, ipsum à Cardinalibus reprehensum, *quod Petri & Pauli facies insolito rubore præter decorem expressisset,* respondisse, *Apostolos illos rubore suffusos erubescere vicariorum suorum scelera nefaria intuentes.*

Erasmus in Chiliad. in proverbio Sileni Alcibiadis p.543. *An magis convenit Julios, Alexandros, Crœsos & Xerxes nihil aliud quam magnos latrones imitari Christi vicarium, quam ipsum Christum unicum Ecclesiæ Ducem & Imperatorem.*

Georgius Gothardus Canonicus Parisiensis in scripto adv. Heerbrandum p.116. *Hoc etiam te scire volo, me in asserenda Pontificum Romanorum dignitate non tam personas quam officium spectasse, neque omnium Pontificum defensionem suscipere, cum plerosque vitam turpem & flagitiosam duxisse luce sit clarius.*

Genebrard. in Chronol. ad Sylvestrum II. notat, *ejus tempore Papas monstra fuisse.*

Bellarminus in præfat. lib. de Rom. Pont. τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferens sic scribit: *Permisit ad extremum Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc sedem tenerent & regerent, quales sane fuerunt Stephanus 6. Leo 5. Christophorus 1. Sergius 3. Johannes 12. aliique non pauci, si vera sunt, quæ de eorum vita & rebus gestis apud Historicos eorum temporum scripta leguntur.* Et postea: *Nos agnoscimus & fatemur, vitia Pontificum fuisse non pauca.*

Stapletonus relect. princip. fidei controv.1. q.5. art.3. p.158. fatetur, *enormia & horrenda fuisse Pontificum Romanorum flagitia, imo vix ullum peccatum, sola hæresi excepta, nominari posse, quo illa Sedes turpiter maculata non fuerit, maxime ab anno 800. & infra.*

Costerus in Enchirid. cap.3. *Fatemur, fieri posse, ut Petri successor idola colat, apud se forte de fide non recte sentiat &c.*

(Possent hæ confessiones generales in specie confirmari, ostendendo ex Historicis, quosdam Pontifices peccasse Epicuræa securitate, perjuriis, seditione & bellis adversus Imperatores, scortationibus, adulteriis, incestibus, injustis cædibus, avaritia ac Simonia, mendaciis & fraudibus, fastu & luxu &c.

De Johanne 12. memorat Baronius ann.955. n.2.3.4. ann. 963. n.13.17.28. ann.964. num.1.2.3. *quod non solum Diaconos in equorum stabulo ordinarit, Episcopos pretio creaverit, & eos quidem interdum decem annorum, sacrilegia, incestus, stupra, & adulteria plurima impune commiserit, Confessarium suum oculis & vita privarit, Cardinales, virilibus eis amputatis, occiderit, lorica & galea indutus incesserit, seditiones & arma contra Imp. Ottonem commoverit, alios manu, lingua, digitis, manibusque mutilarit, Romanumque sanguinem copiose effundendi autor fuerit: sed etiam in Diaboli amorē vinum biberit, in ludo aleæ Jovis Venerisque cæterorumque, Dæmonum auxilium poposcerit.*

De eodem scribit Bellarm. lib.2. de Pontific. Roman. c.9. *quod fuerit omnium Paparum deterrimus.* Martinus Polonus in Chron ad ann. Christi 953. *quod fuerit venator & totus lubricus, scortator & incorrigibilis.*

Sed cum habeamus confitentes reos, ad specialia illa flagitiosorum Pontificum exempla non descendemus. Illud duntaxat monebimus, quod blandiantur sibiipsis in suis delictis. Sic enim scribit Symmachus Papa c. Non nos, dist. 40. *Quis dubitet sanctum esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci prædecessore præstantur.* (Egregia vero sanctitas quæ à prædecessore tantum descendit! ex quo colligit Glossa c. Sancta Romana. in Extravag. Joh. 22. tit. de domib. religiosis, *quod Papa quoad universos Christicolas sit habendus Sanctus.* Eadem Glossa Benedictum XI. qui Bonifacium VIII. *bonæ memoriæ Papam* appellaverat, sic excusat: *Sed quæro, quidam Papa exactionibus improbis, Simoniis, & turpiloquiis Ecclesiam fœdavit, ut hic, nunquid propter dictos actus possit dici malæ memoriæ? dic quod non, quia respici debet non ad id quod fecit, sed ad id, quod ipsum facere decuit.*)

Quod quidam Pontifices fuerint Magi ac necromantici, negari itidem nequit. Costerus d.l. *Fieri posse fatemur, ut Petri successor Diabolicis artibus operam navet.*

Antoninus Archiep. Florent. part.2. tit.16. cap.1. §.18. fol. 184. hæc habet: *Hic* (Sylvester 2.) *inter claros scientia literarum connumeratus esset, si scientiam suam arte Diabolica non fœdasset, unde quidam in numerum Pontificum eum non ponunt, quia Sylvester iste non per ostium intrasse creditur.*

De Sylvestro 2. Platina in ipsius vita sic scribit, *Sylvester secundus, Gilbertus antea vocatus, malis artibus, adjuvāte Diabolo, Pontificatum consecutus est, hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus tantam dignitatem adeptus erat &c.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap.17.§.19. *Sylvester secundus per Simoniam & artem Magicam Pontificatum est consecutus.* De eodem memorat Arnoldus Albertinus de agnoscend. assert. Cathol. & hæret. q.9. n.12. quod *Diabolo homagium fecerit.* Martinus Polonus in Chron. quod *necromanticus fuerit & à Diabolo turpiter occisus sit.* Similia de Sylvestro memorant Sigebertus, Hermannus Contractus, Fasciculus temporum, Crantzius in Metropoli &c.

De Gregorio VII. memorat Abbas Urspergensis in Chron. Ann.1080. quod *Episcopi in Concilio Brixiæ congregati, eum, ut divinationum ac somniorum cultorem, necromanticum & Spiritu pythonico præditum damnarint.*

Benno de vita & rebus gestis Gregorii VII prius Hildebrandi dicti refert, quod *quinque Papæ se totos consecrarint Satanæ, Sylvester 2. Benedictus 9. Johannes 20. Johannes 21. & Gregorius 7.*

Ex his omnibus manifestum est, doctrinam de infallibilitate Pontificis Romani in rebus fidei non esse infallibilem, sed ad minimum dubiam & incertam. Quare cum ultima fidei

Catholicæ resolutio fiat in hoc principium, quod *Pontifex in rebus fidei sit infallibilis*, ex eo manifestum est, primum & summum fidei Romano-Catholicæ principium esse dubium & incertum. Illud ipsum patet ulterius ex hoc argumento: De quo dubitari rationabiliter potest, an sit verus & legitimus Pontifex, de eo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit infallibilis. (Ratio est, quia nullus Pontifex est infallibilis, nisi sit verus & legitimus Pontifex. Quod si enim *dubius Papa habetur pro non Papa*, docente Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 19. multo magis falsus & illegitimus Papa habendus est pro non Papa.)

Jam vero de quolibet Pontifice dubitari rationabiliter potest, an sit verus & legitimus Pontifex. Nam

Primo, hunc vel illum Pontificem esse verum & legitimum Pontificem, non est veritas in Scripturis revelata. Ergo non possum fide divina hanc propositionem amplecti.

Secundo, de quo rationabiliter dubitari potest, an sit legitime baptizatus, de eo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Pontifex. (Ratio est, quia qui non est legitime baptizatus, non est capax Sacramenti Ordinis, ex Pontificiorum hypothesi, & qui non est capax Sacramenti Ordinis, ille etiam non est capax dignitatis Papalis.) Atqui de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit legitime baptizatus. (Ratio est, quia ad Baptismi integritatē ex hypothesi Pontificiorum requiritur intentio baptizantis, Conc. Trid. sess. 7. can. 11. Bellar. lib. 1. de Sacram. cap. 27. Jam vero de intentione baptizantis nemo potest esse certus.)

Tannerus in Coll. Ratisb. pag. 140. *Non tantum evidenter non est verum, sed etiam evidenter falsum, quod cuiquam certo & evidenter atque infallibiliter constare debeat, an recte & vere baptizatus sit, nec ne, cum de intentione ministri nemo quicquam certi statuere possit* Panormit. super 1. part 1. cap. Ecclesia vestra. summ. 13. p. 217. *Animus non potest probari nisi per conjecturam.*

Ergo de quolibet Pontifice dubitari rationabiliter potest, an sit verus & legitimus Pontifex.

Tertio, de quo rationabiliter dubitari potest, an sit legitime ad Sacerdotium ordinatus, de eo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Pontifex. (Ratio est, quia qui non est legitime ad Sacerdotium ordinatus, ille non est verus & legitimus Pontifex, cum dignitas Papalis ex hypothesi adversariorum sit Ecclesiasticæ Hierarchiæ apex.) Atqui de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit legitime ad Sacerdotium ordinatus: (*Si quis enim pecunia ordinatur, ipsum esse hæreticum manifestum est*, Glossa c. Quisquis. caus. 1. quæst. 1. nemini vero certo constat, an Pontifex non sit interventu pecuniæ ordinatus. Sed nec de intentione Ordinantis constat, quæ juxta Pontificiorum hypothesin in Sacramento ordinis æque ac in cæteris Sacramentis requiritur. Referenda huc sunt, quæ habet Biel lect. 49. in Canon. Missæ. *Nullus celebrans* (Missam) *potest evidenter scire se esse baptizatum, aut legitime ordinatum, multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt &c.* Itemque illud, quod Bellarminus lib. 1. de Sacram. in genere cap. 27. docet, *rectam intentionem administrantis esse necessariam in omni Sacramento.* Si in omni Sacramento, utique etiam in Sacramento ordinis. Jam vero intentio Ordinãtis Sacerdotem nõ potest infallibili evidentia innotescere, proinde etiam nemini certo constare potest, an aliquis sit vere ordinatus.) Ergo de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Pontifex.

Quarto, de quo rationabiliter dubitari potest, an sit legitime in Papam electus, de illo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Pontifex. (Ratio pendet ex dicisione ipsius Pontificis. Memorat enim Platina in vita Nicolai 2. quod Pontifex iste in Concilio apud Lateranum habito, legem tulerit, quæ in decreto legitur, Romanæ Ecclesiæ admodum salubrem, quæ talis est: *Si quis pecunia vel gratia humana aut populari, militarive tumultu, sine concordi & Canonica electione Cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus h. e. à ratione deficiens merito vocetur, liceatque Cardinalibus, Clericis & Laicis Deum colentibus illum ut prædonem anathematizare, & quovis humano auxilio à Sede Apostolica propellere.* Decretum illud Nicolai extat c. Si quis pecunia. dist. 79. & c. In nomine. dist. 23. ubi Pontifex inter cætera sic loquitur: *Si quis contra hoc decretum nostrum Synodali sententia promulgatum, quasi per seditionem, vel præsumtionem, aut quolibet ingenio electus aut etiam ordinatus seu inthronizatus fuerit, autoritate divina & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis autoribus & fautoribus & sequacibus à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur, sicut Antichristus & invasor & destructor totius Christianitatis, nec aliqua super hoc ei audientia reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu in quocunque fuerat prius, sine retractatione deponatur, cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumserit, pari sententia sit mancipatus.* c. Gratiam. caus. 1. q. 1. ex Ambrosio. *Gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti.*) Atqui de quolibet Papa dubitari potest, an sit legitime in Papã electus. (Quamvis enim forte constare possit, quod hic vel ille Pontifex non per vim occupaverit Papatum, de quo ipso tamen rationabiliter dubitari potest, cum quidam prædecessores suos veneno tolli curaverint, ut ad sedem Papalem aditus ipsis pateret, quæ merito species violentæ intrusionis habetur, tamen non potest constare, an non per Simoniam & occultas largitiones vel gratia humana sedem occupaverit, cum multi per hæc & alia media illegitima Papalem sedem conscenderint, de quo jam olim conquestus est Johannes Sarisberiensis in Policratico: *Papam*, inquit, *hodie nulla vocat electio, sed repugnante in membris Christo, ambitio cæca & cruenta non sine sanguine fraterno intrudit, quod quidem est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in commissi dispensatione ovilis.* Onus Ecclesiæ cap. 15. §. 35. *Plerique, contra Ecclesiastica statuta in Pontifices Simoniace electi, ambitiose intrusi, aliquando in tantum vitiati fuerunt, quod rursus ab Ecclesia rejecti, è sede expulsi damnatique sunt, ac interdum propter suos defectus manifeste à Deo percussi.* Quin imo Carolus Sigonius lib. 8. de regno Ital. scribit, *Pontifices Romanos, ad annos ducentos, non nisi per seditiones, aliaque media offendiculo plena ad hanc sedem pervenisse.* Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 9. sic scribit: *Quamvis credere teneamur ex fide, verum Petri successorem esse supremum totius Ecclesiæ Pastorem, non tamen tenemur eadem fide credere Leonem aut Clementem esse verum Petri successorem, quoniam non tenemur ex fide Catholica credere, eorum quemlibet recte & Canonice fuisse electum. Quo fit, ut qui obœdientiam denegaret Clementi aut Leoni hac ratione, si quod dicit, eum non fuisse recte electum, etsi schismaticus dicendus sit, non tamen hæreticus censendus, cum per hoc nulli veritati Catholicæ obviet.*) Ergo de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Pontifex.

Progredimur igitur hoc modo: Papa Simoniace electus non est verus Papa, definiente Julio 2. peculari Bulla super hac re Anno 1505. edita, & in Concilio Lateranensi sess. 5. renovata; ac Panormitanus super 1. part. 1. cap. Si alicujus. pag. 219. ostendit, *electionem Simoniacam esse nullam.* (At quis mihi certam faciet fidem, hunc vel illum Papam non esse Simoniace electum? Ergo etiam certus esse non possum, hunc vel illum Papam esse verum Papam, & proinde infallibilem.)

Accurate insuper observandum, Salmeronem tom. 13. Disp. 2. in Epist. B. Pauli pag. 182. addere hanc limitationem, *Pontificem tunc demum pro vero Petri successore & Christi Vicario habendum, modo non sit vitium in ejus electione commissum.* Sic enim scribit: *Eadem fide divina, qua scio me in Ecclesia Catholica agere, cognosco non tantum Romanum Episcopum, sed in singulari hunc signatum Paulum Quartum, aut Pium Quintum ab Electoribus, ut audiatur & recipiatur, toti Ecclesiæ præpositum, Vicarium Christi & legitimum sanctæ Ecclesiæ Pastorem, dummodo nullum vitium aut defectum in ejus Canonica electione admissum fuisse constare possit. Quod dixerim propter eos, qui se aut violenter intruserunt, & eum gradum vi & armis occuparunt: aut propter eos, qui Simoniaca pravitate infecti summum Sacerdotium pecunia redemerunt, quod in omnium aures & notitiam per electores pervenerit, aut denique propter eos, qui manifestam aliquam hæresin amplexati sunt, & eam publice defendere non destiterunt. Nam tales, si ad Pontificatum assumi contingeret, non essent pro veris Christi Vicariis & legitimis agnoscendi, cum plures & ad hujusmodi gradum assumuntur, & rationes se tuendi cuique non desunt, tunc enim nullus pro certo & indubitato Pontifice esset recipiendus.* (Eccui vero constare potuerit, an Simoniacæ fraudes in electione alicujus Pontificis concurrerint, nec ne? Neque quidquam roboris inest distinctioni Salmeronis inter *Simoniam occultam & manifestam*, quia Simonia occulta non minus vitiat electionem quam

quam manifesta, inde Bzovius de Rom. Pontif. cap. 2. §. Porro Petro. pag. 9. simpliciter pronunciat, *Quisquis se in cathedram ingerit, neq; per ostium, sed aliunde, vi, corruptela, ambitione irrumpit, hominem talem oves Christi non sequuntur, filii Dei non agnoscunt, congregatio justorum detestatur veluti Antichristum.*)

Quinto, De quo rationabiliter dubitari potest, an sit hæreticus occultus, de eo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Papa. (Ratio est, quia hæreticus non est legitimus Papa. Bellarminus quidem lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30. distinguit inter *hæreticum occultum ac manifestum. Papam hæreticum occultum dicit adhuc esse Papam; Papam hæreticum manifestum dicit per se desinere esse Papam & caput.* Sed Johannes de Turrecremata Cardinalis magni nominis lib. 4. de Pot. Eccles. p. 2. cap. 20. contendit, *Papam, qui in hæresin incidit, etiam interiorem tantum, esse extra Ecclesiam & depositum à Deo*) Atqui de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit occultus hæreticus. (*Cum enim multi Pontifices inventi sint apostatasse à fide*, ut testatur Lyranus in capit 16. Matth. & confirmant exempla superius adducta, ideo suspicio hæreseos haud immeritò in Pontifices cadit) Ergo de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Pontifex.

Excipit Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 9 §. Ad alteram &c. *non esse necessarium, ut sciamus, Episcopos* (& inter hos caput Episcoporum Pontificem) *qui ad Concilium veniunt, habere veram fidem & veram ordinationem, sed satis esse, si non constet contrarium. Nam etiamsi* (inquit) *summus Pontifex, quod fieri non posse credimus, & omnes Episcopi, qui ad aliquod generale Concilium, à summo Pontifice convocantur, essent corde hæretici, & sola externa professione Catholici, nec verè accepissent sacri ordinis invisibilem characterem, sed nudam impositionem, tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, ut ejusmodi Concilium in decretis suis formandis erraret. Assistit enim Concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum Concilium, quam propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur, Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne erraret Ecclesia universa, divina providentia fecit, ut etiam Concilium illud fictorum Episcoporum vellet, nollet, verissimam fidem Ecclesiæ sequendam proponeret.* Resp. Ubinam vero extat promissio, quòd Deus ex corde hæreticorum Episcoporum præter, imò contra ipsorum voluntatem confessionem veritatis extorquere velit, *sicut in ore asinæ Bileami quondam verba posuit*, quo simili utitur Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 6. §. 1. Spir. S. in negotio confessionis & salutis non agit cum hominibus βιαςικῶς nec ἀμέσως, nec ἐνθουσιαςικῶς, sed per verbum. Inde Bellarminus ipse discedit ab hac responsione, subjungens: *Quia tamen non solum scimus, Deo curæ esse salutem Ecclesiæ suæ, sed etiam ex Scripturis didicimus, Dei providentiâ suaviter omnia disponere, propterea certò credimus, Deum non permissurum, ut in Concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conveniant Episcopi, aut omnes, aut pro majori parte, non legitimi, aut non Catholici. Esset enim vehementer durum ac violentum, etsi non impossibile Deo, qui etiam per jumentum aliquando corripuit Prophetæ insipientiam, ut Concilium totum hæreticorum repugnante voluntate ac sententiâ decretum Catholicum conderet.* Sed hæc responsio principium petit, & Historiæ Ecclesiasticæ Synodi Ariminensis, Ephesinæ λῃςρικῆς & aliarum adversatur.

Quinto, de quo rationabiliter dubitari potest, an sit in Ecclesia, de eo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Papa. (Ratio est, quia verus & legitimus Papa est Ecclesiæ caput. Qui autem non est in Ecclesia, quomodo potest esse Ecclesiæ caput?) Atqui de quolibet Pontifice rationabiliter dubitari potest, an sit in Ecclesia. (Ratio est, quia de cujus interiore sanctitate non constat, de illo certò sciri nequit, quòd sit in Ecclesia. c. Cum aliquis 7. caus. 24. q. 3. *Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à caritate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minimè abjiciatur.* c. Ecclesia 70. dist. 1. de pœnit. *Qui peccator est & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.*) Ergo de quolibet Papa rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Papa.

Viderint ergo, qui à divinis Scripturis ad humanas traditiones, à luce Evangelicæ veritatis, ad Papalium errorum tenebras, ab infallibili judicio S.S. Canonicis Scripturis proposito, ad fallibile judicium Rom. Pontif. sese conferunt, & in Papalis pectoris scrinio fidei suæ certitudinem statuunt, an non sint *similes viro illi stolido, qui ædificavit domum suam super arenam, quæ deinde pluviâ descendente, ventis flantibus & fluminibus irruentibus miserabiliter est collapsa* Matth. 7. v. 26. Viderint an non de primo & summo principio, in quod Papalis fides ultimâ analysi resolvitur, perpetuo dubitare cogantur, cum certi esse nequeant, an hic vel ille Pontifex fuerit verus ac legitimus Pontifex, adeoque etiam certi esse nequeant, an fuerit infallibilis; ac si vel maximè certi sint, hunc vel illum Pontificem esse verum & legitimum Pontificem, tamen infallibilitas illa etiam veri & legitimi Pontificis est incerta, ut ostendunt ea, quæ in toto hoc capite ex ipsis Pontificiorum Scriptorum verbis & hypothesib. adduximus. Concludimus proinde verbis Gordoni Hûtlæi tom. 1. Epit. contr. 1. c. 4. p. 8. per inversionē in ipsos retortis: *Fides divina nititur solo Dei verbo. Istorum autē fides non verbo Dei nititur, sed verbo & interpretatione alicujus hominis* (Papæ Romani) *quem ipsimet fatentur errare, aut decipi posse. Quare humana est duntaxat, dubia & incerta hæc eorum fides, ut quæ sola hominis autoritate nitatur.*

Restat, ut videamus 1. Exceptiones, quas Adversarii nostris opponunt argumentis. 2. Argumenta, quibus suam confirmant sententiam.

1. Ad argumentum deductum *ab exemplo Aaronis* summi Sacerdotis V.T. vitulum idololatricum erigentis, sic excipiunt,

1. Aaronem fuisse quidem Pontificem, sed non summum, verum inferiorem comparatione fratris sui Mosis. Colloq. Ratisb. p. 63. *Aaron summus quidem fuit propter reliquos Sacerdotes, non autem respectu fratris, qui fuit superior* pag. 64. *Fuit supremus in suo genere, id est, respectu subditorum, sed non fuit summus simpliciter & absolute respectu fratris, & illo vivente, quia Moses habuit ante Aaronem Sacerdotium, ideò respectu summi Sacerdotii nihil fuit peccatum* p 65. Pari ratione Bellarm. lib. 3. de Ecclesia cap. 16. statuit, *Mosen fuisse caput, Aaronemque nondum fuisse Pontificem, sed demum Ex. 40. factum.*

Resp. Abulensis in Levit. cap. 1. sic disserit. *Moyses non erat Sacerdos magnus aut major, sed Deus illi ad hoc, ut Aaronem & Sacerdotes consecraret, potestatem tribuerat, quoniam erat Sacerdos unctus oleo invisibili. Cum autem isti consecrati sunt & ministrare cœperunt, non licuit ei ministrare, tunc autem alii, qui ministrarent legitimè, surrogati sunt.* Idem in Levit. cap. 4. *Aaron frater Moysis major fuit Moyse tribus annis, & hæc fuit una de causis, quare Aaron assumsit summum Sacerdotium & non Moyses.* Idem num. 4. pag. 14. *Quemadmodum ad ea, quæ pertinebant ad Sacerdotium & cultum Dei in sacrificiis & similibus, major erat Aaron quam Moyses. Nam Aaron erat summus Sacerdos, Moyses verò simplex Levita. Nec valet, si arguas, quòd ipse fecerit omnia sacrificia tempore consecrationis Sacerdotum. Nam tum ex necessitate factum, cùm non esset aliquis, qui posset consecrare Sacerdotes, & in talibus necessitatibus Levitæ poterant supplere locum Sacerdotum, ut tempore Ezechiæ* 2. Paral. 29.

2. Aaronem non errasse in definiendo.

Tannerus in examine narrationis de Colloq. Ratisbon. cap. 11. p. 110. *Aaron*, inquit, *non fuit ullo modo autor idolomaniæ, nec animi sui sententia quicquam, imò nec per se ipsum pleraque fecit, sed tantum timore mortis victus.* Idem tom. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 6. n. 273. *Aaron facto externo, non definiendo erravit.* Quidam anonymus apud Bonfrerium in Exod. cap. 32. excusat Aaronem, *quòd non vitulum, sed Cherubinum finxerit, adeoque non tam graviter peccarit.* Lippomanus hujus lapsus fœdissimam culpam *in Ægyptios* conatur cudere purgato Aarone, teste Cornel. à Lapide in Act. 7. v. 4.

Resp. multi ex ipsis Pontificiis Aaronem unà cum populo idololatriæ peccatum commisisse, adeoque gravissimè errasse agnoscunt, 1. Abulensis, quem citat Lorinus in Act. 7. v. 41. 2. Idem Lorinus d. l. idipsum probat ex Abulensi, & ex Deut. 9. v. 20. ubi Moses testatur *Dominum voluisse Aaronem conterere.* Miratur insuper, quòd Bernhardus plane excusare voluerit Aaronem, *Oportuit*, inquit, *Aaronem hujusmodi impietatem vel cum vitæ periculo penitus prohibere.* Eandem suam sententiam confirmat ex Cyrillo Hierosolymitano & ex Hieronymo scribente Epist. 30. quòd *Aaronis sacrilegium fraterna preces correxerint.* 3. Cajetanus à Lorino laudatus testis in cap. 32. Exodi scribit, *fœde lapsum esse Aaronem circa religionem, si minus contra fidem, quam tamen ita non sit professus ac debuerit.* 4. Bonfrerius in cap. 32. Exod. sic scribit: *Aaronem velle à peccato excusare est Scripturis adversari;* ibidemque multis hujus lapsus fœditatem demonstrat contra quendam illius excusatorem. 5. Cornelius à Lapide in cap. 32. Exodi sic commentatur: *Hinc patet vanitas fabellæ Rabinorum, quæ ipsi Aaronem*

suum à crimine idololatriæ liberare conantur, dicentes, vitulum hunc non arte ab Aarone conflatum esse, sed operâ Majorum Ægyptiorum, quorum multi in tanta colluvie secuti erant Hebræos Ægypto exeuntes. Aaronem enim coactum à populo tantùm injecisse aurum in ignem. Ita enim sese coram Mose excusat Aaron v. 24. Magos verè ope Dæmonis illud in vituli formam effinxisse. Placuit ex parte hæc opinio Monceio, qui ingeniosè nuper Aaronem ab idololatria excusare contendit in suo Aarone purgato. Sed liber hic ejus (uti præmonueram) Romæ notatus, & in classem librorum prohibitorum relatus est. Hæc enim sententia disertè repugnat Scripturæ, quæ hic asserit, Aaronem fecisse vitulum, id est, fieri curasse per artificem, sic enim habet: Quas cùm ille (Aaron) accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Rursum v. 5. Quod cùm vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, (vitulo) & præconis voce clamavit dicens: Cras solennitas Domini (vitulo) est. Non ergò idolum tantùm, puta vitulum, sed & altare eidem ædificavit, dedicavit, festumq; indixit Aaron, Quid clarius? Denique Moses Deut. 9. v. 20. fratris crimen confitetur dicens. Deprecatus sum Dominum pro fratre meo, quia volebat eum conterere. Cessit ergò Aaron timori & populo furenti, nec ausus fuit obluctari ex metu mortis. Verius & cordatius R. Moses Gerundensis apud Lipomanum, non Ægyptios, sed Aaronem & suos Hebræos accusat, dicens: Non accidit tibi, ô Israël, ultio aliqua, in qua non sit vel uncia de iniquitate vituli. Idem in cap. 7. Actor, v. 41. ex Cajetano in cap. 32. Exodi. Nota, inquit, Deum permisisse duos summos Pontifices, unum veteris, alterum Novi Testamenti labi in re tam gravi, qualis erat idololatria & negatio Christi, scilicet S. Petrum, & Aaronem. 6. Leonhardus Marius in cap. 32. Exodi. Illud mirari vix satis possum, quomodo hoc tempore sibi quidam persuadent, Aaronem vel omnino non, vel saltem nō graviter peccasse, cùm hæc ejus ædificatio altaris & nominis Jehovah translatio ad vitulum, apertissima idololatria sit. 7. Estius fatetur, Aaronem huic idololatriæ cooperatum esse, sed negat, eum tunc fuisse summum Sacerdotem in cap. 32. Exodi. Sed ei contradicit Cornelius à Lapide in cap. 7. Actor.

2. Ad exemplum Uriæ Jesuitæ in Colloq. Ratisb. p. 60. sic excipiunt: Quòd ad Uriam attinet, dico, illum non definivisse cultum idololatricum tenendum, & ab omnibus observandum esse, sed potius in facto quàm in doctrina errasse.

Resp. 1. Lyranus ad 2. Reg. 16. sic annotat: Fecit hoc Urias timore Regis & jam corruptus idololatriâ.

2. Alphonsus Tostatus ad verba lib. 4. Reg. cap. 16. Misit Rex Achaz ad Uriam Sacerdotem &c. sic annotat: Quæritur, quomodo Urias Sacerdos voluit fabricare altare pro idololatria? Respondendum: quòd hoc fortè fecit Urias, quia ipse erat idololatra sicut Rex. Nam sicut interdum declinabant populi cum Regibus ad idololatriam: ita etiam declinabant Sacerdotes: unde multi erant Sacerdotes idolorum de his, qui erant de genere Aaron, sicut patet infra 23. Nam Rex Josias quosdam de Sacerdotibus excelsorum occidit, quia erant Sacerdotes idolorum, alios verò non occidit, sed prohibuit ministrare cum cæteris, dando tamen sibi sustentationem de reditibus Sacerdotalibus, quòd non fecerat, nisi essent Sacerdotes de stirpe Aaronis. Aliter potest dici, ut placeret Regi, qui valde inclinatus erat ad idola, laudabat facta ejus, & etiam ipse cum eo idola colebat. Vel forte faciebat propter timorem, quia Rex, cùm idololatra esset, occideret eum, nisi coleret idola, vel auferret ei reditus. Voluit ergò potius carere religione & Deum offendere, quàm reditus amittere.

Argumenta Adversariorum 1. Luc. 22. v. 31. Christus rogavit pro Petro ne deficeret ejus fides, ac proinde ne successores ejus in Sede Romana errarent. Resp. 1. in hoc argumento præsupponitur, Pontifices Romanos Petro in Sede Apostolica succedere, sed Melchior Canus lib. 6. Locor. cap. 8. fatetur, in sacris literis scriptum non haberi, Romanos Episcopos Petro succedere, sed per manus quasi ab Apostolis id esse traditum Ecclesiæ. Ergo ex hoc dicto Christi non nisi concessa illa traditione, infallibilitas Pontificis demonstrari potest. 2. Concilium Basileēse in Epist. 3. Synodica statuit, Christum ibi pro tota Ecclesia orasse, ut in fide constans persistat; (quæ sententia probatur ex Joh. 17. v. 17. ubi Christus orat non solum pro reliquis etiam Apostolis; sed insuper pro omnibus per verbum Apostolorum credituris, quos tamen absolute infallibiles esse nemo dixerit.) 3. Eodem modo verba Christi exponunt Theologi Parisienses, Gerson, & Almain &c. Antoninus part. 1. Hist. tit. 5. cap. 6. §. 3. intelligit de tota Ecclesia Petro commissa. Dionys. Carthusianus in cap. 22. Luc. super verba, Oravi pro te. Non dubium, quin pro aliis quoque electis Apostolis Christus idem rogaverit, sed ideirco hæc specialiter loquitur Petro, quia inter Apostolos erat principalior & ferventior. Et mox, ne deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ.

Unde Bellarminus ipse scribit lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. §. 1. Est expositio quorundam Parisiensium, quod Dominus hic oraverit pro Ecclesia universali, sive pro Petro, ut totius Ecclesiæ figuram gerebat, & hoc impetrasse, ut fides Ecclesiæ Catholicæ nunquam deficiat. 4. Idem Bellarminus d. l. § 3. fatetur, quosdam Pontificios verba Christi de solo Petro & non de Episcopis Romanis exponere. Altera, inquit, expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent, Dominum orasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem. (Bellarminus quidem utramque expositionem evertere conatur, sed argumentis perquam levibus, ut ostendimus in Harm. Evang. cap. 174. ac sufficit nobis, pro ratione nostri instituti, quod utraque expositio autores habeat scriptores Pontificios. Adde quod Parisiensibus hic faveat Maldonatus in cap. 22. Luc. sic scribens: Quod dicitur Petro, ejus quoque successoribus totique Ecclesiæ dictum est putandum.) 5. Idem Bellarminus in oppugnanda posteriore expositione sibi contradicit, Quia, inquit, §. 5. oravit Dominus paulò pòst pro perseverantia omnium Apostolorum, imò etiam omnium electorum Johan. 17. non erat igitur ratio, cur hic pro perseverantia Petri oraret.

Et tamen paulo post §. 4. subjungit; Vera expositio est, quòd Dominus in hac oratione duo privilegia Petro impetraverit, Unum, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo, id quod est aliquid amplius, quam donum perseverantiæ. Dicitur enim perseverare usque in finem, qui licet interdum cadat, tamen resurgit & in fine fidelis invenitur. At Petro Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet. (Quia illud amplius, non posse unquam veram fidem amittere, includit alterum tanquam minus, in fide usque in finem perseverare; ideo Christus rogando pro Petro, ne unquam fidem amitteret, etiam rogavit, ut in fide usque in finem perseveraret, proinde etiam bis pro Petri perseverantia rogavit, quod nemini absurdum videri debet, cum pro se etiam ter rogaverit, Matth. 26. v. 39. 42. & 44.] 6. Salmeron in comment. Galat. 2. Disput. 23. §. Ad quartam. De omnibus Apostolis hoc piè & cum magna ratione putandum est, ut non solum deficere non potuerint, sed nec errare in fide, quandoquidem illis affuturus erat Spiritus sanctus docens eos omnem veritatem Johann. 16 vers. 13.

Toletus in cap. 16. Johann. annot. 20. super verba, Cùm venerit Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem. Apostoli edocti & illustrati erant in iis, sive quæ ad dogmata, sive quæ ad mores, sive quæ ad regendam Ecclesiam pertinebant. [Ergo privilegium illud infallibilitatis post acceptum Spiritum sanctum Petrus commune habuit cum omnibus Apostolis, ac proinde Christus hoc non peculiariter soli Petro impetravit.) 7. Ante acceptum Spiritum sanctum, Petrus Christum abnegavit ac proinde fidem amisit. Dici ergo nequit, quod Christus hac oratione Petro impetraverit, ut ne quidem ante acceptum Spiritum S. non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet.

Negat quidem Bellarminus Petrum in hac Christi abnegatione fidem amisisse, ac statuit Christum à Petro negatum fuisse ore, nō corde, proinde Petrum perdidisse fidei confessionem, non autem ipsam fidem lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3. & 8. Eadem est sententia Maldonati in Luc. 1. Sed quidam ex ipsis Pontificiis hic in parte Bellarmino contradicunt. Lyranus in cap. 22. Luc. Ne deficiat fides tua, scil. finaliter, non enim rogavit, quòd (ut) Petrus non caderet, sed ut in casu non remaneret, unde sequitur, & tu conversus scil. de peccato ad gratiam. Jacobus Faber Stapulensis in cap. 22. Lucæ. Rogavi pro te, ut non deficeret fides tua, id est, ut non remaneres in incredulitate, & tu conversus scil. ab infidelitate &c. Defecit fides in Petro, & quidem turpius quàm in cæteris.

Cajetanus in Ex. 32. citante Lorino in Act. 7. v. 41. fatetur, fidè lapsum esse Petrum circa ipsammet, cui præerat, religionem, tamen minùs contra fidem, quam ut non ex animo abnegaverit, ita tamen professus non sit ac protestatus, cùm debuerit. Alphonsus de Castro lib. 10. adv. hæreses, titulo Martyrium. Sapiens ait, cap. 1. Os quod mentitur, occidit animam. At qui ore negat, corde autem fatetur, mentitur. Occidit ergo animam, qui ore negat, etiamsi corde fateatur. Potiùs ergò deberet mortem corporis pati confitendo Christum, ne eum negaverit ore, occidat animam, quæ multò melior est corpore. Nam Christus Redemtor noster apud Matthæum cap. 16. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere &c. Et paucis interjectis, concludit idē Salvator ip-

inquiens, Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Rursum B. *Paulus dicit esse necessariam confessionem oris sicut & cordis.*

Johannes Diedo lib. 4. de Eccles. dogmat. & Script. c. 3. part. 3. scribit, *Petri fidem non minus defecisse, quam reliquorum Apostolorum.* Cornelius Jansenius in Harmon. cap. 133. cum dixisset, *etsi ore Petrus Christum negavit, fidem tamen semper in corde servavit*, per ἐπίπληξιν subjungit, *aut si ad tempus etiam fidem perdidit, non tamen ea defecit, quia mox eam recepit.* cap. 193. Concord. *Mulier prima fuit occasio, ut firma illa fidei nostræ petra à sua excideret firmitate.* Quin & in ipso jure Canonico citatur dictum Ambrosii serm. 47. c. Fidelior. dist. 50. *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo majorem gratiam recepit, quàm amisit.* Glossa ordin. in h. l. *Rogavi pro te, non ut ne tenteris, sed ne deficiat fides tua, ut post lapsum negationis ad pristinum statum pænitendo resurgas.* 8. Bellarminus d. l. §. 3. concedit, *donum perseverantiæ non pertinere ad omnes Petri successores*, (Pontifices, Romanos. Ex eo colligimus, Christum in his verbis non orare pro Pontificibus Romanis. Nam in §. 4. subjicit Bellarminus: *Donum infallibilitatis, quòd non possit aliquis unquam veram fidem amittere, est aliquid amplius quàm donum perseverantiæ.* Ergo si donum perseverantiæ non pertinet ad Petri Successores, id est, Pontifices Romanos, nec donum infallibilitatis ad eos pertinebit, & per conseq. Christus donum infallibilitatis eis hoc loco non impetravit. Ratio est, quia cui non competit minus, quod majori includitur, illi nec competit majus, quod minus includit.) 9. Bellarminus expositionem suam, quod Christus *hic Petro duo privilegia impetraverit, unum ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo; alterum, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem*; non probat ex ipsis visceribus textus, nec ex parallelis Scripturæ locis, nec ex antiquissimorum Patrum suffragio, sed confugit ad testimonia septem Pontificum, quorum pleraq; ex Decretalibus Epistolis Pontificum sunt petita, de quibus quid statuendum sit, paulo post videbimus. (At in hac summa rei Christianæ non sufficit Pontificum in propria causa testimonium.) 10. Quin & ipse Bellarminus expositionis suæ infirmitatem quodammodo agnoscit subjungens: *Ex his duobus privilegiis primum fortasse non manavit ad posteros, secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores.* (At si primum *fortasse* non manavit ad posteros, etiam secundum *fortasse* non manavit ad posteros.) Repetimus enim hoc loco verba Bellarmini lib. 1. de P. R. cap. 3. §. 2. *Dominus unam tantum personam designavit dicens, Simon, Simon, & addens toties pronomen secundæ personæ, pro te, fides tua, & tu, fratres tuos, ac cœperat loqui in plurali, Satan expetivit vos, deinde mox mutavit formam loquendi & ait, ego autem rogavi pro te &c.* Si hæc vera sunt, ut sunt verissima, unde igitur certi esse possumus, Christum hic non tantum de Petro, sed etiam de omnib. Romanis Pontificibus numero pluribus loqui? (Ex omnium certè consensu, quibus verbis donum aliquod personale in aliquem confertur, ex verborum eorum videm in personam aliam absque summa textus injuria transferri nequit. Utrumque autem hisce verbis in Petrum collatum Petro personale esse & singulare, sive *quoad personam publicam*, ne doctrinis aut decretis suis Ecclesiam in errorem induceret, sive *quoad personam privatam*, ne ipsi opinionis suæ errore seductus à fide desisceret, verba ipsa perspicuè declarant.) 11. Quo igitur argumento Bellarminus demonstrat, Christum hic non orare pro tota Ecclesia, eodem contra Bellarminum demonstramus, ad Pontifices Roman. eventitos Petri in Monarchia Ecclesiastica successores hoc privilegium personale non pertinere. Quia Dominus *unam tantum personam*, idque singulariter tot verbis designavit, *Simon, Simon*, addens toties pronomen secundæ personæ, *Te, Tua, Tu, Tuos*; certè si subintellexisset in Petro reliquos ejus successores, non tantum dixisset, *rogavi pro te, verum etiam pro tuis.* Si hac voce *Simon, Simon*, ab hoc privilegio Petro impetrato excluditur Paulus Apostolus, utique eâdem pariter excluditur Paulus V. Pont. Roman. & qui hodie rerum potitur Urbanus VIII. Confirmatur hoc ipsum ex Natura personalis privilegii, quod, uti docet Salas Jesuita de legibus q. 96. tract. 14. Disp. 17. §. 2. *veluti adhæret personæ immediate*, quod vel singulare est, vel commune. *Singulare*, quod alicui personæ in individuo tantum conceditur, expresso ejus nomine, & hoc in jure absolute vocatur *personale* & cum persona incedit, durat & finitur. Tale privilegium singulare est, quod Petro hic conceditur, ut nomen Simonis & pronomina Te, tua, tu, tuos, toties repetita ostendunt. 12. Idem Bellarm. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 2. §. Secundò posse &c. sic scribit: *Conveniunt omnes Catholici in hoc, quòd Pontifex, ut privatus Doctor, possit errare, etiam in quæstionibus juris universalibus tam fidei, quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit.* (Ergo privilegium non errandi in se in quæstione fidei, Petro his verbis à Christo collatum, non est ad posteros propagatum. At si illud propagatum non est, utique nec alterum, videlicet privilegium non implicandi alios in errore, ad posteros Petri descendit. Ratio consequentiæ est, quia quicquid privilegii sive non errandi in se, in quæstione fidei, sive non implicandi alios in errore, à Christo hisce verbis in Petrum est collatum, illud totum Christus absque omni distinctionis nota uno eodemque verborum tenore est complexus. Ergo ex his aut utrumque privilegium Petri successoribus competere ex Christi verbis elici potest, aut neutrum. Repetimus hic duo pronunciata Jes. Salas d. l. §. 8. Prius sic habet: *Quãdo verba privilegii sunt clara, nec restringẽda, nec extendẽda sunt.* Posterius hoc est. *Privilegium nunquam extendendum est ad alias personas, vel alios casus propter similitudinem rationis, ut Dd. communiter tenent.*) 13. Bellarminus ipse scribit lib. 4. de Pont. cap. 2. *Sententia illa, quæ statuit, Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse hæreticum & docere hæresin si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse, non est propriè hæretica, cum adhuc ab Ecclesia tolerentur, qui eam sequuntur.* (At si Christus hoc loco infallibilitatis donum Romanis Pontificibus impetrasset, certè hæreticum foret, istud negare & expressis Christi verbis contradicere.) 14. Nec Bellarminus, nec ullus Pontificius potest ex Scripturis causam dare, cur ad successores Petri in Sede Antiochena hæc promissio Christi referatur. Regerit quidem Bellarminus §. ult. hujus capitis, *probari hoc ab experimento. Nam in Sede Antiochena à fide defecerunt Paulus Samosatenus Hæresiarcha, Petrus Gnapheus Eutychianus, Macarius Monotheleta & alii.* Atqui eodem modo possum dicere: In Sede Romana à fide defecerunt Marcellinus idololatra, Liberius Arianus, Honorius Monotheleta & alii. 15. Si ad Petri successores, pontifices Romanos, pertinent hæc verba, *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua*, etiam sequentia verba, *& tu conversus confirma fratres tuos*, dicuntur Romanis pontificib. unde sequeretur, fore, ut omnes Petri successores aliquando Christum negent. Excipit Bellarminus, *non esse absurdum, vocem conversus, non referri ad pænitentiam Petri, sed ad tentationem aliorum, ut non sit sensus, tu à peccato ad pænitentiam conversus confirma fratres, sed tu, quando videris aliquos nutantes & vacillantes, ad eos conversus, illos confirma.* Sed veteres unanimi suffragio vocem *conversus*, ad pœnitentiam Petri referunt, unde Maldonatus in h. l. scribit: *Ambrosii, Theophylacti, Euthymii interpretatio mihi non displicet, qui conversum exponunt à peccato, quo Christum negavit actâ pænitentiâ, q. aliis de suo vulnere fecerit medicinam.* Salmeron in h. l. *Conversus h. e. pænitentiam agens & lachrymas profundens, & à negatione resiliens. Non ergò conversus ab infidelitate, quia fidem non amisit, sed à seipso ad Dominum, qui eum gratiæ oculis respexit, ut defleret peccatum suum, vel à timore, quo eum negavit, quem verè noverat & credebat, conversus ad magnam confidentiam de Domini bonitate ac pietate conceptam &c.*

Quin & ipse Bellarminus non multum tribuit huic expositioni, ideò statim subjicit: *Si exponamus, conversus à negatione, non necessariò convenit successoribus Petri, converti à peccato negandi, cùm necessariò tamen eis conveniat, confirmare fratres.* Sed contradicit huic exceptioni Lucas Brugensis in annot. h. l. sic scribens: *Hoc idem vult Christus dictum successoribus Petri, ut citò conversi à peccatis, si in quæ fortè inciderint, confirment cæteros Christianos.* Urgemus etiam hanc Bellarmini exceptionem tali argumento: Si converti à peccato non convenit hominibus, nisi quatenus privatæ personæ sunt, utique etiam non convenit Petro, nisi quatenus fuit persona privata, ac proinde fuit donum personale, ergò Christus Petrum, ut personam privatam, hic alloquitur, & per conseq. nihil in his ver-

verbis continetur, quod ad successores Petri Romanos Pontifices pertinet. Prius totidem verbis concedit Bellarminus. Ergò agnoscat etiam posterius.

2. Argum. Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra & fundamentum Ecclesiæ dicitur Petrus, ut summus rector Ecclesiæ, & proinde quilibet ejus successor similiter est petra & fundamentum Ecclesiæ. Si autem petra est, non frangetur, nec circumferetur omni vento doctrinæ, i. e. non errabit in fide. Si est fundamentum, non poterit ruere.* Bell. d. l. Resp. ex Lyrano in h. l. *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quia multi Principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse à fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia & vera confessio fidei & veritatis.* 2. Liturgia, quam Jacobi esse volunt: εἰς στερέωσιν τῆς ἁγίας σου καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἣν ἐθεμελίωσας ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως, ἵνα πύλαι ᾅδου μὴ κατισχύσωσιν αὐτῆς. *Ad confirmationem sanctæ tuæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam fundasti super petra fidei, ut portæ inferni non prævaleant ei.* Nec solum Liturgia Jacobi, sed etiam 3. Multi Pontifices per petram & fundamentum, super quod Ecclesia extruenda dicitur, intelligunt ipsum Christum, (in Evangelio prædicatum & fide apprehensum, vel, quod idem est, veram in Christum fidem & Christi confessionem. Augustinus lib. de fide & operib. cap. 16. *Apertè dictum est, Fundamentum enim aliud nemo ponere potest, præter id quod positū est, quod est Christus Jesus. Si autem Christus, procul dubio fides Christi, per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris:*) quæ expositio conformis est Scripturæ, cumprimis dicto Apostolico 1. Cor. 3. v. 11. in quo habetur exclusiva, *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, qui est Christus Jesus.*

Eutychianus Episcopus Romanus (circa annum 275.) in Decretali Epist. 1. ad Johannem & omnes Episcopos Provinciæ Bethicæ tom. 1. Concil. *Unum hoc*, inquit, *immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra, Petri ore confessa, Tu es Christus Filius ille Dei vivi.*

Leo Magnus (circa annum 440.) in Epistol. ad Flavianum tom. 1. Concil. pag. 737. dicit, *Petrum à principali Petra,* (utique Christo) *soliditatem & virtutis traxisse & nominis.* Idem Epistol. 89. *Hunc in consortium individuæ unitatis assumtum, id, quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus.* Idem serm. 2. de Petro & Paulo. *Super hanc*, inquit, *fortitudinem æternum templum & Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget.*

Felix, junior dictus, 3. (circa annum 483.) Epistol. 3. tom. 1. Epistol. Roman. super *istam confessionem ædificabo Ecclesiam meam*, referente Baronio Anno 483.

Felix tertius, dictus quartus, (circa annum 526.) ad Zenonē Augustū de depositione Petri Antiocheni apud Gennadium c. 5. ὁ Πέτρος τὴν ἀπαράλλακτον καὶ ἀμετάπτωτον πίστιν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ μονογενῆ τοῦ Θεοῦ υἱὸν πρῶτος ἐκθέμενος ἐμακαρίσθη ὑπ᾽ αὐτοῦ Σωτῆρος, *immutabilem fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Filium unigenitum, primus exponens, à Salvatore ipso beatus est dictus. Nam cùm ipse dixisset ad Dominum, Tu es Christus Filius Dei vivi*, ἀκήκοε περὶ αὐτοῦ (Interpres reddidit,) *ab ipso audire meruit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*; καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ ὁμολογίᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, *& super ista confessione ædificabo Ecclesiam meam.* Et iterum in persona Ecclesiæ: ὁ μονογενὴς υἱὸς ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων ἐθεμελίωσέ με, *Ejus unigenitus Filius in confessione primi Apostolorum fundavit me.* Gregorius Magnus (circa annum 590.) in Registr. lib. 6. Epist. 37. *Firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à petra vocaretur.* Idem lib. 6. moral. c. 35. (& citatur c. Quia ex sola. caus. 24. q. 1.) *In petra Moses ponitur, ut Dei faciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit, de qua soliditate Dominus dicit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Idem lib. 28. moral. cap. 6. *Cùm in sacro eloquio non fundamenta, sed in singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur, per cujus divinitatis potentiam infirmitatis nostræ corda solidantur, de quo Paulus, Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, Christus Jesus.* Idem lib. 11. moral. cap. 19. *In sacro eloquio cùm singulari numero petra nominatur, quis alius quam Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait, Petra erat Christus.* Idem explic. 7. Psalm. Pœnitent. *Ipse Dei & hominum Mediator ad Apostolorum principem ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ipse enim* (Dei & hominum Mediator) *est petra, à qua Petrus nomen accepit, & super quam se ædificaturum Ecclesiam dixit.* Leo 2. (circa annum 682.) in Epist. ad Constantinum Pogonatum, quâ confirmat Acta Synodi 6. generalis. Et quia *definitionem rectæ fidei plenissimè prædicavit, quam & Apostolica Sedes B. Petri Apostoli, cujus licet impares ministerio fungimur, veneranter suscipit, idcircò & nos & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri autoritate confirmat, sicut supra solidatam petram, quæ Christus est, ab ipso Domino adeptus firmitatem.* Adrianus I. (circa annum 772.) in Epistola ad Episcopos Galliciæ & Hispaniarum, quæ est in Actis Concilii Francofordiensis tom. 3. Concil. f. 412. *Quid præstabilius, quàm B. Petri felici confessione probatæ fidei tenere fundamentum? super hanc, inquit, petram, quam confessus es, & à qua vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei Ecclesiam meam ædificabo.* Nicolaus I. [circa annum 858.) tom. 3. Conc. part. 1. Epist. 2. *Petrum à firmitate petræ, quæ est Christus, dictum ait*: Itemque, *Conditorem omnium super solidam fidem Petri constituisse soliditatem.* Stephanus 6. (circa annum 886., apud Baronium tom. 10. Anno 886. n. 26. *Catholica Christi & Dei nostri Ecclesia fundata super firmam petram, Apostoli videlicet confessionem.* Nicolaus 2. (circa annum 1059.) in c. Omnes. dist. 22. *Christum super petram fidei mox nascentis Ecclesiam erexisse asserit.* Gregorius VIII. Hildebrandus prius dictus (circa annum 1073.) per Petram itidem intelligit Christum, ut colligitur ex versiculo Coronæ Imperatoriæ ad Rudolphum Sueviæ Ducem transmissæ inscripto: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Idem lib. 2. cap. 70. *Petrus à firma petra dicitur, quæ portas inferni confringit.* Innocentius 2. (circa annum 1130. apud Bernhardum Epistol. 19. & Ottonem Frisingensem lib. 1. de gestis Friderici Imperat. cap. 48. in causa Petri Abailardi ad Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos & Abbatum Bernhardum sic scribit: *Inde est, quòd B. Petrus pro eximia hujus fidei confessione à Salvatore nostro audire meruit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, petram utique firmitatem fidei & Catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans.* Adrianus IV. (circa annum 1154.) in Epist. ad Fridericum I. Imperatorem, quam recitant Radevicus Frisingensis lib. 1. cap. 3. & Bellarminus lib. 1. de translat. Imp. cap. 3. *Quem in Apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum.* Bonifacius 8. (circa annum 1294.) c. Unam sanctam. extr. de majorit. & obœd. *Hæc autoritas divina est Petro & successoribus suis in ipso, quem confessus fuit, petra firmata.* 4. Eandem expositionem sequuntur & approbant Concilia ab ipsis Pontificiis laudata. Patres Concilii Suessionensis apud Baronium tom. 10. Anno 909. n. 6. sic loquuntur: *Quæ Ecclesia cùm generaliter ab uno capite Christo super petram, i. e. super Confessionem Petri sit ædificata &c.* Concilium Trevirense Anno 1549. celebratum cap. de fide Orthodoxa Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fideliter & firmiter tenendâ tom. 4. Conc. p. 802. *Vera*, inquit, *in Jesum Christum fides fundamentum est & petra illa, de qua Salvator noster dixit, super eam ædificandam esse Ecclesiam suam, adversus quam inferorum portæ nunquam essent prævaliture.* Ipsum Concilium Tridentinum in Decreto 3. Sessionis 3. Credo &c. profitetur, *Symbolum fidei esse tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ad fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferni nunquam prævalebunt.* In edit. Coló. tom. 4. Conc. additur in margine citatio loci Matth. 16. 5. Glossa ordinaria & interlinearis Bibliorum, ac Glossa Juris Canonici in eandem abeunt sententiam. Sic enim habet Gloss. ordin. in cap. 16. *Tu es Petrus, mihi tamen me petra, ita tamen, ut mihi ego retineam fundamenti dignitatem.* Glossa inter lin. ibidem: *super hanc petram, id est, super Christum in quem credis.* Glossa Juris Canonici ad Can. Ita Dominus dist. 19. sic annotat: *Ab eo, quod ipse Dominus erat, sc. petra, voluit eum Dominus vocari Petrum.* Et postea. *Super hanc petram. Per hanc dictionem non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus respondit Domino, cum dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi, quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia. Ergo super seipso fundavit Dominus Ecclesiam.* Eadem Glossa in c. Loquitur 6. caus. 24. q. 1. *super hanc petram, id est, super fidei tuæ soliditatem.* Eandem expositionem probant & sequuntur multi ex Scholasticis, ut & aliis Scriptoribus, qui superioribus, qui-

dam etiam proximis, ante Lutherum, seculis floruerunt Hincmarus Episcopus Rhemensis in Epist. ad Hincmarum Laudunensem (circa annum 800.) *Super hanc petram, h.e. firmam & solidam fidei confessionem, ædificabo Ecclesiam meam.* Haymo Episc. Halberstadensis (circa annum 850. homil. de temp. f. 440. *Petra autem erat Christus. Tale est igitur ac si diceret Christus, super hanc fidem, id est, super me, quem tu confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Hugo de Caro (circa ann. 1240.) in postill. ad Matth. 16. *Super hanc petram, id est, super hoc fundamentum 1. Cor. 10. Petra erat Christus cap. 3. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod est Christus Jesus. Super hanc petram, id est, fidei firmitatem. Es. 27. Ecce mittam in Sion lapidem preciosum.* Similia occurrunt apud Albertum Magnum (circa annum 1265.) in comm. cap. 16. Matth. Thomas de Aquino (circa ann. 1270.) 2. 2. q. 174. art. 6. *super revelatione Apostolorum* (Apostolis facta) *de fide Unitatis & Trinitatis fundata est tota Ecclesia.* lect. 15. in cap. 6. Johan. *Petrus à petra, petra autem Christus, In Petri ergo nomine figurata est Ecclesia, quæ supra firmam & immobilem petram, id est, super Christum, est fundata.* Guilielmus Durandus (circa ann. 1280.) in Rationali div. offic. lib. 1. cap. 7. *Super hanc petram sc. fidei firmitatem.* Nicalaus de Lyra (circa annum 1330.) in cap. 16. Matt. *Super hanc petram, quam confessus es, id est, super Christum.* Idem in expositione Præfationis Gilberti in Apocalypsin. *Ecclesia ab Apostolis fundata est super petram Christum 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus & Matth. 16. Super hanc petram, scil. me Christum ædificabo Ecclesiam meam.* Nicolaus Gorranus (circa annum. 1350.) in cap. 16. Matth. *Post fidei expressionem, post experimenti commendationem promittit hic stabilimentum Ecclesiæ super hanc fidei confessionem.* Et iterum. *Super hanc petram, id est, super hujus veritatis firmitatem, tanquam super fundamentum firmum ædificabo Ecclesiam meam. Eph. 2. Ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Petrus de Alliaco Cardin. Episc. Cameracensis (circa annum, 1426.) lib. 1. Concordant. capit. 13. *Per petram, Christum quem confessus est, intelligimus.* lib. de laud. script. & stabil. Eccles. *Secundum spiritualem intellectum per hanc petram, divinam Scripturam & sacram Christi doctrinam significare possumus, quæ tam firmæ soliditatis & solidæ firmitatis existit, ut non immeritò super eam Christi Ecclesia fundata sit. Quid namque firmius, quid solidius quàm sacra eloquia? quàm divina testimonia à Christo in æternum fundata? Quotquot ergo sunt Christi eloquia, quot Christianæ doctrinæ testimonia, tot dici possunt Christianæ Ecclesiæ fundamenta.* Ibid. *Non videtur, quòd in Petra Petrus, sed in petra Christus intelligendus sit, de quo ait Apostolus, Petra autem erat Christus. Quis enim in Petri infirmitate Ecclesiæ firmitatem stabiliat, de cujus infirmitate ancilla ostiaria interrogata respondeat?* Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus (circa annum 1440.) in cap. 16. Matth. *Non verum est, quòd super Petrum fundata est Ecclesia. Semel dixit Augustinus, intelligi Petrum, sæpius vero Christum, ubi etiam dicit, Harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector. Augustinus ipse secundam tenet, ut patet ex verbis, quod primam dicit se tenuisse in quodam loco, secundam autem sæpissimè posuit & sic ipse eam tenet, & est probabilior.* Antoninus Archiepisc. Florentinus (circa annum 1459.) part. 1. Historial. tit. 5. cap. 1. super verba, *Tu es Petrus. Non te demonstrando, sed me, quem confessus es &c. super hanc veritatem confessam.* Nicolaus Cusanus Cardinal. (circa annum 1464.) lib. 2. Concord. Cathol. cap. 13. *Per petram intelligitur Christus, quem Petrus confessus est.* Johannes de Turrecremata Cardinal. (circa annum 1468.) in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 102. *Ecclesia est fundata super petram, scilicet fidem Christi Matth. 16. super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ergò qui cadit à Petra, sc. Christo, sive fide ejus, notoriè & contumaciter, cadit omninò ab Ecclesia Christi.* Et cap. 112. *Confessio ipsa fidei, quâ Petrus Christum & Deum hominem confessus, ait, Tu es Christus Filius Dei vivi, super quam dicitur Christus Ecclesiam suam ædificasse, non fuit Romæ, sed in Cæsarea Philippi facta est.* Dionysius Carthusianus (circa ann. 1471.) in cap. 16. Matt. *Et super hanc petram, id est, fidei hujus firmamentum & fundamentum, vel super hanc petram, quam confessus es, h.e. super meipsum lapidem angularem, montem altissimum, de quo ait Apostolus, Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Gabriel Biel (circa ann. 1490.) lect. 22. in Canon. per *petram* intelligit *fidei confessionem.* Guillermus in Postill. super cap. 16. Matth. *Super hanc petram, quam confessus es, id est, Christum.* Hæc omnia scripta & in publicum edita sunt, antequam Lutheri nomen in Ecclesia audiretur, ac pulcherrime consentiunt cum dicto Augustini tractat. 124. in Johann. *Ideò ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi. Super hanc ergò, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentũ quippe aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Serm. 13. de verbis Domini. *Petra principale nomen est, ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergò, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non super te ædificabo me. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego Cephæ &c. & alii, qui nolebant ædificari super petram, dicebant, Ego sum Christi.* Itemque cum illa Meletii Patriarchæ Alexandrini sententia, quâ de Græcis sic scribit: *Romanum Pontificem, Romanum, non Universalem, non Catholicum agnoscimus Pontificem; Christum unicum Universalis Ecclesiæ caput Universale cum Paulo prædicamus. Ipsum ex ipsius verbis agnoscimus;* ἐπὶ ταύτῃ namque ait, τῇ πέτρᾳ, ἤδη πέτρᾳ, Paulus dicit, ὅτι ὁ Χριστός. *Neque enim in te Petro, sed in me, ut vigilantissimè diligentissimus notat August. serm. 3. de verb. Dom. ædificabo, dixit, Ecclesiam meam.* Nec est, quod excipiant, *quosdam ex citatis Doctoribus dicere, super Christum ædificatam esse Ecclesiam, quosdam verò super fidem & confessionem Petri eam esse extructam.* Hæ enim expositiones, ut jam ante monuimus, invicem non pugnant, quia confessio, quam Petrus edidit, Christum respicit ac pro objecto habet, adeoque super hoc fidei articulo, Christus est viventis Dei Filius, fundata est Ecclesia. §. 7. Eandem expositionem amplectuntur aliquot Scriptores Pontificii, qui tempore B. Lutheri & post B. Lutherum floruerunt. Autor Oneris Ecclesiæ cap. 10. §. 1. *Apostoli censentur esse grandes & preciosi lapides, positi in templi fundamento, quod jecit Salomon, id est, Christus, ut ædificaret domum Dei. Id fundamentum Apostolorum & Prophetarũ Christus summus angularis lapis super seipsum posuit, tanquam supra firmam petram. Illius denique civitatis, i.e. Ecclesiæ murus habet fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Nam sicut Moses inprimis elegit duodecim trib. Israel & septuaginta duos seniores: sic Christus ad primum statum elegit duodecim Apostolos & septuaginta duos discipulos, quos ad prædicandum misit.* Erasmus in notis ad Hilar. in cap. 16. Matth. *Fides est Ecclesiæ fundamentum.* Idem in annotat. ad caput 16. Matth. pag. 56. *Super istam petram, id est, solidam istam fidei professionem extruam Ecclesiam meam, in quo fundamento si constiterit, nec inferi quicquam adversus illam poterunt, nedum homines, etiamsi D. Augustinus in homilia hujus loci, verba, super hanc petram, ipsi accommodet Christo, non Petro &c. Proinde mirer esse, qui hunc locum detorqueant ad Rom. Pontificem, in quem haud dubiè competunt inprimis, velut in Christianæ fidei Principem. At non in hunc unum, sed in omnes Christianos, quod eleganter indicat Origenes homil. 1. harum, quas habemus &c. Divus Cyprianus in Epistola primi libri tertia videtur accipere, super Petrum fundatam esse Ecclesiam, Petrus tamen, inquiens, super quem ab eodem Domino fundata fuerat Ecclesia; nisi fortè sic excusandus est Cyprianus, quòd Petrum hic non pro homine illo, sed pro typo accepit, quod propemodum indicant, quæ sequuntur: Unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait, Domine, quò ibimus? Itaque Petrus Saxeus solidam Ecclesiæ fidem repræsentat. Cæterum nostra interpretatio verbis duntaxat dissidet ab Augustiniana, quam ideò induximus, quòd illius videretur coactior, ad quam tamen maluit deflectere, quàm in alterum incurrere scopulum, videlicet, ut in homine poneret Ecclesiæ fundamentum.* (Potuisset Erasmus adducere alium Augustini locum, qui magis favet illi, quam sequitur expositioni, lib. 1. Retract. cap. 21. *In hoc libro* contra Epistolam Donati *dixi de Apostolo Petro, quòd in illo, tanquam in Petro fundata sit Ecclesia &c. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædifico Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur & accepit claves regni cælorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.*) Idem Erasmus in annot. ad 1. Pet. 2. v. 5. ubi Christus vocatur *lapis angularis*, qui super-

perstruamur. Ad Christum, inquit, lapidem vivum & in oculis Dei pretiosum, oportet nos virtutum profectibus accedere, ut ipsi quoque tali fundamento vivi paulatim superstruamur. (Atqui pii non ædificantur super Papam, sed super Christum. Ergo Christus est illa petra, supra quam ædificatur Ecclesia.) Alphonsus à Castro in præfat. libri de hæresib. Fides est basis & fundamentum totius Christianæ structuræ, super quam, velut super firmissimam quandam Petram, Deus fundavit Ecclesiam suam, super quam & omnes nos fundari præcipit Paulus, ut stabiles & immobiles simus à spe Evangelii &c. Ludovicus Vives in comm. lib. 8. August. de Civ. Dei cap. 23. Hæc est præcipua professio, hic primus & firmissimus Ecclesiæ nunquam ruitura lapis, credere ac profiteri, Jesum esse Christum Filium Dei vivi. Johannes Hoffmeisterus tom. 2. homiliarum p. 162. Sunt, qui dicant, Ecclesiam super Petrum ædificatam: rursum, qui super Petri confessionem: nec desunt, qui dicant, illam super Christum ædificatam. Ego nullorum sententiam rejicio. Johannes Ferus in cap. 6. Matth. Petra primario Christus est, cui tota Ecclesia superædificata est, juxta illud: Fundamentum aliud ponere nemo potest &c. nullus enim homo tam firmus est, ut non possit moveri, id quod etiam in Petro vidimus: deinde quia per veram fidem Christo conjungimur ac quodammodo & nos petræ sumus, si sic loqui licet, & ipsa igitur fides Christiana & veritas Evangelica firma & inconcussa petra illa est, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam. Johannes Arboreus lib. 5. Theosophiæ cap. 5. ex professo disputat, Ecclesiam fundatam esse super petram [Christum] & non super Petrum. Autor. tract. de Eccles. & polit. potest. monet, Christum non dicere Ecclesiam meam, sed tuam; nec promittere, portæ inferorum non prævalebunt adversum te, sed adversus eam; nec dicere Petro, pasce oves tuas, agnos tuos, sed meos &c. Alphonsus Salmeron tom. 4. tract. 3. p. 388. concedit, Augustinum, Theophylactum & Theodoretum per petram intelligere fidem & confessionem Petri. Idem adducit locum ex Theophane Cerameo, qui sic habet: Ego verò dicam tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu, inquit, qui Petrus es, petra fies fidei, verbi & Ecclesiæ firmatæ fundamentum, ac ædificationis spiritualis primus aditus. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Tali nempe petrâ de rupe collocatâ reliqua dogmata firmè ac tutè ædificabuntur. Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 2. in Epist. festi D. Thomæ p. 95. Super hanc petram, inquit Dominus ipse, h. e. super me ipsum ædificabo Ecclesiam meam. Idem conc. in Evang. festi Petri cathedr. p. 349. Christus dicit, se super hanc petram, id est, fidem seu confessionem de se, quam Petrus credidit & confessus est, Ecclesiam suam ædificaturum. Quid isthuc verò est? hoc scilicet, quòd quicunque crediderit & confessus fuerit cum Petro, ipsum esse Christum Dei viventis Filium, is sit futurus ipsius dilectus, adeoque unum secum, ac itidem filius Dei participatione. ibid. conc. 7. p. 355. Certificamur hic, Ecclesiam esse populum supra petram, Christum nimirum, fundatum, h. e. esse hujusmodi hominum collectionem, quæ quemadmodum Petrus, confiteatur ore, credat corde, & testetur vitâ, Jesum esse Christum, Filiumque Dei viventis. Titelmannus in cap. 16. Matth. Super hanc petram, id est, super hanc fidei veritatem, quam confessus es, & quam protulisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi. Item. Et super me, petram firmissimam, quam supradicto verbo confessus es. Et paulo post. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, nisi quod ego ponam, quod ero ego Christus Jesus; & veritas ipsa fidei atque confessionis de me erit fundamentum totius ædificii. Bellarminus lib. 1 de Rom. Pont. cap. 10. §. Quarta restat &c. fateri cogitur, multos ex Patribus, ac nominatim Hilarium lib. 6. de Trinit. Ambrosium lib. 6. in Lucam cap. 9. Chrysostomum homil. 55. homil. 83. in Matth. Cyrillum lib. 4. de Trinit. per petram nobiscum intelligere fidem & confessionem Petri. Barradius lib. 10. Harmon. Evang. cap. 23. pag. 687. concedit, quòd verba Christi nobiscum sic interpretentur Augustinus tract. in Johann. Gregorius Nyssenus in fine libr. contra Judæos, Gregorius in Psal. 7. pœnitent. Anastasius Antiochenus, Paulinus, Victor Antiochenus in Bibliotheca Patrum, in comm. Matth 16. (Ergo non destituitur nostra expositio Antiquitatis suffragio.) Benedictus Pererius lib. 2. comment. in Daniel. p. 105. edit. Lugdun. Christus est petra, supra quam fundata est & sustentatur Ecclesia, ideoque nullo unquam tempore, nullaque vi labefactari & everti possit, quinimò nec portæ inferi adversus eam prævalebunt. 8. Urgebimus etiam Adversarios propriis hypothesibus. Alphonsus de Castro lib. 4. advers. hæref. verbo Concilium. Portæ inferorum in dicto Christi Matth. 16. sunt singula mortalia peccata, per quæ fit introitus ad infernum. Illud ipsum suo suffragio approbat Maldonat in cap. 16. Matt. ubi per portas inferorum simpliciter & absque omni restrictione intelligendam esse dicit omnem Diaboli potentiam, sive per hæreses, ut Epiphanius; sive per alia vitia, ut Ambrosius; sive per utraque ut Origenes, Hieronymus, Beda; sive per blasphemias hæreticorum, ut Euthymius; sive per persecutiones, ut Theophylactus; sive per blandimenta vitiosa, ut Rabanus docuit. Eodem fere modo Abulensis in eund. l. q. 71. Portæ accipiuntur, inquit, per metaphoram, quia per portam intratur in domum, ita id, quod ad inferos ducit, porta inferi dicitur: & quia homo trahitur ad inferos immediatè per peccatum, mediatè verò per passiones, quibus ad peccandum allicitur, & magis mediatè per homines malos, propterea omnia hæc tria portæ inferi appellari possint, nam per portā omnis Satanæ potestas intelligenda est. (Atqui negari nequit, peccata gravissima alia quandoq; adversus Pontifices quosdam prævaluisse. Ergo ex hac promissione elici nequit, Pontifici infallibilitatem datam. Genebrardus lib. 4. Chron. An. 901. p. 553. scribit: Per annos fere 150. Pontifices circiter L. à virtute majorum defecisse, Apotacticos, Apostaticosq; potiùs quam Apostolicos fuisse. Costerus Enchir. cap. 3. de potest. Pont p. 137 Fatemur, fieri posse, ut successor Petri idola colat, Magicis artibus operam navet &c Contra illum utiq; prævalerent inferorum portæ.) 9. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10 §. Itaque, sic differit. Cùm ratione fidei suæ indefectibilis Petrus sit petra firmissima, idem est, super Petrum & super ejus fidem ædificatam esse Ecclesiam. (Ex his verbis duo colligimus: Primo, quod Petrus non ratione suæ personæ, sed fidei dicatur Ecclesiæ fundamentum. Secundo, quod cum omnib. Apostolis, quorum fides itidem erat indefectibilis, hoc commune habeat. 10. Illud per petram, super quam Christus promittit se ædificaturum Ecclesiam intelligi oportet, quod est fundamentum Ecclesiæ non solum militantis, sed etiam triumphantis. Atqui nec Petrus, nec Rom. Pont. sunt fundamentum Ecclesiæ triumphantis, fatentib. ipsismet Pontificiis. Ergo per petram, super quam Christ⁹ promittit se ædificaturū Ecclesiam, nec Petrus nec Rom. Pont. possunt intelligi. Major probatur ex addito pronomine relativo meam. Ædificabo meam Ecclesiam. Illud n. significat totum illud spirituale Ecclesiæ ædificium ex variis partibus constitutum, cujus partes præcipuæ sunt duæ, triumphans ac militans, ac certum est, non esse aliud hujus quam illius fundamentum. Præterea, quando Pontificii probare cupiunt, Petro totum ovile Ecclesiæ esse commissum, urgent pronomen relativum meas in verbis Christi, Pasce oves meas, quidni ergo etiam nobis integrum sit, in verbis Christi h. l. illud urgere? 11 Excipiunt, pios veteres quandoq; Petrum vocare Ecclesiæ fundamentum. Resp. sit hoc, tum ratione generali, quâ omnes Ecclesiæ ministri dicuntur fundamenta, utpote qui ministerio suo eam sustinent, ipsiusq; ædificatione sunt occupati; tum ratione speciali, quatenus Petrus unà cum reliquis Apostolis primus Christianas Ecclesias fundavit, doctrina sua, qua in hac ædificatione utebatur, immediate à Christo accepta, nec solum particularem, sed etiam Universalem Ecclesiam ædificavit. Greg. in enarr. Ps. 67. In Script. S. quid aliud fundamenta, quam Prædicatores accipimus? quos dum primos Dominus in sanctam Ecclesiam posuit, tota in eis sequentis fabrica structura surrexit. Unde & Sacerdos, cum in tabernaculum ingreditur, duodecim lapides in pectore portare jubetur, quia videl. semetipsum pro nobis sacrificiū offerens Pontifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite, in prima sui corporis parte portavit. Sancti itaq; Apostoli & pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, & pro prima soliditate ædificii in solo fundamenti. Bellar. ipse agnoscit, omnes Apostolos hoc sensu vocari posse fundamenta Ecclesiæ l. 1. de Pont. c. 11. resp. ad alterum. Tribus, inquit, modis Apostoli omnes fuerunt Ecclesiæ fundamenta: Uno modo, quia ipsi primi Ecclesias ubiq; fundarunt. Rom. 15. 1. Cor. 3. hoc modo ex æquo sunt Apostoli fundamenta, id quod significatum credunt ut Apoc. 21. Altero modo dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ ratione doctrinæ à Deo revelatæ, siquidem fides Ecclesiæ nititur revelatione quam habuerunt à Deo Prophetæ & Apostoli &c. atq; hac ratione superædificamur, ut Apostolus ait Eph. 2. supra fundamenta Prophetarum & Apostolorum. Tertio modo dicuntur fundamēta omnes Apostoli ratione gubernationis, omnes n. fuerunt capita, rectores & pastores Ecclesiæ universæ. (Addit quidem Bellar. reliquos Apostolos non fuisse eodem modo Pastores & rectores Ecclesiæ, quo Petrus: Illi n. habuerunt summam atq; amplissimam potestatem ut Apostoli seu Legati, Petrus a ut pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitud. potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum & ab eo penderent, non è contrario. Sed suo loco ostendetur, Bellarm. in hac exceptione principiū petere, ac ipsi

ipsi contraria proferre. Ubi enim plena inter homines potestas, ibi nulla ab alio homine debet esse dependentia, tanquam superiore. Quod si ergo Apostoli omnes habuerunt summam atque amplissimam potestatem, utique ratione potestatis non dependerunt à Petro.)

3. Argum. Joh.21.v 17. *Christus dicit Petro, Pasce oves meas, quibus verbis Pontifex Rom. institutus est pastor & doctor totius Ecclesiæ. Ergo tota Ecclesia illum audire debet, & per consequens non potest errare.* Bell.d.l. Quod *Petrus & in Petro Romanus Pont. his verbis institutus sit pastor & doctor, imo Monarcha totius Ecclesiæ,* probant ex eo, *quod per nomen ovium absolute positum significetur universa Ecclesia, adeo ut etiam ipsi Apostoli Petro tanquam oviculæ commendentur; itemq; ex trina repetitione verbi, pasce agnos, pasce oves meas.* Resp.1. Bellarm. ipse recte disputat l.3. de Verbo Dei c.3. *ex solo sensu literali duci firma argumenta.* Ergò *hæc summa rei Christianæ,* ut Bellar. in præf.l. de R.P. potestatem & infallibilitatem Pontificis vocat, non potest ex allegoriis probari, nisi ex ipsa Scriptura afferantur clara & perspicua dicta, quæ in sensu literali illam potestatem & infallibilitatem probent. 2. Trina illa repetitio mandati de pascendo non probat Monarchicum Petri, multo minus Rom. Pont. dominatum, sed trinæ negationi opponitur trina confessio, ac mandati repetitio curam ovium magis commendat. Bernhar. serm. 2. de resur. col. 134. *Petrus mandatum accepit tertiò pascere gregem Domini. Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Id. lib. 4. de consid. Pontificem Eugenium IV. sic compellat: *Pastorem te huic populo certe aut nega aut exhibe. Non negabis, ne cujus sedem tenes, te neget hæredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum. Pasce oves meas &c. Evangelizare est pascere. Fac opus Evangelistæ, & pastoris opus implevisti.*

Ibidem. *Inter hæc tu pastor procedis deauratus ac tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere, Dæmonum magis quam ovium pascua hæc: scilicet, sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat &c.* (Sic ergo ex verbo *pascendi* Pontificem sui admonet officii, quod non dominatum vel luxum, sed ministerium significet.)

Gloss. ordin. & Lyranus in h.l. *Ter dictum est, pasce, ad significandum, quod habentes curam animarum debent subditos pascere pastu verbi Dei & boni exempli, & prout possunt, etiam subsidio corporali.*

Nicol. Cusanus lib. 2. de concord. Cathol. *Si Petro dictum est pasce oves, tamen manifestum est, quod illa pascentia sit verbo & exemplo.* Erasmus in h.l. *Qui ex hoc loco gloriantur, sibi commissum greges... Domini, illos primum oportet meminisse à Petro ter exactum amorem erga Christum, neque quemlibet amorem, sed ardentiorem cæteris, deinde ter item commissam illi curam gregis. Illud nimirum significatum est, non esse idoneum Sacerdotio, nisi qui neglectis omnibus nihil amet nisi Christum, hoc est, veritatem, innocentiam, pietatem. Adhæc nihil huic antiquius esse debere, quam incolumitatem gregis sibi crediti.*

Bellarminus ipse lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 14. §. 3. Ex *Cyrillo, Augustino & aliis in hunc locum discimus, Petrum ter interrogatum, an diligeret plus cæteris, quia ter Dominum negaverat.* 3. Idem Erasmus in repetitione nominis ovium & agnorum nihil mysterii quærendum esse ibidem admonet. *Non est,* inquit, *ubique agnos, sed bis πρόβατα id est, oves, semel ἀρνία id est, agnos. Nec in his opinor ullum esse discrimen.*

Cornel. Jansen. in Conc. Evang. cap. 147. *Non est quærendum mysterium in eo, quod in prima interrogatione Christus dixerat, agnos meos, in secunda vero & tertia, oves meas &c.* Non enim significationis alicujus gratia, sed tantum elegantiæ causa verisimile est hac variatione Evangelistam usum.

Maldonatus in cap. 21. Joh. col. 1147. *Non subtiliter disputandum est, cur Christus agnos potius quam oves appellaverit, quod qui fecerit, videat, ne doctis risum præbeat.* (at facit hoc Bellarminus. Tu perge!) *Satis enim constat, eosdē nunc agnos v. 17. nunc oves appellari. Quod si quid discriminis est inter oves & agnos, id non in re sed in voce est, quod cum idem sint, tamen vocabulum agni blandius est & majorem amorem præ se fert.* (In Scripturis *agni* metaphorice accepti, & oves metaphorice acceptæ sunt synonyma. Confer Matth. 10. v. 16. cum Luc. 10. vers. 3. Item Actor. 8. v. 32.) 4. Bonifacius 8. in c. Unam sanctam. ext. de majorit. & obed. agnoscit, ex nomine ovium indefinite posito nondum posse Monarchicum Pontificis dominatum exsculpi, ideo addit particulam Universalem omnes, *Pasce,* inquit, *oves meas, meas dixit generaliter, non singulariter has vel illas, per quod sibi commisisse intelligit universas. Sive ergo Græci sive alii se dicant Petro, ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse.* (Atqui particula *generaliter* & *omnes* non extat in verbis Christi, sed Christus indefinite dicit, *pasce oves meas,* quam indefinitam non æquipollere universali patet ex Ezech. 34. v. 12. Ac si vel maxime in illis extaret, nondum tamen probaret, Petro ut Monarchæ universale regimen in universalem Ecclesiam & in ipsos Apostolos esse datum, sed hoc tantum probaret, quod Petro ut Apostolo prædicatio Evangelii in toto terrarum orbe æque ac reliquis Apostolis sit commissa. Qui enim Petro hoc loco dicit, *pasce oves meas,* ille omnibus Apostolis in genere dicit Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes.* Marc. 16. v. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*: quod Præceptoris sui mandatum fideliter executi sunt, cap. ejusd. v. ult. ac Paulus dicit, *solicitudinem omnium Ecclesiarum sibi incumbere,* 2. Cor. 11. v. 28. *seque nemine ex summis Apostolis inferiorem esse,* cap. ejusd. v. 5. *se plus laborasse, quam omnes Apostolos,* 1. Cor. 15. v. 10. quem tamen non propterea statuunt Ecclesiæ Monarcham.) 5. Bellarminus de allegoria sua nondum est certus, sed varias profert explicationes allegoricas, lib. 1. de Rom. Pont. cap. 16. sic differens: *Agni bis repetiti significant duos populos Judaicum & gentilem, oves significant Episcopos, qui sunt velut matres agnorum. Vel oviculæ sunt proficientes, agni incipientes, & oves perfecti; vel agni intelliguntur populi, qui nullam habent curam pastoralem, oviculæ sunt Sacerdotes minores, i.e. Presbyteri; oves sunt Sacerdotes majores.* Tolet. annot. 7. in cap 21. Joh. *Per oves pastores & Episcopos, etiam Apostolos significat, per agnos reliquos fideles.* (At quomodo ex his dubiis & incertis allegoriis, in quibus ex ovibus formantur Pastores, summa potestas & absoluta infallibilitas Romani Pontificis infallibiliter probari potest?) 6. Clerus Romanus ad Clerum Carthaginensem apud Cyprianum Epist. 3. agnoscit, mandatum pascendi oves Christi Petro cum reliquis Apostolis esse commune. *Ait Christus Petro, Pasce oves meas. Hoc verbum factum ex ipso actu cognoscimus, & cæteri discipuli similiter fecerunt. Pastores sunt omnes & grex unus, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* (Si Apostoli reliqui æque ac Petrus sunt pastores à Christo constituti, quomodo ut oves Petro pascendi possunt dici à Christo commissi? Paulus Apostolus per triennium Apostolatus officio functus erat, antequam cum Petro vel verbum contulisset Gal. 1. v. 17. & 18.) 7. Latinus Interpres non solum τὸ ποιμαίνειν sed etiam τὸ βόσκειν reddidit verbo *pascendi.* Jam vero βόσκειν non significat *regere,* sed tantum *pascere.* Ergo etiam ποιμαίνειν non significat hoc l. *regere,* sed tantum *pascere.* (Syrus itidem uno verbo רעי & ποιμαίνειν & βόσκειν reddidit.) Corn. Jansen. in Concor. Evang. cap. 147. *Quærendum non est mysterium in eo &c. quod in prima & in tertia interrogatione in Græcis dixerit βόσκε, in secunda ποίμαινε. Non enim significationis alicujus gratia, sed tantum elegantiæ causa verisimile est hac variatione usum Evangelistam.* 8. Concedit Bellarminus, *hæc verba, pasce oves meas, reliquis Episcopis suo modo convenire.* Quomodo igitur per oves possunt intelligi Episcopi, cum Episcopis non conveniat pascere Episcopos, sed soli Papæ? 9. Lib. 5. de Pont. cap. 10. resp. ad 3. sic scribit: *Vult Bernhardus Pontificem, ut Pastor est ovium, non debere eis dominari, sed pascere.* (Sed si Pontifex, ut est Pastor ovium, non debet eis dominari, quomodo ex verbo pascendi potest dominatus elici?) 10. Autor tract. de Eccles. & polit. potest. observat, *Christum non dicere Petro, pasce oves tuas, agnos tuos, sed meos, ut ostendatur, Ecclesiasticos ad puram putam dispensationem & administrationem, non ad aliquem dominatum temporalem, aut principatum mere & absolute Monarchicum vocari: quam sententiam dicit esse Scholæ totius Parisiensis, menti omnium antiquorum Ecclesiæ Doctorum congruam.* 11. Denique si Pontifex in his verbis Monarchicam in universam Ecclesiam potestatem sibi datam esse, evincere cupit, obsequatur mandato Christi, pascat gregem Domini prædicatione verbi, atque eo ipso se Christum amare ostendat. Quia vero gregem non pascit, eo ipso Christum non amare, nec hæc verba ad ipsum pertinere, convincitur. Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont cap. 15. §. ult. *Tametsi plerique eorum* (Pontificum) *non concionentur, tamen alios multos exercent actus pastorales, & quod per se concionando non faciunt, faciunt per alios.*

4. Arg. Ex. 28. *Jubet Dominus in rationali Pontificis poni doctrinā & veritatem,* Deut. 17. *præcipit iis, qui dubitant circa intelligentiam*

divinæ legis, ut adscendant ad summum Sacerdotem atque ab eo quærant solutionem. Et signo ergo & verbo promisit Dominus, in pectore summi Sacerdotis habitaturam doctrinam & veritatem, & proinde eum non erraturum, cum populum docuerit. Quod si hoc Aaronico Sacerdoti conveniebat, certe multo magis Christiano. Bell. d. l. Resp. ad prius dictum 1. Cornelius à Lapide in comm. Ex. 28. *Allegorica causa, cur Urim & Thummim, i. e. doctrina & veritas inscripta fuerint rationali, fuit hæc, ut Pontifex Urim gestans & oracula fundens typus esset Christi summi Pontificis & Prophetæ, per quem veritas facta est & ad nos delata ex sinu Patris Ioh. 1. v. 17. & 18.*) Congruit hæc explicatio Scripturæ sacræ, præsertim Epistolæ ad Hebræos, quæ testatur, summum Sacerdotem V. T. fuisse typum Christi, sed quod idem fuerit typus Romani Pontificis, de eo nullum in Scripturis extat jota, unde etiam Cornelius ne verbulo quidem illius applicationis ad Rom. Pont. meminit.) 2. Greg. Episc. Roman. part. 2. Pastoralis curæ cap. 2. ad quosvis Ecclesiæ Ministros typum accommodat, non autem absolutam Pont. Rom. infallibilitatem ex eo fabricat. *Sacerdoti*, inquit, *judicium filiorum Israel in pectore coram Domini conspectu gestare, est subjectorum causas pro sola interni judicis intentione discutere, ut nil se ei humanitatis admisceat in eo, quod divina positus vice dispensat, ne correptionis studia privatus dolor exasperet.* 3. Ribera in Comm. cap. 2. Malach. n. 15 adducit dictum Hieronymi. *Idcirco in Sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut discamus, Sacerdotem doctum esse debere & præconem Dominicæ veritatis*; & addit. *Alludit Hieronymus ad verba Ex. 28. Doctrina ponitur propter scientiam; veritas, ut nihil addatur, nihil affingatur, sed vere omnia, & ut à Deo accepit, tradat suis.* (Ergo summus Sacerdos ad divinam revelationem astrictus fuit, ne quid contra vel præter eam proferret.) 4. Bellar. lib. de Clericis c. 19. illud præceptum, quo Ex. 12. agnum paschalem manducaturi jubentur *renes accingere*, interpretatur ex Gregorio, Sacerdotes *debere carnis voluptatem domare*, & illud Ex. 28. quo præcipit Deus Aaroni & filiis ejus, *ut feminalibus lineis à renibus usque ad femora tecti essent*, ex Beda, *debere Sacerdotes N. T. cælibes & castos esse.* Atqui sicut illis ex jure non probatur factum, quod omnes N. T. Sacerdotes sint casti & carnis voluptatem doment: ita quoque ex Urim & Thummim in pectorali Pontificis, concludi potest, Episcopos Romanos non debere errare, non autem quod non possint errare.) Ad posterius dictum Deut. 17. resp. 1. in vulgata versione, quæ per Concilium Trid. pronunciata est authentica, ut ab ea Pontificiis non liceat *ullo prætextu discedere*, non habetur in numero singulari, *Venite ad Sacerdotem*, (uti Bellarminus pro absoluta Romani Pont. potestate falsò allegat lib. 3. de Verbo Dei, cap. 4. §. secundum testimonium &c. It. lib. 4. de R. P. cap. 1. §. Denique &c.) Sed in numero plurali, *Venies ad Sacerdotes.* In Hebræo est itidem plurale הכהנים in Græco *ἱερεῖς.* (Quod si quicunque h. l. designantur, essent summi & infallibiles controversiarum judices, tum is honor deferendus esset non solum summo Sacerdoti, sed quibuslibet Judaicis Sacerdotibus, ac vi comparationis non solum Pont. Romano, sed etiam quibusvis Episcopis, quod ne ipsi quidem Pontificii admittunt, de solo suo Pontifice soliciti, ut infallibilitatem & Monarchicam potestatem ipsi concilient.) 2. Ipsimet Pontificii concedunt, non fuisse his verbis *Iudici politico*, qui Sacerdotibus conjungitur, absolutam potestatem & infallibilitatem datam. Ergo agnoscant, etiam Sacerdoti eam his verbis non fuisse datam. 3. Thomas 1. 2. q. 105. art. 2. ad 7. agnoscit, in hoc judicio summum Sacerdotem non de articulis fidei, sed de Ceremoniis legis judicasse. *Contingit*, inquit, *aliquid esse dubium etiam apud peritos, ad hoc dubium tollendum constituit lex, ut omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo & summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia circa Ceremonias divini cultus; & summus judex populi, qui determinaret, quæ pertinent ad judicia hominum.* Eidem sententiæ insistit Cajet. in comm. Deut. 17. *Personales*, inquit, *percussiones dubiæ insinuantur.* (Ergo non agitur ibi de judicio absoluto in rebus fidei, sed de judicio *inter cædem & cædem, litem & litem, plagam & plagam*, ut habet textus, h. e. de quæstionibus facti, aut de accommodatione juris ad facta.) 4. Idem Cajetanus ad d. l. sic annotat, super verba, *Qui non obedierit Sacerdoti ac Iudici. Interpres mutavit. Nam in Hebræo habetur, vel judici. Disjunctive enim dicitur, non obediendo Sacerdoti vel Iudici. Ubi prudens Lector adverte, quod definitio ambiguæ causæ non ab uno, sed à multis Sacerdotibus & judice describitur. Præcipere executionem attribuitur vel Pontifici, vel judici, par pœna decernitur opponenti se Sacerdoti vel judici.* (Per judicem illum Aben Ezra intelligit *Regem*; Lyra, Cajetanus, Oleaster, teste Bonfrerio Jes. in h. l. intelligunt *Magistratum civilem.* Ergo non de solo Pontifice hic locus agit, ac per consequens etiam solius Pont. Rom. infallibilitas ex eo exsculpi nequit. 5. In vulgata versione diserte additur, *Facies, quod docuerint te juxta legem.* Ergo non tribuitur summo Sacerdoti V. T. absoluta infallibilitas, sed in ferendo judicio ad divinam legem astringitur. Quod si summo Sacerdoti V. T. divinitus constituto non competiit absoluta infallibilitas, multo minus Rom. Pont absoluta infallibilitas ex h. l. elici poterit. (Excipit quidem Bellarminus, *verba illa, & docuerint te secundum legem, non haberi, nisi in vulgata versione:* sed id ipsum nobis sufficit, versio enim illa in Conc. Trid. Pontificiis facta est authentica, ut nihil dicamus de eo, quod etiam in textu Hebræo v. 11. habeatur, *facies, quod docuerunt te juxta legem Dei*; inde etiam ipsimet Pontificii Interpretes hanc limitationem urgent.) Glossa ordin. in illum locum. *Nota, non dicitur tibi, ut obedias, nisi juxta legem docuerint.* Nic. Lyr. in h. l. postquam dixerat, *Rabinos ex hoc textu colligere, quod si judex dicat, dextram esse sinistram, ipsi sit credendum*, subjungit; *Hoc manifeste falsum est, quia sententia nullius hominis, cujuscunque sit autoritatis, est tenenda, si contineat manifestam falsitatem & errorem. Ex quo patet, quod si dicant falsum, vel declinent à lege Dei manifeste, non sint audiendi.* Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus in cap. 17. Deut. *Dicitur in litera, quod Iudices illi duas constitutiones habere debent, prima est, ut judicent secundum veritatem; secunda, ut judicent secundum legem. Ergo videtur, quod si judicaverint contra veritatem, vel contra legem, non est iis assentiendum.* Cajetanus ad locum Deut. 17. ex verbis textus Hebræi, *Facies, quæcunque dixerint tibi juxta os legis*, *tertiam hanc conditionem legitimi judicii colligit ex parte legis divinæ; ut videlicet conformis sit doctrina eorum divinæ legi, unde*, inquit, *& Hebraice habetur, super os legis, quod docebunt te, & super judicium, quod dicent tibi, facies. Nisi enim divinæ legis ori congruat, tam quod docent, quam quod judicant Sacerdotes & judex in ambiguis, divina non est fultum autoritate.* Ibid. observat, *agi de judice ex loco tabernaculi, ubi Deus fuit consulendus.* Hieronymus ab Oleastro in cap. 17. Deut. *Non est judicibus liberum, judicare ut volunt, sed juxta leges* (judicare debent) *& illis parendum, cum secundum eas judicaverint.* M. Paulus Venetus in Considerat. Censurarum Pauli V. pag. 85. *In Deuteronomio Sacerdotibus non absoluta obedientia, sed secundum leges Dei præscripta ordinatur.* 6. Ab eo, quod sub Vet. Testam. institutum & observatum fuit, non trahitur necessaria consequentia ad id, quod sub Nov. Test. fieri debet, nisi etiam Pontificii velint, non solum alios suos sacrificulos, sed ipsum etiam summum Pontificem matrimonium contrahere, & solos Ecclesiasticorum filios Ecclesiasticis officiis præfici. Quod si concedere idipsum nolint, nec judicent necessarium; nec etiam erit necessaria consequentia de uno aliquo judice supremo, visibili & infallibili in Ecclesia Christiana. 7. Bellarminus ipse lib. 2. de Concil. 6. ad dicta V. T. ex quibus probamus, Sacerdotes & Concilia V. T. errare potuisse, inter cætera sic respondet: *Non licet omnia, quæ dicuntur in Scripturis adversus Prophetas & Sacerdotes T. V. transferre ad Sacerdotes T. N. præsertim in Concilio congregatos, certiores enim & majores promissiones Dei habet Ecclesia Dei* (in N. T.) *quam Synagoga* (in V. T.) *Nec enim de Synagoga usquam legimus, quod de Ecclesia Christus dicit Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Neque de Caipha scriptum est sed de Petro: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* (At si privilegium infallibilitatis commune esset Pontificibus Romanis cum Pontificibus V. T. non debuisset dicere, *certiores & majores promissiones habere Ecclesiam N. T. quam V. T.* nec debuisset Caipham Petro in hoc ipso infallibilitatis privilegio opponere.) 8. Idem Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 8. fatetur, *Caipham cum universo Concilio perniciosissime in fide errasse, quando Christum ut blasphemum morti condemnavit.* (Ergo Pontifices V. T. non habuerunt infallibilitatis absolutæ privilegium, quod tamen ex dicto Deut. 17. ipsi conciliare satagunt. Excipit quidem Bellarminus, *Pontifices & Concilia Iudæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse, cum ipse fuerit summus Ecclesiæ Pontifex.* At Caipham qui Spiritus S. manifeste testatur Johan. 11. v. 51. fuisse adhuc summum Pontificem, ac Sacerdotium V. T. non nisi per mortem Christi demum fuit sublatum. Stapletonus lib. 2. de princip. fidei doctrinal. cap. 11. scribit, *Christi Ecclesiam post*

Post ascensionem demum incepisse. Ergo Sacerdotes Aaronici, ante Christi ascensionem, fuere adhuc veri Sacerdotes. Pontificii disputant, *Ecclesiam nunquam esse sine externo & proprie dicto sacrificio.* Jam vero Christus nondum obtulerat in ara crucis seipsum in sacrificium, necdum instituerat Eucharistiam, quæ juxta Pontificiorum hypothesin est juge sacrificium Nov. T. Ergo sacrificia Aaronica, ante Christi mortem oblata, fuerunt adhuc vera sacrificia, & per consequens etiam Aaronici Sacerdotes, ante Christi mortem offerentes, fuere veri Sacerdotes. Has difficultates alii ex Pontificiis viderunt, ideo ne cogerentur concedere, Sacerdotes V.T. errare potuisse, per immanem absurditatem statuerunt, *Caiphæ & reliquorum Sacerdotum sententiam fuisse verissimam,* ut videbimus inferius cap. 10. Atqui res ipsa testatur, & Bellarminus non fuit negare ausus, Sacerdotes illos gravissime errasse, Christum blasphemiæ damnando & morti adjudicando. Sed nec illud verum est, quod Bellarminus asserit, *Pontifices Judæorum non errasse, nec errare potuisse, antequam Christus veniret,* contrarium enim testantur non solum exempla Aaronis, Uriæ, (de quo Genebrardus in Chron. An. mundi 3440. ex 2 Reg. 16. v. 2. *Urias Pontifex inflectebat se ad voluntatem Apostatæ Achaz.* Passuris Ex. 32. 2. Reg. 16. Jer. 8. &c. sed etiam dicta Prophetica Es. 56. v. 10. Jer. 4. v. 9. c. 6. v. 13. c. 26. v. 8. Ez. 7. v. 26. c. 22. v. 25. Os. 9. v. 8. Mal. 2. v. 7. & 8.)

Arg. 5. *Si Pontifices possent errare, nullum esset in Ecclesia efficax remedium contra hæreses.*

Resp. 1. Innocentius in Epistola ad Clericos Hierosolymitanos de Chrysostomi negotio apud Sozomenum lib. 8. cap. 26. sic scribit: *Expedit, donec Synodum consequamur, medelam calamitatum hujus committere voluntati magni Dei ac Christi ejus Domini nostri. Ille universis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium turbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus, si res nostra in Deum fide. Nam & nos diligenter circumspicimus, si quo modo cogi queat œcumenica Synodus, ut Dei voluntate turbulenti isti motus conquiescant. Expectemus igitur tantisper & patientiæ muro vallati speremus, omnia Dei nostri voluntate constitutum iri.*

2. Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 19. sic disserit: *Non est mirum, si manet Ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus ejus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex sit Deus. Potest ac debet Ecclesia supplicare, ac certum est, Deo fore curæ ejus salutem.*

3. Pontifices V. T. errare potuerunt & tamen fuit in Ecclesia efficax remedium contra hæreses. Sanctius ad Esa. 28. v. 7. *Sacerdos & Propheta erraverunt propter Sechar, absorpti sunt præ vino, erraverunt in visione, impegerunt in judicio &c.* sic annotat: *Describit illius temporis statum infelicem, ubi Sacerdos & Propheta æque ac vulgus imperitum, dum suo genio intemperanter indulgent, poculisque frequentibus vacant, ab alia ebrietate spirituali absorpti fuerunt.* Idem ad Ezech. 22. v. 26. sic annotat in paraphrasi: *Sacerdotes, quorum fidei ac curæ credita fuit legum, religionisque custodia, contempserunt legem, & peregrinis ritibus sacraria temerarunt, neque habuerunt ullum inter sacra profanaque discrimen, neque distinxerunt à puro, sinceroque pollutum, neque curarunt, an violaretur Sabbathi religio, aut divini nominis pollueretur majestas,* (nihilo tamen minus Deus Ecclesiam V. T. conservare potuit.)

Argum. 6. ex dicto Cypriani Epist. 55. ad Cornelium Papam. *Navigare audent & ad Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est Rom. 1. ad quos perfidia habere non possit accessum.* Hunc locum Pontificii perpetuò in ore habent.

Resp. 1. *Perfidiæ* nomine intelligit perfidos schismaticos, qui contra ordinem Ecclesiasticum, secundum quem lites in eadem provincia, in qua natæ erant, definiri debebant, Romam navigabant, quos in eadem Epistola *desperatos & perditos* appellat, miraturque, si Episcoporum in Africa ordinatorum autoritas ipsis minor videatur, quod respectu Episcoporum transmarinorum dicit, inter quos erat Romanus, ex caritatis judicio de eo ejusque Ecclesia judicans, fore, ut ejusmodi perfidi nullum accessum ad ipsos habeant. 2. Agit ergo *de quæstione facti,* in quo genere quæstionum Pontificem errare posse concedunt. Oportet, inquit, *eos agere illic causam suam, ubi accusatores habere & testes sui criminis possunt.* 3. Si de quæstione juris egisset, docere non potuisset, quod nullo modo perfidia ad ipsos habeat accessum, quia de Stephano Papa idem Cyprianus dicit, *quod hæreticorum caussam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere conaretur;* ac *de eo credidit, quod perniciose erraret,* fatente Bellarm. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 7. 4. Aliquid fieri non posse variis modis dicitur, inter quos hi sunt, quando aliquem aliquid non posse dicimus ob defectum temporis certi, vel respectu dispositionis personæ præsentis, vel respectu temporis & circumstantiarum, quando aliquid est illicitum & iniquum, quando scimus, aliquem ab eo abhorrere, quando ex caritate credimus, ipsum ab eo abhorrere, qui modi omnes huc accommodari possunt.

Sic Leo Magnus ad Pulcheriam Aug. Epist. 39. scribit: *Plenissime experiendo cognovimus, Christianam fidem vobis præsentibus & in defensionem ejus à Domino præparatis non posse turbari.* Sed ex eo non inferent, Augustos extra periculum erroris fuisse constitutos. 5. Longe diversus status fuit Ecclesiæ Romanæ tempore Cypriani, ac temporibus subsequentibus. Bernhardus lib. 1. de considerat. ad Eugen. cap. 4. conqueritur, *quod suo tempore ad eam de toto orbe confluxerint ambitiosi, avari, Simoniaci, sacrilegi, concubinarii, incestuosi & quæque ejusmodi hominum monstra, ut ipsius Apostolica autoritate vel obtinerent honores Ecclesiasticos, vel retinerent.*

CAPUT III.

De Summo & Authentico Papæ judicio.

Quia Pontificii sibi persuaserunt, *Pontificem in rebus fidei errare non posse, si ex cathedra aliquid definiat,* ideo etiam summum & authenticum in rebus fidei judicium ipsi tribuunt, quod Ecclesiæ Augustanæ Confessioni addictæ ipsi merito derogant. Sit ergo Thesis, *Pontifex Romanus non est summus & authenticus controversiarum de rebus fidei judex, sed Spiritus sanct. in Scripturis & per Scripturas ad nos loquens.*

Ἔκθεσις. Non est quæstio de aliquo in rebus fidei judicio, sed de *summo & authentico judicio;* neque quæstio est de judicio, *juxta Scripturæ normam,* de rebus fidei instituendo, sed de *absoluto judicio,* an Pontifici in rebus fidei aliquid decernenti, tanquam summo & authentico judici absolute credendum & obtemperandum sit, sive decisio illa in Scripturis fundetur, sive minus, quale judicium ipsi tribuunt Romanenses, nos vero ei competere negamus. Confer ea, quæ dicta sunt superius p. 1. cap. 4.

Gabriel Biel, cum in lectionibus super canonem Missæ lect. 57. multis argumentis firmasset, *indulgentias Papæ non prodesse animabus purgatorii,* tamen post librum evulgatum videns Bullas Sixti IV. & Innocentii IIX. qui rectà dabant Indulgentias defunctis, & audiens fabulam *de quodam Papa, qui per suas Indulgentias eruit de purgatorio animam, quæ liberata apparuit in testudine fenestræ,* retractavit quæ prius docuerat, & affirmativam acriter defendit, sola Pontificum definitione permotus, (ut refert Carolus Molin. in orat. Tubing. habita Ann. 1554.) Paulus IV. Pontif. Rom. in Consistorio publico Cardinalium dixit, *articulum esse fidei, Papam non posse obligari, imo nec seipsum posse obligatione astringere; qui contra sentiat, hæreseos manifestò teneri;* referente Petro Suavis lib. 5. Hist. Concil. Trid. p. 462.

Antithesis. Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. *Nos* (Romano-Catholici) *dicimus, judicem veri sensus Scripturæ & omnium controversiarum esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniunt.* Hic quidem Bellarminus Concilio definienti summam & authenticam judicandi potestatem tribuit. Lib. 4. de Roman. Pontif. caput primum hanc habet ἐπιγραφήν, *Quod Papa sit summus judex in controversiis fidei & morum dijudicandis.* In illo capite sic disserit: *Quæstio de Judice controversiarum hoc loco non detinebit nos diutius. Nam in disputatione de Verbo Dei ostendimus, Judicem controversiarum non esse Scripturam, nec seculares Principes, nec privatos homines, quamvis probos & doctos, sed Ecclesiasticos Prælatos. In disputatione vero de Conciliis demonstrandum erit, habere quidem Concilia tam generalia, quam particularia judicium de controversiis religionis, sed illud judicium tunc demum esse firmum & ratum, cum accesserit summi Pontificis confirmatio, proinde ultimum judicium summi Pontificis esse. Deinde in hac ipsa disputatione de Pontifice, cum ostendimus, summum Pontificem caput & pastorem esse totius Ecclesiæ, quid aliud ostendimus, quam esse eum summum judicem in Ecclesia?* lib. ejusd. cap. 3. *Christus solum Petrum vocavit petram & fundamentum, non Petrum cum Concilio, ex quo apparet, totam firmitatem Conciliorum legitimorum esse à Pontifice, non partim à Pontifice, partim à Concilio. Deinde sæpe non potest cogi generale Concilium, sicut non potuit primis trecentis annis propter Ethnicorum persecutiones,*

& sine dubio poterat status ille Ecclesiæ usque ad finem mundi perseverare, ergo debet esse in Ecclesia, etiam sine generali Concilio, aliquis judex qui errare non possit. Denique quid si in tali Concilio dissiderent Patres à Præside suo, id est, Concilium à Pontifice summo præsente & præsidente, quid tunc fieret? non esset remedium ullum? certe aliquis judex esse deberet. Non autem in eo casu esset Concilium judex, quia Concilia, cum à Pontifice dissentiunt, errare possunt & errant de facto. Restat igitur, ut Papa sit judex. Salmeron in comm. Epistol. Paul. in gen. disp. 10. §. Quarto. *Cum Scriptura obscura sit & difficilis, nec per eam solam lites obortæ terminari queant, superest, ut certum aliquem judicem nobis designatum adeamus. At hic alius non est, quam is, qui semper fuit, Episcopus Romanus.* Gregor. de Valent. lib. 8. anal. fid. cap. 1. *Pontifici Romano competit potestas judicandi de rebus fidei, sive per se judicet, sive una cum Episcoporum Concilio.* Jesuitæ in Colloq. Ratisbon. proximo sess. 1. p. 35. *Summus controversiarum judex est Pontifex Romanus, sive solus aliquid definiat, sive in Concilio generali.*

Nostram sententiam probamus quoad utrumque membrum, Primo, Quod Pontifex Rom. non sit summus & authenticus controversiarum fidei judex probamus ex eo, 1. quia sine sacrarum literarum autoritate privilegium summi & authentici judicii sibi vendicat, cum nec Christus nec Apostoli uspiam ad Romani Pontificis tribunal nos remittant. 2. quia est errori obnoxius, cum nuspiam ad Propheticam & Apostolicam infallibilitatis prærogativam evehatur. 3. quia potest fieri hæreticus. 4 quia actu ipso aliquoties erravit. 5. quia sæpe, ne quidem secundum communem mensuram donationis Spiritus sancti est particeps, ut testantur Paparum flagitia ab ipsis Pontificiis scriptoribus annotata, (quatuor hæc membra in cap. præced. sunt confirmata.) 6. quia Papa sæpe est dubius & incertus. Aliquando enim nullus plane fuit Pontifex, quando scilicet Sedes Romana aliquot non solum diebus & mensibus, sed etiam annis vacavit, aliquando fuerunt plures simul Pontifices, & quis eorum verus Pontifex fuerit, ignoratur; aliquando sine legitima vocatione & electione Pontificatum occuparunt, videlicet, vel per artes Magicas, vel per Simoniacam largitionem, vel per violentam intrusionem, vel per fraudulentiam, quod ipsum lib. 2. artic. 3. cap. 4. plenissime demonstrabitur. 7. quia interpretationes Scripturæ absurdas & alienas quandoque profert.

Secundo, quod Spiritus sanctus sit summus & authenticus controversiarum judex probamus ex eo, 1. quia, ut Scripturæ à Spiritu sancto sunt editæ, ita quoque per Spiritum sanctum tanquam summum & authenticum Interpretem sunt intelligendæ & explicandæ, docente Petro 2. Epist. 1. v. 21. à quo autem principaliter pendet vera Scripturæ intelligentia, ab eo etiam petendum authenticum in rebus fidei judicium. 2. quia Spiritus sanctus principaliter mundum *arguit de peccato* Joh. 16. v. 8. *ducit eos in omnem veritatem* v. 13. *docet eos omnia ad salutem necessaria* Johan. 14. v. 26. 1. Joh. 2. v. 27. ergo etiam est summus & authenticus omnium fidei controversiarum judex. Nullius proin Ecclesiæ, multo minus unius hominis Papæ judicium est summum aut ultimum, sed solius Spiritus S. in Scripturis & per Scripturas loquentis judicium est summum atque ultimum. Huic si se conformet Concilium & Pontifex Romanus, non fert ultimum judicium, sed tantum profert illud à Spiritu S. in Scripturis expositum. Sin vero ab eo aberrant, ne judicium quidem proferunt, nedum summum atque ultimum.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fatentur, *Pontificem, si solus absque Concilio aliquid definiat, posse errare, & de facto aliquando errasse, ut Nilus, Gerson, Almain, Alphonsus de Castro, Adrianus Sextus &c.* sicut in cap. præced. fuit ostensum. (Jam vero hæc duo immediato & indivulso nexu invicem sunt conjuncta, Pontificem posse in rebus fidei errare, & Pontificem non esse summum ac authenticum judicem. Qui prius agnoscit, posterius negare non potest. Bellarminus idipsum fatetur, quando lib. 4. de Rom. Pont. cap. 1. sic scribit: *Si demonstrare poterimus, judicium summi Pontificis certum ac infallibile esse, profecto constabit quoque, eundem Pontificem summum Ecclesiæ judicem esse. Quorsum enim Deus attribuisset Apostolicæ Sedi judicii infallibilitatem, nisi attribuisset eidem summam in judiciis potestatem?* Ergo à contrario sensu. Si potest demonstrari, judicium Pontificis esse incertum, lubricum ac fallax, profecto constabit quoque, eundem Pontificem non esse summum Ecclesiæ judicem.) *Esset miserrima Ecclesiæ conditio, si lupum manifeste grassantem pro pastore,* (ac proinde etiam pro judice infallibili) *agnoscere cogeretur,* scribit idem Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30. §. Tertia opinio.

2. Quod quidam statuunt, *Concilium est supra Papam,* id quod multos ex ipsis Pontificiis statuere, in artic. de Conciliis demonstrabitur.

(Jam vero si Papa est supra Concilium, Papa non est nec esse potest summus & authenticus controversiarum judex. Connexionem Bellarminus non negat, sic enim scribit lib. 2. de Concil. cap. 16. arg. 4. *Si in Ecclesia,* vel, quod ipsi idem, in Concilio *esset summa potestas principaliter, in Papa instrumentaliter, ut in ministro Ecclesiæ, ut illi dicunt, qui Concilium esse supra Papam statuunt, sequeretur, Papam non esse immediatum Christi vicarium, sed mediatum, immediate enim vicaria Christi esset Ecclesia, Papa autem esset immediatus vicarius Ecclesiæ.*)

3. Quod agnoscunt, *Papam non esse semper paratum ac promptum ad fidei controversias definiendas.* In Legatione Reg. Hispan. ad Pontificem de definienda controvers. immacul. concept. p. 452. Gregorius XV. in literis ad Philippum IV. Hispan. Regem inter cætera sic scribit: *Ne quid novi tanta in re decernatur in præsentia, monet tum negotii magnitudo, tum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplum. Spiritus sancti enim vocem auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in divinæ sapientiæ cathedra Christiano orbi à Deo præfecti sumus. Quare cum nondum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterii penetralia patefecerit, in Dei Romanorumque Pontificum autoritate debent fideles populi conquiescere.*

p. 41. Prætendit Pontifex, quo minus hanc controversiam decidat, *denegatam Spiritus S. inspirationem.*

p. 54. Paulus V. inter cætera sic loquitur, *Pontifices omnibus Regum & principum votis adesse non posse, præsertim in iis, quæ non humana, sed divina terminantur sententia, nec hominum judicium, sed Spiritus sancti inspirationem & internum expectant impulsum. Spiritus autem, quando & ubi vult, spirat, secundum suæ divinæ dispositionis & providentiæ secretum.*

pag. 426. inquit Waddingus (qui Legationem illam edidit.) *Novum non est, remorari Legatos apud Pontifices per plures annos pro terminandis fidei arcanis, vel eis interminatis recedere & re infecta ad suos reverti.*

4. Quod agnoscunt, *Papam non semper posse adiri ac sententiam ejus rogari,* cum tamen summus & authenticus judex semper in Ecclesia præstò esse debeat, ut sententia ejus rogari & audiri possit. (Agnoscit hoc ipse Bellarminus, quando lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 3. probat, infallibilitatem ac supremam judicandi potestatem non esse in Concilio, sed in Pontifice, ex eo, quod Concilium generale non possit semper haberi: *Respondent, inquit* (illi scilicet, qui Papam in rebus fidei errare posse docent, si solus absque Concilio aliquid definiat,) *posse recurri ad generale Concilium, in quo etiam Pontifex intersit. At contra est, quod sæpe non possit cogi generale Concilium, sicut non potuit primis trecentis annis propter Ethnicorum persecutiones, & sine dubio poterat status ille Ecclesiæ usque ad finem mundi perseverare, ergo debet esse in Ecclesia etiam sine generali Concilio aliquis judex, qui errare non possit.* Argumentum Bellarmini sic informatur. Quod non potest in Ecclesia semper haberi, ad illud non potest in controversiis fidei recurri, & per consequens illi non competit summum & authenticum de rebus fidei judicium. Concilium generale non potest semper haberi. Ergo. Nos sub eadem propositione de Pontifice subsumimus hoc modo. Verus & legitimus Pontifex non semper habetur in Ecclesia, nec potest semper adiri & ejus sententia rogari. Ergo Pontifici non competit summum & authenticum de rebus fidei judicium.

Assumtum probamus ex eo,

Primo, quod non semel sed aliquoties inter ipsos Pontifices de Papatu exorta fuerint schismata, quorum ad minimum 22. numerat Johannes de Turrecremata in summ. de Eccl. l. 4. p. 1. c. 9. Onuphrius in Chronico 30. schismata numerat, per quæ Ecclesia Romana aliquando biceps, aliquando triceps fuit, & quorum quædam satis diuturna fuerunt, omnium vastissimum extitit illud, quo per annos 50. usque ad Concilium Constantiense Rom. Ecclesia fuit conflictata. Quod si ergo judicium summum & authenticum de rebus fidei ad solum Pontificem pertinet, consequens fuerit, tempore schismatis, quando scilicet incertum est, quis sit verus & legitimus Pontifex, non haberi in Ecclesia summum & authenticum contro-

controversiarum judicium, quia dubius Papa habetur pro non Papa.

Inter *Sisinnium & Dioscorum* (octavo post Christum natum seculo) fuit contentio de Pontificatu. Sed Dioscoro superato, Sisinnius eam dignitatem arripuit, quam tamen per dies 20. tantum obtinuit. Defuncto autem eo, Dioscorus Pontificatum occupat, quem rursus Bonifacius pellit. *Horum nomina inter Pontifices non recenseri* Wernerus in Fasciculo temporum putat, *eò quod dubitatum sit, an essent veri successores.* Centur. Magdeburg. Centur. 8. cap. 8 p. 530.

Urbanus VI. & Clemens VII. Anti-Papæ (decimo quarto seculo) se mutuò excommunicarunt, ac diris devoverunt, ille Romanus, hic Avinionensis, neque quisquam certò statuere poterat, uter ex his duobus pro legitimo Papa & pro Vicario Christi habendus esset. Fuitque Ecclesia Romana biceps per 40. annos. Nam & Romani mortuo Pontifici Romano substituebant alium, & Avinionenses, mortuo priore Pontifice eligebant alium. Osiand. Cent. 14. Eccl. Hist. lib. 4. cap. 1. Illi duo Pontifices terrificas bullas ad diversas mundi partes miserunt, quibus se mutuò diffamabant & excommunicabant, & *Antichristos, schismaticos, hæreticos, Tyrannos, fures, proditores, iniquos zizania satores ac filios Belial* invicem vocabant. Idem d. l. cap. 3. lib. 3.

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. resp. ad 37. *Iohannes XXIII. non fuit Pontifex omnino certus & indubitatus, proinde non necessario est defendendus, erant enim eo tempore tres, qui Pontifices haberi volebant, Gregorius 12. Benedictus 13. & Iohannes 23. nec poterat facile judicari, quis eorum verus ac legitimus esset Pontifex, cum non deessent singulis doctissimi patroni.*

Lib. 2. de Concil. cap. 13. §. 1. *Tempore Concilii Pisani duo Pontifices simul sedebant in schismate, Gregorius 12. & Benedictus 13.*

Lib. ejusd. de Conc. cap. 19. resp. ad 3. *Tempore schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa, tunc dubius Papa habetur pro non Papa.*

Et postea. *Tempore Concilii Constantiensis non erat certus Papa in Ecclesia, sine quo dubia de fide definiri non possunt. In Concilio autem nullus erat Papa.*

(Excipit quidem ibidem Bellarminus: *Etsi Concilium non potest definire nova dogmata fidei, potest tamen judicare tempore schismatis, quis sit verus Papa & providere Ecclesiæ de vero Pastore, quando is nullus aut dubius est.* Sed resp. Bellarmin. ipse scribit lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. *sæpe non potest cogi generale Concilium.* Ergo etiam sæpe non potest definiri, quis sit verus Papa. Præterea, quis erit judex tempore schismatis adhuc durantis, antequam Concilium decernat, quis sit verus Papa?)

Secundò, quod multi Pontifices non sunt legitime electi, sed per Simoniacas largitiones, vel per violentam intrusionem, vel alia media illegitima Sedem Papalem occuparunt, ut multis exemplis confirmari potest, etiam ex ipsis Pontificiis scriptoribus, quorum quædam afferentur in quæstione, An Pontifex Romanus sit legitimus Petri successor.

Jam vero Papa illegitime electus non est legitimus Papa, ut ostendimus superius ex constitutione Nicolai 2. Pont. Rom. in c. Si quis pecunia, dist. 79. *Electio Pontificis, Simoniaca nundinatione inducta, nulla est, nullius que potestatis,* ut decrevit Julius 2. in Concilio Lateranensi Ann. 1505. habito.

Ergo etiam Papa illegitime electus non est summus & authenticus controversiarum judex & per consequens eo tempore, quo Ecclesia destituitur Pontifice legitime electo, destituetur etiam summo & authentico controversiarum judice.

Tertiò, quod post mortem alicujus Pontificis Sedes Romana interdum per aliquot dies & menses, interdum per annum unum atque alterum vacat, ut ex Platina & Onuphrii catalogo manifestum, quo tempore itidem destituetur Ecclesia summo & authentico controversiarum judice, si soli Pontifici hæ partes judiciariæ competunt. Post Eusebium vacabat Sedes anno uno, diebus septem; post Cœlestinum 4. anno uno, mensibus octo, diebus quindecim; post Nicolaum 4. annis duobus, mensibus tribus, duobus diebus; post Clementem 4. annis duobus, mensibus novem, diebus duobus &c.

5. Quod statuunt, summum & authenticum judicem debere instructum esse potestate coactiva, ut partem, contra quam pronunciat, ad assensum cogat.

Bell. lib. 3. de Verb. Dei c. 9. §. Præterea. *Iudex debet habere autoritatem coactivam, alioqui nihil prodesset ejus judicium.*

(Jam vero talem potestatem coactivam non obtinet Pontifex. Quamvis enim non solum fulmine excommunicationis, sed etiam ferro & igne pugnet contra eos, qui decretis suis adversantur, tamen non potest eos cogere, ut *ex corde* sibi suisque decretis assentiantur, sed quidam externum duntaxat assensum præbent ob metum pœnæ, quidam mortem oppetere malunt, quam Papæ decretis obedire.)

6. Quod de summo & authentico Pontificis Romani judicio nondum conveniunt, (quæ ipsa dissensio non mediocriter illud infirmat.)

Acriter inter se contendunt, an Concilium sit supra Papam, an vero Papa sit supra Concilium, qua de re sic disserit Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 13. §. 2. *Quia Eugenius IV. Papa Concilium Basileense inchoatum dissolvere volebat, & impedire, ne ulterius progrederetur, cæperunt Patres* (illius Concilii) *quærere, an tenerentur obedire Pontifici, an Pontifex potius teneretur obedire ipsis, id est, generali Concilio. Et quoniam paulo ante viderant duos Pontifices, Iohannem 23. & Benedictum 13. depositos fuisse per Concilium Constantiense, & sic impositum finem maximo schismati, cæperunt metuere, ne si Pontifex non teneatur obedire Concilio, iterum schisma renovaretur & sine ullo remedio Ecclesia remaneret. Itaque hac occasione tunc plurimi in eam sententiam iverunt, ut Concilium esset supra Pontificem. Sed dum voluerunt schismatibus viam praecludere, ipsi novum schisma fecerunt, creato Pseudopapa Felice V. qui postea cognito errore abdicavit se Pontificatu. Et quamvis postea in Concilio Florentino & Lateranensi ultimò videatur quæstio definita, tamen quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definivit, & de Concilio Lateranensi, quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant, an fuerit vere generale, ideo ad hanc usque diem quæstio superest etiam inter Catholicos.*

Lib. ejusd. cap. 14. §. 1. *De quæstione, an Concilium sit supra Pontificem tres invenio Doctorum sententias; Prima est, Concilium esse supra Pontificem. Id asserunt Cardinalis Cameracensis, Iohannes Gerson, Iacobus Almain & alii nonnulli in suis tractatibus de potestate Ecclesiæ. Item Nicolaus Cusanus in tract. de Concord. Cathol. lib. 2. cap. ultimo. Panormitanus in c. Significasti. extr. de electione, & ibidem Magister ejus Cardinalis Florentinus, Item Abulensis in cap. 18. Matth. q. 108. & in Defensorio trium conclusionum & quidam alii.*

§. 4. Dicunt hi autores, Christum immediate omnem potestatem solvendi & ligandi tribuisse Ecclesiæ, & cum Ecclesia semper duret, immobiliter in ea semper manere hanc potestatem. Quia tamen non potest Ecclesia semper congregata (in Concilio) *manere, & exercere per se hanc potestatem, instituit Christus summum Pontificem, tanquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ, & in eo posuit hanc summam potestatem, ut eam exerceat nomine Ecclesiæ.*

§. 5. Differunt inter se hi autores, quod aliqui ponunt hanc potestatem formaliter & subjective in solo Pontifice, in Ecclesia autem ponunt eam ut in fine, quia est propter Ecclesiam, & ut in regulante, quia Ecclesiæ est regulare & dirigere Papam, cum ipsa non possit errare, Papa autem possit; ac deniq. ut in supplente, quia deficiente Papa propter mortem naturalem aut civilem, Ecclesia supplet ejus officium.

§. 6. Alii vero volunt, esse formaliter & subjective principaliter in Ecclesia, instrumentaliter in Pontifice. Conveniunt tamen in eo omnes, ut doceant, esse hanc potestatem immediate in Ecclesia, & proinde mortuo Papa vel deposito, vel nolente adesse Concilio, Concilium non propterea esse corpus imperfectum, sed perfectum, & habere potestatem Papalem definiendi de fide, sanciendi leges, dandi indulgentias; ex quibus deducunt, Concilium esse supra Papam, & posse ipsum judicare & punire, & idem esse quærere, an Papa sit major Concilio, ac si quæreretur, an sit pars major suo toto.

§. 7. Secunda opinio est aliquorum Canonistarum, qui volunt, Papam quidem esse supra Concilium, & à nemine judicari posse invitum, tamen posse ipsum sese subjicere Concilio, & dare illi supra se potestatem, & si hoc fecerit, acquiescere debere sententiæ Concilii, etiamsi de ipsius depositione ageretur. Ita docet Glossa in c. Nos si incompetenter 2. q. 7. & in c. in Synodo dist. 63.

§. 8. Ultima sententia est fere communis, quod videlicet Papa adeo sit supra Concilium, ut non possit etiam se subjicere ejus sententiæ, si proprie de sententia coactiva agatur.

Lib. ejusd. cap. 17. §. 1. cum formasset hanc propositionem, *Summus Pontifex simpliciter & absolutè est supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat,* subjicit, *Hæc est fere de fide.* (Non ausus fuit simpliciter dicere, esse de fide.)

Lib. & cap. iisdem. §. Ad hunc locum. *Quod Concilium Lateranense* (ultimum sub Leone X. sess. 11. diserte & ex professo docens, Pontificem esse supra omnia Concilia, & reprobans contrarium Concilii Basileensis decretum:) *rem istam non definierit proprie, ut decretum fide Catholica tenendum, dubium est, & ideo non sunt proprie hæretici, qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magna excusari non possunt.* (Fatetur igitur Bellarminus, *ad hanc usque diem quæstionem esse inter Catholicos, an Pontifex sit supra Concilium, an vero Concilium sit supra Papam*; fatetur, *propositionem illam, quod Pontifex simpliciter & absolute sit supra Concilium, non esse simpliciter* de fide; fatetur, *illos, qui contrarium statuunt, non esse proprie hæreticos.* Fateri ergo etiam cogitur, quæstionem adhuc esse inter ipsos Catholicos, an Pontifex sit summus & authenticus controversiarum judex; fateri cogitur, non esse simpliciter de fide, quod Pontifex sit summus & authenticus controversiarum judex; fateri cogitur, non esse proprie hæreticos, qui contrarium statuunt. Hoc probe videt Greg. de Valent. inde lib. 8. Analys. cap. 7. scribit: *Qui dicunt Concilium esse supra Papam, pugnant illi revera cum primatu Pontificis.* Subsumimus ex Bellarm. d. l. Cardinalis Cameracensis, Gerson, Almain, Cusanus, Panormitanus, Cardinalis Florentinus, Abulensis & alii dicunt, Concilium esse supra Papam. Ergo illi omnes revera pugnant cum primatu Pontificis, & per consequens cum sententia illa, quod Papa sit summus & authenticus controversiarum judex, nitatur hypothesi de primatu Papæ, etiam pugnat cum assertione de summo & authentico Papæ in controversiis fidei judicio.)

In eo etiam non est plenarius consensus, quod interdum Concilium cum Papa conjungunt, quando de summo & authentico controversiarum judice agitur; Bellarm. l. 3. de Verbo Dei. cap. 3. *Dicimus, judicem veri sensus Scripturæ & omnium controversiarum esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniũt, & habetur expresse in Concilio Tridentino.*

Interdum vero soli Pontifici infallibilitatem tribuunt.

Gregor. de Valent. in anal. fid. lib. 8. cap. 1. *Romanus Pontifex habet potestatem judicandi de rebus fidei, sive per se, sive una cum Episcoporum Concilio.*

Gretser. in Colloq. Ratisb. sess. 1. p. 35. *Pontifex Romanus est legitimus & ordinarius omnium controversiarum religionis judex, sive solus definiat, sive in Concilio generali.*

Bellarminus ipse lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. *Concilia cum à Pontifice dissentiunt, errare possunt, & errant de facto. Restat igitur, ut Papa sit judex.*

Lib. ejusd. præced. cap. 2. *Infallibilitas non est in Consiliariis* (i. e. Cardinalibus) *vel Episcopis* (in Concilio congregatis,) *sed in solo Pontifice.*

Nec hæc satis inter se constant, quod Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 11. §. Etsi vero. scribit. *Pontifex, licet sit summus Ecclesiæ judex vice Christi, non tamen debet in controversiis fidei dijudicandis, aut suo solo judicio fidere, aut expectare revelationem divinam, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat & media ordinaria, & tum demum expectare assistentiam Spiritus S. & directionem divinam. Porro, medium ordinarium ac proinde necessarium est Concilium, magnũ aut parvum, unũ vel plura, prout ipse judicaverit.*

Lib 4. de Rom. Pont. cap. 7. sic scribit: *Etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana & ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus, pro magnitudine vel parvitate rei, de qua agitur.*

Contra vero idem Bellar. lib. 4. de R. Pont. cap. 2. scribit: *Omnes Catholici conveniunt in eo, Pontificem, vel solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* ibid. *infallibilitas non est in cœtu Consiliariorum vel Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice.* (At si Pontifex audiendus est, etiamsi solus aliquid definiat, & si in ipso solo est infallibilitas, certe Concilium non erit medium necessarium.)

7. Quod agnoscere coguntur, interpretationes Scripturæ à Pontificibus adductas, ex quibus decreta sua eliciunt, quandoque esse peregrinas & minus congruas. (Atqui si Pontifices in Scripturæ interpretatione à scopo quandoque aberrant, etiam in decretis suis scopum non semper feriunt, & per consequens non competit illis summum & absolutum in rebus fidei judicium.)

Corn Agrip. de van. scient. cap. 92. *Qui Pontificum canones diligenter examinarit, comperiet admirabilia & abscondita mysteria, quæ aliqui Romani Pontifices proferũt, ea quæ habentur in Scripturis nonnunquam adulterantes, atque suis figmentis adsimilantes atque adaptantes.*

Benno Cardinalis in lib. de vita & rebus gestis Gregorii 7. de Pontifice illo scribit, quod *Scripturas sacras violenter interpretatus sit in adjutorium falsitatis.* Aventinus lib. 7. Annal. de eodem Gregorio 7. asserit, quod *divinas literas falsò interpretando libidini suæ servire coegerit.*

Gratianus in c. Decretales. dist. 20. *Quæritur de expositoribus sacræ Scripturæ, an exæquentur, aut subjiciantur Canonibus Conciliorum? Quo enim quisq; magis ratione nititur, eo majoris autoritatis ejus verba esse videntur. Plurimi autem tractatorum, sicut pleniori gratia sancti Spiritus, ita ampliori scientia aliis præcellentes, rationi magis adhæsisse probantur, unde nonnullorum Pontificum constitutis Augustini, Hieronymi atque aliorum tractatorum dicta videntur esse præferenda.* Huic Gratiani assertioni conforme est illud Tostati Abulensis tom. 1. cap. 8. q. 203. p. 253. *In sanctarum Scripturarum expositione & consequenter in inquisitione aliarum quarumlibet veritatum tractatores sacræ Scripturæ, ut Hieronymus, Augustinus & cæteri, sunt præponendi Pontificibus.* (Subjungit quidem Gratianus distinctionem inter Scripturæ expositionem & causarum definitionem. *Aliud est,* inquit, *causis terminum imponere, aliud Scripturas sacras diligenter exponere. In negotiis definiendis non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas &c. Proinde divinarum tractatores Scripturarum, etsi scientia Pontificibus præemineant, tamen quia dignitatis eorum apicem non sunt adepti, in sacrarum quidem Scripturarum expositionibus eis præponuntur, in causis vero definiendis secundum post eos locum merentur.* Sed distinguendum est inter definitionem negotii alicujus Ecclesiastici & inter determinationem articulorum fidei. In definitione negotii alicujus Ecclesiastici forte sufficit potestas major, licet non præsto sit scientia major, sed ad determinationem articulorum fidei omnino requiritur major Scripturæ scientia, cum fidei articuli non nisi ex Scripturis sint determinandi. Adde, quod Pontifici summum locum hodie tribuunt, non solum in causarum definitione, sed etiam in Scripturæ interpretatione, nec possunt aliter statuere, si hypotheses suas velint salvare. Nam si Pontifex non est infallibilis & authenticus in Scripturæ expositione, utique etiam non potest esse summus & authenticus judex in controversiarum fidei determinatione.)

Age vero expendamus exempla quædam ejusmodi peregrinarum & incongruarum interpretationum.

Clemens Epist. 1. Episcopos & Sacerdotes non esse accusandos aut damnandos à Principe & judice seculari, probat ex eo, quia Paulus dicit, *pro minimo nobis esse debet, ut à talibus arguamur, vel ab humano die.*

Anacletus Epist. 1. 2. & 3. idem probat ex eo, quod *Christus dicit, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*; quod *Petrus scribit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; quod *Iohannes monet, ne omni Spiritui credamus*; quod *Paulus pronunciat, unusquisque pro se rationem reddet Deo*; quod *Dominus non per alium, sed ipse Sacerdotes ementes & vendentes flagello è templo ejecit*; quod *dictum à Regio Psalte, Deus stetit in Synagoga Deorum, & dixit, Dii estis, & filii excelsi omnes*; quod *Paulus quærit, Tu quis es, qui judicas servũ alienum?*

Idem Anacletus, *Ecclesiam Romanam obtinuisse à Domino primatum & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum populi Christiani gregem,* probat ex eo, *quia Paulus dicit, se sine intermissione memoriam facere Romanæ Ecclesiæ in suis orationibus, quia Petro à Domino sit concessum, ut reliquis præesset Apostolis & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus.* c. sacrosancta. dist. 22.

Nicolaus c. Inferior. dist. 21. *Inferior non potest potiorem ligare, unde Propheta ait: Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam?* (Imperator contra Papam.)

Bonifacius VIII. c. Unam sanctam. extr. de majorit. & obed. *Sive Græci, sive alii se dicant Petro, ejusque Successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Iohanne, Unum ovile & unicum esse pastorem.* ibidem. *In hac Pontificis potestate esse duos gladios, spiritualem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce duo gladii hic, in Ecclesia scilicet cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis, Converte gladium tuum in vaginam. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem autoritatem spirituali subjici potestati. Nam cum dicat Apostolus. Non est potestas nisi à Deo*

Deo, quæ autem sunt, ordinatæ sunt, non autem ordinatæ essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in superiora.

Et postea. *Si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali, sed si deviat spiritualis minor, à suo superiori. Si vero suprema, à solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo. Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur &c. Quicunque igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo sicut Manichæus, fingat esse principia, quod falsum & hæreticum judicamus, quia testante Mose, non in principiis, sed in principio cœlum Deus creavit & terram.*

Innocentius 3. c. Solitæ. extr. de majorit. & obœdient. *Imperium teneri obœdire Sacerdoti*, probat ex eo, *quia dictum est Sacerdoti, Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas ac dissipes, ædifices & plantes. Item quia Deus fecerit duo luminaria magna in firmamento cœli, id est, duas in Ecclesia instituerit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis potestas, sed quanta est inter Solem & Lunam, tantam esse inter Pontifices & Reges differentiam:* (quam expositionem loci Genes. 1. Molina Jesuita tom. 1. de justit. & jure tract. 2. Disput. 29. tanquam Pontifice dignam allegat.)

Idem Innocentius 3. sermon. 2. in festo Petri & Pauli. *Dominus dicit ad Petrum, Duc in altum, id est, vade Romam & te cum tuis transfer ad urbem, quæ dominium habet super omnes gentes, & ibi retia laxato in capturam.*

Symmachus Papa c. Aliorum. caus. 9 q. 3. *De Sede Romana mihi per Prophetam dictum videtur Es. 10, Si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium & ubi relinquetis gloriam vestram?*

Eugenius in Epistol. ad Egbertum Bamberg. *sanctos in Divorum numerum esse adscribendos & canonizandos, ut adorentur,* probat ex Matth. 5. *Non debet abscondi lucerna sub modio, sed poni super candelabro.*

Adrianus Papa tom. 3. Concil. in Decret. collect. per Adrianum p. 613. *Papa non judicabitur à quoquam, quia scriptum est, non est discipulus supra Magistrum.*

Dictum Evangelistæ Matth. 7. v. 29. *Erat Jesus docens tanquam potestatem habens,* sic exponit Appendix ad decretum Leonis IV. c. Ideo permittente. caus. 25. q. 1. *Tanquam potestatem habens, id est, tanquam legis Dominus, addens moralibus ea, quæ deerant ad perfectionem, umbram figuralium in lucem spiritualis intelligentiæ commutans, non tanquam scribæ eorum, qui literæ legis adstricti non audebant aliquid addere vel commutare.*

Ezechiel in mystica visione quatuor animalia conspicit cap. 1. Per ea Appendix ad decretum Innocentii c. Inter quatuor. lib. 1. Decret. Gregor. titul. 33. quatuor Patriarchales Ecclesias *Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam* significari statuit.

Exod. 19. v. 13. prohibet Deus, *ne ullum jumentum ante solennem legis promulgationem in montem ascendat.* Illud Appendix ad decretum Innocentii c. Cum ex injuncto. lib. 5. Decret. Gregor. tit. 7 sic exponit. *Arcana fidei Sacramenta non sunt omnibus passim exponenda, cum non possint ab omnibus intelligi &c. unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur, ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad subtilitatem sacræ Scripturæ pertingere.*

Apocal. 1. vers. 16. de Christo dicitur: *Ex ore ejus gladius utrinque acutus exivit.* Illud Pontifex Innocentius c. Ex ore lib. 5. decret. Gregor. tit. 33. sibi accommodat. *Ex ore,* inquit, *sedentis in throno procedit gladius acutus, quoniam ex ore Romani Pontificis justa debet exire sententia, quæ contra justitiam nulli parcat &c.*

Psal. 22. vers. 21. orat David in persona Christi. *Erue à framea animam meam, & de manu canis unicam meam.* Hoc Bonifacius c. Unam sanctam. lib. 1. Extrav. comm. tit. 8. ad præeminentiam Romanæ Ecclesiæ applicat. *Hanc,* inquit, *veneramus & unicam dicente Domino in Propheta. Erue à framea &c. Pro anima enim, id est, pro seipso capite simul oravit & corpore, quod corpus unicam scilicet Ecclesiam nominavit propter Sponsi fidei, Sacramentorum & caritatis Ecclesiæ unitatem.*

In decisionibus controversarum quæstionum eadem dexteritate interpretantur & applicant Scripturam.

Quæritur, *an qui secundam uxorem post Baptismum & obitum prioris conjugis accepit, ad ministerium ordinari queat?* Negat Innocentius Epist. 22. ut habetur c. Deinde. dist. 26. argumento eo, quod *Apostolus dicat, 1. Tim. 3. v. 2. Episcopum oportet esse unius uxoris maritum.*

Quæritur, *an diebus inter Pascha & Pentecosten intermediis liceat se in oratione prosternere causa humilitatis?* Negat Martinus Pontifex c. Si quis Presbyter. distinct. 30. argumento eo, quod *in his diebus gaudium resurrectionis Domini celebramus.*

Quæritur, *an ministri verbi à consuetudine conjugali prorsus abstinere debeant?* Affirmat Innocentius c. Nam sicut. dist. 31. argumento eo, *quod Paulus ad Corinthios scribat 1. Epist. 7. Abstinete ad tempus, ut expeditius vacetis orationi. Si hoc præcepit Laicis, multo magis Sacerdotibus, quibus orandi & sacrificandi juge sacrificium est, qui proinde semper debent ab hujusmodi consortio abstinere.*

Quæritur, *an Sacerdotibus matrimonio interdicendum?* Affirmat Siricius c. Plurimos. dist. 82. argumento eo, quod *Deus illos, quibus committebantur sancta sanctorum, præmoneat, dicens: Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Innocentius c. Proposuisti. dist. ead. *quia scriptum est, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Quæritur, *an Sacerdotes non nisi à viris idoneis & probatis accusari possint?* Affirmat Anacletus c. Accusatio. caus. 2. q. 7. quia *Dominus sacri corporis sui tractatores à vilibus & reprobis & non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari, sed ipse proprio flagello peccantes Sacerdotes à templo ejecit.*

Quæritur, *an peregrina judicia ab Episcopis Ecclesiæ sint submovenda?* Affirmat Anacletus c. Leges. caus. 3. q. 6. quia *Dominus mentionem faciens de Loth, per Mosen loquitur dicens: Ingressus es quidem, inquit, ut advena, nunquid ut judices?*

Quæritur, *quare Imperatori non subjiciantur tota Ecclesia & ipsi Pontifices, sed tantum exteriora dentur tributa?* Respondet Urbanus c. Tributum. caus. 23. q. 8. *quia Petrus non totum piscem jussus est dare, sed tantum staterem, qui in ore ejus inventus est.*

Quæritur, *cur sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto, sed in puro linteo terreno lino procreato atque contexto sit celebrandum?* respondent Eusebius & Sylvester c. Consulto. distin. 1. de consecrat. quia *corpus Domini nostri JESU CHRISTI in sindone lintea munda fuit sepultum.*

Quæritur, *quare Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sint celebrandæ?* respondet Telesphorus c. Nocte. dist. ead. *quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur.*

Quæritur, *quare sufficiat Sacerdoti unam Missam celebrare in die una?* respondet Alexander c. Sufficit. dist. ead. quia *Christus semel passus est & totum mundum redemit.*

Quæritur, *quare duo hymni ab Angelis in Novo Testamento decantati, Alleluja, atque Gloria in excelsis Deo, in Septuagesima sint intermittendi?* respondet Leo nonus c. Hi duo. dist. eadem, *quia peccato hominis veteris à conventu Angelicæ jubilationis expulsi in hujus miseræ vitæ Babylonem, super flumina ejus sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua* Deum *decet hymnus.*

Quæritur, *quare in calice Eucharistico aqua vino misceri debeat?* respondet Alexander c. In Sacramentorum. dist. 2. de consecrat. *quia utrumque ex latere ejus in passione Christi profluxisse legitur.* Julius c. Cum omne. dist. eadem, *quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut mistio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.*

Quæritur, *cur non professus ad regimen Ecclesiæ regularis eligi non debeat?* respondet Pontifex c. Cum causam in decret. Gregorii. lib. 1. tit. 6. *quia secundum legem divinam non est arandum in bove & asino, nec quisquam debet vestem induere de lana linoque contextam.*

Quæritur, *quare Episcopus non debeat se propria autoritate de sua Ecclesia ad aliam transferre?* respondet Innocentius c. Quanto r lib. 1. Decret. Gregor. cap. 7. *quia veritas in Evangelio protestatur. Quos Deus conjunxit, homo non separet.*

Quæritur, *quare Romana Ecclesia speciale festum de Trinitate non faciat?* respondet Alexander 3. c. Quoniam. lib. 2. Decret. Gregor. tit. 9. *quia singulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, & cætera similia dicuntur ad laudem pertinentia Trinitatis.*

Quæritur, *quare Clerici non habentes temporalia à Laicis non teneantur eis præstare juramenta fidelitatis?* respondet Innocentius c. Nimis. lib. 2. Decret. Gregor. tit. 24. *quia secundum Apostolum servus Domino suo stat aut cadit.*

Quæritur, *quare non valeat præscriptio cum mala fide?* respondet Innocentius c. Quoniam. lib. ejusdem. titul. 26. *quia omne quod non est ex fide, peccatum est.*

Quæritur, *utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur?* respondet Innocentius c.cum Marthæ. lib.3 Decret.Gregor. titul. 41. *inter opiniones varias probabiliorem judicari, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem mutari, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur; Beati qui seminatis super omnes aquas, ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur.*

Quæritur, *an meretrices in matrimonium ducendæ?* respondet Clemens 3.c.Inter opera.lib.4.Decret.tit.1. *Statuimus, ut omnibus, qui publicas meretrices de lupanari extraxerint & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum.*

Quæritur, *an Pontifex, etiam in temporalibus, potestatem habeat?* affirmat Innocentius c.Per venerabilem.lib.ejud.tit.17. argumento eo, *quia Paulus, ut plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens, ait: Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?*

(Has & alias hujus generis detorsiones potius quam interpretationes Scripturæ nemo poterit dicere genuinas, proprias, congruas & à S.S.intentas. Coguntur ergo fateri, Pontifici immerito tribui absolutam & authenticam Scripturas interpretandi potestatem. Quin imo, si talem aliquam potestatem accepisset, abusu isto nefario eam perdidisset, quia Simplicius 1.Papa Rom. Epistol. 2. talem profert sententiã: *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.*)

8. Quod agnoscunt, Papam in notorio crimine constitutum, non posse esse judicem: (jam verò constat, multos Pontifices non uno, sed multis flagitiis fuisse infames, ipsismet Pontificiis scriptoribus attestantibus.)

Ludovicus Romanus (celebris seculi sui JCtus, qui Concilio Basileensi interfuit & diem suum in eo obiit, sepultus Basileæ;) in Consil.ult.num.15.& 16.probat, *in tali casu Papam non posse esse judicem,* citans ad hoc præclarum canonem, qui incipit, Nullus.dist.38.*quod qui rebelliter vivit, & discere atque agere bona recusat, magis Diaboli quam Christi membrum esse ostenditur & potius infidelis, quam fidelis esse monstratur.*

Philippus Decius JCtus itidem celebris, qui Concilio Pisano interfuit, inque eo causam Cardinalium adversus Pontificem Julium 2.defendit, in eandem sententiam pedib. ivit, eamque multis argumentis confirmavit, in Cons.115 n.4. usque ad n.10.

9. Quod agnoscere coguntur, Pontifici in quibusdam obedientiam posse denegari (ex quo evidenter sequitur, Pontificem non esse summum, authenticum & absolutum judicem, alias enim absolute in omnibus ipsi esset obediendum.)

Bellarminus lib.2.de Pontif.cap.29.resp.ad 7. *Licet resistere Pontifici invadenti animas, vel turbanti Rempubl. & multo magis, si Ecclesiam destruere niteretur. Licet inquam, ei resistere non faciendo quod jubet, & impediendo, ne exequatur voluntatem suam.*

Idem cum dixisset lib.4.de Roman.Pontif.cap.5.§. ultim. *Si Papa præciperet vitium, aut prohiberet virtutem, Ecclesiam teneri credere, virtutem esse malam & vitium esse bonum;* in Recognitione librorum de summo Pontif.limitat hoc suum responsum, *se videlicet locutum esse de actibus dubiis virtutum, aut vitiorum. Nã si præciperet manifestum vitium, aut prohiberet manifestam virtutem, dicendum esset cum Petro Actor.5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Bartholomæus Hugolinus celebris Doctor juris, postquam in Responsionibus ad tractat.7. Theologorum acriter contendisset, *stylum Romanæ Curiæ vim legis habere seu jus facere, præceptis summi Pontificis parendum, & non de ipsis judicandũ,* postea tamen hoc restringit ad casus dubios, *ut ob certas causas non peccetur non parendo præcepto Romani Pontificis,* ex c.non nisi vers. pro gravi quoque scandalo, de renunciat. Plura in eandem sententiam adduximus in cap. præced.membr.4.§ 8.

10. Quod refugiunt dicere, fidem nostram ultima analysi in judicium Romani Pontificis resolvi. (At si Pontifex esset summus, absolutus & authenticus judex, tum fides nostra in illius judicium ultimò resolveretur.)

Bellarm.lib.1.de verbo Dei cap.2. *Sacris literis nihil est notius, nihil certius.* Stapletonus de princ. fid. doctrin. contr. 4. lib. 8. cap. 20. *Quamvis non nisi per Ecclesiam revelantem Deum teneamus, tamen non cum Durando in Ecclesiæ voce acquiescimus, ita ut in Ecclesiæ vocem, ut supremam autoritatem, fides nostra desinat, sicut Scholastici quidam incautius & imperitius tradiderunt.*

11. Quod agnoscere coguntur, Pontificem in definiendo quandoque non adhibere debitam diligentiam, & media necessaria, (ex quo evidenter sequitur, ipsum non esse summum, authenticum, absolutum & infallibilem controversiarum judicem: sic enim concludimus: *Pontifex in controversiis fidei dijudicandis non debet expectare revelationem divinam, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat & media ordinaria, & tum demum expectare assistentiam Spiritus sancti & directionem divinam,* ut totidem verbis scribit Bellarminus lib.1.de Concil. cap.11.§.Etsi. Ergo à contrario sensu: Si non adhibet debitam diligentiam, quantam res tanta postulat ac media ordinaria, non potest nec debet expectare assistentiam Spiritus sancti & directionem divinam, & per consequens, eo in casu non est summus, absolutus, authenticus & infallibilis judex. Jam verò contingit, Pontificem, si solus aliquid definiat, non adhibere debitam diligentiam, ac media ordinaria. Ergo etiam contingit, Pontificem non habere assistentiam Spiritus sancti, & directionem divinam, ac per consequens non esse authenticum & infallibilem judicem. Assumtum probatur: Qui vel bellis, vel venationibus, vel aleæ, vel Veneri indulgent, non adhibent in dijudicandis fidei controversiis diligentiam, quantam res tanta postulat. Quidam Pontifices bellis, quidam venationibus, quidam aleæ, quidam Veneri indulserunt, ut exemplis plurimis ex ipsis Historicorum Pontificiorum scriptis demonstrari potest. Ergo illi non adhibuerunt in controversiis fidei dijudicandis diligentiam, quantam res tanta postulat. Ulterius, qui sunt illiterati ac rudes, non possunt adhibere media ad Scripturæ interpretationem & controversiarum dijudicationem necessaria. Quidam Pontifices fuere illiterati ac rudes. De Paulo II. sic scribit Platina in ipsius vita, circa finem: *Humanitatis studia ita oderat & contemnebat, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos vocaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in studiis literarum versari paterentur, satis esse, si legere & scribere didicissent. Me* (Platinam) *ipsum in carcerem conjici mandavit, propterea, quod Concilii indicendi mentionem feceram.*

Alphonsus à Castro lib.1.adv. hæres. cap. 4. edit. Colon. 1543. *Multos ex Romanis Pontificibus tam illiteratos fuisse, scribit, ut Grammaticam penitus ignorarint:* (in posterioribus editionibus Lugdun.& Colon. illud est expunctum.)

Quomodo igitur talis Pontifex, vel diligentiam debitam in controversiis fidei dijudicandis adhibere potuisset, vel medium ordinarium, quod teste Bellarmino d.l. est Concilium, adhibere voluisset? Consequens igitur est, quod temere & proinde nec authentice nec infallibiliter definivisset, si controversia fidei ipsi definienda fuisset.

Excipit quidem Bellarminus lib.4.de Rom. Pontif. cap. 2.§.Videntur. *Non posse fieri, ut Pontifex temere definiat. Qui enim promisit finem, sine dubio promisit & media, quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum, quando non temere definit, nisi etiã sciremus, nõ permissurã Dei providentiam, ut ille temere definiat.* (At quis non videt, hic manifeste peti principium? De illo ipso enim quæritur, an data sit Pontifici talis absoluta infallibilitas, ut temere definire non possit? Præterea, si divina providentia non permittit, ut Pontifex, etiamsi solus pronunciet sententiam, temere definiat, quorsum ab eo requiritur, tanquam necessaria conditio infallibilitatis, ut diligentiam debitam & media ordinaria adhibeat?)

Huc pertinent exempla, quæ testantur, Pontificem non sincerè, sed vel gratiæ vel odii præjudicio jus dicere. Henricus Rex Angliæ dissolvi postulabat matrimonium à se contractum cum Catharina Austriaca. Controversia defertur ad Clementem VII. qui *obstrictus officio,* inquit Jovius lib.35. *neque Henricum, neque Cæsarem offendere destinarat.* Eo mortuo ad Paulum III. lis delata, qui in gratiam Cæsaris definivit *Henricum inique Catharinam repudiasse.*

Arg. Advers. primò ex V.T. 1. Exod.18. *Moses sedebat, tanquam caput & princeps illius Ecclesiæ, & ad omnia dubia circa Legem Dei exorta respondebat. Ergo judicium de rebus fidei pertinet ad Pontifices.* Bellarmin.lib.3.de V.Dei, cap. 4.

Resp. 1. Bellarminus ibidem scribit: *Mosen fuisse summum Pontificem extraordinarium à Deo specialiter constitutum, non autem ordinarium, cui succederetur.* (Quomodo ergo à Mose extraordinario Pontifice ad Romanum Pontificem, cujus successionem volunt esse ordinariam, argumentum duci potest?) 2. Bellarmin. ibid. scribit: *Petrus ordinarius erat Pastor totius Ecclesiæ, cui soli succedi debebat, reliqui extraor-*

extraordinarii, quib. non erat in illa potestate succedendum. (Falsum quidem hoc est, quia omnes Apostoli æqualem potestatem à Christo acceperunt Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. interim ex hypothesi contra Bellarminum sic concludimus: Ut *Moses superior Aarone, quia hic ordinarius, ille extraordinarius fuit Sacerdos,* quod totidem verbis Bellarminus hic asserit, ita quoque reliqui Apostoli erunt Petro superiores, cum hi fuerint extraordinarii Pastores, ille vero ordinarius.) 3. Colligantur encomia, quæ à Pontificiis Interpretibus Mosi merito tribuuntur, & periculum fiat, an possint ea accommodari ad Romanum Pontificem: si præstiterint illud, agnoscemus Romanum Pontificem pro Mosis Successore. Bellarmin. lib. 3. de V. Dei cap. 2. scribit: *Scripturas nullas tum temporis extitisse.* Ergo ad Scripturæ interpretationem hic locus non spectat. 5. Negamus, Mosen fuisse summum Pontificem. Illi probant in Colloq. Ratisbon. sess. 2. ex Psal. 99. v. 6. *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Sed resp. ex Pineda in cap. 12. Jobi v. 19. ubi fatetur, *nomen Sacerdotis non semper esse in Scriptura sacri & Ecclesiastici officii, sed aliquando honoris & dignitatis.* (2. Sam. 8. v. 18. filii Davidis dicuntur כֹּהֲנִים, qui tamen fuere Sacerdotes, cum non fuerint ex tribu Sacerdotali, inde 1. Paralip. 18. v. 17. sic exponitur, quod fuerint *Principes ad manum Regis.*) Instant, *Mosen vere & proprie fuisse* כֹּהֵן *Sacerdotem, cum exercuerit munera Sacerdotalia, sacrificando, docendo, consecrando vestes, & quod majus est, Pontificem & Sacerdotes ungendo atq; initiando.* Resp. non omnia munera Sacerdotalia exercuisse legitur, cum nusquam dicatur ingressus in sanctum Sanctorum; & quædam Sacerdotem, qualem Pontificii hic volunt intellectum, non constituunt, cum & Samuel talia obiisse legatur, quem כֹּהֵן fuisse, ipsi Pontificii negant. Genebrardus in Comment. Psal. 99. *Samuel non fuit Sacerdos, nisi fortasse per quandam dispensationem, secundum quam per sese holocausta obtulit, benedixit hostiæ, tulit lenticulam olei & in Regem unxit Saulem.* Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 4. *Si viri primarii dicerentur Sacerdotes Psal. 99. v. 6. etiam Samuel, qui erat vir primarius fuisset vocatus Sacerdos. Quod tamen non fecit David, qui sciebat, Samuelem non fuisse Sacerdotem, sed judicem tantum: non enim descendit ex familia Aaron, sed Core consobrini ejus, 1. Paralip. 6.*

2. Deut. 17. *Remittuntur homines ad judicium summi Sacerdotis.* Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 4. & lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 1. Resp. vide in cap. 2. præcedente.

3. Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.* Ergo quando sententia data est à *summo Pastore, tunc penitus acquiescendum.* Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 4.

Resp. 1. Glossa interlinearis hic annotat: *Magister vester unus est Christus.* Hugo Cardin. *Ab uno Pastore, hoc est, Christo, qui solus est animarum Pastor.* Gloss. ordin. *Pastor unus hoc in loco Christus est, sicut manifeste exposuit Ezech. cap. 34. Suscitabo super eas Pastorem unum.* 2. Lyranus in h. l. *Data sunt à Pastore uno scil. ipso Deo, qui omnia regit & pascit. Magistri vero isti possunt dici tres personæ divinæ, vel Angeli in quibus primo revelantur divina secreta & sunt executores divinæ voluntatis. His, hoc est, sacræ Scripturæ libris, ne requiras amplius, ut exponit Rabanus, per hoc tamen non excluduntur libri alii ad intellectum sacræ Scripturæ necessarii, qui non sunt ad salutem necessarii, sed illi tantum sunt.* 3. Salonius in h. l. *Qui isti sapientes sunt? quis iste unus Pastor? sapientes sunt Prophetæ, unus Pastor Deus, à quo data sunt omnia verba sapientum, qui ipse docuit Magistros, id est, Prophetas & Apostolos.* 4. Franciscus Titelmannus in h. l. *Unde vero hanc vim, occultamq; energiam habeant sapientum verba, & unde suam nacta sint autoritatem, subsequenter insinuat, dum ait: Quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno, nempe Deo. Non enim, ut sanctus Petrus ait, voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Ab hoc igitur Pastore summo, qui est veritas prima & regula veritatis mentiri nescia, verba sapientum procedunt.* 5. Johannes Ferus in h. l. *Hæc est summa commendatio sacræ Scripturæ, quod ab uno illo & vero Pastore data est, nempe Deo.* 6. Vatablus per hunc Pastorem intelligit Spiritum sanctum. 7. Pineda in h. l. sic commentatur. *Chaldæus per hunc Pastorem intelligit Moysen, Cajetanus Prophetas &c. Sed quamvis Pastor unus possit dici utcunq; Moses aut Propheta alius, unus tamen ille Pastor Spiritus sanctus est, quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines; Pastor unus ille Christus est.* (Quod Pineda addit, *& quẽ sui loco Vicarium in terris visibili Ecclesiæ visibilẽ Pastorẽ præfecit,* illud non probat ex idoneo aliquo interprete in h. l.) Eleganter verò hunc locum suâ paraphrasi illustrat *Bonasperiensis. Sapientissima illa documenta ab uno Pastore & Magistro accepta, q. ex uno ore omnes, atq; ita se concordes dabunt, creditam sibi doctrinam ornatius & copiosius exponentes.* 8. Ludovicus à Ponte lib. 3. Comment. in Cant. Cant. Exhort. 6. p. 370. *Verba sapientum dicuntur stimuli, quia pigros pungunt & stimulant; clavi vero, quia cor penetrant &c. Hæc autem verba collecta sunt per consilium Magistrorum, scil. Prophetarum, & Apostolum ac Evangelistarum in utroq; Testamento. Sed tamen cuncta sunt ab uno Pastore, ab uno Deo, ab uno Christo, qui per reliquos stimulat, penetrat, accendit, docet & pascit.* 9. Michael Ghislerius in Cantic. Cant. cap. 1. v. 4. Exposit. 2. *Verba sapientum, hoc est, verba sacræ Scripturæ, quæ per sapientes prolata sunt, sunt sicut stimuli, excitantia pigros homines ad Dei dilectionem, sicq; cor hominis penetrant usq; ad intima, sicut clavi, qui defiguntur in altum &c. Hanc verò vim inde habent, quod à Deo uno Pastore summo, qui est veritas prima & regula veritatis, procedunt, & per Magistrorum à Deo inspiratorum consilium, unanimemq; consensum tradita sunt. Quoniam omnes veræ sapientiæ Magistri, omnes Prophetæ in Vet. & Apostoli in N. Test. eandem attestantur & confirmant veritatem, ut appareat, omnes ex uno ore loqui.*

4. Agg. 2. *Interroga Sacerdotes Legem. Ergo ad Sacerdotem ex officio pertinet explicare sententiam Dei.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Lyranus in cap. 2. Hagg. *Interroga Sacerdotes Legem, quia ex officio tenentur eam scire.* (Ergo non de summo Sacerdote tantum, sed de aliis etiam Sacerdotibus Propheta loquitur. Nemo vero nostrûm negat, publicum de controversiis fidei judicium ad Ministerium Ecclesiasticum pertinere.) 2. Ribera in cap. 2. Hagg. adducit & approbat dictum Hieronymi in h. l. *Considera Sacerdotum esse officii, de Lege interroganti respondere. Si Sacerdos est sciat Legem Domini: si autem ignorat Legem, & ipse se arguit non esse Domini Sacerdotem, id est, bonum & idoneum Sacerdotem.* Christophorus à Castro in cap. 2. Hagg. *Legitimas fuisse Sacerdotum responsiones, ex Scriptura ipsa constat.* (Ergo Doctores Ecclesiæ in dijudicandis fidei controversiis non habent absolutam infallibilitatẽ & authenticam potestatem, sed astricti sunt ad Legem, sive quod idem est, ad Scripturam sacram.)

5. Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus. Ergo ad Sacerdotem ex officio pertinet explicare sententiam Dei.*

Resp. 1. Lyranus in cap. 2. Malach. *Ad officium Leviticum & potissimum Sacerdotum pertinet populum docere, habent enim officiũ Angelicum, scil. colere Deum & dirigere populum, sicut Angeli in ministerium missi propter salutem electorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est. Vos autem Sacerdotes & Levitæ hujus temporis recessistis de via, quam tenuerunt Moses & Aaron, & alii justi.* 2. Christophorus à Castro in h. l. *Sacerdotis est, cognitionem Legis custodire, eam callere & alios docere, & paratum se præstare ad reddendam rationem omni poscenti, & docentem omnẽ requirentem, Legem quidem, non nugas fabulas, ut inquit Bernhardus lib. 3. de consideratione in fine.* Et postea: *Invehitur hic Propheta contra Sacerdotes tanquam juris primos violatores.* 3. Ribera in h. l. *Non est legendum præsenti tempore, (ut habet vulgata versio) custodiunt, sed custodient, ut constat ex Hebræo, & ex LXX. & ex Chaldæo, & ex Hieronymo, & ex emendatioribus exemplaribus. Dictumq; est, custodient, id est, custodire debent. Itaq; os Sacerdotale arca quædam debet esse salutaris doctrinæ, unde omnes necessaria depromant, aut potius fons, juxta illud Prov. 10. Vena vitæ os justi.* Et postea: *Bernhardus lib. 2. de considerat. in fine. Legem requirent, non nugas profecto, vel fabulas. Idem in lib. de dispens. & præcept. docet, hic in Lege non intelligi, quod Scriptura aperte tradit, vel recta ratio, in quibus nec Præceptor expectandus est, nec prohibitor auscultandus, sed quæ dubia sunt, utrum Deus sic velit fieri, an aliter. Cyrillus ait, nomine Legis contineri omniũ ad bene vivendum necessariorum cognitionem &c. Angelus Domini dicitur juxta Cyrillum, quia refert & tradit hominibus oracula Dei, nihil addens aut subtrahens, sed sicut à Deo accepit. Nam Angeli non referunt hominibus, nisi quæ à Deo acceperunt, imo & fideles nuncii hoc faciunt, ut non solum idem dicant quod acceperunt, sed verbis etiã eisdem. Vos autem recessistis à via, hoc est, à sanctitate morum & custodia Legis declinastis.* 4. Franciscus Messana Hispanus, Monachus locum illum Malach. 2. sic παραφράζει: *Labia Sacerdotis debent custodire scientiam &c. Hæ Sacerdotis sunt partes, hoc fœdus. Vos autem à morum sanctimonia, Legisq; scientia recessistis, vitaq; pravitate, Legisq; imperitia multis occasio ruinæ fuistis, atq; ut unico me expediam verbo, irritum fecistis Sacerdotũ pactum.* 5. Arias Montanus ad eundem locum sic annotat: *Duplex ejus, quæ ad pietatem spectat, sapientiæ pars est, altera in divinarum & humanarum rerum cognitione, altera in morum actionumque componenda ratione; illam scientiam; hanc Legem vates nominat. Utraque*

verò ex divinis petitur libris, quæ iis, qui rectè, legitime & summo cum studio curaverint, divinâ benignitate profecto maxime continget. (At hoc non semper contigit Sacerdotibus Leviticis propter verbi divini neglectum, unde Arias subjungit,) ideo etiam iis, qui vitæ suæ cursum legitime conficere studebant, exemplo judicioq; suo offensioni gravissima fuerunt. 6. Sanctius in paraphrasi h.l. In Sacerdotis ore divinæ Legis & sapientiæ thesaurus servari debet, à quo alii in rebus quibusque dubiis petant oracula. Cum enim Dei apud homines Legatus sit, & ejus loquatur nomine, non alia quam Dei mandata & verba deferat oportet. Vos autem contra, quam Sacerdotale munus exigebat &c. neque servastis Legem, & quo minus servarent alii, vestro vel exemplo vel doctrina fecistis. 7. Cornelius à Lapide in h.l. Labia Sacerdotis debent custodire scientiam &c. vos autem recessistis de via hac Legis, scientiæ, veritatis, æquitatis & timoris divini. (Ergo non agitur de facto, hoc est, de eo, quid Sacerdotes semper faciant ac quales semper sint, sed de jure, hoc est, de eo, quid facere & quales esse debeant. Nec de summo tantum Sacerdote, sed de omnibus Sacerdotibus in genere agitur, ac officium omnibus commune describitur. Judæi magnam omnino autoritatem tribuunt Sacerdotibus, ita ut existiment, judicio eorum standum fuisse, si vel maxime dextrum dixissent sinistrum, & vice versa. Sed falsam hanc opinionem refellit Lyranus in cap. 17. Deut. & rectè. Nam in Thalmud in tractatu Moed Kathon cap. 3. f. 17. sic legitur: Si similis sit Angelo Domini, si se præbeat Angelum lucis, ex ejus ore requirent Legem: Sin minus, ex ejus ore non requirent Legem, sed שמתיה excommunica illum. Nehem. 13. v. 28. Ose. 4. v. 6. cap. 5. v. 19;

6. 2. Paral. 19. Josaphat ad Sacerdotes sic loquitur: Ubi est quæstio de Lege, de mandato, de Ceremoniis, de justificationibus, ostendite fratribus vestris, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Hic soli Pontifici tribuitur judicium de dubiis Legis. Bellarm. d.l.

Resp. 1. Sanctius in Commm. h.l. sic annotat: Josaphat Hierosolymis constituit judices ex ordine Levitico, Sacerdotali & Laico, quibus serio commendavit, ut in omnibus Deum intuerentur, cujus in eo munere præstando personam sustinerent, & quam tenere debeant in judicando rationem, edocuit: (quæ sententia manifeste colligitur ex v. 8. ubi Levitis & Sacerdotibus conjunguntur capita Patrum, hoc est, Principes familiarum Israel; & ex Deut. 17. v. 9 ubi Sacerdoti conjungitur judex Politicus. Ergo non de solis Sacerdotibus, multo minus de solo summo Sacerdote, sed de Synedrio personis Ecclesiasticis & Politicis constante ibi agitur. Amariæ summo Sacerdoti tribuitur præsidentia super reliquos Sacerdotes, non autem ipsi soli, sed omnibus tribuuntur judicia.)

2. Bellarminus agnoscit, pium Regem Josaphatum clare hic distinguere officium Pontificis ab officio Regis, quomodo vero id congruit cum eo, quod Papa Romanus utrumque gladium sibi vendicat?

Secundò, ex Nov. Test. 1. Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum. Per claves non solum intelligitur potestas solvendi à peccatis, sed etiam ab omnibus aliis vinculis & impedimentis, quæ nisi tollantur, non potest intrari in regnum cœlorum. Ergo docemur omnes nodos, seu Legum, dispensando; seu peccatorum & pœnarum relaxando; seu dogmatum & controversiarum, explicando, à Petro, ejusque Successoribus solvi posse. Bellarm. lib. 3. de V. D. cap. 5. & alii passim.

Resp. 1. In c. Quodcunque. caus. 24. q. 1. allegatur dictum Augustini: Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum in cœlo: Si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia &c. Si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. (Videatur vero ipsum Augustini dictum, quod clarius,) c. Omnibus. caus. & quæst. iisd. ex eodem Augustino: Domus Dei, hoc est, Ecclesia supra firmam petram ædificata, claves accepit ac potestatem solvendi & ligandi.

2. Gratianus c. Audivimus. caus. & quæst. iisdem subjicit: Cum omnibus discipulis parem ligandi atq; solvendi potestatem Dominus daret, Petro pro omnibus & præ omnibus claves regni cœlorum se daturum promisit.

3 Lombardus lib. 4. sent. dist. 19. lit. C. Aliis videtur, quod & mihi placere fateor, cunctis Sacerdotibus hanc Legem dari, scil. ligandi & solvendi, sed non eam rectè ac digne habent, nisi qui vitam & doctrinam Apostolicam servant &c. Soli digne ac recte hac potestate utuntur, qui præditi sunt vita & doctrina Apostolica, quia soli ipsorum Apostolorũ imitatores digne recteq; possunt ligare & solvere. Et postea: Quod hanc potestatem habent omnes Sacerdotes, Hieronymus testatur super illum locum Evangelii, ubi Dominus dicit Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum. Habent enim, inquit, eandem judiciariam potestatem alii Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis & Presbyteris. Sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicunq; ab unitate fidei & societate Ecclesiæ se separaverit, nec à peccatis solvi, nec cœlum potest ingredi.

4. Anacletus Pontifex cum in c. in novo. dist. 21. dixisset: Petrum primum accepisse potestatem ligandi ac solvendi, mox subjicit: Cæteri vero Apostoli cum eo pari consortio honorem & potestatem acceperunt. (Ergo claves non soli Petro, sed omnibus Apostolis & Apostolorum Successoribus, Episcopis & Presbyteris, imo toti Ecclesiæ à Christo sunt datæ.)

5. Thomas de Corsellis, qui Concilio Basileensi interfuit, apud Æneam Sylvium lib 1. de gest. Concil. Basil. Sunt aliqui, sive avidi gloriæ, sive quod adulando præmia expectant, qui peregrinas quasdam & omnino novas prædicare doctrinas cœperunt, ipsum summum Pontificem ex jurisdictione sacri Concilii demere non verentur &c. Alius clamat, Pontificem Romanum solius Dei reservari arbitrio: alius dicit, quia primam sedem nemo judicabit: alius asserit ejectionem summorum Pontificum sibi Dominum reservasse &c. Non considerant miseri, quia, quæ prædicant tantopere, verba aut ipsorum summorum Pontificum sunt, suas fimbrias extendentium, aut illorum, qui eis adulabantur. Et quia hujusmodi dicta solutionem habent, recurrunt statim ad Evangelium & verba Christi, non prout Spiritus sancti sensus exposcit, sed suopte ingenio interpretantur, plurimumq; illud extollunt, quia Petro sit dictum, Tu vocaberis Cephas, per quod eum Caput faciunt; tibi dabo claves regni cœlorum, & rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua &c. quæ omnia hi homines miro modo [illegible] [illegible], expositionibus sanctorum Doctorum omnino posthabitis &c.

6. Ludovicus Arelatensis Cardinalis, (referente eodem Ænea Sylv. in gest. Conc. Basil. lib. 1. f. 12.) Etiam maximus Theologorum omnium Aristoteles Augustinus ait, per illa verba, [illegible] tibi claves, judiciariam autoritatem dari, non solum Petro, sed cæteris aliis Apostolis, & toti Ecclesiæ in Episcopis & Presbyteris.

7. Nicolaus Cusanus, tempore Concilii Basil. disputavit, quod omnes promissiones Christi Petrum alloquentis, Dabo tibi claves, Portæ inferorum non prævalebunt, Rogavi pro te &c. ad Ecclesiam Universalem, non speciatim ad Petrum, ejusve Successorem sunt referendæ, maxime cum nonnulli Papæ schismatici & hæretici fuerint, quod de facto Petrus ipse nullatenus majorem potestatem à Christo acceperit, quam cæteri Apostoli, nec ei quicquam dictum, quod [illegible] aliis dictum non sit, quippe qui non minus petræ sint, quam ipse Petrus, ut quod dicitur, super hanc petram &c. ad confessionem ejus, non ad personam sit referendum. Proinde cum potestas ligandi & solvendi omnis jurisdictionis divinæ sit fundamentum, manifestum est, quod omnes Episcopi, forsasse & omnes Presbyteri, quoad jurisdictionem parem potestatem habeant.

8. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 12. resp. ad 2. objéct. Solus Petrus respondit &c sed Petri confessionem reliqui Apostoli silentio suo approbaverunt, & eo modo per os Petri omnes responderunt. Quemadmodum igitur Petrus solus respondit, & ei cæteri assenserunt, ita CHRISTUS soli Petro claves promisit, sed tamen post [illegible] etiam cæteris communicandas. Idem lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 25. §. 2. adducit dictum Cypriani lib. de unit. Eccl. Loquitur Dominus ad Petrum, Tibi dabo claves regni cælorum, & eidem post resurrectionem dicit, Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit &c. & subjicit: Ubi vides idem dari Apostolis per illa verba, Ego mitto vos, quod Petro fuerat promissum per illud, Tibi dabo claves, & postea exhibitum per illud, Pasce oves meas. Certe autem per illa, Tibi dabo claves, & per illud, Pasce oves, intelligi jurisdictionem plenissimam, etiam exteriorem. (Si per verba, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, eadem potestas data est reliquis Apostolis, quæ Petro promissa per illa verba, Tibi dabo claves, utique potestas ligandi, solvendi, interpretandi, definiendi, non soli Petro, sed omnibus Apostolis; nec solius Petri Successoribus Pontificibus Romanis, sed omnium Apostolorum Successoribus Episcopis & Presbyteris est data.)

9. Joh. Ferus in cap. 16. Matt. Nullus locus occurrit, ubi illud, Tibi dabo claves, impletum fuit, nisi in his verbis, Johan. 20. Quorum remiseritis peccata, erunt remissa. (Atqui hæc verba ad omnes Apostolos pertinent, ergo omnibus Apostolis claves sunt datæ.)

10. Maldonatus in cap. 18. Matth. Quodcunq; ligaveritis &c. Quæ hic promissa sunt Petro, non illi soli, sed omnibus [illegible] Apostolis, Episcopis, Sacerdotibus competunt, unde Theophylactus: Quamvis, inquit, soli Petro dictum sit, dabo tibi claves, omnibus tamen Apostolis concessa sunt claves, quãdo dixit: Quorũ remiseritis peccata &c.

ct. Potuisset addere Anshelmum in cap.16. Matth. sic commentantem: *Notandum est, quod hæc potestas non solum Petro data est, sed sicut Petrus unus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit.*

II. Ad exceptionem Jansenii in Concord. Evangel. cap. 66. & Greg. de Valent. in Anal. lib.7. cap.2. quod *ipsa verborum diversitas, quibus Dominus usus est Matth.18. ubi Christus ad omnes loquitur, & Matth.16 ubi solum Petrum alloquitur, excellentiorem autoritatem Petri in potestate ligandi solvendique designet, cum juxta Origenis observationem homil. 6. in Matth. aliis Apostolis datæ sint claves, his verbis, Quorumcunque peccata ligaveritis super terram, ligata erunt in cœlo; Petro autem in cœlis, sicque aliis datæ sint claves unius cœli, Petro multorum*; ad hanc, inquam, exceptionem, (quæ etiam est Alphonsi de Castro adv. hæres. lib.12. verbo Papa, & Roffensis ad articulum Lutheri 25.) respondet Maldonatus in cap.16. Matth. *Quasi Petrus in omnibus cœlis, alii Apostoli in uno solvendi potestatem acceperint. Hoc Origenes nimis subtiliter, quia in cœlo idem est, quod apud Deum.* Syriaca paraphrasis tum Matth.16. tum Matth.18. habet plurale Nom. Unde ipsimet Scholastici & recentiores Pontificii claves cœlorum (in plurali) non solum Petro, sed etiam reliquis Apostolis, imo omnibus Sacerdotibus datas esse dicunt. Lomb. 4. sent. dist.18. §.1. *Ubi sunt claves illæ, quas Dominus tradidit Petro & Successorib. ejus, dicens, Tibi dabo claves regni cœlorum? §.2. Dantur hæ claves per ministerium Episcopi alicui in promotione Sacerdotii.*

Durandus lib. 4. sent. dist. 18. *Si DEUS habet clavem autoritatis, quatenus absolute remittit: Christus Mediator clavem excellentiæ &c. singuli Apostoli, Episcopi, Pastores clavem ministerii, quatenus beneficium mortis CHRISTI prædicant, quam quæso prærogativam habebit hic Petrus præ cæteris Apostolis, quam etiam ipsius Vicarius præ cæteris Pastoribus, nisi quatenus diligentius ministerium suum exerceant; sin vero aliquid amplius sibi arrogant, nonne hoc est & Dei autoritatem & veritatem Christi invadere?*

Dionysius Carthusianus in h.l. Matth. claves has ad solum Petrum non restringit, sed communiter *clavium potestatem ad omnes Ecclesiasticos judices pertinere* asserit, in quibus hæc potestas sit per administrationem, quæ in Christo sit per excellentiam.

Hugo Cardinalis tom. 5. oper. in h.l. Matt. tantum abest, ut ad solum Petrum claves restringat, ut potius conferat locum Johan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* (Atqui hic locus agit de potestate omnibus Apostolis, non soli Petro concessa. Ergo etiam hoc loco non agitur de solius Petri, sed omnium Apostolorum potestate.)

Radulphus Ardens in Festo D. Petri: *Duæ claves omnibus æqualiter Apostolis dantur, unde post resurrectionem suam Dominus eis inspirans dicit, Accipite Spiritum sanctum, hic tamen ad solum Petrum sermo dirigitur, ut ostendatur, quia, qui unitatem Ecclesiæ non sequitur, à clavibus ligandi atque solvendi privatur.*

Antoninus part. 1. Histor. tit. 5. cap. 5. f. 108. adducit locum Gratiani, c. Audivimus, caus. 24. q. 1. superius citatum, & addit: *In persona Petri* (accipientis claves) *significatur tota Ecclesia.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Comment. Theol. Disp. 7. q. 1. punct. 1. asserit eòdem, hoc est, ad pœnitentiæ Sacramentum pertinere tres locos ex Johan. 20. ex Matth. 18. & 16. *Johannis vigesimo*, inquit, *expresse Christus loquitur de potestate Sacerdotibus collata ad remittendum peccata. Itemque de ejus usu, qui in Sacramento pœnitentiæ maxime exercetur. Item pertinet huc ille etiam locus Matth. 16. Quodcunque solveris super terram, &c. Is potius ibi videatur promisisse istud Sacramentum, quam instituisse, quemadmodum etiam illud clarius promisit Matth. 18.* (Inde sic colligimus: Clavium nomine Matth. 16. intelligitur potestas ligandi, & solvendi. Jam verò Potestas ligandi & solvendi omnibus Apostolis est data, Matth. 18. Joh. 20. E. claves omnibus datæ.)

2. Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Nomine Ecclesiæ intelligi debet Prælatus vel Prælatorum congregatio. Ergo Pastorum est ultimum judicium.* Bellarmin. d.l.

Resp. 1. Bellarminus ipse h.l. fatetur, *Christum hic loqui de injuriis, quas unus ab aliquo patitur.* (Quod addit, *à majori etiam intelligendum esse de injuriis, quæ fiunt in totam Ecclesiam & in Deum, qualis est hæresis*, illud per accommodationem quandam fieri posse non negamus, proinde quoque congregationi Prælatorum etiam de doctrina judicium deferendum esse non abnuimus, interim judicium illud debet institui juxta regulam Scripturæ, & Ecclesia in fidei articulis eatenus audienda, quatenus audit & sequitur vocem Christi in Scripturis sonantem.)

2. Idem Bellarmin. lib. 3. de Ecclesia cap. 17. circa fin. scribit: *Una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnum Dei.* Jam vero nomine Ecclesiæ hic intelliguntur *Præsides Ecclesiæ*, ut docet Glossa interlinearis. (Ergo summum & authenticum solius Pontificis Romani judicium non potest ex hoc loco exsculpi.)

3. Quicquid juris hoc loco significatur, id pertinet ad singulas Ecclesias, ut Hierosolymitanam, Romanam, Smyrnensem &c. non tantum ad omnes simul, sed etiam singulas seorsim. (At ne ipsi quidem Adversarii contendunt, singulas sive particulares Ecclesias esse normam omnium controversiarum.)

4. Quinimo concedunt, Ecclesias particulares & earum Presbyteria errare posse, ac non raro errasse. Innocentius III. lib. 5. Decret. c. à nobis 2. de sent. excommun. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum apud Ecclesiam sit solutus & qui liber est apud Deũ, Ecclesiasticâ sententiâ sit innodatus.* Magister sententiarum lib. 4 dist. 18. *Aperte ostenditur, quod non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium. Ecclesia enim per subreptionem & ignorantiam interdum judicat, Deus autem semper judicat secundum veritatem.* (Ergo non est supremum Ecclesiæ judicium, vel à quo provocari non possit.)

3. Matth. 23. *Super Cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi; quæcunque dixerint vobis, servate & facite. Ubi tria notanda, non obstante mala vita Prælatorum, sequendam esse eorum doctrinam; semper deberi honorem Sacerdotio & Pontificatui, etiamsi forte persona, quæ in cathedra sedet, sit minus bona; quod Dominus de cathedra Mosis dicit, intelligi à fortiori de cathedra Petri.* Bellarminus d.l.

Resp. 1. Lyranus in h.l. sic scribit: *Omnia, quæ dixerint vobis, scilicet ad cathedram pertinentia, h.e. ad doctrinam, quam docuit Moses.*

2. Johannes Wesselus Groningensis in libro, cui titulus, *Farrago*, adducens hunc locum, in eum sic commentatur: *Oportet Prelatorum præcepta tamdiu observare, quamdiu sedentes in cathedra Mosis secundum Mosen docent, & si quid contra vel extra statuunt, non ligamur, Dei enim servi sumus, non Papæ.* Idem Wesselus ibidem: *Quamdiu sedent in cathedra Mosis, facienda sunt quæ dicunt. Sedere autem æstimantur, quamdiu, quæ faciunt, non palam eorum verba retundunt. Ubi vero tam scandalosa erit eorum vita, ut plus corrumpant exemplo, quam ædificent verbo, non jam ferendi, quia non in cathedra Petri sedent, sed in cathedra pestilentiæ &c. Hinc clarius elucescit, quomodo illorum præceptis parere debeamus, ut quia Deo debitores sumus ad parendum illis, duntaxat illis parendum, quoad nihil contra Deum præcipiunt. Nihil enim propter Deum debet fieri contra Deum &c. Prælatus enim, nisi quantum sapientiam docet, audiendus non est. Quia qui Prælatos post Apostolos audit, Christum audit. Ubi ergo secundum Christum docent, vel præcipiunt, illic sicut sapientia ipsa, si loqueretur, audiendi sunt; alias non audiendi, sicut Paulus Petrum non audivit, scandaloso exemplo cogentem gentes Judaizare. In omnibus igitur sapienter dictis audiendi sunt, sicut si sapientia de cœlo loqueretur, propter sapientiam in verbis comprehensam. Non igitur propter Pastoralem autoritatem simpliciter audiendi.*

3. Gabriel Biel in 4. sentent. dist. 1. q. 4. art. 3. *Non licet spernere consilium Prælati, quod verum est, nisi contra Legem divinam dixerit, quia sic præcipiendo, non sedet super cathedram Mosis, non enim hæc procedunt de cathedra, h.e. doctrinâ Mosis, sed de cathedra pestilentiæ.*

4. Johannes Altensteig in Lexico in voce Cathedra. *Habetur Matth. 23. super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia, quæcunque dixerint vobis, servate & facite: quod verum est, nisi contra Legem divinam dixerint, tunc enim locum habet illud Petri Act. 5. Obedire magis oportet Deo, quam hominibus. Nec sic præcipiendo sedent super cathedram Mosis, cum præcipiunt, quod est contra Deum; non enim procedunt hæc de cathedra, id est, doctrinâ Moysis, sed de cathedra pestilentiæ & erroris.*

5. Erasmus in annot. ad cap. 23. Matth. p. 71. *Hunc locum quidam eò torquent, quasi parendum sit in omnibus, quæ præcipiunt Episcopi*

scopi aut Præpositi, etiam impii, ob muneris autoritatem, cum Christus de iis loquatur, qui recte docerent Legem, non qui suis constitutiunculis illaquearent animas hominum. Ita nunc quoq; audiendus sit Præpositus, qui recte doceret Evangelium, etiamsi ipse parum Evangelice vivat. Cæterum, quis ferat eos adversus Christi doctrinam pro suo commodo fixis ac refixis Legibus meram Tyrannidem exercentes in populum, suoq; quæstu ac majestate omnia metientes?

6. Benedictus Arias Montanus ad eundem locum: *Quicquid ex cathedra Mosis, id est, ex præscripto Legis docent, suscipiendum & faciendum esse, ait Jesus. Quod si illi officium suum præstent, non ipsorum, sed cathedræ rationem habendam.*

7. Georgius Cassander in Consult. art. 7. *Christus jubet Pharisæos audiri, ut tamen cavendum sit de fermento Pharisæorum, hoc est, de corruptelis vitæ & doctrinæ.* Idem in lib. de offic. pii viri &c. oper. pag. 788. agnoscit huic dicto Matth. 23. limitationem illam addendam, *quatenus proferunt doctrinam Mosaicæ consentaneam.*

8. Johannes Ferus in cap. 23. Matth. p. 181. *Non voluit Christus, ut omnia Pharisæorum dogmata susciperent, sed quatenus Legi consonarent, unde & supra, cum docuisset, eos Legi contraria in aliquibus docere, post aliqua interposita subintulit: Cavete à fermento Pharisæorum. Eodem modo & Apostolis eorumq; successoribus dicit: Qui vos audit, me audit &c. Verum præmisit Matthæus, quod Christus elegit duodecim, quos & vocavit Apostolos, quibus & præcepit prædicare Evangelium. E quibus patet, audiendos esse Apostolos, sed quatenus Apostoli sunt, hoc est, Christi negotium agunt, ac, quæ Christus jussit, prædicant & docent.*

9. Didacus Stella in cap. 12. Lucæ: *Sedent super cathedram Mosis, hoc est, quatenus docent, quæ Moses in cathedra docuit, audiendi sunt, alioqui cavete.*

10. Cornelius Jansenius in cap. 16. Matth. *Cum dicit Christus, Cavete de fermento Pharisæorum, quomodo concordat cum eo, quod dicit, Sedent super cathedram Mosis, quod dixerint, facite. Nimirum sic, non omnem doctrinam cavete, sed eam, quæ Legi Mosi adversatur.* Idem in cap. 23 Matth. *Docet Christus obediendum illis* (Scribis & Pharisæis) *esse, quando recte præcipiunt, sedentes nimirum in cathedra Mosis, non quando docent contra cathedram, nempe doctrinam ejus.*

11. Emanuel Sa in notis ad cap. 23. Matth. not. 3. *Omnia*, interpretatur, *Legi consentanea.*

12. Maldonatus ad eund. locum: *Cum jubet servare ac facere, quæ Scribæ & Pharisæi, dum in cathedra Mosis sedent, dicunt, non de ipsorum, sed de Legis ac Mosis doctrina loquitur, perinde enim est, ac si dicat: Omnia, quæ Lex & Moses vobis dixerint, Scribis & Pharisæis recitantibus, servate & facite.*

13. Franciscus Lucas Brugensis ad eundem locum: *Omnia, quæcunq; dixerint, scil. non adversantia cathedræ Mosis, non contraria Legi Dei, omnia licita & honesta.* Et postea: *Integra, perfectaq; obœdientia declaratur his signis Universalibus, ejusmodi tamen, quæ ponat, Deo magis obœdiendum esse, quam hominibus. Nam si Pharisæis ideo obœdiendum est, quia in cathedra Mosis sedent, igitur si quid doceant adversus cathedram Mosis, id est, adversus Mosen, seu eam, quam promulgavit Moses, Dei Legem, adversus doctrinam à Mose & majoribus acceptam ac traditam, non est eis obœdiendum.*

14. Barradius tom. 3. Harmon. libr. 8. cap. 24. *Omnia, quæ dixerint vobis, servate, hoc est, quæ Legi Dei & mandatis non repugnaverint.* (Ex quibus omnibus manifestum, in illis demum audiendos fuisse Scribas & Pharisæos, quæ protulerunt Legi Mosis & doctrinæ Prophetarum conformia, quam limitationem addendam esse patet, tum ex hoc ipso capite; in quo non solum vitam, sed etiam doctrinam Scribarum & Pharisæorum taxat, & illius etiam respectu eos cavendos, esse præcipit v. 8. 14. 16. 34. tum ex collatione locorum parallelorum, Matth. cap. 5. 6. & 7. cap. 15. v. 3. cap. 16. v. 6. & 12.)

15. Denique audiat Bellarminus seipsum lib. 2. de Concil. cap. 6. § Denique. *De Synagoga nusquam legimus, quod de Ecclesia Christus dicit Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam; nec id, quod Apostolus ait 1. Tim. 3. eam esse columnam & firmamentum veritatis. Neq; de Caipha scriptum, sed de Petro, Luc. 22. Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Lib. ejusd. cap 8. resp. ad 2. *Quæstio illa, num Jesus necandus esset, etiamsi de facto esset, tamen involvebat quæstionem gravissimam de fide, nimirum an Jesus esset verus Messias & Dei Filius, atq; adeo verus Deus. Quocirca erravit in fide perniciosissime Caiphas cum universo Concilio, cum judicavit, Jesum esse blasphemum, qui se Filium Dei appellaverat.* § Alii. *Respondemus Pontifices & Concilia Judæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse, imo fuisse prædictum erraturos Judæos, & Christum negaturos.* Et postea: *Non fuit necessarium, ut Pontifices Judæorum non possent errare, quando Christus summus totius Ecclesiæ Pontifex præsens aderat, & Ecclesiam per se administrabat.* (Ridiculum caput! Pontificibus Judæorum summum, authenticum & infallibile judicium competere, probat ex Matt. 23. & tamen illo tempore, quo jubebatur Judæi audire Scribas & Pharisæos in cathedra Mosis sedentes, præsens erat Christus & Ecclesiam per se administrabat. Ergo ex concessione Bellarmini tunc errare poterant. Vicissim, si tempore Christi in terris præsentis & Ecclesiam per seipsum administrantis Judæorum Sacerdotes errare poterant, ergo ex verbis Matth. 23. evinci nequit, judicium summum, authenticum & infallibile ipsis competere.)

4. Johan. 21. *Pasce oves meas meas, ubi Petro & Successoribus ejus Pont. Rom. commissum, ut doceant omnes Christianos, quod non potest commodius intelligi, quàm hoc modo, ut dicamus commissum esse Petro & Successoribus, ut doceant omnes, quid circa doctrinam fidei tenendum sit, videl. constituendo ac decernendo.* Bellarm. d. l.

Resp. De hoc dicto egimus cap. præced. 2. arg. Advers. § hic subjungimus 1. ex Erasmo in annot. 1. Petr. 5. p. 533. *Præceptum hoc Apostolorum Principis, pascite gregem, in omnium Episcoporum aulis vel aureis literis oportebat inscribi. Pascite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate, idque non coacti velut ex officio, sed ex sincero affectu, neque turpis lucri gratia, quasi præsentiens, Ecclesiæ pestem hinc orituram. Denique non dominantes more Regum, sed exemplo pascite, benefactis vincite. Nunc Episcoporum vulgus nihil audit ab assentatoribus doctis, nisi dominia, gladios, ditiones, claves, potestates, atque hinc fastus quorundam plusquam regius, sævitia plusquam Tyrannica. Jam Romano Pontifici magnis voluminibus adulamur, potestatem Christo parem tribuentes, unde fit, ut orbis Christianus aliquoties hujus & Cardinalium dominatum ac strepitum vix ferat, avaritiæ* [illegible] *sufficiat.*

(Quod Bellarminus dicit, *singulariter Petro ac Successoribus ejus hic commissum, ut doceant omnes Christianos, non tam conciones habendo & Commentarios in sacras literas scribendo, quam constituendo ac decernendo, quid ab omnibus credendum,* continet petitionem principii, pugnat cum præcepto omnibus Apostolis dato Matthæi 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. ac Ministerium Ecclesiasticum in Monarchicam potestatem transformat.)

2. Bellarminus h. l. fatetur, *illud pasce, intelligi præcipue doctrina, sic enim, inquit, pascuntur oves rationales Jerem. Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.*

(At hac ratione præceptum hoc minime omnium ad Pontificem Romanum accommodari poterit, quippe qui minimè omnium docet. Petrum definiendo & decernendo gregem pavisse, nusquam legimus, sed conciones habendo & verbum DEI in sacras literas redigendo, gregem Dominicum pavisse scimus. Act. 15 definit, sed non solus, nec ex humano arbitrio, sed cum reliquis Apostolis & juxta normam verbi. Idem faciat Pontifex, & nemo nostrûm refragabitur.)

5. Luc. 22. *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Ergo Pontifex ex cathedra pronuncians errare nequit.* Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 5. & libr. 4. de Roman. Pontif. cap. 3.

Resp. De hoc dicto egimus cap. præced. 2. arg. Advers. 1. hoc loco expendemus argumentum, quod deducunt ex verbis: *Tu conversus, confirma fratres tuos. Ex illis Bellarminus evincere conatur, Christum clarissime ostendisse, quod Petrus futurus sit Princeps & caput fratrum suorum.* Lib. 1. de Pont. cap. 20.

Resp. 1. Emanuel Sa ex Glossa interlineari in illum locum sic commentatur: *Sicut ego orando te protexi, ne deficeres: tu infirmiores exemplo pœnitentiæ tuæ conforta, ne omnia desperent.*

2. Arias Montanus in eundem locum sic scribit: *Confirma fratres, id est, oratione & exemplo. Ita demum fiet, ut Satanæ studium irritum evadat, cum tuam ruinam fratrum tuorum confirmationem esse viderit.*

3. In hanc sententiam Thomas Aquinas Bedam & Theophyl-

tus Spiritus judex esse. Non potest autem probari ex Scriptura, quia de Scripturæ ipsius sententia hoc loco dubitamus. ergo debet probari ex conformitate ad Spiritum eorum, quos constat verum Spiritum habere, tales autem sunt Prælati in Concilio legitime congregati. Talis etiam Pontifex Romanus ex cathedra docens, qui semper à Spiritu sancto dirigitur, ut errare non possit. Bellarminus d.l.

Resp. 1. Stapletonus lib. 1. princ. doctrin. cap. 5. *Oves meæ vocem meam audiunt, inquit Dominus Johan. 10. Item. ex fructibus eorum cognoscetis eos, Matth. 7. id est, à doctrina, ut volunt Vincentius, Theodoretus, Chrysostomus &c. Verus & orthodoxus Pastor non dignoscendus ex persona, quam gerit, quia ex Pastore fieri possit lupus.* (Ergo judicium de Pastore faciendum ex doctrina, non ex publico, quod gerit, officio, juxta illud B. Rhenani in annot. ad lib. Tertull. de præscript. *Non ex personis fides probanda, sed potius ex fide persona.*)

2. Cajetanus Cardin. in cap. 17. Actor. *Susceperunt verba Apostoli hæsitando, an verum esset, sed promtos se exhibuerunt examinando, an conforme esset Scripturis, & post examen crediderunt.* (Ergò norma judicii debet esse Scriptura.)

3. Ostendemus inferius lib. 2. art. 1. cap. 3. th. 2. resp. ad arg. Advers. ex ipsis Pontificiis Scriptoribus, si persona aliqua in publico officio constituta, in articulis fidei præter & extra Scripturam aliquid profert, illud proficisci à Spiritu privato, etiamsi Papa sit, vel summus aliquis Episcopus, ac proinde à nemine illud debere acceptari; vicissim, si privatus aliquis ex perspicuis Scripturæ dictis de controversia quadam religionis judicat, illud non proficisci à Spiritu privato, sed esse publicum Spiritus sancti in Scripturis loquentis judicium ab omnibus fidelibus audiendum.

4. Ostendimus cap. præced. secundo Pontificem posse errare; ostendemus cap. 10. sequente, Concilia posse errare, ex ipso etiam Pontificiorum Scriptorum suffragio, ergo norma, juxta quam Spiritus probandi, non potest esse, vel Pontificis, vel Conciliorum definitio, sed unice Scriptura sacra, quod ipsum probavimus superius part. 1. cap. 2.

CAPUT. IV.

De Scripturæ Sacræ apud Pontificios æstimio.

MONUIMUS superius cap. 1. Pontificios inter disputandi principia, ex quibus nostram oppugnant doctrinam, primo quidē loco ponere Scripturam sacrā, ac in omnibus fere ac singulis controversiis in prima acie collocare Scripturæ sacræ oracula, interim tamen sensum Scripturæ *Ecclesiæ*, hoc est ut ultima analysis docet, *Romani Pontificis* judicio subjicere, cum Scripturam non alia conditione, ut principium disputandi, admittant, nisi eo sensu intelligatur, quo Romana Ecclesia eam interpretatur. Magnum hoc est causæ nostræ adversus Pontificios præjudicium, quod verbis quidem ad Scripturam provocent, interim Scripturæ sacræ glorioso nomine Ecclesiam, hoc est, Romanum Pontificem, à quo verus Scripturæ sensus unice petendus sit, intelligant. Accedit, quòd negent Scripturæ perfectionem, unde consequenter negant, Scripturam sacram esse perfectam normam & regulam, juxta quam controversiæ dijudicandæ, quin & αὐτοπίστως negant, Scripturam esse controversiarum judicem. Magnum etiam hoc est causæ nostræ adversus ipsos præjudicium, eo ipso enim fatentur, se non posse dogmata sua ex sola & unica Scriptura demonstrare, adeoque Scripturæ judicium sese subterfugere, si illa sola de dogmatibus inter nos & ipsos controversis sententiam ferre debeat, ut merito illis obverti possit istud Tertulliani libr. de resurrect. cap. 3. p. 315. *Aufer hæreticis, quæcunque cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Itemque istud alterum lib. contra Hermog. cap. 22. p. 236. *Adoro Scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina, si non est scriptum, timeat væ illud addentibus & detrahentibus constitutum*, Apoc. 22. v. 18 & 19.

Cæterùm, ut eò melius intelligatur, quo loco Pontificii Scripturam sacram habeant, quantive eam æstiment, enumerabimus συντόμως, quot & quam variis modis divinam Scripturæ majestatem & autoritatem labefactent, ex quo manifestum fiet, falsam esse gloriationem, quod debitum honorem Scripturæ tribuant, nec ullo modo in ejus majestatem sint injurii.

Neque verò privatas ac peculiares quorundam opiniones erroneas recensebimus, quæ in Appendice Articuli de Scriptura sacra cap. 3. suum inferius habebunt locum, sed eos tantùm enumerabimus errores, quos unanimi ferè consensu omnes Romanæ Ecclesiæ addicti, contra autoritatem ac majestatem Scripturæ pugnantes, pertinaciter tuentur. Bellarminus quidem asserit lib. 4. de Verbo Dei cap. 3. §. Nunc ad mendacia &c. *Romanenses pluris facere Scripturam, quam Lutheranos*, sed ex sequentibus contrarium apparebit.

Nam Pontificii

1. Libros *quosdam Vet. Testamenti in se ac suâ Naturâ Apocryphos, ut Supplementum Estheris, Librum Baruch, Additamenta Danielis, Librum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Siracidis, primum & secundum Maccabæorum habent pro Canonicis*, & quoad fidei dogmata confirmanda æqualem cum reliquis exploratò Canonicis autoritatem eis tribuunt, ut ostendemus inferius libro 2. artic. 1. cap. 1. sect. 1. & 2. At hac ratione scriptis humana industria exaratis, ac quædam cum veritate Historica & fidei analogia pugnantia continentibus eam autoritatem tribuunt, quæ debetur scriptis Propheticis divina inspiratione immediata editis, ac nihil nisi quod est immotæ & indubitatæ veritatis continentibus, quo ipso divinam Scripturæ autoritatem si non directe, tamen oblique labefactant, perinde, ut honorem edicti regii labefactat, qui assumentum aliquod à Rege minime profectum, imo in quibusdam cum regio edicto pugnans, illi adjungit, ac pro genuina Regii edicti parte illud venditat.

2. *Hebraicam Vet. & Græcam Nov. Testamen. editionem statuunt esse corruptam*, ut ostendemus lib. 2. artic. 1. cap. 2. th. 2. & 3. At hac ratione textus authentici autoritatem labefactant ac divinam providentiam accusant, quod vel non potuerit, vel non voluerit Scripturæ sacræ integritatem in linguis illis, in quibus sancti Dei homines ex inspiratione & impulsu Spiritus S. eam exararunt, conservare.

3. *Vulgatam versionem Latinam* habentem mendas graphicas, fontibus directè contradictorias, ellipticas, pleonasticas, chronographicas, & topographicas, Historicas, dogmaticas &c. *statuunt esse authenticam*, ut ostendemus libr. 2. artic. 1. cap. 7. th. 5. At hac ratione errores humani pro divina veritate Ecclesiæ obtruduntur, & consequenter divina Scripturæ majestas & autoritas labefactatur.

4. *Laicos à lectione Scripturæ sacræ arcent*, ut ostendemus lib. 2 artic. 1. cap. 2. th. 7. At hac ratione denuò in Scripturæ majestatem sunt injurii. Quicunque enim tabulas regias omnibus regni subditis propositas, ut Regis voluntatem atque sensum ex illis percipiant, abscondit, & ab earum lectione maximam subditorum partem arcet, is in tabulas Regias, imò consequenter in ipsum Regem est injurius. Jam verò Pontificii Laicos à Scripturæ lectione arcendo tabulas cœlestis veritatis à Rege Regum omnibus omnino subditis ac civibus Ecclesiæ propositas, ut ex illis suam voluntatem & sententiam perdiscant, abscondunt, & ab earum lectione maximam Ecclesiæ partem abstrahunt. Ergo.

5. *Scripturam in fidei articulis negant esse perspicuam*, ut ostendemus libro 2. artic. 1. cap. 3. th. 1. At hac ratione denuò majestatem Scripturæ convellunt. Si enim Scriptura in proponendis illis, quæ ad salutem necessaria sunt, non est clara & perspicua, non poterit nos ad salutem sapientes reddere, sicque tollitur finis, propter quem Scriptura à sanctis DEI hominibus est exarata.

6. *Negant, Scripturæ sensum ex ipsa Scriptura erui posse, ab Ecclesia autem Romana eum petendum esse* asserunt, ut ostendemus lib. 2. artic. 1. cap. 3. th. 2. At hac ratione denuò Scripturæ majestatem labefactant. Etenim si verus & genuinus Scripturæ sensus non potest ex ipsa Scriptura erui, perit iterum finis, propter quem Scriptura divinitus est edita, qui in eo consistit, ut ad salutem nos informet; quin imo per hanc hypothesin Scriptura divina inferioris statuitur conditionis, quam vulgaris aliqua rudissimi hominis Epistola, ex qua sententiam scribentis colligi posse nemo inficias iverit.

7. *Negant, Scripturam sacram esse perfectam*, ut ostendemus superius lib. 1. part. 1. cap. 1. At hac ratione denuò Scripturæ majestatem labefactant. Qui enim Scripturæ derogat illud, quod revera ei competit, & quod DEUS illi attribuit, esse

esse voluit, & illius rei testimonium ipsemet ei tribuit, is in Scripturæ majestatem, quinimò in DEUM ipsum Scripturæ Autorem est injurius. Pontificii negando Scripturæ perfectionem, derogant ei illud, quod revera ei competit, & quod Deus illi inesse voluit, & cujus rei testimonium ipsemet ei tribuit. Ergò.

8. Statuunt, *Traditiones non scriptas pari pietatis affectu cum scripto DEI verbo acceptandas esse*, ut ostendemus cap. seq. 5. At hac ratione denuò Scripturæ majestatem labefactant. Quod enim est fallax & incertum, destituitur CHRISTI & Apostolorum autoritate, & verbo Dei indubitato est adversum, illud si verbo Dei exæquetur, majestas ejus labefactatur. Traditiones Pontificiæ, quas præter Scripturam in fidei articulis nobis obtrudere satagunt, sunt fallaces & incertæ, destituuntur Christi & Apostolorum testimonio, ac verbo Dei sunt adversæ. Ergò.

9. Statuunt, *autoritatem Scripturæ pendere ab autoritate Ecclesiæ*, ut ostendemus lib. 2. art. 1. cap. 5. At hac ratione denuò majestatem & autoritatem Scripturæ labefactant, negando scilicet, quod τὸ θεῖον sit, *αὐτόπιστον*, nullius externi testimonii in se ac per se indigum, unde meritò illis obverti posset istud Tertulliani in Apologet. cap. 5. licet alia de re prolatum: *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius esse debebit.*

10. Negant, *Scripturam sacram esse unicam ac perfectam normam, juxta quam de controversiis fidei judicandum*, ut ostendimus lib. 1. p. 1. cap. 2. At hac ratione denuò Scripturæ sacræ majestatem labefactant, derogando scil. ei laudem illam, quam ipse Spiritus sanctus ei tribuit, dum ad eam omnem omnino divini cultus, omnemque fidei & vitæ rationem exigi mandat.

11. Negant, *Spiritum sanctum per Scripturam judicare posse*, ut ostendimus lib. 1. part. 1. cap. 3. At hac ratione denuò Scripturæ sacræ majestatem labefactant, negando scilicet, eam in controversiis fidei definiendis esse vocem judicis supremi, ac normam judicis inferioris, adeoque sano sensu etiam judicem, cum tamen in Scriptura, & per Scripturam Deus ipse nobis loquatur, ac Spiritus sanctus eo fine Prophetas & Apostolos ad scribendum impulerit, ut authenticum & infallibile ipsius judicium ex his libris constare posset.

12. Verbum Dei habent pro *medio tantum theoretico*, seu *nudo signo, per quod innotescat Dei voluntas*, *practicum medium sola esse Sacramenta* contendunt, ut videre est apud Bellarmin. libr. 2. de Sacram. cap. 8. qui propterea verbum vocat *manum porrigentem*, Sacramenta verò *manum operantem*. Lib. ejusd. cap. 11. Contrà vero Scriptura docet, media salutem offerentia & efficaciter conferentia esse non duntaxat Sacramenta, sed etiam verbum Evangelii Rom. 1. v. 16. 2. Cor. 5. v. 19. Phil. 2. v. 16. &c.

13. Prætermittimus varia convitia, quibus quidam Pontificiorum directè Scripturæ majestatem labefactant, quando eam vocant *exiguum Bibliorum libellum*, Lindan. Panopl. lib. 2. cap. 13. in princip. & lib. 5. cap. 7. *literulas atramento scriptas*, lib. 1. cap. 20. in princ. *characteres mortuos*, *literam perituram*, libr. 1. Strom. c. 2. in princ. c. 6. in fin. *mortuam, occidentem*, lib. 1. Panopl. cap. 22. in fin. *mutam, inanimem, quæ nec sentit nec intelligit*, lib. 5. Panopl. cap. 4. *merum putamen sine nucleo*, lib. 1. Stromat. cap. 6. in fin. *testem, magistrum, judicem mutum, surdum, mortuum, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valeat*, libr. 1 cap. 7. Bailius Jesuit. in Catech. q. 6. Melchior Canus lib. 1. Loc. Theolog. cap. 7. *nasum quendam cereum in omnem sensum flexibilem, quo quis vult*, Canus lib. 3. cap. 2. Salmeron. prolegom. in Epist. Pauli lib. 1. part. 1. Disp. 6. *Gladium Delphicum, qui ex altera parte serrare, ex altera scindere poterat, regulam Lesbiam, calceum utrique pedi aptum, sylvam omnis alimenti, atramentum sutorium, folium Sibyllæ, Sphingis ænigmata, materiam litis*, Turrianus Jesuita contra Sadeel. p. 99. *Lucum prædonum, officinam hæreticorum.* Charron. de 3. verit. p. 220. *Contrariis dogmatibus æque accommodatam.* Lessius in Consultat. ratione 11. p. 127. *Dicunt, eam esse instar alutæ, quæ patitur se quovis extendi; instar vaginæ, quæ quemlibet admittit gladium, non modo chalybeum, sed etiam plumbeum, ligneum, æreum &c.* & quæ sunt hujus generis alia.

(Atqui teste Alphonso à Castro adv. hæres. titulo Scriptura sacra fol. 159. *Omnibus fere hæreticis hoc unum fuit commune, sacris Scripturis detrahere.* De Ebionitis in specie fatetur Tannerus libr. 2. Dioptr. q. 4. cap. 2. *illos Scripturam habuisse contemtui.*)

14. *Peregrinis & à mente Spiritus sancti ac verbis Scripturæ alienis expositionibus eam ad præconceptas opiniones detorquent.* Exempla hujusmodi expositionum à Pontificibus Romanis profectarum proposuimus superius cap. præced. 3. Hic quædam ex Scriptoribus Pontificiis subjungemus.

Illud Psalm. 74. v. 13. *Contribulasti capita Draconum in aquis*, Discipulus de tempore serm. 110. sic exponit: *Aquâ lustrali à Sacerdotib. aspersâ Dæmones fugantur & expelluntur.*

Quod 2. Reg. 7. v. 12. de CHRISTO dicitur: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*, illud Johannes de Turrecremata lib. 1. Summæ de potest. Eccl. cap. 90. sic exponit: *Faciam, ut semper duret regnum Pontificis.*

Per *fidelem ac prudentem Oeconomum* Luc. 12. v. 42. idem lib. 2. cap. 80. intelligit, *Papam super omnem CHRISTI familiam*, hoc est, super universam Ecclesiam *constitutum.*

Quod Apocal. 4. v. 2. *Sedes posita* dicitur, idem lib. 3. cap. 8. sic exponit: *Sedes Apostolica posita est in cælo, hoc est, in Ecclesia militante & supra sedem sedens, hoc est, Pontifex Romanus, & in circuitu ejus sedilia 24. & super thronos 24. Seniores, hoc est, Cardinales.*

In Concilio Lateranensi Romæ coacto sess. 6. Simon quidam Begnius, Modrusiæ Episcopus his Leonem Papam affatus est verbis: *Ecce venit leo de tribu Juda, radix David*, Apocalyps. 5. vers. 5. *Te, Leo beatissime, Salvatorem expectavimus.*

In Concilio Tridentino Episcopus Bitontinus in Orat. sua dictum Johan. 3. v. 19. ad Pontificem accommodavit: *Papa lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.*

Paulus Æmylius lib. 7. memorat, Legatos Siculos humi venerabundos Papam, ipso quidem non repugnante, sic allocutos esse ex Johan. 1. v. 29. *Sancte Pater, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.*

Ex dicto Esaiæ 40. v. 12. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* colligit Hosius Cardinalis in Confess. Petricov. cap. 10. *Signum crucis tribus digitis esse formandum.*

David à Mauden in Discurs. moral. 2. p. 11. illud Jobi 12. v. 7. *Interroga jumenta & volatilia cæli*, ita explicat: *Per jumenta & volatilia cæli intelliguntur Prælati & Sapientiores Ecclesiæ, quos DEUS in fidelium detrimentum errare non patietur.*

Polydorus Virgilius libro 4. de rer. inventor. cap. 9. memorat, quendam verba 1. Samuel. 2. v. 8. *Domini sunt cardines terræ*, accommodasse ad Cardinales. *Sicut enim ostium*, dixit, *regitur cardine, ita Ecclesia Romana regitur Concilio Cardinalium.* Rectè autem subjungit Polydorus: *Vide, non secus illi aliquoties detorquent sacras literas, quò volunt, ac sutores sordidas solent dentibus extendere pelles.*

Antoninus Archiepiscopus Florentinus Summ. Histor. part. 3. tit. 23. cap. 1. sect. 1. ea, quæ Zachariæ 11. leguntur, *de duabus virgis*, applicat ad duos Monachorum ordines. *De Dominico*, inquit, *& Ordine suo Zacharias cap. 11. dixit in persona Dei: Assumsi mihi duas virgas, unam appellavi decorem, aliam funiculum. Decor est Ordo Prædicatorum. Funiculus est Ordo Minorum, quia funiculo manifesto cingitur.*

(Quomodo verò applicabunt, quod sequitur apud Prophetam, *utramque virgam ab irato Deo abscissam fuisse, & confractam?*)

Malderus fol. 237. *Bestia non tanget montem.* Exod. 19. *Ergò Prælatus non debet à quovis corripi.*

Barbatia consil. 1. fol. 5. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* Psal. 8. *Ergò Papa habet omnem potestatem.* Johan. 10. *Fiet unum ovile. Ergò Papa habet potestatem super fideles & infideles.*

Ludovicus Vives in Augustin. lib. 17. de Civitate Dei cap. 3. *Miror stultitiamne dicam, an impudentiam, an utrumque eorum, qui ex allegoriis præcepta & leges vitæ, dogmata religionis, vincula, quibus ligemur, teneamurque, colligant atque innodant, & ea pro certissimis in vulgum efferunt, ac hæreticum clamant, si quis dissentiat.*

Referri huc possunt ea, quæ extant apud Cornelium à Lapide in Procemio Comment. super duodecim Prophetas minores, pag. 7. quibus mirabiles Monachorum conceptus, ad quos Scripturam sacram detorquent, perstringit. *Cavendi* (inquit) *moderni nonnulli, præsertim*

Concionatores, qui à Prophetis & Patribus degeneres, novum concionandi, novum prophetas explicandi & pertractandi modum commenti sunt. Ut enim apud populum plausum inveniant, verba sacræ Scripturæ ad miros suos conceptus, sibi ut videtur, ingeniosos & elegantes violenter inflectunt & trahunt &c. ingenii sui speculationes parergas pro verbo DEI populo proponentes, imò supponentes &c. Vis exempla? Accipe. Extat liber concionum qui asserit, Davidem uxoriâ difficultate, utpote re in hac vita molestissimâ, afflictum, quotidie pro ea, proque uxore orasse. Probat id ex verbis Psal. 37. v. 69. Deus in adjutorium meum intende, id est, inquit, Deus in uxorem meam intende, fac eam facilem & morigeram, uxor enim vocatur adjutorium viri, ut patet Genes. 2. v. 18. Faciamus ei adjutorium &c. Alterum audivi, qui docebat, sacram Scripturam asserere, Mosen mortuum esse in osculo Domini, quia nimirum Deut. 34 v. 5 in Hebræo dicitur, Moses mortuus super os Domini. Ergo, inquit, in osculo Domini &c. Tertius ex illo Thren. 1. v. 15. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda, idcircò ego plorans, probabat, B. Virginem conceptam esse sine peccato originali. Hunc enim loci sensum dabat, Christus torcular passionis præcipuè subiit pro B. Virgine, eique illius merita singulariter applicavit, curando, ut præservaretur à peccato originali: idcirco ego Jeremias ploro, quod conceptus sim in peccato originali, licet in utero ab eo fuerim expiatus: esto enim hac re sim superior cæteris hominibus, qui in hoc peccato nascuntur, inferior tamen sum B. Virgine, quæ in eo nec nata, nec concepta est. Hæc erat ipsi demonstratio &c.

(Hæc omnia Cornelius, Monachales reliquorum Ordinum conceptus perstringens. Illi verò nihilo minus in illis sibi mirificè placent. Sic enim scribit Autor Anatomiæ Societ. Jesuit. hoc anno 633 editæ pag. 83. *Prædicatio Jesuitarum, sive calami, sive sermonis est sine luce, hoc est, sine revelatione interna contemplationis, nec nova de thesauro suo proferunt, sed vetera tantum, quæ legendis sacris literis & Sanctorum Patrum ac Monachorum libris & operibus didicerunt, quod memoriæ opus est, non scientiæ à Deo haustæ, adeoque imperfectum Prædicatorem arguit &c. Atque hoc ipsum Christus nos docet Matth. 13. Omnis Scriba doctus ad regnum cœlorum (omnis Prædicator, quem Deus docuit ut annunciet regnum cœlorum, fecitque idoneum Ministrum Novi Testamenti 2. Corinth. 3.) similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo vetera & nova. Qui ergò nova sibi primitùs revelata proferre non potest, sed vetera modò vaticinatur, non est Scriba doctus ad regnum cœlorum, nec idoneus Minister novi Testamenti, tanquam carens revelatione internæ contemplationis.*

Et postea: *Istæ adinventiones Dei novæ, nunquam priùs visæ, nec auditæ aut cognitæ, non sunt opiniones aut sententiæ, aut fidei capita sive articuli, sed novi Scripturæ sensus atque intellectus spirituales, quibus Ecclesiæ doctrina jam recepta confirmatur, errores jam damnati aut damnandi arguuntur, boni mores docentur, vitiosi castigantur. Tales sensus revelat DEUS iis, qui totam vitam contemplationi & sacrarum literarum meditationi deputant.*)

Quod CHRISTUS de se dicit Matth. 28. v. 19. *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra*, illud lib. 1. Ceremoniarum tit. 7. refertur ad Papam. *Papa*, inquit Autor libri, *in nocte nativitatis Domini variis cum solennitatibus benedicit ensem, quem largitur alicui Principi in signum infinitæ potentiæ Pontifici, ejus in terris Vicario, collatæ, juxta illud: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra; & alibi Psal. 72. v. 8. Dominabitur à mare usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Dictum Christi Johan. 12. v. 32. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, Jacobus de Terano, Urbani VI. Cubicularius, in tractat. de Monarch. sic exponit: *Omnia Imperia & regna mundi recuperabo & auferam à Cæsare, Regibus & aliis Principibus, idque per milites meos Apostolos, ac Papæ Vicario meo ea subjiciam.*

In Mariali Argentinæ Ann. 1493. edito lib. 1. cap. 5. *Quid est, quod DOMINUS dicit Esaiæ 63. v. 3. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum, si Maria mater misericordiæ adjuvit patrem misericordiarum in opere nostræ salutis? Verum est Domine, quod non fuit vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.*

Henno, referente Georgio Wicelio lib. de abusibus, verba Jehovæ Genes. 2. v. 18. sic accommodat: *Non est bonum hominem esse solum, hoc est, non sufficit unus Advocatus vel Mediator humano generi in cœlo, cùm tot ac tam periculosas causas habeat coram Deo: faciam ei adjutorium, videlicet B. Virginem.*

Idem salutationem Angelicam sic exponit: *Ave, hoc est, sine væ, eò quod à multiplici miseria liberemur per Reginam misericordiæ.*

Ex vaticinio Esa. 49. v. 43. *In faciem terræ adorabunt, & pulverem pedum tuorum lingent*, probat Franciscus Turrianus lib. contra Sadeel, p. 14. *Pedes Pontificis esse osculandos.*

(Idipsum Josephus Steranus Valentinus lib. de adoratione pedum Romani Pontificis cap. 2. & 3. probare conatur ex Esa. 60. v. 14. cap. 61. v. 6. cap. 66. v. 10. Matth. 3. v. 11. cap. 28. v. 9. Luc. 7. v. 44. 45. cap. 24. v. 52. Joh. 17. v. 22. Act. 10. v. 25. cap. 14. v. 18. 19. Apoc. 21. v. 24. Acutè.)

Ex dicto Christi Luc. 9. v. 56. *Filius hominis non venit perdere, sed salvare*, probat Hardingus contra Juellum fol. 59. *Substantiam panis Eucharistici non evanescere in nihilum.*

Johannes Zacharias Theologus Pontificius Erphordianus in Concilio Constantiensi contra Johannem Hussium pro Primatu Pontificis Romani adduxit locum Ezech. 34. v. 10. *Ecce ego ipse super Pastores*; eidemque per crimen falsi addidit hæc verba, *& non populus*, quæ neque in Hebraico, neque in Græco, neque in Latino habentur. Refert Dresserus in millenario 6. part. 1. p. 175.

Bessæus in concept. prædicab. in festo conceptionis, dictum Salomonis Proverb. 8. v. 22. *Dominus possedit me initio viarum suarum &c.* de Maria matre Domini, ejusque immaculata conceptione exponit, cum textus circumstantiæ & omnes veteres testentur, de Filio Dei hoc esse accipiendum.

Antonius Puccius in Concilio Lateranensi asseruit Prophetiam Psalm. 72. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei, impletam esse in Leone X.*

Baronius in Epist. dedicatoria tom. 18. dictum Apostoli 2. Corinth. 10. *In promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, accommodat ad Clementis VIII. expeditionem occupandæ Ferrariæ causa susceptam.

Bozius de signis Ecclesiæ lib. 15. cap. 6. illud Christi, *Capillus de capite vestro non peribit, & omnes capilli capitis vestri numerati sunt, nolite timere*; Illud item Prophetæ, *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, refert ad Reliquias Sanctorum.

Dictum Propheticum Esa. 28. v. 16. Bellarminus in Præfat. libr. de Pontif. Roman. ad Papam accommodat, qui sit *lapis ille in fundamento fundatus.*

Panigarolla Discept. 2. part. 1. *Demonstratum est, Ecclesiam esse visibilem, oportet igitur præter suum caput præcipuum Christum, qui invisibilis est, caput præterea habeat Vicarium in terris, qui sit visibilis. Atque is est, de quo Paulus Apostolus loquitur Ephes. 4. Unus Dominus.*

Sexcenta ejusmodi afferri possent, quibus enumerandis vix integrum volumen sufficeret. Unum adhuc expositionis valde Magistralis exemplum subjicemus.

Antoninus Archiepiscopus Florentinus part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 1. Dictum Psal. 8. v. 7. sic interpretatur: *Deus omnia subjecit sub pedibus ejus, hoc est, Romani Pontificis. Oves, hoc est, Christianos; boves, hoc est, Judæos jugo literæ Legis astrictos & inde vincendos; pecora quoque campi, id est, Ethnicos & iniquos per latam & spaciosam viam errorum & vitiorum procul dubio currentes, Sanctorum Catalogo eos adscribendo. Denique pisces maris, hoc est, animas defunctorum, qui perambulant semitas ejus in amaritudinibus commorantes, ex aquis pœnalibus per indulgentiam extrahendo.*

Atqui per violentas ac peregrinas ejusmodi expositiones Scripturæ alienus sensus affingitur, & consequenter divina ejus majestas labefactatur, perinde, ut contra Regii edicti dignitatem peccatur, quando illud in alienum & peregrinum sensum detorquetur.

Quia ergò Pontificii Scriptores divinam Scripturæ majestatem & autoritatem, quam ipsi, (utpote *Epistolæ Dei omnipotentis è cœlo ad nos missæ, in qua verba Dei sonant, & cor Dei noscitur*;) deberi, omnes verè pii agnoscunt & fatentur, totis viribus labefactare deprehenduntur, ideò doctrina ipsorum cuivis cordato jure ex eo redditur suspecta. Ad hanc ergà divinas cœlestis veritatis tabulas irreverentiam accedit,

I. Quòd in Scripturis evolvendis non adhibeant diligentiam debitam.

Angelus

Angelus Politianus, teste Ludovico Vive lib. 2. de verit. fid. Christ. *Pindari Odas* prætulit psalmis Davidicis.

De eodem Pezelius part. 2. post Melancht. & Heidfeldius in Sphinge Theologo-Philos. cap. 1. p. 12. memorant, quod interrogatus, *an legeret Biblia*, responderit, *semel perlegi librum istum & nunquam collocavi pejus ullum tempus*.

Petrus Bembus, teste Georgio Fabricio, Alex. Alesio in Comment. 2. Timoth. dixisse fertur, *Semel legi Biblia. Quod si iterum mihi essent legenda, perderem omnem Latinitatem.*

Erasmus in libr. de encomio Moriæ p. 280. de *Theologis sui temporis* scribit, *esse inter eos, quibus ut tantulum quidem otii supersit, ut Evangelium aut Paulinas Epistolas vel semel liceat evolvere.*

Idem in Epist. Apologet. ad Martinum Dorpium lib. de Moria adjuncta p. 285. *Moria tantum eos damnat, qui in otiosis disceptatiunculis solis Theologicæ rei puppim, ut ajunt, & proram collocant, quique Logomachiis, ut D. appellavit Apostolus, ejusmodi sic occupantur, ut nec Evangelicas, nec Propheticas, nec Apostolicas literas vacet legere. Atque utinam, mi Dorpi, pauciores essent huic obnoxii crimini! Possem tibi producere, qui annum egressi octogesimum tantum ætatis in hujusmodi tricis perdiderint, nec unquam contextum Evangelicum evolverint, id quod à me compertum ipsi quoque demum confessi sunt.*

P. 406. *Non pauci sunt Theologi, qui nunquam universum Testamentum ordine perlegerint.*

Petrus Rodulphius à Thossignano Franciscanus in Præludiis Dictionarii Concionatorum pauperum cap. 35. *Sunt multi, etiam insignes & præstantissimi Theologi, qui vix integra Biblia perlegerint.*

Gerardus Listrius Rhentensis in Scholis super Erasmi libr. de Moriæ encomio p. 280. *Novi permultos Theologos Doctores, ut vocant, qui ante quinquagesimum annum nondum evolverant omnes Epistolas Pauli, ut per familiaritatem mihi fatebantur.*

Robertus Stephanus in Respons. ad Censur. Theolog. Paris. in Præfat. Sorbonico cuidem Doctori hoc adscribit apophthegma: *Miror, quod isti juvenes allegant nobis novum Testamentum! Per diem! ego habebam plusquam quinquaginta annos, quod nesciebam, quid esset novum Testamentum.*

Henricus Cornelius Agrippa in præfat. lib. de vanit. scient. præfixa: *Video multos humanis disciplinis scientiisque usque adeo insolescere, ut sacrarum literarum eloquia, & Canonicas* SPIRITUS SANCTI *Scripturas (quia careant ornamentis verborum, viribus Syllogismorum, affectatisque suadelis, & peregrina Philosophorum eruditione; sed simpliciter in operationevirtutis, & nuda fide firmatæ sunt: idcirco tanquam rusticas, & idiotas non modo despuere & aspernari, sed & velut contemtu quodam insuper insectari.*

Claudius Espensæus in Comment. 1. Timoth. *Qualiter in hac tempestate legatur Scriptura Canon, satis est manifestum, ubi ex desuetudine & indevotione Ministris Ecclesiasticis sacra in fastidium venerunt.*

Elias Hasenmuller in Histor. Jesuit. cap. 6. p. 146. 147. 192. 193. cap. 9. p. 312. memorat, quod Jesuiticus quidam Sacerdos, nomine Henricus, alumnorum Principis Bavariæ in contubernio Albertino Ingolstadii Regens & Oeconomus, Anno 1584. discipulos suos sic fuerit allocutus: *Libenter audire conciones multas & libenter legere Scripturam sacram, id profectò non est signum boni Catholici, sed potius heretici, qui se istis rebus ceu simia nucibus delectat. Verus enim Catholicus non multum delectatur concionibus, quæ cito ceu ventus transeunt, neque legenne capitur Scripturæ, siquidem ea mortua est litera, quam non intelligit, sed unica ejus voluptas est, audire multas Missas, & sæpius confiteri. Hæc qui negligit, aut contemnit, gravius peccat, quam qui in omni vita sua nullam unquam concionem audivit, nec Biblia vidit.*

Jacobus Crusius Jesuita dixit: *Omnis Biblicus facile fit hæreticus.*

Jesuita Hoffæus dixit: *Quid opus est lectione Bibliorum? cum nobis sint salutaria Ecclesiæ præcepta, quæ vicem Bibliorum apud Catholicos obtinere debent. Fuerunt Christiani, antequam Biblia conscriberentur, neminem litera eorum mortua salvat, Ecclesiam audiamus, & salvi erimus. Hæc enim est litera viva & ipsa Lex Dei, quæ nec errat, nec decipit.*

Gregorius de Valentia Anno 1582. die 6. Aprilis Landsbergæ cuidam dixit: *Tu, si vis egregius esse Catholicus, ne certè peris esse Biblicus, quandoquidem bono Catholico sufficiunt ad salutem Catholicæ Ecclesiæ Decreta.*

Jesuita Pietro aliquando dicebat: *Bibliorum lectio citius hæreticum Lutheranum, quam Catholicum Romanum facit.*

Lutherus in Colloquiis cap. de Bibliis, de Andrea Carolstadio memorat, quod *octavo anno post suum Doctoratum primò legerit Biblia.*

Sixtinus Amama in Oratione de barbarie præfixa Antibarbaro: *Andreas Carolstadius jam octo annorum Doctor erat, cum ad Scripturarum lectionem accederet, & tamen cum circiter annum 1510. in Academ. Witebergensi pro licentia disputasset, Actis Academiæ insertum fuit hoc elogium, quod fuerit sufficientissimus.*

Quidam Doctor Theologus rogatus de Decalogo, negitabat se ejusmodi librum in Bibliotheca sua habere.

Fatebantur veterani aliquot Theologi, se toto vitæ curriculo in Magistro, (Lombardo) *Thoma, Scoto adeo fuisse occupatos, ut Bibliorum lectioni vacare nunquam potuerint.*

Agnoscebant multi Sorbonici, imò per diem jurabant, se plus quam quinquaginta annos habuisse, quod nescicbant, quid esset novum Testamentum, (*quæ ipsorum verba formalia refert Robertus Stephanus in Præfat. ad Censuram Theol Parisiens. Ann. 1532.*) *Jacobus Latomus in Dialogo, quem Methodo Erasmi de studio Theologico opposuit, cum mira clementia sublevet Theologiæ destinatum, ut nec Grammatice, nec linguis, nec oratoribus eum velit discruciari, imò ne quidem lectione divinorum voluminum, veterumve Interpretum, ne eorum quidem, quos sacrosanctos habet Ecclesia, simul ac ventum est ad Neotericos, inquit Erasmus in Apolog. advers. Latom. p. 85. tomi 9. inclementissimè obruit miserum juvenem, exigens, ut nihil hujus generis non evolvat, Lombardum, Alexandrum, Scotum, Thomam, Bonaventuram, Armachanum, Altisiodorum, Holcot, Bricot, Petrum de Alliaco, Occam, Durandum, Aymonem, Carrensem, Ægidium Tartaretum &c. nullius omninò libri gratiam facit. In his vult consenescere Theologum, priusquam utriusque Testamenti libris studeat. Ne Patres quidem vult legi, nisi hoc labore exantlato, veritus procul dubio periculum, ne si prius, non dicam S. S. literas, sed Patres legat, Proceres istos Theologiæ Scholasticæ, quos jam recensuit Erasmus, non sine nausea posset legere.*

Alphonsus de Castro libr. 1. advers. hæres. cap. 4. *Hujusmodi hæreticorum* (Lutheranorum) *causa factum est, ut relictis quibusdam nugis, quibus à trecentis annis hucusque homines sese dedidere, ad meliora studia* (sacrarum literarum) *se transtulerint, quò fit, ut multò plures viros doctos nunc Ecclesia possideat, quam à quadringentis retro actis annis huc usque habuerit.*

Compendium Martyrologii Herbornæ editum Anno 1617. testatur, *in Papatu quamplurimos ob Bibliorum possessionem & lectionem ultimo supplicio affectos esse.*

Martinus Delrius in Prælud. Pharis. sap. conqueritur, *in Pontificiis Academiis Scripturam sacram ita vilescere, ut pauci ejus audiendæ studio sese publice dedant, præ illis, qui subtilitatibus Theologiæ Scholasticæ toti occupantur.*

Ribera in Procem. super Joelem conqueritur: *Paucissimos in Papatu esse, qui accuratæ Scripturarum interpretationi operam navent.*

Jacobus Reihingius olim Jesuita, postea Veritatis Confessor & Professor in laq. Pontif. contritis p. 5. & 6. scribit: *Jesuitas splendidissimo divinarum traditionum nomine deceptos humanorum figmentorum laqueis capi, unde nunquam, nisi assiduâ Scripturæ divinæ lectione ac volutatione, evadere queant. Sed ne evadant, inquit, plerique, illud obstaculum est, quod frequentius ac studiosius Theologorum Scholasticorum, quam divinorum vatum & Apostolorum volumina ab iis legantur, & terantur; sæpius Thomæ, quam Dei Codex in manibus est. Ad audiendum Thomam in Academiis concurrunt plurimi, ad Scripturæ sacræ interpretationem pauci.*

Ibid. *Literati & Clerici raro & parum; illiterati & Laici nunquam, aut vix unquam sacrum Codicem legunt. Et Laicis insuper non modò lectio illius non suadetur, sed vere dissuadetur, imò certis conditionibus prohibetur.*

Ibid scribit: *Se grato animo agnoscere, quod antea in Academicis Scholis divinarum Scripturarum parum studiosus & gnarus, eo loco jam à divina majestate collocatus sit, ubi ad Scripturæ sacræ perpetuam & diligentem lectionem cælesti manu ductus, tractus & impulsus fuerit.*

Non potui, inquit p. 7. aliter, *ô felix necessitas! Auditores magnam partem Evangelici* (in Palatinatu Neoburgico) *aut*

ad Papatum recens allecti, Scripturis assueti Scripturas requirebant; Adversarii, contra quos dicebam aut scribebam, ad Scripturas me provocabant & compellebant. Quid agerem? Scripturis sacris inhærendum & insistendum fuit, ne inter tenellos, sed Scripturæ tenaces, Auditorum animos causæ diffidere, imò causam perdere viderer, itaque hoc egi, ut Scripturæ divinæ libris Papatum stabilirem &c.

Idem in Apologia pro Laqueis contritis, quam Araneorum operas indigitat, & Anno 623. in lucem emisit cap. 11. p. 83. *Stengelius fatetur, Delrium Jesuitam, à me citatum, de satis neglecto & frigido Scripturæ studio in plerisque orbis Academiis conqueri.*

p. 84. *Quatuor annis integris Ingolstadii inter Jesuitas, Theologiæ Studiosos, vixi, & tamen non modò non quotidiè aut alternis diebus, sed nullo omninò die, nec ego, nec quisquam condiscipulorum è Jesuitis Scripturam explicari audivimus. Professor ibi Scripturæ Jesuita nullus fuit. Qui de externis Clericis publicus sacrarum literarum Professor fuit, ejus lectionem adiri & audiri à suis pro arrogantia sua Jesuitæ dedignantur. Vix tertius annus est, cùm tandem Stengelius à publica Ethicæ ad domesticam Scripturæ professionem promotus, & ab admodum invitis Jesuitis Theologiæ tum Studiosis, uti ex ipsismet aliquibus intellexi, auditus est. Num ea Professio successum, & Stengelius in ea successorem, factus scilicet Scholasticæ Theologiæ ipse qualis qualis Professor publicus, habeat, ignoro.*

Ibid. *Iterum vides Lector, quantò isti plus Thomæ, quàm Scripturæ tribuant, Thomæ quadriennium, Scripturæ biennium; Thomæ integra hora, Scripturæ quadrante minus ab illis impenditur; Scripturæ lectio brevior quotidie, longior tantum alternis diebus toleratur.*

2. Quod in certamen de controversiis fidei ex sola Scriptura dijudicandis, nobiscum descendere verentur.

Albertus Piggius lib. 1. Eccles. Hierarch. cap. 4. *Si hujus doctrinæ* (quod cum hæreticis non sit disputandum ex Scripturis) *memores fuissemus, meliore sane loco essent res Christianæ. Sed dum ostentandi ingenii & eruditionis gratia cum Luthero in certamen descenditur Scripturarum, excitatum est hoc, quod, proh dolor, videmus incendium.*

Idem in Præfat. assert. Hierarch. Eccl. ad Paulum III. *omnem de Scripturis conflictationem cum hæreticis perniciosam* judicat *sine Traditionibus.*

Bavarici Theologi in Colloquio Ratisbon. proximo ex sola Scriptura, tanquam perfecta & unica norma, de fidei articulis disputare renuerunt, quinimò disertis verbis professi sunt, *fontem & scaturiginem esse omnium hæresium & confusionis Babylonicæ si quis statuat, nihil in causa religionis esse credendum, & in cultu faciendum, quod non vel expresse contineatur in sacris literis, vel per bonam consequentiam inde deduci queat.*

Meritò igitur illis obverti posset quod Tertullianus lib. de præscript. de hæreticis asserit, quod sint *lucifugæ Scripturarum*; quodque Augustinus Epist. 175. de iisdem asserit, quod *tam fugiant Scripturam, quam latro crucem.*

Confer, quæ dicta sunt superius lib. 1. part. 1. cap. 8. Item librum Dn. Wilhelmi Nigrini de Pontificio Scripturæ contemtu, qui Papalem Ecclesiam meritò hæreseos reddit, non solum suspectam, sed & ream. Nam, ut recte scribit Alphonsus à Castro lib. 13. adv. hæres. tit. Scriptura sacra, fol. 159. *Omnibus fere hæreticis hoc unum fuit commune, sacris videl. Scripturis detrahere.*

CAPUT. V.

De Traditionibus ἀγράφοις.

QUIA Pontificii negant, Scripturam esse perfectam, ideo confugiunt ad supplementum Traditionum ἀγράφων, per quas huic Scripturæ imperfectioni remedium afferri posse existimant. Esto igitur

Thesis. *Traditiones ἄγραφοι non sunt pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo in rebus fidei acceptandæ,*

Ἔκθεσις. 1. Traditionis nomen in Scriptura & Patribus quandoque sumitur *generaliter*, pro doctrina quovis modo traditâ, in qua significatione etiam illis tribuitur, quæ in Scriptura sacra expressè continentur, vel ex illis per evidentem consequentiam deducuntur. Act. 6. v. 14. in version. vulgat. 1. Corinth. 11. v. 23. 2. Thessal. 2. v. 15. Cyprianus in Epist. 74. ad Pomp. De ejusmodi Traditionibus, quæ in Scripturis continentur, vel ex illis deducuntur, adeoque Scripturæ sunt conformes, hoc loco non est quæstio, eas enim libenter admittimus. Sic pædobaptismus vocatur à Patribus *traditio Apostolica*, cum verò nostrûm nemo impugnat.

2. Nec hoc in quæstione positum est, an Christus & Apostoli plura fecerint ac dixerint, quam in scriptis Evangelistarum & Apostolorum ab illis dicta factave extant, quod itidem nemo nostrûm negat. Sed hoc est in quæstione, an necessaria quædam doctrinæ capita ad fidem & mores spectantia non sint scripta, sed vivâ duntaxat voce tradita.

3. Non simpliciter negamus distinctionem inter *verbum scriptum & non scriptum.* Fuit enim tempus, quo verbum Dei non habebatur scriptum, ut in Vet. Testamento ante Mosen, in Nov. Test. ante libros Evangelicos & Apostolicos. Dicimus autem, illud ipsum Dei verbum, quod primum viva voce fuit prædicatum, postea *Dei voluntate in literas esse redactum*, ut sic non sit *realis divisio totius*, (ut volunt Pontificii, qui verbi divini duas fingunt partes, scriptum & non scriptum, in quo alia dicunt contineri dogmata, quàm in illo:) sed *distinctio modalis unius ejusdemque rei* secundum diversas *relationes* & habitudines consideratæ. Illud ipsum enim verbum, quod primitus vivæ vocis prædicatione propagatum, postea à Prophetis & Apostolis fuit divinitus conscriptum & Ecclesiæ commendatum.

Irenæus lib. 3. advers. hæres. cap. 1. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.*

4. Non est quæstio de Traditionibus Historicis, quibus Ecclesia primitiva libros Biblicos horum vel illorum Autorum ex autographis, & aliis rationibus à sensu petitis probavit, & ad Ecclesias succedaneas hanc suam sensitivam cognitionem continuavit. Hasce enim Historicas Traditiones, sive Ecclesiæ testificationes concedimus, non contineri universim omnes in Scriptura sacra, sed negamus eas concernere ipsam verbi revelati substantiam, & in se continere articulos fidei. Quamvis enim sit fidei articulus, *totam* γραφὴν θεόπνευστον, immediate inspiratas à Deo revelationes in se continentem, esse divinam & Canonicam, non tamen est fidei articulus, sed Historica assertio, cum Ecclesia particulari testatur, hunc vel illum librum esse hujus vel illius Autoris, v. g. *Evangelium Matthæi esse Matthæi, Epistolam ad Hebræos esse Pauli.*

Brentius in Prolegom. Apolog. Confess. Wirtemb. Francof. Ann. 1556. fol. 141. *Non loquimur nunc de ea Traditione, quâ nobis sacra Scriptura & quæ in ea continentur, à majoribus in manus tradita sunt. Nam hanc Traditionem affirmamus esse certam, firmam & indubitatam. Et agimus Deo Patri Domini nostri Jesu Christi summas gratias, quod excitaverit Spiritu suo sancto Prophetas & Apostolos, qui quæ æterna sunt salutis, non tantum sermone vulgaverint, verum etiam scripto mandaverint & ad posteros propagaverint, ut habeamus certissimum testimonium ejus doctrinæ, quam ipsi à Deo acceperunt & Ecclesiæ tradiderunt.*

Et postea: *Quæ scripta majores nostri magna fide & diligentiâ conservarunt, & nobis inviolata tradiderunt. Hæc traditio nobis necessaria est & omnibus modis amplectenda, de qua & Irenæus loquitur, cum recenset Symbolum Apostolorum &c. Quin tantum abest, ut hanc traditionem abjiciamus, ut pro ea tanquam pro aris & focis adversus Traditores pugnemus.*

5. Nec est quæstio de *Traditionibus ritualibus*, sive de Ritibus ac Ceremoniis Ecclesiasticis, quas Tertullianus vocat *Traditiones disciplinæ.* Fatemur enim non solum Ecclesiam, sed etiam ipsosmet Apostolos, in Ecclesia ritus quosdam liberos ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην spectantes instituisse, qui *in specie* ac sigillatim nec scripti sunt, nec perpetua necessitatis lege universæ Ecclesiæ impositi, licet *genus*, quod sit, licet *omnia ad ædificationem fieri* debeant, scriptum sit, quod etiam solum est necessarium.

Tertullianus lib. de Veland. virgin. cap. 1. *Regula quidem fidei una omninò est, sola immobilis & irreformabilis. Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis.*

6. Concedimus & hoc, Ecclesiam habere potestatem ταξίας καὶ εὐσχημοσύνης causa quædã ad disciplinam Ecclesiasticam & cultum externum spectantia ordinandi. Tota ergò quæstio est

est de *Traditionibus dogmaticis*, articulos fidei & præcepta morum concernentibus.

7. Neque quæstio est *de ratione tradendorum dogmatum*, an scilicet fidei Christianæ capita sint viva voce tradenda & prædicanda, quod haud inviti concedimus, sed quæstio est *de dogmatibus traditis*, an scilicet Christus & Apostoli quædam dogmata tradiderint, quæ non extent in Scripturis.

8. Bellarminus libr. 4. de Verbo Dei cap. 2. definit Traditionem, quod *sit doctrina non scripta, non quidem quod nusquam sit scripta, sed quod non sit scripta à primo Autore.* Qua hypothesi occurrere voluit argumento, quod quidam opponunt Pontificiis Traditionibus, quas non posse dici ἀγράφως, probant ex eo, quod in libris veterum & recentiorum sunt annotatæ. Majore compendio dicere potuisset, Traditionem vocari *doctrinam non scriptam*, non quidem quod nusquam sit scripta, sed quod non sit in libris Propheticis & Apostolicis scripta, eo enim sensu proprie dicitur ἄγραφος. Sed Traditiones in rebus fidei eo sensu ἀγράφως dictas repudiamus.

9. Lib. & cap. iisdem duplici ratione Traditiones dividit, Primò, *ratione Autorum, in Traditiones Divinas, Apostolicas & Ecclesiasticas.* Divinas vocat, quæ *accepta sunt ab ipso Christo Apostolis docente & nunquam in sacris literis inveniuntur.* Apostolicas, *quæ ab Apostolis instituta sunt, non tamen sine assistentia Spiritus sancti, & nihilominus non extant scripta in eorum Epistolis.* Ecclesiasticas vocat, *quasdam antiquas consuetudines, vel à Prælatis, vel à populis inchoatas, quæ paulatim tacito consensu populorum vim legis habuerunt, quas cum Decretis & Constitutionibus Ecclesiæ parem vim habere asserit.* Secundò, *ratione materiæ in Traditiones de fide, & Traditiones de moribus*, quæ rursus sunt, vel *perpetuæ, vel temporales; universales vel particulares; necessariæ vel liberæ.* Nos de omnibus illis Traditionum speciebus dicimus: Aut sunt scriptæ, & sic erunt necessariæ; aut non sunt scriptæ, & sic erunt liberæ. Quicquid enim vel Christus vel Apostoli ad fidem, vel ad mores pertinens in universa Ecclesia credendum vel servandum instituerunt, illud est divinum & necessarium, idque omne in sacris literis continetur; quicquid vero rituum ac Ceremoniarum in certis quibusdam Ecclesiis Apostoli instituerunt, illud, ut est ἄγραφον, ita quoque est liberum ac ἀδιάφορον.

Antithesis. c. Ecclesiasticarum. dist. 11. *Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam vero Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam vero consuetudine roboratas approbavit usus, quibus par ritus & idem utriusque pietatis debetur affectus, unde quis vel aliquantulum sacrarum expertus Scripturarum hæsitaverit? Si enim attenderimus consuetudines Ecclesiæ non per Scripturas à Patribus traditas nihili æstimare, quantum religio detrimenti sit latura, intentive inspicientibus liquido constabit.*

Concil. Trident. sess. 4. *Sacrosancta Tridentina Synodus perspiciens hanc veritatem & disciplinam, contineri in libris sacris & sine scriptis Traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Vet. quam Nov. Test. cum utriusque unus Deus sit autor, nec non Traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu & reverentia suscipit & veneratur.*

Lindan. lib 5. Panopl. cap. 7. *Illa omnia, quæ tenet & credit Romana Ecclesia, & in Scripturis non habentur, illa inquam omnia ab Apostolis sunt tradita.*

Hosius lib. 3. de autoritat. Script. p. 515. *Multa extra Scripturam credenda sunt tradita Ecclesiæ.*

Petrus Thyræus in Disp. de Sacram. Confess. th. 352. *Divina institutio non solum sacris literis expressa est, sed etiam traditione majorum habetur.* th. 353. *Sive scripto ad nos perveniat (doctrina de voluntate Dei) sive traditione aliorum, eandem & habet & habere debet vim. Neque enim illa ex literis, sed litera ex institutione suam habent autoritatem, neque quia per manus à majoribus traditur, de autoritate ejus quicquam decedit.*

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 5. *Universalis Ecclesiæ Traditiones, aut definitiones in his, quæ fidem spectant, etiamsi aperta Scriptura in earum comprobatione desit, non minoris sunt autoritatis, quam ipsa Scriptura sacra.*

Et postea: *Si credis Scripturæ divinæ, per manus Evangelistarum & Apostolorum scriptæ, cur non credis voci divinæ per os Ecclesiæ prolatæ? &c. Cur credis Evangelistæ & non Ecclesiæ, cujus ipse Evangelista membrum unum fuit, cum Ecclesia tanto Evangelistas antecellat, quanto integrum corpus singulis præstat membris?*

Melchior Canus lib. 1. Locor. Theol. cap 3. inter *domicilia argumentorum Theologicorum* secundo loco numerat *autoritatem Traditionum Christi & Apostolorum, quæ quoniam scripta non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissime dicantur.*

Canisius in Catech. p. 42. *Pro sacrosanctis habenda, firmissimaque fide complectenda sunt, quæ Spiritus sanctus credenda nobis revelat, sive scripto illa, sive vivæ vocis Traditione nobis commendentur.*

Hoffmeisterus in Theol. Patrum p. 24. *Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione discrepat & discordat.*

Catech. ex Decreto Concil. Trident. editus p. 12. Colon. edit. *Omnis doctrinæ ratio, quæ fidelibus tradenda est, verbo Dei continetur, quod in Scripturam Traditionesque distributum est.*

Censura Colon. f. 230. statuit, *Traditiones parem cum Dei verbo scripto autoritatem habere, & eadem fide credenda esse, sicut illa, quæ habent manifesta in Scriptura testimonia.*

Bellarm. lib. 4. de V. D. cap. 3. *Nos asserimus, præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum, id est, divinas & Apostolicas Traditiones; agnoscimus Traditiones Apostolicas omnium generum; asserimus, non deesse certas vias & rationes, quibus Apostolicæ Traditiones ostendantur.*

Lib. 1. de Sacram. in genere cap. 14. *Catholici agnoscunt pro verbo Dei etiam Traditiones.*

Nostram sententiam probamus, tum ex demonstrata superius Scripturæ perfectione, tum ex Traditionum, quas Pontificii pro divinis & Apostolicis extra & præter Scripturam venditant, conditione. Sunt enim 1. scripto Dei verbo adversæ, utpote Scripturæ perfectioni & expresse Christi & Apostolorum præmonitioni repugnantes. Matth. 5. v. 21. 22. 27. & seqq. cap. 15. v. 6. Gal. 1. v. 8. Col. 2. v. 8. 2. ex Pharisaismo originem trahunt. Matth. 5. v. 21. cap. 15. v. 5. Marc. 7. v. 1. Joseph. lib. 13. antiquit. cap. 18. Hieronym. in Epistol. ad Damasum, Chrys. hom. 52. in Matth. 3. sunt hæreticorum propriæ, qui *cùm ex Scripturis arguuntur in accusationem convertuntur Scripturarum, quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt Traditionem, non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem.* Iren. lib. 3. cap. 2. p. 169. 4. sunt multis modis fallaces & incertæ, tum *ratione originis*, quæ enim pro Traditionibus divinis & Apostolicis Pontificii venditant, ea à Christo & Apostolis profecta esse, nulla certitudinis specie affirmari, nullo argumentorum pondere demonstrari potest; tum *ratione numeri*, de quo ipsimet nondum sunt certi, unde quidam ad Traditiones referunt ea dogmata, quæ alii ex Scripturis demonstrare conantur; tum *ratione diversitatis*, quæ enim veteres pro Traditionibus habent, in illis invicem non consentiunt, & quædam illorum ab ipsis Pontificiis repudiantur; tum *ratione effectus*, quia Traditionis opinio magnis olim in Ecclesia viris imposuit. 5. non sunt à Christo & Apostolis profectæ. Christus enim expresse præcipit Apostolis, Matth. 10. v. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce*, ac suo exemplo ostendit, nihil esse in mysteriis fidei occultandum, Johan. 18. v. 20. unde etiam Apostoli *omne consilium Dei de salute hominum* auditoribus suis manifestarunt, Act. 27. v. 20. quod *audiverunt & viderunt, illud annunciarunt & scripserunt* 1. Johan. 1. v. 1. & 2. Falsum igitur est, quod Apostoli quædam doctrinæ cœlestis capita solis Prælatis, Episcopis & Presbyteris viva vocis Traditione ad posteros propaganda tradiderint.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam perfectionem Scripturæ nobiscum agnoscunt, quorũ testimonia enumerata sunt superius libr. 1. part. 1. cap. 1. Posita enim Scripturæ perfectione tollitur Traditionum necessitas; posita Traditionum necessitate, Scripturæ perfectio tollitur, quod agnoscit Bellarminus sic scribens:

Lib. 4. de V. D. cap. 3. *Asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus, & proinde* (nota particulam illativam proinde) *præter verbum Dei scriptum, requiri etiam verbum Dei non scriptum, id est, divinas & Apostolicas Traditiones.*

Lib. ejusdem cap. 5. §. 2. *Esse aliquas veras Traditiones potest colligi ex eo, quod ostendimus, Scripturas sine Traditionibus nec omnino necessarias, nec sufficientes fuisse. Nam si Scriptura non continet omnia, & necessarium est verbum traditum, sequitur esse aliquod verbum traditum, alioqui Deus non bene providisset Ecclesiæ.*

(Eodem medio nostrã probamus sententiam. Si Scriptura continet omnia, quæ ad fidem & mores sunt necessaria, sequitur, non esse necessarias Traditiones. Sed verum prius, ut d. l. ex ipsis Pontificiorum quorundam Scriptorum verbis ostendimus. Ergo etiam posterius.)

Huc referri possunt Canones, in quibus Romano Pontifici derogatur potestas in articulis fidei aliquid statuendi, quod in Scriptura non est revelatum.

c. Transferunt 24. q. 3. *Immutant mendacio veritatem, qui aliud prædicant, quam ab Apostolis acceperunt.*

c. Sunt quidam. caus. 25. q. 1. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas leges condere quod & nos non negamus, sed valdè affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Unde vero aperte Dominus vel ejus Apostoli, & eos sequentes sancti Patres aliquid definierunt, ibi novam legem Rom. Pontifex non potest dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet:* (sensus est, quod in fidei articulis in Scriptura jam ante traditis nihil novi tradere debeat, sed in ritibus externis ad εὐταξίαν spectantibus. Ita namque in aliis canonibus hoc ipsum declaratur.)

c. Lex divina. caus. 27. q. 2. ex Benedicto Papa: *Cur prohibeatur, quod prohibendum nunquam sacra Scriptura declarat?*

c. Si is qui præest 11. q. 3. *Is qui præest, si præter voluntatem, vel præter quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid* (in rebus fidei) *vel imperat* (in præceptis morum) *tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur.*

2. Quod quidam agnoscunt, in fidei articulis scripto Dei verbo unice inhærendum, non autem ad Traditiones ἀγράφως confugiendum.

Dantes Aligerius in part. 3. lib. de Monarch. *Audivi quendam ex Decretalistis dicentem & procaciter asserentem, Traditiones Ecclesiæ fidei esse fundamentum, quod quidem nefas de opinione mortalium si submoveant, qui ante Traditiones Ecclesiæ in Filium Dei Christum sive venturum, sive præsentem, sive jam passum crediderunt, & credendo speraverunt, & sperantes caritate arserunt, & ardentes ei coheredes futuros esse, mundus non dubitat.*

Nic. Siculus de Tudeschis Panormitanus Archiep. in cap. cum olim de Cler. conjug. dicit: *Traditiones conscientiis non esse imponendas, nec eas illis alligari oportere.*

Johannes de Wessalia Concionator Wormaciensis circa Annum 1464. inter alia docuit, *Prælatos oportere solum Evangelium docere, non novas leges condere.*

Stephanus Brulifer super sententias Bonaventuræ circa Ann. 1470. scripsit: *Nec Papa, nec Concilium, nec ullum plane hominem posse quicquam præcipere sub pœna peccati mortalis, quod ante à Deo præceptum non esset.*

Erasmus in Paraphrasi cap. 7. Marci scribit: *Quantum inter Deum & homines sit discriminis, tantum etiam inter divina præcepta & Traditiones humanas fieri oportere.*

Et paulo post subjicit: *Præpostera pietas est & irreligiosa religio superstitiosum esse in observandis his, quæ majores vestri ex suo animo tradiderint & ea negligere, quæ præcepit Deus.*

Jac. Faber Stapulensis in cap. 16. Rom. super verba: *Obsecro vos fratres, ut observetis eos, qui divisiones faciunt præter doctrinam, quam à nobis didicistis. Sic hortatur Apostolus Romanos, & in Romanis nos. Vide autem, ne hac tempestate sint nonnulli stultam opinionem populo præter Christi doctrinam inducentes, magis fortasse superstitiosam, quam religiosam. Hæreamus igitur soli Christo & Apostolicæ doctrinæ.*

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 7. *Non levis error est quorundam nostri temporis Theologorum, qui Ecclesiasticæ Traditionis titulo non quidem nos à Scripturis abducere conantur, sed priores tamen partes dant Traditionibus, Scripturæ posteriores. Quasi vero aliquid roboris ac firmitatis possit esse in eo consensu, atque in iis Traditionibus, quæ non nitantur verbi Dei autoritate, quas tamen ipsas ab Apostolis minime natas esse, vel hoc ipso argui potest, si discrepent aut disjunctæ sint à Scripturis divinis, ad quas omnia examinanda sunt, quæ in Ecclesia Dei rata esse debent ac firma.*

3. Quod quidam agnoscunt, Traditiones illas ἀγράφως afferre aliquod Ecclesiæ incommodum.

Fridericus de Lanciron Imp. Sigisin. Consiliarius circa Annum 1434. sic scribit: *Fatebuntur mecum omnes, singulos Papas, ut sui nominis sibi post mortem facerent memoriam, novas commentos esse Ceremonias & sanctiones, quibus Christi & Apostolorum sancta doctrina, & præceptiones interciderunt & obnubilatæ sunt, omnibus in clamores, pulsus, strepitus, boatus, lectiones Missicas & cantiones peregrinarũ linguarũ conversis & degenerantibus, vice versa minima quidem ordinatio integra secundum Dei ordinem mansit, [...] profligata sunt mandata Dei, hominum Traditionibus succedentibus.*

Ouus Ecclesiæ cap. 14. §. 7. *Enimvero lex Evangelica, quam Spiritus sanctus promulgavit, est efficacissima, & ad omnes causas saluti nostræ necessarias sufficientissima. Christus enim cum sua lege non desiit regere Ecclesiam, veluti apud Catharinam Senensem dicitur cap. 100. & 146. Omnibus hominibus perfectis & imperfectis regula & iter est doctrina Christi ad discipulos inquientis Iohan. 14. Quo vado scitis, ego sum via, veritas & vita. Ecce in Evangelicis regulis & doctrinis quilibet potest investigare & invenire viam salutis & consolationis suæ. Sed his neglectis hodie observant hominum adinventiones, consuetudinesque inveteratas, quibus etiam magis ad Dei irreverentiam, quam laudem, magis ad animarum perniciem, quam salutem abutimur.*

Vatablus Professor Parisiensis in annot. Deut. 4. *Causatur Moses, ideo nihil esse addendum vel demendum verbis Dei, ne non serventur præcepta DEI, quod Traditiones hominum verbo Dei additæ obstaculo sint, ne serventur, præcepta enim hominum avertunt à veritate Tit. 1. & seducunt corda innocentium Rom. 16.*

4. Quod quidam agnoscunt, Traditiones non posse verbo Dei exæquari.

Thomas 2. 2. q. 147. art. 4. *Præcepta Dei sunt præcepta juris naturalis, quæ secundum se sunt de necessitate salutis. Sed Statuta Ecclesiæ sunt de his, quæ per se non sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesiæ.*

Johannes Ferus in cap. 15. Matth. *Omnium maxime reprehensibile est hoc, quod Constitutiones Ecclesiasticas plerumque præceptis divinis æquamus.*

Jacobus Nachiantes Fossæ Clodiæ vel Clugiensis Episcopus, cum in Concilio Tridentino diceret: *Verba illa, pari pietatis affectu Traditiones cum verbo Dei scripto habendas esse, sibi displicere videri, nihil enim esse, quod cum Evangelio conferri queat:* propter hoc jussus est à Legatis Tridento discedere, & Romam ad impetrandam à Pontifice veniam abire, referente Vergerio Epist. ad Regem Poloniæ fol. 119.

De Stanislao Hosio Cardinali refert idem Vergerius Dial. 1. contra Hosium tom. 1. operum f. 140. quod primum locum tribuerit scripto Evangelio, proximum duntaxat, non eundem, Traditionibus.

Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 2. *Ecclesiasticas Traditiones cum Constitutionibus Ecclesiæ parem vim habere*, asserit, (non ausus easdem scripto Dei verbo exæquare.)

Franciscus Rupefocaldus Episcopus Claromontanus lib. de autorit. Eccles. cap. 2. fatetur, *Traditiones progressu temporis fieri multo magis obnoxias corruptioni, depravationique, quam Scripturas.*

Gretserus defens. tom. 1. lib. 4. cap. 42. p. 1528. *Traditiones non sunt paris autoritatis cum Scripturis.*

5. Quod multi conqueruntur, Ecclesiam copia & varietate inutilium, imo noxiarum Traditionum gravari.

Bernhardus Epist. 91. col. 848. *Ad illud Concilium toto desiderio feror, in quo Traditiones hominum non obstinatius defendantur, nec superstitiosius observantur, sed diligenter humiliterque inquiratur, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

Johannes Sarisberiensis in Policratico: *Sedent in Ecclesia Romana Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus omnibus gravis ac pene intolerabilis. [...] Ita debacchantur ejus Legati, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan à facie Domini &c.*

Petrus Cantor Parisiensis, in Concilio Lateranensi reprehendit Traditionum copiam, cumque Episcopi novas Traditiones vellent condere, restitit ac dixit: *Adeo non esse novas Traditiones condendas, ut quoque de veteribus aliquid potius sit diminuendum. Nam illarum copia & numero Christianos onerari. Illud magis agendum esse, ut Christi verbum servetur. Iam enim Christianis vere objici posse, quod propter hominum Traditiones mandatum Dei factum sit irritum.* Idipsum repetit in libro, cui titulus, *Verbum abbreviatum.*

Gerson lib. de vit. spirit. anim. lect. 2. f. 321. *Quoniam ignoratur virtus Legis divinæ, frequenter propter Traditiones hominum [...] irritum fit Dei mandatum. Fit amplius de levi jugo Christi & Lege libertatis jugum ferreum onus grave, premens cervices Christianorum, dum scilicet aliqui suas omnes leges, suas institutiones, suas regulas & statuta arbitrari volunt accipiendas esse, sicut præcepta Legis Dei,*

Dei, ad æternæ mortis interitum, si prætereantur, mergentia. Has vero Traditiones hominum quis cunctas dinumeret in Canonibus summorum Pontificum, in Constitutionibus Synodalibus Provinciarum, aut Diœcesium, religionum regulis, in Universitatum, Collegiorum & Ecclesiarum Statutis, in edictis Imperatorum & Principum, in plebiscitis communitatum? Quarum plures sub interminatione latæ sententiæ, aliæ sub interminatione divinæ indignationis, aliæ sub voto, aliæ & fere omnes sub juramenti aut fidelitatis debito stringunt & obligant. Quod si Adam vir talis & tantus unicum disciplinæ præceptum habens in illo corruit, nos inter innumerabilia positi qualiter evademus? Vix potest imbecillitas nostra divinas Leges ad numerum parvum gratuita sua benignitate reductas implere. Viam igitur obsitam tot spinis Constitutionum semel involventium & obumbrantium, quis inoffenso pede transiliet? Scimus, quid dixerit Petrus Apostolus Act. 15. Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Hoc animadvertens & pia compassione deplorans egregius Doctor ad Inquisitionem Ianuarii (Epistola 119.) ipsam, inquit, religionem nostram, quam manifestissimis & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt oneribus, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui Legalibus Sacramentis, non humanis præsumtionibus subjiciuntur. Si tuo tempore sic dolebas, ô sapiens Augustine, quid nostra tempestate dixisses, ubi pro varietate & motu capitum incredibilis est varietas, & dissona multiplicitas onerum hujusmodi servilium & humanarum, prout loqueris, præsumtionum? Inter quas velut inter laqueos animarum & ligantia retia vix quispiam securus & indeprehensus incesserit &c. Hæc est querela, qualem olim apud devotum Bernhardum detulerunt quidam ex Monachis, & propter quam compescendam, sicut modo nitimur agere, scripsit volumen pulcherrimum de præcepto & dispensatione, qui liber huic operi nostro pro fundamento supponatur.

Lib. ejusd. p. 3. coroll. 14. *Tanta est hujusmodi Constitutionum multitudo, ut si tenerentur in suo rigore, maxima pars Ecclesiæ damnaretur.*

Idem part. 1. de nupt. Christi & Ecclesiæ: *Quid vult Constitutionum talis multiplicatio Evangelio nec cognito, nec observato? Sciatur imprimis & servetur Evangelium.*

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in lib. de Reformat. Ecclesiæ Romanæ: *De tertio gravamine Rom. Ecclesiæ, quod imponit aliis in onerosa multitudine Statutorum, Canonum & Decretalium, & maxime illorum, quæ videntur ad graves pœnas, & præcipue ad mortales culpas obligare, & eadem ratione de similibus Statutis, aut Constitutionibus Synodalibus Prælatorum, providendum erat de rationabili alleviatione hujusmodi onerum, ne de Prælatis verificetur, quod de Pharisæis & Sacerdotibus Synagogæ à Christo improperando dictum est. Imponunt onera gravia & importabilia in humeros hominum, digito autem nolunt ea movere.*

Rodericus Episcopus Zamorensis in Speculo vitæ hum. *Tempore primitivæ Ecclesiæ non arctabantur fideles tot Canonum & Decretorum præceptis, censuris aut pœnis. Nec erant tunc, ut ita dixerim, tot laquei Legum seu Constitutionum, excommunicationum sive censurarum, à quibus vix fideles etiam diligentissimi & timorati respirare & præcavere possunt. Non tot jejunia indicta, non vigiliæ, non silentia, non diurna pariter & nocturna divina officia, determinata ac ex præcepto dicenda, non denique tot festa colenda, non tam crebra confessio & corporis Christi communicatio, non tot obœdientiarum præstationes, sicut modo fideles arctantur, aut potius involvuntur, ita ut recte de Prælatis Ecclesiæ dici possit illud Christi: Qui alligant onera importabilia.*

Royardus homil. 2. Domin. post Epiphan. *Qui supra doctrinam docere præsumunt, hi sunt nulla sacra Scriptura autoritate suffulti, secundum suas opiniones, quas pro articulis fidei habent, fingunt adinventiones novas, onera gravia, circumstantias delictorum innumeras, usque adeo conscientias hominum illaqueantes, ut nonnullos deduxerint ad insaniam, qui tamen graviora, utpote judicium de seipso, miserationem proximi parvipendentes colant culicem, deglutiunt camelum.*

Onus Ecclesiæ cap. 14. § 6. *Illo tempore* (in quarto Statu Ecclesiæ) *salubres Canones, quos in prioribus Statibus boni Patres juxta divinæ Legis tenorem instinctu Spiritus sancti ad Dei laudem, animarumque salutem constituebant, cœperunt abrogari & probe despici, loco quorum in præsenti quinto Statu nonnulla nova Decreta in Evangelicis & spiritualibus negotiis ad quæstum & usum temporalium sunt adinventa. Et sic norma spiritualis & veritas Evangelica ac fides sincera quodammodo explosa est per capitosos justitiarios.*

§. 7. *Ultra antiqua seu Decretalia jura Romæ quotidie eduntur novæ Constitutiones &c. Ob tales similesque adinventiones Deus justus aliquando nos perdet, quia væ illis, qui condunt leges iniquas!*

§. 8. *Clerici & Religiosi Constitutiones suorum prædecessorum sanctorum sc. Patrum prophanant, novas adinventiones pro legibus tenent. Cernimus deniq; apud plebeios consuetudines corruptas justis legibus ubique prævalere & quasi omnes homines degenerare.*

Cap. 43. §. 13. *Plures aliæ absurditates & enormes perversitates & abusiones humanæque Traditiones contra Evangelicum Statum introductæ allegari possent, quæ hodie in quibusdam Ecclesiis, quasi pro legitimo jure defenduntur, quas ad præsens brevitatis gratia prætereo.*

Gravamina Nationis Germanicæ in Comitiis Norinberg. Ann. 1543. Legato Pontificis oblata gravam. 8. *Rogant sanctitatem Apostolicam Imperii Principes, cæterique Status, quatenus sanctitas sua paterno animi affectu offendicula & gravamina Indulgentiarum, Dispensationum, Stationariorum, Terminariorumque è medio tollere, atque ita negotium temperare velit, ne libertas Christiana servitute humanarum Constitutionum penitus extinguatur, illaqueenturque conscientiæ Christi fidelium mandatis hominum, quibus nullum est peccatum majus quam nummis carere. Non enim ultra quicquam prohibent, quam si gratis contravenire quis velit & dispensant illico, quod prohibuerant, numerata scilicet pecunia ampliore.*

Cajetanus in cap. 11. Matth. *Onera, quæ ministri imponunt humeris hominum, sunt importabilia, non onus Christi.*

Erasmus in cap. 11. Matth. *Vere blandum est jugum Christi & levis sarcina, si præter id, quod ille nobis imposuit, nihil imponeretur ab humanis constitutiunculis. Præter mutuam caritatem nihil ille præcipit, neque quicquam tam amarum est, quod non condiat, condulcetque caritas. Facile toleratur, quicquid est secundum Naturam. Nihil autem magis congruit cum hominis Natura, quam Christi philosophia, quæ pene nihil aliud agit, quam ut Naturam collapsam suæ restituat innocentiæ, sinceritatique. Sed quemadmodum apud Iudæos Legem per se molestam aggravabant hominum Constitutiones, ita cavendum est etiam atque etiam, ne Christi legem per se blandam ac levem, gravem & asperam reddant humanarum Constitutionum ac dogmatum accessiones, quæ sic primum obrepunt, ut vel tanquam pusilla negligantur, vel pietatis specie commendata libenter amplectantur etiam homines probi magis quam providi. Semel recepta paulum gliscunt, augescunt, donec in immensum aucta jam nolentes premant & obruant, seu consuetudinis, cujus violenta Tyrannis est, præsidio, seu Principum autoritate, quod temere receptum est, in suam utilitatem abutentium, mordicusque retinentium. Quam pura quam simplex fides à Christo nobis tradita, quam huic simile Symbolum sive ab Apostolis ipsis, sive à viris Apostolicis proditum! huic deinde multum adjunxit Ecclesia, dissidiis hæreticorum dissecta, vexataque, quorum etsi quædam sunt, quæ citra fidei dispendium poterant omitti, tamen pleraque videbantur etiamnum ad rem pertinere. Tot jam erant Symbola, quot homines, nihilo melius bonæ fidei signum, quam cum in contractibus res multis ac verbosis syngraphis agitur, quæ cum ad excludendas captiones adhibeantur, quo circumspectius scripta sunt, hoc plus captionum solent fere gignere. Postremò res eò paulatim deducta est, ut Scholasticorum aliquot placita, ut articuli Parisienses, ut homunculorum quorundam nova quædam ad fastum comminiscentium, vel opiniones, vel somnia propemodum æquentur articulis fidei Apostolicæ. Atque ex his Christiani aut non Christiani censemur, quæ ne tantulum quidem ad Christianam attinent pietatem. Iam quam popularis, quam expedita est doctrina Christi, Apostolica & Patrum Apostolicorum! quam nunc impedita, spinosa, ne dicam tenebricosa facta, partim admixtu legum ac disciplinarum humanarum, partim somniis & inventiunculis ambitiosorum hominum, posteaquam sacra Theologiæ professio scenica quædam ac theatrica res esse cœpit. Tota hominis ætas non sufficit quæstiunculis & inutilium argutiarum labyrinthis. Inter hæc quando Christianæ vitæ studium, si jam octogenarii tantum dubitare didicimus? Nam de humanarum constitutionum onere quid attinet dicere, cum jam olim D. August. in Epist. ad Ian. stomachetur ac deploret, Ecclesiam Christi sic premi, ut tolerabilior prope fuerit Iudæorum quam Christianorum conditio? Et tamen ille ob frivola quædam nudipedalia, nescio quæ, destomachatur. Quid si videret liberum illum Christi populum, tot Legibus, tot Ceremoniis, tot laqueis irretitum! neque simplici hominum Tyrannide oppressum, Principum prophanorum, Episcoporum, Cardinalium, Pontificum, multoque maxime horum satellitum. Ipsis Sacramentis ad hominum salutem*

salutem institutis, ad quæstum nostrum, ad fastum, ad Tyrannidem, ad opprimendam plebeculam abutimur quidam. Iudæis nullum vestis genus erat interdictum, præter id, quod esset lino lanaque contextum. Nunc quot de cultu constitutiones, quanta vestium, colorumque superstitio? Quam ex hujusmodi nugis, quæ per se nec honestatem habent, nec turpitudinem, sed pro temporum ratione, pro mortalium opinione, censentur Christiani, de quibus nihil unquam meminit Christus. Pauca erant Iudæorum jejunia, & tamen nemo capitale esse dixit, si quis illis ipsis statis diebus non jejunasset. Nos quot gravamur inediæ ad quas non invitamur, sed cogimur sub pœna, ut ajunt, æternæ damnationis. Iudæis certa piscium & animantium genera sunt interdicta, sed ad esum non admodum expetenda. Nos bona anni parte piscium esu contabescimus, inedia disrumpimur. Nec ætati subvenitur, nec morbo, nisi legis relaxatio nummis redimatur. Quin & festorum apud Hebræos mediocris erat numerus. Ætas Hieronymi præter diem Dominicum paucissima noverat festa. Nunc feriarum neque finis, neque modus, quæ cum primitus ad pietatis vacationem pauca sint instituta, nunc ad scelerum exclusionem tolli debebant, nisi Sacerdotum avaritia suis rebus consuleret potius, quam veræ religioni. Quid loquar de perplexis & inextricabilibus votorum vinculis, quorum alia redimi possunt, sed immensa pecunia, alia nullo modo possunt? Iam matrimonii conditio quanto commodior Iudæis, quam nobis? Quot laqueis, quot tricis conjugium involvimus? Pœnitentiæ & Confessionis Sacramentum, quibus modis arctavimus, quot hominum Decretis impeditum reddimus? ut ne quid dicam interim de onere precum, quæ quotidianis etiam accessionibus aggravantur. Adhæc quasi parū sit legum & constitutionum Decretalium, indies novarum Constitutionum examina prorumpunt, imo velut hoc quoque parum sit, gravari nos volunt, jure nescio quo consuetudinis, quæ primum à duobus delitis profecta paulatim invaluerit. Excommunicationis fulmen ubique promtum & intentatum, irregularitates, anathematizationes occursant undique. Pontificis Romani sacrosancta autoritate, quæ non nisi sublevandis Ecclesiæ rebus valere debet, sic abutuntur quidam in absolutionibus, in dispensationibus, in condonationibus, in executionibus, ut permulta sint, quæ vere pii sine gemitu spectare non possint. Sacerdotiorum adeo perplexa res est, ut Aristotelicam Philosophiam omnem perdiscas citius, quam praxin Sacerdotiorum. In templis vix vacat Evangelium interpretari. Concionis bona pars ad Commissariorum arbitrium consumenda est. Nonnunquam & sacrosancta Christi doctrina aut supprimenda, aut ad illorum rem detorquenda. Ad hæc qui modeste pii sunt, taciti secum ingemiscunt. Qui populi malis aluntur, & quorum interest Christi gregem, quem ille suo sanguine liberum reddidit, quam maxime servum esse & obnoxium, adeo non reclamant, ut modis omnibus exaggerent &c. Intolerabile est, ut inquit Augustinus, cum hæc à membris, imo à moderatoribus Ecclesiæ corpus Ecclesiæ patitur. Ab iis potissimum injiciuntur laquei, unde par erat impeditis subveniri. His malis medicandis una superesse solet ancora sacra, generale Concilium. At nunc hæc ipsa vertuntur in Reipubl. caput. Nec ulla superest medendi spes; nisi si Christus ipse vertat aut certe excitet Pontificum ac Principum animos ad ea, quæ veræ sunt pietatis, aut Theologi & Concionatores non seditiosis clamoribus, sed sobrie placideque, quæ Christo digna sint, magno consensu doceant & inculcent. Nam ut Turcus aut Tyrannus quispiam per tumultum subverso rerum ordine per occasionem restituat rem Christianam, non opinor ullis piis optandum. Ego certe abominor etiam. Unum illud etiam atque etiam admonendi sumus omnes, ut juxta Pauli doctrinam sic libertatem à Christo datam amplectamur, ne eam occasionem demus carni, & sub libertatis prætextu turpius serviamus vitiis, sed sic excutiamus hominum jugum grave, ut vere blando Christi jugo premamur.

Idem in cap.23. Matth. p. 71. Omnia, quæ dixerint vobis, facite. Hunc locum quidam eò torquent, quasi parendum sit in omnibus, quæ præcipiunt Episcopi, aut Præpositi etiam impii, ob muneris autoritatem, cum Christus de iis loquatur, qui recte docerent Legem Mosaicam, non qui suis constitutiunculis illaquearent animas hominum. Ita nunc quoque fortassis audiendus sit Episcopus, qui recte doceat Evangelium, etiamsi ipse parum Evangelice vivat. Cæterum quis ferat eos, adversus Christi doctrinam pro suo commodo fixis ac refixis legibus meram Tyrannidem exercentes in populum, suoque quæstu ac majestate metientes omnia?

Cassander in Consultat. art. 7. Augustinus scribit, nimiam illam Ceremoniarum multitudinem oblata occasione resecandam esse, etiamsi fidei non videatur adversari, quia religionem, quam CHRISTUS liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt &c. Non prorsus iniquum videtur, quod Protestantes postulant, ut Episcopi in Traditionibus & Constitutionibus Ecclesiasticis æquitatem & moderationem adhibeant. Equidem fatendum est, nonnullas esse Traditiones, a quibus urgendis ab æquitate & mente Ecclesiæ ab imperitis & superstitiosis Antistitibus, & Ecclesiarum Præfectis recessum est, ut de nimia severa exactione jejuniorum & ciborum delectu, item de cœlibatu eorum, qui imprudenter & temere se ad cœlibatum astrinxerunt, & de votis Monachorum, vel virginum incautis & subreptitiis, & de reliquis ejus generibus &c.

Idem art. 15. sub fin. Erasmus conqueritur, idque fortassis non immerito, totam fere religionem redactam fuisse hactenus ad Ceremonias, & vigorem Evangelicum per eas propemodum fuisse antiquatum, remedium autem aliquod ostendit, cum ait; nullum esse tam pium, quin, si rem attente consideret, mallet in his rebus obligationem versam in exhortationem.

Georgius Wicelius in Compend. de semitis antiq. Quot Statutorum (Ecclesiasticorum) millia in libris recentioribus extant, cujusmodi Ecclesia CHRISTI non solum reprobat, verum etiam ferre amplius neque potest, neque debet? siquidem condita sunt præter Legem Dei, præter Legem Naturæ, contra ædificationem domus Domini, (imo ad hujus destructionem) contra caritatem proximi, contra consuetudinem veteris veræque Ecclesiæ, contra exempla priscorum ac sanctorum Patrum, adhæc ex malo fundamento ambitionis & avaritiæ, ut hæ duæ pestes nativæ radices sunt omnium totius Curiæ malorum.

Et postea: Non decet nec licet gregem Domini gravare novis Constitutionibus &c. maxime, si repugnent sacris literis, vel vetustissimis venerandæ Ecclesiæ placitis, vel libertati Christianæ, quam Paulus Apostolus recte commendat.

Johannes Ferus in cap.23. Matth. p. 181. Grande onus & prorsus importabile erat Lex Mosis Act. 15. quam levem reddere debebant per fidei prædicationem: verum rem per se gravem graviorem reddebant suis Constitutionibus, quod tamen adhuc tolerabile erat, si eas ad salutem conducibiles, proposuissent, verum onera ex eis faciebant, necessaria scilicet ad salutem. Denique conscientias obstringebant & condemnabant omnes transgredientes. Hoc modo faciunt, qui ad fastigium Prælationis evecti nihil aliud agunt, quam quod statuunt, præcipiunt, quicquid placuerit, non attendentes subditorum conditionem, & quæ præcipiunt, summa districtione exigunt, sine ulla compassione, atque tunc quidem egregie Prælatos egisse sibi videntur, quasi nihil aliud ad Prælatum spectet, quam præcipere & non magis saluti subditorum consulere. Contra hujusmodi Prælatos Ezechiel prophetat cap. 34. Væ, inquit, Pastoribus, quod infirmum erat, non alligastis &c. Sed tantum austeritate imperabatis.

Idem in cap.15. Matth. p. 2. Quod CHRISTUS Pharisæis hic dixit: (Quare transgredimini præcepta DEI propter Traditiones vestras?) etiam nobis dictum esse sciamus. Habemus enim & nos Traditiones Seniorum, & Constitutiones, & quidem multas nimis. Sunt enim Prælati Ecclesiæ admodum liberales in Constitutionibus faciendis, quas tamen ipsi interdum ne minimo quidem digito attingunt. Quod autem eædem Constitutiones à quibusdam nimium proterve & ad unam omnes contemnuntur, quasi tum vere Christianos agerent, cum omnia contemnunt, nequaquam probare possum. Necessaria quidem sunt etiam externæ ordinationes & Constitutiones: necessariæ inquam sunt, non ad justificationem, sed ad pædagogiam, ad regendos & assuefaciendos imperitos, itemque ad utilitatem corporalem & pacem &c. hujusmodi ordinationes non damnat Christus neque Paulus.

Et postea: Sed ô Deum immortalem! quis explicare sufficiat, quot quantaque abusiones circa hujusmodi (Constitutiones) fiant. Primo enim plerunque justitiam in observatione hujusmodi Constitutionum collocamus &c. Si propter hujusmodi externa, etiamsi cuncta ad unguem observaveris, justum te æstimas coram Deo, erras, cum nec is vere justus sit, qui Dei præcepta opere externo etiam impleverit &c. Deinde & in hoc aberramus à scopo, quod propter externarum constitutionum transgressionem temere alios judicamus ac condemnamus &c. Omnium autem maxime reprehensibile est hoc, quod Constitutiones Ecclesiasticas plerunque præceptis divinis æquamus, imo præferimus, cujus indicium est, quod majores conscientias propter hoc formamus, quam propter transgressionem præceptorum Dei. Deinde, transgressores Ecclesiasticarum Constitutionum rigidius punimus tam in foro conscientiæ, quam in exteriori foro, quam transgressionem Legis divinæ.

Martinus Alphonsus Vivaldus in Candelabro aureo supplem. de Lege cap. 6. fol. 253. fatetur, multitudine legum fieri, ut lex Christi negligatur: Quæritur, inquit, utrum sit utilis multitudo legū? Respondeo, multitudinē legum humanarū ex eo oriri, quod Christi sacratissima lex male servatur. Si enim ea servaretur, nulla

mole lites, jurgia, cavillationes, mortes, rixæ & calumniæ evitarentur, ut omnes norunt. Dico secundo, multitudinem legum esse & odiosam & periculosam; propter multitudinem enim legum & Constitutionum, illarum maxime, quibus censuræ sunt apposita, multi non tantum ignari, sed & Doctores in varias perplexitates, dubia, pericolaque animarum inciderunt &c. Dico tertio, legum multitudinem semper fuisse à Doctoribus reprobatam &c. homines male institutos leges exquisitissimas etiam contemnere. Et addit: *quod utinam his temporibus non adimpleretur!*

Johannes Hoffmeisterus tom. 2. Homiliarum Dominica Cantate: *Nos jactamus autoritatem Ecclesiæ & Traditiones Patrum, cum interim nostris malis moribus dehonestemus Ecclesiam, Christi Sponsam, & non Traditiones Patrum, sed pessimas corruptorum hominum consuetudines sectemur, & interim tam suaviter nobis blandimur, ac in sinu gaudentes alter alteros calumniamur. Nos illis depravatum Evangelium, illi nobis corruptam Ecclesiam objiciunt, & meo judicio neutri fit injuria, utrique vera dicunt.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 56. *Nobis Christianis diversis temporibus Pontifices diversi diversos mores præscripserunt circa Ceremonias, cultum, cibos, jejunium, vestitum, pompas, mitras & hujusmodi. Sed unum admirabilium vincit admirationem, quod illi his ambitiosis moribus se cœlum ascendere posse putant, & tamen istæ religionum leges nullo alio fundamento nituntur, præterquam suis placitis, nec aliam insuper regulam præter credulitatem habent. Et Bona pars Ceremoniarum, teste Eusebio, ab Ethnicis in nostram religionem migravit, plus hodie onerantur Christiani, quam olim Judæi crescentibus Ceremoniarum Legibus.*

Idem: *Sic postmodum in Ecclesia ab Apostolis, Evangelistis, Pontificibus, Sacerdotibus & Doctoribus factum, ut illam piis quibusdam Ceremoniis, elegantibusque ritibus & institutis tanquam Sponsam ornatam viro suo decorarent. Multa insuper Statuta & Decreta ediderunt posteriores juxta hominum imbecillitatem. Sed quod solet sæpe contingere, ut quod provisum est ad remedium, tendat ad noxam: sic accidit, ut crescentibus in Ceremoniarum legibus, pluribus Constitutionibus hodie onerentur Christiani, quam olim Judæi. Quod magis dolendum est, quod cum ipsa per se nec bona sint nec mala, plus illis fidat populus, arctiusque observet, quam tradita à Deo præcepta, dissimulantibus illa nostris Episcopis & Sacerdotibus, & Abbatibus, & Monachis, ac suo ventri interim egregie consulentibus. Ceremoniæ autem, etsi nullas contra fidem hæreses dederint, innumeras tamen in Ecclesia sectas introduxerunt, maximorumque schismatum semina fuerunt. Hinc primum Græca à nostra Ecclesia abscissa est, quod illa non in azymo consecraret, sed fermentato, cum tamen illam vere consecrare fateamur. Deinde etiam Bohemorum Ecclesia separata est, quia sub utraque specie communicarent Eucharistiæ. Quod si, ut ait Apostolus, circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: sic & Ceremoniæ nihil sunt, nisi observatio mandatorum Ecclesiæ, nefas ergo est utrobique propter modicas & qualibet causas, quæ Christianæ fidei nihil officiunt, unitatem Ecclesiæ scindere, & corpus Christi dividere, &, quod Pharisæis Salvator improperat, excolare culicem, & camelum glutire, atque turbata Ecclesiæ pace in illis pugnare, unde plus obsit schismatis pernicies, quã prosit correctio.*

Melch. Canus lib. 5. Loc. Theol. cap. 5. pag. 277. *Non ego omnes Ecclesiæ leges approbo, non universas pœnas, censuras, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta commendo. Scio nonnullas ejusmodi leges esse, in quibus si non aliud præterea quicquam, at prudentiam certe modumque desideres.*

6. Quod nondum inter se conveniunt de Traditionibus ἀγράφοις & earum autoritate.

Nam primo, quidam Scripturæ *primum*, Traditionibus proximum, ac proinde inferiorem locum tribuunt, ut ostendimus superius membr. 4.

Quidam *æqualem* autoritatem verbo Dei scripto & non scripto tribuunt, secuti hac in re Concilium Tridentinum, ut ostendimus superius in antithesi.

Quidam Traditiones Scripturæ videntur præferre, ac primum locũ Traditionibus, *proximum* vero Scripturæ tribuere. c. Si Romanorum. dist. 19. *Omnia Decretalia constituta nostrá declaratione custodiri mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi noverit deinceps denegari.*

c. Violatores. caus. 25. q. 1. ex Damaso Papa: *Violatores canonum voluntarie graviter à sanctis Patribus judicantur, & à sancto Spiritu, instinctu cujus ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum S. non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præmissum est, aliquid proterve agunt aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumtio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quia contra eum agit, cujus nutu & gratia sancti canones editi sunt.* (Si voluntaria canonum transgressio est blasphemia in Spiritum sanctum, utique canones majoris autoritatis statuuntur, quam ipsius Dei præcepta, quia non omnis voluntaria præceptorum divinorum transgressio est peccatum in Spiritum sanctum.)

Appendix c. Si Papa. dist. 40. in edit. Gregoriana: *Revera tanta reverentia apicem Apostolicæ Sedis omnes suspiciunt, ut nonnullam sanctorum canonum disciplinam & antiquam Christianæ religionis institutionem magis ab ore præcessoris ejus, quam à sacris paginis & paternis Traditionibus expetant: illius velle, illius nolle tantum explorant, ut ad ejus arbitrium suam conversationem & ipsi remittant aut intendant.*

Albertus Pighius Cardin. in Præfat. Hierarch. Eccles. *Necessarium putavimus, ut Ecclesiasticæ Traditionis nihilo minorem, ne dicam, multò etiam ampliorem efficacioremque, quam Scripturarum autoritatem existere, clarissimis rationibus demonstraremus.*

Idem lib. 1. Eccles. Hierarch. cap. 3. *Ex his evidens factum puto, latius patere & magis universalem esse Ecclesiasticæ Traditionis, quam Scripturarum autoritatem, quemadmodum & nobis est ea notior ac manifestior, siquidem harum autoritatem ab illius autoritate nobis dependere demonstravimus.*

Cap. 4. fol. 13. lib. 4. cap. 3. & in Indice argum. lib. 1. cap. 4. *Nunc & hoc demonstrandum est, quod magis idonea sit & efficacior Ecclesiasticæ Traditionis autoritas in re dubia aut quacunque excitata controversia ad fidem certitudinemque faciendam, quam sint ipsæ Scripturæ, quandoquidem clariorem esse constat, magisque apertam & plane inflexibilem communem Ecclesiæ sententiam, Traditionemque Ecclesiasticam: cum contra Scripturæ plurimum frequenter obscuritatis habeant, & horsum illorsumque, velut cereus nasus, trahi se permittant, & velut plumbeam quandam regulam applicari impiæ cuivis sententiæ.*

Petrus à Soto in Confess. Cathol. cap. de Ecclesia. pag. 138. disputat, *Traditiones Romanæ Ecclesiæ esse efficaciores & potiores sacra Scriptura.*

Stanislaus Hosius Cardin. in Confut. Prolegom. Brentii tom. 1. oper. lib. 4. de Tradition. p. 553. *Neque vero causam video, cur Petrum à Soto reprehendas, quod is dixerit, Traditiones esse certissimum fidei fundamentum. Nam si, quod primo loco ponitur in ædificatione domus, id recte fundamentum dicitur, constat in ædificatione domus Dei viventis, quæ est Ecclesia, primas fuisse Traditiones, & illis ædificatam esse Ecclesiam, priusquam extaret Scriptura ulla, nihil ut absurdi loquatur, si quis eas fidei fundamentum esse dicat.*

Guilielmus Lindanus lib. 5. de optim. interpr. genere p. 9. *Traditio Ecclesiastica est omnis plane religionis Christianæ & puppis & prora, indubitatumque salutis, & castrum & propugnaculum. Salvo Traditionis fundamento nihil noxæ infertur Ecclesiæ, quantumvis Scripturæ aboleantur.*

Idem libr. 1. Panopl. cap. 4. scribit: *Fidem Scripturæ futilem & frivolam esse, nisi eam Traditio in fundamento stabiliverit.*

Item: *Traditionem esse certissimũ, firmum, indubitatũ, ac inprimis necessariũ fidei & Evangelicarum Scripturarum fundamentum.*

Lib. ejusd. cap. 9. Traditiones vocat *lapidem Lydium.*

Lib. 2. Panopl. cap. 5. Traditiones dicit esse *Homericum illud μῶλυ, quod fidem Christianam conservet adversus hæreticorum incantamenta.*

Lib. 5. Panopl. cap. 2. vocat eas *fidei fundamentum.*

Melchior Canus libr. 3. Locor. c. 2. p. 149. docet, *Locum de Traditionibus ex omnibus maxime Theologiam attingere, quippe quo nullus sit certior, stabilior, & sacris literis exponendis magis necessarius.*

Lib. ejusd. cap. 3. p. 155. *Traditiones plus virium contra hæreticos habere disputat, quam sacras literas.*

Johannes Ferus in cap. 15. Matth. lib. 3. pag. 3. *Omnium maxime reprehensibile hoc est, quod Constitutiones Ecclesiasticas plerunque præceptis divinis æquamus, imo præferimus, cujus indicium est, quod majores conscientias propter hoc formamus, quam propter transgressionem præceptorum DEI. Deinde transgressores Ecclesiasticarum Constitutionum rigidius punimus, tam in foro conscientiæ, quam in exteriore foro, quam transgressionem Legis divinæ.* Et addit: *Exemplifica per singula.*

Pag. 5. *Hæc ideirco pluribus & diffuse tractavi. Scio enim, quod majori parte in eadem superstitione sumus, in qua olim Pharisæi, contra quos CHRISTUS loquitur. Hinc plerisque nostrûm, ut timendum est, eveniet in judicio id, quod virginibus fatuis, quibus dictum est, Amen, dico vobis, nescio vos.*

Alphon-

Alphonsus Salmeron tomo 13. Disput. 8. in Epist. ad Rom. *Traditio est ad salutem necessaria, atque adeo magis quam ipsa Scriptura, quia notior est Ecclesia, quam Scriptura.*

Ibid. in margine notat: *Traditio firmior & stabilior est Scriptura.*

Stapletonus in Prælect. princip. controv. 4. q. 1. art. 3. disputat, *in verbo scripto Apostolos tantum leviora tradidisse, sed graviora fidei mysteria, & ipsum religionis usum ac ritus non publice, sed seorsim sapientibus communicasse.*

Ibid. *Verbum illud non scriptum columnam & firmamentum veritatis nominat, quod simpliciter negari aut ignorari non possit ab aliquo Catholico, cum contra Scriptura ignorari aut negari possit interdum, etiam à bonis Catholicis.*

Jesuitæ Dillingenses Ann. 1566. theses in 1. Epist. ad Timoth. ediderunt, in quibus inter alia hæc ponunt axiomata: *Sublatis Ecclesiasticis Traditionibus nulli sunt libri Canonici, nullum verbum Dei certo constat, nulla vel incerta est Dei Ecclesia, nulla est utilis Christi promissio, nullus est judex vel regula discernendi doctrinam veram & falsam.*

Claudiopolitani Jesuitæ Disp. de verbo scripto & non scripto, th. 9. *Quod si verbum scriptum cum non scripto conferre velimus, utrumque in Ecclesia magnum momentum habere reperiemus, majus tamen non scriptum quam scriptum.*

Petrus Charronæus verit. 3. cap. 4. disputat, *Traditionem esse verum DEI verbum, perpetuum, ante, sine & cum Scriptura, per illam, tanquam priorem & sororem primogenitam approbari Scripturam, ei autoritatem tribui & interpretationem, eandem tanquam minorem dirigi à Traditione, & dignitatem ac locum aliquem obtinere.*

Spondanus in resp. ad tract. de Eccles. Theodori Bezæ: *Caruisse olim Scripturis Ecclesiam, & iisdem etiamnum carere posse,* (non autem Traditione.)

Martinus Peresius de Tradition. assert. 5. p. 67. & 75. *Sine Traditionibus & sensu Ecclesiæ, Scripturas* vocat *mortuas.*

Idem assert. 2. p. 28. *Qui Traditionem negat, totam Christianam religionem subvertit.*

Wolffg. Schreckius in thesib. de puro & expresso Dei verbo in Præf. *Traditiones sunt gladius ille Goliath, de quo dici posse videtur, non est alius gladius ei similis.*

Repedius in Disp. de sanct. Apostolis th. 59. *Esse Traditionum eam vim, ut quæstionibus de sacræ Scripturæ sententia exortis & lucem & robur suppeditare queant, docet antiquissima Ecclesiæ praxis, dum hæc verba, In principio erat Verbum, contra latentissimas Arii & Samosateni depravationes in Concilio Niceno enucleanda essent, nonne gravissimus ille Patrum Senatus, Ecclesiæ Traditionem ita consuluit, ut hujus potius quam Scripturæ armis illos confutarit? In aliis Conciliis idem observatum est.*

Gregorius de Valent. in Analys. de Eccles. p. 360. *Per Traditionem multo rectius & solidius, quam Scripturarum adminiculo doctrinam cœlestem conservari asserit.*

Bellarmin. lib. 4. de Verbo Dei cap. 41. *Nisi habeamus verbum Dei non scriptum, nulla nobis erit fides.*

Idem lib. 4. de Euchar. cap. 14. scribit: *Non posse Missam Romanam, in qua hæc verba (quod pro vobis frangitur) omittuntur, reprehendi, cum Liturgia illa sit antiquior, si à S. Petro produt, ut docet Thomas p. 3. q. 38. art. 2. ad 4. & ante eum Leo IX. Epist. ad Michaelem c. 5. quam Evangelium Lucæ & Epistola Pauli, qui addiderunt illa verba, quod pro vobis frangitur.* (Hac ratione Bellarminus Traditiones extra Scripturam itidem præfert Scripturæ.)

Costerus in Enchirid. cap. de Scriptur. p. 47. *Quando quæritur, utrum omnia, quæ ad fidem pertinent, sint scriptis expressa, dicendum est, omnia fidei mysteria, cæteraque creditu & scitu necessaria in corde Ecclesiæ esse clarissime exarata, in membranis tam Vet. quam Nov. Testam. multa desiderari &c. Ista* (Scripturæ) *sunt litera mortua, scripta atramento in membrana vel charta, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel pravis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: illa vero* (Traditio) *cum scripta sit Spiritu Dei vivi in cordibus vivis Ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit, sed semper omnia similis perseverat.*

Idem pag. 43. *Querenda est alia Scriptura, quam manu sua CHRISTUS exaravit, qui Ecclesiam suam nec à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, sed cum spiritualem constitueret Ecclesiam, usus est sublimiore charactere, scribens digito DEI in corde Ecclesiæ. Est autem Scriptura hæc Catholicæ Ecclesiæ consensus. Hujus Scripturæ præstantia multis partibus superat Scripturas, quas nobis in membranis reliquerunt Apostoli.*

Guilielmus Bailius Jesuita in Catech. Controv. tract. 1. q. 9. *Pergam ulterius & dicam, tam nobis opus esse Traditione, quam Scriptura, imo magis, quia Scriptura solum nobis subministrat literam mortuam & mutam: sed Traditio mediante prædicatione Ecclesiæ verum sensum nobis dat, qui in Scriptura distincte non habetur, in quo tamen potius consistit DEI verbum, quam in sola litera scripta.*

(Hæc omnia ostendunt, quod Traditionem statuant antiquiorem, sublimiorem, efficaciorem, firmiorem & magis necessariam, quam Scripturam sacram.)

Secundò, quæ pro Traditionibus ἀγράφοις quidam venditant, illa vel ipsimet, vel alii ex Scripturis probant, (si sunt vera dogmata Christiana) vel probare tantum nituntur, (si sunt dogmata falsa.)

Salmero tom. 13. Disput. 8. in Epistolas Pauli, & Bellarminus libr. 4. de verbo Dei cap. 7. §. Denique Basilius &c. recensent inter Traditiones *Symbolum Apostolorum.*

(Sed Catechismus Tridentinus in tract. de artic. fidei, *omnes Symboli Apostolici articulos* ex Scripturis confirmat. Costerus in Enchir. cap. 1. pag. 48. *Non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu ad salutem sunt necessaria, perspicue satis Apostolicis scriptis comprehensa esse, cujusmodi sunt, mysterium sanctissimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei, Historia Passionis Dominicæ, remissio peccatorum, & promissio vitæ æternæ.* Ergo Symbolum illud fidei, si non quoad formam, tamen quoad materiam ac sensum in Scripturis continetur.)

Idem Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 2. inter Traditiones refert *Baptismum parvulorum, de quo in nullo Apostolico libro aliquid scriptum inveniri,* ait.

Idem faciunt Huntlæus tom. 1. controv. 1. cap. 29. §. 9. Gretserus tom. 1. defens. lib. 4. cap. 4. p. 1601. Fevardentius lib. 3. in Iren. cap. 3.

(At, ut alios omittamus, Bellarminus ipse lib. 4. de Bapt. cap. 8. tria ex *Scripturis* argumenta pro pædobaptismo adducit, & cap. 9. addit, quod *satis aperte colligatur ex Scripturis.* Confer dicta superius lib. 1. part. 1. cap. 1.)

Ibidem inter Traditiones divinas refert, quæ *ad materiam & formam Sacramentorum* pertinent (& tamen statim subjicit, *quod pauca de illis habeantur in divinis literis.* Si pauca. Ergo non omnino nihil. Adde quod omnium omnino Sacramentorum materiam & formam solicite in Scripturis quærit, ut patet ex libris, *de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Ordine, Matrimonio & Extrema unctione.*

Idem Bellarminus inter Apostolicas Traditiones refert *jejunium quadragesimale.* (Sed Hosius in Confess. Petricov. cap. 4. ad *Ecclesiasticas* Traditiones refert; Anglo-Rhemenses in cap. 4. Matth. & alii ad *divinas* Traditiones referunt, unde Alphonsus de Castro lib. 8. adv. hæres. scribit: *Multos graves Theologos affirmare, quadragesimam à Christo esse institutam.*)

Lib. ejusd. cap. 6. ex Theodoreto lib. 1. Histor. Eccles. cap. 8. probare conatur, *Concilium Nicenum I. ex doctrina non scripta damnasse hæresin Arii.*

(Contra vero lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Sic etiam &c. scribit: *Cum Nicenum Concilium definivit, Christum esse Patri homousion, conclusionem deduxit ex Scripturis, in quibus diserte continetur, unum esse Deum, & Patrem esse Deum, & Filium esse Deum, ex quibus necessario sequitur, Patrem & Filium esse ejusdem substantiæ & divinitatis.*)

Lib. ejusd. 4. de Verbo Dei cap. 7. §. Justinus &c. inter Traditiones Apostolicas refert, quod *Eucharistia non sit unquam participanda, nisi post Baptismum.* (Sed lib. ejusd. cap. 11. §. Hæc distinctio &c. verba Lucæ Act. 2. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum,* sic explicat: *Post Baptismum discebant, quæ nondum audierant de mysteriis Christianis.* Inter hæc mysteria Christiana cum non postremum sit Eucharistiæ mysterium, utique ad eam ante Baptismum non fuere admissi. Catech. Tridentin. tract. de Sacram. *In Epistola ad Titum dicitur Baptisma lavacrum regenerationis, & in Evangelio Iohannis Eucharistia dicitur animæ alimentum cœleste, quo in hujus vitæ peregrinatione sustentamur, ut docet Apostolus 1. Cor. 10. Iam vero primum homo nascitur in vita spirituali, qua antea erat privatus, deinde indiget cibo spirituali, quo anima nutritur in gratia,* inquit Toletus lib. 2. Instruct. Sacerd. c. 17. utique ergo dogma illud, quod post Baptismum demum percipienda sit Eucharistia, colligitur ex Scripturis.)

Diei Dominicæ observationem Cajetanus in Comment. in 2. Thessal. 2. refert inter Traditiones. (Sed Ribera in Comment. in Apocal. 1. n. 68. p. 46. deducit eam ex Scripturis. *Videmus hic,* inquit,

inquit, videlicet in his verbis, *fui in Spiritu die Dominicâ, etiam tempore Apostolorum mutatam esse Sabbati solennitatem in Dominicam diem resurrectione Domini consecratam, cujus meminit Paulus 1. Corinth. 16. jubens, ut in ea collectæ fiant, quoniam tunc omnes ad Ecclesiam conveniebant solennitatis diei causa. Per unam Sabbati, inquit, unusquisq; vestrûm apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit.* Et Lucas Actor. 20. *Unâ autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis. Una autem Sabbati dies Dominica est, uti exposuit Hieronymus in lib. advers. Vigilantium. Blasius de Viegas in cap. 1. Apoc. v. 10, Observanda ex hoc loco diei Dominicæ antiquitas.*)

Fevardentius lib. 3. super Irenæum cap. 3. inter Traditiones refert, *Filium esse Patri ὁμοούσιον.* (Sed Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 4. & seqq. ac lib. 2. de Christo cap. 3. illud ex Scripturis probat.)

Spiritum sanctum esse Deum. (Sed hoc itidem Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 13. ex Scripturis confirmat.)

Mariam esse Θεοτόκον. (Sed Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 6. ex Scripturis idem confirmat.)

Duas in Christo Naturas esse impermixtas. (Sed Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 3. ex Scripturis idipsum asserit.)

Tres esse personas in Trinitate. (Sed Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 6. discrimen personarum ex Scripturis probat.)

Salmeron tom. 13. Disp. 8. in Epistol. Pauli inter traditiones refert, *Missam & rationem sacrificandi,* Item *Christum obtulisse sacrificium in pane & vino.* (At Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. Missæ sacrificium ex multis Scripturæ dictis confirmare laborat.)

Virginitatem & rationem vitæ Monasticæ, (Sed Bellarminus lib. de Monachis cap. 5. ex Scripturis Monasticen probare nititur.)

Gordonus Huntlæus tom. 1. controv. 1. cap. 30. §. 4. p. 113. negat, *ex Scriptura probari posse, materiam Baptismi terrenam esse aquam.* (Contrà vero Concil. Trident. can. 2. & ex eo Costerus in Enchirid. cap. de Bapt. p. 352. probant illud *ex Scriptura,* videlicet ex Actor. 10. v. 47. cap. 8. v. 36.)

Gregor. de Valent. tom. 3. col. 315. Gordonus Huntlæus controv. 1. tom. 1. cap. 29. §. 2. Gretserus tom. 1. Defens. pag. 1585. itidem *mysterium Trinitatis* referunt inter traditiones ἀγράφους. (Sed Costerus in Enchir. p. 49 refert hoc mysterium inter dogmata, *quæ in Apostolicis literis satis perspicuè tradita.* Cornel. Jans. in cap. 149. Harmon. probat Trinitatem ex *ista formula Baptismi.* Lorinus in Act. 2. v. 38. f. 129. itidem ex *Scripturis* hoc mysterium probari posse docet.)

Azorius lib. 8. Instit. moral. cap. 4. Canus lib. 3. Locor. c. 2. fund. 2. Ayala de tradit. asl. 2. Bannes 2. 2. q. 1. apud Azorium d. l. *descensum Christi ad inferos* referunt ad traditiones. (Sed Bellarminus lib. 4. de Christ. cap. 6. probat eum ex Scripturis.)

Becanus in Manuali cap. 2. §. 25. statuit, formam Baptismi, *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, esse ex traditione.* (Sed Lorinus in cap. 2. Act. f. 129. *formulam hanc ab ipso Christo præscriptam esse* asserit. Jansenius in Harmon cap. 149. *ex verbis Christi Matth. 28. v. 19. ab Apostolis & universa Ecclesia intellectum esse dicit, quibus verbis baptizari debeant Christiani.*)

Cælibatum Sacerdotum Perelius part. 3. lib. de tradit. refert inter traditiones. (Sed Bellarm. lib. de Clericis, Gregorius de Valent. & alii integris libris ex Scriptura eum confirmare satagunt.)

Merita operum Petrus à Soto in lib. contra Brent. refert inter traditiones. (Sed Bellarm. lib. 5. de Justific. cap. 3. & alii integris libris ex Scriptura ea evincere laborant.)

Invocationem sanctorum Canis. in Catech. f. 230. Salmeron disp. 8. in 1. Tim. 2. referunt inter traditiones ἀγράφους. (Sed Bellarminus lib. de beat. sanct. & alii integris libris ex Scriptura sacra eam confirmare satagunt.)

Purgatorium Petrus à Soto in assert. Cath. pag. 83. Tannerus in Compend. relat. Colloq. Ratisb. part. 2. cap. 6. 37. referunt inter traditiones non scriptas. (Sed Bellarminus lib. de Purgat. & alii integris libris ex Scriptura sacra illud confirmare nituntur.)

Plura hujusmodi exempla in speciali Controversiarum examine passim occurrent. Unde etiam Bavarici Theologi in Colloquio Ratisbonensi proximo integrum traditionum catalogum edere noluerunt, vel, quod rectius dicitur, non potuerunt.

Tertiò, Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. scribit. *Etsi in populo Dei extabant Scripturæ, Judæi tamen magis usi fuere traditione non scripta quàm Scriptura.* Eodem modo Pezmannus libr. 6. hodegi. *Ecclesia Judaica multas traditiones habuit, quas nemo in ea damnavit, licet in specie scriptæ in Dei libro non reperirentur.*

Contrà vero idem Bellarminus lib. ejusdem cap. 8. scribit. *Non desunt quidam Catholicorum, qui negant ullam fuisse traditionem non scriptam apud Judæos.*

Quartò, quædam inter traditiones à Pontificiis quibusdam numerantur, quæ ab aliis Pontificiis repudiantur.

Bellarm. lib. 3. de cultu sanctorum cap. 16. Anglo-Remenses in annot. Act. 1. inter traditiones referunt, quod *B. Mariæ corpus assumtum sit in cœlum,* quin & Anno 1240. in Concilio Lugdunensi institutum est *festum Assumtionis sive Migrationis B. Mariæ.* (Sed Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ tit. *Mariæ transitus* pag. 82. ex Gelasio, Augustino, Hieronymo, Sophronio & Beda huic traditioni fidem derogandam esse ostendit. Verba Augustini, quæ adducit, sic habent serm. 35. de sanctis: *Virgo Maria quo ordine hinc ad supernà transierit, nulla Catholica narrat Historia. Non solùm autem respuere Apocrypha, verùm etiam ignorare dicitur hæc Ecclesia, siquidem sunt nonnulla sine autoris nomine de ejus assumtione conscripta, quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem minime legi permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra reperitur, nec assumtio ipsius cum carne, ut in Apocrypha legitur, in Catholica reperitur Historia. Sed dignum non est de corporis ejus notitia solicitum quempiam esse, quam non dubitat super cœlos elatam cum Christo regnare. Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quippiam dixisse aperte. Et quid de his loquor, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est, Johannes Evangelista, de hoc posteris aliquid Scriptis retinendum mandaverit? nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestari voluisset. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum &c.* Suarez tom. 2. in Thom. p. 3. q. 37. artic. 4. Disp. 21. § Sed quæres. pag. 239. *Quæres, quâ fide hæc veritas tenenda sit? Author cujus libri de assumtione, Hieronymi nomine, eam dubiam relinquere visus est, & fere cum eadem formidine hoc asseruit Augustinus, si ejus est, in libro de assumtione. Abulensis solùm ait esse probabiliorem sententiam, Cajetanus vocat piam, Canus addit, temeritatem esse hoc negare. Catharinus asserit esse de fide. Sed revera non est, quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium Scripturæ, nec Ecclesiæ traditio sufficiens, quæ infallibilem faciat fidem.*

Baronius tom. 1. ad annum Christi 48. num. 12 *Miratus sum vehementer Trithemium inter Melitonis lucubrationes librum de Transitu Mariæ annumerasse &c. cùm præsertim, quæ in eo scripta habentur, tanto vero indignissima judicentur, quippe qui multa contineat, quæ Apostolorum Actis, ut notat Beda, repugnent. Et quamvis in edito recenter volumine aliqua ad censuram Bedæ sint emendata, multa adhuc habet fatua, deliraque atque Christianis auribus indigna.* Similia occurrunt Ann. 172. n. 5.

Johan. Maria sacri Palatii Magister in Indice Rom. lib. expurgand. tom. 1. pag 248. hanc censuram isti libro curavit præfigendam: *Certum est, hunc librum falsò S. Melitoni adscriptum, Apocryphum, nullius autoritatis, immixtis nonnullis planè repeciendum.*)

Quintò, Cardin. Hosius in Confess. cap. 92. sic scribit: *Multo maxima pars Evangelii pervenit ad nos traditione, perexigua literis est mandata.*

Illi assurgit Charronæus verit. 3. cap. 4. *Scriptura,* inquiens, *est minima particula veritatis revelatæ.*

(Contra verò Andradius Orth. explicat. 2. *Eorum, quæ Christianum hominem credere oportet, maxima pars sacris literis continetur.*)

Sextò, Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 2. *Ecclesiasticas traditiones* definit *consuetudines antiquas, vel à Prælatis, vel à populis inchoatas, quæ paulatim consensu tacito populorum vim legis obtinuerunt.*

(Sed Peresius in lib. de tradition. fontem harum traditionum collocat duntaxat in *Episcoporum, maximè Romanorum, potestate,* populorum nullâ habitâ ratione.)

7. Quod quasdam traditiones, quæ pro Apostolicis & Ecclesiasticis veteribus fuere habitæ, ipsi Pontificii non observent, nec recipiant.

Ignatius Epist. 4. ad Philipp. hanc affert traditionem.

Nemo sabbato jejunet, qui autem jejunaverit, Christi esse interfectorem. (At hanc traditionem Pontificii non agnoscunt.)

Justin. in qq. & resp. ad orth. q. 115. pag. 562. *Die Dominico genua non flectimus &c. ea consuetudo ab ipsis Apostolorum temporibus initium accepit.* (At Pontificii hanc traditionem non observant.)

Iren. lib. 2. cap. 39. *Omnes Seniores testantur, qui in Asia apud Johannem discipulum Domini convenerunt idipsum tradidisse eis Johannem, quod Christus quinquaginta annos natus fuerit in his terris docens. Quidam autem eorum non solum Johannem, sed & alios Apostolos viderunt & hac eadem ab ipsis audiverunt & testantur de hujusmodi relatione.* (At hanc traditionem Pontificii non acceptant.)

Tertull. de coron. milit. cap. 3. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* (At in Papatu neutrum hodie observatur.)

Clemens lib. 1. stromat. ex traditionibus Apostolicis refert, *Christum uno solùm anno prædicasse.* lib. 2. *lapsis tantum secundam pænitentiam concedendam*, lib. 4. *supplicia post hanc vitam cessatura.* lib. 6. *Græcos per Philosophiam salvatos.* lib. 7. *perfectum non debere jurare, & Christianos non posse contendere judicio.* (At nullum horum dogmatum Pontificii recipiunt.)

Origenes in præfat. libr. περὶ ἀρχῶν, in quibus præcipua religionis Christianæ capita explicare voluit, testatur, *se quæ propositurus est, ex traditione Apostolica accepisse.* At librorum istorum doctrinam Pontificii non per omnia recipiunt, nec recipere possunt.)

Ambrosius lib. de iis qui initiantur myst. cap. 2. & 6. & lib. 1. de Sacram. cap. 1. & 2. explicat ritus, qui ab universa Ecclesia servantur in Baptismo, quos Bellarminus dicit *ab aliis constanter referri in Apostolos autores; & ab universa Ecclesia servari.* Atqui *apertionis usus, id est, Ephatah apud Græcos non invenitur.* Et *baptizandum converti ad Orientem cùm renunciaturus est*, erat contra Græcorum morem. Nam Cyrillus Hierosolymitanus eosdem dixit *stare occidentem versus.* lib. 3. de Sacram. capit. 1. *baptizato lavari pedes* notat, simulque negat observari Romæ. *Trinam mersionem* exponit, quam nec hodie Romana Ecclesia observat.

Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. inter traditiones refert, quod *in prima Sabbathi & intra Pascha & Pentecosten erecti deprecationes perficere debeamus.* (Nec hanc traditionem recipiunt Pontificii, ut apparet ex B. Rhenano in annot. ad Tertull. de corona militis, & Bellarm. libr. 3. de cultu sanctor. cap. 11. Basilius ibidem inter traditiones refert, *ad Orientem inter precandum spectare.* At Durantes de ritibus Eccles. lib. 1. cap. 3. num. 6. *culpâ carere dicit, si privatim orantes aliò respiciant, quàm ad Orientem*: ac Bellarminus lib. 3. de cult. sanctor. cap. 3. agnoscit, *non omnia templa ita fabricari, ut qui in eis orant, ad Orientem respiciant.*)

Basilius ibidem inter traditiones refert *trinam immersionem in Baptismo.* (At Catechismus Romanus de Sacr. Baptismi, & Bellarminus lib. 1. de Bapt. capit. 26. docent, *nihil referre, utrum unica an trina ablutio fiat.* Pamelius in annotat. ad libr. Tertul. de Baptismo dicit, *trinam immersionem jampridem mutatam esse in aspersionem post tempora Gregorii primi.* De omnibus in genere affirmant Confess. Petricov. capit. 37. & Catechism. Rom. d. l. *eas tempore necessitatis omitti posse*, cùm tamen Basilius de illis scribat: *Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes etiam ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Quæ omnia opponenda sunt Costero, qui in Apol. 2. pro 2. part. Enchir. p. 275. impudenter gloriatur, *Pontificios suscipere ad unum omnia, quæ Basilius ibi commemorat, & cuncta venerari & religiosè observare.*)

Epiphanius in fine librorum de hæresibus has recenset traditiones, *ut feriâ quartâ statum sit jejunium, cum illa die assumtus sit Dominus; ut per totos quinquaginta dies Pentecostes nec genua flectantur, nec jejunetur; ut Dominicus diebus nec pietatis ἀσυνταξ in ipsa quoq; quadragesima jejunent; ut per sex dies Paschatis omnes populi in siccorum esu perseverent, pane inquam & sale & aqua* (Nullam ex his traditionib. observant Pontificii.)

Hieronymus adv. Luciferianos, & ante eum Tertullianus de coron. milit. ajunt esse *traditionem, ut ex Baptismate suscepti lactis & mellis concordiam prægustent, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstineant.* (Nec hoc in Ecclesia Pontificiis usitatum. Pamelius in annot. ad Tertull. de coron. mihi observat, *hanc mellis & lactis prægustationem Africæ peculiarem fuisse.* Hieronymus alibi pro melle *vinum* substituit, atque hunc modum *Occidenti* peculiariter Pamelius tribuit. Apud Papistas autem nullum reliquit sui vestigium.)

Gregorius lib. 7. Registr. cap. 63. dicit, *fuisse morem Apostolorum, ut ad ipsam solummodò orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent*; Idem testantur Platina in vita Xysti I. Durandus lib. 6. rational. cap. 1. & alii plures. (At nec hanc traditionem Pontificii amplectuntur.)

Inde est, quod quidam ex ipsis Pontificiis fatentur, traditiones quasdam, pro Apostolicis antiquitus habitas, hodiè non amplius observari.

Beatus Rhenanus in annotat. ad librum Tertull. de corona milit. *Baptizandi ritum ostendit, qui in usu veterum fuit, de quo consuetudo quædam mutavit.* Et rursus. *Suas consuetudines habuit Oriens, suas habuit & Occidens, nam ceremoniæ secundum Ecclesiarum & regionum diversitatem variant.*

Melchior Canus lib. 3. Locor. cap. 5. *Trina mersio in Baptismate, quam canon ab Apostolorum traditione profluxisse dicit, jam diu per contrariam consuetudinem est abolita.*

Maldonat. in cap. 6. Joh. *Missam ego faciam Augustini & Innocentii sententiam, Eucharistiam etiam infantibus necessariam, quæ circiter sexcentos annos viguit in Ecclesia, multorum seculorum usu tanquam non necessariam, sed ne decentem quidem, omissam.*

Salmero tom. 16. Disp. 3. in 1. Petri. *In Orientis Ecclesia infantibus baptizatis ac renatis porrigebatur Eucharistia, quod ex Apostolica traditione profectum esse asserit Dionysius Areopagita cap. Eccles. Hierarch. Tribuit, inquit, Sacerdos Sacramentum infanti, ut in eo nutriatur & crescat sacris augmentis.*

Azorius lib. 8. Instit. moral. capit. 7. *Precationem versus Orientem dicit esse traditionem Apostolicam*, ac Bellarm. lib. 3. de cult. sanctorum cap. 3. aliquot rationes ex veteribus pro hoc ritu adducit. Sed Lindanus lib. 4. panopl. cap. 100. scribit: *Quod ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conversi orationem fundimus, non facilè puto cuiquam ratione compertum.* Ac Pineda in cap. 31. Jobi v. 26. scribit, *Tempore Leonis illa prima Ecclesiæ consuetudo adorandi & templa erigendi versus Orientem obsolescebat.*

Cornelius à Lapide in cap. 15. Actor. v. 20. p. 265. *Traditio erat Apostolica, sanguine abstinere Actor. 15. v. 20, quam Concilium Gangrense cap. 2. Leo Imperator in Novell. Constit. 58. Concil. Aurelianense II. c. 20. Concilium Wormatiense c. 65. & Zacharias Papa Epist. ad Bonifacium confirmant. Sed nunc à multis centenis annis lex ista ubiq; gentium (exceptis Græcis) usu contrario abolita est.*

Blasius de Viegas in cap. 11. Apocal. Comment. 5. sect. 1. n. 9. postquam definivisset, *Paradisum terrestrem non amplius extare*, subjungit, *Non obstat huic sententiæ illa ab Irenæo commemorata traditio à Presbyteris, qui Apostolos audierunt, accepta. Etenim illi ipsi Presbyteri pleraq; omninò falsa & cum divinis literis pugnantia tradiderunt, ut videre est apud Irenæum lib. 2. adv. hæres. cap. 39. cujusmodi est illud, Christum Dominum annos prope quinquaginta in terris vixisse, quam opinionem testantur Presbyteri, se accepisse à Johanne, & esse Evangelio consentaneam.*

Pererius in Genes. lib. 3. de Paradiso n. 48. *Verùm Irenæus affirmat, se id quod tradidit à Presbyteris Asiæ discipulis Apostolorum accepisse. Sed quid tum postea, an ideò quodcunq; ab istis Presbyteris proditum est, tanquam certum & indubitatum doctrinæ Christianæ dogma haberi debet? nonne constat, istos ipsos Presbyteros, eodem referente Irenæo, quædam & falsa & divinis literis contraria docuisse? mitto nunc errorem Chiliastarum ab istis esse proseminatum.*

8. Quod agnoscunt, traditiones niti lubrico & incerto fundamento. Concilium Episcoporum Bononiæ congregatorum ad Julium III. Pontificem sic scribit: *Omninò credimus tanquam verum articulum fidei, id quod in decreto 3. sess. Concilium Tridentinum statuit, nempe Dominum nostrum Jesum Christum, atque ipsius Apostolos multò plura, tum ad mores, tum ad fidem pertinentia oretenus docuisse, quæ non fuerunt scripta, sed per manus tradita ad ætatem usque nostram venerunt, quàm quæ scripta sunt. Et tametsi hoc apertè probare non possumus, (Nam planè fatemur inter nos, probare non possimus de traditionibus id, quod tenemus & docemus, sed tantum habemus conjecturas quasdam:) tamen confitemur esse verum, quia sic tenet Ecclesia.*

(Atqui quod dubium & incertum, quod firmiter probari nequit, quod meris nititur conjecturis, illud non potest

esse exploratò divinum atque infallibile, adeoque indubitata fidei & morum regula.

Huc referri potest, quod regulæ certitudinis, ex quibus traditiones divinas dignosci volunt, sint incertæ & ad probandam divinam traditionum originem ineptæ. Melchior Canus lib. 3 Locorum cap. 4. & Gregorius de Valent. lib. 8. Analys. capit. 6. pag. 111. urgent *Ecclesiæ autoritatem, Patrum concordem sententiam, communem fidelium consensum, & universalem omnium Ecclesiarum observantiam.* (Sed quid de his statuendum sit, partim ex dictis patet, partim ex dicendis plenius apparebit.) Quinimò relictis κριτηρίοις omnibus ad solum Ecclesiæ Romanæ, idest, Pontificis judicium ultimatè nos remittunt, sicque idem per idem & incertum per æque incertum probant.

Lindanus lib. 5. panopl. cap. 7. docet, quod *ex solius Ecclesiæ Romanæ judicio certum argumentum ad probandas Apostolicas traditiones peti possit.*

Gregor. de Valentia lib. 8. Analys. capit. 6. p. 111. docet, *non nisi Ecclesiæ* (Romanæ) *esse, determinare, quænam traditio sit Apostolica.*

Bellar. lib. 2. de Sacr. cap. 25. *Omnium dogmatum* (utique etiam traditionum) *firmitatem ab autoritate præsentis Ecclesiæ pendere* asserit. (At sola Romanæ Ecclesiæ autoritas non potest immotum & infallibile fundamentum præbere.)

Huc referri potest, quod Julius Rugerius Protonot. & Secretarius Apostolicus in opusc. de libris Canonicis pronunciat, *traditionem nullius esse ponderis, nisi nullis temporum intercapedinibus interruptam ab Apostolorum usque temporibus, inde enim traditionem manere necessum esse.*

Petrus à Soto in Defens. Conf. Cathol. contra Brentium c. 56. f. 182. *Fatemur, certis testimoniis opus esse, & quidem non levibus, sed tanta re dignis: ubi meritò attentè cogitandum est, quæ justè dici possint sufficientia testimonia Apostolicæ traditionis. Nec enim uni aut alteri Scriptori, nec quidem pluribus etiam magna sanctitate & eruditione pollentibus credendum est.*

Thomas Stapletonus in princip. fidei relect. controv. 5. q. 5. art. 2. p. 562. *Apostolicæ traditiones non sunt accipiendæ ex testimoniis unius aut alterius, sed tantùm ex communi totius Ecclesiæ & perpetuo consensu.*

(At singula & omnia, quæ à Pontificiis pro traditionibus Apostolicis venditantur, hoc perpetuo totius Ecclesiæ consensu gaudere, demonstrari nullo modo potest.)

Bellarminus lib. 4. de verb. Dei, capit. 2. inter traditiones numerat *Ecclesiæ consuetudines*. Idem lib. 2. de sanct. cap. 8. non probat eorum consuetudinem, *qui ut Trinitatem significarent, hominem pingebant cum triplici vultu vel duplici capite intermedia columba:* eod. cap. fatetur, *non tam certum esse, an sint faciendæ imagines Dei sive Trinitatis, quàm Christi & Sanctorum, quia sit tantùm in opinione, & tamen idem licere probat ex usu Ecclesiæ.* (Ergò potest usus Ecclesiæ niti solà opinione, ac proinde non est infallibiliter certus.)

9. Quod agnoscunt, traditionum nomen quibusdam in Ecclesia jam olim imposuisse, ac hæreticos ad traditiones provocasse, in errorem per illas abductos. (Metuendum ergò, ne idem nobis contingat, si relicto verbo traditionibus adhærere voluerimus.

Petrus à Soto in Defens. Cath. Confess. adv. Prolegom. Brentii cap. 56. f. 182. *Certum est & hæreticos quædam nomine traditionum Apostolicarum venditasse, contra quos loquitur Irenæus, & Catholicos de hac re etiam diversa sensisse,* (de nonnullis traditionibus,) *& errasse etiam quosdam. Certè Cyprianus & Africani Episcopi in causa Baptismatis ab hæreticis collati, putarunt se traditionem sequi, cum revera contrarium sint secuti; Et Papias Johannis auditor, qui quàm plurima sibi à majorib. tradita referebat, ex quibus regnum aliud Christi mille annorum docebat, quod occasionem dedit nonnullis errandi.*

Greg. de Valent. in Anal. l. 5. c. 2. §. Sed enim &c. de Gnosticis memorat, quod *traditiones asseruerint necessarias, neque posse ex Scripturis elici veritatem sine adminiculo suarum illarum commentitiarum traditionum.*

Tannerus Dioptr. lib. 2. q. 4. cap. 20. p. 486. testatur, *Marcionem, Valentinum, Cerinthum, aliosque hæreticos in suis stabiliendis erroribus urgisse proprias & fictitias traditiones* (quas æquè divinas esse jactitabant, ut hodie Romana Ecclesia suas.)

Gretserus defens. 1. contr. lib. 4. cap. 11. p. 1809. testis est, *Arianos hæresin suam in traditione fundasse.* (Quod ipsum etiam confirmat Baronius Ann. 318. n. 56.

Idem Grets. Defens. 1. Controv. lib. 4. cap. 8. p. 1705. de Quartadecimanis refert, quod *pro obtinenda sua intentione aliam traditionem æquè Apostolicam obtenderint.* Lib. ejusd. c. 7. p. 1669. *Traditiones illæ* (quas Irenæus pro Apostolicis venditavit) *de mille post resurrectionem annis, deque grandiore illa ætate Christi, sunt humanæ imbecillitatis & incircumspectionis errata. Eas enim non fuisse Apostolicas exitus probavit, ab Ecclesia enim fidelissima Apostolicarum traditionum custode statim ut spuriæ & adulterinæ explosæ sunt.* (Imò verò non statim fuere explosæ, sed diu in Ecclesia pro Apostolicis fuere venditatæ, ut multorum Patrum in traditionem de millenario annorum consensus testatur.)

Basilii locum in lib. de Spiritu S. cap. 27. (*Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus, quorum utraque parem vim habent:*) vehementer urgent omnes Pontificii pro astruenda traditionum autoritate.

(Atqui coguntur agnoscere, ipsius Basilii exemplo manifestum fieri, quàm incertæ & fallaces sint traditiones non scriptæ. Nam idem Basilius homil. 25. de humana Christi generatione, *Zachariam Johannis Baptistæ Patrem* dicit *à Judæis inter templum & altare interfectum fuisse, quia Mariam Virginem post Domini conceptionem in locum Virginum constituerat,* hancque Historiam esse λόγον ἐκ παραδόσεως ἀρχόμενον *sermonem ex traditione profectum.* Eandem pro traditione venditant Origenes tract. 26. in Matth. Gregorius Nyssenus homil. de nativ. Theophylactus & Euthymius in cap. 23. Matth. Eam verò non solùm repudiat Hieronymus in cap. 23. Matth. sed etiam quidam ex ipsis Pontificiis. Franc. Lucas Brugensis in cap. 23. Matth. *Non est verisimile, Deiparæ virginitatem divulgatam fuisse, quamdiu convivebat illa marito Josepho, quem probabile est vixisse, donec Jesus adolevisset in virum.*

Barradius lib. 8. Harm. cap. 28. *Obstat huic causæ Virginis Deiparæ modestia, propter quam non videtur verosimile, in loco virginum in templo post Christi conceptionem consedisse, quamvis virgo esset integerrima. Ignorantibus enim incarnationis mysterium scandalum præbuisset, si, cum virum haberet Josephum, in locum virginum se recepisset &c.*)

10. Quod agnoscunt, ea, quæ in superstitionem versa sunt, posse abrogari. (Ejusmodi verò multa sunt in classe eorum, quæ pro traditionibus Ceremonialibus venditantur.)

Gratianus can. Quia sancta, dist. 63. ex Papæ Stephani statuto regulam generalem de facto Ezechiæ serpentem confringentis elicit. Quamvis autem eam malè applicet thesi, nihilominus bona est. *Ac per hoc,* inquit, *magna autoritas est habenda in Ecclesia, ut si nonnulli ex prædecessoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem, sine tarditate aliqua & cum magna autoritate à posteris destruantur.*

Cassander in Hymnis ad Nocturn. fol. 178. scribit, *Vigiliarum in majoribus festis usum, quando populus promiscuè in templis pernoctabat, ob certas causas mutatum esse, & jejunium tantùm servato tamen Vigiliarum nomine, retentum, quanquam, ut ipse addit, Apostolicæ traditionis haberetur.*

11. Quod agnoscunt traditionum necessitatem ex Judaismo descendere. Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 8. §. His adde &c. *Judæos habuisse aliquas traditiones extra Scripturam docent Origenes* homil. 5. *in Num. Hilarius in Ps. 2. nec non Anatolius antiquissimus autor Christianus apud Euseb. lib. 7. Hist. cap. 28. Et quanquam non desunt aliqui Catholicorum, qui negant, ullam fuisse traditionem non scriptam apud Judæos, tamen non possum illis assentiri &c.*

Similia occurrunt apud Gretserum Defens. 1. controv cap. 8. p. 1709. Becanum lib. 1. Manual. cap. 2. §. 2. & alias.

(Atqui quod ex Judaismo, præsertim corrupto & depravato descendit, meritò ex Ecclesia eliminatur.)

12. Quod agnoscunt, quosdam ex veteribus traditiones ἀγράφους repudiare.

(Quotquot agnoscunt, pios veteres Scripturæ perfectionem statuere, illi etiam agnoscunt, ipsos traditiones ἀγράφους repudiare. Jam verò ostendimus superius lib. 1. part. 1. c. 1. quosdam Pontificios agnoscere, quod pii veteres perfectionem Scripturæ statuerint. Ergo.)

Tertullian. de orat. cap. 12. sic scribit. *Sed quoniam unum aliquod attigimus vacuæ observationis, non pigebit cætera quoque denotare, quibus meritò vanitas exprobranda est, siquidem sine ullius aut*

Domini, aut Apostolici præcepti auctoritate sunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata & coacta, & curiosi potius quam rationalis officii. (Ad hunc Tertulliani locum Pamelius annotavit, *eum esse cautè legendum, ne contra traditiones Ecclesiasticas facere videatur*, & opponit librum *de Corona militis*, de quo quid statuendum sit, suo loco exponitur.)

Baronius tom. 1. ann. 58. n. 111. adducit responsum Papæ Nicolai Bulgaris datum, quod meritò regulæ loco habendum:

Dicitis, quod Græci fateantur, quod in Ecclesia qui non constrictis manibus ad pectus steterit, maximum habeat peccatum. Hoc ut fieret præceptum fuisse, nusquam, ni fallor, invenitur: ac per hoc nisi fiat, peccatum non est. Nam quidam faciunt hoc, quidam illud genus humilitatis: nec istud est peccatum, nisi fortè quis pertinaciter recusaverit facere, quod omnes viderit facientes. Verùm & hoc cùm fit, non nisi humilitatis gratiâ fit, ut reverâ scriptum est, oratio humiliantis se penetrat nubes. Proinde sive hoc, sive aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus.

Argument. Advers. 1. Johan. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo portare. Illa autem quæ promittebat Dominus se dicturum, dixit haud dubiè post resurrectionem suam, Actor. 1. v. 3. at de gestis & verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt Evangelistæ* Bellar. lib. 4. de Verbo Dei. cap. 5. Staplet. in promt. Cathol. Dom. 4. post Pascha. Maldonat. in c. 16. Joh. Salmeron. ib. D. Feuchte in postill. Domin. Cantate. Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 5. dub. 3. n. 97. &c.

Resp. 1. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 135. p. 964. *Multa hæc, de quibus dicit Dominus, adhuc multa habeo vobis dicere, rectè intelliguntur ea, quæ per adventum Spiritus sancti didicerant apertè & clarè de mysteriis Christianæ fidei, apertæ enim & claræ explicationis horum non erant tunc capaces Apostoli. Non ergò multa hæc diversa quædam erant ab eis, quæ hactenus ipsos Dominus præsens docuerat, sed eorundem plenior & clarior explicatio, sicut cùm Paulus dicit Corinthiis,* 1. Epist. 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis lac vobis potum dedi, non escam, Sapientiam autem loquimur inter perfectos* 1. Epist. 2. *non vult significare, se alia docere perfectos quàm imperfectos, cum utrisq; eandem prædicaret fidem, sed quod suæ prædicationis & fidei mysteria perfectius aperiret perfectioribus, sermonemq; suum aptaret audientium capacitati.*

2. Idem Jansenius ibidem monet ex Augustino tract. 96. in Joh. *Omnes, etiam insipientissimos hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, audaciam figmentorum suorum hac occasione Evangelicæ sententiæ colorare fuisse conatos, ubi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere; quibus nervosè respondet: Cum Christus ipse ea tacuerit, quis nostrûm dicat, illa vel illa sunt? aut si dicere audeat, unde probabit? Quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cùm dixerit etiam verba quibus voluerit & quæ voluerit, sine ullo testimonio divino affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere voluit?*

3. Eadem Augustini verba repetit Thomas in cat. aur. h. l. *Omnes hæretici, inquit Augustinus, ex occasione hujus sententiæ, omnia figmenta sua colorare conantur, quasi sint hæc ipsa, de quibus Christus loquitur, quæ discipuli non poterant portare. Quis autem nostrûm audeat dicere, se illorum capacem esse, quæ illi capere non poterant?*

Idem lect. 3. in caput 16. Johan. *non nova fidei mysteria, sed novo tantùm modo ea, quæ prius Christus docuerat, à Spiritu sancto Apostolis esse tradita, docet. Omnia, inquit, quæ fidei erant, Dominus proposuit eis, sed non eo modo, quo postea revelavit, non altiora quidem, sed altiori modo, nimirum post resurrectionem.* Ibidem. *Non est intelligendum, quod aliqua secretâ doctrinâ taceantur fidelibus parvulis, seorsim dicenda majoribus &c. sed omnibus fidelibus proponuntur, quia fidei sunt.*

4. Ederus in Oecon. lib. 1. pag. 44. cum proposuisset objectionem ex loco Joh. 16. subjungit: *Responderi solet ex sententia Doctorum Scholasticorum, Apostolis ibi non novam doctrinam, sed prioris explicationem fuisse promissam.*

5. Johannes Ferus in Comm. Joh. 16. *Reverà Christus omnia ad salutem necessaria nobis notificavit, quia Evangelium prædicavit, quod est fons omnis veritatis. Quicquid enim Spiritus postea Ecclesiæ revelavit, ex hoc fonte profluxit. Sic veritas illa, quam Spiritus sanctus in primo Apostolorum Concilio revelavit, nempè quod circumcisio & alii cultus legales non essent res necessariæ ad salutem, non aliunde profluxit quàm ex Evangelio, ubi Christus potenter ostendit, fide in ipsum nobis contingere salutem, non ex operibus legis. Sic veritas illa, quod Filius est consubstantialis Patri; quæ in Synodo Nicæna contra Arium emicuit, ex Evangelio profluxit. Etsi enim verbum illud ὁμοούσιος vel consubstantialis in Evangelio non reperitur, reperiuntur tamen alia verba idem valentia, ut cum dicit, Ego & Pater unum sumus. Item, Qui videt me, videt & Patrem. Sic & de aliis dicipotest. Verè igitur dixit Christus, Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Nihilominus tamen etiam verum est, quod hic dicit, Adhuc multa habeo vobis dicere; plura siquidem Apostoli obliti erant, plura non rectè intellexerant, plura itidem Christus obscurè dixerat, quæ poterant in falsum sensum trahi, id quod postea contigit in hæreticis. Necessarius igitur erat Spiritus S. qui & oblita ad memoriam revocaret, & non intellecta elucidaret, & obscuris verum sensum redderet. Potest igitur verbum hoc ad totum Evangelium referri, quasi diceret: Etiamsi omnia vobis dixerim, adhuc tamen indigetis ulteriori instructione ob caussas jam dictas &c. Potest etiam verbum hoc referri ad ea, quæ ultimo loco dixerat de Spiritu sancto & operibus ejus. Audierant Apostoli Christum prædicantem, adhuc tamen ignorabant, regnum Christi regnum spirituale esse, nesciebant spargendum esse Evangelium in Gentes, crucem esse viam ad gloriam, fidem esse veram justitiam, infidelitatem esse verum peccatum, Sapientiâ hujus mundi esse stultitiam &c. nesciebant item, quomodo, quâ de causa, quo certamine victus & prædicatus esset Diabolus.*

6. Toletus in Comm. h. l. per multa illa intelligit *διατάγματα* ad regimen Ecclesiæ pertinentia. *Probabile est, inquit, multa quæ ad regimen Ecclesiæ & statum ejus pertinebant, de eorum esse numero. Imò quæcunque Apostoli postea Spiritu sancto revelante didicerunt, tum quantum ad dogmata, tum quantum ad statum & regimen Ecclesiæ ordinandum & disponendum, credibile & probabile est esse ista, de quibus nunc locutus est Dominus. Nam dicturum se promisit, impleta autem omnia & dicta jam esse certum est.* (At nihil horum est, quod non in scriptis Apostolicis expositum extet. In Scripturis & perfecta articulorum fidei doctrina, & plena Ecclesiastici regiminis forma continetur.)

7. Salmeron in h. l. producit hæc à Christo prætermissa: *Tres personas esse unum Deum, Filium Patri & Spiritum sanctum Patri & filio esse ὁμοούσιον, duas perfectas Naturas, ac proinde duas distinctas operationes duasque voluntates fuisse in Christo, Baptismum parvulorum esse necessarium, B. Virginem in partu mansisse intactam.* (At hæc omnia ex Scripturis ipsimet Pontificii nobiscum confirmant.) *Symbolum Apostolorum, Nicænum & Athanasii esse recipiendum.* (At dogmata in illis Symbolis contenta Scripturis satis exactè sunt congrua.) *Numerum librorum tam in V. quàm N. T. esse recipiendum.* (At quid aliud est Scriptura sacra propriè sic dicta quam compages librorum Canonicorum?) *Versionem vulgatam Latinam V. & N. T. esse genuinam.* (Hoc in Scripturis non haberi concedimus, ideoque recipiendum esse negamus, id quod multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt, ut lib. 2. art. 1. cap. 2. thes. 5. manifestum faciemus.) *Sensum ejus legitimum existere, quem Ecclesia probaverit.* (At sensus Scripturæ ex ipsa Scriptura hauriendos, ut ex ipsis Pontificiis ostendemus lib. 2. art. 1. c. 3. th. 2.) *Numerum Sacramentorum & materias & formas quorundam.* (Duorum propriè dictorum Sacramentorum Baptismi sc. & Eucharistiæ materia ac forma in Scripturis sacris satis perspicuè est definita, reliquorum quinque Sacramentorum, quæ Pontificii addunt, materiam & formam in Scripturis non haberi concedimus, ideoque pro Sacramentis propriè dictis acceptanda esse negamus.) *Usum imaginum & venerationem retinendam;* (Usum imaginum Scriptura approbat, religiosam earum venerationem improbat, illum igitur retinemus, hanc verò repudiamus.)

8. Johan. Hoffm. tom. 2. homil. Domin. Cantate, eodem modo, quo Jansenius, hunc locum explicat, ac fatetur, *ritus multos ex hypocrisi in Ecclesiam introductos esse.*

9. Cajetanus in cap. 16. Joh. per illa *multa* intelligit *Christi ex Spiritu sancto conceptionem, nativitatem, ad inferna descensum, in cælos ascensum,* (non autem traditiones.)

10. Glossa interlinearis prohibet determinare, quæ sint illa *multa*; (ergò non potest hoc Christi dictum ad traditiones Pontificias determinari.)

11. Lyranus intelligit de *fidei mysteriis profundissimis Spiritus sancti luce detectis post ascensionem.*

12. Gulielmus Estius in c. 6. Joh. v. 12. *Hæc non sunt diversa ab iis, quæ jam ante à Christo audierant, sed eorundem plenior & clarior explicatio, cujus nondum erant capaces. Hic sensus patet ex cap. 14. Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. q. d. Ea, quæ me docente nondum capere potuistis, eadem illa Spiritus S. suggeret vobis, aperiendo & explicando, ut illa intelligere possitis.*

13. Joh.

13. Joh. Driedo tom. 1. lib. 4. cap. 5. *ea, quæ Christus prætermisit, quorum Apostoli nondum erant capaces*, sic recenset: *Sunt a.* (inquit) *hujusmodi, Veneratio & invocatio sanctorum Martyrum, solenne jejunium, à carnibus & cæteris cibis abstinentia, suffragia vivorum pro defunctis, voluntaria vota in castitate, Deoq; dicata virginitate, purgatorius ignis &c.* (Atqui hæc pugnant cum doctrina Christi & Apostolorum in sacris literis annotata, ut suo loco ostenditur. Ergò non possunt per illa multa intelligi.)

14. Quod si malint audire publicum Doctorem, Pontificem aliquem Romanum, quam privatos scriptores, producimus Leonem serm. 2. de Pentec. in h. l. sic commentantem: *Illi perfectioni, quæ erat discipulis conferenda, major gratia & abundantior inspiratio servabatur, per quam & quæ nondum acceperant, sumerent, & excellentius possent habere, quæ sumserant, propter quod Dominus dicebat, Adhuc multa habeo vobis dicere. Non itaque alia insinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina, sed oportebat capacitatem eorum, qui docebantur augeri, & multiplicari constantiam illius caritatis, quæ omnem formidinem foras mitteret & furorem persequentium non timeret.*

Argum. 2. Joh. 21. v. 25. *Sunt autem alia multa, quæ fecit Jesus quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Constat igitur multa Dominum fecisse & dixisse, quæ non sunt scripta. Nam istos libros, qui extant, una manus capere potest, Johannes autem dicit, totum mundum capere non posse libros, qui scribendi essent.* Bell. d. l. Resp. nemo nostrûm hoc consequens negat. Probetur verò, Evangelistas aliquid eorum prætermisisse, quæ ad fidem & mores erant necessaria. Contrarium testatur Johannes statim subjungens: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Opponimus ergò Pontificiis 1. propriam illorum hypothesin. Si ex eo, quod singula Christi dicta & facta non proponuntur in Scriptura, rectè concluditur, Scripturam esse imperfectam, pari ratione inferri poterit, Scripturam una cum traditionum supplemento conjunctim sumtam non esse perfectam. Quamvis enim magnam traditionum congeriem recenseant Pontificii, nondum tamen singula Christi dicta & facta enumerare potuerunt, vel etiam poterunt. Quinimò Gretserus in Defens. lib. 4. cap. 5. sic scribit: *Ecclesia non omnia dicta & facta Christi, sed quædam ex illis nobis credenda & observanda tradidit.* Posterius non admittunt. E. nec prius asserere debent.

2. Lyranum, qui in Comm. h. l. de perfecta eorum, quæ scripta sunt, comprehensione & intelligentia hæc verba accipit: *Hic, inquit, tollitur erroris occasio, quia posset fortè aliquis credere, quod nihil aliud esset verum de Christo, nisi quod est scriptum in hoc Evangelio & aliis de Christo.* Et postea. *Facta & verba Christi non sunt hominis tantum, sed Dei, quia illa humanitas erat organum Deitatis, & ideò non possunt ad plenum ab hominibus explicari aut etiam comprehendi, quod patet ex hoc, quod à principio Ecclesiæ cœperunt sancti Doctores libros scribere ad explanationem verborum & factorum Christi, & adhuc ad plenum non sunt elucidata, imò si mundus duraret per mille millia annorum, & semper scriberentur libri, non elucidarentur ad plenum, quia facta & dicta Dei sunt nobis incomprehensibilia propter eorum excellentiam & respectu intellectus nostri.*

3. Ederum qui in Oecon. Bibl. p. 44. sic scribit: *Etsi D. Augustinus in Epistola ad Madaurenses dicat, Scripturam sanctam continere omnia, quæ ad veram salutem pertinent, solet tamen de hac re interdum dubitari, propter verba Johannis in fine Evangelii: Sunt autem & alia multa &c. Respondetur a. ex sententia Doctorum Scholasticorum, etsi mundus libros, qui de rebus à Christo gestis scribi poterant, capere posset, divinitatis tamen mysteria omnia intelligere non potuisset, ita ut unicum illud dictum, Verbum caro factum est, in hodiernum usq; diem multi perfectè adhuc capere non potuerint, ut monet Glossa ordinaria in fine Evang. Joh.*

4. Cornel. Jansenium, qui in Conc. Evang. c. 101. in h. l. sic commentatur: *Scripserat post alios tres Evangelistas Johannes, & ea fere scripsit, quæ alii prætermiserunt, quare ne vel quis existimaret, eum omnia supplevisse, vel post ipsum tentaret reliqua omnia supplere, opportunè hanc subjecit concludendo sententiam. Scripserunt autem ea maximè ex multis Evangelistæ, quæ ad religionem ac fidem & mores utiliora erant, magisq; necessaria, quibus qui non credit, neq; pluribus fidem habiturus esset, qui verò credit, alia non sunt ei necessaria, proinde & nos his contenti, diligenter his, quæ ab ipsis scripta sunt, attendamus.* (Ergò necessaria non sunt prætermissa, quibus contenti esse debemus.) Idem Jansenius in cap. 8. Joh. v. 20. *Jussas Dominus ad populum orationes habuit, quoties eum Evangelista docuisse memorant, quanquam Evangelistæ satis sibi duxerint, paucula ex illis narrasse, in quibus esset plenius Domini de se testimonium, magisq; observandum.*

5. Carolus Magnus lib. 4. de Imaginibus, cap. 10 de hoc loco dicit: *Advertant hoc de miraculis, non de Epistolis, de signis, non de constitutionibus intelligi posse.*

Argum. 3. 1. Cor. 11. v. 34. *Cætera, cùm venero, disponam. Quid disposuerit, nusquam scriptum invenitur. Meritò autem censent Catholici, eum non solùm disposuisse, quæ ad ritus & Ceremonias pertinebant, sed etiam tradidisse alia graviora ut de ordinatione Ministrorum, de sacrificio altaris, de aliorum Sacramentorum materia & forma, nec hæretici possunt contrarium ostendere* Bell. d. l. Cornel. à Lap. in h. l. Justinianus in h. l. Gregorius de Valent. tom. 3. col. 323. Maldon. in cap. 16. Joh. v. 12.

Resp. 1. Quæ Bellarminus hoc loco per τὰ λοιπὰ intelligit ac ab Apostolo prætermissa suspicatur, ea in libris de *Sacramento ordinis, de Missa, de Confirmatione, de Pœnitentia, de Matrimonio & de extrema unctione* ex sacris literis confirmare nititur. (Ergò non potest ex illorum præteritione imperfectionem Scripturæ colligere.)

2. Thomas in Comm. h. l. per *cætera* intelligit *ea quæ non erant tanti periculi.* Verba sic habent: *Cætera, scilicet quæ non sunt tanti periculi, cum venero præsentialiter, disponam, qualiter scilicet ea conservare debeatis.*

3. Cajetanus in comm. h. l. *Cætera sc. prænarrata. Narraverat autem, præter abusum anticipationis cœnæ, alium abusum, scilicet, & alius quidem esurit, alius ebrius est. Narraverat quod cum convenirent, dissidia erant inter eos & neutri horum remedium adhibuerat, propterea dicit, Cætera prænarrata, cum venero, disponam.*

4. Estius in Comm. per illa cætera intelligit *spectantia dignam, honestam & ordinatam mysteriorum celebrationem.* (At necessaria ad dignam mysteriorum celebrationem in verbis institutionis & in aliis Scripturæ locis satis perspicuè sunt exposita; reliqua ad εὐσχημοσύνην & εὐταξίαν spectantia κατὰ γένος sunt annotata.)

5. Pazmannus lib 6. hodegi scribit, per *vocabulum cætera intelligi decentia verba ad Sacramenti Eucharistici administrationem pertinentia, honorificam Cœnæ Dominicæ ordinationem, ejus ante cibum sumtionem, & alia his similia.* (At hi fuere ritus Ecclesiæ, quos ubique locorum similes esse non est necesse.)

Argum. 4. 1. Cor. 15. v. 3. *Tradidi vobis inprimis quod accepi. Ergò traditiones ἄγραφοι ab Apostolo Corinthiis & aliis fidelibus commendantur.*

Resp. 1. Lyranus ad h. l sic commentatur. *Quæ sint illa subdit: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & quod sepultus est, & quod resurrexit tertia die secundum Scripturas.* (Ergo non loquitur de traditione ἀγράφῳ sed scripta.)

2. Bened. Justinian. ad h. l. *Fortasse Apostolus propterea traditionem nominat, quasi dicat se Scripturæ interpretationem adhibuisse, hanc enim ob causam subdidit: Secundum Scripturas. Scripturarum ait, testimonio ostendi vobis, Christum ad omnium mortalium expianda flagitia obiisse, & redivivum ad superos remeasse.* Postea subjicit dictum Tertull. adv. Praxeam c. 29. *Nam & Apostolus non sine onere pronuncians Christum mortuum, adjicit, secundum Scripturas, ut duritiam pronunciationis Scripturarum autoritate molliret, & scandalum auditori averteret.*

3. Salmero Disp. 24. in 1. Cor. p. 198. movet quæstionem, *quomodo Apostolus Christi & nostrā resurrectionem inter traditiones recenseat*, ad quam respondet p. 199. hoc modo. *Vocat Apostolus fidem hujus articuli traditionem verbo & factorum seipso & in aliis à Christo comprobatam, quemadmodum de Stephano objectum fuit, eum dixisse, quod Jesus mutaturus esset traditiones, quas tradidit illis Moses Act. 7. & superius cap. 11. traditionem vocavit Cœnam Dominicam perscriptam à tribus Evangelistis 1. Cor. 11. ita ut traditionis vocabulum omnia complectatur, quæ à Christo acceperant, sive scripta essent, sive non scripta.* Et postea. *Probavit Scripturarum testimoniis, mortem, sepulturam & resurrectionem Christi.*

Argum. 5. 2. Thess. 2. v. 15. *Itaq; fratres state, tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram: ubi particula disjunctiva apertè indicat, diversa esse quæ tradiderat & quæ scripserat, nec in illa Epistola totum Evangelium continetur, quod tamen totum Apostolus Thessalonicensibus prædicaverat.* Bellarm. d. l. Estius in h. l.

Resp. 1. Cornelius à Lapide in argum. Epist. Pauli, & Benedict. Justinianus rectè statuunt, *priorem & posteriorem ad Thessalonicenses esse omnium primas Pauli Epistolas.* (Quæ verò hæc con-

ſequentia : Eo tempore, quo Paulus poſteriorem Epiſtolam ad Theſſalonicenſes ſcripſit, nondum erant omnia in Scripturam redacta. Ergò etiam poſt abſolutum N. T. canonem nondum omnia neceſſaria ſunt ſcripta? Item, Paulus in hac Epiſtola ad Theſſ. non expoſuit omnia neceſſaria, unde ad vivæ vocis prædicationem eos remiſit. Ergò in omnibus Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis ſimul ſumtis & canonem N. T. conſtituentibus non ſunt omnia neceſſaria expoſita? Frigidè excipit Cornel. à Lapid in Comm. h. l. *ubi ſcriptum ſit nos habere plenum verbum Dei, quod ita plenè de omnibus credendis & agendis nos erudiat, ut traditionibus non ſit opus?* Hoc enim probant dicta, quæ de perfectione Scripturæ ſuo loco ſunt allata.

2. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 2. rectè monet, *nomen traditionis interdum generaliter accipi, ut ſignificet omnem doctrinam, ſive ſcriptam ſive non ſcriptam, quæ ab uno communicatur alteri.* (In hac ſignificatione etiam hoc loco uſurpatur, admonet enim Apoſtolus Theſſalonicenſes, ut in doctrina cœleſti, quam tùm vivâ voce ipſis tradiderat, tum in hac Epiſtola Scripto complecti cœperat, conſtanter perſeverent, ut oſtendit textus ſeries v. 5. 14. & 15. Pereſius part. 1. de tradition. poſtul. 2. *Apoſtolus 2. Theſſ. 2. doctrinam per Epiſtolam & ſermonem acceptam generali nomine traditiones vocat.* Felix Romanus Epiſtolam de depoſitione Petri Antiocheni ſic claudit. φυλάξατε χριστοῦ μαθηταί, ἐμοῦ δὲ υἱοί, τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβετε ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν. *Cuſtodite Chriſti diſcipuli, mei autem filii, traditiones, quas à ſacris voluminibus accepiſtis.* Ex eo vero inferri nequit, ea quæ vivâ voce Theſſalonicenſibus ab Apoſtolo fuere tradita, fuiſſe diverſa ab iis, quæ partim in hac Epiſtola, partim in aliis Epiſtolis ſuis Apoſtolus ſcripto poſtea eſt complexus. Nimirum particula disjunctiva *εἴτε ſive*, non ſemper diſtinguit inter documenta ſive præcepta *ratione ſubſtantiæ*, vel rei ipſius, ſed tantùm *diverſos modos* inſinuat, quibus ab uno & eodem doctore præſente, una & eadem doctrina traditur. Quemadmodum enim unus eſt homo, qui ore docet præſens, & Scripto abſens: ſic poteſt ſcripto docere abſens eandem doctrinam, quam ore expoſuit præſens. Thomas Aquinas in Comm. in Ep. Phil. 3. v. 1. ad verba *Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non eſt pigrum, vobis autem neceſſarium*: ſic annotat: *Eadem, quæ dixi in præſentia, non eſt mihi pigrum vobis ſcribere in abſentia, verba enim de facili tranſeunt, ſed ſcripta manent.*

3. Sic ergò progredimur. Particula *εἴτε* aut eſt *collectiva*, aut diſtributiva. Si *collectiva*, ut alias ſæpe, Col. 1. v. 16. 1. Cor. 13. v. 8. ſenſus erit, *Tenete traditiones, quas didiciſtis & per ſermonem & per Epiſtolam noſtram*, adeoque ſermo & Epiſtola erunt media, per quæ una eademque doctrina Theſſalonicenſibus eſt inculcata, quam eſſe genuinam h. l. expoſitionem oſtendit totus contextus. Si particula *εἴτε diſtributivè* ſumatur, aut erit diſtributio generis in ſpecies, aut totius in partes. Quicquid aſſumatur, traditio, de qua Apoſtolus hic loquitur, erit accepta partim per ſermonem, partim per Epiſtolam, adeoque & doctrina per Epiſtolam tradita, erit traditio.)

4. Bellarm. lib. ejusd. cap. 11. de traditionibus, quas Apoſtoli vivâ duntaxat voce Eccleſiis reliquerunt, diſputat, *quod pertineant ad ſapientiam perfectis traditam, non autem ſine diſcrimine omnib. propalatam.* (At quæ Apoſtolus per *ſermonem* Theſſalonicenſibus tradita hoc l. aſſerit, ea omnibus ſine diſcrimine fuerunt tradita & omnib. nota, quia Apoſtol. in genere ad omnes, ad quos ſcribebat, dicit: *Tenete traditiones.*

5. Sanctius in comm. Act. 6. v. 8. agnoſcit, traditionis nomen in h. l. Apoſtolico pro doctrina ſcripta poni. *Traditiones*, inquit, *hoc loco (Act. 6.) vocari exiſtimo, non eas, quæ voce tantùm & non Scriptura relictæ ſunt. quæ à Græcis δευτερώσεις, ab Hebræis dicuntur Cabala, ſed universè quicquid legis continetur. Nam conſtat, traditionum nomine doctrinam quoque ſignificari 2. Theſſ. 2. Tenete traditiones &c. Sunt ergò traditiones Moyſis omnia, quæ ille tradidit ſcriptis & monumentis.*

6. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. concedit, *omnia illa eſſe ab Apoſtolis ſcripta, quæ ſunt omnibus neceſſaria, & quæ ipſi palam omnibus vulgò prædicaverant.*

(Atqui ſi illa omnia, quæ Apoſtoli palam omnibus prædicaverant, ſunt ſcripta, tum ſermones Apoſtoli, de quibus loquitur 2. Theſſ. 2. verſ. 15. ſunt ſcripti, fuerunt enim toti Eccleſiæ prædicati, ſicut Epiſtola fuit ad omnes ſcripta.)

Argum. 6. 1. Tim. 6. v. 20. *O Timothee, depoſitum cuſtodi. 2. Tim. 1. v. 13. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum. cap. 2. v. 1. Quæ audiviſti à me per multos teſtes, commenda fidelibus hominibus. Ubi nomine depoſiti non poteſt intelligi Scriptura ſacra, ſed theſaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum divinorum, id eſt, tam ſenſus Scripturarum, quam aliorum dogmatum, quam totam doctrinam propagari volebat per traditionem.* Bell. d. l.

Reſp. 1. Ribera in cap. 2. Malach. v. 15. adducit & approbat dictum Vincentii Lyrinenſis in lib. adv. profanas hæreſeon novitates, in quo eleganter exponitur, quid per depoſitum bonum intelligatur. *Quid eſt depoſitum?* (inquit) *id eſt quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenii, ſed doctrinæ, non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non autor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi, Catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatumq; conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde, nolo mihi alia pro aliis adjicias &c.* (Ergò per depoſitum intelligitur doctrinæ orthodoxæ ſyſtema, 1. Tim. 6. v. 20. 2. Tim. 1. verſ. 13. & 14. profanis vocum novitatibus & erroribus in fide oppoſitum, quod integrum ex Scripturis perdiſci poſſe docet 2. Tim. 3. v. 15. & 16. unde Tertull. lib. de præſcript. depoſitum refert *ad id, quod ſupra & infra ſcriptum ab Apoſtolo.*)

2. Thomas & Lyranus per *depoſitum* 1. Tim. 6. v. 20. & 2. Tim. 1. v. 13. intelligunt *gregem fidelitati paſtoris commiſſum.* Cajetanus eandem expoſitionem approbat. Eam ſi quis amplectatur, perit argumenti nervus.

3. Juſtinianus Jeſuita in h. l. quamvis per depoſitum intelligat *doctrinam traditione contentam*, ibidem tamen Tertullianum citans non obſcurè *ad totam doctrinam cœleſtem* contra hæreticos à Tertulliano refutatos reſtringit.

4. Gloſſa interlin. 2. Tim. 1. v. 13. per *depoſitum* intelligit *officium Paſtoribus Eccleſiæ commiſſum, quod diligenti executione debeant cuſtodire.* (Sed rectius dicitur, per depoſitum hic intelligi doctrinæ cœleſtis ſinceritatem inſtar pretioſi depoſiti Timotheo commendatam, & in ſacris literis, *quas à puero noverat*, unicè fundatam.)

5. Salmer. Diſp. 17. in 1. Tim. *Depoſitum ſecundum Oecumenium eſt vel præceptum Dei de doctrina Timotheo per Paulum propoſitum, aut gratia per ordinationem accepta, Haymo intelligit gratiam fidei & ſapientiam, quam Apoſtolus Timotheo commendavit. Alii depoſitum, i. e. curam creditæ Eccleſiæ per S. S. cuſtodiendum. Thomas & Cajet. gregem in Eccleſia tua tibi commiſſum &c.*

6. Si Bellarmini diſcurſui veritas ſubeſſet, ſequeretur, nihil quoad Trinitatem, incarnationem, reſurrectionem, Baptiſmum, Euchariſtiam & ſimilia ſcriptum eſſe, aut certè non commendari anxiè.

7. In loco 2. Tim. 2. v. 1. *Quæ audiviſti à me per multos teſtes, commenda fidelib. hominibus*, nullum traditionibus ſuppetit patrocinium. Poſitâ enim prædicatione de aliquo fidei dogmate, non negatur de eodem, quod ſcriptum fuerit, 1. Cor. 15. v. 1. & 2. Agnoſcunt hoc ipſimet Interpretes Pontificii. Thomas in illũ locum: *Quæ audiviſti à me & ego à Chriſto, & dico à me non ſingulariter, ſed confirmata per multos teſtes.* (Hanc expoſitionem *valde probabilem & veriſimilem* exiſtimat Ludovicus Soto major. in illum locum,) Idem Thomas in illum locum ſic commentatur: *Monet eum, ut ſi ad Martyrium venerit, diſpenſet doctrinam fidei. Per multos teſtes* ibid. intelligit *legem & Prophetas.*

Argum. 7. *Hæreticorum proprium eſt ad ſolas Scripturas provocare & traditiones rejicere.* Bell. lib. 4. de V. Dei c. 8. Stapleton. lib. 2. princ. fid. cap. 6. Greg. de Valent. in anal. lib. 6. cap. 8.

Reſp. 1. Imò verò hæreticis vel maximè in more poſitum fuit, ad traditiones confugere, teſte Irenæo lib. 3. c. 2. pag. 169. Multis hoc confirmari poſſet argumentis, ſed pro ratione inſtituti noſtri h. l. illud duntaxat monemus, quod Pontificii iisdem Scripturæ dictis neceſſitatem traditionum evincere conentur, quibus veteres hæretici traditiones ſtabilire fuere conati. Sic pro aſtruenda traditionum neceſſitate Bellarminus & alii Pontificii adducunt dictum Chriſti Joh. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere.* Sed Auguſtinus tract. 96. in Joh. teſtatur, *omnes inſipientiſſimos hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum occaſione hujus Evangelicæ ſententiæ colorare.* Pro aſtruenda traditionum neceſſitate Bellarminus & alii Pontificii adducunt dictum Apoſtoli 1. Cor. 2. verſ. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Sed Irenæus d. l. teſtatur, veteres hæreticos eodem dicto ad impugnandam Scripturæ perfectionem abuſos fuiſſe: *Cum hæretici (inquit) ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur Scripturarum, quaſi non rectè*

rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem, ob quam causam & Paulum dixisse, Sapientiam loquimur inter perfectos. Pro astruenda traditionum necessitate Bellarminus & alii Pontificii adducunt locum 1. Tim. 6. v. 20. *O Timothee, depositum custodi.* Sed Tertullianus lib. de præscript. cap. 25. p. 208. testatur, veteres hæreticos ex eodem loco demonstrare voluisse, Apostolos non revelasse omnibus omnia: *Confitentur quidem,* (inquit) *Apostolos nihil ignorasse, sed non omnia volunt illos omnibus revelasse, quædam enim palam & universis, quædam secretò & paucis demandasse, quia & hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum, O Timothee, depositum custodi. Et rursum, Bonum depositum custodi.*

2. Maldonatus in præfat. comm. in Evang. Matth. *Mos fuit hæreticorum, Scripturas non admittere, sed facere.* Sixtus Senens. lib. 2. Biblioth. tit. Matthæus, declarat hoc exemplo Valentinianorum & Gnosticorum. *Duo libri,* inquit, *unus de ortu & stirpe Mariæ, alter de infantia Salvatoris, quorum Matthæus Evangelista fingitur esse autor, Valentinianorum & Gnosticorum commenta sunt, & inter alia Apocrypha Origenes Matthiæ Evangelium numerat, ex cujus autoritate Clemens Alexandrinus ait Marcionem & Basilidem hæreses suas firmasse.* (Ergò non ad veras Scripturas provocant hæretici, sed ad apocryphas & confictas, veras autem repudiant, ut idem Senensis lib. 7. Biblioth. §. de Epistolis Pauli, exemplo Encratitarum, Severianorum, Marcionitarum, Manichæorum, Arianorum, Aërianorum &c. manifestum facit.)

3. Quamvis hæretici ad Scripturas provocent, tamen exemplo Christi contra Satanam Scripturâ nefarie abutentem ex Scriptura pugnantis errores ipsorum ex Scripturis redargui possunt ac debent. Emanuel à Saa in annot. Matth. 4. *Christus falsas Diaboli de Scripturis sagittas, inquit Hieronymus, veris frangit Scripturarum clypeis.* Corn. Jansen. in Concord. Evang. cap. 15. *Christus Diaboli tentationes tres Scripturarum autoritate propulsabat, & Scripturam à Diabolo male citatam aliâ Scripturâ, ceu clavum clavo retudit, rectè docens, Scripturam Scripturæ conferendam esse, si non in Scripturæ lectione errare volumus.* Didacus Stella in cap. 4. Lucæ. *Ex uno libro Deuteronomii tres responsiones adversus tres tentationes excerpsit Christus, ut doceat, sacram Scripturam arma habere contra adversarios veritatis.*

4. Baronius ann. 321. recenset Donatistarum hæreses, sed quod in fidei articulis ad solas Scripturas provocaverint, non refert inter eorum errores, quod tamen Dillingenses in Compositione pacis cap. 1. q. 8. erroribus eorum accensent, & ex eo evincere laborant, *hæreticum esse, ad solas Scripturas provocare.*

5. Catholici in part. 3. Collationis Carthaginensis Honorii Imp. jussu habitæ, & à Massono primum editæ concedunt, *de causa fidei si agatur, tunc ad ea, quæ V. & N. T. exemplis docenda sunt, veniendum esse.* Videmus ergò, Catholicos ipsos in congressu cum Donatistis *ad Scripturam* in causa fidei provocasse. Augustinus ipse in illo Colloquio præsens dicit pag. 354. *Ecclesiæ causam non nisi divinis testimoniis firmandam, docendam & ostendendam esse.*

Argum. 8. *Nulla unquam hæresis ex solis Scripturis sufficienter refutari potuit.* Jesuitæ in Colloq. Ratisbon. sess. 8.

Resp. 1. Petrus de Alliaco l. 2. sentent. *Scriptura penetrat ut gladius, conterit ut malleus &c. velut gladius errorum abscindit zizania, velut malleus interimit hæreses universas.*

2. Didacus Stella in præfat. Comm. Luc. *Non aliter impios hæreticos perfrictæ frontis poterimus convincere, nisi sacros habeamus Codices, ex quibus clara veritas elucescit.*

3 Alphonsus de Castr. lib 4. adv. hæref. tit. *Christus, & alibi passim repetit, Eutychetis, Nestorii, Acephalorum, Arianorum & Donatistarum hæreses clarissimè ex Scripturis refelli.*

4. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap 11. in resp. ad 5. locum Augustini. *Augustinus ideo provocat ad solas Scripturas, quia in illis quæstionibus, quæ tunc erant, extabant in Scriptura clarissima testimonia, quæ sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Et hæc ratio præcipue locum habet contra Donatistas in quæstione de Ecclesia.* (Contradicit his verbis Bell. sibi ipsi, nam lib. ejusd. cap. 8. §. Donatistæ, scripserat: *Donatistæ semper Scripturas urgebant, quibus Augustinus traditiones & consuetudinem objiciebat.*)

5. Cornel. à Lapide in procem. Pentat. fol. 11. *Cùm Sectariorum hostium nostrorum omnis hic desudet industria, ut non nisi Scripturas crepent, pudeat Christianum & orthodoxum Theologum vel tantillum illis concedere, pudeat ab eis vinci ac superari, quin verò non tantùm verba sacræ Scripturæ crepent, sed & sensum genuinum rimentur. Ita tela hæreticorum in ipsosmet retorquebuntur, & è Scriptura hæreses omnes revincent & jugulabunt.* (Ergò hæreses omnes juxta Cornelium à Lapide certâ ratione ex Scripturis revinci & jugulari possunt.)

Argum. 9. *Mysterium Trinitatis tàm parum clare insinuatur in Scripturis, ut contrarium è sacris literis ita probabiliter docuerint Ariani, ut multos annos vexarint Ecclesiam.* Sacrobosc. in Defens. Decret. Con. Trident. part. 1. cap. 6. *Etsi quædam Scripturæ poterant afferri contra Arianos, tamen quia Ariani etiam Scripturas proferebant, Concilii Niceni Patres ex doctrina non scripta, sed per manus Patrum sibi tradita eos damnaverunt.* Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 6. §. Jam verò. *Cum ex Scripturis non convincerentur Ariani, eò quod easdem Scripturas aliter exponerent, quàm Catholici, damnati fuere ex sermonibus non scriptis, piè tamen intellectis,* lib. ejusdem cap. 11. §. Sed admissa. Huc pertinet illud Alphonsi de Castro lib. 6. advers. hæreses, verbo, Deus, hæresi 3. *Si ad Lutheri gnomonem essent omnia examinanda, nec dicemus Patrem ingenitum esse, nec Filium asseremus consubstantialem Patri, quoniam nullum istorum in sacris literis expressè reperitur.*

Resp. 1. Lombardus lib. 1. sent. dist. 2. §. 4. & 6. Trinitatis mysterium *ex Scripturis* probat.

2. Jus Canonicum lib. 1. Decretal. tit. 1. de Trinit. cap. 1. & 2. mysterium Trinitatis probat ex 1. Joh. 5.

3. Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæref. titul. Christus, hæresi 3. *Ex apertis Scripturæ testimoniis ostendimus, Christum esse verum Deum.* lib. 5. tit. Deus, hæres. 6. *Tam efficax mihi videtur hæc argumentatio* (ex dictis Scripturæ desumta) *ut quemlibet Arianum convincat. Sic enim eum concludit, ut nulla rimula pateat illi, quâ elabi possit. Nihilominus tamen plura adversus eum citabimus testimonia.*

4. Bellarm. lib. 1. de Christo c. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. *Christi divinitatem,* lib. ejusd. cap. 13. Spiritus sancti Deitatem. libr. 2. de Christo cap. 6. *Trinitatis mysterium ex sacris literis probat.*

5. Idem lib 2. de Conc. cap. 12. scribit. *Cùm Nicenum Concilium definivit, Christum esse ὁμοούσιον Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus disertè continetur, unum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum, ex quibus sequitur necessario, Patrem & Filium esse ejusdem substantiæ & divinitatis.*

6. Idem Bellarm. libr. 4. de verbo Dei, cap. 11. §. Profert quartò. *Cùm dixit Athanasius, sufficiunt sancta & divinitus inspirata Scriptura ad instructionem veritatis, loquitur ibi solùm de duobus dogmatibus, unum quod idola non sunt Dii, alterum quod Christus est verus Deus & similiter homo, quæ duo habent in Scripturis expressa testimonia.* Ibid. in resp. ad 5. locum August. *In illis quæstionibus, quæ tunc erant* (inter Arianos & Orthodoxos) *extabant in Scriptura clarissima testimonia.*

7. Costerus in Enchirid. cap. 1. §. An omnia. pag. 49. *Mysterium Trinitatis perspicue satis est Apostolicis literis comprehensum.*

8. Gregor. de Valent. lib. 1. de unit. & Trinit. cap. 16. *Patres Concilii Niceni vocabulum novum tradiderunt, rem minimè novam significantes.* ibid. *Octo sunt argumentorum sedes in Scripturis, quibus divinitas Christi demonstratur, quarum aliæ propriè ostendunt, Christum esse consubstantialem Patri.*

9. Jesuitæ, cùm in Colloq. Ratisbon. sess. 8. eludere conarentur locum Hilarii, *Bene habet, ut iis, quæ scripta sunt, contentus sis,* respondent, *cum Scriptura satis clare mysterium Trinitatis declararet, gratulari sibi sanctum Hilarium, quod Arianus contentus esset Scripturâ.*

10. Salmeron Disp. 4. in poster. Epist. ad Timoth. *Scriptura dicitur divinitus inspirata, quia de sacris & divinis erudit, ut de unitate Dei & personarum Trinitate.*

11. Billius ad locum Nazianzeni (Orat. 4. Theolog. adversus eos, qui Spiritum sanctum negabant esse Deum; *Jam verò irruet in te testimoniorum examen, quibus demonstrabitur, iis, quibus non est sinistrum ingenium, maximè in Scripturis doceri Spiritus Deitatem*) sic annotat: *Spiritus sancti divinitas ex Scripturis probatur.*

Argum. 10. *Mysteria requirunt silentium, nec decet, ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas Luc. 8. & Apostolus ait 1. Corinth. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos.* Bellarminus lib. 4. de Verb. Dei, cap. 8. *Manifestum est, apostolos non omnia voluisse scripto committere, quæ ad salutem pertinentia vellent nota esse fidelibus, sed multa sermone solo tradidisse. Certè & nos, quæ majoris sunt momenti,*

aut quæ secretiora non solemus chartis committere, sed coràm dicenda reservare. Estius in 2. Johan. Epist. v. 12.

Resp. 1. Salmeron Disp. 4 in 2. Tim. 3. p. 608. Meritò venit reprehendendus Castellio, quoniam docet, Apostolum reconditiorem aliquam doctrinā habuisse, quam tamen scriptis non commēdaverit, & solùm perfectis quibusdam hominibus eam tradiderit &c. Intolerabile est, ut Paulus, quam accepit reconditiorem doctrinam, non scripto consignaverit. Fuisset enim alioqui infidelis depositi minister. Et quomodo hic diceret sacras Scripturas efficere hominem perfectum in justitia? at qui perfectus est in justitia, nullâ amplius indiget revelatione. (Rectissimè. Hæreticis n. potiùs quam Apostolis hoc tribuitur, quòd mysteria sua silentio tegere voluerint. Irenæus lib. 1. c. 23. scribit, Basili dianos asserere, non oportere sua mysteria effari in publicum, sed in abscondito tenere per silentium.)

2. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 2. Traditio vocatur doctrina non scripta, non quòd nusquam scripta sit, sed quòd non sit scripta à primo autore. (Quòd si ergò majestati ac dignitati traditionum nihil decedit, si scribantur per alium, utique etiam nihil decedit mysteriorum dignitati, si à primo autore scribantur. Expende verò Adversariorum intemperiem. Nolunt omnia mysteria commendari libris sacris: & eadem tamen patiuntur commendari libris non sacris. Tum verò à librorum sacrorum lectione populum arcent, libros verò nō sacros legere ipsis permittunt. Neque enim inter libros prohibitos cavetur de Missalibus, aut Breviariis, aut Ritualibus, ut de Bibliis. Cur ergò dicunt, non fuisse mysteria libris sacris commēdanda, ne plebi publicarentur? Quinimò si sibi ipsis constare vellent, deberent prohibere, ne usquam scriberentur, nisi in libris sacris. Nam si libri sacri non sunt à plebe legendi, tum hæc ratio commodissima erat, ne ejusmodi plebi publicarentur.)

Gregorius de Valentia in anal. fidei lib. 8. cap. 6. Traditiones, quas defendimus, extant passim scriptæ in veterum Patrum libris, Conciliorum voluminibus, & tamen dicuntur non scriptæ, quia vivâ voce traditæ primùm fuerunt. (Si majestati traditionum ex eo nihil decedit, quòd in Patrum libris & Conciliorum voluminibus passim scriptæ extant, cùm tamen nulli hæretico vel etiam pagano Patrum libros & Conciliorum volumina evolvendi facultas sit denegata, utique etiam majestati traditionum nihil decessisset, si in Scripturis sacris fuissent annotatæ.)

4. Costerus in Enchirid. controv. cap. 1. §. An omnia &c. Mysteria sanctissimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei, Historia passionis Dominicæ, remissio peccatorum, promissio vitæ æternæ, perspicuè in Scripturis ponuntur. (Si dignitati summorū istorum mysteriorum ex eo nihil decedit, quòd in Scripturis sacris exposita extant, certè nec traditionum dignitati fuisset hoc adversum.)

5. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei, cap. 12. §. Secunda causa &c. inter causas adjuvantes, per quas traditiones non scriptæ hactenus fuerint conservatæ, secundo loco numerat usum earum continuum: Pleræque (inquit) traditiones sunt in continua observatione, ut ritus Sacramentorum administrandorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio Missæ & officiorum divinorum, & alia generis ejusdem. (Si nihil decedit dignitati traditionum ex eo, quòd sint in usu continuo etiam apud populum, ut patet ex cultu imaginum, invocatione Sanctorum, aspersione aquæ lustralis &c. utiq; etiam dignitati earum per scriptionem nihil quicquam decessisset.)

6. Cùm Christus parabolas explicaret, non soli Apostoli præsentes fuēre, sed etiam alii quidam ex promiscua plebe, Marc. 4. v. 10. Erasmus in illum locum. Laurentii Vallæ Codex hic legit, οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα. Lucas Brug. ibid. Latini Codices legunt, hi qui cum eo erant duodecim, sed Græci & Syriaci Euthymio disertè suffragante legunt, οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, quod est, hi qui circa ipsum erant, cum duodecim, quò significetur, præter duodecim Apostolos cæteros etiam, qui circa ipsum erant, interrogasse. Est autem phrasis Græca οἱ περί τινος qui circa aliquem, quâ signantur ii, qui sunt cuipiam dediti & addicti, ita ut eum sectentur, sintq; ipsius velut factionis. Non igitur hic significantur externi aliqui homines, qui Christo tunc temporis adfuerint, turbam enim amandarat, sed hi demum, qui solebant eum assectari & discipuli ipsius erant, quales habuit quidem præter selectos illos duodecim, etiam alios multos.

7. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei, cap. 12. §. At mysteria &c. Mysteria nostra talia sunt, ut possint publicè prædicari, nihil n. nisi purum & castum agitur ab Ecclesia. Et hoc puto voluisse Dominum, cùm ait Matt. 10. Quod in aure audistis, prædicate super tecta, nimirum si opus fuerit. Et Joh. 18. Ego palam locutus sum mundo & in Synagoga, quò omnes Judæi conveniunt & in occulto locutus sum nihil, i. e. nihil dixi, quod non possit ubiq; dici, quod attinet ad veritatem & puritatem dictorum. (Ergò majestati illorum, quæ Christus Apostolis dixit, per publicam prædicationem nihil decessit, proinde etiam per scriptionem majestati eorum nihil decedit. Notandum verò contra Bellarminum, quòd Christus non dicat, prædicate ea super tecta, si opus fuerit, sed simpliciter & absolutè, quod in aure audistis, prædicate super tecta, quòdq; non dicat, nihil locutus sum, quod non possit ubique dici, sed absolutè & simpliciter, nihil in occulto locutus sum, ad quod non omnibus patuerit aditus. Salmeron loco proximè citato, Privatim, inquiunt hæretici, Dominus docuit suos discipulos. Sed id eâ conditione fecit, ut quod in tenebris eis prædicaverat, dicerent in lumine, & quod in aure audierant, prædicarent super tecta. Sequitur hac in parte Tertullianum lib. de præscript. cap. 26. sic scribentem: Dominus palam edixit sine ulla significatione alicujus taciti Sacramenti, ipse præceperat, si quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfiguraverat, ne unam minam, i. e. unum verbum ejus sine fructu in abdito reservarent.)

8. Verba Apostoli, Sapientiam loquimur inter perfectos, Thomas in Comm. illius loci sic explicat: Dicet aliquis, nihilne spirituales viri habent in doctrina, quòd carnalibus taceant & spiritualibus eloquantur? nulla quidem necessitas est, ut aliqua secreta taceantur fidelibus parvulis, seorsim dicenda majoribus, sed omnibus Catholicam vitam, quæ omnibus prædicanda est, patefecerunt. Glossa interlin. & ordin. Sapientiam Dei de redemptione hominum loquimur inter perfectos, non cognitores & doctores, quibus opus non est, sed auditores jam capaces, in quo mysterio sapientiam loquimur, exponendo mysteria V. T. in quibus Christus significatus est. Lyranus in h. l. Perfectio hominis attenditur in eo, quod est supremum in ipso sc. in intellectu & voluntate, & circa excellentissimum objectum, quod est ipse Deus, & ideò perfectus est ille, qui habet mentem elevatam super corporalia & ad intelligendum divina & amandum, & talibus proponenda sunt ardua fidei Catholicæ, & sic faciebat Apostolus. Cornelius à Lapide in h. l. Sapientiam sc. Christianam de Christi cruce, gratia, salute, & gloria æterna nobis acquisita per Christum loquor inter perfectos, id est, fideles, qui licet sint simplices; tamen in rebus salutis præ Aristotele & quovis alio Philosopho perfectè sapiunt. Ita Chrysostomus & Anshelmus. Secundò simplicius. Sapientiam, id est, secretiora & altiora fidei mysteria, ut de resurrectione, Antichristo, reprobatione, prædestinatione, vel potiùs sapientiam, id est, profundiorem & altiorem rerum fidei explicationem, uti de modo, consilio & fine incarnationis & redemtionis Christi. Ita enim hanc sapientiam Paulus explicat verbis sequentibus: Hanc non rudibus initiò, sed provectis perfectisq; loquor & edissero. Salmeron Disp. 4. in 1. Cor. 2. Ne ex verbis Pauli dicentis, Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum crucifixum, colligeretur, nil aliud, nisi Jesum & hunc crucifixum ipsum prædicasse, & consequenter, ne Apostolica prædicatio in hoc solùm videretur consistere, nec de summis causis posse disserere & rationes in medium proferre, quod tamen est sapientiæ proprium, subjungit: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, id est, inter eos, qui in Christo non sunt parvuli, sed confirmati in illo & consummati, quibus jam mundus crucifixus erat, & ipsi vicissim mundo. Estius in h. l. Sapientia, quam inter perfectos loquitur Apostolus, intelligitur non quævis doctrina de Deo & Christo, sed ea, quæ continet secretiora & altiora nostræ religionis mysteria, cujusmodi sunt quæ Paulus tradit in Epistolis ad Romanos, Ephesios & Colossenses, de electione & reprobatione divina, deq; vocatione gentium & abjectione Judæorum; quæ ad Thessalonicenses, de Antichristo; quæ ad Hebræos, de Sacerdotio Christi, & quæ in hac ipsa Epistola, de statu ac modo resurrectionis mortuorum. Hæc enim vel non statim tradebantur rudibus, vel summariò tantùm, reservabantur autem tradenda vel pleniùs ac profundiùs explicanda iis, qui jam essent in Christo provectiores. (Ergò per Sapientiam non intelliguntur dogmata quædam non scripta, nec per perfectos intelliguntur duntaxat personæ Ecclesiasticæ, sed quivis in fide Christi provectiores.

Arg. 11. Doctrina Ecclesiæ fuit eo modo ab Apostolis Ecclesiæ tradenda, quo pura conservari commodissimè possit. Sed talis modus erat, ut non omnia scriptis traderentur, sed quædā tantummodò viva voce, ut multis exemplis docet Canus lib 3. Loc. cap. 3. Inprimis verò Ecclesia ante Mosen vivæ vocis duntaxat traditionibus conservata & guber-

gubernata est. Gregor. de Valent. in Analys. lib. 8. cap. 6. §. Probatio tertio.

Resp. 1. Ludov. Vives lib. de caus. corrup. art. *Literis artes omnes ceu thesauro quodam conservantur, ut nunquam intercidant. Divinum hoc literarum & mirabile beneficium. Nam usus literarum est secundùm Quintilianum, ut custodiant voces & velut depositum reddant absentibus.* (Ergò scriptio commodior via conservandæ veritatis, quam traditio, cujus rei evidens exemplum proponitur Joh. 21. v. 23.)

2. Ederus in Oecon. Biblica pag. 24. *Quæstio est, quæ sit causa, cur Deus doctrinam fidei literis mandari voluerit? Hujus dubitationis causæ sunt tres: Prima, quòd ex Pauli sententia, lex ipsa divina omnibus hominib. ex vi quadam naturali sit indita. Secunda, quòd Jer. 31. Deus promittit, Scribam legem meam in corda eorum. Tertia, quòd Deus ante editas legis tabulas nec V. T. Patribus, neq; in N.T. ipsis Apostolis in Scriptis aliquid tradiderit unquam, sed primùm illis, Noe, Abrahæ, ejusq; posteris, Job item & Mosi ipse coram proprio ferè semper ore locutus est. Deinde Apostolis se pro literis S.S. gratiam daturum esse promiserit. Solutio ferè una, Scripturam videl. in defectum Naturæ corruptæ subrogatam, ut patet ex communi sententia Patrum, Augustini lib. 11. de civit. Dei cap. 3. Scripturæ fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos scire idonei sumus. Origenis lib. 1. contra Celsum, ubi sacras literas secundas vocat tabulas. Chrysostomi qui Com. in Matth. in opere imperf. sic orditur, Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, sed tàm mundam habere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus sancti suppeteret nostris animabus, & sicut atramento illi, ita corda nostra inscripta essent a Spiritu S. Quia verò hanc à nobis excussimus gratiam, age vel secundam navigationem amplexemur.* (Si scripturæ in defectum Naturæ nostræ corruptæ sunt surrogatæ, utique per eas melius custoditur doctrinæ cælestis integritas, quàm per vivæ vocis traditionem.)

3. Fevardentius ad Iren. lib. 3. cap. 1. sic annotat. *Docet* (Irenæus) *Apostolos sanctissimi Evangelii primos buccinatores non nisi Spiritus sancti virtutibus ac donis instructos illud constanter prædicasse, deinde ad futuram posterorum memoriam illud ipsum scriptis mandasse.* (Atqui si Apostoli illud ipsum, quod vivâ voce docuerunt, illud ipsum inquam Evangelium, scriptis posteà mandarunt, quis non videt ex eorum viva voce nihil concludi posse pro traditionibus non scriptis contra Scripturæ perfectionem? Nam si illud ipsum scripserunt, ergò ea traditio est scripta.)

4. Petrus Gregorius Tolos. lib. 12. de Republ. cap. 5. *In hominibus semper fuit mutabilis & ad novas opiniones desultoria Natura, idcirco Deus humanæ fragilitati consulens per Scripturæ juvamen, & velut thesaurorum divinorum memoriale auxiliari voluit ad perpetuam rerum memoriam, & gestorum & mandatorum testimonium. Neq; alia de causa toties jussit Deus legem suam fideliter cum diligentia describi, quàm ut populus audiens Dei voluntatem retineret & exequeretur.*

5. Ipse Gregor. de Valentia d. l. p. 83. *Scripturæ V. T. multæ causæ fuerunt, prima, ut hoc modo hominum saluti optimè consuleretur, ut faciliùs ejus cognitio ad alios derivari posset, & facilius esset in promtu.* (Si per Scripturas optimè consulitur humanæ saluti, utiq; doctrinæ integritas optimè conservatur per Scripturã.)

Argum. 12. *Mores omnium gentium & Rerumpubl. profanarum approbant leges non scriptas.* Bell. d. l.

Resp. 1. Communis est sententia Interpretum juris civilis, etiam Pontificiorum, *Scripturam necessariò requiri ad legem humanam;* quibus suffragantur Salicetus, Glossa & Archidiaconus teste Azorio Jesuita lib. 5. Instit. moral cap. 2.

2. Quinimò definitio legis in jure Canonico, c. Lex. dist. 1. ex Isidoro desumta, hæc est: *Lex est constitutio scripta.*

Arg. 13. *Patres sæpiùs provocant ad traditiones.* Resp. 1. ex Bell. lib. 4. de verbo Dei cap. 2. & Stapletono in relect. princ. controv. 5. q. 5. art. 2. *Traditionis nomen generale est & significat omnem doctrinam, sive scriptam sive non scriptam, quæ ab uno communicatur alteri.*

2. Patres nomine *traditionum* ea complectuntur, quæ nec ipsi Pontificii observant, ut ostendimus superiùs memb. 7.

3. Hilar. in Ps. 2. sic habet: *Moses, quamvis Veteris Test. verba in literis condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta Senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat.* Ad hunc locum Erasmus annotavit, *Non credo.* Neque hanc annotatiunculam rejiciendam censuit Johannes Gillotius, cùm ederet hujus Patris opera. Imò quòd magis miteris, hanc eandem intactã prætermittit Index Expurgatorius Hispanicus. (Citat quidem Hilarius pro astruenda hac sententia verba Christi, Matt. 23. *super cathedrã Mosis sedent Scribæ & Pharisæi?* Sed quilibet videt hoc fieri *ἀπροσδιονύσως*. Si enim Pharisæi & Scribæ habuerunt quædã arcana, quæ non cõmunicabantur plebi, quomodo plebs ea reservare & facere poterat?)

4. Bellarminus Irenæum pro confirmandis traditionibus adducit lib. 4. de Verb. Dei cap. 7. Sed Erasmus in Epistola ad Trid. Episcopum Irenæo præfixa scribit, *Irenæum solis Scripturarum præsidiis adversus hæreticorum catervam pugnasse.*) Rectissimè. Nam in præfat. libri 3. profitetur, *se allaturum è Scripturis ostensiones* & cap. 5. post absolutum de traditione sermonem, quem inchoaverat cap. 3. significat se aggredi disputationem *ex Scripturis. Traditione igitur*, inquit, *quæ est ab Apostolis, sic se habente in Ecclesia, & permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis, ostensionem.* Atque ab eo loco ad finem usq; totius operis disputare pergit ex solis Scripturis, h. e. tribus integris libris, cum traditioni concesserit duntaxat duo capita libri 3. videl. tertium & quartum.)

5. Hosius in Confess. cap. de Traditionibus citat ex libro Tertull. de Virginibus velandis aliquem locum: *Cumprimis*, inquit, *absurdum esse Tertullianus existimabat, ut Diabolo semper operante, & adjiciente quotidie ad iniquitatis opera, opus Dei aut cessaverit, aut proficere destiterit, cum propterea Paracletum miserit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina, & ab illo vicario Domini Spiritu.* Atqui Pamelius dicit, *Tertullianum hunc librum scripsisse jam factum Montanistam*, quinimò fatetur, *hunc ipsum locum ad Montani hæresin pertinere. Pertinent* (inquit) *hæc & sequentia ad finem hujus capitis usque, ad hæresin Tertulliani & Montanistarũm, qui Montanum Paracletum faciebant, contra quem latiùs in nostris Prolegomenis. Hoc hic dixisse sufficiat, quòd ineptissimè quæ de Spiritu sancto prædixit Christus, ipse suo Paracleto adscribat.*

6. Pleriq; omnes Pontificii pro traditionibus stabiliendis adducunt locum Basilii lib. de S. S. cap. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripta prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, i. e. in occultò tradita recipimus, quorum utraque parem vim habent.* Sed præterquam, quòd Basilius agat non de doctrina fidei & morum planè ad salutem necessaria, sed de quibusdam ritibus & observationibus, quæ mutari poterunt aut obsolescere, ut exemplis ab eo allatis fit manifestum, nempe de signo crucis, de precibus versus Orientem, de trina baptizatorum immersione; notandum, quòd Erasmus in Epistola ad Dantiscum Culmensem Episcopum præfixa huic Basilii libro scribit, *posteaquàm dimidium operis in eo vertendo absolverat, visam esse sibi phrasin alium referre parentem, aliumq; spirare genium, & subiisse animum suspicionem ex multis, quas affert, rationibus, studiosum quempiam, quò volumen redderet auctiùs, multa intertexuisse, vel ex aliis autoribus decerpta Emblemata, vel ex se reperta.* (Ex quorum fortasse numero sunt, quæ de traditionibus dicuntur contra manifestam Basilii in aliis suis opusculis sententiam, utpote serm. de fide: *Manifestissimum infidelitatis argumentum & signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non sunt scripta, introducere &c.* Inde Epist. 80. ad Eustachium Medicum, ad Scripturam tanquam ad judicem provocat: *Stemus*, inquit, *arbitratu inspiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.*)

7. Jesuitæ in Colloquio Ratisbonensi, ac Bailius in Catech. Controv. tract. 1. q. 9. pro astruendis traditionibus afferunt locum Cypriani Epist. 74. & *Augustini lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 26. Sanctus, inquiunt, Augustinus ait, Cyprianum nos admonere, ut ad fontem recurramus, id est, ad traditionem Apostolicam, quæ velut per canales ad nostra usq; tempora fluxit.* Sed manifestum est tùm ex Cypriani Epistola, tùm ex ipsa Augustini responsione, utrumque per traditionem Apostolicam scriptã Apostolorum doctrinam intellexisse. Dixerat Stephanus Romanus Episcopus, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Respondet Cyprianus, *Unde ista traditio? utrum de Dominica & Evangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? ea enim esse facienda, quæ scripta sunt, Deus testatur. Si ergò aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut actibus continetur, ut à quacunq; hæresi venientes non baptisentur, sed tantùm manus illis imponatur in pœnitentiam, observetur divina*

hæc

hæc & sancta traditio. Et infra in ead. Epistola. *Si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam & Evangelicam & Apostolicam traditionem revertamur; & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Traditum est enim nobis* (videlicet à Paulo Eph. 4.) *quòd unus sit Deus, & Christus unus, & una spes, & fides una, & una Ecclesia & Baptisma unum.* En scriptam in sacris literis traditionem, ad quam provocat Cyprianus! Conditionem autem amplectitur Augustinus, *Quòd nos,* inquit loco citato, *monet, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est & sine dubitatione faciendum. Traditum est ergò nobis, sicut ipse commemorat ab Apostolo, quòd sit unus Deus, & unus Christus, & una spes, & una fides.* Inde Pamelius annot. 7. in 74. Epist. Cypriani, Bellarminus lib. 4. de Verb. Dei cap. 8. Baronius ann. 53. n. 21. non dubitant, Cyprianum *de scripta traditione* loqui. Ex ipso contextu Epistolæ Cypriani elucet, ipsum *traditionem Dominicam & Evangelicam* sic distinxisse *ab Apostolorum mandatis & Epistolis*, ut sensus sit, eam dici *Dominicam*, quæ in quatuor Evangelistis; *Apostolicam* autem, quæ in reliquis Novi Testam. partibus legitur.

CAPUT VI.

De Canonibus Apostolorum,

QUia Pontificii traditiones ἀγράφως pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo recipiendas esse statuunt, inde Canones Apostolorum, Constitutiones Apostolorum, Liturgias Apostolorum, & alia hujus generis Apocrypha scripta, quæ Apostolicas quasdam traditiones continere ipsis videntur, Ecclesiæ obtrudere non verentur, Esto ergò

Thesis. *Canones Apostolorum apud Clementem Romanum sunt Apocryphi.*

Ἔκθεσις. In tomo primo Conciliorum, & inter opera Clementis Romani extant 84. breves aphorismi, qui vocantur *Canones Apostolorum.* Illos asserunt ab ipsis Apostolis ante divisionem in omnem terram congestos, à Clemente autem Romano, Petri in sede Apostolica successore, in ordinem redactos, vel certe ex doctrina Apostolorum vivâ voce traditâ à Clemente collectos; eos genuinum Apostolorum fœtum esse negamus.

Antithesis. Lindanus in Chron. præfixa Panopl. *Apostolorum canones certò sunt Apostolorum.* Franciscus Turrianus peculiari scripto eorum autoritatem asserere voluit. Lambertus Gruterus in præfat oper. Clement. Colon. An. 1569. edit. *Istos canones ab Apostolis constitutos, à Beatoq; Clemente conscriptos esse, multis & certis argumentis adducor ut credam.* Dominicus Banes in Thom. 2. 2. q. 1. art. 10. concl. 6. col. 316. *Sexta Synodus Cõstantinopolitana illos magnâ reverentiâ commendat, & Justinianus etiam Imperator magnopere, ut par est, veneratur.* Albertus Piggius lib. 2. Hier. Eccles. cap. 10. *Non est quòd Apostolorum canones quis elevet, aut nothos, subdititios & ab aliquo quovis impostore confictos, non autem ab Apostolis quis dicat editos. Nam horum canonum autoritatem receptam per Ecclesiam ab ipsis mox Apostolorum temporibus probavit Anacletus Petri discipulus, Euaristus, Sixtus, Victor &c.*

Petrus Crespetius Cœlestinus, Parisiensis, in Summa fidei Cathol. & discip. Eccles. verbo, Canones Apostolorum. *Quandoquidem multi rejiciunt Apostolorum canones, lubet hic inserere quædam irrefragabilia testimonia, quæ eos apprimè canonizant. Nam imprimis à Gratiano in Decretis infinitis in locis allegantur, & Concilium Constantinopol. III. quod & VI. Synodus generalis dicitur in Tullo celebrata, can. 3. allegat & approbat 16. & 17. canonem Apostolorum, & can. 4. allegat & approbat canonem 25. & can. 10. allegat & approbat canonem 44. quod & facit Concilium Nicenum I. can. 5. & 18. sicq; hæc duo generalia Concilia infinitis in locis canones Apostolorum nominant & allegant: quin Concilium Nicenum II. quod 7. generale fuit, cap. 5. canonem 30. Apostolorum citat & approbat. Sicut & Tharasius Constantinopol. qui huic Concilio præerat, eundem canonem 30. citat Epistol. ad Johann. Anachoretam, posita in limine prædictæ Synodi, canonem Apostolicum expressè nominans &c. Possem & alia innumera afferre testimonia confirmantia & roborantia, canones Apostolorum verè esse Apostolorum.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. capit. 2. *Canones Apostolorum numero quinquaginta per B. Clementem, ut dicitur, aut collecti, aut translati, primum post Scripturas tenent locum. Quapropter B. Damascenus in quarto libro de orthodoxa fide recensito Canonicorum librorum Catalogo, continuò post subjungit: Et Canones Apostolorum per Clementem: & B. Isidorus in eo volumine, quo omnium Conciliorum decreta congessit, Canones Apostolorum ante omnium Conciliorum decreta locavit, non quòd major sit illorum autoritas, quàm cujuscunq; Concilii, ut decet, congregati, sed propter Apostolorum, ut suspicor, majorem reliquis omnibus & sanctitatem & dignitatem.* Lib ejusdem cap. 5. accipit de his canonibus quod Act. 15. de Paulo dicitur: *Perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Hæc,* inquit, *parum nostro proposito conducunt, quoniam Apostolorum canones reperimus, quos ipsi ad regimen tunc nascentis Ecclesiæ ediderunt. Hos, per quadraginta & octo capita digestos, Isidorus in principio Conciliorum collocavit, quos à Clemente Papâ & Martyre, ut dicitur, translatos Zepherinus & Leo summi Pontifices, & sexta Synodus approbârunt. Damascenus tantum illis tribuit, ut in fine c. 18. l. 4. de fide Orthod. videatur eos in numerum Canonicorum librorum referre. Nam cùm de Canonicis libris disserit, eorum catalogo recensito, nullâ prorsus distinctione factâ, subnectit canones Apostolorum per Clementem.*

Idem lib. 11. adversus hæreses in verbo Ordo. *Apostolorum canones per Clementem traducti tanta sunt autoritatis, ut Beatus Damascenus illos inferat catalogo librorum Canonicorum sacræ Scripturæ.*

Sixtus Senens. lib. 2. Biblioth. sanctæ p. 49. *Canonum Apostolicorum autoritas est recepta & indubitata Athanasius enim inter hagiographa eos numerat, & Johannes Damascenus lib. 4. Orth. fidei eos in canone divinarum Scripturarum ponit &c. Tertullianus adversus Praxeam dicit, hos canones Apostolorum esse per manus traditos. Sed & Imper. Justinianus sæpissimè in Novellis mentionem illorum introducit, & secundùm illos profitetur se leges condere, & expressis verbis Canones Apostolorum vocat.*

Salmeron tom. 11. tract. 44. *Canones illos in Concilio Hierosolymitano Act. 15. ab Apostolis esse conditos,* somniat, *ac proinde immeritò pro Apocryphis à quibusdam censeri.*

Bellarminus canones illos passim citat, lib. de Cleric. cap. 3. & lib. de not. Eccles. cap. 8. citat canonem primum, ut probet, *Episcopum non nisi à tribus Episcopis ordinandum esse.* Lib. 1. de Missa cap. 16. citat can. 3. & 4. pro ritu altarium, ut ex eo stabiliat, *Missam esse sacrificium propriè dictum.* Libro de Clericis capit. 1. citat canonem 12. 13. & 15. pro *distinctione & nomine Clericorum* Laicorum. Lib. ejusd. cap. 19. citat can. 27. pro *cælibatu* eorum, qui sunt sacris ordinibus initiati. Lib. de matrim. cap. 26. citat canonem 48. pro *insolubilitate matrimonii quoad vinculum.* Lib. 2. de bonis operibus in part. cap. 14. citat can. 68. ut probet, *quadragesimale jejunium ab Apostolis Domini institutum atq; universæ Ecclesiæ fuisse traditum.* Stapleton. in relect. princ. controv. 2. q. 4. art. 3. p. 238. citat can. 2. ut probet, *Presbyterum ab uno semper Episcopo ordinatum esse.* Cont. 3. q. 7. concl. 1. p. 405. citat canon. 34. ut probet, *ad Rom. Pontificem licere ex toto orbe appellare.* Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 31. ex can. 3. & 4. probat *usum ceremoniarum* in Eccles. Apostolica. Tract. ejusd. q. 38. ex can. 4. confirmat *Ceremoniam incensorum.*

Nostram sententiam confirmant autores Hist. Eccl. Magdæbur. Cent. 1. lib. 2. cap. 7. p. p. 544. seqq. argmentis, 1. Reperiuntur inter eos aliquot canones, qui doctrinæ Apostolorum in scriptis eorum propositæ adversantur, quales sunt canon 17. (juxta veterem Dionysii Exigui distinctionem) qui secundas nuptias obliquè damnat: canon 27. qui tantùm Lectorib. & Cantoribus nuptias permittit, aliis verò non obscurè vetat: canon 68. qui alligat conscientias ad jejunia in quadragesima paschæ & feriæ quartæ & parasceves. 2. Reperiuntur inter eos canones pugnantia præcipientes, quales sunt 6. 17. & 27. & 40. 50. quorum alii nuptias Sacerdotum damnant, alii v. admittũt. Canon 65. vetat jejunare die Dominico aut Sabbathi, contrà verò 68. mandat jejunare quadragesimam paschæ & quartam feriã, & parasceven sub pœna excommunicationis. 3. Ob res leves excommunicationem præcipiunt contra morem Apostolorũ. Eos, qui inscientes susceperunt excommunicatos excommunicare jubet canon 13. Laicos suffocato vescentes excommunicare præcipit canon 62. Propter jejunia die Dominico observata, deponit Clericos, & excommunicat Laicos canon. 65. Non jejunantes quadragesimam paschæ excommunicat canon 68. Vasa sacra in profanos usus assumentes excommunicat canon 72. Deinde canon 24. triennium communione privari jubet Laicum, qui se castraverit. Sed Apostoli nusquam cuiquam pœnitentiam agenti tempus præscripserunt, quando oporteat eum admitti ad communionem, [...]

patet 2. Cor. 2. Nec illud cum Apostolorum doctrina congruit, quòd canon 25. Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, in fornicatione aut perjurio aut furto captum, deponi ab officio præcipit, at communione privari vetat, cum Paulus 1. Cor. 5. fornicatores & fures inter excommunicandos numeret. 4. multa in iis dicuntur, quæ Historiis refragantur. Nam quòd canon 8. de paschæ celebratiotione, ne fiat cum Judæis, vetat, non consonat veritati, quia Johannes, Philippus & alii, Pascha eodem die cum Judæis celebrârunt, nempè die decimâ quartâ mensis primi, ut constat ex Epistolis Polycratis & Irenæi ad Victorem Episcopum Rom. apud Eusebium lib. 5. cap. 23. 24. 25. 26. juxta dist. Græcam. Canon 20. damnat fidejussiones Clericorum: Verùm hoc seculo Apostoli & alii legibus politici Magistratus usi sunt, scientes Evangelium non abolere politica justa & honesta. Canon 36. prohibet Episcopos ordinationes facere extra proprios terminos in civitatibus & villis, quæ illis nullo jure sunt subjectæ. Sed hoc seculo nondum fuêre termini singulorum Episcoporum distributi, & solebant ex vicinia convenire plures ad ordinationem. Canon 38. bis in anno Concilia celebrare jubet. Sed in Historiis non reperiuntur ejus rei testimonia. 5. Plerique illorum canonum in Conciliis, quæ longè post habita sunt; nempè in Antiocheno, Niceno, Chalcedonensi conditi dicuntur, tùm ut à Patribus constituti allegantur. 6. destituuntur autorum probatorum, qui sive hoc, sive sequentib. aliquot seculis vixerunt, testimonio. Nam neque à Justino, aut Irenæo, aut Clemēte Alexandrino, aut Origene, aut Eusebio, aut Hieronymo, aut Ambrosio, aut Athanasio, aut Augustino, aut etiam Gelasio inter authentica Apostolorum scripta referri videas. In tertio ab hoc seculo Zepherinus quidam Roman. Episc. solus in Epistola ad Episcopos per Siciliam dicit, Apostolos 60. sententias Episcopis præscripsisse, verum Epistola illa multis nominib. est suspecta &c. Et constat, in nulla Synodo eos canones pro authenticis & Apostolorum esse receptos, quam in sexta Synodo Constantinopolitana, quæ celebrata est demum circiter annum Domini 675. nec tamen postea defuerunt, qui negârunt esse Apostolorum. Hisce Centuriatorum Magdæb. argumentis addendum 1. quòd in his canonibus Ministri Ecclesiæ vocentur *clerici*, cùm tamen Apostoli vocem illam nunquam tribuant solis Ecclesiæ Ministris, ac Petrus *Cleri* nomen toti populo Christianorum tribuat 1. Epist. 5. 3. 2. quòd multa arguunt, hos canones post Apostolorûm tempora fuisse conscriptos, utpote de oblatione super altare, can. 3. de oblatione olei ad luminaria & thymiamatis sive incensi can. 4. de cura bonorū Eccelsiasticorum can. 39. de cera vel oleo à sancta Ecclesia non auferendis can. 71. de distinctis gradibus & ordinationibus Episcoporum & Presbyterorum, de paschate celebrando ante æquinoctium vernum, de vasis aureis & argenteis sanctificatis, can. 72. de Episcopis παροικίας relinquentibus, (cujus vocis tempore Apostolorum nondum erat in Ecclesia usus:) de iis qui seipsos castrant, (cui canoni Origenes longè post Apostolorum tempora occasionem dedit:) de Cantoribus & Lectoribus, (qui tunc nondum erant instituti) de Episcopis per favorem seculariū potestatum Ecclesias obtinentib. can. 31. cùm tempore Apostolorū potestates seculares omnes Christianis fuerint infestæ:) de Primatibus & Metropolitanis (quæ nomina tempore Apostolorum nondum erant nota:) de quadragesimali jejunio can. 68. (quod longè post à Telesphoro fuit institutum circa annum 130.) 3. quòd in can. 46. Baptismus hæreticorum damnatur, & idem affirmatur per glossam can. 6. dist. 32. quòd canones Apostolorum vocent Baptismum hæreticorum *lavacrum Diaboli*, qui fuit error Cypriani, postcà condemnatus ab Ecclesia. 4. quòd in canone 84. duæ Epistolæ & Constitutiones Clementis numerantur inter Canonicas Scripturas, quod erroneum nec tempori congruū. Clemens enim cœpit esse Pastor Ecclesiæ Romanæ An. Christi 94. hoc est 62. annis post Christi ascensionem, quo tempore omnes Apostoli solo Johanne excepto diem suum obierant. 5. quòd can. 62. (Græcis 63.) sit Judaicus, & totam legem Mosis Ceremonialem reducat per illam rationem, *hoc enim lex prohibuit*; quòd can. ult. in enumeratione librorum Canonicorum omittuntur libri *Esdræ & Nehemiæ*, Item *Acta Apostolorum* à Luca conscripta, (nisi quis ea denotari existimet per illa verba, καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, quod tamen incertum, cùm non constet Clementem illum Apostolum fuisse, ut se quoque Apostolorum cætui interserat:) It. quòd omittitur *Apocalypsis*. Contra verò in canonem referuntur *tres Maccabæorum libri &c.* 6. quòd in eodem canone *Evangelium Johannis* numeratur inter N. T. libros. Rectè id quidem, sed tempori non congruit. Nam Evangelium illud scriptum est longè post mortem reliquorum omnium aut plerorumq; Apostolorum. Quomodo igitur hi canones ab Apostolis simul congregatis possunt esse congesti? 7. quòd diversæ Constitutiones posteà factæ sint canonibus his contrariæ. Can. 65. decretum fuit, ne quis jejunaret die Saturni, quæ erat Judæorum Sabbatum. Contrarium decretum fuit per Innocentium, quòd hæc dies jejuniis addicta foret. Canone 50. dicitur, *Qui non ter in Baptismo immergit, depositus est.* Contrarium conclusum est in Concilio Toletano IV. can 5. quòd *baptizantes non immergere debeant ter, quia hæretici hoc faciunt.* Confer D. Meierum in Juris publici quæst. capit. contra Classicum Scoppii p. 92. & seqq. Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam Canones hosce inter Apocrypha referunt.

Gelasius cum 70. Episcopis c. Sancta. dist. 15. *Liber Canonum Apostolorum apocryphus.* (Describit autem Apocryphos libros hoc modo, *quòd nullatenùs eos recipiat Catholica & Apostolica Ecclesia, sed à Catholicis potiùs vitandos esse censeat:*) Isidorus c. Canones. dist. 16. *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscantur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab autoritate canonum atq; Apostolicâ, eorum gesta constat esse remota, atq; inter Apocrypha deputata.*

(Anton. Possevin, in Apparatu in verbo Clemens, excipit, *Gelasium & Isidorum canones Apostolorum rejecisse non omnes nec simpliciter, sed quatenus ab hæreticis corrupti fuêre, per admixtionē canonū quorundā adulterinorū post quinquaginta priores, quos non rejecerint.* Sed ex Gratiano colligitur, etiam priores 50. canones ab ipsis habitos fuisse Apocryphos propter admixtionem quorundam adulterinorū. Postquam enim Gratianus dixisset, *canones Apostolorum esse 50.* continuò addit, *ut est in antiquiorib. editionibus. Hos non recipiendos, sed inter Apocryphos deputotos Isidorus scribit, dicens: Canones, qui dicuntur Apostolorum &c.* Baron. tom. 2. Annal. Ann. 102. sect. 11. autoritatem c. Canones dist. 16. oppositâ editione aliâ antiquâ convellere conatur. Sed operâ frustraneâ: Superiora enim verba descripta sunt ex Codice MSto Ecclesiæ Toletanæ Romam misso, ut testatur is, qui decretum emendavit sub Gregorio XIII. *Caput hoc,* inquit, *est in præfatione Isidori ad collectionem Conciliorum, quæ in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ descripta Romam missa est: Nam in illa, quæ vulgatæ Isidori collectioni, de qua initio dictum est, præponitur, contrarium potiùs videtur dici & refertur infra can. Placuit, hac eâdem distinctione, si modò idem est Isidorus.* (Cui verò potior fides de Hispani scripto habenda, exemplari ex publica Hispaniæ Bibliotheca transmisso, aut ei, quod in privati hominis Bibliotheca servatur?) Ibidem Baronius excipit, *canones hos vocari Apocryphos, propterea quòd cum Apostolorum nomine censerentur, non essent in canone librorum* N. T. *quia verò à sanctis Patribus privatim, & à sacris Synodis publicè sunt recepti, meritò authentici dici debent.* Sed hanc exceptionem tollit definitio Apocryphorum à Gelasio posita, tollunt eandem ipsa Isidori verba: *Sancti Patres illis non præbuerunt assensum, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur.* Alii opponunt c. Placuit. dist. eâdem, in quo idem Isidorus sic scribit: *Propter eorum autoritatem cæteris Conciliis præponimus Canones, qui dicuntur Apostolorum, licet à quibusdam Apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & sancti Patres eorum sententias Synodali autoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt Constitutiones.* Sed Christophorus Justellus in præf. Codicis Canon. censet priorem canonem, qui incipit *Canones &c.* esse Isidori Hispalensis, posteriorē canonem, qui incipit, *Placuit &c.* esse Isidori cujusdā recentioris, qui dictus fuit Mercator, quod cōfirmat evidēti ratione, quia Isidorus ille posterior, in ordine celebrandi Concilii, quem suæ collectioni præfixit, Concilii Toletani XI. meminit, celebrati an. 675. ipsaque collectio à Canonibus Apostolorum protenditur usque ad Concilium Toletanum XII. anno 681. cui etiam inserti sunt canones ab Hadriano 1. Pont. Rom. collecti, & Ingelramo Mediomatricæ urbis Episcopo traditi, anno 785. cùm tamen Isidorus Hispalensis mortuus sit anno 635. ut testantur Scriptores Hispanici. Jam verò secundus ille Isidorus Mercator, qui

canones Apostolorum recipit, utpote recentior, non tantæ est autoritatis, quantæ prior ille, Isidorus Hispalensis qui canones Apocryphos esse censuit.)

Et quid multis? vult quidem Baron. d. l. ut *hi canones certo modo sint authentici*, quia *Patres & Concilia*, ait, *eos publice receperunt*, interim tamen ostendit, etiam *controversiam esse de numero*, vultque *distingui eos, qui recipi debent, à rejiciendis, prout Patres, Concilia, & Papa, aut communis Ecclesiæ usus eos recipit.* Quæ omnia incerti valoris esse eos evincunt, neque enim hoc fulcro indigerent, si certò & indubitatò Apostolici essent.

Clichtovæus in comm. Damasc. l. 4. orth. fid. cap. 18. *Canones regulasq; Apostolorum ad Ecclesiæ institutiones traditas, in sui exordio habuit Ecclesia per Clementem collectas, ut meminit liber Decretorum dist. 16. capit, Apostolorum &c. nunc tamen temporum injuria & malignitate illis caremus.* (Si veris Apostolorum canonibus caremus, ergò illi, quos habemus, sunt suppositittii.)

2. Quòd quædam insint Canonibus, quæ nec ab ipsis Pontificiis approbantur vel observantur.

Si canones illi Apostolorum (vel omnes 85. vel priores 50.) verè essent Apostolici, tùm autoritatem Apostolicam in Ecclesia obtinere deberent, æquè ac Epistolæ Apostolicæ, & vim haberent hominum conscientias obligandi ad obedientiam. Posterius ne ipsi quidem Pontificii admittunt. Sic enim scribit Baronius Ann. 102. n. 10. *Si in omnibus certum exploratumq; esset, ea ipsa omnia ab Apostolis fuisse statuta, planè inter hagiographa, interq; ipsos Canonicos divinæ Scripturæ libros recensenda fuissent, quod inconsultè nimis fecisse deprehenditur Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 18. dum recensendo libros Canonicos, post librum Apocalypsis mox subdidit, Canones deniq; sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati.*

Alphons. de Castr. lib. 1. adv. hæres. c. 2. fol. 5. *Apostolici canones pro divinis Scripturis habendi non sunt, quia novis succedentibus causis in multis sunt antiquati.*

Sixtus Sen. lib. 2. Bibl. sanctæ tit. Clemens p. 49. *Sunt in his sanctionib. quædã, quæ cũ præsentis Eccles. dogmatib. non conveniant, veluti can. 62. quo jubentur comedentes carnes cum sanguinib. deponi, & can. 56. quo jejunium tàm Dominicæ quàm Sabbati prohibetur.*

Michael Medina de sacr. hominum continentia, lib. 5. c. 105. *Ex 84. Apostolicis canonibus, quos Clemens Romanus Pontifex & eorundem discipulus in unum coegit, vix sex aut octo Latina Ecclesia nunc observat.*

Martinus Peresius de tradit. part. 3. c. de autor. can. Apostol. f. 243. asserit, *in his canonibus contineri multa, quæ temporum corruptione non planè observentur, aliis pro temporis & materiæ qualitate aut obliteratis, aut totius Ecclesiæ magisterio meritò abrogatis.*

Canoni 6. Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum conjugium approbanti, repugnat decretum Concilii Tridẽtini de cœlibatu Sacerdotum sess. 24. can. 9.

Canoni 7. Episcopis seculares curas prohibenti, adversatur manifesta praxis.

Canoni 9. præcipienti, ut fideles omnes Sacramentaliter communicent, qui intersunt sacris, repugnat decretum Synodi Tridentinæ sess. 22. can. 6. in quo approbantur Missæ privatæ; (Unde Binnius ad illum canonem sic annotat, *Totum hoc decretum contrariâ consuetudine jam est abrogatum:*) can. 53. *Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur.* Hoc in praxi Ecclesiæ Rom. non observatur. Sic *prohibitio concubinatus* in can. 17. *prohibitio fidejussionum Clericalium* in can. 20. *permissio conjugii facta Lectoribus & Cantoribus* in can. 27. *Depositio Episcopi pecuniæ interventu electi* in can 30. Itemq; *ejus, qui populos non docet in pietate* in can 57. in Papali Ecclesia non observantur.

In canone ultimo *tres libri Maccabæorum* numerantur inter Canonicas Scripturas, hoc repugnat decreto Synodi Tridentinæ sess. 4. in quo duo tantùm Maccabæorum libri censentur Canonici.

3. Quòd de numero, autore & autoritate horum canonum non consentiunt.

Primò Gratian. in præf. dist. 16. *Apostolorum canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt quinquaginta: Hos non recipiendos, sed inter Apocrypha deputatos Isidorus scribit.*

c. Sexaginta dist. ead. Ex Zepherini Epist. 1. ad Episcopos per Siciliam constitutos. *Sexaginta sententias Apostoli præscripserunt cum aliis quamplurimis Episcopis, quas servandas esse censuerũt.*

c. Clementis. dist. ead. ex Leone Papa IX. contra Epistolam Nicet. *Clementis librum, id est, Petri Apostoli Itinerarium & Apostolorum canones numerant Patres inter Apocrypha, exceptis capitulis 50. quæ decreverunt orthodoxæ fidei tractatores adjungenda.*

c. Placuit dist. ead. ex 6. Synod. cap. 2. *Placuit huic sanctæ Synodo, ut à modò confirmata & rata sint canonum Apostolorum 85. capitula.*

Ibid. *Cùm Hadrianus Papa sextam Synodum suscipiat cum omnibus canonibus suis, cùm etiam sancta octo Universalia Concilia professione Romani Pontificis sint roborata, in sexta autem Synodo sive in septimo Concilio Apostolorum canones sint recepti & approbati, patet, quòd non sint inter Apocrypha deputandi.*

(Ex his manifestum, in quibusdam canonibus librum Apostolicorum canonum acceptari, in quibusdam verò repudiari. Item in quibusdam 50. tantùm, in quibusdam 60. in quibusdam 85. canones numerari. Præterea ex c. Placuit, ex sexta Synodo &c. colligitur, ante istam Synodum ista 85. capitula canonum Apostolorum, aut non omnia, aut nulla rata fuisse. Habita autem est Synodus VI. Constantinopoli, sub Imperatore Constantino Pogonato, Ann. Christi 681. Quòd si canones illi jam olim fuerunt Apocryphi, quomodo ulla Ecclesiæ Constitutione potuerunt fieri Canonici & Apostolici?)

Inde tomo primo Conciliorum impress. Coloniæ Anno 1530. habentur canones Apostolorum 50. quorum ultimus ille est, in quo agitur *de trina in Baptismate mersione.* Sed in editione Petri Crabb. Ann. 1551. & Laurentii Surii Ann. 606. habentur canones 84. qui olim divisi erant in 85. ut patet ex Concilio Constantinopolitano 6. in Trullo can. 2.

Baronius Ann. 51. v. 22. *Certè in Cresconiana collectione omnium antiquissimâ quinquaginta tantummodò annumerati habentur canones Apostolorum, quos Dionysius Romanus Abbas, cognomento Exiguus, in Latinum vertit, cæteri enim à Græcis putantur dolose suppositi.*

Glossa in dicto c. Placuit, de hac diversitate sic disserit: *Ex his tribus capitulis surgit contrarietas, quam Gratianus non solvit, sed ponit. Sexta Synodus dicit 85. capitula Canonum Apostolorum esse servanda, Zepherinus 60. Leo IX. 50. Quidam ita solvunt, quia sexta Synodus fuit ante Zepherinum & Leonem, & observabantur 85. Canones, prout dicit sexta Synodus. Sed postea in desuetudinem abierunt 25. & remanserunt 60. ut dicit Zepherinus: procedente vero tempore 10. ex illis perierunt, & sic remanserunt tantùm 50. ut dicit Leo. Sed hæc solutio stare non potest. Nam Zepherinus præcessit 6. Synodum. Nam sexta Synodus fuit celebrata tempore Agathonis, qui longo tempore fuit post Zepherinum, ut ex Chronicis apparet. Omissis aliis solutionibus dic, quòd non contradicunt sibi, quia dicebat sexta Synodus 85. fuisse capitula. Zepherinus non dicit de capitulis, sed de sententiis, & potest esse, quòd in uno capitulo sint sententiæ plures.*

(At hæc Cõciliatio ab ipsis recentioribus Pontificiis repudiatur, ac sibi ipsi contradicit. Si enim in uno capitulo ponunt esse plures sententiæ, ergò Synodus sexta numerans 85. Canones non potest accipi de capitulis, nec Zepherinus numerans 60. Canones potest accipi de sententiis.)

Discrepantiam hanc circa numerum Canonum agnoscunt Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in voce Clemens. fol. 62. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. lib. 2. de Roman. Pontific. cap. 27. de Scripı. Eccles. pag. 60. Bisciola in Epit. fol. 72.

Secundò, quidam volunt Canones hos ab ipsis Apostolis esse congestos, antequam in totum terrarum orbem se dividerent, cum in illis Apostoli introducantur in propria persona loqui, quidam verò volunt, Canones hos per Clementem ex Apostolorum doctrina esse collectos.

Francisc. Turrianus statuit, *ab Apostolis Hierosolymis conscriptos esse hos Canones, & Silæ Judæq; proficiscentibus Antiochiam commendatos.* Illi subscribit Lorinus in Act. 15. v. 29. ex lib. 6. Constitut. Clement. cap. 12. Sed Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in verbo Clemens. fol. 62. *à Clemente eos scriptos esse* asserit.

Baron. tom. 2. Annal. Ann. 102. n. 10. *Quòd in Codice Constitutionum Apostolicarum, quæ à Clemente dicerentur conscriptæ, iidem Apostolici Canones essent appositi, ab eodem autore illos esse editos nonnulli existimarunt, cum alioqui complures Codices absque titulo Clementis illos habeant. Inde fortasse accidit, ut absq; Clementis nomine Gelasii censurâ liber Canonum Apostolorum adnumeretur inter Apocrypha. At licet in Græcis Codicibus eo modo*

quo diximus, titulus Clementis esset inscriptus, tamen quod certa ratio ac perspicua demonstratio afferri non posset, eos ab ipsis Apostolis statutos, Dionysius Exiguus summæ suorum temporum æstimationis vir, ut qui à doctissimo Cassiodoro mirificè prædicetur, cùm è Græco eos in Latinum verteret, rogatus à Stephano Salonitano ejusdem operi præposuit inscriptionem. *Incipiunt Ecclesiasticæ regulæ sanctorum Apostolorum prolatæ per Clementem Romanæ Ecclesiæ Pontificem, quæ ex Græcis exemplaribus in ordine primo ponuntur, quibus quamplurimi quidem consensum non præbuere facilem, & tamen postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumta videntur. Hæc Dionysius apud Crescomanam collectionem. Habet eadem verba idem Autor in ipsa Epistola ad eundem Stephanum Episcopum Salonitanum scripta, quam editioni ipsorum Canonum Apostolicorum præfixit.*

n. 12. *Licet eâ parte, quâ diximus, iidem Canones censeantur Apocryphi, quod sit incertum, ab ipsis Apostolis conscriptos, neque enim qui pro illis fortissimam scripsit defensionem Franciscus Turrianus hoc contendit, quod ab Apostolis scripti fuerint, sed sine scripto traditos, à Clemente scriptorum memoriæ consignatos, tamen quod non nisi ex Traditione Apostolica eos manasse sanctissimi Patres exploratum haberent, eâ de causa imprimis factum est, ut, qui omnium doctissimi habentur Romani Pontifices Innocentius, Leo, Gelasius atq; Gregorius, sic ex illis videantur petiisse autoritatem, ut tamen Apostolorum nomine speciatim citare Canones temperaverint.*

Et postea: *Vetera sacra Concilia, sive Oecumenica, sive Provincialia, cùm eosdem Apostolicos Canones citare, recensere vel restituere, vel quoquo modo commemorare oportuit, potius ipsorum sententiam, quàm verba & generatim antiquitatis nomine, quam speciali attestatione Canonum Apostolorum descripserunt. At quid hoc, nisi quod nomen est incertum & ob id Apocryphum, veritas autem & firmitas rei esset in omnibus explorata?*

Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Præterea. *Clemens summus Pontifex erat & Canones Apostolorum vel ipse condidit, vel quod verius est, ab Apostolis conditos literis commendavit.*

Severinus Binius in annot. ad vitam Clementis, in verbo, Multos libros &c. *Canones Apostolorum non quidem Clemens condidit, sed traditos ab Apostolis Græcè conscripsit.*

Tertiò, de tempore, quo editi sunt hi Canones, dissentiunt. Lorinus in Act. 15. v. 29. pag. 485. *Turrianus in Concilio illo Apostolorum Canones Apostolicos editos statuit. Quanquam de tempore, quo editi sunt Apostolorum Canones alii dissentiunt, cùm Sophronius homil. de agone Petri & Pauli existimet, factum id fuisse per eos quindecim dies, quibus Paulus in Hierosolymitana civitate mansisse se apud Petrum scribit Gal. 1. v. 18. Pamphilus autem Martyr apud Turrianum lib. 1. contra Magdab. cap. 25 non in Jerusalem, sed in Antiochia. Cui etiam opinioni quoquo modo favet Papa Innocentius I. Epist. 18. sed prima habet autoritatem, aut verisimilitudinem certiorem, mihiq; facilè persuadeo, in ea Synodo plura alia, quam quæ præsenti comprehenduntur Epistola, tractata esse.*

(Sophronii sententiam amplectitur Onuphrius Platinæ præmissus, teste Gaulter. p. 12. Chronol. tabular.)

Quartò, quidam Canones illos omnes recipiendos censent, ad quorum classem pertinent Franc. Turrianus lib. 1. pro Canon. Apost. capit. 21. Lamb. Gruterus Præf. Clement. Colon. Anno 1569. edit. Quinimò Bellarmin. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 16. §. Quod autem &c. opponit nobis Canonem 62. Apostolorum.

Quidam verò quinquaginta priores tantùm ex illis approbant, ad quorum classem pertinent Baronius Ann. 51. n. 22. Item Ann. 102. n. 14. Possevinus in Apparatu sacro in verbo Clemens. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 27. §. At Canon, ubi dicit, *solùm 50. Canones Apostolorum Ecclesiam recipere.*

Alanus de suffrag. pro defunctis capit. 3. f. 141. citat Canonem ultimum, ut evincat, *libros Maccabæorum esse Canonicos*. Sed Canonem illum ultimum repudiant Baronius, Bellarminus & Binius.

Bellarminus lib. 2. de Bon. Operibus in particul. capit. 14. citat Canonem 68. ut probet *jejunium quadragesimale ab Apostolis institutum.*

Idem tamen lib. 2. de R. P. cap. 27. docet, *Ecclesiam tantum 50. Canones Apostolorum recipere.*

Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ p. 49. autoritatem horum Canonum inter cætera probat ex eo, quod *Damascenus eos in Canone divinarum Scripturarum ponat*. Sed Baronius Ann. 102. n. 10. *Damascenum id inconsultè fecisse* asserit.

Quintò, Autorem c. Canones. dist. 16. Baronius d. l. n. 11. existimat fuisse, non *Isidorum Hispalensem* Episcopum, ut multi nomine decepti sunt opinati, sed *Isidorum cognomento dictum Mercatorem.*

Possevinus verò in Apparatu sacro in verbo, *Isidorus*, statuit, fuisse *Hispalensem*, idque probat aliquot argumentis: Primò, quod *multa verba, quæ in Præfatione hujus collectionis leguntur, extant in libris Etymolog. Isidori Hispalensis.* Secundò, quod *ipsi Concilio Hispalensi interfuit, ac primas partes tenuit Isidorus Hispalensis.* Tertiò, quod *constans fermè fama per omnia tempora percrebuit, Autorem ejus collectionis fuisse Isidorum Hispalensem.* Quartò, quod *expurgatores atq; emendatores Decreti ac Decretalium Gregorii XIII. Pontificis jussu editorum in hanc ipsam videntur sat liquido propendere sententiam, sicut initio ante corpus Decreti significarunt.*

Sextò, in omnibus editionibus Juris Canonici c. Canones, ex Isidoro citatur his verbis: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo, quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab autoritate Canonum atq; inter Apocrypha deputata.*

Sed Baronius d. l. evincere conatur, aliter legendum esse. *Isidorus*, inquit, *in Præfatione Collectionis suæ hæc habet: Deniq; propter eorum autoritatem cæteris Conciliis præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum, licet à quibusdam Apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & sancti Patres eorum sententias Synodali autoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt Constitutiones. Hæc Isidorus, quæ descripsimus ex vetustissimo Codice, nulli quidem, audacter dico, antiquitate secundo, quem penes nos habemus in nostra Bibliotheca, quam esse veram germanamq; lectionem, atque illi præstare, quæ in Hispano Codice habetur scripta, & à Gratiano descripta, quisque facile poterit judicare. Nam, quid est, quod habetur, nec sancti Patres illis assensum præbuere, pro eo, quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur: unde ista manifesta probatio, quod ab hæreticis traditi fuerint? quis unquam repertus talia dixisse? Et quæ conventio lucis ad tenebras? cùm nihil in illis quinquaginta, nisi quod Catholicam Apostolicamq; doctrinam & sanctissimam morum disciplinam redoleat, sit invenire? Et quomodo rursus non mendacissimè dictum est, sanctos Patres non esse illis assensos, cum vix sit reperiri Catholicum Scriptorem Ecclesiasticum, vel sacrum Conventum Episcoporum, penes quem aliquis ex Canonibus illis non inveniatur pari consensione probatus? Explosâ igitur falsa Isidori lectione, illa prorsus verior atque probatior esse cognoscitur, quam idem Gratianus paulò inferius cap. Placuit. dist. ead. ex legitimo atq; germanico textu reddidit.* (Sed hisce Baronii rationibus nullum inest robur. Cur enim rejiceretur illa editio, quæ ex Toletanæ Bibliothecæ exemplari descripta est, ex qua Canonem illum desumtum esse superius monuimus? Num exemplar illud, quod Baronius Romæ in Italia asservabat, verisimile est genuinam lectionem rectius retinuisse, quam illa exemplaria, quæ in Hispania, in qua Autor floruit & docuit, sunt asservata? Quod nullus reperiatur idem cum Isidoro dixisse, est *argumentum negativum*; qualia argumenta *ipsis pueris ridicula* esse, scribit Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 24. Quod *in Canonibus illis Apostolicis nihil inveniatur, nisi quod Catholicam Apostolicamque doctrinam & sanctissimam morum disciplinam redoleat*, gratis dicitur, contrarium superius fuit demonstratum. Quod Canones hi omnibus Patribus, vel noti, vel probati fuerint, itidem sine probatione dicitur, cùm vel ex Gelasio contrarium sit manifestum.)

Septimò, Sophronius putat, *Canones hos fuisse scriptos Hierosolymis per quindecim dies, quibus Paulus se apud Petrum mansisse scribit*, Galat. 1. v. 18. teste Lorino in Act. 15. v. 29. Idem statuit Onuphrius præmissus Platinæ, teste Gaulter. p. 12. Chron. Sed Pamphilus Martyr putat *scriptos esse Antiochiæ*, teste Lorino ibid. cui Innocentius Papa Epist. 18. subscribit, & Genebrardus in Petro, teste Gaultero d. l.

4. Quod agnoscunt, quosdam ex his Canonibus ab hæreticis esse corruptos.

Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ p. 49. *Sunt, qui arbitrentur, hos Canones à Nicolaitis hæreticis contaminatos, & aliis multis Apocryphis respersos.*

Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 11. p. 45 *Si hæc responsio non placet*, (Clementem non omnes libros Canonicos collegisse) *detur alia, non omnes illos Canones à Clemente editos, sed nonnullos à Græcis adjectos esse.*

Jacobus Bonfrerius Præloquior. in Pentateuchum fol. 16.

negat

negat illos 50. *Canones Apostolicos esse planè sinceros aut à suspicione immunes.*

Baronius Ann. 102. n. 14. *Apostolicorum Canonum nomine tam præclaro, ut honestissimo velamento, error irrepsisse cognoscitur, quod perspicuè demonstrabimus.*

n. 15. *Magnam imposturæ faciunt suspicionem tum Canon ille sexagesimus quintus, qui apud Theodorum Balsamonem in Nomocan. est sexagesimus sextus, tum qui de libris Canonicis omnium postremus habetur. Priori enim cùm excommunicatione plectendus statuatur Laicus, & depositione Clericus, qui Sabbato jejunaverint, quomodo quæso tot tamque disertos antiquos Patres, qui de jejunio Sabbati instituerunt disputationem, Canon ille præterit, ut à nemine citatus reperiatur? Vel quonam pacto obsecro Romana Ecclesia contra omnium Apostolorum Canonem Sabbati jejunium suscepisset, vel eorum Episcopus Clemens id fieri permisisset, qui quod statuissent Apostoli, & ipse scripsisset, perquam optimè sciret? Vel quomodo ex Traditione Petri & Pauli Apostolorum Principum, ejusmodi diei Sabbati jejunii sibi vendicare est solita eadem Ecclesia observantiam, quam Apostolorum Canoni penitus adversari nosset? Rursum verò quod ad novissimum illum Canonem spectat, quo libri Canonici recensentur, ecquis unquam antiquorum Latinorum atque Græcorum adnumerare inter libros Canonicos præsumsisset Apocalypsin, quam scisset in Apostolorum Canone prætermissam, qui vel saltem causam aliquam ejusmodi silentii non adduxisset? &c. Vel quid est, quod, cùm de his frequens inter Patres oborta sit controversia, nemo penitus reperiatur, qui ejusmodi Apostolorum Canonis, vel saltem obiter, meminerit.*

n. 16. *Quod ad eundem spurium Canonem spectat, taceo in præsentiarum dicere de sacris libris Vet. Testam. ut Esdræ, Judith, Tobiæ, Sapientiæ & Ecclesiastici, qui omnes in eo Canone omittuntur. Cæterum quis æquo animo ferat, ut eodem Canone inter Canonicos libros octo libri Constitutionum Clementis, & duæ ejus Epistolæ recensitæ habeantur? Quis unquam tàm Græcorum quàm Latinorum Scriptorum, aut quænam ex sacris Synodis, tàm in Oriente quàm in Occidente antiquitus celebratis, quæ texuerunt Catalogum Canonicorum librorum, inter eos adnumeravit Constitutiones Clementis?*

Possevinus in Apparatu in verbo Clemens, *Canon. 65. est adulterinus.*

Ibid. *De Canone 67. fatetur, eum non fuisse Apostolicæ institutionis. Quod Gelasius* (inquit) *Leo IX. & Isidorus hos Canones rejiciant, intelligendum erit de libro, in quo sunt 85. Canones, idque propter admixtionem Canonum adulterinorum, quales sunt Canon 65. de jejunio Sabbati, & 67. de baptizatis ab hæreticis & alii fortassis nonnulli.*

Lindanus lib. 3. Panopliæ cap. 3. *Illum Scripturarum Canonem, qui vulgò in Canonibus, uti appellantur, Apostolicis cap. 85. circumfertur, ab Apostolis non fuisse præscriptum, hinc liqueat, quod eo multa sunt comprehensa, quæ nondum ab Apostolis erant scripta, ut plurimæ S. Pauli Epistolæ, rursus D. Petri, & Johannis nec Evangelium, nec Apocalypsis.*

Bellarminus libr. 1. de Verbo Dei capit. 20. *Probabile videtur, Canonem 84.* (al. 85.) *non esse Clementis. Nam Zepherinus Papa 15. à Petro, in Epist. 1. tradit, solùm 70. fuisse Canones Apostolorum, vel ut alii Codices habent 50. Humbertus autem in libro contra Nicetam non agnoscit nisi 50. Et certè melius noverat Zepherinus, quot essent Apostolorum Canones, quàm ulli posteriorum. Quocirca non sine causa Gelasius distinct. 15. can. Sancta Romana, posuit inter Apocrypha Canones Apostolorum, quod propter aliquos, vel corruptos, vel ab hæreticis additos fecisse videtur. Deinde in isto Canone 82. numerantur libri Canonici, & omittuntur quidam, qui certissimè sunt Canonici, ut libri Esdræ, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiasticus, Apocalypsis, quæ res non minimi momenti esse videtur &c. Præterea in eodem Canone numerantur inter sacros libros, non solùm tertius Maccabæorum, sed etiam Epistolæ duæ Clementis, & Constitutiones Apostolicæ ejusdem Clementis, quos tamen libros Ecclesia nunquam pro sacris agnovit.*

Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 27. §. At Canon. *Canon. 65. Apostolorum, qui vetat Sabbatis jejunare, videtur suppositius.*

Severinus Binnius in not. ad Can. Apostol. tom. 1. Concil. p. 17. *Non existimo de jejunio Sabbati* (*can. 65.*) *fuisse Apostolicum Canonem.*

p. 18. *Canon ultimus Apocryphus & surreptitius est*, id quod probat iisdem argumentis, quibus Baronius & Bellarminus utuntur.

(At si licet Canonem 65. 67. & 84. repudiare, propterea quod pugnent cum doctrina Apostolorum & Patrum, utique propter eandem causam etiam aliqui ex 50. prioribus, quos Bellarminus, Baronius & Binnius ut genuinos recipiunt, repudiari poterunt.)

Præterea in sexta Synodo can. 2. approbantur non tantum 50. sed 85. Canones Apostolorum. Ergò non solùm 50. sed etiam 85. Canonum autoritas asserenda erat & nulli ex his repudiandi. Excipit quidem Bellarminus libr. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Quod ad priorem; *Illos Canones, qui sextæ Synodo tribuuntur, non esse veræ sextæ Synodi, sed cujusdam alterius Concilii postea celebrati, quod summus Pontifex Sergius, qui tunc sedebat, non solùm non approbavit, sed etiam reprobavit.* Sed hoc pugnat cum Gratiano, is enim postquam in c. Placuit distinct. 16. Canonem illum secundum sextæ Synodi in quo 85. can. Apostolici confirmantur, adduxisset, subjungit: *Cum Hadrianus Papa sextam Synodum suscipiat cum omnibus Canonibus suis, cum etiam sancta octo Universalia Concilia professione Romani Pontificis sint roborata, in sexta autem Synodo sive in septima Concilio Apostolorum Canones sint recepti & approbati, patet, quod non sunt inter Apocrypha deputandi.* Regerit quidem Bellarm. libr. 2. de Rom. Pontif. capit. 27. resp. ad 5. quod *de his Canonibus Synodi quinisextæ in Epistola Adriani habetur, recitari ex Epistola Tharasii, & quanquam eo loco id ab Adriano non refellatur, quia non erat oportunum tempus id faciendi, tamen non continuo approbari.* Sed Gratianus non sine ratione censuit, Adrianum eo ipso Canones sextæ Synodi approbasse, cùm Tharasium hoc nomine commendet, quod Decreta sex generalium Synodorum custodiat, unde in cap. Sextam. dist. 16. recitat tale Epistolæ Adriani ad Tharasium scriptæ fragmentum: *Sanctam Synodum sextam cum omnibus Canonibus suis recipio.* Opponimus etiam Bellarmino, quod, ut Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothec. sanctæ pag. 49. monet, in fine actionis 4. septimæ Synodi confirmetur à Concilio & Legatis Adriani Papæ ipsa quarta actio, per quam approbantur Canones sextæ Synodi, in quorum secundo recipiuntur 85. Canones Apostolorum.

5. Quod tales concedunt hypotheses, quibus Canonum Apostolicorum autoritas non mediocriter labefactatur.

Glossa in Præfat. dist. 16. *Gratianus ponit quandam contrarietatem de Canonibus Apostolorum & eam non solvit. Probat enim autoritate Isidori, quod Canones Apostolorum non sunt recipiendi, quia sunt Apocryphi, postea probat autoritate Zepherini & Leonis, quod sunt recipiendi, & non sunt Apocryphi. Solutio brevis est, quia illi Canones sunt recipiendi, qui à veris Apostolis sunt editi, sed illi non qui à Pseudo-Apostolis sunt editi.*

(At Canones à veris Apostolis editi nihil continere possunt, quod doctrinæ Apostolorum in indubitatis eorum scriptis propositæ adversetur, alias enim Apostoli docuissent contraria. Jam verò in his Canonibus quædam talia continentur. Ergò non sunt à veris Apostolis editi.)

Baronius Ann. 92. num. 15. agnoscit, *Canones hos innotuisse in Ecclesia vix ante finem seculi septimi, receptos à Concilio generali sexto.*

(At Concilium illud est reprobatum ab Ecclesia Romana, ut docet Baronius Ann. 656. n. 40. Ann. 680. n. 40. seq. Ann. 705. n. 5. Ann. 718. n. 1. seq.)

Idem Ann. 102. num. 11. *Quod Canones Apostolorum autoritate careant, ab Apostolis esse omninò sancitos, Apocryphi dici meruerunt.*

n. 13. *Sanè hæc & alia, quæ de autoritate Canonum Apostolorum à recentioribus nonnullis scripta habentur, non sunt hujusmodi, ut his, quæ à Gelasio vel aliis dicta superius recitavimus, contraria videantur. Nam ne sic quidem ab aliquo Romanorum Pontificum vel Concilio Oecumenico probantur iidem Canones, ut verè sint Apostolorum,* (nota exactissimè) *ac proinde in divinæ Scripturæ Canonem inferendi &c.*

(At si Canones illi autoritate carent, quod sint ab Apostolis omninò sanciti, si à nullo Concilio sic probantur, ut verè sint Apostolorum, utique etiam non possunt, nec debent pro Apostolorum Canonibus indubitatò recipi.)

n. 17. *Illi tantum nobis ex Apostolicis fontibus Canones fluxisse jure videri possunt, qui vel à Patribus inter alios sacros Conciliorum Canones sunt recepti, vel Romanorum Pontificum autoritate firmati, aut in communem usum Ecclesiasticæ disciplinæ transiisse noscuntur. Quæ enim ab Apostolis tradita essent, & ad posteros temporum successione dilapsa, ea summorum Pontificum autoritate, Conciliorum Decretis, & universalis Ecclesiæ consuetudine roborata ap-*

ac penitus stabilita esse, ut nefas sit his adversari, quis poterit dubitare? His includi quinquaginta illa capitula à Dionysio è Græco translata certissimum est. Alia superaddita duobus illis exceptis, sic aliis in locis posita esse noscuntur, ut in dubium æque revocari possit, an inde accepta fuerint, vel in eam translata. Sed utrumque acciderit, quod sancta Ecclesia ea probasse noscatur, sive quod ab Apostolis fuerint instituta, sive quod Conciliorum Decretis fuerint confirmata, meritò jureq; authentica habeantur.

(Hac ratione nullam Canonibus his relinquit autoritatem, quàm quæ à Pontificibus vel Conciliis, vel Ecclesiæ consuetudine illis confertur.)

Idem tom. 3 Annalium Anno Christi 311. num. 49. *Vides ex iis, Acta Sylvestri non in omnibus sibi constare, sed aliqua eis superaddita, quibus cætera licet vera sint, fide vacillent. Habebimus in illis recensendis delectum, explosoq; inprimis falso Eusebii Cæsariensis titulo, quo ea in pleruque Codicibus inscripta invenimus, cætera quæ sint vera, quæ spuria, vel dubia, magno adhibito veritatis examine disquiremus.*

(Atqui de Canonibus Apostolorum idem dici potest, quod propter aliqua illis superaddita etiam reliquorum fides vacillet.)

Tom. 8. Ann. 692. n. 47. scribit, quod *Anastasius Bibliothecarius tradat tàm de Canonibus sextæ Synodi nominatis, quàm de illis, qui nomine feruntur Apostolorum, S. Rom. Ecclesiam eam consuevisse servare regulam, ut, quos sciret esse secundum Decreta Romanæ Ecclesiæ atq; sanctorum Conciliorum sancita, non respueret, sed ut veritati consentientes amplecteretur, non quod ex sextæ Synodo haberent aliquid autoritatis, sed quod veritas ubicunq; reperiatur & à quocunque dicta sit, sui firmitate subsistit & robore suo permanet.*

(Hac conditione libenter recipimus illos Canones, ut quod in illis reperitur verum & Apostolicis scriptis conforme, sicque sui firmitate subsistit, amplectamur. At eo ipso Baronius concedit, Canones hos non esse Apostolicos. Si enim hi Canones juxta *Romanæ Ecclesiæ & Conciliorum Decreta sunt examinanda*, utique non sunt Apostolici, nisi Ecclesia Romana ipsos Apostolos velit examinare & corrigere.

Et quid multis? tom. 1. Ann. Christi 58. n. 23. disertè scribit: *Non est, quod de Canone Apostolorum 5.* (quo damnatur Presbyter aut Diaconus, qui prætextu religionis suam abjicit uxorem:) *quis moveat quæstionem. Nam Apocryphorum non est tanta autoritas, ut quæ sunt tam certa, rata ac firmata convellant.*

(Hac unâ lineolâ tollitur, quicquid vel Turrianus, vel etiam ipse Baronius pro Canonum istorum autoritate afferunt, quia canon ille quintus habetur inter quinquaginta, quos alioqui Bellarminus, Baronius & Binnius recipiunt.)

Gabriel Bisciola in Epit. ad Ann. 102. f. 72. *Apocryphi dicuntur Canones, quod minimè certum sit, ab Apostolo conscriptos.*

(Si non est certum, *ab Apostolos hosce Canones esse conscriptos*, utiq; etiam pro Apostolicis venditari non debent.)

Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Clemens. *Neq; verò hoc loco tanti facienda est Canonum Apostolicorum defensio, à nostro Francisco Turriano magni zeli & eruditionis viro suscepta, ut memoratas tantorum Patrum autoritates non opponamus. Is enim non probat, singulos Canones esse legitimos, sed in genere aliquos esse Canones Apostolorum.*

(Canones, qui indubitato sunt Apostolorum, in indubitatis eorum scriptis rectissimè quæruntur, & certissimè inveniuntur, de reliquis variant & veterum & recentiorum sententiæ, ut ostendimus superius.)

Idem in voce Isidorus Mercor, autoritatem eorum, quæ citat Isidorus sub nomine Melchiadis Papæ, convellit tali argumento: *His quantumlibet veris, quod prodantur falso titulo, non innitimur, sed antiquioribus & uberioribus testimoniis.*

(At eodem argumento etiam Canonum Apostolicorum autoritas convelli potest, quia fatente Baronio An. 102. n. 11. *canones autoritate, quod sint ab Apostolis omninò sanciti.*)

CAPUT VII.

De Constitutionibus Apostolorum.

DE Constitutionibus Apostolorum idem sentimus, quod de Canonibus. Esto igitur

Thesis. *Constitutiones Apostolorum sunt Apocryphæ.*

Exegesis. In tomo primo Conciliorum, & inter opera Clementis extant octo libri Constitutionum Apostolicarum, quas iidem ab Apostolis profectas, à Clemente verò Petri Successore congestas fuisse asserunt. Habentur etiam hæ Constitutiones seorsim editæ & impressæ Parisiis Anno 1564. & Coloniæ Anno 1569.

Antithesis. Franciscus Turrianus libros quinque pro defensione harum Constitutionum scripsit, graviter conquestus, *quosdam Catholicos absque judicio eosdem Constit. Apostol. libros rejicere.*

Stapletonus defens. Eccles. autoritat. lib. 2. cap. 11. *librum ipsum Spiritu Apostolico plenissimum*, dicit; ac Controv. 5. princip. fid. doctrinal. q. 2. art. 3. eum laudat, quin imò scribit: *Nullam rationem obstare, quin si præsens Ecclesia Constitutiones has Apostolicas à Clemente editas, in Canonem sacræ Scripturæ referret, nos eas pro Canonicis admittere debeamus, æque atq; Epistolam Jacobi.*

Bristov. in duplicat. adversus Fulconem cap. ult. *esse indubitatum opus Clementis, cujus rei adeò perspicuæ habeantur probationes, ut nullo modo eludi possint.*

Johannes Carolus Bovius Episcopus Ostunensis, qui Constitutiones hasce in Latinum sermonem convertit, aliquot argumentis autoritatem earum in Præfat. munire laborat, quem hoc nomine commendat Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. sanctæ tit. Clementis præceptiones.

Copus Dial. 3. c. 5. dicit, *summo Dei beneficio contigisse, ut Clementis διατάξεις multis seculis recondita ad reprimendum Magdaburgensium & Apologeticorum nostrorum contra sanctos insolentiam in lucem prodierint.* Inde etiam ad dogmatum & rituum confirmationem eas passim adducunt.

Anglo-Remenses in cap. 4. Luc. v. 1. eas citant, ut probent, *jejunium quadragesimale esse Apostolicam Traditionem.*

Baronius eas allegat Ann. Christi 102. n. 20. pro asserendis *Canonibus Antiochiæ ab Apostolis editis.*

Bisciola in epit. Baronii tom. 1. p. 72. dicit, *Turrianum egregiam defensionem pro Constitutionibus Apostolorum à Clemente scriptis edidisse.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri, lib. 5. art. 16. *venerationem Reliquiarum* probaturus, primo loco adducit Constitutiones illas Apostolicas.

Idem alibi passim eas tanquam genuinas allegat.

Bailius in Catech. controv. tractat. 2. q. 16. librum 8. Constitut. pro *celebratione festorum*, adducit. Tract. ejusd. quæst. 18. *consecrationem chrismatis ex lib. 7.* Constitut. Apostol. cap. 43. confirmat. Tract. ejusd. q. 42. ex lib. Constit. cap. 30. confirmat, *omni tempore loca sacrata ac benedicta fidelium sepulturæ fuisse destinata.*

Bellarminus lib. de Clericis cap. 12. citat eos pro *antiquitate Ordinum Ecclesiasticorum*; Lib. 2. de Monachis cap. 36. pro *voto continentiæ*; Lib. 1. de Purgat. cap. 10. pro *oratione pro mortuis*; Lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7. pro *aqua lustrali*; Lib. 4. de Eucharist. cap. 4. pro *reservatione Sacramenti*; Lib. ejusdem cap. 10. pro *mixtione vini & aquæ in Sacramento*; Lib. 2. de Missa cap. 15. pro *lotione manuum ante consecrationem*; Lib. 2. de Confirm. cap. 3. pro *Confirmationis Sacramento.*

Ribera in Comment. cap. 1. Apoc. n. 68. *Ipsi Apostoli diem Dominicam commendant Ecclesiæ apud S. Clementem lib. 2. Constit. Apostol. cap. 59. & lib. 5. cap. 9. & ult. lib. 7. cap. 31. & 37.* Æthiopes illis utuntur ut verè Apostolicis.

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex contentorum consideratione.* Proponuntur in his Constitutionibus quædam falsa, pugnantia tùm contra fidei analogiam, tùm contra Historicæ veritatis regulam. Prioris generis hæc sunt, lib. 2. cap. 30. *Filium Patri subjicit* Autor, *ut Diaconum Episcopo, à cujus voluntate pendet.* Lib. ejusd. cap. 34. *Sacerdotibus, quasi Regibus vectigalia offerre* jubet, atque ad id abutitur dicto 1. Sam. 8. v. 6. Lib. 3. cap. 2. Τριγαμίαν ἀκρασίας σημεῖον, τετραγαμίαν πρόδηλον πορνείαν vocat. Lib. ejusd. cap. 11. *Deum vocat Paracleti per Christum effectorem.* Lib. 6. cap. 15. *Baptismum ab impiis datum improbatum esse* docet. In eod. libr. *Quædam mysteria secretò & seorsim paucis quibusdam ab Apostolis tradita fuisse*, asserit, quod Irenæus lib. 3 cap. 2. & Tertullianus lib. de præscript. hæreticum vocant. Lib. eod. *Gnosticorum quoddam genus* miris laudibus effert, cùm tamen illi ab Ecclesia sint damnati. Posterioris generis hæc sunt, lib. 2. cap. 59. & lib. 6. capit. 12. & 14. Jacobum fratrem Domini recenset q. extra numerum Apostolorum. Contrà Paulus Gal. 1. v. 19. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Lib. 2. mandant Apostoli, *ut Johannis Evangelium in Ecclesia prælegatur.* Scripsit autem Johannes novissimus omnium Historiã Evangelicam adversus Ebionem & Cerinthum, rogatu Episcoporum

Asiæ, imperante Domitiano. Quomodo igitur Petrus & Paulus, à Nerone interfecti, quomodo Philippus & Jacobus major sub Claudio interfecti commendare potuerunt Ecclesiis Johannis Evangelium? Lib. 5. capit. 15. dicitur, *illa verba, quæ Christus de Juda locutus est, qui tingit mecum in patina is est, qui me traditurus est, quinque diebus ante Pascha à Christo esse pronunciata*, quod pugnat cum Matth. 26. v. 31. Lib. ejusdem capit. 16. contra seriem Historiæ Luc. 22. v. 13. & unanimem omnium Patrum sententiam dicitur *Judam abfuisse, cùm sacra Cœna celebraretur*. Lib. 6. capit. 7. dicitur, *Philippum, qui baptizavit Simonem Magum, fuisse Philippum Apostolum*, quod pugnat cum Act. 8. v. 5. quin & cum lib. 8. Constit. capit. 52. ubi Autor Philippum facit tantummodo *Diaconum*. Ibidem *Basilidis* fit mentio, qui vixit temporibus Adriani Anno à nato Christo 118. quo tempore nullus Apostolorum amplius fuit superstes. Lib. ejusd. cap. 14. introducitur *Jacobus frater Johannis*, scribens & loquens ad reliquos Apostolos multis annis post ejus mortem, ac Epistola quædam ab omnibus Apostolis etiam à Paulo, qui nondum in Collegium Apostolorum venerat, scripta fuisse dicitur. Jacobus enim Zebedæi filius mortuus est, antequam Paulus in Collegium Apostolorum asciseeretur. Continent eædem Constitutiones quædam inepta. Lib. 8. capit. 15. statuitur, *duos Diaconos ex utraq; parte Altaris debere tenere flagellum confectum ex tenuibus membranis, vel ex pavorum pennis, vel ex velo, quibus leviter abigant prætervolantes bestiolas, ne in pocula incidant*. Lib. eod. monetur, *cavendum esse Diaconis, ne sic reponatur corpus Domini, ut inter murium stercora fragmenta panis Dominici corporis appareant, aut ipsorum negligentia putrida evadant, atq; sic portioni corporis Domini gravis injuria inferatur*.

2. *Ex temporis ratione*. Quæ de Episcoporum Principatu & sessione, quæ de Diaconorum vestitu ac populi conventibus in lib. 2. proponuntur, non congruunt cum Ecclesiæ Apostolicæ consuetudine, quia Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus & Tertullianus aliam Ecclesiarum sui temporis διατύπωσιν describunt. Quæ de Baptismi Ceremoniis extant lib. 3. & 7. tempore Apostolorum in Ecclesia nondum fuere nota. Quæ de jejuniorum & festorum observationibus habentur lib. 5. non possunt Autores habere Apostolos, cùm ex Irenæo, Epiphanio, Augustino & Socrate constet, Apostolos non præscripsisse certas leges de jejuniis & festis.

3. *Ex veterum testificatione*. Athanasius in Synopsi Scripturæ hasce Constitutiones eodem numero habet, quo *Circuitum Petri, Circuitum Johannis, Circuitum Thomæ, Evangelium Thomæ*, de quibus omnibus affirmat *eos perversè scriptos, nothos ac reprobos esse*. Epiphanius hæres. 70. etsi commendet Apostolorum διαταγὰς, quod omnis regularis ordo in eâ habeatur, & nihil à fide adulteratum, neque à confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione & regula, tamen non dissimulat eam τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ εἶναι, *à multis pro dubio haberi*. Ex quibus Epiphanii verbis etiam illud colligitur, eam Constitutionem, quam Pontificii ediderunt, non esse eandem cum ea, cujus meminit Epiphanius, cum in illa habeantur non pauca à fide & confessione, atque ab Ecclesiastica gubernatione & regula aliena. Hieronymus in Catal. Illustr. & Eusebius lib. 3. Histor. cap. 35. duarum tantùm Epistolarum Clementis mentionem faciunt, de reliquis libris Clementi attributis dicunt, quod *nunquam à majoribus sint recepti, nec contineant puram & Apostolicam doctrinam*. Verba Eusebii sic habent: *Præter duas Clementis Epistolas, etiam alios quosdam nuper multiloquos & prolixos commentarios, quasi illius sint, nonnulli protulerunt, ut qui Petri & Appionis Dialogos contineant, quorum apud veteres prorsus nulla fit mentio, neque enim sincerum Apostolicæ doctrinæ characterem tenent*. Patres convenientes in Trullo post Synodum 6. can. 2. docent, *hisce Constitutionibus jam olim ab iis, qui à fide aliena sentiunt, adulterina quædam & à pietate aliena introducta esse, quæ divinorum nobis Decretorum elegantem ac venustam speciem obscurarunt, adeoque profitentur, se illas utiliter rejecisse*, apud Theod. Balsam. in Nomocan. Photr, & Caranzam in summ. Conc. Honorius Augustodunensis Episcopus lib. de luminaribus Ecclesiæ: *Scripsit Clemens Epistolam ad Corinthiorum Ecclesiam valde utilem, & Itinerarium Petri & Appionis, & multa alia, quæ inter Apocrypha numerantur*. Gennadius itidem nullam facit harum Constitutionem mentionem. Citarunt quidem veteres Constitutiones & Dispositiones Apostolicas, sed non scriptas, ut habet Basilius lib. de Spir. S. cap. 27. &c.

4. *Ex recentiore editione*. Libri illi nuper in Insula Cretà à Carolo quodam Capellio Veneto Græcè scripti dicuntur repertæ com. 1. Concil. Anno 1551. At non possit quisquam imaginari, cur scripta tàm sancta, tàm præclara de rebus tàm eximiis, nempe de Legibus & Institutis ab ipsis Christi Apostolis ad Ecclesiam gubernandam latis, tam denique necessariis ab Episcopo Romano edita in Creta potius Insula tàm procul ab Italia remota quàm Romæ custodita fuerint? cur item Græcis magis quàm Latinis literis ab homine Latino & Latinæ Ecclesiæ Episcopo memoriæ mandata? cur liber ille per annos mille & quingentos delituerit? Itemque an non fuerit stupendæ negligentiæ, quod thesaurum hunc Apostolicum continua annorum successione non custodierint?

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Constitutiones has inter Apocrypha referunt.

Bessarion Cardinalis tract. de Sacram. Eucharistiæ de Constitutionum libris sic scribit: *Licet hæc Clementis verba inter Scripturas Apocryphas commemorari soleant, placet tamen, ut eis in præsentiarum tanquam veris assentiamur*.

Margarinus de la Bigne ad hæc verba ex Constitutionibus Apostolicis desumta: *Episcopus ignorantia aut mala mente oppressus, non est amplius Episcopus*, (apud Anastasium Nicenum quæst. in Script. col. 44.) tale glossema in magine adjicit: *Canon iste ista ex Apocrypho libro accepta, nam Episcopus malus aut imperitus verus Episcopus est*.

Baronius tom. 1. Annal. Ann. Christi 32. n. 18. disputans *an Maria, cujus Lucas meminit, sit illa ipsa, quæ soror Lazari & Marthæ fuit, de qua Johannes scribit?* investigans, quid hac de re veteres Scriptores senserint, & objiciens in contrarium Constitutiones Apostolicas à Clemente congestas, in quibus lib. 3. cap. 6. Maria Magdalena à Maria sorore Marthæ & Lazari distinguitur, subjicit: *Sed uno verbo his liberari possemus, si Apocryphum esse librum exciperemus. Sanè quidem, si hæc dicta sunt à Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de iis scripserunt? cum præsertim tanti Autoris præcipua fuerit autoritas in Ecclesia, adeò ut licet ejus Epistola ad Corinthios scripta penitus exciderit, tamen quod sæpius citata reperiatur penè reviviscat integra in fragmentis. Certè cuilibet adjudicata causa fuisset, qui autoritate Clementis id demonstrare potuisset*.

n. 19. *Sed prætermisso hoc, quantumvis honesto, de Apocryphi exceptione confugio, imprimis dicimus, attestatione Johannis Evangelistæ imò Christo apertissimè constare, unam eandemque personam fuisse Mariam Lazari & Marthæ sororem cum Maria Magdalena*. (Licebit igitur per Baronium dicere, librum hunc esse Apocryphum & *hoc honesto uti confugio*, si quid ex illis nobis objiciatur à Scripturis sacris alienum.)

Et paulò post: *Quod spectat ad refutandam Clementis nomine suppositititiam autoritatem, dicimus, ab aliquo alia ea verba etiam addita, longè post Clementis tempora*.

Idem Ann. Christi 102. num. 9. *A Clemente scripta traduntur Constitutiones Apostolorum, quas non ignoravit antiquitas. Nam S. Athanasius in Synopsi eas doctrinam Apostolorum Clementinam appellat &c. agnovit eas Epiphanius hæres. 45. & 70. usi sunt eodem, qui his antiquiores atq; recentiores in Ecclesia claruerunt celebres Scriptores Ecclesiastici &c. Sed ita tamen, ut à nemine inter libros Canonicos sint receptæ, sed inter Apocrypha ab omnibus adnumeratæ. Inclitorum sane classem allegantur ab Athanasio & aliis*.

(Si liber Constitutionum Apostolicarum est idem cum eo, quem Athanasius appellat *Clementinam*, ut Baronius h.l. asserit, certè inter Apocrypha & rejecta numerandus erit. Sic enim scribit Baronius tom. 1. Ann. 44. n. 42. *Adducamus in medium, quæ de Apostolis Apocrypha vel omninò rejecta esse probantur. Inter hæc annumerandum est scriptum, quod Athanasius in Synopsi appellat Clementinam*.)

Bellarminus in lib. de Script. Eccles. p. 59. *De Constitutionum libris. Multa libris idem ferè judicium fieri debet, ac de Recognitionum libris. Sed in Ecclesia in illis sunt utilia & à Græcis veteribus magni fiunt. Latina nullum ferè nomen habent, & ipsi etiam Græci posteriores in Concilio Trullano can. 2. improbant has Constitutiones, ut ab hæreticis depravatas*.

(Si de libris Constitutionum idem judicandum, quod de libris Recognitionum, consequens erit, libros Constitutionum esse Apocryphos, quia de libris Recognitionum sic scribit lib. 2. de Rom. Pont. cap. 2. §. Adde huc. *Libri Recognitionum Apocryphi censentur*.)

Possevinus in Apparatu sacro in verbo *Clemens*, fatetur, *Franciscum Turrianum non omninò apud omnes effecisse, aut evicisse, Constitutiones illas esse Apostolicas & legitimas, & à Clemente ipso perscriptas.*

(Si apud suos hoc non evicit, apud quos plurimum valet, multò minus apud nos hoc ipsum evincere poterit.)

Bisciola in Epitom. Baronii p. 72. *Ab omnibus inter Apocrypha relatæ Constitutiones Clementis.*

2. Quod quædam in his Constitutionum libris habentur, quæ nec ipsi Pontificii approbant.

Lib. 3. cap. 2. *Trigamiam*, dicit Autor, *esse argumentum incontinentiæ, id quod supra trigamiam sit, manifestam fornicationem judicari, & non dubiam intemperantiam.*

(Contra Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 9. *Catholici docent, tertias & quartas nuptias & alias deinceps esse licitas & vera matrimonia.*)

Lib. ejusd. cap. 6. Maria Magdalena à Maria sorore Lazari & Marthæ distinguitur.

(Contrà Baronius Ann. 32. n. 11. *Attestatione Johannis Evangelistæ immò Christi constat, unam eandemq; personam fuisse Mariam Lazari & Marthæ sororem cum Maria Magdalena.*)

Libri ejusd. cap. 10. prohibetur absolutè, *ne Laici baptizent, sed neque Laicos* (inquiunt) *concedimus aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, Baptismum, manus impositionem.*

(Contrà Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 7. *Nunquam in Ecclesia dubitatum fuisse* asserit, *à Laicis baptizatis in casu necessitatis Baptismum administrari posse.*)

Lib. ejusdem cap. 18. dicit, *Æquinoctium tunc temporis fuisse 22. die Turi i. Martii.*

(Contrà vero Carolus Bovius in Scholiis ad illum locum, *æquinoctium Apostolorum temporibus fuisse die 25. Martii* demonstrat.)

Lib. 6. cap. 7. *Philippus*, qui Simonem Magum baptizavit, vocatur *Apostolus*.

(Hoc tanquam *erroneum* annotat Bellarmin. in Catal. Script. Eccl. p. 59.)

Lib. ejusd. capit. 14. mentio fit *Jacobi Zebedæi*, q. viventis post Concilium Hierosolymitanum.

(Contra verò Bovius in Scholiis ad h. locum agnoscit, *Jacobum, Zebedæi filium, ante Concilium illud ab Herode fuisse interfectum.* Baronius etiam Ann. 44 n. 1. & Ann. 51. n. 4. docet, *Jacobum Zebedæi filium ab Agrippa Rege Judæorum occisum*, Ann. 44. *Concilium Hierosolymitanum celebratum Anno 51.*)

Lib. ejusd. cap. 15. jubentur *rebaptizari, qui ab hæreticis baptizantur, quia hæretici non sint Sacerdotes.*

(At Romana Ecclesia communi suffragio contrarium statuit, unde Bellarminus d. l. etiam hoc inter *erronea* recenset.)

Lib. 7. cap. 24. jubet *servari diem Sabbati & Dominicæ.*

(At hoc Judaicum est, unde à Bellarmino in Catal. Script. tanquam *erroneum* reprobatur.)

Lib. 8. cap. 14. negatur *Jacobus frater Domini fuisse unus ex duodecim Apostolis.*

Lib. ejusd. cap. 26, 27. & 28. jubentur *manus imponi Subdiacono & Lectori, & ipsi etiam Diaconissæ, dum ordinantur.*

Lib. ejusd. cap. 32. *Exorcistæ non dicuntur ordinari.*

Lib. ejusd. cap. 38. dicit, *Pellicem infidelem ancillam, qui cum Domino tantum rem habuerit ad Baptismum posse recipi; si verò cum aliis impudica fuerit, repelli debere.*

(Hæc omnia Bellarmin. d. l. tanquam *erronea* repudiat, ac quod attinet ultimum de pellice, ex eo rectè colligit Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Clemens, *Domini cum ancilla concubitum non videri huic Autori fornicationem*, quod absurdum.)

Lib. ejusd. cap. 39. dicit Autor, *Operentur servi quinq; dies; in Sabbatho, & Dominico die quiescant in Ecclesia propter doctrinam pietatis.*

(Contra Bellarminus docet lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 10. *in Concilio Laodiceno can. 29. anathema illis dici, qui Sabbatum colunt, & in eo ab operibus vacant.* Ergò hæc Constitutio non est Apostolica.)

Hæc omnia expendens Pererius Disp. 30. in Johannis cap. 13. sic scribit: *De istius operis autoritate magna est lis inter Theologos & doctos viros, eam plerisq; parvipendentibus, quod multa sint in eo opere partim dubia, incerta & Apocrypha, partim falsa, quæ istius operis fidem elevant, autoritatemq; destruunt.*

3. Quod agnoscunt, Constitutiones illas esse corruptas & depravatas.

Baronius Ann. Christi 32. n. 19. *Quod spectat ad refellendam Clementis nomine suppositam autoritatem, dicimus, ab aliquo alio ea verba esse addita longè post Clementis tempora, idque evidenti conjecturâ.*

Idem Anno Christi 102. n. 9. *Sicut aliqua, quæ in his Constitutionibus sunt, teste Epiphanio hæres. 70. hæretici perperam sunt interpretati, ita etiam ab iisdem multa fuisse corrupta canon. 2. nomine sextæ Synodi testari videtur. Aliqua insuper in eas ex Græcorum fontibus effluxisse, mihi facilè persuadeo, ut quod de jejunio Sabbati penitus interdicto in ipsis habetur lib. 5. cap. ult. & lib. 7. c. 24.*

Joh. Carolus Bovius (vel ut Possevinus legit, Bosius, Ostunensis Episcopus) in Scholiis ad lib. 5. Constit. cap. 18. *Tantum abest, ut ea, quæ in hoc capite* (de Paschate) *legimus, Apostoli statuerint, ut etiam contraria horum ab ipsis præcepta videantur.*

Et postea: *Sed quid opus est aliunde argumenta petere? certè ipsa Constitutio se prodit, & tantùm non vocem emittens clamat, se novam esse.*

(Quo argumento Bovius in hac Constitutione novitatem & corruptelam agnoscit, eodem etiam in aliis pluribus idem demonstrari potest.) Confer eundem lib. 3. capit. 18. & lib. 6. cap. 14.

Severinus Binnius in notis ad Constit. tom. 1. Concil. p. 42. Baronii locum allegat & probat, quod *in his multa sint ab hæreticis corrupta, aliqua à Græcis fraudulenter supposita.*

Idem quamvis Constitutionum harum interpretationem Turrianam sequatur, tamen certo consilio *Turriani Præfationem, Scholia & observationes, quibus ex his Apostolicis Constitutionibus recentes hæreticos acerrimè confutat, sese prætermisisse* asserit.

(Quodnam fuerit hoc consilium, non explicat, procul dubio conscientia ipsi dictitavit illud, quod Possevinus in Apparatu sacro, ad quem paulò post Lectorem remittit, disertè fatetur, *Turrianum non omninò apud omnes effecisse aut evicisse, Constitutiones illas Apostolicas esse legitimas, & à Clemente ipso perscriptas.*)

CAPUT VIII.

De Liturgiis Apostolorum.

QUemadmodum omnibus Apostolis conjunctim sumtis Canones & Constitutiones affinxerunt: ita quibusdam seorsim acceptis Liturgias tribuerunt, quibus sacrificium Missæ cumprimis stabilire conantur. Esto igitur

Thesis. *Liturgiæ Apostolorum sunt Apocryphæ.*

Ἔκθεσις. 1. In Bibliotheca Patrum tom. 6. habetur liber sic inscriptus: *Sancti Jacobi Apostoli fratris Domini & Hierosolymorum primi Episcopi divina Missa.* Eadem *Liturgia Jacobi* separatim excusa est Antverpiæ Anno 1560. Item Parisiis Græcè & Latinè.

2. *Liturgia seu Missa Petri* edita est Antverpiæ apud Plantinum Anno 1588. cum Præfatione Guilhelmi Lindani Ruremundensis Episcopi, sub hoc titulo: *Missa Apostolica seu divinum sacrificium S. Apostoli Petri.*

3. *Liturgia Marci* extat tom. 6. Bibliothec. Patrum sub hoc titulo: *Liturgia seu Missa S. Apostoli & Evangelistæ Marci discipuli S. Petri.*

4. *Liturgia Matthæi*, quæ etiam dicta est *Missa Æthiopum*, extat itidem in Bibliotheca Patrum tom. 6.

5. *Liturgia Andreæ* non extat, sed mentio ejus fit in 10. *libris Abdiæ*, qui ab Apostolis Babylone institutus, & Christum in carne vidisse dicitur.

Item *in libro passionis S. Andreæ.*

Antithesis. Autoritatem harum Liturgiarum asserere laborant Claudius de Sainctes & Jacobus Pamelius.

1. De *Liturgia Jacobi* sic scribit Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. sanctæ, annot. 111. p. 474. *Jacobus Apostolus in Liturgia sive Missa à se edita, ritum perficiendi Eucharistiam hoc ordine præscripsit. Dominus noster Jesus Christus accipiens panem in sanctas & immortales manus suas, in cœlum suspiciens, ac tibi Deo & Patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangens, dedit nobis discipulis suis, & Apostolis suis dicens: In remissionem peccatorum, & in vitam æternam, accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur & datur, in remissionem peccatorum Amen. Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex aqua & vino, & aspiciens in cœlum ac ostendens tibi Deo & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto, dedit nobis*

discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus Novi Testam. qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Et post hæc. Memores igitur & nos peccatores passionum ejus vivificarum, offerimus tibi hoc verendum & incruentum sacrificium, orantes te, Domine, ut demittas Spiritum tuum sanctissimum in nos & hæc dona proposita, ut superveniens sancta & gloriosa sua præsentia sanctificet & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, Amen; & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, Amen.

De eadem Liturgia sic scribit Baronius tom. 1. Annal. Anno 63. n. 17. *Missam illam esse Jacobi, non ex Apocryphis testatum referimus, sed majorum autoritate, nempe Cyrilli Hierosolymitani, qui Catech. Mystag. 5. hæc verba habet, Sursum corda, Orate pro viris, Osculamini invicem, Sancta sanctis &c. quæ omnia non aliunde, quam ex Jacobi Liturgia cognoscitur accepisse.* (At argumentum hoc nimis infirmum, quàm ut probare possit Liturgiæ huic pondus Apostolicæ autoritatis inesse. Ut enim prætermittatur, Mystagogicas illas Catecheses esse itidem dubiæ fidei, ex eo, quod in Jacobi Liturgia quædam reperiuntur, quæ habet Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. non potest probari, quod Cyrillus ea ex Jacobi Liturgia acceperit, cum eadem facilitate dici posset, Autorem hujus Liturgiæ ex Cyrilli Catech. ea desumsisse.)

Ad hanc Jacobi Liturgiam provocat Salmeron Disp. 25. in 1. Cor. 15. §. Est ergò &c. ut probet *Orationes pro defunctis.*

Liturgiam hanc Jacobi etiam allegat Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 10. pro *mixtione aquæ & vini in Sacramento*; Lib. 1. de Missa cap. 18. *pro Missæ sacrificio*; Lib. 2. de Missa cap. 2. ut probet, *Missam esse sacrificium propitiatorium*; Lib. ejusd. c. 3. ut probet, *Missam esse sacrificium impetratorium*; Lib. ejusd. cap. 7. ut probet, *Missam pro defunctis in purgatorio ritè offerri*; Lib. ejusd. cap. 15. pro *usu signi crucis, pro osculo & aliis Ceremoniis.*

2. *Liturgiam Petri* adducit Jod. Coccius tom. 2. Thesauri Cathol. lib. 7. de Pœnit. art. 5. p. 848. ut probet, *verè contritos & confessos, si ante præstitam satisfactionem decesserint, pœnis Purgatorii ad definitum tempus torqueri, & hujusmodi pœnas Ecclesiæ & amicorum suffragiis, orationibus, eleemosynis & jejuniis mitigari.* Eandem etiam citat tom. 2. lib. 6. de Euchar. art. 1. p. 605. pro *reali præsentia carnis & sanguinis Christi in Eucharistia.*

3. *Liturgiam Marci* citat idem Coccius tom. 2. lib. 6. de Euchar. art. 1. ut probet, *Malachiam de sacrificio Missæ prædixisse.*

Eandem adducit Gregorius de Valentia lib. 1. de Miss. sacrif. cap. 4. ut probet, *plerasq; Ceremonias verborum ac factorum, quibus hodie utitur Ecclesia in Missa, ab Apostolis institutas fuisse.*

4. *Liturgia Matthæi* ejusdem autoritatis in Bibliotheca Patrum censetur cum Liturgia Marci.

5. *Libros Abdiæ* 10. de Historia certaminis Apostolici in quibus fit mentio Liturgiæ S. Andreæ, Laurentius à Barra posuit initio Historiæ Christianæ veterum Patrum.

Hardingus art. 1. resp. ad provoc. Ivelli eos citat, ut probet *S. Matthæum Missam celebrasse in Æthiopia paulò ante Martyrium*; Ibid. de eo dicit, *eum fuisse primum Babyloniæ Episcopum, Apostolorum auditorem, Christumq; Servatorem in carne vidisse, & D. Andreæ morti ac supplicio interfuisse.*

Wolffgangus Lazius Viennensis, qui eos primum edidit, in Præfat. scribit, *Materiam sacram, phrasin multò quàm ea, quæ est in Actis Apostolorum, aut ipsa etiam Evangeliorum Historia, ornatiorem esse, quinimò dubitat, num Abdias quædam desumserit ex Luca, vel Lucas potiùs ex Abdia.*

Johannes Faber in Epistola Abdiæ præfixa Paris. Ann. 1560. appellat *opus divinum, & huic seculo pernecessarium, dignum quod legatur non solùm, sed ab omnibus dignoscatur.*

Osorius Abdiam vocat *gravissimum Scriptorem.*

Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 27. pro *asserendo voto continentiæ* eos adducit.

Gregorius de Valentia lib. 1. de Miss. cap. 4. eos citat, ut probet *Matthæum suasisse Iphigeniæ filiæ Regis Æthiopiæ, ut continentiam voveret.* Quo fine etiam citantur à Lindano lib. 4. Panopl. cap. 48.

Librum passionis S. Andreæ Achaiæ Presbyteri dicuntur scripsisse, qui passionis illius oculatos testes se fuisse asserunt. Pro Historiæ illius veritate & antiquitate pugnat Bellarmin. lib de Scriptor. Ecclesiast. p. 69. *Non videtur, inquit, negari posse, quin hæc sit vera & antiqua Historia, quia Petrus Damiani, qui ante 600. annos floruit, serm. 1. de S. Andreâ, hanc Historiam in singularem autoritatis arcem susceptam dicit; Bernhardus serm. de S. Andrea miris laudibus effert verba S. Andreæ ad crucem, quæ in hoc libro inveniantur; ac in Breviario Romano recognito locum ... obtinuit.* Lib. 2. de Eucharist. cap. 1. iisdem ferè argumentis autoritatē hujus libri probat & addit, *nulli, quod sciā, ejus autoritatem in dubium vocarunt, reverà nihil continet, quod novitatem redoleat; genus passionis S. Andreæ, & illa ejus verba, Salve sancta crux, in tota Ecclesia celeberrima, ex hoc libro sine dubitatione sunt desumta &c.* Lib. 1. de Missa cap 15. pro *Missæ sacrificio stabiliendo* eum adducit. Lib. 4. de Eucharist. cap. 21. ex eo probat, ... *Christum esse sub utraque specie Sacramenti.*

Baronius Ann. 69. n. 34. *Quæ de Andreæ Martyrio in Epistola Presbyterorum Achaiæ expresse habentur, digna existimata sunt, ut in Ecclesia recitentur.*

Possevinus in Apparatu sacro in verbo Andreas. *Liber passionis S. Andreæ Apostoli scriptus ab ejus discipulis, qui passioni interfuerunt, omninò est legitimus.*

Allegant librum Abdiæ Hardingus in resp. ad Ivellum art. 1. Gregorius de Valentia lib. 1. de Missa cap. 4. §. Abdias. Johannes à Lovanio in Censura de passionibus Sanctorum, quæ habetur in Martyrol. Molani, & Aloysius Lipomanus in Epitom. de vitis Sanct. part. 1. p. 369. eam approbant. Autor libelli Germanici, cui titulus Morgenstern / cùm ne unum quidem aliàs dictum Patrum in toto scripto citet, in cap. 4. de *Missa* provocat ad Andreæ Liturgiam.

Nostram sententiam probamus

1. *Liturgiam Jacobi* Apocrypham esse patet 1. quia in ea crebrò usurpatur vox ὁμοούσιος. At si hæc Liturgia Patribus in Synodo Nicena & Constantinopolitana fuisset nota, opposuissent eam Arianis & Macedonianis ὁμοούσιον negantibus. 2. Canitur in ea τρισάγιον *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis*, quod tempore Jacobi nondum fuit in Ecclesia usitatum. 3. Oratur in ea pro his, *qui sunt in Monasterio*, cùm ... Apostolorum, imò etiam Clemens, Irenæus, Justinus, Tertullianus, Cyprianus &c. Monasteria ignorent. 4. Rogatur Deus, ut *invenire nos faciat gratiam cum Apostolis, Martyribus, Confessoribus.* At nomen Confessorum longo post Apostolos tempore in Officio sacro usurpari cœptum. 5. Inducit *templa, altaria, thurificationes, thuribula.* At Ecclesia tempore Jacobi talia non habuit, sed in occulto divinum cultum peragere coacta fuit. Mentionem facit *Monachorum & Monasteriorum.* At ea tempore Jacobi Ecclesiæ fuere ignota. 6. Thus Deo offert iisdem verbis, quibus corpus Filii. *Accipe quæso, inquit, de manibus nostris, qui sumus peccatores, thus hoc quod tibi adolemus in odorem suavitatis, nostrorumque peccatorum remissionem ac totius populi tui.* Hoc non convenit cum doctrina Apostolorum. 7. Canitur in ea, *Gloria Patri, Gloria in Excelsis*, quod ... aliquot post seculis in officio sacro introductum. 8. In ea habentur preces pro defunctis, invocatur Maria virgo, quæ non congruunt doctrinæ Apostolicæ. 9. Universus hujus Liturgiæ contextus periodis ex Epistolis Pauli decerptis absolvitur, quarum pleræque mortem Jacobi sunt subsecutæ. 10. Theodorus Patriarcha Antiochenus interrogatus à Marco Patriarcha Alexandrino, *An Liturgiæ, quæ dicuntur conscriptæ à sanctis Apostolis Jacobo fratre Domini & Marco, recipiendæ sint à Catholica Ecclesia necne?* respondet ad quæst. Marci Alexandrini: *Dicimus nos neq; à sacra Scriptura, neque à Canone Synodicè edito fuisse ... ctos sacrum Ministerium à sancto Apostolo Marco traditum. ... Canonem Apostolorum 85. & Laodicenum 59. enumerantes veteris & novi Test. ipsosq; Apostolicos libros, qui in usu nobis esse debent, nullam sacrificii S. Marci vel S. Jacobi mentionem facere, neque Constantinopolitanam Ecclesiam ullo modo illas Liturgias agnoscere*, unde pronunciat *non esse recipiendas.* 11. Idem in can. 32. sextæ Synodi testatur, *nusquam Liturgiæ Jacobi mentionem fieri, nisi semel in sexta illa Synodo* (verba ipsa paulo post adducentur.) At sexta illa Synodus 700. ferè annis post Christum celebrata, cur ergò apud priscos tàm altum de ea silentium, si ipsis Liturgia Jacobi fuit nota? 12. In Ephesina & Chalcedonensi Synodis Patres de veritate duarum Naturarum in Christo, ac personali earundem unione contra Eutychen ac Nestorium disceptantes, vix unum aut alterum locum Origenis ac Eusebii proferunt, in quibus virginem Mariam Θεοτόκον ab Antecessoribus vocatam probant. At si hæc Liturgia ipsis cognita, quantum ex ea in causa Nestorii adjumentum habuissent, cum in ea quinquies vel etiam sexies hoc nomine B. Virgo insigniatur?

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Pontificii agnoscere coguntur, quod quædam ...

hac Liturgia extant, quæ tempore Apostolorum nondum fuêrent in Ecclesia nota vel recepta.

Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanctæ, in verbo Origenes, p. 285. *Constat, nomen homousii & homousianorum longè post Oreginis tempora enatum.*

Bellarminus & Gregorius de Valentia de antiquitate hujus vocabuli differentes, ultra *Dionysium Alexandrinum & Theognostum* non progrediuntur.

(At in hac Liturgia ponitur nomen ὁμοούσιος.)

Felix III. Pontifex Rom. qui circa Ann. 480. sedit, in Epist. ad Petrum Antiochenum Episcopum, & ad Imp. Zenonem tom. 2. Concil. p. 10. originem τρισαγίου in Ecclesia decantandi ejusmodi cõmemorat. *Cùm terræ motu Constantinopolis quateretur, populusq; in campo oraret & clamaret, Κύριε ἐλέησον, infantulum toto populo cum Proclo Episcopo spectante per unam horam raptum esse, ibiq; hujusmodi didicisse Hymnum, rursusq; descendentem nunciasse, quæ in æthere audierat, quasi de multitudine psallentium, dictumq; sibi, ut eam laudationem populo indicaret, quam ubi populi inceperant, civitatem recepisse, Deoq; per hujusmodi laudem propitio facto ab imminenti ira liberatos esse, unde factum, ut hic hymnus inter Ecclesiasticos receptus in Concil. Chalcedon. postmodùm probaretur.*

(At in hac Liturgia ponitur illud ipsum τρισάγιον.)

Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 20. *Certum est, Martyres cœpisse publicè coli ab Ecclesiæ initio, Confessores autem multò serius hunc honorem in Ecclesia meruisse.*

Idem confirmat Innocentius III. lib. 3. de myst. Missæ cap. 10. *Ecclesia post tempus B. Sylvestri cœpit sanctorum Confessorum memoriam celebrare.*

(At in hac Liturgia ponitur nomen Confessorum unà cum Martyribus.)

2. Quòd quædam huic Liturgiæ insunt, quæ ipsimet Pontificii probare non possunt.

Autor hujus Liturgiæ videtur statuere, animas fidelium non videre Deum ante diem judicii, sic enim precatur: *Memento Domine spirituum & universæ carnis &c. orthodoxorum ac rectè de fide sentientium ab Abel justo usq; ad hodiernum diem, fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis Paradisi, in sinu Abrahæ, ubi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.*

(Contrà Bellarminus lib. 1. de beat. Sanct. cap. 2. *Animas Sanctorum jam nunc frui Dei visione probant duo Oecumenica Concilia, & duorum summorum Pontificum Decreta.* cap. 3. *idem Scripturarum testimoniis demonstratur.*)

Autor hujus Liturgiæ thus Deo offert in peccatorum remissionem: *Accipe quæso*, inquit, *de manibus nostris thus hoc, quod tibi adolemus, in odorem suavitatis nostrorumq; peccatorum remissionem ac totius populi tui.* (Contrà Genebrardus in Liturgia cap. 16. thuris oblationem *ad gratiarum actionem solùmodò spectare*, dicit, *non ad propitiationẽ aut expiationẽ peccati.*)

3. Quòd fatentur, Liturgiam hanc quibusdam additis mutatam.

Baronius Anno 63. num. 17. animadvertens, *esse quædam in Liturgia Jacobi, quæ novitatem arguunt*, subjicit: *Sed illud accidit, quod etiam apud Latinos factum esse constat, ut in sacratissima Missa aliis superadditis precibus, aliis verò breviori summâ contractis, ritibusq; auctis aut mutatis, re tamen integrâ permanente paulò diversior ab illa prisitina habeatur.*

Bellarminus in Indice Scriptorum Ecclesiasticorum MSto, apud Robertum Cocum in Censura de Liturgia Jacobi. *De Liturgia Jacobi sic sentio, eam aut non esse ejus, aut multa à posterioribus eidem addita. Nam in ea jubet fieri mentionem Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & alibi meminit Anachoretarum & Christianorum damnatorum ad Metalla, cùm tamen constet, Anachoretas cœpisse à Paulo primo Eremita, & Christianos cœpisse damnari ad metalla, post tempora Apostolorum. Ibidem jubet recitari, Gloria Patri & Filio, &c. quem Hymnum compositum fuisse in Concilio Niceno, communis opinio est. Jubet & dici, Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, qui Hymnus diu post Apostolorum tempora inventus est. Multa sunt alia, quæ redolent novitatem.*

In excuso non dissentit. Sic enim habet p. 49. *Extat etiam Liturgia eidem sancto Jacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare, quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habeat Autorem.*

Idem lib. 4. de Eucharistia cap. 13. §. Neque obstat. *Non omnia, quæ in Liturgia* (Jacobi) *habentur, deprompta sunt à Domini exemplo aut præcepto, Constat enim multa addita esse ab aliis.*

Afferunt pro Liturgia Jacobi Synodum Constantinopolitanam VI. in Trullo habitam, & Proclum Patriarcham Constantinopolitanum. Claud Sanctes. in Præfat. Liturg. p. 13.

Resp. 1. Possevinus lib. 1. Apparat. sacri p. 779. sic scribit: *Quæ ex Proclo & ex Synodo in Trullo habita profert Sixtus testimonia, quibus hoc ipsum affirmet, minùs fortasse, etsi vera sint, expedit afferre, quòd Synodus in Trullo habita, nec generalis, nec legitima fuerit, ut ille opinatus esse est visus, & ante Proclum alii sinceriores Ecclesiæ Patres* (nullos tamen Possevinus adfert) *idipsum testati sunt.*

2. Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11. prolixe disputat, *VI. Synodum in Trullo esse corruptam*, & addit: *Quamvis generale Concilium legitimum non possit errare, ut neq; erravit hoc sextum* (sextum hoc Concilium vocat *legitimum* contra Possevinum) *in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaq; tutò dicere possumus, hos Patres deceptos falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium.* (An non igitur etiam in hac Liturgia Jacobo tribuenda dici potuerunt errasse?)

3. Caspar Sanctius Jes. Centumputeolanus in Comment. Act. pag. 131. ex Melchiore Cano & Bellarmino aliquot argumentis probat, *Canones Trullanæ Synodi non esse receptos à Romana Ecclesia.*

2. *Liturgiam Petri* Apocryphalm esse patet ex eo,

1. Quòd continetur in ea oratio, quâ petitur, *ut Petri & Pauli &c. intercessione & precibus concedatur, ut in omnibus divinâ protectione muniamur.* (At non est verisimile Petrum in precibus Deo sua ipsius merita commemorasse.)

2. Fit in ea mentio *Lini, Cleti, Clementis, Xisti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Johannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, Ignatii, Alexandri, Marcellini, Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Barbaræ & Julianæ*, quorum quidam ducentis ac pluribus annis post Petri mortem in vivis adhuc erant.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam Pontificiorum eam prætermittunt.

Margarinus de la Bigne eam Bibliothecæ suæ inserere non fuit ausus, cùm tamen *Jacobi, Marci & Basilii* Missas tomo 6. inseruerit.

Bellarminus nullibi hanc Missam sub Petri nomine citare fuit ausus, cùm tamen Missas antiquas aliquoties citet.

Baronius, qui Apostolicam Historiam videri vult perfectè scripsisse, & eorum monumenta exactè enumerasse, *Liturgiæ Petri* nusquam meminit.

2. Quòd Platina in vita Xysti. 1. & plures alii suo loco in articulo de Missa enumerandi referunt, *Petrum in celebranda Missa ipsius Institutionis Dominicæ verbis nihil præter Orationem Domini, Pater noster, addidisse.* (At in hac Liturgia multa adduntur.)

3. Quòd Turrianus dicit, *Liturgiam Petri non absimilem esse illi, cujus in magna Græcia usus, & in ea Italiæ parte, cui Basilicata vulgò nomen.*

(At si hæc Liturgia Petrum Autorem habet, cur eam ad pauculos quosdam sacrificulos inter Apuliæ montes amandârunt, cùm aliàs Petrum Apostolorum Principem & totius Ecclesiæ Monarcham statuant?)

4. Quòd Genebrardus in annot. ad hanc Liturgiam p. 44. fatetur, *initio quædam adjecta, & medio addita, & fini quædam attexta.* Itemque in Apolog. pro Missa Petri cap. 23. pag. 105. *quædam Scribæ oscitantiâ aut malitiâ omissa.*

3. *Liturgiam Marci* esse Apocryphalm, probatur iisdem ferè argumentis, quibus contra Jacobi Liturgiam utimur. Nam 1. extat in ea τρισάγιον, ὁμοούσιον, Confessores, preces pro Monachis & Monasteriis, thurificatio in remissionem peccatorum, quæ omnia tempore Apostolorum in Ecclesia nondum nota. 2. Oratur in ea pro Papa. 3. Pro Christianis Regibus, 4. Pro Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus. At horum omnium nulla in Apostolica Ecclesia occurrunt vestigia. Excipiunt, *Durandum lib. 4. Rational. div. offic. cap. 38. affirmare, Clementem Romanum eam supplicationem pro Papa addidisse.* At fieri non potuit, ut Clemens extra fines Patriarchatus Romani aliquid publico officio adjiceret, nec hoc factum esse perspicuo antiquitatis testimonio probari potest, nec quadringentis post annis in Gallicano officio habetur, ut ex can. Concilii Vasensis secundi patet. 5. Habetur in ea Oratio in hanc formam: *Protege civitatem istam propter Martyrem*

tuum & Evangelistam Marcum, qui nobis viam salutis demonstravit. Ex quo apparet, Marcum fuisse Martyrio coronatum, priusquàm hæc Oratio fuit composita. 6. Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus in Comm. can. 32. Synodi sextæ sic scribit: *Nota, quòd ex hoc solo præsente canone apparet, sacrum ac divinum mysterium etiam à Jacobo fratre Domini, qui Hierosolymitanorum Ecclesiæ primus fuit Episcopus, fuisse traditum, quæ quidem traditio nunc apud nos non invenitur, neq; cognoscitur, ut quæ exoleverit. Quomodo autem Palæstinæ Sacerdotes celebrant cum mysterii ritu, ut ipsi dicunt, à fratre Domini tradito, nescio; & Alexandrini quoque Episcopi & Sacerdotes Sacrificia peragunt cum orationibus, ut ajunt, à sancto Marco traditis, nec ea, quæ ab iis, qui universo terrarum orbe sacrificant, fiunt, sequuntur, seu à S. Basilio & S. Joh. Chrysostomo traditos mysterii ritus non curant, nescio. Hoc autem etiam Synodicè, vel potiùs etiam in ipso tribunali Imperatoris à me dictum est, quando Patriarcha Alexandrinus in urbium Regina* (Constantinopoli) *ageret, & unà nobiscum celebraturus cum tradito, ut dicebat, à S. Marco mysterii ritu sacrificare vellet, etiamsi correctionem non habuerit. cùm omnes Patriarchæ assertione, eâq; solâ contenti essent, qui dixit, se non ampliùs facturum.*

(Ex his Balsamonis verbis patet, tempore Balsamonis Liturgiæ hujus præter illum Canonem 32. Synodi sextæ fundamentum fuisse nullum; eodem Balsamonis tempore traditionem illam de Jacobi & Marci Liturgiis fuisse abolitam; eundem Balsamonem Patriarcham Antiochenum Alexandrino eo more celebranti se opposuisse, quod procul dubio non fecisset, si Liturgiam hanc Apostolicam esse credidisset.)

Nostræ huic sententiæ suffragatur.

1. Quòd ἱμαέτιν, τριτάγιν, Confessorum in officio sacro commemorationem, quæ in hac Liturgia habentur, Apostolorum tempore in Ecclesia nondum nota fuisse agnoscunt, ut ostendimus superiùs.

2. Quod Liturgiam Marci Baronius ac Bellarminus, nuspiam adducunt.

Bellarmin. in Catal. Script. Eccl. ubi de Marco ait, Liturgiam hanc prætermittit.

Ant. Possevin. in Apparatu de Marco prolixè agens Liturgiam hanc prætetit.

Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ p. 102. inquit: *Præter Evangelium & Barnabæ vitam, esse, qui Marcum alia literarum monumentis mandasse referant, quorum nec ipsi titulos recenseant, nec ipse alicubi annotatos invenerit.*

3. Quòd Ecclesia Romana hodierna improbat errorem eorum qui docuerunt, *animas fidelium non frui visione Dei ante diem judicii,* ut ostendimus superiùs.

Jam verò Autor hujus Liturgiæ precatur pro Martyribus & Patriarchis, obtestans Deum, ut *horum omnium animabus det requiem.*

4. *Liturgiam Matthæi,* quæ etiam Æthiopum dicitur, Apocrypham esse, patet ex eo 1. quòd in ea mentio fit Epactæ & numeri aurei longè post Matthæi tempora inventi. 2. Quòd in ea oratur pro Papis, Patriarchis, Archiepiscopis, quæ nomina ætate Matthæi non fuere nota. 3. Consecrantur in ea pixis, calix, cochlear sumendo vino. 4. Mentio fit *Synodi Nicenæ, Constantinopolitanæ & Ephesinæ,* Item *Basilii, Chrysostomi, Gregorii Magni,* quorum quidam quinto, imò sexto post Christum natum seculo in Ecclesia floruerunt. 5. Oratur pro Regibus Christianis, quorum nullus fuit tempore Apostolorum.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscere coguntur, in hac Liturgia mentionem fieri eorum, quæ non fuerunt tempore Matthæi in Ecclesia nota vel usitata, ut constare potest ex dictis.

2. Quòd Bellarminus & Baronius Liturgiam Matthæi nuspiam adducunt.

Præter hasce Jacobi, Petri, Marci & Matthæi Liturgias etiam Liturgiam Barnabæ citat Coccius tom. 1. lib. 5. art 4. sed nec vetus Patrum Bibliotheca, nec Senensis, nec Possevinus, nec Bellarminus, nec de la Bigne, nec quisquam alius sive Barnabæ sive Ambrosio eam adscribere ausus fuit, nec Georgius Cassander, dum Liturgias recenseret, ejus ullo verbo meminit.

5. *Historiam de S. Andrea* quotidie Missaticum sacrificium offerente esse Apocrypham demonstramus ex eo 1. quòd liber Abdiæ & 2. liber de passione S. Andreæ sint supposititii.

Prius probamus ex eo

1. Quòd Abdias ille veteribus penè ignotus ante annos non adeo multos à Wolffgango Lazio in lucem editus.

2. Quòd ex Augustini locis compluribus intelligi potest, hunc librum Abdiæ esse illum ipsum, quem Manichæi pro vera Apostolorum Historia supposuerunt. Nam fictitius ille Abdias lib. 9. de Thoma dicit, *quòd homini maledixerit, qui illicò à leone sit discerptus.* Lib. 3. de Maximilla memorat, quòd *cum Egete marito cubare detrectans, Eucliam ancillam substituerit.* Hæc ex libris illis Augustinus profert & rejicit lib. 22. contra Faustum cap. 79. sic scribens: *Legunt Scripturas Apocryphas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nominibus scriptas, quæ suorum Scriptorum temporibus in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. Ibi tamen legunt Apostolum Thomam, cùm esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus, & prorsus incognitus, à quodam ministro palmâ percussum, imprecatum fuisse homini continuam sævamque vindictam. Nam cùm egressus fuisset ad fontem, unde aquam conviventibus ministraret, eum leo irruens interemit, manumq; ejus, quâ caput Apostoli levi ictu percusserat, à corpore avulsam, secundùm verbum Apostoli id optantis atque imprecantis canis intulit mensis, in quibus ipse discumbebat Apostolus.* Et postea. *Utrum vera illa aut conficta narratio sit, nihil interest. A Manichæis illæ Scripturæ, quas Canon Ecclesiasticus respuit, tanquam veræ atque sinceræ acceptantur.* Lib. 1. contra advers. Legis & Prophet. cap. 20. *Historias illas nunquam ab Ecclesia receptas fuisse,* dicit. Lib. contr. Adimant. cap. 17. *Manichæi legunt Scripturas Apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt, ubi scriptum est, Apostolum Thomam maledixisse homini, à quo per imprudentiam palmâ percussus est.* Historiam de Maximilla commemorat libr. de fid. contra Manich. capit. 38.

3. Quòd plura hujusmodi Apostolico Spiritu & gravitate indigna ab Abdia in illo libro Apostolis tribuuntur, utpote, quòd libro 5. refert, *virgas ab Apostolis in aurum conversas, lapides ex littore lectos in gemmas.* Libr. 8. de Bartholomæo memorat, quòd *vestitus fuerit colore albo, clavatus purpura, indutus pallio albo habente per singulos angulos singulas gemmas purpureas.* Lib. 5. Johannes Evangelista introducitur narrans, quomodo Christus ter se studentem nuptiis ab iis revocaverit, tandemque ei dixerit: *Johannes, nisi meus esses, permitterem tibi, ut uxorem duceres.* Unde Vergerius de Idol. Lauret. tom. 1. operum fol. 321. non injuriâ scribit: *Quid tandem est in libro illius Abdiæ, quod vel umbram Apostolici pectoris ac Majestatis referat? omnia illic frigent & ineptula sunt & superstitiosa.*

4. Quòd lib. 6. citat Historicum Egesippum, qui 160 annis post Christum vixit. Dicit, templum Ephesi Johanni Evangelistæ constructum & consecratum, cùm Celsus Origeni ducentis annis post exprobret, *Cur Christiani templa & aras non habeant.*

5. Quòd sibi ipsi contradicit. Nam affirmat, quòd *Paulus passus fuerit duobus annis post Petrum:* & postea dicit, quòd *Paulus, postquam Petrus crucifixus esset, remanserit in custodia Romæ, veluti in Actis Apostolorum fit mentio,* quod fuit tertio vel quarto Anno Imp. Neronis, qui regnare cœpit Anno Christi 55 unde fuit Annus Christi 58. vel 59. seu ab Ascensione Christi 25. vel 26. Imperavit autem Nero annos 13. menses 7. & dies 28. Jam verò confitentur omnes Scriptores, Paulum passum esse 14. hoc est, ultimo Neronis anno, anno Christi 69. unde oportet decem annos intercedere inter mortem Petri & Pauli, quamvis duos annos ante dixerit.

Quòd *Dominum in carne se vidisse* asserit, *& interfuisse gestis Apostolorum,* cùm tamen citet Chratonum Apostolorum discipulum, Julium Africanum Historiographum, Clementem & Egesippum.

7. Quòd 75. Ecclesias in una Provincia extructas asserit, de Gondafero Rege fabulosa narrat, & quæ sunt hujus generis alia.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam agnoscunt, librum Abdiæ esse Apocryphum & fabulosum.

Gelasius c. Sancta Romana. dist. 16. inter Apocrypha eum retulisse videtur sub titulo, *Actus nomine Thomæ Apostoli Apocryphus est.*

Salmeron Disp. 2. in 2. Tim. 2. p. 585. *Abdiæ libri sunt Apocryphi.*

Andradius

Andradius lib 2. defens. Trident. testatur, *hunc librum à Paulo IV. tanquam suppositium fœtum fuisse repudiatum.*

Baronius Ann. 44. n. 44. *Pretur rejectas illas Recognitiones Clementis, quæ hactenus extant, feruntur etiam Abdiæ Babylonii nomine Vitæ Apostolorum &c.*

n. 45. *Vides igitur, quanto cum periculo prodendæ veritatis, absq; delectu res gestæ Apostolorum legantur ac recitentur, & quàm difficile sit, è tot mendaciorum lacunis puram defecatamq; haurire veritatem.*

n. 46. *Recensitis jam his, quæ de rebus gestis Apostolorum sunt falsò supposita, eas etiam enarremus, quæ Apostolorum nomine sunt editæ scriptiones.*

Ann. 51. num. 51. *Sed in his non immoramur, rejectum enim prorsus esse librum illum Abdiæ nomine prænotatum, in quo hæc Johannis Marci nomine de rebus gestis Barnabæ scriptis mandata sunt, superius dictum est.*

Possevinus in Apparatu sacro, *Abdias, quem Apostolorum discipulum & Babylonis Episcopum, atque vitarum illorum Scriptorem faciunt Jacobus Archiepiscopus Genuensis, & Petrus Episcopus Esquilinus in lib. 9. Catalogi Sanctorum, incertum an legitimus extet. Sixtus autem Senensis lib. 2. Biblioth. sanct.* (tit. Apostolorum) *cùm ab his scriptum sit, vitas Apostolorum ab Eutropio Abdiæ discipulo ex Hebræo in Græcum, & à Julio Africano in Latinum fuisse conversas, prudenter opinatur, Julium non Latinè, sed Græcè scripsisse. Quin nuper ex Germania sub titulo hujus Abdiæ prodiêre libri decem de Historia certaminis Apostolici, Operini typis excusi, quos, ut fide indignos, Paulus IV. inter scripta à se damnata rejecit.*

Idem in verbo, Severus Sulpitius. *Abdias Babylonicus est Apocryphus & nullius fidei.*

Johannes Molanus lib. 1. de fide hæreticis servanda cap. 6. *librum Abdiæ spurium & mendacem* asserit.

Id. in præf. Martyrol. cap. 20. (Lovanii Ann. 1568. *In his Annotationib. non allego vitas Apostolorum, quæ nomine Abdiæ prodierunt, secutus doctissimorum quorundam virorum judicia, qui eum non satis probatæ autoritatis Scriptorem judicant.*

Elpensæus lib. 6. de continent. cap. 6. *Apocryphus est Abdias, apud quem Drusiana D. Johannis intenta sermonibus pro Dei scil. cultu mori mavult, quàm conjugis repetere consuetudinem marito contra insistente, & quidem fideli.*

Lib. 5. c. 5 *Qualiscunq; Autor sit Abdias, Anno 1556. à Romanis Inquisitoribus proscriptus est.*

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 27. §. 3. *Votum continentiæ* autoritate hujus libri probare voluerat, sed in recognitione sua de eo sic pronunciavit: *Abdiæ liber de rebus gestis Apostolorum citatur à nobis tùm hic, tùm etiam alibi, quoniam ab aliquibus recipitur, quamvis non ignoremus, eum librum non esse tantæ autoritatis, ut in eo dogmata fundari possint.*

Lib. 2. de Bon. Operib. in partic. cap. 14. *Abdiæ librum suppositium esse viri docti etiam apud nos censent.*

Lib. de Script. Eccles. sect. 1. *eum exiguæ autoritatis esse agnoscit. Vitæ*, inquit, *Apostolorum, quæ sub Abdiæ nomine circumferuntur, fabulis similiores sunt, quàm veræ narrationi: Sed neque ejus Abdiæ, aut libri ejus ullam in veteribus mentionem invenio.*

Johannes Hesselius in Cens. c. 4. & 10. Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothec. pag. 61. Gaulterius in seculo primo p. 18. idem statuunt.

2. Quòd quædam in his libris continentur, quæ non probantur Pontificiis.

Melchior Canus lib. 11. Loc. Comm. cap. 6. in fine, agnoscens, *Historicos non solùm falsò, sed imprudenter res quasdam memoriæ prodidisse*, alludens ad Historiam de pincerna Regis Indiæ, propter alapam Thomæ inflictam, à leone discerpto, in lib. Abdiæ annotatam; subjicit: *Quis vel mediocriter prudens ab Apostoli Thomæ persona illud non videat abhorrere, quod in rebus ab eo gestis refertur, ut ille injuriæ vindictam expetierit?*

Lib. 2. Abdiæ asseritur, *S. Paulum passum esse 3. Calend. Julii, duobus à Petri passione elapsis annis*, sed Lipomanus in Histor. sacra part. 1. fol. 348. asserit, *à sacris teneri Doctoribus, quòd eodem prorsus anno & die Paulus occisus sit, quo Petrus.* Baronius Ann. 69. n. 4. *Eodem anno ambos unâ die Martyrii palmam adeptos esse Cajus, Zepherinus, & Dionysius Corinthiorum Episcopus sentiunt.*

Lib. 3. Abdiæ asseritur, *Proconsulem crucifigi præcepisse Andream septem ternionibus flagellorum cæsum. & mandasse nominatim Quæstionariis, ut ligatus manibus & pedibus, non clavis affixus, suspenderetur. quo diuturno cruciatu deficeret.* Sed Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 27. scribit: *Modus crucifigendi communis non erat, ut multi putant, funibus alligando, sed clavis figendo &c. Pictores ferè solent solum Christum depingere clavis affixum, latrones autem & S. Petrum atq; Andream funibus. Sed non ita est, omnes enim clavis figebantur.*

Lib. 6. dicitur, *Simonem & Judam passos esse Calendis Julii.* Sed hoc pugnat cum celebratione Ecclesiæ Romanæ.

Ibid. dicitur, *Africanum Historicum hæc gesta transtulisse in Latinum.* Sed Johannes Hesselius in Censura de quibusdam Sanctorum Historiis cap. 10. impress. Lovan. Ann. 1568. rectè observat, quòd *Africanus fuerit Græcus*, ut patet ex Hieronymo in lib. de Script. Eccles. & si ipse transtulisset, Hieronymus hujus operis meminisset.

Lib. 7. dicitur, *Eunuchum illum, quem Philippus baptizavit, vocatum Candacem.* Sed Hesselius in Censura cap. 9. rectè monet: *Reginam Æthiopum dictam fuisse Candacem* Act. 8. est enim Candace nomen Reginarum Æthiopiæ, sicut Pharao Regum Ægypti.

Lib. eod. dicitur, quòd *Christus terrestrem Paradisum aperuerit latroni, & animab. sanctis de corpore exeuntibus, in die autem novissimo resurgentibus regna cœlestia.* Sed Hesselius d. l. monet, *secundùm Paulum & fidem Catholicam animas Sanctorum, etiam ante resurrectionem, adire cœlos.*

Lib. eod. dicitur, *primum hominem potuisse loqui in Paradiso cum omnibus animalibus.* Sed Hesselius *hoc sibi non placere* asserit.

Lib. eod. dicitur, *Matthæum disputantem de Paradiso terreno, in quo Deus Adamum posuit, docuisse, Paradisum eminere omnibus montibus & vicinum esse cœlo.* At hoc Bellarminus lib. de grat. primi hominis cap. 12. & Pererius lib. 3. in Gen. q. 5. refellunt.

Lib. 8. dicitur, *Bartholomæū fuisse purpurâ vestitum & gemmis*, atq; additur, *Viginti sex anni sunt, ex quo vestes & sandalia ejus nec veterascunt nec sordidantur. Centies flexu genibus per diem orat, & centies per noctem Angeli cum eo ambulant, qui nunquam eum fatigari nec esurire permittunt.* Hæc non probantur Molano lib. de picturis cap. 48.

Lib. eod. dicitur, *Bartholomæum docuisse, quòd sicut accipiter accipit avem, ita Diabolus rapuerit Christum, & posuerit inter feras in deserto.* Sed hæc non probantur Hesselio in Censura, quia Evangelistæ testantur, *Christum à proprio Spiritu ductum in desertū.*

Lib. eod. dicitur, *Dominum dixisse ad Diabolum in prima tentatione, Ego ejiciam te de dominatione, quam per dejectionem primi hominis usurpasti.* Nec hoc probatur Hesselio d. l. *Si enim Christus hæc dixisset*, inquit, *Diabolus scivisset, eum esse Filium Dei, nec secundò tentasset, dicens: Si Filius Dei es.*

Lib. eod. dicitur, *Diabolum alterum Angelum Apostaticum sibi sociasse, qui dictus fuerit Mammona.* Nec hoc probatur Hesselio: *Quasi Diabolus*, inquit, *non sit ipse Mammona, aut q. ipse solus non possit satis tentare?*

Lib. eod. *unicam* facit *tentationem Diaboli, quâ Christum tulerit in montem excelsum, & supra pinnam templi.* Nec hoc probatur Hesselio, cùm *Evangelistæ expressè distinguant tentationem factam in pinna templi, ab ea, quæ facta est in monte excelso.*

Posterius, videlicet librum de passione S. Andreæ esse Apocryphum, probamus ex eo,

1. Quòd *Spiritus Sanctus* in eo dicitur *procedere ex Patre, in Filio verò permanere*, quod sapit hæresin Græcorum negantium Spirit. Sanctum à Filio procedere.

2. Quòd nulla ejus fiat mentio apud antiquos & probatos Scriptores, Eusebium, Hieronymum, Gennadium.

3. Quòd inter Apocrypha à veteribus rejiciuntur, quæ de Actis Andreæ & aliorum Apostolorum circumferebantur. Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. c. 25. *Andreæ & aliorum Apostolorū Actus nusquam prorsus in scriptis veterum, qui Apostolis successerunt, aliqua mentio habetur, in quibus & ipse stylus multum ab Ecclesiasticâ consuetudine deprehenditur esse diversus, sensus quoque ipse & omnia, quæ his inseruntur, longè ab Apostolica dissonant fide, ex quo figmenta esse pravitatū hæreticæ comprobantur, unde nec inter illa quidem scripta, de quibus dubitari diximus, collocanda sunt, sed ut aliena penitùs & à regula pietatis discrepantia, propellenda.*

Philastrius in Catal. hæres. cap. 87. *Habent Manichæi Apocrypha*

phi B. Andreæ Apostoli, hoc est, Actus, quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam hunc librum inter Apocrypha referunt. Gelasius in c. Sancta Romana. dist. 15. *Actus nomine Andreæ Apostoli Apocryphus.*

Innocentius in Epistol. ad Exuperium Epist. 3. *Quæ sub nomine Andreæ à Nexocharide & Leonide Philosophis scripta, non solùm repudianda, verùm etiam noveris damnanda.*

Sixtus Senensis lib 2. Biblioth. in verbo *Andreas*, Gelasii & Innocentii dicta adducit & approbat.

Bellarminus in libr. de Scriptor. Eccles. p. 69. *Audivi aliquando magnum quendam virum eam Historiam in dubium revocantem.*

Baronius Ann. Christi 44. num. 42. *Cùm Apostolorum nomine tàm facta, quàm scripta reperiantur esse supposititia, nec, si quid de illis à veris sincerisq́; Scriptoribus narratum sit, integrum & incorruptum omninò remanserit, in desperationem plane quandam animum dejiciunt, posse unquam assequi, quod verum certumq́; subsistat. Age verò, de his, pro viribus, orationem instituamus, & quæ de Apostolis Apocrypha, vel omninò rejecta, scripta esse probantur, in medium adducamus &c. Extabant Actus nomine Andreæ, Actus nomine Thomæ, Actus nomine Philippi, Actus nomine Teclæ & Pauli, quos omnes Gelasii censura proscripsit. Agens de his Philastrius, factitatum ab hæreticis tradit, ut falsa Acta Apostolorum nomine scripserint. Sed & Manichæi, quæ ab Andreæ discipulis de rebus gestis à Ponto in Græciam scripta erant, alia addentes, alia verò detrahentes corruperunt.*

n. 43. *Tractans Innocentius Papa de his commentitiis Apostolorum Actibus, Autores, qui eos confinxerunt, prodit, dum ad Experium scribens, hæc ait: Cætera, quæ sub nomine Matthæi, sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri & Johannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si quæ sunt alia, non solùm repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.*

Ann. 69. n. 34. *Postquam de Petri Martyrio atq́; uxoris, nec non filiæ ad Deum transitu actum est, de germani ipsius, Andreæ scil. glorioso per crucem quoque consummato Martyrio ut dicamus, instituti ratio à nobis videretur exigere, sed cunctabunda diu hæsit oratio, Apocryphorum præpedita timore, quò minùs liberè, ut assolet in rebus certâ fide exploratis ac veris, hactenus prosilierit.* (At si liber passionis Andreæ esset *fidei prorsus indubitatæ, ac in singularem autoritatis arcem receptus*, ut loquitur Bellarminus, liberè de tota re Baronius pronunciare non fuisset veritus. Sed vidit, nullum ex veteribus, ante Petrum Damiani, qui circa Annum 1060. floruit, & quo antiquiorem hujus libri testem Bellarminus producere non potuit, hujus libri mentionem facere. Pergit igitur:) *Quod enim inprimis ad tempus spectat, quo potissimùm Anno passus sit, apud antiquiores nulla prorsus mentio reperitur, quid autem aliquis ex recentioribus pro animi arbitrio dixerit, absq́; ulla testificatione majorum, fides incerta sequatur Autorem, haud enim libenter illius vestigia affectamur, quem in obscuro atq́; invio tramite dux certior actutior non præcedat. Illud tantùm de Andreæ Martyrii tempore in passionibus Apostolorum, quas qualescunque sint, ante Gelasii Papæ tempora lectitari consuevisse, certum est, licuit reperisse, ipsum scil. post Petrum coronatum esse Martyrio, licet quoto Domini anno, vel sub quo Imperatore, inexploratum penitus relinquatur, illic enim ipsi à Johanne Apostolo per visum dictum habetur; post ascensum Petri, Andreæ poculum Petri bibiturus es? hæc ibi. De reliquis autem, quoniam passionis Andreæ Acta à Manichæis corrupta, ab eisdemq́; citari solita fuerunt, remansit eorum, ut Augustinus lib. de fide contra Manich. cap. 38. declarat, exemplo, in Ecclesia dubia fides.* (Quod Baronius subjungit: *Quæ verò de Andreæ Martyrio in Epistola Presbyterorum Achaiæ habentur expressa, digna existimata sunt, ut in Ecclesia recitentur*; illud non satis congruit præcedentibus. Si enim reliqua Apostolorum Acta propterea, quod testificatione veterum destituuntur, fidei sunt dubiæ, utique etiam propter eandem causam de libro Passionis Andreæ idem omnino statuendum.

Whitus Scriptor Pontificius non ignobilis, Diacosion Martyr. fol. 3. (citante Roberto Coco in Censura Scriptorum quorundam veterum pag. 54.) atro carbone hunc librum notat, sic scribens:

Sed sit Apocryphum, (ut est absq́; controversia,)
Quod Divus Andreas locutus ad Patres *Memoratur*, ante turbidum Proconsulem. *Ego* (inquit) *Ægea Deo rerum opt*[illegible] *Omni die sacrifico.*

2. Quòd in hoc libro quædam continentur, quæ Pontificiis probari non possunt.

Dicit Autor: *Spiritum sanctum procedere ex Patre, in Filio verò permanere.* Atqui id sapit hæresin Græcorum processionem Spiritus sancti à Filio negantium, propter quam, Bellarmino lib. 2. de Christo cap. 30. judice, *in miserrima servitute degunt, gravissimumque jugum captivitatis perferre* [illegible]*guntur.*

Dicit Autor: *Ægeam præcepisse, Andream cruci affigi, mandans hoc quæstionariis, ut ligatis pedibus & manibus q. in equuleo tenderetur, ne clavis affixus cito deficeret, sed cruciaretur* [illegible] *longo cruciatu.* Sed Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 2[illegible]. contrarium statuit, videlicet *Andream clavis fuisse fixum.* Ergò Presbyteri & Diaconi Ecclesiarum Achaiæ non possunt esse hujus libri Autores, cùm profiteantur, *se passionem Andreæ scribere, quam oculis suis viderant.*

Coronidis loco notetur, quòd sententiæ nostræ, quâ Liturgias Apostolorum Apocryphas esse statuimus, præter specialia hactenus allata, tria in genere suffragentur:

1. Quòd Gregorius libr. 7. Registri cap. 63. & alii [illegible] loco in artic. de Missa citandi statuant, *morem Apostolorum fuisse, ut ad ipsam solummodò orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent.* (At in his Liturgiis, quæ sub Apostolorum nominibus venditantur, longè major apparatus extat.)

2. Quòd Presbyteris soli Deo confitendum fuerit, non Sanctis vel Angelis; populo calix Eucharisticus distribuendus, ac sacra linguâ vernaculâ celebranda, si Liturgiis [illegible] debet apud Pontificios constare autoritas.

3. Quòd Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 15. [illegible] Neque obstat &c. tale quid afferat, quo ad omnia, quæ [illegible] Liturgiis Apostolorum extra Scripturam Pontificii proferunt, responderi potest. *Neque obstat*, inquit, *quod Græci objiciunt, in Liturgia S. Jacobi & aliorum Patrum hæc verba haberi, Fiat hic panis corpus Christi tui. Nam non omnia, quæ in Liturgia habentur, depromta sunt ex Domini exemplo aut præcepto. Constat enim multa esse addita ab aliis. Itaq́; probare debent Græci, illa verba ex Domini dictis aut factis manasse. At non possunt.*

(Eodem modo Bellarmini exemplo argumenta negativa ex Scripturis ducta Traditionibus illis Liturgicis opponere possumus, dicentes Pontificiis: Probare debetis, quæ contra nos defenditis, ex Domini dictis, aut factis manasse. At non potestis.)

CAPUT IX

De Epistolis Decretalibus Pontificum.

NOn solùm sub Apostolorum, sed etiam Romanorum Episcoporum nominibus Apocrypha & supposititia quædam scripta sunt edita, quorum autoritate Primatum Romanæ Sedis, & alia dogmata Papalia Romano-Catholici probare conantur. Esto igitur

Thesis generalis. *Epistolæ Decretales Pontificum sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Ἔκθεσις. Anno 1592. prodière Romæ *Decretalium Epistolarum libri tres*, referente Possevino in Apparatu sacro in Verbo *Decretalium*. Harum aliquot dicuntur scriptæ à Romanis Episcopis, qui primis trecentis pauloque ampliùs post Christum natum annis vixerunt, videlicet à *Clemente, Anacleto, Evaristo, Alexandro, Sixto, Telesphoro, Higino, Pio, Aniceto, Sotere, Eleutherio, Victore, Eusebio. Zepherino, Calixto, Urbano, Pontiano, Antero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Sixto II. Dionysio. Felice I. Gajo, Marcellino, Marcello, Eusebio, Melchiade & Sylvestro I.* quæ omnes habentur tom. 1. Conciliorum edit. Petri Crabb. Ann. 1551. & Severini Binnii Ann. 606.

Antithesis. Hæ Epistolæ creberrimè citantur à Pontificiis, tùm in aliis, quæ ipsis cum nostra Ecclesia intercedunt controversiis, tùm verò cumprimis in quæstione de Primatu Sedis Romanæ. c. Si Romanorũ. dist. 19. *Si Romanorum Pontificum Decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobãtur, ut quod verè Sedes Apostolica probaverit, hodie teneatur acceptum; quod reprobaverit, inefficax habeatur, quantò potiùs ea, quæ pro sanis dogmatibus & necessariis fidelium moribus diverso tempore scripsit, debent ab omnibus magna reverentia suscipi?* Et postea: *Restat, quòd omnes Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sunt recipiendæ.* Inter Canones ipsos Leonis Papæ capitulo [illegible]

esse permixtum, quo omnia Decretalia Constituta Sedis Apostolicæ tenacè custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari. Dicendo autem omnia, nullum de Decretalibus prætermiserit, quod non mandaverit custodiendum. Et rursus; dicendo omnium Pontificum Romanorum, nullum ex Prædecessoribus excepit. Joh. de Turrecremata Card. lib. 2. de Eccl. cap. 108. §. Secundò. *Inter alios articulos, ob quos Joh. Wicleffus in Synodo Constantiensi condemnatus erat, hic erat unus, Decretales Epistolæ sunt Apocrypha & seducunt à fide, quas tamen Summi Pontifices Nicolaus, Leo, Gelasius, Agatho, Adrianus, jampridem Canonicas esse statuerunt.* Confer eundem lib. 4. part. 2. cap. 9. Franc. Turrianus pro earum autoritate ex professo scripsit, lib. 2. pro Epist. Pont. p. 152. in Præfat. inter cætera sic disserens: *Has Epistolas dico antiquitate suâ & totius mundi reverentiâ consecratas, omni gravitate, doctrinâ & sanctitate refertas, & testimonio ac usu posteritatis omnium seculorum confirmatas.* Alb. Pighius Card. l. 4. Hierarch. cap. 9. *Has Epist. sancti Pontifices plurimi gloriosi Martyres Christi scripserunt.* Quinimò Gratianus in c. Canonicis, dist. 19. autoritate quadam Augustini probare nititur, *Decretales Epistolas Pontificum inter Canonicas Scripturas connumerari.* (Ubi tamē glossa agnoscit, *Augustinum non loqui de Pontificum Epistolis, sed de Scripturis sacris.*) c. Decretales. dist. 20. *Canonibus Conciliorum eas pari jure exæquari* asserit. Alphonsus de Castro lib. 6 advers. hæreses, verbo Ecclesia, hæresi 3. *Concilium Constantiense condemnans in sessione octava plures articulos Johannis Wiclephi, hunc inter alios locavit, sub his verbis: Decretales Epistolæ sunt Apocrypha, & seducunt à Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student eis. Qui articulus simul cum aliis unâ super omnes latâ sententiâ damnatus est.* Idem lib. 1. advers. hæres. cap. 2. *Ut cæteras Decretalium Epistolarum laudes prætereamus; quæ decimâ nonâ distinctione leguntur; vel ista sufficit, quòd universalis Ecclesiæ consensu probantur, quoniam inter cæteros Johannis Wicleph errores condemnatus in Concilio Constantiensi, sessione octava is unus est, quo sic ait: Decretales Epistolæ sunt Apocrypha, & seducunt à Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student eis.* Baronius Ann. 102. n. 6. lectorem ad librum Turriani pro autoritate harum Epistolarum scriptum remittit, quod etiam facit Sev. Binnius in not. ad 1. Epist. Clementis. Alph. de Guerero in Thes. Christ. Relig. cap. 3. n. 5. scribit: *Et Decretales Epistolæ vim autoritatis habent, & in Canonicis Scripturis Decretales Epistolæ connumerantur.* Alph. Mendoza in controv. Theol. q. 4. p. 299. *Romanum Episcopum in Principatu Petro succedere, docent Anacletus, Evaristus, Alexander I. Sixtus I. Eleutherius, Pius I. Victor, Zepherinus, Marcellinus &c. quorum Pontificum Decreta Gratianus diligenter collegit ac fideliter retulit.*

Nostram sententiam probamus ex eo 1. quòd Decretales hæ Epistolæ scateant barbarismis, ex quo manifestum, quòd non sint scriptæ ab illis, quorum nomina præ se ferunt. Nam illo seculo, quo Clemens & alii Episcopi Romani usque ad Sylvestrum vixerunt; lingua Latina in flore fuit constituta, per quam nec barbarè nec incongruè illius gnari sensa animi sui exprimebant, ut patet ex scriptis, non solùm Ethnicorum Plinii, Suetonii, Taciti, sed etiam Christianorum Ecclesiæ Doctorum, Justini Martyris, Tertulliani, Cypriani, Arnobii, Lactantii, Minutii Felicis & aliorum illis συγχρόνων. Barbarismos autem ac Solœcismos complures illis Epistolis inesse, patet ex sequentibus flosculis: *De sacramentis benè intuendis usque delegavi; Episcopi sunt obœdiendi, non detrahendi, non sunt respuendi, non insidiandi; non lacerandi, sed portandi & amandi; Boni à malis persequuntur; Cavete vos fratres, ne efficiamini participes malis eorum: Ab hac fide, à sanctis Apostolis tueri Episcopi jussi sunt; Perlatum est ad Sedem Apostolicam aliquos vestrûm nocere fratres velle; Constat non debere refutare escas communes, quas Deus ad cibum tribuit fidelibus; pulsatus super criminibus; judicium ordinabiliter habitum; properet unusquisq; sermones suos, & quod sibi fieri non vult, alteri ne loquatur; Anathematizorum vox nulli nocere potest; Potestatem habent ordinare, mutare & inthronizare; ne permittatis eos lacerari in hamo iræ; quod pertinet ad continentiam literarum vestrarum; Sacerdotaliter benedicere, regulariter examinare; agere indisciplinatè; paternas disciplinas usurpare, dependere obtemperantiam; jurgialiter stare; rigorositor modernus; caritative convenire; à malis se carere; gaudes de vestra sospitate; leges se nocentes non suscipere; præsentem fraternam syllabam exposcimus; modernis temporibus Christianitatem suscepistis; prætexatus modus &c.*

2. Quòd una sit omnium Epistolarum istarum phrasis, character unus, cùm tamen tribuantur diversis Episcopis, qui non uno, sed diversis seculis floruerunt. At fieri nequit, tot viros, licet ad similitudinem styli assuefactos, eandem per omnia dicendi formam obtinere. Ab uno igitur rectiùs censentur compositæ, & primis illis Episcopis suppositæ.

3. Quòd hæ Epistolæ in citandis Scripturæ locis vulgatam translationem, quam Hieronymi esse volunt, sequantur, quam tamen Pontifices illi, quorum nomina præ se ferunt, videre non potuerunt.

4. Quòd nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Damasus, nec Gennadius, nec quisquam eorum, qui ante octingentesimum annum vixerunt, earum uspiam mentionem faciat. (Sixtus Senensis quidem *Damasum harum Epistolarum mentionem facere* asserit, sed si *Manuscriptis potius, quam impressis credatur exemplaribus, nulli Episcopo Romano eas, quæ nunc extant, attribuit Epistolas*, inquiunt Magdæb. Cent. 2. cap 7. p. 151.)

5. Quòd hæ Epistolæ id unum sibi propositum & præfixum habeant, ut Primatum Romani Pontificis stabiliant, cùm tamen *ante Concilium Nicenum parvus respectus ad Ecclesiam Romanam fuerit habitus*, teste Ænea Sylvio Epist. 31. Si hæ Epistolæ scriptæ fuissent à priscis illis Romanis Episcopis; utique aliqua earum mentio fuisset facta, vel in Concilio Africano, vel Carthaginensi; in quib. inter Patres Africanos & quosdam ex Romanis Episcopis de appellatione ad Sedem Romanam fuit dimicatum.

6. Quòd illorum meminerunt, quæ temporibus istorum Episcoporum non fuêre in Ecclesia adhuc nota vel usitata. c. Sacerdotum, de consecrat. dist. 2. ex Clemente. *Nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes & reliqui Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere.* Atqui primis Ecclesiæ temporibus Christiani nondum habuerunt templa. c. Sufficit. dist. 1. de consecrat. ex Alexandro. *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die celebrare.* c. Sancta. dist. ead. ex Telesphoro. *Nocte sancta nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent Presbyteri, & Hymnum Angelicum in illis solenniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo Pastoribus est nunciatus*; ubi glossa addit: *Nocte tres Missæ in die natalis celebrantur.* At quis credat licuisse tum temporis Christianis per graves istas persecutiones quotidie Eucharistiam celebrare? quin & vox Missæ Græcis pariter & Latinis Scriptoribus tunc fuit incognita. Præterea, si primis illis trecentis post Christum natum annis hæ Epistolæ fuere scriptæ, qui fit, quòd nuspiam meminerint persecutionum ac lanienarum, quæ tum temporis erant frequentes & quotidianæ? cur nulla in eis continetur exhortatio ad patientiam, ad constantiam, ad preces &c. Sed tantum loquuntur de illis, quæ pacatis Ecclesiæ temporibus congruunt, de Suprematu Ecclesiæ Romanæ, de solenni Clericorum ordinatione, de appellatione ad Sedem Romanam, de Sacerdotibus non lædendis, aut accusandis &c. De vasis sacris, de habitu Clericorum, de templorum ornatu, & aliis rebus in his Epistolis fit sermo, de quib. illis Ecclesiæ temporibus nemo admodum solicitus fuit.

7. Quòd in his Epistolis sine certo scopo & judicio aliquoties integra Scripturæ capita, non solùm ex Canonicis libris, sed etiam ex *Ecclesiastico* Apocrypho libro citentur. Quem morem cùm in Epistolis compluribus observatum videamus, ex eo colligitur, ab uno Authore eas esse profectas.

Plura argumenta qui desiderat, consulat Magdæb. Cent. 2. cap. 8. p. 143.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, has Epistolas esse suppositias.

Marsilius Patavin. in Defensorio pacis part. 2. cap. 28. *Suspecti sunt hi Canones, seu Epistolæ, quoniam in ea, quæ de Sacramentis, vestibus, & vasis ad Jacobum fratrem Domini, & in ea, quæ de communi vita Apostolorum intitulatur, scribitur, ac si Clemens Jacobo narret ea, quæ Christus cum Apostolis egit. Hæc autem fuisset magna ignorantia, non modò dictâ præsumtio Clementis, quòd ea, quæ tantū audiverat, significare vellet, q. per mediū doctrinæ, illi qui præsens interfuerat & Christum cum Apostolis, quorum unus fuerat, ipse viderat. Quis enim discipulos, qui Hierosolymis erant, meliùs instituere poterat de vita Christi & Apostolorum? Quis de ritu Ecclesiastico plus nosse debuit? an Apostolus, an Successor Apostolorum? nemo est, qui dubitet, propter quod ipsa sunt cum Apocryphis computanda.*

Nic. Cusanus, Card. lib. 3. de Conc. Cathol. cap. 2. *Sunt fortassis*

tassis etiam quædam alia longa & magna scripta, sanctis Clementi & Anacleto Papæ attributa, in quibus volentes Romanam Sedem, plusquam Ecclesiæ expedit & decet, exaltare, se penitùs & quasi fundant. Si quis omnes illas Scripturas illis sanctis attributas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad illa scripta applicaret, ac deinde in opusculis omnium sanctorum Patrum, qui usq; ad Augustinum, Hieronymum & Ambrosium fuere, ac etiam de gestis Conciliorum, ubi authentica scripta allegantur, usum & memoriam haberet, hoc inveniret verum, quia nec in illis omnibus Scripturis de illis præfatis Epistolis mentio habetur, & etiam ipsæ Epistolæ applicatæ ad tempus eorum Sanctorum seipsas produnt. Scribitur in Clementis Epistolis, quomodo Papa fuerit & Petri Successor, & post Petri mortem ad sanctum Jacobum has fingitur scriptor misisse Epistolas, qui fuit frater Domini & Hierosolymorum Episcopus, qui tamen octo ante Petrum annos Martyrio vitam finierat. Scribitur quoque ipsum Clementem Successorem fuisse Petri, & hoc idem in aliis, quæ sancto Anacleto attribuuntur. Quomodo sancti viri Hieronymus, Augustinus, Optatus Milevitanus & cæteri, qui omnium Romanorum Pontificum Catalogum posuerunt, hoc ignorassent, qui Clementem non interserunt, vel saltem non immediatè post Petrum ponunt, si istas Epistolas aut tunc vidissent, aut pro authenticis habuissent? Invenitur insuper in ipsis Epistolis de Episcoporum à Sacerdotibus differentia quæ longo tempore post hoc, ut Hieronymo & Damaso placet, in Ecclesia orta est.

Autores Historiæ Ecclesiasticæ Magdæburg. Centur. 2. cap. 7. p. 151. adducunt suffragium cujusdam Monachi Kaltheisen appellati. *Quidam Monachus* (inquiunt) *cognomento Kaltheisen, qui ante 60 annos, aut ampliùs hæreticæ pravitatis Inquisitorem egit, in tractatu, An Imperium sit unquam à Romanis ad Græcos translatum? sic scribit: Nunc meo judicio illa de Constantini donatione Apocrypha sunt. Sed fortassis quædam alia longa & magna scripta S. Clementi & S. Anacleto attributa summis Pontificibus, in quibus volentes Romanam Sedem omni laude dignissimã, plus quàm expedit, exaltare, se penitùs fundant, cùm tamen omninò non videantur illorum sanctorum Epistolæ, consideratis contentis in iis. Scribitur enim in Epistolis Clementis, quomodo Papa fuerit & Petri Successor, & post Petri mortem ad S. Jacobum has fingit Scriptor misisse Epistolas, qui fuit frater Domini & Hierosolymorum Episcopus, & est tamen hoc omninò falsum, cùm sit manifestum, priùs Petro Jacobum octo annis finivisse Martyrio vitam. Scribit quoq; ipsum Clementem Successorem fuisse Petri. Sed hoc idem in aliis, quæ S. Anacleto adscribuntur, legitur. Sed si hoc esset verum quomodo sancti viri Hieronymus, Augustinus, Optatus Milevitanus, & cæteri, qui omnium Pontificum Romanorum Catalogum posuerunt, hoc ignorassent, qui Clementem non interserunt, vel saltem non immediatè post Petrum ponunt, si ipsas Epistolas aut tunc vidissent, aut pro authenticis habuissent? Invenitur insuper in ipsis Epistolis de Episcoporum à Sacerdotibus differentia, quæ tamen longo tempore post hoc, ut Hieronymo placet & Damaso, in Ecclesia orta est. Hactenus Kaltheisen.*

Alphonsus de Castro lib 6. adversus hæreses, verbo, Ecclesia, hæres. 3. *Johannes Wicleph docuit, Decretales Epistolas esse Apocryphas & nullius momenti, & stultos vocavit eos, qui illis incumbunt.*

Antonius Contius, publicus Professor Juris in Academ. Biturigum, in annotat. ad dist. 16. c. Septuaginta, scribit: *Multas supra in præfatione rationes adduxi, quibus omnes Pontificum, qui Sylvestrum præcesserunt, Decretales falsas esse, manifeste ostendi.*

Baronius Anno Christi 102. n. 7. *Mirati sumus, Ecclesiæ hostes* (Magdæburgenses) *omnem admovisse arietem, atq; adeò laborasse, ut primas illas Decretales Epistolas Romanorum Pontificum fide minuerent, atque irritas prorsus redderent, perinde ac si his fundamentis tota Ecclesiæ ædificatio inniteretur, quibus convulsis esset protinus collapsura. Absit, ut Dei Ecclesia columna & firmamentum veritatis tanta veritatis testandæ laboret inopiâ, ut si ex illis petitæ probationes deessent, causa caderet, cùm tàm in his, quæ spectant ad sincera dogmata statuenda, quàm in iis, quæ pertinent ad rectam disciplinam Ecclesiasticam declarandam, referta habeat locupletissima promtuaria probatissimæ veritatis, cujus nulla prorsus possit unquam de impostura esse suspicio. Quamobrem consultò quidem, cùm agendum est nobis cum iis de Ecclesiasticis controversiis, ab earundem Epistolarum citatione interdum abstinemus, ne unis his argumentis indigere credamur, quorum acies ipsorum objectionibus retusa videri possit, cùm ad faciendam vindictam in nationibus & increpationibus in populis, quod habet Psalmus 149. ex sanctæ Ecclesiæ armamentario validiora arma suppetant ac fortiora. Ipsa namque est turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, Cantic. 4. ubi inter alia arma gladius ille ejusdem David sententiâ 1. Reg. 21. æstimatur validior, quo aliquando usus esset etiam hostis.* In margine annotatur: *Non innitendum Apocryphis.*

(Agnoscit ergò Baronius, aciem argumentorum, quæ ex his Epistolis, utpote Apocryphis, petuntur, videri retusam, & validiora arma pro Pontificis Primatu esse afferenda. Confer similem locum apud Baronium Anno Christi 865. qui Paulò post adducetur.)

Bellarminus in lib. de Scriptor. Ecclesf. pag. 56. *Epistolæ quæ Clementis, quæ nunc extant, non carent scrupulo.*

Joh. Gabriel Bisciola in Epit. Baron. tom. 1. p. 72. *Quæ extant quatuor Clementis Epistolæ ab his diversæ, quas commemorat Hieronymus, lib 1. contra Jovinian. & Epiphan. hæres. 30. non omninò sunt certæ fidei, vindicare tamen eas conatur Franciscus Turrianus Societ. Jesu à calumnia,* (hoc est conatur tenebras in lucem convertere, & pro pipere muscerdam hominibus obtrudere.)

Gretserus lib. 1. de cruce cap. 55. *Ex Epistola Decretali ipsius Eusebii Papæ translatus est canon de crucis Inventione & festivitate in Decretum Gratiani Sed quis hæc & similia non videt esse spuria & supposititia.*

Lorinus in Comment. 2. Petr. 1. v. 14. *Difficilem provinciam suscipit, qui Clementis, quæ modo extant, in omnibus defendere nititur Epistolas.*

In lib. de Ecclesf. & Polit. potest. edito Francof. Ann. 16.. (cujus Autor est Pontificius) p. 21. sic legitur: *Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis doctissimus, Hincmaro Laodunensi Episcopo, nepoti suo, respondet, Decretales Epistolas Pontificum quas ante Synodum Nicenam editas perhibent, exiguæ esse fidei, propterea quòd sacris Canonibus minimè concordent. Videndus Flodoardus* (à Jesuita Sirmondo publici juris factus) *lib. 3. cap. 22. p. 243. & 244.*

2. Quòd agnoscere coguntur, aliquos errores & corruptelas in has Epistolas irrepsisse.

Bellarminus in Prælectionibus Romæ habitis, ut refert lit Risthonus, has Epistolas spurias esse docuit. Sic enim ille: *Pro his Epistolis scripsit Pater Turrianus vir doctissimus, & contrariam sententiam veriorem esse puto.* Vide Colloq. Rainoldi cum Harto cap. 8. sect. 3.

Quamvis verò in Prælectionibus jam excusis non tam plenè & luculenter hoc scriptum reperiatur, tamen quod ad summam rei attinet, idipsum in illis habetur. Sic enim scribit lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14. *Aliquos errores in has Epistolas irrepsisse non negaverim, nec indubitatas esse affirmare audeam.*

Petrus Crabbe Coloniensis, qui Concilia edidit, iisque etiam has Epistolas inseruit, in admonitione ad Lectorem ante Decretalem Epist. Liberii scribit, *Exemplarium intolerabilem nimiamq; differentiam ac depravationem esse.* (Ex tanta exemplarium differentia ac depravatione manifestum est, quòd diu in Ecclesia contemtæ jacuerint, quodque multa in illis sint depravata & corrupta.)

Gratianus in Decreto suo multa Decreta adducit, quæ in his Epistolis habentur, sed ea aliis Epistolis tribuit, non iis, quibus in his Epistolis tribuuntur, & quæ his adscribit, ea non habentur in eorum Epistolis, ut multis exemplis confirmari potest. (Ex quo apparet, ipsum non habuisse has Decretales, quas hodie habemus, vel eas quæ hodie extant, ab iis, quas Gratianus habuit, plurimùm differre ac corruptas esse.

3. Quòd agnoscunt, quasdam Decretales à posterioribus in Sede Romana Successoribus esse refutatas. (Si enim non dubitatum esset, à priscis illis Pontificibus eas prodiisse, non possent, nec deberent à Successoribus refutari, cum Pontifices ex hypothesi Adversariorum in Decretis suis sint infallibiles.)

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 2. *Gratianus in volumine Decretorum in exordio vicesimæ ita dicit: Decretales itaque Epistolæ Canonibus Conciliorum pari jure exæquantur. Hoc autem vel ex eo convincitur esse falsum, quòd nulla recta ratio patitur, ut regula, quæ à rectitudine deviare potest, ullo pacto æquetur rectissimæ atq; certissimæ, infallibiliq; regulæ.* Et postea: *Decretales illæ Epistolæ per alios posteriores Pontifices, aut per eosdem à quibus missæ sunt, revocari possunt, sicut de multis factum esse constat, pro qua re commune est eorum proverbium: Par in parem non*

non habet imperium. *Quâ sententia significare volunt priorum Pontificum Decretis non teneri Pontifices posteriores, quin liberum sit eis, cum voluerint, ea revocare.* Et rursus: *Plurimæ Pontificum Epistolæ Decretales per contrariam consuetudinem abrogantur.*

Melchior Canus lib. 5. Locor. Theol. cap. 5. p. 176. *Neque enim generis privilegia novis Ordinibus data certa sunt Sedis Apostolicæ decreta, quibus scil. omnes fideles astringantur. Satis fuerit, si eam habeant autoritatem, quam Epistolæ Decretales, quarum nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas, quoniam non ex firmo decreto, sed Pontificum opinione prodierunt.*

Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 14. *Multa in Decretalibus ponuntur, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed tantum Pontificum ea de re opiniones declarant.* (At si ea non prodeunt ex firmo decreto, quæ inserta habentur Decretalibus, de reliquis omnibus pari ratione dicere, vel suspicari potero, quod ex Pontificum opinione prodierint.)

4. Quòd tales concedere coguntur hypotheses, quæ novitatem Decretalium arguant.

Lucius III. longo post primos illos Episcopos Romanos tempore, etiam cum barbaries jam invaluisset, definivit, *ob manifestum in constructione peccatum fidem non adhibendam literis Apostolicis;* unde Glossa elicit, *vitium Latinitatis vitiare rescriptum.* In Decretalibus de Rescriptis. Ad audientiam. (Jam verò in Decretalibus illis Epistolis stylus est spurius, sordidus & barbarus, ut superius ostendimus.)

Inter Africanos & Romanos Episcopos de appellatione ad Sedem Romanam olim magna fuit contentio. At si prisci illi Romani Episcopi has Decretales habuissent, vel authenticas judicassent, testimonio earum contra Africanos usi fuissent, cum nihil prætermittant, quod pro illis videbatur aliquid facere posse.

Leo IV. Pontif. Rom. qui vixit Anno 847. enumerans dist. 20. apud Gratianum c. de libellis &c. Pontificum Decretales, quibus in omnibus Ecclesiasticis judiciis utebantur, meminit tantum regularum *Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi &c. Isti, inquit, sunt & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici.* Ex eo colligitur, Epistolas nomine *Clementis, Aniceti, Soteris, Telesphori, Alexandri &c.* inscriptas, aut Leoni ignotas fuisse, aut nullius apud ipsum & coætaneos fuisse ponderis. Codex ipse Romanus nullas ante Siricium agnovit.

Johannes Sichardus in sua editione habet multò pauciores, quàm sunt in tomis Conciliorum.

Parsonius part. 3. tripl. Convers. Angl. cap. 4. n. 29. *Eleutherii Pontif. Rom. Epistolam ad Lucium Britanniæ Regem supposititiam esse, probat ex eo, quòd in illa sint multa Scripturæ loca parùm ad rem facientia, ineptè applicata, indigna Eleutherio.* (Si huic argumento aliqua vis inest, labescit etiam harum Decretalium Epistolarum autoritas.) Urgemus & hoc, quòd hæ Decretales Epistolæ scateant barbarismis & solœcismis. Jam verò *falsa Latinitas vitiat Decretum Papæ,* ut rescripsit pontifex in Decretal. Gregorii lib. 1. tit. 3. cap. ad audientiam &c.

Argum. Advers. *Epistolas hasce Decretales esse antiquissimas, patet ex eo, quod Isidorus Hispalensis eas in Collectione sua descripsit. Meminit earundem Concilium Vasense & Ruffinus.* Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 14.

Resp. 1. Isidorus Hispalensis septimo post Christum natum seculo vixit, fortè igitur circa illius tempora hæ Epistolæ prodierunt, cum vetustiores Hieronymus, Eusebius &c. nullam earum mentionem faciant.

2. Baronius tom. 9. Ann. 865. num. 5. & seqq. contendit, *Isidorum collectorem cognomento Mercatorem fuisse alium ab Hispalensi Episcopo, ac & multò recentiorem, ac merces ejus,* (sic enim per contemtum aliquoties appellat Decreta ab eo collecta) *primum in Gallias ex Hispania illatas fuisse operâ Riculphi Moguntini Episcopi, tempore Lotharii & Caroli,* id quod probat ex Hincmari Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem Epistola. *Cùm igitur, inquit, ante Riculphum Isidori collectionem non noverint Gallia Hispanis proxima, minusque Italia, conjectura est, Isidorum illum haud ita pridem vixisse atque scripsisse, nempe circa annum Domini 800. cujus collectionem ab antiquis non adeò probatam, imò tanquam minus sinceram notatam demonstrat sequentibus verbis. Sed & ab ipsa quidem, inquit, consultò visus est abstinuisse Nicolaus Papa, quippe cum in his controversiis frequens esset, in quibus de appellatione ad Sedem Apostolicam ageretur, & de illis Epistolis Decretalibus (Clementis & aliorum, qui persecutionis tempore vixerunt) multiplicia suppeterent, eademq; fortissima testimonia sanctissimorum Pontificum, eorundemq; Martyrum, quorum summa autoritas in Ecclesia esse potest, abstinuit tamen ab illis penitus, quas saltem dubias intellexisse, non dubium sit, illis tantum usus, de quibus nunquam in Ecclesia Dei fuerat dubitatum, quòd illis adventitiis & recens inventis non egeret Ecclesia, cum eadem ex germanis, sinceris, omninò legitimis, securis, certisque Romanorum Pontificum Epistolis abundanter accipere licuisset. Sed & ipse Benedictus Levita, etsi (ut audisti ab Hincmaro, & ipsemet testatus est in suorum præfatione librorum:) ex eadem Isidori collectione accepit multa, tamen bene conscius autoritatem illarum Epistolarum haud adeò constantem, sed nutare admodum, nunquam aliquem illarum citavit Autorem, ut fecit in reliquis, quarum fides constans esse, Romanorum Pontificum Epistolis Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi atq; Gregorii, citans ac nominans earum Autores; sed & magnâ cautela, quòd sciret ex eis accepta haud adeò haberi firma, curavit (ut ipse in fine testatur) eadem autoritate Apostolicâ confirmari. Qui autem primus excerpta ex eis Decreta cum titulo edidit Romanorum Pontificum, quorum nomine conserentur, fuit quem diximus, Hincmarus Laudunensis Episcopus, ut apparet ex Epistola seu libro contra ipsum scripto ex Hincmaro Rhemensi, qui eam Laudunensis lucubrationem accipiens non sine stomachatione legit, quam & in pluribus arguit. Laudunensem verò secuti sunt alii, ut qui sequenti seculo scripsit Burchardus, & post ipsum alii, qui nomina ipsorum Romanorum Pontificum singulis capitibus præfixerunt, quod & omnium novissimus æquè præstitit Gratianus. At verò ex multis eas reddi suspectas Epistolas, quæ dicta sunt secundo Annalium tomo, dum de illis singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulq; ostensum, iis non indigere S. Romanam Ecclesiam, ut, si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & privilegiis.* Hæc omnia Baronius Decretalium harum Epistolarum antiquitatem & autoritatem non mediocriter labefactans.

3. Concilium Vasense & Ruffinus non nisi Epistolarum *Clementis* meminerunt, de quibus paulò post agetur. Ruffinus, qui eas vertit, etiam librum *Recognitionum* vertit, quem tamen Bellarminus ipse fatetur non esse Clementis in lib. de Script. Eccles. vel certè ab hæreticis corruptum, lib. 5. de lib. arb. cap. 33.

Thesis specialis prima. *Clementis Epistola prima est Apocrypha & supposititia.*

Ἔκθεσις. Scripsit *Clemens*, teste Hieronymo in Catalogo illustrium Scriptorum, ex persona Ecclesiæ Romanæ *ad Ecclesiam Corinthi* valde utilem Epistolam, quæ in locis nonnullis tum publicè legebatur. Eam laudant & quædam ejus fragmenta describunt Irenæus libr. 3. cap. 3. Clemens Alexandrinus lib. 6. & 7. Stromat. Eusebius lib. 3. cap. 12. Autor quæstionum & responsionum Justino adscriptarum q. 74. Ferebatur etiam *secunda* ejus nominis *Epistola*. Sed illa non fuit pari loco cum priore habita. Neutra harum Epistolarum hodie extat, sed in earum locum substitutæ sunt aliæ *quinq;*, duæ ad Jacobum fratrem Domini, reliquæ tres ad discipulos suos. Ex illis multa de verbo ad verbum in Decretis Pontificum sunt excerpta, cumprimis dist. 2. 5. 23. 38. &c. Nos omnes illas Apocryphas & supposititias esse dicimus.

Antithesis. In Jure Canonico citantur quædam ex hac prima Clementis Epistola c. In illis. dist. 80. c. Diaconi. c. Sacerdotes. dist. 93. c. Sacerdotes. c. Laici. caus. 2. q. 7. c. Beatus Petrus. caus. 7. q. 1. c. Te quidem c. Sicut enim caus. 11. q. 1. c. Quicunque. c. Si autem. caus. ead. q. 3. c. Quid in omnibus. caus. 32. q. 7. c. Homicidiorum. distinct. 1. de pœnit. Insuper etiam primam hanc Clementis Epistolam citant Hosius in Confess. Petricov. cap. 47. ut probet *auricularem Confessionem;* Bellarminus lib. 2. de Romano Pontif. cap. 14. ut probet *Romani Pontificis Suprematum;* Pamelius in annot. ad Tertullian. de corona militis n. 36. ut probet *exequias mortuorum;* Angelo-Remenses in annot. 2. Pet. 1. v. 15. ut probent, *Petrum promisisse Clementi Successori suo, se post obitum non desiturum pro illo & pro grege suo orare.* Binfeldus de condit. anim. post mortem §. 5. memb. 3. *Clemens Epist. I. ad Jacobum fratrem Domini loquitur de purgatorio.*

Nostram sententiam probamus 1. *Petrus* in hac Epistola dicitur *ordinasse Clementem* Successorem suum. Sed veteres testantur, non *Clementem*, sed *Linum* successisse Petro. Augustin. Epist. 165. Hieronym. de Script. Eccles. in verbo Clemens. Optatus Milevitan. lib. 2. de schism. Donat. Irenæus lib. 3. c. 5. Eusebius lib. 3. Hist. c. 2. Epiphanius hæres. 27. Dorotheus in Synopsi. Beda in Martyrol.

2. Clemens in hac Epistola dicitur transmisisse Jacobo plurima descripta in eo libro, sub eo ipso titulo, quem Petrus ei præcepit præfigi, h.e. *Clementis Itinerarium*. Sed liber ille, qui Clementis Itinerarium dicitur, infamis est apud veteres.

3. Petrus in hac Epistola memoratur Clementem sic allocutus: *Deprecor te ô Clemens coram omnibus, qui præsentes sunt, ut postea quam, (sicut Naturæ debitum est) vitæ præsentis finem fecero, Jacobo fratri Domini describas breviter, vel quæ ad initium fidei tuæ spectant, vel etiam quos ante fidem animos gesseris, sed & qualiter mihi ab initio usque ad finem comes itinerum & actuum fueris.* At Jacobus mortuus est 7. annis ante Petrum, ut colligitur ex Josepho lib. 20. antiq. cap. 16. & Euseb. lib. 2. Hist. Eccl. c. 23. Baronius ipse docet, Jacobum occisum Ann. Christi 63. Neronis 7. Petrum verò Ann. Christi 69. Neronis 13. Ecquis verò credat, Petrum hortatum esse Clementem, ut scribat ad defunctum?

4. In hac Epistola mentio fit *Archiepiscoporum, Metropolitanorum & Primatum*, qui tum temporis in Ecclesia nondum extabant. Decernit, quod *nullus Episcopus ordinari debeat in parvis vicis vel oppidulis, ne in contemtum inciderent; quòd in gentium urbes, ubi antea Archiflamines majores erant, jubet collocare Patriarchas seu Primates; ubi v. minores, eò Archiepiscopos; in alia v. magna oppida Metropolitanos; in cætera v. Episcopos: quod in uno oppido non debeant esse duo vel tres Episcopi &c.*

At hoc non convenit simplicitati ac statui illorum temporum, neque enim verisimile est, quòd tum affectarint titulos in Ecclesia, cùm de vita propria non essent securi, ac posterius de Constitutione Patriarcharum in locum Archiflaminum, negat ipse Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 24.

5. Citantur in hac Epistola diversa loca ex 5. & 14. Esaiæ, in quibus Autor sequitur Hieronymi translationem, qui longo tempore post Clementem vixit.

6. Petrus in hac Epistola vocatur *primitiæ electionis Domini, cui soli primum Pater Filium revelaverit.* Sed ex Historia Evangelistarum constat, quòd Andreas prior ad Christum venerit, & postea Petrum adduxerit, quodque non solus Petrus, sed cum eo Andreas, & paulò post Johannes & Jacobus vocati fuerint.

7. In eadem Epistola dicit Petrus, *Clementem esse primitias eorum, qui per Petrum ex gentibus salvati sunt.* At hoc falsum esse docetur Act. 10.

8. Denique Clemens in suis Epistolis citat nonnulla *ex Evangelio & Epistolis Johannis*, quæ nondum extabant. Scripsit enim Johannes circa Annum 99. annis plus minùs 30. pòst mortuum Petrum.

Nostræ huic sententiæ præter ea, quæ in thesi præcedente generali adducta sunt, suffragatur,

1. Quòd quidam de autoritate hujus Epistolæ dubitant.

Petrus Comestor in Histor. Scholast. in Act. Apost. cap. 101. *Cùm Beda dicat, Jacobum septimo anno Neronis mortuum, palam est, non esse authenticum, quod legitur in Epistola Clementis, qui juxta tenorem illius Epistolæ dicit sibi mandatum à Petro, cui successit in Apostolatu, ut post ejus mortem Jacobo Epistolas destinaret, ut ab eo instrueretur. Sed cùm Jacobus Episcopus mortuus sit septimo anno Neronis, & Petrus vixerit usque ad 14. constat, hoc nihil esse.*

Nicolaus Cusanus Cardin. lib. 3. de Concord. Cathol. cap. 2. *Scribitur in Clementis Epistolis, quomodo Papa fuerit & Petri Successor, & post Petri mortem ad S. Jacobum has fingitur Scriptor misisse Epistolas, qui fuit frater Domini & Hierosolymorum Episcopus, qui tamen octo, ante Petrum, annos Martyrio vitam finierat.*

Eodem argumento Kaltheisen, Inquisitor hæreticæ pravitatis, autoritatem hujus Epistolæ labefactat, ut vidimus superius.

Johannes de Turrecremata in Summa de Ecclesia, lib. 2. cap. 101. *Ad illam objectionem, quæ dicitur esse B. Petri ad Clementem* (intelligit Epistolam primam Clementis ad Jacobum) *respondetur, quòd illa autoritas non militat contra conclusionem nostram, quoniam cum B. Jacobus multo tempore fuerit mortuus ante B. Petrum, scilicet ad minus octo annos, ut colligitur ex Chronicis, non videtur verisimile, quòd B. Clemens scripserat illam Epistolam post mortem B. Petri B. Jacobo.*

Johannes Driedo de Eccles. Script. lib. 1. cap. 2. parte 3. *Petrus crucifixus est anno post passionem Christi 37. ex quo consequens videtur, Epistolam, quæ inscribitur Clementis Pontificis Romanæ Ecclesiæ, quæ se indicat scriptam post Petri mortem ad Jacobum fratrem Domini, non esse reverà ipsius Clementis.*

Baronius An. 69. n. 43. *Epistola, quam in Latinũ vertit Ruffinus, falsò inscripta est nomine Clementis, ad Jacobum fratrem Domini, quamsi Clementis esse germanam dixerimus, ad Simeonem potius tunc Hierosolymorum Episcopum, eundemque fratrem Domini, quàm ad Jacobum, quem longè ante hæc tempora Martyrio functum vidi cognovimus, scripta fuit.*

Idem Ann. 102. n. 6. *Cùm tàm Hieronymi, quàm etiam Epiphanii, qui Clementis Epistolas probè norant, testimonio, cujusnam argumenti eæ fuerint, satis superque exploratum habeatur, diversi planè generis esse eas, quæ Clementis nomine habentur, nemo non videt, cùm in illis nulla sit de virginitate instituta narratio, quamobrem illas ab Epiphanio atque Hieronymo citatas magno Ecclesiæ damno periisse dolendum est. Sed & mirandum, quomodo acciderit potuerit, ut Encyclicæ illæ per totius orbis Ecclesias circumlatæ ac circumlectæ Epistolæ, quarum complura exscripta essent exemplaria, omnino perierint, & quæ ad certas personas missæ essent, manserint integræ & illibatæ, duæ nimirum illæ, quæ ad Jacobum datæ habentur, & quæ ad Julium & Julianum est scripta, ac demum quarta ad Hierosolymitanos missa, quæ autem reliqua est ad omnes Episcopos inscripta, æquè Encyclica dici potest, non tamen ex illis, in quibus de virginitate intexta tractatio erat:* (quarum meminerunt Epiphanius hæresi 30. & Hieron. lib. 1. contr. Jovinianum.) *Cujus autem fidei sint ac firmitatis quinque illæ, quæ ejusdem Clementis titulo notatæ habentur, in his non laboro, tu consule, tum quæ ab aliis, tum quæ à Francisco Turriano lib. 2. adv. Magdaburg. locupletius sunt disputata.* (Reipsa autoritatem & antiquitatem harum Epistolarum Baronius convellit, & tamen ad Turrianum pro Epistolarum harum autoritate strenuè pugnantem Lectorem remittit, quod est ex uno ore calidum & frigidum efflare.)

Antonius Possevinus in Apparatu sacro in verbo Clemens: *Fertur Clemens scripsisse duas Epistolas ad Jacobum fratrem Domini. Sed prior non potest esse Clementis. Nam ejus Epistolæ initio dicitur, Petrum esse mortuum, cùm tamen Hieronymus de viris illustribus dicat, Jacobum obiisse anno septimo Neronis & D. Petrum anno 14. ejusdem.*

Lambertus Gruterus in Clementinis, *demtâ Ecclesiæ autoritate & traditione antiqua*, dicit, *se velle vehementer ambigere de hac Epistola Clementina.*

Antonius Contius in annot. c. Beatus. c. 6. q. 1. ex eo, quod in hac Epistola fit mentio *Primatum*, colligit, *hanc Epistolam esse adulterinam & commentitiam.*

Severinus Binnius in notis ad 1. Epist. Clementis: *Cùm hæc Epistola scripta sit, ut in fronte & capite illius apparet, post obitum S. Petri, adeoque post 13. annum Neronis, ad Jacobum fratrem Domini scripta esse nequit, utpote, qui, teste Hieronymo de viris illustribus, septimo anno Neronis Hierosolymis occisus est, adeoque hæc Epistola vel non sit Clementis, vel potius ad Simeonem, qui etiam frater Domini fuit, scripta sit, & in titulum Epistolæ mendosè vox Jacobus irrepserit.*

Meritò igitur scribit Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothec. sanct. verbo Clemens. pag. 48. *De prima Epistola Clementis dubitatum est à multis, quia absurdum videretur, quod in ea scriptum est de Clemente, nimirum suscepisse illum à Petro Romam Episcopalem Sedem, ante quem constat Linum & Cletum Romanæ urbis fuisse Episcopos.*

2. Quòd in hac Epistola quædam occurrunt, quæ non possunt probari Pontificiis.

Sixtus Senensis d. l. *Johannes Patriarcha Antiochenus in lib. de potestate generalis Concilii supra Papam conatur ostendere, quod Romanus Pontifex, etiam extra causam schismatis & hæresis, ab universali Ecclesia possit deponi, allegans verba Clementis, qui in hac Epistola inducit Petrum ad se ita loquentem: Si enim mundanis curis fueris occupatus, & teipsum decipies & eos qui te audiunt. Non enim poteris ea, quæ ad salutẽ pertinent, plenius quibuscunq; distinguere, & ex eo fiet, ut tu, tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris. His verbis occurrens Johannes Turrecremensis Presbyter Cardinalis in secundo Ecclesiasticæ summæ volumine cap. 110. rejicit omnem prorsus Epistolæ hujus autoritatem, ut obscuram & dubiam, negans omninò fieri posse, ut Clemens Epistolam hanc post mortem Petri editam scripserit ad Jacobum fratrem Domini, quem Eusebius in Chronicis testatur, decem ferè annis ante obitum Petri occubuisse à Judæis lapidatum: addit quoque perperam haberi in hac Epistola verbum illud, deponaris, pro quo legendum sit, puniaris, ita tamen ut intelligas Pontificem non ab hominibus, sed à solo Deo puniendum.*

Legitur etiam in hac Epistola, S. Petrum ordinasse Clementem Successorem suum. *Audite me fratres*, inquit Petrus, *Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado; in quo adeò propositi tenax fuit Petrus, ut* cum

cum Clemens se ad Petri pedes projecisset, excusans se & declinans honorem cathedræ, S. Petrus respondisse dicitur, *pro hoc ne me rogaveris, hoc enim fieri statutum est mihi, & eò magis quod excusas*. Sed Platina lib. de vitis Pontificum, Onuphrius in Chronic. Genebrardus & alii statuunt, non Clementem, sed Linum Petro successisse.

Clementi in hac Epistola dicitur à Petro mandatum, *ut cunctas vitæ hujus occupationes abjiciat, & ut in nulla alia occupatione inveniatur mundialis negotii occasione perplexus, neque eum judicem, aut cognitorem secularium negotiorum à Christo ordinatum esse, ne, præfocatus præsentibus hominum curis, non possit verbo DEI vacare.*

(At pontifex Romanus & ipsius Episcopi negotiis secularibus toti sunt immersi.)

Clemens in hac Epistola dicitur *Jacobo transmisisse plurima descripta in libro, sub eo ipso titulo quem Petrus præcepit ei affigi, id est, Clementis Itinerarium*. Sed liber ille, qui Clementis Itinerarium dicitur, infamis est apud ipsos Pontificios.

Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ in verbo, *Clementis Hodæporicon, Itinerarium Clementis Athanasius in Synopsi, & Leo Papa in Epistola contra Nicetem scriptis Apocryphis annumerant, & Gelasius distinct. 15. inter libros recenset ab Ecclesia reprobatos &c. Hoc proximis annis S. Romanæ Inquisitionis Senatus in Indice damnatorum ab Ecclesia voluminum adscribi jussit.*

Severinus Binnius in notis ad vitam Clementis: *Inter alia Clementis volumina recensentur Circuitus Petri decem libris descripti, qui ab aliis interdum Itinerarium Clementis, ab aliis Recognitiones Clementis sunt appellati. Hi cùm insulsis fabulis sint referti, eorumq; usu Patres sibi temperaverint, Gelasius verò eosdem in Concilio Romano inter apocrypha rejecerit, omnes etiam prudentes consultò ab horum lectione abstinebunt.*

Exceptio Turriani libr. 2. pro Epist. pontif. cap. 13. *Jacobus ante Petrum mortuus fuit & tamen jussus est Clemens a Petro, ut de morte sua ad Jacobum scriberet. Refert enim Nicephorus lib. 4. cap. 43. Theodosium scripsisse ad Johannem Chrysostomum jam mortuum, ut transferretur Constantinopolin.*

Resp. 1. Bellarmin. lib. de Script. Eccles. p. 383. *non pauci errores in rebus Historicis inveniuntur in Nicephoro, ut ex Annalibus Baronii constat:* (ipse enim multis in locis eum, ut *fabulatorem aspernatur, rejicit, confutat*, ut observavit Casaubonus exerc. 1. ad Baron. cap. 12. p. 165.) Maldon. in Præfat. Luc. *Quantum Autor ille mereatur fidei, ab aliis æstimari malo, quàm à me dici, mihi semper audacior est visus.*

2. Si non est absurdum, quòd Clemens ad Jacobum jam mortuum scripserit, absurdum etiam non erit, quod *Elias jam mortuus ad Regem Joramum scripserit* 2 Paral. 21. v. 12. ex quo alias invocationem Sanctorum probant, (ostendemus autem suo loco hanc hypothesin esse falsam, ideo κατ᾽ ἄνθρωπον tantum hæc dicimus.)

Argumentum Turriani, Bellarmini, & aliorum. *Ruffinus Epistolam hanc interpretatus &, ac contradictionem illam, quod Clemens Petro dicatur in ea succedere, cùm alii Linum Petri Successorem faciant, conciliavit.*

Resp. 1. Baronius Ann. 102. n. 6. *Quod duæ ex Epistolis Clementis à Ruffino Aquileiensi translatæ dicantur, valde dubito. Nam Gennadius de vir. illustr. cap. 17. de Ruffino agens in cunctis à se è Græco editis versionibus præfationem præponere consuevisse testatur, adeò ut, quæ sine prologo reperiuntur esse translata, non Ruffini, sed alterius esse opus affirmet.*

2. Severinus Binnius in notis ad 1. Epist. Clement. *Quòd hæc prima & tertia sequens à Ruffino Aquileiensi translata dicantur, valde Baronius disputat. Nā Gennadius de Ruffino agens in cunctis à se è Græco editis versionibus præfationem præponere consuevisse testatur.*

Thesis specialis secunda. *Secunda Epistola Clementis est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothec. sanctæ tit. Clementis Epistolæ. p. 48. *De Clementis Epistolis quatuor (præter primam, de qua hactenus:) nihil est, quòd hic Lectorem admoneam, nisi quòd ex ea, quæ est ad Jacobum secunda, & ea, quæ ad Coepiscopos directa est, & ex ultima, quæ ad Hierosolymæ habitatores inscribitur, multa, de verbo ad verbum in Decretis Pontificum excerpta sunt &c. quod sanè antiquitatis harum Epistolarum non parvum indicium est.*

Citantur quædam ex hac Epistola c. Tribus gradib. de consecr. dist. 1. c. Altaris. de consecrat. distinct. 1. c. Nemo per. dist. ead. c. Si fortè. caus. 17. q. 14. c. Tales dist. 23. c. Sacerdotes caus. 2. q. 7. c. Ecclesias. caus. 10. q. 7. c. Ecclesias dist. 1. de consecrat. Insuper eandem citat Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 5. pro *asservatione Sacramenti*; Hosius in Confess. Petricov. cap. 53. pro *unctione Sacerdotum in Ordinatione*; Peresius de Tradition. part. 3. tit. de Cœlibatu, pro *cœlibatu Sacerdotum*; Alphonsus de Castro libr. 6. adversus hæreses verbo Exorcismus, pro *benedictionibus altaris & sacrarum vestium*.

Nostram sententiam demonstramus ex eo,

1. Quod Clemens etiam in hac Epistola scribit ad Jacobum. Atqui ostendimus superius, Jacobum mortuum fuisse ante Petrum, ac per conseq. etiam antequam Clemens Romanæ Ecclesiæ præesset, cum tamen in hac Epistola se *Romanæ Ecclesiæ Præsulem* appellet.

2. Quæ in hac Epistola continentur, non conveniunt statui Ecclesiæ illorum temporum. *Altaris*, inquit, *palla, cathedra, candelabrum & velum, si fuerint vetustate consumta, incendio dentur, quoniam non licet ea, quæ in sanctuario fuerint, malè tractari, sed incendio universa tradantur, cineres quoque eorum in Baptisterio inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Vestimenta altaris lavari jubet intra Ecclesiam, non extra eam, ne pulvisculus ex corpore Domini decidat.* Item, *De velis januarum curasit, ne quis negligens aut ignarus ad velum januæ domus Domini manus incenditè tergat, murium stercora inter fragmenta Dominicæ portionis non appareant, neque putrida per negligentiam remaneant Clericorum &c.*

(Ecquis verò credat, Clementem de talibus rebus futilibus ad Apostolum scripsisse?

3. In eadem Epistola Clemens sic loquitur: *Qualiter tenere debemus de Sacramentis, te ex ordine nos decet instruere*: (quæ omninò sunt ambigua, & intelligi possunt, quasi Clemens debeat Jacobum instruere, aut vice versâ Jacobus Clementem. At accipiuntur priore modo, quia Clementis dicitur Epistola, quâ vult Apostolum Jacobum docere. Absurdissimum vero est, Apostolum remittendum fuisse in Scholam Clementis, ut catechizaretur in doctrina de Sacramentis. Dicitur Clemens ille Pastorem Romanæ Ecclesiæ egisse circa Annum Christi 100. quo tempore Jacobus, si in vivis adhuc superstes fuisset, non minor 100. annis fuisset. Parùm igitur idoneus fuisset discipulus, tùm ob ætatem tantam, tùm quia ipse oculatus testis adfuerat Christo & aliis Apostolis, adeò ut non opus habuerit Clementis instructione.

4. Conclusio Epistolæ sic habet: *Hæc igitur, frater Jacobe, de ore S. Petri jubentis audivi, si quis præcepta hæc non integra custodierit, sit anathema usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi.* (Ecquis verò credat, Petrum tam gravem pœnam in rebus tam leviculis delinquentibus irrogari voluisse, vel tam jejunè de Coapostolo sensisse, ut de reb. tam minutis eum instruere necessarium judicaverit?)

Nostræ huic sententiæ suffragantur,

1. Quotquot Clementis Epistolas in genere pro Apocryphis habent, quorum testimonia adduximus in thesi generali.

Bellarminus de Scriptor. Eccles. p. 57. *Epistolæ quinque* (Clementis) *quæ nunc extant, non carent scrupulo. Nam constat, S. Jacobum, ad quem scribuntur duæ Epistolæ, obiisse multò ante S. Petrum, & tamen in iis significatur Jacobo mors S. Petri.*

2. Qui agnoscunt, non convenire Historiæ, quòd Clemens ad Jacobum post Petri mortem scripsisse dicitur, quorum testimonia adduximus in thesi speciali prima.

Thesis specialis tertia. *Clementis Epistola tertia est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Ex hac Epistola quædam in Jure Canonico citantur. c. Si autem vobis. caus. 11. q. 3. c. Audire Episcopum. dist. 5. c. Nullus Episcopus. dist. 38. c. Cunctis fidelibus. caus. 16. q. 1. c. Hic ergo. distinct. 1. de consecrat. Insuper eandem allegat Catechismus Romanus tit. de Bapt. Sacram. *pro quibusdam ritibus*, quibus Pontificii in Baptismo utuntur; Peresius de Tradition. part. 3. tit. de Sacrament. Ordinis, pro *unctione Episcoporum in ordinatione*; Stephanus Durantes de Ritibus Eccles. Cathol. lib. 2. cap. 6. ut probet, *Missas extra sacratas ædes non esse celebrandas*.

Nostram sententiam demonstramus ex eo,

1. Quòd alia etiam in hac Epistola continentur, quæ non congruunt Ecclesiæ illorum temporum, quibus Clemens vixit. Docet, *non licere Presbyteris in sua Parochia Missas agere absque jussu proprii Episcopi, nec baptizare, nec quicquam absque ejus permissu facere; prohibet, ne reliqui populi abscedant à sua Parochia*

absque ejus permissu vel in ea adventantes morari præsumant. (At parochiarum divisio nondum fuit nota primo seculo.)

2. Quod Autor scribit : *In aliis locis sacrificare & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus proprius Episcopus jusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecratus fuerit. Aliter enim hæc non sunt agenda, nec ritè celebranda, docente nos novo & vetere Testamento.* (At horum nihil in Vet. vel Nov. Testam. occurrit.)

3. Quod *neminem pro eo, quod ignoravit, judicatum iri* asserat, cùm Christus contrarium dicat, *servus ignorans voluntatem Domini vapulabit.*

4. Quod ejectionem Dæmoniorum tribuat Apostolorum meritis, cum Scriptura verbo Dei, fidei & nomini Christi eam vim adscribat.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam de omnibus Clementis Epistolis, adeoque etiam de hac tertia Epistola dubitant, ut superius vidimus.

2. Quod Parochiarum divisionem, cujus Clemens in hac Epistola meminit, primo seculo ignotam fuisse agnoscunt.

Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. cap. 9. *Dionysius Papa, qui vixit circa annum 261. parochias, quas dicunt, divisit.* (At Clemens longè ante Dionysium obiit, Anno Christi 102.)

3. Quod pleraque, quæ in hac Epistola leguntur, occurrunt in *libris Recognitionum Clementis*, ad quos Autor disertè provocat, his verbis: *De quibus & B. Petrus instructor & ordinator noster, & Princeps Apostolorum manifestè cunctos audientes instruebat, dicens: Videntur mihi, qui loquuntur verba veritatis, & qui illuminant animas hominum similes esse radiis Solis, qui ut processerint aut apparuerint mundo, celari ultra aut occultari nullatenus possunt, dum non jam videntur ab omnibus, quàm videre omnibus præstant;* ad quem locum Binnius in margine annotat: *Hæc B. Petri Apostoli verba habentur in lib. Recognitionum.*

Johannes Sichardus in argum. hujus Epistolæ: *Quæ in hac Epistola leguntur, hæc eadem leguntur sparsim in Recognitionum libris.*

Lambertus Gruterus Præfat. in oper. Clementis: *Quòd vir doctus Johannes Sichardus sensit, eam collectam esse ex Recognitionibus, idem & ego factum existimo.*

Franciscus Turrianus lib. 5 pro pontif. Epist. cap. 24. p. 651. *Tertia Epistola Clementis ex bona parte ex sermone B. Petri, qui est in libro quinto Recognit. composita est.* (At liber Recognitionum in Indice modernatorum ab Ecclesia voluminum ab Inquisitoribus rejectus est, ut vidimus superius.)

4. Quòd Joh. Sichardus l. d. scribit, *verisimile sibi videri, hanc Epistolam à Studioso aliquo Clementis conscriptam potius, quàm ab ipso Clemente.*

Thesis specialis quarta. *Clementis Epistola quarta est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Hæc Epistola citatur à Peresio de Traditionibus part. 3. tit. de sanct. Trad. f. 109. pro confirmanda *satisfactione*; ab Alphonso de Castro lib. 4. advers. hæreses: verbo, Confirmatio. & à Bellarmino lib. 2. de Confirm. cap. 3 pro astruenda *Confirmatione*; à Coloniensibus in Censur. Dial. 7. ubi vocant eam *Clementis*, *cujus à D. Paulo celebris fit mentio.*

Nostram sententiam confirmamus ex eo 1. quod in hac Epistola legitur, *Bonum est & puritati conveniens, etiam corpus aqua diluere &c. ubi ista, quæ de foris est purificatio carnis negligitur, certum est, neque de puritate mentis ac munditia cordis curam geri.* At hoc ad Pharisæorum superstitionem accedit, de qua Marc. 7. v. 3.

2. Quod ex ipsis simulachris intelligentiæ viam accipi posse asserit. *Si voluissetis*, inquit, *ex his ipsis inutilibus simulachris profectò accepissetis intelligentiæ viam. Certum est, quia per ferrum facta sunt simulachra, ferrum verò per ignem confectum est, qui ignis à quâ extinguitur, aqua autem per Spiritum movetur, Spiritus autem à Deo initium habet. Sic enim dixit Moses Propheta: Et Spiritus Dei ferebatur super aquam.* (At Moses non de creato aliquo Spiritu, sed de tertia Deitatis persona loquitur.)

3. Quod in hac Epistola occurrunt ἀνακόλουθα, quale cumprimis illud sub finem: *Sed & illa species castimoniæ observanda est, ut ne passim & libidinis solius causa cum fœminis coeat quis, sed posteritatis reparandæ gratiâ, quæ observantia, cum etiam in nonnullis pecudibus inveniatur, pudoris est, si non ab hominibus rationalibus & Deum colentibus observetur. Ergò omnes peccatores sunt & egent auxilio Dei.* (At quomodo hoc posterius cohæret cum priore?)

Nostræ sententiæ, præter generalia superius enumerata, in specie hic suffragatur, quod quidam agnoscunt, hanc Epistolam esse suppositițiam.

Carolus Bovius Præfat. in Constitut. Clement. in harum Epistolarum mentionem incidens scribit, *multa in iis translata ex Itinerario, quæ illarum autoritatem reddunt leviorem, in quibus unum de quotidiana lotione corporum, quasi ea ad mentis mundiciem pertineat, est omninò non ferendum. Ebionitæ enim, cum quotidianos Baptismos haberent, corruptis Clementis libris Petrum fecerunt Baptismorum illorum autorem.*

Bellarminus lib. 2. de Confirmat. cap. 7. edit. prim. Ann. 1586. verba faciens de quarta Epistola Clementis, eam *apud nonnullos dubiam, vel etiam suppositititiam esse agnoscit, & quod ad se attinet, fatetur non esse certum, an sit illius, cujus nomen præ se fert.*

Thesis specialis quinta. *Clementis Epistola quinta est Apocrypha & suppositititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex hac Epistola cap. Dilectissimis. caus. 12. q. 1. c. Relatum est. dist. 37. Eandem allegant Smythus de Cœlibatu cap. 2. Peresius de Tradition. part. 2. assert. 5. Stapletonus relect. princ. controv. 6. q. 6. concl. 3. ut probent, *oportere abeo intelligentiam disci Scripturarum, qui à majoribus sibi traditam servavit.* Quin & Peresius de Tradition. part. 3. tit. de sanct. Tradit. f. 88. asserere fuit ausus, neminem Catholicorum de quatuor postremis Epistolis Clementis dubitare. *Licet*, inquit, *nonnulli subdubitent de prima Clementis Epistola, de aliis tamen nemo unquam dubitavit.*

Nostram sententiam demonstramus ex eo,

1. Quod in hac Epistola communio rerum & uxorum introducitur, *Communia*, inquit, *debent esse amicorum omnia; in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges*, unde Christiani JCti ad libros Duareni de sacris Eccle. Minist. p. 66. sic annotant: *Si Epistolas Clementis esse putas, & doctrinam in illis Apostolicam tradi, jubeas ergò uxores esse communes, & hoc jus esse veteris Ecclesiæ doce. Nam id quoque in iis scriptum est*, quâ de re etiam superius egimus lib. 1. p. 2 cap. 2. n. 2.

2. Quod Autor se oculatum testem dicit Historiæ de Anania & Saphira, quæ in Actis legitur: *Omnes*, inquit, *qui domos vel agros possidebant, vendebant eos, & precia eorum, & reliquas res, quas habebant, offerebant, ponentes ante Apostolorum pedes, sicut nobiscum quidam vestrùm recognoverunt & viderunt: & dividebatur singulis prout cuique opus erat. Ananias autem vir austerus, & Saphira uxor ejus, qui mentiti sunt Apostolis de precio agrorum suorum, quos vendiderant, nobis præsentibus in conspectu omnium circumstantium à conspectu Apostolorum propter peccatum eorum, & mendacium, quod fecerunt, mortui delati sunt ambo.* At huic rei gestæ non potuit interesse Clemens. Refertur enim ad annum trigesimum quartum Christi, hoc est, primum post ejus mortem. Ac Clemens Petrum primùm vidisse dicitur in Recognitionibus annos plus minus septem ab eadem morte.

Nicephorus lib. 2. cap. 35. & alii testantur, Clementem à Petro sub Nerone demum conversum fuisse.

Huic nostræ sententiæ, præter ea quæ in genere superius adducta, suffragantur,

Marsilius Patavinus in Defensorio pacis part. 2. cap. 28. *Epistola, quæ intitulatur ad Jacobum fratrem Domini, valde suspecta est propter contenta in ea &c.*

Christianus Massæus in Chronic. lib. 9. pag. 114. post multas rationes, quibus hanc Epistolam non esse Clementis probat, sic concludit: *Est infelicis Nicolai aut alicujus Sectatorum ejus, quos inter primos hæreticos legimus.*

Bellarminus lib. 3 de Bonis Operibus in partic. cap. 11. *Initio Epistolæ fingitur Clemens Romanus Episcopus scribere fratribus habitantibus in Jerusalem cum Jacobo. At Jacobus obiit septem annis ante Petrum, & Clemens non fuit Romanus Episcopus nisi post Petrum, ut colligitur ex libro S. Hieronymi de viris illustribus, & ex omnibus Historicis, qui res Ecclesiæ conscripserunt. Deinde laudat fictitius iste Clemens communionem uxorum, quod Nicolai potius hæresiarchæ, quam S. Clementis dogma fuisse, extra controversiam est. Denique totus hic locus, de communione rerum & uxorum, translatus est in hanc Epistolam ex 10. libro Recognitionum, ubi ista secundum Philosophiam Platonis dicuntur à Faustiano Ethnico, & ab ipso S. Clemente refelluntur. Quis igitur credat, ea nunc à S. Clemente tradi Christianis, quæ ipse idem alibi ab Ethnicis disputata refuta-*

refutavit? Concludit igitur, *Epiſtolam hanc vel non eſſe Clementis, vel ab aliquo valdè corruptam ac depravatam.*

Theſis ſpecialis ſexta. *Anacleti Epiſtola prima eſt Apocrypha & ſuppoſititia.*

Antitheſis. Citantur quædam ex hac Epiſtola c. Beatus. cauſ.3.q.4.c.Scimus diſt.43.c.Nihil illo.diſt.83.c. Epiſcopus. diſtinct.1.de conſecrat.c.Ille procul dubio. diſtinct.93.c. Qui abſtulerit. cauſ.12.q.1.c.Qui Chriſti pecunias; ibidem. c.Qui rapit. cauſ.12.q.4.c.Unaquæque.cauſ.3.q.6.c. Omnis oppreſſus.cauſ.2.q.6.Eandem citant Pereſius de Tradit. part. 3.tit.de Tradit.Sacrament.fol.89.& alii, ut probent, *Epiſtolam primam Clementis ad Jacobum fratrem Domini eſſe genuinam*; Albertus Piggius lib.5.Hierarch. cap. 6. & Stapletonus relect.controv.3.q.7.concluſ.1.ut probent, *licere ex toto orbe appellare ad Sedem Romanam.* Bellarminus libr. 1. de Rom. Pontif. cap. 23. ut probet, *ſolum Petrum à Chriſto ordinatum fuiſſe Epiſcopum, reliquos verò Apoſtolos à Petro fuiſſe ordinatos.* Pereſius d.l.ſcribit: *Neminem in Eccleſia de hac Epiſtola dubitaſſe, eſſe eam ſcriptam ab Anacleto, qui Petrum vidit, & ab eo eſt Presbyter ordinatus.* Piggius d.l.ſcribit: *Nihil eſſe, quòd nunc quiſquam de illius fide dubitet, cum eam agnoverit ut ſuam univerſa Eccleſia Dei per mille abhinc annos.* Severinus Binnius tom. 1. Concil. in notis ad hanc Epiſtolam: *Anacletum duas Decretales Epiſtolas omni ſapientia plenas conſcripſiſſe vetuſtum quoddam exemplar Manuſcriptum libri Pontificalis teſtatur, quod ubi ſit, & unde acceptum fuerit, vide Turrianum* lib. 5. cap.20. contra Magdæb. Alphonſus de Caſtro, cum lib.6.adverſ. hæreſes, verbo Epiſcopus, teſtimonium quoddam ex Epiſtola Anacleti adduxiſſet, ſubjungit: *Hæc Anacletus Papa & Martyr, qui quartus à B.Petro Apoſtolo Eccleſiæ Catholicæ præſedit. Huic ſoli magis crediderim, quàm mille Wiclephitis, imò magis quàm Hieronymo & Auguſtino, aut cuivis alii recentiori, quantumlibet ſancto & docto. Nam præter vitæ ſanctitatem, quam Martyrium maximè commendat B. Apoſtolos vidit, & à B. Petro Apoſtolo Presbyter fuit ordinatus.* Idem lib.12. verbo Papa, adducit Anacletum pro aſtruendo *Pontificis Primatu.*

Noſtram ſententiam probamus, 1. Autor ejus Clementem anteceſſorem & prædeceſſorem ſuum nominat. Sed Anacletus potius fuit Clementis anteceſſor, teſte Ignatio in Epiſt.ad Mariam Caſſibolitam, Irenæo lib.3.cap.3. Tertulliano lib.3.carm.adv. Marcion. Euſebio lib. 3.Hiſt. cap.14. Epiphanio hæreſ.27.2.Multa in hac Epiſtola citantur ex Clementis Epiſt.1. At illa Clementis eſt ſuppoſititia. 3. Fictitius iſte Anacletus decernit, *ſi qua difficilis quæſtio oriretur, eam referri debere ad Sedem Romanam.* Atqui Anacletus mortuus eſt ſub Domitiano, quo tempore Johannes Apoſtolus adhuc erat in vivis. Ad Johannem igitur Apoſtolum potius difficilium quæſtionum deciſionem deferre debuiſſet. 4. Allegans quædam ex cap. 4. prioris Epiſtol. Petri & ex aliis Scripturæ locis, utitur vulgata translatione Latinâ, quæ tunc nondum extabat. 5. Citatur in hac Epiſtola totum caput tertium primæ Epiſtolæ Johannis verbatim nullâ intentione, ex quo apparet, autorem illius Epiſtolæ fuiſſe virum judicii non magni 6. Conſtitutio illa de Epiſcopi præſentibus Presbyteris ſacrificio non congruit iſti ſeculo. *Epiſcopus* inquit, *Deo ſacrificans teſtes ſecum habeat & plures, quàm alius Sacerdos. Sicut enim majoris honoris gradu fruitur, ſic majoris teſtimonii incremento indiget. In ſolennioribus quippè diebus aut ſeptem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & Subdiaconos atque reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis in fronte & à tergo. & Presbyteri è regione dextra, lævaque contrito corde & humiliato Spiritu, ac pronoſtent vultu, cuſtodientes eum à malevolis hominibus, & conſenſum ejus præbeant ſacrificio.* 7. Peregrina judicia ex Eccleſia ſubmovenda eſſe, probat ex Gen.19. *Leges*, inquit, *Eccleſiæ Apoſtolicâ firmamus autoritate, & peregrina judicia ſubmovemus. Unde & Dominus mentionem faciens Loth, per Moſen loquitur, dicens: Ingreſſus es quidem, inquiunt, ut advena, nunquid ut judices?* At verba hæc ſunt Sodomitarum, ex quibus thema iſtud probari nequit. 8. Mentio fit in hac Epiſtola *Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum &c.* quæ nomina primo Eccleſiæ ſeculo nondum fuere nota.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quòd Bellarminus lib.4.de notis Eccleſ.cap.8.§.1. ſcribit, *Epiphanium hæreſi 27. quæ eſt Carpocratis, enumerare ordine Pontifices Romanos.* Is verò nullius Anacleti poſt Clementem meminit. Et tamen Anacletus in hac Epiſtola Clementem aliquoties ſuum anteceſſorem vocat.

2. Quòd agnoſcunt, Clementis Epiſtolam primam eſſe ſuppoſititiam; quæ teſtimonia ſuperius theſi prima ſpeciali ſunt enumerata. Jam verò in Epiſtola Anacleti multa citantur ex 1.Epiſt. Clementis, cumprimis prolixa illa comparatio Eccleſiæ cum navi.

3. Quòd ſtatuunt, primam illam Epiſtolam Clementis, quam Anacletus toties adducit, eſſe è Græco converſam per Ruffinum. Petrus Crabb. in notis ad init. Epiſt. Clem. tom.1.Concil. Pereſius de traditionibus part. 3. Stapletonus in relect. controv.3. q.2. artic.2. concl. 3. Bellarminus lib.2. de Rom. Pontif.cap.14. At quomodo fieri potuit, ut Anacletus in primo ſeculo adducens Epiſtolam Clementis, uteretur iiſdem omninò verbis, quibus poſtea in verſione illius Epiſtolæ uſus eſt Ruffinus in quarto ſeculo? Si quis velit dicere, *Ruffinum transſcripſiſſe hanc particulam Anacleti in ſuam translationem*, reſpondet Turrianus lib 5.pro Epiſt. Pontif. cap. 24.p. 663. *hoc nec veriſimile eſſe, neque ab Interpretibus fieri ſolere.*

Theſis ſpecialis ſeptima. *Anacleti Epiſtola ſecunda eſt Apocrypha & ſuppoſititia.*

Antitheſis. Citantur quædam ex hac Epiſtola c. Ordinationes. diſt.64.c.Ordinationes Epiſcoporum diſt.75.c. Porro.diſt.66.c.Reliqui Sacerdotes.diſt.67.c. Accuſatio cauſ.2. q.7.c. Ejectionem.diſt.80.c.Si Sacerdos.cauſ.7.q.1. c. Porrò diſt.84.c.In Novo Teſtamento.diſt.21.c. Provinciæ.diſt.90. c.Sanè percuſſor.diſt. 45. Eandem citat Bellarminus lib.1. de Rom. Pont. c.23. ut probet, *Jacobum Apoſtolum fuiſſe ordinatum Epiſcopum Hieroſolymitanorum ab Apoſtolis & non à Chriſto immediatè.* Gregorius de Valentia in Analyſi lib. 2. cap.9. ut probet *Petri primatum.*

Noſtram ſententiam probamus, 1. In hac Epiſtola autor itidem mentionem facit Clementis, ut ſui prædeceſſoris, cum tamen Anacletus fuerit Clementis prædeceſſor, ut vidimus theſi præcedente. 2 Autor hujus Epiſtolæ dicit, ab *Apoſtolis electos eſſe LXX diſcipulos, de quibus Luc.*10. Sed ex illo ipſo loco manifeſte patet, Chriſtum ipſum, non Apoſtolos illos LXXII. diſcipulos elegiſſe. 3. In fine Epiſtolæ autorem Eccleſiaſtici vocat Prophetam, cùm tamen liber ille non ſit Propheticus, & in can.84. Apoſtolorum ex numero Canonicorum librorum removeatur. 4. Autor hujus Epiſtolæ dicit, quòd Jacobus cognominatus Juſtus, fuerit per Petrum, Jacobum & Johannem ordinatus Epiſcopus Hieroſolymitanus. Atqui idem Jacobus, qui ſtatuitur fuiſſe Epiſcopus Hieroſolymæ, eſt ille ipſe qui conjungitur Petro & Johanni, Gal.2. v.9. 5. Autor Epiſtolæ dicit, *Hæc ab antiquis, ab Apoſtolis, à ſanctis Patribus accepimus ſic Apoſtoli ſtatuerunt & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Sed quos vocat ſanctos Patres, cùm juxta Irenæum, Euſebium & alios antiquiores Anacletus ſit à Petro ſecundus, juxta recentiores tertius? 6. Ritus ordinationis, qui hac Epiſtola deſcribitur, de imponendis quatuor Evangeliis, & adhibendo oleo chriſmatis, nondum fuit iſto ſeculo uſitatus. 7. Quæ hæc συνέχεια, qua autor Epiſtolæ concludit: *Chriſtus ipſe ejecit vendentes & ementes è templo. Ergo Epiſcopi non ſunt ab hominibus, ſed à Deo judicandi?* Item. *Tu quis es, qui judicas ſervum alienum?* Item. *Dominus per Prophetam loquitur, Deus ultionum Dominus, Deus ultionem libere egit. Ergo Epiſcopi ab omnibus portandi, non lacerandi.* Item. *De talibus ſervorum ſuorum detractoribus & accuſatoribus ipſa veritas ait: Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinat, id eſt, in talibus non habitat Dominus, nec ipſi manent in eo.* Item. *Cùm nongentos & ampliùs annos ab Adam uſque ad Abraham vixiſſe homines legerimus, nullus alius prius appellatus eſt Presbyter, id eſt, Senior, niſi Abraham, qui multò paucioribus vixiſſe annis convincitur. Non ergò propter decrepitam ſenectutem, ſed propter ſapientiam Presbyteri nominantur.*

Noſtræ ſententiæ ſuffragantur,

1. Antonius Contius in annot. c. Provinciæ diſt.99. *Hæc Epiſtola*, inquit, *falsò affictæ eſt Anacleto, ut monui in præfatione.*

2. Quotquot autoritatem Epiſtolarum Decretalium in genere & Anacleti in ſpecie, in dubium vocant.

Theſis ſpecialis octava. *Anacleti Epiſtola tertia eſt Apocrypha & ſuppoſititia.*

Antitheſis. Citantur quædam ex ea c. Epiſcopi. diſt. 80. c.Sacro ſancta.diſt.22.c.Accuſatores.cauſ.3.q.5.c. Deteriores.cauſ.6.q.1.c. Sententia.cauſ.2.q.7.c. Jam Sacerdotes,

cauf.24.q.3 c. Si inimicus. dist.93. Eandem citat Bellarminus lib.2. de Roman. Pontif. cap.4. ut probet, *Petrum Romæ usque ad mortem Episcopum fuisse*; lib. ejusd. cap. 14. ut probet, *Romanum Pontificem Petro in Monarchia Ecclesiastica succedere*; Costerus in Apolog. part.2. pag. 48. pro stabiliendis Romanæ Ecclesiæ prærogativis. *Sunt verba* (inquit) *antiqui Pontificis & Sanctissimi Martyris, quem certum est ab ipso Petro Orthodoxam fidem & Catholicam doctrinam accepisse.* Et postea. *Viden' quid Beati Petri discipulus de Romana Ecclesia ab hinc fere mille quingentis annis scripserit? & tu hæretice ista rides & ridenda proponis? cur non sapis & superbum caput tuum tam antiquæ doctrinæ non submittis?* Severinus Binnius tom. 1. Concil. in not. ad hanc Epistol. pag. 105. *Hæc Epistola quòd trium Patriarchalium Sedium ordinem, ipsumque Patriarcharum nomen à Judæis & à gentibus usurpatum & ab iis cum multis aliis in Ecclesiam feliciter translatum contineat, novatoribus displicet.*

Alphonsus Mendoza in controverf. Theolog. q.4. pag. 299. *Ab initio nascentis Ecclesiæ fuit omnium fidelium sensus, Romano Episcopo Petri principatum fuisse relictum, quod recentissimi hæretici nunc temporis negant. Sed decretum Anacleti adversus eos præ aliis militat*, dist.22. c. *Sacrosancta. Fuit verò Anacletus tertius, aut quartus à B. Petro Roman. Episcopus, ut videas quam sit antiquum & vetustum in Ecclesia, quòd Rom. Episcopus Petri referat dignitatem.*

Nostram sententiam probamus, 1. Etiam in hac Epistola autor meminit Clementis, ut prædecessoris, qui tamen Anacleto fuit posterior. 2. Multa sunt in ea, quæ in Epistola prima Clementis ad verbum extant. 3. Legitur in hac Epistola, *à Domino concessum esse Petro, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus.* Atqui Cephas Syriacum nomen est, saxeum significans, non Græcum à κεφαλὴ descendens. 4. Dicitur in ea, *quòd Marco in sede Alexandrina successerit Abilius*, sed præcessit Anianus, quem demum secutus est Abilius. 5. Dicitur, quod *Petrus Ignatium crearit Antiochiæ Episcopum.* Sed inter Petrum & Ignatium Zacheus & Euodius intercesserunt. 6. Affirmat, nec *Christum, nec Apostolos plures instituisse ordines quàm duos, Episcoporum scilicet & Presbyterorum.* Sed in canonibus Apostolorum etiam mentio fit *Lectorum & Cantorum*, ideò aut illi canones non sunt Apostolorum, aut hæc Epistola non est Anacleti. Confer Marc. Anton. de Dom. lib.3. de Repub. Eccl. cap.2 n.2.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam omnes Anacleti Epistolas, ac proinde etiam hanc tertiam Apocryham & suppositititiam esse agnoscunt,

Nicol. Cusanus Cardin lib.2. de Concord. Cathol. cap.34. *Ego illas Anacleti Epistolas Apocryphas credo.*

Antonius Contius in annot. c. Beatus. cauf.6. q.1. *Multa sunt, quæ plane demonstrant, has Epistolas esse confictas.*

2. Quòd primam Clementis Epistolam quidam repudiant. Ex ea enim etiam in hac Epistola quædam citantur.

3. Quod statuunt, primam illam Epistolam Clementis, quam Anacletus adducit, esse ex Græco conversam, per Ruffinum, ut vidimus thesi speciali. 6. Atqui Anacletus primo seculo scribens non potuit in citatione Epistolæ Clementis uti illis verbis, quibus in versione illius Epistolæ postea usus est Ruffinus.

4. Quòd expositionem vocis Cephas per caput, quâ Anacletus utitur, repudiant.

Laurent. Valla in Declamat. de donat. Constant. *Cephas dicunt vocari Petrum, quia caput Apostolorum esset, tanquam hoc vocabulum sit Græcum ἀπὸ τῆς κεφαλῆς & non Hebraicum, seu potius Syriacum, quod Græci κηφᾶς scribunt, quod apud eos interpretatur Petrus, non caput.*

Johan. Ferus in cap.1. Joh. *Ridiculum est, quòd quidam volunt Cephas idem esse quod caput, cùm Johannes ipse dicat Cephas Syriacè idem significare quod Πετρός.*

Thesis specialis nona. *Euaristi Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & suppositititiæ.*

Antithesis. Euaristi Epistola prima citatur c. Diaconi. dist.93. c. Aliter. cauf.3. q.5. Secunda citatur c. Sicut vir. cauf.7. q.1. c. Audivimus. cauf.3. q.2. c. Non est. cauf.2. q.7. c. Si qui sunt. cauf. & quæst. ijsd. c. Sunt nonnulli. ibid. c. Deus omnipotens. cauf.2. q.1. c. Nullum. cauf.30. q.5.

Nostram sententiam probamus ex eo, 1. quòd pro ratione ac statu illorum temporum Episcopos Romanos sub specu subterraneo potius delituisse, quàm in sede Papali decreta fecisse certum est. 2. Mandat hic Euaristus, *quod nulla altaria nisi ex lapidibus consecrari debeant*, cum ad Augustini usque tempora & longe post altaria ex ligno, non ex lapidibus fieri consueverint. 3. Dicit in Epist. 2. *Ægyptios suos Episcopos pepulisse.* At eo loco res Christianorum tunc erant, ut ipsimet nusquam tuto versarentur ob immanem persecutorum crudelitatem. 4. Vult *suas literas per omnes Ecclesias Africanas legi*, ac dicit, *in Præfectorum literas adjunctas esse.* Epistol. 1. Sed Præfectis sub Trajano Ecclesiam atrocissimè persequentibus cum Episcopis Christianis nullatenus conveniebat. 5. Disputat Epist. 1. contra eos, *qui solum Patrem secluso Filio lucem inaccessibilem habitare* dicebant, quod non convenit primo Ecclesiæ seculo. 6. Epist. 2. barbarè sic loquitur, *Episcopi sunt obediendi & summopere venerandi, non detrahendi vel lacerandi, aut ejiciendi, sed potandi & amandi.* In eadem Epist. Episcopos vocat *Ecclesiæ sponsos*, quod non congruit exemplo Johannis Baptistæ, qui se amico Sponsi comparat Joh.3. v.29. nec Pauli, qui se paranympho confert 2. Cor.11. v.2. Soli verò Christo uterque dignitatem Sponsi relinquit. Probat, *non debere ab Episcopo suam Ecclesiam deseri, aut ab Ecclesia Episcopum dimitti, quia Christus dixit: Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Antonius Contius in notis ad c. Aliter. cauf. 30. q.5. *Omnia istius Euaristi decreta videri possunt suppositititia, ut dixi in præfatione.*

2. Quòd agnoscunt, Euaristum anno 3. Trajani, qui est Christi 112. Pontificatum ingressum. Severinus Binnius in notis ad Vitam Euaristi ex Pontificali Damasi tom. 1. Conc. p. 106. (At Trajanus gravissimam persecutionem contra Christianos movit, ut non sit verisimile, Euaristum decreta de rebus ejusmodi leviculis in sede Papali fecisse.)

3. Quòd in Epist. 1. Euaristus consensum parentum in nuptiis liberorum judicat esse necessarium, id quod Pontificiis non probatur. Bellarm. lib.1. de matrim. cap.20. & ex eo Binnius d. l. p.107. excipiunt, *ex honestate & pietate, non autem ex necessitate consensum illum ab Euaristo requiri.* Sed verba sunt manifesta. *Aliter præsumta, non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.* Unde Duarenus de nupt. cap. 2. Corasius lib.3. Miscel. c.17. Palæot. de spuriis cap.8. Andr. Pulvæus lib. de nupt. sine parent. consens. non contrah. n.43. agnoscunt, *in his verbis parentum consensum non solum de honestate, sed etiam de necessitate requiri.* Confer tract. de Matrim. cap.68.

4. Quòd Epistola 1. Clementis in his Epistolis citatur, quam suppositititiam esse quidam agnoscunt, quorum suffragia adduximus superius th.1.

Thesis specialis decima. *Alexandri 1. Epistolæ tres sunt Apocryphæ & suppositititiæ.*

Antithesis. 1. Citantur quædam ex Epist. 1. Alexandri c. Si quandoque. cauf.15. q.6. c. Relatum est. cauf.11. q.1. c. Hi qui Episcopos. c.3. q.1. c. Si quis. cauf.2. q.7. c. In Sacramentorum. dist.2. de consecrat. c. Nihil in sacrificiis. dist. ead. c. Aquam sale. dist. ead. Eandem citat Bellarminus lib.2. de Rom. Pont. cap.14. pro Monarchia Petri. l.4. de Euch. cap.10. pro mixtione aquæ & vini in Calice Eucharistico; lib. 3. de cult. sanctor. cap.7. pro aqua lustrali.

2. Ex secunda Epistola Alexandri citantur quædam c. Nulli dubium. cauf.3. q.1. c. Ipsi Sacerdotes. cauf.1. q.1. c. Si quis autem. dist.94.

3. Ex tertia Epistola Alexandri citantur quædam c. Summa iniquitas. cauf.6. q.1. c. Nulli dubium cauf.3. q.1.

Nostram sententiam (præter argumenta generalia, quòd loca V.T. citentur juxta translationem Hieronymi, quòd hæ Epistolæ non contineant consolationem vel doctrinam illi tempori convenientem &c.) probamus ex eo 1. Quòd prima & secunda Epistolæ dicuntur datæ *Trajano & Æliano Consulibus.* Sed Trajanus & Ælianus nunquam fuere simul Consules; Sed Trajanus & Africanus; Item Ælianus & Verus.

2. In prima Epistol. locus Pauli Heb.9. v.19. ad aquam lustralem detorquetur, ac loco verborum, *quantò magis sanguis Christi emundabit conscientiam ab operibus mortuis*, substituuntur hæc peregrina, *multò magis aqua sale conspersa, divinisque precibus*

precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. 3. In eadem Epistola tuse tractatur quæstio de Trinitate in Unitate, & Unitate in Trinitate, & profitetur Author *se à Patribus accepisse*, quæ ibidem ea de re tradit, Sed primis ducentis annis doctrina illa nondum tam distincte tradebatur. Quin imo quæ in hac Epistola de *Deitatis Unitate & Trinitate* alternatim disputantur, omnia ad verbum ex Idacii Clari libro contra Varimadum Arianum sunt desumta. 4. In secunda Epistola dictum Propheticum Os. 4. v. 8. *peccata populi mei comedunt*, in alienum detorquetur sensum, videlicet ad demonstrandam Sacerdotum dignitatem, quod precibus & oblationibus suis peccata populi deleant atque consumant. 5. In tertia Epistola multa insunt barbara. *Cavete vos fratres, ne participes efficiamini malitorum &c.* 6. Eadem data dicitur *Calend. Maji, Æliano & Vetere Consulibus*, sed Alexandri tempore nulli tales fuere Consules. 7. In eadem multa ex Mich. 2. & Nahum 1. sine judicio citantur.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Epistolas has Apocryphas esse agnoscunt. Azorius Instit. moral. t. 1. lib. 10. cap. 28. *Epistolas Alexandri I. non ita constantem & certam apud omnes autoritatem habere* asserit.

2. Quod in Epistol. 1. citatur Epistola Clementis ad Jacobum, quam suppositititiam esse quidam agnoscunt, ut vidimus thesi 1.

3. Quod Caranza, qui in Summas Decreta reduxit, ex secunda & tertia Epistola Alexandri nihil collegerit, eo ipso significans, nihil notatu dignum in illis contineri.

4. Quod agnoscere coguntur, *Trajanum & Ælianum* non fuisse simul Consules, quod tamen prima & secunda Epistola asserunt.

Inde Severinus Binnius pro Æliano substituit Julium Africanum tom. 1. Concil. p. 113.

Thesis specialis undecima. *Sixti I. Epistolæ duæ sunt Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Sixti citantur quædam à Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 8. ut probet, *librum Baruch esse Scripturam Canonicam.*

2. Ex secunda Epistola Sixti citantur quædam in c. In sancta Apostolica. dist. 1. de cõsecrat. c. Si quis vestrum. caus. 2. quæst. 6. c. Quilibet fratrum. caus. 8. q. 5. Eandem allegant Baronius Anno 142. num. 4. & Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 31. ut probent, *Sixtum universalis Ecclesiæ Episcopum appellari.*

Severinus Binnius tom. 1. Concilior. in notat. ad 1. Epistol. Sixti p. 116. *Sixtus duas Epistolas scripsit, quarũ postrema, qua Universalis Ecclesiæ Episcopus inscribitur, novatoribus summopere displicet.*

Nostram sententiam probamus, 1. Datæ dicuntur hæ Epistolæ *Hadriano & Vero Consulibus.* Sed Marianus Scotus & Haloander testantur, Hadrianum & Verum nunquam fuisse in illo officio simul conjunctos, sed cum Vero in illo officio præfuisse Servianum.

2. In prima Epistola *Salomonem* vocat *autorem Ecclesiastici*, cum tamen constet, *Iesum filium Sirach* ejus autorem esse.

3. In secunda Epistola Sixtus vocatur *Universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus.* Sed hic titulus usurpari cœpit demum post tempora Gregorii sub Bonifacio tertio An. Christi 607.

4. Statutum illud, quod *vasa sacra non ab aliis quam à sacratis Dominoque dicatis contrectanda sint hominibus, ne pro talibus præsumtionibus iratus Dominus plagam immittat hominibus*, non convenit illorum temporum statui.

5. Fictitius ille Sixtus sic loquitur: *Patrem igitur, ut superius comprehensum est, in divinis literis genitum proprie positum nec legere possunt penitus, nec probare &c.* Diceres, longam ea de re disputationem præcessisse, cum tamen ne verbum quidem.

Nostræ sententiæ suffragatur, præter ea quæ in thesi generali sunt adducta;

1. Quod Baronius & Binnius agnoscere coguntur, *Hadrianum & Verum* non fuisse simul Consules.

2. Quod in canone 84. Apostolor. tantum tres recenseantur libri Salomonis, *Proverbia, Ecclesiastes & Canticum.* Sed in hac 1. Epist. Sixti Salomon etiam Ecclesiastici autor statuitur.

Thesis specialis duodecima. *Telesphori Epistola est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex hac Epistola. c. Statuimus. dist. 4. c. Nocte sancta. de consecrat. dist. 1. c. Sacerdotes. caus. 6. q. 1. c. Accusatores. caus. 3. q. 5. c. Accusatori. caus. 3. q 9. Eandem citant Pisanus lib. de Abstinentia capit. 7. pro astruendo *jejunio quadragesimali.* Durantes de rit. Eccles. Cathol. lib. 2. cap. 1. n. 6.

Nostram sententiam probamus, 1. Telesphorus ordinat, *ne Missa dicatur ante horam diei tertiam.* Sed certum est, Christianos tunc habuisse antelucanos suos conventus. 2. Occurrunt in hac Epistola quædam ἀνακόλουθα. *Reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur.* Item. *Ab Episcopis Angelicus hymnus pro tempore & loco Missarum solenniis celebrandus est, atque solenniter recitandus. Ipsi enim, qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt obœdiendi atque audiendi.* 3. Citantur multa ex Psalmis sine intentione & connexione. 4. Dicitur data *Antonino & Marco Consulibus.* At hi nunquam simul fuere Consules, sed Antoninus & Præseus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Azorius tom. 1. Instit. moral. lib. 10. cap. 18. agnoscit, *hanc Epistolam esse unam ex illis, quæ non ita constantem & certam apud omnes autoritatem habent.*

2. Quod in canone 68. Apost. jejunii spacium circumscribitur 40. *diebus.* Sed in hac Epistola jejunia dicuntur servanda per *integras septem hebdomadas ante pascha.*

3. Quod agnoscunt, *Antonium & Marcum* non fuisse simul Consules. Vide not. ad hanc Epist. in edit. Conc. Petri Crabb.

Thesis specialis decima tertia. *Duæ Epistolæ Hygini sunt Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. 1. Citantur quædam ex prima Epistola Hygini. c. Salvo in omnibus. caus. 9. q. 3. c. Criminationes. caus. 2. q. 7. c. Peregrina. caus. 3. q. 6. Eandem citat Baronius Ann. 99. n. 10. ut probet, *Iohannis Epistolam primam titulo non caruisse, sed inscriptam ad Parthos, licet postea is titulus exciderit.*

2. Ex secunda Epistola Hygini quædam citantur. c. Alieni. caus. 3. q. 4.

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola Hyginus asserit, *Iohannis Epistolam scriptam esse ad Parthos*, cum tamen per totam Ecclesiam inscribatur *Catholica.* 2. Sunt in hac Epistola ἀνακόλουθα. *Qui in Patre manens ubique potentia sua consistit, ubi quo à Patre mitteretur, omnimodo non habuit, quoniam nulla pars cælorum ac terræ à conspectu Patris excipitur, ubi secundum vos à Patre Filius mitteretur? Et Paulus, renovamini, inquit, Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Et ad Hebræos. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus est, potens est & eis, qui tentantur auxiliari.* Quid aliud hæc sunt quam arena sine calce? 3. Titulus secundæ Epistolæ sic habet: *Hyginus Papa Atheniensibus salutem.* At nomen Papæ eo tempore nondum fuit Episcopis Romanis attributum, nec verisimile est, quod Græcus Græcis scribens Latina lingua uti voluerit. 4. In eadem Epist. sic scribit: *Apostolicæ sedis jussionibus inobœdientem suscipere non possumus.* At nec tum, nec unquam postea Græca Ecclesia obœdiens fuit facta Sedi Romanæ. 5. Dicuntur hæ Epistolæ datæ *Magno & Camerino* Consulibus. At hi nunquam fuere simul Consules, nec circa hæc tempora fit mentio Consulatus Magni.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Hyginus dicitur omnium primus instituisse gradus ordinum. At in can. 25. Apostol. jamdum mentio fit *Cantorum, Lectorum &c.* Severinus Binnius in notis ad vitam Hygini respondet, *hæc non aliter intelligi posse, quam quod Hyginus Hierarchiæ Ecclesiasticæ jam tempore Apostolorum à Christo Domino constitutæ, & à sanctis Patribus ipso antiquioribus comprobatæ, quædam duntaxat injuria temporum & scriptorum deperdita addiderit, vel eadem, quæ divino jure instituta & à Patribus comprobata sunt, hac constitutione illustraverit.* Sed verba Pontificalis sunt manifesta. *Hic Clerum composuit & distribuit gradus.*

2. Idipsum, quod Hyginus dicitur *gradus distribuisse*, pugnat cum Conc. Trident. sess. 23. c. 4. & can. 6. ubi jure divino Hierarchia Ecclesiastica ex Episcopis, Presbyteris & Diaconis constans, dicitur instituta.

3. Quod agnoscunt, *Magnum & Camerinum* non fuisse simul Consules. Notæ in hanc Epist. in tom. 1. Conc. ex edit. Petri Crabb.

Thesis specialis decima quarta. *Pii I. Epistolæ quatuor sunt Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Pii quædam citantur c. Nosse vos volumus. de consecrat. dist. 3. c. Quid enim prodest, dist. 82. c. Oves. caus. 6 q. 1. c. Si quis vero. caus. 3. q. 4. c. Nihil prodest, de pœnit. dist. 3. c. Nihil enim prodest, de consecrat. dist. 5. Citat eandem Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 14. pro *Pontificis Romani Monarchia.*

2. Ex secunda Epistola Pii quædam citantur. c. Prædia. caus. 12. q. 2. c. Sicut. caus. 17. q. 4. c. Si quis Sacerdotum. caus. 11. q. 1. Eandem citant Bellarminus d. l. pro *Pontificis Monarchia*, & Baronius An. 167. v. 3. ut probet, *Pium fecisse statutum, ne prædia divinis usibus tradita, humanis inserviant.*

Severinus Binnius tom. 1. Concil. p. 124. *Duas perbreves Epistolas Pii ad Iustum Viennensem Episcopum scriptas ex Viennensi archivo proditas ex tom. 1. Biblioth. sanctorum patrum Parisiens. edit. huc consultò transtulimus. Hasce germanas esse ac legitimas, cùm rerum argumentum & admirabilis quædam cum rebus gestis hujus temporis convenientia, tùm simplicissimus ille antiquitatis candor, cuivis facile persuadet.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 5. art. 16. Epistolam secundam Pii adducit, ut probet *religiosum cultum reliquiarum.* Alphonsus de Castro lib. 6. advers. hæreses, verbo Ecclesia, hæres. 4. adducit Epistolam Pii ad Italicos directam, ut probet, *Ecclesiastices divitias possidere posse.* Et addit: *Hunc Pium non possunt, ut trecentenarium, (quemadmodum facere solet Lutherus) rejicere, quoniam decimus à Petro summus Pontifex fuit.*

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola ordinat Pius, *quod populus non debeat accusare Episcopos, sed Episcopi sint remittendi judicio Dei*, cum tamen hoc tempore quilibet plebeius potuerit Episcopos Christianos ad Ethnicos Magistratus pro lubitu pertrahere. 2. In secunda Epistola dicit, *quod ille qui alienaret agros Ecclesiæ, reus fieret sacrilegii.* At in hac gravissimæ persecutionis tempestate Ecclesia non abundabat agris vel aliis possessionibus. 3. In eadem *caput sextum prioris ad Corinthios* allegatur integrum absq; ullo judicio aut intentione. 4. Magna pars hujus Epistolæ à verbo ad verbum descripta est ex *secunda Epistola Anacleti*, ut verisimile sit, utramque unum autorem habere. 5. Prima & secunda Epistola dicuntur datæ *Claro & Severo Consulibus.* At illi nunquam simul fuere Consules.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Bellarminus d. l. non audet affirmare, *eas esse indubitatas.*

2. Quod agnoscere coguntur, *Clarum & Severum* non fuisse simul Consules.

3. Quod *librum Hermæ*, sive Pastoris, quem prima Epistola Pii commendat, inter Apocrypha referendum esse agnoscunt.

Gelasius. c. Sancta Romana. dist. 15. *Liber, qui appellatur Pastoris, Apocryphus.* Bellarm. de Script. Eccles. p. 51. *Hic liber nunquam fuit in canone sanctorum & divinorum librorum; habet insuper aliqua noxia.*

Thesis specialis decima quinta. *Aniceti Epistola est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex ea. c. Archiepiscopus. dist. 66. c. Archiepiscopus. caus. 9. q. 3. c. Nulli. dist. 99. c. Si autem. caus. 4. q. 3. c. Prohibete. dist. 23.

Eandem citat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 14. pro *Monarchia Rom. Pont.*

Nostram sententiam probamus, 1. Anicetus ex 2. Epistol. Anacleti repetit, quod *Petrus, Iacobus & Iohannes fecerint Iacobum cognomento Iustum Episcopum Hierosolymitanum*, qua de re quid statuendum, vidimus superius. 2. Decernit, quod *Clerici in vertice radi debeant instar coronæ rotundæ.* At inter illas persecutiones & lanienas de rasura nemo cogitavit. 3. Decreta illa, quod *Episcopus consecrari non debeat à paucioribus quam à tribus, quod Archiepiscopus ordinari debeat ab omnibus suis Suffraganeis &c.* non conveniunt statui illorum temporum. 4. Dicitur Epistola data, cum *Gallicanus & Ruffinus* simul essent Consules. Sed Damasus conjungit Gallicanum & Verum simul, deinde Præseum & Ruffinum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Bellarminus lib. 2. de Monach. c. 40. ex Clemente Alexandrino, Optato Milevitano, Hieronymo & aliis multis concludit, *Aniceti Epistolam in qua rasuræ Clericalis fit mentio, non esse prorsus indubitatam, cum forte falsum titulum præ se ferat.*

2. Quod nec apud Baronium, nec apud alium reperiatur, *Gallicanum & Ruffinum* simul fuisse Consules.

Thesis specialis decima sexta. *Soteris Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. Ex Soteris Epistola secunda quædam citantur, c. Sacratas. dist. 23. Eandem citat Durantes de ritib. Eccles. Cathol. lib. 1. cap. 9. ut probet, *thurificationem ab ipsis Ecclesiæ primordiis institutam fuisse.*

Nostram sententiam probamus, 1. Conglomerantur in Epistola 1. aliquot Scripturæ dicta sine ulla connexione. 2. Secunda Epistola mentionem facit Monacharum, quæ istis temporibus nondum notæ. 3. Eadem dicitur data *Cethego & Claro* Consulibus. At hi non fuere simul Consules.

Nostræ sententiæ suffragatur, quod ex Baronio Ann. 175. constat, *Cethegum & Clarum* temporibus Soteris non fuisse simul Consules.

Thesis specialis decima septima. *Eleutherii Epistola est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex ea, c. Quamvis liceat. caus. 3. q. 6. c. Judicantem. caus. 30 q. 5. c. Induciæ. caus. 3. q. 3. c. Nihil contra. caus. 2. q. 1. c. Si quis Clericus. caus. 3. q. 6. c. Caveant. caus. 3 q. 9.

Nostram sententiam probamus, 1. Eleutherius, cum plurima *de primatu Ecclesiæ* dixisset, sub finem hæc adjicit: *Hujus rei gratia Universalis vobis* (Gallis) *à Christo Iesu commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* At hæc posteriora destruunt priora. Nam si Gallis commissa est Universalis Christi Ecclesia, quomodo Romanæ Ecclesiæ primatus competit? Excipit Binnius, sensum esse, *quod omnibus & singulis Ecclesiæ membris jure meritoque Universalis Ecclesiæ cura commissa, sicut quodlibet membrum corporis suo munere fungens pro toto corpore laborare dicitur.* At hac ratione tollitur fundamentum primatus, quod alias statuitur in illis veterum dictis, in quibus Universalem Ecclesiam Petro & successoribus ejus commissam asserunt. 2. Eleutherius dicit, *quod terrestria & humana doceant, quæ sint Ecclesiastica atque cœlestia.* At regnum Christi non est de hoc mundo.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Anton. Contius in notis ad. c. Judicantem. caus. 30. q. 5. Eleutherii Epistolam adulterinam esse probat ex fragmento in d. c. Judicantem. *Hæc enim*, inquit, *sunt verba Constantini Imperatoris in l. 1. C. Theodosian. de judiciis, quæ plus quam centum post Eleutherium annis sunt à Constantino rescripta, quæ illius Epistolæ fabricator suppresso nomine compilavit.*

2. Quod in princ. Epistol. Eleutherius sic scribit. *Necessarium judicavimus vos instruere, ut escas, quas vitare vos audivimus, irrationabiliter non respuatis. Scitis fratres, legislatorem docuisse, omnia quæ creavit Deus, erant valde bona. Et ipsa per se veritas ait: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore. Unde constat, non debere refutari escas communes, quas Deus ad cibos tribuit fidelibus suis.* At hæc non congruunt doctrinæ Papali de discrimine ciborum. Severinus Binnius excipit, hæc *opposita esse Priscillianistis & Montanistis.* Sed rationes, quæ adducuntur, sunt generales.

3. Quod Baronius Ann. 187. n. 1. & ex eo Severinus Binnius tom. 1. Conc. p. 130. agnoscunt, hanc Epistolam esse corruptam. *Epistolam hanc*, inquiunt, *corruptam & adulteratam esse, ea suspicio indicat, quod ea quæ de judiciis in ipsa scribuntur, ex constitutione Constantini & interpretatione ad eam apposita, quæ in Cod. Theod. l. 2. de Iudiciis extat, superaddita, exscripta & huc translata videntur.*

Thesis specialis decima octava. *Epistolæ duæ Victoris sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Victoris quædam citantur, c. Celebritatem, dist. 3. de consecrat. c. Accusatus. caus. 3. q. 6. c. Si quis. caus. 2. q. 6. Eandem citat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. c. 14. pro *Rom. Pontificis Monarchia* & l. ejusd. c. 31. ut probet, *Romanos Episcopos universalis Ecclesiæ Episcopos esse appellatos.*

2. Ex secunda Epistola Victoris quædam citantur, c. Perlatum est. dist. 90. Eandem citat Lindanus lib. 4. Panopl. c. 89. ut probet, *licere omnibus Episcopis ad Rom. Pontificem appellare.*

Nostram sententiam probamus, 1. Romanam Ecclesiam vocat *Universalem*, qui titulus usque ad Bonifacii tertii tempora fuit ignotus. 2. Mentionem facit *Primatum, Metropolitanorum & illorum Diœcesium.* Sed Dionysius, qui longe post secutus est, nempe Anno Christi 268. primùm introduxit distinctionem Diœcesium & Ecclesiarum. 3. In prima Epistola caput 50. & 51. Esaiæ; in secunda

Caput 24, ejusdem Prophetæ, fere integra citantur absque ullo judicio & scopo. 4. Eadem data dicitur *Commodo & Gravione Consulibus*. At hi nunquam fuere simul Consules. 5. Secunda Epistola præpostere incipit cum vocula *enim*. *Semper enim* (inquit) *in æterno consilio Dei*. An non præclare & oratorie. 6. Autor dicit Grammaticâ perquam invita, *perlatum esse ad Sedem Apostolicam, aliquos nocere fratres velle*.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod per totum tempus Victoris *Commodum & Gravionem* simul fuisse Consules apud Baronium non reperimus.

2. Quod Severinus Binnius corruptionem in prima Epistola agnoscit. Nam *Theophilus Alexandriæ Episcopus, ad quem prima Epistola scripta dicitur, non Victoris tempore, sed sub Arcadio vixit*.

Thesis specialis decima nona. *Duæ Epistolæ Zephyrini sunt Apocryphæ & suppositititia.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola quædam citantur c. Sicut stellas. dist. 38. c. Primates. caus. 2. q. 1. c Detractores. caus. 3. q. 4. c. Absens vero. caus. 3. q. 9. c. Duodecim. caus. 5. q. 4. c. Ad Romanam. caus. 2. q. 6. c. Sexaginta dist. 16.

2. Ex secunda Epistola quædam citantur c. Præceptum est. caus. 2. q. 2. c. Ordinationes. dist. 38.

Nostram sententiam probamus 1. Zephyrinus in prima Epistola sic scribit: *Patriarchæ vero vel primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quam Apostolica fulti autoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur testes, qui minori non sint numero quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum Apostolorum eligi præcepit, id est, septuaginta duo.* Sed Paulus 1. Tim. 5. v. 19 *duos vel tres testes sufficere* judicat, ac Evangelistæ testantur, Dominum non præcepisse Apostolis, ut eligerent 72. discipulos, sed ipsummet eos *elegisse*. Luc. 10. v. 1.

2. In eadem sic loquitur: *Ad sedem Apostolicam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis appellandum est & concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, autoritate defendantur, & à suis oppressoribus releventur.* Sed tales appellationes eo tempore nondum fuere usitatæ.

3. In secunda Epistola dicitur, quod *præcepta Impp. ac constitutiones legum prohibeant Episcopos ab Ecclesiis & propriis sedibus pelli*. At tempore Zephyrini Imperatores nondum erant Christiani.

Nostræ sententiæ suffragatur, 1. quod in prima Epistola Zephyrini non pauciores quam 72. testes in causa Episcopi requiruntur, cùm tamen in can. 74. Apost. *duo vel tres testes* dicantur sufficere. (At canones Apostolorũ recipiuntur à Pontificiis.)

2. Quod *septuaginta*, vel ut alii Codices legunt, *sexaginta* Apostolorum Canones numerantur, cum tamen Bellarminus tantum 50. veros Apostolorum canones agnoscat, ut vidimus superius, cap. 6.

3. Quod hæ Epistolæ dicuntur datæ *Saturnino & Gallicano Consulibus*, cum tamen temporibus Zephyrini apud Baronium non legantur fuisse simul Consules, unde Binnius pro Gallicano substituit *Gallum*.

Thesis specialis vigesima. *Calixti Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & suppositititiæ.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Calixti quædam citantur c. Jejunium. dist. 76. c. Non decet. dist. 12. c. Injustum. caus. 11. q. 3. Eandem citat Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in particul. cap. 19. pro jejunio quatuor temporum.

Severinus Binnius in notat. ad 1. Epist. *Romanam Ecclesiam matrem & caput esse omnium aliarum Ecclesiarum, evidens testimonium notatu dignissimum hic traditur.*

2. Ex secunda Epistola Calixti quædam citantur c. Justum est. caus. 23. q. 3. c. Conspiratores. caus. 3. q. 4. c. Excommunicatos. caus. 11. q. 3. c. Nullus alterius. caus. 9. q. 2. c. Nullus primas. caus. 9. q. 3. c. Sicut alterius. caus. 7. q. 1. c Conjunctiones. caus. 35. q. 2. c. Consanguineorum. caus. 3. q. 4 c. Quærendum. caus. 2. q. 7. c. Accusatorum. caus. 2. q. 8. c. Absente. caus. 3. q. 9. c. Testes per quamcunque. ibid. c. Consanguinei. caus. 3. q. 5. Eandem citat Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 11. pro asserenda *Canonica libri Tobiæ autoritate*; lib. 2. de Rom. Pont. cap. 14. pro *Monarchia Romani Pontificis*. Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæreses verbo Excommunicatio; ut probet, *excommunicationem esse timendam*.

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola Rom. Ecclesia vocatur *mater & caput omnium aliarum Ecclesiarum*. Sed ante Concilium Nicenum parvus respectus habebatur ad Ecclesiam Romanam, ac Hierosolymitana Ecclesia potius fuit reliquarum mater. Es. 2. v. 3. 2. In secunda Epistola refutatur, qui negat, *recipiendum esse iterum talem, qui lapsus erat*. At hic error Novati longe post Calixti tempora fuit ortus. 3. In eadem Epistola Calixtus sic loquitur: *Sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel judicari, aut disponi, nisi à proprio viro eo vivente permittitur, sic nec uxor Episcopi, quæ ejus Ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo vivente absque ejus judicio & voluntate alteri judicari, vel disponi, aut ejus concubitu frui, id est, ordinatione ullatenus conceditur.* (At Scriptura solum Christum Ecclesiæ *Sponsum* vocat.)

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Calixtus in prima Epistola ad tria jejunia, quæ antea erant usitata, quartum addit, ut Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 3. ejus sententiam exponit; vel jejunium quatuor temporum instituit, ut Polyd. Virgilius lib. 6. de invent. cap. 3. & Platina in vita Calixti ejus sententiam accipiunt. Contra vero Pontificii communiter statuunt, jejunium quatuor temporum ab ipsis Apostolis esse institutum. Severinus Binnius in not. ad 1. Ep *Jejunium quatuor temporum non à Callisto Pontifice, sed ab Apostolis institutum esse, præter Leonis testimonium, ipse quoque Callistus hac Epistola indicat, verbis hisce, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, affirmans jam ante sua tempora trium temporum jejunia in Ecclesia servari esse solita, à se vero quarti duntaxat temporis jejunium superadditum esse.* (At si Calixtus jejunium quarti temporis superaddidit, quomodo jejunium quatuor temporum ab ipsis Apostolis institutum?

2. Quod Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 14. scribit, *se non audere affirmare, indubitatam esse secundam Calixti Epistolam*.

3. Quod delecti viri, qui in Gratiano emendando Romæ operam navarunt, Calixti primi Epistolas rejecerunt, teste Antonio Augustino de emend. Gratiani lib. 2. Dial. 4.

4. Quod Duarenus lib. 5. de sacr. Eccles. minist. cap. 3. agnoscit, *translationem Episcoporum olim non fuisse penes solam Romanam Ecclesiam*, quod tamen Calixtus in 2. Epistola asserit: *Hodie*, inquit *Duarenus, non autem priscis temporibus unius Romani Pontificis arbitrio hæc transferendi facultas omnino commissa est.*

Thesis specialis vigesima prima. *Urbani Epistola est Apocrypha & suppositititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex Epistola Urbani, c. Scimus vos. caus. 11. q. 1. c. Videntes. caus. 12. q. 1. c. Res Ecclesiæ. ibid. c. Attendendum est. caus. 17 q. 4. c. Quibus Episcopi. caus. 11. q. 3. c. Omnes fideles de consecrat. dist. 5. Eandem citant Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses verbo, Confirmatio, & Bellarminus lib. 2. de Confirm. cap. 3. ut probent *Confirmationem esse Sacramentum*. Rursus eam allegat Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæres. verbo Episcopus, ut probet *Episcopum jure divino esse majorem Presbytero*, ibid. in verbo Episcopus, ut probet, *Ecclesiam habere potestatẽ excommunicandi*. lib. 13. in verbo Scriptura, hæresi 7. ut probet, *Iacobi Epistolam esse Canonicã*. lib. 14. in verbo Vota, pro astruendis *votis Monasticis*.

Nostram sententiam probamus, 1. Urbanus hic corrigit decretum Apostolorum Act. 4. *Videntes*, inquit, *Sacerdotes summi & alii, atque Levitæ & reliqui fideles plus utilitatis posse afferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quod ex sumtibus eorum tam præsentibus quam futuris temporibus plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex precio eorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere & ex sumtibus eorum vivere, ipsa vero res in ditione singularum parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant &c.* 2. Oblationes fidelium vocat *precia peccatorum*, cum unicum peccatorum precium sit Christi λύτρον. 3. De Sedibus Episcoporum sic loquitur: *Quod autem Sedes in Episcoporum Ecclesiis excelsè constitutæ & præparatæ inveniuntur, ut thronus, speculationem & potestatem judicandi & solvendi atque ligandi à Domino sibi datam materiam docent.* At in Concilio Antiocheno, in quo Samosatenus fuit damnatus, Patribus displicuit, *quod tribunal sibi in excelsioribus collocari in Ecclesia jussisset*. 4. Decretum Urbani, *quod omnia vasa sacra argentea esse debeant*, non congruit statui istorum temporum, uti nec illud in eadem Epistola: *Quod si quis fecerit*, id est, prædia Ecclesiæ averterit, *post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis utatur.* (Nam Urbanus sedem obtinuit Ann. 226. suffectus Callisto recens Martyri. Itaque sub Impp. Ethnicis & quidem vigente persecutione.) 5. In hac Epistola Urbani aliquot lineæ de Spiritu

Spiritu sancto totidem verbis extant in Epistola Melchiadis, ex quo constat, unum utriusque Epistolæ esse consarcinatorem. 6. tota Epistola constat ex male consutis & consarcinatis Scripturæ centonibus, ut aliæ non paucæ. 7. Data dicitur Epistola Urbani Nonis Septembris *Antonino & Alexandro Consulibus*. Hoc non congruit Chronologiæ. Nam Calixtus Urbani prædecessor, qui sex fere annis ante Urbanum fuit Episcopus, secundam suam Epistolam dedit ipsis idibus Octobris iisdem Consulibus; primam vero 11. Calend. Decembris eodem Anno. Si qua fides Baronio, Antoninus & Alexander triennio Consules fuerunt, antequam Urbanus Sedem obtineret.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Bellarminus lib. 2. de confirm. cap. 7. verba faciens de Epistolis Clementis, Melchiadis, Eusebii & hujus Urbani, agnoscit, *non esse certum, an sint illi harum Epistolarum autores, quorum nomina præ se ferunt.*

2. Quod temporibus Urbani apud Baronium non inveniuntur simul Consules fuisse *Antoninus & Alexander*.

3. Quod Urbanus Sacramentum Confirmationis instituit, quod tamen ab Apostolis administratum esse Pontificii communiter docent. *Omnes*, inquit, *fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plene Christiani inveniantur &c.*

4. Quod Baronius ne quidem meminit hujus Epistolæ in vita Urbani.

Thesis specialis vigesima secunda. *Duæ Epistolæ Pontiani sunt Apocryphæ & suppositititiæ.*

Antithesis. 1. Epistola prima Pontiani ad Felicem Succibronum citatur communiter à Pontificiis, ut probent, *Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficere.*

2. Ex secunda Epistola Pontiani quædam citantur, c. Suspectos. caus. 3. q. 5. c. Quærendum. caus. 2. q. 7.

Nostram sententiam probamus 1. Prima Epistola scatet barbarismis; laudantur in ea, *qui Sacerdotum causas portabant*; de Sacerdotibus dicitur, *quod si forte ceciderint, à fidelibus sint sublevandi & portandi.* 2. Epistola eadem sic finitur: *Christus Iesus Dominus noster æternam gloriam compenset, & B. Petrus Apostolorum Princeps, in quorum vos causis impenditis, ipsius gloriæ januam aperiat.* Atqui anile figmentum est, solum Petrum esse janitorem cœlestem, cum omnibus Ecclesiæ ministris datæ sint claves. Nec verisimile est, hunc sanctum Martyrem Christo adjunxisse Petrum, quasi vitæ æternæ patronum. 3. Idipsum adversatur stylo prædecessoris Clementis, is in secunda sua Epistola non dicit, Deus & sanctus Petrus, *sed Deus te incolumem custodiat.* Et Anacletus in fine primæ Epistolæ dicit: *Soli Deo Salvatori per Dominum Iesum gloria.* 4. In secunda Epistola sequitur autor corruptam versionem Latinam, *Pax hominibus bonæ voluntatis*; ex quibus verbis colligit, *non malæ voluntatis hominibus, sed bonæ pacem à Domino esse datam.* 5. In eadem Epistola 27. & 28. capita Ecclesiastici sine certa intentione citantur.

Nostræ sententiæ suffragantur, quæ in genere de Epistolis his decretalibus superius dicta.

Thesis specialis vigesima tertia. *Antheri Epistola est Apocrypha & suppositititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex hac Epistola c. Mutationes. caus. 7. q. 1. c. Facta subditorum. caus. 9. q. 3. c. Absit ut quicquam. caus. 11. q. 3. Eandem citat Stapletonus contra Hornum Episcopum Winton. lib. 4. f. 468. pro astruendo *Romani Pontificis primatu*; Turrianus lib. 4. pro Epist. Pont. cap. 14. ut fidem astruat quibusdam spuriis sermonibus, qui circumferuntur nomine *Eusebii Alexandrini Episcopi.* Alphonsus de castro lib. 6. adv. hæreses, verbo, Excommunicatio, ut probet, *Episcopis competere jus excommunicandi.*

Nostram sententiam probamus; 1. Mentio fit in hac Epistola *Eusebii Alexandrini* Episcopi, & Felicis Episcopi Ephesini. At circa tempora Antheri Papæ nullus fuit Episcopus Alexandrinus, cui nomen erat *Eusebius*, ut patet ex Nicephoro in Chronologia tom. 7. Biblioth. Patrum, ubi numerans Episcopos Alexandrinos usque ad Petrum, qui numero fuit quinquagesimus secundus & præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ ad Ann. 640. nullius tamen Eusebii meminit. 2. Multa habet Antherus de *inthronisatione Episcoporum*, quæ materia non congruit illorum temporum statui. 3. Caput 1. & 2. libri Sapientiæ, ac c. 5. Epist. ad Ephes. fere integra citantur absque judicio.

Nostræ sententiæ suffragantur, quæ de Epistolis Decretalibus in genere adduximus superius.

Thesis specialis vigesima quarta. *Tres Epistolæ Fabiani sunt Apocryphæ & suppositititiæ.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Fabiani quædam citantur c. Omnes. caus. 3. q. 4. c. Omnes illi. caus. 6. q. 1. c. Sicut Apostoli. caus. 11. q. 3. c. Si inimicus. distin. 63.

2. Ex secunda Epistola Fabiani quædam citantur c. Literis vestris. de consf. dist. 3. c. Significastis. caus. 1 q. 1. c. Suspectos caus. 3. q. 5. c. Sicut Sacerdotes. caus. 2. q. 7. c. Deus ergo. caus. 3. q. 1. c. Illi qui. caus. 6. q. 1. c. Episcopi. caus. 3. q. 1. c. Statuimus. caus. 11. q. 1. c. Qui omnipotentem. caus. 21. q. 3. Eandem Epistolam citat Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 6. ut probet, *esse aliquas veras traditiones*; Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses, verbo, Confirmatio. Bellarminus lib. de Confirmat. cap. 8. & Bailius in Catech. controv. tract. 3. q. 9. ut probent, *materiam Confirmationis esse oleum mixtum balsamo*; Anglo-Remenses in annotat. Actor. 8. v. 10. ut probent *chrisma* in Confirmatione.

3. Ex tertia Epistola Fabiani quædam citantur c. Si quis Episcoporum. caus. 3. q. 6. c. Si quis judicem. caus. 1. q. 6. c. Pulsatus. c. 3. q. 6. c. Qui crimen. ibid. Eandem citat Lindanus lib. 4. panopl. cap. 89. ut probet, *licere omnibus Episcopis ad Rom. Pontificem appellare.* Eodem fine & scopo eam citat Pamelius in annot. ad Cyprian. Epist. 55. ad Cornel.

Nostram sententiam probamus, 1. Prima Epistola Fabiani barbarismis scatet. Invenitur ibi *Diaconibus* pro Diaconis, *se nocentes* pro sibi nocentes. *Septem Sub-Diaconos ordinavimus, qui septem Notariis imminerent.* 2. In eadem dicitur *Novatus ex Africa supervenisse & separasse de Christi Ecclesia Novatianum &c.* At hæc post Fabiani tempora contigisse, Cyprianus lib. 1. Epist. 3. asserit. 3. In Epistola secunda dicitur, quod *Christus instituerit chrisma post ultimam cœnam.* De chrismatis consecratione præcipit, *vetus esse cremandum*, idque tam serio præcipit, ut addat: *Si quis his obviare tentaverit, omnem sibi per nos & per omnes recte intelligentes indulgentiæ aditum intelligat obseratum.* At in Evangelistarum Historia nullum hujus rei invenitur vestigium. 4. In eadem sæpe repetitur quod *Episcopi non sint lacerandi.* 5. In eadem Epistola dicitur, *Si à fide deviaverit Episcopus, erit corrigendus prius secrete à subditis &c.* Pro *aliis vero actibus suis magis est tolerandus ab ovibus & subditis suis, quam accusandus aut publice derogandus.* Atqui non solum ob pertinaciam erroris, sed etiam ob impietatem vitæ Episcopus ab officio removendus. 6. Quæ in tertia Epistola Fabiani extant à principio usque ad finem, ea fere omnia habentur in Epistola 3. Sixti 3. ad Orientales, exceptis paucis ab initio literis. Ac describuntur in ea cap. 27. & cap. 28. Ecclesiastici. 7. Data dicitur hæc Epistola *Aphricano & Decio Consulibus.* At illi nunquam simul fuere Cõsules Fabiani temporibus. 8. Cap. 27. & 28. Ecclesiastici fere integra sine judicio & scopo in ea citantur.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Baronius Ann. 238. n. 9. & 10. fatetur, *hanc Epistolam spuriam censeri, nisi in ea corrigantur, quæ de Novati ex Aphrica adventu in ea habentur, cum ex Eusebio & aliis constet, hoc demum tempore Cornelii esse facta.*

2. Quod Severinus Binnius Baronium, uti solet, secutus in annot. ad 1. Epist. Fabiani tom. 1. Conc. p. 148. sic scribit: *Hæc Epistola aliis spuria, nisi à quibusdam mendis & erroribus expurgetur, aliis non à Fabiano, sed potius à Cornelio scripta esse videtur, cum ea, quæ de adventu Novati ex Aphrica in ea habentur, non ante Cornelii Pontificis creationem contigisse, testimonio libri Pontificalis & Cypriani satis sit manifestum.* Et postea. *Tutius ac verius esse videtur, prædicta de Novato & Novatiano ab aliquo sciolo superaddita fuisse.* In margine notatur, *Hæc Epistola est corrupta.*

3. Quod Bellarminus lib. 2. de Confirmat. cap. 8. scribit, *nonnulli volunt, hanc Epistolam esse corruptam.*

4. Quod in secunda Epistola ovibus conceditur, *Pastorem in fide errantem reprehendere.* At Pontificii communiter negant, Pastorem, etiam in fide errantem, ab ovibus posse corrigi. Bellarmin. lib. 1. de Clericis cap. 28. *Absurdum est, ut ovis Pastorem suum quocunque modo judicare præsumat.*

5. Quod Possevinus in Apparatu sacro in verbo, *Fabianus*, Epistolam hanc secundam Fabiani *à quibusdam, velut apocrypham, rejici* asserit.

6. Quod in eadem Epistola secunda dicitur, *Episcopum in fide erran-*

errantem ab ovibus quidem reprehendi posse, sed pro aliis actibus suis magis tolerandum, quam accusandum. At hoc pugnat cum can. 42. Apostolorum, in quo tale extat decretum: *Si Presbyter additus sit ebriositati aut aleæ, deponendus & non propter solam hæresin.*

7. Quod Petrus Crabb. tom. 1. Conc. in margine Epistolæ tertiæ Fabiani agnoscit, *ea, quæ à principio hujus Epistolæ usque ad finem habentur, omnia fere haberi in Decretis Sixti 3.*

8. Quod ex Baronio constat, temporibus Fabiani *Aphricanum & Decium* non fuisse simul Consules, cum tamen tertia Epistola illis Consulibus dicatur data.

9. Quod Fabianus decrevisse dicitur, *ut quilibet tribus vicibus in anno communicet.* Hoc enim pugnat cum can 9. Apostol. *Communicare eos oportet toties, quoties in Ecclesiam intrant & audiunt Scripturam.*

Frustra igitur Alphonsus de Castro Luthero insultat. d. l. sic scribens: *Hunc autorem* (Fabianum) *Lutherus nec velut recentem, aut trecentenarium, ut solet, rejicere potest, quoniam ante mille & ferme trecentos annos sub Decio Imperatore Martyrio coronatus est.*

Thesis specialis vigesima quinta. *Cornelii Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. 1. Cornelii Epistolam primam citat Bellarminus lib. 1. de beatit. sanct. cap. 19. pro *invocatione sanctorum &c.* lib. 2. de Imaginibus cap. 3. pro *translatione reliquiarum.*

Eandem citat Jodocus Cocciustom. 1. Thesauri, lib. 1. art. 16. pro *religioso cultu reliquiarum.* Eandem *immerito de fide & autoritate taxari* scribit Binnius in not. ad 1. Epist, *cum probatæ fidei testem, Hieronymum, sit adepta.*

2. Ex secunda Epistola Cornelii quædam citantur, c. Sacramentum. caus. 2. q. 4. c. Nos sanctorum. caus. & quæst. iisd. c. Nos Sacramentum. ibid. c. Omnia quæ. caus. 3. q. 6. c. Sapiens non est, caus. 6. q. 1. Eandem citat Ivo lib. 4. decret. ut probet, *Sacerdotes debere appellare ad Sedem Apostolicam.*

Nostram sententiam probamus, 1. Si genuinæ Epistolæ Cornelii, quæ habentur apud Cyprianum Epist. 46. & 48. & Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. c. 42. cum hisce duabus conferantur, magna invenietur styli dissimilitudo, quæ evincit, has esse spurias. 2. Stylus est rudis & barbarus nec convenit tanto viro, quem Hieronymus dicit fuisse *eloquentem.* 3. Cyprianus ad Cornelium scribens utitur alia translatione, quam vulgata Latina. Sed Cornelius sequitur vulgatam translationem, quæ tunc nondum nota nec nata. 4. In prima Epistola sic legitur: *Rogo vos nobis congratulari, quia rogatu cujusdam devotæ fœminæ atque nobilissimæ matronæ Lucinæ levata sunt corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catatumbis. Et primo quidem B. Pauli corpus levatum silentio positum est in prædio prædictæ matronæ via Ostiensi ad latus, ubi decollatus est. Postea vero B. Apostolorum Principis Petri accepimus corpus & condecenter posuimus illud juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano palatii Neroniani &c.* At hoc non congruit Historiæ, quæ testatur, Petri corpus ante Cornelii tempora in Vaticano sepultum fuisse. 5. In secunda Epistola sub finem scribitur: *Sacramenta,* (id est, juramenta) *fieri prohibeas.* Et in præcedentibus dicitur: *Hæc frater carissime, ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare. Hæc Apostoli maxime omnes, hæc sancti viri prædecessores nostri, qui huic sanctæ Universali Ecclesiæ Apostolicæ præfuerunt ante nos, hæc Prophetæ & reliqui sancti doctores per universum mundum dispersi ad prædicandum, juramenta fieri vetant.* At Cornelius tale quid non scripsisset, quippe cui notum, juramenta à Magistratu imposita non esse recusanda. 6. Decrevisse dicitur Cornelius, *ut appellatio fieret ad Sedem Romanam.* Sed Martyr iste nec desiderium nec occasionẽ habuit primatus affectandi. 7. Secunda Epistola dicitur data *Maximo & Decio Consulibus.* At tempora Cornelii non habuere tales Consules.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Gregorius Magnus lib. 3. Epist. 30. ad Constantiam Augustam memorat, *paulo post tempus Apostolorum corpora Petri & Pauli à fidelibus è Catatumbis sublata fuisse, ac propriis locis restituta, in quibus usque ad suam ætatem fuerint reposita.* At hoc non congruit cum eo, quod in prima Epistola Cornelii dicitur, *corpora Apostolorum Petri & Pauli rogatu cujusdam fœminæ devotæ à Cornelio Papa è catatumbis sublata.* Nisi enim dixerimus, bis eadem corpora ad Catatumbas fuisse delata ac bis itidem locis propriis restituta, quod antiquorum neminem dixisse ipse Baronius Ann. 221. n. 5. agnoscit, non possunt ea, quæ in Cornelii Epistola leguntur, cum Gregorii assertione conciliari. In vita Anacleti, qui fuit Clementis successor, sic habetur: *Hic memoriam B. Petri construxit & composuit.* In vitis Euaristi, Sixti, Telesphori, Victoris & aliorum repetitur, *Sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano.* Si ergo corpus Petri primo sepultum fuit in Vaticano, falsum est, quod Cornelius demum illud aliunde cõ deferri curaverit.

2. Quod Severinus Binnius, tom. 1. Conc. p. 161. agnoscit, primam Cornelii Epistolam esse corruptam. *Quod hæc Epistola,* inquit, *corporum Petri & Pauli è Catatumbis translationem Cornelio tribuit, id ex libri Pontificalis erroribus in hanc Epistolam mendose irrepsisse, probabile esse videtur.*

3. Quod Baronius Ann. 221. n. 6. *hanc Epistolam non perinde exploratæ fidei esse* dicit.

4. Quod ex eodem Baronio An. 254. & 255. constat, temporibus Cornelii *Decium & Maximum* non fuisse simul Consules, cum tamen utraque Epistola *Decio & Maximo Consulibus* dicatur data.

5. Quod Episcopis in Epist. secunda prohibetur, *oblatum juramentum præstare,* cum tamen Covarruvias & alii Canonistæ in com. c. Sacramentũ hæc tenus. caus. 2. q. 4. agnoscant, *juramẽtũ ab Episcopis & aliis Clericis in certis casibus licite exigi & præstari.*

Thesis specialis vigesima sexta. *Lucii Epistola est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex Epistola Lucii. c. Jubemus de consecrat. dist. 1. c. Criminationis. caus. 2. q. 7. c. Nullus autem. caus. 3. q. 3. c. Sapiens non est. caus. 6. q. 1. c. Qui abstulerit. caus. 12. q. 1. c. Qui rapit. caus. 17. q. 4. c. Omnes raptores. caus. 17. q. 4. c. A recta. caus. 24. q. 1. Eandem citat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14. ut probet, *Romanum Pontificem succedere Petro in Monarchia Ecclesiastica.* Lib. 3. de verbo Dei cap. 5. ut probet, *Romanum Pontificem ex cathedra docentem non posse errare.* Lib. 4. de Rom. Pont. [illegible]ap. 3. ut probet, *in sede Petri nunquam inveniri posse, qui doceat contra fidem.*

Nostram sententiam probamus, 1. Dicitur in hac Epistola, *quod Romana Ecclesia sit mater omnium reliquarum.* At hoc Hierosolymitanæ melius congruit. 2. Magna pars illius Epistolæ ab eo loco, *Sed quicquid de comprovincialium Episcoporum causis &c.* ad istam usq; sententiam, *glorificetur Trinitas in secula,* desumta est à verbo ad verbum ex primo Decreto Calixti. Sed non est verisimile, quod doctus hic Episcopus, ad quem scribit Cyprianus, coactus fuerit emendicatis alterius sententiis uti. 3. Caput 10. & 11. Ecclesiastici fere integra in hac Epistola citantur sine ulla intentione. 3. Totus Psalmus 89. in hanc Epistolam translatus, excepto tantum versu primo, & quidem ita, ut afferatur scriptus adversus eos, qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant vel auferunt. 4 Lucius de dotibus Ecclesiæ tam solicitus fingitur, quasi jamdum amplissimas opes Ecclesiæ nomine tum temporis Episcopi possiderent, qui tamen præ hostium rabie seipsos vix possidebant. 5. Dicitur data *Gallo & Volusiano Consulibus:* At illi temporibus Lucii non fuere simul Consules. 6. Gratianus. c. Ministri dist. 81. tale decretum adscribit Lucio: *Si ministros altaris post ordinationẽ suam contigerit propriæ uxoris invadere cubile, sacrarii non intrent limina &c.* At decretum illud pugnat cum verbis Apostoli. 1. Cor. 7. v. 2.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Bellarminus lib. [illegible] de Rom. Pont. cap. 14. agnoscit, *hanc esse unam illarum Epistolarum, quas non audet indubitatas esse affirmare.*

2. Quod in hac Epistola sic legitur: *Væ nobis, qui ministerii hujus onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Iesu Christi, quam Apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, quam erogare nummulariis cogimur, id est, Christianos populos imbuere & docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonum ejus veritatem confundimur prædicare?* At Papa & Episcopi ab officio prædicandi hodie sibi temperant.

3 Quod ex Baronio Ann. 256. num. 1. constat, temporibus Lucii *Gallum & Volusianum* non fuisse simul Consules.

Thesis specialis vigesima septima. *Stephani Epistolæ duæ Apocryphæ sunt, & supposititiæ.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Stephani quædam citantur c. Infames. caus. 6. q. 1. c. Vestimenta. de consecrat, dist. 1. 2. Ex secunda Epistola Stephani quædam citantur c. Nullus Episcoporum. caus. 2. q. 2. c. Accusatores. caus. 3. q. 5. c. Nullus anathema. caus. 3. q. 4. c. Per scripta. caus. 2. q. 8. c. Urbes. dist. 80. c. Ultra provinciæ. caus. 3. q. 6. c. Neganda est. caus. 3. q. 1. c. Clericus qui Episcopum. caus. 3. q. 4. c. Quærendum est. caus. 2. q. 7. c. Accusatorum. caus. 1. q. 8.

Nostram sententiam probamus, 1. Mentionem facit

Prima-

Primatum, Archiepiscoporum, Metropolitanorũ, qui tituli tempore gravissimarum istarum persecutionum fuere ignoti. 2. Primates vult institui in illis locis, *ad quorum primates etiam gentiles pro majoribus negotiis appellabant*, ubi loquitur de politia Ethnicorum tanquam jam abrogata, ad cujus formam jubet Ecclesiasticam gubernationem dirigere. Sed temporibus Stephani politia Ethnicorum nondum fuit abrogata. 3. In prima Epistola totum fere caput 13. Ecclesiastici sine judicio adducitur. 4. In secunda Epistola ex Gen. 19. præpostere probatur, judicium non esse committendum extraneis. *Nullus alienigena*, inquit, *aut accusator Episcoporum fiat, aut judex. Unde & de Loth scriptum est; Ingressus es ut advena, nunquid ut judices?* 5. In eadem tale nectitur argumentum: *Episcopi sunt throni Dei, ideo non debent moveri, vel affligi, vel perturbari.* 6. In eadem sub finem dicitur. *Quæ res prohibita fuit tam lege Ecclesiastica, quam seculari,* videlicet quod *nulla accusatio debeat informari contra Episcopos, donec fuerint restituti.* Sed temporibus Stephani nullæ fuerunt leges seculares in favorem Christianorum Episcoporum factæ.

Nostræ sententiæ suffragatur, quod in Epist. 1. statuitur, *nullos admitti debere ad ordines, nisi sint corpore integri.* At in can. 76. Apost. contrarium statuitur, *Si alicui deficiat oculus, aut crus sit fractum, si alias dignus sit, propter ista Episcopus fieri poterit.*

Thesis specialis vigesima octava. *Sixti 2. Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Sixti quædam citantur c. Memor sum. caus. 24. q. 1. c. Omnes Episcopi. caus. 2. q. 6. c. Accusatus caus. 3. q. 6. c. Si quis putaverit, caus. 2. q. 6. Eandem citat Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 14. ut probet, *librum Ecclesiastici esse in canone*; ut & Lindanus lib. 4. panopl. cap. 89. ut probet, *licere omnibus Episcopis ad Romanum Pontificem appellare.*

2. Ex secunda Epistola Sixti quædam citantur c. Si quis contra Episcopum. caus. 2. q. 7. c. Fratres. caus. 9. q. 3. c. Accusatio. caus. 2. q. 7.

Nostram sententiam probamus. 1. In prima Epistola dicitur, ab Apostolorum autoritate appellationes ad Sedem Romanam descendere. *Cujus depositioni*, inquit, *majores causas Ecclesiasticas antiqua Apostolorum, eorumque successorum atque canonum reservavit autoritas.* Sed in scriptis Apostolicis nullum hujus rei occurrit vestigium, ac Cyprianus Epist. 3. contrarium docet. 2. In secunda Epistola mandat gubernatoribus gentilium *per autoritatem S. Petri*, ut restituant fratribus, quicquid per violentiam ab illis extorsissent. *Si non vultis*, inquit, *vos & Principes vestri à Collegio nostro separari*, ubi per separationem videtur intelligere excommunicationẽ. At quis credat, Sixtũ tàm vanas voces voluisse effundere contra gentiles, quibus ipse cum omnibus suis erat subjectus. (Quid curarent Ethnici excommunicationem sub autoritate Petri?) 3. Utraque Epistola dicitur data *Decio & Valeriano Consulibus.* At Decius & Valerianus nunquam simul fuere Consules, sed Valerianus & Gallienus, ut Stephani habet Epistola.

Nostræ sententiæ suffragatur, quod ex Baronio patet, temporibus Sixti *Decium & Valerianum* non fuisse simul Consules.

Thesis specialis vigesima nona. *Dionysii Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. Habentur & hæ inter Decretales Epistolas. Ex secunda Dionysii Epistola quædam citantur c. Ecclesias. caus. 13. q. 1. c. Nemini. caus. 15. q. 3. c. Alieni. caus. 3. q. 4.

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola de timore Domini dicitur: *Cum fidelibus in vulva concreatus est.* 2. In eadem ex Proverb. & Eccles. quædam sine judicio citantur.

Nostræ sententiæ suffragatur, quod distinctio parochiarum ante Dionysium facta. Decrevit enim Sixtus Dionysii prædecessor Epist. 1. *si quis injuria affectus esset à Metropolitano, debeat conqueri apud Diœceseos Primatem.* In canone 13. Apost. extat itidem decretum contra Presbyteros, qui *propriam relinquunt parochiam.* Quomodo ergo congruit, quod Dionysius iste Epist. 2. scribit, *Ecclesias vero singulas singulis Presbyteris dedimus, Parochias & cœmiteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus* ? *&c.* Severinus Binnius in not. ad 2. Epist. Dion. ex Baronio ann. 270. n. 17. monet, *Dionysium non primum introduxisse parochiarum & Diœcesium distinctionem, sed parochias tempore persecutionis confusas iterum divisisse, ac pro ratione distribuisse.* Atqui Dionysius nõ loquitur de distributionis renovatione, sed de prima distributione, ut verba ipsa testantur.

Thesis specialis trigesima. *Felicis Epistolæ tres sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis 1. Ex prima Epistola Felicis quædam citantur c. Detractores caus. 3. q. 4. c. Majorum quispiam. caus. 2. q. 7. c. Si quis Cleri. caus. 3. q. 6. c. Primates. caus. 2. q. 1. c. Irritam. caus. 11. q. 3.

2. Ex secunda Epistola Felicis quædam citantur. c. Si Episcopus. caus. 3. q. 2. c. Si ægrotans. caus. 5. q. 3. c. Si accusatorum caus. 3. q. 10. c. Infamis persona caus. 3. q. 7. c. Absente caus. 3. q. 9. c. Absens. ibid. c. Peregrina. caus. 3. q. 6. 3. Ex tertia Epistola quædam citantur c. A recta. caus. 24. q. 1. Eandem citat Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 5. ut probet, *Romanum Pontificem in cathedra docentem non posse errare.*

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola dicitur: *Si quis super quibuslibet criminibus Clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones, nec æstimet eum accusator alibi aut longius pertrahendum ad judicium. Illi vero, qui pulsatus fuerit, si judices suspectos habuerit, liceat appellare Primates. Primates quoque accusatum discutientes Episcopum non ante sententiam proferant damnationis, quam Apostolica freti autoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & Canonice examinatos regulariter testes convincatur.* At talis processus judiciorum, non competit statui istorum temporum. 2. In eadem Epistola caput 66. Esa. fere integrum sine intentione citatur. 3. Eadem Epistola dicitur data Nonis Junii *Claudio & Aureliano Consulibus.* At illi temporibus Felicis non fuere simul Consules. 4. In secunda Epistola refutatur error eorum, qui affirmabant, *Filium esse minorem Patre.* At hæc fuit Arii, qui temporibus Sylvestri demum exortus. 5. In eadem Epistola mentio fit *Concilii legitimi & Canonici, in quo causa Episcoporum discutienda.* Sed in gravissimis illis persecutionibus Concilia ordinaria non potuerunt haberi. 6. In tertia Epistola magna pars desumta est ex decretis Lucii, ex quo apparet, Epistolas & decreta illa unius autoris esse.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod ex Baronio constat, temporibus Felicis *Claudium & Aurelianum* non fuisse simul Consules, cum tamen prima Epistola istis Consulibus dicatur data; nec *Claudium & Paternum* temporibus Felicis fuisse simul Consules, cum tamen secunda & tertia Epistolæ istis Consulibus dicantur datæ.

2. Quod secunda Epistola data dicitur *quinto idus Augusti* Claudio & Paterno Consulibus, cum tamen Dionysius Felicis prædecessor secundam suam Epistolam dedisse dicatur *quinto idus Septembris* iisdem Consulibus.

Thesis specialis trigesima prima. *Duæ Epistolæ Eutychiani sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. Habentur & hæ Epistolæ inter Decretales. Ex secunda quædam citantur c. Non ita. caus. 2. q. 6. c. Quisquis ille est. caus. 1. q. 8. c. Nulli unquam. caus. 3. q. 4.

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola cap. 5. Ecclesiastici fere totum sine judicio citatur. 2. In secunda Epistola caput 1. Epist. ad Ephesios, caput 17. Johannis, & caput 4. primæ Epist. Johannis cum Ps. 33. fere integra sine judicio citantur. 3. In eadem Epistola extat talis constitutio: *Prohibemus, ut nullæ causæ à Iudicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ legibus prohibitæ esse noscuntur.* Atqui tempore Eutychiani nulla fuit adhuc distinctio secularium & Ecclesiasticarum causarum, sed Christiani propter religionem adducebantur ad judices temporales, ibidemque condemnabantur secularibus illorum legibus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod in prima Epistola talis extat constitutio. *Faba tantum & uva & cætera, quæ Apostoli constituerunt, super altare offerantur.* At in can. 3. Apostolorum contrarium statuitur, videlicet *quod Episcopus legumina super altare offerens deponendus sit.*

2. Quod prima Epistola data dicitur *Aureliano & Marcello Consulibus.* At Aurelianus & Marcellus temporibus Eutychiani non fuere simul Consules, unde Severinus Binnius pro Marcello substituit *Marcellinum.*

Thesis specialis trigesima secunda. *Gaji Epistola est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Citantur quædam ex Epistola Gaji c. Pagani. caus. 2. q. 7. c. Episcopus. caus. 3. q. 1. Eandem citat Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 28. ut probet, *Clericos non posse à judice seculari puniri.*

Nostram sententiam probamus, 1. Cajus decernit, *nemo Episco-*

Episcopum apud seculares judices accusare præsumat. At tempore illo persecutionum hoc fuit usitatissimum. 2. Mandat, *ut omnes difficiles quæstiones ex omnibus provinciis, quæcunque fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur.* At centum annis post Gajum Ann. 420. in Concilio Carthaginensi sexto contrarium fuit decretum. 3. Pleraque in hac Epistola extant verbatim in Epistola Leonis I. ad Palæstinos quæ est 81. & in altera ad Leonem Augustum quæ est 95. At hæ Epistolæ longe post Gaji tempora scriptæ.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Gajus docet, Christum secundum humanam Naturam exaltatum esse & dona vere divina accepisse. *Exaltationem* (inquit) *illam, qua Deus Christum exaltavit & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento &c. Humana humilitas est in gloriam divinæ potestatis evecta.* Contrarium communiter docent Pontificii.

2. Quod quædam in hac Epistola extant etiam in Epistola Agapeti ad Anthymum Constantinopolitanum Episcopum, quam spuriam esse censet Baronius Ann. 535.

3. Quod Surius & Binnius agnoscunt, *multa in hac Epistola descripta esse ex Leonis Epistola I.*

Thesis specialis trigesima tertia. *Marcellini Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. Habentur & hæ inter Decretales. Ex Epistola secunda Marcellini quædam citantur. c. Quæcunque. caus. 11. q. 1. c. Clericum. ibid. c. Laico. caus. 2. q. 7. c. Omne quod. caus. 35. q. 1. Eandem citat Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 28. ut probet, *Clericos non posse à judice seculari puniri.*

Nostram sententiam probamus, 1. Mixta est Epistola secunda Marcellini magna ex parte cum Epistola Pauli ad Ephesios. 2. Disputat Epist. prima *de consubstantialitate sive ὁμουσίᾳ personarum.* At hic loquendi modus ante Concilium Nicenum non fuit in Ecclesia usitatus. 3. Inter cætera sic scribit Epistol. 2. *Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti præsumere quicquam contra divinas leges.* At illo tempore non fuit Imperator, qui pietatem profiteretur, cum Diocletianus persecutor imperaret.

Nostræ sententiæ suffragatur, quod Baronius Ann. 296. n. 5. verba faciens de Marcellino, unius tantum meminit ab eo scriptæ Epistolæ, quæ est *ad Salomonem Episcopum.* De secunda ne verbulum quidem habet.

Thesis specialis trigesima quarta. *Marcelli Epistolæ duæ sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. 1. Ex prima Epistola Marcelli quædam citantur. c. Rogamus. caus. 24. q. 1. Eandem citat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12. ut probet, *Pontificem Romanum succedere Petro in Monarchia Ecclesiastica;* lib. 1. de Concil. cap. 12. ut probet, *ad Romanum Pontificem pertinere congregationem generalium Conciliorum;* Lindanus lib. 4. panopl. cap. 89. ut probet, *licere Episcopis appellare ad Romanum Pontificem.*

2. Ex secunda Epistola quædam citantur, c. Boni principio. dist. 96. c. Non oportet. caus. 3. q. 9. c. Eorum qui. caus. 11. q. 3. c. Synodum. dist. 17.

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola dicit Marcellus, *quod Petrus jubente Domino Sedem suam Antiochia Romam transtulerit.* Sed hujus rei nullum in Scriptura extat testimonium. 2. In eadem cap. 3. Jacobi, cap. 1. & 2. prioris Epist. Petri, & quidam versiculi capitis 4. ad Eph. sine judicio conglomerantur. 3. Dicitur data *Maxentio & Maximo Consulibus.* At illi, temporibus Marcelli, non fuere simul Consules. 4. In secunda Epistola scribit Marcellus ad Maxentium hoc modo: *Synodum absque hujus sanctæ Sedis autoritate convocare nequitis, quamvis aliquot Episcopos congregare poteritis.* At Maxentius persecutus est Christianos, tantum abest, ut Episcoporum congregationem institui curaverit. Ac si tale quid facere in animo habuisset, absque Marcelli consensu id effectum dare potuisset, quia Imperatores longe post Maxentii tempora potestatem habuerunt Synodos convocandi. 5. Decernit, *quod nullus Episcopus produci debeat ad judicem secularem. Magistratus,* inquit, *qui hoc innuere ausus est, amissione rerum plectatur.* Atqui Episcopi ad mortem trahendi non fuissent ausi sic scribere. 6. In eadem Epistola ad Maxentium persecutorem sic loquitur: *Hæc vobis, à quibus nimis infeste persequimur, scienda mandamus, ut ab his vobis caveatis.* Sed mandandi verbum in literis Episcoporum Romanorum ad Imperatores eo tempore plane erat insolitum & præposterum. 7. Erat Maxentius Ethnicus, infensissimusque Christianæ religionis hostis. Eum tamen Marcellus autoritate Episcopali increpat, & de caritate Christiana apud eum concionatur, non aliter ac Paulus apud sanctos. 8. A Clemente constitutum esse dicit, ne Laici, aut suspecti Episcopos accusent. At hanc Clementis constitutionem Ethnico Imperatori frustra inculcasset.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Marcelli Epistolam primam Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 14. numerat inter eas, *quas non audet affirmare esse indubitatas.*

2. Quod Baronius Ann. 308. num. 24. eumque, uti solet, secutus Binnius in not. ad secundam Epistolam Marcelli tom. 1. Conc. p. 235. agnoscunt, *secundam hanc Epistolam esse corruptam. Hanc Epistolam,* inquiunt, *additamentum aliquod extrinsecus accepisse, res scriptæ hic parùm sibi cohærentes indicant &c. Verba illa, Synodum ergo absque hujus sanctæ Sedis autoritate convocare nequitis, usq. ad hunc locum, Hæc vobis, à quibus nimis infeste persequimur, scienda mandamus, aliunde addita & subreptitia esse videntur, ideo quod hac de re ad Maxentium scribendi nulla ratio aut occasio fuerit.*

3. Quod Consulatuum *Maxentii & Maximi*, quibus Consulibus utraque Epistola dicitur data, circa illa tempora nullus meminit, præter Damasum in Pontificali, quem Baronius & Binnius aliquoties falsitatis accusant.

Thesis specialis trigesima quinta. *Eusebii Epistolæ tres sunt Apocryphæ & supposititiæ.*

Antithesis. 1. Ex Epistola prima Eusebii quædam citantur. c. De accusationibus. caus. 3. q. 5. c. Laicos. caus. 2. q. 7. c. Nos sequentes. caus. 6. q. 1. c. Illi qui. caus. 5. q. 5.

2. Ex Epistola secunda quædam citantur. c. In Scripturis. caus. 2. q. 2. c. Prius ergo. caus. 5. q. 2. c. Nullus Episcoporũ. caus. 2. q. 2. c. Redintegranda. caus. 3. q. 1. c. In antiquis. caus. 12. q. 7.

3. Ex tertia Epistola quædam citantur. c. Constituimus. caus. 3. q. 5. c. In Sede Apostolica. caus. 24. q. 1. c. Crucis Domini de consecrat. dist. 3. c. Manus quoque de consecrat. dist. 5. Eandem citant Lombardus lib. 4. sent. dist. 7. & Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses, verbo Confirmatio, ut probent, *nulli licere confirmare præterquam Episcopo;* Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 14. ut probet, *Romanum Pontificem succedere Petro in Monarchia Ecclesiastica;* & lib. 2. de Confirmat. cap. 3. ut probet, *Confirmationem esse Sacramentum.*

Nostram sententiam probamus, 1. In prima Epistola occurrunt barbarismi. *Non sunt credendi, qui aliorum crimina sponte confitentur. Replicanda solicite eorum veritas, quam sponte prolata in illis vox habere non potest, hanc diversis cruciatibus è latebris suis rigorosus tortor exigere debet.* 2. In eadem Caput 4. & 5. primæ Epist. Johannis fine necessitate fere integra conglomerantur. In eadem dicit fictitius ille Eusebius, *ab initio ad sua usque tempora observatum fuisse, ne à Laicis accusarentur Episcopi & suadet, accusationis veritatem diversis cruciatibus à rigoroso tortore exigi.* 3. In secunda Epistola post exordium ex 1. Epistol. ad Corinth. cap. 2. desumtum, subnectitur pars quinti capitis ac totum caput sextum ejusdem Epistolæ, ac interjectis paucis lineis cap. 19. & 20. Ecclesiastici fere integra nullo proposito recensentur, & rursus pars magna capitis 4. Epistol. ad Ephes. Autor ergo antiquum suum obtinet in Scripturis sine judicio congerendis. In eadem loquitur de *Synodis generalibus*, quæ tamen nullæ unquam tempore illius Eusebii coactæ fuerunt. In eadem habetur, *Synodalibus decretis, Regumque edictis statutum fuisse, ut Episcopis spoliatis omnia redintegrarentur*, recitatis edicti verbis, quasi ad id usque temporis aliqui fuissent Reges Christiani; imo vero *in legibus seculi cautum haberi, ut qui rem surripit alienam decuplum restituat*, quod tamen annotatio Compilatoris ad marginem negat esse in jure Romano, sed tantum in Lombardico, Scotico & Gallico. 4. In tertia Epistola Eusebius asserit, *quod crux suo tempore sit inventa. Crucis ergo Domini nostri Iesu Christi, quæ nuper nobis gubernacula sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenentibus quinto Nonas Maji inventa est, in prædicto Calendarum die Inventionis festum vobis solenniter celebrare mandamus.* At hoc non congruit Historiæ. Nam crux inventa est regnante Constantino, cum bello vicisset idololatricos Tyrannos Maxentium & Licinium post annum Christi 324. Sed Eusebius incepit Sedi Romanæ præesse Anno Christi 309. & sedit annos sex, sicque quindecim annis post denatum Eusebium crux inventa, quamvis alii Eusebium plane omittant. 5. In eadem Epistola dicitur: *In Sede Apostolica extra maculam semper est*

Catholica servata religio. Atqui Marcellinus Eusebii prædecessor idolis sacrificaverat. 6. In eadem Caput 14.15. & 16. Ecclesiastici; ut & cap.5. Epist. ad Ephes. fere integra sine judicio allegantur. 7. Tertia hæc Epistola dicitur data 8. Calend. Septemb. *Constantino Consule.* Secunda dicitur data 9. Calend. Octobris Constantino Consule. At Constantinus nunquam solus extitit Consul, & hac ratione tertia Epistola prius data fuisset quam prima.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod in secunda Epistola dicit Eusebius. *Oves, quæ pastori suo commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à recta fide deviaverit, debent.* At Pontificii communiter docent, *oves pastorem, etiam in fide errantem, non debere reprehendere.*

2. Quod de tertia Epistola Bellarm. lib.2. de Confirm. cap. 7. scribit, *non est certum, hanc Epistolam esse Eusebii.*

3. Quod ea, quæ in hac Epistola de crucis inventione habentur, Pontificiis non probantur.

Baronius Ann.326 n.42. memorat, *ab antiquis omnibus Græcis autoribus Anno 326. qui fuit à Concilio Niceno proximus, Crucis inventionem poni.* At Eusebius ante Nicenam Synodum Romanæ Sedi præfuit. Binnius in notis ad hanc Epistolam tom. 1. Conc p.253. in margine scribit: *Hoc est contra consensum omnium Historicorum, aliunde igitur huic loco assutum est.* Et postea in annot. *Crucem Domini tempore Eusebii Papæ non fuisse inventam, ideoque ea, quæ hoc loco Epistolæ huic adduntur, ut ait Surius in notis marginalibus, surreptitia esse, & extrinsecus addita fuisse, certissima conjectura statuere licet. Nam teste Eusebio lib.3 cap.46. constat, Helenam post Constantinum Christianam religionem amplexatam esse. Si igitur hoc tempore Eusebii Papæ Constantinus necdum Christianus fuerit, quomodo Helena Deorum adhuc cultrix inveniendæ crucis Christi adeo studiosa fuisse potuit? Accedit quod communis Patrum & Historicorum sententia affirmet, post Nicenum Concilium ab Helena octogenaria in somnis divinitus admonita, à Judæis antiquissimis, Christianis adjutoribus, consultoribus & Indicibus instructa, magno gaudio quærentium 14. Sept. crucem Domini repertam miraculose à latronum crucibus discretam esse &c.*

Gretserus lib.1. de cruce cap.55. *Ex Epistola decretali ipsius Eusebii Papæ translatus est canon de crucis inventione & festivitate in Decretum Gratiani. Sed quis hæc & similia non videt esse spuria ac supposititia?*

4. Quod Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus de emendat. Gratiani lib.1. cap.26. profitetur, *sibi non placere, quod in Epistola eadem Calendarum appellatione dies etiam 5. Nonas Maji veniat.*

Thesis specialis trigesima sexta. *Melchiadis Epistola est Apocrypha & supposititia.*

Antithesis. Ex Melchiadis Epistola quædam citantur. c. Spiritus sanctus. de consecrat. dist.5. Eandem citat Bellarminus libr.2. de Roman. Pontifice, cap.14. ut probet *Pontificis Romani Monarchiam*;

Alphonsus de Castro lib.4. adv. hæres. verbo Confirmatio, Bellarminus lib.2. de confirm. cap.3. Bailius in Catech. controv. tract.3. q.9. eam citant ut probent, *Confirmationem esse Sacramentum.*

Nostram sententiam probamus, 1. Præfertur in hac Epistola Sacramentum Confirmationis Baptismo. *De his, inquit, super quibus rogitastis vos informari, id est, utrum majus esset Sacramentum, manus impositio Episcoporum, aut Baptismus, scitote, utrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut unum à majoribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & majori veneratione venerandum & tenendum est.* At verus Melchiades hoc non scripsisset. 2. Psalmus 36. Caput 2. & 3. ad Colossenses sine judicio fere integra citantur. 3. Data dicitur hæc Epistola *Volusiano & Ruffino Consulibus.* Sed Volusianus & Ruffinus unum tantum fecere Consulem, quia unus idemque Consul dictus fuit Volusianus Ruffinus, qui Collegam habuit Annianum, si Gregorio Haloandro, qui Romanos Consules exactissime indagavit & descripsit, fidem habemus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Bellarminus lib.2. de Roman. Pontif. cap.14. fatetur, *hanc Epistolam esse ex numero earum, quas non audet affirmare esse indubitatas.*

2. Quod ex Baronio constat An.311. n.43. *Ruffinum & Volusianum* temporibus Melchiadis non fuisse simul Consules.

3. Quod ea, quæ sub nomine Melchiadis à Gratiano citantur, à quibusdam Pontificiis repudiantur.

Baronius Ann.312. n.80. *Non innitimur iis, quæ Isidorus Collector sub nomine Melchiadis Papæ perperam collocavit in ea Epistola, cujus, quod magis credimus, ipse autor extitit, cui præter mentionem habitam de Concilio attexuit canonem 3. Concilii Chalcedonensis, & nonnulla ex Epistola Gregorii Papæ.* Ubi per Epistolam Baronius intelligit tractatum, cujus titulus, *De primitiva Ecclesia & Synodo Nicena,* qui à Gratiano. c. Futuram. caus.12. q.1. sub nomine Melchiadis citatur.

Censores Gregoriani, *Collectores Melchiadem citant authorem. c. Futurum. caus.12. q.1. quod constare non posse recte animadvertit author glossæ. Fit enim in hoc capite mentio Nicenæ Synodi, quo tempore, ut ex ipsa Synodo, Eusebio & cæteris Historicis apparet, jam Melchiades obierat.*

CAPUT X.

De Conciliis.

Inter principia disputandi, quibus Pontificii in articulis controversis suam stabilire, nostram vero evertere satagunt confessionem, locum non postremum obtinent *decreta Conciliorum,* si à Romano Pontifice sint confirmata. Esto igitur

Thesis. *Decreta Conciliorum, etiamsi à Romano Pontifice sint confirmata, non sunt absolutæ infallibilitatis & autoritatis, sed de illis judicandum est ex Scriptura sacra.*

Ἔκθεσις. 1. *Non vilipendimus autoritatem Conciliorum, nec Ecclesiastica judicia subterfugimus,* ut Bellarminus in præfat. libr. de Concil. nos accusat, sed Conciliorum in Ecclesia autoritatem non mediocrem esse statuimus. Concilia enim Christiana ac vera nihil aliud sunt, quam legitimi ac liberi piorum, doctorumque hominum conventus, in quibus judicio Scripturæ adhibito, collatisque inter se & examinatis rationum momentis, aut de articulis fidei controversis, aut de Ceremoniis & ritibus, sive disciplina etiam Ecclesiastica unanimi omnium consensu certi aliquid concluditur ac decernitur, veritatis stabiliendæ & tranquillitatis Ecclesiasticæ firmandæ causa, ac omnis ἑτεροδιδασκαλία damnatur & ὀρθοδοξία confirmatur. Jam vero de ejusmodi conventibus Ecclesiasticis extat promissio Christi Matth.18. v.20. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio ipsorũ sum.* 2. Quamvis igitur absolutam infallibilitatem Conciliis derogemus, nequaquam tamen omnem eorum autoritatẽ tollimus ac labefactamus, sed cum Augustino dicimus Epistol.118. *Conciliorum in Ecclesia Dei saluberrimam autoritatem esse.* Interim illud Hieronymi addimus in comm. Epistol. ad Gal. *Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis est prodita, contra quam si quid statuant Concilia, nefas ducimus.* Itemque illud Athanasii in lib. de Synodis Arimin. & Seleuc. p.673. *Scriptura est omnibus Synodis potentior.* 3. Cum Concilia sint duplicia vel *legitima,* vel *illegitima*; Illa vel sint *Prophetica & Apostolica,* vel *Ecclesiastica,* ab aliis Ecclesiæ Doctoribus instituta, eademque vel *oecumenica,* vel μερικά; de solis & omnibus Ecclesiasticis Conciliis, tum oecumenicis sive generalibus, tum particularibus in thesi loquimur; Prophetica vero & Apostolica Concilia Canonica, adeoque absolutæ infallibilitatis esse, non negamus. 4. Confirmationem Papæ absolutam infallibilitatem Conciliis posse conciliare, negamus, proinde à Conciliis, quæ errare possunt, non excipimus ea, quæ sunt à Pontifice confirmata.

Antithesis. 1. c. In Canonicis dist.19. *Decretales Epistolæ inter Canonicas Scripturas numerantur* (ut habet ἐπιγραφή) in præfat. dist.21. *Conciliorum canones ejusdem autoritatis cum Epistolis Decretalibus statuuntur.* Verba sic habent. *Decretis Romanorum Pontificum & sacris canonibus Conciliorum Ecclesiastica negotia terminantur.* (Conclusio sponte emergit. Ergo canones Conciliorum inter Canonicas Scripturas connumerantur.)

Alphonsus de Castro lib.4. adversus hæreses verbo Concilium. *Omnibus hæreticis semper fuit & huc usque proprium est, Conciliorum autoritati detrahere, eamque pro viribus imminuere &c. Postremus omnium* (hæreticorum) *Lutherus, cum à principio prædicationis suorum errorum Concilium appellasset, timens postea, ne forte Concilio congregato venenosa sua dogmata damnarentur, addidit hoc aliud venenum, dicens, Concilium generale, quantumlibet probe, ut decet, congregatum, posse in fide & moribus errare, & Concilium Constantiense errasse in condemnatione Iohannis Hussi. Adversus ergo horum omnium hæreticorum dementiam probandum est, Concilium generale recte congregatum non posse errare in fide.* Lib.1. adversus hæreses cap.2. *Conciliorum omnium probe congregatorum decreta firmissimam habent autoritatem, quibus nemini licet repugnare.* Et postea: *Concilium, quod Papæ autoritate & consensu recte congre-*

congregatum est, non posse in fide errare, ab omnibus veris Christianis firmissimum huc usque creditum est.

Thomas Bozius lib. 5. de notis Eccles. cap. 7. *Concilia repræsentant ipsum Deum, qui infallibilis est, ac proinde Concilia errare non possunt.* Eccius in Enchirid. cap. 2. Hosius in Confess. Petricov. cap. 24. Tapperus art. 1. Lovaniensi p. 5. *Concilia repræsentant Ecclesiam Catholicam, quæ errare non potest. Ergo etiam ipsa errare non possunt*, Petrus à Soto in assert. Cathol. cap. de Conc. *Concilia Spiritus sancti Magisterium præsentissimum habent.* Melchior Canus lib. 5. Locorum cap. 4 *Concilium generale à Roman. Pontifice congregatum & confirmatum certam fidem facit dogmatum Catholicorum, & contrarium tenere est hæreticum.* ibid. *Concilia provincialia, quæ à Papa confirmantur, errare non possunt, reliqua autem possunt.* Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. §. 2. *Fide Catholica tenendum est, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide, nec in moribus.* Lib. ejusd. cap. 5. §. 1. *Concilia particularia à summo Pontifice approbata & confirmata errare non possunt in fide & moribus.* Libri ejusd. cap. 12. sub fin. *Gregorius in c. sicut sancti. dist. 15. comparat Evangelia cum Conciliis, non in omnibus, sed tantum in ipsa certitudine eorum, quæ in Scripturis dicuntur, & in Conciliis definiuntur. Cum enim utraque sint infallibilis veritatis, æque certa dici possunt.* Costerus in Enchir. p. 46. *Decreta Conciliorum generalium, si veritatem, si obsignationem Spiritus sancti, si præsentiam Christi spectes, idem habent pondus & momentum quod sancta Dei Evangelia.*

Stapletonus in relect. controv. 6. q. 3. art. 4. p. 612. *Concilia Sedis Apostolicæ autoritate & facta & confirmata in judicio fidei nullo modo errare possunt.* p. 610. *Conciliorum decreta sunt Spiritus sancti oracula.* Gregor. de Valent. lib. 8. Analys. cap. 7. *Accedente Romani Pontificis confirmatione Concilium quodvis est infallibile.* Gord Huntlæus controv. 2. cap. 27. p. 313. *Asserimus, Synodum Oecumenicam approbatam à Romano Pontifice non posse errare in fide. Ratio est, quia necesse est, aliquod esse judicium supremum in Ecclesia Dei, cui omnes debent se submittere, fidemque indubitatam in rebus controversis adhibere. Sed aliud judicium supremum ab isto esse non potest.*

Tannerus part. 2. Anat. Dem. 10. §. 222. *Concilia, utpote suprema judicia Ecclesiastica, non possunt errare.* tom. 1. Theol. Schol. col. 217. n. 2. refert ea inter *regulas fidei*, (at regulam fidei oportet esse infallibilem.)

Episcopus Bitontinus in oratione præliminari in Concilio Tridentino habita ad Præsules conversus dixit; *non aliud esse aperire januas Concilii, quam aperire portas Paradisi, unde aqua viva descendat ad terram scientia Domini exsaturandam. Patribus itaque de emendatione felicitis cor aperiendum, velut terram aridam ad irrigationem eam accipiendam. Si id cordi non habeant, Spiritum sanctum nihilo minus aperturum illis os, sicut Caiphæ & Balaam, ut, errante licet Concilio, Ecclesia sancta non erret, utcunque illorum mentibus seductore Spiritu plenis.* Petrus Suavis in Histor. Concil. Trident. lib. 2. p. 148.

Cum Ferdinando Martinez Mascareno Lusitaniæ Regis Oratore venit in Concilii Tridentini Consessum quidam Doctor, à quo habita oratio satis copiosa, in qua fructum commemoravit, quem ex Conciliis Ecclesia percipere solet. In ea Conciliorum autoritatem ita deprædicabat, *ut horum decreta pro oraculis divinis ab omnibus accipienda putaret.* Idem lib. 6. Hist. Conc. Trident. p. 556.

Bailius Jesuita in Catech. Controv. tractat. 2. q. 6. ad quæstionem, *Quid ais de sanctis Conciliis?* respondet, *quod nobis in difficultatibus sint instar oraculorum.* Et postea. *Credebatur quatuor Conciliis (Oecumenicis) quemadmodum quatuor Evangelistis, teste Gregorio magno libr. 1. Epistol. 24.*

De Concilio Tridentino in specie Bellarminus pronunciat, quod *omnes Pontificii sua ingenia atque judicia sponte ei submittant*, lib. 3. de Justif. cap. 3. quod *omnes libenter ei obædiant*, lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 15. *quod illud, ut Magistram, in omnibus sequantur*, lib. 1. de Justific. cap. 12. quod, *ejus vocem Ecclesiæ Catholicæ vocem salutent*, lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. quod *qui ei non obædiunt, inter Catholicos non numerentur*; libr. 4. de amiss. gratiæ capite 15.

Nostram sententiam probamus, 1. Qui extra Concilium errori sunt obnoxii, in ipso Concilio congregati tales manent. Sed Ecclesiæ doctores extra Concilium sunt errori obnoxii ac errant, nisi Scripturam, velut ducem & lucem, unice sequantur. Esa. 56. v. 10. Jerem. 4. v. 9. cap. 6. v. 13. cap. 14. v. 14. Ezech. 7. v. 26. cap. 22. v. 25. Oseæ 9. v. 8. Mich. 3. v. 6. Malach. 2. v. 8. Matth. 24. v. 21. Actor. 20. v. 29. 2. Thess. 2. v. 4. 2. Petr. 2. v. 1. 2. Exempla in Scripturis annotata testantur, Ecclesiæ Doctores in Conciliis congregatos errasse, si privatas & præconceptas suas opiniones contra verbum Dei fuere secuti. Exod. 32. 1. Reg. 22. v. 23. Jerem. 26. v. 8. Joh. 9. v. 27. cap. 11. v. 53. Huc pertinent Concilia Sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum tempore passionis Christi congregata, quæ gravissime errarunt, Matth. 26. v. 3. & 66. cap. 27. v. 64. &c. 3. In Historia Ecclesiastica multa exempla eorum Conciliorum annotata extant, quæ in rebus fidei gravissime errarunt, videl. Ariminense, Seleuciense, Ephesinum secundum &c. Ariani intra spacium triginta annorum Concilia ad minimum decem habuerunt, Tyri, Hierosolymis, Philippi, Syrmii, Arimini, Seleuciæ, Constantinopoli, Antiochiæ, Alexandriæ & Mediolani, in quibus omnibus error obtinuit. 4. In omni cætu multitudinis contingere potest, ut major pars vincat meliorem. Ergo etiam in Conciliis Ecclesiasticis hoc potest fieri. 5. Verum & legitimum Concilium est Episcoporum orthodoxorum congregatio. Ergo ex Scriptura prius constare debet, an Episcopi in Concilio congregati sint orthodoxi; nullius enim Episcopus est orthodoxus & vere Catholicus, nisi qui doctrinam Catholicam in Prophetarum & Apostolorum scriptis comprehensam invariatam amplectitur. 6. Si Concilia confirmata autoritate Pontificis ita gubernantur à Spiritu sancto, ut in decretis fidei & morum errare non possint, consequens erit, omnia illorum decreta esse θεόπνευστα & Scripturæ Canonicæ paria. Posterius dici nequit. 7. Episcoporum, etiam in Conciliis congregatorum, scientia & renovatio est imperfecta. 1. Cor. 13. v. 9. 2. Cor. 4. v. 16. Ergo ut peccare, ita quoque errare possunt, nisi scilicet peculiare habeant non errandi privilegium, sicut olim Prophetæ & Apostoli. At ejusmodi privilegio destituuntur. Judicium Episcoporum non est αὐτοκρατορικὸν & αὐτόπιστον, sed Scripturæ judicio subjectum; non magisteriale, sed ministeriale.

Nostræ huic sententiæ suffragatur;

1. Quod quidam agnoscunt, unius, etiam privati hominis, sententiam Scripturæ sacræ conformem, præferendam esse decreto Concilii Scripturæ minus conformi. c. Placuit. caus. 36. q. 2. ex Concil. Meldensi. *Placuit, ut hi qui rapiunt fœminas vel furantur aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniant, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu suorum parentum acceperint.*

Subjicit Gratianus. *Hæc autoritas non præjudicat autoritati Hieronymi, maxime cum illa testimonio divinæ legis nitatur.*

Glossa in d. c. Placuit. *Dicitur quidem §. 1. dist. 20. quod in causis decidendis præferuntur Concilia autoritatibus sanctorum Patrum; huic præjudicat autoritas Hieronymi, sed hoc ideo, quia corroboratur autoritate Vet. T.* Panormitanus in c. Significasti. extr. de elect. n. 3. *Dictum Hieronymi melius sentientis prælatum fuit statuto Concilii, ut probatur, c. Tria. juncto c. Placuit. caus. 36. q. 2. Nam in concernentibus fidem, etiam dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus Vet. & N. T. quam Papa.*

Gerson part. 1. de examinat. doctrin. consid. 4. fol. 104. *Staret prima veritas, quod aliquis simplex non autorisatus esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali sua assertioni, quam Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Evangelio, quam Papæ. Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultro erraret, patet cujus præferendum sit judicium. Altera veritas. Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret, majorem partem ad oppositum Evangelii malitia vel ignorantia declinare; Exemplum Beatiss. dedit Hilarius.*

2. Quod agnoscunt, Concilia posse errare, & de facto quædam errasse. Bernhardus Epistol. 91. ad Abbates Suessione congregatos col. 848. *Non me loci, corporisve distantia privat prorsus à consilio justorũ & congregatione. Illo præsertim Consilio, in quo non hominum traditiones obstinatius defensantur, aut superstitiosius observantur, sed diligenter humiliterque inquiritur, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Illuc toto desiderio feror, devotione immoror, condelector amore, inhæreo consensu, æmulatione persisto.* (Agnoscit igitur, in quibusdam Conciliis traditiones hominum obstinatius defensari ac superstitiosius observari, quod est erroneum.)

Antoninus Archiepiscopus Florentinus part. 3. Summæ. tit. 22. cap. 2. de Conciliis generalib. §. 6. edit. Argentin. 1496. sic scribit: *Hinc est; quod Concilium potest condemnare Papam & de*

hæresi judicare, ut dist.11. Si Papa. Potest enim esse hæreticus Papa & de hæresi judicari. Et dicunt Doctores in c. Fidei favorem. de hæresi lib.6. quod Concilium est judex, puta tamen, quod si Papa moveretur melioribus rationibus & autoritatibus, quam Concilium, standum tunc esset sententiæ Papæ. Nam & Concilium potest errare, sicut alias erravit in facto matrimonii, inter raptorem & raptam declarans non posse esse matrimonium. Et dictum Hieronymi melius sentientis fuit postea prælatum statuto Concilii 36.q.2.c.Tria juncto.c.placuit. Facit, quod notatur & legitur dist.20. c.1. Nam in concernentibus fidem dictum etiam unius privati esset præferendum sententiæ Papæ, si melioribus rationibus & autoritatibus Nov. & Vet. Test. moveretur quam Papa. Nec obstat, si dicatur, quod Concilium non potest errare, quia Christus oravit pro Ecclesia sua, ne deficeret, ut notatur in c. Majores. extra. de Baptismo & 24.q.1. A recta & c. Pudenda. Nam licet Concilium generale totam Ecclesiam universalem concernat, tamen ibi vere non est Universalis Ecclesia, sed repræsentative, quia Universalis Ecclesia constituitur ex collectione omnium fidelium. Unde omnes fideles terræ constituunt totam Universalem Ecclesiam saltem, cujus caput & Sponsus est ipse Christus. Papa autem est vicarius ipsius Christi & non verum caput Ecclesiæ, ut notat Glossa ne Romani. de ele. in Cle. quæ etiam dicit, quod mortuo Papa Ecclesia non est sine capite, quia non est sine Christo, qui est caput ejus, & ista Ecclesia est, quæ non potest errare, de consecr. dist.1. Ecclesia. Unde possibile est, quod tota fides remaneret in uno solo, ita quod verum est dicere, quia fides non deficit in Ecclesia, sicut jus universitatis non potest residere in uno solo aliis peccantibus, hoc patuit post passionem Christi, ubi remansit in sola virgine, quia omnes alii scandalizati sunt & tamen Christus oraverat pro Petro ante passionem, ut non deficeret fides sua. Ergo non dicitur Ecclesia deficere nec errare, si remaneat fides in uno solo.

Panormitanus super part.1. Decret.f.142. *Concilium potest errare, sicut alias erravit super causa matrimonii contrahendi inter raptorem & raptam, & dictum Hieronymi melius sentientis statuto Concilii fuit prælatum &c. Nec obstat si dicatur, Concilium non potest errare, quia Christus oravit pro Ecclesia sua, ut non deficeret. Quia dico, quod licet Concilium generale repræsentet totam Ecclesiam Universalem, tamen in veritate non est vere Universalis Ecclesia, sed repræsentative. Quia Universalis Ecclesia constituitur ex collectione omnium fidelium, unde omnes fideles orbis constituunt istam Ecclesiam Universalem, cujus caput & sponsus est ipse Christus & ista est illa Ecclesia, quæ errare non potest.*

Pius 2. Æneas Sylvius prius dictus, si quando *adversus Evangelicas traditiones in Conciliis aliquid astruatur, surgendum monuit populariter, & ad commune incendium restinguendum aquam ab omnibus esse afferendam.*

Nicolaus de Clemangis in Disput. super materia generalis Concilii pag.64. *Non debent, qui Concilium agunt, pro fiducia ac libertate agendi quæcunque libuerint, nimis illi inniti æstimationi, Generale Concilium sumus, fidenter agamus, errare non possumus p.72. Solebant antiqui Patres Concilium celebraturi jejuniorum abstinentia, orandi instantia, lachrymarum inundantia, maxima cordis contritione, atque contribulati Spiritus humiliatione, in timore & tremore Spiritus sancti assistentiam suffragiumque implorare, summa solicitudine ac vigilantia cordium suorum latebras emundantes, ut nihil illic tanto hospite resideret indignum, quo offensus inde avertertur, & propterea illis assistebat, illos dirigebat atque exaudiebat, & in cordibus ac labiis eorum gratiam suam diffundebat, ut non tam illi, quam Spiritus loqueretur in eis. Quid autem necessaria erat tanta diligentia, si exploratum habebant, se non posse falli aut deficere in his, propter quæ fuerant congregati? aut ex defectu præparationis, vel dispositionis à suo non posse fraudari desiderio?*

Et postea. *Cum ex unius voce, seu sententia tota sæpe congregata pendeat multitudo, an non, sicut ille in judicio falli potest, ita ipsam totam fallere multitudinem, maxime si ex humana præsumtione aut alia iniquitate falli digna sit? Nonne per omnia recte agere & nunquam falli vel deficere solius Dei est? Sciant ergo gentes, quoniam homines sunt, non Dei, non Angeli, non sancti confirmati. Si autem homines fragiles sunt, peccabiles sunt, mendaces sunt &c. Quod si dixeris, non ex humana infirmitate, sed ex virtute Spiritus sancti esse, quod Concilium falli non potest, quis potest certam habere notitiam, quod majori parti Concilii, quam præponderare oportet, Spiritus adsit? quis audeat judicare, se dignum esse, cui gratia Spiritus sancti assistat? &c.*

Johannes Franciscus Picus, de fide & ordine credendi, theor. 4. *De firmitate judicii tum Conciliorum, tum Pontificum, non extat hactenus ullum decretum, quod vel ex eo apparet, quod Iohannes de Turrecremata nullum profert, etsi magnus Pontificiæ autoritatis assertor. Itaque hæc propositio apud ipsum, Concilium legitime congregatum in causis fidei falsum judicare non potest, veritatem indubiam non continet.*

Idem lib.1. de injusta excomm. Hieronym. Svanarolæ cap.1. *Plerique, cum Theologorum, tum Iuris interpretum, asseverantissime voluerunt, Concilium in dirimendis controversiis hallucinari posse, pro vero falsum pronunciantes, præterque rationes afferunt exempla, quandoquidem & Ariminense & Ephesinum 2. & Aquisgranense, aliaque nonnulla aberraverunt.*

Ludovicus Vives in comm. lib.20. de Civ. Dei cap.26. refert de Dominicanis fratribus in Monastico ordine olim habitis eruditissimis, quod *Concilii Basileensis authoritate semper prorsus repudiata, illegitime congregatum illud fuisse aperte docuerint.*

Albertus Piggius in Hierarch. de Basileensi & Constantiensi Conciliis scribit, quod *contra legem Naturæ, contra manifestas Scripturas, contra vetustatis autoritatem, & contra Catholicam Ecclesiæ fidem decreverint.*

Jacobus Andradius Lusitanus lib.1. defens. fid. Tridentin. enumerat quædam rerum capita, *in quibus etiam Concilia generalia errare possint, usque adeo, ut ipsum Chalcedonense Concilium, unum ex illis quatuor primis Conciliis, quæ Gregorius professus est se recipere, ut quatuor libros Evangelii,* tamen Andradius *errasse* pronunciet *in eo, quod temere & nulla ratione* (sic enim loquitur) *Constantinopolitanam Ecclesiam Alexandrinæ & Antiochenæ duxerit præferendam.* Neque vero tantum errasse pronunciat Concilium Chalcedonense & pugnasse cum sanctionibus Concilii Niceni, sed rationem etiam attexit, cur in rebus ejusmodi Concilia labi possint, nempe quod *sequantur non afflatum Spiritus sancti, sed inanem rumoris auram & fallaces hominum opiniones.*

Wilhelmus Lindanus libr.2. panopliæ cap.6. *Si hujus mundi Principes quæris, Arianorum defensores plures fuerunt; si Episcopos velis, habes trecentos Arianos; si numerum Conciliorum, Ariani decem & amplius uni Nicenæ Synodo objecerunt.*

Matt. Bredenbachius in tract. de dissidiis Ecclesiæ componendis lit.B.B.8. *quædam Concilia fœde errasse* asserit.

Bellarminus l. de Laicis c.20. *In Concilio Chalcedonensi quædam erant bona, quædam mala; & quædam recipienda, quædam rejicienda.*

Baronius Ann.897. *Iste Stephanus vi summa collecto conventiculo Episcoporum simulq́, Presbyterorum, Cardinalium sibi similium, Sergio, Benedicto, atque Martino, Diaconis etiam, Iohanne Paschali, alteroque Iohanne, hominibus perditissimis, violatoribus Pontificiæ sepulturæ, Formosi venerandum cadaver effossum & sepulchro extractum, tanquam vivũ hominem ad judicium adductũ judicari voluit.*

3. Quod agnoscunt, Scripturam sacram esse normam, juxta quam Conciliorum decreta & formari & judicari debeant. (Ex eo enim colligi potest, Conciliorum autoritatem non esse absolutam & simpliciter authenticam.)

In Jure Canonico can. Quis nesciat &c. 8 dist. 9. statuitur, Scripturam Canonicam omnibus Episcoporum literis præponi. Verba sic habent: *Quis nesciat, sacram Scripturam Canonicam tam Veteris quam Nov. Test. certis terminis suis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit, vel constiterit esse? Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur & per sermonem forte Sapientiorem, in ea re cujuslibet peritioris & per aliorum Episcoporum graviorem autoritatem doctiorumq́, prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deviatũ est.* (Si Scriptura Canonica omnib9 Episcoporum literis præfertur, utique etiam eorundem vocibus in Concilio congregatorum præfertur. At verum prius. Ergo & posterius, unde Hieronymus in comm. Epistol. ad Galat. scribit. *Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant Concilia, nefas duco.*)

Carolus Magnus lib.1. de Imag. cap.11. ad argumentum, quod Nicena Synodus 2. & alia Concilia stabiliant religiosum imaginum cultum, respondet: *Illas Synodos sancta & Universalis recepit Ecclesia, quæ pro diversis fidei sive religionis causis, diversis locis seu temporibus à doctis & Catholicis viris celebratæ à sana sobriaque doctrina nullatenus deviare perhibentur.* (Illius sanæ sobriæque doctrinæ Magistra est Scriptura sacra. Ergo juxta Scripturæ normam decreta Conciliorum sunt examinanda.)

Nicolaus Cusanus libr.2. de conc. Cathol. verit. cap.6. de forma veterum Conciliorum sic scribit: *In loco congregationis in medio ponebantur sacra Evangelia, & secundum testimonia Scripturarum decrevit olim Synodus.*

Johannes Wesselus Groningensis circa Ann.1455. in libro cui

cui titulus, *Farrago*, inter alia sic scribit: *Quæcunque ejusmodi sunt, ut ea nemo dicere possit nisi in Spiritu Dei loquens, id est, ea loquens, quæ Spiritu Dei aliquando loquente autoritatis robur acceperunt, ea omnia per quemcunque dicantur, firma fide tenenda sunt, non quia ille dicit, sed quia in Spiritu Dei loquens dicit. Ex hoc jam plane satis patet, qualis habẽda Doctoribus Ecclesiæ fides, qualis habẽda summis Põtificib. qualis item generalib. Cõcilis. Sẽper enim habenda fides loquẽtib. in Spiritu Dei, h. e. ea quæcũq; Spirit. Dei locutus est. In Deũ enim credimus non in Ecclesiã Catholicã, non in Conciliũ, non in Papã.*

Dietherus à Dalburgio Ordinis Equestris vir, circa Ann. 1520. quoties illo præsente sermo fuit de calamitatibus Ecclesiæ & ejus reformatione, & quod eam ad rem opus esset Concilio generali, dicere solitus est: *sibi quoque videri consultum esse, ut Ecclesiæ afflictæ mature succurratur Consilio generali Christiano & legitimo, cui necessario præficiendi sint quatuor judices minime partiales aut suspecti, Biblia Hebraica, Biblia Græca, Biblia Latina, Biblia Germanica.* In paralip. Ursperg.

Johannes Ferus in capite 26. Matth. pag. 216. *Vere nec Moses nec quisquam Prophetarum huic Concilio* (Sacerdotum) *interfuit, alioqui quid Moses consultus respondisset, nisi; Si mihi creditis, credite illi, de ipso enim scripsi. Idem respondisset David, sed neuter eorum admissus fuit.*

Salmeron tom. 8. tractat. 54. pag. 426. *Ad Concilium Pontificum & Pharisæorum nec Propheta aliquis, nec Moses ingressus est. Si enim intrasset, utique pro Christo respondisset ac dixisset: Si tot signa facit, credite in eum. Hinc multa in nostris consultationibus absurda & inconvenientia facimus, quia in illis divinas Scripturas non admittimus, nec per vitæ & morum sanctitatem & honestatem disponimur ut sanum consilium possimus accipere.*

(Si Concilium Pontificum ideo erravit, quia nec Moses, nec Prophetæ illi interfuerunt, sequitur, omne Concilium, cui nec Moses nec Prophetæ nec Apostoli intersunt, id est, quod non sequitur Scripturæ normam, errare posse.)

Bellarminus libr. 4. de verbo Dei cap. 11. §. Respondeo ad 5. agnoscit, *Augustinum à Conciliorum autoritate ad Scripturam provocare.*

Lib. 2. de Concil. cap. 12. §. sic etiam. *Cum Nicenum Concilium definivit, Christum esse homousion Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis &c. Similiter Concilium sextum, cum definivit, in Christo esse duas voluntates, divinam & humanam, deduxit conclusionem ex Scriptura.*

Ibidem §. 1. *Catholici Scripturam non subjiciunt sed anteponunt Conciliis, nec in hoc ulla controversia est.*

(At quod scriptura dignitate est inferius, & totum ab illa pendet, illius autoritas non est infallibilis.

Lib. & c. iisdem §. Dico secũdo. *Quod Gratianus senserit, Conciliorum decreta non esse æquanda divinis Scripturis proprie dictis, patet ex caus. 36. q. 2. can. Placuit, ubi Hieronymi sententiam, quia munita erat testimonio divinæ Scripturæ, anteponit Concilii decreto.*

(Si Gratiano licuit sententiam Hieronymi munitam Scripturæ autoritate anteponere Concilii decreto, utiq; etiam nobis idem licet.)

4. Quod agnoscunt, Conciliorum veterum autoritatem posterioribus esse præferendam; (utique ergo posteriora non sunt simpliciter authentica:) ac priora à posterioribus emendari; (utique ergo etiam priora non sunt simpliciter authentica.) c. Domino sancto. dist. 50. ex Isidoro. *Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii sententia magis teneatur cujus antiquior & potior extat autoritas.*

(Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 7. excipit, *Isidorum loqui de illis Conciliis, quorum non est certa autoritas, & quæ non sunt à Romano Pontifice confirmata.*

Resp. de confirmatione illa Pontificis paulo post videbimus. Hic monemus illud, quod verba Isidori sint generalia, prolata occasione Concilii Ancyrani, quod Bellarminus non refert inter ea quæ vel omnino, vel ex parte reprobata. Glossa dicit, *tenere hanc regulam Isidori in illis Conciliis, quorum canones & juste instituti, & instinctu Spiritus sancti promulgati.*)

Bellarminus loco proxime citato, §. Aliud &c. agnoscit, Augustinum statuere lib. 2. de Baptismo cap. 3. *Concilia plenaria priora à posterioribus emendari.*

(Varie quidem excipit Bellarminus, sed contra mentem Augustini. Dicit primo, *Augustinum forte loqui de Conciliis illegitimis, quod ea per posteriora emendentur.* Sed manifestum est ex contextu, ipsum loqui de Conciliis legitimis. Instituit enim comparationem inter Scripturas sacras, & inter Episcoporum sanctorum Scripta & Concilia; de his dubitari ac disceptari posse subjungit, de illis autem minime; in his reprehendi posse, si quid à veritate devium occurrat, in illis autem minime omnium tale quid occurrere.

Dicit secundo, *Augustinum loqui de quæstionibus facti, non juris.* Sed manifestum est ex principio libri, ipsum agere de quæstione, an baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi.

Dicit tertio, *Augustinum loqui de præceptis morum, non de dogmatibus fidei.* Sed quæstio illa de Baptismo eorum, qui ab hæreticis baptizati, ad fidem, non ad mores pertinet. Diserte asserit Augustinus, *Concilia priora à posterioribus emendari, non modo tunc, quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat*, quæ verba ad quæstiones facti & præcepta morum referri possunt; *sed etiam quando cognoscitur, quod latebat*, quæ verba de quæstionibus fidei agunt, quod illæ diligentiori examine adhibito possint dilucide cognosci.)

5. Quod agnoscunt, *Concilium legitimum errare posse in iis, quæ non legitime agit*, ut loquitur Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 7. §. Profert.

(Subsumimus enim, in multis Conciliis, etiam à Papa congregatis & confirmatis, non agi legitime, ex quo sequitur, ea errare posse.

Julianus Cardinalis in Epistola ad Eugenium IV. Pontific. in Concil. Basilic. scribit, *omnia Concilia post Chalcedonense potissimum instituta fuisse, non ut erueretur veritas, sed ut roboraretur, defenderetur atque augeretur semper Ecclesiæ Romanæ potestas & Ecclesiasticorũ libertas*, teste Ænea Sylvio lib. 2. de gest. Conc. Basil.

(Si finis & scopus non fuit legitimus, quomodo potuit legitime in illis Conciliis agi?)

Nicolaus de Clemangis circa Annum 1416. in Epistol. quadã ad amicum sic scribit: *In Concilio Romæ à Johanne 23. celebrato quid acciderit, audisse te arbitror. Res enim ita pervulgata fuit, ut vix quenquam latere potuerit, quam illo tempore ex veridico comperi autore, & qui me minime fallere voluisset, quam paucis, si forte non audisti, referre volo. Convocaverat ante quatuor fere annos Concilium Romæ is Papa maxima quorundam impulsus instantia, cumque ante primam Concilii congregationem pro invocatione Spiritus sancti solito fuit more Missa celebrata, ubi Cõciliũ assedit, ipseq; Iohannes in parata sibi cathedra sublimior præsedit, ecce dirus ac feralis bubo, funeris aut alterius, ut ferũt, calamitatis sem[illegible]er nuncius, è latebris suis erumpens cum sua illa horrifica voce contin[illegible]o advolat, superque trabem templi mediam oculis in Papam directo intuitu conjectis astitit. Cœperunt universi mirari, quod nocturna avis & lucifuga diurna luce in turba medium advenisset, malumque omen ex prodigio non immerito suspicabantur. En, inquiebant suppressa voce alter ad alterum, in specie bubonis Spiritus adest! Cumque cæteri & se mutuo & Papam spectantes vix risum tenerent, Johannes ipse, in quem ille fixa acie oculos intenderat, rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit, tandemque non inveniens, qua alia posset ratione sua tantæ confusioni consulere, soluto Concilio surgens abscessit. Secuta est deinde altera Sessio, in qua rursum more simili bubo adesse non amisit, verso semper in Pontificem contuitu, quem ille redisse conspiciens majori quam prius verecundia merito conturbatus est, nec illius ultra ferre prævalens conspectum, fustibus illum, terrificisque clamoribus abigi præcepit. Sed ille nec clamorum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis aufugere voluit. Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu Roma veniebat. Super quibus, cum propter rei insuetudinem, hæsitare cœpissem, per me vehementissime adjuratus verissima se retulisse confirmavit. Addebat autem, omnes qui aderant in magnum contemtum atque irrisionem Concilii ex hac re adductos, paulatimq; toto dilapso Cõcilio nihil illic prorsus actũ esse.*

(Si in Concilio illo legitime omnia fuissent acta, loco Spiritus sancti non apparuisset feralis ille bubo.)

Ludovicus Vives in comment. libr. 20. de Civ. Dei cap. 26. *Illa demum illis* (Monachis) *videntur edicta & Concilia, quæ in rem suam faciant, reliqua non pluris æstimanda, quam conventum muliercularum in textrina vel thermis.*

(Si ex rerum suarum commodo Concilia æstimant, legitime in illis judicandis non procedunt.)

6. Quod agnoscunt, ex Concilio Apostolorum Hierosolymitano Concilia alia formam suam debere sumere.

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæreses cap. 6. *Ex regula Concilii celebrandi.* (Actor. 15.) *temporum successu, cum Ecclesia jam liberata esset à persecutione Tyrannorum, reliqua generalia Concilia modum & formam suæ celebrationis sumserunt.* Similia occurrunt apud Bell. libr. 2. de Concil. cap. 2. §. Tertius locus.

(Subsumimus enim, Concilia Papalia multis modis ab illo Concilio Apostolico dissidere, & inferimus, in illis non legitime procedi, ac proinde etiam illa non esse ab errandi periculo libera.)

Nā primo, in Concilio Apostolorum Petrus, quem sūmum Pontificem fuisse volūt, in propria persona aderat. Act 15. v. 7.

Contra de Conciliis Papalibus Bellarminus sic differit lib. 1. de Concil. cap. 19. §. Adde. *Vigilius Papa erat Constantinopoli, cum fieret in ea civitate Concilium V. generale, & tamen noluit interesse, sed per libellum confirmavit acta Concilii, ut scribit Photius in lib. de septem Synodis &c. Quæ autem sit hujus rei ratio, incertum est, Iohannes de Turrecremata lib. 3. cap. 11. ponit aliquot rationes, quæ mihi non multum probantur. Ego suspicor, has duas fuisse causas inter alias; Unam, quod non videbatur convenire, ut caput sequeretur membra, cum potius membra sequi debeant caput, itaque propterea interfuit Papa Conciliis Romanis & quibusdam aliis, quæ ipse convocavit ad se, id est, ad locum, ubi ipse erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata. Altera ratio est, quia in Conciliis Orientalibus semper interfuit Imperator, aut aliquis ejus Legatus, & quamvis nec Imperator, nec Legatus ejus præsideret Concilio proprie, ut judex, tamen præsidebat saltem quoad locum materialem. Et etiamsi summus Pontifex ibi fuisset, adhuc voluissent illi eo modo præsidere, ut patet ex Concilio Florentino, in initio, ubi Græci omnino contendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator & summum Pontificem præcederet. At quamvis utrumque tolerabile sit, ut Principes seculares in Concilio sedeant ante alios Episcopos, tamen nullo modo convenit, ut ante ipsum summum Pontificem, ne ergo vel hoc tolerandum esset, vel tumultus excitandus, non ibat ad ea Concilia, sed Legatos tantum mittebat.*

Secundo, in Concilio Apostolorum quæstio definitur ex Scripturis, Act. 15. v. 5. *Huic dicto Petri concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est.*

Cajetanus Cardin. in h. l. *Petrus probat sententiam suam ex divino testimonio, eandem Iacobus confirmat ex variis Scripturæ locis. Propter quod inquit Iacobus, ego judico, id est, quia video hæc dicta consonare cum Prophetarum scriptis.*

Petrus, inquit; *testimonio divino monstrato in conversione Centurionis &c. rationē affert, quod sola fide purificantur corda gentilium.*

Paulo post. *S. Iacobus idem confirmat dictis Scripturæ. Propter quod, hoc est, quia dicta Petri consonant Prophetis, ego judico, hoc est, judicium meum est.*

Arias Montanus in h. l. *Priusquam Petrus loquebatur, magna erat disputatio ex variis Scripturæ locis deducta.*

Johannes Ferus in h. l. *Nihil equidem dubitaverim, Iacobum legis peritissimum rem ipsam plurimis Prophetarum testimoniis comprobasse, ex quibus Lucas hic unicum tantum, quod clarissimum videbatur, in Historia sacræ monumentum retulit, sic enim verba Historia sonant. Et huic concordant verba Prophetarum.*

Melchior Canus lib. 5. Locor. Theolog. cap. ultim. *Iacobus sententiam Petri confirmabat, additis Scripturarum testimoniis.*

Contra vero in Conciliis Papalibus non ex sola Scriptura, sed etiam ex traditionibus decreta formantur.

Bellarm. lib. 4. de verbo Dei capit. 3. *Asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam, sive de fide sive de moribus, & proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum, id est, divinas & Apostolicas traditiones.* (Si doctrina necessaria de fide & moribus non continetur in Scriptura, utique etiam in Conciliis ex ea nōn potest erui.)

Idem lib. 4. de Pontif. cap. 7. §. Deinde. *Definitiones de fide* (in Conciliis) *pendent præcipue ex traditione Apostolica & consensu Ecclesiarum.*

Tertio, in Concilio Apostolorum non solum Petrus, sed etiam Paulus, Jacobus, & Barnabas loquuntur, ac magna fit συζήτησις Act. 15. v. 7. 12. & 13. ergo non ex solius Petri arbitrio omnia geruntur.

Contra vero in Conciliis Papalibus sententia Pontificis Romani est sola & unica norma, quam Patres in Conciliis sequuntur ac sequi jubentur.

Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 17. § Quare. *Decretum Concilii Chalcedonensis non est legitime factum, proinde etiam nullius est roboris vel autoritatis. Nam ex ipsa actione 16. ejusdem Concilii constat, decretum illud absentibus Legatis Apostolicæ Sedis, qui Concilio præsidebant, esse factum.*

Lib. 2. de Concil. cap. 11. in ἐπιγρ. *Concilia generalia ante confirmationem summi Pontificis errare possunt, nisi Patres in definiendo sequuntur Pontificis instructionem.*

In Tridentino Concilio nullum decretum fuit promulgatum, de quo non censura & approbatio Pontificis ante publicationem fuerit requisita, quæ res proverbio locum dedit, ut vulgo diceretur, *Spiritum sanctum manticæ inclusum subinde Roma Tridentum venire.*

Quarto, in Concilio Apostolorum Hierosolymitano non solum Apostoli, sed etiam Presbyteri præsentes fuere, ac tota Ecclesia una cum Apostolis & Presbyteris decisivum habuit suffragium Act. 15. v. 6. 22. & 23. cap. 16. v. 4.

Cardinalis Arelatensis referente Æneo Sylvio de rebus gest. Concil. Basil. *Vox nobis* (Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*) *significat vocem decisivam, & refertur ad illud, quod præcesserat, Apostoli & Seniores, ex quo constat, Presbyteros quoque vocem decisivam habuisse.*

Contra vero in Conciliis Papalibus soli Episcopi, quos etiam solos Apostolorum successores esse volunt, habent vocem decisivam.

Bellarm. lib. 1. de Conc. cap. 15. §. 5. *Soli Presbyteri majores, itaque omnes, h. e. Episcopi in Conciliis generalibus & provincialibus habent jus suffragii decisivi ordinarie, ex privilegio autem & consuetudine etiam Cardinales, Abbates & Generales Ordinum, licet Episcopi non sint. Ex Presbyteris autem & aliis Clericis minoribus tantum vocantur aliqui viri docti, qui juvent in disputando, vel aliis ministeriis &c. Ex privatis Laicis tantum vocantur aliqui, qui videntur utiles, vel necessarii ad aliquod ministerium.* Lib. ejusd. c. 16. *Episcopi autoritatem habent judicandi, non quia docti sunt, sed quia sunt personæ publicæ, id est, Principes habentes Ecclesiasticam jurisdictionem.*

Quinto, in Concilio Apostolorum omnia prudenter aguntur, Pseudo-Apostolorum doctrina de necessitate operum legalium ac circumcisionis ad salutem accurate expenditur, ac de ea ex Scripturis judicatur Act. 15. v. 19.

Sed in Conciliis Papalibus non tam per *modum examinis ex* Scriptura, quā *per modū imperii* ex arbitrio omnia peraguntur.

Johannes Ferus in cap. 15. Actor. *In Concilio Apostolorum omnia prudenter aguntur, non præcipitant sententiam, sed singula expendunt. At nos aliter convenimus, dicendo, ex plenitudine potestatis volumus & mandamus. Quomodo Spiritus sanctus hujusmodi conventus probare possit?*

Sexto, Petrus, postquam Patres Synodi ex Scripturis decretum fecerunt, patitur se ablegari Antiochiam, ut decretum Concilii ad Antiochenos Christianos referat. Act. 15. v. 25.

Contra vero Pontifex Romanus non patitur se à Concilio ad alias Ecclesias ablegari, sed ipse potius ad Concilium suos mittit Legatos cum certa instructione, quam Patres Concilii in omnibus tenentur sequi.

Bellarminus libr. 1. de Concil. cap. 19. *non videtur convenire, ut caput* (Romanus Pontifex) *sequatur membra*, (Patres in Concilio congregatos) *cum potius membra sequi debeant caput.* (Si Pontifex majestate sua indignum judicat, in persona propria interesse Conciliis alibi, quam Romæ congregatis, quanto magis majestate sua indignum judicabit, à Conciliis ad alias Ecclesias se ablegari, quod tamen Petrus, cujus successorem sese gloriatur, Apostolico, quod gerebat, officio indignum haudquaquam censuit.)

7. Quod statuunt, Concilia tam generalia, quam provincialia errare posse, nisi à Pontifice confirmentur. (Ex eo enim concludimus, quod Conciliis in se & per se, seclusa Pontificis confirmatione, consideratis non tribuant infallibilitatem, sed eam in solo Pontifice statuant, & à Pontifice in Concilia descendere existiment. Quorsum igitur tantis sumtibus cogenda Concilia, cum Pontifex solus ante Concilium & sine Concilio infallibiliter judicare possit, ac quicquid infallibilitatis est in Conciliis, illud totum & omne à Pontifice descendat? Quorsum etiam glaucoma oculis imperitorum objiciunt, magno conatu disputantes, Concilia non posse errare? *Certitudine fidei certi sumus, Papam & Concilium regi à Spiritu sancto* inquit Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 10. cum Concilia in se, ac per se considerata errandi periculo obnoxia esse agnoscant, ac eatenus tantum errare non posse statuant, *quatenus à Pontifice confirmantur*, id est, solum Pontificem errare non posse credant?

Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 11. §. Si primo &c. *Non potest absolute dici tale, id quod non est ipsum tale, sed est conjunctum cum alio tali, alioqui corpus posset dici Spiritus, quia est conjunctum cum anima, quæ est Spiritus; & oculus esset in calcaneis, quia est conjunctus cum anima, quæ est in calcaneis.* (Si ergo Concilium

cilium per se & sua Natura est fallibile, non potest etiam conjunctum cum Papa dici infallibile, propter illam cum Papa conjunctionem, sed infallibilitas est & manet penes solum Pontificem.)

Præterea si de Conciliorum decretis licet judicare *juxta normam sententiæ Papalis*, ac ea tantum acceptare, quæ Romano Pontifici probantur, atque ab eo confirmantur; repudiare, quæ ab eo repudiantur, quanto magis, imo incomparabiliter magis de Conciliorum decretis licebit judicare *juxta normam Scripturæ sacræ*, quippe in qua Spiritus sancti sententia nobis proponitur, & quæ cum hac norma congruunt acceptare, quæ ab ea dissident, repudiare? Denique quia nulla est in Conciliorum decretis infallibilitas, nisi quæ à Romano Pontifice descendit, & vero superius in capite 2. demonstratum sit, Pontificem non esse absolute infallibilem, sed errare posse, consequens fuerit, Concilia etiam à Pontifice Romano confirmata errare posse.)

Melchior Canus lib. 5. Locor. Theolog. capite 4. *Concilium generale, quod nec congregatum, nec confirmatum est autoritate Pontificis, potest in fide errare. Concilium generale, etiam à Romano Pontifice congregatum, errare potest, nisi ab eo fuerit confirmatum. Concilia provincialia, quæ à Papa confirmantur, errare non possunt, reliqua autem possunt.*

Libr. 1. de Concil cap. 4. §. Altera. *Quædam Concilia sunt ab Ecclesia approbata, atque ab universa Ecclesia receptæ; quædam omnino reprobata; quædam partim approbata, partim reprobata; &c.* Quod potest reprobari, erroris periculo est obnoxium.)

Libr. 2. de Concil. capit. 10. in titul. *Concilia particularia non approbata à summo Pontifice non omnino certam fidem faciunt.*

Lib. ejusdem cap. 11. in titulo. *Concilia generalia ante confirmationem summi Pontificis errare possunt, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem.*

Libr. ejusdem capite 17. §. Probatur quinto. *Omnia Concilia revocantur tandem ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur, quæ improbat, rejiciuntur.*

Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3. §. Respondent. *Christus soli Petro dixit, Oravi pro te, ne deficiat fides tua. Pasce oves meas. Non dixit hæc Petro & Concilio Item solum Petrum vocavit Petram & fundamentum, non Petrum cum Concilio, ex quo apparet, firmitatem legitimorum Conciliorum esse à Pontifice, non partim à Pontifice, partim à Concilio.*

Ibidem §. Contra. *Constat generalia Concilia sæpe errasse, quando caruerunt summi Pontificis suffragio, uti patet de Ephesino secundo, Ariminensi & aliis.*

Plura in hanc sententiã adduximus superius part. 2. c. I. n. 3.

Huc referri potest, quod agnoscunt: *Episcopos singulos & sejunctos errare posse.* Bellarminus libr. 2. de Concil. cap. 2. §. ultimo; utique ergo etiam conjuncti errare possunt. Nec enim *mutant animum, qui cælum mutant*, & ad Concilium *trans mare currunt*, nec humana conditione superiores fiunt, quam primum in Concilium accesserunt, nec promissionem aliquam pro sua ab errandi periculo immunitate proferre possunt. Item quod hypothesin formant, *Concilium posse constare Episcopis corde hæreticis, & sola externa professione Catholicis.*

Bellarmin. lib. 2. de Concil. cap. 9. §. Ad alteram. (Addit quidem Bellarminus, *divina providentia futurum, ut illi nihilominus velint, nolint, veritatem proponant, sicut per asinam Bileami Deus veritatem locutus*; sed unde nobis constat de hac Dei voluntate? unde etiam ipse Bellarm. hypothesin illam deserit.)

8. Quod concedunt, Concilia posse errare in quæstionibus facti.

(Ex illo enim inferimus, quod etiam in quæstionibus fidei errare possunt. Excipiunt quidem, *esse disparem rationem, cum Concilia tantum in rebus fidei à Spiritu sancto ita regantur, ut non errent* Sed merito urgemus, quod ad confirmandam infallibilem Conciliorum autoritatem accommodent dictum Christi Joh. 16. v. 13. *Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem.* Ergo etiam in quæstionibus facti veritatem infallibiliter docebit. Bellarminus semper urget *salutarem divinæ providentiæ dispositionem, quæ non admittat, ut Pontifex Romanus & Concilia errent.* Atqui eadem providentia divina requireret, ut etiam in quæstionibus facti nullus error committeretur, quia quando in facto erratur, itidem alteri parti fit injuria, & error facti facile secum trahit errorem juris. Verbi causa, si erratur in canonizatione sancti, facile potest dari occasio idololatriæ. Certe si Concilium in suis definitionibus & decretis immediate regitur à Spiritu sancto peculiariter assistente, nullum plane committet errorem, quia Spiritus sanctus occultissima quæque scrutatur.)

Antonius Delphinus lib. 2. de Conc. p. 166. *Concilium in facto errare potest, quia in rebus facti judicant Episcopi in Concilio congregati secundum acta & probata.*

Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 7. §. Respondeo primo. *In quæstionibus facti non dubium est, Concilium errare posse.*

Lib. ejusd. cap. 8. §. Respondeo quidam &c. *In judiciis de quæstionibus facti Concilia errare posse, non est dubium.*

Lib. ejusd cap. 12. §. Tertium. *Concilia in judiciis particularibus errare possunt.*

9. Quod in quæstione de infallibilitate Conciliorum invicem diffideant.

Primo, quidam volunt *Concilia esse supra Papam*, Cardin. Cameracensis, Gerson & alii plures suo loco enumerandi; quidam vero volunt, *Papam esse supra Concilia, ut Jesuitæ omnes.* (Hi infallibilitatem Conciliorum dependere statuunt ex infallibilitate Pontificis, imo reipsa nullam in Conciliis, quatalibus, infallibilitatem statuunt, sed in solo Pontifice; illi vero infallibilitatem Papæ dependere statuunt ex infallibilitate Conciliorum, imo reipsa nullam in Pontifice, qua tali, infallibilitatem statuunt, sed in solis Conciliis.

Secundo, de Episcopis in Concilio congregatis apud ipsos quæstio est, an sint *Consiliarii duntaxat*, an vero *Judices*, h. e. an consultandi tantum, an vero etiam decidendi potestatem habeant. Prius quidam affirmant, alii vero posterius; (utraq; vero sententia apud ipsos urgetur difficultatibus. Si enim sunt tantum Consiliarii & monitores, cur soli Episcopi ad Concilia admittuntur, cum multi Theologi eruditione superent Episcopos? Si sunt judices, quæritur an errare possint, an non? Si prius, nulla in Conciliis, qua talibus, est infallibilitas. Si posterius, non opus erit Pontificis confirmatione.)

Tertio, Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 9. negat *meliorem partem in Conciliis vinci posse.*

Melchior Canus libr. 5. Locorum Theolog. capit. 4. idipsum concedit. Quin & Bellarminus ipse libr. 1. de R. P. cap. 9. §. Dices. *Etiam in generali Concilio major pars errare potest, si autoritas desit summi Pastoris.*

Quarto, circa quæstionem, *unde sciatur, hoc vel illud Concilium esse legitimum?* diversis, imo adversis sententiis invicem pugnant Andreas Vega & Bellarminus, ut videbimus inferius membro 12.

Quinto, ad exempla de erroribus Conciliorum à Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis & Senioribus contra Christum coactorum non solum diversas, sed etiam contrarias responsiones proferunt, ut videbimus membro sequente 10. §. Primo.

Sexto, plerique omnes Pontificii præcipuum ac primarium pro infallibilitate Conciliorum fundamentum quærunt in promissione Christi Matth. 18. v. 20. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Sed Stapletonus in relect. princip. controv. 6. q. 3. art. 4. p. 613. negat, *firmitatem Conciliorum illis Christi verbis niti.*

Septimo, Alphonsus de Castro libr. 4. advers. hæreses, verbo Concilium, Concilia à Pontifice congregata errare posse negat. *Concilium, inquit, recte, ut decet, congregatum non potest in fide aut moribus errare. Dicimus autem Concilium tunc esse generale & recte congregatum, quando Pontificis summi autoritate convocantur omnes, quorum interest de re illa definire. Hinc non est mirum, si Ariminense Concilium erraverit, quia ab hæreticis Arianis favente Constantio Imperatore, & ipso hæresi Ariana infecto, congregatum est, contradicente tamen Liberio Papa. Eadem ratione Concilium Constantinopolitanum sub Constantino & Gregorio tertio celebratum inane est & pestiferum, quia renitente Gregorio tertio congregatum fuit, & contra illius mentem ibi lata fuit sententia.*

Lib. 1. adv. hæres. cap. 4. *Concilium Papæ autoritate & consensu congregatum non posse in fide errare, ab omnibus veris Christianis hactenus creditum.*

(Sic ergo juxta Alphonsum ad infallibilitatem Concilii & *necessarium* est & *sufficiens*, ut convocetur à Romano Pontifice.)

Sed Melchior Canus libr. 5. Locor. Theol. cap. 4. scribit. *Concilium generale, etiam à Romano Pontifice congregatum, errare potest, nisi ab eo fuerit confirmatum.*

Age vero dissensiones illas Pontificiorum, de infallibilitate Concilii, propriis ipsorum verbis exponamus.

Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 2. §. 1. *De Conciliis particularibus videtur esse aliqua dissensio inter Catholicos. Cùm enim istorum Conciliorum autoritas tota ferè pendeat ex autoritate Pontificis, ii qui dicunt, Pontificem errare posse, consequenter dicere debent, etiam ejusmodi Concilia errare posse.*

(Atqui primò cur Bellarminus addit particulam *fere*? cum ex ipsius hypothesi tota Conciliorum particularium firmitas non fere, sed verè à solo Pontifice dependeat, ut manifeste apparet ex loco paulò ante citato lib. 4. de Roman. Pont. cap. 3. *Firmitas Conciliorum est à Pontifice, non partim à Pontifice, partim à Concilio?*

Secundò, cur de *particularibus tantum Conciliis* dicit, quod illorum autoritas tota fere dependeat ex autoritate Pontificis? cùm ex ipsius hypothesi etiam generalium Conciliorum autoritas tota ex autoritate Pontificis dependeat, ut manifestum ex loco paulò ante citato lib. 2. de Concil. cap. 17. *Omnia Concilia, ac proinde etiam generalia, revocantur tandem ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur; quæ improbat, rejiciuntur.* Quod si ergo illi, qui statuunt, *Pontificem errare posse*, consequenter dicere debent, *etiam Concilia particularia errare posse, cum eorum autoritas tota ferè pendeat ex autoritate Pontificis*, ut totidem verbis Bellarminus asserit utique etiam illi, qui statuunt, *Pontificem errare posse*, dicere debent, *etiam Concilia generalia errare posse, cùm eorum quoque autoritas tota fere pendeat ex autoritate Pontificis.*

Concilium Chalcedonense fuit Concilium generale, & tamen Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontific. cap. 17. rejicit decretum, quod in illo Concilio absentibus Legatis Apostolicæ Sedis factum, quodque à Leone Pontifice reprobatum, utique ergo etiam Conciliorum generalium autoritatem ab autoritate Pontificis pendere agnoscit, unde etiam Conciliorum generalium autoritatem asserturus, diserte addit confirmationem summi Pontificis, lib. 2. de Concil. capite 2. *Fide Catholica*, inquit, *tenendum est, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse nec in fide, nec in moribus:* cui assertioni conformis est propositio illa, quam format Canus lib. 5. Locor. Theol. cap. 4. *Concilium generale, etiam à Romano Pontifice congregatum, errare potest nisi ab eo fuerit confirmatum.* Certum igitur est, ex hypothesi Pontificiorum, etiam *generalium Conciliorum* autoritatem à Romani Pontificis confirmatione & autoritate dependere, & per consequens, qui Pontificem errare posse docent, illi juxta Bellarmini collectionem etiam dicere debent, Concilia generalia quoque errare posse.)

Idem lib. 2. de Conc. cap. 5. §. 1. *Hæc propositio, quòd Concilia particularia, à summo Pontifice confirmata, in fide & moribus errare non possint, non est æque recepta ac prior, quòd Concilia generalia, à summo Pontifice confirmata in fide & moribus errare non possint Illam enim priorem nemo Catholicorum negat, hanc verò non desunt, qui negent. itaque ea solum de causa non affirmamus hanc propositionem fide Catholica esse tenendam, quod autores, qui contrarium sentiunt, nondum videamus ab Ecclesia damnatos pro hæreticis.* (Si absque hæresi statui potest, *Concilia particularia, etiam à summo Pontifice confirmata, errare posse*, utique etiam absque hæresi statui potest, Concilia generalia, etiam à Pontifice confirmata, errare posse, utrorumque enim autoritas ex hypothesi adversariorum pendet à Pontificis autoritate.)

10. Quòd exempla aliquot Conciliorum docent, Episcopos & Præsules in Conciliis congregatos erare posse.

Primò, Concilium Judaicum, cui præsedit summus Pontifex Caiphas, gravissime erravit, excommunicando omnes, qui Jesum confitebantur esse Christum Johan. 9. v. 27. ac Christum blasphemiæ accusando, eundemq; ad mortem damnando, Matth. 26. v. 3. & 66. cap. 27. v. 1. Marc. 14. v. 64. Joh. 11. v. 53. &c.

(Variis modis excipiunt Pontificii. Hosius Card. libr. 2. contra prolegom. Brentii diserte affirmat, *sententiam in hoc Concilio pronunciatam fuisse veram, & Spiritum sanctum huic Concilio adfuisse, & Levitico Sacerdotio non defuisse Spiritum veritatis, donec Christus cruentum sacrificium obtulerat.*

Roffensis in confut. assert. Lutheri art. 5. *Miror Luthere, quod tam parum tribuis Pontificis Romani judicio, cùm apertissimum sit Caipham verum judicium protulisse.*

Anglo-Rhemens. in c. 11. Joh. *Hoc cùm dixit Caiphas Pontifex, Spiritus sancti assistentiam expertus est. Ergò Pontifices nostri errare non possunt.*

Idem statuunt Canus lib. 5. Locorum cap. ult. resp. ad argum. 2. Hardingus in resp. ad Apolog. Angl. can. p. 6. cap. 6. sect. 3. Illi omnes concedunt, Concilium fuisse legitimum, sed negant illud errasse,

Verba Melchioris Cani d. l. p. 177. sic habent: *Sacerdotum veterum acta quidem Christo adversa fuerunt, at sententia hominum alioqui pessimorum non solum verissima, sed Resp. etiam utilissima fuit, quin divinum oraculum fuisse Johannes Evangelista testatur. Cùm enim post longam variamque Concilii deliberationem Caiphas, qui ut summus Pontifex Concilio præsidebat, sententiam illam, cui omnes ferè consenserunt, dixisset, expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo &c. mox Evangelista subjecit: Hoc autem à semet ipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius prophetavit. Quæ ex re sit, ut & nostrorum Pontificum vita quidem & opera contraria forte sint Domino Jesu, sed eorum judicia, quæ videlicet à summo Pontifice comprobata sint, & vera erunt & Christianis utilia, ut quæ ad populi salutem sint divinitus instituta. Imò adeò à S. S. erunt eam ob causam, quam ab Evangelista didicimus, quia scilicet Ecclesiæ Christi Pontifices sunt.* Immane hoc est pronunciatum, cum Concilium illud confessores Christi excommunicaverit, & Christum blasphemiæ ac mortis reum peregerit. Inde alii agnoscunt, *Concilium illud errasse, sed tantum in quæstione facti, vel quantum ad errorem propriæ mentis, vel quia non processit secundum morem legitimi judicii.*

Bellarminus ex professo illas exceptiones refellit lib. 2. de Conc. cap. 8. resp ad 2. sic differens: *Quidam ajunt, quæstionem fuisse de facto, non de jure, quam Concilium illud judicavit, videl. num Jesus necandus esset? In ejusmodi autem judiciis Concilia errare posse, non est dubium. At quæstio illa, etiamsi de facto esset, tamen involvebat quæstionem de fide gravissimam, nimirum an Jesus esset verus Messias & filius Dei, atque adeò verus Deus? Quocirca erravit in fide perniciosissimè Caiphas cum universo Concilio, cum judicavit Jesum blasphemâsse, qui se Filium Dei appellaverat. Alii dicunt, Pontificem & Concilium errasse, quantum ad errorem propriæ mentis, non tamen errasse in sententia, quam protulit. Verè enim Jesus reus erat mortis, quia peccata nostra in seipso purganda susceperat, & verè expediebat, eum mori pro populo. Quare* Joh. cap. 11. *dicit, Caipham prophetasse. At licet verba Caiphæ bonum sensum recipiant, non tamen omnia. Cum enim ait de Christo, blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Certè tunc non prophetavit, sed blasphemavit. Alii dicunt, Concilium illud errasse, quia non processit secundum morem legitimi judicii, sed tumultuaria conspiratione, subornatis falsis testibus Christum damnavit, id quod adeo notum erat omnibus, ut etiam Pilatus sciret, per invidiam eum fuisse traditum sibi à Pontificibus. Matth. 27. Atque hæc quidem responsio probabilis est. Sed quia non est, inferiorum judicare, an superiores legitime procedant, necne, nisi manifestissime constet, intolerabilem errorem committi, & credibile est Deum non permissurum, ut Concilia, quibus summus Pontifex præsidet, non legitime procedant, ideo aliter respondendum.*

Hæc omnia Bellarminus aliorum fidei suæ sociorum exceptiones refellens. Quomodo verò ipse tandem respondet?

Respondemus, inquit, *Pontifices & Concilia Judæorum non potuisse errare antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse, cùm ipse fuerit summus Ecclesiæ Pontifex.* Sed Bellarminus in hac exceptione sibi ipsi contradicit. Nam lib. 3. de verbo Dei cap. 5. testim. 3. ex dicto Matth. 23. v. 2. *Super cathedram Mosis sedent Scribæ &c.* probare cupit, *Pontificem Romanum esse summum, infallibilem & authenticum controversiarum judicem*; & tamen illo tempore, quo Judæi jubebantur audire Scribas & Phariseos in cathedra Mosis sedentes, Christus præsens erat & per se Ecclesiam administrabat, ergò Scribæ & Pharisæi cum Sacerdotibus in cathedra Mosis sedentibus tunc errare poterant, nec judicium eorum erat simpliciter infallibile. Præterea, Spiritus sanctus manifeste testatur, Caipham tum temporis adhuc fuisse summum Pontificem Joh. 11. v. 51. ac Sacerdotium V. T. nondum fuit sublatum, cum Christus seipsum in ara crucis nondum obtulisset. Nihil ergò defuit, quod ad legitimum Concilium adversarii requirunt, & tamen gravissimè erravit. Ulterius, Ecclesia non est sine Sacerdotio. Pontificii addunt, nec sine sacrificio externo. Jam verò Christus nondum obtulerat seipsum in ara crucis in sacrificium, necdum incruentum illud sacrificium in institutione sacræ cœnæ obtulerat, de quo Pontificii multis disputant. Durabat igitur adhuc Aaronicum Sacerdotium, ac Præsules Hierosolymitani adhuc sedebant in cathedra Mosis. Lombard. libr. 3. sent. 3. *legalia demum in morte Christi terminata esse asserit.* Quid quod

quod ipsimet Pontificii ex Prophetia Caiphæ concludunt, *Pontificem non posse errare*, præsupponunt igitur, Caipham eo tempore adhuc fuisse Pontificem. Denique Stapletonus libr. 2. princip. fid. doctrin. cap. 11. disputat, *Christi Ecclesiam post ascensionem demum incepisse*, ergo visibilis Ecclesiæ locum adhuc habuerunt Pontifex & Sacerdotes. Confer dicta superius par. 2. cap. 2. sub finem.)

Secundo, Cyprianus multa instituit Concilia, in quibus omnibus definitum, *baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos*. Pamelius in annot. ad Epist. 73. Cypriani n. 6. ex Eusebio lib. 7. Hist. Eccl. cap. 3. & Augustino lib. 3. de Bapt. contra Donatistas cap. 10. memorat, *certo deprehendi posse fuisse tria Concilia ab illo hac de re congregata*.

Severinus Binnius tom. 1. Concil. p. 195. & seqq. *in tribus Conciliis Carthaginensibus dogma de baptizandis illis, qui ab hæreticis baptizati sunt, confirmatum esse* agnoscit, & singulorum Episcoporum in secundo Concilio Carthaginensi congregatorum sententias recenset. At hoc decretum fuit erroneum. Ergo Concilia errare possunt.

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæreses cap. 8. *Concilium Carthaginense in quo cum sancto Martyre Cypriano octoginta Episcopi convenientes concordi animo definierunt, hæreticos & ab hæreticis baptizatos fore cum resipiscerent baptizandos, nullus est, qui dubitet errasse.*

(Excipiunt, *Concilia illa non fuisse à Romano Episcopo confirmata*. Resp. hoc ipsum ostendit, Cyprianum & Aphricanos Episcopos non fuisse in ea sententia, quod Romani Episcopi congregatio vel confirmatio ad Concilium legitimum sit absolute necessaria, alias frustraneam operam in Conciliis sese sumere intellexissent. Præterea Concilium Episcoporum ab uno Episcopo, utpote singulari persona, est necessario distinguendum, atque illud pro Concilii decreto habendum, non quod uni tantum placet vel quod unus tantum dictitat, sed quod à pluribus simul congregatis communi suffragio decernitur. Ac nomen Ecclesiæ Episcoporum cœtui & Concilio tribui potest, Romano autem Pontifici soli, utpote personæ singulari, tribui non potest, nam docente Bellarmino lib. 3. de Ecclesia cap. 17. circa finem, *una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnum Dei*. Denique Honorius primus Pontifex Roman. ob hæresin Monotheletarum damnatus fuit à Concilio generali Constantinopolitano, quod Agatho Pontifex Romanus approbavit. Ergo possunt esse vera & legitima Concilia, etiamsi nondum ad ea accesserit Pontificis confirmatio. Veritas decretorum Concilii non pendet à Pontificis confirmatione & autoritate, sed ab eorundem cum Scriptura sacra conformitate.)

Tertio, Concilium Eliberinum celebratum Anno Christi 305. multa decrevit, quæ ne ipsis quidem Pontificiis probari possunt, utpote 1. quod quibusdam in vitæ fine communionem denegat.

Can. 1. *Placuit inter eos, qui post fidem Baptismi salutaris adulta ætate ad templum idololatraturus accesserit & fecerit, quod est criminen principale, (quia est summum scelus) placuit nec in fine eum communionem accipere.* Can. 9. *Si quis vero maleficio interficiat alterum, eò quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem.* Cap. 7. *Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ post tempora constituta accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus, placuit nec in fine habere eum communionem.* Can. 8. *Item fœminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerint viros suos & se copularint alteris, nec in fine accipiant communionem.* Can. 75. *Si quis Episcopum vel Presbyterum, aut Diaconum falsis criminibus appetierit & probare non poterit, nec in fine ei dandam communionem.* Confer canon. 2. 12. 17. 18. & 18.

2. Quod picturas in templis simpliciter prohibet. can. 36. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.*

3. Quod Magistratus anno regiminis sui templum ingredi minime debere statuit. can. 56. *Magistratum vero uno anno, quo agit duumviratum prohibendum placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.*

4. Quod can. 34. prohibet *cereos per diem in cœmiterio incendi*, addita ratione, *quia Spiritus sanctorum non sint inquietandi*. Subjecta etiam excommunicatione. *Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* (Inde Melchior Canus lib. 5. Locor. cap. 4. scribit, *Canon. 36. hujus Concilii erroneum esse.*)

Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 9. dicit, *hoc Concilium frequenter errasse, ideo quod lapsos aliosque peccatores graves licet pœniteant, ne quidem in mortis articulo absolvi concedat.* Contra vero Baronius cum de hoc Concilio, *quasi prope Novatiani fines attigisset*, tom. 1. Annal. Eccles. ann. 57. n. 119. & seq. liberius & acrius scripsisset, ea deinceps tom. 2. ann. Christi 305. n. 42. mitigat, quando de Patribus istius Concilii & lapsorum reconciliatione sic scribit: *Cum quæ ab illis de ea re statuta sunt, ab Innocentio Rom. Pont. excusentur, nemo sit, qui accusare præsumat.*

Existimat igitur, hanc Synodum legitimam fuisse atque ab omni erroris culpa liberam. Ostendere etiam conatur, Patres hujus Concilii à Novatianorum errore fuisse liberos. *Novatiani*, inquit, *lapsos simul à communione & pœnitentia excludebant; Patres hujus Concilii eosdem, quod frequentia lapsorum ac traditorum eo tempore exigebat, ad deterrendum alios, à communione duntaxat arcebant: à pœnitentia autem & peccatorum absolutione non prohibebant.*

Sed hæc apertis tibiis pugnant cum assertione Bellarmini, quod *lapsis absolutionem denegaverint*, quæ denegatio pugnat non solum cum verbo Dei, sed etiam cum aliorum Conciliorum canonibus. *Sincere enim pœnitentibus non esse negandum vitæ viaticum etiam non acta legitima pœnitentia, si mortis periculum supervenerit*, statuit Ancyrit. Synodus can. 6. & Nicena prima can. 12. & Aurelian. 2. can. 12.

Sed & canonem 36. de prohibitione picturarum variis modis excusare nituntur, 1. *quod hoc Concilio rejectæ sint imagines pictæ, non sculptæ, ob idololatriæ metum.* 2. *ne imminente persecutione Christiani auferre secum, aut occultare non possent, & ita picturæ essent ludibrio Judæis & paganis.* 3. *ne picturæ facile deformentur parietum crustis dejectis, & inde amissa venerabili forma potius contemtui sint quam venerationi.* 4. *pro temporum varietate statuta variari humana.* Petr. Martinez in comm. Epist. Judæ loco 18. Turrianus libr. 1. de Hierarch. ordin. cap. 12. Nic. Sanderus lib. 2. de cult. imag. cap. 4. Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 9. Suarez. tom. 1. Disp. Theol. Disput. 53. sect. 1. Garsias Loysa & Binnius in annotat. ad canon. hujus Cocilii.

Canonem 34. exponunt *de neophytis, qui more gentilium lucernas publice accendebant, non vero de iis, qui ad cultum & gloriam Dei lucernas & cereos publice accendunt.*

Item, canonem hunc *de Spiritibus fidelium adhuc viventium intelligendum esse, quorum Spiritus sive mentes hac Ceremonia eo tempore perturbabantur: & scandalum patiebantur, propter quendam surreptitium ritus superstitiosi & gentilis abusum.* Baronius tamen Anno Christ. 34. n. 312. per sanctorum Spiritus *mortuorum animas* intelligit, quæ *quidem non proprie, sed metaphorice duntaxat perturbari & inquietari dicantur, quod valde displiceant ipsis ritus superstitiosi, quos à quibusdam in sui honorem aut utilitatem vanam fieri & exerceri cognoscant, vel quod Carminibus Magicis, aliisve superstitionibus adhibitis animas suas ritu gentilitio advocari, solicitari, & inquietari doleant.* Sed quilibet videt, hæc excogitata esse ad nebulas clarissimæ veritatis luci obducēdas, unde alii liberaliter cōcedūt, *Conciliū hoc errasse.* Sed addūt; *fuisse Provinciale.* Id vero nostro argumēto nihil derogat. Infallibilitatē enim Cōciliorū cupiūt probare ex dicto Christi: *Ubi duo vel tres congregati &c.* quod æque de Provincialibus ac Oecumenicis Conciliis agit. Nec major Episcoporum numerus infallibilitatis causa est, sed Decretorum cum verbo Dei *συμφωνία*.

Quarto, Concilium Nicenum primum can. 12. damnat militiam. Canon sic habet: *Quicunque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt, deponentes militiæ cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam & pecunias redimerent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis post triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant.* In Jure Canonico verba Canonis sic habent: *Si qui per gratiam Dei vocati primo quidem ostenderunt fidem suam deposito militiæ cingulo, posthac autem ad proprium vomitum sunt reversi, ut & pecunias darent & ambirent rursus ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes post primum triennium, quo fuerint inter audientes.* At erroneum esse, si militia simpliciter damnetur, ipsimet Pontificii agnoscunt.

(Excipiunt, qui jussu Gregorii XIII. Jus Canonicum emendarunt & notis illustrarunt in annotat. ad c. Si qui vero. caus. 33. q. 3 dist. 5. de Pœnitent. Bellarminus lib 2. de Concil. cap. 8. Severinus Binnius in not. ad Conc. Nicen. pag. 319. & alii, *Canonem hunc intelligendum de militibus, qui sub impio Licinio una cum militia ad gentilismum redierunt.* Sed hanc expositionem refellit præcedens capitulum Juris Canonici ex Leonis Epistola 90. cujus hæc sunt verba: *Contrarium omnino*

est

eſt Eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem, cùm Apoſtolus dicat: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Unde non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare, ubi igitur de militia ſeculari, non de idololatria gentili, ac per *regulas Eccleſiaſticas* digitus intenditur ad hunc Canonem 12. Concilii Niceni. Confer Lutherum tom. 7. Jen. Germ. f. 240. In lib. de Concil. & Eccleſia.)

Quintò, Concilium Chalcedonenſe can. 28. Conſtantinopolitanum Epiſcopum Romano æquavit. *Sanctorum Patrum*, inquiunt, *Decreta ubique ſequentes & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus de privilegiis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuere. Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuere, rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regia Roma privilegiis fruatur, & in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli ac magnificari ſecundam poſt illam exiſtentem &c.* Hoc verò Pontificiis judicatur erroneum.

(Excipit Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. *Decretum illud abſentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, qui Concilio præſidebant, eſſe factum, ac à Leone Pontif. reprobatum.* Atqui ſi Patres Concilii Chalcedonenſis judicaſſent, præſentiam Legatorum Romanorum in Concilio eſſe abſolutè neceſſariam, ipſis abſentibus non feciſſent aliquod Decretum. Quamvis verò Leo illud reprobaverit, tamen, cum *nemo in propria cauſa judex eſſe poſſit*, major habenda eſt Concilii Sedem Conſtantinopolitanam Romanæ exæquantis, quam Pontificis Romani Decretum illud reprobantis autoritas.)

Huc referri poteſt, quòd Concilium Conſtantinopolitanum II. quod fuit *generale*, & appellatur *quintum Oecumenicum Concilium*, damnavit tria capita Concilii Chalcedonenſis de Theodoro, Theodoreto & Iba. Act. 4. Bellarminus ipſe lib. de Laicis cap. 20. §. Ad hoc ultimum, de Chalcedonenſi Concilio ſic judicat, quòd *in eo quædam fuerint bona, quædam mala; & quædam recipienda, quædam rejicienda.*

Sextò, Concilium Neo-Cæſarienſe can. 7. decernit, *Presbyterum non debere intereſſe ſecundarum nuptiarum convivio, utpote quibus pœnitentiam debeat tribuere.* Fuit quidem hoc Concilium particulare, interim tamen confirmatum eſt à Leone IV. c. de libellis. diſt. 20. & ab ipſa Synodo Nicena, ut habetur in Concilio Florentino ſeſſ. 7. tom. 4. Concil. p. 392. At Spiritus ſanctus approbat ſecundas nuptias Rom. 7. v. 3. & 1 Corinth. 7. v. 39. ac Pontificii videri nolunt ſecundas nuptias damnare, c. Qui Epiſcopus. diſt. 23. gloſſ. in c. Hac ratione. cauſ. 31. q. 1. c. Deus. cauſ. & quæſt. iiſdem. Ergò Concilium hoc erravit.

(Excipit Bellarminus lib. 2 de Concil. cap. 8. dupliciter. Primò *Concilium loqui de eo, qui duas ſimul habet uxores, ut exponit Gloſſa c. de his, qui frequenter. cauſ. 31 q. 1.* Atqui canon ille ne verbulo quidem mentionem facit ejus, qui *vivente adhuc uxore* aliam ſuperinducit. Et quomodo Bellarminus hanc exceptionem conciliabit cum eo, quod lib. 1. de Clericis cap. 23. ſcribit? *Quo tempore Paulus ſcripſit, non erat in uſu nec apud Judæos, nec apud gentiles, nec apud Chriſtianos, ut unus vir duas haberet uxores.* Si tempore Pauli illud non amplius fuit in uſu, multò minùs tempore Concilii Neo-Cæſarienſis. Sic ergò Concilium prohibuiſſet aliquid, quod nulli populo in uſu vel conſuetudine. Quin potius per *διγάμυς*, quorum nuptiis Presbyterum intereſſe Concilium Neo-Cæſarienſe prohibet, intelligi eos, qui defunctâ uxore ſecundas nuptias contrahunt, patet ex Concilio Niceno can. 8. & Concilio Laodiceno can. 1. Secundo igitur Bellarminus excipit, *Concilium non prohibere ſimpliciter ſecundas nuptias, ſed tantummodò ſolennitatem ſecundarum nuptiarum.* Reſp. hæc exceptio pugnat cum priore. Si enim Concilium loquitur de digamia ſimultanea, non poteſt ejus Decretum accipi de ſolennitate tantum nuptiarum, quia digamia ſimultanea in verbo Dei ſimpliciter eſt prohibita. Nec congruit hæc exceptio verbis Concilii, indicit enim pœnitentiam ſecundas nuptias contrahentibus, id quod labem aliquam illis aſpergit. Ac ſi Presbyter non debet illis intereſſe, magno id argumento eſt, eas non eſſe modis omnibus legitimas ac honeſtas. Caret inſuper ratione, quod ſolennitas nuptiarum ſemel tantum celebrari debeat, quando ſcil. virgines conjunguntur. Si enim ſecundæ nuptiæ ſunt honeſtæ ac legitimæ, ſine ratione ſolennitas nuptiarum illis denegatur.)

Septimò, idem Concilium Neo Cæſarienſe can. 11. ſtatuit, *Presbyterum non eſſe ordinandum ante annum ætatis 30.* argumento eo, *quod Chriſtus illo ætatis anno baptizatus primùm prædicare cœperit.* can. ultimo præcipit, *ut in quaque civitate tùm maxima, tum minima, ſint ſeptem Diaconi*, argumento eo quod *autoritas regulæ Act. 6. illud poſtulat.* At neutrum Decretum Scripturis eſt conforme, quia nec Chriſtus, nec Apoſtoli hiſce exemplis certam regulam, vel ætatis in ordinatione, vel numeri in Diaconorum conſtitutione præſcribere voluerunt, unde ipſi quoque Pontificii hæc Decreta non amplius obſervant.

Octavò, Concilium Laodicenum can. 1. ſtatuit, *ut ſecundum indulgentiam reddatur communio illis, qui ſecundis nuptiis juncti ſunt.* At non eſt indulgentia quædam Epiſcoporum ſecundis nuptiis neceſſaria, quas conſtat à Spir. S. in Scripturis eſſe approbatas.

(Excipit Bellarminus d. l. *Concilium fortaſſe loqui de illis, qui in ſecundo matrimonio adhibent ſolennitatem.* At Concilii verba manifeſtè oſtendunt, de ipſis nuptiis ſecundis, non de nuptiarum ſolennitate ſermonem eſſe, unde Bellarmin. reſponſioni ſuæ diffidens, particulam dubitandi *fortaſſe* adjecit. Aliter igitur excipit, *illud ſecundum indulgentiam petitum eſſe ex Apoſtolo 1. Cor. 7 v. 6. ubi dicit ſe indulgere uſum conjugii κατὰ συγγνώμην, h. e. ſe concedere minus bonum, quamvis optaret, majus bonum ab illis teneri.* Reſp. ut illis, qui in ſecundis nuptiis vivunt communio reddatur, nulla opus eſt Epiſcoporum indulgentia, ſed Epiſcopi ex mandato Dei tenentur omnibus verè pœnitentibus ſive ſint conjugati, ſive cœlibes, ſive in primo, ſive in ſecundo matrimonio vivant, communionem reddere.)

Nonò, Concilium Cathaginenſe III. can. 26. ſtatuit, *neminem debere vocari Principem Sacerdotum.* Decretum hoc fuit æquiſſimum, ſed non congruit placitis Romani Pontificis.

(Excipit Bellarminus d. l. *Concilium Carthaginenſe fuit nationale, nec ferebat leges univerſæ Eccleſiæ, ſed tantum Epiſcopis Africæ, itaque non prohibuit nec prohibere potuit, ne Romanus Pontifex diceretur Princeps Sacerdotum, vel ſummus Sacerdos, ſed tantum ne ita appellaretur ullus Metropolitanus Africæ.* At hæc limitatio ſive exceptio non additur in Concilii illius canone, ſed abſolutè ac ſimpliciter dicitur, nullum omninò debere vocari Principem Sacerdotum vel ſummũ Sacerdotum. Quinimò diſertè additur, *Univerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, utique ergò etiam Romano Pontifici univerſalis Epiſcopi titulum derogare voluit. Confirmatum autem eſt hoc Concilium autoritate Leonis IV. in c. de libellis. diſt. 20. & Synodi ſextæ generalis.

Decimò, in eodem Concilio Carthaginenſi can. 23 ſtatuitur, *ſemper ad Patrem dirigendam orationem, cùm altari aſſiſtitur.* Si non excluduntur Filius & Spiritus ſanctus, quorſum ad ſolum Patrem oratio dirigi jubetur? Sin excluduntur, error eſt, & Pontificii ipſi hoc Decretum non obſervant, quia in Miſſa dicunt: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram.* Ac Miſſam celebrans accedit ad medium altaris alternatim cum Miniſtris dicens: *Chriſte eleiſon, Jeſu Chriſte ſuſcipe deprecationem noſtram.*

Undecimò, in Concilio Toletano I. can. 17. ſtatuitur, *poſſe admitti ad communionem eum, qui concubinam habeat, modò non ſit uxoratus*, quod Concilium celebratum eſt juſſu Leonis I. At concubinatus in verbo DEI eſt prohibitus, nec videri volunt Pontificii Concubinatum approbare.

(Excipit Bellarminus, *concubinam intelligi uxorem ductam ſine dote & externa ſolennitate.* Demus hoc, ſed quæ poteſt dari ratio, quòd Concilium illud concedit in concubina, quod negat in uxore?)

Duodecimò, Concilium Conſtantinopolitanum III. quod fuit generale ſextum, multos habet errores, can. 2. recipitur Decretum Concilii Carthaginenſis ſub Cypriano habiti, *de rebaptizandis illis, qui ab hæreticis baptizati.* can. 72. judicantur *irrita & diſſolvenda conjugia Catholicorum cum hæreticis*, ac plura alia erronea in hoc Concilio ſtatuuntur.

(Excipit Bellarminus, *Canones, qui ſextæ Synodo tribuuntur, non eſſe editos ab ullo legitimo & probato Concilio.* Atqui non ſolum Pontifices Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, & Innocentius III. c. à multis extr. de ætat. ordinand. canones ſub nomine ſextæ Synodi allegant, ſed etiam Adrianus I. in Epiſtola ad Tharaſium in ſecunda actione ſeptimæ Synodi

cos

eos confirmat. Regerit Bellarminus, *Pontifices sub nomine sextæ Synodi Canones hosce allegâsse, vel quia sic communiter vocantur, vel quia à Gratiano accepti sunt, qui in hac parte sæpe errat.* Atqui sic errassent etiam Pontifices errantium sententiam sequendo. Quòd si vero in præmissis errare potuerunt Pontifices, in Decretis scil. Conciliorum, ex quibus sententiam suam deducunt, utque etiam in conclusione, quæ ex præmissis deducitur & Naturam præmissarum sequitur, errare poterunt. Ad testimonium Adriani regerit, *cum solum citare sententiam Tharasii nec refellere, quia canon 82. de picturis nil ulserat eo tempore ad quæstionem de qua agebatur.* Atqui verba Adriani sic habent: *In sextæ Synodi divine & legaliter prædicatis canonibus. Item: Sextam Synodum recipio cum omnibus canonibus suis)*

Decimò tertiò. Concilium Nicenum II. Angelis & animabus humanis corpora tribuit, quæ circumscribantur ac proinde pingi possint. Nam cum Demetrius Notarius Concilii legisset ex sermone Johannis Episcopi Thessalonicensis colloquium gentilis & sancti, in quo sanctus dicit, *Angelos & animas humanas tenui corpore aereo sive igneo constare.* Item, *neminem vel Angelos, vel Dæmones, vel animas dicturum incorporeas, & sic ipsam Ecclesiam sentire;* Tharasio Patriarchæ inde concludenti, quod & *Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt,* sacra Synodus dixit, *Etiam Domine.* Tom. 3. Conc. Nicen. II. act. 5.

Decimò quartò, in Concilio Wormaciensi can. 3. jubentur *fures occulti explorari per Eucharistiæ perceptionem.* At hoc pugnat cum fine Cœnæ Dominicæ.

(Excipit Bellarminus, *Concilium hoc fuisse Provinciale, non confirmatum à Romano Pontifice.* Resp. Decreta hujus Concilii Wormaciensis inserta sunt juri Canonico. c. Sæpe, caus. 2. q. 3. *Sæpe contingit, ut in Monasteriis Monachorum furta perpetrentur, idcirco statuimus, ut, quando ipsi fratres de talibus se debent purgare, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex præsentibus fratribus, & sic expleta Missa omnes communicentur in hæc verba, Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem.* c. Si Episcopo, caus. & quæst. iisd. *Si Episcopo aut Presbytero aliquod maleficium imputatum fuerit, pro singulis Missam celebrare debet & communicare, & de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere. Quòd si non fecerit, quinquennio à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur.)*

Decimò quintò, in Concilio Mantuano sub Alexandro II. in præsentia Henrici IV. Imp. statutum, *quòd omnes, qui per Simoniam ad sacra pervenerunt officia, deponi debeant.* At in Ecclesia Romana hoc non observatur.

Decimò sextò, in Concilio Lateranensi sub Innocentio can. 13 prohibetur, *ne postea nova religio, hoc est, novus aliquis Ordo Religiosorum institueretur.* (Juxta hunc canonem Jesuitæ prius fuissent damnati, quam nati.)

Decimò septimò, Concilium Romanum sub Nicolao II. definit contra Berengarium, ipsum *verum Christi corpus tractari & frangi manibus Sacerdotum & fidelium dentibus atteri.* At glorificatum Christi corpus nec manibus frangitur nec dentibus atteritur.

(Excipit Bellarminus, *sensum esse eum, non nudum signum, sed signum habens realiter conjunctum Christi corpus manibus frangi ac dentibus atteri, vel quod idem est, verum Christi corpus ibi præsens existens frangi & teri, non tamen in se, sed in signo.* Resp. Concilium non dicit signum, cum quo verum Christi corpus conjunctum, manibus frangi ac dentibus teri, sed ipsum Christi corpus; aliud est symbolum externum, cui corpus Christi Sacramentaliter est unitum, aliud ipsum corpus Christi, quod Symbolo externo Sacramentaliter est unitum, quinimò nominatim dicit, *corpus Christi non modò in Sacramento, sed sensualiter in veritate manibus frangi ac dentibus atteri,* unde glossa in c. Ego Berengarius. de consecrat. dist. 2. dicit, *nisi sane intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæresin, quàm ipse habuit, ideo omnia referas ad species ipsas, nam de Christi corpore partes non facias.* Roffensis lib. 2. contra Oecolampad. cap. 12. inquit, *quia Berengarius in alterum latus nimium exorbitasset, ideò Concilium plus æquo in alterum nunc trahi.)*

Decimò octavò, Concilium Constantiense & Basileense decreverunt, *Concilia esse supra Papam.* At hoc Decretum non probatur Jesuitis, qua de re suo loco plura.

Decimò nono, Lateranense Concilium sub Leone X. habitum probavit *montes pietatis à Pio II. institutos.* Contra eos Cardinalis Cajetanus in peculiari tractatu, & Dominicus Sotus lib. 6. de just. & jure cap. 1. q. 6. ex professo disputarunt, docentes, hujusmodi mutuationem esse usurariam.

11. Quòd Decreta aliquot Conciliorū secum invicē pugnant.

Gratianus quidem in conciliandis, tum Conciliorum, tum Patrum contradictionibus, sedulò laborat, sed re ipsa ostendit, ipsum non satisfacere posse instituto.

Primò, Concilium Arelatense II. can. 2. sic decernit: *Assumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio, non oportet.* Pugnat hic canon cum can. 4. Concilii Gangrensis, in quo excommunicantur, qui *nolunt interesse sacrificio, quod offertur à Presbytero conjugato.* Item cum Concilio Niceno I. in quo sententia Paphnutii approbata est, quod sit *castitas cum propria uxore consuetudo.*

(Excipit Bellarminus, *Concilium Gangrense loqui de Presbytero, qui aliquando uxorem habuit.* Glossa hæc est Gratiani, sed non ex textu eruta, verùm textui intrusa. Verba enim canonis sic habent: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abstinet, anathema sit.* Nec fuisset ulla ratio subtrahendi se à consortio ejus, qui à malo jam egisset pœnitentiam, ut Decreto aliquo Concilii propterea opus fuisset. Regerit Bellarminus, *conversionem non esse solum à statu malo ad bonum, sed etiam à statu bono ad meliorem.* At quilibet videt, hanc locutionem esse planè catachresticam. Scriptura non novit nisi unam conversionem à malo ad bonum, à *tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum,* Act. 26 v. 18.

Secundò, Concilium generale secundum statuit can. 5. quòd *post Romanum Episcopum immediate debeat esse Episcopus Constantinopolitanus.* At hoc Decretum pugnat cum can. 6. Concilii Niceni, in quo *secundus locus Episcopo Alexandrino, tertius Antiocheno tribuitur.* Quinimò quoad Pontificis Romani Primatum quatuor contradictiones in Conciliorum Decretis occurrunt, 1. Vetera Concilia, ut Nicenum can. 6. 7. & Chalcedonense act. 17. per Primatum nihil amplius intellexerunt, quam *honoris & ordinis prærogativam.* Sed nova Concilia, ut Lateranense & Florentinum non ordinis prioritatem, sed *dominationis potestatem* propugnarunt. 2. Canon. 7. Nicenus prærogativam ordinis & honoris tribuit *Episcopo Hierosolymitano,* Constantinopolitanum & Chalcedonense Concilia illi eandem adimunt, tribuendo eam *Episcopo Romano.* 3. Nicenus & Constantinopolitanus canon ordinis dignitatem *soli consuetudini Ecclesiasticæ* acceptam ferunt, sed posteriora Concilia pro Primatu Rom. Pontificis pugnantia contendunt, Papam *jure divino* esse Ecclesiæ principem. 4. Sextus canon Nicenus tribuit *primum locum* & Sedem *Romano* Episcopo, *secundum Alexandrino,* præterito interim Constantinopolitano. Contra, Concilium Constantinop. & Chalcedonense *Episcopo Constantinopolitano* parem dignitatem cum *Romano* adsignant.

(Excipit Bellarminus, *Decretum illud Concilii generalis secundi non fuisse approbatum à Damaso & Leone.* Atqui hoc Pontificis Romani, non autem Decreti hujus infirmitatē ostendit, quia, etiamsi Romanus Pont. consentire nollet, nihilominus tamen factum est, & obtinuit illud Decretum.)

Tertiò, Concilium Carthaginense III can. 47 numerat in canone *librum Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ & alios V. T. Apocryphos;* quos Concil. Laodicenum can. ult. rectius à numero Canonicorum librorum excludit. (Excipit Bellarmin. *Concilium Carthaginense esse majoris autoritatis, tùm quia posterius, tùm quia nationale & approbatum à Pontifice Romano.* Atqui etiam Laodicen. Concilium confirmatum à Leone Episc. Rom. c. de libellis dist. 20. Præterea Concil. Laodicenum antiquius est Carthaginensi. E. etiam majoris autoritatis juxta regulam Isidori c. Sancto Domino. dist. 50. cumprimis quia quæstio de canone pertinet ad doctrinam fidei. Jam v. *in quæstionibus fidei,* docente Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 7. *antiquioris Concilii major est autoritas.* Aliter igitur excipit, videl. *Concilia hæc propterea non pugnare, quia Laodicenum in canone posuit eos libros, de quib. Concilii illius Episcopi erant certi, alios v. omisit, non quidem negans eos esse canonicos, sed nolens rem dubiam definire, Concilium a. Carthag. III. re magis discussa definivit id, quod Laodicenum prius in dubio reliquerat.* Atqui hac ratione canoni à Conc. Carthaginensi edito possent adhuc aliquot libri adjici, nec tum certi aliquid de canonis perfectione constaret. Certe qui libri non sunt additi canoni Scripturæ à Conc. Laodiceno, illi eo ipso per Concilii Decretum à canone sunt exclusi. Prohibet n. Concilium can. 59. ne *βιβλία ἀκανόνιστα legantur in Ecclesia,* mox subjicit libros Canonicos, reliquos autē prætermittit. Bellarm ipse ita colligit lib. 1. de V. D. c. 20. *Psalm. 151 cujus mentionē facit Athanasius in Synopsi non est canonicus, quia Concil. Laodicenum*

cum

cum Romano sub Gelasio & Tridentino Psalmos centum & quinquaginta nominatim in canone ponunt. Agnoscat ergo eodem modo colligi posse: Liber Sapientiæ, Ecclesiasticus, Tobiæ &c. non sunt canonici, quia Conc. Leodicen. tantum illos libros, quos Israelitica Ecclesia pro canonicis habuit, nominatim in canone ponit. Felicius Concilii Laodiceni & Carthaginensis Decreta Bellarm. conciliasset, si Cajetani sui distinctionem adhibuisset: inter libros canonicos, h.e. regulares *ad dogmatum confirmationem*, & inter canonicos, i.e. regulares *ad morum ædificationem.*)

Quartò, Concilium Nicenum statuit, *Imagines esse colendas.* Hoc Decretum pugnat cum Decreto Conc. Constantinopolitani II. ut fatentur Patres Niceni 2. act. 6.

(Excipit Bellarm. *Concilium illud Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo non fuisse generale, nec legitimum, cùm non adfuerit Pont. Rom. nec per se, nec per Legatos.* Resp. fuit hoc Concilium verum & legitimum generale Concilium VII. cui interfuerunt 330. Episcopi, ut refert Sigebert. in Chron. Pontifex Roman. adesse noluit, quia noverat imaginum cultum in eo damnandum. Si Pontificis absentia efficit, quò minus Concilium aliquod pro generali ac legitimo haberi debeat, tum Constantinopolitanum I. quod fuit generale secundum, non erit legitimum, quia nec illi interfuit Pontifex. Adde, quod Concilium Nicenum II. ab Irene fœmina crudelissima & superstitiosissima congregatum, non solum cum præcedente Constantinopolitano, sed etiam cum sequentib. Conciliis pugnet. Francofurti n. congregatum est Concilium annis quinque post Nicenum II, cui interfuerunt Legati Romani Pontificis, & ipse Carolus Magnus Imperator August. in quo septimum generale Concilium, h.e. Constantinopolitanum fuit confirmatum & Nicenum damnatum. Regerit quidem Bellarmin. *in Concilio Francofurtensi errorem facti fuisse commissum.* At res ipsa ostendit, definitum fuisse aliquod dogma fidei de cultu imaginum.)

Quintò, in Concilio Romano sub Stephano VI. damnatus est *Formosus* Pontifex, & omnia illius acta abrogata. Postea sub Johanne IX. Ravennæ aliud Concilium fuit habitum, in quo Formosus fuit restitutus & *Stephanus* damnatus, omniaque Concilii illius, quod sub Stephano habitum fuit, acta abrogata. Alterutrum ergò horum Conciliorum erravit.

Melchior Canus libr. 5. Locor. cap. 5. p. 165. *Synodus Provincialis sub Stephano hujus nominis Septimo per errorem omnes ordinationes factas à Formoso irritas esse decrevit, quod in Synodo Romana sub Johanne IX. jure reprobatum est.*

Baronius ad Annum 897. de Stephano hæc memorat: *Iste siquidem vi summâ collecto conventiculo Episcoporum, simulque Presbyterorum Cardinalium sibi similium, Sergio, Benedicto atq; Martino, Diaconis etiam Johanne, Paschali, alteroq; Johanne, hominibus perditissimis, violatoribus Pontificiæ sepulturæ, Formosi venerandum cadaver effossum & sepulchro extractum, tanquam vivum hominem ad judicium adductum judicari voluit.* (Ergò etiam Concilium, cui Pontifex præest, errare potest.)

(Excipit Bellarminus Canum secutus, *quæstionem fuisse de facto, an Formosus fuerit verus & legitimus Pontifex, & quia Stephanus malè informatus censuit, eum non fuisse Papam, acta ejus irritavit. Quia verò Johannes postea re melius investigata invenit contrarium, prioris Concilii errorem correxit.* Resp. Infallibilitas Conciliorum pendet juxta Bellarmin. hypothesin à confirmatione Pontificis; confirmatio Pontificis tum demum firma & rata censenda est, si sit verus & legitimus Pontifex, qui Conciliorum Decreta confirmat, quia *dubius Papa habetur pro non Papa*, inquit Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 19. resp. ad 3. Quòd si ergò in illo primo & præcipuo capite errare potest Pontifex, ut damnet aliquem, qui est verus Pontifex, utique etiam in aliis minoris momenti capitibus errare potest. Si Pontifex errare potest in decisione illius quæstionis, quis sit verus Pontifex, consequens est, omnia Papalis fidei dogmata esse incerta. *Omnium enim dogmatum firmitas pendet ab autoritate præsentis Ecclesiæ*, ut scribit Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 25. §. Ultima. Ecclesia illa *est Pontifex cum Concilio*, scribit idem lib. 3. de verbo Dei cap. 3. §. Tota igitur. Summus *Pontifex absolutè est supra Concilium*, scribit idem lib. 2. de Concil. cap. 17. §. 1. Omnium ergò dogmatum firmitas pendet à Romano Pontifice. Id verò necessario intelligendum de vero ac legitimo Pontifice, quia *dubius Papa habetur pro non Papa.* Omnium igitur dogmatum firmitas pendebit ex hoc principio quis sit verus Papa. Atqui in Decisione hujus quæstionis Pontifex errare potest, & Stephanus ipso facto in ea erravit, ut hoc loco Bellarminus concedit. Quæ igitur erit certitudo dogmatum Papalium? Deinde, invenerit sanè Johannes IX. re melius investigata, quod Formosus fuerit verus Pontifex; consequens igitur erit, Decretum Johannis IX. fuisse verum, legitimum & ab immediata Spiritus sancti assistentia profectum Decretum. Atqui illud ipsum postea abrogatum fuit à Sergio III. qui non modo Formosum iterum damnavit, ejusque acta abrogavit, sed etiam Formosi corpus è sepulchro extraxit, caput ei amputavit, corpus in Tiberim projecit, quod ibi à piscatoribus inventũ, & postea in Basilica S. Petri Romæ sepultum, ab imaginibus adoratum fuisse narratur. Alterutrum ergò errasse oportuit aut Johannem IX. cum suo Concilio, aut Sergium III.)

12. Quòd agnoscere coguntur, non nisi ex Historia Ecclesiastica sciri posse, hoc vel illud Concilium esse à Pontifice confirmatum, & per conseq. hoc vel illud Concilium non potuisse errare. At, quod tantum ex Ecclesiastica Historia scimus, illud non nisi humana fide scimus.

Melchior Canus lib. 6. Locor, Theol. cap. 8. p. 211. *Concilium Nicenum in fide non errasse, aut Chalcedonense, aut Ephesinum, nec in sacris libris, nec in Apostolorum Traditionibus explicatum est. Sed solum, Concilia in Spiritu sancto legitimè congregata errare non posse. At, quod Concilium Nicenum, Chalcedonense, Ephesinum, legitimè fuerint coacta, ex divina revelatione non creditur. Creditur tamen ex humana fide & traditione Historiæ fide digna, per quam habemus, eas Synodos, indicentibus & confirmantibus veris Ecclesiæ Pastoribus, ex universo orbe convenisse.*

Bellarminus libr. 2. de Concil. cap. 9. §. Alii. *Concilium esse legitimum iis, qui tunc adsunt præsentes, evidens esse potest sine aliqua probatione. Vident enim convenisse in unum Episcopos, qui habentur ab omnibus veri Episcopi, & convenisse ex variis Provinciis, & vocatos ab eo, qui habet autoritatem. & si quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre possunt. Posteris autem vel absentibus idipsum est notum ex humana fide, sed certissimâ & quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari possit &c. Quare quemadmodum fuisse quondam Consulem Ciceronem, Julium Cæsarem Dictatorem, Octavianum cum Antonio prælio navali decertasse, & alia id genus, etsi ex fide humana pendeant, tamen adeò certa sunt, ut evidentiam quandam habere videantur: sic etiam Concilia Ecclesiæ, quæ nos legitima fuisse dicimus, tot habent testimonia omnium ætatum, ut nihil dubitationis in animis nostris relinquant, quò minus credamus talia fuisse, qualia dicuntur. Quare cùm ex fide Catholica habeamus, Concilia legitima à summo Pontifice confirmata non posse errare, & ex naturali evidentia, aut ex fide humana certissima sciamus, Concilium Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum I. & alia hujusmodi legitima, & à summo Pontifice approbata fuisse, id certè sequitur, ut hujusmodi Conciliorum Decreta certa fide credamus.*

(Concedit igitur Bellarminus, *non nisi ex Historia Ecclesiastica, ac proinde non nisi fide humanâ credi, hæc vel illa Concilia fuisse legitima.* Atqui non solum fide humana, sed etiam fide divina & Catholica credendum esset, hoc vel illud Concilium fuisse legitimum, si ejus Decreta fide divinâ & Catholica essent credenda. Quia verò fide divina Catholica credere non possumus, hoc vel illud Concilium fuisse legitimum, hæc vel illa in Conciliis esse Decreta, cùm Historicorum Ecclesiasticorum testimonium non pariat fidem divinam & Catholicam, ideo Decreta Conciliorum non possumus fide divinâ & Catholica amplecti, nisi prius ex Scripturis sacris, quæ solæ sunt θεόπνευστοι & fidem divinam & Catholicam pariunt, eadem probentur. Fides humana non est fides Catholica, quippe, quæ nititur non humanis, sed divinis tantum testimoniis. Præterea, quamvis quidam ex Scholasticis statuant, *ex una principio de fide, & altero naturaliter, vel moraliter cognito sequi conclusionem de fide*, tamen Alphonsus Mendoza contrarium statuit. Sic enim scribit in controv. Theolog. q. 4. Scholast. §. 14. p. 352. *Non satis certum est, conclusionem ex una præmissarum de fide & altera evidenter cognita esse de fide. Imò æstimo non esse de fide. Verbi gratiâ. Omnis homo est risibilis. Christus est homo. Ergo* CHRISTUS *est risibilis. Hæc conclusio de rigore non est de fide.* Stante hac hypothesi non poterit probari, quod infallibilitas hujus vel illius Concilii sit de fide.

Vidit hoc Andreas Vega, ideo lib. 3. Concil. Trident. cap. 39. aliter respondet, *Concilium esse legitimum teneri à fidelibus, non*

non quia id Historici testantur, sed quia ipsum Concilium hoc definivit, solent enim Concilia initio actorum definire, suum conventum esse legitimum, & in Spiritu sancto congregatum.

Sed hanc Vegæ responsionem refellit Bellarminus d.l. *Non videtur, inquit, hæc solida responsio. Nam primò vetera Concilia non solebant initiò testari, suum conventum esse legitimũ, & in Spiritu Sancto congregatum; Concilia verò quædam posteriora, ut Constantiense, Basileense, Lateranense, Tridentinum, & alia id quidem testantur, sed non tanquam Decretum aliquod formant de fide. Nusquam enim invenitur inter Canones propriè dictos alicujus Concilii aliquis canon, quo definiatur, illud ipsum Concilium esse legitimum, à quo canones illi conditi sunt. Secundò, aut constat nobis aliunde Concilium aliquod fuisse legitimum, dum definire vellet, se esse legitimum, aut non constat. Si constat, frustra conditur tale Decretum; si non constat, jam de ipso Decreto dubitare incipiemus. Si enim ambigo, an fuerit legitimum Concilium, antequam definiret se esse legitimum, ambigo etiam, an non erraverit in eo ipso Decreto, quo se legitimum esse pronunciavit. Addi potest tertiò, quod ne ipsis quidem sacris literis Bellarminus fidem adhibendam esse censet, si vel maximè testentur, se esse divinas, nisi illud aliunde probetur.*

Sic enim disserit lib.4. de Verbo Dei cap.4. *Necesse est, inquit, nosse, extare libros aliquos vere divinos, quod certe nullo modo ex Scripturis haberi potest. Nam etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certo id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti passim legimus, ipsum Alcoranum de cœlo à Deo missum, & tamen ei non credimus.* (Non approbamus hoc Bellarmini pronuntiatum, interim contra Vegam rectè illud urgemus.)

13. Quòd agnoscere coguntur, Concilia Vet. Testam. errare potuisse. (Atqui si Vet. Testam. Sacerdotes in Concilio congregati errare potuerunt, cum tamen fuerint Aaronicæ Sedis divinitus institutæ Successores, utique etiam Novi Testam. Episcopi errare possunt, cum promissiones ipsis datæ æquè sint conditionales ac V.T. promissiones. Joh.8.v.31. Hebr. 3.v.6.1. Joh.2.v.24.)

Quòd errare potuerit Concilium Sacerdotum præsente jam Christo, disertis verbis concedit Bellarmin. lib.2. de Concil. cap.8 resp. ad 2. Quamvis verò ibidem addat, *Pontifices & Concilia Judæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret,* quod etiam repetit lib.3. de Eccles. cap.17. resp. ad 3. arg. tamen in ea sententia sibi non constat. Nam,

Primò, infallibilem Conciliorum autoritatem demonstraturus, ne unicum quidem ex V.T. adducit dictum, sed tantummodò N.T. dicta, lib.2. de Conc. cap.2. tacite igitur concedit, infallibilitatem illam non competere Conciliis V.T.

Secundò, responsurus ad loca V.Test. in quibus Pastores, Sacerdotes ac Prophetæ V.Test. non solum improbitatis, sed etiam ignorantiæ & erroris accusantur, lib. ejusd. cap.6. sic scribit: *Etiamsi nihil horum haberemus, tamen non continuò liceret omnia quæ in Scripturis adversus Prophetas & Sacerdotes V.T. dicuntur, transferre ad Sacerdotes N.T præsertim in Concilio congregatos. Certiores enim & majores promissiones Dei habet Ecclesia, quam Synagoga. Nec enim de Synagoga usquam legimus, quod Christus dicit Matth.16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Nec id, quod Apostolus ait, 1.Tim.3. eam esse columnam & firmamentum veritatis. Neque de Caipha scriptum est, sed de Petro, Rogavi pro te, ne deficiat fides tua, Luc.22.*

(At si Ecclesia N.Test. certiores & majores habet promissiones, quam Synagoga V.T. utique ratione infallibilitatis non erit par utriusque ratio. Si illa dicta, ex quibus infallibilitas Ecclesiæ probatur, non pertinent ad Synagogam V.Test utique etiam Synagogæ non competit infallibilitatis privilegium. Ulterius, si Ecclesia V.Test. errare potuit, utique etiam Sacerdotes & Concilia V.Test. errare potuerunt, cum Concilia sint Ecclesia repræsentativa, ut loquuntur.)

Tertio, probaturus, *Ecclesiam non posse errare,* lib.3. de Eccles. cap.14. nullum ex V.T. sed tantum ex N.T. dicta adducit. (Confer, quæ de infallibilitate Ecclesiæ dicentur inferius cap.11.n.5.)

Quartò, negari nulla veritatis specie potest, Sacerdotes, Scribas & Pharisæos etiam ante Christi in terras adventum gravissimos errores publice sparsisse, quos enim foverunt & propagarunt errores, illos non demum post Christi adventum conceperunt, sed per annos complures etiam ante Christi adventum foverunt & propagarunt, Matth.5.v.21.27. & 33. Ab illis igitur in Concilio congregatis Spir. S. contra mentem & voluntatem eorum non expressisset veritatem.

Quintò, Christophorus à Castro in Comment. cap.26. Jerem. v.8. super verba: *Apprehenderunt Jeremiam Sacerdotes & Prophetæ & omnis populus dicens, morte moriatur,* p.223. sic scribit: *Ut Jeremiam accusabant Sacerdotes & Scribæ cum populo universo de blasphemia, quod dixisset templum Dei cum urbe destruenda, ita accusarunt Christum, quod affirmasset se templum eversurum, & in tribus diebus reædificaturum, Matth.26.v.61.*

(Quemadmodum igitur in accusatione Christi gravissimè errarunt, ita quoque in accusatione Jeremiæ idem ipsis contigit.)

Sextò, Sainctius in Comm.4.Reg 16.v.26. agnoscit, summum Sacerdotem V.T. gravissime errasse. *Rex Achaz cùm vidisset altare, quod pro Deorum suorum cultu Damasceni construxerant, statuit illius novam formam, contra quàm lex & consuetudo patiebantur, in templum Salomonis inducere. Quare illius formam accurate descriptam ad Uriam misit, qui tunc Hierosolymis summi Sacerdotis munere fungebatur, jussitque, ut ad illius similitudinem altare aliud faciendum curaret. Præstitit Urias, quod ipsi fuerat imperatum à Rege, ac super novum illud altare omnia sacrificia obtulit. v.15. & 16.*

(At si summus Sacerdos V.Test. errare potuit, & ipso actu gravissimè erravit, utique etiam Concilia, quæ infallibilitatem suam à summo Sacerdote mutuantur, errare potuerunt, unde etiam reliqui Sacerdotes in hunc Uriæ errorem consensisse intelliguntur.)

14. Quod negant, Conciliorum Decreta esse Scripturis sacris exæquanda.

Alphonsus à Castro lib.1. adv. hæres. p.9. *Decreta Conciliorum non sunt habenda pro Scripturis divinis, cum mutabilia sint & antiquari possint.*

Melchior Canus lib.5. Locor. Theol. cap.5. pag.165. *Libros, qui Decretales Pontificum Epistolas, Synodorumq; judicia continent, in sacris & Canonicis habere absurdum est. Duplex enim discrimen inter sacros Autores & summum Pontificem, Patresq; Concilii reperitur, Unum, quod Autores sacri ex proxima Dei, vel revelatione, vel inspiratione scribunt Catholica dogmata. At Concilium & Pontifex humana via incedunt, rationemq; sequuntur, atq; argumentando verum à falso discernunt &c. Alterum discrimen est, quod Scriptoribus sacris Dei Spiritus adest in singulis, etiam minimis rebus. At Patribus Synodi Spiritus veritatis non est præsens in omnibus, sed in rebus solum ad salutem necessariis.*

Bellarminus lib.2. de Concil. cap.12. §.2. *Multiplex est discrimen inter Scripturam sacram & Conciliorum Decreta, Primum est, quod Scriptura est verbum Dei immediate revelatum, & scriptum quodammodo Deo dictante &c. At Concilia non habent neque scribunt immediatas revelationes, aut verba Dei, sed tantum declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum, vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & præterea ex eo per ratiocinationem deducunt conclusiones. Alterum discrimen est, quod Scriptores sacri non debuerunt multum laborare in libris suis edendis &c. At Patres in Conciliis debent rem ipsam quærere, hoc est, conclusiones investigare disputando, legendo, cogitando. Tertium est, quod in Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus, & sive affirmetur aliquid generale & toti Ecclesiæ commune, sive aliquid particulare & ad unum hominem pertinens. At Concilia in judiciis particularibus errare possunt. Quartum est, quod in Scriptura non solum sententiæ, sed etiam verba omnia & singula ad fidẽ pertinent. At in Conciliis maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide disputationes, quæ præmittuntur, neq; rationes, quæ adduntur, neq; ea, quæ ad explicandum & illustrandum afferuntur, sed tantum ipsa nuda Decreta, & ea non omnia, sed tantum quæ proponuntur tanquam de fide. Denique in ipsis Decretis de fide non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet. Quintum est, quod Scriptura non eget approbatione Pontificis, ut sit authentica, sed tantum, ut innotescat ejus autoritas. At Concilia etiam legitima & generalia non sunt rata, nisi à Pontifice confirmentur.*

(Ex illis omnibus sic inferimus: Aut Conciliorum Decreta sunt θεόπνευστα, & Scripturis sacris exæquanda, aut non sunt αὐτόπιστα, sed ex Scripturis judicanda & non nisi quatenus cum Scripturis consentiunt, acceptanda. Differentiæ inter Scripturam sacram & Conciliorum Decreta à Melchiore Cano & Bellarmino allatæ nondum tollunt vim argumenti. Utut enim in multis aliis distinguantur, in eo tamen, juxta Pontificiorum hypothesin conveniunt, quod ut

Script. sacra est αὐτόπιςος, quia θεόπνευςος, ita quoque Conciliorum Decreta sint αὐτόπιςα & sine ulteriore disquisitione acceptanda, cum per particularem Spiritus sancti assistentiam sint edita, hactenus igitur & in hoc respectu Scripturis erunt exæquanda. Si enim eodem modo reguntur Episcopi in Conciliis congregati, quo Apostoli, videlicet per particularem & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, ut in quæstionibus fidei definiendis errare non possint, utique etiam Decreta Conciliorum & oracula Apostolorum, hactenus & hoc respectu erunt in pari autoritatis gradu habenda. Quòd Apostoli in libris edendis non multum laborarunt, Patres in Conciliis disputando, legendo, cogitando conclusiones investigarunt, illud in dogmatum autoritate nullum facit discrimen, sufficit, quod utrique particularem & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam habuerint, ac fidei quæstiones infallibiliter definierint. Quæro enim, an in illa via disquisitionis, quâ Pontifex & Episcopi in Conciliis utuntur, errare possint, necne? Si possunt, errare etiam possunt in Decretis, si in mediis, utique etiam in fine; si in præmissis, utique etiam in conclusione, quia conclusio ex præmissis deducitur; si in via, utique etiam in termino, qui enim in via aberrat, terminum ac finem legitimum obtinere nequit. Si non possunt in via illa disquisitionis errare, ergo quoad autoritatē αὐτόπιςον nullum relinquitur discrimen inter Decreta Conciliorum, & pronunciata Apostolorum, quia utrique infallibiliter per particularem aliquam Spiritus sancti assistentiam definiunt. Quicquid ergò discriminis inter Scripturam sacram & Conciliorum Decreta statuatur, tamen ex Pontificiorum hypothesi in eo semper manet æqualitas, quòd utraque sint infallibilia & αὐτόπιςα. Vident hoc quidam ex ipsis Pontificiis, ideo sine scrupulo concedunt, *Decreta Conciliorum esse Scripturis sacris in gradu autoritatis exæquanda.* Gratianus c. In Canonicis. dist. 19. affirmat, *Epistolas Pontificum Decretales numerari debere inter Scripturas Canonicas:* & can Decretales. dist. 20. dicit, *Conciliorum Canones esse ejusdem autoritatis cum Epistolis Decretalibus.* Ergò etiam Canones Conciliorum numerandos statuit inter Scripturas Canonicas. Bellarminus d. l. excipit, primo, *Gratianum deceptum esse ex depravato Codice, quem ipse habuit, Augustini, tribuit enim illum Canonem Augustino lib. 2. de doct. Christ. cap. 8. Codices autem veri & emendati B. Augustini non habent, ut Gratianus refert, sed longè aliter.* Resp. quicquid sit, si vel maxime deceptus fuerit Gratianus ex depravato Codice, tamen reverà ita sensit, & cur errorem illum in Jure Canonico adhuc tolerant? cur Gratianum deceptum alios adhuc decipere permittunt? Aliter igitur excipit, *Gratianum non voluisse dicere, Decreta Pontificum esse proprie Scripturas sacras & Canonicas, ut sunt Evangelia & Psalmi, sed esse Scripturas sacras, ut distinguantur à prophanis; & Canonicas, ut distinguantur à scriptis sacris Patrum, quæ non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi. Licet enim Canones Pontificum & Conciliorum distinguantur & postponantur Scripturæ divinæ, tamen suo modo sunt & dici possunt scripta sacra & Canonica, quomodo septima Synodus act. 3. vocat Decreta Conciliorum divinitus inspiratas Constitutiones. Imò Innocentius cap. Cùm Marthæ. extr. de celebrat. Missarum, vocat Scripturam sacram, sententiam illam Augustini, Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. serm. 17. de verb. Apost.* Et postea: *Gregorius, quando dicit lib. 1. Epist. 24. se venerari quatuor prima Concilia, ut quatuor libros Evangeliorum, non comparat Concilia cum Evangeliis in omnibus, sed tantum in ipsa certitudine eorum, quæ in Scripturis dicuntur & in Conciliis definiuntur. Cum enim utraque sint infallibilis veritatis, æquè certa dici possunt.* Resp. ex Augustin. lib. 11. contra Faust. cap. 5. *Etsi in Conciliorum Decretis & Episcoporum scriptis invenitur eadem veritas, quæ in Scriptura sacra, longè tamen impar est autoritas, nec ullo modo Canonicæ sacrarum Scripturarum excellentiæ coæquantur.* Quod enim in Conciliis ac Patribus invenitur, illud juxta Scripturæ regulam examinandum, & quatenùs cum illa congruit, acceptandum, quam regulam tùm dicto loco, tum alibi passim Augustinus tradit. Sed hanc autoritatis inæqualitatem non possunt concedere Pontificii, quia Conciliorum à Pontifice confirmatorum Decreta sine ulteriori disquisitione, an cum Scripturis conveniant, necne, simpliciter acceptanda statuunt, unde Bellarminus dicit, *eadem esse regulas, & habere autoritatem obligandi,* æque ac ipsam sacram Scripturam: Item, *eadem dici posse & esse suo modo scripta sacra & Canonica,* nimirum, quia sunt Constitutiones divinitus inspiratæ. Utique ergo non solum in veritate, sed etiam in autoritate & infallibilitate ex ipsorum hypothesi cum Scripturis conveniunt. Certe Concilium Tridentinum sess. 4. *Traditiones non scriptas pari pietatis affectu cum Scriptura sacra recipiendas esse* decrevit. Jam verò non minoris pretii ac ponderis apud Pontificios habentur Decreta Pontificum quàm Traditiones. E. & illa pari pietatis affectu cum Scripturis suscipienda esse agnoscant. Hinc Melchior Canus d. l. p. 164. memorat, *virum apprime doctum, & qui tantos habebat in Theologia progressus, ut cum excellentibus Theologis compararetur, non fuisse veritum ipso præsente concedere totum hoc argumentum: Si Concilium summi Pontificis autoritate firmatum, Spiritu sancto regitur in causis fidei judicandis, ejus ergò definitiones ad sacram Scripturam pertinebunt. Nam Scriptura sacra vocatur, quæ Spiritu sancto afflante scripta est.* Joh. Maria Verratus Carmelitanus in scripto suo Ann. 1561. edito, *Determinatio Ecclesiæ appellatur Evangelium.* Res igitur eò redit. Aut agnoscant Conciliorum Decreta esse θεόπνευςα & ratione immediatæ atque infallibilis assistentiæ Spiritus sancti cum Scripturæ sacræ autoritate exæquanda, aut concedant, Conciliorum Decreta non esse αὐτόπιςα, sed ex Scripturis judicanda, & non nisi quatenus cum illis consentiunt, acceptanda.

15. Quòd Bellarmin. lib. 1. de Conc. c. 2. fatetur, *libros Conciliorum negligenter conservatos esse & multis vitiis scatere, quæ ex veterum lectione corrigi oporteat.* (Atqui ex libris, qui multis scatent vitiis, non possunt certæ & solidæ probationes peti.)

Georgius Cassander in Consult. cap. de Missis solitariis adducit Canones *Concilii Nannatensis & Papiensis,* contra Missas solitarias. Sed canon Concilii Nannatensis in tomis Conciliorum Venetianis tom. 4. est omissus, canon Concilii Papiensis, nec in Venetianis, nec Coloniensibus tomis Conciliorum habetur.

Huc referri debet, quod ipsimet Pontificii agnoscunt, quosdam Conciliorum Canones esse corruptos & suppotitios.

Concilium Eliberinum (al. Elibertinum) cap. 36. statuit, *Picturas in Ecclesia esse non debere.* Sed Baronius Ann. 57. num. 121. scribit: *Suspicor in illo Canone esse imposturam. In eam suspicionem adducor, ut aliquis Claudii discipulus ejusdem Canonis autor fuerit, & talis imposturæ egregius concinnator.*

Synodus Francofordensis rejecit Pseudo-Synodum Græcorum, quam pro adorandis Imaginibus fecerant, teste Reginone lib. 2. Ann. 794. Sed Alanus Copus Dial. 5. cap. 13. pag. 648. scribit: *Quemadmodum ex Jovis cerebro natam Minervam fingunt Poetæ, ita hæc Synodus Apologeticorum in Anglia proles & commentum est.*

Concilium Constantinopolitanum II. c. 5. statuit, *Episcopum Constantinopolitanæ civitatis habere primatus honorem debere post Episcopum Romanum.* Sed Baronius Ann 381. num. 35. de eo scribit: *Hic canon plane addititius est atque supposititius.*

In sexto & septimo Concilio generali *Honorius Papa in numerum hæreticorum refertur, eique anathema dicitur.* Sed Piggius de act. 6. & 7. Synod. scribit: *Acta 6. & 7. Synodorũ parengrapha sunt & minime germana. Nihil dubitamus, Acta illa, quæ circumferuntur sextæ Synodi nomine, nunquam vere acta in ulla legitima Synodo, sed maxima sui parte commentitia & mendacia, nec minus ea quoque, quæ hoc ipso pene anno prodierunt Synodi septimæ, in plerisque, certæ falsitatis notis conspersa fermentataque sunt. Forte Epistola illa Honorii ad Sergium in 6. Synodo sunt conficta & inserta Concilio generali ab hæreticis,* scribit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 10. §. Ad secundum.

Synodus sub Gregorii nomine continens Canones 16. quæ habetur in edit. oper. Gregor. Paris. Ann. 1533. post Privilegium Gregorii Monasterio Medardi datum, ac citatur à Coccio tom. 2. Thes. lib. 1. art. 4. de matrimonio, pag. 1027. ut probet, *in Baptismo contrahi spiritualem cognationem matrimonium impedientem,* est supposititia. Nam eadem Synodus habetur sub nomine Gregorii minoris tom. 1. Concil. per Merlinum edit. Colon. Anno. 1530. & tomo. 2. Concil. edit. Colon. Ann. 1551. per Crabb sub nomine Gregorii III. vel junioris, sub cujus nomine etiam citatur à Smytho Oxoniensi de Cœlib. Sacerd. prope finem.

Tomo 1. Concil. edit. Binnianæ p. 18. habetur *Synodus Antiochena,* cujus Canonem 8. citant Turrianus lib. 1. pro can. Apostol. cap. 25. Baronius Ann. 57. num. 111. Gretserus lib. 2. de Cruce cap. 1. pro Imaginibus. Sed Synodus hæc ante Binnianam

nam editionem non extabat in Codicib. Conciliorum à Merlino, aut Crabb, aut Surio, aut Dominico Nicolino editis; nec Eusebius, nec Socrates , nec Theodoretus , nec Ruffinus, nec quisquam ex veteribus ejus mentionem facit. Turrianus primùm hanc Synodum in lucem produxit, quem postea secutus est Baronius , Baronium Possevinus & Binnius. Sed quicquid Turrianus ad fidem hujus Synodi canonibus faciendam profert , id omne ex anonymo quodam Græco Codice se accepisse fatetur. Confer Robertum Cocum in Censura p.223.

Concilium Sinuessanum, quod habetur tom.1. Conc. edit. Binnianæ p.225. ac convocatum dicitur Ann.303. citatur à Bellarmino Lib.2. de Conciliis cap.17. ut probet, *Pontificem esse absolute supra Concilium*; & Lib.2. de Rom. Pont. cap.26. ut probet, *Summum Pontificem à nemine in terris judicari posse.* Sed non potuit Bellarminus antiquiorem Concilii testem producere , quam Nicolaum I. qui vixit circa Annum 860. cum nec Eusebius , nec Ruffinus, nec Hieronymus , nec Socrates, nec Theodoretus, nec Sozomenus, nec Eutropius, nec Damasus, nec Beda, nec alius quispiam seculo tertio , quarto, quinto , sexto aut septimo ejus mentionem faciant. Nec potuerunt Baronius Ann.303. n.107. & Binnius in not. tom. 1. Conc. p.232. aliter tueri , quod contrà fidem Historiæ in hoc Concilio dicitur, *Diocletianum, cum in bello Persarum esset, Marcellini damnationem audiisse*, quam, ut faterentur, *textum esse corruptum , ac legendum esse , cum reversus esset è bello Persarum.* Confer Rainoldum in Apol. thesium n.34 p.407.

Concilium Romanum, quod sub Sylvestro I. Anno 324. dicitur celebratum & habetur tom. 1. Concil. citatur à Bellarmino Lib.1. de Clericis cap.13. ut probet, *Exorcistarum ordinem fuisse revera ordinem Ecclesiasticum* ; Lib. ejusd. cap.11. ut probet, *Ordines Ecclesiasticos fuisse antiquitus septem*; Lib.2. de Confirmatione cap.8. ut probet, *Chrisma, quod est materia Sacramenti Confirmationis , debere consecrari* ; Lib.1. de Clericis cap.16. ut probet, *antiquitatem Cardinalium*; Lib. ejusd. cap.19. ut probet, *Cœlibatum annexum esse debere Ordinibus sacris* ; Lib. 2. de Conc. cap.17. ut probet , *Pontificem Romanum esse absolute supra Concilium* ; Lib.2. de Rom. Pont. cap.26. ut probet, *Pontificem à nemine in terris judicari debere.* Sed hujus Concilii itidem non potest proferri antiquior testis, quam Nicolaus I. Dicitur hoc Concilium celebratum, *cum ob Constantinum mundatum à lepra per Sylvestrum gauderent multi nobiles.* Sed fabulam illam de lepra Constantini repudiat Vives Lib.5. de caus. corr. artium, & alii plures.

Canones Concilii Niceni 80. ex Arabico in Latinum conversi, editi sunt à Turriano & Alfonso Pisano Jesuitis. Illorum canonum 21. & 23. citantur à Durant. de ritib. Ecclesiæ Lib.1. cap.19. n.17. ut probet, *non posse esse conjugium inter susceptores & filios spirituales* ; Canon 30. citatur à Bellarmino Lib. 1. de Bapt. cap.26. ut probet , *nomina Christianorum baptizatis imponenda.* Canon 69. citatur à Bellarmino Lib.1. de extr. Unct. cap.4. ut probet, *extremam unctionem esse Sacramentum*; & Lib.2. de Confirm. cap.8. ut probet , *Chrisma, quod est materia Sacramenti Confirmationis , prius consecrari ac benedici debere.* Canon 65. citatur à Coccio tom.2. Thes. Lib.7. de Pœnit. art.5. p.850. in quæstione, de *oratione pro defunctis.* Sed Baronius ipse agnoscit Ann.325. n.156. *Theodoretum viginti tantum canones in magna Synodo statutos affirmare.* Nec plures agnoscit Augustinus cum 200. Episcopis in Concilio Carthaginensi VI. & Africano. Cœcilianus Episcopus Carthaginensis, qui Concilio Niceno interfuit , plures quam 20. Canones non retulit. In Concil. Carthaginensi VI. Can.9. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, & Atticus Episcopus Constantinopolitanus non plures quam 20. Canones agnovere.

Acta Concilii Niceni , quæ habentur tom.1. Concil. ex editione Dominici Nicolini & Severini Binnii , citantur à Coccio tom.1. lib.2. de Christo Salvatore art.4. ut probet, *Christi animam ad liberandas Sanctorum animas in limbum descendisse*; Lib.6. de Scriptor. Ecclef. art.11. ut probet, *librum Baruch esse Canonicum* ; tom.2. lib.5. de Baptismo art.5. ut probet, *Baptismum Iohannis non habuisse eandem vim cum Baptismo Christi.* Citant eadem Bellarminus Lib.1. de Cleric. cap.20. & Gregorius de Valentia Lib. de Cœlibatu cap.6. pag 869. ut probent , *Historiam de Paphnutio legi cœlibatus in Concil. Niceno resistente esse confictam*; Lindanus Lib.2. Panopl. cap.6. fol.54. ut probet, *homousion in Concilio Niceno fuisse magis Traditione defensum, quam Scriptura sacra.* Sed Baronius Ann.325. n.62. & 63. Acta illa rejicit: *Fuisse quidem,* inquit, *Acta Nicena accuratissime scripta S. Athanasius autor est in lib. de Synodis. Verum injuria temporis & Arianorum conatibus passa esse naufragium certum est. Scimus nonnullos , qui longe post Concilium Nicenum vixere, profiteri Nicena Acta reperiri. Dominus Franciscus Turrianus asseverare non dubitat , eadem hodie reperiri Alexandriæ apud illius Sedis , qui illic moratur Episcopum , credidit ipse aliis isthæc referentibus. Alios audivi affirmantes , eadem Acta apud Arabes asservari. Sed ut libere dicam , somnia puto hæc omnia. Nam illud scimus, omne seculum , quod ab eo tempore ad nostram usque ætatem interlapsum est, cupidissimum fuisse tam egregiæ atque omnium nobilissimæ antiquitatis, nec tamen hominum quenquam potitum esse.* Gregorius de Valentia tomo 8. col.267. scribit: *Hæreticos acta Concilii Niceni corrupisse.*

Concilii Sardicensis Canones 21. extant tom.1. Concil. ex quibus Canon 4. & 7. citantur à Bellarmino Lib.2. de Rom. Pontif. cap.21. ut probet, *ex quavis parte orbis Christiani ad Rom. Pontificem legitime appellari posse.* Sed Cusanus Lib.2. de concord. cap.25. *satis dubitari posse*, ait, *an Sardicensis Concilii constitutio existat.* Patres Africani cum à Pontificibus Romanis Sozimo , Bonifacio & Cœlestino ejusmodi canonibus q. à Concilio Niceno editis premerentur, significarunt Cœlestino per literas , *se tale quid non potuisse in verioribus Concilii Niceni exemplaribus reperire, nec in aliqua Patrum Synodo.* Concil. African. c.105.

Ex Appendice Epistolæ Synodalis Concilii Sardicensis ad omnes Episcopos, quæ extat apud Theodoretum Lib.2. Hist. cap.8. & tom.1. Concil. adducit Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap.13. locum, quo probare conatur, *librum Sapientiæ esse Scripturam Canonicam* , sed partem illam Epistolæ continentem regulam fidei à Synodo definitam , ex qua Bellarmini probatio petitur , suppositiam esse docet Baronius Ann.347. n.38. & eum secutus Binnius tom.1. Concil. p.446.

Concilium Sinuessanum congregatum fingitur *Marcellino* sedente, id est, urgente immani persecutione Diocletiani, & tamen non infrequens conventus *trecentorum Episcoporum.* Hæc non congruunt illorum temporum statui. Diocletianus fingitur Romæ fuisse, cum Marcellinus thurificaret, atque suis ipsum verbis impulisse, quod falsum ; cum constet tum temporis Diocletianum Nicomediæ fuisse. Fingitur iterum Diocletianus *audisse Marcellini damnationem in expeditione adversus Persas* : quod Severinus Binnius pronunciat *falsum esse, nisi corrigatur & restituatur, cum reversus esset è bello Persarum,* novo quodam Critices genere.

Alphons. de Castro Lib.4. adv. hæreses verbo Character, postquam pro astruendo charactere adduxisset Decreta Concilii Carthaginensis & Tarraconensis, subjungit: *Hæc verba adducit Gratianus in Volum. Decretorum, tamen, ut ingenue fatear, cum recurrissem ad volumen Conciliorum , ut ibi ex fonte haurirem, nihil tale ibidem reperi , quale Gratianus citat sub illis titulis. Quo fit, ut mea sententia dicere oporteat, vel titulum illum, qui est in Gratiano, incuria Scriptorum fuisse corruptum, aut illorum Conciliorum Decreta, quæ nunc apud nos sunt, esse mutila & manca, nec adeo integra, ut Gratiani tempore existebant.*

Idem Lib.6. adv. hæref. verbo Eucharistia, hæref. 4. cum contra Berengarium adduxisset Concilium Turonense sub Victore II. & Concilium Romanum sub Nicolao II. celebratum, subjungit: *Horum Conciliorum acta incuria Scriptorum non habemus. Nam in eo volumine Conciliorum , quod Parisiis impressum est , à quinta Synodo Constantinopolitana usque ad Concilium Constantiense nullum aliud Concilium interponitur , in quo interjecto spacio constat multa Concilia celebrata fuisse , eaque non parvi momenti.*

Idem Lib.13. contra hæreses verbo Sacerdotium hæresi 4. *Multa Concilii illius* (Niceni I.) *Decreta, teste Isidoro, per incuriam, aut forte Arianorum malitia deperdita sunt.*

Concilii Romani sub Sixto III. Canonem , (*Non licet in Pontificem sententiam dicere* , ad quæ Sixtus respondit : *Etsi in meo arbitrio sit, judicer, an non judicer, tamen non abscondatur veritas:*) adducit Bellarminus Lib.2. de Pontif. cap.26. ut probet , *Pontificem Romanum esse Oecumenicum* , *cum à nemine in terris judicari possit.* Sed Baronius ad Annum quadringentesimum

simum tertium n.38. non veretur acta hujus Concilii appellare spuria.

Provocant ad Canones Nicenos, ut probent *benedictionem olei*. At de benedictione olei nihil quidquam habetur in viginti Canonibus Concilii Niceni. Intelligunt ergo *Canones Arabicos* à Turriano in Latinum conversos. Sed Baronius ad Ann.375. num.180. de illis tale fert judicium: *Quod demum Turrianus profiteatur, 80. Nicenos Canones Arabica lingua scriptos inventos se Latinitate donasse, secundum Epistolam illam nomine Athanasii ad Marcum editam, de 80. pariter capitulis in eadem, ut ibi dicitur, Synodo constitutis & in 70. redactis: quoniam hæc ignorasse majores visi sunt, quando oborta controversia in Ecclesia Africana de iis mentio necessaria incubuisset: hæc libentius aliis differenda relinquimus, cum tamen nullo pacto inficias ierimus, ex iis, quæ dicta sunt, Canones Nicenos numerum vicenarium excessisse.*

In Concilio Romano sub Sylvestro I. ridicule reliquis annumerantur quinquaginta septem Episcopi *de partibus Rinocoruricis*, quasi magna esset aliqua Provincia, quod erat tantum oppidum, nec magni nominis in Ægypto. Cui autem fiat verisimile, prætermissis tot intermediis nominatissimis Provinciis collectum fuisse Concilium ex Italicis & Rinocoruricis Episcopis? Sed & novo ac omnibus Conciliis inusitato more Sylvester fingitur Decreta tantum pronunciasse nullis rogatis suffragiis, & quidem, *Responderunt omnes Episcopi & dixerunt, clamantes cum universis Presbyteris, Clericisque: In te justitia, & pietas à te non discedat, quoniam à nobis nihil judicabitur in opinione dictorum tuorum.* At hoc non fuisset Concilium Episcoporum, sed servilium mancipiorum. Sed & Victorino anathema dicitur, eò quod negaret *Pascha venire die suo*, hoc est, computum Paschalem non esse certum. Et tamen tum Pascha computabatur per octaeterida, cujus non erat certa ratio, ob quam causam Hippolytus excogitavit ἑκκαιδεκαετηρίδα. Denique quod adscriptum est, Domino Constantino Augusto III. & Prisco Consule III, non quadrat. Nam tertius Consulatus Constantini incidit in annum, antequam Sylvester fieret Episcopus. Nec Priscus tum Collega fuit Constantini. Itaque Baronius mavult Constantino Consule & Crispo III. sed ex meris conjecturis.

16. Quod ipsimet Pontificii varia quærunt effugia, quando Concilii alicujus Decretum ipsis objicitur. Respondent enim, vel cum Ambrosio Catharino contra Dominicum à Soto Tridentini Concilii definitionem objicientem, *Concilium posuisse illa verba contra hæreticos.*

Vel cum Johanne de Rada in controv. Theolog. inter Thomam & Scotum part.1. controv.4. p.67. *Concilium Lateranense non procedere ibi definiendo, sed disputando; in disputationibus autem Concilium semper communiones opiniones accipere, ut ad veritatis inquisitionem procedat.*

Vel cum Bellarmino lib.4. de Pontifice Romano cap.7. *Stephanum Papam non definiisse aliquid tanquam de fide.*

Vel cum eodem Lib. ejusd. cap.11. *Epistolas Honorii confictas & insertas esse Concilio generali, Concilium errasse in quæstione facti.*

Vel cum eodem Lib.2. de Rom. Pontif. cap.17. §. Quare, & cap.22. §. 2. *Illud in Concilio non esse approbatum à Pontifice.*

Vel cum eodem ibidem, *Concilia non dare autoritatem Pontifici.*

Vel cum eodem Lib.2. de Concil. capit.19. §.2. *Concilium non fuisse Oecumenicum &c.*

Argument. Adversar. 1. Matth.18. v.20. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Si duo vel tres congregati in CHRISTI nomine obtinent semper, quod petunt à DEO, nimirum sapientiam & lumen, quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quæ sunt ipsis necessaria, quanto magis Episcopi omnes congregati in nomine CHRISTI semper obtinebunt sapientiam & lumen ad judicandum ea, quæ ad totam Ecclesiam pertinent.* Bellarminus Libr.2. de Concil. cap.2. ex Alphonso de Castro Lib. 4. adv. hæreses, verbo Concilium.

Resp. 1. nulla in hoc dicto fit mentio confirmationis Conciliorum à Papa expetendæ & expectandæ. Consequens ergo fuerit, si ex hoc dicto probari potest, duos vel tres Episcopos in nomine Christi congregatos infallibiliter judicare, ex eodem probari posse, Episcopos in Conciliis congregatos, etiam sine Pontificis confirmatione, infallibiliter judicare, quod tamen Bellarminus non concedit. Regerit Bellarminus, *in nomine Christi congregari est autoritate Pontificis congregari, quia Pontifex est Christi in terris Vicarius.* Resp. sit ita, (quamvis enim certum sit, phrasin hanc *in nomine Christi* in Scripturis usitatissimam nuspiam in ea significatione usurpari, ut sit idem quod autoritate Pontificis Romani, demus tamen ex hypothesi adversariis, hunc esse genuinum phraseos hujus sensum:) interim Concilia, etiam à Pontifice congregata, errare possunt, nisi accedat Pontificis confirmatio. Melchior Canus Lib.5. Locorum cap. 4. *Concilium generale, etiam à Romano Pontifice congregatum, errare potest, nisi ab eo fuerit confirmatum.* Aut ergo concedendum, ex hoc dicto non posse probari absolutam Conciliorum infallibilitatem, aut concedendum, Concilia *in nomine Christi*, hoc est, juxta Adversariorum explicationem, *autoritate Pontificis congregata*, non posse errare.

2. Non agitur in hoc dicto specialiter de Conciliis generalibus & Oecumenicis, sed in genere Christus dicit: *Ubi duo, vel tres congregati sunt &c.* Aut ergo concedendum erit, etiam *particularia Concilia* in nomine Christi congregata non posse errare, cum in illis non tantum duo vel tres, sed etiam viginti, triginta, centum &c. Episcopi congregentur; aut concedendum, ex hoc loco absolutam Conciliorum infallibilitatem non posse probari. Prius admittere renuunt Pontificii. Alphonsus de Castro Lib.4. adv. hæres. verbo Concilium. *Concilia particularia errare possunt, & aliqua eorum errasse compertum est*, Lib.1. cap.8. *Provincialia Concilia possunt in fide errare, sicut de multis talibus Conciliis errasse compertum est.* Bellarmin. Lib.2. de Conc. cap.10. *Concilia particularia, non probata à summo Pontifice, non omnino certam fidem faciunt.* Agnoscant ergo posterius.

3. Non agitur in hoc dicto specialiter de rebus fidei, sed Christus in genere dicit: *Si duo vel tres consenserint &c.* Aut ergo statuendum, Concilia etiam in *quæstionibus facti* non posse errare, aut concedendum ex hoc loco absolutam Conciliorum infallibilitatem non posse deduci. Prius statuere renuunt Pontificii. Bellarminus Lib. 2. de Concil. cap. 7. §. 7. *In quæstionibus facti non est dubium, Concilium errare posse.*

4. In verbis Christi habetur promissio de exauditione precum, & de gratiosa Christi præsentia. Si ex hac promissione inferri posset privilegium non errandi, consequens foret, commune hoc esse omnibus & singulis fidelibus, quia omnibus & singulis fidelibus facta est promissio, tum de exauditione precum Johan.16. v.23. tum de gratiosa Christi præsentia Johan.14. v.24. Consequens Pontificii non admittunt.

Nicolaus de Clemangis in Disput. uberiore super materia generalis Concilii pag.67. edit. Lugdun.613. *Illud quod* (pro absoluta Conciliorum infallibilitate) *ex Evangelio commemorasti, non multum convincere videtur. Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et primo quidem non necesse est, ut falli non possint, in quorum medio versatur CHRISTUS. De ipso namque Christo ad quosdam Pharisæorum Johannes Baptista dixit, Medius vestrûm stetit; nec proinde oportebat, ut falli non possent? nonne in medio insuper erat perfidissimorum Judæorum, dum crucifigeretur & conspueretur & blasphemaretur? Et quis illos insanus dixerit falli non potuisse? Præterea dic, si placet, de qua credis assistentia illud verbum Christi debere intelligi? Si de assistentia per præsentiam divinitatis, quæ ubique est, nihil ad rem pertinet. Sic quippe & nunquam falli & nusquam posset, si ubicunque esset, errare aut falli non liceret. Si de assistentia per gratiam, vide quemadmodum consequens esse oporteat, quoties duo vel tres pro conferendo ad invicem de pace Ecclesiæ, vel aliquo alio fructu conveniunt, divinam illis gratiam protinus infundi, cum forte multa ante peccaverint, de quibus nec compuncti sunt nec confessi &c. Sed demus, ut singulis taliter congregatis, cœlestis confestim adsit gratia, nunquid illos collata gratia impeccabiles facit, ut à recto non possint tramite deflecti, à gratiaque excidere, vel ignorantia aliqua vel excæcante judicium passione præpediri? Movet gratia ad bene agendum & excitat, non autem cogit, aut necessitatem aliquam immittit, ut aliter fieri non possit. Si vero de assisten-*

assistentia per directionem, vel internam in agendis instructionem illa censes verba Christi intelligenda, illa sanctis viris adesse solet, qui Spiritus sancti gratia repleti abundeque perfusi. Talibus nempe à Deo promittitur illud Psalmi, Intellectum tibi dabo & instruam te in hac via, quam gradieris. Talibus præterea, qui religiose vivendo, piéque operando meruerunt Spiritū Sanctū habitatorem habere, de ipso Spiritu dicit: Ille vos docebit omnem veritatem. Et rursum: Ille vos docebit omnia. Soli autem tales censendi sunt spirituales, dicente Apostolo, Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Deinde ad veram illius sententiæ Christi intelligentiam considerandum videretur, qui existimandi sunt in nomine Christi congregati &c. Nomen Christi Iesus est. Christus namque à chrismate, i.e. ab unctione velut Rex dictus est &c. Iesus autem Salvator dicitur. Vide igitur, ne rectius sit atque ad Sanctorum dicta consonantius, illos in vero Christi nomine dicere congregatos, qui pro vera atque æterna salute vel sui vel aliquorum proximorum suorum, vel totius Ecclesiæ Catholicæ congregati sunt &c. Sic enim fidelissimi divinorum eloquiorum tractatores illos exponunt in nomine Iesu petere, qui ad salutem veram pertinentia petunt. (Promissio igitur illa Christi non confirmat absolutam Conciliorum infallibilitatem, sed multas requirit limitationes.)

Ibid. sic scribit: *Non omnes, qui congregantur* (in Conciliis) *in Christi nomine congregantur. Non est putandum, carnales filios Ecclesiæ, qui temporalia quærunt, spiritualia non curant, Concilia agitant, ut ipsi in otio vivant, hos in Christi nomine congregari.* Postea addit: *Ecclesiam suo tempore fuisse plenam talibus & nullos fere nisi tales inveniri.*

6. Johannes de la Haye in triumph. verit. cap. 92. adducit & probat dictum Basilii in regul. brevioribus interrogat. 225. *Qui in alicujus nomine congregati sunt, prorsus ii animi illius propositum scire debent, à quo congregati sunt, atque ad ipsum sese accommodare, quo videlicet gratiam ab illo inveniant ac non malitiæ aut negligentiæ judicium incurrant &c. Apertius autem totum hoc nobis Dominus ostendit per eam, quam uni facit promissionem, his verbis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quemadmodum igitur ex mandatorum observatione mansio apud eum fit, eodem modo etiam in medio duorum vel trium est, si se illi ad voluntatem ipsius conformaverint. Qui vero contra non ex dignitate vocationis, neque ut voluntati Domini pareant, congregati sunt, ii licet in unum in nomine Domini convenisse videantur, illud tamen nihilominus audiunt: Quid me vocatis Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?* (cum hoc Basilii dicto conjungendum illud Cypriani tract. 3. de simpl. Prælat. *Nec se quidem vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus, ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego in illis sum) corruptores Evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt & superiora prætereunt, partim memores & partim subdole corrumpentes. Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ejus Evangelio separari? propter quos clamat Esaias Propheta, Væ vobis filii desertores, habuistis consilium & non per me; fecistis conventionem & non per Spiritum meum*, quod Cypriani dictum citatur & approbatur in Jure Canonico. c. Alienus. caus 24. q. 1. Ergo illi tantum in Christi nomine congregantur, qui sunt veri Christi discipuli, qui ipsum in verbo loquentem audiunt, qui veritatem in Scripturis quærunt &c.)

7. Stapletonus in relect. princ. fidei controv. 6. q. 3. art. 4. p. 613. *Firmitas Conciliorum illis Christi verbis Matth. 18. non innititur, quia nec Christus ibi de Conciliis Episcoporum loquitur, sed de quavis fidelium unanimi congregatione. Nec etsi Christus ad-sit in medio talium, ad omnem effectum adest aut ad hunc, qui est judicare de fide, sed potius exemplo primi Concilii Apostolici eorum firmitas nititur, vel aliis Christi in Evangelio promissionibus Apostolis suis proprie factis.* (Quod addit, *à Patribus in 6. Synodo per argumenta à minore ad majus hæc verba ad Conciliorum firmitatem merito fuisse applicata*, id certa ratione factum nobis non adversatur.)

8. Salmeron tom. 4. tract. 10. p. 462. *Locus hic Matth. 18. Ubi duo vel tres congregati &c. frequenter ab hæreticis nostri seculi adversus Conciliorum celebrationem detorquetur, cum tamen nihil de Conciliis celebrandis hic Christus præscripserit, sed pium Christianæ unitatis consensum, & communem fidelium orationis efficaciam nobis commendet, ut ex præmissis verbis constat.* Et postea: *Si ejusmodi verba, ubi duo vel tres congregati &c. ad Conciliorum celebrationem necessario essent applicanda, ita, ut Concilium sit, ubi duo vel tres congregantur in nomine Christi, jam profecto summum absurdum sequeretur, nempe quamlibet congregationem hæreticam uno consensu aliquid credentem, & in suis templis deprecantem, Christum sectæ suæ præsidem, & Spiritus sancti ad recte postulandum habere &c. Quod cum falsum sit, atque adeo summe absurdum, dicendum est, verum hujus loci intellectum non esse, quicquam de Conciliis celebrandis tractare, sed tantum de potestate ligandi & solvendi contumacem infidelem in foro externo, sive de consensu in oratione ad dona Dei efficaciter obtinenda sermonem esse. Nam ad hæc digne præstanda satis esse docet Dominus duorum consensum vel trium &c.* (Si de celebrandis Conciliis Christus nihil hic præscribit, si verus hujus loci intellectus non est quicquam de Conciliis celebrandis tractare, utique infallibilis Conciliorum autoritas ex eo non poterit probari.) Pluribus de hoc dicto agetur inferius art. 4. de Concil. c. 1. arg. 1.

2. Joh. 14. v. 16. *Spiritus Sanctus manet cum Apostolis in æternum, i.e. cum eis & cum eorum Successoribus perpetuo. Cap. 16. v. 13. docet eos omnem veritatem. At Episcopos seorsim existentes non docet Spiritus S. omnem veritatem, ergo saltem Episcopos omnes in unum congregatos, docebit omnem veritatem.* Alphonsus de Castro d. l. Bellarmin. d. l.

Resp. 1. promissio illa Christi locum habuit in Apostolis non solum conjunctis, sed etiam segregatis, quia quæ Apostolorum quilibet seorsim docuit vel scripsit, omnia sunt vera & à Spiritu Sancto profecta, imo αὐτόπιστα, θεόπνευστα ac infallibilia. Quod si ergo hanc promissionem *absolute* & sine ulla conditione ad Apostolorum Successores, i. e. Episcopos referre velint, concedendum erit, Episcopos etiam segregatos non posse errare. At hoc consequens Pontificii non admittunt. *Singuli seorsim errare possunt*, inquit Bellarm. in hoc ipso capite. §. Ex his.

2. Promissio illa non soli Petro, sed omnibus Apostolis est facta. Cum ergo ex hypothesi Pontificiorum Rom. Pontifex sit Successor Petri, Episcopi Apostolorum Successores, consequens fuerit, non uni & soli Pontifici infallibilitatis privilegium competere, sed omnibus omnino Episcopis. At consequens non admittunt Pontificii: Sic enim disserit Bellarminus Libr. 4. de Pontif. cap. 3. §. Respondent posse &c. *Christus soli Petro dixit, Oravi pro te, ne deficiat fides tua, Pasce oves meas, non dixit hæc Petro & Concilio. Item solum Petrum vocavit petram & fundamentum, non Petrum cum Concilio, ex quo apparet, totam firmitatem Conciliorum legitimorum esse à Pontifice, non partim à Pontifitoe, partim à Concilio.*

3 Nicolaus de Clemangis in Disput. uberiore super materia generalis Concilii pag. 74. col. 3. edit. Lugdun. Ann. 613. ad similem objectionem ex Matth. 28. v. 20. petitam sic respondet: *Sed, dices, falli non posse promissa Domini, quibus cum Ecclesia sua usque ad consummationem seculi futurum se spopondit. Fateor sane, certum esse, illa falli non posse, sed ubi & cum quibus per gratiam in Ecclesia sua sit, non nostrum, sed illius est nosse. Novit Dominus, qui sunt ejus, inquit Apostolus, nos autem quomodo nosse possumus? in sola potest muliercula per gratiam manere Ecclesia, sicut in sola virgine tempore passionis mansisse fertur.*

4. Pererius Disp. 20. in cap. 14. Johan. verba illa ad solos Apostolos refert: *Quidam*, inquit, *putant, illud vobiscum significare non illos tantum Christi discipulos, sed universum cœtum fidelium & ipsam sanctam Ecclesiam &c. At præstat illa verba, ut maneat vobiscum in æternum, non in commune de universo fidelium cœtu & Ecclesia interpretari, sed proprie de ipsis Apostolis, quibuscum tunc sermocinabatur Dominus. Id enim & Christi proposito & sententiæ verborum ejus, & iis quæ antecesserunt, & quæ deinceps proxime sequuntur, magis consentaneum videtur.* (Stante hac hypothesi concidit Bellarmini argumentum.)

5. Maldonatus hunc locum sic explicat, *ut maneat vobiscum in æternum, hoc est, quamdiu vivitis in his terris, nam de futura vita non agitur.* (Stante hac explicatione ad solos Apostolos dictum Christi refertur.)

6. Joh. Ferus in Comm. cap. 14. Joh. p. 159. *Ut maneat vobiscum in æternum Hoc addit, ne putarent Apostoli etiam Spiritum sanctum ad tempus cum ipsis mansurum, quemadmodum Christus tantum ad præscriptum tempus in terra apparuit visibilis. Signanter autem dicit vobiscum. Apud solos enim Christi discipulos est Spiritus Sanctus, qui & semper est apud Ecclesiam, in verbo scil. & Sacramentis, in*

tus in hujusmodi enim nunquam deest Ecclesiæ, quin semper possit conferre remissionem peccatorum. (Ergo Spir. S. non est in Ecclesia per Pontificem, sed per verbum & Sacramenta; ac Spiritus sanctus non amplius per immediatam assistentiam & inspirationem docet Ecclesiam & Apostolorum Successores, sicut Apostolos olim docuit, sed per verbum. Esa. 59. v. 21. Joh. 8. v. 31. cap. 15. v. 7. cap. 17. v. 17. Eph. 2. v. 20.)

7. Thomas 1. 2. q. 106. art. 4. ad 2. dictum Christi Johan. 16. v. 13. accipit, *de illa tantum veritate, quæ est necessaria ad salutem* (Jam verò erroribus non pugnantibus cum fundamento electi absque salutis jactura involvi possunt. Ergò in his verbis non continetur absoluta infallibilitatis promissio, quatenus ea ad totam Ecclesiam accommodantur.)

8. Salmero tom. 9. tract. 69. *Non incongruam* dicit *expositionem, si quis per veritatem Christum ipsum intelligat.* (At ex hac expositione privilegium non errandi haud quaquam poterit exsculpi, cum multi ad CHRISTUM convertantur, qui tamen in errores damnabiles postmodum incidunt.)

9. Toletus in cap. 16. Joh. annot. 20. super verba: *Spiritus S. docebit vos omnem veritatem. Verum quidem est, hanc promissionem non solis Apostolis, sed etiam Ecclesiæ esse factam, adest enim semper Spir. S. docens necessaria, tamen in dogmatibus stabiliendis non contraria, sed inter se convenientia semper docet.* (Atqui in quibusdam Conciliis, etiam à Pontifice confirmatis, facta sunt Decreta cum Scripturis pugnantia, ut Transsubstantiatio in Concilio Lateranensi, Communio sub una specie, in Concilio Constantiensi, Traditionum cum verbo Dei scripto exæquatio, justificatio per opera & alii errores in Conc. Tridentino. E. illa Conciliorum Decreta non proficiscuntur à Spiritu S.) Confer p. 3. Harm. p. 110.

3. *Joh. 14. v. 26. Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæ dixero vobis. Ergò Episcopi in Conciliis congregati non possunt errare.* Alph. de Castro d. l. Canis. in lib. de præc. Eccl. cap. 10. Salmeron tom. 9. tract. 54.

Resp. 1. Maldonatus in h. l. *Obscure & ambigue dictum est, quæcunque dixero vobis,* (prout vulgata versio reddidit) *Poterat enim futurum videri, cùm sit præteritum* εἶπον *dixi vobis.*

2 Jansenius in h. l. εἶπον *non est futurum, sed præteritum.* (Ergò posterius membrum ἐξηγητικὸν prioris. Spiritus sanctus eo modo docebit vos omnia, ut in memoriam vobis revocet omnia, quæcunque jam ante dixi vobis, non autem nova quædam dogmata, novos fidei articulos tradet.)

3. Johannes Ferus in h. l. *Sicut Spiritus sanctus non cessat consolari & sanctificare, sic nec cessat docere credentes &c. Sicut Spiritus sanctus Apostolos suo tempore docuit, quæ necessaria erant, sic & postea docuit & adhuc docere potest, quos vult, & revelare, quæ vult.* (Ergò hæc promissio non pertinet ad solos Episcopos in Conciliis congregatos, sed ad omnes vere credentes, quos Spiritus sanctus ut sanctificat & consolatur, ita quoque docet, non autem immediate, sed per verbum.

4. Idem Ferus in h. l. *Quidnam verò docebit Spiritus sanctus? Nunquid novum aliquid & à Christo alienum? Nequaquam. Sicut enim Christus post Mosen veniens, ipsum Mosen declaravit, sic Spiritus S. Christum manifestat &c.* Et postea: *Omnia vos docebit, non simpliciter omnia intelligas, sed omnia scil. ad salutem necessaria, vel omnia, quæ scil. Christus verbo docuit, ut sit sensus: Quæ ego hactenus locutus sum de regno, libertate, gaudio, justitia &c. ea vos carnaliter adhuc pro captu hujus mundi intelligitis, Spiritus verò adveniens docebit vos divinam in verbo meo sententiam.* (Ergò Spiritus S. non docet novum quid, sed Christi doctrinam suggerit, & in cordibus credentium obsignat.

In Comm. cap. 16. Joh. v. 13. dicit Ferus: *Spiritum sanctum docere non externo strepitu, sed interna inspiratione,* (quod opponit gloriationibus de Conciliorum & Pontificis infallibilitate, non autem verbo Dei externo.)

5. Maldonatus in h. l. *Dubium, an quod dicit, docebit omnia, ad illud verbum, quæcunque dixero vobis, referendum sit, quasi non aliud docturum Spiritum sanctum dicat, quàm quod ipse ante docuisset, quemadmodum & verbum, suggerit, eò utique referatur. Non repugnabo, si quis velit ita interpretari, quin Autores illi, quibus suam sententiam tueantur, Augustinum, Bedam & Rupertum indicabo, qui ita quoque videntur intellexisse.* (Ergò nostra expositio contextui & Patrum sententiæ est conformis.)

6. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 14. §. Secundus locus. *Chemnicius vult locum Johan. 14. Spiritus S. suggeret omnia, quæcunque dixero vobis, esse depravatum ad probandum, quæcunque in Conciliis definiuntur, accipienda esse pro oraculis Spiritus sancti, nam in Græco non est dixero, sed dixi* εἶπον ὑμῖν. *Respondeo, sanctum Augustinum & alios veteres sic legere, ut nos legimus & sensum suum esse eundem cum Græco. Non enim intelligimus Dominum dixisse, Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæ tunc dixero vobis, sed quæ nunc dixero, id est, ea, quæ nunc à me auditis & non intelligitis, tunc Spiritus sanctus in memoriam vobis revocabit & explicabit. Neque in hoc verbo ponunt Catholici fundamentum autoritatis Conciliorum, sed alia præsidia habemus.* Confer p. 3 Harm. p. 622.

Arg. 4. Act. 15. v. 22. *Visum est Spiritui sancto & nobis. Si illud Concilium, ex quo formam acceperunt Concilia omnia, asserit Decreta sua esse Decreta Spiritus sancti, certe idem asserere possunt cætera legitima Concilia. Illi enim Concilio adfuit Spiritus sanctus, quia id necesse erat pro Ecclesiæ conservatione, at non minus aliis temporibus novis hæresibus exorientibus id necessarium.* Alphonsus de Castro d. l. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. §. Tertius locus.

Resp. 1. ostendimus superius, magnam inter hoc Apostolicum & reliqua, præsertim Papalia, Concilia esse diversitatem, de qua Joh. Ferus in eund. locum sic scribit: *In Concilio Apostolorum omnia prudenter aguntur. At nos aliter conveniendo, ex plenitudine potestatis volumus & mandamus. Quomodo Spiritus sanctus hujusmodi conventus probare possit?*

2. Illud verbum *nobis* non tantum ad Apostolos, sed etiam ad Presbyteros & fratres pertinet, ut patet ex v. 23. Consequens ergò erit, etiam Presbyteros & Laicos, quos ita vocant, in Conciliis congregatos non posse errare. At hoc consequens non admittunt Pontificii, quia solos Episcopos in Conciliis volunt esse *judices.* (Si Episcopi, Presbyteri & Laici sequantur Apolorum sententiam in scriptis eorum propositam, sicut Presbyteri & fratres in Concilio illo secuti sunt Apostolorum sententiam vivâ voce expositam, hactenus non errant nec errare possunt.)

5. *Si Concilia generalia possent errare, nullum in Ecclesia esset firmum judicium, quo controversiæ componi, & unitas in Ecclesia servari posset.* Alphons. à Castro d. l. Bellarmin. lib. 2. de Concil. cap. 4. §. 1.

Resp. 1. Innocentius in Epist. ad Clericos Constantinopolitanos apud Sozomenum lib. 8. Hist. Eccl. cap. 26. inter cætera sic scribit: *Quodnam verò remedium hisce rebus in præsenti adseremus? necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multo jam ante congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni DEI, ac Christi ejus Domini nostri. Illa universis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus, freti nostrâ in Deum fide. Ac nos quidem multum deliberamus, quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus itaque tantisper, ac vallo patientiæ communiti, speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda.* (Ergò si Concilia quædam errant, sicut cogitandum de alio Concilio, in quo error corrigatur, sicut orthodoxi errorem Ariminensis & Seleuciensis Concilii in alio correxerunt, vel si Concilium legitimum & orthodoxum haberi nequit, confidendum Domino, quòd per Ecclesiæ confessionem publicam, vel certe per publicum Scripturarum usum veritati testimonium sit daturus.)

2. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 9. §. Dices: *Non semper cogi possunt Concilia generalia. Primis enim annis 300. nullum fieri potuit generale Concilium, & tamen plurimæ tunc hæreses extiterunt,* (debuisset addere, & sopitæ sunt,) lib. 4. de Pontif. cap. 3. argum. 3. *Sæpe non potest cogi generale Concilium, sicut non potuit primis 800. annis propter Ethnicorum persecutiones, & sine dubio poterat status ille Ecclesiæ usque ad finem mundi perseverare.* (Si omnimoda Conciliorum carentia non protinus labefactat Ecclesiæ statum, multò minus error Conciliorum eundem labefactabit.)

3. Idem lib. 2. de Concil. cap. 19. ad argum. *Si Pontifex est supra Concilium, ergò sola Ecclesia sine remedio manet, habet malum Pontificem, & poterit Pontifex impune omnes vexare & perdere,*

perdere, respondet hoc modo: *Non mirum, si manet Ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus ejus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex Deus sit. Itaque etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat, & certum est DEO fore curæ ejus salutem, qui talem Pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam Ecclesiam destruat.* (Idem nos dicimus faciendum, quando errores in Conciliis stabiliuntur.)

4. Ex hypothesi Bellarmini, etiam generalia Concilia Pontifex potest facere irrita. Ergo *si vel maxime erret Concilium generale, tamē ex ipsius hypothesi adhuc majus aliquod judicium est in Ecclesia, videlicet judicium Romani Pontificis*. Si dicat, *se intelligere tale Concilium generale, cui Papa præsit*, quærimus, an Concilii autoritas aliquid addat Papæ judicio? Negabit hoc Bellarminus, si suis velit stare hypothesibus, quod *firmitas Conciliorum legitimorum non sit partim à Pontifice, partim à Concilio, sed à solo Pontifice*, Lib.4. de Rom. Pontif. cap.3. consequens igitur erit, non Concilio, in quo Papa præsidet, sed soli Pontifici supremum judicium deferendum, ac proinde si vel maxime Concilia errent, tamen adhuc dari majus & infallibile judicium. (Quod vero de Pontificis sui judicio Pontificii falsò asserunt, videlicet illud majus esse Conciliorum judicio, illud nos verè affirmamus de Spiritus Sancti judicio in Scripturis proposito, videlicet illud majus esse & Pontificis & Conciliorum judicio, ac proinde ad illud recurri posse & recurrendum esse, si Pontifices & Concilia errent.)

CAPUT XI.

De Ecclesiæ infallibilitate.

Quemadmodum Pontificem Romanum & Episcopos in Conciliis congregatos ab errandi periculo Pontificii absolvunt, ita quoque Ecclesiam errare posse negant, atque ex hoc principio itidem contra nostram Confessionem disputant. Possemus quidem duas ob causas ἐποχῇ hujus quæstionis supersedere, nam primo quando Pontificii disputant, *Ecclesiam non posse errare*, nomine Ecclesiæ intelligunt *Episcopos in Conciliis congregatos*, quos eatenus errare posse negant, quatenus instructionem Pontificis sequuntur, ac quatenus eorum Decreta à Pontifice confirmantur, ut ostendimus superius part.2.cap.1. Quia ergo demonstratum fuit, *Pontificem*, quem Ecclesiæ caput statuunt, *errare posse* cap.2. ac *Concilia*, quæ Ecclesiam *repræsentativam* vocant, *errare posse*, cap.10. utique etiam demonstratum est, *Ecclesiam errare posse*. Deinde, quando Pontificii disputant, *Ecclesiam non posse errare*, de *Romana Ecclesia* illud vel solum vel præcipue intelligunt. Quia vero superius part.1.cap.4. multorum querelas de doctrinæ in Ecclesia Romana corruptione adduximus, ideo dubitari nequit, Ecclesiam Romanam, cum actu ipso erraverit, errare posse. Ob has, inquam, causas duas ἐποχῇ hujus quæstionis supersedere possemus, interim quia ipsimet Pontificii de *Pontificis, Conciliorum, & Ecclesiæ infallibilitate* distincte agunt, ideo vestigiis ipsorum insistentes de Ecclesiæ infallibilitate peculiariter in hoc capite agemus. Quanti enim momenti ac ponderis sit hæc quæstio, patet ex verbis Becani Jes. in Manuali differentiis p.1. *Si semel constet, Ecclesiam errare non posse in fide, nec alibi eam reperiri, quam apud Catholicos seu Pontificios, evidenter sequitur, etiam omnes articulos fidei ac religionis, quos Ecclesia Catholica seu Pontificia profitetur, veros esse; quos rejicit, falsos & erroneos.* Esto igitur

Thesis. *Ecclesia potest errare.*

Exthesis. Ecclesiæ nomen accipitur, vel de *Catholica*, vel de particulari Ecclesia. Catholica Ecclesia, vel *electorum*, vel *vocatorum omnium* respectu sic dicitur. Catholica Ecclesia electorum complectitur non solum credentes & sanctos in terris adhuc militantes, sed etiam Sanctos in cœlo cum Christo triumphantes. Dicimus ergo

1. Ecclesiam electorum cum Christo in cœlis triumphantem nulli, ne minimo quidem, errori esse obnoxiam, quia cum clara & beatifica Dei visione ne minimus quidem error consistit.

2. De Ecclesia electorum in terris adhuc militante distincte respondendum, cum errores sint duplices, quidam *fundamentales*, qui ipsum fidei fundamentum evertunt, quidam vero *non fundamentales*, qui cum fidei fundamento consistunt; ac duplici modo error obtingere possit, vel *ad tempus*, vel *finaliter*; Electi, ad tempus involvi possunt, (quidam etiam actu involvuntur,) erroribus non solum levioribus, sed etiam fundamentalibus, interim tamen ante finem vitæ ex illis iterum eluctantur, alias enim non essent electi proprie sic dicti, de quibus ex hypothesi hoc loco nobis sermo est, proinde in erroribus fundamentalibus finaliter non perseverant, quippe qui cum hæreditate salutis minime consistunt; levioribus vero erroribus, quos Apostolus vocat *fœnum & stipulas* 1.Cor.3. v.12. non solum ad tempus, sed etiam *finaliter* involvi possunt, qui tamen igne crucis & tentationis in illis absumuntur, ne salutem eorum impediant.

3. Catholica Ecclesia vocatorum complectitur omnes omnium temporum & locorum fideles sive confessores. De ea si quæratur, an errare possit, respondemus, quod *tota* non erret, id quod & *temporum* & *locorum* respectu sic explicamus; Quamvis incidere possint, quandoque etiam actu incidant, tempora ejusmodi, ut corruptelæ publicum Ecclesiæ Ministerium ac religionis exercitium occupent, tamen tota omniū temporum Ecclesia non errat, quia Deus subinde excitat Prophetas & alios fideles Ministros, qui corruptelas illas doctrinæ arguant, divinum cultum reforment, & Ecclesiam pristino nitori restituant. Quamvis etiam interdum corruptelæ totam visibilem Ecclesiam & publicum ejus Ministerium in omnibus omnium locorum particularibus Ecclesiis occupent, ita ut nullibi supersit purum & incorruptum ministerium, nunquam tamen tota Ecclesia sic errat, ut non sint, qui simplicem verbi ductum sequentes Spiritus sancti directione & efficaci operatione in veritate & fide, eo modo sanctificentur, ut fundamentum salutis retineant, à fundamentalibus erroribus immunes perseverent, ac virtute Dei per fidem ad salutem conserventur, licet illi nonnunquam pauci sint ac persecutionibus & corruptelis publice grassantibus ita lateant, ut publice coram mundo non agnoscantur.

4. *Particularem Ecclesiam* quamcunque non solum erroribus levioribus, sed etiam fundamentalibus involvi posse asserimus, à quo errandi periculo nec ipsam *Romanam* Ecclesiam excipimus, quippe, quam præ reliquis Ecclesiis particularibus omnibus aliquod peculiare *non errandi privilegium* accecepisse, ex Scripturis probari nequit.

5. Potest Ecclesia considerari, vel *limitate*, quatenus sequitur ductum Spiritus sancti in Scriptura loquentis, vel *illimitate*, & sine ulla restrictione. Ecclesia, quatenus sequitur vocem Spiritus sancti in Scripturis loquentis, eatenus non errat, contradictio enim foret, cum ista reduplicatione asserere, Ecclesiam, quatenus est vera Ecclesia, & ductum Spiritus sancti sequitur, errare, imo hac ratione ipsi Spiritui sancto error tribueretur. Sed Ecclesia illum ductum non semper sequitur, & hac ratione errat.

6. Potest Ecclesia considerari, tum *ratione sui*, tum *ratione divinarum promissionum*. Ecclesia Universalis ratione sui considerata, quatenus est cœtus hominum infirmitatibus adhuc subjectorum, tota quidem errare posset, non solum in minus principalibus, sed etiam in fundamentalibus articulis. Eadem tamen in fundamentalibus non errat, nec errare potest tota, ratione divinarum promissionum & assistentiæ Spiritus sancti, qui semper aliquam sibi in his terris colligit & conservat Ecclesiam, fundamentum fidei immotum retinentem.

Antithesis. Summa Angelica in voce Ecclesia. *Ecclesia universalis, quæ est collectio fidelium, non potest errare in fide seu ejus articulo, neq; in his, quæ ad bonos mores necessarios ad salutem pertinent.*

Alph. de Castro lib.10. adv. hæreses, verbo Maria virgo. *Ecclesiæ autoritas non minoris est ponderis, quam sacra Scriptura, quoniam sicut sacra Scriptura, eo, quod à Spiritu sancto est condita, errare non potest: ita Ecclesia, quoniam à Spiritu S. regitur & docetur, nec fallere nec falli potest.*

Id. Lib.1. adv. hæres. cap.5 *Si credis Scripturæ divinæ per manus Evangelistarum & Apostolorum scriptæ, cur non credis voci divinæ per os Ecclesiæ prolatæ?* Et postea: *Sine ulla hæsitatione tenendum, universalis Ecclesiæ definitionibus, etiamsi nullis Scripturæ sacræ testimoniis comprobentur, tantam fidem esse adhibendam, quanta ipsismet sacris Scripturis debetur, cum illius linguam æque nunc moveat Spiritus Sanctus in locutione earum rerum, in quibus nostra salus pendet, sicut olim movit manus Scriptorum ad Scripturas sacras scribendas.*

Id. Lib.13. adv. hæres. verbo Sacramenta. *Christus suæ Ecclesiæ usque ad consummationem seculi assistens, non solum hoc agit, ut Ecclesia hoc aut illo modo non erret, sed ne erret ullo.*

Melch. Canus Lib.4. Loc. Theol. cap.4. p.123. *Ecclesia in creden-*

credendo errare non potest. Id p. 24. sic declarat: *Ecclesiam in fide errare non posse, sic à fidelibus accipiendum est, ut quicquid Ecclesia tanquam fidei dogma tenet, verum sit, nec quicquam falsum, quod illa aut credit, aut docet esse credendum* p. 126. *Non solum Ecclesia antiqua in fide errare non potuit, sed ne Ecclesia quidem quæ nunc est, quæve futura est usque ad consummationem seculi errare in fide aut potest aut poterit.*

Stapletonus in relect. princ. fid. doctrin. controv. 4 q. 1. art. 1. *Ecclesiam verbo Dei annexam, h.e. non alia conditione audiendam illam esse, nisi verbum Dei proferat, aut nisi consentanea doceat Scripturæ, hæc conditio apposita vere est hæretica.* q. 3. art. 2. p. 41. *Errorem nullum vel minimum pertinaciter defensum tolerat vel admittit Ecclesia.*

Idem lib. 8. de princ. cap. 12. *Facit hæc infallibilitas judicandi de fide Ecclesiæ data, ut omnium de fide controversiarum judex legitima merito censeatur.*

Bellarm. lib 3. de Ecclef. cap. 14. *Nostra sententia est, Ecclesiam absolute non posse errare, non in rebus absolute necessariis, nec in aliis, quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non; & cum dicimus, Ecclesiam non posse errare, id intelligemus tam de universitate fidelium, quam de universitate Episcoporum, ita ut sensus sit ejus propositionis, Ecclesia non potest errare, id est, quod tenent omnes fideles tanquam de fide, necessario est verum & de fide, & similiter id, quod docent omnes Episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum & de fide.*

Costerus in Enchirid. cap. 2. p. 71. *Primum privilegium Ecclesiæ est, ines sola veram Dei esse notitiam divinarumque rerum nullo permistam errore intelligentiam, eamque ita constantem Christi Spiritu directore in vera religione persistere, ut error in fide apud illam locum habere nequeat.*

Gregor. de Valentia in Analysi lib. 6. cap. 4. p. 40. *Illa quoq; præclara est Ecclesiæ prærogativa, quod sic à Spiritu Sancto sibi assistente veritatem omnem fidei docetur, ut aberrare ab ea minime possit.*

Idem lib. 8. cap. 9. *In definitionibus fidei etiam habenda est ratio, quoad ejus fieri potest, consensus fidelium, quoniam & ii sane, quatenus ex ipsis constat Ecclesia, sic Spiritu Sancto assistente divinas revelationes integre ac pure conservant, ut omnes illi quidem aberrare non possint.*

Nostram sententiam probamus,

1. Quod nulla Ecclesia particularis gaudeat absoluto non errandi privilegio: patet, Primo ex *divinis præmonitionib.* Qui serio ac graviter monentur, ne errent, ac jubentur cavere falsos Doctores, ne seducantur, illi non sunt ab errandi periculo immunes: fideles omnes & quandoque integræ Ecclesiæ particulares serio & graviter monentur, ne errent, & jubentur cavere falsos Doctores, ne seducantur. Matth 7. v. 15. cap. 16. v. 6. cap. 24. v. 23. Act. 20. v. 28. Ro. 11. v. 20. 21. cap. 16. v. 17. 18. 2. Cor. 11. v. 3. Phil. 3. v. 2. 1. Joh. 4. v. 1. &c. Secundo *à divinis prædictionib.* Si divinitus prædictum, temporibus novissimis multos Christianos, imo integros cœtus à fide defecturos, consequens est, Ecclesias particulares errare posse. Sed verum prius. Matth. 24. v. 11. Luc. 18. v. 7. 2. Thess. 2. v. 3. 1. Tim. 4. v. 1. 2. 3. 2. Tim. 3. v. 1. 2. c. 4. v. 3. 4. 2. Petr. 2. v. 1. 2. c. 3. v. 3. Jud. v. 18. Apoc. 9. v. 2. c. 12. v. 6. c. 13. v. 3. 7. 8. 16. 17. c. 17. v. 2. c. 18. v. 3. Tertio *ab exemplo Ecclesiæ Vet. Testam.* Si Ecclesia V. T. errare potuit, utique etiam particulares Ecclesiæ N. T. errare possunt. Ratio est, quia illa non minores habuit promissiones de præsentia & cõservatione divina Lev. 26. v. 11. 2. Paral. 15. v. 2. Psal. 132. v. 13. &c. *cõditionales* tamen omnes, nẽpe si ductũ verbi cœlestis sequerẽtur; ac Paulus ipse ab Ecclesia Israelitica argumẽtũ ducit ad Ecclesiã Christianam Rom. 11. v. 20. & seq. Sed verũ prius, ut docet status illius Ecclesiæ temporibus Cainitarũ, antediluvianorum, majorum Abrahæ, μοσχολατρείας in deserto, Judicum, Regum, præsertim Jeroboami & Achabi, captivitatis Babylonicæ, dominantis Pharisaismi &c. Quarto ab *exemplis multarum Ecclesiarum* N. T. Erravit Ecclesia primorum fidelium *ante Christi resurrectionem*, statuendo, Eliam Thesbyten in propria persona redituum Matth. 17. v. 10. Marc. 9. v. 11. ac regnum Messiæ fore terrenum, in quo errore etiam ipsimet Apostoli hæserunt, unde factum, ut prædictiones de passione non intelligerent, ac post resurrectionem de regni Israelitici restitutione adhuc quærerent, Act. 1. v. 6. Erravit Ecclesia primorum fidelium *post Christi ascensionem* opinando, Ceremonias legales adhuc observandas esse, in quo errore etiam Petrus hæsit, Act. 10. v. 20. Galat. 2. v. 14. ac gentes absq; earum observatione non esse in communionem Ecclesiæ recipiendas. Act. 20. v. 20. cap. 11. v. 2. 3. 19. Erravit Ecclesia *Corinthiaca*, in qua erant schismata 1. Cor. 1. v. 10. 12. cap. 3. v. 4. in qua etiam multi errabant circa doctrinam de judiciis & litibus forensib. cap. 6. v. 1. de divortio cap. 7. v. 12. de idolothytis & libertate Christiana cap. 8. v. 1. & seqq. cap. 10. v. 18. & seqq. de Cœna Domini cap. 11. v. 16. de sacris in lingua peregrina cap. 14. v. 2. & seqq. de resurrectione cap. 15. v. 12. Erravit Ecclesia *Galatarum*, de quibus dicit Apostolus, quod *cito translati fuerint à Christo in aliud Evangelium*, cap. 1. v 6. *non obedientes veritati, Christum iterum crucifigentes*, cap. 3. v. 1. *convertentes se rursum ad infirma & egena Elementa*, cap. 4. v. 9. *implicantes seipsos jugo servitutis*, cap. 5. v. 1. &c Erravit Ecclesia *Colossensium*, quæ doctrinam de libertate Christiana non retinuit illibatam, Col. 2. v. 20. 21. Errarunt Ecclesiæ *Asiaticæ*, utpote *Ephesina*, Apoc. 2. v. 4. *Pergamensis*, v. 14. & 15. *Thyatirensis*, v. 20. *Sardensis*, cap. 3. v. 1. *Laodicensis*, v. 15. Errarunt Ecclesiæ *Orientales & Græcæ*, quæ primum puræ fuerunt, nunc in multis articulis errant. Quinto *à Natura promissionum.* Si promissiones datæ fidelibus & fidelium cœtib. sunt conditionales, consequens est, illos non habere absolutum non errandi privilegium. Sed verum prius. Joh. 8. v. 31. cap. 15. v. 4. & 14. Heb. 3. v. 6. & 14. 1. Joh. 2. v. 24. &c. Sexto, *à conditione & statu fidelium.* Quorumvis fidelium non solum auditorum, sed & doctorum cognitio ac renovatio in hac vita est adhuc imperfecta, 1. Cor. 13. v. 9. 2. Cor. 4. v. 16. E. Ecclesiæ particulares, quæ nihil aliud sunt, quam cœtus fidelium, in cognitione & renovatione, durante hujus vitæ tempore, sunt adhuc imperfectæ, & per conseq. ut peccare, ita etiam errare possunt.

2. Quod *Ecclesia Universalis* absolute & sine limitatione sumta in articulis minus principalibus & quæstionibus secundariis tota errare possit & actu ipso erraverit, præsertim si publicum visibilis Ecclesiæ ministerium respiciatur, probamus, primo exemplo *Israeliticæ Ecclesiæ* tempore Pharisaismi dominantis. Secundo exemplo *primitivæ Ecclesiæ Christianæ*, in qua opiniones de necessaria legalium Ceremoniarum observatione, & gentium ad eas obligatione publice obtinuerunt. Tertio exemplo *Ecclesiæ tempore dominantis Arianismi.* Quarto exemplo *Ecclesiæ tempore dominantis Antichristi.* Quinto *prædictionib. divinis* de magna quadam & pene universali defectione fide in N. T. futura, quæ paulo ante sunt adductæ.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, *Pontificem Romanum errare posse*, ut ostendimus superius cap. 2. Ecclesiæ enim nomine ultimate intelligunt Romanum Pontificem, ut ostendimus superius cap. 1. Si ergo Pontifex Romanus errare potest, etiam Ecclesia errare potest.

Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3. §. Tertio probatur &c. *Si Pontifex errat, ceu supremum Ecclesiæ caput, oportet & totam Ecclesiam errare.*

§. Secundum &c. *Nec potest intelligi, quomodo fundamentum* (Papa) *destruatur, & domus* (Ecclesia) *non cadat.*

2. Quod quidam agnoscunt, *Ecclesiam posse errare.*

Cap. A nobis. extr. de sentent. excom. in Decret. Gregorii lib. 5. tit. 39. ex Innocentio III. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur, judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus.*

(Quamvis verba posteriora in specie loquantur de disciplina Ecclesiastica & judiciis particularibus, priora tamen sunt generalia, & judicium Ecclesiæ à judicio Dei, quod solum est absolute infallibile, distinguunt. Ac probe notandum, quod Pontificii demonstraturi, *Ecclesiam non posse errare*, subinde provocent ad dictũ Christi Matth. 18. *Dic Ecclesiæ.* Atqui dictum illud proprie & principaliter agit de disciplina Ecclesiastica.)

Lombardus lib. 4. sent. dist. 18. lit. F. *Non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium. Ecclesia enim per subreptionem & ignorantiam interdum judicat. Deus autem semper judicat secundum veritatem.*

Gualterus Brutus (qui ante duo secula in Anglia vixit) referente Foxo in Martyrolog. 477. *Visibilis Ecclesiæ Pastores ac Doctores errare omnes possunt, imo Petrus erravit, ideoq; à Paulo reprehensus fuit. Solæ Scripturæ non errandi privilegium habent.*

Nicolaus de Clemangis in Disp. super materia generali Concilii p. 63. edit. Lugdun. *Non tanquam fidei articuli sunt amplectenda, quæcunque Ecclesia determinat, utpote quæ aliquotiens contraria determinavit, quod in fide materia non esset conveniens.*

Autor

Autor oneris Ecclesiæ cap. 44. §. 8. *Ruina Ecclesiæ Latinæ in aliis Ecclesiis, utpote Hebræâ & Græca dudum præcessit, ubi fides Catholica laudabiliter olim viguit, postea miserabiliter evanuit, & adhuc illic jacet supina, loco cujus multiplices sectæ Saracenorum, Mahumetistarum, Wiclefistarum, aliæque hæreses infinitæ pullulant, & quasi totam Asiam, Africamq; occupant.*

Andreas Alciatus JCtus in Disput. de quinque pedum præscriptione: *Judicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quã & fallere sæpe contingit & falli.*

3. Quòd agnoscunt, *Ecclesiam esse astrictam verbo Dei*, ac catenus audiendam, quatenus ipsa Deum in verbo audit & ductum verbi sequitur. (Utiq; ergò non est absolute infallibilis.)

Thomas p. 3. q. 59. art. 4. *Spiritualis homo omnia judicat, in quantum mens ejus verbo Dei inhæret.*

(Ergò catenus non errat homo spiritualis, quatenus inhæret verbo. Idem dicendum de Ecclesia, quæ est cœtus multorum fidelium.)

Idem 2. 2. q. 33. art. 7. *Prælato non est obœdiendum contra præceptum Domini, secundum illud Act. 5. Oportet Deo magis obœdire, quàm hominibus. Unde si Prælatus expressè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obœdiens, q. contra præceptum Domini agens, unde non esset ei obœdiendum.*

(Quòd si ergò Episcopis non est obediendum contra præceptum Domini, sed catenus duntaxat, quatenus ipsorum sententia verbo Dei conformis, utique etiam Ecclesiæ catenus duntaxat obediendum, quia docente Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 2. *Idem est, Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Episcopos non posse errare.*)

Biel 4. sentent. dist. 1. q. 4. art. 3. *Non licet spernere consilium Prælati, quod verum est, nisi contra legem dixerit, quia sic præcipiendo non sedet super cathedram Mosis, non enim hæc procedunt de cathedra, id est, doctrinâ Mosis, sed de cathedra pestilentiæ.*

Wesselus Groningensis in lib. cui titulus, Farrago. *Quia Deo debitores sumus ad parendum mandatis Prælatorum, duntaxat illis parendum, quoad nihil contra Deum præcipiunt. Nihil enim propter Deum fieri debet contra Deum. Prælatus enim, nisi quantum sapientiam docet, audiendus non est, quia qui Prælatos post Apostolos audit, Christum audit. Ubi ergo secundum Christum docent vel præcipiunt, illic sicut sapientia ipsa si loqueretur, audiendi sunt, alias non audiendi sunt &c.*

Johannes de Turrecremata libr. 2. Summæ de Eccles. cap. 91. & Stapleton. relect. princ. fidei p. 468. addunt hanc limitationem, *Ecclesiam esse infallibilem, quatenus verbum Dei sequitur.*

Huc omninò referendum, quod verba Christi Matth. 23. *Quæcunque dixerint vobis, facite*, plurimi ex ipsis Pontificiis cum hac limitatione accipienda esse agnoscunt, quatenus ea legi divinæ fuere conformia, Lyranus, Johannes Ferus, Erasmus, Arias Montanus, Cornelius Jansenius, Maldonatas, Lucas Brugensis in illum locum, Didacus Stella in cap. 12. Luc. Georg. Cassander in Consult. art. 7. quorum dicta adduximus superius cap. 3. in resp. ad arg. 3. ex N. Test.

(Si excipere velint, *Sacerdotes, Scribas & Pharisæos errare potuisse, Christo jam præsente, non autem ante Christi adventum, quando fuerunt Ecclesia*, opponimus illis, quòd multi ex citatis Autoribus agnoscant, parem esse hac in parte Doctorum Ecclesiæ Christianæ cum Doctoribus Ecclesiæ Israeliticæ rationē, quod utrique catenus duntaxat audiendi, quatenus hi *doctrinæ Mosis*, illi doctrinæ Christi conformia proponant.)

Johannes Ferus in cap. 23. Matth. p. 181. *Non voluit Christus, ut omnia Pharisæorum dogmata susciperent, sed quatenus legi consonarent, unde & supra, cum docuisset, eos legi contraria in aliquibus docere, post aliqua interposita subintulit: Cavete à fermento Pharisæorum. Eodem modo & Apostolis eorumq; Successoribus dixit: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Verum præmisit Matthæus, quod Christus elegit duodecim, quos & vocavit Apostolos, quibus & præcepit prædicare Evangelium in universo mundo. E quibus patet, audiendos esse Apostolos, sed quatenus Apostoli sunt, hoc est, CHRISTI negotium agunt, ac quæ Christus jussit, prædicant & docent. Quod si alia docent & Christo contraria, jam Apostoli non sunt, sed seductores, ideò nec audiendi.*

Melchior Canus lib. 4. Locor. Theolog. cap. 4. *Ecclesia falli & errare potest in quibusdam rebus, in iis nempe, quæ sunt à Deo revelata.* (Ergò judicium Ecclesiæ pendet à divina revelatione, hoc est, à verbo revelato, ac quando ductum & normam divinæ revelationis non sequitur, errare potest.)

Bellarminus lib. de Clericis cap. 14. §. Esse autem &c. sic disserit: *Certè si jure divino Presbyteri ex ipsa sua ordinatione, hoc est, ex charactere suo Sacerdotali haberent, ut ordinare possent, non esset irritum, quod facerent, tametsi prohibēte Ecclesia facerent.* (Utiq; ergò Ecclesia in suis præceptionibus & prohibitionibus est adstricta verbo DEI, neque quidquam potest tollere, quod alicui jure divino competit.)

4. Quod agnoscunt, *non esse credendum in Ecclesiam.* (At si Ecclesia absolutum haberet non errandi privilegium, decisiones ejus verbo Dei revelato essent pares.)

c. Prima igitur, de consecrat. dist. 4. ex Augustino. *Quod interrogavimus, Credis in sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, non eo modo interrogavimus, ut quomodo in Deum creditur, sic & in Ecclesiam sanctam Catholicam, quæ propterea sancta & Catholica est, quia rectè credit in Deum. Non ergò diximus, ut in Ecclesiam q. in Deum crederetis, sed intellige nos dicere, & dixisse, ut in Ecclesia sancta Catholica conversantes in Deū crederetis.*

Huic conforme est illud Augustini tract. 3. in Epist. Joh. *Sciēdum, quod Ecclesiam credere, non in Ecclesiam credere debemus.*

Itemque illud Ruffini in exposit. Symboli. *Non dicitur in sanctam Ecclesiam Catholicam, sed sanctam Ecclesiam credendam esse, hac prepositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & divina ab humanis separantur.*

Autor sermonis de tempore 131. in operib. Augustini, *Sciendum est, quod Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non est Deus,*

(Vident Rhemenses Ecclesiæ absolutæ infallibilitati hoc rectè opponi posse, ideo per insignem absurditatem eò abeunt, ut in annot. cap. 10. Rom. sect. 41. & 1. Timoth. 3. sect. 9. contendant, *in Ecclesiam esse credendum.*)

5. Quod agnoscunt, *Ecclesiam Israeliticam V. T. errare potuisse.* (Atqui illa æque magnas & illustres promissiōes divinitus accepit, quam N. T. Ecclesia, ut paulo ante demonstravimus. Quod si ergo illa errare poterit, etiam hæc non erit absolute ab omni errandi periculo immunis, nimirum, quia promissiones & illi, & huic datæ non sunt absolutæ, sed *conditionales*.)

Quod Ecclesia Israelitica *post Christi adventum* errare potuit, concedit Bellarm. lib. 2 de Concil. cap. 8. lib. 3. de Ecclesia c. 17.

Quod autem etiam *ante Christi adventum* eam errare potuisse concedere cogantur, variis modis demonstrari potest.

Primò statuunt, esse disparem rationem promissionum Ecclesiæ Israeliticæ olim datarum, & Ecclesiæ Christianæ in N. T. concessarum. (Atqui si in hoc ipso tertio, videl. in privilegio infallibilitatis, est discrimen inter Ecclesiam V. & N. T. utique Ecclesia V. T. non fuit simpliciter infallibilis, i. e. ab errandi periculo immunis.)

Bellarmin. lib. 2. de Concil. cap. 6. *Certiores & majores promissiones Dei habet Ecclesia quam Synagoga. Nec enim de Synagoga usquam legimus, quod de Ecclesia Christus dicit Matth. 16. Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam, nec id, quod Apostolus ait 1. Tim. 3. eam esse columnam & firmamentum veritatis.*

Pistorius in Hodeg. p. 97. contendit, *disparem esse rationem Ecclesiæ Christianæ ac Synagogæ in infallibilitatis privilegio.* (Si excipere velint, *hæc duntaxat ex hypothesi ab ipsis dici*, hoc sensu: *Si vel maximè probari posset, Ecclesiam Israeliticam V. T. errasse, ex eò tamen inferri nondum potest, quod Ecclesia Christiana N. Test. itidem errare possit*, urgemus ulterius.)

Secundo, quod statuant, *Ecclesiam Israeliticam libros quosdam ex hypothesi Pontificiorum vere Canonicos in canonem minimè recepisse*, videl. librum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, primum & secundum Maccabæorum &c.

Bellarmin. lib. 1. de V. D. cap. 10. *Hi libri* (Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Maccabæorum) *simul omnes rejiciuntur ab Hebræis, ut testatur B. Hieron. in Prologo Galeato. Hebræorum sententiam sequuntur hæretici hujus temporis fere omnes.*

Colterus in Enchir. cap. de lib. Canon. *Alius est canon Hebræorum, alius Christianorum.* (Ex illo sic concludimus. Quæcunque Ecclesia libros Canonicos è canone rejicit, illa gravissime errat. Ecclesia Israelitica libros ex hypothesi Pontificiorum Canonicos è canone rejecit. Ergò gravissime erravit. Frivolum est, quod Melch. Canus lib. 2. Locor. cap. 11. excipit, *Ecclesiam Israeliticam libros illos controversos non quidem recepisse, interim tamen nequaquam rejecisse.* Ostendemus n. inferius lib. 2. art. 1. cap. 1. sect. 1. except. 3. *nō recipere & rejicere* in hac quæstione esse *ἰσοδυναμοῦντα*, etiam ex ipsorum Pontificiorum confessione.)

Tertiò, Pererius Disp. 6. in cap. 13. Joh. p. 184. sic concludit: *Si Judæi diem Paschatis in feriam sextam incidentem transtulissent*

sent in feriam septimam, tunc tota Synagoga magno & manifesto errori consensisset, atque ei per sexcentos annos adhæsisset.

Sublumo ex Jansenio in Concord. Evang. cap. 128. Salmerone tom. 9. tract. 4. Maldonato in cap. 26. Matth. *Judæi, qui post Babylonicam captivitatem usque ad tempora Christi vixerunt, diem Paschatis in feriam sextam incidentem transtulerunt in feriam septimam.* Conclusio sponte emergit. Ergo Synagoga magno & manifesto errori cōsensit, eiq; per sexcentos annos adhæsit.

Adde & hoc, Salmeron d. l. p. 27. sic scribit: *Nemini mirum videri debet, quod Judæi festum Pachæ in diem Sabbathi transtulerint. Nam non dissimili ratione Ecclesia Catholica festa duplicia incidentia in Dominicas Adventus vel Quadragesimæ, etiamsi festum Conceptionis existant, transfert in diem sequentem.*

Ad juxta Peterii hypothesin translatio illa Judaica non fuisset sine magno errore. Conclusio emergit talis. Ergo etiam illa translatio Romana non est sine errore.

6. Quod agnoscunt, *Ecclesiam particularem quamcunque, sola Romana excepta, errare posse,*

Panormitanus super 1. part. primi cap. Una. fol. 17. illud, quod *Ecclesia nō possit errare,* accipit *de Ecclesia universali, nō particulari.*

Cornel. à Lapid in Comment. 1. Tim. 3. v. 14. *Qualibet Ecclesia particularis in fide errare potest.*

Liberaliter idipsum concedunt, Petrus à Soto contra Confess. Wittenberg. cap. de Conciliis, Alphonsus à Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 8. Hosius in Confess. Petricov. cap. 24. & libr. 2. contra Brent. Verratus Disp. advers. Lutheranos tom. 6. de autorit. & potest. Univers. Ecclesiæ. cap. 5. Gregorius de Valentia in Analysi lib. 6. cap. 4. pag. 21. Raihing. in manual. pag. 203.

(Atqui negari nulla veritatis specie potest, *Romanam Ecclesiam*, sive sumatur pro cœtu Romanorum civium, sive pro cœtu omnium eorum, qui Pontificem pro capite Ecclesiæ agnoscunt, *esse Ecclesiam particularem*, quod ipsum in procœmio cap. 2. probatum dedimus. Nec possunt Pontificii evidens ac perspicuum Scripturæ dictum afferre, in quo Romana Ecclesia à communi particularium Ecclesiarum sorte eximatur, & pro Catholica vel absolute infallibili Ecclesia proponatur.)

7. Quod *de corruptelis doctrinæ & vitæ* in Romana Ecclesia publice grassantibus multæ extent querelæ, quarum quasdam recensuimus superius part. 1. cap. 4.

(Jam vero quæ operose à Pontificiis de infallibilitate Ecclesiæ disputantur, hunc unicum sibi habent præfixum scopum, & eò tandem omnia redeunt, ut obtineant, *Ecclesiam Romanam non posse errare.* Cum igitur probari possit, eam actu ipso errasse, frustra quæritur, an errare possit, cum actus secundus præsupponat primum; & quod res ipsa testatur esse factum, de eo frustra disputatur, an fieri possit.)

8. Quod Alexander Alensis p. 3. q. ult. art. 2. & Johannes de Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 30. & lib. 3. cap. 61. asserunt, *tempore passionis Christi totam visibilem Ecclesiam errasse, ut vera fides in nullo homine, præterquam in sola Maria, remanserit.*

(Bellarminus quidem hanc opinionem improbat lib. 3. de Eccles. cap. ult. circa finem, sed ex falsa hypothesi, existimat enim *discipulos Christum deserentes, & Petrum Magistrum suum negantem non amisisse fidem.* Dominic. Bannes in 2. 2. Thom. q. 1. art. 10. p. 177. monet, *multos huic opinioni calculum addere*, inter quos est Marsilius lib. 2. sentent. q. 20. art. 3. & ex recentioribus Costerus in Enchir. de tertia nota Ecclesiæ p. 100. Quinimo Joh. de Turrecremata d. l. diserte asserit, *esse contra fidem Universalis Ecclesiæ asserere, non in sola B. Virgine mansisse fidem in die passionis Domini.* Viderit ergo Bellarminus, ne pertinaciter hoc asserens contra fidem Universalis Ecclesiæ pugnet, & nullam fidem etiam apud suos mereatur.)

9. Quod in hac quæstione de infallibilitate Ecclesiæ circulum committunt. Quæritur, quare Ecclesia non erret, respondet Bellarminus, quia Episcopi sive Prælati Ecclesiastici non errant. Lib. 2. de Concil. cap. 2. *Tota autoritas Ecclesiæ formaliter non est, nisi in Prælatis, sicut visus totius corporis formaliter est tantum in capite.*

Gregorius de Valentia in Anal. lib. 6. cap. 4. p. 41. *Idcirco fideles omnes errare non possunt, quia Pastores omnes & Doctores omnino errare nequeunt.*

Quæritur ulterius, quare Episcopi non errent, respondet Bellarminus, quia Pontifex Romanus non errat. Lib. 4. de Rom. Rontif. cap. 2. *Ipsa infallibilitas non est in cœtu Consiliariorum, vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice.* Sed lib. 3. de Ecclesia cap. 10. procedit modo contrario, videl. Episcopos non errare, quia Ecclesia non errat. *In Episcopis* (inquit) *possunt duo considerari, Primo, quod locum Christi teneant, & quod propterea debeamus illis obœdientiam & quod ipsi non possint nos decipere in iis, quæ necessaria sunt ad salutem. Secundo, quod habeant potestatem ordinis & jurisdictionis. Si primo modo considerentur, certi sumus certitudine infallibili, quod isti, quos videmus, sint veri Episcopi & Pastores nostri. Nam ad hoc non requiritur nec fides, nec character ordinis, nec legitima electio, sed solum, ut habeantur pro talib. ab Ecclesia. Cum enim sint Episcopi propter Ecclesiam non contra, Deus assistit eis, qui pro talibus habentur, ne errent in Ecclesia docenda. Itaque sunt illi veri Episcopi & Pastores non absolute, sed quoad illa tria, quæ diximus, quod est idem ac si diceremus, eos non quidem in se esse veros Episcopos, sed tamen, donec pro talibus habentur ab Ecclesia, deberi illis obœdientiam, cum conscientia etiam erronea obliget. Item tenere eos locum Christi de facto, non de jure, cum reipsa populum Christi nomine regant, demq; non posse ab illis Ecclesiam decipi, cum Ecclesia non possit errare.* (Vides circulum, *Ecclesia non potest errare, quia Episcopi non possunt errare, Vicissim Episcopi non possunt errare, quia Ecclesia non potest errare.* Infallibilitas Ecclesiæ probatur per infallibilitatem Episcoporum tanquam per causam formalem & adæquatam. Vicissim infallibilitas Episcoporum probatur per infallibitatem Ecclesiæ itidem tanquam per causam formalem & adæquatam. Vis clarius? attende.)

Bellarminus libr. 2. de Concil. cap. 2. *Idem est, Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Episcopos non posse errare.* (Atqui Bellarminus probat Ecclesiam non posse errare ex eo, quod Episcopi non possint errare. Vicissim Episcopos non posse errare, quia Ecclesia non potest errare. Ergo idem probat per idem, & circulum committit.)

10. Quod in probanda Romanæ Ecclesiæ infallibilitate topice tantum, non apodictice disputant.

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. format ejusmodi propositionem. *Non solum Pontifex Romanus non potest errare in fide, sed neque Romana particularis Ecclesia.* Circa illam propositionem primo observandum esse monet, *in alio sensu accipi debere firmitatem Ecclesiæ Romanæ in fide, & in alio firmitatem Pontificis. Nam Pontifex non potest errare errore judiciali, hoc est, dum judicat & definit quæstionem fidei. At Ecclesia Romana, id est populus & Clerus Romanus non potest errare errore personali, ita ut omnes omnino errent, & nulli sint in Romana Ecclesia fideles & Pontifici adhærentes. Tametsi enim unusquisque seorsim errare potest, tamen id fieri non potest, ut omnes errent simul, & tota Romana Ecclesia apostatica efficiatur.*

(At juxta hanc explicationem parum privilegii præ reliquis particularibus Ecclesiis Romanæ Ecclesiæ relinquetur. Nam de quavis particulari Ecclesia dici potest, quod illa tota errante, unus itemque alter fidelis remaneat. Errante enim majori Ecclesiæ parte aliqui manere solent ab erroribus immunes, propterea tamen dici nequit, particularem Ecclesiam errare non posse. Concedimus haud inviti, adhuc hodie in media Roma superesse quosdam vere fideles & pios, nihilominus asserimus, Ecclesiam Romanam totam gravissime errare, nimirum quia in hac assertione Rom. Ecclesia non consideratur ratione paucorum in ea latentium, sed ratione publici ministerii, ratione doctrinæ, quæ publice in ea sonat, ratione maximæ partis ei adhærentis, ac pauci illi vere fideles latentes sunt quidem *in* Ecclesia Romana, non tamen *de* Ecclesia Romana.)

Secundò. *Ecclesiam Romanam non posse errare, adhuc dupliciter intelligi posse,* monet, *Uno modo, ut non possit errare persistente Romæ Apostolica Sede, secus autem si Sedes auferretur; altero modo, ut simpliciter non possit errare, vel deficere, quia nec Sedes Apostolica possit unquam Roma alio transferri. Secundum priorem sensum propositionem illam esse verissimam. At secundum posteriorem sensum Ecclesiam Romanam non posse deficere, est quidem pia & probabilissima sententia, non tamen adeo certa ut contraria possit dici hæretica, vel manifeste erronea. Quod enim non sit omnino de fide, à Romana Ecclesia non posse separari Sedem Apostolicam, patet, quia neque Scriptura neq; Traditio habet, Sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri non possit. Et omnia testimonia Pontificum & Patrum, quæ docent: Ecclesiam Romanam non posse errare, possent exponi de Romana Ecclesia, donec in ea Apostolica Sedes permanet, non autem absolute & simpliciter.*

(Si hæc sententia de infallibilitate Ecclesiæ Romanæ non est adeo certa, ut contraria dici possit hæretica, vel manifeste

festè erronea, utique infallibilitas Romanæ Ecclesiæ non est, de fide, nec quisquam cogitur, ut eam statuat. Item si nec Scriptura nec Traditio habet, ac proinde non est de fide Sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri non possit, utique etiam infallibilitas Ecclesiæ Romanæ, quæ ex hoc principio deducitur, non nititur certo & immoto fundamento.)

Tertio, *Ecclesiam Romanam non posse errare in sensu priore, hoc est, persistente Romæ Sede Apostolica*, probat, non ex *Scriptura*, *sed duntaxat ex quorundam Pontificum & Patrum testimoniis.*

(At testimonia illa probabiliter tantum, non apodictice illud probant, nec possunt fidei divinæ & infallibilis statui fundamentum. Ex Scripturis sacris evidens promissio afferenda. Patres, quia viderunt Ecclesiam Romanam usque ad sua tempora in fide constantem fuisse, pia quadam credulitate existimarunt, eam perpetuò talem futuram. At hæc summa rei Christianæ, & primum fidei Papalis principium ex immoto DEI verbo apodictice demonstrandum erat.)

Quarto, *Petri Cathedram non posse separari à Roma, & proinde Romanam Ecclesiam absolute non posse errare, nec deficere*, probat ex eo, quod *tamdiu mansit Romæ Sedes Apostolica non obstantibus infinitis persecutionibus & occasionibus recedendi, quodque Marcellus Papa testatur, Petrum jubente Domino Sedem suam ex Antiochia Romam transtulisse.*

(At fatetur ipse Bellarmin. h. l Romanos Pontifices per 70. annos mansisse in Galliis. Utique ergo Sedes Apostolica sive Petri Cathedra tunc fuit aliò translata, videlic. Avinionem in Gallia, aliàs Pontifices ibidem commorantes non habuissent secum Apostolicam Sedem sive Petri Cathedram. Fatetur Bellarminus & cum ipso Anglo-Rhemenses in c. 17. Apoc. Viegas in eundem locum Comment. 2. sect. 2. *Romam ante finem mundi futuram esse Sedem Antichristi.* Quomodo ergo tunc Petri Cathedra non erit à Roma separata? Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *Pontificem Romanum nihilominus tunc dictum iri Romanum Pontificem, etiamsi Romæ non habitet, sicut factum temporib. Totilæ Gothorum Regis, quibus Papa itidem Romam deseruit.* At hoc ipsum fortissime confirmat, Sedem Apostolicam non ita esse Romæ affixam, ut ab ea separari nequeat, alias enim Antichristus Romæ sessurus eam haberet, Pontifex Roma exulans ea careret. Quocunque ergo se Bellarminus vertit, misere impingit. Præterea, in hac assertione, *quod Petri Cathedra Romæ transferri nequeat*, Bellarmino non omnes assurgunt, sed contrarium multi ex ipsis Pontificiis statuunt. Alphonsus Mendoza in controv. Theol. q. 4. p. 332. talem format conclusionem: *Si Pontifex totam vellet plenitudinem potestatis exercere, posset Apostolicam Sedem ab Ecclesia Romana removere.* Eandem postea p. 342. dicit probari, Soto in 4. sent. dist. 24. q. 2. art. 5. Antonio Cordubensi lib. 4 quæstionarii q. 1. propos. 8. dub. 2. Caspari Casalio lib. 2. axiomat. Christ. art. 3. cap. 8. Cajetano de Primatu Rom. Eccles. cap. 13. Waldensi Carmelitano lib. 2. doctrinalis cap. 41. Petro de Palude tract. de caus. Eccles. potest. artic. 4. concl. 3.)

11. Quod agnoscunt, *tempore Antichristi* (quem adhuc venturum credunt) *secuturam esse pene universalem quandam apostasiam*, ut videbimus lib. 2. art. 5. in quæstione, An Ecclesia possit deficere.

12. Quod agnoscunt, *Episcopos in Conciliis congregatos errare posse*, ut ostendimus cap. præced. proximo. (Illi enim ex ipsorum hypothesi constituunt *Ecclesiam repræsentativam*, Ergo si illi errant, etiam Ecclesia errat. Excipiunt, *Episcopos in Conciliis non posse errare, quatenus sequantur instructionem Pontificis.* Atqui ostendimus superius cap. 2. etiam Pontifices errare posse.)

Argumenta Adversariorum. 1. Esai. 59. v. 21. *Hoc pactum meum cum eis, dicit Jehovah, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui. Ergo Ecclesia non potest errare.* Cornel. à Lapide & Hector Pintus in Comm. h. l. Gregor. de Valent. lib. 6. Analys. cap. 4. p. 41. Huntlæus controv. 2. cap. 7. n. 5. Rayhing. cum adhuc Pontificius esset, in Manuali Cathol.

Resp. 1. per inversionem; conjunguntur hoc loco *verbum & promissio Spiritus*, quod etiam fit Joh. 8. v. 31. cap. 14. v. 26. cap. 15. v. 13. & 14. cap. 17. v. 17. Ergo Ecclesia eatenus & tamdiu Spiritum directorem habet, quatenus & quamdiu verbum, quod est ministerium Spiritus, audit, retinet, conservat ac sequitur. Spiritus Sanctus non immediate, sed mediate, videl. per verbum, Ecclesiam regit ac ducit. proinde quatenus Ecclesia verbum sequitur, eatenus etiam à Spiritu sancto ducitur ac regitur & eatenus non errat.

2. Inde Glossa ordin. in h. l. sic commentatur. *Hoc fœdus meum cum eis, ut scilicet eos sanguine Filii redimam, & ipsi præcepta mea faciant & memoriter teneant. Non recedent verba mea de ore seminis tui, id est, sequentium Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, qui eodem Spiritu repleti sunt. Spiritus enim Sanctus, qui docuit Esaiam, ad alios quoque q. per successionem transit.* (Ergo ad illos tantum pertinet promissio Spiritus, qui Prophetico sermoni insistunt.)

3. Glossa interlinearis sensu eo accipit, quod post Evangelii prædicationem non sit secuturum aliud doctrinę genus. *Verba mea posui in ore tuo, hoc est, Evangelium meum, cui non succedat alia lex, unde Johannes dicit Evangelium æternum.*

4. Sanctius in Comment. h. l. n. 96. *præceptivè* potius quam *promissivè* (ut sic loquar) hæc verba accipienda esse docet: *Illud non recedent, inquit, licet in futuro positum sit, tamen pro imperativo positum est, quod in Scriptura sacra obvium. Ita, ut non tam dicantur verba ab ore non recessura, quam præcipiantur, ne ullo recedant tempore à posterorum ore.* n. 94. ostendit, *per Spiritum μετωνυμικῶς intelligi verba, quæ divinus Spiritus dictavit Prophetæ.*

5. Cornelius à Lapide in Comment. h. l. agnoscit, quosdam ex veteribus hunc locum magis ad Christum & Apostolos, quam ad Ecclesiam referre. *Hieronymus* (inquit) *putat hoc à Deo dici Esaiæ, q. d. Spiritus meus Propheticus, qui in te est ô Esaia, nunquam deficiet, nec verba, hoc est, oracula mea recedent de ore tuo & seminis tui hoc est, posterorum tuorum, scilicet Prophetarum & Apostolorum usque in æternum. Procopius & Cyrillus censent hæc esse verba Patris ad Filium Christum Dominum, super hunc enim fixe & jugiter requiescit Spiritus Domini.*

6. Quamvis vero Cornelius ibidem præferat explicationem eorum, qui hæc ad Ecclesiā referūt, (quod nobis minime improbatur) diserte tamen addit: *Promitti hunc Spiritum singulis veris & vivis Ecclesiæ membris, h. e. justis, hi enim omnes vitali hoc Spiritu animantur & vegetantur, unde quod ait, in te, potest de quolibet justo accipi, ut accipit Adamus.* (Ex eo sic concludimus. Si ex verbis Esaiæ absoluta infallibilitas Ecclesiæ evinci posset, consequens foret, quodlibet verum & vivum Ecclesiæ membrum, i. e. quemlibet justum habere absolutum infallibilitatis privilegium. Posterius Pontificii non admittunt. E. nec prius asserere debent. Distinguit quidem inter *Spiritum veritatis & sanctitatis*, illum toti Ecclesiæ & ejus capiti Rom. Pontifici, hunc singulis veris & vivis Ecclesiæ membris promitti asserit, sed ut unus est *veritatis & sanctitatis* Spiritus, Joh. 14. v. 17. cap. 16. v. 13. ita quoque uno & eodem modo promissio veritatis & sanctitatis, respectu ad Ecclesiam ejusque membra habito, accipienda est; videl. non *absolute, sed cum conditione,* si verbi ductum sequantur. E. ut fideles peccare possunt, nisi sequantur ductum verbi, quod est *regula sanctitatis;* ita quoque errare possunt, nisi sequantur ductum verbi, quod est *regula veritatis.*)

Argum. 2. Matth. 16. v. 18. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam. Prævalerent autem si Ecclesia errare posset.*

Resp. de hoc dicto egimus superius lib. 1. part. 1. cap. 2. arg. 2. hoc loco monemus,

1. Cajetanum & Ferum intelligere nomine Ecclesiæ non communiter acceptam congregationem eorum, qui Christiani dicuntur, sive boni sint, sive mali, sed *Ecclesiam secundum Spiritum* nempe *electorum*, qui eadem fide, spe, caritate præditi sunt.

2. Ante illos Abulensis in locum illum Matthæi sic commentatur: *Non est verum, quod supra Petrum ædificata est Ecclesia, quia solus Christus est fundamentum Ecclesiæ. Et patet, quia necesse est, ut fundamentum Ecclesiæ sit immortale. At de successoribus Petri patet, quod multi eorum etiam Canonice intrantes prolapsi sunt in hæresin, & alii in cultum idolorum &c. atque ita Papa deficiente tota interiret Ecclesia. Et Ecclesia hoc loco non sicut communiter accipitur, sed solos electos complectitur.* Reliqua occurrent dicto loco.

Argum. 3. Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Obligamur sub anathematis pœna Ecclesiæ credere in omnibus. Ergo Ecclesia non errat.*

Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 14. Resp. 1. agitur in hoc dicto de Ecclesia particulari, non autem de Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, quæ est omnium locorum & temporum, eam enim nemo potest adire & de specialibus casibus ejus judicium rogare.

Alber-

Albertus Pighius lib.5. Hierarch. Eccles. cap.4. *Illa Christi verba, si peccaverit in te frater, ad Universalem Ecclesiam nihil pertinere, sed de particulari loqui Ecclesia, idque tam rei ipsius, de qua agitur, Naturam, quam ipsius Universalis Ecclesiæ ab initio docere observationem, asserit.*

Bellarminus lib.3. de verbo Dei cap.5. *Non potest fieri, ut peccantes deferantur ad congregationem omnium fidelium, igitur nomine Ecclesiæ debet intelligi Prælatus, ut Chrysostomus exponit, vel, ut alii malunt, Prælatorum congregatio.*

Lib.1. de Rom. Pontif. cap.7. improbat eorum sententiam, qui ex hoc dicto colligere volunt, *summum tribunal Ecclesiæ penes fidelium universitatem esse constitutum, & Ecclesiæ nomine* dicit *intelligendum esse Præsulem.*

(Quod si ergo ex hoc Christi dicto absoluta Ecclesiæ infallibilitas evinci posset, consequens foret, nullam particularem Ecclesiam erroris periculo esse obnoxiam, quod Pontificii minime concedunt.

2. Agitur ibi in specie de officio clavium ac censuris Ecclesiasticis, ut apparet ex v.18.

Bellarm. lib.3. de Verb. Dei c.5. §. 2. *Loquitur Dominus de injuriis, quas unus ab aliquo patitur.*

Quod si ergo absoluta Ecclesiæ infallibilitas ex his verbis probari posset, consequens foret, Ecclesiam in officio clavium & censuris Ecclesiasticis non errare. At posterius hoc Pontificii non admittunt; ut superius ex c.3. nobis. ext. de sent. excommunic. & Lambordo lib.4. sentent. dist.18. lit.F. ostendimus. Lombardus d.l. lit.H. diserte sic scribit: *Quos secundum merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit, & illi feris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur, nisi contemnat, unde Origenes homil 14. in Levit. Exit quis à veritate, à fide, à caritate: per hoc exit de castris Ecclesiæ, etiamsi Episcopi voce non abjiciatur, sicut contra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, & qui foras est, intus videtur retineri.*

Bellarm. lib.4. de Pont. Rom. cap.2. §.3. *Conveniunt omnes Catholici, posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipue pendent.*

3. Ecclesiam non solum in censuris Ecclesiasticis, sed etiam in doctrina fidei audiendam esse, libenter concedimus, sed quatenus illa Christum & verbum ejus audit, quam limitationem hic subintelligendam esse, ex ipsis Pontificiis superius ostendimus.

4. Multis igitur modis dictum Christi Pontificii pervertunt, quippe quod non agit de *sola Ecclesia Romana*, ut ipsi volunt, sed de quavis particulari Ecclesia; quodque non loquitur de *Ecclesia in Doctrina Magisterio*, ut ipsi volunt, sed de *Ecclesia* respectu disciplinæ & *εὐταξίας ministerio.*

Argum. 4. Joh.14. v.16. *Spiritus Sanctus manet cum Apostolis & eorum successoribus in æternum. cap.16. v.13. docebit vos omnem veritatem. Si ergo Ecclesia in dogmatibus fidei vel morum erraret, ipsi Spiritui sancto error tribueretur.* Bellarm. libr.3. de Eccl. cap.14. Huntlæus tom.1. controv.2. cap.7. §.8 Resp. de his dictis egimus in cap. proxime præcedente arg.2. adv.

Argum.5. Eph.1. v.22. cap.4. v.4. cap.5. v.23. *Ecclesia est Christi corpus & sponsa, ac gubernatur à Christo tanquam à capite & sponso. Si ergo Ecclesia erraret, ipsi Christo error tribueretur.* Bellarm. Huntl. d.l.

Resp.1. quælibet particularis Ecclesia est Christi corpus & sponsa, imo quivis vere fidelium est corporis mystici membrũ & Christi sponsa, ac gubernatur à Christo tanquã à capite & sponso suo. Quod si ergo ex hoc principio absoluta infallibilitas Ecclesiæ probari posset, consequens foret, nullam particularem Ecclesiam, imo nullum fidelium errare posse. Posterius Pontificii non concedunt. Ergo nec prius asserere debẽt.

2. Si ex regimine Christi capitis & sponsi absolutum non errandi privilegium Ecclesiæ datum esse inferri posset, consequens foret, ex eodem Christi capitis & Sponsi regimine inferri posse, absolutum non peccandi privilegium Ecclesiæ esse datum. Ut enim error, ita quoq; peccatum est regimini Christi adversum. Consequens Pontificii non admittunt. Ergo nec antecedens ponere debent.

3. Si ex comparatione Christi & Ecclesiæ cum Sponso & Spõsa absoluta Ecclesiæ infallibilitas inferri posset, consequens foret, sponsam & uxorem habere absolutam aliquam quidvis agendi libertatem. Quod si enim comparatio Apostoli recto debet stare talo, consistet in eo, quod Ecclesia sese habeat & habere debeat ad Christum, sicut sponsa ad sponsum, uxor ad maritum. Finge, Ecclesiam habere liberam & absolutam potestatem in rebus fidei statuendi quicquid velit, & absolutũ non errandi privilegium, consequens erit, talem potestatem ac tale privilegium in re œconomica etiam competere uxoribus, liberum igitur illis erit, præter, imo contra mariti voluntatem proprio arbitrio in ædibus omnia instituere, mandata mariti abrogare, atque omnia pro libitu agere. Consequens hoc Pontificii non admittunt, nec admittere possunt, si Apostolum audire velint, Is enim diserte addit: *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita quoq; uxores viris sint subditæ.* Eph.5. v.25. Ut ergo uxor fidem frangens marito, & adulterium committens, à marito repudiatur, sic Deus Ecclesiæ idololatriam & errores pertinaciter sectanti dat libellum repudii. Es.1. v.21. Jer.3. v.8. Os.2. v.5. &c.

4. Infideles occulti & hypocritæ juxta Bellarm. lib.3. de Eccles. c.4. & 10. sunt vera Ecclesiæ membra. At si Ecclesiæ defectus & errores reducendi in Christum & S.S. sequeretur, infidelitatem & hæresin Christo & Spiritui S. tribuendam esse.

Arg.6. 1. Tim.3. v.15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. Ergo veritas fidei, quoad nos nititur Ecclesiæ autoritate, & quicquid Ecclesia approbat, verum est, quicquid improbat, falsum est, & per consequens. Ecclesia non potest errare.* Bellar. d.l. Greg. de Valent. d.l. Huntl. d.l. Hesselius, Corn. à Lapide, Estius in h.l.

Resp.1. Thomas in comm. h.l. statuit, Apostolum loqui *de Ecclesia Catholica, quæ est cætus electorum Dei filiorum. Sæpe enim Scriptura per figuram intellectionis tribuit aliquid toti, videlicet Ecclesiæ visibili, quod solũ cõpetit parti, videlicet invisibili Ecclesiæ electorũ,* quã regulã approbat Bellarm. lib.3. de Eccl. c.7. §.10. ac lib. ejusd. c.16. §. Ad quartum. Cornel. à Lapide in comm. h.l. itidẽ agnoscit, *Apostolum loqui de Ecclesia Universali.* (At libenter concedimus, Ecclesiam electorum non posse finaliter involvi erroribus contra fundamentum pugnantibus, h. e. concedimus, Catholicam Ecclesiam nunquam eo modo errare, ut in ea non supersint aliqui fundamentum fidei retinentes integrum & illibatum. Ex eo autem inferri nequit, particularem aliquam Ecclesiam non errare, vel Catholicam electorum Ecclesiam in errores leviores incidere non posse. Ut enim per peccata infirmitatis sive venialia, ita quoque per leviores errores non desinunt esse electi.)

2. Jacob. Faber Stapulensis in h.l. sic commentatur p.206. *Ecclesiam Apostolus columnæ comparat, sed columnæ spirituali à terra ad summum usque cœlorum protensæ, in cujus culmine sedet veritas, qui est Christus.* Ibid. *Fundamentum aliud nullus potest ponere, præter id quod positum est, qui est Jesus Christus. Nam hoc Christo convenit, non Ecclesiæ, quæ est fundata & superædificata, non fundamentum. Christus autem est Ecclesiæ fundamentum. Spiritualium enim fundamenta sursum sunt, non terrenorum more deorsum.* (Ergo Ecclesia non est fundamentum veritatis, sed veritas fundamentum Ecclesiæ Eph.2. v.20. Ecclesia autem est ἑδραίωμα, repositorium sive sedes veritatis, non *absolute*, q. quicquid Ecclesia statuit, sit verum, sed *conditionate*, quatenus sequitur vocem Christi in Scripturis sonantem. Nimirum *firmamenti* nomen non debet sumi *active*, sed *passive*, ut firmamentum veritatis sit, quod à veritate firmatur, ut *fundamentum Dei*, 2. Tim.2. 19. quod à Deo positum est, non super quod Deus fundatur, & πλήρωμα τοῦ Θεοῦ Eph 3. v.19. non quod Deum complet, sed quod à Deo completur. Sic Ecclesia est columna & ἑδραίωμα veritatis, id est, sustentata à veritate, non primo & absolute sustentans veritatem. Chrysost. in h. l. *Veritas est Ecclesiæ columna & firmamentum.* Cornel. à Lapide in h.l. *Ecclesia passive formatur in fide & veritate per assistentiam Spiritus Sancti.* Nec tamen negamus, quin sensu eo, quem postea explicabimus, Ecclesia possit dici stabilire & sustentare veritatem.)

3. Adduximus superius part.1. cap.4. plurimorum querelas de corruptelis fidei & morum in Romana Ecclesia. Ergo de ea absolute & sine conditione dici nequit, quod sit columna & firmamentum veritatis,

4. Est & hæc Thomæ observatio in h. l. *Ecclesiam vocari στῦλον καὶ ἑδραίωμα veritatis non absolute, sed relatione ad nos;* (quia sc. velut pulcherrima & firmissima quędam columna extructa est supra fundamentum Christum Jesum in Scripturis nobis monstratum, & doctrinam illam de Christo hominibus ostendit, exponit, ab interitu vindicat, à mendaciis, & erroribus discernit,

discernit, ad posteritatem propagat, atque ita ministerio suo fulcit, conservat. Ex eo vero non potest inferri, *quod veritas fidei absolute & simpliciter loquendo nitatur Ecclesiæ autoritate, quodque verum sit, quicquid Ecclesia probat; falsum, quicquid improbat,* quia ut columna fundamento nititur, sic Ecclesiæ fundamentum est Christus, sive, quod idem est, doctrina de Christo in Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensa.) *Veritatem stabiliri* dupliciter accipitur, primo pro producere veritatem, ipsi vim & efficaciam tribuere, sic solus Deus eam stabilit. Secundo pro ipsam confiteri, ipsi tum verbis, tum facto testimonium reddere. Posteriori loco Ecclesia stabilit veritatem. Anshelmus in h. l. *Ecclesia est firmamentum veritatis, quia verbis & exemplis firmat in cordibus infirmiorum veritatem fidei & mandatorum Dei.*

5. Cornelius à Lapide in comm. 1.Tim.3. concedit, *Ephesinam Ecclesiam in fide errare potuisse,* (quod congruit manifestis Scripturæ dictis Act.20.v.29. Apoc.2.v.4. Jam vero manifestum est, Apostolum *in specie* hic loqui de Ephesina Ecclesia. Alloquitur enim Timotheum Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum, eumque instruit, quomodo in Ecclesia illa inter reliquos pastores & auditores, conversari debeat. Quod si ergo absoluta Ecclesiæ infallibilitas ex hoc dicto probari posset, consequens foret, Ephesinam Ecclesiam errare non potuisse, quod Cornelius non admittit.

6. Idem Cornelius à Lapide adducit & probat dictum ex commentario Hieronymo adscripto in h.l. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, quia in ea sola stat veritas firmata, quæ sola sustinet ædificium Ecclesiæ.*

(Agnoscat igitur, veritatem sustinere ædificium Ecclesiæ, non autem Ecclesiam instar fundamenti sustinere veritatem; agnoscat, Ecclesiam ideo dici columnam & firmamentum veritatis, quia in ea sola stat veritas firmata, id est, quia *superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum existente summo lapide angulari Christo,* divinam veritatem Propheticis & Apostolicis Scripturis comprehensam columnæ instar ministerio suo suffulcit, inter homines sustentat, interpretatur, custodit, ab interitu vindicat, ad posteros fideliter transmittit & omnibus commendat, quæ expositio ex ipsis Scripturis, cumprimis ex Joh.17.v.17.& Ephes.2.v.20. est petita.)

7. Bailius Jesuita in Catech. controv. tract.2.q.3. sic argutatur. *Ecclesia est firmamentum & columna veritatis. Error autem repugnat veritati. Si errat, non est vera Ecclesia & consequenter falsa.*

Resp. Bellarm. lib.4. de Eccles. cap.2. sic disserit. *Ecclesia Corinthiaca & Galatica, ad quas scribebat Apostolus, veræ Ecclesiæ erant, & tamen non erat ibi aliquando sincera prædicatio verbi, ut ex Apostolo cognosci potest.* Et postea. *Quomodo erant veræ Ecclesiæ, cum hæresin docerent?* Respondet, *aliud esse errare & paratum esse ad discendum & cum didiceris ad obædiendum, aliud nolle discere & cum audieris veritatem, nolle acquiescere.*

(Eodem modo & nos de Ecclesiis dicimus, quod possint errare & manere Ecclesiæ, non tamen si pertinaciter in errore fundamentum evertente persistant. Nimirum æquivocatio est in voce *verus*, quæ tum pro dictorum, factorumque, tum pro Naturæ veritate accipitur. Non sequitur, si quis primo modo non sit verus, ipsum ideo etiam secundo non verũ esse.)

Argum.7. Idem Bailius d.l. *Ecclesia errans non sancta, imo ne Ecclesiæ quidem nomen meretur.*

Resp.1. Catech. Concil. Tridentini in expos. Symb. art.9. *Sancti vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se fide Baptismate suscepto Christo consecrarunt, quanquam in multis offendunt & quod polliciti sunt non præstant, quemadmodum etiam qui artem profitentur, etsi artis præcepta non servant, nomen tamen artificum retinent.* (Omnes ergo fideles appellantur *sancti*, quos tamen errare posse Pontificii concedunt.)

2. Pontificii concedunt, *Ecclesiam posse peccare.* At peccatum & morum defectus, utpote in voluntate existentes, magis repugnant sanctitati, quam error, qui est in intellectu.

3. Pontificii concedunt, *Ecclesiam Israeliticam potuisse errare.* At populus Israel sæpe vocatur *populus sanctus.*

Argum. 8. Urgent etiam pro infallibilitate *Ecclesiæ Romanæ* locum Apostolicum Rom.1. v.8. *Fides vestra annunciatur in toto mundo.*

Resp.1. Toletus Cardin. in comm. ejusd. loci Rom.1. p.38. observat, *Apostolum de Thessalonicensibus idem elogium tulisse* 1.Thessal.1.v.8. *In omni loco fides vestra, quæ est in Deum, profecta est.* Perpende, inquit, *Evangelii indifferentiam. Quamvis enim Romani inter cæteras gentes eminerent & primatum* (politicum) *haberent, tamen in prædicatione Evangelii & salutis negotio pares eos facit. In vobis, inquit, sicut in cæteris gentibus.* Roman.1.v.3. *non enim apud Deum est distinctio Iudæi, Græci, Romani; nationum, aut conditionum hominum.*

2. Cornelius à Lapide in h.l. talem texit periphrasin. *Gratias ago Deo, cujus gratia est fides vestra; quod enim Christo credideritis, non per vos, sed per gratiam Dei effectum est. Rursum gratias ago Deo, quia ejus gratia factum est, ut fides vestra, id est, fama, excellentia & constantia fidei vestræ, quod scilicet vos, qui Romani estis rerum domini, credideritis Evangelio, in eoque generose persistatis & proficiatis, vulgetur toto orbe Romanis subjecto, sive ubicunque nomen Romanorum est celebre, ait Chrysostomus & Theodoretus.* (Subjungit quidem Cornelius, *Cyprianum Epist.57. ad Cornelium, statuere, quod hæc Prophetice dicta sint à Paulo prævidente Romanorum futuris seculis in fide constantiam.* Sed ex textu Apostolico hoc non potest colligi. Nec de omnibus temporibus, sed suis tantum Cyprianus loquitur. Quinimo constat, Cyprianum ab Ecclesia Romana in quæstione de Baptismo hæreticorum diversum sensisse, quod utique non fecisset, si absolutam infallibilitatem Ecclesiæ Romanæ tribuendam esse judicasset.)

3. Estius in h.l. sic commentatur. *In universo mundo, hyperbole est, tam vulgo, quam sacra Scriptura frequentata. Nam sensus est, fama fidei vestræ multum lateque per varias mundi partes diffunditur. Etenim Romani jam ante fidem Christi susceperant, idque Petro Apostolo prædicante &c. Cæterum non tam propter annunciationem fidei, quam propter ipsam fidem annunciatam Deo se gratias agere significat Apostolus &c. tametsi ipsa quoque annunciatio & celebratio fidei beneficium Dei erat gratiarum actione dignum. Itaque sensus est: Gratias ago Deo pro fide vestra, quæ tanta est, ut fama ejus universum mundum pervagetur. Hinc quoque disce, fidem esse donum Dei per Christum.*

(De infallibilitate Rom. Eccl. verbum nullum, quinimo contrarium potius ex eadem Pauli Epistola ad Romanos scripta colligi potest, videlicet ex cap.11. v.20.& seqq.)

4. Pererius Disp.4. in 1.cap. Rom. n.19. *Quod Romani haberent talem fidem, qualis prædicabatur in universo mundo, id profecto communiter in omnes Ecclesias Catholicas dici potuit.* (Addit quidem, *Apostolum velle his verbis propriam quandam Romanorum laudem ostendere.* Sed unde id probat? ac si vel maxime Paulo hoc propositum, nondum tamen sequeretur, absolutam infallibilitatem esse illud proprium Romanæ Ecclesiæ privilegium. Toletus ex 1.Thess.1.v.8. contrarium potius colligit, videlicet quod *Paulus, quoad Evangelii prædicationem, Romanos cæteris gentibus pares faciat.*)

CAPUT XII.

De Ecclesiæ Consuetudine.

EX hypothesi, *quod Ecclesia non possit errare,* Pontificii porro inferunt, quod *consuetudo Ecclesiæ non possit fallere,* ex quo Principio itidem nostram confessionem oppugnare, suam vero confirmare satagunt. Esto igitur

Thesis. *Ecclesiæ consuetudo Scripturæ suffragio destituta potest fallere.*

Ἔκθεσις. 1. Non simpliciter repudiamus Ecclesiæ consuetudinem, ad quam etiam Apostolus provocat 1.Cor.11.v.16. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei;* sed tum demum si contra Scripturæ regulam puguet, vel absque Scripturæ suffragio pro necessaria divini cultus parte obtrudatur, vel pro regula interpretandi Scripturam introducatur.

2. Neque quæstio est de *ritibus* liberis & adiaphoris ab Ecclesia introductis, sed de *fidei dogmatibus.* Illos, etiamsi sola Ecclesiæ consuetudine nitantur, libenter admittimus, modo utilem commonefactionem contineant, & ad τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην faciant; hæc vero ex Scriptura probanda esse dicimus.

Antithesis. Nicol. Cusanus Epist.2. ad Bohem. de comm. sub una specie. *Non te moveat, Scripturas esse ad tempus adaptatas & varie intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem ritum Universalem exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutaretur &c. Nec mirum, si praxis Ecclesiæ uno tempore Scripturam interpretatur uno modo, & alio tempore alio modo; nam intellectus currit cum praxi, intellectus enim, qui cum praxi currit, est Spiritus vivificans.*

Concilium Constantiense sess.13. *Consuetudo* (communicandi sub una specie) *ad evitanda pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod, licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacra-*

mentum reciperetur sub utraque specie, postea tamen à conficientibus sub utraque, & à Laicis sub specie panis tantum suscipiatur &c.

Et postea. *Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ autoritate pro libitu mutare.*

Concilium Basileense sess. 30. *Laudabilis quoque consuetudo communicandi Laicum populum sub una specie ab Ecclesia & sanctis Patribus introducta, & hactenus diutissime observata, & à doctoribus divinæ legis, sacrarum literarum atq; canonum multam peritiam habentibus, jam à longævo tempore commendata, pro lege habenda est.*

Bellarm. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 9. §. Secundo omnia. *Cum Ecclesia Catholica à mille jam annis hunc Felicem colat ut Papam & Martyrem, non debet is excludi à numero Pontificum, etiamsi nullam aliam rationem proferre possumus* Lib. 1. de Concil. cap. 16. *Consuetudo Ecclesiæ est optima Scripturarum interpres.* Lib. 1. de Sacram. in genere cap. 26. §. Ex quo. *Lutherus propter unum Scripturæ testimonium perperam intellectum, contemnit æternam consuetudinem, ut ipsemet loquitur in libro de abroganda Missa, & in libro de instituendis ministris ad Pragenses. At vetus Ecclesia ex consuetudine ducentorum vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia, quæ Cyprianus cum suis afferebant, & merito. Nam cum certum sit, consuetudinem universæ Ecclesiæ perpetuam non posse cum verbo Dei pugnare, & clarior sit consuetudo, quam ipsum verbum, recte judicabant illi, ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum, non ob verbum Dei obscurum & ambiguum consuetudinem abolendam, ut Lutherani hoc tempore faciendum esse contendunt.* Lib. 1. de pœnitentia cap. 10. §. Accedat. *Annis quingentis proximis in tota Ecclesia Sacramentum pœnitentiæ inter Sacramenta vere & proprie dicta numeratum esse nullo modo negari potest. Aut ergo totis quingentis annis Ecclesia universa in gravissimo errore est versata, quod certe fieri non potest, cum sit columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3. aut verum est, quod nos ab eadem Ecclesia de Sacramento pœnitentiæ didicimus.*

Gregorius de Valent. lib. de Confess. necess. cap. 2. *Romanæ Ecclesiæ usus est interpres Scripturæ certissimus.*

Nostram sententiam probamus, 1. Ecclesia potest errare, ut in cap. præcedente demonstravimus. Ergo Ecclesiæ consuetudo potest fallere.

2. Nullibi in Scriptura remittimur ad consuetudinem, tanquam infallibilem dogmatum fidei regulam, sed unice ad verbum. Es. 8. v. 28. 2. Petr. 1. v. 19. &c.

3. Quinimo revocamur à consuetudine ad verbum Dei. Ezech. 20. v. 18. *In statutis Patrum vestrorum nolite ambulare & judicia illorum ne observetis* v. 19. *Ego sum Iehovah Deus vester, in præceptis meis ambulate & judicia mea observate ac facite ea.* Matth. 5. v. 21. *Audistis quod dictum sit antiquis &c.* v. 22. *Ego autem dico vobis,* quæ oppositio repetitur v. 27. 28. 31. 32. 33. 34. 38. 39. 43. & 44. Matth. 19. v. 4. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos.* v. 8. *ab initio non fuit sic.*

4. Errores sub venerabili antiquæ consuetudinis pallio sæpius latitant. Matth. 5. v. 21. 27. 31. 33. 38. & 43. contra vero sana & orthodoxa doctrina novitatis crimine præter meritum gravatur Marc. 1. v. 27. Act. 17. v. 19. ex Scriptura igitur de utroque judicium faciendum Act. 17. v. 11.

5. Consuetudo vel ætas Ecclesiæ non potest introducere novos articulos fidei. Pulchre Vincentius Lyrinensis adv. profanas novit. *Dicet aliquis, Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Crescat oportet & multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ ætatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia. Sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant, & explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam ex adversariis agnoscunt. *Ecclesiam astrictam esse ad Dei verbum, ac eatenus solum audiendam, quatenus tradit verbo conformia.* (ut ostendimus in cap. præced. n. 3.) Ergo etiam de consuetudine Ecclesiæ judicandum ex verbo, nec eam sequi debemus, nisi quatenus verbo est conformis.

2. Quod quidam agnoscunt, *verum & genuinum Scripturæ sensum ex ipsis Scripturæ verbis eruendum esse*, ut ostendemus lib. 2. art. 1. cap. 3. th. 2. utique ergo non ex consuetudine Ecclesiæ Scriptura ordine præpostero est interpretanda, sed ex revelato verbo de Ecclesiæ consuetudine judicandum.

3. Quod *consuetudinem Scripturæ ac veritatis suffragio destitutam nihil quicquam in rebus fidei & cultu divino valere* agnoscunt.

c. Si consuetudinem. dist. 8. ex Gregorio. *Si consuetudinem opponas, advertendum est, quod Dominus dicit, Ego sum via, veritas & vita; non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas.*

c. Si solus. dist. ead. ex Cypriano. *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid prius, qui ante omnes est, Christus fecerit, neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam Prophetam loquatur Deus & dicat, Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.*

4. Quod agnoscunt, *consuetudinem veritati in verbo revelatæ ac novitatem veræ antiquitati cedere oportere.* (Ergo de consuetudine judicandum ex Dei verbo.)

c. Quæ contra. dist. 8. ex Augustino. *Cum Deus aliquid contra morem vel contra pactum quorumlibet jubet fieri, etsi ibi nunquam factum est, tamen faciendum est; & si omissum est, restaurandum est; & si statutum non erat, instituendum. Si enim Regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse unquam jusserat, & si non est contra societatem civitatis ejus, obtemperatur, imo contra societatem fit, si non obtemperetur ei; quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ ad ea, quæ jusserat, sine dubitatione serviendum est?*

c. Mala. dist. eadem ex Nicolao Papa. *Mala consuetudo non minus quam perniciosa corruptela abjicienda & vitanda est, quæ nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præsumtiones celerrime non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.*

c. Veritate. dist. ead. ex Augustino. *Veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Plane quis dubitet veritati manifestæ consuetudinem cedere. Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.*

c. Si consuetudinem. dist. ead. ex eodem. *Certe, ut B. Cypriani utamur sententia, qualibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, est abolendus.*

c. Qui contemta. dist. ead. ex eodem. *Qui contemta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, inspiratione cujus Ecclesia ejus instruitur. Nam Dominus in Evangelio, Ego sum, inquit, veritas, non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata consuetudo cedat veritati. Revelatione igitur facta veritatis, veritati cedat consuetudo, quia & Petrus, qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.*

c. Frustra. dist. ead. ex eodem. *Frustra quidam, qui ratione convincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius à Spiritu sancto revelatum est. Hoc plane verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponendæ sunt, sed si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.*

c. Consuetudo. dist. ead. ex Cypriano. *Consuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire nõ debet, quo minus prævaleat veritas & vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatem, scientes, quia apud Esdram veritas vincit, ut scriptum est: Veritas valet & invalescit & vivit in æternum & obtinet in secula seculorum.* Item. *Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso Paulus Apostolus dicit. Qui prius fui blasphemus & persecutor & injuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero & revelationem veritatis factam, qui in eo quod erraverat, perseverat prudens & sciens, jam non in venia ignorantiæ peccat, præsumtione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.*

Excipiunt, *hæc esse intelligenda de consuetudine privata & irrationali, non autem de publica Ecclesiæ consuetudine.*

Resp. de illa consuetudine loquitur Cyprianus, quam ipsi opponebant Orthodoxi in quæstione de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis. Atqui docente Bellarmino lib. 1. de Sacram. in genere cap. 26. *Illa fuit consuetudo Ecclesiastica.* Ergo Cyprianus loquitur de Ecclesiastica consuetudine. Non est quod regeras, *Cyprianum in hac quæstione errasse.* Distinguendum enim inter principium ipsum & vitiosam principii applicationem. Principium ipsum, *quod consuetudo Ecclesiastica cedere debeat veritati in verbo revelatæ*, est certissimum, unde in hoc principio Cyprianus non erravit, alias Gratianus illius

illius dicta tanto numero non retulisset in Jus Canonicum, erravit autem in vitiosa hujus principii applicatione, quando statuit, esse veritatem in verbo revelatam, quod baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi.)

c. Usus. dist. 11. ex Isidoro. *Usus autoritati cedat, pravum usum & lex & ratio vincat.*

c. Consequens. dist. ead. *Quod ab hujus sedis rectoribus plena autoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, propriis tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmiter atque inconcusse retineatur.* (Ergo multo magis, quod in verbo Dei sancitum, nullius consuetudinis præpediente occasione removeatur.)

c. Consuetudinis. dist. ead. ex lib. 8. C. tit. Quæ sit longa consuetudo. *Consuetudinis ususque longævi non levis autoritas est, verum non usque adeo valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem scriptam. Cum vero nec sacris canonibus, nec humanis legibus consuetudo obviare monstratur, inconcussa consuetudo servanda est.* (Si consuetudo non debet vincere legem humanam scriptam, quanto minus verbum divinum scriptum debet vincere.)

c. Consuetudinem. dist. ead. ex Augustino, (vel potius ex Gregorio) *Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur.*

c. Cum venerabilis. extr. de Consuetudine. *Non consuetudo, sed corruptela merito est censenda, quæ sacris canonibus est inimica.* (Ergo multo magis, quæ verbo divino est adversa.) Glossa in c. Mala autem, dist. 8. *Id quod alias est illicitum, ratione consuetudinis non fit licitum.*

Durandus in libr. de modo celebr. Concil. tit. 2. *Omnes usus seu verius abusus, consuetudines, quæ censendæ sunt corruptelæ, dispensationes, privilegia, libertates & exemtiones, contrarietates & contrariantia supradictis divinis & humanis legibus approbatis & generalibus tollantur. Quod autem Papa & Reges debeant servare in præmissa lege & Evangelio Conciliis & Iuribus approbatis contenta de facili potest ostendi.*

In præf. partis secundæ firmiter probat, *veritatem sacrarum literarum potius, quam ullas consuetudines, quantumvis longas, sequendas esse.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 14. §. 7. *In Evangelicis doctrinis & regulis quilibet potest investigare viam salutis & consolationis. Sed his neglectis hodie observant hominum adinventiones consuetudinesque inveteratas, quibus etiam magis ad Dei irreverentiam, quam laudem, magis ad animarum perniciem, quam salutem abutimur.*

Rochus Curtius in comment. de consuetudinis vi & potest. n. 81. 98. docet, *quod nulla unquam præscriptio, consuetudo nulla, nulla quantumvis inveterata & vel myriadibus seculorum approbata valere ulla ratione adversus expressum Dei verbum & præcepta divina possit, nec si vel omnes totius mundi homines ea consuetudine uterentur.*

Alphonsus à Castro libr. 1. adv. hæres. cap. 2. *Plurimæ Pontificum Epistolæ decretales per contrariam consuetudinem abrogantur, quod nullo pacto Canonicis divinæ Scripturæ libris convenire potest, cum illis nulla, quantumlibet inveterata, consuetudo obesse possit.*

Martinus Alphonsus Vivaldus in Candelab. aureo p. 275. scribit, *quod quotiescunque agimus de consuetudinibus bellantibus contra leges, semper excipimus duas illas primas, scilicet divinitatis & æternam, contra quas nec universa aliquid possunt nec valent creaturæ.*

Andreas Fricius libr. 4. de Eccles. cap. 7. *In his, quæ divinis sunt contraria oraculis, nullius vetustatis autoritatem valere, consuetudinemque quantumvis inveteratam, quæ bonis moribus aut religioni aut Scripturis divinis adversa sit, pro errore habendam esse certum & indubitatum est.*

Pamelius ad verba Tertulliani libr. de præscriptionibus cap. 31. (*Principalitatem veritati & posteritatem mendacitati deputandam. Id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum;*) sic annotat: *Tertulliani sententiam diligenter observa, prima duntaxat institutioni tribuentis veritatem, mendacem vero dicentis eam, quæcunque sequitur. Hoc est Evangelicæ doctrinæ proprium, solisq; Dei mandatis ac legibus ad animarum salutem convenit, ut cum dantur, vera sint; veriora, sanctiora, meliora, dari non possint, quibus adjicere vel adimere quippiam, corrigere, supplere nefas & impium semper judicandum.*

Justus Calvinus (qui maluit post apostasiam vocari Justus Baronius) in eundem locum. *Quam auream sententiam, quia monet Tertullianus etiam adversus posteriores quasque hæreses mansuram, non mirabuntur Novatores, toties eam Catholicis contra rudes ipsorum nanias in ore esse.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evangel. cap. 96. *Postquam Pharisæi præposuissent constitutionem Mosis, cui nitebatur divortii consuetudo; Dominus vicissim illis proponit antiquiorem Dei circa propositam quæstionem constitutionem, cui tum ob antiquitatem, tum quod Dei esset, non Mosis, Mosaica constitutio merito cedere deberet.*

5. Quod ipsimet ab antiqua consuetudine in quibusdam discedunt.

Claudius Espensæus lib. 2. de adorat. cap. 8. *Non obstat, quod circumgestatio Eucharistiæ videatur esse res nova &c. Sed non sunt audiendi, qui circa Dei & Sacramentorum cultum omnia reduci volunt ad vetustum morem, non enim semper melius, quod antiquius.*

Beatus Rhenanus ad librum Tertulliani de corona milit. sic annotat: *Baptizandi ritum ostendit, qui in usu veterum fuit, de quo consuetudo quædam nunc mutavit.*

Pamelius apud Cyprianum legit, *Eucharistiam in manus olim sumtam fuisse à Laicis, ut eum veterem Ecclesiæ morem esse* diceret in annot. in Epist. 56. & librum de Lapsis. (At is mos in Ecclesia Romana non amplius obtinet.)

Ex Canonibus Apostolorum & aliis multis indiciis constat, *omnes Episcopos, Presbyteros & Diaconos, atque adeo omnes Clericos præsentes accessisse ad communionem.* (Atqui illud hodie non observatur.)

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 13. & Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 152. respondentes ad argumentum nostrum, *quod olim Scripturæ in linguas vulgares translatæ fuerint,* scribunt, *multa instituta fuisse in communem Reipubl. utilitatem, quæ cum postea incommodum & periculum afferrent, abrogata fuerint;* afferuntque exempla vigiliarum in cœmiteriis & porrectæ in fidelium manus Eucharistiæ.

Olim *certa tempora* fuerunt Baptismo solenni assignata, videlicet, *Paschatis & Pentecostes Sabbata,* ut constat ex Epist. 84. Leonis, ex Cyrilli catechesibus, ex Hieronymo ad Pammachium de erroribus Johannis, ex Augustino de cura pro mortuis cap. 12. Sed hoc jampridem obsolevit. Duravit hæc consuetudo usque ad Caroli Magni tempora, autoribus B. Rhenano & Pamelio in libr. Tertulliani de Baptismo. Rationem mutationis afferunt ex Ruperto lib. 4. de div. offic. *Postquam Christianitas crevit, & sagena illa verbi Dei de piscibus impleta est, quia periculosum erat, tantam multitudinem differre propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominem multæ sunt, maxime propter turbam infantium ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera vita per sæpe levi occasione succiditur, visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentiâ Baptismi concessa, imo oblata cuncta antevenire pericula: Baptismi tamen solennitatem vel in paucis cum Dominica resurrectione, cui similis est, celebrare.*

Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 7. §. Respondeo, eam &c. *Ratio eligendi Clericos per suffragia populi paulatim in Ecclesiam irrepsit, proinde etiam paulatim, suaviterque de medio tolli debuit. Initio enim, hoc est, Apostolicis temporibus insciente populo Pastores eligebantur, deinde cœpit populus adhiberi ad testimonium dandum de vita & moribus eligendi, tum ut populi magis diligerent suos Episcopos, cœpti sunt ii tantum ordinari, quos populus postulasset. Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet. Sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, & apparuit ejus rei confusio & indignitas, tum etiam paulatim sublata est populo electio & postulatio.*

Idem lib. ejusd. c. 16. *Fateor, olim Episcopos quoscunq; prælatos fuisse Cardinalibus non-Episcopis: imo etiam Cardinalatum gradum fuisse ad Episcopatum, ut apertissime colligitur ex lib. 1. c. 7. vitæ S. Gregorii. Postea tamen mutatus est ordo, & cœpti sunt Cardinales Episcopis anteponi.* (Clemanges libr. de corrupto Eccles. statu cap. 10. docet, *id Cardinalibus olim negotii fuisse, ut efferendis mortuis, sepulturaq; mandandis inserviret,* quibus similia occurrunt apud Polydorũ Virgilium l. 4. de rer. inventorib. c. 9. Sic ergo ex vespillonibus progressu temporis Ecclesiæ Domini sunt facti.)

Idem lib. 4. de Eucharist. cap. 24. §. Alterum exemplum, *Tempore Leonis Romæ fuit libera communio sub utraque specie.*

Lib. ejusd. cap. 25. in resp. ad 3. argum. *Ecclesia Corinthiorum utebatur utraque specie.*

Lib. ejusd. cap. 26. resp. ad Ignatii dictum. *Tempore Ignatii fuisse usum, cum pauci erant Christiani, ut omnibus daretur calix.*

Resp. ad Origenis dictum. *Tempore Origenis populus in usu habuit sanguinem bibere, non in præcepto.*

Resp. ad Cypriani dictum. *Si tempore Cypriani habuissent Laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis. Ergo cum hoc tempore sit contraria* (nota) *consuetudo introducta, & lex præterea in Conciliis generalibus promulgata, non habent amplius jus illud Laici.*

Resp. ad Ambrosii dictum. *Fatemur, datam aliquando utramque speciem Laicis.*

Resp. ad Chrysostomi dictum. *Chrysostomi ætate & in ipsa Chrysostomi Ecclesia liberum fuit communicare sub una specie.* (At hodie non amplius id liberum, sed necessarium. Discesserunt ergo à primitivæ Ecclesiæ consuetudine.)

Maldonatus in cap. 6. Joh. n. 116. *Missam ego faciam Augustini & Innocentii primi sententiam, Eucharistiam etiam infantibus necessariam, quæ circiter sexcentos annos viguit in Ecclesia, multorum seculorum usu tanquam non necessariam, sed ne decentem quidē omissam.*

6. Quod consuetudinem subjiciunt Ecclesiæ Romanæ, sive quod apud ipsos idem est, Pontificis Romani judicio. (Atqui si consuetudo subjecta est Romani Pontificis judicio, quanto magis subjecta esse debet judicio Spiritus sancti in Scripturis proposito?)

c. Consequens. dist. 11. ex Nicolao Papa. *Consequens est, ut quod ab hujus sedis rectoribus plena autoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione proprias tantummodo sequendo voluntates removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur.*

c. Quis nesciat. dist. ead. ex Innocentio Papa. *Oportet hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit.* Ibidem. *Non alterius quam Romanæ Ecclesiæ consuetudo est servanda.*

Baronius, postquam tom. 2. Annal. Anno Christi 118. n. 5. ex Eusebio Historiam de Papia Episcopo Hieropolitano recitasset, subjungit: *Ex quibus facile intelligas, in traditionibus habendam esse delectum, ut non mox, ut quis se aliquid ex majorum traditione accepisse tradit, ut de Papia accidit, fidem illi omnes adhibeant, sed illam esse traditionem tenendam & amplectendam, quæ ab Ecclesia Catholica sibi autoritatem vendicat.* (Per Catholicam vero Ecclesiam intelligunt Romanam.)

7. Quod agnoscunt, *antiquitatem non esse certam & infallibilem veritatis notam*, ut inferius lib. 2. artic. 5. cap. 6. thes. 2. ostendemus.)

CAPUT XIII.

De Patribus.

QUia Pontificii nomine Ecclesiæ, quam errare non posse contendunt, intelligunt cumprimis Episcopos, Ecclesiæ Doctores, ut ostendimus superius part. 2. cap. 1. inde est, quod inter disputandi principia, ex quibus nostram infirmare, suam vero stabilire conantur Confessionem, Patrum dicta loco non postremo numerant.

Verba Campiani, Duræi, Canisii, Costeri & Kelleri, in quibus ad Patres provocant, eorumque se solos esse veros & genuinos filios gloriantur, adduximus dicto loco. Ut ergo constet, quo loco Patrum scripta sint in Ecclesia habenda, esto

Thesis. *Patrum scripta non sunt fidei regula, sed de illis ex Scriptura judicandum, & quicquid cum illa congruit, acceptandum; quod vero ab ea dissidet, salva, quæ Patribus debetur, reverentia, repudiari potest ac debet.*

Ἔκθεσις. Nequaquam vel rejicimus vel parvi æstimamus Patrum scripta, sed grata mente agnoscimus, ipsos fuisse salutaria organa, per quæ Deus Ecclesiæ suæ, quam non tantum viva voce olim docuerunt, sed adhuc scriptis docent, salutaria commoda præstitit. Lutherus in assert. vernacula articulorum in Bulla Pontificis damnatorum tom. 1. Jenens. Germ. f. 402. *Hoc ipso responsum esto & iis, qui me accusant, quasi omnes Patres & Doctores Ecclesiæ rejiciam. Non eos rejicio, sed quia nemini obscurum est, quod nonnunquam erraverint, homines enim fuerunt, ideo non prius ipsis fidem habebo, quam cum sententiarum suarum rationem mihi ex Scriptura reddiderint, quæ hactenus nondum erravit. Et hoc docuit me Paulus 1. Thess. 5. v. 21. Omnia probate.*

2. Reverentiam omnino atque obedientiam deberi illis, qui in publico docendi officio constituti sunt, docet Christus Matth. 23. v. 2. Luc. 10. v. 13. & Apostolus Gal. 3. v. 14. 15. 1. Thess. 2. v. 13. cap. 5. v. 12. 13. 1. Tim. 5. v. 17. Heb. 13. v. 17. id quod etiam ad fideles Ecclesiæ doctores vita functos certa ratione pertinere, patet ex Hebr. 13. v. 7. ac *prophetias* sive interpretationes Scripturæ tum à Doctoribus Ecclesiæ viva voce prolatas, tū in scriptis eorum relictas *non esse spernendas*, docemur 1. Thess. 5. v. 21. unde ipsosmet Patres majorum suorum vestigiis libenter insistere animadvertimus. Cyprianus tanti fecit Tertullianum, ut nullum diem absque ejus lectione vacuum dimitteret, Augustinus superiorum seculorum doctores Pelagianis, Donatistis & aliis hæreticis opponit. Damascenus in libris de orthodoxa fide, Nazianzeni, Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli & aliorum testimonia adducit.

3. Nec destituitur studium illud, quod lectioni Patrum impenditur, suo commodo. Testantur enim Patres de origine & autoritate Scripturæ Canonicæ, utiles librorum sacrorum commentarios scripserunt, hæreses suorum temporum strenue profligarunt, Historiam de Ecclesia Dei aliquot seculorum ab ascensu Christi usq; ad sua tempora laudabili diligentia consignarunt, nervosis sententiis studium pietatis inflammant &c. Proinde ex Patrum scriptis peti potest Christianæ religionis tanto consensu firmata certitudo, interpretationum erudita collatio, hæreseon exploratio & confutatio, rerum ac sententiarum delectus utilissimus &c.

4. Interim tamen dicta Patrum oraculis Spiritus S. in Propheticis & Apostolicis scriptis Ecclesiæ propositis non sunt exæquanda. Testes atque *indices* sunt veritatis cœlestis, non autem absoluti summi & authentici *judices*; *lumina* sunt, non *Numina*; Scripturæ interpretes sunt & *ministri*, non autem vel Scripturæ vel fidei Domini ac *Magistri*. Aliter *igitur habere debemus Apostolos, aliter vero reliquos Scripturæ tractatores* (Ecclesiasticos,) *illos sciamus semper vera dicere, istos ut homines in quibusdam errare*, docente Hieronymo in Epist. 62. ad Theophyl. circa med. cujus in Epistol. ad Minerium etiam hæc est regula: *Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt & à fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere.* Multis in locis hoc ipsum inculcat Augustinus, cujus dicta quædam in Jus Canonicum sunt relata, ut postea videbimus. Cumprimis diligenter expendenda Epist. 19. Aug. ad Hieronymum, in qua *pro omnibus Patribus, imo supra omnes Patres Apostolum Paulum sibi occurrere dicit.*

5. Patrum testimonium, sive *distributive*, sive *collective* sumtum in fidei mysteriis est quidem *magnum*, sed tamen *humanum*. Magnum esse dicimus, quia agnoscimus in iis eminentiam, tum officii & dignitatis, quod fuerint in Ecclesiis Pastores & Doctores; tum temporis, quod Apostolis viciniores; tum scientiæ, quod scientiæ, quod forsasse doctiores, tum cōscientiæ, ob majorem vitæ sanctimoniā, quæ seculorū decursu magis magisque expiravit. Tametsi vero hoc nomine *magnum* sit, *humanum* tamen esse non desinit, humano enim Spiritu locuti sunt singuli, fatentibus Pontificiis sanioribus. Singulorum autem testimonia *collective* sumta non possunt esse alterius generis, quam cujus singula sunt *distributive* & per se. Etsi enim multitudine testium autoritatis crescat gradus, non tamen mutatur autoritatis species.

Antithesis. Glossa in c. Noli. dist. 9. *Loquitur hic secundum illa tempora, cum adhuc scripta Augustini & aliorum Patrum non erant authentica, sed hodie jubentur omnia teneri usque ad ultimum jota*, ubi in margine annotatur; *Scripta S.S. Patrum sunt ad unguem observanda.*

Eccius in Enchirid. art. de Concil. *Tollatur Patrum & Conciliorum autoritas, & omnia in Ecclesia erunt ambigua, dubia, pendentia incerta.*

Sixtus Senensis in præfat. lib. 5. Biblioth. sanctæ. *Ex scriptis sacrorum Patrum, velut ex oraculis Theologorum, Academiæ assertionum suarum constantiam accipiunt, summique Pontifices decreta sumunt, quibus regitur Christianus orbis.*

Melchior Canus lib. 7. Locor. Theol. cap. 3. n. 10. *In expositione sacrarum literarum communis omnium sanctorum veterū intelligentia certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas, quippe cum sanctorum omnium sensus Spiritus sancti sensus ipse sit.* n. 12. *Quanquam à Philosophis quidem rationem Philosophicæ conclusionis jure forsitan postulaturus, in sacrarum autem literarum intelligentia majoribus nostris debes nulla etiam ratione habita credere, & quas sententias de lege, de fide, deq; religione ab illis accepisti, defendere. Ego vero eas defendā, semperq; defendi, nec me ex eo sensu, quem à Patribus accepi, ullius unquam ratio aut docti aut indocti movebit.* n. 13. *Defendamus concordem antiquorum Patrum consensum si volumus esse Catholici. Equidē cū Clementem, Dionysium, Irenæum, Epiphanium, Nazianzenum, Basilium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum, Bernhardum audio unum idemq; proferentes, non existimo totidē hominum doctissimorū quidem & sanctissimorum, attamen hominum, me audire sententiam, sed Catholicæ Ecclesiæ, cujus illi fuerunt columnæ præcipuæ. Quod major pars Patrum senserit, id esse Catholicæ fidei profitemur. At Lutherus vult neminem cogendum esse autoritate Patrum, sed Dei verbum liberum esse debere.* (Qui Patrum scripta, quando concordant, examinanda esse negat, ille utique ea statuit fidei regulam.)

Stapletonus in relect. princ. fidei in præfat. *Majores nostri uno Ecclesiasticæ autoritatis, traditionis aut regulæ principio, præjudicio ac*

cio ac fundamento suorum temporum hæreticos depulsasse, fugasse & expugnasse leguntur. (Si autoritate Ecclesiastica in Patrum scriptis proposita hæreses expugnari possunt ac debent, utique illa erunt fidei regula.)

Salmeron lib.1. in Epist. Pauli part.3. Disp. in fine. *Illud dogma à Doctoribus expressum Catholicam fidem in Ecclesia Catholica facit, quod universali consensu vel ab omnibus, vel fere ab omnibus magna constantia traditum est.* Id. in 1. Joh.3. disp.25.§. tertio. *Non sunt probanda* (examinanda) *veterum Patrum dicta & testimonia, quando omnes, vel fere omnes in unam sententiam conveniunt, vel in uno aliquo Scripturæ loco interpretando concordant, quia tum Patres certissimum & inevitabile argumentum reddunt Catholicæ veritatis ac certæ & legitimæ interpretationis.*

Gerhardus Lorichius Hadamarius in Instit. Cathol. fid. orthod. art.11.f.50. *Sensus verus Scripturæ ex Patrum monumentis petendus; ex sensu eo, quo Patres Scripturam intellexerunt & sententiis Patrum, omnium controversiarum finis est faciendus &c.*

Bellarminus lib.4. de verbo Dei cap.12. disputat, *Scripturam esse tantum partialem fidei regulam, ac traditiones pari pietatis affectu cum Scriptura recipiendas esse juxta decretum Concilii Tridentini sess.4.* (Utique ergo Patrum scripta una cum Scriptura sacra regulam fidei constituunt, cum traditiones illæ non nisi in Patrum scriptis habeantur.)

Idem lib.2. de Christo cap.2. & lib.1. de purgat. cap.10. *Patres nunquam omnes simul errant, etiamsi aliquis eorum interdum erret, nam simul omnes in uno errore convenire non possunt.*

Costerus in Enchirid. in præfat. de moribus hæretic. antith.9. *Hæretici omnes non Patrum, non Conciliorum, non totius Ecclesiæ, sed solius Scripturæ autoritatem admittunt.* ibid. *Nostri temporis hæretici ad solas Scripturas, tanquam ad saxum, adhærescunt, ut se non Catholicos sed ab Evangelio Evangelicos vocari velint.* (Qui statuit hæreticum esse, in controversiis fidei soli Scripturæ adhærere, contra vero asserit, hac in parte Scripturæ adjungenda esse scripta Patrum, ille Patres ex parte statuit judices & ipsorum scripta normam ac regulam fidei.) cap.1. de Script. p.45. *Catholici magno in honore habent antiquas majorum traditiones, Conciliorum decreta, sanctorum Patrum concordem & consentientem doctrinam, à quorum placitis transversum digitum discedere nefas arbitrantur, hos Magistros in omnibus audiunt, horum mente divinas literas interpretantur.* p.59. *Conferenda est nova interpretatio cum interpretatione antiqua majorum, cum qua si pugnat rejicienda est, & juxta D. Pauli admonitionem anathemate percutienda.* p.63. *Verum est, singulos homines tam doctos quam indoctos posse errare, universos tamen simul errare nunquam permittit ille, qui se suæ Ecclesiæ præsto futurum promisit usque ad consummationem seculi.* p.64. *Patres, quia multo ante nostra secula vixerunt, incorrupti sunt judices controversiarum quæ à posteris moventur. Nec enim credibile est, viros hujusmodi, præsertim in rebus, quæ fidem attingunt, à Deo sic destitutos, ut ipsi erraverint & concionibus, doctrinaque sua in errorem alios induxerint.* (Si Patres velut Magistri in omnibus audiendi ac juxta eorum mentem divinæ literæ exponendæ, si non est credibile, Patres in rebus quæ fidem attingunt, errasse, utique ipsorum scripta erunt & fidei & interpretationis Scripturæ regula.)

Gregor. de Valent. in Analys. lib.8. cap.8. *In definiendis controversiis fidei concordis etiam sententiæ Patrum sive Doctorum omnium idcirco ratio haberi debet, quia quod illi unanimi consensu circa religionem tradunt, infallibiliter verum est.*

Pazmannus lib.9. hodegi cap.4. *Eutychis errorem* nominat *Scripturæ sententiam anteferre expositionibus Patrum.* Gord. Huntlæus controv.2. cap.28. p.317. *Constanter asserimus, Patres antiquos ab Ecclesia receptos nihil unquam communi & unanimi consensu scripsisse, quod adversetur sacris literis aut ulli dogmati fidei, & hinc concordem illorum sententiam pro infallibili norma fidei ab omnibus habendam esse.*

Jacobus Hack Jesuita in quatuor qq. decis. contra Tossanum q.1. cap.3. p.37. *Absque Patrum adminiculo ne de unico quidẽ fidei articulo ex Scripturis quempiam certum fieri posse* asserit.

Nostram sententiam probamus, Primo, quod *Patres non sint regula fidei*, patet ex seqq. fundamentis, 1. quia hæc dignitas solis Canonicis *Prophetarum & Apostolorum* scriptis debetur. Scriptura nuspiam remittit nos ad Patrum scripta tanquam ad infallibilem fidei regulam, nec uspiam absolute jubemur audire Patres, sed Christum Patrem omnium Patrum, Matth. 23. v.9.10. de eo vox è cœlo sonuit, *Hunc audite* Matth.17. v.5. Ecclesia non dicitur *extructa* super scripta Patrum, sed *super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, existente summo lapide angulari Christo*, Eph.2. v.20. inde cum Justinus in qq. & resp. q.119. p.365. ad argumentum, *quod quidam ex Patribus docuerint, nec arborum frugibus, nec carnibus homines antediluvianos in escis usos fuisse*, respondere vellet, opponit hoc, quod Apostolus, quem vocat τῶν πατέρων πατέρα, καὶ εὐσεβείας διδάσκαλον dixerit: *Quis pascit gregem & de lacte gregis non edit?* 2. Patres ipsimet negant, scripta sua esse Scripturæ sacræ in fidei regula exæquanda: sed se & sua Scripturæ judicio submittunt. 3. Regulam fidei oportet esse invariabilem, sibique constantem; at Patres ab aliis & à seipsis sæpius dissident. 4. Regulam fidei oportet esse publica autoritate receptam & à summa autoritate confirmatam; at Patrum scripta non sunt publica autoritate Ecclesiæ pro fidei regula commendata, sed hoc soli Scripturæ sacræ competit. 5. Regulam fidei semper in Ecclesia extare oportet. At Patrum scripta non semper in Ecclesia extiterunt, ac multa Patrum scripta interierunt. Regulam fidei ac normam veritatis in Ecclesia oportet certis ac finitis, vel potius paucis quibusdam scriptis esse comprehensam, & certis sigillis confirmatam, ut omnes juxta eam de doctrina possint judicare. Sed Patrum scripta in magnam excrevere multitudinem, nec possunt ab unoquoque Christiano omnia evolvi. 6. Regulam fidei oportet esse perfectam & sufficientem ad omnes fidei controversias definiendas. At Patrum scripta perfectione illa destituuntur. Patres tractant tantum de suorum temporum causis ac controversiis, Scriptura generalem, ac proinde sufficientem normam proponit. Nimirum Deus hoc cõsilio & fine Scripturas sacras Ecclesiæ proposuit, ut essent norma judicii in controversiis fidei, sed Patres eo fine non scripserunt, sed ut potissimum sui temporis hominibus & controversiis inservirent, unde suam doctrinam ex sacris literis, tanquã ex unico & summo principio, confirmare nituntur. 7. Sub venerabili Patrum pallio multa supposititia scripta proponuntur, ac multa etiam genuina Patrum scripta ab hæreticis sunt corrupta & depravata. 8. Patres ardore disputationis abrepti quandoque incommode loquuntur, in exhortationibus vehementius rhetoricantur, nondum motis certaminibus securius sunt locuti, indulserunt aliquid suis temporibus, quandoque loquuntur recitative & Historice, non assertive & dogmatice, unde posteriores Patres priorum dicta explicant secundum fidei analogiam, vel, si cum ea conciliari nequeant, plane repudiant.

Secundo, quod *Patrum scripta non sint Scripturæ interpretandæ infallibilis regula*, patet ex seqq. argumentis. 1. Patres in Scripturis interpretandis sibi invicem contradicunt. Sic de loco 1. Tim.3. v.2. *Oportet Episcopum unius uxoris esse maritum*, contrariæ fuerunt Hieronymi & Augustini sententiæ. Sexcentis idipsum comprobari posset similibus exemplis. 2. Patres non solum ab aliis, sed etiam à seipsis in Scripturæ interpretatione quandoq; dissident, ac diversis temporibus aliter Scripturam exposuerunt. 3. Patrum scripta non semper extiterunt in Ecclesia, nec tamen Ecclesia unquam destituta fuit interpretationis regula. 4. Patres de suis expositionibus volunt judicium fieri ex Scriptura, & quod ei congruit, duntaxat acceptari, quod ab ea dissidet, repudiari. Ergo scriptura potius est regula, juxta quam de Patrum Scriptis judicandum. 5. Plerique ex Patribus linguarum cognitione fuere destituti, in Scholis ad Rhetoricas declamationes assuefacti, & ad populum homilias habuerunt, quæ copiosum dicendi genus magis sectantur, quam accuratas textus considerationes & Grammaticam vocum ac phrasium expositionem. 6. Multi, relicto literali sensu, statim delabuntur ad allegorias. Inde Hieron. in præf. ad Hoseam Prophetam, postquam dixisset, *sibi lectas fuisse expositiones in eundem Prophetam Apollinarii Laodiceni, Origenis, Pierii, Eusebii Cæsariensis, Didymi Alexandrini*, subjicit: *Hæc dico, ut noveris, quos in ejus Prophetæ campo habuerim præcursores, quos tamen, ut simpliciter & non superbe (sicut quidam meorum amicorum semper insibilat) tua prudentia fatear, non in omnibus sum secutus, ut judex potius eorum operis, quam Interpres existerem, diceremque, quid mihi videretur in singulis.*

Tertio, quod *Pontificii frustra unanimem Patrum consensum urgeant, cumq; pro fidei & interpretationis Scripturæ regula nobis obtrudere satagant*, patet ex sequentibus argumentis, 1. Consensus ille Patrum in dogmatibus fidei tradendis & Scripturis exponendis, verbis potius jactatur, quam reipsa ostenditur, cum constet, nec in dogmatibus, nec in Scripturæ expositione eos invi-

invicem omnes consentire. 2. Quod ita comparatum est, ut non semper fuerit fidei confirmandæ & Scripturæ interpretandæ regula, quodque non semper habuit autoritatem authentici judicii, illud ne nunc quidem absolutæ & infallibilis regulæ vim habere potest. Requiritur enim, ut regula semper sit una, eademque certa, firma ac invariabilis. Atqui unanimis ille Patrum consensus non semper fuit fidei & interpretationis Scripturæ regula, quia aliquando nulla fuerunt Patrum scripta, pauci primis Ecclesiæ seculis scripserunt, & qui scripserunt, non in omnes Scripturæ libros commentarios scripserunt. 3. Ad unanimem consensum Patrum requiritur, ut cum temporum suorum Episcopis omnibus consenserint. At unde hoc scire possumus? multi alii illorum temporum Episcopi fuere, qui nihil quicquam scripsere, & eorum, qui scripserunt, monumenta omnia non amplius extant, & quorum monumenta extant, illi non de omnibus fidei articulis scripsere, multo minus in universam Scripturam commentarios reliquere. 4. Non minus omnes, quam singuli, vel aliqui errare possunt, quia nullus eorum habuit immediatam Spiritus S. assistentiam, nullus eorum fuit Propheta, vel Apostolus, immediate à Spiritu S. illuminatus. Solis autem Prophetis & Apostolis hoc competit, quod post acceptum Spiritum S. nec omnes, nec singuli errent, vel errare potuerint. 5. Patres vel omnes simul sumti, vel singuli seorsim considerati non errant, quatenus Scripturam ducem & lucem sequuntur, quæ sola non errandi privilegium habet. 6. Quanti laboris foret, universa omnium Patrum scripta percurrere, ut de eorum unanimi consensu tum in fidei dogmatibus, tum in Scripturæ expositione constare possit? aliorum fidem hic sequi periculosum foret, nec conscientiæ satisfaceret. At normam judicii ac veritatis in Ecclesia oportet esse ita comparatam, ut quivis Christianus ad eam quovis tempore possit recurrere. 7. Apostoli, *ante Spiritum sanctum* in die Pentecostes acceptum, omnes hæserunt in errore de *regno Messiæ corporali*, omnes laborabant ignorantia veri sensus prædictionum *de resurrectione Christi* ante Christi resurrectionem; omnes statuebant, *Eliam in propria persona rediturum*. At si Apostoli omnes errare potuerunt, antequam infallibilis Spiritus sancti assistentia ipsis obtingeret, utique etiam reliqui Ecclesiæ Doctores, quibus immediata illa Spiritus sancti assistentia non competit, omnes errare possunt.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, *discrimen esse inter Scripturam sacram θεόπνευστον, & inter Patrum scripta*, illamque esse normam & regulam, cui Patrum scripta subjicienda & ad eam exigenda. (De quo enim judicandum ex fidei regula, illud non potest esse fidei regula proprie sic dicta.)

c. Noli meis. dist 9. ex Augustino. *Noli meis literis, quasi Canonicis Scripturis, deservire, sed in illis & quæ non credebas inveneris, incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.*

c. Negare. dist. ead. ex eodem. *Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari.*

c. Ego solis. dist. ead. ex eodem. *Ego solis eis Scriptorum, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere, aut si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem, quàm mendosum esse Codicem, vel non esse assecutum Interpretem quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores, vel Canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorrat, persuadere potuerunt:* ad quem canonem notat Glossa: *argumentum hoc esse, quod non sit considerandum quis dicat, sed quid dicatur.* Item: *non esse credendum magis honorabiliori personæ, quam alii, quia veritas, à quocunque prolata, semper præferenda est.*

Idem Augustini dictum citant & approbant, Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 7. & Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. artic. 30. p. 754.

c. Quis nesciat. dist. ead. ex eodem. *Quis nesciat, sacram Scripturam tam V. quam N. T. certis terminis suis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit, vel constiterit esse: Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem in ea re cujuslibet peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem autoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere deprehendi, si quid in eis forte à veritate deviatum est?* (Idem Augustini dictum citat & approbat Jodocus Coccius d. l.)

c. Noli frater. dist. ead. ex eodem. *Noli frater contra divina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis sive nostrorum sicut Hilarii, sive Cypriani & Agrippini, antequam pars Donati separetur, primòque hoc genus literarum ab autoritate canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint, quam veritas postulat. In eo quippe numero sumus, ut nõ dedignemur etiã nobis dictũ ab Apostolo accipere: Et si quid aliter sapitis, hoc quoq; Deus vobis revelabit.*

c. Neque quorumlibet. dist. ead. ex eodem. *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, veluti Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum Scripturis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum.* Huc referri potest illud Glossæ in c. Si quis præpostera. dist. 50. *Non statim tenetur quis credere etiam bono viro.* & c. Si is qui præest. caus. 11. q. 3. *Non semper est credendum viro sancto.*

Thomas part. 1. q. 1. art. 8. *Sacra doctrina autoritatibus Canonicæ Scripturæ utitur proprie ex necessitate argumentando, autoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ q. arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta, unde dicit Augustinus ad Hieronymum: Solis enim Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum authorum eorum in scribendo errasse aliquid firmissime credam, alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt vel scripserunt.*

Biel lect. 41. in Can. Miss. *Sanctorum Patrum autoritas ad assentiendum ipsorum dictis neminem compellit, nisi in divinis fundata fuerit Scripturis, aut divinæ innitatur revelationi.* Ibid. *Autoritates Patrum sine Scripturis non obligant ad fidem.*

Tractatus de conceptione Mariæ Virginis editus à Fratre Petro Aureoli Ordinis Minorum his verbis finitus, *Ista scripsit & compilavit F. Petrus de Verberya Anno* 1338. sic habet: *Primo quidem esto, quod dicta sanctorum confirmata sint per Concilia, nihilominus omnia dicta sanctorum non sunt tenenda pro fide aut prædicatione Ecclesiæ orthodoxæ, tum quia contradictoria oporteret teneri pro fide, cum Augustinus dicat, quod Petrus vere erat reprehensibilis observando legalia, & Paulus ipsum juste & rationabiliter reprehendit ad Galat. 1. Hieronymus vero dicit, Petrum non fuisse reprehensibilem, sed Paulum peccasse & præsumtuose egisse, Principem Apostolorum reprehendendo. Hieronymus etiam dicit, quod per matrimonia contracta ante Baptismum non contrahatur bigamia, & Augustinus determinavit totum oppositum, ut patet 26. dist. c. 1. & c. Acutius. Et in pluribus aliis S. Doctores ad invicem contradicunt. Tum etiam quod multa absurda Ecclesia confirmasset, quæ hodie non docent Doctores, ut quod Angeli sint corporei & animalia aerea, prout frequenter dicit Augustinus. Tum quia 9. dist. in Decretis per totum probatur autoritatibus multis, quod dicta sanctorum possint impugnari & improbari, si veritas videatur aliter se habere. Et evidenter hoc determinavit Augustinus in c. Ego solis. dist. 9. quod utique non esset verum, si omnia dicta Sanctorum essent determinationes Ecclesiæ & prædicationes fidei orthodoxæ. Ad hoc ergo in sacris Conciliis dicta Sanctorum per Ecclesiam sunt recepta, ut ad differentiam Apocryphorum & hæreticorum librorum secure legantur. Et hic est intellectus dist. 15. in Decretis.*

Petrus de Aquila 3. sent. dist. 23. q. 2. *Nuda Patrum expositio, quæ litera destituitur, non parit consequentiam fidei.*

Johannes Picus Mirandula in Apolog. tom. 1. p. 144. multis probat, quod *in Patrũ dictis extra Biblia non sit infallibilis veritas.*

Verba ejus sic habent: *Ego hoc dico & firmiter assero, non valere istam consequentiã: Hæc opinio est contra dicta Augustini vel Hieronymi, vel Gregorii, & sic de cæteris Doctoribus Ecclesiæ. Ergo est hæretica. Et hujus dicti veritas sicut est à bonis omnibus & subtilibus Theologis credita, ita à me etiam evidenter probabitur. Quamvis enim Sanctorum Doctorum Scriptura extra Canonem Bibliæ posita sit tradenda & legenda, & cum debita reverentia suscipienda, non tamen sunt eorũ dicta ita firmæ autoritatis & immobilitatis, ut eis cõtradicere nõ liceat & circa ea dubitare, nisi vel per Scripturam sacram aliter probentur eviden-*

evidenter & expresse, vel firmiter per Ecclesiam ipsa autorisantem determinatum fuerit, illam firmā veritatem & indubiam continere. Ideò per dicta sanctorum extra Canonem Bibliæ præcise non potest convinci opinio hæretica manifestè. Nam ubi non est infallibilis veritas, ibi nec fides certa & indubia, cùm fides certa veritati infallibili nitatur, imò circa talia non est assensus infallibilis, nec adhæsio firma. Ex quo enim ibi certa veritas & indubia fides non est, ei semper assentitur cum dubio & cum formidine falsi, quia ut dicit August. in Epistola ad Hieronymum, & undecimo contra Faustum cap. 8. & 16. contra eundem Faustum, si Scriptura non continet infallibilem veritatem, sed in aliqua parte sui falsa invenitur, non remanet in eâ certa fides, quâ ei firmiter credatur, & propter falsitatem repertam in una sui parte tota suspecta habetur, & sic fides titubaret. Quia ut dicit Augustinus de fide Christiana cap. 7. titubat fides, si sacrarum Scripturarum vacillat autoritas. Quòd autem in dictis sanctorum extra Canonem Bibliæ non sit veritas infallibilis, quantum ad præsens attinet, tres mihi succurrunt probationes: Prima est, quia ipsimet Doctores de dictis suis dubitant, an in eis erraverint, an non. Unde August. 1. de Trinit. cap. 1. inquit: Nec pigebit me, sicubi hæsito, quærere, nec pudebit me, sicubi erro, me corrigere. Et cap. 2. Proinde quisquis hoc legit, ubi pariter hæsitat, quærat; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me; hinc liber retractationum Augustini, in quo multa ex dictis ab eo antea damnat & retractat. Unde & 2. de Trinitat. Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm sive ab errante, sive ab adulante laudari. Laudator enim & errans confirmat errorem, adulator verò allicit in errorem. Emendabit autem me justus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Et sicut dicit Guido Carmelita in libro de hæresibus, licet Augustinus in his dictis loquatur humiliter, nihilominus loquitur veraciter. Unde ipse ad Vincentium dicit: Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita in meis tam multis opusculis multa esse quæ possunt justo judicio & nullâ temeritate reprehendi. Et in libro de vera religione inquit. Quicquid in libris meis erroris invenietur, hoc solum mihi attribuendum; quicquid aut verum, aut bene expositum, illud uni omnium remuneratori & largitori Deo tribuatur. Possunt ergò dicta Augustini egregii & divini Doctoris non semper in omnibus continere indubiam veritatem, cùm ipse circa ea dubitet, erraveritne nec ne; & quod dictum est de Augustino, dictum intelligatur similiter de aliis doctoribus.

Secunda probatio sumitur à discordia, quæ est inter ipsos autores. Discordia enim in Scriptoribus testimonium est falsitatis, cum sit necesse, quòd saltem unus discordantium falsum dicat, quia necessariò altera pars contradictionis est falsa &c. Quanta autem sit discordia in dictis Sanctorum extra Canonicas Scripturas, nemo non novit, nisi qui illorum libros non legit. Discordat Augustinus à cæteris sanctis Doctoribus circa intelligentiam operum sex dierum, quia alii ponunt, quòd Deus fecit illa sex dierum opera secundùm successionem temporis dierum, à quibus discordat Augustinus, qui ponit omnia simul facta, juxta illud, Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Unde motus Augustinus numerat illos dies non secundum successionem temporum, sed secundum distinctionem cognitionis Angelicæ rerum in proprio genere & verbo, & tamen non dicuntur illi, vel isti hæretici. Et constat, quòd una opinionum est falsa, & per consequens dicta eorum non innituntur infallibili veritati. Similiter discordant Hieronymus & Augustinus, quia Augustinus omnium Psalmorum autorem facit David, quod negat Hieronymus. Discordant similiter super reprehensione Petri à Paulo, An fuerit de peccato mortali, aut veniali ipsius Petri. Item etiam discordant in cessatione legalium, sic quod sibi contradicendo unus necessariò falsum dicit, & tamen ex hoc neuter eorum hæreticus reputatur. Similiter Beda super 1. Reg. dicit, quòd Samuel fuit verus Sacerdos, quod expresse negat Augustin. in lib. de qq Nov. & Vet. Test. dicens, Samuel non fuisse Sacerdotem, cum non fuerit de filiis Aaron: & Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum dicit, Simulq; cognoscendum est, quòd Samuel Levita non Sacerdos, nec Pontifex fuit, ideoq; non nominatur inter Sacerdotes, sed inter eos, qui invocant nomen Domini. Dicta ergò istorum non innituntur infallibili veritati, cùm sibi contradicant, quorum una pars necessariò est falsa, ut patet per Philosophum. 4. Metaph. Quin ipse Augustinus in hac sententia sibimet videtur adversari. Nam in libro de qq. V. & N. T. q. 46 dicit, ut diximus, Samuel non fuisse Sacerdotem; & tamen 12. contra Faustum cap. 35. sic dicit commutatum Sacerdotium in Samuelem reprobato Heli, ut commutatum est regnum in David Saule reprobato; ubi clarè Augustinus dicit, translatum Sacerdotium in Samuelem, sic quòd Samuel verè fuerit Sacerdos, sicut David verè fuit Rex. De eodem etiam Samuele, an fuerit resuscitatus, videtur à seipso dissentire Augustinus. Nam in quæstionibus N. & V. T. q. 27. tenet, quòd Samuel non fuit per Pythonissam verè resuscitatus, sed Dæmon in similitudine Samuelis apparuit Sauli. Et in lib. de cura pro mort. agend. ponit, quòd anima Samuelis à Dæmone fuerit excitata per artem Magicam & locuta fuerit Sauli. Hieronymus etiam in illa quæstione, an Salem fuerit Jerusalem, videtur in quadam sua Epistola, de cujus titulo non memini, sibi contrarius, qui etiam de LXX. Interpretibus contrarium sentit Augustino. Item Gregorius & Dionysius discordant circa ordines Angelorum. Et solus Hieronymus cæteris circa promotionem bigami adversatur, ipse enim tenet & scribit in Epistola ad Oceanum, quòd bigamus ante Baptismum, post Baptismum potest promoveri, si modò post Baptismum plures non cognoverit uxores. Cui contradicunt cæteri, dicentes, quòd bigamus sive ante Baptismum, sive post Baptismum, non potest promoveri. Et in hoc existimatur illos melius dixisse, ut scribit Augustinus de bono conjugali, & Ambrosius de officiis. Item Hieronymus ad Marcellam de quinque quæstionibus scribens, dicit sanctos, qui in fine mundi invenientur, non morituros, sed vivos assumendos. Augustinus autem in lib. de Civ. Dei omnes tunc morituros affirmat. Item Hieronymus super Matth. dicit, hoc dictum Psalmi, in omnem terram exivit sonus eorum &c. & illud Christi, prædicabitur Evangelium hoc in universo mundo, esse completum per Apostolos. Augustinus autem in Epistola ad Exitium, cui consentit Origenes super Matthæum, tenet hoc nondum esse impletum. Item Hieron. super Epist. ad Titum tenet, Angelos per multa secula ante visibilem mundum extitisse & Deo serviisse, quod & Ambrosius tenet in Hexaemeron. Augustinus autem super Genesin tenet, quòd simul cum cœlo empyræo sint creati. Item Hieronymus in Prologo libri Sapientiæ tenet, quòd ille liber sit Philonis, & non sit computandus inter sacras Scripturas. Augustinus a. in tertio Retractationum ostendit, se quandoque tenuisse, quòd fuerit editus à Jesu Sirach, quod ibi retractat, & licet non exprimat, à quo sit editus, tamen in libro de doctrina Christiana, ipsum enumerat inter libros sacros. Item Hieronymus in libro qq. Hebraic dicit, quòd Deus, antequam cœlum & terram faceret, Paradisum ante condiderat, propter illud quod dicitur, Plantaverat Deus Paradisum à principio. Augustinus a super Genesin ad literam exponit, à principio, i. e. tertia die. Item Aug in libr. de concord. Evang. asserit, totam negationem Petri factam fuisse in atrio Hannæ, & quæ dicta sunt inde post missum Jesum ad Caipham, recapitulando dicta esse. Hieronymus autem super Matth. videtur velle, quòd Petrus in atrio Caiphæ negaverit, cui Beda in Lucam consentire videtur. Item Hieronymus super illud Habacuc, mundi sunt oculi tui, negat singulos Angelos præpositos singulis corporalibus creaturis; & Augustinus in 83. quæstionibus tenet, quod sic, cui consentit Origenes & Damascenus. Item Hieronymus super illud Jonæ, Tollite me & mittite in mare, dicit, quòd licet propria perire manu, ubi castitas periclitatur. Augustinus v. in libris de Civ. Dei contrarium affirmat. Multa denique reperiuntur talia, quib. sancti Doctores inter se salva fide contraria scripserunt. Sed nec omnia succurrunt properanti maximè, neque enim elaborari hoc à me potuit opus exactiore diligentia, quòd volui venienti statim injustæ infamiæ morbo occurrere, scripturus alias super hac re, ut majore otio & curâ, ita & plura fortasse meliora, addam tamen & illud, quod nunc occurrit, Hieronymi in Epist. ad August. sic dicentis: Ne mireris, si in tuis libris, & maximè in Scripturarum expositione, quæ vel obscurissimæ sunt, quædam à recta linea discrepare videantur. Et hoc dico, non quod in operib. tuis quædam reprehendenda jam censeam, neque enim lectioni horum operam unquam dedi, nec horum exemplarium apud nos copia est, præter Soliloquiorum tuorum libros, & quosdam commentarios in Psalmos, quos si vellem discutere, non dicam à me, qui nihil sum, sed à veterum Græcorum docerem interpretationibus discrepare. Hæc ille. Sicut ergò ipsi à se invicem, ita & nos ab eis in multis salvâ fide & veritate Scripturæ & sanctæ Ecclesiæ determinatione dissentire possumus.

Tertia ratio sumitur ex speciali prærogativa sacræ Scripturæ, & sanctionum Universalis Ecclesiæ, quibus solis concedimus infallibilis veritatis excellentiam, unde Augustinus contra Hieronymum in Epist. ad eum sic dicit: Ego enim fateor caritati tuæ, solis Scripturæ libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum horum autorum scribendo errâsse firmissimè credam, aut si aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendosum esse Codicem, vel Interpretem non assecutum esse, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Aliorum autem Scripturas ita lego, ut quantalibet sanctitate polleant & doctrina, non ideò verum putem, quia ipsi senserint, sed quia vel per alios locos sacræ Scripturæ, vel probabili, id est, evidenti ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt nec te, frater mi, arbitror

sic libros tuos legi velle tanquam Prophetarum & Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefandum est. Absit hoc à pia humilitate & veraci de temetipso cognitione. Et ipse August. 3. de Trinit. *Sane cum in omnibus literis meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem: Veruntamen velut lectorem meum volo mihi esse deditum; ita correctorem volo sibi; & sicut illis dico nullis meis literis quasi Canonicis Scripturis inservire, sed in illis & quod non credebas cum inveneris, incunctanter crede. in istis autem literis quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter tenere: Ita illi dico, noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere.* Et Augustinus in Epistola sive libro ad Vincentium. *Noli ergo frater contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere, vel calumniari Episcoporum scripta minorum, sicut Hilarii, Cypriani vel Agrippini. Nam hoc genus literarum ab autoritate Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ex eis ita testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat.* Et in Epistola ad Fortunatum idem Augustinus *Nec quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere.* Et in lib. de unico Bapt. *Quis nescit Canonicam sanctam Scripturam V. & N. Testam certis suis terminis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illo omnino dubitari non possit, utrum verum, aut ratum sit, quicquid in ea scriptum constiterit esse, Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet, & per aliorum Episcoporum graviorem autoritatem doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte est à veritate deviatum. Possent infinita hujusmodi adduci, ex quibus pateret, dicta sanctorum infallibili veritati, ut præcise sanctorum sunt, non inniti. Unde & sæpe invenies Doctores modernos discedere à dictis Sanctorum. Dicit enim Robertus Holcot, quod Sanctus vir Anshelmus in multis deceptus propter ignorantiam Logicæ; & Occam de actibus Hierachicis non sentit cum Dionysio. & Scotus in 3. sentent. quasi destruit totum processum Anshelmi in libro Cur Deus homo; & ita sæpe alibi invenies de aliis Doctoribus.*

Jodoc. Coccius tom. 1. Thesaurii, lib 6. art. 30. p. 757. citat & approbat illud Ivonis Carnotensis Epist. 223 *In hac ambiguitate finem ponit autoritas Evangelica, contra quam nec personalis, nec Epistolaris valere debet sententia. B. Augustinus Scripturas suas & sibi similium inter Canonicas Scripturas testatur non esse computandas.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adv hæref. cap. 7. *Beatus Augustinus optat suorum operum lectorem non esse dictis ejus prorsus deditum. Sic enim ait 3. de Trinit. cap. 1. Sane cum in omnib. literis meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem.*

Et postea. *Sanctorum Ecclesiæ Doctorum scripta non sic sunt suscipienda, ut nobis liberum non sit aliter sentire quam ipsi senserunt, præcipue cum inter eos de re eadem non convenit, aut aliunde illorum assertio non comprobatur.* (qua in parte à Scripturis sacris longissime distant, quippe quas sine ullo examine recipere, eisque simpliciter credere tenemur.

Et iterum. *Non est ergo scriptis cujuscunque hominis quantalibet sanctitate & doctrina pollentis adeo tenaciter adhærendum, ut, etsi ratio adsit, non liceat discedere.*

Johannes Driedo lib. 1. de Catal. div. Script. cap. 4. *Duplicia sunt hagiographa, sive Scripta sancta, quædam, quorum autoritas idonea est ad corroborandum ea quæ sunt fidei, cujus generis sunt ea quæ habentur in canone Bibliorum. Alia vero sunt hagiographa, id est, scripta sancta, quorum autoritas ad assertiones fidei corroborandas non est sic idonea, quamvis habeantur vera & Sancta, sicut post canonem N.T editum habentur Hieronymi & Augustini scripta.*

Augustinus Torniellus in Annal ib. mundi pag. 365. *Non quæcunque Sanctus aliquis protulerit ilico recipienda sunt, sed cum aliis Sanctorum dictis conferri & expendi debent, quandoquidem certum est, Deum non omnia singulis sanctis aperuisse.*

Melchior Canus lib. 7. Locorum cap 3. n. 1. *Unius, aut duorum sanctorum autoritas etiam in his, quæ ad sacras literas & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest. Ita despicere & pro nihilo habere, impudentis erit, suscipere & habere pro certo, erit omnino imprudentis. Atque hanc con. lusionem demonstrat ratio illa manifesta, cui nulla prorsus via occurri potest, quod cum sanctorum quisque, his duntaxat exceptis, qui libros Canonicos edi lerunt, Spiritu fuerit humano locutus, & aliquando vel in eo erraret, quod ad fidem spectare postea demonstratum est, aperte constat, ex hujusmodi autoritate exploratam fieri fidem non posse. Quo in loco admonendi sunt hi, qui præceptis Theologiæ nullis acceptis, post bonas, quas vocant, literas, statim ad sanctorum veterum lectionem appellunt animum. Non enim quæcunque ibi legerint, ea sunt probanda omnia Nec quenquam hoc errore duci oportet, ut si Ambrosius, aut Hieronymus contra morem, doctrinamque hujus temporis fecerint, locutive fuerint, id sibi arbitretur licere.*

Idem lib. & cap. iisdem. num. 7. pag. 221. *Non magnopere conandum est eorum stultitiam refellere, qui libris Canonicis Hieronymi, aut Augustini opuscula exæquarunt &c. Ut alia claritas Solis, alia Lunæ, alia aliarum stellarum: Sic alia claritas Matthæi, alia Hieronymi, alia Esaiæ, alia Ambrosii. Autores Canonici ut superni, cœlestes, divini perpetuam stabilemque constantiam servant. Reliqui vero scriptores sancti inferiores & humani sunt, deficiuntque interdum, ac monstrum quandoque pariunt præter convenientem Naturæ ordinem.*

Salmeron. tom. 15. Disp. 4. in comm. 2. Timoth. 3. *Sanctus Paulus vocat omnem Scripturam sacram θεόπνευστον divinitus inspiratam, hoc est, non humano sensu scriptam, sed per Prophetas traditam, & immediate per Dei revelationem acceptam. Ut enim tradit Petrus Apostolorum Princeps, voluntate humana non est allata aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto Dei inspirati locuti sunt sancti Dei homines, quod non convenit sacrorum doctorum libris. Etsi enim hi multa præclara & omni fide dignissima scripserint, quæ merito sunt tribuenda Spiritui sancto, sunt tamen interdum nonnulla in iis minus certa & constantis veritatis, quædam vero probabilia, & interdum graviores lapsus de rebus, quæ suo tempore in Ecclesia definitæ non erant, & ideo ad autoritatis pondus & fastigium, quale Scripturæ obtinent, non pertingunt, ita ut Biblia sacra sola digna sint, ut absolute dicantur Scriptura.*

Ambrosius Catharinus in Clavi Scripturæ pag. 7. *Sola Scriptura est certissimæ veritatis & mirificæ utilitatis & potestatis.*

Baronius. tom. 4. Annal. Ann. 369. *Divina tantum Scriptura est nihil habere erroris, quod corrigatur. Nec ipse Hilarius nævis caruit.*

Bellarminus libro 2. de Concil. capit. 12. §. Dico secundo &c. *Patrum scripta non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.*

Costerus in Enchirid. cap. 1. pag. 63. *Pro fidei regula accipiendum non est, quod singuli majores nostri & Ecclesiæ Doctores vel dixerunt vel scripserunt.*

Tannerus Disputatione de judice controv. thes. 83. *An fortasse S. Patres jam demortui Patrumque monumenta judices erunt? Neque hoc, tum quia non minus aliquando de Patrum quam de Scripturæ sententia propter ambiguitatem & obscuritatem dubitari potest, tum quia singuli Patres fallere possunt, omnia monumenta, vel non extant, vel dubiæ fidei esse possunt: tum quia nova semper oriri possunt controversiæ in antiquorum monumentis vix aut ne vix quidem agitatæ.*

2. Quod ipsimet Pontificii Patrum scripta judicio *Ecclesiæ*, id est, Pontificis Romani submittunt. (Eo ipso igitur agnoscunt, Patrum scripta non esse fidei regulam, sed ex alia fidei regula de illis esse judicandum. Si autem Pontificiis licet, Patrum scripta judicio Romani Pontificis subjicere, multo magis nobis licet, judicio Spiritus sancti in Scripturis proposito ea subjicere.)

c. Si Romanorum. dist. 19. *Romanorum Pontificum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod vere Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur.*

Stapletonus libr. 10. princip. fid. capite 11. *recipiendum esse,* dicit, *Episcoporum & Doctorum Ecclesiæ interpretationem, si modo in unitate Catholica permanserint* (i. e. Si autoritati Pontificis quiete ac placide se submiserint.)

Baronius ann. 24. num. 219. *Solius Ecclesiæ munus est, non tantum divinarum Scripturarum veram intelligentiam assequi, sed & cuncta, quæ ad illas pertinent, cognoscere, simulque vera probare, quæ sunt falsa rejicere.*

Duræus in confut. Witakeri rat. 5. p. 140. *Patres non censentur Patres cum suum aliquid, quod ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt vel docent.*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei capit. 10. resp. ad 16. *Augustinus & cæteri Patres in commentariis fungebantur officio Doctorum, at Concilia & Pontifices funguntur officio judicis à Deo sibi commisso.* (Ut ergo Conciliorum decreta nihil valent, nisi confirmentur à Romano Pontifice, quod Adversarios statuere supe-

uperius cap. 10. ostendimus, ita quoque Patrum dicta nihil valent, nisi Pontificis judicio sint conformia.

Lib. 2. de Roman. Pont. cap. 27 §. ultimo. *Pontifex non habet ullos in Ecclesia Patres, sed omnes filios. Quid vero mirum est, si non pater filiis, sed filii patri suo subjiciantur? Papa nec Patribus, nec eorum canonibus cogi potest.*

Lib. 2. de Concil. cap. 12. *Decreta Pontificum dicuntur Scripturæ sacræ, ut distinguantur à Prophanis, & Canonicæ, ut distinguantur à scriptis sacris Patrum, quæ non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi*, (nisi quatenus cum decretis Pontificum consentiunt.)

Gregor. de Valent. in Apol. de idololatr. lib. 2. cap. 7. p. 719. *Si maxime exploratum sit factum Epiphanii de velo abscisso, tamen apud nos Ecclesiæ autoritas plus ponderis habet.*

Idem in Anal. lib. 8. cap. 8. pag. 119. *Quod si per sententiam doctorum aliqua fidei controversia non satis commode componi posset, eò quod de illorum consensu non aperte constaret, sua tunc constat autoritas Pontifici, ut consultis aliis ad definiendum regulis Ecclesiæ proponat, quid sit sentiendum.*

Pistorius in hodeg. cap. 13. p. 51. *Patrum interpretationes tum demum valent, cum eas approbaverit Ecclesia*, (id est, Romanus Pontifex, ut ultima analysis docet.)

Cornelius Mussus in concione Romæ habita ex cap. 14. Epist. ad Roman. *Quem ergo pro Deo habemus, in his quæ Dei sunt, quicquid ipse dixerit tanquam Deum audire debemus. Ego ut ingenue fatear, plus uni summo Pontifici crederem in his, quæ fidei mysteria tangunt, quam mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis* (inter quos tamen primus etiam fuit Pontifex) *ne dicam Richardis, Scotis, Wilhelmis.*

Bailius Jesuita in Catech. Controvers. tract. 1. q. 11. ad quæstionem, *debetne admitti Doctorum* (Patrum) *autoritas*, respondet: *Debet, quatenus ab Ecclesia approbatur.*

3. Quod agnoscunt, Patres sæpius errasse. (Bellarminus libr. 1. de verbo Dei cap. 6. § 19. sic concludit. *Si unum aliquod erratum in Scripturis sanctis sive imperitia, sive oblivione, sive alia quacunque humana imbecillitate ab autore committi poterit, an in eo scribendo autor non dormitaverit?*

Idem de scriptis Patrum dicere possumus. Si Patres errare possunt, quia homines sunt, non Prophetæ vel Apostoli immediate à Spiritu S. illuminati, quicunque ex ipsorum scriptis proferatur locus, statim erit quæstio, num in illo nō erraverint, adeoque norma & regula fidei esse non possint, quæ non debet esse lubrica & fallax, sed constans & omnis erroris expers.)

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 7. pag. 17. ex professo refellit istud Glossatoris Decret. dist. 9. superius citatum, quod *scripta Patrum tenenda sint usque ad extremum jota. Quis, inquit, ferat, ut hominem tam aperte mendacem non insectetur? Ubinam 15. dist. c. ultim. jubetur, sanctorum Patrum scripta ad ultimum jota teneri? aut qualiter præcipi potest, cum sanctorum Patrum sententiæ, sæpe invicem repugnent? Non potest certe Deus contradictoria præcipere.*

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis, Acad. Cantabrig. Cancellarius, in confutat. procem. Lutheri. §. Et nos pag. 42. *Et nos, aliquoties errasse Patres, non diffitemur, homines enim erant, sicut nos.*

Erasmus in annot. ad cap. 2. Matth. pag. 13. *Solus Christus divinus est veritas, unus ille errore caruit. Adfuit Spiritus divinus & Cypriano, ut est probabile, & tamen quædam illius rejiciuntur ab Orthodoxis. Adfuit & Hieronymo, rejiciuntur & hujus nonnulla. Adfuit Augustino, atque ipse quædam sua recantavit.*

In annotat. Luc. 22. pag. 157. *Sunt qui protinus contumeliam interpretentur, si quis à receptis autoribus discrepat, cum hoc honoris nec ipsi postulent, imo contumeliosum fuerit opinor si quis illos hominum more lapsos alicubi conetur contra veritatem tueri.*

In præfat. Hilarii operibus præfixa pag. 2. *An hoc agitur, ne quis putet, in veterum libris esse quicquam erroris? Atqui laterem, ut aiunt, laverit, quisquis istuc conetur. Hanc felicitatem Deus solis divinis voluminibus peculiarem esse voluit, alioqui nemo, quantumvis eruditus & oculatus, non labitur, non cæcutit alicubi, videlicet ut omnes meminerint homines esse, & à nobis cum delectu, cum judicio, simulque cum venia legantur ut homines.*

Ambros. Catharinus in libr. contra Cajetan. *Quocirca ille certe B. Augustino non placet, cui tam immoderate placet Augustinus, ut nolit eum unquam à vero oberrasse &c. Nolunt quidam ex nostris, ullum penitus in B. Thomæ scriptis contineri errorem, admittere, sed lege lata obligant seipsos ad defendendum indiscrete omnem illius doctrinam, in quo ipso vehementer B. Thomæ displicent, qui de se id existimari, & hunc honorem sibi falso tribui, quem sacris duntaxat debemus Prophetis, qui inspirante Spiritu DEI locuti sunt, nunquam voluit. & tanto magis ab hoc immoderato zelo abhorret, quanto magis conjunctus est veritati.*

Melchior Canus libr. 7. Locorum cap. 3. num. 4. *An hoc agere Gelasius voluit, in veterum libris non esse quicquam erroris? Atqui laterem, ut ajunt, laverit, quisquis istbuc conetur. Hanc siquidem felicitatem Deus in solis divinis voluminibus inesse voluit, quemadmodum Augustinus gravissime ac verissime tradidit. Cæteroqui nemo, quantumvis eruditus & sanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore & sensum pœnæ & dolorem fuisse negavit. Sanctus fuit qui in Chiliastarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro, ob adulterii culpam uxorem repudianti, alterum matrimonium concessit. Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce esse putavit. Sanctus fuit, qui animam Adæ ante corpus conditam fuisse opinatus est. Sancti fuere, qui Angelos multis ante corporeum mundum æternitatibus creatos esse existimarunt. Atque horum opuscula à Gelasio comprobata sunt. Hos ego tamen reverentiæ causa propriis nominibus non appello. Malo enim antiquitati sanctitatique parcere, quam otioso lectori facere satis. Legentur itaque à nobis Patres veteres, cum reverentia quidem, sed ut homines, cum delectu atque judicio. Quod si quis aliter sapit, nec sanis Conciliis acquiescit, hic jam non sanctorum religione, sed sui ipsius amore capitur, & sub veterum nomine novas opiniones invehere conatur.*

Idem lib. 11. Locorum cap. 6. *Non omnia, quæ magni autores scripserunt, sunt undique perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque etiam interdum indulgent.*

Sixtus Senensis in præfatione lib. 5. Bibl. sanctæ pag. 328. quinque occasiones recenset, ex quibus factum, ut prisci Ecclesiarum Magistri nonnihil interdum à proposito veritatis scopo aberrarint: *Prima, quod absque ullo prævio Doctore intentatum antea iter aggressi sunt. Secunda, quod innumera pene pro temporum, locorum ac personarum oportunitate dixerint, dictarint & scripserint. Tertia, quod tanto veritatis ardore arserint, ut, dum unum errorem omni virium conatu destruere annituntur, sæpe in alterum oppositum errorem vel deciderint, vel decidisse quodammodo videantur. Quarta, quod Ecclesia temporibus illis de his, quæ nunc damnata sunt, nondum quicquam aut in quæstionem vocasset, aut statuta determinatione definisset, & divinæ Scripturæ autoritas in utramque partem videretur ambigua. Quinta, quod plurima Patrum scripta ab hæreticis fuerint olim pessime tractata.*

Ibidem. *Nemo tam oculatus, qui non sæpe allucinari possit, quiq; aliquando non cæcutiat. Nam & quandoque bonus dormitat Homerus. Sicut & in pulcerrimis corporibus nævi quidam, nihilque est in rebus humanis omni ex parte beatum.*

Ibidem. *Lapsus aliquot, quod dissimulari nequeunt, in veterum libris extant.*

Ibidem adducit dictum Anshelmi in comm. 1. Epistol. ad Corinth. cap. 3. *In libris sanctorum Doctorum, quos authentice legit Ecclesia, nonnunquam inveniuntur quædam prava, vel hæretica, non tamen pro his vel libri, vel eorum autores damnantur.*

Claudius Espencæus in Appendice Comm. ad Tit. in capite de libris suspectis. *Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, inquit Hieronymus, ut Tertullianum, Arnobium, Apollinarium & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, ut eorum bona eligamus, contraria vitemus, quia trapezitis comparati sunt sacrarum literarum Studiosi, scientes quod bonum est retinere & à malo abstinere.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Comment. in Thom. Disput. 1. q. 1. punct. 7. f. 294. 356. 359. concedit, *Patres potuisse errare, atque errasse aliquando singulos.*

Part. 8. Analys. pag. 319. *Patres scripserunt, ut homines, qui non ita fuerunt Spiritu Dei præditi, sicut fuerunt scriptores Canonici, quiq; proinde in illis rebus, quæ suo tempore non adeo expresse erant de fide, errare interdum potuerunt.*

Villavincentius de ratione studii Theologici libr. 4. cap. 6. observat. 1. *Palam est, Patres omnes quantumlibet insignes vita innocentia atque eruditione, subinde verbo scriptoque offendere.*

Ibid. observ. 2. *Non propterea damnandos esse Patres, quod errarint aliquando*

aliquando, quia Deus fabris in domo sua operantibus libenter indulget, etiamsi non semper aurum vel gemmas, sed interdum quoque fœnum & stipulas superstruant.

Salmeron. lib. 1. parte 3. Disp. 9. in Epist. Rom. *In Patribus legendis servanda videtur sententia Quintiliani, qui sic scribit lib. 10. Institut. cap. 1. Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni autores dixerint, utique esse perfecta, nam labuntur interdum & oneri cedunt & indulgent ingeniorum suorum voluptati. Summi sunt, homines tamen, acciditq; lectoribus, dum quicquid apud ipsos reperiunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, id enim est facilius, ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Hæc ille* (Quintilianus) *prudenter & acute.*

Disput. 51. in Epistolam ad Roman. *Quanquam sancti fuerint* (Patres) *tamen tum viverent, ut non excusamus eos à levibus culpis, ita nec à quibusdam erroribus vel nescientiis, præsertim cum scriptum sit, diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Ut enim vitæ Sanctitas neminem à peccato purgat, ita nullum aberroris periculo vendicat. Quare Thomas quodl. 12. Sanctos non fuisse semper à Spiritu directos docet.*

Disputatio 4. in Epistol. 2. Tim. *Nonnulla in Scriptis Patrum sunt minus certæ & constantis veritatis, quædam vero probabilia & interdum graviores lapsus de rebus, quæ suo tempore in Ecclesia nondum definitæ erant.*

Stapletonus in Relect. princip. fidei controv. 6. q. 4. art. 2. catalogum *errorum* ex Patribus recenset.

Baronius tom. 1. Annal. anno 34. n. 213. *Non omnes, qui loco Apostolorum successerunt Episcopi, assecuti sunt sensum & intelligentiam Scripturarum &c. Nam sanctissimos Patres, quos Ecclesiæ Doctores ob illorum sublimem eruditionem merito nominamus, quantumlibet ea Spiritus sancti gratia præ cæteris imbutos esse liceat, in Interpretatione Scripturarum non semper ac in omnibus Catholica Ecclesia sequitur.* (Errant igitur alicubi, alias Ecclesia eos sequi teneretur.)

Idem Ann. 369. n. 24. tom. 4. Annal. post citata verba Hieronymi in Epist. ad Lætam. *Athanasii Epistolas & Hilarii libros inoffenso decurrat pede, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei nunquam vacillat, cæteros sic legat, ut magis judicet, quam sequatur*; subjicit: *Hæc sanctus Hieronymus, quoad sanam de Trinitate doctrinam, de qua vigebant inter Arianos & Catholicos controversiæ. Cæterum cum divinæ tantum Scripturæ sit, nihil habere erroris, nec ipse Hilarius nævis caruit, ut illis, quos annotavit Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis* (lib. 2. de statu animæ ad Sidon. Apollin.) *& alii discusserunt, atq; perperam alii secuti sũt. Duo is hæc* (ait Claudinus) *veris adversa disseruit, unum quod nihil incorporeum creatum dixit; aliud quod nihil doloris Christum in passione sensisse. Cujus si vera passio nõ fuit, redẽtio quoq; vera esse nõ potuit.*

Bellarminus lib. 3. de verbo Dei capite 3. §. De ipso. *Cum literalis Scripturæ sensus modo sit simplex, modo figuratus, dubium in multis locis, an sensus verus sit simplex vel figuratus &c.* Et ex hac *causa in gravissimos errores aliquando nonnulli inciderunt. Exemplo sit Origenes, qui propterea erravit, quod, quæ accipienda erant simpliciter, accepit figurate, ut Hieron. docet in Epist. ad Pammachium: de erroribus Johannis Hierosolymitani, ubi dicit, Origenem sic Paradisum terrestrem allegorizare, ut Historiæ auferat veritatem, dum pro arboribus, Angelos; pro fluminibus, virtutes cælestes intelligit; & tunicas pelliceas Adæ & Evæ corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint. Alii è contrario lapsi sunt, quod simpliciter & proprie acceperint, quæ erant accipienda figurate, ut Papias & qui eum secuti sunt, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique nonnulli, qui quæ dicuntur Apocal. 20. de nova Hierusalem & mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, hic in terris implenda existimaverunt.*

Lib. ejusdem cap. 10. resp. ad 9. *Quis neget, multos veterum Patrum habuisse excellenter donum interpretandi & fuisse spirituales? & tamen constat quosdam ex præcipuis eorum non leviter in quibusdam lapsos.*

Lib. 4. de verbo Dei cap. 7. §. Ad hunc. *Erraverunt aliqui Patrum in quibusdam dogmatibus.*

Lib. de Laicis cap. 20. §. ad primam. *Patrum errata non sunt hæreses, sed humani errores. Item, errores Patrum sunt errores extincti & mortui, qui nocere non possunt, nam error nocet, quamdiu defenditur pertinaciter. Patrum autem errores non fuerunt detecti, dum Patres ipsi viverent, alioqui enim vel ipsi eos emendassent, vel ab Ecclesia ejecti fuissent, sed post mortem eorum detecti notatique sunt, & ab omnibus improbati, sicut etiam ab ipsis improbarentur si viverent.*

Pererius in Genesin. lib. 3 cap. 2. q 5. *Irenæus affirmat, se, quod de Paradiso tradit, à Presbyteris Asiæ, discipulis Apostolorum, accepisse, sed quid tum postea? an ideo quodcunque ab istis Presbyteris proditum, tanquam certum & indubitatum doctrinæ dogma haberi debet? nonne constat, istos ipsos Presbyteros, eodem Irenæo referente, quædam & falsa & divinis literis contraria docuisse.*

Tannerus de judice controvers. hypoth. de Patribus 17. thes. 83. *An fortasse Sacrosancti Patres jam demortui, Patrumque monumenta judices erunt? Neque hoc, tum quia non minus aliquando de Patrum, quam de Scripturæ sententia propter ambiguitatem & obscuritatem dubitari potest, tum quia singuli Patres fallere possunt. Omnia monumenta vel non extant, vel dubiæ fidei esse possunt.*

Pazmannus lib. 6. Hodegi cap. 5. fatetur, *privatos Ecclesiæ Doctores, Origenem, Cyprianum &c. errare posse, ac proinde fidem nostram non ita ipsis allegatam esse, ut nobis in nullo ab ipsis discedere liceat, universam autem Doctorum Ecclesiæ sententiam semper esse honorabilem.*

Maphæus Vegius de perfect. relig. f. 33. *Nullus est in hac carne, qui velut homo falli non possit, ut ille interdum, qui acrioris ingenii, scientiaque majoris est, falsum aliquid mente concipiat.*

Maldonatus in comm. Johan. 13. v. 10. differens de *Chrysostomi & Theophylacti* sententia, quod *ante effusionem sanguinis Christi non potuerint remitti peccata*, subjungit: *In magnis etiam autoribus magni sæpe latent scopuli, quos vitare lector debet.*

4. Quod ipsimet Pontificii multis, etiam præclarissimis Ecclesiæ veteris Doctoribus & Historicis in specie errores quosdam tribuunt, vel certe autoritatem ac fidem eorum elevant.

Primo, de *Justino Martyre* scribit Bellarm. lib. 3. de verbo Dei cap. 3. quod in *errorem lapsus fuerit, statuendo, ea, quæ de nova Hierosolyma & mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, prædicta sunt, hic in terris implenda esse.*

Lib. 1. de beat. sanct. cap. 6. §. S. Antonius. *Justini sententiam,* (quod Dœmones igni sempiterno tradendi, nondum tamen traditi) *non video, quo pacto ab errore possimus defendere.*

Secundo, *Irenæum* utrobique cum *Justino* conjungit, ac eidem errori ipsum implicitum fuisse agnoscit.

Tertio, de *Tertulliano* sic scribit,

Lib. de Christo cap. 9. *Tertulliani in dogmatibus parva est autoritas, cum sit manifestus hæreticus.*

Lib. 4. de Pontifice Rom. capit. 8. resp. ad 6. *Non est omnino fides habenda Tertulliano, quandoquidem ipse Montanista erat.*

Lib. 1. de beat. sanct. cap. 1. §. 2. *Primus ex hæreticis, qui asseruit, animas omnes, quantumvis sanctorum hominum, usque ad ultimum diem judicii servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe, fuit Tertullianus.*

Lib. ejusd. cap. 5. §. ultimo. *Tertullianus fuit hæresiarcha.*

Lib. de Confirmatione cap. 1. §. At nullus. *Tertullianus in ultima ætate fuit Montanista.*

Lib. 3. de Eucharist. cap. 6. §. Ac de Tertulliano. *Tertulliani autoritas non est magnifacienda, cum constet eum, ut Hieronymus loquitur hominem Ecclesiæ non fuisse.*

Lib. 1. de Indulgent. capite 3. §. Illud quoque. *Tertullianus hoc scripsit* (si peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit?) *postquam hæreticus esse cœpit, nec ejus ratio est solida.*

Lib. de matrimonio cap. 9. §. Sed hæc. *Fuit antiquus error Tertulliani, secundas nuptias non esse licitas.*

Lib. 5. de grat. & lib. arbitrio cap. 26. §. At non meretur. *Si solus hæc diceret Tertullianus, nullam ei fidem haberemus, ut qui propriam sectam instituerit.*

Lib. 1. de bonis operibus cap. 5. §. 1. *Tertulliano, ut ait Hilarius can. 5. in Matth. consequens error abstulit autoritatem.*

Lib. 2. de bonis operibus cap. 9. §. 8. *Mirum est, cur Chemnitius malit doctrinam Ecclesiæ Catholicæ colligere ex Tertulliano hoste Catholicorum, quam ex Epiphanio, aliisque Patribus vere Catholicis.*

Ibidem § 9. *mendacia sunt ac calumniæ, quod Tertullianus dicit à Catholicis prohiberi leges jejuniorum, prohiberi aridos cibos tempore jejunii &c.* Idem repetit cap. 13.

Lib. de Script. Eccles. in cap. de Tertulliano. *Tertulliani libri cum judicio legendi sunt, non illi tantum, quos, Hieronymo teste, contra Ecclesiam scripsit, sed etiam liber adversus Praxeam, liber de anima, liber adversus Hermogenem, liber de carne Christi, & liber de pœnitentia.*

nitentia. In his enim propositiones non paucæ vel erroneæ, vel certe suspectæ occurrunt.

Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæreses verbo, Anima, hæresi 6. *Tertullianus sensit, animas hominum pessimas post mortem converti in Dæmonas.*

Baronius Ann. 201. n. 11. de eo scribit, quod *Proclus ipsum de calice aureo Babylonis sitientem potaverit, quo mox redditus ebrius furere cœperit, inque Catholicos invehi postea nunquam destiterit.*

Num 12. *Quod in credendo magna animi facilitate præditus fuerit, adeo ut quæcunque muliercula se aliquid secundum visum accepisse diceret, mox tantam illi præstaret fidem, ut, cum alioqui eruditissimus esset, omnem illi posthaberet doctrinarum veritatem.*

Hardingus detect. 238. Tertullianum vocat *hæreticum.*

Azorius tom. 1. moral. lib. 8. cap. 16. vocat eum *autorem hæreticum.*

Maldonatus in Matth. 8. v. 9. *Tertullianum & alios, quos hæreticos fuisse scimus, quandoque citamus.*

In Matth. 10 v. 23. *Tertulliani sententia, qui nunquam fugere licere ulli Christiano existimavit, merito damnata est.* In Matth. 16. v. 19. dicit eum *Calvinistrum similem.*

Quarto, de *Clemente Alexandrino.*

Bellarminus lib. 1. de verbo Dei capite ult. scribit, *eum deceptum fuisse in eo, quod lib. 1. Stromat. Christum trigesimo ætatis anno passum docuerit.*

Lib. 4. de Christo cap. ult. *opinionem ejus, quod Christus descenderit ad inferos, ut prædicaret captivis conversionem, improbabilem esse* dicit *& rejiciendam.*

Lib. de Scriptor. Ecclesiasticis p. 79. *Non desunt in hoc autore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, utrum autem illæ ab hæreticis insertæ sint, ut aliqui pie credunt, an autori more humano exciderint, ignoramus.*

Quinto, de *Origene.*

Thomas p. 1. q. 34. art. 1. *Origenes fons est Arianorum.*

c. Sane. caus. 24. q. 2. *Origenes, etiam post mortem, à Vigilio Episc. Rom. excommunicatus fuit.*

Trithemius in Catal. script. Eccles. tit. Theophilus. *Theophilus Episcopus Alexandrinus cum argueretur, quod Origenem legerit, respondit, se eum legere, ut bonum quod esset excerperet, & quod malum esset respueret.*

Alphonsus à Castro libr. 2. advers. hæres. tit. Adam. hær. 2. *Johannes Picus Mirandulanus, vir non minus pius quam doctus & eloquens, inter multas conclusiones, quas disputandas ac defendendas Romæ suscepit tempore Innocentii Papæ hujus nominis octavi, hanc unam miscuit, Magis pium est credere, Origenem fuisse salvum, quam damnatum. Quam conclusionem, cum aliqui, velut hæreticam, cum aliis duodecim explodere vellent; pro hujus & aliarum duodecim defensione luculentam composuit Apologiam.* (Romæ igitur à quibusdam hæreticum fuit judicatum, Origenem non habere pro hæretico.)

Sixtus Senensis libr. 5. Biblioth. annot. 159. p. 375 *Origenes comment. in Psal. 15. asseruit, Sanctos viros, cum ad virtutum veniunt summitatem, ne in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari. Hieronymus dicit hunc unum esse ex fontibus, unde Pelagiani errorem suum hauserunt, docentes, hominem fieri posse ἀναμάρτητον impeccabilem, seu absque peccato.*

Claudius Espenæus in appendic. comment. Epist. ad Titum in cap. de lect. libr. suspect. *De Origenis libris non minores, quam de dogmatibus turbas excitavit antiquitas, multa sane non sana, adeoque manifeste insana effutivit.*

Melchior Canus libr. 7. Locorum Theol. cap. 3. n. 11. citat & approbat judicium Vincentii Lyrinensis de Origene in libr. adv. profan. vocum novitates cap. 23. p. 48. quod sic habet: *Hic Origenes tantus ac talis cum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cùm parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones & veterum Magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesia diceret, Si surrexerit in medio tui Propheta, non audies verba illius Prophetæ, quia tentat vos Dominus.*

Toletus in comm Rom. 1. v. 4. *Origenes vult Paulum propter prævisa merita electum fuisse Apostolum, doctrina non probanda, quam ipse Paulus rejicit.*

Salmeron. tom. 3. tractat. 43. ad argumentum, *quod Origenes homil. 17. in Luc. Mariæ Virgini peccatum dubitationis tribuat,* excipit, *Non est mirandum id dixisse Origenem, cum sciamus in multis aliis Sacerdotibus* (dogmatibus) *turpiter hallucinatum fuisse, ut quod Christus passus est pro Angelis & sideribus, animamque ejus in cœlo prius beatam fuisse, & adhuc peccata nostra lugere, & Spiritus Sancti ab ipso facti factorem esse.*

Idem tom. 13. lib. 1. procem. in Epist. Pauli p. 1. Disp. 19. adducit dictum Hieronymi in Epist. ad Minerium & Alexandrum, ubi de Origene sic scribit: *Ego & in adolescentia & in extrema ætate profiteor, Origenem & Eusebium Cæsariensem viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate.* Item ejusdem Hieronymi dictum in Epist. ad Pammachium & Oceanum: *Laudavi Origenem interpretem, non dogmatistam; ingenium, non fidem; Philosophum, non Apostolum &c. Credite experto, quasi Christianus loquor. Venenata sunt illius dogmata, aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia. Est ergo Origenes, ut ubi bene, nemo melius; & ubi male, nemo pejus scripsisse videatur.* Adducit etiam canonem 11. quintæ Synodi Universalis. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen & Origenem cum impiis eorum scriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati sunt, & anathematizati à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, vel prædictis sanctis quatuor Conciliis, sed & eos, qui similiter cum prædictis hæreticis sapuerunt, aut sapere noscuntur, & usq; in finem permanserunt in propria impietate, anathema sit.*

Baronius Ann. 256. n. 40. *Miratus sum vehementer, post damnationem Origenis ab Anastasio Pontificia autoritate inflictam post ejusdem reprobationem in 6. Synodo pronunciatam, post tot antiquorum Patrum in id ipsum conspirantes sententias, adhuc recentiores quosdam ausos esse pro eodem novas edere Apologias, & autoritate totius Ecclesiæ Catholicæ judicatas controversias denuo temere excitare, quod visus fecisse haud pridem Sixtus Senensis &c.*

Petrus á Soto Defens. Cathol. p. 202. scribit, *Origenem ab Ecclesia esse damnatum.*

Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontific. capite 12. §. Hanc sententiam. *Origenes possibilem esse credidit hanc sententiam (Antichristum quidem futurum verum hominem, sed simul etiam Diabolum per incarnationem Diaboli:)* quippe *qui tomo 5. in Job. asseruit, aliquot Angeles vere esse incarnatos. Sed sine dubio erronea est.*

Lib. 4. de Eccles. cap. 9. hæresi 3. *Origenis hæresis fuit, perdidisse Adamum imaginem Dei, ad quam creatus fuerat.* Item *Origenis fuit error, infernum nihil esse, nisi conscientiæ horrorem.*

Lib. 1. de purgat. cap. 5 §. Respondent Græci. *Origenis hæresis docet, pœnas gehennæ non esse æternas.*

Lib. 1. de purgat. cap. 1. §. Secundus error. *Origenis error fuit, omnes malos tam Dæmones quam homines tandem inferno penitus evacuato salvandos, & proinde omnes pœnas post hanc vitam esse purgatorias.*

Ibidem. *Origenes sine ulla excusatione aut commoda explicatione tenuit, purgari debere tam bonos quam malos, uno Christo excepto, post hanc vitam.*

Lib. ejusd. cap. 6. §. Quarta. *Origenes falso statuit, infernum & purgatorium animæ nihil aliud esse præter conscientiam accusantem & punientem peccata.*

Lib. ejusd. cap. 9. §. Septimum est. *In Prato spirituali, quod citatur à VII. Synodo, & à Johanne Diacono lib. 2. cap. 45. vitæ Gregorii narratur alia revelatio, qua Origenes visus est in gehenna ignis cum Ario & Nestorio. Et quinta Synodus cap. 11. dicit anathema Origeni, sicut Ario & Nestorio.*

Libr. de matrim. cap. 5. §. Alterum. *Origenes tantæ autoritatis non est in Ecclesia, ut ejus sententia necessario approbanda sit.*

Lib. de gratia primi hominis cap. 10. §. Accedant. *Sententia Origenis, de Paradiso spirituali & allegorico, est plane erronea, pugnans cum orthodoxa fide.*

Cap. 11. §. Platonicum. *Origenes tuetur Platonicum errorem, quod animæ omnes simul unà cum Angelis creatæ.*

Ribera in procem. super Malach, *Origenes, homo, ut ex ejus scriptis perspicitur, audax & temerarius, adeoq; suorum errorum pertinax amator, ut quicquid in mentem venerit, aptumque judicet, continuo spreta Ecclesiæ totius autoritate, & religiosarum aurium offensione, quasi magnum aliquod & à Spiritu Sancto traditum mysterium monumentis mandet literarum, neque aliam regulam adhibeat, nisi judicium suum.*

Ibid. *De Origene merito dictum est quod refert Cassiodorus in Instit. div. lection. ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus. Feliciter excogitat, acute comprobat, apertissime eloquitur, & paucis verbis thesauros aperit Scripturarum, lectorem tamen requirit prudentē & sobrium, ut sciat, quemadmodum Hieronymus scribit ad Avitum, in eo detestanda esse quamplurima, & juxta sermonem Domini, inter*

scor-

scorpiones & colubros incedendum. Nam, cum ille plenus fuerit erroribus quamplurimis, quos Ecclesia Catholica semper detestata est, quomodo potuit non eos passim in scriptis suis effutire?

Ibid. Arii patrem & aliarum hæresium radicem ex Epiphanio eum vocat, & adducit decretum Martini 1. in Concilio 105. Episcoporum Can. 18. Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobiscum eadem credens, non respuit & anathematizat animo & ore nefandissimos hæreticos cum omnib. impiis eorum scriptis usque ad unum apicem &c. Dicimus autem Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Origenem, Didymum &c. hujusmodi sit condemnatus.

Concludit tandem, Hæc ego multis in eorum gratiam dixi, qui pio quidem sensu, sed non secundum scientiam Origenem defendunt, & inter orthodoxos numerant, ægreq; ferũt, si hæreticũ dici audiant.

Benedictus Justinianus in capite 8. Roman. v. 2. scribit, Origenem extra rem philosophari.

Gretserus lib 2. de jure & more prohib. libros noxios cap. 10. Fuit Origenes olim in veteribus Synodis damnatus, & Gelasius Pontifex Tertullianum & Origenem, etsi Patres valde antiquos, lege lata manibus Orthodoxorum excussit.

Maldonatus in Johan. 1. v. 3. Origenes quasi Arianorum & Eunomianorum pater fuit.

Sexto, de Cypriano.

Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 11. §. profert, cum urgetur dicto Cypriani contra necessitatem traditionum, respondet hoc modo: Cyprianus hoc dixit, cum suum errorem defendere vellet.

Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 7. §. Et per hoc &c. cum urgetur dicto Cypriani contra cathedram Romanam prolato, respondet: Omnino peccavit Cyprianus non obœdiendo Romano Pontifici &c. ex ignorantia lapsus putabat Pontificem perniciose errare.

Salmeron Disp. 51. in Epistol. Rom. tom. 13 pag. 474. Cyprianus cum tribus Conciliis Carthaginensibus tradit, baptizatos ab hæreticis rebaptizandos. Et quanquam Cyprianus, Augustinus, Damascenus &c sancti fuerint, tamen dum viverent, non excusamus eos à quibusdam erroribus vel nescientiis.

Harding. in defens. Apol. pag. 172. Cyprianus ea locutione, (quod, si veritas deficiat in quodam puncto, debeamus redire ad originale nostri Domini & traditionem Evangelii:) utitur in mala causa, & ideo ipse defendens falsitatem, ad eadem diverticula coactus est ad quæ hæretici coguntur.

Septimo, de Dorotheo Tyri Episcopo.

Baronius Ann. 45. num. 44. Dorotheus in sua Synopsi multa consarcinavit mendacia.

Ann. 58. n. 56. Dorothei fides improbatur in multis.

Gaulterius in Chronol. sect. 3. p 224. In Synopsi Dorothei sunt quædam castigatione digna.

Bellarminus libr. de Script. Eccles. Synopsis Dorothei plena est fabulis, ut patet ex illis, quæ scribit de vita Abdiæ, Jonæ, Esaiæ, Jeremiæ & Elisæi. Item in vita Jacobi Alphæi & Clementis. Numerantur ab eo inter 72. Christi discipulos omnes, qui à Paulo Apostolo nominantur, etiamsi Ethnici fuerint vel fœminæ, & illos omnes non solum discipulos Domini, sed etiam Episcopos facit. Idem tamen lib. 2. de Rom. Pont. cap. 4. ex hac Synopsi argumentum ducit pro stabiliendo Petri primatu.)

Octavo, de Lactantio.

Bellarminus libr. 1. de beat. sanctor. cap. 5. §. ultimo. Lactantius in plurimos errores lapsus est, præsertim circa futurum seculum, cum esset magis librorum Ciceronis, quam Scripturarum Sanctarum peritus.

Lib. 2. de reliq. sanctor. cap. 5. §. Nomen. Lactantius statuit, omnem veram imaginem dici posse simulchrum. Verius tamen est, quod alii dicunt &c.

Antonius Raud. in Indice errorum Lactantii, propositionem illam Lactantii, lib. 6. Instit. cap. 66. Mentis suæ compos putandus non est, qui autori ac datori luminis, candelarum ac cereorum lumen offert munere; inter errores ejus numerat, causamque gentilium, quos Lactantius ibidem perstringit, contra Christianum Doctorem defendit.

Nono, de Eusebio Cæsariensi.

Johannes Picus Mirandul. in Apol. q. 6. adducit & approbat dictum Hieronymi lib. 1. adv. Ruffin. Eusebius Cæsariensis Episcopus, Arianæ quondam signifer factionis sex libros pro Origene scripsit &c.

Melchior Canus lib. 11. Locorum p. 338. In Historia Eusebii refellenda Gelasius, ut mihi videtur, singulari prudentia usus est.

Lib. 7. Locor. cap. 3. n. 7. vocat eum Arii fautorem certissimum.

Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 9. §. Ad Irenæum. Tertulliani & Eusebii in dogmatibus parva est autoritas, sunt enim manifesti hæretici.

Lib. de Laicis. cap. 20. §. At contra. Ecclesia tolerat libros veterum hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Eusebii, Pelagii

Ibidem §. Ad illud. Origenis, Tertulliani, Eusebii, Pelagii libri permittuntur, quia hæreses illæ sunt extinctæ & libri prosunt propter antiquitatem.

Lib. de Scriptor. Eccles. p. 105. Mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.

Costerus contra Grevinck. cap. 8. n. 9. vocat eum hæreticum Arianum.

Baronius in præfat. Annal. ad Lectorem. Eusebius Arianismo semel male imbutus, tametsi fidelis in cæteris habeatur, cum in his, quæ spectant ad dogmata Arianorum, tum etiam in rebus gestis Constantini Augusti, cujus vitam in gratiam Constantii Augusti Arianorum patroni conscripsit, multa mentitus est.

Ann. 324. num. 47. de loco & tempore Baptismi Constantini agens, asserit, Eusebium esse mentitum.

Idem tom. 3. Ann. 340. §. 40. Arianæ factionis signiferum, propugnatorem apertissimum, & inter Arianos facile principem, eum vocat, cujus etiam memoriam adeo execrata sit Nicena Synodus 2. ut plane eum jam defendere velle, nihil aliud existimandum sit, quam Ecclesiam Catholicam impugnare.

Decimo, de Basilio.

Bellarminus lib. 2. de verbo Dei capite 2. §. 2. Basilius sentire videtur, Scripturam sacram universam periisse tempore Babylonicæ captivitatis, ac deinde ab Esdra rursum reparatam. Hæc opinio improbabilis nobis videtur.

Undecimo, de Epiphanio.

Bellarminus lib. 2. de verbo Dei capite 6. §. Præterea. Non est æquum, unum Epiphanium omnibus aliis anteponere, vel non legit Aristæum sed aliis referentibus credidit, vel cum hæc scriberet, memoria lapsus est.

Idem lib. 1. de sanct. beatitud. cap. 6. §. Antonius. Epiphanii sententiam, (quod Dæmones non modò damnationem suam ignoraverint, sed etiam salutem per Christi adventum speraverint, sed cum viderent, nihil à Christo pro Dæmonibus fieri, tum demum de salute desperaverint, & per hæreticos Deum blasphemare cœperint,) non video quo pacto ab errore possimus defendere.

Quando objicitur factum Epiphanii auferentis velum, in quo erat imago Christi in loco sacro, respondet

Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annotat. 247. Una hirundo non facit ver.

Salmeron in comm. 1. Ioh. 5. Disp. 32. circa fin. Potest quis sanctus zelo Dei percitus errare in aliquo facto.

Gregorius de Valentia Apolog. de idololatr. lib. 2. cap. 7. in resp. ad Epiphan. p. 719. Si vel maxime exploratum sit factum Epiphanii de velo abscisso, tamen apud nos Ecclesiæ autoritas plus ponderis habet.

Duodecimo, de Ambrosio.

Erasmus in annot. Gal. 2. pag. 399. Si rejiciendi sunt, in quorum libris inveniuntur hæretica, fortassis rejicientur & Cyprianus & Ambrosius.

Decimo tertio, de Philastrio.

Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. verbo Anima, hær. 2. & ex eo Bellarm. de script. Eccles. p. 144. monent, multa ab eo inter hæreses numerari, quæ vere hæreses non sunt.

Idem Bellarmin. lib. 4. de amiss. grat. cap. 11. Philastrius parum considerate locutus est in eo, quod catalogo hæreticorum annumeravit eos, qui censent, spiraculum vitæ esse animam rationalem, & non potius gratiam Spiritus Sancti.

Estius in præfat. Comm. Epistol. ad Hebr. p. 384. Frequens est Philastrio, ut inter hæreses numeret errores qualescunque, atq; interdum, pace tanti viri dictum sit, non errores, sed veritates. (Desumta hæc sunt ex August. in prologo libri ad Quodvult Deum, de hæresibus.)

Decimo quarto, de Amphilochio.

Salmeron. tom. 3. tract. 43. pag. 394. quando ipsi opponitur dictum Amphilochii homil. de occursu Domini, quod per gladium transeuntem animam Mariæ intelligatur gladius dubitationis, respondet. Amphilochius amplectitur hanc interpretationem. Sed Simeon Metaphrastes libr. de ortu & educat. Deiparæ dicit, eam non esse consentaneam veritati, & Mariâ indignam esse fatetur.

Decimo

Decimò quintò, de *Hieronymo.*

Erasmus in annot. Matth. 26. p. 80. *Hieronymum, ut fateor fuisse virum summa doctrina, pari eloquentia, incomparabili sanctimonia, ita hominem fuisse non possum diffiteri.*

Idem in annot. ad Tit. 2. p. 487. *Quicquid potest ad virginitatem torquet, non sine suspicione, nec sine calumnia.*

In lib. adv. Piggium. *Hieronymus fervido quodam affectu ita interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis viris videatur lædere matrimonium. Sit hoc vanum, nisi in Hieronymi scriptis inveniantur ea verba, quæ sunt apud Tertullianum eo nomine damnata.*

Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæres. tit. Episcopus. *Non vereor fateri, Hieronymum hac in parte errasse &c. Ego certe doctrinam Hieronymi summè extollo, ejus sanctitatem maxime veneror, sic tamen, ut putem, eum hominem fuisse, qui cum hic ageret, falli potuit. Nec mirari quisquam debet, quod Hieronymus, vir alioqui doctissimus, sic deceptus fuerit, quoniam quandoq; bonus dormitat Homerus.*

Eccius in Enchirid. cap. de venerat. sanctorum respons. ad 7. *Cum Canon de sacris libris editus sit in Concilio Milevitano, fortè non pervenit ad Hieronymum.* (At hæc fuisset crassa ignorantia, nescire, quid in Concilio publico definitum.)

Ludovicus Vives in comm. lib. 6. de civitate Dei, cap. 34. *Hieronymus non modo secundas nuptias abominatur, sed primas etiam parum probat contra Jovinianum disputans, homo celebs & conjugio parum æquus.*

Sixtus Senensis lib. 5. Bibl. annotat. 155. *Hieronymum quæstioni non satisfecisse* dicit.

Lib 6. Bibl. annot. 324 *Errasse Hieronymum*, quando *Presbyterum Episcopo parem facit.*

Lib. 8. Bibl. hæres. 11. *Hieronymi verba* (quod Esther & Tobias non sint libri Canonici) *non sunt prorsus vera.*

Gilb. Genebrardus in comm. Ps. singulis ferè versibus Hieronymum perstringit, quam ob causam *severitatis* arguitur à Lorino in Ps. 126. v. 4.

Melchior Canus, lib. 2. Locor. cap. 11. *Nec enim verum est, Ecclesiæ regulam esse Hieronymum.*

Laurent. Arturus lib. 3. Apolog. cap. 25 *Hieronymus erravit, cum scripsit, Episcoporum ordinem in schismatis remedium non divino, sed humano jure institutum esse.*

Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap 8. §. Respondeo. *Videtur Hieronymus revera in opinione fuisse, quod iidem sint Presbyteri & Episcopi, quæ falsa est, & refelletur suo loco.*

Lib. 3. de Ecclesia cap. 16. *Hieronymus deceptus est.*

Lib. 1. de Clericis cap. 15. *Hieronymus sibi non constat.*

Lib. 2. de Monach. cap. 9. *Memoria lapsum.*

Lib. 2. de purgat. cap. 1. *Errorem* ipsi tribuit.

Baronius tom. 1. annal. ann. 69. *de tempore Martyrii Petrini & Paulini eum in manifestum errorem lapsum esse* dicit.

Ann. 51. n. 8. *de tempore Concilii Hierosolymitani errasse.*

Ann. 62. n. 52. *De receptione Epistolæ ad Hebræos à Latinis recusata errasse.*

Mich. Medina, referente Gregorio de Valent. libr. de Episcop. & Presbyt. differ. cap. 3. & Sixto Senensi lib. 6. Biblioth. annot. 324.

Hieronymus hac in re, (*quod iidem sint Presbyteri cum Episcopis*) *cum Aeriano hæreticis sensit.*

Decimò sextò, de *Gregorio Nysseno.*

Possevinus in Apparatu sacro in verbo, Gregorius Nyssenus: *Quod Nyssenus in cap. 1. Gen. putaverit una cum Augustino in idem caput, Chrysostomo & Procopio in Gen. cap. 4. Euthymio in Ps. 50. Damasceno lib. 2. de fide cap. 11. Si Adam non peccasset, non fuisse futurum coitum, S. Thomas p. 1. q. 98. art. 2. refutat, quod & Sixtus Senensis facit.*

Lorinus Jesuita in cap. 13. Act. v 30. *Mirum est, potuisse venire in mentem tanto viro Gregorio Nysseno, ut ad exactè assignandum spacium trium dierum, quibus Christus fuit in sepulchro, affirmaret lib. 1. de resurr. Christi, Christum mortuum esse feria 5. in Cœna, quando exhibuit carnem & sanguinem discipulis, sub panis vinique speciebus, ita ut tunc separata sit anima à corpore & prævenerit ipse mortem, quam illaturus erat inimicus, licet non apparuerit tunc mortuus. Nam Christus post cœnam passus est tristitiam usq; ad mortem & agoniam, pertulit tormenta, Spiritum Patri commendavit. Taceo, quod ibidem computat pro duplici nocte dieq; parasceven ob tenebras, quæ diei lucem bipartitò secuerant.* (quo tamen Nysseni loco Bellarminus libr. 1. de Missa capite 12. utitur.)

Decimò septimò, de *Ruffino.*

Bellarminus lib. de script. Eccles. cap. 4. in Ruffino. *Merito erroris accusatur à Gelasio.*

Bailius Jesuita in Catech. Controvers. tract. 1. q. 13. in Appendice. *Abstineant Reformati à Symbolo Ruffini* (*in quo cum eis de canone consentit*) *cum fuerit Origenista, & in multis offenderit, quod ei exprobrat Hieronymus.* Quando objicitur Pontificiis, *Ruffinum idem nobiscum sentire de canone,* respondet Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 10. *Ipsum traditionem Patrum ignorasse.*

Quando ipsis objicitur, quod Ruffinus canonem sextum Concilii Niceni sic exponat, ut *primatus Pontificis* labefactetur, audire cogitur à Bellarmin. libr. 2. de Roman. Pontific. cap 13. §. Observandum &c. *Hæc expositio est falsa.*

Decimò octavò, de *Prudentio.*

Victor Giselinus (cujus laborem in editione operum Prudentii cæteris omnibus præferendum statuit Possevinus in Apparatu sacro in verbo Prudentius) in illa verbi Prudentii; *Saltem mirificos incendia lentà vapores Exhalent:* quibus fingitur de beatitudine incertus infernum non deprecari, sed tantum infernalium pœnarum mitigationem quærere, sic commentatur: *Itane ô Prudenti tam abjecto quempiam esse animo? aliud certè nobis spondent suaves illæ Evangelii voces, siquidem propositis divinæ gratiæ obtinendæ instrumentis strictè imperant, vocationem nostram certam faciamus, certoque & indubitato æternæ vitæ gloriam expectemus, docentque è contra infernum, ignem aut gravius supplicium deprecari, servorum esse semper metuentium ac penè desperantium, cum Christus onus suum dixerit esse leve & jugum suave, nullaque nunc condemnatio sit his, qui in Christo Jesu ambulant, utpote qui factus sit justitia, sapientia, sanctificatio & redemtio.*

Decimò nonò, de *Chrysostomo.*

Salmeron Disput. 51. in Epist. ad Roman. *Si verba illa, quod Christus Naturam humanam de peccatrice habeat, vere sunt Chrysostomi, cum bona pace & gratia tanti viri respuenda sunt.*

Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. An. 51. *Chrysostomus homil 57. in Matth videtur opinari, quod gentilibus & Judæis, ante Christi adventum benè viventibus, nulla in Christum fides, nulla cognitio necessaria fuerit ad salutem. Rursus in concione prima de Lazaro indicat, justos, qui Evangelicæ prædicationis tempus præcesserunt, nullam habuisse fidem futuræ resurrectionis &c.* (Sixtus eũ excusat, quod *locutus fuerit de fide explicita,* sed ne sic quidem verba Chrys. scrupulo carent.)

Maldonatus in cap. 6. Joh. *Caveat lector, si Chrysostomum in hunc locum legat, ne in Pelagianorum hæresin incidat.*

Bellarminus libro 2. de Missa capite 10. §. Ad illud &c. *Ad illud, quod Chrysostomus dicit, melius esse non interesse Sacrificio quam interesse & non communicare, dico, Chrysostomum, ut quædam alia, per excessum ita esse locutum.*

Suarez in Thom. part. 3. q. 27. artic. 3. Disput. 4. §. 4. *Respondendum est, Chrysostomum & qui eum secuti sunt, modum excessisse, & est eorum sententia erronea.*

Pererius in comment. super Genesin Disp. 6. num. 33. *Chrysostomus in Psal. 13 Non est qui faciat bonum &c. Christo crucifixo, inquit, discipuli fugerunt, Petrus negavit, Mariæ animam gladius dubitationis pervasit. Similis est Origenis sententia homil. 49. in Gen. nec probabilis. Chrysostomus pietatis & veritatis terminos excessit.*

Vigesimò, de *Autore imperfecti operis.*

Baronius Ann. 407. n. 11. dicit: *Eum esse certum hæreticum, hæreticorumque deterrimum.*

Possevinus in Apparatu sacro tom. 1. p. 855. *Eum scatere hæresibus Arianorum, Manichæorum, Montanistarum, Armenorum, Donatistarum.*

Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. p. 261. *Hæretica dogmata toti passim operi inspersa, palam arguunt eundem fuisse hæreticum, non uni tantum sectæ addictum, sed variis Montani, Manichæi, Arii, Donati ac Pelagii hæresibus implicitum, & propter eas hæreses merito ab Ecclesia damnatum, & à Paulo IV. Papa in catalogo Scriptorum suspectæ fidei annumeratum.* (Hæc ex aliorum Pontificiorum sententia recenset, ex sua sententia subjicit p. 263. *Opus esse disertum, doctum & dignum, quod assiduè legatur, si tamen prius diligentissime expurgatum fuerit ab erroribus.*)

Maldonatus Matth. 8. v. 9. *Autor imperfecti operis est homo, ut ex multis locis commentariorum ipsius manifestum, Arianus. Nec omninò citaremus eum, nisi & antiquitas & eruditio & subtilitas interpretandi eam autoritatem ipsi tribuissent, ut etiam hæreticus à Catholicis citari possit.*

Gaulterius in Chronolog sec. 5. pag. 356. *Opus illud multis Arianorum erroribus conspersum.*

Vigesimò primò, de *Augustino.*

Facultas Parisiensis contra Lutherum artic. 2. Augustini autoritatem rejicit: *Determinatio Facultatis* (inquiunt) *est supra opinionem unius Doctoris* (Augustini) *juxta illud; plus vident oculi quàm oculus.* Et postea: *Solutio est, Augustinum nescivisse, quid Magistri nostri super hoc resolutive dicturi essent.*

Possevinus in Apparatu sacro tom. 2. in verbo Prosper Aquitanicus: *Sanè verò Concilium Tridentinum merito damnavit eam sententiam, omnia peccatorum aut etiam infidelium opera esse peccata, quamvis maximum habeat autorem D. Augustinum lib. 4. contra Julian. cap. 3. & lib. 3. contra duas Epistol. Pelag. cap. 5. & Prosperum sententia 106. habuisse videatur, & ex Catholicis aliquando Theologis suos habuerit defensores &c.*

Quinimò Bonifacius 2. in Epistola ad Eulalium, Augustinum excommunicavit. *Aurelius*, inquit, *Papa, olim Episcopus Carthaginensis cum Collegis* (scilicet Augustino, qui intererat, ut patet ex actis Concilii Carthaginensis) *instigante Diabolo superbire contra Rom. Ecclesiam cœpit, sed modo se videns peccatis Aurelii ab Ecclesia Romanæ communione segregatum &c.* (Baronius & ex eo Binius tom. 2. Concilior. pag. 397. dicunt, *hanc Epistolam esse suppositițiam*, sed inserta est Corpori Juris Canonici c. Ad hoc. dist. 89. ad eandem provocat Hardingus apud Ivellum tom. 1. p. 189.

Sixtus Senensis libr. 6. Biblioth. annot. 252. *Ambrosius Compsæ Episcopus licet profiteatur, se Augustinum venerari, ejus tamen sententiam de massa perditionis viginti quatuor objectionibus oppugnavit.*

In Præfat. lib. 5. Bibl. *Augustinus dum toto Spiritus & verborum ardore pro defensione divinæ gratiæ pugnat adversus Pelagianos, liberum arbitrium cum injuria divinæ gratiæ extollentes, in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum quam par sit tribuere liberæ hominis voluntati. Vix unquam ausus est asserere liberum arbitrium.*

Erasmus in præf. Hilarii. *Divus Augustinus adversus Pelagium toto studio dimicans, alicubi minùs tribuit libero arbitrio, quam tribuendum putant, qui nunc in scholis regnant Theologicis.*

Idem in cap. 1. Johan. p. 163. *Augustinus non illibenter παλαιστίζει.*

Salmeron Disp. 51. in Epist. Rom. p. 474. *Dubitavit aliquando Augustinus, an anima esset ex traduce. Quanquam sanctus fuerit, tamen dum viveret, non excusamus eum à quibusdam erroribus vel nescientiis.*

Idem Disput. 48. in eand. Epist. pag. 456. contra Augustinum negat, *sententiam de medio loco in cœlum & infernum esse hæresin Pelagianam.* Augustinum dicit à *Soto & Bonaventura taxari, tanquam qui excesserit.*

Albertus Pighius in tract. de lib. arbitrio, & Sanctesius improbant Augustini sententiam *de prædestinatione reproborum*, dicunt, *eum contradicere præcedentibus, novamque inducere opinionem, Gallos ei restitisse, ut apparet ex Epistolis Prosperi & Hilarii, ipsumque sententiam suam mutasse.*

Idem Pighius controv. 1. de peccat. origin. *Non solum incertam, sed & falsam esse Augustini sententiam de peccato originali se demonstraturum* asserit.

Dominicus à Soto de Natura & gratia libr. 1. cap. 14. *Augustinus plus justo videtur torquere parvulos (non baptizatos,) unde qui ejus sententiæ subscribunt, perpauci sunt & tortores parvulorum nuncupantur.*

Stapletonus lib. 2. de Justif. cap. ult. de Augustino scribit: *Quod modum disputationis adversus Pelagianos excesserit & minus meritis, quam reliqui Patres tribuerit.*

Bellarminus *ab expositionibus Augustini* non solùm sæpius discedit, sed etiam interdum eas refellit, ut patet ex lib. 4. de Christo cap. 13. libr. 1. de purgator. cap. 4. lib. 1. de Eucharist. cap. 4. & alibi passim.

Lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 10. §. Addo &c. *Ex ignorantia linguæ Hebrææ eum deceptum* asserit.

Lib. de matrimon. capite 14. §. Cur autem &c. *Augustini sententia, quæ dicit, dimissionem uxoris etiam propter alias causas fieri, quam propter fornicationem posse, falsa est.*

Lib. 2. de effect. Sacram. cap. 17. §. Est autem &c. *Augustini interpretatio in 1. Cor. 10. v. 1. repugnat verbis Apostoli, verior igitur est Chrysostomi & Cyrilli expositio. Nec mirum esse debet, si anteponimus in hujus loci explicatione Chrysostomum Augustino.*

Lib. 1. de Christo c. 6. §. Ad locum &c. eundem *Augustinū* refutat, & *Chrysostomo* in interpretatione dicti Joh. 17. postponit.

Lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 7. §. Propositio &c. *Propositio hujus argumenti videtur esse contraria sententiæ Augustini, sed tamen probatur.*

Lib. 5. de grat. cap. 2. §. Duæ sunt &c. *Origenes, Ambrosius, Augustinus & Fulgentius dictum Apostoli Rom. 2. Gentes Natura, quæ legis sunt, faciunt, de gentilibus conversis exponunt, sed altera explicatio ut est communior, ita quoque verior.*

Baronius Ann. 490. n. 36. fatetur: *Multos ex Pontificiis doctrinam Augustini de libero arbitrio improbare.*

Anglo-Rhemenses in annot. Matth. 16. vers. 8. Hebr. 11. vers. 21. & alibi passim ab Augustini sententia discedunt.

Maldonatus in Johan. 10. v. 3. *Non possum hic Augustini & Bedæ opinionem admittere* (ubi tamen nullum ex Patribus sequitur.)

Barradius tom. 2. Concord. libr. 10. cap. 23. *Quod Augustinus pro altera sententia affert* (per Petram Matth. 16. intelligi Christum) *parvi est momenti.*

Toletus annot. 6. in Joh. 20. *Argumentum Augustini inefficax est.*

Annot. 51. 52. in Joh. 1. & in Johan. 18. vers. 1. & annot. 24. Augustinum refutat.

Melchior Canus lib. 4. Locor. cap. 2. pag. 188. *Augustinus testimonio Cypriani abutitur: non intelligo, quid ipsi causæ fuerit, ut verba Cypriani in eum sensum acceperit, qui mihi sane tam apparet à Cypriani mente alienus, quam cœlum à terra alienum est.*

Tannerus tom. 2. Theolog. Schol. Disput. 4. q. 7. dub. 4. num. 127. *Fatendum est, Augustinum de tota originalis peccati ratione valde hæsitasse, nec omnino sibi satisfecisse.*

Vigesimò secundò, de *Severo Sulpitio.*

Bellarm. de Script. Eccles. p. 207. *Libri ejus de sacra Historia & Dialogi de conversione Orientalium caute legendi sunt. In lib. de Sacra Hist. dicit, filios Dei, qui filias hominum adamaverunt, fuisse Angelos: templum fundatum fuisse anno 588. ab egressu filiorum Israël de Ægypto. At scriptura 3. Reg. 6. notat. annos 480. In Dialogo dicit, Ecclesiam auro non strui sed destrui. Reprehendit Episcopos, qui libros Origenis damnaverunt. Scribit, conjugium ad veniam pertinere, virginitatem ad gloriam, fornicationem ad pœnam. Dicit ex sententia S. Martini, Neronem simul cum Antichristo venturum & Antichristum ex malo Spiritu concipiendum, novam Hierosolymam auream & gemmatam expectat.*

Vigesimò tertiò, de *Theodoreto.*

Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 7. §. 4. *Theodoretus aliquando Nestorii partes secutus est.*

Lib. ejusdem cap. 5. §. Hanc fuisse. *Theodoretus initio pro Nestorio scripsit contra Cyrillum, sed postea resipuit.*

Salmeron Disp. 51. in Epist. ad Rom. p. 474. *Theodoretus tradit, Spiritum S. procedere ex solo Patre.*

Præfatores editionis Romanæ Ann. 1547. Theodoretum *erroris* accusant ob negatam transsubstantiationem.

Baronius, cum non posset effugere splendorem dicti in comm. Coloss. 2. ubi Theodoretus negat *Angelos esse invocandos*, tom. 1. ann. 60. n. 20. sic contra eum insurgit: *Quinam hi fuerint hæretici, qui Angelos colendos esse jactarent, dicat ipse, qui omnium hæreticorum fabulas egregiè perpetuæ memoriæ commendavit. Sic ergo errore semel lapsus in alium graviorem impegit, ut diceret, canonem 35. Laodiceni Concilii de his hæreticis esse intelligendum, qui Angelos colendos esse docerent, quique in eadem regione Asiæ oratoria erexissent, S. Michaëli Arch-Angelo, incautè nimis, quæ à Catholicis essent antiquitus instituta, hæreticis, quorum nulla esset memoria, tribuens.* (At hac ratione Baronius non solum contradicit Theodoreto, sed etiam Collegæ suo Bellarmino, qui lib. 1. de beat. sanct. capit. 20. asserit ac testimoniis *Irenæi*, Tertulliani & Hieronymi probat, *tempore Apostolorum fuisse hæreticos, qui Angelos adorabant, Simonem nempe & Simonianos.*)

Gregorius de Valent. libr. de Transsubstant. cap. 7. pag. 390. *Theodoretus de aliis quibusdam erroribus in Concilio Ephesino notatus erat, etiamsi resipuerat.* Similia occurrunt in præfatione Dialogorum Theodoreti Græcorum editionis Romanæ.

c. Sicut dist. 15. ex Gregorio. *Quintum Concilium veneror & in quo scripta Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausa dementiæ prolata, refutantur.*

Vigesimò quartò, de *Eusebio Emisseno.*

Spondanus in Epit. Baronii Anno 441. *Quapropter vindicentur egregiæ conciones ab injusto & impio possessore.*

Vigesimò quintò, de *Johanne Cassiano.*

Gelasius

Gelaſius in Concilio LXX. Epiſcoporum *Caſſiani & Fauſti Rhegienſis* libros damnavit; ille enim contra Proſperum, hic contra Fulgentium ſcripſit.

Gaulterius in Chronol. *Pelagianorum aut certè Semi-Pelagianorum autor inventus eſt, cum liberum arbitrium ſupra modum extulerit, divinamque gratiam nimis depreſſerit, unde redarguendi ipſum aut corrigendi occaſionem hauſère S. Proſper Aquitanicus, Eucherius Lugdunenſis, Victor Africanus & Caſſiodorus, quanquam Gennadius Maſſilienſis in Catalog. illuſtr. virorum ipſum purgare nititur, eodem utique errore coinquinatus.*

Baronius Ann. 466. §.15. *Dicat, quænam iſta eſt Eccleſia Dei, quæ opuſcula Caſſiani ut Catholica probat? certè non dicenda Catholica, ſed Pelagianorum.*

Bellarminus lib. 2. de bonis operib. in part. cap.14. refellit ſententiam Caſſiani, Collat. 21. cap.30. ubi docet: *In primitiva Eccleſia per totum annum æquale fuiſſe jejunium, deinde frigeſcente devotione, cum inciperent apud multos negligi jejunia, placuiſſe omnibus Sacerdotibus, ut quadrageſimæ jejunium induceretur ac fixa lege ſtabiliretur.*

Lib. ejuſdem cap.11. refellit aliam Caſſiani ſententiam collat.21. cap.29. ubi dicit: *Viros perfectos, qui per totum annum jejunant, non teneri legibus jejuniorum, quibus cæteri tenentur, cum ipſi plus offerant Deo, quam legibus præcipiatur.*

Alphonſus de Caſtro lib. 16. adverſ. hæreſes verbo Mendacium. *De hac re unam ſolum reperi hæreſin, quæ docet, licitum eſſe mentiri pro vita hominis ſalvanda, aut pro magno beneficio homini impendendo. Nec ſolum hoc, ſed etiam humilitatis cauſa, ut videlicet virtutes ſuas mendacio contegat. Hunc errorem docet Johannes Caſſianus ſub nomine Abbatis Joſeph. Nam collatione 17. à capite 25. usque ad caput 20. primam hujus erroris partem pertractat & aliquibus Scripturæ ſacræ teſtimoniis perperam intellectis illam perſuadere nititur. A capite vero 21. usque ad 25. ejuſdem collationis ſecundam hujus erroris partem pertinaciſſime tuetur. Hunc errorem apertiſſime damnat Scriptura ſacra.*

Et poſtea: *Fortè hac & alia occaſione hujus Caſſiani opera inter Apocrypha recenſentur à Gelaſio Papa c. Sancta Romana 15. diſt.*

Vigeſimò ſextò, de *Socrate & Sozomeno.*

Gregorius lib. 6. Regiſtr. Epiſtol. 31. tom.2. col. 829. Sozomenum dicit, *multa mentiri.*

Baronius in præfat. Annal. *Claudicat veritas in Socrate ſectæ Novatianorum addicto, & Sozomeno eâdem tincto fuligine.*

Idem Baronius Ann. 383. num. 28. & 29. inter mendacia numerat, quæ apud Sozomenum libr. 7. cap.12. & Socratem lib. 5. cap. 10. de conſilio Siſinnii, Nectario & Agellio Epiſcopis dato, memorantur: *Dubium*, inquit, *imò mendacium eſt totum hoc, quod de Nectario ajunt Socrates & Sozomenus, in cauſa tanti momenti Novatianum Epiſcopum conſuluiſſe, atque perinde ac in Iſrael Deus non eſſet, Deum Accaronis adiiſſe.* Addit: *Quis perſuadere ſibi potuerit, his omnibus poſthabitis* (Gregorio nempe Nyſſeno, Amphilochio Iconienſi, Diodoro Tarſenſi & aliis, quorum meminerat,) *Nectarium conſuluiſſe Agellium decrepitum ſenem & Siſinnium juvenem Novatianos hæreticos, & eorum præſcripto duntaxat rem tantam adminiſtraſſe?*

Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 18. §. At objiciunt. *Socratis & Sozomeni narratio de Paphnutio in Concilio Niceno legi cælibatus reſiſtente eſt incerta.*

Lib. 1. de Clericis cap. 18. §. At neque. *In teſtimonio Socratis & Sozomeni de Paphnutio legi cælibatus in Niceno Concilio reſiſtente non eſt magnum præſidium. Nam vel totum eſt falſum, quod illi tradunt, vel certè quod magis credo tale aliquid tunc accidit, ſed non bene ab illis narratum eſt. Fortaſſe voluerunt Patres Concilii graviores pœnas conſtituere in Clericos incontinentes, & Paphnutius ſuaſit non eſſe faciendum.*

Ibidem §. At quòd. *Socrates, ut omittam cætera, libr. 5 Hiſtor. capite 21. tria clara mendacia dicit. Primò, licuiſſe unicuique ſuo tempore celebrare Paſcha quando vellet. Secundò, in Eccleſia Romana non jejunari ante Paſcha niſi tres hebdomadas & tamen vocari quadrageſimam. Tertiò, Romæ non jejunari in Sabbathis.*

§. Præterea. *Magis credendum eſt Epiphanio & Hieronymo viris ſanctis, & qui vicini fuerunt temporibus Niceni Concilii, quam Socrati & Sozomeno hæreticis & multo recentioribus.*

Lib.3. de cultu ſanct. cap.10. *Socrates fuit hæreticus Novatianus, ergo ejus judicium in dogmatibus fidei ſtabiliendis nullius eſt momenti.*

Lib.3. de pœnit. cap.14. §.2. *Non ignoramus, Sozomenum in Hiſtoria multa eſſe mentitum.*

Lib.2. de bonis operibus cap.15. §. Ad locum Socratis &c. *Dico Socratem non multum fidei mereri, cum & Novitianus & Aerianus fuerit.*

Gregor. de Valent. libr. de cœlibatu cap.6. pag.869. *Reſpondemus, Socratem & Sozomenum in hac narratione non eſſe fide dignos, quia Sozomenus multa alioqui mentitur, & Socrates etiam quædam manifeſtè falſa narrare ſolet.*

Tom. 4. Diſput. q 5. *Sunt utrique, Socrates & Sozomenus, in narratione indigni fide, ut notarunt Alanus Copus & Turrianus.*

Laurentius Fôrerus in tract. Nichts iſt im Augen gut/ p. 55. Es iſt zu wiſſen/ daß Socrates mit der Novatianiſchen Ketzerey behafftet/ zu Schmälerung des geiſtlichen Gewalts wol andere Sachen geſchrieben habe/darauff gar nichts zu bauen.

Vigeſimò ſeptimò, de *Procopio.*

Bellarminus lib.1. de Chriſto cap.6. ſic judicat. *Melior fuit Rhetor quàm Theologus.*

Vigeſimò octavò, de *Liberato.*

Bellarminus lib 4. de Pontif. Rom. cap.10. §. Poſſet etiam &c. *Poſſet dici, Epiſtolam illam Vigilii, cujus meminit Liberatus,* (qua Pontifex ille Monotheletarũ hæreſin confirmabat) *fuiſſe confictam ab hæreticis; Liberatum autem credidiſſe falſo rumori, quem hæretici ſparſerant.*

Idem de ſcript. Eccleſiaſt. tit. Liberatus, monet *cautè legendum eſſe Liberati Breviarium, ſive enim* inquit, *ab alio depravatum fuerit, ſive ipſe autor non bene aſſecutus ſit Hiſtoriæ veritatem, non pauca in eo videntur eſſe perperam ſcripta.*

(Quando Liberatus aliquid affert, quod Papæ Monarchicam poteſtatem ſtabilit, illud Bellarmino merum multum, ut apparet ex tract. de officio Princip. Chriſt. p.35. Sed ſi quid narrat, quo Papæ Vigilio hæreſeos nota inuritur, ut teſtis levis & nimis credulus rejicitur.)

Vigeſimò nonò, de *Gregorio.*

Durandus ſent. diſt. 7. q. 9. *Gregorius magnus ſanctus fuit, ſed cum non fuerit Deus, errare potuit ut homo.*

Melch. Canus l.11. Loc. c.6. p.337. *Lector admonendus eſt, ne illi ſtatim perſuaſum ſit, omnia, quæ magni autores ſcripſerunt, undiq; eſſe perfecta. Nam labuntur interdum & oneri cedunt, vulgoque interdum indulgent, quæ ego de Gregorio & Beda jure fortaſſe dicere poſſum, quorum ille in Dialogis, hic in Hiſtoria Anglorum vulgo jactata & credita miracula ſcribunt. Equidem Hiſtorias iſtas probarem magis, ſi earum autores juxta præſinitam normam ſeveritati judicii curam in eligendo majorem adjunxiſſent.*

Trigeſimò, de *Damaſceno.*

Salmeron Diſp.51. in Epiſt. Roman. *Damaſcenus tradit, Spiritum ſanctum procedere ex ſolo Patre.*

Baronius de orationibus Damaſceni, quas de Imaginibus ſcripſit, ſic judicat Ann.31.n 75. *Fidem illius ſcripti in multis vacillare & compluribus ſcatere mendaciis.* Hiſtoriam *de Falconilla, precibus Teclæ, & Trajani anima precibus Gregorii Papæ ab inferni ſuppliciis liberata*, quam Damaſcenus in orat. de his qui in fide obdormierunt, recenſet, repudiant Melchior Canus lib. 11. Locor. cap. 2. p.455. Dominicus à Soto 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art.2. Poſſevinus in Apparatu tom. 1. p.865.

Bellarmin. de ſcript. Eccleſ. reſpondet, *fieri potuiſſe, ut Damaſcenus, vir alioqui doctus & prudens, fidem illis narrationibus nimis facilem habuerit, neque de veritate inveſtiganda fuerit ſolicitus.*

Lib. de gratia primi hominis cap.15 §. 1. *Damaſcenus negat, animantia in Paradiſo locum habitura fuiſſe, ſi homo non peccaſſet. Eum ſequitur Thomas & alii ex Scholaſticis. Sed gravior nobis autoritas eſſe videtur Baſilii & Auguſtini.*

Lib. 2. de purgat. capit. 8. §. Prima, quia &c. *Erroneum eſt, quod in illo libro aſſeritur, Trajanum & Falconillam ab inferno ad regnum cœlorum tranſiviſſe.*

Trigeſimò primò, de *Jona Aurelianenſi.*

Bellarminus de ſcript. Eccleſ. dicit, *autorem hunc cautè legendum, quoniam laboret eodem errore, quo Abogardus & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant, ſacris imaginibus ullum deberi cultum religioſum.*

Trigeſimò ſecundò, de *Haymone.*

Eraſmus in cap.16. ad Roman. *Haymo non uno aut altero loco deliravit.*

Trigeſimò tertiò, de *Photio.*

Baronius tom. 10. Annal. ſcribit, quod *ex ambitione corruperit Epiſtolas Pontificum & finxerit Synodos.*

Bellarm. lib. de ſcript. Eccleſ. *Ipſum fuiſſe hominem magnæ eruditionis, ſed majoris nequitiæ.*

Trigesimò quartò, de *Mose Barcepha*.

Bellarm. de script. Eccles. *Liber ejus de Paradiso, qui extat tom.1 Biblioth. Patrum cautè legendus, quia non pauca affirmat contra veram Theologiam.*

Trigesimò quintò, de *Petro Damiano*.

Bellarmin. de script. Eccles. illum reprehendit, quod in Epistola ad Dominicum cap. 5. narret, *animas defunctorum die Dominico refrigerium pœnarum videri habere, & in figura avicularum de lacu inferni exire cerni*; quòd in Epistola ad Hincmarum Ravennæ Episcopum cap. 16. scribat: *Liberium Papam fuisse hæreticum & seditiosum*; quòd in Epistola ad Firminum Episcopum *liberius quàm par est videatur reprehendere Pontificem Leonem 9. propter bellum contra Nortomannos.*

Trigesimò sextò, de *Theophylacto*.

Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 27. resp. ad 6. *Vixit tempore schismatis, ideoq; non recipitur ejus autoritas.*

Lib. 1. de Pontif. cap. 12. §. Alia. *Sententia Theophylacti, quod per solutionem Matth. 18. intelligatur remissio injuriarum, non est usque adeo vera.*

Lib. de Script. Eccl. *Schismaticus est, quia in cap. 3. Joh. reprehendit Latinos, quod credant Spir. S. etiam à Filio procedere.*

Trigesimò septimò, de *Oecumenio*.

Bellarm. lib. 1. de sanct. beat. cap. 6. §. Antonius &c. *Oecumenii sententiam*, quod Dœmones nondum sint igni traditi, *non video, quo pacto ab errore possimus defendere.*

Trigesimò octavò, de *Mariano Scoto*.

Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 5. §. Quocirca. *Fasciculum temporum meritò contemnimus, præsertim cum Marianum Scotum sequitur, qui secum ipse & cum veritate pugnat.*

Trigesimò nonò, de *Sigeberto*.

Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 13. §. Habemus. *Sigebertus fuit unus ex sectatoribus Henrici Imperatoris, ergo indignus fide.*

Lib. de Script. Eccles. p. 314. *Non pauca mentitus est contra Gregorium septimum.*

Quadragesimò, de *Euthymio*.

Bellarmin. lib. 1. de sanct. beatit. cap. 4. §. Habemus. *Non magni faciendus est Euthymius, nam est omnium recentissimus. Scripsit enim circa annum 1180. quo tempore Græci schismatici & hæretici manifestè esse cœperant.*

Quadragesimò primò, de *Ruperto Tuitiensi*.

Bellarm. de Script. Eccles. *In libro Ruperti de divinis officiis errores continentur, unde à Wiclefo sæpius citatur.*

Ibid. *Existimavit Rupertus, non converti panem in corpus Christi, dum conficitur Eucharistia, sed assumi à Verbo divino, quemadmodum assumta est humanitas.*

Gregor. de Valent. lib. de Transsubstant. cap. 8. p. 390. §. Quod vero. *Errorem suum quendam etiam Rupertus tenuit.*

Quadragesimò secundò, de *Bernhardo*.

Salmer. in comm c. 5. quando ipsi objicitur dictum Bernhardi contra prærogativam Mariæ in immaculata conceptione, autoritatem ejus elevat, dicens, *totam devotionem erga Dei genitricem non consistere in Bernhardo, Bonaventura & aliis Patribus.*

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 345. *Bernhardus videtur devolvi in errorem Armenorum & Anabaptistarum docentium, animas sanctorum, ante resurrectionem corporis, divinæ visionis gloria frui non posse, in serm. 4. festiv. omnium sanctorum. Alphonsus Castrensis lib. 3. adv. hæres. admonet, hanc Bernhardi sententiam esse damnatam, quod & ipse non inficior, sed autorem tamen grato ac benigno affectu excusandum arbitror.*

Gislerius in Comment. Cant. 5. v. 2. exposit. 2. *Bernhardus quædam habet, quæ videntur sapere errorem, quod animæ ante diem judicii non fruantur visione Dei.*

Negabat Bernhardus, *mulierem absolvi posse ab Ecclesia, quæ nubit intra annum luctus.* Illud verò non placet Gregorio XIII. Pontif. Roman. inde in margine Glossæ Decreti responsum hoc inprimi curavit Decret. Juris Canon. tit. 21. de secundis nuptiis cap. 5. *Imo*, inquit, *Ecclesia potest, quicquid hic Bernhardus dicat.* Atque Inquisitores ipsi satis pro imperio dicunt: *Deleantur hæc verba Bernhardi.* Ind. Expurgat. Belgic. p. 350. in expurgatione Glossarum.

Quadragesimò tertiò, de *Guidone Carmelita*.

Lorinus in cap. 15. Actor. v. 20. *Guido Carmelita de Græcis refert, illis videri licitam simplicem fornicationem. Hoc idem Prateolus, Castro, & alii hæreseologi referunt Guidone autore. Id ego de illis non credo.*

(Ex his liquidò constat, præcipuorum Patrum & Historicorum autoritatem à Pontificiis elevari, quando testimonia sententiæ eorum adversa ex illis producimus. Eosdem tamen tanquam probatæ fidei autores, imò eadem istorum scripta contra nos producunt, quando sententiæ ipsorum videntur favere.)

5. Quod agnoscere coguntur, non solum *privatos & peculiares* quosdam errores in singulis ferè Patribus occurrere, sed etiam multos in uno eodemque puncto *simul & conjunctim errare*. (Perpetuò ingeminant Pontificii, *se non negare, quod Patres suos quosdam privatos errores habeant singuli, sed quod omnes simul & conjunctim sumti errent, hoc demum esse, quod negent*, unde *ad unanimem Patrum consensum* provocare non verentur.

Gregorius de Valent. Anal. Cathol lib. 8. cap. 8. *Quòd addunt hæretici, Patres interdum erravisse, ac inter se pugnare, id nihil nobis obstat, non enim singulorum autoritatem ut infallibilem asserimus, sed omnium.*

Et paulò ante dixerat, *ex definitione Concilii Tridentini concordem Patrum sententiam verissimam & infallibilem semper esse habitam, cum jure vetat Scripturam exponere contra unanimem consensum Patrum, ut qui prorsus sit infallibilis.*

Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 2. §. Ad secundam &c. *Patres nunquam omnes simul errant, etiamsi aliquis eorum interdum erret, nos vero sequimur eos, quando simul aliquid docent, non quando proprias ac singulares sententias aliis contradicentibus defendunt.*

Confer eundem lib. 4. de verbo Dei c. 9. §. Quarta regula.

Sed si per unanimem Patrum consensum hoc intelligunt, quod ne uno quidem repugnante omnes in dogmate aliquo asserendo conveniant, nunquam poterit unanimis ille Patrum consensus demonstrari.

Gregorius de Valentia lib. 8. Analys. cap 8. p. 119. scribit: *Fatendum est, rarò accidere posse, ut, quæ sit Doctorum omnium uno tempore viventium de religione sententia, satis cognoscatur. Sunt enim Catholici Doctores in Ecclesia ubique diffusa plurimi, qui proinde omnes nec facile congregari, nec interrogari possunt, quid sentiant.* (At si Doctorum nostro tempore viventium, quos adire & audire possumus, concors sententia rarò potest cognosci, multò minùs antiquorum omnium, qui non omnes scripsêre, quorum mens amplius indagari nequit, cognosci potest.)

Si verò hoc intelligunt, quod plures in uno aliquo dogmate asserendo consentientes pro unanimi Patrum consensu haberi debeant, dicimus, quandoque *pauciorum* sententiam, utpote Scripturis sacris conformem, *plurium* sententiæ esse præferendam.

Inde Melchior Canus lib. 7. Locorum Theologic. cap. 3. ejusmodi format conclusionem: *Plurium Sanctorum autoritas reliquis licet paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo sufficere & præstare non valet.* Probamus autem Pontificios fateri, quod Patres multi conjunctim & simul errent.

Primò, in quæstione *de libris Canonicis & Apocryphis* fatentur, plerosque ex veteribus controversos illos libros Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, Maccabæorum &c. è canone excludere.

Concilii Laodiceni suffragium nobis largitur Ederus lib. 1. Oeconom. Bibl. p. 36.

Melitonis, Epiphanii, Hilarii, Hieronymi & Ruffini suffragium nobis largitur Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10.

Origenis, Eusebii ac Damasceni suffragium largitur nobis Melchior Canus lib. 2. Loc. Theol. cap. 10.

Gregorii Nazianzeni ac Isidori suffragium nobis largitur Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. partit. 3. & partit. 4. (qua de re inferius lib. 2. art. 1. sect. 1. uberius agetur, & tamen errorem esse judicant, controversos hosce libros ex canone excludere.)

Secundò, in quæstione *de immaculata virginis conceptione*.

Melchior Canus lib. 7. Locor. Theol. cap. 1. n. 3. *Sancti omnes, qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverarunt, B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam, Chrysostomus, Eusebius, Remigius, Ambrosius, Augustinus, Maximus, Bernhardus, Beda, Anshelmus, Erardus Martyr, S. Antonius Paduanus, Bonaventura, Thomas, Bernhardinus, Vincentius, Damascenus &c. Et cum nullus sactorum Patrum contradixerit, infirmum tamen ex omnium autoritate argumentum ducitur, quin potius contraria sententia & probabiliter & piè in Ecclesia defenditur.* (Quamvis verò per modum *objectionis* hæc recitet, tamen non negat, Patrum istorum hanc fuisse sententiam, ut patet ex cap. 3. n. 9.)

Salmeron Disp. 51. in Epist. Rom. cap. 5. § 2. *Quidam illorum tempo-*

computant ducentos Patres, alii, ut Bandellus, ferè 300. Cajetanus vero quindecim & illos quidem, ut ait, irrefragabiles. (Cui argumento ex numero Patrum ducto inter cætera loco ultimo fortissimam illam responsionem opponit Salmeron. *Contra hanc, quam objectant, multitudinem respondemus verbo Dei Exod. 23. In judicio plurimorum non acquiesces sententiæ, ut à vero devies. Nam cum Donatistæ in Autorum multitudine gloriarentur, respondit Augustinus, signum esse causæ à veritatis nervo destitutæ, quæ soli multorum autoritati, qui errare possunt, innititur.*

Sed operæ precium erit, etiam reliqua responsionis capita annectere. *Primò*, inquit, *agunt Dd. multitudine, sed respondemus ex Augustini libr. 1. de moribus Eccles. cap. 2. tum ex B. Thomæ doctrina, locum ab autoritate esse infirmum, quia ordo docendi est, ut tradit Augustinus, ut, cum aliquid discimus, rationem præcedat autoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, autoritatem postea, per quam formetur, assumit, è converso enim est, ut infirmitatem autoritatis confirmet ratio &c. Deinde illi multitudini Doctorum opponimus aliam multitudinem, ut clavus clavo trudatur. Tertiò, rationum efficaciam, quæ omni autoritati præstare dignoscitur, in contrarium objicimus. Quartò, universæ pene Ecclesiæ (recentioris) consensum.* Et postea: *Accidit interdum, ut ab uno quopiam Doctore, præsertim si illustris sit, opinantium multitudo procedat, & quidam pio & humili timore correpti malint aliena contra stomachum probare, quàm quicquam novi ex proprio ingenio depromere, ne quid insolens in Ecclesiam invehere videantur, quorum ut laudanda est humilitas, ita aliorum non est vituperanda fiducia, qui veritatis amore non verentur etiam meliora inducere.* Postea subjungit illa verba, quæ jam ante adducta, quod *plurimorum sententiæ non semper sit acquiescendum.* Ad secundum argumentum, quod *non sit verisimile, devotos amicos & familiari religione B. Virginem complectentes hanc prærogativam ejus ignoràsse*, respondet, *totam devotionem erga Dei genetricem non consistere in Bernhardo, Bonaventura & aliis Patribus; Bernhardum magis opinando, quàm definiendo locutum; Deum ab Elisæo, Elia & Apostolis ipsis quædam abscondisse, Nathanem, licet Prophetam, de Spiritu loquentem Davidi non vera vaticinatum esse de fabricando templo, Petrum errare permissum ut non ambularet ad veritatem Evangelii, Cyprianum ab hæreticis baptizatos rebaptizandos censuisse*, & addit: *Non omnibus dedit omnia DEUS, ut qualibet ætas gaudeat suis veritatibus, quas prior ætas ignoravit.* Ad argumentum à Doctorum antiquitate respondet, *quò juniores, eò perspicaciores esse Doctores, ita ut Aristoteles dixerit, per incrementa temporum esse perfectiores artes & disciplinas. Item, nullum antiquorum ex professo hanc controversiam discussisse &c.* Hæc omnia Salmeron, quæ Pontificiis, unanimem Patrum consensum frustra jactantibus, efficacissimè opponi possunt.)

Suarez in Thomam part. 3. q. 27. art. 1. *Antiqui Patres pauca de hoc privilegio B. Virginis locuti sunt.* Idem fatentur Pesantius in Thomam fol. 399. Tannerus tom. 2. Theol. Shol. Disp. 4. q. 7. dub. 2. num. 45.

(Nihilo tamen minus sententiam, de immaculata Virginis conceptione, communi suffragio Jesuitæ hodie defendunt.)

Tertiò, in quæstione, *de infantibus danda Eucharistia.*

Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 24. §. Tertius ritus. *Communicabant veteres aliquando infantes, instillando in os eorum aliquid sanguinis Dominici &c.*

Maldonatus in Johan. 6. v. 53. col. 640. *Sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia hæc sententia, quod infantibus etiam Eucharistia sit necessaria. Res jam ab Ecclesia & multorum seculorum usu & Decreto Concilii Tridentini explicata est, non solùm necessariam illis non esse, sed ne decere quidem dari.*

Quartò, in quæstione *de lapsu Diabolorum* per cohabitationem cum fœminis.

Pererius lib. 8. Comment. in Genes. cap. 6. Disp. 2. *Fuit multorum antiquitatis, doctrinæ, ac sanctitatis laude præstantium virorum Justini, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Lactantii, Ambrosii &c. sententia, filios Dei, quos Moses narrat mixtos esse cum filiabus hominum, fuisse bonos Angelos, qui fœminarum pulchritudine capti ad obscœnum earum amorem & concubitum delapsi sint, atque hoc fuisse primum eorum peccatum, quo cælestem Angelici status dignitatem perdiderint.*

Disp. 1. num. 29. vocat *insigne magnorum Doctorum paradoxum, vel pravidoxum potius.*

(Eadem est opinio Irenæi, Athenagoræ, Sulpitii Severi, Eusebii. Fuit ergo primis Ecclesiæ Christianæ temporibus unanimi Patrum consensu hæc opinio recepta, quam tamen falsam esse ipsimet Pontificii agnoscunt.)

Bouldoucus lib. 1. de Ecclesia ante Legem cap. 5. *Quidam tenent, filios Dei, de quibus Genes. 6. v. 4. agitur, fuisse Angelos, & Angelos esse corporeos, qui tunc primum suum cum filiabus hominum luxuriæ peccatum admiserunt, propter quod cœlo dejecti fuerunt. Ista est sententia &c. Justini Apol. 1. Clementis Alexandrini lib. 3. Strom. & Tertulliani lib. de habit. mulier. qui docent, Dæmones tunc primum docuisse mulieres conficere stibium, brachialia, aliosq; fucos. Item Lactantius lib. 2. cap. 15. Sed & Cajetanus probabile censet, Angelos sua habere corpora.* (Hanc tamen expositionem Bouldoucus ibidem vocat *horribilem & absurdissimam.*

Alphonsus Mendoza Th. D. in Acad. Salmanticensi Scoti cathedræ præfectus, in controv. Theolog. q. 9. de Comœdiis: *Quod mulieres, visæ ab Angelis, fuerint illis causa ruina, statuunt Tertull. lib. de veland. virgin. Ambros. lib. 1 de Noe & arca cap. 4. lib. 1. de Virginib. Chrysostom. homil. in festo decollat. Bapt. Lactant. lib. 2. cap. 15. Justin. Martyr. in Apolog ad Senatum Rom. & in Apolog. ad Antoninum Pium, Clemens Alex. lib. 3. & 5. Stromat. Euseb. lib. 5. de præparatione, Basilius lib. de vera virginit. Methodius Olympi Episcopus, Cyprianus, Severus Sulpitius, Josephus, Suidas &c.* Sed postea addit: *Quamlibet multi* (prius dixerat *innumeri*) *hoc teneant, non debent virum doctum in eam sententiam trahere, nam est falsissima.*

Quintò, in quæstione *de regno Chiliastico.*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. *Papias, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique nonnulli, ea, quæ dicuntur Apocal. 20. de nova Hierusalem & mille annis, quibus Sancti regnaturi sunt cum Christo, hic in terris implenda existimaverunt, quorum errorem reprehenderunt Hieronymus & Augustinus.* (Ergò ante Hieronymum & Augustinum fuit hæc communis multorum opinio.)

Baronius tom. 2. Annal. Ann. 118. n. 2. *Doctrinam de regno Christi Chiliastico in Apollinari Laodiceno, tanquam hæreticam, damnavit Damasus Papa.* (*At Apollinaristæ conspirabant in hac doctrina cum Papia Episcopo Hieropolitano, Justino Martyre, Irenæo, Tertulliano & plerisq; Ecclesiasticis viris, qui Papiæ antiquitatem pro suarum partium defensione citabant*, ut ex Eusebii Historia Ecclesiastica refert idem Baronius tom. 2. Annal. Ann. 118. n. 5.)

Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sanctæ, annot. 233. *Hieronymus lib. 4. in Jerem. ita explicat hunc locum, (Jerem. 19. Conteram populum istum) ut asserere videretur χιλιαςῶν, id est, Millenariorum errorem non esse damnandum, quem tamen plures sanctissimi Patres in Cerintho hæresiarcha, ut hæreticum dogma, damnarunt &c. hæc enim apud eum legimus: Judæi sibi auream atq; gemmatam Hierusalem restituendam putant, rursumque victimas & sacrificia & conjugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris, quæ licet non sequamur, damnare tamen non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & Martyres ista dixerunt, & unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur. In libro de viris illustribus Autores hujus opinionis recenset Papiam Hieropolitanum Episcopum Johannis auditorem, Irenæum, Apollinarium, Tertullianum, Victorinum Pitabionensem, Lactantium, Severum. Neque ab hac Hieronymi sententia abhorruisse videtur Augustinus, qui non ausus eam appellare nec hæresin, nec errorem, sic de ipsa in lib. 20. de Civ. Dei cap. 7. scripsit: Hæc opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spiritales in illo Sabbato scil. mille annorum affuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur, nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Scito igitur* (subjicit Sixtus) *nec Hieronymum, nec Augustinum hunc in modum sermonem suum temperasse, ut ostenderent, hanc sententiam non esse damnabilem, quam utique multis in locis incessunt & irrident, sed ut modestiæ & benignitatis suæ exemplo indicarent nobis, etiam ab erroribus veterum Ecclesiæ Patrum, summa cum reverentia dissentiendum, & ne complures Catholicos, qui tum ea ducebantur opinione, insectari viderentur.* Postea ex Hieronymo Præfat. 18. Comment. in Esai. adducit locum, quod *Apollinarium in hac quæstione non solùm sua secta homines, sed etiam Orthodoxorum plurima secuta fuerit multitudo*

Gregorius de Valentia in Analyt. lib. 8. cap. 8. *Patres millenarii fuere Papias, Apollinarius, Irenæus, Tertullianus, Victorinus, Lactantius, Sulpitius Severus, & magnus Catholicorum numerus, Justinus Martyr, omnes ex cap. 20. Apocal. perperam intellecto decepti.* Confer Alphonsum de Castro lib. 3. adv. hæres. 2. de beatitudine. Blasium de Viegas in Apoc. cap. 20. Comment. 1. s. 1. n. 4. Riberam in Apoc. 20. n. 24.

Sextò, in quæstione, *an fidelium animæ ante diem judicii Deum visuræ?*

Alphonsus de Castro lib.3. adv. hæreses verbo Beatitudo, hæresi 6. *Armeni & Græci tuentur hanc hæresin, nullam animam ante diem judicii esse beatam. Post istos surrexit Johannes XXII. hujus nominis Pontifex &c. Præter hos sunt adhuc alii hujus erroris Patroni, viri quidam illustres, sanctitate perinde ac scientia clari, Irenæus videlicet beatissimus pro Christo Martyr, Theophylactus Bulgariæ Episcopus, Beatus Bernhardus. Nec mirari quisquam debet, si tanti viri in tam pestiferum errorem sunt lapsi, quoniam (ut B. Jacobus Apostolus ait) qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.*

Sixtus Senensis lib.6. Biblioth. annot. 345. *Bernhardus enarrans locum Apoc. 6. Vidi animas sub altari, videtur devolvi in errorem Armenorum & Anabaptistarum docentium, animas Sanctorum, ante resurrectionem corporis, divinæ visionis gloria frui non posse &c. Alphonsus Castrensis lib.3. adv. hæres. admonet, hanc Bernhardi sententiam esse damnatam, quod & ipse non inficior, sed Autorem tamen grato ac benigno affectu excusandum arbitror ob ingentem numerum illustrium Ecclesiæ Patrum, qui ante ipsum huic dogmati autoritatem suo testimonio visi sunt præbuisse. Horum sententias, juxta seriem temporum, in quibus floruerunt, collectas huc apponere libet, ut in unius paginæ transcursu lector absque longa mora breviter agnoscat, qui sibi Autores hac in parte prudenter legendi sint, ac benevolè, quando id fieri queat, interpretandi.* Postea subjicit dicta Jacobi Apostoli in Liturgia, Irenæi lib.5. adv. hæref. Justini in lib. qq. & resp. q.76. Tertulliani lib. 4. adv. Marcion. lib. de anima cap. antepenult. & ult. Clementis Romani lib.2. ὑποτυπ. Origenis homil. 7. in Levit. lib.2. & 4. περὶ ἀρχῶν, Lactantii lib. 7. Instit. cap.21. Victorini Martyris in Comment. Apocal. Prudentii in Hymn. pro exequiis defunct. ac 18. Martyr. Ambrosii lib. 2. de Cain & Abel cap. 2. lib. de bono mortis cap. 10. Chrysostomi homil. 39. in 1. Corinth. Autoris imperf. oper. hom. 34. in Matth. Augustini in enarr. Psalm. 36. lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 9. Theodoreti in cap. 11. Hebr. Aretæ in Comm. Apocal. Oecumenii in cap.11. Hebr. Theophylacti ibid. & in cap.23. Luc. Euthemii in cap.23. Luc. Johannis XXII. Pont. Rom. Quamvis vero quædam ex his dictis ad bonum sensum reducere conetur, tamen concludit: *Si quæ sunt sanctorum Autorum dicta, quæ nequeant hujusmodi interpretationem pati, memineris saltem, hunc errorem nihil officere eruditioni & pietati tam illustrium Patrum, cum Ecclesia illorum temporibus nondum aliquid certi in hoc articulo statuisset credendum.*

De *Chrysostomo* idem idipsum confirmat lib. 6. Biblioth. annot.264. De *Augustino* lib.5. annot.169. De *Tertulliano* Pamelius in Tertull. parad.9.

Stapletonus in defensione Eccles. autori., contra Witak. lib.1. cap. 2. sect.5. *Tot illi & tam celebres antiqui Patres, Tertullianus, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Clemens Romanus, D. Bernhardus, omnes huic sententiæ, (quæ nunc in Concilio Florentino magna demum conquisitione facta, ut dogma definita est,) quod justorum animæ ante diem judicii Dei visione fruuntur, non sunt assensi, sed sententiam contrariam tradiderunt.*

Maldonatus in Matth.27. *Alii meo quidem judicio, etiam absurdius illud hodie ad extremum judicium extendunt: tanquam dixerit Christus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso, id est, post resurrectionem & ultimum judicium: in qua tamen sententia nonnulli, minimè mali Autores, fuisse videntur, ex his, qui Sanctorum animas ante supremum judicium beatas fore non crediderunt, quorum magnus numerus fuit.*

Vasquez. tom.1. in Thomam Disp.19. cap.1. n.1. *Non pauci, nec infimi nominis Autores, in ea fuerunt sententia, ut assererent sanctorum defunctorum animas, quæ ex hac vita discesserunt, non statim in beatitudinem recipi, sed usque ad diem judicii in quibusdam locis reservari, ut interim nec Deū videant, nec beatæ sint, Euthymius, Tertullianus, Lactantius, Victorinus, qui manifestè hanc sententiam docuerunt & priscis temporibus hæc res satis anceps ac dubia fuit.*

Septimo, in quæstione *de Natura cœli.*

Sixtus Senensis lib.6. Biblioth. annot. 245. *Ambrosii sententiæ omnes ferè Græci Patres consentiunt, affirmantes cœlum suapte Natura corruptibile & caducum esse, non corrumpendum tamen providentia & gratia Dei conservantis. Sed huic sententiæ,* ut paulò ante scribit, *omnis recentium Theologorum Schola adversatur, statuens, corpora cœlestia ideo esse perpetua & incorruptibilia, quoniam substantiam habeant à quatuor Elementorum substantia diversam.*

Octavò, in quæstione *de causa prædestinationis.*

Pererius Disp. 22. in cap.8. Rom. n.106. *Græci Patres, nec pauci etiam Latinorum Doctorum, arbitrati sunt, idq; in scriptis suis prodiderunt, causam prædestinationis hominum ad vitam æternam esse præscientiam, vel operum, vel fidei.* (Utramque tamen sententiam repudiat.)

Ibid. Disp.23. n. 11. *Multi veterum, & admodum clari Scriptores, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Origenes, Hieronymus, Sedulius, videntur sensisse, causam prædestinationis hominum non esse gratuitam & meram & solam Dei voluntatem, sed esse divinam præscientiam bonorum operum, quæ facturi sunt homines, vel bonum usum liberi arbitrii, quo sunt ejus gratiæ cooperaturi. Sed hoc videtur contrarium divinæ Scripturæ, præcipue autem doctrinæ B. Pauli.*

Bennius de auxilio gratiæ cap.26. *Patres ferè omnes putant, causam prædestinationis esse præscientiam, vel bonorum operum, vel fidei,* (quam tamen sententiam ibid. rejicit.)

Nonò, in quæstione *an Episcopis Presbyteri pares?*

Michaël Medina lib.1. de sacror. homin. orig. & contin. cap.5. referente Bellarm. lib. de Cleric. c.15. *Non solum Hieronymum in hac sententia fuisse asserit, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum & Oecumenium.*

Cassander in Consult. art.14. *Convenit inter omnes, Apostolorum ætate inter Episcopos & Presbyteros nullum discrimen fuisse.*

Bellarm. de Clericis cap.15. *Anshelmus & Sedulius opinionem suam ad Hieronymi sententiam accommodarunt.* Epiphanius propterea Aërium hæreseos accusat.)

Decimò, in quæstione *de matrimonii & virginitatis comparatione.*

Beatus Rhenanus in argum. libr. Tertullian. Exhortat. ad castit. *Veteres omnes, atq; adeò Hieronymus ipse, matrimonio parum æqui fuerunt.*

Erasm adv. Albert. Pigg. de virgin. *Hieronymus fervido quodam affectu, ita interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis etiam viris videretur lædere matrimonium. Sit hoc vanum, nisi in Hieronymi scriptis inveniantur ea verba, quæ sunt apud Tertullianum eo nomine damnata.*

Acosta lib.2. de Christo revelato cap. 20. *Hieronymus videtur aliquantò matrimonio iniquior.*

Undecimò in quæstione *de Antichristi adventu.*

Bellarm. lib.3. de Rom. Pont. cap. 3. *Omnes veteres animadvertentes temporum suorum malitiam suspicati sunt tempora Antichristi imminere,* (quam tamen sententiam ibidem refellit.)

Duodecimò, in quæstione *de pœna Dæmonum.*

Bellarm. lib. 1. de beat. Sanctor. cap.6. *Justinus, Irenæus, Epiphanius, Oecumenius dicunt, Dæmones non puniri pœnâ gehennæ ante diem judicii,* (quam opinionem ibidem refellit.)

Decimò tertiò, in quæstione *de Samuelis apparitione.*

Bellarmin. lib. 2. de Purgat. cap.6. §. Respondebunt. *Tertullianus, Autor quæstionum apud Justinum, Autor qq. V. T. apud Augustinum, Autor librorum de mirabilibus Scripturæ, Procopius, Eucherius, Isidorus statuunt, non fuisse verum Samuelem, qui Sauli apparuit, sed Diabolum in ejus forma &c. At his non obstantibus tenendum est verè Samuelis animam fuisse eam, quæ apparuit.*

Decimò quartò, in quæstione *de Natura & essentia Angelorum.*

Azorius lib.1. Instit. moral. cap. 17. art. 2. proponit quæstionem, *An quando Scholasticorum Theologorum communis opinio pugnat cum communi veterum Patrum sententia, Patres sint Scholasticis præferendi?* Respondet autem hoc modo: *Quod ego sciam, nulla est communis omnium Scholasticorum Theologorum opinio, quæ communi omnium Patrum sententiæ repugnet, non diffiteor tamen aliquorum Patrum sententias cum communi Scholasticorum opinione pugnare. Exempli gratia. Ex Patribus non pauci in ea fuere sententia, ut dixerint, Angelos esse corporeos,* (Origenes, Tertullianus, Macarius, Cassianus,) *& tamen communis Scholasticorum opinio tradit, eos corporis esse & materiæ expertes.*

Decimò quintò, in quæstione *de Pœnitentiæ effectu.*

Azorius d.l. *Videntur sentire nonnulli Patres, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, & alii, peccata semel à Deo dimissa ob sequens peccatum redire. Sed una est omnium Scholasticorum sententia, peccata semel per pœnitentiam dimissa, non reverti ob sequens peccatum.*

Decimò sextò, in quæstione *de viribus liberi arbitrii naturalibus.*

Azorius d.l. *Patres, Augustinus, Hieronymus, Prosper, Fulgentius,* Greg-

Gregorius, Beda, videntur docere, nihil boni, etiam quod ad mores spectat, posse Naturæ suæ viribus liberum arbitrium sine speciali & gratuito Dei munere. At communis Scholasticorum sententia tradit, posse quidem præstare multa opera bona honesta, sed non ardua & difficilia, vel ad longum tempus.

Toletus in cap. 6. Joh. *Chrysostomi doctrina hæc est, hominem per liberum arbitrium se dignum facere gratia. Eadem est doctrina Cyrilli, nec istorum tantum, sed aliorum Dd. maximè Græcorum.*

Maldonatus in cap. 6. Joh. *Etiam Theophylactus, Euthymius, Arnobius ita loquuntur, ac si homo, antequam per gratiam ad gratiam traheretur, possit gratiam mereri.*

Pererius in Comment. Rom. 9. num. 33. *Similiter Theodoretus, Oecumenius. Eadem fuit Hieronymi sententia.* (Et tamen, *hæc doctrina eorum nimis affinis est Pelagianorum errori*, inquit Maldonat. d. l. *Augustinus multò aliter docet, quam isti*, inquit Toletus d. l. *profectò doctrina illa contraria videtur illis, quæ disputat hoc loco Apostolus*, inquit Perer. d. l.)

Decimo septimo in quæstione *de Christi cognatione.*

Azorius ibid. *Plerique Patres senserunt, Josephum B. Virginis Deiparæ Sponsum ex alia uxore filios genuisse, qui in Evangelio fratres Domini vocantur, sed commune est Scholasticorum consensu receptum, eum non nisi B. Virginem Sponsam & conjugem habuisse.*

Decimo octavo, in quæstione de *genealogia Christi.*

Azorius d. l. *Omnes ferè Patres voluerunt, Lucam, in recensenda Christi generatione, cum Matthæo convenire, quod hic commemoravit genitores Josephi naturales, ille verò legales: at verò quidam Scholasticorum Lucam cum Matthæo conciliare contendunt, dicentes, Lucam Christi primogenitores per B. Virginem produxisse usque ad Christum, Matthæum vero per Josephum Sponsum Virginis.*

Decimo nono, in quæstione *de satisfactione.*

Bellarminus lib. 4. de Pœnitent. cap. 1. §. Jam igitur. *Satisfactio non offertur pro culpa, sed pro pœna. Quod si veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere id videntur, ut pro expianda culpa satisfaciant, interpretandi sunt de satisfactione ex congruo, non ex condigno.* (At hæc distinctio veteribus est incognita.)

Vigesimo, in quæstione *de genere Antichristi.*

Pererius in Daniel. lib. 14. p. 681. Gen. 49. *Dan. coluber in via. Ex hoc loco docent Irenæus, Hippolytus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Gregorius Papa, Ruffinus, Ambrosius, Beda, Rupertus,* (quibus addi possunt Theodoretus & Aretas) *Antichristum ex tribu Dan nasciturum, quibus ego assentior.* Idem repetit in cap. 49. Genes.

Sed Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. §. Hæc sententia &c. contra statuit. *Loco Gen. 49. videtur Jacob ad literam loqui de Samsone, cum ait: Fiat coluber in via. Samson enim fuit de tribu Dan, & fuit verè Philistæis tanquam coluber in via. Ita exponit Hieronymus. Et videtur sanè Jacob bene precari filio suo, cùm hæc dicit, ac proinde non malum* (ergò nec Antichristum) *sed bonum prædicere.* Ubi tamen paulò ante nominaverat contra sententes *Irenæum, Hippolytum, Ambrosium, Augustinum, Prosperum, Theodoretum, Gregorium, Bedam, Rupertum, Aretam, Richardum, Anshelmum.*

Suarez in Thomam tom 2. part. 3. q. 59. art. 6. Disp. 54. §. 2. p. 763. *Locus ille Geneseos ad literam de Samsone explicatur, quia reverà ibi Jacob non videtur mala, sed bona prædicere.*

Vigesimo primo, in quæstione *de matrimonio post votum.*

Maldonatus in Summa q. 12. artic. 5. *Quicquid senserint multi antiqui Autores, an sit verum matrimonium post votum, contrarium nunc est verum.*

Vigesimo secundo, in quæstione *de pœna infantum non baptizatorum.*

Azorius lib. 2. Instit. moral. cap. 17. *Aliquando aliquorum Patrum opinio cum communi Theologorum* (Scholasticorum) *sententia pugnat, ut cum docent Patres, infantes absque Baptismo morientes igne perpetuo cruciari. Communis autem Scholasticorum opinio est, & verior, eos pœna sensus non puniri.*

Vigesimo tertio, in quæstione *de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis.*

Sixtus Senensis in Præfat. lib. 5. Bibliothec. Salmeron Disp. 51. in Epist. Rom. Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 26. & lib. 2. cap. 22. & 30. Costerus in Enchirid. cap. 1. p. 68. *Cyprianus cum multis aliis tum Africæ tum Asiæ Episcopis, imò cum tribus Conciliis Carthaginensibus omnes baptizatos ab hæreticis rebaptizandos docuit ac defendit. Novatiani, Ariani, Aetiani & Donatistæ rebaptizabant ab hæreticis baptizatos, in quo conspirabant cum Agrippino Carthaginensi Episcopo, cum Cypriano & magno numero Episcoporum hoc dogma asserentium.* (Nihilo tamen minùs hæc sententia fuit erronea.)

Vigesimo quarto, in quæstione *de interitu mundi.*

Sententia *de interitu mundi* tantum secundum qualitates, nititur commum Patrum suffragio, ut ostendimus in tract. de consumm. seculi §. 37. nihilo tamen minus Cornelius à Lapide in Comment. Esai 34. v. 4. concedit, *sententiam de interitu mundi secundum substantiam, esse Scripturæ sacræ magis conformem*, in quo sibi consentire dicit Hieron. Magium lib. 2. de exustione mundi cap. 6. & 7. Vallesium de sacra Philosophia cap. 89. Molinam tract. de opere sex dierum Disp. 3.

Vigesimo quinto, in quæstione *de fructu circumcisionis.*

Suarez tom. 1. de Sacramentis q. 61. art. 3. Disp. 5. sect. 1. testatur, *veteres, Justinum, Irenæum, Chrysostomum, Cyrillum, Eusebium, Epiphanium, Origenem, Theodoretum, Damascenum, Athanasium, Oecumenium, Theophylactum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Tertullianum, Anshelmum, Isidorum, Autorem Altercationis Ecclesiæ & Synagogæ; hos, inquam, omnes docuisse, Circumcisionis vim nullam fuisse, nisi distinguendi Israëlitas à gentibus; primum verò Augustinum docuisse, etiam adversus peccatum originis valuisse, ut Baptismum, & assensisse Gregorium, Bedam, Bernhardum, Rupertum, Hugonem & omnes Scholasticos.* (Ergo Augustino & Scholasticis non fuit consensus veterum certissima regula aut interpretandæ Scripturæ, aut dijudicandarum controversiarum.)

6. Quòd *in expositione Scripturæ* à majori Patrum parte quandoque discedunt & pauciores sequuntur, interdum etiam Patrum expositioni suam præferunt. (Utique ergo Patres nō agnoscunt pro expositionis regula perpetua & infallibili.)

Thomas de Vio Card. Cajet. Præfat. in Gen. sic scribit: *Et si quando occurrerit novus sensus textui consonus, nec à S. Scriptura, nec ab Ecclesiæ doctrina dissonus,* (*quamvis à torrente Doctorum alienus*) *æquos se præbeant censores, meminerint jus suum cuique tribuere. Soli sacræ Scripturæ Autoribus reservata est autoritas hæc, ut ideò credamus sic esse, quia ipsi ita scripserunt; alios autem, inquit Augustinus, ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò credam sic esse, quia ipsi ita scripserunt. Nullus itaque detestetur novum S. Scripturæ sensum ex hoc, quòd dissonat à priscis Doctoribus, sed scrutetur perspicaciter textum ac contextum Scripturæ, si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit Scripturæ S. expositionem priscorum Doctorum sensibus, sed Scripturæ ipsi integræ sub Catholicæ Ecclesiæ consensu, alioquin spes nobis & posteris tolleretur exponendi Scripturam, nisi transferendo* (*ut ajunt*) *de libro in quinternum.*

(Cajetanum propterea reprehendit Melch. Canus lib. 7. Loc. Comm. c. 3. n. 10. Sed Cardinalis meritò præfertur Episcopo, quin & Andradius lib. 2. defens. Concil. Trident. Cajetani defensionem suscipit, & rationes quasdam adducit: *Primò, Patres allegoricis expositionibus plus æquo fuere dediti, ac proinde cum unus tantum sit Scripturæ sensus, non debet reprehendi Cajetanus, si allegorias Patrum minoris faciat. Secundò, Patres utcunque de mysteriis religionis consentientes sententias habuerint, diversos tamen & dissimiles sensus reddunt, cùm ad Scripturam interpretandam accedunt. Tertiò, Spiritus sanctus est unicus Scripturæ fidus Interpres.*

De eodem Cajetano sic scribit Pererius lib. 4. in Genes. num. 207. 208. *Mira eademque falsa sententia Cajetani, qui post habita omnium Patrum omniumque Interpr. sententia nova quadam & inaudita & omnibus contraria scripsit, procreationem Evæ ex Adamo non Historicè, sed parabolicè accipiendam esse.*

De eodem scribit idem Pererius lib. 5. in Genes. n. 8. *Sine causa profectò Cajetanus contra Patrum atque omnium Interpretum sententiam censuit, non reverà animalia adducta ad Adamum, sed intellectuali tantummodo intellectui ipsius præsentata.*

Erasmus in cap. 11. Matth. p. 41. *Scio Hieronymum & Augustinum, cumque his plerosque aliter interpretari. Verum liceat & à probatissimis Autoribus alicubi dissentire, quandoquidem illi non solum homines fuerunt, verum promisere sibi in tropologia nonnunquam abuti Scripturæ testimoniis.*

In cap. 22. Luc. p. 157. *Sunt, qui protinus contumeliam interpretentur, si quis à receptis Autoribus discrepat, cum hoc honoris nec ipsi postulent, imò contumeliosum fuerit, opinor, si quis illos hominum more lapsos alicubi conetur adversus veritatem tueri.*

Baronius Ann. 34. n. 213. *Sanctissimos Patres, quos Ecclesiæ Doctores ob illorum sublimem eruditionem meritò nominamus &c. in interpretatione Scripturæ non semper ac in omnibus Catholica Ecclesia sequitur.*

Joh. de La Haya in Admonit. de Triumpho veritatis §. 28. *Perspicimus ex his notationibus, dari quandoque à Patribus quorundam locorum divinæ Scripturæ sensus non proprios, imò etiam non probandos.*

Ludovicus Alcasar in cap. 13. Apocal. post recitationem variarum sententiarum *de bestia*, in illo cap. introducta, subjungit: *Ut expositio aliqua pro certa & indubitata reputetur, non satis est, multos* (Patres) *illi subscribere.*

Vasquez in Thom. p. 3. q. 146. cap. 2. cum notasset ex loco Hebr. 6. probari, *non iterandum Baptisma* ab Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Theophylacto, Theodoreto, Augustino, Philastrio, Epiphanio, subjicit: *Nos tamen ostendimus, per pœnitentiam eo loci non intelligi Baptismum secundum, sed pœnitentiam, quæ baptizatis peccantibus conceditur.*

Idem Vasquez d. l. *Nonnulli Patres eam rationem* (Baptismi non iterandi) *assignant, quod cum hoc Sacramentum significet mortem & sepulturam Christi, & Christus tantùm semel mortuus fuerit & sepultus, nos etiam semel tantum Baptismum suscipere possimus. Hac ratione utuntur Ambrosius, Basilius, Damascenus, Thomas & Scholastici plerique.* Et tamen Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 22. *Hac ratio non valet. Nam Eucharistia etiam significat Christi mortem & tamen repeti potest.*

Estius in 2. Thessal. 2. v. 6. *Veteres plerique commentatores tam Græci quàm Latini, quibus & Hieronymus assentitur in Epistola ad Algasiam, Romanum Imperium* (per τὸ κατέχον) *existimant significari, mentemque Apostoli esse, quod non prius quàm illud deletum fuerit, revelandus sit Antichristus, ut qui non sit habiturus facultatem agendi, quæ velit, adversus Ecclesiam, nisi Romano Imperio prius dissoluto: Id verò Paulum apertè dicere noluisse ne calumniam pateretur, q. Rom. Imperio, quod æternum fore sperabatur, malè optaret. Ita quidem illi, qui stante Imperio Romano scripserunt. Sed hanc opinionem ipsa jamdudum experientia redargui monstravimus eodem loco.*

Toletus in cap. 1. Johan. annot. 71. *Doctores sacri cautè legendi sunt, dum unctionem illam de qua David Psalm. 44. loquitur, dicens, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, quod de CHRISTO Domino dictum est, docent factam in Baptismo, quando Spiritus sanctus super eum descendit. Ita sentiunt Athanasius, Hilarius, Hieronymus; & postea prafert eos, qui factam dixerunt in incarnatione, Damascenum & Augustinum.* (Sic ergò pauciores in expositione hujus loci præfert pluribus.)

Azorius lib. 4. Instit. moral. cap. 25. f. 282. *Oecumenium, Photinum, Theophylactum* errasse, ait, quando dictum Rom. 5. v. 12. *de exemplo solum & imitatione* exposuerunt.

Benedictus Justinianus Disput. 1. de Apostol. cap. 4. fol. 12. col. 1. *Græcos Patres plerosque ut humana imbecillitate lapsos, castigat, quòd putaverint, juvenem illum, cujus mentio fit Matth. 19. fuisse mentitum, quando dixit, se omnia legis præcepta servasse.*

Didacus Stella in Luc. 10. v. 21. *Communiter quos ego potuerim Expositores vidisse, vel ex sanctis Doctoribus antiquis, vel ex modernis, hi omnes & glossæ declarant verbum Confiteor non hic accipi pro confessione peccatorum, sed pro eo, quod dicimus gratias agere, laudare ac benedicere. Nunquam tamen sensus hic nec quadrare nec intellectui satisfacere potuit. Quantum verò ego conjectari possum, verbum Confiteor hic significat, quod idem sentire vel concordare.*

Ibid. *Bene scimus pygmæos Gigantum humeris impositos plus quàm gigantes ipsos videre,* (recentiores in suis Commentariis esse oculatiores veteribus.)

Gregorius de Valentia lib. de Purgat. cap. 5. p. 902. *Patres multi voluerunt, etiam aurum & argentum per ignem transire. Sed satis est, quòd veram sententiam ab illis accepimus, esse Purgatorium.*

Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 3. *Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumeni, Ambrosii & aliorum sententiam de litera occidente rejicit, & unius Augustini sententiam illis omnibus opponit.*

Lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. §. Scio, *Epiphanius, Hieronymus & Augustinus scriptum reliquere, L X X. Interpp. de industria quædam omisisse, quædam addidisse, quædam aliter vertisse. Sed non ita est &c.*

Lib. 1. de Purgat. cap. 5. *quinque expositiones Patrum* recenset de loco 1. Cor. 3. quibus omnibus *sextam* h. e. suam præfert, cujus nullum Autorem ex veteribus laudat.

Maldonatus in cap. 6. Matth. *Augustinus & Gregorius, & alii ferè omnes regnum cælorum hoc loco Ecclesiam vocari dicunt. Melius, ut mihi quidem videtur, Chrysostomus & Theophylactus regnum cælorum resurrectionis, & ultimi judicii tempus vocari putant.*

Idem in cap. 8. Matth. *Cur ante tempus se torqueri dicant Dæmones, major quæstio est. Mirum, quanto consensu plerique veteres Autores docuerint, ante diem judicii non torqueri!* Et postea: *Sed tenenda opinio, quæ in Ecclesia jam invaluit, etiam nunc torqueri.* (Sic ergò consensum veterum in Scriptura interpretanda postponit Ecclesiæ & quidem recentissimæ, nam illud, *jam invaluit*, hunc habet sensum, non quidem posse eam sententiam repeti ab ipso Ecclesiæ initio, q. tum statim creditam ab omnibus Christianis, sed tantum postremis temporibus receptam.)

Idem in Matth. 11. v. 3. *Justinus, aut quisquis fuit Autor quæstionum q. 38. ad Orthod. & Tertullianus lib. 4. adv. Marc. dicere non dubitant, verè de Christo Johannem dubitasse. Pejus etiam quiddam Tertullianus adjungit, propterea dubitasse, quod Spiritus Prophetiæ ab eo in Christum recessisset. Illa nimirum ætate nondum satis culta Theologia hujusmodi aliquando spinas proferebat. Alii, quia id absurdum esse animadverterunt aliam quæsiverunt interpretationem, non dubitasse Johannem an Christus agnus Dei, verusque Messias esset, qualem idem antea testatus fuerat, sed an moriturus esset, & ad inferos descensurus, in quam sententiam, meliore nondum inventâ, maxima pars veterum Autorum concesserunt, Ambrosius lib. in Luc. 7. Eusebius Emissenus in homilia, Julianus Pomerius lib. 3. contra Jud. Venantius in expos. Symbol. Apostol. Gregorius homil. 1. in Ezech.* (quinimò hanc expositionem plerique ex Pontificiis adhuc hodie sequuntur, & tamen Maldonatus eam rejicit, propter hanc rationem: *Quomodo mortem Christi & descensum ad inferos Johannes ignorare potuit, quæ nemo tunc Propheta, nemo doctus, qui antiquorum Prophetarum vaticinia legisset, ignorabat?*)

Ibid. v. 11. *In verbis, Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo, Augustinus lib. 2. contra advers. Legis cap. 5. per eos, qui in regno cælorum sunt, Angelos intelligit. Hieronymus & Beda homines jam in cælo beatos. Multi de Christo ipso hoc dictum existimant, sed non omnes eodem modo. Quidam sic, qui minor est in regno cælorum, i. e. in Ecclesia, i. e. ego, qui omnium humilimus sum, major sum illo, ut Rupertus. Alii ego, qui & ætate minor sum & hominum opinione, Johanne minor habeor, major illo sum. Sic Hilarius, Chrysostomus, Autor imperf. op. Euthymius & Theophylactus, quam etiam interpretationem approbat Augustin. tr. 13. in Joh. & lib. 2. contra adv. legis c. 5. Habet ex multis opinionib. quam eligat Lector, sed si meam quoque sententiam avet audire, liberè fatebor in nulla prorsus earum meum qualecunque judicium acquiescere.*

Ibid. v. 11. *In verbis, Regnum cælorum vim patitur, quidam Christum ipsum regnum cælorum vocari putant, ut Ambros. serm. 15. de natali Dom. alii vitam æternam, aut cælum, ut Gregorius & Beda; alii fidem, ut Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus; alii Ecclesiam, aut Evangelium, ut multis aliis locis. His solis assentior,* (& tamen pro hac expositione nullum ex veteribus adducit.)

Ibid. *Plerique sic exponunt, vim patitur, id est, mortificatione, pœnitentiâ, ignominiâ obtinetur; Basilius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Bernhardus. Ego Hilarii & Ambrosii sententiam sequor, propterea dici vim pati regnū cælorum, & rapi à violentis, quia non intra unum populum, ut in veteri lege conclusum est, & q. certis finibus custoditum, sed omnibus apertum, omnibus expositum &c.* (Duorum expositionem reliquis omnibus præfert, quia textui magis congrua, Matth. 8. v. 11.)

In cap. 16. Matth. v. 19. *Nec enim eodem sensu, quo Petro atque aliis Apostolis dictum, interpretor, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis; etsi video omnes Autores præter Origenem in eadem fuisse sententia, sed eo sensu quo super solum Petrum Ecclesia ædificata est, quo soli datæ sunt claves &c.*

Cap. ejusd. v. 18. præced. *Horum verborum, Portæ inferorum non prævalebunt &c. sensus non videtur mihi esse, quem omnes præter Hilarium, quos legisse memini, Autores putant.*

In cap. 19. Matth. v. 11. *Quod dicit, Non omnes capiunt verbum hoc, ita ferè omnes exponunt, tanquam si sensus esset, non omnes, quod dicitis, præstare possunt, h. e. uxore carere, quia non omnes castitatis donum habent, sed quibus datum est. Hunc sensum Origenes, Nazianzenus & Ambrosius secuti sunt, quam interpretationem adduci non possum, ut sequar.*

In cap. 20. Matth. v. 22. *Multi Autores existimant, quemadmodum Jacobus & Johannes temere & ambitiosè honorem petiverant, ita quoque temerè ambitioseque respondisse, se posse calicem bibere, ut Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius &c. alii, quòd non intelligebant promisisse ut Autor imperf. op. Malo ego credere, nec temerè nec inscienter, sed amanter & verè respondisse, se paratos esse, ut pro Christo morerentur.*

In

In cap.26. Matth. v.19. *in quæstione, Cur Christus nomen illius patrisfamilias non expresserit, ad quem Apostolos ad parandam Cœnam Paschalem ablegabat, refellit Hieronymum, Bedam, Origenem, Hilarium, Ambrosium, Euthymium,* ac subjicit, *Magis mihi Chrysostomi conjectura placet, propterea non nominasse, quod ignotus esset,* mox tamen addit, *tamen hæc ipsa omninò non placent.*

Cap. ejusd. v.29. *Origenes, Cyprianus, Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Beda, Euthymius & Theophylactus ad sanguinem Christi referunt &c. Sed persuadere mihi non possum, hæc verba ad sanguinem Christi esse referenda.*

In cap.1. Luc. ad illud, *Qui ministri fuerunt sermonis,* cum *per sermonem Christum intelligi* dixisset, *ab Origene, Hieronymo, Ambrosio & Euthymio,* subjicit: *Magis assentior iis, minoribus licet Autoribus, qui existimant, nomen λόγου sermonis, aut verbi, pro re accipi ex Hebræorum idiomate.*

Idem in cap.10. Lucæ, cùm quæsivisset, *quemnam Christus dixerit, esse proximum nostrum, & à nonnullis poni eum, qui nobis benefacit; à Theophylacto & nonnullis aliis, eum, qui nostra ope indiget; ab Augustino eum, cui exhibendum est officium misericordiæ, si indiget:* tum verò hos omnes sensus explodit, *& omnes homines nostros proximos esse* mavult, subjungens: *Nescio, an, qui aliorum non probo sententias, meam sim aliis probaturus.*

Idem in cap.2. Johan. *Inter veteres Autores paucos admodum invenio, qui non aut apertè dicant, aut obscurè significent, aliquam culpam, aut errorem certè fuisse, quod Filium ad faciendum miraculum incitaverit, si non ob aliud, certè quia intempestivè & ante tempus id fecit. Ego hoc mihi non persuadeo, ullam unquam in Maria fuisse culpam, multo vero minus in hoc facto.*

In cap.3. Johan. v.8. *in verbis, Spiritus, ubi vult, spirat. Maxima pars* SPIRITUM SANCTUM *interpretatur, ut Origenes, Ammonius, Apollinarius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Autor de mirabilibus Scripturæ, Gregorius Magnus, Bernhardus, Elias Cretensis, Beda, Strabus, Rupertus, Alcuinus & Haymo. Alii Autores ventum hoc loco significari statuunt, ut Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Autor qq. V. & N. Test. &c. Movent me rationes posterioris expositionis, quò minus priorem illam interpretationem sequar, libenter tot Autorum reverentiâ secuturum. Sed nihilominus me ex altera parte, quo minus hanc sequar, movent illæ, quas pro altera adduximus sententia. Itaque etsi novarum interpretationum laudem minimè ipse quærere, minimè in aliis laudare soleo, tamen cogor hic paribus utrinque impulsus rationibus novam interpretationem, si non sequi, tamen indicare omnibus, & doctioribus relinquere judicandam. Videant ergò, qui melius quàm ego judicare de hisce rebus possunt, an non melius nomen Spiritus h.l. pro anima sumatur,* (quam expositionem à communi veterum sententia discedentem, laudat Pererius Disput.9. in Joh.3. num.37.)

Ibid. v.11. in verbis: *Quod scimus, loquimur. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, Rupertus & Haymo existimant, Christum significare voluisse, se solum non esse, sed una cum Patre testimonium perhibere. Mihi aliquanto durior videtur hæc ratio. Durior etiam illa, quam in Catena D. Thomæ Alcuinus affert, quòd Christus sua aliorumque qui ex Spiritu sancto regenerati essent, persona loqueretur. Nihilo magis probo, quod alii dicunt, Christum se cum cæteris à Deo missis Prophetis connumerare. Alii de se solo pluraliter autoritatis causa loqui putant. Sic Theophylactus sentit, cujus ego sententiam magis probo. Tamen quia insolitum est Christo, pluraliter de se loqui, hanc ipsam interpretationem, quam omnium probabilissimam judico, probare omnino non possum. Sic igitur interpretor, ut Christus nec de se, nec de una aliqua re, quam ipse sciat aut viderit, sed de omnibus bonis testibus, & de omni similiter testimoniorum materia generaliter loquatur.* (cujus expositionis nullum alium nominat Autorem, quàm seipsum.)

Ibid. v.12. *Si terrena vobis dixero. Augustinus, Beda & Strabus terrenum vocari putant, quod Christus cap.2. v.19. dixerat, Solvite templum hoc. Origenes, Ammonius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & ut videtur, etiam Cyrillus per rem terrenam intelligunt Baptismum. Alii ventum rem terrenam existimant. Vellem & ego aliquam ex his unam, quæ bonos habeat Autores, sequi possem, sed fateor, me præter voluntatem meam in novam interpretationem rationibus majoribus impelli. Puto Christũ ad modũ loquendi respexisse.*

In cap.6. Johan. v.62. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem. Prædixit fore, qui propter suum in cœlum reditum minus etiamnum crederent. Non nego me hujus interpretationis Autorem neminem habere, sed hanc eò magis probo, quam illam alteram Augustini, cæterarum alioqui probabilissimam, quod hæc cum Calvinistarum sensu magis pugnet, quod mihi magnum est probabilitatis argumentum.*

Ibid. *Illud mihi difficilè persuadere possum, intelligendum esse, tunc scandalizari desinetis, aut tunc intelligetis, tunc credetis, quemadmodum omnes, quos memini legere, Autores interpretantur.* (Refellit Maldonatum Vasquez in p.3. Thom. Disput.179. cap.5. *Ego vero valde miror, viros doctos & ingeniosos non animadvertisse, discipulos tempore ascensionis non solum fuisse multo magis in fide mysteriorũ confirmatos, ac proinde de hoc Sacramento non potuisse magis dubitare, ac scandalizari, quàm tunc scandalizati sunt ac dubitarunt: verum etiam ita fuisse in eo mysterio & in aliis in Cœna & post Passionem à Christo instructos, ut nihil prorsus de illo, aut de ullo alio dubitaverint, aut scandalizati fuerint.*)

In cap.8. Johan. v.56. *Abraham exultavit, ut videret diem meum. Omnes Autores, quos legere memini, etiam, qui diem Christi tempus incarnationis ejus vocari putant, existimant aut sola fide, aut fide & figurâ, aut prophetica revelatione vidisse. De fide conveniunt omnes, nec enim dubium est, quin fide Christum futurum apprehenderit. Figuras alii alias afferunt. Plerique illam Isaac, quem Abraham ipse sacrificavit, qui cum expressa morituri pro nobis Christi figura fuerit, non dubium, quin in ea, tanquam in speculo, diem Christi conspexerit. Ita Chrysostomus, Ammonius, Leontius, Theophylactus & Euthymius. Alii cùm tres vidit & unum adoravit Gen. 18. ut Augustinus, Beda & Rupertus. Alii ad juramentum illud referunt, quod servum suum obstrinxit positâ manu super femore, qua re Christum de femore suo nasciturum significaverit Genes.24. ut Augustinus & Bernhardus. Alii referunt ad Historiam Gen.15. v.17. Alii peculiari revelatione & Prophetico spiritu vidisse, ut putat Eucherius in qq. in Johan. Alii non alio modo quàm fide, ut Apollinarius in Catena Græca. Vereor, ne arrogantis Interpretis esse videatur, à tot, tamque gravibus Autoribus dissentire, sed minimè arrogans videri debet in quærenda veritate moderatè dicere, quid sentias, hoc enim ipsum illi cum scriberent, facere solebant. Mihi non videtur, quod Christus dicit, Vidit & gavisus est, de sola fide aut figura, vel Prophetica revelatione intelligi posse &c. Vidit ergò diem Christi reipsa.*

Ribera in Apoc.1. v.4. p.27. *Septem Spiritus multi interpretantur Spiritum sanctum septiformem, ut Primasius, Ambrosius, Beda, Ansbertus, Rupertus, Haymo, Thomas. Alii, quod idem est, septem Spiritus dicunt vocari septem dona Spiritus sancti, ut Victorinus Martyr, & Joachimus Abbas. Anshelmus utroque modo. At non video, quomodo de Spiritu sancto dici possit, qui in conspectu throni ejus sunt. Multò melius sine dubio explicavit Aretas, qui dicit, hos septem Spiritus esse Angelos.* (Sic ergò unius expositionem, & quidem falsam plurium rectè sentientiũ expositioni præfert.)

In cap.20. Apoc. v.1. p.534. *Hunc Angelum plerique Christum esse censent, quod mihi non placet. Nam nec Dominus Angelus sine addito appellari solet &c. Melius Augustinus &c.* (unius Augustini expositionem plerorumque expositioni præfert.)

In expositione loci Apostolici 1. Corinth.15. v.29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? &c.* discedunt à Tertulliano, Ambrosio, Anshelmo, Haymone, Sedulio, Chrysostomo, Occumenio, Theophylacto, Theodoreto, Epiphanio, imò ipso Thoma, qui omnes locum illum aliter intellexerunt, eumque accipiunt *de Baptismo Pœnitentiæ pro mortuis*, ut Purgatorium succendant. Unius Ephremi suffragio nituntur, cùm tamen constet, pleraque hujus Autoris scripta esse supposititia. Hieronymus suo tempore nihil aliud viderat illius Autoris præter tractatum de Spiritu sancto, Græcè versum, qui hodiè non amplius extat.

Huc referendum est, quòd recentiorum sententiam & expositionem quandoque antiquioribus Dd. præferunt.

Johan. Roffensis art.18. contra Luth. *Nec cuiquam obscurum est, quin posterioribus ingeniis multa sint tàm ex Evangeliis quàm ex Scripturis cæteris nunc excussa luculentius & intellecta perspicaciùs, quàm fuerant olim, quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies, neque sufficiebat illorum ætas totum illud Scripturarum pelagus ad amussim expendere &c.*

Tumultuaria Apolog. pro dispensat. de matrim. Regis Henrici VIII. & uxoris sui fratris defuncti fol.37. §. Hieronymus, & fol.38. §. Igitur. *Maneat sane Patribus suus honor, sua majestas sint, ut merentur, in summa veneratione ac pretio, at tamen audeo dicere, recentiores Doctores multis in locis Patribus vigilantiores ac perspicaciores esse.*

Coiterus in Enchirid cap.1. p.69. *Quædam fiunt nonnunquam explicatiora temporis progressu, quam fuerint in principio. Sicut enim numero crevit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione & perspicacior in illis cognoscendis, quæ ex primis articulis fidei manifestè notis tanquam ex principiis necessario colliguntur.*

Nec injuriâ quis huc retulerit liberam confessionem Baronii An.109.n.51. *Jura veritatis ampliora sunt omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum seculorum valeant præscriptione lædi, nec innumerâ testium multitudine obrui & labefactari.*

Hujusmodi longè plura facili negotio adduci possent, ex quibus omnibus sic concludimus: Si pauciorum, vel etiam unius Patris expositio meritò præfertur expositioni plurium, propterea quod illa Scripturæ verbis, contextui & scopo, ac fidei analogiæ magis congruit, utique de Patrum expositionibus judicandum erit ex Scriptura. Parati omnino sumus nostratum expositionum Autores aliquos ex antiquitate nominare, nec ullum proponimus dogma, cujus non possimus evidentia & perspicua quædam testimonia ex Patribus afferre, interim soli Scripturæ hunc honorem cum ipsis Patribus deferimus, quod ipsa sola & dogmatum & expositionum regula in Ecclesia sit habenda.

7. Quòd agnoscunt, Patres in multis capitibus non solùm à se invicem, sed etiam à semetipsis dissentire. (Quod ergò de consuetudinibus contrariis Bellarminus dicit lib. 4 de verbo Dei cap.11. *ex illis nihil certi statui posse*, idem etiam de Patrum sententiis inter se haudquaquam convenientibus dici potest & debet. Agnoscit hoc Bellarminus ipse lib. 4. de Eucharistia cap 10.§. Cæterum &c, sic scribens: *Non obstat, quod aliqui Patres verba illa Christi Matth 26. Non bibam de genimine vitis &c. de calice Eucharistiæ exposuerunt. Nam alii, qui magis ex professo rem tractarunt, contrarium docuerunt. Non possumus autem ex Patrum sententiis aliquid certi colligere, quando inter se non conveniunt.* Proferatur verò unum aliquod dogma Papale à nostra Ecclesia falsitatis accusatum, quod unanimi omnium Patrum consensu nitatur, ita ut nullus ex veteribus unquam illi contradixerit. Nos contra parati sumus pro nostra sententia in quovis dogmate controverso evidentia unius, duorum, vel etiam plurium Patrũ proferre testimonia, quo procul dubio respexit Greg. de Valentia, quando in Anal. de Eccl p.18, fatetur, *quod Patrum scripta suo quodam modo sint arma utrique parti communia.* Nimirum, ut Pontificii quædam pro sua sententia ex Patribus producunt, ita quoque pro nostra sententia quædam ex illis producimus, ad Scripturam igitur, ut nos rectè censemus, vel ad Pontificem, ut Adversarii falsò contendunt, tandem recurrendum, ut cognosci possit, quæ tandem Patrum sententiæ acceptandæ, quæ vero repudiandæ.)

Glossa in c. Unius. dist. 26. *Malè sentit hic Hieronymus, unde Augustinus eum corrigit.*

Alphonsus à Castro lib.1. adv. hæres. cap.7. refellit Glossam Juris Canonici dist.9. asserentem, *quod omnia Patrum scripta sint authentica & tenenda ad ultimum usque jota. Quis ferat,* inquit, *ut hominem tam apertè mendacem non insectetur? ubinam jubentur sanctorum Patrum scripta teneri usque ad ultimum jota? aut qualiter hoc præcipi potest, cùm sanctorum Patrum sententiæ sæpe invicem repugnent? non potest certe Deus contradictoria præcipere, tantùm abest, ut Papa præcipiat &c.*

Et paulò ante Alphonsus sic disserit: *Hieronymus ait, Paulum simulatione tantum & non verè reprehendisse Petrum. Augustinus ait, Petrum verè justeque à Paulo reprehensum. Hieronymus ait, eum, qui ante Baptismum duas habuerit uxores, suscepto postmodum Baptismo posse ad Sacerdotium promoveri, cui assertioni refragantur Ambrosius Augustinus, cæterique omnes. Augustinus universi mundi fabricam ait fuisse à Deo, etiam quoad varietates formarum, uno eodemque temporis momento exstructam, nullamque prorsus admittit in ea re temporis successionem, sed illa dierum volumina interpretatur Angelicæ cognitionis alternationes. Cui interpretationi adeò contradicitur, ut nullum unquam ex sacris Scriptoribus viderim, qui illi hac in parte assentiat. Sunt & id genus multa.*

Idem lib.6. adv. hæres. tit. Episcopus. *Hieronymus in hac quæstione, an idem Presbyter, qui Episcopus, sibi non constat, quoniam si hoc est in Ecclesia Episcopus, quod in lege veteri Aaron, & hoc Presbyter, quod filii Aaron, convincitur etiam inde, ut ex ipsa institutione divina Episcopus sit quovis alio Presbytero major, quoniam Aaronis Sacerdotium ex ipsius Dei institutione majus erat, quàm Sacerdotium filiorum Aaron.*

Ludovicus Vives in Comment. lib.18. de Civ. Dei cap. 43. *Laudandus vehementer candor, quo vir sanctus* (Augustinus) *de Hieronymo loquitur, à quo dissentiebat in re tanta:* (de LXX. Interpp. versione) *utinam eum hoc tempore imitaremur!*

Lib. ejusd cap. 42. *Hieronymus interdum LXX. Interpp. plurimum defert & Spiritu sancto plenos fuisse dicit, sed idem sæpe malè atque imperitè eos vertisse affirmat, ut erat in quod intenderat, vehemens.*

Erasmus in cap. 22. Luc. de bello gerendo, *Augustinum sibi ipsi constare* negat. Salmero tom.1.f.13. agnoscit, *Patrum circa sensum Scripturæ dissonantiam*, & ex ea *Scripturæ obscuritatem* probat.

Bellarminus lib.1. de Verbo Dei cap.5. *Hieronymus statuit, Salomonem egisse pœnitentiam, Augustinus verò eum à Deo fuisse reprobatum,* asserit.

Idem libr. ejusd. cap.7.§.1. *Melito, Athanasius & Nazianzenus librũ Estheris statuunt esse extra canonem. Alii vero contradicũt.*

Ibid. *Septem postrema capita Esther Hieronymus libri illius vera membra esse negat, & tanquam adulterina atque aliena à reliquo corpore resecanda putat. Origenes, Cyrillus, Damascenus, Hilarius, Ruffinus & Augustinus contrarium statuunt.*

Lib. ejusd. cap.19.§. Nec defuerunt. *Hieronymus in Epistola ad Dardanum testatur, ita Græcos de Apocalypsi dubitasse, contra communem consensum Latinorum, quemadmodum Latini de Epistola ad Hebræos, contra communem Græcorum sententiam dubitabant.*

Lib.2. de Verbo Dei cap.1. *Sacram Scripturam periisse tempore captivitatis Babylonicæ, & ab Esdra, dictante Spiritu sancto, esse reparatam, statuit Basilius. Addunt quidam in eandem sententiam Irenæum, Tertullianum & Clementem Alexandrinum, sed illi non apertè hoc docent. Contrarium statuunt Chrysostomus, Hilarius, Theodoretus &c.*

Lib. ejusd. cap.6.§.2. *Irenæus & Clemens Alexandrinus scribunt, regnante Ptolemæo Lagi filio versionem LXX. Interpp. adornatam; Tertullianus, Athanasius, Epiphanius & alii Ptolemæum Philadelphum nominant.*

Ibid §. Secunda quæstio. *Hieronymus statuit, LXX. tantum vertisse Pentateuchum, quod probat ex Josepho & Philone. Sed eos omnia vertisse scribit Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius & Eusebius.*

Ibid.§. Jam in tertia. *Epiphanius scribit, hos Interpretes binos & binos in cellulis inclusos fuisse, & divino miraculo singula paria ipsorum totidem verbis totam Scripturam transtulisse. Justinus dicit, singulos in singulis cellulis inclusos, & majore adhuc miraculo à singulis seorsim totam Scripturam iisdem verbis redditam, & se apud Alexandriam vestigia cellularum vidisse. Justinum sequuti sunt multi ex posterioribus, Irenæus, Cyrillus, Hierosolymitanus, Clemens Alexandrinus & Augustinus. At Hieronymus apertè ridet hanc Historiam! Nescio, inquit, quis primus Autor Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit. Itaque existimat B. Hieronymus LXXII. Interpretes in eadem basilica sedentes & inter se conferentes Scripturas transtulisse.*

Ibid.§. Sequitur quarta. *Hieronymus passim reprehendit versionem LXX. Sed illos optimè transtulisse & peculiari modo Spiritum sanctum assistentem habuisse, asserunt Justinus, Irenæus, Eusebius, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Chrysostomus, Cyrillus, Tertullianus, Augustinus, Hilarius & alii omnes:* (ubi nota, Hieronymum contra unanimem Antecessorum & συγχρόνων consensum hoc statuisse.)

Lib.4. de Christo cap.16.§. Tertium dubium. *Augustinus videtur sentire, animas in limbo etiam antea fuisse beatas, & nihil eis contulisse Christi descensum. Communis Catholicorum sententia habet, duo magna eis contulisse Christum, beatitudinem essentialem, & deductionem ex eo carcere in cœlum, de secundo beneficio habemus consensum Patrum.*

Ibid.§. Quare. *Inter fabulas numeranda est illa narratio deliberatione Platonis ex inferno, quam in Historiis Patrum circumferri dicit Nicetas.*

Lib.1. de Pontif. Rom. cap.28.§. Jam hoc &c. *Græci Patres factum Petri Galat. 2. omni peccato carere volunt, quibus subscripsit Hieronymus: plerique autem Latinorum peccatum aliquod in hoc Petri facto agnoscunt, ut Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius & alii.*

Lib.2. de Rom. Pontif. cap.5.§.4. *Tertullianus, Clemens Alexandrinus & Lactantius docent, Christum mortuum anno 15. Tiberii, ætatis anno 30. Ignatius, Eusebius & alii dicunt, eum anno ætatis 33. & Tiberii 18. crucifixum. Irenæus contendit, Christum ferè ad annũ 50. pervenisse, proinde non sub Tiberio, sed sub Claudio passũ esse.*

Lib. de Baptismo cap.3.§. Præter &c. *Ambrosius, Beda & Bernhardus statuunt, sufficere ad Baptismum, invocationem unius tantum personæ divinæ ac præsertim Christi.*

§. Denique. *Contra verò disertè tres personas exprimendas esse docent Dionysius, Justinus, Origenes, Athanasius, Basilius, Didymus,*

mus, Nyssenus, Chrysostomus, Nazianzenus, Damascenus, Theophylactus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & Fulgentius.

Lib. ejusd. cap. 6. §. Secunda propositio. *De Martyrio nullus veterum, quod sciam, negavit, eo suppleri Baptismum aquæ, at de conversione & pœnitentia non desunt, qui id negaverint.*

Lib. 4. de Eucharistia cap. 24. art. 13. 14. unum eundemq; Augustinum *duarum diversarum sententiarum* patronum facit.

Lib. de gratia primi hominis cap. 12. §. Tertia est &c. *Basilius, Damascenus & Rupertus statuunt, Paradisum ob situs sublimitatem nullas tenebras admittere, esse terrâ nostrâ sublimiorem & locum cœlo proximum:* (quas sententias ita exponit, quod *ex altitudine hyperbolica Paradisi excellentiam demonstrare voluerint*, cum tamen reverâ id statuant. quod ex aliis Patribus refellit, *Paradisum esse locum quendam sublimem usque ad globum Lunæ pertingentem.*)

Lib. ejusd. cap. 18. *De ligno vitæ duæ sunt Patrum sententiæ. Una Augustini, quòd institutum fuerit ad arcendam mortem, quæ contingere solet ex senio. Altera multorum veterum, quòd hanc vim habuerit, ut vel semel gustatum perfectam afferret immortalitatem.*

Lib. 3. de amiss. gratiæ cap. 4. diversas Patrum sententias recenset, *de primo hominis peccato.*

Lib. ejusd. cap. 9. *Chrysostomus disertis verbis docet, gravius fuisse peccatum mulieris, quàm viri, quam sententiam plerique Scholasticorum sequuntur. Contra Ambrosius multis argumentis contendit, virum gravius peccasse quàm fœminam. Augustinus semper ita loquitur, ac si æquale putaverit fuisse peccatum mulieris peccato viri.*

(Plura hujusmodi passim occurrunt, non solum apud Bellarminum, sed etiam apud alios Scriptores Pontificios, Duræus cont. Witak. f. 131. & Campianus rat. 2. clamant, *neminem acrius liberum arbitrium negantes oppugnasse, quàm Augustinum.* Contrà vero Sixtus Senensis in Præfat. lib. 5. Bibliothec. pronunciat, *Augustinum in alteram foveam delapsum, minusque interdum tribuere, quàm par sit, liberæ hominis voluntati.*

Ut autem in dogmatibus & quæstionibus, ita quoque in Scripturæ expositione Patres non convenire idem Bellarm. agnoscit.)

Lib. 4. de Christo cap. 5. *De loco Marc. 13. variè sentiunt Patres. Gregorius statuit, quod Christus dicatur nescire diem illum, non in sua persona, sed in persona Ecclesiæ. Idem Gregorius, Ambrosius, Nazianzenus, Cyrillus statuunt, quòd dicatur eum nescire, quia non sciebat, ut homo, h. e. humanâ scientiâ, sed divinâ revelatione. Epiphanius, Chrysostomus & Bernhardus, quia non sciebat practicè. Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, Theophylactus & Augustinus, quia non sciebat ad dicendum aliis.* (Barradius & alii adhuc plures expositiones afferunt.)

Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 12. §. De priore. *Locum Matth. 18. Quæ alligaveritis, aliter exponunt Origenes, aliter Theophylactus, aliter Hilarius, Hieronymus, Anshelmus &c.*

Lib. ejusd. cap. 16. §. Objectio quinta. *Scio Clementem Alexandrinum non Petrum, sed quendam alium à Paulo reprehensum docere, Gal. 2. Scio Hieronymum & alios multos velle, non verè, sed simulatoriè Petrum reprehensum. Sed probabilior est Augustini sententia, quòd seriò fuerit Petrus reprehensus.*

Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. §. ad locum Johan. 19. *Non haberes potestatem adversus me ullam &c. Cyrillus & Chrysostomus statuunt, loqui Dominum non de potestate jurisdictionis, sed de permissione divina, sine qua ne peccata quidem fieri possunt. Augustinus & Bernhardus docent, loqui Dominum de vera potestate jurisdictionis.*

Lib. 3. de Rom. Pont. cap. 6. §. Ad verba. *Hieronymus, etsi in Commentario Malachiæ non putavit, Malachiam loqui de vero Helia, tamen in Commentario Matth. 11. & 17. contrarium sentit ac docet.*

Lib. 3. de Eccles. cap. 4. §. Respondeo, aliqui &c. *Cyprianus per zizania Matth. 13. non intelligit hæreticos, sed homines malos, qui sunt in Ecclesia, quam per agrum significari putat. Augustinus q. 11. super Matth. statuit, per agrum non significari Ecclesiam, sed mundum universum.*

Ibid resp. ad 2. *Variæ sunt veterum expositiones de loco 2. Tim. 2. In magna domo. Una est Græcorum, Chrysostomi & Theophylacti, qui nomine domus non intelligunt Ecclesiam, sed mundum. Altera Latinorum, Cypriani, Ambrosii, Augustini, qui nomine domus intelligunt Ecclesiam.*

Lib. de Clericis cap. 28. §. Prior. *Hilarius docet Matth. 17. agi de tributo, quod imposuerat Deus omnibus filiis Israël in usum templi. Hieronymus exponit verba de tributo, quod Cæsari solvebatur.*

Lib. de Monachis cap. 9. §. Prima est. *Hieronymus & Beda docent, juvenem istum Matth. 19. non voto discentis, sed animo tentantis ad Dominum accessisse. Hanc sententiam refellit Chrysostomus.*

Lib. 1. de Purgat. cap. 5. §. Prima difficultas. *In loco 1. Cor. 3. Augustinus architectos censet dici omnes Christianos. Idem docere videntur Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius in h. l. Alii permulti docent, architectos hic ab Apostolo non vocari, nisi Doctores & Prædicatores Evangelii. Ita Ambrosius & Sedulius. Idem insinuat Hieronymus, idem recipiunt Anshelmus & Thomas.*

Ibid. §. Altera difficultas. *Chrysostomus & Theophylactus nomine fundamenti intelligunt fidem veram, sed informem, nomine auri, argenti, lapidum pretiosorum, opera bona, nomine ligni, fœni, stipulæ, peccata mortalia. At hoc defendi non potest. Ambrosius & Hieronymus nomine fundamenti intelligunt Christum, sive prædicationem, nomine auri, argenti & lapidum preciosorum Catholicas expositiones, nomine ligni, fœni & stipulæ hæretica dogmata. Hæc sententia minùs defendi potest quam præcedens. Augustinus nomine fundamenti intelligit fidem vivam, nomine auri, argenti & lapidum preciosorum opera supererogationis, nomine ligni, fœni & stipulæ omissionem consiliorum, & affectum quendam carnalem ad bona hujus mundi. Hæc sententia vera quidem est, sed non conveniens huic loco. Gregorius per aurum, argentum & c. intelligit opera bona, per stipulam, fœnum, peccata venialia, quæ bona est, sed alia est melior. Theodoretus & Oecumenius per aurum & argentum intelligunt bonos auditores, per stipulas malos auditores. Hæc sententia refellitur à Chrysostomo.*

Ibid. §. Tertia difficultas. *Augustinus & Gregorius nomine diei intelligunt præsentem vitam. Hæc sententia non videtur ad mentem B. Pauli, quia omnes Doctores intelligunt hanc diem esse diem judicii.*

§. Quarta difficultas. *Per ignem, qui in die Domini judicium cujusque probabit Augustinus & Gregorius intelligunt tribulationes hujus vitæ. Alii ignem æternum, alii ignem conflagrationis mundi, qui diem judicii præcedet, alii de pœnis Purgatorii, sed neque id rectè dici potest. Superest igitur, ut dicamus, Apostolum hic loqui de igne severi & justi judicii Dei.*

§. Quinta difficultas. *In verbis, ipse salvus erit q. per ignem, Augustinus & Gregorius intelligunt tribulationes hujus vitæ. Chrysost. & Theophylact. ignem æternum. Alii ignem conflagrationis mundi. Communis sententia est, intelligi pœnam aliquam purgatoriam & temporalem.*

Lib. ejusd. cap. 6. §. 2. *Locum Apostolicum, quid faciunt qui baptizantur super mortuis? Tertullianus, Ambrosius, Anshelmus & Haymo sic exponunt, quòd Apostolus probet futuram resurrectionem ex errore quorundam, qui Baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui defuncti sine Baptismo. Sedulius & Thomas nomine mortuorum intelligunt peccata, pro quibus diluendis suscipitur Baptismus. Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus dicunt, baptizari super mortuos dici, qui, antequam baptizentur, recitant Symbolum, Credo resurrectionem mortuorum. Theodoretus, quia, dum baptizamur, agimus & repræsentamus personam mortui. Epiphanius putat, Apostolum loqui de Baptismo eorum, qui baptizabantur in lecto, cùm essent in extremis. Ephrem, Cluniacensis, Dionysius &c. exponunt de Baptismo pœnitentiæ & lachrymarum.*

Lib. ejusd. cap. 7. *Per adversarium in loco Matth. 5. Esto consentiens adversario, Origenes, Ambrosius, Euthymius, Theophylactus & Hieronymus intelligunt Diabolum. Ambrosius peccatum, Hilarius, Anshelmus & Hieronymus alterum hominem, qui nos læsit, aut nos illum. Ambrosius, Beda, Anshelmus, Gregorius Legem Dei, sive DEUM ipsum, quatenus præcepit carni contraria, sive conscientiam, quæ Dei Legem semper objicit peccanti.*

Lib. de Bapt. cap. 4. §. Porrò tres. *Loci Apostolici 1. Cor. 7. filii vestri sancti, tres sunt expositiones apud Patres. Ambrosius & Anshelmus intelligũt de sanctitate civili, quòd sint legitimi non spurii. Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, dici sanctos, quia consecrantur Deo ab altero conjuge fideli, & per Baptismum Christiani fiunt, & in Dei timore educantur. Tertia aliorum, ut referunt Augustinus & Anshelmus, qui dicebant, sanctificari conjugem infidelem per fidelē, quia discebat servare leges conjugii & non abutuntur matrimonio.*

Lib. 3. de amiss. gratiæ cap. 7. varias Patrum expositiones affert super locum Apostolicum 2. Tim. 2. *Vir non est seductus.*

Lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 2. varias Patrum expositiones recenset super locum Rom. 2. v. 14.

Conc. Trident. (cujus vocem Bellarm. dicit esse *sententiam totius Ecclesiæ* lib. 1. de Justif. c. 12.) de Comm. sub utraque specie c. 1. *Neque ex sermone illo Johan. 6. rectè colligitur, utriusque speciei Communionem esse à Domino præceptam, utcunque juxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.*

Plura

(Plura hujusmodi exempla diversarum, imo adversarum expositionum in Patrum scriptis occurrentium ex Christophoro à Castro, Cornelio à Lapide, Blasio de Viegas, Lorino & aliis Commentatoribus facili negotio colligi possunt.)

8. Quod agnoscunt interpretationem à consensu veterum diversam, non esse statim adulterinam. (Atqui si consensus veterum esset interpretandæ Scripturæ ratio certissima, non tantùm *adversa* illis planeque contraria interpretatio esset adulterina ac notha, sed etiam *diversa*. Scripturæ enim sensus literalis est unicus, quem si consensus Doctorum exhiberet indubitatè, reliqui sensus non essent veri istius loci sensus.)

Stapletonus lib. 11. de princip. cap. 5. *Consentientem & receptam, vel omnium, vel plurimorum sanctorum Patrum atque Doctorum interpretationem, ita vel certam atque authenticam, vel admodum profecto probabilem esse non dubitemus, ut adversam planeque contrariam ac notham indubitate habeamus; diversam autem & aliam, non autem contrariam non ita.* Repetatur dictum Cani superius §.6. citatum.

9. Quod statuunt, Patribus nondum omnia pietatis mysteria fuisse cognita. (Utique ergo ipsorum consensus non est infallibilis, vel Scripturæ interpretandæ, vel controversiarum dijudicandarum regula.)

Roffensis contra Lutherum art. 18. qui est de Indulgentiis: *Neque cuiquam obscurum est, quin posterioribus ingeniis multa sint tam ex Evangeliis, quam ex Scripturis cæteris, nunc excussa luculentius, & intellecta perspicacius, quæ olim nimirum aut quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies, neque sufficiebat illorum ætas totum illud Scripturarum pelagus ad amussim expendere, aut quia semper in amplissimo Scripturarum campo post messores quantumvis exquisitissimos, spicas adhuc intactas licebit colligere. Sunt enim adhuc in Evangeliis loca pleraque satis obscura, quæ non dubito posteritati multò fient apertiora. Cur enim istud desperabimus, cum ideo traditum sit Evangelium, ut à nobis penitus & ad unguem intelligatur? Quoniam igitur in Ecclesiam suam amor Christi non minus nunc, quam antea fortis perseverat, cujus etiam potestas nihil hactenus est immutata, cumque sacer ille Spiritus perpetuus ejusdem Ecclesiæ custos fuerit, sicut ab initio: quis ambigere potest, quin ad eorum, quæ in Evangelio supersunt incognita, claram notitiam ingenia posteriorum illustrabuntur? cæterum, ut dicere cœpimus, multa sunt, de quibus in prima Ecclesia nulla quæstio facta fuerat, quæ tamen posteriorum diligentia subortis dubitationibus jam evaserunt perspicua.*

Melchior Canus lib. 7. Locor. cap. 3. *Nec quenquam hoc errore duci oportet, ut si quid Ambrosius aut Hieronymus contra morem doctrinamque hujus temporis fecerint locutique fuerint, idem sibi arbitretur licere. Primum, quoniam res nonnullæ non erant tunc adeò in Ecclesia definitæ, ut nunc esse videmus.*

Salmeron Disp. 51. in Epist. ad Rom. *Per incrementa temporum nota facta sunt divina mysteria, quæ tamen antea multos latuerunt, ita ut hoc nosse beneficium sit temporis, non quod nos meliores simus, quam Patres nostri.*

10. Quod agnoscunt, consensum veterum in Scripturis interpretandis quandoque reprehensum fuisse. (Ergo consensus veterum non est certissima interpretandæ Scripturæ regula.)

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 5. Matt. *Audistis, quod dictum est antiquis, hoc est, priscis patribus, qui Legem ipsam à Deo per Mosen acceperant.*

Et postea: *Non Mosi aut Legi se opponit, multo minus Legis Autori, sed Legis explanatoribus Scribis. Non enim solum dixerat, dictum est antiquis. Sed audistis, quia dictum est. In quam sententiam D. Thomas prima secundæ quæst. 107. art. 2. dicit, quod præcepta ista, Non occides & Non mœchaberis, aliaque Salvator impleverit, exprimendo verum Legis intellectum, quem Scribæ & Pharisæi non fuerint assecuti.*

Et paulo post: *Pergit Christus in Legis declaratione, & proximum præceptum suo sensui restituit.*

Idem in cap. 15. Matth. *Exemplo uno in medium declarat, ipsos, dum traditioni pertinacius adhærent, Dei tran gredi mandatum.*

11. Quod agnoscunt, multa veterum scripta hodie non amplius extare. (Ergo ad unanimem Patrum consensum frustra provocant, cum non constet, an illi, quorum scripta hodie non amplius extant, consenserint cum illis, quorum scripta adhuc habentur.)

Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæres. verbo Baptismus, hæres. 3. *Contra Marcionem plures gravissimi Autores scripserunt, Dionysius Corinthiorum Episcopus, Philippus Cretensis, Hippolytus, Episcopus Africanus, Rhodon Asianus, Irenæus Lugdunensis Episcopus, Tertullianus. E quibus duo ultimi, quod sciam, solum extant.*

Tannerus de judice controversiarum hypoth. de Patribus 17. thesi 83. *An fortasse sancti Patres jam demortui Patrumque monumenta judices erunt? Neq; hoc, tum quia non minus aliquando de Patrum, quam de Scripturæ sententia propter ambiguitatem & obscuritatem dubitari potest, tum quia singuli Patres fallere possunt, omnia monumenta, vel non extant, vel dubiæ fidei esse possunt: tum quia novæ semper oriri possunt controversiæ in antiquorum Patrum monumentis vix aut ne vix quidem agitatæ.*

12. Quod agnoscunt, in scriptis Patrum & Historicorum multa esse supposititia & adulterina.

(Acriter quidem hoc nomine alios perstringunt Pontificii, quod in responsione ad dicta ex Patribus sibi objecta ad hanc assertionem confugiant.)

Anglo Remenses, annot. Act. 17. v. 34. scribunt: *Pervulgatam hanc esse techmam hæreticorum, inprimis verò hæreticorum horum temporum, qui cum antiquitatem sibi omnem observent adversariam, alio somnes coguntur audacia, vel impudentia potius superare.*

Hardingus ad Ivelli provocat. art. 1. *Hæc evasio est, sed omnium miserrima & à ratione & consuetudine Doctorum alienissima.*

Hartus in Colloq. cum Johanne Rainoldō cap. 8. divis. 8. *Viam scil. tenetis facilem & expeditam, modò strenue pergatis, respuite omnes Autores, qui contra vos faciunt, & supposititios esse dicite, ita nempe par est patronos impudentes pudendam causam pudendis viis moduque defendere.*

Rosvveydus de fide hær. serv. c. 17. p. 191. *Commune hoc hæreticis omnibus perfugium, cum evidenti alicujus Patris testimonio revincuntur, clamare librum supposititium, vel apices certè corruptos.*

Gretserus in lib. 2. de jure & more prohibendi libros noxios cap. 2. *Id in Patrum scriptis Lutheranis & Calvinistis Nasoniбus extraneum videtur, quod illis gratum odorem non spirat, & quoties urgentur aliquo veterum Patrum testimonio, quod tam certum est, hoc ab iis profectum, quàm hoc ab illis negatum, statim partum supposititium esse ingeminant.*

Idem ejusd. cap. 6. §. Simili necessitate. *Quicquid in Patrum scriptis iis non arridet, id aut supposititium esse clamitant, aut nævos esse mentiuntur.*

Atqui, primò negare ipsimet nequeunt, multa sub augusto Patrum nomine in ipsorum scriptis legi, quæ sunt aliena & supposititia.

Carolus Magnus lib. 4. de Imag. cap. 5. jam olim conquestus est, *supposititia scripta nominibus Patrum prætitulari.*

Erasmus Declarat. 91. ad Censur. Theolog. Parisiens. de temporibus, in quibus celebrata fuit Synodus VI. generalis scribit: *Libris falso celebriorum virorum titulo commendatis, undique scatere omnia,* (id de sequentibus, præsertim verò nostris temporibus longe rectius dici potest.)

Idem in respons. ad notat. Eduardi Lei tom. 9. oper. p. 113. *Quicquid ferè apud Græcos habetur Commentariorum in Scripturam sacram, Chrysostomo tribuitur, adeo videtur hujus nomen apud illos fuisse plausibile. Feruntur autem hujus Commentarii in Matthæum adeo diversi, ut aliquoties ex diametro inter se pugnent.*

Idem in Epist. ad lect. præfixa tom 4. operum Hieron. Paris. 1533. impress. *Quidam, quo nugas suas, vel pestifera dogmata lectori commendent, gratiosa prætexunt nomina, sive quo magis aliena fruantur insania, sive quo dogmatum virus sub magni nominis umbra celerius latiusque serpat in vulgus.*

Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. p. 324. tractatum proponit, cujus hæc ἐπιγραφὴ: *De falsa librorum inscriptione brevis admonitio, ostendens, quibus de causis contigerit, multorum Ecclesiasticorum voluminum inscriptiones, vel fuisse confictas, vel depravatas, & quibus conjecturis inscriptionum fictionem falsitatemve deprehendere liceat.*

Inter cætera p. 326. sic scribit: *Inscriptiones veras à falsis, germanas à fictitiis tria præ cæteris distinguunt, tempus, dogmata, stylus. Primum, si temporis ratio rebus descriptis non conveniat, perspicuum fit, opus non esse illius, cujus titulum præfert. Commentaria, quæ nunc circumferuntur Ambrosii in Apocalypsin, Hieronymi in parabolas Salomonis, & Jeremiæ lamentationes, Eucherii in primum librum Mosis, & in quatuor Regum volumina, & Junilii Afri in Hexaëmeron, nemo talium Autorum esse ducet, cum in iis legerit centones, fragmenta ac integras paginas ex moralibus Gregorii excerptas, nec arbitror aliquem fore usque adeò hebetem, vel protervum, qui neget huiusmodi rapsodias ex Commentariis Gregorii haustas,*

haustas, sed contrà potius affirmet, eas à Gregorio ex illorum Doctorum fontibus in sua Commentaria derivatas. Nam præterquam, quod Gregorii nomen crebrò in prædictis voluminibus citatum, id aperte demonstrat, tanta est etiam in Gregorianis scriptis ubique dictionis æqualitas, tanta semper styli similitudo, ac tàm apertè continuata orationis series, ut nihil in illis appareat, vel quod aliunde mutuatum, vel quod ab alio Authore profectum videri queat. Secundò, si dogma non solum cum Autoris mente non congruit, sed ex diametro pugnat, protinus consequitur, aut opus non esse verum & germanum fœtum illius, cujus esse creditur, aut esse adulteratum & à corruptoribus pessimè depravatum. Quis enim ausit affirmare, sexdecim Origenis tractatus in Leviticum, Cyrilli nomine ab Hervagio excusos, esse Cyrilli? cum in eis passim occurrant animæ ante mundum creatæ, & ob sua flagitia detrusæ in corpora tanquam in vincula; infernorum supplicia aliquando finem habitura; Dæmones post certa tempora ad admissam felicitatem restituendi, atque alia permulta Origenica asserta, quæ Cyrillus ubiq; toto pectore, totis viribus oppugnat & expugnat. Tertia atque omnium fortasse evidentior ac certior conjectura est styli diversitas, quæ veluti Lydius lapis falsas inscriptiones à veris discernit &c. Sicut enim suus cuique homini corporis habitus est, suus cuique vultus, suus cuique nativus color, sua cuique vox, aliaque singulares notæ, quibus à cæteris hominibus distinguatur: ita singulis Ecclesiæ Scriptoribus peculiares quædam proprietates insunt, quæ aut nunquam aut rarò alteri conveniant &c. Commentarios illos rudes & inconditos, solœcismis & barbarismis scatentes, qui nunc Arnobii titulo veneunt, etiam mediocriter exercitatus ex sermonis gustu, sentiet non esse Arnobii illius præstantissimi oratoris, qui septem adversus gentes eloquentissima scripsit volumina. Commentaria similiter in Job & in Marcum, Hieronymianis tomis inserta nullus unquam suspicabitur esse Hieronymi, nisi qui eum putet linguam Latinam didicisse, & Græcam & Hebræam prorsus ignorasse.

Salmeron. in 2. Thess. 2. Disp. 2. §. Tertia species. *Tertia impostura species est Epistola supposititia, id est, scriptum aliquod falsa inscriptione decoratum. Similes plures legimus in c. Sancta Romana. dist. 15. qui pseudepigraphi & Apocryphi sunt, & non eorum Autorum, quorum nomine circumferuntur. Multæ Epistolæ adscriptæ sunt sanctis Apostolis & aliis Sanctis, qui fuerunt in primitiva Ecclesia, quæ eorum non sunt. Multi quoque libri affinguntur, vel Clementi, vel Tertulliano, vel Cypriano, vel Hieronymo, vel Augustino, vel Ambrosio, qui eorum non esse solidè convincuntur.*

Idem Salmeron tom. 3. tract. 43. in cap. 2. Lucæ super verba: *Pertransibit gladius animam &c. ad argumentum, quòd Origenes homil. 17. in Lucam illa exponat de gladio infidelitatis, quam interpretationem sequatur Autor quæst. V. & N. T. qui creditur Augustinus; Chrysostomus in expositione Psal. 13. Theophylactus in cap. 2. Lucæ, Amphilochius in homil. de occursu Domini, respondet p. 394. Possemus etiam dicere, non esse usquequaq; certum & compertum, an ejusmodi libri eorum sint Autorum, quibus inscribuntur, ut homilia illa in Lucam Origeni inscripta:* Deinde, *liber Expositionis Psalmorum, qui nuper prodiit Chrysostomi nomine, non omnibus Viris doctis, ut à Chrysostomo editus, probatur &c. Liber item ille quæstionum Vet. & Nov. Testam. aliquid, imò plura continet, propter quæ meritò dubitari queat, an sit Augustini.*

Baronius Anno Christi 32. n. 18. *Esse hoc honestum confugium dicit, si quis librum aliquem Apocryphum esse respondeat.*

Idem Ann. 420. n. 44. *Diversi pro diversitate ingenii diversa excogitarunt figmenta,* (de Hieronymi vita) *dum vel Eusebii, vel Augustini, vel Cyrilli Hierosolymitani Episcopi nomine conscripserunt Epistolas, quibus Hieronymi res gestas ex animi cujusque sententia adinventas & commentas conscriberent.*

Bellarminus in lib. de Script. Eccles. in verbo *Isodorus Hispalensis*, cum texuisset Catalogum librorum Isidori ex Hildephonso, subjungit: *In editione Parisiensi Anno 1601. adduntur isti libri, de contemtu mundi. Norma vivendi. Exhortatio ad pœnitentiam. Lamentum Pœnitentiæ alphabeticè editum. Oratio prolixa ad peccata deflenda. Oratio brevior contra insidias Diaboli. Epistola Massonum de lapsu & reparatione Sacerdotis. Chronicum ab initio mundi usque ad annum quintum Sunthiliani Regis Gothorum. Chronicum Gothorum. Historia Vandalorum. Historia Suevorum. De Antiocho Rege & Martyr. Maccab. De Scriptoribus Ecclesiasticis. De Domini nativitate, passione, resurrectione, regno & judicio ad Florentinam sororem. De vocatione gentium ad eandem. Epistola ad Ludifridum de Episcopi & aliorum Clericorum in Ecclesia officio. Sententiarum sive de summo bono libri tres. Regula Monachorum. De conflictu vitiorum & virtutum. Expositio in Canticum Canticorum. Liber de viris illustribus. Glossarium ex diversis, quæ nomine Isidori circumferuntur, collectum. Sed horum posteriorum Scriptorum non meminit Hildephonsus, qui eadem ætate vixit, qua Isidorus, ideo hæc non sunt ab ipso Isidoro scripta, sed ab alio superaddita.*

(Sic ergò in solo Isidoro viginti duos libros supposititios Bellarminus agnoscit.)

Idem in verbo Bernhardus: *Multa tribuuntur Bernhardo, quæ ipsum non habent Autorem. Germana sunt, quæ numerantur à Gofrido ejus discipulo lib. 3. vitæ ipsius, cap. ult.*

(Sed in illa enumeratione plurima scripta omittuntur, quæ in Bernhardi operibus continentur.)

Jacobus Billius in Ecclesiasten Nazianz. p. 535. ed. Ant. *Frequens est in scriptis Ecclesiasticis, ut idem liber duobus atque etiam pluribus attribuatur, sed diversa de causa. Multi autem ex neotericis, etiam ipsi partus suos, parum alioqui felices, classicis Autoribus supposuerunt, in eorumque nomen & familiam invaserunt, in aliorum videlicet nomine apparere præoptantes, quam in suo conculcari, & in tenebris jacere; vel horum ignorantia & stupore clarissimis viris indignissime attributi sunt.*

Guilielmus Estius in 2. Thess. 1. 2. v. 2. *Fuerunt nonnulli, qui etiam Epistolam proferrent, velut jussu aut nomine Pauli scriptam, ex qua probaret commentum suum de instante die Domini. Atq; hinc discimus, quam vetus sit impudentia libris aut Epistolis supposititiis adscribendi magnorum Autorum nomina, ut proinde plusquam necessarium sit in Ecclesia judicium, quo discernantur libri sacri ab Apocryphis, ac genuini ab adulterinis.*

Petrus Nannius, Professor Lovan. in Epist. nuncup. Athanasii operibus præfixa: *Ut fertilissimis agris multa zizania una cum optimis frugibus nascuntur: ita optimo cuique authori plurimi falsi & nothi libri adscribuntur.*

Possevinus in Apparatu sacro in verbo Gregorius Nyssenus: *Quisquis Epistolam Gregorii Nysseni ad Eustathiam &c. legerit, caute, attente & prudenter legat, metuendum enim est, ne sub honesto titulo aliena divulgentur.*

Vasquez lib. 2. de adorat. Disp. 5. cap. 3. illam respondendi rationem esse interdum *præsentaneum & verissimum remedium,* asserit.

Secundò, idem patet ex praxi, quam Robertus Cocus in Censura Scriptorum, Præfat. ad Lectorem ex scriptis Pontificiorum magna diligentia collegit, cujus opera hac in re majori ex parte utemur.

Eleutherius in Epistola ad Lucium Britanniæ Regem dicit: *Regem esse DEI Vicarium in suo regno.* Quid ad hoc Pontificii? *Multa sunt in illa Epistola, quæ probabiliter suadent confictam esse,* inquit Parsonius Tripl. convers. Angl. part. 1. cap. 8. inter cætera illud probat part. 5. cap. 4. num. 29. ex eo, quòd *in illa sint multa Scripturæ loca parum ad rem facientia, ineptè applicata, Eleutherio indigna. Illa Epistola ad Lucium magis refert ministrum Anglicanum, quàm Episcopum Romanum,* inquit Apol. caus. Cathol. cap. 5.

Dorotheus in Synopsi quædam habet contra ementitũ *Petri Primatum Monarchicum.* Quid ad hoc Pontificii? *Synopsis illa Dorotheo Tyrensi falsò adscribitur, nec potest Autor ille defendi,* inquit, Bellarminus lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 2. §. 27. *Dorotheus in sua Synopsi multa consarcinavit mendacia,* inquit Baronius Anno 45. num. 44. *Dorothei fides improbatur in multis,* scribit idem Anno 58. num. 56.

Athanasius in Synopsi rejicit libros *Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, Sapientiæ & Maccabæorum* è Canone Scripturæ. Quid ad hoc Pontificii? *Ejusne sit, à quibusdam dubitatur,* inquit Serarius Comment. in Judith prolog. 4. *Demonstret Prædicans, Athanasium esse Autorem ejus libelli, qui Synopsis inscribitur,* inquit Gretserus lib. 1. defens. Bellarminus cap. 10 tom. 1.

In principio libri de Aleatoribus apud *Cyprianum* significat Autor, *se universali Ecclesiæ præsidere & Apostolatum gerere, super quem Christus fundavit Ecclesiam, & Christi Vicariam Sedem obtinere, & sibi traditas esse claves ligandi & solvendi.* Quid ad hoc Pontificii? *Liber ille non videtur Cypriani, sed alicujus Romani Pontificis,* inquit Bellarminus de Script. Eccles. ad Ann. 250.

In Epistola *Liberii Papæ*, quæ habetur in libro sub titulo S. Hilarii, de rebus gestis in Concilio Ariminensi, significat Autor, *se habere pacem cum omnibus Orientalibus, nempe Arianis, Athanasium verò pronunciasse ab omni communicatione alienum.* Quid ad hoc Pontificii? *Quòd Epistola illa sit Liberii,*

T *nihil*

nihil est quod affirmare cogat, & plurima sunt, quæ negare compellunt, inquit Baronius Anno 352. num. 15.

In *Basilii* quæstionibus compendio explicatis q. 1. & 95. videtur Autor repudiare *Traditiones*. Item q. 4. & 293. videtur tollere *discrimen peccati venialis*. Quid ad hoc Pontificii? *Basilii quæstiones compendio explicatæ non sunt indubitatæ*, inquit Bellarminus de Scriptor. Eccles. ad Ann. 370. *Valdè probabile est, eas quæstiones editas esse ab homine parum probatæ fidei*, inquit lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 13. cùm tamen Baronius tom. 3. Annal. Ann. 361. sect. 51. *has in dubium revocasse summæ dementiæ* esse pronunciet.

Hilarii Epistola ad Apram filiam testatur, *Hilarium* Episcopum Pictaviensem *fuisse maritum*. Quid ad hoc Pontificii? *Nisi magna laborasses penuria classicorum Autorum, & admodum impudens in mala causa propugnanda fuisses, nunquam mentionem fecisses tam putidæ & fictæ scriptionis*, inquit Hardingus in respons. ad Ivelli Replicam, contra Sacrific. Missæ sect. 11. p. 173.

Inter Epistolas *Damasi* habetur una, quæ est numero 79. sub nomine Damasi Pont. Rom. in qua dicit, *sibi non posse competere formam judicandi, quandoquidem hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso ejusque accusatoribus judices tribuerentur*. Quid ad hoc Pontificii? *Illa Epistola non est Damasi*, inquit Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 24.

Tom. 1. oper. *Chrysostomi* habetur sermo in Psal. 14. qui incipit, *Pulcher est Psalmus*, in quo legimus, *una sola virtus justificat, fides, quæ est virtutum fastigium*. Quid ad hoc Pontificii? *Hanc homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chrysostomum agnosco*, inquit Nobilius Flaminius in annot. B. Chrysostom. ad finem tom. 5. interim Benedict. Justinianus in cap. 4. Galat. hoc ipsum dictum Chrysostomo tribuit.

In homil. 16. in Johan. dicit Chrysostomus de Eucharistia, *Etiam panis remansit*. Quid ad hoc Pontificii? *Respondeo, Turrianus ostendit, hunc alium fuisse Chrysostomum, non Johannem*, inquit Gregorius de Valentia lib. 2. de vera Christi præsent. in Euchar. cap. 7. p. 390.

In Comment. Psal. 22. dicit Chrysostomus, *panem & vinum in Eucharistia exhiberi*. Quid ad hoc Pontificii? *Nec est Chrysostomi, neque adeò Græci Autoris*, inquit Bellarm. lib. 2. de Euchar. cap. 22.

Tom. 2. oper. *Chrysostomi* habetur *opus*, quod dicitur, *imperfectum in Matthæum*, in cujus homilia 49. legitur, *Ecclesiam non cognosci, nisi tantummodò per Scripturas*. Quid ad hoc Pontificii? *Non videtur esse Chrysostomi*, inquit Bellarminus de Scriptor. Eccles. ad Ann. 398. *Autor illius homiliæ non fuit Chrysostomus, sed homo Arianus*, scribit idem lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. *Haud æquo animo pati possumus, adscriptas fuisse sanctissimo viro ejus titulo hactenus consignatas quinquaginta quatuor homilias quas opus imperfectum in Matthæum nominant. Quis enim non jure commoveatur, cùm videt adscribi sanctissimo viro ab incerto Autore, sed certo hæretico, hæreticorumque deterrimo compositas homilias illas purulentas, hæresium scatentes vermibus, quæ ne pilum quidem Chrysostomi, vel in dictione, vel in sententiis, vel in dogmatibus habent, sed sparsas hæreses Manichæorum, Montanistarum, Arianorum ac Donatistarum continent, atque planè in omnibus se prodat Autor, longè longius ab Ecclesia Catholica alienum?* inquit Baronius Ann. 407. n. 11. (Confer dicta superius in hoc ipso cap. n. 4. §. 17.)

Extitit in Bibliotheca Florentina temporibus Petri Martyris, (ut refert in Locis Commun.) Epistola *Chrysostomi* ad Cæsarium Monachum, in qua Chrysostomus instituit collationem inter *unionem Sacramentalem* in Eucharistia, & *unionem personalem* in Christo, quo elidit Transsubstantiationem. Quid ad hoc Pontificii? *Qui ab hæreticis quibusdam tributus est Chrysostomo liber sive Epistola ad Cæsarium Monachum, nullus est*, inquit Possevinus in Apparatu sacro. *Non est Chrysostomi, sed cujusdam Johannis Constantinopolitani*, inquit Stephanus Gardinerus ad object. 201. *Nihil hujusmodi scripsit Chrysostomus, neque enim in toto Chrysostomi opere ullus est liber vel Epistola ad Cæsarium Monachum*, inquit Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 22.

Extat Libellus seu Epistola sub nomine *Gregorii Nysseni*, in qua improbantur *peregrinationes ad loca Sanctorum*. Quid ad hoc Pontificii? Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 8. *fortè non esse Nysseni*, ait; Possevinus, sine adjecta particula *fortè*, *hæreticos hunc librum sub nomine Gregorii Nysseni supposuisse*, scribit in Præfat. tom. 1. Apparat. Ab utroque dissidens Baronius, *legitimum eum Gregorii partum esse agnoscit* Anno 386. n. 39. quod ipsum multis confirmat Petrus Molineus, qui hanc Epistolam Græcè & Latinè edidit, ac omnibus Bellarmini & Richeomi objectionibus respondit. Confer Magdæb. Cent. 4. cap. 10.

Epiphanius in Epist. 60. inter opera Hieronymi dicit, *se scidisse velum pendens in foribus Ecclesiæ tinctum atque depictum, habens imaginem q. Christi vel Sancti cujusdam*. Quid ad hoc Pontificii? *Illa Epistola non est Epiphanii*, inquit Duræus contra Witaker. p. 389. *Verba illa non sunt Epiphanii, sed supposititia*, inquit Nicolaus Sanderus lib. 2. de Imagin. *Sunt potius alicujus Iconoclastarum figmentum, quàm Epiphanii germanum scriptum*, inquit Baronius Ann. 392. n. 59. *Epiphanius egit contra Anthropomorphitarum errorem. Verior solutio est, verba esse supposititia*, scribit Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 9.

Augustinus ad Orosium q. 49. dicit, *universam Ecclesiam accepto Christi sanguine dicere, Amen*. Quid ad hoc Pontificii? *Respondeo*, inquit Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 12. §. Ad locum, *librum illum non esse Augustini, ut eruditi fatentur*.

Cyrillus homil. 5. in Levit. habet quædam *contra Traditiones*. Quid ad hoc Pontificii? *Homiliæ illæ non sunt Cyrilli, sed Origenis, vel nescio cujus alterius, qui passim literam destruit, ut mysticos sensus ex suo capite statuat, proinde homiliæ illæ non magnæ sunt autoritatis*, scribit Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 11.

Ambrosius in cap. 3. Rom. *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei*. Quid ad hoc Pontificii? Sonnius demonstrat lib. 1. tract. 2. cap. 10. *Sunt, qui rationabiliter sentiunt, vocem exclusivam in Commentariis Ambrosii à falsariis adjectam esse*. Bellarmin. lib. 1. de Justif. cap. 25. *Si tamen Ambrosius Autor est Commentariorum in Paulum*. Hagerus Jesuita in Collat. August. Conf. & Conc. Trident art. 6. *Verba illa non sunt Ambrosii*.

Valentinianus Imp. contulit Ecclesiæ Ravennati, *ob decorem Apostolicæ dignitatis honorem pallii, & omnis decoris Pontificalis usum, sicut cæteri fruuntur Metropolitæ, ut habetur in Rescripto Valentiniani ad Johannem Ravennatem*. Quid ad hoc Pontificii, qui dicunt, *pallium non nisi à Romanis Pontificibus Archiepiscopis solitum fuisse impartiri, ab Imperatoribus nunquam?* *Hoc Rescriptum vafrum commentum est & spurium*, inquit Baronius Anno 432. num. 96.

Inter Epistolas *Leonis* habetur una, cujus titulus est, *Dominis fratribus meritò beatissimis &c. Leo, Victorius, Eustathius, Episcopi*, cujus subscriptio est, *Leo Episcopus scribit, Victorius Episcopus scribit, Eustathius Episcopus scribit*. Quid ad hoc Pontificii, quibus Romanus Pontifex est τὸ πᾶν? *Hanc Epistolam non esse Leonis Papæ, titulus & subscriptio indicant*, inquit Severinus Binius in notis tom. 1. Concil. pag. 999.

Leo in Epist. 2. ad Constantinum dicit, *Honorium Episcopum Romanum fuisse hæreticum in sexto Concilio generali condemnatum*. Quid ad hoc Pontificii? *Literas Leonis confictas & supposititias esse, multis argumentis coargui ab Autore Annalium*, scribit Bisciola in Epitom. Ann. Baron. ad Annum 683.

Fulgentius de fide ad Petrum citatur à Bertramo contra *Transsubstantiationem*. Quid ad hoc Pontificii? *Ratio convincit non esse Fulgentii, neque aliquid autoritatis habet, quod Bertramus ex eo verba quædam citat Fulgentii nomine*, inquit Possevinus in Apparatu, in verbo Petrus Diaconus.

Gelasius contra Eutychen dicit, *Non desinit esse substantia panis & vini in Sacramento*. Quid ad hoc Pontificii? *Liber ille non est Romani Pontificis*, inquit Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 27. *non est Gelasii Papæ, quidam volunt esse Gelasii Cæsariensis, quidam Gennadii &c.* inquit idem de Script. Eccles. p. 253. *Orthodoxi una ferè sententia opus illud Gelasii esse negarunt*, Autor est Gelasius Cyzicenus, scribit Baronius Ann. 496. n. 1.

Theodorus Studita in Epist. 38. vocat Concilium Nicenum II. *non Oecumenicum*, sed *Locale*. Quid ad hoc Pontificii, qui cultum Imaginum ex eo probant? *Certè quidem, cum eam Epistolam legi, in eam existimationem adductus sum, ut existimarem, non esse ipsius Theodori, utpote indignam, quæ vel cuilibet homini Catholico adscribatur, in qua tot aperta mendacia proferuntur*, inquit Baronius Ann. 787.

Tarasius in Epistola ad Hadrianum Papam accusat illum *Simoniæ*. Quid ad hoc Pontificii? *Certè quidem, qui eam primus edidit Theodorus Balsamo, Romanæ Ecclesiæ acerbissimus hostis, in suspicionem adducitur impostura, utpote schismate*

scissæ

ſciſſus homo nihil magis ſcribendo laborat, quàm ut Eccleſiæ Romanæ notam inurat, eandemque contemtibilem reddat, inquit Baronius d l.

Extant quatuor libri ſub nomine *Caroli Magni* contra imaginum cultum. Quid ad hoc Pontificii? *Fictitius eſt Carolus. Pſeudo-Carolus, & Adulterinus liber*, inquit Alanus Copus Dial.4.cap.ult. *Caroloſtadius commentum ſuum adverſus cultores Imaginum ſub nomine Caroli Magni de cultu Imaginum emiſit*, inquit Poſſevinus Præfat. ad Lectorem tom. 1. Apparat. & Sixtus Senenſis Præfat.in Biblioth ſanctam. *Dico eos libros non eſſe Caroli, neque ejuſmodi, quibus fides aliqua adhiberi poteſt*, inquit Bellarminus lib.2.de Imaginib.cap.15.

Extat inter Orthodoxographa Epiſtola ad Nicolaum Papam ſub nomine *Udalrici Epiſcopi Auguſtani*, in qua multa habentur contra *cœlibatum Sacerdotum*. Quid ad hoc Pontificii? *Dico, eam Epiſtolam videri confictam, & confictam ab aliquo imperito defenſore conjugii Eccleſiaſticorum*, inquit Bellarmin. lib.1.de Clericis cap.22. *Magis redolet Udalrichum Huttenum novum Evangelicum, quàm S. Udalrichum Auguſtanum Epiſcopum*, inquit Piſanus lib.de continent cap 14. *Non eſt fœtus Udalrici, ſed illius nomine à corruptore aliquo ſuppoſitus*, inquit Florimundus de fab. Johannæ cap.17.

Extat liber de corpore & ſanguine Chriſti ſub nomine *Bertrami Monachi* Corbeienſis Cœnobii, in quo multa dicuntur contra *Tranſſubſtantiationem*. Quid ad hoc Pontificii? *Suppoſititius eſt*, inquit Gretſerus lib.2. de jure & more prohibendi libros malos cap.10. *Aliquis Berengarianæ hæreſis fautor libellum hunc confinxit poſt mortem Bertrami, & nomine illius ſuppoſuerunt*, inquit Parſonius Tripl converſ.part.2.cap.10. *Oecolampadius contra divinam Euchariſtiam ſub nomine Bertrami Presbyteri librum ſcripſit ad Carolum Magnum*, inquit Poſſevinus Præf.ad Lector.tom.1. Apparat. & Sixtus Senenſ. Præfat. in Bibl. (cùm tamen Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccleſ. in verbo Auguſtinus agnoſcat, *Bertramum libri de corpore & ſanguine Chriſti Autorem circa Annum Domini 1050. extitiſſe*, ac Duacenæ Academiæ Theologi in Indice expurg. à Plant. edito, cap.de lib. Bertrami ad lit.B.agnoſcant, *Bertramum iſtius libri Autorem, fuiſſe Presbyterum Catholicum & Monachum Cœnobii Corbeienſis, Carolo non tam Magno, quàm Calvo charum ac venerabilem circa Annum Domini 870.)*

Gildas Albanus è regia Britannorum ſtirpe, ſcripſit *de victoria Aurelii atque Ambroſii, & Britannos recepiſſe Evangelium tempore Tiberii Imperatoris* aſſerit. Quid ad hoc Pontificii? *Liber eſt ſuppoſititius*, inquit Parſonius Tripl. converſ. part. 1. cap.4.

Luitprandus Ticinenſis ſcripſit libros 6. de rebus geſtis in Europa ſuo tempore, in quorum poſtremo refert *Johannem XII ordinaſſe Sacerdotes in ſtabulo inter equos, iviſſe in Patris concubinas, cyathum Diabolo propinaſſe &c.* Quid ad hoc Pontificii? *Scimus, illa capita cenſeri Luitprandi, cujus ſuperiores libri cenſentur, nec eam rem in controverſiam hactenus deductam eſſe. Veruntamen exiſtimo, capita illa potius Appendicem eſſe ad Luitprandum ab Autore adhuc incerto elobaratam, quàm Luitprandi continuatum opus*, inquit Baronius Ann.963.n.3. *Et Baronius non ſine cauſa ſuſpicatur à capite 6. ſexti libri Hiſtoriam non eſſe Luitprandi, ſed alicujus anonymi Autoris*, inquit Bellarm.de Script.Eccleſiaſt.ad Annum 946.

Benno Cardinalis deſcripſit vitam & geſta Hildebrandi, Gregorii VII.dicti Pont.Rom. in quo *enormia Paparum ſcelera* recenſet. Quid ad hoc Pontificii? *Fictus ille Benno Cardinalis Lutheranorum arte & induſtriâ in lucem prodiit*, inquit Florimundus in lib.de fabula Johannæ cap.10. *Si inimico credendum*, inquit Baronius tom.11. Annal. Ann.1071.num.13. *ſic ſcripſerit Caiphas vitam Chriſti. Aliquis Lutheranus eſt hujus libri Autor, & ſub titulo Bennonis edidit*, inquit Bellarm. lib.4.de Rom. Pont.cap.13.

Conceſſio facta à *Leone* Ottoni Imperatori apud Gratianum cap. 23. diſt.63. ſic habet: *Concedimus atque largimur Domino Ottoni I.ejusque Succeſſoribus in perpetuum facultatem eligendi Succeſſorem atque Summæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi.* Quid ad hoc Pontificii? *Aſcititia eſt conceſſio, impoſtura eſt, & commentitium Decretum. Deo gratias, quod impoſtor inſulſus, ineptus, ſtolidus talis extiterit, qui adeò affectata mendacia veſtire neſciverit, ſed opprobrio ſempiterno nudata, deridenda reliquit*, inquit Baronius Ann.774.

Gratianus dicit c.9.diſtinct.19. *Anaſtaſium II. Romanum Pontificem fuiſſe divino nutu percuſſum eò, quod communicaſſet Photino hæretico.* Quid ad hoc Pontificii? *Illud caput eſt omnino confictum*, inquiunt Cenſores Gregoriani ibid.

Bernhardus lib.5.ad ſororem dicit, *In turpi voto muta Decretum.* Quid ad hoc Pontificii? *Ille liber ab alio quodam Monacho conſcriptus eſt*, inquit Duræus contra Witak.fol.96.

Bonifacius VIII. ſcribit ad Philippum Regem Francorum: *Scire te hoc volumus, te nobis tum in rebus ſpiritualibus, tum in temporalibus ſubjectum eſſe.* Philippus Rex Francorum ipſi reſcribit: *Sciat tua maxima fatuitas, nos alicui in temporalibus non ſubeſſe.* Quid ad hoc Pontificii? *Paulus Æmilius eſt in ea opinione, ut Epiſtolas iſtas inter Regem & Pontificem ſuppoſititias eſſe putet*, inquit Stapletonus contra Hornum Epiſcopum Wintonienſ.libr.3.cap.28.

Tertiò, quandoque ex illis Patrum & Hiſtoricorum libris Pontificii contra noſtram ſententiam quædam proferunt, quos quidam ex ipſorum numero ſuppoſititios eſſe agnoſcunt.

De *Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolorum*, diximus ſuperius cap.6.& 7. *de Abdiæ libris ac de libro paſſionis S. Andreæ* cap. 8. *de Epiſtolis Decretalibus Pontificum* cap.9. ex quibus quædam ad hunc locum referenda.

Inter Orthodoxographa tom. 1. & in Bibliotheca Patrum habentur libri tres inſcripti *D.Hermæ*, qui S.Pauli diſcipulus fuiſſe dicitur, qui à Patribus *Paſtoris* nomine inſcribitur. Illos libros citat Pius Papa c. Noſſe.diſt. 3. de conſecrat. ut probet, *Paſcha eſſe die Dominico celebrandum*; Jodocus Coccius, ut probet, *quemlibet hominem & quamlibet orbis terræ regionem proprium habere Angelum in cuſtodiam*, tom.1.lib.4. de Angel.art.3.p.352. *caſtitatem eſſe conſilium Evangelicum*, tom.2.lib. 4.de vita Monaſt.art.4.p.391. *facto inter conjuges divortio nulli licere, vivente uno, alteri copulari*, tom.2.lib.9.artic.3.p.1009. *dari purgatorium*, tom 2.lib.7.art.5. p.849. Stapletonus de eo ſic ſcribit: *Si præſens Eccleſia in canonem ſacræ Scripturæ eum referret, nulla ratio obſtat, quin eum pro Canonico admittere debeamus æquè ac Epiſtolam Jacobi.*

Sed Gelaſius c. Sancta Rom.diſt.19. inter Apocrypha eum refert. *Liber, qui appellatur Paſtoris, Apocryphus.* Hic, *qui modò extat, liber Hermæ ſeu Paſtoris, habetur ſuppoſititius à viris doctiſſimis*, inquit Poſſevinus in Apparatu tom.2.tit. Paſtor. *Hermæ Pauli diſcipuli libri tres, qui alio nomine liber Paſtoris nuncupatur, propter ejus antiquitatem permittitur, verùm tanquam Apocryphus, cujus non liceat dictis & autoritati fidere*, inquiunt Inquiſitores Hiſpanici in Ind.Expurg.Hiſpan.fol.149. *Dubitandum nullo modo eſt, libellum hunc Paſtoris, ut modò ſcriptus habetur, ab Herma Pauli diſcipulo non eſſe conſcriptum, cum & hæreſibus & fabulis ſit oppletus, cum S.Gelaſius in Romano Concilio inter Apocryphæ ſcripta abjiciat, ac S. Proſper Aquitanicus nullius autoritatis eſſe pronunciet*, inquit Johannes Maria Magiſter ſacri Palatii in Ind. Expurg.Rom.tom.1.p.171. cujus Cenſura his libris eſt præfixa.tom.5.Biblioth. Patrum. *Hic liber nunquam fuit in canone ſanctorum & divinorum librorum, imò habet aliqua noxia, ut de unica pœnitentia ſecundum errores Novatianorum, quibus hic liber favere videtur: ut etiam illud de duobus geniis ſive duobus Angelis, uno bono & altero malo, ſingulis hominibus à Deo tributis*, inquit Bellarminus de Script.Eccleſ.p.51. *Planè apparet, haud integram ſolidamque fidem eum apud omnes meruiſſe; Latinis hic liber ſic innotuit, ut tamen eum ipſi inter eorum Apocryphorum genera adnumerarint, quæ legi in Eccleſia poſſint, non tamen citari debere ad fidem Catholicam aſtruendam.* Baronius Ann.159.n.4.& 5.

Inter Orthodoxographa tom.1. & in Bibliotheca Patrum tom.7. habetur *Hiſtoria Prochori* Chriſti diſcipuli, *de vita, miraculis & aſſumtione B. Johannis Apoſtoli.* Illam citat Coccius, ut probet, *Chriſti crucis ſignum, vel ſola fidelium manu expreſſum Dæmonibus eſſe terrori, hominibus ſaluti*, tom.2.lib.2.art.9. p.233.

Contra verò, *Hæc Hiſtoria de vita Johannis Apoſtoli, falſo adſcribitur Prochoro Diacono de ſeptem primis, & Chriſti diſcipulo: eſt enim Apocrypha fabuloſa, & prorſus indigna, quæ legatur*, inquit Johannes Maria Magiſter ſacri Palatii in Ind. Rom. lib. expurg.tom.1.p.241. cujus Cenſura præfixa eſt huic Hiſtoriæ tom.7.Bibl.Patrum & approbatur à Poſſevino in Apparatu tit. Prochorus. Sed & Baronius hanc Hiſtoriam attingens *Pſeudo-Prochorum* vocat Ann.99.n.4. & *multa in ea ſcripta eſſe, quæ ſunt prorſus commentitia ac fabuloſa, indigna planè, quæ chartis ſuis inſerantur*, ſcribit, Ann.44.n.30. *Hic Autor in multis men-*

dacissimus fuisse convincitur, nec si quæ vera dicit, ea tuto possunt asseverari, inquit Ann. 92. n. 1. Hanc qui scripsit, illustri sibi autoritatem nomine facere voluisse videtur, ut non verus, sed Pseudo-Prochorus sit, inquit Lorinus Act. 6. Fortasse hæc Prochori narratio de rebus gestis sancti Johannis est liber ille, qui sub nomine Circuitus Johannis inter Apocrypha recensetur ab Athanasio in Synopsi, scribit Bellarminus de Scriptor. Eccles. p. 55. ubi etiam tribus argumentis probat, narrationem hanc de rebus gestis Johannis esse confictam.

In Bibliotheca Patrum tom. 7. habentur duo libri, quorum prior hunc habet titulum, B. Lini Romanorum Pontificis de passione B. Petri & Pauli ad Orientales Ecclesias liber primus; alter hunc de passione B. Pauli ad Orientales Ecclesias, liber secundus. Citantur hi libri in Legenda aurea in vita Petri, ut probetur, Petrum magnum instituisse certamen cum Simone Mago. Eosdem citant Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in verbo Paulus, & Salmeron in Comment. cap. ult. Philipp. ut fidem concilient Epistolis Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum; Coccius tom. 1. lib. 5. art. 9. p. 512. ut probet, animas sanctorum viventibus aliquando apparere & ignota quædam revelare.

Contra verò. Duo isti libri de passione Petri & Pauli sub nomine Lini Romani Pontificis & Martyris sunt Pseudepigraphi multos errores continent, nec ullius censentur autoritatis, ut jam eruditorum consensu nimis exploratum habetur, inquit Johannes Maria, Magister sacri Palatii in Censura his libris præfixa tom. 7. Biblioth. Miror adeò placere Jacobo Fabro, non indocto certè viro, nec nullius alioqui nasi, Lini nomine de passione Petri scriptum, matronas Romanas à virorum thoris pudicitiæ prætextu abducentis, scribit Claudius Espenæus libr. 6. de continent. cap. 2. Acta passionis Petri feruntur à Lino conscripta, quæ quidem fuere aliquando fortasse sincera quæ autem modò extant, Manichæorum fuligine reperiuntur tincta, sicut & de Actis Andreæ queritur Augustinus. Nam sicut in illis Andream, ita in istis Petrum habes, non tantùm castitatem rectè suadentem & concubinas ab hominibus divellentem, sed malè docentem, etiam ne viris suis uxores debitum redderent, quæ quidem à sincera Apostolica prædicatione procul abhorrent, inquit Baronius Ann. 69. n. 6. Acta passionis Petri & Pauli, quæ Lini nomine inscripta habentur, multis esse referta erroribus superius est demonstratum, scribit idem Ann. 80. n. 4. Dubitandum non est, quin hæc Historia de passionibus sive agone SS. Petri & Pauli conficta fuerit, inquit Possevinus in Apparatu in verbo Linus. Lini Historia verè conficta est, & quia conficta est, nullius est autoritatis, scribit Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 9. §. 4. Narratio, quæ sub nomine Lini extat, similis est narrationi Prochori, inquit idem lib. de Scriptor. Eccles. p. 55. Acta Lini sunt Manichæorum fuligine tincta, ait Bosciola tom. 1. §. Paulus p. 58.

In operibus Clementis Romani extant decem libri Recognitionum, quorum tertius citatur à Bellarmino lib. 5. de gratia & lib. arbitr. cap. 25. pro libero arbitrio; septimus à Peresio de Tradition. part. 3. tit. de cibor. delect. pro asserendo jejunio in ciborum delectu consistente; decimus ab Hardingo Confut. Apol. part. 1. fol. 34. pro Traditionibus. Piggius lib. 1. Hierarch. cap. 4. dicit illos libros Autorem habere sanctum gloriosumque Martyrem & Pontificem Clementem. Johannes Sichardus in Epistol. ad Episcopum Tridentinum hunc librum ita commendat, ut non vereatur insurgere in Censuram Gelasii c. Sancta, dist. 15. Nondum, inquit, satis mecum constitui, quid illa veterum Autorum Censura sibi velit, quæ distinct. 15. habetur, ut omittam, quod quædam isthic ex diametro inter se pugnant.

Contrà verò Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in verbo Clemens, & Baron. An. 44. n. 42. & An. 102. n. 21. fatentur, hos libros esse eosdem cum illis, qui à quibusdam Circuitus Petri, ab aliis Itinerarium Clementis appellantur, & cum iis, qui citantur à Beda nomine Historiarum Clementis. Cum ergò Itinerarium Clementis non solum à Gelasio in Concilio 70. Episcoporum, sed etiam proximis annis à Senatu Romanæ Inquisitionis in Indice damnatorum ab Ecclesia voluminum, teste Sixto Senens. d. l. sit adscriptum, ex eô facilè colligitur, quo loco Clementis Recognitiones sint habendæ. Recognitionum volumina, ut liberè pronunciem, quid sentiam, suspicor non esse Clementis. Nam præterquam, quod multa in ipsis sub persona Petri Apostoli ex intima Platonis & Aristotelis Philosophia referuntur, duo quoque integra folia recitantur ex persona Petri in nono libro hujus operis, ad verbum transcripta ex libro de fato adversus Abydam Astronomum Bardesanis Syri, qui teste Epiphanio claruit sub Marco Imperatore Annis 70. post mortem Clementis, quam etiam Bardesanis Scripturam Eusebius iisdem planè verbis recitat, ne unâ quidem immutata dictione, scribit Sixtus d. l. Pleraque in illis sunt incerta, multa fabulosa, nonnulla insuper Catholicis dogmatib. adversantia, scribit idem d. l. Inprimis inter omninò rejecta annumerandum est Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur Clementis, sive quod Recognitionum titulo inscribi solet, aut quod Athanasius in Synopsi Clementis vocat, inquit Baron. An. 44. n. 42. Ex his libris tanquam ex cœnoso gurgite ejusmodi portentosa mendacia & insana deliria deducta sunt, quæ non tantum ab eruditis viris improbanda, sed ab omnibus, qui vel levissimè Ecclesiasticarum rerum peritiâ tincti sunt, esse procul rejicienda non dubitamus, scribit idem Ann. 51. num. 53. Meritò jureque Gelasius in Romano Concilio recensuit hunc Commentarium inter Apocrypha &c. Consultius nobis visum est, ab usu illorum librorum in Annalibus abstinere, quia insulsis fabulis eosdem esse refertos prudentes omnes qui eos accuratè perlegerint, puto cognoscent, inquit idem Ann. 102. n. 22. Liber Recognitionum est Apocryphus, eò, quod in illo quædam sunt ex persona Petri dicta, quibus assentitur Eunomii dogmati, inquit Johannes Driedo de Eccles. dogm. & Script. part. 5. lib. 4. c. 5. p. 602. Libri Recognitionum censentur Apocryphi, scribit Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. c. 2. Si tamen Clemens Autor libri Recognitionum fuerit, scribit idem lib. 3. de lib. arb. c. 3. Probabile est, non esse opus Clementis, vel esse idem cum eo, quod Itinerarium Petri vel Circuitus aliqui vocant, quod est Apocryphum. Recognitionum quidem sunt libri decem, Itinerarii octo, sed facilè fuit corruptoribus addere, vel minuere, vel mutare, inquit idem de Scriptor. Eccles. tit. Clemens. Quod in illis libris traditur, non est magni faciendum, propter dubiam aut nullam potius apud viros doctos ejus operis fidem & authoritatem, scribit Pererius Comment. in Genes. lib. 2. q. 1. Johannes Lorinus in 1. Petr. 3. v. 15. cum adducere vellet locum ex lib. 1. Recognitionum, sic præfatur: Clemens Romanus, si tamē non alius potius, Petrum inducit loquentē &c.

Josephi Ben Gorionis librum de bello Judaico, citat Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 11. §. Tertia ratio, ut probet, fuisse Judæis in more positum, ut pro defunctis orarent; Parsonius part. 3. convers. Ang. p. 7. ut probet, Judæis in more fuisse positum, ut sanctos defunctos invocarent. Serarius in Trihæres. pro illo Josepho Ben Gorionis tanquam pro aris & focis pugnat.

Sed Autor ille, cùm in multis reperiatur errâsse, nec illum esse putemus Autorem, qui habetur inscriptus, libentius (ab eo citando) abstinuimus, scribit Baronius Ann. 72. n. 27. Josephus ille Gorionis suppostitius est, & in multis errâsse, non à me solum, verum & ab aliis & adeò à Baronio Cardinali existimatur, inquit Possevinus in Apparatu sacro in verbo Hegesippus. Quod quidam ex Josepho Ben Gorionis afferunt, ut probent, Jeremiam esse venturum, Apocryphum est, sicut totus ille Autor est fabulosissimus, inquit Maldonatus in Matth. 16. v. 14. Cur toties alterius Josephi Hieronymus meminit, & inter Scriptores Ecclesiæ numerat, istum autem ne nominat quidem unquam? cui ex veteribus hic notus? scribit Ribera in Comment. Obad. n. 110.

Dionysii Areopagitæ libros passim citant Pontificii. Libri de cœlesti Hierarchia caput I. citatur ab Anglo Remensibus pro sacrificio Missæ, in Luc. 22. v. 19. Libri ejusdem caput 3. citatur ab Alph. de Castro lib. 3. adv. hæreses verbo Baptismus, hæresi 7. pro chrismatis in Baptismo antiquitate. Libri ejusdem caput 3. citatur à Bellarmino lib. 1. de beat. Sanct. cap. 19. pro invocatione Sanctorum; ac lib. 1. de Purgat. cap. 6. pro astruendo Purgatorio. Libri de divin. nom. caput 4. citatur ab eodem lib. 1. de verbo Dei cap. 13. ut probet, librum Sapientiæ esse Canonicum. Epistola ad Theophilum citatur ab eodem pro forma Monasticæ professionis lib. 2. de Monach. cap. 5. ubi etiam acriter defendit, hunc esse genuinum Dionysii fœtum. Et quis possit recensere omnes, qui ex Dionysii libris contra nos testimonia producunt? Commendant hunc Autorem Anglo-Remenses in annot. Act. 17. Campianus rat. 5. p. 32. Alanus de Suffrag. pro mort. cap. 11. Martinus Delrio in Vindiciis Areopagiticis, Jacobus Gaultherius in prima veritate primi seculi, Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in verbo Dionysius, ubi inter cætera scribit, pro autoritate horum librorum pugnâsse Anastasium Bibliothecarium, Johannem Scotum, Johannem Saracenum, Dionysium Carthusianum, Ambrosium Camaldulensem, Marsilium Ficinum & alios. Baronius Ann. 109. n. 51. & seqq. ex professo Dionysio Areopagitæ libros hosce vendicat atque argumentis in contrarium adductis respondere conatur. Campianus rat. 5. p. 32. Dionysii Areopagitæ Hierarchia, quas classes, quæ sacra, quos

quos ritus edocet? tam valde pupugit Lutherum, *ut hujus opera similia somniis, nec non perniciosissima judicaret.* Salmeron tom. 12. tract. 47. pag. 319. cum adduxisset Lutheri de Dionysio judicium, quod *Platonizet magis quam Christianizet*, in margine annotat: *Martini Lutheri de Dionysio ejusque libris, tanto dignum nebulone judicium.* Et in Libri textu subjungit: *Autorem suum satis tuentur ejus inclyta & Apostolica scripta, & inprimis Theologia tam alta & excellens, stylus quoque tam sublimis, & Apostolicus.* Jodocus Clichtovæus Anti-Lutheri libro primo capitibus quinque prolixis hanc causam disputans *octo* enumerat *argumenta*, quibus Dionysii hujus autoritatem tuetur. Bailius Jes. in Catech. controv. tract. 2. q. 26. *Ministri* (Ecclesiarum Evangelicarum) *omnem antiquitatem negantes, dicere non erubescunt, Dionysii opera esse supposititia. Mitto eos ad Fevardentium virum doctum & religiosum, qui in Theomachia sua Suidæ, Metrodori, S. Damasceni, Photii, plurimorumque insignium, imo nostri temporis Græcorum Scriptorum testimonio demonstrat, S. Dionysium Areopagitam à S. Paulo conversum horum librorum Autorem esse. Anastasius Romanus Bibliothecarius Carolum Magnum laudat, quod tanta cura ac solicitudine tam illustris ac antiqui Autoris scripta quæsiverit. Sed Reformati nostri eum rejiciunt, quia suorum somniorum novitati repugnat.*

Sed multis, iisque evidentibus argumentis convinci potest, libros illos esse supposititios, unde quidam ex ipsis Pontificiis dubitant, quidam etiam negant, hos libros esse Dionysii. *An iste Areopagita sit ille Dionysius, qui scripsit libros de divinis nominibus, certum non est,* inquit Cajetanus in cap. 17. Act. *tum quia Hieronymus de vir. illustr. hujus non meminit, tùm quia Gregorius Pontif. non est ausus asserere, hunc eum Areopagitam fuisse. Opera, quæ asserere, hunc sub Dionysii Areopagitæ nomine extant, sunt conficta,* inquit Laurentius Valla in cap. 17. Act. *quia in libr. de div. nomin. citatur Clemens Alexandrin. qui 200. annos post ætatem Dionysii vixit. Dionysius, qui in Hierarchia priscos Ecclesiæ ritus satis copiosè describit, eruditis recentior quispiam fuisse videtur, quam fuit ille Areopagites,* scribit Erasmus in Epist. præfixa paraphrasi in 1. Cor. *Gulielmus Grocinus Anglus, vir dum viveret, severissimæ, castissimæque vitæ, Ecclesiasticarum Constitutionum observantissimus penè usque ad superstitionem, Scholasticæ Theologiæ ad unguem doctus, ac Natura etiam acerrimi judicii, demum in omni disciplinarum genere versatus; Is ante 30. annos in æde D. Paulo sacra magna celebritate cœpit profiteri Hierarchiam Ecclesiasticam, atque in præfatione stomachatus est in eos, qui negarunt illum esse Areopagitam, notans opinor Laurentium Vallam. Verum ubi jam aliquot hebdomadas esset professus, atque, ut fit, propius ac familiarius introspexisset Authoris ingenium, non dubitavit apud eosdem Auditores* παλινωδεῖν *priorem sententiam profitens, sibi nequaquam videri Dionysii Areopagitæ,* ut memorat idem Erasmus in annot. Act. 17. p. 225. in Schol. super Hieronym. de Ecclesi. Script. & in Declarat. ad Censur. Theol. Paris. tit. 31. n. 91. *Opera Dionysii, ut pseudepigrapha, videntur à Photio notari,* inquit Possevinus in Apparatu sacro in verbo Photius. *Libri Dionysii Areopagitæ apud nonnullos, sunt dubiæ Scripturæ, vel etiam supposititiæ,* scribit Bellarm. lib. 2. de Confirm. cap. 7. §. Jam verò &c. Inde ipse Sixtus Senensis, (qui lib. 2. Biblioth. asseruerat, libros hos esse Dionysii) lib. 6. Biblioth. annot. 229. p. 523. sic scribit: *Dionysii Areopagitæ putantur esse libri, qui nunc de Hierarchiis & divinis nominibus habentur, de quibus Thomas Cajetanus ac plerique alii dubitant, an ejus sint, cujus titulo inscribuntur, eo quod Hieronymus in lib. de viris illustr. nullam Dionysii hujus fecerit mentionem.* Ribera in cap. 1. Epist. ad Hebr. de hoc Autore sic differit: *Multi eam sententiam, de Hierarchia & Ordinibus Angelorum, unius autoritate Dionysii sequuntur. Verum gravissimi Patres Græci & Latini eum sequi noluerunt. Gregorius Papa Dionysii autoritati noluit acquiescere, ne fortè Scripturæ divinæ verbis adversari videretur &c. Nec Dionysius à Paulo hæc se unquam accepisse dixit, nec quisquam probare possit.* Eccius homil. 4. de festo Michaelis, *Libros Dionysii de cœlesti Hierarchia Patres Græci & Latini sequi noluerunt in doctrina de Ordinibus Angelorum.* (Atqui si judicassent libros esse Dionysii genuinos, doctrinam illorum sequi non dubitassent.) Theodorus Gaza in Præfatione ad problemata Aphrodisæi monet, *Opera Dionysii Areopagitæ esse* ψευδεπίγραφα. Bellarminus de Scriptor. Eccles. pag. 65. *Citantur hæc opera nomine Dionysii Areopagitæ in sexta, septima, & octava Synodo generali. Item à Gregorio I. in homil. de centum ovibus, à Martino I. in Concilio Romano, & ab Agathone in Epist. ad sextam Synodum. Ex quo, inquit, coguntur fateri hæretici, hunc Autorem ante annos mille scripsisse, proinde non esse contemnendum.* (Sic ergo Bellarminus nullo alio medio scriptis Dionysii autoritatem conciliare nititur, quàm testimoniis Gregorii Magni & quorundam subsecutorum Pontificum & Doctorum, nec non Concilii 6. generalis, quod Baronius Ann. 656. n. 40. Ann. 680. n. 40. seqq. Ann. 705. n. 5. An. 718. n. 1. seqq. *ab Ecclesia Romana reprobatum* fuisse ostendit. Itemque generalis 7. *itidem reprobi*, Baronius Anno 754. n. 29. 35. seq. quibus certè omnibus post decursum tot seculorum de scriptis hujus Dionysii nihil certi constare potuit. Rem autem universam suspectam reddit Bellarminus, censens *opera Dionysii alicubi latitasse usque ad tempora Gregorii, & quæ Chrysostomus ac Cyrillus Alexandrinus ex iis citant, negat in illis reperiri, quæ hodie extant*, quod evidens est testimonium, alia extitisse Areopagitæ scripta temporib. istorum Patrum, quam quæ hodie habentur. Atqui ante mille sexcentos annos hunc Autorem notum fuisse oportuit, si fuit Areopagita. Cujusmodi ergò hæc opera sunt, quorum antiquitatem non potuit altius repetere aut probare, quàm à sexcentis annis post mortuum Dionysium? Notior est impostura illius Autoris, quàm ut excusari possit, quia is, quicunque tandem sit, voluit se inferre ætati Apostolorum, nam & scribit ad Timotheum, ad Titum, ad Johannem Evangelistam, & se *virginis corpus vidisse* dixit *cum Apostolis*, quæ in homine recentiori quis non jure damnet? Verus Dionysius Areopagita nimis propinquus erat Apostolorum temporibus, quàm ut cum hoc supposititio dixisset: *Sancti Præceptores nostri ex prima traditione edocti ad nos derivarunt*, in fine Hierarchiæ. Anastasius Bibliothecarius, quem pro asserenda Dionysii autoritate adducunt, fatetur, *ante Gregorium I. nullum Autorem hujus Dionysii meminisse*; quod ipsum satis reddit eum suspectum.)

In Bibliotheca Patrum tom. 3. extant *duæ Epistolæ* sub nomine *Martialis* Episcopi Lemovicensis, una ad Burdegalenses, altera ad Tolosanos. Prior citatur à Garetio in Assert. sacrif. Missæ, Hardingo art. 1. cont. Ivell. Anglo-Remens. in annot. Heb. 10. v. 11. Salmerone tom. 9. tract. 27. p. 198 & tract. 30. p. 221. Christophoro à Castro in Comm. Mal. 1. Busæo in Collectan. Patrum ad Catech. Canis. p. 231. pro *Missæ sacrificio*; à Lindano lib. 3. Panopl. cap. 35. pro *invocatione Sanctorum*; posterior citatur à Bellarm. lib. 2. de Monach. cap 27. ut probet, *Martialem persuasisse virgini, ut virginitatem Deo voveret.* Ut majorem hisce Epistolis concilient autoritatem, dicunt, eum fuisse *Apostolum, Martyrem, Episcopum Lemovicensem.* Margarin. de la Bigne tom. 1. Bibl. Patrum p. 49. *unum ex septuaginta discipulis.* Sixtus Senens. lib. 2. Biblioth. sanctæ p. 68. *sanctum & divum.* Martin. Peres. part. 3. de Tradition. tit. de sacr. altarib. Dicuntur hæ Epistolæ *Domino revelante nuper repertæ in sacrario Basilicæ S. Petri, in urbe Lemovica, ubi hactenus latuerant, defossæ in arca saxea sub terra, quæ præ nimia vetustate vix legi potuerint, verandæ antiquitatis pietatem redolentes.* Sixtus Senensis d. l. Margarinus d. l. p. 62.

Sed Epistolæ illæ *nuper demum inventæ*, ut fatetur Baronius in not. ad Martyrolog. Rom. 30. Jun. unde autoritatem earum in medio relinquit, in Annal. Ann. 74. n. 5. Bellarminus verò in lib. de Scriptor. Eccles. p. 67. *supposititias esse*, aliquot argumentis probat. *Multa sunt*, inquit, *quæ his Epistolis fidem detrahere videntur, alioqui autem piæ sunt, & ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent adversus hæreticos nostri temporis, si de tempore, quo conscriptæ sunt, constaret.* Idem lib. 1. de Christo cap. 10. *Epistolam ad Burdegalenses multis de causis suspicor non esse Martialis illius, qui dicitur fuisse discipulus Christi.* In recognit. oper. p. 513. lib. 2. de Monach. cap. 7. *Epistolæ Martialis Apostoli citantur à nobis, quoniam ab aliquibus recipiuntur, quamvis non ignoremus, eas non esse tantæ autoritatis, ut in iis fidei dogmata fundari possint.* Possevinus tom. 2. Apparat. sacri pag. 73. itidem eas reddit suspectas.

Ad finem Abdiæ Parisiis Ann. 1566. impress. habetur *vita Martialis* ab Aureliano Lemovicensi Episcopo beneficio Martialis à mortuis suscitato descripta. Hæc citatur à Garetio lib. de Invoc. Sanctor. pro astruenda *sanctorum invocatione*; & à Baronio Ann. 74. n. 15. ut probet, *Martialem suscitasse mortuum admoto ei baculo S. Petri, quem ab eo sibi datum Romæ acceperat.* Sed Johannes Hesselius in Censura de quibusdam Sanctorum Historiis cap. 6. eam, ut supposititiam, rejicit. *Martialis vita*, inquit, *non placet propter multa &c.*

Ignatii nomine prodierunt primum, undecim *Epistolæ*, in

edit.

edit. Argent. Ann. 1502. quæ paulo post creverunt ad duodecim, in edit. Parif. Ann. 1562. tandem ad quindecim in Bibl. Patrum tom. 3 An. 610. Illæ commendantur & passim citantur à Pontificiis. Bellarminus lib. 2. de Euch cap. 2. *de illis dubitari non posse* asserit, *cum citentur ab Eusebio, Athanasio, Hieronymo, Theodoreto & aliis veteribus frequentissimè.* Baronius, *Ignatii Epistolas nullo prorsus dissentiente Catholicam semper suscepisse Ecclesiam,* asserit, Ann. 44. n. 77. *earum firmissimam semper in Ecclesia fuisse fidem, nec ab aliquo unquam in dubitationem vel levem adductam.* Prima Epistola citatur à Coccio, ut probet, *Mariam à peccato immunem fuisse.* Secunda à Margarino de la Bigne in tract. de Ignatio Epistol. ejus tom. 3. Bibl. præfixo censetur *mirè confirmare, in Mariam Christi matrem quàm optime affectum esse unumquemque, qui nostræ religionis & fidei sit amicus.* Tertia citatur à Canisio lib. 5. de Deipara virgine cap. 1. ut probet, *ipsam virginem de aliorum bono valde solicitam.* Quarta à Bellarmino lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. ut probet, *Rom. Pontif. antiquitus Papam fuisse dictum.*

Sed quidam ex ipsis Pontificiis quasdam harum Epistolarum suppositiitias vel certè corruptas, ac proinde dubiæ fidei agnoscunt. de reliquis idem confirmari potest. *Quod attinet ad duas priores Epistolas Ignatii ad B. Johannem Evangelistam, aliasque duas sequentes, alteram Ignatii ad Mariam Deiparam, & alteram Mariæ ad Ignatium, tametsi eas ut germanas vindicari sciamus à plurib. recentioribus &c. cum tamen Græcè nunquam conscripta reperta fuerint, nec illarum ullus veterum Patrum ad Bernhardum usque meminerit, tutius meo judicio fuerit, easdem vel in Apocryphorum ordinem redigere aut saltem ut non omnino certas ac genuinas habere,* scribit Martialis Mœstræus Doctor Parisiensis in not. ad Epist. Ignatii impress. Parif. Ann. 608. *Fertur Epistola Dei genitricis ad Ignatium reddita, ejusdem Ignatii una ad ipsam scripta, duæ vero ad Johannem Evangelistam, de eadem ipsa loquentes. Sed Hieronymus & alii antiquiores, qui ejusdem Ignatii recensuerunt Epistolas, eas non noverunt. Traduntur & aliæ ab ipsa ad alias scriptæ civitates, quas cunctas, cum careant Ecclesiæ autoritate, non nisi in Apocryphorum classem rejiciendas esse, omnes facilè judicabunt,* scribit Baron. An. 48. n. 25. *Quæ nunc extant Epistolæ ad B. Virginem & S. Johannem, non videntur redolere Ignatii gravitatem, adde, quod non habentur in Græcis Codicibus,* inquit Bellarm. in Indice Script. Eccles. cum Censura M. S. *Quod attinet ad duas priores Epistolas S. Ignatii ad Johannem, & ad duas alias sequentes, alteram Ignatii ad Mariam Deiparam, alteram Mariæ ad Ignatium &c. cum illarum neque Eusebius, neque Hieronymus, nec Nicephorus, nec ullus veterum ad D. usque Bernhardum meminerit, qui alioqui accuratè scripta Ignatii memoraverint, tutius fuerit easdem, vel in Apocryphorum ordinem redigere, aut saltem ut non omnino certas ac genuinas habere,* inquit Joh. Maria Magister sancti Palatii in Indic. Rom. lib. expurg. tom. 1. cujus censura Ignatianis Epistolis tom. 3. Bibl. præfixa. Suarez in Thomam p. 3. q. 37. art. 4. Disp. 20. §. 1. *An B. Virgo aliquid scripserit, non constat. Nam Epistola quædam ad Ignatium, quæ nomine ejus circumfertur, incertæ autoritatis est. Si constaret, eam à B. Virgine scriptam, nemo, ut existimo dubitaret, quin inter Canonicas Scripturas esset annumeranda.* Quod attinet reliquas, manifestum est, de quinque illarum, videl. de Epistola *ad Mariam Cassobolitem,* vel, ut alii eam vocant, *Zarbensem,* de Epistola *ad Tarsenses,* de altera *ad Philippenses,* de una *ad Antiochenses,* & altera *ad Hieronem,* æque apud veteres nullam fieri mentionem, quàm de tribus primis, quas Apocryphas, vel dubias esse fatentur, cum Euseb. lib. 3. Hist. cap. 30. & Hieron. in Catal. *septem tantum Epistolarum* Ignatii mentionem faciant, *ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, Romanos, Philadelphenses, Smyrnenses & Polycarpum.* E. de reliquis quinque ab Eusebio & Hieronymo prætermissis idem judicium, quod de Epistolis ad Johannem & Mariam. Baronius An. 109. n. 33. scribit, *consuevisse Ignatium in singulis suis Epistolis ad calcem apponere tanquam speciale quoddam signum Epistolarum, Amen, Gratia.* At hæc verba non nisi in Epistola ad Ephesios post salutationem habentur. Bellarmin. lib. 2. de Euchar. cap. 2. secutus Theodoretum Dial. 3. quædam citat ex Epistola Ignatii *ad Smyrnenses.* Sed ea hodie non habentur in illa Epistola, quæ sub Ignatii nomine ad Smyrnenses legitur. In Epist. ad Philadelph. dicit Ignatius: *Si quis Dominicum diem aut Sabbatum, uno excepto, jejunaverit, Christi interfector est.* Hoc ipsi Pontificii non recipiunt. In Epistola ad Smyrnenses mentio fit *Laicorum,* quæ vox non est seculi Ignatiani. In Epistola ad Polycarpum voces Latinæ Græcis substitutæ τὰ δεπόσιτα, τὰ ἄκκεπτα satis arguunt corruptorum inscitiam.

Inter *Justini* opera habetur liber sub hoc titulo, *D. Justini Philosophi & Martyris Responsiones ad Orthodoxos,* de quibusdam necessariis quæstionibus. Hic liber citatur à Bellarmin. lib. de Bapt. cap. 21. ut probet, *Baptismum Johannis non habuisse eandem vim & efficaciam, quam habuit Baptismus Christi;* lib. ejusd. cap. 25. ut probet, *Catechumenos debere ungi ante Baptismum;* lib. de Confirm. cap. 5. ut probet, *Confirmationem esse Sacramentum.*

Sed Pamelius in annot. ad lib. Tertull. de anima cap. 57. n. 638. observat, *Justinum in Dialogo cum Tryphone de Samuele à pythonissa excitato contrarium docere illis, quæ in q. 52. occurrunt,* ex qua opinionum differentia confirmari dicit eorum sententiam, qui librum quæst. & resp. *Justini esse negant.* Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. sanctæ in verbo Justinus. *Cum in quæstionibus 82. 86. & 115. citentur Irenæus & Origenes longe eo posteriores, alterius Authoris oportet esse opus.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Justinus eodem argumento utitur: *Opus centum quadraginta sex quæstionum non videtur esse Justini. Nam q. 82. & 86. citat Origenem, & q. 115. citat Irenæum, & eum Martyrem appellat, cum tamen Justinus utroque prior fuerit.* Bellarminus ipse lib. 1. de beat. Sanct. cap. 4. *Istæ quæstiones non videntur Justini, sed alicujus recentioris.* Azorius tom. 1. moral. lib. 4. cap. 25. *Autor illius opusculi non est Justinus Martyr,* quod aliquot argumentis confirmat. Delrio lib. 2. Disquis. Magic. q. 26. sect. 3. miratur, Petrum Leloyerium libr. de spectris dicere, *Autorem libri Græc. quæst. ad Orthodoxos ejusdem esse autoritatis cum Justino Martyre.*

In Bibliotheca Patrum tom. 5. habetur liber, qui de *XII. Patriarcharum Testamentis* inscribitur. Illum citat Coccius tom. 1. Thesaur. lib. 4. art. 4. ut probet, *Angelos rectè ab hominibus invocari.* Sed Joh. Maria Magister sacri Palatii tom. 1. Ind. Rom. lib. expurg. Romæ 607. impress. p. 185. hunc librum agnoscit esse suppositiitium. *Liber hic,* inquit, *Apocryphus est, pseudoepigraphus, fabulosus & indignus planè, qui legatur, multa enim continet partim errohea, partim vana, & mendacia, nullo Autore aut fundamento subnixa;* quæ censura præfixa est huic libro in Bibl. Patrum tom. 5. Cornel. à Lapide in Comm. Gen. c. 49. fatetur *hunc librum esse incerti & suspecti Autoris, multa habere mira & nova, fabulis Judaicis similia.*

Hippolyti Orationem de Consummatione mundi & Antichristo citant Anglo-Remenses in annotat. Matth. 24. v. 15. & in annot. Apoc. 11. v. 3. ut & Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 6. & 7. lib. 1. de Missa c. 9. ut probent, *Antichristum aboliturum Missam, & Eliam venturum in propria persona ante diem judicii, ad prædicandum Judæis & gentibus.* Eandem citat Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 8. ut probet, *Antichristum non regnaturum nisi tres annos cum dimidio;* lib. ejusd. cap. 12. ut probet, *Antichristum à Judæis tanquam Messiam recipiendum.* Campianus rat. 5. de eo sic gloriatur: *Hippolytus Portuensis Episcopus quàm bellè quàm clare Antichristi nervum Lutherana tempora præmonstravit?* At Bellarm. ipse lib. 3. de Ecclesia cap. 16. §. Ad quintum. disputat, *Hippolytum sine dubio deceptum esse in expositione loci Dan. 9. de sacrificio & hostia, circa tempora Antichristi desitura.* Idem lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. uti etiam Pererius lib. 14. in Daniel. p. 694. repudiant, quod suppositiitius Hippolytus contra Paulum 2. Thess. 2. v. 3. asserit, *Antichristum non alium fore quàm ipsum Diabolum sub specie simulata humani corporis.* Verba Pererii sic habent: *Hic maximè cavendum est lectori, ne fortasse permotus autoritate Hippolyti in errorem ejus à Patrib. damnatum impingat. Putavit ille, Antichristum non alium futurum, quam ipsummet Diabolum sub specie simulata humani corporis, quam opinionem tacito ejus nomine damnat Hieronymus ad h. l. & Damascenus 4. de orth. fid. cap. 28.* Idem Pererius lib. 15. in Daniel. p. 75. carpit *Hippolytum,* ejusque hac in re asseclam *Ambrosium Catharinum,* quod *duobus ad Antichristum debellandum redituris Enocho & Eliæ adjungat Johannem, quem nondum mortuum, sed in Paradisum terrestrem translatum somniant.* Johannes Picus, qui orationem illam Parisiis Ann. 1557. primum edidit, in Epistola dedicat. ad Cardinal. Lotharing. monet, *alienum esse ab Ecclesiastica doctrina ac proinde cavendum, quod hic Autor asserat, B. Johannem cum Enocho & Elia rediturum ad debellandum Antichristum;* cui sententiæ non acquiescendum esse etiam Possevinus asserit. Verba Possevini sic habent tom. 1. Apparatus sacri p. 762. *Nec verò Hippolyti sententiæ acquiescendum, quâ Johannem Evangelistam facit adhuc superstitem atque cum Enocho & Elia venturum ad verbum Dei prædicandum. Minus item alteri sententiæ ipsius, qua putavit,* Anti-

Antichristum non futurum verum hominem, sed corpus phantisticum solum ostentaturum. Sixtus Senensis non meminit libelli de Antichristo ab Hippolyto scripti, ait tamen *Basileæ superioribus annis repertos fuisse Commentarios quosdam in Apocalypsin Hippolyto inscriptos,* (qui sunt fortassis libellus de Antichristo) *de quibus oberuditionis & styli inopiam ambigatur*, lib. 4. Bibl. p. 273.

Theophili Antiocheni Commentaria in quatuor Evangelia citantur à Jodoco Coccio, Compositione Pacis Dillingana & aliis pro nominis *Catholici* antiquitate.

Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. Baronius Anno 170. sect. 12. ex Hieronymo monent, *illos Commentariorum in quatuor Evangelia libros non congruere cum aliorum ejusdem Scriptorum elegantia & phrasi.*

Tertulliani librum de Pœnitentia citat Bellarminus lib. 3. de Pœnitent. cap. 6. pro *auricularis Confessionis necessitate*; lib. 1. de Pœnitent. cap. 10. ut probet, *Pœnitentiam esse Sacramentum*; lib. 4. de Pœnit. cap. 9. ut probet, *Deo satisfieri posse pro pœna temporali culpa dimissa*; & alibi passim cum ipse, tum alii Pontificii librum istum allegant.

Sed Beatus Rhenanus in argum. hujus libri de eo sic scribit: *Sciat Lector, librum hunc visum Erasmo nostro Roterodamo bonæ memoriæ non esse Tertulliani propter phrasin diversam, cujus judicio subscribimus tandem, utut verbis & figuris iisdem utatur Autor ille, quisquis fuit, ejus indubiè seculi & Tertulliani studiosissimus.*

Liber de Trinitate citatur à Peresio de Traditionib. part. 3. f. 173. *pro Purgatorio.*

Sed Jacobus Pamelius in annot. dicit, eum esse Novatiani, idque probat triplici ratione, tum quod Autor cap. 6. *in Deo neget corporea lineamenta, quem Tertullianus non semel corporeum agnoscere videtur, tum quod cap. 12. Sabellianorum meminit, cum multò post Tertullianum exortus sit Sabellius, tum quod in eo quædam sint, quæ hæresin sapiant, ut omnem Spiritum esse creaturam, paracletum esse Christo minorem.* Renatus Laurentius in annot. scribit: *Characterem & genus dicendi in eo paulo nitidius esse &c.* Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 6. *Hic liber de Trinitate, qui Tertulliano tribuitur, non est ipsius, sed potius Novatiani, ut Hieronymus asserit lib. 2. in Ruffinum, & in lib. de Script. Eccles.* In Novatiano: *Librum non esse Tertulliani patet, quia nominatim refelluntur in hoc libro Sabelliani, qui nondum orti erant tempore Tertulliani.* Gregorius de Valentia tom. 1. Disput. in Thomam Disp. 1. q. 12. punct. 8. pag. 264. *Liber de Trinitate falsò adscribitur Tertulliano, cum sit Novatiani.*

Liber de definitionibus Ecclesiasticorum dogmatum citatur à Bundetio in Comp. rerum Theolog. tit. 34. art. 4. pro *voluntaria paupertate*; ab eodem tit. 7. art. 2. pro *libero arbitrio*; à Polydoro Vergilio lib. 8. de rer. invent. cap. 1. pro *Reliquiis.*

Sed Lovanienses statuunt, *non esse Catholici Scriptoris librum.* Pamelius in annot. ad Tertullian. pag. 117. *Falsò eum adscribi Tertulliano, cum sit idem, qui inter opera Augustini de dogmatibus Ecclesiasticis inscribitur.*

Inter Origenis opera tom. 1. habentur *homiliæ 16. in Leviticum*, quarum primam citat Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 9. ut probet, *Historiam Susannæ esse Scripturam Canonicam*; secundam & tertiam citat lib. 3. de Pœnit. cap. 7. pro *Confessione auriculari*; quintam citat lib. 3. de Verbo Dei cap. 1. pro *Scripturæ obscuritate*; octavam & nonam citat lib. de Confirm. cap. 5. ut probet, *Sacramentum Confirmationis*; decimam citat lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. pro *Quadragesima*; decimam quartam citat lib. 1. de Purgat. cap. 4. pro astruendo *Purgatorio*; decimam sextam citat lib. 4. de Pœnit. cap. 9. pro *Satisfactionibus.*

Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. de falsa lib. inscript. monet, *easdem homilias sub nomine Cyrilli Alexandrini esse excusas.* Anglo-Remenses itidem sub Cyrilli nomine has homilias citant annot. in Joh. 20. v. 23. pro *auriculari confessione*; in annot. Gal. 4. v. 1. pro *extrema unctione*; Salmeron Disp. 6. in 1. Cor. 3. eas citat pro *Purgatorio*; Ac Bellarminus ipse libr. 4. de Verbo Dei cap. 11. in medio relinquit, cujus sint, *Origenis, an Cyrilli, an neutrius? Respondeo*, inquit, *homilias illas in Leviticum non esse B. Cyrilli, sed Origenis, vel nescio cujus alterius, qui passim literam destruit, & mysticos sensus ex capite suo statuit, proinde homilias illas non esse magnæ autoritatis*, quod *rectè ab ipso dictum esse*, scribit Gretserus tom. 1. defens. Bellarm. lib. 4. cap. 11. Idem tamen Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. ad Annum 226. *eas verè Origenis esse asserit, quia phrasin Origenis servent, & ejus erroribus scateant.* Nec prætermittendum illud, quod Origenis homilias in Leviticum non habemus nisi ex Ruffini versione. Solebat autem Ruffinus ad suam sententiam satis licenter accommodare eos Autores, quos in Latinum sermonem transferebat, qua de re sic scribit Erasmus in Cens. ad lib. Orig. *Libertas vel licentia potius addendi, adimendi, mutandi, Ruffinum clamant Interpretem. Hanc licentiam fatetur se usurpasse in Leviticum, in Epistolam ad Roman. in Historiam Ecclesiasticam. Quod porro opus ille tractavit unquam, quod non ad illum modum contaminarit?*

Eodem tomo habentur *libri tres Commentariorum in Jobum.* Horum secundus citatur à Lindano lib. 3. Panopl. cap. 26. Genebrardo lib. 3. Chronol. Copo Dial. 3. cap. 3. Coloniensibus in Censura Dial. 6. & aliis pro *invocatione Sanctorum*; tertius citatur à Pisano Jesuita lib. de abstinent. cap. 9. pro *abstinentia à carnibus in Quadragesima*; & ab Albino in lib. de suffrag. pro defunct. cap. 5. pro *eleemosynis faciendis in diebus funerum ad salutem animarum.*

Sed Baron. in annot. ad Martyrol. Rom. Jan. 7. fatetur: *Origenem non esse Autorem horum Commentariorum*, idque probat hac ratione: *Autor iste mentionem facit Luciani Martyris, sed Origenes longe ante tempora Luciani obiit, nempe sub Gallo & Volusiano, cum Lucianus in ultima persecutione sub Maximino fuerit Martyrio coronatus.* Erasmus tom. 8. oper. *non Origenis, sed Ariani cujusdam* scriptum esse agnoscit, quod probat ex his verbis Autoris: *Tria cornua facit Diabolus in typum atq; figuram trionymæ illius sectæ, triumque Deorum hæresis, quæ universum terrarum orbem in modum tenebrarum replevit.* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. in verbo Origenes, & Possevinus in Apparatu in verbo Origenes, itidem negant esse Origenis, ac probant ex eo, quod *phrasis & docendi methodus longe distat ab Origenica dictione, quod Luciani Martyris agonem celebret, ac Homousianorum sententiam commemoret, cum Homousii & Homousianorum nomen longe post Origenis tempora fuerit enatum.* Idem Sixtus Senensis in Præfat. Biblioth. sanct. *Typographi inter multos partus spurios supposuerunt nobis Commentarios Origenis in Jobum.* Bellarmin. de Script. Eccles. Genebrardus in Collect. de vita Origen. cap. 6. n. 1. itidem negant esse *Origenis partum genuinum.*

Eodem tomo habentur *homiliæ 9. Psal. 36. 37.* & 38. Earum secundam citant Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 68. Canisius in Catech. de Confession. Bellarmin. lib. 3. de Pœnit. cap. 7. pro *auriculari Confessione*; tertiam citant pro *Purgatorio.* Sed Erasmus tom. 8. operum de illis sic scribit: *De Commentariis in Psalmos sum ancipitis sententiæ, vix referunt Origenis ingenium ac phrasin. Suspicor, qui scripsit, fuisse Latinum. Fateamur operis genium non referre Origenicam felicitatem.*

Eodem tomo habetur *Commentarius in Cantica Canticorum*, divisus in quatuor homilias, quarum tertia citatur à Copo Dial. 3. lib. 3. pro *invocatione Sanctorum*; & à Coccio tom. 1. Thesauri lib. 6. de Scriptura art. 18. pag. 688. ut probet, *libros Maccabæorum esse Canonicos.* Sed Erasmus in Censura monet, *Commentarium hunc nec Origenis esse, nec Hieronymi, nec alicujus Græci, cum in Prologo citet Græcos velut alienos.* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. verbo Origenes dicit: *Magistrum Sententiarum & Thomam citasse ex hoc opere testimonia sub nomine Ambrosii.* Ideo de eo tanquam incerto loquitur: *Fertur opus sub nomine Origenis.*

Eodem tomo habetur *Lamentum Origenis*, quod citatur à Theologis Lovaniensibus in Censura Dial. 6. Cardinali Hosio in Confess. Petricov. cap. 58. Parsonio in Tripl. convers. Angl. part. 3. p. 9. pro *invocatione sanctorum.* Sed Erasmus in Censura de eo sic judicat: *Lamentum hoc nec ab Origene scriptum est, nec ab Hieronymo versum, sed figmentum est alicujus indocti, qui studuerit hujusmodi colore Origenem infamare.* Baronius Anno 253. num. 118. agnoscit, *hunc librum à Gelasio Papa inter Apocrypha numeratum. Librum*, inquit, *Lamentorum sive de Pœnitentia Gelasius statuit esse pseudoepigraphum.* (In tanto luctu, in tam seria Pœnitentia nusquam nominatur Christus Intercessor, nusquam Christi preces, nusquam Christi merita, sed à sanctis fit initium, in sanctos finis.)

Tomo secundo habentur *homiliæ 10. in diversos Evangelii locos*; illarum primam citat Salmeron Disp. 52. in Ep. ad Rom. p. 475. pro astruenda *immaculata conceptione B Virginis*; secundam citat Duræus contra Witakerum pag. 109. ut libris *Dionysii Areopagitæ* autoritatem conciliet; octavam citat Canisius in Cat. de ador. Euch. q. 6. ut ostendat, *usum & fructū signi crucis manibus formati.* Sed Erasm. in Cens. Sixt. Sen. lib. 4. Bibl. in verbo Origenes, Baronius A. 109. Possevinus in Apparatu in

in verbo Dionysius Areopagita, Gretserus tom.1. defens. Bellarmin. lib.4. cap.7. col. 653. agnoscunt, *ea non esse Origenis, cum Manichæorum & Arianorum, qui post Origenem exorti, mentionem faciant. Sine dubio non sunt omnes illæ homiliæ Origenis*, inquit Bellarminus lib. de Script. Eccles. in verbo Origenes.

Ex Epistola 1. *Cornelii Episcopi Romani*, quæ fertur *de translatione corporum Petri & Pauli* recitat Bellarminus lib. 1. de beat. Sanct. 19. quædam pro stabilienda *Sanctorum Invocatione*. Sed quæ in hac Epistola de translatione corporum Petri & Pauli continentur, non repererunt locum in Annalibus Baronii. (Anastasius testatur, *Petrum sepultum juxta locum ubi passus erat, quò eum iste Cornelius vult translatum, cum prius sepultus esset unà cum Paulo*. Sepultos fuisse statim post Martyrium, alterum in Vaticano, alterum ad Viam Hostiensem veteres testantur, & ita docet Baronius Anno 69. Certe apud Eusebium lib. 2. cap. 2. id disertè testatur Cajus autor in vivis sub Zepherino, qui Cornelium præcessit annis plus quinquaginta. Epistola ipsa dicitur scripta *Decio & Maximo Consulibus*, qui nulli fuerunt sedente Cornelio. Nam, si Baronio credimus, hic electus Anno 254. *Decio & Grato Consulibus*, sequente passus est sub *Gallo & Volusiano*. Stylus Epistolæ omninò diversus est à stylo literarum Cornelii, quæ extant inter Epistolas Cypriani.)

Cypriani librum ad Fortunatum de Exhortatione Martyrii citat Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 15. ut probet, *libros Maccabæorum esse Canonicos*; lib. 1. de Baptismo cap. 6. *Martyrium habere eandem vim cum Baptismo*; lib. de Laicis cap. 21. ut probet, *hereticos esse interficiendos*. At librum illum non esse Cypriani, sed Hilarii tùm *ex stylo*, tùm *ex Hieronymi authoritate* probat Marianus Victorius in annot. ad Hieronymi Apolog. ad Pamm. tom. 2.

Liber de disciplina & bono pudicitiæ citatur à Canisio in Catechism. cap. de Consil. Evangel. num. 4. pro *excellentia virginitatis*. Pammelius in annot. num. 22. in eo statuit haberi locum pro *matrimonii indissolubilitate*. Sed Erasmus in Censura de eo scribit: *Stylus palam arguit non esse Cypriani, nam fluit ille & lectorem ducit, hic arguté & breviter sententiis & enthymematis pungit*. Claudius Espensæus lib. 3. de continent. cap. 13. *Autor est incertus*. Bellarminus de Scriptor. Eccles. numerat hunc librum inter *supposititios*.

Liber de laude Martyrii Pamelio videtur habere testimonium pro *Purgatorio* in annot. num. 31. ac pro *invocatione Sanctorum* num. 68. Sed Erasmus in Censura scribit: *Opinor neminem fore tam obesæ naris, quin ilico sensurus sit, stylum hujus operis longè lateque discrepare à dictione Cyprianica, quia est elaboratus & inæqualis, identidem intumescens, sed parum feliciter, affectat argutiam, nec id quidem ubique feliciter, & omnino plus est curæ quàm ingenii, plus affectationis quàm facultatis. Apparet opus fuisse meditantis & calamum exercentis*. Bellarminus de Script. Ecclesiast. inter *spuria* eum recenset.

Liber de cardinalibus operibus Christi ad Cornelium Papam continens duodecim tractatus, 1. de Nativitate, 2. de Circumcisione, 3. de Epiphania, 4. de Baptismo, 5. de Jejunio, 6. de Cœna, 7. de Ablutione pedum, 8. de Chrismate, 9. de Passione, 10. de Resurrectione, 11. de Ascensione & 12. de Spir. S. missione, sæpius à Pontificiis citatur. In primo tractatu Pamelius dicit haberi locum pro *immunitate Virginis à peccato originali*; Itemque alium pro *libero arbitrio*. Tertium citat Genebrardus lib. 3. Chron. & Joh. Caspar Rutlandus in Locis Comm. pro *invocatione Sanctorum*; Greg. de Valent. de Bapt. parvul. cap. 14. ut probet, *parvulos salvari per Martyrium vice Baptismi*. Quartum tractatum citat Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 7. ut probet, *Sacramenta ex opere operato conferre gratiam*; Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 8. *exorcismos & exsufflationes ab ipsis Apostolis adhibitos*; Durantes lib. 2. de ritib. Eccles. cap. 45. pro *virtute signi crucis in Sacramentis*. Quintum tractatum citant Canisius in Catech. cap. de Jejunio q. 4. & Peresius de Tradition. p. 3. de Jejun. fol. 250. ut probent, *jejunium esse cultum religiosum*. Sextum tractatum citant Eccius in Enchir. cap. 36. Anglo-Remenses in annot. Hebr. 10. v. 11. Catech. Roman. tract. de Sacram. Copus Dial. 6. cap. 8. Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 20. Gregorius de Valentia lib. 2. de Transsubst. cap. 3. pro astruenda *Transsubstantiatione*; Copus d. l. pro *sacrificio Missæ*; Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 7. ut probet, *Sacramenta ex opere operato conferre gratiam*. Septimum tractatum citat Lindan. lib. 4. Panopl. cap. 6. ut probet, *plura esse Sacramenta quàm duo*. Eundem citant Cardinalis Hosius, Melchior Canus & Jesuitæ in Colloquio Ratisbon. ut stabiliant *Traditiones*. Octavum tractatum citat Canisius in Catech. cap. de Sacr. Confirm. pro *Confirmatione*; Hardingus in Replic. pro Missa sect. 15. pro *externo Sacerdotio*; Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 7. Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 29. & Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 18. pro *Chrismatis antiquitate*. Nonum tractatum citat Costerus in Enchirid. cap. 13. ut probet, *Paulum Eph. 3. v. 18. mysterium signi crucis explicuisse*.

Sed Erasmus in Censura de eo scribit: *Hoc opus non esse Cypriani stylus arguit, nec habebatur in exemplaribus manu descriptis, quibus usus sum*. Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. *Sunt hi tractatus incerti Autoris. Nescio, quis Cypriano illud opus adscripsit & illius scriptis inseruit, ea fortasse conjectura permotus, quod Cyprianus ad eundem Pontificem scripserit*. Possevinus in Præfat. Apparatus. *Liber de cardinalibus Christi operibus falsò tribuitur Cypriano*. Johannes Hesselius Lovaniensis lib. de Commun. sub una specie fol. 62. *Libellus de cardinalibus Christi operibus inter opera Cypriani impressus quidem est, sed Cypriani non est*. Bellarminus de Scriptor. Eccles. inter *opera supposititia* refert, & lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 2. scribit: *Sermones de operibus cardinalibus Christi sunt Authoris antiqui & docti, sed Cypriano, imo & Augustino sine dubio posterioris*. De tractatu sexto in specie, sic scribit Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 9. *Extat inter opera Cypriani Sermo de Cœna Domini, qui Cypriani Episcopi Carthaginensis esse non videtur*. Lib. 4. de Euchar. cap. 26. *Autor sermonis de Cœna Domini non est Cyprianus, sed aliquis posterior*. Idem Bellarm. de Script. Eccles. *Liber de Cœnæ dispositione non solum Cypriani non est, verum neque alicujus docti hominis est. Nam neque verba, neque sententias habet homine docto dignas, sed ineptas & ridiculas narrationes & fabellas*. (Styli barbaries hunc de Cœna sermonem à Cypriani elegantia satis repudiat, quæ nunquam Priscianum tam indigne tractasset. Distributus non dimembratur, incorporatus non injuriatur.) Pamelius itidem dubitat, *an sit Cypriani*. Gislerius in Comment. Cant. Cantic. cap. 5. v. 1. exposit. 2. cum sub nomine Cypriani sermonem illum citasset, mox subjungit, *si tamen is est Cypriani*.

Librum de Aleatoribus citat Durantes lib. 2. de ritibus Eccles. cap. 45 num. 2. ut probet, *crucis signum infractum esse, & contra spiritualium hostium potentiam munitissimum*.

Sed Bellarmin. de Scriptor. Eccles. recenset inter *supposititia*. Pamelius in Præf. tom. oper. Cypr. dicit, *hunc librum esse unum ex illis, quorum stylus nonnihil hæsitationis affert, num Cypriani sit*. Possevinus in Apparatu sacro, verbo Cyprianus vocat *opus attributum Cypriano*. Erasmo hic liber fuit incognitus, editus primum à Morellio.

Librum de singularitate Clericorum citant Anglo-Remenses in annot. 1. Timoth. 3. v. 2. & Peresius de Tradition. de vot. continent. fol. 298. ut probent, *Sacerdotes debere esse cælibes*; Pamelius dicit, *in eo haberi locum insignem pro veneratione Sanctorum, & pro voto continentiæ*, in annot. ad hunc librum num. 91. & 98.

Sed Franciscus Turrianus lib. 4. Confess. Augustinian. cap. 7. cum sub nomine *Augustini* citat, ut probet, *Clericos Augustini seculo fuisse cælibes*. Erasmus in annot. ad Augustinum tom. 4. oper. pag. 737. nec *Cypriani*, nec *Augustini* esse censet. *Sequebatur*, inquit, *hoc loco, videlicet ad finem libri Augustin. de bono viduitatis libellus de singularitate Clericorum, qui toties & Hieronymi & Cypriani nomine excusus est, cùm phrasis nec Hieronymum, nec Cyprianum, nec Augustinum referat, proinde non est visum eo præsens volumen onerare*. Idem in annot. ad 3. cap. Philipp. p. 438 *Cypriani de vita Clericorum liber non videtur esse ipsius*. Pamelius in annot. ad Tertullian. de corona militis n. 43. sub *Origenis* nomine eum citat, cui etiam nonnulli recentiores eum adscribunt, licet falso, ut est apud Baronium Ann. 253. num. 43. Bellarminus lib. de Clericis cap. 19. dubitat, cui adscribendus sit, ut apparet ex citationis verbis: *Cyprianus* (inquit) *sive quicunque est Autor in libro de singularitate Clericorum affirmat &c.* lib. de Script. Eccles. inter *supposititia opera* eum refert, cum *stylus sit diversus à stylo Cypriani, & multa verba parum Latina admisceat, quæ in Cypriano non inveniuntur, qualia sunt, inordinabiliter, contubernitas, mulcedo, conjugalitas, passibilitas, absentare &c.* Pamelius in annot. ad hunc lib. *Recte censuit Erasmus, librum de singularitate Clericorum Cypriani non esse*.

Librum

Librum de duplici Martyrio ad Fortunatum citat Bellarminus lib. de Baptismo cap. 25. ut probet, *ritum abrenunciationis in Baptismo*; Gregor. de Valentia lib. de peccat. orig. cap. 8. ut probet, *Johannem cap. 1. v. 29. loqui de peccato originali.* Sed Pamelius in argum. præfixo huic libro de eo sic judicat: *Hunc librum non esse Cypriani patet, quod in eo Diocletiani Imperatoris, & belli Cæsarei contra Turcas fiat mentio. Neoterici cujusdam esse censeo.* Idem statuunt Bellarm. lib. de Script. Eccl. Durantes lib. 1. de ritib. Eccles. cap. 1. n. 12. & Gretserus tom. 1. defens. Bellarmin. lib. 1. cap. 17. col. 312.

Librum de duodecim Abusibus seculi eo nomine commendat Pamelius, quod pulchrè explicet locum Apostolicum 1. Tim. 3. v. 2. *unius uxoris virum*, in annot. ad hunc lib. n. 31. Gratianus, Ivo, Codices, Colonienses *Cypriano* eum adscribunt. Sed Lovanienses in Censur. tom. 9. oper. August. *eum incerti Authoris esse fatentur.* Erasmus in Censur. tom. 9. oper. Aug. suspicatur *esse boni cujusdam Laici.* Pamelius in arg. libri *perperam Cypriano adscriptum* dicit, atque ex stylo, ut & citatione Scripturæ juxta Hieronym. versionem probatur, nec Cypriani, nec Augustini esse. Bellarmin. de Script. Eccles. inter opera supposititia eum refert.

Methodii de Revelationibus librum Pontificii passim adducunt, ut sua *de Antichristo* somnia probent. Bouldoucus lib. 1. de Ecclesia ante Legem cap. 8. adducturus Methodii testimonium, præmittit: *Placet Methodii verba referre, qui fuit Episcopus, Martyr & Scriptor egregius: de quo meminit Hieronymus lib. de Script. Ecclesiasticis.* Sed Bellarminus lib. de Script. Eccles. sect. 3. de eo sic judicat: *Circumfertur libellus Revelationum sub nomine Methodii, sed supposititius censetur.* Bouldoucus post adductum Methodii de Nimrodo testimonium, quod *in multis fuerit eruditus à Deo* subjungit: *Quamvis autem Salianus post Pererium hæc non tam Methodii scripta, quam commenta Rabinorum existimet, placet tamen Tornelli mediocritas, quæ ex illo Autore à se commemorata adeò dubia & incerta putat, ut pariter neque prorsus probari, nec improbari posse videantur.*

Tomo 2. Biblioth. Patrum extant *sermones Zenonis*, sub hoc titulo: *Sancti Zenonis Veronensis Episcopi & Martyris, Doctoris eximii sermones &c.* quem volunt Ann. 260. vixisse. Ex illis sermonem de resurrectione citat Coccius tom. 2. Thesaur. lib. 7. art. 5. de Pœnitentia, pro *Purgatorio*; & tom. 1. lib. 5. art. 10. ut probet, *Samuelis animam verè apparuisse Sauli.* Sermonem primum de nativitate citat idem tom. 1. lib. 6. art. 11. ut probet, *librum Baruch esse Canonicam Scripturam*; sermonem quintum de Daniele & tribus pueris; & sermonem octavum citat ibidem art. 4. ut probet, *Canticum trium puerorum esse Canonicum*; sermonem nonum citat ibidem art. 15. ut probet, *Historiam Susannæ esse Canonicam Scripturam*; sermonem pro fidei puritate citat ibidem art. 16. ut probet, *Historiam Belis & Draconis esse Canonicam*; sermonem quintum de S. Arcadio & sermonem de Resurrectione citat ibidem art. 18. ut probet, *libros Maccabæorum esse Canonicos.* Sed illos supposititios esse agnoscunt multi ex ipsis Pontificiis. Baronius in annot. ad Martyrol. April. 12. *Negandum non est, nonnullos sermones inter opuscula S. Zenonis impressos, Martyri, qui sub Galieno coronatus est, convenire non posse, in quibus arbitramur eos esse, qui Arii hæresin confutant manifeste.* Sixtus Sen. lib. 4. Bibl. S. in verbo Zeno. *Pro sermonibus Zenonis Veronensis, Guarinus Veronensis Orator, centum ab hinc annis, volumen sermonum diversi generis emisit in lucem, quos constat majori ex parte collectos esse ex diversis Autoribus, qui ducentis penè annis fuere Zenone posteriores.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Zeno: *Constat, hos sermones majori ex parte collectos esse ex diversis Autoribus, qui ducētis penè annis fuerunt Zenone posteriores.* Bellarmin. de Script. Eccles. in verbo Zeno: *Quidam ex his sermonibus falsò tribuuntur Zenoni, quidam sunt brevissimi, ut non mereantur dici sermones, quidam sunt repetitiones aliorum, quidam ita obscuri, ut intelligi nequeant. Nulla hujus Zenonis fit mentio apud Eusebium nec Hieronymum. Gregorius est primus, qui Zenonem Veronæ Episcopum Martyrem nominat lib. 3 Dial. cap. 19. Sed de operibus ejus nullam facit mentionem.*

Dorothei Synopsin citat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 4. ut probet, *Petrum Romæ usque ad mortem Episcopum fuisse.* Copus Dial. 3. cap. 21. pro *cultu Sanctorum & honore Reliquiarum*, alii aliis de causis eam citant. Ac Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. tit. Dorotheus, hunc librum tanquam *genuinum fœtum Dorotheo* adscribit. Sed idem Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 2. statuit, *Dorotheo Synopsin istam falsò adscribi.* Ac in lib. de Script. Ecclesiast. eam *plenam esse fabulis* asserit. Baronius in annotat. ad Martyrol. Roman. Junii 5. *Increbuit error, ut putarint nonnulli, hunc ipsum Dorotheum Tyrensem Episcopum Autorem esse illius libri, qui Dorothei Synopsis inscribitur.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Dorotheus: *Dorotheo Tyrensi falsò adscribitur Synopsis, quæ plena est narrationibus confictis ac mendacibus.* Idem est judicium Margarini de la Bigne in notis præfixis huic Synopsi tom. 7. Biblioth. Patrum, & Molani in lib. de picturis cap. 39.

Arnobii Commentarios in Psalmos citat Garetius lib. de invocat. Sanctor. pro astruenda *Sanctorum invocatione*; Fevardentius in not. ad Iren. ut probet, *Christum descendisse in limbum Patrum*; Smithæus in lib. de ext. sacrif. fol. 29. pro *sacrificio Missæ*; Stapletonus princ. doctrin. lib. 6. cap. 15. pro *asserenda Romanæ Ecclesiæ præeminentia*; Dormann. Disput. pag. 67. pro *Petri Primatu.*

Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. verb. Arnobius, de illis sic judicat: *Stylus inconditus ac sermo innumeris solœcismis & barbarismis scatens, palàm arguit, Autorem magis, quàm cœlum à terra distare ab Arnobio illo, cujus nunc habemus septem facundissimos contra gentes libros.* Idem in Præfat. Biblioth. *Typographi inter multos partus spurios, supposuerunt nobis Arnobii Rhetoris in Psalmos Commentaria.* Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 9. §. 7. *Hi Commentarii sunt Autoris multò recentioris, cum Pelagianæ hæreseos mentionem faciant.* Idem repetit lib. 5. de libero arbit. cap. 26. Maldonatus in Lucam cap. 2. v. 8. *Commentarii in Psalmos falsò tribuuntur Arnobio.*

Victorini Commentarium in Apocalypsin, qui habetur in Biblioth. Patrum tom. 5. & cum Comment. Theophylacti in majores Prophetas Parisiis Ann 1542. excusum, citat Serarius in Comm. Maccab. Proloq. 3. ut probet, *libros Maccabæorum esse Canonicos.* Sed Censura in Bibl. Patrum monet esse *supposititium. Non desunt*, inquit, *rationes, quæ hoc opus S. Victorino abstrahant. Nam Hieronymus inter Chiliastas eum numerat, sed Autor hujus Commentarii longe abest ab eo errore, quem postremis libri verbis refellit.* Eodem argumento utitur Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccles. ut evincat, *non esse Victorini.* Videtur etiam de eo accipiendum illud Gelasii c. Sancta, dist. 15. *Opuscula Victoris Pictaviensis Apocrypha.*

Lactantii Carmen de Resurrectione citat Lensæus lib. de limbo Patrum cap. 12. pro astruendo *Limbo*; Smithæus lib. de ext. Christi Sacerdot. fol. 29. pro *sacrificio Missæ*; Ejusdem Carmen de Passione Domini citant Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 28. Baronius Anno 57. n. 116. Copus Dial. 4. cap. 11. Costerus Apolog. 1. pro part. 1. Enchir. cap. 7. pro *adoratione imaginis Crucifixi.* Sed Mich. Thomasius in Schol. super Lact. fatetur: *Carmina illa se in nullis antiquis Codicibus invenisse, cum tamen quinque Vaticanos ac duos Bononienses Codices inter alios contulerit cum impressis.* Item, *illius tertii poëmatis de Passione Domini nullum vestigium unquam se potuisse reperire*, quæ Thomasii verba citant Possevinus in Apparatu, in verbo Lactantius; & Margarinus de la Bigne in Biblioth. Patrum tom. 9. *Sub Fortunati nomine* Carmina illa adducit Fevardentius ac perperam *Lactantio* adscribi, dicit in not. ad Iren. Bellarminus de Scriptor. Eccles. dicit, *non haberi certum argumentum, quo probetur, Carmen de Passione non esse Lactantii, interim agnoscit, nonnullos negare illius esse.* Ac argumenti loco meritò censetur, quod in hoc Carmine de Pass. habetur: *Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora*, cùm tamen Lactantius in genuinis suis scriptis imaginum cultum insectetur; Item, quod nulla hujus Carminis fiat mentio in Catalogo operum Lactantii apud Hieronymum, licet aliorum mentionem faciat, quæ hodie non extant.

Athanasii librum de salutari adventu Christi citat Coccius tom. 1. lib. 2. de Christo, art. 4. pro *descensu animæ Christi ad inferos.* Sed Petrus Nannius Profess. Lovaniensis in Epist. nuncup. hunc librum *supposititiis* accenset.

Liber contra omnes hæreses citatur à Jodoc. Coccio tom. 1. Thesaur. lib. 6. de sacr. Script. Eccles. art. 14. p. 663. ut probet, *Orationem Azariæ & Hymnum trium puerorum esse Scripturam Canonicam*; & tom. 2. lib. 7. de Pœnit. art. 1. p. 782. ut probet, *Pœnitentiam esse Sacramentum.* Sed hic liber à Nannio d. l. itidem rejicitur inter supposititios. Erasmus tom. 8. oper. edit. Basil. An. 1540. p. 361. censet, *esse librum hominis deliri.*

Sermo in illud, profecti in pagum, qui ex adverso est &c. citatur à Bellarmino lib. 1. de Pœnit. cap. 8. pro *auriculari Confessione*;

& à

& à Lensæo lib. de Limbo p.379. pro astruendo *limbo Patrum*. Sed Nannius d.l. etiam hunc sermonem suppositititiis accenset. Erasmus d.l. p.328. ad initium hujus sermonis præfixit talem annotatiunculam. *Apparet, esse fragmentum ex opere quopiam decerptum. Torquet Scripturas q. ludens.*

Epistola de interpretatione Psalmorum ad Marcellinum citatur à Coccio tom. 2. lib. 8. de Ordine art.9. p. 971. ut confirmet *Horas Clericorum Canonicas*. Sed Petrus Nannius Lovan. Professor eandem relegavit in numerum istorum librorum, de quibus scribit: *In tertiam classem relegavi omnes suppositititios libros, quos Athanasii esse non puto.*

Liber de Virginitate sive de Meditatione citatur à Bellarmino lib.2. de bonis operibus in particul. cap.11. ut probet, *jejunium esse opus meritorum*; à Peresio lib. de Tradition. part.3. tit. de delectu cib. f.270. pro *astruendo ciborum delectu*; à Bellarmino lib. 2. de Monach. cap.27. in *laudem virginitatis*; lib. 2. de Monach. cap. 40. pro *tonsuræ antiquitate*; lib.1. de beat. Sanct. cap.13. pro *cultu Sanctorum*, & ab aliis passim. Sed & hunc librum Nannius inter suppositititios refert. Ecquis enim credat, virum tantum in hæc verba prorupisse, *omnia pura sunt, quæcunq; inanimata sunt; conjugatam non esse corpore & anima sanctam?* Erasmus scribit: *Si sit Athanasii, eum mirè dejecisse stylum ad captum virginis, tractat enim inanes & frivolas constitiunculas, de cucullo, de colore fusco, & tamen nativo, de genis utraque manu non lavandis &c.*

Liber de communi essentia Patris, & Filii & Spiritus sancti citatur à Coccio tom.1. lib. 4. de Angelis art.2. p.342. ut probet, *cælestes Spiritus in certos ordines seu choros esse distinctos*; tom. eod. lib.6. de sacr. Scriptur. art.15. ut probet, *Susannæ Historiam esse Canonicam Scripturam*; tom.2. lib.7. de Pœnit. art.1. p.782. ut probet, *Pœnitentiam esse Sacramentum*; à Duacensibus Anglis annot. in Tob.12. v.12. ut probent, *Angelos hominum preces Deo offerre*. Sed & hunc librum Nannius inter suppositititios numerat.

Sermo de sanctissima nostra Deipara citatur à Bellarm. lib.1. de beat. Sanctor. cap.19. §. Athanasius, pro *invocatione Sanctorum*; ab eodem lib.2. de Monach. cap.22. pro *voto virginitatis Mariæ*; à Bailio in Catech. controv. tract. 2. q. 16. pro *festorum celebratione*; ab Anglo-Rhemensibus in annotat. Act.1. v.14. pro *assumtione Virginis*. Sed & hunc sermonem suppositititiis accenset Nannius. Baronius An.48. num.19. de eo sic judicat: *Sermonem, qui Athanasii nomine de sanctissima Deipara inscribitur, alicui alteri potius adscribendum existimamus, quàm Athanasio. Nam cùm ibi Autor multus sit in confutando Nestorii dogmate, de quo tunc esset controversia, & urgere Monotheletas conetur, planè alius ab Athanasio esse convincitur.* Franciscus Suarez part.3. Summ. tom.2. q.37. art. 4. Disp.21. sect.1. *Pleriq; viri eruditi dubitant, an sit Athanasii, quia videtur post tempora Concilii Ephesini editus, cùm in eo refellatur error Nestorii, & Cyrillus ac alii Patres Concilii Ephesini nunquam illius operis meminerint, cum tamen autoritate Athanasii sæpius utantur.* Idem statuunt Antonius Agellius, referente Baronio d. l. num. 23. Antonius Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Athanasius. *Sermo de sanctissima Deipara non videtur esse Athanasii, sed alicujus posterioris, qui post Concilium 3. & 4. imò etiam 6. floruerit*, scribit Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. in verbo Athanasius p.113. idque quatuor argumentis confirmat, quæ etiam occurrunt apud Baronium d.l. num. 19. (ὀσίαν deducit ἀπὸ τῦ ἴειν, ὑπόςασις, inquit, ἐςὶν ὁ υἱὸς ὡς ὑπὸ τὸν πατέρα ςάσιν ἔχων, quod quis credat Athanasio in mentem venisse? Ita accuratè disputat de *unione divinæ & humanæ Naturæ in una hypostasi, nec non de appellatione Deiparæ, quòd virgini ea appellatio jure conveniat, & denique de duabus voluntatibus & operationibus unius volentis & operantis Christi*, ut dubitari non possit, quin iste Autor viderit Decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem & Monotheletas &c. At si hic sermo esset Athanasii, sine dubio citatus fuisset à S. Cyrillo & à Patribus tertiæ, quartæ & sextæ Synodi ad convincendos hæreticos. Videmus autem, non citari unquam hunc sermonem, sed libros de incarnatione, ubi non tam apertè Athanasius loquitur. Adde, quod in hoc sermone Autor dicit, *attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari*, quòd valdè impropriè dictum est & alienum à consuetudine Athanasii.)

Sermo in Passionem & crucem Domini citatur à Lensæo lib. de Limbo pag.373. pro *limbo Patrum*; à Bellarm. lib.4. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. pro *libero arbitrio*; à Coccio tom.2. lib.4. de vit. Monast. art.6. p. 426. ut probet, *eos, qui voverunt vitam Monasticam, non posse redire ad seculum.*

Sed & hunc sermonem Nannius pro suppositititio habet. Erasmus d.l. p.311. de eo sic judicat: *Sequentis operis phrasis non sapit Athanasium, ludit enim quodammodo in sacris literis, quod ille non solet.* Dicitur *inter cætera in hoc sermone, quod Christus in cruce pendens, voces imbecillitatis simulaverit, metuens, ne Diabolus, quê videbat fugam adornare, elaberetur, & his verbis inductum Diabolum accessisse, & Dominum adorientem confractum esse.*

Sermo in illud Evangelii, Quicunq; dixerit verbum &c. citatur à Coccio tom.1. lib.6. de sacr. Script. Eccles. art.16. p.675. ut probet, *Belis, Draconis, Danielis & Habacuc Historiam, esse Scripturam Canonicam.*

Sed & hunc sermonem Nannius inter suppositititios refert.

Homilia de Semente citatur à Coccio tom.1. lib.2. de Christo Salvat. art.4. p.16; ut probet, *Christi animam in suo ad inferos descensu Patres è limbo liberasse.*

Sed Nannius eam inter suppositititia opera recenset. Reperta fuit in solo Codice Anglicano.

Liber de Incarnatione, qui incipit, *Mos pii hominis &c.* citatur à Bellarmino lib 4. de Christo cap.14. pro *limbo Patrum.*

Sed Nannius & hunc suppositititiis accenset.

Libellus de diversis quæstionibus sacræ Scripturæ ad Antiochum Principem sæpiùs à Pontificiis citatur. Alphonsus de Castro lib 13. adv. hæreses, titulo Suffragia defunctorum, citat has quæstiones sub nomine Athanasii, ad comprobanda *suffragia defunctorum*. Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 54. citat quæst.39. pro stabiliendo *cultu Imaginum*; Quæst.4. citatur à Coccio tom.1. lib.4. de Angelis art.2. p.342. pro *diversis Ordinibus Angelorum*; octava citatur à Duacensibus annot. in Job p.1061. pro *modo apparitionum Dæmonum*; trigesima quarta citatur à Bellarmino lib.1. de purgat. cap.6. pro *Purgatorio*; trigesima nona citatur ab Hardingo art.14. adv. Ivellum, pro *cultu Imaginum.*

Sed ipsimet saniores Pontificii agnoscunt, hunc librum esse suppositititium. Martinus Delrius in Vindic. Areopag. cap.14. *Librum quæstionum ad Antiochum non esse magni illius Athanasii, colligitur ex eo, quod in iis Sancti Epiphanius & Gregorius Nyssenus citantur, illo magno Athanasio juniores.* Sixtus Senensis lib.4. Biblioth. in verbo Athanasius: *Non videtur esse Athanasii, suspicor hunc ex variis Patrum scriptis collectum à studioso quopiam, qui in q.4. Theologiam mysticam Dionysii allegat, Athanasii seculo, ut arbitror, ignotam, & quæst. 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo etiam diversam sententiam profert.* (Potuisset Sixtus addere quod q. 3. citet *Epiphanium Cypri*, Athanasio multò recentiorem.) Salmeron Disp. 25. in 1. Joh.4. cum ex quæstionibus illis, sub nomine Athanasii, locum adduxisset, subjungit correctionis loco, *aut quisquis Autor ejus libri fuit.* Bailius d.l. eodem modo, *Athanasius, vel Autor quæstionum.* Possevinus in Apparatu sacro tom.1. in verbo Athanasius, præter argumenta adducta, etiam hoc urget, quod *Chrysostomus, Scala Johannis, Maximus, Nicephorus, & alii Athanasio longè inferiores in illo citantur.* Bellarminus lib. de Script. Eccles. in verbo Athanasius: *Quæstiones ad Antiochum Athanasii esse non possunt. Q.23. citat Autor magnum Athanasium, & ab eo dissentit. Q.108. dicit, Romanos esse Francorum genus, ex quo apparet, Autorem esse recentem &c.* In recognit. libror. de Eccles. & Purgator. bis repetit, *hunc librum non esse Athanasii Alexandrini Episcopi.* Cornelius à Lapide in cap. 4. Genes. itidem agnoscit, hunc librum falsò Athanasio tribui. Maldonatus in cap.4. Johan. v.23. *Quod Autor ille Quæstionum ad Antiochum eos solos, qui in solitudine habitant, veros adoratores esse dicit, non dixisset Athanasius, cui vulgò hæ quæstiones tribuuntur.*

Observandum verò, quod Sixtus Senensis & Possevinus inter argumenta cætera etiam eo utuntur, ut probent, hunc librum esse suppositititium, quod Autor alleget *mysticam Theologiam Dionysii* seculo Athanasii adhuc ignotam. Sed Baronius ex eo ipso Dionysii libris autoritatem conciliare conatur, quòd eorum mentio fiat ab Athanasio in hisce ad Antiochum quæstionibus, Ann.109. num.51. Concilia.

Liber de passione Imaginu Christi citatur à Bellarmino lib.2. de Imagin. cap.10. & 12 pro *cultu Imaginum.* Eodem fine citatur in Catech. Rom. in explic. primi præcepti p.418. & aliis passim. Colon. Dial.3. p. 59. *Hæc scripsit nobilissimus ille Græcus Autor, & acerrimus fidei Catholicæ propugnator.*

Sed Baronius in annot. ad Martyrol. Rom. Novemb. 9. de eo sic

eo sic judicat: *Planè constat, Autorem illius Historiæ non esse Athanasium Alexandrinum Episcopum, ut habet recens inscriptio, nec in Synodo (Nicena II.) tanquam Athanasii illius cognitam.* Nannius Lovaniensis & hoc scriptum inter supposititia rejicit. Bellarmin. lib. 2. de Imagin. cap. 10. fatetur, *dubium esse posse, num sit opus magni Athanasii*, lib. de Script. Eccles. in verbo Athanasius: *Non videtur esse Athanasii, sed alterius multò recentioris, quia Sigebertus in Chronico dicit, accidisse hoc miraculum Anno Domini 766. ac ultima illa verba, cap. 7. Hæc est vera & vehementer credula ratio, de cruore lateris Dn. nostri Salvatoris &c. non habentur in Codice Græco Concilii Niceni II. nec in versione Anastasii Bibliothecarii, sed sunt ab aliquo addita.*

Epistola Athanasii & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam citatur à Lindano lib. 4. Panopl. cap. 89. & aliis, ut probent, *Pontificis Romani Primatum*; à Bailio Jesuita in Catechis. controv. tractat. 2. q. 32. ut probet, *usum peculiarium vestium in Missa.* Sed Baronius An. 336. n. 59. agnoscit, eam esse supposititiam: *Mirum, inquit, cum diu multumque inter Ecclesiam Africanam & Romanos Pontifices Sozimum ac Bonifacium agitata sit controversia de numero Nicenorum Canorum, ipsos ejusmodi Epistolas* (Athanasii ad Marcum, & Marci ad Athanasium) *præteriisse.* Eodem modo de hac Epistola judicant Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25. in lib. de Ecclesiast. Scriptoribus, in verbo Athanasius, ubi notat, *Actorum Nicenorum combustionem ab Arianis accidisse post ejus Marci mortem. Nam Constantii tempore substituebatur Athanasio Gregorius Alexandriæ Episcopus.* Hieronymus autem in Chronico suo testatur, *eum antea fuisse mortuum.* Quomodo itaque hanc Epistolam accipere, eique respondere potuit?) ac Possevinus in Apparatu sacro in verbo Athanasius.

Epistola Athanasii & aliorum Episcoporum in Synodo Alexandrina congregatorum ad Felicem II. Papam Romanum, citatur à Bellarmino lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 10. & lib. 2. cap. 15. Campiano rat. 5. Hardingo art. 4. ad Ivelli provocat pro *asserendo Pontificis Romani Primatu.* Et quidem Hardingus omnium autoritatum eò spectantium hanc *maximè* vocat *observandam.* Sed Baronius Ann. 357. num. 66. hanc Epistolam ejusdem commatis esse judicat cum præcedente. *Quæ fertur*, inquit, *Athanasii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina scripta, ab Episcopis Ægypti, Thebaidis, Libiæ, haud æque probatur, quippe quod talis fuerit status Ecclesiæ Alexandrinæ ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, ut nullus planè locus vel tempus cogendæ Synodi potuerit esse Athanasio fugâ elapso, & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis.* Baronium, ut solet, sequitur Binnius in not. ad tom. 1. Concil. p. 492. *Hæc Epistola sub nomine Athanasii de fide suspecta est.* (Dicitur in illa Epistola, quod *Romana Ecclesia sit sacer vertex, in quo omnia vertuntur.* At hæc allusio non est, nec esse potest in Græco. Ergò Latinè scripta est ab alio quam ab Athanasio. De Roma in eadem Epist. dicitur, *inde sensere Ecclesiæ prædicationis exordium.* At hoc falsum esse patet ex Esai. 2. v. 3. Dicitur in ea, quod *Athanasius Romæ factus sit Episcopus, & quidem Felicis precibus*, cùm tamen Athanasius prius fuerit Episcopus, quàm Romam vidisset. Stylus minimè cohærens est, sed dissolutus, phrasis barbara &c.)

Commentarii sub nomine Athanasii in omnes Epistolas Pauli editi citantur à Smith. de Cœlib. Sacerd. cap. 3. & aliis pro *Cœlibatus Sacerdotalis necessitate.* Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. de fals. lib. inscript. Salmeron, Disput. 19. in Epist. Pauli, Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Athanasius, Bellarminus de Scriptor. Eccles. &c. non *Athanasii*, sed *Theophylacti* illos esse statuunt.

Vita Antonii Abbatis, quæ ab Athanasio Episcopo Alexandrino dicitur conscripta, citatur à Bellarmino lib. 2. de Imagin. cap. 29. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 4. lib. 2. de Monachis cap. 5. lib. 2. de Reliquiis cap. 3. Coloniensibus in Censura Dialog. 3. Copo Dial. 3. cap. 11. & Dial. 4. cap. 6. & aliis passim. Bellarminus de Scriptor. Eccles. pag. 119. dicit, *esse verè Athanasii, esse revera insigne volumen*, quod repetit lib. 2. de Monachis cap. 5. Sed Baronius Ann. 343. num. 6. ex Hieronymo memorat: *Athanasium res gestas Antonii ipso adhuc vivente scriptis commendasse, unde etiam factum sit, ut in vita Antonii ab Athanasio conscripta de congressu Pauli cum eo nulla penitus mentio habeatur.* Jam verò in vita Antonii, quæ sub nomine Athanasii extat, Autor sic loquitur, ac si post mortem Antonii hæc Historia sit scripta. In Præfatione dicit: *Quoniam exegistis à me, ut vobis scriberem de conversatione Antonii &c. qualem etiam habuerit terminum vitæ.* In conclusione dicit: *Quis finis ejus vitæ fuerit, dignum est & me commemorare, & vos cum desiderio audire.*

(Liber ille adeò tota tractatione dissimilis est reliquis Athanasii operibus, ut persuaderi nequeat sanioribus, non esse supposititium? Non negant *scriptam ab Athanasio Antonii vitam*; non negant *in vita Antonii fuisse nonnulla hic descripta*, quæ duo argumenta Bellarminus urget, sed non admittunt, eam *ita scriptam* esse ab Athanasio. Athanasii opus appellavit Hieronymus *insigne volumen.* Id vero sive molem Codicis intelligas, sive momenta rerum, non potest dici de hac vita Antonii. Sed & Blacii interitum aliter verus narrat Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes, aliter iste Autor vitæ Antonii, ut mutua collatio ostendit. Dicitur in hac vita Antonii, quod *Antonius literas non didicerit*, ac *Philosophis hoc nomine sibi illudentibus responderit, cui sensus incolumis est, eum literas non requirere*, quod responsum est irrationale. Autor hujus libri luctam fidelium cum nequitiis spiritualibus vix nisi corpoream, aut certè magis corpoream repræsentat, quam spiritualem. Confer Centur. Magdæb. 4. cap. 10.)

Marci Papæ Epistola ad Athanasium & omnes Ægyptii Episcopos citatur à Bellarmino lib. 3. de verbo Dei cap. 5. ut probet, *Roman. Pontif. ex cathedra docentem non posse errare*; lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14. ut probet, *Pontificem Romanum succedere Petro in Monarchia Ecclesiastica*; à Melchiore Cano lib. 6. Locorum Commun. cap. 4. ut probet, *Septuaginta esse Niceni Concilii capitula.* Costerus in Enchirid. cap. 3. vocat eam *præclarissimam Epistolam.* Sed Nannius d. l. inter supposititia eam refert. Baronius Ann. 336. num. 59. probat hoc aliquot evidentibus argumentis: *Cum diu multumque inter Ecclesiam Africanam, & Romanos Pontifices Zosimum ac Bonifacium agitata sit controversia de numero Nicenorum Canonum, hæc Epistola minimè illis fuit cognita. In hac Epistola Marcus Papa dicitur misisse in Ægyptum ad Athanasium Septuaginta Niceni Concilii capitula, quæ Athanasius à Romana Ecclesia datis ad Marcum Papam literis postulabat impertiri, cum Athanasius hoc Anno non in Ægypto, sed in Galliis exul egerit. Dicitur hæc Epistola data 10. Calend. Novembr. Nepotiano atque Facundo Consulibus. At eo ipso Anno nonis Octobris Marcus Papa reperitur esse defunctus.* Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiast. Anno 340. agnoscit hanc Epistolam esse supposititiam, idque lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25. probat hoc argumento: *Si Marcus Papa exemplum Niceni Concilii misisset ad Athanasium & Alexandrinos ex Romano scrinio, quod in ista sub Marci nomine scripta Epistola affirmatur, convenissent deinceps inter se Exemplaria Romanum & Alexandrinum. Atquid falsum. Nam in exemplari à S. Cyrillo ex Alexandria ad Africanos misso deerant Canones tres, qui inveniebantur in Romano, ut patet ex Concilio Carthaginensi sexto.*

Julii I. Epistola ad Orientales Episcopos citatur à Bellarmino lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 23. ut probet, *omnes Episcopos habuisse consecrationem & dignitatem à Romana Ecclesia*; à Gregorio de Valentia in Anal. fid. lib. 7. cap. 11. ut probet, *Romanum Pontificem esse Petri Successorem*; ab Hardingo art. 4. ad provocat. Ivelli, ut probet, *non debere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.*

Sed hæc Epistola data est *Feliciano & Maximiano Coss.* cum tamen ex Baronio Ann. 337. constet, in Pontificatu Julii nullum Maximianum extitisse Consulem.

Ejusdem *Julii I. Epistola secunda contra Orientales pro Athanasio* citatur à Melchiore Cano lib. 6. Locor. cap. 4. & Bellarmino lib. 3. de Verbo Dei cap. 7. ut probent, *graviores causas pertinere ad judicium Sedis Romanæ.*

Sed Baronius Ann. 341. n. 59. agnoscit, *hanc Epistolam laborare suspicione.* (Neque id immeritò, quia ipsa quoq; data dicitur *Feliciano & Maximiano Coss.* quia meminit multorum Canonum Nicenorum, quorum nullus reperitur in probato Autore, qui Canones Nicenos recensuit, quia in controversia de numero Canonum Nicenorum inter Africanos & Pontifices Romanos non magis fuit cognita hæc Epistola, quàm altera Marci. Autor harum Epistolarum Canones affingit pro arbitrio: *Non audiendum Episcopum accusatum, nisi in Synodo, legitima autoritate Apostolica, h. e. Romana convocata; Accusatores & accusationes, quas seculi leges non admittunt, à Sacerdotali funditus averti nocumento. Non debere præter sententiam Romani Pontificis ullo modo Concilia celebrari.* Sed & *Orientales*, dicit, *à Romana*

à Romana Ecclesia consecrationem honoris accipere.) Binnius secundam Epistolam censet *suppositítiam*, quam qui primæ comparârit, inveniet tam similem, ut vix ovum ovo magis.

Felicis II. Epistola prima ad Episcopos Ægypti citatur à Melchiore Cano lib. 6. Locor. cap. 4. ut probet, *hæreticos quædam capita ex Concilio Niceno expunxisse*; à Stapletono relect. controvers. controv. 3. q. 7. ut probet, *licere ex toto orbe ad Romanum Pontificem appellare.*

Sed Petrus Crabb. in annot. ad hanc Epist. tom. 1. Concil. p. 362. monet, *non convenire Historiæ illorum temporum, quod hæc Epistola dicitur data Agario & Juliano Coss. cum Agarii nemo eorum, qui Romanos Consules recensent, mentionem faciat.*

Epistola Damasi ad Aurelium Episcopum Carthaginensem posita in 1. tom. Concil. quam præcedit *Epistola* ejusdem *Aurelii ad Damasum*, qua petit ab Apostolica Sede ad se mitti Decreta Rom. Pontificum, citatur à Gratiano, c. Violatores, caus. 25. q. 1. ut probet, *in Spiritum sanctum blasphemare, qui Canones Pontificios violat.* Hæc Epistola data est *Gratiano & Siricio Coss.* At apparet, *nec post annos quindecim Aurelium creatum esse Episcopum Carthaginensem, sed perseverasse Diaconum*, inquit Baronius Ann. 374. n. 11. *Non fuêre ejus literæ, quæ Damasi nomine leguntur scriptæ ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, positæ ab Isidoro Mercatore in suæ collectionis exordio, inquit* Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Damasus.

Damasi Epistola de Chor-Episcopis ad Numidiæ Episcopos citatur à Bellarmino lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14. ut probet, *Romanum Episcopum succedere Petro in Monarchia Ecclesiastica.* Hæc Epistola data est *Ibio & Theodosio Coss.* At Petrus Crabb. in annot. ad hanc Epist. tom. 1. Conc. monet, *istorum Consulum annum non memorari à Cassiodoro aut Gregorio Haloandro, aut Mariano Scoto, sed tempore Damasi Papæ.* Sed nec à Baronio in Annalibus memoratur.

Damasi Epistola ad Stephanum citatur à Bellarmino lib. 3. de verbo Dei cap. 7. ut probet, *causas graviores ad judicium Sedis Apostolicæ pertinere.* Hæc Epistola data est 8. Cal. Novembr. *Flavio & Stilicone Coss.* At horum Coss. annum non recensent sub tempore Damasi Papæ *nec Marianus Scotus, nec Cassiodorus, nec Gregorius Haloander*, inquit Petrus Crabb. in not. ad hanc Epistol. tom. 1. Concil. nec Baronius in Annalibus.

Damasi Epistola ad Episcopos Italiæ citatur à Bellarmino lib. 1. de verbo Dei capite 7. ut probet, *librum Ecclesiastici esse Canonicum.* Hæc Epistola data est *Syricio & Arduburе Coss.* At Syricium & Arduburem simul *nec Cassiodorus, nec Gregorius Haloander, nec Marianus Scotus Consules ponunt*, inquit Petrus Crabb. in not. ad hanc Epist. tom. 1 Concil. Sed nec Baronins in Annalibus.

Epistola Stephani Archiepiscopi Mauritaniæ ad Damasum citatur à Bellarmino lib. 2. de Rom. Pont. cap. 31. ut probet, *Romanum Pontificem dici patrem Patrum & summum Pontificem.* Sed Epistola Damasi, quâ huic respondet, supposititia est, ut vidimus. Ergò & hæc ejusdem commatis. Loquitur de Damaso in plurali, *Conservet vos Deus Pastorem bonum.* Atqui *tempore Hieronymi & Augustini illud nondum fuit usitatum*, scribit Æneas Sylvius Epistol. 405.

Anastasii Epistola prima citatur à Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 16. ut probet, *homines debere audire Evangelium stantes ob reverentiam Domini loquentis.* Sed Baronius Ann. 402. n. 48. de ea sic judicat: *Duæ Anastasii nomine habentur scriptæ Epistolæ Decretales, sed quarum prior cum data reperiatur Coss. Arcadio & Bautone ante annos ab ejusdem Anastasii ingressu quatuordecim, planè apparet, si legitimam & non supposititiam eam velimus, aliis Pontificibus, quam Anastasio adscribendam. Illud etiam non ignoramus, maximam partem ejusdem prioris Epistolæ, ubi agitur de Manichæis, reperiri apud Leonem Magnum Rom. Pontificem, in Epist. 2. data ad universos Ecclesiæ Episcopos, quod quidem de impostura suspicionem auget.* Petrus Crabb. in not. ad hanc Epist. tom. 1. Conc. *Prima Epistola Anastasii legitur data Arcadio & Bautone Coss. quorum tamen Consulatus secundum Cassiodorum, Prosperum & Gregorium Haloandrum fuit circa Annum Domini 387. circa initium Papatus Siricii, qui quindecim annis sedisse scribitur, unde difficile est intelligere, quomodo Consules isti attigisse inveniantur tempora Anastasii.*

Innocentius 1. Epistola ad Decentium citatur à Bellarmino lib. 3. de Confir. cap. 3. ut probet *Sacramentum Confirmationis*; lib. 2. de bon. oper. cap. 18. ut probet *die Sabbathi jejunandum*; lib. 3. de pœnit. cap. 9. ut probet *auricularem Confessionem*; lib. 4. de pœnit. cap. 9. *pro satisfactione.* Sed in hac Epistola legitur, *nusquam inveniri, alium Apostolorum in Italia, Galliis, Hispaniis, Africa & Sicilia, Insulisq; interjacentibus docuisse quàm Petrum*, cùm tamen Gregorius lib. 31. moral. cap. 22. Baronius Ann. 61. n. 3. Ann. 44. n. 1. doceant, Paulum & Jacobum in Hispania docuisse. Gaspar Sanctius integrum scripsit tractatum, in quo ex variis autoribus *Jacobi Apostoli prædicationem in Hispania* probat, qui subjunctus est commentario ipsius in Acta Apostolorum.

Innocentii I. Epistola ad Victritium citatur à Bellarmino lib. de Clericis cap. 19. pro *cœlibatu Sacerdotum*; ac lib. de matrim. cap. 21. ut probet, *matrimonium post votum solenne nullum esse.* At hæc Epistola fere ad verbum eadem est cum Epistoli Siricii ad Episcopos Africæ, ideo non videtur Innocentii.

Innocentii Epistola ad Exuperium citatur à Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 10. ut probet, *libros Tobiæ, Judith &c. esse Scripturam Canonicam*; ac lib. de Matrimon. cap. 16. ut probet, *matrimonium insolubile esse quoad vinculum.* Sed in hac Epistola sunt Scripturæ loca parum ad rem facientia & præpostere applicata, ex quo Principio Parsonius part. 3. tripl. convers. Angl. cap. 4. num. 29. probat, *Epistolam, quæ fertur nomine Eleutherii Papæ ad Lucium Britanniæ Regem, esse supposititiam.*

Innocentii Epistola ad Concilium Carthaginense, quæ est 25. inter Innocentii Decretales citatur à Bellarmino lib. 5. de lib. arbitr. cap. 25. ut probet, *liberum arbitrium*; à Melchiore Cano lib. 6. Locor. cap. 4. ut probet, *Apostolicam sedem esse consulendam*; lib. ejusd. cap. 8. ut probet, *Romanum Episcopum esse Petri successorem.* Sed Erasmus in Censura in Epist. 91. August. de ea sic judicat: *In hac Epistola & dictionem & ingenium tali dignum Præsule desiderare cogimur.*

Innocentii Epistola ad Concilium Milevitanum, quæ est 26. inter Innocentii Decretales & 93. inter Epistolas Augustini, citatur à Bellarmino lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 26. ut probet *liberum arbitrium*; lib. 6. de amiss. grat. c. 2. ut probet, *parvulos absq; Baptismo decedentes mortis æternæ pœna damnandos*; eamque *sine controversia esse Innocentii Epistolam* scribit Bellarm. lib. 5. de lib. arb. cap. 26. Sed Erasmus in Censura in Epist. 93. Aug. ejusdem genii cum præcedente eam esse statuit. Neque immeritò. Dicitur enim data 6. Calend. Febr. Honorio & Constantio Coss. cum teste Mariano Scoto, Onuphrio & aliis Innocentius Anno præcedente, Theodosio & Pallad. Coss. fuerit defunctus.

Cælestini primi Epistola 1. citatur à Bellarmino lib. de Bapt. c. 25. pro *exorcismis in Baptismo*; lib. 5. de grat. & lib. arb. c. 26. pro *libero arbitrio*; lib. 5. de Justif. cap. 4. pro *meritis operum.* Sed Petrus Crabb. in not. marg. ad hanc Epist. de ea sic judicat. *Undecim postrema capitula hujus Epistolæ videri potius ab alio quopiam interposita, quam esse ipsius cœlestini Papæ*, in iis autem reperiuntur testimonia à Bellarmino citata.

Bonifacii secundi Epistola ad Eulalium Alexandrinum Episcopum citatur ab Hardingo ad provocat. Ivelli art. 4. segment. 23. Lindano lib. 4. de Pànopl. cap. 89. Piggio lib. 6. Hierarch. c. 7. Turrecremata Summ. de Eccl. lib. 3. c. 49. Turriano lib. 63. pro Epist. Decret. cap. 2. Stapletono in relect. controv. 3. q. 7. ad arg. 2. ut probent, *Africanas Ecclesias se submisisse Rom. Pontifici.* Lindan. d. l. scribit: *Eos nihil salvum relinquere ex omni antiquitatis Historia, qui eam repudiant.* Sed Baronius in annot. ad Martyrol. Rom. Octob. 16. & in Annal. Anno 336. n. 60. Ann. 419. n. 92. & seqq. eam repudiat: *Falsa*, inquit, *& adulterina est illa Epistola, quæ fertur nomine Bonifacii 2. Rom. Pont. ad Eulalium Episcopum Alexandrinum. Nam non tantum prædicti Bonifacii Papæ temporibus nullus ejus nominis in Alexandrina Ecclesia sedisse reperitur, sedit namq; eo tempore Timotheus hæreticus ejus nominis tertius, sed nec prioribus vel posterioribus temporibus aliquis ejus Sedis Episcopus nominatus reperitur Eulalius, ab his, qui scripserunt Catalogum Episcoporum Alexandrinorum.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Bonifacius. *Bonifacii 2. nomine conficta fuit ab impostore Epistola ad Eulalium.* Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25. *Valde mihi suspecta est Epistola, quod ipsum tribus argumentis ibidem* confirmat.

Johannis 3. Epistola ad universos Episcopos Germaniæ & Galliæ citatur à Turriano lib. 2. pro Epist. Decret. cap. 10. ut probet, *Linum & Cletum non fuisse Rom. Episcopos, sed tantum Petri coadjutores*; à Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 17. ut probet, *Chorepiscopos multa præstare posse quæ Episcopi præstant*; ab aliis citatur pro stabiliendo *Confirmationis Sacramento.* Sed Baronius an. 572. n. 3. & ex eo Binnius in not. ad hanc Epist. tom. 2. Conc. p. 637. statuunt,

statuunt, *hanc Epistolam ab aliquo impostore sub nomine Johannis Papæ 3. post obitum illius suppositam fuisse*, idque aliquot argumentis confirmant. *Hanc Epistolam*, inquit Binnius, *ab aliquo impostore sub nomine Johannis Papæ tertii post obitum illius suppositam fuisse, multis argumentis ostendi potest.*

Hilarii Epistola ad Apram filiam. Possevinus & Bellarm. de script. Eccles. hanc Epistolam statuunt esse genuinam & pro *cœlibatu* asserendo urgent, quod Hilarius animum filiæ à nuptiis avertere voluerit. Sed Hardingo contra Iuellum ea displicuit *tanquam peniculamentum miserum, scriptumque ἀπόκρυφον, abjectum & supposititium.* Erasmus ante Hardingum eam inter *spuria* retulit. (Et sane nihil habet hæc Epistola dignum Hilario, imo nihil habet non indignum Hilario, adeo ut Baronius cogatur divinare, *demisisse se tantum virum ad captum mulierculæ.*)

Titi Bostrensis Commentarius in Lucam editus à Theodoro Peltano An. 1580. qui habetur etiam in Bibliotheca Patrum tom. 1. citatur à Jod. Coccio tom. 2. lib. 5. de Baptism. art. 5. ut probet, *Baptismum Johannis non habuisse eandem efficaciam cum Baptismo Christi*; tom. 2. lib. 3. de pœnit. articul. 3. ut probet, *auricularem Confessionem.* Sed Bellarminus in lib. de script. Eccles. p. 130. docet, *hos commentarios non posse esse Titi, qui temporibus Juliani claruisse dicitur, cum autor eorum passim citet Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum & Pelusiotam, qui pueri erant, cum Titus moreretur.* Eodem argumento id ipsum probant Johannes Maria sacri Palatii Magister tom. 1. Indic. Roman. lib. expurg. p. 180. & Margarinus de la Bigne in not. præfixis huic Comment. tom. 1. Bibl. Patrum p. 901.

Eusebii Emisseni homiliæ 2. passim à Pontificiis citantur. Tertiam in Epiphania citat Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 10. pro *purgatorio*; homiliam de S. Blandina citat lib. 2. de reliq. cap. 3. pro *veneratione reliquiarum*; homiliam quintam de paschate citat lib. 1. de Euchar. cap. 5. ut probet, in *cap. 6. Johannis agi de Eucharistia*; homiliam de Stephano citant Anglo-Rhemenses annot. Act. 7. v. 60. pro *intercessione Sanctorum*; homiliam quintam de paschate iidem annot. Hebr. 7. v. 17. pro *Missæ sacrificio*; eandem citat Gregorius de Valent. lib. 2. de Transsubst. cap. 4. p. 387. pro *transsubstantiatione*; Alanus in defens. purgat. cap. 2. f. 35. citat homiliam 1. de Paschate, ut probet *Christum ad liberandas fidelium è limbo animas ad inferos descendisse*; homiliam tertiam de Epiphania, & homiliam de pœnitentia Ninivitarum citat idem d. l. cap. 12. f. 106. pro *purgatorio*; homiliam quartam de paschate citat Lindanus libro 4. Panopl. cap. 44. pro *adoratione Eucharistiæ*; homiliam primam ad Monachos citat Canisius in Catech. de extrema unctione q. 3. pro *extrema unctione*; homiliam de S. Genesio & de Epipodio & Alexandro citat Copus Dial. 3. cap. 4. pro *invocatione Sanctorum.* Sed ipsimet Pontificii saniores has homilias supposititias esse agnoscunt. Baronius ann. 341. n. 11. *Maxima autoris inscitia, qui Eusebii Emisseni nomine edidit quasdam homilias, invenimus nominatum beatum & ab aliis recensitum perperam inter sanctos.* Ann. 441. n. 5. & seqq. nominat eum *hominem Arianum & impium.* Bellarminus in lib. de script. Eccles. p. 217. & in recognit. p. 64. *Revera Eusebius Emissenus non potuit esse autor illarum homiliarum, tum quia ille Græcus fuit & Arianus, ut scribit Hieronymus in Chronico, homiliæ autem illæ Latinum & Catholicum autorem sine dubio habuerunt, tum quia autor homiliarum illarum variis in locis se Monachum fuisse significat in Monasterio Lirinensi, quod erat in Gallia, Eusebius autem Episcopus fuit Emissenus in Græcia.* ibid. asserit: *se vidisse unam ex his homiliis, prænotatam nomine Fausti Episcopi Regiensis*, neque improbabile esse putat, *omnes ejusdem Fausti esse, qui fuit Abbas Monasterii Lirinensis & ex Abbate Episcopus creatus.* (Jam verò Gelasius in decreto de libris Apocryphis libros illius Fausti rejecit, ac Isidorus de viris illustribus in Fulgentio memorat, à Fulgentio scriptos fuisse libros 7. contra Faustum, *qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus esset.*) Idem lib. 2. de Eucharist. cap. 30. *Alii autorem istarum homiliarum esse volunt Faustum Regiensem, alii Cæsarium Arelatensem, alii Eucherium Lugdunensem.* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. tit. Eusebius, *supposititias* esse asserit. Possevinus in Apparatu sacro in verbo Eusebius Emissenus, multis argumentis confirmat, *homilias has non esse Eusebii Emisseni.*

Ejusdem Eusebii Emisseni homiliæ in Evangelia, quæ cunctis diebus Dominicis totius Anni ac feriis quadragesimalibus legi solent, cum annexis homiliis de præcipuis Anni festivitatibus editæ sunt Antverpiæ Ann. 1555. apud Johannem Stelsium, & Parisiis Ann. 1575. apud Hieronymum de Marnes. Ex illis Bellarminus lib. 2. de effect. Sacram. cap. 15. citat unam sub nomine Eusebii Emisseni, ut probet, *Sacramenta legis Naturæ vel scriptæ non justificasse eo modo, quo justificant Sacramenta novæ legis.* Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. eas supposititias esse agnoscit: *Obtruserunt*, inquit, *nobis anonymi & recentioris rhapsodi lacinias in annuas Evangeliorum lectiones pro Eusebii Emisseni homiliis.* Bellarmin. de script. Eccles. in verbo Eusebius Emissenus: *De Homiliis istis brevibus in omnia Evangelia dubium est, an sint ejusdem autoris, cujus sunt 50. homiliæ de variis argumentis, cum stylus in utroque valde diversus sit.*

Baronius tom. 1. Annal. ad annum 31. *Eucherio* eas tribuit. Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. c. 9. *Cæsario Arelatensi*, Coccius ubique eas citat sub nomine *Eucherii.*

Cyrilli Hierosolymitani Epistola ad Augustinum de miraculis Hieronymi, quæ extat tom. operum Hieron. & ad finem Epistolarum Augustini citatur à Lensæo lib. 1. de purgat. cap. 27. Binsfeldio de condit. anim. post mortem §. 3. Eccio homil. 2. Domin. 3. Advent. & aliis pro *purgatorio*; à Peresio de tradition. f. 201. pro *cultu sanctorum & reliquiarum.* Sed Erasmus in vita Hieronymi, Baronius Ann. 420. n. 44. & in not. ad Martyrol. Roman. Septemb. 30. Possevinus in Apparatu sacro in verbo Hieronymus, Marianus Victorius & Schultingius in Censura oper. Hieron. Molanus lib. de picturis cap. 68. multis argumentis probant, *Epistolam illam falsò adscribi Cyrillo.* Cyrillus ante Hieronymum obiit, quomodo igitur Hieronymi miracula describere potuit? Autor illius Epistolæ dicit, *hæreticum esse, qui putat, Christum duas habuisse voluntates, & Hieronymum credidisse, Christum non habere nisi unam voluntatem &c.*

Ad finem Catecheseon 18. *Cyrilli Hierosolymitani* habentur *Quinq. Catecheses*, quæ dicuntur, *Mystagogicæ.* Earum primam citat Bellarminus lib. 1. de Baptismo, cap. 25. ut probet, *abstinendum esse à vino & carnibus & re uxoria ante Baptismum*; secundam citat ibidem *pro unctione* in Baptismo; tertiam citat lib. de Confirm. cap. 5. pro *Sacramento Confirmationis*; quartam lib. 3. de Eucharist. cap. 20. pro *transsubstantiatione*; quintam lib. 2. de Missa cap. 8. pro *invocatione Sanctorum in Missa.* Sed in Indice librorum Græcorum, quos Resp. Augustana emit ab Antonio Eparcha Corcyræo, Mystagogicæ Catecheses attribuuntur Johanni Episcopo Hierosolymitano, non Cyrillo, qua de re videatur Jos. Simlerus in Biblioth. Rainold. de lib. Apocr. tom. 1. p. 328. Mornæus lib. 3. de Miss. sacrif. capit. 16. p. 1208. De Catechesib. illis quinque M. Velserus in Catalogo MStorum Græcorum Reipubl. August. quem Apparatui suo Possevinus adjecit, nihil certi pronunciare ausus est: *Catecheticæ*, inquit, *Institutiones Episcopi Hierosolymitani, quem Cyrillum esse puto. Ejusdem autem autoris & has, & quæ sequuntur existimo Mystagogicæ Catecheses quinque.* Qui Catecheses nomine Cyrilli editas citant, eas non distinguunt, sed simpliciter aut Cyrillum Catecheses scripsisse dicunt, ut Hieronymus; aut si aliquid ex illis afferant, ex prioribus illis semper est decerptum, ut videre est in Theodoreto, qui quatuor; in Damasceno, qui duodecim; in Cyparissioto, qui decem Catecheseon meminerunt, & semper absolutè *Catecheses Cyrilli* sine distinctione citarunt, quod non fecissent, si alius generis Catecheses Cyrilli nomine illis fuissent notæ.

Testamentum Ephrem, citat Bellar. lib. 2. de Missa cap. 7. ut probet, *sacrificium Missæ pro defunctis in purgatorio degentibus ritè offerri*; lib. 1. de purgat. cap. 6. pro *purgatorio.* Sed Gerardus Vossius, qui opera Ephrem Ann. 1589. & Ann. 1593. edidit, in marg. annotat, *Sequentia non ab Ephrem in suo Testamento relata, sed à discipulis post ejus obitum verbis Testamenti attexta sunt.* Autor in Testamento illo dicit: *Nullo modo in tota vita mea adversus Dominum contumeliosus extiti, neminem in tota vita mea maledictis oneravi &c.* Sed Ephrem in narratione ad Monachos de sua conversione tom. 2. oper. pag. 261. fatetur, *se occidisse juvencam pauperis ferentem uterum, & pauperem illum per summam injuriam contumeliis onerasse.* in Confess. & sui ipsius reprehensione tom. 3. pag. 599. fatetur, *se primis annis fuisse contumeliosum, seditiosum & cum vicinis contentiosum.*

Nazianzeni Tragœdia, Christus patiens, citatur à Bellarmino lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 15. pro *libero arbitrio*; ab Anglo-Rhemensibus in annot. Act. 1. v. 14. pro *invocatione sanctorum.* Sed Baronius Ann. 34. n. 133. *ab eruditis eam potius*

V Apolli-

Apollinaris Laodiceni, quam Gregorii Nazianzeni opus meritò existimari asserit. Possevinus in Apparatu. *Tragœdia Christi sub nomine Gregorii Nazianzeni illius non est.* Guilielmus Fulco referente Perkinso. *Non sapit stylum Gregorii, nec versum jambicum more Gregorii accuratè observat.* Bellarminus de Scriptor. Eccles. in verbo Nazianzen. *Non videtur habere gravitatem solitam Nazianzeni, præsertim cum describitur ejulatus matris Christi, quæ prudentissima & constantissima erat.*

Basilii liber de Spiritu sancto ad Amphilochium Iconii Episcopum passim citatur à Pontificiis. Cap.18 citatur à Copo Dial.5. cap.9. ut probet distinctionem *inter latriam & duliam.* Cap.24. citatur à Bishopo contra Perkinsum de meritis cap. 5. p.104. pro *justitia operum.* Cap. 27. citatur à Bellarmino libro 4. de verbo Dei cap.3. de cultu sanctor. cap.7. pro *aqua benedicta*; lib.2. de Missa cap.15. pro *ostensione Sacramenti*; lib.2. de Imagin. cap.29. pro *signo crucis*; lib.1. de Bapt. cap. 25. pro *usu signi crucis in Baptismo*; lib. ejusd. cap.26. pro *trina mersione*; lib.2. de Confirmat. cap.8 pro *consecratione chrismatis in Sacramento confirmationis*; caput 29. citatur ab eodem lib.4. de Eccles. cap.14. & lib.4. de verbo Dei cap.7. pro *traditionibus*; quo fine etiam illum citant Anglo-Rhemenses in annot. 2. Thess. 2. v.15. Lindanus libro 4. panopl. cap.13. Costerus Apol.2. pro parte 1. Enchiridii cap.5. p.275. & alii plures. Sed Erasmus ad finem capitis 14. in margine notat, *ea, quæ sequuntur à capite 15. usque ad finem, esse alterius potius hominis otiosi, quam Basilii Magni*, quod in Epistola dedicatoria ad Joh. Dantiscum Episcopum Culmensem plenius confirmat. Traditiones, quas in cap.27. recenset, easque nimiopere extollit, nec ipsi Pontificii acceptant, quales sunt *prima Sabbathi & toto tempore usque ad Pentecosten stantes absolvere preces.* Rhenan. in annot. ad l. Tertull. de corona militis, Bellarminus lib.3. de cult. sanct. cap.11. *spectare ad Orientem inter precandum*, quod liberum relinquunt Durantes de rit. Eccles. lib.1. cap.3. Bellarmin. lib.3. de cult. sanct. cap.3. Adde, quod Costerus dicat loco citato, *quicquid hic à Basilio in exemplum Apostolicarum traditionum allatum est, ante ipsum alios retulisse.* Sed Autor capitis 29. affirmat, *Patres suos ista in silentio servasse, non scripto publicasse.* Verus Basilius tom.2. p.194. expresse scribit: *Manifestus est fidei lapsus & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ Scriptura habet, vel inducere quicquam quod scriptum non est*, cui assertioni è diametro adversatur doctrina fictitii istius Basilii in cap 27. & 29.

Ascetica Basilii proposita primum per quæstionem, deinde per Scripturam explicata, quorum titulus est, *Basilii quæstiones fusè explicatæ, vel Basilii definitiones latiores* sæpe citantur à Pontificiis. Quæstionem 12. citat Bellarm. lib. 2. de Monachis cap.37. ut probet, *licere conjugatis ex consensu vovere perpetuam continentiam*; quæstionem 14. citat lib. ejusd cap.27. pro *votis solennibus Monachorum*; quæstionem 15. citat lib. ejusd. cap.35. ut probet, *juniores vovere posse*; quæstionem 22. citat lib. ejusd. cap.40. pro *singulari habitu Monachorum*; quæstionem 26. citat Greg. de Valent. de Confession. cap.2. pro *auriculari Confessione*; quæstionem 37. citat Bellarmin. lib.1. de bonis operib. in particul. cap.13. pro *horis Canonicis.* Feuardentius Dialog. lib. 1. §. in istis. *In his libris Basilii Melanchthonus præpostero judicio fictas notat fabulas & opiniones de cælibatu falsas & alias ludicras nugas.* Negare tamen non possunt, Nicephorum lib. 9. cap.16. lib.13. cap.29. Sozomenum lib. 3. cap.13. Nicetam in orat. 30. Nazianzen. num.60. testari, *hunc librum à quibusdam Eustathio Sebastieno Episcopo tribui, cujus errores Concilium Gangrense damnarit.* In Monodia Nazianzeni Ascetica in catalogo monumentorum Basilii non habentur.

Regulæ contractiores, sive quæstiones compendio explicatæ citantur à Bellarmin. lib.3. de pœnit. cap.8. pro *Confessione auriculari.* Sed idem Bellarminus lib.1. de amiss. gratiæ cap.13. de illis sic judicat: *Non certò constat, an hæ quæstiones sint Magni Basilii, an potius Eustathii Sebastieni, cujus multi & graves errores damnantur in Concilio Gangrensi.* Et postea: *Cum valde probabile sit, eas quæstiones editas esse ab homine parum probatæ fidei, non est, cur earum testimonium magni faciamus.*

Idem repetit libro de scriptor. Ecclesiastic. & argumenti loco addit, quod quæst. 4. & 292. videatur tollere discrimen *peccati mortalis & venialis.* Fronto Ducæus in annotationibus in regulas fusius disputatas docet, *hoc opus olim adscriptum Basilio: tum autem illas Eustathii regulas longe dissimiles fuisse.* Johannes Garetius lib. de verit. corpor. & sanguin. Christi in Eucharist Centen.4. citat quæstionem 172. in hoc libro sub nomine *Eusebii Episcopi Sebastiæ*, cujus superstitiones damnatæ sunt in Concilio Gangrensi.

Basilii homilias de jejunio, præsertim secundam, in quâ dicit, *legem quadragesimæ per totum mundum esse prædicatam*, pro quadragesimali jejunio plerique omnes adducunt. Sed Erasmus in Epist. ad Joh. Cholerum eam habet pro *supposititia Studiosi cujuspiam sese ad priorum æmulationem exercentis.*

Basilii comment. in cap.9. Esaiæ citatur à Turriano lib.1. pro canon. Apostol. cap.1. p.7. pro *cælibatu Sacerdotum*; & à Bellarmino lib.1. de purgatorio cap 6. pro *purgatorio.* Sed Erasmus tom. 8. operum f. 413. de commentario illo in cap. 16. priora Esaiæ sic judicat: *Hunc aggressus Latinum facere institui, sed quo altius descendo in operis penetralia, hoc minus mihi visum est divinam illam Basilii phrasin sapere, tametsi mox in ipso libri vestibulo titulus nonnullam animo suspicionem injecerat, ita testans ab ipso quidem Basilio descriptum opus, cæterum ab illius obitu ab alio quodam Presbytero evulgatum. Auxit suspicionem, quod nec apud scriptores quidem, qui Basilii recensent lucubrationes, hujus voluminis ulla fit mentio.* Intelligit autem Erasmus Hieronymum & Suidam, quorum neuter hujus commentarii meminit. Quod in commentario cap. 8. Esa. Autor asserit, *Spiritus illos, quos Saul consuluit, fuisse Dæmones*, repugnat tum Basilii sententiæ Epistol.80. ad Eustathium, tum Bellarmino lib. 2. de purgat. cap.6. quod *pythonissa Samuelis animam ab inferis revocaverit.*

Liturgia Basilii citatur à Bellarmino lib.1. de purgat. cap.6. pro astruenda *oratione pro mortuis*; lib. 4. de Eucharistia cap. 10. pro *temperando vino cum aqua in calice Eucharistico*; lib.1. de Missa cap.18. pro *sacrificio Missæ*; lib.2. de Missa cap.8. pro *invocatione sanctorum* & alibi passim; à Gregorio de Valentia lib. de præsent. Christi in Eucharist. cap.6. p.372. pro *adoratione Eucharistiæ*; à Peresio lib. de tradit. part. 3. tit. de sacra commun. f. 159. pro *Transsubstantiatione.* Sed Liturgia, qua Syri sub Basilii nomine utuntur, nec cum veteri, nec cum nova versione illius Liturgiæ, quam sub Basilii nomine habemus, convenit, quod ex parte verum esse Bellarminus ipse agnoscere cogitur. Negat enim lib.3. de Eucharist. cap.14. in Basilii Liturgia dici: *Fac panem istum corpus Christi, sed ostende panem istum corpus Christi*, cum tamen Peresius Guidixiensium Episcopus d. l. & Bessarion Rom. Ecclesiæ Cardinalis de Sacram. Eucharist. p.173. statuant, *in Liturgia Basilii dici, Fac panem istum corpus Christi.* Habetur in ea τρισάγιον quod centum plus minus annis à Proclo Archiepiscopo Constantinopoli demum receptum. Nominantur in ea Confessores post Martyres, cum adversarii ultro fateantur, eorum nomen longo post tempore Officio insertum. Andreas Masius, qui Liturgiam Basilii à Mose quodam Meridineo Syro præceptore suo acceptam Anno 1569. apud Plantinum, edidit, rationem affert, quare non pauca legantur in Liturgia Græca, quæ in Syriaca non sunt expressa: *Fateor equidem*, inquit, *prolixiorem esse Græcam, quippe is fuit perpetuo hominum in religione sensus, ut intra præscriptas à Patribus Ceremonias, quantumvis sanctissimas, sese continere pauci potuerint, unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia atque alia addita, multa etiam mutata videre est, &, quod est longe majus malum, non paucas etiam superstitiones esse enatas. Qua in re mihi videntur fuisse Syri tantò Græcis Latinisq; temperantiores, quantò minus in tranquillo, ne dicam luxurioso apud illos Christiana res statu est versata.* Hæc ille, minimè dissimulans Græcam & Latinam Liturgiam plurimùm à prima illa simplicitate recedere & in illa, quam Græcè Basilii nomine habemus, addita & mutata esse non pauca; quod Masii judicium eò magis notandum, quod à Possevino, qui ejus meminit, non est improbatum.

Basilii Epistola ad Julianum Imperatorem à Legatis Apostolicæ Sedis in Concilio Niceno 2. producta, citatur à Bellarmino in Appendice ad librum de cultu Imaginum cap.4. & ab Hardingo contra Ivellum art.14. pro *adoratione Imaginum*; ab Anglo-Remensibus annot. in 1. Tim.2. pro *invocatione sanctorum.* Sed hæc verba in libris Basilii in lucem editis nuspiam reperiuntur, quæ Hadrianus Papa in Epistola sua Synodica tanquam Basilii citavit.

Ambrosii liber ad Virginem lapsam citatur ab Alano def. purg. cap.1. Anglo-Rhemensibus annot. 1. Cor.7.v.9. Bellarmino lib.2, de Monach.c.30. ut probent, *non licere illis uxores ducere, qui*

qui continentiam sunt professi, ab aliis citatur pro stabiliendis *satisfactionibus*. Sed hic liber, paucissimis exceptis, idem est cum Epistola 22. tom. 9. operum Hieronymi, quæ hunc habet titulum: *In Susannam lapsam exhortatio*, quæ licet ab aliquibus Augustini esse putetur, tamen Marianus Censura in 9. volumen oper. Hieronymi, *quia expeditiores habet anfractus, nec ita longis se implicat periodis*, Augustini esse negat. Cujuscunque verò sit, Ambrosii non esse evincitur ex eo, quod continet quædam pugnantia cum illis, quæ in genuinis Ambrosii scriptis occurrunt. Inde Bellarminus in lib. de script. Eccles. ad ann. 374. de hoc libro sic judicat: *Liber ad Virginem lapsam non est Hieronymi, sic enim loquitur Autor cap. 8. Inhære pœnitentiæ usq; ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit.* At hæc fuit sententia Novatianorum, contra quam disputat Ambrosius libris duobus de pœnitentia, quos libros indicat ipse à se compositos lib. 2. cap. 8. dum describit, quod modo à forensi negotio ad Sacerdotium repente vocatus fuerit. Idem argumentum, ut & stylum ac dictionem urget Possevinus in Apparatu sacro, atque ex eo concludit, *dubitari, an hic liber sit Ambrosii.*

Ambrosii libri de vocatione gentium citantur ab Hardingo resp. ad Ivelli provocat. art. 14. pro *prærogativa Romanæ Ecclesiæ*; ab aliis pro *libero arbitrio*. Item ut probent, *infantes sine Baptismo decedentes damnari.* Sed Erasmus in Censura tom. 2. oper. Ambros. judicat, eos falsò tribui Ambrosio: *Libellus de vocatione gentium*, inquit, *arbitror alterius esse, cujus rei si nullum aliud esset argumentum, tanta tamen est totius phrasis dissimilitudo, ut primo statim gustu lector deprehendat, alium loqui quam Ambrosium.* Andradius lib. 4. orthod explic. *Libros de vocatione gentium falsò adscribi Ambrosio, apertè indicat disputatio contra Pelagium de industria suscepta, quem Ambrosii ætatem non vidisse autor est Augustinus contra Julianum agens.* Bellarm. in lib de script. Eccles. *Libri de vocatione gentium falsò tribuuntur Ambrosio, cum manifestè sint Prosperi. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8. disputat Autor contra Pelagianos, qui post mortem Ambrosii demum sunt exorti.* Idem in judicio de Formul. Concord. mend. 8. *Libros de vocatione gentium Philippus imperitè tribuit Ambrosio, cum in iis libris nominatim refellantur Pelagiani, qui post Ambrosium orti sunt.* Salmeron. in comm. Epist. ad Rom. Disput. 19. *Ambrosius non est autor duorum librorum de vocatione gentium, sed Prosper Aquitanicus.* Gillotus testatur, *se nullum exemplar reperisse.* Johannes Costerius libros hosce non esse Ambrosii probat ex eo, quòd *in Epistola Augustini ad Fortunatianum, quæ est CXI. quædam citantur ex illo libro non Ambrosii, sed Gregorii Nazianzeni nomine, unde colligi potest*, inquit, *ab Ambrosio Latinum factum, & sic inter Ambrosianas lucubrationes receptum.*

Epistola 82. Ambrosii inter 85. in tertio tomo operum contenta, citatur à Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 16. ut probet, *votum continentiæ annexum esse ordinibus sacris*; ab eodem lib. 2. de bonis operibus cap. 11. & ab Anglo-Rhemensibus annot. 1. Cor. 15. v. 32. ut probent, *jejunium esse meritorium*, à Bailio Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q. 24. ut probet, *Sacerdotes uxoratos tempore Apostolorum ab usu conjugii postmodum abstinuisse, cum Apostolus dicat, habentem filios, non facientem.* Sed Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Ambrosius, de ea sic scribit: *Epistola 82. non potest esse Ambrosii, in ea namque fit mentio Venetiarum, quæ civitas post Ambrosii mortem ædificari cœpta est, nimirum Anno Domini 420.* ac Baronius Ann. 388. numer. 7. agnoscit, *in Epistolis ac sermonibus Ambrosii tomo 3. inclusis multa esse supposititia.*

Epistola 84. ad Demetriadem citatur ab Espensæo comment. in 2. Timoth. pag. 269. pro *libero arbitrio*. Sed Bellarm. in lib. de script. Eccles. Epistolam hanc annumerat illis, quæ non sunt Ambrosii, cum in ea mentio fiat *Pelagianorum*, qui Ambrosio ignoti fuere. Baronius Ann. 397. num. 39. *Epistolam ad Demetriadem scriptam, Ambrosii nomine hactenus lectam, Pelagii fuisse constat.* Possevinus d. l. *Aliqui hanc Epistolam, ut alienissimam ab Ambrosio, rejiciunt.* Costerius in Censura tom 2. oper. Ambrosii: *Hæc Epistola multorum sententia est ejus, qui libros de vocatione gentium conscripsit, nimirum Prosperi Aquitanici.* Idem de hac Epistola judicat Suarez.

Epistola 85. de Inventione corporum Sanctorum Gervasii & Protasii citatur à Bellarmino lib. 2. de cultu sanctor. cap. 3. à Copo Dial. 3. cap. 13. & Campiano rat. 5. pro *cultu reliquiarum*; à Bellarmino lib. 3. de cultu sanctor. cap. 5. *pro dedicatione Ecclesiarum.* Sed hanc Epistolam non esse Ambrosii, patet ex eo, quod idem omnino hujus Epistolæ autor & sermonis 91. de inventione corporum Sanctorum Gervasii & Protasii, quemadmodum apparet ex postremis verbis Epistolæ collatis cum primis verbis illius sermonis. Jam verò sermonem illum 91. non esse Ambrosii Erasmus & Costerius in Censuris tomo 3. præfixis consentiunt. Baronius Ann. 385. n. 7. & Bellarm. de script. Eccles. cap. de Ambrosio, & lib. 2. de bon. operibus in partic. cap. 15. fatentur, *in Epistolis Ambrosii quæ tomo 3. habentur, multas esse supposititias.*

Sermones 92. Ambrosii in tom. 3. oper. sæpius à Pontificiis citantur. Sermonem sextum citat Bellarminus lib. 1. de beatitud. sanct. cap. 13. ut probet, *cultum aliquem sacris rebus, sanctis Angelis & hominibus deberi*; undecimum citat lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 20. & cap. 25. ut probet, *Petri primatum*; vigesimum tertium, lib. 2. de bon. operib. cap. 14. ut probet, *quadragesimam continere 42. dies*; vigesimum quintum lib. ejusd. cap. 7. ut probet, *fideles in conscientia obligari ad jejunia*, & lib. ejusd. cap. 14. ut probet, *quadragesimam ab ipso Domino indictam fuisse*; vigesimum sextum, trigesimum quartum & trigesimum septimum citat lib. ejusdem cap. 16. ut probet, *quadragesimam institutam fuisse, ut Christum, qui caput nostrum est, eo modo, quo possumus, imitemur*; vigesimum septimum & trigesimum octavum citat ibid. ut probet, *quadragesimam institutam esse, ut Christiani non solum pro se, sed etiam pro Catechumenis in paschate regenerandis jejunent & orent*; quadragesimum tertium & nonagesimum primum citat lib. 2. de Imag. cap. 29. ut probet, *signum crucis esse sacrum & venerabile*; quadragesimum septimum citat lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10. & 11. ut probet, *Petrum esse petram Ecclesiæ*; sexagesimum nonum citat lib. ejusd. cap. 22. ut probet, *Petrum esse fundamentum Ecclesiæ*; septuagesimum sextum, septuagesimum septimum & septuagesimum octavum citat lib. 3. de cultu sanctor. cap. 16. ut probet, *pium & bonum esse colere festos dies*; nonagesimum primum citat lib. 1. de sanct. beat. cap. 19. ut probet, *sanctos esse invocandos*; nonagesimum secundum citat lib. 2. de reliq. cap. 3. ut probent, *adorationem reliquiarum*. Sermonem ultimum de Baptismo Augustini citant Torrensis in Confess. Augustin. lib. 4. cap. 8. §. 6. & Gregor. de Valent. de statu & voto religios. cap. 2. ut probent, *Augustinum indutum fuisse nigro cucullo, & cinctum cingulo coriaceo per manus Ambrosii.* Alii aliis de caussis passim hos sermones citant. Sed Erasm. in cens. tom. 3. operum Ambrosii, de illis sic judicat: *Tertius hic tomus exhibet conciones ad populum breves, quas supposititias esse nihil addubito, nihil enim in his Ambrosianæ venæ. Videntur ejusdem, cujus multos habemus sermones, Augustini titulo ad fratres Eremitas de tempore.* Credit igitur, *esse opus cujusdam Monachi.* Baron. An. 397. n. 39. *Complures S. Maximi Episcopi Taurinensis sermones Ambrosii nomine habentur. Sunt & alia aliorum nonnulla, ut S. Prosperi & aliorum, atinam & non Pelagii etiam, cujus Epistolam ad Demetriadem scriptam, Ambrosii nomine hactenus lectam fuisse constat, ut prætermittam alia nonnulla alienissima ab eo, quæ ejus tamen titulo cusa leguntur.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Ambrosius: *Quod ad sermones attinet, veteribus editionibus haud dubium, quin sermo 9. 37. 72. non erant Ambrosii. Extabant autem inter sermones quoq; Augustini, Sermo item de Eusebio Vercellensi, qui erat 69. & serm. 73. de Cypriano habentur inter sermones D. Maximi. Sermo porro 3. 14. 31. 32. 44. 47. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 77. 78. & 82. ad verbum sunt in sermonibus Maximi, & verò Maximi potius, quam Ambrosii esse videntur.* Costerius in Censur. tom. 3. oper. Ambros. *Quod multi horum sermonum Ambrosii non sint, cùm ipsa dictio evidenter docet, cùm quod in Manuscriptis & excusis libris Maximi Taurinensis, vel ut alii volunt, Mediolanensis Episcopi titulum præ se ferunt. Cujuscunque certè sunt, ejusdem omnes Autoris videntur.* Bellarminus lib. de script. Eccles. *multos ex his sermonibus inter Maximi & Augustini sermones haberi* docet.

De sermone 34. in specie sic judicat Bellarmin. lib. 2. de bon. oper. in partic. cap. 15. *Sermo 34. in quo agitur de jejunio quadragesimæ, vix putatur esse Ambrosii. Ambrosii enim ætate Mediolani servabatur mos Græcorum de non jejunando in die Sabbathi. At in eo sermone reprehenditur Quinquagesima, quam loco Quadragesimæ introduxerant aliqui, nempe addentes unam hebdomadem Quadragesimæ, ut detractis Sabbathis & Dominicis, quibus non jejunabatur, idem dierum numerus rediret.* Similia occurrunt apud Possevinum in Apparatu sacro.

De Sermone 69. & 70. sic scribit Baronius ann. 355. *Apud S. Ambrosium extant de S. Eusebio sermones duo. At nihil est quo sancto Ambrosio tribui possunt, ut ex ipsis apparet.* Molanus in annot. ad Usuardi Martyrol. Augusti 3 prioris sermonis Autorem vocat *Pseudo-Ambrosium*. Possevinus sermonem illum 69. Maximo tribuit, sed Baronius d. l. probat, quod *non possit esse Maximi. Nec eos*, inquit, *videlicet 69. & 70. serm. esse Maximi dici posse, certum colligitur argumentum, quod citatus sermo scriptus esse invenitur ab autore, qui vixit temporibus Exuperantii Episcopi, discipuli S. Eusebii, cujus illic honorifica mentio est, qui subscriptus habetur unà cum S. Ambrosio Concilio Aquileiensi celebrato Anno Domini 381. Maximus autem longè post hæc vixit tempora, qui subscriptus reperitur Concilio Romano sub Hilario Pont. anno 465. Quamobrem quinam illorum duorum sermonum verè sit author, adhuc quærendum restat.*

De sermone 90. qui est de passione B. Agnetis virginis, (quemque allegant Pontificii pro confirmandis *sanctorum* miraculis, ex quibus eorundem *invocationem* probant, (Erasmus in Censura tom. 3. oper. sic judicat: *Sermo de Agnete, cujus sit, nescio. Appendix in fine indicat artificem: Hæc ego Ambrosius servus Christi, dum in divinis voluminibus invenissem scripta &c. Quis enim unquam appellarit divina volumina præter Scripturas sacras?* Erasmo hac in parte suffragatur Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. sic judicans: *Sermo de passione Agnetis dubius est, quia Ambrosius libro 1. de virginit. significat, B. Agneti cervicem gladio amputatam. Sed autor illius sermonis scribit, B. Agneti ad palum alligatæ, ut combureretur, cum flamma divinitus extincta esset, jussu Aspasii judicis gladio guttur fuisse perfossum.*

De sermone ultimo, qui est de Baptismo Augustini, sic scribit Baronius An. 388. sect. 77 *Hic sermo ne apicem quidem habet Ambrosii, multa sane admiscuit imperitus fictor. Nam ut de dissimilitudine styli dicere prætermittamus, quisquis ille fuit, impostura facile arguitur, cum ait, Augustinum Carthaginensem fuisse, atq; ex gentilium cultu factum Christianum, ipsum namq; patria Tagastensem fuisse, nec coluisse aliquando idola, licet sectator fuerit Manichæorum, tum ipsius testificatione, tum Possidii, luce clarius demonstratur. Impostura quoq; ex ea parte autor arguitur, dum habet, ipsum Augustinum cum Ambrosio de pluribus quæstionibus sæpe disseruisse, cum tamen ipse Augustinus de se testetur, nunquam toto illo tempore, quo fuit Mediolani, invenisse Ambrosium negotiis vacuum & frequentia accedentium solitarium, quo cum de animi sui angoribus potuisset miscere sermonem, adeò ut non dicam disputandi, sed nec, ut ait, daretur copia sciscitandi. Et unde illud figmentorum concinnatori, cum agit de ejus Baptismo, novum Christianum novis vestimentis cucullâ nigrâ induimus, cum moris esset inviolabilis, baptizatum quemlibet albis induere vestimentis?* Bellarmini in lib. de script. Eccles. idem est de hoc sermone judicium: *Sermo 92. de Baptismo S. Augustini longissime distat à stylo & gravitate Ambrosii, nec ullo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium Deum sæpius orâsse, ut eum à captionibus Augustini liberaret, quia Augustinus non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo conversus est*, ut ipse testatur lib. 5. Confession. cap. 13. & lib. 6. cap. 1. Similia occurrunt apud Erasmum in Censura tom. 3. oper. Ambrosii, Paulum Langium in Chronico ad annum 1259. Costerium in Censura tom. 3. oper. Ambros. Molanum in annotat. ad Martyrol. Usuardi 3 Martii. Ex Ambrosii oratione in obitum Theodosii habita Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 19. §. Tertiò reprehendunt. & §. Octavò &c. *Septendialia sacrificia pro defunctis* probare conatur. Baronius Anno 392. n. 13. *suffragia viventium pro defunctis*, ex eadem stabilire laborat. (Sed idem Bellarminus lib. de script. Eccles. pag. 139. 141. censet, *scriptum illud non esse certæ fidei.*)

Orationes duæ Ambrosii præparantes ad Missam extant tom. 4. operum, illarum prior citatur ab Alano lib. de precibus pro defunctis cap. 11. f. 226. ut probet, *orationes pro mortuis*; posterior citatur ab eodem lib. de purgator. cap. 12. f. 107. ut probet, *Ambrosium timuisse purgatorium*. Sed Erasmus judicat, *eas non esse Ambrosii*. Erasmi judicio quodammodo adstipulatur Johannes Gillotius in præfat. ad lectorem edit. Paris. An. 1579. *Horum omnium*, inquit, *exemplaria habuimus miræ vetustatis, excepto uno libello de Salomone & duabus illis precationibus de præparatione Sacerdotis ad Missæ munus. Videat lector diligens, an stylus dissonans à phrasi Ambrosiana possit coarguere, non esse* Ambrosii. Bellarminus neutram harum orationum uspiam citat, non prætermissurus eas, nisi Erasmi censuræ suum addidisset calculum.

Exhortatio ad pœnitentiam citatur à Bailio tract. 3. Catech. controv. q. 11. & aliis pro astruenda *Confessione auriculari*. Sed Possevinus in Recensione operum Ambrosii monet; quod *Exhortatio ad pœnitentiam agendam extet tom. 5. edit. Rom. & rejiciatur inter opuscula Ambrosio adscripta, quæ non sunt ejus.*

Liber de Tobia citatur à Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 11. ut probet, *librum Tobiæ esse Canonicum*. Sed Erasmus censet eum esse *supposititium*, quod ipsum *quidam ex Scholasticis Theologis* statuunt referente Antonio Contio in notis c. Quid dicamc, ausf. 14. q. 4.

Commentarios in Epistolas Pauli passim Ambrosii nomine citant Pontificii. Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. *Ambrosio hos* commentarios tribuit, ac eos *breves quidem in verbis, sed sententiarum pondere graves esse* pronunciat. Bellarm. lib. 5. de amiss. gratiæ cap. 5. & lib. 4. de Justif. cap. 8. *autorem horum commentariorum fuisse Ambrosio & Damaso σύγχρονον*, colligit ex comm. 1. Tim 3. ac sub S. Ambrosii nomine sæpius eos allegat. Commentarium in cap. 10. Roman. & cap. 4. Ephes. citat idem Bellarminus lib. 4. de Christ. cap. 14. pro *Christi descensu in limbum*; Comm. in 2. Cor. 12. & in cap. 1. Gal. citat lib. 1. de Pont. Rom. cap. 25. pro *Primatu Petri*. Comment. in 1. Tim. 1. citat lib. 1. de Clericis cap. 19. pro *continentia Clericorum*; comment. in 1. Tim. 3. citat lib. 2. de Rom. Pont. cap. 16. pro *suprema potestate Papæ*; Comment. in 2. Thess. 2. citat lib. 3 de Rom. Pont. cap. 5 ut probet, *Antichristum nondum venisse*. Comment. in 1. Cor. 3. citant Anglo-Rhemenses in annot. 1. Cor. 3. v. 15. & Alanus in defens. purg. cap. 7. f. 72. pro *purgatorio*; Comm. 1. Tim. 3 citant Rhemenses in annot. ibid. pro *autoritate Romanæ Ecclesiæ*; Comment. in cap. 10. Hebr. citant Anglo-Rhemenses in annot. Hebr. 10. v. 11. ut probent, *sacrificium Missæ esse idem cum sacrificio crucis.*

Sed Salmeron Disp. 19. in Epist. Pauli p. 63. de illis sic scribit: *Viri perdocti asserunt, ejusmodi commentarios in omnes Epistolas Pauli non esse Ambrosio adscribendos, nec ejus esse proprium fœtum, sed spurium & nothum, illiq; falsò inscriptum, in quam sententiam plerosq; Catholicos viros acri judicio & doctrina præstantes, pedibus ivisse animadverti.* Baronius Ann. 397. n. 38. *Expositio Ambrosii in omnes Pauli Epistolas Cassiodori tempore desiderari cœpta erat, sed planè deperdita, in ejus locum alterius authoris opus apparet fuisse suppositum.* Possevinus in Apparatu tom. 1. pag. 57. titulo Ambrosius: *Commentarii hi alicubi sapere videntur Pelagianismum, nec sunt Ambrosii.* Lovanienses in Censura oper. August. *Credendum est, eundem esse commentarii illius autorem, qui librum scripsit de quæstionibus veteris & novi Testamenti.* Bellarminus lib. 2. de Eucharistia cap. 14. *Eruditi omnes norunt, hoc non esse opus Ambrosii, neq; cujusquam Catholici*. lib. 1. de Clericis cap. 15. *Commentarios in Paulum falsò tribui S. Ambrosio viri docti non sine causa judicant*. lib. 2. de grat. & lib. arb. cad. 14. *Autorem eorum commentariorum non esse Ambrosium, quod eruditi non ignorant, sed nec aliquem ex celebratis Patrib. respondeo.* lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 9. §. 4. Commentarios hos Ambrosii esse itidem negat lib. de script. Eccles. in verbo Ambrosius, tribuit eos *cuidam hæretico Luciferi sectatori Hilario dicto*, ac multis argumentis confirmat, *eos falsò tribui Ambrosio*. Staplet. promtuar. Cathol. part. 2. p. 140. *Commentaria illa non sunt Ambrosii*. Franciscus Lucas Brugensis aliquoties eum nominat *Ambrosiastrum* in annot. ad Gal. 3. v. 1. 1. Tim. 2. v. 6. 2. Tim. 2. v. 25. Tit. 1. v. 8. &c. ac in annot. 1. Tim. 2. v. 6. disertè scribit, *mentitur liber Ambrosii nomen*; in annot. Rom. 2. v. 15. statuit, *Hilarium Diaconum existimari autorem Commentariorum Ambrosium mentientium*. Maldonatus in Matth. 19. v. 9. & in Joh. 3. v. 5. *Remigium Lugdunensem eorum autorem esse asserit*. in Joh. 12. *Ambrosius non est autor commentariorum in Epistolas.* Pererius lib. 3. comment. in Gen. p. 370. *Viri docti multis nec levibus conjecturis persuasum habent, commentarios in Epistolas Pauli non prodiisse ex officina Ambrosii*. Idem in Epist. ad Rom. Disp. 5. cap. 6. ac Lorinus in cap. 15. Act. *Ambrosii* esse negant, sed certum eorum autorem non nominant. Et quod mireris Bellarminus in uno eodemque cap. 15. libri de Clericis sub nomine Ambrosii hos commentarios allegat, initio capitis, & cum objicerentur, *rejicit eosdem* in resp. ad 3. object.

Commentarii in Apocalypsin sub nomine Ambrosii citantur à Ribera in cap. 11. Apocal. ut probet, *Eliam ante diem judicii venturum*; ab aliis citantur pro *purgatorio*. Blasius de Viegas in Apoc. c. 7. p. 331. *Commẽtarios Ambrosii in Apocalypsin dicitur reperisse in antiquis Bibliothecis, Cuthbertus Tonstallus Episc. Dunelmensis.* Sed

Sed quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt, hos commentarios non esse Ambrosii. Sixtus Senens. lib. 4. Biblioth. de fals. lib. inscript. *Feruntur sub Ambrosii nomine in Apocalypsin Commentaria nuper Lutetiæ impressa. Sed præterquam quod styli diversitas manifestè reclamat, multæ sunt etiam toto opere inspersæ Gregorii sententiæ, quæ opus ostendunt non esse Ambrosii & autor ipse in explanatione cap. 17. aperte fatetur, se scripsisse post Rom. Imperium à Longobardis occupatum, quod plusquam 200. annis post Ambrosium contigit.* Salmeron in comm. Epist. Pauli Disp. 19. p. 63. *Novi quidam commentarii in Apocalypsin nostrâ ætate prodierunt opera & diligentia Cutberti Tonstalli Dunelmensis, qui Ambrosio Episcopo inscripti erant, sed ejusmodi libri charactere dicendi & stylo longè differunt ab Ambrosiano, & Autor ipse in explanatione cap. 17. citat Gregorium duobus seculis Ambrosio Mediolanensi posteriorem.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Ambrosius: *Commentarius hic non potest esse Ambrosii.* Bellarm. de script. Eccles. in verbo Ambrosius: *Commentarius in Apocalypsin, qui in editione Romana Ann. 1585. operibus Ambrosii additur, non est Ambrosii, quia autor mentionem facit Longobardorum Italiam invadentium, quæ invasio diu post mortem Ambrosii contigit.*

Damasi Pontificale sive de gestis summorum Pontificum, citat Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 4. ut probet, *Petrum Apostolum Romæ fuisse Episcopum usq; ad mortem*; lib. 1. de Clericis cap. 8. ut probet, *electionem Episcoporum pertinere ad summum Pontificem*; l. 2. de imag. cap. 9. ut probet, *imagines in templis recte collocari*; lib. 1. de Bapt. cap. 27. ut probet, *baptizatum debere ungi chrismate in vertice*; lib. 2. de Missa capite 14. ut probet, *vestes sacras requiri à Sacerdote Messificaturo*; lib. ejusdem capite 15. *thurificationem in Missa esse antiquissimam Ceremoniam.* Sed Johannes Albinus in præfat. ad lector. præfixa Anas. Hist. de vit. Pontif. aliquot argumentis evincit, *non esse Damasi scriptum: Hieronymus in catalogo illustrium virorum hujus scripti non meminit. Deinde reclamat stylus, totaque forma & series orationis. In Epistolis enim, quæ extant B. Damasi, aliisq; ejus monumentis phrasis culta est & nitida, in hoc verò de Pontificibus opusculo inculta, rudis & impolita. Adhæc multa in hac Historia asseruntur à veritate aliena, quæ nullius gravis & prisci autoris testimonio confirmari possunt, multi in eadem chronographici lapsus, nonnulla pugnantia & assystata.* Iisdem argumentis contra hunc librum pugnat Massonius de urbis Episcop. lib. 1. in Damaso. Baronius Anno 69. num. 35. *Liber vulgatus nomine Damasi de Romanis Pontificibus à diversis autoribus, ut verius puto, collectus est, nam demonstrabimus pluribus locis continere pugnantia inter se ferè in unoquoq; Pontifice in annis cujusque consignandis &c.* Idem Anno 384. num. 15. *Quæ fertur nomine Damasi, breviter texta series Romanorum Pontificum, alterius potius quam ipsius est opus.* Binnius in notat. tom. 1. Concil. 19. *Hujus libri Pontificalis Damasus autor non est.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo, Damasus: *Alterius fuit, non hujus Damasi.* Bellarminus de scriptor. Eccles. pag. 136. *Liber de vitis Pontificum non est Damasi, sed Anastasii Bibliothecarii.* libro 2. de Roman. Pontific. cap. 5. *Non multum me movet Pontificale, quia ejus nec Sophronius, nec Simon Metaphrastes mentionem faciunt.* ibid. *Pontificalis liber, qui Damaso tribuitur, dubiæ est autoritatis.* Conciliorum editio Veneta tom. 1. p. 617. & 684. tom. 2. pag. 465. annotat, *Pontificale istud pugnare cum probatis & receptis Historiis.*

Amphilochii narratio de vita S. Basilii citatur à Bellarmino lib. 4. de Eucharist. cap. 24. ut probet, *apud veteres consuevisse deferri Eucharistiam ad ægrotos sub sola specie panis*; lib. de Confirm. cap. 5. ut probet, *Confirmationem esse Sacramentum*; ab Hardingo resp. ad Ivelli provoc. art. 1. pro Missis privatis &c. Sed Baronius ad annum 369. § 43. fidem ejus elevat: *Qui nomen Amphilochii accepit, Basilium vult esse ante defunctum, quam creatum Episcopum.* An. 378. n. 10. de ea sic judicat: *Quæ Amphilochii falso nomine fertur vita Basilii, haud digna satis habetur, quæ eruditorum auribus ingeratur.* Idem Ann. 363. n. 55. *Commentarius de rebus gestis Basilii, qui extat nomine Amphilochii, scatet mendaciis.* n. 74. vocat *commentum, quod sub falso Amphilochii nomine narratur in vita Basilii Magni, quo fertur, Libanium persimilem de interitu Juliani visionem noctu per somnium conspexisse, cum esset in castris, quem tamen ex literis Juliani constat Antiochiæ fuisse relictum.* In notis ad Martyrolog. Rom. Januar 1. *Extat Amphilochii nomine scripta vita S. Basilii, quæ tamen prudentiorum omnium sententiâ alterius cujuspiam potius quam Amphilochii, Basilio æqualis, esse putatur, cum aliqua illic habeantur, quæ illi minus convenire videntur.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Amphilochii: *Non potest esse Amphilochii, sub cujus nomine circumfertur.* Bellar. de script. Ecclesiast. p. 154. *Vita Basilii sub nomine Amphilochii haud dubiè falsa est vel supposititia. Primò, narrat ille Autor Basilium factum Episcopum ante mortem Juliani, quod repugnat Historiis & ipsi Gregorio Nazianzeno in Orat. de S. Basilio. Deinde, narrat Autor, S. Basilium ostensum fuisse per revelationem Eusebio Cæsariensi, cum ante eum non nosset, quod etiam falsum esse certum est ex eo, quod Nazianzenus scribit, Eusebium cum Basilio de Episcopatu contendisse & ea de causa inimicum Basilio factum. Tertiò, constat, S. Basilium obiisse anno ultimo Valentis Imperatoris, & octo annis Episcopatum administrasse, ex Gregorio Nazianzeno & aliis, proinde Episcopum factum anno 6. Valentis. At juxta supposititium Amphilochium Basilius vel sedisset annis 15. vel ante mortuus esset, quam Episcopus fieret, si vivente Juliano jam Episcopus erat. Quartò, multa alia perperam narrantur in illa vita, tum de Libanio, tum de aliis.* Gretserus lib. 2. de jure prohib. libros cap. 4. itidem ejus fidem elevat. Idem judicium est Gaulterii secul. 4. p. 298.

Hieronymi Tractatus de Actis Apostolorum citatur à Baronio ann 34. n 232. ut probet, *Christum cum in cœlum ascenderet, reliquisse suorum sacrorum pedum impressa terræ vestigia.* Sed Erasmus in Indice eorum, quæ dubio sunt titulo, tom. 1. oper. Hieron. de eo dubitat. Sixt. Sen. lib. 4. Bibl. sanctæ in verbo Hieronymus ac Victorius in arg. præfixo huic Tractatui negant esse *Hieronymi*, argumento eo, quod *circa finem ipsum Hieronymum allegat.*

Commentarius in Lamentationes Jeremiæ citatur à Coccio tom. 2. lib 4. p. 350. ut probet, *Monasticam vitam esse antiquissimam.* Sed Sixt. Sen. lib. 4. Bibl. in verbo Hieronymus, *in hoc commentario præter paucula nihil haberi, quod Hieronymianum spiret ingenium*, ostendit. Marianus Victor. in Indice operum D. Hieronymi, *commentarios hosce Rabano Mauro à quibusdam tribui*, monet. Erasmus censuit, esse eos *vel Rabani vel Bedæ.* Bellarm. de script. Eccl. in verbo Hieronymus: *Videtur potius Rabani commentarius, quam Hieronymi, habetur enim inter opera Rabani & inveniuntur in eo aliquæ sententiæ ex Gregorio decerptæ.*

Commentaria in Marcum Hieronymi nomen præ se ferentia citantur à Coloniensibus Dial. 10. pro *purgatorio.* Dormannus contra Novvellum c. 28 p. 185. ex illis probat, *Petrum extitisse caput Ecclesiæ.* Sed Sixt. Sen. lib. 4. Bibl. in cap. de falsa librorum inscriptione de illis sic judicat: *Commentaria in Marcum Hieronymianis tomis inserta, nullus unquam suspicabitur esse Hieronymi, nisi qui eum putet Latinam linguam dedidicisse, & Hebræam & Græcam penitus ignorasse.* Corn. à Lapide in c. 16. Levit. v. 9. *Hieronymus vel quisquis est autor comment. in Marcum, videtur enim ipse Græcè & Hebraicè fuisse imperitus ac consequenter non esse Hieronymus.* Idem statuunt Marianus Victorius in not. ad initium comm. in Marcum, Schultingus in Censura, Baronius An. 34. n. 111. Bellarm. de script. Eccl. Maldonatus in caput 1. Marci.

Commentarii in Psalmos sub nomine Hieronymi citantur à Lensæo in lib. de limbo pro *limbo Patrum*; à Bellarmino lib. 4. de amiss. grat. cap. 15. *pro immaculata Virginis conceptione*; à Talpied. collat. 4. doctorum art. 11. pro *sacrificio Missæ.* Sed Sixt. Senensis lib. 4. Biblioth. in verbo Hieronymus, aliquot argumentis confirmat, commentarios hos non esse Hieronymi, *Primum quod Autor hic posthabito Historiæ sensu in solis allegoriis ac tropologicis expositionibus versatur, nulla usus editionum varietate, Græcam deinde & Hebraicam eruditionem, quam in omnibus exegematicis afferre solet Hieronymus, nullam habet. Multa quoque scripsit cum Hieronymianis placitis ex diametro pugnantia &c. His accedit, quod ineptiæ sermonis, battologiis & solœcismis ab Hieronymiana tam phrasi, quàm scribendi genere abhorret.* Idem statuunt Erasmus tom. 1. oper. in Cens. Bruno Amerbachius tom. 8. oper. Hieron. Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 14. Lindanus in Epistola ad Schultingum teste Schultingo in Confessione Hieronymiana. Episcopus Ameritus Marianus Victorius. Nec sine ratione ita statuunt. In explicatione Psal. 16. citatur *Eucherius*, qui multis annis Hieronymo fuit posterior, nec illius fit mentio in catalogo Hieronymi; Hieronymus in Apol. 1. contra Ruffinum dicit, *se commentariolos in Psalmos conscripsisse.* Autor autem horum commentariorum in quorundam Psalmorum explicatione, longissimas disputationes vel cohortationes adjungit, ut patet ex comment. Ps. 81. 86. 132. 133. qui sunt Psalmi brevissimi, & habent commentaria fusissima.

Commentarii in omnes Epiſtolas Pauli (excepta ad Hebræos) citantur ab Anglo-Rhemenſibus in annot. Rom. 3. v. 20. ut probent, *per opera legis, ſine quibus dicimur juſtificari, intelligi opera Ceremonialia*; ab Eccio parte poſter. homiliarum in die animarum hom. 3. ut probet *purgatorium*; à Tallepied. coll. 4. doctorum, ut probet, *vota Monaſtica*. Gratianus in Decreto ſæpiſſimè eos ſub Hieronymi nomine allegat. Sed illorum autorem non eſſe Hieronymum, ſed Pelagium hæreticum, vel Pelagianum agnoſcunt, Sixt. Sen. lib. 4. in verbo Hieronymus; Marianus Victorius in Cenſur. tom. 8. oper. Hieron. Bellarm. lib. 4. de verb. Dei cap. 5. lib. 4. de amiſſ. gratiæ cap. 2. §. Deinde. lib. de ſcript. Eccleſ. in verbo Hieronymus: Salmeron in Epiſt. Pauli Diſp. 16. Schultingus in Cenſura Confeſſ. Hieronym. Pererius in Geneſin cap. 14. n. 8. in Epiſt. ad Rom. in cap. 1. Diſp. 4. & in cap. 7. Diſp. 11. n. 69. Nec ſine ratione, quia ſententiæ manifeſtè Pelagianæ in his commentariis inveniuntur in cap. 5. 6. 7. 8. & 11. ad Romanos; 1. Cor. 4. Philip. 1. & 3. 1 Tim. 6. &c.

Commentarii in Jobum citantur à Sandero lib. de Cœn. Dom. pro *tranſſubſtantiatione*. Sed Mar. Victorius in Cenſ. tom. 8. de illis ſic ſcribit: *Hos commentarios minime Hieronymi eſſe ab eruditis ante nos jam receptum fuit.* Sixt. Sen. lib. 4. Bibl. in verb. Hieronymus: *Hi commentarius ſuppoſititius exiſtimatur.* Conſentit Bellarm. lib. de ſcript. Eccleſ. ad ann. 390. ubi Bedæ illum tribuit, argumento permotus eo, quod Autor in extremo volumine dicit, *ſe ſcripſiſſe in gratiam Vecterii, qui fuit Epiſcopus in Anglia tempore Bedæ*, ut ex Hiſtoria ejuſdē colligitur. Blaſius de Viega in cap. 10. Apoc. p. 421. dubitanter de eo loquitur: *Si ejus, Hieronymi ſcil. ſunt commentarii in Jobum.*

Commentarii in Proverbia citantur à Colonienſibus in Cenſura Dial. 10. Alano cap. 9 l. de orat. pro animab. [illegible]ort. p. 201. Suarez, in p. 3. Thom. Diſp. 41. ſect. 1. n. 30. Bailio in Catech. controv. tract. 2. q. 44. pro *oratione pro mortuis & purgatorio*; Iterum à Bailio d. l. tr. 3. q. 21. pro *nomine Miſſæ*. Sed Hieronymi illos non eſſe, Sixt. Sen. lib. 4. Bibl. ſanctæ in verb. Hieron. p. 390. duplici argumento probat, tum ex *ſententiarum & eloquii diſſimilitudine*, tum quod *in iis citantur non ſemel Gregorius & Auguſtinus*. Idem cum Sixto Senenſi ſtatuunt Melchior Canus lib. 2. Loc. cap. 15. Marianus Victorius in Cenſ. tom. 8. oper. Hieron. Anton. Poſſevin. in Apparatu ad nomen Hieronymi. Dominicus Bannes in 2. 2. q. 1. art. 10. Schultingus in Cenſ. oper. Hieron. in Conf. Hieronymiana, Bruno Amerbachius tom. 7. oper. Hier. Bellar. de ſcript. Eccl. &c. In Comm. c. 30. *ipſius Hieronymi ſententia* ex comm. in Jeremiam allegatur, quomodo ergo poteſt eſſe Hieronymi? Trithemius eum tribuit *Bedæ*, cujus etiam titulo in antiquiſſimis exemplaribus prænotatur.

Epiſtola ad Demetriadem virginem de virginitate citatur à Tallepiedo Collat. 4. doctorum ſuper 30. art. pro *libero arbitrio*. Sed eam non Hieronymi, verum Pelagiani cujuſdam, vel etiã ipſius Pelagii eſſe, ſtatuunt Marianus Victorius in Cenſ. tom. 9. Hieron. Baron. Ann. 413. n. 17. Bellarm. de ſcript. Eccl. & ante illos Greg. Arimin. lib. 2 ſent. diſt. 26. q. 1. art. 3. argumento eo, *quod Auguſtinus eam Pelagio tribuat*: & in lib. de gratia Chriſti c. 22. 27. 37. 38. & 40. ac *in Epiſtola ad Julianum Demetriadis matrem* eandem refellat.

Sermo de Aſſumtione Virginis Mariæ ad Paulam & Euſtochium citatur à Jacobo de Voragine in Legend. aurea lect. 1. de Aſſumpt. Virg. & Eccio homil. part. poſter. homil. 5. in feſto aſſumpt. pro *aſtruenda Deiparæ aſſumptione*; à Bellarm. lib. 3. de cultu ſanct. c. 16. ut probet, *feſtum Aſſumtionis eſſe valde antiquũ*; à Durante de ritib. Eccl. Cath. lib. 2. c. 35. n. 9. ut probet, *B. Virginem Martyrem extitiſſe, quanquam in pace vitam finierit*, à Salmerone tom. 13. Diſp. 52. in Epiſt. ad Rom. ut probet, *immaculatam B. Virginis conceptionem*. Sed Eraſm. in Cenſ. tom. 4. Hier. Suarez part. 3. Thom. tom. 2. q. 37. art. 4. Diſp. 2. ſect. 1. Marianus Victorius in Cenſ. tom. 9. Hier. Baron. An. 48. n. 13. & in notis ad Martyrol. Rom. Auguſti 16. Margarinus de la Bigne annot. margin. in B. Hildefonſi ſerm. 5. de Aſſumt. Beat. Mariæ tom. 8. Bibl. Patrum, negant eſſe Hieronymi, *cum ſermo totus reſpiciat græcitatem quandam & balbutiem hominis in aliena lingua verſantis, cumq; in eo mentio fiat Neſtorii & Eutychetis hæreſium poſt Hieronymi tempora exortarum*, quod argumentum poſterius etiam probat, eum *Sophronio* Hieronymi æquali minus rectè à Bellarmino, Poſſevino & Mariano Victorio tribui.

Alter ſermo de Aſſumtione B. Mariæ Virginis, qui incipit, Scientes fratres &c. citatur ab Andradio Defenſ. fid. Trident. lib. 5. p. 490. & 495. & Ludovico de ponte lib. 7. comm. in Cant. Cant. exhort. 20. §. 3. ut probent, *B. Virginem liberam fuiſſe ab actuali & originali peccato*. Sed Marianus Victorius in Cenſura rejicit eum inter Epiſtolas, quas conſtat Hieronymi non eſſe & ab illius phraſi ſtyloque diſſidere.

Epiſtola de 7. gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum citatur à Gregorio de Valentia lib. de legit. uſu Euchariſt. cap. 8. p. 495. ut probet, *peregrinam, quam ita vocat, communionem*, ex qua *communionem ſub una ſpecie* deducere conatur; à Durante de ritibus Eccleſiæ lib. 1. c. 16. num. 10. pro *aſſertione Sacramenti*; à Roffenſi art. 25. contra Lutherum. Sed Marianus Victorius eam rejicit inter illas Epiſtolas, quæ non ſunt Hieronymi. Schultingus in Cenſ. oper. Hieron. in Confeſſione Hieronymiana, & in Antidot. ad Chemnicium ibid. de ea ſic ſcribit: *Quanquam B. Thomas in Summa Theologica, Gratianus in Decretis, Magiſter ſententiarum in ſententiis, adeoque ipſi doctiſſimi poſtremi juris Canonici emendatores Hieronymi nomine eam paſſim allegant, ipſius tamen non eſſe, ex duobus indiciis colligi poteſt &c. In nonnullis ad Damaſum inſcripta eſt, in aliis ad Ruſticum, in quibusdam nullius habet adſcriptum nomen. Deinde in aliis Codicibus integra, & in aliis mutila habetur.*

Epiſtola ad Damaſum de explanatione Symboli, quod incipit, *Credimus in Deum Patrem*, citatur à Gratiano c. Hæc eſt fides. cauſ. 24. q. 1. pro *primatu Pontificis in ſede Petri*; à Duræo contra Witakerum f. 297. Janſenio in Conc. Evangel. capite 81. Roffenſi adverſ. Luther. artic. 31. & Caniſio in Catech. Append. cap. 15 de obſervat. mand. Bailio in Catech. controverſ. tract. 4. q. 5. ut probent, *legem perfecte impleri poſſe*; à Turrecremata Summ. de Eccl. lib. 2. c. 107. & aliis pro *primatu Pontificis*. Sed Marianus Victorius in Cenſur. hanc Epiſtolam rejicit inter eas, quas conſtat non eſſe Hieronymi. Schultingus in Cenſura in Conf. Hieronymiana, Pelagii, non Hieronymi eam eſſe ſtatuit. Bellarm. de ſcript. Eccleſ. in verbo Hieronymus de ea ſic judicat: *Symbolum ad Damaſum non eſt Hieronymi ad Damaſum, ſed Pelagii ad Innocentium, ut oſtendit Auguſtinus de gratia Chriſti cap. 30. 31. 32. & 33. ubi dicit, Pelagium miſiſſe ad Innocentium Papam libellum fidei ſuæ & ibidem refert verba ejus libelli, quæ ſunt illa ipſa, quæ in hoc Symbolo continentur.* Antonius Poſſevinus in Apparatu ad nomen Hieronymi itidem ſtatuit, non eſſe Hieronymi.

Epiſtola de celebratione Paſchæ ſub Hieronymi nomine citatur à Franciſco de Victoria in ſumm. Sacrament. Eccleſ. de matrimonio n. 308. ut probet, *cælibatum & jejunium ex Apoſtolorum traditione deſcendere.* Sed Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus in Cenſ. rejicit hanc Epiſtolam inter eas, quas conſtat non eſſe Hieronymi. Neque id immeritò, quia Autor ſuam in Hebræa & Græca lingua ignorantiam profitetur, ſic ſcribens: *Vocabulum, quod paſcha dicitur, non Græcum ſicut vulgò videri ſolet, ſed Hebræum eſſe dicunt, qui linguam utramque noverunt.*

Epiſtola de vera circumciſione ad Theraſiam citatur à Turriano lib. 2. pro Epiſt. Pont. cap. 14. *pro Petri Primatu.* Sed Marianus in Cenſ. rejicit eam inter illas, quas conſtat non eſſe Hieronymi, ac ſuſpicatur eam eſſe Maximi.

Sermo de Nativitate Domini citatur à Lindano lib. 4. panopl. c. 97. ut probet, *Diabolum horribiliter metuere ſignum crucis.* Sed Marianus eum rejicit inter opera, quæ conſtat non eſſe Hieronymi, cum ſit idem prorſus cum homilia 8. in diverſos, quæ ſub Origenis nomine circumfertur.

Sermo de Quadrageſima citatur à Pereſio de Tradition. part. 3. tit. de præſcript. temp. jejun. & cibar. f. 266 ut probet, *jejunium Quadrageſimale.* Sed Marianus eum rejicit inter opera Hieronymo falsò adſcripta.

Sermo in Vigilia Paſchæ de eſu agni citatur à Lombardo lib. 4. ſent. diſt. 32. ut probet, *eum qui uxori debitum reddit, vacare non poſſe orationi.* Sed & hunc Marianus recenſet inter opera, quæ conſtat non eſſe Hieronymi.

Epiſtola de vinculis B. Petri ad Euſtochium citatur à Pereſio de tradit. part. 3. tit. de cultu ſanct. pro *invocatione ſanctorum*; ab Aloyſio Lipomano in Hiſt. ſanct. part. 2. & Coccio tom. 1. Theſ. lib. 7. art. 9. ut probent, *Conſtantinum à Sylveſtro Papa baptizatum.* Sed Eraſmus in Cenſura tom. 4. oper. Hieron. de ea ſic judicat: *Niſi modeſtius eſſe ducerem in hanc peccare partem, ſermonum*

sermonem hunc in extremam hujus tomi seriem rejecissem, in quam reposuit, quæ censuit lectu prorsus indigna *&c.* Polydor. Virgil. lib. 6. de rer. invent. cap. 8. *Parum verè adscribitur Hieronymo.* Baronius in annot. ad Martyrol. Romanum August. 1. *Fertur Apocrypha Scriptura & meritò in angulum rejecta nomine S. Hieronymi, quâ mendax Autor testatur, ejusmodi vinculorum solemnitatem à Sylvestro Papa ex Constantini decreto statutam, quæ quidem scriptio cum nullius priscorum autorum testimonio fulciatur, & firmæ autoritates contrarium persuadeant, ab omnibus improbatur.*

Epistola de diversis gradibus leprarum citatur à Bunderio in Compend. Theolog. tit. 15. art. 5. pro *auriculari Confessione*. Sed Marianus eam rejicit inter opera, quæ constat non esse Hieronymi.

Homilia de corpore & sanguine Domini citatur à Tallepiedo Collat 4. doctor. sup. artic. 30. pro *transsubstantiatione*. Sed Marianus eam non esse Hieronymi significat, quando in tom. 9. eam rejicit.

Epistola ad Oceanum de vita Clericorum citatur ab Hugone Cardinali teste Salmerone in 2. Cor. 12. ut probet, *Angelum Satanæ, de quo Paulus conqueritur, fuisse Teclam venustam fœminam, quam secum circumduxit*; à Baronio An. 47. n. 10. ut probet, *Historiam de passione Teclæ esse probatam*. Sed Marianus eam rejicit inter opera, quæ constat non esse Hieronymi. Et quis credat Hieronymum sic fuisse locutum, *secretaliter ingredi, famam meliorare* ? *&c.*

Epistola ad Damasum priori immediatè subjecta citatur à Ledesma de divin. Script. quavis lingua non legenda, cap. 24. ut probet, *ex mandato Papæ Damasi in fine Psalmorum decantari solitum, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Durantes lib. 3. de rit. Eccles. Cathol. cap. 15. n. 2. memorat, *Alcuinum & Amularium censuisse, hanc Epistolam verè esse Hieronymi.* Sed Erasm. in Cens. tom. 4. op. Hieron. dicit, *palam esse, hanc Epistolam alieno titulo esse à nebulone confictam.* Marianus in tom. 9. suppositititiorum eam rejecit. Schulting. in Cens. in Confess. Hieronym. eodem loco cum priore ad Oceanum eam habet: *Autor, inquit, est incertus, sed interim unius artificis utraque est, phrasis tantum distat à stylo Hieronymiano, quantum cœlum distat à terra.* Idem statuunt Baronius ann. 325. & Binnius in notat. ad hanc Epist. tom. 1. Concil. p. 498.

Epistola altera ad Damasum de oblationibus altaris citatur à Gratiano c. Quia Sacerdotes. caus. 10. q. 1. ut probet, *Laicis non licere accipere oblationes Ecclesiæ*; à Turriano defens. pro Canon. Apost. lib. 1. cap. 21. f. 87. ut probet, *canones Apostolorum fide dignos esse.* Sed Erasmus in Censura tom. 4. oper. Hieronym. de ea sic judicat. *Autor quisquis fuit conatus est suas nugas Hieronymiani nominis umbrâ prætexere. Quam apte congerit autorum nomina, è quibus tamen nihil adducit, quia nihil illorum legerat &c.* Marianus Victorius eam rejicit inter opera, quæ constat non esse Hieronymi. Bellarm. de script. Ecclesiast. in Gratiano p. 339. tribus argumentis hoc probat. 1. *quia autor ejus inter organa Spiritus sancti numerat Eusebium Chronographum, quem Hieronymus passim vocat hæreticum.* 2. *citat Chrysostomi commentarium in Matthæum. At eo tempore, quo Chrysostomus scripsit in Matthæum. Damasus jam ante multos annos obierat. Obiit enim Damasus anno 7. Theodosii senioris, Chrysostomus autem anno sequente ordinatur Presbyter & incipit concionari ad populum, inter quas homilias sunt etiam illæ, quibus explicatur Evangelium Matthæi.* 3. *Stylus illius Epistolæ est impolitus & barbarus.*

Tractatus de regula Monachorum citatur à Peresio de tradit. part. 3. consid. 3. pro *auriculari confessione*, pro *communione sub una specie*, pro *voto continentiæ &c.* Lorinus in comm. 1. Petr. 5. v. 2. *Exemplum ejus, qui mortuus respondit, se, si fuisset de numero Episcoporum, futurum fuisse de numero damnatorum, recitatur in regula Monachorum apud Hieronymum.* Sed Erasmus in Censura tom. 4. op. Hieron. de ea sic judicat. *Quid opus est in hoc argumentis uti, regulam hanc non esse Hieronymi, cum id totus sermonis insulsissimi character adeò palam præ se ferat, ut vel ab indoctissimis sentiri queat ? &c.* Marianus Victorius inter ea, quæ constat non esse Hieronymi, tractatum hunc rejicit.

Epistola de nativitate Mariæ ad Chromatium & Heliodorum citatur ab Eccio in homil. de S. Anna in post. part. hom. de sanctis, ac tota ferè legitur in Legenda aurea in die nativitatis B. Virginis & in festo S. Annæ à Ludolpho Carthusiano conscripta. Christophorus de Castro autoritatem ejus defendere fuit ausus. Sed suppositititiam eam esse, agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis. Baronius in Apparatu ad Annal. n. 39. & 44. *Scriptio illa, quæ hactenus Hieronymi nomine ad Chromatium & Heliodorum scripta, vulgata est, non tantum non est Hieronymi, sed autoris planè ut ignoti, sic imperiti, qui in ea condenda & conscribenda non novit aperta vitare mendacia.* Melchior Canus lib. 11. Locor. cap. 6. *Liber de nativitate Mariæ est fabula insulsa æquè ac barbara.* Molanus de picturis cap. 22. *Docti sciunt, fabulosum esse hunc tractatum & Hieronymo indignum.* Eadem est sententia Erasmi & Sixti Senensis. Verum autorem hujus scripti esse *Seleucum Manichæorum Apostolum*, hæreticum notissimum, eruditi judicant. Confer Casaub. Exerc. 1. ad Apparat. Annal. n. 39. p. 99.

Liber de vitis Patrum citatur à Lombardo lib. 4. sent. dist. 27. lit. G. ut probet, *licere sponsis sine consensu sponsarum continentiam profiteri.* Sed non est Hieronymi. Possevinus in Apparatu sacro in verbo Hieronymus & verbo Vitæ Patrum. *Sciant Lectores, Vitas Patrum, quæ falsò erant adscriptæ Hieronymo, fuisse olim Lugduni in Gallia editas Ann. 1515. Evagrii autem & diversorum eas esse proprios fœtus plerique judicant.* Melchior Canus lib. 11. Locor. cap. 6. *Gelasii testimonio eorum impudentiam retundimus, qui harum rerum Autorem Hieronymum promulgârunt, quas nemo nisi rudis atque elinguis ederet.* Espensæus in comm. 2. Tim. 4. *Non carent narrationib. parum verisimilibus Vitæ Patrum, Hieronymo, cui falsò adscribuntur, minus dignæ.* Bellarmin. lib. de script. Eccles. ad Ann. 390. *Non est unius autoris. Nam in prima parte ponuntur Vitæ Monachorum, quos scripsit Evagrius Ponticus, de quo scribit Hieronymus in Epistol. ad Ctesiphontem, ex illis Vitis solam primam esse veram, quæ est Johannis Abbatis. Eidem Evagrio tribuit Vitas Patrum Gennadius in suo catalogo scriptorum. Vitis illis ab Evagrio scriptis adjunctæ sunt Vitæ Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, & Malchi ab Hieronymo scriptæ. Item Vita Antonii scripta ab Athanasio. Vita Mariæ Ægyptiacæ à Zozimo edita. Item multa ex Collationibus Cassiani. Denique vita S. Hieronymi parum fideliter conscripta.*

Prologus in libros Maccabæorum, qui incipit, *Maccabæorum libri duo licet &c.* & habetur in Bibliis Antuerp. Ann. 1570. impressis, citatur à Roffensi art. 37. contra Luther. Alphonso de Castro l. 13. adv. hæres. in verbo Scriptura. Bunderio in Compend. Theolog. tit. 18. art. 11. ut probent, *libros Maccabæorum esse Canonicos.* Sed Erasmus in Censura ad tom. 1. Hieron. & Schultingus in Cens. oper. Hieron. in Confess. Hieronym. negant, illum Hieronymi esse. Marianus Victorius in novissima editione eum silentio præterit, neque cum aliis præfationibus tertio tomo inseruit.

Prologus in Evang. secundum Johannem, qui incipit, *Hic est Johannes Evangelista*, & habetur in Bibliis Antuerp. Ann. 1571. impressis, citatur à Bunderio in Compend. Theol. tit. 12. art. 4. & Greg. de Valentia lib. de insol. matrim. vinc. cap. 2. ut probent, *Christum D. Johannem à nuptiis ad perpetuæ castitatis professionem vocasse.* Sed Erasmus in Cens. Præf. tom. 4. Hier. eum repudiat. Schultingus in Cens. d. l. *Præfationes, quæ in Lucam & Johannem Hieronymi titulo circumferebantur, quia reverà judicio omnium doctorum communi ejus non sunt, rectissimè à Mariano Reatino in postrema editione prætermissæ fuerunt.*

Epistola Eusebii de morte Hieronymi ad Damasum citatur à Peresio de tradit. part. 3. de comm. sub utraque specie p. 167. pro *transsubstantiatione*; Durante de ritib. Eccles. lib. 2. cap. 40. n. 5. pro *Sacramenti adoratione*; à Coloniensibus in Cens. Dial. 9 pro *communione sub una specie.* Sed Erasm. in schol. ad Catal. script. Eccles. Hieron. in verbo Damasus de ea sic judicat. *Damasus mortuus est vivo Hieronymo, quod aut nesciens aut non recordans impostor ille, qui falsis titulis multa miscuit operibus Hieronymi, ad Damasum scribit de morte Hieronymi, ratus opinor librum in cœlum perferendum.* Baronius ann. 420. n. 45. *Quæ feruntur de vita & gestis Hieronymi sub nomine Eusebii, sunt impudenter & mendaciter conficta. Quod ex ipsa inscriptione temporibus minime congruente, cuncta quæ in opere essent, arguerentur erroris, qui postea mendaciorum pollinctor accessit, atque delimens foris casurum parietem, ad temporum suffulciendum mendacium satis putavit fore consultum, si titulum sic mutaret, ut loco Damasi Papæ poneret, Damasum Episcopum Portuensem, & pro Theodosio Imperatore redderet, Theodosium Senatorem. Quis non videat adeò inconcinne compositam fraudem ?* Bell. de script. Eccl. p. 167. *Epistola Eusebii ad Damasum de morte Hieronymi, ut & Epistola Augustini ad Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum de obitu Hieronymi novitatem, imperitiam & imposturas manifestè produnt.*

Ruffinus in præfatione Recognit. Clementis citatur à Bellarm. lib.

lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 14. ut probet, *Epistolam primam Clementis esse antiquissimam*; ac lib. ejusd. cap. 5. ut componat discordiam scriptorum *de successione quatuor primorum Pontificum*. Sed Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. in verbo Clemens, subdubitare videtur, an hæc sit Ruffini præfatio. *Itinerarium Petri* (inquit) *nisi me mea fallit opinio, idipsum est supra memoratum Recognitionis posterioris opus, tali titulo à librariis exornatum, & Ruffini præfatione aut confictâ, aut aliunde petita transformatum, ut hoc fuco volumen sub Itinerarii nomine damnatum commendabile redderetur apud emtores tam ex Recognitionum gratiori inscriptione, quàm ex Interpretis Ruffini authoritate.* Bellarm. de script. Eccles. ad Ann. 390. p. 170. *Sicut ipsæ Recognitiones falsò fortasse tribuuntur Clementi, ita etiam non est incredibile, falsò adjunctam illis fuisse præfationem Ruffini quasi Interpretis.*

Commentarius Ruffini in 75. Davidis Psalmos editus Lugd. Ann. 1570. citatur à Coccio tom. 2. Thes. lib. 7. de pœnit. art. 5. pro *purgatorio*; & lib. ejusd. art. 3. pro *auriculari Confessione*. Sed nec Gennadius, nec Trithemius, nec Gesnerus, nec quisquam eorum, qui ante annum 1570. vixerunt, hujus commentarii meminit & integræ sentẽtiæ ex Augustino in eo citantur.

Gregorii Nysseni libri 8. de Philosophia, Basil. Ann 1562. editi, citantur à Bellarmino lib. 4. de lib. arbitr. cap. 2. ut probet, *lumine rationis absque speciali auxilio gratiæ cognosci posse, Deum esse, & esse unum*; lib. ejusd. cap. 14. ut probet, *hominem habere suarum actionum dominium*; lib. 15. de lib. arb. c. 25. ut probet, *liberum arbitrium in moralibus*. Sed Possevinus in Apparatu sacro in verbo Gregorius Nyssenus de illis sic pronunciat. *Qui Nysseno tribuunt libros octo de Philosophia, quod quidem præter alios facit Sixtus Senensis, ii falsi sunt.* Bellarminus de script. Eccles. ad ann. 380. *Libri de Philosophia non videntur esse Nysseni, 1. quia in lib. 2. docet, animam ante corpus fuisse creatam, qui est error Origenis. 2. Totum opus est Philosophicum & sapit Pelagianismum. 3 in Bibliotheca Patrum tomo 9. sub nomine cujusdam Nemesii Philosophi Christiani idem opus extat, eo solùm excepto, quòd apud Nyssenum dividitur in 8. libros; apud Nemesium est unus liber divisus in 45. capita & inscribitur de homine sive de anima &c.* Nicadius Ellebodius Nemesii Interpres multis ostendit, libros hos non esse Nysseni, unde etiam in postrema editione operum Nysseni sunt omissi.

Epistola Nysseni ad Latoynum Mitylenes Episcopum, de Canonicis peccatorum remediis cum commentario Balsamonis ex interpretatione Gentiani Herveti edita citatur à Bellarmino lib. 3. de pœnit. cap. 8. pro *auriculari Confessione*. Sed styli diversitas, pœnitentiæ forma, qua non plectitur durius Sodomita, quam adulter, silentium eorum, qui Nysseni opera recensuerunt & multa falsa, quæ teste Balsamone in comm. can. 8. in hac Epistola habentur, eam supposititiam esse arguunt.

Joh. Chrysostomi sermo de Adam & Eva, qui incipit, *Deus institutor mundi &c.* citatur à Coccio tom. 2. Thes. lib. 5. de Bapt. art. 5. & Peresio de Tradition. part. 3. de Exorc. ut probent *Exorcismos Energumenorum & Catechumenorum*; & à Bunderio Compend. Theol. tit. 7. art. 3 pro *libero arbitrio*. Sed supposititium esse insinuat Sixtus Senensis, quando lib. 4. Biblioth. in verb. Chrys. eum inter pseudepigrapha rejicit. Azorius in Inst. moral. part. 1. lib 4. c. 25. *Videtur totus hic sermo compilatus ex operibus Augustini præsertim verò ex quibusdam capitibus libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui tribuitur Augustino.* Bellarm. lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 9. & lib. de Eccles. script. ad Ann. 398. sect. 4. p. 176. *Homilia de Adam & Eva non censetur Chrysostomi, tum quod Græcè nusquam inveniatur, & autor non Græcus sed Latinus existimetur, tum quod in ea duo integra capita reperiantur ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, videlicet 31. & 32.*

Sermo de interdictione arboris ad Adam, qui incipit, *Jubetur Adam*, citatur à Coccio tom. 1. lib. 3. de Deipar. Virg. art. 5. p. 305. ut probet, *B. Virginem Deiparam omni laude à Christianis celebrandam esse.* Sed Sixtus Senensis d.l. etiam hunc sermonem rejicit inter ea, quæ Chrysostomo sub falsæ inscriptionis titulo tribuuntur, nec ob hoc reprehenditur à Possevino in Apparatu sacro in verbo Chrysostomus, qui tamen nonnulla in Sixto Senensi præsertim lib. 4. emendanda censuit.

Sermo in Psalmum 14. qui incipit, *Pulcher est Psalmus*, citatur à Coccio tom. 2. lib. 5. de Bapt. art. 6. ut probet, *infantes propria carere fide & sine Baptismo non salvari.* Sed Flamin. Nobilius in annot. in B. Chrysostomi sentent. ad finem tom. 5. Chrysost. Paris. Ann. 1588. de eo scribit, *Hanc homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chrysostomum agnosco.*

Sermo in Ps. 22. citatur à Coccio tom. 2. lib. 5. de Baptism. art. 5. ut probet, *aquæ Baptismalis Papisticam consecrationem & aquæ benedictæ usum.* Sed Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. in verbo Johan. Chrysostomus & l. 5. Bibl. annot. 164. Flaminius Nobilius d.l. Possevinus in Apparatu sacro in verbo Johan. Chrysostomus; Bellarmin. lib. 2. de Eucharist. cap. 22. negant, eum esse Chrysostomi, *cùm phrasis & character contrarium testentur, nec solùm verba, sed & res longissimè absint à scriptis Chrysostomi.*

Sermo in Psal. 95. citatur à Bellarmino lib. 1. de Missa cap. 8. ut probet, *sacrificia V.T. fuisse figuras sacrificii Missæ*; & lib. ejusd. cap. 10 ut probet, *verba Malach. 1. v. 11. intelligenda esse de sacrificio Missæ.* Sed Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. inter *pseudepigrapha* eum recenset, nec dissentit Possevinus d. l. Henricus Savilius, qui Chrysostomum Græcè edidit, in notis ad finem tom. 8. col. 124. sic scribit: *Homiliam in Ps. 95. planè κίβδηλον & ineptis allegoriis & anagogis scatentem in classem νοθευομένων rejecimus, jure merito, nisi fallor.* De Expositione Chrysostomi in Psalmos sic judicat Salmeron tom. 3. tract. 43. p. 394. *Liber Expositionis Psalmorum, qui nuper prodiit Chrysostomi nomine, non omnibus viris doctis probatur, ut à Chrysostomo editus.*

Sermo super illud Esa. 1. Si volueritis &c. citatur à Coccio tom. 2. Thes. lib. 1. de Nat. hom. art. 5. ut probet, *hominem post lapsum in spiritualibus libero arbitrio præditum.* Sed Sixtus Senensis d.l. eum recenset inter *opera perperam Chrysostomo attributa.* Nec dissentit Possevinus.

Sermo in Beatos Job & Abraham, qui incipit, *Athleta in certamen impellit*, citatur à Feuardentio lib. 12. de purgator. cap. 28. pro *purgatorio*. Sed Sixtus Senensis d.l. *pseudepigraphis* eum accenset, nec reclamat Possevinus.

Sermo de tribus pueris, qui incipit, *Trium puerorum &c.* citatur à Coccio tom. 1. lib. 6. de Script. sacr. art. 14. & Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 9. ut probent, *Orationem Ananiæ esse Canonicam Scripturam.* Sed Sixtus Senensis eum recenset inter opera falsò Chrysostomo attributa, nec dissentit Possevinus d.l. Henricus Savilius in catal. 5. ponit eum inter *scripta dubiæ fidei.*

Sermo de Susanna, qui incipit, *Divinæ lectionis &c.* citatur à Coccio d.l. artic. 5. & Bellarmino d.l. ut probent, *Historiam Susannæ esse Scripturam Canonicam.* Sed Sixtus Senensis, Possevinus, Savilius idem judicant de eo, quod de sermone proximè citato.

Ex sermonibus de variis locis apud Matthæum decimus, qui incipit. *Sicut in superioribus &c.* citatur à Coccio tom. 1. lib. 6. art. 22. & Serario comment. in Judith prol. 4. ut probent, *librum Judith esse Canonicum.* Sed Sixtus Senensis eum *pseudepigraphis* accenset, nec repugnat Possevinus.

Ex Homiliis 14. in Marcum prima citatur à Bellarmino lib. 2. de Monach. cap. 6. & ab Anglo-Rhemensibus in annot. Matth. 3. v. 1. ut probent, *Johannem Baptistam Monachorum & Eremitarum Principem fuisse*; quarta citatur à Coccio tom. 1. lib. 2. de Christo Salvatore art. 4. ut probet, *Christi animam in limbum ad liberandas sanctorum animas descendisse*; undecima citatur ab eodem tom. 2. lib. 3. de Justificat. artic. 3. pro *meritis operum*; duodecima citatur ab eodem tom. 2. lib. 5. de Bapt. art. 14. pro *exorcismis*. Sed Sixtus Sen. d.l. Possevinus d.l. Bellarm. de script. Eccl. p. 176. ad Ann. 398. Maldonatus in Marc. 8. v. 23. negant, illas esse Chrysostomi, quippe *cujus genium, stylum, sublimitatem & judicium non habeant; esse verò simplicis alicujus Monachi sub potestate Episcopi constituti, qui fratribus suis Evangelium explicabat*, ut constat ex homilia 3. 4. 8. 9. & aliis, *habere intermistas allegorias violentas &c.*

Homilia de Nativitate Domini, quæ incipit, *& reclinavit eum mater &c.* citatur à Ferreolo Locrio lib. 5. de Maria cap. 45. ut probet, *Dominicum præsepe, in quo recens natus Salvator recubuit, Romam Constantinopoli translatam.* Sed Sixtus Senensis d.l. inter opera *falsò Chrysostomo attributa* eam rejecit.

Ex homiliis aliquot in Johannem quæ extant tom. 3. una quæ incipit, *De Johanne dicitur &c.* citatur ab Anglo-Rhemensibus in annot. Matth. 3. v. 1. ut probent, *Johannem Eremiticæ professionis autorem extitisse.* Sed Sixtus Senensis d. l. eam *Chrysostomo perperam tribui* docet. Bellarm. de script. Eccles. eam *dubiæ fidei esse* agnoscit.

Homilia de cruce & latrone, quæ incipit, *Hodierno die &c.* citatur à Gretsero tom. 1. de cruce lib. 1. cap. 54. ut probet, *crucem Domi-*

Domini colendam eſſe. Sed Poſſevinus d.l. fatetur, *non ſatis conſtare, an ſit legitimus Chryſoſtomi fœtus.*

Sermo de fide, ſpe & caritate citatur à Bellarmino lib.1. de Juſtif. cap.13. ut probet, *timorem, ſpem & dilectionem juſtificare.* Sed Sixtus Senenſis d.l. recenſet eum inter *Pſeudepigrapha.*

Duæ expoſitiones in Symbolum Apoſtolorum citantur à Bellarmino lib.1. de Juſtific. cap.9. *contra fidem ſpecialem.* Sed eodem argumento quo Sixtus Senenſis probat, homiliam in Pſal.118. non fuiſſe Græcè ſcriptam, nec eſſe Chryſoſtomi, cum contineat orationis figuram, *quæ aptari non poſſit ad Græcum ſermonem, quando dicit, Veritas tres ſunt Syllabæ & ſeptem literæ;* probari etiam poteſt, has expoſitiones non eſſe Chryſoſtomi, ſic enim in illis habetur: *Dixiſti credo, quàm breve eſt, quàm modicum eſt? Si ad latitudinem literarum redigitis, quinque ſunt literæ: ſi ad Syllabarum numerum, duæ ſunt ſyllabæ.*

Homilia ad baptizandos citatur à Coccio tom.2. lib.5. de bapt. art. 14. pro *exorciſmis Catechumenorum.* Sed Flaminius Nobilius d.l. ſtatuit, *eam eſſe homiliam hominis Latini.*

Liturgia Chryſoſtomi ab *Eraſmo*, ut volunt, in Latinum ſermonem tranſlata, Antuerp. juxta verſionem Leonis Tuſci Ann.1560. excuſa, ſæpius citatur à Pontificiis. Bellarm. lib.2. de Imag. cap.9. ex Liturgia Chryſoſtomi, quam Eraſmus Latinam fecit, probare conatur, *imagines in templis rectè collocari ad cultum*; ex Liturgia Chryſoſtomi à Leone Tuſco Latinè reddita idem lib.2. de Miſſa cap.21. probat, *Græcos poſterioribus temporibus addidiſſe nomen Papæ Romani.* Ex Miſſa Chryſoſtomi in genere lib.4. de Euchar. cap 10. probat, *neceſſarium eſſe, aquam vino in Euchariſtia miſceri*; lib 1. de Miſſa cap.8. *ſanctos in Miſſa invocandos*, lib.2. de Miſſa cap.2. *ſacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium.* lib. ejuſd. cap.7. *orandum eſſe pro defunctis*, lib. ejuſd. cap.14. *cereos accendendos in celebratione Miſſæ*; lib. ejuſd. cap.15. *thus adolendum eſſe in Miſſæ celebratione.* Sed Eraſmus tom.7. oper. ad initium paraphr. in 1. Corinth.1. in Epiſtola ad Erardum de Marca Præſulem Leodienſem & Cardinalem de ea ſic ſcribit: *Legi Græcorum Liturgiam, quam illi Chryſoſtomo tribuunt, cui nihil ferè non tribuunt, mihi non ſit veriſimile.* Henricus Savilius tom.6. oper. Chryſoſt. à ſe edit. col. 828. integram relinquit Theologis diſceptationem de hac Liturgia, hæc tantum admonuiſſe contentus, *miram eſſe in ſcriptis Codicibus inconſtantiam, nihil ferè ſimile habere verſionem Eraſmi & editionem Morelianam, multa paſſim in operibus Chryſoſtomi ex Liturgia, qua tum utebatur Eccleſia Orientalis, recitari, quæ hic non reperiantur; multa hic reperiri, quæ vix illorum temporum eſſe videantur.* Melchior Canus lib.7. Locor. cap.1. dicit, *Chryſoſtomum eſſe ex eorum numero, qui Virginem Mariam in originali peccato conceptam eſſe volunt*, quod ipſum de Chryſoſtomo concedunt Salmeron in Epiſt. Pauli Diſp.19. & Caniſius lib. 4. de Maria virgine, quando agnoſcunt, *Chryſoſtomum ambitionem & cupiditatem vanægloriæ ſanctæ Virgini* tribuiſſe. At in hac Liturgia Virgo Maria prædicatur *penitus incontaminata, honoratior Cherubin, & glorioſior incomparabiliter Seraphin.* In Miſſa Chryſoſtomi Venetiis excuſa Ann.1528. Græcè & Latinè fit commemoratio multorum, qui poſt Chryſoſtomum vixerunt, quin & ipſius Chryſoſtomi ut mortui; In Miſſa Chryſoſtomi à Leone Tuſco Latinè reddita, non quidem fit mentio Chryſoſtomi ut mortui, tamen fit mentio Imperatoris *Alexii*, Papæ *Nicolai tertii*, qui Patriarchatum Conſtantinopolitanum ſub ejus Imperio geſſit circa annum 1080. teſte Zonara & Onuphrio. Uterque igitur ſeptingentis poſt Chryſoſtomum annis vixit. In precibus thurificationi additis Liturgia illa ſic habet: *ἀντὶ τούτων pro iſtis mitte ad nos divites tuas miſericordias & miſerationes, eaſque nobis concede.* Item, pro *iſtis mitte ad nos divinam gratiam ſanctiſſimi tui Spiritus.* Quis verò hæc autorem Chryſoſtomum habere credat? Sacerdos in ea imaginem Chriſti crucifixi & B. Virginis adorat, quod Chryſoſtomi tempore Eccleſiæ Græcæ ignotum. Unde *additamentis quibusdam corruptam* Liturgiam illam agnoſcunt, qui Chryſoſtomo eam tribuunt. Claudius Eſpenſæus de Miſſ. privat. pag.220. *Qui Scholion de ſolo Sacerdote communicante adſcripſit, ſiquidem Leo Thuſcus fuit, ad ſua magis quàm ad Chryſoſtomi tempora reſpexit*, hoc eſt, ad annum Domini circiter 1170. quo Emanueli Græcorum Principi ab Epiſtolis, & interpres Trithemio fuit. Et poſteà. *Quod equidem non admonuerim, quaſi vel Chryſoſtomo Græcaque Eccleſia indignam aut alias ſuſpectam habeam, ſed ut à ſanctiſſimo viro captam & compoſitam, ita multis pro temporum varietate inſitis ampliatam.*

Oratio encomiaſtica in Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum, quæ habetur tomo 5. oper. Pariſ. Ann.1588. impreſſorum citatur à Coccio tom.1. Theſ. lib.5. de Eccleſ. artic. 6. & Parſonio tripl. converſ. Angl. part.3. pag.14. pro *invocatione ſanctorum.* Sed Henricus Savilius in catal. tom.5. oper. eam numerat inter *dubiæ fidei ſcripta.* Neque id immeritò. Quis enim Chryſoſtomo tribuat, quæ in ea habentur? *Petre & Paule orate pro nobis ſine intermiſſione, promiſiſtis enim, Tu Paule, quando dixiſti, Venite mecum & bonis ne deficiamur; Tu Petre, quando dixiſti, dabo operam, ut poſt obitum meum horum omnium memoriã faciatis.*

Sermo in adorationem venerabilium catenarum & gladii Sancti & Apoſtolorum Principis Petri, qui habetur apud Surium tom.4. de vitis ſanctorum, citatur à Caniſio in Catecheſi de vener. ſanct. q.8. & Coccio tom.1. lib. 5. art.6. pro *invocatione ſanctorum.* Sed Baronius Ann.439. n.5. & in notis ad Martyrol. Roman. Auguſt.1. fatetur, *hanc orationem non eſſe Chryſoſtomi eò quod nondum Petri catenæ innotuiſſent, nec Conſtantinopolin delatæ eſſent.*

Ex 80. *Homiliis ad populum Antiochenum*, quæ habentur tom.8. oper. quadrageſima citatur à Bellarmino lib.4. de pœnitent. cap.9. pro *ſatisfactionibus*; ſexageſima ſexta citatur lib. 1. de beat. ſanct. cap. 19. pro *invocatione ſanctorum*; ſexageſima nona citatur lib.1. de purgat. cap.6. pro *oratione pro defunctis.* Sed idem Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ. ſect.4. p.178. monet, *ex 80. illis homiliis viginti & unam tantum reperiri manuſcriptas in antiquis Bibliothecis, & apertè ex contextu earum colligi, multas ex ipſis eſſe fragmenta homiliarum Chryſoſtomi in Matthæum, vel in Johannem, vel in Acta, vel in Epiſtolas Pauli.* Poſſevinus in Apparatu ſacro tom.1. in verbo Chryſoſtomus, idipſum latius explicat, ſic ſcribens: *Ad populum Antiochenum conciones habuiſſe Chryſoſtomum, quibus eos conſolatus eſt, profecto ad Imperatorem placandum Epiſcopo Flaviano, teſtatur Nicephorus lib.12. cap.43. Multæ ſunt, inquit, ejus, quas hoc argumento compoſuit orationes, quas ἀνδριάντας, h.e. ſtatuas inſcripſit. Reperiuntur etiamnum in veteribus Græcis Manuſcriptis Codicibus ejus concionum tomi, quorum alii Μαργαρίται, alii ἀνδριάντες inſcribuntur. Sed in his 21. tantum ex illis primis, quas habet tom. 5. Latinæ editionis, offendimus in Bibliotheca Regia Medicæa, ſic ut non immeritò conjiciamus, reliquas ferè omnes uſque ad 80. ex aliis hujus autoris commentariis & homiliis eſſe conſarcinatas & ex diverſis quaſi laciniis conſutas, ſelectis moralibus ſingularum concluſionibus & in unum concionis corpus aggregatis.* Cui Bellarmini & Poſſevini judicio addendum, quod rhapſodis iſtis, qui centones hoſce confecerunt, facile fuerit nonnulla aſſuere, quæ à Chryſoſtomi doctrina ſunt aliena, quodq; fragmenta illa non omnia ex Chryſoſtomo, ſed quædam ex aliis autoribus ſint petita. *Sic* illud homiliæ 66. *Qui purpuram indutus eſt, ſtat ſanctis ſupplicaturus*, totidem ferè verbis legitur inter ſermones Auguſtino inſcriptos de S. Paulo.

Opus imperfectum in Matthæum homiliis 54. conſtans, *Chryſoſtomi* nomine in Jure Canonico, in Gloſſa ordinaria, in Summis Theologicis, in Catenis Evangelicarum expoſitionum ſæpius citatur. Romana Eccleſia in Officio Eccleſiaſtico homilias illas legit. Ederus in Oeconom. Bibl. pag.76. ſub Chryſoſtomi nomine illud allegat & approbat. Joſephus Acoſta lib.2. de noviſſ. temp. cap.12. p.493. ſcribit, *hunc autorem eruditione cum Irenæo, Hippolyto Martyre, Nazianzeno, Hilario, Ambroſio & Hieronymo eſſe comparandum.* Salmeron in comment. Epiſt. Pauli lib.1. part.3. Diſp.3. de falſis & incertis Eccleſiæ notis tom.13. p.194. cùm ex hoc autore allegaſſet dictum de Eccleſia ex Scripturis cognoſcenda homil.49. oper. ſubjungit, *Hæc ille eleganter ſanè.* Sed Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap.11. §.18. non ſolum negat, Chryſoſtomum eſſe operis iſtius imperfecti autorem, ſed etiam illius ipſius homiliæ 49. autorem dicit *fuiſſe Arianum*, quod ipſum lib. de ſcript. Eccleſ. ad ann.398. latiùs deducit. *Non erat*, inquit, *ulla ratio, cur bis de eodem argumento tàm multa idem autor ſcriberet.* Poſtea addit, *cujuſcunque ſit opus, aut ab hæretico aliquo compoſitum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamvis alioqui ſit liber doctus & minimè ſpernendus.* Homil.4. dicit, *Spiritum S. eſſe miniſtrum Filii.* Homil.48. *Homouſianos* numerat inter hæreticos, quæ duæ ſunt Arianorum ſententiæ. Contra tamen homil.28. & 44. dicit, *hæreticos eſſe, qui affirmant, Filium Patre minorem eſſe*, quæ ſuperioribus dictis ſunt contraria. Concludit tandem, *autorem fuiſſe Catholicum, ſed opus illius ab Arianis eſſe depravatum.* Staplet. in rel. princ. fid. doctr. controv.5. art.3. ad arg.4. itidem hujus

libri autoritatem repudiat. Maldonatus in cap.8.Luc. *Autor operis imperfecti secundum Matthæum, quod Chrysostomo falsò tribuitur, ut ex multis patet, hæreticus erat Arianus, quem non omnino citaremus, nisi & autoritas & eruditio & subtilitas interpretandi illi autoritatem tribuisset.* Baronius Ann. 407. pag.255. autorem hunc dicit esse *certum hæreticum, hæreticorumque deterrimum, cujus homiliæ ne pilum quidem Chrysostomi habeant vel in dictione, vel in sententiis, vel in dogmatibus.* Possevinus in Apparatu sacro tom.1 p.855. scribit, *opus hoc scatere hæresibus Arianorum, Manichæorum, Montanistarum, Armenorum, Donatistarum.* Rayhingius in excub. contra D. Meisn. p.10. *Non hæc Chrysostomi Catholici, sed Maximini hæretici Ariani verba sunt, illa enim ipsa 49. & præcedente homilia perstringuntur acerbius homousiani, quod non Catholici, sed Ariani hominis officium esse consuevit.* Gaulterius in Chronolog. secul.5. pag.356. repetit judicium Baronii, *opus illud multis erroribus Arianorum esse conspersum.* Cumprimis verò diversa illa de hoc opere judicia recenset & expendit Sixtus Senensis lib.4. Bibl. sanctæ pag.266. *Sunt,* inquit, *qui ipsum negent esse Chrysostomi, cum ob vulgatam Latinæ Ecclesiæ translationem, quæ in eo differitur, tum ob frequentes allegorias & allegationes Apocryphorum scriptorum, quibus Autor utitur, citans Scripturam Seth, Apocryphum Ezechiæ, Itinerarium Clementis & alia his similia à Chrysostomi usu remotissima. Ad hæc addunt commentariorum phrasin, expositiones & dogmata Chrysostomianæ linguæ & menti magis contraria quàm ignem & aquam. Nam & dictionis character & schemata quædam ad Græcam orationem minimè respondentia indicant, Scriptorem fuisse Latinum, hæretica vero dogmata toti passim operi inspersa palam arguunt, eundem fuisse hæreticum non uni tantum sectæ addictum, sed variis Montani, Manichæi, Arii, Donati ac Pelagii hæresibus implicitum, & propter eas hæreses merito ab Ecclesia damnatum, & à Paulo Papa IV. in catalogo scriptorum suspectæ fidei annumeratum. Sunt ex opposito, qui hoc ipsum opus contendunt esse Chrysostomi, adducti, non solum autoritate Ecclesiæ Apostolicæ, quæ publice inter divinas laudes legit homilias ex his commentariis sub nomine Chrysostomi, sed etiam permoti pondere & gravitate sententiarum & propositionum hujus operis, quæ ad confirmationem Christianorum dogmatum sub titulo, testimonio & autoritate Chrysostomi inducuntur in glossis authenticis, quas vocant ordinarias, in catenis Evangelicarum explanationum, in Decretis summorum Pontificum, & in Summis Theologicis magni nominis Theologorum, in quibus multæ ex his sententiis diligentissime expensæ ab omni erroris suspicione vindicantur. Deinde ostendit feces & sordes, quibus inquinatum fuit opus, non autoris culpa, sed hæreticorum fraude in hos commentarios irrepsisse,* idque triplici argumento; 1. quod *exemplaria quædam vetustissima nihil contineant hujusmodi errorum, sed alia omnia manu habeant scripta in marginibus.* 2. quod *quicquid hæreticum est, ita per illationem germanæ lectioni sit assutum, ut si resecetur, ne latum quidem unguem mutetur sententia, quod sanè fieri non posset, si ab ipso autore ingenuè fuisset intextum.* 3. quod *credibile non sit, autorem, qui nec amens, nec obliviosus fuerit, eodem in libro sibi ita apertè contradixisse, multis enim in locis orthodoxam de Christi Deitate sententiam contra Arianorum perfidiam tuetur.* Concludit tandem, suam subjungens ἐπίκρισιν; *Ego quid addam nihil habeo, nisi hoc ipsum opus disertum & doctum esse, & dignum quod assidue legatur, si tamen prius diligentissimè expurgatum fuerit ab erroribus.*

Augustini Epistola 38. *ad Lætum* citatur à Bellarmino lib.2. de Monach. cap.36. ut probet, *licere filiis religionem ingredi invitis parentibus.* Sed Erasmus in censura dicit, *hanc Epistolam esse quidem eruditam; interim plurimum dissonare à phrasi Augustini.*

Epistola 6. in Appendice, quæ est *Epistola* 187. *ad Bonifacium Comitem* citatur à Baronio Ann. 412. num.11. & in paræn. ad Remp. Venet. ut probet, *Augustinum excommunicasse Bonifacium Comitem, propterea, quod hominem scelestissimum confugientem ad Ecclesiam è liminibus raptum trusisset in carcerem.*

Epistola 189. *ad eundem Bonifacium* citatur à Peresio de tradit. part.3. pro *invocatione sanctorum.* Sed Erasmus in Censur. tom.2. oper. August. de illis sic judicat: *Nonnullæ, quæ circumferuntur Augustini nomine, Epistolæ, simpliciter sunt confictæ, quod genus sunt illæ Bonifacii ad Augustinum, & Augustini ad Bonifacium.* In Censura præfixa Epistolis illis 16. *Quid precemur istis otiosis, qui talibus næniis ac nugis onerant Lectorem? nec oratio, nec sensus quicquam habet Augustini.* Lovanienses rejecerunt has Epistolas in Appendicem tom.2. & *eas multum discrepare à vena & stylo Augustini* affirmant, usque *adeò ut docti plerique censeant, eas exercendi styli gratia confictas esse sub nomine Augustini & Bonifacii.* Bellarm. de script. Eccles. p.182. *Epistolæ 16. Augustini ad Bonifacium, & Bonifacii ad Augustinum, quæ interseruntur inter Epistolam ad Honoratum de fuga in persecutione, & Epistolam ad Ediciam de voto continentiæ, non videntur esse Augustini.* Baronius ipse Ann. 427. n.7. *Quod si quis contentiose Augustinum esse neget Epistolarum istarum autorem, haud, si prudens est, inficias iverit, easdem Epistolas esse germanas ab omni prorsus fictione remotas, ab aliquo alio Africanorum Episcoporum conscriptas, nempe Aurelio aut Alypio.*

Epistola ad Cyrillum de vita & gestis B. Hieronymi citatur à Bunderio in Compend. Theol. tit.23. art.5. pro *invocatione sanctorum;* & à Peresio de tradit. part.3. pro *delectu ciborum.* Sed plerique censent, esse supposititiam. Possevinus in Apparatu sacro in verbo, Augustinus. *Non potest esse Augustini.* Bellarminus lib. de scriptor. Ecclesiast. ad ann. 390. observat in 9. tom. Hieronym. *Sine dubio falsa & suppositita est.* Baronius ann. 420. num.46. *Quid vero dicendum de Epistola Augustini nomine ad eundem Cyrillum Hierosolymorum Episcopum scripta? Quoties autor cogit ipsum loqui mendacia? ut cum præter Latinam linguam quinque alias Hieronymum calluisse dicitur, nempe Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, Persarum atque Medorum, cum id penitus contrarium sit his, quæ de se ipse Hieronymus & de eodem Augustinus verè testantur, nimirum non nisi trium linguarum ipsum habuisse peritiam, videlicet Latinæ, Græcæ & Hebraicæ &c. Quid est etiam, quod idem pius effictor tribuit Hieronymo inter alia insignia etiam virginitatis coronam, cum ipsemet S. Hieronymus ingenuè fateatur, se minime virginem, ad Pammachium enim Epistol. 50. scribens, hæc habet: Virginitatem autem in cœlum fero, non quia habeam, sed quia magis miror, quod non habeo &c. Quid alia plura ibidem asserta opus est confutare mendacia?* Lovanienses in Censura tomo 2. *Impostor indoctus fuit, quisquis Epistolas de obitu Hieronymi confinxit sub nominibus Augustini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Augustinum.* Schultingus in Censura in Conf. Hieronym. *Augustini scriptum ad Cyrillum de magnificentiis Hieronymi non esse Augustini observavit ante omnes recentiores Antoninus insignis Canonista.*

Libri de mirabilibus scripturæ citantur ab Hosio in Confess. Petricov. cap.80. ut probet, *Esdram restituisse libros legis;* à Torrensi lib.4. Confess. Augustan. cap.10. sect.6. ut probet, *Enochum adhuc in vivis esse.* Sed Erasmus in Censura; Lensæus lib.1. de purgat. cap.11. Possevinus in Apparat. Mendoza in controv. Theolog. quæst.5. hos libros rejiciunt. Lovanienses eos in Appendicem tomi 3. redegerunt, ut *nec stylo, nec ingenio Augustinum referentes.* Benedictus Pererius lib.1. comment. in Daniel. *Etsi hoc opus ponitur inter libros D. Augustini, & sub ejus nomine citatur à multis, non esse tamen Augustini apud doctos viros & minime dubiis constat argumentis.* Bellarminus de scriptor. Ecclesiast. ad ann. 420. *Liber hic non sine causa non invenitur in Retractationibus, neque in Indiculo Possidii, quoniam liber est indignus ingenio & gravitate S. Augustini, quem etiam non magnifecit & S. Augustini esse negavit Thomas part.3. q.45. artic.3. ad 2. Disserit autor de computo annorum per cyclos lib.2. cap.4. ex quo constat, autorem vixisse post ann. à Christo nato* 600. quod est argumentum Lovaniensium (& Perkinsi.)

Liber de Spiritu & anima citatur à Torrensi lib.4. Confess. August. cap.2. sect.2. ut probet, *sanctos in cælo audire preces viventium;* à Coloniensibus in Cens. Dial.6. pro *invocatione sanctorum.* Sed plerique ex ipsis Pontificiis eum repudiant. Lovanienses in Cens. tom.3. *Non est Augustini, sed cujusdam multo recentioris, nam cap.37. citat Boetium & cap.48. habet ex Gennadio de Ecclesiasticis dogmatibus permulta cautè legenda.* Iisdem argumentis evincunt, Augustini eum non esse, Trithemius de script. Eccl. Bell. de script. Eccl. ad ann. 420. & alii, quibus addendum, quod contra Augustini morem sæpius citet *Aristotelem.* De vero autore variant. Thomas de spirit. creat. q.11. ad 2. dicit, *esse cujusdam Cisterciensis.* Martinus Delrius Disquisit. Magic. lib.5. section.26. in genere dicit, *non esse Augustini, sed alterius, nec tam docti, nec tam antiqui.* Postea subjicit: *Vincentius Bellovacensis ac Trithemius Hugoni Victorino, nonnulli Etheriano eum adscribunt.* lib.2 q.16. *Liber ille non est Augustini, nec etiam Gregorii, cui tribuit Johannes Beetsius Carmelita, sed Hugonis Victorini, vel Hugonis Etheriani.*

Liber de benedictionibus Patriarcharum citatur à Torrensi lib.4. Conf. Augustin. cap.10. sect.1. ut probet, *Antichristum unum aliquem hominem particularem futurum.* Sed Erasmus, Lovanienses, Bellarminus d. l. agnoscunt, *non esse genuinum Augu-*

Augustini fœtum, argumento eo, quod *excerptus videatur ex libro quæstionum Hieronymi in Genesin.* Lovanienses rejecerunt hunc librum in Appendicem tom. 3.

Liber de Ecclesiasticis dogmatibus citatur à Coloniensibus in Antididagm. fol. 53. pro *exsufflationibus & exorcismis*; ab Alano de confess. cap. 1. & Anglo-Rhemensibus in annot. 1. Cor. 11. v. 28. pro *auriculari Confessione*; à Pisano de abstin capite 9. *pro delectu ciborum*; ab Alphonso de Castro lib. 3. adv. hæreses tit. Cibus, hæres. 2. & Bellarmino lib. 4. de pœnit. cap. 6. pro *merito jejunii*. Sed Censores Gregoriani dubiæ fidei eum esse agnoscunt, quando sic scribunt, in notis ad c. 1. dist. 33. *De autore hujus operis dubitarunt multi superioribus seculis & adhuc sub judice lis est. A Trithemio adscribitur Alcuino*, ab aliis *Isidoro. Sed plures & majoris autoritatis Gennadio tribuunt, ut VValafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap 20. Petrus Lombardus 2. sent. dist. 8. Thomas quodlib. 12. artic. 10. Platina in Symmacho & alii.* (videlicet Adrianus Papa in Epistol. ad Carolum Magnum tom. 3. Epist. summorum Pontificum, Algerus lib. 1. de corpor. & sanguin. Sacrament. capite 22.) Alphonsus de Castro advers. hæreses in verbo Baptismus, hæres. 10. *Nego illud opus esse Augustini, prout multi ante me hoc negaverunt.* Sixtus Senensis libr. 4. Bibl. sanctæ. *Perperam Augustino adscribitur* Madridius de freq. comm. p. 170. *Multorum doctissimorum virorum judicio ex Augustini officina non prodiit.* Bellarm. de script. Eccles. ad ann. 420. p. 183. *Non videtur esse Augustini, cum præcipuè constet ex sententiis Concilii Arausicani & summorum Pontificum, Innocentii, Zosimi, Cælestini & maxima ex parte ex operibus Augustini.* Constat autem Concilium Arausicanum & Epistolam Cœlestini scriptam esse post obitum Augustini. Huic argumento addi potest, quod per regulam in hoc libro traditam Augustinus non potuisset constitui Episcopus, quia autor hujus libri excludit eos ab ordinibus, qui vel *plures uxores quam unam, vel concubinam habuissent.* Baronius ann. 490. n 46. *certum esse* dicit, *quod sit opus Gennadii*, quod etiam statuunt Nicol. Sanderus & Bellarminus in verbo Gennadius. Sed Lovanienses in annot. ad cap. 21. illius libri observant, *ea quæ sequuntur à medio capitis usque ad 52. non esse Gennadii, sed ab erudito quodam recentiore scriptore hoc loco esse interjecta unde factum sit, ut in MStis Codd. non inveniantur*, proinde etiam in Appendicem tom. 3. eum retulerunt cum hac infamiæ nota, *non est Catholici scriptoris.* Pererius lib. 4. in Genes. p 486. *Licet non videatur Augustini, tamen cujuscunque sit, magnæ tamen est apud Theologos autoritatis. Ferebatur olim inter opera Tertulliani, sed non est illius, utpote qui cap. 4. refertur inter hæreticos.*

Liber de fide ad Petrum citatur à Durante de ritibus Eccles. lib. 2. cap. 41. n. 14. pro *sacrificio Missæ*; & ab Anglo-Rhemensibus in annot. 1. Cor. 7. v. 9. ut probent, *damnatos esse, qui uxores duxerint post votum continentiæ.* Sed Erasmus in Cens. de eo sic judicat: *Hunc librum non esse Augustini, inprimis arguit ipsa phrasis, primum abjectior quam est illius adhæc impurior.* Idem statuunt Salmero Disput. 48. in Epistol. Pauli, (*Negari*, inquit, *potest, hunc librum esse Augustini ob styli dissonantiam, & quia de eo in libr. Retractationum mentionem non fecit, & non desint viri docti, qui illum tribuant B. Fulgentio Episcopo Ruspensi.*) Azorius tomo 1. Instit. moral. lib. 4. cap. 33. Bellarm. de script. Eccles. ad annum 420 Baronius Ann. 517. n 66. Lovanienses in Censur. ubi argumento à styli dissonantia sumto, addunt illud, quod *nec in Retractationibus, nec in Indiculo ejus mentio* fiat. Molanus, Bellarminus & alii Fulgentio eum tribuunt. 1 *quia Petrus quidam Diaconus ejus fuit amicissimus & hic liber scribitur ad Petrum Diaconum.* 2. *quia stylus conformis est stylo Fulgentii.* 3. *quia Bertramus lib. de corp. & sang. Christi sub nomine Fulgentii eum allegat.* 4. *Chronicum Honorii Fulgentium dicit scripsisse regulas veræ fidei.* 5. *Petrus Diaconus in libello Fulgentii de incarnatione & gratia Christi dicitur eum consuluisse, quocirca credibile est, Fulgentium ei hoc libro satisfecisse.* 6. *Fulgentius in lib. de incarnat. & grat. loquitur conformiter huic libro de fide ad Petrum, præsertim in illa sententia de tormentis parvulorum, qui sine Baptismate morerentur.*

Liber de bono viduitatis citatur ab Hosio Confess. Petric. cap. 56 ut probet, *eos mœchari, qui post votum continentiæ uxores ducunt.* (Bellarminus de script. Eccles. contendit eum *Augustini esse.* Marc. Anton. de Dominis lib. 2. cap. 11. de Rep. Eccl. n. 29. *Liber de bono viduitatis Erasmo suspectus, sed per Hispanum Indicem expurgatorium genuinus.*) Sed cum hæc assertio sententiæ Augustini etiam in jure Canonico citatæ c. Nuptiarum. c. Quidam, caus. 27. q. 1. è diametro adversetur, inde multi censent, hunc librum non esse Augustini. Erasmus in Cens. *Mira dictionis facilitas & candor clamitat non esse Augustini.* Lindanus lib. 4. cap. 98. *Liber, qui inscribitur Bonum viduæ, non videtur Augustinianus.* Pamelius in annot. ad Tertull. adv. Hermog. cap. 1. eum citat sub hac forma, *Autor opusculi de bono viduitatis inter lucubrationes D. Augustini. Juliani* potius videtur, quàm Augustini, cum filum orationis congruat Epistolæ Juliani ad Demetriadem de Virginitate. Titulus, quo se vocat *servum Christi servorumque Christi*, alienus est ab Augustini consuetudine. Bellarminus urget, quod *extet in Indiculo Possidii, ac quod Beda in comment. Epist. Paul. sæpius sub Augustini nomine eum citet.* Sed neutri argumento magnum inest robur. In exemplaribus Augustini ab Erasmo correctis extabat Vita Augustini à Possidio descripta sine illo Indiculo, quod posteà Lovanienses è tenebris erutum luce donarunt, incertum an eâ fide, ut ex hujus Indiculi fide liber alioqui dubius inter genuinos tuto reponi possit. Beda in illa interpretatione, quam ex Augustini variis centonibus consarcinavit, nonnullarum homiliarum sententias comportat, quæ Augustini non sunt, sed Prosperi.

Liber quæstionum 65. citatur à Torrensi lib. 3. August. Confess. cap. 4. sect. 3. pro *signo crucis in Baptismo*. Sed Erasmus, Lovanienses, Bellarminus d. l. & lib. 2. de Missa cap. 12. agnoscunt, *hunc librum non esse Augustini, quia non habetur in Retractationibus, nec in Indiculo; quia nihil habet grave & dignum Augustino; quia ineptè loquitur; quia ipsum citat Augustinum.*

Liber viginti & unius sententiarum citatur à Torrensi lib. 4. Conf. August. cap. 9. sect. 5 pro *signo crucis in fronte.* Sed Erasmus, Lovanienses, Bellarminus idem de eo judicant, quod de præcedente. Lovanienses dicunt, *constare à studioso quopiam ex variis autoribus nullo ordine congestum.*

Liber de quæstionibus V. & N. T. citatur à Torrensi lib. 4. Conf. Augustin. cap 9. sect. 11. pro *vestitu Sacerdotali*; à Copo Dial. 1. cap. 13. Anglo-Rhemensibus in annot. Matth. 17. v. 27. & aliis pro *primatu Petri*; à Copo Dial. 1 cap. 14. Eccio in Enchirid. cap. 19. & aliis pro *cœlibatu Sacerdotum*. Bellarminus *Autorem harum quæstionum numerat inter 24. Patres, quos comparat 24. Senioribus in Apocalypsi*, quando pro Pontificis potestate pugnat lib. 1. de Pont. Rom. c. 25. Pazmannus lib. 10. hodegi cap. 2. Augustino illum tribuit. Rhemenses ad ejus autoritatem provocant in annot. 1. Corint. sect. 5. Sed idem Bellarminus lib. de gratia primi hominis cap. 3. lib. 2. de Sacrament. cap. 10. §. 4. lib. 1. de Missa cap. 6. lib. de script. Eccles. ad ann. 420. asserit, *non solum non esse Augustini, sed nec hominis Catholici*, quod ipsum aliquot argumentis confirmat. Nam q. 2. dicit Autor, *mundum factum fuisse propter Diaboli præsumtionem.* q. 21. negat, *mulierem esse creatam ad Dei imaginem.* q. 43. negat, *Jephtam habere testimonium justitiæ.* q. 109. asserit, *Melchisedech esse Spiritum sanctum, & esse Sacerdotem, sed non summum, ut in oblatione præsumunt Antistites*, quam opinionem Augustinus in Melchisedecianis hæreseos damnat. q. 123. refellit eos, qui dicunt, *Adamum accepisse Spir. S. & filium Dei fuisse per adoptionem, & eam adoptionem per ipsius Adami inobedientiam perditam, nos per Christi obedientiam ac merita recuperare &c.* Erasmus in præfat. illius libri itidem multis probat, *eum non esse Augustini.* Blasius de Viegas in cap. 2. Apoc. p. 126. *Autor quæstionum V. & N. T. falso creditur fuisse Augustinus.* Becanus part. 1 Theol. Schol. tract. 4. cap. 3. q. 1. n. 3. *Autor quæstionum V. ac N. T. non est Augustinus, imo nec Catholicus, quamvis Thomas p. 1. q. 95. art. 1. ad 2. conetur eum piè interpretari. Quod non sit Catholicus, patet ex contentis &c.* Idem de hoc libro judicant Alphonsus de Castro adv. hæres. lib. 10. in verbo Melchisedec; (ubi inter cætera sic scribit. *Præter alia argumenta, quibus doctissimus Erasmus Roterodamus probat, librum de quæstionibus V. & N. T. non esse Augustini, hoc est efficacissimum, quod quæstione 109. multis argumentis iisque valde ineptis nititur probare, Melchisedec non fuisse hominem purum, sed quandam Dei virtutem, videlicet S. S. Neq; hoc in libris retractationum unquam recantavit, imò nec illius libri in toto illo decursu suarum retractationum usquam meminit. Cum ergo in libro de hæresibus hanc assertionem censeat hæreticam, non erat tam stupidus Augustinus, ut oppositas secumque pugnantes assertiones doceret.*) Claudius Espenæus in comm. 2. Timot. cap. 2. tract. de Christo Mediatore, Lovanienses in Censura tom. 4. oper. August. Angelus Roccha Epit. Bibl. Theol. & Script. p. 32. Azorius instit. moral. tomo 1. libr. 4. capit. 30. Lensæus de purgatorio, libro 1.

cap.11. Velosillus in Advertent. ad tomum 4. August. ad quæsitum 16. Pererius in comm. Rom. 3. Disp. 6. Hardingus de sacrif. Missæ sect. 13. fol. 210. Salmeron in comm. Epist. Paul. Disp. 19. & in comm. Luc. 2. super verba, *Gladius pertransibit animam tuam*, tom. 3. tract. 43. p. 294 (ubi sic scribit: *Liber ille quæstionum V. & N. T. aliquid, imo plura continet, propter quæ merito dubitari queat, an Augustini sit.*) Felicianus Capitonus Narniensis Archiepiscopus Avinionensis in explicat. 18. p. 34. Maldonatus in comm. Joh. 8. v. 44. & alii plures Eruditi censent, hunc librum esse ejusdem autoris fœtum, à quo prodierunt commentaria in Epistolas Pauli, quæ Ambrosii nomine circumferuntur, ut mutua collatio manifestum facit. Johannes à Lovanio statuit, esse opus *Hilarii Diaconi* urbis Romæ, cujus meminit Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, contra quem Hilarium decretum scripsit Siricius Damasi successor. Huic opinioni probabilitas conciliari potest non solum ex eo, quod Augustinus lib. 4. contra duas Epist. Pelagii cap. 4. citat verba quædam tanquam Hilarii interpretantis illud, *in quo omnes peccaverunt*, quæ verba in cap. 5. Rom. in hoc commentario inveniuntur, sed etiam ex q. 115. hujus libri, ubi Autor dicit, *hic in Roma*, utique ergò Romæ scripsit. Quin & q. 44. dicit autor, *ab excidio Hierusalem usque ad sua tempora fluxisse annos* 300. ex quo colligitur, hunc autorem esse Augustino antiquiorem, ut proinde Augustinus sub nomine Hilarii eum citare potuerit.

Liber de vera & falsa pœnitentia citatur à Catech. Trident. f. 320. Bailio in Catech. tract. 3 q. 11. pro *auriculari Confessione*; ab Alano Defens. purgat. cap. 12. (ubi dicit, *se hunc librum citare, ut mundus intelligat, quam inique se gerant adversarii, qui non erubescunt asserere, Augustinum quandoque negasse purgatorium, quandoque de eo dubitasse.*) Suarez tom. 4. Disp. 45. §. 1. num. 30. & aliis pro *purgatorio*. Totus ferè hic liber transscriptus est in decreta & sententias, uti rectè Erasmus monet, ut vel hinc liqueat, quanto plus fuerit in colligendo studii, quàm judicii. Martinus Navarrus tom. 1. comment. in dist. 5 de Pœnitentia. *Liber de vera & falsa pœnitentia nonnullis malè videtur non esse Augustini. Prudentius & moderatius est putare, illam partem, qua citatur Augustinus, fuisse notatiunculam alicujus viri docti prius in margine adscriptam, & deinde contextui à Librariis insertam, quam ob eam negare Augustini esse librum optimum tot seculis et tributum.* Sed hæc Navarri Censura non solum ferit Trithemium & Erasmum, qui ex hoc argumento probant, librum non esse Augustini, quia in cap. 17. citat ipsum Augustinum; sed etiam alios Pontificios. Lovanienses in Censur. in Append. tomi 4. *Hic liber non est Augustini, ut constat tum ex aliis, tum ex eo, quod autor cap. 17. referat Augustini sententiam ex homilia 41. homiliarum 50. & ab ea dissentit.* Similia occurrunt apud Possevinum in Apparatu in verbo, Augustinus, Bellarminum lib. de scriptoribus Ecclesiast. ad ann. 402. ubi addit, quod *nec in Retractationibus nec in Indiculo habeatur*; libro 3. de pœnitent. cap. 9. §. Habetur, ubi scribit, *licet non videatur esse Augustini, tamen est alicujus antiqui scriptoris*; Angelum Roccham dict. loc. pag. 51. Lopez in prolog. Epitom. sanct. Patr. tom. 1. Gislerius in Cant. Cant. cap. 4. v. 7. in Append. Exposit. cum sub nomine Augustini hunc librum citasset, in parenthesi addit, *Si Augustini est liber iste.*

Liber de salutaribus documentis citatur à Tallepiedo in collat. 4. doctor. pro *auriculari Confessione*. Sed Erasmus in Cens. statuit, *summæ impudentiæ esse, hunc librum Augustino velle tribuere, cum sermo nec purus sit, nec alicubi cohæreat.* Idem statuunt Lovanienses, Possevinus, Angelus Roccha, Bellarminus d. l. ubi addunt *nec in Retractationibus nec in Indiculo ejus fieri mentionem, stylum esse humiliorem & orationem magis jejunam, quam soleat esse Augustini.* Lensæus de purgat. cap. 12. *Liber, qui inscribitur de salutaribus documentis, neque est Augustini, neque eo dignus.*

Liber de continentia citatur ab Anglo Rhemensibus in annot. 1 Cor. 7. & Maldonato in cap. 19. Matth. vers. 11. ut probent, *continentiam dari à Deo omnibus petentibus*; à Bellarmino libr. 5. de amiss. gratiæ cap. 8. ut probet, *concupiscentiam pravam non esse propriè peccatum*. Idem de script. Eccles. probat, Augustini eum esse, *quod inveniatur in Indiculo Possidii & citetur à Beda in comment. Epistol. Pauli.* Sed Erasmus in Cens. *Hugoni Victorino* eum tribuit, *cum phrasis arguat eum non esse Augustini.* Angelus Roccha d. l. p. 41. *A nonnullis creditur Hugonis Victorini* (qui 700. annis Augustino posterior fuit.)

Liber de patientia citatur à Parsonio tripl. conv. Angl. part. 3. pag. 13. ut probet, *Martyrium prodesse hæretico ad tolerabiliorem damnationem*; & à Coloniensibus in Cens. Dial. 2. ut probent, *opera infidelium non esse peccata.* Sed & hunc Augustini non esse, Erasmus ex phrasi probat. Angelus Roccha d. l. scribit, *quosdam ex ignorantia eum Cypriano tribuere, cum stylus plurimum distet.*

Concio ad Catechumenos citatur à Torrensi lib. 1. Confess. August. cap. 6. sect. 12. ut probet *Ecclesiam non posse errare.* Sed Johannes à Lovanio memorante Possevino in Apparat. statuit, *eam non videri Augustini.*

Liber de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ citatur à Torrensi lib. 4. Conf. Aug. cap. 9 pro *virtute crucis.* Sed Erasmus in Censurâ monet, *eum nihil habere phraseos Augustinianæ, autorem videri aulicum aut jurisconsultum.* Lovan. in Cens. tom. 9. *Non sapit Augustini phrasin, nec ab aliquo bono autore testimonium habet.* Bellarm d. l. *Non est Augustini, quia non est in Retractationibus, nec in Indiculo, nec ab ullo bono autore testimonium habet, neque phrasin S. Augustini sapit.*

Liber contra Felicianum Arianum citatur à Bristoo in Replica ad Fulconem part. 2. cap. 9. pro *limbo Patrum.* Bellarminus eum Augustini esse censet, quia *citatur in Indiculo & à Beda,* quibus argumentis quid roboris insit, vidimus superius. Erasmus de eo sic judicat: *Non est probabile, hunc Dialogum esse Augustini, eruditus aliquis exercendi ingenii gratia finxit. Non meminit ejus August. in Retractationibus.*

Liber de Epicureis & Stoicis citatur à Canisio in Catech. de fructu Justif. cap. 20. pro *meritis operum.* Bellarminus Augustini eum judicat. Sed Erasm. in Cens. *eum nihil aut quàm minimum Augustini habere* asserit.

Libri Hypognosticon citantur à Stapletono in Triplic. p. 296. pro *libero arbitrio*; à Bellarmino lib. 1. de Bapt. cap. 25. pro exsufflatione in Baptismo; à Bishopo contra Perkinsum f. 68. pro *meritis operum.* Sed Lovanienses eos retulerunt in Appendicem tom. 7. quia judicarunt esse incerti autoris. Erasmus in Cens. judicat, eos non esse Augustini; *Cum enim sit justi voluminis opus, tamen non enumeratur in Retractationibus, & titulus est insolens ὑπογνωστικῶν q. d. subnotationum, non enim solet ille titulos Græcos indere suis* libris. Angelus Roccha dicto lib. addit, quod *nec stylus per omnia congruat.* Bellarm. de scriptor. Eccles. *Libri hi non habent phrasin Augustini, neque à Possidio, vel Beda, vel alio vetere citantur sub nomine Augustini.* Andreas du Valy Doctor Sorbonicus in notis ad lib. Eccles. Lugdunensis, quæ habentur tom. 2. Auctuarii ad edit. 3. Biblioth. Patrum p. 1150. 1194. 1297. *Non est Augustini, sed alterius, ejusdemque Pelagiani.*

Liber contra Fulgentium Donatistam citatur à Fritzimone contra Riderum p. 205. Sed Lovanienses de eo sic judicant: *Hic liber incerti autoris est.* Bellarm. de script. Eccles. ad ann. 420. argumenti loco affert, quod *ejus mentio non habeatur in Retractationibus, neque in Indiculo.*

Liber de prædestinatione & gratia citatur à Torrensi lib. 2. Confess. August. cap. 3. pro *libero arbitrio.* Sed Lovanienses illum æquè ac præcedentem hypognosticon rejecerunt in Appendicem tom. 7. quia judicarunt, *incerti esse autoris.* Bellarm. lib. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 14. §. 23. & lib. de script. Eccles. *Non est Augustini liber, quia nec à Possidio, nec Beda, nec alio ex veteribus habet testimonium, discrepat à phrasi & doctrina Augustini, dicit enim Autor cap. 16. hominem potuisse justè damnari, etiamsi non peccasset. Contrarium habet Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 16. nec ulla ratio erat, cur hunc librum scriberet, qui tam copiosè de prædestinatione scripserat.* Idem statuit Possevinus in Apparatu. Videtur potius autoris Pelagiani, vel Semi-Pelagiani. Nam cap. 9. tribuit *libero arbitrio soli, eligere bonum præcedente vocatione*; cap. 11. tribuit *Deo velle, quia vocat & illuminat, et homini conatum.* Dicit quod *primo Deus vocat, secundo homo aperit & dilatat os, tertio Deus illud implet.* Cap. 12. objicit argumentum Pelagii & non solvit, nisi sicut solvisset Cassianus, cap. 15. ad difficilimam quæstionem ita respondet, ut in *Nabuchodonosore pœnitente ponat initium bonæ voluntatis & Deo tribuat perfectionem.*

Liber Meditationum citatur à Salmerone Disp. 7. in 1. Tim. 2. pro *invocatione sanctorum*; à Sacrificulis Anglis in petit. ad Regem p. 26. pro *invocatione B. Virginis*; à Jodoco Coccio tom. 1. Thes. lib. 5. de sanctis art. 8. ut probet, *sanctos absentia cognoscere & vota nostra percipere.* Sed Erasm. Lovanienses & Bellar.

Bellarminus d.l. in medio relinqnunt, an sit Augustini, nec ne. Lovanienses dicunt, *autorem hujus libri vel fuisse Augustinum, vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Hymnus rhythmicus de gaudiis Paradisi, & speciales istæ formulæ invocationis Angelorum & Arch-Angelorum, B. Mariæ Virginis, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque Sanctorum, à quodam posterioris ætatis hunc librum scriptum esse arguunt.

Manule Augustini citatur ab Hardingo in Replica pro Missa pag.121. pro *sacrificio Missæ*; à Gretsero lib. 1. de cruce cap. 33. ut probet, *militem illum qui Latus Christi lancea aperuit, fuisse Longinum.* Sed Erasm. in Cens. de eo sic judicat: *Hic liber consarcinatus est ex libris Mediationum & Soliloquiorum per quempiam nec eruditione, nec eloquentia præditum*, cap.26. ponit *in potestate hominis, ut promereratur regnum cælorum*, quam sententiam ubique detestatur Augustinus. Lovanienses eum rejecerunt in Appendicem tom.9. in qua continentur ea, quæ constat, non esse Augustini. Bellarmin. de script. Eccles. *se nihil certi de eo habere*, asserit.

Liber Soliloquiorum citatur ab Anglo-Duacensibus in Gen. 48.v.15. pro *invocatione sanctorum.* Sed Lovanienses & Bellarm. idem de eo judicant, quod de præcedente.

Explicatio Apocalypseos citatur à Torrensi lib. 4. Conf. Augus. cap.10. ut probet, *Eliam temporibus Antichristi rediturum*; ab Anglo-Duacensibus in annot. V.T. pag.762. ut probent, *Eliam in Paradiso terreno adhuc degere.* Sixtus Senensis lib.4. Bibl. putat, *expositiones illas esse Augustini, etsi ab alio, nescio quo, in homilias dissectas.* Alphonsus de Castro lib.13. adversus hæreses, verbo, *Scriptura*, hæresi 8. *Augustinus interpretatus est Apocalypsin, quam dicit esse Johannis Apostoli.* Sed Erasmus & Lovanienses Augustini eum esse negant. Bellarm. d.l. *Manifeste suppositius est, quoniam exponit cap. 21. de statu præsentis Ecclesiæ, quod imprudentiæ nimiæ esse dicit Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 17.* Similia habet lib. 3. de cult. sanct. cap.4. Lovanienses dicunt, *ab alio quodam illæ annotationes fuere scriptæ, sive is Ticonius fuit, sive alius quispiam.* Ribera in comm. cap. 4. Zach. n.9. tribuit eas *Ticonio Donatistæ.* Sed si Ticonii fuissent, utique viri eruditi fuissent, cum Ticonium magni faciat Augustinus, ut videre est lib. 3. de doctr. Christian. cap. 30. & lib. 2. retract. cap.18. ubi expositionem quandam Ticonii præfert expositioni D. Cypriani.

Liber de triplici habitaculo citatur à Kellisono libr. 3. novæ relig. cap.12. ut probet, *sanctos cognoscere cogitationes nostras.* Sed Erasmus, Lovanienses, Bellarminus d.l. *incerti autoris eum esse*, statuunt. A nonnullis *Bernhardo* eum adscribi memorat Angelus Roccha d.l.

Scala Paradisi citatur à Torrensi lib. 2. Conf. August. cap. 3. pro *libero arbitrio.* Sed Erasmus & Lovanienses de eo sic judicant: *Hoc opusculum fertur inter scripta Bernhardi, quanquam nec illius videtur esse, tantum abest, ut sit Augustini. Neque enim unquam Augustinus laboravit manibus, quod Monachorum est, qui tum fuerant Laici.* Bellarminus refert inter ea, *de quibus se nihil certi habere*, asserit.

Liber de cataclysmo citatur à Turriano. Sed Bellarminus *de eo se nihil certi habere*, asserit. Garetius de verit. corpor. Christi *inter autores ignotos* eum refert.

Liber de vita Christiana citatur à Torrensi lib. 3. Conf. Augus. c.4. ut probet, *fideles in Baptismo chrismate esse ungendos.* Sed Erasmus in Cens. scribit, *velle admonere, hunc librum non esse Augustini, non minus supervacaneum est, quam si quis admoneat, bubalum non esse equum.* Lovanienses eum rejiciunt in Appendicem tom. 9. Bellarminus eum numerat inter eos, de quibus *nihil certi* habetur.

Liber de cognitione veræ vitæ citatur à Coloniensibus Dial. 6. Cens. pro *invocatione sanctorum.* Sed Erasmus de eo sic judicat: *Non est opus, ut admoneam, hoc opus non esse Augustini, stylus magis refert Jovinianum quempiam, vel febricitantem potius. Nam cap. 6. dicit, Angelos omnia scire & præscire.* Lovanienses & Bellarminus idem de eo judicant, quod de prioribus. *Non esse Augustini, & stylum & alia manifestare*, dicunt Lovanienses.

Tractatus de Assumtione B. Mariæ citatur à Stapletono part. 2. Promt. Cathol. pro *assumtione B. Virginis*, ubi eum vocat, *brevem & elegantem Tractatum*; à Ludovico de ponte libr. 7. Comm. in Cant. Exhortat. 20. §. 3. pag. 227. ut probet, *Mariam à peccato originali & actuali immunem fuisse.* Sed Erasmi censura hæc ait, quod *ne pilum quidem habeat Augustini.* Lovanienses in Cens. tom. 9. & Johannes Hesselius in notis ad Usuardi Martyrol. cap. 8. itidem negant, esse Augustini. Baronius Anno 48. n.17. *Liber de Assumtione B. Mariæ, & omnes sermones de assumtione Augustino attributi &c. ei sunt falso adscripti, quos merito Lovaniensis schola rejicit in angulum, & quæ id genus sunt alias Apocryphorum quisquilias, quæ potius detrahunt, quam probent veritatem & manifestæ arguantur falsitatis.* Bellarminus *nihil certi de eo haberi*, scribit.

Tractatus de obœdientia & humilitate citatur à Sedulio lib. 2. Apolog. pro libr. Conformit. cap. 5. pro *voto obœdientiæ.* Sed Lovanienses Augustini eum esse negant. Erasmus *ne pilum quidem docti hominis, nedum Augustini eum habere*, censet. Bellarminus inter *incertos* refert.

Tractatus de Deo diligendo citatur à Torrensi libr. 4. Conf. August. cap.2. ut probet, *Angelos offerre Deo preces nostras.* Sed Erasmus & Lovanienses eum Augustini esse negant propter phrasin ab Augustiniana differentem. Bellarminus dubitat.

Tractatus de laudibus caritatis citatur sub Augustini nomine à Lombardo libr. 3. sent. dist. 23. ut probet, *caritatem esse causam fidei.* Sed Erasmus Augustini eum esse negat; Bellarminus de eo nihil certi habet.

De visitatione infirmorum Libri citantur à Turriano lib. 4. Aug. Conf. cap.9. pro *virtute crucis*; ab Alfonso de Castro lib. 2. adv. hæres. verbo, *Adoratio*, hæres. 2. pro *adoratione crucis.* lib. 14. verbo, *Unctio extrema*, pro asserendo *Sacramento extr. Unctionis*; ab Alano de Confess. cap. ult. pro *auriculari Confessione.* Sed Erasmus in Censur. tom. 9. oper. Aug. f.957. asserit, *autorem fuisse locutuleium nec doctum nec disertum*, ac illos *nihil vel mentis vel frontis habuisse* dicit, *qui talia scripta Augustini nomine nobis obtruserunt.* Lovanienses Augustini eos esse negant. Bellarminus de scriptor. Eccles. numerat inter eos, de quibus *nihil certi* habetur, sed lib. de extrema unct. cap.4. fatetur, *videri falso Augustino tribui.* Ghislerius in Cantic. cap. 2. v.10. in Append. exposit. cum locum aliquem ex his libris adduxisset, subjungit: *Si tamen Augustini est hic liber.*

De rectitudine Catholicæ conversationis tractatus citatur à Coloniensib. in Censur. Dial.6. pro *invocatione sanctorũ*; ab Anglo-Remensibus, & aliis pro *Sacramento extremæ unctionis.* Sed Erasmus & Lovanienses Augustini eum esse negant. Bellarmin. *nihil certi* de eo se habere scribit.

Liber de Antichristo citatur à Coccio tom. 2. lib. 10. de quatuor novissimis art.3. ut probet, *Antichristum nasciturum ex tribu Dan*; à Torrensi lib. 4. Aug. Conf. c.10 ut probet, *Antichristum futurum unum aliquem particularem hominem.* Sed Lovanienses in Cens. monent, eum à Ruperto Tuitiensi tribui *Rabano Moguntinensi Archiepiscopo*, qui quadringentis annis Augustino posterior fuit. Bellarm. libr. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. *Probabile est, esse Rabani, certe Augustini esse non potest.* lib. de scriptor. Eccles. *Non est Augustini, nam mentionem facit Imperii translati à Græcis ad Francos, quod contigit 400. annis post Augustini tempora.*

De utilitate pœnitentiæ citatur à Torrensi lib. 3. August. Conf. cap.9. pro *satisfactione.* Sed Erasmi censura plurimum discrepat ab Augustino. Bellarminus de eo *nihil certi* habet. (Est idem cum serm. 27. homil. 50.)

Præfatio in Johannem citatur à Gregorio, Valentia, lib. de indiss. matrimon. vinc. cap. 2. ut probet, *Christum vocasse Johannem Evangelistam ad perpetuam professionem castitatis.* Sed Erasmus eam Augustini esse negat; Lovanienses *incerti autoris* eam asserunt. In castigationib. & variis lectionibus ad tom. 9. *Præfatio* (inquiunt) *quæ huic expositioni* (in Johannem) *in prioribus editionibus præmittebatur, nec Augustini est, nec in ullo erat manuscripto Codice.*

Sermo 28. de verbis Domini citatur à Bellarmino lib. de Euch. cap.20. & aliis pro *Transsubstantiatione.* Sed est in numero eorum, de quibus Possevinus in Apparatu sic judicat: *Ex homiliis de verbis Domini subsequentes non numerantur in Indiculo Possidii, de quibus nihil certi habeo.* Ac inter eos, quos Lovanienses rejiciunt in Appendicem tom. 10. quos Augustini non esse judicant. Bellarmin. de script. Eccles. dubitanter pronunciat, *Homiliæ de verbis Domini aut omnes, aut fere omnes sunt Augustini, multa enim habentur in Indiculo Possidii &c.* (In hoc sermone verba Christi, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, exponuntur tantum de Sacramento corporis Christi, cum in illis operibus, quæ certò statuuntur Augustini, exponantur etiam de hujus vitæ sufficientia, ut in Epist. 121. cap. 11. lib. 1. locut. in Genes. cap.39. &c.)

Sermo 15. *de verbis Apostoli* citatur à Gregorio Martino detect. hæret. transl. cap. 10. sect. 7. ut probet, *Deum non posse justificare hominem sine seipso.*

Sermo 17. *de verbis Apostoli* citatur à Bell. lib. 1. de purg. cap. 6. pro *purgatorio*; &

Sermo 32 *de verbis Apostoli* citatur ab aliis pro *purgatorio*. Sed sermo 15. & 32. non habentur in Indiculo Possidii, ex quo Possevinus colligit, *nihil certi de illis haberi.* Sermones 15. & 32. Erasmus non habet pro legitimo Augustini fœtu.

Ex libro 50. *homiliarum, homilia* 12. citatur à Bellarmino lib. 3. de pœnit. cap. 9. pro *auriculari Confessione*: Homilia 16. citatur ab eodem lib. 1. de purgat. cap. 6. pro *purgatorio*. Hom. 49. citatur ab Alphonso de Castro lib. 4. adv. hæres. verbo, Confessio, pro *auriculari confessione*. Sed Erasmus censet, *multa inesse homiliis istis, quæ parum referunt phrasin & eruditionem Augustini*; ac utraque hom. 12. & 16. est ex numero earum, quibus non præfixit in capite A majusculum, quod signum legitimi fœtus Augustiniani, ac quæ in editione Lovaniensi non habent Augustini nomen præfixum. Possevinus in Apparatu dicit, in *Indiculo Possidii solum reperiri homilias sequentes*, 1. 10. 11. 28. 34. 35. & 50. *de reliquis esse ambiguum.*

Ex sermonibus 256. *de tempore*, sermo 55. citatur à Bellarmino lib. 1. de bonis operibus in part. cap. 13. pro *horis Canonicis*; sermo 60 & 62. citatur ab eodem lib. 2. de bon. oper. cap. 11. ut probet, *jejunium esse utile ad satisfaciendum Deo*; sermo 124. & 142. citantur ab eodem lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 25. & in Apol. ad Regem Britann. pro *primatu Petri*; serm. 226. citatur ab Anglo-Duacensibus, in annot. ad lib. Tob. ut probent, *librum Tobiæ esse Canonicam Scripturam*; serm. 228. & 229. citantur à Nicol. Serario prolegom. 4. in Judith, ut probet, *librum Judith esse Canonicam Scripturam*; sermo 244. citatur à Sonio art. 3. ut probet *invocationem sanctorum.* Sed sermones isti sunt in numero eorum, quos Erasmus & Martinus Lypsius non habent pro genuino Augustini fœtu. Juxta Lovaniensium censuram *in illis sunt* 145. *sermones dubiæ authoritatis, &* 48. *plane suppositi.* Bellarminus de script. Eccles. dubitanter incedit. *De homiliis de tempore non potest esse certitudo, credibile tamen ex, magna est parte Augustini esse.*

Ex sermonibus 51. *de sanctis* sermo 1. citatur ab Anglo-Rhemensibus in annot. Act. 7. v. 60. Aloysio Lipomano Epit. de vit. sanct. part. 1. & aliis pro *invocatione sanctorum*; sermo 13. qui est secundus de reliquiis citatur à Bellarmino lib. de reliq. cap. 3. pro *cultu reliquiarum*; sermo 15. qui est primus de cathedra Petri, legitur in Breviario Romanæ Ecclesiæ Febr. die. 22. & citatur ab Anglo-Rhemensib. in c. 16. Matth. & aliis, ut probent, *Petrum esse fundamentum Ecclesiæ*; Baronius in notis ad Martyrolog. Rom. Junii 18. dicit, *hunc sermonem nihil habere, quod Augustini esse impediat, sed multa, quæ persuadeant.* sermo 16. qui est secundus de cathedra Petri, citatur à Torrensi lib. 1. Confess. Aug. cap. 9. ut probet, *Petrum esse Ecclesiæ fundamentum*; sermo 18. qui est secundus in festo Annunciationis, citatur ab Anglo-Rhemensib. in annot. Act. 1. v. 14. Johanne à Daventria in Exeg. Aug. Conf. f. 223. & aliis pro *invocatione sanctorum*; sermo 19. qui est tertius in festo Annunciationis, citatur ab Andradio in defens. fid. Trid. pro *invocatione sanctorum*; & à Costero in Enchir. c. 13. pro *usu crucis*; sermo 25. qui est primus de Petro & Paulo, citatur à Bellarm. lib. 1. de beat. sanct. cap. 13. pro *religioso cultu sanctorum*; sermo 26. qui est secundus de Petro & Paulo, citatur ab Anglo-Rhemensibus annot. in cap. 16. Matth. ut probent, *Petrum esse Ecclesiæ fundamentum*; sermo 27. qui est tertius in festo Apostolorum Petri & Pauli, citatur à Torrensi lib. 1. Conf. Aug. cap. 9. ut probet, *Petrum Romæ Episcopalem cathedram tenuisse*; sermo 28. qui est quartus de Petro & Paulo, citatur à Piggio cont. 13. pro *invocatione sanctorum*; à Coccio tom. 1. lib. 6. de sacr. Script. art. 13. ut probet, *librum Tobiæ esse Canonicum*; *Hic sermo sine controversia est Augustini*, inquit Johannes à Daventria in Exeg. p. 222. sermo 29. qui est quintus de Petro & Paulo, citatur à Bellarmino in Apol. ad Regem Britan. c. 8. ut probet, *Petrum esse religiose colendum*; sermo 30. qui est primus de S. Laurentio, citatur à Lindano lib. 3. panopl. cap. 27. pro *invocatione sanctorum*, sermo 35. qui est secundus de assumtione, citatur à Coloniensibus in Cens. Dial. 6. pro *invocatione sanctorum*; sermo 41. qui est sermo quartus de commemoratione animarum, citatur à Roffensi art. 37. adv. Lutherum, & Alano lib. de purgat. c. 8. pro *purgatorio*. Sermo 47. citatur à Canisio in Catech. de reliq. sanct. q. 8. pro *cultu sanctorum*. Sed, inter hos sermones multos esse dubiæ fidei, ne ipsi quidem Pontificii diffitentur, cum quidam eorum inter sermones *Ambrosii*, quidam inter sermones *Maximi* inveniantur. Bellarminus dubitanter de illis pronunciat. *De homiliis de sanctis non potest haberi certitudo.* Neve quis existimet, illos, quos nominatim à Pontificiis adduci diximus, esse indubitato Augustini, notandum, quod sermo primus ab Erasmo & Lovaniensibus inter eos, qui non sunt Augustini, recensetur. Ad sermonem 13. in edit. Lovan. Ann. 1577. in margine notatur *D. Augustino falso adscriptus sermo.* Sermonem 15. Erasmus & Lovanienses Augustini esse negant. Sermo 16. idē est cum serm. 47. in Ambrosio & cum serm. 55. in Maximo. Sermo 18. monente Erasmo & Lovaniensibus in Censura, ac Baronio in notis ad Martyrol. Rom. Martii 25. à quibusdam tribuitur Fulgentio, cum tamen nec *Augustini*, nec *Fulgentii* sit, quippe quorum temporibus festum annunciationis nondum fuit celebratum. Sermonem 19. Erasmus & Lovanienses rejiciunt. Sermo 25. eorundem judicio spurius est vel certe dubius. Sermonem 26. Lovanienses in Appendicem rejiciunt. Molanus de picturis cap. 38. *De autore hujus sermonis non satis constat, secundum verisimiliorem sententiam nec Ambrosii est, nec Augustini, quamvis in utriusque operibus habeatur.* (Cujus Censuræ æquitas ex eo apparet, quod in hoc sermone dicitur, *Petrum & Paulum nobis salutem effusione sui sanguinis peperisse, & sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulisse.*) Sermo 27. est inter Ambrosianos sermo 66. Sermonem 28. 29. & 30. Erasmus & Lovanienses rejiciunt. *Vincula Petri*, quorum meminit sermo 29. nondum reperta fuere vivo Augustino, innotuerunt enim mundo circiter annum 439. ut testatur Baronius ann. 439. num. 5. Sermo 35. juxta Molanum in not. ad Uuardi Martyrol. Augusti 15. non est Augustini, cum in eo citetur Isidorus, sed fortasse Fulberti Carnotensis Episcopi. Baronius ann. 48. n. 17. *Sermo 34. & 35. de sanctis falso hactenus nomine Augustini latuit*, quod ipsum dicit *Scholæ Lovaniensis etiam autoritate esse sancitum.* Sermo 41. & 47. ab Erasmo & Lovaniensibus Augustini esse negantur. Eruditi censent, esse hanc indiscretam farraginem sermonum transvasatam ex Alcuino, Fulberto, Petro Ravennensi & aliis. Augustini temporibus festum fuisse aliquod cathedræ Petri, aut fuisse Universale, nullo indicio deprehendi potest.

Ex homiliis 76. ad fratres in eremo quædam citantur à Bunderio in Comp. Theol. tit. 15. artic. 4. pro *auriculari Confessione*; à Torrensi lib. 4. Conf. August. cap. 7. pro *cælibatu Sacerdotum*; à Roffensi artic. 37. adv. Luth. Suarez. tom. 4 Disput. 45. §. 1. n. 30. & aliis pro *purgatorio*; à Bellarm. lib. de Monachis cap. 20. pro astruenda *paupertate Monastica*. Sed Baronius ann. 382. num. 26. & ann. 385. n. 12 *sermones hos sub Augustini nomine falso suppositos* dicit, *eorumque autorem impostorem & frigidum fictorem appellat, qui in his sermonibus multa delira, vana & fabulosa imprudenter effutierit, imo portentosa mendacia blateraverit.* Bellarmin. de script. Eccles. *Sermones hi sunt magna ex parte conficti.* Dicit enim Autor, *Augustinum degisse cum Monachis in solitudine, ac sermones ibi ad eos habuisse. Sed Possidius in vita Augustini dicit, Augustinum habuisse Monasterium intra ipsam Ecclesiam. Serm. 24. dicitur, Hieronymum fuisse Cardinalem in Ecclesia S. Laurentii, & veste muliebri indutum irrisum fuisse à Romanis, quæ sunt omnia falsa & conficta. Adde, quod phrasis horum sermonum, exceptis duobus de communi vita Clericorum, qui vere sunt Augustini, est inepta, impropria, lutulenta, ut mirum sit, potuisse ejusmodi sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui.* Idem de his sermonibus statuunt Paulus Langius in Chronico ad ann. Christi 1259. Erasmus in Epistol. ad Archiepiscopum Toletanum Parisiis 1531. & Lovanienses in Censura ad Appendic. tom. 10. Possevinus in Apparatu &c. Lovanienses dicunt, *Satis constare, sub D. Augustini nomine à quodam Semi-Latino exercitii gratia conscriptos esse, & à conservatore Apostolico Rhegii anno 1414. damnatos & reprobatos.* Martinus Lypsius suspicatur, *autorem fuisse Gallo-Flandrum.*

Philonis Carpathii commentarium in Canticum Canticorum, qui habetur tom. 3. Biblioth. Patrum, citat Coccius tom. 1. libro 2. de Christo articul. 4. ut probet, *Christi animam ad liberandas sanctorum animas in limbum descendisse*; libr. 5. de sanct. articul. 6. pro *invocatione sanctorum*; tom. 2. lib. 7. de pœnit. artic. 4. ut probet, *dimissa culpa restare luendam pœnam temporalem.* Sed Bellarmin. lib. de scriptor. Eccles. pag. 138. ad ann. 374. Possevinus in Apparatu, in verbo, *Philo Carpathius*, & Martinus Delrio Isagog. Comm. in Cant. cap. 5. recte monent, *multa ex commun.*

mentariis Gregorii esse illis inserta, quæ cum reliqua explicatione non bene cohærent, ex quo colligit Margarinus de la Bigne in not. ad initium Philonis Carpathii tom. 1. Bibl. Patr. esse autoris multo recentioris. *Cum multa* (inquit) *occurrant in hoc Philonis opere, quæ totidem fere verbis posita inveniuntur in commentariis in Cantica S. Gregorii magni, suspicantur viri eruditi ab aliquibus operi Philonis inserta. At multo melius conjecissent, ut sæpe alias solent, hac ipsa de causa, non fuisse Philonem Carpathium, sed alium multo recentiorem.*

Marci Eremitæ opuscula Theologica extant tom. 5. Biblioth. Patrum, quorum unum de Paradiso & lege spirituali citatur à Coccio tom. 2. libr. 1. de Natur. hom. artic. 5. pro *libero arbitrio*; alterũ de Baptismo citatur à Bellarmino libro 5. de amiss. grat. & stat. peccati cap. 25. itidem pro asserendo *libero arbitrio*. Sed idem Bellarminus libro de script. Ecclesiast. ad ann. 906. de illis sic judicat: *Opera ejus scatent tot erroribus contra fidem, ut suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis conficta, aut valde depravata fuisse. Neque alia de causa hujus autoris memini, nisi ut admonerem cautissime esse legendum.* Margarinus de la Bigne in notat. præfixis hisce Opusculis suspicatur, *duos fuisse Marcos Eremitas, quorum unus circa annum* 400. *alter circa annum* 900. *vixerit, & in ambiguo esse* dicit, *utri tribuenda sint*, & addit: *Si opus non sit ab hæreticis depravatum, indignum plane est, quod vel illi, vel huic Marco adscribatur, cum uterque fuerit sanctissimus & opus ipsum contineat multas sententias à recta fidei regula exorbitantes.*

Sermo Maximi de Martyribus Tauricis citatur à Bellarmino lib. 1. de sanct. beat. cap. 13. ut probet, *cultum aliquem religiosum deberi creaturis*; libr. ejusd. cap. 18. ut probet, *sanctos, qui regnant cum Christo, pro nobis orare non solum in genere, sed etiam in particulari*; lib. 2. de reliq. cap. 3. ut probet, *sanctorum reliquias esse venerandas*. Sed inter Ambrosianos sermones est 77. Idem de aliis sermonibus Maximi dicendum, quorum quidam inter *Augustinianos*, quidam inter *Ambrosianos* locum habent, ut ostendit mutua collatio.

Cyrilli Alexandrini in Johannem liber 5. citatur ab Anglo-Rhemensib. in annot. Hebr. 10. v. 26. ut probent, *peccata non æque facile deleri posse per pœnitentiam, ac per Baptismum*; liber septimus citatur ab iisdem annot. Joh 11. v. 44. ut probent, *verba illa Christi, solvite illum, antiquitus intellecta fuisse de autoritate, quam habent Sacerdotes Dei in remittendis peccatis*; & à Pamelio in annot. Exposit. Symb. apud Cyprianum, ut probet, *librum Judith esse Canonicum*. Sed Anglo-Rhemensibus & Pamelio idem objici potest, quod Bellarminus libr. 2. de Euchar. cap. 25. Petro Martyri librum sextum sub nomine Cyrilli Alexandrini in Johannem citanti respondet: *Sextus ille liber non est Cyrilli, sed Jodoci Clictovæi, ut etiam inscriptio librorum indicat, perierunt enim ex* 12. *libris Cyrilli in Johannem quatuor intermedii, quos supplevit Clictovæus. Hic ergo Pseudo-Martyr prodit ignorantiam suam.*

Inter opera *Theodoreti* extat *Historia sanctorum Patrum*, quam vocant Religiosam. Illa citatur à Bellarmino libr. 1. de sanct. beat. cap. 19. pro *invocatione sanctorum*; & lib. 2. de Imaginib. cap. 29. pro *cruce*. Ex eadem Historia Thyræus part. 3. de loc. infest. cap. 67. adducit exemplum, quo probet, *ad præsentiam reliquiarum spectra Cacodæmonum fugata fuisse*. Sed Historia illa Patrum narrat etiam mortem Simeonis & multa miracula, quæ post mortem operatus est cap. 26. At Theodoretus ante Simeonem mortuus est. Nam Theodoretus obiit Anno 453. Simeon vero Anno 460. ut annotavit Baronius Anno Domini 424. quomodo ergo Theodoretus autor hujus Historiæ esse potuit? Confer Gentianum Hervetum in notis ad Theodoretum tom. 2. col. 468.

Theodoreti libri 8. *Græcarum affectionum* citantur à Bellarmino lib. 1. de beat. sanctor. cap. 19. à Copo Dial. 3. cap. 9. & aliis pro *invocatione sanctorum*; à Bailio in Catech. tr. 2. q. 53. pro votis, quæ fiunt sanctis. Sed hi libri vel sunt dubiæ fidei vel corrupti. Nam Sixtus Senensibus lib. 6. Biblioth. annot. 345. recenset Theodoretum inter eos, qui statuerunt, *sanctos non videre Dei faciem ante diem judicii*, de quo errore Giffortus in Calvino Turcismo lib. 4. cap. 8. dicit, quod *pugnet cum sanctorum cultu*, quem libri illi Græcarum affectionum Pontificiis videntur asserere. Adde, quod nec Photius in Bibliotheca etiamsi plurib. in locis Theodoreti opera recenseat, nec Nicephorus libr. 4. Hist. cap. 44. omnia Theodoreti scripta sibi nota enumerans, horum librorum ullam faciat mentionem; quodque Theodoretus in genuinis libris in comm. Col. 2. neget, Angelos invocari debere.

Ex Epistolis Theodoreti autor est Baronius Ann. 430. n. 48. Vaticanum Codicem continere 150. Græce scriptas, quas vertit in Latinum Fr. Metius. Illas tom. 5. & 6. annalium Baronius fere omnes inseruit. Sed delituerunt illæ hactenus in adversariorum thecis luce & latinitate ab illis donatæ, nullam igitur vim habent, nisi quatenus Scripturæ sacræ, temporum illorum Historiæ & genuinis Theodoreti scriptis congruunt, cum Baronius ipse fateatur Ann. 553. n. 46. *Leontium lib. de sectis tradere, quod inter alia ab hæreticis Theodoreti nomine conficta fuerint Epistolæ.*

Philippi Presbyteri opus in Jobum excusum Basileæ Ann. 1527. citatur à Driedone tom. 1. lib. 4. de variis dogm. & libr. Apocr. cap. 5. part. 5. pro *purgatorio*; & à Garetio in lib. de Eucharist. pro *transsubstantiatione*. Sed Johannes Hervagius teste Sixto Senensi lib. 4. Biblioth. illos commentarios sub titulo *Bedæ* inter opera ejus edidit; cui à quibusdam eos tribui testatur etiam Marianus Victorius in Cens. tom. 8. oper. Hieron.

Eucherii Episcopi Lugdunensis commentarii in Genesin & libros Regum citantur à Bellarmino libr. 5. de grat. & lib. arbit. cap. 22. pro *libero arbitrio*; lib. 1. de Missa cap. 6. pro *sacrificio Missæ*; & à Garetio de invocat. f. 68. pro *invocatione sanctorum*. Sed Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. in verbo Eucherius, eos *suppositios* esse docet, & in præfat. Bibliothec. ac in tract. de falsa librorum inscriptione sub finem lib. 4. sic scribit: *Sunt, qui inscriptiones librorum depravent & immutent, utilitatis, quæstus ac turpis lucri causa, qui vulgarium & interdum quoque obscurorum hominum partus nobiliorum autorum titulis coronant &c. hoc joco nobis obtruserunt Angli cujusdam Collectoris Centones in Genes. & Reg. volumina, pro Eucheri Episcopi Lugdunensis commentariis.* Possevinus in præfat. Apparatus sacri idem repetit. Bellarminus de scriptor. Ecclesiast. ad Ann 440. *Hi libri non non possunt esse Eucherii, cum Autor sæpe citet Gregorium, & ad finem expositionis lib.* 1. *Regum lectorem invitet ad moralia S. Gregorii perlegenda. Sanctus autem Gregorius plus centum annis Eucherio posterior. Autor hujus operis videtur fuisse Anglus. Nam in* 3 *lib. comm. in libros Regum cap.* 22. *sic loquitur. Nostris nuper temporibus S. Gregorius Papa Evangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam & Reverendissimi Patres Augustinus, Paulus & alii socii eorum jubente illo venerunt in Britanniam &c.*

Sixti 3. Papæ libri tres extant in Bibliothec. Patrum. tom. 5. & excusi sunt Romæ Ann. 1572. & Antuerpiæ Ann. 1575. illorum primus, qui est *de divitiis*, citatur à Coccio tom. 2. lib. 4. de vita Monast. artic. 3. ut probet, *consilii Evangelici esse, facultates propter Christum relinquere*. Secundus, qui est *de malis doctoribus*, citatur ab eodem d. l. art. 6. pro votis; lib. 7. de pœnit. art. 4. ut probet, *dimissa culpa restare exolvendam pœnam temporalem* ac pro *purgatorio*. Tertius, qui est *de castitate*, citatur ab eodem lib. 4. de vita Monast. art. 4. ut probet, *castitatem esse consilii Evangelici*. Turrianus lib. 3. pro Epistol. Pontif. cap. 16. & lib. 5. cap. 12. itidem sub Sixti nomine eos citat. Sed Baronius Anno 440. num. 6. & 7. Bellarminus ad Ann 442. Possevinus in Apparatu in verbo Sixtus. 3. Margarinus de la Bigne in annot. præfixis his libris tom. 5. Biblioth. Johannes Maria sacri Palatii Magister in Indic. Rom. libr. expurg. tom. 1. pag. 190, negant hos libros esse Sixti, *cum Pelagianis erroribus scateant, quos Sixtus, cum adhuc Presbyter esset, damnavit*, ut patet ex Epistola 105. Augustini ad Sixtum.

Sixti 3. Epistola ad omnes Orientales, quæ extat tom. 1. Conc. citatur à Bellarmino lib. 1. de Conciliis cap. 12. ut probet *Concilia debere convocari à Romano Pontifice*. Sed data esse dicitur *Valentiniano & Florentino Coss.* cum tamen tempore Sixti, teste Baronio, nulli tales simul fuerint Consules.

Acta Sixti 3. quæ habentur tom. 1. Concil. citantur à Bellarmino lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 18. ut probet, *Episcopum Romanum deposuisse Polychronium Episcopum Hierosolymitanum*. Sed Baronius ann. 433. n. 36. & seqq. Binnius in notis tom. 1. Conc. p. 932. probant, hæc Acta esse *spuria & illegitima*.

Vita Ambrosii descripta à Paulino Episcopo Nolano citatur ab Anglo-Rhemensibus in annot. Johan. 20. vers. pro *auriculari confessione*. Sed Erasmus in Censur. tom. 1. Ambros. Baronius Ann. 397. num. 36. Possevinus in Apparatu, in verbo Paulinus, Bellarminus lib. de script. Eccles. ad Ann. 420. Gretserus libr. 2. de jure & more prohibendi libros malos cap. 4. statuunt, *esse eam alterius Paulini quam illius Episcopi Nolani.*

Pistorius in lib. de una specie p.315. scribit, *proprie sciri non posse, quis ille Paulinus fuerit.*

Prosperi libri tres de promissionibus & prædictionibus Dei citantur à Bellarmino libro 2. de Missa cap. 9. pro *multiplicatione Missarum uno eodemque die & loco*; à Coccio tom. 1. Thes. libr. 6. artic. 18. & à Serario prolog. 3. comm. in libr. Macc. ut probent, *libros Maccabæorum esse Canonicos.* Sed Johannes Olivarius præfat. in Prosp. opera ad Lectorem de illis sic scribit: *Ut libri de promissionibus & prædictionibus Dei Prosperi non videantur, non ex eo tantum sit probabile, quod Gennadius & Trithemius recensentes, quæ ab illo scripta sunt, hujus operis non meminere, sed etiam ex phrasis ac styli dissimilitudine.* Idem fuit judicium Bellarmini in Indice Manuscripto cum Censura, quod tamen in indicis editione fuit prætermissum. *Sunt hi libri multis in locis mutili ac mendosi.*

Faustus Regiensis Episcopus, qui scripsit *de gratia & libero arbitrio* numeratur à Bellarmino inter *Catholicos* autores, qui pro *defensione liberi arbitrii* scripserunt, libr. 3. de grat. & lib. arbitr. cap. 1. §. Ex Latinis. Sed idem Bellarminus lib. de scriptor. Eccles. pag. 155. varios hujus Fausti *errores* recenset ac subjungit: *Hæc admonere volui propter aliquos, qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse* contendunt. Idem lib. 6. grat. & lib. arbitr. cap. 4. § 1. Faustum numerat inter eos, qui *Pelagianis occulte & sub nomine Catholico in Galliis favere studuerunt.*

Libri quinque Vigilii Episcopi Tridentini & Martyris contra Eutychen, qui habentur tom. 5. Biblioth. Patr. & Hæreseol. autorum 18. citantur à Coccio tom. 2. libr. 5. artic. 9. pro *usu olei & chrismatis in Baptismo.* Sed autores notarum huic libro præfixarum pag. 594. de eo sic judicant: *Nimirum plane & perspicue videtur ostensum, autorem horum librorum contra Eutychen esse non posse S. illum Vigilium Tridentinum Episcopum & Martyrem, cum Gennadius, Honorius & alii, cum percensent scripta Vigilii Tridentini, hujus adversus Eutychen commentarii nullam mentionem faciant.* Bellarminus de script. Eccles. pag. 237. *Quis fuerit iste Vigilius, non satis liquet. Non enim potest esse Vigilius Episcopus Tridentinus & Martyr. Ille enim vixit tempore Ambrosii, ad quem etiam est Epistola ejusdem Ambrosii. Et ex vita ejus, quæ extat apud Lipomanum & Surium, constat, eum Martyrio coronatum sub Stilicone Honorii Imperatoris Duce.*

Homilias 48. Cæsarii Arelatensis, qui habentur in Biblioth. Patrum, Baronius Ann. 34. num. 323. & in not. ad Martyrol. Rom. Aug 27. prædicat ut *vere aureas*, in quibus *antiqua Ecclesiæ Gallicanæ pia doctrina cum sacris traditionibus ac ritibus, quam fidelissime referatur*, easque *vere germanas* asserit. Octava, quæ est 1. *de eleemosyna* citatur à Bellarmino libr. 4. de pœnit. cap. 9 & Baronio Ann. 506. num. 6. pro *pœnis purgatoriis & liberatione ex eis per suffragia.* Sed ea est apud Augustinum sermo 4. de sanctis. Homilia 1. de Quadragesima citatur à Coccio tom. 2. lib. 7. de pœnit. art. 4. pro *satisfactionibus.* Sed ea ex parte est Eusebii Emisseni 10. ad Monachos. Homilia 2. de Quadragesima citatur à Baronio Anno 506. num. 7. pro *jejunio quadragesimali.* Sed ea ex parte est Augustini sermo 62. de tempore. Homilia 7. citatur à Coccio tom. 2. libr. 7. de pœnitent. art. 3. Bellarmin. lib. 3. de pœnit. cap. 10. pro *auriculari confessione.* Sed ea apud Augustinum est sermo 58. de tempore. Homilia 3. de paschate citatur à Coccio tom. 1. lib. 2. de Christo artic. 4. ut probet, *Christi animam ad liberandas sanctorum animas in limbum descendisse.* Sed eadem est Eusebii homil. 3. de pasch. Homilia 38. citatur à Coccio d. l. sed Margarinus in not. præfixis monet, *alterius potius esse, quam Cæsarii, cum in eo mentio fiat Isidori & Gregorii.* Homiliæ 6. 7. 8. 9. & 10. citantur à Bellarmino libro 3. de pœnit. cap. 10. pro *auriculari confessione*, aliæ ab aliis passim citantur. Sed non sunt magnæ autoritatis, cum non constet, quem verum autorem agnoscant. Homilis 5. de pasch. quæ incipit, *Magnitudo cœlestium &c.* eadem est cum homilia 5. de pasch. apud Eusebium Emissenum, & cum sermone de corpore & sanguine Domini apud Hieronym. tom. 10. Homilia 4. de diligendis inimicis, quæ incipit, *In divinis voluminibus &c.* eadem est cum sermone 168. de tempore apud Augustinum. Homilia 21. quæ incipit, *Frequenter diximus &c.* eadem est cum sermone 60. ad fratres in eremo apud Augustinum. Homilia 23. quæ incipit, *Sicut à nobis &c.* eadem est cum 4. ad Monachos apud Euseb. Emissenum. Homilia 25. quæ incipit, *Scimus quidem &c.* eadem est cum homilia 5. ad Monachos apud eundem Emissenum. Homilia 26. quæ incipit, *Fratres charissimi &c.* eadem est cum homilia 6. ad Monachos apud Emissenum. Quid autem de Eusebii Emisseni homiliis ipsimet adversarii statuant, vidimus superius in Eusebio Emisseno.

Fulgentii sermo de laudib. Mariæ, cujus exordium, *Nativitatis Domini &c.* citatur à Bellarm. lib. de beat. sanct. c. 19. & aliis pro *invocatione sanctorum.* Sed Lovaniens. in Cens. tom. 10. oper. Aug. in libris quibusdam descriptis Severiano cum tribus aliis asserunt. Cum enim de serm. 15. de tempore Augustini illud asserant, ideo de hoc Fulgentii sermone, qui cum Augustiniano illo prorsus congruit, idem merito affirmatur. Sed nec Augustini, nec Severiani, nec Fulgentii esse ostendit, quod in eo dicitur, *virginem Mariam nescio quos Naturæ cursus in Domino nostro Jesu Christo suscepisse, ut omnibus ad se confugientibus fœminis subveniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium nova Eva servando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam novus recuperat Dominus Jesus Christus.*

Justiniani Epistola ad Johannem 2. Papam citatur à Bellarmino lib. 4. de Ecclesia capite 5. ut probet, *Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum.* Sed de illa Alciatus in parerg. juris lib. 4. cap. 23. sic scribit: *Sunt, qui dicant, in antiquis Codd. Manuscriptis hanc Epistolam non inveniri. In recentioribus aliquot Codd. hæc verba in margine notantur: Hæc Epistola in aliquibus non habetur & propterea non glossatur*, inquit Gregorius Haloander. Confer Hottomannum lib. 1. amicabil. respons. cap. 1.

Primasii commentarius in Epistolam ad Hebræos citatur à Bellarmino lib. 1. de Missa cap. 6. pro *sacrificio Missæ*; ab Anglo-Rhemensibus in annot. Hebr. 13. v. 16. pro *stabiliendis operum meritis*, ex verbis Apostoli, *Talibus hostiis promeretur Deus.* Sed Salmeron Disp. 20. in Epist. Pauli de eo sic loquitur: *Primasius & Haymo (qui trecentis, vel, ut alii volunt, quadringentis annis Primasio posterior fuit) tam sibi similia & consona scribunt, ut ab uno eodemque autore dicta videantur.* Id de commentariis in Epistolam ad Hebræos vel maxime probat mutua collatio.

Anastasii Niceni Episcopi Responsio ad interrogationes orthodoxorum aliquorum de diversis capitibus Ecclesiasticis, quæ habetur tom. 1. Biblioth. Patrum, citatur à Baronio Ann. 56. n. 38. pro *auriculari Confessione.* Sed eadem in eadem causa citatur ab Andradio lib. 8. orthod. explic. sub nomine *Anastasii Patriarchæ Antiocheni*, cum tamen nec Niceni nec Antiocheni Anastasii esse possit. Nam Anastasius Antiochenus mortuus est ann. 599. teste Baronio ad annum 599. n. 8. cum Autor hujus responsionis citet Maximum Monachum, qui mortuus est anno 657. & canonem 85. Synodi sextæ, quæ habita est ad annum 692. & Nicephorum Archiepiscopum Constantinopolitanum, qui obiit anno 828. Anastasius ultimus ejus nominis Niceæ Episcopus, de quo legimus, subscripsit Synodo quintæ sub Menna, quæ celebrata fuit circa annum 536.

Gregorii Turonensis libri citantur à Bellarmino & aliis pro confirmandis miraculis, ex quibus *invocationem sanctorum* stabilire conantur. Sed Baronius Ann. 109. illum *nimiæ simplicitatis* arguit, *utpote multa facile admittentem.*

Gregorii Magni libri sex Commentariorum in libros Regum citantur à Bellarmin. lib. 1. de ordine cap. 3. ut probet, *ordinationem esse Sacramentum*; lib. 2. de pœnit. cap. 12. ut probet, *contritionem esse causam remissionis peccatorum*; lib. 4. de pœnit. cap. 9. ut probet, *errare eos, qui propter verba Pauli, unusquisque uxorem suam habeat, putant, Ecclesiasticis personis conjugium esse permissum.* Sed Claudius Chevallonius, qui Gregorii opera Parisiis Anno 1533 edidit, non habet commentarios illos in libros Regum, quin & ex Trithemio docet, quos Gregorius in libros Regum scripsit commentarios, periisse.

Gregorii Expositio in Canticum Canticorum citatur à Bellarmino lib. de Confirm. cap. 3. ut probet, *Confirmationem esse Sacramentum*; lib. ejusd. cap. 7. ut probet, *balsamum cum oleo misceri solitum in Sacramento Confirmationis*; lib. ejusd. cap. 8. ut probet, *Chrisma, quod est materia Sacramenti Confirmationis, prius consecratum & benedictum esse debere.*

Sed Possevinus in Apparatu in verbo Gregorius Magnus, de eo sic judicat: *Sciendum est, hunc Commentarium non esse Gregorii Magni, quippe cujus tum expositio in Canticum Canticorum, tum in alia quædam, post obitum Gregorii Magni fuere, ut Johannes Diaconus scribit, ab invidis prius concremati quam editi.* Pamelius in Præfat. ad Lectorem in Append. Gregor. tom. 2. op. Gregor. Ant. Anno 1572. fol. 357. *Commentarius in Canticum, qui extat sub Gregorii titulo, nusquam illi, sed ubique in MSS. Codd. Isidoro adscriptus reperitur.*

Episto-

Epistola Gregorii ad Johannem Syracusanum, quæ extat in Registro lib. 7. citatur à Bellarmino lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 14. & aliis pro *Primatu Pontificis Romani*. Sed hæc Epistola est in numero earum de quibus Huldricus Coccius Præfat. in opera Gregorii Basileæ edita scribit: *Epistolarum librum, magnum sanè, & qui multa, eaque varia continet, requirere lectorem circumspectum & prudentem, & qui non careat judicio.* Dicitur in ea Epistola: *Quis neget Constantinopolitanam Ecclesiam Sedi Apostolicæ subjectam? quod & Dominus piissimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assiduè profitentur.* Sed tempore Gregorii contrarium professus est Mauritius Imperator, ac tempore Gregorii, imò multis sive ante sive post eum annis, nullus Episcopus Constantinopolitanus fuit dictus Eusebius.

Privilegium, quod Gregorius concessisse dicitur Monasterio S. Medardi, habetur ad finem lib. 12. Epistolarum, citatur à Bellarmino lib. 2. de Rom. Pont. cap. 19. ac in libro contra Barclaium cap. 40. Baronio tom. 6. Anno 593. n. 79. & Costero in Apol. contra Gomarum part. 1. p. 65. ut probent, *Pontifici licere Principes deponere.*

Sed Baronius Ann. 593. n. 85. de eo sic scribit: *Advertendum est, subscriptionem Episcoporum & Regis Francorum Theodorici haud congruere istis temporibus, siquidem complures Episcopi, qui subscripsisse reperiuntur, post aliquot abhinc annos creati noscuntur, velut inter alios Augustinus Episcopus Cantuariensis & Mellitus Londinensis, quos constat neque hoc tempore profectos esse in Angliam, quo etiam neque Theodoricus regnabat in Galliis.* Postrema illa Baronii verba suppeditant argumentum, quo non solùm subscriptio, sed ipsum etiam privilegium suppositionis convincitur, quia dicitur in privilegio, quod *ad petitionem Theodorici Regis sit concessum.* (Possunt addi argumenta alia. Nam neque tum solebat adscribi Annus Christi, cum ibi notetur *quingentesimus nonagesimus tertius*: neque aut poterat aut solebat Gregorius Regibus & Antistibus & Judicibus minari *honoris privationem*, cum constet tum temporis, ac ne postea quidem, in Reges ullum habuisse imperium Episcopos Romanos. Adhæc Medardus jam defunctus in sanctis habitus, *Dominus* subinde appellatur, quod recentiorem olet superstitionem, sed & ea privilegia huic Monasterio conceduntur, quæ temporum rationi non satis congruere videntur, *ut nullius dominio locus subesset, ut quicunque eum locum adiret, privaretur dominio alterius, hoc est, in libertatem plenam vindicaretur.* Thomas Jamesius Proto-Bibliothecarius Oxoniensis, *hanc Epistolam de Monasterio S. Medardi in septem Manuscriptis Gregorii operibus minimè haberi*, observavit, referente Mortono in Dissert. contra Bellarminum de offic. Principis cap. 6. sect. 16. p. 257.)

Additamentum ad finem Dialogorum Gregorii, sub nomine *Petri & Johannis*, Gregorii Diaconorum ex Vaticana Bibliotheca prolatum, citatur ab Alphonso Ciacone in Apol. pro Hist. Trajani, ut probet, *precibus Gregorii Trajani animam ab inferis fuisse liberatam.*

Sed Commentum illud Bellarminus & Baronius repudiant. Sic enim Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 8. scribit: *Hoc testimonium mihi valdè est suspectum. Nam si illud esset verè Petri Diaconi, non diceret Johannes Diaconus, Historiam hanc non extare in Romana Ecclesia, sed solum apud Anglos. Præterea iste Petrus dicit, Gregorium à Deo petivisse, ut quotquot sepelirentur in Ecclesia S. Andreæ in clivo Scauri, non possent damnari, dummodo fidem tenuerint Christianam, & impetravisse. At certè Gregorius vir prudentissimus nunquam ita orâsset &c. Adde, quod totum illud fragmentum redolet novitatem, & proinde suppositium videtur.* Baronius Anno 604. n. 50. *Non ista Petrus atque Johannes S. Gregorii Papæ Diaconi dixere, vel scripsere, neque istius temporis scriptio illa esse probatur, sed longe posterioris seculi.* Et quia prædictus Alphonsus urgebat, *additamentum illud ex Vaticana Bibliotheca esse prolatum*, subjicit: *Execratione insectanda sunt, quæ nomine Petri & Johannis Diaconorum S. Gregorii in medium afferuntur ex Codice Vaticano scripta, quæ ob id recipienda simplices putant, tanquam divinum oraculum, quasi non omnis Bibliotheca referat similitudinem sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis, bonos & malos continens libros, probatos & improbatos, utiles & inanes simul amplexans.* Quæ postrema verba probe notanda propter alia, quæ ex Vaticanis Codicibus nostro seculo sunt prolata.

Isidori Hispalensis Episcopi liber de vita & morte Sanctorum citatur à Bellarmino lib. 2. de Romano Pontif. cap. 4. & 5. ut probet, *Petrum Romæ usque ad mortem Episcopum fuisse*; à Coccio tom. 1. lib. 7. de Hierarch. Eccles. art. 4. p. 809. ut probet, *Petrum universæ Ecclesiæ Principem & Pastorem ab ipso Christo constitutum fuisse*; ab aliis alia de causa.

Sed Baronius Anno 816. num. 50. vocat eum *Pseudo-Isidorum*: & in not. ad Martyrol. Roman. Maji. 1. *alterius cujuspiam potius opus, quàm Isidori esse* affirmat. ibid. Julii 25. *complura in eo indigna Isidoro reperiri coagmentata mendacia* scribit:

Præfatio de origine Conciliorum, quæ habetur ad initium tom. 1. Concil. sub nomine *Isidori Hispalensis*, citatur à Coccio tom. 1. lib. 7. de Hierarch. Eccles. art. 6. ut probet, *Romanum Pontificem esse verum successorem Petri*; à Pighio lib. 6. Hierarch. Eccles. cap. 6. ut probet, *Anacleti Papæ Epistolam illius genuinam esse*; à Bellarmino lib 2. de Rom. Pontif. cap. 14. ut probet, *Epistolas Decretales Clementis, Anacleti, Evaristi &c. esse antiquissimas*; à Turriano lib. 5. pro Epist. Pont. cap. 23. ut probet, *Epistolas Decretales esse eorum, quorum nomina præ se ferunt.*

Sed Baronius in notis ad Martyrol. Romanum Aprilis 4. ex eo, quod longe ante Synodi Toletanæ 11. ac Papæ Agathonis tempora, quorum duorum in hac præfatione fit mentio, Isidorus Hispalensis obierit, colligit, *errasse & Hincmarum Rhemensem Episcopum, & Trithemium & alios, qui Præfationem illam Isidoro Hispalensi tribuunt.*

Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani Pratum spirituale, quod habetur tom. 2. Bibliothec. Patrum, edit. 3. sed in tomo 7. edit. 2. & Colon. Ann. 1583. seorsim excusum est, aliquoties citatur à Copo, qui Dial. 3. cap. 26. de eo sic scribit: *Fuit certè Sophronius pietate ac doctrina singulari. Is insignem quendam summa & singulari quadam fide librum contexuit,* (Patrum spirituale) *in quo multa sunt, quæ penitus evertant novam omnem Theologiam, maximè verò eam, quæ vel vitam Monasticam, Sanctorum honorem, ac miracula impugnat vel ferre non potest, quod homines sacrilegi per sanctos defunctos castigantur.* Ambrosius Camaldulensis dicitur hunc librum ex Græco in Latinum transtulisse tom. 2. Biblioth. col. 535.

Sed Costerus in tabula Doctorum præfixa Enchiridio, non Sophronium, sed *Johannem Eviratum* ejus Autorem facit, quod patet etiam ex cap. 77. ubi Autor ejus libri vocatur *Abbas Johannes*, qui eum inscripsit non Sophronio Hierosolymorum Episcopo, sed *Sophista*, quem filium suum aliquoties appellat. Coccius sub titulo *Johannis Moschi* eum passim citat. Bellarmin. lib. 2. de Imag. cap. 12. *ἀνώνυμος* eum allegat. Possevinus in Apparatu sacro tom. 2. p. 46. in verbo Sophronius, de eo sic scribit: *Quisquis fuerit Autor, nonnunquam inserit ea, quæ parum tutam fidem faciunt, quæ & vel relata à non fide dignis atque interdum aspersa mendacio cum delectu secernenda sunt ab aliis.* Baronius Ann. 407. n. 35. cum unum atque alterum mendaciū in unica narratione ex eo observasset, subjungit: *Cum hæc compingat eâ narratione mendacia, quæ fides in reliquis?* quod Possevini & Baronii de hoc libro judiciū opponendum est Aloysio Lipomano, qui in Præfat. hunc librum maximopere commendat, & Bellarmino, qui in lib. de Script. Eccles. p. 253. dicit, *esse librum magna ex parte utilem.*

In tomis Epistolarum Pontif. Rom. inter *Epistolas Leonis II.* habetur *Epistola*, quæ dicitur missa *ad Constantinum Imperatorem*. Illa citatur à Coccio tom. 1. lib. 7. art. 21. de Hierarch. Eccles. p. 659. ut probet, *Concilia Episcoporum à Pontifice Romano confirmata esse summæ autoritatis*; ibidem habetur altera Epistola sub nomine Leonis II. ad Præsules in Hispania constitutos, quæ citatur ab eodem tom. 1. lib. 7. art. 7. ut probet, *Romanos Episcopos inde usque ab initio Primatum in alias Ecclesias exercuisse.*

Sed Baronius Ann. 683 num. 13. 14. & 17. utramque suppositiam esse docet. *Quæ ad Constantinum reddita habetur Epistola Leonis II. arguitur in multis impostura esse. Nec esse eas Leonis Epistolas, sed potius Leonis nomine suppositas quilibet poterit facile existimare.* Idem statuunt Possevinus in Apparatu sacro in verbo Leo II. Binnius in not. tom. 3. Concil. p. 113.

Damasceni liber, de iis, qui in fide migrarunt, citatur ab Alano lib. de defunctis cap. 14. Peresio lib. de Tradit. Bellarmino lib. de Purgator. cap. 10. §. 5. Salmerone Disp. 27. in 1. Cor. 15. & aliis passim pro *Purgatorio.*

Sed suppositium esse, agnoscunt quidam ex ipsis Adversariis. Joh. Lensæus de Limbo lib. 3 cap. 12. *Librum istum non esse Damasceni, non injuria videri potest.* Suarez part. 3. Thom. q.

52. art. 8. Disp. 53. sect. 3. *Opus illud, quod Damasceno tribuitur merito creditur non esse illius, quia in ea oratione habetur error contrarius doctrinæ Damasceni*, lib. 2. de fide cap. 4. & *quia incredibile est, Gregorium orasse pro Trajano Imperatore, cum ipse lib. 34. Moralium cap. 13. doceat, non esse orandum pro damnatis.* Lorinus Jesuit. in cap. 10. Act. v. 20. *Ego Abulensis sententiam non probo, in eo, quod ait de Trajani suscitatione, quæ nullo certo Autore affirmatur, & Pseudo-Damascenus eo loco, ubi de liberata ejus anima scribit &c.* Bellarminus ipse, qui d. l. hanc Orationem sub nomine Damasceni citaverat, lib. 2. de Purgat. cap. 8. art. 5. negat esse *Damasceni*, idque facile probari posse asserit. Historiam de Trajano & Falconilla, quæ in hoc libro habetur, repudiant Melchior Canus lib. 11. Locor. cap. 2. p. 455. Dominicus à Soto lib. 4. Sent. dist. 45. q. 2. art. 2. Possevinus in Apparatu tom. 1. p. 865. Bellarminus in lib. de Script. Eccles. in verbo Damascenus respondet, *fieri potuisse, ut Damascenus, vir alioqui prudens & doctus, fidem illis narrationibus nimis facile habuerit, neque de veritate investigandâ solicitus fuerit*, qua ratione Damascenum insipientiæ maluit accusare, quam scriptum illud supposititium esse fateri.

Historia de Barlaam & Josaphat sub nomine Damasceni citatur ab Alano lib. de defunct. cap. 14. pro *exequiis mortuorum.*

Sed Possevinus d. l fatetur, *non defuisse, qui de illa Historia ambigebant, an esset Damasceni?* Ac Bellarminus dubium illud, quod in hac Historia *Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedere* dicitur, cum Damascenus lib. 1. Orth. fidei cap. 11. *Spiritum à Patre per Filium procedere* doceat, non potuit alia ratione solvere, quàm ut diceret, *particulam, ex Filio, à quodam videri additam, cum in editione per Billium castigata non habeatur.* Sed eadem facilitate dici potest, fuisse eam à Billio abrasam.

Ex Oratione 3. de Imaginibus Coccius citat dictum Anastasii Sinaitæ tom. 1. Thes. lib. 5. art. 15. pro *cultu Imaginum.*

Sed Baronius Ann. 31. n. 75. de Orationibus illis tale profert judicium, quod *fides illius scripti in multis vacillet & compluribus mendaciis scateat.*

Turpini Historia de rebus gestis Caroli Magni citatur à Jacobo de Voragine in Legenda in commemorat. animar. pro *Purgatorio.*

Sed Baronius Anno 812. n. 18. & Ann. 816. de eo sic judicat: *Est mentitus Autor fabulosus, somniorum ac fabularum vanus consector sub nomine Turpini.* Possevinus in Apparatu sacro in verbo Turpinus. *Libellum, qui Turpino affingitur, ab homine imperito ac mendaci scriptum multa arguunt.*

Simeonis Metaphrastæ Vitas Sanctorum adducit Bellarminus libr. de cultu Sanctorum cap. 8. §. Secundo probatur, & §. Socrates &c. ut probet, *peregrinationes ad loca Sanctorum.*

Sed idem Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccles. & Baronius tom. 10. Ann. 859. fatentur, *à posterioribus quasdam Historias huic Metaphrastæ additas*, & diserte addunt, *Metaphrasten ex proprio ingenio multa addidisse, ac vitas Sanctorum scripsisse non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt*, h. e. officiose aliquid admentitum fuisse. (Quæ ex Metaphraste afferuntur, suspectæ sunt fidei. Solet enim ille nuperus Græculus vanissimas fabulas consectari. Discas gravitatem Autoris ex nuptiis illis in Cana Galileæ, in quibus Johannem Evangelistam Sponsum fuisse asserit, quod refutant Croquetius Catech. 215. & Baronius Ann. 31. §. 30.)

Anshelmi Commentarii in Epist. Paulinas sæpius citantur à Pontificiis. Comment. in 1. Corinth. 13. citat Bellarminus lib. 1 de Purgat. cap. 10. pro *Purgatorio*; Comm. in 2. Cor. 5. citat idem lib. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 15. pro *immaculata conceptione Virginis Mariæ*; Comment. in 2. Tim. 2. citat idem lib. 5. de grat. & lib. arbit. cap. 26. pro *libero arbitrio.*

Sed supposititios esse agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis. Simeon Codurus vir doctus, autoritate cujusdam Simeonis Fontani docuit, *Commentarios in Epistolas Pauli falsò tribui Anshelmo, & esse Hervei cujusdam seculis tribus Anshelmo recentioris.* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. in verbo Anshelmus. *In Paulum Apostolum Commentarios in vetustis exemplaribus Herveo Monacho inscriptos invenimus.* Possevinus in Apparatu in verbo Hervæus. *Hervæus Natalis scripsit hos Commentarios in Epistolas Pauli, qui falsò inscribuntur Anshelmo.* Idem in verbo Anshelmus Cantuariensis *Non Anshelmo sed Herveo, qui putatur ante 250. annos vixisse, vetusta exemplaria & docti viri, inter quos fuit Simon Fontanus vir acris judicii, adscribunt Commentarios in Epistolas Pauli.* Idem probat Bellarminus lib. de Script. Eccles. ad Ann. 181. tribus argumentis, 1. *Edinerus hos Comm. non numerat inter Anshelmi opera.* 2. *vetus inscriptio habet, quod sint Hervei.* 3. *contexti sunt ex aliorum explanationibus & leviores, quàm esse solent Anshelmi scripta.* Potuisset 4. addere, quod quædam in his Commentariis occurrant, quæ cum genuinis Anshelmi scriptis pugnant, quale est illud de immaculata Virginis conceptione, cujus contrarium habet Anshelmus lib. 2. cur DEUS homo, cap. 16. lib. de concept. Virginis cap. 14. 15. & 20.

Commentarius in Mathæum citatur à Bellarmino lib. 1. de matrim. cap. 16. ut probet, *matrimonium esse insolubile quoad vinculum.*

Sed idem Bellarminus lib. de Script. Eccles. dubitat, an sit Anshelmi? *cum non sit credibile, ab Edinero potuisse omitti, qui tam minutè opuscula numeravit: præterea non invenitur*, inquit, *in editione Parisiensi Anno 1544. in qua dicuntur esse omnia opera Anshelmi.*

Opusculum de excellentia B. Virginis Mariæ citatur à Bellarmino lib. 1. de sanct. beat. cap. 19 pro *invocatione sanctorum.*

Sed idem Bellarminus de Script. Eccl. judicat, non esse Anshelmi, quia *non habet stylum nec gravitatem Anshelmi, ac Edinerus ejus non meminit.*

Epistola Anshelmi ad Coepiscopos Angliæ citatur à Bernhardino de Bustis in Materiali in Offic. de concept. Virgin. lect. 3. f. 55. ut probet, *Mariam fuisse à peccato originali immunem.*

Sed Gabriel Barelet in serm. de Sanct. impress. Paris. 1507. affirmat, *hæc non esse Anshelmi, sed conficta ab aliquo, qui stolidum vulgus decipere voluit.* Neque id immerito, quia in genuinis Anshelmi scriptis habetur contrarium.

Oecumenii Commentarius in 1. Cor. 3. citatur à Bellarmino lib. 1. de Purgatorio cap. 5. pro *Purgatorio.* Comm in 1. Tim. 3. citatur ab eodem lib. 1. de Clericis cap. 19. pro *cælibatu Sacerdotum.* Sed Possevinus in Apparatu in verbo Oecumenius, de eo sic scribit: *Quamvis in Sixto Senensi & ab aliis hactenus Oecumenius habitus sit Scholiorum ad Epistolas Pauli Autor, rectè tamen mihi scripsit Fronto Ducæus, ea non esse Oecumenii, nisi ex parte, nec Autorem illius catenæ tàm antiquum fuisse &c.*

Bernhardi sermo de Cœna Domini citatur à Gregorio de Valentia lib. 2. de Transsubstant. cap. 3. p. 387. pro *Transsubstantiatione.* Sed qui Bernhardi opera Parisiis Anno. 1517. edidit, sermonibus quibusdam, inter quos etiam est hic de *Cœna Domini*, talem præfixit annotationem p. 397. *Quamvis hi, qui sequuntur, sermones boni & utiles reperiantur, quia tamen procul dubio non à nostro Bernhardo editi fuerunt, idcirco cum suis nitidis operibus, sicuti antehac fuerant, interseri noluimus, sed seorsim imprimendos utilius duximus.* Bellarm. de Script. Eccles. ad Ann. 1130. *sermonem hunc longè à stylo Bernhardi distare* agnoscit.

Cum ergo totae tam varii libri sub augustis sanctorum Patrum nominibus expositi, sint quorundam ex ipsis Pontificiis suffragio supposititii, ex quibus tamen Adversarii sua confirmare, nostra verò infirmare nituntur dogmata, manifestum ex eo est, quid de hoc probationis genere statuendum sit, ac quam omnino præposterum sit, Patrum scripta statuere infallibilem fidei regulam.

Posset huic Scriptorum supposititiorum Catalogo, quibus tamen quidam ex Pontificiis in confirmatione dogmatum utuntur, addi triplex observatio.

Primo, quod quidam Pontificii in controversiis fidei utantur ejusmodi Scriptorum testimonio, quæ vel sunt supposititia, vel dubiæ fidei, quamvis de iis non possint proferri quorundam ex ipsis Pontificiis suffragia, quod sint supposititia, vel dubiæ fidei. Exempli gratia. *Libros quatuor Dialogorum Gregorii Magni* omnes Pontificii habent pro genuinis, ac crebro illorum testimoniis utuntur in quæstionibus, *de Purgatorio & invocatione Sanctorum*, ut constat ex Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 10. & lib. 1. de beat. Sanct. cap. 19. Sed argumentis non contemnendis probari potest, libros illos falsò tribui Gregorio magno. In scriptis enim Gregorianis genuinis magna semper est dictionis æqualitas, magna semper styli similitudo ac aptè continuata orationis series, ut docet *Sixtus Senensis* lib. 4. Biblioth. de falsa lib. inscript. ac *Baronius* in notat. ad Martyrol. Rom. Martii 12. ex Ildephonso scribit, quod *Gregorius ipsum Cyprianum eloquentia vincat.* At in his Dialogis loquentiæ multum, eloquentiæ parum, phraseos & dictionis barbaries multa, styli æqualitas & apta orationis continuatio nulla, adeoque magna dissimilitudo cum genuinis

nis Gregorii scriptis. Materia horum Dialogorum falsa est & ridicula doctrina, quæ in illis traditur, ac doctrinæ, quam in genuinis scriptis Gregorii invenimus, contraria, ut ostendit Robertus Cocus in Censura p. 209. ex quo, uti etiam ex Autoribus Historiæ Ecclesiasticæ Magdeburgensibus, Andrea Riveto in Critico sacro, Ivello contra Hardingum, Rainoldo in Colloquio cum Hatto, & in Apologia thesium &c. plura hujus generis exempla colligi possunt.

Secundo, quod de quibusdam veterum scriptis ipsimet nondum consentiant, an sint genuina vel supposititia, quamvis illorum testimoniis ad confirmationem dogmatum fortenondum fuerint usi. Exempli gratia:

Epistolam, quæ sub nomine *Salvatoris ad Abagarum Edessæ Principem*, extat apud Eusebium lib. 1. Histor. cap. 13. Baronius in Annal. suos redegit Ann. 31. n. 59. ac. Petrus de Natalibus in Catal. Sanct. lib. 4. cap. 43. de ea sic scribit: *In civitate Edessæ nullus hæreticus Judæus vel idololorum cultor vivere potest, sed nec barbari eam aliquando invadere poterunt, ex quo Agabarus Rex ipsius urbis Epistolam manu Salvatoris scriptam accipere meruit. Si quando gens aliquando contra eandem civitatem venit, die quâ lecta fuerit Epistola per puerum super murum, eâdem die hostes aut territi fugiunt, aut pacati recedunt.* Sed Erasm. in Epist. ad Lect. præfixa tom. 4 op. Hieron. Paris. Ann. 1533. eam supposititiam esse recte statuit. *Impudentissimæ sunt illæ inscriptiones, Epistolæ Jesu ad Abagarum, & Abagari ad Jesum.* Melchior Canus lib. 11. Loc. c. 6. *Gelasius Epistolam illam ad Abagarum explosit.* Coster. in Enchir. controv. c. 1. de Scrip. *Eusebius refert, Christum dedisse literas ad Abagarum Regem, sed neque illæ propria Christi manu extant, nequnquam ab Ecclesia pro ejusmodi acceptæ sunt.*

Epistolæ Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum recensentur à Sixto Senensi lib. 8. Bibl. sanct. in verbo *Paulus Apostolus*. Jac. Faber Viennensis Episcopus breves Commentariolos in eas scripsit. Salmeron in Comm. Phil. 4. v. 22. eas adducit, ut probet, *Senecam fuisse unum ex iis in familia Cæsaris, qui salutarunt fideles Philippi*: quinimo Disp. 3. in Epist. Pauli asserit, *materiam illarum Epistolarum non multùm certè distare ab illis Johannis Evangelistæ ad electam Dominam, & ad Cajum aut Apostoli Pauli ad Philemonem.* Margarinus de la Bigne tom. 7. Bibl. Patr. in not. ad lib. Lini de passione Pauli, fidem harum Epistolarum tuetur. Sed spurias & supposititias illas esse quidam ex Pontificiis agnoscunt. Erasm. Schol. in Hieron. de Eccl. Script. in verbo Seneca. *Hæ Epistolæ falsò inscribuntur Paulo & Senecæ. Nihil in illis est neque Paulo dignum neq; Seneca.* Ludovicus Vives in Comm. lib. 6. Augustin. de Civ. Dei c. 10. *Epistolæ, quæ circumferuntur Pauli ad Senecam & hujus vicissim ad illum, non credo ab illis esse scriptas.* Baron. An. 66. n. 11. *Epistolæ illæ tùm ad Paulum conscriptæ tùm à Paulo ad eum redditæ, æque nobis suspectæ redduntur, quamvis sciamus eas non recens esse excogitatas, sed antiquitùs scriptas & à S. Hieronymo cognitas atque probatas.* Possevinus in Apparatu in verbo Seneca. *Sixtus Senensis non solùm propendet in eam sententiam, ut Epistolæ illæ mutuæ Pauli & Senecæ eorundem fuerint, verum etiam testimoniis Hieronymi, Augustini, Lini Pont. Max. ad id astruendum utitur. Atqui neq; Linus is fuit, & Acta Pauli ei scripta reprobata fuerunt, ut Apocrypha, nec ipsæ Epistolæ ita cohærent, ut eorum scripsisse, quibus tribuuntur,* id quod ibidem aliquot argumentis confirmat. Ubi probe notandum, Epistolas illas ab Hieronymo in Catal. Script. & Augustino Epistol. 14. citari, ac nihilominus à Baronio & Possevino inter supposititia scripta numerari.

Commentaria in Epistolas Pauli, quæ in *Bedæ* operibus extant tom. 6. Baronius tom. 7. Annal. ad Annum 562. censet, non esse Bedæ, sed *Petri Tripolitani Abbatis*. Contrà vero Bellarminus lib. de Script. Eccl. p. 266. tribus argumentis evincere conatur, *illa omninò esse Bedæ*.

Tertio, quod sub ipsorum Apostolorum nominibus plurima Apocrypha & supposititia in Ecclesia olim extiterint, ut constat non solum ex Irenæo lib. 1. cap. 11. Eusebio lib. 3. Hist. cap. 3. & 22. sed etiam ex Gelasio in c. Sancta Romana. dist. 15. ubi sic legitur: *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis lib. 8. Apocryphum. Actus nomine Andreæ Apostoli Apocryphus. Actus nomine Philippi Apocryphus. Actus nomine Petri Apostoli Apocryphus. Actus nomine Thomæ Apostoli Apocryphus. Evangelia Thaddæi nomine Apocrypha. Evangelia nomine Thomæ Apostoli, quibus Manichæi utuntur, Apocrypha. Evangelia nomine Barnabæ Apostoli Apocrypha. Evangelia nomine Bartholomæi Apostoli Aopcrypha. Evangelia nomine Andreæ Apostoli Apocrypha. Evangelia, quæ falsavit Lucianus Apocrypha. Evangelia, quæ falsavit Hyritius, Apocrypha. Liber de infantia Salvatoris Apocryphus. Liber de nativitate Salvatoris, & de S. Maria, & de obstetrice Salvatoris Apocryphus &c. Liber qui appellatur Actus Teclæ & Pauli, Apocryphus. Revelatio, quæ appellatur Pauli Apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Thomæ, Apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Stephani, Apocrypha. Liber, qui appellatur Transitus S. Mariæ, Apocryphus. Liber, qui appellatur Sors Apostolorum, Apocryphus. Liber Canonum Apostolorum Apocryphus.* (Quod si hæretica pravitas non fuit verita sub ipsorum Apostolorum nominibus supposititia scripta Ecclesiæ obtrudere, quantò magis eandem sub Patrum nominibus illud ausam fuisse verisimile est, ac proinde non quævis, sub augusto Patrum nomine, nostro præsertim seculo, ex Monarchorum claustris proferuntur, sine delectu & judicio acceptanda, sed cum genuinis Patrum scriptis, cumprimis vero cum regula in Canonicis Scripturis Ecclesiæ proposita conferenda sunt, juxta Apostolicum præceptum 1. Thess. 5. v. 20.

Cæterum, quando Pontificiis opponimus, tot libros supposititios sub augusto Patrum nomine extare, parata illis hæc exceptio, *si vel maximè non sint eorum libri, quorum nomina præ se ferunt, esse tamen antiquorum & Catholicorum Doctorum scripta, parum igitur referre, à quibus verè & indubitatò prodierint.*

Torrensis in Præfat. ad Confess. Augustin. ad argumentum, quod *multa sub Augustini nomine falsò circumferantur*, respondet: *Esto, non sint eorum libri omnes, quorum nomen præ se ferunt, at certè quidem æqualium eorum pleraque sunt, doctorum juxta ac piorum hominum planè omnia.*

Bellarminus de Script. Eccl. in verbo *Maximus*. *Multi sermones tribuuntur simul & Ambrosio & Maximo*, (potuisset addere, *Ambrosio & Augustino*, Item *Augustino & Maximo*,) *sed credibilius est, sancti Maximi esse illos, etiam qui tribuuntur Ambrosio. Gennadius enim enumerat ferè omnes sermones Maximi, & inter illos sunt aliqui, qui tribuuntur Ambrosio, quamvis non multum intersit cùm uterque Autor sit satis & doctus & antiquus.*

Sed ex dictis hactenus manifestum est, quosdam librorum Autores esse *hæreticos*, qui tamen nomine Catholicorum & Orthodoxorum Doctorum venditantur; quosdam esse *recentiores*, qui tamen antiquiorum nomen præ se ferunt.

De libro *Hermæ sive Pastoris*, qui à Pauli discipulo à quibusdam scriptus creditur, Johannes Maria Magister sacri Palatii in Ind. Exp. Rom. t. 1. p. 171. dicit, quod *sit hæresibus & fabulis oppletus.*

De *libris Recognitionum*, qui sub nomine *Clementis Romani* extant, scribit Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in verbo *Clemens*, quod *quædam habeant incerta, multa fabulosa, nonnulla insuper Catholicis dogmatibus adversantia.*

De *Commentariis in Jobum*, qui nomine *Origenis* circumferuntur Erasmus judicat, quod *sint Ariani cujusdam opus*, cum doctrinam de Trinitate appellet *trium Deorum hæresin, & ὁμουσίου* assertores *sectam trionymam.*

De *Athanasii libro*, qui inscribitur de *Passione imaginis Christi*, scribit Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 10. *Licet dubium esse possit, num sit opus magni Athanasii, tamen certum esse, quòd sit antiquissimi Autoris, quandoquidem citatur tanquam antiquissima Historia in Synodo VII. act. 4.* Bellarmino hac in parte assurgunt Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Athanasius, & Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 98. Sed hoc ex professo refellit Baronius Anno 787. num. 29. & in annot. ad Martyrol. Romanum Novembr. 9. *Planè constat*, inquit, *Autorem illius Historiæ non esse Athanasium Alexandrinum Episcopum, ut habet recens inscriptio, nec in Synodo tanquam Athanasii illius cognitam &c. alicujus alterius potiùs Athanasii in Syria Episcopi, quàm Alexandrini tractatus ille esse conspicitur &c. cùm qui aderant in Synodo* (Nicena II.) *Patres, ut in re hactenus inaudita in fletum prorupisse, Concilii illius Acta testentur, sanè quidem rem recens gestam esse demonstrant.* Jacobus de Voragine in Historia Lombardica Legend. 130. fol. 276. scribit, hanc Historiam contigisse Anno 750. cum Athanasius mortuus fuerit Anno 378. Et quod probe notandum, Bellarminus ipse lib. de Script. Eccles. in verbo *Athanasius*, statuit, *hunc librum in Synodo Nicena II. citatum, non esse Athanasii, sed alterius multò recentioris*, idque inter cætera probat ex eo, quod Sigebertus in Chronico dicat, *hoc miraculum contigisse Anno 766.*

De *Synopsi*, quæ *Dorotheo Martyri & Episcopo Tyrensi* adscribitur, Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 2. judicat, quod *sit plena narrationibus confictis ac mendacibus*, quod repetit Possevinus in Apparatu in verbo Dorotheus, & addit: *Validis rationi-*

bus evincitur, ne præstantis quidem alicujus viri esse potuisse illam Synopsin, in qua tàm multa sunt putida.

De *Epistolis Cyrilli ad Augustinum, & Augustini ad Cyrillum* de miraculis Hieronymi sic scribit Molanus de picturis p. 68. *Barbarus impostor de laudibus Hieronymi literas confinxit Augustini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Augustinum, in quibus non solùm multa manifestissimè de Hieronymo mentitur, sed etiam hæresiarcham vocat Sabinianum quendam, quia in Christo duas asserebat voluntates, & Hieronymum dicit Epistolam super hujus erroris destructione paulò ante suum obitum edidisse, quo quid ineptius? quidque à Catholico Doctore magis alienum?*

De *Commentariis in Epist. Pauli Ambrosio inscriptis*, Bellarminus lib. 2. de Eucharist. cap. 14. *Eruditi omnes norunt, hoc non esse opus Ambrosii, neque cujusquam Catholici.* Possevinus in Apparatu verbo Ambrosius. *Alicubi sapere videntur Pelagianismum.*

De *Epistola Hieronymi ad Demetriadem* sic censet Marinus Victorius in Cens. tom. 9. Hieron. *Pelagiani alicujus hominis esse* creditur. Bellarmin. de Script. Eccles. ad Ann. 360. *Pelagiana est hæc Epistola, & ab Augustino tribuitur Pelagio.*

De *Commentariis Hieronymi in Epistolas Pauli* sic scribit Bellarmin. lib. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 2. §. Deinde &c. *Autorem Commentariorum brevium in omnes Epistolas Pauli, qui falsò tribuuntur S. Hieronymo, fuisse Pelagium, aut Pelagianum aliquem, extra controversiam est. Pelagium enim scripsisse Commentaria brevia in omnes Epistolas Pauli, testis est Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 1. 5. & 12. Et quamvis non extet nunc in illis Commentariis argumentatio quædam, quam in illis selegisse Augustinus dicit, non propterea certum est, ea Commentaria non esse Pelagii: siquidem fieri potest, ut argumentatio illa sublata fuerit ab iis, qui eum librum S. Hieronymi nomine venditare voluerunt.*

De libro, qui *Augustini* nomine, *de Spiritu & anima* in operibus ejus circumfertur, sic judicat Bellarminus de Script. ad Ann. 420. *non est Augustini, sed alicujus multò recentioris.*

Librum de *Ecclesiasticis dogmatibus Augustino* inscriptum, Lovanienses rejiciunt in Appendicem tomi 3. cum hac infamiæ nota: *Non est Catholici Scriptoris.*

Liber de *quæstionibus Vet. & Nov. Test.* qui inter opera *Augustini* circumfertur, ejusmodi censura notatur à Bellarmino de gratia primi hominis cap. 3. *Non est Augustini, nec hominis Catholici; lib. 2. de effect. Sacram. cap. 10. ac in lib. de Script. Eccles. Non est Augustini, sed alicujus hæretici, qui multa docet & contra fidem, & contra Augustinum.* Idem statuit Salmeron Disp. 19. in Epist. Rom.

De libris tribus *Sixto Pontifici* ejus nominis *Tertio* adscriptis, sic conqueritur Baronius Ann. 440. n. 6. *Dolui vehementer, haut ita pridem eadem opuscula absque diligentiore consideratione nomine Sixti Romani Pontificis esse cusa &c.* n. 7. *Doluit mecum vehementer atque ex alto ingemuit pectore Lindanus Episcopus Andegavensis &c. haud æquo animo ferre valens sub falso nomine tanti Pontificis Pelagianorum fœtus esse suppositos.*

Præterea, si vel maximè sint alicujus Catholici & antiqui Scriptoris, tamen sunt ψευδεπίγραφοι ac titulum mentiuntur. Proinde, quod Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 9. de uno ejusmodi supposititio scripto dicit, illud de omnibus usurpari potest. Si *Historia Lini conficta est, non est ullius autoritatis:* quodque Baronius Anno 48. n. 23. dicit, *Catholicam veritatem falsis, hoc est, Autorum supposititiorum allegationibus labefactari potiùs quàm adjuvari,* Ann. 312. n. 80. *His, quantumlibet noveris, quòd prodantur falso titulo, non innitimur, sed antiquioribus ac verioribus testimoniis.* Sicut unus tantum debet esse parens filii genuini, ita quoque fœtus genuini unicus tantum Autor. Si duobus Autoribus tribuitur, pro notho ac spurio meritò censetur.

13. Quod agnoscunt, non solum multos haberi libros supposititios sub augusto veterum Ecclesiæ Doctorum nomine falso venditatos, sed etiam *in genuinis Patrum scriptis multa esse corrupta & depravata*, qua de re jam olim conquestus est Ruffinus in expos. Symb. *Perversi homines*, inquit, *ad assertionem suorum dogmatum sub virorum sanctorum nomine intersuerunt ea, quæ illi nunquam scripserunt, & nonnulli Hiberas nænias libris authenticis præferunt.*

Sanè Pontifici iniquo animo ferunt, si quis in responsione ad objectum ex Patribus testimonium eò confugiat.

Gretserus lib. 2. de jure & more prohibendi libros malos c. 6. *Hæ sunt partes hæreticorum, si quo loco alicujus Autoris se premi vident, dicere, locum illum esse assutum, ex margine libri in contextum irrepsisse.*

Rosvveydus de fid. hæret. servanda cap. 17. p. 191. *Commune hoc hæreticis omnibus perfugium, cùm evidenti alicujus Patris testimonio revincuntur, clamare, librum supposititium, vel apicitè corruptos.*

Sed ipsimet corruptelas in Patrum scriptis agnoscunt, & illo respondendi genere ipsimet sæpiùs utuntur.

Johannes Picus Mirand. in Apolog. q. 7. *Secundum, quod ad possibilitatem hujus assertur, quòd Origenis libri sint corrupti, hoc est, quòd similiter videmus accidisse multis aliis libris Catholicorum Doctorum. Nam Clemens Apostolorum discipulus &c. libros edidit, qui appellantur Recognitionum, in quibus cùm ex persona Petri doctrina q. verè Apostolica exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma inseritur, ut nullus alius, quàm ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei de nihilo creatum dicens. Item in libro Clementis, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyteri viri Catholici invenitur scriptum, DEI Filium esse creatum, & in Dionysii Alexandrinæ urbis Episcopi quatuor libris, ubi contra Sabellium disputat, est Ariani dogmatis comprobatio. Et quid oportet Apostolicos proferre viros? cùm sciamus ipsa Evangelica, & ipsorum Apostolorum dicta ab hæreticis sæpè fuisse depravata, ut maximè ex libro Tertulliani contra Marcionem cuilibet constare potest.*

Maximilianus I. Imp. in Rescripto ad Leonem X. Pontif. Rom. misso ex Conventu Augustano Anno 1518. (quod extat apud Melchiorem Goldastum Haimensfeldium tom. 2. Constit. Imperial. p. 140.) conqueritur, quod *non solùm hactenus Doctores ab Ecclesia recepti solidiores non lecti, sed plerique depravati sint atq; mutili redditi.*

Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sanctæ in Præfat. p. 329. *Neque illud prætereundum est, quòd Pamphilus Martyr, Eusebius Cæsariensis, Didymus & Ruffinus conquesti sunt, videlicet Clementis, Dionysii, Origenis, Athanasii & aliorum nobilium doctorum scripta plurima fuisse olim pessimè tractata ab hæreticis, qui ut hæresibus suis fidem & autoritatem sub nomine clarissimorum Patrum conciliarent, multa in eorum libris vitiarunt, permutarunt, detraxerunt, multa quoque de suis dogmatibus inseruerunt pugnantia cum his quæ senserant ac docuerant celebres illi viri, quos credibile non est, in iisdem voluminibus in re eadem, & eodem tempore contraria aut sensisse aut scripsisse, præsertim cùm nec essent amentes, nec prorsus obliviosi.*

Erasmus in Epist. ad Johannem Dantiscum, Episcopum Culmensem, de libro Basilii de Spiritu sancto ejusmodi fert judicium: *Non silebo, quid mihi inter vertendum acciderit. Visum mihi in hoc opere deprehendisse factum, quod in celeberrimis quibusque laudatissimis Scriptoribus, velut in Athanasio, Chrysostomo, & Hieronymo factum, & videmus & indignamur. Quid istud inquis? Postquam dimidium operis absolveram citra tædium, visa est mihi phrasis alium referre parentem, aliumque referre genium &c. Ex his rebus animum meum subiit suspicio studiosum, quempiam, quò volumen redderet auctius, multa intertexuisse, vel ex aliis Autoribus decerpta emblemata, vel ex se reperta. Sunt enim in his quædam erudita, sed à charactere Basilii discrepantia, quædam rursus ejusmodi, ut indole referant parentem suum, videlicet eum, qui doctissimis Athanasii libellis de Spiritu sancto suas loquaces & elumbes attexuit nænias.*

Idem in Indice Scholior. in Hieron. *Monachi corruperunt Patrum scripta.*

Idem in Præfat. Hilarii in princip. *Quantoperè sudandum sit ei, qui vetustos Autores temporum ac librariorum culpâ, sed multò maximè sciolorum & audaculorum temeritate non uno modo depravatos, emendare conatur, ut nemo sentit, ita nemo credit, nisi qui periculum ipse fecerit.*

Et postea: *Vix in alium Autorem plus sibi permisit eruditulorum temeritas,* (quàm in Hilarium) *idque potissimum in libris de Trinitate & Synodis, in quibus quoniam tractantur periculosa de rebus divinis difficultates, oportebat summam adhibere diligentiam, ne apicem ullum immutare. Siquidem ex collatis variis exemplaribus deprehendimus, alicubi librorum initiis additas præfatiunculas, rursus in fine coronides, in medio pannos assutos, alicubi, quod Hilarius suo more fuerat prolocutus, sciolum aliquem absolutiùs & evidentiùs conatum explicare. Nonnullis paginis viginti aut triginta versus erant assuti. Jam vero quoties incidebant loca, quæ videbantur ab opinionibus inter Orthodoxos receptis dissidere, plusquam viginti locis pharmacum admiscuerant, maximè quoties disputat de doloribus aut cruciatibus, quibus affectum fuit corpus & anima D. N. J. C. &c.* lib. 10. de Trin. *ad comparationem de*

de telo aquam vel ignem penetrante, *admiscuit parenthesin quispiam. Si tamen id aptè comparabitur.* Hujus additionis & mutationis plura ibidem exempla recitat, & subjicit: *Hoc genus appendices plusquam triginta locis comperimus additas in Hilario, tametsi nos exempli causâ unum atque alterum locum duntaxat in medium attulimus, ne molestissimus lectori.* Item: *Quænam est ista temeritas in libris alienis, præsertim veterum, quorum memoria nobis, ut esse debet, sacrosancta est, cum ipsi absint à periculo, quemvis, utcunque visum fuerit, radere, expungere, addere, demere, mutare, supponere?*

Et postea: *Non fert Epigrammaticus ille Poeta eum, qui velit ingeniosus videri in libro alieno. Quis autem ferat istos, qui tantum sibi sumunt, ut ubiubi libitum fuerit, pro germana Scriptura suos assuant pannos? Civilitatis est, commodè, quod scriptum est, interpretari. Cæterum mutare suo quemque arbitratu quod scriptum est in veterum libris, temeritas est, ne dicam, impietas. Et tamen hoc factum deprehendimus in Ambrosianis libris non uno in loco.*

De libris *Recognitionum Clementis Romani* scribit Bellarm. lib. 5. de grat. & lib. arbit. cap. 25. §. 6. *Fatemur librum illum esse corruptum ac depravatum ab hæreticis.* De iisdem Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. sanctæ in verbo Clemens. *Clementis libros, qui appellantur Recognitiones, ab hæreticis contaminatos fuisse, autor est Ruffinus. Et sanè ita in aliquibus inscribitur Eunomii dogma, ut ipse Eunomius disputare credatur.*

Quando ex *Epistola Ignatii ad Philadelphenses* Pontificiis objiciuntur illa verba, quod *Petrus & Paulus & alii Apostoli nuptiis operam dederint,* respondet Pisanus lib. de continent. cap. 7. *Hic Ignatii Codices ab aliquibus philogamis esse depravatos.* Baronius Ann. 57. n. 64. *Nomen Pauli ab antiquioribus Codicibus Vaticanis & Sfortianis non haberi additum.* Margarinus de la Bigne in notis ad Epist. Ignat. ad Philad. *Verba illa, & alii Apostoli, videntur ex textu abradenda.*

Quando ex eadem Epistola *Ignatii* Pontificis objiciuntur illa verba, quibus asserit *unum panem, qui omnibus fractus est, & unum calicem, qui omnibus distributus est,* respondet Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 26. *Non multum fidendum est Græcis Codicibus, multi enim sunt in eis errores.* (At si in fonte sunt tot errores, quomodo rivus ex eo deductus, h.e. Latina versio erit pura?) Baronius An. 109. n. 25. sic legit: *Unus calix, qui pro omnibus distributus est,* cùm tamen in fonte sic legatur: καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, *unus calix universis distributus est.*

De libro *Tertulliani*, cujus titulus *de Trinitate,* Renatus Laurentius in Censur. sic scribit: *In hoc libro Sabellianæ hæreseos mentio fit, cujus parens & artifex Noetus Ephesius Tertulliano 106. annis posterior fuit, ex quo videri poterat, eum non esse Tertulliani, sed scrupulum istum jamdudum excussit Ruffinus in Apologetico, cùm testatur Pneumatomachos hæreticos, qui Spiritum sanctum blasphemabant, libellum hunc Tertulliani de fide Trinitatis interpolâsse & circumtulisse Cypriani nomine, multisq; propagatum exemplaribus vendidisse parvo precio, ut eum emtores & viri amplitudine & pretii exiguitate illecti libentiùs emerent, latentesque errores amplecterentur, ceu dogmata sacra autoritate tanti Martyris comprobata.*

Pœnitentes olim *genua flexisse coram altaribus,* probare cupiunt ex Tertulliano lib. de Pœnit. ubi eos dicit, *aris Dei adgeniculari.* Sed Pamelius in annotat. ad cap. 9. de Pœnitent. num. 58. hanc lectionis falsitatem probat tùm Manuscriptorum testimonio, tùm consuetudine pœnitentium, qui ne quidem ad locum, ubi viri & mulieres conveniebant, admittebantur, multò minùs, ad altare accederent, eis permissum fuit.

Origenis scripta non habemus ea lingua, in qua ab Autore annotata sunt, in publicum edita, pleraque ex Ruffini versione hodiè extant, de quo Erasmus sic scribit: *Quod porrò opus ille* (Ruffinus) *tractavit unquam, quod non ad istum modum contaminarit? Gennadius testatur, quicquid Origenis versum est, à Ruffino versum esse, exceptis iis, quæ vertit Hieronymus. At is in Catalogo nominatim recensens, quæ vertit ex Origine, homiliarum in Genesin nullam facit mentionem, & Ruffinus in peroratione, quam adjecit Commentariis in Epist. ad Romanos profitetur, se vertisse Origenis in Genesin, Exodum, Leviticum, Item in JESUM Nave & in lib. Judicum. Homilias in Leviticum fatetur se vertisse liberiùs, hoc est, multa de suo attexuisse, & qui legit hoc opus & enarrationem Epistolæ ad Romanos, incertum est, utrum legat Origenem aut Ruffinum. Hac arte vir gloriæ cupidus putavit se reperisse viam, quâ vel invitis omnibus tereretur manibus hominum.*

Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. in verbo Origenes. *Conqueritur Origenes de corruptione scriptorum suorum per hæreticos.*

Id. Sixtus Senensis lib. 6. annot. 66. adducens locum quendam Origenis ex Comment in Matth. de Eucharistia, subjungit: *Ego ut liberè pronunciem meam sententiam, suspicor locum fuisse ab hæreticis depravatum.*

De eodem Origene sic scribit Bellarminus libr. 1. de Christo cap. 10. §. Tertiæ ætatis. *Origenes, Clementis discipulus, habet quidem in suis scriptis apertissimas blasphemias contra Filium Dei & Spiritum sanctum, ut patet ex Epiphanio in Epist. ad Joh. Hierosolymitanum, & ex Hieronymo in Epistola ad Avitum de erroribus Origenis, tamen valdè credibile est, eos insertos ab Arianis postea, ut Ruffinus docet in Apologia pro Origene.*

Cypriani liber de unitate Ecclesiæ, vulgo inscriptus *de simplicitate Prælatorum,* in variis exemplaribus Manuscriptis non habet illa adjecta; *Et illi pascendas mandavit oves suas;* Rursus, *unam constituit Cathedram.* Item, *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia monstretur;* Et qui *Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit,* ut ex Jamesii Catalogo constat. Neve Jamesii testimonium ab Adversariis repudietur, notandum, quod Possevinus in Apparatu suo in verbo *Cyprianus,* inseruit Elenchum eorum, quæ in opusculo Cypriani de unitate Ecclesiæ sunt vel addita, vel detracta, vel lapsu Typographi, vel alio prorsus modo supposita, diligenti quatuor Manuscriptorum exemplarium, quæ in antiquis Catholicorum Bibliothecis extabant, in Anglia collatione cum duabus & ultimis editionibus excusis à Catholicis. In hoc Elencho notat, in exiguo illo quatuor duntaxat foliorum tractatu, vel mutationes vel additiones vel variationes 288. Jamesio in tribus prioribus assentitur, quartæ non meminit, quam tamen ex Gratiani fide à Pamelio assutam esse nemo dubitabit, qui priora exemplaria alibi edita contulerit. Ac probè notandum, quod verba illa, *Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur,* ex marginalibus annotationibus Manuscriptis sint textui infarta, quia Gratianus in c. Legimus. caus. 24. q. 1. citans locum Cypriani ea prætermittit, non omissurus utique, si in suis Codicibus ea legisset, quin imò nec in Gregoriana Juris Canonici editione verba illa addita leguntur.

Quando opponitur Pontificiis locus *Eusebii lib. 2. Histor. Eccles. cap. 1.* ubi ex Clementis lib. 6. dispositionum sic loquitur: *Petrus, Jacobus & Johannes post assumtionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant Primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur Justus Apostolorum Episcopum statuunt.* Bellarminus lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 26. §. 12. *locum Eusebii sine dubio esse corruptum. Nam etsi in Basileensi Codice versionis Ruffini habeantur ista verba, tamen in Codice Coloniensi ab homine Catholico verso edito, non habetur nomen Primatus, & pro illis verbis Apostolorum Episcopum, habetur Hierosolymorum Episcopum.*

Quando opponitur Pontificiis locus ex *Ambrosio,* in quo facultatem divortii in casu adulterii parti innocenti permittit, respondet Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annotat. 81. pag. 465. *Ambrosius est inter eos, qui certâ & indubitatâ assertione utriusque repudii licentiam probarunt, sed Magister Sententiarum lib. 4. dist. 35. existimat, Ambrosii Commentaria eo loco à falsariis corrupta.* Gregorius de Valentia lib. de indissolub. matrimon. vinculo cap. 5. p. 682. *Alii dubitant, an sit opus Ambrosii, alii eam sententiam falsam esse dicunt, & à falsariis insertam.*

De *Victorini Commentariis in Apocalypsin* sic scribit Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annot. 347. *Aut opus illud non est Victorini, & ementita est Præfatio sub Hieronymi titulo volumini præfixa, aut inde vel ab Hieronymo, vel ab amico lectore sublata est absurda Victorini explanatio, & in locum ipsius ea, quæ nunc habetur, reposita.*

De *Hieronymi* libris sic scribit Erasmus in annot. cap. 4. Coloss. p. 450. *Si quid mihi naris est, ejusdem opificis est Epistola ad Laodicenses, qui naniis suis omnium Theologorum veterum scripta omnia contaminavit, conspurcavit, perdidit, ac præcipuè ejus, qui præ cæteris indignus erat ea injuria, nempe D. Hieronymi. Nihil enim ferè habemus hujus præter Commentarios in Prophetas & Epistolas aliquot, quod non sit studiosè ab hoc furcifero, vel mutilatum, vel adulteratum, vel confusum, turpissimeq; contaminatum, ut ne quid dicam de tot insulsissimis voluminibus, quæ idem artifex Hieronymi titulo evulgavit.*

De *Commentariis Hieronymi in Psalmos* sic judicat Bellarminus lib. de Script. Eccles. ad Ann. 390. *Ego, si mihi liceat sententiam meam exponere, existimo, Commentaria in Psalmos verè esse Hieronymi, sed non pura, videtur enim aliquis longè posterior scriptor adjunxisse multa de suo.*

De *Oratione Catechetica Gregorii Nysseni*, quæ dicitur magna, Autor Parisiensis editionis sic judicat: *Huic dogmata nonnulla, præcipuè verò Origenis hæretici injecerunt.*

De ejusdem Nysseni operibus Possevinus in Apparatu, in verbo Gregorius Nyssenus sic scribit: *Porrò vix crediderim, ejusdem Nysseni fuisse sententiam, quâ assereret, Dæmones habere inter se individui vel speciei multiplicationem.*

De *Prudentii Hymno*, cui titulus est, *Ad incensum Cerei Paschalis*, in libro Cathemerinon Victor Gesclinus censet, quod integra periodus ei sit inserta, cum post hunc versum:

Monstras saxigeno semine quærere,

aliquis addiderit sequentes versus:

Hos signas opere conditor inclute,
In Christo Domino quærere jugiter
Lumen veriduum mentibus omnium
Quem Petram loquitur Doctor egregius.

Quam periodum *notham & ascititiam* esse statuit, non solum testimonio veterum Codicum adductus, sed eo etiam, quod Rupertus totam Prudentianæ orationis seriem operi de divinis officiis intexens, ne nimium quidem de ea mentionem faciat.

Hymni, cui titulus est, *In exequiis defunctorum*, resecuit Victor Giselinus tertiam & quartam Stropham, quas certò sibi persuasit à sciolo quodam adjectas & insutas.

Quæ ideo magis notanda sunt, quòd Antonius Possevinus in apparatu sacro in recensione operum Prudentii, Giselini laborem cæteris omnibus præferendum esse existimat.

Quando ex *Autore imperfecti Operis* hom. 49. affertur dictum, quo probatur, *ex sola Scriptura agnosci posse & debere, quæ sit vera Ecclesia*, respondent, *opus hoc ab hæreticis multis in locis esse corruptum ac depravatum.* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. p. 267. *Opus hoc dignum quod assiduè legatur, si tamen prius diligentissime repurgatum fuerit ab erroribus, quos in sexto libro annotavimus.* De hisce errorum fecibus ac sordibus pag. proximè præcedente dicit, quod *non Autoris culpa, sed hæreticorum fraude in hos Commentarios irrepserint.* Bellarmin. de Script. Eccles. in verbo Chrysostomus: *Cujuscunque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamvis alioqui sit liber doctus & minimè spernendus.*

Ex verborum Christi Matth. 12. v. 32. *Non remittetur eis neque in hoc, neq; in futuro seculo &c.* expositione, quæ apud Augustinum lib. 21. de Civ. Dei cap. 24. extat, ac per decem aut duodecim versus extenditur, Bellarminus lib. de Purgat. cap. 4. ac Gregorius de Valentia lib. de Purgat. cap. 3. probant Purgatorium. Sic enim habet Augustini expositio: *Non veraciter diceretur, non remittetur eis, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.* Sed Ludovicus Vives in Scholiis ad illum locum annotat, *istos decem aut duodecim versus in antiquis libris Brugensibus & Coloniensibus non haberi, sed neque in exemplaribus Friburgi excusis.*

Idem Ludovicus Vives ad lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. in quo miracula multa narrantur, quæ non sapiunt exactam judicii limam, quam in aliis Augustini operibus sagaces lectores observant, sic annotat: *In hoc capite non dubium, quin multa sint addita, velut declarandi gratiâ ab iis, qui omnia magnorum Autorum scripta spurcis suis manibus contaminabant.* Huic notæ non refragantur Censores Belgici in Indice expurgatorio, neque Hispani Inquisitores in suo.

Ad Historiam Simeonis Stylitæ in libro Theodoreti, qui inscribitur, *Historia sanctorum Patrum*, Gentianus Hervetus tom. 2. oper. Theod. col. 468. sic annotat: *Hæc non sunt Theodoreti, sed ab aliquo addita post mortem Simeonis. Cùm enim vitam scriberet Theodoretus, adhuc vivebat Simeon.* (Ecquis vero crediderit Autorem illius additionis in aliis Historiis religiosiorem fuisse? & tamen citatur illa Historia Sanctorum à Bellarmino libr. 1. de beat. Sanct. cap. 19. pro *invocatione Sanctorum*; & lib. 2. de imag. cap. 29. pro *Cruce.*)

Ex Theodoreti Commentario in 1. Cor. 3. Thomas Aquinas in opusc. adversus errores Græcorum citat, pro *igne Purgatorio*, testimonium his verbis: *Dicit Apostolus, quod salvabitur sic, tanquam per conflatorium ignem purgantem, quicquid intervenit per incautelam præteritæ vitæ ex pulvere saltem pedum terreni sensus, in quo tamdiu manet, quamdiu quicquid corpulentiæ & terreni affectus inhæsit, purgetur. pro quo mater Ecclesia hostias & dona pacifica devotè offert, & sic per hoc mundus inde prius exiens Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus existit.* Ex eodem loco Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 5. & 10. testimonium profert, sed verbis quibusdam additis, aliis detractis: *Hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio,* quæ verba Gagnæus Græcè reddidit hoc modò: τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν καθαρτήριον, ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαί, καθάπερ χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ, sumptis postremis verbis ex cap. 3. v. 5. Ecclesiastici. Sed in Theodoreto nihil quicquam huic interpretationi simile reperitur ac fatetur Possevinus in Apparatu sacro, in verbo Theodoretus, *se illa verba in exemplaribus Græcis & Latinis quæsita non potuisse invenire*, suspicatur igitur à Græculis fuisse detracta, vel ex alio quodam opere à Thoma desumpta.

Quando Pontificiis objicitur dictum Socratis lib. 5. Hist. Eccles. cap. 21. quod *Romani jejunare soliti fuerint tres tantùm hebdomadas ante Pascha, Dominicis & Sabbatis non supputatis; Græci, Illyrici & Alexandrini sex hebdomadas; alii quidam septem hebdomadas, sed intervallo posito post quintum decimum quemq; diem,* ex quo magnam jejunii diversitatem apud veteres fuisse colligitur, respondet Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in particul. cap. 15. §. Ad locum. *At Socrates manifestè falsa scribit, aut locum ejus corruptum habemus.*

De *Leonis Papæ Epistolis* sic scribit Sixtus Senensis lib. 4 Bibl. in verbo Leo. *Leo Papa doluit, suas Epistolas hæreticorum manibus illotis depravatas fuisse.*

In *Paulini Episcopi Nolani Epist.* 11. de ligno crucis legitur, quod *habeat eam virtutem incorruptibilem, quâ non sustineat diminutionem, sed continuet, velut si nihil inde sumeretur, licet quotidiè inde portio sumatur.* Sed Censores librorum constituti ad præscriptum Concilii Tridentini in Indice Expurg. mandant *hæc deleri.*

De *vita Ambrosii*, quæ Paulino tribuitur, Erasmus in Censur. tom. 1. Ambrosii sic judicat: *Si quis me roget, quid de hoc Historico sentiam, dicam paucis: Idem est artifex, qui tàm multa contaminavit in scriptis Hieronymianis & Augustinianis natus ad hunc ludum. Habebat Historiam Ambrosianæ vitæ, ei attexuit Præfationem lepidam, intertexuit interlocutiones, addidit coronidem & aliquot prodigia affinxit. Conferat qui volet, Paulini stylum cum hujus assutis pannis.*

De *Marco Eremita*, cujus opuscula extant in Bibliotheca Patrum tom. 5. edit. 2. Bellarminus in lib. de Script. Eccles. in verbo Marcus Eremita, sic judicat: *Opuscula ejus tot scatent erroribus contra fidem, ut suspicio sit, vel ab hæreticis conficta, aut valdè depravata esse.*

Cùm ergo ipsorum Adversariorum confessione, genuina Patrum scripta in multis corruptelam fuerint passa, ideò non possunt esse infallibilis regula fidei, & interpretationis Scripturæ, quam divina providentia à corruptelis omnibus tot seculis conservavit, sed quicquid ex Patrum scriptis adfertur, de eo ex Scriptura judicandum, cui si adversetur, vel etiam Historiæ temporum & genuinis cujusque Autoris scriptis minùs congruat pro corruptela merito censetur.

Baronius Ann. 44. num. 42. sic disserit: *Quod attinet res ab Apostolis gestas, postquam ab invicem semel separati sunt, res quidem æquè obscura est. Cùm enim Apostolorum nomine tàm facta, quàm scripta reperiantur esse supposititia, nec si quid de illis à veris sinceris Scriptoribus narratum sit, integrum & incorruptum omninò remanserit, in desperationem quandam animum planè dejiciunt, posse unquam assequi, quod certum verumque subsistat.* Cogitet quilibet, an non idem de supposititiis & corruptis Patrum scriptis dici possit?

14. Quod agnoscunt, multos ex Patribus necessariis Scripturæ interpretandæ mediis fuisse destitutos, quomodo igitur ipsorum scripta poterunt haberi pro infallibili interpretationis regula?

De *Victorino Pictabionensi*, qui teste Hieronym. in Catal. illustr. & Trithemio in Catal. Ann. 370. multa scripsit, Bellarm. lib. 1. de beat. Sanctor. cap. 5. sic judicat: *Victorinus Martyr quidem fuit, sed teste Hieronymo in Epistola ad Magnum, eruditio ei defuit, licet eruditionis voluntas non defuerit.*

De *Lactantio* Bellarm. d. l. scribit, quod *fuerit magis librorum Ciceronis, quàm Scripturarum sanctarum peritus.*

De

De *Victorino Afro* idem Bellarmin. lib. de Script. Eccles. p. 124. asserit, quod *magis arti Rhetoricæ, quàm Theologiæ & sacris literis operam dederit.*

De *Hilario Pictaviensi* Erasmus in annot. Matth. 21. p. 67. sic scribit: *In expositione Psalmi secundi non probat ullam interpretationem veteris instrumenti præter eam, quæ fertur esse LXX. Interpretum, propterea quòd Bereschith apud Hebræos tria significet in principio, in filio & in capite. Nimirum sic est humanum ingenium, tantum probat quisque, quantum confidit se posse assequi. Græcè utcunque noverat Hilarius, nam prodidit Hieronymus, huic aurulam modò Græcanicæ literaturæ fuisse gustatam, & idcircò Græcorum flosculis libenter ornat sua Commentaria. Verum cum literas Hebraicas prorsus ignoraret, interpretationi LXX. nihil volebat accedere.*

De *Augustino* idem d.l. sic scribit: *Augustinus, quoniam Græcè non sciebat nisi perpusillum, non probat Hieronymi studium, qui N. Testam. ex Græcorum fontibus, vel verterit, vel emendarit. Græcas literas Augustinus puer utcunque degustarat, ad quas senex redire coactus est. Hebrææ sermonis erat prorsus ignarus.* Idem in cap. 21. Johan. p. 197. *Augustinus non erat perinde munitus præsidio linguarum, etiamsi non omninò rudis fuit Græcanicæ literaturæ, at non eò usque doctus, ut Græcos Interpretes expeditè posset evolvere.* Bellarminus lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 10. §. Addo. *Augustinus ex ignorantia linguæ Hebrææ fuit deceptus.* Andreas Masius Antuerpianus in Præfat. Comment. in Josuam ad Philippum Hispaniarum Regem conqueritur, *Patres Hebraicas plerunque ignorasse literas.* (At quibus eruditio, Scripturarum exacta notitia, & linguarum istarum, in quibus V. & N. Test. libri originaliter scripti sunt, peritia deest, illi non possunt semper & in omnibus ad genuinam Scripturæ expositionem aspirare, proinde etiam non sunt infallibilis regula interpretationis.)

15. Quod agnoscunt, quosdam Patres legitimæ interpretationis regulas non semper ac perpetuò observasse, quandoque etiam fervore disputationis, vel studio rhetoricandi in partem alteram nimium propendisse. Qumodo igitur poterũt esse infallibilis, tum fidei, tũ Scripturæ interpretandæ regulæ?

De *Origene* sic scribit Bellarminus lib. de gratia primi hominis cap. 10. §. 2. *Origenes totam illam Historiam de Paradiso, de fluminibus & arboribus destruere, & in meras allegorias transmutare voluit.* Lib. 3. de amiss. gratiæ cap. 3. §. 3. *Origenes more suo ad allegoriam omnia, quæ absurda illi videbantur, transferens per serpentem delectationem intelligi voluit.* Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annot. 236. adducit & probat dictum Hieronymi in prolog. lib. 5. Comm. in Esaiam de Origene sic judicantis: *Delirat hoc loco allegoricus semper interpres & vim cupiens Historicæ facere veritati.* Acosta in Præfat lib. de noviss. temp. *Illud vitium allegorizandi in Origene Origenisque similibus, quo Historia destruitur, vix dici possit, quàm valde me offendat.* Ruizius in regulis intellig. Script. regul. 61. pag. 46. *Epiphanius Salaminæ Episcopus Origenem carpit, quòd allegoricè tantum interpretetur, ut autor est Hieronymus. Quo etiam nomine Origenes attactus est & à divo Hieronymo, ut in Præfatione decem visionum Esaiæ ad Amabilem Episcopum. Origenes, inquit, liberis allegoriæ spaciis evagatur, & ingenium suum facit Ecclesiæ Sacramenta.* Ribera in Prœm. Comment. Malach. *Rectè dixit Hieronymus in Jerem. 27. Origenes allegoricus semper interpres & Historiæ fugiens veritatem, ita enim amat allegorias, ut earum causâ sæpe tollat Historiam, ut liberiùs dicat, quicquid in buccam venerit.*

De *Hilario* Erasmus in Præfat. oper. Hilar. sic judicat: *Talis est sermonis character, ut etiamsi res per se dilucidas tractaret, tamen esset & intellectu difficilis & depravatu facilis. Nunc quid censes fuisse negotii, cum res non modò difficilimas, verùm etiam inexplicabiles illâ suâ phrasi differit veriùs, quàm explicat.*

De *Gregorii Nazianzeni Invectiva in Julianum* sic scribit Billius in argument. illius invectivæ. *Erat adhuc juvenis, necdum ad Episcopatum profectus è Schola prodibat, externæque disciplinæ copiam non illibenter demonstrabat.*

De *Hieronymo* sic scribit Ludovicus Vives in Comm. lib. 18. de C. Dei cap. 42. *Hieronymus interdum LXX. Interpp. plurimum defert & Spiritu sancto plenos fuisse dicit, sed ipem sæpè malè atque imperitè eos vertisse affirmat, ut erat, in quod intenderat, vehemens.* Josephus Acosta lib. 2. de Christo revelato cap. 20. *Quod si dum istud agit, & importunos canes mordacesque à se depellit vir sanctus, tantisper in LXX. tunc vulgatam editionem invectus est, donandum est egregio Christi militi, qui in medio certamine positus ardore feriendi adversarios, premit etiam interdum socios, Sic virginitatis oppugnatores infestans videtur matrimonio iniquior. Sic Episcoporum quorundam fastum carpens, putatur Presbyteros gradu æquare. Denique, quo instituto quidque dixerit, considerandum.* Salmeron in Comment. 1. Cor. 7. Disput. 14. §. Ad dubiam. *Hieronymus etsi veritatem apertè profiteatur, ubi tamen occurrit dehortando à matrimonio, acrior est atque ferventior.* (Congruit hoc cum ipsius Hieronymi confessione, quâ in Epist. ad Nepotianum seexcusat, quod talia de conculcanda matre & patre ad Heliodorum scripserit, *cùm adolescens esset, imò penè puer.* Tunc *pro ætate lusimus*, inquit, *& calentibus adhuc Rhetorum studiis atque doctrinis quadam Scholastico flore depinximus.*)

De *Prudentio* Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 18. §. Ad quintum, sic scribit: *Sic cecinit Prudentius; aliud nihil respondeo, quàm more Poetico lusisse Prudentium.*

De *Chrysostomo* Sixtus Senensis libr. 5. Biblioth. in Præfat. *Chrysostomus impetu dicendi contra Manichæos, qui fati necessitatem defendebant, Naturæ vires plus æquo attollit.* Idem lib. 6. Bibliothec. annot. 152. p. 174. sic disserit: *Concionatorum verba non semper eo rigore accipienda sunt, quo primum ad aures auditorum perveniunt, multa enim per hyperbolen enunciant & inculcant, vel occasione locorum, personarum, temporum, adducti, vel affectionum impetu, vel orationis cursu rapti, idque Chrysostomo interdum contingere videmus.* Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 10. §. 17. *Chrysostomum quadam per excessum* (sive ὑπερβολικῶς) *proferre asserit.* Congruit hoc Thomæ Aquinatis judicio, qui ad dictum Chrysostomi, in quo Mariæ Virgini Deiparæ studium vanæ gloriæ tribuit part. 3. quæst. 27. art. 4. respondet: *Dicendum est, quòd in illis verbis Chrysostomus excessit.* Idem statuunt Suarez & Pererius, quorum dicta superiùs membro 3. §. de Chrysostomo sunt adducta. Barradius tom. 1. Comm. lib. 8. Concord. Evang. cap. 6. *Chrysostomus quærit, cur Angelus quemadmodum Josepho, ita etiam B. Virgini, Christi conceptionem post eam peractam non aperuerit? respondet autem, ne stupentis ac verecundantis animum tristitia consumeret, valdè enim fieri potuit, ut tanti ignara secreti aliquid de se crudele decerneret, & quantum honestatis amans, tantùm famæ turpis intolerans, vel ad laqueum subitò, vel ad gladium convolaret. Sed Chrysostomus in hac causa reddenda excessit.*

De *Augustino* Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. p. 212. in verbo Augustinus, §. in Psalterium, sic judicat: *Augustinus in tractatib. in Psalmos genus tenet allegoricum, literalis expositionis parum, quod Hieronymus in eo taxat. Nam cum Augustinus Hebraici sermonis ignarus esset, & in Græcis literis parùm instructus, necesse illi fuit à propria literæ sensu ad extortas allegorias discedere.* Idem lib. 5. Biblioth. in Præfat. *Augustinus, dum toto Spiritus & verborum ardore pro defensione divinæ gratiæ pugnat adversus Pelagianos, liberum arbitrium cum injuria divinæ gratiæ extollentes, in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum, quam par sit, tribuere liberæ hominis voluntati.* Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus in Epist. Rom. cap. 5. p. 270. *Augustino illud est peculiare, ut cùm aliquem expugnat errorem, tanta vehementia illum exaggeret, ut alteri errori opposito ansam præbere videatur. Ita cum Arium insectatur, videtur favere Sabellio; cum Sabellium, Ario; cum Pelagium, Manichæis; cum Manichæos, Pelagio.*

De *Patribus Græcis* Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 5. §. 12. sic scribit: *Respondent Græci Dictum Apostolicum 1. Cor. 3. sic accipiendum: Salvus erit, h.e. nunquam penitus consumetur, sed quasi per ignem, quia semper ardebit. Hæc solutio imprimis est dura & coacta, deinde est contra omnem usum loquendi Scripturarum.*

De pluribus Patribus simul Bellarm. de grat. primi hominis cap. 12. §. Tertia &c. scribit: *Fortasse Autor illius sententiæ,* (quod Paradisus sit locus sublimis usque ad globum Lunæ pertingens) *Hyperbole uti voluit, ut ex altitudine hyperbolica Paradisi excellentiam demonstraret &c. quemadmodum intelligimus verba S. Basilii lib. de Parad. Paradisum ob situs sublimitatem nullas tenebras admittere; & Joh. Damasceni lib. 2. de fide cap. 11. Paradisum esse terra nostra sublimiorem; & Ruperti lib. 1. in Gen. cap. 37. Paradisum esse locum cœlo proximum; & Alcimi Aviti lib. 1. Carm. de initio mundi cap. 9.*

Quo perhibent terram confinia jungere cœlo &c.

quò allusit Claudius Marius Victor cùm lib. 1. Carm. in Gen. ait:

Eoos aperit felix quà terra recessus,
Editiore globo nemoris Paradisus amœni
Panditur, & tereti distinguitur ordine sylva.

De Patribus in universum Erasm. in annot. Matth. 11. p. 41. *Luceat etiam à probatissimis Autoribus alicubi dissentire, quandoquidem illi non solùm fuerunt homines, verùm permisere sibi in tropologia nonnunquam abuti Scripturæ testimoniis.*

Sixtus Senensis in Præfat. lib. 5. Bibliothec. *Ardebant præterea veteres illi tanto sinceræ pietatis & Catholicæ defensionis ardore, ut dum unum errorem omnium virium conatu destruere annituntur, sæpè in alterum oppositum errorem, vel deciderint, vel decidisse quodammodo videantur, agricolarum more, qui incurvum teneræ arboris stipitem corrigere volentes, immodicâ nonnunquam attractione modum excedunt, plantamque ipsam in contrariam diversamque deducunt formam.*

Ibid. dicit: *Patres innumera penè pro tempore, locorum ac personarum opportunitate dixisse, dictasse, scripsisse; & ut Augustinus seipsum Salomonis dicto excusans, inquit, in multiloquio non deesse peccatum, præsertim cùm nemo sit tam oculatus, qui non sæpe hallucinari possit, quique aliquando non cæcutiat, nam & quandoque bonus dormitat Homerus.*

Ibid. *Discernendum, quâ de causâ, ea quæ legunt, scripta sunt, quibus affectibus, quibus occasionibus, locis, temporibus ac personis accommodata: num disputandi, num opponendi, aut increpandi gratiâ dicta sint, vel sub certa asseverationis definitione firmata: quæ dum inconsiderati lectores non animadvertunt, necesse est, eos plerunque labi in aliquot errores, quos in Expositorum lucubrationibus, vel ipsi Autores tàm per occasionem, quàm incuriam reliquerunt.*

Melchior Canus nos admonet lib. 11. Locor. Theol. cap. 6. quòd *Patres ingeniorum suorum voluptati, vulgoq; etiam interdum indulgeant.*

Res ipsa profectò testatur, Patres quandoque dictum aliquod Scripturæ suo proposito per allegoriam, anagogen, vel catachresin etiam accommodare.

Epiphanius hæres. 78. fol. 504. ex verbis salutationis Angelicæ, *Dominus tecum*, colligit: *igitur non potuit Maria post Christum natum esse cum viro.*

Chrysostomus homil. 63. in Matth. ex loco Apostoli Galat. 5. *Utinam abscindantur, qui vos inquietant*, infert: *igitur qui seipsos castrant, genitalia exscindendo, sunt maledicti.*

Cyprianus serm. 6. in Orat. Domin. Hieronymus in cap. 2. ad Titum. Augustinus lib. 2. de verb. Domini cap. 7. Cyrillus Catech. mystag. 5. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. ex quarta petitione Dominica concludunt: *Indignum esse, ut Christiani, qui prohibentur soliciti esse in crastinum, orent pro illo pane, qui post paululum concoquendus & in secessum abjiciendus est, ideo per* ἐπιούσιον intelligi *panem supersubstantialem, & peti salutarem usum Cœnæ Dominicæ.*

Leo Magnus serm. 8. de Jejunio ex verbis Christi Luc. 21. *Videte, ne corda vestra graventur crapulâ & curis hujus vitæ &c.* colligit, *Ministros Ecclesiæ debere à conjugio abstinere.*

Bernhardus serm. 33. in Cant. ex verbis Hiskiæ Regis Esaiæ. 38. v. 17. *In pace amaritudo mea amarissima &c.* colligit, *tempore pacis sentire Ecclesiam majus damnum ex securitate & vitiis Pastorum.*

Huc referendum, quod, ut superius monuimus membr. 6. Pontificii Interpretes sæpius non solum ab *unius*, sed etiam à *multorum Patrum* sententia in Scripturæ expositione discedant. Reipsâ igitur fatentur, Patres non semper nec in omnibus legitimæ interpretationis regulas observasse, aliàs ab illorum expositione divortium non facerent.

Sic ergo ostendimus hactenus

1. Ipsosmet Adversarios agnoscere, quod sit discrimen inter Scripturam sacram θεόπνευστον, & inter Patrum scripta, quodq; ad illam velut normam & regulam hæc sint exigenda.
2. Ipsos Patrum scripta judicio *Ecclesiæ*, hoc est, Pontificis Romani submittere.
3. Ipsos agnoscere, quod Patres sæpius erraverint.
4. Ipsos multis, etiam præclarissimis Ecclesiæ veteris Doctoribus & Historicis in specie errores quosdam tribuere, vel certè autoritatem & fidem eorum elevare.
5. Ipsos cogi, ut fateantur, non solùm privatos & peculiares quosdam errores in singulis ferè Patribus occurrere, sed etiam multos in uno eodemque puncto simul & conjunctim errare.
6. Ipsos in expositione Scripturæ à majori Patrum parte quandoque discedere & pauciores sequi, interdum etiam Patrum expositioni suam præferre.
7. Ipsos fateri, quod Patres in multis capitibus non solum à se invicem, sed etiam à semetipsis dissentiant.
8. Ipsos agnoscere, quod interpretatio à consensu veterum diversa, non statim sit adulterina.
9. Ipsos statuere, quod Patribus nondum omnia pietatis mysteria fuerint cognita.
10. Ipsos agnoscere, consensum veterum in Scripturis interpretandis quandoque reprehensum fuisse.
11. Ipsos agnoscere, quod multa veterum scripta hodie non amplius extent.
12. Ipsos agnoscere, quod in Patrum & Historicorum scriptis multa sint adulterina ac supposititia.
13. Ipsos testari, quod in genuinis etiam Patrum scriptis multa sint corrupta & depravata.
14. Ipsos agnoscere, quod multi ex Patribus necessariis Scripturæ interpretandæ mediis fuerint destituti.
15. Ipsos non diffiteri, quod quidam Patres legitimæ interpretationis regulas non semper ac perpetuò observarint, quandoque etiam fervore disputationis, vel studio rhetoricandi in partem alteram nimium propenderint.

Ex quibus omnibus simul sumtis emergit evidens theseos nostræ confirmatio, quod Patrum scripta non sint infallibilis fidei & Scripturæ interpretandæ regula.

Coronidis loco notandum, quàm varia ipsimet Adversarii parata habeant effugia, quando ex Patribus dictum aliquod affertur, quod ipsorum sententiæ minùs congruit.

Dicere enim solent 1. *Librum, ex quo illud desumtum, esse supposititium.* membr. 12.

2. *Locum illum esse corruptum ac depravatum.* membr. 13.

3. *Privatam hanc fuisse Patris illius opinionem, Ecclesiæ, hoc est, Pontificis judicio subjiciendum.* membr. 2.

4. *Ipsum in eo errasse.* membr. 3.

5. *Ipsum alibi mentem suam rectiùs explicasse.* membr. 7.

6. *Ipsum ex ignorantia linguæ Hebrææ vel Græcæ fuisse deceptum.* membr. 14.

7. *Ipsum studio rhetoricandi excessisse.* membr. 15.

8. *Ipsum fervore disputationis raptum in partem alteram nimis inclinasse.* membro 15.

Addi possunt etiam aliæ exceptiones, utpote 9. quòd *non loquatur assertivè sed dubitativè.*

Otto Frisingensis lib. 4. cap. 18. *Considerandum est, secundum quid loquantur Autores, quid opinando, quid asserendo.*

10. Quod *non loquatur ex sua, sed ex aliorum sententia.*

Ludovicus Vives in Comment. lib. 12. de Civ. Dei cap. 16. *Lombardus Hieronymi sententiam de Angelis ante mundi originem conditis contra se adducens sic repellit, ut dicat, Hieronymum id scripsisse, non quòd sic sentiat, sed aliorum opinionem recitantem. Idem in multis quoque Augustini dictis respondet, quod facile dictu est, quoties aliquid ex magnis Autoribus contra nostra placita affertur.*

Bellarminus lib. de gratia primi hominis, cap. 11. §. Quarta objectio &c. ad locum Hieronymi in quæstionibus Hebraicis, *Paradisum ante cœlum & terram fuisse creatum*, respondet; *aut Hieronymum eo loco ex aliorum sententia locutus est, ut sæpe fecit in Commentariis Epistolæ ad Ephesios, & in aliis locis, aut significat, Paradisum conditum fuisse, antequam cœli & terræ fabrica omninò perficeretur.*

Pererius Disp. 6. in cap. 16. Genes. Ribera in Procem. Comment. in Zachar. n. 11. & 12. & alibi passim admonent, *solere Hieronymum in Procemiis aliorum librorum, sed maximè eorum, quos scripsit in Paulum, enumerare Autores, quos secutus sit, quorum sententiam sine nominibus proponit, nihil definiens, sed integrum lectori judicium relinquens, & quidem non rarò, etiamsi expositiones illæ absurdæ sint, & à regula Catholicæ fidei discrepantes. Inde Ruffinus in invectiva illum accusat, quasi eadem cum Origene sentientem in Comment. Epist. ad Ephes. cui ita respondit Hieronymus in prima Apologia. Ego in Commentariis ad Ephesios sic Origenem, Didymum & Apollinarium secutus sum, qui certè contraria inter se habent dogmata, ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? alterius dicta edisserunt, quæ obscurè scripta sunt, plano sermone manifestant, sententias replicant, & dicunt, hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur, illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector cùm diversas explanationes legerit, & multorum vel improbanda dicerit, judicet, quid verius sit, & quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet &c. Videat igitur, qui Hieronymum legit, quos sequatur Autores, quod ex Procemio cognoscet, & cùm invenerit aliquid, quod Origenis errores aut Apollinaris, aut Didymi sapiat, etiamsi ille non rejiciat, sciat non esse Hieronymi, in quo multi errantes ea illi tribuunt interdum, quæ ipse execratur.*

11. Quod

11. Quòd *obiter tantùm, non ex professo de proposita quæstione disserat.*

Bellarminus lib.2.de effect.Sacram.cap.17.§. Unum &c. in explicatione dicti 1.Cor.10. *de esca spirituali, non mirum esse, ait, quòd Chrysostomi explicationem Augustino anteponat, cùm ille in hunc locum ex professo Commentaria scripserit, iste obiter saltem eum explicuerit.*

Idem lib.4.de Eucharist.cap.10.§. Cæterùm. *Non obstat, quòd aliqui Patres verba illa, Non bibam de genimine vitis &c. de calice Eucharistiæ exposuerint, nam alii, qui magis ex professo rem tractârunt, contrarium docuerunt.*

Lib.3.de amiss.gratiæ & statu peccati cap.4.§. Cæterùm. *Sancti isti Patres* (Ambrosius & Chrysostomus) *non videntur accuratè de peccato primæ parentis disserere voluisse, sed obiter ex eo, quod acciderat, occasionem accipere admonendi populum, ut fideliter & religiosè verba* DEI *recitarent &c.*

Stapletonus in relect.princ.fid.doctrin.controv.6.q.4.in explic.art. dicit, *distinguenda esse, quæ Patres obiter interdum scribunt & aliud agentes, ab illis, quæ ex proposito seu principaliter tractant, hæc enim magnam fidem faciunt, illa verò perexiguam. Rursum quæ semel, ab illis quæ constanter & sæpè affirmant ac repetunt. Sed maximè distinguenda esse ea, quæ dogmaticè & assertivè in tractatu positivo docent ab illis, quæ contentiosè & in certamine contra adversarium disputando, etiam in materia fidei pronunciant. Ab hoc enim posteriori genere dictorum nulla testimonia sumenda esse, quia facilè contingat in talibus modum excedere & veritatis lineam transgredi.*

12. Quòd nondum motis certaminibus securiùs locutus fuerit.

Toletus in cap.6.Johan.annot.20. *Non tantùm Chrysostomus & Cyrillus, sed etiam alii Doctores, maximè Græci, libero arbitrio humano nimium tribuebant, nondum Pelagianâ hæresi tunc grassante, maximè Chrysostomi temporibus.* (Eodem modo respondet Augustinus Juliano Pelagiano dicta quædam veterum objicienti, lib.1.contra Julian.cap.2.)

Claudius de Sainctes, Ebroicensis Episcopus Repetit.10. de reb.Eucharist.controversis cap.2.fol.373. *Patres ante natas hæreses, liberiùs, simpliciùs & incogitantiùs scripsisse,* asserit.

Hisce exceptionibus utuntur Pontificii, quando Patrum dicta sententiæ ipsorum minùs conformia ipsis objiciuntur. Concedere igitur & nobis debent, ut iisdem utamur, si quid contra nostram sententiam ex Patribus nobis objiciatur. *Quod enim juris quisque in alios statuit, illud in se admittat necesse*; & quo armorum genere in certamine utitur, ejus usum aliis denegare nequit. Cumprimis verò *unanimem Patrum consensum*, quem tamen in hoc argumenti genere ipsimet requirunt, nunquam in controversis quæstionibus probare poterunt, cùm pro nostra sententia non unum atque alterum, nec unius atque alterius tantùm Patris, sed multorum Patrum dicta proferre possimus, ut ex nostrorum scriptis constat. Sic ergò disputatio hæc nullum habebit finem vel exitum, cùm juxta Gregorii de Valentia confessionem in Analys.p.18. *Patrum scripta sint arma utrique parti suo modo communia.* Inde utraque pars controvertentium, Patrum scripta superiori alicui regulæ subjicit. Pontificii ea subjiciunt *sententiæ Ecclesiæ*, hoc est, ut ultima analysis docet, *Pontificis Romani*, ut vidimus membro 2. Nos verò ea subjicimus *sententiæ Scripturæ*, hoc est, ipsius *Spiritus sancti* in Scripturis publicè propositi, id quod facimus, Patribus ipsis non solùm non invitis, sed etiam jubentibus, ut ex multis Patrum dictis probari potest.

Aug.Ep.19. *Ab iis omnibus, qui aliud sentiunt, literarum tractatoribus provoco ad ipsum Apostolum. Dent veniam quilibet aliud opinantes, ego magis credo tanto Apostolo.*

Lib.2.cont.Crescon.Gramm.c.32. *Utamur illâ libertate, ad quam nos vocavit Dominus; & eorum virorum, quorum laudes consequi non valemus, quorum multis literis scripta nostra non comparamus, quorum ore delectamur, quorum caritatem miramur, quorum Martyria veneramur, hoc, quod aliter sapuerunt, quàm Canonicè, non accipiamus. Neque ullam facimus eis injuriam, cùm eorum qualibet literas à Canonica divinarum Scripturarum autoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam salubri vigilantiâ Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis, vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus.*

Plura hujus generis occurrunt Ep.7.ad Marcell.dictâ Ep.19.ad Hieron.Epist.48.ad Vincentium.Ep.111.ad Fortuna. Epist.112.ad Paulin.in Procem.lib.3.de Trinitat.lib.11.contra Faust.cap.5.lib.2.contra Donatist.cap.3.lib.de unit.Eccles.cap.3.lib.4.de anim.& ejus orig.cap.1.lib.2.de bono persev.cap.21. apud Hieronymum Epist.153.ad Miner.& Alex.in expos.Ps.86. in cap.19.Es.in cap.36.Ezech.in cap.2.Mich. apud Origenem in cap.3.ad Rom.hom.1.in Jerem. Basilium lib. de Spiritu sancto cap.7.& alios passim, ut meritò hæc sententia, quòd *de Patrum dictis ex Scripturæ regula judicandum sit*, pro *unanimi Patrum consensu* habeatur, & Pontificiis Patrum dicta in aliis controversiis adversus nos urgentibus opponatur.

13. Superest verò aliud medium ac remedium, quo Adversarii utuntur, quando in Patribus aliquid occurrit, quod ipsis minùs probatur, in quo tamen ipsorum exemplum imitari, eodemq; remedio uti nec debemus nec volumus, nimirum, quòd Patrum scripta & dicta fide non bonâ tractant;

Primò alienum sensum ipsis affingendo.

Cajetanus in Summ.Thom.p.3.q.27.tit.4. *Hic Autor frequenter sicut in Philosophia Aristotelem ut Philosophum exponit, quicquid ipse Aristoteles senserit: ita in Theologia Doctores ut Theologos, quicquid illi Autores senserint, exponere conatur, ut in sano salventur eorum verba sensu.*

Duacensis Academiæ Theologi in Censura Bertrami; quam Indici Expurgatorio inseruerunt, pag.12. fatentur, *se in Catholicis veteribus aliis, præter Bertramum, plurimos ferre errores, eosque extenuare, excusare, excogitato commento persæpe negare, & commodum iis sensum affingere, dum in disputationibus opponuntur.* (Gretserus lib.1.de jure & more prohibendi libros cap.[illegible] p.8. verba illa sic defendere conatur, quòd *per commentum nihil aliud, quàm glossa & explicatio intelligatur.* At num *sensum affingere* est explicare & interpretari? num *commentum excogitatum* est idem, quod genuina interpretatio? totus contextus ostendit, Duacenses hoc voluisse, quòd si Patrum dicta contrarientur religioni Pontificiæ, licitum sit, alium sensum illis affingere.)

Secundò dicta ipsorum mutilatè ac falsò citando.

Bellarm.lib.3.de verbo Dei cap.8.§ 1. sic scribit: *Irenæus lib.3.adv.hæres.cap.2.docet, controversias non posse finiri ex solis Scripturis, quia variè ab hæreticis exponuntur.* Sed Irenæus planè contrarium d.l. statuit ac hæreticis illam sententiam tribuit. *Cùm ex Scripturis* (inquit) *arguuntur* (hæretici scilic. ut patet ex verbis præcedentibus) *in accusationem convertuntur Scripturarum, quasi non possit ex illis sciri veritas ab his, qui nesciunt traditionem.*

Idem lib.3. de Eccles.cap.8. *Cedant*, inquit, *Tertullianus hæretici origines suarum Ecclesiarum, evolvant ordinem Episcoporum, & per successionem ab initio decurrentem, an primus ille Episcopus aliquam ab Apostolis, vel Apostolicis viris autoritatem habeat.* Sed Tertullianus in libro illo de præscript p.107. statim addit: *Ipsa doctrina hæreticorum cum Apostolica comparata ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicujus Autoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis Autorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.*

Idem lib.4. de Pont. cap.3. adducit dictum Origenis in cap.16.Matth. *Manifestum est; etsi non exprimatur, quod nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent.* Sed hæc verba, ut etiam Franciscus Junius observavit, non extant in editis Origenis operibus. Hæc tantùm apud eum leguntur: *Neque enim adversus petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt.*

Idem Bellarminus lib.4.de Verbo Dei cap.6. ex Theodoreto lib.1.Hist.cap.8. probare conatur, *Concilium antiquissimum & celeberrimum Nicenum I. ex doctrina non scriptâ hæresin Arii damnâsse.* Sed sequitur corruptam Christophorsoni versionem. Recitat ibi Theodoretus partem Epistolæ Athanasii ad Afros, in qua hæc verba: *διὰ τῦτο ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας ἐννοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν*, quomodo etiam legitur apud Eusebium Christophorsonus ea sic reddidit: *Quapropter ex non scriptis vocibus,*

cibus, pie tamen excogitatis condemnati sunt. Duplex in hac versione occurrit falsitas; nam & ἐννοουμένων non significat excogitatas, sed *intellectas*, & ἐγγράφων satis audacter mutavit in ἀγράφων, scriptas, in *non scriptas*. Sanè in editis operibus Athanasii habetur vox ἀγράφων. Sed totus etiam locus aliter legitur. Debuit autem Christophorsonus, si voluit sincerè emendare, non unam duntaxat voculam arripere, reliquis omnibus neglectis. Sic ergò legitur: καὶ ὁ γογγυσμὸς αὐτῶν, ὅτι ἄγραφοι εἰσὶν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται παρ' αὐτῶν μάταιος. Ἐξ ἀγράφων ἀσεβήσαντες (ἄγραφα δὲ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν,) αἰτιῶνται, ὅτι ἐξ ἀγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν. *Eorum autem obmurmuratio, quod eæ voces non sint scriptæ, ab ipsis etiam arguitur esse vana. Cùm enim ex non scriptis impietatem suam instruant (sunt enim non scripta, & illud ex non existentibus, & hoc, erat tempus, quando non erat,) tamen conqueruntur, se ex non scriptis vocibus piè intellectis damnari.* Sic ergò Athanasius *voces* tantum vocat ἀγράφους, non ipsum *dogma*. Tota enim Epistola contrarium clamat, videl. ex Scripturis Arium fuisse damnatum.

Idem Bellarmin. lib. 1. de beat. Sanctorum cap. 19. adducit dictum Eusebii lib. 13. de præparat. Evang. cap. 7. *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoq; illorum accedimus, votaq; ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.* Sed Græca longè aliter habent, quæ Georgius Trapezuntius ad præsentem Eclesiæ Romanæ statum in sua versione inflexit; postquam enim Eusebius ex Platone docuisset, *viros virtute insignes, & in bello fortes, esse post mortem honorandos,* subjungit, καὶ ταῦτα δὲ ἁρμόζει ἐπὶ τῇ τῶν θεοφιλῶν τελευτῇ, οὓς στρατιώτας τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας οὐκ ἂν ἁμάρτοις εἰπὼν παραλαμβάνεσθαι. ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾷν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γινομένων. *Et hæc quidem* (scil. quæ ex Platone recitata erant) *ad obitem piorum accommodari possunt, quos veræ pietatis milites si dicas, non aberres. Itaque ad eorum monumenta accedere solemus, ad eaq; preces facere, honorareq; eorum beatas animas, certi id à nobis rectè fieri.* (Trapezuntius reddidit, *Illis* scil. pietatis militibus *vota facimus.* At Eusebius, *Ad eorum monumenta preces facimus.* Solebant enim Christiani ad Martyrum thecas Deum precari, ipsos autem Martyres precari non solebant. Trapezuntius etiam de suo addidit, *quorum intercessione apud Deum non parùm juvari profitemur*, in Græco enim hæc nuspiam occurrunt.)

Idem Bellarmin. lib. 3. de Pont. cap. 6. inter illos, qui per *duos testes* Apocal. 11. *Enochum & Eliam* intelligunt, refert *Primasium*. Sed ille de Enocho & Elia nec γρῦ nec μῦ. Interpretatur illos duos testes Apocalypticos, vel *utrumq; Testamentum, vel duo Martyrii genera, unum in habitu, alterum in actu.*

Idem in lib. de Clericis cap. 19. § Probatur secundo &c. sic scribit: *Concilium Nicenum I. can. 3. interdicit Episcopo, Presbytero & Diacono, ne domi mulierem ullam habeat, præter matrem, sororem, amitam.* At Concilium loquitur tantùm περὶ τῆς συνεισάκτου, non in universum de muliere. Uxor autem legitima non potest censeri συνείσακτος.

Idem Bellarminus in Recognitione lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. *Monarchicum Pontificis Primatum* probat ex eo, quod Tertullianus initio libri de pudicitia eum vocet *Episcopum Episcoporum*. (Sed inspectio textus ostendit εἰρωνικῶς eum sic appellari. Pontifex sc. maximus, Episcopus Episcoporum.)

Ibid. Primatum Pontificis probat ex eo, quod Hieronymus Epistola 1. ad Damasum de nomine *hypostasis*, Damasum Episcopum Rom. vocaverit *Ecclesiæ petram*. (Atqui non *Damasum*, sed *Christum* vocat *Ecclesiæ petram*. Verba sic habent: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, h. e. cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio.* Illam, h. e. Christum, nam alias hanc dictam oportuit, quomodo etiam Bellarm. ausus est reponere.)

Idem Bellarmin. lib. 1. de beat. Sanct. cap. 13. pro religioso Sanctorum cultu adducit locum Justini in Apolog. 2. *Sed & illum* (Deum Patrem) *& ejus Filium, qui venit, nosq; hæc docuit, & aliorum sequentium, similiumque bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Propheticum colimus, atque adoramus, verboq; & re, seu veritate veneramur, idq; omnibus, qui discere volunt, ut docti, instituti q; sumus, copiosè tradimus.* (Ubi in adoratione earum rerum, quæ adorantur, postremus locus datur *Spiritui sancto*, cique præponuntur *Angeli*, cui conjunctioni meritò opponitur illud Bellarmini lib. 1. de Christo cap. 13. *Dominus non copularet cum Patre, & Filio Spiritum sanctum, si creatura esset.* Sed benè *habet*: in Græco Justini textu nulla fit mentio religiosi Angelorum cultus. Ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν Ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, καὶ παντὶ βουλομένῳ μαθεῖν, ὡς ἐδιδάχθημεν, ἀφθόνως παραδιδόντες. *Verùm hunc ipsum, & qui ab eo venit, atque ista nos & aliorum obsequentium exæquatorumque bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum Propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes, atque unicuique discere atque nosse volenti, pro eo atque edocti sumus, candidè hæc tradentes*: quo modo etiam Joh. Langus vertit in edit. Friderici Sylburgii.)

Ibid. adducit Athanasii dictum ex lib. de Virginitate: *Si vir justus ædes tuas ingreditur, cum timore & tremore occurrens illi,* καὶ προσκυνήσεις, *& adorabis ad pedes illius.* Sed quilibet videt, loqui Autorem illum, quisquis tandem sit, de viro justo vivo. Nunquam verò apud Christianos auditum, *etiam viventes nobiscum homines esse religiosè colendos.*

Ibid. adducit Chrysost. homil. de sanctis Juventino & Maximo. *Tumulos adoremus.* Sed in Græco textu habetur, ἵνα καὶ ἀπὸ τῆς ὄψεως τῶν ἁγίων τούτων μνημάτων, καὶ ἀπὸ τῆς ἐννοίας τῶν ἄθλων, καὶ πανταχόθεν πολλοὺς καὶ μεγάλους λαβόντες θησαυρούς. *Quò & visis Sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmiis, inde varios thesauros undiquaque colligamus.* It. τῆς λάρνακος ἁπτώμεθα, *capsulam attingamus.*

Ibid. adducit dictum Cyrilli Alexandrini lib. 6. contra Julian. *Nos non Deos factos dicimus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consuevimus.* Sed locus Cyrilli sic habet: *Sanctos Martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus, laudamus autem eos potius summis honoribus.*

Ibid. adducit dictum Augustini in Psal. 96. ubi monente Bellarmino, *Augustinus Ethnicis objicientibus, quod Christiani colerent Angelos, respondet similiter*, & addit: *Utinam & vos illos colere velletis! facilè enim ab ipsis disceretis, non illos colere, id est, non colere, ut Deos, sed ut Sanctos.* At multiplex dolus in hujus dicti allegatione commissus, 1. falsum est, *refutari ab Augustino Ethnicos objicientes à Christianis coli Angelos.* Nam instat potius contra ipsorum responsionem, factam Christianis increpantibus, quod Dæmonia colerent. *Respondent* (inquit) *non colimus mala Dæmonia. Angelos, quos dicitis, ipsos & nos colimus, virtutes Dei magni & ministeria Dei magni.* Sic ergò Ethnicos confitentes se adorare Angelos mutat Bellarminus in accusantes Christianorum factum. 2. Per τὸ *similiter respondet*, Bellarminus innuit, Augustinum respondere ad Ethnicorum accusationem per distinctionem inter *duliam & latriam*. Sed eo in loco ne γρῦ quidem extat de illa distinctione. 3. verba illa, *i. e. non colere ut Deos, sed ut Sanctos*, non sunt Augustini, sed Bellarmini, & tamen continuantur Augustini verbis in editione Sartoriana & Lugdunensi, unde Richeomus de Sanctis cap. 7. à Bellarmino deceptus eodem modo hunc locum citat. 4. Augustinus non simpliciter optat, *Ethnicos fieri Angelorum cultores*, ut Bellarm. statuit, sed exceptionem Ethnicorum, quod non colant Angelos malos, sed bonos, voto Rhetorico eludit. *Utinam à vestris Dæmoniis recedentes velletis colere Angelos bonos! si facilè ab iis disceretis, non illos colere*, i. e. si coleretis Angelos bonos, ii docerent vos, non colere se, sed solùm verum Deum. Id quod statim declarat subjecto exemplo ex Apocalypsi.

Id. Bellarm. disputans de Cœlib. Sacerd. lib. de Clericis cap. 19. §. Chrysostomus &c. adducit dictum Oecumenii in 1. Tim. 3. *Non statuit, ut ab uxore pendeat Episcopus, aut uxorem necessario habeat, seà si fiat, inquit, è mundanis, non sit saltem bigamus: ita tamen, ut vocatus ad Episcopi munus illud compleat, quod qui habent uxores, sint tanquam non habentes.* (Omittit illa Oecumenii verba, quæ permittunt non uxorem tantùm, sed & uxoris usum. *Sive ut unam cognoscat ad coitum mulierem legitimam.*)

Salmeron Disp. 52. in Epist. Rom. pag. 475. pro immaculata B. Virg. conceptione adducit dictum Origen. hom. 1. in divers. *Audite, quod Virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens, quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque*

ejus

ejus afflatibus venenosis infecta. Sed omittit ea, quæ statim sequuntur, ex quibus intelligitur, non de conceptione ea, qua Maria in utero matris suæ concepta est, sed de ea, qua Filium Dei in utero suo concepit, sermonem esse. *Sed Virgo*, inquit Origenes, *in utero accipiet, prædicationem Angeli suscipiens, Prophetarum testimonia assumens.*

Baronius Anno 34. §. 290. *Jacobus Alphæus cognomento Justus, idemque frater Domini dictus, à Petro Apostolorum Principe ordinatur Hierosolymorum Episcopus.* Probat hoc ex Chrysostomi homilia in Johannem 87. (in Cod. Græco est 88.) *Si quis à me percontaretur, quomodo Jacobus Sedem Hierosolymitanam acceperit, responderem, hunc totius orbis Magistratum præposuisse Petrum.* (Atqui ementitum est hoc Chrysostomi testimonium, sic enim habent ipsius verba: εἰ δὲ λέγοι τις, πῶς ὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν ἱεροσολύμων; ἐκεῖνο εἴποιμι, ὅτι τῦτον ὐ θρόνυ, ἀλλὰ τῆς οἰκυμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον. Quod si quis percontaretur, *Quomodo igitur Jacobus thronum accepit Hierosolymitanum? id dixerim, hunc non throni, sed orbis Doctorem constituisse.* Sensus est, non à Petro Jacobum, sed à Christo Petrum fuisse ordinatum, nempe *orbis magistrum*, id quod paulò post omnibus Apostolis tribuit.)

Idem Baronius tom. 3. Anno 313. cupit probare ex Epistola Imperatoris Constantini ad Melchiadem, *Imperatorem in fide tum temporis adhuc rudem, cùm in causa Donati ac Cæciliani judices daret, elegisse Maternum ex Agrippina civitate, Rheticium ex Augustoduno, Marinum Arelatensem, omisso Melchiade Episcopo Romano; verùm postea sentientem, ex divinæ Legis præscripto absq; primariæ Sedis Antistite nefas esse cognosci, causam detulisse ad Melchiadem, qui præsentibus illis tribus aliisq; comprovincialibus causam cognosceret.* Sed verba Epistolæ sic habent, apud Eusebium lib. 10. Hist. cap. 5. ἵνα ἐκεῖσ' ὑμῶν παρόντων, ἀλλὰ μὴν καὶ Ρετικίυ, καὶ Ματέρνυ, καὶ Μαρίνυ τῶν κολλήγων ὑμῶν, ὓς τύτυ ἕνεκα εἰς τὴν Ρώμην προσέταξα ἐπισπεῦσαι, δυνηθῇ ἀκυσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοι τι τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν. *Ut illic, vobis præsentibus, sed & Rheticio, & Materno, & Marino Collegis vestris, quos propterea Romam jussi properare, possit audiri, prout comperietis venerandissimæ legi congruere.* Hic quilibet videt, nihil agi de primæ Sedis Antistite, nisi quomodo de aliis: deinde illud de lege, referri non ad id, quod statuit Imperator apud se de legendis judicibus, sed ad id officium, quo lecti judices perfuncturi erant, nimirum ut non temerè, sed secundum legem divinam judicarent.

Richeomus de Sanctis cap. 4. asserit, *hæresin eorum, qui negarent colendos esse Sanctos, ab Eustathio primum inventam, eam ipsam ob causam damnato in Concilio Gangrensi*, & autorem laudat Socratem lib. 2. cap. 33. At de cultu Sanctorum apud Socratem d. l. nihil quicquam extat.

Idem lib. ejusd. capit. 6. asserit, *ab Augustino lib. 2. contra Faustum capit. 21. adorari à populo memoriam Martyrum religiosa solemnitate.* Sed Augustinus non dixit adorari, sed *celebrari*.

Alphonsus de Castro advers. hæres. tit. de Sacerdotio hæres. 4. *Hæc consuetudo, juxta quam matrimonio alligatus promovebatur ad Sacerdotium, invaluit usq; ad tempora Niceni Concilii, in quo (ut fertur) generali Decreto statutum est, ne aliquis uxorem habens crearetur Sacerdos.* Sed falsum hoc est, nec potuit Alphonsus ullum hujus rei testem adducere.

Cottonus in lib. de Missa tract. 7. §. 14. adducit tertium Canonem Concilii Niceni, quòd sic habeat: *Decorum est propter repetita mysteria ac necessitates, ut Presbyter, & Diaconus, & Episcopus Deo dedicatus sit. Si enim populo præcipit, ut ad tempus vacet orationi, quantò magis Sacerdoti idem præcipit.* Sed nulla editio Nicænorum Canonum hunc habet.

Idem Cottonus lib. 3. Instit. cap. 40. pro charactere confirmando, adducit locum Clementis Alexandrini ex Eusebii lib. 3. Hist. Eccles. cap. 17. quem Christophorsonus sic reddidit: *Ubi sigillo Domini, hoc est, Sacramento confirmationis, tanquam perfectâ tutaq; ejus animi custodia obsignasset, nonnihil de cura & observatione in eo instituendo remisit.* (Sed in textu Græco Eusebii nihil de Confirmatione extat, sed de Baptismo duntaxat: ὁ δὲ Πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον, ἐφώτισε, (*baptizavit*, quia Baptismus veteribus dicebatur φωτισμὸς) καὶ μετὰ τῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ φυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τῦ Κυρίυ, *imposita ei perfecta custodia sigillo Domini.*

Fronto Ducæus in Catalogo errorum Plessæi capit. 3. ex Epiphanio de Collyridianis citat de Maria dictum, τὴν γνώμην καὶ τὴν αἴσθησιν ἐν τιμῇ τετιμημένη, ὥσπερ τὰ σώματα τῶν ἁγίων; καὶ εἴ τι πλειοτότερον πρὸς δοξολογίαν εἴποιμι. Et interpretatur. *Veneranda est & mente & sensibus exterioribus, tanquam corpora Sanctorum, imò amplius dicere possum, ad laudem majorem.* Sed locum Epiphanii truncavit & pervertit. Apud Epiphanium verba sic habent: ἐξαίρετον μὲν γὰρ ἐςὶ τὸ σκεῦος, ἀλλὰ γυνὴ, καὶ ὐδὲν τὴν φύσιν παρηλλαγμένη, τὴν δὲ γνώμην καὶ τὴν αἴσθησιν ἐν τιμῇ τετιμημένη, ὥσπερ τὰ σώματα τῶν ἁγίων, καὶ εἴ τι πλειοτότερον πρὸς δοξολογίαν εἴποιμι, ὡς Ἡλίας ἐκ μήτρας (al. ἐκ μητρὸς) παρθένος, καὶ ὕτω μένων εἰς τὸ διηνεκὲς καὶ ἀναλαμβανόμενος, θάνατον δὲ ὐχ ἑωρακώς. Hoc est. *Est quidem vas electum, verùm mulier, neq; Naturâ quicquam differens,* (ab aliis) *at verò sententia sensuque honore honorata, ut corpora Sanctorum: & si quid excellentius dicam in ejus honorem ut Helias ab utero virgo & sic in æternum permanens, assumtusque, ita ut mortem non videret.*

Guilielmus Bailius in Catech. controv. tract. 1. quæst. 6. demonstraturus *scripturæ sacræ obscuritatem*, in prioribus editionibus adduxerat locum Gregorii Magni, qui in Præfat. moralium in Jobum sic loquatur: *Scriptura est profundus Oceanus, in quo Elephantes submerguntur.* Sed verba Gregorii longè aliter habent. *Divinus*, inquit, *sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerunque superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat, servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe fluvius (ut ita dixerim) plenus & altus, in quo & agnus ambulet & Elephas natet.* Inde etiam admonitus hac de re Bailius ab Adversario doctissimo Andrea Riveto in tertia editione testimonium illud falsum clanculum subduxit, cujus ut locum impleret, aliud substituit ex Ambrosio Epist. lib. 7. Epist. 44. *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina.* Sed eadem fide agit, quâ antea, quia, quæ sequuntur, studio omittit, in quib. Ambrosius seipsum satis perspicuè explicat. *Sunt ergò*, inquit, *& fluvii dulces atque perspicui. sunt & fontes nivei, qui saliant in vitam æternam, sunt & sermones boni, sicut favi mellis & gratæ sententiæ, quæ animos audientium spirituali quodam potu irrigent & præceptorum moralium suavitate mulceant. Diversa igitur Scripturarum fluenta. Habes, quod primum bibas, habes, quod secundum, habes, quod postremum. Collige aquam Christi, illam quæ laudat Dominum. Collige aquam de pluribus locis, quam effundunt nubes Propheticæ. Quicunque colligit de montibus aquam ad se trahit, vel haurit è fontibus & ipse rigat sicut nubes. Imple ergò gremium mentis tuæ, terra tua humescat & domesticis irrigetur fontibus.*

Id. Bailius d. tract. 2. quæst. 43. pro astruendo Purgatorio adducit locum Augustini in enarr. Psal. 37. *Omnes Græci Patres*, inquit, *hunc ignem appellant Purgatorium. S. Augustinus in Psal. 37. emendatorium.* Sed locus Augustini sic habet: *Deum roga, ut ita te purget in hac vita, & talem te reddat, cui jam emendato, igne* (scil. æterno, quia post hanc vitam nullus erit pœnitentiæ locus) *non sit opus.* Horum verborum loco falsò scribit Bailius fidem Bellarmini secutus, *cui jam emendatorio igne non sit opus.*

Id. d. tract. quæst. 53. pro astruendis *votis, quæ fiunt Sanctis*, secutus fidem Bellarmini adducit dictum Theodoreti lib. 6. de curandis Græcorum affectibus. *Piè verò fideliterque precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii verò pedum, alii vero manuum simulachra suspendunt ex auro argentoque confecta.* Sed textus originalis, ne verbum quidem de votis Sanctis factis, vel redditis habet. Tantum Zenobius Accidaiolus in versione sua hæc verba, *votorum rei*, in Autore non occurrentia adjecit. Et quamvis occurrerent, sequentia tamen satis indicant, dona ista à sanatis, non *Martyribus*, sed *Deo* fuisse oblata. Addit enim, quod falsarii in citatione omiserunt: *Gratissimè accipit Dominus, qualiacunque sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur.*

Canisius in oper. Catech. cap. de præcept. Eccles. art. 9. proferens Augustini testimonium pro continua successione Episcoporum Romanorum ab ipso Petro, allegat tantum priorem partem ejus sententiæ, hoc modo: *Cathedra quid tibi fecit*

Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua hodiè Anastasius sedet? sed omittit reliqua, quæ sic habent: *Vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Johannes sedet.*

Stapleton. in princ. doctr. lib. 6. cap. 14: *hanc prærogativam tribuendam esse Petro præ Paulo, quòd Paulus solarum gentium Doctor, Petrus verò & gentium & Judæorum Doctor fuerit,* probat ex Ambrosio Comment. Epist. ad Gal. c. 2, cùm tamen disertè contrarium eo in loco D. Ambrosius habeat, si totus audiatur & non mutiletur. *Petrum,* inquit, *solum nominat & sibi comparat, quia Primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam, se quoq; modo pari electum, ut Primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis, ita tamen, ut & Petrus gentibus prædicaret, si causa fuisset, & Paulus Judæis.* (Hæc ultima verba fraudulenter omittit Stapletonus, probaturus verbis Ambrosii, quòd Paulus solis gentibus, non Judæis prædicare debuerit, Petro & Judæis & gentibus prædicante.)

Idem Stapletonus lib. 6. de princ. c. 7. adducit dictum Gregorii lib. 4. Epist. 38. *Paulus, Andreas, Jacobus, Johannes singularum plebium capita, & sub uno capite Petro omnes membra Ecclesiæ.* Atqui Petri nomen in Gregorio non habetur, nequidem in editione Vaticana Ann. 1591. Ac refragatur scopo Gregorii, Petrum vocare caput Apostolorum. Disertè eum vocat primum membrum, Christum autem caput. lib. ejusd. Epist. 36. *Omnia, quæ soli uni capiti adhærent, videl. Christo, per elationem pompatici sermonis, ejusdem Christi studeat sibi membra subjugare.*

Idē Staplet. in Relect. controv. 3. q. 1. art. 1. concl. 3. *Hoc est, quòd Chrysost. scripsit homil. 55. in Matth. quoddā hic esse donum Filii proprium Petro datum sicut Patris quoddam donum erat eidē concessum. Pater enim revelavit Petro, Christum esse Filium Dei vivi, Filius tribuit Petro, ut sit Ecclesiæ petra.* (At Chrysostomus donum Filii exponit *claves regni cœlorum,* non *petram Ecclesiæ.*)

Ibid. in solut. argument. ejus conclusionis ex eadem Chrysostomi homiliâ recitat: *Tu ex his omnibus, quanta sit Petri potestas, intellige.* (At Chrysostom. non *Petri* dixit, sed *ejus,* & Christum significavit.)

Thomas (vel quisquis alius Thomam corrupit) in lib. contra errores Græcorum, pro astruendo *Pontificis Romani Primatu* Cyrillum adducit, sic loquentem: *Sicut Christus accepit à Patre super omnem principatum & potestatem, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem, sic & Petro & ejus Successoribus plenissimè commisit: & nulli alii quàm Petro Christus, quod suum est, plenum, sed ipsi soli dedit. Et Apostoli in Evangeliis & Epistolis affirmârunt, in omni doctrina Petrum esse loco Dei & ejus Ecclesiam; & illi, scil. Petro, omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tamquam ipsi Domino Jesu obœdiunt, & nos, ut membra, manere debemus in capite nostro Pontifice Romano & Apostolico throno, à quo nostrum est quærere, quid credere & quid tenere debemus, quoniam solius Pontificis est arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere, solvere, ligare.* (At hæc verba nusquam inveniuntur in Cyrilli operibus, & tàm aliena sunt à Cyrilli doctrina, quàm assentationibus admiratorum Papalis omnipotentiæ affinia.)

Pamelius in annot. ad lib. Tertulliani de præscript. cap. 23. argumentum ejus ita proposuit: *Persequitur hoc capite dicta Scripturæ Pauli interpretationem, & docet, cavendum semper fuisse, ne religionis mysteria propalarentur.* (Atqui hoc directè est contra mentem Tertulliani, qui docet potius, omnia Christianæ religionis mysteria esse propalanda. Cap. 35. dementiam hæreticorum traducit, confitentium, *Apostolos nihil ignorasse, nec deversa inter se prædicasse, sed non omnia omnibus revelasse.* Et ad id probandum abutentium his verbis 2. ad Tim. 2. *Depositum custodi.* Hoc argumentum ut refutet, idem id depositum esse docet, quod *Timotheus audiverat coram multis testibus, & committere jubebatur fidelibus hominibus* cap. 2. itaque non *esse aliquid tacitum.* Excipiebant hæretici, *multis quidem, sed non omnibus fuisse communicatum.* Hanc exceptionem proponit & refellit cap. 25. *Dominus,* inquit, *palàm edixit sine ulla significatione alicujus taciti Sacramenti. Ipse præceperat, si quid in tenebris & in abscondito audivissent, in luce & in tenebris prædicarent. Ipse per similitudinem præfiguraverat, ne unam minam, id est, unum versum ejus sine fructu in abdito reservarent. Ipse docebat, lucernam non sub modio abstrui licere, sed in candelabrum constitui, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, si non adimplerunt, abscondētes aliquid de lumine, id est de Dei verbo & Christi Sacramento. Neminem, quod scio, verebantur, non Judæorum vim, non Ethnicorum. Quò magis utique in Ecclesia liberè prædicabant, qui in Synagogis & in locis publicis non tacebant. Imò neque Judæos convertere, neque Ethnicos inducere potuissent, nisi, quod credi ab iis volebant, ordine exponerent. Multo magis jam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsim demandarent.* Hæc omnia Tertullianus disertè docens, Apostolos nihil quicquam occultâsse. Nec tamen veritus fuit Pamelius, sententiam planè contrariam illi tribuere.

Vega pugnans pro Transsubstantiatione th. 176. f. 49. citat locum ex Augustino lib. 3. de Trin. c. 1. qui non invenitur. Imaginatur enim sibi, Augustinum sic scribere: *Non nivis Natura, erat enim manna simile rori aut nivibus, Soleque solvebatur, sed per verbum & virtutem Dei facto pane & carnibus sub accidentibus nivis alebantur.*

Idem in thesi 122. de Missa allegat ex 34. quæstione Athanasii ad Antiochum, quod ibi non potest reperiri, tanquam Athanasius ita scriberet: *Intelligimus, peccatorum animas participare beneficia ab incruenta immolatione pro ipsis facta.*

Tertiò, in Patrum editionibus quædam mutando: (unde Taubmannus à corruptis illis editionibus cavendum esse monens, sic scribit:

Biblia sit princeps cura, secunda Patres,
Sed Patres ipsi, nam quos tu Romule castras,
Jure intestatos credimus esse Patres.)

Graviter de hac mutilatione conqueritur Joh. Marsilius Venetus in controv. Venet. contra Bellarm. p. 331. edit. Venet. Ann. 606. *Notum,* inquit, *est omnibus è Conciliorum, Canonum, aliorumve Doctorum libris, ex ipsis etiam Breviariis & Missalib. ablata esse & adhuc auferri ea, quæ Principibus Laicis favent, ut periculum fiat, num sensim & progressu temporis stabiliri possit opinio de illimitata potestate Pontificis in temporalibus. Ideo, ut qui libros Anno 1530. vel 1550. editos cum hodiernis confert, sive Concilia, sive alia describant, vindemiam manifestè deprehendat. Unde mirum non est, nos post vindemiam paucos aliquot racemos in Serenissimi nostri Principis defensionem invenisse. Hæc est ratio, quâ successu temporis fides Scripturis omnibus derogabitur, & Ecclesia Dei evertetur. Quod per occasionem mihi à Domino Cardinali oblatam dictum sit & caritatis gratia, tum quod inprimis optem, ne amplius hoc modo Scripturæ depraventur, quod itidem omni cum humilitate & reverentia dictum sit.*

D. Johannes Pappus in Præfat. Indicis Expurgatorii Belgici Ann. 1571. concinnati, Argentorati Ann. 1599. recusi. *Etsi in hoc quidem Indice eò audaciæ Censores Belgici nondum proruperunt, ut ipsa veterum Ecclesiasticorum Scriptorum verba immutari aut tolli, ac deleri jubeant, tamen quod in ipso Patrum contextu facere nolunt videri, id in Indicibus majore ne dicam fraude, an temeritate, designant. Quid enim? in Indice Frobeniano in D. Augustini opera delendum est illud, Fides sola justificat tom. 2. col. 815. D. Hoc autem si delendum est, ut Index Expurgatorius vult atque jubet, quem tandem locum ipsa D. Augustini verba, ad quæ Index Frobenianus nos remittit, habebunt? aut quæ causa est, cur ea quoque non deleantur, aut saltem de hæresi non sint suspecta? Non solum illa, inquit Augustinus Epist. 1. opera legis, quæ sunt in veteribus Sacramentis, & nunc revelato Testamento novo non observantur, sicut est circumcisio præputii, & Sabbati carnalis vacatio, & à quibusdam escis abstinentia, & pecorum in sacrificiis immolatio, & neomenia, & azymum & cætera hujusmodi, verum etiam illud, quod in lege dictum est: Non concupisces, quod utique ex Christianis nullus ambigit esse dicendum, non justificat hominem nisi per fidem Jesu Christi, & gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Est enim idem omninò, non justificat nisi per fidem Jesu Christi, cum isthoc, sola fides justificat. Verum D. Augustino aliquis modò honor fuit habendus paululum, dum ipsa tamen ejus sententia per latus Indicis Frobeniani confoderetur.*

Franciscus Junius in Præfat. ejusdem Indicis Expurgat. editioni Anno 86. præmissa: *Ante annos viginti septem, cum Lugduni agerem, (egi autem Anno 1559. & sequente) Correctore quodam Typographico usus sum familiariter, cui Ludovico Saurio fuit nomen. Habitabat ille non procul à Mercuriali vico, in ædibus conjunctis typographicis, ...um columbarum signo. Cum ad salutandum hominem venissem, casu, vel potius singulari DEI providentia accidit, ut versantem cum officina Frelonius excuderem in recognoscendis D. Ambrosii operibus, quæ tum Frelonius excudebat. Variis autem sermonibus ultrò citroque habitis, cùm, me avocamento esse ab opere nolle, ostenderem, ille redorsus lectionem unius paginæ, videsne, inquit, hanc formam Ambrosianæ editionis nostræ? quam sit elegans, accurata & in speciem omnibus anteponenda aliis,*

aliis, quæ adhuc in lucem prodiverunt? Postea contuenti opus & probanti ejus elegantiam dixit, Ego verò, si quod exemplum Ambrosiani operis mihi emendum esset, quodvis exemplum aliud potius quam hoc, quod vides, compararem. Sciscitatus sum hujus dicti causam. Tum ille de forulis sub mensa sua latentibus aliquot paginas promens, (erant autem paginæ, ut loquuntur Græci, κεχιασμέναι sive cancellatæ, aliæ ex parte & aliæ universè.) hæc est, inquit, prima forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris & certi exemplaris optimâ fide impressimus. Franciscani autem duo pro autoritate has omnes paginas dispunxerunt, ut vides, & illas substitui in locum priorum curaverunt præter omnem nostrorum librorum fidem, quæ res sumtum & molestiam Frelonio creavit gravissimam, nam pretium chartæ operarumq; amisit universum, temporis jacturam passus est, & Typographicas illas priores plagulas commutare novis ad libidinem istorum oportuit magno malo nostro & admiratione mea. Postea tria illius corruptelæ in Patrum editionibus factæ indicia subjungit, (quorum primum est, lima judicii à viris doctis & idoneis adhibita; alterum, aliorum exemplarium & quidem veterum comparatio; tertium, folia Typographica, quæ interfecta & divisa prostant in eodem exemplari venalia) & addit:

Duas subesse video causas, cur à Patribus in hoc Indice expurgatorio recensendis abstineant plurimum: (quamvis Betramum Censores expurgent, qui in veterum numero ab ipsis reponitur.) Unam, quod jamdiu à suis Facultatibus Lutetiæ, Lovanii, alibi & à Tridentino ipso Concilio, ut alia omittam, fuerint execti; alteram, quod si quid reprehensione dignum putaverunt, id maluerunt recentioribus acceptum ferre, quàm suo facto committere, ut in sanctos Patres ipsi dicantur injurii. Quamobrem quod in hos non audent, in nostros cudunt, & marginum, annotationum, Indicumq; dicta furcillis suis extrudunt, quamvis cum Patrum mente non consonantia. Verbi gratiâ, in Chrysostomi Indice Basileensi jubetur deleri istud, Ecclesia non super hominem, sed super fidem ædificata &c. tom 3 Illa autē ipsa sunt verba Chrysostomi in sermone de Pentecoste, & sæpius inculcata. Itemq; illud, Meritum nullum esse, nisi quod à Christo confertur, quod deleri jubent, iisdem planè verbis expressit Chrysostomus homil. 1. in dictum Johannis, Vos amici mei.

Kimedoncius lib. 2. de autorit. Script. cap. 6. Appello passim tot Monasteriorum per Papatum Bibliothecas, in quarum quibusdam ipsemet vidi Monachos audacter admodum falsarias manus intulisse Scriptoribus Ecclesiasticis, integras sententias & paginas totas obliterando, imò integris ternionibus & libris excisis Autores indignè castrando. Quando etiam pro lubitu ea, quæ sibi adversa videbantur, immutarunt.

Si evolvatur Index Expurgatorius Hispanicus à fol. 123. usque ad 135. & aliàs passim. Item fol. 107. palàm erit, quod sententias illas, quæ in Patrum scriptis instar stellularum coruscant, exauroraverint, quales sunt: Natura nostra ex se malos tantùm profert fructus. Voluntas nostra mala & malorum radix. In bonis operibus nostris concurrit semper aliquid mali. Nullum opus nostrum dignum justitia Dei. Sola Christi justitia Deo Patri accepta. Fides promittitur vita æterna. Qui non habet Christum per fidem, non implet Legem, non satisfacit Legi. Superinduamus oportet peccatis nostris justitiam Christi. Et fol. 149. Credo, me in morte & passione Christi salvari, non ex propriis meritis. Quemadmodum etiam in Indicibus Patrum eradunt istas propositiones. Fides salvat. Justus bonis operibus non fidat, ut videre est in Indic. Expurg. Hispan. fol. 138. & 139. (Quamvis verò continuerint ele Indices, quos habemus è Belgio & Hispania intra marginales annotationes & indices ad opera veterum, tamen exempla ostendunt, majus aliquid illos Expurgatores moliri, quod clanculum perficiunt.)

Index Expurgatorius Madriti p. 27. ad Justinum Martyrem, Ubicunq; hæc verba in Patribus reperiuntur, Scripturæ sunt omnibus necessaria, deleantur.

Idem Index ad Joh. Cornarium ex textu Epiphanii, hæresi 69. deleri jubet, Creaturam non adorari.

Idem Index lit. C. Cyrillus ex textu Cyrilli in cap. 1. Esaiæ deleri jubet, Fidei autem gratiam.

Ex Comment. in cap. 47. §. Tu verò &c.

Ex Comment. in cap. 52. §. Sed ubi &c.

Idem Index tit. Joh. Chrysostomus, ex Chrysostomo deleri jubet, quod habetur serm. de Pentecoste tom. 3. Non super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam.

Idem Index tit. Anton. Abbas, ex Gregorio Nysseno apud Antonium Abbatem Melissa 1. serm. 1. §. 7. in verbis, Eam verò solummodò Naturam, quæ increata est, colere & venerari didicimus, illud solummodò deleri jussit.

Idem Index tit. Bibliotheca sanctorum Patrum Margarini de la Bigne ex Antonii istius Melissis 26. sententias eradi jubet.

Ibidem ex Patribus aliis in Bibliotheca Margarini contentis Marco Eremita, Hermete, Melitone, Cabasila, Walafrido, Marco Archiep. Ephesino, Anastasio & aliis integros tractatus, sententias, paginas deleri aut mutari jubet.

De hac autorum expurgatione, vel potius conspurcatione graviter conqueritur Widringthonus Scriptor Pontificius Disp. de juram. fidelit. c. 3. p. 67. 68.

Apud Augustin. lib. 22. de C. Dei cap. 8. legitur, ut aliquantò diutius homo vivat, cum legendum sit, ut aliquantò quietius homo vivat, quod vitium Lud. Vives in h. l. ait, irrepsisse ab iis, qui omnia magnorum autorum scripta spurcis suis manibus contaminabant, i. e. Monachis, ut Erasmus interpretatur. In Ind. Scholior. in Hieronymum.

Quinimò istorum hominum audacia eò progressa est, ut si quando à suis domesticis admoneantur, quod Patrum scriptis abutantur, etiam hoc expurgandum jubeant, & legendum, non quod abutantur, sed quod utantur, quomodo ingenuæ Martini Martinez admonitioni contigit, ut Index edit. Madrit. p. 146. al. p. 413. tit. Martinus Martinez Cantapretensis, jusserit legi, utantur, cum dixisset autor, abutantur.

Apud Cyprianum extabat apertissimus locus pro pari omnium Apostolorum potestate, lib. de unit. Eccles. ubi olim sic inquiebat: Quamvis enim Christus omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, si cui retinueritis, retinebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ autoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia monstretur. At ut nunc in Romana & Antverpiana editione legitur, specie quadam magis Petri Primatum, adeoque quendam potestatis suprematum, qui Pontificis arrogantiæ finitimus sit, fulcire videtur, quemadmodum alias sic inde colligendum docet Stapleton. princ. doctr. lib. 6. cap. 7. Cùm enim in Cypriano hæc verba diserta sint: Erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Hic Romanus inserit, & Primatus Petro datur. Cùm Cyprianus dicat, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem Christus suâ autoritate disposuit; Romanus Cyprianus invexit, unam cathedram constituit. Et rursum, cùm Cyprianus, ut una Christi Ecclesia monstretur, inserit Romanus Cyprianus, & cathedra una. Sic ergò in hoc mutato Cypriano belle videntur jacta Primatus fundamenta, Petro Primatum dari, Christum unam cathedram constituisse, & ut Ecclesiam unam esse oportet, ita quoque unam cathedram esse oportere. Quoniam tamen una cathedra Cypriani phrasi non magis pro Romani Pontificis, quàm pro Episcopi Carthaginensis cathedra facit, Antverpiensis Cyprianus, ut rem provehat magis, Petri cathedram inducit. Et cùm Cyprianus etiam Romanus ille eodem in loco sic loquatur, qui Ecclesiæ resistit, in Ecclesia se esse confidit. Antverpiensis, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit. Igitur cùm olim demonstraret Cyprianus unitatem Ecclesiæ ex communi æqualique Petri cum cæteris Apostolis potestate, nunc tàm bellè interpolatus Petri Primatum denotat, qui juxta Pontificiorum interpretationem est suprematus Papæ. Nec enim divinandum amplius relictum per Petri cathedram, Papæ cathedram, juxta Pontificiorum hypothesin designari, quam cathedram ille deserit, qui obedientiam summo Pontifici non præstat, secundum Gratianum c. Obedientiam dist. 93.

Baronius postquam adduxisset locum ex Hincmaro Rhemensi opusc. 55. capit. ad Hincmarum Laudunensem Episcopum cap. 20. f. 93. acta Nicenæ secundæ Synodi à Papa Adriano ad Carolum Magnum in Franciam missa, eaque occasione generalem Synodum convocante præfato Imperatore celebratam Francofordiæ, & secundum Scripturarum tramitem traditionemq; majorum ipsam Græcorum Pseudo-Synodum destructam & penitus abdicatam fuisse, statim ex eodem Hincmaro subjungit: Autoritate itaque hujus Synodi, Francofordensis scilicet, nonnihil repressa est Imaginum veneratio, sed tamen Hadrianus & alii Pontifices in sua opinione perseverarunt, & mortuo Carolo suarum

suarum pupparum cultus vehementius promoverunt, adeò, ut Ludovicus Caroli filius libro longè acriori insectatus sit Imaginum cultum, quàm Carolus. Hæc ex Hincmaro adducit Baronius, sed omnia illa, quæ subnexa dicit ab Hincmaro in Parisiensi Hincmari editione Anno 1615. penitus sunt omissa, nec ullum eorum jam apparet vestigium.

Aimonius lib. 5. cap. 28. de Synodo Romana, in qua præsentibus Adriani Legatis, schisma de Ignatii depositione sedatum est, sic scribit: *In qua Synodo de Imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi Doctores antea definierant, statuerunt: & quædam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de Imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos Canones, & contra ipsam suam Synodum constituerunt, sicut, qui eandem Synodum legerit, patenter inveniet.* Nimirum in ea Synodo erat sancitum can. 3. in sessione 10. *Imaginem CHRISTI eadem veneratione colendam, cum quatuor Evangeliorum libro: venerandas item & adorandas imagines Virginis, Angelorum & Sanctorum.* Eum igitur Canonem Aimonius improbat iis verbis, quæ recitantur à Baronio Anno 869. §. 66. Et sic legebatur in omnibus editionibus, donec prodiit novissima Parisiensis, procurata à Jacobo de Breul Monacho, qui horrendâ fraude locum interpolavit in contrarium sensum, sic enim expressit: *In qua Synodo de imaginibus adorandis, secundum quod orthodoxi Doctores antea definierant, statuerunt.*

Apud Platinam in Cleto de Luca dicitur: *Vixit annos octoginta tres, uxorem habuit in Bithynia.* Sic enim habent priores editiones, Lugdunensis anni duodecimi supra mille quingentos apud Gilbertum de Villicis Borbonium; & anni quadragesimi apud Eucharium Cervicornum; Contra Coloniensem anni septuagesimi quarti apud Matthæum Cholinum cum annotationibus Onuphrii. Hæc enim legit: *Vixit annos octoginta quatuor, uxorem non habens in Bithynia.* (Priorum editionum lectioni consentit Volaterranus Anthropolog libr. 16. extrem. *Vixit annos octoginta quatuor cum conjugio.* Bulengerus adv. Plessæum Platinæ opponit Hieronymum, qui in viris illustrib. neget, Lucam uxorem habuisse. Sic enim habet in Luca: *Vixit octoginta & quatuor annos, uxorem non habens.* Inde etiam Onuphrio audacia mutandi textum in Platina. Sed suspectum in Hieronymo locum faciunt, tùm Erasmus, tùm Marianus Victorius; Ille: *Hæc verba videntur adjecta, quandoquidem non adduntur apud Sophronium, nec in exemplaribus emendatioribus.* Iste: *Hæc verba, neque in antiquis manuscriptis exemplaribus, neque apud Sophronium invenimus, reliquimus tamen, ut antea erant.*)

Nicephorus lib. 14. Hist. cap. 39. probaturus, *licitam esse Episcoporum translationem*, exemplo Petri confirmat, quem *ab urbe Roma ad Alexandriam translatum esse*, asserit, eumque *cum in iis Ecclesiis Linum & Marcum Episcopos creasset, alias rursus urbes adiisse.* Atque hoc ipsum testimonio Anteri Episcopi Romani probat, cujus verba ad verbum ita se referre, ait. *Translationem Episcoporum communis utilitatis, aut necessitatis gratiâ scitote fieri licere, non autem cujuslibet cupiditate, aut dominationis affectione, siquidem Petrus Doctor & Dux noster, Ecclesiasticæ utilitatis causa ex Antiochia Romam translatus est, & inde postea Alexandriam transiit, ut qui istbic prodesse magis Ecclesiæ posset.* Quæ verba posteriora, falsarii Romanenses, quia æquis auribus audire nequeunt, *Sedem Petri Româ translatam esse Alexandriam*, abrasêrunt, tàm in Epistola Anteri Decretali, quàm apud Gratianum c. Mutationes. caus. 7. q. 1.

Mahusius Franciscanus opus imperfectum in Matthæum Chrysostomo attributum, *Antverpiæ* primùm Ann. 1545. deinde *Lutetiæ* edendum curavit, & repurgandi prætextu à fecibus Arianorum, quæ de Scripturarum autoritate piè vereque dixerat, erasit. D. Rivet. in Crit. lib 4. cap. 1. p. 375. inde Jesuitæ in Colloquio Ratisbonensi fatebantur, in recentiori editione operum Chrysostomi *totum illum locum*, qui ex homil. 49. operis imperf. pro astruenda Scripturæ perfectione adducitur, *esse erasum & omissum.*

Christophorsonus lib. 6. Hist. Eccles. Euseb. cap. 43. dum transfert Eusebii Historiam in Latinum, ubi Novatus producitur, ita adjurans populum venientem ad Eucharistiam, tenensque illorum manus suis manibus: *Adjuro te per corpus & sanguinem D. N. J. C. quod non relinquas me & Cornelio accedas, & ipse noluit distribuere illis, antequam jurassent & in loco Amen ad receptionem panis respondissent, Non redibo ad Cornelium.* Hic, inquam, Christophorsonus omisit nomen *panis*, quia autor, ita vocat Eucharistiam etiam post consecrationem.

Apud Eusebium lib. 4. Histor. cap. 14. Christiani ostendunt sibi injuriam fieri ab Ethnicis, quod putarent, ipsos adoraturos Polycarpum defunctum: *ἀγνοοῦντες* inquiunt, *ὅτι οὔτε τὸν Χριστὸν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν. Ignorantes, nos neq; unquam CHRISTUM relicturos, neq; aliam posse quenquam adorare.* Christophorsonus in versione de suo addidit, *ut Deum*, ne hoc testimonium religiosæ Sanctorum adorationi opponi posset.

Cùm Sozomen. indignum quid Pontificiâ autoritate & infallibilitate scripsisse videretur, *Imperatorem scil. coëgisse Liberium Episcopum Romanum, ut subscriberet Arianis, & quosdam Arianos Episcopos effecisse, ut consentiret*, injuriam hanc, aut, si mavis, contumeliam, abstersit Sozomeni Interpres. Verbum *ἐβιάζετο compulit, ut subscriberet*; emendavit suâ interpretatione, reddens, *tentavit compellere*, & verbum *παρασκευάζειν συναινεῖν effecerunt, ut consentiret*, explicans, *conati sunt efficere, ut consentiret*, lib. 4. Hist. Eccles. cap. 15.

In Præfatione Hieronymi super librum Tobiæ & Judith loco vocabuli *Apocrypha* substituerunt *Hagiographa.* Sic enim legunt. *Librum Tobiæ, quem Hebræi de Catalogo divinarum Scripturarum secantes, his, quæ Hagiographa memorant, manciparunt.* Item. *Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus autoritas ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt, minus idonea videtur.* Sed utroque in loco Hieronymum scripsisse *Apocrypha*, non *Hagiographa*, ex contextu manifestum: atque sic legendum esse, docet Ambr. Catharinus libr. 8. in annot. ad dogm. Cajet. Ludovicus item Carvasius compend. de restit. Theol. lib. 7. c. 13. Ita quoque legunt Abulensis prolog. dub. 2. Sixt. Senensis lib. 8. hæres. 11.

In libro *Fulgentii de incarnatione verbi & gratia Domini nostri Jesu Christi* cap. 11. parenthesis illa, *quæ mundi cacumen est, de Romana agens Ecclesia*, est suspecta.

Possevinus in Apparatu sententiam illam totam describens & commendans, cacumen mutavit in *caput.* Fulgentius librum illum nomine Africanorum Episcoporum scripsit, qui non tantum tribuerunt Romanæ Ecclesiæ.

Michaël Thomasius in Epistola ad Antonium Peronotum Cardinalem, Lactantii editioni præfixâ gloriatur, *se à multis erroribus, qui dolo ac fraude hæreticorum veterum Lactantii libris additi fuerant, eos liberasse.*

Sixtus Senensis in Epist. nuncup. Biblioth. ad Pium V. Pont. *Beatissime Pater, expurgari curasti omnia Catholicorum Scriptorum & præcipuè veterum Patrum scripta &c.*

Gretserus lib. 1. de jure prohibendi libros malos cap. 9. §. Crimen. *Si quid in aliorum libris dispungitur, id Ecclesiæ illius jussu fit, quæ non modò in libros autorum, sed etiam in autores ipsos jus & autoritatem habet.* (Hæc ratio generalis est non tantùm recentiores Scriptores, sed etiam antiquos Patres complectens, cum horum æque ac illorum scripta judicio Romanæ Ecclesiæ velint esse subjecta.)

CAPUT XIV.

De Jure Canonico.

IN *jure Canonico* Conciliorum Decreta, Patrum dicta, Pontificum rescripta continentur, ex quo, utpote à Pontifice confirmato, in judiciis Ecclesiasticis firma argumenta & certas decisiones peti, Pontificiorum est opinio.

Thesis. *Canones ac capitula juris Canonici non sunt infallibilis fidei, veritatis & justitiæ regula, sed ex Scriptura de illis faciendum est judicium.*

Ἔκθεσις. 1. *Gratianus*, patria Clusinus, professione Monachus Benedictinus, qui claruit tempore Eugenii III. Pontificis & Conradi III. Imp. Ann. Domini 1145. (vel Ann. 1150. ut vult Glossa in cap. post appellationem 2. q. 6. vel Ann. 1141. ut volunt Annotationes novæ ad d. c. à Gregorio XIII. approbatæ:) scripsit *Decretum* sive Concordiam discordantium canonum, cui progressu temporis *Decretales* Gregorii, Bonifacii, Clementis & aliorum Pontificum sunt additæ. Quamvis verò multi alii in hoc genere scriptionis laboraverint, ut *Dionysius Exiguus, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Ivo, Anshelmus, Deusdedit Card. Gregorius Presbyter &c.* ipse tamen solus obtinuit, ut in Scholis publicè prælegeretur & multorum Commentariis illustraretur.

2. Hoc Decretorum & Decretalium volumen vocatur *jus Pontificium*, ratione omnium causarum, quia autoritate Pontificis confirmatum, de rebus Pontificiis more Pontificio sive

Papali, & autoritativo, differit, & ad stabiliendā Pontificis majestatē & autoritatem vel maximè est directū, sicut Lutherus tom. 2. Lat. f. 319. & tom. 1. Germ. Jen. f. 406. dicit: *Summa Summarum totius Juris Canonici hæc est: Papa est Deus in terris, superior omnibus, cælestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus. Et omnia Papæ sunt propria, cui nemo audet dicere: Quid facis?* Jus *Canonicum* vocatur ratione materiæ, quia Constitutiones Ecclesiasticas, quas κανόνας seu *Regulas* vocant, continet, ac ratione finis, quia fine eo congestum & confirmatum, ut regulam Ecclesiasticæ gubernationis præscribat. c. Canon. dist. 3. ex Isidoro. *Canon Græcè, regula Latinè nuncupatur.* c. Regula. dist. ead. ex eodem. *Regula dicta est eò, quòd rectè ducit, nec aliquem aliorsùm trahit. Alii verò dixerunt, regulam dictam, vel quòd regat, vel quòd normam rectè & benè vivendi præbeat, vel quòd distortum pravumq; corrigat. Porrò Canonum alii sunt Decreta Pontificum, alii sunt Statuta Conciliorum.*

3. Continet igitur Jus Canonicum *Decretum Gratiani* ex Patrum Sententiis & Conciliorum Decretis maximâ ex parte collectum, *Decretales Gregorii IX. Sextum Decretalium, Bonifacii VIII. Clementinas & Extravagantes* ex Pontificum Epistolis & rescriptis collectas. Compilatæ sunt Decretales per quendam *Barchinonensem de penna forti, Rajmundum*, natione Catalanum, Generalem Prædicatorum Magistrum, Capellanum & Pœnitentiarium Gregorii Papæ IX. circa Annum 1230. Sextus Decretalium congestus est Anno 1198. per *Guilielmum Archiepiscopum Ebrudunensem, Berengarium Episcopum Biterensem, & Richardum de Senis Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarium*, jussu & autoritate Bonifacii VIII. Clementinas *Clemens V.* in quinque libellos digestas Anno 1311. concepit, sed morte præventus edere non potuit, postea igitur Anno 1329. unà cum Constitutionibus viginti *Johannis XXII.* quas vocant *Extravagantes*, ab eodem Johanne, Clementis Successore, sunt publicatæ. Extravagantes communes, in quibus recensentur Constitutiones à diversis Pontificibus editæ, & in libros quinque (è quibus tamen quartus vacat) distributæ, quo tempore, quove collectore compilatæ fuerint, non satis constat.

4. Non est autem h. l. quæstio, an in jure Canonico quædā sint utilia, propter quæ in Academiis explicari & in judiciis Ecclesiasticis quandoque utiliter adhiberi possit, quod non negamus, modò ad normam Scripturæ omnes ejus decisiones exigantur, & quod illi adversum est, repudietur: sed hoc in quæstione est, an Decisiones ejus ob Pontificis autoritatem sint absolutè & simpliciter infallibiles. JCti Christiani in resp. ad Comment. Duareni de sacr. Eccles. minist. Argentin. Ann. 56. edit. p. 23. *Si quæ fortè in iis sunt reliquiæ veterum Canonum, ut esse agnoscimus, si quæ vestigia Antiquitatis & disciplinæ Ecclesiasticæ, ut sunt fortassè multa, si quæ sunt præclaræ Patrum sententiæ &c. ut sunt complures intertextæ, minimè profectò vellemus eas contemni aut negligi, sed confusum illud chaos, tanquam sacrosanctum tabularium Legum Divinarum atq; Ecclesiasticarum obtrudi nobis non patimur.*

Antithesis. Decretum Gratiani *Eugenius III.* Pontifex approbavit, autoritate publicâ confirmavit, atque ut in Scholis publicè prælegeretur & juxta illud in Consistoriis jus diceretur, mandavit. Decretalium librum *Gregorius IX.* Anno 1230. confirmavit, & Scholaribus universis Bononiæ commorantibus singulariter commendavit his verbis operi præfixis: *Volentes, ut hâc tantùm compilatione universi utantur in judiciis & in Scholis, districtiùs prohibemus, ne quis præsumat aliam facere, absq; autoritate Sedis Apostolicæ speciali.* Sextum Decretalium confirmavit *Bonifacius VIII.* in Epistola illi præfixa, sic scribens: *Quem librum quinq; libris aliis dicti voluminis Decretalium annectendum sextum censuimus nuncupari, ut idem volumen senarium, qui numerus est perfectus, librorum illo adjuncto numerum comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat, & in moribus disciplinam.* Clementinas & Extravagantes confirmavit *Johannes XXII.* Et quia multis mendis ac peregrinis additionibus progressu temporis scatere cœpit, *Gregorius XIII.* Anno 1580. Decretum cum Decretalibus illud revideri, corrigi, expurgari & Romæ inprimi curavit, quod exemplar solùm pro authentico haberi voluit, in bulla editioni Ann. 82. præfixa sic scribens: *Emendationem Decretorum, locorumq; à Gratiano collectorum, erat enim is liber mendis & testimoniorum depravationibus plenissimus, à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, optimo consilio susceptam, selectisq; ad id negotium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus & aliis eruditissimis viris adhibitis commissam, multis autem variisque impedimentis hactenus retardatam, nunc tandem vetustissimis Codicibus undiq; conquisitis, autoribusq; ipsis, quorum testimoniis usus erat Gratianus, perlectis, quæq; perperam posita erant, suis locis restitutis, magnâ cum diligentia absolutam atq; perfectam edi mandavimus &c.*

Alphonsus Alvarez de jure Pontif. Imper. & Regum. cap. 7. num. 10. dicit: *Canonistas in eo consentire, quòd liber Decretorum ab Ecclesia sit receptus quoad authoritates, quas Gratianus inducit, licet non quoad solutiones Gratiani.*

Nostram sententiam confirmat, quod in Jure Canonico præter etymologias absurdas & Barbarismos longè plurimos, (de quibus haud immeritò usurpatur illud, quod habetur in rubrica c. ad audientiam, extr. de rescript. lib. 1. Decret Gregor. tit. 3. *Falsa Latinitas vitiat rescriptum Papæ.*) occurrunt insuper, 1. Probationes quæstionum peregrinæ, præposteræ, ac invalidæ. 2. Expositiones dictorum Scripturæ ineptæ, stolidæ ac falsæ, (quorum utrumque multis exemplis confirmat D. Meisnerus in Orat. de Ro. Pont. Theol. Causidicâ Ann. 1617. Witeb. habita; ac superiùs part. 2. cap. 3. quædam exempla adduximus,) 3. Allegationes ex suppositiitiis ac corruptis Patrum libris. 4. Errores sacris literis adversantes. 5. Dicta & Decreta contradictoria, ut suo loco pleniùs probatur. Confer Flac. de dissens. p. 71. & 113. Empsychov. contra Braunium p. 370. Sleidan. de quatuor summis Imper. lib. 3.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscunt, Pontifices in Decretalibus suæ potentiæ & avaritiæ velificari.

Franciscus Zabarella JCtus, qui floruit circa Annum 1400. apud Flac. de dissens. p. 115. sic scribit: *quæ jura* (Canonistarum) *sunt nefanda, quia malè considerata sunt per multos assentatores, qui voluerunt placere Pontificibus per multa retrò tempora, & usq; ad hodiernum diem suaserunt eis, quòd omnia possent, & sic quòd facerent quicquid liberet, etiam illicita, & sint plusquam Deus, ex hoc enim infiniti sunt secuti errores &c.*

Albericus in l. Benè à Zenone num: 18. cap. de quadr. præscript. *Præsidentes Ecclesiæ Romanæ eorum astutâ & sagaci prudentia secundùm temporum varietatem sua variaverunt Statuta, modò Imperium sublimando; modò paulatim deprimendo de tempore in tempus. Sed ad quid? nisi ut sensim omnia, & cælestia, & terrena, & spiritualia, & temporalia, ut vocant, pedibus suis, ut palàm gloriantur, subjicerent.*

Budæus lib. 5. de asse testatur, *Decretales & extravagantes nihil aliud esse nisi fraudulentos quosdam laqueos, & insidiosa retia, quibus Papa eorumq; Prælati omnes fortunas ac dignitates Laicorum cùm publicas, tùm privatas ad se rapiunt ac pertrahunt; nec tam justitiæ administrandæ, quàm argumenti quærendi gratia compositas & editas.*

Duarenus in Præfat. libror. de benef. & minist. Eccl. (quos probavit judicium Parisiensis Curiæ & Rex Galliarum privilegio munivit.) scribit: *Plerisq; persuasum est, Jus Canonicum nihil aliud esse, quàm inconditam quandam farraginem Decretorum & Constitutionum à semidoctis Pontificibus ad quæstum magis quàm Republicæ Christianæ commodum editarum.*

Cornelius Agrippa in libr. de vanit. scient. *A jure civili demanavit Canonicum sive Pontificium, quod plerisq; sacrosanctissimum videri posset, tàm ingeniosè avaritiæ suæ præcepta ac rapiendi formulas specie pietatis adumbrat, cùm tamen in eo paucissima statuantur ad pietatem, religionem, ac Dei cultum, Sacramentorumque ritus spectantia: Taceo, quod nonnulla verbo Dei contraria aut repugnantia. Cætera omnia non nisi jurgia, lites, fastus, pompæ, tùm quæstus ac lucri negotia; Pontificumq; Romanorum placita, quibus neq; satis sunt, qui olim à sanctis Patribus conditi sunt, omnes Canones; nisi his continuò accumulent nova Decreta, paleas, extravagantes, declaratorias, Cancellariæ regulas, ut nullus sit condendorum Canonum finis, neq; mensura, quæ una omnium Romanorum Pontificum ambitio atq; libido est, condendorum scilic. novorum Canonum, quorum eò usq; excrevit arrogantia, ut Angelis cælorum præciperent, & ex inferno sublatâ prædâ rapinam facere præsumerent, & in mortuorum manes manus mitterent, etiam in divinam legem interpretando, declarando, disputando, nonnunquam Tyrannidem exercerent, ne quid plenitudinis aut potestatis suæ posset deesse aut derogari &c.*

Ex horum præterea Canonibus & Decretis didicimus, Christi patrimonium esse regna, Castra, donationes, fundationes, allodia, opus ac possessiones; ac Sacerdotium Christi Ecclesiæq; Primatum esse imperium, regnum; & gladium Christi esse jurisdictionem ac potesta-

potestatem temporalem, & petram ac Ecclesiæ fundamentum esse personam Pontificis; Episcopos esse Ecclesiæ non ministros modò, sed & capita, & bona Ecclesiæ esse non modò doctrinam Evangelicam, ardorem fidei, contemtum mundi, sed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, potestatem; Summi Pontificis esse gerere bella, dissolvere fœdera, solvere juramenta, absolvere ab obœdientia, & domum orationis facere speluncam latronum, ita quòd potest Papa Episcopum deponere sine causa, quòd potest dare rem alienam, quòd non potest committere Simoniam, quòd potest dispensare contra votum, contra juramentum, contra jus naturale & nemo habet illi dicere, cur ita facis? &c.

2. Quòd agnoscunt, quædam eorum, quæ in Jure Canonico habentur, non esse verbo Dei, vel veritati ac æquitati conformia, ac quædam à posteris refutata.

Abbas Joachim de Decretalibus sic judicavit: *Quid dicam de Summo Pontifice Aarone, qui modernos Præsules repræsentans ad instantiam populi, qui egressus fuerat de Ægypto, vitulum conflavit & sculptile, quod totum ad librum Decretalium sive legum referendum est, in quo omnis dolus & calumnia perseverat, ac per hoc Curia Sedis Petri nullum Pontificat, qui hujus Sedis simulachra non adorat.* Wolffius tom. 1. memorab. p. 41.

Theodoricus à Niem Episcopus Werdensis scribit: *Jura Canonica esse nefanda, quia malè congesta sunt per multos assentatores Paparum, qui illis placere voluerunt, dicendo, quòd omnia possint & sint plus quàm Deus.*

Georgius Haymburgensis in Confut. Primatus Papæ part 2. circa Ann. 1434, *Cautelosè sub Lotario & Conrado Decretum compositum est, in quo quamvis sint cum sanctorum authoritatibus Paparum fœnum & paleæ multa, tanta tamen à quibusdam ei datur reverentia, ut Evangelium putetur esse contentum in eo. Exq; tunc carnales Papæ ex eo Decreto, quasi libro authentico plenitudinem potestatis, non tamen ex Evangelio assumere præsumserunt &c.*

Demum Innocentius III. composuit Decretales pro majori defensione plenitudinis potestatis, unde mortuo Friderico, Innocentius IV. & sui Successores disposuerunt cum Electoribus Imperii, quòd semper in discordia eligerentur duo vel tres Imperatores, in eum finem, ut is, cujus partem Papa foveret, sustineret Papales usurpationes &c. Et hoc totum, quod ab hujusmodi partialibus, imò schismaticis Regibus extorquere poterant, in lib. 6. Decretalium & Clementinis pro juribus à Christo collatis conscribi fecerunt &c.

Melchior Canus lib. 5. Loc. Theolog. cap. 5. *Nonnullas Decretales* (Pontificum) *constat à posterioribus meliore consilio refutatas, quoniam non ex firmo Decreto, sed ex Pontificum opinione prodierant.*

3. Quòd agnoscunt, Decretales à doctrina & disciplina in Decreto contenta degenerare.

Duarenus d. l. *In quinq; libris Decretalium, quos edidit Gregorius IX. sunt multa, quæ multum degenerant ab illa prisca disciplina, quam liber continet Decretorum, ex quo natum est tritum apud Gallos & vulgò jactatum quasi proverbium: Malè actum esse cum rebus humanis, ex quo Decretis alæ accesserunt, hoc est, ex quo Decretis successere Decretales, quæ vocantur Epistolæ, siquidem antiquam simplicitatem ab Ecclesiasticis causis avolasse constat, cùm ille Decretorum alæ nascerentur, ut solent res humanæ labi in deterius. Sic omnia fatis in pejus ruere & retrò sublapsa referri.*

Ibidem, *Decretalium sextum, quem adjecit Bonifacius VIII.* ait Duarenus, *nunquam fuisse receptum in Francia, quòd ejus plereq; Constitutiones in odium Philippi Francorum Regis editæ, & ad Romanæ aulæ quæstum excogitatæ creduntur. Ne Clementinas quidem & Extravagantes, quæ postremum occupant locum Decretalium, similibus vacare vitiis, imò posteriores Pontificum sanctiones esse plerumq; prioribus pejores.* (Quamvis verò Decretales Decretis sint pejores, tamen Lancellottus lib. 3. Comment. Instit. Juris Canon. in Ecclesiæ gubernatione *Decreta minus habere autoritatis, Decretales verò magis firmas & authenticas esse asserit.*)

4. Quòd agnoscunt, jus Canonicum esse confusam & indigestam variarum sententiarum & sanctionum ἀμιθόδως & sine judicio congestarum farraginem.

Aventinus lib 6. Annal. p. 383. *Sub idem tempus Gratianus ille jus Pontificale dilaniavit atq; confudit. Etenim, uti est nostris Bibliothecis sincerum, duas continet partes, Prima, acta sunt universorum Conciliorum, quæ quidem recepta esse constat, Altera Constitutiones, Epistolas, Rescripta maximorum Pontificum complectitur, ut quæq; gesta fuere, causæ, adsessores, testes, adductis locorum temporumq; momentis commemorantur.*

5. Quòd agnoscunt, Canones juri divino & naturali contrarios esse repudiandos.

c. Sana quippe. dist. 9. *Constitutiones Ecclesiasticæ* (proinde etiam Juris Canonici Decreta) *si naturali juri contraria probantur, penitùs sunt excludendæ.*

Innocentius III. Anno 1200. peculiari Statuto cavit, *ne secundùm Decreta Pontificis judicetur, nisi juri communi deprehendantur consona.*

c. Pastoralis. extr. de fide Instrumentorum. *Autoritate præsentium duximus statuendum, ut cùm Decretalis aliqua, de qua judex meritò dubitet, allegatur, si eadem juri communi sit consona, secundùm eam non metuat judicare, cum non tàm ipsius, quàm juris communis autoritate procedere videatur. Verùm si juri communi sit dissona, secundùm ipsam non judicet, sed superiorem consulat super ea.*

6. Quòd agnoscunt, quosdam Canones sibi invicem adversari.

Panormitanus in c. Non habent. extr. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adult. dicit, *de Jure Canonico incidi pannos antè & retrò.*

Cujacius in Recit. ad tit. Decretalium de Judic. c. Etsi Cleri. *Inter leviora*, inquit, *vel minora crimina hoc capitulum ponit adulteria, illo loco, de adulterio verò & aliis criminibus, quæ sunt minora, quod tamen crimen Ulpianus numerat inter graviora, lib. singul. regal. tit. de dotibus §. 9. & Impp. inter seviora l. 7. C. Th. de Indulg. crim. Et Clemens quoq; in c. Quid 32. q. 7. In omnibus peccatis adulterio quid gravius? Nec sine calumnia excusari hic lapsus Pontificis potest.* (Non urgemus Cujacii autoritatem, sed rem ipsam, Canonum de adulterii crimine dissidium.)

Ann. 1553. Bononiæ hoc consilium Pontifici fuit suggestum, *ut Decreti, quos vocant, libros tolleret,* (Decretales & alios sufficeret) *ut in quibus nimis frequentes essent contradictiones.*

7. Quòd agnoscunt, (agnoscere certè coguntur) errores & falsitates in jure Canonico contineri.

Franciscus Villiurius JCtus Parisiensis contra Ruffum; *Nos totum illud tam ingens volumen Gratiani falsitatibus atq; corruptionibus refertum esse testamur, idq; nos planum facturos esse profitemur.*

Covarruvias tom. 2. variar. resolut. lib. 4. cap. 13. *In his, quæ ad Historiæ fidem pertinent, non est omninò Gratiano credendum, imò alii Autores legendi sunt, quorum scil. fides apud viros doctos probata est & recepta.*

Cynus Pistoriensis, referente Duareno in præfat. lib. de min. Eccles. olim disputavit, *totum illum Pontificiarum Constitutionum librum erroribus scatere.*

Ad c. Anastasius. dist. 19. Glossa in edit. Gregoriana sic annotat: *Caput hoc habetur quidem tomo secundo Conciliorum in vita Anastasii, sed esse omninò confictum multis argumētis ostenditur.*

Ad c. Proposuisti 17. caus. 32 q. 7. eadem sic annotat: *Illud Ambrosii, viro licet ducere aliam, à falsatoribus dicitur insertum.*

Jacobus à Saa de primog. num. 30. p. 75. & seqq. asserit: *Ita supinè Decretalium Compilatores errare, ut aliquando affirmativam pro negativa posuerint*, ex Hostiensi & Johan. Andrea, qui in c. ult. de precar. ad ejus erroris excusationem citat illud Horatii: *Quandoq; bonus dormitat Homerus.*

Molinæus in notis ad Jus Canonicum de cap. *Constantinus Imperator coronam* 13. & cap. *Constantinus Imperator quartâ die* 14. dist. 96. quæ *Paleæ* appellantur, ait: Hæ *Paleæ sunt mera mendacia jam ab omnibus explosa.*

Gregorius de Valentia lib. de necess. Confessionis cap. 3. ad objectionem, quòd *de Confessione auriculari contrarias sententias Gratianus afferat, & rem omnem in suspenso relinquat, subjiciens: Cui harum* (sententiarum) *potiùs sit adhærendum lectoris judicio relinquitur?* respondet hoc modò: *Respondemus, privatum planè Gratiani errorem atq; hallucinationem fuisse, quod plures religiosos & sapientes viros esse putârit, qui Confessionem Sacerdoti necessariò faciendam non esse arbitrati sunt, ac multò etiam magis, quod existimârit, talium virorum sententias aliquas contra necessitatem Confessionis se adduxisse, sicut & aliàs non rarò hic Gratianus deceptus est in aliquibus, ut à multis est animadversum.* Inde etiam Bellarminus Gratiani interpretationes rejicit lib. 2. de Conc. cap. 12. ad 5. Recognit. lib. 1. cap. 12. de translat. Imperii.

Glossa in c. Euphemium 2. q. 3. verb. Infamem; notabilem errorem Gratiani in interpretatione SCti Turpiliani pe-

perstringit hoc versiculo: *Hic fateor planè te mentitum Gratiane.* Similes errores etiam alibi in Gratiano occurrunt.)

Dist. 21. in princ. v. Porrò. *Salomon quendam modum exorcizandi invenit, quo Dæmones adjurati ex obsessis corporibus pellebantur.* (De eo altum in Historia ipsius silentium.)

c. Omnes. dist. 22. Jus *Patriarchatus à Romana Ecclesia originem trahere* dicitur. (Sed ab Impp. & Conciliis illud esse jus Civile, docet Nov. 11 Nov. 131. c. 2. 3. 4.

c. Renovantes. dist. ead. tantùm *quinq; Sedes Patriarchales* numerantur. (Sed Justinianus octo numerat Nov. 11. Nov. 37. Nov. 123. cap. 3. Nov. 131. c. 4. & c.)

c. Sacerdotes, dist. 37. c. Nonne. dist. ead. c. Omnem. dist. ead. c. Legimus. dist. ead. *Secularium literarum & artium liberalium cognitio Ecclesiæ ministro utilis negatur.*

c. Si Papa dist. 40. *Papam reprehendi posse* negatur, *nisi sit à fide devius.* (Sed Rubrica contrarium habet. *Damnatur Apostolicus, qui suæ & fraternæ salutis est negligens.*)

c. Eos, qui ad Ecclesiam. dist. 87. *Confugientes ob delicta ad templa indi extrahi non debere* statuitur. (Contrarium extat Exod. 21. v. 14. & apud Justinianum Nov. 17. c. 7. Nov. 117. c. ult.)

c. Cùm Scriptura caus. 1. q. 1. *Scriptura testatur, quòd ad preces Jeroboam ignis de cœlo descenderit.* At hoc nusquam in Scripturis legitur.)

c. Sæpè contingit. 2. q. 5. approbatur ratio se *purgandi per Eucharistiæ perceptionem.*

c. Quibus Episcopi. 11. q. 3. *excommunicatio injusta* dicitur *pertimescenda.*

c. Sunt qui. caus. 33. q. 3. *Nemo in peccatis sibi arrogare debet autoritatem aut usurpationem Sacramentorum, quia scriptum est: Peccâsti? quiesce.* (At hoc nusquam in Scripturis occurrit.)

c. Episcopus. c. Cùm secundùm 16. ext. de præbend. & dign. *Ordinationem sine titulo non esse irritam,* decernitur. (Contrarium rectiùs statuitur c. Neminem. c. Sanctorum. dist. 70.)

c. Quidam. 2. de celeb. *Missarum, sacra linguâ Latinâ peragenda* statuuntur. (Contrarium rectiùs statuit Justinianus Nov. 137. c. 6.

Plura hujus generis adducuntur à JCtis Christianis in resp. ad lib. Duareni de sac. Eccl. minist. Alberico Gentil. in Disput. de Cens. Juris Canon. & aliis.

8. Quòd agnoscunt, Gratianum ex supposititiis & corruptis Patrum libris multa citare. (Unde JCti Christiani in resp. ad lib. 11. Duaren. de sact. Eccl. min. p. 23. de eo sic scribũt: *Vix ulla pagina est, quæ non injuriam faciat vel sacris literis, quas aut corrumpit, aut impiè contorquet, vel antiquis Ecclesiæ Doctoribus, quorum impudenter nominibus abutitur.* Petrus Asilus de Tyrann. Antich. c. 3. p. 60. *Plurima in Decretis à Gratiano Monacho ex adulterio nato, ex adulterinis autoribus aut ab ipso sunt obtrusa.*)

Bellarm. lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 22. §. 3. *Respondent aliqui* (ad Canonem scilicet 22. Concilii Milevitani, in quo simpliciter prohibentur *Appellationes extra Africam ad Concilia transmarina*) *cum Gratiano, qui c. placuit. 2. q. 6. addidit ad hunc Canonem exceptionem, nisi fortè ad Apostolicam Sedem appelletur. Sed hæc exceptio non videtur quadrare. Nam præcipuè propter Romanam Ecclesiam Africani statuerunt, ut non liceret appellare ultra maria.* (Laudanda est ingenuitas Bellarmini, quia exceptio illa, quam Gratianus Canoni Milevitano in d. c. addidit. regulam totam subvertit, inde novissima editio Decreti facta jussu Gregorii XIII. notat, *verba illa, in antiquis Codd. scribi tanquam Gratiani verba.*)

Lib. 2. de Concil. cap. 12. *Objiciunt quidam, Gratianus distinct. 19. c. In Canonicis, affirmat Epistolas Pontificum Decretales numerari debere inter Scripturas Canonicas. Respondeo, ipsum esse deceptum ex depravato Codice, quem habuit Augustini. Tribuit enim illum Canonem Augustino libr. 2. de doctr. Christian. cap. 8. Codices autem veri & emendati B. Augustini non habent, ut Gratianus refert, sed longè aliter.*

(Eundem Gratiani errorem agnoscunt Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 5. Andradius lib. 3 defens. fid. Trident. cap. 2. Melchior Canus lib. 5. Locor.)

Verba Alphonsi d. l. sic habent: *Manifestus est error Gratiani, qui in volumine Decretorum in exordio distinctionis vicesimæ ita dicit: Decretales itaque Epistolæ Canonibus Conciliorum exæquantur. Hoc autem vel ex eo convincitur esse falsum, quòd nulla recta ratio patitur, ut regula, quæ à rectitudine deviare potest, ullo pacto æquetur rectissimæ atque certissimæ, infallibiliq; regulæ. Quòd si fortè in Gratiani excusationem quis dixerit, dictum illius ad solas causarum definitiones esse referendum, in quibus decernendis, exceptâ semper fidei causâ, non minor est Papæ potestas, quàm totius Concilii: hæc interpretatio, etsi verum habeat sensum, nescio tamen, an verè Scriptoris mentem exprimat, quoniam idem autor distinctione decimâ nonâ ejusdem libri capite, in Canonicis Scripturis dicit, Decretales Epistolas esse Scripturis divinis annumerandas, & in earum ordinem referendas, motus autoritate Augustini malè intellectâ, corrupteq; citata. Sic enim eam citat Gratianus: In Canonicis Script. Ecclesiarũ Catholicarũ, quàm plurimùm divinarũ Scripturarũ solertissimus indagator autoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint; quas Apostolica Sedes, & ab ea alii meruerunt accipere Epistolas: Hæc ibi. Quam literam si Augustinus legeret, validissimè oppugnaret, tantum abest, ut sit Augustini. Ex ea enim plurima Christianæ fidei incommoda obvenirent: Primò, ut litera illa habet, oportet divinis Scripturis annumerare nõ solùm Epistolas, quas Pontifices aliis dedere, sed quas ab aliis recepere. Hæc autem adeò manifesta est ineptia, ut non sit opus eam oppugnare. Quòd autem ex ea litera hoc habeatur, quis non videt? Sic enim ait, inter quas, scil. Scripturas divinas, sanè illæ sint, quas Apostolica Sedes & ab ea alii meruerunt accipere Epistolas. Præterea, Decretales illæ Epistolæ per alios posteriores Pontifices aut per eosdem, à quibus missæ sunt, revocari possunt, sicut de multis factum esse constat, pro qua re commune est eorum proverbium: Par in parem non habet imperium. Qua sententia significare volunt, priorum Pontificum Decretis non teneri posteriores Pontifices, quin liberum sit eis, cùm viderint, ea revocare. Quo solo argumento satis edocent, eorum Decretales Epistolas non esse Scripturas divinas, cùm has toti Ecclesiæ, nedùm Pontifici, non liceat ullo pacto infringere. Rursus plurimæ Pontificum Epistolæ Decretales per contrariam consuetudinem abrogantur, quod nullo pacto Canonicis divinæ Scripturæ libris convenire potest, cùm illis nulla, quantumlibet inveterata, consuetudo obesse possit. Accedit huic, quòd magna ruditas est, eas Epistolas, quæ sæpè ob res temporales, easque parvi momenti editæ sunt, divinis Scripturis, vel de longinquo conferre, tantùm abest, ut in earum ordinem referantur. Quòd si fortè Gratianus Decretales illas Epistolas commendare volebat, per vera testimonia, quæ non desunt, eaque efficacissima, id faciendum erat, non per falsa, quoniam falsa & conficta testimonia plus autoritati derogant, quàm arrogent &c. Verùm, ut dictis nostris pleniorem quisq; fidem adhibeat, cognoscatq; Augustinum perperam à Gratiano intellectum corrupteq; citatum, operæpretium est, veram Augustini literam in medium afferre, ejusq; veram intelligentiam edocere. Is enim beatissimus Pater in 2. lib. de doctrina Christ. cap. 8. (nam ex eo libro sumtum est id fragmentum, quòd Gratianus citat) sic ait: In Canonicis autẽ Scripturis Ecclesiarũ Catholicarũ quamplurium autoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Hæc Augustinus. Quæ longissimè distant ab his, quæ Gratianus adducit. Nam eo loco B. Pater Augustinus de libris Canonicis Scripturæ disserens hanc regulam nobis assignat, ut illi libri pro Canonicis habeantur, qui à pluribus Catholicis Ecclesiis recipiuntur, inter quas Ecclesias Augustinus firmiter credit eas esse computandas, quæ Apostolicas Sedes habuerunt; de eis scil. Ecclesiis intelligens, quas Apostoli velut earum Episcopi rexerunt. Illas enim Augustinus præcipuas esse Catholicas Ecclesias credit, quæ Epistolas Apostolicas accipere meruerunt; id est, quibus Apostoli suas dederunt Epistolas, ut Romana Ecclesia, Corinthiorum, Thessalonicensium, Colossensium, Ephesina, Hierosolymitana, Antiochena, aut Alexandrina, quas omnes Apostoli aut verbis docuerunt, aut scripto. Quare Augustinus putabat, eas copiosiùs in fide illustratas esse oportere, quod firmiorem ac pleniorem Apostolicum habuissent sermonem. Nec immeritò tunc id credebat beatissimus Pater, quoniam nondum ab hostibus Christianæ religionis provinciæ illæ captæ, populatæq; fuerant. Putavit autem Gratianus illud Pronomen relativum, videl. quas, ubi dicitur, inter quas sanè illæ sunt, quæ &c. ad Scripturas referri debere, quod non ita se habet, sed ad Ecclesias referendum est, quod ex sequentibus maximè patet, quibus illa minimè cohærere possunt, nam Scripturæ divinæ non habuerunt Sedes Apostolicas, nec recipere possunt Epistolas Apostolicas. Verùm ut litera suo sensu cohærere posset, literam Gratianus mutare decrevit, & loco alterius relativi ab Augustino nominativo casu positi scil. quæ, ille posuit accusandi casum, & dixit, quas. Ubi Augustinus dixerat Apostolicas Sedes in nominativo. Sed quoniam his permutatis literæ sensus adhuc minimè constabat, aliquid addere, aliquidq; minuere ei visum est. Nam ex litera Augustini abstulit, hoc verbum habere, addiditq; ex suo cerebro has tria verba, scil. ab ea alii. Atq; ut semel dicamus,*

dicamus, ubi litera Augustini sic habet: Inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere. & Epistolas accipere meruerunt. Gratiani litera ad Scripturas divinas relata sic habet: Inter quas sanè illæ sint, quas Apostolica Sedes, & ab ea alii, accipere meruerunt Epistolas. Quorum literarum differentiam facilè quisq; agnoscet. Ex quo loco quisq; facilè colliget, quantum intersit, utrū ex ipsis purissimis fontib. aquā haurias, an ex turbulentis rivis aut putridis lacubus. Nam si Gratianus illum locum in Augustino legisset, vir alioqui) doctus, clarè errorem deprehendisset, etiamsi litera vitiata fuisset in eo Codice, quo utebatur; præcipuè si considerasset B. Augustinum, qui libros de doctrina Christiana se componere ob sacrarum literarum intelligentiam profitetur, nullo pacto de summorum Pontificum *Decretalibus Epistolis fuisse locutum, nec ullam ante illa verba aut postmodùm de illis fecisse mentionem &c. Cùm ergò B. Augustinus in toto illo tractatu de doctrina Christiana semper versetur circa doctrinæ divinitùs revelatæ intelligentiam, vel inde colligere potuisset, literam illam nullo pacto ad Decretales Epistolas esse referendam &c. Nec mirari quicquam debet, quod pro hoc Gratiani errore convincendo tantùm sudaverimus, quoniam sermo erat de capite & non de umbra, ut dicitur, asini. Non est quidem res parvi momenti, an talis Scriptura pro divina sit recipienda, an pro humana. Oportebat igitur hunc errorem omnibus palàm facere, ne aliis deinceps errandi occasionem Gratianus præberet, prout hactenus multis magni nominis viris præbuit, qui solâ Gratiani autoritate freti, verba illa Augustini in suis scriptis citarunt corrupta & lacerata, quemadmodum in Gratiani Decreto legerant. Nam Johannes de Turrecremata (ut alios multos prætercam) hunc Augustini locum, prout Gratianus illum corruperat, citat libro 4. de summa Ecclesiæ, parte secunda, capite nono. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus in libro de Primatu Romanæ Ecclesiæ capite 14. hæc Augustini verba, prout à Gratiano corruptè citantur, adfert ad probandum Romanæ Ecclesiæ Primatum. Si autem literam illam in ipso Augustino Cajetanus legisset, vir certè longè doctissimus & ingenii acumine præditus, facile agnovisset, ne verbum ullum illic Augustinum dixisse, quod Primatui Romani Pontificis utcunq; favere posset.*

Quinimò Gratianus ipse sibi contradicit, nam dist. 20. in Procemio scribit: *quòd Epistolæ Decretales Canonibus Conciliorum exæquentur.* (At Canones Conciliorum non habentur pro Scripturis Canonicis ac θεοπνεύστοις. Inde Glossa illius c. In Canonicis rectè monet, *hanc Augustini sententiam non ad Decretales Romanorum Pontificum, sed ad Canonicas Scripturas referendam.*)

Bellarm. lib. de Script. Eccl. p. 337. *Gratianus id unum habet, quod in eo reprehendi posse videtur, quod non habuit delectum Autorum, ex quibus Decreta collegit.* p. 340. *Citat Chrysostomum pro Autore imperfecti operis, & Hieronymum pro Origene.*

Salmeron in 1. Cor. 11. Disp. 18. §. Gregorius *In Concilio Carthaginensi 4. cautum est, Clericus ne comam nutriat, nec barbam radat, licet in libro Decretalium illud, radat, erasum est, quâ autoritate sit factum, prorsus ignoro.* (In vetustioribus exemplaribus Conciliorum verbum *radat* adhuc extare, patet ex tom. 1. Concil. edit. Colon. p. 436. Venet p. 760. cumque Johannes Pierius Valerianus hanc Canonis corruptelam *in Apologia pro barbis Sacerdotum* Romæ Ann. 1529. demonstraret, obtinuit, ut quidam Papæ & Cardinales barbam nutrirent. Georg. Nigrin. in Inquis. p. 42.)

Erasmus notat, *Gratianum multa citare ex opere, quod sub Augustini nomine legitur de vera & falsa pœnitentia, cùm in eodem libro Augustini & referatur & refellatur sententia.*

Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæreses, verbo Excommunicatio, postquam adduxisset dictum Origenis homil. 2. in lib. Judic. *Non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos, qui Ecclesiæ præsident & potestatem habent non solùm solvendi, sed & ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, cùm pro delictis suis à corpore Christi separantur,* subjungit: *Hæc Origenes, quæ verba in volumine Decretorum, causâ undecimâ, quæstione tertia, in capitulo, Audi, sub nomine Hieronymi vitiosè citantur, quoniam præter id, quod Hieronymus super librum Judicum non scripsit, illa verba juxta eundem literæ ordinem, prout ibi sub inscriptione Hieronymi ponuntur, habentur in homilia 2. Origenis super librum Judicum.*

Idipsum etiam aliis confirmari potest exemplis.

c. Septuaginta. dist. 16. citatur *Epistola Athanasii de Canonibus Nicenis incendio consumtis ad Marcum Papam.*

(Sed Baronius Ann. 336. n. 59. demonstrat, *Epistolam illā esse suppositiam, Athanasium eo tempore fuisse exulem in Galliis, & incensionem illam Canonum diu post obitum Marci Papæ contigisse, & ipsum Marcum defunctum jam fuisse, quando scribitur respondisse ad Epistolam Athanasii.*

c. Renovantes. dist. 22. Gratianus Canonem Oecumenici Concilii Constantinopolitani II. hisce verbis allegat: *Renovantes sancti Constantinopolitani Decreta Concilii petimus, ut Constantinopolitana Sedes similia privilegia, quæ inferior Roma habet, accipiat: non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur, ut illa, sed hæc secunda post illam existens priùs quàm Alexandrina Sedes numeretur, deinde Antiochena, & post eam Hierosolymitana.* (Sed verus Canon. 36. Concilii illius sic habet: *Renovantes, quæ à centum quinquaginta sanctis Patribus, qui in hac à Deo servata & regia urbe convenerunt, & sexcentis triginta, qui Chalcedone congregati fuerunt, sancita sunt, ὁρίζομεν, definimus, ut Constantinopolis Sedes pari fruatur honoris Primatu atq; Sedes antiquioris Romæ, καὶ & in Ecclesiasticis negotiis æquè atq; illa magnificetur, cùm sit post illam secunda, post quam Alexandrinorum Megalopolis, & post hanc Hierosolymorum urbs.* Significat autem Canonem 3. Concilii Constantinopolitani I. & Canonem 28. Concilii Chalcedonensis.)

c. Presbyteris. dist. 27. sub nomine Calixti (qui sedit Anno Christi 216. Imp. Severo) citatur talis Canon. *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis &c. matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoq; matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere juxta sacrorum Canonum definitionem judicamus.*

(Sed hic Canon est suppositius. Neque enim extat in Decretis Calixti per Isidorum congestis, nec Platina in Calixto hujus instituti meminit, qui tamen recens à quovis Pontifice instituta non solet prætermittere. Mentio fit in illis verbis aliorum Canonum, qui eâdem de re antè præceperant, quales antè illam ætatem divulgati non leguntur. Autor Canonis mentionem facit *de Monachis*, quorum Calixti temporibus mira adhuc erat raritas, qui innotescere mundo cœperunt, imperante Constantino & præcipuè in locis desertis Æpypti, Lybiæ, Palæstinæ &c. Tripart. lib. 1. cap. 11.)

c. Adrianus &c. In Synodo. dist. 63. ponuntur duo Canones ex Sigeberto, quibus *Investituræ Episcoporum ab Adriano* I. & Leone VIII. *Imperatoribus dicuntur concessæ,* ad quos Canones etiam Petrus Cutsemius in Saxonia Catholica provocat.

(*At,* inquit Bellarminus de Script. Eccles. *Baronius tom. 7. Annaliū ad annum tertium Adriani, Canones illos à Sigeberto confictos esse, docet.*)

c. Ecclesiis. dist. 68. ex Concilio Niceno allegatur ejusmodi Decretum. *Ecclesiis semel consecratis Deo non iterum debet consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cujuscunque semine fuerint pollutæ, quia sicut infans à qualicunq; Sacerdote in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari: ita nec locus Deo dicatus est iterum consecrandus &c.* (Sed in Actis Concilii Niceni de hac Constitutione altum est silentium, in isto enim Concilio sunt tantùm *viginti capita*, ut patet ex c. Viginti. dist. 16. inter quæ istud non habetur.)

c. Quia Sacerdotes. caus. 10. q. 1. desumitur ex *Epistola Hieronymi ad Damasum* de oblationibus altaris. (Sed Epist. illa indigna est, quæ Hieronymo tribuatur, nam inter organa Spiritus sancti numerat *Eusebium*, quem Hieronymus passim vocat *hæreticum.* Bellarm. lib. de Script. Eccles.

c. Futuram 12. q. 1. citatur *Epistola Melchiadis Papæ.* (Sed Baronius Ann. 312. n. 80. de ea sic scribit: *Non innituntur iis, quæ Isidorus Collector seu potiùs Compilator sub nomine Melchiadis Papæ perperàm collocavit in ea Epistola, cujus, quod magis credimus, ipse autor extitit.*

c. Nec artificioso. caus. 22. q. 2. citatur liber *Augustini de conflictu virtutum & vitiorum.* (At is liber non potest esse Augustini, cùm in fine ejus commendetur *Regula S. Benedicti,* qui plus centum annis fuit Augustino posterior. (

c. Hæc est fides. caus. 24. q. 1. tribuitur *Hieronymo in Symbolo ad Damasum,* (cum sit desumtus ex *libello fidei Pelagii hæresiarchæ ad Innocentium I.* ut constat ex Augustino lib. de gratia Christi cap. 30. 31. 32. & 33. ubi ipsa verba hujus Symboli ponit, & dicit, *esse verba libelli, quem de fide Pelagius ad Innocentium misit.* Bellarm. d. l.)

c. Nubendi. caus. 27. q. 1. iterum citatur liber Augustini de *conflictu virtutum & vitiorum,* qui tamen non est Augustini.

c. Cùm

c. Cùm societas. caus. ead. q. 2. citatur canon ex Leone Papa. *Cùm societas nuptiarum ita à principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi & Ecclesiæ Sacramentum, non dubium est, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium.*

(Sed in editione Gregoriana subjungitur: *In Codicibus Epistolarum Leonis impressis & Manuscriptis, itemq; apud Burchardum & Ivonem longè aliter habet hic locus. Cùm societas,* inquit, *nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, tam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium. Verùm, ut respondeat verbis Gratiani, qui manifestè utitur hoc loco depravato, itemq; Magistri & Glossæ, & posteriorum Doctorum, nihil est in textu mutatum.* Hisce verbis disertè fatentur depravationem, nec tamen eam emendant.)

c. Potest fieri. dist. de Pœnit. citatur ex Ambrosio: *Non habent Petri hereditatem, qui Sedem Petri non habent.*

(Sed apud Ambrosium lib. 1. de Pœnit. cap. 6. tom. 1. p. 156. sic legitur: *Nō habent Petri hereditatē, qui fidē Petri non habēt.*)

c. In Christo semel. dist. 2. de consecrat. præfigitur nomen *Ambrosii in Epistol. ad Hebræos.*

(Sed Ambrosius in illam Epistolam non scripsit Cōmentarios. Decerptus autem est iste canon ex homil. 17. *Chrysostomi in Epist.* ad Hebr. quamvis ne hæ quidem homiliæ ab ipso Chrysostomo sint editæ, sed *Constantinus Presbyter Antiochenus* eas in morte Chrysostomi illius ex notis collectas in lucem edidit.

Multa ex hisce corruptelarū exemplis adducit ipse Bellarm. de Script. Eccl. sed possent longè plurima recenseri, ut colligi potest ex præced. cap. membr. 8. & ex cap. 9. ubi ostendimus, Epistolas Decretales Pontificum, quas Bellarminus passim citat, esse supposititias.

CAPUT. XV.

De *Scholasticis.*

SIcut Jus Canonicum in judiciorum Ecclesiasticorum subselliis, ita Scholasticorum doctrina in Templorum & Scholarum cathedris olim dominatum obtinuit. Sicut Theologia Practica sive causidica *in corpore Juris Canonici & glossis Canonistarum*, ita Theologia Theoretica sive Scholastica *in scriptis Lombardi, Thomæ, Scoti & aliorum Scholasticorum* proponitur; Gratianus enim Pontificum Decreta περὶ τῶν πρακτῶν, Lombardus Patrum sententias περὶ τῶν πιστῶν collegit, quæ duæ sorores gemellarum instar uno fere eodemque tempore sunt prognatæ, ac uno eodemque fine in sinu Papali suaviter educatæ, videl. ut illis velut duobus cruribus regnum Papale innitetetur. Esto igitur

Thesis. Scholastica Theologia multis laborat defectibus, proinde etiam non est infallibilis fidei ac veritatis regula, sed ex Scriptura de illa faciendum est judicium.

Ἐκθέσις. 1. *Eodem fere tempore, quo Gratianus, floruit Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, videl. circa Annum 1145. ac sicut ille collegit Canones, & fuit Magister Canonistarum, ita hic collegit sententias Theologorum, & Magister Sententiarum ac Scholasticorū dici meruit,* quæ sunt verba Bellarmini lib. de Script. Eccles. p. 340. Antoninus part. 3. Hist. tit. 18. c. 6. scribit: *A quibusdam prædicari Petrum Comestorem Autorem Historiæ Scholasticæ, Petrum Gratianum Decretorum compilatorem, & Petrum Lombardum Sententiarum sive dictorum ex Patribus collectorem fuisse fratres germanos, ex adulterio natos, quorum mater cùm in extremis admoneretur, ut criminum, quæ perpetrasset, confessione hoc fateretur, respondisse dicitur, tres suos filios tàm magna esse lumina in Ecclesia, ut de eo pœnitere non possit.* Bellarmin. d. l. hanc opinionem refellit ex eo, quòd *Gratianus patriâ fuerit Hetruscus ex civitate Clusio, Lombardus ex Novaria, Petrus Comestor Gallus ex Trephis*, cui refutationi quantum insit pondus, in medio relinquimus.

2. Studium illud Lombardi in colligendis & conciliandis Patrum sententiis per se non fuit malum, unde Lutherus in lib. de Conciliis tom. 7. f. 232. de eo sic scribit: *Nemo ipsum in hoc genere, in conciliatione Patrum, superabit, nullis in Conciliis, nullo in Patre tantum reperies, quantum in libro Sententiarum. Nam Patres & Concilia quosdam tantùm articulos tractant, Lombardus autem omnes, quo respectu ipsi Gratiano ibidem eum præfert.* Sed addit, *quòd in præcipuis illis articulis de fide & justificatione sit nimis jejunus, quanquam Dei gratiam magnopere prædicat.* Progressu verò temporis Commentatores ejus relicto ferè Scripturæ fonte adhæserunt tantum rivulis, id est Patrum dictis ac Philosophiæ principia cum Theologiæ principio magno cum Ecclesiæ detrimento commiscuerunt, inque varias sectas divisi quæstionum ἀπεράντων examina in Scholas introduxerunt. Erasmus in annot. Matth. 1. p. 6. *Utinam Lombardi labor tàm feliciter cessisset orbi Christiano, quàm ab illo susceptus est pio studio, siquidem apparet illum hoc egisse, ut semel collectis, quæ ad rem pertinebant, quæstiones omnes excluderet, sed ea res in diversum exiit, videmus enim ex opere nunquam finiendarum quæstionum non examina, sed maria prorupisse.*

3 Constituuntur à quibusdam tres ætates Scholasticorū, cùm non omnes sint ejusdem ætatis autoritatis, & sinceritatis. Prima ætas Scholasticorum cœpit circa Annū millesimum, ac centesimū, & duravit usque ad Ann. 1220. Illi Patrum *Sententiis* quandoque malè detortis quæstiones Theologicas probare nituntur. Secunda ætas cœpit circa Ann. 1220. & duravit usq; ad Ann. 1330. illi *ex principiis Philosophicis* de articulis fidei disputant. Ultima ætas cœpit Ann. Christi 1330. ac duravit usque ad Annum 1517. errores auxerunt illi, & ex *Pontificum Decretis* conclusiones suas probarunt.

4. Distinguuntur etiam in *Sententionarios, Summistas & Quodlibetarios.* Sententionarii acutissimi habiti quæstionum, distinctionum, problematum in utramque partem more Academicorum disputatores & autores, in multis ob dissentientes scribentium opiniones nihil certi definivêre, sed opinandi libertatem permisêre. Summistæ epitomas ac summas doctrinæ Christianæ cum distributione in locos communes, uti etiam primi studuerunt, composuerunt, sed multa obscura & spinosa neglexerunt, & magis planam secuti sunt docendi rationem, ne lectorem spinis & dumetis quæstionum obscurarum absterrerent. Spectârunt hi duo aut tria fora, nam voluerunt ex parte inservire Scholis, partim judiciis Ecclesiasticis, partim etiam Civilibus. Quodlibetarii alterutram quæstionis partem adversario liberè reliquerunt, vel oppugnandam, vel propugnandam, modò arbitrariis conjecturis, modò rationibus ex hac rerum Naturâ petitis, modò humanâ autoritate freti, quicquid eis in mentem venit, definiverunt. Christoph. Binderus in lib. de Theol. Schol. cap. 1. p. 18.

5. Non est in quæstione, an quædam utilia in scriptis Scholasticorum contineantur, nec de eo quæritur, an certis conditionibus ac legibus ad eorum lectionem accedere quis possit, quorum utrumque libenter concedimus, proinde calumniâ nos gravat Possevin. quando lib. 1. Bibl. p. 126. *ad obtegendam inscitiam nos præcipuè Theologiam Scholasticam aversari*, scribit, ac Lorinus quando in 1. Petr. 3. scribit: *nos Theol. Scholasticam & positivam odisse.* Sed hoc quæritur, an illa docendi ac disputandi forma, quæ in Scholasticorum scriptis occurrit, sit approbanda? & an ipsorum doctrina sit infallibilis fidei ac veritatis regula? quorum utrumque negamus.

Antithesis. Staphylus Apostata in 8. Top. scribit: *Scholasticam Theologiam esse custodem Ecclesiæ, sicut canes ovium*, referente Vergerio Dial. 1. cont. Hosium, tom. 1. oper. p. 139. F. Ricardus de Mans Ordinis Franciscanorum in Concil. Trid. dixit: *Fidei dogmata operâ Scholasticorum in præsens sic esse enucleata, ut imposterum ex Scriptura ea addiscere nihil opus esset.*

Vega lib. 9. de Justif. c. 14. *Deus, qui promisit, se suam Ecclesiam nunquam deserere, per aliquot centurias hos Scholasticos potissimùm ei Doctores prospexit.*

Melch. Canus lib. 1. Loc. Theol. cap. 3. inter domicilia argumentorum, ex quibus Theologi suas argumentationes sive ad confirmandum sive ad refellendum inveniunt, septimo loco numerat *autoritatem Theologorum Scholasticorum.*

Idem lib. 8. Locor. Theol. cap. 4. p. 241. de Scholasticorum autoritate sic scribit: *Cùm dixit Dominus: Qui vos audit, me audit, hæc verba non solùm ad primos Theologos, hoc est, ad Apostolos referebantur, sed ad alios Doctores in Ecclesia, quamdiu pascendæ sunt illæ oves insciéntia & doctrinâ.*

Jesuitæ in omnibus fere controversiis ad Scholasticos provocant, quos absolutè *Theologos* vocant, ac quia *Ecclesiam & Doctores consentientes non posse errare*, statuunt, inde Scholasticos, qui docendi munere in Scholis functi fuêre, ab errore absolvere itidem coguntur.

Nostram sententiam probamus ex eo, quòd Scholastici erraverint,

1. *Circa disputandi principium.* Johannes Duns Scotus lib. 3.

lib. 3. Sentent. dist. 24. q. 1. disertis verbis asserit, *Doctores Theologicos tandem Philosophiam cum Theologia maximo cum fructu miscuisse.* Fatemur, talem mixturam vel potiùs confusionem ab illis esse factam, sed quòd magno cum fructu ea facta sit, ipso eventu falsum esse convincitur, cùm veræ fidei simplicitas per hanc mixturam fuerit labefactata, quin potiùs ita miscuerunt, ut ex duobus per se bonis fecerint unum pessimum. Huc pertinet, quòd in summis fidei mysteriis ex principiis Logicis, Physicis, Metaphysicis &c. prætermissis vel leviter duntaxat attactis Scripturæ dictis, conclusiones suas arcessant, ut sæpiùs Aristotelem, quàm Apostolum in illorum scriptis audias, cùm ipsa sanior Philosophia μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος improbet, contrà verò ὁμογένειαν τῶν ἀρχῶν requirat. Si quando dictis causâ Scripturam adducunt, sequuntur versionem Latinam corruptissimam prætermissis Hebraicis & Græcis fontibus. Violenter ac planè extra scopum Scripturas torquent & peregrinum sensum eis affingunt. Ex Patrum dictis tanquam ex proprio Theologiæ principio disputant, eorumque autoritatē Scripturæ autoritati fermè exæquant, cùm tamē ipsimet Patres in sublime illud Canonicæ autoritatis fastigium evehi recusent, ac ipsemet Thomas doceat p. 1. q. 1. art. 8. quòd *sacra doctrina utatur aliorum Ecclesiæ Doctorum autoritatibus, non q. arguendo ex propriis, sed ex probabilibus.* Dicta veterum interdum allegant truncata & corrupta ex libris adulterinis & supposititiis.

2. *Circa disputandi objectum.* Proponunt enim quæstiones otiosas, quæ nihil quicquam faciunt ad ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, Tit. 1. v. 1. curiosas, spinosas, & inutiles, absurdas, superstitiosas, & impias? Plurimæ singulorum horum septem generum quæstiones ex Scholasticorum Commentariis adduci possent.

2. *Circa disputandi modum.* Primò enim immanis quædam contradicendi libido ubique apud ipsos obvia, ut vix inter duos, vel tres in quæstione aliqua inveniatur consensus. Secundò, quæ in Scripturis definita sunt, de illis topicè ac scepticè disputant; variis argumētis velut fluctibus modò in hanc modo in illam partē jactati nesciunt tandem, quò se recipiant. Tertiò, quæstiones abstrusas in Scripturis non definitas, quandoque etiam supra captum humanæ rationis positas temerè definiunt. Quartò terminis utuntur obscuris, verbis ac phrasibus barbaris, ac modis omnibus hoc agunt, ut, quæ sunt difficilia, reddant spinosis suis quæstionibus difficiliora, quæ verò perspicua, obscuris quæstionum involucris & horrisonis verborum ambagibus magis involvant. Confer Methodum studii Theol. part. 3. sect. 5. cap. 4. p. 298. Wilhelmum Holderum in Dubietatibus, Mure exenterato, Petitorio &c. Christoph. Binderum in lib. de Theol. cap. 2. D. Meisnerum in Orat. Tubingæ Ann. 611. habita, de antiqua vitiosa Theologicè disputandi ratione.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam illam μιξοφιλοσοφοθεολογίαν improbant.

Arnuldus de Villa nova Hispanus circa Ann. 1290. docuit, *malè fecisse Theologos quòd miscuerint Philosophiam Theologiæ.*

Abbas Trithemius in Chron. scribit: *ab eo tempore, quo Theologia Scholastica in Ecclesia viguit,* ab Ann. sc. 1140. *Philosophiam secularem, sacram Theologiam suâ curiositate fœdare cœpisse.*

Onus Ecclesiæ cap. 18. §. 8. *Stella casus de cœlo in terram, habentis clavem putei abyssi & ipsamq; abyssum aperientis est Doctorum quorundam affectus in terrenas cupiditates, in scientiam inflantem, in peregrinas opiniones, & in diversas schismata in Ecclesia excitantes, qui acceperunt clavem, hoc est ingenii subtilitatem, quâ aperiunt, hoc est, extollunt doctrinam Aristotelis, Averrois ac aliorum gentilium Scribarum, ad excogitandum profunda & voraginosa dogmata obscurantia solem sapientiæ Christianæ & Evangelicæ vitæ, ac purum aërem religiosi status suis fastuosis verbis acutisq; disputationibus ac sophisticis garrulitatibus maculantia.*

§. 9. *Modernis temporibus in Academiis publicis scientia duntaxat mundana invaluit, scientia Dei non est in terra. Sacrarum literarum doctrina ubiq; prorsus periit. Doctores scientiâ inflati docent suum chere, circumferuntur omni vento doctrinæ.*

§. 11. *Diabolus velut insidiosissimus hostis literas sacras nobis illudit atq; perdit, Scripturam sacrā pervertit vel ad minus corrumpit &c. paganica dogmata publicè in Scholis legi, ac in Ecclesiis prædicare facit. Nam hodie doctrina Scholastica docet linguam suam loqui mendacium, quod execratur Dominus in Propheta dicens: Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Sed moderni Scholastici doctrinam Aristotelis aliorumq; gentilium inconvenientiùs per religiosos manifestè tradendam in culmine cathedrarum proponunt. Pagani autem normam Evangelicam destruere quærunt, ideò Diabolus instigat & involvit doctrinam Christianorum paganicis autoritatibus fulciri, ac principiis fidei dogmata gentilium commisceri, ut tandem veritas Evangelica per Sophisticos è medio suffletur. Quamvis Sophistæ jactent se Evangelium defendere, tamen eorum dogmata tendunt ad ejus destructionem. Sicut enim olim Pontifices, Scribæ & Pharisæi jactaverunt se Legem defendere, qui crucifigi curarunt ipsum Legis impletorem, sic hodie mundi sapientes asserunt, se suis argumentationibus fidei veritatem defendere, medullam verò Evangelii & perfectionem Legis Christianæ pervosis doctrinis & Sophisticis Syllogismis cruci affigunt.*

§. 13. *Totus verè studiorum decursus in superstitiosis Scholasticorum dubiis consumitur, quo fit, ut pauci textui Bibliæ seu doctrinæ & fundamento stabili & veritati inconcussæ incumbant, sed plures in sabulo dogmata construunt mox ruinosa, nec non fructu neglecto folia carpunt, & cortice disputationis contentiosæ contenti medullam divinæ sapientiæ in sacra & authentica Scriptura ultrò offerentem pertranseunt.*

§. 14. *Prædictam corrumpendæ Scripturæ libidinem à doctoribus Scholasticis usitatam, jam fermè trecentis vel pluribus annis, quibus hactenus quintus status duravit, patitur Ecclesia suo damno incomparabili.*

Parisienses Magistri in Catalogo errorum Lombardi ad calcem libri sentent. addito, confusionem Philosophiæ cum Theologia in Thoma Aquinate hisce improbant verbis: *Dicunt, quòd in pluribus locis doctrinæ suæ ipse erravit per hoc, quòd verba ad principia Philosophiæ, seu potiùs quædam Philosophorum verba ad conclusiones Theologiæ nimis applicavit. Non enim loqui taliter debent Theologi, qualiter loquuntur Philosophi, sicut docet Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 23. dicens: Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficilimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

Paulus Langius Monachus in Chronico Citicensi Ann. 1510. edito, in Historia Anni 1365. *Quid facit Philosophia in Theologia? nempè quòd canis in balneo. Ego adjicio & dico, quòd secularis Philosophia in Theologia facit id, quod absinthium in melle, venenum in lacte, fel in vino, acetum in balsamo, zizania in agro, in veste tinea, mus in pera, serpens in gremio.*

Albertus Archiepiscopus Moguntinus in Epistola, quæ libro Erasmi *de ratione perveniendi ad veram Theologiam est præfixa,* itidem hanc commixtionem in Scholasticis improbat.

Erasmus in Enc. moriæ. *Scholastica Theologia à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis, & Philosophicis rationibus tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.*

Ibid. *Sunt inter ipsos Theologos melioribus instituti literis, qui velut sacrilegii genus execrentur, summamque impietatem ducant, de rebus tàm arcanis & adorandis magis, quàm explicandis tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutiis disputare, tam arroganter definire, ac divinæ Theologiæ majestatem tam frigidis, imò sordidis verbis simul & sententiis conspurcare.*

Henricus Cornelius Agrippa in præfat. lib. de vanit. scient. præfixa. *Videmus alios* (præter Scripturæ contemtores) *licet sibi magis pii videantur, qui Christi leges probare & confirmare nitantur decretis Philosophorum, illis plus tribuentes, quàm sanctis Dei Prophetis, Evangelistis & Apostolis, cùm tamen hi ab illis plus dis diapason absint.*

Idem in lib. de vanit. scient. cap. 97. p. 481. *Theologia Scholastica à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est. Insuper & novo quodam ac ab antiquorum usu alieno tradendi genere per quæstiunculas & argutos Syllogismos absque omni sermonis elegantiâ. Ejus autores, & qui in ea excelluerunt, fuerunt Magister sententiarum, Thomas Aquinas, Albertus cognomento Magnus & multi alii excellentes viri. Porrò Johannes Scotus Doctor intellectu subtili, sed in contentione proclivior. Hinc tandem Scholastica Theologia in Sophismata paulatim delapsa est, dum recentiores isti Theosophistæ ac verbi Dei cauponatores, qui non nisi empto titulo Theologi sunt, ex tam sublimi facultate quandam logomachiam fecerunt, circumcursitantes Scholas, moventes*

movent es quæstiunculas, fabricantes opiniones & Scripturis vim inferentes, intricatu verbis alienum sensum illis obducentes, atque ipsam fidem nostram sacrosanctam apud Sapientes hujus seculi risui ac diffidentiæ exponunt, dum relictis post terga Canonicis Spiritus Sancti Scripturis, multas admodùm aptas jurgiis de divinis quæstiones sibi delegerunt, in quibus ingenium suum exercentes & ætatem consumentes totius Theologiæ doctrinam in illis solis collocarunt, quibus si quis sacrarum literarum autoritate resistere velit, mox auditurus est, Litera occidit, perniciosa est, inutilis est.

Et postea p. 485. Aliqui eorum, quibus sublime ingenium est, quique peritiores Propheticis & Apostolis videri volunt, ea, quæ sola fide creduntur, etiam suis Syllogismis invenire & demonstrare posse præsumunt, atq; de divinis philosophantur deploratis quæstionibus, contenduntq; prodigiosâ confidentiâ, variis, nonnunquam etiam absurdis, opinionibus.

Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus in Epist. ad Rom. cap. 6. p. 279. Divinæ Scripturæ olim, proh dolor! quanto omnium damno negligebantur! Vigebat spinosa & molesta, nescio quæ, Theologia de instantibus, relationibus, de quidditatibus, de formalitatibus, itemq; hæc omnia Syllogismis arte contortis & humanis duntaxat argutiis, quæ procul dubio, quâ autoritate recipiuntur, eâ & refelli possunt, pertractabantur.

Et postea. Juraverant universi divini verbi Duces in Magistrorum verba. Hinc sexcentæ sectæ. Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, Bacconistæ, Albertistæ, Ægidiani, Alexandrei. O scelus! Posthabebantur Evangelia, Epistolæ, Christiana Philosophia delitescebat, à paucissimis tractabatur, sed frigidè, non enim dicam insincerè.

Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus Concilii Tridentini Assessor, in scripto contra Dominicum Sotum asserit, Scholasticos Scripturam suæ rationi ac Philosophiæ postposuisse; ac proinde à rectâ via sæpiùs aberrâsse.

Idem. Quamobrem Dionysius Carthusianus, qui non ignorabat etiam Scholasticorū quorundam doctrinam, qui ad Philosophiam nonnunquam detorquent importunè Scripturas, cùm hunc locum tractaret, sanctorum Patrum sensum ut veriorem probavit & secutus est.

Ludovicus Vives lib. 11. de civitat. Dei cap. 34. Thomas nimis est Aristotelicus, & res omnem Naturæ vim captumque excedentes cogit naturalibus parere legibus.

Idem lib. 20. cap. 16. Ex Philosophis fiunt Theologi, & hanc philosophandi rationem etiam in scholas sanctiores transferunt.

Idem in lib. 21. de civitat. Dei cap. 7. Cum hic totus locus de resurrectione, judicio, suppliciis impiorum & beatitudine piorum terminos captumque hujus Naturæ excedat, miror Scholasticos Theologos Thomam, Scotum, Occanum, Henricum Gandavensem, Durandum, Paludanum, de iis omnibus ex dogmatibus Aristotelicis disserere & definire, & ita inter se pertinaciter contendere Naturæ tantum argumentis armatos, ut cum quærunt, an corpora resurrectura sint, an in fine mundi, an materia, quæ aliquando humanâ formâ decorata est, appetat semper illam eandem formam, an pati possint animæ felicium, an motus cœlorum quieturus, & quâ positione cœlorum quieturus, an illustrabuntur Elementa, sitne felicitas in actu voluntatis an intellectus, an ignis possit agere in animas, quemadmodum ignis ille sit sempiternus futurus, & quibus fomentis sustentabitur, ubi inferi & alia sexcenta, quæ omnia tam Philosophicè disputant, ut putes eos Athenis esse Ethnicis, non Parisiis Christianis.

Melchior Canus libro 8. Locorum Theologicorum c. 1. pag. 257. (in al. edit. pag. 379.) In omni oratione memento Lector, eam me defendere Scholæ doctrinam, quæ sacrarum literarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse Scholæ doctrinam, quæ se titulis magisterii defendat, miseram etiam atque haud scio, an multò magis, quæ detractâ Scripturæ autoritate Syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur, imò ne de rebus divinis quidem, sed nec de humanis, verum de his, quæ nihil ad nos attinent. Intelligo autem fuisse in Schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverunt, & vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cùm in his Sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi Philosophia quidem, sed ferè puerilibus disciplinis, Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur, nec Scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum feces in Scholas inferentes, & ad risum viros doctos incitant & delicatiores ad contemtum.

Idem libro 9. Locorum capit. 1. pag. 410. Hoc verò seculo fuisse etiam in Academiis multos, qui omnem fermè Theologiæ Disputationem Sophisticis ineptisque rationibus transegerint, utinam ipsi non fuissemus experti! Egit autem Diabolus, quod sine lachrymis nequeo dicere, ut quo tempore adversum ingruentes ex Germania hæreses oportebat Scholæ Theologos optimis esse armis instructos, eo nulla prorsus haberent, nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt à plerisque ac meritò irrisi, quoniam veræ Theologiæ solidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, easq; ipsas utinam sequerentur! Feruntur enim è Scripturæ sacræ principiis, cujus isti vel umbras non sunt assecuti. Quocirca homines verbotenus in Theologia magistri pugnavêre illi quidem adversum Ecclesiæ inimicos, sed valde tamen infeliciter.

2. Quod agnoscunt, Scholasticos doctrinæ Christianæ simplicitatem corrupisse, à Scripturæ regula & Patrum dictis discessisse, atque hac ratione magnum Ecclesiæ nocumentum dedisse.

Johannes Gochius circa Annum 1490. docuit, Thomæ, Alberti, Capreoli & aliorum Sophistarum scripta magis obscurare, quàm illustrare veritatem, imò Pelagianam hæresin redolere. Gochius ille familiaris fuit Wesselo Groningensi. Scripsit de votis & obligationibus.

Aventinus lib. 6. annal. Lombardus libros quatuor sententiarum scripsit, sed sacrosanctæ Philosophiæ veritatem fontemq; purissimum, sicut plus millies à Jacobo Fabro Stapulensi, & Jodoco Clitovæo meis præceptoribꝰ accepi, cœno quæstionū rivulisq; opinionū obturavit.

Jacobus Spigelius Commentator super Guntheri [illegible] circa ann. 1507. Sequitur Guntherus commentitiam Scholasticorum Theologorum sententiam, qui Christi verba de duobus gladiis, ut pleraq; alia, quæ propriè ad Philosophiam cœlestem pertinebant, subverterunt, reclamantibus omnibus Christi præceptis, reclamante [illegible] ipsius vitâ, reclamante doctrinâ Apostolicâ, refragantibus tot Martyrum millibus, repugnantibus vetustis Interpretibus.

Georg. Wicelius in Compend. de [illegible] antiquis non longè à princ. Accesserunt longo pòst tempore Scholastici, quorum varii greges extiterunt. Tales non contenti solidâ vereq; venerandâ structurâ, manus illotas suas admoverunt, & cùm domum illam divinam conati sunt facere meliorem, quam hanc fecere priores, insignes nimirum illi architecti, supra modum atq; præter opinionem etiam suam incommodarunt, hoc agentes, ut altius erectâ structurâ, & tecto non ita benè adversus imbres munito, fracturis ruinisq; viam aperirent. Quo animadverso schismaticorum populi temere ingruentes, dum initiò commodare ruinoso ædificio satagunt, totum penè convellunt, adeò ut parùm absit, quin domum electam à fundamentis eruant, non habita ratione quid, quo tempore, per quos artifices, & qua vel necessitate vel utilitate ædificatum sit. Proinde conveniebat, ut quorum hæc domus velut commune hospitium est, invocato Dei opt. brachio rebus fessis succurrerent, & consopitis eversoribus schismaticis, præterea ineptis Scholasticorum additionibus, antiquitatis domum assererent, qualem ædificarunt Apostoli, qualem absolverunt Apostolici, qualem exornarunt sanctissimi vetustissimiq; Patres, contenti eo Theologiæ genere, quod ædificantes primi tradiderunt, sive per scriptam literam, sive per vivum sermonem, cujusmodi sancti Martyres ac Homologetæ quasi per manus acceperunt, usq; ad eam ætatem Christianismi, qua vetus Theologia, ceu res nihili, explosa est, Lombardica videlicet succedente, cui debemus magnam calamitatum partem in Ecclesia.

Et postea. Cultum alium in terris nescimus præter eum, quam soli Deo debemus, & neque dulias, neq; hyperdulias Christiani scimus, eo saltem sensu, quo tradiderunt non Ecclesiastici, sed Scholastici, qui erant non contenti prima illa atq; originali, puraq; Theologia, nec sat habuerunt Latino sermone uti, quemadmodum antiquissimi & eruditissimi Ecclesiæ Patres, nisi novum loquendi & scribendi genus excogitassent, malentes barbarè, quàm Latinè sua disputare placita, & Ecclesiæ dogmata intricare magis, quàm extricare, magisq; obscurare, quam elucidare. Quo fit, ut parum absit, quin istiusmodi Matæologiæ omnem calamitatem, quæ hodiè Ecclesiam obruit, uni debeamus, si rem apud animū tuum serio pertractes, ac fateri fas sit. Eò enim rem adduxerunt, ut vulgò crederetur, Ecclesiam sanxisse, quicquid isti somniarant, magis innitendo Metaphysicis commentis, quam Evangelicis aut Apostolicis literis, unde nunc vix magno negotio dediscitur, quod semel imbiberat persuasa juventus, & jam pudeat consenuisse inter ista spineta, quæ rosceta probabantur.

Ibid. in seqq. Nihil sane nobis cùm illis vocibus & loquendi scholæ formulis, motus operis operati boni vel malè utentis, applicationis, proprii meriti, & id genus nescio qualium rerum. Defendant, qui excogitarunt; excusent, qui ejusmodi mordicus tenent. Nos respicimus ad originem, ad archetypon, ad vetustas Ecclesiæ praxes, &c. Largiri

oportet te, Liturgiam, Synaxin, cœnam Domini &c. in recto Ecclesiæ usu extitisse in orbe terrarum longè etiam antequam oborta magis quàm esset adolescbia Scholastica. Quòd si recto veroq; usu ab initio extitit, & Christianitati universali placuit, atque satisfecit ex doctrina primitiva, adeoq; comprobata consensu, quorsum opus erat tuis, excæcate Sorbonista, inventiunculis ac appositiunculis, videlicet sicut necesse est currum quintam habere rotam, & hominem sex esse oportere sensibus? nisi quod ita visum fuit, Theologiam veterem mutare novâ, ac in Ecclesia Patrum Apostolicorum peregrini nescio quid condere.

Idem. *Nostra referre minime arbitramur, quid novi vel Thomas, vel Albertus, vel Scotus, vel alius quispiam recentiorum doctorum Ecclesiæ jam occiduæ per inane & plusquam sterile acumen suum ante Annos 300. aut 400. invenerit, cùm in aliis doctrinæ partibus, tùm in Missæ negotio. Nec præstare quimus, quòd illiusmodi cogitationes veluti dogmata definita Roma recentior receperit, & quibus adducti rationibus superiores nostri novitatem istam sequi maluerint, quàm in eo perstare, quòd ab antiquo ad istud suum seculum promanârat, tanquam ad Christianæ professionis hæredes.*

Ibidem. *Monachi veram pietatem labefactarunt, maximè recentem Theologiam, quam dicunt Scholasticam (si tamen sanctum Theologiæ vocabulum hæc meretur) in Ecclesiam introducentes & hanc omnibus ingenii viribus provehentes. Hinc sævi isti clamores adversus antiquam illam ac sinceram Theologiam, cum linguis primariis Theologiæ necessariò ancillantibus, quæ nostro seculo resuscitari capit, quam diffamant hæresin esse, nec quiescunt, dum condemnunt ceu certum Ecclesiæ virus.*

Henricus Cornelius Agrippa lib. de vanit. scient. cap. 97. p. 485. *Hinc effectum est, ut Scholastica Theologia sublimis Gymnasiorum facultas ab errore malitiaq; non sit immunis, tot sectas, tot hæreses introduxerunt pravi hypocritæ, temerariiq; Sophistæ.*

Thomas Hardingus in assertione contra Ivellum Angliæ Satisburiensem Episcopum art. 22. asserit, *Doctores Pontificios, ingeniorum concertatione fortè nimis curiosos vel nimis etiam confidentes in hoc fuisse & modum transivisse, aut quod probare instituerunt, nimis cumulatè instituisse & effecisse, vel etiam ignorantiâ & partium studio à ratione & opinione ea, quam Romana tenet Ecclesia, aberravisse.*

Erasmus in Comp. veræ Theol. p. 43. *Si quis veteres illos Theologos, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, cùm hisce recentioribus (Scholasticis) componat, conferatque, videbit illic aureum quoddam ire flumen; hic tenues quosdam rivulos, eosq; nec puros admodùm, nec suo fonti respondentes. Illic tonant oracula veritatis æternæ, hic audis hominum commentula, quæ quò propriùs inspicias, hoc magis similia insomniis evanescunt. Illic solidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium surgit in altum, hic futilibus hominum argutiis, aut etiam adulationibus non minus inanis, quàm immanis superstructa machina tollitur in immensum. Illic velut in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis, dum hic inter spineta sterilia dilacerari ac torqueris. Illic majestatis plena omnia, hic adeò nihil splendidum, ut pleraq; sordida, parumq; digna dignitate Theologicâ.*

Idem in Indic. Schol. in Hieron. *Portentosa commentaria & argumenta frigidissima Scholasticorum, quorum Theologiam B. Paulus & Hieronymus ignorarunt.*

Idem in Moria. *Paulus fidem præstare potuit. At idem cum ait, Fides est substantia rerum sperandarum &c. parùm Magistraliter definivit. Idem, ut caritatem optimè præstitit, ita parùm Dialecticè vel dividit vel finit 1. Corinth. 13. &c. Noverant Apostoli Jesu matrem, sed quis eorum tam Philosophicè demonstravit, quomodo fuerit ab Adæ macula præservata, quàm nostri Theologi? Petrus accepit claves, & tamen nusquam attigit subtilitaten, quomodo scientiæ clavem habeat is quoq;, qui scientiam non habet. Baptizabant illi, sed characteris indelebilis nulla apud eos mentio. Adorabāt illi in spiritu & veritate, verùm haud apparet, eis tum revelatum fuisse, unâ eademq; adoratione adorandam imagunculam & Christum ipsum. Identidem inculcant gratiam, sed nusquam distinguunt, quid intersit inter gratiam gratis datam & gratiam justificantem. Hortantur ad bona opera, nec discernunt opus operans & opus operatum. Passim inculcant caritatem, sed non secernunt infusam ab acquisita, nec explicant, accidens ne sit, an substantia; creata res, an increata.*

Becelinus, inter Pontificii regni propugnatores haud postremus, referente Johann. Rivio libro de abusibus Eccles. p. 131. fatetur, *Theologos Scholasticos novum docendi genus invexisse & nova quædam docuisse, quæ nescierit antiquitas. Adhæc multa eos majore damno, quàm utilitate Ecclesiæ Dei, divinis literis & orthodoxorum Patrum scriptis addidisse, sic ut additamenta illa plus dominarentur in Ecclesiastico populo, quàm ipsum verbum Dei & doctrina Patrum hujus rivulus.* Item. *Prophetas, Apostolos, Martyres, Eremitas, Episcopos, Pastores, Doctores à primordio sanctissimos & eruditissimos ignorâsse Sorbonicam Theologiam.*

Idem. *Si res à solis Sophistis, id'est, Scholasticis Theologis pendebit, periimus, & actum est de Sponsa Christi. O prohibe Christe Rex, ne istis Areopagitis præsidentibus Synodus transigatur, nam student sibi, non* CHRISTO.

Bellarminus libr. de Sacram. Ordin. cap. 5. *Etsi à quibusdam veteribus Scholasticis negetur, Ordinationem Episcopalem esse Sacramentum propriè sic dictum, tamen asseritur ab omnibus antiquis Patribus.* (Ergò quidam ex Scholasticis veteribus aliquid negant, quod omnes antiqui Patres affirmant.)

Lib. 2. de Sacram. cap. 11 §. Secundò posset &c. *Sacramenta esse causas justificationis morales, non Physicas, sensisse videntur antiqui Scholastici multi, ut Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Occam, Marsilius, Gabriel in 4. distinct. 1. vel 2. qui docent, Sacramenta verè justificare, & tamen volunt, solum Deum producere gratiam & præsentiam Sacramentorum, ita ut non sint Sacramenta causæ physicæ, nisi sine quibus non fieret effectus: tamen puto longè probabiliorem & tutiorem sententiam, quæ dat Sacramentis veram efficientiam, quia Patres passim docent, Sacramenta non agere, nisi priùs à Deo virtutem, seu benedictionum, seu sanctificationem accipiant &c.*

Azorius lib. 2. Institut. moral. cap. 17. art. 2. *Non diffitetur, aliquorum Patrum sententias cum communi Scholasticorum opinione pugnare* (id quod aliquot exemplis ibidem confirmat.)

Quòd agnoscunt, illorum autoritatem non esse infallibilem & authenticam, sed ab eorum sententia licere discedere.

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 7. *Aliqui humana scripta recipiunt, ut Divorum oracula, & illum honorem illis exhibent, qui solis sacris literis debetur, quales sunt ii, qui Thomæ, Scoti, Occæ dictis subjiciuntur, ut ex eorum placitis, in quæ jurâsse videntur, nomina quoque sortiantur; Alii Thomistæ, alii Scotistæ, alii Occamistæ appellati. Paulus quidem jussit captivare intellectum nostrum, sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis. Quosdam ego vidi, qui non sunt veriti in publica concione dicere: Quisquis à Thomæ sententia dissentit, suspectus de hæresi censendus est &c. Miserrima est servitus, jurare in verba Magistri, cujus est tantùm humana autoritas, per hanc velle humanas Scripturas in divinarum ordinem connumerare, hoc veriùs ego hæresin dixerim.*

Vega libro de just. & gratia q. 1. propos. 2. *Quæstio est, utrum agat Paulus de fide habituali, an actuali? Dico, non necessarium esse intelligi de fide viva & actuali. Hæc propositio est contra multos doctores Catholicos* (Scholasticos) *eosque non postremæ classis. Sed contra eos omnes quantalibet gravitate, probatur nostra propositio.*

Stapletonus de principiis doctrin. cont. 6. libr. 10. capite 11. *In hoc differt Theologus ab Episcopo, Doctor Scholasticus ab Ecclesiastico, denique doctrina Theologica à fide Catholica, quemadmodum humana doctrina à divina, quia Scholasticorum, cùm non sint ad Pastorale munus vocati, scientia humana est, quatenus talium, nimirum humano studio atque industriâ acquisita, nec est igitur eorum autoritas certa.*

Ibidem. *Consultiùs faciunt, qui in causa fidei Episcopum, etsi non perinde doctum in quæstione fidei, consulunt, quàm qui doctorem Theologum, quamvis in re Theologica plurimùm versatum, nisi hunc ita consulant, ut hujus Episcopi judicio subjiciant.*

Melchior Canus libro 8. locorum cap. 5. pag. 245. *Hic ego, si Thomistæ omnes cum Scotistis existant, si cum antiquis juniores valent contra me pugnare, tamen superior sim necesse est. Non enim quemadmodum nonnulli putant, omnia sunt in Theologorum autoritate. Est quædā ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit.*

Gregorius de Valentia præfat. in tomo 1. fatetur, *se nonnunquam à sententia D. Thomæ ejusque Interpretum discessisse, petitq; ne hoc illi ægrè ferant, quando inter se dissentiant salvâ fide & caritate.*

4. Quòd agnoscunt, errores in Scholasticorum scriptis contineri.

Quamvis Lombardus *Magister* appellatur, tamen discipuli ejus non omnia probant, quæ ipse docuit, notantur enim ad calcem libri à *Parisiensibus* 26. articuli, in quibus velut erroneis rejicitur.

Parisienses in Thoma multa damnant, & addunt: *Præsumtuosum videtur, ejus doctrinam super alios doctores sic extollere, quòd non liceat credere aut asserere ipsum in fide errâsse, nec obstat ejus canonizatio, quam aliqui pro magno colore prætendunt.*

Nec defuerunt, qui eum ad Alexandrum 3. Pont. detulerint nomine hæreseos, quod docuisset, *Christum ut hominem, non esse aliquid*, quam ejus sententiam in Concilio quodam Parisiensi fuisse damnatam testatur Matthæus Paris in Hist. Anglicana in Henrico 2. p. 132. quæ damnatio annis 19. post Lombardi mortem contigit. Bellarmin. de script. Eccl. in verbo Lombardus.

Chronico Henrici de Erphordia inserta est Bulla *Stephani Episcopi Parisiensis*, in qua Episcopus ille testatur, *complures Episcopos doctrinam Thomæ condemnasse.*

Extitit quidam Monachus nomine *Ægidius de Roma*, qui cùm aliter Thomam tueri nequeat, scribit, *ejus libros à sciolis & malevolis corruptos esse*, unde non pauca in ejus libris mutat, emendat aut emollit, quod opus *Correctorium Thomæ* vocatur.

Thomas Branduardinus, aliàs Bravardinus Anglus, in volumine *de peccato originis & libero arbitrio* acerrimè accusat plerosque omnes sententionarios Pelagianismi, & contra eos gratiam Christi asserit.

Ambrosius Catharinus in scripto contra Dominic. Sotum asserit, *sententiarios Scripturam sacram suæ rationi & Philosophiæ postposuisse, ideoq́ etiam illos à recta via aberrasse. Patres*, inquit, *Scripturis magis incumbebant & illis innitebantur, Scholastici verò magis Philosophiæ, ut non sit mirum, Patres non aberrasse à vero circa hoc, illos autem, hoc est, Scholasticos impegisse.*

Paulus Bennius libr. de effic. gratiæ cap. 14. refellit distinctionem Scholasticorum *inter gratiam sufficientem & efficacem*, libr. ejusd. cap. 5. refellit distinctionem apud Scholasticos usitatissimam *inter meritum congrui & condigni. Non ex ullo*, inquit, *merito prima gratia profluit, ne de congruo quidem, quia impar est, & infinitis partibus impar peccatoris conatus & labor, ac largitas gratiæ.*

Toletus in Instruct. Sacerd. tractat. de peccat. mortal. contra communem Scholasticorum sententiam docet, *plura esse peccata mortalia quàm septem.*

Albertus Piggius lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. *Quæ de gratia Dei justificante Scholastici scribunt, commentitia universa existimo, ideò gratiæ acceptionem variam non à Scholis, sed à Divinis Scripturis petemus.*

Idem in controversiarum Ratisbonensium luculenta explicatione controv. 2. de fide & justificat. fol. 49. *Dissimulare non possum hanc vel primam doctrinæ Christianæ partem*, (videlicet de mysterio nostræ redemtionis & salutis) *obscuratam quàm illustratam magis à Scholasticis, spinosis plerisq; quæstionibus, secundum quas nonnulli magno supercilio primam in omnibus autoritatem sibi arrogantes, & de omnibus facilè pronunciantes fortassis etiam nostram hanc damnarent sententiam, quæ propriam, & quæ ex suis operibus esset coram Deo, justitiam, derogamus omnibus Adæ filiis.*

5. Quod agnoscunt, Scholasticos non solùm à Scriptura sacra & Patribus, sed etiam à seipsis invicem sæpius dissidere, ac Andabatarum more pugnare.

Lombardus 2. sent. dist. 30. lit. E. *Quid sit peccatum originis, de eo Scholastici doctores variè senserunt.*

Wesselus Prof. Paris. dixit, *Sententiarios adeo invicem esse discordes, ac dissentientes, ut eorum vix unus atq; alter reperiatur, qui in una & eadem sententia constanter consentirent.*

Dionys. Carthus. 1. sent. dist. 2. q. 2. *Quæstio de distinctione attributorum divinorum est una de præcipuis difficultatibus Theologicæ Facultatis, de qua inter Doctores famosos invenitur dissensio, inquisitio & concertatio grandis, Thomamq; valdè lancinat Ægidius, aliiq; in utroq; feruntur.*

Autor oneris Eccles. cap. 18. §. 12. *His temporibus fastuosi concionatores in cœtu simplicium altas quæstiones movent, dividunt, definiunt, pro & contra argumentantur, ut difficile sit, auditores à sinceritate fidei in ambiguitates non induci. Quidam fidei aut informationis fidelium conferunt certamina Thomistarum & Scotistarum modernorum & antiquorum innumeris quæstionibus inter se fervidè digladiantium?*

Aventinus lib. 6. Annal. p. 383. *Hisce temporibus fuisse reperio Rucelinum Britannum, Magistrum Petri Abelardi, novi Lycæi conditorem, qui primus scientiam vocum sive dictionum instituit, novam Philosophandi viam invenit. Eo namque autore duo Aristotelicorum Peripateticorum genera esse cæperunt, unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vendicat, quamobrem Reales vocantur: alterum novum, quod eam distrahit, Nominales ideò nuncupati, quod avari rerum, prodigi nominum atque notationum verborum videntur esse assertores. In hisce duobus generibus dissidium & bellum civile est, illius Thomas Aquinas Italus, & Johannes Duns Scotus, hujus Wilhelmus Occamensis Anglus, Marsilius Heidelbergensis Academiæ, Johannes Buridanus Viennensis Gymnasii institutor, Gregorius Ariminensis antesignani sunt &c. Aliis subinde aliæ opiniones aliæ placita sunt, ita fit, ut nulli duo concinant. Acutissimus censetur, qui maximè ab aliis discreparit. Eruditionem discordia metiuntur, se invicem jugulant, seipsos invicem conficiunt atque consumunt. Nunquam concordes, nisi cum conspirarint: sunt qui armati adversus omnes omnium reprehensiones inter se collegant, eamque pestem Grammaticæ Theologiæque invexere, nimirum Scholasticæ atque umbraticæ. Nihil potest sine suo interitu sibi esse contrarium, illa interit, hæc nunc in se victas convertit manus.*

Erasmus contra Latomum. *Scholastici Dd. non omnes idem sentiunt, nec omnes sunt liberi ab errore. Nam qui Thomam sequuntur, & à Scoto & à Gersone dissentiunt, eos pene pro hæreticis habent.*

Idem in Moria. *Jam has subtilissimas subtilitates subtiliores etiam reddunt tot Scholasticorum viæ, ut citius è Labyrinthis temet explices, quàm ex involucris Realium, Nominalium, Thomistarum, Albertistarum, Occamistarum, Scotistarum. Et nondum omnes dixi sectas, sed præcipuas duntaxat.*

Idem in Supputat. error. in Censur. Bedæ pag. 7. *Certè à sublimibus illis & contentiosis dogmatibus non secus atque à Maleæ scopulis deflectere soleo.*

Et paulò post. *Fateor, illud esse verum, quod locis aliquot taxavi Theologos, qui neglectis linguis ac politioribus literis, omnique cognitione rerum antiquarum, imò ipsis etiam Scripturarum fontibus, unà cum priscis Ecclesiæ Doctoribus, in spinetis quæstiuncularum consenescerent.*

Idem in Enchir. mil. Christ. *Sed quid futurum arbitramur, si Turcis, ut Christum amplectantur, Occamos, aut Durandos, aut Scotos, aut Gabrieles, aut Alvaros proposuerimus? quid cogitabunt, aut quid sentient, (sunt enim & illi, ut nihil aliud, certe homines,) ubi audierint illas spinosas & inextricabiles argutias de instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de relationibus? &c. præsertim ubi viderint, de iis adeo non convenire inter magnos illos religionis professores, ut frequenter usque ad pallorem, usque ad sputa, nonnunquam & usque ad pugnos invicem digladientur, ubi Prædicatores pro suo Thoma cominus atque eminus dimicantes, Minoritas contra subtilissimos ac Seraphicos Doctores junctis umbonibus tuentes, alios ut Nominales, alios ut Reales loqui.*

Idem in Methodo Theolog. pag. 210. *Ipse aliquot novi, qui se fatebantur ex argutiis Scoti, quibus tractat argumentum Eucharistiæ, eò perductos esse, ut prorsus animo vacillarent, vixque tam hæsitationem potuisse excutere.*

Roffensis contra Lutherum. *Hoc dixi propter Patres, quorum sententiam sequi malui, quam Scholasticorum, cum in hac re mutuo sibi pugnent. Patres enim asserunt, neminem posse quicquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contra Scholastici sic contendunt, hunc sufficere, ut quis absque auxilio illo bene moraliter agere & bonum facere possit, non solùm ex genere, verùm etiam quod debitis undique circumstantiis ornatum sit. At si Scholasticorum argutias adversus Patres admittemus, sequetur etiam, ut absque hoc auxilio Pharao, quantumvis indurati cordis fuisset, & ii, qui traditi fuerunt in reprobum sensum, potuissent bene moraliter agere, quod mihi sanè credibile non est.*

(Si nonnulli Scholastici ita sentiunt, ergo non omnes, sed reliquis illis contradicunt)

Ludovicus Vives in libr. 18. de civitate Dei cap. 18. *Theologi magno consensu docent, soli Deo competere aliquid ex nihilo creare, disputant tamen, an potentia hæc creandi possit communicari creaturæ, de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut sua confirmet, quæ labefactare conatur Occamus, ut sua figat, at ista quoque Petrus Aliacensis luxat, usque adeò vel ludunt in re seria, vel affectibus & factionibus suis cogunt rem cœlestem subservire. Qui mores possunt emendari, qui sedari & tolli pravi affectus, qui fieri divini ex doctrina dissidiis agitata, & tracta versaque sursum & deorsum pro libitu affectuum humanorum concussa machinis tam pertinaciter litigantium?*

Melchior Canus libr. 8. Locorum cap. 1. pag. 236. *Intelligo etiam in Schola fuisse nonnullos, quasi ad discordiam natos; qui tum optimè disseruisse se putant, cùm contra doctores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quàm adversarios convincere, concertationibusque & rixis totas Chartas implere;*

Atque hos, sunt in Ecclesia multi, qui tanquam milites autoritate vel tuentur, vel impugnant, & tota eorum de re Theologica disputatio partium studium est, contentio atque dissidium. Quos ego probare nec possum nec debeo. Nam quamvis dissentientium inter se reprehensiones non vituperandæ, concertationes tamen in disputando pertinaces indignæ Philosophiâ profanâ, nedum sacrâ doctrina, mihi videri solent.

Libri ejusdem cap. 5. pag. 245. *Lege Magistrum, Thomam, Scotum, Bonaventuram, Richardum, Paludanum, cæterosque Scholæ Theologos, & nisi statim eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis, tum verò me aut stultum aut temerarium judicato. Nam & cùm quærunt, an matrimonium conferat gratiam, id quod eo loco maximè finiendum erat, non definiunt tamen, sed in his referunt, quæ in opinione hominum sunt posita. In materia item & forma hujus Sacramentis statuenda adeò sunt inconstantes & varii, adeò incerti & ambigui, ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.*

Johannes à Rada Aragonius, Episcopus Pactensis olim in Salmanticensi Academia S. S. Theolog. Professor, prologo in controversias inter Thomistas & Scotistas vigentes sic scribit. *Pythagoræorum superstitionem inter Christianos Theologos locum habere & miror & doleo, apud quos tanti erat præceptoris sui autoritas, ut si hoc vel illud Pythagoram dixisse audirent, id sibi statim verum esse persuaderent &c. Ita nonnullos nostris hisce temporibus doctrinæ, quam à suis præceptoribus tanquam certam & indubitatam acceperunt, tanta cum pertinacia adhærere video, ut ab ea vel latum unguem discedere nefas esse putent, & Scoti opiniones veluti Sophismata quædam irrideant, & malle se cum cæteris quandoque errare, quàm rectè cum Scoto sentire ineptissimè dictitent.*

Et paulò pòst. *Si Aristoteli contra Platonem, Carneadi contra Zenonem, Labeoni contra Capitonem, Scoto contra D. Bonaventuram, & Alexandrum Halensem eximiæ eruditionis & ejusdem instituti viros scripta relinquere licuit, & nullus est, qui hoc vitio vertat, cur non & eidem Scoto, ingeniorum acumini & meritissimo æstimatori contra Thomam in his, quæ rationis & ingenii humani captui subsunt, sua placita scitu & omni gloria dignissima, sanctisq. Patribus præsertim D. Augustino maximè consona, absque culpa proferre minimè licebit;*

Et mox. *Cùm hi Doctores & Thomas & Scotus sibi invicem sint contrarii, mutuò sese ad propriam adjuvant intelligentiam. Quis enim D. Thomæ sententiam ad amussim percipiet, si oppositam Scoti sententiam, ejusque rationes & argumenta, quæ sententiam D. Thomæ labefactare videntur, ignoravit?* (At ex hisce partium studiis non possunt non perpetuæ dissensiones & contradictiones oriri)

Quòd agnoscunt, illos quæstiones otiosas, curiosas, superstitiosas, absurdas & impias in disputationis campum adducere, de quibus merito usurpatur illud Cyrilli adversus Anthropomorphitas cap. 13. *δεῖ τὰς εὐήθεις ταύτας τῶν ἐρωτήσεων καὶ πολὺ τὸ ἄτοπον ἐχούσας μηδὲ προσιέναι τὴν ἀρχήν. Stolidas istas interrogationes, & in quibus est absurditas multa, oportet omnino non admitti.*)

6. Robertus Gallus in libro visionum circa ann. 1290. sic scribit. *Fui videns in Spiritu. Et ecce vir ejusdem habitus circuibat, panem delicatum portans in humeris cum vino optimo, dependebantque panis & vinum per latera ejus, ipse verò tenebat manibus lapidem oblongum durissimum, dentibus rodens illum, ut famescens circa panem agere solet, nihil autem agebat. Et de lapide egrediebantur duo capita serpentum, & instruebat me Spiritus Domini dicens: Lapis hic quæstiones inutiles & curiosæ sunt, in quibus famescentes laborant, animarum substantialia relinquentes. Et dixi. Quid ergò capita illa dicunt? & dixit: Nomen uni vana gloria, alteri religionis dissipatio.*

Nicolaus de Clemangis Magister Parisiensis scribit, *Sophistarum* (Scholasticorum) *doctrinam eandem habere Naturam cum fructibus circa stagnum Asphaltitis aut Sodomiticum crescentibus, qui etsi externè speciem quandam jucundam aspectui præbeant, tamen internè tantùm cinis & pulvis sunt.*

Ortuinus Gratius in Fasciculo rerum expetendarum fol. 203. *Theologia Scholastica ingeniosa, tum ad nugas in conscientia aggravandas, tum rursus ad inveniendas excusationes in peccatis multò solertissima.*

Onus Ecclesiæ cap. 18. §. 13. *Infinita & superstitiosa dubia in scholis & cathedris moventur, An eadem materia sit omnium corruptibilium & incorruptibilium; An formalis non realis habeatur distinctio in divinis, aut in aliquibus creatis; An Caritas cæterique habitus in sui intensione habeant latitudinis partes; An caritas realiter distinguatur à gratia; An in beatis lumen gloriæ sit ponendum; An partes imaginis distinguantur realiter in anima, & ab ipsa sint diversæ & sic de aliis innumerabilibus superfluitatibus, ubi nodus quæritur in scirpo.*

Thomas Morus in Epistol. ad M. Dorpium tit. Apol. pro Moria Erasmi pag. 401. *Qui in scholis inter primos leguntur, quæstiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut putes eos ridere; propositiones tam blasphemas, ut censeas irridere. Certe contra fidem tam graviter objiciunt, tam segniter ad objecta respondent, ut prævaricatores agere videantur.*

Erasmus in meth. Theol. p. 34. dicit, *Scholasticos in curiosis spinosisque argutiis & jejunis quæstionum anxietatibus occupari.*

In annot. Matth. 11. pag. 43. *Posteaquam sacræ Theologiæ professio scenica quædam ac theatrica res esse cæpit, tota hominis ætas non sufficit quæstiunculis & inutilium argutiarum labyrinthis.*

In annotat. 1. Timoth. 1. pag. 464. *Quot quæstionum examina suscitamus circa Baptismum, circa Synaxin, circa pœnitentiæ Sacramentum, quorum pleraq. sunt ejusmodi, ut nec scire magnopere referat, & ut asseverari possunt, ita nec refelli, nec probari &c. Quid autem nunc loquar de quæstiunculis non solùm supervacaneis, sed pene dixerim impiis, quas movemus de potestate Romani Pontificis? An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui, præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui. An possit actu infinitum secundùm omnem dimensionem producere. An potuerit hunc mundum etiam ab æterno meliorem facere, quam fecit. An possit producere hominem, qui peccare nullo modo queat. Num revelare possit alicui suum futurum peccatum aut damnationem. Num possit aliqua distinctè intelligere, si ad illa non habeat distinctas relationes rationis. An possit respectum producere sine fundamento & termino. An possit Naturam universalem producere & conservare sine singularibus. An possit aliquo prædicamento contineri. An potestatem creandi possit communicare creaturæ. An possit ex facto facere infectum, ac per hoc ex meretrice facere virginem. An qualibet persona divina possit quamlibet Naturam assumere, quomodo verbum humanam assumsit. An tres personæ possint simul eandem Naturam assumere. An unum suppositum creatum possit alteram Naturam creatam assumere. An hæc propositio, Deus est scarabeus aut cucurbita, tam possibilis sit, quam hæc, Deus est homo. An Deus assumserit individuum humanum, an speciem. An potiùs conveniat Deo non posse facere impossibile, an impossibile non posse fieri à Deo. Utrū prius conveniat posse Deo producere, an creaturæ posse produci. An in mente divina sint omniū rerū ideæ, & illæ practicæne sint, an speculativæ. An doctrina Aristotelica & naturali rationi sit consentaneū; deniq. an ipsa res cogat fateri, aliquem esse respectum ab omnibus rebus absolutè distinctum. An Deus aliquo ab ipso distincto sit unus. An personæ divinæ vero numero dicantur tres. An per relationes & distinguantur & constituantur. An pater producat Filium & Spiritum sanctum ratione intellectus, an ratione voluntatis. Item an ratione essentiæ, an attributi; naturaliter, an liberè. An hæc propositio sit possibilis, Pater Deus odit Filium Deum. An anima Christi potuerit falli, an fallere, an mentiri. Jam verò de Romani Pontificis potestate penè negotiosius disputatur quam de potestate Dei, dum quærimus de duplici illius potestate, & num sit Universale caput totius Ecclesiæ, & num sit superior generali Concilio, & an possit abrogare, quod scriptis Apostolicis decretum est. An possit aliquid statuere, quod pugnet cum doctrina Evangelii. Utrum majorem possit novum articulum condere in fidei Symbolo. An possit præcipere Angelis. An possit universum purgatorium, quod vocant, tollere. An possit habeat potestatem, quam Petrus, an parem. Utrum simplex homo sit, an quasi Deus, an participet utramque Naturam cum Christo. An clementior sit, quam fuerit Christus, cùm is non legatur quenquam à purgatoriis pœnis revocasse. Sexcenta id genus disputantur magnis editis voluminibus, idque à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus. His serio occupantur Theologorum scholæ. His ætas rerum omnium fugacissima consumitur, cum pleraque sint ejus generis, ut doctius nesciantur, quàm sciantur, ut ridiculè quærantur, temerè definiantur.*

Ibid. p. 463. *ἀπεράντους, id est, quæ finem non habent, cujusmodi nunc sunt vulgarium Theologorum quodlibeta. Nam quò plus est ejusmodi quæstiuncularum, hoc plus etiam subscatet è casibus nunquam finiendis, quorum etiamsi millies mille millia produxeris, plura tamen supererunt.*

Idem in Moria. *Apostoli piè consecrabant sacram Synaxin, & tamen rogati de termino à quo, termino ad quem, de transsubstan-*

substantiatione, de modo, quo corpus idem sit in diversis locis, de differentia, quâ corpus Christi est in cœlo, quâ fuit in cruce, quâ in Sacramento Synaxeos, quo puncto fiat transsubstantiatio, cùm oratio, per quam ea fit, ut quantitas discreta, sit in fluxu, non pari, sicut opinor, respondissent acumine, quo Scotistæ disserunt hæc ac definiunt &c. Nec adduci possum, ut credam, Paulum toties damnaturum fuisse quæstiones, disceptationes, genealogias & ut ipse vocat λογομαχίας, si eas percalluisset argutias, præsertim cùm omnes illius temporis contentiones, pugnæque rusticanæ fuerint & crassæ, si cum Magistrorum nostrorum plusquam Chrysippæis subtilitatibus conferantur.

Ludovicus Vives argum. in Schol. libr. Augustini. de civitate Dei. *Theologi in scholis magnis animis eas agitant quæstiones, quibus prima ætate fuimus imbuti, quæ ab instituto Augustini plurimum dissident, qui aspernatus fuisset illas operi suo veluti tritico lolium admistas fuisse.*

Idem in libr. 11. August. de civitate Dei cap. 11. *Hic statim, ne muti videantur Scholæ instantibus & tricis horrentes, adsunt, magnisque clamoribus velut æs suum efflagitant responderi sibi, potuerintne Angeli bene de Deo mereri in primo illo momento, quo sunt ab opifice rerum omnium progeniti, an potuerunt, ut ipsi dicunt, demereri? Nam nisi impropriè dicatur, non constabit Theologica proprietas, quod instans fuerit creationis, quod in quo manserunt, quod in quo ceciderunt alii, alii steterunt. Et hic multa, ceu in consilio fuerint Naturæ principi, cùm mundum hunc conderet, magno supercilio definiunt, tantò, tam asseveranter, ut iures illos seriò dicere, & aliquid omninò dicere nec nugas esse meras. Vix humana ipsa plenè uti cognosceremus, ingratum mortalibus permisit Deus. Nescimus quid illud erat, quod habebat ante principem nostrum homo ille hominum parens. Nescimus, quando peccarit, ubi, quâ ratione totam illam humanæ gentis tragœdiam invexerit, initium & seminarium malorum omnium celatum est, quia scire non meremur. Et jam isti quasi humanis omnibus exploratis, negotiis sese Angelorum ardeliones immiscent, non quibuslibet, nec quæ vulgari sapientiæ magister jussit, sed quæ verisimile est, ne Angelos quidem ipsos nosse &c. Accedit his, quod cum de instantibus magna sit inter homunculos controversia, utraque factione rem totam pertumultuosè ad se suosque vindicante, isti per hoc tanquam rem apertam jam & certam de incertissimis & altissimâ caligine mersis inquirunt.*

Gregorius de Valentia tomo 1. col. 20. *Vitia quorundam Theologorum* (Scholasticorum) *non defendimus &c. Deinde dicimus, ex his etiam Theologis, qui quasdam quæstiones curiosè aut etiam ineptè tractant, neminem esse, qui non alia multa graviter & utiliter doceat, propter quæ laudari debet potius institutum eorum, quàm vituperari propter nonnulla vitia.*

Idem tom. 4. comm. col. 757. *Non malè Sotus in 4. sentent. distinct. 6. q. 3. appellavit asininas & ineptas illas quæstiones, quibus aliqui disputarunt, an asinus possit bibere Baptismum?*

Idem libro 4. de Idololatria capit. 15. & lib. 5. cap. 15. pag. 111. ait, *Ultrò concessi, nonnullos ex iis, qui Scholasticam Theologiam tractaverunt, fecisse aliquando curiosius, longiusq; in quibusdam progressos fuisse, quàm attinebat, aut horridius etiam & incommodius fuisse interdum locutos.*

Idem tom. 3. c. p. 57. refellit Gabrielem, Aliacum, Hybernicum &c. asserentes, *Deum de absoluta potentia posse per se, aut per alterum docere falsum.*

Tannerus tom. 3. Theolog. Schol. Disput. 1. q. 1. dub. 5. n. 133. refellit erroneam sententiam Gabrielis, Aliaci, Holcoti asserentium, *Deum posse falsum dicere per se vel per alium.*

Pererius in Genesin fol. 1070. refellit Innocentium 3 Bielem, Aliacum &c. qui statuerunt, *Deum suadere mendacium*, ac ibidem miratur, *affirmativam hujus quæstionis potuisse Catholicis quibusdam placere.*

Suarez lib. 1. cap. 12. de Trinit. num. 20. refellit Durandum, Gersonem, Henricum &c. affirmantes per *vires ingenii humani supposita revelatione posse inveniri rationes demonstrativas S. Trinitatis*, ac docet, *posse declarari quidem quadantenus hoc mysterium, non demonstrari.*

Idem lib. 4. cap. 12. de vera unitate num. 1. refellit Marsilium & Petrum de Aliaco, qui dixerunt, *licet propter Ecclesiæ usum & propter vitandas hæreses ita loquendum sit, ut tres personæ dicantur unus Deus, nihilominus, reipsâ spectatâ, non esse illam omnino propriam unitatem.*

7. Quòd agnoscunt, illos Scripturas in alienum sensum detorquere.

Erasmus in Methodo veræ Theol. pag. 191. *Quidam impudenter Scripturam divinam trahunt ad sensum alienissimum, veluti is, qui quod dictum est de tentoriis hostium apud Habacuc; Turbabuntur pelles terræ Madian, detorsit ad Bartholomæum excoriatum, quod habet Historia, licet ea fide careat. Aut is, qui quod habetur in libro Judith; Gyrantes vallem venerunt ad portam, stultissimè deflexit ad argumenta quatuor librorum Petri Lombardi, qui scripsit sententias Theologicas, quodque in hoc etiam est subtilius, vult in iisdem verbis allusum esse ad ipsius nomen & adnomen.*

Idem in Moria. *Arcanas literas, quasi cereæ sint, pro libidine formant ac reformant.*

Thomas de Argentina in prolog. super 2. sent. dictum ex libro Judicum cap. 1. v. 15. *dedit ei irriguum superius & inferius*, transfert ad articulum creationis. *In eo dicit intelligi posse largientis Dei pulcerrimam venustatem, mundi recipientis miserrimam mutabilitatem, seu instabilitatem & doni procedentis uberrimam satietatem. Largientis venustatem, intelligimus hoc nomine Caleb, & interpretatur omne cor viride & signat ipsam creatricem Dei essentiam, in qua omnis creatura virens est & vivens. Suscipientis autem instabilitatem intelligere possumus in eo, quod refert hoc pronomen ei, puta nomen Axæ filiæ Caleb. Axa enim interpretatur furor vel furibunda, & significat mundi machinam, quæ sicut est furiosa, quod sibi derelicta nunquam in eodem statu permanet. Sed procedentis doni copiositatem intelligimus nomine irrigui superioris & inferioris, quo pulchrè comprehenditur omnis creatura spiritualis & corporalis, puta spiritualis per irriguum superius, corporalis vero per irriguum inferius, quorum irriguorum primum tangit Psalmus, cum ait, rigans montes de superioribus suis; secundum tangit Gen. 2. cùm dicitur, fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ.*

8. Quod agnoscunt, quæstiones in sacris literis non revelatas ab ipsis temere definiri.

Ludov. Vives lib. 13. de civitate Dei cap. 1. *Recentiores, qui commentarios in sententias scripserunt, modò arbitrariis conjecturis, modò rationibus ex hac Natura rerum petitis, quicquid eis in mentem venit, confidentissimè definiunt. Audio illorum rationes, sed planè video in tenebras eos ingredi, nec pedetentim aut palpantes velle procedere, sed cursu se, quò intendunt, proripere nulla veritos præcipitia. Equidem quid factum sit magno nostro malo, nemo ignorat.*

Et postea. *Quid prodest uti conjecturis in re, quæ omnes conjecturas superat humanas?*

Idem lib. 20. de civit. Dei cap. 16. ad verba Augustini, *quod nemo sciat, cujusmodi & in qua mundi parte sit ignis infernalis*, sic annotat: *Neminem vere! non interfuisti digladiationibus Scholasticis, ibi nullus est vel Batalarius, vel Magistellus, qui ignoret, ignem fore Elementarem illum, cujus domicilium est inter aërem & Lunæ globum, descensurum eum sc. & incendio suo reliqua tria purgaturum Elementa. Quod si hoc parum probas, non deerunt, qui persancte dejurent futurum ignem ex incendio radiorum Solis in media plaga aëris excitato, coeuntibus eò densissimis & acutissimis radiis velut in speculum cavum & chalybeum. Sed non est mirum, tuo tempore non tantus erat ignis usus, quantus nunc, cum, ut Theologos omittam, Philosophi sive Decembri medio, sive medio Julio nihil aliud ore, manibus, pedibusque tractant & versant, quam ignem. Ex Philosophis fiunt Theologi & hanc philosophandi rationem etiam in scholas sanctiores transferunt, propterea istis longè facilius est, de igne definire, quàm tibi & tuis æqualibus vel majoribus.*

Erasmus in Moria. *Conclusiones suas, quibus jam aliquot Scholastici subscripserunt, plus quam Solonis leges videri postulant, & vel Pontificiis decretis anteponendas, dumque veluti censores orbis ad palinodiam trahunt, si quid usquam cum explicitis & implicitis illorum conclusionibus non ad amussim quadrarit, ac non secus atque ex oraculo pronunciant: Hæc propositio scandalosa est, hæc parum reverentialis, hæc hæresin olet, hæc male tinnit.*

In præf. Hilarii. *Nobis quâ fronte veniam poscemus, qui de rebus longè semotissimis à nostra Natura tot curiosas, ne dicam impias, movemus quæstiones, tam multa definimus, quæ citra salutis dispendium vel ignorari poterat, vel in ambiguo relinqui? An non habiturus est consortium cum Patre & Filio & Spiritu sancto, qui nesciat ad Philosophiæ rationem expedire, quid discernat Patrem à Filio, quid ab utroque Spiritum sanctum, quid intersit inter Filii nativitatem à Patre & Spiritus processionem? &c.*

Et postea. *Ea, quæ nos scrutamur, quæ definimus, interdum nec sacris literis prodita sunt, ut si comprehendas non possint, credi debeant, nec ullis rationibus idoneis probari, nec cogitatione concipi, nec similibus adhibitis adumbrari, ut sunt, possunt.*

9. Quod

9. Quod agnoscunt, illos obscuritatibus omnia involvere.

Hieronymus Floravantius lib. 2. de Trinit. p. 73. *Difficultates hujus mysterii de Trinitate exactissimè, ut solent omnia, tractarunt Scholastici veteres & recentiores. Cæterum in tam multas partes interdum conscindunt quæstiunculas & articulos, tam longas instituunt de rebus minutissimis disputationes, easq; plerunque de nomine, ut hoc ipsum tenebras afferat.*

10. Quod agnoscunt, illos notitia linguarum destitui, atque inde in Scripturæ sacræ Hebraico & Græco idiomate exaratæ expositione hallucinari, in Latina autem lingua barbarismis uti.

Ludovicus Vives in lib. 2. August. de civitate Dei cap. 13. *Mihi nunquam potuit illud declarari, quo pacto librum quis intelligat, quacunque de re sit ille compositus, qui linguam, qua scriptus est, ignoret. Sæpe hac de re cum hominibus meo judicio non imperitis, suo peritissimis, disputavi, me non intelligere dicebam, quemadmodum Scotus, Occam & similes sacros Scriptores intelligere atque enarrare potuerint, cum Latinè nescierint, quo sermone illi traditi essent.*

Erasmus in Moria. *Illud ipsum quoque nonnunquam ridere soleo, cùm ita demùm maximè sibi videntur Theologi, si quàm maximè barbarè spurcèque loquantur, cumque adeo balbutiunt, ut à nemine, nisi balbo possint intelligi, acumen appellant, quod vulgus non assequatur. Negant enim è dignitate sacrarum literarum esse, si Grammaticorum legibus parere cogatur. Mira verò majestas Theologorum, si solis illis fas est mendosè loqui, quanquam hoc ipsum habent cum multis cerdonibus commune.*

CAPUT XVI.

De Legendis Sanctorum.

INter principia disputandi, quibus Pontificii suam confirmare, nostram verò refutare conantur sententiam, meritò etiam referuntur *Legenda sanctorum*, ex quibus tum alia dogmata, tum cumprimis Invocationem sanctorum probare satagunt. Esto igitur

Thesis. Legendæ sanctorum non sunt infallibilis fidei, cultus ac vitæ regula, sed ad Scripturæ normam illæ sunt exigendæ:

Ἔκθεσις. Non est quæstio de probatis Historiis sanctorum, quæ vel in Scripturis sacris, vel ab Ecclesiasticis scriptoribus antiquioribus sunt annotatæ, sed de Legendis sanctorum ab Isnardo Monacho, Cæsario Ordinis Cisterciensis Monacho, Vincentio Belvacensi, Autore Speculi Historiarum, Jacobo de Voragine, Discipulo de Tempore, Surio, & aliis hujus farinæ vel potius furfuris scriptoribus recentioribus annotatæ extant.

Antithesis. Index. Expurgat. general. jussu Inquis. Hispan. editus p. 6. *Ex Indicibus Frobenianis (Sanctorum Legendas esse Aprocryphas) deleatur.* Bellarminus libr. 3. de Eucharist. c. 8. §. Quintum. *Insigne est miraculum Antonii de Padua, quod describitur in ejus vita apud Surium tomo 3. & à S. Antonino in Summa Historiali part. 3. tit. 24. cap. 3. §. 2. Disputante S. Antonio de veritate corporis Domini in Eucharistia cum hæretico quodam in partibus Tolosanis, petiit hæreticus ab Antonio, quem noverat dono miraculorum præditum esse, ejusmodi signum: Habeo inquit, jumentum, cui per integrum triduum cibum non dabo. Exacto triduo adsis tu cum Sacramento, ego adero cum jumento, atq; ante illum hordeum effundam; si jumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem accesserit, credam. Factum est ut ille voluit, & triduo exacto S. Antonius turba fidelium comitatus & venerabile Sacramentum manu tenens, sic ad jumentum locutus est: In virtute & nomine creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo, tibi dico animal & præcipio, ut confestim venias humiliter modo tuo, & ei reverentiam exhibeas, ut ex hoc cognoscat hæretica pravitas, quòd omnis creatura suo subditur creatori, quem Sacerdotalis dignitas jugiter tractat in altari. His verbis prolatis jumentum hordei ante se effusi & famis oblitum ad sanctum accurrit, & capite inclinato ac genibus incurvatis eo modo, quo potuit, Dominum adoravit, & hæreticum confutavit.* Costerus in Apolog. contra Gomarum c. 10. §. primum exemplum. Cùm adduxisset Legendam Francisci, (*qui cum infirmitatis ratione carnes edisset, jusserit à socio se fune collo injecto trahi, & in platea clamaverit, Non est hic ut sanctus habendus, sed ut gulo, qui carnes vorat:*) subjungit, *Protestantes hujusmodi detestantur & irrident, longe nimis à notitia Christianarum virtutum remoti.* Ibidem dicit, *se lectione harum Legendarum satiari non posse*, atque inde probat, *quam diverso ab hæreticis Spiritu gaudeat.* Baronius ann. 805. n. 3. *Quæ acciderint Imper. Carolo venationi operam danti, habentur in rebus mirificè gestis S. Gudilæ apud Surium die 8. Jan. tom. 1. Imperator Carolus venationi pro more deditus, locis vicinis venationi aptis exturbabat rabidas feras à suis saltibus, inter quas miræ magnitudinis ursum insequitur, qui jam multo spatio victus, cum nullum esset effugium undique campis latè patentibus, ac mortem imminentem jam jamque capiendus crebris differret flexibus, properè recto cursu tendit Morsellam & in S. Salvatoris irrumpit Ecclesiam, ubi tum res contigit, quam facilius sit admirari, quam eloqui. Nam Deus, qui, ut scriptum est, homines salvat & jumenta, bestialem quodammodo ursi sensum permutavit, rationemque quandam intelligendi in eo formavit. Erat namque cernere propè lipsana sacræ virginis eum se inferre, & sub tanta protectione à strepitu insequentium eum securum procumbere, deinde oblitum feritatis suæ flexa cervice, submissoque humiliter capite, Sanctimonialium adventientium vestigia lambere, ac more lascivientium catulorum omnibus blandiri & hoc ipso satis indicare, se fuisse defensum patrocinio famulæ Dei, ejusque deinceps paratum esse servire obsequiis. Quod ubi nunciatum est Regi cum suis, rem, quæ in bestia divinitus agebatur, intellexit, Deique magnalia in virgine venerans recessit, sine ejusdem quidem ursi læsione, sed non sine rei, quam viderat, admiratione. Jam vero ursus è sylvestri cœpit esse domesticus & in reliquum apud ejusdem loci Sanctimoniales non aliter vixit, quam ab illis jussus esset.*

Nostram sententiam probamus ex eo, 1. quòd sola Scriptura sit infallibilis fidei, cultus & vitæ regula, ut superius demonstravimus. 2. quod Legendæ illæ manifestis scateant mendaciis. 3. quod confirment falsas doctrinas, superstitiones, & cultus idololatricos.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Legendas illas mendaciis contaminatas esse. Henricus de Hassia vel Langenstein Gymnasii Viennensis plantator dictus (qui vixit circa annum 1371.) in lectura super Genesin scribit, *esse timendum errorem & formidandam superstitionem in eo, quod narratur, aliquos sanctos suam memoriam colentibus aliqua bona aut corporalia, aut etiam spiritualia impetrasse.* Pro exemplo affert, quod *sancta Barbara remissionem peccatorum omnium suis cultoribus in extrema eorum hora impetraverit.* Postea etiam prolixius Sanctorum Legendas insectatur & affirmat, *multa ibi pueriliter & inepte, multa etiam fabulosè & falsò scripta esse.*

Dantes Florentinus cant. 29. conqueritur, *ubique sonare è pulpitis fabulas & populum vento pasci.*

Laurent. Valla in orat. de donat. Constant. *Nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia.*

In Gravaminibus Germanicæ nationis Ann. 1522. Cæsar. Majestat. oblatis grav. 21. *Conductitii illi Pastores, an prædones rectius quis eos dixerit, dubium est, simplici Christi plebeculæ pro Evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas ac ruderibus oppletas propinant lacunas, dum Legendas, quas vocant, Sanctorum, nec ab Ecclesia receptas & gentilibus fabulis, quam Christianæ & Evangelicæ doctrinæ similiores ad populum Christi publice in concione docent.*

Erasmus in Ecclesiaste pag. 338. *In his, quæ à veteribus prodita sunt, nonnulla leguntur, quæ non usquequaque quadrant sanæ doctrinæ. Testantur hoc Dialogi B. Gregorii, & Vita Martini à Sulpitio descripta, quæque referuntur in actis B. Francisci, Vita Catharinæ Senensis & aliorum complurium.*

Idem in argum. libr. Conf. Augustini. *Quid eos commemorem qui fabulis vanis & miraculis confictis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes, quæ laudatus nec fecit unquam & probavit? Et arbitror fuisse, qui pium existimarunt, animum hujusmodi fucis ad religionis studium accendere. Ego semper execratus sum hoc rabularum genus, qui non norunt veram pietatis imaginem depingere, sed mendaciis falluut discipulos ejus, qui est veritas.*

Idem in Epistola ad Albert. Archiepiscop. Mogunt. præfixa Methodo Theol. p. 9. *Nunc Siculis gerris vaniora, nunc cujuslibet deliri senis aut etiam aniculæ somnia huc irrepserunt, & indies magis ac magis irrepunt.*

Ludovicus Vives de caus. corrupt. art. lib 2. in fin. de farragine mendaciorum in Legenda aurea talem texit querelam. *Sed mentio hæc rerum à magnis viris actarum in mentem revocat mihi eum dolorem, quem sæpenumero capi animo maximum, dum ipse mecum reputo, quàm diligenter, quantâ curâ Alexandri, Annibalis, Scipionis, Pompeji, Cæsaris & aliorum Ducum; Socratis, Platonis, Aristotelis & aliorum Philosophorum Acta perscripta sunt, & memoriæ sempiternæ infixa, ut periculum non sit, ne unquã excidant. Actorum Apostolorum, Martyrum, deniq; divorũ nostræ religionis & ipsius, sive crescentis Ecclesiæ, sive jam adultæ operta maximis tenebris ferè ignorari, tantò sive ad cognoscendum, sive ad imitandum, quàm Ducum & Philosophorum fructuosiora. Nam quæ de iis sunt scripta, præter pauca quædam, multis sunt commentis fœdata, dum, qui scribit, affectui*

affectui suo indulget & non quæ egit Divus, sed quæ ille egisse eum vellet, exponit, ut vitam dictet animus scribentis, non veritas. Fuere, qui magnæ pietatis loco ducerent, mendaciola pro religione confingere, quod & periculosum est, ne veris adimatur fides propter falsa, & minimè necessarium, quoniam pro pietate nostra tàm multa sunt vera, ut falsa tanquam ignavi milites & inutiles oneri sint magis, quam usui.

Idem. *Sed fortassis hæc quamvis gravia, at tolerabilia fuerint. Quale est, in res sacras hanc quoque mentiendi licentiam irrepsisse, seu potius apertè esse invectam, ut quæ traduntur de lepra Constantini, & balneo sanguinis puerilis, de lepra Vespasiani, de Gamaliele, de Beronice, de actis Christi & Divæ Virginis! Clamamus & latramus ad minora, connivemus ad hæc, quæ si in manus impiorum hominum veniant, sanctissimam & gravissimam nostram pietatem ridiculam illis & exsibilandam reddiderint &c. Nec in actis sanctorum scribendis major est veritatis custodia,* (quam in civilibus) *in quibus omnia oportebat esse exacta & absoluta. Unusquisq; eorum acta scribebat, ut in quemq; erat affectus, ita ut animus Historiam dictaret, non veritas. Quàm indigna est Divis & hominib. Christianis illa Sanctorum Historia, quæ Legenda aurea nominatur! quam nescio, cur auream appellent, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius dici potest illo libro! O quam pudendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos Divorum nostrorum actus verius & accuratius memoriæ mandatos! &c.*

Georg. Cassander. in consult. art. 21. p. 142. *multa figmenta Historias sanctorum conspurcasse asserit.*

Cornel. Agrippa de vanit. scient. cap. 97. *Cæteri Divorum construunt Historias piè nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula, confinguntq; terribiles fabulas.*

Claudius Espenlæus comm. in 1. Tim. digress. lib. 1. c. 11. p. 224. *Quam indigna est Divis Historia ea, quam nescio cur Legendam auream appellant? Quid fœdius dici potest illo libro? Autor affectui suo indulsit, cùm non quid Divi fecerunt, sed quid eos fecisse is vellet, exposuit, fuerunt enim qui magnæ pietatis loco ducerent, mendaciola pro religione confingere. Hæc Ludovicus Vives à paucis forsan lectus, legi tamen scriptor dignissimus.*

Idem Espenlæus tract. 1. super verba: Vos estis Sal terræ fol. 34. edit. Paris. Ann. 1566. *Sed hodierni canes aut muti sunt, non valentes latrare, aut è cathedra non jam Mosis, sed Domini nostri Jesu Christi, impudenter juxta ac imperitè recitant pro Historia fabulam, pro veritate mendacium, pro Canonicis Apocrypha, pro Ecclesiasticis hæretica, pro seriis joca, pro virtute Dei fictitia miracula, ne dicam Dæmonorum portenta, quibus illud convenit: Erratis nescientes Scripturas.*

Melchior Canus Episcopus Canariensis, postquam lib. 11. Locor. comm. cap. 6. p. 533. tragicè fuisset conquestus, quantis fabulis Historia sanctorum conspurcata sit, ita ut vel Ethnici ipsi melius suorum res gestas perscripserint, tandem subjicit p. 534. *At in Historia Christiana, quæ tota, ut diximus, non voluptate, sed veritate perpenditur, quorsum attinet Historiæ nomen commentis fabulisq; prætendere? Quasi vero sancti Dei homines nostris mendaciis egeant, qui tam multa vera pro Christo gesserunt, ut falsa, quantumvis licet eruditæ simulationis artificio composita, ut noxia non sint, quoniam inutilia sunt tamen, tanquam ignavi milites oneri sint magis, quam auxilio. Heroum porro nostrorum res verè gestæ, sicut ego existimo, non solùm ampla magnificaq; fuerunt: verum etiam multò majores, quam famâ feruntur. Neq; eorum, qui fecere, virtus habenda tanta est, quantum eam verbis extollere potuerunt nostri; sed tanta potius ut & præclara ingenia rebus ipsis, & ingeniis præclaris verba quoque defuerint. Sed dum quidam affectui suo nimium indulgent & ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales divos nobis quandoque exhibent, quales Divi ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent. Quis enim credat D. Franciscum pediculos semel excussos in seipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri scriptor pertinere putavit, equidem non puto, qui paupertatem sanctissimo viro suam semper placuisse scio, sordes nunquam. Illud item quam ridiculum! Diabolum Dominico Patri nostro semper obstrepentem, à Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumta non molestiam solum, sed incredibilem etiam dolorem afferret. Non possunt hujusmodi exempla numero comprehendi, sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ Divorum clarissimorum Historias obscurarunt. Non autem decebat, veras sanctorum res gestas falsis & commentitiis fabulis contaminari. Quæ causa Gelasio fuit, ut hujus generis Historias multas in Concilio septuaginta Episcoporum reprobaret.*

Ibidem §. Lex verò. *Nec ego autorem illius libri excuso, qui Speculum Exemplorum inscribitur, nec Historiæ etiam ejus, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum sæpius monstra, quam vera miracula legas: hanc verò homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum severi & prudentis.*

Georgius Wicelius in Epistol. nuncupatoria de sanctis p. 10. de Historia Lombardica sic judicat: *Petrus Lombardus mythologiæ impensius indulget, quam ob rem in tantum contemtum abiit apud omnes cordatos. Hac profecto Lombardica hactenus nimium usæ, seu potius abusæ sunt cathedræ, contemtis interim, aut certè neglectis sanctorum actis.*

Ibidem Jacobum de Voragine perstringit, quod *malè scripserit Sanctorum Historias.*

Royardus præfat. ante homil. de fest. sanct. *Commenta illa, quæ aurea vocari solent, Dei sanctos plurimum illustrant, sed quantum stellas nocturnæ faculæ. At vero sancti Dei viri nostro non indigent mendacio.*

Possevinus in Apparatu tit. Apocryphi. *Historiæ multæ Apocryphæ sunt de vitis sanctorum, ut hæreticis subsannandi, cordatis dubitandi, piis lachrymandi occasionem præbeant.*

2. Quod agnoscunt, Legendas illas non esse certæ & infallibilis veritatis.

De miraculis, quæ Sylvestro tribuuntur, Johannes Baptista Mantuanus sic canit:

> *Magna quidem memorant alii miracula ab ipso*
> *Edita Sylvestro, sed nullus idoneus autor,*
> *Nec testis productus adhuc, ideoque relinquam*
> *Talia, quæ possunt quædam figmenta videri.*
> *Nostra etenim nugas, deliramentaque damnat*
> *Religio, nec dat linguis mendacibus aures.*

Johan. Gerson in Declarat. quæ veritates sint credendæ & de necess. salutis p. 1. *In sexto gradu collocantur veritates, quæ tantummodò faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem, quasi magis inducuntur ad inflammandum affectum quàm ad instruendum intellectum, ubi pietas devota magis aspicitur, quàm veritas certa. Ubi hoc unum reprobatur, si adesset assertionis temeritas, priusquā elucidaretur alio modo per Ecclesiam vel rationem certam ipsa veritas: aut si superstitionem, h. e. religionem superfluam & vanam induceret. Unde sicut dicit Aristoteles, nihil refert, quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris: ita nihil refert, quædam falsa piè credi, non quòd eâ ratione, quâ falsa sunt, vel sciuntur esse falsa, credi possint, procul hoc à pietate fidelium, sed cadit existimatio vel pia credulitas non super veritate vel falsitate. sed tantummodo super apparentia, vel probabilitate, dum veritas vel falsitas ignota est. Respicit autem iste gradus Legendas & miracula sanctorum, Vitas Patrum, visiones devotarum personarum, recitationes & opiniones sacrorum doctorum, quæ omnia suscipit Ecclesia & legi permittit, non quod determinet talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium, & in ædificationem ipsorum, dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum, quod oportet, nec ut tale credendum proponitur: ita quòd magis attenditur ad id, quod piâ recogitatione fieri potuit, quàm illud, quod factum est. Et hoc apud Oratores creberrimum reperitur, qui ex aliorum personis dicunt ea, non quæ personæ dixere, sed quæ dicere potuerunt, sicut in Legenda B. Agnetis & S. Sebastiani & similium continetur.*

3. Quod agnoscunt, quasdam Sanctorum Historias esse suppositituas & confictas.

Gelasius in c. Sancta Romana. dist. 15. *Gesta sanctorum Martyrum &c. ideo secundum authoritatem antiquam vel consuetudinem singulari cautelâ in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut dictis superflua, aut minus apta, quæ rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cujusdam Quirici & Julitæ Martyris ejus: sicut Gregorii aliorumque passiones hujusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscripta, propter quod, ut dictum est, ne vel levius subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur.*

Lindanus lib. 3. de opt. script. interpr. genere cap. 3. p. 103. fatetur, quod *Breviaria & inter ea etiam novum Romanum*, de quo dicit, quod *alioqui doctorum & piorum non fugiat reprehensionem pluribus de causis justissimis, quædam festa sanctorum præscribat*, de quibus ipse dubitat, *an eorum nomina sint satis vindicata, quam in classem referenda* etiam dicit, *illa Legendæ, quantumvis aureæ, emblemata.*

Melchior Canus lib. 11. Loc. comm. cap. 6. *Gelasius Pontifex hujus generis Historias multoties in Concilio reprobavit, quæ, ut ipse loquitur, ab infidelibus scripta esse putantur; sicut Gregorii aliorumq; passiones, quæ ab hæreticis probantur conscripta.*

Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 97. scribit, *in sanctorum*

rum Historiis commemorari illos, qui an unquam fuerint, meritò dubitetur.

Joh. Driedo lib. 4. delib. Apocryph. c. 1. *Quædam de sanctis Historiæ sunt fictitiæ, tanquam sancti narrentur in mortis agone monuisse, ut ex hoc mundo translati colerentur.*

Bellarm. lib. 1. de beatit. sanct. cap. 20. resp. ad 8. concedit, *quorundam sanctorum Historias esse Apocryphas & incertas.*

Ibid. *Historiæ, quæ feruntur vel ex Abdia, vel ex aliis, ut plurimum non sunt prorsus indubitatæ.*

Idem in lib. de script. Eccl in verbo Beda. *In vitis sanctorum quædam habentur, quæ non sunt scripta à Beda.*

In specie primò *de Christophoro*, (quem ut sanctum passim invocant, ut constat ex Missali Salisburgens. & Ordin. Hildesheimensi, ex Hortulo animæ Parisiensi pagin. 99. Lugdunensi pag. 118.

Bouldoucus lib. 1. de Ecclesia ante legem cap. 8. *Christiano cuilibet quærenti, cur in templis nostris S. Christophorus Martyr sub tam proceræ ac giganteæ magnitudinis imagine describatur, respondemus hoc factum ob ejus eximiam virtutem insignemq; animi fortitudinem, quæ sub tali Symbolo graphicè repræsentatur.*

Villavincent. lib. 3. de rat. stud. Theol. c. 7. p. 384. *Dubium nemini est, picturam hanc à S. Patribus in hunc usum propriè excogitatam, ut Evangelii præconem adumbret, qui dum Christum extollit & circumfert visendum cognoscendumq; omnibus, periclitatur in procellis & fluctibus hujus mundi, sustentatus tamen spe jucundissimorum fructuum in posterum & vel post hanc vitam recipiendorum, quos baculus supernè virens & florens promittit.*

Hieronymus Vida in hymno *de D. Christophoro* allegoricâ suâ interpretatione innuit, picturam *Christophori* symbolicis picturis esse annumerandam.

Baronius in Martyrolog. 25. Julii: *Nihil habeo, quod de gigantea Christophori statura dicam.* Dicit etiam, *se arbitrari, picturam illius, quâ fingitur Christum in humeros suos sublatum, per periculosi fluminis aquas traduxisse, esse aliquod symbolum de iis, qui hujus mundi mare transeunt.*

Becanus lib. de Invoc. sanct. p. 113. *incertum esse* scribit, *an reipsa Christophorus fuerit.*

Secundò de *Georgio*, (quem ut sanctum his compellant verbis. *Hic nos salvet à peccatis, ut in cœlo cum beatis possimus quiescere.*)

Legenda Georgii inter Scripturas Apocryphas in Niceno Concilio connumeratur ex eo, quod *ejus Martyrium certam relationem non habet.* Nam in Calendario Bedæ dicitur, quod *sit passus in Perside civitate Dyaspoli, quæ prius Lidda vocabatur & est juxta Joppen.* Alibi dicitur, quod *sit passus sub Diocletiano Imp. Persarum præsentibus LXXX. Regib. Imperii sui.* In Historia Lombardica dicitur, *quod sub Daciano Præside, Imperantibus Diocletiano & Maximiano passus sit.* Jacobus de Voragine Legendam aliter recenset & addit, quod *ad Regis filiam à Dracone devorandam dixerit: In Christi nomine te juvabo.*

Balæus in Marcello 2. Vergerius in Conc. Trident. *Legendas Christophori & Georgii veras esse* negant.

Baronius in Martyrol. 23. Aprilis. *Picturam illam S. Georgii, quâ effingitur eques armatus, qui hastæ cuspide Draconem interficit, juxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens imploret auxilium, symboli potius, quam alicujus Historiæ opinor esse expressam imaginem, in nullis enim, quæ recensuimus, Georgii actis antiquis quidquam ejusmodi legitur, sed à Jacobo de Voragine absque aliqua majorum autoritate ea ad Historiam referuntur, quæ potius typum exprimunt.*

(Eadem exceptione Pontificii etiam alias aliorum Sanctorum Legendas excusant, videlicet quod *sint potius quædam emblemata & Hieroglyphica, quàm Historicæ narrationes.* Sed constat pro veris Historiis eas olim habitas, & adhuc hodie à vulgo haberi: quin & reliquias quasdam illorum sanctorum alicubi ostendi. Meritò igitur illis opponimus id, quod olim Tatianus in orat. ad gentes Ethnicis eodem modo Deos suos defendentibus opposuit. Πείσθητέ μοι νῦν ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, μηδὲ τοὺς μύθους, μηδὲ τοὺς θεοὺς ὑμῶν ἀλληγορήσητε, κἂν γὰρ τοῦτο πράττειν ἐπιχειρήσητε, θειότης ἡ καθ' ὑμᾶς ἀνῄρηται καὶ ὑφ' ὑμῶν. *Credite mihi,* inquit, *ô Græci, nec vestras fabulas vestrosque Deos in allegorias transformate. Nam si id facitis, tum quæ apud vos est Deitas, funditus tollitur etiam à vobis.*)

Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. capit. 20. *Gelasius cap. Sancta Romana. dist. 15. Historiam sancti Georgii inter Apocryphas numerat.*

Tertiò *de Catharina*, (quam ut sanctam invocari testatur Breviarium Missal. Rom. in festo S. Catharinæ, Hortulus animæ in Suffrag. Virg.) cujus Legendam prolixè describunt Jacobus de Voragine Legendæ aureæ cap. 157. Dionysius Carthusiensis sermon. 3. in ejus festo

Cassander in Scholiis ad hymnum de Catharina pag. 278. oper testatur, *quosdam ex ipsis Pontificiis Legendam Catharinæ in dubium vocare, cùm nec Eusebius, nec alii probatæ fidei Historici miraculi illius mentionem faciant, quod in ea ac per eam editum memoratur.*

Pro asserenda S. Catharinæ Legenda provocant cumprimis ad *Bedam & Uzuardum.* At Gobelinus Persona, qui vixit decimo quinto seculo, vir doctus & Ecclesiasticorum rerum non imperitus, utpote Decanus Bilteldensis, & Officialis Paderbornensis disertè negat, *non tantùm Hieronymum & Eusebium, sed etiam Bedam hujus sanctæ in Martyrologiis mentionem fecisse, imò verò etiam libros antiquos id nomen, aut in Calendariis, aut in Missalibus habuisse.*

Johannes Molanus, *Martyrologium Bedæ & Uzuardi ad nos pervenisse integrum,* negat, *multa enim esse addita,* quæ ille in Uzuardo edendo charactere discrevit, atque inter alia hoc ipsum de Catharina. (Nihil ut dicamus de eo, quod autores hi sint recentiores, ac proinde certam fidem facere nequeant. Beda enim paulò ante Caroli Magni tempora, annis plus minus 400. post Maxentium, qui filio suo Catharinam illam in uxorem postulasse narratur, vixit; Uzuardus ipso Caroli tempore, cujus mandato Martyrologium scripsit.)

Quartò de *S. Anna.*

Trithemius in dedicat. Tractat. de S. Anna. *De Historia, quæ satis vulgata est, nihil aut parum assumsimus, quod nobis & minus probata visa est, & in plerisq; locis Apocrypha. Neq; tamen redarguere illam volumus, ne simplicibus occasionem præberemus murmurandi, si, ut ipsi æstimant, probatam novâ præsumtione carperemus. It. Miracula quoque S. Annæ ab hoc volumine rejiciemus, ne viris eruditis, qui his non facilè adhibent fidem, tractatum nostrum suspectum reddamus.*

Quintò de *S. Margareta.*

Historia Lombardica quiddam de ea scriptum *rejicit tanquam Apocryphum & frivolum.*

Sextò de *tribus Regibus.*

Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Antoninus Archiep. Florentinus, Guilielmus Durandus libr. 6. capit. 16. asserunt, *Magos Christum invisentes, eidemque munera offerentes, fuisse Reges.*

Dies Epiphaniæ vulgò vocatur *festum trium Regum,* & omnes eorum picturæ *coronam & sceptrum* illis tribuunt.

Gobelinus Persona Cosmodromii ætate sextâ capit. 60. scribit, *revelata fuisse novo Archiepiscopo Coloniensi corpora sanctorum trium Regum, eaq; cum obtinuisset ab Imperatore, perduxisse Coloniam Anno Domini 1065.*

Salmeron hanc sententiam de tribus Regibus, *ut probabiliorem,* amplectitur tom. 3. tractat. 38. ac inter alia probat *ex picturis.*

Feuardentius libr. 9. Theomachiæ *hæresibus* annumerat contrariam sententiam.

Baronius ad annum 1. n. 24. quamvis *certum esse* asserat *illos errasse, qui dixerunt, Magos illos fuisse Reges,* nihilo tamen minus addit, *haberi ex pia fidelium traditione, quod fuerint Reges,* quam traditionem sic explicat, ut Reges intelligantur *singulorum oppidorum domini.* Contrà vero Cornelius Jansenius Conc. Evang. cap. 9. fol. 56. negat constare, *quod fuerint Reges,* ibidemque ostendit, *dictum Ps. 72. Reges de Saba venient, non esse de Magis intelligendum.*

Melchior Canus libr. 11. Locorum capit. 3. relinquit in medio, fuerint ne Reges, an non fuerint; interim negat, eos, qui asserunt Reges fuisse, *nisi Historiæ autoritate, quam nullam probatam habuerint, sed probabilibus tantùm nonnullis conjecturis.*

Bellarminus tom. 6. conc. 14. col. 152. dubius est. *Magi,* inquit, *illi fortassis reges fuerunt.*

Septimò, *de Longino.*

Militem illum, qui lanceâ Christi latus vulneravit, dicunt fuisse *Longinum; ex vulnere illo laterali sanguinem Christi per illam lanceam in Longini oculos pervenisse, atque ita sanatos, cum prius morbo vel senio caligassent. Hoc miraculo factum Christianum, renunciasse militiæ, vitamque Monasticam excoluisse annos viginti octo,* [illegible]

deniq; capto ab Octaviano Præside dentes excussos, linguam abscissam, nec minus tamen prædicasse, imò accepta securi idola omnia confregisse, è quibus Dæmones egressos ululantes intrasse in Præsidem, eiq; adstantes, qui insanientes Longino se ad pedes prostraverint, liberatiq; sint. Sed postmodum Octavianus excæcatus est. Persuasit autem ei Longinus, liberari non posse, nisi se occiso, ita enim Martyrem factum oraturum pro ipso. Itaq; jussit Præses amputari caput, deinde ad corpus accessit, prostratus cum lachrymis pœnitentiam egit, & sic usum oculorum recepit. Hæc de Longino Jacobus de Voragine, & Petrus de Natalibus.

At Metaphrastes longè aliter, unde redarguuntur; inquit Baronius anni 34. §. 101. qui ex Apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eundemq; cæcum, fuisse militum illum, qui lanceâ Domini latus aperuit. Et tamen militem fuisse illum ipsum jam olim publicè traditum in Martyrologio Romano, & Adonis & Usuardi & Rhabani & Notkeri.

Octavò de Petronilla tradunt, eam fuisse Petri filiam, quæ cùm admirandæ pulchritudinis esset, ex voluntate patris febribus laboravit. Titus quispiam interrogavit Petrum, cùm omnes alios sanaret, cur hanc prætermitteret. Respondit Petrus, sic expedire. Verum ne defectum potentiæ quis suspicaretur, jussit surgere, sanam ministrare, statimq; redire in lectum ægram ut prius. Tandem sanitati restitutam amavit Flaccus Comes, voluitq; uxorem. Illa finxit velle, postulavit virgines, quæ se in domum Flacci deducerent, trium dierum induciis impetratis. Interea jejuniis vacans & orationibus intra triduum exspiravit. Ita memorant Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Rhabanus, Notkerus, Martyrologium Romanum &c.

Sed Baronius Anno Christi 69. n. 33. fraudem suboluit. Cum Petri, inquit, filia ante Apostolatum nata jam provectioris esset ætatis, haud putandum, tàm excellentis formæ fuisse, ut eam homines deperirent. Nam si obitus Petronillæ tunc contigit, quando Nicomedes Presbyter, qui à Flacco teneri jussus est, statim ut corpus Feliculæ sepulturæ mandavit, Martyrium consummavit, (quod Usuardus in Nicomede accidisse tradit sub Domitiano Imperatore,) planè dicendum esset, eam tunc fuisse sexagenarium: Sin verò eam sequenti anno à Petri Martyrio esse defunctam dixerimus, (quod nemo tradit) fuisse eam quadragenariam, affirmandum esset, cui ætati si jugem morbum addas, quo eam afflictatam esse Acta tradunt, planè haud ejusmodi potuit esse præstantis formæ, ut Flaccus eam tàm vehementer amaret. Quamobrem ea, quæ Marcelli nomine scripta habetur Epistola, nonnihil fide minuitur. Sed & de fide illius Epistolæ nos ambiguos pariter reddit S. Augustinus, dum agens contra Adimantum Manichæum c. 17. Historiam de Petri filia paralytica precibus Patris sanata cum apocryphis recenset. (Plura falsitatis argumenta atque indicia recenset Chamierus tom. 2. panstrat. lib. 16. cap. 11. n. 7.)

Nonò de septem dormientibus Historiam ejusmodi narrant. Christianos Decius crudeliter infestabat. tùm septem fratres Ephesini fugiunt in montem Celion, abdunt se in speluncam. Hanc Decius jubet claudi objecto muro, qui, cùm ædificaretur, duo Christiani lapidibus subtiliter inserunt acta hujus Martyrii. Fratres obdormiscunt. Annis dehinc paulò minus ducentis, regnante Theodosio juniore, excitatur hæresis quorundam negantium resurrectionem. Accidit, ut civis quidam Ephesinus, destinans caulam ex ea spelunca facere, murum dirueret. Fratres excitantur, putantes unam tantùm noctem dormisse, mittunt servum in urbem ad emendos panes. Is Episcopo præsentatur, qui eo audito pergit ad speluncam, acta reperit fortè fortunâ inter lapides, fratres veneratur. Accersitur Imperator, citus accurrit, audivit ab eis fidem resurrectionis, quâ expositâ obdormiunt iterum. Antrum adhuc hodiè ostentatur, teste autopta Henrico de Beauvan in Itinerario. Sed Baronius Anno 853. n. 61. refert hanc Historiam inter fabulas orbi Christiano persuasas. De septem dormientibus, (inquit) somno tentis annos propè ducentos, quid dicam, tàm à Græcis in Oriente, quàm à Latinis in Occidente Historiam lectam atq; receptam?

Decimò. Et quid multis? negari certè non nisi ab ipsa impudentia potest, Legendas Sanctorum Pontificias continere quasdam Historias in ipsos Sanctos contumeliosas, absurdas & palpabiliter falsas.

Legenda, quæ vocatur aurea, in cap. 71. de S. Pancratio sic nugatur. Cùm ad altare S. Petri flagitiosus quidam adductus esset, ut juramento se purgaret, ac perjurium S. Petrus, quanquam multùm exoratus, non vindicasset, judicem ejus malitiæ conscium; zelo accensum justitiæ exclamasse: Senior ille Petrus aut nimis misericors est, aut minori defert, eamus ad Pancratium juvenem, & ab eo requiramus. Cùm ergò venissent, & super tumulum jurare rem falsum præsumsisset, manum inde trahere non potuit, & ibidem postmodum expiravit. Unde usque hodiè à plerisque observatur, ut super reliquias Pancratii pro arduis juramentum fiat.

In cap. 49. de S. Patritio. S. Patritius, cùm in Hybernia prædicaret, & prædicationis suæ signum à Deo peteret, tacto pedo circulo puteum effecit, in quo purgatorium repertum fuit. Quo cùm Nicolaus quidam Nobilis migrasset, Oratorium quoddam invenit, in quo erant Monachi albis induti, descendentem de itinere præmonentes. Ipse verò expertus candentia metalla, circumactus ardenti rotâ, periclitatus angustissimum pontem, tandem in viridissimum quoddam pratum devenit, in quo ipsum duo lectissimi juvenes præstolabantur &c.

In cap. 26. refertur de Petro quodam Telonario: quod ejus anima, quia tota vita nihil benè egisset, à Dæmonibus abripienda erat, liberata tamen sit ex inferno, quod factâ meritorum & demeritorum ponderatione, panis, quo morosum mendicum petiisset, eò quod lapidem præ iracundia non statim inveniret, lancem meritorum deprimeret: (quam Historiam in animis impiorum multum posse, scribit Granatensis tom. 3. Conc. in Append. ad Domin. Rogat.)

Cap. 112. de Henrico Imperatore refertur, quod ob jactam suspicionem in uxorem innocentem legio Dæmonum ipsum auferre conata quidem fuerit, verùm cum peccata ejus ad bilancem exigerentur, & præponderarent, sanctus Laurentius ollam in lancem alteram projecerit, adeoq; hanc demerserit. Tunc ego iratus, ajebat Zabulus, unam aurem ollæ prærupi.

Speculum Exemplorum distinct. 9. cap. 65. narrat, Monachum quendam in choro canentem versum illum Psal. 90. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, mirantem, quomodo id verum esset, meditabundum egressum in nemus ibi audivisse aviculam suavissimè canentem, quæ eum demulsit & detinuit per trecentos annos sine cibo, potu, somno; avolavit illa deinde, ac ipse rediens ad se, reversus ad Monasterium & chorum, quasi tertiam ejusdem diei cantaturus, (putabat enim adhuc eundem diem, quo è choro exierat, perdurare,) vidit alios Monachos, alium chorum, omniaq; alia. Abbas sciscitatus nomen Monachi reperit in Chronicis Monasterii eum ante trecentos annos vixisse & choro exiisse, nec amplius comparuisse, sumsit deinde Monachus S. Synaxin, & illico expiravit, & ad gloriam cœlestem, cujus melodiam & gaudia prælibarat, evolavit. De hac Historia sic scribit Cornelius à Lapide in comm. 2. Epist. Petri cap. 3. ad v. 8. R. P. Franciscus Costerus Historiam hanc diligenter investigavit, comperitq; reverà accidisse in Monasterio Afligimensi Ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est, inter Bruxellas & Alostum, uti ipse mihi olim in Belgio affirmavit. (Sed enim quibus argumentis Baronius permotus fuit, ut Historiam de septem dormientib. inter fabulas orbi Christiano persuasas referret, iisdem etiam fides hujus Historiæ elevari potest.)

4. Quod agnoscunt, autores, qui Historias sanctorum conscripserunt, vulgi rumoribus ac suis affectibus nimium indulsisse.

Melchior Canus lib. 11. Locor. commun. cap. 6. Negare non possumus, viros alioqui gravissimos in Divorum præsertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse, quâ in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut certè fidelium vulgo indulserunt, quod vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare, & autoribus nobilissimis placuisse, veram Historiæ legem esse, ea scribere, quæ vulgò vera haberentur.

Ibidem pag. 337. Magni autores labuntur interdum & oneri cedunt, vulgoq; interdum indulgent, quæ ego de Gregorio & Beda jure fortassis dicere possum, quorum ille in Dialogis; hic in Historia Anglorum vulgo jactata & credita miracula scribunt. Equidem Historias istas probarem magis, si eorum autores juxta præfinitam normam severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent.

Ibid. D. Antoninus non tàm dedit operam, ut vera scriberet; quam ne quid prætermitteret, quod in alienis schedulis reperiebat.

Baronius Anno 109. num. 49. ex Hilduino pro Gregorio Turonensi visionum & miraculorum architecto ejusmodi affert expositionem. Hæc, sicut alia plura, autoris simplicitati multa tàm facilè admittenti, donanda sunt, prout etiam Hilduinus excusat, sic dicens: Cæterum parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turonensis Episcopi, qui multa aliter, quam veritas se habet, æstimans; non calliditatis astu, sed benignitatis & simplicitatis voto literis commendavit.

Possevinus in Apparatu sacro tom. 2. pag. 426. fatetur; autorem Prati spiritualis nonnunquam inserere ea, quæ parùm tutam fidem habent, quin & vel relata à non satis dignis atq; interdum aspersa mendacio, (Idem censet Baronius tom. 5. Annal. An. 407. n. 16.)

Bellarminus lib. de script. Eccles. in verbo Simeon Metaphrastes. *Observandum est, à Metaphraste scriptas fuisse Historias de vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Addit enim multa colloquia sive Dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conversiones astantium paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur. Deniq; miracula plurima & maxima in eversione templorum & idolorum, & in occasione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres Historicos. Item videri quasdam Historias sanctorum additas à posterioribus & non omnes esse ejusdem autoris, quia inveniuntur vitæ aliqua sanctorum, qui post obitum Metaphrastæ vixerunt.* (Similia occurrunt apud Baronium tom. 10. Annal. ad An. 859.

5. Quod agnoscunt, Legendas sanctorum esse corruptas.

Melchior Canus lib. 6. Locor. cap. 11. *Dolenter hoc dico potius, quam contumeliosè, multò à Laërtio severius vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum, longeq; incorruptius & integrius Svetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum.*

Georg. Cassand. in consult. art. 21. p. 971. *Figmenta etiam compertorum Sanctorum Historias conspurcarunt, quos quisq; pro suo affectu commentus est.*

Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 14. *vitam Dominici negligentius esse descriptam* asserit.

CAPUT XVII.

De Revelationibus & Apparitionibus.

AD sanctorum Legendas etiam pertinent *revelationes ac visiones sanctis factæ.* Itemque *apparitiones Angelorum ac animarum*, ex quibus itidem Pontificii pro sua opinione confirmanda argumenta contra nos quandoque deducunt. Esto igitur.

Thesis. Revelationes & visiones: Itemque apparitiones extra Scripturam non præbent certum & infallibile in fidei articulis argumentum.

Ἔκθεσις 1. Non est quæstio de revelationibus, quæ Patriarchis ac Prophetis in Vet. Apostolis in Nov. Test. factæ, & in Scripturis sacris annotatæ extant, sed de revelationibus post editum Nov. Test. canonem aliis hominibus factis. 2. Nec est quæstio de revelationibus futuram Ecclesiæ sortem in genere, vel piorum quorundam sortem in specie concernentibus, sed de ejusmodi revelationibus, quæ articulos fidei concernunt. 3. Nec est quæstio, an credendum sit, esse apparitiones & revelationes quasdam, sed an illis necessario sit credendum & an novi fidei articuli extra Scripturam ac novi cultus illarum testimonio confirmari possint.

Antithesis. 1. de Revelationibus. c. Si Dominum &c. lib. 5. Clementin. tit. 16. citatur Decretum Urbani Papæ de festo corporis Christi, in quo inter alia sic legitur: *Intelleximus olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum, festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.* (Sic ergò *festum corporis Christi* ex revelatione est institutum.) Urbanus II. Papa *legem privatam* dicit, quæ instinctu sancti Spiritus in corde describitur, juxta quam vult agere eum, qui ad Monasterium se confert, vel ab eo recedit. Verba sic habent c. Duæ sunt. caus. 19. quæst. 2. *Si quis &c. seculariter vivit, si afflatus Spiritu sancto in aliquo Monasterio vel regulari Canonia salvare se voluerit, quia lege privatâ ducitur, nulla ratio exigit, ut lege publica constringatur, (dignior est enim lex privata, quam publica. Spiritus quidem Dei lex est, & qui Spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur, & quis est, qui Spiritu sancto possit digne resistere?) Quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente eat liber nostra autoritate. Justo enim non est lex posita, sed ubi Spiritus Dei, ibi libertas, & si Spiritu Dei ducimini, non estis sub lege.* Missam pro defunctis commendat Monialis in ecstasin rapta, apud Wolff. Cent. 8. pag. 197. Salmeron. tom. 9. tract. 29. pag. 219. scribit, *divinam instituendi sacrificii revelationem non solius esse Scripturæ, sed fundari etiam traditione Apostolica vel Revelatione Sancto alicui facta, vel approbatione Ecclesiæ expressa aut tacita; vel peculiari significatione facta, ipsi Ecclesiæ Vicario, vel Concilio, vel Doctoribus cælitus impressa. His enim omnibus rationibus præter Scripturam sciri voluntatem Dei.* In Legatione Regum Hispan. ad Pontif. descripta à Waddingo pag. 54. Paulus V. Pont. Rom. sic loquitur: *Pontifices omnibus Regum & Principum votis adesse non possunt, præsertim in iis, quæ non humana, sed divina terminantur sententia, nec hominum judicium, sed Spiritus sancti inspirationem & internum exposcunt impulsum &c.* Anglo-Rhemenses in annot. 1. Cor. 12. *Ea est Protestantium incredulitas, ut Revelationes prorsus omnes damnent.* (Si de illis Revelationibus loquuntur, ex quibus novi articuli fidei & novi cultus confirmantur, vera de nobis referunt; sin de quibusvis simpliciter, injuria nos afficiunt.) Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontifice cap. 18. §. Tertiò peccat &c. *In Occidente S. Benedicti, S. Romoaldi, S. Brunonis, S. Dominici & S. Francisci Ordines à Papa quidem approbati, sed ab illis sanctis viris Spiritu sancto docente excogitati & instituti sunt.* (Statuit igitur, ex inspiratione divina Ordines Monasticos esse institutos.) lib. 2. de Eccles. triumph. cap. 3. §. 6. *Cultus reliquiarum ex Revelatione divinitus facta probatur.* lib. de Scriptor. Eccles. in verbo Brigitta. *Johannes de Turrecremata Cardinalis, aliiq; docti viri ante annos ducentos publica autoritate diligenti examine præmisso approbarunt ac divulgarunt Revelationes Brigittæ.* Costerus part. 3. Apol. *Videte, quam diverso gustatu sapimus nos & hæretici! Illi has Revelationes Brigittæ ac Gertrudis & aliorum respuunt; ego eas legendo satiari vix possum.* Bzovius Anno 1263. num. 27. *Per id temporis in Scotia referunt Monachum quendam à Melros, uti dicebat, ab Angelo in somno edoctum crucem reperisse &c.* Ann. 1295. n. 29. *cæcus quidam locum sibi per visum in Basilica S. Justinæ ostensum demonstravit, in quo S. Martyris Danielis Patavinorum Apostoli corpus conditum fuit, apud quod ille lumen recepit &c.* Jacobus Gretserus Defens. 1. libr. 1. cap. 7. pag. 103. *Canonicam quorundam librorum Biblicorum autoritatem Ecclesiæ à Deo revelari.* p. 107. *cælitus manifestari.* Tannerus tom. 2. Disp. 6. quæst. 4. dub. 3. num. 56. dub. 5. num. 104. disputat, *neminem sine revelatione scire aut credere posse, sibi remissa esse peccata.*

Idem in Dioptra lib. 2. q. 1. cap. 2. p. 116. Christus spricht Joh. 14. v. 26. nicht allein *docebit*, sondern auch *suggeret vobis omnia*: Das ist / der heilige Geist werde die Apostein und also ihre Nachkömlinge in der wahren Kirchen nicht allein alles lehren / sondern auch ihnen alles einsprechen. Daß Einsprechen gehöret nicht der Schrifft oder dem beschriebenen Wort zu / sondern dem lebhafften und mündlichen / ja innerlichen des heiligen Geistes / können derhalben diese Sprüche und Verheissungen Christi nicht limitiret oder restringiret werden mit der Schrifft.

2. De apparitionibus Angelorum & Animarum. c. Nosse. dist. 3. de consecrat. ex Pio Papa. *Nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominico annuis temporibus sit celebrandum. Istis enim temporibus Hermes doctor fidei & Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicto die celebremus; quia tamen quidam inde dubitabant, ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ Angelus Domini apparuit in habitu Pastoris, & præcepit ei, ut Pascha Domini die Dominico ab omnibus celebretur, unde & vos Apostolica autoritate instruimus omnes, eadem servare debere.* (Sic ergò tempus celebrandi Paschatos fundatur in apparitione Angelica.) Gabriel Biel lect. 51. in can. *transsubstantiationem* confirmat ex variis apparitionibus in hostia consecrata. Bellarminus ex apparitionibus confirmat *sanctorum intercessionem*, lib. de beat. Sanct. capit. 18. eorundem *invocationem*, lib. ejusdem cap. 19. *reliquiarum venerationem*, lib. de reliq. cap. 3. *crucis venerationem*, lib. de Imagin. Sanct. cap. 28. *præsentiam Christi in Eucharistia*, lib. 3. de Euchar. cap. 8. *Confessionem auricularem*, lib. 3. de pœnit. cap. 12. *purgatorium*, lib. 1. de Purgat. cap. 7. §. Quarta ratio &c. *Quarta*, inquit, *ratio, qua Purgatorium probamus, sumitur ex apparitionibus animarum, quæ se in Purgatorio esse renunciarunt & opem à vivis implorarunt.* Bzovius Ann. 1220. n. 19. *Johannes Baptista apparuit Anastasio Alexandriæ Episcopo, ac jussit in certo templi loco suas reliquias elevatas ad Papam mittere, qui eas in summo honore habeat, & aliquo in loco devotioni populorum exhibeat.* Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 5. art. 9. *Sanctorum animæ permittente Deo aliquando hominibus apparent & ignota quædam revelant.* Delrius pag. 1. Disquis. Magic. libr. 1. quæst. 26. sect. 3. *Inest animabus ad sua corpora insitus amor, ad quæ sponte redeunt vi abstractæ. In alieno corpore si apparent, non exiguam habent voluptatem ex negotiorum nostrorum utili gestione. Interim suam quoque causam agunt, partim, ut opis indigæ à vivis eleemosynas, suffragia, jejunia, Missarum solennia petant, quibus divinæ justitiæ satisfaciant, & pœnarum diminutionem obtineant, partim, ut corporibus ipsorum debitos exhibeamus honores.*

Nostram sententiam probamus seqq. fundamentis, 1. Scriptura in fidei articulis nusquam remittit nos ad novas revelationes & apparitiones. 2. Quinimò à mortuorum apparitionibus revocat nos ad verbum Deut. 18. vers. 11. Esa. 8. v. 19. Luc. 16. vers. 29. 3. Revelationes & apparitiones ejusmodi sunt

sunt suspectæ, quia Diabolus *transfigurat se in Angelum lucis* 2. Corinth. 11. vers. 14. 4. Post editum Novi Testamenti canonem, *Si vel Angelus è cœlo præter id, quod ab Apostolis prædicatum, aliud Evangelium*, ac novam doctrinam *revelaverit, anathema sit.* Gal. 1. v. 8. & 9. 5. Animæ piorum sunt in manu Dei, ac fruuntur cœlesti felicitate & gloria, non igitur ad nos in terras redeunt.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, ejusmodi revelationibus, visionibus & apparitionibus non esse statim fidem habendam, sed juxta verbi regulam eas esse examinandas.

c. Nisi cum pridem 10. lib. 1. Decretal. Gregor. tit. 9. ex Innocentio tertio. *Si dicas, quod forsan alia est causa latens, propter quam cedendi* (ab officio Ecclesiastico) *voluntas tibi cœlitus inspiratur: & nos siquidem respondemus, tu quomodo scis, quod talis inspiratio sit cœlestis? Nonne recolis, quid ille gloriosus Pontifex* (Ambrosius) *dixit, cum cœpisset viribus corporis repentè destitui, Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua, illius exemplum secutus, qui dixit, Cupio dissolvi & esse cum Christo, manere autem in carne necessarium propter vos.* Et paulo ante: *Quomodo Spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit? Si enim sunt vera, quæ præmisimus* (ex Scripturis) *imò quia indubitanter vera sunt, procul dubio contra Spiritum Dei agit, qui aliquid contra veritatem attentat, quia ipse est Spiritus veritatis.* (Docet ergò Pontifex, ex Scripturis de inspirationibus ac revelationibus judicium esse faciendum, an sint divinæ ac cœlestes.)

Thomas p. 1. q. 1. artic. ad 2. *Innititur fides nostra revelationi Prophetis & Apostolis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationibus, si quæ fuerunt aliis doctoribus factæ.*

Bonaventura libro 3. sent. distinct. 9. quæst. 6. *Non debet homo omni Spiritui credere, sed probare, qui ex Deo sint. Qui enim citò credit in talibus, levis est corde, dum ad tales visiones & apparitiones idoneum se æstimat, unde tales visiones sunt potius formidandæ, quam desiderandæ. De pluribus enim narratur, qui se ad visiones idoneos reputaverunt & desideraverunt, quod ad multas insanias & errores præcipitati sunt.*

Arnoldus de villa nova in respons. ad Fridericum Siciliæ Regem. *Christus transfigurabatur præsentibus Mose & Elia, ex quo datur regula cunctis fidelibus, quod ubi aliquid videtur præter communem cursum humanæ conditionis, duo sunt attendenda, scilicet res expressa, & modus expressionis. Nam si res expressa contineat purè Evangelicam veritatem, & in nimio non discordet à testimoniis veræ Scripturæ divinæ, sicut lege & Prophetis, quæ significantur per Mosen & Eliam, certum est, quod est visio vel judicium cœlestis impressionis. Si verò quod exprimit, non continet purè Evangelicam veritatem, vel si modus tamen discordat testimoniis sacris, tunc de illusione debet cuique esse suspecta.*

Gerson part. 1. oper. in tract. de probatione Spirituum, (quem scripsit occasione ea, quod Concilio Constantiensi visiones Brigittæ ab eo confirmandæ offerebantur) pag. 103. talem proponit regulam, juxta quam visiones & revelationes examinandæ. *Tu quis, quid, quare, cui, qualiter, unde, require. Quis est cui fiat revelatio; Quid ipsa continet & loquitur; Quare fieri dicitur; Cui pro consilio detegitur; Qualiter venire & unde venire reperitur.*

Circa secundum membrum sic differit. *Probatio Spirituum respicit nedum personam, quæ visiones patitur, sed visionum qualitatem, si vera sunt omnia, etiam usq; ad minimam propositionem, quoniam in Spiritu veritatis falsitas non est, in Spiritu autem mendacii mille quandoq; sunt veritates apertæ, ut in unica latenti falsitate decipiat. Hac ratione prohibuerunt à testimonio veritatis, quam fatebantur, Christus Dæmoniacos & Paulus Pythonissas. Si præterea sit in visionibus sapientia, quæ desursum est cum suis titulis, quos Jacobus enumerat &c. Si rursus excedant hæ visiones communem intelligendi modum, vel in Scriptura sacra positum, vel in ratione naturali vel morali collocatum, quod si non, videretur illud adscribi frustra revelationi. Quod in Scriptura semel locutus est Deus (sicut Job loquitur) id ipsum non repetit. Onerosum quippe esset, ne dicamus vanum, visiones super visiones in immensum multiplicatas debere recipere, tanquam ab ore Dei prolatas, ac deinde certissima fide credendas, sicq; demum nostra fides, nostraq; religio, quam Deus, teste Augustino, voluit sub paucissimis contineri articulis, redderetur plus absq; ulla comparatione, quam lex vetus, onerosa &c. Hinc alia ratio sumitur, quod omisso divinarum Scripturarum studio magna pars Christianorum ad has visiones, ideò placentiores, quia recentiores, converterent oculos & aures prurientes, sicq; necessaria nescirent, quia juxtà Senecæ verbum, supervacua didicissent. Sint oportet in omni revelatione Moses & Elias* (nota) *hoc est, secundum venerabilem Richardum, testimonia legis & Prophetarum, per totum alioquin suspecta est.*

Circa tertium membrum sic differit. *Admone personam, cui visiones oblatæ, non sublime sapere, sed sapere ad sobrietatem &c. Enarrentur exempla sanctorum Patrum, qui curiositatem hujusmodi visionum vel miraculorum perniciosissimam, fallacissimamq; refugerunt, à qua se Augustinus liberatum in suis Confessionibus gloriatur in Domino, quam præterea Dominus Bonaventura abhorrendam nimis esse determinat, totoq; conatu repellendam, nunc orationibus, nunc increpationibus &c. Quidam sanctorum Patrum dum sibi Dæmon transfiguratus in Christum diceret, Ego sum Christus personaliter te visitans, quia dignus es, confestim clausit oculos utraq; manu, vociferans, Nolo hic Christum videre, satis est ipsum in gloria si videro, moxq; disparuit. Alter sub aliis verbis similem in hujusmodi illusione servavit humilitatem, Vide, inquit, ad quem missus sis, ego certè talis non sum, qui dignus sim hic videre Christum &c. Dici non potest, quemadmodum hæc curiositas, vel cognoscendi futura & occulta, vel miracula videndi vel faciendi fefellit plurimos & à vera religione frequenter avertit. Hinc superstitiones in populis, quæ religionem inficiunt Christianam, dum, sicut olim Judæi, sola signa quærunt, dum imaginibus exhibent latriæ cultum, dum insuper hominibus nedum Canonizatis, Scripturis quoq; non authenticis plusquam sanctis in Evangelio præstant fidem.*

Circa quartum membrum sic differit. *Tradimus pro cautela, quod hujusmodi visionibus nedum suspensum teneatur judicium exemplo B. Ambrosii & Luciam Presbyteri, sed dicatur reverenter cum Petro, Exi à me Domine, quia peccator sum, quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus sum, quas hic neque quæro, nec accepto, sed repello. Sit in cœlo, non in hoc seculo visio tua tota merces mea, Domine Deus & sufficit. Quid ad me de visionibus tuis in hac vita &c.*

Idem in tract. de exam. doctrin. part. 2. consid. 3. p. 105. *Gregorius XI. positus in extremis, habens in manibus sacrum Christi corpus, protestatus est coram omnibus, ut caverent ab hominibus sive viris sive mulieribus sub specie religionis loquentibus visiones capitis sui, quod per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio se traxerat & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors provideret sponsus Jesus, quod horrendum huc usq; nimis patefecit eventus. Hic Papa cum esset in Avinione per Catharinam de Senis inductus est, qualiter se Romam transferret Cardinalibus & cæteris dissuadentibus, quo cum veniret, circa dimidium annum obiit. Ex tunc cœpit schisma, quod circa annos 40. duravit, Urbano 6. & suis successoribus in Roma, videlicet Bonifacio 9. Innocentio 7. Gregorio 12. Alexandro 5. Johanne 23. Martino 5. usq; ad Concilium Constantiense. In Avinione verò Clemente 7. & Bonifacio 13. qui & Petrus de Luna, electis.* (Idem de Gregorio memorat Naucleros.)

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 1. §. 9. *Vet. & Nov. Test. Prophetiæ in Codice Bibliæ contentæ &c. tanquam Canonicæ sunt certæ & approbatæ autoritate fulcitæ, ut negari nequeant, &c. Revelationes autem quorundam sanctorum seu devotorum hominum noviter repertæ non omnimodam certitudinem afferunt, quinimò hujuscemodi revelationes inversis vel falsificatis literis quandoq; corrumpi, vel nomine alterius confingi, seu peregrino titulo adscribi possent. Quandoq; etiam Satan se transfigurat in Angelum lucis, ut hominibus etiam justis immissiones sub fuco revelationum faciat, quo eos falsis opinionibus extollat ad gloriam revelationum. Quandoq; secundum glossam in principio Ezechielis Prophetæ justi ob crebrum prophetandi usum ex proprio suo Spiritu falsa proferunt, dum existimant, hoc ipsis ex Spiritu sancto provenire.*

§. 10. Propterea Christus præcipit attendere à falsis Prophetis, siquidem nonnulli olim Prophetæ prophetaverunt in Baal & idola secuti sunt, prophetaruntq; mendacium, ac decipiebant populum, ut is periret una cum suis Prophetis, qui vaticinabantur &c. Quamobrem diligenter est attendendum, an Spiritus ex Deo sit, an ex seipso.

Cap. 2. §. initiali. *Novorum Prophetarum revelationes operæ precium est prius attente perspici, an veteres prophetias sequantur vel declarent, an sint necessariæ, bonæ ac utiles seu ædificatoriæ, & an ipsi novi Prophetæ fuerint sanctæ probatæque conversationis & qualem finem fecerint.*

Salmeron tom. 1. prol. 1. fol. 1. *Meritò nobis unica Scriptura commendata est, ad quam ab Ecclesia Catholica atq; Orthodoxa intellectam tanquam ad lapidem Lydium probandi sunt Spiritus.* (Ergò etiam revelationes & apparitiones Spirituum.)

Idem tom. 1. prol. 7. fol. 70. *Revelationes qualibet, nisi scripto*

verbo Dei consonent, pro suspectis Diaboli suggestionibus & consiliis habendæ sunt, cum dilectus Domini dixerit, probate Spiritus.

Idem Disp. 26. in 1. Cor. 15. *Dionysius Carthusianus in libro de quatuor novissimis cap. 27. exempla quædam ex sanctorum quorundam revelationibus producit, quæ docent, interdum animos ipsorum fidelium ita cruciari, ut nesciant salvandine sint, an damnandi in perpetuum &c. Sed ejusmodi Revelationes non sunt confestim aut passim ut veræ recipiendæ, sed cum judicio diligenter expendendæ & quatenus fidei vel traditioni Ecclesiæ aut doctoribus congruant, examinandæ.*

Idem Disp. 25 in 1. Joh. 4. §. Cavendum. *Cavendum inprimis à novis revelationibus & somniis, ab inspirationibus, à visionibus & apparitionibus, ac denium à superstitionibus omnibus, quæ per unum aliquem privatum hominem invehuntur &c. Attendenda est sententia Tertulliani de præscript. dicentis, Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Probandi etiam sunt fontes, unde illam hausit doctrinam. Nam si Dæmon transformatur in Angelum lucis, detegendus est, & ex fructibus arbor dignoscenda. Si autem apertus sit pater mendacii, dicendum est illi, Obmutesce.*

Et postea. *Videndum etiam, si persona sit sancta, vel contaminata; si cum signis, vel sine signis, quia non est verisimile, Deum nos docere veritatem voluisse contra tot & tantos doctrina & sanctitate vitæ illustres & prophetiæ spiritu præditos, qui oppositū docuerunt &c. Augustinus lib. 10. Confess. misericorditer se liberatum asserit à curiositate visionum & signorum: & B. Bonaventura scribit, toto conatu repellendam visionem vel revelationem orationibus & corporis macerationibus, & increpatione sui ipsius acri ac vehementi. Videndum etiam, an quid falsi contineat talis revelatio contra Ecclesiam & ejus praxin, an aliquid non excedens communem modum intelligendi, an aliquid inutile vel curiosum, quia ex his facile discerni potest.*

Ibidem. *Proponam in verbis Tertulliani exemplum Priscillæ conjugis Montani delusæ, & alios revelationibus suis illudentis, ita enim ille lib. de anima cap. 9. Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solennia per extasin in Spiritu patitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoscit & medicinas desiderantibus submittit. Jam vero prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi cantantur, aut locutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in Spiritu esset post transacta solennia dimissa plebe, quo usus solet nobis renunciare, quæ viderit, (nam & diligentissimè digeruntur, ut etiam probentur:) inter cætera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, & Spiritus videbatur non inanis & vacuæ qualitatis, imò quæ etiam tenera repromitteret, tenera & lucida & aërei coloris & forma per omnia humana. Hæc visio est Deus testis & Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor.* (Subjungit Salmeron hisce Tertulliani verbis.) *Hæc ille, ex cujus revelatione probare volebat animam esse corpoream. Porrò ex hoc exemplo prudens lector alias mulierculas, quæ nostro seculo extasin patiuntur, & mirabilia, quæ viderunt, annunciant, agnoscere poterit.*

Et postea. *Cavendi sunt fanatici, qui negligentes Scripturas vehementer apparitiones & revelationes expetunt, cum rarū sit & perpaucorum hominum donum discernendi vel dijudicandi Spiritus, quo B. Martinus & B. Antonius præcelluere. Hinc venit, ut multi illo carentes hallucinati sint & in pudendos errores prolapsi, ut Vincentius, qui cum juvenis esset & eloquens, apparitione cujusdam viri sancti, ut sibi videbatur revera tamen hæretici, eo impellente, in fidem calamum strinxit. Talis & Theodotus quidam Montanista mirabiles visiones jactabat, & mundum brevi collapsurum vaticinatus, teste Eusebio lib. 5. Hist. cap. 15.*

Idem tom. 14. Disp. 26. p. 231. *Ejusmodi revelationes, quales e. g. commemorat Dionys. Carthus. non sunt confestim aut passim, ut veræ recipiendæ, sed cum judicio expendendæ, & quatenus fidei vel traditioni Ecclesiæ aut Doctorum congruant examinandæ.*

Bellarminus lib. 1. de Roman. Pont. cap. 11. §. Altero &c. *Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta Ecclesiæ ratione doctrinæ à Deo revelatæ, siquidem fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Prophetæ. Nec enim semper revelantur Ecclesiæ novi articuli, sed in ea doctrina Ecclesia acquiescit,* (nota, equidem, Utinam illud in Papatu fieret!) *quam Apostoli & Prophetæ à Domino didicerunt, & prædicatione vel literis ad posteros mandarunt. Atq; hac ratione superædificamur, ut Apostolus ait Eph. 2. supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum.*

Ludovicus ab Alcasar Jes. Procem. in Apocalyps. notat. 22. n. 2. *Revelationib. non innitendum, sunt enim quandoq; fictio vel vana persuasio,* quod ipsum exemplo confirmat.

Idem cap. 1. id Procem. *Revelationes quorundam sanctorum seu devotorum hominum noviter repertorum non omnimodam certitudinem afferunt &c. Quandoq; enim Satan se transfigurat in Angelum lucis, & hominibus etiam justis immissiones sub fuco revelationum facit, quo eos falsis opinionibus extollat ad gloriam revelationum.*

Malderus de virtutib. & vitiis tract. 10. capite 8. fol. 772. *Dæmonem rectè putes, si aliquid proferat contra sanam doctrinam, hoc enim anathema habet manifestum Galat. 1. Sed licet Angelus de cœlo &c.*

Stapletonus Relect. controv. 1. q. 4 art. 2. p. 91. negat, *doctrinam fidei addisci Revelationibus.*

Estius in 3. sentent. distinct. 3. *Discere licet, quo loco habendæ sint revelationes, quæ ad hanc quæstionem afferri solent, de quibus generaliter hujusmodi responsionem reddit Bernhardus. Ipse mihi facilè persuadeo, inquiens, scriptis talibus non moveri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa invenitur favere autoritas. Sic ille, & quidem rectissimè. Si enim Petrus Apostolus revelatione sibi facta ita allegabat, ut tamen remitteret fideles ad sermonem Propheticum, tanquam firmiorem, quantò magis ab obscuris & suspectis revelationibus ad autoritatem Scripturæ & normam antiquæ traditionis remitti nos convenit.*

Schreinerus contra Doct. Keslerum p. 461. *In ejusmodi apparitionib. probè observandum, ne cuilibet visioni citò ac facilè fides habeatur &c. quia Diabolus, qui est pater mendacii, ac se transfigurat in Angelum lucis, posset facilè aliquem decipere.*

2. Quod agnoscunt, veteres hæreticos ad Revelationes provocasse, ac per fictas revelationes deceptos fuisse.

Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ, Verbo, Mariæ interrogationes, ex Epiphanio de Gnosticis sic scribit: *In volumine magnarum interrogationum Mariæ habent, Dominum Jesum Christum revelasse Mariæ Virgini ritum synaxeos & Dominicæ communicationis à Gnosticis postea observatum.*

(Is verò tam pudendus est & obscænus, ut eum recensere coram castis auribus religio prohibeat.)

Gregorius de Valentia tom. 3. col. 95. in Thomam ex August. tractat. 3. in Joh. & lib. de unit. Eccles. cap. 16. de Donatistis refert, quod *mirabiles quasdam visiones jactitaverint.*

Petrus Thyræus de apparit. Spirituum cap. 16. § 4. *Refert, sequi ex Eusebius, Theodotum quendam mirabiles visiones jactasse, seque ex ipsis accepisse, mundum brevi collapsurum. Vincentius Donatista teste B. Augustino hæreticum pro Sancto habuit apparentem, eoq; dictante contra fidem orthodoxam calamum stringere non dubitavit. Mahometus potuit persuadere mundo, se in cœlum raptum accepisse per Gabrielem Arch-Angelum, quam in Alcorano tradidit perniciosam doctrinam. Nostris temporibus sæpissimè mortalibus esse illusum, atq; identidem illudi quot probant exempla?*

Baronius Ann. 97. num. 13. *Hæreticos,* ait, *quò minus veritate agere posse considerent, eò magis ad imposturas esse conversos, & inter alia complures falsas revelationes quasi sibi divinitus allatas excogitasse, easdemq; interdum Apostolorum vel aliorum insignium virorum titulo nobilitasse, ut Revelationes Pauli, Petri, S. Thomæ, Stephani & aliorum, quorum superius facta est mentio: Ejusmodi generis commentum excogitasse Cerinthum veternosum hæresiarcham, Cajus antiquus Theologus tradit his verbis: Cerinthus, qui per adumbratas conscriptarum Revelationum, tanquam à magno quodam Apostolo conscriptarum, species absurda portenta, præstigiasq; quasi per Angelos sibi ostentatas nobis falso comminiscebatur, hæc asseveranter introducit, post resurrectionem carnis humanæ regnum Christi terrestre futurum.*

Elxai hæreticum imaginaria quædam velut ex revelatione introduxisse, ex Epiphanio idem Baronius refert Anno 105. n. 3.

Montanus jactavit, se visionibus illuminari. Baron. Anno 262. num. 14.

Sic & Valens Arianus, referente eodem Anno 353. n. 8.

De *Enthusiastis* scribit Prateolus in Elench. hæretic. libr. 5. hæres. 12. quod *somno semetipsos tradiderint, & somniorum suorum phantasias prophetias appellarint.*

Salmeron Disp. 24. in 1 Joh. 3. *Dæmon per Priscillam & Maximillam decepit Montanum & Novatianos. Ex Priscillæ revelatione deceptus Tertullianus probare volebat, animam esse corpoream.*

3. Quod agnoscunt, Dæmonas Angelorum & animarum apparitionem quandoque mentiri, ut homines decipiant.

Thomas p. 1. q 117. art. 4. ad 2. *Dicendum est, quod frequenter Dæmones simulant, se esse animas mortuorum ad confirmandum gentilium errorem, qui hæc credebant.*

Joh. Sarisberiensis lib. 2. policr. cap. 27. *Mali Angeli transfigurant*

figurant se interdum in Angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, mundiciem consectantur, utilitatibus provident, ut quasi boni & propitii familiarius admittantur, audiantur benignius, amentur exactius, exaudiantur facilius. Habitum quoq; induunt venerabilium personarum, ut eis major & promtior reverentia impendatur.

Petrus Mamorius (qui vixit circa annum 1458.) narrat, *in Gallia Consollenti ad Viennam fluvium Historiam accidisse in Caplani cujusdam ædibus Anno 1458. Diabolum, qui animam defunctæ se esse prædicabat, gemitibus, clamoribus & querimoniis omnia complevisse, monentem, habendas esse preces, peregrinationesq; obeundas, & res veras plurimas revelantem; sed dicente ei quodam, si tibi vis haberi fidem, dic, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam; respondisse, hoc à se fieri non posse. Tunc ludificantibus ipsum iis, qui astabant, fremebundum aufugisse.*

Hieronymus Magius (quem Delrio propterea *majoris lectionis, quàm judicii virum* nominat lib. 2. Disquis. Magic. q. 26. sect. 1. p. 225.) expresse scribit lib. 4. Miscellan. cap. 12. *Ea, quæ circa mortuorum sepulchra vel cœmiteria conspiciuntur simulachra, nunquam mortuorum esse animas, sed semper esse Dæmones aut malos genios hominum deceptores.*

Legenda Lombardica cap. 94. in Julio refert, *Diabolum peregrinanti in forma Jacobi Apostoli apparuisse & ei suasisse, ut sese ipse perimeret: alteri item persuasit, sed ejusdem Apostoli specie, ut virilia sibi amputaret, seq; occideret.*

(Zuingerus theat. p. 1500. a. *Diabolus S. Martino apparuit sub specie Christi, & cuidam Monacho præmonstratensi sub aliqua Trinitatis specie.*)

Cornelius à Lapide in 2. Corinth. 11. v. 14. refert, quod *S. Abrahamum Eremitam, S. Simonem Styliten, S. Johannem, S. Pachomium decipere Satan per visiones tentaverit, & tandem Valentem Monachum ita fefellerit, ut pro Christo Satanam adoraret.*

Gretserus defens. 1. Append. p. 1893. fatetur, *Diabolum per hujusmodi apparitiones circumveniendi, fallendiq; homines sub prætextu quodam divino occasionem captare.*

Salmeron Disp. 12. in 2. Corinth. 11. §. Item Satanas. *Persuasit Satanas Hieroni Monacho, ut se in puteum præcipitem daret, futurum affirmans, ut inde educeretur divinitus, propter merita sua; & Circumcellionibus persuasit, ut se suffocarent, ut testis est Augustinus.*

Disp. 25. in 1. Joh. 4. §. Circa &c. *Circa apparitiones & visiones Angelorum magna cautela est adhibenda, quia interdum Satanas transfigurat se in Angelum lucis justo Dei judicio, ut seducat curiosos & visionum ejusmodi & signorum appetentissimos; & eadem cautela observanda in apparitionibus mortuorum, quorum animæ post vitam deducuntur in sua loca à Deo designata.*

Pererius de Magia lib. 1. cap. 11. §. Sed audiamus. *Simulant Dæmones animas defunctorum secundum Augustinum & Chrysostomum, quo facilius errores gentilium animis hominum inserant ad eos decipiendos, quia homines animabus defunctorum vel parentum, vel cognatorum, vel amicorum suorum, quos diligunt & à quibus se diligi non dubitant, libentius ac promtius credunt, quàm Dæmoni, quem naturaliter horrent. Deinde persuadet hominibus infernum non esse carcerem perpetuum, nec adeò esse graves & perpetuas inferni pœnas, sicut homines putant.*

Bodinus lib. 3. de Dæmonom. cap. 6. *Satan jejunia, preces & orationes imperat, etiamq; hostia abutitur, ut imperitos decipiat.*

Maldonatus in cap. 16. Luc. *Cæterum, non quoties qui apparet se hujus vel illius animam esse dicit, leviter credendum est, sed etiam atq; etiam exploranda res, plerunq; enim, ait, Dæmonem esse arbitror, qui se animam esse mentitur.*

Martinus Delrius de Magia, lib. 4. cap. 1. q. 3. §. 5. *Optime D. Bernhardus ait, quod transfigurat se malignus Spiritus in Angelum lucis, ut virtutis simulatione plus noceat. Suadet enim alius jejunia quædam, unde cæteri scandalizantur, non quia diligit jejunium, sed quia scandalo delectatur &c. Secundello Diacono precanti apparuit in specie Domini: Sum, inquit, Christus, quem continuè deprecaris, es tu sanctus & nomen tuum in librum vitæ cum reliquis sanctis. Egredere nunc & fac sanitates in populis. His ille illectus deceptionibus decessit, & cum nomine Christi infirmis manum imponeret, sanabantur. Rediit tandem cum vana gloria & sociis dixit: Virtutes multas in populis feci &c.*

Emanuel à Saa in cap. 16. Luc. *Certior est Scripturæ autoritas, quia possit quis dicere, phantasma esse aut Dæmonem, qui apparet.*

Machiavellus in principio suæ Hist. scribit, *circa annum Christi 600. consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cum miraculis nova pugnare cœpisse. Nam spectrorum apparitiones & alias imposturas Satanæ miraculorum veterem illam formam religionis prorsus evertisse.*

Thyræus in Disp. de apparit. Spirit. th. 393. *Errant, qui putant illos* (Spiritus) *esse bonos, qui bona consulunt vel à nobis expetunt. Quoniam aliud est bona consulere & expetere, aliud bene. Consulunt & expetunt bona boni & mali, at bene boni tantum. Certissimis Historiis constat, etiam Diabolos suffragia vivorum expetivisse, quasi his tanquam purgandæ animæ juvari potuissent.*

Peltanus cap. 5. de purgat. p. 2. 5. *Tumultuationes illæ, quæ interdum in privatis aut publicis ædibus contingunt, nullo modo fieri putandæ sunt per demortuorum Spiritus, sed per Spiritus impostores.*

Didacus Nugno tom. 1. in p. 3. Thom. f. 314. ostendit, *apparitiones circa Eucharistiam factas nonnunquam contingere per illusionem Dæmonum.*

Mendoza quæst. 5. Scholastica pag. 392. *Observemus ex D. Augustino lib. 10. de Civ. Dei c. 10. & 11. Chrysostomo homil. 29. sup. Matth. ante medium, Ludovico Cælio lib. 1. lection. antiq. capit. 34. Dæmones frequenter simulare se esse animas mortuorum ad errores gentilium confirmandos. Refert Ludovicus Vives super Augustinum supra, eandem fuisse sententiam platonicorum, præsertim Jamblichi. Hæretici etiam interdum simulavere, sibi animas defunctorum apparere, quod fecit Vincentius Donatista, adversus quem loquitur Augustinus lib. 3. de anima & ejus orig. cap. 2. Id velut talis capitis, Diaboli scilicet membra nituntur efficere. Refert Diodorus Siculus lib. 2. id quod Paulus tradit, Satanam se transfigurare in Angelum lucis. Nam & Diodorus ait, Diabolum in omnium animarum Naturas interdum sese transformare, sicut de Proteo, Formas se vertit in omnes, Virgilius dixit.*

Per *falsas apparitiones multos esse deceptos* testantur Abulensis q. 354. in cap. 13. Genes. Cajetanus in 2. 2. q. 95. artic. 3. & fatetur ex his Gregorius de Valentia tomo 1. Disput. 4. quæst. 2. punct. 2. col. 1090.

4. Quod agnoscunt, animas mortuorum ordinariè in his terris non apparere. (Proinde etiam articuli fidei ex illarum apparitionibus non sunt probandi, sed ex verbo Dei, quod est medium ordinatium nostræ ad vitam æternam informationis divinitus institutum. Luc. 16. versic. 29. 2. Timoth. 3. vers. 15.)

Thomas p. 1. quæst. 110. artic. 3. ad 3. & q. 117. art. 4. negat, *animam separatam à corpore posse naturali sua virtute res corporeas movere, januas aperire, commovere scamna, excitare strepitum, turbare dormientes, quâ negativa suspectas reddi omnes apparitiones & terrores, qui putantur ab animabus fieri*, ait Becanus lib. 1. Manual. c. 8. q. 2. §. 18.

Glossa in c. Qui divina. caus. 14. q. 1. ad verba, *Multi quoq; ad vivos aliquos ex mortuis venire credunt &c.* sic annotat: *Et malè credunt, quia sunt phantasmata.*

Salmeron Disput. 25. in 1. Johan. 4. §. Circa apparitiones. *Animæ mortuorum post vitam deducuntur in sua loca à Deo designata. Ex quibus in genere dicendum est, illas ad nos postea minimè reverti solitas. Hinc Salomon in persona impiorum loquens. Sapient. 2. Non est, qui agnitus sit, inquit, reversus ab inferis.* Et infra. *Umbra enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri, quoniam consignata est & nemo revertitur. Propheta quoq; ait Psal. 77. Spiritus vadens & non rediens. Et rursus Psal. 102. Quoniam Spiritus pertransibit in illo & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum; & mulier illa Thecuitis ad Regem Davidem inquit 2. Reg. 14. Omnes morimur & quasi aquæ delabimur in terram, quæ non revertuntur.* (Congruit hoc cum sententia Chrysostomi homil. 29. in Matth. sic scribentis:) *Non potest anima à corpore separata in his regionibus errare. Justorum enim animæ in manu Dei sunt, peccatorum verò post exitum mox abducuntur, quod à Lazaro & divite planum efficitur. Sed alibi quoq; Dominus ait, Hodie animam tuam abs te repetent. Non igitur potest anima cùm à corpore abscesserit, apud nos hic errare.* Hæc Chrysostomus. Quod verò Salmeron addit, *illas animas, quæ post mortem cognitione majori super alias præstant, quia cognitas & compertas habent res nostras Dei revelatione & speciali dispensatione, vivis interdum apparere*, id non probat ex Scriptura Canonica, sed ex quæstionibus Athanasii ad Antiochum suppositiis & ex Gregorio. Disertè insuper addit, *animas non venire ad nos per seipsas, sed illas visiones & apparitiones fieri ministerio Angelorum*, qui cum sint duorum generum boni, sc. & mali, ideo accuratâ cautione opus erit, ne malus Angelus transfigurans se in Angelum lucis nos decipiat.

Quicquid sit, si vel maximè etiam ipsæ defunctorum animæ viventibus appareant, quod speciali Dei Dispositione fieri posse non negamus, tamen in rebus fidei ipsarum magisterio uti non debemus, sed Scripturæ, quæ est Dei viventis verbum, unicè adhærere.)

Maldonatus in cap. 16. Luc. vers. 29. *Hujus loci occasione disputare quidam solent, num animæ mortuorum aliquando viventibus appareant? Ac Chrysostomus quidem in homilia ultima de Lazaro, alíisque nonnullis locis, Tertullianus lib. de anima, & Athanasius, sive quis autor qq. ad Antiochum quæst. 11. & 13. & Isidorus lib. 8. Etymol. cap. 9. Theophylactus in cap. 8. Matth. prorsus negant unquam id fieri, & cur fieri non conveniat, multas rationes afferunt. Primum id vivis utile non esse, qui si vivis non credunt, ne mortuis quidem credent, ut Abraham diviti respondet. Deinde quod etiamsi oculis ipsis damnatorum supplicia homines cernerent, nihilo se magis à peccatis abstinerent. Quotidie inquit Chrysostomus, fures & alios reos ad supplicia duci vident, & iidem, propter quæ illi puniuntur, peccatis involvuntur. Præterea, quod si id fieret, progressu temporis in contemtum res veniret, & non magis mortui nos, quam vivi commoverent, ut eodem loco Chrysostomus inquit. Deniq; quod ea res multorum errorum causa esse posset, dum Dæmon fingens se alicujus mortui animam esse, homines ludificaret, & quicquid vellet illis persuaderet, ut Athanasius, Chrysostom. & Tertullianus argumentantur. Nam & cum sciamus, inquit Chrysostomus, mortuorum animas non redire, tamen sæpè Dæmon per quietem & somnium, qua una ratione potest, animarum defunctarum personam sumit, quid facturum fuisset, si animas redire sciret.*

(Rationes hæ satis firmæ sunt. Quid vero de illis Maldonatus censet? subjungit,) *Non existimo tamen, legem esse Deo ponendam, quo minus cum velit, animas ad vivos mittat, id enim aliquando fieri ego mihi persuadeo.* (At de eo non est quæstio, an nos Deo legem ponere debeamus, sed an Deus nobis legem posuerit, ne in rebus fidei mortuos consulamus, id quod ex Esa. 8. v. 19. Luc. 16. v. 29. evidenter probari potest. Nec disputamus, quid Deus possit, si velit; sed quid se velle in verbo suo declararit. Hoc ipsum videtur Maldonatus quodammodo agnoscere, ideò in seqq. subjicit) *Vult Christus vivos Scripturarum testimoniis esse contentos, nec à mortuis, quid in altera vita geratur, audire velle, ut Esa. 8. vers. 19. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro vivis à mortuis? ad legem potius & ad testimonium.*

Delrius lib. 2. Disq. Mag. q. 26. §. 1. p. 225. *Miror ex Catholicis Hieronymum Magium ausum fuisse scribere, quæ circa sepulchra vel cœmiteria conspiciuntur simulachra, non mortuorum animas esse, sed Dæmones aut malos genios hominum deceptores.* (Locus Magii extat lib. 4. Miscellan. c. 12.)

Tiraquellus in dies geniales Alex. ab Alexandro lib. 2. cap. 9. scribit, quod *apparitiones & umbras hominum semper mera somnia esse putaverit.* lib. 5. cap. 23. ait: *Ut semel dicam, quid de hisce rebus sentiam, ego mera somnia esse puto.*

5. Quod ipsimet quasdam revelationes & apparitiones repudiant. (Quo jure illi quasdam revelationes rejiciunt, eodem & nos similes revelationes repudiare possumus. Si propterea ipsis licet revelationes quasdam repudiare, quod cum Decretis Romanæ Ecclesiæ non conveniant, multò æquiori jure revelationes quasdam repudiare possumus, quod cum oraculis Scripturæ minimè congruant.)

c. Placuit 26. dist. 1. de consecrat. *Quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunq; constituuntur altaria, omninò reprobentur.*

Antoninus part. 3. tit. 24. cap. 11. §. 3. p. 315. *S. Brigitta Revelationem, ut asserit, habuit, Virginem Mariam conceptam sine originali peccato; B. Catharina de Senis non minoris, ut creditur, sanctitatis & canonizata, habuit Revelationem in contrarium. Et cum Spiritus Prophetarum non sit contrarius, quia unus & idem est, nec sibi contradicens, dicere oportet, quod una earum habuit revelationem à Deo Propheticam, altera verò somnium & phantasiam secundum affectum suum.* (Si revelatio una ἄγραφος propterea rectè repudiatur, quod alteri revelationi ἀγράφῳ sit contraria, multò magis revelatio aliqua ἄγραφος repudiari potest, quod sit revelationi ἐγγράφῳ contraria.

(Circa annum 847.) quædam mulier fingens *sibi Angelum Dei apparuisse, qui novissimum diem judicii mox instare pronunciasset,* multos tam ex Clero, quàm ex populo per Diœcesin Moguntinam decepit, Quæ tandem per *Rabanum Archiepiscopum* comprehensa confessa est, fuisse se per consilium cujusdam Presbyteri ad hoc quæstus gratia inductam.

In Revelationibus sanctæ Brigittæ legitur, *Mariam dixisse ad Brigittam, quod nullum corpus humanum sit in regno cœlesti, nisi corpus Filii sui & corpus suum.* Contra verò multi ex Pontificiis statuunt, illos, qui cum Christo resurrexisse dicuntur Matth. 27. una cum Christo in corpore glorificato in cœlum ascendisse.

Revelationem de anima Trajani per preces Gregorii ex inferni pœnis liberata acriter propugnat Salmeron Disput. 27. in 1. Cor. 15. eamque probat ex Damasc. libr. de iis, qui in fide migrarunt, Johanne Diacono, Hugone Ætheriano, Bellovaco, Sigeberto & Revelationibus Brigittæ, quæ libr. 4. cap. 13. dicit: *Bonus Gregorius oratione sua etiam infidelem Cæsarem elevavit ad altiorem gradum.* Quinimò addit Salmeron, *quod hoc sit miraculum irrefutabile, toti orbi compertum, ab omnibus Scholasticis corroboratum &c.* Confirmant hanc Historiam Legenda aurea in vita Gregorii cap. 46. Ludov. Granatensis homil. 1. in Domin. 11. post Trinit. Henriquez in Summa lib. 9. cap. 16. ubi plures alios autores allegat. Quin & Alphonsus Ciaconius Dominicanus autoritate summi Pontificis *Apologiam* pro hac Revelatione in publicum edidit. Sed Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 8. ac Lorinus Act. 20. v. 10. Baronius Anno 604. n. 30. revelationem illam repudiat. *Cum solius Damasceni* (inquit Bellarminus d. l.) *autoritate nitantur citati autores, ideò magis propendeo in sententiam Melchioris Cani, qui lib. 11. de locis, capit. 2. simpliciter improbat hanc Historiam ut confictam, & Dominici à Soto, qui in 4. sent. dist. 45. q. 2. art. 2. dicit, hanc Historiam sibi creditu durissimã esse, non obstante Apologia Alphonsi Ciaconis pro hac Historia ante triennium edita.* Rationes affert quatuor, *quod liber ille non sit Damasceni, quod nullus autor Latinus Historiæ illius meminerit, quod Gregorius lib. 34. moral. cap. 13. disertè doceat, non posse orari pro infidelibus defunctis, quod argumenta Ciaconis non concludant.*

Ibid. §. De damnatis &c. subjicit. *Augustinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 24. nimiæ præsumtionis esse dicit, asserere, eos non mansuros perpetuo in igne, quibus Veritas dicit, Ite in ignem æternum. Dicit autem hoc Veritas omnibus, quos damnat tàm in particulari, quàm in Universali judicio. Præterea nullus esset damnatorum, qui non posset sperare salutem, & pro quo non possemus orare &c.*

Lib. & cap. iisdem, *Revelationi Mechtildis, de anima Origenis & Trajani opponit aliam Revelationem, quæ narratur in Prato spirituali, in qua Origenes cum Nestorio & Ario visus in gehenna.*

Idem Bellarminus lib. 2. de purgat. c. 7. §. Quantum &c. adducit quandam visionem ex Beda. *Omnes Theologi,* inquit, *docent, non esse alia receptacula præter quatuor numerata &c. Ex altera parte narrat Beda lib. 5. Hist. cap. 13. visionem valdè probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit. Fuit autem in illa ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea rediit, præter infernum & purgatorium & regnum cœlorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, adoratissimum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatæ, cui revelationi multas alias conformes adducit Dionysius Carthusianus in Dialogo de judicio particulari, art. 31. & Ludovicus Blosius in Monil. spirituali cap. 13. Videtur mihi dicendum, non esse improbabile, talem aliquem locum reperiri &c.* (Eandem Bedæ visionem in Apologia contra Regem Angliæ defendit.) Sed contra hæc disputat Suarez in Thomam tom. 4. Disp. 46. §. 4. n. 6. & seqq. *Illæ Revelationes,* inquit, *Bedæ & Carthusiani, nisi metaphoram aliquam contineant, mihi non faciunt fidem, quia illa visio apud Bedam dicit, in loco illo amœno maneri usq; ad diem judicii, quod incredibile est de omnibus affirmare & contra Ecclesiæ suffragia.*

Idem Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 13. §. 1 in utramq; partem disputat, *an à Dæmonibus animæ purgatorii torqueantur. Non torqueri,* inquit, *à Dæmonibus aut ab Angelis, sed à solo igne, docent Scholastici. Sed contra à Dæmonibus torqueri, docent multæ revelationes. Maneat igitur & hoc inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur.* (At hac ratione revelationibus illis fidem derogat, vel certè fidem earum labefactat. Unius revelationis, utpote αὐτοψίας certitudo omnibus Scholasticorum rationibus præponi deberet.)

Baronius An. 48. n. 4. negat, *tempus Assumtionis B. Mariæ Virginis sciri posse, nisi per revelationes ut plurimum ab invicem differentes.* (Atqui diversitas illa evidens argumentum est falsitatis, cum plus uno verum esse non possit.)

Idem ex dictis veterum adducit querelam de *figmento revelationum post Apostolorum tempora Ecclesiam affligente.* Anno 101. num. 3. 4.

n. 3. 4. rejicit *visionem Adelphii* ut fabulosam Ann. 407. n. 34. *revelationibus non esse nimis confidendum* asserit, Ann. 449. n. 51. malum per revelationes ita crevisse conqueritur, *ut fabulæ fabulis fuerint cumulatæ* Ann. 604. n. 5.

Proinde de *revelationibus nihil plus acceptandum, quàm Ecclesia approbaverit.* Ann. eod. n. 46.

Diabolum per quietem multa hominibus suggerere, asserit Ann. 867. n. 78.

Revelationes Brigittæ publica autoritate sunt approbatæ, ut superius ex Bellarmin, in libro de scriptor. Eccles. in verbo Brigitta didicimus. Sed Estius in annot. Luc. 2. v. 24. de illis dicit, *eas eadem facilitate contemni, qua sint dictæ.*

Suarez tom. 4. in Thomam Disput. 46. §. 1. num. 12. & §. 4. num. 6. *nisi metaphoram aliquam contineant, eas sibi non facere fidem.*

Martinus Delrio libr. 4. Disquisit. Mag. cap. 1. quæst. 3. §. 4. eas à quibusdam in dubium vocari asserit. *Henricus de Hassia* (inquit) *& Sybillinus ambo Catholici, ambo religiosi, sed nonnihil audaces, negant, Revelationes D. Brigittæ debere haberi pro indubitanter veris certitudine morali, idque multis argumentis contendunt.*

Johannes Picus Mirandulanus aliud argumentum affert, videlicet *in Revelationibus illis haberi contradictoria.*

Salmeron Disput. 52. in cap. 5. Rom. §. Septimum. de Cajetano itidem memorat, quod *revelationes illas oppugnarit.* In comm. 1. Joh. 3. vers. 24. de illis argumentis subjicit, *fœminam esse, per quam Dæmon primum hominem deceperit.*

Damascenus in libro de his, qui in fide migrarunt, non solum refert de Trajano & Falconilla liberatis ex inferno per orationem Gregorii & Theclæ, sed etiam addit ex Historia Palladii ad Lausum, *S. Macario aliquando percunctanti cranium aridum cujusdam idololatræ, an eis prodessent preces viventium? responsum fuisse ex cranio: Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.*

Sed Bellarminus lib. 2 de purgator. cap. 18. §. ad quartum; respondet, *ut falsa & Apocrypha esse rejicienda, quæ afferuntur de illo cranio, cum in libro Palladii tale aliquid non inveniatur, nec sit verisimile, Macarium orasse pro infidelibus.*

Eccius homil. 1. Domin. 3. Advent. citat *apparitionem Hieronymi factam ipsius discipulo Eusebio, in qua jubebatur cilicium, quo vivus usus fuerat Hieronymus, poni super corpora trium mortuorum, qui ex eo reviviscentes purgatorium confirmarunt.* Sed ostendimus superius cap. 13. multos ex ipsis Pontificiis Epistolam illam Eusebii de morte Hieronymi ad Damasum, ex qua revelatio illa desumta est, suppositititiam judicare.

Bellarmin. lib. 1. de purgat. cap. 11. cum recitasset aliquot apparitiones, *subjungit, multa similia exempla reperiri apud Vincentium lib. 23. Speculi Historialis, in Revelationibus Brigittæ &c. Sed quæ attulimus,* inquit, *sunt magis authentica* (innuit ergò, cætera minus authentica esse, ac proinde eorum fidem esse suspectam.)

Si Revelationes *Brigittæ, Hildegardis* & similes acceptare volunt, accepterent etiam, quod Hildegardis de Monachorum interitu prophetavit, dicens: *Muneribus & donationibus cessantibus tanquam canes famelicos circumvolitaturos.*

Accepterent, quod Brigitta prædixit, *Ecclesiam Romanam instar alicujus condemnati à judice futuram, cui pellis detrahenda, & caro in partes secanda.*

Accepterent, quod *Catharina Senensis* de tali Ecclesiæ reformatione & pastorum renovatione locuta est, *cujus solius recordatione Spiritus ipsius in Domino exultaverit.*

6. Quod agnoscunt, non fuisse animam Samuelis, sed spectrum Satanicum quod Sauli apparuit: (quo tamen exemplo animarum apparitiones Salmeron, Bellarminus, & alii vel maximè confirmant.)

c. Nec mirum: caus. 26. quæst. 5. ex Augustino. *Indignum omnino facinus est, si secundum verba Historiæ illius commodetur assensus. Quomodo enim poterat fieri, ut arte Magica attraheretur vir & nativitate sanctus & operibus vitæ justus? aut si non attractus est, consentit? quorum utrumq; de justo credere adversum est. Nullum enim suffragium habet justitia, si attractus aut voluntarius consensus amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsierat, quod valde absurdum est, quia, qui hinc justus recedit, permanet justus. Porrò hoc est præstigium Satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos habere se in potestate confingit, quod Apostolus inter cætera ostendit, dicens: Ipse Satanas se transfigurat in Angelum lucis. Ut enim errorem faceret, in quo glorificaretur, habitu viri justi & nomine se subornavit, ut nihil proficere spem, quam prædicabant Dei cultores, mentiretur, quoniam hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saulis & filii ejus non sit mentitus; quasi magnum sit Diabolo ante occasum mortem corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris, quippe à quibus Dei protectio amota videtur, quantò magis Diabolo, quem Angelica potestate sublimem Prophetica oracula fuisse testantur, de cujus magnitudine Apostolus ait: An ignoratis altitudinem Satanæ? Quid mirum ergò si imminentem prope mortem potuit prævidere, cum hoc sit, unde fallit, & se in Dei potestate vult adorari?* Et postea. *Si Samuel ille verè apparuisset, non utiq; vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat, Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, diceret ad virum pestilentem & dignum ardore gehennæ, Cras mecum eris? His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus Satanas, quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra legem, & virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum & justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verum potest dici, verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum Diabolo futurus erat, ad eum enim transmigravit, quem adoravit. Semper ergò Diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit, quæ hæreant personis, per quas fallere nititur.*

Thomas p. 1. q. 89. art. 8. resp. ad 2. & 2. 2. q. 5. art. 4. non abhorret ab illa sententia, *quod non verè spiritus Samuelis à requie sua excitatus sit, sed aliquod phantasma & illusio imaginaria, Diaboli machinationibus facta, quam Scriptura appellet Samuelem, solet enim imagines rerum suarum nominibus appellare.*

Joh. Satisberiensis in Policratico lib. 2. cap. 26. multis argumentis probat, *non fuisse verum Samuelem, sed spectrum.*

Petrus Comestor in Hist. Schol. & Hugo super 1. Sam. 28. statuunt, *quod non verè anima Samuelis evocata, sed ejus corpus exhumatum fuerit, & in propriam figuram attractum ad pythonissam & Saulem: Et hæc,* inquiunt, *est causa, ob quam periit cognosci esse Samuel, ille, qui apparebat, quia erat verum corpus ejus.*

Raynerius tom. 1. pantheologiæ pag. 174. *Sauli petenti à pythonissa, ut divinaret & Samuelem suscitaret, non apparuit Samuel, qui à quiete sua non est excitatus, sed aliquod phantasma & illusio imaginaria Diaboli machinationibus facta est, quam Scriptura Samuelem appellavit, sicut imagines rerum suarum nominibus aliquando appellantur.*

Bellarm. lib. 2. de purgat. cap. 6. §. Respondebunt. *Non verum Samuelem, sed Diabolum in forma ejus apparuisse docent Tertullianus lib. de anima prope finem, Autor quæstionum apud Justinum q. 52. Autor quæstionum V. T. quæst. 27. apud Augustinum, Autor libri de mirabil. Script. lib. 2. cap. 11. Procopius & Eucherius in 1. Reg. cap. 28. Isidorus libr. 8. etymolog. cap. 9.* (Potuisset addere Augustinum lib. 2. ad Simplician. q. 3 Basilium in cap. 8. Esai. tom. 3. p. 444. Eliam Cretensem in orat. 1. Nazianz &c. Anastasium quæst. in Script. 37. Cyrillum Alexandrin. de adoratione Spiritus citatum à Canisio de Maria virgine libr. 5. cap. 21. Chrysostomum homil. 3. in Titum. Bedam in cap. 16. Actor. Rabanum de præstigiis Dæmonum. Glossam ordinar. in 1. Samuel. 28. & Esa. 29. Anshelmum Laudun. in 1. Sam. 28. Rupertum in lib. Regum lib. 2. cap. 17. Zonaram tom. 1. Annal. ex Hebræis R. David Kimchi & R. AbenEzra in hunc locum.)

Franciscus Ruizius in regulis intell. Scripturas format talem regulam, quæ est numero 15. quod *Scriptura verarum rerum nomina tribuat rerum similitudinibus*, eamque declarat hac personati *Samuelis* Historia.

Leloyerius lib. 4. de spectris cap. 1. multis argumentis demonstrat, *non fuisse verum Samuelem* (quem hoc nomine insectatur Martinus Delrio lib. 2. Magicar. Disquis. quæst. 26. sect. 4. p. 238.)

August. Torniellus in Annalib. Anno mundi 2979. n. 7. *De quæstione, utrum apparitio Saulis fuerit realis & vera, an imaginaria & à Dæmone conficta, tres circumferuntur opiniones: Prima est quorundam ex antiquis Scriptoribus, quos citat Cardin. Bellarminus lib. 2. de purgat cap. 6. nimirum Autoris quæstionum apud Justinum quæst. 12. Item Autoris quæstionum V. T. apud S. Augustinum q. 27. & Autoris librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 11. & Tertulliani lib. de anima prope finem, & Procopii & Eucherii super 1. Reg. cap. 28. & Isidori lib. 8. Etymolog. cap. 9. Isti putant non esse credendum, quod Samuel potuerit cogi à pythonissa, aut quod invo-*

catus sponte venerit, quia sic artem Necromantiæ videretur confirmasse. Et si ille, qui apparuit, verè fuisset Samuel, non se, inquiunt, adorari permisisset, sicuti fecit umbra illa, neq; dixisset: Cras tu & filii tui mecum eritis, quippe qui sciret, Saulem jam à Deo fuisse reprobatum, & propterea animam ejus non in sanctorum Patrum limbo, ubi erat ipse Samuel, sed in infernum fore descensuram. Et postremò, quia in eod. Reg. cap. v. 6. dicitur, Deum noluisse respondere Sauli per Prophetas. Ergò neq; per Samuelem, quia erat Propheta. Alii putant, utrunq; posse admitti, videlicet quod vel fuerit Samuel, vel Dæmon in forma Samuelis. Et hujus secundæ sententiæ autorem faciunt Augustinum lib. 2. ad Simpl. q. 3. quem sequi videntur Rabanus, Hugo Cardinalis & alii. Tertia demum sententia fuit, quod verè fuerit Samuel, qui Sauli apparuit. (Tertiam hanc sententiam Torniellus quidem vocat *communiorem & veriorem*, priores tamen duas non repudiat, sed *veterum & recentiorum* suffragio eas gaudere fatetur.)

Martinus Delrio lib. 2. Disquis. Magicar. q. 6. *Hoc de suscitato per Pythonissam Samuele, illusoriis annumerant, qui volunt, non ipsam Samuelis animam, sed Dæmonem larvatum ac subdititium advenisse, Scriptores sanè graves hoc arbitrati.* Hos autem graves viros in margine enumerat hoc ordine, *Tertullianus libri de anima cap. 37. Cyrillus lib. 6. de adorat. in Spiritu, Anastasius quæst. 37 in Scripturam, Autor quæstionum à gentilibus propositarum, qui falsò dicitur Justinus Martyr. quæst. 57. Autor librorum de mirabilibus Scripturæ lib. 2. cap. 2. & libr. quæstionum V. & Nov. T. q. 27. qui libri non sunt Augustini. Ipse tamen Augustinus videtur huc inclinare in responsione ad quæstiones Simpliciani, & ad quæstiones Dulcitii. Apertè vero tenuit D. Isidorus, Basilius in cap. 8. Esaiæ, Eucherius, Beda & Hildegardus & Saruberiensis 2. polycratici capit. 22. & ambigens non parum D. Thomas non uno loco.* (Sic ergò decem testibus, quos Bellarminus producit, possumus opponere quatuordecim testes, quorum suffragium Delrio nobis largitur, & tamen omisit *Philastrum* de hæres. cap. 26. *Gregorium Nyssenum* in Epistola ad Theodosium de ventriloqua, *Theodoretum* q. 62. in 1. Reg. *Procopium* in ill. locum. Omisit *Paulum Brugensem* in addit. ad Lyran. super h. l. *Gratianum* c. Nec mirum. caus. 26. quæst. 5. Omisit *Johannem de Turrecremata* in illum canonem. Omisit *Augustinum Steuchum* de perenni Philosophia lib. 8. capit. 37. *Johannem Arboreum* Theosophiæ lib. 17. cap. 5. *Cajetanum* 2. 2. quæst. 95. art. 4. qui omnes vel negant vel dubitant, fuisse Samuelis animam. *Adverte*, inquit, *Cajetanus, quod istorum duorum modorum dicendi, quos ex Augustino Autor affert, neuter videtur certus, & uterq; per se habet favorem. Quod enim verè fuerit anima Samuelis Eccles. 46. dicitur, quod verò fuerit Dæmon in forma Samuelis, in Decretis habetur ex Augustino de Civ. Dei. Sub judice ergò lis est.* Postremum hoc, *sub judice lis est*, repetit Pamelius in annotat. ad libr. Tertulliani de anima.)

Jodoc. Coccius tom. 1. Thesauri lib. 5. art. 10. *Tertullianus lib. de anima cap. 57. Justin. q. 52. Augustinus lib. 2. ad Simplician. q. 3. sentiunt, animam Samuelis non verè, sed solum Dæmoniacum spectrum apparuisse.* (Subjicit quidem, illos suam opinionem retractasse, sed hoc facilius dicitur, quam probatur.)

Bellarminus inter testes suæ sententiæ numerat, 1. *Hieronymum*, in cap. 7. Esai. & in cap. 13. Ezech. Atqui ille aliorum duntaxat refert sententiam, nec dicit, Samuelem suscitatum, sed *visum suscitari*, unde posterior locus Hieronymi citatur in Glossa ordinaria Lugdunensi inter illos testes, qui negarunt, ipsum Samuelem suscitatum.

2. *Basilium* in Epist. ad Eustathium. Atqui illum ipsum Martinus Delrio libro 2. Disquis. Magic. cap. 6. recenset inter oppositum sentientes propter manifestum locum in capit. 8. Esaiæ.

3. *Augustinum.* Atqui Paulus Brugensis contra Lyranum Augustini sententiam vindicat. *Rectè intuenti*, inquit *verba Augustini, manifestè constat, de mente illius esse, quod ipsa apparitio Samuelis fuisset præstigiosa & Dæmoniaca. Nam in Epistola ad Simplicianum, quæ super hunc passum in glossa ponitur, licet duos modos dicendi proponat, non tamen æqualiter. In illo enim modo ubi dicit, quod Spiritus Samuelis apparuisset, talia autem verba ponit, scilicet non est absurdum credere, aliqua dispensatione permissum fuisse. Quæ quidem verba si ponderentur, non asserunt, non esse inconveniens neq; falsum, hoc dicere: sed solum dicunt, non esse absurdum. Multa enim non sunt absurda, quæ tamen sunt falsa, vel inconvenienter dicuntur. In capite verò, Nec mirum, per Postillatorem allegato, totaliter & indistinctè tenet unam partem, scilicet, quod non Samuel secundum veritatem apparuit, sed Dæmon in ejus specie. Cùm igitur secundum veritatem hæc sit propria opinio Augustini, & non sit alius de Doctoribus Ecclesiæ approbatis, qui oppositum videatur tenere, satis debet sufficere autoritatem, etiamsi per Ecclesiam hic non determinetur.*

Ad argumentum, quod pro contraria sententia ex Ecclesiastico Bell. adducit, resp. Cornel. Jansenius in Sirac. cap. 46. *Autor,* (Siracides) *hic secutus est Historiæ narrationem. Proinde sicut illa loquitur de imaginario & phantastico Samuele tanquam de vero, qualem suo merito decepti Pythonissa & Saul esse crediderunt; ita & iste. Nec obstat, quod in laudem Samuelis hic istud asseratur, quia ad laudem illius hoc facit, quod in illius & bonitatem & veritatem Saul in summa consistens desperatione confisus sit, quodque illius merito Deus per malignum spiritum ab Angelo edoctum veritatem prædicare & revelare voluerit, ut ob id quasi Samuel ipse futurorum eventum prædixerit, quia propter illum veritatem prænunciari & prophetari permiserit.*

Ad reliqua Bellarmini argumenta facilis est responsio. Urget 1. verbum ידע *Intellexit Saul, non autem putavit vel cogitavit, esse Samuelem.* Resp. Lyranus ad illum locum sic annotat. *Intellexit secundum veritatem, vel secundum apparentiam.* Et paulò post. *Ex figura & ætate & habitu sibi relatis per Pythonissam Saul conjecturavit, quod esset Samuel.*

2. *Phrasin Scripturæ*, quod semper vocetur Samuel. Resp. Franciscus Ruizius in regul. intell. Script. n. 15. format ejusmodi regulam, quod *Scriptura verarum rerum nomina tribuat rerum similitudinibus*, eamque declarat ex Augustino hac personati Samuelis Historia.

3. *Prædictionem futurorum.* Resp. Joh. de Turrecremata d. l. *Diabolus, ut dicit Augustinus, potuit ex aliquibus signis prævidere mortem Saulis, & sic veritatem dicere mortis ejus. Diabolus enim licet mendax sit, quandoq; tamen dicit veritatem, licet finis ejus sit fallere homines, ut per hoc trahat homines ad credendum aliqua falsa de eo.*

7. Quod agnoscunt, difficulter discerni posse; qui sint boni, qui vero mali Spiritus hominibus apparentes.

Martinus Delrio lib. 2. Disquis. Magic. quæst. 26. sect. 3. pag. 236. fatetur, *totam Spirituum discretionem ex divina potissimum revelatione dependere.* Tandem concludit, *Propterea tutius & præstabilius judico cum B. Augustino lib. de cura pro mortuis capit. 16. meam hic ignorantiam fateri, & discipulum me præstare, quam præscripti temeritate aliquid definire vel agere præceptorem, res enim hæc altior est, quam ut à me possit attingi, & abstrusior, quam ut eruere, & profundior, quàm ut vadare queam.*

8. Quod agnoscunt, à mortuis non esse inquirendam veritatem. (Ergò nec ex apparitionibus discenda.)

Maldonatus in cap. 16. Lucæ super verba: *Habent Mosen & Prophetas. Vult Christus vivos Scripturarum testimoniis esse contentos, nec à mortuis quid in altera geratur vita, audire velle.* Esa. 8. v. 14.

Cornelius Jansenius cap. 97. Concord. f. 596. *Observandum, quàm sacrosancta nobis esse debeat Scriptura sacra, ut quæ efficacior nobis esse debeat ad rectè vitam instituendam, quam quivis prædicator, etiamsi de cœlo atq; ex mortuis ad nos veniret, nunciaturus visa à se, aut experientia percepta. Deinde hanc ad ea, quæ de futura vita statu sunt cognoscenda, sufficientem esse, ut præter eam non sit opus optare adventum quorundam mortuorum, qui de illis nos plenius instruant.*

Fol. 597. *Postremum non optandum esse mortuorum ad nos adventum, quid de statu vitæ futuræ nos certiores faciant, sed Scripturæ auscultandum, quæ quantum est satis, nos docet, quæ maneant nos post hanc vitam, & certior sit, quàm cujusq; esset mortui testificatio.*

9. Quod fidem illorum, qui apparitiones animarum annotarunt, ipsimet in dubium vocent.

Bellarminus lib. 1. de purgatorio cap. 7. purgatorium ex *apparitionibus animarum, quæ se in purgatorio esse renunciarunt, atque opem à vivis implorarunt, probaturus*, producit Gregorium lib. 4. Dial. cap. 40. & 55. Gregorium Turonicum de gloria Confessorum cap. 5. Petrum Damiani Epist. ad Desiderium, Bedam in Historia Anglorum lib. 3. cap. 19. & l. 5. cap. 13. Bernhardum in vita Malachiæ, Guilielmum Abbatem lib. 1. de vit. Bernhardi cap. 10. Item Vitam Anshelmi, Vincentium Speculi Historialis l. 23.

(Atqui de Gregorio & Beda sic disserit Melchior Canus libr. 11. Locorum cap. 6. *Negare non possumus, viros aliquando gravissimos in Divorum præsertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quæ in re, ut mihi*

ut mihi quidem videtur, aut nimium illis sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt, quod vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed etiam impensè flagitare. Itaque signa nonnulla & prodigia Sancti quoque memoriæ prodiderunt, non quod ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis viderentur. Veteres excuso & sanctos & eruditos viros, quorum & libros & nomina volentem adscribere pudor me & religio vetaret, nisi contra veteres, ne mea hæc taciturnitas plerisq; causa esset, ut aut damnarent, quæ non intelligerent, aut errore vario circum sanctorum omnium Historias vagarentur. Atque Theologum etiam admoneri operæ precium est, ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni autores scripserint, undiq; esse perfecta. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Beda atq; Gregorio jure fortasse ac verè dicere possum. Quorum ille in Historia Anglorum, hic in Dialogis quædam miracula scribunt vulgò jactata & credita, quæ hujus præsertim seculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem Historias illas probarem magis, si eorum autores juxta præfinitam normam severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent.

De Gregorio Turonensi sic judicat Baronius Anno 109. §. 49. Sed hæc, sicut alia plura, autoris simplicitati multa tam facilè admittenti donanda sunt, prout etiam Hilduinus excusat, sic dicens. Cæterum parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turonensis Episcopi, qui multa aliter, quàm veritas se habet, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis & simplicitatis voto literis commendavit.

In Petro Damiani Bellarmino ipsimet in libr. de script. Eccles. non admodum probatur, quod in Epist. ad Dominic. cap. 5. narrat, animas defunctorum die Dominico refrigerium pœnarum videri habere, & in figura avicularum de lacu inferni exire cerni.

10. Quod quædam de apparitionibus Historiæ semetipsas sua absurditate refellant.

Antonius part. 3. Hist. tit. 10. cap 11. de Ambrosio memorat, quod cum Mediolani divinis rebus assisteret, simul se Turoni exequiis D. Martini interfuisse testatus sit.

(Atqui Ambrosius decessit anno trecentesimo nonagesimo septimo, Martinus quinque annis serius, nempè quadringentesimo secundo, teste Baronio. Quomodo igitur Ambrosius simul Mediolani divinis rebus assistere, & Turoni exequiis Martini interesse potuit?)

In Legenda aurea capit. 100. de Frontone Petracovicensi memoratur, quod cùm Missam celebraret, subitò deductus à Christo ad funus sanctæ Marthæ Taruscum in provincia, & vix excitatus à Diacono, Cur excitastis? inquit: Dominus Jesus Christus ad corpus Marthæ hospitæ suæ me duxit, & ipsam tradidimus sepulturæ. Dirigite igitur illuc velociter nuncios, qui nobis annulum nostrum aureum & chirothecas griseas deferant, quæ dum ad corpus sepeliendum me aptarem, sacristæ commendavi, & ex oblivione demisi, quod me tam citò excitastis.

11. Denique huc referenda dicta omnia, quæ de Scripturæ perfectione in tradendis fidei articulis testantur, quæ adducta sunt lib. 1. part. 1. cap. 1. (Ex ea enim probatur, non esse opus vel novis revelationibus vel apparitionibus.)

Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 2. §. Quare &c. Cum Scriptura sacra regula credendi certissima tutissimaq; sit, sanus profectò non erit, qui ea neglecta Spiritus interni sæpè fallacis, semper incerti judicio se commiserit.

Idem lib. 4. de verbo Dei cap. 9. §. 2. Ecclesia nunc non regitur novis revelationibus, sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi, qui fuerunt ministri sermonis, & propterea dicitur Eph. 2. ædificata super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.

Lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 5. resp. ad 6. object. Non est de rebus, quæ pendent à divina voluntate, aliquid asserendum, nisi Deus ipse in Scripturis sanctis tale aliquid revelaverit.

CAPUT XVIII.

De Ratione Naturali.

Ut ex revelationibus & apparitionibus quosdam; ita ex ratione naturali longè plures fidei articulos Pontificii confirmant. Esto igitur

Thesis. In fidei mysteriis ratio naturalis non præbet immotum & infallibile fundamentum, sed de pronunciatis humanæ rationis judicandum ex Scripturæ sacræ oraculis.

Ἐκθεσις. 1. Non est quæstio de usu Philosophiæ organico, quem commendamus. 2. Nec est quæstio de usu tum κατασκευαστικῷ, tum ἀνασκευαστικῷ in propositionibus Naturæ quodammodo notis, ad quarum cognitionem intellectus humanus per κοινὰς ἐννοίας & discursum ex inspectione creaturarum deductum assurgere potest, quales sunt, esse Deum, esse ipsum bonum, justum &c. 3. Nec est quæstio de qualicunque illustratione articulorum fidei ex lumine Naturæ & rationis petita, postquam illi ex Scripturis sunt sufficienter confirmati, sed de novorum fidei articulorum extra Scripturam confirmatione. (Thomas distinguit inter rationes fidem *præcedentes* & *sequentes*, quod eodem redit.) 4. Nec est quæstio de ratione intra orbem verbi divini conclusa & castigata, sed de ratione soluta & sibi relicta; non de ratione per verbum Dei refrenata & sub obsequium Christi restricta, sed de ratione, quæ sine freno discurrit, ac suis fertur logismis præter & extra verbum; non de ratione considerata in opibus, quas sinu suo aliunde, nempe è revelatione divina, excipit, sed de ratione in opibus suis, quas suopte ingenio, suis usa principiis, ut sunt communes notiones, sensus, experientia, inductio, acquisitas habet. 5. Nec est quæstio de consequentiis ex Scriptura, unico illo & proprio Theologiæ principio, deductis, sed de conclusionibus ex principiis naturalibus deductis.

Antithesis. Pontificios rationem naturalem pro religionis principio agnoscere, patet tum ex *Theoria*, tum ex *Praxi*. Ad Theoriam pertinet, primò, quod rationis judicium inter fidei principia referunt. Gregorius de Valentia lib. 8. Anal. cap. 5. recensens quædam documenta, *ad Scripturam intelligendam & res fidei decidendas utilia*, inter ea quoque numerat *rationem naturalem. Sextum*, inquit, p. 191. *documentum est, ut consulatur etiam ratio naturalis.*

Idem Greg. de Val. lib. 1. de sacrif. Missæ cap. 4. §. Ego verò &c. copiosè disputat, *non esse omnino aspernandum naturale judicium in materia cultus.*

Collocutores Jesuitæ in Colloq. Ratisb. effatum D. Hunnii, *quod lumen rationis in spiritualibus cæcum sit*, inter *paradoxa* retulerunt sess. 2. p. 52.

Secundò, quod in genere disputant, *summa fidei mysteria non esse contra rationem.* (Sanè propriè & per se mysteria fidei non sunt contra rationem, quia quando ratio se continet intra suam sphæram & agnoscit, quæ sunt meræ revelationis & fidei, ea non esse ad rationis trutinam æstimanda, tunc mysteria non sunt contra rationem; sed quando ratio non continet se intra suam sphæram, sed judicium sibi sumit de illis, quæ sunt meræ revelationis ac puræ fidei, ac de illis pronunciare cœpit ex suis naturalibus principiis, non ex verbi præscripto, tunc ex accidenti fit, ut mysteria fidei fiant contra rationem, videlicet temere & præposterè ea oppugnantem.) Salmeron. tom. 1. prolegom. 17. pag. 330. *Ratio naturalis fidei nequaquam adversatur, & fides non est contra, sed supra rationem, ideò fidei inservire potest.* pag. 331. *Ut unum & idem lumen sibi contrarium esse nequit, ita nec rationi fides. Sed quemadmodum lumen rationis & lumen sensus à Deo sunt homini tributa, nec sibi repugnant, etiamsi lumen sensus non pertingat ad omnia, quæ videt lumen rationis, sed debet sensus rationi subesse in his, quæ sunt hujusmodi; ita rationis & fidei lumina à Deo sunt, etiamsi lumen rationis non tantum perspiciat, quantum lumen fidei.* (Vera hæc sunt de ratione in rebus naturalibus, civilibus adeoque illis, ad quæ humana ratio ex principiis naturalibus assurgere potest; Item de ratione, quatenus per S. S. illuminata, lucem & ductum verbi sequitur; sed de ratione ex suis principiis novos fidei articulos extra Scripturam excogitante, vel fidei articulos in Scriptura propositos oppugnante, concedi non possunt.) pag. 337. *Intelligamus, nullam rectam rationem pugnare cum fide nostra, quia idem est autor Naturæ & legis & gratiæ.* Idem tom. 2. tract. 2. pag. 5. *Præmittendum est, nihil eorum, quæ fide accipimus, contra rationem esse sed potius supra rationem, ut Concilium Lateranense 3. definivit. Sess. 8. sub Leone.* Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 11. *Ecclesia Catholica nihil contra rationem docet.* lib. 2. de Justif. cap. 12. *Mysteria fidei superant quidem rationem, sed non repugnant rationi.* Gregor. de Valent. in anal. l. 1. cap. 4. p. 5. *Martyres nihil contra, quamvis quædam supra rationem crediderint.* cap. 12. p. 12. *Christiana doctrina nihil docet contra rationem, quanquam docet quidem supra rationem non pauca, sed quæ sunt tamen ejusmodi, ut ab argumentis omnibus ejusdem humanæ rationis, quæcunq; contra fiant, defendi haud difficulter possint.* Idem repetit lib. 8. analyt. c. 5. p. 101. in Th. tom. 3. Dis. 1. q. 1. punct. 4. p. 104. & alibi passim. Ut autem rectius intelligatur, quo sensu mysteria religionis negent esse contra rationem, accedendum jam est ad *praxin*, ex qua duo colligi possunt:

Primò, quod novos fidei articulos in Scriptura non revelatos, imò dogmata Scripturæ contraria ex ratione naturali probant. Sic regimen Ecclesiasticum debere esse Monarchicum, Bellarminus lib. 1. de Pontif. capit. 9. probat ex eo, quod regimen Monarchicum sit optimum. *Si Monarchia (inquit) est optimum ac præstantissimum regimen, ut supra docuimus, & certum est, Ecclesiam Dei à Sapientissimo principe Christo institutam optimè gubernari, quis inficiari potest, ejus regimen debere esse Monarchicum?*

Libertatem arbitrii in spiritualibus probant ex eo, quod *ratio secundum Aristotelem in Ethicis semper deprecetur ad optima.* Joh. Cochl. art. 18. August. Conf. in Harm. Fabricii pag. 293. *& quod omnia consilia, præcepta ac prohibitiones frustra proponantur, nec præmio, nec pœnæ locus ullus relinquatur, nisi detur liberum hominis arbitrium.* Eodem argumento utuntur Gregor. de Valent. tom. 2. in Thom. Disp. 8. q. 3. punct. 4. col. 1198. Jodocus Lorichius in Thesauro Theol. tit. Liberum arbitrium n. 2. p. 1304. Bellarm. lib. 6. de lib. arbitr. cap. 12.

Dari quædam consilia perfectionis probat Bellarminus lib. 2. de Monachis capit. 12. ex ratione naturali hoc modo: *Videmus, in qualibet re naturali duplicem esse perfectionem, unam necessariam ad esse, alteram ad bene esse; unam sine qua rei Natura non est perfecta; alteram sine qua non est ornata. Homo, si habeat animam & corpus, perfectus est, quod ad Naturam attinet, etiamsi alioqui deformis & imperitus atque improbus sit, at cum est elegans, politicus, formosus, doctus, probus, aliam quandam habet perfectionem. Ergò eodem modo homo Christianus duplicem habere debet perfectionem, unam necessariam ad esse, quæ consistit in præceptorum observatione, alteram necessariam ad bene esse, quæ consistit in consiliis.*

Hæreticos interficiendos esse, libro de Laicis cap. 21. probat ex eo, quia *tres causæ, propter quas ratio docet, homines occidendos esse, etiam in hæreticis locum habent.*

Purgatorium lib. 1. de purgat. cap. 11. §. Tertia ratio &c. probat ex communi opinione omnium gentium, *quia purgatorium confitentur Hebræi, Mahumetani, gentiles, iique tam Philosophi, quàm Poetæ,* cujus argumenti nervum sic constringit. *Illa, in quibus omnes ferè nationes conveniunt, vix possunt aliunde provenire, quam à naturali lumine omnibus hominibus commune.* Et postea. *Videmus ex iis, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos & mediocriter malos, quocirca judicamus naturali lumine, esse post hanc vitam pœnas æternas pro valde malis, præmia æterna pro valde bonis, ac pœnas temporarias & per eas transitum ad præmia pro iis, qui sunt mediocriter mali, vel boni. Hanc rationem secutus est Plato & alii, qui solo lumine naturali præditi purgatorium esse confessi sunt.*

Transsubstantiationem lib. 3. de Eucharist. cap. 22. probat ex convenientia rationis. *Ratio (inquit) indicat, omnino conveniens fuisse, ut substantia panis recederet & accidentia remanerent.* Item, ex canonibus Logicis malè applicatis. *Disparata de se invicem affirmatè non prædicantur;* Item *in prædicatione affirmativa necesse est, ut pro eodem supponant subjectum & prædicatum;* Idem urgent Jodocus Ravenstein Tiletanus part. 2. Apol. contra Chemnic. capit. 4. Duræus in Confut. Witaker. pag. 601. Bellarm. libr. 3. de Euchar. capit. 19. Becanus libr. Manualis capit. 3.

Satisfactiones humanas probat Bell. l. 4. de pœnit. c. 5. §. altera ratio &c. ex eo, quod sit *maximè consentaneum rationi, ut si Deus ex misericordia peccata condonet, etiam justitiæ, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit. Par igitur esse, ut ad expiandam pœnam temporalem per Christi gratiam idonei effecti ipsimet, qui Deum offenderamus, iidem nostra labore satis faceremus.* Legem Dei in hac vita perfectè implere posse lib. 4. de Justif. cap. 13. probat hac ratiocinatione. *Si præcepta essent impossibilia, neminem obligarent, ac per hoc præcepta non essent præcepta. Neque enim fingi potest, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitare non potest.* Sexcenta hujus generis ex Scholasticis & recentioribus Pontificiis adferri possent. Communionem sub una specie probant ex eo, quod *corpus vivum non sit sine sanguine.* Invocationem sanctorum probant ex eo, quod *ad Principem politicum sine persona media nemo accedat;* Justitiam coram Deo consistentem esse habitualem & actualem, probant ex eo, quod *virtus Ethica in habitu consistat.*

Sacrificium Missaticum probant ex ratione naturali. Sic enim disserit Gregorius de Valentia libr. 1. de Missa capit. 4. pag. 698. *Quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Missa est bonum & sanctum sacrificium, sive ratione ejus, cui offertur, qui est Pater æternus; sive ejus à quo; principaliter, qui est ipse Christus; ministerialiter, qui est Sacerdos: sive ejus quod, qui est iterum Filius Dei; sive ejus pro quo, qui sunt fideles; & cujus gratia, gloriam Deo dare; quem finem per sacrificium esse consequendum lex naturalis & judicium rationis, quod non aspernandũ in materia cultus, suadent.*

Ibid. pag. 699. *Natura nostra ratio dictat convenire, quia animo & corpore præstat, Deo corporis etiam præstet obsequium, corpoream aliquam rem ad ipsius majestatem, tanquam autorem omnium protestandam conficiendo. Certum est autem, animum nostrum ad vitam æternam translatum, perfectissimum, consummatissimumq; sacrificium laudis ad majestatem Dei omnium autoris, piorumq; liberatoris protestandam oblaturum.*

Inde idem Gregorius de Valent. lib. 1. de Miss. sacrif. cap. 4. in genere sic scribit *Quod judicium rationis à disputatione de religione tanquam omnino cæcum, quod nullam in his rebus unquam facere fidem queat, prorsus repellatur, hoc verò neq; idipsum judicium, quo in his etiam rebus quotidie utimur, neq; Scriptura sacra ferret.* Ibid. asserit. *quod rationis dictamen rectè præscribere atq; injungere Dei cultum possit.*

Lib. 2. de Missa capit. 4. evincere conatur, *quod cultus recta rationi consentaneus Deo displicere nequeat, licet ab eo præceptus non sit;* ac Anonymus quidam in notis ad Epist. Hunn. pag. 12. *Effata* inquit, *Hunniana partim impia, partim absurda, partim imperita, partim asystata. Agmen agat hoc, ex quo cætera omnia: Ratio est cæca.*

Secundò, quod veros & antiquos fidei articulos in Scriptura revelatos repudiant, propterea quod rationi adversentur. Justificationem per solam fidem rejiciunt, quia hoc dogma sit contra rationem. Bellarm. lib. 4. de notis Eccles. cap. 11. §. Sectarii. *Sectarii nostri temporis docent, omnem hominem justificari sola fide speciali, qua quisq; certò credit, se propter Christum coram Deo esse justum, quod cum quolibet paradoxo comparari potest, non enim id est supra vel præter rationem sed planè contra omnem rationem.* Concupiscentias pravas, ad quas nondum accedit voluntarius consensus, peccata esse negant, quia hoc sit contra rationem. Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 6. §. Secundo dicit. *Asserit Melanchthon, involuntarios motus esse peccata, imò etiam naturalem propensionem & naturales potentias, quibus caro concupiscit contra Spiritum, vult esse peccata, quod est contra omnem rationem, nomine enim peccati omnes intelligunt actum malum & voluntarium.* lib. 5. de statu peccati cap. 9. *Propter naturalia nemo justè reprehendi potest, ut si quis cæcus nascatur aut fatuus &c. Et postea. Concupiscentia in pueris, amentibus & dormientibus peccatum non est, quia non est in potestate eorum non concupiscere.* (Quid ergo dicemus de peccato originis?

Justitiam Christi nobis non imputari probat lib. 2. de Just. cap. 7. §. quartò &c. hac ratiocinatione. *Ita imputari nobis Christi justitiam, ut per eam formaliter justi nominemur & simus, id nos cum recta ratione pugnare contendimus. Nam tametsi aliquando denominatio fiat à forma extrinseca, quo modo res dicitur cognita per cognitionem, quæ est in mente, & paries dicitur visus per visionem, quæ est in oculo, tamen cùm in aliquo sunt duæ formæ contrariæ, una inhærens, altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta sumitur ab inhærente forma potius, quam ab extrinseca. Si quis enim Æthiopem candida veste indueret, non rectè diceret, hic Æthiops est albus, sed contra rectè diceret, hic Æthiops est niger &c. Sic igitur si hominem verè impium & injustum per inhærentem injustitiam induas per apprehensionem & cogitationem justitiæ Christi, non rectè pronunciabis eum justum, sed impium & injustum justissimè nominabis.*

Lib. ejusd. cap. 11. *Quod unus sit justus, quia alius est justus, est omnino inauditum, & non tam supra, quàm contra omnem rationem.*

Censor. Colon. contra Monhemium Dial. 2. pag. 35. & Dial. 5. p. 154. Pontificiam de justificatione doctrinam probant ex *Aristotele* lib. 2. Topicor. cap. 1. & *ad Arabes Græcos & Latinos ejus Interpp.* provocant. In Colloq. Ratisbon. proximo contenderunt, infantes baptizatos non habere fidem, cùm *lachrymis & corporis motu renitantur.* Plura hujus generis ubivis occurrunt.

Probamus autem nostram sententiam, 1. quia in reb. fidei nuspiam remittimur ad judicium rationis, sed unicè ad verbum in Scripturis patefactum. 2. ratio humana per lapsum ac post lapsum est excœcata, vanitate, erroribus ac tenebris implicata in rebus spiritualib. & divinis judicandis. Ps. 62. v. 10. Rom. 1. vers. 21.

7.21. 1.Cor.1.v.19.cap.2.v.14. 2.Cor.1.v.12. Eph.4.v.17.&c.3. etiam in naturalibus & civilibus, judicio rationis & sensuum expositis, miserè quandoque caligare deprehenditur, quanto magis in supernaturalibus ac spiritualibus judicium ejus est incertum Eccles.8.v.17. Sap.9.v.16. Joh.3.v.12 &c. 4. inde jubemur eam *captivare sub obsequium Christi* 2.Cor.10.v.5. proinde non debemus ei judicium de rebus fidei ex propriis principiis permittere. 5. mysteria fidei captum humanæ rationis excedant, ipsius igitur judicio subjici minimè debent. Matth.11.v.27. Joh.1.v.18. 1.Cor.2.v.14.&c. 6. Si de rebus fidei ex principiis rationis judicium faciendum esset, multi articuli fidei in dubium vocarentur, utpote articulus Trinitatis, incarnationis, resurrectionis mortuorum &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, de rebus fidei ex proprio fidei principio, videlic. ex Scriptura sacra, unicè judicandum esse, quæ dicta allata sunt lib.1.part.1.cap.1.&2. (Si enim Scriptura sacra est perfecta fidei & vitæ regula, utique ex illa sola, non autem ex ratione naturali, discendum, quæ dogmata pro articulis fidei habenda, quis cultus Deo placeat.)

Bell.lib.1.de V.Dei cap.2. *Cum Scriptura sacra regula credendi certissima tutissimaque sit, sanus profecto non erit, qui eâ neglecta Spiritus interni, sæpè fallacis, & semper incerti judicio se commiserit.*

Lib.4.de verbo Dei cap.9. *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur.*

Lib.6.de amiss. gratiæ & statu peccati c.3. *Non est de rebus, quæ pendent à divina voluntate, aliquid asserendum, nisi Deus ipse in Scripturis tale aliquid revelaverit.*

2. Quod in mysteriis fidei rationem audiendam esse negant, ac proinde,

3. Agnoscunt, credenda esse non solum ea, quæ sunt supra rationem, nec possunt ratione comprehendi, sed ea etiam, quæ si ejus judicio subjiciantur, videntur rationi humanæ adversari, adeoque esse contra rationem, modò ex Scripturis possint probari.

Bernhardus Epistol.190. ad Innocentium. *Ponit Petrus Abailardus in cœlum os suum & scrutatur alta Dei &c. & dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ supra rationem & contra rationem, præsumit & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quod quis non possit ratione attingere? Laudatur Maria, quod rationem fide prævenit & punitur Zacharias, quod fidem ratione tentavit.*

Lombard.lib.3.sent.dist.22.lit.A. *Christus, licet homo mortuus fuerit, erat tamen in morte Deus homo, nec mortalis quidem nec immortalis, & tamen verè erat homo. Illæ enim hujusmodi argutiæ in creaturis locum habent, sed fidei Sacramentum à Philosophicis argumentis est liberum.* Confirmat illud dicto Ambrosii lib.1.de fide cap.5. *Aufer argumenta, ubi fides quæritur. In ipsis Gymnasiis suis jam Dialectica taceat, Piscatoribus creditur, non dialecticis.*

Glossa in can.5. dist.1. *Multa sunt contra rationem & tamen congruunt religioni.* (Index Expurgatorius in Censura super gloss. Juris Canonici jussu Pii V. Anno 1572. edita hoc deleri jussit.)

Biel.1.sentent.dist.19.q.2. ex Hilario. *Quod non est homini intelligibile, id Deo est possibile.*

Vincentius Ferrariensis Valentinus Theol. serm.1. in festo corpor. Christi. *Gubernando vos per regulas Philosophiæ in Sacramento oportet errare & deficere.*

Alphonsus de Castro lib.1.adv.hæres.cap.2.fol.4. *Scripturarum testimonia sunt prima in hac scientia* (Theologica) *principia &c. Hæc est torrens, unde David lapides sumsit, quibus superbum Goliath prostravit. Arma Saulis, quæ magis gravant, quàm juvant, ratiocinationes sunt ex humana prudentia manantes. Unde patet, miserè errasse Felicianum hæreticum Arianum dicentem, in causa fidei magis rationibus, quam Scripturarum testimoniis utendum esse. Illa enim, circa quæ fides nostra versatur, supra omnem rationem sunt, nec ad ea investiganda nostri intellectus lucernula sufficit lumen effundere sufficiens.*

Lib.4.adv.hæreses, verbo *Christus*, hæres.2. *Etsi Aristoteles dicat, similitudinem fundari in qualitate & non in substantia, tamen sacra Scriptura non est alligata regulis Aristotelis, quæ sæpenumerò vocat similia illa, quæ sunt ejusdem speciei.*

Lib.5.adv. hæres. verbo, *Deus*, hæresi 5. *Cum Trinitatis & unitatis mysterium tam altum sit, ut humanum & Angelicum superet intellectum, hic oportet captivare intellectum nostrum in obsequium fidei. Quapropter superfluum est, imò ridiculum, rationibus & argumentis hoc agere, sed solis Scripturarum testimoniis.*

Et postea. *Quantò magis nitimur ad hoc mysterium solâ ratione investigandum, tantò minus cognoscimus, & ob hoc ipsum Deum à nobis avolare facimus.*

Lib.5. adversus hæreses, verbo *Deus*, hæresi 7. *Taceant ergò Alogiani, & quæ non intelligunt, venerentur tanquam Sacramentum absconditum, & nolint res divinas ex capacitate sui intellectus metiri.*

Lib.7. adversus hæreses, verbo *Fides*, hæresi 1. *Certum est, maximam hæresium partem, imò verius dixerim, totam hæresium colluviem inde esse ortam, quia videlicet volunt hæretici concludere fidem intra limites nostri intellectus, ut illa non putent credenda, quæ intellectus noster non potest ratione comprehendere. Hic autem morbus, cùm fuerit omnibus hæreticis communis, solus tamen Petrus Abailardus morbum aperuit. Is enim, ut B. Bernhardus illi impingit Epist. 190. dixit, nihil esse credendum, quod excederet virtutem nostri intellectus.*

Et postea. *Si non sunt credenda ea, quæ sunt supra rationem, immeritò Paulus laudavit Abraham, quia contra spem in spem credidit &c. Si non sunt credenda, nisi ea, quæ ratione comprehendi possunt, tunc nostra fides pendebit ex humana sapientia.* Ibidem citat dictum Basilii in Psal. 115. *Fides supra omnem rationem scientiarum disciplinarumve animam sublimem trahit. Fides deniq; non geometricis aut necessariis nititur probationibus.*

Lib. ejusd. verbo *Futurum contingens. Causa hæresium potissima est, quòd fidem metiuntur juxta nostri intellectus potentiam, ita ut illa sola credenda putent, quæ eorum intellectus comprehendere potest.*

Lib. 1. adversus hæreses cap. 12. *Philosophi nunqam cedunt alicui, nisi manifestis argumentis & evidentibus id comprobetur, unde evenit, ut quæ eorum judicio non conveniunt, statim rejiciant. Ast fides talem argumentorum evidentiam non patitur, sed exigit captivitatem intellectus in obsequium Christi, ideò meritò ait Paulus: Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & sapientiam, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

Jacob. Schopperus Presb. Col. conc.2. in Evang. festi Innocentum p.201. *Cum Josephus antea tam admiranda de puero Jesu tum audivisset, tum vidisset, quod nempè altissimi Dei esset Filius, verus Servator & Christus Dominus; jamque tamen unius Tyranni dolum timere ac declinare per fugam cogeretur, potuisset vacillare fide ac cogitare, ementita esse omnia, quæ de ipso accepisset. Nam si is esset tantus ac talis, non illi opus esse, ut hominis Tyrannidem metueret, sed vel unico nutu posse ipsius reprimere ausus. Verum ille hujusmodi cogitationem non admisit &c. Docemur itaque, ut annunciato auditoque verbo Domini constanter credamus, etiamsi contra rationem quid habeat, & ei citra consultationem ac moram ipsis etiam factis obœdientiam omnimodam præstemus.*

Hieron. Floravantius lib.3. de Trinit. cap.2. in princ. *Veteres Theologi non fuerunt tam religiosi in distinguendis his nominibus contra & supra Naturam, sicut Theologi recentiores, non enim dubitarunt interdum asserere, multa in religione nostra fieri contra Naturam, ut constat ex Ambrosio in libro de his, qui mysteriis initiantur capite nono.*

Ludovicus Vives in comm. lib. 20. de civ. Dei cap. 20. ubi dixerat Augustinus, *credendam esse mortuorum resurrectionem, licet non comprehendamus, quomodo futura sit,* addit: *Hoc est unum ex dogmatibus pietatis, istud credendum, istud tuendum est. Rationem, qua id futurum sit, Deo relinquamus, & subjiciamus cervices nostras jugo suavissimo Christi in obsequium Dei. Satis est Christiano credere, hoc aut illud esse, fore aut fuisse, causas & rationes omnium illi noscendas dimittat, qui ut in apertissimis quidem & manifestissimis Naturæ rebus voluit nobis claras & apertas esse.*

Scaliger exerc.77. sect.2. *Quæ supra Naturam, non sunt ex legibus Naturæ æstimanda.*

Exerc 365. sect.3. *Tantò pejus quidam ex Theologis istis, qui veterum (Philosophorum, adeoque angustâ rationis humanæ) decempedâ immensos religionis nostræ agros metiri posse, sibi persuaserunt.*

Sect.9. *Interest & nostræ pietatis & Dei immensitatis, ea sentire, quæ sentire non possumus, sentire quidem in ipso, per ipsum, quæ per nos sentire nequeamus.*

Erasmus in Symbolo catech.2.p.43. *Si quis idiota tali Philosopho, qualis fuit Aristoteles, aut Pythagoras, aut si quis fuit doctior utroque, de materia prima, de rerum principiis, de infinito, aut de cœlestium*

lestium orbium magnitudine, motu, rique differenti obstreperet, ambigens de omnibus, quæ non posset assequi, nonne audiret arrogans & insaniens? At quantò major est insania, ideò non credere divinæ Philosophiæ, quod multa non assequatur humanus intellectus? Porrò inter Deum & hominem, quantumvis eruditum, discrimen est infinitis partibus majus, quàm inter hominem sapientissimum & rusticum stolidissimum.

Idem in Ps. 1. *Spiritus Scripturas docet, non Aristoteles; gratia, non ratio; afflatus, non Syllogismus.*

Idem Erasmus in præfat. Hilarii. *An non habiturus est consortium cum Patre & Filio & Spiritu sancto, qui nesciat ad Philosophiæ rationem expedire, quid discernat Patrem à Filio, quid ab utroque Spiritum sanctum, quid intersit inter Filii nativitatem à Patre, & Spiritus processionem? Si credo, quod traditum est, esse tres unius Naturæ, quid opus est operosâ disputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus persuadebitur. Atque hujusmodi periculosa curiositas fere nobis è Philosophiæ studio nata est, id quod non uno in loco testatur ille inter Latinos Theologos multò omnium doctissimus Tertullianus, quanquam & ipse Philosophiæ cumprimis callens.*

In Concilio Tridentino Catharinus, Marinarius & alii, qui certitudinem gratiæ tuebantur, ad rationes ab altera parte allatas respondebant, *non attendendum, quid Scholastici sentiant, cum sententiæ suæ firmamenta petunt à rationibus Philosophicis, quod Philosophia humana de instinctu divino malè judicare possit.* Petrus Suavis in Histor. Concil. Trident. lib. 2. pag. 234.

Cajetanus in Thom. part. 1. q. 22. art. 4. postquã expendisset rationes omnes, quib. Scholastici conantur contingentiam effectuum conciliare cum certitudine & infallibilitate præscientiæ, providentiæ, & concursus divini, subjungit: *Hoc ingeniolo meo satis rationabile videtur, tum propter rationem prædictam, tum quoniam, ut ait Gregorius, minus de Deo sentit, qui hoc tantum de illo credit, quod suo ingenio metiri potest. Nec propterea negandum aliquid eorum, quæ ad divinam immutabilitatem, actualitatem, certitudinem atque Universalitatem & similia spectare scimus, aut ex fide tenemus. Sed suspicor aliquid occultum latere, vel ex parte ordinis, qui est inter Deum & eventum prævisum, vel ex glutino inter ipsum eventum esse provisum arbitror: & sic intellectum animæ nostræ oculum noctuæ esse considerans, in ignorantia sola quietem illius invenio. Melius est enim tam fidei Catholicæ, quam Philosophiæ, fateri cæcitatem nostram, quam asserere, tanquam evidentia, quæ intellectum non quietant.*

Gaspar Ram Professor in Acad. Oscensium in lib. de div. prænotionibus Relect. 4. fol. 92. *Colligimus ex iis, si vix assequi possumus, quâ ratione inter se cohæreant immutabilitas & æternitas in Deo cum ipsius libertate, mirabile non esse, si efficacitatem divinæ causalitatis, quæ nihil amplius requirit, quam subordinationem essentialem ad primam causam cum libertate mutabilitatis, sive cum mutabilitate libertatis, non possimus evidenti ratione conciliare. Irridet quidam juniorum discipulos sancti Doctoris, eò quod, ut ipse loquitur, ad anchoram confugimus ignorantiæ, suadentes captivandum esse intellectum in obsequium Christi: at nos non erubescimus ea ignorare, quæ superant humanum captum.*

Johannes Ferus in cap. 22. Matth. pag. 175. *Sadducæi sunt, quotquot sensum carnis ad Scripturas sanctas adferunt & ex suo ingenio metiuntur divina, nec quicquam credere volunt, quod rationi contrarium videtur, quales sunt, qui negant corpus Christi in Sacramento, carnali imaginatione seducti, fieri scilicet non posse, ut idem corpus sit in cœlo & in Sacramento.*

Ibid p. 176. *Quid mirum eos errare, qui Scripturas nesciunt, ac soli rationi fidunt? Lucerna*, inquit David, *pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis. Est & altera causa erroris, incredulitas scilicet. Sunt enim, qui Scripturas quidem audiunt & legunt, sed non credunt, quin potius propriæ rationi credunt. Hoc igitur verbo, Erratis nescientes Scripturas, Christus omnes nos ad Scripturas & verbum suum invitat, quandoquidem ejus ignorantia causa sit erroris. Vult autem, ut Scripturas legens oculos rationis claudas, ac captives intellectum in obsequium Christi.*

Benedictus Justinianus tom. 1. Comm. in Epist. Pauli in 2. Cor. 10. fol. 177. super verba, *consilia destruentes. Callidas*, inquit, *argutasq; Philosophorum argumentationes, de quibus alibi plura. Evertuntur enim argumentorum machinæ fidei simplicitate, ut accidit in Concilio Niceno, in quo, ut scribit Ruffinus, miræ simplicitatis Episcopus, humanæ eruditionis penitus expers, acutissimum Philosophum ad fidem convertit.*

Idem in 1. Corinth. 2. v. 14. fol. 404. sic commentatur. *Animalis homo intelligitur is, qui humanâ ratione omnia metitur, nihilq; admittit, nisi quod sensuum adminiculo percipit, quos, ut ait Chrysostomus, in multis falli ac decipi necesse est. Nam quemadmodum, qui turrim quadrangularem eminùs aspiciunt oculorum prospectu decepti rotundam putant: Ita qui res à sensibus nostris remotissimas solius humanæ rationis intuitu contemplatur, miserandum in modum fallitur. Itaque rectè subjicit Apostolus, stultitia enim est illi.*

Et Postea. *Cùm careat Spiritu, intelligere non potest ea, quæ sine Spiritu non cognoscuntur. Nam, ut ait Chrysostomus, quæ dicuntur à divini verbi præconibus, fide indigent, nec humanis argumentationibus comprehendi queunt.*

Cornel. à Lapid. in comm. 2. Petri 3. v. 10. *Aristoteles solùm Naturam spectavit, juxta quam dixit, cælos esse incorruptibiles, quod verum est. Sed Sacra Scriptura præter Naturam tradit Dei decretum ac gratiam & gloriam, quâ Deus supernaturaliter homines, & propter homines cælos, totumque orbem reformabit, reformari autem nequit, nisi quod prius periit, id est, dissolutum & liquatum est. Fides ergò hoc corrigit, imò elevat Naturam, ac Sacra Scriptura Philosophiam, ac Paulus Aristotelem informat & perficit.* (Idem ad omnia argumenta, quæ ex principiis Naturæ & rationis in fidei articulis depromuntur, responderi potest, videlicet quod axiomata illa vera sint de cursu Naturæ ordinario, non autem detorquenda sint contra veritatem eorum, quæ supernaturaliter fieri Scriptura asserit.)

Petrus Gregorius in Syntaxi artis mirab. cap. 1. p. 11. citat & approbat dictum Alphragani Arabis, qui lib. 1. protrept. voluit, *res divinas & pura fide credibiles altioris esse ordinis, à quarum comprehensione debilitentur rationes humanæ, ne illas queant assequi.*

Salmeron tract. 2. tom. 2. p. 5. de mysterio Trinitatis. *Si quid sit, quod nobis contra rationem naturalem videatur, & tamen ad credendum proponatur, debemus operam dare, ut intellectum nostrum captivemus sub obsequium Christi. Ut enim sensus subjiciendus est rationi & quasi captivus cogendus in ejus assensum: ita intellectus noster superiori fidei lumini cedere debet & obœdire, ut magis certo ac majori.* tom. 15. Disp. 20. in cap. 11. Heb. p. 768. *Quia lumen fidei divinum est, lumini rationis contrarium esse non potest, quoniam ratio tantùm potest ratiocinando concludere de effectu, quæ Naturæ facultatem excellunt, quod illa per Naturam fieri nequeant, ut quod accidens sine substantia subsistat, quod corpus Naturæ virtute sit in diversis locis. Si quis ultra progressus vellet negare, hæc non posse infinitæ Dei potentiæ subjici, procul dubio mentiretur & jam rationis metam sive spharam egrederetur & lumen rationis non sequeretur, quod Dei virtutem & potestatem metiri nequaquam valet: sicut nec formica ingenium & Naturam rationis speculari potest.*

Et postea. *Dictum est, altiora te ne quæsieris &c. non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis: id est, non est necesse, ut examines ea, quæ fidei sunt, & quæ non videntur, ad exiguum judicium & modicum lumen rationis humanæ &c. Nam animalis homo non potest spiritualiter percipere, quæ spiritualiter examinantur, id est, quæ lumine spirituali debent examinari & non rationis lumine. Ut enim bruta animantia, dum seipsa considerant, quæ hominis & rationis sunt, capere non possunt, quia illâ destituuntur, quæ ipsis superior est: ad eum modum homo, quamvis sagax & acutus, quæ fidei sunt, & quorum ipsa est argumentum sive ostensio, percipere aut conjectare non valet.* tom. 16. Disp. 4. in 2. Petr. p. 137. *Etsi modò hoc vix capere possit intellectus,* (quod mille anni apud Deum, ut dies unus) *standum tamen magis est dicto Dei, quam nostro intellectui, qui divinarum rerum capax non est. Sed tamen cum æternitatis fuerimus participes, hanc capiemus veritatem, sicut & alias multas, uti de Trinitate, Incarnatione, quæ omnem prorsus superant facultatem intellectus, etiam Angelici.*

Cornelius Jansenius in cap. 20. Conc. Evangel. *Intellige ergò quod, quomodo non est subjecta aliquibus legibus humanis, nec perceptibilis est via hujus Spiritus aërei, nec eum, nisi ex effectu suo cognoscis, ita quoque nativitas hæc, quam dixi ex Spiritu, neque Naturæ legibus subjicitur, nec humana ratione aut sensu percipi potest.*

Ibidem ad verba Christi. *Quod scimus, loquimur*, sic annotat. *Ostendere volens ea, quæ sunt sua, h. e. cælestis doctrinæ, non percipi rationibus humanis, quib. ille* (Nicodemus) *ea percipere quærebat, sed fide ad intelligendum ea opus esse.*

Id. Jansen. in cap. 135. Concord. Evangel. ad argumentum, *Divina essentia est paternitas; Divina essentia est filiatio. Ergò paternitas est filiatio*, respondet hoc modo: *Dicendum ante omnia, quod, ut ex Didymo citatum, in hac materia procul abesse debeant Dialecticorum tendiculæ, quorum regulæ, cùm desumta sint ab iis, quæ in creaturis eveniunt, non spectant ad ea, quæ sunt divinitatis.*

Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 11. *Christi corpus non redigitur ad angustias poli a ... sed est in qua parte voluerit ... periculum*

periculum est agitationis, cum cœlum empyreum quietum ponatur ab omnibus, nec illud sit periturum, licet inferiores cœli sint aliquo modo immutandi. Sed hæc omnia superant modum intelligentiæ hujus vitæ. (Agnoscit ergò, etiam ea esse vera & credenda, quæ superant modum intelligentiæ hujus vitæ.)

Lib. 3. de Euch. cap. 8. §. ultimo. *Sententia adversariorum* (Calvinianorum, de ἀπουσίᾳ corporis à cœna) *quæ facillima est, non est mirum, si absq; illis miraculis admittatur; nostram autem sententiam* (de vera & reali præsentia corporis in cœna) *quæ non modo cum sensibus, sed etiam cum ratione pugnare videtur, quis credat tantæ multitudini sine multis magnisq; miraculis persuaderi potuisse, nisi hoc ipsum summum miraculum esse dicatur?*

Maldonatus in cap. 26. Matth. v. 26. *Adferunt* (Calviniani) *rationes multas* (pro sua opinione de ἀπουσίᾳ) *sed dignandum non est illis respondere, præsertim in commentariis, ubi nihil præter Scripturas sonare debet &c. Et satis nobis esse debet, si omnibus rationibus uno verbo respondeamus, nos Christianos, non Philosophos esse, rationes nostras esse verbum Dei, quod cùm expressum & luculentum habeamus, nihil moramur, quid naturalis ratio suadere videatur.*

Jacobus Billius ad locum Nazianz. orat. 1. contra Julian. (*Id orationis nostræ scopus est, non licere fidem abrogare iis quæ dicta sunt à viris Deoplenis, sed esse eorum, quæ dicuntur, demonstrationem, eorum autoritatem fide dignam, multò efficaciorem, potentioremq; quâlibet vi Logicâ, quæq; in contradictione versetur:*) annotat, *hæc esse intelligenda de utriusq; Testamenti autoritate, majori quâvis ratione.*

Gulielmus Estius in 1. Petr. 3. v. 15. *Non est mirandum, si quæ credimus & speramus, superent intellectum, quoniam in ipsa etiam rerum Natura plurima sunt, quæ consequi ingenio non valemus.*

Idem in 2. sentent. distinct. 17. f. 175. *Constat ex solis rationibus, quantumcunque manifestis, non posse probari, quidpiam esse fidei, non enim humanæ rationi, sed revelationi divinæ nititur fides Christiana.*

Idem in 3. sentent. distinct. 26. fol. 68. *Ea, quæ ad religionem pertinent, talia fere sunt, quæ rationis examen non admittant, utpote judicio humanæ sapientiæ ut plurimùm improbabilia, quemadmodum 1. Cor. 1. docet Apostolus.*

Ibidem. *Habet hoc proprium actus fidei ut ex quadam humili reverentia erga Deum intellectus cedat ejus autoritati, suscipiatq; firmiter atq; obedienter ea, quæ dicuntur, etiamsi ratione minùs ea perspiciat, quemadmodum docet Basilius in illud Ps. 115. Credidi, propter quod locutus sum. Humilitas, inquit, ad fidem requiritur, quâ homo sese modestè substernat divinæ veritati, ne sensum suum rerum divinarum mensuram constituat, & quæ credit, cuncta sua cogitatione & ingenio metiri velit, ut tantum credat, quantum ratiocinatione sua assequi potest.*

Idem in cap. 16. Marc. p. 808. *Circa ejusmodi rationes notandum est, ante omnia respiciendum ad id, quod Scriptura vel Ecclesia docet, & eo cognito rationes convenientiæ adhibendas ad id probabilius reddendum: non autem è contrario aliquid statuendum ex hujusmodi rationibus contra id, quod vel Scriptura vel Ecclesia dicit aut tenet.*

Idem Estius in 2. Cor. 10. v. 5. f. 626. *Per fidem Christianam captivatur intellectus in obsequium Christi sic, ut seposita omni humana ratione, simpliciter & indubitanter homo suscipiat omnia ea, quæ tanquam revelata divinitus ab Ecclesia traduntur & credenda proponuntur. In hac fide laudatur obsequium, id est, obœdientia, qua voluntas humiliter subjecta veritati divinæ sibi per Ecclesiam annunciatæ imperat intellectui, ut credat. Itaque vera & Christiana fides nunquam est absque tali submissione sive obœdientia voluntatis. Hujusmodi verò obœdientia non est sine assensu earum veritatum, quæ per sensum vel demonstrationem, aut omninò per experientiam cognoscuntur. Unde & Dæmones, quod Jacobus Apostolus cap. 2. testatur credere & contremiscere, non credunt tanquam obœdientes, sed naturali lumine ac rerum experientia convicti atque coacti.*

Guil. Bailius in Catech. contr. tract. 3. q. 18. *Fidei proprium est, rationem nostram in captivitatem redigere, ut credat ea, quæ à visu sensibusq; nostris sunt remotissima.*

4. Quod optant in Academiis Biblia potius, quàm Aristotelem & Thomam audiri.

Leonh. Marius Profes. Colon. tom. 1. Comment. super universam Scripturam, proleg. q. 8. sect. 3. p. 70. *Universitates quoq; & studia publica pro utilitate Christianæ Reipublicæ facerent, si paulo diligentiorem haberent rationem proponendi, explicandi, examinandi, & supra Aristotelem, S. Thomam, imò & B. Augustinum, pulpita & subsellia Christum & Scripturas sonarent, prout in laudatissimis Belgii nostri universitatibus hodie fit, & ut diu fiat, ex animo voveo.* (Plura hujus generis adducta sunt superius in c. 15. de Scholasticis.)

Salm. Disp. 4. in 2. Petri Epist. p. 138. *Certè ut verum fatear, satis patienti animo ferre nequeo, cùm video quosdam adeò superstitiosè ac mordicus tueri Aristotelis dogmata, ut malint multos textus Scripturæ violentis glossis ac sensibus torquere, quam in unum impingere Aristotelem. Nam plus uni Scripturæ loco, per quam loquitur S. S. tribuendum est, quàm universis Philosophis unum & idem constanter docentibus.*

Hùc referri potest, quod Dominicus Ordinis Prædicatorii parens (circa ann. 1200.) *cum videret, Scripturarum cognitionem in Concionatore planè esse necessariam, autor erat Fratribus, ut indesinenter studerent in V. & N. T. & ad prædicandum missi sola Biblia secum ferrent*, ut Autor vitæ ejus loquitur; qui & subjicit: *figmenta enim philosophorum parvi faciebat.*

Itemque, quod Leo X. in Conc. Lateranen. in Decreto, quo animæ immortalitatem definivit, inter cætera sic loquitur:

Cum præcipuè humanæ Philosophiæ studia diuturniora, quam Deus secundum verbum Apostoli evacuavit & stultam fecit, absq; divinæ sapientiæ condimento, & sine veritatis revelatæ lumine in errorem quandoq; magis inducant, quàm in veritatis elucidationem &c. ordinamus & statuimus, ne quisquam de cætero in sacris Ordinibus constitutus &c. Philosophiæ studiis ultra quinquennium post Grammaticam & Dialecticam sine aliquo studio Theologiæ aut juris Pontificii incumbat. (Refert Alphonsus de castro libr. 2. adv. hæreses, verbo Anima, hæres. 7.)

Quòd agnoscunt, rationem ad confirmanda & dijudicanda fidei mysteria esse insufficientem, nec aptam natam, sed in illis dijudicandis facilè errare ac labi.

Thomas lib. 1. contra gent. cap. 3. *Intellectus, qui infinitus non est, nullo modò penetrare potest id, quod est infinitum. Atqui nullus creaturæ intellectus humanus est infinitus, sed in solum Deum ille cadit. Ergò nulla in universum creatura penitus intelligit Deum, quare quàmplurima de Dei Natura adhuc nos latent.* (Sicut essentiam Dei utpote infinitam non possumus finitâ nostrâ ratione comprehendere, ita quoque mysteria Dei, quæ ex infinita Dei sapientia descendunt, finitâ nostrâ ratione penitùs intelligere non possumus, proinde etiam ratione nostrâ eadem dijudicare non debemus.)

Lib. ejusd. cap. 4. *Remaneret humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiæ tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines maximè perfectos & bonos facit, non nisi quibusdam paucis, & his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret. Tam & hoc inconveniens est, quòd investigationi humanæ rationis* (in cognitione Dei) *plerunque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando & phantasmatum permixtionem. Et ideò apud multos in dubitatione remanent ea, quæ sunt verissimè etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & præcipuè cum videant à diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquod falsum, quod non demonstratur, sed aliquâ probabili & sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei fixâ certitudine ipsam veritatem de rebus divinis, hominibus exhiberi. Salubriter enim divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse, & absq; dubitatione & errore.*

Alphonsus à Castro lib. 2. advers. hæreses, verbo Anima, hær. 5. *Etsi hæc collectio* (contra animæ traducem formata) *maximè persuadeat, vehementerque urgeat, non tamen cogit, ut ex ea oporteat dicere, istorum assertionem esse hæreticam, quoniam in causa fidei efficaciores sunt autoritates, quàm quæcunque Physicæ argumentationes, dicente Hieronymo in Epistola ad Theophilum Alexandrinum. Fides pura & aperta confessio non quærit strophas & argumenta verborum.*

6. Quòd agnoscunt, Philosophicas conclusiones à Theologia corrigi ac Philosophiam esse Theologiæ pedissequam. (Ut ergò ex eo, quòd ratio corrigit sensum, rectè infertur, illis, quæ demonstrata sunt per principia rationis, non esse opponendum judicium sensuum: ita ex eo quod Theologia sive fides Philosophicas conclusiones seu rationem corrigit, rectè infertur, illis, quæ demonstrata sunt ex proprio Theologiæ principio, sive ex Scriptura sacra, non esse opponendum judicium rationis.)

Gerson lib. 3. de consolat. Theol. prosa 4. *Theologia Christiano-*

stianorum Philosophiæ doctrinas, si veræ sunt, si rectæ, si salutares, approbat, utens eis jure suo & Catholicas reddens; si tenebriosiores sunt, illuminat; si noxiis erroribus mixtæ sunt, separat preciosum à vili, illud retinens, aliud exterminans.

Melchior Canus lib. 1. Locor. Theol. cap. 2. *Cum in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum autoritas: at Theologia tamen una est, in qua non tam rationis in disputando, quàm autoritatis momenta quærenda sunt. Etenim locum ab autoritate adeò sibi proprium vendicavit, ut rationes vel tanquam hospites & peregrinas excipiat, vel in suum etiam obsequium asciscat quasi longè repetitas. Quippe fidei potissimum innititur, quæ nisi ab autoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est namq; fides, ut Apostolus tradit, argumentum rerum non apparentium, quas si certas certâ velis ratione facere, cum ratione profectò insanies. Principem itaq; locum, sicut apud fideles, ita, apud Theologos autoritas habet. Ratio deinde velut pedissequa sequitur.*

7. Quòd agnoscunt, rationem humanam minùs rectè inter Theologiæ principia referri.

Tannerus tom. 1. Theol. Schol. col. 120. *Quanquam Gregorius de Valentia etiam veritatem naturalem evidentem junctam veritati fidei inter locos verè & propriè Theologicos annumeraverit &c. verius tamen est contrarium &c. Quocirca Vasquez hoc ipso etiam casu docet, rationem naturalem non esse proprium locum Theologi, sed adscriptitium.*

Alphonsus de Castro libr. 1. contra hæres. cap. 2. *Felicianum hæreticum notat, dicentem in causa fidei magis rationibus, quam Scripturarum testimoniis utendum esse.*

Bellarminus lib. 2. de Sacrament. capit. 11. § Ad hæc. *Posset, si quis vellet, confiteri ignorantiam circa hujusmodi nodos, & tamen satisfacere hæreticis, imò etiam illorum ora obstruere. Nam tenemur quidem rationem reddere ejus, quæ in nobis est spei, 1. Petr. 3. sed id facere tenemur ex principiis fidei, non ex Metaphysica. Nam S. Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 4. Ego inquit, loquens de argumentis contra modum traductionis peccati originalis, etiamsi istorum argumenta solvere non valeam, video tamen inhærendum esse divinis literis. Et in Epist. 29. ad Hieron. dicit, se cùm interrogatur, quomodo peccatum Adæ propagetur in posteros, respondere solitum: Hoc ut alia multa, me ignorare, confiteor.*

Jacobus Hack Jesuita contra Tossan. q. 3 cap. 12. p. 115. Göttlicher Glaube sol nicht durch die Vernunfft examinirer werden / id quod ibidem exemplorum inductione probat.

8. Coronidis loco notandum, quòd Bellarm. lib. 1. de purgatorio cap. 4. argumentum, quo purgatorium ex Matt. 12. v. 32. probare discupit, *ex regula solùm prudentiæ, non ex regula bonæ consequentiæ Dialecticæ fluere* asserit. (Absurdum quidem est hoc effatum, quia nullum potest esse efficax argumentum, quod non congruat regulis bonæ consequentiæ, interim eo contra Bellarminum uti possumus hoc modo: Si in fidei articulis ex regula prudentiæ solùm & non ex regula bonæ consequentiæ argumentari possumus, sequitur, in fidei mysteriis non esse rationem naturalem pro norma ac regula sectandam. Sed illud ex hypothesi Bellarm. Ergò & hoc.)

CAPUT XIX.

De Mediis, per quæ Religio Romano-Catholica propagatur.

VIdimus hactenus *principia*, ex quibus religio Romano-Catholica propugnatur, restat, ut expendamus *media*, per quæ propagatur. Ea verò revocari possunt ad duo generalia capita, quòd sint tum *violenta*, tum *fraudulenta* media. Utrisque mediis Romanus Pontifex regnum suum acquisivit, utrisque illud conservat, utrisque illud propagat atque eo ipso se Antichristum esse demonstrat, de quo jam olim sic scripsit Augustinus in enarrat. Psal. 9. *Prima persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cùm proscriptionibus, tormentis, cædibus Christiani ad sacrificium cogerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per hæreticos & falsos fratres agitur. Tertia superest per Antichristum ventura, quâ nihil est perniciosius, quoniam & violenta & fraudulenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.* Nec dissimulavit hoc Paulus III. Pontifex Romanus, qui *duas esse dixit cum Protestantibus agendi vias, vim & illecebras*, referente Petro Suavis lib. 1. Hist. Concil. Trident. pag. 83. Duas igitur hujus capitis constituemus sectiones. In priore de *violentia*, in posteriore de *fraudulentia* agamus.

SECTIO PRIOR.

De medio violentiæ.

POntificios violentis mediis religionem suam ac regnum Papale propagare adeoque à verbo ad ferrum, ab atramento ad armamenta, à pennis ad bipennes confugere, est in propatulo. Cogitentur Historiæ eorum, quæ superiore seculo jam inde à primo reformationis tempore in Anglia, Belgio, Gallia, Hispania, Germania & aliis regnis ac provinciis acta. Cogitetur Inquisitio Hispanica, Laniena Parisiensis in Gallia, conjuratio pulveraria in Anglia, videantur rogi Martyrum, exilia confessorum, & liquido apparebit, quantam crudelitatem Romanus Pontifex exerceat adversus eos, qui in *solo Dei verbo* Propheticis & Apostolicis scriptis comprehenso fidei fundamentum quærendum, ac *in solo Christi merito* justitiam coram Deo valentem statuendam esse docent.

In Laniena Parisiensi Anno 72. referente Dinotho lib. 5. Histor. Gall. p. 341. *tribus diebus supra decem millia hominum omnis ætatis, sexus & conditionis Parisiis fuère cæsa, ac tanta fuit sanguinis effusi copia, ut per multa urbis loca rivulorum instar diffueret. Ea rabies Lutetiæ sumto initio omnes regni provincias pervasit, non in urbibus solùm, sed etiam in agris virus effundens, & magnæ utrinque cædes factæ, sed præcipuè Lugduni, Aurelis, Tolosæ, Rotomagi &c.* adeò ut Reusnerus in Isagog. Historica *menstruo spacio per totum Galliæ regnum plures, quàm centies mille homines religionis causâ occisos fuisse memoret. Tamdiu in utrumque sexum sævitum est, donec publica & nobilissima flumina repleta cadaveribus & atrata sanguine conspecta sint, ita ut accolis etiam longè dissitis usus aquæ ad potum aliasq; res necessarias, nec non & usus piscium humanâ carne saginatorum magnâ cum execratione crudelitatis & inauditæ carnificinæ aliquantisper exosus fuerit.* Jacobus August. Thuanus in Hist. Ann. 72. Camerarius part. 1. Histor. succis. cap. 83.

Simon Steinius in resp. ad Apolog. Gretseri lib. 2. cap. 6. *Quid referam superiores clades & bella civilia carnificinam illam Parisiensem secuta? quæ sanè 22. annorum spatio initio sumto ab Anno 1562. usque ad annum 1584. juxta eorum calculum, qui diligentiùs & curiosiùs sunt persecuti, absumserunt quadragies centena hominum millia, inter quos quadraginta millia nobilissimorum virorum reperiuntur.*

In Anglia temporibus Marianis *intra biennium propter religionem supra octingenta hominum capita interierunt variis suppliciorum generibus*, referente Balthasar. Holzero in Chron. & Osiandro Centur. 16. Histor. Eccles. Ann. 1555. pag. 636.

Ferdinandus Alvarez Dux Albanus paulò ante obitum dixit, quòd *paucis illis annis, quibus Belgicæ ditioni præfuit, octodecim millia & sexcentos homines utriusque sexus in judicio publico clanculum & palam furialibus carnificinis & suppliciis sustulerit, nec tamen eo rigore Inquisitioni Patrum satisfecerit*, referente Autore de jure belli Belgici, & Princ. Auraic. in Apolog. ad Proscript. Reg. Hisp.

Schleidanus libr. 3. Comment. recitat literas Papæ Adriani VI. Ann. 1522. sub exitum Novembris ad Imperii Ordines Norinbergæ congregatos scriptas: *Quia hic morbus non possit lenibus medicamentis curari, veniendum necessariò ad vehementiora. Ejus rei non unum extare testimonium & exemplum in Scripturis, & majores ipsorum in Concilio Constantiensi rationem hanc secutos, in Hussum & Pragensem pro ipsorum merito vindicasse, ipsos etiam hanc illorum virtutem imitari debere.*

Idem libr. 3. comment. scribit, *Carolum V. cognovisse mentem Pontificis, cum quo Bononiæ circiter quinque menses in eodem palatio fuerat, cujus is erat scopus, ut si leniter sopiri causa non posset, supprimeretur armis.*

Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 9 scribit, quòd *Paulus 3. Pont. Rom. Carolum V. Imp. Aug. qui tum maximo cum exercitu bellum in Gallia gereret, compulerit, ut conjunctis cum Francisco Rege copiis omnibus in Principes Lutheranos arma converteret.*

Idem lib. 5. de Republ. cap. 6. *Insigni calamitate Germani Principes conflictari cœperunt, cùm quid adversus eos fœdere Suessionensi Anno 1544. Pontifex Romanus cum Rege Francorum & Carolo V. facto moliretur, scire neglexissent. Nam primo capite Pontifex utrumq; Principem ad arma pro Romana religione adversus Germanos capienda jurejurando obligarat. Quod illis antea non credibile visum est, quàm exercitus Hispanorum, Belgarum & Italorum in Germaniam irrumperent.*

Alexander Farnesius tempore belli Germanici minabatur, *se Evangelicos in Germania sic eversurum, ut equus cui insideat, Lutheranorum sanguine totus ad genua usq; madere & squalere debeat.* Schleid. lib. 17. Comm. Ad hanc violentiam pertinet, quod homines ad religionem mulctis, carceribus & exiliis cogunt,

gunt, quòd hæreticos capitali supplicio afficiendos esse dispu-tant, quod populo Regem hæreticum tolerare licitum esse ne-gant, quòd Pontifici potestatem tribuunt absolvendi subditos Regis hæretici à juramento homagii, & quæ sunt hujus generis alia. Esto igitur

Thesis prima. Subditi non sunt ad religionem à Magistra-tu mulctis, carceribus & exiliis cogendi.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an ministri verbi, qui Luc. 14. v. 23. per *servos* intelliguntur, hospites ad cœnam cœlestis pa-trisfamiliâs invitatos possint *ἀναγκάζειν*, h. e. prædicatione legis & comminatione pœnarum ad pœnitentiam & errores ac scelera abjicienda serio hortari, quin & censuris Ecclesiasti-cis contra illos uti, hoc enim ab ipsis fieri non solùm posse, sed etiam debere concedimus.

2. Nec est quæstio, an Magistratus, qui itidem Dei servi sunt, & in scripturis dicuntur, ad verbum audiendum & ad ex-terna conversionis media subditos cogere possint; sed an im-mediatè ad religionem abjiciendam, vel amplexandam eos co-gere debeant?

3. Nec hoc in quæstione est, an Magistratui pio & Chri-stiano non sit seriis precibus, salutaribus consiliis & summo studio in id incumbendum, ut una eademque vera religio inter subditos vigeat; sed an mediis violentis & sanguinariis subditos ad religionem cogere debeat.

4. Nec hoc in quæstione est, an Magistratus vagam qua-rumvis religionum, vel potiùs superstitionum licentiam per-mittere, manifestas blasphemias tolerare, syncretismum veræ & falsæ religionis introducere, ac hæreses approbare debeat, hæc enim omnia negamus: sed an fideles & obedientes subdi-tos ob diversitatem religionis carceribus includere, in exilium pellere, adeoque ipsorum fidei & conscientiis dominari debeat. Plura ad quæstionis statum rectè formandum observanda vi-deantur tract. de Magistratu §. 200.

Antithesis. *Magistratum non debere plures religiones tolerare, sed subditos omnes ad Papalem fidem, quam solam veram & salvifi-cam esse statuunt, cogere*, docent Johannes Paulus Windeck lib. de hæret. extirp. p. 327. Antonius Possevinus in Epist. ad Re-gem Polon. Conradus Brunus lib. 3. de hæret. cap. 15. Lip-sius in lib. de una religione, Andreas Ernstenbergerus (qui se vocat Franciscum Burchardum lib. 2. de autonom. c. 26.) & alii plures.

Bellarmin. hac de re sic disserit lib. de Laicis cap. 18. §. At hic error &c. *Sine dubio tenentur Principes Christiani non permit-tere subditis suis libertatem credendi, sed dare operam, ut ea fides ser-vetur, quam Episcopi Catholici & præcipuè summus Pontifex docet esse tenendam.*

Idem libr. & cap. iisdem §. Probatur. *Dissensio in fide, Ec-clesiæ est dissolutio. Debent igitur Principes hanc libertatem nullo mo-do permittere, si fungi munere suo volunt.*

§. Secundò. *Apud Judæos non poterant Reges permittere liber-tatem religionis, ergò multò minùs debent permittere Reges Christia-ni, non enim minùs ordinata esse debet Ecclesia, quàm fuerit Synagoga.*

§. Quartò. *Libertas credendi nihil aliud est, quàm libertas er-randi, & errandi in re omnium periculosissima.*

Idem lib. 5. de Pont. Rom. cap. 9. §. Denique &c. sic scribit: *Si in Germania Episcopi Principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedib. permansissent. Sicut ergò in V. T. diu fuerunt Pontifices sine imperio temporali, & tamen ultimis temporibus non po-terat religio consistere & defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, ni-mirùm tempore Maccabæorum: ita quoq; accidisse videmus Ecclesiæ, ut quæ primis temporibus ad tuendam suam majestatem temporali Principatu non egebat, nunc eodem necessariò indigere videatur.* (Ni-mirum nisi Pontificia religio brachio seculari conservaretur, ac subditi Principum Ecclesiasticorum per vim ad eam ample-ctendam cogerentur, jam olim ex Imperio Germanico, fatente Bellarmino, in exilium ivisset.)

In tractatu Francisci Burchardi von der autonomia oder Freystellung part. 2. cap. 19. f. 180. 181. die Licenz/Muthwill und Eigensinnigkeit des gemeinen Hauffens/deren sich derselbige un-ter dem Schein der Freyheit des Gewissens fälschlich anmasset/ kan und soll coerciret und eingezogen/und die jenige/welche her-aussen an den Strassen und Zäunen sitzen und umbschweiffen/ das ist/die in öffentlichen Ketzereyen und Trennungen stecken/ nach der Evangelischen Gleichnüß zu des HErrn Gastmahl/ das ist/wie es der H. Augustinus außlegt Luc. 14. zu der Einig-keit der Catholischen Kirchen getrieben werden/ welches auch die Vorsteher der Christenheit/als Geistlich und Weltlich Obrigkeit nicht allein zu thun macht haben/sondern auch dasselbe thun sollen und müssen/da sie anders ihrem Ampt und Beruff ein Genügen thun wollen. Item: Erstlich hat es in der Kirchen geheissen/ Invi-tatis dicite, ut veniant; hernacher/Introducite; letzlich compel-lite intrare.

fol. 128. exprimit coactionis hujus commodum, daß die Leu-te/nach dem sie durch Zwang seyn bekehret worden/hernach be-kennen/sie dancken GOtt/daß sie durch den Ernst der Obrigkeit zur Erkentnüß der Warheit seyn gebracht worden: ex quo con-cludit, *Christianos, utpote qui sunt in gremio matris Ecclesiæ, in causis fidei cogi posse, non autem Judæos & gentiles*, fol. 180. Item fol. 182. fac. b. ubi adducit dictum Eccles. 30. & exemplum Eli 1. Reg. 4.

Martinus Becanus part. 2. Theol. Scholast. tom. poster. tract. 1. cap. 15. q. 6. adducit & approbat dictum Thomæ 2. 2. q. 10. artic. 8. quod *hæretici & Apostatæ sint corporaliter ad fidem compellendi, ut impleant, quod promiserunt.*

Anno 1596. in Comitiis Polonicis Jesuita quidam in facie Reg. Majest. pro concione dixit, *religionem Evangelicam Turcicâ pejorem esse, & se malle cum Turcis in religione conformari & uniri, quam cum Lutheranis.* (Ex quo conclusionem deduxit, liberum Evangelicæ religionis exercitium non esse subditis in regno Po-loniæ concedendum, sed eosdem potius per vim ad Romano-Catholicam religionem cogendos.) Morgenstern in Præfat. tract. de Ecclesia.

Adamus Contzen libr. 2. Pol. cap. 18. §. 9. *Sextum conser-vandæ religionis præsidium est prudentia Principis, & cujusvis Magi-stratus secundum leges adhibita vis & coactio, mulctæq; ac pœna.*

Et postea: *Non modò jus hoc datum est Principi, sed absque offi-cii neglecti scelere severitatem aliquam omittere nullo modo potest.*

Composit. Pacis cap. 6. q. 49. n. 208. *Catholicorum do-ctrina hæc est, quod etiam minis, carceribus & pœnis inflictis liceat compellere baptizatos ad Catholicam fidem.*

Laymannus Jesuita in Justa Defensione cap. 3. membr. 14. p. 127. & seqq. *Quod de Apostolis, eorumq; Successoribus Mona-chis refert* (Antagonista causam monachorum agens) *ipsos solo verbo & prædicatione Evangelii nullâ vi adhibitâ, multitudinem po-pulorum Christo adduxisse, id fatentur & sequuntur Doctores Catho-lici, quod attinet ad infidelium, qui baptizati non sunt, conversio-nem; sed alia est ratio de hæreticis, hi mandatis ac minis, etiam pœ-nis reduci debent.*

Nostram sententiam probamus,

Ex mandati divini defectu. Nuspiam in Nov. præsertim Te-stam. vel à Christo, vel ab Apostolis mandatum, ut ad Chri-stianam religionem homines vi cogantur.

2. *Ab exemplo contrario.* Perversus & inversus ille docendi ordo, ut à vi & coactione initium fiat, ignotus planè est Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ. Christus jussit Apostolos docere & baptizare, non mandavit, ut eos, qui audire nol-lent, interficerent, aut ad credendum civilis potestatis imperio compellerent.

3. *Ab ἀδυναμίᾳ obtinendi illum effectum.* Fides in anima consistit, quæ spiritus est & cogi non potest. Nihil tam volun-tarium, quàm religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est.

4. Ex eo, quod dominatus in animas & conscientias *soli Deo* relictus sit 2. Corinth. 1. v. 24.

5. *Ex frustraneo conatus successu.* Violentis mediis subdi-torum animi ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalie-nantur & irritantur, seditionibus & cœdibus occasio datur & Reip. tranquillitas turbatur.

6. *A diverso Rerumpubl. statu.* Quando subditi in religionis negotio in diversas abeunt partes, ac major, vel æqualis civium pars diversæ religioni addicta, quiescendum est Magistratui, à vi & cœdibus abstinendum ac tempori aliquid condonan-dum. Item, quando potestas Principis vel per leges fundamen-tales, vel per privilegia Statuum est restricta, non potest salva conscientia subditos ad religionem, à qua abhorrent, co-gere.

7. *A primitivæ Ecclesiæ suffragio.* De Valentiniano Imp. me-morat Ammianus lib. 30. quod inter religionum diversitatem medius steterit, nec quenquam inquietaverit, nec interdictis minacibus subditorum cervices ad id, quod ipse colebat, in-clinarit, sed has partes intemeratas reliquerit. Socrates lib. 3. Hist. Eccl. cap. 21. de eod. refert, quod Episcopis in Concilio Antiocheno congregatis responderit, se nemini qualemcunque

fidem

fidem amplexanti molestiam exhibiturum, sed eos præter cæteros benevolentia & honore prosecuturum, qui Ecclesiæ ad concordiam adducendæ autores essent.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, *religionis non esse ad religionem cogere, quæ sponte suscipi debet, non vi*, (ut loquitur Tertull. ad Scapulam cap. 2. p. 88.)

Bernhardus sermon. 66. in Cantic. col. 692. *Suadenda est fides, non imponenda.*

c. Quid autem. dist. 45. ex Gregorio lib. 2. Epist. 52. *Quid de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores enim facti sumus, non percussores. Egregius Prædicator dicit, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Nova verò atq; inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.*

c. Qui sincera. dist. ead. ex eodem. *Qui sincera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicunq; aliter agunt & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui voluerint cultura removere, suas illic magis quam DEI causas probantur attendere.*

Et postea: *Agendum ergò est ut ratione potius & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum Codicibus ostendentes, quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesiæ DEO possimus adjuvante convertere.*

c. De Judæis. dist. eadem ex Concilio Toletano. *De Judæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obœdiens periit: sic vocante se gratia Dei propria mentis conversione quisq; credendo salvatur. Ergò non vi, sed libera arbitrii sui voluntate & facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.*

(Excipiunt, *aliam esse rationem paganorum, Turcarum & Judæorum, qui sunt extra Ecclesiam, aliam verò hæreticorum; illos ad fidem non cogendos esse, hos autem cogendos.*

Resp. 1. Aliud verbis asserunt, aliud factis testantur. Quibus enim mediis Indiarum populos Hispani converterint, ex ipsorum Pontificiorum scriptis notum. 2. Ratione violentæ coactionis utrobique est par ratio, cum Apostoli nec adversus gentiles, nec adversus hæreticos violentis mediis fuerint usi, cumque per media violenta nec gentiles, nec hæretici ad fidem cogi possint. Refert Sleidanus lib. 20. Comment. de Granvellano Caroli V. Imp. Consiliario præcipuo, quod, cum Argentinensibus libri Interim approbationem persuadere vellet, his verbis inter alia usus sit: *Neminem quidem esse cogendum, ut fidem aliquam profiteatur, sed id oportere accipi de his, qui non sunt nominis Christiani; nam eos, qui fidem semel acceptam abnegant, igni cogi posse*; ad quod Legati Argentinenses responderunt: *Igni quidem posse aliquem è medio tolli, sed ut aliter quis credat, cogi non posse.* 3. In jure Canonico c. Præsens Clericus. caus. 20. q. 3. ex Nicolao Papa sic habet: *Nullum bonum, nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit.* Atqui hæc ratio est generalis, ad hæreticos æque ac ad Judæos & gentiles pertinens. 4. c. De Judæis. distinct. 45. sic habet: *De Judæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri, cui enim vult Deus, miseretur, & quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ &c.* Hæc ratio itidem est generalis. 5. Hominis in hæresin prolapsi est eadem ratio atque illius, qui nunquam fuit in Ecclesiæ gremio juxta definitionem juris Canonici caus. 24. q. 1. c. 30. *Hæretici, cum à fide Catholica desciverunt, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt.* Requiritur ergò eadem Dei gratia ad conversionem hæretici, quæ requiritur ad conversionem gentilis, vel Judæi. 6. Pontificii etiam eos cogunt, qui fidei Romanæ nunquam adhæserunt, sed in Ecclesiis Evangelicis nati & educati sunt.)

Petrus Alphonsus Hispanus, (ex Judaismo ad fidem conversus, *Moses* antea vocatus, quem Rex Alphonsus de sacro fonte levans nomine suo insignivit) in insigni Dialogo, quem circa Annum 1106. scripsit sub nomine *Mosis Judæi*, quod fuerat, & *Petri Christiani*, quod esse cœperat, inter cætera sic loquitur: *Captivare & interficere, donec quis vel credat, vel censum persolvat, non est ex Dei operibus, neq; Prophetarum cuilibet jussit cogere aliquem credere &c. Hoc ergò non debet fieri, imò si quis aliquem convertere velit, non per violentiam, sed diligenter & dulciter hoc facere debet, sicut ipse Mahometh in suo testatur Alcorano sub persona Domini, ita idipsum dicentis: Si vellet Dominus Deus tuus, totius seculi gentes crederent. Cur ergò, ut credant, cogis? quia nullus nisi voluntate Dei credit:* Fingens item (Mahomet in alio loco, tanquam sibi Deus loquatur, *Non, inquit, violentia in lege esse debet, jam veritas & justitia apparet, qui voluerit, sponte sua credat.*

Guilielmus ab Hassonville in libro, qui inscribitur Atheomastyx. *Pacificus Rex Salomon lapidibus dolatis atq; perfectis domum Dei extruxit, in qua nec malleorum, nec securium ictus audirentur 1. Reg. 6. quo symbolo Deus significare voluit, non armis, non ferro, non igne, sed malorum tolerantia, vitæ sanctitate & innocentia, Christi Ecclesiam debere coalescere.*

Maximilianus II. Imp. in Epist. ad Lazarum Schuendium: Es ist in der Warheit nicht anders / als ihr vernünfftiglich schreibet / daß Religionssachen nicht wollen mit dem Schwerdt gehandelt und gerichtet werden / kein erbarer / Gottesfürchtiger und friedliebender wirds auch anders sagen.

(Data est hæc Imperatoris Epistola Vienn. 22. Febr. Ann. 1574. & extat apud Goldastum tom. 2. Const. Imperial. pag. 304. in qua inter alia etiam porrò sic loquitur: *Longè aliud nos docuerunt Christus & Apostoli ejus. Nam ipsorum gladius erat lingua, doctrina verbum Dei & vita Christo digna, ipsorumq; mores invitare nos debent atque allicere, ut eos sequamur, quemadmodum & ipsi Christum secuti sunt. Taceo, quod insanum illud genus hominum oportebat in tot annis jam vidisse atq; expertum esse ipsis rerum argumentis & eventu ipso, suppliciorum crudelitate, sectionibus aliquam & ustionibus non posse hanc rem confici. Breviter, ipsorum actiones mihi minimè placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi forte, (quod tamen serio deprecabor, ne fiat:) Deus permittat, ut in furias & insaniam prolabar.)*

Georgius Cassander in Consult. ad Maximilianum Imp. pag. 308. *Agimus autem gratias æterno Deo & vivo, qui nostri, ut spero, misertus, hunc animum T. M. addiderit, ut tandem legitimis & oportunis mediis gravissima Ecclesiæ vulnera curari voluerit, omissis mediis illis violentis & importunis, hactenus imprudenti consilio, infelici eventu usitatis, quæ Ecclesiæ plagam non modo exasperarunt, sed propemodum etiam immedicabilem fecerunt.*

Jacobus Augustus Thuanus lib. 36. Histor. Anni 1564. *Ferdinandus Imp. Princeps prudentia, justitia, liberalitate, mansuetudine, assiduitate, vigilantia nulli secundus, sed supra eas omnes virtutes pietatis in illo & pacis in domo Dei constituendæ præcipuum studium fuit: Nam ut in impetu Turcarum, cui impar viribus erat, sustinendo ac frangendo, mora & arte uti optimum factu experientia didicerat, sic & in religionis negotio non igne & ferro grassari, ad quod ipsum & Galliæ Regem plerique hortabantur, sed Colloquiis, Disputationibus, amicis collationibus, Conciliis demq; sive nationalibus, sive Oecumenicis rem gerere tutius judicabat.*

Cum Rex Galliæ Anno 1555. severum de extirpandis Hugonotis edictum promulgasset, *Senatus Parlamenti Parisiensis* ab instituto eum dehortaturus inter alia gravissimè scripsit, *a*-*quum videri, ut potius veteris Ecclesiæ vestigiis insistatur, quæ non ferro & flammis in religione constituenda ac propaganda, sed puriore doctrina & honestis vitæ Antistitum exemplis rem confecit*, referente Jacobo Augusto Thuano lib. 16. Histor.

(Respexit dubio procul Rex inter alia ad literas Constantini ac Licinii, quæ extant apud Eusebium lib. 10. Historiæ. *Cum jampridem religionis libertatem nemini denegandam esse, cuiq; menti & voluntati potestatem permittendam, ritus & instituta divina pro sua animi voluntate & arbitrio excolendi, consideraremus: mandatum dedimus, ut cum singuli alii, tum Christiani suæ sectæ & religionis fidem integre observarent.)*

Autor Appendicis ad edictum Regium Gallico idiomate exculæ, qui se *Parisiensem Senatorem*, & quidem Catholicum vocat. *Vera religionis defensio peragitur, non gladio carnis sed Spiritus, Fides enim præcipue in anima, quæ Spiritus est & cogi non potest, consistit. Qui eam ab errore vult liberare, illum oportet, ut spiritualia remedia adhibeat. Quod si quis aliis uti velit, contra cœlum & terram pugnat. Ergo necesse est, ut Hugenotas, qui à nobis secessionem fecerunt, toleremus patienter, quia fides non est opus hominis, sed Dei donum, qui omnia sua providentia gubernat & heræses esse oportere pronunciat; & exemplo sanctorum Patrum didicimus, religionis non esse ad religionem cogere.*

Autor Orationis ad Regem Christianissimum, qui se Assessorem Parlamenti Parisiensis vocat pag. 46. *Felices conversiones istæ non fiunt equuleis, non tormentis, non terroribus mortis, ut Inquisitio*

stio solet Hispanica, (cui unà cum Castellanis armis Jesuitæ acceptam ferunt Catholicæ religionis conservationem) sed gladio Spiritus æternoque verbo.

Lipsius lib. 4. Polit. cap. 4. *Religio suadenda, non cogenda.*

Pontificius quidam Orator ἀνώνυμος in Consilio Polonico de compescendo Jesuitarum conatu, quod postea in linguam Latinam translatum & in publicum editum fuit Ann. 609. lit. C. *Cum omnis coactio menti humanæ gravis & molesta sit, tum illa imprimis animum liberaliter institutum enormiter lædit & sauciat, quæ et religionis nomine vis affertur, quòd tacitus quidam Naturæ instinctus hoc omnes doceat, Dei cultum liberi & spontanei motus esse debere.*

Petrus Crespetius in Summa Fidei Catholicæ & discipl. Ecclesiasticæ verbo Fides, tit. *Fides non est necessitatis, sed voluntatis. Assertio est, quam Ambrosius Mediolanensis defendit in 2. Cor. cap. 1. ad calcem, exponens illud, non quòd dominemur fidei vestræ &c. Quoniam fides ait, non necessitatis, sed voluntatis res est, ideò dicit, non quòd dominemur fidei vestræ, dominatus enim necessitatis causa est, Joh. Chrysostomus opere 2. in Matth. homil. 30. Neq; enim est fides, quæ ex necessitate timoris procedit, aut desiderio muneris terreni. Porrò Concilium Chalcedonense generale 4. act. 1. illam assertionem defendit, ut hic repetitur in Concilio Constantinop. sub Flaviano act. 7*

Cornelius à Lapide in 1. Petri 5. v. 2. super verba: *Non coactè. Potest accipi activè quoad oves q. d. Pascite gregem, non tam vi eas cogendo, quàm persuasione alliciendo, non tam virga agentes, quàm invitantes exemplo, ut grex non coactè, sed spontaneâ vos sequatur & pascatur in pascuis Christi. Ita explicat S. Gregor. Nazianz. Apol. 1. qui & causam addit: Nam quòd necessitate, ait, extorquetur, præterquam quod Tyrannicum est, ne firmum quidem & stabile est. Quicquid enim violenter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa & distracta, simul ac missa facta est, rursus ad se redire consuevit; quod autem à libera voluntate proficiscitur; æquissimum simul & certissimum esse solet, utpote benevolentiæ vinculis astrictum & confirmatum.* (Subjicit quidem Cornelius, *excipiendos esse hæreticos refractarios, quibus conveniat illud Christi Luc. 14. Compelle intrare*; sed quid hac de re statuendum, postea explicabitur. Ratio, quam Cornelius adfert, generalis est, hæreticos æquè ac alios concernens.)

Petrus Coretus Jes. in defens. contra Noæum cap. 8. *Christus Apostolis jussit, ut docerent & baptizarent, non mandavit, ut eos, qui audire nollent, statim interficerent, aut ad credendum civilis potestatis autoritate compellerent.*

Ibid. *Melius est, ad Deum colendum homines duci informatione, quam pœnæ formidine.*

Andreas Masius in Comment. Jos. 24. *Quæ coacti recipimus, ea nulla verecundia frangimus, quibus vero nos ultro obligavimus ipsi, quæque deliberato animo promisimus, ea si temere violemus, impudentissimi sumus.*

Claudius Espensæus Sorbonista, acris Hugonottarum Adversarius, in Colloq. Possiaceno, *se multo tempore, ut colloquendi copia fieret, expetiisse profitebatur, & à suppliciis, quibus ob religionem miseri homines afficiebantur, semper abhorruisse.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trident. p. 531.

Josephus Acosta lib. 1. de procuranda Indorum salute cap. 13. *Nihil ita fidei susceptioni adversatur atque vis omnis & violentia. Non enim fides est nisi volentium, ut proverbii loco sit illud Augustini: Cætera posse hominem etiam nolentem, credere non nisi volentem.*

2. Quod agnoscunt, Magistratum conscientiis non debere, nec posse dominari.

Maximilianus II. Imp. Aug. (referente Cratone à Crafftheim Cons. & Medico Cæs. in Orat. funebri ipsius) crebro sermone usurpare fuit solitus, *Nullam intolerabiliorem esse Tyrannidem, nec ullum gravius peccatum quam dominari velle conscientiis.*

Proinde cum Henricus Rex Poloniæ profugus in transitu Imperatorem visitaret, pacem illi multis modis suasit, inquiens: *Illos, qui conscientiarum carnificina cœlum assequi pertentarent, sæpe & cœlum & terram amittere.* Meteranus in Hist. Belg.)

De eodem Maximiliano II. refert D. Besoldus lib. 1. Polit. 3. n. 27. quod cum Augustus Saxoniæ Elector. ipsi diceret: *Se velle etiam ministros suos idem sentire & credere in religione, quod ipse teneat, & inter se omnes concordes esse animo & fide*, responderit: *Ego verò id mihi non sumo, nec experiri illud aut volo, aut debeo, quia imperium in conscientias non habeo, nec mihi vendico, & quæ sit conscientiarum carnificina, si cogantur, non ignoro.*

De eodem refert Crato à Crafftheim d. l. quod *Principi regnum fugienti & eâdem fuga appetenti*, (Henrico III. Polonia relicta patrium Galliæ regnum fratre Carolo defuncto repetenti,) *cum ad se divertisset, subridens dixerit, eos, qui in conscientias sibi imperium sumunt, cœli arcem invadere, non raro potestatem, quam in terris habent, amittere.*

Stephanus Batoræus Rex Poloniæ dicere fuit solitus: *Deum sibi tria reservasse, ex nihilo aliquid facere, futura scire, & conscientiis dominari.*

Henricus III. Galliæ Rex, qui per totam vitam religionem Evangelicam oppugnaverat, in extremo mortis articulo confiteri coactus fuit, *conscientiæ dominium non ad Reges, ullosve pertinere Magistratus*, referente Samuel. à Remching dissert. 2. de pace relig. in Polit. Imperial. Goldasti part. 30. pag. 1367. ex Hist. des tem. troubl. lib. 5. f. 193. ac *religionem, quæ à Deo mentibus insinuatur, ab hominibus non imperari.* Jacobus Augustus Thuanus libr. 69. Hist. f. 301.

Georgius Cassander in lib. de officio pii viri docet, *debere Principes invenire rationem pacis inter Catholicos & Lutheranos &c. sed interim dum non inveniunt, debere permittere unicuique suam fidem, modo omnes recipiant Scripturam & Symbolum Apostolicum*; referente Bellarmino lib. de Laicis cap. 19. §. 1.

Autor Appendicis ad edictum Regium Gallico idiomate excusæ, qui se *Parisiensem Senatorem* vocat. *Sola divinitas interiora cordis cognoscit, perscrutatur, judicat. Solus Rex, non autem ministri ejus, qui convivas ad epulum regium vocaverant & invitaverant, illum, qui nuptiali veste indutus non erat, foras ejici jussit, qui ad Regis mandatum exterminari non potuisset, si ante à ministris judicatus & occisus fuisset, qui ante non cognoverant, cum cœna regali indignum fore.*

3. Quod agnoscunt, in religionis negotio vi & coactione nihil proficí, sed Reipubl. potius mala multa attrahi.

c. Qui sincera. dist. 45. ex Gregorio. *Judæi Neapolin habitantes questi sunt nobis asserentes, quod quidam eos à quibusdam feriarum suarum solennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festivitatum suarum solennia colere, sicut eis nunc usque & parentibus eorum longis retro temporibus licuit observare. Quòd si hujus rei veritas ita se habet, supervacuæ rei videntur operam dare. Nam quid utilitatis est, quando, etsi contra longum usum fuerint vetiti, ad fidei illius conversionem nihil proficit? aut cur Judæis, qualiter Ceremonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus? Agendum est ergo, ut potius ratione & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum Codicibus ostendentes, quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesiæ Deo possimus auxiliante convertere.*

Richardus in Refut. Alcorani cap. 10. *Potest quis cogi, ut ore confiteatur se credere, cor autem ad credendum cogi est impossibile.*

Stephanus Batoræus Rex Poloniæ Edictis publicis violentas religionis oppressiones improbavit, è quorum uno ad Johannem Abrahamum Witti Præfectum Vilnensem in Castris ad Plescoviam 30 Sept. Ann. 81. dato, hæc translata sunt: *Considerantes, quod in illis regnis & provinciis, in quibus vi, gladio & igne religionem stabilire voluerunt, multum sanguinis humani profusum, & plurimum damni datum sit, neminem ad credendum hoc, vel illud, vi adigere volumus, sed vigore juramenti Statibus regni in coronatione præstiti pacem & quietem inter dissidentes in religione conservare, & unumquemque in libertate conscientiæ, quam Dei judicio committimus, tueri cupimus.*

Maximilianus II. in Epistola ad Lazarum Schwendi Baronem, post lanienam Parisiensem Ann. 1574. Viennæ die 22. Februarii propria manu scripta inter cætera sic loquitur: *Insanum illud genus hominum* (qui existimant res pietatis gladio dijudicari ac tractari debere) *oportebat in tot annis jam vidisse atque expertum esse ipsis rerum argumentis & eventu ipso, suppliciorum crudelitate, sectionibus inquam & ustionibus non posse hanc rem confici.*

Erasmus in Præfat. Hilarii: *Per Constantium Augustum exiliis, direptionibus, minis ac terroribus compellebantur* (Orthodoxi) *accedere partibus Arianorum, qua de re velut indigna queritur apud Cæsarem Hilarius, homines novo exemplo cogi ad fidem magis, quam persuaderi, largiens interim illud, quod Arianorum fides esset sincera.*

Ibid. *Doctrina Christi, quæ prius nesciebat λογομαχίαν, cœpit à Philosophiæ præsidiis pendere, hic erat primus gradus Ecclesiæ ad deteriora prolabentis. Accreverunt opes & accessit vis. Porrò admixta huic negotio Cæsarum autoritas non multùm promovit fidei sinceritatem. Tandem res deducta est ad Sophisticas contentiones, articulorum myriades proruperunt. Hinc deventū est ad terrores ac minas. Quumque vita nos destituat, quum fides sit in ore magis, quàm in animo; quum solida illa sacrarum literarum cognitio nos deficiat, tamen tortoribus huc adigimus homines, ut credant, quod non credunt; ut ament, quod non amant; & intelligant, quod non intelligunt. Non potest esse sincerum, quod coactum est, nec Christo gratum, nisi quod voluntarium est.*

Idem: *Certè experientia testis est, coactionem in religionis negotio semper malè cessisse, cùm religio cogi non possit; aut nihil agunt coactores aliud, quam ut coactos faciant hypocritas, ut aliud dicant, aliud teneant mente repostum. Exemplo Hipponensis civitas, de quo justo citiùs gloriabantur prisco seculo Patres, quando legum Imperialium vi coacta ad Catholicam veritatem conversa fuit, sed potissimam partem (ut eventus docuit) hypocriticè. Tumultus tales conversiones excitasse horrendos de Vandalis in Africa, Gothis in Italia, Arianis in Græcia, Mahometanis in Turcia, Annales testantur. Facile enim fieri potest, ut alienæ fidei socii ad nostram coacti versa rerum facie simili crudelitate persequantur persecutores aut conversores suos, primos illius crudelitatis architectos.*

Gerardus Busdragus Episcopus Argolicensis in Epistola ad Cardinalem quendam Anno 1558. sic scribit: *Video nos hic parùm Inquisitione nostra, in qua jam viginti annis versatus sum, proficere, & Calabriam nuper per totum exinde tumultuasse, quemadmodū de Hispaniis quoque narrant, quòd illic etiam sint tumultus hac de re.*

Et postea: *Nec essemus tanto odio digni, si, ut in seditione fit, decem aut viginti ad terrorem aliorum capite plexissemus, sed horresco dicere, quòd quadraginta annis plusquam centena millia à summis Pontificibus in Italia, Hispania, Gallia, Belgio & Anglia sint sublata, nec quicquam profecisse. Ab hac crudelitate ac laniena planè abstinendum esse censeo &c. Ob oculos est Gallia, ubi plus sanguinis effusum, quàm nunquam alibi, & tamen plures reperiuntur illic Lutherani, quàm alius locis.*

Andreas Philopater Presbyter Romanus, (qui nomine fictitio se vocat Creswell) in respons. ad Edictum Anglicum (quod hominis Catholici scriptum Augustæ Vindel. Anno 1592. editum Patres Augustanos approbasse, memorat Sam. à Remching de Pace Relig. Dissert. 1.) p. 334 *Si persuaderi sibi à Cæcilio, Consiliario præcipuo, permiserit Regina Elisabetha hanc tantam subditorum carnificinam carere omni periculo, imprudentia est insignis. Saltem sequi debebat Gamalielis consilium Act. 5. v. 39. Benevolentiâ & tolerantia res tentanda est, quod Germaniæ Principes ut plurimum faciunt. Nam persecutionibus & pressuris, tantaq; hominum strage & laniena, usus satis edocuit, nihil profici posse. Sed acriores longè fieri animos, promtioresq; ad resistendum, usus & experientia satis edocuit.* Ubi hanc procedendi rationem confirmat ex loco Act. 5. *Discedite ab hominibus istis & sinite illos. Quoniam si ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur. Si verò ex Deo est, non poteritis illud dissolvere, ne fortè Deo repugnare inveniamini.*

Johannes Paulus Windeck in Prognostico f. 157. *Hæreticorum imposturæ toti terrarum orbi patefaciendæ, ut detectis erroribus & agnita veritate homines pro nihilo ducant & planè contemnant, quicquid ab illis profectum fuerit.*

Postea addit: *Hæc ratio est longè omnium aptissima ad minuendam illorum potentiam. Viribus & armis non semper proficitur, & nonnunquam fit, ut adversarii belligerando magis etiam confirmentur, quod in Belgio accidere videmus.*

Jansonius Doccomensis Frisius in Mercurio Gallo-Belgico de Catharina Medicea Galliæ Regina memorat, quòd morti jam vicina Regem filium ad se vocaverit, eique inter cætera hocce monitum reliquerit: *Cùm jampridem in Germania, aliisq; locis compertum sit, intestina bella propter religionem mota componi non posse, nisi cuiq; sua religio libera permittatur, monere se Regem, ut idem faciat, quo pacem hoc modo & tranquillitatem regno restituat &c.* Sic ergo pacem, quam ipsa nunquam vivens amaverat, moriens persuasisse dicitur.

Autor Appendicis ad Edictum Regium Gallico idiomate excusæ, qui se Parisiensem Senatorem Catholicum vocat. *Experti sumus, magno nostro malo, quam ejusmodi acris medicina plus nocuerit, quam profuerit.*

Bodinus libr. 4. de Republ. cap. 7. *Si Princeps aliquis certissimas de lege divina, deq; vera religione, quæ præpotentis Dei voce promulgata sit, assensiones animo comprehensas habeat, subditosq; opinionum varietate & multitudine distractos in suam velit pertrahere sententiam, vim amovere oportet. Nam quo majora supplicia irrogabis, eò minus proficies, cùm ea sit hominibus insita vis ac Natura, ut ad aliquid assentiendum sponte duci velit, cogi nolit.*

Ibid adducit responsum Theodorici Gothorum Regis, qui dixerat, *se religionem imperare non posse, cum nemo cogatur, ut credat invitus*, apud Cassiodorum lib. 2. variarum Epist. 27.

Jacobus Augustus Thuanus in Præfation. operis Historici: *Experientia satis edocti sumus, ferrum, flammas, exilia, proscriptiones irritasse potius, quam sanasse morbum menti inhærentem, (hæresin) ad quem proinde curandum non iis, quæ in corpus tantum penetrant, sed doctrina & sedula institutione, quæ in animum leniter instillata descendit, opus esse. Alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magistratus atque adeò Principis sanciuntur, sola religio non imperatur, sed ex percepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia benepræparatis mentibus infunditur, ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animum, quam frangunt & persuadent.*

Quod de sua illa sapientia tam magnificè prædicavere Stoici, hoc nos multo justius de religione dixerimus. Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio & dolor, & quicquid aliud incommodi est, virtute, quæ ab illa præcepta opinione ingeneratur, obruitur. Nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet: quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur. Vires suas novit, dumque se DEI gratia fretum putat, oneri ferendo se quoque parem futurum confidit. Stet illic carnifex, licet tortor ferrum ac flammam admoveat, perseverabit, nec quid passurus, sed quid facturus sit, cogitabit. Felicitas illi quippe domestica est, & si quid intrinsecò intervenit, leve est & summam tantum cutim stringit. Quid, quod Epicurus ipse ab aliis Philosophis tanquā impurior notatus, de Sapiente ait, eum, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum. Dulce est & ad me nihil pertinet. An putamus minores iis animos fuisse, qui centum ab hinc annis ob religionis causam diversis suppliciis perierunt, aut porro futuros, si in iis perseveretur? Audire est operæ precium, quid unus ex iis dixerit, feceritque, cum igni cremandus ad palum alligaretur, ibi genibus flexis canere cœpit hymnum, quem fumus & ignis vix interrumpit, & cum carnifex ignem post tergum, ne conspiceretur, immittere vellet; huc, inquit, accede & ante oculos accende ignem. Si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem fugere licuit, accessissem &c.

Acosta lib. 2. de procur. Ind. sal. cap. 4. *Quis non videat, quam implacabile nominis Christiani odium apud barbaros excitetur, (violentis istis conversionibus) quàm grave & immedicabile scandalum! tota res ista vergit in obstinatam quandam invidiam & odium fidei, & certam perniciem hominum &c.*

Et postea: *Res ipsa satis clamat, per se omnino verum esse, quod scribit Gregorius: Qui fidem asperitatibus propagari volunt, suas, non Dei causas probantur attendere.*

Petrus Gregorius Tholozanus lib. 12. de Republ. cap. 5. n. 12. multis probat, *coactione violenta in religionis negotio nihil quicquam profici.*

Cap. 4. *Sicut invita voluntas cogi non potest, ita nec religio cogenda.*

4. Quod agnoscunt, Magistratum Reipubl. statu ita exigente, diversam à sua religionem tolerare posse. (Quale edictum promulgavit olim Constantinus apud Eusebium lib. 10. Histor. Eccles. cap. 5. ac Justinianus Novell. 17. cap. 11. prohibet, *ne Præses occasione religionum hæresiumque quæstionibus permittat alicui provinciam commovere.*)

Carolus V. Imp. Aug. cum à Clemente VII. Bononiæ urgeretur, ut Lutheranam religionem armis oppugnaret, suggestionibus ipsius graviter primum restitit, responso ad postulatos Clementis articulos tali dato: *Ut parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus ac religionibus vitia quædam esse dissimulanda, fundamentum in Ecclesia retineri oportere.* Goldast. tom. 3. Constit. Imperial f. 506. Wolff. tom 2. memorab. f. 331.

Danvilla apud Dinothum lib. 6. Hist. Gall. f. 474. censet, *nulla cum ratione id asseverari, quod duæ atque diversæ religiones in uno atque eodem regno retineri non possint, quia in Occitania contrarium ostendatur, ubi dissentientium in religione summus videatur consensus.*

Grat-

Gerardus Busdragus in Epist. ad quendam Cardinalem Anno 1558. *Utinam cogitaretur de vera concordia & quemadmodum toleramus Græcos, in multis à nobis dissentientes, quos tamen non habemus pro hæreticis, neque eos persequimur, sic quoque Lutheranos ferremus!*

Stanislaus Hosius Cardinalis An. 1568. apud Magistratum Elbingensem, qui ejectis Doctoribus Pontificiis Evangelicam religionem amplexus fuerat, scriptis ad eum literis graviter intercessit, inter alia sic scribens tom. 2. fol. 123. *Liceat saltem in hac regia civitate, quod licet sub gravi Turcarum Tyranno, ut Christus in Bethlehem natus libere prædicetur.*

Idem Epist. 274. ad Episcop. Cracov. *Quòd si conceditur Christianis, etiam sub Turcarum Tyranno, cur non eadem libertas illis permittatur sub Elbingensibus Burgomagistris?*

In Concert. Eccles. Cathol. in Anglia fol. 246. *Romano-Catholici per Wilhelmum Alanum causæ suæ Advocatum gravissime conqueruntur, quod Catholicis religionis libertas in Anglia negatur.* Inter cætera fol. 247. sic loquuntur: *Ariani Impp. naturali quadam benignitate inducti fuerunt, ut Ecclesias aliquot & oratoria in Cœmiteriis locisque contiguis Catholicorum usibus assignarent. Sic Constantinus Arianus & Valens Impp. Athanasio & ejus sectatoribus Alexandriæ locum non denegavit, quam solam gratiam utinam à Principe nostro impetrare possemus!*

Ibid. f. 394. *Si vel partem aliquam ejus libertatis nostri potuissent adipisci, quam habent Catholici in Germania, Helvetia, aliisque in locis, ubi potestas summa est penes Protestantes, aut quam habent Hugonotti in Gallia.*

Ibid. f. 306. *Utilissimum est, ut manus deinceps cohibeant à Catholicis subjectis & fratribus suis persequendis, ut eis permittant libera conscientia sacris uti frui, quo sic Reginam ejusq; Consiliarios precibus suis DEO commendent tanquam patronos, quos nunc commemorant solum, ut persecutores.*

Jesuita Creswelus in suo Philopatre contra edictum Elizabethæ Reginæ Angliæ p. 74. scribit: *Iniquissimam esse regulam, quæ in Anglia vivendi locum Jesuitis neget, cum tamen ipsis sub Turcis, sub Mauris, sub Persis, sub Æthiopibus vivendi locus permittatur.*

In Apologia Alani contra duo edicta Reginæ Elizabethæ p. 21. *In regno & provinciis Turco Persaq; subjectis Catholici libere sua religione uti permittuntur. Sed & in Germania, Helvetia, Suecia, Polonia, Bohemia nullus Catholicorum compellitur ad alterius religionis professionem. At solis Catholicis in Anglia negatur religionis libertas.*

Molanus lib. 1. de fide hæret. servanda cap. 2. *Cogitur aliquando Catholicus Princeps sive Magistratus, in quibusdam locis libertatem religionis sub certis conditionibus concedere, ne si minus malum tolerare nolit, majora in Republ. sua perpeti cogatur.*

Jacobus Augustus Thuanus in Præfat. operis Historici testatur, *Henricum IV. Galliæ regem eo ipso, quod Protestantibus in suo regno quietam permiserit sedem, Rempub. labantem fulcivisse.*

Petrus Cudsemius in desperata Calvini causa p. 116. *Laudabile & prudens consilium est, quo Henricus IV. Galliæ & Navarræ Rex sanxit omnibus in nobilissimo suo regno pro tempore religionis immunitatem, potestatemque fecit ad divinum ejus cultum suo loco palam & secure conveniendi, quo pacto publica totius regni & in eo Catholicæ Ecclesiæ pax alitur, & patriæ salus conservatur.*

5. Quod agnoscunt, coactionem ad religionem ac persecutionum violentiam esse falsæ Ecclesiæ & hæreticorum propriam.

c. Qui secundum. caus. 23. q. 4. ex Hieronymo: *Qui secundum carnem natus erat, persequebatur spiritualem, nunquam verò spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei quasi rustico fratri. Scit, eum proficere posse per tempus, & si quando Ægyptiæ filium viderit irascentem, recordabitur unius patris, qui boves creavit & culices, & in magna domo non solum esse vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia voluit.*

c. Si Ecclesia. caus. & quæst. iisdem. ex Augustino. *Si Ecclesia vera est, ipsa est, quæ persecutionem patitur, non quæ facit.*

Rupertus Tuitiensis super cap. 13. Apocal. (circa Annum 1124.) *Et faciet, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.* Hoc, inquit Rupertus, *Christus non fecit neque Prophetæ ejus, neque Apostoli docuerunt, neque Reges Christiani facti jam hoc acceperunt, ut occidant, & sanguine cumulandum existiment Christi servitium. Verus namque Deus non coacta, sed spontanea servitia vult. Ergò & in hoc, palam faciet sensum habentibus & ratione pollentibus, quod vere sit Antichristus, quod verè non Christus, sed secundum nomen suum Christo sit contrarius. Hic est Christus, qui sanguinem suum fudit. Hic est Antichristus, qui sanguinem fundit alienum.*

Andreas Philopater Presbyter Romanus in resp. ad Edictum Anglicum. *Hæc eadem provisio* (nempe ferro & flammis religionem extirpandi) *fuit Antiochi Regis, hæc eadem fuit Neronis, Domitiani, Decii, cæterorumq; persecutorum Christianæ fidei, qui ferro tantum, flammisq; occurrendum putaverunt. Hæc ratio fuit Scribarum, ac Principum Judæ præcipientium Apostolis, ne loquerentur amplius in nomine Jesu Act. 4. Hæc eadem Genserici ac Hunerici, Regum Arianorum, secundum Victorem Histor. Vandal. libr. 3. ne conventus celebrarent ad divina mysteria Catholici.*

Costerus in Enchirid. in cap. de Ecclesia. *Gravissima in Deum hominesq; peccata hæreticis omnibus sunt communia, alia etiam sunt, quæ hæreses comitantur, ut sunt, humanas leges violare, in proximos à sua secta alienos injurios esse, persecutiones moliri, seditiones movere, bella ciere, omnia turbare.*

Idem: *Sequuntur Catholici eam doctrinæ propagandæ rationem, quam Apostoli primi Ecclesiæ fundatores præmonstrarunt, non inferendo bella, non occupando per vim terras, non mortem minitando. Christus enim non armis aut humanâ virtute, sed humilitate & patientia Martyrum Christianos subjici voluit.*

6. Quod agnoscunt, prætextu illius coactionis propria commoda ab Inquisitoribus & persecutoribus plerunque quæri.

Autor Appendicis ad Edictum Regium Gallico idiomate excusæ, qui se *Parisiensem Senatorem Catholicum* vocat: *Plerique non quærunt eorum, quos in religionis negotio persequuntur, salutem æternam, sed sua potius commoda sectantur, non illis polum, sed sibi solum parare ambiunt.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 96. *Potest Inquisitor non raro pœnas mutare, de corporali in pecuniariam, & suo Inquisitionis officio applicare. Unde illis non modicum lucrum est, habentque ex illis miseris* (mulierculis rusticis maleficii accusatis) *non paucas, quæ annuum illis censum pendere coguntur, ne denuò rapiantur ad inquirendum. Præterea cum bona hæreticorum fisco adscribuntur, etiam inde non parva præda est Inquisitori. Sola denique accusatio aut denunciatio, vel levissima etiam suspicio hæresis aut sortilegii, ipsaq; Inquisitoris sciscitatio infamiam annexam habent, cujus integritati non nisi datâ Inquisitori pecunia consulitur.*

Acosta lib. 2. de procur. Ind. salut. c. 4. *Res ipsa satis clamat per se, omnino verum esse, quod scribit Gregorius, Qui fidem asperitatibus propagare volunt, suas, non Dei causas probantur attendere.*

Bodinus lib. 4. de Republ. cap. 7. adducit responsum Theodorici Gothorum Regis, qui dixerat, *se religionem imperare non posse, cum nemo cogatur, ut credat invitus*, & subjungit: *Hæc ratio omnium efficacissima mihi visa est ad supplicia, quæ religionis specie irrogantur, tollenda, cum ea propter Rex ille religionis causa cruciari pateretur neminem, ne vel impietatis specie aliena bona, quæ hodie statim in crimine hæreseos confiscantur & legitimis heredibus auferuntur, diripere, vel liberas hominum voluntates, quæ nullis imperiis cogi possunt, constringere velle videretur.*

7. Quod agnoscunt, coactionem ad religionem non congruere praxi Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ.

Erasmus ad quæstionem Hedibiæ primam, ab Hieronymo solutam tom. 4. p. 70. sic annotat: *Atqui ad hæc* (bella) *Pontifices condonationibus admissorum invitant, & cœlum promittunt cadentibus. Sed Hieronymus Pauli doctrinam secutus ad illa tempora respexit, non ad hæc, in quibus omnia ferè diversa sunt. Olim trucidabantur Christiani, nunc trucidant. Olim dejiciebantur possessione, nunc alios dejiciunt.*

Bellarm. lib. de Laicis cap. 18. §. Qui libertatem &c. *Jovinianus libertatem credendi concessit, qui tamen ne Catholicos cum hæreticis misceret, graviter admonitus est à Concilio Antiocheno, ut scribit Socrates lib. 3. cap. 21.*

Laymannus Jes. in Justa Defens. p. 127. adducit locũ ex scripto contra Jesuitas ab alio Pontificio in publicum edito, qui sic habet: *Experti putant, mandatis potius & armis Cæsareis, aut metui alicui incusso, quam Patrum Societatis industriæ deberi locorũ in Germania conversionem, nec ostendi posse ullam provinciam aut civitatem, quæ absq; hujusmodi metu aut coactione sponte sua, ad vocem Societatis duntaxat, hæresin deseruerit, contra quam olim Apostolis &c. usitatum fuit, qui in solo verbo Domini rete laxantes copiosam piscium multitudinem concluserunt, & integras regiones ad religionem adduxerunt.*

Argum. Adverſ. Luc. 14. *Compelle intrare. Ergò coactio requiritur.*

Reſp. 1. ex Cornel. Janſenio in cap. 91. Conc. Evang. *Hujuſmodi coactio, qua ſervos ſuos paterfamilias vult uti erga quoſdam, quantum eſt ad propoſitum Domini, in tribus potiſſimum conſiſtit. Primum ſc. in miraculorum operatione, quibus mirè pertracti ſunt Ethnici ad fidem & quodamodò coacti, dum haberent, quod contra dicere poſſent. Secundò, in prædicationis & doctrinæ aſſiduitate & conſtantia, dum non ceſſat doctor omnibus modis errantes ad veritatem pertrahere, nunc blandiendo promiſſis, nunc terrendo æternæ damnationis comminationibus* 1. Tim. 4. Jer. 4. *Tertiò in vitæ ſinceritate & integritate, quam ſi in Doctore viderint homines mirè promoventur ad veritatis, quam prædicat, ſuſceptionem.* (Ergò per τὸ ἀναγκάζειν non intelligitur hoc loco violenta coactio, ſed ardens ſtudium fidelium Eccleſiæ miniſtrorum, perducenti homines ad gremium veræ Eccleſiæ.)

Et poſtea: *Auguſtini tractatio, qui ex hoc loco oſtendit, Principum ſecularium legibus & vindictis rectè hæreticos & ſchiſmaticos compelli ad unitatem fidei, etſi ſit admodum docta & accommoda ad refellendum errorem illum, quo hæretici volunt, neminem autoritate Principum cogi debere exiliis, carceribus & mortibus, tamen altera priùs tradita explicatio magis videtur eſſe genuina, tum quòd videatur per eos, qui in viis & juxta ſepes ſunt magis ſignificare Dominus eos, qui nec dum crediderunt, tum quòd per ſervum miſſum magis ſignificentur Prædicatores & Paſtores, quàm ſeculares poteſtates.* Ubi duo evidentia argumenta Auguſtini expoſitioni, quæ Pontificiis hodie allubeſcit, opponit, de quibus paulò pòſt pleniùs diſſeremus.)

Ex Maldonato in Matth. 22. v. 2. p. 59. *Quod dicit, compelle intrare, non ſignificat, ad fidem cogendos eſſe homines, ſed adeò rogandos, adeò incitandos, ut quodammodò compelli videantur.* (Hæc oppoſitio probari poteſt ex illis Scripturæ dictis, in quibus ἀναγκάζειν non ſignificat violentam coactionem, ſed ardentiorem flagitationem. Gal. 2. v. 14. cap. 6. v. 12. ubi explicatio additur v. 13. per θέλειν. Eodem ſenſu uſurpatur in Latina verſione verbum *cogendi* Luc. 24. v. 29. pro παραβιάζεσθαι & Geneſ. 33. v. 11. verbum *compellendi*, ubi reſpondet Hebræo פצר.)

3. Ex Barradio tom. 3. Concil. Evang lib. 3. cap. 15. *Illi velut compulſi intrant, quos per flagella Deus vocat. Nam flagella, id eſt, morbi graves, fames, peſtis, bellum, reſque aliæ adverſæ hominem à mundi cœna ſeparant, & in cœnam Dei ducunt.* (Subjungit quidem, *ſibi non diſplicere Auguſtini interpretationem, qui de ea compulſione hæc verba intellexit, qua hæretici ad fidem redire coguntur,* quam & nos juxta Auguſtini mentem rectè acceptam non improbamus, interim textui magis congruam agnoſcit eam, qua de Paſtorum ſive Doctorum compulſione per doctrinam hæc verba accipiuntur, concludit enim his verbis:) *Ex hoc loco collige, quales eſſe debeant Dei ſervi, qui cæteros ad cœnam vocant. Nimirum & verbo & exemplo adeò potentes, ut ad Cœnam auditores poſſint velut compellere, tùm vitæ ſanctimonia, tum concionibus.* Eodem fere modo illud compellere explicat Lorinus in Comm. 1. Petr. 5. v. 2. *Scholiaſtes Nazianzeni Elias Cretenſis monet, Chriſtum in Evangelio præcepiſſe, ut Apoſtoli quamcunque domum intraverint, ante omnia precentur pacem, quòd ſi non recipiantur, exeant, excuſſo etiam de pedibus pulvere ne quid videl. coactè facere videantur. Tandem occurrit, cum injunxit Chriſtus compellere ad Cœnam intrare, demonſtraſſe, quanta ſit vis Evangelicæ prædicationis & potentia miraculorum ad hoc, ut quis ad fidem traducatur, quamvis liberè ac ſponte.*

4. Ex Salmerone tom. 7. tract. 33. p. 138. *Scriptura ſe noſtræ loquendi conſuetudini accommodat, ut nos dicere conſuevimus, vi argumentorum & rationum hunc aut illum nos compuliſſe, ut noſtræ ſententiæ acquieſcat, quàm priùs ignorans impugnabat. Ita Apoſtoli gentes, quæ ſe prædicationi Evangelii opponebant, & à principio contradicebant, divini tamen verbi efficacia, quod eſt veluti ignis & quaſi malleus conterens petras, corda ipſa penetrante & admirabilium ſignorum multitudine, & ſancto atque irreprehenſo vitæ exemplo gentes compuliſſe dicuntur, ut abjectis idolorum ſimulachris ſpontanei & volentes fidem Chriſti amplecterentur &c. Habent etiam Paſtores Eccleſiaſtici ſuum cogendi modum per cenſuras Eccleſiaſticas, ſicut ſeculares Principes per carceres, gladios & mortes rebelles cogunt permanere in officio & in ordine ſuo &c. Sed certè hîc eſt ſermo in parabola de nondum in Chriſtum ingreſſis compellendis, qui extra Eccleſiam ſunt. Negandum tamen non eſt, Auguſtinum tractantem hunc locum intelligendum eſſe contendiſſe de hæreticis & ſchiſmaticis compellendis ad unitatem fidei & corporis Eccleſiæ, per leges Principum & vindictas ſeculares.* (Sed hanc Auguſtini interpretationem agnoſcit, *non eſſe textui ſatis congruam*, quæ tamen rectè accepta nobis non adverſatur. Nam Auguſtinus agit de coërcendis Donatiſtis, qui cum hæreſi ſeditionem conjungebant, & alios ad ſuos errores cogebant, nec compulſionem illam usque ad pœnam mortis extendit.)

5. Ex Gregorio Epiſc. Romano homil. 36. in Evang. *Sed quis* (inquit) *per hunc ſervum, qui à patrefamilias ad invitandum mittitur, niſi Prædicatorum ordo deſignatur? de quo videlicet ordine, quamvis adhuc indigni, exiſtimus, quamvis peccatorum noſtrorum ponderibus gravamur, & nos tamen in iſtis diebus ſumus, & cum de ædificatione veſtra aliquid vobis loquor, hoc eſt quod ago, ſervus enim ſum ſummi patrisfamilias. Cum vos admoneo ad contemtum ſeculi, invitare vos venio ad Cœnam Dei.* Eandem expoſitionem approbat Alphonſus Avila. Approbat etiam Maldonatus d. l. *Quinta* (inquit) *pars parabolæ ſunt ſervi. Hieronymus indicat in multis Codicibus ſingulari numero ſervum legi, quemadmodum apud Lucam. Sed & noſtri Codices legunt ſervos, & eam lectionem, ut plenior ſit, videtur ſententia poſtulare. Qui fuerint ſervi, quos Deus ad invitandos primum Judæos miſit, non eſt difficile, tamen non omnino Autores conſentiunt. Hilarius enim ſolos Apoſtolos fuiſſe dicit. Alii omnes Autores, ut Origenes, Chryſoſtomus, Autor imperfecti oper. Hieronymus, Gregorius & Beda, Prophetas & Apoſtolos. Nam primum Prophetæ miſſi ſunt & contumeliis affecti atque occiſi, poſtea miſſi Apoſtoli in plateas & exitus viarum, ut omnes, non Judæos tantum, ſed etiam gentiles invitarent.* Janſenius d. l. itidem per *ſervos* Prædicatores & Paſtores hic intelligi agnoſcit.

(At ſi per *ſervum* ordo Prædicatorum, hoc eſt, Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum deſignatur, non poteſt ex hac parabola probari, homines vi ad religionem cogendos eſſe. Apoſtolis enim dictum Matth. 13. v. 30. *Sinite creſcere zizania usque ad tempus meſſis.* Paulus de ſe & Co-Apoſtolis ſuis dicit 2. Cor. 1. v. 24. *non dominamur fidei veſtræ*, ac Petrus 1. Epiſt. 5. v. 3. prohibet, *ne Paſtores dominentur Clero*, id eſt, gregibus ſibi commiſſis, cũ quibus Apoſtolicis præceptis & exemplis pugnat, quod illi, qui ſe Apoſtolorum Succeſſores gloriantur, homines ad religionem vi cogere volunt. Theophylactus in Comment. per *ſervum illum ſervum intelligit Chriſtum, quia cum articulo dicatur, ſervum illum.* Juxta hanc expoſitionem adhuc longe minus probari poteſt, homines per vim ad religionem cogendos, quia Chriſtus violentis ad converſionem mediis nuſpiam uſus legitur.)

6. Ex eodem Gregorio d. l. *Cùm de vicis & plateis ad Cœnam quoſdã Dominus invitat, illum videl. populum deſignat, qui tenere legem ſuburbana converſatione noverat. Cùm verò convivas ſuos colligi ex viis & ſepibus præcipit, nimirùm agreſtem populum colligere, hoc eſt, gentilem quærit.*

(Eodem modo exponit Theophylact. d. l. *Per hos, inquit, qui in via & apud ſepes, gentes intelligendæ ſunt. Iſraelitæ enim fuerunt intra civitatem, ut qui legem ſuſceperant & civiliorem vitam ſortiti. Gentiles verò à Teſtamentis & à Lege Dei alieni erant, & non facti cives Sanctorum, nec in una via, ſed in multis iniquitatis viis & ruſticitatis verſabantur, & apud ſepes, peccata dico. Peccatum enim magna ſepes eſt & interſtitium dividens nos à Deo.* Hanc expoſitionem Janſenius d. l. *magis genuinam eſſe*, fatetur. At ſtante hac hypotheſi denuo non poteſt ex hac parabola probari, homines vi ad religionem cogendos eſſe, quia fatentur ipſimet Pontificii, gentiles non debere cogi ad religionem, ſed ſolos hæreticos.)

7. Ex eodem Gregorio d. l. *Qui hujus mundi adverſitatibus corfracti ad Dei amorem redeunt, atque à præſentis vitæ deſideriis corriguntur, quid iſti fratres mei niſi compelluntur, ut intrent?* Eandem expoſitionem approbat Janſenius d. l. *Præter iſtum, inquit, modum cogendi, videl. per miraculorum operationem, per precationis & doctrinæ aſſiduitatem, per vitæ ſinceritatem & integritatem &c. convenientem ſervis à Deo miſſis, eſt quidam modus cogendi Deo propriè conveniens, quo ſcil. per immiſſas adverſitates quidam ad ipſum venire quodammodo compelluntur, quomodo Apoſtolus Paulus ad fidem Chriſti pertractus eſt.*

8. De eodem cogendi modo ſic ſcribit Didacus Stella in cap. 14. Luc. p. 211. *Si ſciremus, quibus viis Dominus aliquos convertit, videremus ſæpius impleri, quod compelluntur intrare, non quòd compellatur voluntas, ſed mutantia voluntatem, ut fecit cum Paulo. Et hoc facit Dominus dupliciter. Primò oſtendendo voluntati noſtræ tantum bonum, ut ipſa non poſſit non appetere illud. Secundò removendo & abſcondendo omne malum, & cum objectum voluntatis non ſit bonum, tantum bonum poteſt voluntati repræſentare, ut non poſſit non*

non amare illud, quod videt bonum. Et isto modo liberum hominis arbitrium subjicitur DEO, quod non est compellere voluntatem.

(At nec huic divino cogendi modo conformis est violenta Pontificiorum coactio)

9. Certum est, per *servos* intelligi in parabola *Apostolos*, qui gentiles ad cœnam mysticam invitare debebant. Quod si ergò per τὸ compellere vis externa intelligenda esset, consequens foret, Apostolos non satisfecisse Christi mandato, cum non fuerint usi vi externa in hominibus ad Christum convertendis. Consequens hoc Pontificii non concedunt.

10. Stapletonus in promtuario Catholico Dominica II. post Pentecosten fatetur, *Christum præcipue loqui de prædicatione Evangelii, de miraculis, de sancta conversatione & aliis mediis, per quæ Apostoli incredulos gentiles ad fidem Christianam perducere debebant.*

(Hunc compellendi modum lubentissimè concedimus.)

Thesis secunda. Hæretici non sunt corporali supplicio afficiendi.

Exthesis. Ad violenta illa media, quibus Pontificii religionem suam propagant, merito etiam hoc refertur, quod *hæreticos*, quo nomine intelligunt omnes, quotquot cum Romani Pontificis doctrina non consentiunt in omnibus articulis & partibus, corporali supplicio afficiendos esse docent & in praxi etiam observant. Notandum vero circa quæstionis hujus statum, 1. Non esse quæstionem, an Magistratui hæreticos coercere liceat, quod affirmamus, sed an capitali supplicio eos afficere debeat, quod negamus. 2. Nec esse quæstionem de tempore Vet. Testam. an in eo licuerit interficere hæreticos, sed de Christiano Magistratu in Novo Testamento. 3. Nec esse quæstionem de *blasphemis & seditiosis*, qui præter falsæ doctrinæ propagationem seditiones insuper excitant, subditos adversus Magistratum instigant, ac directas & apertas blasphemias adversus Deum evomunt: sed de *hæreticis simplicibus*, qui à seditionibus, blasphemiis & aliis delictis capitalibus sibi temperant, solo mentis errore occupati.

Antithesis. Hæreticos capitali supplicio afficiendos esse Pontificii docent θεωρητικῶς & observant πρακτικῶς.

Censura Colon. Dial. 4 fol. 130. *Si Lutherus ante quadraginta annos ferro aut igni sublatus fuisset, aut alii è medio tollerentur, non tam abominandis dissidiis, non tot sectis totus orbis concuteretur.*

Petrus Paulus Vergerius Episcopus Justinopolitanus, quem Pontifex Romanus aliquoties in Germaniam Legationis causa miserat, refert *sua ætate, intra annos triginta, centum & quinquaginta mille Christianos diversis in locis ex Inquisitione hæreticæ pravitatis alios aliis tormentis atque suppliciis esse trucidatos.* Sic enim scribit in tract. de Idolo Lauretano: *Ubicunque illi* (Papatui) *in tota Europa per Principes licuit, instituit crudelissimam illam Inquisitionem & carnificinam, quæ vix 30. annorum spatio partim igni, partim ense, partim laqueo, partim aquis, partim carceribus & inedia trucidavit, & consumsit non pauciores, quam centum quinquaginta millia nostrorum fratrum, neque adhuc desinitur, ut omittam eos, qui fuerunt in exilium ejecti, bonis omnibus spoliati, ad negandum Christum compulsi, & omni contumeliæ genere affecti, ita ut si conferas crudelitatem & Tyrannidem istorum Romanorum Pharisæorum, ea major futura sit, quam ullius Neronis, Domitiani aut Caligulæ, vix enim bi tantum Christi sanguinis profuderunt.*

Anno 1582. cum Augustæ haberentur Comitia, Pellanus quidam dicebat: *Si jam mihi Catholici, quorum major est in urbe copia, obedirent, suaderem, ut omnes Lutheranos summos & infimos occiderent. Sic enim pacem habituri essemus, & Papæ in novo Calendario satisfacere possemus, quod nunquam fiet, quamdiu in medio nostri Protestantes vivere passi fuerimus.*

Crusius Jesuita Landsbergæ dixit: *Illud hominum genus* (Lutheranos intelligit) *non alia ratione, quam ignis ardore emolliri & dissolvi potest.*

Christophorus Ziglerus Stutgardianus. *Suasor*, inquit, *essem, ut omnes Clerici & devoti omnes Monachi & Canonici, & quicunque per vires possent, concurrerent & uno impetu Wurtembergam invaderent, resistentes contrucidarent, & sic illorum templa & Scholas nostri mbabuarent*, referente Hasenmüllero in Histor. Ord. Jesuit. cap. 6.

Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 21. §. 2. *Omnes Catholici docent, hæreticos posse morte mulctari.* Et postea: *Nos breviter ostendemus, hæreticos incorrigibiles ac præsertim relapsos posse ac debere ab Ecclesia ejici, & à secularibus potestatibus temporalibus pœnis atque ipsa etiam morte mulctari.*

Ibid. §. ultimo. *Hæreticis obstinatis beneficium est, quod de hac vita tollantur.*

Stapletonus in Epist. dedicat. oper. de Justific. *Eo sane loco hæreses sunt, ut non tàm arte & industria, quam Alexandri gladio eorum nodi Gordii dissolvi debeant, magisque Herculis clava, quam Apollinis lyra mitigari videantur.*

Joh. Paulus Windeck in Prognost. f. 117. 232. 249. *Hæreticos ustionibus, sectionibus, bellorum vi & impetu sine mora opprimendos & exscindendos esse suadet*; adducit etiam exempla Inquisitionis Hispanicæ, quæ maximoperè commendat, & ad eorum imitationem Christianum Magistratum exstimulat.

Gregorius de Valentia tom. 3. q. 11. de hæreticis punct. 3. *Ecclesiam licite animadvertisse contra Hussum pœna mortis: idemq; juris esse contra cæteros hæreticos, utut Lutherus diversum senserit.*

Petrus Ribadeneira lib. 1. de Principe cap. 26. *Hæreticos capitali supplicio afficiendos esse*, probare conatur *ex Scripturis, Patribus & Imperatorum Legibus.*

Antonius Possevinus in cautel. contra 3. theorema Domini de la Nove. *Cum hæresis multo pestilentior cunctis flagitiis & vitiis sit &c. quidni armis perniciosissimus hostis demetur! Occidi falsos Prophetas mandat Deus, quod reipsa præstitere Elias, Jehu, Josias & alii.*

Petrus Gregorius lib. 12. de republ. cap. 4. sect. 10. *Si hæretici contemtis Ecclesiasticis censuris noluerint ad Ecclesiæ gremium redire, cum gladio spirituali temporalis est jungendus juxta c. Quando vult Deus, & sequ. usq. ad finem 23. q. 4. sic Elias & Jehu occiderunt Pseudoprophetas &c.*

Idem Possevinus in libello quodam Italico, Il Soldato Christiano, milites Pii V. in Galliam profecturos alloquens, dicit: *Eorum officii esse, ut omnes Protestantes occidant, alioqui eos & fidem & salutem amissuros.*

Maffæus in Comment. super Epistol. Judæ ait, *non aliud se videre consilium vindicandæ libertatis & autoritatis Rom. Ecclesiæ, quam ut urbes hæreticorum funditus primum evertantur.* (Refert Deckerus in Præfation. tractat. de propriet. Jesuitarum.)

De Ambrosio Pelargo Monacho Dominicano memorat Schleidanus lib. 23. Comment. quod Anno 52. die 7. Febr. Tridenti pro concione dixerit, *tollendam esse zizaniam quocunque modo*, ac postea coram Cardinali Tridentino mentem suam explicando asseveraverit, *hæreticos tollendos igne & quacunque demum ratione.*

Costerus in Apolog. adv. Gomarum, Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 1. q. 11. punct. 3. Lipsius de una relig. adv. Dialog. & alii multis argumentis idipsum demonstrare nituntur.

Maierhöferus in Speculo Prædicant, p. 54. *Catholicos pro fidei articulo hoc habere asserit, quod hæretici capitali supplicio afficiendi sint.*

Maldonatus in cap. 9. Luc. v. 55 pag. 4. *Cæterum cum opus est, & ferro de terra, & igne de cœlo tuenda est & conservanda religio, occidendi invadentes in Ecclesiam Turcæ, comburendi tanquam proditores ac transfugæ discedentes hæretici.*

Scioppius in Classico cap. 1. scribit: *Esse protestantium Principes instar Agag Amalecitarum Regis in frusta concidendos, idque in honorem Dei.*

Cap. 2. *Omnes hæreticos & schismaticos, quippe homines Diis alienis servientes, statim interficiendos esse.*

Lib. & cap. usd. p. 20. *Iniquissimum est, Lutheranos Catholicorum terras tenere, & jure tu Cæsar auditum facies fremitum prælii, ac Witebergam in tumulum dissipabis, igneque succendes.*

Andreas Fabricius in Epist. dedicat. Harm. ad Imperat. *Accingatur gladio suo super femur suum Imperator potentissimus, & hæreticos, Christiani nominis hostes perniciosissimos, sub jugum mittat &c. Utilis est sanguinis Lutherani profusio.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex vaticiniis Propheticis de propagatione doctrinæ cœlestis in N. Test. absque cæde & sanguine futura, Es. 2. v. 4. cap. 11. v. 7. 8. 9. cap. 65. v. 25. Zach. 9. v. 10.

2. Ex defectu mandati. Christus & Apostoli nullum in N. Test. dedere mandatum de hæreticis corporali supplicio afficiendis. Christus *gladio oris*, non *ore gladii* hæreticos adoriri jussit, nec ferro, sed verbo hæreses exstirpandas esse docuit.

3. Ex parabola Matth. 13. v. 30. *Sinite crescere zizania*, ubi per zizania hæreticos intelligi patet, tum ex oppositione ziza-

niorum & seminis, tùm ex scopi determinatione, quòd de regno cœlorum sive de statu Ecclesiæ Christo hic propositum sit agere, tùm ex zizaniorum descriptione, tùm ex deductione ad absurdum.

4. Ex verbis Christi Luc. 9. v. 54. *Nescitis, cujus Spiritus vos estis? filius hominis non venit ad perdendas animas hominum, sed ad servandas*, ubi notandum, quòd Christus Samaritanos propter diversitatem religionis igne cœlitùs depluto consumi prohiberi, discipulos Samaritanorum excidium meditantes, ad Spiritus Evangelici mansuetudinem revocet, atque ab Eliæ exemplo & rigore in V. Testamento, modum, quo hæretici in N. Test. tractandi sint, petendum esse neget.

5. Ex modo cum hæreticis agendi à Christo & Apostolis proposito, quòd debeamus à Pseudoprophetis & illorum fermento *cavere* Matth. 7. v. 15. cap. 16. v. 6. & 12. *eos observare & ab illis declinare* Rom. 16. v. 17. *ab illis nos sejungere* 1. Tim. 6. v. 5. *post unam atque alteram admonitionem eos devitare*. Tit. 3. v. 10. *in domum illos non recipere, nec ave illis dicere* 2. Johan. v. 10. nusquam verò jubent illos interficere, quin contra potius negant *arma militiæ nostræ esse carnalia* 2. Cor. 10. v. 4. &c.

6. Ex incommodis, quæ contrariam sententiam sequuntur: Præcluditur conversioni & saluti errantium via, cum zizaniis simul triticum eradicatur, dominium in conscientias soli Deo relictum homines sibi arrogant, reddunt eos, quos cogunt, hypocritas aut Epicuræos, seditionibus occasio præbetur, hominum animi à religione magis alienantur &c.

Pleraque sententiæ nostræ argumenta exponit B. Lutherus an den Christlichen Adel/ tom. 1. fol. 342. B. Man solt die Ketzer mit Schrifften/ nicht mit Fewr überwinden/ wie die alten Väter gethan haben. Wenn es Kunst were/ mit Fewr Ketzer überwinden/ so weren die Hencker die gelehrtesten Doctores auff Erden/ dürfften wir auch nicht mehr studiren / sondern welcher den andern mit Gewalt überwunden/ möcht ihn verbrennen. fol. 343. Warumb verbrandte S. Augustinus nicht die Ketzer in Africa? Warumb nicht Hilarius/ und der heiligen Lehrer viel mehr? sondern waren dawider / daß man sie auch nicht am Geld straffet/ das waren Christliche Weisen mit Ketzern umb zu gehen/ da kam auch Frucht von. Ibid. Die Christenheit hat nun wol in vierzehen hundert Jahren viel Ketzer überwunden/ und keinen nie verbrand/ ohne die Papisten zu Costnitz. fol. 428. a. Die Ketzer verbrennen/ ist wider den Willen des heiligen Geistes. Das beweise ich zum ersten durch die Erfahrung / denn bißher von Anfang hat die Kirche noch nie keinen Ketzer verbrandt/ und wirds auch nimmermehr thun / so doch Vorzeiten so mancherley und viel Ketzer waren. Zum andern aus ihren eignen Worten.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, religionis non esse, ad religionem cogere; Magistratum conscientiis non debere, nec posse dominari; in religionis negotio vi & coactione nihil profici, sed Reipublicæ potius mala multa attrahi; Magistratum, Reipubl. statu ita exigente, diversam à sua religionem tolerare posse; coactionem ad religionem & persecutionum violentiam esse falsæ Ecclesiæ ac hæreticorum propriam; quæ omnia etiam probant, hæreticos non esse capitali supplicio afficiendos, ut constat. Dicta autem illa in cap. præced. sunt allata.

2. Quod agnoscunt, occisionem hæreticorum non convenire doctrinæ Christi & Apostolorum.

c. Tres personas caus. 23. q. 4. Gratianus sic scribit: *Ecce, quod mali tolerandi sunt, nec corporali, sed spirituali vindicta sunt puniendi. Unde cùm discipuli non recepti à Samaritanis ignem cœlitus super eos deducere voluerunt, dicentes Magistro, Vis, dicamus, ut descendat ignis de cœlo & consumat eos, audierunt: Nescitis, cujus Spiritus estis?*

c. Notandum 37. caus. 24. q. 3. ex Epistola Urbani Papæ. *Notandum est, quod quidam dicunt, contra Evangelicam parabolam nos facere, ubi de zizaniis non eradicandis Dominus præcepit, cum aliquos excommunicatione dignos excommunicationi subjicimus &c. Quibus hoc respondendum est &c. Idem ipse Dominus, qui hoc parabolicè hic narrat, apertè alibi excommunicationem fieri jubet, dicens: Frater, qui corripitur ab Ecclesia & non obædit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Unde apparet liquido, aliud esse excommunicationem, aliud eradicationem. Qui enim excommunicatur, ut Apostolus ait, ad hoc excommunicatur, ut Spiritus ejus salvus fiat in die Domini. Disciplina enim est excommunicatio & non eradicatio.* (Sic ergò Urbanus Papa adhuc suo tempore Anno scil. 1087. improbavit, vi hæreticos extirpare velle.)

Rupertus Tuitiensis (circa Ann. 1119.) lib. 8. in Apocal. capit. 13. super verba: *Et faciet, ut quicunq; non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. Hoc Christus non fecit, neq; Prophetæ ejus, neq; Apostoli docuerunt, neque Reges Christiani jam facti hoc acceperunt, ut occidant & sanguine cumulandum existiment Christi servitium. Verus namque Deus non coacta, sed spontanea servitia vult. Ergò & in hoc, imò maximè in hoc, palam faciet sensum habentibus & ratione pollentibus, quod verè sit Antichristus, quod verè non Christus, sed secundum nomen suum Christo sit contrarius. Hic est Christus, qui sanguinem suum fudit. Hic est Antichristus, qui sanguinem fundit alienum.*

Bernhardus serm. 64. in Cant. *Capiendi sunt hæretici non armis, sed argumentis, quibus repellantur errores eorum ipsi verò, si fieri potest, reconcilientur Ecclesiæ Catholicæ. Quod si hæreticus converti noluerit, nec convictus post primam jam & secundam monitionem, utpote qui omnino jam subversus est, erit secundum Apostolum devitandus. Ex hoc jam melius effugatur, vel etiam relegatur, quàm sinitur vineas demoliri.*

In Comitiis Augustanis Ann. 1530. Vincentius Pimpinellus Archiepiscopus, Nuncius Apostolicus, orationem in consessu Imperatoris & Statuum Imperii habuit, in qua inter alia dixit: *quod si claviger Petrus corda Principum, aliorumque Germanorum marmorea aperire & movere non valeat, Paulum ensiferum ea incidere debere.* Sed hâc orationis vehementia Archiepiscopus Moguntinus & Magdæburgensis Albertus Cardinalis Missam tunc celebrans minime delectatus fuisse dicitur. Cœlestinus tom. 1. p. 105. (Procul dubio, quia hunc procedendi modum doctrinæ Christi & Apostolorum judicavit minime esse conformem.)

Maximilianus II. Rom. Imp. Anno 1574. ad Lazarum à Schwendi Baronem Epistolam propria manu scripsit, in qua de Laniena Parisiensi sic judicat: *Quod attinet ad præclarum illud facinus, quod Galli in Amiralio, ejusq; sociis Tyrannicè perpetrarunt, equidem id minimè probare possum, magnoq; cum dolore animi intellexi, Generum meum* (Regem Galliæ) *sibi persuaderi passum esse tam fœdam lanienam. Quamquam scio magis alium imperare, quàm ipsum: attamen hoc ad excusationem facti non sufficit, neq; hoc satis est palliando sceleri. Utinam me adhibuisset in consilium! Equidem ei fidele & paternum consilium dedissem, nunquam enim hæc talia me autore fecisset: tantam sibi ipsi hoc facinore aspersit maculam, quantam non facilè eluerit aut absterserit. Ignoscat illis Deus, qui culpam hujus rei sustinent. Vehementer enim metuo, ne progressu temporis demum sentiant, quid hac via profecerint. Ac revera sic est, ut tute prudenter scribis, res pietatis gladio non velant dijudicari, neq; tractari: neq; aliter sentiet quisquam, in quo est aliquid pietatis & honestatis, ullumve pacis & tranquillitatis studium reliquum. Adhæc longè aliud nos docuerunt Christus & Apostoli ejus. Nam ipsorum gladius erat lingua, doctrina, verbum Dei & vita Christo digna, ipsorumque meres invitare nos debent atque allicere, ut eos sequamur, quemadmodum & quousque ipsi Christum secuti sunt &c.* (Integra Epistola extat tom. 2. Constit. Imperial. Melchior. Goldasti p. 384. & in Orat. ad Regem Christianissimum scripta de restitutione Jesuitarum in regno Galliæ, edita Hanoviæ Ann. 1603.)

Hûc referri potest, quod per *zizania*, quæ Christus in parabola Matth. 13. v. 30. evelli prohibet, hæreticos intelligendos esse, quidam agnoscunt. Ex eo enim firmiter probatur, quod hæreticorum occisio doctrinæ Christi de non evellendis ante tempus messis zizaniis sit contraria.)

Cornel. Jansenius in Harm. agnoscit, *Hieronymum per zizania intelligere in specie hæreticos.*

Johannes de la Haya in triumpho veritatis cap. 61. p. 441. præfert quidem illorum explicationem, qui per zizania in genere *quosvis malos* sive peccatores intelligunt, & carpit Erasmum, quod Cypriano expositionem de hæreticis tribuat, interim haud gravatim concedit, *Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Euthymium & alios per zizania in hac parabola intelligere solos hæreticos.*

Idem faciunt Lyranus, & Stapletonus in h. l. Becanus in Disp. de fide hæret. servanda p. 103.

Bellarminus ipse lib. de Laicis cap. 22. resp. ad 10. argument. agnoscit, ex *parabola illa Christi firmiter probari, quòd non sint extirpanda zizania, quando id fieri nequit sine dispendio tritici, nec esse hæreticos bello petendos, quando sunt fortiores nobis & quando peri-*

periculum est, ne si eos bello aggrediamur, plures ex nobis cadant, quam ex illis.

Similia occurrunt apud Ludovicum de Ponte in Comment. Cantic. 2. v. 15. lib. 5. exhort. 33. §. 4. columm. 1336. *Tantùm, inquit, propter bonum tritici tolerari potest zizania, si eradicari non posset nisi cum ingenti tritici damno. Quod si malum ingens timeretur tritico ex zizaniæ consortio, eradicari posset & deberet, si vires suppeterent, ne triticum periret.*

Maldonatus, postquam in cap. 13. Matth. v. 29. multis demonstrasset, *hæreticos esse occidendos*, q. per ἐπίπληξιν subjungit: *Neque verò hæc ideò dico, quod non malim eos converti, quàm occidi, sed tantùm Principes, aut quia Principes ista lecturi non sunt, eos, qui Principes monere possunt, admoneo, non licere illis, istas, quas vocant, conscientiæ libertates nimium nostro tempore usitatas hæreticis dare, nisi prius Ecclesia, aut is, qui Ecclesiæ caput est, Pont. Rom. tanquam paterfamilias judicaverit, non posse evelli Zizania, nisi simul & triticum evellatur, & de re Ecclesiæ esse, ut permittantur crescere utraque usque ad messem.*

(Sub hac concessione subsumimus. Bellum nunquam potest contra hæreticos, sive sint nobis fortiores, sive imbecilliores, suscipi absque detrimento bonorum. Ergò planè non debet suscipi, nec zizaniorum, sive hæreticorum extirpatio per bellum debet tentari. Assumtum probatur, quia in cœtibus hæreticorum Deus adhuc semen sanctum sibi servat, & si non alios, tamen baptizatos infantes, in filios suos adoptat, absque quorum detrimento bellum adversus hæreticos suscipi nequit.)

3. Quod agnoscunt, occisionem hæreticorum cum praxi Ecclesiæ primitivæ pugnare.

Gregorius lib. 7. Epist. 1. ad Sabin. agens de Longobardis Arianis in Italia regentibus sic scribit: *Si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Comites haberet atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere reformido.*

Polydorus Virgilius lib. 8. de rerum Invent. cap. 4. p. 634. postquam recensuisset, *qualiter Apostolus jusserit hæreticum fugere, quomodo in Nicena Synodo Anno 324. 325. Ario dicta fuerit pœna exilii,* subjungit: *Posthac circiter Annum 388. Theodosius & Valentinianus Imperatores mulctandos decreverunt hæreticos damnis, ignominiis, verberibus, exiliis & morte, quemadmodum extat in Codice Juris civilis leg. Ariani, ubi lege sanctum est, ut isthuc maleficum hominum genus ultimo afficeretur supplicio. Hoc edictum Hostiensis in sua summa super titulis Decretalium explicans ait; Et licet in hæresi lex imponat pœnam ultimi supplicii, quod ultimum supplicium alia lex ff. de pœnis interpretatur mortem, de consuetudine tamen tales cremantur.* Et mox: *Postremò anno salutis circiter M.C.LXXX. Fridericus I. Rom. Imperator legem de comburendis hæreticis tulit, velut in quadam ejus constitutione patet, cujus initium est, Vi commissi. Ex quo factum est, ut per idem tempus Lucius III. Rom. Pontifex statuerit, hæreticum hominem sacris initiatum primò desecrandum: mox verò tradendum locorum Magistratibus, quo igni necaretur.*

Platina in vita Pelagii I. (qui sedit Anno 555.) *Ecclesiam Dei in tantis perturbationibus non deserens constituit, ut hæretici & schismatici coërceri etiam secularium manu possent, quando ad sanitatem rationibus non deducerentur.* (Atqui aliud est coërcere, aliud occidere.)

In Comitiis Gallicis ad Bellaqueum Fontem die 21. Augusti Ann. 1560. à Francisco II. Rege indictis Johannes Monlucius Valentiæ Episcopus inter alia dixit; *Graviter ab iis peccari, qui religionis prætextu armis sumtis tranquillitatem publicam conturbent, contra quàm priscis Ecclesiæ temporibus factum: verùm non minus peccari ab iis, qui novæ hujus doctrinæ sectatores, solo pietatis studio adductos, capitali supplicio mulctant, ad mortem enim fortiter pergentes & fortunarum jacturam contemnentes, spectantis multitudinis animos irritare, & in plerisque studium excitare cognoscendi de ea doctrina, propter quam homines tot mala tam constanter perpetiuntur.* Petrus Suavis lib. 5. Hist. Concil. Trident. p. 503.

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 96. *Inquisitorum jurisdictio cum tota in Theologicis traditionibus & Scripturis sacris fundata esse deberet, ipsi tamen hanc omnem ex Jure Canonico & Pontificiis Decretis, ac si Papam errare impossibile sit, crudelissimè exercent, ipsam Scripturam sacram velut mortuam literam & non nisi umbram veritatis à tergo relinquentes, quin & veluti hæreticorum, ut ajunt, scutum & propugnaculum procul rejiciunt. Neque etiam antiquorum Doctorum, Patrumque Traditiones recipiunt, dicentes, quia falli possunt & fallere, sed unam Romanam Ecclesiam, quæ, ut dicunt, errare non potest, cujus caput Papa est, ejusque Curiæ stylum sibi scopum fidei præfigunt, non aliud cum inquirendo expostulantes, quam si credat in Romanam Ecclesiam, quod si affirmarit, ilicò dicunt, Ecclesiam Romanam hanc propositionem ut hæreticam, aut scandalosam, aut piarum aurium offensivam aut Ecclesiasticæ potestatis derogativam, damnare, moxque ad palinodiam & revocationem compellunt. Quod si tunc inquisitus opinionem suam Scripturæ testimoniis aliisve rationibus tueri conetur, interrumpentes strepitu, iratis buccis dicunt, illi non esse negotium cum Baccalaureis & Scholaribus ad cathedram, sed cum judicibus ad tribunal; non esse ibi litigandum & disputandum, sed simpliciter respondendum, si velit stare decreto Romanæ Ecclesiæ & opinionem suam revocare; sin minus, fasciculos & ignem ostendunt, inquientes, cum hæreticis non cum argumentis & Scripturis, sed cum fasciculis & igne esse decertandum, hominemque nec pertinaciæ alicujus convictum, nec meliora edoctum contra conscientiam suam sua abjurare compellunt, quod si nolit, velut Ecclesiæ desertorem seculari foro tradunt, ut comburatur, dicentes cum Apostolo: Auferte malum de medio vestri. Tanta olim fuit Ecclesiæ mansuetudo, Pontificumque clementia, sicut in quarta distinctione de consecratione compilavit Gratianus, ut nec relapsos in Judaismum capite punirent, nec blasphemos supplicio afficerent, ipseque Berengarius in abominabilem hæresin relapsus, non solùm non occisus, sed nec Archidiaconi dignitate privatus est. At hodie in minimum errorem prolapsus, plusquam capitis reus agitur, & ab istis Inquisitoribus nonnunquam pro minimo crimine traditur incendio.*

Erasmus lib. 12. Epist. *Cùm Theologorum sit proprium docere, nunc video multos nihil aliud agere, nisi ut cogant, ut perdant, ut extinguant, cùm Augustinus ne adversus Donatistas quidem non hæreticos modò, verùm etiam sævissimos latrones, probet eos, qui cogant tantùm, non etiam doceant. Homines, quos maximè decebat mansuetudo, nihil aliud sitire videntur, quam humanum sanguinem. Atqui hoc est carnificem agere, non Theologum.*

Gethardus Busdragus Episcopus Argolicensis in Epistola ad quendam Cardinalem Ann. 1558. inter cætera sic scripsit: *Quid hoc vult esse? (quod inquisitione nostra parum proficimus) dicam pauca. R. V. D. fretus, quæ apud alium non auderem, me scil. in Jure Canonico, in quo sum à pueritia versatus, nullum unquam reperisse titulum de Inquisitoribus, & proinde opinari, quod apud majores nostros minimè fuerint in usu, sed tantùm Imperatores Tyrannos, fidei Christianæ hostes, sanguinem fudisse, sed quod antiqui Patres & Pontifices in usu habuerint, ut sanguinem eorum, qui sunt baptizati & articulos fidei confitentur, ut faciunt Lutherani, fuderint, non memini me legisse, nec puto fuisse unquam factum. Fuit olim quoque horrenda hæresis Arianorum, quæ negabat, Christum esse consubstantialem Patri, nunquam tamen majores nostri sanguine baptizatorum se polluerunt, ut nunc fit, etiam ob solum esum carnium. Quapropter si in reliquis rebus solemus semper majorum vestigiis insistere, quæ nostra est præcipua defensio; cur in hac causa longe diversum facimus, quàm illi fecerunt?*

Christophorsonus ad lib. 1. Eusebii de vita Constant. cap. 38. ubi commemoratur, quomodo Constantinus cum hæreticis egerit, in margine sic annotat: *Hæreticos commiserandos esse potius, quam supplicio afficiendos.*

Jacobus Augustus Thuanus in Præfat. Histor. *Certè si verum amamus, in sacræ Antiquitatis vetustis omnibus monumentis nullum supplicii de sectariis sumti probatum exemplum extare, fateamur necesse est, Ecclesiamque priscam à cruore fundendo semper abhorruisse, quod si quando accidit, id pii verè Episcopi detestati sunt; ut in Priscilliano apparuit, qui exitiabilis doctrinæ Autor, cum per Galliæ Ecclesiam ac præcipuè in Aquitania perfidiæ suæ semina sparsisset, à Maximo Augustæ Trevirorum capitali supplicio affectus est circa Annum Christi 383. Licet B. Martinus ab Imperatore sponsionem elicuisset, nihil cruentum contra reos constitutum iri, & Itacium Episcopum, aliosque instigatores sedulò monuisset, ut ab accusatione desisterent. Nam & id cæteri Episcopi tanquam iniquè factum improbaverunt, vixque B. Martinus, ac nisi extrema necessitate cogente cum illa Itaciana partis communione misceri voluit. Ipse B. Ambrosius à Valentiniano Imp. puero Gratiani interfecti fratre ad Maximum sub id tempus missus in relatione sua testatur, cum Treviris esset, abstinuisse se ab iis Episcopis, qui Itacio communicabant, & à fide devios ad necem petebant. Cùm verò ex furialium illorum Episcoporum sententia Maximus postea decrevisset Tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent, idem B. Martinus apud eum tenuit, ut*

Decretum revocaret &c. Priscilliano autem occiso non solum non coërcita est hæresis, quæ illo autore proruperat, sed confirmata ac latius propagata est, & sectatores ejus, qui illum ut Sanctum prius honoraverant, postea ut Martyrem colere cœperunt, corporibus peremtorum in Hispaniam relatis, & magnis exequiis celebrato eorum funere, quin & eò profecta est adsectantium superstitio, ut per Priscillianum jurare summa religio haberetur, ex eoq; inter Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos perpetuum discordiarum bellum exarserit, quod totos quindecim annos agitatum vixdum sopiri diu post potuit, plebe Dei interim & optimis quibusq; ad probrum & ludibrium exposito.

Bellarminus lib. de Laicis cap. 21. § Augustinus, fatetur, *quod Augustinus statuat quidem, hæreticos ad fidem esse cogendos, semper tamen excipiat supplicium mortis, non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum ulla extabat lex Imperatorum, qua hæretici juberentur occidi.*

Idem Bellarm. lib. & cap. iisd. §. probatur secundo, tertio, quarto &c. quamvis speret, se aliquas Imperatorum II. & *Patrum sententias* producere posse, quod *licitum sit hæreticos occidere*, nullum tamen invenit hac de re Magistratuum Decretum ante *Theodosium*, *Valentinianum*, *Marcianum*, qui sub finem quarti seculi & postea vixerunt: nullum etiam Ecclesiæ Decretum ante *Innocentium III.* (qui sedit Anno 1200.) *Alexandrum IV.* (Anno 1254.) *Bonifacium VIII.* (Anno 1294.)

Lib. ejusd. cap. 22. resp. ad 16. *Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset. Nam initio solùm excommunicabat, deinde videns hoc non sufficere, addidit pœnam pecuniariam, tum amissionem omnium bonorum, postea exilium, tandem huc devenit, ut satis patet ex variis legibus antiquorum Imperatorum in C. tit. de hæreticis.* (Agnoscit igitur, in primitiva Ecclesia non fuisse supplicium capitale de hæreticis sumtum.)

Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 11. punct. 3. fatetur, *usq; ad tempora Marciani ac Valentiniani legem de interficiendis hæreticis nullam fuisse latam.*

4. Quod agnoscunt, non decere Ecclesiæ Doctores, ut sanguinis judicio intersint. (Contrarium faciunt hæreticæ pravitatis Inquisitores.)

c. His à quibus. caus. 23. q. 8. ex Concilio Toletano: *His, à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet, & ideò magnopere talibus excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumtionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant, aut per se inferant membrorum truncationes quibuslibet personis, aut inferendas præcipiant.*

5. Quod agnoscunt, *seductis* esse parcendum, nec eodem loco cum *seductoribus* eos habendos.

Rosenbusch in Replica contra Doct. Osiandr. pag. 128. Man soll nur die hinrichten / welche eigentlich Ketzer sind / und nicht die / welche in der Ketzerey geboren und erzogen / sich nicht so bald resolviren können / und doch der Sachen fleissig nachzudencken willens sind / von denen haben wir in unsern Päpstischen Rechten / daß sie nicht für Ketzer zu halten sind.

6. Quod in propugnatione suæ theseos sibi contradicant.

Bellarminus lib. de Laicis cap. 21. scribit: *Hæreticos incorrigibiles & præsertim relapsos posse ac debere ab Ecclesia rejici & à secularibus potestatibus temporalibus pœnis, atque ipsa etiam morte mulctari.*

Hoc parùm convenit cum eo, quod habet capit. seqq. 22. in resp. ad 15. arg *Hæreticos esse extra Ecclesiam, sed cum debito atq; obligatione manendi intus, & ideò cogi posse, ut redeant, sicut cogimus oves, quando de grege fugerunt.*

(Nam si hæretici per pœnas illas externas rejiciuntur ab Ecclesia, per eas non revocabuntur ad Ecclesiam. Si rejiciuntur, excluduntur ex numero ovium, non ut oves fugientes coguntur ad reditum. Et absonum est, per supplicium capitale cogi hæreticos, ut redeant ad Ecclesiam, cum per illud ex militantis Ecclesiæ consortio tollantur.)

7. Quod impertinentibus Scripturæ dictis hæreticorum occisionem probant. (Quemadmodum qui frigidè se excusat, eo ipso culpam fatetur, sic qui frigidè & impertinenter probat, eo ipso thema, quod probare nititur, suspectum reddit.)

Thomas 2. 2. q. 11. hæretici pœnam capitalem esse oportere, probat ex dicto Apostolico Tit. 3. v. 10. *Hæreticum post unam atq; alteram admonitionem devita.* (Sed in Græco est παραιτοῦ, *fuge & devita illum.*)

Johannes Bernhardinus Muscatellus in pract. crim. in cap. de crimin. læsæ majest. divin num. 48. & 49. adducit dictum Christi Johan. 15. v. 6. *Si quis in me non manserit &c. in ignem eum mittent.*

Eundem locum pro astruendo capitali hæreticorum supplicio adducit Simanca in Instit. cap. 46 n. 45. (Sed Didacus Covarruvias Scriptor Pontificius lib. 2. var. resol. capit. 10. in fin. agnoscit, *locum hunc non esse ad præsentem quæstionem accommodatum.* Idem fatetur Gundissalvus de Villadiego Apostolici Palatii auditor de hæretic. quæst. 15. num. 4. *Ista autoritas Evangelii*, inquit, *loquitur non de igne materiali, sed de igne infernali.*)

Justus Kahl in Apolog. pro sua ad Rom. Eccles. defectione edit. Mogunt. Anno 601. adducit locum ex Psal. 149. v. 6. *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum &c.* (Loquitur Psaltes de spirituali victoria, quam Apostoli per prædicationem Evangelii in N. Test. erant obtenturi 1. Cor. 10. v. 4. Eph. 6. v. 17. Heb. 4. v. 12.)

Jacobus de Belviso lib. 2. pract. crim. cap. 13. num. 10. affert locum Esa. 50. v. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri & in flammis, quas succendistis.* (Sed Hector Pintus in Comment. h. l. genuinam interpretationem ex textu eruit hancce: *Vos accincti flammis odii, invidiæ, impietatis, cæterorumq; flagitiorum, quibus rebus accendistis ignem, in quo estis in æternum comburendi, ite in ignem vestrum, in flammas æternas, quas vobis succendistis, nolentes vocem meam audire.*)

Dicta Scripturæ, quæ Jesuitæ afferunt, majorem videntur habere speciem, sed si penitius introspiciantur, itidem vel deprehenduntur à quæstione aliena, vel ex illis plus infertur, quam Spiritus Sancti scopus permittit.

Urgent cumprimis *1. dicta Vet. Testam.* in quibus *Pseudoprophetæ jubentur occidi*, Exod. 22 vers. 10. Deuter. 13. v.1. cap. 17. v. 12. cap. 18. v. 20. Bellarminus de Laic. cap. 21. Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 1. q. 11. punct. 3. Lancellottus Quæst. 98. §. 4. &c.

Sed resp. 1. ex Lyrano in cap. 9. Luc. super verba: *Nescitis cujus Spiritus vos estis.* In *Novo Testam. procedendum est suaviter & benigne, quia Lex est amoris & timoris.* (Si Christus à rigore Vet. Testam. & ab exemplo Eliæ discipulos revocat ad Spiritus Evangelici mansuetudinem, sequitur, quod ex mandatis divinis de interficiendis Pseudoprophetis & praxi Vet. Testam. non possit, nec debeat inferri, hæreticos in Novo Testam. esse interficiendos.)

2. Ex Glossa Ordin. num. 25. *Hæc sanè severitas illi tempori congrua.*

3. *Leges forenses* V. Testam. in N. esse abrogatas, ne ipsi quidem Pontificii poterunt diffiteri. (Atqui hæc constitutio de occidendis Pseudoprophetis, quoad certam pœnæ determinationem, pertinet ad Leges forenses.)

4. Ex cap. Absit 14. caus. 11. q. 3. *Veteri quidem lege habetur, Quicunq; Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subjecta, contemtum expiabat cruore. Nunc verò inobœdiens spirituali animadversione truncatur, & ejectus ab Ecclesia rabido Dæmonum ore discerpitur.*

2. *Exempla Eliæ, Josiæ, Jehu & aliorum, qui falsos Prophetas plurimos occiderunt.* 3. Reg. 18. & 4. Reg 10. & 23. Bellarm. d. l.

Resp. 1. Si exempla illa Vet. Testam. in N. Testam. ad imitationem essent trahenda, tum non illis tantùm, qui Politico Magistratu funguntur, sed etiam Ecclesiæ ministris hæreticos interficere licitum foret, quia Elias erat Propheta. Sed consequens Bellarminus negat lib. de Laicis cap. 22. in resp. ad 7. sic scribens: *Etsi Episcoporum est, hæreticos excommunicare & relinquere judici seculari, & hortari etiam judices, ut munere suo fungantur, non tamen decet accusatorem agere.* (Qualis fuit regula, talia etiam exempla ad regulam illam accommodata. Regula autem illa, ad cujus præscriptum in V. Test. hæc fuere gesta, erat Mosaica, Politiæ Israëliticæ & tempori V. Test. quidem congrua, jam verò in N. T. abrogata. Ergò etiam talia fuerunt exempla.)

2. Exc. Quod autem caus. 22. q. 2. *Multa in Vet. Testam. permittebantur, quorum exemplis hodie uti non licet.*

3. Ex Gregor. de Valentia, qui tom. 3. Disput. 1. quæst. 10. punct. 6. de Israëlitis, qui gentiles debellarunt & idololatriam,

Fecerunt,

Fecerunt, ait, *hoc illi ex peculiari præcepto & voluntate Dei, ut vindices justitiæ divinæ. Quare non est trahendum in exemplum.*

3. Zachar. 13. v. 3 *Non vives, quia mendacium locutus es & configent eum pater & mater ejus.* Cornel. à Lapide, Ribera & Christophor. à Castro in h. l. Sciopp. in Apolog. capit. 4. num. 10.

Resp. Prophetæ verbis V. Testam. loquuntur de rebus N. Test. Ezech. 44. v. 7. Joël. 2. v. 28. Zach. 6. v. 13. cap. 14. v. 16. *sicut etiam felicitatem bonorum spiritualium & gratiam Evangelii Christi comparant cum ubertate terrena legis veteris & priorum temporum, illamq; per hanc significant*, ut monet Cornelius à Lapide in Canonibus Comm. in Prophetas majores præmissis can. 8. pag. 23.

4. Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. ex Lyrano in h. l. *Haberi pro Ethnico & publicano est excommunicari & ab Ecclesiastica communione segregari.*

2. Si juxta Bellarmini expositionem is, qui habetur pro Ethnico & publicano, Magistratui ad irrogandum capitale supplicium tradi potest, consequens erit, Ecclesiam omnes Ethnicos & publicanos Magistratui ad mortem tradere posse, quod absurdum & ipsius Bellarmini hypothesibus contrarium, ipse enim disputat lib. de Laicis cap. 22. resp. ad 9. *eos, qui nondum promiserunt, se Christi religionem servaturos, non esse compellendos.*

3. Lib. & cap. iisd. resp. ad 6. arg. scribit, *Christum Matth. 18. nec præcepisse, nec prohibuisse, ut comburerentur hæretici, ac proinde nihil ex hoc loco deduci posse.* (At si Christus ibi non præcepit, ut comburerentur hæretici, ac si nihil ex h. l. deduci potest, cur igitur hunc locum inter argumenta suæ sententiæ Bellarm. cap. 21. retulit?)

5. Scioppius in Scaligero hypobolim. p. 321. ita colligit: *Christus dicit Joh. 6. v. 44. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Ergò hæretici sunt trahendi sunt.*

Resp. 1. Gloss. ordin. ad h. l. sic annotat. *Tractio hæc non est violentiæ, nec necessitatis, nec est inviti, sed voluntatis & desiderii, unde dicitur, Trahit sua quemq; voluptas. Si ergò in his, in quib. non est vera dilectio, trahitur homo amore & desiderio, quanto magis trahitur aliquis vehementi delectatione, cui Pater revelat panem, qui est vita & beatitudo & omne bonum.*

2. Gloss. interlin. h. l. ex Augustino: *Revelatio Patris est tractio. Audire à Patre, est trahi à Patre.*

3. Thom. in cat. Evang. in h. l. adducit dictum Augustini, *Voluntate traheris. Quid est autem trahi voluntate? Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui*, (tract. 26. in Joh. *Omnis, qui audit à Patre & discit, venit ad me. Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo.*)

4. Salmeron tom. 8. tr. 20. p. 150. *Sine Patre trahente sive per verba, sive per signa, sive per internam persuasionem non potestis ad me credendum per fidem venire &c.* Et postea: *Neq; te conturbet verbum trahendi, q. violentiam, aut coactionem significet, quia hic de attractu loquitur, qui libertatem non solùm non tollit, sed ponit, unde eos, qui trahuntur, ait venire, qui est actus ultrò & sponte venientis.* Adducit deinde dictum Cyrilli l. 4. in Joh. c. 6. & 7. *Non enim cum dicat, neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eum, vi quadam cogi trahiq; credentes putandum sit, sed monitione, doctrina, revelatione ineffabiliter facta, ut ille solus novit, qui dignos cognovit. Unde intulit. Omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Ubi enim auditus, disciplina, doctrinaq; adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex caritate dignis præstatur, non vi, fideles Christum agnoscunt.* Subjungit Salmer. *Non trahit ergò ut saxum & lignum, sed ut olim Herculem Gallicum fabulæ memorant attraxisse catenis ab ore ejus pendentibus & auriculis hominum infixis, id est, ejus oratione persuasos, ut ultro ad eum accurrerent.*

5. Tolet. in h. l. *Verbum trahendi non semper violentiam aliquam significat, quin & apud Autores etiam prophanos trahi sæpe idem significat, quod inclinatione vehementi in aliquam rem duci, trahi enim multi appetitu gloriæ, alii appetitu scientiæ dicuntur &c. Utitur autem Scriptura hoc verbo, ut efficaciam divinæ conversionis explicet, quæ homines suis vitiis maximè immersos & diuturno tempore in iis enutritos, nihil nisi carnalia sapientes & appetentes temporis momento convertit, ut omnibus, quæ summoperè & diu dilexerunt, derelictis, Christum sequantur. Hæc efficax & solius divinæ dextræ mutatio, tractio dicitur.*

6. Franc. Lucas Brugensis in h. l. *Voce trahendi significatur, ex parte Dei gratia infallibiliter consequens effectum suum; ex parte verò hominis humani animi corruptio ante attractionem repugnantis, aut saltem alieni à Christo, in ipsa autem attractione infirmi, gravis & secum ipso pugnantis &c. Trahuntur à Patre ad Christum, quorum mentes illuminat Pater & corda efficaciter flectit, ac format in obœdientiam fidei Christi, quod Apostolus dicit vocare, Rom. 8. v. 30.* (Nihil ergò in dicto Christi de tractione per funes & catenas, quam homines adhibent, sed de tractione Patris cœlestis per verbum & Spiritum sanctum unicè agitur.)

6. Leges Impp. hæreticis ultimum decernunt supplicium.

Resp. Bellarmin. lib. de Laicis cap. 22. resp. ad 16. arg. fatetur, *Leges illas non esse uniformes, sed quasdam mitiores, quasdam duriores. Ecclesia*, inquit, *experta est omnes alias rationes* coercendi hæreticos) *antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset &c. ut satis patet ex variis legibus antiquiorum Impp. in C. tit. de hæreticis.* (Sunt leges quædam sive Principum Constitutiones, quæ singularibus casibus capitis pœnam sive ultimum supplicium in quæstione hæreseos irrogent: quæ autem generaliter & universaliter omnes omnino hæreticos, utcunque non accedant graviora crimina, aut circumstantiæ, quæ crimen reddant atrocius, ultimo supplicio feriant, nulla prorsus est; neque in C. Justinianæo, neque in C. Theodosiano, quod ipsum latissimè probat D. Justus Mejerus in erudito tractatu cont. Classicum Scoippii, cujus, ἐπιγραφὴ, *Juris publici quæstio capitalis, Sintne Protestantes jure Cæsareo hæretici & ultimo supplicio afficiendi?* In eo inter cætera sic loquitur p. 331. *In cæteris criminibus manifestissimus est dolus & propositum nocendi evidentissimum, at in hæresi, quamvis sit pertinax quædam opinionis perversitas, tamen error quoq; inest & opinio pietatis & rectæ religionis cum ignorantia ut plurimum conjuncta. Quantum igitur dolus distat ab errore, tantùm hæresis differt à vero maleficio, & proinde immane est & crudele, in crimine, quod ex errore proficiscitur, & formam veri criminis non habet, eandem statuere pœnam, quam verum & atrocissimum crimen meretur.*)

7. *Hæretici conferuntur lupis, furibus & latronibus* Math. 7. Joh. 10. Act. 20. Item *cancro* 2. Tim. 2. *ferro igitur excindendi.* Bellarm. d. l. Ribaden. lib. 1. de Princ. c. 26. p. 172. Costerus in Ench. cap. 2.

Resp. etiam crudeles Magistratus & morosi patresfamilias comparantur *vulpibus, lupis, leonibus*, Ezech. 22. v. 27. Soph. 3. v. 3. Zach. 11. v. 3. Sir. 4. v. 35. Luc. 13. v. 32. 2. Tim. 4. v. 17. nec tamen propterea subditi crudeles Magistratus, vel servi morosos patresfamilias è medio tollere debent. Hæretici sunt *spirituales* lupi, fures & latrones. Ergò etiam *spirituali* gladio feriendi.

Thesis tertia. Fides diversæ religioni addictis hominibus, adeoq; etiam hæreticis, data est servanda.

Ἔκθεσις. Inter *violenta media*, quibus religio Romano Catholica propagatur, meritò refertur etiam illud, quod fidem illis, quos pro hæreticis habent, datam violari salva conscientia posse asserunt, ut testatur exemplum Johannis Hussi contra datam fidem in Concilio Constantiensi exusti. Non autem quæstio est de fide hæreticis temerè danda, sed de fide jam data sanctè servanda.

Antithesis In Concilio Constantiensi sess. 19. p. 1615. edit. Colon. Patres illius Synodi ejusmodi fecerunt Decretum. *Præsens sancta Synodus ex quovis salvo conductu per Imperatorem, Reges & alios seculi Principes hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putantes, eosdem sic à suis erroribus revocare, quocunq; vinculo se astrinxerint; concesso &c. nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse seu debere declarat, quo minùs dicto salvo conductu non obstante liceat judici competenti & Ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere, aliàs contra eos debitè procedere, eosdemq; punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint judicii aliàs non venturi; nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.*

Inde quamvis Imperator Sigismundus Ladislao Bohemiæ Regi fidem dedisset *Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem salvos & incolumes domum reversuros*, nihilo tamen minus Concilium hæreseos illum damnavit & igni adjudicavit. Imperator quidem nec fidem Regi datam, nec publicam securitatem violari fas esse judicabat, sed hunc illi scrupulum exemerunt Nicolaus Abbas Panormitanus, & Ludovicus Romanus Canonistæ. Inde Jesuitæ Trevirenses in lib. de Concertat. Eccles.

Anglic. An. 1583. edito p. 45. Sigismundum Imp. sic excusant: *Hussus securitatem ab Imp. Sigismundo petiit. Imperator obsignavit, sed Christianus orbis*, (Patres Concilii Constantiensis) *major Cæsare resignavit:* quò etiam tendit illud Kelleri tom. 2. Papat Cathol. artic. 12. cap. 3. p. 662. *nihil referre, si vel maximè contra promissionem & voluntatem Cæsaris Hussus tanquam pertinax hæreticus Constantiæ fuerit combustus, cum privilegia Imperatoria & salvi conductus non possint præscribere Ecclesiæ & jurisdictioni Ecclesiasticæ.*

Menochius consil. 100. n. 188. & seqq. *Scribunt permulti, nec hæreticis datam fidem esse servandam, quemadmodum affirmant Marinus Salomo & Petrus Placa, qui scribit, ejusdem opinionis fuisse Thomam 2, 2. quæst. 40. art. 3. & Conr. Brunum lib. 3. de hæret. capit. 14. &c.*

Ibid. n. 190. *Multi sunt ex relatis Doctoribus, qui nec juramento fidem hæreticis datam confirmari posse dicunt, ut observari omnino debeat, cùm juramentum non corroboret obligationem à lege non receptam.*

Id Menochius d. l. concedit quidem, *pacem hæreticis datam servandam esse*, sed assertionem illam sic limitat: *Cum data fides non est in detrimentum fidei Catholicæ.* (Atqui vix dari potest tempus, quo fides hæreticis data non sit in detrimentum fidei Catholicæ. Cornel. à Lapide in cap. 5. Act. v. 39. *Notum est, quantum induciæ à Carolo V. coacto datæ hæreticis in Germania usq; ad Concilium generale nocuerint Ecclesiæ, hæresinq; propagarint, ut illa huc usq; eradicari non potuerit.*)

Clarus lib. 5. sent. § hæresis. n. 18. scribit, *sententiam illam, quæ, hæreticis fidem servandam esse, negat, frequentiori Doctorum calculo receptam esse.* Idem statuit Joh. Bernhardinus Muscatellus in praxi crim. tit. de crim. læsæ majest. divinæ n. 57. Tiberius Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 20. n. 55. *Licet vulgatum sit, fidem etiam hosti servandam, attamen id omnium consensu fallit in hæretico, quia illi etiam fides data servanda non est, quod Constantiense Concilium observavit, dum Joh. Huß & Hieronymum Pragensem contra datam fidem damnarunt &c.* Cardinalis Hosius ad Henricum Regem Poloniæ Epist. 193. 202. 210. scribit, quod *licet Rex juramento obligatus sit Poloniæ Ordinibus, æquè se defensurum Catholicos & hæreticos, tamen nulla ratione ipsum teneri ad præstandum, quod promiserit. Nunquam, ait, patiaris te ullâ ratione ad ea, quæ promisisti, præstanda teneri, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis.*

Molanus lib. 3. cap. 27. object. 1. & 6. docet, *Regulam Pontificiis generalem esse, fidem hæreticis, vel non dandam, vel non esse servandam, si illis data sit super libero religionis suæ exercitio.*

Conr. Brunus de hæret. lib. 3. cap. 15. p. 305. latè disputat, *Pacificationes cum diversæ religionis hominibus initas esse irritas, quia cum hujusmodi hæreticis Catholico nulla pax esse possit, ut illi offendi atq; conteri non possint.* Atq; addit, *tantò magis horrendam & abominandam esse pactionem, quæ ita inita est, ut fractæ pacis teneatur Catholicus contraveniens, quod fractio pacis nulla possit eos offendere, cum quib. nulla communio est, quosq; leges banno etiam Imperiali subjiciunt, & impunè offendendos offerunt, quos omnia divina & humana jura extinctos volunt.*

Simanca Episcopus Pacensis de Catholic. Institut. capit. 46. n. 52. scribit: *Nullo, nullo, nullo modo fidem hæreticis servandam esse, etiamsi juramento firmata sit. Sæpe id monitum*, inquit, *necesse est tamen incessabiliter iterare & tamdiu non tacere, quamdiu pacis istius nomen obtenditur.* Ibid. *ad pœnam & odium hæreticorum hoc pertinere* dicit, *quod fides illis data servanda non sit non obstante juramento*, & addit rationem: *Si enim Tyrannis, piratis & cæteris prædonibus fides servanda non sit, qui corpus occidunt, longè minus hæreticis pertinacibus, qui animas occidunt.* Rursus: *Cum hæreticis nullum commercium, nulla pax Catholicis esse debet. Quamobrem fides illis data, etiam juramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra jura divina & humana, nullo modo servanda est.*

Melchior Cleselius tum Episcopus & Consiliarius Cæsareus in scripto ad Matthiam Archiducem de pace Hungariæ: *Quia lux & tenebræ inter se conciliari non possunt, veritas cum mendacio, Pharisæi & Scribæ cum Christo, talis ergò promissio pacis hæreticis facta ipso jure nulla est.*

Franc. Guicciardinus lib. 8. Hist. *Proprium id censeri Pontificum dicit, non curare promissa, esseq; statutum, ut Ecclesia nullo obstante contractu, promissione, adepto beneficio, possit retractare obligationes & contra eas disertè etiam venire, quas peregerint Prælati solenniter.*

Thuanus lib. 53. Hist. *Cum contra datam Reformatis fidem Carolus IX. Lanienam Parisiensem instituisset, & totus orbis ad tanti facinoris crudelitatem obstupuisset, solus Pontifex de Tragœdia feliciter peracta certior factus cum Cardinalib. ad B. Marci concessit, Deo Opt. Max. pro tanto beneficio Sedi Romanæ collato gratias ritu solenni egit, Jubilæum toti orbi publicavit, in Hadriani mole publicæ lætitiæ signum festâ tormentorum displosione dedit, totam rei benè gestæ Historiam artifici penicillo parietibus illevit.*

Laymannus Jes. in Justa defensione p. 186. *Etiam Papa pacta & promissiones servare debet, cum ea sint de jure naturali ac gentium. Id verò intelligi debet, ut Papa Concordatis* (cum Natione Germanica Ann. 1448. initis) *ordinarie* (nota, ordinariè) *derogare non possit; licet secus sit, si extraordinaria ad bonum publicum Ecclesiæ necessitas postulet.* (Sub hoc extraordinariæ necessitatis pallio multi perfidiæ prætextus tegi possunt.)

Nostram sententiam demonstramus,

1. *Ex jure divino*, quod promissa juramento confirmata inviolata servari mandat, ne sanctum Dei nomen violetur, & perjurii crimen committatur, Exo. 20. v. 7. Rom. 3. v. 24. &c.

2. *Ex jure gentium*, quod fidem, catenam illam auream cælo demissam, totam societatem humanam continentem, nefariè rumpi vetat. Infirmatis enim violatisque pactis omnis commerciorum inter homines usus tollitur. Fides justitiæ, justitia Reipubl. est fundamentum. Qui ergò fidem non servat, justitiam & consequenter Remp. labefactat. Quæ juris gentium sunt, ea etiam cum hæreticis sunt communia. At fidem servare est juris gentium l. 1. ff. de pactis. Ergò.

3. *Ex probatis exemplis.* Jacobus Patriarcha à fœdere cum Labane idololatra inito non discessit, Genes. 31. v. 48. Josua & Principes populi Israëlitici datam Gibeonitis fidem servarunt, etiamsi dolo circumventi eam dederant, Jos. 9. v. 19. Zedekiam Spiritus Sanctus hoc nomine reprehendit, quod fidem Nabuchodonosori datam & juramento firmatam non servavit, 2. Paral. 36. v. 13. &c.

4. *Ex infelici fractæ fidei exitu.* Testantur exempla quamplurima, violatores fidei, etiam hostibus datæ, divinitus punitos fuisse, utpote Saulis 2. Sam. 21. v. 1. & 6. Zedekiæ Ezech. 17. v. 19. Moabitarum 2. Reg. 3. v. 5. & 24. Oseæ Regis Israël, 2. Reg. 17. v. 4. Jojakimi 2. Reg. 24. v. 1. Antiochi 1. Maccab. 6. v. 60. cap. 7. v. 2. Uladislai Ungariæ Regis apud Jovium in Amurathe, Bonfinium lib. 6. de reb. Ungaricis cap. 3. Johannis Hunniadis apud Levencl. in Pand. Turcic.

5. *Ex evidenti ratione. Inter quos datur juris communio, inter illos contrahitur mutua obligatio.* l. Quod attinet 32. ff. de Reg. Juris l. naturaliter 13. ff. de condict. indeb. Atqui inter hæreticos & orthodoxos datur juris communio. Ergò inter eos contrahitur obligatio, & per conseq. data ipsis fides est servanda.

6. *Ex legis contrarium statuentis defectu.* Multæ sunt tùm ll. Imperialibus, tùm Decretis Pontificum statutæ contra hæreticos pœnæ, sed nullo jure vel constitutione hæc pœna introducta est, quod fides ipsis promissa non sit servanda. Confer Jacob. Schultes p. 2. qq. practicarum q. 70.

Nostræ huic sententiæ suffragantur,

1. Imperatores, Reges, Principes.

Sigismundus Imperator rectè judicavit, *nec fidem Regi Ladislao datam, nec publicam securitatem violari fas esse.* (Quamvis posteà à Patribus Concilii Constantiensis ab hac sententia se dimoveri passus fuerit.)

Carolus V. Imp. laudatissimus fidem Luthero, quem pro hæretico Pontificii Status Imperii habebant, publico Imperii nomine datam, sanctè servavit, eundemque ex Wormatiensi Conventu salvum & incolumem dimisit. Quamvis enim Johannes Eccius & alia quædam flabella contenderent, *eodem jure, quo in Hussum & Hieronymum Pragensem animadversum fuerat, etiam in Lutherum animadverti debere*, nemo tamen in Comitiis fuit, qui Eccii sententiam non apertè execraretur. Schleidan. lib. 3. Comment. Bodinus lib. 5. de Republ. cap. 6. ac Imperator tunc temporis interrogatus, *cur, qui hæreticus habebatur, incolumem rursus domum per Imperii caduceatorem publicum deduci curaret?* gloriosè respondit: *Fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.* Zenocarus in vita Caroli V.

In Comitiis Wormatiensibus An 151. cum non deessent in consessu Electorum, Principum & Statuum Imperii, qui Constantiensis Concilii Acta probantes dicerent, *fidem Martino Luthero minimè esse servandam*, illorum sententiæ Ludovicus Comes

Palatinus

Palatinus Elector refragatus est, tanquam sempiternum dedecus inurenti nomini Germanico; cum indignatione affirmans, *haud quaquam esse ferendum, ut in gratiam Sacerdotum Germania publicæ fidei violatæ infamia laborare debeat*, inquit Pet. Suavis lib. 1. Hist. Conc. Trid. p. 16.

Ne vero adversarii excipiant, nos domesticum testem, Schleidanum sc. producere, ac Bodini & Pet. Suavis fidem in dubium vocent, age producemus testem ejusmodi, cujus autoritatem repudiare minimè poterunt.

D. Landherr im scharffen runden Auge Admirat. 8. lit. K. i. Keysers Caroli des fünfften Historia testiret (in margine notatur Zenocarus lib. 1. de gestis Caroli V.) wie daß dieser Welt Fürsten schuldig sind Treu und Glauben der jenigen Sachen / über welche sie ein Eydschwur gethan haben / zuhalten: Denn wie auff eine Zeit der Pfaltzgraff Ludwig vom Keyser wolte wissen / warumb er dem verfluchten meineydigen Ertzketzer Luther also Treu und Glauben hielte / antwortete er ihme: Fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem inviolabili observantia subsistere oportere: Lieber solt sich einer aus dem Vaterland lassen verjagen / und im grösten Elend herumb gehen / als Treu und Glauben brechen / und diß zwar soll in ewiger / unwiderrufflicher / unverletzter Observantz von Keysern beschützet werden / weil man auch dem Feinde nach versprochener Treue dieselbe zuhalten schuldig ist.

2. Quidam ex Theologis.

Martinus Becanus Jesuita peculiarem scripsit librum, in quo Pontificios ab hoc crimine intentato liberare conatur, quod fidem hæreticis datam servandam esse negent. Idem faciunt Johannes Molanus, Swertius & Rosweydus in Dissertationibus de hac quæstione scriptis. Molanus *ille* lib. de fid. servand. cap. 25. *hoc figmentum & apertum mendacium nominat, quod Pontificii fidem hæreticis servandam non esse doceant.* (Quamvis verò rem minimè seriam agant, quæstionis statum duntaxat transponant, & reipsa idem cum reliquis Pontificiis statuant, disputant enim, *libertatem religionis à Romana Ecclesia diversa esse illicitam, legi divinæ repugnantem, Reipublicæ perniciosam, nec debere ab ullo Principe vel præcipi, vel approbari, vel introduci*, sub qua propositione promtum est subsumere; pactum & promissum illicitum ac legi divinæ repugnans non esse servandum; sufficit tamen ad nostræ sententiæ suffragium, quod agnoscunt, propositionem hanc nimis crudam esse, quod *fides hæreticis data non sit servanda*.)

3. Jurisconsulti.

Bodinus lib. 5. de Republic. cap. 6. *Si fidem infideli & hæretico frangere fas est, dare nefas sit; si vero fidem dare jus est, datam servare oportet.*

Jacobus Menochius celeberrimus Italiæ Jurisconsultus multis probat, fidem hæreticis datam servandam esse, cons. 100. incip. *Quæ nunc discutienda proponuntur.* n. 219. & n. 225. ubi Salomonium, Petrumque Placam existimantes; *Constantiense Concilium salvos conductus hæreticis promissos non servasse* refellit, cum tantùm contra vim injustam salvum conductum eis dederit. (Addit quidem Menochius num. 219. limitationem; quæ æquivocationibus & fidei datæ fractioni facilè potest prætexi, videlicet, *tunc fidem hæretico datam frangi posse, cum data fides est ad detrimentum fidei Catholicæ*; interim thesin ipsam defendit, quod fides hæretico data sit servanda.

Idem de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 4. casu 335. incip. Postquam de securitate. num. 35. scribit: *Si Princeps non tantùm Christiano homini, sed etiam hæretico securitatem impertierit, eam esse observandam, quamvis alias hæreticos hominum potius excludi commercio deceret, quia tùm non hæretici, sed Principis persona attendenda sit.*

Prosper Farinacius JCtus Romanus & Practicus in causis criminalibus celeberrimus, in pract. crim. tit. de carceribus & carceratis q. 29. incip. Regula sit in proposito. n. 9. Menochio in hac quæstione suffragatur.

Compositio pacis cap. 5. pag. 29. num. 58. *Papa relaxandi* (juramenta hæreticis præstita) *potestate uti non debet, si gravius inde detrimentum Ecclesiæ, quam utilitas speretur. Cum autem Novatores in omni fœdere cum Catholicis inito exclusam velint Papalem relaxandi potestatem, ideò apud ipsos & omnes gentes blasphemabitur nomen Domini, & religio Catholica in contemtum veniet, si dicatur; nos cum Pontificis nostri consensu fœdera publica contra jus gentium violare. Hoc autem malum gravius est, quam ullum aliud incommodum, quod Ecclesiæ Catholicæ ex observatione fœderis timeri debeat.*

4. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quod fidem etiam hostibus & fidem non servantibus servandam esse, doceant.

Alphonsus de Castro lib 14. adv. hæreses, verbo Tyrannus. *Si quis dicat, juramentum cum Tyranno factum non obligare vasallum ad ejus observationem, obstant huic responsioni plura sacræ Scripturæ testimonia, quibus probatur pactum quodcunq; aut fœdus etiam cum hostib. factũ debere servari. Nam hac sola de causa Jacob turbatus est & iratus contra Simeonẽ & Levi filios suos, quia violaverant pactũ cum Sichemitis initum. Et hac de causa cum alios filios moriens benediceret, istis maledixit, inquiens: Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia &c. Maledictus furor eorũ, qui pertinax &c. Propter eandem etiam causam reprehenditur Zedecias Rex Juda, quia violenter rebellavit contra Nabuchodonosor Regem Babylonis, cum tamen prius illi fecisset juramentum de fidelitate servanda.*

Adamus Conzen. lib. 3. Polit. c. 7. f. 127. §. 1. *Fides servanda est populo, & vicissim populus Principi obligatus est. Deinde servanda privatis. Tertio vicinis Rebuspublicis, denique hostibus neque in secundis modò, sed in omni fortuna manere debet cunctis in dictis factisque constantia.* fol. 129. §. 8. *An vero violanti fidem fides servanda est? Imò fœdifragis & barbaris servanda est. Cæsar quidem apud Plutarchum fidem tam perfidis & barbaris servare amentiam ratus, in eos exercitum duxit, servanda tamen fides, nec perfidia aliena tuâ perfidiâ punienda est.*

5. Ex parte etiam nostræ sententiæ suffragatur, quod pudore suffunduntur, quoties mentionem faciunt violatæ fidei Turcis, vel aliis datæ; ac dissimulant, quantum possunt, quorum consiliis illud factum fuerit.

Matthæus Tympius in Theatro tit. *Fœdifragi*, cùm recenset consilia Regis Poloniæ & Hungariæ Uladislai, an fides Turcarum Imperatori Amurathæ data servanda sit, dicit: *Uladislaum sollicitatum esse à* NONNULLIS PRINCIPIBUS CHRISTIANIS, *ut pactis audacter violatis bellum redintegraret. Quo facto, cùm Amurates in acie periclitaretur, depromptis è sinu initi fœderis tabellis, & intentis in cœlum oculis magno clamore in hanc vocem erupit: Christe, si Deus es, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra hæc pacta per nomen tuum sanctè jurata bello me invadunt, tuas measque injurias ulciscere. Hinc alea belli commutata ingenti strage plurimi Christiani perierunt, & ipse Rex Uladislaus equo excutitur, jussuque tandem Amurathæ capite truncatur.*

(Constat vero Uladislaum impulsu Pontificis & Episcoporum contra datam fidem jurejurando confirmatam hoc bellum Amurathæ intulisse. Confer Jovium in Amurathe, Bonfinium in Histor. Ungar. Decad. 3. Inde tale celebratur Uladislai hujus Epitaphium:

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.)

Æneas Sylvius Epist. 81. de hac Historia Uladislai sic scribit: *Inclinata Christianorum acie victores evadunt Turci, juramentaque non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus servanda esse demonstrant.*

Eandem Historiam de *Cardinali Juliano* Uladislaum Regem Hungariæ ad frangendum fœdus cum Amurathe initum permovente, à *Philippo Callimacho* Autore Pontificio descriptã omisit Ribadeneira lib. 2. de Principe cap. 17. pag. 578. quia scilicet non sine dedecore Sedis Romanæ eam commemorare poterat.

Thesis quarta. Pacificatio Passaviensis, qua & Augustanæ Confessionis & Pontificiæ religionis liberum in Rom. Imp. exercitium conceditur, sanctè inviolateq; est servanda.

Ἔκθεσις. Ad violenta media, quibus Pontificia religio propagatur, haud injuria refertur etiam illud, quod quidam rigidiores Pontificii, cumprimis Jesuitæ, Pacificationem Passaviensem; utpote vi extortam, & per Concil. Tridentin. sublatam, irritam esse volunt, ac modis variis ejus firmitatem labefactant.

Antithesis. 1. Quidam Pontificii Pacificationem illam impugnant *directè & apertè*. 2. Quidam *obliq; & per cuniculos* eam labefactant.

Primò, *directè* eam impugnant, Autor Autonomiæ, qui se Franciscum Burchardum nominat part. 2. cap. 23. & seqq. ubi Pacem illam dicit esse *inventum Diaboli, pugnare contra jura Ecclesiastica & Politica; concessionem ac libertatem illam Augustanæ Confes-*

Confessionis sociis datam vocat Freistellionatum, semen serpentinum &c. ac proinde *Magistratum ad ejus observationem minimè obligatum esse.* (Hunc Burchardi librum Georgius Schererus Jesuita in scripto contra Alexandrum Urzingerum p. 145. multis commendat.)

Ribadeneira Jesuita lib. 1. de principe capit. 17. & 18. sic scribit: *Pacem hanc Religionis, quam Politici nostri invexerunt, quamq́; Germani, Lutheranæ factionis asseclæ, sunt amplexi & in Belgio nonnulli sibi concedi postulant, non indulgendam, nec ferendam esse censeo.*

Conrad. Brunus de hæret. lib. 3. cap. 15. pag. 305. docet, *Pacificationem Religionis Anno 1555. sancitam esse irritam ac proinde minimè servandam &c. Catholicos, qui contra eam agunt, non posse fractæ pacis accusari, quia cum hujusmodi hæreticis Catholico nulla pax esse possit, ut illi offendi & conteri non possint. Ac tantò magis horrendam & abominandam esse pactionem, quæ ita inita est, ut fractæ pacis teneatur Catholicus contraveniens. Quod fractio pacis nulla esse possit, eos offendere, cum quibus nulla communio est, quosq; leges banno etiam Imperiali subjiciunt & impunè offendendos offerunt, quos omnia divina & humana jura extinctos volunt.*

Melch. Cleselius Suffraganeus Viennensis im Bedencken/ so er der Fürstl. Durchl. Ertzhertzog Matthiæ zu Oesterreich unterm dato den 24. Maij Anno 606. geben/ schreibet/ daß der Passauische Vertrag/ Oesterreichische Concessiones und Zulassung beyder Religion Ursachen seyen/ daß alles deutsche Vertrauen abgenommen/ daß man nunmehr alle Lutherische Ketzereyen ausrotten/ vertilgen/ und keines weges zulassen sondern darüber lieber Land und Leben verlieren soll.

Secundo *oblique* hanc Pacificationem labefactant,

1. Quotquot asserunt, Cæsarem & Status Pontificios in hac Pacificatione sancienda gravissimè peccasse & peccati illius pœnam adhuc hodie in purgatorio luere.

Ant. Possevinus in Epist. ad Regem Polon. apud Wolffium cent. 16. lect. memorab. p. 804. *Certè concedere, qualia fuerunt in Comitiis illis concessa, nihil aliud est, quam Christum negare. Quod Cæsar parum considerate promisit, æque se defensurum utriusq; religionis homines, est in eo gravius peccatum, quàm ut uno sermone satis explicari possit.*

Quidam Jesuitæ asserere non dubitarunt, *Carolum V. Imp. & Ferdinandum Regem*, Pacificationis illius autores primarios, *in Purgatorio adhuc pœnas facti sui luere*, referente D. Osiand. in Apolog. Germ. cont. Schererum & Rosenbusch Jesuitas pag. 16.

In Conventu Ratisbonensi proximo Anno 1629. Monachus quidam publicè pro concione dixit: *Ferdinandum I. propterea in Purgatorio adhuc sudare, quod pacem Religionis Evangelicis concesserit*, uti testantur homines fide digni, qui concioni interfuerunt.

Qui moderatiores esse volunt, dubitant, an laudatissimi illi Imperatores rectè fecerint. Compositio Pacis Dilling. cap. 5. quæst. 26. n. 34. *Illo ipso tempore, postquam omnia alia media pacis stabiliendæ frustra adhibita fuerant, judicarunt pleriq;* (nota) *Principes Catholici, eorumq; Consiliarii, justè ac meritò fœdus sanciri perpetuum posse. Num rectè censuerint, an verò erraverint, nemo judicare potest, nisi cordium inspector, cui hac de re rationem reddituri sunt. Plurimi censuerunt, rectè id fieri.* (Ergò non omnes & per conseq. res adhuc in ambiguo versatur, an Pacificatio sit valida & obligatoria.)

2. Quotquot Augustanæ Confessionis socios Pacificationis incapaces esse, statuunt.

Scioppius cum in Consultat. de causis & modis componendi in S. Rom. Imperio religionis dissidii p. 72. 74. 75. 79. 82. *Protestantes* ad unum omnes *rebelles, perjuros, pacis religiosæ incapaces, ferro ac igni proscindendos* dixisset, subjicit pag. 170. *Hic libellus verum omnium Catholicorum sententiam exhibet, adeoq; summi Pontificis ei accessit autoritas, quemadmodum in Archetypo ejus ad S. Vldarici, Augustæ Vindelicorum videre licet, in quo Vices gerens Pontificis ejusq; Palatinus Theologus, sive sacri Palatii Apostolici Magister, ejus Romæ typis describendi facultatem se facere, manu uterque sua testantur, Christianissimus etiam Imperator noster eo viso ad judicium eorum, qui magna cum utilitate publica exiturum censebant, suam sententiam adjungere nihil dubitavit.*

Huc pertinent scripta Laurentii Föreri Jesuitæ, in quibus confirmare satagit, *Lutheranos ab Augustana Confessione secessionem fecisse, ac proinde Pacificationis illius beneficio non amplius frui.*

3. Quotquot Imperatores, Principes & Status Romano-Catholicos ad Lutheranos bello extirpandos inflammant.

Andr. Fabricius Præfat. in Harm. Aug. Conf. *Imperatorem Romanum prælio accinctum esse jubet, ad exequenda Concilii Tridentini Decreta, cum utilis sit talis sanguinis profusio.*

Caspar Scioppius in Classico belli sacri cap. 2. *Iniquissimum est, Lutheranos Catholicorum terras tenere, & jure tu Cæsar auditum facies fremitum prælii, ac Witebergam in tumulum dissipabis, igneq; succendes, possidebuntq; Catholici, ac sub ditionem suam redigent eos, qui se prius possederunt, Lutheranismus in transmigrationem ducetur, sive ex Germania exterminabitur, Prædicantes ejus & Principes ejus simul.*

4. Quotquot statuunt, Pontificis consensum ad illam Pacificationem accedere omninò debuisse, (qui cum juxta plerorumque sententiam non accesserit, ex eo promtè inferri potest, Pacificationem illam non esse ratam.)

Maldonatus in cap. 13. Matth. v. 26. *Principes, aut quia Principes ista lecturi non sunt, eos, qui Principes admonere possunt, admoneo, non licere illis istas conscientiæ, quas vocant, libertates nimium nostro tempore usitatas hæreticis dare, nisi prius Ecclesia, aut is, qui Ecclesiæ caput est, Rom. Pontifex in Christi persona, & tanquam paterfamilias judicaverit, non posse evelli zizania, nisi simul & triticum evellatur, & è re Ecclesiæ esse, ut usq; ad messem permittantur utraq; crescere. Hujus enim rei non Principes, qui Patrisfamilias servi sunt, sed ipsius Patrisfamilias, h. e. Ecclesiæ gubernatoris judicium esse debet.*

Swertius in Dissertat. de fide hæretic. servanda sect. 9. pag. 36. *Principi seculari nullo modo permissum est, hæreticis licentiam tribuere hæreses suas docendi, atq; adeo contractus ille injustus & in Ecclesiæ præjudicium, nisi autoritate ejus, qui sacris præest, roboretur. Ratio est, quia nunquam permissum est, ut inferior, scilicet secularis Princeps in superioris, h. e. Pontificis tribunal involet &c. Pari ratione, si quid Princeps secularis attentet in præjudicium Ecclesiasticæ potestatis, aut contra eam aliquid statuat aut paciscatur, pactum illud nullum futurum est. Quare qui solida fœdera, irrefragabilia & nunquam violanda desiderat, autoritatem tùm secularis, tùm Ecclesiastici Principis imploret.*

Compositio Pacis cap. 5. q. 28. n. 46. *Cùm tale fœdus cedere possit in Ecclesiæ detrimentum, & saltem indirectè versetur circa materiam spiritualem, videl. circa permissionem religionis falsæ, idcirco nil decerni debet inconsulto Pontifice.*

Jesuitæ in Apologia contra Decretum ejectionis ex Bohemia *illicitè fidem datam esse* scribunt, *quando à superiore Magistratu, Papa scil. Romano, non est data.* (Hîc promtum ipsis fuit fateri, quod ad Pacificationem Passav. non accesserit P. R. consensus.)

Paulus IV. Pontifex, ubi de Decreto Augustano (Pacificationem Religiosam concernente) inaudivit, vehementer excanduit, atque apud Oratorem Cæsaris & Cardinalem Augustanum graviter questus, Ferdinandum increpuit, quod se inscio *tractationem de religione instituisset*, interminatus, *daturum se operam, ut uterque Cæsar & Ferdinandus cum maximo suo cordolio intelligant, quam gravi injuria Sedem Apostolicam violarint.* Hortatur, *ut revocatis antiquatisque iis, quæ concessa essent, malis impendentibus prævortant, ademtâ sibi occasione justa procedendi, sicut apud animum suum constituerat, non solùm contra Lutheranos, sed & contra ipsos Lutheranorum fautores.* Qua in re modo morigeros & *dicto audientes experiatur, tum & authoritate ac armis à se opem, & ad omnes Principes Christianos pro suo in eos Imperio sub pœnarum ac censurarum denunciatione mandatum, ut totis viribus in ipsorum subsidium concurrant &c. pollicetur.* Et quamvis Orator ei respondens commemoraret *vires Protestantium in Germania, superiorum contra Cæsarem bellum, in quo parùm absuit, quin Cæsar Oeniponte caperetur, & jusjurandum in Pacificatione præstitum;* ille nihilo factus pacatior, de jurejurando replicavit, *se ab omni sacramento liberare eos & absolvere, imò imperare, ut illud non attendant &c. Cæsarem divina permissione adductum in periculum, quod officium non fecerit, pro eo ac debuit & potuit, in Germania ad Sedis Apostolicæ obsequium reducenda.* Petr. Suavis lib. 5. Hist. Concil. Trident. p. 460.

Georg. Landher im scharffen runden Auge passim inculcat, *Pacific. Religiosam esse invalidam, propterea, quod non accesserit consensus Pontificis Romani, cui soli competat judicium in causis Ecclesiasticis*, lit. E ij. fac. 1 lit. D iiij. fac. 1. & 2. lit. F. i. fac. 1. & 2. F. ij. fac. 2. K. i. fac. 1. lit. J. iiij. &c.

Compositio Pacis cap. 5. q. 28. num. 47. *Quod (Pacificatio Ro*

tio Religionis) *vel à Julio III. aut Marcello II. qui eodem ipso Anno mortui sunt; vel postea à Successore Paulo V. approbata fuerit, nullo nobis indicio constat, sed omnino credibile est, Pontificem nullum approbasse.* cap. 6. q. 42. n. 138. *Rom. Pontif. articulos Pacificationis nunquam approbavit, imò improbavit, postquam ad ipsum relati sunt.* Paulus III. in Bulla indicti Conc. Trident. *talem approbationem aut consensum à Sede Romana nunquam promanaturum, satis declarat: Cùm id, quod ne accideret, veriti eramus ex ejus Conventus Imperialis (Ratisbon. Ann. 1542.) sententiâ peteretur à nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per Oecumenicum Concilium illi excuterentur & declararentur, idq; nobis, ut concederemus, neq; Christiana & Catholica veritas, neq; nostra & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret.* (Subjiciunt quidem, consensum Pontificis ad hanc Pacificationem non fuisse necessarium, cap. 5. q. 29. n. 57. Sed Jesuitæ in Apologia Bohemica, Lamberz & alii superius adducti hoc disertè negant, & ex hoc antecedente, quod ad Pacif. Religionis non accesserit Pontificis approbatio, inferunt, eam esse invalidam. Quinimò ipsi Autores Compositionis consensum Pontificis requirunt, ut paulò antè ostendimus, ac cap. 5. q. 26. n. 35. disertè scribunt, quod *Pax Religionis sit contra muneris & juramenti, quod Cæsar Apostolicæ Sedi præstitit, obligationem.* Ex quo promte inferri potest, Cæsarem ad ejus observationem non teneri, quod confirmare possunt ex illa Menochii hypothesi Cons. 100. n. 226. *Quod si objiciatur, inquit, Concilium Constantiense non observasse salvos conductus concessos ab Impp. & Regibus, facile erit respondere, non licuisse Impp. & Regibus concedere, tutos reddere hæreticos, tùm quia inferior non potest salvum conductum concedere damnato à majori, tum quia Imperatorum & Regum est, hæreticos expugnare, non autem securos ac tutos reddere.*)

Huc pertinet, quod statuunt, Papam in Ecclesiasticis posse ll. Imperatorum abrogare.

Bellarmin. lib. 5. de R. P. cap. 6. §. Quantum. *Papa potest confirmare aut infirmare leges Principum, si aliqua lex civilis est necessaria ad salutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut si alia sit noxia animarum saluti, & tamen Reges non velint eam abrogare.* Idem multis asserit & probat Franc. Bozzius lib. 3. de temp. Eccl. Monarch. c. 16. p. 548. 549. (E. etiam Pontifex poterit rescindere pacem Religionis.)

Id. Bellarm. d. l. §. Itaque. *Optima est regula, quam tradit Gloß. ad c. Possessor. de regulis juris in 6. quæ talis est: Quando de eadem re contraria inveniuntur leges, Imperatoria & Pontificia, si materia legis est res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur cap. finali de præscriptionib. abrogavit legem Imperatoriam, quæ habetur in Cod. de præscript. 30. vel 40 annorum etiam cum mala fide, quia non poterat servari sine mortali peccato.* (Subsumimus, pax Religionis versatur circa rem animarum periculum concernentem, quam Pontifex nunquã approbavit. E. eam abrogare potest.)

Id. Bellarmin. de Clericis cap. 28. §. Secundò. *Lex civilis debet cedere legi Canonicæ, cum possit summus Pontifex Imperatori præcipere, in iis præsertim, quæ ad Ecclesiam pertinent.* (Atqui Pacif. Relig. pertinet ad Ecclesiam. Ergò ejus abrogationem Pontifex potest præcipere.)

5. Quotquot statuunt, Pontificem posse Imperatores & Principes à juramentis absolvere. (Ex eo enim facili negotio inferri potest, quod etiam à juramento de Pacificatione Religionis servanda præstito eos absolvere possit.)

Petrus Suavis in Hist. Concil. Trident. lib. 5. p. 460. *De jurejurando* (quo se Cæsar & Principes Catholici in pace Religionis obstrinxerant) *Pontificem replicuisse, se ab omni juramento absolvere eos & liberare, imò imperare, ut illud non attendant.*

Schulkenius in Apol. pro Bellarmin. p. 350. *Papæ potestas non est limitata aut restricta, sed amplissima & maxima, conferendi Sacramenta, dispensandi in juramentis.* (Ergò per promissa Imperatoria in Pacit. Passav. non restringitur.)

6. Qui statuunt, Imperatori nullum jus competere disponendi de bonis Ecclesiasticis, quorum etiam Laici planè sint incapaces. (Ex eo enim promtè inferri potest, Pacificationem Passaviensem, in qua Imperator disponit, quod bona Ecclesiastica à Principibus Evangelicis occupata ipsis relinqui debeant, esse irritam.)

Compos. Pacis cap. 6. q. 42. n. 134. cap. 7. quæst. 51. n. 4. *Imperator, Rex Romanorum & Status Imperii non possunt tollere canones & jura Rom. Ecclesiæ, Apostolicæ Sedi dudum acquisita, præsertim circa materiam Ecclesiasticam,* (ad eam etiam bona Ecclesiastica pertinere statuunt.)

Cap. 5 q. 25. n. 20. *Ut Confessionistæ aliqua jura & bona Ecclesiastica, quæ ante Passaviensem Transactionem per vim eripuerant, deinceps retinerent, neq; Catholici Præsules extra aut intra judicium repeterent, id secundum se justum non est.*

Ibid. *Excedit omnem secularem, etiam supremam Cæsaream potestatem, si statuatur, ut Ecclesiastica bona ac beneficia à legitimis Ecclesiasticis Prælatis ac Beneficiatis translata ad personas Laicas incapaces talium & à fide Catholica alienas, penes easdem manere debeant, jurisdictione in bona pariter ac personas Episcopis ac Prælatis reliquis secundum exercitium & usum ademta.*

Cap. & quæst. iisd. n. 25. *Secundum divinum jus, Christianas leges & Ecclesiasticas traditiones impium & nefarium semper judicatum fuit, si bona, quæ Deo dicata sunt, &c. ad alienum, imò contrarium pietati usum, videl. hæresis propagandæ exercitium, remoto recuperationis medio, destinentur.*

Cap. 9. q. 71. *Confessionistis nullum omnino jus in iis sacris Collegiis, Monasteriis, Ecclesiis ac bonis Ecclesiasticis. Fuit violenta & injusta occupatio. Nemo autem per injustitiam jus sibi comparat.* (At si Protestantes nullum in illis jus habent. Pacificatio Religionis est planè frustranea. Quæ enim contra jus fiunt, debent pro infectis haberi, secundum regulam juris 64 in 6. Decretal.)

7. Qui statuunt, Pacificationem Religionis esse vi extortam, (ex quo postmodum facili negotio inferre possunt, esse irritam.)

Joh. Paulus Windeck in Deliber. de hæresibus extirpandis impressa Coloniæ Antidot. 3. in resp. ad 4. object. p. 324. *Quod hac pacis formula Cæsar Protestantibus cavit, summa necessitate adactus fecit. Nam irruente tùm in Austria Turca necesse erat, omnes undecunq; vires contrahere.*

Cornel. à Lapide in Comm. Act. 5. v. 39. *Notum est, quantum induciæ à Carolo V. coactò datæ hæreticis in Germania usq; ad Concilium generale nocuerint Ecclesiæ, hæresinq; propagarint, ut illa huc usq; eradicari non potuerit.*

8. Qui statuunt, debuisse in Pacificationem istam consentire Capitula & Generales Ordinum, (quod quia factum non est, facilè inferre possunt, illam esse irritam.)

Is, qui responsionem adornavit ad 20. articulos Saxonicorum, inter rationes alias, ob quas hæc pax injusta censeri debeat, etiã hanc adfert, *quod non consenserint Capitula & Generales Ordinum,* addita ratione, quia c. 1. 4. 5. 8. 9. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, *irrita censetur donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absq; collaudatione vel subscriptione Clericorum.* Idem innuitur c. 1. 2. 5. 12. de reb. Ecclesiæ non alienandis & c. Ambitiosa extr. de reb. Eccles. non alienandis. Inde Adamus Conzen. Jes. lib. 6. Polit. cap. 18. §. 4. sic scribit: *Publica Ecclesiæ negotia sine consensu Capituli Prælatus tractare non debet.* (Facilè subsumi potest, Pax Religionis de bonis Ecclesiæ sancita est ab Episcopis sine consensu Capitulorum. Ergò.)

9. Qui statuunt, Pacificationem Religiosam non nisi usq; ad tempus Concilii durare debuisse, (ex quo promte inferre possunt, eam per Concilium Tridentinum esse sublatam.

Joh. Paulus Windeck d. l. *Constat ex Edicto* (Pacificationis) *Cæsarem pacem Protestantibus tantum usq; ad Concilii tempus, quo dissidium hoc sanari posset, concessisse.*

p. 326. *Cæsarem Protestantibus tantum moratorium, dilationem & tolerantiam concessisse usq; ad judicium Concilii Tridentini. Quamobrem,* inquit, *mirari animum subit vecordiam sectariorum, qui pro religione tuenda toties Comitiorum Decreta contra nos stultissime detonare & deblaterare solent.*

D. Georgius Ederus im Güldenflüß p. 398. 401. Christophorus Roßenbusch Jesuita in Replica p. 151. Pacificationem illam vocant *moratorium & tolerantiam usq; ad Concilium.*

10. Qui statuunt, pacta cum hæreticis inita non nisi ad tempus valere, ac mutato temporum statu fieri irrita.

Joh. Paulus Windek in d. Deliberat. p. 414. *Quod nonnunquam Catholici cum Sectariis transegerunt, eo fine fecerunt, ut interea reliquis negotiis expeditis postea unum hoc bellum contra Sectarios administrarent, omnemq; ejus molem in ipsos converterent.*

Tolerus in Instruct. Sacerd. lib. 4. c. 22. p. 395. 396. 397. disputat, quod *juramenta hæreticis præstita non obligent, 1. si postea eveniat aliquid, quod est in præjudicium majoris boni. 2. quando mutatur status rei.* (At quam facilè status rei mutari potest, ut propterea ab hoc juramento Religiosæ Pacificationis discedere sibi integrum censeant Pontificii? Et quomodo perpetua Pax promitti potest, si ob majoris boni præjudicium promissio illa mutari potest?)

Martinus Becanus in Disp. de fide hæret. servanda cap. 10. *Libertas seu pactio illa Religionis, qua liberum permittitur religionis exercitium, omnino est illicita & divino præcepto repugnans, nec aliter, quam aliquo tempore majoris damni vitandi causa tolerari potest, imò à Catholicis omnibus modis, quantum commodè fieri potest, impediri & profligari debet.*

Idem in Append. de fide hæret. serv. prop. 3. p. 75. *Si Catholici Reges & Principes faciant aliquem contractum cum hæreticis in negotio fidei, religionis, aut rerum Ecclesiasticarum, vel id faciunt inscio Pontifice, vel conscio. Si inscio, ubi primum intellexerit, potest vel confirmare contractum, si bonus est; vel irritare, si malus est. Hoc enim cuiq; Principi licitum est apud suos subditos in rebus, quæ à Principe pendent. Si conscio & consentiente, non potest postea rescindere pro suo arbitratu, nisi nova aliqua circumstantia interveniat, quod in omni contractu fieri potest, juxta ea, quæ dicta sunt cap. 7. §. 2.* Eas circumstantias esse dicit, l. cit. Primò, *si res promissa fiat illicita, vel inutilis, vel impossibilis.* Secundò, *si status rerum & personarum ita mutetur, ut promissor, secundum judicium prudentum, non videatur illum eventum voluisse comprehendere.*

(Ex his colligitur, primò Pontificem posse irritare contractum, si ei malus videatur, nisi in eum consenserit. Secundò, etiamsi consenserit, tamen mutatis rerum circumstantiis, quales adfingere in proclivi est, posse contractum rescindere. Tertiò, addunt alii, quod Antecessoris consensus non obliget Successorē, *quia par in parem non habeat imperium.* Stantib. hisce principiis, Pontifex facilè potest causam excogitare, ob quam Pacificationem illam pronunciet irritam.)

Tannerus tom. 3. Schol. Th. Disp. 1. q. 9. dub. 4. n. 125. statuit, *si quando ejusmodi promissa & conventa per vim injustam extorta, & nulla summi Pontificis autoritate interveniente inita sint, quamvis etiam simul juramento firmata, posse ea summi Pontificis autoritate & sententia, ubi id, spectatis & diligenter expensis omnibus circumstantiis, Ecclesiæ oportunum videbitur, irrita revocari.* Eandem sententiam ibidem dicit esse *generalem & à Doctoribus communiter receptam doctrinam.* (Atqui Pacificatio Religionis ex hypothesi multorum Pontificiorum est per *vim extorta & sine autoritate Rom. Pontificis inita.* Ergò Pontifex eam, exigente Romanæ Ecclesiæ salute, irritam pronunciare poterit.)

Idem d. l. num. 116. scribit: *Esse nonnullos ex Catholicis, qui statuant, ejusmodi pacta cum hæreticis jure ulterius non obligare, quam quousq; rerum circumstantiis non mutatis ipsa hæresis, secluso etiam pacto, licitè tolerari potuisset, sive ob majus malum vitandum, sive ob majus bonum consequendum.* (Quamvis verò Tannerus hanc sententiam non approbet, fatetur tamen à quibusdam Catholicis Scriptoribus, eam approbari. Juxta illorum hypothesin Pacificatio Passaviensis parum firmitatis obtinebit.)

Compositio Pacis cap. 5. quæst. 26. num. 31. *Accidere potest casus, ut spectatis circumstantiis Magistratus Catholicus rectè & prudenter, edito etiam juramento, se obliget ad subditos hæreticos in regno, aut provincia certo tempore tolerandos, sed ut perpetuo tolerentur, moraliter loquendo vix unquam licitè promitti poterit.*

Ibid. *Ostenditur, quod hæresin in regione sua Magistratus permittere non possit, multo minus promittere, nisi ob gravius malum Reipubl. declinandum. Atqui nullum gravius malum & perniciosius Reipubl. esse potest, quam si hæresis ita introducta sit, ut nullo unquam tempore eam prohibere ac tollere liceat.* (Subsumi facilè potest. In Pacificatione Religionis illis, quos Jesuitæ habent pro hæreticis, pax perpetua juramento est promissa. Ergò Pacificatio illa est illicita & invalida.)

Nostram sententiam probamus,

1. Ex argumentis generalibus, quæ confirmant, Magistratum non debere subditos per vim ad religionem cogere, sed Reipubl. statu ita exigente diversas religiones permittere posse. Item ex illis, quæ probant hæreticis datam fidem servandam esse. Quamvis ergò Pontificii nos pro hæreticis habeant, tamen vigore illius Pacificationis in conscientia obstricti sunt, ut datam in ea fidem nobis servent. Quinimò JCtus Dauth in lib de Testament. fol. 307. & Justus Mejerus in quæst. capitali juris publici Anno 621. Argentorati, multis ostendunt, quod Aug. Confessionis socii Pontificiis Politicè non debeant esse hæretici.

2. Ex salutari illius Pacificationis effectu. Per eam bella & odia, sub prætextu religionis in Imperio excitata, fuere consopita, per eandem annis sexaginta Pacificationem proximè insecutis Imperii Romani Status tranquillus & pacatus fuit conservatus.

3. Ex renovatione hujus Pacificationis in singulis Imperii Comitiis & novi Imperatoris electione. Inde Christianus Elector Saxoniæ, Henricus Julius Dux Brunsvicensis, Ludovicus Hassiæ Landgravius in literis ad Unitos Electores & Status sic scribunt: Daß die Keyserl. Majest. sowol als die Catholischen Chur- und Fürsten sich so hoch und theur zu Observirung deß Religion- und Prophanfriedens erbieten und versprechen / daß man zu einigem Mißtrauen die wenigste Ursach habe.

4. Ex remotione eorum, quæ Pacificationis hujus vigori & valori opponuntur. Tria potissimum illi solent objici, Primò, quod *sit vi extorta.* Sed contrarium probari potest ex ipsius Caroli V. literis Anno 53. à Marchione Alberto editis, ex libero omnium Imperii Statuum, tàm eorum, qui Pontificiæ, quàm, qui Evangelicæ religioni addicti fuere, suffragio, in publicis Comitiis Anno 1555. 1557. 1559. 1567. 1613. insecuto, ex ipsa clausula Formulæ Pacificatoriæ, ex actis Legationis Electorum Politicorum ad Rudolphum II. Imperat. Ann. 1590. ex statu illorum temporum, in quibus Pacificatio fuit confirmata, tunc enim nullus exercitus ab August. Confessionis sociis conscriptus erat, nullus miles sub signis habebatur, nullo tubarum aut tympanorum strepitu resonabat Germania, precibus, consiliis, admonitionibus omnia peragebantur; ex literis Mauritii Elect. Saxonis de causis susceptæ expeditionis editis: Derowegen wir für GOtt und der Welt nicht möchten verdacht werden / ob wir gleich zu Abwendung solcher Bedrängniß des Gewissens mit dem Munde und auch mit der Faust (so viel GOTT Gnade verliehe) trachteten / daß wir doch bedacht / dieweil selbige Sache fürnemlich GOttes Ehre belange / (der wol wisse / wie sein heiliges Wort gepflantzet / erbreitet und erhalten werden soll) so wollen auch wir / als die geringsten Gliedmassen Christi uns hierin ungern gegen seiner göttlichen Majestät vergreiffen / sondern solches seiner göttlichen Majestät heimstellen / dasselbe wie bißher nach ihrem Gefallen weiter zu ordnen und zu führen / apud D. Hortlederum de exitu belli Germ. lib. 5. c. 4. n. 1. Plura hac de re videri possunt apud Dresserum part. 2. mill. 6. in Orat. de Augusto Saxoniæ Electore, Justum Springerum de pace relig. cap. 2. Suscitabulum part. 2. cap. 4. & 11. in fine, in der kurtzen Information und Anleitung von der Autonomia zu Erleutterung des hochberühmten Tractats von Freystellung der Religion / gestellet durch Dommarien von Dissingan zu Liebenthal / gedruckt zu Christlingen / bey Ursino Gottgeben / Ann. 610. Eberhardum à Weihe in Discept. Problem. Regii f. 78. & medit. pro fœderibus cap. 2. n. 50. Posito insuper, quod vi extorta sit, non tamen hîc audiendi, qui ex edicto, quod vi metusve causa &c. hoc in negotio actionem esse volunt, per ea, quæ notant Albertus Marchio in seinem Außschreiben Anno 53. sub tit. Offentlicher Bericht / welcher gestalt die beyden Bischoff / &c. §. Und zu setzen. Autor Comment. de caus. Coloniens. f. 12. Bodin. lib 5. de Republ. cap. 6. Ayala de jure belli lib. 1. cap. 6. n. 2. in fin. Albet. Gentil. de jure belli cap. 14. Waremund. de fœderib. cap. 2. n. 204. de regni subsid. cap. 2. n. 18. Frider. Tilemann. part. 2. Disc. Philos. &c, Secundò, quod *non accesserit ad eam confirmatio Pontificis.* At si eam necessariam judicassent Imperii Status atque Ordines, nunquam absque illius consensu Pacificationem iniissent. Tertiò, quod *sit sublata per Concilium Tridentinum.* At Concilium illud non fuit liberum, Christianum & generale Concilium, in loco commodo institutum, ut in Causis recusati illius Concilii, à Proceribus Augustanæ Confessioni addictis publico scripto expositis, latè demonstratur. Sed & post Concilium Tridentinum in publicis Imperii Comitiis Pacificatio illa fuit repetita & confirmata, ac clausula Formulæ pacificatoriæ sub calcem addita expressè testatur, Pacificationem illam debere esse ratam ac firmam, etiamsi in generali Concilio non ineatur plenarius de religione consensus. Inde Status Evangelici in lib. de caus. recusati Concil. Trident. etiam post celebratum Concilium sic loquuntur pag. 6. Fürs ander bedingen sich auch die verordnete Räthe / inmassen wie vor sicher / gantz herrlich und zierlich / daß sie dem bewilligten / auffgerichteten und confirmirten unwiderrufflichen Religions-Frieden / auch dem zu mehr mahlen bestetigten Passauischem Vertrage in keinem wege zuwider handeln / sondern es wollen hochernante Stände demselben ihres theils gäntzlichen und unverlenglichen nachsetzen / ihnen getreulich halten / sich auch zu den andern Ständen nicht weniger gutes auffrichtigen Trauens und Glaubens ungezweiffeltes Gemüths versehen / auff daß es nach ausdrücklichen ... lichen

lichen Inhalt des H. Reichs Abschieds ein ewiger immerwärender Fried seyn und bleiben möge.

Nostræ huic sententiæ suffragantur,

1. Imperatores Augustissimi, Principes & Status Romano-Catholici.

Ferdinandus Rex & postea Imperator Romanus, qui (referente Cratone à Crafftheim in Epist. prælimin. Histor. Bohem. Dubravii præfixa & ad Imp. Rudolphum & Ernestum Archid. Austriæ directa) sæpius in hæc erupit verba: *Inter summa beneficia, quæ Deus in gubernatione Imperii mihi concessit, primum atq; maximum vero animi judicio, optimaq; conscientia hoc duco, quod ad sedandas discordias publicas animum adjeci & tolerantiæ in religione formulam Deus mihi in mentem dedit.* Postea addit Crato: *Est in vivis Johannes Navius, vir integerrimus, qui à Serenissimo Archiduce Ferdinando nobis in valetudinis Cæsareæ curatione additus erat. Eo præsente, mihi legendam dedit, atq;, ut apertis verbis legerem, jussit Epistolam bene longam sua manu ad Electorem Mauritium multis verbis & sententiis de pace publica, conscientiarum libertate, & Reipubl. salute scriptam. Hanc si Censores quidam viderent, haud dubiè animadverterent quam insigni non modò Italus quidam & Gallus, verùm etiam nostri homines, qui de una religione clamitant, D. Ferdinandum injuria afficiant.* Ex Actis Comitiorum Ann. 1555. quæ in Archivis Saxoniæ asservantur, constat, Regem Ferdinandum in Resolutione Statibus data, inter cætera hæc protulisse: Er sey zu frieden/ daß der Religions-Friede ein ewiger Friede genennet werde. Es haben auch ihre Königl. Maj. gesagt jene Reichsabschied wegen der Religion sein temporal / dieser aber ewig. Hauptvortheidigung cap. 12.

Cum Pontifex Paulus IV. abolendum Augustanum Decretum suadens, Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. religionem jurisjurandi causantibus per Legatos, *ab omni Sacramento se eos liberare & absolvere*, respondisset, *imò imperare, illud ne attenderent*, nunquam tamen illi ad tale aliquid machinandum se impelli passi sunt, sed exemplo suo confirmarunt illud, quod habet Becanus Manual. Controv. lib. 5. cap. 22. *Si fides juramenti, si dictorum factorumq; constantia toto orbe pelleretur, in Germania* (& Imperii Germanici Moderatoribus) *tutum exilium inventuram.*

Omnes Ferdinandi Cæsaris in Imperio Successores *Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias & Ferdinandus II.* qui hodie rerum potitur, Imperatores gloriosissimi, *juratâ fide* Pacificationem illam confirmarunt, ac sanctè inviolateq; eam servandam esse, publica voce pronunciarunt.

Maximilianus II. in Erklärung von Freystellung und Religions-Fried Ratisb. 24. Sept. Ann. 1567. Nun wissen sich aber die Räthe / Gesandten und Botschafften guter massen selbst zu erinnern/ was es für eine Gelegenheit mit dem Religions-Fried habe/ mit was zeitlichem Rath und höchster Bemühung derselbige Anno 1555. zu Augspurg abgeredt/ rc. und folgend auch nicht allein von einer Reichsversammlung zur andern widerholet/ und durch beyder Religionsverwandten Stände zum höchsten betheuret und zu halten versprochen/ sondern auch darauff die Keyserliche und Königliche Capitulationes und Juramenta regulirt worden/ mit dem sonderbaren ausdrücklichem Anhang/ daß solcher Fried biß zur Vergleichung des Religionstreits immer und ewig gehaltẽ/ und dargegen einige Constitution/ Satzung/ Declaration oder ichtwas anders / so denselben verhindern oder verendern möchte/ nicht ausgehen oder gegeben werden / oder da es beschehe/ dasselbige alles von Unkräfften und nichtig seyn solle.

Et in Resolutione data ibidem die 15. Aug. An. 1567. Sintemal sich je nicht fügen und gebüren will / in dero wolbedechtlich auffgerichteten Constitution wider eines oder des andern Theils Willen ichtwas zu endern.

Cum Imp. Rudolphus II. à quibusdam pacis osoribus instigaretur, ut Pacificationem Religionis tolleret, An. 1590. 27. Jul. talem dedit Declarationem: So viel die steiffe und gleichmessige Haltung des Religionfriedens belangt/ da sind J. Keys. Maj. je und allewege der endlichen beständigen Meynung gewesen/ und noch/ das solcher rc. allerseits auffrichtig / steiff und unverbrüchlich soll gehalten werden/ und daran soll ihre Keys. Maj. nicht hindern/ daß etwa dargegen hin und wider *in Scholasticis & Politicis concertationibus de potestate statuentium & duratione perpetua aut temporali*, solches Friedens oder desselben Anfangs und Herkommens/ etwas hitziger und unbescheidener als Ihre Maj. gern sehen möchte/ disputiret werde / sintemal das alles durch den klaren und lautern Context und Buchstaben berührter Constitution gnugsam abgelehnet wird/ rc. Vid. Caspar. Londorpius in Reichs Acten lib. 1. vol. 2. tract. 4. n. 3.

Idem Imp. gloriosiss. in Edicto de pace religiosa concessa Bohemis dato Pragæ 11. Julii Anno 1609. *Nos enim id spectamus unicè, ut pax & tranquillitas conservetur & amor mutuus inter omnes tres Status vigeat, quo fine quidem pro nobis & heredib. nostris, subsequentibusq; Bohemiæ Regibus hæc omnia Statibus Evangelicis, ad quos communis etiam Pax, quam vocant, religionis, tanquam ad principale Imperii membrum pertinet, frustra vel Politicis, vel Ecclesiasticis personis quibuscunq; repugnantibus, inviolabiliter perpetuis temporib. servatum iri in fide & verbo regio affirmamus.*

Caspar. Londorpius in Reichs Acten lib. 1. vol. 2. tract. 4. n. 12. recitat literas duorum Ecclesiasticorum & duorum secularium Electorum; duorum Archiducum & unius Ducis ad Argentinensem, Norinbergensem & Ulmensem Rempubl. datas Pragæ 22. Junii An. 610. in quibus hæc verba leguntur: So wissen wir uns nicht zu erinnern / gläuben auch nicht / daß einig friedfertiger Stand die im H. Röm. Reich hochbetheurte Constitution und Satzung von Religion- und Prophanfrieden je in gefehrlichen Streit gezogen haben solte / so sind auch in gemelten Satzungen gegen die Verbrecher und die jenige / so denen widersagen und solchen nicht gehorsamlich geleben wollen / solche Verschungen angehefftet rc.

Ibid. n. 15. recenset literas Principis cujusdam Romano-Catholici ad Christianum Principem Anhaldinum, in quibus inter cætera hæc habentur: Euer Liebde wolle darauff gedencken helffen/ damit die hiebevor so wolbedächtig auffgerichtete gemeine Reichs Constitution vom Religion- und Prophanfriede/ als das rechte Band alles vertraulichen friedsamen Wesens ohne neue verdächtige Glossen / beym alten schon lange practicirten Verstand und mittelst desselben die Stende beyeinander noch lenger in Ruhe und Frieden verbleiben mögen.

Idem dixerunt omnes Imperii Catholici Status in Comitiis Ratisbon. in scripto, quod vocant Contra Gravamina: Die Catholische Stende/ inquiunt, können mit Gott bezeugen/ daß/ so viel den angezogenen Religionfrieden belanget/ denselbẽ bißher (wie er in seinen Puncten/ Artickeln und Clauseln begriffen Anno 55. durch allgemeine Stende des H. Reichs angenommen/ bey Fürstlichen Ehren und Würden im Wort der Warheit/ auch bey Trauen und Glauben vereydet / versprochen / und dergestalt auff vielfeltigen darauff erfolgten Reichsversamlungen/ Wahl- und Deputation Tagen widerumb erholt und confirmirt worden) verhoffentlich / auffrichtig und mit unverfälschten Gewissen/ und gleichmässiger/ unpartheilischer Affection bißher gehalten/ auch nicht gemeinet seyn/ denselben Religionfrieden in einige Disputation/ Erklärung oder in was Namen dessen Verenderung bedacht werden köndte / in einen oder andern mehr oder wenigen Puncten greifflichen Vorbehals für sich zu ziehen oder ziehen zu lassen gedencken / auch hinführo demselben Religionfrieden ihres Theils also treulich nachsetzen / und dabey beständig zu verbleiben / damit das gute Vertrauen zu aller Friedenfertigkeit zwischen beyden Religionsverwandten solle und könne wol fortgepflantzet werden.

Senatus urbis Augustæ Vindelicorum adversus librum D. Mülleri inscriptum Augspurgische Händel. *Omissis*, inquiunt, *technis Hispanicis, quæ nihil nisi sanguinem redolent, reapse ostendemus, Germanos fovere nos animos, nec tam facilè ad rumpendum fœdus illud sacrum Pacis Religiosæ incitari, sed more majorum virtutem & concordiam, Pontifice Italico posthabito, si in Patria Germania semina belli sereret, colere; & pro libertate patriæ fortiter & constanter una cum confœderatis Ordinibus agere velle.*

Illorum laudatissimorum Imperatorum, Principum ac Statuum suffragium mille privatorum hominum pacem Germaniæ invidentium contradictionibus est longissimè anteferendum.

2. Theologi & Politici Romanæ fidei addicti.

Georg. Eder. J. U. D. Consil. Cæsareus part. 2. Inquisit. Evang. Die frommen H. Keyser sampt den löblichen Ständen des Reichs/ haben nicht allein Ursach gnug gehabt auff solche Mittel (eines Religionfriedens) zugedencken/ sondern die eusserste Noth hat sie auch dahin bewegt und getrieben/ derwegen gantz billig / daß solcher Beschluß von menniglich gehalten und vollzogen/ rc.

Tannerus in Dioptra lib. 3. cap. 17. q. 4. p. 1040. Wir Catholische gestehen gerne / daß Anno 1555. zu Augspurg pax absoluta ein volliger und unbedingter Religions-Fried angestellet

und auffgerichtet worden / darbey es auch noch dieser zeit billich verbleiben solle/wenn nur auch Gegentheil selbst so wol mit Wercken als mit Worten bey demselben verbleibet.

Liber Pontificius cujus titulus, Wer hat das Kalb ins Auge geschlagen p. 3. ex vita Petri Canisii lib. 2. cap. 11. p. 173. 174. 175. Auff den Reichstage zu Augspurg Anno 66. ist dem Bäpstischen Legaten Cardinali Johanni Francisco Commendono ein Schreiben vom Bapst zukommen / mit Befelch / wenn er sehe / daß etwas dem Tridentinischen Concilio zuwider solte geschlossen werden wollē / und ers nicht verhindern könte / solte er bester Form darwider protestiren / der Pabst gebe seinen Willen nicht drein / auch den Papisten verbieten / zu vorstehenden Krieg zu contribuiren / und sich damit vom Reichstage hinweg begeben. Dieser Brieff hat bey vielen selzame Gedancken und grosse Bestürtzung gemacht. Etliche waren der Meynung / die Bestetigung des Friedes so Anno 1555. auffgerichtet worden / welchen die Papisten selbst für ein erwünschtes Mittel füreinander zukommen hielten / were den Decreten des Tridentischen Concilii entgegen / derwegen soll sich der Legat tapffer darwider setzen / und nichts widriges gestatten. Wofern er aber solches nicht / erhalten könne / sol er des Pabsts Meynung unerschrocken eröffnen und sich hinwegbegeben: Hette er solches gethan / wehre ohne zweiffel der Religions-Fried dasselbige mahl auffgehoben worden rc. Und hat an seiner des Cardinals Seiten nichts gefehlet / denn er gantz dahin geneigt gewesen / were auch für gewiß geschehen / da nicht die Jesuiten bey so beschaffenen Dingen starcke Rigel hetten fürgeschoben / und des Cardinals Gemüte zu einem andern verleitet. Denn gemelter Cardinal Commendonus zwene Jesuiten den Hieronymum Natalem und Jacobum Ledesman bey sich in seinem Comitatu oder Hoff gehabt / zu welchem sich auch der dritte geselle / nemblich Petrus Canisius, welche durch ihre gegebene vielfältige Rathschläge und unabläßliche embsige eyferige Bemühungen und schrifftliche Informationes den Cardinal Commendonum dahin vermocht / daß er nicht allein den Religions-Frieden so Anno 1555. gemacht / in seinem werth / sondern auch dem Reichstage seinen volligen Lauff gelassen rc. Die schrifftliche Außführung aber / warumb man von gemachten Religions-Frieden im wenigsten nicht solle abweichen / ist gen Rom geschickt und von vielen gelobt / auch nicht verspürt worden / daß ihme der Pabst habe mißfallen lassen.

Et postea. Wie fleissig und sorgfeltig die Jesuiten in ihren Schrifften und Büchern sich noch jetzund bearbeiten / damit dieser Religions-Friede beschützet und mit starcken Mauren und Pollwercken unterbauet werde / will ich mit ihren eignen Worten beweisen. Paulus Layman ein wolbekanter Jesuit im andern Buch seiner Theologiæ moralis am 458. Blat schreibet also: *Dico IV. Si Catholici cum hæreticis publicum fœdus ineant, non potest per autoritatem Pontificiam solvi aut relaxari. Hæc est doctrina à Johanne Molano præcipuè inventa. Probatur, licet enim, si quædam præcisè spectentur, videl. quod hæretici propter Baptismum Ecclesiasticæ jurisdictioni subjecti sunt, ob odium ac pœnam ipsorum, jure compellantur ad remissionem fœderis in Ecclesiæ detrimentū cedentis, aut, si recusent, ipsis etiam invitis relaxatio fieri queat per supremam Ecclesiasticam potestatem, attamen spectatis omnibus, ideoq; absolutè negari debet, id à summo Pontifice fieri posse, quandoquidem is non habet potestatem dispensandi aut relaxandi in detrimentum Ecclesiæ; talis autem relaxatio cederet in gravissimum detrimentum Ecclesiæ. Quia cum hæretici, Catholicæ fidei hostes, in omni fœdere cum Catholicis inito exclusam velint Papalem relaxandi potestatem, ideò apud ipsos & omnes nationes infideles blasphemabitur nomen Domini, & religio Catholica in contemtum veniet, & plura mala ingentia sequentur, si dicatur, nos cum Pontificis nostri consensu fœdera publica contra jus gentium erga hostes nostros violare. Hoc autem tam grave malum est, ut nullum incommodum seu detrimentum Ecclesiæ Catholicæ ex fœderis observatione inferendum, ita magnum videri debeat, sperantibus in Deo & Christo summo Ecclesiæ defensore, qui auxilium fert in tempore opportuno &c. Ecce enim tam Jesuitæ, quam alii Doctores Catholici apertè profitentur ac docent, fidem publicam hæreticis datam inviolabiliter & sine ullo dispensationis aut absolutionis remedio servandam esse, quamdiu ipsi servare parati sunt.* Ist dieses nicht Teutsch und klar genug? hat nicht dieser Jesuit dem Religions-Fried einen starcken Stützen untergesetzet? heisset das nicht denselben für billig / gütig und zuläßig achten?

Ibid. p. 7. Martinus Becanus ein wolbekanter Jesuit hat in seinem Manuali solche fundamenta gesetzet lib. 5. c. 16. fol. 717. edit. Monast. An. 624. in 8. darauß der Religions-Frieden gewaltig unterbauet wird / da er lehret / daß die Obrigkeit in dreyen Fällen aus erheblichen Ursachen ohne Sünd eine irrige Religion könne gestatten oder toleriren / (als nemlich da ein grössers Gut zuhoffen / oder dadurch ein grössers Ubel unterbleibet / oder die weil es nicht in ihren Mächten solches zuverhindern:) und henget f. 720. noch eine Frage daran / ob ein Catholischer Fürst nicht allein einen Irrthumb könne gedulden sondern auch versprechen / daß er ins künfftig solchen gestatten und leiden wolle? darauff gibt Becanus Antwort mit ja / und sagt: *Ratio est, quia tunc potest aliquis licitè promittere, quando rem licitam promittit, si aliunde nil obstet. Sed Princeps in tali casu rem licitam promittit, ut ostensum, promittit enim permissionem seu tolerantiam hæresis, quæ in tribus suprædictis casibus est licita.* Es lehret aber eben dieser Becanus auch ausdrücklich im angedeuteten Manual im 5. Buch f. 702. Wenn ein Catholischer einen Ketzer etwas zuläßiges verspreche / daß er solches im Gewissen schuldig sey auffrecht und redlich zuhalten / welches er aus dem 9. cap. Josuæ beweiset. Derhalben so ist des Becani Meynung ungezweiffelt dahin gangen / daß der Religion-Fried auch zuläßig und zuhalten sey. Wie er denn solches ebener massen bekant in dem Tractat de fide hæreticis servanda, in der fünfften Conclusion da er spricht: *Si Princeps vel Magistratus Catholicus pacificatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam sine majori detrimento impedire non potest, sine dubio fides servanda est.*

(Non jam quærimus, an per hasce Laymanni & Becani assertiones vigori Pacificationis Religiosæ satis sit prospectum, sed hoc tantum urgemus, quod autor hujus tractat. ex verbis illorum colligere voluerit, ipsos non solum in Pacificat. Religiosæ vigorem consentire, sed eandem etiam stabilire.)

Comp. pacis c. 5. q. 26. n. 31. *Etiamsi fateremur, fœdus circa religionis libertatem imprudenter cum Confessionistis decretum fuisse, nihilominus observandum esset, cum versetur circa materiam seu objectum per se non malum, videl. permissionem exercitii hæretici. c. dilectores de jurejur.* (Denuò non quærimus, an vigori Pacificationis hac ratione sufficienter sit prospectum, sed illud duntaxat urgemus, quod Pacif. Relig. validam esse doceant.)

Schoppius in Class. Sacro p. 8. edit. Ticinensis, *non integrum esse, scribit, Catholicis Principib. à fide Lutheranis data recedere, & August. Confessionem, cui per decretum de pace religionis non minus, quam Catholicæ religioni in Imperio libertas sæpius promissa est, nunc velle proscribere. Pactis enim conventis stare Catholicorum hominum, maximè Germanorum est officium.* (Hæc omnia rectè se habent, modò in vocula *nunc* non lateat perniciosa opinio, quod Pacif. Passav. sit nudum moratorium, quod mutato rerum statu aboleri possit.)

Compositio Pacis c. 5. q. 29. postquam argumenta, quæ suadere videntur, *libertatem Religionis Confessionistis datam non debere perpetuum inviolabiliter absq; ullo relaxationis, rescissionis remedio observari* (videl. 1. *quia fœdera Religionis, præsertim si in perpetuum fiant, cum ejusdem Reipubl. membris vix unquam licitè ineantur. Pacta autem & fœdera illicita servari non debent. 2. quia quod vi aut metus causa gestum, id non debet esse ratum, sed rescindi. Atqui hæc omnia concurrebant in Pacificatione, siquidem Mauritius & socii ejus vi armata per magnam injuriam Cæsarem, Ferdinandum Regem, aliosq; Catholicos Principes & Status invaserunt, eaq; re ad Pacificationem compulerunt 3. quia Constitutio Principis vim & obligationem suam amittit, si mutatis rerū circumstantiis incipiat esse Reip. inutilis aut noxia. Atqui fœdus illud religionis, quod Pacis firmandæ causâ decretum erat, succedente tempore majoris dissidii occasionem præbuit 4. quia irritum est pactum, aut certe in irritum revocari potest, si superioris, quæ intervenire debuit, autoritas vel approbatio non accesserit. Sed ad fœdus religionis, præsertim perpetuum & irrevocabile, summi Pontificis autoritas non intervenit. 5. Si fœdus Religionis absq; Pontificis consensu & approbatione initum cum Sectariis Reip. Christianæ noxium esse videtur, poterit saltem Papa ex plenitudine suæ potestatis absolvendo Principes Catholicos à juramento fœdus abolere. 6. Quia Pax Confessionistis promissa est ea spe, quod dissensiones in Religione per generale Concilium Trident. tollenda essent. Cum itaq; Confessionistæ ad Concilium postea venire noluerint, videtur pax & libertas ipsis promissa cessare:* his, inquam, argumentis ordine recensitis subjungit: *His argumentis, ad quæ postea respondebimus, nihil obstantibus responsio esse debet affirmativa, fœdus publicum cum quibuscunq; etiam hæreticis circa religionem eorum sicut initum fuit, ita omnimodè observandum esse. Ratio est, quia fœdera publica gentium jure introducta sunt, quod omni generi humano commune est, idq; propter* [illegible] *tatem &c.*

Argu-

Argumenta Adversariorum.

1. *Pacificatio Passaviensis sublata est per Concilium Tridentinum.* Resp. quidam ex Imper. Regibus, Proceribus & Theologis Romano-Catholicis agnoscunt, Concilium Tridentinum non fuisse tale, quale à Statibus Imperii fuit requisitum, videlicet liberum, Christianum & Oecumenicum. (Ergò etiam per Concilium Tridentinum Pacificatio illa non fuit sublata.)

Ferdinandus I. Imperator August. ad Pium IV. Pont. Rom. sic scripsit: *Magno cum dolore animi nostri intelleximus, res sacras illius Synodi* (Tridentinæ) *non eo modo ac ordine procedere, quo nos cum piis omnibus vellemus, ut verendum sit, nisi prosperè salutaria habeantur remedia, quod is futurus sit Concilii exitus, qui & universo Christiano orbi scandalum & offensionem præbeat, & iis, qui ab obedientia Sedis Apostolicæ recesserunt, ridendi materiam exhibeat.*

Carolus IX. Galliæ Rex in Protestatione sua contra Conc. Trident. inter cætera sic loquitur: *Quanquam, Patres sanctissimi, vestra omnium religio, vita & eruditio magnæ semper fuit & erit apud nos autoritatis, cum tamen nihil à vobis, sed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur, magis* • *Pii IV. placita, quam Concilii decreta jure æstimentur, denunciamus & protestamur, quæcunq; in hoc conventu, h. e. solo Pii nutu & voluntate decernuntur & publicantur, ea nec Regem Christianissimum probaturum, nec Ecclesiam Gallicanam pro Decreto Oecumenici Concilii habituram.*

Petrus Suavis lib. 2. Hist Conc. Trid. p. 389. *Omnibus erat exploratum, ne minimum quidquam in Concilio tractari, nisi secundum ea, quæ Româ essent præscripta ac præcepta; cumq; hanc ipsam ob causam singulis hebdomadis per cursores literæ deferrentur, duabus interdum vicibus, nemini credibile videbatur, tantam rem* (Concilii translationem) *solo Legatorum arbitrio determinatam.*

Pag. 310. *Maxima erat offensioni, quod Concilium inde Pontifici non obnoxium modo, sed servum esse conspicerent. Nam si Legati duo Præsulibus omnibus convocatis poterant edicere, ut Tridento discederent, & eos pœnarum, censurarumq; denunciatione constringere, quæ amabo erat illa, quam prædicabant, Concilii libertas?*

Lib. 6. p. 581. *Præsules Hispani in Synodo Tridentina conquerebantur, omnes Synodi tractationes Romæ non modò expendi ac considerari, sed etiam deliberari ac constitui; Concilium in eadem Civitate* (Tridenti) *bis antea congregatum hoc ipso nomine parum felicem habuisse successum, & sine fructu, imò maxima cum offensione solutum, quod à Patribus nihil, sed omnia Romæ definirentur; sic, ut per omnium ora vulgò jactaretur infami proverbio, Spiritum sanctum, qui Tridentinæ Synodi consilia gubernat, in mantica clausum Româ subinde mitti; Pontifices eos Ecclesiæ minori offendiculo fuisse, qui Concilii convocationem omninò detrectarunt, quam qui convocatum sibi servum & obnoxium esse voluerunt &c. neq; ultra quidquam boni à Synodo expectandum, quæ ad Curiæ Romanæ commoda tota est projecta, hujus unius arbitrio movere & quiescere docta.*

Pag. 593. similis eorundem Præsulum querela recensetur.

Lib. ejusd. p. 645. *Præsules Hispani ex Concil. communi omnium nomine ad Regem literas dederunt, in quibus Concilio non constare suam libertatem contenderunt, Italis numero superioribus, atq; ex his aliis pensionibus, aliis promissis, qui minus corrupti, metu ad Pontificis nutum adductis. De Legatis etiam querimoniam habuerant, quod passi non essent, caput illud* (de Residentia Episcoporum) *sicut æquum erat, suo tempore determinari, antequam literæ Româ advenissent. Tunc enim negotium maximâ cum concordia confici potuisse &c.*

Andreas Dudithius Episcop. Quinqueecclesiensis in Epistola ad Maximilianum 2. Cæsarem, in qua sententiam suam refert de calice Laicis concedendo, & Sacerdotum conjugio. *Quid profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiæ? si causa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adversariorum; sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longè inferiores futuri fuissemus, in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrûm centenos de suis Papa potuit opponere; ac si centeni parum multi viderentur, repentè mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaq; videre erat quotidie famelicos & egentes Episcopos ex majori parte barbatulos adolescentes luxuq; perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserant, tum vero victrix exultabat iniquitas, neq; decerni jam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam luxumq; defendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir gravis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic, ut non bonus Catholicus, terrore, minis ac insectatione à Concilio ad probandum, quæ nollet, traducebatur. In summa, in eum statum res est adducta, istorum, qui illuc facti instituti q; venerant, improbitate, non ut jam Episcoporum, sed larvarum; non hominum, sed simulachrorum, quæ nervis moventur alienis, ut Dædali statuæ fuisse perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Episcopi illi conductitii plerique, ut utres, rusticorum Musicum instrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare necesse est. Nil habuit cum illo conventu Spiritus S. commercii, omnia erant humana consilia, quæ in immodica, & sanè quàm pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Illinc responsa tanquam Delphis aut Dodonâ expectabantur: illinc nimirum Spiritus ille, quem suis Conciliis præesse jactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur, qui quod admodum ridiculum est, cum aliquando, ut fit, aquæ pluviis excrescebant, non ante advolare poterat, quàm inundationes desedissent. Ita fiebat, ut Spiritus non super aquas; ut est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosam & singularem dementiam! Ratum nihil esse poterat, quod Episcopi, tanquam plebs, sciscerent, nisi Papâ autore fieret.*

Petrus Paulus Vergerius, quondam Episcopus Justinopolitanus, in Epistola scripta ad Episcopos Italiæ (cujus verba habentur in comment. Petri Placæi, sub Henrico & Francisco secundis & Carolo nono, cujus scripti etiam meminit Thuanus lib. 28. Hist. ad annum 1561.) *Precor vos, ut paulisper consideretis & inquiratis, quid postremò defuncti Papæ Paulus V. & Julius II. fecerint. Ipsi fabricabant decreta & ea Tridentum mittebant, cum expresso mandato, ne quid statueretur, nisi quod ipsi imperarent: quod certissimè novi, quia tempore Papæ Pauli ego ipse tum Episcopus eram Tridenti, unde pulsus fui, quia in suspicionem veneram, quod id animadvertissem, metuebantq; ne revelarem, etsi tum pauca intelligerem. Nec est, qui hoc tempore nesciat, omnes definitiones Romæ primum factas mandato Papæ postea ad Legatum mitti, ut procuret, Theologos in suis disputationibus eum ordinem & eandem formulam sequi, quæ ipsis mittitur, unde sequutum est, quod nunc dicitur, sanctum Spiritum Tridentum venire, inclusum mantica.* (Cujus proverbii etiam meminit Sleidan. ann. 1551 p. 716. *Ridiculo*, inquit, *Proverbio dici solet, Spiritum sanctum Roma subinde Tridentum venire inclusum manticæ, propterea quod crebro Pontifex & celeribus equis, quid fieri velit, per literas atq; mandata suis ibi Legatis nunciat.* Neve contra hæc testimonia excipiant, domesticos producemus testes.)

Claudius Espensæus in Epist. ad Titum cap. 1. p. 42. *Factum est*, inquit, *posterioribus seculis, ut quod meritò in Concilio Basileensi Ludovicus Arelatensis querebatur, in Conciliis id demum fiat & necessario fiat, quod nationi placeat Italicæ, ut quæ sola Episcoporum, qui & ipsi soli vocem decisivam habent, numero nationes alias æquet aut superet, sicut scripsit lib. 1. de gestis ejus Concilii Æneas Sylvius, nondum Pius. Hæc est illa Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit.*

Nec dissimulat Bellarminus lib. 2. de Concil. capit. 11. sic scribens: *Sciendum est, Pontificem solere mittere legatos instructos de sententia Apostolicæ Sedis cum ea conditione, ut si Concilium consentiat judicio Apostolicæ Sedis, formetur decretum; sin minus, differatur Decreti formatio, donec Romanus Pontifex consultus respondeat.* (Juxta præscriptam hanc à Bellarmino regulam etiam in Tridentino Concilio fuit actum.)

Dominicus à Soto in lib. contra Archiep. Catharinum, qui Conc. Tridentino interfuerat, scribit, *Catharinum negare, liberum fuisse, in Synodo Tridentina disputare, atq; eo ipso negare, illam fuisse liberam, in qua parte faveat hæreticis, qui itidem negent, Concilium illud fuisse liberum.*

Durante Concilio Invictiss. Imperat. & Galliæ Rex per suos Legatos quam sæpissimè admonuerunt, tractarent Tridentini Patres *de reformatione morum in capite & membris, sepositis dogmatibus, donec Protestantium sententiam audivissent, alioqui decreta nulla fore.* Hist. Conc. ad sess. 24. Præsules Hispani & Galli, quia videbant, Papam numero suorum Italorum ipsos facilè superare, petierunt, *ut suffragia non secundum capita, sed secundum nationes colligerentur*, verum Legati Papæ hoc postulatum mox seditiosum proclamarunt, Papa confestim hunc modum cohibuit & suorum numerum mox XII. submissis Præsulibus auxit. (Quæ omnia, cum ex Historia Conc. Trident. sint manifestissima, manifestè probant, omnia ex Papæ arbitrio in eo fuisse gesta, ac proinde non fuisse Concilium liberum, adeoque tale,

qua le Protestantes semper postularunt, quomodo igitur Pacificationem Passaviensem irritam facere potuit? ut nihil dicamus de eo, quod etiam post Concilium Tridentinum in publicis Imperii Comitiis Pacificatio illa fuit repetita & confirmata, uti superius monuimus.)

Arg. 2. *Quotquot Imperii Status tempore Transactionis Passaviensis Ann. 1552. vel tempore Pacificationis Augustanæ Ann. 1555. librum Interimisticum amplexi sunt, beneficio Pacificationis exciderunt, quia Papalem religionem secuti ab August. Confess. secessionem fecerunt.*

Resp. præsupponitur in hoc argumento, librum Interimisticum esse Papisticum, id quod multis modis falsum. Petrus Suavis libr. 3. Hist. Conc. Trident. pag. 335. de hoc libro sic scribit: *Ubi Romam allatum exemplar* (libri Interimistici) *plerosq; omnes in stuporem dedit &c. specie quidem præ se ferens doctrinam Catholicam, sed quæ à religione Catholica toto cœlo distabat. Atq; peculiaria quadam capita attingentes id reprehendebant, quod in capitibus de peccato originali, de justificatione, de Sacramentis, de Baptismo & de Confirmatione, libri hujus consarcinatores eandem doctrinam non attulissent, quæ decretis Concilii fuerat stabilita. Cum enim ea collectio adusq; Concilium duntaxat obtinere debuerit, cumq; de his capitibus ab Synodo hactenus pronunciatum sit, quid aliud hic fuisse dicendum, nisi ut Concilii decretis omnino staretur? diversam à Concilii decretis doctrinam velle promulgare, esse vim omnem Concilio adimere, imò hoc magis suspiciosum argutum illud Cæsaris artificium, quod, quo tempore instanter urget, Concilium revocari Tridentum, hoc ipso tempore omnem Synodi Tridentinæ decretorum autoritatem enervat. Damnabant insuper totum illius doctrinæ corpus, quod ambiguis loquendi formulis exprimeretur, sensum satis commodum prima facie admittentibus, introrsum verò veneno tinctis, etiam alicubi de industria verba generalia consectantibus, quo Lutheranis detur effugium ad interpretationem ex iis suo sensu affingendam. Certè libri ejus autores de Concupiscentia loqui Lutheranorum in morem, ac similiter de justificatione, fiduciam omnem in divinis promissionib. reponentes, ac nimium, imò vero totum fidei tribuentes; in capite de operibus, de merito ex condigno, in quo cardo est ejus controversiæ, ne verbum quidem fieri; in capite de Ecclesia, ejus unitatem à capite visibili. quod tamen ei essentiale est, non, ut solet, deducere; imò, quod est deterius, Ecclesiam sibi fingere per caritatem invisibilem, eandemque postea visibilem efficere, non aliud esse, nisi subtili quadam & occulta ratione Hierarchiam evertere & Lutheranorum sententiam astruere. Notas item veræ Ecclesiæ statuere, puram doctrinam & legitimum Sacramentorum usum, omissa interim nota indubitata, erga Pontif. Roman. obœdientia, id Sectariis omnibus ad Ecclesiæ nomen maxima animorum obstinatione sibi arrogandum, viam haud dubiè aperire; neq; ullo modo ferendum illud, ut summi Pontificis institutio sit in remedium schismatis Episcoporum autem de jure divino. Sacramentum pœnitentiæ factum ab iis Lutheranissimum, quando dicitur, iis, qui credunt, hoc Sacramento id accipi, quod Christus promisit, fieri, sicut credunt: adhæc de sacrificio Missæ id subticeri, quod caput est, nempe expiatorium & propitiatorium esse pro vivis & vita functis. Quod autem Sacerdotibus permittitur uxores ducere, & Laicis Cœnam Domini sub utraq; specie sumere, cuiq; esse perspicuum, horum abusuum concessione fidem omnem Catholicam labefactari &c.*

Pag. 337. *Cardinalis Sfondratus Pontificis Legatus in Comitiis Augustanis Ann. 48. mandato Pontificis significavit, consuetudinem sumendi cœnam Domini sub utraq; specie esse pridem abrogatam, eóq; facultatem indulgendi calicis in sacra communione, (etiam cum eo, ut reprehensione omni vacare debeat, quisquis calicem non recipit,) nulli competere, præterquam Romano Pontifici, perinde ac matrimonii concessionem Presbyteris ordinatis. Quamvis enim veteri Ecclesiæ consuetudine, præsertim apud Græcos & cæteros Orientis populos (ubi Sacerdotes non obligantur ad cælibatum) permissum sit, ut uxorati sacris ordinibus initientur, & sanctiones suas obeant retentis uxoribus: non permittere tamen, neq; unquam permisisse, ut jam ordinati uxores ducant &c.*

p. 338. *In præfatione libri Interimistici petit ab Ordinibus, qui Ecclesiæ Catholicæ leges hactenus servarunt, ut in his permaneant, nec aliquid immutent, quod se antea facturos receperunt: ab iis autem qui religionem innovarunt, contendere, ut vel ad antiquam professionem redeant, vel suam doctrinam ad hujus confessionis præscriptum moderentur, intra hujus limites consistentes, ne amplius errent.* (Sic ergò Cæsar ipse Interimisticam religionem Papali opponit.)

p. 342. *Cæsaris in hoc incœpto* (in obtrudendo Statibus libro Interimistico) *propositum nihil magis retardavit, quam modesta exigua & immunita civitatis libertas, quæ supplex eum obtestabatur, ut quandoquidem vita, facultatumq; ipsum Dominum agnoscerent, conscientias saltem Deo relinqueret. Nam si ille doctrinam ipsis propositam pro indubitata acciperet & agnosceret, habituros sanè insigne exemplum, quod sequantur: sed cùm sacra sua Majestas eam pro certa non habeat, neque amplectatur, ad quam tamen recipiendam & fide tenendam ipsos studeat impellere, non videre se, qua via huic se conformare debeant.*

p. ead. *Pontifex ipse Franciscum Romæum, Ordinis Dominicani Generalem, de illius Ordinis eruditissimorum sententia & opera accuratam & solidam illius Decreti* (Interimistici) *confutationem conscribere jubet, in Galliis etiam variorum scriptis refellebatur, brevique prodiit turma scriptorum tam Catholicorum, quam Protestantium maximè è civitatibus Hansiaticis scriptum illud lacessentium.*

3. Ad reliqua argumenta, quæ contra Pacif. Religionis moveri possunt, respondet vel ut rectius loquamur, videri vult respondere compositio Pacis cap. 5. q. 29.

Thesis quinta. Subditi non debent prætextu religionis contra ordinarium suum Magistratum insurgere, bello eum invadere, vel etiam clanculum è mediò tollere, etiamsi Pontifex Romanus à juramento eos absolvat.

Ἔκθεσις. Inter *violenta* propagandæ religionis Pontificiæ *media* non est postremum, quod Pontifex potestatem sibi arrogat Imp. Reges & Principes è solio deturbandi ac subditos à juramento ipsis præstito absolvit, si alteri, quàm Romano-Catholicæ religioni sint addicti, unde postea subditis non solum liberum, sed etiam necessarium sit, vel bello contra Magistratum insurgere, vel è medio eum tollere, vel certè obedientiam ei denegare.

Antithesis. 1. Pontifices sibi arrogant potestatem subditos excommunicatorum à se Regum ac Principum à juramento fidelitatis absolvendi.

Gregorius VII. in Synodo Romana, & habetur cap. Nos sanctorum, caus. 15. quæst. 6. *Nos sanctorum Prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitatis juramento constricti sunt, Apostolicâ autoritate juramento absolvimus, &, ne eis fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus, quousq; ipsi ad satisfactionem veniant*, (quæ verba posteriora in MSto Vaticano non fuisse adjecta in edit. Gregoriana notatur.) Honorius 3. ad Archi-Diacon. Suession in c. Gravem. extr. de pœnis. *Si Comes post commonitionem non paruerit, fideles ipsius, quamdiu in excommunicatione perstiterit, ab ejus fidelitatis juramento denuncietis penitus absolutos.*

Gregorius IX. cap. Absolutos. de Hæreticis. *Absolutos se noverint à debito fidelitatis & totius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hæresin aliquo pacto, quacunq; firmitate vallato, tenebantur obstricti.*

Concilium Lateranense 2, can. 3. tale fecit Decretum. *Si Dominus temporalis admonitus ab Ecclesia terram suam purgare hæretica fœditate neglexerit, per Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, & ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, qui illam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant.*

2. Potestatem illam adversus Reges & Principes actu ipso Pontifices Romani aliquoties exercuerunt. Vi enim hujus decreti, quando Pontifex Imperatorem, Reges, Principes, propter hæresin excommunicationis fulmine ferit, eadem opera in Bullis excommunicatoriis subditos ipsorum à juramento fidelitatis absolvit, & fidem ipsis datam violari permittit, quin & Regum ac subditorum fundos & bona in prædam omnibus proponit, adeò ut sine ulla alia belli denunciatione aut indiciis, aut aperto Marte liceat cuivis illos bello persequi, capere, vel etiam trucidare, eâdem insuper operâ Regum ac Principum liberos jure successionis privat ac infames etiam pronunciat, nobiles & subditos ad arma in Principes concitat, omnibus nationibus cum excommunicatis commercia interdicit, aliorum Regum & populorum cum illis fœdera irrita pronunciat, excommunicatos denique sepultura Christiana privat, ut ex Bulla Pauli III. in Henricum Angliæ Regem, & Sixti V. in Henricum Regem Navarrenum est manifestum. Pius V. in Bulla adversus Elizabetham Angliæ Reginam inter cætera sic loquitur: *Volumus & mandamus, ut adversus Reginam hæreticam & excommunicatam subditi arma capessant.*

3. Pon-

3. Pontificii scriptores defendunt, hanc Potestatem Pontifici competere.

Nicolaus Sanderus lib. 2. de visibili Eccles. Monarch. cap. 4. disputat, *summo Pastori Ecclesiæ* (Pont. Rom.) *potestatem esse concessam, ut possit non modò excommunicare impium Regem, sed etiam subditos ejus ab omni observantia ipsius liberos reddere.*

Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 6. *Papa habet summam potestatem temporalem indirectè in ordine ad bonum spirituale. Et hoc modo potest Reges deponere, regna transferre & uni auferre, alteri conferre tanquam summus Pontifex.* Coster. in Apol. par. 1. pag. 64. *Penes Pontifices semper fuit potestas Reges ac Imperatores imperiis suis privandi.*

Molina Jesuita tract. 2. de Instit. disp. 26. *Hoc jus ad Pontifices Romanos pertinet.*

Georgius de Valentina in 2.2. Disp. 1. q. 22. *Per summi Pontificis auctoritatem omnino posse aliquem dominio & prælatione erga subditos privari propter peccatum apostasiæ. Etenim si vita privari possit, multo magis aliis bonis, atque adeò etiam prælatione in alios.*

Jesuitæ Galli in tract. de justa Henr. 3. abdicat. lib. 4. cap. 3. p. 357. adducunt ad hoc ipsum probandum Concilii Lateranensis constitutionem: *Qui Principes terram suam ab hæresi non purgaverint, ab eorum fidelitate soluti vasalli denuncientur; & cætera aliis possidenda dentur;* (videlicet per Pontificem Romanum, ut ex d. Constitutione manifestum.)

Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 13. *Qui tenebantur aliàs obnoxii vinculo fidelitatis vel juramenti, liberabuntur tali vinculo, si is inciderit in excommunicationem* (Pontificis.)

Landhere im scharffen runden Augel lit. D iij. fac. 1. Baronius unterm Jahr achthundert/ bey der Krönung Caroli Magni, gedencket dieser Bäpstischen Dignitet und Fürzug mit solcher Schlußrede: *Fuit semper absque controversia vera omnium orthodoxorum sententia, hanc potestatem esse in Ecclesia Dei, & in ipso Pontifice primariò residere, posseque ipsum, si causa postulet, Apostolicâ plenissima potestate infestum Ecclesiæ Regem seu Imperatorem deponere, inque locum ipsius justum & pium sufficere; ex Dei verbo, jure divino & lege Naturæ & necessaria assumtione exploratissimum est.*

Treshamus in lib. de offic. Princ. *Si Princeps hæreticus sit, summi Pastoris divina potestate deponatur, & aliud caput constituatur, cui sese subditi jungant. Nam Princeps indulgendo hæreticis non solum Deum offendit, sed perdit & regnum & gentem.*

(Durandus quidem statuit 2. sent. dist. 44. q. 3 ac eundem sequitur Bellarminus lib. 5. de R. P. c. 7. §. Probatur &c. *eos Principes, qui habuerunt Dominium supra populum, antequam populus converteretur ad fidem, si non conentur fideles à fide avertere, non posse privari suo dominio:* Interim communis sententia est Thomæ 2.2 q. 10. art. 10. quam etiam Bellarminus in Recognitionibus amplectitur: *Si tales Principes non conantur fideles à fide avertere, possunt quidem ab Ecclesia,* (id est, à Pontifice) *privari dominio, tamen Ecclesia non semper id facit, vel quia vires non habet, vel quia non judicat expedire.*)

4. Statuunt, Principes hæreticos esse Tyrannos; (ac proinde à Pontifice posse excommunicari & ipsorum subditos à juramento fidelitatis absolvi. Hæretici autem ipsis sunt, quotquot non adhærent Pontifici Romano.)

Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. cap. 10. §. Dico secundo. *Reges ignorantes Deum Tyranni potius sunt, quam Reges.* (At Reges hæretici juxta ipsorum hypothesin Deum ignorant. Ergò sunt Tyranni.)

Wilhelmus Rossæus de vindicta Reip. Christianæ adv. Reges impios & hæreticos p. 165. *Omnis Rex hæreticus est simul Tyrannus.*

Suarez in Defens. fidei Cathol. adv. Anglicanæ Sectæ errores lib. 6. cap. 4. n. 14. scribit, *Regem, postquam* (propter hæresin vel aliam causam) *à Pontifice depositus est, pro vero & proprio Tyranno habendum.*

5. Statuunt, etiam ante latam à Pontifice sententiam, Reges & Principes hæreticos regno & Principatu esse privatos, ac subditos ab obedientia absolutos.

Simanca de occult. tit. 42. sect. 2. *Si Reges aut alii Principes Christiani facti sunt hæretici, protinus subjecti & vasalli ab eorum dominio liberantur, nec jus hoc recuperabunt, quamvis postea recôcilientur Ecclesiæ; & propter hæresin non solum Rex regno privatur, sed etiam ejus filii à regni successione pelluntur.*

Jesuita Cresweil in lib. contra Edictum Regin. Angliæ sub nomine Andreæ Philopatris edito pag. 190. *regnandi jus amittit, qui Romanam religionem deserit,*

Idem Cresweil lib. eod. p. 146. n. 157. *Universa Theologorum schola tenet, & est certum ac de fide, quemcunque Principem Christianum, si à Catholica Rom. religione manifestè deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate, ex ipsa vi juris divini & humani: hocque & ante omnem sententiam Pontificis ac judicis contra ipsum prolatam: & subditos quoscunque liberos esse ab omni juramenti obligatione, quod de obœdientia præstitissent, posseque & debere hujusmodi hominem, tanquam Apostatam & hæreticum, ex dominatu ejicere, ne alios inficiat.*

6. Ex hoc principio porro inferunt, Imperatoribus, Principibus ac Regibus hæreticis nullam à subditis obedientiam deberi, sed posse illos, sive bello, sive insidiis à quovis è medio tolli; quin imò subditos ad illud, modò vires adsint, esse obligatos.

Jesuita Cresweil d. libr. sect. 2. n. 160. scribit, *obligatos esse subditos ad Principes hæreticos depellendos, qui fidei Catholicæ injuriosi sint, si modo vires ad hoc habent idoneas.* Et n. 126. *Subditos hujusmodi principes suos non tantum legitimè posse deturbare, sed etiam ad hoc præcepto divino & vinculo arctissimo, ac extremo animarum suarum periculo teneri.*

Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 7. *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, conantem Catholicos ad suam falsam religionem pertrahere.*

Et Postea. *Ejusdem periculi & damni est, eligere non Christianum & non deponere non Christianum. At prohibentur Christiani, eligere Regem non Christianum. E. tenentur, non pati super se Regem non Christianum, si ille conetur populum avertere à fide.*

Becanus in resp. ad aphorismos Jesuitarum aph. 10. p. 105. *Quæ Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. cap. 7. docet, verissima sunt.* p. 107. *Quæro ex Calvinistis, Si Rex Angliæ Catholicam & Romanam fidem amplecteretur, & vellet omnes Calvinistas, quotquot in Anglia sunt, eandem fidem palam profiteri, & Rom. Pont. fidelitatem præstare, quid consilii caperent? an sequerentur suum Regem? non essent hoc facturi, sat scio. Quid ergò? Regem potius abdicarent & suum Calvinismum sartum tectum conservarent. Quare? quia præstat Regem, quàm reformatam fidem amittere. Simili modo argumentatur Bellarminus.*

Franciscus de Verone Constant. in Apol. part. 1. c. 7. disputat, *Reges & Principes non Romano-Catholicos posse de jure à privata etiam persona occidi, & illud factum esse generosum, cum virtute conjunctum, & heroicum, comparandum cum maximis & summa laude dignis factis; esse sanctissimum, humanissimum, dignissimum, laudatissimum, commendatissimum,* part. 4. cap. 1. *Quod si tales non è medio tollantur, demonstrationem hanc esse non favoris, sed furoris; non compassionis, sed indignationis Dei in populum suum,* part. 1. c. 7. *Illos qui in vitam talium Regum & Principum conjurant, esse animosos machinatores, fortitudinem eorum esse plus, quàm humanam, imò heroicam ac divinam; supplicia eorum non nisi vera Martyria appellanda,* ibid. *qui sint aliquando præmium recepturi in vita æterna.* p. 3. cap. 9. *Reges & Principes ab Ecclesia Romana deficientes totos se reddere privatos, proinde expositos obvio cuique, è mundo tollendos esse; in quos omnis obligatio reverentiæ atque debiti sublata sit;* part. 2. cap. 2. *Ictus in illos directos descendere ex eo ipso loco, ex quo descenderit Apostatæ Juliani ictus, nempe è cælo, & talem imputare velle homini, esse stupiditatem & insaniam hominum mentis & judicii expertium* ibid. *Reges & principes eo fine excommunicari, ut instar furiosorum occidantur, & hoc esse mandato Dei conforme,* part. 2. cap. 5. *Principem hæreticum non solum jure regiæ potestatis excidere, sed ad aliorum etiam pedes necessario projectandum, utque hæreticum castigandum* p. 2. cap. 7. *Principem hæreticum Romano Sacerdoti non obœdientem eodem jure à quovis privato occidi posse, quo Pineas occidit scortatorem Israëlitam & scortatricem Midianitidem* part. 2. cap. 11. *In Principe hæretico, aut hæreticis favente, cessare omne debitum, obligationis, respectus, servitii, subjectionis, amicitiæ, cognationis, promissæ fidei &c. esse enim ab Ecclesia damnatos & proscriptos ad mortem, ideoque necessitate publica postulante proximo cuique, qui id effectum dare posset, tales interficere licere,* p. 2. cap. 12. *necessarium quandoquidem quocunque casu religionem confirmari, etiam morte Regum,* p. 2. c. 15. *Reges ac Principes hæreticos præsertim relapsos esse omnino ex motu conscientiæ & zelo gloriæ Dei occidendos; cum sint extra Ecclesiam & sine Papa in ea esse nequeant,* p. 3. cap. 13. *Contra Principes hæreticos esse arma sumenda, contra quos justiora sint, quam contra infideles,* part. 5. cap. 13. &c.

Gregorius de Valentia docet Disp. 5. q. 8. p. 3. pag. 1324. *cuivis privato licitum esse interficere Tyrannum.* (Jam verò ex hypothesi

thesi Pontificiorum superiùs demonstrata quilibet Rex hæreticus est Tyrannus. Conclusio sponte emergit.)

Schulkenius in Apol. pro Bellarm. p. 6. tanto fervore asserit, *subditis, si vires adsint, fas esse debellare Principes hæreticos, ut contrariam assertionem Lutheri hæresiarchæ esse* dicat, & ex eodem themate probare nitatur, *Rogerum Widringthonum Anglum non fuisse Pontificium, eò quòd hoc neget.*

Suarez lib. 6. Defens. fid. cap. 3. n. 8. multis probare nititur, *proditionem conspirationemq; regni vel Reipubl. aut subditorum adversus Regem à Papa depositum ad debellandum eum, seq; ab ejus Tyrannide liberandum non esse proditionem, sed justam defensionem, vel justum bellum aut supplicium.* n. 14. *Quando Rex est depositus* (à Pontifice) *tum non procedit aggressor autoritate privata, sed in virtute sententiæ, & consequenter ut instrumentum publicæ autoritatis.*

Lib. ejusd. cap. 4. n. 13. & 14. *Si Princeps, postquam ex Papæ decreto depositus est, regno non cedat, tum esse non solum regimine, sed fieri etiam titulo Tyrannum, adeoque cuilibet de populo licere eum jure interficere.*

Lib. & cap. iisd. n. 17. & 18. *Si Papa Regem deponat, ab illis tantùm poterit expelli vel interfici, quibus ipse id commiserit. Quòd si nulli executionem imperet, pertinebit ad legitimum in regno successorem; vel si nullus inventus fuerit, ad regnum ipsum spectabit.*

n. 23. statuit, *illos non obligari ad detegendum parricidium, si post Regem depositum aliqui per privatas insidias accepta à legitimo Judice potestate, illi mortem machinantur.*

Becanus cap. 3 Controv. Angl. q. 3. p. 130. *Pontifici jus vitæ ac necis in Reges vendicat.* (Quòd si ergò Pontifex Regem contumacem & hæreticum vitâ privare potest, ut vult Becanus, utique etiam poterit sicarium aliquem emittere, qui decretum exequatur.)

7. Sed & hoc asserunt, ad Regis vel Principis hæretici occisionem non requiri Papæ Decretum, sed licere cuivis privato Regem vel Principem hæreticum quoquemodo occidere, si hæresis sit notoria. Cajetanus in 2. 2. q. 12. art. 2. Andreas Eudæmon in Apol. pro Garneto cap. 10. p. 276. *aut publica saltem populi vox sit, aut virorum quorundam gravium judicium.*

Unde Mariana in lib. de Rege & Regis instit. Ann. 605. edito lib. 1. cap. 6. 7. & 8. pag. 58. 60. 65. 67. & seqq. operosè contendit, *jus fasq; esse subditis, Reges Principesq;, quibus viri graves hæreseos crimen impegerint, quavis ratione è medio tollere.* ibid. præscribit, *quomodo venenum conficiendum sit, quomodo vestibus, chirothecis, gladio, capulis, aut etiam ephippiis illinendum, ut non minus præsens exitium sequatur, quam si ferro urgerentur.*

Ex hac Marianæ doctrina profluxisse constat, *quòd Jesuita Richardus Walpot, Socius Marianæ Anglum Eduardum Squirre veneno instruxisse,* scribitur, *quod Reginæ Angliæ & Essexio non edendum aut bibendum præberet, sed quo sellam tantùm inungeret, ut ex ejus contactu uterq; moreretur.* (De hoc Marianæ scripto Petrus de Onna in Censura sic judicat: *Si illi, qui ad Reipublicæ gubernacula sedent, ad præscriptam in eo formam actiones & consilia retulerint, næ magnum atq; incredibile operæ precium existeret.* Nec ab hoc solùm, sed etiam à Ribadeneira in librorum Jesuiticorum Catalogo Ann. 608 edito Mariana laudatur *excellentis judicii, admirabilis eruditionis, Theologiæ profundæ homo.*)

Ex eodem principio Eudæmon d. l. excusat Jesuitam Hamondum, quòd *Catesbeium, propositum interficiendi Regem & Proceres Angliæ pro Confessione declarantem, absolverit, tanquam nihil illiciti proposuisset,* (qui liber Eudæmonis approbatus est à Generali Ordinis Jesuitarum, à Provinciali per Rhenum, & Ordinario librorum Censore.

In Oratione exhortatoria de Jesuitis in regnum Galliæ non recipiendis ad Regem Christianissimum inter alia etiam hoc habetur: *Post sumtum de Castello supplicium, cum in Gallia deputati à Parlamento se in Collegium Jesuiticum Claremontanum contulissent, & multas chartas scriptaq; deprehendissent, invenerunt inter alia duos libros scriptos manu Guignardi Jesuitæ, in quibus non tantùm Clementis parricidium ceu heroicum facinus & Spiritus S. donum extollitur, sed etiam concluditur: Si absque bello* (Rex hæreticus) *deponi non potest, geratur bellum, si bellum geri non potest, mors paretur.*

Anton. Arnoldi in Orat. contra Jesuitas. *Barerius, qui Henrico IV. cædem intentarat, à Jesuita Varadio edoctus fuerat, non posse ab aliquo fieri ullum magis meritorium opus, quam si Regem Galliæ Henricum IV. interficeret.*

Idem ibidem. *Comoletus Jesuita in concione super cap. 13. Judic. Lutetiæ habita, post excitatos de Henrici III. Galliarum Regis occasu ingentes plausus, & erectionem istius parricidæ, in hanc erupit exclamationem: Ebudum aliquem oportet nos habere, sive Monachus sit, sive miles, sive cerdo denique, sive bubulcus. Perinde enim est, saltem ut Ebudum aliquem habeamus. Hoc videlicet unicum adhuc restat* (in Henrico IV. peragendum parricidium) *tum quidem omnia probe componemus & ad optatum denique finem producemus.*

8. Quinimo illos, qui Reges & Principes è medio sustulerunt, vel è medio tollere conati sunt, ac propterea capitali supplicio afficiuntur, non solum in numerum Martyrum referunt, sed etiam miracula illis tribuunt. De Garnetto conjurationis pulverariæ in Anglia conscio sic scribit Corn. à Lapide in Apoc. 7. v. 3. f. 146. *Cum R. P. Henricus Garnettus è Societate Jesu, Angliæ Martyr, Sociis in Anglia per viginti annos magna cum laude in quotidianis mortis periculis præfuisset, tandem anno Domini 1606. die tertia Maji pro Catholica fide gloriosum obiit Martyrium. Catholicus, qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam ex substrato Martyris corpori stramine religiosè sustulit: quam dum domi conspicatur attentius, vividam Patris imaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum cordis illius utique, in quo fasciculus myrrhæ commorabatur, ut ideò etiam optata inventioni Crucis dicata die Martyrii palmam sit consecutus. Sub mento Cherubinus visebatur alatus, vel Angelicam ejus puritatem, vel sapientiam & doctrinam, vel utrumq; indicans &c. Imago hæc vultus ejus in spica sæpius excusa per omnes Christianorum provincias sparsa est. Miraculosam autem hanc ejus effigiem in prototypo etiamnum perdurare, viri graves, oculati testes, mihi constanter affirmarunt.* Idem miraculum recenset Andreas Eudæmon Apolog. pro Garnetto cap. 14. (Quid de hoc imaginario miraculo statuendũ, alibi exponitur.)

Exceptio Adversariorum.

Becanus part. 2. opusc. in qq. miscell. de fide hæret. servanda p. 125. immunitati Principum cavere conatus, sic scribit: *Leges pœnales, sive sint Imperatoriæ, sive Ecclesiasticæ, non obligant ad executionem pœnæ, nisi post sententiam Judicis. Hinc,* inquit, *infero, etiamsi Gregorius decernat* (*eos, qui excommunicatis fidelitatis juramento constricti sunt, juramento absolvendos, iisque prohibendum, ne eis fidelitatem observent;*) *non tamen vi illius decreti reipsa hæreticos privari usu suæ jurisdictionis, sed solum post latam à judice sententiam. Nunc autem à tempore Concilii Constantiensis non fertur sententia, nisi in paucissimos & quidem rarissimè.* Resp. 1. Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ fert sententiam, Protestantes esse hæreticos. 2. Si Becanus distinguere velit inter nominatim excommunicatos & alios non nominatim excommunicatos, non tamen satisfaciet. Licet enim ante sententiam Judicis non obligentur ad executionem, tamen possunt exequi. Sic enim Tannerus tom. 3. Theol. Schol q. 8. dub. 6. n. 121. *Discrimen est inter nominatim excommunicatos, & alios nominatim non excommunicatos; illis enim subditi etiam tenentur negare obsequium, his verò, etsi possunt, non tamen tenentur.* 3. Pontifici nihilominus semper reservant jus ferendi sententiam, quocunq; tempore libuerit. 4. Menochius Cons. 185. n. 7. 8. & alii negant, *requiri sententiã Judicis.*

Nostram sententiam probamus 1. ex defectu mandati divini. 2. ex contrario præcepto Christi & Apostolorum. Christus jubet *Cæsari*, etiam Ethnico, *dare quæ sunt Cæsaris* Matt. 22. v. 21. Paulus & Petrus jubent, ut Ethnicis & impiis Magistratibus obtemperemus, alii n. tunc temporis non erant, cùm suas Epistolas exararent. Rom. 13. v. 1. Tit. 3. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. 3. ex contrariis exemplis Christi, qui infideli, & Ethnico Imperatori tributum solvit, Matt. 17. 27. populi Israëlitici, qui idololatricis Regibus parére non recusavit, (cùm sciret, de Nabuchodonosore, Rege Ethnico & idololatra dictum esse à Domino Jerem. 27. v. 6. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor servi mei;* & à Daniele c. 2. v. 37. *Deus cæli regnum tibi dedit.*) ac primitivæ Ecclesiæ Christianæ, quæ Imperatoribus Ehnicis obedientiam præstitit. Nullus Prophetarum autor fuit populo Israelitico, ut propter apostasian Reges deponerent, nec Christiani olim deposuerunt Neronem, Diocletianum, Julianum Apostatam, Valentem, Arianum &c. Ad preces unicè confugerunt, ut constat exemplo Didymi apud Sozom. l. 6. c. 2. Nazianzeni in orat. 2. contra Julianum, Ambrosii & aliorum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, ex mandato Christi, Prophetarum & Apostolorum, etiam Ethnico & impio Magistratui obtemperandum ac pro illo orandum esse. (Si enim Ethnico Magistratui obtemperandum, utique etiam hæretico.)

Gerochus apud Aventin. lib. 5. *Christus Dominus & Deus noster,*

ster, comites & legati ejus (Apostoli) *Cæsares, in terris à Deo secundos, ante omnes mortales primos à supremo Numine datos, divinitus constitutos, ab immortali Deo electos, & , ut illi vocant coronatos, venerabantur &c. tantum abest, ut illi vel Regum quempiam vel impium vel Arrianū regno pellere, eidem sacrificiis interdicere, populum Sacramento solvere tentarent, atque regna evertere, sanguine humano se polluere, pro principatu cum Christianis decertare sibi permittant.*

Georgius Haymburgensis in Confut. primatus Papæ part. 2. *Qua conscientia præsumit quis Sacerdos, etiam Papa, absolvere subditos à juramento & obedientia, ad quam Christus & Apostoli unumquemque adstringunt?*

Alphonsus de Castro lib. 13. adversus hæreses, verbo Subditus. *Si licet cuilibet ex plebe Dominum delinquentem corrigere, cur David in spelunca existens, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem, non interfecit eundem Saulem, cum tunc facillime id agere potuisset? Nonne Saul Rex jam malus erat & regno à Domino Deo privatus? Nunquid non jam occiderat Achimelech Sacerdotem & alios octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo, propterea quod David esurienti panes propositionis dedisset? Nunquid non ipsummet Davidē sepissime occidere tentaverat injuste, fecissetque nisi Dominus servum suum de manu illius servasset? Et tamen cum hæc omnia notissima essent ipsi Davidi & omni populo noluit David illum punire, cum posset, sed solam oram chlamydis Saul silenter præscidit, nec tamen forte sine aliqua, quamvis levi culpa, id fecit: quod ex eo convincitur, quod postea pœnituit ipsum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul, quo fit, ut multo magis pœnituisset eum, si personam Saul percussisset, ideo viris suis consulentibus illi, ut occideret Saul, dixit David: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.*

Cajetanus in 1. Petri. 2. *Non dicit Apostolus, subjecti estote omni homini, nec dicit, omni Tyranno, sed omni creaturæ humanæ. Officium Regiminis humanam creaturam appellat, eo quod humanis suffragiis creatur; & dicit omni, non distinguendo inter Ethnicos & infideles.*

Stapletonus in Promtuario morali Dom. 22. post Pentec. *Cum jure gentium & Naturæ dubium nemini hoc esset, docent Apostoli, etiam Dei voluntatem esse, ut Regibus etiam Ethnicis & infidelibus, neque enim alii tunc erant, ipsi pii & fideles obtemperarent. Sic Christus Cæsari, Petrus Neroni obediendum docent.*

Claudius Espensæus in comm. 1. Timoth. 2. p. 20. *Apostolus præcipit, obsecrationes fieri pro Regibus, de quibus scil. minus videbatur, quod mali tunc essent & Sanctis infesti, persecutores, Tyranni, (ne fideles tantum & Dei cultores intelligas;) nec enim tum Reges Deum colebant, sed multis post temporibus in infidelitatis serie per successionem accepta persisterunt.*

Pag 21. *Eodem Spiritu Paulus pro Regibus, etiam impiis, Ecclesiam orare admonet &c. quo affectus Hieremias (missis de Hierusalem literis ad reliquias transmigrationis, Sacerdotes, Prophetas & omnem populum, quem Nabuchodonosor Babylonem traduxerat,) Judæos informat & ex parte Domini sic inquit: Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit & pax vobis Jerem. 29. Et vicissim Judæi in Babylone captivi ad reliquos in Hierusalem fratres missa Epistolâ & pecunia virium collecta in usum holocaustomatum, Orate (ajunt) pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & Balthasar ejus filii &c. Baruch. 1.*

Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 9. *Nullus propheta unquam docuit, propter solam idololatriam aut hæresin subditos contra Magistratum arma capere debere.*

Autor deliberationis de compescendo Jesuitar. conatu ex Polonico in Latinum sermonem translatæ, & in publicum editæ Ann. 609. lit. E. postquam dixerat, in Gallus à Jesuitis agitari cæptam fuisse quæstionem, *Num Pontif. R. Galliæ populum à fidelitatis juramento, quo Regi suo obligatur, in casu hæreseos absolvere possit?* ex qua orta fuerit altera huic admodum affinis, *Num cuilibet privato liceat Tyrannum propria autoritate occidere?* subjungit: *Quid putas, cordate Lector, Apostolos dicturos fuisse, quando Hierosolymis primum Concilium sub præsidio Spiritus Sancti celebrabant, si Religiosus aliquis cum hujusmodi quæstione coram eis apparuisset? Neque tamen in Galliis controversiæ istæ novæ erant. Ad priorem enim ventilandam, Pontificum olim cum Galliæ Regibus perpetuæ litigia perennem materiam suppeditaverunt; posterior vero ante annos plus minus 200. post cædem nempe Ludovici Aureliani in Sorbonistarum Collegio publice agitata & solenniter decisa erat. Utraque sententia constantissime fuit negata, adeo ut posterioris assertio & assertor, Johannes Pratus, ni fallor, in Concilio etiam Constantiensi ex æquo damnati fuerint. Pro hac autem vice eadem quæstiones Galliam ad eum modum immutatam invenerunt, ut bona pars Cleri, & cum his totus Jesuitarum ordo utriusque assertionem probaverint, revocata & annihilata majorum suorum perpetua sententia. Hujus vero immutationis Jesuitas præcipuos autores extitisse, ipsa Sorbona post res sedatas publice professa est &c. Hæc igitur Jesuitarum decisio (non tamen absque Deo) Henrico necem attulit, & contra parricidam absolvit, eumq; Ehudo isti Israëlitarum liberatori æquiparavit. Quale nihil in ulla Christiani orbis parte inde à religionis incunabulis auditum, scriptumve est, aut lectum.*

Scribanus Jesuita Politices Christianæ cap. 7. p. 94. & 95. ex 1. Petr. 2. Hebr. 13. Tit. 3. Eph. 6. Tit. 2. probat, *subditis non licere insurgere contra Magistratum Tyrannum & impium*: Et addit: *Quid si impium nactus fueris Principem? Vis non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illâ. Dei enim minister est tibi in bonum. Et si impia imperaverit? Nemo dixit sequendam impietatem. Tot Martyrum millia læti sanguinem fuderunt, ne impia sequerentur imperia. Verùm, quis vetet armata manu impia imperia pellere? non docemur arma à Martyribus, nec evocavit cœlestes legiones Christus noster, cùm posset, in Herodem, Pilatum, Judæos; pati Christianum est. Nunquamne arma? pro Principe arma, contra illum nulla* &c. p. 99: *infelices semper fuisse insurgentium in Principes exitus* ostendit:

P. 96. *Quid si vim admoveat?* (Princeps) *admovit Nero, Domitianus, Diocletianus, Decius, Julianus, reliquiq; Neronis de impietate successores, nec Christianorum quisquam ferro repulit. Et monet Apostolus, nulli malum pro malo reddentes, maximè Principi. Addit, Noli vinci à malo, sed vince in bonum malum, maximè in Principe. Et quid vis vindictam? Audi Dominum. Mihi vindicta, ego retribuam. Quid facilius Deo Principum Principi? &c.*

Estius in comm. 1. Pet. 2. v. 13. *Sensus est: Subditi estote, obedite cuicunq; homini superiori, sive Judæus ille sit, sive gentilis, & sive Christianus, sive infidelis, denique seu bonus, seu malus.*

Et postea. *Quo tempore scripta fuit hæc Epistola, Princeps Imperii Romani erat Domitius Nero, Christianorum gravissimus persecutor; sub quo Petrus ipse, qui hæc scribit, & Paulus Martyrium subierunt. Liquet ergò, ex doctrina Apostolica Principibus etiam infidelibus & valde malis obediendum esse.*

Cornelius à Lapide in comm. 1. Timoth 2. v. 2. *Non tantum pro Regibus & Magistratibus Christianis, sed etiam pro infidelibus & Ethnicis, puta Nerone & similibus, qui tempore Pauli regnabant, orari vult Apostolus, idque ut notat Chrysostomus, triplici de causa, 1. ut Christiani odium omne deponerent, cum pro omnibus orare jubeantur, nemo enim eum odisse potest, pro quo orat. 2. ut ipsi Reges & Principes mitiores essent in Christianos, quos scirent pro se orare, etiam dum illos persequerentur. Sic Christianos olim in sanctis mysteriis pro Rege sive Imperatore etiam infideli, qualis tunc erat Nero, Decius, Diocletianus &c. orare solitos esse, testes sunt Justinus Apol. 2. Orig. lib. 8. contra Celsum, Arnobius lib. . contra gentes, Eusebius lib 4. Hist cap. 26. Ita S. Cyprianus, ut habet ejus vita, cum ei à Præfecto objectum esset, quod ipse tanquam Christianus in Cæsarem conjurasset, libere respondit: Longissime absumus nos Christiani ab ista culpa, qui Cæsari, etiamsi alia sacra, alios Deos colenti, tamen quia Princeps noster est, bene cupimus & precamur, & rogamus Deum nostrum, ut ad cogitationem verorum bonorum adducat. 3. ut à Deo gratiam bene & pacifice regendi illis impetrarent, utque Deus eo modo flecteret & dirigeret eorum animum & regionem, quo proficuum erat Ecclesiæ, ejusque paci & tranquillitati.* Atqui si subditi debent orare pro Magistratibus infidelibus, utique non debent contra illos insurgere.)

2. Quod agnoscunt, Ecclesiam Christianam primitivam Imperatoribus, etiam Ethnicis obedientiam præstitisse, & pro illis orasse, nequaquam vero de solio eos deturbasse.

Clemens Romanus lib. 8 Constitut. cap 18. testatur, *Apostolos in Eucharistiæ celebratione orasse pro Regibus sui temporis,* (qui tum erant infideles.)

Sigebertus in Chronico Ann. 1088. *novitatem ac hæresin* vocat, quæ in mundo temporibus Gregorii VII. emerserit, quando Sacerdotes docebant populum, *quod malis Regibus nullam debeant subjectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem.*

Otto Frisingensis in Chronico lib. 6. cap. 35. *Lego & relego Regum & Imperatorū res gestas, & nusquā invenio quenquā eorum, ante hunc Henricū Imperatorē, quem Hildebrandus deposuit, à summo Pontifice regno privatum.* (De hoc Ottone Frisingensi scribit Possevin. in Apparatu tit. Otto, quod *ejus cum laude meminerit Æneas Sylvius, postea Pius 2. Pontifex, in oratione Francof. habita.*)

Claudius

Claudius Espensæus in comm. I. Timoth. 2. p. 21. *Nos, ajunt veteres illi fideles, pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, verum, vivum, quem & ipsi propitium sibi præter cæteros malunt, in cujus potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, adversus quem valere non possunt, per quem valere se cognoscunt, precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris vota sunt. Pro Imperatoris itaque salute sacrificamus, sed Deo nostro & ipsius, sed (quomodo præcipit Deus) pura prece. Ita nos magis oramus pro Imperatoris salute, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.* Sic ad Scapulam Tertullianus & in Apologet. cap. 30. *Et subjicit duplicem Christiani moris rationem cap. 31. Adulati, ait, nunc sumus & mentiti vota, ad vim sc. evadendam. Qui ergò nos putas nihil de Cæsarum salute curare? Inspice Dei voces, literas nostras, & ex his scito, præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiã pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutores nostri, quàm de quorum majestate convenimur in crimen? Sed etiam nominatim ac manifestè, Orate, inquit, pro Regibus, Principibus & potestatibus, ut omnia tranquilla sint. Vobiscum enim concutitur Imperium, concussis etiam cæteris ejus membris, utiq; & nos (licet extranei à turbis æstimemur) in aliquo loco casus invenimur. Est & alia cap. 32. major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperii, rebusq; Romanis, quod vim maximam universo orbi imminentem, seculi clausulam, acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. Itaq; nolumus experiri & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.*

(Hæc omnia Espensæus ex Tertulliano adducit ac ibid. multis exemplis ostendit, Christianos in primitiva Ecclesia pro infidelibus Imperatoribus orasse.)

Lib. Digress. in I. Timoth. cap. 6. p. 192. ex Epistola Cleri Leodiensis ad Paschalem, II. quæ extat in secundo tomo Conciliorum hæc adducit: *Gregorius I. quid omnes super hoc ante se Papæ senserint, quid post se sentire debeant, ostendit, cujus in Longobardos exemplo cæteri spirituali gladio contenti, precibus ad Deum fusis, non sumptis contra rebelles armis, utebantur: Reges sanè ac Imperatores aut minimè, aut difficilè excommunicarunt. Primus Hildebrandus novo, & omnibus Bibliothecæ veteris expositoribus evolutis non invento, sacris Canonibus ultimam manum imponens, novello schismate regnum & Sacerdotium scindens, Sacerdotalem lanceam contra Imperii diadema levans, se suoque alios Pontifices exemplo contra Principes gladio accinxit, belloq; quasi hæreditario insurrexit &c. Utinam Petrum in feriendo imitati, Petrum in recondendo gladio imitarentur!*

Cornelius à Lapide in comm. I. Petr. 2. v. 13. *Catholici per primos trecentos annos obœdiverunt Imperatoribus Ethnicis, etiam persecutoribus, in omnibus, excepta fide & religione, nec quisquam necem aut rebellionem contra eos machinatus est fidei prætextu, etiamsi sæpe facilè id facere potuissent, si voluissent. Sanè potuisset tota legio Thebæorum fortissima, duce S. Mauritio, Maximiano resistere, armisq; fidem & vitam tueri, aut certè non inulta occumbere, sed noluit, totaq; positis armis, genibus nixa, fidei causa se obtruncari permisit. Pluribus* (inquit) *idipsum demonstrat Thomas Bozius in signis Ecclesiæ, signo 53. & 90.*

Baronius Ann. 1143. n. 7. & seqq. memorat, *Honorium Pontif. Rom. ob persecutionem à Ludovico Francorum Rege illatam Episcopo Parisiensi, S. Bernhardum è claustro protraxisse, qui de causa illa inquireret & de causa cum rege pugnaret, ut patet ex Epistol. 46. Bernhardus igitur re explicata adversus Regem Ludovicum literas declaratorias dedit ad Papam Honorium* (Epistol. 49.) *in quibus significat Regem illum non tam Episcopos, quàm in ipsis justitiæ zelum persequi, & veluti alterum Herodem Christum non in incunabulis, sed in Ecclesiis invidere exaltatum.* (At quo genere pugnæ Bernhardus Regem aggressus est?) sequitur apud Baronium. *Bernhardus consurgit in Regem Ludovicum, scribens ad eum literas* (Epist. 221) *ubi ait: Profectò stabimus & pugnabimus usq; ad mortem, si ita oportuerit pro matre nostra, armis quibus licet, non scutis & gladiis, sed precibus fletibusq; apud Deum.*

(Hæc omnia Baronius, qui cùm multis paginis ex Bernhardo transcriptis Annales suos infarserit, Epistolam tamen ejus 170. ad Ludovicum Francorum Regem studio omisit, in qua Bernhardus inter cætera sic loquitur: *Si totus orbis adversus me conjuraret, ut quippiam molirer adversus Regiam majestatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo regem offendere temere non auderem: nec enim ignoro, ubi legerim, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*)

Petrus Gregorius Tholosanus libr. 26. de Republ. c. 7. §. 10. *A Christo passo, per intervallum propè trecentorum annorum, etsi innumera crudeliaq; tormenta Christiani passi fuerint & clades atrocissimas, semel viginti millibus necatis, tamen nusquam omnino legitur, eos adversus leges, Magistratum, Imperatorem, securitatemque ejus vel tantillum molitos fuisse, vel rebellasse.*

(Idipsum declarat exemplo petito ex Nicephoro lib. 7 Histor. cap. 5.) ib. *Sed hoc fere argumento ostenderunt, se suamque religionem omnibus anteferri debere, quod in ea sententia ita pertinaciter & obnixè perdurant, ut unico amore Dei & divini cultus Christianos se ab eo dicerent appellari, cujus sit hoc piissimum dogma, ut Magistratibus pareant.*

(Congruit hæc assertio praxi primitivæ Ecclesiæ. Tertull. in Apolog cap. 30. *Nos pro salute Imperatoris Deum invocamus æternum, ut concedat ei vitam prolixam, regnum securum, domum tutam exercitus fortes, senatum fidelem, orbem quietum.*

Excipit quidem Bellarminus libr. 5 de Rom Pontif. cap. 7. §. Quod si &c. *ideo Christianos non restitisse Imperatoribus Ethnicis, quod eis defuerint vires temporales.* Sed huic exceptioni occurrit Petrus Gregorius d. l. subjungens: *Etiam cum Christiani pares viribus & numero fuerunt, imo in hoc religionem suam anteferri aliis omnibus, seque ab eo Christianos dixerũt appellari, cujus sit hoc piissimum dogma, ut Magistratibus pareant.*)

Quinimo urgemus idipsum, quod Bellarminus concedit, *Apostolis & Christianis in primitiva Ecclesia defuisse vires temporales ad deturbandos à solio Imperatores Ethnicos.* Quod si enim talis potestas ad Ecclesiæ perfectionem fuisset necessaria, utique Christus Apostolis & Christianis eam dedisset.)

Autor respons. Apologet. adversus Anti-Cotton. ab uno ipsius societatis Ann. 1611. *Gregorius Nazianzenus, quoad in vivis egit, Julianum Apostatam ceu legitimum Imperatorem reveritus est*, (ubi pro eadem sententia socium suum Eudæmon-Johannem citat pag. 147.)

3. Quod agnoscunt, Pontificem malum tolerandum, nequaquam vero deponendum esse. (Ex quo sponte sequitur, etiam Principem malum tolerandum, non autem è solio deturbandum esse.)

Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 19. *Non est mirum, si Ecclesia, quando habet malum Pontificem, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipuè humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex Deus sit. Itaque etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat, & certum est, Deo fore curæ ejus salutem, qui talem Pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam Ecclesiam destruat.* (Idem paucis mutatis ad Argumentum Bellarmini, quod *hæretici Principes Ecclesiam destruere possint, ac proinde à Rom. Pontifice deponendi sint*, respondere possumus. Non est mirum, si Ecclesia quando habet Magistratus Ethnicos, vel hæreticos, maneat sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex Deus sit. Itaque etiamsi Episcopi non possint, nec debeant deponere tales Magistratus, tamen debent Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat, ac persecutionem patientibus robur Spiritus suppeditet.)

Azorius lib. 5. Instit. cap. 14. *Quid si ipse Pontifex Romanus, leges, canones, jura Regum negligat? respondeo, Pontificem à nullo, nisi à Deo, judicari posse.* (Idem longe rectius de Magistratu politico nullius imperio in politicis subjecto asserimus.)

4. Quòd agnoscunt, Imperatorem, Reges ac Principes in temporalibus non esse jurisdictioni Papæ subjectos, (quod congruit cum illo Tertulliani ad Scapulam. *Imperator omnibus major, solo Deo minor.*)

Ivo Carnotensis, *Reges si aliquando potestate abutuntur, non sunt à nobis graviter exasperandi. Sed ubi Sacerdotum admonitionibus non acquieverunt, divino judicio sunt reservandi. Nam super Imperatorem non est, nisi solus Deus, qui eum fecit.*

Venericus Vercellensis circa Annum 1080. librum scripsit de unitate Ecclesiæ conservandæ, in quo inter cætera sic loquitur. *Pipinus major domus, cum Childericum Regem Galliæ dominum suum regno dejicere tentaret, neminem sceleris hujus autorem habere potuit, quam Papam Roman. Gregorium, qui subditos juramento absolvit & miserum Childericum rasum in monasterium detrusit. Miseremini, ò Principes, regni cœlestis populi Dei. Vos, inquam, miseremini, imò indignamini, quòd Papa mortales in hanc sententiam adducat, ut id, quod non potest fieri, credant fieri posse.*

Ludovicus Vives ad Henricum 8. Angliæ Regem in Epist. dedi-

dedicat. libris Augustini de Civ. Dei præmissa. *Te, Rex Henrice, permagni omnes exstimarunt, cujus potestas majestasque est in terris secundum Deum maxima.*

Petrus Gregorius Tholosanus libr. 25. de Republ. cap. 5. *Principes aliqui sunt sui juris, Rex Galliæ & Rex Hispaniæ, qui in temporalibus nullum agnoscunt superiorem, nec possunt privari suo regno.*

Quidam Hispanus ἀνώνυμος in libro de morte Philippi: *Rex Hispaniæ Philippus jamjam moriturus, coronam manibus apprehendens, oculis in cœlum defixis, Tibi, inquit, Domine Deus meus coronam meam reddo, à quo eam accepi.* (Plura hujus generis afferentur in art. de Pontifice, in quæstione de potestate Pontificis in temporalibus super Imper. Reges & Principes.)

5. Quod agnoscere coguntur, absolutiones illas subditorum à juramento fidelitatis pessimè cessisse.

Abbas Urspergensis in Chron. Anno 1080. Crantzius lib. 5. Metropol. cap. 16. Bonfinius lib. 3. Decat. 1. Rudolphus Sueviæ Dux, Henrico IV. Imperatore anathematis fulmine à Gregorio VII. Pontifice Romano percusso, à Moguntino Præsule jussu Pontificis in Regem coronatus, contra Henricum Imperatorem bella gessit, tandem in prælio abscissa est ejus dextra. Domum rediens Episcopis & Magistratibus truncum manus ostendens dixit: *En vobis dextra, qua interposita sancte juravi, nihil injuriarum Domino meo Henrico me facturum, nihil insidiarum comparaturum. Sed ad hanc juramenti transgressionem Apostolica jussio vestraque persuasio me commoverunt, videte igitur, quam rectâ via vos vestra monita sequentem duxeritis.*

Platina in vita Gregorii VII. Pontificem sic loquentem introducit. *Henricum ejusque fautores anathematis vinculo colligo, atque iterum regiam potestatem ei adimo, interdicoque omnibus Christianis juramento absolutis, quo fides Regibus semper dari consuevit, ne Henrico obtemperent, sed Rudolphum in Regem suscipiant.*

Postea inquit. *Henricus irritatus magis Pontificis Gregorii censurâ, quam monitis, Romam hostili animo proficiscitur, urbem ingreditur. Pontifex haud satis populo fidens, in arcem se recepit, diu obsessus. Henricus alium Pontificem creat, discedente Henrico Gregorius liberatur, & non ita multò post moritur.*

Matthæus Parisiensis Anno 1080. pag. 10. *Gregorius Pontifex quasi sibi divinitus revelatum prædixit, falsum Regem hoc anno esse moriturum. Et verum quidem prædixit, sed fefellit eum conjectura de Rege. Nam ille secundum velle suum id interpretatus est de Henrico, qui tunc contra Saxones gravi prælio decertans, Regem falsum, scilicet Rudolphum, interfecit.* (Sic ergò Pontifex in sua prædictione fuit delusus, vel potius alios delusit. Eodem enim modo, quo ex ore Caiphæ, ex ore Gregorii hujus Deus veram Prophetiam extraxit.)

Idem Matthæus Parisiensis d. l. aliud divinæ vindictæ exemplum mirandum sane ac stupendum prodidit in *Alemanico Comite, ejusdem Henrici Imperatoris persecutore gravissimo & rebelli perfido edito, quem ad mensam residentem caterva quædam murium,* (qui nullis domesticorum fustibus depelli poterant) *terribili corrasu laniarunt.*

6. Quod in Concilio Constantiensi assertio illa, quòd Reges & Principes Tyranni sint regno depellendi, tanquam erronea in fide & in moribus scandalosa fuit reprobata. (At si *Tyrannos* non licet è solio deponere vel occidere, utique nec Reges *hæreticos*, qui pari jure apud Jesuitas censentur. Wilhelmus Rossæus de vindic. Reipubl. Christianæ adversus Rsges impios & hæreticos pag. 156. *Omnis Rex hæreticus est Tyrannus.*)

Concil. Constant. sess. 15. *Præcipua solicitudine volens hæc sacrosancta Synodus, ad extirpationem errorum & hæresium in diversis mundi partibus invalescentium, providere, sicut tenetur & ad hoc collecta est, nuper accepit, quod nonnullæ erroneæ assertiones in fide & bonis moribus ac multipliciter scandalosæ, totius Reipubl. statum & ordinem subvertere molientes dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est: Quilibet Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum & subditum, etiam per insidias vel blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscunque. Adversus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, decernit & definit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamque tanquam scandalosam & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat & condemnat.*

Idem statutum in Concilio Toletano IV. c. 24. *Nullus apud nos sub præsumtione regnum arripiat. Nemo meditetur interitus Regum. Quicunque ex nobis Sacramentum fidei temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumtione Tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit.* Sic & in Synodo Rhemensi c. 37. *Nemo intendat interitum Regis, nemo vitam Principis attrectet, nemo eum regni gubernaculis privet, nemo quolibet machinamento in ejus adversitate sibi conjuratorũ animum adsociet.*)

Hoc decretum Concilii Constantiensis commendat Apologia Francisci de Verona pro Johanne Castel, discipulo Jesuitico part. 2. cap. 2. pag. 28.

Ludovicus Richeomus in Expostul. Apolog. pro Societ. Jesu Latina cap. 21. p. 178. & cap. 28. p. 218. *Doctrina ista de Tyranno occidendo est exitialis & ab universa Ecclesia improbata, & in Constantiensi Concilio condemnata. Item. Illa doctrina est Anabaptistarum, & in Oecumenico Constantiensi Concilio damnata.*

7. Quod Assertioni de Regibus & Principib. è solio deturbandis addunt hanc limitationem, si *viribus sufficientibus ad illud præstandum subditi sint instructi.* (Ex limitatione illa colligimus, quod possint subditi bona conscientia subesse Magistratui hæretico. Si enim subditi non possent bona conscientia Magistratui hæretico subesse, sed vigore mandati divini ad illum deponendum obstricti essent, utique totis viribus illi resistere & quævis extrema potius subire, quam contra conscientiam illum tolerare deberent. Et quid opus ad deponendos Magistratus hæreticos viribus temporalibus, cum ex hypothesi Jesuitarum Hildebrandinæ Sectæ addictorum, insidiis etiam adversus eos uti, ac veneno vel per sicarios è medio tollere liceat.)

Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 7. §. Quò si &c. *Quòd Christiani olim non deposuerunt Neronem, Diocletianum, Julianum Apostatam, Valentem Arianum &c. inde fuisse* dicit, *quia deerant vires temporales Christianis.*

Schulkenius in Apol. pro Bellarmin. p. 49. ad argum. quòd *Christiani in primitiva Ecclesia non deposuerint Reges infideles,* respondet: *impios & blasphemos Cæsares ità potentes fuisse, Ecclesiæ contra tam exiguas vires, ut potiùs patientiam, quàm severitatem adhibere debuerit.*

Dominicus Bannes Salmanticensis Acad. Professor in Comment. ad Thomam 2. 2 q. 12. art. 2. *Post latam sententiam declarativam de crimine hæreseos Princeps injustè possidet regnum & principatum, & exercet jurisdictionem in subditos, tenenturque subditi, se eximere ab ejus obedientia & bellum gerere contra illum, si vires suppetant. Ex hac conclusione sequitur, primò excusandos esse Anglicanos & Saxonicos fideles, qui non se eximunt à potestate Superiorum, nec bellum contra illos gerunt, quoniam communiter non habent facultatem ad hæc bella gerenda contra Principes, & imminent illis gravia pericula.*

(Atqui si justum & necessariũ esset, Magistratus hæreticos, præsertim post latam à Pontifice contra ipsos sententiam, deponere, utique divino confisi auxilio, vel bello ipsis resistere, vel per sicarios è medio tollere deberent. Autor Orationis ad Regem Christian. f. 31. *Si potest Reges excommunicare Papa, & bonum est factum ac meritorium, si quis post vibratum Papale fulmen eos occidit, continuò sequitur, Martyrium ferri potiùs constanter oportere, quàm in causa esse, cur ii tradantur morti, qui iter ad vitam æternam ostenderint. Hæ propositiones catena quadam inter se devinctæ sunt.*)

Item. *Si Bellarminus admittit, excusari veteres Christianos, qui tolerarunt Ethnicos & hæreticos Imperatores, hanc unam ob causam, quòd non possent vi aperta deponere, nos multò justius laudamus eos, qui tolerarunt, cùm scirent, non debere se in tantam audaciam extolli, ut Principes suos deponerent.*

8. Quòd agnoscunt, assertionem de Regibus hæreticis è solio deturbandis cum fide pugnare, & Rempl. turbare.

Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 9. *Eorum, qui Principem imperio populari teneri & quidem libris pervulgatis tradunt, minuenda opinio est. Id enim seditiosis hominibus ad res novandas materiam præbet, ac Rerumpublicarum perturbationem affert. Neque enim ulla ratio probabilis adduci potest, cur subditi Principibus imperent, aut popularibus Comitiis ulla potestas tribui debeat, siquidem si Reges legibus Comitiorum, ac populi jussis teneantur, inane regium nomen futurum.*

Autor Orat. ad Regem Christianiss. f. 26. *Quid magis cum fide Christiana pugnat, quam si libertatem tribueris populo judicandi de bona & mala Principis sui administratione, eique persuaseris, posse eum conscientia integra & secundùm Deum aut ejicere Principem, aut etiam trucidare?*

Huc referri potest, quod Thom. Henr. scriptor Pontificius in Anatom. August. Confess. p. 344. scribit, *à duobus Ordinis Jesuitici Generalibus toti Ordini interdictum esse, ne de Tyrannis & hæreticis*

reticis Principibus aliquid in publicum à Jesuitis ederetur, (dubio procul ea de causa, quia hujusmodi disputationes Remp. turbant.)

9. Quòd disertis verbis quandoque improbant thesin illam, Tyrannum (& qui eodem ipsis loco est, hæreticum) à privato occidi posse.

Alphonsus de Castro adv. hæref. tit. Tyrannus. *Hæresis est, quæ asserit, licere cuilibet homini occidere Tyrannum, etiam per insidias, non obstante quacunque confœderatione inter eos facta, etiamsi fuisset juramento firmata.*

Ludovicus Richeomus in Actione Henrici Garneri & Sociorum p. 64. disputat, *Regicidium & Reginicidium non à sua quidem doctrina placitisque promanare, sed figmentum atque technam solummodò esse politiæ nostræ, ut sic Papismus contemtui ac despicatui foret.*

10. Quòd agnoscunt, Christum noluisse uti potestate coactiva adversus renitentes (Ergò multò minùs adversus Reges & Principes.)

Abulensis tom. 11. in Matth. 20. pag. 340. *Christus summus ille Pastor professus est, se nolle exercere opus jurisdictionis coactivæ.*

Bellarmin. in Recogn. pag. 23. docet, *quatuor esse regna, quorum tria Christo conveniunt, Primum, inquit, est spirtuale, quod per passionem in cruce sibi peperit, de Diabolo triumphans, quo superato cœpit Christus regnare in cordibus fidelium per fidem & obœdientiam Dei. Alterum regnum est divinum universale, quod Christo convenit ratione unionis hypostaticæ cum divina Natura. Tertium est regnum gloriæ, quod in perfecta corporis & animæ beatitudine & felicitate consistit. Quartum, quod propriè temporale dici debet, qualia sunt regna Principum terrenorum, nos quidem in Scripturis & in Patribus non invenimus Christo convenire.* (At potestas temporalis coactiva, quam Pontifici tribuunt, nec ad spirituale, nec ad divinum universale, nec ad gloriæ regnum referri potest, aut ex eo deduci. Restat igitur quartum, quod Bellarminus Christo derogat. Ergò etiam Christi vicario illud regnum & potestatem illam temporalem coactivam deroget.)

11. Quod agnoscunt, Apostolos nec accepisse, nec exercuisse potestatem temporalem coactivam.

Abulensis tom. 11. in Matth 20. p. 340. probat, *Apostolos neq; criminaliter, neque civiliter habuisse exercitium jurisdictionis coercitivum.*

Sanderus de clavibus David lib. 2. cap. 13. & cap. 14. *Petrus in Neronem, Domitianum & Tyrannos gentium nullam potestatem accepit. Duplex enim fortitudinis potestas, altera in faciendo res arduas animosè, altera in patiendo res adversas constanter: cumque illa virtus, quæ in patiendo consistit, sit præstantior &c. hanc patiendi potestatem sibi & suis Christus elegit, ut mundum in admirationem potentiæ suæ converteret &c. Idcirco Apostoli & primi Apostolorum successores hoc mysterium non ignorantes ab armis pro fide sumendis abstinuerunt.* (Distinguit quidem inter Reges infideles & hæreticos, in hos, non in illos Pontifici coactivam potestatem competere asserit. Sed, quid de hac distinctione noviter conficta statuendum, suo loco explicatur.)

Ex hoc principio rectè concludit

Massonius Historicus Pontificius in vita Bonifacii VIII. *Non putent Pontifices, se à Deo datos Regibus, ut eos cohibeant, veluti equos intractatos; admoneant, precentur; minari autem, terrefacere, arma ciere Episcopos non decet.*

Arg. Adversf. 1. *Paulus 1. Cor. 6. v. 4. jussit constitui à Christianis novos judices causarum temporalium, ne cogerentur causam dicere coram judice persecutore. Sicut autem potuerunt judices novi constitui, sic & novi Principes, Regesque, si vires adfuissent.* Bell. lib. 5. de Rom. Pont. c. 7. §. Quòd si Christiani.

Resp. 1. loquitur Apostolus de litibus voluntariis, in quibus non cogebantur Christiani ire ad judices Ethnicos. Thom. in h. l. *Dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti eorum judicio compareant, si vocentur: hoc enim esset cotra subjectionem, quæ debetur Principibus: sed prohibet, quod fideles non eligant voluntariè infidelium judicium.* (Ergò non solum licitum, sed etiam necessarium erat, Christianos infidelib. Principibus obœdire, nec potest ex hac arbitrariorum judicum electione contrarium colligi.)

2. Bellarminus contra Barclaium c. 21. sic scribit: *Ego vero fateor, non habuisse judices illos Christianos, jussu Apostoli constitutos, vim coactivam in foro exteriore.* (Ergo non est ibi quæstio de judicibus Magistratum gerentibus, ac publicâ autoritate jus dicentibus, quasi Christiani illos debuissent à sede judiciaria deturbare, sed de privatis arbitris.)

3. Idem agnoscunt etiam alii ex interpretibus Pontificiis. Guillaudus in h. l. *Non hic agit, qui constituantur in Ecclesia judices, sed ne Christiani litigent apud impios seu infideles, & quemvis potius vel contemtissimum, modo Christianum, arbitrum suæ causæ faciant.* Benedict. Justinianus in h. l. *Facile quis intelligit, non loqui Apostolum de legitimis judiciis, quæ à Magistratibus, publicisque Judicibus autoritate publica exercentur: sed de iis, qui communi consensu designati essent civilium controversiarum disceptatores.*

Arg. 2. *Si uxor fidelis libera est ab obligatione manendi cum conjuge infideli, quando iste non vult manere cum conjuge Christiana, sine injuria fidei, 1. Cor. 7. v. 15. ergo potest liberari populus Christianus à jugo Regis infidelis & pertrahentis ad infidelitatem. Ratio consequentiæ est, quia non minor est potestas conjugis in conjugem, quam Regis in subditos, sed aliquanto major.* Bellarm. d. l. §. Denique.

Resp. 1. Paulus non dat liberam optionem fideli conjugi manendi vel discedendi, sed tum demum, si infidelis nolit manere, velit autem discedere, fidelem liberam esse statuit. Ergò si comparatio deberet esse legitima, evinceret, tum demum posse populum infidelem vel hæreticum Regem deponere, si ipse odio religionis imperium renunciaret, quod de Diocletiano & Maximiano in Actis Mennæ Martyris commemoratur apud Baronium anno 304. §. 7. At quæstio est de ejusmodi Regibus & Principibus, qui, etsi sint hæretici, tamen de suo jure, quod in imperium habent, nihil diminutum volunt.

2. Paulus loquitur de iis, quorum matrimonium contractum est ante fidem, ac proindè de infideli manente qualis erat, cùm contraheretur id matrimonium. Imò si utraque pars tum fuisset Christiana, deinde altera incideret in hæresin, vel infidelitatem, tum fatentur Pontificii, non posse dissolvi matrimonium. Bell. contra Barclaium c. 20. *Qui ducit uxorem more Christiano, sive prudens, sive imprudens id faciat, non potest post matrimonium consummatum ulla ratione ab eo vinculo solvi.* c. 23. *Fingit, me loqui de conjugio inter fideles contracto, quorum alter postea in hæresin labitur, quod matrimonium omnino insolubile est. Sed mihi nunquam venit in mentem de matrimonio ejusmodi loqui.* (Ergò vi comparationis Rex vel Princeps post inthronisationem incidens in hæresin, vel infidelitatem, non poterit à populo deponi.)

Arg. 3. *Quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, ut sceptra sua subjiciant Christo, & pollicentur, se Christi fidem servaturos & defensuros, etiam sub pœna regni perdendi. Ergò quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia judicari atque etiam deponi à Principatu.* Sander. lib. 2. de vis. Monarch. cap. 4. pag. 71. Bell. lib. 5. de Rom Pont. cap. 7. §. Quarta ratio.

Resp. 1. Idem Bellarminus lib. de Laicis cap. 5. sic disserit: *Ex Scripturarum testimoniis colligitur politicus Magistratus apud Christianos. Nam si ex adductis testimoniis licet subesse Regi Ethnico, cur non Regi Christiano? & si licet Christiano subesse, cur non præesse?* (Si Ethnicus jam factus Christianus virtute Christianismi magis præesse debet, tum profectò Reges & Principes non ita ex pacto Baptismatis, quod Christianos facit, subjiciuntur Pontificibus ut ex eorum autoritate faciliùs regnis suis privari possint.)

2. Idem Bellarmin. lib. 1. de Baptism. cap. 16. §. ad alia &c. sic disserit: *Ex verbis Christi, jubentis docere baptizatos, servare omnia præcepta ejus, colligitur, Christianos per Baptismum non liberari ab obligatione legis Ecclesiasticæ, quia unum est ex præceptis Christi, ut eis obœdiamus, quando Dominus ait, Qui vos audit, me audit. Quod ad politicas leges attinet, Apostolus, inquit, passim imperat, ut obœdiant post Baptismum, servi Dominis, filii parentibus, privati Magistratibus.* (Qua vi potestas politica stabilitur, eadem nullo pacto diminui censenda est. At potestas politica in temporalibus vi pacti in Baptismo suscepti eadem, qua potestas Ecclesiastica Christi autoritate, stabilitur. Ergò ex eodem pacto minimè diminui, vel debilitari censenda.)

3. Idem Bell. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. disputat, *Pontificem non posse renunciare Papatui absque Ecclesiæ consensu, ac si Ecclesia aliqua de causa Pontificem deposuerit, negat, Pontificem se posse subjicere coactivæ potestati Ecclesiæ.* (Cùm Pontifex eadem pacti religione, qua erat baptizatus, constringatur, si ejus naufragium fecerit, poteritne ab Ecclesia deponi, vel non? Si potest, tum falsò dicitur, Pontificem non subjici coactivæ potestati Ecclesiæ. Si non potest, tum falsò asseritur, Principes ex pacto Baptismi ab Ecclesia debere deponi. Thomas Mortonus in dissertat. de autorit. Principum cap. 1. sect. 22. p. 28.)

SECTIO POSTERIOR.

De medio fraudulentiæ.

THesis. Religio, etiam vera, non est fraudulentis mediis propaganda.

Ἔκθεσις. Quemadmodum in rebus civilibus, quò non pertingit pellis leonina, callidi homines assuunt vulpinam, ita Jesuitæ cum violentia in propaganda religione Romano-Catholica fraudulentiam conjungunt. Antigonus interroganti cuidam, qua ratione hostis superandus esset, respondit, ἢ δόλῳ, ἢ βίῃ, ἢ ἀμφαδὸν, ἠὲ κρυφηδὸν, *sive dolo, sive vi, sive clam, sive palam.* Eadem etiam Jesuitarum animis insidet sententia. Sequuntur hac in parte Julianum, de quo Ludovicus Vives in annot. ad lib. 18. August. de civ. Dei cap. 52. *Julianus astutissimè Christianos insectatus est, nam à cruore abstinuit, & non Christianorum corpora occidere, sed ex eorum animis Christum evellere, miris artibus technisque attentabat, quod est genus persequendi omnium efficacissimum & perniciosissimum.*

Antithesis. Varia omnino sunt fraudum genera, quibus quidam ex Pontificiis, præsertim Jesuitis, religionem suam propagare nituntur.

Primò enim notoria mendacia defendunt, utpote figmentum de donatione Constantini, fabulas in Legendis Sanctorum, falsas reliquias, conficta miracula &c. Gregor. de Valent. lib. de Indulg. cap. 5. mentionem facit quorundam Catholicorum, qui dixerunt, *Indulgentias esse pias fraudes.*

2. Scripta supposititia & spuria pro genuinis venditant, ut canones Apostolorum, Decretales Epistolas primorum Pontificum, scripta Dionysii Areopagitæ, Abdiæ & aliorum, quâ de re egimus superiùs lib. 1. part. 2. cap. 6. 7. 8. 9. & 13. Quò etiam referri potest, quòd libros Vet. Test. Apocryphos pro Canonicis citant, ut lib. 2. art. 1. cap. 1. demonstrabitur.

3. Genuina veterum scripta fide non bona tractant, alienum sensum illis affingendo, dicta ipsorum mutilatè ac falsò citando, in Patrum editionibus quædam mutando, qua de re egimus superiùs cap. 13. membro 13.

4. Mendacissimis conviciis & calumniis Evangelicæ doctrinæ confessores, præsertim defensores, onerant, ut in odium & contemtum eos adducant.

Lutherus in præfat. articul. Schmalcald. *Fuit apud nos Witebergæ Doctor quidam ex Galliis missus, qui nobis palàm indicabat, Regi suo certò certius persuasum esse, apud nos nullam esse Ecclesiam, nullam politiam, nullum conjugium, sed promiscuè omnes pecudum more vivere pro arbitrio.*

Alphonsus Cæsaris Cancellarius Hispanicus Augustæ in Comitiis ad Melanchthonem dixit: *Longè aliter Philippe in Hispaniis de vobis fama tulit, quàm ex Confessione vestra intelleximus. Multi nobis persuaserunt, vos negare Trinitatem, de Christo & Maria impiè loqui, Sacramenta corrumpere, Cœnam Dominicam contabilire. Vide Epistol. Augustæ Anno 1530. scriptam tom. 5. Jenens. Germ. p. 28. a.*

In ipsis Comitiis Augustanis quidam Pontificii Carolo V. Imperatori & reliquis Imperii Ordinibus persuadere conabantur, *in nostris Ecclesiis simpliciter prohiberi disciplinam & omnem carnis mortificationem, ac publicè defendi hæresin Jovinianorum.*

Johannes à Daventria in Harmonia Adr. Fabricii p. 435. scribit, *Lutheranos statuere, quod tum demum verè ac plenè utantur libertate Christiana, si carnem nunquam affligant, si nunquam jejunent, si sese supra modum & supra Naturæ vires omnis generis cibis diversis ferculis infarciant & ventrem distendant.*

Andreæ Fabricio in præfat. Harm. August. Conf. *Protestantes sunt Christiani nominis hostes perniciosissimi, Babylonicæ illius Seductricis filii.*

Florimundus Raymundus Galliarum Regis in Curia Burdegalensi Consiliarius in Historia de ortu, progressu & ruina hæreseon hujus seculi lib. 1. cap. 16. *Luthero, quippe homini multæ lectionis & laboris, facile fuit, omnium tam veterum, quam recentiorum hæreticorum invenire vestigia ac persequi, eorum artes condiscere, exsculpere versutias & argumenta, eaque novo quasi cultu ornare; esse etiam ad Ecclesiæ suæ constructionem pleramque materiam ab antiquis hæreticis mutuatam.*

Cardinalis Farnesius, Pontificis ad Cæsarem Carolum V. Legatus, Anno 1540. dixit, *non facile esse discernere, qui Christo magis adversentur, Protestantes an Turcæ, hos enim corpora servituti premere, illos corpora & animas exitio devovere.* Petr. Suavis lib. 1. Hist. Conc. Trident. p. 103.

Gregorius de Valentia in anal. p. 213. calumniatur, *apud Lutheranos ita omnia comparata esse, ut in eorum religionis ratione vix aliquod Christianæ disciplinæ signum sit reliquum, quo eos ab Ethnicis nulla veri Dei cognitione imbutis discernere queas.*

Omnes ferè scriptores Pontificii nos accusant, quòd *bona opera negemus esse necessaria*, ut videbimus in art. de bonis operibus.

Cumprimis verò conviciis in B. Lutherum spargendis sunt effusè prodigi. Ulenbergius de vita & rebus gestis Lutheri cap. 4. p. 58. narrat, *de Luthero circa Annum 1518. sparsos esse rumusculos, quasi secretum & familiare commercium haberet cum Dæmone, quem in pyxide conclusum circumferret.* Addit, *observatum certè fuisse, quòd in digito gestarit annulum argenteum, cui filo quippiam alligatum fuerit, quæ res sermonibus hujusmodi parùm commodis occasionem dederit.*

Ann. 1545. hoc est, anno integro ante Lutheri mortem mentiti sunt, *Lutherum lethaliter decumbentem petiisse, ut corpus suum altari impositum adoraretur, Deum verò singulari miraculo hanc impietatem prohibuisse. Nam cùm Lutheri corpus sepulchro imponeretur, tam horribilem auditum fuisse tumultum, ac si infernus cum Diabolis omnibus concideret, quo astantes omnes vehementer perterriti viderunt hostiam sanctam, quam indignus ille ante mortem acceperat, in medio aëre pendulam. Quam cum magna reverentia in loco reliquiarum deposuissent, tumultum illum Diabolicum cessasse. Nocte verò sequente eo in loco, quo corpus Lutheri depositum fuit, longè horribiliorem auditum esse tumultum, proinde & populum magno cum timore surrexisse & aperto sepulchro, neque corpus neque vestes reperisse, omnia autem circumcirca fœtore sulphureo repleta fuisse, quem multi cùm ferre non possent, in morbum inciderint.*

(Hæc crassa & impudentissima mendacia Lutherus ipse & legit, & mirifico se affectum gaudio esse affirmavit, quòd tantos Satanæ furores adhuc vivus experiri cogatur. Vide tom. 8. Jen. Germ. f. 207.

Pazmannus lib. 3. hodegi ex Prateolo, Cochlæo, Petro Sylvio, Delrione, Fontanto, Lindano, Genebrardo, Copo, Bredenbachio, Serario &c. de Luthero hæc recitat convicia, quòd *natus sit ex Diabolo, instar incubi cum matre Lutheri, quæ fuerit balnei servula, congrediente; quòd in Monasterio aliquando, cum Evangelium de Dæmonio muto & surdo legeretur, in templo conciderit & exclamaverit, Non sum, non sum! unde fratres collegerint, ipsum singularitatis aliquid habere, sive ex morbo Comitiali, sive ex occulto cum Dæmone commercio; quod postea corporaliter visus fuerit quibusdam cum Dæmone conversari; quod Imperator Maximilianus I. in Comitiis Augustanis Ann. 1518. Cacodæmonem, in forma corporea Monachi Lutheri humeris incubantem, viderit; quòd Lutherus ipse fateatur, se Diabolum Magistrum habuisse.* (De quibus mendacissimis conviciis quid statuendum sit, exponit D. Balduinus in Phosphoro lib. 3. cap. 25. p. 241. & seqq.)

Andreas Frusius in B. Lutherum hæcce congerit convitia:

Magnicrepus, Mendax, Morosus, Morio, Monstrum:
Ambitiosus, Atrox, Astutus, Apostata, Agaso:
Ridiculus Rhetor, Rabiosus Rabula, Raptor:
Tabificus, Tumidus, Tenebrosus, Transfuga Turpis:
Impius, Inconstans, Impostor, Iniquus, Ineptus:
Nycticorax, Nebulo, Nugator, Noxa, Nefandus:
Ventosus, Vanus, Vilis, Vulpecula, Vecor:
Schismaticus, Stolidus, Seductor, Simia, Scurra:
Lascivus, Leno, Larvatus, Latro, Lanista.
Ventrosus, Vultur, Vinosus, Vappa, Voluptas:
Tartareus, Torris, Tempestas, Turbo, Tyrannus:
Hæresiarcha, Horrendus Hypocrita, Hydra, Hermaphroditus;
Erro, Execrandus, Effrons, Effrenis, Erinnys,
Retrogradus, Reprobus, Resupinus, Rana Rebellis:
Vesanus, Varius, Veterator, Vipera, Virus:
Sacrilegus, Satanas, Sentina, Sophista, Scelestus.

Jodocus Coccius in suo Thesauro Catholico sequentia dogmata Luthero tribuit:

1. *Non est Deus.* lib. 1. art. 1. pag. 2.
2. *Non sunt in una Dei essentia tres personæ.* lib. 1. art. 4. p. 25.
3. *Filius Dei non est verus Deus Patri consubstantialis.* art. 5. p. 61.
4. *Christus non est una persona constans duabus Naturis conjunctis & non confusis.* lib. 2. art. 2. p. 117. 118.
5. *Christus non omnia scivit.* lib. 2. artic. 3. p. 147.
6. *Christus non est unicus mundi Salvator.* lib. 2. art. 7. p. 199.
7. *Moses & Mosaica scripta non sunt summæ & Canonicæ autoritatis.* lib. 6. art. 5. p. 6. 13.

8. *Jobi historia non est vera, nec authentica*. lib. 6. art. 6. p. 619.

9. *Ecclesiastes & Canticum Canticorum non valet ad confirmanda dogmata Ecclesiastica*. lib. 6. art. 7. & 8. p. 625.

10. *Potestas Ecclesiastica & politica non sunt à Deo, ideo nec honoranda*. lib. 7. art. 1. p. 781.

(Utinam verò ejusmodi calumniatores expenderent illud Chrysostomi homil. 5. in 2. Corinth. in fin. *Homo es, ne aspidum virus evomas. Homo es, ne in beluam degeneres. Ob eam causam tibi os datum est, non ut mordeas, sed ut aliorum vulneribus medearis!*)

Huc referri potest etiam infame illud artificium, quòd *Anabaptistas, Zuinglianos, Flacianos, Servetianos* in unum conflant cum *Augustanæ Confessionis sociis*, illorum omnium errores atque impietates his affricantes.

Georg. Ederus in scripto Germanico Evangelische Inquisition der wahren und falschen Religion fol. 52. & seq. *Anabaptistas, Sacramentarios &c.* pro Lutheranis venditat. Eum imitatur M. Caspar Gademrecht in quæstionibus Germanicis.

Bellarminus lib. 4. de not. Eccl. cap. 9. art. 26. in Catalogo hæresium, quas Protestantes amplectuntur, etiam numerat hæresin Serveti. Nam inter *Protestantium hæreses* numerat *hæresin Sabellii* & hoc ideo, *quia eam docuit Servetus*. Oriuntur hæc omnia ex immani illo odio, quo Pontificii Augustanæ Confessionis socios prosequuntur, de quo Maldonatus in cap. 4. Joh. v. 9. p. 527. sic scribit: *Qui verè sunt Catholici, majore odio Calvinistas, cæterosque omnes hæreticos, quàm gentiles prosequuntur, quòd illi magis supplicio, hi magis commiseratione digni sunt.*

5. Verum & genuinum quæstionis statum involvunt & falsam sententiam nobis tribuunt. Multis hoc demonstrari posset exemplis, hac vice quædam tantùm ex Bellarmino adducemus.

Lib. 2. de verbo Dei cap. 10. scribit: *Lutherani volunt, solam Lutheri versionem esse authenticam. Cingliani, quibus & Calvinistæ consentiunt, nullam esse volunt authenticam versionem.* (Atqui nec Lutheri, nec ullius alterius versionem Germanicam vel Latinam authenticæ autoritatis esse dicimus, sed hanc laudem & prærogativam solis fontibus Hebræis in V. & Græcis in N. T. unicè relinquimus.)

Lib. 3. de Verbo Dei cap. 1. statum controversiæ de perspicuitate Scripturæ sacræ hoc modo format: *Sintne Scripturæ sacræ per se facillimæ atque apertissimæ, an verò indigeant interpretatione?* (At nemo nostrum negat, ratione quorundam locorum obscuriorum Scripturas sacras interpretatione egere. Sed hoc est, quod contra Pontificios defendimus, Scripturam, in tradendis dogmatibus fidei ad salutem scitu necessariis, ita perspicuam esse, ut certa & constans sententia ex ea colligi possit, nec opus sit, alienum lumen ei inferre & ad Pontif. Romani judicium confugere.)

Lib. ejusd. cap. 3. quæstionem de judice controversiarum sic informat: *Hæretici omnes hujus temporis docent, unumquemque judicem esse debere, sive Spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, sive alicui alteri adhærendo, quem eodem dono præditum viderit.* (At nequaquam docemus, unumquemque debere vel suum sequi Spiritum, vel alteri Spiritum jactanti adhærere, sed absolutum, principalem ac summum in Ecclesia judicem statuimus, esse Sp. S. in Scriptura & per Scripturam ad nos loquentem; hujus absoluti & principalis judicis vocem, ac proinde etiam regulam & normam, juxta quam ministerialis & inferior judex sententiam ferre debet, dicimus, esse Scripturam sacram. Quòd si ergò judex ministerialis publicus vel privatus normam illam judicii in verbo propositam sequitur, nequaquam privatum suum Spiritum, sed publicum Spiritus sancti judicium sequitur.)

Lib. 4. de V. Dei cap. 3. quæstionem de perfectione Scripturæ sic informat: *Nos asserimus, non contineri in Scripturis expresse totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus. Adversarii contra docent, in Scripturis omnia contineri ad fidem & mores necessaria.* (Atqui si per voculam *expresse* innuit, quòd omnia necessaria αὐτολεξεὶ & secundùm literam in Scripturis extare statuamus, id quod voculam illam innuere, argumenta contra nos producta indicant, & Jesuitæ in Colloquio Durlacensi formaliter & in terminis negativis, quòd non sit purgatorium, quòd opera non sint meritoria, sibi demonstrari postulantes confirmant, tum sententiam nostram pervertit.)

Lib. 3. de Christo cap. 1. sic scribit: *Omnes ferè Lutherani hoc tempore docent, primò, Christi carnem habere attributa divinitatis, ac præcipuè omnipræsentiam: secundò hypostaticam unionem consistere in ista communicatione divinorum attributorum ipsi carni facta.* (At nequaquam vel in omnium attributorum, vel omnipræsentiæ communicatione unionem personalem consistere dicimus, sed communicationem illam unionis personalis consequens & effectum esse, statuimus.)

Ibidem contra nos tale producit argumentum: *Lutherani docent, carnem Christi habere attributa divinitatis, ex quo sequitur, eos vel esse Eutychianos vel Nestorianos, vel monstrum ex utraque hæresi compositum. Si enim dixerint, ea esse communicata essentialiter, erunt Eutychiani, si dixerint, accidentaliter esse communicata, erunt Nestoriani.* (At nec essentialiter, nec accidentaliter ea carni communicata esse dicimus, sed personaliter.)

Lib. 3. de Eccles. cap. 11. scribit: *Lutheranos initiò Ecclesiam invisibilem fecisse, deinde tamen, cùm viderent absurda, quæ inde sequebantur, secreto consilio statuisse, ut Ecclesia visibilis diceretur.* (At nunquam negavimus, Ecclesiam diverso respectu esse visibilem & invisibilem, ut suo loco pleniùs declaratur.)

Lib. ejusdem. cap. 13. contra nos probare conatur, *Ecclesiam visibilem non posse deficere.* (Contrariam igitur sententiam nobis tribuit, quòd scilicet tota visibilis Ecclesia deficere possit. At nos non ita sentimus, sed certis distinctionibus in hac quæstione utimur. Particularem Ecclesiam hanc & illam deficere posse, dicimus, sed Ecclesiam absolutè & simpliciter loquendo deficere posse, negamus, quia Deus perpetuò ex genere humano sibi aliquam Ecclesiam colligit, si non ex hoc, tamen ex alio populo. Distinguimus etiam inter splendorem Ecclesiæ externum, quem deficere posse concedimus, & inter ipsam Ecclesiam & ornatum ejus internum, quem perpetuum illi esse asserimus.)

Lib. 4. de not. Eccles. cap. 9. hæresi. 13. *Vigilantius docuit, Ecclesiasticos debere esse uxoratos. Idem docent nunc Sectarii.* (Atqui nequaquam dicimus, Ecclesiasticos debere esse uxoratos, sed libertatem conjugii illis relinquendam esse dicimus, unde ipse Bellarmin. ad se rediens lib. de Cleric. cap. 19. nostram sententiam à Vigilantii errore manifestè distinguit.)

Lib. de Monach. cap. 9. *Lutherani docent, nullum esse consilium Evangelicum.* (At non ita sentimus, aliàs negaremus illud Apostolicum 1. Cor. 7. v. 25. *Consilium do.* Sed Papales, de consiliis Evangelicis, legi superadditis, & operibus supererogationis juxta eorum normam faciendis, errores repudiamus.)

Lib. 1 de beat. sanctor. cap. 1. tribuit nobis hanc sententiam, quòd *statuamus, sanctos in Domino mortuos nondum esse beatos.* (Contrarium quotidiè docemus ex Apoc. 14. v. 13.)

Lib. 2. de Sacram. cap. 2. *Lutherani semper in eadem sententia manent, quæ est, Sacramenta non habere immediatè ullam efficientiam respectu gratiæ, sed esse nuda signa, tamen mediatè aliquid efficere, quatenus videlicet excitant, vel alunt fidem, quæ homines justificat, quod tamen ipsum, id est, excitare fidem non faciunt, nisi repræsentando.* (At toto corde credimus & sincerè confitemur, Sacramenta esse efficacia organa & media, per quæ Deus offert, exhibet & credentibus applicat promissionem Evangelii propriam de remissione peccatorum, justitia & vita æterna, quam sententiã contra Calvinianos, nuda signa & sigilla ex Sacramentis facientes, totis viribus propugnamus.)

Lib. 1. de Baptismo cap. 18. nostram de fructu & efficacia Baptismi sententiam his omnino verbis recitat: *Lutherani docent, Baptismum non aliter justificare, nisi subjiciendo ante oculos promissionem, & eo modo excitando fidem, quæ sola justificat, inde colligunt, cum quis peccat post Baptismum, posse per memoriam Baptismi iterum redire ad gratiam ipsam Baptismi. Nam sicut ipse Baptismus subjicit ante oculos promissionem, ita etiam facit memoria & cogitatio Baptismi, proinde ipsa etiam memoria excitat fidem & eodem modo justificat.* Postea subjicit. *Hæc est ipsorum sententia, & certe satis delicata & mollis, ut ne Epicuro quidem meritò displicere queat.* (Atqui nos in lapsis seriam requirimus pœnitentiam, quæ veram contritionem & fidem complectitur, quod agnoscit ipse Bellarminus lib. 3. de justificatione cap. 6. quin imò lib. 2. de pœnit. cap. 10. Sophistico quodam argumento probare nititur, *nos talem requirere contritionem, quæ in hac vita sit impossibilis*; quomodo igitur peccatorum remissionem post Baptismum sola Baptismi memoriã fieri doceremus?)

Lib. 1. de pœnitent. cap. 9. *Novatianorum errorem de non recipiendis lapsis nobis tribuit.* (At errorem illum Ecclesiæ nostræ damnant.)

Lib. 2. de pœnit. cap. 4. Luthero tribuit, quòd *neget, contritionem*

tionem includere odium ac detestationem præteriti peccati. (Cujus contrarium vel centies in Lutheri scriptis occurrit.)

Lib. de gratia primi hominis cap. 1. scribit. *Lutherani, nulla dona supernaturalia in primo homine fuisse, contendunt.* (Injuriam nobis hac in re fieri, suo loco demonstratur. Gratiosa Spiritus S. inhabitatio fuit donum supernaturale, quod in primo homine fuisse agnoscimus.)

Lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 4. nobis tribuit, quòd *plurimi ex nostris non distinguant peccatum originis à peccato actuali.* (Contrarium testantur omnes libelli Catechetici & publica scripta, in quibus fidei articuli tractantur.)

Lib. 6. de gratia & lib. arbit. cap. 9. tribuit nobis hanc sententiam, quòd *voluntas nostra in bonis operibus pietatis sic agatur à Deo, ut non possit non agere, & quamvis ipsa quoque concurrat activè, eam tamen concurrere statuamus, ut merum insturmentum Dei naturale, non ut causam liberam & dominam sui actus.* (At voluntatem hominis per Spir. S. regenerati ac renovati, de qua necessariò hæc quæstio intelligenda, cum bona opera pietatis à voluntate nondum renovata proficisci nequeant, nequaquam sic à Deo agi dicimus, ut ipsa non agat vel non possit non agere, sed liberum cooperandi arbitrium in statu gratiæ post conversionem eidem disertè tribuimus.)

Lib. 4. de Justif. cap. 1. probare nititur, *nos negare operum necessitatem* (cùm tamen ipsemet lib. ejusd. cap. 3. nobis hanc sententiam tribuat, quòd *fidem, quam dicimus solam justificare, doceamus nunquam esse posse solam absque operibus.*

Lib 2. de bonis operib. c. 11. nobis tribuit, quòd *obstinatè contendamus, jejunium nihil ad impetrandum auxilium valere;* & in præfat. tom. 4. controvers. præfixa vocat nos *hostes jejuniorum;* (cùm tamen in eodem cap. fateatur, *doceri à nobis, jejunium esse utile ad carnis petulantiam coercendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis & pœnitentiæ.*)

6. Æquivocationes, h. e. artificiosa mendacia approbant. Illa verò prolixè recensentur in Antiphilippica contra Jacobum Sylvanum Ann. 608. edita. Dn. D. Meisnerus Ann. 623. Disputationem de Æquivocationibus Papisticis edidit, in qua ostendit, Jesuitas ejusmodi æquivocationes probare,

Primò *in judiciis.* Docent enim, quòd *iniquè, i. e. non secundùm ordinem juris interrogatus, licet sceleris reus sit, possit tamen non tantùm tacere, sed etiam prudenter judicem eludere per quasdam amphibologias, dicendo, nescio, nimirum ut dicam tibi, non memini, nempe ad dicendum &c.* Sotus lib. 5 de Just. & jure q. 6. art. 2. f. 163. Toletus lib. 4. de Instruct. Sacerd. cap. 21. p. 389. Lessius lib. 2. cap. 31. dubit. 3. n. 8. Valentianus tom. 3. Disp. 5. q. 13. punct. 2. col. 1350. Tractatus in Anglia de Æquivocationibus editus, cujus meminit Hospinianus lib. 4. Hist. Jesuit. cap. 2. f. 228. Concedunt, quòd *factum absolutè liceat negare,* Toletus lib. 5. cap. 58. n. 2. Valentianus d. l. Statuunt, *talem negationem quæstioni factæ directè oppositam non esse mendacium.* Azotius part. 3. Instit. moral. lib. 13. cap. 25. p. 1198. Valentianus d. l. col. 1531. Docent, *quòd reus non teneatur crimen fateri, si dubitet, num Judex juridicè interroget.* Sotus lib. 5. q. 6. artic. 2. Lessius lib. 2. cap. 31. dubit. 3. n. 10. Docent, *quòd reus & testis non teneantur ad mentem judicis respondere, si quærat de facto, quod absque lethali culpa perpetratum.* Lessius d. l. n. 14. Quidam insuper statuunt, *quòd etiam tum, quando reus juridicè interrogatur, non peccet mortaliter, si maximè neget veritatem coram Judice.* Lessius d. l. n. 16. *Dico quartò,* (inquit) *non est tamen improbabile, reum non peccare mortiferè, negando crimen, præsertim in causa capitali, quamdiu est spes evadendi, etiamsi juridicè interrogetur. Idem tenet Petrus Navarrra, Emanuel à Saa in verbo Reus, & quidam alii recentiores.* Toler. l. 4. Instruct. Sacerd. cap. 58. *Reum interrogatum in judicio & an fecerit, & an habuerit conscios & participes criminis, licitè, etiamsi fecerit, etiamsi conscios habuerit, non fecisse se, non habuisse participes, dicere posse, dummodò talia verba proferat juxta suam intentionem in sensu vero, puta, ut intendat dicere, Non feci, puta in carcere, & non habui complices, puta in aliis criminibus.*

Secundò *in causis matrimonialibus.* Toletus lib 4. Instr. Sacerd. cap. 21. n. 6. *Si vir ab uxore petat, an sit adultera, ista potest dicere, non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem. Similiter, qui cogitur jurare se accepturum aliquam in sponsam, potest jurare se accepturum intelligendo, si postea placuerit.*

Azotius lib. 5. Instit. cap. 15. concedit *de occulta adultera, si extrajudicialiter à viro rogetur, id procedere.*

Tertiò circa *quæstiones ad peregrinos factas,* si alibi pestis grassetur. Toletus d. loco.

Quartò circa *quæstiones temerarias,* ad quas respondere aliàs non tenemur. Toletus d. l. n. 7. Jacobus Sylvanus aliàs Keller in Philippica contra Anonymum Prædicantem p. 5.

Quintò circa *juramenta coacta.* Toletus lib. 4. cap. 22. ubi disputat, *posse hominem captum à latronibus æquivocè jurare, ratione coactionis, dicendo, Juro me daturum, & intra se, si mihi libuerit, & tunc non teneri, quia absolutè non juraverit se daturum.*

Sextò circa *juramenta* in iis casibus, ratione quorum *non tenemur* fateri veritatem. Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 6. n. 51. Toletus lib. 4. Instruct. Sacerd. cap. 21. n. 4. *aliquando licet uti æquivocatione & decipere audientem.*

Molanus lib. 4. cap. 8. *Si rebellis vel hæreticus promissum aut juramentum per arma extorqueat, æquivocè ei responderi potest, & aliud intendi, quàm intendat ille, cui juratur.*

Septimò circa *restitutionem famæ alicujus.* Lessius libr. 2. cap. 11. dubitat. 20. num. 110.

Octavò in causis quibusdam civilibus *mutuum* concernentibus. Azotius part. 3. Instit. lib. 13. cap. 25. p. 1199.

Nonò in *negotio Religionis.* Swertius in dissert. de fide hæretic. servanda sect. 9. pag. 36. *Principi seculari nulla ratione permissum est, hæreticis licentiam tribuere hæreses suas docendi, atque adeo contractus ille injustus & in Ecclesiæ præjudicium, nisi autoritate ejus, qui sacris præest, h. e. Papæ roboretur.* (Semper igitur in promissionibus & pactis ejusmodi per æquivocationem subintelligunt, quamdiu Papa approbat aut permittit.

Decimò in *promissione salvi conductus,* quam ita explicant, quòd nullum fidei Catholicæ vel Jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium ex eo generari, vel impedimentum præstari possit aut debeat. Singula membra in Disputatione modò allegata propriis Pontificiorum verbis confirmantur.

Alludere videtur ad has æquivocationes Maldonatus, quando ad c. 2. Joh. v. 19. sic annotat: *Solemus etiam nos iis, qui nos malo rogant animo, respondere sic, ut nec omnino nihil dicamus, nec nihil respondere posse, aut velle videamur, nec ita dicamus, ut intelligamur.*

Thomas Mortonus libr. 2. Apolog. Cathol. cap. 13. adducit verba Sacerdotum Wisbycensium in Epistola, quam ad Catholicum Generosum inscripserunt, in qua inter cætera sic loquuntur: *Ars est nostrorum Jesuitarum, ut in juramentis suis Magistratui illudant. Cùm à Magistratibus quæritur, Esne Sacerdos? tum Sacerdotis (dicunt) licebit respondere, Non sum talis, sed addita hac intentione intus in animo concepta, non ore prolata, qualem me esse cupitis, aut ut narrem tibi, aut aliquid simile.*

Andreas Eudæmon-Johannes in Apolog. pro Garnetto, Sacerdotem illum Anglicanum *pium ac literatum* virum vocat; *qui libellum de æquivocandi arte* antè à Blakwello ArchiPresbytero Angliæ & Provinciali Henrico Garnetto approbatum edidit, quomodo subditi Reginæ Angliæ inquirenti, *Num Papisticos ministros hospitio excepissent? num Romam peregrè abiissent? an non hunc vel illum vidissent? tutò respondere possint, retinendo apud se propositionem mentalem, Non vidi, id est, visione beatifica; non illinc veni, id est, ut hanc urbem peste inficerem.* Atque hujus disciplinæ Eudæmon Abrahamum, Patriarchas, Christum, Apostolos autores facit d. lib. pag. 30. & 44.

Angliæ etiam ArchiPresbyter tractatum illum de æquivocandi arte his verbis approbavit: *Tractatus iste valdè doctus & verè pius & Catholicus est. Certè sacrarum Scripturarum, Patrum, Doctorum, Scholasticorum, Canonistarum & optimarum rationum præsidiis plenissimè firmat æquitatem æquivocationis, ideoque dignissimus est, qui typis propagetur ad consolationem afflictorum Catholicorum, & omnium piorum instructionem.* Actio proditoria regni Angliæ in Garnettum & socios p. 35.

Juxta doctrinam illius Tractatus p. 34. *Christus & Apostoli autores sunt, ut liceat piè & religiosè asserere, perque salutem æternam protestari, imò liquidò jurare in illa, quæ certissimè cognoscimus esse falsissima.*

Juxta doctrinam illius Tractatus p. 89. 133. Christus & Apostoli autores fuerunt, ut Franciscus Treshamus conjurationis Hispanicæ adversus Regem Angliæ convictus, agonizans tamen juraret. *se Garnettum sedecim transactis annis ne vidisse quidem, cùm Garnettus ipse & Anna Vaulx uxor Treshami faterentur, eos superiori biennio sæpiùs multoties convenisse, hoc uno fretus æquivocandi beneficio se Garnettum Romæ, aut Venetiis ab eo tempore non vidisse.*

Jesuita Garnettus, cùm convictus esset de conjuratione tollendi Regem & regnum Angliæ per supposita Comitiis Regiis aliquot pulveris pyrii dolia, nihilominus coram summo & legitimo Magistratu pejeravit. Cùmque convictus esset, *se ex instituto Patris sui Loyolæ* (Reg. Societ. eorum, qui in

in Missionibus versantur §. 9.) *Missas fecisse & precationes fudisse* (*nempe*, *Gentem auferte perfidam Credentium de finibus*) pro felici Regis & regni in auras volatu, nihilominus socio suo Jesuitæ Hallo æquivocandi modum, quo facinus excusare vellet, aperuit, *Dicam*, inquit, *me meo animo, sensuque illud fecisse, quod severiores quasdam leges contra Catholicos ab eo tempore promulgandas subverterer. Atque hæc responsio commodissimè satisfaceret.* Act. proditoria pag. 101.

Cum Garnettus à Judicibus de hoc Colloquio cum Harto interrogaretur, id omnino negavit, tantis & tam horrendis execrationibus, ut circumstans testium nubes aures obturaret, fretus æquivocationis beneficio, *se non ea animo cum Hallo locutum, ut judicibus proderet.* Et producto ac fatente Hallo, cum Garnettus misericordiam imploraret, nihilominus subjunxit, *non teneri quempiam, etiam Magistratui interroganti, confiteri, antequam testes producantur* ibid. p. 107.

Idem Garnettus, de Natura æquivocationis quid sentiret, explicare jussus respondit apud Hospinianum lib. 4. Hist. Jesuit. cap. 2. p. 227. *Quoties de necessaria defensione agitur, deque injuria aliqua evitanda aut damno, aut de consequendo aliquo bono non parvi momenti, sine ullo cujusquam periculo, tum licita est æquivocatio.*

Didicere vero hanc æquivocandi, id est, mentiendi artem à Francisco, ut vult Navarrus in c. Humanæ aures 22. q. 5. *ubi doctrinam æquivocationis fundari dicit in illo insigni facto magni illius Patriarchæ Francisci; Hic interrogatus à lictoribus homicidam persequentibus, An illac, ubi Franciscus erat, transiisset? immissis manibus intra manicas respondit; hac non transiisse, subintelligendo tacitè contra communem intelligentiam, non transiisse per illas manicas.*

Didicerunt eam ab Ordinis sui autore Ignatio Loyola, cujus axioma, quo gregem suum instruxit, recitat Cornel. à Lapide in Act. 17. v. 2. *Ingredimini cum eo, quod illorum est, sed exite cum vestro:* quo significare voluerit, *Jesuitas hominibus secularibus se ad tempus accommodare debere.*

Didicerunt ab ipso Pontifice Romano. Nam Leo X. Baleonum, posthabito salvo conductu, quem ei dederat, ultimo supplicio affecit, quod factum ut excuset Menochius Consil. 100. n. 224. sic respondet: *Quod si Leo X. Pont. salvum conductum Baleono concessit, amphibologicè ita concessit, ut, quæ ejus fuerit mens, satis deprehendi non posset, sicut memoriæ proditum est à Guicciardino lib. 3. Histor.*

Atque hæc æquivocandi scientia tantopere Jesuitis probatur, ut ejus artifices *Martyres* proclamentur ab Eudæmon. Apol. cap. ult. Suarez Defens. fid. Cathol. lib. 6. cap. 11. num. 7. Cornelio à Lapide in Apocal. 7. v. 3.

7. *ἀνώνυμα* & *ψευδώνυμα* scripta in publicum edunt, ut liberius convicientur.

Franciscus Burchardus scripsit de Antonomia, sed Antonius Possevinus lib. 1. Biblioth. p. 125. testatur, *nomen esse supposititiū, ac verum libri autorem esse Andream Ernstenbergerum.*

Conradus Vetterus sub nomine M. Conradi Andreæ libros convitiis refertissimos scripsit, seque magni illius Theologi *D. Jacobi Andreæ* fratrem mentitus est.

Gratulatio Christophori ab Ungersdorff de Augustana Confessione ad Status Evangelicos in Austria autoris nomen mentitur.

Qui Disputationem primam Anti-Pistorianam Theologi meritissimi *Dn. D. Mentzeri* refutare conatus est, sive Pistorius, sive alius fuerit, nomen suum planè reticuit. *Jacobus Kellerus* sub fictitio nomine *Jacobi Sylvani* scripsit Philippicam in anonymum Prædicantem, quam quidam ipsius socius sub nomine *Conradi Andreæ, Jacobi Andreæ fratris* in linguam Germanicam convertit, sub tit. Scharffe Verweisung und Anklag 2c.

Petrus Matthæus in Historia pacis refert, Jesuitam Richeomum usum fuisse nomine *Florimundi Raimondi* Senatoris Burdigalensis in propugnando Papa.

Henricus Garnettus Jesuitarum Provincialis, ut ex impresso Processu Anglico apparet, vocavit se modò *Walleum*, modò *Darcum*, modò *Robertum Farner*, modò *Philippes*, unde Advocatus Regius in Processu dixit, *Garnettum Jesuitam esse virum multorum nominum, sed non boni nominis.*

Huc referri potest dictum Campiani in Concert. Eccles. Anglic. f. 3. *Sæpius muto nomina & vestes.* Itemque ejusdem dictum in Epistola ad Generalem Societatis ex Anglia scripta & Treviris excusa Ann. 1583. pag. 24. *Habitu dementissimo sum, quem sæpè commuto, itemque nomina.*

Creswell Jesuita in Respons. ad Edictum Elisabethæ Angliæ Reginæ ad præfat. num. 2. p. 6. *Sacerdotes Catholici ex Seminario Hispanico Vallisoleti emissi, Apostolico quidem more, sed habitu, prout opus erat, vario ac dissimulato Angliam fuerant subingressi & inscia Regina exploratorum manus præterlapsi ad opus jam perregni intima erant divisi.*

8. Religionem suam pro re nata cautè dissimulant.

Fridericus Staphylus ex Borussia discedens Concionatori cuidam Polonico dixit, *Ego per aliquos annos publicè professus sum Theologiam, sed hoc scio, neminem ex meis auditoribus posse pro certo affirmare, quæ mea sit in uno aliquo articulo sententia.* Refert D. Chemnicius in Theol. Jesuit. cap. 9. prop. 3. f. 71.

Campianus in Epist. ad Generalem Societatis ex Anglia scripta, & Treviris Ann. 83. typis evulgata p. 86. *Catholicorum conditio in Anglia gravissima. Animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio. Loquendum tibi est cum aliis, affirmandum juramento, quod cæteri affirmarunt, etiamsi animo longè aliter opineris, etiamsi conscientia plane contrarium senseris.*

(Sequuntur hac in parte non Christum & Apostolos, sed hæreticum Basilidem, qui referente Eusebio lib. 4. Hist. Eccles. cap. 7. ex Agrippa Castore docere non erubuit, *fidem persecutionis temporibus incunctanter etiam perjurio negandam.* Sane in libr. Recognitionum Clementis dissimulatæ fidei autores statuuntur Apostoli. Nam Gamaliel dicitur *remansisse inter Judæos ex eorum consilio*, & ut loquitur Autor, *dispensatione, eam ob causam, ut si quando iniquum aliquid adversum nos*, inquit Petrus, *aut impium molirentur, vel ipsos consilio reprimeret prudenter aptato, vel nos commoneret, ut aut curare, aut declinare possemus.* Eaque dissimulatione utens fingitur, disputasse adversus Apostolos publicè. Rursus lib. 10. cum Faustinum Simon immutasset imposito suo vultu, autor est illi Petrus, *ut abeat Antiochiam, seque Simonem mentiatur ad pœnitentiam conversum.* Atque inibi multa mentiens inducitur Petrus in Colloquio cum Anubione. Sed libri illi Recognitionum Clementis sunt supposititii, quod quidam ex ipsis Pontificiis fatentur, ut vidimus superius cap. 13.)

9. Dicta Lutheri mutando ac mutilando, in alienum planè sensum contra autoris mentem detorquent, ut ostendunt scripta *Fr. Naß. Vetteri, Pistorii, Sartorii, autoris libri Germanici*, Wer hat das Kalb ins Aug geschlagen/ & aliorum, fine duntaxat eo, ut Lutherum omnibus exosum reddant, ac una cum contemtu personæ etiam contemtum doctrinæ lectorum & auditorum animis instillent.

10. In religionis articulis obscuris & ambiguis loquendi formulis usi cum veritate se consentire simulant.

Andradius explicans decretum Concilii Tridentini de peccato originali memorat, *Patres Tridenti congregatos veram definitionem peccati originalis consultò omisisse, ut cuilibet liberum esset de eo, quid vellet opinari.* (Inde D. Chemnicius in Exam. Conc. Trid. part. 2. art. 2. p. 88. sic scribit: *Ego quidem, cùm primùm legerem Decretum Concilii Tridentini de peccato originis, arbitrabar in eo prophanam & Scripturæ ex professo repugnantem Piggii & Catharini sententiam, dissimulatis honoris gratia autorum nominibus, improbari & damnari. Ita enim verba Decreti intelligi posse manifestum est. Sed Andradius Concilii intimus prodit nobis, quæ fuerint deliberationes, cùm Decretum illud conderetur, consultò scilicet ita involutum fuisse, ut nihil vel in Scholasticis, vel in aliis Pontificiis scriptoribus, quantumvis profanum & falsum, improbaretur & damnaretur, sed ut liberrima relinqueretur licentia quidvis opinandi de peccato originis.*)

De Johanne Eccio testatur Dresserus millen. 6. part. 1. pag. 53. quòd in Colloquio Lipsiensi cum Luthero instituto affirmarit, *se utriusque partis causam tueri posse & velle, si præmium sibi propositum sciret. Aliud enim esse disputare, aliud cum populo agere.*

Sic gloriantur, *se ex sola Scriptura nobiscum velle disputare*, sed reconditum hunc habent sensum, *ex Scriptura juxta interpretationem Ecclesiæ*, id est, Pontificis intellecta, *ex Scriptura in vulgatam versionem translata; ex Scriptura in libris Apocryphis æquè ac Canonicis contenta; ex Scriptura, quatenus ad traditiones pari pietatis affectu amplexandas nos remittere creditur.*

Concedunt, *nos justificari sola fide*, sed reconditum habent hunc sensum, *sola fide Romano-Catholica, & per charitatem formata nos justificari justificatione prima.*

Concedunt, *Scripturam esse perfectam*, sed reconditum habent hunc sensum, quòd *sit perfecta in suo genere, ratione perfectionis debitæ, non quòd contineat omnia ad salutem necessaria, sed quòd monstret, unde illa sint petenda.*

Clichtovæus in Anti-Luth. lib. 1. cap. 14. *Sufficiens est Evangelium Christi ad bene beateq; vivendum, & præcepta quoque continet suffici-*

sufficientia ad salutem. Sed omnia particulatim ac peculiariter in eo non explicantur, quæ facienda nobis sunt, ut salutem consequamur.

Hosius lib. 3. de autorit. Script. p. 522. *Omnia continentur in scripturis, sed in genere, quia & hoc Scriptura inter alia docet, servandas esse traditiones & audiendam Ecclesiam.*

Concedunt, *solo Christi merito nos salvari*, sed reconditum habent hunc sensum, quod *salvemur Christi merito nostris operibus vim merendi conferente.*

II. Censent, Concilium posse phrasibus ambiguis doctrinam Catholicam comprehendere, ut illa per se maneat salva, videatur autem conformis doctrinæ Lutheranæ, qua ratione dissidia religionis componi possint.

Caspar Scioppius in Consultat. de componendo religionis dissidio. E. 1. *Si Concilii Patres se sapientib. & insipientib. debitores factos meminerint, inque declaranda Romanæ Ecclesiæ sententia ad infirmorũ & minus acriter intelligentiũ captũ sese conformarint &c.* Id declarat exemplo; *Verbi gratia*, inquit, *omnes Protestantes persuasum habent, nihil magis esse sacris literis consentaneum, quam ut dicatur homo solâ fide justitiam ac salutem consequi: quod, etsi falsum sit ac perspicuis Scripturæ verbis adversetur, certo tamen sensu, salva scripturæ & Ecclesiæ doctrina, eis concedi potest, & concessum permagni erit momenti ad voluntates eorum conciliandas Ecclesiæ, si nimirum fides ita distinguatur &c.* (At quid hoc aliud, quàm æquivocationibus incautos decipere?)

Sed has & similes in religione propaganda fraudes pugnare dicimus 1. cum præcepto divino, in quo falsum testimonium, mendacia, fraudes, calumniæ & convitia prohibentur 2. cum exemplo Dei sine fuco & dolis in religionis negotio nobiscum agentis. 3. cum exemplo Prophetarum & Apostolorum, qui à fraudulentis propagandæ religionis mediis consulto abstinuerunt 4. cum Natura veritatis, quæ non indiget mendacio & fraudibus, sed suis nixa viribus semetipsam sustentat & propagat, inque animos hominum efficaciter sese insinuat. 5. cum candore Christianos omnes, præsertim verò Ecclesiæ doctores, decente. 6. cum regula Apostolica Rom 3. v. 8. *non esse facienda mala, ut eveniant bona.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd, mendacia & fraudes esse in numero eorum, quæ per se mala sunt, agnoscunt, ex quo sponte sequitur, quòd in religionis propagatione ab illis penitùs abstinendum sit.

c. Omne. caus. 22. q. 2. *Omne genus mendacii summopere fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum, nec ut præstes, mentiri studeas. Cave mendacium in omnibus.*

c. Qui pejerare. caus. ead. q. 5. *Deus duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat, & tam ex parte recipientis, quam ex parte præstantis verborum artem aspernatur & odit.*

Thomas 2. 2. q. 69. art. 2. *Non licet reo vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur. Neque etiam aliquam fraudem vel dolum adhibere, quia fraus & dolus vim mendacii habent.*

Bonavent. lib. 3. sent. dist. 38. art. 1. q. 2. *Cum aliquid est malum ex malitia intentionis, tunc sive sit respectu Dei, sive respectu proximi, simpliciter malum est, & nullo fine potest bene fieri, quia dicit privationem debiti finis. Unde facere hoc malum esse bonum, nihil aliud est facere, quam simul esse aliquid bonum & malum. Tale autem est mendacium. Nam mendacium non solummodò dicit malum ex hoc, quod actus transit super materiam indebitam, sed etiam ex intentione indirecta. Et quemadmodum ad omne mendacium ista duo concurrunt, videlicet dicere falsum & intentio fallendi, & primum est malum in se & potest bene fieri ab eo, qui ignoranter dicit falsum. Ratione verò secundi est malum secundum se, & nullo fine potest bene fieri, nec circa ipsum potest dispensari.*

Ibidem. *Dicendum, quod absque dubio omne mendacium est peccatum, & adeo est ipsi mendacio essentiale, esse peccatum, ut nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione, nec humana nec divina possit fieri bene. Et hoc Augustinus dicit expresse & nititur multipliciter probare, & in hoc communiter concordant Doctores.*

Alfonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. tit. Mendacium. *De hac re unam solùm reperi hæresin, quæ docet, licitum esse mentiri pro vita hominis salvanda, aut pro magno beneficio homini impendendo. Nec solùm hoc, sed etiam humilitatis causa, ut videlicet virtutes suas mendacio contegat.*

Idem d. lib. tit. Inimicus. *Græcorum error est, quo asserunt, licitum esse, decipere inimicum, nec esse peccatum aliquod, si quis suo inimico damnum inferat, etiamsi ad hoc faciendum perjuriis, aut quovis mendacio juvetur.*

Prateolus lib. 7. hæres. 15. idem inter *Græcorum hæreses* numerat.

Sixtus Senensis libr. 5. annot. 89. & 107. rectè statuit, *mentiri alicujus commodi causa non licere.*

Maldonat. in Luc. cap. 24. n. 36. *Quisquis fingendo alium fallere conatur, etiamsi aliquid præterea significare velit, haud dubiè mentitur, alioqui nullum esset mendacium, quod ista ratione defendi non posset.*

Tannerus in AntiChristo proscripto præscr. 7. p. 142. *Sexta causa, qua probatur, Adversarios in probatione suæ accusationis succubuisse sumitur ex splendidis, apertissimuque mendaciis, (utique ad doli mali vitium spectantibus) quibus ipsi causam hanc suam hactenus sustinendam, fulciendamque existimarunt. Verum non est illud Sapientis Prov. 10. v. 4. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, adeoque frustra laborat, oleumque atque operam laborando perdit: imò cum accusationem ex mendaciis, quæ facilè redargui possunt, texit, seipsum suamque causam, non eum quem accusat, ferit ac perdit, ita ut in eum ex Ps. 26. v. 12. verè dicatur, mentita est iniquitas sibi; & quod à Daniele cap. 13. adversus utrumque calumniatorem senem pronunciatum fuit; rectè mentitus es in caput tuum; nec certius est victi accusatoris indicium, quàm cùm ad aperta omnibusque perspicua mendacia, calumniasque confugit.*

Becanus tom. 2. opusc. 1. cap. 6. th. 3. *Catholici docent, omne mendacium esse peccatum. Ratio est clara. Quia quicquid Deus prohibet & damnat, peccatum est. At prohibet & damnat omne mendacium,* Lev. 19. v. 11. Ps. 5 v. 7. Prov. 6. v. 16. cap. 13. v. 5. Sap. 1. v. 11. Eccles. 7. v. 14. Eph. 4. v. 25. Coloss. 3. v. 9.

Ibid. *Consentiunt Theologi, mendacium ex Natura sua peccatum esse. Nam mendacium Natura sua continet triplicem deformitatem seu malitiam rectæ rationi repugnantem, nempe abusum sermonis, deceptionem proximi, & violationem amicitiæ humanæ &c. Eleganter Augustinus tract. 42. in Joh. Quomodo Deus Pater genuit Filium Veritatem, sic Diabolus genuit quasi filium mendacium.*

Ib. *Quæstio est, an mendacium ita sit peccatum, ut in nullo casu licitum sit mentiri, ne tunc quidem, quando mentiendo nemini obesses & tamen alicui prodesses, vel ad conservandam vitam, pudicitiam, famam, sanitatem; vel ad grande aliquod malum evitandum? Antiqua hæc est quæstio. Et quidem Plato, Priscillianistæ, Origenes & Cassianus putarunt, id licitum esse. At contrà sentiunt omnes Theologi & Orthodoxi Patres &c. Rationem assignant hanc: Quæ intrinsecè & ex Natura sua mala & illicita sunt, nunquam bene & licitè fieri possunt, etiamsi ob bonum finem fiant. Sed mendacium intrinsecè & ex Natura sua malum est. Ergo mendacium nunquam bene & licitè fieri potest, ob quemcunq; finem fiat. Major patet, quia, quod intrinsecè & ex Natura sua malum est, hoc per nullam circumstantiam extrinsecam potest fieri bonum. Nam circumstantiæ extrinsecæ & accidentales non mutant Naturam & intrinsecam essentiam. Rectè Augustinus lib. contra mendac. cap. 7. Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat, sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt &c. Et ex eodem fundamento ostendit lib. ejusd. cap. 1. non licere mentiri, ut hæreticos convertamus, sic enim habet: Quomodo igitur mendacio mendacia potero prosequi? An & latrocinio latrocinia, & sacrilegio sacrilegia, & adulterio adulteria sunt prosequenda? Si autem veritas Dei in meo mendacio abundavit, nunquid & nos dicturi sumus, faciamus mala, ut veniant bona? quod vides, quemadmodum detestetur Apostolus. Quid enim est aliud, mentiamur, ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, nisi faciamus mala, ut veniant bona? Et infra cap. 7. Nam si propterea justa sunt mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti hæretici detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria.*

Idem in Appendice tract. de fide hæreticis servanda. p. 139. & seqq. tradit, Jesuitarum hanc esse doctrinam, *In omni congressu humano seclusa omni fictione & æquivocatione agendum esse, & malè fieri, si aliud mente reconditum, aliud verbo significes.*

Joh. Royas Hispan. Inquisitor in tractat. de hæretic. num. 76. ex Hieronymo allegat, *frequenter uti hæreticos verbis æquivocis & fictis; verbis simulare, corde negare, ideo lupos rapaces & vulpes rectè vocari.*

2. Quod convicia, calumnias & contumelias in dissertationibus de fidei articulis ipsimet improbant.

Maximilianus II. Imp. adversus Georgium Ederum Ann. 1573. tale decretum edidit: *Sacra Cæsarea Majestas Consiliario suo aulico Georgio Edero J. U. D. significari jussit, suam Majestatem in libro, quẽ suæ Majestati nuper offerri voluit, molestissimè & indignantissimè ferre nimiam ejus vehementiam, acerbitatem & immodestiam, injuriosaque verba in multos Imperii Status ac personas, inprimis antẽ Augustanæ Confessionis socios, quorum non modo religionem & confessionem, sed statum quoque, honorem & dignitatem gravissimè*

 læserit,

læserit, injuriaverit & condemnarit; cùm tamen & ipsi, & omnibus notum sit atque constet, quanto zelo, labore ac solicitudine, tam Majestatis suæ majores laudatissimi, quam ipsa etiam sua Majestas, tot jam annos in omnibus Imperii Comitiis ac congregationibus, semper intenti fuerint, ut, quod à communibus etiam Imperii Statibus in Pace religionis & alias salubriter accordatum & constitutum est, nemo alterum in honore, dignitate, statu, conscientia, aut alio quocunque modo taxet, molestet, offendat, lædat, calumnietur aut injuriet: id quod sua Majestas non modo in Imperio, sed Regnis quoque & Principatibus hereditariis summa ope hactenus nixa fuerit, ut diligenter & exactè observaretur. Quapropter sacræ Cæsar. Majestati liber ille à D. Edero editus summopere displicet & ingratissimus est, nec ea sibi persuadere poterat, tantam impudentiam, audaciam & immodestiam in eum cadere potuisse, qui tanto tempore suæ Majestatis in Aula Consiliarius extiterit: quippe cui præ cæteris cognitum & perspectum est, ne infimos quidem homines, nedum Majestat. suæ Consiliarios decere, contra Majest. suæ & sacri Imperii Constitutiones & Pacem religionis atque adeò suæ Majestatis in Imperio factam severam ordinationem, quidquam tale vel in ipsis suis hereditariis terris publicandum curare. Integrum Rescriptum extat tomo 3. Constit. Imperial. à Melchiore Goldasto editarum p. 575.)

Erasmus in Epistol. ad Petrum Barlerium. *Nuper exiit liber Thomæ Cardinalis Cajetani in totum abstinens à personis, à conviciis omnibus temperans, nudis argumentis & autorum testimoniis rem agens, non minore curâ, quam ingenio. Hujusmodi volebam vel sexcentos scribi adversus Lutherum, qui rem illustrant, non excitant tumultum. Nullus enim est, qui non cupiat doceri. Quod si diversa pars parum meminit modestiæ, nostrum tamen erat meminisse.*

Costerus in præfat. Enchirid. de moribus hæretic. pag 35. *Convitia, maledicta, cognomina, quibus nomen nostrorum urgere solent, surda velut aure sunt prætervehenda. Nam sicut, qui malam causam coram judice tuetur, cum rationibus & æquitate deficitur, clamoribus instat: ita hæreticus, cum veris ac solidis argumentis se vincere posse desperat, contumeliis certat, ut rem à legitima disputatione ad contentionem detorqueat. Tu vero dissimulatis omnibus verborum portentis, quasi cum homine phrenetico ac furioso negotium habeas, in solam miseri hominis salutem & conversionem animum intendas. Cogita, non hominem, sed Spiritum erroris, sed ipsum Dæmonem per os hominis ista maledicta evomere. Quare misereat te potius ejus, verbis utere adversus eum humanis & benevolis, tacitusque subinde Deum pro anima, Dæmonis laqueis æternorumque suppliciorum periculis irretita, precare. Quod si apud ipsum nihil proficies, saltem auditoribus infectis scrupulum aliquem ac dubitationem injicies. Sumus enim ita comparati, ut moveamur modestia, indignemur petulantia.*

Blasius de Viegas in cap. 11. Apoc. p. 453. *In Maldonato laudo eruditionem ac doctrinam, sed moderatiorem interdum in refellendis aliorum opinionibus censuram requiro.*

Becanus in præludio 1. Manualis, *Confusio pertinacium & superborum hæreticorum debet esse rationabilis, quæ non fiat per convitia & maledicta, sed per justam reprehensionem aut apertam victoriam.*

Part. 2. Theol. Scholast. tom. poster. tract. 1. p. 231. *Quando hæretici sunt pertinaces tum non tam pugnant firmitate argumentorum, quam contentione vocis & acerbitate verborum, ex qua potius pacis perturbatio quam unio & concordia sperari potest.* Idem repetit lib. 5. Manual. cap. 11. p. 461.

Laurentius Forerus Jes. in Charact. p. 272. *Possunt autem non parum hinc solatii capere Catholici & in sua fide corroborari, quando vident à vobis non afferri momentorum pondera, aut firmas rationes, sed meras falsimonias, injurias notorias & etiam vobismetipsis pugnantes criminationes.*

3. Quod fabulas pro religione confictas repudiandas esse docent.

Albertus Crantzius in Hist. *Operæ precium est, hoc in loco lacerare fabellam, cujus incidit mentio, per vera Historiæ ignorantiam confictam. Eam enim veritatis loco multi buccis inflatis magno ore sonant, jamque temporis diuturnitate conquisivisse autoritatem creditur & fidem. Volavit namque in parietes picturis commissa. Efferunt statuas de ligno excisas Benedicti, velut Martyris pro Christo cæsi, qui, ut ostendemus, in pace quievit, quod & annales & cælatura sepulchri testatur extantis. Multa sunt autem, quæ Catholicæ veritatis amatores invitant ac stimulant ad propulsandum ab Ecclesiis fabulosas narrationes, vel quod superstitiosas pariunt sinceræ fidei perturbationes, vel quod Zizania sunt, quæ inimicus homo cæteris dormientibus superseminavit, ut eorum falsitate detecta, illa quoque fabulosa putentur, quæ in petra firma consistunt; vel quod irrisionibus nos exponunt eorum, qui simplicitati fidelium illudunt, omnia fabulosa recipienti pro veris. Barbari, inquiunt, pro suo sensu, somnia pro rebus colunt. Danda est ergò opera, ut surfures à medulla tritici, paleæ separentur à granis, veritas segregetur à figmentis.*

Ludovicus Vives. *Fuere, qui magnæ pietatis loco ducerent, mendaciola pro religione confingere, quod & periculosum est, ne veris adimatur fides propter falsa; & minimè necessarium, quoniam pro pietate nostra tam multa sunt vera, ut falsa tanquam ignari milites & inutiles oneri sint magis, quam usui.*

Erasmus in argum. libr. Confession. Augustini. *Quid eos commemorem, qui fabulis vanis & miraculis fictis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes, quæ laudatus nec fecit unquam & probavit? Et arbitror fuisse, qui pium exstimarunt animum hujusmodi fucis ad religionis studium accendere. Ego semper execratus sum hoc Rabularum genus, qui non norunt veram pietatis imaginem depingere, sed mendaciis fallunt discipulos ejus, qui est veritas.*

4. Quòd antiquum hæreticorum artificium esse agnoscunt, fraudibus, æquivocationibus & dissimulationibus in negotio religionis uti.

Baron. Ann. 357. n. 6. *Ariani, quò se verè Catholicos demonstrarent, adversus divinam substantiam negantem Photinum agentes, videri ipsi voluerunt, esse ejusdem divinæ substantiæ in Filio assertores. Affectatam ab ipsis ejusmodi damnationem hæreticorum, quo se specietenus Catholicos exhiberent, novit ac scripsit quoque sanctus Gregorius Nazianzenus.*

Anno 369. num. 12. de iisdem Arianis ex Hilario. *Tribuunt Christo Dei nomen, quia hoc & hominibus sit tributum. Fatentur Dei verè Filium, quia Sacramento Baptismi verè Dei Filius unusquisque perficitur. Ante tempora & secula confitentur, quod de Angelis & Diabolo non est negandum. Ita Domino Christo sola illa tribuuntur, quæ sunt vel Angelorum propria, vel nostra. Cæterùm, quod Deo Christo legitimum & verum est, Christus Deus verus, id est, eadem esse Filii, quæ Patris divinitas, denegatur. Et hujus quidem usque adhuc impietatis occasio perficitur, ut jam sub Antichristi Sacerdotibus populus Christi non occidat (concidat) dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum, putant esse, quod dicitur. Audiunt Filium Dei, putant, in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora, putant, id ipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis sunt, quàm corda Sacerdotum. Si Deum verum Ariani prædicant, Christum Deum sine fraude confessi sunt. Quòd si Deum dicunt & negant verum, tribuunt nomen, adimunt veritatem. Hæc Hilarius sugillans Auxentium, cùm populum ipsum, tum etiã Imper. Valentinianum mentito Catholico nomine decipientẽ.*

n. 18. ex eod. Hilario. *Cùm placuisset scribi, Deum verum esse Christum, & unius cum Patre Divinitatis atque substantiæ esse, ponitur talis ab eo, ut à callidissimo Diabolo, sententia, quæ significaret, Christum ante omnia tempora natum verum Filium, ut secundum Arianos verum ad Filium, non ad Deum referretur. Et ut longè major differentia hujus significationis existeret, subjicitur, Ex vero Deo Patre, ut in Patre Dei veritas esset, in Christo veritas tantum Filii scriberetur. Dehinc procedente sermone una ab Auxentio divinitas prædicatur, & in ea non confitetur & Filium, ut in solo Patre, non etiam in Filio esset una sola divinitas. Hæc Hilarius, probè noscens omnia improborum Arianorum diverticula & subdolas captiones. Sed tamen proh dolor! prævaluit error, etenim Auxentius acclamatus est Catholicus, Hilarius verò habitus calumniator & discordiarũ autor &c.*

5. Quòd agnoscunt, antiquum hæreticorum esse, orthodoxos & hæreticos in unum corpus redigere & illis horum errores atque impietates tribuere.

Baronius Anno 150. n. 4. *Vehemens ore omnium dissipata est in Christianos calumnia, eos in sacris necare solitos puerum, illiusque carnibus vesci, extinctisque luminibus promiscuè turpiterque misceri. Quæ enim, ut dictum est superius, agerentur à Gnosticis, qui & Christiano nomine consebantur, ea omnia Catholicis atque innocentissimæ vitæ Christianis crimini vertebantur potiùs, quàm illis.*

Anno 167. n. 4. *Illud planè videtur fuisse consilium pravi Dæmonis, inserendi in urbem Gnosticos hæreticos, ut non tantum, si posset, impiis dogmatibus fideles seduceret, sed & suis ipsorum turpissimis atque nefandissimis actionibus, quas titulo Christianitatis patrarent, cæteris fidelibus illic agentibus, ac purè sanctèque viventibus, summa infamiæ notas inureret. In Catholicos enim omnia ab ipsis commissa scelera redundabant. Nam cùm Gnostici, ut dictum est, pro arbitrio colere idola & cuncta facere, quæ Ethnici vellent, parati essent, ac proinde inter eos æquè ut gentiles ipsi haberentur; iis, qui firmiter atq; constanter se Christianos profiterentur, omnia illa turpia ac pudenda de promiscuo concubitu & cœnis Thyesteis, quæ Gnostici perpetrarant, crimini vertebantur.*

APPENDIX

Libri primi generalis, Adversariorum querelas, calumnias & assertiones erroneas, falsas & absurdas complectens.

1. QUerela.

Conqueruntur Pontificii falso sibi tribui 1. quod *libidinibus fomentum præbeant.*

Resp. variis modis hoc faciunt, utpote 1. quando docent, Sacerdotes minus peccare, si scortentur, quam si matrimonium contrahant. Costerus in Enchir. cap. 17. propos. 9. pag. 528. *Sacerdos, si fornicetur aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat, si matrimonium contrahat.* Idem ante Costerum docuit Hosius. Gretserus in Hist. Ord. Jesuit. p. 115. aliquot argumentis idipsum confirmare nititur.

2. Quando Sodomiam commendant. Johannes della Casa Archiepiscopus Beneventanus, Papalis Cameræ Decanus. Anno 1550. Venetiis librum de laudibus Sodomiæ edidit, in quo, *Sodomiam,* scribit, esse *artem singularem, esse opus bonum, imò esse opus divinum, seque hoc propria experientia compertum habere & non alia magis Venere delectari.* Refert Carolus Molinæus in orat. habitâ Tubingæ Ann. 1554. quæ annexa est libello Flacii, cui titulus, Refutatio invectivæ Bruni contra Centur. Hist. Eccles. *Confer Sleidanum lib. 21.*

3. Quando scortationem pro levi peccato æstimant. Æneas Sylvius, postea Pius 2. Pont. in Epist. 15. ad suum parentem: *Ais dolere te meum crimen, quod ex peccato genuerim filium. Nescio, quam de me tibi finxeris opinionem. Certe nec lapideum, nec ferreum genuisti filium, cum esses tu carneus. Scis, qualis tu gallus fueris. At nec ego castratus sum, neq; ex frigidorum numero. Nec sum hypocrita, ut videri bonus, quam esse malim. Fateor ingenuè meum erratum, quia nec sanctior sum Davide Rege, nec Salomone sapientior. Antiquum & vetus est hoc delictum, nec scio, quis eo careat. Latè patet hæc pestis, (si pestis est naturalibus uti) quanquam non video, cùm Natura, quæ nihil perperam operatur, omnibus ingenuerit animantib. hunc appetitum, ut genus continuaretur humanum.*

4. Quando concubinatum Sacerdotum tolerant. Hermannus Ried de Reen in tract. de vita & honestate Clericorum circa Annum 1467. *Utinam Clerici moderni justi coram hominibus saltem apparerent, ne homines in eis scandalizarentur! Sed aliter est negotium, quoniam minus verecundantur Laicis, gloriantes de malitia sua & malè actis. Quot publicos fornicatus sive fornicarios videmus? imò, quod pejus est, tales & hujusmodi sic vivere permittuntur publicè ab eorum Prælatis, solum, quod omni anno porrigant certam quotam pecuniarum Officialibus eorum. Quid fœdius posset audiri? taceo nunc videri; neque hoc celari potest, cum publicum est & omnibus constat.*

Claudius Espensæus in comm. capit. 1. ad Titum. *Turpissimum est, quod Officiales permittunt, Clericos cum concubinis, meretricibus & pellicibus cohabitare, ac liberos procreare sinunt, accepto ab iis certo quotannis censu atq; adeo alibi à continentibus, nam habeant, ajunt, si velint.*

Erasmus in cap. 19. Matth. *Scortari licet, uxorem ducere non licet. Si profitentur concubinam, sunt Catholici Sacerdotes; sin uxorem, in ignem conjiciuntur.*

Cardinalis Campegius referente Sleidano lib. 4. comm. ad Legatos Argentinenses dicebat, *scire se, Episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem Sacerdotibus permittant.*

5. Quando adulteria numerant inter minora crimina. Alexander 3. cap. At si Clerici, extra, de judiciis. *Si Clerici coram Episcopis de criminibus in jure confessi sunt, seu legitima probatione convicti, dummodo sint talia crimina, propter quæ suspendi debeant vel deponi, non immeritò suspendendi sunt ab Ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuo removendi. De adulteriis verò & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum suis Clericis post peractam pœnitentiam dispensare.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 64. *Mitto tolerantiæ commentum, quo, certâ pecuniâ Episcopo solutâ, absentis mariti uxor præter adulterii offensam alteri cohabitare permittitur. Confer Taxam pœnitentiariam.*

6. Quando lupanaria publicè erigunt & censum annuum à meretricibus accipiunt. Cornel. Agrippa de vanit. scient cap. 64. *Romana scorta in singulas hebdomadas Julium* (nummi genus) *Pontifici pendent &c. Recentioribus temporibus Sixtus IV. Pontifex nobile admodum lupanar Romæ extruxit.*

Martinus Azpilcueta in Manuali cap. 17. *Licet potestati publicæ meretrices in aliqua parte civitatis permittere &c. Alicubi constituuntur eis Patroni, & domus eis locantur carius, quam honestis locarentur. Et in hac urbe Roma, sciente & patiente Papa, locātur & semper consueverūt locari domus meretricibus; & Confessarii absolvunt & semper absolverunt locatores eorū sine proposito abstinendi à tali locatione.*

Maximilianus Sandæus in Castigat. lib. de prodig. Jesuit. liberal. p. 277. scribit, *meretricum genus, quæstumq; meretricium permitti posse. Nam si metrices,* inquit, *ab hominum cœtibus alicubi ablegarentur, eodem tempore in illas civitates stupra, incestus, adulteria, sacrilegia, aliaque innumera flagitia infunderentur.* (Sed huic præpposteræ cautelæ Cornelius Agrippa d. l. meritò hoc opponit, quod *Israëlitarum Resp. per multa secula absq; meretricibus continentissimè durarit.*)

2. Quod *Pontifices quidam fuerint Epicuræi, qui Evangelium habuerint pro fabula, qui animarum immortalitatem negaverint.* Adamus Conzen lib. 1. Polit. cap. 23. §. 21.

Resp. 1. Franciscus Petrarcha, qui diu in aula Papæ vixit, in Epist. lib. ult. Epist. 20. ait: *In Babylone Papali, regno avaritiæ, futuræ vitæ spes, inanis quædam fabula. Et quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia. Et resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad judicium venturus inter nænias habentur.*

2. De Johanne 23. demonstravimus superius part. 2. cap. 2. quod immortalitatem animæ & vitam æternam negaverit.

3. Panormitanus scribit, multos Pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum, vel vitam æternam credere.

4. Notum est Leonis X. dicterium ad Bembum Cardinalem, quod confirmant impii mores hujus Pontificis à Guicciardino & aliis descripti: *Quantum nobis profuit fabula de Christo!*

5. Paulus III. Pontifex moriturus dixisse fertur, *se jam experturum veritatem trium quæstionum, de quibus in tota vita dubitasset, an animæ sint immortales, an infernus sit, an sit Deus.*

3. Quod Judæis blasphemias contra Christum Salvatorem permittant. Compositio pacis §. 167. pag. 643. a. *Falsissimum est, quod Judæis permissum sit, ut blasphemias & maledicta in Jesum Christum jaciant.*

Resp. 1. Pontifex permittit Judæis Synagogas veteres reparare, in quibus probè novit Christum à Judæis blasphemiis proscindi cap. Judæi 3. lib. 2. Decretalium tit. 6. de Judæis. *Sine inquietudine veteres Synagogas habere permittimus.* capit. Consuluit 7. ibid. *Si antiquæ Synagogæ corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reædificent potest æquanimiter tolerari, qui utique hoc pro magno habere debent, quod in veterib. Synagogis & suis observantiis tolerantur.* Quin & novas Synagogas erigendi licentiam Taxâ publicâ concessit. *Ut Ebræus possit habere Synagogam in domo propria taxatur,* Tur. 30. Duc. 7. Carl. 6. *Pro licentia erigendi de novo publicam Synagogam, taxa est* Tur. 60. Duc. 15. Quid autem aliud Judæorum hodiernorum Synagoga, quã blasphemiarum in Christum officina? Hic ergò obtinet vulgatum illud, Qui *vult antecedens, vult etiam consequens.*

2. Innocentius tertius, insistens, ut ipse ait, prædecessorum vestigiis, publico diplomate blasphemos Judæos sub protectionis suæ clypeum recepit, quod diploma recitat Abrah. Bzovius ann. 1200. n. 13. in Annal. Eccl. Idem Bzovius ad annum 1234. n. 4. sic annotat: *Gregorius* (Pont. Rom.) *eodem anno Regem Galliarum, ut Judæos juxta legem suam vivere permitterent Christiani, admonuit.* Inde Tannerus in Antichrist. proscr. p. 96. sic disserit: *Ex justa causa Romanus Pontifex, aliiq; nonnulli Christiani & Catholici Principes, non obstante illa impietate & perfidia, Judæos in suis ditionibus tolerant.* Notæ vero ipsis probè sunt Judæorum contra Christum blasphemiæ, ut constat ex cap. Etsi judæi 13. l. 5. Decret. tit. 6.

3. Hanc permissionem suam allatis quibusdam causis excusant. Tanner. d. l. p. 96. ex Thoma Aquinate duas affert causas, Prior est *testimonium fidei,* quando Judæi ritus observant, in quib. olim præfigurabatur veritas. Posterior est, *sperata Judæorum ad fidem conversio.* Man. Becani l. 5. c. 18. §. 2. addit tertiam, quæ vel unica vel potissima apud Pontificios, *ut Principes vel Magistratus Christiani* (in quib. Papa non postremus) *sub prætextu permissionis possint accipere pecunias & alia munera à Judæis, quibus permittunt exercitium.*

4. Nulla pœnâ blasphemantes Judæos coërcent.

5. Neq; illos ceu blasphemos accusant.

6. Neque Magistratui supplicant, ut Judæorum blasphemia coërceatur. Dn. D. Hunnius in Innoc. Luther. pag 301. & seqq.

4. Jesuitæ conqueruntur, falso sibi tribui, quod sint turbatores pacis & flabella seditionum. Förerus in Epithem. contra Pupillam Saxon. cap. 6. falso 6.

Resp. 1. Judicium ejusmodi de Jesuitis tulit Parlamentum & Sorbona Paris. Ann. enim 1550. cum Jesuitæ suppliciter à Parlamento contendissent, ut & in regno Galliæ tolerarentur, & Societas hæc sub specie tam religiosi Ordinis toleraretur, à Gallis repulsam tulerunt; post quatuor annos iterum supplicarunt, & cum diploma Pontificium in Curia lectum fuisset, Parlamentum Sorbonæ judicium requisivit, quod tale erat: *Societatem hanc dominos tam temporales, quam Ecclesiasticos suis juribus injustè privare, perturbationem in utraq; politia &c. rebelliones, variaque schismata inducere: hanc societatem videri in negotio fidei periculosam, pacis Ecclesiasticæ perturbativam, Monasticæ religionis eversivam & magis ad destructionem, quàm ad ædificationem.* Vid. Judicium Sorbonæ Paris. Ann. 1554. 1. Dec. datum de duab. Bullis Pauli 3. & Julii 3. Jesuitico Ordini concessis in Catech. Jesuit. l. 1. c. 3. Ann. 1594. Johannes Castellius 18. annorum adolescens, Collegii Jesuitarum, cui nomen Claremontium, Lutetiæ alumnus, Regem Henr. IV. è medio tollere voluit. Criminali igitur sententia Castellio ad mortem damnato à Parlamento decernitur simul eadem sententia, *ut omnes Sacerdotes Clarmontii Collegii & omnes Jesuiticæ Societati addicti, tanquam corruptores juventutis, perturbatores publicæ tanquillitatis, inimici Regis ac Regni, intra tres dies post promulgationem edicti, Lutetiâ & aliis urbibus atq; locis ubi sua habeant Collegia, discedant & intra quindecim subsequentes dies toto regno exeant.* Vide acta & sententiam Parlam. Paris. in Memorab. Lig. tom. 6. p. 268. 269. & alteram ejusdem sententiam p. 545. impressam Parisiis An. 601. per Johan Clericum; Jac. Aug. Thuan. l. 2. Hist. sub ann. 94. Id Thuan. part. 2. sub an. 1594. p. 1251. testatur, *Jesuitas in Gallia pro præcipuis seditionum autoribus fuisse habitos.*

2. Jesuitæ de justa Henrici 3. abdicat. lib 4. cap. 23. p. 449. de seipsis sic loquuntur: *Dum scribimus, dum in concione, Concilio, militia opus maturamus.*

3. Communiter omnes docent, quemlibet Regem hæreticum esse Tyrannum, ac proinde quovis modo post excommunicationem Papalem è medio tolli posse. Inde de Joh. Castello Regicida Assessores Parlamenti Parisiensis sic loquuntur: *Perniciosissimæ factionis hæresi pestifera imbutus, quæ nuper abominandis sceleribus pietatis nomen ostendens, unctos Domini occidere populariter docuit.*

4. De Johanne Guignardo Jesuita memorat Jacob. Augustus Thuanus lib. 3 Histor. Germ. p. 282. quod apud ipsum inventi libelli famosi complures contra Regem Henricum tertium scripti, quorum unus hæc inter cætera habuit: Es were in der S. Bartholomeischen Auffruhr zu Pariß versehen worden, daß das Blut aus der vornembsten Ader nicht were gelassen worden.

5. Antonius Arnoldus in oratione, nomine totius Universitatis Parisiensis contra Jesuitas habita, itidem Jesuitas *seditionis* accusat.

6. Johannes Passeratius Professor Regius Parisiensis in declamatione, in Schola Cameracensi habita, eandem laudem Jesuitis tribuit, apud Thuanum p. 1260.

7. Jacob. Augustus Thuanus in Elegia, quæ incipit, *Hesperiæ fuscis gens emissaria ab oris, Fucum affectata quæ pietate tegit &c.* eandem materiam tractat, inter cætera sic canit: *Atq; utinam nunquam tibi crux dux Lojola Sectæ Icisset lavâ missa sagitta manu &c. Nempe tua à bello cunctorum fonte malorum Secta sata est, bellum hinc nunc & adulta serit.*

5. Quod *præter seditionis accusationem varia ἐγκλήματα falsissimè ipsis intententur.* Resp. nihil quidquam illis tribuimus, cujus non ab aliis Pontificiis, fidei suæ socius, rei peraguntur.

Sorbona Parisiensis in Censura de Diplomatibus & privilegiis à Paulo III. & Julio III. Pontificibus Jesuitarum Ordini concessis An. 1554 judicium tulit, in quo inter cætera Theol. Sorb. sic loquuntu. *Hæc nova Societas insolitam nominis Jesu appellationem sibi vendians, tam licenter & sine delectu quaslibet personas, quantumlibet facinorosas, illegitimas, & infames admittens, nullam à Sacerdotibus secularibus habens differentiam in habitu exteriore, in tonsura, in horis Canonicis privatim dicendis, aut publicè in templo decantandis, in claustris & silentio, in delectu ciborum & dierum, in jejuniis & aliis variis Ceremoniis, quibus Status Religionum distinguuntur & conservantur, tam multis, tamq; variis privilegiis, indultis & libertatibus donata, præsertim in administratione Sacramenti Pænitentiæ & Eucharistiæ, idq; sine discrimine locorum aut personarum, in officio etiam prædicandi, legendi & docendi, in præjudicium Ordinariorum & Hierarchici ordinis, in præjudicium quoq; aliarum Religionum, imò etiam Principum & Dominorum temporalium, contra privilegia Universitatum, deniq; in magnum populi gravamen, religionis Monasticæ honestatem violare videtur, studiosum, pium & necessarium virtutum, abstinentiarum & austeritatis enervat exercitium, imò occasionem dat liberè apostatandi ab aliis Religionibus, debitam Ordinariis subjectionem & obœdientiam subtrahit, Dominos tam temporales, quam Ecclesiasticos suis juribus injustè privat, perturbationem in utraq; politia, multas in populo querelas, multas lites, dissidia, contentiones, æmulationes, rebelliones, variaq; schismata inducit. Itaq; his omnibus atq; aliis diligenter examinatis & perpensis hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesiæ perturbativa, Monasticæ Religionis eversiva, & magis ad destructionem, quam ad ædificationem.*

Deliberatio Scriptoris cujusdam Pontificii αὐτοπύου de compescend. Jesuitarum conat. ex Polonico sermone in Latinum translata, & in publicum edita Ann. 609. tribuit Jesuitis,

1. Avaritiam.

Jesuitæ, inquit, *vulgaria illa munuscula, quæ in Religiosos erogari consueverunt, non curant, nec ea capiunt, quod hoc eis sordidum & reliquo Ordinis splendori minus conveniens videatur &c. Novi ego simulationem hanc aliquando eò usq; processisse, ut oblatum 50. aureorum Ungaricorum precium repudiarint. Hominum vero opulentorum Testamentaria Legata, & cum his integra prædia adeò non fastidiunt, ut potius exquisitissimo artificio illa aucupentur, ut Polonia in hac etiam publica morum corruptione vix quidquam simile experta sit.*

Ibid. lit. F. 2. fac. b. *Apud Jesuitas profundæ avaritiæ tàm dira lues, & circumveniendarum Nobilium fœminarum, viduarumq; & orphanorum decipiendorum, tàm callidum artificium deprehenditur, ut hoc ipsum prudentioribus in hom[illegible]ibus tàm religiosis summæ admirationi fuerit.*

2. Perfidiam.

Nulla, inquit lit. G. *hodie Europæ Christianæ natio est, quæ non de Jesuitarum perfidia, aut saltem perfidiæ suggestione & excusatione conqueratur. si unam Hispaniam excipias, quamvis etiam sint, qui de Hispania affirment, hanc pulliciei Jesuiticæ genuinam matrem horum suorum pullorum improbitatem agnoscere cœpisse, eandemq; publicè detestari.* (De eadem Jesuitarum perfidia Orator Gallus ad Curiam Parla. Paris. An. 612. sic loquitur: *Primus hujus Ordinis fundator Ignatius Loyola proditor fuit adversus avum Regis Navarreni. Non igitur mirum, si hic pater tot perfidos filios genuit.*)

3. Sanguinariam crudelitatem.

Autor Deliberationis prædictæ E. 3. *Pacem Religionis ita traducunt, ut eam Tartaricam & Mahometicam perfidiam nuncupent, quam Regia Majestas citra æternæ salutis suæ jacturam nec approbare possit, nedum ut eandem tueri debeat.*

Lit. F. 1. *Cum Catholicorum nonnulli in regno Scotiæ Conjurationis cujusdam, quæ contra Regem ibidem à P. Cruchtonio Jesuita in Hispania instituta erat, tabulas hinc inde inter Romanæ professionis homines clanculum circumferrent, quibus illi subscribere debebant, recondita ex primaria Scotiæ Nobilitate complures, qui hactenus ceu columnæ religionis Romano-Catholicæ in prædicto regno fuerant, extremum vitæ fortunarumq; omnium discrimen adierunt. Sed & reliqui Catholici omnes cum ipsa religione, cui Rex antehac non admodum adversari videbatur, in justissimum Regis odium incurrerunt, ea ratione, ut in hunc usq; diem miseri illius facinoris Jesuitici pœnas luere coguntur.* (Anno 614. 22. Junii Senatus Parisiensis per carnificem publicè exuri curavit librum Franc. Soares Jes. cujus titulus, *Defensio fidei Catholicæ adv. Sectæ Anglicanæ errores, in quo docet, Reges & Principes, qui aliam, quam Romanam colerent religionem, non solùm ab externo, verùm etiam à proprio subdito impunè perimi posse.*)

Paulus Laymannus Jesuita in Justa Defensione contra quosdam, à seipsis delectos, Judices conqueritur Proœm. n. 42. in libellis publicè editis Jesuitas à Patronis reliquorum Ordinum Pontificiis accusatos esse, quod *insatiabili rerum cupiditate æstuent, alienis bonis inhient, in salute animarum procuranda parum feliciter versentur.*

In Synopsi errorum & calumniarum tit. 1. num. 2. quod *vox quidem Jacob, manus verò Esau, hoc est, quod aliter doceant, aliter vivant.*

Tit. 2 n. 4. quod *Jesuitæ sint quinta rota currus.*

Num. 5. quod *ab antiquis Ordinibus animæ felicius, quam à Societate curentur.*

N.13. quod *non sit nova querela, Patres Societatis prætextu Pontificiæ potestatis suam meditari potentiam.*

Tit. 4. n. 7. quod *Jesuitæ specie Confessariorum omnia regere gestiant, putentq; respectu potestatis Papalis plenitudinis omnia vetera uno impetu confundere.*

Tit. 5. n. 4. quod *Jesuitæ non videantur à Deo peculiariter missi ad hæreses debellandas, quia nisi mandata & coactio aliqua hæreticis populis adhibeantur, eos ab hæresi non abducant, contra quàm olim Apostolis usitatum fuerit.*

Tit. 7. n. 6. quod *Patribus Societatis minor de oratione & choro sit cura.*

N. 9. quod *Societas Jesuitica post expugnatos Ordines, etiam ipsos Canonicos & Episcopos ad majorem Dei gloriam sit aggressura, locoq; motura.*

Anatomia Societatis Jesuiticæ Anno 633. edita, cujus Autor est Pontificius, tribuit Jesuitis

1. Degenerationem à pristina integritate & puritate, quá probat ex ipsis Jesuiticis Scriptoribus.

Claudius Aquaviva Generalis Præpositus Societatis scripsit Industrias de curandis Societatis morbis, qui liber editus est Romæ Ann. 1616. cujus cap. 15. pag. 97. hæc habentur verba: *Secularitas & Aulicismus insinuans in familiaritates & gratiam externorum, morbus est in Societate intra & extra periculosus; & istis, qui eum patiuntur, & Nobis* (Superioribus) *fere nescientibus paulatim subintrat, specie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad divinum obsequium hujusmodi homines Societati, juvandi proximos; sed revera quærimus interdum nos ipsos & paulatim ad secularia deflectimus.*

Idem in sua Instructione pro Superiorib. Societatis ad augendum in Societate Spiritum, qui liber Romæ eodem Anno prodiit cap. 1. pag. 11. sic scribit: *Est & alia malorum radix longè periculosissima, eoq; periculosior, quo minus vulgò noxia censeri solet, rerum scil. externarum occupatio;* (secularitas & πολυπραγμοσύνη) *in quam Superiores utplurimum & variis nominibus supra modum effundi solent. Sunt enim, qui Naturæ quadam propensione ad distractiones* (ad secularium negotiorum nihil ad se pertinentium curam) *proni, non solùm oblatas occasiones cupidè arripiunt, ut operam suam impendant, sed eas ipsimet ultrò quærunt & nasci quodammodo ac succrescere faciunt. Alii* (Superiorum) *per speciem proximos lucrifaciendi multis sese Visitationibus implicant, iisq; non modò non necessariis, sed parum etiam utilibus, atq; in his ita versantur, ut à secularium moribus parum abscedant.*

Idem in eod. libro cap. 5. p. 38. inculcat Jesuitis exemplum Petri, qui, *quamvis esset Princeps Apostolorum, postquam tamen cum aulicis ad ignem sedit & calefecit se, ter Christum negavit.*

Propter negandi Christi periculum secundæ Congregationis generalis Canon Jesuitas aulis omnibus exesse sic jubet: *Nec Principibus nec Dominis aliis Secularibus aut Ecclesiasticis assignari debet aliquis ex nostris Religiosis, qui aulas eorum sequatur, & in eis habitet ut Confessarius aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur, nisi fortè ad perbreve tempus unius vel duorum mensium.* (At ab his in diversum hodie est itum.)

Eadem Anatom. Societat. Jesuit. pag. 30. *Nuper admodum Romæ Pontifex & Cardinales, Antistites ac Theologi re in Conventu seu Congregatione propagandæ fidei diu multumq; considerata sic tandem decreverunt; Societatem Jesu à conatu suo Academiam Pragensem, omnesq; universi regni Bohemici Scholas, Magistros, Pædagogos, Discipulos, Bibliopolas & Typographos sub jus & ditionem suam redigendi, & Inquisitionem hæreticæ pravitatis cum Censura librorum imprimendorum sibi vendicandi debere desistere, nec Christianissimi & optimi Cæsaris favore ac suffragatione eam ad rem Pontifici extorquendam, velut per septem annos jam tentarunt, porrò quoq; abuti. Disciplinam enim Societatis Scholasticam, ac juventutis docendæ rationem menti & voluntati Congregationis illius nequaquam respondere, per eamq; fidei Catholicæ propagationem potius præpediri ac sufflaminari, quam adjuvari ac promoveri.* (Cum tamen ad fidei Catholicæ propagationem hic Ordo primitus fuerit institutus.)

Videatur Marianæ liber de moribus Societatis, in quo multa recenset, quæ justam reprehensionem in Societate merentur & reformationem desiderant.

Alphonsus Rodericius Jes. Exercitii Perfectionis part. 2. tract. 3. cap. 4. de humilitate: *Ignatius, primus Ordinis nostri parens, non in verborum cultu, sed in ostensione Spiritus ac virtutis momentum rei collocabat. Hic equidem nescio ego, an ista cordis flamma adhuc in filiorum pectoribus exæstuet, an verò contra potius facti degeneres, Institutionis nostræ caput sit humana prudentia, literæ, doctrina ostentatio, uno verbo robur brachii nostri, intelligentiaq; naturalis & eloquentia, quibus dum nos vanissimè jactamus, ridet ex alto Deus, q. sic nos nos alloquens: Benè habet jactabunde, faciam ego. ut dum tu calamistratis illis fucatisq; eloquentiæ styliq; verbis incesseris, elatus, tumidus, typho superbiæ velut quadrigis invectus, nihil proficias, impleaturq; in te, ac tui similibus, quod Oseas olim Propheta dixit: Da eis Domine quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia: q. d. Efficiam te matrem sterilem, matrem inquam solo ac nudo nomine. Audies quidem Concionator, audies spiritualis Pater, sed filios non habebis, nihil bonæ frugis produces. Nimirum hic arrogantiæ tuæ partus est, furtiq;, quod in vindicandis tibi donis bonisque Dei commisisti. Intumescens in donis gratiæ, ut quòd sanctus sit, quod fructum in animis mortalium faciat, ille demum infamis latro seu fur est, diviniq; honoris ac gloriæ turpissimus depeculator. Hæ enim Dei sunt gemmæ, quæ tanto constitere, ut eas sempiternus Dei Filius pretio sanguinis sui debuerit mercari. Quantò plus nobis arrogamus, tantò plus Deo suffuramur. Ex qua insolentissima arrogatione illud sequitur, ut nihil penitus solidi fructus referamus, quod utinam interdum non plus æquo experiremur!* (Libros hos plus octies Jesuitæ prelo subjecerunt, & Latinè conversos publicarunt.)

Actio Perduell. in Jesuitas, juratos Imperii hostes (cujus Autor est Pontificius, ut ex multis indiciis constat) lit. D. iij. Nach dem Urbanus VIII. Pabst worden / hat er alsobald einen Jesuiten zu sich fordern lassen/und weil demselben der Pater Generalis Societatis sehr auffsetzig war / für seinen Beichtvater angenommen/ welcher ihn alsobald gebeten/daß er ihm die Societet zum besten wolle anbefohlen seyn lassen / die habe einer grossen Reformation zum höchsten vonnöthen. Er könne mit Worten nicht aussprechen/ wie die disciplina religiosa so gar bey ihnen zerfallen/und ein lauter politisch / weltlich Wesen draus worden / diß hat ihm der Pabst mächtig gefallen lassen / und solches noch selbigen Tag seinen Leuthen erzehlet / und sich/ daß er so einen redlichen Beichtvater erwehlet/ berühmet.

2. Fraudes.

Maffeius in vita Ignatii lib. 3. cap. 11. *Ignatius miræ fuit solertiæ in solicitandis mortalibus, & à Diaboli servitute ad Christi obsequium traducendis, ac quibus artibus Dæmon ad animarum perniciem utitur, easdem ipse, quoad liceret ac fas esset, ad hominum salutem ac beneficium transferebat. Voluntates ac Naturas eorum, quibuscum ageret, festivè odorari, ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere, & suo, quod ajunt, hamo vel esca quemq; piscari.* (At, inquit Anatomia, hisce artibus, nec Christus, nec Apostoli, ad homines in obsequium Dei traducendos, usi fuere, sed de cruce & mundi odiis, de carnis mortificatione, &c. sectatoribus suis concionati sunt. Satan voluptuariis jucunda, ambitiosis splendida, avaris utilia proponit.)

Cum Christianus Dux Brunsuicensis, Episcopus Halberst. Paderbornæ Jesuitarum Collegium diripuisset, Bibliothecam eorum cum scriniis literariis dono dedit Patribus Capucinis, qui in scriniis Rectoris *Secretam Instructionem* invenerunt, *ad Aulicismum, Secularitatem, Hypocrisin & Fraudulentiam exercendam* unicè directam, quod ipsum in Pragensi Jesuitarum Collegio contigisse, homines fide haud indigni referunt. In illa præscribitur, *1. Qualem se Societas præstare debeat, cum de novo accipit loci alicujus fundationem. 2. Quid facto opus sit, ut Principum & Magnatum intimâ familiaritate potiantur. 3. Quid curaturi sint Domini pro ipsis, dum pecunia destituuntur, multæ tamen sunt autoritatis, in Republica, & aliis modis ipsis prodesse possunt. 4. Quæ commendata esse debeant Concionatoribus; Confessariisq; Principum & Magnatum. 5. Quid agendum cum Religiosis, qui symbolizando cum ipsis in multis occupationibus multum ipsis detrahunt. 6. De conciliandis viduis opulentis civitatis. 7. Quis modus conservandi viduas in viduitate, & de dispositione redituum, quos habent. 8. De remediis, ut filii & filiæ ipsius Ordinis devotarum religiosarum amplectantur statum. 9. De reditibus augendis Collegiorum. 10. De disciplina rigore ostendendo in Societate. 11. Qualiter se unanimiter præstare debeant erga dimissos. 12. De delectu juvenum pro Societate; modoque eos retinendi. 13. De Monialibus. 14. De casibus reservatis & caussis dimittendi à Societate. 15. Qui conservari & foveri debeant ex personis Societatis. 16. De contemtu divitiarum.* Instructio integra exstat in citata Anatomia Societatis Jesuiticæ p. 49.

Concluditur illa Instructio hisce verbis: *Hæc arcana præcepta diligenter penes se servent Superiores & paucis. idque gravibus ea Patribus communicent, ex iisq; instruant alios, quomodo serviant cum fructu Societati, neq; ut scripta ab altero, sed ut ex peculiari prudentia depromta aliis communicent. Quod si (absit) in manus externorum hæc monita veniant, quoniam sinistrè ea interpretabuntur, negentur, hoc sensu esse Societatis per istos confirmando è nostris, de quibus certò scitur*

scitur, eos talia ignorare. Opponantur his privatis monitis generalia monita & ordinationes impressa aut scripta, his contraria. Demum inquiratur, annon ab aliquo è nostris prodita sint (neq; enim Superior ullus erit tam negligens in asservandis tantis Secretis Societatis) & si in aliquem vel leves erunt conjecturæ, illi imputetur & ex Societate dimittatur.

Joh. Mariana lib. de morbis Societat. c. 14. *Totum Societatis regimen videtur hunc habere scopum, ut, quæ malè in Societate fiunt, injectâ terrâ occultentur & hominum notitiæ subtrahantur.* (Confer ea, quæ dicta sunt lib. 1. part. 2. cap. 19. sect. 2. ubi plura fraudum exempla sunt adducta.)

3. Studium delitiarum & sumtuositates.

Joh. Mariana Ies. in Epil. lib. de morbis Societ. *Multæ sunt nostrorum recreationes, quæ alicubi multos menses durant. Delitiæ nonnullorum sunt nimiæ eisq; nocent.*

Cardinalis Dietrichsteinius Religiosis Clericis Scholarum piarum Roma Niclospurgum evocatis Anno 1632. dixit: *Jesuitas quidem à se magnopere contendisse, ut sua potius, quam Clericorum illorum opera, in docenda Niclospurgi juventute, uti vellet, sed se comperisse illos nimis pretiosos esse operarios, cum solæ eorum scenicæ actiones quotannis non minus quadringentis florenis sibi auferant.*

Bernhardinus Castronius Collegii Jesuitici Germanici, quod Romæ est, Rector perpetuus, *plurimos annos impenso pretio præstantissimos totius Italiæ Symphoniacos, sive flatu, sive nervis aut fidibus, sive assa voce cantantes conductos habuit, quorum aliis ternos, aliis quaternos aureos menstruos, (ut quidem ipsi prædicabant) pro stipendio dependebat, sic tamen, ut sæpè extra ordinem in diebus, quos majore quadam celebritate Roma festos habet, pro singulis cantiunculis viritim aureum cantorib. exolveret, neq; tamen eâ re contentus, octo pueros, quos ex omnibus, qui Romæ vocaliores & μελῳδικώτεροι cæteris viderentur, maxima cura delegerat, una cum Phonasco vocis artifice & artis Magistro in ipso Collegio Germanico alebat, ut planè fructibus Collegii (quotannis ad vicena aureorum millia assurgentibus) illudere, eleemosynasq; ab hominib. piis Testamento relictas bene magnam partem ad oblectandas suas & eorum, quos advocabat, præcipueq; veteranorum Jesuitarum in Generalis contubernio viventium auriculas abuti videretur. Hoc Pontifex, hoc Cardinales, hoc omnis Roma, hoc magni denique Principes aliqua ex causa Romam appulsi noverunt, quorum nonnullos idem Castronius ad prandium ac merendam devocare, eamque in rem non semel quinquagenis aureis amplius expensum ferre ausus est, &c. Quadam die in suburbano Collegii horto duos Dominicanæ familiæ Theologos prandio cum advocasset, tres pueros ex octo illis, quos Symphoniæ causâ Collegii impensis ab eo ali dixi, propter majorem & vocis suavitatem & artis Musicæ peritiam in totidem arboribus collocari, ibiq; velut lusciniolas certatim cantillare, auresq; prandentium promereri jussit.* Anat. Societ. Iesuit. p. 67.

Grætienses Iesuitæ in Eberndorffiensi Præpositura, *Quietis*, quam vocant, *domum* sibi constituerunt, quo se quotannis per studiorum intervalla animi causa recipere, & Scholasticos laboribus fessos recreare solent. Ibi *retia, plagas, venabula, venaticos canes, cornua, equos, omne deniq; venatorum instrumentum ad Quietem Reverendis Patribus præstandam affatim invenias, nec ulla eis est religio, ne in sacros Canones venatione Clericis interdicentes delinquant, nefasq; contrahant.* Anatom. Societ. p. 71.

4. Simulatam castitatem.

Anat. Societ. Iesuit. p. 75. *Jesuitæ volunt casti manere, nec uti medicina conjugii, quod est impossibile, cum illi, qui bis in die ventrem carnibus, præcipuè vinoq; onerant, seminarium libidinis in corpore suo habeant &c. Hinc consequitur, Jesuitas non esse puros; sed vel Deos, vel impuros homines; qui jejunii & abstinentiæ medicina se non indigere putent, non plus quidem jejunent, aut à carnibus abstineant, quam omnes alii Catholici mulierum consuetudine libidini suæ medentes.*

5. Fastum.

Anatom. Societ. Iesuit. pag. 9. Iesuitarum carnis seu seculi prudentia utentium finem proximum esse dicit, *Monopolium 1. gratiæ apud Deum, ut nemo in gratia Dei esse possit, nec veniam sive peccatorum absolutionem obtinere, nisi per Jesuitas.*

2. Gratiæ apud Principes & Magnates, ut nemo honores, officia & opes ab iis consequi possit, nisi per Jesuitas.

3. Fidei Catholicæ ut nemo ex pagano Christianus, aut ex heretico Catholicus fieri possit, nisi opera Jesuitarum.

4. Perfectionis, ut nemo possit esse perfectus & sanctus, nisi per Jesuitas, id est, nisi in Societatem eorum receptus.

5. Eruditionis, ut nemo divinas & humanas literas possit discere, nisi Magistris utatur Jesuitis.

6. Virtutis seu bonorum morum, ut nemo bene moratus fieri possit, nisi per monita & exempla Jesuitarum.

7. Famæ seu boni nominis, ut nemo bonus aut doctus existimetur, nisi suffragantibus, aut saltem non refragantibus Jesuitis.

(De eodem Iesuitarum fastu etiam alii testimonium perhibent.)

Eustochius Bellaius Parisiensis Episcopus in sua de Iesuitis Censura, *nomen Iesuitarum, ut arrogantiæ plenum, improbat, quippe cum ita sibi solis tribuant, quod Ecclesiæ Catholicæ competat, quæ propriè fidelium congregatio dici possit, cujus caput est Christus, illi verò cum hoc nomen sibi solis sumunt, etiam hoc dicere videntur, solos se Ecclesiam constituere.*

Benedictus Arias Montanus in Præf. Biblior. Antverp. *Qui cum sibi soli sapere, soli benè vivere, Jesumq; propius insequi & comitari videntur, atq; id palam professi jactitant, me, qui minimum, atq; adeo inutilem Jesu Christi discipulum ago, odio habuerunt gratis.*

Melchior Canus lib. 4. Locor. Theol. cap. 2. *Vocati estis ad societatem Jesu Christi, quæ sine dubio societas cum Christi Ecclesia sit, qui titulum sibi illum arrogant, hi videant, an hæreticorum more penes se Ecclesiam existere mentiantur.*

Massonius in vita Pauli IV. de Iesuitis sic scribit: *Videntur soli Societatem contraxisse cum Jesu, in eo sanè nimium sapientes, quod putant, se cœlo ipsi aliquando imperaturos.*

Huc referri possunt jactabundæ ipsorum gloriationes.

In Apolog. Iesuit. contra Anti Cottonum pag. 204. *penes se imperium literarum esse* asserunt, ibi enim Abbatis cujusdam Ticonii de ipsis præconium hoc arripiunt, *& hianti ore deglutiunt*, ut loquitur Thomas Mortonus in Prolegom. Causæ Regiæ sive Dissertat. de Autor. Princip. §. 3.

In Præfat. Sicæ Tragicæ Francisci Costeri jactitant, *se Catholicis esse instar scuti.*

Jesuitæ ipsi in Placida Disceptatione pag. 18. & 42. gloriantur, se *Monachis perfectiores & ad animas convertendas utiliores esse.*

Actio perduellionis contra Iesuitas lit. J. iiij. fac. b. Ein solcher Angel und Aaß (dardurch viel in der Jesuiter Societet gezogen werden) ist auch das Privilegium oder sonderbare Gnade, welches ihrem Fürgeben nach Ignatius von GOtt angebracht, daß nemlich kein Jesuiter könne in Todtsünden sterben oder verdampt werden, etliche, so ein wenig kecker sind, sagen, daß keiner keine Todtsünde begehen könne, biß hundert Jahr von dem Tage, an welchem die Regula vom Bapst confirmiret worden, zu End gelauffen.

6. Simulatam sanctitatem.

Anat. Societ. Ies. pag. 82. *Iesuitarum ad Deum orationes ac preces sunt sine vociferatione, & prædicationes sine luce & sine cruce &c. Primum enim orationes eorum non habent conjuncta duo sacrificii genera longè Deo acceptissima: Unum sacrificium est animæ ad contemplationem applicatæ & propius Deo conjunctæ, quod sacrificium est vociferatio mentis, etiamsi vox oris nulla audiatur &c. Hoc modo Iesuitæ clamare non possunt, cum Contemplativi non sint. Alterum est sacrificium laudis seu psalmodia aut vociferatio cantus, ea Iesuitarum orationes destitui testatur res ipsa. Vide Apologiam Nicolai à Jesu Maria Carmelitæ pro Monachis adversus Iesuitas propos. 13. quæ Romæ bis edita, & nuper Ravenspurgi invitis & plorantibus Iesuitis & eorum patronis atq; amicis recusa fuit.*

Deinde prædicatio Iesuitarum est sine cruce, cum victus & amictus eorum nihil ab aliorum honestorum hominum more discrepet. Itaque signum Dei, omnem nempe rerum carni molestarum patientiam, & sui ipsius crucifixionem aut mortificationem, & stigmata Jesu in carne sua oculis non exhibent &c.

Postremò prædicatio eorum, sive calami, sive sermonis, est sine luce, hoc est, sine revelatione internæ contemplationis, nec nova de thesauro suo proferunt, sed vetera tantum, quæ legendis sacris literis & SS. Patrum & Monachorum libris & operibus didicerunt, quod memoriæ est opus, non scientiæ à Deo haustæ &c.

(De eadem Iesuitarum hypocrisi etiam alii produci possunt testes:

Jacobus Augustus Thuanus de illis sic canit:

Hesperia fuscus gens emissaria ab oris,
Fucum affectata, quæ pietate tegit &c.

Hieronymus Venderamus Theol. Venetus in Disquisit. inter Paulum V. & Remp. Venetam cap. 1. p. 13. *Nihil dico de his* (Iesuitis) *qui personatas facies habent, ac vestibus ovium amicti lupinos mores ac Naturam occultant.*

Videantur, Oratio Arnoldi in operibus Junii, Stephani Pasquier

Pasquier Consiliarii Regis Galliæ Discursus de Secta Iesuitarum, & Catechismus Iesuiticus, Actio perduellionis adversus Iesuitas, Apologia Nicolai à Jesu Maria pro Monachis intra biennium Romæ bis excusa, videl. Anno 1626. & Anno 1628. & alia hujus generis scripta ab ipsis Pontificiis contra Jesuitas in publicum edita.

Denique probe notandum, quod Urbanus VIII. Pont. Rom. Ordinem Jesuitissarum à Jesuitis institutum, & pluribus in locis jamdum introductum penitus abrogavit in Bulla, 15. Januar. Anno 631. data, ac demum 21. Maji Romæ publicata, quæ hanc habet summam, Suppressio prætensæ Congregationis Jesuitissarum. In ea Pontifex inter cætera sic loquitur:

Licet Conciliorum generalium ordinationibus districtè prohibitum esset, ne quis novæ Religionis instituendæ autoritatem sibi arrogare præsumeret, licet etiam Pontificum Romanorum salutaribus Constitutionibus mulierum cœtus autoritate privata & de facto instituti, tanquam exitiosi palmites damnati & sublati fuissent, & nihilominus (prout non sine gravi animi nostri molestia acceperamus) in nonnullis Italiæ ultramontanis partibus certæ mulieres seu virgines, Jesuitissarum nomine assumto, citra ullam Sedis Apostolicæ approbationem, ab aliquot annis in unum convenire solitæ, vitæ Religiosæ ducendæ prætextu, peculiarem & distinctum à cæteris habitum usurpassent, ædificia in Collegiorum formam redegissent, domos Probationum erexissent, in eisq́; Superiorem ac prætensæ Congregationis suæ Generalem, indito Præpositæ titulo, & attributis facultatibus bene visis constituissent; in illisq́; manibus Paupertatis, Castitatis & Obœdientiæ vota ad instar solennium emittere, clausuræq́; legibus non astrictæ pro libitu divagari, ac specie salutis animarum promovendæ, aliaq́; opera permulta, sexus & ingenii imbecillitati, & modestiæ muliebri ac virginali præsertim pudori minimè convenientia, & quæ viri sacrarum literarum usu, vitaq́; innocentia spectatissimi difficile admodum aggrediuntur, attentare & exercere convenissent: Nos excrescentes in agro militantis Ecclesiæ vepres maturè evellere satagentes, Nuncio nostro Apostolico & Ordinariis nonnullis locorum dedimus in mandatis, quatenus propositis gravibus periculis & scandalis exinde resultantibus, præfatas mulieres seu virgines ex parte nostra serio monitas à temerario incepto ad saniora consilia revocare conarentur. Verum, quia illæ, posthabito Dei timore ac nostro & Sedis Apostolicæ respectu, in grave animarum suarum præjudicium & bonorum omnium offensionem, arroganti contumacia paternis & salutaribus monitionibus nostris non modo non paruerunt, sed etiam indies similia attentare, ac multa sanæ doctrinæ adversantia (nota) *proferre non erubescunt: nos tantam temeritatem acriori censura coërcendam, & plantas istas Ecclesiæ Dei noxias, ne ulterius se diffundant, radicitus evellendas & extirpandas esse, decrevimus. Habitaq́; cum Cardinalibus Inquisitoribus matura consultatione, de illorum unanimi consilio & consensu, prætensam Congregationem mulierum seu virginum Jesuitissarum nuncupatarum, illarumq́; sectam & statum ab ortus sui primordio nullos & invalidos, nullisq́; roboris vel momenti fuisse & esse, Apostolica autoritate decernimus & declaramus: & quia de facto processerunt, eadem autoritate penitus supprimimus & extinguimus. perpetuæq́; abolitioni subjicimus, & ab Ecclesia Dei funditus tollimus, delemus & abrogamus, ac pro suppressis, extinctis, evulsis, deletis & abolitis ab omnibus Christifidelibus haberi & reputari volumus & mandamus.*

2. Calumniæ. 1. Generales.

1. Erasmus in Epistol. ad Cardinalem Mogunt. quæ extat inter Epistolas p. 475. edit. Basil. Anno 1521. *Compertum est, damnata, ut hæretica, in libris Lutheri, quæ in Bernhardi, Augustiniq́; libris, ut orthodoxa, imo & pia leguntur.* Quam assertionem confirmat illud Bellarmini lib. de Laicis cap. 20 *Veritas quidem non est neganda, tamen nec legenda in libris hæreticorum, nam, ut ibi est, nocet, non prodest.* Ibid. *Origenis, Tertulliani, Eusebii, Pelagii &c. libri permittuntur, cum hæreses illæ sint extinctæ, & libri prosint propter antiquitatem.*

(At num plus nocet veritas in recentioribus, quam falsitas in antiquis? Aliter Hieronymus Epist. 65. ad Pammach. de scriptis Origenis judicat.)

2. Stapletonus in relect. princ. controv. 6. q. 4 p. 633. *Hæretici hodiè sunt instar reorum, qui contra testes excipiunt, quod mendaces sint & inimici ipsorum, vel quod corrupti à judicibus contra eos loquantur.*

Campianus rat. 5. *Patres explosit adversarius. Quid ita? quia stantibus illis concidisset.*

Reyhingius, cum adhuc Pontificius esset, in explic. fund. pag. 153. *Importuni illi Ecclesiæ turbines nihil adeo moliuntur, quam ut Patrum nomen apud omnes ætates sacrosanctum apud istam elevent; eludant, elidant. Quo consilio? ne suum impetum fractum, versutiam retectam, vanitatem demonstratam videant. Quibus artibus? hypocrisi, contemtu, conviciis.*

(At Patribus debitum honorem deferimus, eum scil. quem salva pietate & veritate illis deferre possumus. Si ex eo, quod Patrum autoritatem Scripturæ subjicimus, colligi potest, Patres à nobis contemni, longe rectius Pontificiis autoritatem Patrum Papæ subjicientibus hoc obverti potest)

3 Costerus in Enchir. cap. de moribus hæret. nobis tribuit, quod *majores nostros omnes condemnemus, dum Romanæ Ecclesiæ doctrinam accusamus.*

Resp. Docemus, Deum perpetuo sibi aliquam Ecclesiam in genere humano collegisse & conservasse, quinimò adhuc hodie in media Roma sanctum aliquod semen sibi servare, quomodo ergò omnes majores nostros damnaremus?

4. Julius III. Pontifex edita Bulla aut Brevi (ut vocant) disertissime approbavit & summis laudibus commendavit librum Venetiis impressum apud Gabrielem Jolitum, in quo hæc habentur verba: *Considera in illis* (loquitur de omnibus Germanis, qui Evangelio nomen dederunt) *contemtum matris Dei, Sanctorum, Templorum, Sacerdotii, aliorumq́; Sacramentorum, & rerum omnium sacrarum, rapinas bonorum Ecclesiasticorum, impudicitiam vitæ eorum actæ in hypocaustis, intra vinum, stupra, adulteria & sacrilegia patrata in tot virginibus consecratis Deo, cornua Christo earum Sponso affigentes.* Ibid. *Barbara Germaniæ natio non satis sibi esse putavit, quod in præjudicium Italiæ usurpaverit sibi dignitatem Imperii, invida, quod Vicariatus Christi apud nos sit, ut nos omni gloria atq́; omni bono privet, ingressa est in hanc phrenesin ac rebellionem.* Refert Petrus Paulus Vergerius in tract. de idolo Lauretano. (Hac ratione Pontifex universam nationem Germaniæ, atque adeo ipsum Cæsarem, Regem Romanorum, Imperii Electores &c. falsò rebellionis, invidiæ ac phreneseos accusat.)

5. Accusant nostros, quod *rapinam bonorum Ecclesiasticorum* approbent. Alphonsus à Castro lib. 6. adv. hæreses, verbo Ecclesia, hæresi 4. *Impius Lutherus suadere audet Principibus, ut Ecclesias diripiant atq́; spolient.*

Resp. 1. imò vero nostri majorum pietatem in conferendis bonis ad necessarios Ecclesiæ usus commendant, de abusu eorum hodierno conqueruntur, & ad veros ac legitimos usus illa applicanda esse, docent. Lutherus von den Conciliis und Kirchen tom. 7. Jen. Germ. p. 261. Man sihet wol/ wie mit grossem Ernst die alten Keyser die Pfarren und Schulen gemeynet/ daß sie so reichlich die Stiffter begabet haben. Denn daß es erstlich Schulen gewesen sind/ zeugen diese Namen/ Probst/ Dechant/ Schelasticus/ Cantor/ Canonici/ Vicarii/ Custos/ rc. Aber was ist draus worden? Ach HErr GOtt/ daß sie doch noch etwas thun wolten/ blieben was sie sind/ behielten was sie hetten/ weren Fürsten und Herren/ richteten aber widerumb Lectionen an/ und zwüngen die Thumherrn/ Vicarien/ Chor-Schüler/ daß sie des Tages eine Lection in der heiligen Schrifft höreten/ damit es wieder doch etlicher massen einer Schulen Gestallt hette/ auff daß man Pfarrer und Bischoff haben köndte/ und hülffen also die Kirchen regieren/ rc. O HErr GOtt/ wie unmeßlich groß Gut köndten sie thun bey den Kirchen/ und GOtt würde ihnen Reichthum oder Gewalt wol gönnen und lassen. p. 275. Darumb haben die vorigen Keyser/ Könige und Fürsten recht wohl gethan/ daß sie mit solchem Fleiß so viel Schulen/ hoch und klein/ Klöster und Stifft gebauet haben/ daß sie der Kirchen haben reichen grossen Vorrath von Personen schaffen wollen/ aber durch die Nachkommen schändlich zum Mißbrauch verkehret sind. Also sollen jetzund Fürsten und Herren auch thun/ der Klöster Güter zum Schulen wenden/ und viel Personen stifften zum Studio; werdens unsere Nachkommen mißbrauchen/ so haben wir zu unserer Zeit das unsere gethan. Idem in Genesin cap. 45. p. 616. *Exemplum Pharaonis profecto dignissimum est, quod omnes Reges, Principes, Magistratus, Nobiles in conspectu habeant, ac summo studio imitentur, in fovendis & sustentandis piis Pastoribus, Ministris Ecclesiæ & Scholasticis. Sed contrarium hodie fit, non solum à Pontificiis, sed etiam ab iis, qui emendationem Ecclesiarum instituunt sed eo prætextu Ecclesias spoliant iis bonis, quæ ad conservationem Ministerii & Scholarum conferenda erant.* Tom. 2. Islebiensi p. 313. Worzu soll man nun solche Güter brauchen? Hier kan man nicht besser antworten/ denn daß man acht habe auff der Stiffter Willen und Meynung/ welcher je nicht anders gewest ist/ denn daß sie zu Gottes Dienst und Ehre solche Güter haben wollen geben. Ob sie nun nicht recht angetroffen haben/ ist doch ihren Willen und

Meynung

Meynung nach hierinnen zu richten/ daß man sie noch zum Gottesdienst und Ehre brauche/ als da sind Pfarrer/ Prediger/ Schulen und was mehr zum Gottes wort / Sacrament und Seelsorgen gehöret. Und wiewol Gottes-Dienst in allen Ständen und Aemptern oder Wercken geschicht/ die man auch fördern soll/ so sind doch obgenandte Stände/ nemlich die Seelsorge und das Predigampt/ Schulen/ ꝛc. die höchsten/ nöthigsten und fürnembsten / welche die alten Fürsten mit ihren Stifften und Klöstern sonderlich gemeynet/ und anfänglich also gehalten ist. Tom. 5. Germ. Jen. p. 131. Wenn sie ihre Stiffter und Klöster hielten dafür/ und auch also brauchten/ daß man die Christliche Jugend darinnen erzöge/ und den Glauben und Zucht lehrete/ damit man feine Personen hätte zu Christlichen Aemptern/ und weren also nichts anders denn Christliche Schulen/ wie sie von Anfang gestifftet sind/ und die Namen der Prælaten/ als Probst/ Dechant/ Scholasticus / Cantor und dergleichen / noch wol anzeigen / so werens feine Stiffter. In articulis Schmalcaldicis art. 3. par. 2. *Collegia Canonicorum & Cœnobia olim optima intentione majorum fundata, ad educandos viros doctos, & castas ac modestas fœminas, debebant rursum converti in talem usum, ut Pastores, Concionatores & alii Ecclesiarum Ministri haberi possent. Item alii idonei ad Politicam administrationem sive ad Rempub. in civitatibus & regionibus, ac piè educatæ virgines ad Oeconomiam & liberorum educationem.*

2. Apud Pontificios bona Ecclesiastica itidem malè collocantur.

Lindanus lib. 4. Panopl. Evang. f. 400. *Distribuendi in Clericos piorum oblationes ratio cum sit quorundam improbitate, ne avaritiã dicatur, quam Synodi aliquot castigare nitebantur, sublata, atq; pro tota rerum Ecclesiasticarum possessione quarta duntaxat portio illis relicta, jam non tam avaritia, quam insana illa prodigalitas esset refrenanda, quæ piorum eleemosynas haud aliter passim, nec meritorum, nec hominum ratione habita effundunt, quam si bona essent feudi vel patrimonii. Imò, ut verum citra offensam dicere liceat, haud aliter dilapidantur, quam si ad profundendum, helluandum, abliguriendum, & semel devorandum Ecclesiæ Christi relicta piorum patrimonia constituerentur, quod exemplis quotidianis notissimum magis suppliciis apud Dei misericordiam indiget deprecationis, quam fusioris commemorationis. Videmus enim, proh Deum immortalem! quid bona patiantur Ecclesiastica, non à vivis modò, sed & à mortuis, si Superis placet, per Testamenta.*

Didacus Stella in cap. 14. Luc. fol. 131. a. *Apud Prælatos est apparatus famulorum, equorum, dapum, conviviorum nimium sine ordine, sine limitatione, sine mensura, doctrinæ verò sanctorumq; sermonum parum.*

Idem in cap. 21. Luc. fol. 253. *Sumptus consumi in equis, phaleris, delitiis in Hispania, quibus templa debebant sustentari & sacræ adornari vestes.*

3. Ipsimet Pontificii absolutè & simpliciter non improbant, in certis quibusdam casibus reditus Monasteriorum ad alios usus converti, quam in sustentationem Monachorum; quin & concedunt bona Ecclesiastica certis quibusdam circumstantiis à Principibus Secularibus possideri posse.

Actio Perduellionis in Jesuitas (cujus Autor est Pontificius, ut ex multis constat indiciis) lit. G. ij. Babst Clemens VIII. hat Hertzog Friederich von Wirtemberg durch Andream Cardinaln von Oesterreich versichern lassen / wenn er die Catholische Religion annehme/ so wolt er ihm über alle seines Landes Geistliche Güter das Jus Patronatus verleihen / also daß einer/ zween oder drey seiner Söhne oder Vettern alle die Klöster in Commendam hetten/ den andern/ so Weltlich blieben / jährliche Pensiones davon bezahlen/ und noch darzu bey Straßburg / Cöln / Meintz und andern Fürstlichen Stifften auffgenommen würde.

Cajetanus in Comment. 2. 2. q. 43. art. 8. *Ipsa Ecclesia, quæ dominium habet bonorum deputatorum ad fabricam, ad stipendia Ministrorum, & ad subsidia pauperum, rectè aliquando potest illa donare aliis; aut permittere ad vitandum scandalum. Prælati quoq; possunt & debent interdum repetitionem illorum differre ad vitandum scandalum & calamitatem pauperum, si Principes ejusmodi bona & jura Ecclesiæ sine magno saltem detrimento sui Status non possint reddere.*

Quinimò ipsimet Jesuitæ Cæsari Augustiss. Ferdinando autores fuerunt, ut ex Monasteriorum recuperatorum reditibus quosdam ad alios usus converteret; unde sic scribunt Jesuitæ Dillingenses in Placida Disceptat. p. 15. *Ex Monasteriis Episcopatibus succurritur, dantur Commendæ benè meritis & accipiuntur. Hoc sacrilegio deputare, hominis est leges ignorantis.*

Pag. 24. *Cur ægrè ferrent Ordines Religiosi, quædam Monasteria Cardinalibus Archiepiscopis cedere?*

Pag. 6. *Imperator ratione justitiæ obligatur, ex Monasteriis recuperatis Ecclesiarum sive Episcopatuum debita dissolvere, dare militibus, Rempubl. opis egentem adjuvare.*

Pag. 34. *Episcopi gravia damna passi sunt, æs alienum contraxerunt, ipsi auxilio Monasteriorum vacantium egent, petunt & accipiunt.*

Idem statuit Laymannus Jesuita in Justa Defensione in Procem. n. 28. 30. 31. &c.

6. Maldonatus ad Matth. 13. v. 26. *Calvinistas & Lutheranos quis non cognovit? quis hæreticos esse non videt, qui vix ullam antiquam hæresin non renovarunt? Nullus unquam profectò hæreticus fuit, nullus hæreticus esse potest, si illi hæretici non sunt.*

Barclaius in Parænesi ad Sectarios hujus temporis pag. 26. edit. Colon. *Si Aërius antiquus hæreticus fuit, quod inter cætera nollet pro mortuis orari, ut nec hi volunt; si Eunomius, qui ajebat, sola fide nos justificari, ut & hi docent; si Basilides & Jovinianus, qui dignitati virginitatis conjugium æquabant, ut & isti; si Vigilantium eò, quod Sanctorum reliquias illo loco haberet, quo isti noverit, adeò antiqui duxere hæreticum, ut & Gennadius de Ecclesiast. dogmat. c. 73. de Christianorum numero illius Sectatores amoveat, & Vigilantium opponat Christiano; quis hæreticos esse non sentiat, qui eosdem & plures & graviores errores coëgerunt?*

Resp. 1. Aërius non propter solam hanc disputationem de precibus pro defunctis Catalogo hæreticorum annumeratus est, sed teste Epiphanio & Augustino, *planè Arianus fuit*; teste Alphonso de Castro adv. hæres. titulo Cibus, *Tatianorum hæresi adhæsit*; *non nisi continentes ad Communionem admisit*, eodem teste titulo Nuptiæ: & in hac ipsa disputatione sententiam Ecclesiæ impugnavit, *quæ fundebat preces pro mortuis, qui essent & viverent apud Dominum*, ut expresse supponit Epiphanius in responsione ista, non pro impiis, aut pœnas in Purgatorio luentibus. (Jam verò ipsorum Jesuitarum sententia, hæreticum non est non orare pro mortuis viventibus apud Dominum, h. e. pro illis, qui sunt in cœlo.)

2. Eunomius, teste Augustino de hæres. ad Quodvult D. affirmabat, *nihil cuiquam obesse quorumlibet perpetrationem ac perseverantiam peccatorum, si ejus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Nos autem de fide in meritum Christi agimus, quam à bonis operibus separari posse negamus.

3. Jovinianus & Complices ejus *Virgines oportere nubere* clamabant, *similiter & viduas, etiamsi continere possent; errare eas, quæ nolint iterare copulam. Virginitatis*, dicebant, *nullam gratiam esse, pari omnes æstimari precio, castimoniam nullius esse utilitatis, nullum bo[num] esse præmium virginitatis, nullum fructum viduitatis, nullum honorem castitatis.* Ambrosius lib. 10. Epist. 82. Nos contra docemus, benè facere, quibus *datum est, si propter regnum cælorum sese castrent*, h. e. à conjugio abstineant, ut tantò paratiores sint ad propagandum Dei regnum Matth. 19. v. 12. 1. Cor. 7. v. 25.

4. De Vigilantio conqueritur Hieronymus, *ipsum reliquias Sanctorum nullo honore dignari, & contactu earum homines pollui existimare*, in Disp. contra Vigilantium. Nos autem non negamus, corpora & reliquias Sanctorum reverenter tractandas, sed *religiosum reliquiarum cultum* improbamus.

5. Merito vero hoc κατέγκλημα Pontificiis opponimus, quod fundamentũ omnis erroris & hæreseos defendant, quando requirunt, ut *sine ulla investigatione aut probatione tanquam sacrosanctum acceptetur, quod ab Ecclesia Romana proponitur.* Quà de re sic disserit Athanasius in peculiari scripto, adversus eos, qui volunt simpliciter iis, quæ dicta sunt, credendum, nec considerandum, quid conveniat & quid non conveniat, tom. 2. p. 271. *Ut omnes ad unum se sequantur, satis imperiose præcipit,* (hæresis) *Amplectimini*, inquit, *simpliciter, quæ dicuntur, nec inquirat quisquam vestrûm, quid in iis conveniens sit, quid inconveniens. Ac fidem nominat inconsideratam ideoq; noxiam assensionem atq; approbationem inconstantium, nulliq; demonstrationibus suffultorum dogmatum. Credamne sine judicio, nec inquiram, quid aut fieri possit, aut verisimile sit, aut deceat, aut Deo gratum, aut Naturæ congruum, aut utilitati consonum: aut efficiatur ex proposito & sit consequens, aut mysterio respondeat, aut pietate dignum sit? Et quæ utilitas in literæ certice, aut quis fructus redeat ad mentem, nihil horum ad calculos rationis revocantem? Sed nimirum hæc una Adversarius omnibus erroris & malorum universorum causa est, quod aures quidem verborum sono habent patentes, eorum verò, quæ dicuntur, intelligentiam animo nullam concipiunt. Quis enim est eorum, qui se Catholicæ Ecclesiæ hostes profiten-*

profitentur, qui, ut re in nullam partem discussa fides suis habeatur dictis, non postulet? sive Græcum mihi nominaveris, sive Manichæum, sive Arium, sive Apollinarium, sive alium horum alicujus asseclam. Nonne deprecatur examen, ne convincatur erroris? Nonne alia quidem ex suo cerebro eructando: alia de divinæ Scripturæ congruentia amputando, & ad scopum suum detorquendo, demonstrationes profert, quas nemini curiosè perscrutandas esse, ut optat, ita affirmat?

7. Hadrianus Jungius de doctrina, moribus & fructibus Evangelicorum p. 190. *Quocunq́;* (vos Lutherani) *in loco vestigium ponitis, cernitur repentè major flagitiorum licentia, minor ad omne facinus verecundia, multò audaciùs temeritas, impudentia, libido volitat, intolerabilis superbia & arrogantia magis, quam ante confirmatur; prisca religio atq́; sanctitas in contemtum adducitur; pudor, metus, diviniq́; judicii formido labascit ac minuitur, contentiones & dissidia augentur, deniq́; multorum scelerum colluvies, vel saltem horum scelerum, malorumq́; incrementa cum ista nova vestra disciplina importantur.*

Resp. praxis testatur contrarium, ac vitia hominum non sunt tribuenda doctrinæ eadem taxantis ac damnantis.

8. Alphonsus de Castro lib. 11. advers. hæreses, verbo Oratio, hæres. 3. *Multi ex Lutheranis ex suis castris prorsus rejecerunt Orationem tanquam penitus inutilem.* (Atqui praxis testatur contrarium.)

9. Fr. Nas in der Außmusterung fol. 25. & 40. in Cent. 5. verit. Evang. cap. 65. narrat, *Johannem Saxoniæ Electorem ab Augustana Confessione ante finem vitæ secessionem fecisse, & filio suo Johanni Friderico in mandatis dedisse, ut Lutheranam religionem abrogaret.*

Andreas Fabricius in Harmon. Augustan. Confess. in Epist. Dedic. ad Duces Bavariæ sic scribit: *Totius factionis primarium defensorem, Johannem Electorem Saxoniæ, qui Confessionem Augustanam Cæsari obtulit, constat, sua illa studia, Lutheranamque factionem ad extremum damnasse, atq́; cum morti proximus esset, filio suo Johanni Friderico imperasse, ut damnata hæresi Lutheri Catholicam Religionem in suis ditionibus pristinæ dignitati restitueret.*

Christophorus ab Ungersdorff gratulationi ad Status Austriæ inseruit copiam literarum, quas Johannes Fridericus Dux Saxoniæ ad Duces Bavariæ Anno 1532. hac de re dederit, quarum autographum Monachii asservari asserit.

In quodam Tractatu Anno 607. Moguntiæ, sumtibus, Joh. Valentini Pistorii edito, cujus titulus: Ein kurz einfältig Gespräch von fürnembsten streitigen Puncten der Christlichen Religion/ rc. p. 431. hæc inveniuntur verba: So ist unleugbar war/ daß Churfürst Johann zu Sachsen/ welcher der Keys. Maj. solche Augspurgische Confession præsentirt/ hernach solche zum eussersten verworffen/ und als er sterben wollen / seinem Sohn Johann Friderichen eingebunden/ nach Verwerffung der Lutherischen Religion / die Catholische Lehre in seinen Landen widerumb einzuführen.

Resp. 1. Concio funebris à Luthero habita in funere Johannis Electoris tom. 5. Jenens. German. extans contrarium testatur.

2. Cochlæus de Actis Lutheri pag. 239. obitum Electoris Johannis modo sibi proprio describit, & conciones in funere habitas invidiosè vituperat, sed ἀποστασίας hujus nullam mentionem facit.

3. Nec ejus meminit Bzovius in Annal. Eccles. ad Ann. 1532. ubi scribit: *Expirasse Johannem Electorem Swevinitii & subitaneo morbo correptum (qui Apoplexia fuisse credatur) fractis viribus repente corruisse, vocatos ad decumbentem Lutherum & Melanchthonem, qui eum agonizantem invenerint, sensibus penitus oppressis; agonem diuturnum fuisse & valde durum, eundemq́; ad tribunal Supremi judicis euntem horrendos edidisse rugitus, quos forsan negotium Lutheranum expresserit.*

4. Laurentius Surius in Append. ad Chronic. Naucleri p. 619. *Per id tempus, quo in Turcas arma expediuntur, in venationis loco haud procul à Witeberga excessit è vivis Saxoniæ Dux Johannes, Lutheri Patronus.* Et postea: *Successorem habuit Johannem Fridericum filium, Luthero impensè faventem.* Ibid. de Johanne Electore subjicit: *Utinam ille Princeps eam constantiam in Catholicæ Ecclesiæ doctrina retinenda declarasset!*

5 Ludovicus Guicciardinus in Comment. de reb. memor. Johannem Electorem vocat *Lutheri Patronum singularem. Haud ita multò post,* inquit, *Johannes Saxo Septem-Virali, Protestantium Princeps, Lutheri vero Mecænas & Patronus singularis, mortem obiit, cui par filius succedens Johannes Fridericus Lutherum nihilo secius coluit, amplexusq́; est.*

6. Dux Johannes Fridericus in responso 5. Julii An. 1548. Imperatoris Legatis, Interimisticæ Formulæ receptionem serio urgentibus, dato, inter cætera sic loquitur: Darumb sich auch weiland mein gnädiger lieber Herr und Vater/ Gottseeliger Gedächtniß / ich und andere aus gutem satten Verstande und Wissenschafft / derselben Confession vor vielen Jahren durch ordentliche Wege und Mittel / biß auff Erkäntniß eines allgemeinen freyen Christlichen und unpartheischen Conciliums anhängig gemacht / darbey denn mein Gottseeliger Herr Vater biß in seine Gruben / und ich biß auff den heutigen Tag durch GOttes Gnad und Barmhertzigkeit bestanden.

Quid de hoc apostasiæ Commento judicandum sit, multis exponit D. Zeæmannus in refutat. scripti Ungersdorffiani p. 320. & seqq.

10. Florimundus Raimundus lib. 2. de orig. hæres. cap. 9. pag. 215. sic scribit: *Hic* (Melanchthon) *est, qui rogatu quorundam Germaniæ Principum Augustanam Confessionem scripsit, quam Protestantes in Saxonia ipsis libris Canonicis præferunt. Hunc librum* (Confessionis) *Philippus sua manu scriptum Imperatori in Comitiis Augustanis exhibuit.* Lib. 3. cap. 7. pag. 371. *Philippus sua manu scriptam Confessionem Imperatori exhibuit, per omnia sacra, ideoq́; spem vitæ æternæ, quam haberet, dejerans, Catholicæ Ecclesiæ fidei esse conformem.*

(Duo hic cumulantur falsa, 1. quod Augustanam Confessionem libris Canonicis præferamus. Imò vero tantum abest, ut præferamus eam Canonicis libris, ut ne quidem exæquemus. Confer præfat. August. Confes. & Formul. Concord. 2. quod Philippus Confessionem Imperatori exhibuerit. Testantur enim Acta istorum Comitiorum publica, quod Electoris Saxonici Cancellarius D. Pontanus eam Secretario Cæsaris Alexandro Schweiß exhibere voluerit, Cæsarem vero Latinum exemplar sua manu ad se recepisse. In ipsa exhibitione D. Pontanus magno ac intrepido animo, Cæsare & Principibus audientibus, dixit: *Divina cooperante gratia ac Deo causam suam agente hæc Confessio etiam contra inferorum portas prævalebit.*)

11. Bellarminus in Judicio de Libro Concord. mendac. 1. tom. 2. controv. pag. 485. *In Præfatione Concordiæ atq́; adeo in ipso principio Præfationis, habetur illustre mendacium de Confessione Augustana, quod videlicet in totum orbem terrarum sparsa ubiq́; percrebuerit, & in ore & sermone omnium esse cœperit. Mox remota Asia, & Africa, & in Europa, Græcia, Italia, Hispania, Gallia, Britannia, magna etiam Germaniæ angulo famam Augustanæ Confessionis dilatatam esse* dicit, ac Electorum, Principumque verba ita παραφράζει: *Augustana Confessio per totum orbem, id est, in quodam angulo Septentrionis, ubiq́; sparsa percrebuit, id est, in aliquot oppidis Germaniæ audiri cœpit.*

Resp. 1. Loquuntur Status Protestantes *de translatione August. Confess. in varias linguas,* qua occasione in plurima regna & provincias fuit disseminata. Cœlestinus tom. 2. Hist. Aug. Conf. pag. 190. b. *Cæsarea Majestas hanc Confessionem per Alphonsum Valdesium & Alexandrum Schweissium Secretarios suos in Hispanicam & Italicam linguam transferri & converti mandavit, id quod Legatus Pontificius Campegius in gratiam nonnullorum Italorum Latinam linguam non intelligentium, à Cæsar. Majest. precibus contendisse & Papæ transmisisse dicitur.* Regum etiam nonnullorum, utpote Gallici, Britannici, Portugalensis; Lotharingiæ & Juliacensis Ducum, aliorumque Principum Legati in suæ gentis idioma quisque transferri hanc Confessionem jussit, ut ad Dominos suos illam mitterent, & de ea judicia ipsorum explorarent. Et hac ratione Confessio Saxonica ferè per totum terrarum orbem fuit disseminata.

2. Sanctius in cap. 1. Act. v. 5. scribit: *Hunc esse Scripturæ morem, cum omnem terram, aut quid simile dicit, ut non absolutè omnem, sed juxta subjectam materiam intelligat.* Adducit ad hoc probandum autoritatem Hieronymi in cap. 13. Esai. qui dicit: *Omnem terram nihil aliud ibi notare, quam terram Babylonis & Chaldæorum.* Affert exempla, Esdræ 1. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, id est, Assyriorum.* Luc. 2. *ut describeretur universus orbis, id est, subjectus Romano Imperio.* Pari ratione cum Protestantes dicunt, *in totum terrarum orbem sparsam esse Augustanam Confessionem,* non simpliciter omnes orbis angulos, sed tùm Romani Imperii pomœria, tùm loca alia extra Imperium ubi aliqua religionis cura fuit, intelligunt.

3. Conqueritur ipse Bellarminus in orat. præfixa tom. 4. Controv. quod fama doctrinæ nostræ longe lateque sit sparsa. *Volantes*, inquit, *currus Apoc. 9. v. 9. miram indicant velocitatem, qua nova ista Secta instar pestiferæ tabis sese per varias regiones diffudit. Nam non contenta Occiduis & Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoq;, ad Meridiem, ad Græcos, ad Indos, ad ipsum novum orbem navigare ausa est.* Et in Præfat. tom. 1. controv. §. Atque utinam. *Quis ignorat, pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam penè totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse, tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse & in Italiam usq; penetrasse?*

(Vera si hæc sunt, falsa sint oportet, quæ de Augustana Confessione narrat, quod uno Septentrionis angulo fama ejus clausa fuerit.)

12. Per contemtum vocant nos *Prædicantes*.

Resp. 1. In versione vulgata, quæ in Concilio Tridentino pronunciata est authentica, non solum de Johanne Baptista & Apostolis, sed etiam de ipso Christo dicitur, quod fuerint *prædicantes*. Matth. 3. v. 1. cap. 4. v. 17. cap. 9. v. 35. cap. 10. vers. 7. & 27. Marc. 1. v. 4. 7. 14. & 39. Luc. 3. v. 3. capit. 4. v. 44. cap. 8. v. 1. &c.

2. Geilerus Kaisersbergius in den Predigten von den Omeissen f. 24. An. 1516. Es sind zu dem andern die Prædicantē/die an der Bischoff statt sitzen/ und auch die / die den Bischoffen an der Seiten sitzen/ als seine Räth seyn. Ergò hoc nomen tanquam honorificum Concionatoribus suis ipsimet Pontificii olim dederunt.

3. Ante annos ducentos amplius Nicolaus de Clemangis Doctor Parisiensis, *præclarissimum prædicandi officium apud Romanenses viluisse*, scripsit.

13. Calumniantur, *in parte posteriore Aug. Confess. minus rectè numerari inter abusus fidei dogmata.*

Resp. Per abusus Aug. Confess. intelligit non tantùm vitia aut errores in rebus externis & adiaphoris, quoad praxin solam, qui errores tamen in fidem Christianam non impingant, sed intelligit *vitium actionis cum vitio cognitionis* conjunctum circa tale objectum, quod vi institutionis divinæ aliter se habet, & quoad conceptum in intellectu de eo formandum, & quoad externum exercitium, quod in moralibus actionibus solet modificari ad modum, quem intellectus de instituenda praxi concepit, ut patet ex subjectis in Aug. Conf. exemplis. Sic etiam in articulis Schmalcaldicis part. 2. art. 2. *Invocatio Sanctorum* dicitur *pars abusuum & errorum Antichristi*. Dicuntur ergò illa, quæ August. Confess. in Pontificiis taxat, *abusus*, non quod error circa has res in illegitima usurpatione solùm consistat, & congruens divino verbo fides circa tales res Papistis concedatur, sed quod hæ res præcipuè in actione consistant, & practica exteriora sint, inhærentia non solùm menti seu cordi humano, sed egredientia foras & erumpentia in externam actionem, cujus tamen actionis, quando corrupta est, causa non est alia, quàm corruptus in animo conceptus, juxta quem actio mensuratur.

14. Accusant nos, *quod ne quidem Ecclesiasticis personis, nedum aliis permittamus Patrum lectionem*. Jacobus Hack Jesuita im gründlichen Bericht auff vier Fragen wider D. Rossanum q. 1. cap. 8. p. 62.

Resp. 1. Nemo ex nostris à lectione Patrum arcetur.

2. Sed junioribus Theologiæ Studiosis suadetur, ut solidum prius fidei fundamentum ex lectione Scripturæ sibi comparent, antequam ad Patrum lectionem accedant.

3. Utilitates ex Patrum lectione expectandas commendamus.

15. Guilielmus Bailius in Catech. controv. quæst. 1. *Donatistarum* hæresin propterea nobis tribuit, quod *in quorundam Ecclesiasticorum mores invehamur, ut toti ordini invidiam conflare possimus.*

Resp. 1. Si Donatistarum hæresis est, in corruptos Ecclesiasticorum quorundam mores invehi, tunc Donatistæ erunt Bernhardus, Baptista Mantuanus, Petrarcha & alii longè plurimi, qui dominante Papali Tyrannide liberrimè Ecclesiasticorum quorundam mores taxarunt.

2. Non ideò Donatistæ hæretici habiti sunt, quod in Ecclesiasticorum mores invecti fuerint, sed initio *schismatici* fuerunt, quia Cæciliano Episcopo falsis intentatis criminibus, quæ probare non poterant, ob solam corruptionem morum, quam prætexebant, cum nullam alioqui moverent de fide controversiam, secessionem fecerunt ab Ecclesia. Eam verò nemo nostrûm justam separationis causam esse dicit, nisi morum corruptionem sequatur, vel notabilis, vel universalis doctrinæ corruptio & *ἀποςασία*.

2. In specie verò convitiis in Lutherum effundendis sunt profusè liberales, quippe cujus *personam*, *doctrinam & vitam* gravissimè insectantur.

1. Lutheri *personam* insectantur hisce potissimum convitiis & calumniis.

1. Nugantur, *ex incubo ipsum esse progenitum*. Roestius in Pseudojubil. & alii.

Resp. 1. Multi ex Patribus negant generationem hominum ex incubis & succubis, Chrysostomus homil. 3. & 22. in Genes. Philastrius Brixiensis in cap. 108. Cassianus lib. 12. Collat. cap. 8.

2. Quidam ex Pontificiis itidem de ea dubitant, quidam etiam eam disertè negant. Dubitant de ea Conimbricenses lib. 1. de generat. & corrupt. cap. 4. q. 10. art. 3. *Seminis*, inquiunt, *virilis pars ea, quæ continet vim illam generativam & prolificam, planè velut aërea est, id est, tenuissima, subtilissima, spumosa, vigensque tenuissimo calore, dissimili caloris ignei & calori siderum affini & cognato, quamobrem pars illa facillimè dissipabilis & expirabilis est. Vereor igitur, ut semen virile extra vasa genitalia aut viri, ubi generatur; aut mulieris, ubi receptum operatur generationem, aliquandiu manens, vim illam prolificam conservet, ac non statim exhalet & perdat. Idem cogitare ac sentire licet de semine virili, quod de spiritibus naturalibus, qui extra humanum corpus nec generari à Dæmone possunt, nec integri & illibati conservari, ita ut refusi humano corpori efficaces sint naturalium suarum functionum.* Dubitant etiam Cajetanus in Comment. super part. 2. Summ. Thomæ art. 3. q. 95. Franciscus Vallesius in sacra Philosoph. cap. 8. Gabriel Prateolus Marcossius lib. 10. hæres. capit. 15. Negant Ulricus Molitor JCtus Doctor Parisiensis in singulari quodam Discursu ad Sigismundum Archiducem Austriæ. Citat etiam Martinus Delrio in Disquis. Magic. lib. 2. q. 15. art. 2. contra hanc sententiam Philippum Broideum, Nicolaum Remigium, Cardanum, Ponzonibium &c.

3. Publicæ illorum temporum Historiæ testantur, Lutherum ex honestis parentibus natum.

4. Si vel maximè immane illud mendacium concederetur, quodnam ex eo præjudicium doctrinæ nostræ accederet? Antonius part. 3. Summ. tit. 2. cap. 2. §. Referat &c. sic scribit: *In Chronico Martiniano legitur de Merlino, quod fuit filius Diaboli, quia scil. conceptus per Monialem ex Dæmone succubo & incubo ipsius.* De eo verò Merlino refert Chronicon Norinbergense typis excusum Anno 1493. pag. 138. quod *pius extiterit & organum salutare, per quod Deus religionem in Anglia propagari voluerit.*

2. Arguunt ipsum, quod irrito ac frustraneo successu miracula edere fuerit conatus. Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 14. §. De nostri seculi &c. *Lutherus bis tentavit miraculum facere, sed periculum fuit, ne ipse à Dæmone occideretur. voluit aliquando de quadam sua discipula Diabolum ejicere, sed pe-* *Vide Staphylum, qui interfuit, in absoluta responsione. Rursum, ut scribit Johannes Cochlæus in Actis Lutheri Anno 1523. Nesenum in Albi miserè submersum, spe miraculi, Lutherus vanis immurmurationibus frustra in vitam revocare tentavit.* Gaultherius in tabulis Chronogr. fol. 378. *Fridericus Staphylus Lutheranismum eò abjecit, quod sui oculis vidisset, Lutherum à Diabolo verberibus tunc exceptum, cum Energumenam liberare niteretur: imò & ita exceptum, ut interclusο à Dæmone ostii exitu semimortuus per fenestram fuerit extrahendus.* Dubitant. Eadem repetunt Wilhelmus Lindanus Dial. 3. Collat. sacrar. capit. 1. Tilemannus Bredenbachius libr. 7. Witeberg. capit. 5. Tribonianus Cassius in Pseudojubil. pag. 237.

Resp. 1. Lutherus tom. 1. Jen. Germ. in libro an den Christlichen Adel Deutscher Nation/ fol. 324. sic scribit: Wunder und Plagen bewären nichts / sonderlich in dieser letzten ärgsten Zeit/ von welcher falsche Wunder verkündiget sind in aller Schrifft. Darumb müssen wir uns an die Wort GOttes halten / mit festem Glauben/ so wird der Teuffel seine Wunder wol lassen.

Idem tom. 6. Jenens. Germ. fol. 299. b. Leibliche Miracul und Zeichen sind nit ewig/ und auch nit gemein. Denn daran ligt ihm nichts/ thut sie allein umb unsert willē/ daß die Christenheit anfahe zu gläuben. Nun aber Christus mit seiner Tauffe angenommen ist/ und

und die Abgötterey auffgehöret / daß auch Könige und Fürsten (die zuvor Heyden gewest) den Namen Christi führen / höret er auff mit Wunderzeichen/ so zuvor geschehen waren / die Abgötterey auszurotten und den Glauben zu pflantzen. Darumb darff man jetzt nicht fragen/ warumb nicht mehr solche Wunderzeichen geschehen / denn warumb oder wozu solten sie geschehen / weil die Lehre nun gewiß/ und bestätiget ist? Und so man jetzt wolte mehr solche Zeichen fordern/ das were so viel gesagt/ ich zweiffelte/ ob die Tauffe/ Sacrament/ ja alle Lehre des Evangelii recht sey/ die doch nu lengsten angenommen und so gewaltiglich bestetiget ist / daß billich solche Wunderzeichen auffgehöret haben.

Tom. 7. fol. 195. Weil wir nun solche Weissagung gewiß haben und bißher also ergehet/ (welches ist ein gewiß Zeichen der rechten Lehre) so ist nun nicht mehr Noth Wunderwerck zu thun/ solche Lehre zu bestettigen. Denn dieselben sind erstlich darumb gegeben/ daß durch solche mitfolgende Zeichen/ (wie S. Marcus am letzten sagt) die newe Predigt der Apostel bestetiget würde. Wir aber haben diese Predigt nicht newe gemacht / sondern eben die alte bestetigte Lehre der Apostel wider herfür bracht / wie wir auch keine newe Tauffe/ Sacrament/ Vater unser/ Glauben gemacht / ja nichts newes in der Christenheit haben wollen/ sondern allein ob dem alten (so Christus und die Apostel hinter sich gelassen und uns gegeben) streiten und halten. Aber das haben wir gethan / da wir solches alles gefunden/ durch den Pabst mit seiner Menschen-Lehre vertunckelt / ja mit dickem Staub und Spinnweben und allerley Unziefers Geschmeiß behengt / dazu in Koth geworffen und vertreten / haben wir es durch Gottes Gnade wider herfür gezogen/ von solchem Geschmeiß gereiniget/ denn Staub abgewischet/ gefeget und ans Liecht gebracht/ daß es wieder rein glänzet und jederman sehen kan / was das Evangelium/ Tauffe/ Sacrament/ Schlüssel/ Gebet und alles sey/ was uns Christus gegeben hat / und wie man das seliglich brauchē soll.

In Postill. Eccles. Domin. II. Adv. in Explic. Epist. sic scribit: *Non fidendum est miracusis, quæ fieri, vel mentiuntur, vel etiam verè prædicant, sed soli doctrinæ Christi & Apostolorum.* Ibid. in festo Ascensionis homil. 2 *Apostoli ediderunt signa ad Evangelii confirmationem. Postquam verò Evangelium latè propagatum est & universo mundo promulgatum, non est opus porrò miracula facere.* (Ergo Lutherus non est gloriatus de miraculis, nec judicavit, miracula externa ad confirmationem doctrinæ esse hoc tempore necessaria, nec tentavit miracula edere: quinimò Deum oravit, ne sibi ostenderet miracula, cum verbo sit contentus.)

2. Sed nec sibi arrogavit Lutherus potestatem, Dæmonas extraordinaria quodam miraculo ejiciendi. In Colloq. mensal. fol. 101. edit. Lips. (fol. 204. edit. Isleb.) sic loquitur: Wir sollen jetzt nicht und können auch nicht die Teuffel austreiben mit gewissen Ceremonien und Worten/ wie vor Zeiten die Propheten/ Christus und die Apostel gethan. Beten sollen wir im Namen Christi/ und die Kirche mit Ernst vermahnen zum Gebet/ daß der liebe GOtt und Vater unsers HErrn JESU Christi durch seine Barmhertzigkeit den besessenen Menschen wolle erlösen / geschicht nun solches im Glauben auff Christi Zusage: Warlich/ warlich ich sage euch/ was ihr den Vater bitten werdet/ wird er euch geben / so ist es starck und kräfftig / daß der Teuffel aus dem Menschen weichen muß/ wie ich etliche Exempel erzehlen könte: sonst können wir die bösen Geister nicht austreiben/ vermögen es auch nicht zu thun. Wo aber einer were ohne Mittel von Gott beruffen/ und einen Glauben hette Wunder zu thun/ der könte Teuffel austreiben / so den Menschen leiblich besitzen/ wie vor Zeiten die Propheten und Apostel ꝛc. Er lest sich nicht mit schlechten Worten austreiben / als da sind / Fahr aus du unreiner Geist / ꝛc. So habens auch die Beschwerer im Papstthumb mit Ernst nicht gemeinet / die Krafft GOttes muß es thun/ und muß einer sein Leben dran setzen / daß ihm der Teuffel bange gnug machet/ ohne Schrecken gehets nicht abe ꝛc.

3. Historia de obsessa ex Frid. Staphylo Apostata adducitur, quam longè aliter recitat M. Sebast. Fröschelius αὐτόπτης in quadam Concione de Diabolo, (quæ allegatur in Promptuar. Exempl. Sturmii part. 1. fol. 139. b.) *Diabolum à quodam obsesso per preces Lutheri & Ecclesiæ verè expulsum, & chirographum à quodam, Diabolo datum ad preces Lutheri relatum esse*, memorat Foxus in Martyrol. p. 864.

4. Historia de Neseno itidem ex Joh. Cochlæo & Laurentio Surio Scriptoribus mendacissimis recitatur, qui nec de nativitate, nec de obitu Lutheri vera narrare potuerunt. Meritò igitur hic urgemus regulam Juris Canonici: *Testi, alteri parti inimico, non creditur.* c. Per tuas. & ibi Glossa. in verbo inimicitias capitales. extra. de Simoniacis, c. Accusat. & ibi Glossa caus. 3. q. 5. arg. l. Licet. ff. de arbitrio. & in Authen. de Testibus §. Si vero dicatur, vers. Si vero quis dicat.

5. Surius in Comm. rerum in orbe gestar. Anno 1546. p. 415. fabulam de Neseno non nisi *parentheticè* narrat. Bucholzer. in Chron. refert, *parentem suum ripa tum astitisse Luthero, & suis oculis hæc vidisse, atq; audisse, quod Lutherus vehementer doluerit, & hæc verba addiderit: Si possem miracula edere nunc te excitarem.* (Ergò non tentavit eum excitare.)

6. De Jesuitis rectius dici posset, quod frustraneo successu miracula edere conati fuerint. Baruch. Molithoræus in novis Jesuiticis p. 38. *Quam doctrinam confirmavit Pater Georgius Schererus, cum Viennæ pessime cuidam homini persuaderet, ut sese mortuum simularet, ac feretro sese imponi pateretur, quem cum Jesuita ex composito suscitare vellet, verè mortuus est repertus?* Huc pertinent Historiæ de *Patre Justiniano lepram simulante, ut ex sanatione miraculum fabricaret; de Jesuita Augustano in spectrum se transformante, sed pugione confosso &c.*

3. Accusant ipsum ruditatis & inscitiæ. Lorinus in Comment. 2. Petr. 2. vers. 12. *Lutherus fassus fuit ignorantiam Hebrææ ac Græcæ linguæ in Colloq. Mensal. tom. 1 fol. 187. Hieronymum vocat Presbyterum Lugdunensem, Irenæum Stridonensem; illum anno vixisse 414. istum 422. Lyranum 320. tom. 2. Colloq. fol. 138. &c.*

Resp. 1. Quid de libro Convivalium sermonum statuendum sit, postea videbimus. Certum est, eum à Luthero, nec editum, nec visum, nec approbatum.

2. Versio Scripturæ sacræ in linguam vernaculam ostendit, Lutherum & Hebrææ & Græcæ linguæ apprimè gnarum fuisse.

3. In edit. Colloq. mensal. Islebiensi Anno 1566. cap. 58. fol. 529. sic habetur: *Hieronymus Presbyter & Senior Stridonensis vixit Anno 422. Irenæus Episcopus Lugdunensis Anno 175.* (Additur quidem ibidem, quod *Lyranus vixerit Anno 320.* sed hic vel est erratum μνημονευτικὸν in Aurifabro, libri hujus Collectore, vel σφάλμα Typographicum. Lutherus enim accuratissimè noverat, Lyranum non esse antiquiorem Augustino.)

4. Ignorantiam Hebrææ & Græcæ linguæ inter Sacrificulos Missaticos & Monachos quærat Lorinus, inter quos *Fratres ignorantiæ* peculiarem constituunt Ordinem, sed qui hodiè per omnes reliquos Ordines vagatur. Inde versus:

Cavisti bene tu, ne te ulla occidere possit
Litera, nam nulla est litera nota tibi.

4. Fabulantur de ipso, quod infami αὐτοχειρίας morte perierit.

Cornelius à Lapide in Comment. 2. Pet. 2. v. 12. sic scribit: *Lutherum, cum vesperi lautè cœnasset, noctu desperatione & furiis Dæmonis actum sibi injecto laqueo necem intulisse, asseruit ejus famulus, postea ad orthodoxam fidem conversus, uti refert Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ tom. 2. lib 23. cap. 3.*

Resp. 1. Ne ipse quidem Cochlæus mendacissimus αὐτοχειρίαν Luthero tribuit. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 17. §. Lutherus &c. ex Cochlæi lib. de vita Lutheri hæc adducit: *Lutherus morte repentina sublatus est. Nam cum vesperi opiparam cœnam sumpsisset, lætus & sanus, & facetiis suis omnes ad risum provocasset, eadem nocte mortuus est.*

2. Nec amico laudanti, nec inimico detrahenti credendum. Ergò nec Cochlæo, nec Bozio, nec Bellarmino, nec Cornelio juratis Lutheri hostibus.

3. Quis fuerit ille *Lutheri famulus*, ad cujus testimonium Bozius provocat, ne verbulo quidem indicat, nec indicare etiam potuit. Figmenta hæc sunt otiosorum ac malitiosorum hominum.

4. Extat Historia de Lutheri morte à viris fide dignis, qui ipsimet præsentes ei fuere, conscripta, videlicet à Justo Jona, Michaele Cœlio, Johanne Aurifabro &c. qui coram Deo & in conspectu Christi testantur, quod *sancta fide & bona conscientia Historiam obitus referant*, quæ habetur tom. 8. operum Lutheri Jenens. Germ. Summam istorum omnium commemorat Sleidanus lib. 16. Comm. pag. 488. ubi etiam precationem novissimam, per quam Lutherus animulam suam Deo commendavit, recitat.

5. Jacobus Augustus Thuanus lib. 2. Hist. p. 30. eodem modo Lutheri obitum describit: *Sub id tempus* inquit, *Martinus Lutherus, turbarum contra Pontificiam autoritatem concitatarum*

autor, annos natus 63, in patria Islebia, quod est Mansfeldicæ Ditionis oppidum, moritur 12. Calend. Martias, illuc Witenbergâ, ubi docebat, à Mansfeldiis Comitibus vocatus & arbiter electus, ut dissidium, quod inter ipsos de finibus & hereditate erat, componeret. Post cœnam proximè ante noctem, qua decessit, cùm rogaretur, num in illa altera vita simus alter alterum agnituri, ita esse ajebat, & Scripturis confirmabat.

6. Laurentius Surius in Comment. rerum in orbe gestarum p. 474. edit. Ann. 66. recitat ultimam Lutheri precatiunculam. De αὐτοχειρίᾳ verbum nullum.

5. Quòd corpus ipsius post mortem intolerabilem fœtorem emiserit.

Bellarminus libr. 4. de Eccles. cap. 14. §. Rursum. *Lutherus, quamvis viventi miracula non successerint, idem tamen post mortem miraculo insigni claruit. Nam ejus cadaver, cùm deferretur in media hyeme, quo tempore corpora mortua in multos dies conservari solent, & esset inclusum in arca stannea optimè clausa, ut Witenbergæ sepeliretur, tam tetrum odorem spirare cœpit, ut nemo eum ferre potuerit, proinde coacti fuerunt corpus relinquere in itinere. Vide Historiolam de morte Lutheri, quæ solet annecti libro Cochlæi de vita & actis ejusdem Lutheri.*

Resp. 1. Jacobus Augustus Thuanus d. l. *Ut certatim eum* (Lutherum) *vivum multi complexi, sic nec morte quidem ab ejus amore divelli poterant. Mansfeldii siquidem cadaver, quòd hinc originem duceret, in suis finibus sepeliri debere contendebant; sed vicit Johannis Friderici autoritas, qui, ut Witebergam referretur, atq; ibi terræ honorificè mandaretur, obtinuit.* (Ergòne de corpore, tàm tetrum & intolerabilem fœtorem emittente, tàm amica inter amantissimos defuncti oriri potuit contentio? Ergòne corpus tam tetrum fœtorem exhalans *honorificè* terræ mandatum? & quidem *honorificentiùs, quam multorum Principum corpora*, ut Melanchthon memorat.)

2. Si in itinere corpus defuncti relictum, quid tandem de eo factum? & quid sibi vult sepulchrum Lutheri in templo arcis Witebergæ omnibus conspicuum?

3. Vivo adhuc Luthero Adversarii ipsius fabulam sparserunt *de Tragico ipsius obitu*, quam Lutherus in vivis adhuc existens masculè confutavit tom. 8. Jenens. Germ. fol. 206.

2. Lutheri *doctrinam* non minoribus onerant convitiis & calumniis.

Accusant enim ipsum,

1. Quòd Christum & Scripturam invicem opposuerit, quodq; negaverit Scripturas sacras, cumprimis Mosen & Mosaica scripta esse summæ autoritatis.

2. Quòd Canonicam autoritatem libro Jobi detraxerit.

3. Quòd Ecclesiasten è Canonicæ autoritatis solio deturbarit.

4. Quod negaverit Canticum Canticorum valere ad confirmanda Ecclesiæ dogmata.

5. Quod optaverit, hæresin illam vigere ac florere, quæ nullum Evangelistam agnoscit præter unum Johannem.

6. Quod Biblia pessima fide converterit.

7. Quod conatus fuerit hoc assequi, ut ipse unus non solùm pro omnibus Patribus & Conciliis, sed etiam pro omnibus divinis literis haberetur.

8. Quod negaverit consequentias ex Scriptura deductas.

Quid de hisce ἐγκλήμασι statuendum, videbimus lib. 2. in Appendice art. 1. membr. 2.

9. Quod voculam ὁμοούσιος in mysterio Trinitatis repudiaverit.

10. Quod nomen Trinitatis ipsi displicuerit, & ex Germanorum precibus illam precandi formulam submoverit: Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.

11. Quod Trinitatis mysterium oblique impugnaverit, submovendo ex Bibliis Germanicis dictum 1. Joh. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo.

12. Quod Arianismi sese reum fecerit propterea, quod אל *Esai. 9. v. 6. reddiderit per vocem Germanicam* Krafft.

13. Quod Eutychianismo nomen dederit, docens, Christi divinitatem esse passam.

14. Quod docuerit, Christi animam apud inferos damnatorum pœnas exolvisse.

15. Quod salutem gentilibus cognitione Christi destitutis tribuerit.

Quid de hisce ἐγκλήμασι judicandum sit, videbimus in Appendice artic. 2. membr. 2.

16. Quod omnium Conciliorum autoritatem rejiciat.

17. Quod reprehendat Concilium Apostolicum Act. 15.

Hæc ἐγκλήματα excutiemus in Appendic. art. 4. memb. 2.

18. Quod notas Ecclesiæ in Symbolo Constantinopolitano assignatas repudiaverit.

19. Quod in Symbolo Apostolico pro Catholica Ecclesia mala fide substituerit Christianam.

Ad hæc ἐγκλήματα respondebitur in Append. art. 5. memb. 2.

20. Quod potestatem docendi fecerit omnibus Christianis communem.

21. Quod Doctoralem dignitatem tanquam novam vocationis speciem excogitaverit.

22. Quod docuerit, etiam fœminas ad Ministerium eligi debere.

His ἐγκλήμασι satisfiet in Append. art. 6. memb. 2.

23. Quod Anabaptistæ erroris sui de Magistratu occasionem sumserint ex verbis Lutheri in lib. de capt. Babyl.

24. Quod docuerit, non licere Christianis bellum contra Turcam gerere.

25. Quod sua doctrina rusticorum seditionem excitarit.

26. Quod Magistratui obedientiam denegandam esse docuerit.

27. Quod Imperatorem, Reges, Principes in scriptis suis durissimè tractaverit, & hac ratione contemtum Magistratus induxerit.

28. Quod docuerit, non licere Christianis petere coram judice injuriæ reparationem.

29. Quod docuerit, curam rerum Ecclesiasticarum non pertinere ad Magistratus Politicos.

Quid veri hisce ἐγκλήμασι subsit, videbimus in Appendice art. 8. memb. 2.

30. Quod Purgatorium primum planè Catholicè admiserit; deinde admiserit quidem, sed multis admixtis erroribus; tandem verò simpliciter illud sustulerit.

31. Quod Purgatorium ad mortem usq; & crediderit, & docuerit.

32. Quod infernum statuerit merum somnium & figmentum humanum.

33. Quod negaverit animæ immortalitatem, contra verò statuerit, animas absq; omni sensu & intellectu mortuas manere usq; ad diem novissimum.

Hisce ἐγκλήμασι satisfiet in Appendice art. 9. memb. 2.

34. Quod docuerit, animas Sanctorum usq; ad diem judicii servari in abditis quibusdam receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe.

35. Quod statuerit, nos omnes æque Sanctos esse, ac est B. Virgo.

Hæc tela Luthero intentata amoliemur in Appendice articuli 10 cap. 2. memb. 2.

36. Quod Apostolorum, Martyrum & aliorum Sanctorum memoriam voluerit abolitam.

Huic accusationi scutum obvertetur in Append. d. art. cap. 3. memb. 2.

37. Quod docuerit, quemvis hominem baptizatum habere jus & potestatem administrandi Sacramenta.

38. Quod neget, certa verba in Sacramentis requiri.

39. Quod abhorreat à nomine Sacramenti.

40. Quod non plus tribuat Sacramentis, quam Ceremoniis Leviticis.

41. Quod rideat Patrum sententiam de sacrificio Abelis per ignem cælitus delapsum accenso.

Hisce ἐγκλήμασι satisfiet in Append. art. 11. membr. 2.

42. Quod quovis liquore baptizari posse statuat.

23. Quod Baptismum quocunq; modo traditum, modò non in nomine hominis, sed Dei tradatur, salvum facere statuat.

44. Quod infantibus in Baptismo fidem necessariam esse neget.

45. Quod semina Anabaptistici erroris sparserit, negando Pædobaptismum ex Scripturis clare probari posse.

Ad hæc ἐγκλήματα responsum dabitur in Append. art. 12. memb. 2.

46. Quod sparserit semina erroris Sacramentarii.

47. Quod statuerit, optimam ad Eucharistiæ usum dispositionem esse eam, qua quis pessimè est dispositus.

48. Quod negaverit, ad dignam præparationem requiri pœnitentiam.

49. Quod utramq; speciem modo liberam, modo necessariã fecerit.

50. Quod verum Sacramentum percipi docuerit, etiamsi quis hostiam non consecratam accipiat.

51. Quod Christum esse impanatum docuerit.

Ad hæc ἐγκλήματα respondebitur in Appẽd. art. 15. memb. 2.

52. Quod à pœnitentia homines averterit.

53. Quod negaverit, pœnitentiam includere odium vel dolorem de vita præterita, sed tantum vitæ emendationem.

54. Quod

54. *Quòd statuerit, Contritionem, quæ paratur per detestationem peccatorum, facere hypocritam, imò magis peccatorem.*

55. *Quòd docuerit, Contritionem in homine aut hypocrisin, aut desperationem gignere.*

56. *Quòd statuerit, in Sacramento pœnitentiæ & remissione culpæ non plus facere Papam, Episcopum, Sacerdotem, quam quemlibet Christianum, etiam fœminam & puerum.*

57. *Quòd initiò negaverit, ullam pœnam à Deo exigi post culpam.*

Hæ accusationes expendentur in Append. art. 16. membr. 2.

58. *Quòd mulierem conjugatam coram Deo meliorem statuat, quam est virgo.*

59. *Quòd mulieres non nisi ad matrimonium creatas fuisse, dicat.*

60. *Quòd statuat, in V. Test. non licuisse carere uxore.*

61. *Quòd asserat Ecclesiam primitivam in totum ignorasse cujusvis rei vovendæ usum.*

62. *Quòd Polygamiam in N. T. approbat.*

63. *Quòd statuat, matrimonium æque sanctum esse apud fideles & infideles.*

64. *Quòd suppleverit Orationem Dominicam hisce verbis: Domine Deus, da uxorem & panem quotidianum.*

65. *Quòd suaserit, si mulier impotentem habeat maritum, ut cum consensu viri alteri misceatur, vel si vir consentire nollet, contracto matrimonio cum altero confugiat in locum remotum.*

66. *Quòd marito, cui uxor denegat conjugale debitum, permiserit scortari cum ancilla.*

67. *Quòd docuerit, concubitum æquè necessarium esse omnibus, ac edere, bibere, dormire.*

Ad has accusationes respondebitur in Append. art. 19. memb. 2.

68. *Quòd Deum statuat autorem peccati.*

69. *Quòd asserat, etiam illud velle, quo Judas voluit Christum prodere, fuisse opus Dei.*

70. *Quòd neget, primos parentes peccasse.*

71. *Quòd doceat, peccatum esse ipsam hominis substantiam.*

72. *Quòd statuat, peccata omnia esse paria.*

Responsum ad hæc ἐγκλήματα sequetur in Append. art. 21. membr. 2.

73. *Quòd negaverit, Deum esse liberi arbitrii.*

74. *Quòd omnem omninò, etiam in externis & civilibus actionibus, voluntatis humanæ libertatem negaverit.*

75. *Quòd per insignem temeritatem nomen liberi arbitrii mutaverit in servum.*

76. *Quòd docuerit, omnia absoluta necessitate fieri.*

Responsum sequetur in Append. artic. 22. membr. 2.

77. *Quòd invenerit hoc dogma de Justificatione per solam fidem.*

Satisfiet huic calumniæ in Appendice art. 23. membr. 2.

Præter hæc ἐγκλήματα Luthero tribuunt,

78. *Quòd veteres hæreses ex orco revocaverit.* Alphonsus à Castro libr. 12. advers. hæreses, verbo, Pœnitentia, hæresi 1. *Lutherus, cùm plures, quàm centum huc usque prodiderit errores, vix tres aut quatuor reperiuntur, quos non hauserit ex putridis lacubus hæreticorum jamdiu ab Ecclesia ejectorum.*

Resp. 1. Lutherus non revocavit antiquas hæreses, sed novitates, errores & superstitiones, per Papam in Ecclesiam introductas, oppugnavit, & antiquam fidei Apostolicæ doctrinam renovavit.

2. De Pontificiis suo loco demonstratum fuit, quòd hæreses antiquas in Ecclesiæ proscenium introduxerint.

79. *Quòd scientias speculativas dixerit esse errores.* Idem Alphonsus lib. 13. adv. hæres. verbo, Scientia. *Nihil est, quod non tentarit Lutherus, qui non est contentus, omnia hominum opera damnare & de peccato notare, nisi etiam scientias omnes infamasset. Nam dicit scientias omnes speculativas errores esse dicendas. Quis jam ferre poterit hominem tam temerarium & effrontem, qui non solum ea, quæ fides docet, negat, sed illa, quæ sunt evidenti veritate manifesta, condemnat? Credo firmiter, illum nescire, quid sit error, quoniam si scivisset, nunquam dixisset, omnes speculativas scientias esse errores. Pugnant enim inter se scientia & error, quo fit, ut nunquam in unum coire possint. Si scientia est, error esse non potest; si error est, scientia immerito dicitur.*

Resp. 1. Aliud est errorem dici formaliter, aliud errores admixtos habere. Prius non dicit Lutherus, sed posterius.

2. Scientiæ considerantur, vel in se & per se in sua sphæra; vel quando supra suam sphæram elevantur, & axiomata illarum ad mysteria fidei malè applicantur.

80. *Quod omnes gradus Academicos sustulerit.* Jacobus Gretserus in Luthero Academico cap. 3. p. 23.

Resp. 1. Imò verò Lutherus Carolstadium honores Academicos sugillantem graviter reprehendit. Carolstadius Witebergæ 3. Febr. Ann. 1522. in publico Theologicæ promotionis actu, cum binos Theologiæ Doctores Joh. Westermannum, & Gotschalcum Crapium renunciaret, palàm est professus, *se impiè facere, quod propter duos florenos promoveret, seq; posthac ne ullum quidem in quemvis gradum provecturum.* Quas voces Lutherus in libro Statutorum Collegii Theologici appellat *sacrilegas, ex blasphemo ore prolatas.*

2. Seratius & Thomas Henrici Luthero tribuunt, quod Doctoralem dignitatem, tanquam novam vocationis speciem, excogitaverit. (Quomodo igitur gradus Academicos contemsit?)

81. *Quod Spiritum tenebrarum habuerit præceptorem, à quo in negotio Eucharistiæ sit institutus.* Seratius, Becanus, Gretserus, Pazmannus, Cornelius à Lapide in Comment. 2. Petr. 2. v. 4. Tannerus part. 1. Anat. Aug. Conf. Demonstr. 6. &c.

Resp. 1. Aliud est institutio, aliud tentatio. Diabolus non accessit ad Lutherum, *ut Doctor*, sed invasit eum, *ut Tentator*, quo in casu Satanas alienam personam induit & veritatem loquens assumit eandem in perniciem ejus, quem tentat, uti constat ex Matth. 8. v. 29. Marc. 1. v. 24. Act. 16. v. 17. Sic ad peccatum illiciens exaggerat *Dei misericordiam*; ad desperationem impellens inculcat *Dei justitiam*. Neque tamen quisquam sanæ mentis ei, qui ex tentationibus illis eluctatur, objicere potest vel debet, quòd Satanæ Magisterio didicerit, Deum misericordem & justum esse. Diabolo erat propositum, Lutherum ad desperationem sollicitare, ad quem finem obtinendum assumsit id, quod erat certissimæ veritatis, videl. *Missam privatam esse idololatricam, ideoq; Lutherum gravissimè peccasse, tot annos Missas celebrando*; ubi Lutherus nec potuit, nec debuit negare, quod à Diabolo tanquam certum præsupponebatur, id enim ipsemet ex institutione Eucharistiæ cognitum habebat; sed consequentiam negavit, ac negare etiam debuit, quòd scilicet propterea sit desperandum.

2. Diabolus non apparuit in illa σοφράζει Luthero αὐτοπροσώπως in forma externa, nec cum ipso locutus est αὐτοφώνως, quia Lutherus descriptionem illius Historiæ, quæ habetur tom. 6. Jen. Germ. in lib. de Missa angulari Ann. 32. fol. 82. sic orditur: *Mihi in corde meo Diabolus istam disputationem incipiebat.*

3. Nec eo fine Lutherus hanc cum Diabolo habitam Disputationem consignavit, ac si Diabolum in abrogatione Missæ privatæ præceptorem agnosceret, siquidem jam antè ex verbo Dei cognoverat, quid in Missa privata cum Christi institutione pugnet, sed ut suo exemplo comprobatum daret, quam lubrico & incerto Papales illæ rationes nitantur fundamento, & quam omnino non possit illis mens Christiana in tentationibus acquiescere, quas rationes pro stabilienda Missa privata solent afferre; quem esse genuinum totius illius narrationis scopum integer contextus docet.

4. Doctrinam suam de abominatione Missæ privatæ hausit Lutherus ex verbo Dei, nec ullum alium fidei suæ Magistrum agnovit, quam Christum. Extant conciones quædam tom. 1. Witeb. Latin. quas Lutherus, ut testatur fol. 92. habuit in Sacello quodam Collegii Augustinianorum Ann. 1517. & 1518. atque ita triennio antè, quam in arcem Wartburg propè Isenacum deductus est, ubi hæc tentatio contigit, sicut ex initio libri de Missa angulari tom. 6. Germ. Jen. fol. 82. colligitur. In illis concionibus expressè rejicit Missam privatam, proindè non demùm ex Diabolo didicit, sed longè antè scivit & professus est, Missam angularem esse Dominicæ Institutioni adversam.

5. Quòd si vel maximè Lutherus cum Diabolo collocutus fuisset, non posset ei hoc nomine tribui, quod Diabolum habuerit Præceptorem, nisi Christum ipsum eodem nomine accusare velimus. Matt. 4. v. 4. 7. & 10. Quoties in Legendis Sancti dicuntur cum Diabolo locuti? In precatiunculis Germanicis sanctæ Brigittæ Augustæ Vindelicorum apud Davidem Francken Ann. 1619. excusis, hæc narrantur: *Apparuit Dæmon Bernhardo jactans, se scire verba Psalterii quædam, quæ si vera devotione quis precatus quotidiè fuerit, non tantum non damnabitur, sed & longævus erit. Bernhardus, ut verba ista revelet Dæmon, petit. Cùm verò abnuisset, regerit Bernhardus, velle se indies universum percurrere cum devotione Psalterium, atque ita etiam verba illa ad Deum fundere.*

Hoc audito Dæmon nutui Bernhardi paruit, *& ne nimium boni operaretur Bernhardus, verba illa edisseruit, quæ sunt: O mitis Domine Jesu, illumina oculos meos, ne in morte obdormiam, ne inimicus meus dicat, se vicisse*, & quæ sunt similia ibi enumerata. Eadem mihi aliquando ostendit in vetusto quodam precationum Enchiridio, quod adhuc secum habet, Theologus præclarissimus D. Jacobus Martini Witeberg. Academ. Prof. primarius, affinis meus & in Christo frater honorandus. (Si commentum hoc de Bernhardo verum, non solùm cum Diabolo locutus est, sed etiam quædam ab ipso didicit.) Francisc. Mendoza in Comm. 1. Regum. 5. n. 6. tom. 2. p. 313. *Diabolus sub forma simiæ dicitur apparuisse D. Dominico, ut recitantem preces Canonicas interturbaret, quem sanctissimus vir stare compulit, & quietum ac immobilem prætendere lucernam, dum ipse precaretur.*

6. Quod si Pontificii desiderant exempla eorum, qui Diabolos habuerunt Magistros, Historias suorum Pontificum, præsertim Sylvestri II. Benedicti VIII. Gregorii VII. &c. evolvant. Polyd. Virgil. lib. 6. de rer. invent. cap. 9. *Festi omnium animarum* occasionem & originem *ad Diabolos lamentantes* refert, quibus mendacibus Spiritibus Odilo Abbas Cluniacensis credens, festum illud instituit Anno 1002. ut Petrus Damianus & Durandus lib. 7. cap. 35. testantur.

7. Diabolus antiquus ille serpens Missam modò oppugnat, modò ad eam hortatur. Refert Delrius lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 1. q 3. § 5. ex Surio, *Diabolum aliquando in specie Angelica cuidam Abbati apparuisse, eumq́ hortatum fuisse, ut Missam celebraret.* Ergò ex Diaboli, vel approbatione, vel impugnatione de Missa nihil certi statui potest, sed ex verbo Dei, cum quo exactissimè consentiunt argumenta, quibus in corde Lutheri Diabolus eam impugnavit, fine tamen pessimo, videlicet, ut ad desperationem ipsum impelleret.

82. *Quod de iis, quæ docuit, ipse fuerit incertus*, Pazman. lib. 3. Hodeg. testim. 13. fals. Cochlæus, Pistorius &c.

Resp. Lutherus ipse de πληροφορίᾳ fidei suæ testatur, nam tom. 1. Jen. Germ. sic. disserit: *Audeo Jesum Christum judicem futurum testem invocare in animam meam, quod aliter docere non possim, quam ut hactenus docui, neq́ alicujus doctrinæ, quæ doctrinæ Christi & mandatis Dei adversetur, mihi conscius sum, neq́ à quoquā adhuc convictus sum. Quid ergo faciam? Lucrum aliquod non quæro, & si maximè quærerem, non tamen invenirem, cum tam multi sint meorum adversariorum, qui me infensissimè oderunt. Multò minus gloriam quærere possum in summa mea ignominia.*

Tom. 2. Jen. Germ. fol. 106. *Certus sum, quod Christus me pro Ecclesiaste, vel Evangelista suo habeat, qui doctrinæ meæ autor est, & in die novissimo testabitur, quod non doctrina mea sit, sed suum Evangelium.*

Et paulò post: *Doctrinæ meæ rationem reddam coram toto mundo, & non patiar eam neq́ à quoquam, neq́ ab Angelis quidem judicari. Nam cum certo sciam eam esse veram, per eam vester & Angelorum omnium, sicut Paulus Gal. 1. judex ero, quod, qui eam non recepit, salvari non possit.*

Tom. eod. f. 70. ad Fridericum Sapientem Electorem Saxoniæ scribit: *Se Evangelium suum non habere ab hominibus, sed è cœlo per Dominum nostrum Jesum Christum. Quod autem ad judiciū aliorum provocarit, non ideo factum, q. dubitaret, sed ex abundante humilitate, ut & alios invitaret.*

Tom. 3. Jen. Germ. fol. 335. contra Regem Angliæ: *Ego lætius deinceps vivam & moriar, cum conscientiam hanc habeam in vita ac morte, quod summa diligentia mundo consulere volui, sacramque Scripturam ita manifestavi, ut mille ab hinc annis factum non est.*

Tom. eod. in Confessione majore fol. 513. *Hæc est fides mea, nam ita credunt omnes veri Christiani, & ita docet sacrosancta Scriptura, & quod hic sufficienter satis non dixi, id supplebunt libri mei, præsertim posteriores. Oro autem bonos omnes, ut hujus rei testes mihi sint, & pro me orent, ut in hac fide constans persistam usq́ ad finem vitæ. Nam (quod Deus prohibeat) si ex tentatione & in ultimo agone mortis aliquid aliud dixero, nihil erit, & hoc ipso testificor, falsum illud esse & Diaboli instinctu profectum.*

83. *Quod fuerit inconstans, ac singulis fermè annis Confessionem suam mutaverit, cumprimis verò initio reformationis longe aliter docuerit, quam annis posterioribus.* Cochlæus, Pistorius, Vetterus &c.

Resp. 1. Lutherus ipse ad hoc ἔγκλημα respondet in Præfat. tom. 1. oper. Latin. præfixa: *Ante omnia oro pium Lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrū Jesum Christum, ut ista legat cum judicio & multa misericordia; & sciat, me fuisse aliquando Monachum & Papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imò submersum in dogmatibus Papæ, ut paratissimus fuerim omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel una syllaba obædientiam detrectarent &c. Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa & magna humillimè concesserim Papæ, quæ posterioribus & istis temporibus pro summa blasphemia & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie Lector, vel (ut ipsi calumniantur) antilogiam tempori & imperitiæ meæ.*

2. Ad ἔγκλημα de antilogiis respondet tom. 7. Jenens. fol. 247. Es sind viel Sprüche in der Schrifft / die nach dem Buchstaben widereinander sind / aber wo die Ursachen angezeiget werden / ist alles recht. Halte auch wol dafür / daß alle Juristen und Medici solches in ihren Büchern auch überaus viel finden werden. Und was ist alles Wesen der Menschen / den eitel antilogiæ oder widerwertiges Ding / biß man die Sachen höret? Darumb sind meine Antilogisten treffliche feine fromme Säue und Esel / die meine Antilogien zusammen klauben / und lassen die Ursachen anstehen, ja vertunckeln sie mit Fleiß / gerade als köndte ich nicht mit aus ihren Büchern Antilogias fürtragen / da sie auch nicht mit einiger Ursach zu vergleichen sind. Confer Præfationem artic. Schmalc. tom 6. Jen. f. 544.

3. Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 2. pag. 6. sic scribit: *Ecclesia est sicut aurora, cujus lumen subinde crescit, ex quo fit, ut multa nunc sciamus, quæ à primis Patribus dubitata, aut prorsus ignorata fuere.* (Atqui si Ecclesiæ non potest vitio verti, quod in scientia ac doctrina proficit, utiq; nec Luthero idem vitio verti poterit.)

3. *Vitam* Lutheri non minoribus onerant conviciis.

1. Becanus lib. de Eccles. q. 3. concl 10. n. 105. de ipso scribit, quod vitæ improbitate fuerit *infamis*. Campianus, Ungersdorffius & alii ipsum accusant, quod fuerit *meribibulus*.

Resp. 1. Quidam ex ipsis Pontificiis vitam Lutheri probarunt. Joh. Fischerus Episcop. Roffensis art. 34. adv. Lutherum adducit piam Lutheri admonitionem: *Quanto rectius faceremus, si primum orationibus, imò totius vitæ mutata ratione Deum propitiū faceremus?* & subjungit: *Nemo, qui sapit, tuæ*, Luthere, *sententiæ refragatur*. Erasm. in Epist. ad Thom. Cardin. Eboracensem lib. 11. Epist. 1. *Hominis* (Lutheri) *vita magno omnium consensu probatur. Jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur*. Id. in Epist. ad Archiep. Mogunt. Card. lib. 12. Epist. p. 421. *Si illi faverem ut viro bono, quod fatentur & hostes, quæ esset invidia?* Confer dicta superius part. 1. c. 6.

2. Ipsi Christo objectum fuit, quod fuerit *homo vorax & vini potator*, Matth. 11. v. 18.

2. *Quod ex avaritia & invidia Papales Indulgentias primum oppugnare cœperit*. Bellarm. lib. 4. de Eccl. c. 13. §. Eodem modo. *Primum initium omnium hæresium hujus temporis constat fuisse invidentiam & ambitionem Lutheri ægrè ferentis munus promulgandarū Indulgentiarum à suis Ordinis Monachis ad Monachos Ordinis Prædicatorum translatum fuisse, ut scribit Cochlæus in Actis Lutheri Anno 1517. unde in prima Disputatione, quæ Lipsiæ habita est inter Lutherum & Eccium, exclamavit Lutherus: Hæc causa nec propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur.* Lorin. in Comm. 2. Pet. 2. v. 3. *Satis constat, solam Luthero avaritiam ab Ecclesia discedendi & hæresin cudendi causam fuisse, quod quæstu se privatum videret, quem ex Indulgentiarum promulgatione colligebat, translato hujus rei munere ab Augustinianis suis ad Dominicanos Mogunt. Archiepiscopi voluntate.*

Resp. 1. Ergone etiam in Monachos, paupertatis voto obstrictos, ac nihil proprium in mundo habentes, tanta cadit avaritia, ut ea impulsi hæreses excitent?

2. Ergone Indulgentiæ Papales sunt pecuniarum aucupia & avaritiæ retia?

3. Veram causam, ob quam Lutherus Indulgentias impugnare cœperit, exponunt ipsimet Scriptores Pontificii, quod scilicet fuerit abusus Indulgentiarum Papalium, abusus potestatis Ecclesiasticæ, corruptelæ doctrinæ & morum, quæ publicè invaluerant. Testimonia illorum Scriptorum adducta sunt superius part. 1. c. 7.

4. Agnoscit hoc Lorinus ipse, qui paulò post ibid. sic scribit: *Meritò Thomas Anglicus, Cajetanus & Catharinus hic Prædicatores* (Monachos Dominicanos Indulgentiarum præcones) *reprehendunt, quæstui vacantes maximè, ut secundus ait, occurrens procul dubio Lutherani erroris origini, si promulgata Indulgentiæ prætextu id faciant.*

5. Calu-

2. Calumniam illam, quod causa reformationis non sit propter Deum cœpta, Lutherus ipse verbis nervosis & perspicuis diluit in Responso ad Emserum Ann. 21. tom. 1. Jen. Germ. f. 404. ubi inter cætera sic loquitur: Es ist geschehen zu Leipzig auff dem Schloß in der Cantzley / da durch die Eckische Practick gehandelt ward von der Disputation nach seinem Vortheil und meinem Nachtheil / und wir sahen daß die Ehre ward mehr / denn die Warheit gesucht von dem Widerpart / und ich biß zu der Zeit gehoffet / sie hettens in GOttes Namen / wie ich / angefangen / da sprach ich mit kläglichen Worten und betrübten Gemüth / das Ding ist nicht in Gottes Namen angefangen / es wird auch nit in Gottes Namen ausgehen / etc. Also haben meine Wort nicht auff mich / sondern auff Ecken / der die Disputation angefangen / und die Leipzischen Theologen gelautet / welche mir Emser verkehret auff Jüdische Art.

3. *Quod Dæmonis familiaritate usus fuerit.* Cornelius à Lapide in Comment. 2. Petr. 2. v. 4. *Multi hæresiarchæ habuerunt Dæmones paredros & familiares. Lutherus lib. de Missa angul. & ad Elect. Saxon. fatetur, se cum Diabolo plusquam modium salis absumsisse, ab eoq; argumenta accepisse, quibus Missam oppugnaret.* Hæc & alia plura transscripsit Cornel. ex Lorino in Com. 2. Pet. 2. v. 15.

Resp. 1. Lutherus non loquitur de familiari & amico cum Dæmone consortio, sed de quotidiano Diabolicarum tentationum experimento & q. palo carni infixo. 2. Cor. 12. v. 7.

2. Ostendimus superius, Lutherum non didicisse à Satana argumenta, quibus Missam oppugnaret, sed à Diabolo ad desperationem fuisse solicitatum, quod per tot annos privatas Missas, cum verbo Dei pugnantes, celebrasset.

4. Tilmannus Scriptor Pontificius & ex eo Förnerus contra concion. Jubil. Norimb. referunt, *Maximilianum I. in Comitiis Wormaciensibus vidisse Dæmonem forma corporea Lutheri humeris insidentem.*

Resp. Convitium hoc diluemus lib. 2. art. 5. cap. 4. thesi speciali decima, argument. 4.

5. Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 13. eum accusat, quod *fuerit homo contentiosus, pertinax, vehementis ingenii, & qui, nisi per omnia sibi consentientes, ferre non potuerit.*

Resp. Convitio huic ibidem satisfiet.

6. Lorinus & Cornelius à Lapide in Comment. 2. Pet. 2. v. 10. tribuunt *ipsi superbiam & αὐθάδειαν*, propterea quod in lib. contra Regem Angliæ scripserit: *Hic sto, hic maneo, hic glorior, hic insulto Papistis, Henricistis, Sophistis, omnibus portis inferi. Divina majestas mecum facit ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Henricianæ Ecclesiæ contra me starent, dogmata mea stabunt, & Papa cum Henricistis cadet.* Item, quod versionem suam Rom. 3. *justificamur sola fide*, probaturus dixerit: *Sic volo, sic jubeo.*

Resp. 1. In priore loco Lutherus non agit de sua persona, sed de sua doctrina, quam verissimam & certissimam esse pronunciat, non ex carnali quadam αὐθαδείᾳ, sed ex immota animi verbo Dei unicè innitentis fiducia. Confer tom. 1. Jen. Germ. fol. 363. ubi inter cætera dicit: Meine Person taste an / wer da will / und wie er will / ich gebe mich vor keinen Engel aus / aber meine Lehre / dieweil ich weiß / daß sie nicht mein / sondern GOttes ist / will ich niemand unverantwortet lassen antasten. It. tom. 3. fol. 332.

2. In posteriore loco versionem suam multis confirmat argumentis; pertinacibus & insanabilibus, qui nullas rationes admittere cupiunt, hoc opponendum esse dicit: *Sic volo, sic jubeo &c.* illudens hac ratione Pontifici, qui pro arbitrio in Ecclesia agit.

7. *Sacrilegium* ipsi tribuunt, propterea; quod *Monialem in uxorem duxerit*. Salmeron in Comment. 2. Petr. 2. v. 10. & alii passim.

Resp. Quid de conjugio, post votum continentiæ contracto, statuendum sit, exposuimus tract. de Conjugio §. 546. & seqq. ex quibus, quid de hoc Lutheri conjugio statuendum sit, colligi potest. Lutherus ipse tom. 2. Jenens. fol. 210. multis probat, *Moniales statum suum posse deserere.* Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontif. Rom. in Epist. 321. ad Johannem Frund / qui post votum cœlibatus uxorem duxerat, scripta sic loquitur: *Credimus, te consilio uti non insulso, si, cum nequeas continere, uxorem quæris, quamvis id prius cogitandum fuisset, antequam sacris initiareris Ordinibus, sed non sumus Dii, qui futura prospicere valeamus. Quando huc ventum est, ut legi carnis resistere non valeamus, melius est nubere, quam uri.*

8. Accusant ipsum, quod *ex timiditate intra Saxoniæ angustias se continuerit, nec cum Evangelii sui prædicatione ad exteros excurrerit.*

Alphonsus de Castro lib. adv. hæreses, verbo Excommunicatio, postquam fictitiam Epistolam Antheri Papæ & Martyris adduxisset, subjungit: *Lutherus tamen pro sui erroris, quem ipse putat veram fidem, confirmatione Martyrium subire maximè reformidat, quoniam intra Saxoniæ angustias sic se continet, ut inde exire non audeat, non putans se alibi fore tutum.*

Resp. 1. Lutherus aliquoties optavit, pro gloria Christi mortem oppetere. Ann. 1537. cum Schmalcaldiæ in morbum lethalem incidisset, calculo ipsum ita adotiente & prosternente, ut ad dies undecim ne guttulam quidem aquæ pedum emitteret, hanc ad Deum ablegavit precationem: *Domine Jesu Christe, tuum nomen multos liberavit, libera etiam me, mi Deus, qui scis, me tuum verbum fideliter & reverenter docuisse, si est pro gloria nominis tui, juva & libera me, ut convalescam. Si non, claude oculos meos in pace, ut placide moriar. O Domine Jesu Christe, quam egregium hoc est, si quis pro verbo tuo Martyr factus moritur! At mihi hæc gloria non contingit. Moriar tamen inimicus inimici tui, sub anathemate Papæ, qui sub anathemate tuo moritur.* Selneccerus in Orat. Histor. de initiis, causis & progressu Augustan. Confess. p. 58. b. *Maluisset Lutherus, ut sæpè dixit, si Deo placuisset, Martyrio se subjici, dilacerari, dissecari, transfodi, cremari ob veritatis cœlestis confessionem. Miserum me, inquit, qui indignus judicor Martyrii corona! O felices, qui propter* CHRISTI *sanguinem fundunt sanguinem, & propter Christi mortem mori non timent.* Ibid. p. 60. a.

2. Lutherus non habuit vocationem Apostolicam ubivis terrarum vivâ voce docendi, sed fuit vocatus ad Ecclesiæ Witebergensis Ministerium.

3. Vellicent verò ipsimet tenellos suos Martyres. Ignatius Loyola detrectabat proficisci ad Indos, etsi Portugalliæ Rex id posceret, atque ipse *in salutem Indorum à Deo electus* à sociis suis fuerit judicatus. Ribadeneira in vita Loyolæ lib. 2. cap. 19. & lib. 3. cap. 3. Baronius vix domo exiens, nisi turba hastatorum septus, audet Deo ac hominibus illudere, ac si Anglicanos, scilicet, Martyres Garnetum & pulveraniæ Conjurationis socios æmuletur æmulatione Dei, ac compellatur dicere: *Moriatur anima mea morte justorum!* In Martyrol. ad diem 29. Decembr. Cornelius à Lapide B. Virgini supplicat, *ut Martyrium sanguinis à Filio ei impetret*; sed cum Montacuti cuneus equitum Batavorum irrueret, atque occasio Martyrii adesse videretur; stricto cucullo aufugiebat, *non q. Martyrium horreret, sed ne sacra hostia, quam secum gestabat, in potestatem hostium veniret*, ut ipse fatetur Epilog. Comm. in Prophet. majores.

Coronidis loco notetur, quod Pontificii convitia, quibus Lutheri personam, doctrinam & vitam insectantur, maximam partem ex *Colloquiis ejusdem mensalibus* depromant. Respondemus igitur ipsis,

1. Lutherum hunc librum, nec in publicum edidisse, nec unquam vidisse, nec approbasse.

2. Lutherum noluisse ea, quæ in mensa protulit, omnia dogmatum loco haberi, sic enim scribit part. 2. Postill. domest. Dominica Jubilate fol. 34. In S. Augustini Büchern findet man viel Sprüche / die Fleisch und Blut geredt hat / und ich muß auch von mir bekennen / daß ich viel Wort rede / welche nicht GOttes Wort sind / wenn ich rede ausserhalb dem Predigampt / daheim über Tisch oder sonst.

3. Johannes à Daventria in Harmon. August. Confess. apud Fabricium ad dictum Pii II. (*Sacerdotibus magna ratione ademtum esse conjugium, sed majori restituendum videri.*) sic respondet: *Verba Pii haud ita magnifacimus, nam graves atque prudentes viri nonnunquam obiter quædam loquuntur, quæ sepulta esse profuerat.* (Eadem responsione etiam pro Luthero uti possumus.)

4. Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. argum. 9. sic scribit: *Summus maximè spirituales non semper illustrari.* (Quod si ergò vel maximè in Lutheri dictis & scriptis occurrerent, quædam obelisco notanda, non tamen statim negandum, eum in reformationis negotio fuisse Spiritus sancti organum. Isti enim nævi tam non potuerunt reformationis operi obstare, quàm Aaronis idololatria Sacerdotali ejus officio, vel Mosis dubitatio Legis veritati, vel Petri abnegatio ejus in scribendo infallibilitati (quam tamen nemo nostrum Luthero tribuit;) quidquam derogat, quia de diversis temporibus & actibus diversum ferri debet judicium.

5. Pontificum dicteria & facta flagitiosa magno numero ex ipsis Pontificiis Scriptoribus adduci possent, nec tamen propterea negant, ipsos fuisse veros Pontifices.

3. Assertiones erroneæ & absurdæ.

1. Salmeron Disput. 25. in 1. Johan. 3. tom. 16. p. 277. demonstraturus, *Patres non errare, quando vel omnes, vel ferè omnes in unam sententiam conveniunt*, probationis loco adducit dictum Christi: *Ubi fuerit corpus, illuc congregantur aquilæ*; quòd sic explicat: *Ubi cunq; fuerit corpus veritatis, illic congregantur aquilæ doctorum, qui instar aquilarum perspicaci & acutissimo visu Solem veritatis intuentur.*

2. Legatio Reg. Hispan. Philippi III. & Philippi IV. ad Pontif. Rom. pro definienda controversia de immaculata Virginis conceptione edita à Waddingo p. 202. *Multa hoc seculo credimus & tenemus pro fidei arcanis, quæ in aliis anterioribus ætatibus sub parva aut nulla probabilitate fluctuabant, & multa sunt jam pro fidei articulis definita, quæ apud plures & graviores ex antiquis Doctoribus duram sunt passa repulsam, & non levem apud priscos Patres sustinuerunt contradictionem.*

(Atqui absurdum est, id quod olim fuit incertum, dubium, ad fidei articulos non pertinens, successu temporis fieri posse de fide per definitionem Papæ. Neque enim subsequens ætas & in ea Ecclesia, & in ea Episcopus constituit Theologiam & partes ejus, sed illa unicè à Deo pendet. Si Papæ arbitrium attendendum, inconstans erit Theologia & numerus articulorum fidei ad humanum placitum variabilis. Pulchrè Vincentius Lyrinensis in lib. adv. hæres. *Crescat oportet & multùm vehementerq; proficiat, tàm singulorum, quàm omnium; tàm unius hominis, quàm totius Ecclesiæ ætatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademq; sententia. Christi enim Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena.* Idem in eod. libr. super dictum Apostolicum 1. Tim. 6. v. 20. *Serva depositum &c.* sic commentatur: *Id est, quod tibi creditum, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; in qua non autor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator. Aurum accepisti, aurum redde, non plumbum. Nolo auri speciem, sed Naturam planè; præter id, quod acceperit Catholicus, nunquam licuit, nunquam licebit annunciare aliquid. Anathematizare eos, qui aliquid præterquā quod acceperunt, ordinent, nunquam non oportuit, nunquam non oportebit.*

3. Thyræus part. 3. de Dæmoniac. cap. 39. & Lorichius in Thesauro Theol. voce Dæmones. n. 52. *Nihil referre statuunt, an Exorcistæ puram habeant conscientiam, an verò in peccatis sint constituti, quoniam Exorcismi Ecclesiastici valeant ex opere operato.*

(At quomodo impuritas conscientiæ stare potest cum invocatione nominis divini, qua adoriendum esse Dæmonem ipsimet agnoscunt, 1. Tim. 2. v. 8.)

4. Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 8. §. 1. sic scribit: *Irenæus lib. 3. cap. 2. docet, controversias non posse finiri ex solis Scripturis, quia variè exponuntur ab hæreticis.*

(Atqui Irenæus hanc opinionem hæreticis tribuit, eamque in illis damnat. Verba ejus sic habent: *Cùm ex Scripturis* (hæretici) *arguuntur, in accusationem convertuntur Scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex autoritate, & quia variè sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, ut nesciant traditionem.*)

5. Salmeron tom. 4. Comment. in Histor. Evangel. part. 3. tract. 32 p. 614. *Consuetudo est Christianis gestare appensum collo Evangelium, aut alias res sacras sive reliquias &c.* Quanquam verò addit: *Inprimis admonendi sunt, ne hujusmodi sacra ob commodi temporarii causas gestent, quia esset abuti rebus sacris ultra inutilitatem. Error etiam esset, credere se ob vim naturalem seu ob pactum Dei, cùm illa gestantibus initum, cum nullum tale sit, à periculis liberandos.* Mox tamen, quia inveterata Papatus praxis in contrarium militat, eandem sic statuminat: *Secus, si ex reverentia Sanctorum deferantur, cum spe, quod fortè Deus miserebitur. Hinc legimus in B. Cæciliæ laudem, Codicem Evangeliorum eam semper in sinu gestasse; & Constantinum Imperatorem Christi clavum diademate circumtulisse, & Apostolum Barnabam curasse ægros Evangelii scripti attactu.*

Cornelius à Lapide in cap. 1. Epist. ad Rom. super verba: *Evangelium est potentia Dei. Hæc Apostoli sententia extendi quoque potest ad salutem corporis, est enim generaliter vera. Nam Evangelium est virtus & causa instrumentalis salutis & vitæ, non tantum futuræ, sed etiam præsentis, idq; non solum voce, sed etiam scripto &c. Atque hinc orta est consuetudo fidelium, ut Evangelium S. Johannis contra venena, veneficia, morbos, aliaq; incommoda gestent & circumferant.*

(At Spir. S. in verbo revelato nuspiam testatur, quòd per circumgestationem Evangelii scripti venena, veneficia, morbos &c. auferre velit. Est ergò superstitio, cui meritò opponitur, quod Chrysostomus, vel quicunque alius Autor operis imperfect. in Matthæum homil. 43. in cap. 23. Matth. jam olim opposuit Sacerdotibus, qui Christianorum collis particulas Evangelii appendebant. *Dic, inquit, Sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab hominibus? Cui ergò in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt supra collum suspensa salvare? Deinde ubi est virtus Evangelii? in figuris literarum, an in intellectu sensuum? si in figuris, benè circa collum suspendis? si in intellectu? ergò meliùs in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa.*

6. Ludov. Vives in libr. 8. de Civ. Dei cap. 27. col. 494. *Mos nunc est, quo tempore sacrum celebratur Christi, morte sua genus humanum liberantis, ludos nihil propè à scenicis illis veteribus differentes populo exhibere, etiamsi aliud non dixero, satis turpe existimabit, quisquis audiet ludos fieri in re maximè seria. Ibi ridetur Judas, quàm potest ineptissima jactans, dum Christum prodit: ibi discipuli fugiunt militibus persequentibus, nec sine cachinnis & actorum & spectatorum: ibi Petrus auriculam rescindit Malcho, applaudente pullata turba, tanquam ita vindicetur Christi captivitas. Et post paulum, qui tam strenuè modò dimicarat, rogationib. unius ancillulæ territus abnegat magistrum, ridente multitudine ancillam interrogantem & exibilante Petrum negantem. Inter tot ludentes, inter tot cachinnos & ineptias solus Christus est serius & severus, cumq; affectus conatur mæstos elicere, nescio quo pacto non ibi tantum, sed etiam ad sacra frigefacit, magno scelere atq; impietate, non tam eorum, qui vel spectant, vel agunt, quàm Sacerdotum, qui ejusmodi fieri curant.*

(At hæc passim in Papatu fieri experientia testatur.)

7. Christophorus Castrus Comment. in duodecim Prophetas lib. 1. cap. 7. statuit, *Astromantiam esse licitam.* Castrum hoc nomine reprehendit Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disp. 2. dub. 5. n. 46 utpote sententiam contra Constitutionem Sixti V. Anno 1585. prolatam.

8. P. Valdero Ordinis Augustinianorum, & Archimandrita in Cœnobio Hispalensi, in tribus concionibus insignibus, pronunciatis die festo beatificationis gloriosi Patriarchæ sancti & felicis Ignatii, conditoris Societatis Jesu pag. 54. 55. *Scimus*, inquit, *Mosen virgam manu tenentem maxima miracula in aëre, terra, aqua, petris & ubicunq; voluit, edidisse, adeò ut Pharaonem cum exercitu in mari rubro submerserit; sed fuit ineffabile nomen Dei virgæ illius ut doctus Tostatus Episcopus Avillanus existimat, insculptum, quod ista miracula operabatur. Non autē res magna erat, quòd creaturæ videntes statuta Dei, supremi sui Regis & Domini, nominis ipsius subscriptione testata, haud retractanter obœdirent. Neq; adeò mirum fuit, Apostolos tot miracula patrasse, quoniam id faciebant in nomine Dei, virtute & potestate, quam ab eo acceperant, hoc velut sigillo confirmatum. In nomine meo Dæmonia ejicient &c. Quòd verò Ignatius suo nomine chartæ inscripto plura miracula quam Moses, nec pauciora, quàm Apostoli edat, quòd Chirographum ipsius tantam in creaturas autoritatem habeat, ut ei confestim pareant: hoc verò illum nobis summè commendabilem reddit.*

Idem pag. 91 sic scribit: *Quamdiu Ignatius vixit, moribus tam gravibus fuit, vitamq; adeo sanctam & religiosam egit, ut non nisi Pontifices, Petrum; Imperatrices, Deiparam; supremus aliquis Monarcha Deum Patrem & Filium repræsentantes, ejus videndi facultatem habuerint.*

In concione F. Dezæ pag. 111. & 112. sic legitur: *Novissimè autem diebus istis locutus est nobis in filio suo Ignatio, quem constituit heredem universorum, & cui nihil ad summam laudem deest, quàm hoc, per quem fecit & secula.*

Ibidem in concione sua F. Jacobus Rebull Dominicanus Barcinonensis, sic loquitur: *Ignatius Martyr tanto affectu incensus erat erga S. Patrem Pontificem Romanum tanquam legitimum Successorem Jesu Christi.*

(Atqui 1. formula illa loquendi, qua nomen creaturæ nomini Dei omnipotentis æquatur, miracula in nomine Dei facta extenuantur, & ea, de quibus nondum certo constat, iis præferuntur, quæ fide Catholica atque indubitata credi oportet, scandalosa, erronea, blasphema & impia est. 2. assertio, qua fingitur Deus aliquid commodi ex aspectu creaturæ percipere, est hæresis detestabilis. 3. quod textus Paulinus ad alium quam Christum applicatur, id execrabile est & cum blasphemia conjunctum. 4. quod vivo videntique Christo Successor datur, hoc manifestè falsum & prorsus est hereticum.)

9. Jesuitæ non contenti nomine Christianorum vocant se *Jesuitas* sive *Socios Jesu*. Unus ex eis Laurentius Arturus adeo impu-

impudens fuit, ut in Apolog. Assertionis pro Ecclesia contra Anton. Sadeelem lib. 1. c. 1. Lojoliticæ sectæ soli, reliquis exclusis, attribuerit, quod dicit Apostolus 1. Corinth. 1. v. 9. *Vocati estis in communionem* (vulg. habet, *in Societatem*) *Jesu Christi Domini nostri*; & quod Johannes dicit 1. Epist. 1. v. 3. ut *vos habeatis communionem nobiscum, & communio nostra sit cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo.* (In vulg. vers. *est Societas.*) Sed à Christo denominari possumus *Christiani*, non autem à Jesu *Jesuani* vel *Jesuitæ.* Christiani à Christo vocamur, quia unctionis spiritualis participes reddimur, sed Jesuitæ dici non possumus, quia in promerenda, vel conferenda salute Christus nullos admittit socios. Panormitan. in cap. Decretal. de immun. Eccl. *Christiani nomen rectè assumtum, nam & unctionem Christus nobis communicavit. At Jesuani rectè dici non possumus, quoniam Servator unus ipse est.*

Pelbartus de Themiswar in Pomerio Sermonum parte æstiv. de Circumcis. sermon. 4. *Jesus est nomen divinum & æternæ salutis. Christus autem dicitur unctus & sic est nomen militiæ Christianæ. Hinc nomen Christianus, quo norunt se tanquam pugiles unctos, in pugna contra mundum, carnem & Diabolum, unde in præsenti competit nobis nomen Christi propter militiam salvificam, sed in futuro, cùm erimus in salute, competet nomen Jesu, hoc est, salutis.*

Ludolphus de Saxonia Carthusiensis part. 1. de vita Christi cap. 10. *Christus est nomen gratiæ, Jesus nomen gloriæ, honoris & sanctitatis. Sicut enim in hac vita per gratiam Baptismi à Christo dicimur Christiani, sic in cœlesti gloria à Domino Jesu dicemur Jesuitæ, id est, à Salvatore salvati. Sancti, qui in cœlis sunt & fruuntur æterna gloria, veri sunt Jesuitæ, triumphantes & sancti servi Dei; qui verò adhuc in terris degunt & militant, pugnantq; in multis periculis, militiæ suæ nomen retinere & gerere debent, quod est verum Christianorum nomen. Si verò ita se gerunt ut Sancti, qui in æterna gloria sedent super throno salutis, nomen Jesuitarum tum obtinere possunt. Quia verò haberi volunt in numero militantium & pugnantium sub Christi vexillo, Christi quoq; nomine contenti sint.* Confer dicta superius membr. 1.

10. Franciscus Veronius, qui se Christianissimi Regis *Concionatorem pro Controversiis* vocat, in Methodo nova, facili, solida hæresin ex fundamento destruendi duobus tomis edita Ann. 625. improbat modum illum, quo hactenus Bellarminus, Gregorius de Valentia, Gretserus & alii contra hæreticos disputarunt. Nam in Præfat. ad exteros inter cætera sic scribit: *Si nos ipsi Scripturam sacram allegamus, prout ex vulgari & recepto illo modo disputandi fecit Arnoldus, tum evenit, ut incurramus in inconvenientia ordinaria, ut locum demus adversariis, atq; ansam discurrendi, (respondendi) & offucias oculis auditorum objiciendi, quin etiam sæpè argumentationes illæ nostræ laborant quibusdam vitiis, quæ in adversariorum argumentis observavi.* Item cap. 6. *Quando in disputando lis est de sensu verborum Scripturæ, tum, inquit, maxima pars Catholicorum (in quo parùm versatos se esse in adversariorum technis ostendunt;) protinus interpretationem in medium afferunt, sive ex Chrysostomo, sive Augustino, sive alio Doctore. Non sic faciendum est &c. Nam cui quæso convenit producere id, quod nobis adversum esse possit magis, quàm adversario?* pag. 108. dicit: *Eos ex Pontificiis, qui sensum loci alicujus controversi, & interpretationem aliam adversùs nos proferunt, parum dextros esse in controversiis.* Monet, ne hoc fiat, his argumentis: *1. Enim Pontificios sic semet actores constituere, cum tamen rei sint & faciliores sint rei partes, quàm actoris. 2. Paucos ex Pontificiis nosse interpretationes omnium locorum difficilium Scripturæ.* 3. Repetit, quod antè dixerat: *sic locos ejusmodi obscuros sæpè diversimodè explicari à Patribus, unde doctioribus ex ordine Theologorum nostrorum facile sit ex collatione alterius alicujus Patris diversum sententiis probare, interpretationem illius Patris incertam esse & sic disputationem merè problematicam fieri.* Addit, *eos, qui adversum Protestantes afferunt interpretationes locorum controversorum, pessimè procedere & imprudenter agere.* Item, *hoc fieri ab ipsis, ut docti videantur.* Item, *eos saltem probabiliter disputare.* Item pag. 192. *Doctiores ex Romanensibus id facere ex superbia & metu, ne minus docti videantur, si secus faxint. In ipsorum interpretationibus, seu responsionibus nostros certo certiùs aliquid subinde reperire posse, quod carpant, id quod non parùm Pontificiæ causæ noceat.* pag. 193. dicit, *hoc esse eruditionem suam ostentare.*

11. Eccius in Enchiridio edit. Colon. Ann. 1561. tit. 28. fol. 378. ponit hanc thesin, *non esse disputandum cum hæreticis*, quam probare conatur ex jure Canonico & ratione, concedit tandem p. 365. *disputari posse cum hæreticis*, sed 1. *si idonei darentur judices.* 2. *si disputationis sententiam suscipere & pati volunt hæretici.*

(At repugnat hoc praxi Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ.)

12. Negant Pontificii, *ex Scripturis cum hæreticis esse disputandum.*

Costerus in Præfat. Enchiridii pag. 33. adducit dictum Tertulliani: *Quid promovebis experientissime Scripturarum, cùm, si quid defenderis, negetur; è diverso, si quid negaveris, defendatur? & tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequeris nisi vilem de blasphematione laudem.*

Pistorius im Wegweiser cap. 4. von der Kirchen Christi p. 105. Die Ketzer sollen über der Schrifft nicht gehöret oder in die Schrifft gelassen/sondern wie von der Kirchen/also auch von der Schrifft ohn alles disputiren abgeschaffet werden.

Becanus lib. 1. Manualis cap. 1. *Lutherani & Calvinistæ non possunt ex scripturis disputare, vel ad eos provocare.*

(Atqui 1. Deus ipse ad Scripturam tanquam unicam fidei & vitæ normam omnes homines remittit, Esai. 8. v. 19. Luc. 16. v. 29. 2. Christus & Apostoli ex Scripturis cum hæreticis disputarunt, Matt. 15. v. 8. cap. 19. v. 5. cap. 22. v. 29. Act. 7. v. 2. cap. 13. v. 16. cap. 17. v. 2. Rom. 4. v. 3. &c. 3. Deus hoc fine verbum dedit, ut sit lumen mentium & medium conversionis, Psal. 119. v. 14. Tertullianus loquitur de illis, qui libros quosdam Canonicos repudiabant. *Ista hæresis,* inquit, *non recipit quasdam Scripturas.*)

13. Petrus Suavis lib. 1. Histor. Concil. Trident. p. 80. *Sede vacante solent Cardinales capita quædam reformando regimini Pontificio in formulam redigere, quæ singuli se exactè servaturos jurant, si fortè ipsi Pontificatum obtineant, licet omnium ætatum experimentis testatum sit, nemini propositum juramento stare, quòd statim ab electione in Pontificem profiteantur, se non potuisse obligari, vel ipsa assumtione in Pontificatum solutos Sacramenti religione.*

(At hoc est ludere juramentis, sicut pueri astragalis.)

14. Panigarola Lectionum part. 1. lect. 2. pag. 40. probare conatur, *nec Deum Patrem posse esse solum Dominum Christianorum, nec etiam Jesum Christum posse esse solum illum Dominum, de quo loquitur Paulus.* Sic enim nobis insultat: *Quod Deus aut Christus sit hic solus Dominus! At miseri quam fallimini! Si Deus, una esset igitur Ecclesia Christianorum, Hebræorum & Turcarum, quia omnes unum caput habent, qui Deus est. Quod vero Christum attinet, una igitur Ecclesia esset Arianorum, Manichæorum, Pelagianorum, vestrûm & nostrum.* Ex quo infert, *Papam esse illum unum Dominum Christianorum.*

(Longè rectiùs de hoc loco Paulino disserit Bellarminus lib. de Laicis cap. 3. *Dico,* inquit, *ibi nomen Domini propriè accipi, quomodo non convenit nisi Deo.*)

15. Petrus Charronus in libro de Sapientia, edito Burdigalæ apud Simonem Milangium libr. 2. cap. 5. sect. 7. & 8. postquàm dixisset, *communem esse omnium cantilenam, tenere se fidem suam non ab hominibus, aut ab ulla Creatura, sed à Deo,* addit: *Sed ut verum fatear, sine adulatione aut fuco, hoc falsum est. Quicquid dicatur, debentur manibus & mediis humanis, cujus rei primùm testis sit modus, quo religiones receptæ fuerunt in mundo & singulis diebus recipiuntur ab unoquoq;. Natio, patria, locus religionem induunt. Amplectimur eam, quam locus, in quo nati sumus & educati profitetur. Sumus circumcisi, baptizati, Judæi, Mahumetani, Christiani, antequam scimus, an homines simus. Religio non est electionis nostræ.*

(At hæc iniquissima veræ religionis cum superstitionibus & idololatriis gentilium, Judæorum, Turcarum comparatio viam parat ad atheismum.)

16. Lorinus Jesuita in Comm. Act. 16. v. 3. adducit locum Cardinalis Cusani ex lib. Concord. Cathol. *Si major pars orbis consentiret, posse nos assumere Circumcisionem.* Cajetanus Cardin. part. 3. q. 87. art. 1. *Si conformitas referatur ad Christum circumcisum corporaliter tantum ratione similitudinis in patiendo, (quia scil. vult sequi Christum in dolore Circumcisionis,) non malus, sed laudabilis redderetur actus Circumcisionis. Bonum adjunctum actui non malo habet, unde bonificet actum illum.*

(At hac ratione propter finem bonum sacrificia ac totus cultus Judaicus restitui posset.)

17. Pontificii *corpora eorum, quos hæreticos vocant, exhumant, & ossa exurunt, in Cœmiteriis locum illis relinqui nefas arbitrantes.*

(Sed huic furori meritò opponitur illud Optati Milevitani gravissimè conquerentis de Donatistis, ita Cœmiteria sibi solis vindicantibus, ut Catholicos non admitterent. *Quid referam,* inquit lib. 6. contra Parmen. *etiam illam impietatem à vestra*

stra conjuratione venientem, qua Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis Cœmiteria vendicaretis, non permittentes sepeliri corpora Catholicorum, ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat, jam tacet, cum quo paulò antè litigabas. Quid insultas funeri? quid impetis sepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum. Et si corpora non vis in unum quiescere, animas tamen in uno apud Deum positas non poteris separare.

18. Ex Ethnicismo multa in Ecclesiam Romanam introducta esse, Polydorus Virgilius in libris de rerum inventoribus & alii passim testantur, quod ipsum in tractatu de Ecclesia §. 227. multis fuit demonstratum. Baronius, postquam agnovisset tom. 2. Annal. Ann. 200. n. 5. tales consuetudines in primis Christianis adhuc ex Ethnicismo reliquas tempore Tertulliani gravi fuisse censura notatas, subjungit, *consulto postea introductum videri, ut, quæ erant gentilitiæ superstitionis officia, eadem veri Dei cultu sanctificata in veræ religionis cultum impenderentur.* Similia occurrunt Ann. 58. n. 76. Ann. 324. n. 79. apud Cottonum lib. 2. Instit. c. 57.

(At hoc vel solùm satis causæ esset deserendi Rom. Ecclesiam etiam ipsius Juris Canonici judicio. c. Non licet 13. caus. 26. q. 7. *Non licet iniquas observationes agere Calendarum & otiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos, omnis enim hæc observatio paganismi est.* c. Si quis 14. caus. & quæst. iisd. *Si quis Calendas Januarias & brumam ritu paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter novum annum, aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus præparare, & per vicos & plateas cantiones & choros ducere præsumserit, quod magna iniquitas est coram Deo, anathema sit.* c. Non observetis 16. caus. & quæst. iisd. *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci aut Calendas Januarii, in quibus cantilenæ quædam & comessationes & ad invicem dona donantur, q. in principio anni, boni fati augurio &c. Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, ut interrogent, sciant, se fidem Christianam & Baptismum prævaricasse, & ut paganum & Apostatam, hoc est, retro abeuntem & Dei inimicum iram Dei graviter incurrisse &c.* c. Jejunium 14. de consecrat. dist. 3. *Jejunium Dominici diei & quintæ feriæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Christianorum & gentilium, veraciter credentium & infidelium, atque hæreticorum vera & non falsa discretio habeatur.* c. Sacerdos 6. caus. 26. q. 7. *Qui Dominico die studiosè jejunat, non creditur esse Catholicus.* c. Quicunque 4. caus. 23. q. 8. *Quicunque Clericus in gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione postuletur, sed in manus incidat judicis, sepultura tamen non privetur.*)

Confer Theologum eminentissimum Dn. D. Hoe lib. 3. Comm. in Apoc. cap. 11. p. 419. M. Agricolæ scriptum Autonomiæ Burchardi oppositum, librum Conradi Nucerini apud Wolffium tom. 1. Lect. memorab. p. 954. cumprimis verò eruditissimum scriptum Dn. D. Nic. Hunnii de Rom. Ecclesiæ apostasia.

19. Fatentur *ex Judaismo* multa esse in Ecclesiam Romanam traducta. Baronius Ann. 58. n. 72. *Cùm hæc ipsa* (cereorum coram Imaginib. accensionem &c.) *æque Judæi jactitarent, atque gentiles, cur non potiùs à Judæis ea, sicut & pleraque alia, quàm à gentilibus Ecclesiam mutuatam esse dixerimus?* Ann. 57. n. 107. *Fluxisse hæc consuetudo* (lavandi ante usum sacrorum) *videtur è Judæorum ritibus, sicut & multa alia.* Ann. 112. n. 2. *Nomen Patriarchæ antiquissimum est, tum à Judæis, tum etiam à gentilib. usurpatum, quod, sicut alia multa, in Ecclesiam feliciter transiit.* Polyd. Vergilius lib. 5. de rer. invent. cap. 1. p. 381. *Multa ab Hebræis & non pauca à Romanis, cæterisque Ethnicis ad nos instituta manavérunt.* Confer Dn. D. Nic. Hunnium lib. de apostasia Rom. Ecclesiæ. §. 470. & seqq. ubi prolixè ostendit communionem Ecclesiæ Romanæ cum Judaica.

(At Pontifex ipse agnoscit, Ceremonias legales in N. Testam. esse abrogatas. c. Gloria 71. caus. 12. q. 2. *Neq; vero mihi aliquis opponat dives in Judæa templum, mensas, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant & sanguis pecudũ erat remissio peccatorum: quanquã hæc omnia præcesserint in figura, scripta autem sunt propter nos, in quos fines seculorum devenerunt. Nunc vero, cùm paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, portemus crucem & divitias lutum putabimus.* c. Sextam 29. de consecr. dist. 3. *Antiquis figuris & umbris ad veritatis præfigurationem sancta Ecclesia traditis, valedicentes gratiam & veritatem præferimus, & sic plenitudinem legis recipimus.* Quin & Romana Ecclesia censet, eum esse à Christianismo alienum, qui se Judaismi facit participem, ut ibidem demonstrat Dn. D. Hunnius §. 466.

20. Pontificii ab ipsius Diaboli informatione argumenta probationis adducere non verentur. Tannerus part. 2. Antom. Aug. Confess. Demonstr. 9. §. 133. probaturus, *ad sepulchrum Christi aliorumque Sanctorum Dæmones pelli & torqueri*, sic scribit: *Si nobis non credimus, credamus saltem Diabolo & Angelis ejus, qui, quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, & serio dolent crucifixisse, quem timeant.* Baronius Ann. 713. n. 12. 13. & seq. memorat: *Satanam ex puella, quam obsederat, fuisse locutum: Ecce dico vobis, quia Maria, & Paulus & Andreas abstulerunt istius mali Episcopi & Monachorum lachrymas ante Nazarenum, qui dedit potestatem Anastasio, ut veniat & ejiciat me in corpore isto, in Kalendis Novembris: & rursum confitebatur malus ille Spiritus, se vehementissimè torqueri ab Anastasio, qui præsens esset. Item dixerat Dæmon: Ligatum me habet Anastasius, quia usque in respirum in me pœnas exercere vult. Acciderat autem, ut dens ille è capite S. Anastasii evulsus ad collum suspensus arreptitiæ amplius inveniri non posset. Nobis autem dicentibus ei, quid factum est de dente illo? Dæmon respondit: Quando venit Anastasius, tunc ipse eduxit eum de collo & posuit in loco suo, ubi antè manebat. Et nos diximus ei: Et quando venit S. Anastasius? Dæmon dixit: Quando accensa est candela à semet ipsa, tunc ingressus est Anastasius, & revocavit dentem in locũ suum. Quærite in arca, ubi sunt reliquiæ ejus, & cognoscetis. Tunc igitur accedentes ad arcam reliquiarum ejusdem sancti, aperta ea invenimus dentem inter eas, ut priùs fuerat collocatum.* Idem Baronius Ann. 424. §. 15. de Theodoret. memorat, quòd Diabolus *aliquando dixerit huic Episcopo, Scias, quod te jampridem confodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem cum Jacobo; quæ expendens intellexi* (inquit Theodoretus,) *quod Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei Martyrum, qui cum à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in meo lecto, sub meo autem capite erat magni Jacobi amictus, qui quovis claustro adamantino mihi fuit validior.* Petrus Canisius ex puella obsessa Diabolum hoc modo ejecit: Allato trunco statuæ Marianæ in veteri Octinga, & à tergo capiti puellæ obsessæ imposito, ilicò exclamavit Satanas: *Dimitte me, ô meretrix, ut quid me tam virulenter calcas?* instante Canisio suis exorcismis Diabolus egrediens exclamavit: *Væ, væ, væ mihi misero: intra viginti annorum spacium nullus Dæmoniorum tantis tormentis subjectus fuit quantis ego.* Hasenm. Hist. Jesuit. p. 232. (Ex eo didicit Rom. Ecclesia imagines Sanctorum esse remedium efficacissimum adversus Satanam, ejusque insultus.) Jubilæum commendavit Diabolus, *quando in primo Jubilæo omnes ex Purgatorio liberatos fuisse, & expulsos Dæmones ipsimet testati fuere*, quod argumentum ceu firmum producit Bzovius Ann. 1300. §. 4.

(Atqui Christus ipse noluit testimonium Diaboli admittere, sed imposuit ei silentium Marc. 1. v. 25. & 34. Quid quod Pontificii hoc nomine non solum Lutherum, sed etiam totam nostram Ecclesiam hæreseos arguunt, quod Lutherus Diabolo Præceptore eam in rem usus Missam impugnarit, ut superius vidimus.

21. Bozius de signis Eccles. lib. 4. cap. 6. pag. 272. *In Protestantes illud aptissimè cadit, Ab Aquilone pandetur omne malum. Vos namque nobis ad Aquilonem, nos vobis ad Austrum sumus, quomodo igitur estis ab Ecclesia Dei?* Bellarmin. in Adol. cap. 14. pag. 185. *Quæro à Rege, unde novum illud lumen Angliæ effulserit? ab Aquilone respondebit, inde enim primus eorum Propheta Lutherus emersit. At nos Prophetam audimus dicentem, Ab Aquilone pandetur omne malum. Et si omne malum, certè tenebræ eorum, non lux veritatis.*

Resp. 1. Ribera, Maldonatus & Saa in Comment. illius loci Prophetici agnoscunt, eum agere de *malo pœnæ* à Chaldæis seu Babyloniis populo Dei inferendo.

2. Quid si opponeremus Bozio & Bellarmino dictum Jobi 37. v. 22. *Ab Aquilone aurum?* quod eadem facilitate ad doctrinæ puritatem possemus accomodare.

3. Per Aquilonem apud Prophetam intelligitur *Babylon.* At plurimi etiam Pontificii Scriptores Romam vocant *Babylonem*, ut in quæst. de Antichristo ostendemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

CONFESSIONIS CATHOLICÆ,

In qua

DOCTRINA CATHOLICA
ET EVANGELICA, QVAM ECCLESIÆ AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTÆ PROFITENTUR, EX ROMANO-CATHOLICORUM SCRIPTORUM SUFFRAGIIS CONFIRMATUR,

AUTHORE

JOHANNE GERHARDO, D.

LIBRI II. SPECIALIS PARS PRIMA, CONTINENS ARTICULOS,

I. de VERBO DEI,
II. de CHRISTO,
III. de PONTIFICE ROMANO,
IV. de CONCILIIS, &
V. de ECCLESIA.

Illustrissimis & Celsissimis Principibus ac Dominis,

DN. ALBERTO,
DN. ERNESTO, &
DN. BERNHARDO,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Ducibus, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Comitibus in Marca & Ravensburg, Dominis in Ravenstein,

HEROIBUS GLORIOSISSIMIS,

Principibus ac Dominis suis clementissimis.

Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum Iesum in Spiritu Sancto.

ILlustrissimi ac Celsissimi Principes, Heröes gloriosissimi, Principes & Domini clementissimi; solenne ac frequens est Scriptoribus Pontificiis, cumprimis verò Jesuitis, magnis illis Romanæ Thaidis Amasiis, ac Sedis Papalis tibicinibus, ea, quæ in publica Historiarum luce posita sunt, verborum nebulis obscurare, eademque vel penitus negare, vel saltem in dubium vocare. Cum enim in scriptis suis hunc præcipuè sibi propositum atque præfixum habeant scopum, ut *Romani Pontificis* infallibilitatem ἀνυπεύθυνον, ac *Sedis*, quam ita vocant, *Apostolicæ Romanæ* successionem nunquam interruptam, quibuscunque possint modis, tueantur, inde quicquid alterutrum horum vel minimâ ex parte labefactare videtur, illud omne à Cathedra Papali & ejus Rectore Pontifice Romano summis amoliri viribus connituntur. Johannam Papissam fœminam Sedi Romanæ præfuisse, eandemque partu meretricio contaminasse, uno ore Historici omnes, quotquot ante B. Lutheri tempora scripserunt, testantur; quin & publicæ picturæ ac statuæ, processiones Pontificiæ ac sella porphyretica Romæ asservata, testimonium huic Historiæ ferunt luculentissimum, ut in art. 5. cap. 4. membr. 6. hujus scripti ex professo demonstratur. Quid ad hoc Pontificii? Onuphrius Panvinius in annot. ad Platinam de vitis Pontificum, Baronius Ann. 854. n. 9. Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 2. cap. 1. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 24. & c. *fabulæ* nomine illud traducunt. Zosimum Romanum Pontificem, Augusto Patri Augustino σύγχρονον, Niceni Concilii acta corrupisse, ut primatum Romanæ Sedi vendicaret, constat ex Concilio Africano can. 101. & seqq. ac Marcus Ephesi Archiepiscopus Græcorum nomine in Concilio Florentino sess. 20. Pontifici Romano Eugenio IV. in faciem dicere non fuit veritus: *Nonne vides, Reverende Pater, summum Pontificem* (Zosimum) *falsum decretum, & non in Synodo promulgatum ad tantum Concilium pro re tam magna misisse?* Quid ad hoc Hardingus? *Nemo probus aliquis*, inquit in Confut. Apol. Anglic. part. 2. cap. 5. *unquam dixit. Nemo id unquam dixit, præter Illyricum aut obscænum Balnæum.* Stephanum Romanum Pontificem in Formosi, proximi ante se Papæ, cadaver sævisse, illudque Pontificalibus vestibus spoliatum, dilaniatum, ac tribus digitis mutilatum in flumen projici jussisse, autores sunt Platina in vita Stephani, Matthæus Palmerius in Chronic. Abbas Ursper gensis in Chronic. Luitprandus lib. 1. cap. 8. &c. Quid ad hoc Hardingus? *Historia*, inquit in Confut. Apolog. Anglic. d. l. cap. 3. *nullius talis laniene mentionem facit.* Sylvestrum II. R. P. fuisse Magicis artibus deditum, ac Diaboli opera adjutum Sedem Papalem conscendisse, testes sunt Martinus Polonus, Sigebertus, Gemblacensis, Hermannus Contractus in Chronic Antoninus Archiepiscopus Florentinus part. 2. Hist. tit. 16. cap. 1. §. 18. Platina in vita Sylvestri, Autor Oneris Ecclesiæ cap. 17. §. 19. &c. Quid ad hoc Bellarminus? *Sine dubio*, inquit libr. 4. de Rom. Pont. cap. 12. resp. ad 30. *fabulæ sunt, quæ narrantur de Magia & morte Sylvestri II.* Et postea: *Occasio fabulandi de Magia Sylvestri fuit, quia erat Sylvester peritissimus Geometriæ, de qua etiam libros scripsit; seculo autem illo post natum Christum nono, quo nullum fuit indoctius & infelicius, qui Mathematicæ aut Philosophiæ operam daret, à vulgo Magus putabatur.* Egregium verò Philosophum in Satanæ ludo literario institutum! Clementem VI. Rom. Pont. imperasse Angelis, ut animas eorum, quos Indulgentiarum causa Romam peregrinantes in via mori contingeret, rectà in cœlum transferrent, notum est ex Bulla Pontificia in Anno Jubil. Ann. 1350. publicè promulgata, quæ extat apud Balæum in vita Clementis VI. & Cornel. Agrippam lib. de vanit. scient. cap. 61. *Prorsus*, inquit Pontifex, *mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à Purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant.* Quid ad hoc Adamus Conzenius? *Mendacium est*, inquit in Præfat. ad Chronolog. Jubilæi Evang. *Papam imperare Angelis, ut animas Romipetarum ægrorum, si in via dent pecuniam, cælo inferant.* Johannes XXIII. Pont. Rom. in Concilio Constantiensi sess. 11. tom. 4. Concil. edit. Venet. fol. 294. reus peractus fuit, quod negaverit carnis resurrectionem & vitam æternam. *Sæpè*, inquiunt Patres illius Concilii, *& sæpius coram diversis Prælatis & aliis honestis ac probis viris, pertinaciter, Diabolo suadente, dixit, & asseruit, & dogmatizavit, vitam æternam non esse, neq; aliam post hanc vitam; dixit etiam, ac pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano mori & extingui, ad instar animalium brutorum.* Quid ad hoc Bellarminus? *Probabile*

vehe-

vehementer est, inquit lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. resp. ad 37. *ac ferè certum est, errorem illum falso Johanni XXIII. tributum fuisse.* Plura hujus generis ex Jesuitarum scriptis colligere, operæ quidem fuerit non contemnendæ, sed tamen prolixioris.

In illorum censum merito refertur, quod magnus ille Annalium Ecclesiasticorum conditor, Nerei discipulus, Cæsar Baronius mendacii damnare ausus fuit, quod in Historia Alexandri III. Pont. Rom. memoratur, ipsum Venetiis Imperatoris Friderici collum pedibus suis supposuisse, ut vel hoc nomine Isaacus Casaubonus, vir eruditissimus, in Præfation. Exercitationum suarum merito in querulam hanc erumpat vocem: *Dolendum est, virum sui seculi facilè primarium in opere tam nobili, communi hodie multorum vitio, partium studio, ita licenter indulsisse, ut cujus πολυαναγνωσίαν, πολυμάθειαν, atque industriam neque mirari, neque prædicare satis possumus, ejus fidem innumeris in locis vel inviti cogamur desiderare.* Historiæ series integra sic habet: Alexander III. metuens sibi ab Imperatoris Friderici I. (à barba rufa Barbarossæ ab Italis cognominati) iterato in Italiam adventu, Ann. Christi 1177. noctu aufugit Cajetam, deinde Beneventum, postremò in coqui sui habitu Venetias venit, ubi in Monasterio delitescens, post aliquot menses agnitus, Senatu habito, Ducis Sebastiani jussu, maximo honore exceptus, Pontificali pompa in templum D. Marci deducitur. Imperator, audiens Papam Venetiis esse, postulat à Venetis, ut hostem suum, hominem Reipubl. perniciosum, sibi tradant. Quibus negantibus, Ottonem filium cum armata classe immittit, cui tamen mandavit, ne quidquam armis pertentaret, priusquàm ipse cum reliquo exercitu præsens esset. Otto verò, juvenis Princeps, gloriæque cupidus, neglecto Patris mandato, cum Venetis congreditur, victus capitur, vinculisque inclusus Venetias deducitur. Inde Alexandro Pontifici crevit Spiritus, ut pacem cum Friderico inire nollet, nisi priùs Venetias Imperator veniret, accepturus præscriptas pacis conditiones. Pater malæ fortunæ filii consulturus, pollicetur, se statuto tempore venturum. Dies dicta est, aderat Imperator, conveniunt de pacis conditionibus. Papa verò non priùs absolvit Imperatorem à banno, quo constrictus erat, quàm templum D. Marci accesserit, quò cùm ventum esset, astante universo populo, Alexander mandat Imperatori, humi ut se prosternat & veniam petat. Imperator jussa facit. Tum verò Alexander postrati Imperatoris collo pedem imponens, dicit: *Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem.* Princeps indignè ferens hanc contumeliam, respondet: *Non tibi, sed Petro.* At Papa rursus deprimens collum Principis; *Et mihi*, inquit, *& Petro.* Cæsar metuens aliquid subesse periculi, obmutuit, sicque tandem est absolutus & concordia redintegrata. Antichristianum huncce Alexandri fastum graviter perstringunt non solùm Historici & Politici, utpote Udalricus ab Hutten Eques Francus im Bericht / wie die Päbste mit den Keysern gehandelt lit. A. iij. Simon Schardius JCtus in lib. de perfidia Paparum erga Imperatores in Histor. Friderici I. Philippus Melanchthon in Chron. Carionis lib. 4. fol. 12. ubi addit, *Marchionem Misniæ Ditrichum accurrisse ac Imperatorem humi jacentem erexisse.* Martinus Crusius in Annal. Suevicis lib. 1. part. 2. pag. 462. Johannes Funccius in Chronol. Comment. Ann. 1176. Spangenbergius in Chronic. cap. 229. in Historia Anni 1177. Pantaleon part. 2. libri Heroum fol. 267. Dresserus Millen. 6. fol. 362. Osiander Cent. 12. lib. 3. cap. 1. pag 278. & alii complures; sed etiam Jacobus Angliæ Rex in Confut. Torti fol. penult. & in Tortura Torti pag. 263. B. Lutherus in Præfatione libelli, cujus titulus, Pabsttrew Adriani IV. und Alexandri III. gegen Keyser Friderich Barbarossa geübet edit. Ann. 1545. quæ extat tom. 8. Jen. Germ. f. 130. ac Theologi ad unum omnes, quotquot Papam Romanum esse Antichristum demonstrare sunt conati. Illud enim ut probatum dent, ejusmodi formant Syllogismum: Cui omnes ac singulæ notæ competunt, quas Daniel Propheta, Paulus & Johannes Apostoli Antichristo ἰδικῶς sic dicto tribuunt, ille est Antichristus ἰδικῶς sic dictus. Atqui Pontifici Romano post tempora Gregorii VII. Hildebrandi dicti, omnes ac singulæ notæ competunt, quas Daniel Propheta, Paulus & Johannes Apostoli Antichristo ἰδικῶς sic dicto tribuunt. Ergò &c. Assumtum probant enumeratione omnium ac singularum notarum in scriptis Propheticis & Apostolicis propositarum, inter quas etiam hæc est, quòd Paulus de Antichristo prædixit 2. Thess. 2. v. 4. quòd sit ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα. Per πάντα λεγόμενον θεὸν non potest, nec debet intelligi verus ille Natura Deus, qui est ἐπὶ πάντων, *benedictus in secula*, Rom. 9. v. 5. cũ nemo tam projectæ audaciæ ac superbiæ esse possit, ut exertis verbis sese super illũ efferat, cumq; Apostolus non dicat, elevabit se super eum, qui est verus Natura Deus, sed super omnem λεγόμενον θεόν. Verus ille Natura Deus unus est, nec de illo dicitur omnis, sed unus 1. Cor. 8. v. 5. *Quamvis sint λεγόμενοι θεοὶ sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi & Domini multi. v. 6. nobis tamen unus Deus.* Hic habemus ipsius Apostoli interpretationem, quinam per πάντα λεγόμενον θεὸν intelligendi sint, videlicet illi, qui cum naturâ non sunt Dii, tamen nomen hoc ratione eminentiæ ac officii participant. Irenæus scriptor antiquissimus libr. 3. advers. hæres. cap. 6. *Pater omnium Deus dicitur & est, & non super hunc extolletur Antichristus, sed super eos, qui dicuntur quidem, non autem sunt Dii.* Tales λεγόμενοι θεοὶ in cœlo sunt Angeli, Psal. 138. v. 1. Hebr. 2. v. 6. collato cum Psal. 97. v. 7. in terris Magistratus ac Principes Exod. 22. v. 28. Psal. 82. v. 1. & 6. Johan. 10. v. 34. qui cumprimis in hoc loco Apostolico intelliguntur, ut ex contextu patet. Per τὸ σέβασμα hîc non accipienda est ipsa veneratio, cum nemo propriè dicatur veneratio? sed venerationis objectum, non autem quodlibet, neque enim rei alicui, quam veneramur, hoc loco illud tribuitur, sed personæ, ut ex ipso loquendi modo apparet: sic enim ait Apostolus, *elevabit se super omnem, qui dicitur σέβασμα*, proinde σέβασμα μετωνυμικῶς. h. l. acceptum idem est quod σεβαστὸς, hoc est, *Imperator Augustus*, in qua significatione hæc vocula non solùm apud profanos Scriptores, sed in ipsis etiam sacris literis usurpatur Act. 25. v. 21. & 25. Sensus igitur est, Antichristum non solum elaturum se supra omnes reliquos Principes & Magistratus, tanquam minorum gentium Deos, sed etiam supra augustam Imperatorum majestatem, quæ in terris est summa, unde Tertullianus ad Scapulam cap. 2. Imperatorem vocat *hominem à Deo secundum, solo Deo minorem.* Hanc notam, ut Rom. Pontifici competere doceant, inter alia exempla adducunt Historiam Friderici Imperatoris, cujus collo Rom. Pontif. Alexander III. pedem imposuerit, eandemque idoneis Historicorum testimoniis confirmant. Sed omnibus illis Historicis, Politicis, Theologis mendacii dicam scribere ausus fuit Cardinalis Baronius. Postquam enim ex Actis, nescio quibus, MStis in Vaticana Bibliotheca asservatis, Historiam Alexandri Pontif. Fridericum Imperatorem in gratiam recipientis exposuerat, subjungit tom. 12. Annal. Anno Christi 1177. n. 85 *His igitur, tanquam ad Lydium lapidem admotis, cuncta eodem argumento conscripta, vel picturis expressa, vel cujusvis generis monumentis signata, quæ noveris ab iis discrepare, redargue.* num. 86. *Quorum illud cæteris magis indecorum, quo asseritur factum illud arrogans & penitus insuetum; & quod humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipse presserit atque insultaverit, verbis illis ex Psalmo petitis: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem; & quod læsus Imperator in ipsum illud intorserit, Non tibi, sed Petro; cui responderit Alexander arrogantius dictum hujusmodi, Et mihi, & Petro. Abhorrens est quidem à tanti Christi Vicarii mansuetudine turgens fastu facinus, penitusque alienum ab ipsius moribus tot actionibus probè notis. Quanta enim fuerit animi demissionis & moderationis, benignitatis, lenitatis, paternæque caritatis ad alliciendos ad pœnitentiam peccatores, ad curandos ipsos pœnitentes omni genere obsequii & indulgentiæ, cum facile sit ex scriptis & factis illius elicere, asserere & confirmare, notius planè & evidentius fit ex eo, quòd Callistum Pseudopapam, pestem Ecclesiæ, ad se venientem pœnitentem, recepit.* num. 87. *Si quid enim hujusmodi per Alexandrum Papam fieri contigisset, quomodo referre prætermisissent Scriptores illi, qui minima quæque prosecuti sunt, quippe qui præsentes tùm essent, ea cuncta singulaque summa diligentia scriptis prodidere? Quomodo rem tantam sui magnitudine mirandam, novitate singularem, indecentia monstruosam, etsi non ab aliis, certè æmulorum adversariorum tubis perstrepentibus pervulgandam, reliquisse potuere silentio penitùs obvolutam, ut quasi ex condicto nullus eorum Scriptorum, reliqua cuncta scribentium, de his verbulum fecerit? Tu verò, prudens Lector, qui satis vidisti, quanto cum labore, industria, arte, patientia cum prudentia tot annis in hoc ipsum laboraverit Alexander, ut vel aliquod saltem leve pœnitentiæ signum extorqueret ab obstinatissimo persecutore, quomodo in animum induces, ut credas, jam ipsum ad hoc tanto labore inductum Imperatorem atque suasum, commodo exasperatum factis & dictis inurbanis, insitatis, duris, asperis per Pontificem exacerbatum, ut, quantum in ipso fuit, eum à pœnitentiæ remedio procul abigeret, quem jam absolutum recepisset in Ecclesia pœnitentem? Stet igitur ipsa Historia candore suo nitens, atque sinceritate & veritate ex testificatione eorum, qui interfuerunt, constans & firma in omnibus comprobata.* Hactenus Baronius, qui in margine annotat,

notat, *Mendacissima de Alexandri fastu asserta convincuntur.* Urget ergò contra Historiæ veritatem, Primò, quod testes *αὐτόπτας* videlicet Autor Actorum MStorum Alexandri, ut & Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in Chronici MSti Codice Salernitano, Longobardico charactere exarato, nihil quidquam de hoc Alexandri facto memorent. Secundò, quod non conveniat hoc factum mansuetudini Vicarii Christi. Tertiò, nec moderationi & lenitati Alexandri verbis & factis demonstratæ. Addi posset quartò, quod non sit ullo modo verisimile, Fridericum Principem magnanimum eò usque se demissurum, ac contumeliam hanc æquo animo fuisse laturum, quippe quem Historici *malleum Italiæ* vocent, ex qua septies victor rediit: quod argumentum urget Lehmannus in Chronico Spirensi libr. 5. cap. 56. Quintò, quod nec Bartholomæus Platina, nec Carolus Sigonius, nec Gilbertus Genebrardus hujus facinoris ullam faciant mentionem.

Primus verò, quod ego quidem sciam, eò audaciæ progressus est Annalium conditor, ut factum esse negaret, quod magnò consensu Historici factum esse, non dico, testantur, sed clamant. Quamvis enim Hardingus part. 4. Apolog. cap. 8. ad quæstionem in Anglicana Apologia propositam, *Quis cervices Imperatoris Friderici subjecit fœdum in modum pedibus suis, & quasi id non esset satis, addidit etiam insuper ex Psalmis Davidicis; Super aspidem & basiliscum ambulabis? &c.* initio responderit his verbis: *Percontamini illud, quis Imperatoris Friderici cervices pedibus suis subjecerit? Ego vero, quis fuerit, nescio, ac ne vos quidem certò scire credo:* tamen animadvertens, sine extrema impudentia negari illud minimè posse, seque ulterius, quam par erat, progressum, pedem mox retulit, subjungens: *Verum quid si in hanc rem autores detis idoneos? Neminem nos, qua parte peccat, defendimus, licet fuerit Papa. Homines sunt ipsi etiam Papæ, nec semper Angelorum more se gerunt.* Sed Baronius majori audacia totam hanc Historiam *mendacissimorum assertorum* nomine traducere minimè dubitavit, cujus veritatem autores fidei satis probæ ac intemeratæ liquidò confirmant. Johannes Capistranus, qui floruit circa Annum 1385. & à Pontificibus Romanis, præsertim Nicolao V. ad varias functiones adhibitus fuit, in libro de Papæ & Concilii autoritate fol. 65. ad hanc Historiam digitum intendens, sic loquitur: *Confiteantur Teutonici, Imperatorem debere cervicem submittere pedibus summi Præsulis.* Jacobus Philippus Forestus Bergomensis, Monachus Ordinis sancti Augustini, qui floruit Anno 1490. in Supplemento Chronicorum Venetiis excuso per M. Bernhardinum Riccium de Novaria Anno à nativitate Domini 1492. ac postmodum Anno 1506. ibidem recuso, in Historia Anni 1160. eadem per omnia de Alexandro III. commemorat. Johannes Nauclerus Præpositus Ecclesiæ Tubingensis & Academiæ Cancellarius, qui floruit Anno 1500. volum. 2. Generat. 40 pag. 784 sic scribit: *Isto fœdere Alexander Pontifex inito, confestim ad januas templi D. Marci accessit, & ibidem universo astante populo Imperatori jussit, ut humi se prosterneret, ac veniam denuo postularet. At summus Pontifex Imperatoris collum pede comprimens, ait: Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & Draconem. At Fridericus, Non tibi, ait, sed Petro, cui Successor es, pareo. Et Pontifex respondit, Et mihi, & Petro.* Marcus Antonius Coccius Sabellicus, Naucleri σύγχρονος, lib. 7. Decad. 1. de rebus Venetis iisdem pene verbis Historiam hanc recenset. Johannes Stella Sacerdos Venetus, cui ex patriæ archivis de veritate hujus Historiæ optimè constare potuit, in Vitis Pontificum Basileæ per M. Jacobum de Pfortzheim Anno 1507. impressis, Bergomensi, Nauclero, Sabellico hac in parte totus est ὁμόψηφος, ac concludit suam Historiam universam sub finem hisce verbis: *Fateor, atque Deum meum testor, me non falsa scripsisse.* Hi autores omnes monumenta Historiarum consignarunt, antequam Lutheri nomen in mundo auditum fuit, ne quis Jesuita veneno Lutherano eos infectos fuisse suspicetur. Sed & post Lutheri tempora quidam ex ipsis Pontificiis Scriptoribus tantum abest, ut de hoc Alexandri III. facto verecundentur, ut in eo potius magnifice triumphent. Papyrius Massonius Gallus JCtus, vir peracris judicii atque doctrinæ scripsit sex libros de vitis Episcoporum urbis Romæ, quos Parisiis edidit, at postea à sancta Sede Apostolica examinatis, decretum est, ut posthac non legantur, nisi qui ab eadem fuerint emendati cum approbatione Magistri sacri Palatii. Is, inquam, Papyrius Massonius lib. 5. in vita Alexandri III. brevibus quidem, sed emphaticis verbis rem totam retulit: *Fridericum Barbarossam,* inquit, *Alexander III. inclinata cervice collum pedi suo submittere compulit, dicens: Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & Draconem. Respondit Imperator; Non tibi, sed Petro. Pontifex regessit; Et mihi & Petro.* Iisdem omnino verbis hanc Historiam recensuit Petrus Justinianus, Patricius Venetus, qui Historiam rerum Venetarum ab urbe condita usque ad annum 1575. contexuit, eandemque Gregorio III. Pont. Rom. in Epistola operi præfixa offerre non dubitavit, in qua Historia de Imperatoris Friderici collo pedibus Pontificis Alexandri subjecto extat lib. 2. pag. 27. ubi etiam Episcopos & Prælatos, qui Pontificis lateri eo tempore adhæserunt, nominatim recenset. Hujus Petri Justiniani testimonium in diversa quadam Historia de Francisco Dandalo Reipubl. Venetæ ad Pontificem Legato adducturus Hardingus, Theologus Pontificius, sic præfatur in Confutat. Apolog. Anglic. part. 4. cap. 7. *Autorem do Petrum Justinianum Venetum, summo loco natum, cujus Annalium maxima est apud Venetos autoritas.* Illius ergo testimonium etiam hac in re audiant. Franciscus Sansovinus, qui circa annum 1560. Historiam Italiæ & lib. 8. urbis Venetæ descripsit, memorat, extare (*nella Sala grande del Palazzo*) *in Palatio Venetorum picturas de Friderici Barbarossæ rebus gestis cum adscriptis Summariis, inter quas figuræ illi, quæ est numero 21. argumentum additum sit ejusmodi: Pontifex ductus cum Imperatore in templum S. Marci, facta inter eos pace, advocatus ab ipso* (*gli metteva il pie de sul collo per segno di superiorità*) *ponebat pedem super collum ejus insignum supereminentiæ.* Autor libri Italici (*Delle Cose Notabili che sono in Venetia,*) *De rebus notabilibus, quæ sunt in Venetiis,* editi Ann. 1565. *Conspicitur,* inquit, *in conclavi Palatii, in quo habetur* (*il grande Consiglio*) *magnus Senatus, pictura, in qua Pontifex Alexander imponit pedes collo Friderici.* Huic picturæ publicæ frustra obvertit Baronius Ann. 1177. num. 9. illud Horatianum:

Pictoribus atque Poëtis
Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas;

Neque enim ullo modo verisimile, nobilissimam illam Venetorum Rempublicam Tragœdiam hanc à se spectatam ad immortalem rei memoriam solenni & publicâ pictura expressam omnium oculis exhibere voluisse, nisi ex actis fide dignis ejus veritatem probè haberet cognitam & perspectam; vel alterutrius partis amore & odio usque adeò transversam fuisse actam, ut palam & publicè ejus rei monumentum statueret, quam suspicione falsitatis laborare non ignoraret. Nec potest inficias ire Baronius d. l. num. 1. & 5. in Codice Chronicorum Cardinalis Bessarionis, qui summa diligentia & honore in Bibliotheca Veneta asservatur, pluteo decimo septimo, (cujus fide etiam nititur Hieronymus Bardus, qui copiosissimè hac de re egit in libro Italico, cujus titulus *Della vittoria navale ottenuta della Republica Venetiana contra Othone figlivolo di Friderigo Primo Imperatore Gyrolami Barda,*) Historiam hancce iisdem omninò verbis, quibus Papyrius Massonius, Petrus Justinianus ac Franciscus Sansovinus eam describunt, annotatam contineri. Sed nec illud Baronius negare potest d. l. num. 2. Historicorum illorum, qui Alexandro III. Imperialis colli suppressionem tribuunt, numerum esse longè majorem, quàm eorum, qui illam in Historiis suis prætermittunt. *Hieronymus Bardus,* inquit, *haud ita pridem copiosissimè in iis versatus est: utinam ita fructuosè, sicut & operosè! qui circumiens mare & aridam illa sola invenit, quibus in errorem manifestissimum duceretur, nec ad illa pervenit, quibus veritate certissima informari potuisset, ne falleretur & sic alios ipse falleret. Quæ ut tu semper caveas, Lector; in delectu testium hic & ubique, constitue in quacunque disputatione victoriam, non in numero, eò quod errantium infinitus est numerus, sed vera sapientum, sicut verè sapientum, admodùm paucus.* Atqui non tàm numero, quàm pondere testimoniorum in assertione hujus Historiæ nitimur. Quotquot enim testes produximus hactenus, illi vel ante B. Lutherum scripserunt, vel ex Reipubl. Venetæ archivis sua depromserunt, Pontificiæ certè religioni omnes fuere addicti, ut fidem eorum in dubium vocare jure quidem nemo possit. Meritò proinde cum Schellenbergio in Papæo dicimus:

Quàm bene, qui in cœlo sedem sibi Papa locavit,
Cæsareo in collo suppedium reperit.

Restat, ut Baronii argumenta, quibus fidem hujus Historiæ labefactare satagit, expendamus. Primùm, inquit, *testes αὐτόπτας,*

Ff

Autor

Autor Actorum MStorum Alexandri III. *Itemq; Romualdus Archiepiscopus Salernitanus, Regis Siciliæ Legatus, nihil tale de Alexandro commemorant.* Atqui num Baronio excidit JCtorum regula, quòd *plus valeant duo testes affirmantes, quàm decem, non dico, factum negantes, sed de eo tacentes?* An ignotum ipsi, quid Augustinus Epist. 80. ad Hesychium scripserit? *Non discrepant rebus Evangelistæ, si alius aliquid dicit, quod alius tacet;* ac lib. 2. de cons. Evang. cap. 5. *Non ideo contrarium videri potest, quòd vel hic Evangelista dicit, quæ ille prætermittit; vel ille commemorat quæ iste non dicit.* Quid quòd, Collega Baronii, Bellarminus, ne quidem ex sacris literis argumenta negantia formari posse asserat, sic disserens lib. 1. de Missa cap. 24. in Resp. ad 2. argum. *Etiamsi Evangelistæ non expresse dixerint, Christum se Patri in cœna obtulisse, tamen neq; expresse dixerunt, non se obtulisse &c. Quare, si Lutherus ab exemplo Christi probare cupit, Missam non esse Sacrificium, certum aliquod testimonium afferat, ubi legamus, Christum non se obtulisse in Cœna, nam illa argumenta negativa, Non habetur in Scriptura, ergo non est factum, jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.* Falsa quidem hæc est Bellarmini hypothesis, quòd in dogmaticis non possimus negative ex Scripturis argumentari (cùm ob Scripturæ in tradendis ad salutem necessariis sufficientiam rectè dictum sit ab Hieronymo in cap. 23. Matth. *Quicquid ex Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua asseritur;* & à Discipulo de tempore serm. 23. *In sacra Scriptura locus tenet ab autoritate negative:*) interim Baronio eadem merito opponimus, qui in Historicis ex Alexandri Actis MStis argumentum negativum perquam *ἀπαραδέκτως* format. Nec illud de nihilo est, quod Baronius fatetur d. l. num. 84. *Acta illa MSta*, ad quæ toties provocat, *non esse integra, sed truncata & fine carere.* Quid si ergò in illa parte quæ injuria temporis periit, illa ipsa de suppressione cervicis Imperatoriæ fuerint annotata? Quinimo illa ipsa Acta continent quippiam, quod indicium hujus rei minime obscurum exhibet. In illis enim referente Baronio Anno 1170. num. 60. Alexander III. Episcopo Bambergensi, Friderici Imperatoris Legato, sic respondet: *Si inter oves, quas Deus Beato Petro pascendas commisit, vult numerari, quid amplius differt eidem Principi Apostolorum cervicem suam flectere, & Catholicæ se unitati aggregare?* An non plusquam probabile, Pontificem, qui ab Imperatore postulavit, ut cervicem suam Principi Apostolorum Petro flecteret, postmodum collo ejus pedem imposuisse, additis verbis ejusmodi, *Et mihi & Petro?* De Romualdo Salernitano Archiepiscopo respondere possumus, ipsum fuisse juratum Alexandri III. mancipium, Imperatoris vero hostem manifestum, ut ex ipsius scriptis constat. Atqui, uti rectè docet Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 10. *Nec amico laudanti, nec inimico detrahenti credendum;* & ut habet vulgata Juris Canonici regula c. Per tuas, & ibi Glossa caus. 3. quæst. 5. *Testi, alteri parti inimico, non creditur.* Sed nolumus justissima hac exceptione uti, quin potius dicimus, Romualdum illius rei indicium facere, quam Baronius ab eo prætermissam urget. Sic enim inter cætera loquitur apud ipsum Baronium Ann. 1177. n. 68. *Cum ad Papam appropinquasset Imperator, tactus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit.* Quam verò promtum fuit Pontifici fastuoso collum Imperatoris, à quo graviter læsus fuerat, ad pedes suos toto corpore prostrati tangere, ac subjectionem illam testatam reddere, cujus signum Imperator edidit, quando eodem Romualdo recensente (apud Baronium d. l. num. 69.) die statim sequente & Ostiarii & Stratoris officio functus est. *Imperator*, inquit Romualdus, *ut humilitatem, quam corde conceperat, opere demonstraret, sumto stratoris officio, pallium deposuit, manu virgam accepit, Laicos de choro expulit, & Papæ ad altare solenniter & processionaliter venienti viam tanquam Ostiarius præparavit &c. Finita Missa, cum Papa ad suum Palatium vellet redire, Imperator dextram ejus accipiens, eum usque ad portas Ecclesiæ satis honestè deduxit: cumque equum suum album de more vellet ascendere, Imperator ex alia parte accedens, streugam ejus tenuit, & postquam equum ascendit, ipsum aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit.* Idem judicium esto de aliis, qui suppressionem hancce colli Imperatorii prætermisisse dicuntur, videlicet quod ipsi quoque indicium ejus rei fecerint, quamvis ob facinoris indignitatem disertis verbis eam exprimere noluerint. Platina in vita Alexandri III. dicit, *Imperatorem pedes Pontificis in templo Marci osculatum fuisse.* Genebrardus asserit lib. 4. Chronic. ad Ann. 1180. fol. 622. *Fridericum Imperatorem ad pedes Alexandri III. petentem excommunicationis absolutionem procubuisse.* Carolus Sigonius lib. 14. de regno Italiæ, de Alexandro III. memorat, quod *inimicitias Friderici non tàm moderatè exercuerit, quam fortiter superaverit*, qua verborum lenitate facinus illud, quod exprimere noluit, innuere tamen voluisse haud immerito censetur. Quinimo si vel maximè longè plures adduci possent autores, qui hujus facti descriptionem prætermiserint, uno tamen verbo respondere possemus, quod de Johannæ Papissæ Historia à quibusdam prætermissa, jam olim ab aliis responsum: *Propter deformitatem facti hæc Historia ab aliis est omissa*, scribit Ranulphus in Polychronico lib 5. cap. 32. *Hujus Johannæ nomen autores non ponunt, propter turpitudinem rei & muliebrem sexum*, inquit Marianus Scotus in Chronic. circa Ann. 1086. collecto. *Johanna non ponitur in Catalogo sanctorum Pontificum, tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti*, inquit Martinus Polonus in Chronico circa Annum 1282. conscripto. Quam vero Vicarii Christi mansuetudinem, lenitatem, & erga Imperatorem reverentiam nobis narrat Baronius, à qua cum factum illud penitus abhorreat, merito tanquam fictum & falsum sit negandum? Probandum prius erat, Alexandrum hunce tertium fuisse Christi in terris Vicarium, quod cum à nobis negari sciat, ac nihilo tamen minus tanquam concessum assumat, fallaciam illam committit, quam τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν vocant Logici. De eodem Alexandro Pontifice Papyrius Massonius in ipsius vita ex Benjamini Itinerario memorat, quod *Judaici generis servos in familia sua habuerit.*

Egregium verò Christi Vicarium, qui perduelles Christi in famulitium suum adsciscere non dubitavit! *Nescio*, inquit, Massonius, *an laudari debeat, quod Judaici generis servos habeat Pontifex Christianus? Reges enim ac Pontifices sæpè miseri sunt, non tam sua culpa, quàm quòd assectatorum suorum peccatis ac criminibus premuntur. Itaq; impura, damnataq; Sectæ & cœlo quoque ipsi invisos servos habere non debuit.* De eodem Alexandro Autor Vitæ Friderici Imperatoris Germanicè descriptæ (Johannes Adolphus) Zij- refert, quòd *cùm Imperator Fridericus in recuperanda terra sancta occupatus esset, metuens sibi ab eo Pontifex, si victor in Italiam rediret, de eo perdendo cogitaverit. Viva itaque imagine Friderici opera pictoris cujusdam ad eam exprimendam destinati confecta, eam ad Soldanum misit, cum hac commonefactione, ut, si quietus vivere velit, de Imperatore, cujus simulachrum acciperet, perdendo solicitus esset, quas Pontificis litteras Soldanus Friderico commonstraverit, antequam ex captivitate, in qua per annum integrum eum detinuerat, liberum demiserit, obsidis loco Sacellano & hostia consecrata relictis, quæ centum mille ducatis redemerit.* Insignem verò erga Imperatorem reverentiam magis profecto detestandam, quam quòd collo ejus pedem imposuerit! De eodem Alexandro literarum monumentis prodidit Matthæus Paris in Historia Anglica in Henrico II. quòd *quamvis perpetuo protestatus fuerit Rex, se nec mandasse, nec voluisse, nec suo artificio perquisivisse necem Thomæ Bequeti, Archiepiscopi Cantuariensis, tamen quia ex ejus verbis non satis circumspectè prolatis interfectores ejus perimendi occasionem acceperant, exegit Pontificis Alexandri Legatus, ut Rex absolutionem petiturus, carnem suam nudam disciplinæ virgarum supponeret, & à singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos susciperet, quod ipsum Rex de facto, pharmacis illorum miserè fascinatus, subiit.* Eximiam verò ergà Regem pœnitentem benignitatem, longè profectò crudeliorem, quàm quæ in Imperatorii colli suppressione sese exeruit! Baronius ex Actis Vaticanis hæc emollire conatur, τὰ σκληρὰ μαλθακῶς sic exprimens Ann. 1172. num. 3. *Deduxerunt eum Legati Pontificii, ex propria Regis voluntate, extra ostium Ecclesiæ, ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, absolutus est, & in Ecclesiam introductus.* Sed Historico Anglicano de rebus Anglicanis aliquid publicè affirmanti major, credo, fides debetur, quàm Actis Romanis in obscuro angulo hactenus asservatis. Alexandri III. Prædecessor fuit Hadrianus IV. quẽ Baronius æque Vicariũ Christi fuisse statuet, atq; Alexandrum, is verò, quanta reverentia eundem Imperatorem Fridericum prosecutus fuerit, ex Codice suo Vaticano nobis exponat Baronius. *Cùm Rex Fridericus*, inquit Ann. 1155. num. 8. *de more Papæ stratoris officium non exhiberet, Cardinales turbati & valde perterriti abierunt retrorsum, & in civitatem Castellanam se receperunt, relicto Pontifice in territorio Regis. Quocirca Dominus Papa turbatus, & quid sibi agendum foret, incertus, licet tristis, descendit, & in præparato sibi faldistorio sedit. Tunc Rex ad ejus vestigia procidit, & deosculatis pedibus ad pacis osculum accedere voluit; cui idem Pontifex protinus locutus est in ista verba: Quandoquidem tu mihi illum consuetum & debitum honorem subtraxisti, quem Prædecessores tui orthodoxi Imperatores, pro Apostolorum Petri & Pauli reverentia Prædecessoribus*

ribus nostris Romanis Pontificibus exhibere usq; ad hæc tempora consueverunt, donec mihi satisfacias, ego te ad pacis osculum non recipiam. Rex autem respondit & dixit, se hoc facere non debere. Eapropter, remanente ibidem exercitu, totus sequens dies sub istius rei varia collocutione decurrit. Tandem requisitis antiquioribus Principibus, qui cum Rege Lothario ad Innocentium Papam venerant, & prisca consuetudine diligenter investigata, ex relatione illorum & veteribus monumentis judicio Principum decretum est, & communi favore totius Regalis Curiæ roboratum, quòd idem Rex pro Apostolorum prædictorum reverentia prædicto Papæ Hadriano exhiberet stratoris officium, & ejus streguam, suppedaneum scilicet, teneret ad conscendendum in equum. Alia igitur die Regis mota sunt castra, & in territorium Nepesinum, juxta locum, qui dicitur Tabula, fuerunt translata, sicut à Principibus fuerat ordinatum; Rex Fridericus præcessit aliquantulum, & appropinquante Domino Papa tentorio Regis, per aliam viam transiens descendit & occurrens Rex ei, quantum est jactus lapidis, in conspectu exercitus officium stratoris cum jucunditate implevit, & streguam fortiter tenuit. Tum verò Pontifex eundem Regem ad pacis osculum primò recepit. Helmoldus lib. 1. Histor. Sclavorum cap. 81. paulò aliter hanc Historiam edisserit, *Pontifici*, inquit *Viterbium in occursum venienti Imp. Fridericus obviam progreditur, eumq; magna cum devotione & honorificentia excipit, sinistram sellæ strepam de jumento descendenti tenens, eumque in tentorium Imperiale deducit. Cùm in tentorium ventum esset, Episcopus Bambergensis nomine Imperatoris orationem exorsus, quanto Imperator desiderio colloquii Papalis fruendi flagrarit, commemorat, & Deo Opt. Max. gratiis actis, qui ipsum voti sui compotem fecisset, suppliciter ac submissè petit, ut Fridericum, orbis Christiani supremum Principem & Ecclesiæ defensorem, solito more diademate Imperiali insignire dignetur, causas, ob quas eo dignissimus sit, probè & eleganter adjiciens. Pontifex Bambergensis oratione finita, præclarè ea dicta fuisse profatur, sed rem orationi minimè congruere ait. Etsi enim leve atque exile sit, de quo verba facturus esset, negari tamen non posse, quin, ut qui in minutioribus negligentior deprehendatur, ne talis quoque in majoribus sit, justè timeatur. Ad hanc Pontificis orationem omnium auribus arrectis atque animis solicitis, quodnam peccatum esset, ille prosequitur; Descendendi, inquiens, ex equo sinistram sellæ strepam tenuit, id an in ludibrium nostrum vel alia de causa fecerit, ignoramus. Siquidem si honore nos afficere voluisset, dextra sellæ strepa, eaque manu dextra contrectanda fuisset. Cæsar Pontificis oratione nonnihil commotus, paulumque subridens respondit: Minime se strepis apprehendendis studuisse, Tu inquiens, Pater primus es, cui tali officio deservimus. Et bile inter sermonem crescente, addit: Scire velim abs te, officii hoc genus an ex debito sit, an ex beneplacito? Quod si ex benevolentia descendit, quis causabitur culpam in spontaneo? sin ex debito, parum interesse putamus, quo latere accesserit, qui venerabundus accedit. Severius sic collocuti discedunt utrinque non sine stomacho. Imperator tamen, Princeps prudentissimus, dissimulans illa omnia, die postero Pontificem ad colloquium revocat. Pontifici itaque advenienti Imperator obviam it, atque ex priore ejus objurgatione doctior factus, dextram sellæ strepam apprehendit, ac in tentorium sanctissimum Patrem deducit.*

Esto & hoc insigne Papalis erga Imperatores reverentiæ exemplum. Prædecessor Adriani IV. fuit Gregorius VII. quem Baronius itidem pro Vicario Christi nobis obtrudit, *Illi reconciliandus Henricus IV. Imperator prope Canusium venit, ubi Gregorius cum Mathilde Comitissa, quæ ab ejus latere rarò discedebat, tunc temporis agebat. Postquam Pontifex exegerat, ut coronã & reliqua regni insignia in argumentum veræ pœnitentiæ traderet, ac se post tantam contumaciam regio nomine & honore posthac indignum profiteretur, Henricus propius, ac jussus erat, accedit, atque intra secundum murorum ambitum receptus, omni comitatu exterius relicto, Regium cultum abjicit, ac sine calceis sæviente hyeme jejunus usque ad vesperam Gregorii responsum expectat. Verum Pontifex in secundo illo ambitu, triplex enim urbi murus erat, ad vesperam usque responsum frustra expectantem reliquit. Redit die secundo & tertio, idemque experitur. Quartò demum partim constantiam hominis admiratus, partim aspera hominum adversus se convitia veritus, eum in conspectum admittit.* Autores sunt, Martinus Polonus Papæ Secretarius in Chronic. Lambertus Schaffneburgensis Monachus Hirsfeldensis in Chronic. Abbas Urspergensis in Chronic. pag. 235. Helmoldus lib. 1. Histor. Sclav. cap. 33. Sabellicus Ennead. 9. lib. 3. Baronius Ann. 1077. n. 10. ex Lamberto Schaffneburgensi & alii. Addit Helmoldus, sortem Imperatoris miseratus, *Legimus, quia multi peccaverunt, quibus tamen subventum est pœnitentiæ remedio. Certè David peccans & pœnitens Rex & Propheta permansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum jacens, orans ac pœnitens gratis pessundatus est, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore.* Referatur ergo & hoc inter exempla mansuetudinis & reverentiæ Imperatoribus à Vicariis Christi scilicet exhibitæ. Successit Alexandro III. mediantibus aliis quatuor Pontificibus Cœlestinus III. Is cum Henrico VI. Imperatori coronam utroque pede imposuisset, mox altero eam decussit, innuens, *sibi potestatem competere, Imperatorem constituendi, eundemque exautorandi*, uti referunt Rogerius Hovedenus (ipsius Baronii ore laudatus Anno 1170. num. 45.) in Historia Anglic. in Richardo I. & Ranulphus in Polychronic. lib. 7. cap. 26. Quod si Cœlestinus ille III. coronam Imperialem pedibus ex Imperatoris capite decutere non fuit veritus, qua religione Alexander III. prohibitus fuerit Imperatoris collo pedem imponere? Franciscum Dandalum, inclutæ Reipublicæ Venetæ Legatum, *canis in morem catena collo injecta sub Clementis V. Papæ mensa jacuisse, ut graviter offensum Papæ animum tam demissa humilitate deliniret, patriamque suam in gratiam illius restitueret*, ne ipse quidem Hardingus negare potest, etiamsi moneat in Confutat. Anglican. part. 4. cap. 7. *Dandalum nondum tunc temporis fuisse Venetorum Ducem, vel Cypri Regem; nec jussu Pontificis, sed sua sponte catenam gestasse, nec socios canes sub mensa habuisse*; quod flagitiosum facinus multis verbis perstringit Sabellicus Ennead. 9. lib. 7. *ut immoderatam Tyrannidem & superbiam minimè ferendam, ac flagitiosissimam in majestatem Principum contumeliam.* At si Clemens Reipubl. Venetæ Legatum catenâ collo injecta sub mensa jacentem æquo animo intueri potuit, utique etiam Alexander III. pedem Imperatoris collo sine scrupulo potuit imponere. Nemini quoque mirum videri debet, Alexandrum III. ad factum suum accommodasse dictum Psalmographi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & Draconem:* Baronius enim non semel Fridericum confert cum Pharaone, atrocissimo illo Ecclesiæ persecutore. Anno 1160. num. 35. in margine annotat, *Fridericus Imperator instar Pharaonis in Ecclesia positus.* Anno 1167. num. 15. *Fridericus novus Pharao.* Jam vero Ecclesiæ persecutores in Scripturis conferuntur *aspidibus, serpentibus, leonibus & Draconibus.* Esai. 11. v. 8. cap. 27. v. 1. Matth. 23. v. 33. Psal. 35. v. 17. Psal. 57. v. 5. 2. Timoth. 4. v. 17. Psal 74. v. 13. Esai. 51. v. 9. Ezechiel. 29. v. 3. Quinimò si Alexander III. Baronium præceptorem habuisset, ab eo sic concludere didicisset: Promissum est Ecclesiæ, quod persecutorum & hostium suorum capita sit conculcatura: Cum enim Jos. 10. v. 25. Dux Josua invitaret Principes exercitus Israelitici, ut super colla quinque Regum à se debellatorum pedes ponerent, dicebat eis: *Confortamini & estote robusti, sic enim faciet DOMINUS cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicabitis.* Jam vero Fridericus, novus ille Pharao, est Ecclesiæ persecutor & hostis. Ergò Pontifex, Ecclesiæ caput, pedibus suis eum sibi debet subjicere. Et, quod magis stupendum, Baronius 1177. num. 88. ad Fridericum Imperatorem accommodat, quod Job. 41. v. 25. sub figura Leviathan de ipso Diabolo pronunciatum extat: *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Potuit igitur Alexander III. à Baronio ita edoctus, concludere: *Diabolus conterendus est sub pedibus fidelium*, Rom. 16. v. 20. Friderico Imperatori competunt, quæ de Diabolo prædicantur. Ergò, si non caput, tamen collum illius conculcandum. Unicus adhuc restat scrupulus, nemini scilicet facilè persuaderi posse, *Fridericum, magnanimum illum Principem, tam serviliter se subjicere ac contumeliam hanc æquo animo ferre voluisse.* Sed scrupulus hic est, non scopulus. Imperator prudentissimus ac fortissimus non quadam animi imbecillitate aut victoriæ desperatione fractus, sed partim filii captivi φιλοστοργίᾳ, partim cupiditate pacis in Europa constituendæ adductus, Venetias ad Pontificem sese contulit, ac ignominiosum huncce fastum in universi populi oculis patienter pertulit, pejora à Venetis metuens, qui Pontifici, à quo magna beneficia acceperant, tum temporis adhærebant. Quid quod generosus Imperatoris animus in hoc ipso actu ostenderit, se indignitate rei moveri, quando Pontifici masculè respondit, *Non tibi, sed Petro*, significans se supplicem esse factum, non Papali Tyrannidi, sed Apostolicæ autoritati. *Vicit optimum Principem*, inquit Philippus Melanchthon in Chron. Carion. lib. 4. p. 747. *opinio religionis, cujus in animis hominum magna vis est, præsertim si superstitio accedat, quæ tunc regnabat. Cessit etiam utilitati publicæ, ut constituta firma concordia in Europa, latrocinia Mahometica in Asia faciliùs reprimi possent.* Stet igitur, ut Baronii verba faciamus nostra, *ipsa Historia candore suo nitens atque sinceritate & veritate eorum*, qui sine ulla falsitatis suspicione eam annotarunt, *constans & firma in omnibus comprobata.* Liberentur

tentur nostrarum partium Theologi & Historici ab intentato mendacii crimine, coerceatur impudentia Jesuitica, negans etiam ea, quæ in Solis mensa posita sunt, ac Antichristianus Romani Pontificis fastus, supremi Magistratus contemtus a Tyrannis prius non audita indicio sit, quòd Antichristus ille ἰδικῶς sic dictus in Sede Romana apostatica, non in Babylone Utopica, sit quærendus. Quod ipsum in hac prima libri specialis parte cap. 6. articuli 3. pluribus datur confirmatum.

Hanc verò qualemcunque meam opellam V. Celsitudinibus, Illustrissimi ac Celsissimi Principes, Heroes gloriosissimi, Evergetæ & Domini clementissimi humiliter inscribere volui imò debui, causis adductus longè gravissimis. Primùm quidem, ut pro beneficiis longè plurimis, quæ Vest. Celsit. toto isthoc octodecim annorum decursu, quo docendi munere in hac Vestrarum Celsit. Academia fungor, in me πλείονι μέτρῳ contulerunt, aliquam subjectissimè grati animi significationem ederem. Non semel atque iterum, sed plurimis omninò vicibus Celsit. Vestræ mensæ Principali me admoverunt, ad Colloquium familiare admiserunt, & congiariis supra meritum honorarunt, nec unquam à Vestrarum Celsit. conspectu tristis discessi. Cumprimis verò hoc nomine æternas Vestris Celsit. à me deberi gratias agnosco, quòd Academiæ Jenensis fundationem ac dotationem non ita pridem cum immortali Inclutæ Domus Saxonicæ laude & gloria factam, suo suffragio, autoritate & consilio promoverunt, quo beneficio me ejusdem proxenetam & paratium tam arctis sibi obstrinxerunt vinculis, ut perpetuum Vestrarum Cels. debitorem me fore lubens agnoscam, & publicâ voce profitear. Deinde etiam isthac opellæ meæ inscriptione omnibus, in quorum manus ea deveniet, notam facere volui pietatem Vestrarum Celsit. eximiam, serium orthodoxæ religionis Zelum, inviolatum justitiæ studium, amorem erga subditos, & virtutes reliquas Christianis Principibus dignas, ob quas jampridem Celsit. Vestræ publicum totius orbis præconium meruere. Vestram Celsit. Illustrissime Princeps ac Domine, DN. ALBERTE, Domine clementissime, quisquis *vivum antiquæ virtutis & fidei Saxonicæ exemplum* dixerit, nihil aliud profectò, quam quod res est, dixerit. Ex ipso vultu candor, probitas & majestas elucent, quæ in sui amorem & admirationem rapiunt quosvis intuentes. Vestram Celsit. Illustrissime Princeps ac Domine, DN. ERNESTE, Domine clementissime, quisquis *singularem Ecclesiarum & Scholarum Nutritium* dixerit, nihil aliud quam quod in templo veritatis ad aram fidei liquido juramento confirmare poterit, dixisse censendus erit. Cura boni publici, ac studium promovendi Ecclesiarum εὐταξίαν, subditorum pietatem, juventutis Scholasticæ commoda, utramque apud Cels. V. faciunt paginam & omnem ejus solicitudinem unice sibi vendicant. Vestram Celsit. Illustrissime Princeps ac Domine, DN. BERNHARTE, quisquis *Germaniæ Achillem* dixerit, nihil aliud profecto, quam quod totius Europæ testificatione confirmatum extat, dixisse judicare debet. Quanta namque cum prudentia, dexteritate, animi robore & felicitate hactenus bella gesserit, quam præclara illustrium victoriarum trophæa ubivis erexerit, quam amplam laudis & gloriæ materiam posteritati reliquerit, de eo præstat silere, quam pauca duntaxat in medium afferre.

BERNHARTUS, *belli fulmen, post secula vivet;*
Vivet Saxonicæ gloria, fama, domus.

Denique ex fulgentissimo illo, quo Vestræ Cels. ob virtutes ac res præclare gestas in toto terrarum orbe radiant, splendore stricturam aliquam lucis mutuari, & in hoc opusculum meum derivare hac ipsa inscriptione volui, ut primo gloriosissimi nominis vestri in frontispicio positi intuitu, & boni ad lectionem ejus invitentur, & Zoili ab ejus insectatione arceantur.

Suscipite ergò, Illustrissimi ac Celsissimi Principes ac Domini, Domini clementissimi, chartaceum hocce munusculum favore & gratia ea, qua Illustr. Vestræ Cels. me fuere hactenus prosecutæ. Admittite in conspectum vestrum tenue hoc subjectissimè grati animi documentum, profectum ab eo, qui multa, imò omnia Cels. Vestris se debere fatetur, exigua tamen imò nulla sese solvere posse conqueritur. Dirigite clementiæ vestræ oculos non ad ipsum munus oblatum, sed ad offerentis animum, qui pro Vestrarum Celsit. incolumitate, longævitate, sanitate & omnigena prosperitate serias ad Deum preces se quotidie ablegaturum, nec in hoc solùm seculo transitorio, sed etiam in die pantocritico beneficia Vestrarum Celsit. sese prædicaturum pollicetur. Perscriptum Jenæ Calend. Septemb. Ann. M.DC.XXXIV.

Illustrissimarum Vestrarum Celsit. subjectiss.

JOH. GERHARD, D.

AD AUTOREM.

Salvator quoties vel respondere Sophistis,
Vel dictis voluit conciliare fidem;
Arma dedere hostes. Parili sic arte retorques
Semper in autores tela, GERHARDE, *suos.*
Scilicet hæc ratio pugnandi est optima: Qualem
Nec præsens ætas, nec prior ulla tulit.
Ergo nihil superest, nisi quod, me judice, leges
Olim in Confessum constituere Reum.
Nunc quoque vel nunquam divini oracula vatis
Implentur: Βαβυλὼν κάππεσεν ἡ μεγάλη.

Bernhartus Bertramus JC. Cancellarius Saxonicus.

Tot cum judicio legere & disponere, quot Tu
Libro uno exponis, *Magne Gerharde,* libros,
Humani non est animi labor ille, sed ille
Divini labor est maximus Ingenii.
Quod si, *non fuit; aut simile haud opus esse futurum,*
Dixero, dum stetit, aut stabit hoc orbis opus:
Dixero, quod res est, & dixero Te tamen unum
Authorem tanti, *Magne Gerharde,* libri.

Caspar Facius, Consiliarius Saxonicus.

Servo servorum *natus servire* Robertus
atque loqui quicquid Dis Latialis ait,
ut malè rem gessit! namque hostibus arma ministrat,
Romanæque patet proditor esse rei.
Sic faber in cippo, quem fecerat; ire securis
sic nempè in sylvas, exit unde, redit.
Triste patrocinium, stultumque, Roberte, *colorem*
Si per patronum cui sua caussa petit!

Ista Dei vis est, qui vescis toxia mutat,
Inque bonum mandat cedere cuncta bonis.
Bos olim visa scuticâ, τέτμηνται ἱμάσθλη
ἐξ ἡμῶν, *nostris cædimur, heu! coriis,*
dixerat: & viso plorabit Roma Gerhardo:
ὄλλυμαι! ἐξ ἡμῶν ΟΥΤΟΣ ἱμάντ' ἔτεμε.
Nec gravius pote, nec brevius: Luthere triumfas
jure merens: veri testis ab hoste venit.
Perge ejus generis plures Gerharde *phalanges*
in sacra sub signis ducere bella DEO:
hæ faciem feriunt, & si qua est relliqua, frontem;
pugnantum imbellis cætera turba fuit.
Tu dextrè pugnas omnes retrò super, omnes
ergò super retro clarus ovator eris.

εὐφημῶν Altenburgo mittit
Thomas Reinesius D. Physicus Reipubl.

Invicta veri vis. Stygii haut DEI,
haut Antichristi, Romulei Patris,
haut Purpurati atque Infulati
ordinis, haut hominis sagacis
cujusque acumen, calliditas, dolus,
ars docta, prompta crenave, linguave
potentiæ robur ve apertæ,
insidiisve malis opertæ,
id tollere & subvertere quit. Labor
inanis omnis. Numine veritas
Stat firma divino, prematur
quamlibet, opprimier potest non.
Vel profiteri cogitur hostium
grex ipse eam, atque conscius inscius,
nolens volens defensor, illi
ferre patrocinium peramplum.

Sic

Sic quam tuetur Codicis ex Sacri
Oraculis Ecclesia, Præsulis
erepta Romani superbo
imperio, studio Lutheri
Confessionem, non Monachûm domus,
Scholasticorum non cathedræ, haut rubra
quos mitra Patres cingit, hautque
pestilis ista cohors, Jesu
mentita nomen nomine de sacro,
suffragiorum destituunt suis
punctis. Sacræ vis veritatis
hostibus in mediis triumphat.
Prælustre diæ Theulogiæ decus,
Gerharde nostræ sidus amabile
scholæ, laborem industriamque
præmia quæne tuam manebunt,
Collecta puncta ex innume. libris
hæc dum foras das? Hostibus hinc rubor,
Ecclesiæ hinc augmenta surgent
maxima, qua patet omnis orbis.

At Te, quadrigis purpureis bona
quem fama dudum siderei pepli
ad texta vexit, grata in oclis
posteritas feret atque in ore.
fac.

M. Philippus Horst *Brunsvigas, Philos. Pract. Prof. Publ.*

Quotquot doctorum manus unquam scripta revolvit,
queis ruit Ausoniæ gensque caputque domus;
cunctorum superas conatus atque labores;
cum tumidum proprio destruis ense Papam.
Laus sua, pro meritis, est quemque secuta; sed horum
cunctorum laudes solus & unus habes.
Posteritas (quæcunque sit) admiranda videbit
scripta Gerhardiadæ, *dicet &:* ille vir est.
Post aliquot tandem redit orbi secula Phœnix:
talis at æternum non rediturus erit.

M. Joh. Michaël Dilherr / Prof. P.

CONFESSIONIS CATHOLICÆ

LIBER II.

ARTICULOS FIDEI CONTROVERSOS IN SPECIE COMPLECTENS.

Postquam *generalia* Catholicæ Confessionis capita exposuimus, consequens est, ut ad omnes & singulos fidei articulos inter nos & Pontificios controversos *in specie* descendamus. Sequemur verò hac in parte ordinem Roberti Bellarmini, qui controversias illas quatuor tomis complexus est. (De quibus tom. 1. præfat. ad Lectorem scribit, *se omnes fidei controversias in illis complecti, ut unum doctrinæ corpus integrum & perfectum; suisq; numeris absolutum existat.*) Ille enim Adversariis est ὁ πάνυ, ut testantur elogia, quæ ipsi tribuunt. Anton. Possevinus in Apparat. sacro tom. 2. p. 328. *Bellarminus controversias, quæ cum hæreticis à Catholicis habentur, plures annos accuratissimè tum Lovanii in Belgio, tum Romæ publicè exposuit.* Cornelius à Lapide in encomio Scripturæ, commentariis in Pentateuchum præfixo numer. 38. de eo sic rhetoricatur: *Ex Scriptura omnes hæreses revicit & jugulavit solidè & exactè Illustrissimus Bellarminus, fidei hyperaspistes, & hæresium strator, in suis controversiis, quod opus proinde impenetrabile est & incomparabile, nec à Christi temporibus huc usque simile in hoc genere vidit Ecclesia, ut merito veritatis Catholicæ murus & antemurale vocari possit.* Idem in procem. super Epist. Paul. *Opus Bellarmini verè est panoplia rectæ fidei & opus æternâ memoriâ dignum.* Jacobus Gretserus in Epist. dedicat. Bellarmini Defensioni præmissa: *Quid tomis Bellarminianis scriptum modestius? quid mitius? quid doctius? Certò autem compertum habemus, tum ex ipsorum Prædicantium testificatione, propè dixerim, comploratione, tum aliunde, multos lecto hoc opere ad templum Hierosolymitanum* ((ad Ecclesiam Romanam) *quamprimum se recepisse.* Ibid. *libros ejus incredibili eruditione refertos vocat.* Adamus Conzen in præfat. Defens. Bellarm. *Bellarminus doctrina sua mirifice purpuram Ecclesiæ Romanæ exornat.* Et sanè ingenii, eruditionis ac multiplicis lectionis laudem minime ei derogamus, an verò ad propugnandam ubique veritatem, vel eandem in quibusdam capitibus oppugnandam dona illa converterit, collatio cum Scriptura, unicâ & perfectâ illâ cœlestis veritatis regulâ, manifestum facere poterit.

ARTICULUS I.

DE VERBO DEI.

CAPUT I.

De Librorum Canonicorum & Apocryphorum in Vet. Testamento discrimine.

SECTIO PRIOR.

De libris V. T. Canonicis & Apocryphis in genere.

Thesis. Omnes illi & soli V. T. libri sunt Canonici, quos Ecclesia Israelitica, cui τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ fuere concredita Rom. 3. v. 2. pro Canonicis habuit, videlicet, *1. Genesis. 2. Exodus. 3. Leviticus. 4. Numeri.* 5. *Deuteronomium. 6. Josua. 7. Judicum. 8. Ruth. 9. duo libri Samuelis. 10. duo Regum. 11. duo Paralipomenon. 12. Esdras & Nehemias sive secundus Esdræ. 13. Esther. 14. Job. 15. Psalterium. 16. Proverbia. 17. Ecclesiastes. 18. Canticum Canticorum. 19. Esaias. 20. Jeremias. 21. Threni. 22. Ezechiel. 23. Daniel. 24. Prophetæ minores duodecim, Oseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias.*

Porisma. Apocryphi ergò sunt non solum *1. tertius & quartus Maccabæorum. 2. tertius & quartus Esdræ. 3. Appendix libri Job. 4. Psalmus 151. 5. Oratio Manassis*: sed etiam *6. Supplementum Estheris. 7. Baruch. 8. Hymnus trium puerorum Dan. 3. 9. Historia Susannæ cap. 13. 10. Historia Belis & Draconis* cap. 14. *11. Tobiæ liber. 12. Judith. 13. Sapientia. 14. Ecclesiasticus. 15. primus & secundus Maccabæorum.*

Ekthesis. Non est quæstio. 1. an controversi illi libri in Ecclesia ad *morum ædificationem* legi possint.

2. An cum Canonicis in Codice Biblico conjungi & Scripturæ sacræ nomine *generaliter accepto* comprehendi possint.

3. An moralia dicta in concionibus ex illis adduci possint.

4. An in fidei articulis, quando & quatenus cum Canonicis libris consentiunt, quædam ex illis uberioris explicationis gratia afferri possint. Hæc enim omnia haud inviti concedimus. Sed hoc quæritur,

5. An æqualem cum Canonicis libris autoritatem, divinam scilicet & αὐτόπιστον, obtineant; & ad confirmationem articulorum fidei æquali robore cum Canonicis libris polleant.

Antithesis. Pontificii concedunt, Canonicos illos esse, quos Ecclesia Israelitica pro Canonicis habuit, sed negant, illos *solos* esse Canonicos. Quamvis enim nobiscum agnoscant, *tertium & quartum Maccabæorum, tertium & quartum Esdræ, Apendicem libri Jobi, Psalmum 151. & Orationem Manassis esse scripta Apocrypha*, reliquos tamen in Codice Biblico contentos, videlic. *Supplementum Estheris, librum Baruch, Hymnum trium puerorum, Historiam Susannæ, Historiam Belis & Draconis, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, primum & secundum Maccabæorum pro Canonicis habent.*

Concil. Trident. sess. 4. enumeratis tum verè Canonicis, tum controversis illis libris subjungit. *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contemserit, anathema sit.*

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 2. *Olim ab aliquibus dubitatum est de libro Sapientiæ, Tobiæ, Judith &c. nunc vero jam nulli hac de re dubitare licet, quia Ecclesia postmodum divino Spiritu amplius illustrata censuit, libros præfatos meliore, quam antea lapillo numerandos.*

Melchior Canus lib. 2. Loc. Theolog. cap. 9. *Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque Maccabæorum libros à Canone rejicere, erroneum est, ne dicam, hæreticum.*

Decisionem Concil. Trid. propugnat Bell. lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. & seqq. Nec temperant sibi, quò minùs *gravis sacrilegii* hoc nomine nos accusent, quòd controversorum istorum librorum Canonicam autoritatem negando in *Scripturarum Christianarum corpore quosdam quasi gradus autoritatis conemur locare, quòd unam eandemque Spiritus sancti vocem impio humanæ stultitiæ discerniculo audeamus in varias imparis discerpere ac distrahere autoritatis classes, quòd verbum Dei exectis è toto corpore tam multis, tam bonis, tam speciosis partibus dilumbaverimus, quòd divino Codici vim & manus intulerimus, quod lima nostra polituła & elegantula V. T. raserimus, &, quod reliquum erat, tanquam occisi corporis truncum lancinatum, mutilum ac deforme reddiderimus, quod cædem Scripturarum fecerimus.* Hæc enim omnia totidem verbis inveniuntur apud Lindanum lib. 3. panopl. c. 4. pag. 76. Campianum rat. 1. Hosium libro de expresso Dei verbo p. 6. & 18. Stevartium in præfat. Epist. ad Thessal. & alios.

Nostram sententiam (quòd controversi illi libri non sint in Canonem recipiendi) contra isthæc Pontificiorum ἐγκλήματα probamus, tum à *priori*, tum à *posteriori*. A priori tria producimus argumenta. 1. *ex causa efficiente instrumentali.* Omnis liber Canonicus Vet. T, est scriptus à Propheta ex impulsu & inspiratione Spiritus S. Luc. 16. v. 29. cap. 24. v. 27. & 44. Act. 3. v. 23. Rom. 16. v. 26. Eph. 2. v. 20. Hebr. 1. v. 1. 2. Petr. 1. v. 9. & 21. in quibus dictis Scriptura Vet. T. vocatur *Scriptura Prophetica, sermo Propheticus* ac 2. Tim. 3. v. 16. γραφὴ θεόπνευστος, quia à Prophetis ex inspiratione & instinctu Spiritus S. est conscripta atque edita. Atqui controversi illi libri non sunt scripti post tempora Malachiæ, qui fuit ultimus Propheta V. T. unde Propheticam V. T. Scripturam concludit & quasi obsignat vaticinio de Johanne Baptista, qui prædicatione Evangelii & administratione Baptismi auspicaturus erat N. T. Mal. 3. v. 1. Ergo controversi illi libri non sunt Canonici. 2. *à forma externa* videl. lingua, qua perscripti sunt hi libri. Omnis liber Canonicus V. T. est scriptus lingua Prophetica, videl. Hebræa (exceptis pauculis quibusdam pericopis Chaldaico idiomate ab Hebræa lingua inflexione tantum discrepante, ac post Babylonicam captivitatem Israelitis familiari perscriptis.) Quoscunque enim libros Prophetæ V. T. conscripserunt, illos vernacula sua & Israëlitarum propria, h. e. Hebræa lingua, scribere voluerunt. Atqui controversi illi libri non sunt scripti lingua Hebræa, vel certè in illa lingua originali non amplius extant. Ergò 3. *à materia.* Omnis liber Canonicus V. T. continet oracula de Christo in V. T. promisso, in N. autem exhibito. Luc. 24. v. 44. Johan. 5. v. 39. Actor. 3 v. 23. cap. 10. v. 43. 1. Petr. 1. v. 11. Atqui controversi illi libri non continent oracula de Christo. Ergò. Item. Nullus liber vere Canonicus continet pugnantia cum veritate Historica, vel cum fidei analogia, quia Spiritus S. Canonicæ Scripturæ autor est αὐτάλήθεια. At quidam ex controversis illis libris continent quædam cum veritate Historica & fidei analogia pugnantia, ut suo loco demonstratur. Ergò. (Argumentum hoc non quidem est *generale*, sed *particulare*, interim quod reliquos attinet libros, qui non continent tales antilogias, illi destituuntur requisitis vere & proprie dicti Canonici libri hactenus enumeratis, & porro enumerandis, ideo quamvis in illis sit *eadem*, quæ in Canonicis libris continetur *veritas*, tamen non est eorum *æqualis authoritas.*)

A *posteriori* itidem tria producimus argumenta, utpote à *testimonio*, 1. *Christi & Apostolorum.* Omnis liber Canonicus V. T. adducitur à Christo & Apostolis in N. T. ad dogmatum fidei Christianæ confirmationem, ut ostendit Historia Evangelica, Acta & Epistolæ Apostolicæ Act. 26. v. 22. Rom. 3. v. 21. At controversi illi libri non adducuntur à Christo & Apostolis in Nov. Test. Ergo. 2. *Ecclesiæ Israeliticæ.* Omnis liber Canonicus V. T. testimonium habet Ecclesiæ Israeliticæ. Rom. 3. v. 2. cap. 9. v. 4. Confer. Deut. 31. v. 24. & seqq. Jos. 24 v. 26. 1. Sam. 10. v. 25. 2. Reg. 22. v. 8. 2. Paral. 34. v. 14. Esa. 30. v. 8. At controversi illi libri destituuntur Ecclesiæ Israeliticæ testimonio, ut constat ex Josepho lib. 1. contra Appion. Euseb. lib. 3. Histor. Eccles. cap. 10. Ergo. 3. *Ecclesiæ Christianæ primitivæ.* Omnis liber Canonicus V. T. habet consentiens primitivæ Ecclesiæ Christianæ testimonium 1. Tim. 3. v. 15. At controversi illi libri destituuntur consentiente primitivæ Ecclesiæ suffragio, & ex numero vere Canonicorum librorum excluduntur, ut constat ex Concilio Laodiceno cap. 59. Origene apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccl. cap. 24. Melitone apud eundem lib. 4. cap. 26. Eusebio ipso lib. 3. Hist. Eccl. cap. 9. & 10. lib. 6. cap. 12. Athanasio in Synopsi, Hilario in præfat. Psalterii, Cyryllo Hierosolymitano catech. 4. Gregorio Nazianzeno in carmin. & in procem. Jamblic. ad Seleucum de recta educat. Epiphanio hæres. 8. & in libr. de mens. & ponder. Philastrio hæres. 88. Amphilochio ad Seleucum, Hieronymo in Prologo galeato ad Paulinum & alibi passim, Ruffino in expos. Symboli, Junilio de lib. sacris cap. 3. Damasceno libr. 4. orth. fid. cap. 18. Isidoro lib. de officiis, Leontino lib. de Sectis act. 2. Radulpho lib. 14. in Levit. cap. 1. &c. Ergo controversi illi libri non sunt Canonici.

Huic sententiæ nostræ suffragatur,

1. Quod discrimen illud librorum Canonicorum & Apocryphorum non solum in Ecclesia primitiva, sed etiam posterioribus Ecclesiæ temporibus usque ad Lutheri ætatem diligenter fuerit observatum. Prius constat ex Patrum testimoniis modo citatis, posterius ex sequentibus.

In præfatione Glossæ Bibliorum ordinariæ, (cujus autorem quidam statuunt *Britonem*, quidam *Alcuinum*, quod placet Antonino p. 3. titul. 4. cap. 15. & Ganguino lib. 4. Hist. Francic. cap. 1. quidam *Strabum Fuldensem*, qui floruit Anno 840. quod placet Trithemio de vir. illustr. & Sixto Senensi lib. 4 Biblioth.) quæ in Papatu magnæ semper fuit atque adhuc est autoritatis, (Unde Alphonsus Rex Aragonum, qui *quater & decies* Biblia evolvit, *quater & decies* quoque Glossam ordinariam evolvit, teste Panorm. lib. 2. de dict. & fact. Alphonsi, quasi nihil actum esset, toties perlectis Bibliis, nisi toties simul Glossa ordinaria perlecta esset: inde etiam in tomis Conciliorum, ubi tractatus præfigitur de quadruplici Synodo Apostolorum in Actis descripta, post recitatam sententiam nonnullorum in serie & ordine Synodorum Apostolicarum in Actis enumeratarum, nonnihil à judicio Glossæ diversum abeuntium subjungitur ab autoribus præfixi tractatus, *se quidem hoc, quod ii à Glossæ sententia discedere & dissentire audeant, impedire non posse*, interim monere tamen, *majorem esse Glossæ ordinariæ autoritatem, quàm cui tam leviter à curiosis quibusdam novatoribus contradici debeat.*) In illa inquam Glossæ ordinariæ præfatione sic legitur: *Quia sunt multi, qui ex eo, quod non mediocrem operam dant Scripturæ sacræ, existimant omnes libros, qui in Biblia continentur, pari veneratione esse reverendos atque adorandos, nescientes distinguere inter libros Canonicos & non Canonicos, quos Hebræi inter Apocrypha computant, unde sæpè coram doctis ridiculi videntur & perturbantur, scandalizanturque cùm audiunt aliquem non pari cum cæteris omnibus veneratione prosequi aliquid, quod in Biblia legitur, idcirco id distinximus & distinctè numeravimus, primo libros Canonicos & postea non Canonicos, inter quos tantum distat, quantum inter certum & dubium. Nam Canonici sunt confecti Spiritu sancto dictante, non Canonici autem sive Apocryphi, nescitur, quo tempore quibusve autoribus sint editi, quia tamen valde boni & utiles sunt, nihilque in eis, quod Canonicis obviet, invenitur, ideo Ecclesia eos legit & permittit ut ad devotionem & morum informationem à fidelibus legantur. Eorum tamen autoritas ad probandum ea, quæ veniunt in dubium, aut in contentionem, & ad confirmandam Ecclesiasticorum dogmatum autoritatem non reputatur idonea, prout dicit B. Hieronymus in prologis super Judith; & super libris Salomonis. At libri Canonici tantæ sunt autoritatis, quod, quicquid ibi continetur verum, tenet firmiter & indiscusse &c. Sunt igitur libri Canonici V. T. viginti duo ad numerum viginti duarum literarum Hebræorum &c. quamvis nonnulli librum Ruth separent à libro Judicum, & Lamentationes Jeremiæ à Jeremia, ut sint 24. libri ad numerum 24. Seniorum, quos Apocalypsis inducit adorantes Agnum. Illis Canonicis libris eodem nobiscum ordine & numero recensitis subjicit; Quicquid autem extra hos est (de V. T. loquor) ut dicit Hieronymus, inter Apocrypha est ponendum. Isti sunt libri, qui non sunt in Canone, quos tamen Ecclesia ut bonos & utiles libros admittit, non ut Canonicos, inter quos sunt aliqui majoris autoritatis, aliqui minoris.*

Radulphus Flaviacensis Monachus (qui floruit circa Annum 910.) lib. 14. in Levit. cap. 1. *Tobias, Judith & Maccabeorum,*

rum, quamvis ad instructionem Ecclesiæ legantur, tamen non habent autoritatem perfectam.

Glossa Juris Canonici (cujus autor est Johannes Semeca Teutonicus Halberstadii in templo cathedrali sepultus, teste Crantzio lib. 8. Histor. Saxon. cap. 27. quam Bartholomæus Brixiensis postmodum auxit,) in c. Canones. dist. 16. in verb. Apocrypha. *Inter Apocrypha, id est, sine certo autore, ut Sapientia Salomonis, Liber Jesu filii Sirach, qui dicitur Ecclesiasticus, & liber Judith, & Tobiæ & liber Maccabæorum. Hi Apocryphi dicuntur & tamen leguntur, sed fortè non generaliter.* In margine additur, *Biblia habet aliquos libros Apocryphos.* (Pro nomine *Judith* in quibusdam editionibus vitiosè legitur *Judicum*, de quo libro nec in Israëlitica, nec in Christiana Ecclesia unquam fuit dubitatum.)

Hugo de S. Victore (Abbas, Bernhardi σύγχρονος, qui circa annum 1130. floruit) in Proleg. lib. 1. de Sacram. cap. 7. de libris Tobiæ, Judith, Maccabæorum, Sapientia Salomonis & Ecclesiastico scribit, *legi quidem hos libros, sed in corpore textus, aut in Canone autoritatis non scribi.*

Lib. 4. Didascal. cap. 2. *Omnis divina Scriptura in duobus Testamentis continetur, in veteri videlicet & novo.* Mos V. T. libros in duos ordines distinguit, *in Legem, Prophetas & Hagiographa.* Et enumeratis eodem nobiscum ordine libris illis, qui sunt in Canone divino, subjicit: *Sunt præterea alii quidam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Jesu filii Sirach, liber Judith & Tobias, & libri Maccabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone.*

Lib. ejusd. cap. 8. *Quomodo ergò viginti duo Elementa sunt, per quæ Hebraicè scribimus omne, quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc & lactens viri justi eruditur infantia.*

Idem tractatu de Scripturis & Scriptoribus sacris cap. 6. & 7. distinguit Apocryphos libros à Canonicis, & inter Apocryphos numerat *Sapientiam, Ecclesiasticũ, Judith, Tobiam & Maccabæorum libros*, & addit; *illos legi quidem, sed non scribi in Canone.*

Richardus de S. Victore (Monachus ejusdem cum Hugone Ordinis, ipsique σύγχρονος) lib. 2. Except. cap. 9. *Omnis divina Scriptura in duobus Testamentis continetur, veteri videlicet & novo. Utrumq; Testamentum tribus ordinibus distinguitur. Vetus autem Testamentum continet legem & Prophetas & hagiographos. Novum autem Evangelia, Apostolos, Patres.* Mox subjicit enumerationem librorum Canonicorum, quos dicit viginti duos esse, & addit: *Sunt præterea alii libri, ut Sapientia Salomonis, liber Jesu filii Sirach, & Tobias, & libri Maccabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone.*

Petrus Cluniacensis (Abbas, Bernhardi æqualis & amicus) lib. 1. Epist. 2. *Restant post hos authenticos Scripturæ libros sex non reticendi libri, Sapientiæ, Jesu filii Sirach, Tobiæ, Iudith & uterq; Maccabæorum liber, qui, etsi ad sublimem illorum præcedentium dignitatem pervenire non meruerunt, propter laudabilem tamen & pernecessariam dignitatem ab Ecclesia recipi meruerunt,* (non in fastigium autoritatis Canonicæ, sed in honorem lectionis Ecclesiasticæ; non ad fidei confirmationem, sed ad morum ædificationem, ut Hieronymus & alii ex veteribus constanter docent.)

Petrus Blesensis (Archi-Diaconus Baiothensis, Henrici 2. Regis Anglorum familiaris, alii eum Archiepiscopum in Anglia fuisse memorant, qui floruit circa annum 1177. quem & *eloquenter & suaviter scripsisse*, Bellarminus dicit;) in Epist. ultimâ idem discrimen observat, dum libros *Sapientiæ, Ecclesiastici, Esdræ tertium & quartum, Iudith, Tobiæ, Maccabæorum* inter Apocryphos reponit.

Hugo de S. Charo (Cardinalis, qui floruit circa ann. 1245.) in Prologo Postill. super librum Josuæ, hosce de omnibus V. T. libris recitat versiculos.

Quinq; libros Moysi, Iosuæ, Iudicum, Samuelis,
Et Malachim, tres præcipuos, bis sexq; Prophetas
Hebræus reliquis censet præcellere libris.
Quinq; vocat legem, reliquos vult esse Prophetas.
Post Hagiographa sunt, Daniel, David, Hester & Esdras,
Iob, Paralipomenon & tres libri Salomonis.
Lex vetus his libris perfectè tota tenetur.
Restant Apocrypha; Iesus, Sapientia, Pastor,
Et Macabæorum libri, Iudith atq; Tobias.
Hi, quia sunt dubii, sub Canone non numerantur.

Sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos, (videlicet non *ad fidei confirmationem*, sed *ad morum instructionem*, ut idem loquitur in Prologo Hieronymi in libros Regum.)

Lyranus (Ordinis Minorum, qui floruit circa Annum 1330.) in Prologo super lib. Apocryph. *Postquam, auxiliante Deo, scripsi super libros sacræ Scripturæ Canonicos, incipiendo à principio Geneseos, & procedendo usq; ad finem Apocalypseos, ejusdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui non sunt de Canone, sc. liber Sapientiæ, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias, libri Maccabæorum.*

Idem in cap. 1. Esdræ. *Libros Tobiæ, Iudith & Maccabæorum, licet sint Historiales, tamen intendo eos ad præsens pertransire, quia non sunt de Canone apud Iudæos, nec apud Christianos, imò de ipsis dicit Hieronymus in prologo Galeato, qui est prologus super libros Regum, quod inter Apocrypha cantantur, & in prologo Iudith dicit, quod autoritas eorum non est efficax ad probandum aliquid, quod in contentionem vel dubium venit.*

Similia occurrunt apud Guilielmum Occamum (Doctorem Scholasticum, Scoti discipulum, Francisci Maytonis æqualem, qui floruit circa annum 1320.) part. 1. Dial. tract. 1. lib. 3. cap. 16.

Johannem Januensem Ordinis Dominicanorum in opere, quod *Catholicon* inscribitur, in Verbo *Apocrypha.*

Agobardum Episc. Lugdunensem in lib. de jure & privilegio Sacerdotii, ubi probat numerum librorum Canonicorum ex numero literarum Hebraicarum.

Alphonsum Tostatum Episcopum Abulensem (qui floruit circa annum 1440. de quo extat versiculus: *Hic stupor est mundi, qui scribile discutit omne,*) in cap. 1. Matth.

Antoninum Episcopum Florentinum (ab Adriano VI. in Catalogum Sanctorum relatum, qui floruit circa annum 1445. ac Concilio Florentino interfuit) part. 3. Summ. titul. 18. cap. 6. §. Secundò.

Dionysium Carthusianũ (qui floruit circa annum 1470.) in princip. comment. Genes. art. 4. in præfat. Ecclesiastici, Tobiæ & libri primi Maccabæorum.

Johannem Franciscum Picum Mirandulæ Comitem, (quem Bellarm. lib. de Script. Eccl. virum *ingenio & doctrina maximum vocat,*) de fide & ordine credend. theor. 5.

Franciscum Ximenium Archiepiscopum Toletanum in præfat. Apocryph. in Bibl. Complut.

2. Quod ab ætate Lutheri non solum ante, sed etiam post Concilium Tridentinum quidam ex adversariis discrimen Canonicorum & Apocryphorum librorum observandum esse docuerint.

Thomas de Vio Card. Cajetanus (Lutheri adversarius acerrimus, quem Bellarm. lib. de Script. Eccles. vocat *virum summi ingenii, nec minoris pietatis*; lib. 1. de V. D. cap. 10. *Catholicum & pium doctorem*; Pererius in c. 1. Genes. *virum de mysteriis fidei benè sentientem & de Theologia optimè meritum*; Sixtus Senens. lib. 9. Biblioth. *Incomparabilem Theologum & inter doctissimos sui seculi eruditissimum*; Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. tit. Adam. hær. 6. *in Theologia Scholastica tam insigniter doctum, ut nulli ex his, qui suo tempore floruerunt, secundus fuerit, ob literarum eminentiam & morum probitatem in Generalem Ordinis electum, & postea à Leone 10. ad Presbyteri Cardinalis dignitatem exaltatum.*) In præfat. super Josuam ad Clementem VII. Pontif. Rom. sic scribit, *Divo Hieronymo, Pater beatissime, universa Ecclesia Latina plurimum debet, non solum ob annotatas ab eo in libris V. & N. T. particulas, tum adjectitias, tum ambiguas, sed etiam propter discretos ab eodem Canonicos à non Canonicis. Liberavit siquidem nos ab Hebræorum opprobrio, quod fingamus nobis antiqui Canonis libros, aut librorum partes, quibus ipsi penitus carent.*

Idem in Comm. super Esther circa fin. Hieronymum secutus affirmat, *Septem capitula Appendicis Esther, libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiasti, Maccabæorum, non esse Canonicos.* Verba sic habent: *Hoc in loco terminamus Commentaria librorum Historialium Veteris Testamenti. Nam reliqui, videlicet Iudith, Tobiæ & Maccabæorum libri à Divo Hieronymo extra Canonicos libros supputantur & inter Apocrypha locantur cum Sapientia & Ecclesiastico, ut patet in Prologo galeato.*

Erasmus in annot. 1. Tim. 1. pag. 464. *Nos etiam illos Iudæorum libros recipimus in Canonem nostrum, quos illi in suum recipere noluerunt, Christiani propensiores in Iudæorum libros, quam ipsi in suos, qui tamen sua sic amant, ut nulla gens insanius.*

Idem in Symb. Catech. 4. p. 153. postquam recensuerat libros, quos nostræ Ecclesiæ pro Canonicis agnoscunt, subjungit.

git: *Intra hunc numerum conclusit priscorum autoritas Vet. Test. volumina, de quorum fide nefas dubitare. Nunc vero receptus est in usum Ecclesiasticum liber Sapientiæ & Ecclesiasticus, & liber Tobiæ, & Judith, & Esther, & Maccabæorum libri. Cæterum, an Ecclesia receperit hos libros eâdem autoritate, quâ cæteros, novit Spiritus Ecclesiæ.* (Sed huic fluctuationi merito opponimus illud Augustini lib. 11. contra Faustum cap. 5. & Cajetani in comm. 1. Cor. 12. quod *sola scripta ab Apostolis, seu ab eis approbata sacræ Scripturæ autoritatem habeant*, quod ipsum etiam de Prophetis respectu V. T. statuendum.)

Jodocus Clichtovæus in comment. Damasc. lib. 4. cap. 18. *Non modo hi duo libri* (Sapientia & Ecclesiasticus) *non numerati sunt in canone sacrorum librorum, sed etiam Tobias, Judith & Maccabæorum, à numero Canonicorum voluminum Vet. Test. sunt exclusi, quemadmodum in prologo librorum Salomonis testatur Hieronymus &c. unde effectum est, quod hi duo libri, Sapientia Salomonis & Ecclesiasticus, similiter & cæteri tres illis annumerati, non ponebantur in arca. Sanè in arca V. T. cum virga Aaron, urnâ continente Manna, & præceptis Decalogi apud Hebræos etiam ponebantur libri approbati & Canonici antiquæ legis tanquam in promtuario atque reconditorio &c. videlicet viginti duo libri Canonici, non Sapientia, nec Ecclesiasticus, nec reliqui tres &c.*

Benedictus Arias Montanus (qui Concilio Tridentino interfuit, quem Gregorius 13. *dilectum suum filium* appellat, de quo Possevinus in Apparatu sacro tit. Arias scribit, quòd *nomine Philippi Regis Hispaniæ editioni Bibliorum præfuerit*;) in præfat. Bibliorum cum interlineari versione excusorum, & à Theologis Lovaniensibus approbatorum de controversis illis libris sic scribit: *Accesserunt etiam huic editioni libri Græcè scripti, qui vocantur Apocryphi, quos Ecclesia orthodoxa Hebræorum Canonem secuta inter Apocryphos recenset.*

Franciscus Ruizius S. Facundi Abbas in regul. intellig. Scripturas regul. 54. p. 41. edit. Constant. *Librorum V. T. & ordinem & numerum & gradum ostendit D. Hieronymus in præfat. libr. Regum, quæ incipit, Viginti & duas literas &c.* (At in præfatione illa Hieronymus libros controversos disertè è Canone excludit.)

Claudius Espensæus Episcopus in comment. Epist. Timoth. p. 1. Digress. lib. 1. p. 221. *Apocrypha nescit Ecclesia, quorum deliramenta Hieronymus Prologo in Pentateuchum & Reges galeato insectatur.* (At qui Hieronymum in hac quæstione sequitur, controversos illos libros è canone excludere cogitur.)

Similia occurrunt apud Ludovicum Vivem lib. 5. de trad. discipl.

Johann. Ferum in Exam. Ordinand p. 165.

Antonium Braciolum in præfation. comment. in Biblia in Italicam linguam versa.

Santem Pagninum in præfat. versioni Bibliorum præfixa, quam vocat Epitomen Historicorum librorum Canonicalium.

Sic ergò Romæ in Italia nostram de libris Canonicis propugnavit sententiam Cardinalis Cajetanus in locis superius citatis.

In Germania Erasmus & Ferus dictis locis.

In Hispania Abbas S. Facundi Ruizius d. l.

In Belgio Autor editionis Bibliorum publicatorum Birckmanni operâ.

In Gallia Robertus Stephanus in editione Bibliorum anno 1545. ab ipso publicatâ, in qua, etsi Sorbona multa obelo notaverit, traduxerit multa apud Regem Galliæ, non verbo tamen sibi displicere ostendit, quod *de discrimine librorum Canonicorum & Apocryphorum* nobiscum Stephanus monebat, ut sic ipso silentio Theologorum Parisiensium testatum habeamus, quo tempore dogma Ecclesiarum nostrarum de canone Tridenti damnatum fuit, in regno Galliarum id adhuc publicè receptum fuisse.

Horum omnium consideratio procul dubio permovit Melchiorem Canum & Benedictum Pererium, ut faterentur, *multos Catholicos censuisse controversos illos libros esse Apocryphos.* Ille quidem lib. 2. Locor. Theolog. cap. 10. hic vero lib. 16. comm. in Daniel. p. 741.

3. Quod adversarii concedunt Israëliticam Ecclesiam ante Christi adventum eloquia divina sibi concredita fideliter custodivisse.

Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. §. Tertium argumentum. *Judæos non depravâsse Scripturas probari potest ex incredibili religione Judæorum erga sacros libros. Scribit enim Philo libro de egressu filiorum Israël ab Ægypto, & citatur etiam ab Eusebio lib. 8. præparat. Evang. cap. 2. usq; ad sua tempora per spacium amplius, quam duorum millium annorum ne verbum quidem fuisse unquam in lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Judæorum centies potius moriturum, quàm ut pateretur legem in aliquo mutari.*

Idem lib. 3. de Ecclesia cap. 16. §. Ad tertium. *Non potest ostendi unquam, Synagogam Judæorum defecisse omnino usq; ad Christi adventum, quo tempore etiam non tam defecit, quam mutata est in melius.*

Bonfrerius præloq. in Pentat. cap. 4. fol. 12. fatetur, librorum sacrorum Canonem diligentissimè in templo fuisse conservatum.

Toletus in cap. 3. Rom. v. 2. *Oracula divina in Scripturis contenta commissa sunt Judæis, apud eos enim in quadam custodia & deposito eloquia Dei manserunt, factiq; sunt ii depositarii & custodes eloquiorum Dei.*

Cornelius à Lapide in eund. locum pag. 56. *Deus Judæis tanquam populo præ aliis selecto & circumcisione distincto, quasi depositariis & custodibus credidit velut depositum eloquia sua, id est, ut Chrysostomus & Theodoretus, legem suam, & ut alii, Scripturas sacras.*

Benedictus Pererius in Epist. Rom. Disp. 1. sect. 4. p. 206. *Hæc vox* (λόγια) *secundum Hesychium significat Numinum responsa & vaticinia & oracula, secundum quam notionem nomen eloquiorum referendum esset ad Prophetarum vaticinia. LXX. tamen Interpretes, quos libenter & frequenter Paulus imitari solet, vocem illam Græcam universaliter usurpant, prout pertinet ad universam legem, tum in aliis locis, tum sæpenumerò in Ps. 118. ubi crebra & passim obvia est ejus vocis usurpatio; quamquam in Ps. 18. ea vox tribuitur etiam nostris eloquiis. Eloquia itaq; Dei populo Israëlitico concredita significant scripturam Vet. Test. quæ docent, quibus in rebus verus Dei cultus sit positus. Item continent magnificas Dei promissiones nominatim datas Judæis. Ambrosius & Theodoretus per eloquia Dei intelligunt legem Mosis. Photius magnifica Dei dona & beneficia. Quidam divinas promissiones à Deo datas Abrahæ & semini ejus. Nonnulli domestica Dei responsa, vel Prophetarum vaticinia. Multi hæc omnia simul.*

Et paulo antè. *Nescio, quid plus significat credita, quàm commissa! Nimirum credere alicui rem quampiam, est ejus fidei jam nobis probatæ & perspectæ committere, quasi ad honorem ejus personæ, cui confidimus. Hanc emphasin hujus vocis significavit Theophylactus & Chrysostomus. Sed clarius Ambrosius, dicens, maximam fuisse laudem Judæorum, quod legem à Deo accipere digni judicati sint.*

(Ex hac hypothesi sic concludimus: Cuicunque Ecclesiæ concredita fuere eloquia Dei, id est, Scripturæ Canonicæ, & quæ depositum illud fideliter custodivit, illius testimonium in secernendis Apocryphis à Canonicis meritò amplectimur. Jam verò Ecclesiæ Israëliticæ concredita fuere eloquia Dei, eademque depositum illud ante Christi adventum fideliter custodivit. Ergò. Ulterius. Omnes isti libri, quos in Canonem non admittimus, rejecti etiam fuere ab Ecclesia Israëlitica.

Quod enim libri illi controversi non sint in Canone Judæorum ὁμοθυμαδὸν fatentur Adversarii.

Marianus Victor in Scholiis ad Epistol. 116. Hieronymi. *Non refert, quod in Canone illos controversos libros non esse scribat, quia de Hebræorum Canone, non de Ecclesiæ Canone id intelligit.*

Erasmus in 1. Timoth. 1. p. 464. *Etiam illos Judæorum libros recipimus in Canonem nostrum, quos illi in suum recipere noluerunt, qui tamen Christiani propensiores in Judæorum libros, quàm ipsi in suos, quos tamen sua sic amant, ut nulla gens insanius.*

Ambrosius Catharinus in annot. advers. Cajetan. §. de lib. Maccab. *Hos Hieronymus Apocryphos vocat, fateor: sed loquitur secundum Canonem Hebræorum.*

Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. in princ. *Omnes illos, quos Protestantes non recipiunt, etiam Hebræi non admittunt.*

Costerus in Enchirid. cap. de Script. §. de num. lib. *Isti libri in Canone Judæorum non habentur.*

Ibid. *Gregorius loquitur de Canone Hebræorum, in quem libri illi adscripti non fuerunt.*

Similia occurrunt apud Petrum Galatinum lib. 1. de arcan. Cathol. verit. cap. 1. Becanum lib. 1. Manual. cap. 1. quæst. 3. & alios passim.

Ergò testimonium ejus in repudiandis controversis illis libris meritò sequimur. Si Ecclesia Israëlitica quosdam libros verè Canonicos è Canone repudiasset, atque hac ratione Canonis integritatem violasset, non posset eis fide-

tisid lis custodia eloquiorum divinorum tribui, nec effugisset Christi & Apostolorum reprehensionem ob hoc grande sacrilegium, si tale quid in repudiandis libris verè Canonicis commisisset. Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. §. pugnant adducit & probat argumentum Origenis lib. 8. in Esaiam & Hieronymi in cap. 6 Esaiæ, quod sic habet: *Si Scripturas Hebræi ante Christi adventum corruperunt, quare Christus & Apostoli nunquam eos de tam insigni crimine reprehenderunt, præsertim cum leviora non tacuerunt.* At ex eodem principio concludere possumus, Si Canonicas quasdam Scripturas Hebræi ante Christi adventum repudiarunt, adeoque *Canonem dimembrarunt, dilumbarunt, lancinarunt, mutilarunt*, ut de nobis loqui Adversariis volupe est, quare Christus & Apostoli nunquam eos de tam insigni crimine reprehenderunt, præsertim cum leviora non tacuerint?

Salmeron tom. 1. comm. in N.T. prolegom. 9. can. 4. p. 93. libros deperditos non fuisse Canonicos, sed tantum Apocryphos inter cætera probat ex eo, *quod Ecclesia non fuisset depositi à Deo sibi traditi fidelis custos, si ejusmodi libri Canonici extitissent.* (Ex eodem principio probare possumus, controversos illos libros non esse Canonicos, sed Apocryphos, quia Ecclesia, si librum aliquem vere Canonicum in Canonem non recepisset, haud fuisset fidelis depositi à Deo sibi traditi custos.)

Ibid. p. 94. Salmeron diserte sic scribit: *Libri Canonici non habentur nisi in numero literarum alphabeti, id est viginti duo.* (Sub sumo. Controversi illi libri non habentur in numero literarum alphabeti, ut constat. Ergo non sunt Canonici.)

Referimus huc insignem locum Francisci Cordubensis (Monachi Minoritæ) in annotat. Catholic. art. 2. cap. 70. *Approbandi, inquit, sacram Scripturam autoritatem penes fidelium Synagogam olim fuisse, in confesso est. Cum enim apud fideles Judæos Dei Prophetæ à Pseudoprophetis, & Hagiographi ab Apocryphis discreti fuerint, ad veros & falsos Prophetas discernendos, atque ad illorum libros, aut approbandos, aut non recipiendos Synagogam habuisse infallibilem autoritatem oportuit.* (Atqui Si Synagoga habuit infallibilem autoritatem ad discernendos libros Hagiographos ab Apocryphis, utique judicium Synagogæ, h. e. Ecclesiæ Israeliticæ in recipiendis Canonicis & repudiandis Apocryphis merito sequimur.)

4. Quod Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 7. statuit, *Esdram constituisse Canonem Hebræum*, quem lib. 2. de verbo Dei cap. 2. annumerat *Prophetis*. (Ex hac hypothesi sic inferimus: Qui sub anathematis comminatione pro Canonicis libris jubet haberi eos, quos Esdras in Canonem non recepit, ille refragatur Propheticæ autoritati. Prius faciunt Adversarii. Ergo. Non est, quod regeras, *etiam Nov. Test. libros non fuisse in Canonem ab Esdra relatos, quos tamen pro Canonicis agnoscamus. Qua ratione* (inquit Hayus Jesuita) *Vet. Test. Canonem minuis, quem Ecclesia Christi probavit, eadem plane & N. T. quod Judæorum Synagoga nunquam recepit, aspernaberis.* Hic enim tantum de V. T. Canone agitur, de libris scil. Canonicis ante Christi adventum scriptis, non autem de N. T. Canone, de libris sc. Canonicis post Christi adventum scriptis. Post Christum Judæi desierunt esse Ecclesia, & quamdiu fuerunt Ecclesia, Novi Test. Canonem habuerunt. Adde, quod non possit ostendi, post Esdræ tempora ab Ecclesia Israelitica controversos illos libros in Canonem fuisse receptos, sed perpetuo ἔξω τῦ κανόνος fuere ab ea habiti.)

Confirmari potest hoc argumentum ex hypothesi Bellarminiana deductum tali Syllogismo: Omnes libri Canonici V. T. scripti sunt à Prophetis. Ergo non sunt Canonici.

Minor probatur hoc modo: Nulli, qui post Malachiam scripserunt, fuerunt Prophetæ. Atqui autores controversorum istorum librorum scripserunt post Malachiam. Ergo autores controversorum librorum non fuerunt Prophetæ.

Utraque præmissarum probatur ex Genebrardo, Major quidem ex lib. 2. Chronologiæ ad annum mundi ter millesimum sexcentesimum quadragesimum, ubi scribit, *secundum templum destitutum fuisse Spiritu sive afflatu sancto, qui Prophetas olim corripiebat. Nam à Malachia ad Johannem Christi Baptistam nulli Prophetæ extitere.*

Minor ex eod. lib. 2. ad annum mundi ter millesimum sexcentesimum trigesimum octavum, ubi scribit: *eos libros qui sunt extra Canonem Hebræum, post eam Synodum compositos, quæ Canonem constituit. Cum ergo in illo Canone sit Malachias ultimus Prophetarum, necesse est, eos scriptos esse post ejus tempora, quem nulli Prophetæ ulterius secuti sunt.* Et lib. 1. ad annum ter millesimum quadringentesimum quadragesimum, *Tobiæ librum asserit scriptum post reditum è Babylone.* (Sed & Maccabæorum Historiam nemo tam obesæ naris est, qui in legendo non cognoscat, multo recentiorem esse. Ecclesiastici ætas cognosci potest ex præfatione, *temporibus enim Ptolemæi Evergetæ* Interpres se reperisse testatur & transtulisse librum avi sui. Vixit autem hic Ptolemæus annis circiter ducentis post Artaxerxem, unde sunt decidendi anni ad summum centum, ut perveniatur ad ætatem avi autoris ejus libri. Adde, eum alludere ad verba Malachiæ, & sequi Interpretationem LXX. Utrumque notat Jansenius in cap. 48. Eccles. *Non est dubium, quin Sapiens hic referre velit, quod scribitur Malachiæ ultimo.* Et postea. *Imitatus est hic autor, ut alias semper, Septuaginta Interpretes.* Sic Additiones Esther reperiuntur factæ tempore Ptolemæi & Cleopatræ ex capite 11.)

Majorem itidem confirmat Jansenius d. l. sic scribens: *Post quem promissum, id est, Johannem, in Prophetia Malachiæ, nulla exstat Prophetia scripta ab aliquo Propheta, qui Canonicus habeatur, quousque ille promissus veniret, à quo incipit Scriptura Novi Testamenti.*

Huc referimus etiam illud,

1. Quod Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 1. Scripturam distribuit in *libros Propheticos & Apostolicos.* (Atqui controversi illi libri non sunt *Apostolici*, ut constat. Nec sunt *Prophetici*, 1. quia non sunt Judæis traditi, quibus *eloquia Dei* per Prophetas proposita *fuerunt concredita*, Roman. 3. v. 2. neque enim ipsis alii libri traditi, quam qui Hebraice fuere scripti, neque unquam fuerunt in Canone Judæorum. 2. quia non fuerunt inter libros illos *Propheticos*, quos Christus suo testimonio comprobavit ut solos veros & genuinos Luc. 24. v. 44. Matth. 13. v. 35. cap. 24. v. 15. cap. 27. v. 34. hi enim non fuerunt alii, ex quibus Judæi *putabant se vitam æternam habere*, Joh. 5. v. 39. quod de istis libris nunquam putarunt.)

2. Quod idem Bellarminus lib. 2. de V. Dei cap. 1. §. Denique &c. agnoscit, libros V. T. Canonicos conscriptos esse lingua Hebræa. *Si Esdras, inquit, libros sanctos iterum dictasset, verisimile est, eum id facturum fuisse non lingua Hebræa, sed Chaldaica, vel mixta ex Hebraica & Chaldæa quæ tunc erat in usu, & qua videmus, scriptos esse libros Esdræ & Danielis. At certum est, sanctos libros, præter istos Esdræ & Danielis, lingua Hebraica esse scriptos, & illa ipsa qua Adam & Eva & Patriarchæ omnes locuti sunt.* (Ex eo sic colligimus: Omnis liber Canonicus V. T. scriptus est lingua Hebræa, exceptis pauculis quibusdam pericopis, Chaldaico idiomate, quod dialecto tantum & paucis radicibus distat ab Hebræo, exaratis. At controversi illi libri, vel nunquam scripti sunt lingua Hebræa, vel certe in ea non amplius extant. Ergo non sunt Canonici. Neque enim divina providentia textum originalem istorum librorum perire permisisset, si in Canonicorum librorum numero illi fuissent.)

5. Quod Hieronymi sententiam in discernendis Ecclesiasticis scriptis Romana Ecclesia sequitur.

c. Sancta Romana. dist. 15. *Ruffinus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros &c. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus, & non solum de Ruffino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit.*

(Ex hac hypothesi sic concludimus: Si Ecclesia Romana sequitur judicium Hieronymi in acceptandis, vel repudiandis Patrum Ecclesiasticorum scriptis, utique etiam ejusdem judicium sequi debet in distinguendis Canonicis & Apocryphis Scripturæ libris. Sed illud. Ergo & hoc. Opponendum hoc est Bellarmino, qui lib. 1. de verbo Dei cap. 18. §. ultimo excipit, *Gelasium loqui de libris Doctorum, ut Origenis, Ruffini, & similium, non de libris sacris.* Novimus hoc & concedimus, interim ex hypothesi illa deducimus, quod Hieronymi sententiam etiam in discernendis Canonicis & Apocryphis libris sequi debeant. Verum enimvero non opus est consequentiis, cum sententiæ nostræ suffragetur.)

6. Quod *Prologus galeatus* Hieronymi (in quo nostram de Canone disertis verbis confirmat sententiam) omnibus Bibliorum editionibus Latinis, quæ in Papatu imprimuntur ac leguntur, præponitur. Quare cum vulgata Latina editio in Concil. Tridentino pronuncietur authentica, æquum est

est, ut hoc vulgatæ editionis procemium non accusetur falsitatis.

7. Quod iisdem argumentis, quibus adversarii probant, quosdam Vet. Test. libros pro Apocryphis habendos, probari etiam possit, controversos illos libros pro Apocryphis censendos esse.

Orationem Manassis non esse Canonicam Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Enumerantur. probat triplici argumento, *1. quia non est pars libri alicujus sacri. 2. quia non ponitur nominatim in Canone ab aliquo Concilio vel Pontifice, vel Patre. 3. quia non habetur in Hebræa aut Græca, sed tantùm in Latina editione.* At priores duæ rationes sunt infirmæ, subjungitur enim Appendicis loco *libris Paralipomenon*; (Posset igitur morosus disputator etiam ad eam applicare Decretum Concilii Tridentini Sess. 4. *Si quis ipsos libros integros cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata versione habentur, pro Canonicis non susceperit, anathema sit.*) & Patres quædam ex Oratione illa Manassis citant, sola igitur tertia ratio firma est, quod non habeatur in textu Hebræo. At stante illa ratione Bellarm. cogetur etiam controversos illos libros è Canone rejicere. Quod de lingua Græca additur, de eo postea videbimus.

In eodem cap. §. Item apocrypha, Bellarminus probat *præfatiunculam, quæ Threnis Jeremiæ præfigitur, non esse Canonicam, quia non habetur in Codd. Hebræis, nec in omnibus Latinis.* (At prius commune habet cum controversis illis libris.)

In eodem cap. §. Postremò &c. miratur Bellarminus, quid Genebrardo in mentem venerit, ut statueret, *tertium & quartum Esdræ esse Canonicos.* Sed Genebrardus æque solidis argumentis probare posset, hos libros esse Canonicos, ac Bellarminus probat, controversos illos libros esse tales. Nam tertius liber Esdræ citatur ab Origene, Cypriano, Athanasio, Clemente Alexandrino, Augustino & autore imperfecti operis. Quartus citatur ab Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Ambrosio, Basilio & Chrysostomo.

Ibid. §. eodem, Bellarminus probat, *quartum librum Esdræ esse Apocryphum, 1. quia in nullo Concilio refertur in Canonem. 2. quia non invenitur neq; Hebraicè, neq; Græcè. 3. quia continet in cap. sexto quædam fabulosa de pisce Henoch & Leviathan, quæ Rabinorum Thalmudistarum somnia sunt.* (Lib. 2. de verbo Dei cap. 1. repetit, *eum in multis locis redolere fabulas Judaicas.*) Sed primo argumento obverti posset, Concilium Tridentinum omnes libros, qui in veteri vulgata versione habentur, pro Canonicis habendos esse pronunciare, posterior pars secundi argumenti, quod non extet Græce, est infirma, cum lingua Prophetica, qua Vet. Test. Canonici libri perscripti, fuerit Hebræa, non Græca; prior pars argumenti, ut & tertium argumentum evincunt, etiam controversos illos libros non esse Canonicos, cum itidem non inveniantur in Codice Hebræo, ac quidam illorum fabulosa contineant.

Lib. eodem videl. 1. de verbo Dei & cap. eod. videl. 20. §. Ad alteram &c. ad difficultatem illam, (quod *Concilia & Patres, cum ponunt in Canone duos libros Esdræ, videantur intelligere nomine duorum librorum omnes tres, cum in Græcis Codicibus, quos plerique eorum secuti sunt, primus liber Esdræ sit, qui in versione Latina est tertius, & qui in Latina versione dicuntur primus & secundus Esdræ, in Græco sunt secundus,*) respondet hoc modo: *Etsi in Græcis Codicibus duo libri Esdræ sunt nostri tres, tamen non propterea Concilia antiqua & veteres Patres, qui in Canone ponunt duos libros Esdræ, intelligunt nomine duorum nostros tres. Nam multi veterum in Canone V. T. exponendo apertè secuti sunt Hebræos, non Græcos. Hebræi autem tertium Esdræ non habent.* (At si Bellarmino contra Genebrardum, Pistorium & alios, qui pro Canonica hujus libri autoritate pugnant, licet provocare à Codicibus Græcis ad Canonem Hebræum, utique etiam nobis hoc licet, quando pro controversorum istorum librorum autoritate testimonia proferuntur ex Patribus, qui Codices Græcos secuti fuere.)

In eodem libro & capite. §. Enumerantur &c. Bellarminus sic disserit: *Apocryphus est Psalmus 151. Davidis, cujus meminit Athanasius in Synopsi, & invenitur in Græcis Psalteriis. Quem Psalmum Apocryphum dico, quia Concilium Laodicenum can. 59. Concilium Romanum sub Gelasio. & Tridentinum sess. 4. nominatim ponunt in Canone 150. Psalmos.* (Atqui si Psalmus 151. ex eo rectè probatur Apocryphus, quia 150. duntaxat Psalmi nominatim *in Concilio Laodiceno* ponuntur, pari ratione consequens fuerit, libros illos sex controversos non esse Canonicos, quia nominatim 22. tantùm libri *à Concilio Laodiceno* in Canone ponuntur. De Concilio Romano & Tridentino suus erit postea dicendi locus.)

Idem Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 10. resp. ad 2. object. *Librum Henochi propterea non esse in Canonem ab Ecclesia receptum, asserit, quia nulla habuit testimonia ejus temporis, quo liber scriptus erat, nec etiam temporum proximorum.* (Idipsum de controversis illis libris non solùm dicimus, sed etiam ex unanimi Ecclesiæ Israëliticæ & primitivæ Christianæ testimonio demonstramus.)

8. Quod primitivæ Ecclesiæ, Apostolorum temporibus vicinæ, suffragium nobis largiuntur. Probamus hoc, tum in genere, tum in specie. *In genere* monemus, quod non habeant antiquius pro controversorum istorum librorum autoritate testimonium, quod nobis opponant, quam *Concilii Carthaginensis.*

Jodocus Coccius in Thesauro cap. de script. Eccles. art. 4. ubi agit de Canone in universum, nullum potuit testimonium reperire ante *Concilium Carthaginense tertium* circa annum 397. à quo incipere coactus fuit, cum nihil esset in prioribus seculis, quod confingeret ad causæ suæ patrocinium. Fatentur igitur, controversos illos libros demum in Concilio illo Carthaginensi in Canonem receptos. Jam verò Concilium illud Carthaginense celebratum fuit sub finem seculi quarti. Fateri ergò coguntur, non solum in Ecclesia Israëlitica, sed etiam Apostolica & primitiva, Apostolorum temporibus proxima, controversos illos libros nondum fuisse in Canonem receptos.

Bailius in Catech. controv. tract. 1. quæst. 13. in Append. responsurus ad locum Gregorii, lib. 19. moral. cap. 13. ubi *libros Maccabæorum* vocat *non Canonicos,* sic scribit: *Gregorius locutus fuit more Doctorum primitivæ Ecclesiæ, qui libros illos non credebant Canonicos, quia in veteri Hebræorum Canone non habeantur.* (Tacitè igitur concedit, nobis ὁμόψηφον esse Ecclesiam primitivam, ac nos ejusdem vestigiis insistere.)

In specie nobis largiuntur suffragium *Concilii Laodiceni,* quod nostram in can. 59. expresse probat sententiam, nisi quod librum *Baruch* cum Jeremia copulat, (in versione sc. Gentiani Herveti, quam Severinus Binius in sua editione hic correxit.) Sanè Stapletonus libr. 2. de autorit. Script. cap. 3. §. 2. Laodiceni Concilii decretum pro sua allegare ausus fuit sententia. Sed Georgius Ederus, JCtus Consiliarius Imperialis (quem Pius 5. Pont. Rom. in præfat. vocat *dilectum suum filium, & operam ipsius bene positam esse* judicat,) in Oecon. Bibl. libr. 1. tab. 42. pag. 36. fatetur, Concilium Laodicenum controversos illos libros in Canonem non recepisse. *Licet,* inquit, *in hoc Concilio de libris Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Maccabæorum, nulla fiat mentio, vel quia dubium aliquod de illis fuerit, vel quia sancti Patres judicium de re tam gravi in aliud tempus differre voluerunt, non tamen oportet semper dubitare, nec ab unius Concilii autoritate negativè argumentari licebit, cum sufficiat hos libros à sequentibus Conciliis & paulo post totius Ecclesiæ Catholicæ consensu approbatos fuisse.*

Idem agnoscit Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæreses cap. 2. sic scribens: *Fieri potuit, ut tunc* (tempore Concilii Laodiceni) *de libris illis fuerit ab eis dubitatum, & in re tam seria noluisse eos temere quicquam definire, donec plenius fuissent edocti.* Postea addit: *Ecclesiam postmodum divino Spiritu amplius illustratam censuisse libros illos* (controversos) *meliore quam antea* [illegible] *numerandos.*

Ne quis verò autoritatem hujus Concilii elevet, notandum, quod approbatum fuerit in *Synodo VI. Constantinopolitana.* c. Quoniam. dist. 16. Synodum autem Constantinopolitanam VI. confirmavit *Papa Adrianus,* c. Sextam dist. ead. *Laodicena quoq; Synodus* inter approbatas recensetur, c. Prima adnotatio. dist. 16. (Aut ergo Papa Adrianus erravit confirmando Synodum VI. & consequenter Concilium Laodicenum, aut nostra de Canonicis libris confessio erit vera. A definitione decreti Laodiceni à Papa Hadriano confirmati discessit Concilium Tridentinum à Pio 5. confirmatum. Aut ergò Laodicenum ab Hadriano confirmatum, & sic Hadrianus Pontifex erravit: aut Tridentinum à Pio 5. confirmatum, & sic Pius 5. Pontifex erravit.)

Melitonis, Epiphanii, Hilarii, Hieronymi & Ruffini antiquissimorum Patrum suffragium nobis largitur Bellarminus libr. 1. de Verbo

de Verbo Dei cap. 20. §. Ad alteram &c. sic scribens: *Multi veterum, ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus in Canone exponendo V. T. aperte secuti sunt Hebræos, non Græcos.* Illud enim, quod secuti sint Hebræos, ex lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. 1. sic explicandum, quod controversos illos libros è Canone repulerint. *Libri* (inquit) *Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Maccabæorum simul omnes rejiciuntur ab Hebræis.* Sanè Ambrosius Catharinus in annot. advers. Cajetanum §. de libris Maccab. contra Hieronymi autoritatem excipit, *ipsum loqui non ex sua sententia, sed secundum Canonem Hebræorum.* Verum Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Postrema objectio &c. falsi eum meritò arguit. *Alii* (inquit) *respondent, Hieronymum tantùm dicere, eos non esse Canonicos apud Judæos. At certè in Prologo galeato simul cum istis libris V. T, numerat etiam librum Pastoris, qui est Nov. Test. & omnes simul dicit, non esse in Canone, non igitur de Canone Judæorum tantùm loquitur. Præterea in Prologo Proverbiorum, Sicut igitur, inquit, Tobiam, Judith & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit, ita & hæc duo volumina Sapientiam & Ecclesiasticum legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Admitto igitur Hieronymum in ea fuisse opinione,* (quam olim Ecclesia Israëlitica & hodie Protestantes amplectuntur.)

Idem Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 9. propos. 3. *Hieronymus librum Sapientiæ, Ecclesiastici & Maccabæorum arbitratur esse apocryphos, ut patet ex Prologo galeato, & ex præfat. Proverbiorum.*

Hieronymi suffragium etiam largitur nobis Sixt. Senens. lib. 8. Bibl. p. 655. sic scribens. *Ad Hieronymi sententiam quod attinet, quâ asserit libros istos ab Ecclesia Dei inter Canonicas Scripturas minimè recipi, dicimus, verba ejus sic sine ulla discretione considerata non esse prorsus vera, quoniam Augustinus Hieronymo* σύγχρονος *& Conc. Carthaginense eos in catologo sanctarum Scripturarum enumerat.*

Duræus Jes. in Conf. resp. Witak. p. 27. *Hieronymus non aliam ob causam hos libros in Canone esse negavit, quam quod à Catholica Ecclesia nondum essent admissi.*

Præter hos etiam *Origenis, Eusebii & Damasceni* suffragium largitur nobis Melchior Canus lib. 2. Locorum Theolog. cap. 10. *Melito* (inquit) *ad Orientem hujus rei sciscitandæ causa perrexit, ubi sed. prædicationis nostræ capit exordium. Cumq; diligenter de omnibus exploraverit, omni investigatione comperit, hos libros esse à Vet. Testam. Canone rejiciendos, ut autor est Eusebius lib. 4. Hist. Eccles. cap. 26. Origenes etiam in Ps. 1. hos sex libros cum Hebræis à Canone rejicit, quod Eusebius refert lib. 6. cap. 18. Sed & idem Eusebius lib. 6. cap. 11. hos libros à sacris videtur eximere. Nec ab hac sententia alienus est Damascenus lib. 4. de orth. fid. cap. 18.* Ad hoc argumentum in cap. 11. respondet, *Ruffinum eo tempore autoritatem istorum librorum repudiasse, quo res nondum erat definita, qua etiam ratione* (inquit) *reliquos excusamus.* Tacitè ergò concedit, Melitonem, Origenem, Epiphanium, Eusebium, Ruffinum, Damascenum, quos adduxerat, in eadem nobiscum fuisse sententia. Stapletonus quidem lib. 2. de autor. Script. cap. 4. §. 1. negare ausus fuit, Damascenum nos hic habere ὁμοψήφως, sed cum Cano consentiunt, & Damasceni suffragium nobis largiuntur Ederus in Oecon. Bibl. lib. 1. tab. 24. pag. 22. & Clitovæus in comm. lib. 4. Damasc. de orth. fid. cap. 18.

Gregorii Nazianzeni & Isidori suffragium nobis largitur Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth partit. 3. & partit. 4. ubi ex sententia Nazianzeni & Isidori Canonici V. T. libri enumerantur, controversi vero prætermittuntur.

Cæterum quando testimonia *Melitonis, Origenis, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Hierosolymitani, Amphilochii & aliorum, qui primis quatuor seculis vixerunt,* pro confirmando nostro Canone Pontificiis opponimus, excipiunt Alphonsus de Castro, Bailius, Becanus & alii, *Patres illos omisisse libros istos, qui in controversiam vocabantur, quia decisio nondum facta erat ab Ecclesia,* volunt enim *Concilium Carthagin. 3. id demum definivisse,* Anno 397. Resp. 1. Si Papa, uti volunt, etiam primis illis quadringentis annis fuit summus controversiarum judex, cur Ecclesiam tot seculis sine certo Scripturæ Canone in suspenso reliquit? Sin contra Pontifex & Rom. Ecclesia illos libros tanquam Canonicos semper habuit, cur autoritas Pontificis eos non exemit ab omni dubitatione? 2. Cur adhuc post Concilium Carthaginense tot scriptores Ecclesiastici excluserunt hos libros controversos à Canone? cumprimis transcriptores & promulgatores Bibliorum omnium per omnes Occidentales Ecclesias, qui semper Prologos Hieronymi eis præposuerunt. Item Glossæ ordinariæ & Decreta, Damascenus, Radulphus, Antoninus, Lyranus & alii complures, quorum testimonia superius adduximus. 3. Si ante Concilium Carthaginense celebratum Ann. 397. non fuit in Ecclesia certi quid de Canone definitum, eccur Baronius tom. 3. Annal. ann. 325. n. 157. statuit, in Concilio Niceno aliquot annis ante Concilium Carthaginense celebrato editum fuisse Canonem de divinis & authenticis Scripturis? *Quis neget,* inquit, *imò quis autoritate S. Hieronymi non affirmet atq; tutò confirmet, in eadem magna Synodo de divinis & authenticis Scripturis editum esse Canonem?* Si tempore Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Hierosolymitani &c. Ecclesia nondum definivit Canonem, falsum est, quod Baronius dicit, *in Concilio Niceno definitum fuisse Canonem,* quia illi vixerunt post Concilium Nicenum.

Melitonis testimonio in specie opponunt, *quod omiserit librum Estheris.*

Resp. 1. sub Esdræ nomine συνεκδοχικῶς intellexit *Nehemiam & Estheram,* quos etiam Hieronymus jungit in petitione Dominiani & Rogatiani, qui ab eo interpretationem eorum poscebant. *Tertius,* inquit, *annus est, quod semper scribitis & rescribitis, ut Esdræ librum & Esther vobis ex Hebræo transferam.*

2. Ideo etiam *liber Esther* pro appendice *Esdræ & Nehemiæ* à quibusdam habetur, quia teste Isidoro lib. 6. Origin. cap. 2. *Estheris librum Esdras creditur conscripsisse.*

3. Unde etiam Nazianzenus carm. de genuin. Script. itidem *Esdræ* tantum meminit.

4. Pontificii semper excipiunt, *Melitonem, Nazianzenum & alios secutos fuisse Canonem Hebræorum.* Atqui in Canone Hebræorum omnino locum habet Esther.

Ruffini testimonio in specie opponunt, quod fuerit Origenista. Resp. in hoc argumento optimè ei convenit cum Hieronymo & utriq; cum tota puriore Antiquitate.

Præter *Concilii Laodiceni, Origenis, Melitonis, Epiphanii, Hilarii, Hieronymi, Ruffini, Eusebii, Gregorii Nazianzeni, Isidori, Damasceni* suffragium, etiam

Lyrani & Dionysii Carthusiani suffragium nobis largitur Pererius lib. 16. comment. in Daniel. pag. 742. §. Verum urgent. *Lyranus* (inquit) *& Dionysius Carthusianus Historiam Susannæ non negarunt esse veram, sed negarunt ad Canonicam Scripturam, sicut nec librum Tobiæ, Judith, Maccabæorum, pertinere. Verum hoc fortasse illis condonari possit, quorum tempore non adeò erat veritas ipsa, ut nunc est, discussa omni dubitatione, Tridentini Concilii sententia declarata, sancita, confirmata.*

Alphonsi Tostati & Antonini suffragium largitur nobis Canus lib. 2. Locorum Theol. cap. 10. p. 40. & cap. 11. resp. ad arg. [illegible] *Hos Abulensis, Antoninus & alii ad Canonicos V. instrumenti libros pertinere minimè putarunt.*

Thomæ de Vio Cajetani suffragium nobis largitur Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. Postrema. *Cajetanus* (inquit) *Catholicus alioqui & pius doctor sic argumentatur: Ecclesia eos libros recipit, quos B. Hieronymus recipit, eos reprobat, quos ille reprobat cap. Sancta Romana. dist. 15. Beatus autem Hieronymus in Prologo galeato asserit, hos libros controversos non esse Canonicos.*

Lib. ejusdem cap. 7. §. Hactenus, concedit, *Lyranum, Dionysium Carthusianum, Hugonem & Thomam de Vio Cardinales* esse secutos, in hac de libris Canonicis quæstione, Hieronymi sententiam.

9. Quod controversos illos libros minoris autoritatis esse agnoscunt quam illos, qui sunt in canone Hebræorum.

In Concilio Tridentino quibusdam fuit visum, duplicem librorum Biblicorum fieri seriem, in una eos solos collocari, qui sine controversia semper essent pro Canonicis habiti; in altera verò eos, qui aliquando rejecti, aut de quibus esset dubitatum. Iique dicebant, etiamsi à nullo superiore Concilio, aut Pontifice id factum fuisset, eam tamen fuisse omnium mentem. Augustinum enim eâ uti distinctione, cujus autoritas confirmatur in Canone, In Canonicis. Item D. Gregorium, qui posterior Gelasio super Jobo ait, libros Maccabæorum ad ædificationem conscriptos, licet Canonici non sint. Aloysius Cataneus F. Dominicanus affirmabat, istam distinctionem à D. Hieronymo factam pro regula & norma Ecclesiæ receptam, ad Canonem Scripturarum constituendum, ad id citans Cardinalem Cajetanum, qui ipse libros ad eum modum distinxerat, secutus D. Hieronymum tanquam normam certissimam ab Ecclesia nobis relictam, etiam cum ad Clementem VII. Papam scripsit, missa ad eum sua in libros Historicos V. T. expositione. Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trident. pag. 172.

Sixtus

Sixtus Senensis (quem Stapletonus de doctrin. princ. lib. 9. c. ult. *de genuinis Scripturarum libris omnium accuratissimè scripsisse asserit*, ac Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. *illius industriam sese imitari scribit*,) lib. 1. Bibl. sanctæ Pontifici Romano Pio V. inscriptæ sect. 1. pag. 1. distinguit inter libros *Proto-Canonicos & Deutero-Canonicos*. Proto-Canonicos vocat eos, *qui sunt fidei prorsus indubitatæ, hoc est, de quorum autoritate nulla unquam in Ecclesia Catholica fuit disputatio aut controversia, sed statim ab initio nascentis Ecclesiæ communi omnium orthodoxorum Patrum consensu fuerunt recepti & ad confirmandam fidei nostræ autoritatem assumti.* Illa *primi ordinis Canonica volumina sola apud Hebræos in autoritate haberi asserit.* Deutero-Canonicos vocat eos, *de quibus, quia non statim sub ipsis Apostolorum temporibus, sed longè post ad notitiam totius Ecclesiæ pervenerunt, inter Catholicos fuit aliquando sententia anceps, veluti sunt in Vet. Testam. libri Esther, Tobiæ, Judith & Baruch, Epistola Jeremiæ, Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus, Oratio Azariæ, Hymnus trium puerorum, Susannæ Historia, Belis Historia, Maccabæorum liber primus & secundus &c. Illos* (inquit) *olim prisci Ecclesiæ patres tanquam Apocryphos & non Canonicos habuerunt, eosq; apud solos Catechumenos nondum Canonicæ lectionis capaces, ut in Synopsi testatur Athanasius, primum legi permiserunt, deinde procedente tempore, ut Ruffinus in Symbolo scribit, apud omnes fideles recitari concesserunt non ad dogmatum confirmationem, sed ad solam populi instructionem, & quia publicè in Ecclesia legerentur, Ecclesiasticos nuncuparunt, demum vero inter Scripturas irrefragabilis autoritatis assumi voluerunt.* (In hac distinctione observa, quod concedat Senensis, controversos illos libros longe post Apostolorum tempora in Canonicæ autoritatis fastigium in Ecclesia esse evectos. Atqui Ecclesia non habet potestatem librum aliquem, qui sua Natura Canonicus non est, faciendi Canonicum, nec declarandi eum pro Canonico, nisi possit idipsum ex primitivæ Ecclesiæ Apostolorum temporibus vicinæ testimoniis & propriis Canonicorum librorum κριτηρίοις demonstrare, qua de re sic disserit Bellarminus libr. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Itaque. *Fatemur, Ecclesiam nullo modo posse facere librum Canonicum de non Canonico, nec contra, sed tantum declarare, quis sit habendus Canonicus, & hoc non temere, nec pro arbitratu, sed ex veterum testimoniis & similitudine librorum, de quibus ambigitur cum illis, de quibus non ambigitur &c.* Quare cùm Sixtus Senensis non possit antiquissimæ Ecclesiæ, tum Israeliticæ, tum Apostolicæ, tum primitivæ Apostolorum temporibus vicinæ testimonia pro Deutero-Canonicorum librorum autoritate proferre, sed ultrò largiatur, eos longè post Apostolorum tempora ad notitiam totius Ecclesiæ pervenisse, ideò non possumus eos in eodem autoritatis gradu cum Proto Canonicis collocare. *Illis Patribus, qui primitivæ Ecclesiæ præsidebant, incumbebat Catalogum Scripturarum tradere,* inquit Thomas Waldensis, citante Stapletono in doctrin. princip. lib. de Script. cap. ultim. Aut ergò statuendum controversos illos libros esse simpliciter loquendo Canonicos & ejusdem cum reliquis autoritatis, aut concedendum illos propriè loquendo, non esse Canonicos, sed Ecclesiasticos. Inde Julius Kugerius in opusculo de libr. Canon. & Apocryph. distinctionem illam Sixti Senensis, quam etiam Stapletonus lib. 9. princip. capit. 6. Jodocus Coccius tomo 1. Thesauri lib. 6. artic. 3. ac Theodorus Peltanus in Disput. de numero lib. Canonic. sect. 1. thesi 11. amplectuntur, repudiat. Nec est, quod quis regerat, etiam à nostris quosdam Nov. Test. libros vocari *Canonicos primi ordinis*, quosdam vero *secundi ordinis*. Nam distinctio illa eò duntaxat respicit, quod de quorundam Nov. Test. librorum *autoribus* in Ecclesia aliquando fuerit à quibusdam dubitatum, non autem *Canonica* eorum *autoritate*, nec ab omnibus Ecclesiis vel doctoribus, quorum utrumq; Deutero-Canonicis Vet. Test. libris à Sixto Senensi sic appellatis deest.)

Genebrardus statuit *triplicem Hebræorum Canonem*, quorum primum *ab Esdra consignatum*; secundum *in Synodo 6. Hierosolymitana* Anno mundi 3860. *in qua liber Tobiæ assumtus sit*; tertium circa annum mundi 3952. *in Synodo 7. Sapientum consignatum & libros Maccabæorum in ea adoptatos.* (Atqui ad Canonem constituendum Prophetica autoritas requiritur. Ergò solus ille Canon est genuinus, quem Esdras Propheta constituit. Libri, qui in Synodo 6. & 7. dicuntur in Canonem recepti, non sunt in Canonem fidei, sed ad lectionem duntaxat Ecclesiasticam & ad morum informationem recepti.)

Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 4. §. 1. *tres* constituit *librorum sacrorum ordines*, in primum collocat eos, *de quorum autoritate nulla unquam fuit inter Catholicos homines disceptatio.* In secundum eos, qui, *tametsi verè Prophetici aut Apostolici sint, non tamen semper æque certa & explorata eorum autoritas fuit.* In tertium eos, *qui, quanquam à nonnullis clarissimis doctissimisq; viris aliquando in numero divinorum voluminum haberentur, publico tamen totius Ecclesiæ consensu nunquã approbati sunt.* Controversos illos libros Tobiam, Judith, Sapientiã, Ecclesiasticum, Maccabæorum &c. accenset *secundo ordini*, agnoscit igitur, eorum non semper æque certam & exploratam fuisse autoritatem, ac proinde non posse in eodem autoritatis gradu cum reliquis exploratò Canonicis collocari. Quod addit, *illos esse verè Propheticos*, illud si idoneis confirmare potest argumentis, promtè eos in Canonem recipiemus.

Gulielmus Bailius in Catechismo controvers. tractat. 1. quæst. 13. in Append. *Dico Ecclesiam Catholicam usam fuisse duobus Canonibus diversis temporibus, neque sibi ulla in re contradixisse. Primus continebat libros, qui Proto-Canonici appellantur, qui à primitiva Ecclesia fuerunt approbati communi omnium Orthodoxorum consensu. Sunt autem illi, quorum priores Doctores (Nazianzenus, Cyrillus, Amphilochius, Melito, Origenes &c.) meminerunt in sua enumeratione. Secundus Canon continet libros, quos Græci Deutero-Canonicos appellarunt, qui apud Doctores dubii fuerant ante definitivum Ecclesiæ judicium. Horum in numero collocamus Maccabæos &c.*

Joh. Stephanus Menochius Jesuit. in præfat. annotat. in Biblia cap. 2. sic disserit: *Duplex est sacrorum librorum Vet. Test. Catalogus, Judaicus alter, alter Christianus. Judaicus tempore Esdræ vel ab ipso Esdra, vel à Concilio Sacerdotum, cui ipse interfuit, confectus est. In isto Catalogo hi libri continentur. Pentateuchus Mosis, liber Josue &c. Catalogus Christianus autoritate Innocentii primi confectus præter libros enumeratos continet etiam hos, Tobiam, Judith, Esther, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch & duos libros Maccabæorum. Porrò omnes hi libri, tam qui priore Hebræorum, quam posteriore Christianorum Catalogo comprehenduntur, Canonici sunt &c.* (Sic ergò noster Canon nititur autoritatate Prophetica, Pontificiorum Canon autoritate Innocentii, qui non potuit novum Canonem conficere.)

Ibidem cap. 7. *Proto-Canonici dicuntur illi libri, de quorum autoritate nunquam dubitatum est. Deutero-Canonici, de quibus aliqua fuit aliquando controversia. Hi verò sunt, liber Esther totus vel certè septem ejus postrema capita, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Maccabæorum libri &c. Addi his debent partes quorundam librorum, ut in Daniele trium puerorum hymnus, cum oratione Azariæ antecedenti, Susannæ Historia, Belis & Draconis à Daniele interfecti narratio.* (Subjungit quidem, *hodie post Ecclesiæ definitionem Proto-Canonicos & Deutero-Canonicos esse ejusdem autoritatis.* Sed Ecclesia non potest suis Decretis Canonicam autoritatem illis libris elargiri, qui in & sua Natura non sunt Canonici, ut ex Bellarmino libr. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Itaque &c. paulò antè didicimus.)

Garsius Galarza Hispanus Episcopus Cauriensis lib. 4. capit. 1. Instit. Evangel. de controversis illis libris sic disserit: *Deutero-Canonici libri sunt, qui post Apostolorum tempora ab Ecclesia inter Canonicos fuerunt recepti; ut Esther, Tobias, Judith, Baruch &c. Quos omnes veteres orthodoxi Patres primitus Apocryphos nuncupaverunt, ut autor est Hieronymus in præfat. ad Tobiam & Judith. Quamvis in Codicibus mendum est & pro Apocryphis hagiographa leguntur &c. Legendum igitur Apocrypha, quæ minoris certitudinis sunt. Præterea temporum successione nos eosdem libros Deutero-Canonicos sancti Doctores appellarunt Ecclesiasticos, quod primum Ecclesia à Catechumenis legi, deinde à fidelibus recitari permisit, non ad res fidei confirmandas,* (nota) *sed ad morum notitiam capessendam. Demum Ecclesia eosdem recepit in Canonem, & ejusdem esse cum prioribus autoritatis definivit.* (Fatetur igitur Garsius, libros illos controversos non ab Apostolis, sed post eorum tempora demum fuisse receptos. Idem pluribus docet Jacobus Bonfrerius Professor Duacenus foll. 11. Prolegomen. sect. 15. in 5. lib. Mosis.)

Antonius Bruciolus Italus, qui in linguam Italicam Vet. Test. libros transtulit, commentarios scripsit in libros Canonicos, *Apocryphos* verò prætermisit.

10. Denique & hoc nostræ suffragatur sententiæ, quod Pontificii non consentiunt, *quo tempore* Canon sit constitutus.

1. Becanus lib. 1. Manual. cap. 1. q. 1. §. 3. statuit, *tempore Innocentii*, seculo quinto, constitutum esse Canonem. 2. *In*

2. *In Concilio Niceno primo* Ann. 325. consignatum esse asserit Baronius tom. 3. Annal. Ann. Christi 325. n. 157. Sed Stapletonus libr. 9. Principiorum cap. 12. expendens Hieronymi testimoium de libro Judithæ recepto in Canonem à Synodo Nicena, dicit: *Id referre videtur ex fama tantùm, nam alibi aperte dubitat.* Hæc Stapletonus contra Baronium. Contra eundem Guilielmus Lindanus lib. 3. Panopl. cap. 3. sic scribit: *Si Nicena Synodus librum Judith, cum aliis in Canonem redegerat, cur annis octoginta post eum non accenset Synodus Laodicena? Cur Nazianzenus ejus non meminit? Sed legitur computasse, ait Hieronymus, quod mihi dubitantis opinionem subindicare videtur.*

3. Plerique *in Concilio Carthaginensi* 3. quod habitum fuit Anno 297. Canonem constitutum esse, asserunt, illi itidem contra Baronium negare coguntur, in Concilio Niceno 1. Canonem esse consignatum. Confer ea, quæ dicentur inferius in respons. ad argumentum 7.

Hisce pro nostro sententiæ suffragio ex ipsis Adversariis adductis subjungemus, Adversariorum 1. *exceptiones.* 2. *argumenta.* Ad utraque ex ipsorum hypothesibus respondebimus.

Excipiũt 1. *Tempore eo, quo Patres nobiscum facientes vixerunt, nondum fuisse Canonem publico Ecclesiæ judicio definitum.* Sixtus Senensis libr. 8. Bibl. hæres. 9. Marianus Victor in Epistolam III. Hieronymi. Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 11. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei, cap. 10. §. Admitto.

Quando igitur vel tandem definitus fuit ab Ecclesia librorum Vet. Test. Canon? Si velint dicere, 1. *eum definitũ esse temporibus Apostolorum*, producimus Melitonem, Origenem, Athanasium, Hieronymum & alios, qui post Apostolorum tempora libros controversos repudiãrunt. Si velint dicere, *eum definitum esse in Concilio Carthaginensi*, (quod innuit Jodocus Coccius, quando tom. 1. Thesauri lib. 6. artic. 4. non potuit antiquiꝰ testimonium pro Canonica horũ librorũ autoritate afferre, quàm *Concilii Carthaginensis*, ac diserte addit, *Patres illos*, quos pro nostra adducimus sententia, videlicet Origenem, Melitonem, Cyrillum Hierosolymit. Gregorium Nazianzenum, Amphilochium, Hieronymum &c. *omnes ante mille ducentos annos vixisse, illis scilicet temporibus, quibus Ecclesia de secundi ordinis libris nihil certi definierat:*) vel à Pontifice Innocentio, quod statuit Becanus in Manuali libr. 1. cap. 1. q. 1. n. 3. ubi *ab Innocentio Canonem definitum esse* dicit, *& hanc definitionem variis Conciliis postea confirmatam.* Innocentium illum dicit vixisse Anno Christi 402. Producimus Damascenum, Isidorum, Lyranum & alios, qui post Carthaginense Concilium & post Innocentium libros illos controversos repudiãrunt. Quod si ergo vel in Carthaginensi Concilio, vel ab Innocentio controversi isti libri in catalogum Scripturarum propriè dictarum Canonicarum asciti fuissent, aut perfidiæ, aut negligentiæ accusandi essent, qui post Concilii Carthaginensis definitionem illos pro Canonicis non habuerunt. Si velint dicere, *eum definitum in Concilio Florentino*, producimus Antoninum Florentinum, Dionysium Carthusianum, Cajetanum & alios, qui post Florentinum Concilium libros illos controversos repudiarunt. Si velint dicere, *eum definitum in Concilio Tridentino*, producimus Benedictum Ariam Montanum, Sixtum Senensem & alios, qui post Tridentinum Concilium de autoritate controversorum librorum, vel quorundam dubitarunt. 2. Si *temporibus Patrum*, qui ante Concilium Carthaginense vixerunt, non fuit canon publico Ecclesiæ judicio definitus, eccur testimonia pro asserenda Canonica controversorum librorum autoritate adducunt ex Patribus, qui ante Concilium Carthaginense vixerunt? 3. Si temporibus Patrum Canon nondum fuit definitus, ergò nec Ecclesia Israelitica ante Christi adventum, nec Ecclesia Apostolica & Apostolorum temporibus vicina post Christi adventum *certum & definitum* habuit librorum V. T. *Canonem*, quod absurdum & hypothesi adversariorum de infallibilitate Ecclesiæ contrarium. Confer dicta superius membr. 8.

Excipiunt 2. *Patres, qui controversos illos libros è Canone excludunt, loqui de Canone Hebræorum, non Christianorum.* Catharinus adv. Cajetan. §. de lib. Maccab. Costerus in Enchir. de libr. Canon. Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 4. Driedo lib. 1. cap. 3. Melchior Canus lib. 2. Loc. cap. 11. ad 2. arg. Andradius lib. 3. defens. Trident. &c. Resp. contrarium manifestissimè ex ipsis verbis patet. Hâc vice pro nobis respondeat, Lyranus in comm. cap. 1. Esdr. *Libri Tobiæ, Judith, Maccabæorum &c. non sunt in Canone, nec apud Hebræos, nec apud Christianos.* 2. Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. respondent. *Hieronymus in prologo galeato simul cum istis libris V. T. numerat etiam librum Pastoris, qui est N. T. & omnes simul dicit non esse in Canone. Non igitur de Canone Judæorum tantum loquitur.*

Excipit 3. Genebrardus lib. 2. Chron. ann. mundi 3860. statuendum esse duplicem, vel etiam triplicem Judæorum Canonem, quem hac in parte sequitur Bailius Jesuita in Catech. Controv. tract. 1. q. 13. in Append. *Inter Hebræos,* inquit, *sunt duo Canones, unus vetustior, quem Esdras concinnavit usus consilo Seniorum Synagogæ qui juxta numerum 22. literarum Alphabeti Hebraici numeravit 22. libros Canonicos Veteris Testam. In hoc Canone non inseruntur Maccabæi &c. Sed alter Canon compositus fuit à postremis Judæis non multo tempore ante Josephum, qui alios agnoverunt libros Canonicos, qualis est Ecclesiasticus. Cujus rei nullam probationem volo, præter ipsius Josephi testimonium, qui lib. 2. contra Appion. tanquam Scripturam & velut sententiam ex lege mutuatum citat, quod legitur cap. 42. Eccles. Iniquitas viri melior est, quàm mulier bene faciens. Ecclesiasticus non erat in Canonem relatus, quia post Esdram scripserat, quemadmodum & Maccab. autor.*

Resp. 1. Genebrardus ad id probandum non utitur aliis, quam falsis testimoniis, ut apparet ex libro Epiphanii de ponderibus & mensuris, ad quem provocat.

2. Idem sæpe repetit, *videtur*, quod est trepidantis conscientiæ indicium.

3. Cum libris Maccabæorum in Canone à Genebrardo recens invento conjunguntur etiam *tertius & quartus Esdræ*, quos Concilium Tridentinum simpliciter ex Canone excludit.

4. Josephus, ubi hæc verba adducit, non meminit Ecclesiastici, vel alicujus libri Canonici. Allegat enim ea sub nomine Mosis in genere, idque eo fine, ut probet, *antiquiorem ipsum esse legislatoribus Ethnicis & leges ab eo editas digniores.* Quod si hæc verba citasset ex Jesu Sirach, à scopo suo longissime aberrasset, quia filius ille Sirach multis gentilium legislatoribus recentior est.

5. Sententia quidem, quam affert Josephus, utcunque refert dictum Siracidis, non tamen plane iisdem verbis, cujus etiam sententiæ posterius membrum, quod ad Siracidis verba magis accedit, videtur ex margine in textum irrepsisse, quia textum pervertit. Ideo Sigismundus Gelenius interpres eam in versione sua Latina omisit, in exemplari suo Græco fortasse non repertam.

6. Quod si vel maxime concedatur, Josephum ex Ecclesiastico citasse illa verba, nemo tamen melius docere nos potest, quid de libro illo senserit, quam ipse. Etsi enim vixerit post tempus, quod ficto illi recentiori Judæorum Canonĩ tribuit Genebrardus, in eodem nihilominus contra Appionem libro de suo tempore loquebatur, & de seipso, cum nullos agnosceret certos sive Canonicos præter *viginti duos*; de aliis autem diceret, *non prioribus simili fide sunt habiti*; quibus Josephi verbis attestatur Eusebius lib. 3. Histor. Eccl. siast. cap. 10.

Excipiunt 4. *Concilium Laodicenum & Patres à nobis citatos non quidem recepisse controversos illos libros, interim tamen ex eo non posse inferri, quod eos repudiarint.* Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 11. §. Ad postremam. *Concilium Laodicenum non negat, illos esse Canonicos, etiamsi noluerit eos inter Canonicos enumerare, aliud est non recipere, aliud rejicere:* Stapletonus lib. 2. de autorit. Script. cap. 3. §. 4. declarat similitudine: *Nihilnè putas interesse inter eum, qui Deum non acceptat, & qui eum repudiat, inter infidelitatem negativam & positivam?*

Resp. 1. librum aliquem in Canonem non recipi & à Canone excludi, sunt omnino paria. Probamus hoc ex Bellarmino, qui libr. 1. de Verbo Dei cap. 20. demonstraturus, *Psalmum 151. esse apocryphum*, argumenti loco adducit, quod *Concilium Laodicenum, Romanum & Tridentinum nominatim 150. Psalmos in Canone ponant.*

Ac quotiescunque adversarii de controversis libris loquuntur, paria ipsis sunt non recipi & rejici. *Omnes isti libri rejiciuntur ab Hebræis,* (Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10.) *Melito post diligentem inquisitionem rejiciendos eos putavit,* (Canus lib. 2. cap. 10.) *Damascenus eos exclusit,* (Clitovæus in comment. lib. 4. Damasc. c. 18.) *Lyranus, & alii Canonicos esse negant*

gant (Pererius lib. 16. in Daniel.) *Isidorus & Hieronymus 7. postrema capita Esther resecant.* (Sixtus Senensis lib. 1. Bibl.)

2. *Judæus non rejecisse controversos illos libros*, duplici modo intelligi potest, vel ἁπλῶς quod eos, ut libros impios, procul ablegandos & abominandos censuerint, vel κατά τι, quod in ordinem Canonicorum non admiserint, sed ab eo rejecerint. Priore sensu fatemur, illos libros non fuisse ab Israelitica rejectos. At hoc nondum sufficit ad conciliandam illis Canonicam autoritatem; posteriore sensu rejecerunt, quia hoc modo nulla est differentia inter non admittere in Canonem & rejicere à Canone. Franciscus Cordubensis in annotat. Catholicis art. 2. cap. 70. *Cùm nec de Canonicorum librorum approbatione, nec de cæterorum librorum exclusione ulla divina extet Scriptura per Synagogæ autoritatem illos fuisse approbatos, istos verò exclusos, evidens est.*

Excipiunt 5. *Concilium Carthaginense esse majoris autoritatis quàm Laodicenum, tum quia posterius, tum etiam, quia nationale fuit Episcoporum 44. & præterea confirmatum à Leone IV. dist. 20. can. de libellis. Laodicenum autem fuisse provinciale Episcoporum 22. & non confirmatum à Pontifice. Itaque hic posse habere locum illud Augustini: Concilia priora emendari à posterioribus.* Bellarminus libro 2. de Concil. cap. 8.

Resp. 1. negamus, Concilium Carthaginense majoris esse autoritatis quam Laodicenam Synodum ex Asiæ Episcopis collectam, & ut Andradius in Defens. fidei Trident lib. 3. p. 524. loquitur, *haud multò post Apostolorum tempora in Asiæ urbe frequentissima celebratam.* Nota enim est regula Augustini lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium autoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt.* Nota etiam regula Isidori apud Gratianum c. Sancto Domino. dist. 50. *Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii sententia magis teneatur, cujus antiquior & prior extitit autoritas.* Hisce Canonibus, in jure Pontificio approbatis, si rem decidere velimus, certe Laodicenum Concilium ex Ecclesiis Asiaticis Apostolorum scriptione nobilitatis collectum & antiquius, majoris erit autoritatis, quam Carthaginense ex Africanarum Ecclesiarum, quæ nec Apostolicas Sedes habere, nec Epistolas accipere meruerunt, Episcopis diu post congregatum.

2. Falsum est, quod Laodicenum Concilium fuerit *provinciale*, fuit enim collectum ex diversis regionibus & provinciis Asiæ, ut prima verba in titulo Synodi testantur. At provincialia Bellarminus ipse definit lib. 1. de Concil. cap. 4. *in quibus conveniunt Episcopi tantum unius provinciæ, quibus præest Archiepiscopus sive Metropolitanus.*

3. Falsum est, *quòd Laodicenum Concil. fuerit tantum 22. Episcoporum*, fuit quippe Episcoporum 32. Ita enim leguntantiquissimæ & correctissimæ editiones, imo ipsius Pontificis Greg. XIII. editio.

4. Falsum est, *Laodicenum Concil. non esse confirmatum.* Nam ab eodem Leone, qui Carthaginense confirmavit, etiam eodem in loco confirmatum est Concil. Laodicenum apud Gratianum c. de libellis. dist. 20. ut iterum ipsius Gregorii editio cum aliis emendatissimis testatur.

5. Falsum est, *quod hic possit locum habere regula Augustini, Concilia priora à posterioribus emendari.* Docet enim ipse Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 7. *dictum Augustini intelligi debere vel de Conciliis illegitimis, vel de quæstionibus facti non juris, vel de præceptis morum, non de dogmatibus fidei.* At verò Laodicenum Concilium illegitimum nō fuit, & quæstio de Canone fidei est quæstio juris, de fidei dogmate primario. Quomodo ergo huc pertinere poterit dictum de Conciliis illegitimis & quæstionibus facti & præceptis morum agens?

Argumenta Adversariorum potiora hæc sunt 1. *Patres antiquissimi controversos hosce libros vocant sacros, divinos & Canonicos.* Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. Jam hæc tria.

Resp. pro nobis 1. Cajetanus Card. in fine comment in Historiā V. T. ad cap. 10. Estheris. *Ne turberis novitie, si alicubi reperis illos, Judith, Tobiæ, Maccabæorū &c. inter Canonicos cōputari vel in sacris Cōciliis vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quàm Doctorum & juxta ejus sententiam libri illi, & si qui alii in Canone Bibliæ similes, non sunt Canonici, i. e. regulares ad firmanda ea, quæ sunt fidei, possunt tamen dici Canonici, id est, regulares ad ædificationem fidelium, utpote in Canone Bibliæ ad hoc recepti & autorisati. Cum hac distinctione discernere poteris dicta Augustini in secundo de doctrina Christiana, & scripta in Concilio Florentino sub Eugenio quarto, scriptaque in provincialibus Conciliis Carthaginensi, & Laodicensi & ab Innocentio & Gelasio Pontificibus.* (Cajetanum *hac in re multò quàm decebat arrogantiùs locutum* Catharinus, Canus & Duræus asserunt, sed Bellarminus Cardinalis de hoc Cardinali modestius loquitur; *Sic argumentatur*, inquit lib. 1. de verbo Dei cap. 10. *Cajetanus, Catholicus alioqui & pius doctor.* Distinguit ergo Cajetanus inter libros Canonicos *propriè & absolutè sic dictos*, qui ad firmanda fidei dogmata verè divinam & Canonicam autoritatem obtinent; & inter libros Canonicos *impropriè & secundum quid sic dictos*, qui sententias quasdam ex propriè dictis Canonicis libris descriptas, & Historias ad Ecclesiam Dei pertinentes continent, qui ab Ecclesia recepti sunt, ut ad *morum ædificationem*, non ad *dogmatum confirmationem* legerentur, quam distinctionem Cajetanus desumsit ex *Hieronymo præfat.* in Proverb. & *Ruffino* in exposit. Symboli.)

2. Bellarminus libr. 2. de Conciliis cap. 12. §. Dico secundo. pro defensione Gratiani, qui in Jure Canonico c. in Canonicis. dist. 19. Pontificum Decretales dixerat esse sacras & Canonicas Scripturas, sic disputat: *Decreta Pontificum dicuntur Scripturæ sacræ, ut distinguantur à Prophanis; & Canonicæ, ut distinguantur à scriptis Patrum, quæ non sunt regulæ.*

Et postea: *Canones Pontificum & Conciliorum suo modo possunt dici scripta sacra & Canonica*, quod probat ex act. 3. *Synodi* VII. & ex c. Cum Martha. extr. de celebr. Miss. ubi glossa dicit, *sacra Scriptura hic appellantur scripta Augustini.*

Huic conforme est illud Johannis Andreæ Autoris Glossæ Decretalium, qui lib. 3. de celebrat. Miss. cap. Cum Marthæ §. Tertio loco, (ubi Innocentius Papa *ex sacra scriptura allegatum* dicit textum Augustini serm. 17. de verbis Apostoli, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*,) sic scribit: *Sacra Scriptura hic appellantur scripta Augustini, unde hæc desumuntur.*

Melchior Canus Locor. Theolog. lib. 5. cap. 5. dicit, *Innocentium verba Augustini sacram Scripturam appellasse, quemadmodum leges Pontificiæ sacræ dicuntur, ut à legibus Principum discriminentur.*

(Quod si ergo ex appellatione Scripturæ sacræ & Canonicæ Apocryphis libris attributa probari posset, apocryphos & controversos illos libros ad Canonem pertinere, utique ex eodem principio probari posset, Pontificum & Conciliorum decreta, quin & Patrum dicta ad eundem referenda esse.)

3. Idem Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. Ecclesia, de nobis sic scribit: *Notandum est hæreticos & præsertim Chemnicium non negare, hos libros esse bonos & sanctos & dignos, qui legantur, sed tamen non esse tales, ut ex iis firma argumenta duci possint.*

(Ergo ex eo, quod Patres controversos illos libros vocant *Scripturam sacram*, Canonica & infallibilis eorum autoritas nondum probatur.)

4. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 20. Nec minus. *Librum Hermetis, qui inscribitur Pastor, divinitus inspiratum esse putavit Origenes lib. 10. in Epist. ad Rom. eundem librum utilem judicavit Eusebius lib. 3. Histor. cap. 3. Ruffinus in exp. Symb. Hieronymus de script. Eccles. in Hermete, nihilo tamen minus Apocryphus est censendus.* Sixtus Senens. lib. 1. Biblioth. p. 27. de libris Esdr. §. Liber tertius. *Ambrosius quartum Esdræ putat editum esse non sine divina revelatione, vocat enim eum divinum, lib. de bono mortis c. 10.*

(Qui tamen non est Canonicus. Ergo ex nuda appellatione non potest probari Canonica alicujus libri autoritas, si essentialia Canonicorum librorum requisita ei desint.)

5. Salmeron in comm. Epist. Jacobi Disp. 1. §. Suntque. *Apostolorum Epistolæ Canonicæ vocantur, quæ sonant regulares, quia sine ulla obliquitate erroris aut vitii defectus exaratæ sunt. Sunt etiam aliæ Scripturæ regula certissima & Canon humani intellectus in credendo & diligendo Deum propter se & proximum.*

(At controversi illi libri non carent vitiis nec pertinent ad Canonem fidei, sed leguntur tantum ad morum ædificationem. Ergò non dicuntur eodem sensu Canonici, quo illi, qui ad fidei dogmatum confirmationem sine scrupulo adhibentur.)

Argum. 2. *Patres controversos illos libros allegant.* Bell. lib. 1. de verbo Dei cap. 7. §. Quid quod &c. Resp. ex nuda allegatione

tion, Patrum non potest probari Canonica alicujus libri autoritas, nisi demostretur, quod allegatus fuerit ut Canonicus, & propria vere dictorum Canonicorum librorum requisita habeat. Hanc responsionem confirmamus ex ipsis adversariis, 1. Thomas in Comm. Epist. Judæ. *Ex Apocrypho quoque libro veritatis testimonium trahere licet*, (non sub autoritate Canonica, sed uberioris explicationis gratia.) Probat hoc ex Judæ Apostoli exemplo, qui ex Apocrypho *Henochi libro* testimonium de extremo judicio adducit.

Sane Boulducus lib. 1. cap 14. tanti facit librum Enoch, ut optet, *ipsum ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus olim in precio habitum, à posterioribus sub modio positum penitusque suppressum, super candelabrum, ut meretur, imponi, ut luceat omnibus, qui sunt in domo Ecclesiæ.* Patres hunc librum magnifacientes adducit Irenæum, Justinum, Clementem Alexandrinum, Athenagoram, Tertullianum, Methodium, Cyprianum, Lactantium, Sev. Sulpitium, Proclum & Psellum. (Sed Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap 10. §. Respondeo, & lib. ejusd. cap. 18. rectè statuit, *librum Henochi non esse receptum ab Ecclesia.*)

2. Salmeron tom. 1. comm. proleg 9. p. 94. *Possunt Canonici libri citare non Canonicos, ut facit Judas producendo librum Henoch, & Paulus in 2. Tim. citat Historiam de Janne & Mambre, qui restiterunt Mosi, nec tamen in libris Canonicis habetur. Idem etiam nonnihil ex Poetis profanis adducit. Et futurum erat in Ecclesia, ut magni viri, ut Justinus, Irenæus, Clemens uterque citarent permulta ex Platone, vel Aristotele vel aliis ad confirmanda nostra.* Idem in comm. Eph. 5. ad Sextum. *Paulus Apocrypha quædam citat interdum, inquit Hieronymus, ut Poetarum scripta, nõ quod Apocrypha comprobaret, sed quod Poetarum, ut Arati, Menandri, Epimenidis versibus sit abusus ad ea, quæ voluerat in tempore comprobanda.*

3. Loysius sentent. Theolog. libr. 1. cap. 13. *Non moveat quenquam quod Patres ex his libris fidei testimonia sumant. Nam propterea non sequitur, eos inter libros Canonicos collocasse, non magis, quàm librum Henoch, quem Apostolus Judas; aut Menandrum, quem Paulus; aut tertium & quartum Esdræ, quos Patres allegant.*

4. Joh. Driedo in catal. Script. libr. 1. cap. 4 ad difficult. 4. *Cyprianus, Ambrosius, cæterique Patres citant sententias ex libro Baruch & tertio ac quarto Esdræ, non tanquam ex Canonicis, sed tanquam ex libris continentibus dogmata quædam pia.*

5. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæres. 12. p. 661. *Paulus non solum ex Apocryphis, sed etiam ex prophanis libris, Arato videlicet, Menandro & Epimenide testimonia sumsit, & Judas in Epistola sua Apocryphum Enochi librum citavit.*

6. Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap 20. § Nec minus. *Ex libro Hermetis, qui inscribitur Pastor, testimonia proferunt Tertullianus lib. de oration.; Irenæus lib. 4. cap. 37. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. Athanasius in lib. de Decretis Nicenæ Synodi, Cassianus coll. 13. cap. 12. nihilotamen minus censendus est Apocryphus.* (sicut etiam Gelasius c. Sancta Romana. dist. 15. à Canone eum rejicit.) §. Postremo. *Quartus Esdræ citatur quidem ab Ambrosio lib. de bono mortis, & lib. 2. in Lucam ac in Epist. 21. ad Horatium;* (potuisset addere Irenæum lib. 5. cap. 25. Clementem Alexandr. lib. 1. Strom. Tertullianum lib. de habitu muliebri, Basilium in Epist. ad Chilonem, Chrysostomum homil 8 ad Hebræos, qui omnes testimonia ex *quarto libro Esdræ* adducunt:) *tamen sine dubio non est Canonicus.* §. At de tertio. *Citatur tertius Esdræ ab Athanasio orat, 3. contra Arianos, ab Augustino lib. 18. de civ. Dei cap. 36. à Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. ab Autore imperfecti operis homil. 1. in Matth & à Cypriano in Epist. ad Pompeium, & tamen est apocryphus.* Idem lib. 2. de verbo Dei cap. 1. §. Hæc opinio. *Basilius in Epistola ad Chilonem statuens, Scripturam sacram universam tempore captivitatis Babylonicæ periisse, ac deinde ab Esdra fuisse reparatam, non alio fundamento nititur, quàm testimonio libri apocryphi, id est, libri quarti Esdræ &c qui liber non modo Apocryphus est ab Ecclesia Catholica nunquam receptus, sed etiam multis in locis redolet fabulas Judaicas.*

7. Orationem Manassis & tertium quartumque Esdræ citari à Patribus, testis est præfatiuncula ipsis præmissa in editione Bibliorum vulgatæ versionis Latinæ, Sixti V. jussu recognitæ, & Antuerpiæ in officina Plantiniana excusæ Anno 1599. Nihilo tamen minus Pontificii illos habent pro Apocryphis.

8. Quid quod Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 18. in resp. ad 4. argumentum contra Epistolam Judæ prolatum asserit, *ne quidem Apostolicam alicujus libri allegationem Canonicam autoritatem illi conciliare.*

Quanto igitur minus ex nuda Patrum allegatione Canonica libri alicujus autoritas probari poterit? Verba Bellarmini sic habent: *Quamvis Tertullianus in lib. de habitu muliebri contendat, librum Henoch esse Canonicum, & Beda in hanc Epistolam Judæ dicat, tempore Judæ librum Henoch verum & Canonicum in manibus hominum fuisse, etsi modò non extet, tamen probabilius videtur, librum esse Apocryphum. Cæterum, ut Hieronymus in cap. 1. ad Titum & Augustinus lib. 15 de civit. Dei cap. 23. & lib. 18. cap. 38. dicunt, etiam in Apocryphis esse aliquid veri, & hoc Judam protulisse, nec tamen propterea totum librum approbasse, sicut etiam Paulus Act. 17. 1. Corinth. 15. & ad Titum 1. profert testimonia ex Ethnicis Poetis, Arato, Menandro & Epimenide, nec tamen idcircò Poetas illos consecravit.*

9. Jodocus Coccius tom. 1. Thesaur. lib. 6. art. 13. agnoscit, *Hieronymum, ponere Tobiæ librum extra Canonem & tamen ex illo libro adducere testimonium*, procem. in Jonam. Cogitur igitur concedere, quod ex nuda allegatione non possit Canonica alicujus libri autoritas probari.

10. Pererius in Danielem lib. 16. sic scribit: *Nec mirandum accidat lectori me usum esse sententiis libri quarti Esdræ, qui non modò non est Canonicus, verùm etiam ut Apocryphus à Patribus rejectus est. Equidem secutus in hoc sum Divum Ambrosium, qui in libro de bono mortis eum ipsum locum Esdræ, quem nunc memoravi, sub nomine Esdræ & cum magna laude sententiæ, ad confirmandam fidei nostræ doctrinam, quæ est de resurrectione mortuorum, adhibuit. Quin idem Epistola vigesima prima, quam scripsit ad Honorantium, suadet, librum quartum Esdræ legendum esse, quòd in ipso anima cœlestis Naturæ esse demonstretur, & Philosophorum nugæ de ipsius substantia confutentur.*

11. Urgemus etiam illud, quod Pontificii agnoscere coguntur, Patres illos ipsos libros citare, quos tamen extra ordinem Canonicorum collocant. Sic teste Melchiore Cano, *librum sapientiæ* citat Origenes super Epistol. ad Rom. lib. 8. & Hieronymus in Jeremiam; *Ecclesiasticum* Nazianzenus orat. 8. & Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastæ. Athanasius orat. 1. contra Arian. *Possumus dicere, quæ à Spiritu in eum dicta fuere*, statimque recitat locum ex Psalm. 50. subnectitque ex cap. 5. Ecclesiastici, *Non est speciosa laus in ore peccatorum.* Idem lib. de virginitate. *Dicit enim divina Scriptura Ecclesiastici 13. Qui attingit picem, inquinabitur.* Hilarius in Psal. 135. *Quòd autem in omnia temperationis Spiritus transfusus ac penetrans sit, id docet Propheta dicens, Sap. 1. Spiritus Dei replevit orbem terrarum.* Atqui constat, & fatentur ipsimet Adversarii, ut vidimus superius, *Origenem, Nanzianzenum, Hieronymum, Hilarium &c. Canonem Hebræorum secutos esse, adeoque librum Sapientiæ & Ecclesiastici pro Apocryphis habuisse.* Relinquitur igitur, quod Patres etiam illos libros allegaverint, quos pro Apocryphis habuere.

12. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 10. & 20. agnoscit, *Melitonem, Epiphanium, Hilarium, Hieronymum, Ruffinum, in Canone exponendo aperte secutos esse Hebræos, apud quos libri illi controversi non sunt in Canone.* At hi ipsi quosdam ex libris illis controversis quandoque citarunt.

Argum. 3. *In controversis illis libris quidam fidei articuli egregie confirmantur.* Ederus lib. 1. Oecon. Bibl. p. 21. ex *Medina. Rationes, quæ Ecclesiam moverunt, ut hos libros q. Canonicos coleret, paucis accipe: In libro Baruch invenerunt oraculum incarnationis. In libro Tobiæ spem vitæ æternæ clarissimè decantatam, esse quoque Angelicos Spiritus, contra Saducæorum insaniam. In libris Maccabæorum resurrectionem, & purgatorii pœnas, & defunctorum parentationes statui.*

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. p. 27. *Ex tertio & quarto Esdræ testimonium produxit Athanasius, ad divinitatem Christi asserendam; Ambrosius ad confirmandum dogma de habitaculis sanctarum animarum post separationem corporis; ex iisdem, animam hominis esse substantiæ cœlestis, demonstratur, & Philosophorum nugæ confutantur.*

(Nihilo tamen minus Bellarminus libr. 1. de verbo Dei cap. 20. & saniores Pontificii illos libros judicãt esse apocryphos)

2. Idem Senensis lib. 2. p. 66. tit. Hermes. *Hic liber bene agendi præcepta multa proponit, & olim publicè in Ecclesia legebatur iis, qui in Elementis fidei instituebantur.*

(Idem tamen ipsis Pontificiis est apocryphus.)

3. Pererius lib. 15. in Dan. p. 721. *Eò quod resurrectionis dogma ex istis libris* (tertio & quarto Esdræ) *probatur, inde factum esse arbitror, ut duo isti cum aliis ederentur & circumferentur.*)

(Nec tamen propterea statim sunt Canonici.)

Argum. 4. *Controversi illi libri publicè olim legebantur in Ecclesia.* Bellarm. lib. 1. de V. D. cap. 9.

Resp. 1. Sixtus Senensis in præfat. lib. 2. Bibliothecæ. §. Apocrypha, sic scribit: *Apocrypha quædam, veluti Evangelium Bartholomæi, Epistola Barnabæ, Clementis Canon Apostolorum, Vaticinia Heldad & Medad, & hujusmodi alia, in exordio nascentis Ecclesiæ publice legebantur & ad ædificationem & confirmationem fidei assumebantur,* (nec tamen Canonica autoritatis eis competit.)

2. Idem lib. 2. Biblioth. p. 66. tit. Hermes. *Liber Hermes, qui dicitur Pastor, in quibusdam Græciæ Ecclesiis publicè legebatur,* (qui tamen est Apocryphus. Bell. lib. 1. de verbo Dei cap. 20.)

3. Pererius lib. 15. in Danielem excusans à se citatum quartum librum Esdræ, inter cætera sic scribit: *Sed quid ego ejus libri Ambrosium, Cyprianum, aliosve Patres probatores & laudatores memorem, cùm ejus libri sententias aliquot etiam Catholica Ecclesia in sacrosanctæ Missæ mysterio, & in publicis suis precationibus usurpet? Siquidem per singulos annos in feria tertia Pentecostes Missam orditur ab ea sententia, quæ in cap. libri 4. Esdræ legitur: Accipite jucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit. Et ex eodem capite in solennitatibus Martyrum decantat illud, Modò coronantur & accipiunt palmam.* Idem lib. 16. in Dan. *Non sum nescius, multa recitari publicè in Ecclesiasticis precationibus aliisque Ceremoniis, quin etiam in ipso Missæ sacrificio peragendo, quæ ut vera esse existimare convenit, ita liquet, ea ex sacris & Canonicis Scripturis non esse desumta,* quod ipsum variis ibidem illustrat exemplis.

4. Bellarminus d. l. *Oratio Manassis solet annecti libris Paralipomenon,* (utique ergo publice una cum libris Paralipomenon in Ecclesia legitur,) *quam ideo apocrypham aut non certo Canonicam dicere posse videmur, quia non est pars alicujus libri sacri, nec ponitur in Canone nominatim ab aliquo Concilio, vel Pontifice, vel Patre, nec habetur in Hebræa aut Græca, sed solùm in Latina editione.*

5. Idem Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 7. §. Primum, demonstraturus, *septem postrema capita Estheris esse Canonica,* utitur hoc argumento, *Patres Græci & Latini cum inter sacros libros volumen Esther numerant, de eo volumine sunt locuti, quo tum ipsi, tum Ecclesia universa eo tempore utebatur. Utebatur autem eo tempore universa Ecclesia libris sacris juxta eam editionem, quam S. Hieronymus in præfatione in librum Esther & sæpe alibi vulgatam appellare solet, quæ, ut ipse ait, Græcorum lingua & literis continetur, in qua editione septem illa capita libri Esther non defuisse, testes sunt ipsi Græci textus, qui nomine LXXII. Interpp. circumferuntur.* (Atqui si omnes illi libri sunt Canonici, qui in Græcis Codicibus in Ecclesia olim legi solitis continentur, consequens fuerit etiam Psalmum 151. Appendicem libri Jobi, Præfatiunculam, quæ Threnis Jeremiæ præfigitur, tertium Esdræ, tertium Maccabæorum esse Canonicos, quod tamen Bellarminus negat.)

6. *In Constitutionibus Apostolicis,* quas Adversarii volunt esse *Clementis Rom.* lib. 2. cap. 57. in describendis lectionibus publicis nulla fit controversorum istorum librorum mentio, sed eorum duntaxat, quos nos in Canonem admittimus. *Lector,* inquit, *ex loco edito legat libros Mosis & Jesu Nave, Judicum & Regum, Item Paralipomena & Esdram de reditu populi, præterea Job & Salomonem, adhæc sedecim Prophetas. Peractis verò binis lectionibus de binis libris, alius quispiam Psalmos Davidis canat.* (Ergo controversi illi libri non fuere in omnibus Ecclesiis lecti, & in ipsa Romana Ecclesia non fuere omnibus temporibus publice lecti. Aliarum enim Ecclesiarum alium fuisse morem, constare potest ex Concilio Laodiceno, cujus Can. 58. sic habet: *Non oportet Psalmos privatos in Ecclesiis dici, neque libros, qui sunt extra Canonem, legere, nisi solos Canonicos V. & N. T. libros;* ac statim subjungitur ejusmodi catalogus, in quo nulla ullius ex controversis illis libris fit mentio. Utique ergo Ecclesiæ in Syria non legerunt publice alios libros, quam quos pro Canonicis agnoscimus.)

Argum. 5. *Concilium Carthaginense. 3. libros illos controversos in Canonem recepit.* Bellarm. Coster. Becan. & reliqui omnes.

Resp. 1. etiam post illud Concil. Carthaginense Damascenus, Isidorus, Lyranus & alii controversos illos libros è Canone excluserunt.

2. In Concilio illo habetur, quod non placet Adversariis. Nam in can. 26. statuitur, *nullum Episcopum vocandum esse Principem Sacerdotum aut summum Sacerdotem.* Id Pontificis primatui adversatur. In eodem *liber Baruch & Maccabæorum* relinquuntur extra Canonem.

3. Canon ille *Concilii Carthaginensis,* in quo enumerantur Scripturæ libri in Ecclesia legendi, tribuitur Concilio Carthaginensi. 3. celebrato sub Consulatu Cæsarii & Attici An. Dom. 397. Atqui in eodem Canone mentio fit *Bonifacii Papæ,* quasi tum viventis, quamvis diu post sederit, nempe secundum Onuphrium Ann. 419. Itaque impossibile est Canonem illum esse Concilii tertii, quia sub Consulatu Cæsarii & Attici vivebat *Siricius,* inter quem & Bonifacium Anastasius, Innocentius & Zozimus sederunt. Inde Surius annotat in eundem Canonem tom. 1. Conc. *Canonem hunc, qui citatur quadragesimus septimus Concilii tertii Carthaginensis, in aliis Codicibus esse decimum quartum Concilii VII. celebrati post Consulatum duodecimum Honorii & octavum Theodosii.* Sed illud itidem dubium. Exemplaria enim Græca Synodi illius, & Latina ex Græco Balsamonis à Gentiano Herveto expressa non meminerunt *librorum Maccabæorum,* uti etiam videre est in Canonibus Græcis Parisiis nuper editis cum Zonaræ comment. Can. 27. in quibus omittuntur.

4. Canon ergo ille 47. quem nobis opponunt, non est certæ autoritatis. Præterquam enim quod quinque libri *Salomoni* tribuuntur, quod *tertius & quartus liber Esdræ* in Canone ponuntur, (quos tamen Bellarminus & reliqui Pontificii saniores pro Apocryphis habent,) quia in editione illa Græca & Latina, quæ tunc fuit recepta, partes fuerunt librorum veri Esdræ, notandum; quod ille ipse Canon à Patribus Concilii Bonifacio Papæ confirmandus committatur, ut sub finem ejus habetur. At Concilium illud non tempore *Bonifacii,* sed *Siricii* celebratum, ut constat ex illis, quæ hactenus dicta & ex titulo Concilii. Videntur hoc ipsimet Pontificii agnoscere, ideo in editione Conciliorum recentiore Severini Binii Canoni huic adscriptum: *Licet istud capitulum 47. in præsenti exemplari tanquam aliquod hujus Concilii capitulum habeatur, in aliis tamen certis Conciliorum libris dicitur esse Carthaginensis Concilii* (non additur cujus) *vigesimum quartum capitulum, celebrati post Consulatum Honorii duodecimum & Theodosii octavum, quorum annus currit sub Bonifacio Papa.*

5. Carthaginensi Concilio merito opponimus Concilium *Laodicenum,* utpote antiquius & in Concilio *Constantinopolitano,* quod est œcumenicum sextum confirmatum. Nam Bellarmin. lib. 2. de Conc. cap. 7. concedit, *in quæstionibus fidei Concilia priora præferenda esse posterioribus,* & Pontifex Adrianus confirmando Concilium Constantinopolitanum, eo ipso etiam confirmavit Concilium Laodicenum, quod in Can. 59. nostram diserte confirmat sententiam. Quinimo c. Prima annotatio. dist. 16 *Synodus Laodicena* diserte approbatur, ac *Concilium Trullanum,* in quo Carthaginense Concilium confirmatum dicunt, inter alias Synodos particulares confirmavit etiam *Laodicenam,* quæ nostram de Canone approbat sententiam. Adde quod *Trullanæ Synodi* autoritatem labefactant Melchior Canus lib. 1. Loc. Theolog. cap. ult. ad 6. argum. & Baronius tom. 8. Annalium an annum 692. negans *à quoquam prudente dici posse, eam in Spiritu S. legitimè congregatam.*

4. Sed non opus est, Concilia hæc sibi invicem opponi, cum Carthaginense loquatur *de Canone Ecclesiastico,* id est, de libris ea duntaxat ratione receptis, *ut ad morum ædificationem* in Ecclesia publice legantur, Laodicenum vero loquatur *de Canone divino,* id est, de libris, quorum autoritas *ad confirmanda fidei dogmata* est infallibilis & authentica. Hanc distinctionem nobis suppeditat Cajetanus, ut vidimus superius, quæ confirmatur ex ipsis verbis Concilii Carthaginensis. Postquam enim Patres illius Concilii Canonicos libros enumeraverant, subjungunt: *Hoc fratri & Consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, qui à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Ecclesia autem etiam eos legit, qui non erant certo Canonici, legit enim eos *non ad Ecclesiasticorum dogmatum confirmationem, sed ad morum ædificationem.* Quid quod *Trullanum* Concilium, ut paulo ante monuimus, non solum *Carthaginense,* sed etiam *Laodicenum Concilium* confirmavit! Aut ergo statuendum, quod Trullanum Concilium contrarias Conciliorum definitiones confirmaverit, aut dicendum, quod nomen Canonicorum librorum in generaliori ac latiori significatione à Patribus Concilii Carthaginensis, in propria vero & strictiori à Patribus Concilii Laodiceni usurpetur.

Argum. 6. *Augustinus controversos illos libros vocat Canonicos &*

cos & inter Hagiographa eos recenset, lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8.

Resp. 1. in eadem significatione, generaliore scil. & latiore, utitur Canonicorum librorum appellatione, in qua Carthaginense Concilium, *cui eum subscripsisse* Bellarminus asserit, eadem utitur, ut patet ex ipsis illius verbis libr. 18. de civ. Dei cap. 36. *Supputatio illa temporum non in Scripturis sanctis, quæ Canonicæ vocantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Maccabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet propter Martyrum quorundam passiones*. (Canonicum ergo Augustino est, quicquid in Ecclesia ad morum ædificationem legitur, etsi non sit vere & proprie dictum Canonicum ad firmanda fidei dogmata.) lib. 2. contra Epist. Gaudent. cap. 23. monet, *sobrie legendos & audiendos esse Maccabæorum libros*, (quam cautionem Canonicis proprie dictis non adhibuisset,) lib. 2. de mirab. Script. cap. 34. à divino Canone libros Maccabæorum distinguit. *Etsi* (inquit) *in Maccabæorum libris hinc aliquid conveniens reperiatur, nulla tamen cura fatigabimur, quia tantum agere proposuimus de divini Canonis mirabilibus*; quem locum merito urget Cajetanus lib. 17. Aug. de civ. Dei c. 20. concedit, *ea minus firma esse, quæ non sunt in Canone Judæorum*.

2. Inde Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. 7. fatetur, *Augustinum non fuisse certum de omnibus libris, quos enumeraverat, an essent Canonici, cum res illa nondum adhuc fuerit à Concilio generali definita, proinde Augustinum dicere, hoc esse in libris iis, qui dicuntur Canonici observandum, ut ii, qui non ab omnibus recipiuntur, quia videlicet de prioribus major tunc erat certitudo, quod essent Canonici, quam de posterioribus*.

(Atqui hanc inæqualitatem autoritatis non statuisset Augustinus, si pro vere & proprie dictis Canonicis controversos illos libros habuisset, ut patet ex lib. 11. contra Faustum cap. 5. lib. 2. de Bapt. c. 3. lib. 2. contra Crescon. cap. 31. &c. ubi summam & infallibilem autoritatem vere Canonicis libris tribuit.)

3. Hagiographa quandoque apud veteres vocantur scripta omnia in quibus sacra tractabantur, aut ex Canonicis libris petita, aut ad eorum exemplum composita, ex quibus sententiæ aut Historiæ quædam in Ecclesia recitabantur ad populi ædificationem. Gloss. ordin. in præfat. ad lib. Tob. *Large accepit Hagiographa, id est, sanctorum scripta*. Joh. Driedo lib. 1. de catal. script. sacr. cap. 4. p. 21. *Dicemus, duplicia esse apud Hebræos Hagiographa, sicut & in superioribus diximus, duplicia esse Apocrypha. Hagiographa h. e. sanctorum scripta sunt quædam, quorum autoritas idonea est ad corroboranda ea, quæ sunt fidei. Hujus generis sunt Hagiographa in Canone Bibliæ. Alia verò sunt Hagiographa, id est, sancta aut sanctorum scripta, quorum autoritas ad assertiones fidei corroborandas non est idonea, quamvis habeantur vera & sancta*.

Argum. 7. *Concilium Tridentinum controversos illos libros in Canonem recepit*. Ederus in Oecon. Bibl. lib. 1. p. 36. *Hujus pensato judicio, de autoritate istorum librorum amplius dubitare salvo pudore nemini licebit*.

Resp. 1. Pontifici nondum certi sunt, quo tandem tempore libri illi controversi sint recepti, uti superius etiam monuimus. Bellarm. lib. 3. de Sacr. cap. 24. dicit, *Concilia edidisse Canonem*, lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. 3. nominat *Carthaginense & Tridentinum Concilium*. Quidam addunt *Concilium Laodicenum*, sed Costerus in Enchir. p. 69. dicit, *Patres illius Concilii ideo non annumerasse libros illos Canonicis, ne irritarent Judæos ad fidem conversos, quibus Phrygia tunc temporis abundabat*. Melchior Canus lib. 2. Loc. c. 8. fatetur, *dubitari* inter Pontificios, *utrum omnino hoc positum sit in autoritate cujusdam Concilii, ut definiat, quisnam liber pro Canonico recipiendus sit*. Pistorius in hodeg. p. 3. dicit, *Ecclesiam aliquot annis dubitasse & consultasse*. Stapletonus lib. 9. princ. doctrin. cap. 14. disputat, *præsentem Ecclesiam posse aliquem librum in Canonem recipere, qui prius non fuerit Canonicus*. Sed Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Itaque. rectius statuit, *Ecclesiam nullo modo posse facere librum Canonicum de non Canonico, sed tantum declarare, quis sit habendus Canonicus & hoc non temere nec pro arbitratu, sed ex veterum testimoniis &c.*

2. Si post Concilii Tridentini definitionem non licet *salvo pudore* de horum librorum autoritate dubitare, cur multi ex ipsis Pontificiis de quibusdam dubitarunt, imò autoritati eorum contradixerunt, ut patet ex dictis, & in sectione posteriore porrò dicendis?

3. In sessione 4. in qua editum est Decretum de Canone, præsentes Legati, Cardinales, Archiepiscipi & Episcopi fuerunt 70. circiter. Nam præter *quatuor Præsides tresq; Legatos Imperatoris, Cardinalis unus, Archiepiscopi novem, Episcopi quadraginta novem, Procuratores duo, Abbates duo, Generales tres* adfuerunt. Summa est septuaginta trium capitum. In tanta Assessorum infrequentia non potuit œcumenici Concilii Decretum fieri. Fuit hoc Concilium ex solis Occidentalibus congregatum, ac ne quidem iis omnibus, quia Ecclesiæ Gallicanæ illud nunquam approbarunt.

SECTIO POSTERIOR.

De libris Apocryphis Vet. Testamenti in specie.

THesis prima. Septem postrema capita libri Estheris non sunt Canonica.

Ἔκθεσις. Non est quæstio de genuino Estheris libro, qui continet *novem capita*, Hebræo idiomate perscripta, sed de Appendice sive Supplemento hujus libri, quod complectitur *septem posteriora capita*.

Antithesis. Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 7. §. 2. *Quod attinet septem postrema capita Estheris, quæ in Hebraicis Codicibus non habentur, ea quoq; ad sacrum Canonem pertinent*.

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6 articul. 10. *librum Estheris unà cum septem capitibus posterioribus, ut Canonicam Scripturam, ad Ecclesiæ dogmata confirmanda placere, asserit*.

Nostram sententiam probamus ex eo, quod Supplementum illud 1. non sit scriptum sermone Hebræo, sed Græco. 2. nec à Propheta. 3. quodque habeat quædam pugnantia cum Canonico Estheris libro. Confer cap. 11. v. 2. cum c. 2. v. 16. Item cap. 12. v. 5. cum cap. 6. v. 3. Item. cap. 12. v. 6. cum cap. 3. v. 5. Item cap. 14 v. 10. cum cap. 5. v. 2. It. cap. 13 v. 6. cum cap. 3. v. 13. cap. 8. v. 12. cap. 9. v. 1. It. c. 13. v. 14. cum cap. 3. v. 2. 4. ac pugnet cum veritate Historica cap. 16. v. 14. 5. insuper etiam Israeliticæ & primitivæ Christianæ Ecclesiæ testimonio destituatur.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam disertis verbis hoc Supplementum è Canone removent. Glossa Bibliorum ordinaria in præfat. *Sciendum est, quòd in libro Esther illa duntaxat sunt in Canone, quæ scribuntur usque ad eum locum, ubi posuimus, Finit liber Esther, prout est in Hebræo, quæ postea sequuntur, non sunt in Canone.*

Hugo Cardinalis in comm Esth. *Hæc capita non sunt in Canone.* Lyranus in fine Comm. Esth. *Cætera, quæ sequuntur, non intendo exponere, quia non sunt in Hebræo, nec de Scriptura Canonica.*

Dionysius Carthusianus in comment.

Cajetanus Cardinalis in comm.

(Horum omnium suffragia in hac quæstione largitur nobis Bellarminus loco proxime citato sic disserens: *Non defuerunt, qui librum quidem Esther inter sacros libros numerandum censuerint, septem vero postrema capita, quod in Hebraicis textibus non habeantur, ejus libri vera membra esse negaverint, & tanquam adulterina atque aliena à reliquo corpore resecanda putaverint. In qua sententia fuisse Hieronymum, ex ejus præfatione colligitur. Secuti sunt Hieronymum Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, Hugo & Thomas de Vio Cardinales.*

Eorundem suffragia nobis largitur Tannerus Disp. de Verbo Dei thes. 41. *Lyranus, Carthusianus, Hugo, Cajetanus, septem illa capita è Canone excludunt*, (quos tamen ibidem vocat *Catholicos*.)

Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. sect. 3. pag. 27. *Appendix libri Esther, quæ septem posteriora capitula, hoc est, ab initio fere decimi capitis usque in finem libri complectitur, variis laciniis & centonibus texitur, ex quibus in exemplaribus Hebræorum nihil prorsus extat.*

Et postea: *Venit hoc loco in mentem, simul admonere & adhortari pium ac benevolum lectorem, ne me temeritatis arguat, quod hæc septem postrema capita, à Canonicis scriptis avulsa, in hunc ultimum Apocryphorum ordinem redegerim, ac si oblitus sim Decreti Synodi Tridentinæ, quod sub anathematis interminatione recipi jubet omnes libros integros, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur. Est enim Canon ille intelligendus de veris ac germanis partibus, quæ ad librorum integritatem spectant, non autem de laceris quibusdam Appendicibus, & pannosis additamentis à quovis incognito authore temere appositis, & utcunque insutis, qualia sane sunt hujusmodi ultima capitula, quæ non solum Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyrensis, Dionysius Carthusianus, cæterique recentiores Interpres*) nota, ergo plures dantur) *negant esse Canonica, sed & D. Hieronymus à toto Estheris volumine rejicit, seu*

vitiatam partem, & laciniosis, ut ipsius dictis utar, verborum finibus confictam ex his, quæ ex tempore dici & audiri poterant, sicut solitum est scholaribus discipulis sumto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit.

Lib. 8. Biblioth. hæres. 11. pag. 655. *Hieronymus, ut ex illius scholiis apparet, sex illa postrema capita, ut ascititia, resecuit; & Ecclesia Catholica eadem tanquam ascititia & Apocrypha neglexit.*

Sixti Senensis suffragium largitur nobis Bellarminus d. loc. quod etiam post Concilii Tridentini definitionem Supplementi illius autoritatem improbarit.

Debuisset vero addere Johannem Driedonem & Benedictum Ariam Montanum, qui in hac quæstione idem nobiscum & cum Sixto Senensi statuunt, nulla habita Tridentini anathematis ratione.

Gretserus in Labyrinth. pag. 25. itidem nobis largitur *Sixti Senensis* suffragium, uti etiam Stapletonus in relect. controv. 5. q. 3. art. 3.

Bonfrerius Præloq. in Pentat. fol. 6. Sixtum hoc nomine refellit, *ut non securum in fide, quod rejiciat illa capita, ex quibus tamen in Ecclesia lectiones Epistolicæ desumantur.*

Hæc omnia expendens Guilielmus Esthius in annotat. ad cap. 10. Esther. sic scribit: *Quæritur de his additamentis, utrum habenda sint, ut Scriptura Canonica? disputatum etiam fuit pridem à Catholicis.*

2. Quod quidam agnoscunt, autorem hujus Supplementi non fuisse Prophetam.

Lyranus in fine comm. Esther. *Hæc videntur à Josepho & aliis Scriptoribus conficta & postea editioni vulgatæ inserta.* Et paulo post: *Josephus, quia vidit in hoc libro summam in brevi literarum missarum ab Aman contra Judæos, & summam revocationis per Esther impetratæ, ut habetur supra capite 3. & 8. ideo excogitavit, sicut homo literatus & eloquens, qualiter Aman potuit decenter describere machinationem suam, colorando apparenti bonitate, & quomodo Mardochæus revocatorias literas potuit decenter dictare, honore Regis servato, ita quod non notaretur de irrationabili mutabilitate, quod patet ex hoc, quod forma literarum Aman, quæ habetur in cap. 12. & forma literarum revocatoriarum, quæ habetur in cap. 16. acceptæ sunt de verbo ad verbum de Josepho libro antiquitatum 11. cap. 6 in quo describit Historiam Esther; & idem probabiliter videtur de aliis hic sequentibus, quod fuerunt prædicto modo excogitata, & scripta & postea vulgatæ editioni inserta.*

Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. sect. 2. p. 20. *Scripsit Mardochæus omnia, quæ habentur à principio libri, usque ad ea verba quæ in principio capitis decimi ponuntur. Cætera vero sex capitula usque in finem libri ab incerto Græco scriptore addita sunt ex diversis Historiis, præcipue vero ex undecimo libro antiquit. Iosephi, ex quo exemplum literarum Aman & exemplum Epistolæ Regis Artaxerxis, quæ 13. & 16. hujus libri capite recitantur, ad verbum desumta sunt.*

(At si autor hujus Supplementi ex Josepho, qui post Christi tempora vixit, quædam desumsit, utique Josephi, qui post Christi adventum vixit, σύγχρονος vel eo posterior fuit, quomodo igitur Canonicum Vet. Testament. librum scribere potuit?)

3. Quod suffragium primitivæ Ecclesiæ in hac quæstione nobis arguuntur.

Stapletonus in relect. princip. controv. 5. q. 3. art. 3. in solut. arg. 2. *Quæ in Daniele & Esther præter Hebraicam originem adjecta sunt, (saltem Hieronymi judicio) ideoque olim, non ut sacer textus, sed ad Historiæ fidem & elucidationem adjecta videbantur, ut censuit Hieronymus, postea tamen Ecclesiæ judicio, (Concil. Trid. sess. 4.) etiam autoritatem divinam meruerunt, ut de libro Sapientiæ & Ecclesiastico loquitur Augustinus de doctr. Christ. lib. 2. cap. 8.*

Bellarminus d. l. *Melitoni, Athanasio & Gregorio Nazianzeno* tribuit, quod *integrum Estheris librum extra Canonem posuerint.*

In eandem sententiam abit Sixtus Senensis lib. 1. Bibl. p. 20. *Accidit, (inquit) ut propter has appendicum lacinias hinc inde quorundam scriptorum temeritate insertas liber hic, quamvis Hebraicus & Hebræis receptus, sero admodum apud Christianos Canonicam autoritatem receperit, unde nec ipsum Melito Sardensis Episcopus, nec Gregorius Nazianzenus inter sacros libros enumerarunt, & Athananus de catalogo Canonicorum voluminum tanquam nothum nominatim abjecit.*

(Sed quia *Melito & Athanasius*, fatente Melchiore Cano lib. 2. Locorum cap. 10 secuti sunt *Canonem Hebræorum*, quod ipsum etiam de *Nazianzeno* statuendum, & vero in Canone Hebræorum *Esther* diserte ponatur, ut constat ex Josepho lib. 1. contra Appion. ideo non est ullo modo verisimile, Melitonem, Athanasium & Nazianzenum integrum *librum Esther* extra Canonem posuisse, sed tantum de *postremis septem capitibus*, quæ non habentur in Hebræorum Canone, verba ipsorum accipienda. Quamvis enim in recensendis Canonicis V. T. libris non faciant expressam Estheris mentionem, tamen ad alium librum Canonicum, forte ad *Esdram* eum referre potuerunt.

Confirmamus hanc sententiam duplici argumento: Primo ex disertis verbis Athanasii, qui in Synopsi post Canonicorum librorum enumerationem subjungit: Τίνες μὲν τοῦ τῶν παλαιῶν εἰρήκασι κανονίζεσθαι παρ' Ἑβραίοις καὶ τὸν Ἐσθήρ, καὶ τὸν μὲν Ῥοὺθ μετὰ τῶν κριτῶν ἑνωμένων εἰς ἓν βιβλίον ἀριθμεῖσθαι, τὸν δὲ Ἐσθὴρ εἰς ἕτερον ἕν. Deinde ex eo, quod *Esdras* ab Isidoro statuitur hujus libri autor, quod verisimilius est, quam quod Eusebius in Chronicis arbitratur, *libri hujus autorem fuisse Esdra posteriorem*, vel quod Philo Judæus in volumine suæ Chonographiæ asserit, *libri hujus Scriptorem fuisse Joachim Pontificem Hebræorum, Jesu Sacerdotis Magni filium, qui, adhortante eum per literas Mardochæo Hebræo, patre Estheris adoptivo, Historiam hanc literis mandarit*, vel quod Latini tradunt, *volumen hoc à Mardochæo Hebraice conscriptum esse.* Esdram enim Vet. Test. Canonem constituisse, id est, Canonicos Vet. Test. libros in unum volumen collegisse, consentiens est Hebræorum & Christianorum sententia.)

Origenis suffragium largitur nobis Sixtus Senensis lib. 1. Bibl. p. 27.

Origenes (inquit) *in Epistola ad Julium Africanum hæc additamenta explodit.*

Hieronymi suffragium nobis largitur Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap 10. §. ultimo.

4. Quod Bellarminus non potuerit alia ratione Canonicam hujus Supplementi autoritatem tueri, quam ut statueret, caput 11. & 12. Supplementi ad initium libri, caput 10. ad finem ejusdem referendum esse, (qua ratione caudam cum capite, & ventrem cum pedibus confundit.)

Argum. Bellarmini. 1. *Concilia & Patres, quando Esther in Canonem referunt, de eo volumine sunt locuti, quo tum ipsi, tum Ecclesia universa eo tempore utebatur. Utebatur autẽ eo tempore Ecclesia libris sacris juxta eam editionem, quæ Græcorum lingua & literis continetur, in qua septem illa capita extant.*

Resp. 1. Idem Bellarmin. libro 1. de Verbo Dei cap. 20. §. At de de tertio, pro Canonica tertii libri Esdræ talem format objectionem. *In Græcis Codicibus tertius est, qui dicitur primus Esdræ, & qui apud nos dicuntur primus & secundus, in Græco dicuntur secundus Esdræ. Quocirca verisimile est, antiqua Concilia & Patres, cum ponunt in Canone duos libros Esdræ, intelligere nomine duorum librorum omnes tres. Sequebantur enim versionem LXX. Interpp. apud quos tres nostri duo libri Esdræ nominantur.* Huic objectioni in §. seq. respondet his verbis: *Etsi in Græcis Codicibus duo libri Esdræ sunt nostri tres, tamen non propterea Concilia antiqua & veteres Patres, qui in Canone ponunt duos libros Esdræ, intelligunt nomine duorum nostros tres. Nam multi veterum, ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus, in Canone Vet. Test. exponendo aperte secuti sunt Hebræos, non Græcos, Hebræi autem tertium Esdræ non habent.* Idipsum & nos huic Bellarmini argumento respondemus.

2. Quod si enim pro Canonicis sunt habenda, quæ cum Canonicis libris in Codicibus Græcis conjunguntur, Canonica erit *Appendix libri Job*, Canonicus erit *Psalmus 151.* Canonica erit *præfatiuncula Jeremiæ*, quippe quæ omnia in Græcis Codicibus leguntur Sed Canonica illa esse negat ipse Bellarminus d. loco.

3. Idem Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. §. Potest. statuit, *primum libri hujus autorem, qui Hebraice Historiam Esther scripsisse, deinde alio tempore scriptam fuisse Historiam eandem ab aliquo alio copiosius, & translatam in linguam Græcam à Lysimacho, prioris autoris librum*

librum ipsum Hebraicum, posterioris autem non ipsum librum, sed solam translationem ad nos pervenisse.

(At si est duplex liber Estheris, quorum prior ad nos Hebraice, posterior copiosius scriptus translatus ad nos pervenerit, ut vult Bellarminus, quomodo contra Senensem obtinere potest, approbato à Conciliis & Patribus Estheris libro singulas ejus partes, ac proinde etiam septem illa postrema capita esse approbata? Si enim septem illa capita controversa sunt diversus liber ab eo volumine, quod in Hebræo extat, quin & ab alio autore & alio tempore scripta, quomodo possunt pro parte libri Esther haberi?)

4. Sixtus Senensis d. l. observat, quia *spuria ista capita cum veris libri Estheris capitibus fuerunt conjuncta, inde factum esse, ut gravissimi scriptores totum librum Estheris extra Canonem posuerint*, quod etiam Bellarminus notat lib. 1. de V. D. cap. 7. Vel hoc igitur nomine rejiciendæ sunt illæ adjectiones ex Canonicorum librorum exemplaribus, quia talem suspicionem libro Canonico asperserunt. Qui partem spuriam propter veram admiserunt, eodem id fecerunt errore, quo alii veram partem propter spuriam rejecerunt.

Argum. 2. *Origenes in Epist. ad Julium Africanum, hanc ipsam partem libri Esther, quæ in Hebræorum voluminibus non habetur, sacram & Canonicam esse, demonstrat.*

Resp. 1. Sixt. Senens. lib. 1. Bibl. sanctæ pag. 27. plane contrariam sententiam Origeni tribuit, *Origenes* (inquit) *in Epist. ad Julium Africanum hæc additamenta explodit*. Cui ergo fidem habebimus, an Bellarmino, an Sixto Senesi? huic potius quam illi, certum enim est & superius ex ipsorum adversariorum suffragio confirmatum, Origenem secutum fuisse Hebræorum Canonem. Jam vero in Canone Hebræorum Appendix illa non habetur. Adde quod Origenes in citato loco hoc tantum dicat, *apud LXX. Interpp. Supplementum illud haberi & in Ecclesiis legi*, sed Canonicum esse nusquam asserit.

2. Quomodo potest Bellarminus Origenis autoritatem nobis opponere, cum ipse eam passim elevet? lib. 4. de notis Eccles. cap. 9. §. 21. eum in catalogum *hæreticorum* refert. lib. 2. de purgatorio cap. 8. §. 16 ex libro, qui inscribitur *Pratum spirituale* adducit visionem, quod *visus fuerit Origenes cum Ario, aliisque hæreticis in igne torqueri*, & addit, *citari Pratum spirituale in VII. Synodo generali, ne quis eum librum spernendum censeat*. Lib. 1. de Christo cap. 10. §. Tertiæ. scribit, *Origenem in scriptis suis habere apertissimas blasphemias contra Filium & Spiritum Sanctum quas credibile sit ab Arianis esse insertas.*

Thesis secunda. Liber Baruch non est Canonicus.

Exthesis. Non negamus, hunc librum esse utilem & in Ecclesia legi dignum, cum gentilium idololatriam graphice depingat, ac pleraque in eo sint sacro characteri propinquiora, quam in aliis controversis libris, interim pro Canonico libro proprie dicto eum habere non possumus.

Antithesis. Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 8. §. Cæterum. *Librum Baruch esse Canonicum, persuadet nobis Ecclesiæ Catholicæ autoritas, quæ in Concilio Tridentino sess. 4. Prophetam Baruch inter sacros libros numerat.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 11. asserit, *Librum Baruch, ut Canonicum Scripturæ librum, valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda.*

Nostram sententiam probamus ex eo, quod liber Baruch,

1. Non sit scriptus lingua Prophetica sive Hebræa, sed Græca, cap. 6. v. 2.

2. Nec à Propheta. Si enim vel Jeremias, vel Baruch eum scripsissent, Hebraica lingua scriptus extaret.

3. Quod pugnet cum libris exploratò Canonicis. Confer cap. 1. v. 1. Baruch cum Jerem. 43. v. 6. Item cap. 1. v. 7. Baruch cum Thren. cap. 2. v. 6. & 7. Esdr. 3. v. 3.

4. Ac cum veritate Historica. Confer cap. 1. v. 11. Baruch cum 2. Reg. 25. v. 27. Dan. 5. v. 30.

5. Insuper etiam Israeliticæ & primitivæ Christianæ Ecclesiæ testimonio destituatur.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam disertis verbis ex Canone eum removent. Johan. Driedo lib. 1. de Catal. Script. cap. 4. ad difficult. 4. etiam post Concilii Trident. definitionem Baruch ex Canone removet. *Cyprianus*, inquit, *Ambrosius, cæterique Patres sententias citant ex libro Baruch, ex tertio & quarto Esdræ, non tanquam ex Canonicis libris, sed tanquam ex libris continentibus dogmata quædam pia, juvantia & non contraria, sed potius consona fidei.*

Driedonis suffragium nobis largitur Bellarmin. d. l. §. 1. sic scribens: *De libro Baruch controversia fuit & est, tum quia non invenitur in Hebræis Codicibus, tum etiam, quia nec Concilia antiqua, nec Pontifices, nec Patres, qui Catalogum sacrorum librorum texunt, hujus Prophetæ disertis verbis meminerunt. Itaque propterea ex Catholicis Driedo hunc librum negat esse Canonicum.*

Debuisset vero Driedoni conjungere omnes illos, qui Hebræorum Canonem sequuntur. Illi enim omnes librum Baruch, cum non habeatur in Hebræis Codicibus, è Canone excludunt.

2. Quod quidam de Canonica ejus autoritate dubitant.

Liber Baruch Concilii Tridentini Patres magis solicitos habuit, cum neque inter Laodiceni aut Carthaginensis Concilii libros, nec in Pontificum Romanorum Catalogo recenseatur; atque tum eam ob causam, tum quod principium ejus non reperitur, eliminandus videbatur, (ex librorum Canonicorum numero) *nisi obstitisset, quod in Ecclesia lectio inde aliqua interdum delibatur, quæ ratio satis valuit ad congregationem in illius favorem flectendam, multis antiquitus Jeremiæ partem habitum, eique apponendum affirmantibus.* Petrus Suavis lib. 2. Histor Concil. Trident pag. 172.

Melchior Canus (de quo Pererius in Coment. Daniel. lib. 12. cap. 6. scribit, quod *in Concilio Tridentino celeberrimus fuerit Theologus, quodque post magnos illos Doctores mysteria sacrarum literarum nullus ipso plenius aut planius docuerit.*) lib. 2 Locorum cap. 9. p. 36. *Non ardeo vocare hæresin eximere Baruch à Canone sanctarum Scripturarum, sed temerariam & erroneum*

Lib. 12. Locor. cap. 6. p. 367. *De Scriptura sacra dicta hæc intelligi volumus, quam esse Canonicam constanter sit ab Ecclesia definitum. Namque quemadmodū in secundo libro docuimus, libellū Baruch non adeo exploratò & firmiter in sacrorum numero Ecclesia reposuit, ut aut illum esse sacrum, fidei Catholicæ veritas expedita sit, aut non esse sacrum hæresis expedita sit. Libellus ergo iste, sive quilibet alius, qui in quæstionem citra crimen hæreseos vocari possit, quantumvis clara & aperta inferat sensa, non statim efficiet certas atque constantes fidei Catholicæ veritates.*

(Qui liber non efficit certas atque constantes fidei Catholicæ veritates, ille non est certo & explorato Canonicus.) Confer Espensæum in 1. Timoth. digress. lib. 1. cap. 11.

Tannerus tom. 3. Theol. Scholast Disput. 1. q. 5. n. 40. *Post Concilium Tridentinum Sixtus Senensis &c. favente etiam nonnihil Stapletono librum Baruch & postrema capita Danielis, sicut & Estheris posteriora capita, à Canone rejecerunt.* Confer Stapletonum relect. controv. 5. q. 3. art. 3.

Thesis tertia. Additamenta Danielis, videlicet Oratio Azariæ, Hymnus trium puerorum, Daniel. 3. Historia Susannæ cap. 13. Historia Belis & Draconis cap. 14. non sunt Canonica.

Antithesis Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 9. §. 3. *Certum est, has omnes partes Danielis vere esse Canonicas, quod probatur ex Concilio Tridentino & usu Ecclesiæ.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesaur. lib. 6. artic. 14. *Orationem Azariæ & Hymnum trium puerorum Dan. 3. esse authenticam & Canonicam Scripturam, citandam ad Ecclesiastica dogmata confirmanda.* art. 15. *Historiam Susannæ, ut authenticam & Canonicam Scripturam ad Ecclesiastica dogmata confirmanda citandam esse.* art. 16. *de Belis & Draconis Historia* idem scribit.

Nostram sententiā probamus ex eo, quod Additamenta illa

1. Non habeantur in Codicibus Hebræis.
2. Nec sint scripta à Propheta.
3. Quodq; pugnent cum Canonico Danielis libro. Confer cap. 13. v. 65. cum cap. 6. v. 1. cap. 14. v. 30. cum cap. 6. v. 31. & 19.
4. Et cum veritate Historica, quia Propheta Habacuc, qui Danieli prandium in lacu leonum attulisse dicitur, vixit ante Babylonicam captivitatem.
5. Deniq; destituuntur Israeliticæ & primitivæ Christianæ Ecclesiæ testimonio. *In Historia Susannæ* 1. Judæis tribuuntur Conventus juridici cum potestate vitæ & necis tempore captivitatis. 2. Puerulo tribuitur talis autoritas in terra Babyloniæ, quam nullus privatus exercuit in Judæa, revocandi scilicet damnatū in judicium, & novam causæ cognitionem instituendi. 3. Daniel ut puer introducitur, qui cum adhuc puer erat, educabatur in palatio Regis seorsim à Judæis.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam hæc additamenta diserte repudiant.

Gloss. Bibl. Ordin. in Præfat. *In Daniele illa tantum sunt in Canone, quæ sunt usque ad eum locum, ubi posuimus, Finit Daniel Propheta; quæ postea sequuntur, non sunt in Canone.*

In Præfat.cap.13. Dan. *Incipit Historia Susannæ, Belis & Draconis, quæ non est in Canone.*

Lyranus in Præfat.cap.13. Dan. *Hæc Historia* (Susannæ) *inter libros Bibliæ non Canonicos situari debet post librum Baruch.*

Erasmus in Scholiis super Præfationem Hieronymi in Danielem: *Mirum, quod Hieronymus veru jugulat, id nunc passim legitur & canitur in templis, centres imprimis sancta &c. imo nullo delectu legimus de Bel Dracone, quam Hieronymus non veritus est appellare fabulam, nec additurus, ni veritus fuisset, ne bonam voluminis partem detruncasse videretur. Sed apud quos tandem? apud imperitos, inquit ipse.*

Idem d. l. *Hunc locum inter cætera crimina Ruffinus objicit Hieronymo, ad quod tamen ille satis oblique vafreque respondet. Quod ad Græcam etymologiam attinet, absurdum est, in libro, quem Hebraice Chaldaiceque scriptum videri velis, adducere Græcam etymologiam, quæ non semper respondet in omni lingua. Ad Græcam vocem allusit Daniel, cum ait: Ecce Angelus Dei scindet te medium &c. Cæterum ea vocum allusio, quoniam non respondet, in sermone Chaldaico, nimirum constat, hoc esse Græci Scriptoris Commentum.*

Johan. Driedo lib.1. Catal. de Script. & dogmat. Eccl. cap. ult. *Non oportet*, inquit, *contemnere Susannæ Historiam, tanquam prorsus falsam, sed honorare eam tanquam ad ædificationem Ecclesiæ utilem, quam quisque credens veram esse perniciose non fallitur, quemadmodum legimus sanctorum Martyrum gesta longo usu recepta in Christianorum Ecclesia, ex quibus tamen argumentum non sumitur efficax ad demonstrandum ea, quæ fidei sunt. Sic Cyprianus, Ambrosius, cæterique Patres citant sententias ex libro Baruch, tertio & quarto Esdræ, non tanquam ex Canonicis libris, sed tanquam ex libris continentibus dogmata piaquædam juvantia & non contraria, sed consona potius fidei nostræ.*

(Erasmi & Driedonis suffragium largitur nobis Bellarminus d.l.§.2.)

Ludovicus Vives in Comment. lib. 18. Augustin. de Civ. Dei cap. 31. *Prophetæ Habacuc fit mentio Danielis 14. quod prandium suum ex Juda Babylonem tulerit ad Danielem, quo testimonio ad probationem temporum Augustinus non est usus, quod ea Beli Historia & totum cap. 14. cum Historia Susannæ Apocrypha sint, nec in Hebræo habeantur, nec sint versa à LXX. Senibus.*

Tannerus tom.3. Theol. Scholast. Disput.1.q.5.n.40. conqueritur, *Stapletonum illis nonnihil favere* (controv.5.q.3. art.3.) *qui postrema capita Danielis è Canone removent.*

2. Quod suffragium veterum nobis largiuntur.

Bellarminus lib.1. de Verbo Dei cap.9. §. *Ex Christianis Catholicis olim Julius Africanus Historiam Susannæ tanquam adulterinam & neotericam repudiavit.*

Sixtus Senensis lib.1. Biblioth. sect.2. p.22. *Supplementum libri Danielis, quod in Hebræo non habetur, sed ex Græca Theodotionis editione ab Hieronymo transscriptum est, quatuor continet, nempe Orationem Azariæ, Hymnum trium puerorum, Susannæ Historiam & Belis narrationem. De his olim apud summos Ecclesiæ Proceres ingens fuit altercatio &c. Eusebius & Apollinarius Junior arbitrantur, idipsum ad prophetiam & gesta Danielis Prophetæ de tribu Juda, quæ in sacro Canone habentur, nihil prorsus pertinere, sed partem esse cujusdam Historiæ seu prophetiæ, quam de alio quodam Daniele Sacerdote, filio Abdæ scripsit Habacuc filius Judæ de tribu Levi, diversus ab eo, qui inter duodecim Prophetas annumeratur. Quam rem confirmant ex titulo & initio Historiæ Belis &c. Julius Africanus hanc partem conjicit esse Græci Scriptoris commentum propter verba, quæ in Susannæ Historia continentur, respondente Daniele ad Presbyteros ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι; ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quæ etymologiæ ita Græco sermoni cohærent, ut Hebræo eloquio accommodari non possint.*

Idem Senensis libr.5. Bibliothec. annot. 250. p.423. recitat integram Epistolam Julii Africani ad Origenem, quæ sic habet: *Sacram cùm haberes Disputationem cum amico illo tuo, faceresque mentionem prophetiæ habitæ à Daniele in juventute, sum id tum temporis, ut decebat, amplexus. Admiror verò, quonam te fugerit pacto, partem hanc libri esse adulterinam. Hoc enim libri segmentum aliter quidem est opusculum gratum, sed tamen opusculum, quod multis ostenditur & convincitur modis, neotericum esse & Græcè à Græco authore confictum. Primùm quidem, quia ut meri jussa fuit Susanna, Spiritu correptus Propheta clamavit, injustè prolatam fuisse sententiam, & Daniel alio prophetat modo per omne tempus, nempe visionibus & somniis & Angeli apparitione, non autem aspiratione Prophetica. Deinde postea quam adeo admirabiliter esset locutus, eo utitur ad populum & Senes confutationis genere, quod longe esset à communi expectatione remotissimum, & quo neque Philistion ille mimus usus fuisset, quippe, qui non contentus objurgatione per Spiritum effecta, ab altero utrumque separatum interrogat seorsim, quonam in loco eam vidisset adulterium committentem. Ut autem alter sub prino dixisset, respondit futurum, ut Angelus ipsum secet. Similiter scissionem minitans alteri, qui sub schino eam vidisse responderat. In vocibus etenim Græcis talia eundem habent sonum ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, & ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, in lingua vero Hebraica diversum habent omnino sonum. Porro ex Hebræis translata sunt ad Græcos, quæcunque feruntur Vet. Test. Præterea, quonam pacto cum apud Chaldæos captivi essent in Babylone & jugulati projicerentur in plateas insepulti, ut in prima captivitate Israelis narrant Historiæ, ab ipsisque avellerentur filii, ut Eunuchi, & filiæ, ut pallacæ fierent, ut Prophetæ prædixerant; hic de morte ferunt judicium? Et quod magis mirere, adversus conjugem Joachim Regis ipsorum, quem sibi assessorem fecerat Rex Babyloniorum? Sin vero non est hic Joachim, sed alter quispiam ex populo, unde hoc domicilium captivo aderat? unde illi hortus spaciosus? Ante vero hæc omnia hæc libri hujus particula cum aliis duabus particulis, quæ sunt in Danielis fine, Danielis qui recipitur ab Hebræis, non est similis, quin etiam locutionis charactere discrepat. His vero omnibus adjiciatur, cum tot præcesserint Prophetæ, nullum deinceps usum fuisse testimonio alterius, quippe cum sermo ipsorum verax non aliunde mendicaverit, hic autem alteri illorum meminit, Domini meminit dicentis: innocentem & justum non interficies. Ex his omnibus ego arbitror additum fuisse hoc libri segmentum. Ego pulsavi, tu rescribens erudi.*

(Quamvis vero huic Africani Epistolæ Origenes responderit, cujus responsoriæ Epistolæ summa capita Sixtus Senensis ibidem subjungit, tamen non fuit aliud Origeni propositum, quam docere, quod in hisce Additamentis nihil falsi, vel absurdi contineatur, quodque *ad Ecclesiæ ædificationem à Patribus sint suscepta*, ut loquitur. At si vel maxime in his Additamentis habeatur eadem veritas, quæ in Canonicis libris, non tamen ex eo concludi potest Canonica eorundem autoritas. Hanc fuisse Origenis sententiam, probamus evidenti argumento: Canon Hebræus hæc Additamenta exclusit. Atqui Origenes secutus fuit Canonem Hebræum, teste Eusebio lib 6. Histor. Eccles. cap. 24. ac fatente Melchiore Cano lib.2. Locor. cap.10. Ergo & ipse hæc Additamenta exclusit. Provocat quidem Bellarminus ad homil. 1. Orig. in Levit. in qua, *Historiam Susannæ Canonicam esse*, statuat. Sed ipse Bellarmin. lib.4. de Verbo Dei cap. 11. homiliarum istarum autoritatem elevat. *Respondeo*, inquit, *homilias illas in Leviticum non esse Cyrilli, sed Origenis, vel nescio cujus alterius, qui passim literam destruit & mysticos sensus ex capite suo statuit, proinde homilias illas non esse magnæ autoritatis.*

Neve quis cogitet, *fuisse hanc privatam Julii Africani de hisce Additamentis opinionem*, notare jubemus, quod scribit Canus lib.11. Locor. cap. ult. p. 341. *Julius Africanus non est in fidei doctrina reprehensus. Nam quod Historiam Susannæ fictam esse credidit, in eo virorum doctissimorum errorem secutus est.*

(Ergo juxta Cani confessionem viri doctissimi ante Julium Africanum hanc sententiam, quam falso vocat erroneam, cum ipso & nobiscum sunt amplexi.)

Jodocus Coccius tom.1. Thes. lib.6. art.15. *Julius Africanus Epistola ad Origenem Historiam Susannæ conjicit esse commentum propter verba Danielis ad Presbyteros, Ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, & ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quæ etymologiæ ita Græco sermoni cohærent, ut Hebræo eloquio accommodari non possint. Hieronymus Præfatione in Danielem. Hebræi Historiam Susannæ non habent. Audivi ego quendam de præceptoribus Judæorum, cum Susannæ derideret Historiam & à Græco, nescio quo, eam diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Julius Africanus opposuit, etymologias has ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, & ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, de Græco sermone descendere.*

Laurentius Valla lib. de donat. Constant. *Apollinaris & Origenes atque Eusebius & nonnulli alii, narrationem Belis fictam esse, affirmant.*

3. Quod Bellarminus concedit, Danielem, cujus mentio fit in Additamentis, esse alium ab eo cujus mentio fit in Canonico Danielis libro.

Non est improbabile (scribit lib. 1. de Verb. Dei cap. 9. in resp. ad 3. argum.) *non eundem esse Danielem istum, qui Susannam liberavit, Bel destruxit, ac Draconem interfecit, & in lacu leonum sex diebus fuit, cum eo, de quo agitur in superioribus capitibus. Id enim multos olim sensisse testatur Hieronymus Præfat. in Comment. Daniel. & aperte Græca editio LXX. habet, hunc posteriorem fuisse de tribu*

tribu Levi, ut ibidem Hieronymus notat, cum certum sit priorem fuisse de tribu Juda. Bellarminum sequitur ipsius hyperaspistes Gretserus, qui disputat, *partes illas recte poni in Daniele, etiamsi ab alio quodam Daniele compositæ essent, quia tum propter argumentum, tum propter nominis similitudinem nusquam rectius collocantur, quam in libro Danielis.* (Atqui si Daniel Susannæ liberator ac Draconis interfector est alius à Daniele, cui Christus testimonium prohibet Matth. 24. v. 15. unde probari poterit, priorem illum Danielem fuisse Prophetam & librum ejus esse Propheticum? Si *Historia Susannæ merito apud Græcos ponitur in principio libri, cum contigerit longe ante tempora Darii, Daniele adhuc puero existente*, ut scribit Bellarminus d. l. in resp. ad 2. argum. cur in vulgata versione, quæ in Concilio Tridentino pronunciata est, authentica, ad calcem libri refertur? Vidit hanc difficultatem Sixtus Senensis, ideo negat Danielem, cujus mentio fit in Additamentis, esse alium à Daniele, cujus mentio fit in ipso libri corpore. *Quidam* (inquit libr. 8. Biblioth. hæres. 6. resp. ad 6. object. *sequentes opinionem eorum, quos Hieronymus refert, duos distinxerunt Danieles &c. Sed nos ad Historiæ continuationem propius accedentes controversiam tollimus in hunc modum. Daniel non semel, sed bis & ob diversas causas in lacum missus est, primum sub Dario Histaspe, quia contra ejus edictum Deum suum intra triginta dies prohibitos adoraverit, & tunc una tantum nocte in eo fuit. Secundo vero iterum missus est in lacum ob destructum Belem & interfectum Draconem sub Cyro Rege, qui cum Dario Histaspe duobus annis, & post eum annos viginti duos regnavit, fuitque in eo sex continuis diebus.*

Sixtum Senensem sequitur Pererius Præfat. Comment. in Daniel. p. 10. §. Cæterum. Postquam enim scripsisset, *quosdam duos introducere Danieles*, subjungit, *Sic quidem nonnulli existimarunt, sed nec olim Synagoga, nec nunc Christi Ecclesia plures uno Daniele hujus Historiæ autores novit.*)

4. Quod fateri coguntur, hæc Additamenta non haberi in Hebræo.

Sixtus Senensis d. l. in resp. ad 3. object. *Fatemur Historiam Susannæ, ut Hieronymus & Patres omnes testantur, nec in Hebræo legi Codice, nec ab Hebræo Scriptore, sed à pio quodam Græco juxta fidei veritatem Græco sermone scriptam.*

Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 9. resp. ad 2. argum. *Historia Susannæ non male apud Latinos rejecta est ad extremum libri, ut intelligeremus eam non haberi apud Hebræos.*

(Atqui si hæc Historia nec in Hebræo Codice legitur, nec ab Hebræo scripta est, non potest esse Canonicus V. Test. liber, quippe cujus essentiale requisitum est, constare sermone Prophetico, hoc est, Hebræo. Si non habetur in Canone Hebræorum, Ecclesia eum non recepit *ad fidei confirmationem*, sed tantum *ad morum ædificationem*. Atque hoc sensu accipiendum, quod in exegesi de Script. §. 228. dicitur, *Sixtum Senensem Historiam Susannæ, Belis & Draconis æque ut additamenta Estheris repudiare.* Notum quidem est, quod pro Canonica eorum autoritate pugnet lib. 8. Biblioth. sed ex iisdem hypothesibus, quibus *Additamenta Estheris* repudiat, etiam *Danielis Additamenta* repudiare cogitur. 1. utraque non sunt in Hæbræo. 2 utraque relecantur ab Hieronymo. 3. utraque sunt partes heterogeneæ.)

Ad argumenta Bellarmini quid sit respondendum, patere potest ex superioribus. Hoc loco exceptionem aliquam Catharini, Sixti Senensis & Bellarmini ad nostrum argumentum ex Hieronymi testimonio desumtum expendemus. *Quando Hieronymus ista capitula negat esse alicujus autoritatis, imo vocat fabulas, tum loquitur ex opinione Judæorum ac nomine fabularum non res fictas, sed veras narrationes intelligit?*

Resp. 1. Bellarminus ipse lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. ult. agnoscit Hieronymum, quando controversos libros *Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Judith & Maccabæorum* è Canone excludit, non loqui tantum de Canone Judæorum, sed etiam ex sua sententia. Jam vero Additamentorum istorum est eadem ratio cum nec in Hebræis Codicibus legantur, nec ab Israelitica Ecclesia in canonem fuerint recepta.

2. Verba Hieronymi in Præfat. Comment. in Daniel. sunt satis clara: *Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet Historiam, nec Hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconisve fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru anteposito, easque jugulante subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* (In vulg. versione pro verbo subjecimus, habetur verbum *transfiximus*, quod majoris ponderis, quodque magis congruit nomini anteposito. Sixtus Senensis lib. 3. Bibl. p. 164. §. Obelus. *Obelus, id est, veru, est nota, qua veluti sagitta confodiantur suspecta atque superflua. Sic Hieronymus dicit, se in libro Danielis Susannam & Belis Historiam anteposito veru jugulante transfixisse, ceu narrationes præter Hebraicam veritatem ex Theodotionis editione desumtas.* Et postea: *Miror quosdam μεμψιμόρους mihi indignari, quasi ego detruncaverim librum, cum & Origenes, & Eusebius & Apollinarius, aliique Ecclesiastici viri & Doctores Græciæ, has, ut dixi visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, qui nullam* (nota) *Scripturæ autoritatem habent. Daniel apud Hebræos has fabulas non habet &c. Daniel ex Regis sanguine prognatus non erat, ut Belis fabula habet &c.*

3. Hæc ipsa verba testantur, *fabularum* nomine ab Hieronymo h. l. non intelligi veram narrationem, quia, rem se non ita habere asserit, ut Belis habet fabula. Adde, quod communis usus loquendi nomen fabulæ pro ficta Historia usurpari ostendat. Salmeron in 1. Timoth. 1. *Paulus à Judaicis fabulis abstinendum esse docet.* Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Postremo. *Miror, Genebrardum quartum librum Esdræ amplecti, qui continet quædam fabulosa.* Lib. 4. de Christo cap. 16. §. Quare. *Platonem ab inferno liberatum esse, fabula est.* Lib. 3. de Pontific. cap. 24. *Narrationem istam de Johanna Pontifice fabulam esse, existimo.*

4. Si vel maxime Hieronymus in Apol. 2. contra Ruffin. in eo se non consentire cum Judæis asserat, quod Susannæ Historiam, Hymnum trium puerorum, ac Belis & Draconis fabulas penitus repudiant & lectione indignas judicant, in eo tamen cum Ecclesia Israelitica perpetuo consensit, quod in sublime Canonicæ autoritatis fastigium non sint evehendæ, cum Hebraico sermone non habeantur scriptæ. Verba sic habent: *Quod autem refero, quid adversum Susannæ Historiam & Hymnum trium puerorum, & Belis & Draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum, se Sycophantam probat, non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere solent, explicavi.* Hic quilibet videt, quod narrationem de Susanna vocet *Historiam*, ideoq; non omnem fidem ei deroget, quod attinet ad rei gestæ veritatem. Sed recitationes de Bele & Dracone vocat *fabulas*, id est, commenta fabulosa.

5. Erasmus in notis ad Apolog. 2. Hieronymi contra Ruffinum, observat, *Hieronymum ibi vafre respondere, cum ex ipsa præfatione appareat, eum plane ita sensisse.*

Thesis quarta. Liber Tobiæ non est Canonicus.

Antithesis. Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. 2. *Ecclesia Catholica librum Tobiæ pro sacro & Canonico habet, ut sit infallibilis veritatis.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 13. asserit, *Historiam Tobiæ esse Canonicam Scripturam, & valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda.*

Nostram sententiam probamus ex eo, quod hic liber

1. Non habeatur in fontibus Hebræis.

2. Pugnet cum veritate Historica cap. 1. v. 4. 21. & 24. c. 14. v. 2. 6 & 7. Confer 2. Reg. 18. v. 21. & seqq.

3. Contineat quædam fidei analogiæ minus congrua cap. 5. v. 18. cap. 11. v. 3. cap. 6. v. 8. cap. 12. v. 9. 15. & 16.

4. Destituatur Ecclesiæ Israeliticæ & primitivæ Christianæ suffragio.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam è Canone eum excludunt.

Innocentius Pontifex, qui reliquos libros Apocryphos V. Test. Canoni (Ecclesiastico) includit, *Tobiæ librum* prætermittit. in Epist. ad Exuperium cap. 7. quæ habetur tom. 1. Concil. edit. Colon. Ann. 30. fol. 173.

Glossa Juris Canonici in c. Canones, distinct. 16. *librum Tobiæ* Apocryphis accenset.

Lyranus in Præfat. Tobiæ: *Postquam, auxiliante Deo, scripsi super libros sacræ Scripturæ Canonicos, ejusdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui non sunt de Canone, scil. liber Sapientiæ, Ecclesiasticus, Judith, Tobias & libri Maccabæorum &c. Libri sacræ Scripturæ, qui Canonici nuncupantur, tantæ sunt autoritatis, ut quicquid ibi continetur, verum teneatur firmiter & indiscusse, & per consequens illud, quod ex hoc concluditur manifeste &c. Libri, qui non sunt de Canone, recepti sunt ab Ecclesia, ut ad morum informationem in ea legantur, tamen eorum autoritas ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt, minus idonea reputatur.*

His accensendi sunt illi, quorum superius in thesi generali

facta fuit mentio Cajetanus in fine Comment. Esther. Hugo Cardinal. in Prologo Josuæ. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacrament. cap. 7. in tractat. quem vocat Didascalon libr. 4. cap. 2. &c.

2. Quod magnis se involvunt difficultatibus, qui veritati per omnia conformia in hoc libro contineri asserunt.

Lyranus non quidem Canonicam hujus libri autoritatem asserit, interim tamen nihil falsi in eo contineri arbitratur, ideo quod in cap. 6. v. 8. fumus cordis ex pisce exemti omne genus Dæmoniorum extricare dicitur, mystice & significative accipiendum esse statuit: *Si Dæmones* (inquit) *haberent corpora sibi naturaliter unita, non esset impossibile, quod res corporales in eis facerent impressionem ratione corporum, sed quia secundum fidem nostram & etiam Philosophorum doctrinam sunt substantiæ simpliciter intellectuales, ideo nulla corporalis creatura potest in eis facere aliquam impressionem, propter quod fumus iste non expulit Dæmonem, sed figuravit ejus expulsionem, significavit enim virtutem orationis Tobiæ junioris & Saræ.*

(Sed commoda hæc explicatio non congruit verbis Angeli, quia qua ratione felli tribuit sanationem oculorum, eadem ratione fumo cordis tribuit expulsionem Dæmonum. Nec congruit complemento cap. 8. v. 1. ubi Dæmonium jecoris fumo dicitur fugatum, ac postea demum Tobiam ad precandum surrexisse. Inde Petrus Comestor autor Historiæ Scholasticæ scribit, *non esse mirum, quod fumus cordis è pisce exemti eam vim habeat, cum fumus cujusdam arboris adustæ eandem vim habere dicatur*, id quod alii probant ex Talmudico somnio apud Josephum lib. 8. antiq. c. 2. quod Eleazarus per *radicem à Salomone monstratam Dæmonium per nares obsessi traxerit.*)

Pererius lib. 3. Comment. in Dan. p. 217. *Responsum Angeli in libro Tobiæ, qui se Ananiæ filium dixerat, nisi figurate exponatur, non posse excusari à mendacio.*

(At hæc figura non potest esse alia, quam fictio. Lyranus dicit, *Angelum se vocare filium Ananiæ, hoc est, Dei, quia Ananias interpretatur Dei gratia, cujus filii sunt Angeli.* Dionysius *Deum propterea Ananiam vocari* asserit, *quia respondeat, hoc est, clementer annuat precibus nostris.* Sed Angelus non solum sese vocat Ananiæ filium, verum etiam dicit, *se fuisse ex captivitate Ninives, & Ananiam, cujus se filium vocat, in Græco* dicit *esse fratrem Tobiæ*, quod figurata quadam expositione ita torqueri nequit, ut prius Angelis, posterius Deo competat. Et quæcunque tandem mystica expositio afferatur, semper manet ille scrupulus, quod aliud responderit Angelus, aliud intellexerint Tobias & Raguel.)

Huc referri possunt dissensiones circa hunc librum. Medina lib. 6. de recta fide c. 114. pro *in Rages*, legendum putat, *in Ecbatana.* Contra vero Bellarminus contendit, *vix probabile esse talem errorem contingere potuisse.*

Torniell. in Annal. Anno 3329. n. 4. affirmat, *Tobiam ipsum esse hujus libri autorem.* Contra Estius in princ. annot. ad h. l. statuit, *autorem hujus libri esse incertum.*

3. Quod primitivæ Ecclesiæ Christianæ suffragium nobis largiuntur.

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 13. *Melito Sardensis in Epistola ad Onesimum, Concilium Laodicense, Nazianzenus & Amphilochius texentes Catalogum Vet. Testam. librorum, nullam mentionem Tobiæ faciunt. Hieronymus in Prologo Galeato, & Præfatione in libros Solomonis, Tobiam cum Hebræis extra Canonem ponere videtur.*

Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothec. pag. 655. *Ad Hieronymi sententiam, qua libros istos* (Tobiæ & Judith) *asserit ab Ecclesia Dei inter Canonicas Scripturas minime recipi, dicimus, verba ejus sic sine ulla discretione considerata, non esse prorsus vera,* (concedit igitur Hieronymum testari, quod Ecclesia Dei inter Canonicas Scripturas illos minime recipiat. Sed dicit, adhibendum esse quandam distinctionem. Videamus vero cur adhibenda sit distinctio & qualis ea sit;) *quoniam Augustinus Hieronymo σύγχρονος utrumque in ordine Canonicorum librorum enumerat, & Concilium Carthaginense III. cui Augustinus interfuit, in Catalogo sacrarum Scripturarum enumerat.* (Quo sensu hæc sint accipienda, exposuimus superius, non *ad fidei confirmationem* proprie dicta autoritas Canonica, sed ad *morum ædificationem* dignitas lectionis Ecclesiasticæ illis est attributa.) *Proinde Ambrosius Compsæ Episcopus huic argumento occurens ait, Ecclesiam duobus modis apud veteres Scriptores interdum accipi, aliquando pro his, qui in Ecclesia Dei cæteris præsunt, uti sunt Pastores, Doctores & Rectores Ecclesiæ Matth. 18. nonnunquam vero pro universo fidelium cœtu, præcipue vero pro his, qui inferiores sunt ac de grege ovium, quæ Pastoribus subjiciuntur Act. 20. De hac Ecclesia Hieronymus locutus est, cum dixit, Ecclesiam Dei suo tempore libros istos nondum inter Canonicas Scripturas accepisse, tumultuantibus scil. adhuc seditiosis quibusdam, atque una cum eis vitiosa quadam multitudinis consuetudine resistente, ne ab omni congregatione fidelium generaliter reciperentur. Apud Ecclesiam vero prima significatione sumtam libri isti semper tanquam Canonici habiti sunt. Hæc Ambrosius* (non Mediolanensis, sed Compsanus. An verò hos libros semper ab Ecclesiæ Doctoribus pro Canonicis habitos? Quid ergo fiet Melitoni, Origeni, Eusebio, Epiphanio, Hilario, Hieronymo ipsi & aliis, quos longa serie enumerare possumus, qui libros hos è Canone excluserunt? Sed non opus est, hanc Catharini responsionem refellere. Fungetur hac opera ipsemet Senensis porro subjungens:) *At cum in principio hujus operis ostensum sit, plerosque magni nominis Patres & Proceres* (nota hoc) *Tobiæ & Judith volumina inter Apocrypha deputasse, sciendum est, duos esse Canonicorum voluminum ordines, quorum prior continet libros, de quorum fide & autoritate nulla unquam inter Præsules & Pastores Ecclesiæ fuit controversia, posterior vero complectitur Scripturas, non statim ab exordio nascentis Ecclesiæ à Patribus & Pastoribus agnitas & receptas, sed multo post, cum prius de his dubitationes & diversa inter illos judicia fuissent. Hieronymus igitur una cum aliquot Patribus* (nota hoc) *ad primum ordinem respiciens, pronunciavit, libros Tobiæ ac Judith non esse Canonicos, hoc est, de numero Canonicorum primi ordinis: Augustinus verò cum aliis Patribus habita ad secundum ordinem ratione, eosdem libros in Canonicos refert.*

(Quid de hac distinctione statuendũ sit, superius exposuimus. Ecclesia posterior nec voluit, nec potuit Canonicam autoritatem libris tribuere, quos prior Ecclesia à Canone exclusit, quique proprietatibus vere & proprie dictorum Canonicorum librorum destituuntur.)

4. Quod Ecclesiæ Israeliticæ suffragium nobis largiuntur.

Sixtus Senensis d. l. *Libros Tobiæ & Judith Judæi inter Apocrypha computant. Sed licet Judæorum Synogoga eos non recipiat, sancta tamen Christi Ecclesia in Canone recipit.*

(Quo sensu ac respectu Ecclesia Christiana eos receperit, superius fuit expositum, videl. non in Canonem divinæ & irrefragabilis autoritatis ad fidei confirmationem, sed in Canonem Ecclesiasticæ lectionis ad morum ædificationem.)

Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. 1. *Libri Tobiæ & Judith rejiciuntur ab Hebræis.*

5. Quod versio Latina in multis locis pugnat cum editione Græca.

Confer cap. 3. v. 7. cum cap. 9. v. 3. In exordio cap. 1. v. 1. habentur quædam in Græca, quæ non sunt in Latina. v. 4. sunt multa in Latina, quæ non sunt in Græca. v. 7. sunt in Græca, quæ in Latina desiderantur, & rursus sunt in Latina, quæ non sunt in Græca. Idem occurrit v. 10. 16. 23. & 25. In cap. 3. v. 6. Græca legit quædam, quæ Latina non habet v. 11. & 12. Idem occurrit v. 17. & 18. cap. 4. v. 6. & 13. plurima sunt in Latina, quæ non extant in Græca. De tempore, quo Tobias visum amiserit, dissensio est. Latina exprimit Ann. 56. cap. 14. v. 3. Græca Ann. 58. cap. 14. v. 2. Rursum, quandiu cœcus fuerit Tobias, non consentiunt. Latina numerat 4. annos cap. 14. v. 3. Græca numerat octo cap. 14. v. 2. Sex filios Tobiæ tribuit Græca cap. 14. v. 5. septem Latina, cap. 14. v. 5. Seniorem Tobiam vixisse annos centum ac duos refert Latina cap. 14. v. 2. Græca centum quinquaginta & octo annos illi tribuit cap. 14. v. 13. Juniorem Tobiam Latina dicit vixisse annos 99. cap. 14. v. 11. Græca centum viginti ac septem annos illi tribuit cap. 14. v. 16. Sennacherib interfectum esse à filiis post dies 45. asserit Latina cap. 1. v. 24. Græca habet 55. dies. Hierosolymam desolatum iri & domum Dei incensum dicit Græca cap. 1. v. 6. Latina dicit, id jam esse factum.

(Dispiciant ergo prius Adversarii, an Græcam editionem, an vero Latinam versionem, ut Canonicam, acceptare velint. Bellarminus lib. 1. de Verbo cap. 12. §. Ultimò &c. *editionem Græcam libri Judith*, dicit, *esse corruptam.* Idem procul dubio dicturus de editione Græca Tobiæ. Sed hoc non probatur illis, qui versionem Latinam ex fontibus æstimandam & corrigendam censent, quorum testimonia suo loco adducentur. Quinimo ipse Bellarminus pressus pondere argumentorum nostrorum, quæ Canonicæ controversorum istorum librorum

rum autoritati opponimus, ſæpe provocat *ad textum Græcum*, utpote lib. 1. de V.D. cap. 12. §. Duodecimo, & §. Jam hoc idem, lib. ejuſd. cap. 15. §. Igitur.

Argum. Adverſ. *Hieronymus Præfat. ſuper Tobiam & Judith dicit, hos libros inter Hagiographa à Judæis numerari. Ergo agnoſcit eos eſſe in Canone.* Hoc argumentum urget Piſtorii hyperaſpiſtes in falſis contra 1. Diſp. D Mentzeri.

Reſp. 1. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Ad locum &c. ſtatuit, *duo genera Hagiographorum Judæos habuiſſe, quædam intra arcam & quædam extra arcam. Quæ erãt intra arcam, Hagiographa dicebantur, ad diſtinctionem Hiſtoricorum & Propheticorum voluminum, & hæc habebantur Canonica. Quæ autem erant extra arcam, dicebantur Hagiographa ad diſtinctionem Canonicorum & ſacrorum.*

(Hæc Bellarmini diſtinctio ſolvit Piſtorii argumentum, quod ab appellatione Hagiographorum non poſſit Canonica autoritas probari. Sed commodior eſt reſponſio, quam ex autore Gloſſæ ordinariæ ſubjungemus.)

2. Autor Præfat. quæ Gloſſæ Bibliorum ordinariæ præmittitur, ſic reſpondet: *Non moveat aliquem, quod in Judith & Tobiæ Prologis dicitur, quod apud Hebræos inter Hagiographa leguntur, quia manifeſtus eſt error, & Apocrypha, non Hagiographa eſt legendum, qui error in omnibus, quos viderim, Codicibus invenitur, & inolevit, ut puto, ex pietate & devotione exſcribentium, qui devotiſſimas Hiſtorias horrebant annumerare inter Apocrypha. Nam quod hic error multis retro annis Codices occupaverit, oſtendit Magiſter in Hiſtoria Judith, ubi dicit: Hic liber apud Chaldæos inter Hiſtorias computatur & apud Hebræos inter Apocrypha, quod dicit Hieronymus in Prologo, qui ſic incipit, Viginti & duas literas. Si ergo alicubi in Prologo ſuper Judith legitur, inter Hagiographa, vitium ſcriptoris eſt, quod in ipſo titulo deprehendi poteſt. Ex quo miror, quod dictus Magiſter non adverterit, eundem eſſe errorem in Prologo Tobiæ, ut ipſe dicit, hanc Hiſtoriam Hebræi ponunt inter Apocrypha. Hieronymus tamen in Prologo dicit, inter Hagiographa. Gloſſa quoque ſuper dicto Prologo Tobiæ dicit, potius & verius dixiſſet, inter Apocrypha. Vel large accipit Hagiographa, quaſi ſanctorum ſcripta, & ita non eſt de numero illorum novem, qui proprie dicuntur Hagiographa, qui ſunt de Catalogo, hoc eſt, de numero 22. librorum Bibliæ. Nam cum Hieronymus in Prologo galeato poſt enumerationem librorum dicat: Quicquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſt ponendum, igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Sirach liber & Judith & Tobias & Paſtor non ſunt in Canone, quomodo credendum eſt, illum poſtea in illis Prologis ſcripſiſſe inter Hagiographa & ſibi ipſi contradicere? Si quis præterea libratiori examine Hieronymi verba in dictis Prologis perpenderit, animadverterit, illum ſcripſiſſe Apocrypha, non Hagiographa. Dicit enim in Prologo Tobiæ. Exigitis, ut librum Chaldæo ſermone conſcriptum ad Latinum ſtylum traham, librum utique Tobiæ, quem Hebræi de Catalogo divinarum Scripturarum ſecantes, his, quæ Apocrypha memorãt, mancipârunt. In Judith autem ait: Apud Hebræos liber Judith inter Apocrypha legitur, cujus autoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Cum itaque dicat, Hebræos ſecare Tobiam de Catalogo divinarum Scripturarum, & Judith autoritatem minus idoneam judicari, ſi inter Hagiographa numerat & non inter Apocrypha, contraria videretur in eodem loco ſcripſiſſe.*

3. Hanc reſponſionem confirmat Gloſſa ordinaria, quando in Expoſ. Prologi B. Hieronymi in librum Tobiæ, ad verbum Apocrapha ſic annotat: *Alia litera habet Apocrypha, quod melius eſt, quia Hieronymus in Prologo galeato numeratis libris Canonicis, inter quos iſte non eſt, infert: Quicquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſt computatum.* Et poſtea: *Gloſſa quædam ſcribitur ſuper iſtum locum, quæ talis eſt: Potius & verius dixiſſet inter Apocrypha. Vel large accipit Hagiographa, quaſi Sanctorum ſcripta &c.*

Confer ea, quæ ex Driedone adducta ſunt ſuperius. Quid ad reliqua argumenta ex Patrum citatione, & ex ſacri nominis attributione deducta reſpondendum ſit, patere poteſt ex ſuperioribus.

Theſis quinta. Liber Judith non eſt Canonicus.

Antitheſis. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. 2. *Eccleſia Catholica librum Judith pro ſacro, Canonico & infallibilis veritatis libro habet.* cap. 12. §. 1. *Julius Africanus & Iſidorus, Eccleſiam Chriſti hunc librum inter divinos libros prædicare & honorare, teſtantur.*

Leonhardus Marius tom 1. proleg. in Script. f. 29. ſcribit, *omnes Catholicos hunc librum pro Canonico habere.*

Jodoc. Coccius tom. 1. Theſauri lib. 6. art. 12. ſtatuit, *librum Judith eſſe authenticum & Canonicum ſacræ Scripturæ librum, citandum ad Eccleſiaſtica dogmata confirmanda.*

Noſtram ſententiam probamus ex eo,

1. quod non habeatur in fontibus Hebræis.

2. quod non congruat veritati Hiſtoricæ, cum urbis Bethuliæ nuſpiam alibi fiat mentio, nec poſſit dari tempus ad quod narratio iſta Hiſtorica, quæ in hoc libro continetur, commode referatur.

3. quod cum fidei analogia non undiquaque congruat, cap. 9. v. 2.

4. quod Eccleſiæ Iſraeliticæ & primitivæ Chriſtianæ teſtimonio deſtituatur.

Huic noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quod quidam è Canone illũ excludunt, illi ſc. omnes, qui Hebræorum Canonem ſequuntur. Hugo Cardinalis, Hugo de S. Victore, Lyranus, Thom. Cajetanus.

2. Quod de tempore, quo hæc Hiſtoria contigerit, plurimum diſcrepant. Quidam volunt, eam contigiſſe *poſt Babylonicam captivitatem*, quidam *ante illam captivitatem*. Illorum aliqui referunt eam ad tempora *Cambyſis*, quem volunt dici *Nabuchodonoſorem*, ut Lyranus in cap. 1. Judith, Johannes Driedo de Scriptor. Eccleſ. lib. 1. cap. 2. part. 2. lib. 3. cap. 5. part. 3. Gobelinus &c. Aliqui referunt eam ad tempora *Darii Hiſtaſpis*, ut Chriſtianus Maſſæus, Gerardus Mercator in Chronolog & alii. Quidam ad regnum *Artaxerxis Ochi* eam pertinere exiſtimant. Confer Eſtium in annot. ad librum Judith. Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 11. Nabuchodonoſorem eum, cujus mentio fit in hoc libro, ſtatuit, fuiſſe *Aſſuerum filium Darii Hiſtaſpis*, eumque interfecto Cyro regnaſſe in Babylone. Horum aliqui referunt Hiſtoriam Judith ad tempora *Regis Sedeciæ*, ut Gilbertus Genebrardus lib. 2. Chronol. anno mundi 3560. ubi dicit, *hunc eſſe eundem Nabuchodonoſorem, qui Sedeciam debellarit & Hieroſolymam deſtruxit.* Aliqui ad tempora *Regis Joſiæ*, ut Johannes Benedictus in annot. margin. ad cap. 4. libri Judith. Haſce ſententias omnes & ſingulas Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. aliquot argumentis refellit, ipſe vero ſtatuit, *Hiſtoriam Judith incidiſſe in tempora Regis Manaſſe, in annum ſcil. regni ejus decimum ſextum*, ſecutus hac in parte Melchiorem Canum lib. 1. Locorum cap. 6. utriuſque tum Melchioris Cani, tum Bellarmini veſtigiis inſiſtit Gordonus Huntlæus in Epit. controv. Sed hæc opinio non congruit cum cap. 5. v. 22. ubi innuitur, hanc Hiſtoriam contigiſſe poſt reditũ ex Babylonica captivitate, nec cum cap. 16. v. 30. ubi de Juditha dicitur: *In omni ſpatio vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Iſraël & poſt mortem ejus annis multis*: neque conciliari poteſt cum eo, quod in tota Hiſtoria Judith nulla fit mentio *Manaſſis*, quodque viciſſim in Hiſtoria Manaſſis nulla fit mentio, vel *Judith*, vel *Holofernis*, vel hujuſmodi invaſionis.

3. Quod Græcam hujus libri editionem modo approbant, modo reprobant.

Bellarm. d. l. §. Duodecimo &c. provocat ad Codices Græcos. *Pro filio Ruben* (inquit) *correctius videntur habere Græci Codices filium Iſrael.*

§. Jam hoc idem &c. *Numerus annorum Judith clarius colligitur ex textu Græco.*

Sed §. Nec vero &c. ſubjungit: *Neminem movere debet, quod in textu Græco additur, etiam templum fuiſſe ſolo æquatum, quando diſperſi ſunt Judæi. Nam illa verba ſuppoſititia videntur. Et fortaſſe iſta additio Græci textus in cauſa fuit, cur tot graviſſimi autores Euſebius, Auguſtinus, Sulpitius, Beda in hac Hiſtoria ſuo tempore collocanda decepti fuerint.* (At ſi Græca editio continet quædam ſuppoſititia, non poterit ex ea Latina verſio corrigi vel explicari, quod tamen facit Bellarminus.)

Sixtus Senenſis lib. 1. Bibl. ſect. 2. aſſerit, *Synodum Nicenam approbaſſe hunc librum, ut eſt Græce editus.* (Judicio igitur Bellarmini mendacium approbavit.)

4. Quod concedunt, veteres Apoſtolorum temporibus vicinos nobiſcum idem ſenſiſſe in hac quæſtione.

Jodocus Coccius tom. 1. Theſauri lib. 6. art. 6. *Melito Sardenſis Epiſtola ad Oneſimum, enumerans ſacræ Scripturæ libros, nullam mentionem facit libri Judith. Nazianzenus, Amphilochius & Patres Concilii Laodicenſis ſimili modo in ſuo Canone librum Judith taciti prætereunt. Hieronymus lib. 10. ad Furiam cap. 6. Legimus in Judith (ſi cui tamen placet librum recipere) viduam confectam jejuniis. Præfat. in librum Judith. Apud Hebræos liber*

liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus autoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur.

Argum. Adversar. *Librum Judith egregium testimonium habere à Synodo Nicena I. omnium Synodorum generalium prima & celeberrima, testatur S. Hieronymus Præfatione in Judith. Asserit enim, eum in Scripturis sacris à Synodo Nicena fuisse numeratum.* Bellarminus lib.1.de V.D.cap.12.§.1.Baronius tom.3.Annal. Ann.325.

Possemus variis modis respondere, utpote, quod Hieronymus non dicat, Synodum Nicenam hunc librum computasse in numerum sanctarum Scripturarum, sed quod *legatur* computasse, quæ verba *recitative* tantum accipienda esse patet ex eo, quod idem Hieronymus in Præfat. Proverb. expresse dicat, *Ecclesiam librum quidem Judith legere, sed inter Canonicas Scripturas non recipere:* ac in Prologo galeato, *Judith non esse in Canone*, quodque in actis Concilii nullum hujus rei inveniatur vestigium. Item, quod Athanasius, qui Synodo Nicenæ interfuit, in Synopsi hunc librum rejiciat, quod Epiphanius honorificentissimam Synodi Nicenæ mentionem faciens, Hilarius pro Decretis Synodi Nicenæ exilium passus, & Ruffinus Hieronymi æqualis, quin & Synodus Laodicena post Nicenam habita, è Canone hunc librum excludant. Item, quod non sint paria, *computari in numerum sacrarum Scripturarum*, & *esse librum proprie sic dictum Canonicum:* denique quod Hieronymus indicaverit solum, *se ea Nicenæ Synodi autoritate commotum, imo persuasum, ut librum Judith verterit in linguam Latinam*, quod nondum sufficit ad Canonis consignationem. Sed prætermissis his omnibus respondeat pro nobis

1. Wilhelmus Lindanus, qui libr. 3. Panopl. cap. 3. disputat, *sententiam illam Hieronymi in Epist. 10. ad Furiam, si tamen hoc volumen* (Judith) *recipitur, efficere, ipse ut vehementer dubitet, utrum certus Scripturarum Canon præscriptus fuerit Ecclesiæ à Concilio Niceno. Si enim,* inquit, *Nicena Synodus librum Judith cum aliis in Canonem redegerat, cur annis 80. post eum non accenset Laodicena? cur Nazianzenus ejus non meminit? sed legitur computasse, ait Hieronymus, quod mihi dubitantis suspicionem subindicare videtur. Nisi fortasse quis opinetur, hunc de libris Canonicis Nicenum Canonem una cum plurimis aliis, minimùm, (uti equidem arbitror) 47. teste D. Julio I. Episcopo Romano hæreticorum fraude fuisse accisum, atque subtectum Ecclesiæ. Cui ne suffragemur, cogit pia de sanctissimis Patribus in Concilio Laodiceno congregatis existimatio, non illos ea ætate, qua Canonum scientia inprimis ornabat Episcopos, tam fuisse sui & nominis & officii oblitos, ut illos aut nescierint, aut desideratos non requisierint. Adhæc, si vere legitur, quod ait Hieronymus, legi, librum Judith Concilium Nicenum inter Canonicos libros computasse, quid sibi vult, quod idem in Præfat. in libros Salomonis scribit, Ecclesiam libros Judith, Tobiæ, Maccabæorum legere quidem, sed inter Canonicas Scripturas minime recipere?* Et postea: *Nihil hac de re in Concilio Niceno fuisse definitum, ut existimem, invitat, quod hunc Laodicenum de Scripturis Canonicis Canonem una cum reliquis Synodus Constantinopolitana VI. in Trullo approbarit, quod minime videtur fuisse factura, si designatum à 318. illis Patribus Nicenis doctissimis juxta ac sanctissimis Laodiceni aut non recepissent, aut decurtassent Scripturarum sacrarum Canonem.*

2. Erasmus in Cens. Præfat. Hieron. *Non affirmat Hieronymus approbatum fuisse hunc librum Judith in Synodo Nicena, sed ait in numero sacrarum literarum legitur computasse.*

3. Melch. Canus lib. 2. Loc. Th. cap. 11. fatetur, *tempore Ruffini nondum fuisse definitum certum Scripturæ Canonem.* (At si in Nicena Synodo Judith exclusis reliquis in Canonem fuisset computatus, utiq, tempore Ruffini, qui post Nicenum Concilium vixit, Canon fuisset definitus.)

4. Stapleton. lib. 4. de autorit. Script. cap. 4. lib 9. Principiorum cap. 12. *Hieronymus hoc de Synodo Nicena tantum ex fama referre videtur. Synodus,* inquit, *legitur computasse,* nam alibi aperte dubitat.

5. Salmeron Disp. 2. ad Hebræos §. Secundo. *Hieronymus librum Judith, ut librum Sapientiæ, Tobiæ, in Prologo galeato asserit esse Apocryphum.*

6. Acosta lib. 2. de Christo revelato cap. 13. p. 96. *Hieronymus librum Judith è Canone eximit.* (At si certo & indubitato credidisset, à Nicena Synodo in Canonem esse receptum, ipsemet eum non repudiasset.)

7. Bellarminus ipse libr. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Admitto &c. concedit, *Hieronymum in ea fuisse sententia, quod controversi illi libri, inter quos etiam Judith, non sint in Canone Hebræorum, nec Christianorum.* (Excipit quidem *librum Judith, quem postea Hieronymus receperit*, sed omnia argumenta, ex quibus Hieronymus probat, controversos istos libros non esse Canonicos, etiam probant, librum Judith non esse Canonicum.) Lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Dico secundo. *Licet Canones Pontificum & Conciliorum distinguantur & postponatur Scripturæ divinæ, tamen suo modo sunt & dici possunt scripta sacra &c.* Et postea: *Innocentius cap. cum Marthæ. extr. de celebrat. Missarum, vocat Scripturam sacram sententiam illam Augustini serm. 17. de verb. Apostol. Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* (Ergo ex eo, quod Synodus Nicena legitur librum Judith in numerum sanctarum Scripturarum computasse, non potest Canonica illius autoritas probari.)

8. Baronius, cum conficiens primum Annales, putasset etiam ipse, *decretum de libro Judith in Synodo Nicena ab Hieronymo dici factum,* mutavit sententiam in Appendice decimi tomi, notatione ad Annum 325. §. 158. *Haud affirmandum omnino existimarem, Canonem de libris sacris statutum esse à Concilio Niceno, à quo neminem ausum fuisse recedere, jure debet existimari. Sed non ex Canone de sacris libris confecto id asseruisse S. Hieronymum, verum potius ex Actis ejus, in quibus obiter citatus idem liber inventus fuerit. Nisi dixerimus, librum, quem apud Occidentales in Canone sacrorum librorum invenerit cum aliis Hagiographis annumeratum, existimaverit ex Niceni Concilii fonte manasse.*

9. Denique, si librum hunc Synodus Nicena approbavit, talem utique approbavit, qualis tum extabat *in editione Græca.* Sed in editione Græca continebat mendacium *de templo tum temporis everso,* vel igitur non approbavit, vel mendacium approbavit. Propositio est ipsius Bellarmini lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. Assumtio est ejusdem cap. 12. conclusionem ergo non potest repudiare.

Thesis sexta. Liber Sapientiæ non est Canonicus.

Ἔκθεσις. Fatemur, hunc librum multis præclaris sententiis ac præceptis esse refertum, eundemque una cum Ecclesiastico reliquis Apocryphis præstare dicimus, interim Canonicis libris proprie ac specifice sic dictis eum accensere non possumus.

Antithesis. Concil. Trident. sess. 4. Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. *Ecclesia Catholica librum Sapientiæ, ut cæteros, pro sacro, Canonico & infallibilis veritatis habet.*

Lib. ejusd. cap. 13. *Liber Sapientiæ testimonium habet ab antiquis Conciliis & Patribus.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 9. *Sapientiam Salomonis, ut Canonicam Scripturam, ad Ecclesiastica dogmata confirmanda valere,* asserit.

Nostram sententiam probamus ex eo,

1. quod hic liber non sit sciptus lingua Prophetica, sed Græca.

2. quod non sit scriptus à Propheta, sed à Philone.

3. quod destituatur consentiente Ecclesiæ Israeliticæ & Christianæ testimonio.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam è Canone hunc librum excludunt, illi scil. omnes, qui Hebræorum Canonem sequuntur, Lyranus, Hugo Cardinalis, Hugo de S. Victore, Thom. Cajetanus &c. & alii, in sectione priore generali enumerati.

2. Quod Adversarii autorem hujus libri esse Prophetam indubitatò asserere non possunt.

Bellarmin. d. l. audacter scribit, *omnes veteres asserere, quod hic liber sit Salomonis, ex quo manifeste sequatur, eum esse Canonicum,* qua in parte sequitur Iodocum Clitovæum & Sixtum Senensem. Sed præterquam quod Hieronymus in Præfat. in libros Salomonis expresse scribat, *hunc librum esse ψευδεπίγραφον*, ac in Præfat. lib. Sapientiæ, *eum Philonis esse affirmari,* asserat, quodque ex occasione, argumento & stylo libri probari possit, eum esse Philonis, contradicunt hac in parte Bellarmino, non solum aliqui ex veteribus, sed etiam ex recentioribus.

Lyranus in Comment. cap. 1. Sap. *Licet Philo disertissimus Judæorum hunc librum Græce scripserit, ut communiter dicunt Doctores & Historiographi, tamen ipsum compilavit ex sententiis Salomonis.*

In cap. 15. *Philo loquitur hic pro suo tempore. Nam ante captivitatem Babylonis populus Iudæorum fuit irretitus multis idololatris, & post captivitatem Babylonis tempore Antiochi Epiphanis. Sed & tem-*

tempore Philonis Cajus Imperator misit statuam suam per orbem, ut adoraretur in ea, quam soli Judæi adorare renuerunt, & sub nomine Judæorum intelligit Christianos, qui tunc adhuc legalia in multis servabant, propter quod Philo in eorum laudem librum scripsit.

Bonaventura in Comm. *Prima causa efficiens per modum compilationis fuit Philo sapientissimus Judæorum, qui temporibus Apostolorum fuit.*

Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus in Præfat. Cant. Cantic. *Tempore Apostolorum surrexit quidam sapientissimus Judæus, Athenis nutritus & in ligua Græca & Chaldaica peritissimus, vocatus Philon, qui multa dicta alia Salomonis reperit, per diversa loca dispersa & in lingua Græca scripta, prout diversi sapientes audierant à Salomone & in suis Bibliothecis reposuerant. Quæ quidem dicta ipse Philo sub uno volumine omnia redegit & congregavit, & redolenti eloquentia Græca conscripsit, quem librum Sapientiam Salomonis appellavit.*

Alphonsus de Castro lib. 1. contra hæres. cap. 2. largitur nobis, *Augustinum censuisse, hunc librum non esse Salomonis.*

Ludovicus Vives in Comment. lib. 17. de Civitate DEI cap. 20. fol. 984. *Liber Sapientiæ creditur Philonis Judæi Alexandrini qui vixit temporib. Apostolorum, quibus & amicus fuit, tanta in Græco sermone facundia, ut de illo Græci dixerint, ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει.*

Bonfrerius in Præloq. super Pentateuch. fol. 24. sect. 3, negat, *hunc librum esse Salomonis.*

Alphonsus Alvarez in Speculo pag. 757. 761. *Siracidæ* hunc librum tribuit.

Similia occurrunt apud Driedonem lib. 1. de Script. Eccl. cap 4. ad difficult. 4. & Joh. Capistranum in Præfat. Speculi Clericorum.

(At si Philo est hujus libri autor, quomodo hic liber potest esse Canonicus Vet. Test. liber, cum Philo nec Propheta fuerit, nec ante Christi adventum vixerit? Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæres. 9. pag. 646. *Si liber Sapientiæ à Philone sit editus, inter libros veteris Instrumenti numerari non debet, sed inter novi Testamenti volumina recenseri, quippe cujus autor Philo post Christi tempora floruit sub Cajo Cæsare, ad quem, ut ipsemet in libro de legatione sua scripsit, admodum adolescens missus est Judæorum legatus.*)

Sed & de Philone compilatore libri non consentiunt. Quidam autorem hujus libri faciunt Philonem, qui post Christum natum vixit & Apostolorum amicus fuit. Lyranus in cap. 9. Sap Petrus Galatinus lib. 1. de arcan. Cathol. verit. cap. 4. ubi asserit, quod *Salomon in Proverbiis ænigmatice & Universaliter de Christo futurum prædixerat, hoc Philonem in libro Sapientiæ docere impletum,* quò accommodat, quod in cap. 2. & 3. de justo dicitur. Quidam vero authorem hujus libri antiquiorem faciunt Philone illo, qui vixit Apostolorum temporibus. Bellarminus d.l. & Genebrardus lib. 2. Chron.

Inde Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothec. sect. 2. pag. 21. de autore hujus libri diversas enumerans sententias, inter cætera sic disserit: *Sunt, qui putent, opus esse Philonis Judæi junioris, viri Græce eloquentia celeberrimi, qui pro gente sua ad Cajum Imperatorem legatione functus est. Alii arbitrantur, idipsum alterius esse Philonis Judæi senioris, qui annis fere centum & septuaginta ante Salvatoris nostri adventum floruit, Oniæ Sacerdotis magni temporibus. Quorum sententiis non solum verba hujus voluminis in cap. 9. repugnare videntur, sed & ipse Josephus apertissime reclamat, dum in 1. lib. adv. Apion. seniorem Philonem non inter Judæos, sed Ethnicos Historicos, & eos præsertim, qui nunquam sacros libros legerunt, recenset.* (Posterius hoc opponendum Bellarmino, qui d.l. §. Sed audiamus &c. scribit, *collectæ sunt hæ sententiæ ab aliquo alio, qui à multis putatur Philo non ille, qui fuit post Christum, sed alius antiquior, qui verbis Græcis Salomonis sententias complexus est.*)

Lib. 8. Bibliothec. pag. 647. *Nonnulli ex Lutheranis dixerunt, duos esse Philones, unum post Christi tempora sub Imperatoribus Cajo, & Claudio & Nerone, de quo Eusebius & Hieronymus meminere; alterum vero vetustiorem Græca facundia disertissimum, supra centum & sexaginta annos ante Christi ortum, temporibus Oniæ Pontificis Judæorum, & hunc fuisse libri Sapientiæ autorem. Cui sententiæ omnino repugnant, quæ author cap. 9. hujus libri de seipso scribit &c.* (Sed nemo nostrûm statuit, seniorem illum Philonem esse libri hujus autorem, verum hanc sententiam rectius suæ fidei hominibus, quos Bellarminus hic secutus est, tribuisset.)

Argum. Advers. 1. *Salomonem esse hujus libri autorem, patet ex cap. 9. in quo autor hujus libri asserit, se fuisse Regem Israel & in urbe Jerusalem ædificasse DEO templum.* Sixt. Senens. d.l. Bellarmin. d.l.

Resp. quia Philo Principes monere voluit, ideo majoris autoritatis causa Salomonem loquentem introducit, qui & Princeps erat & sapientiæ nomine celebris. Johan. Driedo lib. 1. de Catal. Script. capt. 4. ad difficult. 4. *Morem esse,* ait, *in Scriptura, ut is, qui loquitur, in alterius persona loquatur.* Inde Capistranus in Præfat. Speculi Clericorum, *Philonem in persona Salomonis locutum fuisse, asserit.* Probamus hoc exemplo, quod ne ipse quidem Bellarminus negare possit. In Canone 84. Apostolorum recensentur Canonici utriusque Testamenti libri eo loquendi modo, ac si ipsi Apostoli loquerentur. *Nostri autem libri & acta nostra inquiunt.* Et tamen ipse Bellarminus lib. 1. de Verbo DEI cap. 20 §. Quod ad priorem &c. statuit, *Canonem illum 84. non esse Apostolicum.* At si Bellarminus negare potest, Canonem illum esse Apostolicum, etiamsi in persona Apostolorum sit conceptus, utique non potest immotum argumentum ex eo colligi, quod liber Sapientiæ sit Salomonis, quia caput 9. in persona Salomonis est conceptum.

2. *Citatur hic liber nomine Salomonis à Tertulliano, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Basilio & Epiphanio.*

Resp. secuti sunt Græcos Codd. in quibus vocatur Σοφία τοῦ Σαλομῶντος. Sed ex eo non potest apodictice probari, quod Salomonem autorem habeat, vel Canonica autoritate polleat. Demonstramus hoc ex ipsius Bellarmini hypothesibus. *Mirandum est,* (scribit lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Postremo &c.) *quid Genebrardo venerit in mentem, ut librum quartum Esdræ ad Canonem pertinere vellet.* At potuisset Genebrardus pro Canonica lib. 3. &. 4. Esdræ autoritate eodem modo concludere. *Origenes, Cyprianus, Athanasius, Autor imperfecti operis in Matthæum, & Augustinus citant librum tertium sub nomine Esdræ. Ergo habet autorem Esdram & est liber Canonicus. Item quartum sub nomine Esdræ citant Irenæus, Ambrosius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Basilius & Chrysostomus. Ergo habet autorem Esdram & est liber Canonicus.* Quicquid hisce argumentis respondere voluerit, illud etiam suo responsum statuat argumento. Quid quod Bellarminus ipse lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. & lib. 2. cap. 1. somnia illa, quæ vulgo Esdræ tribuuntur sub nomine *tertii & quarti libri Esdræ* citat, non quod ab eo scripta putarit, sed ut breviter & commodius loqueretur ad sensum eorum, qui Esdræ ea esse existimant.

3. *Melito in Epist. ad Onesimum librum Sapientiæ in Catalogo sanctarum Scripturarum posuit.* Bellarm. d.l.

Resp. 1. Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 10. & 11. fatetur, *Cyprianum, Melitonem, Origenem, Eusebium, Epiphanium & Damascenum sex illos controversos libros, inter quos etiam est liber Sapientiæ, è Canone exclusisse,* ac respondet, *id factum esse eo tempore, quo Canon nondum erat definitus.*

2. Bellarminus ipse lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Ad alteram &c. de tertio libro Esdræ disputans, scribit, *non esse verisimile, Melitonem & alios hunc librum habuisse pro Canonico, quoniam aperte secuti sint Hebræos, qui tertium Esdræ non habent.* (Si hæc responsio est solida, confirmabit etiam, librum Sapientiæ non fuisse à Melitone Canonicis annumeratum, cum illum quoque Hebræi non habeant.)

4. *Concilium Sardicense ex cap. 7. hujus libri probat, Filium Dei esse rerum omnium effectorem.* Bellarm. d.l.

Resp. Ex Sixto Senensi lib. 8. Biblioth. hæres. 9. resp. ad 2. pag. 648 *Quando Hieronymus dicit, librum Sapientiæ in Canone ab Ecclesia non recipi, de Ecclesia suorum temporum id intellexit, cui, cum nondum satis aperte, constaret de autoritate hujus libri, non ausa est illum in Canonem recipere ad dogmatum probationem.* (Atqui Concilium Sardicense ætate Hieronymi fuit habitum.)

5. *Paulus ad Romanos undecimo, & ad Hebræos undecimo ex 9. & 6. & 4. cap. Sapientiæ sententias allegat,* Sixtus Senensis d.l. Coccius tom. 1. Thesaur. lib. 6. art. 9.

Resp. In cap. 11. ad Hæbræos & cap. 6. Sapientiæ nihil habetur, quod speciem quandam convenientiæ habeat, forte igitur legendum in cap. 1. ad Hebr. & in c. 7. Sapientiæ. Quod vero attinet cap. 11. Rom. respondemus. 1. Thom. in Comment. Rom. 11. lect. 5. Anglo-Rhemenses Cajetanum in Comm. ejus loci, Dominicum à Soto & Erasmum in anno-

tat.1.Cor.2.p.309.agnoscere,quod ex *Esaiæ vaticinio*,&quidem ex cap.40.non autem ex *Sapientiæ libro* aliquid ab Apostolo citetur, (quæ sententia non caret ratione,nam & sensus est idem & verba magis eò accedunt. Sic enim Paulus, τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο, quæ totidem sunt Esaiæ verba juxta versionem LXX. Interpretum,nec valde discedūt ab Hebraica veritate, si sensum ipsum spectemus.)

2. Si ex nuda allegatione Canonica alicujus libri autoritas probari posset, consequens foret,etiam *librum Henochi*,ut pote in Epistola Judæ citatum,esse Canonicum.

3. In cap.6.Sapient.nihil occurrit, quod in Epistol.ad Hebræos citatum videri posset. Lovanienses in margine Bibliorum Gallice editorum, ad hæc verba: *Quoniam data est à Domino potestas vobis*, notarunt 13. ad Rom. ubi legimus: *Non est potestas nisi à Deo*. At vident omnes nihil citari, sed tantum locos esse aliquantum similes; sicut etiam eodem Sapient.cap.ad illud, *Non enim subtrahet personam cujusquam Deus*, notarunt Rom.2. *Non est acceptio personarum apud Deum*. Ad cap.4.Sapient. & quidem ad hæc verba, *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus est*, notarunt iidem c.11. ad Hebr. *Henoch translatus est, ne videret mortem*. Quo procul dubio Sixtus Senensis in suo argumento respexit. Sed rectius dicitur, Paulum Historiam desumsisse ex cap.5. Genes. Nam Autor Sapientiæ non loquitur *de Henoch* in specie, sed generaliter de quolibet pio immatura morte translato, quod vidit Lorinus, *pluribus interpretib. placuisse, quibus, inquit, adhæresco, ita tamen ut rem putem exemplo Henochi bene confirmari*, atque de eodem sensu *accommodationis locum præsentem accipi*.

Thesis 7. Liber Siracidis non est in Canone.

Antithesis Concil. Trident. sess.4. Bellarm. lib.1. de Verbo Dei cap.10 *Ecclesia Catholica Ecclesiasticum pro sacro, Canonico & infallibilis veritatis libro habet*. cap.14. *Multis veterum testimoniis autoritatem hujus libri confirmare possumus*.

Jodoc.Coccius tom.1.Thes.lib.6.art.17. asserit, *librum Jesu filii Sirach,qui Ecclesiasticus inscribitur, esse Canonicam Scripturam & valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda*.

Nostram sententiam confirmamus ex eo,

1. quod hic liber non sit scriptus lingua Prophetica, sed Græca.

2. quod non sit scriptus à Propheta ex inspiratione Prophetica. Autor enim veniam sibi dari petit.

3. quod contineat quædam analogiæ fidei minus congrua. cap.24.v.14.cap.46.v.23.cap.48.v.10.&c.

4. quod destituatur consentiente Israeliticæ & Christianæ Ecclesiæ testimonio.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam hunc librum è Canone excludunt, illi sc. omnes, qui Canonem Hebræum sequuntur, Lyranus, Hugo Cardinalis, Hugo de S. Victore, Cajetanus & alii, quorum testimonia in sectione priore generali sunt enumerata.

Thomas p.1.q.89.art.8. hæsitanter de hujus libri autoritate loquitur. *Si tamen Ecclesiastici autoritas non recipitur propter hoc, quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur, dicendum est, quod apparitio illa Samuelis procurata erat per Dæmonas*.

Pererius lib.1.de Magia cap.11. pag.59. fatetur, *quosdam ex Pontificiis de autoritate hujus libri dubitare*.

2. Quod quidam agnoscunt, autorem hujus libri esse Jesum Siracidem.

Glossa ordinar. in Præfat.Comm. *Istum Prologum composuit Jesus filius Sirach Hierosolymita, & præposuit Ecclesiastico, cujus ipse conditor fuit*.

Et postea: *Dicunt quidam, quod Jesus filius Sirach non composuit librum istum, sed tantum transtulit. Contrarium tamen dicit Isidor. 6. Etymol. ubi ait: Librum Ecclesiasticum certissime Jesu filius Sirach Hierosolymita, Jesu Sacerdotis Magni nepos, composuit, & cum hoc quod invenerat ordinarit, & ideo bene dicitur de eo, quod transtulit & quod composuit*.

Lyranus in Comm. cap.1. *Primus & principalis Scriptor, sub Deo tamen, fuit Jesus filius Sirach*.

Sixtus Senensis lib.8.Bibl.p.647. *Sapientia Salomonis & Sapientia Jesu filii Sirach, quæ Ecclesiasticus dicitur*.

Bellarmin.d.l. postquam dixisset, *Clementem Alexandrinum, Cyprianum, Basilium, Ambrosium, Hieronymum & Gregorium hunc librum Salomoni tribuere*, sibique objecisset, *Epiphanium & alios nonnullos autorem hujus libri statuere Jesum Sirach*, subjungit, *facile fieri potuisse, ut Jesus Sirach sententias Salomonis à se diligenter collectas in unum volumen uterque redegerit, ut hac ratione uterque autor dici possit*. (At si autor hujus libri est Jesus Sirach, ut ipsa Præfatio manifeste docet, non potest hic liber esse Canonicus, cum Siracides ille non fuerit Propheta. Nec sufficit ad Canonicam hujus libri autoritatem, quod sententiæ quædam Salomonis in eo citentur, quia docente Bellarmino lib.2. de Concil.c.12. §. Quartum. *Scripturæ sacræ non solum aliquas sententias, sed etiam verba omnia à Spiritu sancto esse oportet*. Ac si sufficeret, ut liber aliquis sit Canonicus, quod pars ejus ex Canone desumta, consequens foret, etiam *tertium Esdræ* esse Canonicum, is enim fere totus coagmentatus est ex duobus postremis capitibus secundi Chronicorum & primi Esdræ.)

Bonfrerius in Pentateuch. cap.7.f.22. sect.1. negat, *hunc librum Salomoni esse assignandum*.

3. Quod agnoscere coguntur, quædam in hoc libro contineri, quæ veritati fidei minus congruunt.

Siracides spectrum à Pythonissa productum docet fuisse *Samuelem* cap.46.v.23. sed ostendimus lib.1. part.2. cap.17. ex ipsis Pontificiis Scriptoribus, spectrum hoc Diabolicum non fuisse verum Samuelem.

Bellarmin.lib.2.de Verb.Dei cap.15.§. Audivi &c. *Audivi ab homine fide digno, cum in Anglia à Ministro Calvinista in templo legeretur lingua vulgari cap.25. Ecclesiastici, ubi multa dicuntur de malitia mulierum, surrexisse fœminam quandam atque dixisse: Istud est verbum Dei? imò potius verbum Diaboli est*.

4. Quod Ecclesiæ primitivæ suffragium nobis largiuntur.

Jodocus Coccius tom.1. Thes. lib.6. art.17. p.680. *Melito Sardensis, Gregorius Nazianzenus, & Amphilochius texentes Catalogum sacrarum Scripturarum, libri Ecclesiastici nullam mentionem faciunt. Hieronymus Præfat. in libros Salomonis asserere videtur, Ecclesiasticum non valere ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*.

Argum. Advers. 1. *Multi ex veteribus hunc librum Salomoni tribuunt. Nunquam autem dubium fuit, quin Salomonis libri Canonici ac divini habendi essent*. Bellarminus d.l.

Resp. hoc repugnat tum Prologo, in quo & autor & tempus scripti libri exprimitur, tum ipsi libro, in cujus cap.47. multa de Salomone dicuntur, cap.48. res gestæ *Eliæ, Elisæ, Hiskiæ Regis & Prophetæ Esaiæ* recensentur, in cap.50. metio fit *Simonis Sacerdotis magni filii Oniæ*, qui sub Græcorum imperio vixit, in cap.51. dicit autor, *se orasse è regione templi*, cum adhuc junior esset, quæ omnia testantur, autorē hujus libri non esse Salomonem, id quod quidam ex ipsis Adversariis agnoscunt, ut patet ex præcedentibus.

2. *Petrus & Jacobus cap.1. suarum Epistolarum ex cap.14. Ecclesiastici testimonia proferunt*. Sixt. Senens. lib.8. Bibl. hæres.9. Coccius d.l.

Resp. Ostendimus superius, nudam citationem nondum probare Canonicam alicujus libri autoritatem. Hoc loco notari jubemus, 1. quod in *Indice Biblico vulgatæ editionis* nullum testimonium ex Sapientia aut Ecclesiastico sit desumtum, cum tamen reliqua V.Test.loca, quæ in N.Test.citantur, diligenter sint congesta, sed *verba Petri & Jacobi* in illo Indice citantur ex Esai.40.v.7. cum quo etiam longe majorem habent convenientiam, unde Bellarminus hanc Sixti Senensis rationem prætermittit. 2. quod Claudius Guillandus utroque loco *Esaiæ* cap.40. potius nominat. Idem statuunt Lorinus in 1. Petri. Salmero in eandem. *Locus*, inquit, *productus ex Esaia*. Dominicus à Soto. *Confirmat, judicia Dei incomprehensibilia esse, testimonio Esaiæ*. Justinianus. *Sumta videtur sententia ab Esaia*.

Thesis 8. Liber primus & secundus Maccabæorum non sunt Canonici.

Ἔκθεσις. Fatemur, librum priorem præferendum esse posteriori, cum prior sit graviter scriptus, posterior ex libris quinque Jasonis Cyrenæi ab autore incerto decurtatus sit, stylo prorsus affectato, unde B. Lutherus dicit, *quam merito liber primus in numerum sanctarum Scripturarum computari debuisset, tam merito secundum esse ex earum numero rejectum*.

Antithesis. Concil. Trident. sess.4. Bellarmin. lib.1. de Verbo Dei cap.10. §.2. *Ecclesia Catholica libros Maccabæorum pro sacris, Canonicis & infallibilis veritatis libris habet*. cap.15. *Libri Maccabæorum honorifice producuntur à Cypriano, Nazianzeno, Ambrosio & aliis*.

Salmeron tom.14. Disput.25. p.218. pro Canonica horum librorum autoritate pugnat.

Albertus Pighius lib.2. Hierarch. Ecclesiast. cap.6. fol.59.

Neque

Neq, est, quod autoritatem librorum Maccabæorum hic quisquam in dubium revocet, eò quod rejiciantur ab Hebræorum Canone, siquidem indubiam illis autoritatem tribuit Ecclesiæ Christi autoritas, unde Scripturarum omnium autoritas dependet.

Wilhelmus Lindanus in Apologetico pro religionis Catholicæ Concordia ad Germanos tom.1.cap.6.p.25. *Maccabæorum libros, sicuti non recipit Judaica, ita nec Lutherana Synagoga.*

Sixtus Senensis lib.8. Bibl. hæresi 12. p.712. *Libros Maccabæorum nec esse Canonicos, nec dignos, qui sacris libris annumerentur, Lutheri & Anabaptistarum hæresis est.*

Jod. Cocc. tom 1. Thes. lib 6. art. 18. *Libros Maccabæorum, ut Canonicos, valere ad Ecclesiastica dogmata probanda,* asserit.

Alphonsus de Castro lib. 13. adv. hæreses verbo Scriptura, hæresi 2. *Hæreseos, quæ non recipit libros Maccabæorum, autor est Lutherus, dicens, libros illos non esse Canonicos, nec dignos, qui sacris libris annumerentur.* Similia occurrunt apud Gretserum in Labyrintho p.17.

Nostram sententiam confirmamus ex eo,

1. quod hi libri non sunt scripti idiomate Hebræo, sed Græco, ac proinde

2. non habeant autorem Prophetam. Scripti sunt post tempora Malachiæ, qui fuit ultimus Vet. Test. Propheta. 1. Maccab. 9. v. 27.

3. quod non habeant Christi & Apostolorum testimonium in N. Test.

4. quod discedant à modo loquendi Canonicis Scriptoribus usitato. Autor secundi libri veniam à lectore petit cap. 15. v. 39. conqueritur de operis difficultate, cap. 2. v. 27. profitetur, quod in compendium redigere velit quinque libros Jasonis Cyrenæi cap. ejusd. v. 24. quin & Jasonis Historiam operi suo præfert.

5. quod contineant ἀσύμφωνα καὶ ἀσύγκλωσα. Confer lib. 1. cap. 6. v. 8. & 16. cum lib. 2. cap. 1. v. 16. cap 9. v. 28. & 9. Item lib. 2. cap. 9. v. 3. cum lib. 2. c. 1. v. 10. Item lib. 1. c. 4. v. 36. cum lib. 2. c. 10. v. 1. Item lib. 1. cap. 6. v. 17. cum lib. 2. c. 10. v. 11.

6. quod contineant talia, quæ cum Canonicis Scripturis & Historica veritate minus congruant, utpote narrationem de igne sacro, & arca, & tabernaculo & altari in monte quodam à Jeremia positis & absconditis lib. 2. cap. 2. v. 4. quæ non congruit cum Historia Regum & Prophetia Jeremiæ.

7. quod contineant quædam fidei analogiæ minus congrua, utpote quod lib. 2. c. 12. v. 43. factum Judæ Maccabæi sic accipitur, ac si sacrificium pro mortuis offerre voluerit, quale sacrificiū in lege nuspiam præscribitur, quod illos sub quorum tunicis post mortem res sacratæ idolis inventæ fuerunt, pie occubuisse dicit, v. 45. quod lib. ejusdem cap. 14. v. 42. & seqq. prædicatur Raziæ fortitudo sibiipsi mortem inferentis, quod pugnat cum præcepto divino: *Non occides.*

8. quod destituantur consentiente Ecclesiæ Israeliticæ & primitivæ Christianæ testimonio.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam hosce libros è Canone nobiscum excludant, quod faciunt illi omnes, qui Hebræum Canonē sequuntur, Hugo Cardinalis, Hugo de S. Victore, Lyranus, Cajetanus &c. quorum testimonia superius sunt enumerata.

Gregorius Magnus Episcopus Romanus, (ac proinde ex hypothesi Pontificiorum infallibilis) lib. 19. moral. cap. 17. ex libro primo Maccabæorum testimonium adducturus, sic scribit: *De qua re, cavenda sc. elatione, non inordinate facimus, si ex libris, licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem plebis editis, testimonium proferamus.*

(Sixtus Senensis lib. 8. hæres. 12. excipit, *Gregorium loqui de Proto-Canonicis.* Costerus in Enchirid. excipit, *ipsum loqui de Canone Hebræorum.* Sed ostendimus superius, utramque distinctionem esse ἀσύστατον. Proinde Julius Rugerius in opusc. de libris Canonicis & Apocryphis fatetur, *minus notum fuisse Gregorio, illos libros esse Canonicos,* ac Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 11. pag. 45. sine circuitione fatetur, quod *Maccabæorum libros ab Ecclesia recipi, Gregorio & Eusebio atque reliquis licuerit aliquando dubitare.*)

Gelasius Pontifex cum 70. Episcopis in Concilio Romano, unum tantum Maccabæorum librum in Canonem recepit. c. Sancta Romana. dist. 15. *Unus liber Maccabæorum.* Item, *In Dominica prima mensis Octobris ponunt librum Maccabæorum usque in Calendis Novembris.*

Petrus Cluniacensis lib. 1. Epistol. 2. libros Maccabæorum non habet pro *Canonicis,* æqualem cum reliquis V. Test. libris exploratò Canonicis autoritatem obtinentibus.

Glossa ad c. Canones 1. dist. 16. ad verb. Atque inter Apocrypha &c. agnoscit, *libros Maccabæorum esse Apocryphos.*

Guilielmus Occam part. 3. Dial. tract. 1. lib. 3. cap. 16. negat, hosce libros esse Canonicos.

Lyranus in cap. 1. Esdr. *Non sunt hi libri in Canone, nec apud Hebræos, nec apud Christianos.* Idem fatetur, *se non posse conciliare cum libris Scripturæ indubitato Canonicis, quæ 2. Maccab. 2. de inventione arcæ fœderis post Babylonicam captivitatem referuntur. Propter ista,* inquit, *& alia supra dicta iste secundus liber, & maxime quantum ad Præfationem reputatur à multis multùm Apocryphus.*

Carolus Sigonius in Comment. in Histor. Severi Sulpitii libros Maccabæorum propter *dissonantiam* è Canone rejicit, & *Justinum Historicum illis præferre* videtur, (quod in ipso reprehendit Possevinus in Bibl. lib. 4. cap. 13.)

2. Quod fatentur, Esdram constituisse V. Test. Canonem.

Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. §. Sed adversus &c. citat & approbat sententiam Josephi lib. 1 contra Appionem. *Non haberi apud Hebræos in Canone sacrorum librorum eos libros, qui post tempora Artaxerxis Longimani scripti sunt, siquidem librorum sacrorum Canonem Esdras composuit, cujus vita non extenditur ultra tempora Longimani.*

(Jam vero res in libris Maccabæorum descriptæ longissime post Artaxerxis tempora evenerunt, circa 140. annum Monarchiæ Græcorum, ut Esdras libros hos videre non potuerit. Si excipere velint, distinguendum esse *Canonem Christianorum à Canone Hebræorum*; respondemus ex fundamentis superius adductis, Doctores primitivæ Ecclesiæ non solum è Canone Hebræorum, sed etiam Christianorum eos exclusisse, *nec esse in Ecclesiæ potestate, ut librum Canonicum de non Canonico facere possit,* fatente Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. Itaque.)

3. Quod agnoscunt, non posse certo de autore horum librorum affirmari, ipsum fuisse Prophetam.

Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæres. 12. p. 661. *Non derogatur quicquam librorum istorum fidei, etiamsi ab autore prophano scripti sint, cum libri fides non ab autore, sed ab Ecclesia Catholica autoritate pendeat, & quod illa acceperit, verum & indubitatum esse oportet, à quocunque dictum sit authore, quem ego neque sacrum, neque prophanum ausim affirmare.*

Et postea: *Patet ergo, nihil certi affirmari posse de autore præsentis Historiæ, nisi eam à diversis autoribus scriptam, sicut phrasis diversitas indicat, & ejusdem Historiæ iterata repetitio, quæ unum ac eundem autorem fecisse verisimile non est.*

Vatablus ad locum 1. Maccab. 9 v. 27. (*Ita fuit afflictio magna Israelitis, cujusmodi non fuerat, ex quo die non est visus Propheta ipsis,*) sic annotat: *Prophetiæ cessaverant, neque à Malachia Propheta ullus fuerat, qui eos de rebus futuris admoneret.*

4. Quod quorundam veteris Ecclesiæ Doctorum suffragia nobis largiuntur.

Jodocus Coccius tom. 1. lib. 6. Thes. Cath. art. 18. pag. 687. *Melito Sardensis, Amphilochius, Nazianzenus, & Concilium Laodicense texentes Catalogum sacrarum Scripturarum, horum librorum* (Maccabæorum) *nullam mentionem faciunt. Hieronymus Præfat. in Daniel. & in Prologo Galeato asserere videtur, Maccabæorum libros non esse inter Canonicas Scripturas computandos. Ruffinus in explicatione Symboli libros Maccabæorum inter eos recenset, qui Ecclesiastici, non Canonici appellantur. Gregorius Magnus lib. 19. moralium cap. 13. dicit, librum Maccabæorum, licet non Canonicum, tamen ad ædificationem Ecclesiæ editum esse.*

Turrianus lib. 1. Defens. Decret. Epist fatetur, *Amphilochium rejicere libros Maccabæorum.*

5. Quod tales proferunt *hypotheses*, ex quibus Canonica horum librorum autoritas labefactatur.

Primo, Gregorius de Valentia lib. 8. Anal. fidei cap. 5. sic disserit: *Sacrum Scriptorem agi potius à Spiritu sancto, quam agere asserimus, primum propter facilitatem, qua is, Spiritu sancto docente ac dirigente, cognoscit ac scribit omnia, etiam minutissima, verissime. Hanc autem autoris facilitatem in cognoscendo atq; scribendo certissimè velocitas illa significat, quam David divino tribuit eloquio. Itaque cum Baruch à Principibus Israel interrogatus esset, qua ratione Jeremias ipsi librum dictavisset, loquebatur, inquit, ex ore suo quasi legens sermones istos. Quo loco significat, perinde fuisse facile Jeremiæ, Spiritu sancto suggerente, illa omnia pronunciare, atque est omnino aliquam Scripturam simpliciter legere.*

(At hæc non conveniunt autori librorum Maccabæorum, quia de seipso sic scribit 2. Maccab. 2 v. 29. *Molestiam suscepimus conficiendæ Epitomes. Non facile, sed plenum fuit sudorum opus & vigiliarum. Laboramus, ut lineamentis Epitomes instamus &c.*

Secundo, Galatinus lib. 4. de arc. cap. 9. & Genebrardus in Chronol. ad Ann. 3640. ex tractatu Joma cap. 1. & Kimhio in Psal. 84. docent, *quinque rebus caruisse templum secundum, 1. Divina præsentia* (שכינה) quæ ad propitiatorium responsa oraculaque edebat. 2. *Spiritu sancto*, qui Prophetas corripiebat. 3. *Igne sacro*. 4. *Urim & Thummim*. 5. *Arca, ejusq; tegmine*, id est, propitiatorio & duobus Cherubim.

Pererius lib. 10. in Daniel. septem enumerat, quæ in secundo templo non fuerunt, inter quæ *desideratum fuisse*, ait, *ignem cælitus demissum ad sacrificia consumenda*

(At si verum esset, quod narrat Autor libri 2. Maccab. cap. 1. v. 18. illum *ignem absconditum fuisse à Sacerdotibus, cum in Persidem ducerentur Patres*, deinde *tempore Nehemiæ aspersis sacrificiis & ligno, resulgente Sole, accensus fuerit ignis magnus*, utique ignis ille non defuisset.)

Bellarminus excipit, *Prophetiam, quæ tribuitur Jeremiæ, referri ad novissima tempora, judicium extremum immediate præcedentia, aut arcam pro Christo typice accipi.* Sed contradicit ei Ribera Com. in Hagg. c. 1. n. 15 & 16. *Cum hæc*, inquit, *Jeremias locutus sit in transmigratione Babylonis, de quo populo intelligimus nisi de populo Judæorum, & de qua congregatione & propitiatione, nisi de ea, qua soluta captivitate LXX. annorum paulatim in Judæa commorati sunt? Quorsum enim in fine seculi ostendatur Judæis arca, an ut iterum ad Judaismum redeant? Post solutionem autem Babylonicæ captivitatis utilis erat arca &c. Sed citius fortasse tota controversia finietur, si meminerimus, eundem Jeremiam prædixisse, nullam tempore N. Test. futuram Judæis arcæ memoriam.* Postea dicit, *non satis constare, fueritne in secundo templo arca.* Deinde suspicatur, *ab impio Antiocho fuisse ablatam, verum hoc fortasse probabilius & verius esse, prope consummationem seculi etiam manifestandam.* At qualis hæc certitudo, *non constat, suspicor, fortasse?*

Tertio, Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. & lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. *quartum librum Esdræ* propterea *Canonicum esse*, negat, quod cap. 6. *contineat quædam fabulosa de pisce Henoch & Leviathan, quos maria capere non poterant*.

(Atqui etiam in 2. lib. Maccab. cap. 2 fabula Judaica continetur, *Jeremiam scil. jussisse, tabernaculum & arcam & altare suffitus secum iter facere in montem Nebuntis, qui est in terra Moabitarum, & ibi abscondisse in spelunca quadam, quem locum incognitum futurum pronunciavit, donec Deus iterum congregaret populum suum, tunc autem Dominum eum demonstraturum.* Sed præterquam, quod hoc Jeremiæ factum non congruit Historiæ, cum Jeremias carcere detentus fuerit, quando urbs fuit capta, quomodo à mēdacio excusari potest, quod Jerem. promisisse dicitur, *arcam cum cæteris denuo inveniendam esse, quando iterū congregabitur populus Israeliticus?* Bellarmini responsum, quod hoc *nō intelligendum sit de illa congregatione, quæ fuit tempore Cyri, sed vel de tempore novissimo paulo ante diem judicii, vel mystice, ut per arcam intelligatur Christus*, jam ante excussimus, hic illud duntaxat monemus, quod prior interpretatio inferat absurdum, videl. Judæos ante diem judicii congregandos esse ad cultum illum Ceremonialem, qui pendebat ex tabernaculo, arca & altari suffitus. Posteriore, videlicet mystico interpretandi modo, etiam fabula *de Henoch & Leviathan* in lib. 4. Esdræ defendi potest. Thomas part. 1. q. 64. art. 3. ad 2. & part. 3. q. 8. art. 7. per *Behemoth & Leviathan* apud Jobum cap. 40. v. 41. & alii volunt intelligi Diabolos. Responderi igitur posset, *Diabolos non potuisse mari contineri, vel propter tumultus, quos ibi excitarent, vel quia terra fuit iis peragranda ad homines seducendos.*

Quarto, Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 12. fatetur, *in Scriptura non solum sententias, sed etiam verba omnia & singula ad fidem pertinere.*

Gregorius de Valentia lib. 8. Anal. fid. cap. 5. docet, *Spiritu sancto dictante, non esse in arbitrio Scriptoris positum, aliis verbis scribere.*

Lib. 2. de Missa cap. 4. *Scriptori Canonico Spiritum sanctum, cujus ille est velut calamus, per se verba suggerere, non tantum quando per se loquitur, sed etiam tunc, quando Scriptoris alterius testimonium citat.*

At quomodo hoc conciliari potest cum eo, quod autor lib. 2. Maccac. 15. v 39. hac utitur excusatione: *Et si quidem bene, & ut Historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem exiliter & tenuiter, hoc est, quod potui,* εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι. Vulg. edit. *concedendum est mihi.*

Quinto, Lipsius in Manuduct. ad Stoic. Philos. lib. 3. cap. 23 agnoscit, *Judæos posteriores à moribus gentilium paulatim aliquid sumsisse, à quibus certe fuit, quod tam crebræ illæ sui cædes leguntur in excidio Judææ atque urbis, quod Josephus descripsit.*

(A gentilium igitur moribus desumtum fuit hoc judicium autoris secundi Maccabæorum. At liber, in quo commendantur facta à gentilium moribus sumta & legi divinæ adversa, non potest esse Canonicus.)

5. Quod in asserenda Canonica horum librorum autoritate sibi ipsis invicem non constent.

Bellarminus in prima editione suorum operum pro stabilienda Canonica horum librorum autoritate urget, quod hi *libri positi sint à Clemente in Canone Apostolorum ultimo.* (At præterquam quod Canones Apostolorum etiam ex ipsorum Adversariorum quorundam testimonio sunt suppositii, quod ipse Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Quod ad priorem. agnoscat, *Canonem illum 84. esse adulterinum*, notandum est, quod Canon mentionem faciat *trium librorum*, quos Maccabæorum nomine appellat. Quod si ergo vi hujus Canonis duo libri Maccabæorum sunt Canonici, etiam tertius erit Canonicus, quod tamen negat Bellarminus lib. 1. de Verbo DEI cap. 20. Præterea hic Canon Apostolorum nullos alios ex controversis istis libris in Canonem refert, quam libros Maccabæorum. Quod si ergo volunt sequi hunc Apostolorum Canonem in recipiendis libris Maccabæorum, sequantur etiam eundem in reliquis excludendis. Insuper in isto Canone omittuntur *libri Esdræ & Apocalypsis*; contra vero inter sacros libros numerantur *Epistolæ duæ Clementis & Constitutiones Apostolicæ.* Ergone etiam hac in parte Canon ille Apostolicus probandus? De his admonitus Bellarminus argumentum illud in editionibus posterioribus omisit.)

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad argumentum nostrum, quod *autor horum librorum veniam sibi dari petat*, excipit Bellarminus lib. 1. de Verbo DEI cap. 15. resp. ad 2. object. *ipsum non erratorum, sed minus politæ orationis veniam petere, quemadmodum etiam Paulus se imperitum sermone confiteatur.* 2. Corinth. 11.

(Huic exceptioni respondemus 1. Apostolum loqui *ex hypothesi*, quod Pseudo-Apostolis videatur ἰδιώτης λόγῳ, cum non sectetur humanam eloquentiam; autorem vero horum librorum *Categorice* & ex tenuitatis suæ conscientis, quam responsione confirmamus ex Salmerone in Comēnt. 2. Corinth. 11. Disput. 12. §. Objicit aliquis. *Dico, Paulum non fateri se imperitum sermone simpliciter, sed quia splendore dictionis & eloquentiæ luminibus Rhetoricis adornatus non polleret. Non negaverim tamen, illum eloquentia divina per Spiritum sanctum cumulatissimum extitisse, quod abunde testantur hæ duæ ad Corinthios Epistolæ & præsertim hæc posterior ad miraculum efficax, & Corinthios ad quem cunque vellit affectum transformans.*

2. Idipsum confirmamus ex Ambrosio Catharino Episcopo Cōpsano, qui in Comment. h l itidem statuit, Paulum ad Corinthiorum opinionem verba sua accommodasse, *quia sermo ejus*, inquit, *habebat simplicitatem spiritualem & non secularem illam & affectatam eloquentiam.*

3 Cajetanus monet, quod *de ordinario sermone à Paulo dictum, non esse ad ejusdem scripta referendum.*

4. Si vel maxime de scriptis intelligatur, nulla tamen propterea Paulus utitur excusatione, nec dicit, se aliter quidem voluisse vel loqui, vel scribere, sed non potuisse.

Ergo nec Paulus, nec ullus alius Canonici libri scriptor veniam petit, si quid minus digne, vel dextre scriptum sit, norunt enim, omnia sua scripta esse à Spiritu sancto profecta, cujus in opere illo scriptionis amanuenses fuerunt, ideo nec in rebus, nec in verbis veniam sibi petere necesse habent. Gregorius de Valentia in Analys. lib. 8. cap. 5. *Quicquid Apostoli scripserunt, Spiritu sancto dictante & dirigente fecerunt, ut intelligamus, non tantum res ipsas, sed etiam sermonem & characterem ab ipso Spiritu sancto fuisse.*)

2. Ad contradictionem quod lib. 1. cap. 6, v. 8. & 16. Antiochus dicatur *extinctus ægritudine, quam ex infausto nuncio acceperat,*

perat, idque Babylone in lecto, quando filium tradidit Philippo, quem regno præfecit: libri vero secundi cap. 1. v. 16. *in fano Nanneæ dicatur obtruncatus & membratim concisus.* lib. 2. cap. 9. v. 28. *in peregrina terra in montibus misero obitu vitam commutasse.* cap. ejusdem v. 9. *mortuum esse dolore viscerum, ita ut de corpore ipsius vermes scaturirent & viventis in doloribus & tormentis carnes ejus caderent, ac fœtor intolerabilis in totum pene exercitum redundaret.* Respondent Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 11. ad 4. Seranus & Pistorius, *non esse eundem Antiochum.* Bailius in Catech. controv, tract. 1. q. 13. in Append. *Primus liber loquitur de Antiocho Epiphane; secundus de Antiocho Demetrii majoris filio.*

(Sed hanc responsionem refellit Bellarminus d. l. resp. ad 6. object. *Conveniunt fere omnes*, inquit, *eundem esse Antiochum, Epiphanem scilicet cujus mors describitur lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 9. &c. At de Antiocho, cujus mors describitur lib. 2. cap. 1. maxima quæstio est. Aliqui volunt esse Antiochum, ut Lyranus in hunc locum & quidam alii. At hoc esse non potest. Nam Antiochus magnus obiit, antequam Judas, qui hanc Epistolam scripsit, Dux Judæorum esset, nec fuit ullum bellum Judæis cum Antiocho magno. Alii volunt esse Antiochum Demetrii filium, qui etiam Triphon seu Griphus dicitur ab Eusebio. Sed nec hoc potest esse verum. Nam tempore istius Antiochi non Judas, sed Johannes Hircanus Dux Judæorum erat, & tamen Judas Epistolam scribit. Dicendum igitur est, hunc Antiochum esse Antiochum Epiphanem, illum ipsum, de quo agitur lib. 1 cap 6. & lib. 2. cap. 9. nam tunc vivebat Judas, qui Epistolam scripsit, & etiam Aristobulus, ad quem scripta est. Præterea iste fuit primus & summus ex Regibus Syriæ inimicus Judæorum, ut merito de ejus morte tanta lætitia esset in Judæa.* Sed si est idem Antiochus, quomodo conciliandæ istæ diversæ narrationes de ipsius morte? Bellarminus talem affert conciliationem: *Antiochus amisit exercitum in templo Nanneæ, in itinere cecidit de curru, post delatus Babylonem exspiravit. Dicitur ergo cecidisse, quia exercitus ejus cæsus est, & ipse turpi fuga delapsus, forte etiam vulneratus est.* Atqui lib. 2. cap. 1. v. 16. non solum dicitur Antiochus cæsus, sed etiam obtruncatus & membratim divisus, quod de vulneratione Antiochi, vel exercitus fuga exponi non potest. Nec uspiam in Scripturis dicitur *in bello* quispiam *cecidisse*, qui non fuerit mortuus. Provocat quidem Bellarminus ad cap. 14. Gen. ubi Rex Sodomorum *in prælio dicitur cecidisse*, & tamen paulo post *Abrahamo occurrisse* dicitur; Sed Lyranus recte monet, *Regem Sodomorum non dici cecidisse in prælio, sed à prælio fugientem cecidisse in quosdam puteos, ubi latuerit, mortemque evaserit.* Sic ergo Adversariorum contradictiones veritatē confirmant. Tam certum est unum eundemq; esse Antiochum, ut Sixtus Senensis & Bellarminus, cum negare id non possent, maluerint negare, altero loco eum significari occisum. Et rursus tam certum est utroque loco significari occisum, ut maluerit Canus duos fingere Antiochos.)

3. Ad contradictionem, quod lib. 1. cap 9. v. 3. *Judas dicitur occisus anno 152. regni Seleucidarum*, & tamen lib. 2. cap. 1. v. 10. *anno 188. illius regni literas scribit ad Aristobulum magistrum Ptolemæi, annis 36. postquam erat mortuus*, respondent Lyranus & Hugo Cardinalis, *annos, qui initio literarum ponuntur, supputari non more Græcorum à Seleuco, sed more Hebræorum ab anno duodecimo Assueri, quo liberati fuerunt Judæi à nece, opera Reginæ Esther.* Hanc Lyrani & Hugonis conciliationem recentiores fere omnes sequuntur.

(Sed hanc conciliationem refellit Bellarminus d l. §. Ad tertiam. *Non videtur*, inquit, *credibile, in his libris semper annos supputari more Græcorum, præterquam in hoc uno loco. Deinde etiam numerando ab anno duodecimo Assueri non potest incidere annus 188. in tempora Judæ Maccabæi. In ista enim supputatione Lyrani & aliorum sunt tres gravissimi errores &c.* Sixtus Senensis Judam mortuum refert, *ad annum Seleucidarum centesimum quinquagesimum sextum. Et annum illum centesimum octuagesimum octavum incidere in centesimum quinquagesimum quintum*, observat. Sed iidem sunt errores, qui in Lyrano, & præterea, cum in libro primo notetur Judæ interitus ad annum quinquagesimum secundum, hic producitur ad quinquagesimum sextum. Ita si excusatur liber secundus, primus arguitur mendacii. Quid ergo fiet allatæ contradictioni? Bellarminus ex Cano respondet, verba illa *anno 188. non esse principium Epistolæ sequentis, quam Judas scripsit, sed finem præcedentis, quæ scripta est à toto populo Judæorum*, quam conjecturam probat ex Codicibus Græcis. At hac ratione incurrit Bellarminus anathema Concilii Tridentini, quod vulgatam versionem pronunciavit authenticam, *ut nullo omnino prætextu ab ea discedere sit integrum.* Latini Codices omnes mire hic consentiunt, etiam qui post Concilium Tridentinum prodierunt, nec novissima Sixti V. editio in diversum abit. Sed nec Canus, nec Bellarminus hac conjectura sua quicquam promovent. Nam si posterior Epistola est Judæ mortui anno quinquagesimo secundo vel sexto, scripta tamen sexagesimo [illegible]ono, tum eadem sequetur absurditas, ut Judas scripserit anno post obitum suum decimo septimo vel tertio; inde Bailius in Catech. contr. tractat. 1. quæst. 13. in Append. audacissime respondet, *diversos fuisse Judas & illo tempore notabiles multos viros hoc nomine vocari voluisse, ut Aristobulus Hircani filius*, teste Josepho lib. 20. cap. penultimo. Sed fingere hoc est & pingere, non autem disputare.)

4. Ad contradictionem, quod lib. 1. cap. 4. v. 36. Judas dicitur, *purgasse templum ante mortem Antiochi post fugatum Lysiam*, contra vero lib. 2. cap. 10. v. 1. purgatio templi facta dicitur *post mortem Antiochi*, respondet Sixtus Senensis lib. 8. Bibl. hæres. 12. *bis factam fuisse templi purgationem.*

(Sed hanc Sixti Senensis responsionem repudiat Bellarminus d. l. §. Ad primam. *Non videtur*, inquit, *esse verum, bis factam templi purgationem, cum omnia, quæ de hac repurgatione uno in loco Scriptura refert, referat etiam in alio.* Adde, quod nulla occurrat secundæ purgationis causa, cum post primam purgationem templum non fuerit contaminatum. Aliter igitur respondet, videl. *lib. 2. cap. 10. narrari quidem templi purgationem post mortem Antiochi, nequaquam vero asseri, quod post mortem Antiochi sit facta.* Sed totus contextus ostendit, recenseri purgationem templi tanquam post Antiochi mortem factam, cum in fine præcedentis capitis mors Antiochi describatur, & Historiæ de repurgatione templi subjiciantur hæc verba v. 9. *Et Antiochi quidem, qui appellatus est nobilis, excessus vitæ ita se habuit.*

Quid ad argumenta Adversariorum, quæ pro Canonica horum librorum autoritate asserenda adducunt, respondendum sit, patere potest ex superioribus.

CAPUT II.

De variis Scripturarum editionibus.

THesis prima. Hebraica V. Test. editio in conflagratione templi & urbis Hierosolymæ à Chaldæis excitata non fuit incendio consumta, ut ab Esdra per miraculum eam restitui, necessarium fuerit.

Exthesis. 1. Incensam una cum templo Scripturam Vet. Test. Hebraicam nemo negat, sed ita incensam, ut nulli reperirentur Codices, abest à verosimili. Neque enim, quemadmodum arca fœderis erat omnino unica, unde prorsus eo incendio periit, sic unicus tantum erat Vet. Testam. Codex, sed plurimi per singulas domus.

2. Concedimus, Esdram libros sacros Mosaicos & Propheticos tempore captivitatis apud se custodivisse, post captivitatem in publicum protulisse, ab interitu eos vindicasse, atque in unum corpus redegisse, sed negamus, quod vel incendio absumtos restituere, vel depravatos corrigere necesse habuerit.

Antithesis. Hosius in Confess. Petricov. cap. 80. *libros sacros incendio consumtos* asserit. Albertus Pighius lib. 1. Hierarch. Eccl cap. 2. statuit, *autographa Scripturæ conservata in latere arcæ &c. incendio Babylonico periisse.*

Salmeron tom. 1. Comment. in N. Test. Prolegom. 9. can. 4. pag. 92. *Esdram Prophetam restituisse omnes libros sacros, qui interciderant tempore captivitatis Babylonicæ, communis fere omnium Doctorum est consensus.*

Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. sub tit. Esdræ libri duo p. 9. *Mortuus est Esdras in extrema senectute, postquam omnes pene Scripturas in excidio Hierosolymitano à Chaldæis incensas memoriter & non sine divinitatis numine fidelissime, ut prius erant, restituisset, novis ac promtioribus ad scribendum repertis literis.* Eadem repetit lib. 3. Biblioth. p. 152.

Leo de Castro cap. 43. Præfationis in Esaiam, & hyperaspistes Pistorii in mille & viginti falsis contra D. Mentzerum eandem opinionem tuentur.

Gulielmus Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 1. q. 1. *Postquam Moses scriptis comprehendisset ea, quæ primis mundi seculis gesta fuerant, & leges illas, quas dederat Deus; & alii etiam Prophetæ revelationes suas scriptis commendassent, horum sacrorum librorum*

pars non solum ad tempus latuit, sed etiam penitus interiit injuria bellorum & captivitatum Babyloniarum. Ecclesia nihilominus in suo vigore permansit traditionis ope usque ad tempora Esdræ, qui in unum collegit & in ordinem digessit, quicquid vel quæsitum invenire potuit, vel ei thesaurus memoriæ suæ suggessit, ut posteritati consuleret.

Nostram sententiam confirmamus ex eo,

1. Quod divina providentia non permiserit, nec permittat, ut libri Canonici ad conservandum verbi depositum & Ecclesiam omnium temporum instruendam scripti, durante hoc seculo præsente, unquam aboleantur. Es.40.v.6. Luc.21. v.33.1.Petr.1.v 25.

2. Quod in populo Israelitico fuerint aliquot millia Codicum Biblicorum Deut.6 v.7 cap.17.v.18. quæ omnia una cum autographis in latere fœderalis arcæ asservatis incendio absumta fuisse, sit nullo modo verisimile. Arias Montanus testatur Præfat. in varias lectiones Hebraicorum librorum, *plura exemplaria fuisse jussu Regis Josiæ, Sacerdotum & Scribarum procuratione descripta, & omni populo tradita.*

3. Quod post Chaldaicum urbis ac templi incendium annis prope 70. & ante Esdram annis plusquam 80. Propheta Daniel cap.9.v.2.& 11. mentionem faciat librorum Mosis & Jeremiæ tanquam eorum, qui adhuc salvi & integri extarent.

4. Quod Judæorum Annales testentur, in ipsa Babylonica captivitate Judæos habuisse suas Synagogas in quibus Mosis & Prophetarum scripta fuerint prælecta. Act.15.v.21. ac Cyrum Regem ad donandam Judæis libertatem & templi reficiendi potestatem, ostenso sibi vaticinio, cap.45. Esai. permotum fuisse.

5. Quod Antiochus studiosissime id agens, ut omnes libri sacri comburerentur 1. Maccab.1.v.59. non potuerit id effectum dare, multo minus igitur de Chaldæis id credendum, qui quod animo illo fuerint, nuspiam asseritur.

6. Quod in captivitatem multi abierint ante templum incensum annis decem, quorum neminem sacra Biblia secum inter κειμήλια abstulisse, sit nullo modo verisimile, quodque post incendium multi remanserint in Judæa, quorum nullum sacra Biblia conservasse, credi vix possit.

7. Quod cum speciatim enumerentur, quæ Chaldaico incēdio absumta, in libris Regum & Paralipomenon capp. ultimis, Jerem 52 v.17. librorum sacrorum nulla inter ea fiat mentio.

8. Quod libri sacri hodierni pura Hebræa lingua sint scripti, At si Esdras dictasset libros sacros penitus deperditos, tum id factum fuisset lingua Chaldaica, certe ex Hebraico & Chaldaico idiomate mixta, Judæis tunc vernacula.

9. Quod contraria opinio non alio quam Apocryphi libri quarti Esdræ testimonio nitatur.

Huic nostræ sententiæ suffragantur,

Genebrardus lib.2. Chron. An. mundi 3560. *Hoc, quod omnia legis exemplaria fuerint exusta, & deinceps usque ad Esdram Judæi vixerint sine sacro Codice, fieri non potuit, nedum factū est. Judæi enim jam ante dispersi erant cum suis Codicibus per totum Orientem, & Septentrionem à temporibus Assyriacis, ubi & legitima sua servabant, ut è Tobiæ libro liquet: nec omnes erant sub jure & imperio ejusdem. Præterea libri tanti momenti non solent ita extingui à Tyrannis, quin alicubi permaneant, maxime cum de religione agitur.*

(Posterius hoc etiam confirmat Antonius Possevin. lib. 2. select. Bib. cap.39. sic scribens: *Quantiscunque machinis concuti, falsari, extingui à gentibus, à Judæis, ab hæreticis sacra Scriptura procurata est, stetit tamen immobilis, & effloruit magis atque victrix extulit caput.*)

Idem Genebrardus ad Annum mundi 3838. lib. 2. Chron. sic annotat: *Non fuit in potestate Nabuchodonosoris, omnia exemplaria perdere, præsertim cum decem tribus jam essent in Oriente extra ipsius ditionem.*

Bellarmin. lib.2. de Verbo Dei cap.1. §.2. *Quidam* (inquit) *docent, Scripturam sacram universam periisse tempore captivitatis Babylonicæ, quando civitas eversa & templum incensum fuit, ac deinde ab Esdra fuisse rursum reparatam, Spir. sancto ei suggerente & dictante omnia, sicut antea fuerant. Ita sentire videtur Basilius in Epistola ad Chilonem &c.*

§.3. *Hæc opinio improbabilis nobis videtur. Non enim alio fundamento nititur, quam testimonio libri Apocryphi, id est, libri quarti Esdræ cap. 14. &c. Sed liber ille non modo Apocryphus est & ab Ecclesia Catholica nunquam receptus, sed etiam multis in locis redolet fabulas Judaicas, & in hoc ipso cap 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultioribus & perfectioribus, quam omnes Thalmudistæ faciant de sua Cabala. Quare potius testimonium libri hujus detrahit huic sententiæ fidem, quam afferat, ex libris autem Canonicis nihil tale colligitur.*

§.4. *Quod autem quidam dicunt, id colligi ex libro 2. Esdræ cap.8. tantum abest, ut sit verum, ut potius contrarium inde colligatur. Dixerunt enim Esdræ Scribæ, ut afferret librum legis, non dixerunt, ut iterum componeret, quia sciebant adhuc inveniri. Præterea etsi Scriptura, quæ publice servabatur, in templo fuerit incensa & perierit, tamen incredibile est, non fuisse etiam aliqua exempla, vel certe partes eorum apud privatos homines & præcipue apud Ezechielem, Danielem, Hieremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum & ipsum Esdram, qui tunc vivebant & quibus sine dubio curæ fuit lex Domini.*

§.8. *Si Esdras libros sanctos iterum dictasset, verisimile est, eum id facturum fuisse non lingua Hebraica, sed Chaldaica, vel mixta ex Chaldæa & Hebræa, quæ tunc erat in usu, & qua videmus scriptos esse libros Esdræ & Danielis. At certum est, sanctos libros præter Esdræ & Danielis lingua Hebraica scriptos esse &c.*

Idem lib.4. de Verb. Dei c.4. §. Præterea. *Esdras non reparavit libros perditos, sed emendavit & collegit eos qui extabant.*

Baronius tom 2. Annalium Ann. 180. n.12. *Apud libros Esdræ ab Ecclesia receptos nihil tale* (de librorum sacrorum combustione & restitutione) *est invenire, imo extitisse tunc legis libros, ea Scribarum rogatio monstrat, quæ ait. Dixerunt Esdræ Scribæ, ut afferret librum legis. Attulit ergo Sacerdos Esdras legem &c. Sic ergo ex scripto libro legisse Esdras dicitur, non novam dictasse legem. Nec aliter habet, qui Judaicas antiquitates accuratius est prosecutus Josephus lib. 11. cap.5. Rogaverunt Esdram, ut eis legem Mosis legeret, quod & fecit &c. quibus plane non memoriter ab eo recitatam, sed ex scripto lectam fuisse apparet. Denique nullus penitus antiquorum Hebræorum reperitur, qui libros divinos penitus periisse, & per Esdram divinitus renovatos tradiderit. In Apocrypho tantum ab Ecclesia penitus improbato atque rejecto quarto libro Esdræ leguntur fusius scripta, quæ de lege recens ab Esdra absq; aliquo exemplari divinitus dictata feruntur. Porro librum illum manifestos errores, qui repugnent Catholicæ veritati, continere certum est &c.*

Num.14. *Nihil mendacius dici potuit eo, quod simul cum urbis incendio ac templi combustione sic divini quoque libri incensi sint, ut nullum illorum exemplar reliquum fuerit. Inprimis enim si exemplo agenda res est, cum sub Antiocho ac demum sub Vespasiano eandem cladem, imo longe majorem Judæi sint experti, num quia incensi sunt libri eorum, vel in manus gentilium devenerunt, fuerunt illi ab aliquo novo Esdra dictante, miraculo iterum edito restituti? an non potius, quod innumera suppeterent eorundem exemplaria fidelissime scripta?*

Num.15. *Cum templum non nisi unum, in quod omnes undiquaque convenirent, apud Judæos esse posset, in quo sacrificia offerrentur, provisum est tamen, ut eorum religioni alia quoque via consultum esset, nimirum ut in civitatibus, oppidis ac etiam vicis Synagogas, domos ipsas publicas habere possent, in quibus simul tum precationis causa, tum etiam gratia divinæ Scripturæ, quæ quolibet Sabbatho legebatur, frequentes agerentur conventus, Luc.4. Act.13.& 15. Joseph. lib. 20. antiq cap.4.& lib.2. de bell. Judaico cap.12.&c.*

Num.16. *Ex his igitur necessaria consecutione deducitur, penes Judæos tot saltem fuisse sacrorum voluminum exemplaria, quot apud eos fuere Synagogæ instituta. Quibus sic se habentibus, etsi non tantum, quæ erant in templo, vel in aliis Synagogis Hierosolymis consistentibus sacra legis volumina incensa fuerint, sed & quæ in tota Palæstina pariter combusta, vel alio casu perierint; certe quod Judæorum populus nequaquam ejus Provinciæ limitibus contineretur, sed ubique terrarum, ut autor est Philo de legat. ad Caium, dilatatæ essent ipsorum coloniæ, haud possibile fuit, omnia, quæ reperiebantur tunc temporis, sacra volumina excidisse: cum alioqui constet divina Scripturæ autoritate 2. Reg.25. non omnes Judæos ductos fuisse in captivitatem, sed consentiente Rege Babylonis plurimos in Judæa remansisse, qui & transmigrarunt in Ægyptum &c. Certe quidem non invidisse Babylonios Judæis legem ipsorum, quam suos in Samariam missos didicisse voluerunt, 2.Reg.17.v.18. intelligi potest.*

Num.17. *Si igitur sacra volumina nequaquam ubique locorum ea clade perisse potuerunt, quanam obsecro causa reddi potest, ut oportuerit divino miraculo divinam legem librosque omnes sacros ab Esdra dictari, atque eo modo edi denuo? Rursus, si tot ubique locorum extabant vetera exemplaria, quomodo verum esse potest, alio charactere Esdram curasse sacra volumina scribi, cum non nisi unius characteris esse omnes vetustissimi Codices reperiantur, nempe Hebraico antiquo charactere scripti?*

(In

(In hoc posteriore membro contradicit Baronius Collegæ suo Bellarmino, qui d. l. §. Beatus Hieronymus &c. sic scribit: *Sine dubio hodie novas literas habemus.*)

Antonius Possevinus in Apparatu sacro, tit. Biblia. *Prima editio Bibliorum Hebraica fuit, quam nunquam periisse rationibus solidis evincitur.*

Benedictus Pererius in Præfat. Comment. in Genes. *Vetus fama est & opinio Irenæi libro 3. cap. 25. Tertulliani in libro de habitu muliebri, Clementis Alexandrini libro 1. Stromat. Eusebii in Chronicis, B. Hieronymi adversus Helvidium, aliorumque nobilium Scriptorum autoritate confirmata, quo tempore Hierosolyma capta sunt ac funditus eversa à Chaldæis, simul etiam tam Mosis libros, quam cæteros omnes Vet. Testamenti fuisse incensos, posteà vero divino memoriæ beneficio & miraculo fuisse eosdem ab Esdra renovato, & pristinæ integritati redditos, quo fit, ut sacrorum librorum, quos nunc habemus, non Mosen, sed Esdram Scriptorem & Autorem censeri oporteat. Verum hoc nihil habet difficultatis. Nam quia Esdras non fecit, nec composuit novos sacros libros, sed priores ita ut fuerant, eisdem plane sententiis ac verbis instauravit, atque redintegravit, propterea non ipse autor sacrorum librorum, sed refector tantum ac restitutor existimari & appellari debet. Quanquam pervulgata illi & antiqua opinioni de sacris libris ad unum omnibus Chaldaico incendio deperditis, & multis post annis ab Esdra restitutis, nisi tot gravium virorum obstaret autoritas proclivius esset contradicere, quam assentiri. Dicam hoc loco, non enim, opinor, lectori id molestum accidet, quibus rationibus hujus sententiæ fides, si non omnino labefactari & funditus everti, non parum tamen elevari & debilitari videatur.*

Profert autem Pererius easdem rationes, quas superius produximus, videlicet, *quod librorum sacrorum quamplurima fuerint apud Judæos exemplaria, præsertim apud Sacerdotes, quorum in eo populo multa erant millia; quod ne quidem Antiochi summa diligentia factum fuerit, ut omnes libri perirent 1. Maccab. 1. & 3. quod omnia, quæ Chaldæi incenderunt, distincte ac minutatim recenseantur, de sacris autem libris tunc combustis nulla fiat mentio; quod non sit credibile, Hieremiam, qui permissu Regis Babylonis ex Chaldaico illo urbis & templi incendio arcam, altare incensi & tabernaculum eripuit, non majori cum studio & cura divinos libros, ne prorsus omnes interirent, fuisse conservaturum;* (hoc argumento, utpote ex Apocrypho 2. Maccab petito, non utimur:) *quod Daniel post illam urbis & templi conflagrationem mentionem faciat librorum Jeremiæ & Mosis tanquam adhuc salvorum & integrorum cap. 9. quod autores & sectatores contrariæ opinionis nullo eam Scripturæ testimonio, nulla ratione firma, nulla vel probabili conjectura confirment, sed unice libri quarti Esdræ, qui nullam apud Hebræos vel Christianos autoritatem obtinet, testimonio nitantur. Quid quod non agit eo loco Esdras de restitutione divinorum voluminum, sed de aliorum librorum scriptione, quibus videlicet continetur interior quædam & abditior mysticaque librorum Mosis & sacrarum rerum intelligentia, quam nonnulli putant esse eam, quæ Cabalistica vulgo appellatur.*

Augustinus Torniellus in Annalibus Ecclesiast. V. Testament. Anno mundi 3447. n. 4. *Quicquid sit de veterum Patrum opinione &c. dicimus, quod etiamsi tunc Chaldæi cunctos sacros Codices, quotquot sum essent in Jerusalem, ignibus tradidissent,* (de qua re tamen nihil omnino in tota Scriptura sacra memoratur,) *non ideo tamen necessario dicendum esset, Ecclesiam DEI à prædicto conflagrationis tempore usque ad Esdram sacris libris omnino exspoliatam remansisse. Quandoquidem non est credibile, quod in tanta Judæorum atque Israelitarum multitudine, quæ ante dictam templi urbisque exustionem in præcedentibus captivitatibus abducta jam per varias mundi partes exulabat, nemo secum ulla sacrorum voluminum exemplaria tulerit, præsertim cum ex Danielis, Ezechielis & Tobiæ libris constet, nonnullos Judæorum atque Israelitarum in captivitate positos legitima sua observare non omisisse, quod certe non videtur sine sacrorum librorum lectione diu fieri potuisse. Et certum est, ex ipsis aliquos in studiis sacris apprime versatos ac non mediocriter eruditos extitisse, ut patet de Daniele & sociis ejus, qui tamen in puerili ætate translati fuerant, & non nisi frequenti sacrorum librorum usu legis doctrinam assequi potuisse videntur. De Esdra quoque Sacerdote legimus 1 Esdræ 7. v. 11. quod erat in lege Dei doctissimus. Oportet igitur ipsum ab ineunte ætate habuisse penes se libros sacros, sine quibus secluso miraculo tantã sibi comparare doctrinam minime potuisset, præsertim cum necesse sit, ipsum vel adhuc puerulum in captivitatem fuisse abductum, vel potius post eam natum. Ergo fateri oportet, non omnes V. Testamenti libros cum templo esse concrematos, sed ex his plures in Babyloniam, aliasque Provincias cum ipsismet captivis fuisse asportatas. Nam & satis receptum est, quod scribit Josephus lib. 11. Antiq. cap. 1. nimirum Danielem, ut creditur, ostendisse Cyro Regi Persarum Esaiæ librum, seu Prophetiam, quæ de ipsomet Cyro facta fuerat. Ergo certum est, quod Daniel Babylonicæ captivitatis tempore libros sacros apud se habebat. Sed & valde item probabile est, plures alios, præsertim Sacerdotes & Prophetas, puta Ezechielem, Aggæum, Zachariam, Malachiam, Jesum filium Josedec & hujusmodi alios in captivitate sua libros sacros ad manus habuisse, atque ex sanctarum Scripturarum consolatione captivitatis afflictiones & incommoda levare studuisse, nec non etiam in se aliisque spem liberationis excitare atque fovere.*

Idem. Anno 3610. n. 19. *Esdras tanquam unicus sacrorum librorum reparator habitus ac celebratus fuit, non quia omnes sacri Codices in Hierosolymitanæ urbis templique conflagratione à Chaldæis facta penitus periissent, nec quia ipse Esdras divino, ut ajunt, memoriæ beneficio, seu Spiritu sancto eadem omnia mirabiliter suggerente, quibusdam Scribis de ore suo excipientibus dictarit &c. sed quoniam Nehemiæ Ducis autoritate adjutus summum studium in sacris Scripturis conquirendis posuerat, & earum partes sparsim inventas colligere, ordinare atque in unum corpus redigere, & si quid antiquariorum aut aliorum vitio depravatum deprehenderat, emendare sedulo curaverat.*

(Posterius de emendatione librorum sacrorum non probamus, cum iisdem argumentis, quibus probatur, libros sacros non fuisse incendio absumtos, probari possit, eos non fuisse corruptos. Esdras in *libro legis coram Israelitas legisse*, dicitur Nehem. 8. v. 2. sed libros sacros correxisse nuspiam legitur.)

Leonh. Marius Theol. Colon. in Prolegom. Comm. in Pentat. q. 3 sect. 1. fol. 20 *quatuor rationibus* probat, *libros V. T. tempore captivitatis Babylonicæ non esse amissos,*

1. *Quia non fit in Scriptura mentio hujus combustionis; & si fieret, tamen sicut, quando Antiochus jussit admodum crudeliter & diligenter exquiri sacros libros & comburi 1. Maccab 1. omnes tamen non sunt combusti, sed conservati multi, (unde 1. Maccab 3 dicuntur Judæi expandisse libros legis & 2. Maccab. 2. solatio habuisse sanctos libros: ita & tempore Chaldaicæ captivitatis plures conservari potuissent, præsertim cum Nabuchodonosor Jeremiam q. liberum permiserit, isque arcam, altare incensi & tabernaculum ex incendio eripuerit.* 2. Maccab 2.

2. *Testis est Philo apud Euseb. lib. 8. præpar. cap 2. Judæum moriturum potius, quam patiatur, leges in aliquo mutari, multò minus intercidere.*

3. *Quia pene 80. annis ante Esdram Dan 9. fit mentio libri Jeremiæ & Mosis, signum ergò est, eos tunc non interiisse, & ut habet Josephus lib 11. Antiquit. cap. 1. Cyrus dimisit Iudæos ex Babylonica captivitate, quia ostendebant Iudæi ipsi in prophetia Esaiæ nomen suum quod alii à Daniele factum referunt.*

4. *Quia fundamentum oppositæ sententiæ est quartus Esdræ Apocryphus, ubi tamen non de Scriptura, sed potius de Cabala agitur, quasi hanc posterioribus temporibus ac præcipue sub Babylonica captivitate collapsam Esdras reparaverit &c.*

Cornelius à Lapide in cap. 3 Deuter. v. 14. *Non est verisimile, Esdram Pentateuchum, totaque Biblia ex memoria vel Dei instinctu restaurasse, nec enim Chaldæi exemplaria omnia, quæ per totam Iudæam aliasque gentes sparsa erant, comburere potuerunt.*

Johannes Stephanus Menochius Jesuita in Præfat. annotat. suarum in Biblia cap. 3. *Non est prætereunda hoc loco antiquorum opinio, qui tradiderunt, divinos omnes libros capta Ierusalem à Nabuchodonosor temploque incenso periisse, soluta verò captivitate eosdem ab Esdrâ ex memoria fuisse restitutos. Ita veteres aliquot Patres tradiderunt. Sed hanc opinionem rejiciunt recentiores, quia ajunt, Esdram libros sacros in meliorem tantum ordinem redegisse, à mendis expurgasse & characterem mutasse, ne cum Samaritanis conveniret, non verò penitus Biblia restituisse. Vide Pererium Præfat. in Genes. Bellarminum controvers. tom 1. lib. 2. cap. 1. Bonfrerium in Præloquiis cap. 6. sect. 8. Serarium Prolegom. cap. 22. q. 1.* Hactenus Menochius.

Jacobus Bonfrerius Jesuita fol. 17. Prolegom. in quinque libros Mosis validis rationibus refellit illorum sententiam, qui statuunt, *Esdram omnia deperdita sacrarum literarum monumenta restituisse ex memoria.*

Similia occurrunt apud Nicolaum Serarium in Prolegom. Bibl. cap. 12. p. 71. Marian. Victorium in Scholiis ad Prologum Galeatum Hieronymi.

Thesis secunda. Hebraica librorum V. Test. editio non est corrupta.

Exθεσις. 1. Non est quæstio de unius vel alterius Codicis de-

depravatione, quæ in puncto, vel accentu, vel litera, vel etiam integra dictione occurrit, sive ex incuria, sive data opera fuerit facta, sed hoc quæritur, an textus Hebræus in se ac *Universaliter* in omnibus Codicibus ita sit corruptus, ut ex aliorum probatorum & integrorum exemplarium inspectione mendum illud corrigi nequeat.

2. Non est quæstio de irregulari vel scriptione vel punctatione vocum Hebraicarum, quarum nota & correctio Masoretica in margine utplurimum additur, sed de ipsius textus in ipso sensu corruptione. Notæ illæ Masoreticæ aut anomaliam duntaxat Grammaticam, aut mysterium aliquod, aut lectionis diversitatem observant, aut si quæ in literarum elementis ex incuria Scribarum irrepserunt mendæ, eas corrigunt, sicque integritatem textus Hebraici magis stabiliunt quam evertunt.

Antithesis. Jacobus Episcopus Christopolitanus Præfat. in Psalmos probare conatur, *Judæos in odium Christianæ fidei studiose depravasse & corrupisse multa loca Scripturarum.*

Stapleton in Relect. princip. fidei doctrin. controv. 5. q. 3. art. 1 hanc sententiam jactat *orthodoxam, quod Hebraici contextus ut simpliciter nunc in Bibliis habetur, nulla sit certitudo.*

Salmero tom. 1. Comment. p. 29. *Quod Judæi neque sacris fontibus pepercerint, præsertim ex quo illa Hieronymi editio ex Hebræo in Latinum sermonem in manus omnium venire cœpit, multis modis demonstrari potest; Principio, quia si integra sunt volumina Hebræorum, & sincera, necessario confitendum est, editiones tum LXX. Græcam, tum Hieronymi Latinam, quæ cum illis non conveniunt falsas esse ac depravatas: at hoc quid aliud esset, quam dicere, populum reprobatum & excæcatum habere puras & germanas Scripturas, populo vero electo ac sanctificato tribuere falsas ac vitiatas interpretationes? Quis autem hoc assereret, & divinam providentiam, quæ illos deseruit, & eorum libros, & nos atque Scripturas nostras assumsit, negaret, & Judæorum Synagogam veram Dei Ecclesiam efficeret, populum autem Dei & Christi nomen profitentem extra Ecclesiam collocaret, quia veris & germanis Dei Scripturis destitutum redderet. Secundo idem videntur Prophetæ insinuasse. Nam Jeremias in eos, qui Scripturarum notitiam & scientiam legis jactabant, invehitur dicens: Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus & lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum. Hæc ille, Scribas & Pharisæos perstringens, quib. cum legis & Scripturarum scientiam elati jactarent, Dominus opponit ignorantiam legis & malignitatem, quâ textus Scripturæ vitiaturos prævidebat. Nam more Prophetico præteritum pro futuro positum est, operatus est, pro operaturus est &c.*

Et postea: *Generalis corruptio non fuit, sed particularis; nec tantum illa, quæ accidit casu, injuria temporum aut negligentia Scribarum, sed etiam ea, quæ potuit malitia & fraude ab aliquot Rabinis perfici, quo nobis in quibusdam locis veritatem de Christo eriperent.*

Melch. Canus lib. 2. Locor. cap. 13. p. 94. *Hebræorum Doctores nostri videlicet inimici, multo studio contenderunt textum Hebraicum corrumpere, ut vetus Testamentum nostris exemplaribus faceret esse contrarium.*

Et postea p. 95. *Ad Hebraica exemplaria, ut quæ depravata sint, non est recurrendum. Post Hieronymi tempora à Judæis Scripturas contaminatas, Hieronymus ipse, si viveret, non negaret.*

Chilianus Eccio Prior Rebdorffensis in libro de Christ. fidei myster. recensente Cochlæo statuit, *fontes Hebræos esse à Judæis in multis omnino locis corruptos.*

Hector Pintus in Comm. Dan. 7. §. Et tradatur. Item cap. 13. initio. *Sane Judæi Biblia Hebraica corruperunt.*

Sacrobosc. in Defens. Concil. Trident. part. 1. cap. 3. *Neque omnino dubito, quin Rabini Judæi ex mala fide, odio ac invidia sensum Prophetarum in rebus gravissimis mutaverint.*

Cap. 4. *Neque enim hi fontes cum primis exemplaribus conveniunt. Nec igitur sanctus Hieronymus suo tempore tutum existimabat ad Hebraica exemplaria recurrere.*

Wilhelmus Lindanus in Præfat. lib. de optim. gener. interpret. ridet eos, *qui Codiculis Hebræis & Græculis nituntur*, & demonstraturum se proponit, *non posse nunc ex veritate Hebraica veram Scripturarum sententiam peti, tum propter liquidam sui à vetustis Codicibus discordiam, tum manifestam, si non corruptelam, at varietatem tamen exemplarium Hebraicorum irreconciliabilem.*

Antonius Possevinus lib. 2 Biblioth. select. cap. 6 pag. 166. *Vix video, quid illis,* (quæ Bellarminus de fontium corruptione scripsit) *adjici possit, nisi ad totam rem copiosius excutiendam necessarium aliquis duceret legere, quæ novissime ex Hispaniis in Italiam transmissa proprio libro Salamanticæ edito scripta sunt à viro erudito Leone Castrio suo Apologetico, pro lectione (ut ille inscripsit) Apostolica & Evangelica, pro vulgata Divi Hieronymi, pro translatione Septuaginta, proque omni Ecclesiastica editione. Is enim secundo libro ejusdem Apologetici contendit acriter vitiatam esse Scripturam Hebraicam, id quod ostendere nititur ex Patribus & Novellis Justiniani, non tam mutatione punctorum, aut errore amanuensium, sive quod Judæi pravo affectu eam lectionem interdum magis probaverint, quæ minus Christianis favebat, quam quoniam ob implacabile in Christianos odium data opera hoc ipsimet fecerint, id quod quarto quinto & sexto libro ejusdem Apologetici profitetur, se comprobasse plus quadringentis locis &c.*

Josephus Acosta lib. 2. de Christo revelato cap. 16. *Multorum opinio est, non pauca à Judæis* (in Codicibus Hebræis) *vitiata, vel à Rabinis aliter dispuncta.*

(Notandum vero eos, qui Hebræum textum corruptum esse statuunt, in duas abire sectas,

1. Quidam statuunt, *Judæos ex odio multos libros Biblicos corrupisse, postquam Christi fidem à variis nationibus passim recipi viderunt.*

Ita statuunt Jacob. de Valentia, Porchetus, Salmeron, Canus, Lindanus, citante Nicolao Serario in Proleg. Bibl. fol. 72. &c.

Jacobus Bonfrerius Præloq. in sacram Scripturam ante Pentateuchum c. 13. sect. 3. statuit, *esse Codices Hebræos non Notariorum solum incuria, sed Hebræorum quoque malitia corruptos, idque non ante, sed post Christum natum, imo etiam post mortem Hieronymi, cujus tempore adhuc per Masoretas fuerint servati integri.*

Blasius de Viega in Apoc. 1. sect. 12. §. 2 *in dubium vocari non debere*, censet, *Judæos multa ex sacris literis erasisse, quæ Christianis favere intelligebant.*

Lorinus in Commentario 2. Pet. 1. v. 19. fol. 660. *Tempore Apostolorum nondum fuere à Judæis corruptæ Scripturæ, imo duorum millium annorum spacio, Philo in lib. de exitu ex Ægypto, quem citat Eusebius lib. 8. de præpar. Evang. cap. 2. testis est, nihil in iis esse immutatum &c. quin id postea fecerint, odio Christianorum, negari vix potest, tot id Patribus adfirmantibus.*

2. Quidam vero existimant, *textum Biblicum in paucis tantum locis incuria & inscitia Judæorum corruptum esse.*

Joh. Driedo, Marinus, Ribera, Bellarminus, citante eodem Serario d. l. ubi etiam argumentis Salmeronis respondet.)

Plura de corruptione textus Hebraici videri possunt apud Sanderum de visib. Monarch. lib. 7. Salmeronem tom. 1. Proleg. 4. Gregorium de Valentia in anal. lib. 9. cap. 5. §. Neque vero. Gordonum Huntlæum in Epit. controv. 1. cap. 6. & 8. Tannerum lib. 1. Disput. in 1. part. Thomæ Disput. 1. de Verbo Dei cap. 2. th. 47. Hodegi &c.

Nostram sententiam probamus hoc disjuncto Syllogismo: Si fontes Hebræi in V. T. essent corrupti, aut Judæorum malitiâ aut librariorum incuriâ corrupti forent. Sed neutrum dici potest. E. Quod *Judæorum malitia* non sint corrupti, probamus hoc disjuncto Syllogismo: Si fontes Hebræi Judæorum malitia essent corrupti, aut *ante Christi adventum* & Apostolorum ministerium eos corrupissent, aut *post Christi adventum* & Apostolorum ministerium. Sed neutrum dici potest:

Non prius 1. quia Christus & Apostoli hoc grande sacrilegium Judæorum gravissime taxassent, cum de minoribus peccatis eos redarguerint.

2. Christus auditores suos ad Mosaicam & Propheticam Scripturam *scrutandam* remisit Johann. 5. v. 39. ac *Mosen & Prophetas* in scriptis ipsorum *audiri* voluit Luc. 6. v. 29.

3. Scribas & Pharisæos *in cathedra Mosis sedentes*, ac Mosen singulis Sabbathis in Synagogis legentes *audiri* voluit. Matth. 23. v. 2. Act. 15. v. 21.

4. Æthiopis Eunuchi studium in legendis Propheticis scriptis commendatur, & missione Philippi explicationem necessariam ei suppeditantis honoratur. Act. 8. v. 30.

5. Thessalonicenses laudantur, quod doctrinam Pauli cum Scriptura Mosaica & Prophetica contulerint. Act. 17. v. 11.

6. Paulus commendat Timotheum, quod *à puero sacras literas noverit* 2. Tim. 3. v. 15. ipsumque hortatur, *ut attendat lectioni.* 1. Tim. 4. v. 13.

7. Christus & Apostoli ex Mosaicis & Propheticis libris doctrinam suam passim probant, ac Paulus expresse dicit, *se cre-*

le credere omnibus, quæ scripta sunt in Mose & Prophetis. Act.26.v.22. At nihil horum locum habere potuisset, si Scripturæ Judæorum malitia tunc fuissent corruptæ.

8. Paulus dicit Rom 3. v.2. Judæis *fuisse concredita eloquia Dei*, commendans ipsorum studium in custodiendis ab interitu & corruptione V. Test. libris.

Nec posterius dici potest, cum testimonia, quæ à Christo & Apostolis ex V.T. adducuntur, eodem modo adhuc hodie legantur, quo sunt ab illis adducta. Ergo Judæorum malitiâ fontes non sunt corrupti. Idipsum demonstramus etiam hoc argumento Si: Judæi nec *voluerunt*, nec *potuerũt* fontes Hebræos corrumpere, falsum est, ipsorum malitia fontes esse corruptos. Sed nec voluerunt, nec potuerũt eos corrumpere. Ergo.

Quod hoc facere *noluerint*, probat 1. ipsorum erga libros sacros religio. Philo in lib. de egressu filiorum Israel ex Ægypto, Joseph. lib.1. contra Appion. Eusebius lib 3. Eccles. Hist. cap.10. & 8. de præpar. Evangel. cap.2. de illis testantur, *usque ad sua tempora per spacium amplius quàm duorum millium annorum ne verbum quidem fuisse unquam in lege Hebræorum mutatum, & quemlibet Judæum centies potius moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari.* In Thalmud scribunt, *eum peccatum inexpiabile committere, qui aliquid in Biblis mutet, ac periculum esse, ne totus mundus intereat, si quis in textu Hebræo unum mutet vocabulum.*

2. Integritas præcipuorum de Christo testimoniorum. Si voluissent Judæi divinas Scripturas in odium Christianorum corrumpere, præcipua vaticinia de Christo vel sustulissent vel immutassent. Sed tantum abest ipsos hoc fecisse, ut ex textu Hebræo fortiora contra ipsos proferri possint argumenta, quam ex versione Latina.

Quod *non potuerint* fontes Hebræos corrumpere probat

1. Ipsorum per totum orbem dispersio. Cum n. post Hierosolymæ eversionem per totum orbem fuerint dispersi, quomodo potuissent commune consilium inire de Scripturis corrumpendis?

2. Christianorum diligens cautio. Libri Hebraici post prædicationem Evangelii non tantum in Judæorum, sed etiam Christianorum manibus fuerunt, at illi hanc fraudem non reticuissent, si Judæos tale quid audere animadvertissent.

3. Exemplarium Biblicorum multitudo. Si vel maxime pauci quidam in Bibliorum corruptionem conspirassent, non tamen omnibus exemplaribus corruptelam istam inducere potuissent.

4. Versionum varietas. Biblia Hebræa in Chaldaicam & Græcam linguam ante Christi nativitatem fuere translata. Quod si ergo Judæi voluissent textum Hebræum corrumpere, ex Thargumicis paraphrasibus & ex LXX. Interpp. versione ipsorum malitia fuisset in lucem producta. Quod autem *librariorum incuriâ* fontes non sint corrupti, probamus

1. à divina Providentia, quæ non permisit *fundamentum* illud *Prophetarum*, super quod extructi sumus Eph.2.v.20. corrumpi.

2. à Scripturæ autoritate authentica, Matth.5.v.18. Luc.16. v.17. cui plurimum decederet, si quid in Scriptura sacra mutatum esset.

3. à Masoræ fideli custodia. In ea enim versus, voces & literæ Bibliorum Hebraicorum in universum omnes numerantur, omnisque eorum varietas notatur, & suo loco cum singulorum versuum indicatione recitatur, ut sic constans & genuina textus Hebraici lectio conservetur & ab omni corruptione præmuniatur.

4. singularis eorum, qui textum Hebraicum vel calamis, vel typis descripserunt, vigilantia. Ostendit enim collatio exemplarium, tum manuscriptorum, tum impressorum; tum antiquissimorum, tum recentiorum, illos opus Masoreticum semper ante oculos habuisse, ac diligentissime cavisse, ne ulla vel in dictionibus, vel literis, vel punctis mutatio irreperet.

Huic nostræ sententiæ suffragantur quidam ex ipsis Adversariis, utpote

1. Qui fontium integritatem nobiscum agnoscunt.

Joh. Isaacus, Lindani quondam Præceptor, Hebrææ linguæ in Academia Coloniensi Professor, opinionem erroneam de Codice Bibliorum Hebræo à Judæis depravato, ut falsam & impiam refutavit, ac Hebræam veritatem adversus Lindani calumnias defēdit. Titulus libri est: *Defensio veritatis Hebraicæ sacrarum Scripturarum adversus Lindanum*, Colon. apud Jac. Soterem An.1559. In illo scripto lib.2.p.27. admonet, *ducenta amplius argumenta, quæ Judaicas impietates refellunt, in Hebraico textu planius quam in Latina translatione contineri:* (cum quo cõgruit illud Andradii lib.4. Defens. Trid. quod, *qui Hebræa pie ac religiosè tractant, multò in illis ampliora de Christo testimonia, quam in Latinis Græcisque offendant.*)

Lib.4.p.69. asserit, *tantum esse Bibliorum consensum, ut ne unus quidem Scripturæ liber proferri possit, manu Judæi conscriptus, cui vel desit quicquam, quod in aliis habeatur, vel addatur, quod aliis deest.*

Benedictus Arias Montanus in Præfat. vers. interlin. Biblior. *Quanta integritate sancta Biblia in ea lingua, quæ sancta appellatur, semper conservata fuerint, (etsi non desunt, qui unius Justini Martyris opinione adducti aliter sentiunt,) plerique doctissimi viri constanter asseverunt.*

Ibid. opinionem illam, quæ statuit, Codices Hebraicos esse corruptos, vocat *Mahumetanæ doctrinæ fundamentum*, & prolixe respondet Erostrato contendenti, *Biblia esse corrupta.*

In Præfat. tom 1. Biblioth. docet, *libros Hebraicos, quibus utimur, non fuisse Judæorum fraude corruptos, & si fuerit aliqua mutatio facta, tamen nullum verbum vel Elementum, vel punctum olim fuisse, quod in Thesauro, quem Masoreth appellant, non fuerit asservatum, & proinde Masoreth fidam custodiam vocari.*

Idem Benedictus Arias apparatui Bibliorum Regiorum libellum attexuit, de varia in Ebraicis lectione, ac de Masoreth ratione & usu, in quo probat, *omnem varietatem, quæ in diversis exemplaribus reperiretur, etiam sublato Masoreth sensum Scripturæ quam minimum lædere posse, qui facilime discerneretur ab iis, qui in Grammatica versati sunt.* Nihilo tamen minus mire commendat hanc variarum lectionum collectionem. *Hæc*, inquit, *quam exposuimus, omnium in Hebraica lectione varietatum summa est, quas diligentissime observatas, collectas & enumeratas à multis annis, quorum certa ratio nondum constat, ad nostra usque tempora in omnibus manuscriptis Bibliorum exemplaribus, quæ vel in Asia, vel in Africa, vel in Europa sunt, sine ulla discrepantia adscripta, magnâ cum legentium omnium admiratione visuntur.* Addit: *Hæc igitur, qui cunque attente & æquo animo legerit omnia, intelliget nimirum, vel temporum injuria, ut credere par est, vel Judæorum invidia, ut quidam accusare volunt, (qui tamen neque autorem, neque tempus, neque argumentum quamobrem Judæi id fecerint, indicant,) non tantam calamitatem esse allatam, quantam apud hujus Masoreth antiquissimæ ignaros, exclamari audimus.*

Georg. Wicelius in Encom. ling. Heb. F.v. fac. b. *Tutò per interpretationes omnium ambulare possunt periti linguæ Hebrææ.*

Id. in Retection. Lutheri E.vj. *Lutherus suum Testamentum commendat, nos fontem in precio habemus, qui non fallit.*

Ludovicus Vives in Comm. lib.15. de Civ. Dei cap.13. super verba Augustini: *Absit ut prudens quispiam Judæos cujuslibet perversitatis ac malitiæ tantùm potuisse credat in Codicibus tam multis ac tam longe lateq; dispersis, ut dinumerationem annorum Gen.5. corruperint. Hoc,* inquit, *idem responderi potest his, qui falsatos corruptosque & ab Hebræis Codices V. Test. & à Græcis N.T. objiciunt, ne veritas sacrorum librorum ex fontibus petatur.*

Sixtus Senensis lib. 3. Bibl. p.153. *Non facile affirmaverim, quod Jacobus Christopolitanus in Præfatione Psalmorum asserit, Rabinos Judæorum in odium Christianæ religionis unanimi consensu omnem veterem Scripturam punctorum appositione contaminasse, depravasse, & à vero sensu pervertisse, ut hoc perverso artificio veritatem à Christianis ex Hebræo fonte haustam, quoad fieri posset, obscurarent atq; extinguerent; & ob hanc causã ipse addit, nullam fidem adhibendam esse Hebræorum exemplaribus, hujusmodi punctorum interpretatione corruptis & falsatis. Cui sentẽtiæ ne omnino assentiar, prohibet D. Hieronymi translatio, quæ in præcipuis locis divinæ Scripturæ, quib. fundamenta fidei Christianæ ac veritas nostrorum dogmatum potissimum comprobantur, & de quibus præsertim inter Judæos & nos controversia est, semper fere cum hac punctuaria Hebræorum expositione consentiat, tametsi in rebus levissimi momenti, & quæ plurib. sensib. absq; ullo veritatis præjudicio interpretari possunt, sæpe dissentiat. Huc accedit & illa August. lib.15. de C.D. persuasio, quod nullus unquam sanæ mentis credere poterit, Judæos quantumlibet malos ac perversos in Codicibus tam multis & tam longe lateque dispersis in unum convenisse, & odio Christianorum in corruptionem sacrorum voluminum conspirasse, ut scil. dum aliis inviderent Scripturæ veritatem, ipsi seipsos veritate privarent.*

Id. lib.8. Bibl. p.630. *Fatemur, veteres libros nonnullis in locis à quibusdam Judæis fuisse depravatos, sed talem depravationem tanti momenti fuisse non credimus, quin facile ab Origene, Eusebio, Epiphanio, Hieronymo & aliis Patribus Hebrææ linguæ peritis emendari pote-*

potuerit, facta collatione cum cæteris antiquissimis Hebræorum exemplaribus, tùm quia paucissima fuerunt ea loca à Judæis corrupta, tum quia non adeò fuit universalis eorundem locorum corruptio, ut in omnib. simul Hebræorum exemplaribus toto orbe terrarum dispersis, iidemmet loci ac eademmet verba essent corrupta, non permittente hoc divina Christi providentia, ne Ecclesia Sponsa sua divinæ Scripturæ veritate fraudaretur. Quare cum neque universalis, neque magna fuerit Scripturæ corruptio, facilè ex pluribus Codicibus, in quibus integra remanserant, quàm aliis vitiata fuerant, Hebraica lectio ad pristinam sinceritatem restitui potuit, ac reipsa restituta est ab Hieronymo & aliis Patribus: unde stultum est & sine ratione, velle nunc asserere, Hebraicos Codices olim in locis illis fuisse falsatos, in quibus universi omnium Hebræorum Codices tàm recentes, quàm vetusti consentiunt. p. 631. *Ipsimet Judæi opinionem eorum damnant, qui ausi sunt inter eos docere, libros sacros aliquando fuisse corruptos. Unde Jacob Benhaym de regno Thuneti, reprobans R. D. Kimchi sententiam ab hæreticis (*Anabaptistis*) inductam, scribit contra eam hunc in modum: Sententia illorum longe est à me, nec enim adduci possum, ut credam & labiis confitear, Esdram Scribam librum legis divinæ atque libros Prophetarum dubios, corruptos & confusos invenisse, quin magis sententia mea hæc est, quod Esdras & Collegæ ejus invenerint Biblia sacra integra & illæsa, quodque Esdras judicio suo cognoverit, qui libri scripti essent per sapientiam illam excellentem, & quare quædam literæ scriberentur, quædam vero non, quare etiam dictiones quædam extraneæ scriptæ essent, dimisitque eas in ipso textu, ut scriptæ erant, adjiciens in margine veluti glossam, quæ Naturam vocabuli extranei explicaret.*

Dieghus Payva Andradius Lusitanus lib. 4. Defens. Trid. fid. f. 247. *Demonstrabo,* inquit, *valde inconsiderate à quibusdam fuisse existimatum, Latinæ editioni ideo plus esse fidei, quàm Hebræis voluminib. habendam, quod hæc Judæorum fuerint perfidiâ corrupta & adulterata, illa vero integra & incorrupta in Ecclesia Catholica permanserit. Quod si tempus illi notare, autores atrocissimi sceleris describere, locum designare, cæteraque definire potuissent, quæ Judæos tam capitalis flagitii convincerent, magnâ nos profecto cura & solicitudine liberassent. Verùm si tota causa ex nuda suspicione, & ex Judæorum singulari dementia, perfidia & contumacia, & in Christi sanctissimum nomen inveterato odio pendet, leviora sane sunt, quàm ut sacris Hebræorum voluminibus antiquitate illustrissimis, majorum commendatione egregiis & omnium seculorum testimoniis amplissimis, insignem turpitudinis notam ad ignominiam sempiternam inurere debeamus.*

Et paulo post idem Andradius sic disserit: *Hieronymus atque Origenes illorum opinionem, qui ut summis se difficultatibus explicarent, Hebræa volumina condemnabant, meram calumniam esse confirmant, cum quibus & D. Thomas consentire videtur. Me vero illam fateor rationem vehementer induxisse, ut minime crederem, tanto se Judæos scelere devinxisse, quod cum in illud non nisi summâ in* CHRISTI *nomen invidia impelli potuissent, ad ea se quidem loca corrumpenda conferre potissimum deberent, quæ ad Christi majestatem illustrandam, gloriam & dignitatem prædicandam sunt amplissima: quæ non modo integra sunt & illibata, sed si Judæorum quis voluerit petulantiam coercere, perfidiam coarguere, dementiam reprimere, multo quidem apertiora atque illustriora ex Hebræis, quàm ex Latinis Græcisque voluminibus deducet argumenta. Quæ vero major dementia potuisset excogitari, quàm corvi fugam summo studio occultare, Christi vero, quem execrantur, Numen atque amplitudinem minime obscurare? cum item capitalia quævis & atrocissima flagitia, si cum Scripturarum corruptione conferantur levissima illi semper atque inanissima duxerint, quæ furia miseros homines exagitare potuerunt, ut inveteratum in Christum odium adulterandis & invertendis, quæ illius dignitatem minime commendant, declararent? Nam maxima eorum pars, quæ adversarii à Judæis corrupta esse volunt, ejusmodi sunt, ut Christum nequaquam intueantur.*

Et postea fol. 250 *Si legis & Prophetarum sententias, quæ Christianæ religionis mysteria continent, diligenter expendamus, facile quidem videbimus, non solum in Hebræis voluminibus non desiderari, sed multo aptius plerumque Hebræa, quam Latina ea ipse exprimere. Nam quamvis sententiæ fidelissime reddantur, Latini tamen sermonis facundia verborum Hebraicorum vim non satis exprimere potest.*

Concludit tandem fol. 259. *Quare amplissimo mihi videntur Christi Ecclesiam ornamento spoliare, qui, ut vulgatam editionem ab inanissimis vendicent calumniis, Hebræos Codices Judæorum perfidiâ corruptos contendunt: illud namque si semel persuadeant, nullum ab illis non suspectum, nullum non dubium, nullum non calumniæ invidiæque obnoxium testimonium peti poterit: facile enim quisque ex his, quæ à Judæis illi contaminata esse contendunt, omnia poterit in dubium revocare, & quæ à majoribus se Judæi didicisse, & sanctissimos vates à Deo accepisse affirmabunt, ab eisdem esse conficta, non sine aliqua verisimilitudine opinari, cùm levissima eorum sit autoritas, quos gravissimi sæpius mendacii convincimus, atque ita amplissimum hostium testimonium divinâ providentiâ ad Christiani nominis splendorem inter tot procellas & naufragia conservatum, Ecclesia Christi nostra contentione amittet. Satis ergo, ut opinor, demonstravimus, quàm longè à proposito sibi fine aberrent, qui, ut vulgatæ editionis dignitatem tueantur, Hebræa gravissimis vexant contumeliis, cùm præsertim aliunde illa, quàm ex frigidis calumniis petenda sit; ne dum rem tantam infirmis volumus fundamentis constituere, illius præclarissimam autoritatem minuamus. Nam quamvis solenne fuerit hæreticis, sacras literas corrumpere & adulterare, eodem se tamen sacrilegio Judæos etiam devinxisse, nullis video firmis argumentis à quopiam demonstratum.*

Marcus Marinus Canonicus S. Salvatoris Romæ in Præfatione super arcam Noe, hoc est, Lexicon Hebraicum: *Age jam,* inquit, *videamus, an Judæi ipsi depravarint Scripturas Christianorum odio, quemadmodum à nonnullis objicitur, & nos etiam prope compulsi superius dubitavimus. Quod si verum est, corrupisse illas vel ante Christi nativitatem, vel post; & quidem vel sententias mutasse, vel dictiones, vel puncta vocalia, necesse est. Nulla autem erat causa depravandi Scripturas ante Christum natum, neque potuisse eas corrumpere post nativitatem ejus, cùm propter Christianos, apud quos erant Biblia tàm Hebræa quam Græca ex translatione LXXII. tùm propter Massoreth illud, credendum est, nisi omnes Judæi, qui per universum orbem dispersi erant, convenissent, ut hoc agerent, quod nunquam legitur eos actitasse, & tamen apud omnes constanter unicus est Bibliorum textus. Adde eos credere, Biblia vel vera vel falsa esse; quod si vera, non mutanda; si falsa, cur credenda? Quin extat præceptum divinum apud Mosen de non addendo aliquid Scripturæ sacræ, nec detrahendo, quod, à Judæis nimis quam superstitiose observatur, ita ut nullum dubium sit, nunquam eos tam temerarios futuros esse, ut audeant vel unum apicem immutare, sicut & à Christo Servatore illis verbis prædictum est: Amen dico vobis, quod unum jota vel unus apex non præteribit à lege.*

Jacobus Bonfrerius cap. 12. sect. 5. Præloquiorum in Pentateuchum, multis ac validis argumentis refellit opinionem Galatini lib. 1. de arcan. Cathol. ver. cap. 8. *quod in Hebræo textu etiam ante natum Christum multa sint à Judæis corrupta atque immutata.*

Franciscus Ribera in cap. 9. Oseæ n. 20. *Hebræos Codices sua ætate extitisse incorruptos, gravissimis verbis testatur Hieronymus in cap. 6. Esa. & Augustinus lib. 15. de C. D. c. 13. & ante eos Origenes in 8. volum. explanationum, quem ibidem citat Hieronymus. Atque id verum esse, nemo, qui sane sapiat, dubitare debet. Nam si tunc etiam depravati erant, cùm Hieronymus translationem Latinam edidit, non habet Ecclesia veram Scripturam. Etenim Græcam translationem multis locis esse vitiatam, omnes consentiunt, & sæpè Hieronymus docuit, resque ipsa loquitur. Si autem prototypa Hebraica depravata tunc erant, cum nostra editio sit ex illis deprompta, omninò depravata est, & verâ incorruptaque Scripturâ caret Ecclesia. Quo quid turpius dictu, quid infamius?*

Franciscus Lucas Brugensis in Epist. ad Sirletum præfixa annotat. in Biblia, non fuit ausus diserte affirmare textum Hebræum esse corruptum. *Multa* (inquit) *in Latinam versionem irrepsisse vitia, mirum non est, cum idem in ipso Scripturæ fonte acciderit, quod perspicuum est in N. Testam. Græco. Nam de Hebræo nihil dicere volumus.*

Benedictus Pererius lib. 13. in Genes. cap. 8. v. 7. Disput. 8. ait, *se minime illis assentiri, qui fontem Hebræum corruptum esse statuunt.*

Joh. Lorinus in Comment. Act. 7. n. 51. *Judæos sacram Scripturam corrupisse dicitur à recentioribus.* In margine additur, *sed non probatur.*

Josephus Acosta lib. 2. de Christo revelato cap. 16. *Hebraicam editionem esse authenticam, dubitare non possumus. Et quamvis Judaica perfidia atque invidia conata sit, tantum nobis bonum eripere, fontemque ipsum sermonum Dei inficere, tamen nullo modo credendum est, eis licuisse, quicquid libuit. Neque defuere in Ecclesia docti viri, quorum studio conservati sunt Codices Hebraici sacri, ex quibus tutò potest Catholicus Doctor sacros sensus elicere, divina dogmata*

gmata confirmare, Iudæos ipsos convincere, Catholicæ denique Ecclesiæ judicium sententiamque defendere.

Lib. ejusdem cap. 10. *Primævam Bibliorum linguam incorruptum judicem* vocat.

cap. 15. *Ea demum habenda est interpretatio bona, quæ concordat originali linguæ. Autoritas divina tota penes illam, in qua sacer scriptor edidit primùm.*

Alphonsus Mendoza Professor Salmanticensis in controvers. Theolog. q. 6. positiva pag. 513. *Quidam contendunt, Codices Hebraicos, quos nunc temporis habemus, vitiatos esse & corruptos, & à veris originalibus distare quamplurimum &c. Ita referunt Porchetus p. 1. Victor. advers. Iudæos cap. 15. Galatinus lib. 1. de arcan. cap. 8. Adrianus Finus lib. 3. & 6. Flagelli Iudæorum, Canus lib. 2. de locis, cap. 13. & 14. ubi plurimos Patres citat pro hac parte; Hermas Latmarius lib. 8. de Instaur. relig. cap. 6. Iacobus de Valentia, Petrus Antonius Beuther & Figuerola, Lindanus, Titelmannus, Leo Castrensis & multi alii, quorum concors sententia hæc est, quod data opera Hebraicos Codices corruperunt Iudæi, sana tamen ac recta intentione, ut quidam eorum referunt. Nam dicunt, R. Iohanam ex nomine R. Simeon scriptum reliquisse, Bonum est, ut evellas literam unam de lege, & sanctificetur nomen Dei in publico &c. In hanc tamen ego sententiam nunquam descendam, ut existimem, vitiatos esse unquam Hebraicos Codices, imo censeo incorruptos & intemeratos servari ab eis temporibus, quibus scripti sunt ad nostra usque tempora. Nec destituta est hæc sententia patronis gravissimis. Eam tuentur Augustinus Eugubinus, Driedo, Cajetanus, Lyranus, Brugensis, Vega, Sixtus, & D. Hieronymus ubique locorum, & quidam alii nostri temporis doctrina & pietate præstantes viri.* (Multorum ergo Pontificiorum suffragium Mendoza nobis largitur.) *Sed præsertim ab illis verbis lege D. Hieronymum in Comment. Isai. cap. 6. Si quis,* inquit, *dicat, Hebræos libros à Iudæis esse falsatos, audiat Origenem &c. usque ad, ut Iudæi falsaturi erant. Vide D. Thom. in Epistol. ad Rom. cap. 9 ibi, Major serviet minori. Tertullian. in Apolog. cap. 18. & 19. Et omnium optime Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. Nullus prudens, ait, debet credere, Judæos tam longè lateque dispersos convenisse & conspirasse in sacrorum voluminum corruptione, ut dum aliis invidebant, Scripturæ se privarent pura veritate &c.*

(Sic ergo etiam Patrum antiquissimorum suffragium Mendoza nobis largitur.)

Johannes Driedo tom. 1 lib. 2. cap. 1. negat, *sacras Hebræorum Historias, Prophetarumque Scripturas esse de industria universaliter corruptas ac depravatas, sive ante Christi adventum, sive post illum, usque ad D. Hieronymum, sive post Hieronymum ad hæc usque tempora: negat eos impie agere, qui conferentes editionem Latinam cum origine suoque fonte, conantur indagare, si forsitan aut Interpres non fuerit recte assecutus mentem autoris, aut ipsi possint ex Scriptura in suo fonte melius intelligere, quod scribitur obscure in Latina editione.*

3. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quod loca illa, quæ Pontificii quidam corrupta statuunt, alii à corruptelis libera esse pronunciant.

Salmero tom. 1. oper. fol. 14. memorat, *multos doctos viros censere, quod libri Regum quoad Chronologiam sint corrupti.* Sed ipse eos hoc nomine refellit.

Galatinus lib. 1. de arcan cap. 8. statuit, *locum Ose. 9. v. 10. esse corruptum.* Sed Ribera in Comment. illius loci hoc negat.

In lib. Proverb. *Jedidoth corrupte legi pro Jedidah,* statuit Leo Castrius libro Salmanticæ edito pro fontis corruptione. Sed illum propterea refellit Johannes Pineda Hispalensis lib. 5. de rebus Salomonis cap. 4. sic scribens: *Fallitur Leo Castrius in eo, quod existimat, ab aliquo corruptore suppositum fuisse in Hieronymi Commentariis Jedidoth pro Jedidah, hoc est, dilecto. Nam & Hieronymus agnovit nomen multitudinis &c. Sed is est autor, dum in ejusmodi Hebraizationes incidit, vix sui compos, & bono licet zelo, tamen vel ignoratione rerum quarundam, vel vehementiori aliqua affectione extra fines veritatis & modestiæ rapitur.*

4. Quod Masoretarum diligentiam in conservanda Scripturæ integritate commendant.

(Accurata enim ista diligentia non permittit, ut vel negligentia Scribarum, vel malitia Judæorum libros sacros ab ipsis corruptos esse, vel suspicari liceat.)

Nicol. Serarius Præfat. in Pentateuch. p. 74. *Hieronymum mox insecuti sunt Masorethæ, qui, ut vetus R. Aquibæ dictum, Masoreth sejag lethorah, hoc est, traditionem esse sepem legis, sibi vendicarent, diligentia incredibili persecerunt, ut in Canonicis, quos ipsi numerant, libris, maligne nihil addi, adimi, mutarive deinceps possit. Nam singulorum librorum versus omnes, singulorum versuum vocabula omnia, singulorum vocabulorum literas omnes dinumerarunt, annotarunt, omnique posteritati transmiserunt, ut in Masoreth utraque magna & parva videre est.*

Joh. Stephanus Menochius Jesuita Præfat. annotat. in Biblia cap. 10. ex Serario in Proleg. cap. 11. q. 2. repetit, quod *Rabini singulorum librorum versus omnes, singulorum versuum vocabula omnia, singulorum vocabulorum literas omnes dinumerarint, annotarint & ad posteros transmiserint, itaque eò etiam descenderint, ut quoties unaquæque litera in sacris libris ab ipsis receptis repeteretur, annotarent & summam inirent; v. g. Aleph. esse 24377. Beth 38218. Gimel 29537. & sic de reliquis.*

Confer Ariam Montanum Præfat. in Pentateuch. Biblior. Regiorum, & in libello de varia in Ebr. libris lectione in Apparatu: ut & Marinum Præfat. in Arcam Noæ, ubi itidem Masoretarum diligentiam commendant.

5. Quod agnoscunt, Ecclesiæ necessarias esse Scripturas incorruptas.

(Atqui vulgata versio Latina non est incorrupta, ut postea demonstrabitur. Ergo textum Hebræum, utpote originalem, oportet esse incorruptum.

Salmero tom. 1. Proleg. 33. p. 417. *Hoc maximè Ecclesia à Christo promeruit, cum qua se perpetuò permansurum promisit, ut ejus Scripturæ essent intactæ & incorruptæ. Nam sine Scripturis veris & germanis Ecclesia nequaquam commode posset consistere. Corruptas siquidem & vitiatas in rebus ad fidem spectantibus illas habere, perinde est atque Scripturas non habere: at sine illis Ecclesia esse vix posset, per quas in fide necessario eruditur & in moribus instruitur.*

Bellarminus, quamvis non ex toto nobiscum in hac quæstione consentiat, (nam lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. §. 1. scribit: *Chemnicius & Georgius Major omnia examinari & emendari volunt ad textum Hebræum, quem purissimum fontem non semel appellant, quæ sententia apertissime falsa est.* Affert etiam quinque loca, in quibus fontes corruptos suspicatur. §. His ergo, statuit, *Scripturas Hebraicas non esse omnino integras & puras, sed habere suos quosdam errores, qui partim irrepserint negligentia, vel ignorantia librariorum, partim ignorantia Rabinorum, qui addiderunt puncta;* lib. ejusdem cap. 11. *fontes Hebræos multis in locis turbidos fluere,* asserit, *ut ad eos non possit semper recurri;*) ex parte tamen nobis suffragatur, quando secutus Driedonem lib. 2. de Eccles. dogmat. cap. 1. contra Jacobum Christopolitanum, Melchiorem Canum & alios, quibus *zelum bonum, sed non secundum scientiam* tribuit, ibidem ex professo disputat, *falsum esse, quod Judæi in odium fidei Christianæ studiose depravarint & corruperint multa loca Scripturarum.*

Producit autem contra illos eadem fundamenta, quæ superius protulimus, utpote

1. *Quod nec ante, nec post Christi adventum Hebræi Scripturas corruperint.*

2. *Quod non sit credibile, Judæos voluisse suis Codicibus eripere veritatem, ut nostris detraherent autoritatem, ac si vel maxime id voluissent, non tamen in Codicibus tam multis & tam longe lateque dispersis potuissent.*

3. *Quod incredibilis Judæorum erga libros sacros religio id credere non permittat.*

4. *Si Judæi falsare voluissent Scripturas sacras in odium Christianorum, sine dubio præcipua vaticinia sustulissent, id autem minime fecerunt, cum Codices Hebræi interdum magis vexent Judæos, quam Græci aut Latini.*

5. *Non est verisimile, Deum passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum generaliter falsarentur, præsertim cum ad hunc finem Judæos disperserit per totum orbem terrarum, & circumferre eos voluerit libros legis & Prophetarum, ut inimici nostri Christianæ veritati testimonium præberent.*

§. ultimo concludit, *errores ejusmodi, quos partim librariorum incuria, partim Rabinorum ignorantia in Codices Hebræos irrepsisse autumat, non esse tanti momenti, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur. Plerunque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parum, aut nihil mutant.* (Ergo lectionis potius varietatem, quam corruptionis fœditatem in Codicibus Hæbræis locum habere agnoscit.)

Lib.

Lib. ejusd. cap. 10. arg. 3. concedit, *Hebrais authenticam fuisse Hebraicam editionem*, (ostendat ergo, quando & ob quas causas desierit esse authentica. Nos eam adhuc authenticam esse dicimus, donec contrarium legitime probetur.

Merito igitur Gretserus pag. 29. Labyrinthi agnoscit, Pontificios in hac quæstione, *an Biblia sint corrupta*, sibi invicem cõtradicere, quamvis neget, *hanc esse dissensionem in fũdamento.*)

2. Quia ad fontes Hebræos in Vet. & Græcos in N. T. provocari posse agnoscunt. Nisi enim fontes isti pure fluerent, ad illos à versionum rivulis provocari non posset. Eorum, qui ita statuunt, dicta in sequentibus adducentur.

Argum. Adversariorum. 1. *Justinus in Dial. cum Tryph. Eusebius lib. 4. Histor. cap. 18. Origenes homil. 12. in Jerem. Chrysostomus homil. 5 in Matth. Hieronymus in Epist. ad August. in cap. 5. Mich. in cap. 3 Gal. statuunt, Judæos quædam erasisse ex Hebraicis Codicibus, quædam in odium Judæorum corrupisse.* Hoc argumento utuntur Jacobus Christopolitanus, Canus & alii d. l.

Resp. 1. Sixtus Senensis d. l. *depravationem illam non fuisse tanti momenti, quin facile à Patribus Hebrææ linguæ peritis emendari potuerit, facta collatione cum cæteris antiquissimis Hebræorum exemplaribus, tum quia paucissima fuerunt ea loca à Judæis corrupta, tum quia non fuit universalis in omnibus Hebræorum exemplaribus corruptio.*

2. Bellarminus d. l. magis solide & ad rem respondet, *Justinum & Eusebium nusquam scripsisse, ab Hebræis textum Hebraicum esse corruptum, sed textum Græcum LXX. Interpretum. Origenem itidem loqui de corruptione versionis LXX. Chrysostomum loqui de Interpretibus Judæis, h. e. Aquila, Symmacho & Theodotione. Hieronymum in citatis locis dubitare, sed in Commentariis Esaiæ, quæ posterius scripsit, aperte ridere eos, qui putant, Hebræos Codices esse falsatos.*

Argum. 2. *Judæi passim affirmant, multa à quibusdam suis Sapientibus mutata esse in sacris libris, & eas mutationes vocant Tikkum Sophrim, id est, correctionem Scribarum.* Galatinus, Huntlæus & alii d. l.

Resp. 1. Sixtus Senensis d. l. *Nos portentosa Thalmudicorum voluminum testimonia non recipere, utpote eorum librorum, qui omni mendacio, contumelia & blasphemia pleni sunt, non solũ adversus Christum, quem ipsi pro hoste habent, sed etiam adversus Deum creatorem cœli & terræ, quem solum Judæi se colere fatentur, qui etiam publico totius Ecclesiæ decreto damnati sunt.* Deinde, *singula, quæ Sophrim erasisse dicuntur, in multis & authenticis Hebræorum commentariis esse annotata, & memoria diligenter prodita, ex quib. annotationibus omnia, quæ à Scribis abrasa fuerunt in Hebræis exemplaribus, quæ nunc toto orbe extant, usq; ad minimum jota vel apicem restituta esse. Deniq; ipsosmet Judæos opinionem eorum damnare, qui ausi sunt inter eos dicere, libros sacros aliquando fuisse corruptos.*

2. Bellarminus d. l. dupliciter respondet, Primum, *forte non esse verum, ullam emendationem Bibliorum factam à Scribis. Origo enim hujus sententiæ est Thalmud, qui liber est fabulosissimus, nec Epiphanius, nec Hieronymus, qui sunt antiquiores libro Thalmud, meminerunt hujus Tikkun Sophrim.* Deinde, *si Tikkun Sophrim non est fabula, non esse corruptionem, sed veram emendationem, non factam à quibuscunque Scribis, sed ab Esdra & aliis sanctis Prophetis, qui post reditum à captivitate libros sacros reparaverunt.* Tandem addit, *imprudenter quosdam, dum se Judæos oppugnare credunt, Ecclesiam ipsam oppugnare Si enim illæ correctiones Scribarum sunt Hebraici textus corruptiones, sequitur aperte, vulgatam quoq; editionem esse corruptissimam.*

3. Marcus Marinus in Præfat. arcæ Noæ: *Judæi de his Tikkum Sophrim aliam sententiam, quàm quæ Galatini est, habentes, id totum rident. Nam illis ratum & firmum est, Scripturam sacram à Prophetis, ut nunc habetur, descriptam nunquam immutatam fuisse.*

Argum. 3. *Post Hieronymi ætatem à Judæis Scripturas depravatas esse Hieronymus, si viveret, non negaret.* Canus d. l. Huntl. d. l.

Resp. 1. Bellarminus d. l. §. Dicet. *Rationes pro integritate textus Hebraici adductæ omni tempore locum habent.* Deinde, *si post Hieronymi & Augustini tempora depravatio illa contigisset, quæ causa reddi posset, cur Psalmorum interpretatio Hieronymiana ita cum textu Hebraico, qui nunc extat, in omnibus conveniret? & tamen de Psalmorum depravatione præcipua querimonia est. Num ita Hieronymus vertit, sicut Judæi falsaturi erant?*

2. Andradius Defens. Trident. non veretur asserere, *si quis Judæorum voluerit petulantiam coercere, perfidiam coarguere, dementiam reprimere, multò apertiora atque illustriora ex Hebræis, quam ex Latinis Græcisq; voluminibus argumenta deducturum.*

3. Guido Fabricius Præfat. in N. Testam. Bibliorum Antuerp. diserte asserit, *sacra Biblia tanta cum integritate ad nostra usque tempora pervenisse, ut nec à Judæorum perversitate, nec à Græcanica Philosophorum levitate, nec à veterum Romanorum superstitione, aut denique à barbaris ullis nationibus fuerint unquam corrupta aut violata.*

Argum. 4. *Varia corruptionis exempla occurrunt.*

1. Genes. 8. *Latina editio habet, quòd corvus à Noe dimissus egrediebatur & non revertebatur Sic Hieronymus habet in Dialogo contra Luciferianos, & in Epistola ad Novatianum hæreticum. Sic Ambrosius de Noe & arca cap. 17. Sic omnes Catholici tàm Græci quàm Latini, tum vetusti, tum juniores ex LXX. Interpp. habuere, contra nunc Judæi legunt, corvum egredi & reverti* Canus d. l.

Resp. 1. Bellarminus d. l. ad ult. object. *In Hebræo non habetur, & revertebatur, sed exiit eundo & redeundo, donec siccarentur aquæ, quod non significat, corvum rediisse intra arcam, sed volitâsse circa arcam eundo & redeundo, ut aves solent, & fortasse etiam redeundo ad tectum arcæ & inde abeundo, idque sæpius, donec siccarentur aquæ, cum quo benè cohæret, quòd egrediebatur & non vertebatur, nimirum intra arcam.*

2. Aloysius Veronæ Episcopus in catena Geneseos, citante Sixto Senensi lib. 5. Bibl. p. 357. vulgatam editionem ac LXX. Interpp. versionem eodem modo cum Hebraica veritate conciliat: *Hic locus*, inquit, *non male, ut quidam arbitrantur, versus est. Nam cum dicitur in Hebraica vel Chaldaica editione, Corvus egressus est egrediendo & redeundo, donec siccarentur aquæ, includitur hæc negativa, quòd postquam siccatæ sunt aquæ, non revertebatur, ita quòd primo egressu circa arcam volitabat, ac si regredi vellet, donec siccarentur aquæ, inde perfecte egressus non est reversus. sicut nostra sonat litera cum Græca & Josepho.*

3. Adde, quòd etiam non desunt Latini Codices, qui habeant, *egrediebatur & revertebatur*, ut ex variis lectionibus ad Biblia annotatis cognosci potest. Sacroboscus in Defens. Decret. Trid. part. 4. c. 5. *Sunt Codices Latini magnæ autoritatis, qui legunt sine negatione, quemadmodum habetur in Hebræo.*

2. In Psal. 13. *desunt octo versiculi in Codicibus Hebræis, qui tamen habentur apud LXX. & citantur ab Apostolo Rom. 3.* Canus d. l. Wilh. Raynoldus cont. Witak.

Resp. Bellarminus d. l. resp. ad 3. object. *Hieronymus ad hanc objectionem, quæ ipsi etiam olim facta fuerat, respondit in Præfat. lib. 16. in Esaiam, hos versus non pertinere propriè ad Psal. 13. sed ab Apostolo allegari ex variis scripturæ locis, deinde ab aliquo ex Apostolo in Psalterium* (Græcum & Latinum) *esse translatos. Inveniuntur enim primus & secundus eorum versuum Ps. 5. tertius Psal. 139. quartus Ps. 9. quintus, sextus & septimus habentur Esa. 59. ultimus Ps. 35. Atque ibidem addit Hieronymus, hos versus non esse in interpretatione LXX. Interpp. nec ullum Græcum Autorem in suis Commentariis hos versus exponere voluisse. Origenes quoque in Commentariis cap. 3. Epist. Rom. dicit, Apostolum hos versus sumsisse ex variis Scripturæ locis, quibus verbis manifeste significat, eos versus nec in Hebræo textu, nec in LXX. Seniorum interpretatione reperiri.*

3. Esai. 9. *legitur* יִקְרָא *vocabit, cum sit legendum* יִקָּרֵא *vocabitur.* Bellarm. d. l. Gord. Huntl.

Resp. primò κατ᾽ ἄνθρωπον. Idem Bellarminus in hoc ipso capite §. His ergo &c. statuit, *puncta esse addita à Rabinis*, quam opinionem plerique omnes Pontificii amplectuntur. Jam vero remotis punctis legi potest & יִקְרָא in activo & יִקָּרֵא in passivo. Sacrobuscus in Defen. Decret. Trid. part. 2. cap. 9. §. Venio ad decimum. *Textus Hebræus sine punctis utramque fert lectionem.* Secundo κατ᾽ ἀλήθειαν. Ribera in cap. 11. Mich. n. 17 & alii, qui Grammaticam Hebræam scripserunt, adeoque Bellarminus ipse cap. 4. part. 4. Gramm. Hebrææ rectè docent, *verba activa tertiæ personæ apud Hebræos sæpiùs usurpari passivè impersonaliter*, & Gen. 15. v. 6. Job. 4. v. 19. in ipso Esaia c. 22. v. 8. cap. 26. v. 2. & alibi passim, unde etiam Chaldæus & LXX. *Hebræi verba activa* passive verterunt. Docent & hoc, quod *Hebræi verba activa tertiæ personæ singularis numeri sine certo nominativo ponant subaudito participio ejusdem verbi.* Genes. 48. v. 2. Ex. 10. v. 11. Job. 37. v. 23. Commode ergo sic intelligitur Esaiæ locus *Vocabit eum*, scil. vocans Patter, qui hunc Filium nobis dedit. Simile exemplum in hoc ipso verbo יִקְרָא occurrit Jud. 1. v 17. Tertio Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 19. prolixe agit de hoc loco contra Judæos, nullius tamen mutationis in textu factæ meminit: *Nos*

Non, inquit, nihil in verbis Prophetæ addentes, nihilque ibi mutantes, (nota) *ut ipse* (R. Salomo) *facit, qui ut sensum Prophetæ pervertat, multa ibi addit, multaque mutat, infantem hunc nobis natum ac nobis datum secundum priscorum Thalmudistarum glossas Messiam esse dicimus.*

4. Jerem. 23. *legitur* יִקְרְאוֹ *vocabit eum, in singulari, cum tamen legendum sit in plurali.* Bellarm. d.l. Huntl.

Resp. Primò Hieronymus testatur, etiam suo tempore lectum fuisse in singulari, ac LXX. verterunt καλέσει. Ergo jam tum Hieroymi, imò LXX. interpp. tempore textus Hebræus fuisset corruptus. At hoc non concedunt, qui fontes Hebræos corruptionis accusant. Secundò Pagninus & Arias Montanus reddiderunt *in plurali*, idiotismum linguæ Hebrææ explicantes, qua verbum activum tertiæ personæ sumitur impersonaliter. *Vocabit eum* scil. unusquisque in Ecclesia, sive omnes pii in Ecclesia vocabunt eum. Matth. 1. v. 21. eodem ferè modo in quibusdam Latinis Codd. verbum vocabunt, usurpatur. Erasmus in annot. illius loci: *Vocabunt, non vocabitur, in emendatissimis Latinis & antiquissimis Codicibus, Hebræa, ut Hieronymus observat, significant, vocabit sive vocabis.*

5. Psal. 22. *legitur* כָּאֲרִי *tanquam leo, cum legendum sit* כָּרוּ *foderunt.* Bellarmin. d.l. Huntl.

Resp. Primò, Genebrardus in Comm. h.l. p. 76. Andradius lib. 4. Defens. fid. Trident. Johan. Isaacus lib. 2. contra Lindan. Galatinus lib. 1. de arcan. cap. 8. & lib. 8. cap. 17. Pagninus in h.l. testantur, *antiquissima & probatissima exemplaria habere* כארו Genebrardus inter cætera sic scribit: *Locus quidem est corruptus, sed* αὐτομάτως *fortuitò & casu, quasi per se & sponte propter nimiam affinitatem duarum literarum Jod & Vav, quæ adhuc olim erat major in manuscriptis, dum inter se duntaxat parva longitudine differunt. Alioqui Judæi locum non corruperunt de industria, sed variè lecti & scripti alteram sive lectionem, sive Scripturam, id est, nostram agnoscunt, & interpretantur, alteram verò, id est, deteriorem, ut quæ suam ipsorum perfidiam prætegat, sequuntur. Nam quòd nostram sequantur, apparet è magna Masora. Deinde & Glossa Hebræa ad illud capitis vicesimi tertii Numerorum* כארי *sicut leo, quæ notat in exemplaribus correctis hic scribi Caaru, non Cari.* Ergò ex probatis illis exemplaribus vera lectio restitui potest. Varietas lectionis non infert statim textus corruptelam.

Secundò Bellarminus h.l §. Dicet aliquis, sic scribit: *In Masoreth, quam post Hieronymi tempora scripserunt, monent Rabini in Psalm. 22. scribi debere* כָּאֲרוּ non כָּאֲרִי (Ergò Judæi hunc locum non corruperunt, ut vult Huntlæus, sed potius restituerunt.)

Tertiò, Biblia Complutensia studio Cardinalis Ximenii edita Anno 1520. legunt כָּאֲרוּ

Quartò, Marcus Marinus in Arca Noæ כארי pro כָּרוּ *per quandam anomaliam positum* asserit, ut א sit insertum per epenthesin, & י in fine positum pro ו quæ literæ facile invicem commutantur.

6. Psal. 19. *Hebraici Codices legunt, In omnem terrarum exivit* קַוָּם *linea eorum; cum tamen LXX. verterint* φθόγγος αὐτῶν, *quam versionem approbavit Apostolus Roman. 10. Ergò scriptum olim fuit* קוֹלָם Bellarminus d.l. Huntlæus d.l.

Resp. 1. Genebrardus in Scholiis super h.l. monet, *vocem Hebraicam significare quidem lineam, sed LXX. Interpp. respexisse ad sensum, eosque secutum esse Apostolum in allegatione sua, quia doctrina Apostolorum est linea, perpendiculum ac regula omnium in Ecclesia dogmatum.*

2. Bellarminus provocat ad Masoram lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. §. Dicet. Jam vero ex Masora evidens, legendum esse קַוָּם.

3. Lorinus ad h.l. sic annotat. *Fieri potest, ut ad sensum respiciendo, etsi legerint LXX.* קוֹם, *maluerint reddere sonum, ut docent Eugubinus & Genebrardus. Præterea Titelmannus, Bredenbachius, & quem postea legi, Malvanda.* (Opponendum hoc Bellarmino, qui de hoc loco sic scribit: *Si legissent kavam, nunquam vertissent* φθόγγος αὐτῶν, *hoc est, sonus eorum, nisi imperitissimi fuissent.*)

4. Quid, quod ipsi Judæi viderunt, קוּם non usurpari propriè pro *linea.* AbenEzra exponit per מִכְתָּב *Scripturam, quæ* τῷ φθόγγῳ signum est, & comparat cum Esai 28. subjungens: *Et sensus est, quod scriptura eorum legitur in omni loco, & dictasensum ejus intelligunt in omnibus locis terræ.* Nec multò secus R. Salomo Jarchi. *Linea cælorum*, inquit, *qui extensi sunt super faciem totius terræ, propterea in extremo orbe verba eorum; quia omnes loquuntur de mirabilibus, quæ vident.*

7. *Interdum desunt integræ sententiæ in Hebræo, cum non desint nec in versione LXX. nec in Hieronymi tranlatione. Exod. 2. deest totum illud, Alium quoque genuit & vocavit nomen ejus Eliezer, dicens: Deus Patris mei auxiliatus est mihi, & liberavit me de manu Pharaonis.* Bellarm. d.l.

Resp. 1. Cajetanus agnoscit, *versiculum illum esse supervacaneum*, cum ponatur suo loco Exod. 18. v. 4.

2. Lovanienses eum notant asterisco.

8. Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 13. urget, *quod dictum ab Apostolo Hebr. 1. adductum, Adorent eum omnes Angeli Dei, in Hebræo nuspiam inveniatur.*

Resp. 1. Salmeron tom. 15. Disput. 7. in Epist. ad Hebr. agnoscit, *communiter dici solere Paulum ex Psalm. 97. sumsisse.* (Contradicit quidem Salmeron huic sententiæ, *quia locus Psalmi sic habet: Adorate eum omnes Angeli ejus; Paulus vero pro adorate, dixit, adorent, & pro Angeli ejus, Angeli Dei.* Sed hæc nihil obstant. Sciunt enim, qui in Pauli scriptis versati, Apostolum solere non αὐτολεξεὶ recitare locos aut syllabas singulas numerare, sed sensum exprimere.)

2. Lyranus in cap. 1. Hebr. *Apostoli non semper curaverunt allegare Scripturam de verbo ad verbum, sed sufficit eis accipere sensum.*

Atque hæc sunt exempla corruptelarum, quæ Melchior Canus & Bellarminus adducunt. Illis alii addunt alia, sed quæ facilem habent explicationem.

9. Genes. 4. v. 8. post verba: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, videntur desiderari illa verba: Egrediamur foràs, quæ extant in Targum Hierosolymitano, LXX. Interpp. & in vulgata versione, sine quibus sensus est mancus & mutilus.* Cornel. à Lapide in Comment. illius loci.

Resp. 1. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. *ex Hieronymi versione Genesin in vulgata editione haberi*, putat. At Hieronymus in tradit. Hebr. in Genesin *superfluum esse dicit hoc additamentum, quod in Samaritanorum volumine extitisse testatur, Transeamus in campum.*

2. Idem lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. §. Dicet aliquis. provocat ad Masoreth. Jam vero nota Masoretica huic loco adscripta punctis additis commode sic verti potest: *Viginti octo versus sunt, qui desinunt in medio versu, scilicet quoad sensum, seu qui in medio versus ad accentum athnachta integram periodum absolvunt, plenumque sensum pariunt, etsi sequentia non adjungantur.*

3. Ipsimet Lexicographi Pontificii agnoscunt, verbum אמר interdum *absolute* poni pro דבר Psalm. 4. v. 5. Psal. 139. v. 20. qua hypothesi concessa nulla istius additionis relinquitur necessitas.

4. Glossa ordinaria ad h.l. sic annotat: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum. Subaudi, quæ locutus est Dominus. Superfluum est ergò, quod in Samaritanorum & nostrorum reperitur voluminibus, Transeamus in agrum.* (Sic ergo glossa ordinaria in vulgata versione redundantiam à textu alienam, non autem in Hebræo defectum aliquem agnoscit.)

5. Lyranus eodem fere modo ad h.l. sic annotat: *Quid dixerit Cain ad Abelem, non exprimitur in Hebraico textu. Illud enim quod subditur in translatione nostra, Egrediamur foràs, non est de textu, & ideo dicunt Hebræi, quod Cain dixit Abel fratri suo verba injuriosa, quærens occasiones occidendi eum, licet non sint expressa in textu illa verba. Et simile habetur 2. Reg 5.*

10. Genes. 6. v. 3. *in Hebræo legitur,* Non contendet Spiritus meus *in homine. Hieronymus vertit, Non permanebit Spiritus meus in homine. Legit igitur* ילון *à rad.* לון *pernoctavit, permansit. Ergo pro* ל *in Hebraicis exemplaribus* ד *mendosè irrepsit.* Leo Castrius lib. 3. Apol. Lindanus, Cornelius à Lapide ad h.l.

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth sanctæ hæres. 13. resp. ad 9. object. p. 646. *Quod Gen. 6. legitur* לא ידון *tam judicare quam manere ac veluti judicem sedere significat. Unde etiam LXX. quos noster Interpres secutus est, rectè verterunt,* ὐ μὴ καταμείνῃ *non permanebit, ut sit sensus: Non permanebit & sedebit, ut judex Spiritus meus in homine, quod perinde est, ac si dicas: Non judicabit Spiritus meus in homine.*

2. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. *Ex Hieronymi versione Genesin in vulgata editione haberi* statuit. Is vero in quæstionibus Hebraic. ad h.l. sic annotat: *Et dixit Dominus Deus, Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis in æternum, quia carnes sunt. In Hebræo scriptum est: Non judicabit Spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt.*

(Ergo jam tum Hieronymi ætate ידון in textu Hebræo legebatur.)

3. Johannes Ferus nullam in textu Hebræo corruptelam hic agnoscit, sed ad eum potius provocat. *Aliqui*, inquit, *hoc loco ex Hebræo legunt: Non judicabit Spiritus meus homines istos in æternum, & duplicem habet sensum, Primo sic: Quoniam fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam, quod merentur. Secundo sic: Quia hactenus frustra per Spiritum meum coargui ipsorum peccata, nunc arguere cessabo & sibiipsi eos relinquam. Hinc igitur videmus, quod Spiritus sancti officium est, arguere mundum, & quod magna gratia est, quod Deus nos arguit, quod enim odit & perdere vult, arguere cessat.*

4. Glossa ordinaria itidem sequitur textum Hebræum & Hieronymi versionem ei respondentem: *Non judicabit Spiritus meus homines in sempiternum, quia caro sunt, hoc est, quia fragilis est hominum conditio, non eos æterno cruciatui reservabo, sed hic reddam, quod merentur. Clementia ergo est, non severitas, quod peccator hic pro scelere visitatur.*

5. Lyranus adducit Glossam R. Salomonis, quam *literæ magis congruere* dicit *Non disceptabit Spiritus meus in homine in æternum, ac si diceret Deus, Usque nunc tenui sententiam de deletione generis humani per diluvium in suspenso per modum cujusdam disceptationis. Sed ex nunc proferam sententiam.*

11. Genes. 49. v. 10. in vulgata versi habetur: *non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est, ex quo colligitur, in Hebræo olim lectum fuisse שלח missus sive mittendus, cum corrupte hodie legatur שילה* Gord Huntl.

Resp. 1. Petrus Galatinus lib. 4. de arcan. Catholic. veritat. cap. 4. sic disserit: *Multo melius pro nostra fide Hebraica veritas habet.* Et postea: *Judæi nostri temporis latam habent viam fugiendi negandaque veritatis, si legatur שלח mittendus. Objicere enim facile possunt, Prophetiam hanc non de Messia, sed aliquo alio intelligendam esse, & præsertim de Nabuchodonosor Babylonis Rege, qui ad innumera eorum Patrum que peccata punienda, & ad urbem Jerusalem templumque destruendum, atque ad populum captivandum mittendus erat.*

(Ergo non est ullo modo verisimile, Judæos שלח mutare voluisse in שילה.)

2. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. §. Dicet, provocat ad *Massoreth*. Jam vero Mosoreth legit שילה non שלח

3. Galatinus d. l. docet *nomen* שילה *magis proprie convenire Messiæ, quam nomen* שלח. Adducit enim locum ex R. D. Kimchi in lib. Seraffim. שליה *est sacculus, in quo manet infans in utero matris, qui aliquando in Scriptura pro embryone in matrice usurpatur.* Ergo שלה est idem quod בנו *filius ejus*, scilicet Judæ, ut ה sit idem affixum, quod ו ejus, & של idem quod שליה *secundina*, & per synecdochen fœtus sive filius. *Non abs re profecto sic locutus est*, (inquit Galatinus) *hoc enim aperte innuere voluit, Messiam à matre absque patre nasciturum, sive de matris materia sine viri semine concipiendum fuisse*

4. Porchetus Victoriæ contra Judæos part 1. cap 2. *Primitus dicendum est, quod ubi nos habemus, Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femoribus ejus donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: aliter se habet Hebraica veritas. Ista namque translatio nostra magis est juxta sententiam quam literalis. Quapropter Judæi in hac parte viam latam habent fugiendi & negandi veritatem, faciem veritatis habentes.* (Ergo textus Hebræus, prout hodie legitur, magis convincit Judæos.)

5. Cornelius à Lapide in Comment. inter cætera sic disserit: *LXX. judicarunt* ה *positum pro* ו, *literæ enim Ebræi quiescentes subinde commutantur. Reddiderunt igitur, donec veniat, scil. Christus, cui repositum est, nimirum sceptrum & regnum Juda, uti legunt & intelligunt Ignatius, Irenæus, Hieronymus, Ambrosius, vel, donec veniant reposita ei, puta ampla regna, trophæa & dona Messiæ, quæ Judæ reposita & reservata sunt usque ad tempus Messiæ, uti legunt & intelligunt Cyprianus, Augustinus & Chrysostomus.* (Nullus ex his omnibus aliquam in textu Hebræo corruptelam subesse suspicatus est.)

6. Johannes Ferus in Comment. *Proprie schilo significat eum qui in omnibus feliciter agit & prosperatur, & omnia, quæ incipit, ad felicem exitum perducit.* Deducit igitur hoc nomen à radice שלה non à rad שלח ac proinde nullam hic agnoscit corruptelam.)

12. Deuter 23. inter v. 17. & 17. in LXX. Interpp. versione insertus hic versiculus, οὐκ ἔσαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσαι τελισκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχὴν ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. Hunc versiculum Salmeron tom. 8. tract. 59. *ex Hebræo textu à Rabinis expunctum fuisse suspicatur, ut Cæsari adularentur. Tempore autem Christi in textu Hebræo adhuc versiculum illum extitisse & ad eum à Pharisæis respectum haberi, quando à Christo quærunt, ἔξεστι; Licetne censum dare Cæsari an non?*

Resp. 1. etiam Latina versio hunc versiculum prætermittit, quæ tamen Pontificiis est authentica.

2. In Codicibus Regiis Græcis omissus est.

3. Cornelius à Lapide & reliqui Interpp. nullum hic in Hebræo agnoscunt defectum.

13. Jos. 21. *totus versus 36. in quo numerantur quatuor civitates refugii, quæ erant in tribu Ruben, deest in omnibus antiquis Bibliis Hebraicis & Chaldaicis, ut in Bibliis Hebraicis Venetiæ editis cum Commentariis R. Aben Ezra, & testis est Kimchi in Josue & constat ex magno Masoreth Judæorum. Et notant Tostatus, Masius, Arias Montanus, Lucas Brugensis. Christiani propria autoritate addiderunt hunc versum ex LXX. Interpretibus & vulgata editione, atque etiam ex 1. Paral 6.* Hunc locum urget Gordonus.

Resp. 1. Lucas Brugensis ad h. l. sic scribit: *Notat Kimchius, se in antiquis exemplaribus, nisi quibusdam, non invenisse.* (Ergo in quibusdam tantum Codicibus Hebraicis desideratur.)

2. Omnes Bibliorum Hebræorum editiones, quas hodie manibus terimus, hunc habent versum, & Venetæ & Antuerpienses, & Roberti Stephani & Munsteri, & Genevenses & Hartmanicæ.

14. Judic. 18. v. 30. in vulgata versione dicitur, *quod Gerson fuerit filius Mosi.* Sed in Hebræo textu dicitur, *quod fuerit filius Manassis. Corruptela hæc est Judaica. Judæi enim interposita litera Nun mutarunt nomen Mosis in nomen Manassis, ne videretur Moses habuisse impium nepotem Jonathan filium Gersonis.* Gordon. Huntl. d. l.

Resp. Marcus Marinus in Præfat. arc. Noæ docet, *Gersonem*, cujus filius; *& Manassen*, cujus nepos Jonathan iste dicitur, fuisse *Levitas*, atque ita *Gersonem istum fuisse alium à filio Mosis, Manassen alium à Manasse tribus suæ Principe, etiamsi idem utrobique nomen sit.* Juxta hanc hypothesin nulla corruptelæ in textu Hebræo remanet suspicio.

15. Jud. c. 19. v. 2. *in Hebræo legitur, quod uxor illius Levitæ fornicata fuerit contra illum, cum tamen juxta LXX Interpp. & vulgatam editionem legendum sit, quod reliquerit eum. Ergo* זנח *quod relinquere significat, mutatum fuit in* זנה *quod fornicare significat.* Gord. Huntl.

Resp. 1. Lyranus nullam hic agnoscit textus corruptionem. *In Hebræo*, inquit, *habetur, quæ fornicata est super eum, & sic in Hebræo videtur tangi causa recessus, utpote quia propter fornicationem vir ejus ejecit eam, vel quia ipsa ignorante viro recessit ab eo cum adultero, & postea non fuit ausa reverti ad maritum suum & ideo ivit ad domum patris tui.*

2. Masora, ad quam Bellarminus provocat, verbum illud addita nota ita munivit, ut in זנח mutari vel ex eo mutatum fuisse dici omnino nequeat: (זנח non usurpatur hac phrasi, sed זנה ut ostendunt exempla. Prioris quidem verbi Psal. 88 v. 15. Thren. 2. v. 7. 1. Paral. 28. v. 9. Posterioris vero Ezech. 16. v. 16. Os. 9. 9. v. 1.)

16. 2. Sam. 5. v. 8. *desunt in Hebræo duo verba, quæ habentur in vulgata versione, proposuerat præmium, ut constat ex 1. Paral. 11. v. 6. ubi habetur integra sententia.* Gord Huntl.

Resp. 1. Lyranus in Comment. Gen. 4. super verba, *Et dixit Cain ad Abel, egrediamur foras*, nullum in textu Hebræo h. l. agnoscit defectum. 2. Reg. 5 (inquit) *translatio nostra habet, proposuerat enim David in die illa præmium ei, qui percussisset Jebusæum. Veritas Hebraica sic habet: Et dixit David in die illa, Quicunque percussisset Jebusæum, & non exprimit ibi aliquid de præmio, nec in particulari, nec in generali.*

2. Si ex ellipsi, quæ completur 1. Paral. 11. v. 6. corruptio textus inferri posset, vulgata versio, ellipses habens complures, esset corruptissima.

3. Pagninus in Thesauro ad radicem שבע ex Rabinis hæc adducit: *Non exposuit, quid faceret illi, sed Scriptura inquit, quod faceret illum ducem, quamvis Scriptura sit abbreviata, sed in libro Paralipomenon exposuit.*

17. 2. Paral. 21. v. 2. *Josaphat vocatur Rex Israel, cum tamen fuerit Rex Juda, ut habent LXX. & vulg. edito. Item cap. 28. v. 19. Achas Rex solius Juda dicitur Rex Israel mutato nomine Juda in nomen Israel, ut patet ex LXX. Interpp. & vulg. versione.* Gord. Hunt.

Resp.

Resp. in cap. 21. v. 4. *Principes Juda* dicuntur *Principes Israelis*, ut apparet ex contextu, ubi & LXX. Interpp. & vulgata versio nomen Israelis retinuerunt. Quod si ergo in textu Hebræo est corruptio 2. Paral. 21. v. 2. & cap. 28. v. 19. etiam vulgata versio eodem plane modo erit corrupta 2. Paral. 21. v. 4. Simile exemplum in vulgata versione occurrit 2. Paral. 12. v. 6. Mich. 1. v. 4. ubi nomen *Israel* pro *Juda* usurpatur.

18. 2. Paral. 26. v. 7. *transpositis duabus literis* ע *&* מ *mutarunt Ammonitas in* מְעוּנִים *vocem omnibus plane incognitam, ubi LXX. Interpp. & vulg. editio habent Ammonitas.* Gord. Huntl.

Resp. ipsimet Pontificiorum Grammatici agnoscunt literarum μετάθεσιν apud Hebræos esse usitatam. Sic 1. Reg. 10. v. 11. habetur אַלְמֻגִּים pro quo 2. Paral. 9. v. 10. scribitur אַלְגּוּמִּים. Confer Psal. 18. v. 46. cum 2. Sam. 22. v. 46. Item Joel. 1. v. 6. cum Ps. 58. v. 6.

19. Psal. 37. v. 28. *desunt in textu Hebræo illa verba, Injusti puniuntur, quæ habentur apud LXX. Interpp. & in edit. vulg. At constat, hæc olim fuisse in Hebræo. Nam cum alterni versus sequantur ordinem Alphabeti, deest sola litera* ע *quæ olim fuit in illis verbis. Nomen enim injusti incipit à litera* ע *vocant enim injustos* עַוָּלִים Job. 19. v. 18. *Item Psal. 145. deest versus, Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Nam ejus Psalmi versus incipiunt singuli à singulis literis Alphabeti. Deest autem sola litera Nun, ad quam pertinet* נֶאֱמָן *fidelis.* Gord. Huntl.

Resp. 1. Numerum & ordinem literarum in ejusmodi hymnis non adeo curiose observatum fuisse, consimilia ostendunt exempla. In Ps. 25. nullus versiculus incipit à Vau, deest etiam ibidem litera Beth, pro qua duo versus ab Aleph incipiunt. Deest item litera Kuph, pro qua duo versus à Resch incipiunt. In Ps. 34. litera ו est omissa, & ad finem superaddita פ. Psal. 111. singulis versibus binæ literæ continentur, nisi quod tres פצק in unum sunt conjectæ & tres rursus רשת in ultimum. Cur hic nemo defectum clamat?

2. Genebrardus ad Psal. 37. sic annotat: *Aliqui conjiciunt, dimidium hunc versum à Judæis detractum.* Et post. *Sed jam respondimus, Septuaginta addidisse sæpe de suo, quæ ad sententiam perficiendam desiderari existimabant: ut hoc loco, quo apertior esset antithesis ista, interjecerunt. quæ videbant à Davide prætermissa per ἀφαίρεσιν, quod nollet contaminare suum ordinem literarum mentione* עַוָּלִים *sive* עַוְלִים *injustorum, pravorum.* Idem ad Psal. 148. notat, *Prophetam non scripsisse, sed Septuaginta versum putaverim Prophetiçe restituisse, ut pleraque alia, de quibus proinde recte Hieronymus. Septuaginta addiderunt aliqua, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus sancti autoritatem.*

20. Psal. 76. v. 10. *Dicite gentibus, quia Dominus regnavit. Ab hoc versiculo Justinus in Dial. cum Tryphone conqueritur erasum esse* ἀπὸ ξύλου *à ligno.* Salmero.

Resp. Si hæc corruptio censenda, nec Græci, nec Latini Codices erunt incorrupti, quia in neutris extat illud ἀπὸ ξύλου à ligno. (Justinus non de textus Hebraici, sed Græcæ versionis corruptione loquitur.)

21. Es. 40. v. 5. *non habetur additum salutare Dei in verbis, Videbit omnis caro; quod tamen citatur Luc. 3 v. 4. & habetur in textu Græco LXX. Interpp.* ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. Salmeron.

Resp. quid ergo fiet editioni Latinæ, quæ itidem non habet additum, *salutare Dei*, sed sic habet, *Videbit omnis caro pariter?* Cur non potuit à Luca allegari caput Esai. 52. v. 10. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri?*

22. Es. 53. v. 8. *vulg. habet, Propter scelus populi mei percussi eum. Quomodo etiam LXX. & Chaldæus legunt. At in Codicibus Hebræis addita est litera* מ *inter duas ultimas literas, ut sit* לָמוֹ *illis, non* לוֹ *illi. Atqui secundum hanc lectionem populus Israel & non Christus dicitur percussus propter peccata nostra.* Gord. Huntl.

Resp. 1. Pagninus & Arias Montanus sine ulla corruptelæ suspicione לָמוֹ exponunt *singulariter* per usitatam apud Hebræos numerorum enallagen.

2. Galatinus lib. 8. de arcanis cap. 15. Judæos ex ipso contextu firmissime refellit nulla corruptelę cujusdam facta mentione.

3. Idem Galatinus lib. 8. cap. 14. hunc locum sic exponit, *Quoniam abscissus est, id est, abscindetur de terra viventium propter scelus populi mei, & ulcus eorum, vel quod erat eis, quod pro ulcere peccati originalis accipitur.*

23. Hos. 9. v. 12. *In Hebræo legitur, Væ eis, cum recessero ab eis. Sed in Græco est, propterea & væ eis est, caro mea ex ipsis. Hunc locum Galatinus lib. 1. de arc. c. 8. à Scribis statuit esse corruptum, ut mysterium incarnationis tenebris involverent.*

Resp. 1. Ribera in h. l. n. 22. *Mihi videtur nihil minus Judæos cogitasse, quam ut hunc locum depravarent, sed si intellexissent ita, illustraturos potius & confirmaturos fuisse. Quid enim illis potuit esse gloriosius, quam Deum sumere ex illis carnem? in hoc ipsi gloriabantur, ubique hoc jactabant, quod ex sua gente nasciturus esset Messias. Cur igitur delerent in Scriptura? Aut si id facere volebant, cur non illustriora loca delebant, quibus Christus ex semine Abrahæ & ex domo Davidis nasciturus prædicabatur?* Et paulo ante. *Julianus Pomerus Archiepiscopus Toletanus qui & Judæus prius fuit & postea Christianus contra Judæos scripsit, nihilque prætermisit, quod fidem nostram adversus illorum impietatem juvare posset, ita hunc locum refert, ut est in nostra translatione lib. 9. contra Judæos in med. nec queritur, Codices ab Hebræis esse vitiatos.*

2. In Latina versione itidem habetur, *Væ eis, cum recessero ab eis.* E. & illa esset corrupta.

24. Zach. 9. v. 9. *vulgata legit, Ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator, quo modo etiam legunt LXX. & Chaldæus. Sed in Hebraicis Bibliis legitur, Justus & salvus. Corruptela hæc est Judaica.* Gordonus Huntl.

Resp. 1. Ex Masora constat, legendum esse hoc loco נוֹשָׁע *salvatus.*

2. Galatinus lib. 3. de arcan. cap. 23. ostendit, *passivam significationem optime ad Christum accommodari posse*, ubi inter cætera adducit dictum R. Menahemi Rakenad. *Salus Israel est salus Dei sancti & benedicti, ut dixit R. Barachias Sacerdos. quia scriptum est Zach. 9. Justus & salvatus; & non, justus Salvator ipse.*

25. Zach. 9. v. 11. *in vulgata & LXX Interpp versione legitur, Tu in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Judæi adjecta litera* ' *& mutatis punctis detorquent totam hanc sententiam ad Synagogam Judæorum.* Ribera in hunc locum, Gordon. in controvers.

Resp. Petrus Galatinus lib. 8. de arcan. cap. 20 sine ulla corruptelæ suspicione locum hunc ad Christum accommodat; *Quod autem (inquit) non nisi per sanguinis Messiæ effusionem & à peccatis mundandi essent fideles, & ab inferno liberandi, patet per illud Zach. 9. Etiam tu per sanguinem pacti tui, emisisti captivos tuos de puteo, in quo non sunt aquæ. Ad cujus dicti intellectum notandum est, quod hæ dictiones, tu & tuos hic posita, fœminini sint generis, ideo eas ad aliquod fœmininum, cujus mentio præcesserit, referri oportet. Ad quod autem fœmininum sint referenda, ostenditur ibidem, cum paulo ante hæc verba sic dicitur, Exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem. R. Salomo sic exponit, Etiam tu Ecclesia Sion & Jerusalem salvaberis cum Messia, sicut ipse justus est & salvatus. Per sanguinem pacti tui, id est, per meritum sanguinis pacti, qui effusus est super vos in Sinai.*

Argument. 5. *In Codices Hebræos negligentia & ignorantia librariorum irrepserunt quidam errores, præsertim cum in Hebræo facile sit errare ob literas quasdam simillimas, quales sunt* ר *&* ד, ח *&* ה, ו *&* י, *&* ב *&* כ, Bellarm. d. l. §. His ergo.

Resp. 1. quibus argumentis Bellarminus probat, malitia Judæorum non esse corruptos fontes, iisdem probari potest, librariorum negligentia vel ignorantia non esse corruptos. *Cui credibile erit,* (inquit) *Christum ad corruptas Scripturas legendas sine ulla præmonitione homines invitasse?* Item, *Si Codices Hebræi sunt corrupti, quo pacto testimonia, quæ à Christo & Apostolis citantur, omnia fere inveniuntur nunc in Mose & Prophetis, ut ab illis citati sunt?* Item, *incredibilis religio Judæorum erga sacros libros non permittit, ut credamus, Codices Hebraicos esse corruptos* Item. *Non est verisimile, Deum, qui sua providentia semper adest Ecclesiæ, permissurum fuisse, ut Codices Hebræi falsarentur.*

(At hæ rationes omnes sunt generales, non solum corruptelas ex Judæorum malitia ortas, sed etiam corruptelas ex librariorum negligentia originem ducentes, excludentes.)

2. Idem Bellarminus d. l. §. Dicet aliquis &c. provocat ad Masoreth.

(Atqui Masora illa est fida integritatis in textu Hebræo custodia.)

3 Idem Bellarminus d. l. §. ultimo monet, *ejusmodi errores, qui librariorum negligentia irrepserunt, non esse tanti momenti, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur.*

(Adde non esse eos tanti momenti, ut propterea ad eos tanquam authenticos in fidei controversiis provocari nequeat. Et hoc nobis sufficit.)

Argum. 6. *In Codices Hebræos ignorantia Rabinorum, qui puncta addi-*

addiderunt, quidam errores irrepserunt. Cum enim possint dictiones Hebraicæ variis modis legi, si punctis careant, non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberraverint. Potest etiam fieri, ut ex pravo affectu & odio in Christum ea lectio interdum ipsis magis probata sit, quæ minus Christianis favebat, Bell.d. Huntlæus d. l.

Resp. I. καὶ ἄνθρωπον, ex Sixto Senensi lib. 8. Bibl. hæref. 2. *Vocalium punctorum additio facta ab Hebræis nihil quicquam derogat perpetuæ divinorum voluminum sinceritati &c. Nam sublatis Rabinorum punctis semper veterem Scripturam cum suis radicibus & servilibus literis in sua puritate integram & incorruptam necesse est remanere.*

2. Idem lib. 3. Biblioth. p. 168. *Non facile affirmaverim, quod idem Episcopus* (Jacobus Christopolitanus) *asserit*, (& ex eo etiam Salmero tom. 1. Comm. Proleg. 4. p. 38.) *Rabinos Judæorum in odium Christianæ religionis unanimi consensu omnem veterem Scripturam hac punctorum appositione contaminasse, depravasse & à vero sensu pervertisse &c. ac proinde nullam fidem adhibendam Hebræis exemplaribus hujusmodi punctorum interpretatione corruptis. Cui sententiæ ne omnino assentiar, prohibet D. Hieronymi translatio, quæ in præcipuis locis divinæ Scripturæ, quibus fundamenta fidei Christianæ ac veritas nostrarum dogmatum potissimum comprobantur, & de quibus præsertim inter Judæos & nos controversia, semper fere cum hac punctuaria Hebræorum expositione consentit &c.*

3. Bellarminus d. l. §. ultimo sic scribit: *Errores, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omnino veritati officiunt, puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant. Itaque possumus, si volumus, puncta detrahere & aliter legere.*

4. Contradictoria hæc sunt, quæ Bellarminus asserit, videlicet, *fieri potuisse, ut ex pravo affectu & odio in Christum ea lectio interdum Judæis magis probata fuerit, quæ minus Christianis favebat; in iis tamen, quæ ad fidem & mores pertinent, Codices Hebræos esse integros.* Item, *Si Judæi falsare voluissent Scripturas in odium Christianorum, sine dubio præcipua vaticinia sustulissent; id autem minime fecerunt, imo sæpe Codices Hebræi magis Judæos vexant, quam Græci aut Latini.* Hæc, inquam, sunt contradictoria. Si enim quidquam corruperunt Judæi ex odio in Christum, procul dubio pertinebat illud ad Christum, atque adeo ad fidem.

5. Κατ' ἀλήθειαν. Johannes Isaacus & Antonius Rudolph. Cevalerius Gramm. statuunt, *puncta esse consonantibus in Codice Biblico coæva.*

6. Genebrardus initio Isagoges suæ ad legenda scripta Rabinorum, asserit, *lectionem sine punctis esse mancam, imminutam, abbreviationes defectiones.* (Aut ergo lectione manca usu est Ecclesia Israelitica ante illa tempora, quibus puncta sunt inventa, aut puncta ipsis literis sunt coæva.)

Argum. 7. Bailius Jesuita in Catech. Controv. tract. 1. q 15. sic disserit: *Rabini qui Masoram scripserunt post obitum Hieronymi, sive ex ignorantia, sive ex malitia, in quibusdam locis corruperunt genuinas voces Hebræas.* Idem statuit Huntlæus controv. 1. de verbo Dei cap. 9. p. 24.

Resp. Imo vero Masora est φραγμὸς φυλακτικὸν corruptionis. Marcus Marinus Canonicus sancti Salvatoris Romæ edidit Venetiis Lexicon Ebraicum, quod vocat *arcam Noæ* apud Johan Degaran Ann. 1593. in cujus præfatione Masoram his verbis commendat: *Ne plura,* inquit, *errata in lege irreperent, provisum est ab Hebræis Esdræ tempore, opere illo admirabili, quod Masoreth appellarunt, in quo ordine & modo prope divino, omnia quæ in Bibliis sunt, enumerarunt, & quot quoque modo scribantur, edixerunt.* Similia habet Benedictus Arias Montanus in Præfat. in Pentateuchum Bibliorum Regiorum. *In illo,* inquit, *Thesauro, quem Masoreth, appellant, tanquam in sacra & fideli quadam custodia, summa diligentia & magno studio constituta antiquæ lectionis reliquiæ, monumenta, indicia, vestigia, exemplaque omnia continentur, & ratio conferendæ veteris & novæ lectionis ostenditur, ex quibus quidem simul collatis certa quædam via extat, ad cujus præscriptam normam sacra mysteria indicari possunt.* Idem Arias in libello de varia in Ebraicis libris lectione ac de Masoreth ratione & usu. *Hæc,* inquit, *quam exposuimus, omnium in Hebraica lectione varietatum summa est, quas diligentissime posuimus collectas & enumeratas à multis annis, quorum certa ratio nondum constat, ad nostra usque tempora in omnibus M. S. Bibliorum exemplaribus, quæ vel in Asia, vel in Africa, vel in Europa sunt, sine ulla discrepantia adscripta, magna cum legentium omnium admiratione versantur.* Et postea: *Hæc quicunque attente atque æquo animo legerit omnia, intelliget nimirum vel temporum injuria, ut credere par est, vel Judæorum invidia, ut quidam accusare volunt, qui tamen neque autorem,* (nota) *neque tempus, neque argumentum certum, quamobrem Judæi id fecerint, indicant, non tantam calamitatem esse allatam, quantam apud hujus Masoreth antiquissimæ ignaros audimus.* Confer ea, quæ superius in confirmatione nostræ sententiæ sunt dicta membr. 4.

Coronidis loco videbimus, quomodo in hac quæstione Adversarii Midianitarum instar mutuis sese gladiis confodiant ac invicem refellant.

1. Gregorius de Valent. in Analysi lib. 8. cap. 5. sic scribit: *Quoniam Hebræi Codices Rabinorum fraude sæpe potuerunt depravari, satius est, ut aliquando ex nitido fontis rivulo, quam ex turbido fonte aquam ad bibendum hauriamus.*

Respondet Andradius in Defens. fidei Trident. p. 364. fac. b. *in re tam gravi non est nuda suspicione pronunciandum, aut ex frigidis calumniis ejusmodi accusationes petendæ sunt.*

2. Sacroboscus Defens. Decret. Trid. part. 1. cap. 3. sic disserit, *Neque omnino dubito, quin Rabini Judæi ex mala fide, odio ac invidia sensum Prophetarum in rebus gravissimis mutaverint.*

Respondet Lorinus ad cap. 7. Actor. *Hoc dicitur, sed non probatur.* Et Bannes in 1. part. Thomæ q. 1. artic. 8. p. 56. col. 2. *Ego ipse, postquam ab hinc annos 8. Hebraicæ linguæ operam dedi, quantum satis est, ut Rabinorum sectatores non me fallant, aut quasi ignorantem spernant, quamvis olim opinatus fuerim, Hebraica exemplaria non minus quam Græca esse corrupta, jam tamen, experientia ipsa convictus, ea incorrupta esse, nisi in locis quibusdam paucis negligentia potius quam Judæorum malitia judico.*

3. Huntlæus loco superius citato evincere conatur, *post Hieronymi tempora usque ad Domini annum quingentesimum malitiose à Judæis aliquid mutatum. Quinimmo divina providentia factum asserit, ut statim post factam vulgatam editionem depravaretur textus Hebræus, ne videlicet rejecta vulgata editione confugeret quispiam ad textum Hebraicum.*

Ad hoc objectum respondet Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. Postquam enim Augustini testimonium pro sua sententia adduxisset, *Dicet aliquis,* inquit, *generalem istam corruptionem Ebraicorum Codicum post Augustini & Hieronymi tempora accidisse;* At, subjungit, *Augustini rationes omni tempore locum habent. Deinde, si post illorum Patrum tempora depravatio illa contigisset, quæ causa reddi posset, cur Psalmorum interpretatio Hieronymiana ita cum textu Hebraico, qui nunc extat, in omnibus conveniat, & tamen de Psalmorum depravatione præcipua querimonia est, num ita Hieronymus vertit, ut Judæi falsaturi erant?* Huntlæo etiam hoc adversatur, quod Genebrardus docet, *Masoretharum* [...] *conscripsisse, & interjectis 30. annis post Hieronymum Masoreth suum conscripsisse, & quidem ad incommodo isti, videlicet maximæ depravationi & diversitati exemplarium, occurrendum.* Num vero ullo modo verisimile 30. annorum spacio tantam depravationem Codicum potuisse accidere?)

4. Salmero, referente Serario p. 72. sic concludit. *1. Si Ebræus textus corruptus non esset, & quidem sæpe, versiones Græca & Latina forent sæpenumero falsæ, quia ab illo discrepant.*

Respondet Andradius f. 354. *Hoc ipsum argumentum, quo Hebraicam veritatem (ut Hieronymi verbo utar) de gradu dejectam, atque eversam nonnulli putant, non vulgatæ tantummodo Latinæ, sed LXX. etiam interpretum editionis autoritatem firmat & stabilit, quam cum 400. prope annis Christi Ecclesia florentissimis ipsius temporibus usurpaverit, tantum veteres Patres illi detulerunt, ut non minorem tunc Hieronymus propter suam ex Ebræo versionem sustinuerit invidiam, quam novi nunc Interpretes apud plurimos sustinent. Ut taceam de cellulis, negare certe non possumus, summum veteribus studium fuisse ab illa quovis modo dissidere. Augustinus eos sæpe Prophetas vocat. Epiphanium, Irenæum, Eusebium, cæterosque antiquos Patres taceo, quos non aliter pro 70. Interpretibus, quam pro ipsis divinis oraculis pugnasse liquet, atque divino afflatu fuisse in interpretandis actos, existimasse. Quibus constitutis, libenter ab his Hebræorum nostra fuisse luminum adversariis discerem, an veterem Ecclesiam hac nostra authoritatis aut eruditionis splendore, aut dignitatis præstantia, aut hac dignitatis excellentia inferiorem existiment? Quod si parem in illa ac hac dignitatem agnoscant, cum una & eadem Ecclesia sit, idemque ipse utramque veritatis Spiritus instituerit & gubernaverit, rursus quæram, perspiciantne, quantum inter hanc 70. & vulgatam Latinam sit discriminis, & quantum inter se non verbis modo, sed integris etiam sententiis dissideant. Demum quæram, an existiment, corrupta fuisse Hebræa illis in locis, in quibus à 70. Interpretum editione dissentiunt? Quod si corrupta fuisse ex veteris Ecclesiæ in 70. Interpretes observantia evincunt, corruptam etiam adulteratamque nostram esse editionem*

nem oportet, *quæ 70. Interpp. versione posthabita, Hebræam nobis orationem & sententias aptissime reddidit. Esset enim infinitum, omnia loca recensere, quibus vulgata cum Hebræis mirum in modum, cum 70. v. Interpretibus nulla ratione consentit. Quod si hæc in Hebræis voluminibus loca integra olim & incorrupta fuisse propter editionis Latinæ autoritatem fatebuntur, cum veteris sane Ecclesiæ autoritate illam 70. Interpretum labem nequaquam pugnasse dicant; necesse est, atque adeo posse sine ulla Ecclesiæ contumelia Hebræa exemplaria & esse incorrupta, & ab illis, quibus nunc Ecclesia utitur, versionibus dissidere, neque oportere omnia ea à Judæis perfidiose depravata fuisse, quæ cum nostra editione minime consentiunt.*

2. Argum. Salmeron. ib sic habet. *Videtur id prædixisse Jeremias cap. 8. Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.*

Respondet Serarius, *mendax est stylus Scribarum, non in textus Scripturæ depravatione, sed sensus explanatione.*

3. Arg. Salmeronis *ab inductione locorum undecim.*

Respondet Serarius. *Jam dixi, Scripturas istas in loca propria differendas, cum sæpe non ex Hebræo textu, sed aliunde harum vera explicatio petenda sit.*

4. Arg. Salmeron. *ab autoritate Patrum.*

Respondet Serarius. *Loquuntur Patres de Græcis, aut translatoribus, qui Judaizant, aut translationibus etiam ipsorum LXX p. 76 & p. 74. Quod vero S. Hieronymus inter S. Augustini Epistolas undecima cap. 6 ait, se Biblia vertisse, ut ea testimonia, quæ à Judæis prætermissa sunt, vel corrupta, in medium proferret, Judæos appellat Græcos Interpretes Aquilam, Symmachum, Theodotionem, ut ex præfatione priore in Jobum & ex illa ipsa Epistola cap. 5. perspicuum est.* Eodem modo respondet Ludovicus de Tena l. 1 de Script. diffic. 3. sect. 4. Sic etiam Andradius f. 364. *cum Chrysostomus dicit, Judæos Esaiæ locum corrupisse, qui pro virgine puellam legunt, non Ebræos Codices, sed Aquilam & Symmachum notat.*

5. Argum. Salmeron. *Christum eraserunt de cordibus suis Judæi. Ergo & de Bibliis.*

Respondet Serarius. *In omnibus pene rationib. negatur connexũ;* & dum proponit hanc 5. objectionem dicit, *has rationes esse faciles, nec magnopere urgere.* Andrad. f. 364. sic respondet. *Satis, opinor, demonstravimus, quam longe à proposito sibi fine aberrent, qui, ut vulgatæ dignitatem tueantur, Hebræa gravissimis vexant contumeliis, cum præsertim aliunde illa, quam ex frigidis calumniis petẽda sint, nedum rem tantã infirmis volumus fundamentis constituere, illius præclarissimam autoritatem minuamus. Nam licet solenne fuerit hæreticis, sacras literas corrumpere, eodem se tamen sacrilegio Judæos etiam devinxisse, nullis video firmis argumentis à quopiam demonstrari.*

6. Arg. Salmeronis. *Judæi fatentur, se quasdam mutationes in Bibliis habere E. g. sæpe legitur* לא pro לו.

Respondet Serarius. *Significantur variæ lectiones, quæ non negantur. Sed hic de malitiosa, & quæ consulto facta sit, depravatione agitur.* Atque hæc fere argumenta Salmeronis fuere, prout ea recensuit & refutavit Serarius.

5. Leo Castrius Hispanus in Apologetico contendit, *plusquam quadringentis locis de industria à Judæis corruptum esse textum Hebraicum.* Sed huic Leoni respondet Pineda, etiam ipse Hispanus Jesuita lib. 5. de reb. Salom. cap. 4. sect. 1. pag. 531. *Sed is (inquit) est autor, dum in hujusmodi Ebraizationes incidit, vix sui compos & bono licet zelo, tamen vel ignoratione rerum quarundam, vel vehementiori aliqua affectione, extra fines veritatis & modestiæ rapitur. Et si ex hujusmodi tantum ungibus Leonem illum æstimaremus, non etiam ex aliis præclaris conatibus, aut murem, aut vulpem censeremus, aut canem, aut quidvis aliud ignobilius.*

6. Gordonus sic concludit. *Judæi hostes fidei Christianæ addiderunt puncta. Ergo credibile est, eos punctatione sua multa loca de industria corrupisse.*

Respondet Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. §. ultimo. *Errores qui ex punctorum additione orti sunt, nihil officiunt veritati. Puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant.*

7. Tradunt Ebræi. 8. loco à Scribis olim mutata, seu potius depravata, quam mutationem Tikkun Sopherim vocant. Melch. Canus lib. 2. Loc. cap. 13.

Respondet Bellarminus d. l. *vulgatam versionem in plerisq; ita habere, ut Scribæ isti correxisse vel potius depravasse dicuntur. Ex quo apparet,* inquit, *imprudenter quosdam, dum se Judæos oppugnare putant, ipsam Ecclesiam oppugnare. Si enim correctiones illæ Scribarum sint Hebr. textus corruptiones, sequitur aperte, vulgatam quoque editionem esse corruptissimam, quam tamen Ecclesia nobis pro authentica tradidit.*

Postea addit. *Aut non esse verum, ullam talem emendationem factam fuisse à Scribis, cum origo ejus sententiæ sit Talmud liber fabulosissimus; aut si Tikkun Sopherim non est fabula, non esse corruptionem, sed veram emendationem, non factam à quibuscunque Scribis, sed ab Ezra & sociis &c.* Bellarmino hac in re adstipulantur Ludovicus de Tena, & Jacobus Bonfrerius Theolog. Duacenus in Præloquiis ad S. Scripturam cap. 12.

Thesis tertia. Græca librorũ N. T. editio non est corrupta.

Ἔκθεσις. Neque hic est quæstio vel de lectionis varietate, vel de quorundam Codicum depravatione, sed de universali quadam corruptione, quæ authenticam Græci textus autoritatem labefactet.

Antithesis. Stapletonus Relect. controv. 5. q. 3. art. 2. p. 522. *Novi Testamenti Græcus textus propter exemplarium maximam varietatem & dissonantiam, atque item corruptelas varias hodie valde incertus & dubius est.*

Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 13. *Græci multis locis, ut Scripturam ad suum sensum traherent, novum Testamentum violarunt.*

Et postea: *Ad exemplaria Græca, ut quæ depravata sunt, non est recurrendum.*

Ibid. *Græcorum Codices non sunt modo emendatiores quam Latini, imo plerunque aliter habent, quam ratio ipsa & veritas postulant, quemadmodum Franciscus Titelmannus & in Collationibus super Epistolam ad Romanos, & in Apologia pro veteri Interprete doctissime copiosissimeque disserit.*

Anglo-Rhemenses in Præfat. annot. N. Test. *Cum Patres citant Græcum textum, non hunc Græcum intelligunt, nam fuit ille ab hæreticis multum corruptus.*

Hector Pintus in cap. 7. Daniel. §. Et tradatur. *Græci Græcos fontes corruperunt.*

Gordonus Huntlæus in Epit. controvers. 1. cap. 12. *Textus Græcus N. Test. variis in locis est corruptus, partim incuria librariorum, partim fraude antiquorum hæreticorum, & consequenter non adeo idoneus est ad gignendam fidem, ut existimant Adversarii, nisi accedat Ecclesiæ autoritas.* Idipsum aliquot argumentis ibidem evincere conatur.

Johan. Stephanus Menochius in Præfat. annotat. in Biblia cap. 14. *Græcus textus N. Test. corruptus est alicubi, sive librariorum & Typographorum negligentia & incuria, sive malitia & perfidia hæreticorum.*

Serarius in Proleg. cap. 13. Bonfrerius in Præloq. cap. 14. aliqua *loca* proferunt *corrupta*, propter quæ *potius ex Latino Græcum textum, quam ex Græco Latinum emendandum* esse, censent.

Nostram sententiam confirmamus iisdem fere argumentis, quibus Hebraici textus sinceritatem superius asseruimus, utpote;

1. *A divinæ providentiæ suavitate,* Deus eo fine non solum in Veteri, sed etiam in N. Test. verbum suum revelavit, illudque in literas redigi voluit, ut esset norma & regula omnium dogmatum in Ecclesia. Jam vero quod rationem regulæ obtinere debet, illud à corruptelis oportet esse liberum.

2. *A rationis paritate.* Par omnino est ratio librorum V. & N. Test. tum *ratione causæ efficientis*, cum utriq; sint divina inspiratione per sanctos Dei homines editi; tum *ratione causæ materialis*, quia utrique divinam revelationem & divina mysteria describunt; tum *ratione causæ formalis*, quia utrique divinam & Canonicam in Ecclesia autoritatem obtinent; tum *ratione causæ finalis*, quia utrique eo fine editi sunt, ut per incorruptam de fide & moribus doctrinam homines ad salutem instruerent. Quod si ergo libris V. Test. sua constat integritas, utique etiam N. Test. libris eadem denegari nequit.

3. *Ab Ecclesiæ in afferenda puritate Scripturæ fidelitate.* Sicut Ecclesiæ Israeliticæ fuere *concredita eloquia Dei*, h. e. libri Mosaici & Prophetici V. Test. Rom. 3. v. 2. ita quoque Ecclesiæ Christianæ primitivæ eloquia Dei in N. Test. libris descripta fuere concredita. Accepit enim autographa ab ipsis Evangelistis & Apostolis, eademq; in Ecclesiis Patriarchalibus, velut sanctum depositum, fideliter conservavit, ut juxta illorum tenorem de apographis judicium fieri posset.

4. *A piorum doctorum in removendis hæreticorum corruptelis sedulitate.* Quæ Marcion ex N. T. libris auferre vel mutare conatus fuit, ea notavit Epiphanius & in nostris Codd. Græcis habentur. Quæ Ariani sustulisse vel mutasse dicuntur, à primitivæ Ecclesiæ Dd. diligenter annotata sunt, & in nostris Codicibus habentur. Idem judicium de aliis aliorum hæreticorum corruptelis.

 5. A con-

5. *A consequente absurditate.* Si textus Græcus in Nov. Test. corruptus esset, non amplius purum & incorruptum extaret summum fidei principium, cum à rivulis non possit major puritas sperari, quam à fontibus, ac frustraneum esset studium, quod fontium cognitioni impenditur.

Huic nostræ sententiæ suffragantur,

1. Qui textus Græci in N. Test. integritatem nobiscum agnoscunt.

Thomas Morus in Epistola ad M. Dorpium pro defensione Erasmi p. 411. *Profecto, ut verè dicam, videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem ad depravandos libros Græcos unquam conspirare voluisse, ut ne dicam, ne potuisse quidem. De Judæis Hieronymus viderit, Græcos certe ab hac falsitatis suspicione liberat vel illud, quod in his, de quibus iis nobiscum fuit controversia, eorum libri nobiscum consentiunt, nec de litera unquam, sed de literæ sensu quæstio fuit. Nunc igitur quid comminisci quisquam possit, cur alia falsarent, cum nobis ea reliquerint, quæ vel sola falsare voluissent.*

Alphonsus de Castro lib. 6. advers. hæres. p. 320. *Græca lingua est fons Novi Testamenti.* (Illum ergo fontem à cœno corruptionis immunem Deus conservavit.)

Sixtus Senensis lib. 7. Bibliothec. hæresi 1. p. 576. *Helvidius, Græca N. Test. exemplaria esse multis in locis falsata, affirmavit, ut D. Hieronymus in libro, quem adversus illum cōscripsit, testatum reliquit. Temporibus nostris execrabiles Anabaptistæ ac Servetani hunc jam toties profligatum errorem magna Ecclesiæ malo instaurarunt, fatentes quidem libros aliquos N. T. ab Apostolis scriptos, sed postea ab hæreticis falsatos ac multis erroribus contaminatos fuisse &c.*

Et postea: *Quod libri Test. N. falsati corruptique minime sint, eadem semper & in eundem modum continuata ejus in Ecclesia lectio ostendit, quo argumento Augustin. in lib. de utilitat. credendi cap. 3. utitur. Nullis, inquit, in tam recenti memoria extantibus exemplaribus convinci potest, divinas Scripturas esse falsatas. Nam si de novo Testamento loquamur, eodem modo citant & legunt Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, atque alii Patres, qui per temporum sibi invicem succedentium seriem in Ecclesia secuti sunt. Simul autem omnes istos fuisse deceptos atque una cum his universam Ecclesiæ Catholicæ successionem per tot annos fuisse delusam, ut pro incontaminatis corrupta falsataque legerit, quis unquam nisi ex toto impius dixerit?*

Pag. 577. *Si quid, quantumvis minimum, in N. Test. falsatum esse dicatur, omnis N. Test. fides autoritasq; adimitur. Sicut enim de corruptione partis unius suspicari licebit, ita & de cæteris ejus partibus opinari licebit, cum nulla potior causa sit, cur hæc magis pars quam illa incontaminata servari debuerit.*

(Idipsum variis argumentis ibidem confirmat. Ne quis vero excipiat, non de *sinceritate Scripturæ* in genere, sed de *Græcorum Codicum puritate* in specie quæstionem esse, notanda sunt sequentia.)

Pag. 579. *Ad id, quod Anabaptistæ de corruptione tam Græcorum quam Latinorum Codicum objiciunt, dicimus, non licere ex particulari aliquorum Codicum depravatione inferre universalem ac generalem Codicum omnium corruptionem. Neque enim ex eo, quod Ambrosius, Hieronymus & Origenes dixerunt, vel aliquos Latinos Codices à perfidis quibusdam fuisse falsatos, vel multam in Græcis exemplaribus esse varietatem, concludere licet, omnes simul Catholicæ Ecclesiæ Codices fuisse vitiatos. Sicut nec ex particulari quorundam imperitorum negligentia vel falsariorum malitia deducere licet, majores nostros omnes Evangelicos Codices de industria corrupisse, quoniam ut Augustinus inquit lib. 32. contra Faustum cap. 16. licet omnes Patres in hoc conspirassent, ut seipsos atque alios Scripturarum veritate privarent, quod imaginari non potest, non tamen potuissent omnes undique Codices falsare, qui jam toto terrarum orbe Christianorum manibus tererentur, quia mox, ut id agere cœpissent, reclamantibus passim omnibus Christianis, tanquam falsarii fuissent de vetustorum Codicum veritate convicti, confutatique, maxime cum non una jam lingua, sed multis Evangelium contineretur.*

Pag. 580. *Hieronymus in Epistola ad Sunniam & Fretelam docet ad Græcos Codices tanquam emendatiores confugiendum &c. Restat igitur, semper apud Græcos fuisse Codices quosdam integros ac fideles, ex quibus Latini Codices emendari potuerunt.*

Et postea: *Dicimus, cum Græcum Codicem, qui nunc in Ecclesia legitur, eundem illum esse, quo Ecclesia Græca temporibus Hieronymi & longe ante usque ad tempora Apostolorum usa est, verum, sincerum, fidelem & nullo falsitatis vitio contaminatum, sicut continuata omnium Græcorum Patrum lectio luculentissime ostendit, imo semper atque eodem Scripturæ tenore legentibus Dionysio, Justino, Irenæo, Melitone, Origene, Africano, Apollinario, Athanasio, Eusebio, Basilio, Chrysostomo, Theophylacto atque aliis, ante tempora & post tempora Hieronymi, Patribus. Nec verisimile est, Græcos Patres suos Codices in detrimentum Latinorum vitiasse, quia si id ob odium Occidentalis Ecclesiæ fecissent, his maxime in locis depravassent, de quibus pugna & dissidia erant inter ipsos & Ecclesiam Latinam; quæ loca cum integra adhuc & inviolata perdurent, nec ea Græci vitiaverint, multo minus alia eos vitiasse credendum.*

Salmeron tom. 1. Proleg. 33. pag 416. sic disserit. *Anabaptistæ & Servetani, qui novi sunt Ariani, fatentur, libros aliquos Nov. Testament. fuisse ab Apostolis conscriptos, sed postea ab hæreticis depravatos & multis errorum portentis contaminatos, eosdemque errores ad hunc usque diem etiam in Codicibus Græcis perseverasse. Hieronymus in Helvidium scribens, autor est, Helvidium asseruisse, iisdem temporibus Græca omnia exemplaria Nov. Testam. corrupta fuisse &c. sed certe hunc errorem facile est nobis multis rationibus convincere &c.*

Pag. 417. *Corruptum non esse Nov. Testam. probatur, quia semper & eodem modo ejus lectio in Ecclesia continuata est &c. Eodem modo Nov. Testamentum citant & legunt Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus atque alii Patres, qui per temporum sibi invicem succedentium seriem in Ecclesia sunt secuti, simul autem omnes istos fuisse deceptos, atque una cum his universam Ecclesiæ Catholicæ successionem per tot annos fuisse delusam, ut pro incontaminatis corrupta, falsataq; legerit, quis unquam nisi ex toto impius dixerit?*

Ibid. *Hoc maxime Ecclesia à Christo promeruit, cum quæ se perpetuo permansurum promisit, ut ejus Scripturæ essent intactæ & incorruptæ. Nam sine Scripturis veris & germanis Ecclesia nequaquam commode posset consistere. Corruptas siquidem & vitiatas in rebus ad fidem spectantibus illas habere, perinde est atque Scripturas non habere: at sine illis Ecclesia esse vix posset, per quas in fide necessario eruditur & in moribus instruitur, unde Augustinus lib. 33. cap. 6. contra Faustum sic disputat: Quis tandem tanto furore cæcatur, nisi Dæmoniorum mendaciloquorum malitia atque fallacia consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præsentes Episcopos certissima successione servarint, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia tanta felicitate proveniat. Hactenus ille. Præterea si vel minimus aliquis error in Scriptura N. Test. admittatur, profecto omnis instrumenti novi fides & autoritas adimeretur: quia si de unius partis corruptione suspicari est liberum, licebit etiam de cæteris.*

Sub finem hujus Prolegomeni dicit: *Ubi vitiata ostenditur vulgata versio, merito ad exemplaria Græca N. Test. nos confugere & posse & debere.* (Præsupponere ergo cogitur, ea esse incorrupta, alias versionis Latinæ corruptio ex illis non posset corrigi.)

Bailius in Catech. controv. tract. 1. q. 15. *Textus Græcus* (N. Testam.) *ab Arianis & Origenistis nonnullis in locis fuit depravatus. Attamen melius in integro fuit conservatus, & tempore Hieronymi primo suo nitori restitutus, ut ipse fatetur de scriptoribus Ecclesiasticis lib. 6. cap. 135. Theodoretus lib. 1. de hæresibus, ubi agit de hydroparastis, dicit, se in suis Ecclesiis reperisse plusquam ducenta exemplaria Græca S. Scripturæ corrupta & adulterata: tanta fuit omni tempore hæreticorum malitia? Non tamen amissus est verus & antiquus textus Græcus, qui etiamnum hodie extat in Bibliotheca Vaticana Romæ.* (Si in quibusdam locis textus Græcus ab Origenistis & Arianis fuit corruptus, id fieri non potuit, nisi in exemplaribus, quæ in eorum manus inciderunt, reliqua manserunt incorrupta. Theodoretus in loco allegato non loquitur de Scripturæ sacræ voluminibus, sed de certo quodam Evangelio à Tatiano hæretico in formam Monotessari ex quatuor Evangeliis concinnato. Sic enim loquitur: *Is composuit etiam Evangelium, quod dicitur per quatuor, amputatis genealogiis, & aliis quæ ostendunt, Dominum natum esse ex David secundum carnem. Eo autem usi sunt non solum qui sunt illius sectæ, sed & ii, qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius eo tanquam libro compendioso utentes. Ego quoque inveni plusquam ducentos hujusmodi libros, qui in honore habebantur in nostris Ecclesiis, quos, cum omnes simul coegissem, deposui, & loco eorum reposui quatuor Evangelistarum Evangelia.* Quicquid sit, si vel maxime Theodoretus in quædam N. T. exemplaria corrupta incidisset, tamen non fuit Universalis omnium Codicum Græcorū corruptio.)

Bellarminus, quamvis *non ex toto* nobiscum consentiat, (nam lib. 2. de Verbo Dei cap. 7. §. 5. statuit, *fontes Græcos non esse*

esse purissimos, ut necessario, quicquid ab eis dissentit, corrigendum sit, & §.7. aliquot exemplis demonstrare conatur, fontes Græcos non esse ubique incorruptos, sed aliquos interdum errores irrepsisse saltem negligentia librariorum, ut non sit tutum semper Latina ad Græca corrigere;) ex parte tamen nobis suffragatur, quando d.l.§ 6. scribit: Non esse Græcos Codices in universum atque omnino corruptos facile demonstrari potest. Nam etsi multa depravare conati sunt hæretici, tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint & non permiserint libros sacros corrumpi. Plurima ex toto N. Test. abstulit, mutavitque Marcion, ut testatur Tertullianus lib.5. contra Marcion. Sed illa omnia fere notavit Epiphanius hæresi 42. & in nostris Græcis Codicibus habentur recte. Ariani quoque abstulerant ex Evangelio Joh. 4. Spiritus est Deus. Sed indicavit & notavit B. Ambrosius lib.3. de SS. cap. 11. & nostri Codices Græci omnes hoc testimonium habent.

2. Qui ad Græcos fontes recurri posse agnoscunt. (Si enim illi non essent incorrupti, non posset ad eos recurri vel provocari.)

Dicta hujusmodi adducemus thesi quinta proxime sequente.

3. Urgemus & hoc. Si hodie in editione Græca N. Test. aliquid desideratur, quod olim extabat, annumerari saltem debet Traditionibus Apostolicis, quas Ecclesia Romana habet innumerato, atque adeo restituere nobis facile potest & debet, Sacra enim Scriptura præcipue est in corde Ecclesiæ, secundario vero in libris, inquit Bannes in p.1. Thomæ q.1. art.8.

Argum. Adversar. 1. Negligentia librariorum aliqui errores in Codices Græcos irrepserunt. Bellarmin. d.l. ac Græci Codices à Latinis discrepant. Canus, Stapletonus d.l.

Resp.1. Sixtus Senensis lib.7. Biblioth. p. 580. Etiamsi demus, omnes Codices aliqua in parte fuisse corruptos, & singula Ecclesiæ Catholicæ exemplaria aliquibus particularibus locis fuisse vitiata, non erit tamen consequens, ut omnes simul Codices iisdem in locis, partibus, sententiis ac verbis corrupti fuerint, sed alii quidem in aliquibus, alii vero in aliis partibus, sententiis ac verbis ita corrupti fuerint, ut quæ in quibusdam exemplaribus vel casu, vel malitiosâ industria depravata fuerant, in quibusdam aliis integra & inviolata permanserint. Atque hoc quidem pacto Evangelicæ lectionis veritas, quæ in singulis & particularibus Ecclesiæ Codicibus pro temporum ac scribentium diversitate variata fuerat, in omnibus simul collectis exemplaribus integra semper & incorrupta permansit, ita volente Deo, ut vera lectionis integritas, quam hominum vel malitia, vel negligentia corruperat in partibus in tota saltem Ecclesiasticorum Codicum universitate servaretur, ne Ecclesia Christi per aliquod tempus divinarum Scripturarum integritate careret, utque haberent semper pii & eruditi viri unde corrigere & emendare possent, quod aut imperitorum inscitia, aut iniquorum perfidia vitiasset, facta collatione multorum inter se exemplarium. Ex quo jam patet, unde Latinum novum Testamentum emendari poterit, nempe ex collatione Latinorum Codicum ad Græca exemplaria, & Græcorum itidem inter sesipsa; (quæ postrema verba accuratissime notanda contra omnia depravationum exempla, sive ea ab hæreticorum malitia, sive librariorum negligentia originem duxisse statuantur.) Et postea: Semper apud Græcos fuerunt Codices quidam integri ac fideles, ex quibus Latini Codices emendari potuerunt, in quibus etiamsi concedatur mendositatem aliquam vitio scribentium potuisse contingere, potuerint tamen in pristinam integritatem facilè restitui, quia ex pluribus casu depravatis exemplaribus in unum collatis sæpe numero vera lectio deprehenditur, propterea, quod frequenter accidit, ut quod Scriptum incuriâ in uno Codice est depravatum, in alio Codice integrum reperiatur.

2. Iisdem argumentis, quibus Bellarminus probat, Codicem Hebræum in Vet. & Græcum in N. Test. non esse Judæorum ac hæreticorum malitia corruptum, probari etiam potest librariorum negligentia corruptum non esse. Verbi causa. Lib.2. de Verbo Dei cap.2. §. Ex quo &c. sic scribit: Imprudenter quidam, dum se Hebræos (Græcos N. Test. Codices) oppugnare credunt, Ecclesiam ipsam oppugnant. Si enim illæ correctiones Scribarum, (illi errores, qui negligentia librariorum in quosdam Codices irrepserunt, itemq; illæ lectionum diversitates) sunt Hebraici (Græci) textus corruptiones, sequitur aperte, vulgatam quoq; editionem esse corruptissimam (quippe quæ ex Græco textu est translata) quam tamen nobis Ecclesia pro versione authentica tradidit. In cap. eod. §. Quintum. Non est verisimile, DEUM, qui Ecclesiæ suæ semper prospexit, passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum [Evangelistarum & Apostolorum] generaliter falsarentur, (vel librariorum incuria generaliter in omnibus Codicibus depravarentur:) ejusd. cap. §. ult. Non tanti momenti sunt ejusmodi errores, qui negligentia vel ignorantia librariorum in Codices Hebræos (Græcos N. Testam.) irrepserunt, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritatis desideretur. Plerunque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parum, aut nihil mutant. Lib. ejusdem cap.7. § 5. De Codicibus Græcis in N. Test. idem statuendum, quod de Codicibus Hebraicis in veteri. (Jam vero integritatem Codicum Hebræorum à corruptelis tam negligentia librariorum, quam malitia Judæorum intrusis ex ipsis Bellarmini hypothesibus superius evicimus. Ergo idem de integritate Codicum Græcorum statuendum.) Lib. ejusd. cap.7. §.6. Nunquam defuerunt Catholici, qui corruptelas ab hæreticis intrusas detexerint & non permiserint sacros libros corrumpi. (Eadem vigilantia Catholicorum non permisit Græcos Codices omnes librariorum negligentia vel ignorantia corrumpi.) Lib. ejusd. cap.11. §.6. disputat, Errores librariorum, qui in vulgata versione Latina inveniuntur, non impedire, quo minus illa sit authentica. Ecclesia (inquit) non ita approbavit versionem Latinam, ut asseruerit, nullos in ea librariorum errores reperiri, sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata. (Idipsum longe rectius de Græca novi Testamenti editione pronunciamus, quod librariorum errores, qui in quibusdam Codicibus deprehenduntur, ac lectionum varietas non impediant, quo minus Græcus textus statuatur authenticus.)

3. Franciscus Lucas Brugensis in Præfat. de variis lectionibus Nov. Testam. testatur, majorem varietatum partem in verbis potius consistere, quam in rebus, magisque ad exactam, quam ad necessariam corrigendi rationem facere.

Argum.2. Tertullianus lib.5. advers. Marcion. Eusebius lib.5. Histor. Eccles. cap. ult. Irenæus lib.1. cap. 29. Basilius lib.2. contra Eunom. Ambrosius in Comment. ad Rom. & in Proœmio lib.1. in Luc. Hieronymus in Proœm. super Epist. ad Philemon. & Origenes in Comment. Epistol. ad Rom. testantur, Græcos Codices ab hæreticis esse corruptos, ac latinos Codices esse Græcis emendatiores. Can. d.l. Huntl. d.l.

Resp. 1. ex Bellarmino lib.2. de Verbo Dei cap. 7. §. 6. Etsi multa depravare conati sunt hæretici, tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint libros sacros corrumpi. Quæ enim Marcion & Ariani ex textu sustulisse dicuntur ea in Græcis nostris Codicibus habentur.

(Recte distinguit Bellarminus inter hæreticorum conatum & conatus ejus complementum. Conati quidem fuere hæretici textum Græcum corrumpere, sed, divina providentia & Episcoporum vigilantia prohibente, non potuerunt illud effectum dare.)

2. Ex Sixto Senensi d.l. pag. 580. Non obest, quod Ambrosius & Hieronymus dicant, Græcos Codices Latinis fuisse depravatiores. Neque enim Ambrosius universaliter loquitur, omnes Latinos Codices esse emendatiores, quàm Græcorum, sed particulariter quosdam, quos temporum simplicitas servavit incorruptos. Hieronymus autem in Præfatione Pentateuchi non asserendo dixit, emendatiora esse Latina quam Græca, sed ea verba tanquam quid ἀδύνατον, vel absurdum protulit, inquiens: Si emendatiora magis sunt Latina, quam Græca, & Græca magis, quam Hebræa. Unde & idem in Epistola ad Suniam & Fretelam ad Græcos Codices tanquam emendatiores confugiendum esse affirmat &c. quod certe ipse servavit, cum N. Testament. Græcæ restituit veritati.

(Recte distinguit Senensis inter particularem quorundam, & totalem omnium Codicum corruptionem. Illam nobiscum concedit hanc nobiscum recte negat.)

Argument.3. Dantur exempla quædam corruptionis in textu Græco, utpote

1. In plerisque exemplaribus Græcis deest tota illa clausula Rom. 16 v.25. Ei autem qui potens est &c. quam ne Theophylactus quidem habuit. Canus d.l.

Resp. 1. in nostris Codicibus Græcis ea habetur; (quam responsionem Bellarminus opponit illis, qui hæreticorum malitia fontes dicunt esse corruptos.)

2. Nec abest illa clausula à vetustis Codicibus, vel à Theophylacti Commentariis, sed attexitur capiti 14. ita ut cap.16. desinat in illis verbis: Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis Amen, quo modo etiam reliquæ Epistolæ Paulinæ clauduntur.

5. Origenes & Hieronymus testantur, hanc varietatem

fraude Marcionis evenisse, qui cæteris, quæ ad finem usque Epistolæ sequuntur, expunctis, voluerit Epistolam hic finiri. Ergò eadem responsio, quam Sixtus Senensis & Bellarminus opponunt argumento à corruptelis hæreticorum desumto, etiam huic corruptionis exemplo accommodari potest ac debet.

4. Hæc omnia probe vidit Bellarminus, ideo exemplum illud corruptionis omisit. Sed quæ ipse affert corruptionis exempla, illis eadem responsio adhiberi potest, videlic. lectionis varietatem ac quorundam Codicum depravationem nondum probare Universalem omnium Græcorum Codicum corruptionem, & quidem talem, per quam Codices Græci non amplius sint, vel esse possint authentici. Age verò in specie expendamus exempla, quæ affert.

1. 1. Cor. 15. v. 47. *legendum est, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cœlestis, ut habet versio Latina. At Græci Codices constanter, legunt, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, quam depravationem mansisse vitio scriptorum ex corruptionibus Marcionis, patet ex Tertulliano lib. 5. in Marc.* Bellarmin. d. l. Stapleton. in antid. 1. Cor. 15.

Resp. 1. Si hæc lectio Græca originem ducit ex corruptionibus Marcionis, quomodo veritas constat pronunciato Bellarmini in §. proxime præcedente? *Etsi multa depravare conati sunt hæretici, tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint & non permiserint libros sacros corrumpi.* (Si hanc Marcioniticam depravationem non sustulerunt, utique libros sacros corrumpi permiserunt.)

2. In eodem §. Et vero. Bellarminus scribit, *Epiphanium fere illa omnia notasse hæres. 42. quæ Marcion ex N. T. abstulit aut mutavit.* (At hanc corruptelam non notavit. Ergo non est Marcionitica corruptela.)

3. Erasmus in annot. h. l. testatur, *Chrysostomum & Theophylactum Græcam lectionem hic sequi.* (At illi fuere Marcionis hostes acerrimi. Ergo hanc lectionem non habuerunt pro Marcionitica corruptela.)

4. Marcion potius *ex Latina versione* quam *ex textu Græco* hæresin suam probare conatus est. Ergo lectio textus Græci non est Marcionitica corruptela. Antecedens probamus ex ipsis Adversariis. Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses tit. Christus, hæres. 2. *Valentinus* (Marcionis præcursor) *ideo ait Christum de cælo carnem traxisse, quia Paulus ait: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cœlestis.* Salmeron in Comm. 1. Cor. 15. *Putarunt nonnulli, ob antithesin perfectam legendum esse, secundus homo de cælo cœlestis, ut in Latina versione legitur, & inde corpus suum attulisse, ut Valentinus, Marcion & Manichæus delirantes dixerunt.*

5. Eodem omnino sensu & respectu Christus dicitur *Dominus de cælo*, quo sensu & respectu dicitur *cœlestis*, videl. propter personalem unionem humanæ Naturæ cum divina. Ergo nulla hic in textu Græco Marcioniticæ corruptelæ suspicio, cum lectioni Græcorum Codicum Syriaca & Arabica versio, ut & Græci Patres suffragentur. Syrus sic reddidit: *Filius hominis primus terrenus, quia è terra: Filius hominis secundus Dominus è cælo.* Arabs interprete Junio: *Homo primus luteus è terra: homo vero secundus Dominus è cælo. Ad hoc* (inquit Alphonsus de Castro d. l.) *ut vere homo cœlestis dicatur, sufficit, ut Natura divina, in qua subsistit, cœlestis sit, sicut ex opposito ad hoc, ut Filius Dei passus & mortuus dicatur, sufficit, ut Natura humana, in qua etiam cum Natura divina subsistit, passa fuerit & mortua.* Inde etiam Tertullianus ex ipso textu Græco Marcionis argumento respondit, *Quare secundus,* inquit, *si non homo, quod est primus?* Corruptela, quam à Marcione ortam Tertullianus docet, non est in hoc v. 47. sed in v. 45. præcedente, ubi pro vocibus ἔσχατος Ἀδάμ, quæ in nostris Codd. incorrupte leguntur, Marcion posuit, ἔσχατος Κύριος.

3. 1. Corinth. 7. v. 33. *ubi nos legimus: Qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori & divisus est; Græci Codices aliter habent, nam illud divisus est, conjungunt cum sequentibus hoc modo, μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος; quam lectionem B. Hieronymus lib. 1. adv. Jovinian. affirmat, non esse Apostolicæ veritatis.* Canus Bellarminus d. l.

Resp. 1. Cornelius à Lapide in Comm. h. l. agnoscit, *Syriacam versionem & Græcos Patres, Chrysostomum, Basilium, Oecumenium & Theophylactum eandem lectionem, quæ est in nostris Codicibus Græcis, observare.* (Ergo hic nulla corruptio, alias vigilantia Catholicorum in custodienda Græcorum Codicum sinceritate, quam Bellarminus recte commendat, labasceret. Potuisset autem addere versionem Arabicam, quæ sic reddidit: *Inter conjugatam quoque & virginem distinctio est.*

2. Esthius in Comm. h. l. fatetur, *Cyprianum tract. de habitu virg. & lib. 3. testimoniorum cap. 32. Tertullianum de veland. virgin. c. 4. Hieronymum de custodia virgin. ad Eustochium cap. 9. & advers. Helvidium c. 10. Augustinum de bono viduit. c. 10. & de bono conjug. cap. 10. Sedulium in Comm. & omnes Patres Græcos, uno Theodoreto excepto, qui partem hanc non attingit, Græci textus lectionem sequi.* (Potuisset addere *Ambrosium*, qui bis repetit τὸ μεμέρισται, ut prius pertineat *ad præcedentia* de viris, posterius *ad consequentia* de mulierib. & virginibus. At si illi omnes corruptam lectionem sunt secuti, quomodo puritatem textus fideliter custodiverunt?)

3. Estius ibid. ostendit, *Græcos Codices tempore Hieronymi hic variasse, cum ex Græco se transtulisse asserat.* At quod in Græco non legitur, transferre non potuit. Item, *nec hodie deesse exemplaria Græca Latinis conformia.* Annotat ejusmodi duo Manuscripta Robertus Stephanus, tertium ex typographia Simonis Colinæi profectum Anno 1534. observavit Franciscus Lucas. (Ergo lectionis hic diversitas est, non Universalis omnium Codicum Græcorum corruptio. Præferimus autem lectionem, quæ in nostris Codicibus Græcis habetur, quia quatuordecim exemplaria Roberti Stephani, quæ eam tenuerunt, non sunt regulanda ad duo, sed duo ad quatuordecim.)

4. Erasmus monet, *Hieronymum in libro contra Jovin. esse matrimonio iniquiorem.* Suspectum ergo, quod sibi ipsi contradicens ibidem negat, hanc lectionem esse Apostolicæ veritatis. Hieronymo igitur opponendus ipse Hieronymus sui magis compos in Epist. ad Eustochiam de custodia virg. & adv. Helv.

5. Idem Erasmus & Gagnæus in annot. h. l. docent, *& Græci textus & Latinæ versionis eandem esse sententiam.*

6. Inde Salmeron Disput. 14. in h. l. §. Ad sextum &c. ex utroque eundem elicit sensum. *Ambrosius,* inquit, *lectionem Græcam secutus sic interpretatur, Divisa, non utique Natura, sed actu. Alia enim solicitudo mulieris, alia virginis, & per hoc significat virginem liberam esse à tædiis & laboribus hujus vitæ, quos patitur mulier viro copulata.* (At si lectio Græca sensum præbet Apostolicum, quomodo non erit Apostolicæ veritatis?)

4. *Rom. 12. v. 11. ubi Latini legunt: Domino servientes, Græci non habent κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες, tempori servientes. Et tamen Latinam lectionem esse verissimam, patet tum ex Hieronymo in Epist. ad Marcellam, tum ex Origene, Chrysostomo, Theophylacto & aliis Græcis Patribus, qui sic legerunt & explicarunt suis Commentariis.* Canus, Bellarminus, Huntlæus d. l.

Resp. 1. Canus disertis verbis fatetur, *olim Græcos Codices emendatos habuisse Κυρίῳ.*

Salmeron in h. l. *Græca quædam exemplaria habent Domino, & Ambrosius, qui Latinè legit, tempori, admonet, Græcè haberi, Domino.*

Estius in Comment. dicit: *plerosque Codices Græcos, qui nunc extant, habere καιρῷ.* Ergo aliqui habent Κυρίῳ, quod ipsum disertis verbis fatetur subjungens, *Non desunt hodie Græci Codd. inter quos Regius ex Complutensi, qui hanc lectionem κυρίῳ δουλεύοντες exhibeant.* Ergo hic non esset universalis omnium Codicum corruptio, si vel maxime legendum esset καιρῷ.

2. Robertus Stephanus in *sex exemplaribus* ita legi observavit; Franciscus Lucas itidem *sex Codices* se vidisse dicit, in quibus legatur κυρίῳ. Congruunt huic lectioni *Paraphrasis Syriaca & Scholia Græca.* Ergo lectionis hic est varietas, non autem corruptionis alicujus perversitas. Ostendimus enim superius, ex lectionis varietate non posse probari universalem textus corruptionem.

3. Glossa *interlinearis* simpliciter annotat nostram hodiernam lectionem Græcam, qua legitur καιρῷ. *Ordinaria* etiam eandem exponit, tacens de altera.

4. Toletus in Comment. h. l. agnoscit, nostram lectionem esse contextui magis congruam. *Fateor,* inquit, *lectionem illam antecedentibus & consequentibus accommodatam, ac documentum valde utile continere, sed communis veterum Interpretum sensus cum Vetere Interprete legendum censet, Domino servientes.* Sequitur in priore assertionis membro Ambrosium, qui in Comm. h. l. sic scribit: *In Græco dicitur sic haberi, Deo servientes, quod nec loco competit. Quid enim opus erat summam hanc ponere totius devotionis, quando singula membra, quæ ad obsequia & servitia Dei pertinent, memorat? In omnibus enim his, quæ enumerat, plenum Deo*

Deo servitium exhibetur. Nam servire tempori quid sit, alibi solvit, cum dicit, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

5. Dominicus à Soto observat, *eam lectionem jam universim extare, tum Græcè, tum Latinè.* Arias Montanus non tantum in textu posuit κυρίῳ, sed etiam in Apparatu nullam annotavit lectionis varietatem, quo ipso satis ostendit, nullos se legisse Codd. Græcos, in quibus esset καιρῷ, alias nō omissurus, cum longe leviora collegerit.

6. Estius in Comm. Origenis fidem secutus fatetur, *in nonnullis Latinorum exemplaribus legi, tempori servientes.* Quod si ergo hic aliqua textus Græci corruptio, etiam Latina versio ab ea non erit immunis.

7. Franc. Lucas in suis annot. refert, *antiquissima manuscripta exemplaria, quæ libris argumenta capitum præfigunt, hujus Epistolæ quadragesimum octavum caput de tempori inserviendo inscripsisse.*

8. Petrus Lombardus in Comment. posuit & exposuit utramque lectionem, sic ut neutram alteri præferret.

9. Et quid multis? Estius omnibus utrinque pensitatis tandem concludit: *Non plane constat, utra lectio sit potior, ac germanior. Nostra quidem* (Latina, qua legitur, *Domino servientes*) *sensum habet apertum, ut in omni actione & officio, quod proximis impendimus, non quæ nostra sunt, quæramus, sed Domino serviamus, ejusque honori studeamus. Altera quoq; lectio,* (Græca hodierna, qua legitur, καιρῷ δουλεύοντες) *nec putidam, ut quibusdam videtur, nec Apostolo indignam continet sententiam, modo Christiane, sicut oportet, exponatur, ad quod proferuntur ejusdem Apostoli, tanquam similia præcepta, aliis in locis, ut Ephes. 5. Coloss. 4. ubi monet, ut tempus redimamus.*

10. Cornelius à Lapide in Comment. quamvis lectionem Codicum Latinorum præferre videatur, *Græcorum* tamen *lectionem* non improbat, sed explicat. Nulla ergo hic corruptelæ suspicio.

5. *In plurimis Codd. Græcis desunt multæ veræ Scripturæ partes, ut Historia adulteræ Johan. 8. v. 1. & seqq. ultimum caput Marci & pulcerrimum testimonium Trinitatis. 1. Joh. 5. v. 7.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Robertus Stephanus docuit Historiam adulteræ *in antiquissimis & probatissimis exemplaribus Græcis extare.* Theodorus Beza testatur; *è septendecim suis exemplarib. antiquis unicum ea caruisse.* Maldonatus in Comment. dicit: *in multis olim Græcis, Latinisque Codicibus eam desideratam,* (ex qua assertione colligimus, tum quod in quibusdam Codicibus Græcis olim extiterit, tum quod Græcorum Codicum universalis corruptela ex hoc defectu colligi nequeat, alias idipsum etiam de Latina versione dici posset.) Idem postea subjungit: *Ad autoritatem Ecclesiæ, quæ hanc Historiam, ut Canonicam approbavit, accedit multorum veterum Codicum autoritas, de qua testatur Hieronymus lib. 2. contra Pelagian. Ammonius etiam Alexandrinus antiquissimus autor in Harmonia Evangelica eam ponit. Ponit etiam in Synopsi Evangelii D. Johannis Athanasius & ipse Græcus autor. Citatur à Chrysostomo homil. 6. in Joh. ac probabile est, eum propterea non illustrasse eam suo loco Commentariis, quod facilem esse judicaverit, aut quod ille, qui in ejus Ecclesia legebatur, Codex eam non haberet.* (At hi autores omnes Græci sunt, utique ergo in quibusdam Codicibus Græcis olim extitit, ac hodie in omnibus Codd. Græcis merito legitur.) Sixtus Senensis lib. 7. Biblioth. hæres. 5. p. 599. *Hanc Historiam in antiquis semper Græcorum Codicibus extitisse, sicut & nunc in his extat, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & plerique Græci testantur.* Et postea: *Quod ad fidem Historiæ hujus labefactandam Anabaptistæ afferunt, nempe Græcos Historiam istam in Commentariis suis non habere, nescio, unde id noverint, cum nulla præsenti seculo extent Græcorum integra in Johannem Commentaria præter unius Chrysostomi ac Theophylacti & Euthimii abbreviatorum ejus, in quibus licet Historia illa explicata non sit, non tamen ab eis repudiata est, & possibile est, Chrysostomum eam Historiam exposuisse, & eam deinde expositionem à quopiam heretico, cui Historia illa, vel Historiæ explanatio non placuerit, è Codice Chrysostomi fuisse detractam.*

2. De capite ultimo Marci Salmeron tom. 11. tractat. 12. sic disserit: *Quod Marci Evangelium finem habeat ante illa verba, surgens autem Jesus &c. omnino est incredibile, quamvis illud insinuent Hieronymus ad Hedibiam, Gregorius Nyssenus in Orat. de resurrect. & Euthymius in Marcum. Opponimus enim antiquissimos Patres, ex illis verbis tanquam germanis & vere Evangelicis testimonia producentes.* (Si antiquissimi Patres tam Græci quam Latini ex illis verbis Marci testimonia produxerunt. Ergo in suis Codicibus Græcis æque ac Latinis ea legerunt.) *Victor Antiochenus antiquissimus Pater in Commentariis* (in *Marcum*) *scribit, se reperisse in emendatissimis exemplaribus pluribus, legique omnia in Evangelio Marci Palæstino. Certe in Codice Syriaco omnia non secus atque in Latino plane inveniuntur.* (Si in Græco non extitissent, nec in Syriaca versione extarent.) Maldonatus in Comm. hoc loco eodem modo scribit: *Non est quisquam antiquus & Catholicus scriptor, qui hujus capitis tanquam veræ legitimæque Scripturæ testimoniis uti recusaverit. Usus est Irenæus* (scriptor Græcus) lib. 3. advers. hæres. cap. 11. &c.

3. De loco 1. Joh. 5. respondemus, *Hieronymum in Prolog. Epist. Canon. ad Eustochium Latinos Interpretes infidelitatis arguere, quòd eum in suis translationibus omiserint,* ex quo evidenter colligitur, eum tempore Hieronymi in omnibus Græcis Codicibus fuisse inventum, alias potuissent illi obvertere, quod non invenerint eum in omnibus Codicibus. Neve quis excipiat, *eum vel ante vel post Hieronymi tempora ex Græcis Codicibus abrasum fuisse,* notandum, quod Sixtus Senensis lib. 7. Biblioth. hæres. 9. p. 613. scribat: *verba illa apud Catholicos semper indubitatæ veritatis fuisse, & omnibus* (nota) *Græcis exemplaribus ab ipsis Apostolorum temporibus lecta, nec opus esse quicquam de ipsorum perpetua integritate, sinceritateque dubitare.* (Pontificiæ accusationi de Græcorum Codicum corruptela hoc Sixti Senensis testimonium rectè opponitur, interim non negamus, esse hic quandam Codicum varietatem, & in quibusdam hunc versiculum legi, in quibusdam non legi.) Erasmus, qui in priore editione hunc versiculum omisit, in posterioribus eum restituit, propterea quod in Codice Britannico vetustissimo eum invenerit. In editione Complutensi ad vetustissimos Græcos Codices conformata idem habetur. Laurentius Valla in annot. h. l. non meminit ullius inter Græcos Codices discrepantiæ, haud dubium, quin admoniturus, si quid hic dissidere comperisset, cum vulgatam versionem à Græco textu dissidentem alibi non sine conviciis insectetur. Robertus Stephanus *in novem Codicibus antiquis* eum reperit. Codices illi Græci antiquissimi & probatissimi, quos Arias Montanus in opere Regio Ann. 1571. edito secutus est, hunc versiculum habuerunt. (Ergo hic non est universalis quædam Codicum Græcorum corruptio statuenda.)

4. Denique Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri, art. 21. p. 701. pro asserenda Canonica *Historia Johan. 8.* autoritate non solum *Latinos Patres*, sed etiam *Græcos* complures adducit, videlicet *Clementem Romanum* lib. 2. Constit. Apostol. cap. 24. *Tatianum* in Harmon. Evangel. *Ammonium Alexandrin.* in Harmon. *Athanasium* in Synopsi lib. 4. de Evangel. secundum Johan. *Chrysostomum* homil. 60. in Johan. *Gennadium Scholarium* de Primatu Papæ cap. 5. de Sacrificio in azymo. Pro asserenda Canonica autoritate *cap. ult. Marci* lib. ejusd. art. 19. p. 694. itidem adducit non solum *Latinos*, sed etiam *Græcos* scriptores, videlicet *Clementem Romanum* lib. 8. Constit. Apostol. cap. 1. *Prochorum* in Historia Johannis Apostoli cap. 1. *Tatianum* in Harmon. Evang. c. 101. *Irenæum* lib. 3. cap. 11. *Ammonium Alexandrinum* in Harmon. Evangelistarum, *Dionysium Alexandrinum* in Epistol. de tempore, quo Christus ex mortuis resurrexit, *Eusebium Cæsariensem* lib. 1. Demonstrat. Evangel. cap. 7. *Athanasium* sermone in illud, profecti in pagum, & de div. Scripturæ Synopsi lib. de Evangel. secundum Marcum, *Cyrillum Hierosolymitanum* Catech. 14 *Gregorium Nyssenum* Orat. 2. de Christi resurrectione, *Johannem Cassianum* de incarnat. Domini lib. 7. c. 20. *Victorem Antiochenum* ad cap. 16. Marci, *Procopium Gazæum* ad cap. 12. Esa. *Anastasium Synaiten* lib. 3. Hexaem. *Georgium Presbyterum* in vita Theodori Archimandritæ, *Johannem Damascenum* in Hist. Barlaam & Josaphat c. 10. *Theophylactum* ad cap. 16. Marci, *Simeonem Metaphrasten* de reb. gestis S. Thomæ cap. 10. *Nicetam* in orationem 38. Nazianzeni, *Johannem Cantacuzenum* Apol. 2. &c. Pro asserenda Canonica autoritate *versiculi 7. 1. Ioh. 5. Tres sunt, qui testimoniū dant in cœlo &c.* lib. ejusd. art. 25. p. 725. itidem adducit non solum Patres *Latinos*, sed etiam *Græcos*, videl. *Athanasium* de unita Deitate Trinitatis lib. 1. & *Cyrillum Alexandrinum* de recta in Deum fide ad Reginas. Utique ergo Græci illi Patres in Græcis Bibliorum Codicibus pericopas illas habuerunt & legerunt.

6. *Constat, quædam in omnibus Græcis Codicibus inveniri, quæ non sunt partes divinæ Scripturæ, ut Matth. 6. v. 13. Orationi Dominicæ additur, quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum, quæ verba non sunt de textu, sed à Græcis addita.* Bel-

Bellarminus d. l, Arias Montanus in illum locum. Huntlæus d. l. Possevinus in Apparatu sacro tom. 1. p. 234.

Resp. 1. Robertus Stephanus *in vetustissimo Codice*, qui extra unum fuit antiquissimus, hanc clausulam reperit, habetur etiam *in paraphrasi Syriaca*, & congruit parallelis Scripturæ locis 1. Paral. 29. v. 11. 2. Tim. 4. v. 17. Chrysostomus, Theophylactus, & Ethymius eam interpretantur: *Fateor* (inquit Maldonatus) in Comment. Matth. 6. v. 13. *Græcos autores, Chrysostomum, Autorem imperfecti, Theophylactum & Euthymium legere; fateor & in Hebraico & in Syriaco Evangelio reperiri.* Ergò non est recens & peregrinum Græcorum additamentum.

2. Erasmus *in omnibus Græcorum exemplaribus* eam reperiri testatur; Franciscus Lucas Brugensis, *uno Parisiensium Codice excepto, cæteros omnes libros eam habere* testatur. (Rectiùs ergò dicitur, quòd ex Latinis Codicibus, quos Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius & Augustinus secuti sunt, exciderit, quàm quòd Græcis Codicibus inserta sit. Græcis enim Patribus Græcorum exemplarium ab ipsis Apostolis profectorum fides magis fuit cognita & perspecta.)

3. Inde Laurentius Valla in exposit. Orat. Dominicæ rectè statuit, *nihil hic esse à Græcis additum, sed à Latinis detractum.* Quæ assertio confirmari potest

4. Ex eo, quòd Catechismus Tridentinus §. De partibus & gradibus Orationis docet, *duas esse Orationis partes, postulationem & gratiarum actionem. Nam ad Deum accedimus, ut cultum ei venerationemque adhibentes ab eo vel aliquid impetremus, vel de acceptis beneficiis gratias agamus.* (Ne ergò pars altera Orationis necessaria, videlicet gratiarum actio, in Oratione Dominica, quam omnes necessarios precationis numeros continere, idem Catechismus rectè monet, & omnes veteres unanimi suffragio testantur, omissa statuatur, addenda est illa δοξολογία. Petitio prima, *sanctificetur nomen tuum*, speciem aliquam gratiarum actionis complectitur, interim magis petit facultatem ad celebrandas DEI laudes, quas δοξολογία illa reipsâ DEO offert.)

5. Si Latinam versionem in enarranda Oratione Dominica vellemus sequi, dicendum foret, Luc. 11. v. 2. 3. 4. textui Græco quædam esse addita, cum illa non habeantur in versione Latina. Nam in textu Græco est: πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, sed in Latina versione habetur *Pater*. In textu Græco est, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, sed in Latina versione hoc omittitur. In textu Græco est, *Libera nos à malo*, sed in Latina versione hoc omittitur.

6. Bellarminus, ut evincat, hanc clausulam non esse genuinam Scripturæ partem, argumenti loco adducit illud, quod *Græci in sua Liturgia recitent quidem hæc verba, sed non continuent cum Oratione Dominica.* Sed ipsimet Adversarii sententiis invicem discrepant, quomodo clausula illa cum Oratione Dominica non continuetur. Huntlæus sic explicat, *Istis verbis respondebat populus Sacerdoti post Orationem Dominicam in Liturgiis Græcorum.* Arias Montanus contra dicit, *Græcos etiam hodiernâ die dicere, Sacerdoti duntaxat licere illa verba proferre, ita enim respondere solet in Missa, quando chorus dixit, sed libera nos à malo.* (Ex neutro evinci potest, hanc clausulam non esse genuinam Scripturæ partem.

7. Adde, quòd Liturgiæ Græcorum contrarium testentur. In Basilii Anaphora sic legitur παραφραστικῶς ejus Orationis finis: *Domine Deus & Servator noster, nec inducas nos in tentationes difficiles, aut necessitates amaras: nec inducas nos in laqueos adversarii, hostiumque animarum nostrarum, neque destituas nos, ut incidamus in manus aspectabilium grassatorum, & qui vitam nostram lædere cupiant; sed libera nos ab omnibus tentationibus, occultis & manifestis, cunctis diebus vitæ nostræ, atque exime nos à omnibus malis, quæ propter iniquitatem nostram incurrunt in nos; quia tuum est regnum & unigeniti Filii tui, ac sanctissimi tui Spiritus boni, adorandi, vitam largientis & tibi in substantia æqualis, nunc & semper & in secula seculorum.* In Liturgia Chrysostomi. Chorus, *Pater noster*. Altâ voce Sacerdos: *Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria, Patris & Filii & Spiritus sancti, nunc & semper, & in secula seculorum.* In Liturgia τῶν προηγιασμένων totidem verbis & syllabis.

8. Denique Erasmus in sua versione clausulam hanc Orationi Dominicæ adjungit. At Leo X. Erasmi versionem approbavit. Ergò in ipsum Pontificem injurii sunt, qui clausulam hanc expunctam cupiunt.

Atque hæc sunt exempla corruptelarum, quæ Melchior Canus & Bellarminus adducunt. Illis alii addunt alia, sed quæ facilem habent explicationem.

7. Luc. 1. v. 35. *omittuntur verba illa* ἐκ σοῦ, *ac simpliciter legitur,* διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, pro, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον. *Quæ verba cùm Anathasius in Epistol. ad Epictetum urgeat adversus eos, qui Christi corpus ex virginis carne formatum negabant, ideò verisimile est, ab hæreticis ex textu Græco ea olim fuisse erasa.* Franciscus Lucas Brugensis in enum. var. lect. Latin. Huntlæus d.l.

Resp. 1. Gordonus Huntlæus fatetur, *correctissima exemplaria Græca hunc* προσδιορισμὸν *adjunctum habere.* (Legunt eundem Ephiphanius pluribus locis, Athanasius d. l. Gelasius lib. de duabus Naturis, legit Complutensis editio, legit versio Syriaca. Ergò hic non est universalis Codicum corruptio.)

2. Maldonatus in Comment. sic scribit: *Hæc duo verba, ex te, in plerisque Codicibus Græcis non leguntur, neque legit Irenæus lib. 5. cap. 1. neque Euthymius & Theophylactus in Commentariis. Legit idem tamen Irenæus lib. 3. cap. 23. & Beda,* quibus postea etiam addit *Gregorium lib. 18. Moral. cap. 27.* (Si in plerisque Codicibus non leguntur, ergò in aliquibus extant.

3. Lovaniensis Bibliorum editio verba *ex te* obelo notata *in octo Manuscriptis Latinis & quibusdam Græcis non legi*, in margine innuit. (Ergò lectionis hic est diversitas, ex qua si Græcus textus corruptionis reus evinci posset, etiam Latina editio eadem laboraret.)

4. Si vel maximè non legatur additum ἐκ σοῦ, textus tamen robori contra hæreticos nihil decedit, γεννᾶσθαι enim emphaticum est, non nasci, sed *concipi* significans.

8. Johan. 7. v. 39. *Latina versio habet, nondum erat Spiritus datus, sed in textu Græco corrupto legitur, nondum erat Spiritus sanctus, quæ est depravatio Macedonianorum.* Huntlæus d. l.

Resp. 1. Franciscus Lucas Brugensis testatur, *in exemplari Vaticano esse additum* δεδομένον, sicut etiam in Syriaca versione additur. In quibusdam exemplaribus Græcis legitur, οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον ἐπ' αὐτούς. Ergò hic est lectionis varietas, non autem universalis quædam corruptio.

2. Maldonatus in Comment. h. l. testatur, *etiam in nonnullis Codicibus Latinis omitti nomen datus,*

3. Idem fatetur, *omnes Græcos autores, Chrysostomum, Athanasium, Cyrillum, Ammonium, Leontium, Theophylactum & Euthymium illud* δεδομένον *non legere in textu Græco, sed nec Hieronymum q. 9. ad Hedibiam, nec Augustinum tractat. 22. in Johan.* (At si Macedonianorum fraude hæc vocula fuisset subtracta, illi acerrimi divinitatis Spiritus sancti vindices fraudem hanc non dissimulassent.)

4. Cornelius Jansenius in Concord. cap. 75. *Circa hujus sententiæ primam partem sciendum, Græca non habere, Nondum erat Spiritus datus, sed, Nondum erat Spiritus sanctus. At quoniam ea lectio primâ fronte impium sensum præ se ferebat, q. scil. Spiritus aliquando non fuerit, offensus quispiam, ut est verisimile, mutavit sanctus in datus. Verum nihil erat periculi in Græcorum lectione.*

5. Alphons. Salmeron tom. 8. tract. 37. *Græca exemplaria antiqua pro datus habent sanctus. Et in sensu nulla est prorsus à nostra lectione diversitas, quia etsi non exprimatur verbum, datus, supplendum est necessariò.*

6. Cardin. Cajetanus in h. l. *Ratio dicendi manifestat, quòd non loquitur de esse in se, sed de esse in credentibus. Dixerat enim de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, & reddendo rationem, quòd accepturi erant credentes, dicit, nondum enim erat Spiritus sanctus, supple, credentibus in eum.*

9. Johan. 8. v. ult. *Latina versio habet: Jesus abscondit se, & exivit de têplo. Codices verò Græci hisce verbis subjungũt,* διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως, *quæ verba sunt superflua.* Huntlæus d. l.

Resp. Franciscus Lucas Brugensis nullam lectionis varietatem hic annotavit. Et meritò quidem nam in omnibus vetustis Codicibus Græcis clausula illa habetur adjecta, uti etiam in omnibus, qui hodiè extant Codicibus. Invenitur etiam in versione Syriaca.

10. Rom. 11. v. 6. *Latina versio habet: Si autem ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. In Græcis Codicibus hæc præterea adduntur,* εἰ δὲ ἐξ ἔργων οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον, *quæ pericope redundat.* Anglo-Rhemenses in Præfat. N. T.

Resp. 1. Cajetanus in Comm. h. l. rectè monet, *versionem Latinam ex Græco Codice potiùs esse corrigendam, & quod in ea deest supplendum, In Latina* (inquit) *editione deest integra sententia, quæ priori è regione respondet.*

2. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 14. resp. ad 6. *à Theophylacto hanc sententiam exponi & in Græcis Codicibus omnibus eam haberi*, fatetur, (quibus *Syriaca versio* hic suffragatur. Legit eandem *Oecumenius*, utique ergo est pars Scripturæ genuina.)

3. Salmeron in Comm. h. l. de ea sic judicat: *Videtur congruere ad explendam fidei & operum antithesin & sensui nihil nocet, quia sensus est, Si ex operibus, hoc est, meritis, jam non ex gratia, alioquin quod est ex operibus, non esset ex operibus.*

4. Toletus in Comment. *Sive legamus, ut in Græcis habetur, sive non, sensus idem perseverat.*

11. 1. Corinth. 15. v. 49. *Marcion hæreticus contendebat, legendum esse portabimus, non portemus, ut probaret corpora nostra futura cœlestia post resurrectionem & non vera corpora. Eodem modo legitur hodie in Codicibus Græcis. Illi igitur sunt hoc loco corrupti.* Huntlæus d.l.

Resp. 1. Erasmus diversitatem lectionis hic agnoscit; non corruptelam, quin & lectionem *in futuro* alteri non obscure præfert. *Non magni*, inquit, *refert ad sententiam, nisi quod futurum tempus aptius erat huic loco, in quo Paulus agit de resurrectione futura.* Et postea: *Neque periculum est, si legamus, portabimus, ne videamur cum Arianis sentire, qui negabant, nos à resurrectione carnem habituros.*

2. Estius Græcam lectionem diserte præfert Latinæ versioni: *Juxta lectionem Græcam* (inquit) *continuatio doctrinæ est de resurrectione, seu quædam explicatio sententiæ præcedentis, ut sensus sit: Et sicut gestavimus in nobis imaginem terreni Adami, quatenus etiam ipsi terreni facti sumus & per hoc ei similes: ita quoque gestabimus in nobis imaginem hominis cœlestis, scil. Christi, quatenus & ipsi secundum corpora cœlestes erimus per beatam resurrectionem, proindeque futuri quædam illius imagines. Sensus hic Græcorum interpretum est, Theodoreti, Theophylacti & Oecumenii, quorum duo priores eam lectionem, quæ Latinorum est, aperte rejiciunt. Græce enim, inquit Theodoretus, φορέσομεν per prædicationem, non φορέσωμεν admonitorie ab eo dictum est. Similiter Theophylactus post habito sensu Chrysostomi exhortatorio, qui tamen utro modo legerit, non liquet, studiose monet, Apostolum indicative loqui de re futura, quale scil. in resurrectione corpus accepturi simus. Pro quo sensu Oecumenius etiam Methodium testem adducit ex libro de resurrectione. Mihi certe scopum ac progressum Disputationis Paulinæ consideranti Græca vulgata lectio (licet in nonnullis exemplaribus Græcis, quæ hodie extant, diversum legatur,) sincerior ac germanior apparet, nec solum præcedentibus consentanea, sed & his, quæ proxime sequuntur.*

3. Syrum & Arabem eandem lectionem sequi in propatulo est.

12. 1. Corinth. 15. v. 51. pro his Græcis, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, *omnes quidem non dormiemus, omnes tamen immutabimur, Latine longe alia sunt: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, qua de re prolixe Hieronymus Epist. 152. ad Minerium & Alexandrum.* Stapleton d.l.

Resp. 1. Sixtus Senensis hunc locum reliquit in dubio enumeratis hinc inde multis autoribus.

2. Melchior Canus diserte pronunciat, *neutram lectionem à viris Ecclesiæ reprobatam esse, sed admonuisse semper dubiam & variam. Itaque neutram nos recipere cogi, quia neutram Doctores Ecclesiæ, tanquam exploratam & Catholicam, asseruere.* (Quod si ergo Latina lectio Ecclesiæ autoritate nondum est palam sancita, quomodo falsitatis & corruptionis convinci potest Græca?)

3. Erasmus in annotat. & in Apolog. multis ostendit, *Græcos Codd. non omnes hic consentire; alii enim habent, omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*, (cui lectioni Syrus & Arabs suffragantur,) *alii vero aliter.* Idem notat Ludovicus Vives in lib. 20. Augustin. de Civ. Dei cap. 20.

4. Apud Latinos *triplex est hujus loci lectio*, ut monet Augustinus d.l. Si ergo in Codicibus Latinis propterea ex mente Adversariorum nulla est corruptio, sed tantum varietas lectionis, ergo nec in Græcis.

13. 1. Johan. 4 v. 3 *Latina versio habet: Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Ita quoque legit Irenæus lib. 3. cap. 18. sed in textu Græco legitur: Omnis Spiritus, qui non confitetur JEsum Christum in carne venisse, non est ex Deo, quæ est depravatio Nestorianorum, qui solvebant Christum, teste Socrate lib. 7. Histor. Eccles. cap. 32.* Hoc exemplum urgent Anglo-Rhemens. in Præfat. N. Testam. & Huntlæus d.l. Alphonsus de Castro lib. 4. advers. hæres. verbo Christus. hæresi 3. *Illa est vera litera, quam nunc* Codices Latini *retinent & Codices Græci fuerunt, prout Historia Triparita refert, ab hæreticis corrupti.* Stapletonus in Relect. controvers. 5. q. 3. artic. 2. *Illam lectionem, Omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, sustulerunt de veteribus exemplaribus, qui separare voluerunt ab hominis dispensatione divinitatem.*

Resp. 1. Salmeron in Comment. fatetur, *Cyprianum lib. 2. advers. Jud. cap. 7. & Augustinum sequi lectionem Græcam.* (Ergo illa non continet hoc loco Nestorianam aliquam corruptelam, id enim cum vigilantia Catholicorum ab hæreticis corruptelis fontes liberantium à Bellarmino commendata non congruit, ac Cyprianus 250. annis ante Nestorium vixit, quomodo igitur Cyprianus hunc locum ita citare potuit, ut Nestoriani eum corrupturi erant?)

2. Cajetanus *Græcam lectionem* præfert, sic enim in hunc locum commentatur: *Omnis, qui solvit, hoc est, qui non confitetur, sicut in priori versu confessio Christi attestatur Spiritui divino, ita non confessio Spiritui non divino. Et Græca lectio magis convenit phrasi Johannis, cui peculiare est contrariam sententiam succinere priori, quod genus fuit illa. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, non habet vitam. Rursus. Qui confitetur, ex Deo est; qui non confitetur, ex Deo non est.*

3. Arias Montanus agnoscit textum Græcum non pugnare hoc loco cum Latina editione, sed potius ejus ἐξήγησιν continere. *Qui solvit Jesum, hoc est, ut Syriaca* (Græcæ conformis) *explicat, qui non confitetur Jesum in carne venisse.*

4. Estius in Comment. monet, *Augustinum in explicatione hujus loci utramque lectionem exponere, unde appareat utrunque ei lectum fuisse.* (At si Græca lectio Nestorianorum contineret corruptelam, Augustinus eam repudiasset.) Item *apud Tertullianum* (qui longe antiquior fuit Nestorio) *utramque lectionem reperiri, Græcam quidem* lib. de carne Christi cap. 24. & lib. 3. contra Marcion. c. 8. *Latinam vero* lib. contra Psychicos cap. 1. *imo* utramq; conjunctâ lib. 5. cōtra Marcion. c. 16. (At si Græca lectio è Nestorii corruptela originem trahit, quomodo apud Tertullianum ea inveniri potuit?) Item, *Græcam lectionem sensum habere apertum & indubitatum.* (At si est hæretica corruptela, quomodo sensum orthodoxum continet?)

5. Græcorum Codicum sententia longe augustior est & ἐνεργητικωτέρα. Nam cum Latini Codices solis infesti sint Nestorianis, at Græci neque his favent & alias hæreses potentissime refellunt, cum & unicam personam *contra Nestorium*, & duas Naturas *contra Eutychen* manifeste prædicent, cum neq; duas Naturas Latini Codices designent, nec satis diserte unitatem personæ exprimant. Neque enim ea tantum solvuntur, quæ personis distrahuntur.

6. Et quomodo eam lectionem potuerunt invehere Nestoriani, quæ ante Nestorium aliquot seculis extitit? Habetur ea, ut jam ante monuimus *in Cypriano* contra Judæos lib. 2. *Item*, inquit, *in Epistola Johannis, Omnis Spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, de Deo est: qui autem negat in carne venisse, de Deo non est, sed de Antichristi Spiritu.* Imo ante Cyprianum in *Polycarpo* ad Philippenses: *Abstinete à scandalis & falsis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui oberrare faciunt inanes homines. Omnis enim, qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est.*

7. Sed & Syrus reddidit in hunc modum: *Et omnis Spiritus, qui non confitetur, quod Jeschua in carne, non est ex Deo, sed hic ex Christo falso est.*

8. Inde Lorinus ad h. l. sic annotat. *Omnes Græci Codices, qui extant, habent, ὁ μὴ ὁμολογεῖ, qui non confitetur, Syra quoque versio & nonnunquam Augustinus hoc loco, & sermon. 31. de verb. Apostol. ac Tertullianus lib. de carn. Christi cap. 24. & lib. 3. contra Marcion. cap. 8. & Cyprianus lib. 2 cap. 8. etsi legant, qui negat, & Polycarpus Epist. ad Philippens. nihilominus nostram lectionem sequitur idem Tertullianus lib. contra Psychicos cap. 1. Ambrosius sive Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 23. Cassianus lib. 5. de incarn. cap. 10. Leo Epist. 10. cap. 5. Latini omnes Interpretes. Ex Græcis Didymus in Comment. sic legisse præ se fert, ac Theodoretus quadam Epistola, & Cyrillus Alexandrinus lib. de recta fide ad Reginas.* Et postea: *Nec minus tamen virium habebit contra hæreticos sententia, si legatur, Qui non confitetur; licet magis exprimat errores eorum solvendi verbum, cum sit incarnationis & Naturæ duplicis in una persona vinculum nexus, unioque maxima per modum compositionis, quæ aliquid est ex parte termini creati, hoc est, Naturæ humanæ.*

(Ergo

(Ergo juxta Lorinum varietas hic est lectionis, non corruptio textus. Ac Græcorum Codicum lectio non minus virium habet contra hæreticos, quomodo igitur ab hæreticis hic corrupti censeri possunt?)

Thesis quarta. Græca V. Test. versio, quæ Septuaginta Interpretibus tribuitur, non est authentica, nec certo constat, an quæ hodie extat, sit illa ipsa LXX. Interpretum versio.

Ἔκθεσις. 1. Non negamus LXX. Interpp. versionem olim omnibus reliquis Vet. Testam. versionibus Græcis fuisse antepositam. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 43. *Cum fuerint & alii Interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, sicut etiam est illa interpretatio, cujus autor non apparet, & ob hoc sine nomine Interpretis quinta editio nuncupatur, hanc tamen, quæ LXX. est, tanquam sola esset, sic recipit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum aliqua sit alia, ignorant.* Justin. Imp. Novell. 146. *Septuaginta Interpp. editio Græca omnibus certior est & præ aliis melior judicata, præcipue propter id quod circa interpretationem contigit, quia & per duos divisi, & per diversa interpretantes loca, tamen unam tradiderunt omnes compositionem.* Et postea: *Hac quidem præcipue utuntur omnes.*

2. Nec inficiasimus, quosdam veteres statuere, LXX. Interpretes Spiritu Prophetico Scripturas V. Test. vertisse. Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. *Merito creduntur LXX. Interpp. accepisse Spiritum Propheticum, ut si quid ejus autoritate mutarent, atque aliter, quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neq; hoc divinitus esse dictum dubitaretur.*

3. Sed hoc unice quæritur, an jure hæc versio statuatur authentica, & an ea, quæ hodie extat, sit illa ipsa LXX Interpretum versio? quorum prius negamus, posterius incertum ac dubium esse dicimus.

Antithesis. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. §. Sequitur quarta &c. *Quamvis B. Hieronymus Præfat. in Pentateuchum asserat, LXX. Interpretes non vates, sed Interpretes fuisse, & in quæstionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in Epist. ad Suniam & Fretellam, & in Commentariis Prophetarum passim reprehendat versionem Septuaginta, nihilominus tamen certissimum esse debet, LXX Interpp. optime transtulisse, & peculiari modo Spiritum Sanctum assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam Interpretes, quam Prophetæ fuisse videantur.*

Petrus Sutor Sorbonicus Carthusianus c. 4. & 5. de Translatione Bibliæ probandum sibi sumit, *Interpretationem LXX. divinam, divinitusque factam esse, hoc est, miro quodam modo & divino Propheticoque Spiritu, ideoque esse Ecclesiæ probatam & authenticam.*

Baronius in Apparatu Annal. n. 119. *Profitetur Romana Ecclesia in suo Martyrologio, se annos (ab origine mundi usque ad ortum Christi) supputare secundum eosdem (LXX.) Interpretes. Verum propter exemplarium diversitatem & alias innumeras difficultates perdifficile est veritatem consequi, dum inemendata de inemendatis scribuntur, ut testatur Hieronymus in Epist. Tit. cap. 3. Sed hoc nomine plurimum debent omnes eruditi, imo & tota Dei Ecclesia Illustrissimo ac Reverendissimo Antonio Caraffa S. R. E. Cardinali Bibliothecario, qui multo labore ac studio tandem Græcam Septuaginta duorum Interpretum editionem, jam pene antiquatam, in lucem vendicavit, eandemque Latine redditam, non minori labore emendatam, ac perpolitam edendam curavit: opus plane divinum ac divinitus inspiratum, quod à S. D. N. Sixto V. Rom. Pontifice merito comprobatum, ac magnopere laudatum, ut Ecclesiæ Catholicæ esset usui, idem sacro diplomate in fronte ejus affixo cunctis fidelibus significavit.* (Ad quem locum sic annotat Casaubonus Exerc. 1. ad Apparatum n. 34. *Bibliorum editionem Græcam Romæ curatam Baronius putat esse ipsissimam τῶν LXX. versionem, quæ sententia in Tyrone aliquo studii Theologici vix posset excusari, nedum in tanti nominis viro sit ferenda.*)

Gretserus *Spiritum Propheticum* illis impartitur, ejusque vim constituit, 1. In eo, quod *tam fuerint concordes.* 2. Quod *tam brevi temporis spatio, videlic. 72. diebus opus suum absolverint.*

Franciscus Mendoza in Comment. 1. Reg. 5. n. 6. tom. 2. fol. 313. *Licet in Hebræo fonte hoc non habeatur* (efferbuit eis in navibus) *adhiberi tamen potuit à LXX. divino Spiritu afflatu; neque enim puri Interpretes fuerunt, sed etiam Prophetæ, ut Irenæus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Hierosolym. & plures alii testantur.*

Bailius Jesuita in Catechismo controversiarum tract. 5. q. 16 *Quas versiones V. & N. Test. approbatis? resp. Interpretationem Græcam divinitus inspiratam. Secundo, editionem vulgatam Latinam, quæ antiquissima est & ideo commendatissima.*

Johannes Stephanus Menochius Jesuita in Præfat. annotat. in Biblia, cap. 11. *LXX. non tam Interpretes fuerunt, quam ut loquitur Philo καθάπερ ἐνθουσιῶντες προεφήτευον, tanquam divino Spiritu afflati prophetarunt, eosque non Interpretes, sed ἱεροφάντας & προφήτας appellare non dubitat. Accedit, quod Apostoli & Evangelistæ in citandis Scripturæ testimoniis ea usi sint, & Ecclesia Græca semper, universalis vero Catholica totis 600. annis pro authentica & vulgata illam adhibuit &c.*

Confer omnino Salmeronem tom. 1. Proleg. 5. & 6. ubi multis argumentis divinam & authenticam hujus Græcæ versionis LXX. Interpp. autoritatem demonstrare nititur. Sixt. Senensem lib. 8. Bibl. p. 848. 849.

Nostram sententiam probamus,

1. Græca illa LXX. Interpp. translatio est *versio*, ergo non est authentica, nec ejusdem cum *fontibus veritatis*, h. e. cum textu Hebræo autoritatis.

2. In multis discrepat à fonte Hebræo, præsertim in Psalmis: Quædam *addit*, quæ non sunt in textu Hebræo, quædam *demit*, quæ in eo habentur, ut Hieronymus in Epist. ad Suniam & Fretillam, in Præfat. Pentateuch. in Commentariis suis &c. passim ostendit.

3. Mendas in numeris Chronologicis habet complures. Quinque patriarchis, nimirum Seth, Enos, Cainan, Mahaleel & Enoch, antequam filios gignerent, singulis annos tribuit centenos ultra veritatem Hebraicam. Mathusalemo vero detrahit annos viginti duos, Lamecho autem sex addit. Rursus iisdem de tempore vitæ post genitos primos filios detrahit annos triginta, ex quo magna Chronologiæ perturbatio oritur. Mathusalem juxta hanc translationem 14. annis post diluvium superstes mansit, unde magna oritur quæstio, ubi servatus fuerit in diluvio?

4. Non fuit semper in Ecclesiæ usu. Teste enim Sigeberto in Chron. post *Hieronymi versionem in secundis haberi fuit cœpta.*

5. Versio LXX. Interpp. jam olim ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo emendari cœpit, quomodo igitur à corruptelis immunis fuit? & quis credat, cum primis trecentis annis corruptelas contraxerit, quod reliquis annis mille trecentis incorrupta manserit.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod ipsimet Pontificii LXX. Interpretes erroris & discessionis à textu Hebræo arguunt.

Sigebertus Gemblacensis Monachus in Chronic. *Hieronymo sacras Scripturas V. Testam. de Hebraica veritate in Latinum linguam vertente editio LXX. Interpp. quæ tenebatur à multis & Græcis & Latinis, cœpit in secundis haberi, eò quod à veritate Hebraica recessissent, ut multi testantur, quod contra inveteratum usum Ecclesiæ fieri, quamvis sancti & docti viri ægre ferrent, prævaluit tamen autoritas Hebraicæ veritatis, postquam patuit, quantum ab ea discreparent LXX Interpretes.*

Augustinus Steuchus Eugubinus Episcopus Xisamensis Præfat. in Recognitionem *Vet. Testam. Prima sacrarum literarum editio à Septuaginta sub Ptolemæo Philadelpho facta est. Hi, sive Græcarum literarum absolutam non tenerent Septuaginta illi Seniores cognitionem, sive aliis exemplaribus uterentur, quam nunc, aut Hieronymi tempestate haberentur, sive studio quodam deditaque opera vellent ita transferre, plurimum ab Hebraica veritate inveniuntur dissentire. Quædam etiam apertissimam præ se ferunt sermonis Græci imperitiam: in aliis maxima Hebraica lingua ignoratio deprehenditur: dura alia & vix intelligibilia.*

Idem in cap. 4 Genes. super verba: *Nonne, si recte obtuleris, recte autem non diviseris, peccasti? Quiesce. Horum nihil est in Hebræo, & hæc Sibylla indigent. Et ex hoc loco deprehenditur, non adeo exquisite Septuaginta Hebræam Grammaticam calluisse.*

Idem in cap. 38. Exodi: *Dimittitur totum hoc, quod de atrii scribitur, in Codicibus Græcis, & ejus loco ponitur descriptio labri. Cumque in ejus descriptione diutius immorantur septuaginta, interim integrum fere caput ex contextu omiserunt.*

Idem in cap. 10. Levit. super verba: *Tacuit Aaron. Sic habet etiam Hebraicum, quod forte non recte Septuaginta, κατενύχθη Ἀαρών, Compunctus est Aaron, sive perculsus est. Nam idem verbum nihil præter silentium significat.*

Georgius Wicelius in Encomio linguæ Hebrææ G. iiij. b. asserit, *LXX. Interpp. secum pugnare, & ideo legendum fontem Hebræum.*

Ibid. *Non deserenda litera Hebræa præ Græcis, quod fecit Augustinus*, quem propterea reprehendit G. ij. b. *& erravisse in multis locis*, scribit G. iij. b.

Sixtus

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annotat. 15. de loco Genes. 4. ἐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον, sic scribit: *Septuaginta Interpretes omnia perturbarunt, deviaruntque vehementer à veritate contextus Hebraici.* Et ex Augustino Steucho addit: *Quis tam acri ingenio fuerit, qui ex hisce verbis eruere aliquem sensum possit?* Tandem concludit: *Ex hoc certè loco deprehenditur, non adeo exquisite Septuaginta Grammaticam Hebraicam calluisse.*

Idem lib. 5. Bibl. annot. 70. de loco, Gen. 6. ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ. *Peperit hæc Angelorum appellatio perperam posita maximas quæstiones & in varias sententias, æque etiam errores, mentes hominum distraxit.*

Idem lib. ejusd. annot. 83. de loco Genes. 8. καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν. *Fecit hic error ut fabulosissimas quæstiones huc invexerint Expositores.*

Genes. 4. v. ult. LXX. sic habent: οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου τοῦ Θεοῦ. *Hic speravit invocare nomen Domini Dei.* Steuchus & Pererius in Comment. mirantur, unde illis ἤλπισεν *& quo sensu usurpatum?* Admonent iidem, pro οὗτος iste, in Hebræo esse אז, quod *non personam, sed temporis circumstantiam* designat. Steuchus h. l. *Refertur ad tempus, non ad personam, sicut vertit & Aquila apud Græcos,* τότε ἤρχθη, *i. e. tunc coeptum est.* Pererius ibid. *Verum pro illo pronomine Iste, quod habet tam Græca, quam Latina translatio, denotans personam Enos, quasi primus ipse fuerit, qui cœperit invocare nomen Dei, tam Hebraice, quam Chaldaice est adverbium temporis, significans, tempore illius Enos cœptum esse invocari nomen Dei.*

Santes Pagninus cap. 9. Isagog. *Nos summo studio, cura & diligentia Septuaginta Interpp. editionem cum Hebraico contulimus & tot invenimus addita, demta, depravata, immutata & ab Hebraico aliena, ut mihi persuadere nequeam, illam esse LXX. Interpretum.*

Pererius in cap. 37. Genes. *Mirum est, nec satis dispici potest, quid secuti fuerint Septuaginta interpretes, qui hoc loco posuerunt, Joseph esse venditum viginti aureis, cum in Hebræo non sint aurei, sed argentei, valet autem argenteus quatuor drachmas, aureus vero minimùm decem. Cur igitur argenteos mutare voluerint in aureos, & quæsivi sæpe, atque etiam nunc in quærendo sum. Neque hoc tantum loco, verum etiam infra capite quadragesimo quinto, pro trecentis argenteis, ut est Hebraice, ipsi verterunt trecentos aureos. Hieronymus certè de hoc reprehendit & damnat translationem Septuaginta, tum in traditionibus Hebraicis in Genesin super hunc locum, tum super vigesimum sextum caput Matthæi.*

Idem Disp. 8. in cap. 4. Exodi. *Cur Interpretes Septuaginta verterint, Stetit sanguis filii mei; equidem nescio, nam nec ambiguitas vocis Hebrææ, nec similitudo & convenientia ejus cum alia quapiam voce istiusmodi interpretationis præbere occasionem potuit.*

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 13. & Genebrardus in Psal. 132. v. 15. fatentur, *ex corrupta versione LXX. Interpp. qui habent vocem χήρα, fluxisse vitium vulgatæ, qua* צי *viduam* reddidit.

Idem Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 6. *Genes. 26. LXX. habent, dixisse servos Isaac de puteo, non invenimus aquam, cum Hebræi & Latini Codices habeant, invenimus aquam, quæ simul vera esse non possunt.*

Idem lib. 2. de Sacram. cap. 17. §. 4. *Verba illa, in die octavo, sunt addita à Græcis, non enim habentur in Codicibus Hebraicis, nec in Paraphrasi Chaldaica, nec in Latina vulgata editione: Porro ob illa duo verba, in die octavo, S. Augustinus coactus est hunc locum exponere de parvulis &c. At si removeamus à textu duo illa verba, ut vere removenda sunt, totum argumentum concidet.* (Sic ergo Bellarminus versionem LXX Interpp. repudiat, ut argumento, quo probavit Augustinus, masculos per Circumcisionem ab æterna morte liberatos fuisse, respondere possit.

2. Quod statuunt, Judæos post aliquot annos ab assumto in cœlum Christo editionem Septuaginta Interpretum maligne depravasse.

Salmeron tom. 1. Comment. p. 29. *Tertio præmittendum, Judæos post aliquot annos ab assumto in cœlum Christo, ut nobis adversarentur, primum LXX. Interpp. editionem in multis locis vitiasse, cui rei testimonio sunt veteres Patres, & præsertim D. Hieron. qui ad novam ex Hebræo proferendam editionem ob eam causam excitatus fuit, & quia videbat in odium LXX. Interpretum Aquilam, Symmachum & Theodotionem novas ac plane Judaicas ex Hebræo protulisse editiones.* Et postquam quædam exempla mutationis retulisset, subjungit: *Multa quoque alia ab eis deleta sunt, addiderunt alia, permulta quoque permutarunt. Et ut mendacium de Christo sublato per Discipulos, custodibus dormientib. pecunia scienter redemerunt, ut resurrectionis veritatem negarent: ita revera mendaciis & corruptionibus Scripturas LXX. Interpp. quasi clare concionantes resurrectionem Christi, mortem & fructum ejus, repleverunt, etiamsi minime ignorarent, se studiose mentiri, ut Christianis imponerent.*

Bellarminus lib. 2 de Verbo Dei cap. 2. resp. ad 1. arg. *Justinus & Eusebius textum Græcum LXX. Interpretum ab Hebræis corruptum esse scribunt. Verba Justini hæc sunt in Dialogo cum Tryphone: Ac, inquit, quod illi multos & integros locos illarum ex translatione eorum, qui cum Ptolemæo fuere, Seniorum sustulerint, in quibus clare hunc ipsum crucifixum, Deum & hominem esse, cumque in cruce pendere & mori pronunciatum esse ostenditur, scire vos volo &c.*

Et postea: *Origenes aperte loquitur de corruptione versionis LXX. dicit enim, sublatam à Judæis versione LXX. vocem, Juda, in illo Jer. 17. Peccatum Juda scriptam est stylo ferreo, & positum, peccatum eorum scriptum est stylo ferreo. Sic enim Origenes loquitur. Deinde alia sequitur Prophetia, quam nescio, quare apud LXX. non invenientes, in cæteris editionibus, quæ cum Hebræo sermone consentiunt, reperimus. Et infra. Judæi, qui exemplaria nonnulla falsarunt etiam in hoc loco pro peccato Judæ peccatum eorum posuerunt: cujus etiam corruptionis meminit Hieronymus in hunc locum Jeremiæ.*

Jacobus Gordonus Huntl tom. 1. controv. 1. cap. 11. p. 42. *Versia ista LXX. depravata est multis in locis à Judæis.*

3. Quod agnoscunt, LXX. non habuisse immediatam Spiritus sancti assistentiam. (Quomodo ergo ipsorum versio potest esse authentica?)

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. §. Scio &c. *Scio Epiphanium lib. de mensur. & ponderibus Hieronymum in Præfat. in Pentateuchum, & lib. de opt. gener. interpr. & Augustinum lib. 18. de Civ. Dei cap. 42. & 44. scriptum reliquisse, LXX. Seniores de industria quædam addidisse & quædam aliter vertisse, quia sic eis dictabat Spiritus sanctus. Sed isti Patres pie quærebant rationes excusandi & defendendi eam versionem, qua tunc Ecclesia utebatur. Cæterum si ita esset, quomodo Philo diceret, summam fuisse consonantiam rerum & verborum? Quomodo etiam assereret Aristæus omnes, qui eam initio viderunt, acclamasse singula esse bene & fideliter versa? quomodo non admirati fuissent, tam multa detracta, tam multa addita, tam multa contrario sensu reddita?*

In eod. lib. & cap. repudiat Bellarminus fabulam *de distinctis cellulis*, in quibus LXXII. Interpp. constituti Scripturam Hebræam tanto consensu in sermonem Græcum verterint, ut ne in minima quidem particula dissenserint.

Eandem fabulam explodunt Masius Præfat. in Josuam, Titelmannus in Prolog Apolog. pro edit. vulg. (At hæc fabula est præcipuum fundamentum, quo opinio de authentica versionis LXX. Interpp. autoritate nititur.)

4. Quod agnoscunt, versionem LXX. Interpretum hodie non nisi corruptam extare. (Ergò si vel maxime olim fuisset authentica, hodie tamen autoritatem illam non amplius tueri posset.)

Augustinus Steuchus in cap. 32. Deuter. super verba: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. *Non dubium est, quin locus is apud Septuaginta sit depravatus.*

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. §. De postrema. *Licet non ignorem, nonnullos in ea sententia esse, ut existiment, Interpretationem LXX. Seniorum penitus interiisse, multo probabilius censeo, illam adhuc superesse, sed adeo corruptam & vitiatam, ut omnino alia videatur &c.*

Et postea: *Non esse incorruptam, sed valde vitiatam pluribus locis, ut jam tutum non sit Hebraicos vel Latinos textus ex Græcis Codicibus emendare, probari potest multis argumentis: Primum testimonio D. Hieronymi, qui Præfatione in Paralipomenon & in Esdram & alibi frequenter monet, versionem LXX. esse vitiatam multis & variis modis. Secundo, quoniam LXX. Interpretes dicuntur omnia transtulisse ad verbum, ita proprie, ut quicunque sciret utramque linguam, statim judicaret, fidelissimam esse translationem. Philo lib. 2. de vita Mosis. Aristæus lib. 2. vers. Septuag. At ista Græca versio, quam nunc habemus, in pluribus locis dissentit ab Hebræo, multa non habet, quæ sunt in Hebræo, multa habet, quæ non sunt in Hebræo, ut omnes noverunt, qui in ea versati sunt. Et qui de hac re ob linguarum imperitiam judicare non possunt, legant Hieronymi Præfationem in Pentateuchum, Epistolam ad Sunium & Fretellam, quæstiones Hebraicas, Comment. in Prophetas & librum de optimo genere interpret. Tertio probatur ex multis sententiis, quæ in hac versione inveniuntur, quæ nullo modo cum veritate cohærent, quale est illud de supputatione annorum Mathusalem Gen. 5. & Gen. 26. Non invenimus aquam. Jon. 3. adhuc tres dies &c. Probatur ultimo, quia satis constat, editionem LXX. Interpretum à Judæis*

Judæis multis in locis fuisse corruptam, ut Justinus affirmat in Dialogo cum Tryphone. Constat item eandem editionem sæpius emendatam ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo: nihil autem emendatur, nisi quod ante vitiatum est. Neque credibile est, eam editionem, quæ primis trecentis annis tot maculas contraxerat, reliquis mille ducentis annis inviolatam atque integram servatam. Denique, constare omnes fere Græcos Codices ex versione LXX. habuisse admixta multa ex Theodotione asteriscis præfixis, deinde paulatim asteriscos excidisse, interiisse etiam editionem Theodotionis, inde autem necessario ortam esse confusionem, ut jam nemo judicare possit, quid in iis libris sit LXX. quid vero Theodotionis.

Johannes Stephanus Menochius Jesuita in Præfat. annot. in Biblia cap 11. *Corruptam esse multis locis LXX. interpretationem D. Hieronymus Præfat in libros Paralip. affirmat his verbis: Si LXX. Interpretum pura, & ut ab iis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem. Nunc vero cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa, antiquaque translatio corrupta sit, atque violata &c. Verum autem esse, quod ait D. Hieronymus, confirmari potest ex D. Justino, qui Dialogo cum Tryphone Judæo affirmat, multis locis ab ipsis Judæis depravatam fuisse, & ex eo, quod, cum tradat Aristeas, hanc interpretionem in omnibus cum Hebræo consensisse, jam non solum discordat in multis, sed multa habet, quæ non sunt in Hebræo, quemadmodum vicissim non pauca Hebræus habet, quæ in illa non reperiuntur.*

Jacobus Gordon. Huntlæus tom. 1. controv. 1. cap. 11. p. 42. *Quia nunc depravata est ista versio LXX. in multis locis, partim à Judæis, partim ab hæreticis, quod etiam sæpius conqueritur S. Hieronymus, non possumus jam ei fidem adhibere in omnibus.*

5. Quod Hieronymianam translationem illi præferunt. (At si editio LXX. Interpp. esset divina & authentica, non daretur ea melior & exactior.

Augustinus Steuchus Præfat. in Recognit. Vet. Testam. *Cum nomen Hieronymi toto orbe esset celeberrimum, recepta sensim ab Ecclesiis illius versio, amotaque illa antiqua Septuaginta editio.*

Ibid. *Si Hieronymi versionem cum editione LXX. contuleris, ausim hac uti similitudine, ut lucem ac tenebras à te collatas asseram. Invenimus certe hanc adeo fuisse Ecclesiis necessariam, ut nisi hanc operam divinus Hieronymus nobis præstitisset, versari adhuc nos in multis erroribus certe necesse fuerit.*

Jacobus Bonfrerius Professor Duacenus Prolegom. in quinq, libros Mosis cap. 16. sect. 5. f. 56. multis disputat, *editioni LXX. Interpp. Hieronymianam editionem præferri debere.*

Thesis quinta. Autor Latinæ versionis vulgatæ non est Hieronymus.

Ἔκθεσις. 1. Hieronymus in versione Scripturæ bis versatus est, Primo enim vetus Testamentum Latine reddidit *ex editione Græca Septuaginta Interpretum*, ut ipse testatur lib. 2. contra Ruffinum. *Egone*, inquiens, *contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi?* Idem confirmatur ex ejusdem Epistola ad Augustinum, quæ undecima numeratur tom. 2. Augustini. Deinceps *ex ipsis fontibus*, ex Hebraico scilicet textu, totum vetus Testamentum transtulit, quod ipse testatur, tum *in viris illustribus*, tum aliis plurimis locis, ut in Præfationib. in libros singulos à se versos, & contra Ruffinum & alibi. Quando ergo quæritur, an autor vulgatæ versionis Latinæ sit Hieronymus? de alterutra illarum id accipiendum.

2. Novum Testamentum Hieronymus non vertit, sed vulgatam versionem diligenter recognovit ad veritatem textus Græci, emendatis multis erroribus, qui irrepserant, ut fit, sive autoris vitio, sive librariorum culpa, idque rogatu Damasi Episcopi Romani, ad quem ita præfatus est in Evangelia: *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum Græca consentiant veritate, decernam.* Et post: *Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, Codicum Græcorum emendata collatione, sed & veterum, quæ non multum à lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.*

3. Non est quæstio de parte aliqua illius vulgatæ versionis, an juxta unam atque alteram partem autorem agnoscat Hieronymum, præsertim quatenus est correcta, sed de toto & integro vulgatæ versionis systemate.

Antithesis. *Vulgatam Latinam versionem Hieronymi esse, contendunt Augustinus Eugubinus & Johannes Picus Mirandulanus in libris de hac re editis, aliique nonnulli*, (quæ sunt verba Bellarmini lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. §. 1. ubi tamen notandum, quod Augustinus Eugubinus Psalmos excipiat, *quos fatetur haberi ex editione Septuaginta, correctos tamen ab Hieronymo.*)

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6 artic. 3. inter errores refert, quod *Pagninus suspicatur in Præfat. interpretat. suæ ad Clementem VII. Pontif. vulgatam editionem non esse D. Hieronymi.*

Petrus Sutor Carthusianus in libro de tralatione Bibliæ indem statuit, *hanc, quam habemus, editionem Latinam, prorsus esse Hieronymianam, in Vet. quidem Testam. ex versione; in Nov. vero ex correctione Hieronymi.*

Nostram sententiam confirmamus ex eo,

1. Quod Hieronymus in Præfat. Psalterii ad Sophronium, quæ est Epist. 133. Præfat. in Pentateuch. Præfat. in libros Regum &c. testetur, *se eo modo vertisse Scripturas sacras, ut cum Hebraica veritate illa versio exactissime consentiret*, quod ipsum de Hieronymo testantur Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 43. & Isidorus lib. 6. Etymolog. cap. 5. Atqui vulgata editio Latina in multis discedit à textu Hebræo, ac propius accedit ad Græcam LXX. Interpp. versionem.

2. Quod Hieronymus multa aliter transtulerit, quam in vulgata editione habentur, ut apparet ex mutua collatione vulgatæ versionis cum quæstionibus Hieronymi in Genesin, cum Commentariis in Prophetas, & cum libro de optimo genere interpretandi. Confer Genes. 1. v. 2. cap. 4. v. 4. & 8. cap. 30. v. 32. Psal. 1. v. 1. Psal. 110. v. 3. Psal. 132 v. 15. Esa. 1. v. 12. v. 12. & 30. Galat. 1. v. 16. cap. 3. v. 1. Ephes. 1. v. 14. cap. 4. 19. &c.

3. Quod Hieronymus, utpote autor Latinitatis non contemnendus, in scriptis suis utatur sermone Grammaticè puro. At vulgata versio Latina in locis quamplurimis est barbara & solœcismis referta. Confer Genes. 13. v. 11. cap. 21. v. 26. cap. 24. v. 32. cap. 42. v. 13. Psal. 67. v. 20. Ps. 125. v. 1. &c. Matth. 6. v. 26. cap. 17. v. 19. cap. 20. v. 28. cap. 22. v. 30. cap. 24. v. 6. Luc. 7. v. 32. cap. 19. v. ult. cap. 21. v. 38. Johan. 15. v. 2. Act. 3. v. 19. cap. 12. v. 8. cap. 18. v. 15. &c.

Huic nostræ sententiæ suffragantur.

Paulus Foro Sempronii Episcopus lib. 2. cap. 1. de die passionis Domini. Santes Pagninus in Præfat. suæ Interpret. Bibliorum ad Clementem VII. Pontificem Romanum. (Horum duorum suffragium nobis largitur Bellarminus d. l. Paulum ForoSempronium hoc nomine perstringit Augustinus Eugubinus in Præfat. Recognit. Vet. Testam. fol 3. *Non moveant nos*, inquit, *rationes, quas ad infringendam hanc sententiam, hanc scilicet vulgatam editionem Hieronymi non esse, attulit Paulus ForoSemproniensis Episcopus, vir etiam doctissimus, una enim ratione omnes solvuntur &c.*)

Jacobus Faber Stapulensis in Apolog. præmissa Comment. In Epistol. Paulin. *Omnes, qui incolumi pollent judicio, negant, hanc editionem esse Hieronymi. Nam Hieronymus eam redarguit & damnat, & autorem ejus sæpe vellicat & inscitiæ accusat, ita opus nominat ut alienum; ita interpretem ejus redarguit, ut alium. Est igitur caput pertinax, quisquis aliter statuit.*

Et postea: *Hieronymus N. Test. Græcæ fidei reddidit, verum vulgata editio adeo multiplici vitio scatet, ut non tam fidei Græcæ reddita sit, quam reddi indigeat. Non est igitur Hieronymi.*

Thomas Morus in Epistola ad M. Dorpium in Apologia pro Moria Erasmi pag. 406. *Veterem versionem ab Ecclesia receptam Hieronymus postea, sanctissimis viris id approbantibus, ipso quoque Augustino adhortante, ut fieret, castigabat & mutabat, ut ipse fatetur, si quid in sensu fuit, quod discreparet à Græcis.* (Si Hieronymus vulgatæ versionis est corrector, non potest esse primus ejus autor.)

Erasmus in annot. Matth. 1 p. 10. *Hic locus, Ecce virgo concipiet &c. argumentum præbet, hanc editionem, qua vulgo utimur, non in usu fuisse Hieronymo, nec ab illo castigatam* (in omnibus & singulis partibus.) *Nam si usus fuisset, legisset & hic, habet* (in utero,) *si castigasset, haberemus, quod ille probat ac sequitur. Ita enim Hieronymus in Comment. super h. l. Propheta, quia futura prædicit, significat, quid futurum sit, & scribit, accipiet. Evangelista, quia non de futuro, sed de præterito narrat Historiam, mutavit accipiet, & posuit, habet. Qui enim habet, nequaquam accepturus est?* (Idem Hieronym. in Epist ad Galat. lib. 3. taxat Interpretem, quod perperam verterit locum 1. Cor. 5. & citat ad hunc modum: *Modicum fermentum totam conspersionem fermentat*, ex quo idem

Erasmus

Erasmus in annotat. 1. Cor. 5. p. 314. concludit: *Si Nov. Test. haberemus ab Hieronymo restitutum, ut quidam autumant, quomodo taxat, quod nos hic legimus?*)

Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. p. 327. demonstraturus, Commentarios quosdam, qui Arnobio & Hieronymo tribuuntur, non esse autorum istorum, argumentum ducit à sermonis qualitate. *Commentarios* (inquit) *illos rudes & inconditos solœcismis & barbarismis scatentes, qui nunc Arnobii titulo veneunt, etiam mediocriter exercitatus ex sermonis gustu sentiet, non esse Arnobii illius præstantissimi Oratoris, qui septem adversus gentes eloquentissima scripsit volumina. Commentaria similiter in Job & Marcum Hieronymianis tomis inserta, nullus unquam suspicabitur esse Hieronymi, nisi qui eum putet Latinam linguam dedidicisse, & Græcam & Hebræam prorsus ignorasse.* (Eodem argumento demonstrare possumus, vulgatam versionem Latinam solœcismis & barbarismis scatentem non esse Hieronymi. Sed non opus est per fidiculam consequentiæ à Sixto Senensi extorquere, quod sua sponte fatetur, sic enim scribit)

Lib. 2. Biblioth. hæres. 1. pag. 588. *Vulgata nostra editio, quæ Hieronymi esse dicitur, in multis à Græca veritate* (in Nov. Test.) *dissat, quoniam vulgata Nov. Testam. editio, qua nunc utimur, non est mera Hieronymi de Græco in Latinum, sed mixta quædam editio, partim ex veteri vulgata editione, partim ex nova quadam Hieronymi castigatione in Nov. Testam. collecta. Non enim omnino certum est, an ipse totum Nov. Test. à Græco transtulerit, vel jam prius ab aliis translatum correxerit.*

Et postea: *Sed quanquam hæc editio Hieronymi non sit, & multa* (nota) *in ea Græcæ veritati non respondeant, non tamen oportet eam calumniis impetere tanquam falsam.*

Lib. 8. Bibliothecæ pag. 645. *De editione nova Vet. Testamenti quam Hieronymi esse negant, respondemus, quod sicut ea non videtur esse Hieronymi, ita non omnino alia videtur ab interpretatione Hieronymi. Ut enim illi* (Adversarii) *ex multis locis, quæ in editione nostra aliter habentur, quam Hieronymus emendavit, arguuntur, editionem hanc non esse eam, quam Hieronymus de Hebraica veritate transtulit, ita & nos eodem argumento ostendere possumus, eam non esse prorsus ab illa D. Hieronymi interpretatione diversam, quia in illa multa loca habentur, sicut Hieronymus se emendasse testatus est &c.* (Inde Bellarminus Sixtum Senensem in eorum classem collocat, qui statuunt, *vulgatam editionem esse mixtam ex vetere, quæ ante Hieronymum fuit usitata, & ex LXX. Interpretum versione translata; & nova, quæ ex Hebræo textu ab Hieronymo adornata.*)

Johannes Driedo lib. 2. de Eccles. dogmat. & Scripturis cap. 1. ejusd. cum Sixto Senensi est sententiæ. *Sunt,* (inquit) *qui dicunt, translationem hanc Latinam, qua communiter utitur tota Latinorum Ecclesia, non esse Hieronymi.* (Agnoscit igitur, quosdā etiam ex Pontificiis esse in ea sententia; cui postea suam opponit, quod versio illa sit mixta ex vetere & nova.)

Marcus Marinus Canonicus Romanus in Præfat. Arcæ Noe scribit, *de vulgata translatione quosdam gravissimos Doctores dubitare, an sit D. Hieronymi, vel alterius &c.*

Ambrosius Catharinus Compsæ Episcopus in Clave Scripturæ cap. 45. 46. Santes Pagninus Præfat. Biblior. ad Clem. VII. Alphonsus Mendoza q. 10. positiv. itidem dubitant, *an vulgata illa versio sit Hieronymi.*

Fortunatus Fanensis in Præfat. de variis translationibus asserit, *versionem vulgatam, licet aliquando Hieronymi credita fuerit, tamen ut majoribus nostris quasi per manum traditum est, partim ex antiquissima & vetustissima editione Latina, quam Hieronymus communem & vulgatam, Augustinus Italam, & Gregorius veterem appellant, retentam esse, partim &c.* Sed & omni exceptione major Præfatio, quæ Bibliis Clementinis præfixa est, pronunciat, *eam partim ex Hieronymi translatione, partim ex Itala mixtam esse*, in quam sententiam quoque descendit Mariana Epistola ad Sanderum p. 57.

Gulielmus Lindanus lib. 3. de opt. genere interpret. cap. 6. Græculum quendam hujus versionis autorem esse suspicatur. *Sæpe, inquit, multumque de nostræ Latinæ editionis Interprete cogitans plurima videre videor, quæ ad suspicandum me invitant, ut non Latinum hominem, sed Græculum quendam fuisse existimem. Si enim illa prisca Ecclesia ante annos 1500. hac versione usa, haud ita potuit à Romanæ linguæ puritate intra tantillum temporis degenerare. Nam, quæ tum in Psalmis, tum in Nov. Testam. occurrunt versionis offendicula, majora sunt, quam ut ab homine Latinæ linguæ, etiam quæ non jam ex lectione, sed ex sermone discitur, poterunt peccari &c. Nemo Latine vel mediocriter eruditus dixerit: In convertendo Dominus, in convenicndo populos, expugnaverunt pro oppugnaverunt, non potuerunt mihi, pro, non prævaluerunt &c.*

Salmeron Proleg. 33. p. 419. *Hieronymus magis veterem illam & vulgatam Nov. Testam. editionem emendavit, ac Græcorum Codicum fidei restituit, quam novam condidit.*

Et postea: *Probabile est ac valde verisimile, hanc nostram editionem esse eam, quam Hieronymus emendavit.* (Certum igitur est, quod Hieronymus non sit primus vulgatæ illius editionis autor, incertum vero an vulgata editio sit illa ipsa, quam Hieronymus emendavit. Imo certum est, quod non sit illa, quia Græcis fontibus non congruit, quos Hieronymus velut regulam in emendanda versione est secutus.)

Stapletonus in relect. Princip. controvers. 5. q. 3. artic. 3. de antiquitate & usu hujus Latinæ versionis, sic disserit: *Latina omnis Ecclesia ab ipso Tertulliani tempore, qui vulgatam hanc nostram lectionem plurimis in locis retinet, hac versione usa est.* (At si Tertullianus hac versione usus est, quomodo ejus autor potuit esse Hieronymus?)

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. si non ex toto, tamen *ex parte* nobis suffragatur, sententiam suam quatuor propositionibus complectens. Prima hæc est: *Testamentum novum Latinum editionis vulgatæ ex antiqua versione habemus, quam tamen Hieronymus emendavit.* Probat hoc ex eo, quod *multa loca, quæ Hieronymus reprehendit in antiqua versione, in vulgata hodierna ita correcta inveniantur, ut ipse affirmat esse corrigenda.* (Sed argumentum hoc est infirmum, & multa loca in hodierna vulgata versione inveniuntur nondum correcta, quæ tamen Hieronymus censuit emendanda.) Secunda propositio hæc est: *Psalterium vulgatæ editionis Latinæ non est illud, quod D. Hieronymus transtulit ex Hebræo, neque illud quod transtulit ex versione Græca LXX. Interpp. sed illud, quod emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani.* Probat ex eo, quod *Psalterium vulgatæ editionis ubique fere dissentiat ab illo, quod Hieronymus ex Hebræo transtulit.* (In hac propositione contradicit Sixto Senensi, qui lib. 8. Biblioth. pag. 645. scribit: *Credibile est, hanc nostram vulgatam editionem ex duabus Hieronymi editionibus constare, videlicet ex ea, quam Hieronymus secundum Hebraicam veritatem edidit & ex ea, quam ipse ex Græca LXX. Interpp. editione transtulit.*) Tertia propositio: *Probabile est, librum Sapientiæ & Ecclesiastici & Maccabæorum in vulgata editione non haberi ex versione Hieronymi, sed ex antiqua translatione, cujus autor ignoratur.* Probat ex eo, quod *Hieronymus libros illos judicaverit apocryphos, nec eos invenitur transtulisse.* Quarta propositio: *Reliqua omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo habemus in editione vulgata.* (Argumenta, quibus id probare nititur, *infirma esse*, docet Sixtus Senensis d. l.)

Lib. ejusdem cap. 11. §. 6. *Vulgata editio non est unius autoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato.* (Quando nos contendimus, corruptiones doctrinæ & rituum in Ecclesiam esse introductas, urgent Pontificii, ut demonstremus accurate, *quando, à quo, quibus contradicentibus hæ factæ sint.* Dicant igitur ipsi, quando hæc mixtura Latinæ versionis fuerit introducta? à quibus? quo repugnante?)

Maldonatus in cap. 16. Lucæ statim in princ. *Græcum οἰκονόμος non tam villicum quam totius domus dispensatorem significat, quem & Latine Oeconomum appellamus. Quod idem Hieronymus nostram emendans versionem monuit. Quæ res argumento est, novum ab eo Testamentum conversum non esse, sed veterem tantum ejus versionem nonnullis locis emendatam.*

Inde Nicol. Serarius in Prolog. Bibl. cap. 19. quæst. 1. p. 100. Pontificiorum de hac quæstione sententias in tres distribuit classes. 1. *Quidam ajunt, autorem esse D. Hieronymum, ut Picus Mirandula & Augustin. Eugubinus.* 2. *Non esse Hieronymi, statuit Erasmus in Præfat. Pagninus, Paulus Forosempronius &c.* 3. *Alii partim Hieronymi partim non esse Hieronymi asserunt.* Ita Driedo lib. 2. cap. 1. Andradius p. 255. lib. 4. Sixtus lib. 8. Idem p. 102. asserit, *præter pauculos V. Test. libros, E. g. Job, Psalterium & libros Salomonis nihil ab Hieronymo ex Græco translatum.*

(Plura in hanc sententiam ex Paulo Brugensi, Johanne Reuchlino, Laurentio Valla & aliis adduci possent, sed quia hæc controversia non est magni momenti, ideo illis recensendis supersedemus.)

Thesis sexta. Vulgata versio Latina non est authentica.

Ἐκθεσις. 1. Non est quæstio, an in communi Ecclesiæ usu re-

tineri possit, sed an in controversiis ab ea ad fontes non liceat provocare.

2. Neque quæstio est, an veteres honorificum ei encomium detulerint, sed an in sublime *authoritatis authenticæ* fastigium collocanda sit.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 4. *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex multis Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia ipsa probata est in publicis lectionibus, Disputationibus, prædicationibus aut expositionibus pro authentica habeatur & quod eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* (Observa autem, Conciliũ non proposuisse certum aliquod editionis exemplar omnibus sequendum, sed tantum editionem ipsam authenticam definivisse, adeoque aerem verberasse.)

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 3. inter *errores* refert, quod *Chemnitius in Exam. Concil. Trident. Georgius Major Præfat. in Psalmos, & Tilemannus Heshusius lib. de sexcentis erroribus Pontif. negant, vulgatam Hieronymi Bibliorum Latinam editionem pro authentica habendam esse.*

Stapletonus in Relect. princip. fidei controv. 5. q. 3. art. 3. multus adversus illos disputat, qui negant, *Latinam vulgatam editionem Vet. & Nov. Test. debere ab Ecclesia pro sola authentica & sacra approbari*, ibidemque contrarium statuentium objectiones dissolvere satagit.

Melch. Canus lib. 2. Locorum cap. 13 ex hoc Decreto quatuor conclusiones deducit. 1. *Editionem veterem & vulgatam fidelibus esse retinendam in his omnibus, quæ ad fidem & mores pertinent. 2. Omnes de fide & moribus quæstiones per hanc editionem esse definiendas. 3. In disputationibus non esse ad Hebraica & Græca exemplaria provocandum. 4. In his, quæ sunt fidei & morum non esse Latina exemplaria ex Hebræis & Græcis fontibus corrigenda.*

Lib. ejusd. cap. 14. scribit: *At modo cum exemplarium Latinorum una apud omnes concordia sit, potius Græca variantia per nostram Latinam editionem sunt limanda atque in pristinam unitatem reducenda, sanioris que consilii est, limpidam aquam ex lacunis defecatis, quam ex turbato fonte liquorum obscœnum bibere.*

Francisc. Ximenius Cardinal. in Præfat. Bibl. Complut. asserit, *inter Hebraicam veritatem & LXX. Interpp. editionem se Latinam translationem, velut inter Synagogam & Orientalem Ecclesiam ponere, tanquam duos hinc & inde latrones, medium autem Jesum.* (quæ mirabilis est comparatio.)

Franciscus Turrianus in Defens. locor. adversus Sadeelem p. 57. *eos, qui Hebraicam veritatem versioni Latinæ præferunt, Judæis assentari*, scribit.

Azorius lib. 8. Instit. cap. 3. *Græca & Hebræa exemplaria, quæ nunc extant, si cum sensu vulgatæ Latinæ pugnent, pro Canonica Scriptura sit nobis habenda Latina editio.*

Socrobolcus in Defens. Decret. Trident. part. 2. cap. 9. *Vulgata Latina est emendatissima ab omni errore.*

Gregorius de Valentia in Anal. lib. 8. cap. 5. p. 348. *Ex vulgata versione Hebræi & Græci Codices corrigendi, sicubi ab ea dissentiant.* Idem repetit tom. 3. Disp. 1 q. 1. punct. 7. §. 43. col. 313.

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 10. §. 3. *Concilium Tridentinum definivit, vulgatam editionem Latinam habendam esse pro authentica, pro qua scripserunt Johannes Driedo lib. 2. cap. 1. de Eccles. dogm. Franciscus Titelmannus in Prologo Apologetico pro edit. vulgata N. Test. Andreas Vega lib. 15. in Concil. Trid. cap. 9. Jodocus Tiletanus part. 1 Apolog. pro Concil. Lindanus lib. 1. de opt. genere interpret. Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 13 Sixtus Senensis lib. 8. Bibl. hæres. ult. quorum diligentiam in astruenda authentica versionis vulgatæ autoritate se imitaturum*, ibidem asserit.

Gordonus Huntlæus controv. 1. cap. 8. *Non recte faciunt illi, qui rejecto vulgato & sincero textu* (Latinæ versionis) *confugiunt ad textum Judaicum* (Hebræum) *jam depravatum.*

Josephus Acosta lib. 2. de Christo revelat. cap. 16. *Latina editio jure suo obtinuit, ut certior illius quam cæterarum* (Hebraicæ ac Græcæ) *sit fides. Etenim corruptionem Latinis Codd. invectam suspicari non possumus, quos tanta multitudine, tanto consensu à tot Dei Ecclesiis per plus mille annos conservatos constat. Hebraica contra neque ita in usu Catholicis fuere, neque à scriniariis tantæ fidei servata sunt &c.*

Jacobus Gretserus Defens. Bellarm. lib. 2. cap. 10. pag. 537. statuit, *Deum Interpretis manum & calamum ita direxisse, ne usquam à Spiritus S. mente in translatione aberraret.*

Pag. 541. *Deum mentem Interpretis singulari ope ita rexisse & direxisse, ut nusquam à Spiritus S. mente deflecteret.*

Pag. 563. *Si quid est in vulgata pertinens ad dogmata fidei & morum, desumptum ex Theodotione, in iis Theodotionem non errasse, idque singulari protectione Dei, Interpretem illum, quamvis perditum & impium, iis in locis, quæ Ecclesia aliquando tanquam authentica approbatura erat, ab errore custodientis.*

Idem Gretserus responsurus Witakero p. 541. sic disserit: *Quod vero subjungit, nos nolle nostram versionem ad fontes examinari, per fontes intelligens eos Codices Græcos & Ebræos, qui modo habentur, jure id facimus. Non enim constat, eos cum suis fontibus, hoc est, primis exemplaribus convenire, quibus tamen conformem esse nostram versionem nos certos facit Ecclesia. Itaque sicubi exemplaria Ebræa aut Græca discrepant à Latina, quod attinet ad fidei & morum dogmata, ea potius ad Latinam, quam istam ad illa comparandam & conferendam esse dicimus.*

Idem p. 447. asserere non dubitat, *persuaderi sibi non posse, omnia ad Hebræum textum jam post tot secula corrigenda & exigenda esse, etiamsi fons ille nunquam lutulentus, sed semper & ubiq; limpidus flueret.* Ergo si vel maxime puritas fontium evicta, nondum tamen Gretserus de veritate se fateretur convictum.)

Pineda in tractatu de rebus Salomonis lib. 4. cap. 7. p. 229. *Nos qui omnino tenemur tueri Latinam vulgatam lectionē cum omnibus suis particulis, piaculum existimamus asserere, non solum in re pertinente ad fidem, sed etiam ad rem Geographicam aut aliam cujuscunque generis, Latinum interpretem, si non omnia semper assecutus est, neque prorsus sensum omnem verborum exhausit, aliquando errasse, deceptumque fuisse.* Unde etiam in Indice litera V hæc comparent: *Vulgatæ lectionis autoritas & vel solus apex retinendus. Et, Latinus Interpres nunquam aberrans.*

Ludovicus de Tena Isagog. ad Scripturam lib. 1. diff. 6. sect. 1. *Latinam editionem vulgatam in omnibus suis locis & partibus ita esse authenticam, ut non solum nullum contra fidem errorem contineat, sed etiam infallibilem veritatem & Spiritus sancti mentem in omnibus suis partibus, quantumvis minimis, non minus quam originalis Scriptura, unde fuit transumpta. Neque ut fidem faciat, indiget recursu ad illam vel aliam; sed adhuc, quando ab Ebræa nunc existente dissentit, esse veram regulam fidei.*

Sect. 3. *Non solum in iis, quæ gravia sunt & ad fidem moresque pertinent, sed etiam in omnibus aliis, quantumvis levibus, vulgatam nullum habere errorem &c.*

Ibid. *Licet essent nunc incorrupti Codices Græci & Ebræi, tamen cum eorum voces habeant tam varias significationes, nec Ecclesia hactenus definierit, quæ earum sint retinendæ, bene tamen in vulgata; hinc est, istam esse priori loco venerandam, ad eamque, ut Lydium lapidem, seu ut clarius loquar, tanquam ad authenticam regulam fidei semper esse recurrendum, etiam in levibus.*

Ribera in Habacuc cap. 1 n. 13. *Mihi & omnibus, quibus vulgatæ editionis sancta & inviolabilis est autoritas, longe alia mens est. Neque enim fas esse duco, credere, Ecclesiam aliquid pati in ista editione, quod non sit dictatum à Spiritu sancto.*

Henricus Henriquez lib. ult. Theolog. moral. cap. 10. §. 11. lit. q. *Si in fonte Hebræo aut Græco esset sensus contrarius, ita ut nullo modo per antiphrasin accommodari posset Latinæ vulgatæ, imparus dicendus est fons & locus vitiatus, quia vulgatam nullo prætextu licet rejicere.*

Maldonatus in cap. 7. Matth. v. 1. in verba: *Nolite condemnare*, sic scribit: *Hæc verba nunc Græci non legunt, nec videntur veteres Latini legisse. Ego mihi legenda esse certo persuadeo, nosterq; mihi interpres instar omnium est.*

Idem in Luc. 2. v. 14. *Non dubito multis fretus autoribus affirmare, Græcos nunc Codices h. l. esse corruptos, legendumque ind.... bonæ voluntatis, ut noster legit Interpres, cujus magna profecto autoritas esse debet.*

Julius Cæsar Bulengerus contra Plessæum lib. 3 cap. 6. cum citasset locum ex 14. cap. Jobi in hæc verba: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me?* inde purgatorium conatus astruere. *Scio*, inquit, *Hebraice haberi, Quis dabit, ut abscondas me in inferno, dum transeat furor tuus? Sed apud me multo pluris est Latina editio quam Hebraica.*

Petrus Sutor Carthusianus de translatione Bibliæ cap. 10. *Hieronymus hanc editionem fecit eodem Spiritu, quo & ipsa Scriptura in suo fonte edita est à Prophetis & Apostolis. Sed & negotium egit totius Ecclesiæ, quæ falli non potest, falleretur autem Latinorum Ecclesia, si in Scriptura Latine data error ullus inesset.*

Becanus in Manuali lib. 1. cap. 1. q. 2. num. 4. *Soleo dicere, Catholicos*

tholicos (unam versionem Latinam pro authentica habentes) *& adversarios* (apud quos variæ versiones) *repræsentare duas familias, in quarum altera pater & mater, filii & filiæ, servi & ancillæ eodem loquuntur idiomate, & singuli singulos probe intelligunt: in altera tot idomata sunt, quot capita; ubi pater Gallice, mater Hispanice, filii Latine, filiæ Belgice, servi Italice, ancillæ Polonice loquuntur. Ubi nulla concordia, sed perpetuum jurgium ac contententio est.*

Ribadeneira in vita Lojolæ lib 5. cap 10. pag. 627. *Ignatius Lojola, cum timeret, ne ex Hebraica lingua necessaria cognitione discipuli ejus aliquid discerent, ex quo ad novas interpretationes perquirendas novosque Scripturæ sacræ sensus delaberentur, statuit, ut Nostri veterem vulgatam editionem omnino retinerent.*

Johannes Stephanus Menochius in Præfat. annotat. in Biblia cap. 17. *S. Marcus Evangelium suum Latine scripsisse legitur. Cæterorum* (Novi Testamenti librorum) *licet Interpretes ignorentur, non dubium tamen, eam interpretationem factam statim initio Ecclesiæ, planeque verisimile est ab Apostolis visam & probatam.*

Cap. 18. *Cum versio nostra* (Latina) *à Concilio* (Tridentino) *dicitur authentica, significatur, absolute & simpliciter esse fidelem & sinceram, nihil continere, quod fidei repugnet aut bonis moribus, nihil in ea esse, quod apte falsitatis vel contradictionis alicujus possit revinci, etiam si ad fidem vel mores nihil pertineat &c.*

Nostram sententiam confirmamus primo ἀνασκευαστικῶς ex eo,

1. Quod vulgata illa editio Latina sit *versio*, ac proinde authentica esse nequeat, cum solus textus originalis Hebræus in Vet. & Græcus in Nov. Test. sit authenticus. *Primum in unoquovis genere est mensura reliquorum*, dicunt Philosophi.

2. Quod autor ejus non fuerit Prophetico Spiritu illustris. *Aliud est esse vatem, aliud vero esse interpretem*, dicit ipse Hieronymus, (quem vulgatæ versionis autorem esse volunt) in Præfat. in Pentateuch.

3. Quod in locis quamplurimis *à fontibus veritatis*, hoc est, à textu Hebræo in Veteri, & Græco in Nov. Testam. discedat, ut ostendit mutua collatio.

4. Quod mendas habeat complures, videlicet *graphicas* Judic. 11. v. 2. Luc. 15. v. 8. & 14 Joh 20. v. 22. Hebr. 12. v. 8. 1. Petr. 2. v. 5. 2 Petri 1. v. 16. *fontibus directe contradictorias* Genes. 19. v. 18. cap. 49. v. 24. Act. 24. v. 42. 1. Corinth. 15. v. 51. 2. Corinth. 7. v. 8. Philem. v. 9. Heb. 3. v. 3. 1. Pet. 2. v. 23. 2. Petr. 1. v. 16. 1. Joh. 5. v. 16. *ellipticas* Gen. 1 v. 3. cap. 4. v. 16. cap. 34 v. 29. cap. 40. v. 5. Matth. 6. v. 4. & 32. cap. 15. v. 31. cap. 18. v. ult. cap 20. v. 15. Luc. 2. v. 40. cap. 11. v. 2. & 4. Johan. 5. v 16. Act. 10. v. 30. & 32. cap. 18. v. 21. cap. 22. v. 12. Rom. 11. v. 6. cap. 14. v. 6. 1. Cor. 6. v. ult. cap. 15. v. 54. 2. Cor. 12. v. 11. 1. Tim. 6. v. 5. Hebr. 1. v. 3. 1. Pet. 4. v. 14. Apoc. 2. v. 14 *pleonasticas* Gen. 4. v. 15. cap. 5. v. 22. cap. 6. v. 6. cap. 27. v. 33. cap. 31. v. 32. Ex. 2. v. 17. &c. *chronographicas* Gen. 8. v. 4. cap. 11. v. 13. Matth. 3. v. 2. cap. 26. v. 61. Act. 5. v. 13. &c. *topographicas* Gen. 2. v. 8. cap. 34. v. 3. Deut. 4. v. 4. &c. *historicas* Gen. 24. v. 22. cap. 36. v. 24. c. 37. v. 2. Luc. 9. v. 14. &c. *dogmaticas* Gen 3. v. 15. cap. 4. v. 13. Matth. 6. v. 7. Rom. 12. v. 19. cap. 14. v. 5. Gal. 3. v. 24. &c. quodque conjungenda distrahat, distrahenda conjungat, Luc. 16. v. 22 Act. 2. v. 42. cap. 10. v 30. Galat. 4. v. ult. 2. Petri 2. v. 8.

5. Quod Doctores Ecclesiæ Latinæ non habuerint eam pro authẽtica, sed in scriptis suis multa aliter citarint, quam in vulgata versione extant, ut ostendit mutua collatio.

Secundo κατασκευαστικῶς ex eo, quod solus textus Hebræus in V. & Græcus in N. Test. sit authenticus.

1. Quia omne instrumentum publicum in ea duntaxat lingua est authenticum, in qua originaliter fuit scriptum, ut ostẽdi potest exemplo diplomatum Regiorum, tabularum Testamentariarum &c. Jam vero Scriptura sacra est instrumentum publicum, Dei authoritate, jussu ac mandato perscriptum.

2. Quia Scriptura sacra in illa duntaxat lingua est authentica, in qua à Prophetis & Apostolis est perscripta, cum ipsi soli, utpote Spiritu sancto φερόμενοι 2. Petr. 1. v. 21. θεόπνευστον & authenticam Scripturam edere potuerint 2. Timoth. 3 v. 16. cumque super *fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, hoc est, super doctrinam in Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensam, *extructi simus*. Ephes. 2, v. 20. Jam vero libri Vet. Test. scripti sunt à Prophetis lingua Hebræa, libri Nov. Test. scripti sunt ab Evangelistis & Apostolis lingua Græca.

3. Quia solum illud exemplar est authenticũ, quod reliquorum omnium norma est ac regula. Jam vero exemplar Hebraicum in Vet. & Græcum in Nov. Test. est reliquorum omnium norma & regula, quippe quæ sunt ex illis tanquam fontibus deducta.

4. Quia Hebræa Vet. Test. editio in lingua Israelitica, Græca Nov. Test. editio in Ecclesia primitiva Apostolica authentica fuit habita, & quidem sola

5. Transsumtum sive exemplum non potest haberi pro authentico, nisi cum originali exacte conferatur, & cum eo omni ex parte consentire inveniatur. At talis collatio non fuit instituta à Patribus Tridentinis, multo minus exacta illa cum originali convenientia hactenus fuit demonstrata. Ergo.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam nobiscum agnoscunt, solum textum Hebraicum in Vet. & Græcum in N. T. esse authenticum, ac juxta eum de versionibus quibusvis judicandum.

c. Ut veterum. dist. 9. ex Hieronymo. *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermonis formam desiderat.* (Glossa evidentiam hujus dicti confictis quibusdam distinctionibus labefactare nititur, ad quas late respondet Erasmus in Scholiis super 2. lib. Hieronymi ad Jovinian. tandem tamen ex hoc Canone deducit notabile aliquod, quod *quantumcunque authenticum sit aliquod instrumentum, si tamen de ipso in dubium aliquid revocetur, semper exhibendum sit illud, à quo origenem ducit.* Stante hoc notabili non potest aliter statui, quam quod in V. Testam. ad Codices Hebræos, in Novo ad Græcos sit recurrendum.)

c. De quibus causis. distinct. 20 ex Innocentio. *De quibus causis nulla solvendi, ligandique autoritas in libris Vet. Test. quatuor Evangeliorum cum totis scriptis Apostolorum appareat, ad divina recurrite Græca scripta.* (Glossa intelligit de scriptis Græcorum Doctorum, sed addita vox divina hanc expositionem vix admittit.)

c. Jejunium. dist 76. ex Hieronymo. *Cogimur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quam de rivulis quærere,* (in quæ verba sic annotat Glossa, *Collige, in dubiis ad rei originem recurrendum.*)

c. Inter solicitudines. tit. de Magistris. in Clementinis Clemens V. in Concilio Viennensi statuit, *ut in Academiis teneantur viri Catholici, sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldææ linguarum notitiam, duo scilicet uniuscujusque linguæ periti,* (videlicet ut fontes Scripturarum recte explicentur. At si versio Latina est authentica, solicitudine illa minime opus erat.)

Thomas Morus in Epistola ad Dorpium: *Ecclesia credit translationi Latinæ, sed magis archetypo. Credit Evangelium in Latinis esse verum, quatenus cum Græcis consentit.*

Reuchlinus Hieronymi vestigiis insistens dicere fuit solitus, *Hebræi fontes, Græci rivos, Latini paludes bibunt.*

Ludovicus Vives in lib. 13. de Civ. Dei cap. ult. *Miror esse, qui tantum nefas existimant, translationes attingi, modo sobrie & prudenter fiat.*

In lib. 14. Augustin. de Civ. Dei cap. 8. *Otiosum nimis esset, ut puto, multis verbis persuadere velle, cum de sensu aut integritate verborum Evangelii Latini dubitatur, ad fontem ipsum recurrendum, ad Græca exemplaria, qua lingua Apostoli scripserunt. Hoc Hieronymus clamat, hoc Augustinus hic admonet & præcipit exemplo suo. Isti reclamant & certius esse contendunt transfusum in Latinum sermonem Evangelium, quam in ipsa origine sua. Sed istos non magnopere referre putem confutari, quia pauci sunt & indocti, qui vel suapte sponte tacebunt, cum se intelligent nihil proficere, vel eruditorum omnium consensu cum absonis suis clamoribus rejicientur.*

In lib. 15. cap. 11. *Quam merito Augustinus deridet eos, qui plus omnino volunt haberi fidei interpretationibus, quam linguis illis, unde ad cæteras sacræ Scripturæ manarunt!*

In lib. ejusd. cap. 13 *Hoc ipsum, quod ad fontes recurrendum sit, Hieronymus clamat, hoc ipsa docet ratio, & nullus est saniore judicio, qui repugnet. Sed frustra consensus bonorum ingeniorum hoc censet. Nam rigidus stupor velut moles opponitur, non quia isti inscii sunt earum linguarum, nam nec Hebraice sciebat Augustinus, & Græce minus quam mediocriter, sed non est in his ea modestia animi, quæ in Augustino, hic undecunque paratus erat doceri, isti nusquam volunt doceri, ubique docere, quod ignorant.*

Erasmus Præfat. annot. Nov. Testam. *Testamentum, quod vocant novum, omni, qua licuit diligentia, quaque decuit fide recognovimus, idque primum ad Græcam veritatem, ad quam ceu fontem, si quid inciderit, confugere, non solum illustrium Theologorum exempla suadent, sed etiam toties monent Hieronymus & Augustinus, & ipsa Romanorum Pontificum Decreta jubent.*

Idem in Apologia adv. debacchationes Sutoris, de interpretatione Novi Testam. quæ repurgata ab ipso in manibus est, multis verbis gloriatur, quam ea & Pontificibus & Episcopis & permultis Theologis grata acceptaque fuerit, & ab ipso etiam Leone X. Pontifice inprimis commendata, neque ullum unquam doctorem hoc consilium ejus improbasse, aut ullius Synodi vocem exauditam, quæ vel hanc emendationem veteris translationis Hieronymi damnasset, aut etiam piaculare scelus judicasset, si quicquam in ea damnaretur.

Idem in Methodo: Quod si semel sufficiebat Hieronymiana translatio, quorsum tandem attinebat caveri Pontificum Decretis, ut Veteris Instrumenti veritas ab Hebræorum voluminibus; Novi fides à Græcorum fontibus peteretur. Certe jam tum verterit Hieronymus. Denique si hæc satis erat, qui postea factum est, ut tot manifestariis ac pudendis erratis lapsi sint primi nominis Theologi, id quod apertius est, quam ut negari possit vel dissimulari, in quibus est & ipse neotericorum omnium diligentissimus Aquinas, quem mihi parum propitium esse velim, si aut mentior, aut contumeliæ causa hæc dico.

Joh. Driedo lib. 2. de transl. Script. cap. 1. Apostolica Sedes editionem Hieronymi vel approbavit, vel acceptavit, non tanquam sic penitus consonam Scripturis editionem in suo fonte & in omnibus sic integram, puram ac restitutam, ut non liceat ulli vel examinare illam collatione facta ad suum fontem, vel in locis quibusdam dubitare, si forsitan Hieronymus sit assecutus verum Scripturæ sensum, sed tanquam omnibus editionibus tunc factis præferendam & in regulis fidei ac morum nusquam deviam, & tanquam talem, quæ publice legatur & recipiatur in usum. (Atqui Concilium Tridentinum longe plus autoritatis defert vulgatæ illi versioni)

Andradius lib. 4. Defens. Trident. fol. 247. (al. 348.) scribit, valde inconsiderate à quibusdam fuisse existimatum, Latinæ editioni plus esse fidei quam Hebræis voluminibus habendum, ideo quod hæc fuerint Judæorum perfidia corrupta & adulterata, illa vero integra & incorrupta permanserit, & sacrarum literarum integritatem aliunde quam ex Interpretum, qui ex Hebræo illas converterunt, diligentia esse petenda. Quin etiam, quod in Synodo Tridentina dictum est Sess. 4. Latinam versionem vulgatam esse authenticam, emollire conatur commoda interpretatione, quam se habere dicit ab Andrea Vega, qui ei Synodo interfuerat, ut nihil aliud significetur, quam nullo eam defœdatam errore existere, ex quo perniciosum dogma aliquod in fide & moribus colligi possit. (Hæc laus etsi non sit vera, tamen nihil habet eximium, tribuique potest vel Pagnini vel Augustini Nebiensis versionibus, quæ tamen non sunt authenticæ.)

Lib. eod. in vulgato Interprete agnoscit aliquid ἀνθρώπινον ac humanum. Non ita (se divina vis, inquit) in vulgatum Interpretem effudit, ut cum sanctissimis heroibus, qui sacra nobis mysteria literis mandarunt, conferri queat, aut omnium, quæ interpretanda suscepit, assequi perfectam cognitionem potuerit: sed his fuisse à sempiterno Numine ornamentis illustratum existimandum est, quæ Ecclesiæ rationibus expedire intellexit. Nec vero sine admirabili quadam providentia nonnulla voluit in ejus lucubrationibus humanæ imbecillitatis extare vestigia, quæ satis proderent, non omnia fuisse illius menti, tanquam Apostolis atque Prophetis, divinitus instillata.

(Si vulgata versio non assequitur dignitatem majestatemq; Spiritus in Scripturis loquentis, si humanæ imbecillitatis quædam in ea extant vestigia, quomodo potest ex inspiratione divina dici profecta & authentica?)

F. Aloysius Catanæus in Concil. Trident. asseverabat, ad articuli (de Latina sacræ Scripturæ versione) determinationem nihil afferri posse magis appositum, aut horum temporum occasionibus magis accommodatum, quam judicium Cardinalis Cajetani in Theologia celebratissimi, qui à pueritia huic studio deditus, mira ingenii felicitate & labore indefesso, inter sui seculi & superiorum aliquot seculorum Theologos familiam merito duxit, cui in doctrina cedere, & à quo edoceri, neminem eorum, qui adsint, Præsulum, aliorumve Doctorum pudere debeat. Cardinalem hunc, cum anno 1523. Legatus in Germaniam proficisceretur, sedulo pervolutantem, qua ratione, qui ab Ecclesiæ tramite exorbitassent, possent in viam revocari, aut hæresiarchæ errorum convinci, huic malo unicum reperisse remedium contextus sacræ Scripturæ in ea lingua, qua primum fuit conscripta, intelligentiam ad literam. Eaque gratia reliquum vitæ suæ tempus, nempe totos undecim annos, uni sacræ Scripturæ studio impendisse, non Latina versione, sed ipsis fontibus in Vet. Testam. textu Hebræo, in Nov. Testam. Græco diligentia sua expositis & illustratis. Et quoniam nullam ipse earum linguarum cognitionem habebat, in utraque lingua peritorum operam adhibuisse, qui textum Scripturæ verbum è verbo redderent, ut ex ipsius operibus in sacros libros scriptis apparet. Bonum illum Cardinalem dicere solitum, intelligere textum Latinum non esse intelligere verbum Dei, quod errare non potest; sed vocem Interpretis erroribus obnoxiam. Ab Hieronymo verissime dictum, donum prophetandi & libros sanctos conscribendi proficisci à Spiritu sancto; sed eosdem libros in aliam linguam transferre, esse humanæ peritiæ opus; queribundusque vovebat ex animo, uti superiorum seculorum Doctores eam rationem tenuissent, tum enim hæreses Lutheranas locum non fuisse habituras. Addidit Cajetanus, nullam translationem posse probari, nisi repudiato Canone, Ut veterum. dist. 9. qui censet, Veteris Testam. fidem de Hebræis voluminibus examinandam; novi vero normam Græci sermonis desiderare. Qui unicam interpretationem pro authentica agnoscat, ei D. Hieronymum, aliosque omnes Interpretes damnandos, ea enim semel agnita nullum esse aliarum, quæ non sunt authenticæ, usum, frustraque incerta atque infirma proferri debellandis hostibus, ubi firma habentur, quæque certam spondeant victoriam. Illud cum D. Hieronymo & Cajetano pro comperto tenendum, nullum esse Interpretem, qui non possit errare, quantamcunque adhibeat industriam, ne ab originali deflectat: neque minus certum, si sancta Synodus unam aliquam interpretationem ad genuinum contextum examinare & emendare contendat, Spiritum illum sanctum, qui in rebus fidei Synodis præsidere solet, Patribus Concilii in eo opere sic adfuturum, ut ab errore non sit metuendum, atque ejusmodi versionem sic examinatam ac probatam pro authentica meritissime habendam. Se vero non ea esse confidentia, ut absque istiusmodi examine versionem audeat approbare, aut Spiritus sancti præsidium sibi polliceri, nisi sancta Synodus ita statuat, maxime, quod in Apostolorum Concilio sedulam disquisitionem præcessisse observet. Verum cum hoc opus, hic labor annorum Decades requirat, neque temere suscipiendus sit, sibi quidem consultissimum videri res eo, quo mille ac quingentis annis fuerunt, statu relinquere, atque ut Latinæ versiones ad originalium contextuum veritatem probentur, tanquam ad Lydium lapidem. Petrus Suavis lib. 1. Histor. Concil. Trid. pag. 174.

Isidorus Clarius Brixianus, Abbas Benedictinus, in studio linguæ sacræ optime versatus, in Concilio Tridentino narratione Historica opininem illam, quod vulgata versio à Synodo pronunciari possit authentica, hominum animis eximere conatus est, affirmans, in Ecclesia primitiva permultas fuisse Græcas Vet. Testam. translationes, quas distinctas in sex columnas Origenes collegit in unum volumen. Harum præcipuam vocari Septuaginta, ex qua variæ in linguam Latinam versiones petitæ, quemadmodum è Græcis Nov. Testam. libris variæ etiam desumtæ, inter quas ea, quæ vocatur Itala, sit maxime recepta, in Ecclesia legi solita & à D. Augustino præ cæteris omnibus approbata, sic tamen ut procul dubio contextus Græci sint præferendi. D. vero Hieronymum, linguarum, uti omnibus compertum est, callentissimum, cum observaret Vet. Testament. versionem à veritate Hebraica deflectere, partim Interpretis Græci, partim Latini vitio, unam è lingua Hebraica immediate petitam edidisse, & alteram Novi Testam. versionem ad veritatem Græci contextus emendasse. Eam translationem propter nominis celebritatem, qua tum temporis erat Hieronymus, à permultis acceptam fuisse, ab aliis vero errorum antiquitatis tenacioribus & à novitate magis alienis, aut (ut ille dolens querebatur) gloriæ suæ invidis rejectam ac repudiatam: verum victa post annos aliquot invidia illam Hieronymi versionem à Latinis omnibus acceptam, sic ut utraque in usu esset, vetus & nova vulgo nuncupata. D. Gregorium scribentem ad Leandrum in Jobi Historiam testari, Sedem Apostolicam utramque recepisse, se vero in illius libri expositione, novam, quod ad Hebraicum contextum proxime accederet, sibi sequendam delegisse: in citationibus autem locorum interdum hanc, interdum illam versionem afferre, prout ad propositum suum alterutra maxime faciat. Secutis temporibus è duabus his unam factam, partim novam, partim veterem, pro occasionum varietate, cui nomen inditum editionis vulgatæ. Psalmos omnes dicebat esse veteris versionis, quod cum in templis quotidie decantarentur, mutari non possent. Prophetas omnes minores, novæ; majores, ex utraque permistos. Esse certissimum, divina hæc omnia voluntate ac destinatione accidere, sine qua nihil succedat, neque tamen ideo dicendum, peritiam supra humanam hic intervenire, D. enim Hieronymum palam profiteri, nullum Interpretem Spiritu Sancto afflante locutum. Cum autem editio, quam præ manibus habemus, magna parte illius sit, nimium esse, divini Spiritus adminiculum ei tribuere, qui affirmet & cognoscat eundem sibi deesse. Ideo nullam translationem cum sacro contextu linguæ originalis æquiparandam. Quamobrem in hac se esse

esse opinione, editionem vulgatam aliis omnibus anteponendam, approbandamque, modo ad textum originarium corrigatur, eâ vero emendata, ut & aliæ omnes extinguantur, & ne quis aliam in posterum edat, severo edicto prohibendum. Idem Petr. Suavis in Historia Concilii Tridentini libro primo p.176.

Benedictus Arias Montanus in Præfat. super opus Biblicum Regium, & *Patrum testimoniis* & *argumentis* convincit, *omnia de quibus in Bibliorum interpretatione dubitatio suboritur, ad Hebraicam veritatem in Veteri; & Græci sermonis formam in N.T. esse examinanda.* Inter cætera sic scribit: *Quod ea, quæ in prima lingua unum certumque significant, ab Interpp. ambigue reddantur, rursusque illa è secunda in tertiam linguam conversa adhuc magis incertam significationem relinquant, ex quamplurimis exemplis in veteri Bibliorum editione patet.*

Et paulo post: *Quotidiano usu compertum est, tum librariorum, tum etiam Typographorum culpa, multos errores, tam in Græca quam in Latina lingua passim committi, qui nullo modo nisi ex primævæ illius* (Hebrææ) *linguæ veritate emendari possunt.*

Et postea: *Si Latina sacrorum Bibliorum interpretatio corrumpatur, vel novarum interpretationum prætextu contaminetur, aut etiam falsæ sententiæ interpretatione pervertatur, tamen huic nullum magis salutare remedium adhiberi potest, quam si veritas ipsa primævæ & archetypæ illius linguæ subsidio confirmata à scelestorum hominum improbitate vendicetur.*

Ibid. *Hoc consilium sunt secuti DD. Augustinus & Hieronymus, quorum ille in iis libris, quos de doctrina Christiana inscripsit, ita scriptum reliquit: Et Latinæ quidem linguæ homines, quos instruendos suscepimus, duabus aliis ad divinarum Scripturarum cognitionem habent opus, Hebraica scil. & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. Hieronymus vero ad Suniam & Fretellam scribit his verbis: Sicut in Nov. Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in Vet. Test. si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.*

Idem in Præfat. super Nov. Testam. *Tuum est, Lector, ut veterem editionem cum Græcis exemplaribus ita conferas, ut ex utriusq; diligenti & accurata collatione sacræ Scripturæ sensum & Spiritus sancti, à quo hæc sunt profecta, mentem & sententiam tandem assequare.*

Index Expurgatorius Hispanus ex consilio Supremi Senatus scriptus p.145. *Quamvis hæc, quæ D. Hieronymus & Augustinus docuerint,* (ad fontes scilicet recurrendum esse) *vera sint, tamen post Concilii Tridentini decretum non licet vulgatæ Latinæ testimonia quovis prætextu rejicere, prout in ipsius Concilii Decreto constitutum.* (Agnoscunt ergo eam esse Hieronymi & Augustini sententiam, sed propter Concilii Tridentini Decretum ab ea discedunt.)

Hieronymus ab Oleastro Præf. Comment. ad Pentateuch. *Hieronymo non plus tribuendum in sua editione, si tamen illius est, quam sibi velit ipse tribui. Ipse vero, utpote vir sanctus, se aliquando hallucinatum ingenue fatetur, suamq; versionem in multis emandasse. Quæ non in eum finem produximus, ut virum sanctum traducamus, sed ut doceamus, eum non Prophetam, sed hominem fuisse.*

Melch. Canus lib. 2. Locorum cap. 15. varias recenset commoditates, quas fontium cognitio afferat, 1. *quando cum infidelibus disputamus.* 2. *quando dictionum emphasin explicare volumus,* 3. *ut plures sensus inveniamus.* 4. *ut idiomata, phrases & proverbia alienæ linguæ cognoscamus.* 5. *ut menda corrigamus.* 6. *ut quædam loca intelligamus, quæ sine linguarum scientia explicari nequeunt.* 7. *ut Latini sermonis ambiguitatem & amphiboliam vitemus.* 8. *ut quædam vocabula recte interpretemur, quæ in usu sunt, ut anathemata, maranatha.*

Johannes Harlemius Præfat. in varias lectiones Latinorum Bibliorum. *Cum varias vulgatæ Latinæ editionis lectiones invenimus, quænam earum ad textum Hebræum, Chaldæum & Græcum ex veteri Instrumento, aut ad Syrum & Græcum in novo propius accedat, indicare volumus: tum quod hoc omnibus sacrarum literarum studiosis longe gratissimum fore putaremus, tum quod turbatis rivulis ad fontes recurrendum esse, excellentes Doctores atque Ecclesiæ Catholicæ lumina semper judicaverint.*

Bellarmin. lib. 2. de Verbo Dei cap. 11. concedit, *quatuor temporibus licere ad fontes Hebræos & Græcos recurrere,* 1. *quando in Latinis Codicibus videtur esse error librariorum.* 2. *quando Latini Codices variant, ut non possit certò statui, quæ sit vera vulgata lectio.* 3. *quando verba aut sententia in Latino est anceps.* 4. *ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam.* (At si fontium inspectio tot commoditates affert, si quatuor temporibus ad fontes licet recurrere, quomodo constabit firmitas Decreto Tridentino, quod *nec in lectionibus, nec disputationibus, nec prædicationibus, nec expositionibus quovis prætextu eam ullus hominum rejicere debeat?* Si menda Latinorum ex Græco in N. & Græcorum Codicum ex Hebræo textu in V.T. corrigenda, utique fontes Hebræi in V. & Græci in N.T. erunt authentici.)

Henricus Henriquez lib.9. Theolog. moral. cap.31. §.4. lit. F. *Græca hæc versio* (Matthæi ex Hebræo) *habet autoritatem Apostolicam: quare Hieronymus & Augustinus monent, in N. Test. recurrere ad fontes Græcos.*

Acosta lib.2 de Christo revelato cap.15. in princ. *Quid ergo amplius Latino aut Græco concedendum est, quam ut tunc habeatur interpretatio bona, cum concordat originali linguæ? autoritas autem divina tota penes illam linguam sit, in qua sacer scriptor edidit primum.*

Marcus Marinus in Præfatione arcæ Noæ scribit, *Quosdam gravissimos autores conqueri, vulgatam versionem in pluribus locis esse depravatam, ut ex textuum varietate videre liceat.*

Ibidem concludit, *Certum esse Hebraicum textum omnium aliarum translationum fontem esse, ad quem recurrendum sit, quotiescunque aliquod dubium aliis translationibus accidat.*

Johannes Stephanus Menochius in Præfat. annotat. suarum in Biblia cap. 18. *Vulgata versio Latina Hebrais & Græcis fontibus non anteponitur, quia Concilium nullam comparationem instituit, nec, si puri sunt, anteponi potest.* (Subjungit quidem, *de facto, ut nunc res se habent, pluris illis à nobis facienda est, rivus enim purus & minime turbatus fonti turbato & impuro prudenter anteponi potest & debet.* Atqui hæc non solum petunt principium, sed etiam derogant prioribus. Si enim rivus purus est, fons impurus, utiq; etiam Hebræis & Græcis fontibus vulgata versio Latina à Conc. Tridentino anteponi debuit, ac vere etiam anteposita est, quia prohibet Concil. quovis prætextu ab ea discedere.)

Andreas Vega lib. 15. Defens. Concil. Trident. cap. 9. hanc fuisse Concilii mentem, censuit, quod *vulgata versio sit omnibus editionibus tum factu præferenda; nec voluisse Concilium Tridentinum eam versionem, tanquam è cœlo delapsam adorari, quia sciebat ejus Interpretem non fuisse Prophetam.*

Johan. Mariana Jesuita in tract. de vers. vulg. cap. 20. statuit, *non fuisse propositum Tridentinis, eam in minimis, etiam quæ ad fidem & mores non pertinent, comprobare.*

Cap. 23. *Eam,* inquit, *decernit authenticam esse, hoc est, plenam autoritatis certæ, quoniam nihil continebat, quod ad mores & religionem spectat, depravatum, eatenusque vetat à quoquam rejici; quæ explicatio, cum magnos autores habeat, repudiari certe non potest, ut religioni contraria.*

Ibid. sic scribit: *Latinis ergo Codicibus divina Scriptura continetur, non quasi in fontibus, id enim datum non est, ut divini libri Latine primum scriberentur, sed quasi in interpretatione non minoris certe autoritatis, quando cum illis convenit, quando discrepat incuria aut errore Interpretis, excusanda est.*

Et infra: *Neq; nostra fides interpretatione innititur, nisi cum fontibus comparata, atque ex illis, ubi opus erit, præsertim Ecclesiæ Catholicæ judicio castigata.*

Rursus: *Alioqui multa sunt, in quibus peculiare dogma non explicatur, in quibus erroris aliquid in nostra editione esse, absurdum non arbitramur: in fontibus, ex quibus errores corrigendi sunt, vel levissima quaque vitio carent, ne Deo mendacium tribuatur, quo dictante divini libri sunt conscripti. Interpres humano ingenio nitens in quibusdam certe labi potuit.* (Statuit ergo Mariana, ea solum in versione vulgata esse authentica, quæ pertinent ad fidem & mores, alii contra statuunt, omnia in vulg. versione esse authentica; quæ discordia tam implacabili controvertentium odio agitata fuit in Hispania, ut ad tribunalia tandem deventum sit, nonnullique ex vinculis & carcere causam suam agere compulsi. Nam de dissensionibus Pontificiorum circa Decretum Concilii Tridentini, vulgatæ versionis αὐθεντίας definiens, sic disserit idem Mariana Jesuita Hispanus in dicto tract. cap. 1. *Opus molestum suscipimus, periculosam aleam, ac qua nescio, an ulla disputatio his annis inter Theologos, in Hispania præsertim, odio partium magis implacabili agitata sit, usque adeo ut à*

probris & contumeliis, quibus se mutuo fœdabant, ad tribunalia ventum sit. Atque quæ pars magis sibi fidebat, Adversarios de religione postulatos gravissime exercuit, quasi impios, qui divinorum librorum autoritatem atque eam versionem, quæ vulgata editio vocatur, audacter elevarent, novis interpretationibus prælatis, invectisque contra Concilii Tridentini Decreta. Tenuit ea causa multorũ animos suspensos expectatione, quem tandem exitum habitura esset, cum viri eruditi è vinculis cogerentur causam dicere, haud levi salutis existimationisque discrimine. Miseranda virtutis conditio, quando pro laboribus, quos susceperat maximos, compellebatur eorum, à quibus defendi par fuisset, odia, accusationes & contumelias perferre, quo exemplo multorum impetus præclaros retardari, viresq; debilitari & concidere necesse erat. Omnino fregit ea res multorum animos alieno periculo considerantium, quantum procellæ immineret libere affirmantibus, quæ sentirent. Itaque aut in aliorum castra transibant frequentes, aut tempori cedendum judicabant.

2 Quod quidam Codices Latinos ex Hebræo; in Vet. & in N. Test. ex Græco corrigunt.

Augustinus Chisamensis Episcopus in annot. Gen. 8. apud Sixt. Senens. lib. 5. Bibl. annot. 83. adversus vulgatam versionem, *Corvus egrediebatur*, sic scribit: *Fecit hic error, ut fabulosissimas quæstiones huc invexerint expositores, quærentes, quo loco abfuerit corvus per tot dies extra arcam, & ubi resederit, cum aqua siccata nondum essent, & an reversus sit corvus ad Noe in arcam post aquarum exsiccationem; quia Moses juxta depravatam Scripturam dicit, & non reversus est, donec siccarentur aquæ. Subtrahenda est igitur tam à nostris quam Græcis Codd. negatio, & juxta Hebraicam veritatem legendum, corvum rediisse in arcam.* (Nos tamen Latinam versionem ab Hebræo textu h. l. dissidere non dicimus.)

De Augustino Eugubino & Cajetano Cardinali sic scribit Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 13 p. 62. *Mirari satis non possum, Augustinum Eugubinum, virum alioqui egregie doctum & pium maluisse Judæis & hæreticis quam Catholicis consentire*, præferendo fontes Hebræos versioni, eamq; ex fontibus corrigendo. *Nam Cajetanus eisdem semper vestigiis inhærendo, per omnia in V. Test. Hebraicos, in novo Græcos Codices prorsus amplectitur, vix ulla Latini Interpretis habita ratione.* In margine additur: *Pagninus quoque novos Judæos secutus est.*

Lib. & cap. iisdem p. 64. *Isidorus Clarius* (qui aliquot millia errorum in vulgata versione correxit,) *ferendus non est, cujus emendatio nihil est aliud, quam interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in operis fronte veterem editionem correctam, posteaquam vero pollicitatione hac depellit invidiam novitatis, multa inserit, adjicit quædam, nonnulla mutat, ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quam aut veteris Interpretis errorem, aut veterum Codicum depravationem.*

Jacobus Faber Stapulensis in Coment. Hebr. 1. rejicit vulgatam versionem Johan. 1 v. 30. sic legentem, *qui ante me factus est*, eamque corrigit ex Græco γέγονε.

Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. p. 69. *Sciendum est, quod ea, quæ 3. Reg 16. nostræ vulgatæ editionis de cœde Jehu referuntur, in Hebraicis exemplaribus non habentur.*

Et postea: *Quod in editione Latina additur, est, ni fallor, annotatiuncula quædam margini primum adjecta ab incerto expositore, qui locum hunc sibi non intellectum illustrare voluit, deinde ut sæpe accidit, scriptorum audacia in contextum translata.*

Lib. 5. Bibl. p. 371. versionem Latinam Exod. 34. v. 35. legentem: *Videbant faciem Aaronis cornutam*, ex Hebræo corrigit.

Arias Montanus, quod in Præfat. operis Regii verbis docuit, videlicet rivulos versionem ex fontibus corrigendos esse, illud ipsa praxi comprobavit. Genes. 3 v. 15. vulgata legit *ipsa*, Arias ex Hebræo reddit, *ipsum*. Genes. 48. v. 5. vulgata legit, *invocetur super eos nomen meum*. Arias ex Hebræo reddit, *vocetur in eis nomen meum*. Psal. 139 v. 17. vulgata legit, *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*, Arias ex Hebræo reddit, *Et mihi quam preciosæ fuerunt cogitationes tuæ!* Eccles. 9. v. 1. vulgata legit, *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit*, Arias ex Hebræo reddit, *Etiam amorem, etiam odium non sciens homo.* Hebr. 13. v. 16. vulgata legit, *talibus hostiis promeretur Deus*, Arias ex Græco reddit, *beneplacet sibi Deus*. Ejusmodi longe plura adduci possent.

(Fuit Arias Montanus unus ex Patribus Concilii Tridentini, & tamen in tot locis emendare ausus fuit versionem Latinam ex Hebræo & Græco textu etiam in illis dictis, quæ à Pontificiis ad probandam invocationem Sanctorum, incertitudinem gratiæ, & operum merita adducuntur.)

Erasmus in versione N. Test. vulgatam Latinam innumeris in locis rejicit, corrigit & in annotationibus, cur ita faciat, perspicuas rationes affert: (nihilo tamen minus à Leone X. *dilectus filius* vocatur in diplomate versioni præfixo, in quo Pontifex etiam *benedictionem Apostolicam* ei precatur, *& ut publicæ utilitate studere pergat, & sedulo invigilet, quo tam sanctum opus in lucem exeat*, eum hortatur.)

Emanuel à Saa in suis annotationibus, sæpe *discedit à versione vulgata*, eamque ex Græco textu corrigit.

Salmeron in Comment. Ephes. 1. Disput 4. §. Ad quartum. *Augustinus notavit melius habere Græcos Codices, (dedit nobis arrham hæreditatis, quam Latinos, dedit nobis pignus;) quia reddita pecunia mutuo accepta restituitur pignus, arrha autem integro precio non redditur, quia est pars precii, unde Græcis literis, & Græcis interpretibus, & rei etiam ipsi magis convenit nomen arrhabonis, quia Spiritus sanctus cœlestis hæreditatis arrha non redditur, quemadmodum arrha reddi non solet.*

Idem in 1. Tim. 6. Disput. 16. §. Posthæc. *Græci Codices habent: Secede ab his, qui sunt hujusmodi, quæ non sunt in Latinis. Græcum sequitur Chrysostomus cum suis, etiam Ambrosius. Et Haimo notat, hoc subaudiendum esse in textu Latino.*

Idem in 2. Petri 1. v. 16. Disp 2. §. Ad decimum. *Probabilior est Græca lectio, quæ legit σεσοφισμένοις, hoc est, doctas & artificio & eloquentia compositas fabulas, à quo verbo ducitur verbum Sophistarum, quod nisi eruditissimis viris non tribuebatur.*

Idem in Jac. 5. v. 16. Disput. 6. §. Octavo dubitatum. *Confitemini ergo; τὸ ergo in Græco non est, nec videtur necessarium, quia melius sine tali adverbio legeretur hic locus, non enim recte infertur ex superius dictis, ubi nullam de confessione mentionem fecerat Apostolus.*

Michael Ghislerius in Comment. Cantic. 6. v. 12. expos. 1. *Pro voce Sulamitis fere omnes Latini Codd. impressi, uno excepto, qui nuper in Vaticano excusus est &c. habent Sunamitis, quam lectionem & Ecclesia servat in Officio sanctarum virginum &c. Verum ex originali Hebræo manifeste apparet, legendum potius Sulamitis, quomodo & Aquila ante nostrum Interpr. legisse haud dubium est, cum verterit εἰρηνεύουσα pacifica.*

Magdalius Jacobus Gaudensis in Præfat. Correctorii Bibliorum Colon. Anno 1508 haud obscure fatetur, *Græcos in V. Test. sibi prorsus consulendos fuisse.*

Nicolaus Serarius in Prolegom. Bibl. cap. 19. q. 12. fol. 118. negat, *posse editionem vulgatam fontibus præferri*, ac pro se citat Salmeronem Proleg. 3. Driedonem lib. 2. cap. 1.

Gregorius de Valentia ad Nicolaum illum Serarium scripsit, *posse aliquem sine periculo de vi atque sensu definitionis Concilii Tridentini aliter opinari*, in literis datis Ingolstad. Ann. 1590. 16. Octob. ut testatur ipse Serarius d. l. fol. 116. (Idem tamen Gregorius de Valentia tom. 3. col. 313. negat, *posse ex fontibus vulgatam versionem corrigi*, quod cauteriatam conscientiam arguit.)

Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disp. 5. q. 6. dub. 3. n. 48. tractans locum Deuter. 12. v. 32. *ad fontem Hebræum ac Græcum* provocat, negans, *in alterutro extare vocem tantum.*

Georgius Wicelius in Demegoriis suis passim *Hebræum textum* citat ex Vet. & *Græcum* ex Nov. Test.

Hieronymus ab Oleastro in Comment. super Pentateuch. vulgatam versionem sæpe corrigit atque emendat, quo nomine cum apud suos male audiret, culpareturque, ita scribit Præfat. ad Lectorem in Esaiam sub finem: *Est mentis nostræ in Prophetis, quemadmodum in omnibus aliis Scripturæ libris, non aliquam editionem interpretari, sed veritatem ipsam Hebraicam, non quod interpretationes aut Interpretes rejiciamus, sed quia nescimus, an verum ac genuinum Hebraicæ veritatis sensum assecuti sint. Decrevimus etiam de cætero, à tam exacto Hebraicorum voluminum examine temperare, quod id Hebraicæ linguæ ignaris ingratum ac laboriosum, ex Commentariis nostris super Pentateuchum, fere intelleximus.*

Franciscus Lucas Brugensis in notis ad versionem Latinam aliquoties repetit, *sic esse legendum Græca clamant.*

Ad cap. 15. Exod. sic annotat: *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare. Sincera est aliorum Codicum lectio, equus Pharao*; ita enim Hebraice est, סוס פרעה ita Græce, ἵππος Φαραώ. Judic. 15. cum alii *ligna legerent*, alii *lina*. *Verisimil. omnino est*, inquit, *non ligna, sed lina scribendum esse. Nam & Hebraici Codices & Græci atq; Chaldæi ita habent.*

In Præfat. annot. Bibl. scribit: *Etiamsi editio vulgata à Synodo Trident. authentica sit pronunciata, Lovanienses tamen Theologi multa in ea vitia reprehenderunt & castigarunt.*

Toletus

Toletus in Comment. Rom. 7. v. 6. *Lectio Græca (mortui sumus ei &c.) magis videtur accommodata, quam probat Origenes,* (quam Latina, *soluti sumus à lege mortis.*)

Pontificale Romanum edit. Venet. Ann. 72. pag. 3. locum Apostolicum 1. Timoth. 3. v. 1. aliter transfert, quam habet vulgata versio. Loco enim affirmativæ Apostolicæ *unius uxoris maritus*, ponit negativam, *non plurium uxorum vir*, ac prætermittit hæc verba, *filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei gubernabit?*

Stapletonus in Prompt. Cathol. fer. 3. Hebdom. sanctæ. §. 4. Græcum textum Luc. 22. v. 20. legentem in præsenti ἐκχυνόμενον præfert Latinæ versioni, quæ in futuro legit, *fundetur. Illa verba*, inquit, *sunt legenda in præsenti tempore juxta omnes Evangelistas.*

Maldonatus in Comment. Matth. 6. v. 5. Græcum textum, qui habet ὅτι φιλοῦσι præfert Latinæ versioni, quæ legit: *Qui amant. Hoc loco*, inquit, *nostram potius quam Græcam versionem judico esse corrigendam.*

In Comm. Joh. 5. v. 46. *Vetustissimi autores non habent forsitan,* (quod tamen habet vulgata.)

Sanctius Act. 8. num. 8. scribit, *Translationem vulgatam difficilem esse & absonum habere sensum, ideoque ex Græco fonte eam illustrandam.*

Estius in Comm. 1. Petri 2. v. 23. *Plerique omnes Codd. Latini legunt: Tradebat autem judicanti se injuste. At in Græcis omnibus diversa lectio est. Tradebat autem judicanti juste. Quam & Syrus Interpres paraphrastice sic reddidit, Sed tradebat judicium suum judici justitiæ &c. Verisimile est, Interpretem nostrum non aliud vertisse, quam quod in omnibus Græcis legitur. Sed cum non intelligeretur, librariorum inscitia jam olim fuisse mutatum in sensum magis obvium. Alioqui certe Augustinus tract. 21. in Joh. cum Græcis convenit, ita legens: Sed commendabat illi, qui juste judicat. Similiter Fulgentius ad Thrasimundum cap. 11. Commendabat autem judicanti juste.*

Jesuita Faninus in Colloquio Pragensi cum D. Garthio habito p. 90. versionem vulgatam deseruit & ad fontem Græcum provocavit in verbis Cœnæ. Pro eo enim, quod legitur in vulg. versione, *Quod pro vobis fundetur*, in Græco est præsens, *funditur* Luc. 22. v. 20. quod Jesuita arripuit.

Cornelius Jansenius in Conc. Evangel. cap. 51. fol. 533. concedit, *quædam rectius verti posse, quam habet Hieronymi versio.*

Jacobus Bonfrerius Prof. Duacenus cap. 11. Præloquior. sect. 3. *Hebraicum textum*, dicit, *plurimum prodesse sive ad menda, quæ in Latinam versionem incuria irrepserunt, corrigenda; sive ut è variis in Latina versione lectionibus disquiratur, quæ verior sit & sincerior.*

Franciscus Ribera in Comment. Hebr. 4. v. 2. Latinæ versioni legenti, *in iis, quæ audiverunt*, præfert Græcum textum legentem, τοῖς ἀκούσασιν. *Sine dubio*, inquit, *legendum est, qui audiverunt, non enim aliter in Græco intelligi possit.*

In Comment. Hebr. 11. v. 34. itidem Latinæ versioni legenti, *effugaverunt*, præfert Græcum textum legentem ἔφυγον. *Latine*, inquit, *fugaverunt aciem gladii, debet esse effugerunt secundum proprietatem Græcæ vocis.*

In Comment. Apocal. 14. v. 3. itidem Latinę versioni legenti, *Nemo potest dicere Canticum novum*, præfert Græcum textum legentem μαθεῖν, *discere. Non in Græcis* (inquit) *hoc loco error est, sed in Latinis.*

Bellarminus ipse à vulgata versione sæpe provocat ad fontes, lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. §. Duodecimo. *Pro filio Ruben Judith 8. correctius videntur habere Græci Codices filium Israel.*

Lib. & cap. iisdem §. Jam hoc. *Numerus annorum Judith in fine libri clarius colligitur ex textu Græco.*

Lib. 2. de Verbo Dei cap. 11. §. Sic etiam. *Ex Græco colligitur, illud bonæ voluntatis Luc. 2. v. 14. melius conjungi cum pace, ut hic sit sensus, in terra pax hominibus, pax, inquam, bonæ voluntatis Dei erga homines. Nam* εὐδοκία *ut plurimum non est bona voluntas hominis, sed bona voluntas Dei erga homines.*

Lib. ejusd. cap. 13. fatetur in Psal. 132. v. 15. *ex corrupta LXX. Interpp. versione fluxisse vitium vulgatæ, quæ* צי *viduam reddit.*

Lib. 2. de Sacrament. cap. 20. §. Secundus locus &c. postquam adduxerat locum Apostolicum Ephes. 1. v. 13. *in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto &c.* subjungit, *nota illud credentes in Græco esse temporis præteriti* πιστεύσαντες, *id est, postquam credidistis*, (in quo consistit totus argumenti nervus, quod Bellarmin. ex hoc loco ducit.)

Lib. 2. de amiss. gratiæ cap. 11. quando respondet argumento Calvinianorum ex Gen. 50. *Num Dei possumus resistere voluntati?* provocat *ad fontes Hebræos.*

Lib. ejusd. cap. 12. quando respondet argumento Calvinianorum ex Rom. 9. *In hoc ipsum te excitavi*, provocat *ad fontes.*

Lib. 3. ejusd. articuli cap. ult. §. Ultimo, negat contra vulgatam versionem, *Adamum in Hebron esse sepultum, eò quod Hebræus textus non* אדם *sed* האדם *legat.*

Lib. 4. ejusd. articuli cap. 4. cum *pluralis* verborum Psal. 51. v. 7. *in peccatis & iniquitatibus &c.* respuere videretur peccatum originis, inquit, *Revera in Hebræo fonte numerus est singularis.*

Lib. 5. ejusdem articuli cap. 11. cum de dicto Jeremiæ cap. 17. v. 9. *Pravum est cor hominis &c.* ageret, *Non est*, inquit, *in Hebræo* רע *sed* עקב.

Lib. 1. de Justific. cap. 11. tractans locum Rom. 4. *Non hæsitavit diffidentia*, provocat *ad fontes.*

Jac. Gretserus in resp. ad thes. D. Hun. cap. 9. *Textus Hebraicus Deut. 12. v. 32. caret illa vocula, tantum.*

(Hujusmodi longe plurima ex Lyrano, Burgensi & recentioribus adduci possent, quæ non possunt conciliari cum Decreto Tridentino, quod nemini licitum esse debeat, quovis prætextu à versione Latina discedere.)

3. Quod quidam agnoscunt, versionem Latinam esse corruptam & multis modis depravatam, eandemque à fontibus discedere ac dissidere.

Jacobus Faber Stapulensis in Præfat. annotat. N. T. *versio vulgata multiplici vitio scatet, Græcæ fidei reddenda.*

Johannes Ferus in Jobi 6. v. 2. *Vulgata habet: Utinam appenderentur peccata mea in statera! Hebræa vero: Utinam appenderetur indignatio mea. Hoc dicendum putavi, ne quis propter vulgatam editionem occasionem captet extenuandi peccata sua, apparet enim, multos esse in hanc blasphemiam proclives, quasi sit divina ultio delictis suis major.*

Georg. Wicelius Th. D. Consiliarius Cæsareus in Compendio de semitis antiquis ad Ferdinandum Imperatorem: *Quam vulgatam dicimus, non ita ad amussim olim conversam esse fatemur, ut ex omni parte possit consistere, idque jam Interpretis inscitia, jam Scribarum oscitantia, jam sciolorum temeritate, jam indoctorum Præsulum somnolentia, jam Scholarum audacia, breviter tot retro temporum injuria. Hæc si Monarcharum procuratione à viris vigilantissimis castigaretur ad unguem, haudquaquam in postremis poterat esse &c. Maximi semper momenti est, ut linguæ primariæ, ceu oracula, consulantur.*

Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæres. 13. *De erroribus vero, quos Hieronymus in veteri translatione annotavit, & recentiores in hac nova editione pariter annotarunt, ingenue fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri traductione, & similiter in hac nostra nova editione nonnullas inveniri mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata, & multa parum accommodate versa & minus Latine expressa, obscure & ambigue interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata ac vitio scriptorum depravata, quæ Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franc. Forerius & Hieronymus Oleastrius, viri ex Dominicanorum Ordine eruditissimi interpretationibus & explanationibus suis indicarunt.*

Et paulo post: *Quos tamen errores, mendas ac depravationes D. Hieronymus in veteri editione Novi Testamenti se consulto reliquisse testatus est, & Ecclesia similiter in nova editione ex professo reliquit, non quia tot eruditissimi ac sanctissimi Ecclesiæ Patres ea errata vel non agnoverint, vel approbaverint, sed quia ad ea dissimulanda justis se causis impelli viderint.*

Wilhelmus Lindanus lib. 1. de opt. Scriptur. interpr. genere cap. 11. *Agnoscimus, nostro in Interprete Latino non pauca incommode admodum versa; damus, obscuriorem esse atque impolitiorem ac rudiorem etiam, quam par sit.*

Lib. 3. cap. 1. fatetur, *in ea esse complura capitula obscurius reddita, imo quædam* ἀκυρολογικῶς, *quædam* κακοζήλως, *quædam denique minus plene, adeoque minus bene ac vere transfusa.*

Cap. 2. eandem *contaminatam & Interpretis ignorantia ac oscitantia à genuino sensu deturbatam* dicit.

Cap. 4. vulgatam *Psalmorum versionem non modo non esse LXX. Interpp. editionis, sed variis ex translationibus, si non confusam, certe miscellaneam* concludit.

Cap. 9. *Editionis*, inquit, *vulgaris loco extant plurima, quæ aut mendosam habent lectionem, aut sententiarum continent corruptelam.*

Capi-

Capitibus seqq. plurima veteris interpretis vitia deteguntur & jugulantur.

Isidorus Clarius Episcopus Fulginensis in Præfatione ad Biblia Latina à se edita testatur, se quanquam summâ moderatione Biblia vulgata Latinæ editionis tractârit, octo tamen millia loca à se annotata emendavisse.

Andreas Masius in Commentariis suis ad Josuam sæpissimè vulgatum Interpretem perstringit, sed ob id à Bernhardo Sandovalio Archiepis. Toletano in Indice Expurgat. Hispanico illa loca expungi jubentur, nimirum p.30. & 31. lin 14. pag. 43. lin. 19. pag. 32. lin. 35. pag 56. lin. 19. pag. 71 lin. 9. pag. 229. lin. 14. p. 231. l. 34. pag. 236. lin. 38. p. 241. lin. 36.

Salmeron tom. 1. prol. 33. p. 416. graviter invehitur in Novatores, quos vocat, quorum tamen tres sine dubio sunt Pontificii, penultimus Episcopus, ultimus Cardinalis. Nostri seculi, inquit, novatores editionem Latinam Novi Test. depravatam atque fœde vitiatam esse deblaterant, illamq; esse ad fidem Græcorum Codicum revocandam & castigandam. Inter quos primus fuit Laurentius Valla; secundus Erasmus; tertius Jacobus Faber Stapulensis; quartus Cajetanus, quos innumeri pene alii secuti sunt, eandem cantilenam cantantes, & hanc nostram editionem non esse à B. Hieronymo confectam asserentes. Nam Erasmus in præfatione, quam suæ editioni præposuit, ad septem capita refert lapsus, erroresq; vulgatæ editionis: in quorum primo inexcusabiles solœcismos per Interpretem nostrum admissos recenset: in secundo omnes ferè locos; obscuros, in quibus magni nominis Interpretes facilè lapsi sunt, collocat: in tertio locos manifestè depravatos disponit: in quarto locos in editione nostra redundantes: in quarto textus in editione nostra deficientes apponit: in sexto & septimo locos ab interprete immutatos ac perperam inversos subjicit. Ex quibus facilè cognoscere possis, quot mendis, solœcismis, barbarismis, amphibologiis, hyperbatis, milleq; aliis erroribus & corruptelis nostra Novi Test. editio sit referta.

Bruno Amerbachius in præfat. ad Lectorem, quam Hieronymi Psalterio præfixit, postquam de Græca Latinaque vetere Psalmorum editione disseruisset, tandem subjungit: Græcum adjecimus, cui respondet è regione translatio, quæ passim legitur ἀδήλου, hoc est, autore incerto, nonnunquam δὶς διὰ πασῶν, ab exemplari Græco dissidens, cujus rei culpa in Interpretis oscitantiam, an in librariorum incuriam, aut, quod verisimilius sit, alicujus nebulonis audacem imperitiam rejici debeat, nolo excutere in præsentia.

Azorius lib. 8. Institut. cap. 3. Viri aliqui Catholici, qui post Concilii Tridentini decretum scripserunt, videl. Vega, Sixtus Senensis, Canus, Payva, Lindanus, fatentur, aliquos esse in vulgata editione errores, non solum vitio scriptorum, sed etiam ipsius Interpretis incuriâ vel negligentiâ.

Driedo lib. 2. de catal. Scriptur. cap. 1. Sunt, qui dicunt, translationem hanc Latinam, quâ communiter utitur Ecclesia, non esse in omnibus consonam Scripturæ sacræ originali, (Agnoscit igitur, quosdam ex ipsis Pontificiis hic statuere.)

Franciscus Lucas Canonicus Brugensis in Epistola ad Sirletum præfixa annotationib. in Biblia edit. Ant. Anno 80. fatetur, multis vitia in vulgarem translationem variis rationibus irrepsisse: Quod, inquit, mihi objectant alii, cùm Latina editio à Synodo Tridentina authentica declarata sit, ideò eam nullâ ampliùs castigatione opus habere, ridiculum est. Nam Lovan. Theol. multos errores in ejus margine judicârunt.

Edidit hic Franciscus Lucas Epistolas duas, quarum primam præfixit Romanæ correctioni in Bibliis Latinis à Papis Clemente & Sixto adornatæ, alteram variis lectionibus Bibliorum eorundem ad uberiorem correctionem utilibus, in quarum utraque, ut & in ipsis Bibliis, ostendit, quot seculis Romana Ecclesia usa fuerit Bibliis Latinis corruptissimis, & quàm adhuc nondum ubique omnem sustulerit corruptionem.

Jodocus Ravenstein in Apolog. Decretorum Conc. Trident. part. 1 pag. 98. fatetur, vulgatam translationem multis in locis obscuram esse, in eaque quædam non satis commodè ac propriè dicta esse. Nam nostri Interpretes, inquit, vix reperiuntur, qui ea diligenter & scienter transferre curaverint. Quædam etiam fortasse longo temporum usu & librariorum incuriâ vel mutilata, vel addita esse: eaque ex fontibus ipsis debere aut litere magis propriè & commodè reddere & explanare, aut errores, si qui irrepsisse, vel mutando, vel addendo certò deprehendantur, corrigere & emendare. Id enim sine ulla reprehensione Catholicos cum Christiana modestia & sine temeraria arrogantia passim facere cernimus, & suam sententiam ac emendationem etiam in scriptis suis testari. Non vetant igitur Patres (Synodi Tridentinæ) ut vetus & vulgata editio Latina diligenter ab explanatoribus cum fontibus conferatur, & si quid certâ ratione comperiatur cum fontibus non satis quadrare, id commodius ac magis propriè, aut etiam magis verè explanare & transferre.

Et postea. Non censendus est vulgarem illam editionem rejicere, qui eam sic suscipit & veneratur, ut tamen eam ad fontem diligenter conferat & ex fonte illustrat, quæ obscura sunt; & explicat, quæ ambigua; aut denique etiam corrigit, ubi certò deprehenditur vel vitium aliquod irrepsisse, vel Interpretem Scripturæ sensum non planè adsecutum, nihil tamen temerè aut mutat, aut corrigit.

Illud ipsum multis confirmare possumus exemplis.

Lyranus sæpissimè vulgatam versionem carpit. Genes. 21. observavit, Hebraicè haberi, Saram vidisse Ismaelem ludentem: Latinam verò editionem addere cum Isaaco, unde nonnulli quædam divinabant à textu aliena.

Paulus Brugensis, etsi laboravit adversus Lyranum, tamen ipse etiam non rarò confugit ad Hebraicam veritatem.

Laurentius Valla magno labore Novum Testam. recensuit & sæpissimè correxit ad Græcam veritatem.

Franciscus Georgius Venetus edidit problemata in universos Bibliorum libros. In his solvendis non rarò discedit à Latino ad Hebræum, ut sect. 1. tomo 1. problem. 55. 68. & alibi passim.

Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus sæpissimè vulgatam versionem arguit, unde Melchior Canus conqueritur, eum vix ullam habere Latini Interpretis rationem.

Petrus Galatinus in libris de arcanis Catholicæ veritatis, & Reuchlinus in libris de Cabala sæpiùs suopte ingenio ac judicio locos Scripturæ ex Hebræo malunt vertere, quàm vulgatæ versioni adhærere.

Galatinus lib. 8. cap. 11. ex 1. cap. Genes. Sit lux & fuit lux.

Lib. 6. cap. 7. Replete aquas in maribus.

Lib. 11. cap. 7. ex Gen. 17. Et præputiatus masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui.

Reuchlinus lib. 3. dixit Mosi DEUS, faciem meam videre non poteris: seu veriùs sic, & facies meæ non videbuntur.

Et paulò post, De Salomone Eccles. 11. legitur, quòd quæsiverit, ut inveniret res beneplaciti.

Plura hujusmodi in utroque Scriptore passim occurrunt.

Augustinus Steuchus, qui vixit annis sex ante editum Tridentinum decretum, infinitis locis vulgatam editionem perstringit. Obscuriorem dicit Genes. 7. & Exod. ult. alienam à sensu Genes. 21. 24. 36. 49. & alibi passim.

Age verò juxta seriem librorum Biblicorum quædam corruptionis exempla ex ipsis Pontificiis adducamus.

Gen. 2. v. 8. Posuit Deus hominem in Paradiso. Ad hunc locum Pererius sic annotat: Pro illo verbo posuit, Hebraicum verbum est multò sanè significantius: significat enim demisit, seu reliquit, quo significatur, DEUM non duxisse Adamum in Paradisum, ut ei Paradisi pulchritudinem & magnificentiam tantùm ostenderet, & mox inde eum abduceret, sed ibi dimisit & reliquit eum, tanquam loco ejus habitationi destinato.

Genes. 3. vers. 15. Et tu insidiaberis calcaneo ejus. Ad hunc locum Augustinus Steuchus sic annotat. Hebraicè non est insidiaturus, sed idem verbum, ipsum semen, inquit, conteret tibi caput, ac tu conteres ei calcaneum.

Cap. & vers. eod. vulgata legit. Ipsa conteret caput tuum, de quo loco Franciscus Georgius tom. 1. sect. 1. problem. 55. sic scribit: Ex falsa traductione Latini communiter attribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum, quæ licet sublimior sit, quàm dici queat, dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ debetur. Peccatum illic ab Interprete etiam agnoscit Andradius, agnoscit Canus, concedens ab imperitis substitutum ipsa; agnoscit Sacroboscus, ea judicans exemplaria emendatiora, quæ legunt, Ipsum genere masculino; agnoscit Steuchus interpretationem de Virgine malam appellens.

Genes. 6. vers. 6 Et præcavens in futurum. Ad illum locum Pererius sic annotat: nec Hebraicè est, nec Chaldaicè, nec Græcè. Cur id Latinus Interpres adjicere voluerit, nescio.

Gen. 8. v 7. Corvus egrediebatur & non revertebatur. De hoc loco August. Chisamensis Episc. apud Sixtum Senensem lib. 5. Biblioth. annot. 38. sic scribit: Fecit hic error, ut fabulosissimas quæstiones huc invexerint Expositores. (Arias Montanus versionem

nem illam emendavit, & quidem non annotatâ in Apparatu variâ lectione: nihilo tamen minùs versionem illam LXX. Interpp. editioni respondentem tuentur Canus, Andradius, Pererius, Huntlæus & alii plures.)

Psal. 2. v. 12. vulgata versio habet. *Apprehendite disciplinam.* Atqui Andradius fatetur, *illustriùs verti, Osculamini Filium*; Genebrardus, ἐμφατικώτερον sic reddi. Galatinus lib. 3. de arcan. c. 5. non potuit aliter Judæis hunc locum opponere, nisi ex Hebraico redderet, *Osculamini Filium.* Quin & Hogostrato objicienti Latinam editionem, respondet, *Autor nostræ editionis æquivocatione vocabulorũ deceptus multa longè aliter transtulit, quàm veritas Hebraica habet.* Quin & ipse Bellarminus lib. 2. de Verb. Dei c. 2. *ex vulgata versione hujus loci nihil aperte contra Judæos deduci posse* agnoscit: *in Hebræo autem quod legitur, invictissimum contra Judæos continere argumentum.*

Psal. 49. v. 8. sic legitur, *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.* Sensus hic nullus, aut maximè perplexus. Hebraico textu nihil planius. *Frater non redimendo redimit.* Inde Lorinus ad h. l. sic annotat: *Non dubito, quin transpositâ negatione possit esse sensus, quòd nemo ullâ ratione redimit alium, quod idiotismo Hebræo denotat geminatio verbi.*

Psal. 51. v. 7. vulgata sic legit: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* De hoc loco sic disseruit Salmeron in comm. Rom. 5. *Regius Psaltes totius humani generis confessionem faciens, non modò dixit, Ecce in iniquitatibus conceptus sum: sed addit, & in peccatis peperit me mater mea: quæ lectio Septuaginta est & multorum Patrum, etiam Hieronymi, & elegantior illâ vulgatâ & communi, quæ habet, Et in peccatis concepit me mater mea.*

Psal. 132. vers. 15. vulgata legit, *Viduam ejus benedicens benedicam.* In Hebræo est. *Venationem*, seu *victum ejus benedicam.* Inde Genebrardus ad illũ locum sic annotat, *Græcè θήραν venationem; sed noster legit inconsultâ veritate Hebraicâ χήραν viduam.*

Matth. 5. v. 5. *Possidebunt terram.* Corn. Jansenius ad illum locum. Græcè est κληρονομήσουσι. *Plus est autem hereditate, vel in hereditatem accipere terram, quàm possidere terram.*

Ibid v. 14. *Vade cum illo & alia duo.* Maldonatus ad h. l. *Noster Interpres fortè legit ἄλλα δύο, alia duo, quæ efficiunt tria millia. Nisi ut nonnulli suspicantur, aut ipse, aut alius quispiam addidit postea illud alia. Meliùs sententia constabit, si non legatur.*

Matth. 6. v. 7. *Nolite multum loqui.* Jansenius ad h. l, *Non est hic πολυλογεῖν & πολυλογία, sed βαττολογεῖν & βαττολογία, quæ dictio non simpliciter multiloquium significat, sed nugacitatem, futilem verborum profusionem, qualis est, cùm idem frequenter sine causa repetitum inculcatur*

Matth. 7. v. 16. *Ne fortè conculcent.* Franciscus Lucas Brugensis ad h. l. μήποτε, ne quando, non est dubitantis, tametsi Interpres vertat, ne fortè.

Matth. 11. v. 22. *Usque ad infernum descendes.* Maldonatus ad h. l. καταβιβασθήσῃ, *deprimeris, non enim spontè descendit, sed vi detrudetur.*

Matth. 13. v. 32. vulgata habet, *Quod minimum est omnibus seminibus.* De hoc loco sic scribit Salmero tom. 7. tract. 8. *Græcè non dicitur, minimum omnibus seminibus, ut habet* (in vulg. vers.) *Matthæus, quia oratio illa parùm Latina esset.*

Matth. 21. v. 25. *Cogitabant inter se.* Ad hunc locũ Jansenius sic annotat, *Vel potiùs reputabant inter sese. Est enim Græcè διελογίζοντο, & significatur, eos non tantùm in cordibus suis cogitâsse, sed etiam inter se contulisse & deliberâsse, quid responderent, quemadmodum patet ex eo, quod dicunt, Si dixerimus &c.* De eodem loco Salmero tom. 8. tract. 58. *Inter se, sive, ut* Græcè *habetur, apud se, quæ clarior est lectio.*

Luc. 1. v. 1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum.* Ad hunc locum sic annotat Jansenius; *Non possunt hic intelligi res peractæ. Græcè enim est τῶν πεπληροφορημένων πραγμάτων, id est, rerum certissimæ fidei, aut quarum certa est fides.*

Ibid. v. 4. *Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*; Jansenius. *Non est, ut annotat etiam Theophylactus, γνῷς, id est, scias vel cognoscas, sed ἐπιγνῷς, id est agnoscas, hoc est, secundò majorem accipias scientiam. Neque est Græcè simpliciter, eruditus es, sed κατηχήθης, id est, vivâ voce eruditus es. Rursus non est ἀλήθειαν, veritatẽ sed, ἀσφάλειαν id est, securitatẽ vel certitudinẽ.*

Ibid. v. 6. *Sine querela.* Laurentius Valla ad h. l. *Maluissem uno verbo dicere ut Græcè est, ἄμεμπτοι, vel innoxii, vel intemerati, vel integri, insontes, quàm sine querela, quorum non apertus sensus est.*

Ibid. v. 11. *Apparuit illi Angelus Domini.* Jansenius ad h. l. *Græca non habent ἐφάνη, sed ὤφθη, h. e. visus est, ne intelligatur imaginaria & phantastica apparitio, sed corporalis visio. Apparere enim dicuntur ea, quæ non sunt. Quanquam rectè satis Interpres verterit, si modò rectè intelligatur.* (Manet interim, quòd ambiguè reddiderit illud, quod in Græco magis certum.)

Ibid. v. 17. *Et incredulos.* Jansenius ad h. l. *Græcè non est ἀπίστους, sed ἀπειθεῖς, quod nomen etiam significat inobœdientes, quomodo magis hic verti conveniebat.*

Luc. 2. v. 2. *Hæc descriptio facta est à Præside Cyrenio.* Maldonatus ad hunc locum, *Legendum, facta est Præside Cyrenio. Non enim significatur, hanc descriptionem à Præside Cyrenio, sed eo Præside factum fuisse.* Consentit Jansenius in Comm.

Luc. 2. v. 5. *cum desponsata sibi uxore prægnante.* Maldonatus ad h. l. *Non est sensus, desponsatam illi fuisse, cùm jam esset prægnans, sed fuisse illi priùs desponsatam, & tunc, cùm in Bethlehem ascenderunt, fuisse prægnantem. Græcè ea ambiguitas, quæ in nostra apparet versione, nulla est.*

Luc. 2. v. 8. *Vigilantes.* Laurentius Valla ad h. l. *Græcè, non est vigilantes, sed in agro agentes.*

Luc. 3. v. 13. *Nihil ampliùs. quàm constitutum est vobis, facite.* Jansenius ad h. l. *Quoniam sæpè Publicani, super quàm constitutum est, exigere solent, inquit, nihil ampliùs, quàm quod constitutum est vobis à Principibus, exigatis à populo. Sic enim vertendum potiùs fuisse, quàm per verbum faciatis, sensus expostulat.* Maldonatus ad h. l. *Sensus est melior, quàm quem Latina nostri Interpretis verba videntur præ se ferre.*

Luc. 4. v. 14. *per universam regionem.* Jansenius ad h. l. *Græca ampliùs quid habent & significant, καθ' ὅλης τῆς περιχώρου, hoc est, per universam finitimam regionem, quo significatur, non tantùm famã ejus pervagasse universam regionem illam, in qua prædicaverat, sed & eam, quæ circumjacebat.*

Ibid. v. 30. *Ipse transiens per medium illorum ibat.* Jansenius ad h. l. *Sic verti meliùs posset, Ipse autem cum transivisset, per medium ipsorum ibat.*

Luc. 7. v. 12. *Unicus matri suæ.* Jansenius ad h. l. *Et quod est majus, unigenitus, Græca enim habent μονογενής.*

Ibid. v. 13. *Misericordiâ motus super illam.* Salmeron ad h. l. *Significantiùs aliquid dicitur in Græca litera, dicitur enim ἐσπλαγχνίσθη, id est, ex intimis visceribus misertus est ille.*

Luc. 10. v. 30. *Suscipiens autem Jesus dixit.* Maldonatus ad h. l. *Respondens ὑπολαμβάνων, quod noster interpres vertit suscipere, expresso quidem Græco verbo, sed non satis perspicuâ sententiâ.*

Luc. 11. v. 34. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Jansenius ad h. l. *Græcè non est corporis tui, & oculus tuus, sed absolutè, Lucerna corporis est oculus, quæ absoluta sententia plus habet gratiæ & dignitatis.* Jansenio consentiunt Lucas Brugensis & Salmeron. (

Luc. 16. v. 26. *Et in his omnibus.* Jansenius ad h. l. *Pro super, vel præter hæc omnia.*

Ibid. *Chaos magnum firmatum est.* Jansenius ad h. l *Notandum, vocem chaos valdè impropriè positam, si modò non est vitium scriptorum, quemadmodum vult Budæus.*

Cap. eod. v. 25. *Fili, recordare, quòd accepisti bona in vita tua.* Maldonatus ad h. l. *Vim in pronomine, tua, quod est in Græcis exemplaribus, esse arbitror, quod perinde est, ac si dicat; Ea quæ tu sola bona esse putabas, quibus solis inhiabas.*

Luc. 22. v. 10 *Introeuntibus vobis.* Ad hunc locum Salmero sic annotat, tom. 9. tract. 2. *Sive potiùs, ut Græca habent, ingressis vobis, εἰσελθόντων ὑμῶν. Non, inquit, ingredientibus vobis in civitatem occurret homo iste: sic enim civitate exiret, ac proinde is sequendus non fuisset, deducturus in domum, quæ fuisset extra civitatem.*

Johan. 1. v. 14. *Et vidimus gloriam ejus.* Jansenius ad h. l. *Nos, inquam, Apostoli vidimus, aut, ut magis sonant Græca, spectavimus, & conspeximus. Est enim ἐθεασάμεθα, quod non simpliciter videre significat, sed spectare, h. e. diligenter & fixè aliquid intueri, ceu novum & admirandum spectaculum.* Maldonatus ibid. *ἐθεασάμεθα, spectavimus, contẽplati sumus. quasi in theatro, quasi in aperto.* Franc. Luc. Brugensis. *Significatur visus diligens, fixus & attentus.*

Johan. 3. v. 10. *Tu es Magister in Israel.* Maldonatus ad h. l. *Græcè, adjecto articulo singularis & eximius Magister videtur significari, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ, Tu es Magister ille Israel, aut tu es Magister totius Israel, i. e. omnium doctissimus, qui totum Israel, etiam doctissimum quemque doces. Hanc enim vim hoc loco habere mihi videtur additus articulus.*

Johan. 4. v. 46. *Crederetis forsitan & mihi.* Maldonatus ad h. l.

Crede-

Crederetis utique mihi, neque enim dubitantis hoc loco, sed affirmantis particula est.

Joh.12.v.32. *Omnia traham ad meipsum.* Salmeron tom. 8. tract.56. *Græce est πάντας, & sic legunt Chrysostomus & Theophylactus, & interpretantur.* Maldonatus ad h.l. *Certe melius Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, & Theophylactus, omnes dixisse, ut non solum Judæos, sed etiam gentiles significaret.*

Joh.14.v.26. *Spiritus S. suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ad h.l. Mald. sic annotat: *Obscure & ambigue dictum, quodcunque dixero vobis. Poterat enim futurum videri, cum præteritum sit εἶπον, dixi vobis.*

Joh.21.v.22. Vulgata etiam in Sixtina edit. legit, *Sic enim volo manere.* Maldonatus ad hunc loc. *Hæc lectio in omnes fere Latinos Codices pervasit, eosque incredibili scriptorum negligentia contaminavit, nulla prorsus specie probabilitatis.* Estius miratur, *Sixtinam editionem corruptam illam lectionem retinuisse.* Cornel. Jansenius p.1082. in comm. *Legendum esse si, non sic, ut multi tamen libri corrupte habent, merito adeo certum esse debet, ut de eo contendere protervi videatur, qui inveteratum errorem agnoscere nolit, aut agnitum corrigere.*

Act 1.v.15. *Erat turba hominum simul fere centum viginti.* Ad h. l. Salmer. sic annotat: *Quanquam utraq; lectio, turba nominum, vel turba hominum, in sensu ipso conveniat, cum nomen pro re nominata usurpari soleat, & Petrus non ad nomina, sed ad homines nominibus repræsentatos locutus sit, lectio tamen illa, quæ ex Græco fonte deducitur, purior videtur atque prægnantior.*

Act.9.v.29. *Loquebatur quoque gentibus & disputabat cum Græcis.* Hunc locum Bellarminus lib.1. de Pont.cap.18. reprehendit, negans *esse verisimile, Paulum prædicasse gentibus in ipsa Jerusalem, & nullum rumorem excitatum ab Hebræis.* In Græco est, *Loquebatur & disceptabat adversus Hebræos.*

Rom.1.v.32. *Qui, cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ad hunc locum Cajetanus annotavit, *literam hic esse corruptam, nec habere sensum ab Apostolo significatum, qui duplici capite crimen Philosophorum exaggeret, primo, quod cognoverunt, agentes talia esse dignos morte: secundo, quod non solum ipsi facerent, sed & consentirent, ut alii facerent.* Catharino magis placuit *Græca lectio.* Dominicus à Soto ingenue fatetur, *optime sic lucere sensum Pauli, Latine enim solum videri eos ignorantiæ & inscitiæ redargui, Græce vero acrius incusari, quod non ex ignorantia, sed mediata industria tam absurda delicta & flagitia admisissent.* Justinianus in paraphrasi. *Qui cùm Dei naturalia jura, divinaque decreta probe cognovissent, minimeque illos lateret, eos, qui sese his sceleribus inquinarent, & falsa Numina pro DEO colerent, dignos esse interitu sempiterno, non modo illa eadem perpetrarunt ipsi, sed, quod est longe gravissimum, perpetrantibus patrocinantur.*

Rom.4.v.1. *Quid dicemus, Abraham patrem nostrum secundum carnem invenisse?* Ad hunc locum Salmero tract.30. in Epist. ad Rom. sic annotat. *Græca litera habet, invenisse secundum carnem, & non Patrem nostrum secundum carnem, ut textus noster.*

Rom.5.v.15. *Gratia unius hominis J. C. in plures abundavit.* De hoc loco sic disserit Vasquez. in part.3. Thom. disp.5. cap.2. *Pro eo, quod Latine legimus in plures, Græce non est εἰς πλείονας, sed εἰς τοὺς πολλοὺς, h.e. in multos.*

Idem Salmero in 1. Corinth.11. v.6. *Decalvari verbum nec est Latinum, nec proprium.*

1.Cor.13.v.4. *Caritas benigna est.* Salmeron ad h.l. *Græca vox amplior est, χρηστεύεται, h.e. in omnes benigne & largiter se effundit.*

2.Cor.1.v.20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est, ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam ad vestram.* Salmeron ad h. l. *Græca hic paulo sunt evidentiora, etsi nonnihil discrepent à nostra editione.*

2. Cor.11 v.3. *Ne corrumpantur sensus vestri.* Salmeron ad h. l. *νοήματα Augustinus vertit mentes, quod magis proprium est.*

2.Cor.2. v.9. *Virtus in infirmitate perficitur.* De h. l. sic disserit Bellarminus lib.2. de purgat. c.3. *Loquitur Paulus de virtute Dei, quæ dicitur perfici in infirmitate, quia tunc magis apparet Dei potentia, quo plura ei resistunt, habetur enim in Græco δύναμίς μου.* Salmeron ad h.l. *Potentia mea maxime se exerit, cum auxilium deest humanum & cum videtur res desperata.* (Errore vulgatæ versionis decepti Anshelm. Lyran. Aquinas interpretantur *de hominum virtute morali, vel ut ejus exercendæ materia sit infirmitas, vel infirmitas occasio perveniendi ad perfectam virtutem,* cum tamen longe augustior sit sententia, videlicet potentissima fidelium in suarum infirmitatum sensu consolatio, ut & tuto sperent, se magnificentissime liberandos, cum durissime ab hostibus tractantur, & DEUM per ipsos potentiam suam mirifice ostensurum, cum se ad vocationis opera maxime sentiunt ineptos.)

Plura hujusmodi afferri possent ex Augustino Eugubino, Johanne Isaaco, Cajetano Cardinali, Budæo in annot. prior. & in Pandect. Pagnino in Epistol. ad Clementem VII. Pont. & præf. in Hebr. Instit. Erasmo in annot. N. T. Laurentio Valla in annot. N.T. Aria Montano in præfat. Bibliorum, Andrea Masio in caput 11. Josuæ & aliis, qui corruptelas Latinæ versionis agnoscunt, easque ex Hebræis fontibus in V. & Græcis in Nov. Test. corrigunt. (At si vulgata esset authentica, non posset, nec deberet ex fontibus corrigi.)

4. Quod eos laudant ac commendant, qui ex fontibus Scripturam in Latinum sermonem transtulerunt, quamvis versiones illæ non verbis solum, sed etiam sensu à vulgata Latina discrepent.

Erasmus ex textu Græco versionem Nov. Test. Latinam adornavit, à vulgata infinitis in locis discrepantem. Eum tamen hoc nomine Leo X. commendat, & *dilectum filium* vocat, eique *benedictionem* precatur in Diplomate versioni præfixo. Eodem encomio hunc Erasmi laborem prosecuti sunt Clemens & Adrianus.

Santes Pagninus V. & N. Testamentum vertit in Latinum sermonem, fontes Hebræos in V. & Græcos in Nov. Testam. unice secutus, nulla habita vulgatæ versionis ratione, quo nomine itidem à Pontifice & Pontificiis laudatus. (Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. §. Sanctes Pagninus, p.101. (in al. edit. 322.) *Etiam Sanctes Pagninus Lucensis, Prædicatorii Ordinis Concionator Apostolicus, vir in divinis Scripturis apprime eruditus, & trium linguarum, sed Hebrææ potissimum peritissimus, cum animadvertisset celebrem illam Hieronymi versionem, vel temporum injuria, vel hominum incuria maxima ex parte fuisse corruptam, tentavit & ipse novam aggredi totius Scripturæ translationem, Leone X. Pontifice M. hortante, & sumtus operi necessarios præbente. Collatis igitur inter se multis, iisdemque probatissimis Hebræorum exemplaribus, quanta maxima valuit industria & fide, omne Vetus Testamentum ex Hebraica veritate Latinitate donavit. Quæ omnia tam solerti cura executus est, ut ejus editionem peritissimi Hebræorum Rabini omnibus, quæ nunc extant, tranlationibus præferant, multis eam laudibus extollentes. Vertit quoque non minori cum laude Novum omne Testam. ex Græcis, quod opus suum Clementi VII. Rom. Pont. dedicavit,* Bened. Arias Montanus in præfat Bibl. versionem illam Pagnini commendat, velut omnium tutissimam, & omnium commendatione approbatam. *Opus, inquit, illud omnium commendatione approbatum & à Rege Philippo dignum habitum, ut ejus accessione, Regium illud opus Biblicum locupletatum prodiret, atque huic rei optime consultum fore existimatum, si Santis Pagnini interpretatio, velut omnium tutissima, recognita tamen prius, Hebraico textui annecteretur.* Villavincent. lib.2. studii Theolog. cap.1. de eo sic scribit: *Vertit Pagninus sacros libros, ac summam laudem inde consecutus est, ipsiusque labores plerisq; virorum piis, tum doctis probati fuerunt.*)

Arias Montanus in opere Regio V. & N. Testamentum ad Hebraicam & Græcam veritatem à versione vulgata pluribus in locis dissidentem convertit, quem Gregorius XIII. P. Rom. hoc nomine laudat & *dilectum suum filium* vocat, qui Concilio Tridentino, in quo vulgata versio pronunciata fuit authentica, interfuit, cujus versionem Lovanienses Theologi approbant & commendant. (At si fontes Hebræi in V. & Græci in N. Testam. corrupti, ac Latina versio habenda est pro authentica, frustraneam Erasmus, Pagninus & Montanus operam sumsisse censendi sunt.)

5. Quod res ipsa testetur, vulgatam illam versionem erroneis hæreticorum opinionibus fomentum suppeditare.

Nihil dicam de eo, quod Pontificiis erroribus *de invocatione sanctorum, de meritis operum, de incertitudine gratiæ, de sacrificio Missæ, de purgatorio* & aliis hujusmodi dogmatibus falsis patrocinetur, ut patet ex Genes.3. v.15. & 24. cap.4. v.13. cap.6. v.5. cap.14. v.18. cap.37. v.35. cap. 48. v.16. Exodi 12. v.16. Lev.13. v.44. Num. 30. v.14. Deut.5. v.5. Job.5. v.1. cap. 9. v.21. cap.33. v.23. Psal.19. v.5. Psal.48. v.3. Ps.139. v.17. Psal. 150. v.1. Eccles.9. v.1. Sirac.5. v.5. cap.16. v.15. Es.11. v.10. cap. 28. v.16. Dan.4. v.24. Hab.2. v.18. Luc.1. v.28 & 48. c.2. v.14. cap.

cap.10. v.35. Johan.4. v.10. cap. 14. v.26. Rom.11. v.6. 1.Corinth.4. v.1. cap.14. v.19. Ephes.2. v.10. cap.5. v.32. cap.6. v.13. Hebr.1. v.3. cap.11. v.11. cap.9. v.28. cap.13. v.16. Jacob.5. v.15. quia dogmata illa Pontificii non habent pro falsis, sed pro veris & Catholicis, unde Albertus Ingolstadiensis dicebat, *in veteri vulgatæ editionis litera latere multa fidei*, Pontificiæ puta, *mysteria*; illa tantum dogmata pro ratione instituti nostri adducemus, quæ ipsorum etiam Pontificiorum confessione sunt erronea.

Sixt. Senensis lib.1. Bibliothecæ *in Jehu. Ne cui forte videatur impossibile, Jehu conscripsisse Historiam usq; ad Joram filium Regis Josaphat, quæ in 3. Regum legatur, hunc Jehu supra 40. annos ante mortem Josaphat à Baasa Rege Israel fuisse obtruncatum: sciendum est, quod ea, quæ in tertio Regum capite sextodecimo nostræ vulgatæ editionis de cæde Jehu referuntur, in Hebraicis exemplaribus non habentur.*

Et paulo post: *Est, nisi fallor, annotatiuncula quædam margini primum adjecta ab incerto expositore, qui locum hunc sibi non intellectum illustrare voluit: deinde, ut sæpe accidit, scriptorum audacia in textum translata.*

Psal.19. v.5. Vulgata versio habet: *In Sole posuit tabernaculum suum.* Ex eo Manichæi erroneum suum dogma de Christo probare voluerunt & specie quadam potuerunt, nisi fontium inspectio succurreret. Sixtus Sen. lib.3. Bibl. cap. de utilitate mysticæ expositionis p.141. *Manichæi ex imperitia Hebrææ linguæ, cum non intelligerent literalem hujus dicti sensum, converterunt se ad præsidia allegoricæ expositionis, dicentes, Christum post resurrectionem suam sine carne ad Patrem ascendisse, relicto corpore suo inter ambitum globi Solaris, ut a nobis caro ejus in Sole, tanquam in tabernaculo Dominici corporis, adoraretur, cum tamen genuinus ac proprius ejus literæ sensus sit, Deum posuisse Soli tabernaculum in cœlo,* (ut ex ipsa litera Hebræa manifestum.)

Joh.1. v.10. legit Vulgata: *Qui ante me factus est.* Ex eo Ariani oppugnarunt *Christi divinitatem.* Jac. Faber Stapulensis in Comm. Hebr.1. *Non aliam expositionem voluit infelix Arius, ut suam contra nos evomeret insaniam, & ex Interprete concluderet, qui non potuit ex veritate.*

Bened. Justinianus in cap. 14. Roman. *Non dubium est, vulgatam interpretationem* (in verbis Apostoli Rom.14. v.5. *Unusquisq; in sensu suo abundet,*) *magnam præbuisse occasionem perperam intelligendi hanc Pauli sententiam: perinde quasi in iis, quæ enumerata sunt, liberam faciat quidlibet sentiendi potestatem, & ad omnia propemodum hominum consilia transferenda videatur.*

Ephes.2. v.10. Vulgata legit: *Creati sumus in Christo in bonis operibus.* Ex eo Pelagiani erroneum suum dogma *de virib. liberi arbitrii* probare voluerunt.

Vega in opusc. de mer. & justific. q.7. §. Nec satis p. 803. *Non satis commodè vertit vulgatus Interpres, commodius esset non sic vertere, ne inde quis ansam sumeret operibus imputandi suam creationem in Christo, nihil enim magis Paulo alienum fuit, qui ubiq; eam gratiam operibus nostris abrogat & uni Christo ex asse adscribit.*

Huc referri potest primò, quod vulgata editio occasionem dederit pervulgato errori *de cornuta Mosis facie,* Exodi 34. v. 35. Sixtus Senensis lib.5. Bibl. annot.116. p.371. *Ex Hebræo potest emendari prava vulgi consuetudo, qui duobus cornibus pingit Mosen &c. Rident igitur nos & execrantur Judæi, quoties Mosen in nostris templis cornuta facie depictum aspiciunt; quasi nos eum Diabolum quendam, ut ipsi stultè interpretantur, esse putemus.*

Augustinus Steuchus in Recogn. V. T. in cap. 34. Exodi. *Judæi rident Mosen pingi cornutum. Non enim cornua è fronte egrediebantur, sed frons & nasus & os & mentum radiabant.* Similia occurrunt apud Cajetanum in cap.34. Exodi.

Georgius Trapezuntius seductus vitiosa lectione Joh. 21. v.22. *Sic eum volo manere,* peculiari libello Papæ inscripto probare conatur, *Johannem Evangelistam adhuc vivere, & tandem temporibus mundi extremis cum Enocho & Elia moriturum esse.*

Deinde, quod testimonia quædam V.T. quæ juxta fontes Hebræos Judæis efficaciter opponi possunt, in vulgata versione sint enervata. Bellarm. lib.2. de Verbo Dei c.2. §. argumentum quartum. *Sæpe Codices Hebræi magis vexant Judæos, quam Græci aut Latini. Certe in Ps.2. Latini & Græci habent, Apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus, ex quo nihil contra Judæos deduci potest. At in Hebræo est* נַשְּׁקוּ־בַר *Osculamini Filium, ne irascatur, i.e. reverentiam exhibete Filio Dei, ne ipse irascatur, qui locus est invictissimus* (nota) *contra Judæos.*

Item Esai 53. *ubi nos habemus, Et nos putavimus eum, quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum; in Hebræo leg. potest percussum Deum & humiliatum,* מֻכֵּה אֱלֹהִים וּמְעֻנֶּה *quod certè magnum negotium Judæis facessit, qui Christum futurum esse Deum non credunt.*

Plura hujusmodi exempla adducunt, Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis, Reuchlinus in Cabala & Johannes Isaacus in scripto contra Lindanum.

6. Quod agnoscunt, eam non esse [illegible] Latinam. (At si non satis Latina est, sed abundat solœcismis, & scatet Latini sermonis sordibus, quomodo ab immediata Spiritus S. inspiratione profecta atque authentica censeri potest?

Matth.5. *Reus erit judicio, reus Concilio, reus gehennæ.* (Ad hunc locum Lucas Brugensis sic annotat: *Potius, ut Latine loquaris, reus judicii.*)

Marc.1. *Et zonā pelliceā circa lumbos ejus.* (Ad hunc locum Jansenius sic annotat: *Latinius fuisset, circa lumbos suos.*)

Actor.2. *Circiter tria millia.* (Ad hunc locum sic annotat Salmero: *pro ter mille, quia millia neutrius est generis & non quadrat animabus, quæ fœminini generis, aut hominibus, qui sunt masculini, non curavit igitur Interpres Grammaticorum regulam.*

7. Quod de autoritate vulgatæ editionis non consentiunt.

Circa mentem decreti Tridentini Pontificii distrahuntur in duas partes, (quæ etiam dissensio fuit inter ipsos decernentes;) *Quidam verba decreti sic intelligunt, ut editionem vulgatam per omnia etiam minima accuratam & authenticam pronunciatam fuisse putent. Alii verò talem eam decretam fuisse contendunt, tantum in rebus ad fidem & mores pertinentibus.* Dominicus Bannes in Thom. p.1. q.1. art. 8.

Priori sententiæ adhærent simpliciores & qui erga Ecclesiæ placita sunt maximè superstitiosi: posteriori favent plerique doctiores. Tanto autem ardore & motu animorum oriuoque partium implacabili agitata fuit ista quæstio, in Hispania præsertim, ut à probris & contumeliis, quibus se mutuo fœdabant, ad tribunalia ventum sit, coactique sint multi eorum, qui liberius sentiebant, è vinculis causam dicere, ac tandem in aliorum castra transire. Mariana pro editione vulgata cap.1. Confer dicta superius membro 2.

8. Quædam *hypotheses* Adversariorum.

1. Bellarminus lib.2. de Verbo Dei cap.11. §. ad illud. & §. Nam vulgata &c. concedit, *autorem vulgatæ versionis non fuisse Spiritus sancti peculiari lumine illustratum, ut errare non potuerit.* Verba sic habent: *Ad illud, quod objiciebatur, Interpretes interdum labi potuisse (cum aliud sit esse vatem, aliud Interpretem; quodq; idem Hieronymus passim reprehendat veterem Interpretem in suis Commentariis & lib.1. contra Jovinian. denique, quod Augustinus non solum in genere dicat, Interpretes posse errare, lib.2. de doctr. Christiana cap.12. & Epist. 19. & 59. sed etiam Epist. 8. ad Hieronymum asserat, Hieronymum in sua interpretatione errare potuisse;* (hæc enim omnia continentur in argumento, ad quod responsionem parat:) *non desunt, qui respondeant, veterem Interpretem Novi Testamenti & etiam B. Hieronymum Interpretem Testamenti Veteris peculiari Spiritus S. lumine illustratos errare non potuisse. Sed non est opus eò confugere; Admittimus enim, Interpretem non esse Prophetam & errare potuisse &c. Nam vulgata editio non est unius auctoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Theodotione, quædam ex Luciano, quædam ex alio quodam Interprete innominato; stultum autem videtur dicere, Theodotionem hæreticum non potuisse errare, & etiam Hieronymum nunquam errasse, cum ipse in cap.19. Esaiæ dicat, se errasse, & Ecclesia correctionem ejus receperit. Non igitur autores illos canonizavit Ecclesia &c.* (Ex eo sic colligimus. Quicunque non est peculiari lumine Spiritus sancti illustratus, ut errare nequeat, non potest edere Scripturam authenticam. Ratio est, quia ad solos Prophetas & Apostolos, Spiritu sancto φερομένους impulsos & inspiratos, hoc pertinet. Jam verò autor vulgatæ versionis non fuit peculiari lumine Spiritus sancti illustratus, ut non potuerit errare, fatente Bellarmino. Ergo.)

2. Idem Bellarmin lib.1. de Verbo Dei c.10. §. Itaque &c. sic scribit: *Ecclesia nullo modo potest facere librum Canonicum de non Canonico, nec contra, sed tantum declarare, quis sit Canonicus habendus, & hoc non temere, nec pro arbitratu, sed ex veterum testimoniis &c.* Mülhusinus in animadv. ad thes.8. Paræi de Script. autorit. p.8. *Ecclesia non facit, sed declarat tantum, quid sit authenticum, quid non.* (Ex hac hypothesi respondemus ad Bellar-

mini

mini effugium, quo probare cupit, *Vulgatam versionem nihilominus authenticam esse, etiamsi autor ejus non fuerit peculiari lumine illustratus.* lib. 2. de Verbo Dei c. 11. §. ad illud. *Admittimus,* inquit, *Interpretem, vulgatæ versionis autorem, errare potuisse, tamen dicimus, eum non errasse in illa versione, quam Ecclesia approbavit.* Et postea: *Ecclesia non canonizavit autorem, sed tantum versionem approbavit.* Atqui si Ecclesia non potest facere librum Canonicum de non Canonico, utique etiam versionem, quæ in se & sua Natura non est authentica, non potest facere authenticam. Jam verò; vulgata versio non est in se authentica, quia autor ejus non est Prophetico lumine Spiritus sancti illustratus & infallibilis. Ergo. Item. Si Ecclesia non potest librum aliquem declarare pro Canonico, nisi ex veterum testimoniis constet, eum esse Canonicum, utique etiam versionem Latinam non potest pronunciare authenticam, cum tempore Hieronymi, Augustini, Gregorii &c. nondum fuerit authentica.

3. Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 80. *Quod in Senatus voce apud Latinos accidit, quæ ex Senio nomen trahit, hoc in Presbyteri nomine apud Græcos est conspicere, quod cum in voce Senior Latinus loquendi usus non recipiat, vetus Evangeliorum Interpres pro Presbyter & SymPresbyter, quæ relinquenda erant, aut in alias ejus significationis vertenda, reddidit obscurius. Verum leviusculi similes lapsus fidelissimo illi Interpreti nulla cum morositate sunt condonandi.* (Ex hac hypothesi concessa sic concludimus: In qua editione sunt quidam lapsus autori ejusdem condonandi, illa non potest esse authentica. Atqui, fatente Lindano, in vulgata editione Bibliorum Latina sunt quidam lapsus autori condonandi. Ergo.)

4. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. p. 676. itidem concedit, *vulgatam versionem mendas continere plurimas, quas etiam Ecclesia viderit & tamen eam authenticam esse decreverit.* Verba sic habent: *Ingenuè fatemur, in hac nostra editione nonnullas inveniri mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata & multa parum accommodatè versa & minus Latinè expressa, obscurè & ambiguè interpretata, item que nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata ac vitio Scriptorum depravata, quæ Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciscus Forerius & Hieronymus Oleastrius, viri ex Dominicano ordine eruditissimi, interpretationibus & explanationibus suis indicarunt &c. Illas tamen mendas ac depravationes Ecclesia in nova editione ex professo reliquit, quia ad eas dissimulandas justis causis impelli vidit. Primò, quod animadverterit, nihil periculi in fide ac moribus ex his tam levibus erratis imminere. Deinde, ne fideles importuna ac nimium exacta correctionis novitate offenderentur, quorum autores usq; ab infantia vetus illa editio occupaverat. Postremò, ut vetustam illam editionem venerarentur, quæ nascentis Ecclesiæ fidem educaverat, & crescentis roboraverat & erexerat, utque sanctam ac venerandam illam simplicitatem antiqui Interpretis, qui non sermonis ornatum, sed Historiæ veritatem quæsivit, sua ipsorum approbatione honorarent, & vestigia majorum suorum sequerentur, qui eosdem errores sacra quadam pietate ducti tolerarunt &c.*

Bellarmin. lib. 2. de Verb. Dei cap. 2. §. Dices. *Ecclesia in editione vulgata octo versiculos in Psalm. 13. patitur, qui propriè non pertinent ad Psal. 13. quoniam sine turbatione & scandalo populi non possunt auferri, cum longo jam tempore ibi fuerint, quo modo etiam patitur nonnullos errores Typographorum.*

Lib. ejusdem cap. 11. §. Nam vulgata &c. eodem ferè modo de vulgata versione scribit: *Ecclesia non ita approbavit vulgatam versionem, ut asseruerit, nullos in ea librariorum errores reperiri, sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata.* (Contrarium patere potest ex superioribus. Hoc loco ex concessa hypothesi sic concludimus: Si vulgata versio continet mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata, librariorum errores &c. Ecclesia non potuit, nec debuit eam pronunciare authenticam, alias autoritate sua mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata, librariorum errores canonizasset. Sed verum prius. Ergo. Causæ, propter quas Ecclesia illas mendas & errores dissimulare dicitur, sufficientes non sunt, ut cuivis primo intuitu apparet.)

5. Platina in vita Damasi memorat, *vulgatam illam versionem aliquot post Christum annis demum in Ecclesia aliquam obtinuisse autoritatem.* Constat etiam ex Epistola Gregorii ante præfat. in lib. moral. c. 1. p. 5. quod vulgata illa editio, cujus autorem statuunt *Hieronymum*, ne quidem in Ecclesia Romana sola locum obtinere potuerit, cum tamen ducentis & amplius annis post Hieronymum vixerit Gregorius. (Ex eo sic colligimus: Si Latina versio vulgata fuisset in primitiva Ecclesia authentica judicata, utique Ecclesia Latina & Doctores Ecclesiæ Latinæ mox, ubi in lucem prodiit, eam pro authentica recepissent. Sed posterius dici nequit. Ergo.)

6. Erasmus in præfat. Hilarii ostendit, Patres Latinos in scriptis suis multa aliter citare, quam in vulgata versione extant: *Translatio,* inquit, *qua utitur Hilarius, diversa est ab hac, qua nunc vulgo recepta est. Porrò, cum Cypriano sua sit translatio, cum Augustino sua, cum Ambrosio sua, cum Hilario sua, cum Tertulliano sua ab omnibus diversa, satis apparet, nullam olim fuisse omnium communem.* (Idipsum probari potest, tum ex Patribus, qui ante Hieronymum vixerunt, tum ex iis, qui ipsius σύγχρονοι fuerunt, tum ex iis, qui post Hieronymum vixerunt. Ex eo sic concludimus. Si vulgata versio à veteribus habita fuisset authentica, (utique ab ea secessionem minimè fecissent.)

7. Præfatio postremæ versionis Latinæ editioni jussu Pontificis adornatæ præfixa de correctione ejus sic disserit. *Pius IV. Pontif. Rom. viris sacrarum literarum peritissimis provinciam demandavit, ut adhibitis antiquissimis Codicibus, inspectisque fontibus,* (nota, ergo de rivulis judicandum ex fontibus) *consultis vnde que Patrum Commentariis vulgatam Latinam accuratissimè castigarent. Ejus institutum Pius V. insecutus est, sed conventum illum ob Ecclesiæ occupationes intermissum Sixtus V. revocavit, & opus tandem perfectum typis mandari jussit, sed ob non pauca, quæ prali vitio irrepserant, opus sub incudem revocandum censuit. Cujus intentionem Gregorius Pontifex perficere aggressus est. Sed eo, & qui illi successit, Innocentio IX. Pontifice hac luce subtractis, tandem sub initium Pontificis Clementis VIII. opus illud perfectum est.* (Ex eo sic colligimus: Si post Pauli III. Pont. mortem emendatio & castigatio vulgatæ versionis ab ejus in sede Romana successoribus Pio IV. & Pio V. Sixto V. Gregorio XIII. Innocentio IX. & Clemente VIII. viris eruditis fuit demandata, utique Synodus Tridentina sub Paulo III. habita eam nondum emendatam nec potuit, nec debuit pronunciare authenticam. Item. Si nemo quovis prætextu vulgatam versionem nondum correctam rejicere debet, juxta Tridentini Concilii decretum, utique non debuit, nec potuit viris eruditis hæc provincia demandari, ut inspectis fontibus vulgatam versionem castigarent.)

8. Salmeron proleg. 33. p. 419. aliquoties repetit, *Hieronymum magis veterem illam & vulgatam N. Test. editionem emendasse, ac Græcorum Codicum fidei restituisse, quam novam condidisse.* (Si Hieronymus vulgatam versionem emendavit, Græcorum Codicum fidei eam restituendo, utique judicavit Græcos Codices, utpote authenticos, esse regulam, juxta quam Latina versio emendanda sit.)

9. Becanus lib. 1. Manualis cap. 1. q. 2. Statum quæstionis sic informat: *Quænam sit legitima Scripturæ versio?* (Sed hac ratione dum Statum quæstionis de industria pervertit, argumentum pro nostra sententia nobis suppeditat. Si enim datur Scripturæ versio seu ἀπόγραφον, utiq; dabitur Scriptura originalis seu αὐτόγραφον. Atqui omne αὐτόγραφον præferendum est ἀπογράφῳ. Ergo omnino textus Hebræus in V. & Græcus in N. Test. utpote αὐτόγραφον præferendus est Latinæ versioni, utpote ἀπογράφῳ.)

10. Bellarm. lib. 2. de V. D. cap. 7. §. Jam vero &c. *Dubium esse non potest, quin editio Apostolica summæ sit autoritatis.* (Si editio Apostolica summæ est autoritatis, utique versio Latina vulgata non potest, nec debet ei præferri. Addit quidem Bellarm. *nisi fortè constet, eam esse corruptam.* Atqui de vulgata editione longè majori jure dici potest, eam esse corruptam; de Hebræo & Græco textu fatetur Bellarm. ipse, *in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, suam adhuc ei constare integritatem.*)

11. Johannes Harlemius præfat. in varias lectiones Latinorum Bibliorum testatur, *se usum esse quindecim Manuscriptis Codicibus, præter eos, quibus usus erat Hentenius, qui omnes plurimum inter se discreparunt.*

Franciscus Lucas Brugensis librum edidit non parvum hoc eodem argumento, cujus initio profitetur, *se habuisse exemplaria semper octo aut novem, scripta triginta duo aut tria ut minimum, sæpe plura, & quidem præter ea, quibus ante usi essent Parisienses & Hentenius.*

(Hæc

(Hæc Codicum Latinorum varietas ostendit, vulgatam versionem Latinam non posse haberi pro authentica.)

12. Sebastianus Michaëlis in 2. respons. cap. 6. *Sanctissimè observandum est in Scriptura, ut reddatur non tantum sensus sensu, sed etiam verba verbis & phrases phrasibus, atq; hic honos deferatur Spiritui sancto autori, unde fit, ut ea lingua sit sancta.*

(Atqui vulgatus Interpres illud *non semper* observavit, imò sæpius non observavit, nec hunc honorem Spiritui sancto detulit. Ergo ipsius versio non est authentica.

13. Bellarm. lib.2. de Verbo Dei c.11. §. 4. *Negari non posse,* dicit, *quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum.* (Ergo vulgata versio non est authentica, quippe quæ rivulus est, sed textus Hebraicus in Veteri, & Græcus in Novo Testamento, quippe qui fontes sunt. Addit quidem Bellarminus, *quando constat, fontes non esse turbatos, nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere.* Sed quid de hac exceptione statuendum sit, patet ex præcedentibus. Si fontes turbidi fluunt, multò magis rivuli ex fontibus emanantes turbidi exeunt.)

14. Bailius in Catech. controv. tract.1. q.16. ad quæstionem, *Quas versiones V. & N. T. approbatis?* respondet, *Interpretationem Græcam LXX. divinitus inspiratam.* Secundò, *editionem vulgatam Latinam, quæ antiquissima est, & ideo commendatissima &c. Ultimo loco eam, quam Hieronymus jussu Damasi Papæ edidit.* (At talis approbatio à Concilio Tridentino soli vulgatæ versioni, quæ in usu est hoc tempore, data est est. Duæ autem illæ, quarum meminit Bailius, & quas authenticas esse vult, aliæ sunt ab hac vulgata, quam nuper Sixtus V. & Clemens VIII. ex Tridentini decreti præscripto recognitam dederunt. Nam vulgata antiqua ex editione Græca LXX. Interpp. desumta erat. Quæ autem ab Hieronymo ex Hebræo versa fuit, jam integra non extat, neque enim vulgata recens est Hieronymi, sed, judice ipso Bellarmino, *non est unius autoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato.* Est igitur cento ex diversis Interpretibus, nec potest pro vulgata antiquissima, vel pro nova Hieronymi accipi. Itaque Bailius approbat versiones, quæ nuspiam hodie extant, & eam, qua Ecclesia Romana utitur, silentio præterit.)

15. Correctores vulgatæ versionis à Pontifice constituti in literis ad Franciscum Lucam, quas citat in Epist. ad Jacobum Blasæum in Bibliis ante suas varias lectiones, de correcta etiam Papæ Sixti versione fatentur, *de industria quasdam mendas in ea relictas.* (At quomodo versio mendosa potest esse authentica?)

16. Gregorius de Valentia ad Nicolaum Serarium scribere non dubitavit, *posse sine periculo de vi atque sensu definitionis Concilii Tridentini* (vulgatam editam authenticam facientis) *aliter quenquam opinari,* in literis 16. Octobr. Ann. 1590. Ingolstadii ad Serarium datis, quas producit Serarius prolegom. fol.119. (At si de hoc decreto Concil. Tridentini licet aliter opinari, labefactata erit hujus versionis αὐθεντία.)

Argum. Bellarm. 1. *Vulgata illa editio longo multorum seculorum usu in Ecclesia probata est, à tempore enim Gregorii per annos ferè mille omnis Ecclesia Latina hac una editione usa est.*

Resp. 1. Gregorius Episcopus Romanus in Epist. ad Leandrum scribit ante præfat. in lib. moral. c.5. *Ecclesiam Romanam usam fuisse duabus versionibus, quarum unam vocat veterem, alteram novam,* quod Gregorii dictum adducit & probat Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap.8. §. ultimo. (Ergo Ecclesia non est hac sola usa.)

2. Erasmus in præf. Hilarii ostendit, *Patres Latinos in scriptis suis multa aliter citare, quam in vulgata versione extant.* Idem statuit Franciscus Ruizius in præfat. regularum intelligendi sacras Scripturas. *Qui fieri potuit,* (inquit) *ut hac vulgata editione uterentur viri illi sanctissimi, quorum plerique Hieronymum præcesserunt, quando nec Hieronymo posteriores aliquot illam sequantur?*

3. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap.6. statuit, *LXX. Interpp. translationem editam esse 291. ante Christum natum annis.* Sixt. Sen. lib.8. Biblioth. pag.666. de ea sic disserit: *Omnes Patres in hoc conveniunt, eam tribus potissimum de causis cæteris esse præferendam. Primum, quod omnium editionum antiquissima sit. Deinde, quod divino lumine & non humano ingenio à LXXII. viris Spiritu sancto plenis edita sit. Justinus in Admonitorio ad gentes. Irenæus lib.3. cap.24. Epiphanius lib. de mensura ac ponderibus, Philastrius in Catalogo &c. Tertio, quia Apostoli & Evangelistæ ex ea tanquam de vera ac fida interpretatione testimonia acceperunt & post eos omnis Ecclesia usq; ad Damasum Papam eam in summa veneratione semper habuit, sicut frequentissima vetustissimorum Patrum testimonia testantur. Origenes in Epistola ad Julium Africanum apud Eusebium lib.6. cap.33. huic uni tantum tribuit, ut dixerit hoc solum pro vero habendum esse in sacris Scripturis, quod LXX. Interp. transtulissent: & Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 43 Ecclesia Christi, inquit, tot hominum autoritati ab Eleazaro, tunc Pontifice, ad hoc tantum opus electorum neminem judicat præferendum* (Quod si ergo antiquissimus Ecclesiæ usus versioni alicui authoritatem authenticam conferret, Græca LXX. Interpretum editio pro authentica habenda esset, quod tamen quidam ex ipsis Pontificiis in dubium vocant.)

4. Pamelius in Indice observat, *Tertullianum peculiari editione esse usum,* (id quod multis dictis à Tertulliano aliter, quam in vulgata versione hodie extát, citatis probari potest.)

5. Bellarminus, *usum hujus versionis in Ecclesia communem fuisse dicit à Gregorii temporibus.* (Ergo ne in Latina quidem Ecclesia usus hujus versionis fuit perpetuus, ut nihil dicamus de Ecclesia Græca. Præterea, si à temporibus Gregorii ejus usus in Ecclesia communis esse cœpit, utique primis quingentis annis alia in Latina Ecclesia fuit usitata versio. Illa aut fuit authentica, aut non fuit authentica. Si prius, cur fuit repudiata, Hieronymiana in ejus locum recepta? Si posterius, ergo communis Ecclesiæ usus non efficit, ut versio aliqua sit authentica.)

5. Petrus Sutor Carthusianus de translatione Bibliæ c. 12. fatetur, *adhuc Ecclesiam uti interpretatione LXX. Seniorum in Officio divino, quantum ad Introitus Missarum, Responsoria matutinarum, aliaq; id genus nonnulla.* (Ergo non sola versio Latina est in communi Ecclesiæ usu.)

6. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap.8. §.2. sic scribit: *Editiones Latinas Testamenti Veteris ex Græca versione LXX. & Testamenti Novi ex Græco fonte propè innumerabiles fuisse ante tempora Hieronymi, testatur Augustinus lib. 2. de doctr. Christiana cap. 11. his verbis: Qui, inquit, ex Hebræa lingua Scripturas in Græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem nullo modo. Ut enim cuiq; primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusq; linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. Idem docet S. Hieronymus præfat. in Josuam. Apud Latinos, inquit, tot sunt Exemplaria, quot Codices, cum unusquisq; pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.* (Ergo primis quadringentis post Christum annis vulgata versio Latina non fuit communi Christianorum consensu recepta. Addit quidem Bellarminus, *nihilominus tamen unam fuisse communiorem, quæ vetus & vulgata editio dicebatur.* Sed nondum constat, an illa ipsa sit vulgata Latina editio.)

2. *Hæc vulgata versio aut est Hieronymi, vel antiqua illa communis, quam Augustinus vocat Italam. Si est illa antiqua, magnum habet testimonium ab Augustino lib. 2. de doctr. Christiana cap. 15. Si est Hieronymi, habet testimonium omnium veterum, qui eam videre potuerunt.*

Resp. 1. Johannes Driedo lib.2. de Eccl. dogmat. & Script. cap. 1. Sixtus Senensis libro 7. Biblioth. pag. 580. statuunt, *esse mixtam ex vetere & nova.*

2. Lindanus lib. 3. de opt. Interp. capite 6. *Græculum quendam ejus autorem esse,* suspicatur.

3. Bellarminus lib.1. de Verbo Dei cap.10. §. Itaque. *Ecclesia non potest facere librum Canonicum de non Canonico.* (Ita quoque Patres suo præconio non possunt versionem aliquam Scripturæ, quæ in se non est authentica, facere authenticam.)

4. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. pag. 666. docet, *quod Græca LXX. Interpretum versio multis laudibus extollatur à Justino, Irenæo, Epiphanio & omnibus Patribus;* (eam tamen juxta Hebræi textus normam corrigendam esse, Hieronymus suo exemplo docuit, nec omnes Pontificii authenticam autoritatem ei tribuunt.)

5. Bellarminus in hoc argumento præsupponere cogitur, utramque versionem tam *Italam illam antiquam,* quam *Hieronymianam alteram novam* esse authenticam; quod propter diversitatem utriusque nulla veritatis specie affirmari potest.

Arg. 3. Habuerunt Hebræi sua lingua authenticam Scripturam, Græci quoque habuerunt Græcè authenticam Scripturam, ideo æquum fuit, ut Latina Ecclesia haberet sua lingua authenticam Scripturam.

Resp.

Resp. 1. Ante Concilii Tridentini definitionem vulgata versio non fuit authentica, nihilo tamen minus ante Concilii Tridentini tempus fuit Ecclesia Latina.

2. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 11. §. ad illud. concedit, *autorem vulgatæ translationis non fuisse Prophetam & errare potuisse*, (Ergo non potuit authenticam Scripturam edere.)

3. Juxta hanc hypothesin etiam Chaldaica Veteris & Syriaca. N. T. versio foret authentica.

4. Gretserus tomo 1. Apolog. lib. 2. cap. 10. sic scribit: *Sicut liber Canonicus à Canonico dissentire non potest, ita neque editio libri Canonici authentica ab alia editione authentica discrepare potest.* (Atqui certum est, Latinam editionem ab Hebræa in Veteri Testamento & Græca in Novo Testamento sæpius discrepare. Ergo non potest simul utraque editio Hebræa & Latina in Veteri, ac Græca & Latina in N. T. esse authentica.)

Arg. 4. In Conciliis generalibus Ecclesiæ aut paucissimi, aut interdum nulli inveniuntur Hebraicæ linguæ periti. Malè igitur provisum esset Ecclesiæ, si in rebus gravibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos Codices & mendicare à Rabinis hostibus suis veritatem. Idem dicere possumus de Græca lingua Nam etsi nunc utcunque multi inveniuntur, qui Græce noverint, tamen non semper ita fuit.

Resp. 1. Clemens V. in Concilio Viennensi decretum fecit, *constituendos esse in Academiis sanctæ linguæ professores*, (ne scilicet aliquando in Conciliis congregentur Episcopi istius linguæ, ac proinde etiam Scripturæ authenticæ ignari. Non enim est authentica editio, quam Episcopi intelligunt, nec desinit esse authentica, quam Episcopi non intelligunt, sed quæ est θεόπνευστος, ab hominibus Spiritu sancto φερόμενοις profecta, ea sola est & manet authentica.)

2. Johannes Dalburgius *quatuor judices minimè suspectos Concilio præficiendos esse dicebat, Biblia Hebræa, Græca, Latina & Germanica.* Paralip. Ursperg. Sed judices illi frustranei essent, si Episcopi in Conciliis congregati Hebræam ac Græcam linguam non intelligerent.

3. Ut Episcopi Italici Hebrææ & Grææ, ita aliarum provinciarum Episcopi quandoque Latinæ linguæ non satis gnari sunt. Consequens igitur foret, propter illorum ignorantiam in alia lingua authenticam extare debere Scripturam. Possemus ergo Bellarmini exemplo dicere, malè consultum fore Ecclesiæ, si Latina editio esset authentica, cum primis Ecclesiæ temporibus ex congregatis in generalibus Conciliis Episcopis non plures Latinè sciebant, quam hodie Episcopi sciunt Græcè aut Hebraicè. Certè in Actis Concilii Ephesini memoratur, *literas à Cælestino scriptas oportuisse in Græcam transferri, ut publice legerentur.*

Arg. 5. Hæretici diversas & inter se dissentientes editiones cudunt, ut nihil certi ex illis haberi possit. Ergo præstat veterem Latinam retinere.

Resp. 1. Thomas Morus in Epist. ad M. Dorpium rectè monet, varietatem illam versionem sua non destitui utilitate, *Quemadmodum*, inquit, *nunc ex quatuor Evangelistarum varia lectione res, quæ narratur, in luculentiorem pervenit notitiam: ita ex diversorum collatione Interpretum studioso lectori daretur occasio, si vel æquivocatio, vel amphibologia cuiquam imposuisset, ex reliquis quærendi, quid verum sit, quod sane utilissimum esse & Augustinus sensit, & Origenes experimento suo didicit.*

2. Inde Acosta lib. 2. de Christo revel. cap. 15. *Zelum illum Catholicorum* quorundam nimium, qui omnes alias interpretiones abjiciunt atque explodunt, præter vulgatam, *ineptum habendum esse*, asserit, eò *quod minimè secundum scientiam sit.*

3. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 5. *Editiones Græcæ Testamenti Veteris novem omnino numerantur præter eam, cujus meminit Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. quæ antequam rerum potiretur Alexander Magnus, incertum, quo authore prodiit. Lib. ejusdem cap. 8. §. 2. Editiones Latinas Testamenti Veteris ex Græca versione Septuaginta Interpretum, & Testamenti Novi ex Græco fonte propè innumerabiles fuisse ante tempora Hieronymi, testatur Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 11. Idem docet Hieronymus præfat. in Jos.* (At si varietas illa interpretationum primitivæ Ecclesiæ usitata nihil obfuit, nec nostræ quicquam obesse potest, cum nullam versionem tanquam authenticam Ecclesiæ obtrudendam esse, sed solum textum Hebræum in Veteri & Græcum in N. Test. authenticum esse statuamus, quod ipsum quoque primitivæ Ecclesiæ fuit judicium.)

Thesis septima. Expedit divinarum Scripturarum usum communem esse in lingua vulgari & propria unuscujusque regionis.

Ἔκθεσις. 1. Non dicimus, translationem Scripturæ in linguam cuivis populo vernaculam esse absolutè & simpliciter necessariam, sed utilem, & *ex hypothesi necessariam*, scilicet ut Laici Hebrææ & Græcæ linguæ minus gnari eam legere possint.

2. Nec dicimus, translationes illas esse authenticas, sed ex Hebræis & Græcis fontibus judicandas.

3. Nec dicimus, quasvis translationes in publicum Ecclesiæ usum statim introducendas, sed quæ ad fontes proximè accedere à pie eruditis inveniuntur.

Antithesis. Alphonsus de Castro libro 1. advers. hæres. capite 13. pag 31. *Tertia hæresium parens & origo est sacrarum literarum in linguam vulgarem translatio, unde evenit, ut ab hominibus sine ullo personarum discrimine legantur &c.*

Et postea: *Quapropter laudandum meritò venit edictum illustrissimorum Catholicorumque Hispaniæ Regum, Ferdinandi videlicet, ejusque conjugis Elisabethæ, quo sub gravissimis pœnis prohibuerunt, ne quis sacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab alio translatas quoque pacto retineret. Timuerunt namque prudenter plebi suæ, quam regendam susceperant, ne ulla occasio illi daretur errandi, nec tamen gratis & sine causa timuerunt, quoniam longa experientia compertum fuerat, plures hac occasione hæreses fuisse olim suscitatas.*

p. 33. *Cum plus nocumenti inferatur ex sacris libris in linguam vulgarem versis, quam ex lectione gentilium Philosophorum, meritò illud inhibetur, etiamsi de alio nulla fiat prohibitio.*

Censura Facult. Paris. contra Erasmum art. 4. tit. 12. (quam adducit ibidem Alphonsus) sic decernit: *Hac tempestate perspecta hominum malitia periculosa ac perniciosa existit Scripturarum in linguam vulgarem traductio. Nec sicubi paucis esset utilis, propterea temerè esset omnibus permittenda. In re namque ad salutem non necessaria potius consulendum est multorum profectui, ipsam interdicendo, quam paucorum utilitati eam permittendo cum gravi multitudinis incommodo, unde & jure damnata est ejusmodi translatio.*

Hosius Cardinalis in Dial. de sacr. vernac. ling. legend. tom. 1. p 664. scribit: *Est usu compertum, versiones illas literarum sanctarum in linguam gentis alicujus vernaculam, multum incommodi Ecclesiæ Dei attulisse.*

Et postea: *Nunc hæc Scripturarum prophanatio verius, quam translatio non solum zonarios, bajulos, pistores, sartores, sutores, verum etiam zonarias, bajulas, pistrices, sartrices, sutrices, fecit nobis Apostolas, Prophetissas, doctrices, & omnem propemodum ordinem ex Ecclesia Dei sustulit, ut Hierusalem loco, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio in idipsum, Babylonem quandam extructam videre liceat, in qua rerum omnium horrenda est quædam confusio. Hujus fructum & apud finitimos & apud nos quibusdam in locis videmus nunc, & ingemiscimus ex hac divinarum Scripturarum in vernaculam linguam versione.*

pag. 665. *Sic transferendis in vernaculam linguam sacris Bibliis effectum est, ut omnis ex Ecclesia sublatus ordo jam esse videatur.*

Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. sanct. annot. 152. pag. 491. *Sacros libros vulgari idiomate reddi nunc non omnino expedit, quando certissimo experimento cognovimus, plurium simplicium turbam ex hac occasione in detestabiles & irremeabiles errores corruisse, dum quisque sutor, fullo & coriarius vulgari Scripturarum translatione fretus, audet hoc insolenti seculo temere de obscuris divinæ Scripturæ facultatibus disserere &c. Cohibenda est igitur tam propter Scripturæ divinæ reverentiam, quam propter animarum salutem tanta vulgarium versionum copia & licentia, ne contra Salvatoris præceptum daretur sanctum canibus, & margaritæ porcis projicerendæ.*

Jacobus Ledesma peculiarem librum de hoc argumento scripsit, in quo probare conatur: *Scripturas non esse in linguas vernaculas transferendas.* Inter cætera sic loquitur cap. 3. pag. 20. *Ex dictis necessario consequitur, errorem esse asserere &c. quavis passim vulgari lingua sacras literas esse vertendas, vel id magis expedire.*

cap. 18. pag. 126. *Si ita fieret, ut isti religionis hostes contendunt, in gravissimos errores homines facillime inducerentur, tum in vertendo, tum post versionem. Non enim in tot tamque dissimilia regionum idiomata sacræ literæ absque maximo errorum periculo, vel saltem*

ſaltem non levi (ob cujusq; linguæ proprietatem) fidei jactura verti poſſent.

pag.156. *Hanc nimiam intelligendi & plus quàm oportet ſciendi populi avidam curioſitatem eundem prope noſtra ætate fructum attuliſſe videmus, quem attulit primis noſtris parentibus ille ligni ſcientiæ boni & mali infelix eſus. Nam ut illi à Dæmone decepti in tam curioſitatem ſcientiæ vetitæ, ut eſſent DEO ſimiles, inciderunt: ſic populus, ab iis Concionatoribus, Satanæ miniſtris, illectus, talis ſcientiæ promiſſione capitur atque decipitur.*

Dieghus Payva Andradius in defenſ. fid. Trident. Cathol. lib.4.fol.241. *Nihil jam ex pervulgatis ſacris Bibliis & in vernaculas linguas cõverſis, (ſi paſſim permittantur) niſi pietatis interitum, religionis exitium, fideiq; perniciem ſperare poſſumus.*

Azorius tomo 1. lib. 8. Inſtit. cap.26. *Sacra volumina in maternas linguas converti, minimè expedit, quia detrimentum pateretur fidelium concordia, variæ hæreſium & errorum cauſæ naſcerentur.*

Petrus Sutor Carthuſianus in lib. de translatione Bibliæ, *vernaculam & maternam Bibliorum verſionem* non improbat tantum, ſed etiam pollicetur, *ſe oſtenſurum eſſe ineptam, temerariam, periculoſam.*

Petrus Lizetus in Dialogo, *de ſacris libris in vulgare eloquium minimè vertendis,* ſcribit, *Eccleſiam Catholicam compertum habere, hanc vulgarem translationem Chriſtianiſmo potius erroris circumventionem & hæreſeos perniciem, quam adjumentum attuliſſe.*

Johannes Arboreus lib. 8. Theoſophiæ cap. 11. *Hæreſium una origo eſt, ſacras literas in vulgarem linguam transferre.*

Franciſcus Cordubenſis annotationum Catholicarum artic.1. cap.10. *Sectarii divinam Scripturam Doctorumque Commentaria transferentes in vulgarem linguam, malè meriti de fidei doctrina ſunt. Nam fidei myſteria clarius in lingua Græca, quam in Latina, & in Latina, quam in Germanica, vel in alia lingua vulgari exponuntur. Scriptura enim, quanto ex primitiva lingua in alias plures transfertur, tanto obſcurior redditur, tantoq; majores difficultates circa eam inſurgunt.*

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei capite 15. §. 2. *Prohibetur in Eccleſia Catholica* (Romana) *ne paſſim omnibus ſine diſcrimine concedatur ejuſmodi lectio,* (Scripturæ in vernaculis linguis) *& ne in publico & communi Eccleſiæ uſu Scripturæ legantur, vel canantur vulgaribus linguis, ut in Concilio Tridentino ſeſſione 22. cap.8. & Can.9. ſtatuitur, ſed contenti ſimus illis tribus linguis, quas Dominus titulo crucis ſuæ honoravit Johan. 19. & quæ omnium conſenſu antiquitate, amplitudine & gravitate omnibus aliis præſtant, ac demum, quibus ipſi libri divini ab autoribus ſuis initio ſcripti fuerunt, hoc eſt, Hebræa, Græca & Latina.*

Jacobus Gretſerus lib. 2. de libris prohibit. cap. 10. *Proteſtantium Biblia purgandæ ſunt non ſtylo, ſed rogo.*

Noſtram ſententiam confirmamus,

1. *Ex translationum* χρήσει. Si abſque illis translationibus eſſet, Laici, quorum plerique Hebrææ & Græcæ linguæ ignari, Scripturam ſacram legere non poſſent.

2. *Ex perpetua Eccleſiæ* πράξει.

Primò. Moſes & Prophetæ ſcripſerunt libros ſuos lingua Iſraëlitis vulgari & vernacula. Exodi 24. Deuter. 31. Joſuæ 8. &c.

Secundò. Cum poſt reditum ex captivitate Babylonica pura lingua Hebræa non amplius eſſet Iſraëlitis vernacula, ſed Chaldaico idiomate permixta, converſæ fuerunt Scripturæ in linguam Chaldaicam, Iſraëlitis tunc vulgarem.

Tertiò. Cum ſub imperio Græcorum lingua Græca omnibus fere gentibus innoteſceret, ac Judæis Helleniſtis vernacula eſſet, auſpiciis Ptolemæi, Regis Ægyptii, V.T. libri à LXXII. Senioribus in Græcum ſermonem fuere translati.

Quartò. Evangeliſtæ & Apoſtoli libros N.T. ſcripſerunt lingua Græca, quæ fuit omnibus fere gentibus eo tempore communis.

Quintò. Cum propter Romani Imperii amplitudinem lingua Latina multis gentibus inciperet eſſe vernacula, ſecutæ ſunt verſiones variæ in Latinam linguam.

Sextò. Cum doctrina Evangelii ad omnes gentes propagaretur, ſecutæ ſunt in varias linguas Scripturarum translationes.

Theodoretus lib. 5. de curand. Græc. affect. tom. 2. p. 521. *Hebraici libri non modo in Græcum idioma converſi ſunt, ſed in Romanam quoque linguam, Ægyptiacam, Perſicam, Indicam, Armenicam, Scythicam, atque adeò Sauromaticam, ſemelque ut dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur.*

3. Ex linguarum τιμῇ. Omnes linguæ à Spiritu ſancto conſecratæ ac dedicatæ ſunt explicandis DEI magnalibus coram omni populo, qui ſub cœlo eſt, Actor. 2. v. 3. Ergo etiam magnalia DEI, in ſacris Scripturis propoſita, in alias linguas transferri poſſunt.

Huic noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quod quidam Laicis Scripturæ lectionem concedendam eſſe ſtatuunt, quorum teſtimonia poſtea adducentur. (Nam abſque translatione Scripturæ in linguas vernaculas Laicis ad lectionem non patet aditus.)

2. Quod prohibitionem translationum quidam improbant.

Eraſmus in Indice operum Hieron. quæ perierunt. *Hodiè piaculum exiſtimant, ſacras Scripturas vulgari lingua legi.*

Idem in præf. paraphr. in Novum Teſtamentum. *Quidam piaculum arbitrantur, ſi ſacri libri vertantur in linguam Gallicam aut Britannicam. Sed Evangeliſta non veriti ſunt Græcè ſcribere, quod Chriſtus Syriacè locutus eſt. Neque Latini veriti ſunt, Apoſtolorum ſermonem in Romanam linguam vertere. Neque Hieronymo religio fuit ſacras literas Dalmaticè vertere. Equidem cupiam in omnes verti linguas. Cupit Chriſtus ſuam Philoſophiam quam latiſſimè propagari. Pro omnibus mortuus eſt, ab omnibus cognoſci deſiderat. Ad id conducet, ſi aut illius libri vertantur in omnes omnium gentium linguas, aut Principum opera fiat, ut tres linguæ, quibus potiſſimum credita eſt divina Philoſophia, diſcantur à populis omnibus &c. Cur indecorum videtur, ſi quiſquam ſonet Evangelium ea lingua, qua natus eſt, & quam intelligit, Gallus Gallica, Britannus Britannica, Germanus Germanica, Indus Indica? Mihi magis indecorũ vel ridiculũ potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ Pſittaci exemplo Pſalmos ſuos & precationem Dominicam Latinè murmurant, cum ipſæ, quod ſonant, non intelligant. Ego cum Divo Hieronymo ſentiens citius gratuler gloriæ crucis, magnificumque cumprimis ac triumphale duxerim, ſi linguis omnibus ab omni hominum genere celebretur, ſi ſtivam tenens arator aliquid ſua lingua decantet è Pſalmis myſticis, ſi textor aſſidens telæ nonnihil ex Evangelio modulans ſoletur laborem, hinc nauclerus affixus clavo cantillet aliquid &c.*

3. Quod translationes illas certa ratione approbandas eſſe, ex propriis hypotheſibus convinci poſſunt.

Leo X. in Brevi ad Eraſmum miſſo, quod præfixum verſioni Novi Teſtamenti, inter cætera ſic loquitur: *Valde nos delectarunt lucubrationes tuæ in Novo Teſtamento jampridem editæ, non tam quod noſtro nomini dicatæ fuerant, quam quod non vulgari, ſed nova & inſigni quadam eruditione præſtabant, omniumque Doctorum calculo plurimum laudabantur.*

Neque Inquiſitores Hiſpanici & Belgici aliquam ei propterea litem movent, qui etiam inter verſiones permiſſas ediderunt *verſionem Eraſmi, in Bibliis variarum verſionum,* Antuerpiæ Ann. 1616.

Albertus etiam Pius Carporum Princeps, qui Eraſmum carpendi ubique quæſivit occaſionem, negat, *ſe induſtriam ejus accuſâſſe in vertendo Novo Teſtamento.* In annot. marginal. ad Epiſtolam Eraſmi.

Nicolaus Serarius in Proleg. Bibl. cap.20. q.9. ſcribit, *nullam uſquam legem inveniri, quæ ſimpliciter ac præciſe vernaculas Bibliorum translationes aut lectiones prohibeat, & ad noſtrum usq; ſeculum Catholicas id genus translationes legere licuiſſe.*

Jacobus Auguſtus Thuanus lib. 36. Hiſtor. ad Ann. 1564. *Novæ Bibliorum editioni anno M.D.XLIII. Tiguri publicatæ, quam Leo Judæ inchoaverat, & moriens, ut opus perſequeretur, Collegis in fidem religioſè adactis transſcripſerat, ultimam manum impoſuit Bibliander, Conradi Pellicani & Petri Cholini Tugienſis Græcæ linguæ peritiſſimi opera adjutus: quam translationem in ſua editione biennio poſt ad veterem adjecit Robertus Stephanus, ſuppreſſa eorum, qui in illa laborarant, mentione, & Hiſpani Theologi diu poſt recognitam per Guilielmum Rovillium denuo Lugduni excudendam curarunt. Quod eò commemorandum duxi, ut verſionis apud nos tanti & Hiſpanos factæ origo cognoſceretur, & inſigne documentum extaret, quid utilitatis ex adverſariorum libris & induſtria, ſi ſemotis odiis caritatem & æquitatem induamus, ad DEI gloriam capi poſſit.* (Edita fuit hæc verſio ab Inquiſitoribus Hiſpanis etiam *Salmanticæ;* in textu nihil planè mutarunt, in notis pauciſſima pro mole libri, ut patet ex Indice expurgatorio.)

Lovanienses & Duacenses Theologi postquam examinassent Novum Testamentum, *à Tremellio* ex Syra in Latinam linguam conversum, judicarunt *opus ipsum alias utile videri* paucis, quæ subjiciebant, expurgatis. Index Expurg. Belgic. Edit. Plant. f. 68.

Acosta lib. 2. de Christo revelato capite 15. *Catholicorum quorundam zelus nimius omnes alias interpretationes abjicientium atque explodentium præter vulgatã, ineptus haberi debet, quòd secundùm scientiam minimè sit.* (Quod de variis interpretationibus Latinis asserit, idem etiam ad translationes in alias linguas ob rationis paritatem accommodari potest.)

Thomas Hardingus contra Ivellum art. 15. sect. 2. apud Ivellum tom. 1. pag. 10. *Qui hanc causam tractant, de Scripturis à plebe vernaculè legendis, eorum tres diversæ feruntur sententiæ: Aliqui planè nefas esse judicant, Biblia in vernaculam ullam & plebejam linguam convertere. Aliqui consentaneum esse existimant, ut quidem convertantur, si modò temporis & loci & personarum ratio habita fuerit. Aliqui Scripturas sacras materno & naturali cujusque gentis idiomate proponendas esse statuunt, sine ulla, aut temporis, aut loci, aut personarum ratione. Prima opinio à paucis defenditur & vulgo improbatur. Tertia ab omnibus nostri seculi schismaticis propugnatur, exceptis Svencfeldianis, qui Scripturarum nullam habendam esse rationem contendunt. Secunda maximè placet & probatur iis, qui prudentia ac pietate præstare & de Ecclesiæ salute inprimis soliciti esse videntur, quique se à fide ea, quæ à principio duravit, non removerunt.* (Improbat ergo Hardingus illorum opinionem, qui versiones illas *simpliciter* improbant, id quod multos ex Pontificiis facere jam ante ostendimus & in Appendice membro 1. §. 4. pluribus ostensuri sumus.)

Andradius lib. 4. Defens. Trident. *linguas illas, quibus primitus scriptum fuit verbum DEI, populares fuisse*, agnoscit. *Cum in principio generis humani* (inquit) *unica Hebræa extiterit omnibus mortalibus communis, atque Natura ipsi à DEO indita, postea verò, quam mortalium scelere tanta hæc linguarum dissimilitudo per omnes nationes evasit, nulla potuerit reperiri, quæ alicui genti domestica atque vernacula non fuerit, aut certè sacra mysteria literis commendari nullo modo poterant, aut popularibus linguis erant consignanda.* (Atqui si mysteria sacra popularibus linguis fuere primitus consignata, quid prohibet, Scripturas in linguas populares etiam hodie transferre?)

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei capite 15. §. 2. *Catholica Christi Ecclesia non prohibet omnino vulgares translationes.*

Lib. ejusdem cap. 16. resp. ad 6. *Non negamus, posse Scripturas verti in linguas vulgares, sed contendimus, non debere publicè legi lingua vulgari, nec passim omnibus permitti legendas Scripturas lingua vulgari.*

Ante Lutheri versionem tria Germanica Bibliorum exemplaria extiterunt. Primum impressum est *Normbergæ* Anno 1477. alterum ibidem Anno 1483. tertium *Augustæ* Anno 1518. quæ in Bibliotheca Jenensi Academica adhuc habentur. (At si translationem Scripturæ in linguam vulgarem expedire minime judicassent, nihil operæ ac sumtuum eam in rem collocassent.)

Pazmannus lib. 3. hodegi cap. 56. *præceptum illud, de non legendis in lingua vernacula Bibliis, in Ecclesiis Occidentalibus solutum esse*, scribit, ubi communiter legant omnes Biblia linguis vulgaribus, quod factum Episcopi non exprobrent, sed potius eos laudent ob tantam verbi divini sitim. (Sitis illa verbi divini in omnibus omninò Christianis est laude digna. Quod si ergo propter illam præceptum de non legendis in lingua vernacula Bibliis solutum est in Ecclesiis Occidentalibus, utique propter eandem etiam solvi debet in tota Ecclesia.)

4. Quod quidam agnoscunt, in Ecclesia primitiva varias Scripturæ translationes in linguas vernaculas extitisse.

Ex literis *Johannis Papæ VIII.* ad Sfentum Comitem de Methodio constat, *vel totum corpus Bibliorum, vel aliquam partem* Moravicè fuisse editam circa annum octingentesimum octogesimum. *Nec sanè* (inquit) *fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lectiones divinas Novi & Veteris Testamenti benè translatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere, quoniam, qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam.* (Recitatur hæc Epistola Pontificis à Baronio Annalium tomo decimo.)

Ludovicus Pius Imperator sacra Biblia converti jussit *in linguam Germanicam ligatâ oratione*, ut rudiorum memoriæ consuleretur, ut notat Catalog. testium verit. p. 1035.

De Otfrido Wissemburgensi idem Catalogus pag. 934. commemorat, *quod Evangeliorum partem versibus Germanicis descripserit.* (Floruit autem ille circa annum 860. & in præfatione libri illius Luitbergo Moguntino dicati, postquam conquestus esset de difficultate sacra versibus Germanicis tractandi, memorabilia hæc verba adjicit: *Est tamen conveniens, ut qualicunque modo, sive corrupta lingua, sive integra artis auxilio humanũ genus autorem omnium laudet, qui plectrum ei dedit linguæ verbum in ea suæ laudis sonare, qui non verborum adulationem politorum, sed in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem, non labiorum inanem servitutem requirit.*)

Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 7. tradit, *libros sacros Theotiscè seu Germanicè quondam editos. Studiosi illius gentis*, inquit, *divinos libros in suæ locutionis proprietatem transfuderunt, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur.*

Eccius in Enchirid. cap. 2. de Missa. *Multi populi habuerunt Scripturas in lingua vernacula.*

Johannes Aventinus libro 4. Annalium de Methodio memorat, *quod Scripturas in linguam Sclavonicam verterit.*

Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 13. pag. 32. *Erasmus Roterodamus, vir longè doctissimus, de bonisque literis bene meritus, cum in pluribus ab eo editis libris dixisset, se cupere sacras literas in omnes verti linguas, ut possint legi ab agricola, à fabro, à latomo, à muliere, fuit de hac re inter alias à Facultate Theologiæ Parisiensi notatus atque reprehensus; quorum Censuræ Erasmus respondens, nec tamen suam sententiam recantans, in suæ sententiæ confirmationem adducit aliqua, quæ parum suum propositum stabiliunt. Primò dicit, olim sacras literas in linguam vulgarem fuisse versas, & Chrysostomum commendare Laicis studium divinorum voluminum & Hieronymum laudare idem in fœminis, de quo etiam refert, quod Dalmaticâ lingua verterit sacros libros. Quod si tunc factum est cum tanta laude, videtur Erasmo idem etiam nunc fieri debere.* (In his nota, Erasmum nostram disertè confirmare sententiam à Parisiensibus Theologis hoc nomine præter meritum reprehensum. Quomodo vero Alphonsus respondet ad Erasmi argumentum?) *Hæc*, inquit, *collectio satis apertè convincitur esse nulla, eò quod sæpenumero contingere videmus, ut de aliqua re aliquid statuatur ad mores hominum corrigendos, quod cum postea experientia docente cognoscatur, illud alia ex parte posse multo magis nocere, & jam sæpe nocuisse, abrogatur lex in totum.* Probat id exemplo *nocturnarum vigiliarum, & Eucharistiæ in manus olim datæ*, atque addit: *Fatemur ergo, olim sacros libros in linguam vulgarem fuisse translatos, Beatumq; Hieronymum in linguam Dalmaticam eos vertisse, nec tamen ideo simile fieri expedit, quoniam experientia docente, didicimus, hac de causa plures idiotas fuisse lapsos in multos execrandos errores.* (Observa, Alphonsum concedere, quod olim libri sacri in linguam vulgarem fuerint translati, quodque Hieronymus *in linguam Dalmaticam* eos verterit, quod posterius ab ipso etiam Hosio in Dialogo de sacr. vern. legend. concessum, Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 16. resp. ad 6. in dubium vocare audet. *Utrum*, inquit, *Hieronymus verterit in linguam Sclavonicam divinas literas, non certo scio. Nusquam enim id legi apud Hieronymum, vel apud ullum veterem.* Quod Alphonsus subjicit, *translationes illas hodie esse prohibitas, ne occasio errandi Laicis detur, sicut nocturnæ vigiliæ & Eucharistiæ in manus datio sunt abrogatæ*, in eo abusum rei cum reipsa & vero ejus usu; itemque actionem divino mandato congruam cum adiaphoris & indifferentibus Ecclesiæ ritibus confundit. In rebus quidem adiaphoris & humanitus institutis abusu accedente potest consuetudo aboleri, sed in rebus bonis & à Deo mandatis ita tollendus est abusus, ut res in integro maneat.

Sixtus Senensis lib. 6. annot. 152. pag. 491. sibi ipsi objicit, *Chrysostomum docuisse, vertendas divinas literas in peculiares & proprias cuique genti linguas, ut omnes totius orbis nationes sacra volumina legant & intelligant, quod & olim cum magna Christiani orbis utilitate factum esse constat à priscis Ecclesiæ Patribus, e quibus, ut plerique Ecclesiastici Scriptores testantur, Chrysostomus Novum Testamentum & Davidicos Psalmos in linguam Arme-*

Armenicam transtulit; Hieronymus utrumque Testamentum in linguam Dalmaticam; Ulphilas Gothorum Episcopus omnia sacra Biblia in linguam Gothicam, & Chrysostomi temporibus omnis Græca Ecclesia divinos libros vulgari lingua aut editos, aut translatos legebat. Ad hoc argumentum Sixtus postea eodem modo respondet, quo Alphonsus de Castro, videlicet *multa alias instituta esse in communem Reipublicæ utilitatem, quæ cum postea incommodum & periculum afferrent, abrogata sint.* Affert etiam eadem exempla, *nocturnarum vigiliarum & Eucharistiæ in manus datæ*, & addit: *Fatemur ergo & nos, quondam sacros libros vulgari idiomate redditos magna Christianæ fidei propagatione, at nunc idipsum fieri non omnino expedit, quando certissimo experimento cognovimus, plurimam simplicium turbam ex hac occasione in detestabiles errores corruisse.* (Non negat, olim sacros libros vulgari idiomate redditos, quod nobis sufficit. Nec dicit cum Alphonso, *planè prohibitas esse hodiè Scripturæ translationes*, sed *non omninò expedire*, ac tandem concludit, *cohibendam esse tam propter divinæ Scripturæ reverentiam, quàm propter animarum salutem tantam vulgarium versionum copiam & licentiam.* Non omnino prohibendas esse translationes, sed tantum earum *copiam cohibendam.*)

Idem lib. 4. Biblioth. *Michael Adam Judæus conversus Biblia vertit in linguam Germanicam & in usum Judæorum characteribus Hebraicis expressit.*

Ibid. *Transtulit quoque Hieronymus, ut ipsemet in Epistola ad Sophronium testatur, universum totius divinæ Scripturæ corpus in Dalmaticam linguam ad utilitatem nationis suæ gentium, quæ usque in hanc diem hujus translationis lectione summa cum veneratione utuntur.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 100. adducit & probat locum Theodoreti de curand. Græcor. affect. cap. 5. *Hebraici libri conversi erant in omnes linguas, quibus in hunc diem nationes utuntur.*

Hardingus contra Angli. Conf. art. 3. sect. 38. *Armeni, Russi, Æthiopes, Dalmatæ, Moscovitæ Scripturas legerunt lingua vernacula.*

Idem. *Non prius in quarundam gentium vernaculis linguis haberi Scripturas omnino interdictum fuisse* dicit, *quàm proterva hæreticorum petulantia Ecclesiæ Præsides, quo populi saluti consultum esset, aliter statuere coëgisset.* (Ergo olim permissum fuit.)

Anglo-Rhemenses in præfat. annot. N. Testam. *Gregorius Patriarcha ostendit, Chrysostomum partes Scripturarum in linguam transtulisse Armenicam, & sanè Ulphias eas in linguam Gothicam vertebat.* (Alii eum vocant Ulphilam, alii Gulphilam.)

Richardus, qui scripsit confutationem Alcorani Mahometici, sic habet, ἐν πάσῃ γλώσσῃ καὶ ἐπαρχίᾳ ὁ νόμος καὶ τὸ εὐαγγέλιον ὁμοίως εὑρίσκονται γεγραμμένα. *In omni lingua & natione lex & Evangelium similiter inveniuntur scripta.*

Et paulò post: *Novi Testamenti* ἀντίγραφα μεμενήκασιν ἐν πάσαις ταῖς διαλέκτοις: *descripta exemplaria remanserunt in omnibus quorumque populorum propriis linguis.*

Augustinus Steuchus in Epist. ad Maximum Grimanum præfixa recognitioni Veteris Testamenti. *Si quis, divinarum literarum quanta sit majestas, secum perpenderit, intelliget procul dubio, non injuria accidisse, ut tot apud omnes gentes fuerint earum Interpretes, apud quas primum hæ literæ florere cœperunt.*

Jodocus Coccius Thesauri Catholici lib. 6. cap. 1. testatur, *Petrum quendam Æthiopem curasse imprimi Pauli Epistolas in Græca, Hebraica, Chaldaica, Arabica, Indica & Cheez linguis.*

Fabricius præfat. in Novum Testamentum Syriacum ad Henricum Galliæ & Poloniæ Regem, cùm meminisset Bibliorum πολυγλώττων Antuerpiæ editorum, *Restaret nunc* (inquit) *Rex Christianissime, ut in altera editione juberes addi eorundem Bibliorum Arabicam paraphrasin Sahadiæ Gaonis, Persicam Jacobi Tavasii Pavanique, integram in V. T. Syriacam, Armenicam & Æthiopicam. In iis enim omnibus linguis præter eas, quæ jam sunt typis adumbratæ, cum Veteris, tum Novi Testam. versiones integræ reperiuntur.*

Augustinus Justinianus Genuensis *Arabicam una cum Hebræa, Græca, Latina & Chaldaica edendam* susceperat, sed *solum Psalterium* excusum est Anno Domini millesimo, quingentesimo decimo sexto: *reliqua parata propter autoris mortem non sunt in lucem edita, sed manuscripta servantur*, teste Jodoco Coccio, & ante eum Sixto Senensi.

Andreas Fricius Defensionis artic. 3. *Russi habent suâ linguâ sacra Biblia conscripta; Bohemorum etiam Biblia vidi ante aliquoties denos annos Venetiis typis excusa.* (Hæc omnia opponenda sunt Bellarmino, qui negat, *ullum esse antiquum autorem, qui alicujus alterius translationis meminisset præter Græcam & Latinam.*)

Azorius lib. 8. Instit. cap. 26. §. Objicies. *Objicies, sacras Scripturas olim vernaculis linguis conscriptas, nam Moyses & alii Veteris Testamenti Scriptores sacri Hebræa lingua quâ tunc temporis Judæi utebantur, scripsere. Matthæus quoque profecturus ad gentes luce veritatis imbuendas Evangelium scripsit Hebraicè, in gratiam Judæorum & eorum, qui ex circumcisione erant, ut testatur Hieronymus in proleg. in Matth. sive ut alii prodiderunt, Syriacè seu Chaldaicè, quæ tunc Judæorum vulgo erat usitata. Novi Testamenti libri præter illum ad Hebræos Græcè sunt conscripti, quia Orientalium gentium, quæ in Romanorum imperio & ditione vivebant, erat propria lingua & in Ecclesia Latina divini libri Latinè sunt editi, propterea quod tunc temporis Latinè loquebantur & intelligebant. Respondeo, tunc hisce tribus linguis Scriptores sacros usos fuisse, quia Scripturæ sacræ id temporis promulgari cœperunt, & proinde in his linguis traditæ fuerunt, quæ in usu fuêre apud gentium nationes.* (Concedit ergo, quæ in argumento nostro afferuntur, addit insuper, *Chrysostomum in linguam Armenicam Novum Testamentum transtulisse*, negat autem ex eo sequi, *quod adhuc hodiè ejusmodi translationes sint Ecclesiæ utiles.* Sed sufficit nobis primitivæ Ecclesiæ exemplum. Quæ enim potest afferri ratio idonea & cogens, quæ evincat, hodiè nec licitum, nec salutare esse, quod in primitiva Ecclesia fuit licitum & salutare judicatum?)

Adamus Conzen Jes. in qq. prooem. in quatuor Evangel. q. 5. §. 10. *Fuerunt olim variæ versiones, Dalmatica, Punica, Germanica, Francica, Britannica, Scotica.*

Hûc referri potest, quod Bernhardus Girardus in vita Car. V. Johannes Tilius in Chronico, & Carol. Molinæus in annot. ad edictum Car. de Carolo V. Galliæ Rege memorant, *quod jusserit, sacra Biblia verti in Gallicum sermonem.* Addit autem Tilius, *posteriores Papas propter suas causas id prohibuisse.*

Lovanienses *Gallicè* ediderunt libros sacros; Rhemenses *Anglicè.* (Utrique tamen non ex fontibus, sed ex vulgata Latina editione eos verterunt.)

Italicè edidit Jacobus Archiepiscopus Genuensis, teste Stapletono & Sixto Senensi.

Polonicè, Hieronymus Leopolitanus, teste Sixto.

Argum. Bellarm. 1. *A temporibus Esdræ desiit in populo Dei lingua Hebraica esse vulgaris, & Chaldaica seu Syriaca fuit illis materna, & tamen Hebraicè solum Scripturas in templo aut Synagogis publicè legebant.*

Resp. 1. Per inversionem. *Si* Hebræa lingua à temporibus Esdræ & in Babylonica captivitate demum desiit esse vulgaris, ut Bellarminus hic loquitur, ergo ante Babylonicam captivitatem per multa secula jam inde à Mosis temporibus Judæis fuit vulgaris & vernacula, ac proinde tempore captivitatem antegresso per aliquot secula Scripturas in lingua vernacula legerunt.

2. Ex Bellarmino lib. 2. de Verbo Dei cap. 4. §. 2. *Syriaca lingua quasi proles quædam est Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ. Hebræi siquidem, qui usque ad captivitatem Babylonicam Hebraicè solum, id est, lingua sua loqui consueverant, cum abducti essent in Babylonem, cœperunt oblivisci linguam propriam & addiscere alienam, id est, Chaldaicam; quia tamen non perfectè eam pronunciare poterant, & semper aliquod ex Hebraica retinebant, factum est, ut lingua quædam tertia nasceretur, mixta ex Chaldaica & Hebraica, atque ea est, quam pro vulgari ac materna deinceps Hebræi habuerunt &c. Porro distinguuntur hæ duæ linguæ characteribus, verborum conjugationibus, affixis, punctorum notatione, sono vocalium, idiotismis ac tota ferè linguæ structura & multis etiam propriis dictionibus.* (Si lingua Syriaca est quasi proles quædam linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ, utique quando Syriaca cœpit Judæis esse vernacula, non fuerunt Hebrææ, tanquam matris, prorsus ignari. *Si* lingua Chaldaica & Syriaca quibusdam duntaxat radicibus ac inflexione & literarum mutationibus, non autem toto genere distat ab Hebræa, utique Judæi eam adhuc intelligere potuerunt, cùm Chaldaica & Syriaca ipsis inciperet esse familiaris. Haggæus, Zacharias & Malachias post reditum ex captivitate Babylonica prophetantes, *Hebraicè*, locuti fuerunt, quorum tamen prophetiæ ab omnibus intellectæ fuerunt.

Ezechiel 40. annis post transmigrationem Babylonicam prophetans alia, quàm *Hebræa*, lingua non utitur. Ipse Daniel sub captivitatis finem, quando de Prophetiis ad populum Judaicum directis agit, *Hebraicè* scribit. Verisimile ergo non est, populum tam brevi temporis spatio adeo vernaculæ linguæ fuisse oblitum, ut eam non intelligeret.)

3. Ex eodem Bellarm. lib. ejusdem cap. 3. §. 1. *Chaldaica lingua editi sunt libri Tobiæ & Judith & ex parte libri Esdræ & Danielis. Præterea tota Scriptura vetus translata est paraphrasticè ex Hebræo in Chaldæum, quam paraphrasin ipsi Targum vocant, quæ paraphrastica translationes apud Judæos magnæ sunt autoritatis.* (Ergo cùm lingua Chaldaica inciperet esse Judæis vernacula, in illam quoque linguam facta est Scripturarum translatio.)

4. Tempore Christi Judæos non intellexisse Scripturam Hebraicam, Bellarminus in ἐξεργασίᾳ hujus primi argumenti probare conatur ex Joh. 7. v. 48. *Turba hæc, quæ non novit legem.* Sed ipsimet Pontificii Interpp. non de lingua vel verbis legis, populo singulis Sabbathis in Synagoga prælectis, sed de genuino legis sensu illud accipiendum esse docent.

Cornel. Jansenius in h. l. *Erat hæc Pharisæorum vox, sed simplex populus erat capacior doctrinæ Christi, quàm docti Pharisæi.*

Maldonatus in h. l. *Cum turbam maledictam vocant, quia legem non novit, alludunt, ut Rupertus existimat ad locum Deuter. 27. v. 26 Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.* (Ergo nosse legem, est legem non observare.)

Franc. Lucas Brugensis ad h. l. *Profecto turba illa verius contrà dixisset, istud vanitatis Concilium, & hæc Ecclesia malignantium, quæ non facit legem, maledicti sunt.*

Salmeron tom 8. tract. 37. pag. 295. *Nunquid, qui legem non norant, facilius credebant aut credunt? minimè, sed qui legem norunt, facilimè credunt. Ille enim dixit: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi; & rursus: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina &c. Vides igitur, quàm nihil prosit scientia absque bona voluntate.*

5. Ambrosius Catharinus adversus Cajetanum §. de Historiis Evangelicis p. 353. populum Judaicum tempore Christi & Apostolorum Hebræi idiomatis gnarum adhuc fuisse, probat ex Act. 17. *Judæi Beroënses scrutabantur Scripturas*, & ex Actor. 21. *Cum audivissent, quod Paulus Hebræa lingua loqueretur, magis præstiterunt silentium, delectabantur enim lingua Hebræa.* (Idem probari potest ex Luc. 4. v. 17. Johan. 5. v. 39.)

6. Ribera in Micheam cap. 5. n. 11. *Vidi ego Salmanticæ Judæum quendam satis ineruditum, ex quo cum multa Hispanico sermone quærerem, quòd ille Latinè nesciret, sive ex Historia, sive ex Prophetia, memoriter referebat & decantabat Hebraica, quod cum alteri jam Christiano narrarem nihil, inquit, mirum, à pueris enim hæc omnia mandant memoriæ.* (Ergo adhuc hodiè lingua Hebræa ipsis quodammodo adhuc est vernacula, tantum abest, ut tempore Christi ipsis desierit esse penitus ignota.)

7. Post tempora Esdræ linguam Hebraicam non amplius fuisse vulgarem probat Bellarm. ex Neh. 8. *Et legerunt in libro legis distinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt, cum legeretur.* Sed respon. ex Lyrano in illum locum. *Legit apertè, i. e intelligibiliter, declarando ea, quæ videbantur obscura.* (Ergo non de incogniti idiomatis, sed locorum paulo obscuriorum explicatione ibi sermo est. In vulgata versione, quæ Pontificiis authentica, sic habetur v. 8. *Et legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt, cum legeretur.* Utique ergo populus linguæ suæ vernaculæ non erat oblitus. Confer ejusd. cap. v. 12.)

Arg. 2. *Apostoli per totum orbem prædicarunt Evangelium & Ecclesias constituerunt, & tamen non scripserunt Evangelia aut Epistolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, sed tantum Hebraicè aut Græcè, & ut quidam volunt, Latinè.*

Resp. 1. ex Bellarmino lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. arg. 4. *Ratio, cur Apostoli omnia fere Græcè scripserint, hæc est, quia tunc lingua Græca erat omnium communissima, ut M. Tullius testatur in oratione pro Archia Poeta. Græca, inquit, leguntur in omnibus fere gentibus. Latina suis finibus exiguis sane continentur.* Et lib. ejusd. cap. 16. resp. ad object. 6. *Græca lingua erat communissima.*

Richeomus Jesuita cap. 32. lib. 4. de Missa advers. Plessæum, *Græcam linguam* appellat *communem totius Orientis & Occidentis, cum propter Græcorum imperium, quod per universum orbem propemodum extendebatur, tum propter libros Philosophicos, Poeticos & Historicos.*

Julius Cæsar Bulengerus contra Plessæum lib. 2. cap. 5. *ejusdem linguæ usum in Perside fuisse*, agnoscit, *jam Crassi tempore, teste Plutarcho, totamque Græciam, Thraciam, Syriam, Armeniam, Ægyptum, Phrygiam, Asiam minorem, Græce locutas esse.* (Si Evangelistæ & Apostoli ideo scripserunt lingua Græca, quia illa erat omnium communissima, utique in linguam vulgarem & communem Scripturas transferre ab Apostolorum exemplo non est alienum.)

2 Ex Erasmo in annot. Rom. 1. *Romam jam tota Græcia confluxerat, adeo ut Romam Græcam urbem appellet Juvenalis, certe Græcam linguam jam non solum Italia, verum etiam Syria, Ægyptus, Cilicia & bona orbis pars receperat.* (Frivolum igitur est, quod Bellarminus in ἐξεργασίᾳ hujus argumenti urget, *Paulum Romanis Græce scripsisse, cum tamen Romanis non Græca, sed Latina esset vulgaris.* Item, *Petrum & Jacobum scripsisse Græce, Judæis per orbem terrarum dispersis, quibus tamen non Græca erat materna, nec Hebræa, sed lingua ejus regionis, in qua habitabant.*)

3. Ex Pererio in proleg. comm. Rom. Disp. 2. n. 62. *Nomine Romanorum, ad quos Paulus hanc Epistolam scripsit, intelligere oportet hoc loco non solos Romæ natos aut Romanâ civitate donatos, sed quoslibet Romæ habitantes, sive Græcos, sive Romanos, sive Judæos conversos ad Christi fidem.* (Meritò igitur linguâ omnibus notâ & communi scripsit.)

4. Si ex eo, quod Apostoli duntaxat Græca lingua scripserunt, colligi posset, Scripturas non esse in vernaculam linguam transferendas, consequens foret, Scripturas etiam in Latinum sermonem non esse vertendas. Quod enim Baronius tom. 1. annal. Ann. 45. & Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 7. suspicantur, *Marcum Latine scripsisse*, ad illud respondemus ex eodem fundamento, quo Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 4. §. Quod si &c. probat, *Syriacam* editionem non esse à Marco Ecclesiis Syriæ & Ægypti traditam, *Quia hujus rei nulla extat mentio apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Eusebium, Athanasium, Theophilum, Epiphanium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum, Johannem Damascenum, aliosque Patres, qui vel de variis Scripturarum editionibus accurate disputarunt, vel certe multa de Scripturis sanctis posteritati scripta reliquerunt, ideo adduci non possumus, ut credamus.* (Plura de Latino Marci Evangelio afferentur in Appendice cap. 3. §. 42.)

Arg. 3. *Universa Ecclesia semper his tantum linguis Hebræa, Græca, & Latina usa est in communi & publico usu Scripturarum, cum tamen jamdudum desierint esse vulgares. Augustinus lib. 2. de doctr. Christiana cap. 11. dicit, ad intelligentiam Scripturarum esse necessariam cognitionem tantum trium linguarum Hebrææ, Græcæ & Latinæ, quia in illis linguis Scriptura divina legeretur, nec ullius tamen antiquus autor meminit alicujus alterius translationis & tamen tunc sine dubio multa aliæ erant linguæ vulgares. Igitur saltem primis 400. annis, quibus Ecclesia maxime floruit, non legebantur Scripturæ lingua vulgari.*

Resp. 1. Contrarium patet ex concessione Adversariorum, *quod tempore primitivæ Ecclesiæ, etiam ante Augustinum, Scripturæ in vernaculas linguas fuerint translatæ.*

2. Contrarium patet ex ipso Augustino lib. 2. de doctr. Christ. cap 5. *Sacra Scriptura ab una lingua profecta, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa, gentibus innotuit ad salutem.*

3. Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 100. *in Synodo Nicena statutum* scribit, *ut Christianus nullus careret Bibliis.* (Utique ergo Scripturæ in linguas cuilibet populo vernaculas translatæ jam tunc extiterunt. Nicenum verò Concilium seculo quarto fuit celebratum, docente Bellarmino lib. 2. de Euchar. c, 10.)

Arg. 4. *Convenit unitati Ecclesiæ, ut Scripturarum usus publicus esset in lingua communissima, alioqui communicatio Ecclesiarum tolleretur.*

Resp. 1. Johannes Ledesma lib. de div. Script. cap. 31. n. 4. *In Ecclesia Latina sacrorum Bibliorum versio Latina fuisse statim videtur à temporibus Apostolorum, quâ linguâ tunc Romani utebantur.* At si translatio Scripturæ in linguas alias, quàm quibus initio à Prophetis & Apostolis exarata est, tollit Ecclesiæ unitatem, consequens fuerit, autorem Latinæ versionis itidem eandem temerasse. Si obvertere velint, *linguam Latinam in Ecclesia esse communissimam*, urgemus, quod Chrysostomus Scripturas transtulerit *in linguam Armenicam*, Ulphi-

Ulphilas in Gothicam, Hieronymus in Dalmaticam, ut ex Adversariorum concessione superius docuimus.

2. Johannes Ferus in Comm. Act. 2. super verba, *Loquebantur variis linguis. Et nunc quoque Ecclesia una loquitur in lingua Germanica, Hispanica, Gallica, Anglicana, nec desinit crescere, donec omnium gentium linguâ locuta fuerit. Atque in hoc plurimum præstat Synagoga, quæ in una tantum lingua Deum professa est.* (Ergo varietas linguarum & translatio Scripturarum in varias linguas non tollit Ecclesiæ unitatem.)

Thesis octava. Laici non solum à Scripturæ lectione non sunt arcendi, sed etiam ad eam invitandi.

Ἐκθεσις. 1. Non dicimus, Scripturæ lectionem omnibus omninò salvandis esse absolute & simpliciter necessariam, sed licitam, salutarem, ac certâ ratione etiam mandatam.

2. Nec dicimus, Laicis permissum esse, Scripturam ad suum ingenium & judicium juxta præconceptas opiniones interpretari, sed Spiritus sancti judicium ex Scripturis discere, & juxta fidei analogiam in perspicuis Scripturæ locis propositam de rebus fidei judicare.

3. Nec dicimus, Laicos Scripturæ lectione instructos de gravissimis & subtilissimis quibusque quæstionibus temerè judicium ferre, sed præcipua ac fundamentalia vitæ capita & vitæ regulas ex Scripturis petere, atque interim publici Ministerii χορηγοῦντι, & in Ecclesiæ Ministris donum interpretandi reverenter agnoscere debere.

Antithesis. Concilium Tridentinum in Indice prohibitorum voluminum regulâ quartâ: *Cum experimento manifestum sit si sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarii, Bibliorum à Catholicis autoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, aut alio quovis modo concesserint, librorum precium in usus pios ab Episcopo convertendum amittant, aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero non nisi facultate à Prælatis suis habitâ ea legere aut emere possint.*

Episcopi Bononiæ congregati in Consilio, quod de stabilienda Romanæ Ecclesiæ dignitate Pontifici Julio 3. Anno 1553. dederunt, quod à Vergerio postea editum: *Denique, quod inter omnia consilia, quæ nos dare hoc tempore possumus, omnium gravissimum ad extremum reservavimus, oculi hic aperiendi sunt, omnibusque nervis adnitendum erit, ut quam minimum Evangelii potetione ac potestate sunt, sufficiatque tantillum illud, quod in Missa legitur, nec eo amplius cuiquam mortalium legere liceat. Quamdiu enim pauculo illo homines contenti fuere, tamdiu res tuæ ex sententia successere, eædemque in contrarium labi cœperunt, ex quo ulterius legi vulgo usurpatum est. Hic ille in summa est liber, qui præter cæteros hasce nobis tempestates ac turbines concitavit, quibus prope abrepti sumus &c. Quare occultandæ pauculæ illæ chartæ erunt, sed adhibita quadam cautione ac diligentia, ne ea res majores nobis turbas ac tumultus concitet.*

Facultas Parisiensis in Censura contra Erasmum tit. 12. *Consultius esse putat, Laicos Breviarium in manus sumere, quàm sacras literas rimari.*

Hosius de expresso Dei Verbo tom. 1. pag. 664. *Laicis lectionem Scripturarum permittere, est sanctum canibus dare & margaritas porcis projicere.* (Quo sensu etiam hoc dictum Christi applicant Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. capite 13. Bunderius in Compend. rerum Theolog. tit. 32. art. 1. Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. annot. 152. Alphonsus Virvesius in Philipp. 2. contra August. Confess. apud Andream Fabricium in Harmon. August. Confess. pag. 12. ubi accusat Lutherum, *quod liberam fecerit sanctarum Scripturarum mysteria evulgari, & sanctum canibus dari ac margaritas inter porcos projici.*)

Censura Colon. pag. 13. *Voluit* (Spiritus S.) *margaritas nec porcis projiciendas esse, nec velut commune aliquid prostitui, sed solis piis reservari. Est quippe Scriptura gemma quædam nobilis, quam si forte indoctus aliquis & rudis reperiat, vel fastidit ut gallus Æsopicus, vel luto magis ad similitudinem porcorum immergit.*

p. 16. *Hæc nunc eò adducta sunt, ut tandem aliquando Monhemius intelligat, non esse quorumvis hominum sacras literas contrectare, aut religionis negotio se immiscere &c.*

p. 19. *Vulgus, quod nec veteres Interpretes ob idiomatis ignorationem, quo scripserunt, intelligit, nec otio abundat, ut quæ alii interpretati sunt, colligat, nec judicio valet sana à pravis discernendi, meritò à Scripturarum sacrarum maximè difficiliorum lectione arcetur.*

Johannes Molanus Theologus Lovaniensis Regiusque Censor in Compend. pract. Theol. tract. 3. cap. 27. conclus. 2. pag. 221. *Negamus ab eis* (Laicis) *requiri studium Scripturarum, imò salubriter dicimus, eos à lectione Scripturarum arceri sufficereque eis, ut ex præscripto Pastorum & Doctorum Ecclesiæ vitæ cursum moderentur.*

Stapletonus in relect. princ. fid. controvers. 5. q. 3. p. 539. *Ubi acies est perturbata & ubi fluctuant auditores & non esse possit illimitatum dominium, ibi Scripturæ lectionem in vernacula expedire asserit: at ubi ordinata adhuc est Ecclesiæ acies, ibi alia via corruptis editionibus Ecclesiam mederi posse Ecclesiam, videl. eas in universum prohibendo.*

Antonius Legatus Pyranensis suasit, *ut hominibus lectione Epistolarum Pauli publicè interdiceretur, eò quod nimis faverent Lutheranis.*

Johannes Montilcinus igni adjudicatus fuit, *propterea quod Bononiæ Epistolam Pauli ad Romanos publice prælegerat.*

Inde est, quod hæreticæ pravitatis Inquisitores inter cætera etiam de hoc capite quærant, *an quis Biblia legerit?*

Frideric. Staphylus in Apol. de vero Scripturæ intellectu part. 2. p. 199. *Quorsum vulgò necessaria sit sacrarum lectio Scripturarum, nusquam equidem in iisdem Scripturis adhuc reperire potui. Porro non modo non necessariam, verum etiam exitiosam esse ejusmodi curiositatem usus probat quotidianus, & scripta quoque divina satis indicant.*

p. 202. *Quare non immeritò consulendum est Laicis idiotis, ut à curiosa Bibliorū lectione abstineant, primo quidē eo nomine, ne quod Presbyteris vel Senioribus, i. e. Sacerdotibus solis pro iisdem sanctè demandatum est, id ipsi sibi temerariè usurpent &c.*

p. 203. *Deinde vero eam ob causam, quod in propatulo sit, quantam perniciem in totum orbem Christianum ea res invexerit, & adhuc invectura sit, si Laicis illiteratis liberum sit, pro ipsorum arbitrio & curiositate in sacris literis volutari, easque rimari ac perscrutari.*

Thom. Hardingus contra Iuellum art. 15. sect. 5. apud Iuell. tom. 1. p. 122. *Quod autem minimè consentaneum & decorum sit, ut omnia hominum genera sine delectu sacras literas legere permittantur, non opus est, ut aliquid dicam: causas per se quisque prudens facile perspexerit.*

sect. 7. p. 123. *In gente Israelitica vulgus à Bibliorum lectione exclusum fuit, Dei quadam speciali providentia, ut existimatur, ne margaritæ projicerentur ante porcos, h. e. eos, quibus illud munus non sit commissum, utpote propter immodestam curiositatem & vitam impuram indignis.*

sect. 9. p. 125. *Pericula & incommoda, quæ vulgaris & vernacula Scripturarum lectio secum affert juxta eorum judicium, qui eandem improbant, magna, varia, multaque sunt. Hic pauca duntaxat quasi attingam, remque ipsam totam Ecclesiæ judicio permittam. Primum, cum hæreticorum venenum plebem inprimis inficiat, omnesque hæretici ex Bibliis venenum suum prætextu verbi Dei hauriant, illis hominibus minimè consentaneum videtur, ut quisque curiosus & putidus idiota Biblia suo sermone legat atque excutiat, veruntamen erudito prudenti, sobrioque Laico eam licentiam ereptam esse nolunt.*

Dieghus Payva Andradius in defens. fid. Trid. Cathol. lib. 4. f. 242. *In summum ii profecto mihi videntur perfidia discrimen plebem injicere, qui universæ multitudini passim sacra omnia volumina legenda proponunt, prudentissimè vero & quorundam pietati & multorum periculo eos consuluisse, qui lege interdixerunt, ne sacri libri sermone vernaculo sine Præfectorum Ecclesiæ autoritate perlegerentur.*

fol. 243. *Cum delira multitudo egregiis sit præsidiis ad sacrarum literarum intelligentiam necessariis prorsus destituta, quis illam poterit in tam vastum atque procellosum mare sine maxima temeritatis nota sponte conjicere?*

Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. c. 13. *Non sine causa jam superius monuimus, libros gentilium cum magna cautela esse legendos. Cum ergo plus nocumenti inferatur ex libris sacris in linguam vulgarem versis, quàm ex lectione gentilium Philosophorum, meritò illud inhibetur, etiamsi de aliis nulla fiat prohibitio.*

Johan. Hayus in quæstionib. Gallicis pro magno scelere objiciebat, *Bezam dixisse in Confessione, Quisquis sacrorum librorum lectione hominib. interdicit, eum omnem spem certæ consolationis ac salutis adimere.*

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 15. arg. 5. *Quid quod populus non solum non caperet fructum ex Scripturis, sed etiam caperet detrimentum. Acciperet enim facillime occasionem errandi tum in doctrina fidei, tum in præceptis vitæ ac morum.*

Laur. Förerus in tractat. Nichts ist zun Augen gut / p. 58. Die heilig Bibel wird keinem in Lateinischer / Griechischer und Hebraischer Sprach zu lesen verboten. (*linguam vernaculam omittit*, & addit) So haben die Jesuiten die deutsche Bibel niemands verboten/ sondern die Christliche Kirche.

Gulielmus Bailius in Catechismo Controvers. tract. 1. q. 5. *In primitiva Ecclesia non facilè simplex & imperitus populus in lectione Scripturarum versabatur: sufficiebat ei, si viva voce & ore Doctorum edoceretur. Hæretici fuerunt, qui auditores suos primi emanciparunt ad sacras Scripturas legendas.*

Nostram sententiam probamus ex eo,

1. Quod Prophetæ & Apostoli ut omnibus & in usum omnium prædicarunt, ita quoque omnibus & in usum omnium scripserunt.

2. Quod Scriptura eo fine à Deo hominibus sit tradita, ut ex ea ad salutem æternam erudirentur, Joh 5. v. 39. 2. Tim. 3. v. 15. qui finis est communis ad omnes omnino homines pertinens.

3. Quod Laici divino mandato ad Scripturæ lectionem & auditum invitentur, tum *omnes in genere*, Deut. 6. v. 8. c. 17. v. 19. c. 31. v. 11. & 12. Esai. 34. v. 16. Jer 36. v. 6. Johan. 5. v. 39. Eph. 3. v. 3. & 4. Col 3. v. 16. c. 4. v. 16. 1. Thessal. 5. v. 17. tum *Reges ac Principes in specie*, Deut. 17. v. 18. & 19. Jos. 1. v. 8.

4. Quod Scripturarum lectio ac meditatio divinitus approbetur, Neh. 8. v. 2. Ps. 1. v. 1. Ps. 119. v. 2. Joh. 5. v. 39. Act. 15. v. 21. c. 17. v. 11. 2. Tim. 3. v. 15. 2. Pet. 1. v. 9. Apoc. 1. v. 3. contra vero reprehensi fuerint, qui, quo minus Scripturæ legerentur, in causa fuerunt, 2. Reg. 22. v. 8. & 18. 2. Paral. 34. v. 19. Jerem. 36. v. 2. 29. & 30. &c.

5. Quod Deus & sancti Dei homines Scripturam omnibus destinarunt, ut ab illis legeretur, Exodi 24. v. 12. Deut. 27. v. 8. cap. 31. v. 9. & 11. Psal. 102. v. 19. Esai. 8. v. 1. Ezechiel. 43. v. 11. Habac. 2. v. 2. Luc. 1. v. 3. Johan. 20. v. 31. Actor. 1. v. 1. Rom. 1. v. 7. 1. Corinth. 1. v. 2. 2. Corinth. 1. v. 1. Galat. 1. v. 2. Ephes. 1. v. 1. Philipp. 1. v. 1. Colos. 1. v. 2. 1. Thessal. 1. v. 1. 2. Thess. 1. v. 1. 1. Pet. 1. v. 1. 1. Johan. 1. v. 12. &c.

6. Quod lectio Scripturæ possit Laicos instruere, consolationem vivificam ipsis suppeditare, vitia morum in illis corrigere, contra Satanam eos armare, & ad vitam æternam eos sapientes reddere, Psal. 94. v. 19. Psal. 119. v. 92. Johan. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. Eph. 6. v. 17. 2. Tim. 3. v. 15. 16. & 17. &c.

7. Quod etiam ad Laicos pertineat, veritatem divinam ab humanis somniis discernere, ac proinde etiam normam veritatis, Scripturas scil. sacras consulere, Matth. 7. v. 15. Johan. 10. vers. 5. & 27. 1. Thess. 5. v. 21. 1. Joh. 4. v. 1.

8. Quod Scripturæ lectio omnibus in Ecclesia Israelitica fuerit usitata & familiaris, Luc. 4. v. 16. Actor. 8. v. 2. & 28. cap. 15. v. 21. &c.

9. Quod ut Spiritus sancti donum & Sacramentorum usum omnibus Ecclesiæ filiis Deus communem esse voluerit, ita quoque scripti verbi lectionem & meditationem.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam disertis verbis docent, Laicos à Scripturæ lectione minimè arcendos vel prohibendos esse, eosque ad lectionem Scripturæ hortantur.

Clemens Romanus (Episcopus, ut volunt,) Constitutionum Apostolicarum lib. 1. qui inscribitur de Laicis, eò quod eis specialiter præcepta dentur, cap. 4. Τὰ τοῦ Χριστοῦ λόγια ἀναμιμνησκόμενος διηνεκῶς μελέτα· λέγει γὰρ ἡ γραφή σοι, ὅτι ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ μελετήσεις ἡμέρας καὶ νυκτός, περιπατῶν ἐν ἀγρῷ, καὶ ἐν οἴκῳ καθήμενος, καὶ κοιταζόμενος καὶ διανιστάμενος, ἵνα συνῇς ἐν πᾶσιν. *Scripturas sanctas* (nam sic etiam Turrianus vertit) *assiduâ memoriâ meditare. Dicit enim tibi Scriptura: In lege ejus meditandum die ac nocte, ambulanti in agro & sedenti in ædibus, & cubitum eunti & surgenti, ut in omnibus sis intelligens.*

Et paucis interjectis εἴτε προσεύχῃ τοῖς πιστοῖς τε καὶ ὁμοδόξοις συμβάλλων τὰ ζωοποιὰ προσομιλήματα, εἰ δὲ μὴ, καθεζόμενος ἔνδον ἀναγίνωσκε τὸν νόμον, τὰς βασιλείας, τοὺς προφήτας, ψάλλε τοὺς ὕμνους, Δαβίδ, διέρχου ἐπιμελῶς τὸ εὐαγγέλιον τούτων συμπλήρωμα. *Si adis fideles, qui tecum sentiunt, colloquere, sermones salutares conferendo. Sin minus, intus, sedens lege Legem, Regum libros, Prophetas: cane Psalmos Davidis: evolve diligenter Evangelium, quo complentur, hæc omnia.*

Postea cap. 10. uxores dehortatur à rixis maximè erga viros hac ratione. εἰ δὲ πιστὸς ὑπάρχει σοῦ ὁ ἀνήρ, ἀναγκασθήσεται ὡς εἰδὼς τὰς γραφὰς εἰπεῖν τὸ ῥῆμα τὸ γεγραμμένον ἐν τῇ σοφίᾳ. Κρεῖττον οἰκεῖν ἐν ἐρήμῳ, ἢ μετὰ γυναικὸς γλωσσώδους καὶ μαχίμου. *Si fidelis sit vir tuus, cogetur, utpote qui Scripturas noverit, illud scriptum in sapientia dicere: Melius est habitare in deserto, quam cum muliere loquaci & rixosa.*

Gregorius Magnus Episcopus Roman. lib. 4. Indict. 13. Epist. 40. *Quid est Scriptura sacra, nisi quædam Epistola omnipotentis DEI ad creaturam suam? Imperator cæli, Dominus hominum & Angelorum pro vita tua tibi suas Epistolas transmisit & tamen easdem ardenter legere negligis? Stude ergo quæso* (Theodorum Medicum alloquitur) *& quotidiè creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires.*

Gregorius IX. ad Archiepiscopum Græcorum apud Matth. Paris in Henrico III. *Cum juxta testimonium veritatis occasio sit erroris ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire.*

Cùm quæstio esset Romæ in conclavi agitata de sacris Moravice agendis, (ideoque etiam de Scriptura in eam linguam vertenda) essentque non pauci contradictores, Æneas Sylvius testatur, *vocem tanquam de cœlo in hæc verba missam: Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei.* Bohemicæ Historiæ cap 13. qua de re

Johannes Quartus sic pronunciavit: *Literas Sclavonicas à Constantino quodam Philosopho receptas, quibus Deo laudes debitas resonent, jure laudamus, &, ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia & opera enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare, autoritate sacra monemur, quæ præcepit dicens, Laudate Dominum omnes gentes & collaudate eum omnes populi: & Apostoli repleti Spiritu sancto, locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis quoque tuba insonat, monens, omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam in prima ad Corinthios Epistola satis & manifestè nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam DEI ædificemus.* (Baronius, videns ex hoc Johannis decreto, argumentum pro nostra sententia confirmanda duci posse, recitato eodem statim subjicit: *Hæc Johannes Papa ita natam recens Ecclesiam lacte nutriens parvulorum, sperans opera ejus, qui linguas infantium facit disertas, fore ut Moravensis Ecclesia matris, ex qua genita est, lingua perfectè locutura esset.* Sic ergo juxta Baronium puerorum lacte illi nutriuntur, quibus Scripturæ lingua vernacula permittuntur. Contra vero Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 16. ad argument. 5. hunc prædicat esse *cibum provectiorum*; alii *venenum* pronunciant, unde hæreses & omne genus malorum Laici hauriant.)

Erasmus Præfat. paraphr. in N. Testamentum sic orditur: *Memini, Lector optime, & aliàs alicubi testificatum esse, me plurimum dissentire ab iis, qui Laicos & illiteratos in totum putant submovendos esse à lectione sacrorum voluminum &c. Non video, cur idiotæ sint ab Evangelicis præcipuè literis, ceu profani à sacris, submovendi, quæ doctis pariter & indoctis, quæ Græcis æque ac Scythis, servis itidem ut liberis, quæ fœminis simul & viris, quæ plebeis non minus atque Regibus proditæ sunt. Quod docent, ex æquo ad omnes pertinet; quod pollicentur; pariter ad omnes pertinet. Et ita proditæ sunt, ut citius intelligantur ab idiota pio modestoque, quam ab arrogante Philosopho. Judæorum est, populo celare sua mysteria, qui in umbris versabantur; Evangelica lux premi non sustinet. Olim in Sancta Sanctorum unus ingrediebatur Sacerdos, at ubi templi velum in morte Domini scissum est, ad ipsum usq; CHRISTUM, qui vere Sanctus est Sanctorum & Sanctificator omnium; datus est omnibus aditus, & exaltatus à terra omnia trahit ad se, qui cupit omnes salvos facere. Exclamant, indignum facinus, si mulier aut coriarius loquatur de sacris literis. At ego puellas quasdam audire mallem de Christo loquentes, quam quosdam summos, vulgi opinione, Rabinos. Cur nos sumus immitiores Judæis? Illi ferebant puerum JESUM in medio Doctorum respondentem & interrogantem, cum nihil adhuc in eo divinum suspicarentur. Increpat ille discipulos suos, qui prohiberent pueros adire ad se, talium est enim, inquit, regnum cælorum. Neque nos igitur arceamus parvulos ab Evangelica lectione. Fortasse JESUS & illos complecti dignabitur, sacrisque suis manibus contingere & benedicere &c. Divus Hieronymus & virgines*

& viduas

& viduas & conjugatas hortatur ad lectionem sacrorum voluminum &c. Consideremus, quos auditores habuerit ipse Christus? nonne promiscuam multitudinem & in hac cæcos, claudos, mendicos, publicanos, Centuriones, opifices, mulieres ac pueros? An gravetur ab iis legi, à quibus voluit audiri? Me quidem autore leget agricola, leget faber, leget latomus, legent & meretrices & lenones, denique legent & Turcæ. Si hos non submovit à sua voce CHRISTUS, *nec ego submovebo eos ab illius libris. Quis scit, an iis quoque veniat usu, quod accidit Eunucho? &c. Nec librorum Veteris Testamenti, in quibus tamen frequenter offendit vel Historia in speciem absurda, vel ænigmatum obscuritas, lectionem cuiquam interdixero. Hos certè fructus ceperint, quod instructiores ac paratiores venient ad Ecclesiasticas conciones & libentius audient, in quibus agnoscent aliqua, & facilius intelligent, quorum jam gustum qualemcunque ceperunt. Quanquam in libris Evangelicis divina sapientia se mirè demittit ad captum etiam infirmorum, ut nemo tam indoctus esse possit, quin ad Evangelicam Philosophiam sit docilis &c. Laborat aliquis ignorantiâ, observet, si quid alicunde lucis effulgeat. Torquetur odio aut livore, tenetur libidine, avaritiâ, ambitione, aliove mentis morbo, hic remedium quærat & inveniet. Mœret aliquis? hinc petat lenimen doloris & discedet alacrior. Hæret ac perplexus est quispiam? non aliunde melius suppetet consilium. Tentatur quis & periclitatur? ab Evangelio petat præsidium. Sitiet aliquis justitiam? hic reperiet fontem purissimum, unde qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, nec amplius sitiet aquas, quæ promuntur è cisternis contritis ac turbatis ungulis omnium bestiarum terræ. Si quis esuriet cibum vitalem? hic est panis de cælo descendens, unde qui ederit, vegetus ac robustus evadet in Christo &c. Ex fontibus Servatoris hauriat sibi quisque, quod potest. E pratis his sacris decerpat sibi quisque, quo satiet animum esurientem &c. Certè Scripturarum suarum penum nulli pio claudit Christus, etiamsi subulcus esset, qui quondam pastoribus impertiit Spiritum propheticum. In hujus igitur libris versentur omnes, qui venantur Christianam Philosophiam &c. Nihil illic narratur, quod ad unumquemque nostrûm non pertinet &c. In hujusmodi Philosophia profuerit omnibus versari, quamvis idiotis aut illiteratis. Nec deerit sobriè versantibus unctio, quæ doceat illos de omnibus, quæ pertinent ad salutem æternam.*

Idem ad concion. 3. Chrysostomi de Lazaro (in qua Chrysostomus *Scripturarum ignorantiam dicit esse causam hæresium*) in margine sic annotavit, *At nunc excludit hæreses.* (Irridet Pontificios, qui contra Chrysostomum, imò contra ipsum Christum Matth. 22. v. 29 docent, *lectionem Scripturarum Laicis esse causam erroris & hæresium.*)

Idem in Supput. error in Censur. Bedæ pag. 50. *Me autore libros sacros legat agricola, legat faber, legat latomus, legant & meretrices & lenones.*

Idem advers. annotat. Bedæ tomo 9. fol. 378. memorat, *Chrysostomum graviter monere populum, ut domi quoque legat Historiam Evangelicam, quo paratiores accedant ad audiendum Sacerdotem, docentem pro concionem Ecclesiæ publicè.*

De eodem Erasmo scribit Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. capite 13. p. 32. quòd contra Parisiensium Censuram, in qua sententia modo citata damnabatur, sese muniverit hoc argumento: *Quicquid est hæreseon in orbe toto ferè natum, est vel ex Philosophia, vel ex sacris literis perperam intellectis. At à Philosophorum libris nullus arcetur, nullus ergo à sacris literis debet submoveri.* (Hæc fuit potius *exceptio* Erasmi ad Parisiensium argumentum, quod ex Scripturis malè intellectis nascantur hæreses, quàm *argumentum*, quo suam Erasmus probare voluerit sententiam, quam longè firmioribus, uti vidimus, argumentis munit.)

Cornelius Agrippa de vanit. scient. capite 100. *Ad Scripturæ lectionem non solum Theologi, sed omnes homines pro data sibi capacitate obligantur &c. Josua legit omnia verba legis coram omni multitudine puerorum, mulierum, advenarum; & vult Chrysostomus, uxores cum viris de ea disputare &c. In Concilio Niceno decretum, ne quis Christianus Codice Biblico careat.*

Petrus à Soto in defens. Cathol. pag. 232. *Clamabunt etiam Catholici & pii, cur scilicet à lectione Scripturæ majorem Christianorum partem arceam?* (Agnoscit ergo Sotus, *quosdam Catholicos & pios* sibi in hac quæstione adversari.)

Claudius Espensæus in Comment. 2. Timoth. 3. *Aliqui existimant, Scripturas difficiliores esse, quàm ut debeant Laicorum manibus conteri, sed aliter visum est Patribus Veteris & Novi Testamenti &c. Judæi filios suos quinquennes ad sacra Biblia adaptabant, & primum locum in formandis pueris sacris literis, unde auspicabantur, tribuebant, quod ex prisca consuetudine Judæos ad sua tempora servasse Eusebius scribit. Pudeat igitur Christianos ab hac cura alienos esse, neque enim hæc nova, sed est Patrum antiquorum querimonia.*

Idem in cap. 1. Tit. *Scholia Hieronymo & Primasio inscripta docent, Laicos verbum Dei non modo sufficienter, verùm etiam abundanter habere debere. Eat populus, inquit Hieronymus, ad montes, id est, ad Scripturas sacras.*

Idem in cap. 2. Tit. *Fortè petis, an omnes arctari velim ad Scripturarum studium? respondeo ex summo Theologo & Pontifice Adriano sexto: Equidem uti neminem arctari intendo, ita multo minus omnes excusare possim, cum certum sit, unumquemque ad tantam divinæ legis obligari notitiam, quanta possit actus suos pro qualitate personæ citra peccatum mortale dirigere.*

Ibid. *Manifestum est ex Apostolo Coloss. 3. & Ecclesiæ antiqua praxi, quod usus Scripturarum legendarum publicus populo concedebatur. Verbum, inquit, Dei inhabitet in vobis abundanter. Vobis, quibus vobis? nempe Colossis fidelibus omnibus, ad quos scripserat.*

Idem lib. de Sex tractat. pag. 98. *Alphonsus Rex gloriatur, se sacra Biblia cum Commentariis & glossis quater & decies perlegisse. Videant igitur, qui Christianos Principes à lectione Scripturarum ceu prophanos arcent, Alphonsine an Donati similes esse malint. Nam Donatistis hæreticis olim impegit Augustinus, quod timerent, ne seculi Reges sacrorum Codicum eloquia nossent. Sed velitis, inquit, nolitis, Ecclesiam intrant & lectionibus aurem admovent.* (Potuisset Espensæus addere, tales esse similes *Juliano*, de quo Cyrill. Alexandr. lib. 5. contra Julianum memorat, *quod Christianos hoc nomine reprehendere solitus fuerit, quod mulieres puerosque Scripturas legere paterentur.*)

Salmero tom. 1. prolegom. 2. pag. 19. col. 2. *Doctores neminem à lectione & studio Scripturarum arcent, sed tantum earum difficultates ostendunt, ne imparati & inepti ad eas accedant.*

proleg. 1. pag. 9. docet, *Scripturam omnibus personis, morbis & malis accommodatam esse.*

proleg. 7. p. 70. b. *Qui à sacris libris legendis arcet homines, in quibus leges* DEI *sunt conscriptæ, exleges & filios Belial efficit homines.*

Cornelius à Lapide in procem. Pentat. fol. 3. monet, *ut quisque sibi Scripturas legat*, & vehementer eos perstringit, qui putant, *Ecclesiasticis solum sacras literas esse versandas.*

Idem in Comm. Pentat. fol. 20. n. 38. laudat *Carolum Magnum, assiduè Biblia legentem.*

fol. 18. n. 69. laudat *Robertum Siciliæ Regem, & Alphonsum Arragonum Regem, qui assiduè lectitârunt sacras literas.*

Estius in Comm. 2. Timoth. 3. vers. 15. super verba, *Ab infantia sacras literas nosti. Locus hic docet, nec pueros arcendos esse à lectione Scripturæ sacræ, quin ex eo, quod Timotheus non à patre fuerit institutus in sacris literis (utpote qui gentilis erat, nec fuerat passus eum circumcidi) sed, ut verisimile est, à matre & avia, quarum fidei sinceritatem Apostolus laudavit capite 1. colligitur, nec mulieres à lectione Scripturæ sacræ prohibendas esse.* (Addit quidem limitationem, *modo secundum regulam Ecclesiasticam tales sint personæ, quæ cognoscantur ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Sed quid de hac limitatione statuendum sit, patere potest ex dictis.)

Andreas Vermadius Jesuita lib. 1. Epistol. 2. ad Justum Baronium (prius Calvinum dictum) scribit, *duplex esse genus hominum Christianorum, alterum, quod præjudicato jam errore occupatum eò sua legendæ Scripturæ studia refert, ut erroris, quo imbutum est, fulcimenta corrodat: & non tam ex communi Ecclesiæ consensu, quàm suopte judicio, per affectum corrupto, sententiam sibi Scripturæ confingat: alterum verò, quod mente sincera ac humili prius Ecclesiæ, quàm proprio judicio confidens, eò sedula lectione progreditur, ut signatam antè à Patribus Scripturæ sententiam firmiter insistat. Atque hoc ipsum esse genus hominum, dicimus, quod securè simul ac utiliter sacram paginam potest evolvere.*

(Atqui nos ipsimet quoque taxamus illum lectionis abusum, quo hæretici & ab hæreticis seducti Scripturas ad præconceptas opiniones detorquent, interim propter accidentarium illum abusum non improbanda vel prohibenda est ipsa Scripturæ lectio.)

2. Quod

2. Quod agnoscunt, Prophetas & Apostolos omnibus scripsisse.

Thomas Aquinas p.1 q.1.art.9. *Scriptura ideo utitur metaphoris, ut rudes etiam percipiant, quia omnibus proposita est.*

Idem in 2. Corinth 1. super verba, *cum omnibus Sanctis, qui sunt in Achaia. Ad omnes pertinet hujus Epistolæ argumentum.*

Claudius Espensæus in 2. Timoth.3 *Origenes observat, Johannem quatuor ætatibus scribere, pueris, adolescentibus, juvenibus, patribus, 1. Johan.2. Hieronymus inter Philosophos & Apostolos sic distinguit, quod Plato exempli gratia scripsit quædam, sed paucis, non populo. At Apostoli & Evangelistæ non scripserunt paucis, sed universo populo. Ita etiam Dominus Christus locutus est, non ut pauci, sed ut omnes intelligerent. Scitus enim est Prosperi versiculus de Scriptura. Quæ nullis animis, nullis non convenit annis.*

Idem in Tit.1. *Paulus in Epistola ad Galatas perstringit omnes, qui veritatem deserunt. In Epistola ad Ephesios scribit omnibus, id est majoribus & minoribus perfectis & imperfectis. In Epistola ad Philippenses omnibus baptizatis & Episcopis, ubi populum præponit. In Epistola ad Colossenses omnibus, id est, tam perfectis extra communem aleam positis, quam imperfectis, qui saltem fidem veram tenent.*

Ibid. *Prima Johannis Epistola inscribitur Catholica, ut indicet, eam ad omnem Ecclesiam pertinere.*

Ederus in Oecon. Biblica lib.1. p.328. adducit & probat dictum Autoris imperf. operis in Matth. *Matthæum, ut referunt, conscribere Evangelium causa impulit talis. Cum facta fuisset in Palæstina persecutio gravis, ut periclitaretur dispergi omnes, ne carentes forte Doctoribus fidei carerent doctrina &c.*

Arias Montanus in cap.1. Rom. super verba, *omnibus, qui sunt Romæ, dilectis. In universum omnibus sanctificatis gratulatur.*

In 1. Cor.1. super verba, *cum omnibus, id est, quocunque gradu & conditione sive ministris sive ex privatorum ordine.*

In 2. Johan. *Persona, cui inscribitur, erat matrona Babylonica & tamen inscribitur Catholica Epistola, quia ad omnes communione fidei præditos pertinet &c.*

Idem Arias Montanus præfat. in Mafforeth de varia lectione. *Illi libri omnibus & pueris & senibus, viris & fœminis legendi sunt propositi, ad quorum normam omnes singulorum vitæ rationes institui debuere.*

Salmeron in 1. Petr.1. *Scribit ad omnes Judæos Christianos, ut eos in veritate Evangelii confirmet.*

Dieghus Payva Andradius lib.4. defens. fidei f.246. *Libri, qui vulgari sermone eduntur, universæ multitudini promiscuè ad legendum suppeditantur.*

Costerus in Enchirid. cap.1 pag. 48. *Quod scriptis libris vulgatur, hoc sine dubio proponitur legendum omnibus.*

(Jam vero Prophetæ & Apostoli verbum Dei libris vulgari sermone scriptis complexi sunt. Ergo.)

Maldonatus in caput 1. Luc. *Theophilus Græce Dei amicum, hominem pium ac religiosum significat. Itaque multi magnique autores dubitarunt, essetne hoc loco nomen proprium certi alicujus viri, an commune omnibus piis, ad quos se Lucas scribere dicat Evangelium? Origenes homil.1. & Epiphanius hæres.51. videntur commune facere, eodemque modo videntur Ambrosius & Beda sentire, sed moraliter, ut doceant, si nos Theophili, id est, pii fuerimus, & nobis hoc esse scriptum Evangelium.*

Et postea. *Oecumenius in Comm. Actor.1. ex epitheto* κράτιστε *optimè colligit, Præsidem Provinciæ alicujus aut Præfectum fuisse hunc Theophilum, quod eo honoris titulo Præsides ornarentur, ut apparet Actor.23. v.26. cap.24. v.3. cap.26 v.25. quæ conjectura est probabilis.*

Et paulò post. *Non minus propterea autoritatis ad privatum hominem, quàm si publicè ad omnes scriptum esset, habere putandum est. Nam & quod Theophilo Lucas scribit, omnibus scribit, & D. Paulus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem privatos homines scripsit Epistolas; quæ nihilo minus, quam quæ ad totas Romanorum, Corinthiorum, Ephesiorum, Galatarum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium Ecclesias scriptæ sunt, fidei meruerunt.*

Ribera in Habac. fol.530. agnoscit, *Deum ideo voluisse scribi hanc visionem & verbum super tabulam Habac. 2. v.2. ut ab indoctis & non admodum peritis posset intelligi.*

Christ. à Castro ibidem scribit, *non in libro voluisse Deum hanc visionem proponi, sed in tabulis publicis, ut ea res nota esset omnibus.* (Utique ergo Deus etiam Laicis verbum suum per Prophetam proposuit.)

Ex illis omnibus sic colligimus: Quibus Deus & sancti Dei homines Scripturam destinarunt, illi etiam Scripturam legere debent. Atqui omnibus omnino, & sic etiam Laicis, Deus & sancti Dei homines Scripturam destinarunt. Ergo.

August. lib.6. contra Faustum c.9. *Impium est, si non legimus nos, quod scriptum est propter nos*

Zabarell. JCtus in tract. de Schism. Pont. §.12 *Quod omnes tangit, ab omnibus curari debet.*

3. Quod agnoscunt, Prophetas & Apostolos, itemque primitivæ Ecclesiæ Patres omnes hortari ad Scripturas legendas & studium Scripturarum etiam in Laicis approbare.

Thomas lect.3. in cap.3. Coloss. *Quibusdam sufficit modicum quid de verbo Dei, sed Apostolus vult, quod habeamus multum.*

Idem Thomas in lib. de regim. Princ. cap.15. (eumque secutus Nicolaus Serarius in cap.1. Josuæ) agnoscit, *mandatum de libro legis die ac nocte evolvendo ad Christianos Principes accommodari posse.*

Dionysius Carthusianus in cap.5. Johan. *Scrutamini Scripturas,* id est, *solerter discutite investigate, advertite.*

(Agnoscit ergo in verbis Christi mandatum contineri. Eodem sensu verba Christi accipiunt Thomas & Lyranus in Comment.)

Claudius Espensæus in Tit.1. *Merito omnes hortatur Chrysostomus ad Scripturarum lectionem.*

Salmeron tom 15. Disp.4. in Comm.2. Tim.3. super verba. *A puero sacras literas nosti. Laudat Apostolus in Timotheo studium sacrarum literarum ab infantia. Sicut parentes Susannæ commendantur apud Danielem, quod filiam suam erudirent secundum legem Mosis & Salomon verba Lamuelis ait, Regis visio, qua erudivit eum mater ejus.*

Renatus Benedict. Andegavus Theologus Parisiensis lib.1. Stromatum Biblic. p.177. *Quod si objicias, Chrysostomum & alios perplures primitivæ Ecclesiæ Patres ejus esse opinionis, quod etiam vulgarium hominum sacra Biblia passim manibus terantur, ut patet eorum scriptis. Respondeo, alia longe esse nostra, quam ipsorum tempora. Nam ipsorum temporibus puta vulgus Christianorum longe eruditius & perfectius fuisse nostris, etiam mediocriter instructis & devotis. Non erat igitur illis temporibus ita periculosum sacra Biblia vulgari, ut nunc. Nam sacra Biblia sunt libri spiritualium & devotorum. Hodie autem passim Christiani sunt ignari, minus devoti, carnales & mundani.* (Concedit, temporibus Chrysostomi & primitivæ Ecclesiæ Laicos ad lectionem Scripturæ invitatos, quod nobis sufficit. Ratio diversitatis, quam affert, inverti potest, quia illa ignorantia & defectus devotionis per Scripturæ lectionem corrigi poterit.)

Jodocus Coccius tomo 1. Thesauri lib.6. art.30. p.749. citat & approbat illud Clementis Alexandrini apud Damascenum lib.2. paral. cap.49. *Quemadmodum mare omnibus patet, atque alius natat, alius negociatur, alius piscatur: & rursus quemadmodum terra communis est omnibus, atque alius iter facit, alius arat, alius ædificat: eodem modo, dum sacra Scriptura legitur, alius in fide alius in moribus juvatur, alii per literarum agnitionem superstitioni eximitur &c.*

Ibid pag.751. citat & approbat illud Chrysost. proœm. in Epist. Rom. *Hinc infinita exorta sunt mala, ab ipsa videl. Scripturarum sacrarum ignoratione, hinc multa hæreseon lues pullularunt, hinc ritus in multis neglectus, hinc inutiles & lucro carentes labores. Nam quemadmodum qui luminis hujus usura sunt privati, nequaquam rectà ingredi possunt: ita qui ad divinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessario in multa errata incurrunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis obambularent.*

p.752. citat & approbat illud Damasceni lib. 4. orthod. fid. cap.18. *Nihil præclarius nihil animarum saluti conducibilius est, quàm divinas Scripturas perscrutari. Quemadmodum enim lignum plantatum secus decursus aquarum: ita etiam anima divinæ Scripturæ fluentis irrigata saginatur, fructumque tempestivum, h.e. rectam fidem profert, ac perpetuo virentibus foliis i.e. Deo gratis actionibus exornatur. Siquidem hoc afferunt Scripturæ sanctæ, ut & ad probas & honestas actiones & ad puram contemplationem nos componant. Nam in eis & cohortationem ad virtutem & ab omni vitio dehortationem invenire est.*

p.753. citat & approbat illud Basilii Imp. Constantinopolitani in Exhort. ad Leonem filium cap.17. *O fili, quemadmodum teneræ plantæ fontibus irrigatæ virescunt, florentque & fructus ferunt: ita mens tua sacrarum literarum studiis irrigata magis ac magis augescet, ac pro fructibus egregias virtutes producet.*

p.756.citat & approbat illud Juliani Pomerii lib. 1. contra Judæos. *Ignorantia Scripturarum est ignorantia Christi.*

p.759.citat & approbat illud Johannis Pici Mirandulani in Epist. ad Joh. Franciscum ex fratre nepotem. *Nihil Deo gratius, nihil tibi utilius facere potes, quàm si non cessaveris literas sacras nocturnâ versare manu, versare diurnâ: latet enim in illis vis quædam viva & efficax, quæ legentis animum, si modo illas purè ac humiliter tractaverit, in divinum amorem mirabili quadam potestate transformat.*

Sixtus Senensis lib.6. Biblioth. annot.152. pag.489. adducit dictum Chrysostomi ex conc. 3. de Lazaro. *Fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuò versetur in lectione spirituali. An non vides fabros ferrarios, aurifices, fabros argentarios, denique eos, qui quamcunque exercent artem, omnia artis instrumenta habere parata, hoc sanè animo nos quoque præditos esse oportet. Quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt malleus, incus, forceps: sic & nobis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitus inspirata. Et quemadmodum illi per illa instrumenta, quicquid faciendum susceperint, perficiunt: ita sanè & nos per hos fabricamus, animam nostram corrigimus ac inveteratam renovamus,*

Et postea. *Ne quis mihi dixerit, Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere Scripturas, sed eorum, qui mundo valedixerunt, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. Quid ais homo? non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? imo tuum magis est, quàm illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum egent præsidio, atque nos in mediis negotiorum undis jactati &c. qui velut in medio mari fluctuantes, innumerisque velimus nolimus peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo jugique Scripturarum solatio.* Homil.2. in Matth. *Hoc est, quod omnia quasi unâ quadam peste corrumpit, quoniam lectionem divinarum Scripturarum ad solos putatis Monachos pertinere, cùm multo magis vobis, quàm illis sit necessaria &c.* (Hæc & plura alia in Chrysostomo totidem verbis extare Sixtus non negat, ad quæ frigidè respondet, *esse hæc per hyperbolen dicta.* Item, *credibile esse, Chrysostomum per lectionem Scripturarum intellexisse eam cognitionem, ad quam suprema totius divinæ Scripturæ capita referuntur, ceu sunt præcepta Decalogi, & sententiæ Christiani symboli.* Sed utramque exceptionem Chrysostomi rationes evidenter refellunt.)

Toletus in cap.5. Johan. v.39. annot.35. fatetur, *communem esse illam expositionem, quâ verbum ἐρευνᾶτε accipitur in Imperativo, quo modo accipiunt Chrysostomus, Athanasius, Basilius & Euthymius.*

Maldonatus in cap.5. Johan. 5. v.38. sic commentatur. *Melius Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus & omnes, opinor, præter Cyrillum, autores graves, imperantis modo dictum putant. In eo enim vis testimonii & orationis gratia consistit, quod eos Christus ad suas ipsorum Scripturas mittit, in quibus omnem illi gloriam suam collocabant. Quasi dicat, quandoquidem tantum Scripturis tribuitis, ut in illis vitam vos æternam habere existimetis, scrutamini eas. Sic omnia bene cohærent.* (Hæc opponenda sunt Stapletono & aliis, qui verbum Scrutamini in Indicativo modo accipiendum esse pugnant.)

Cornelius à Lapide in procem. Pentat. fol.2. testatur, *quod Gregorius lib. 4. Epist.84. Theodorum, licet Medicum, reprehenderit, quod non assiduè lectitaret Biblia.*

Bellarminus lib.1. de Verbo Dei c.2. §.1. *Moses, Prophetæ, Christus ipse, Johannes, Apostoli ad Scripturas legendas alios hortabantur.*

Et paulò post. *De Beroënsibus illud non sine laude commemoratur Actor. 17. quod cum Paulum Apostolum audivissent, scrutabantur quotidie Scripturas, si hæc ita se haberent.*

(Ex illis omnibus sic colligimus: Ad quod Prophetæ & Apostoli, eorumque vestigiis insistentes primitivæ Ecclesiæ Doctores Laicos fuere hortati, ab illo Laici arceri vel prohiberi minimè debent. Atqui ad Scripturarum lectionem eos fuere hortati. Ergo.)

4. Quod agnoscunt, lectionem Scripturæ esse utilem ac salutarem, contra vero lectionis neglectum exitialem.

c. Si juxta. dist.38. ex Hieronymo. *Si juxta Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, Deique Sapientia, & qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem ejusque sapientiam, ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.* (Atqui ignorantia Christi cavenda non solum Clericis, sed etiam Laicis.)

c. Cum ex injuncto. lib. 5. Decretal. tit. 7. *Licet desiderium intelligendi divinas Scripturas & secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed potius commendandum: in eo tamen apparent quidam Laici merito arguendi, quod occulta conventicula celebrant, officium prædicationis Christi sibi usurpant, Sacerdotum simplicitatem eludunt &c.*

Nicolaus de Clemangis lib. de novis celebritatibus non instituendis. pag.156. *Crebra lectio divinorum librorum homini sua fœda monstrat, suos defectus & profectus ostendit, quasi quibusdam stimulis animum perfodit, à pravis deterret, ad recta impellit, caritatem ingenerat, humilitatem infundit, pietatem inserit, amorem virtutum omnium insinuat: Ama, inquit Hieronymus, scientiam Scripturarum, & vitia carnis non amabis.*

Petrus de Aliaco lib.2. sent. *Scriptura penetrat ut gladius, conterit ut malleus, ardet ut facula, quia velut gladius errorum abscindit zizania, velut malleus interimit hæreses universas, velut facula criminum fasciculos comburit, & velut lucerna per nocturna hujus mundi silentia lumen commeantibus existit, ne pedem suum ad erroris lapidem exul & peregrinus homo offendat.*

Gabriel Biel lect.71. in Can. Missæ. *Panis intelligentiæ illuminantis est verbum Dei auditum, lectum, meditatum seu contemplatum. Illo pane etiam mens spiritualiter reficitur, ac spirituali vita educatur, unde scribitur; Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei, id est, Scriptura sacra, quæ secundum B. Gregorium est tanquam os Dei, quia per eam loquitur nobis Deus omnia, quæ vult à nobis fieri.*

Alfonsus à Castro lib.1. advers. hæres. cap.13. fol 35. *Ubique terrarum & ubique gentium est expertum plurimos versari errores apud rusticos & agricolas homines, maximè apud eos, qui deserta incolunt, qui à communione hominum longissimè absunt. Quod non ob aliam causam evenire constat, quàm quod verbum Dei non audiunt, unde doceri possent: quo deficiente, astat illicò magnus ille hostis semper ad nocendum paratus, eorumque affectus primo, postea vero intellectus pervertit & in plures detrudit errores. De hac re testimonia locupletissima potest nobis nostra ministrare Hispania, in qua citra decem annos in ea parte Cantabriæ, quæ nunc Navarra dicitur & Briscaia, apud eos homines, qui montana incolunt, varii sunt inventi errores, multæ superstitiones, variæ idololatriæ: adeo ut Dæmonem ipsum in figura capri se illis ostendentem venerarentur.* (Quod de prædicatione verbi Alfonsus asserit, idem de lectione Scripturæ pronunciare possumus, videlicet ubi Scripturæ lectio negligitur, ibi errores & hæreses invalescunt.)

Catech. Trident. p.176. *Ut per Sacramenta in vita suscipimur, ita verbo Dei velut pabulo alimur, conservamur, augemur.*

Torniellus in Annalibus Ann.3610. num.19. *Magni omninò momenti est ad verum Dei cultum, præsertim interiorem seu spiritualem in animis hominum altius insigendum, assidua pariterque accurata sacrorum librorum lectio.*

Ederus in Oecon. Bibl. p.76. *Scripturam sacram esse omnibus accommodatam, & multiplices atque mirificas utilitates exhibere, docet Chrysostomus homil.41. in Matth. Ibi ignarus inveniet, quod discat, modicæ fidei vir, quibus spe gloriæ magis magisque ad virtutem excitetur; peccator, quibus ad pœnitentiam & salutem revocetur. Habent fures ab exemplo judicii Dei, quod in Achan exercuit; fornicatores, ab exemplo Israelitarum, quod perhorrescant. Discunt concupitores carnem castigare, ut nemo delitias concupiscat. David adulter & homicida proponitur, ut adulteri & homicidæ pœnitentiam agentes non desperent. Rahab meretrix sanctificata est, ne sancti de impiis desperemus.*

Claudius Espensæus in 2. Thessal. *Voluit Deus, ut opifex omnium indoctissimus ex earum* (Scripturarum) *lectione aliquid utilitatis reportaret.*

Peraldus Episcopus de virtut. & vit. tract. de Luxuria. *Ama, inquit Hieronymus, scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

Franciscus Ruizius in præfatione libri de regulis intelligendi Scripturam. *Scriptura ad cœlestem patriam vocat, æternis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat, mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur, ibi sentimus, quantum proficimus, ibi à profectu quantum distamus.*

Josephus Acosta lib.2. de Christo revelato cap.5. *Legens*

mente

mente pura plura intelligere de Scripturis sanctis potest, quàm magna vallatus Commentariorum copia assequi possit, quod ego sanè verissimum teneo, si de ea scientia agatur, quæ non inflat. Equidem vidi viros prorsus illiteratos & vix Latinè scientes ex Scripturis tanta depromere, sensusque eos afferre, ut penitus miratus sim: neque dubitaverim longo Gymnasii Biblici terendi tempore nihil tale homines discere, spiritualis enim omnia dijudicat.

Cosmas Magalianus Jesuita in Comment. I. ad Timotheum 4. sect. 4. annotat. 5. *Cur Scripturæ lectio tam accuratè à Paulo & à Patribus Christianis omnibus, nedum Episcopis commendetur, explicat D. Gregorius in pastorali part. 2 cap. 11. Humanæ, inquit, conversationis usu ad vetustatem vitæ ducit & externis occupationum tumultibus impulsus animus à semetipso corruit. Ideò sacri eloquii præcepta quotidie meditari debet & per divinæ eruditionis verba ad amorem cælestis patriæ sese restaurare &c. Omnibus verò hominibus Timothei nomine commendari divini voluminis studium, affirmat D. Chrysostomus hoc loco, dicens: Timotheum admonet lectioni operam dare, & nos discamus lectionem Scripturæ minime negligere. Præter commendationem hanc, quæ cùm ab Apostolo profecta sit, magnifacienda est, adhuc multa sunt, quæ nos ad sacram lectionem impellant, atque inprimis eximiæ utilitates, quæ ex illa dimanant. Quis enim eam prodesse nescit ad illustrandam mentem veritatis luce, ne iter in cælum aperientes, cæco aliorum impetu feramur? &c. Deinde confert sacra lectio multum ad animos divini amoris igne inflammandos &c. Tertiò docet, non nisi ex amore proficisci flagella, quibus nos paternè Deus interdum punit. Quartò, quanta utilitas est, quæ experimur, motus omnes & affectiones carnis exemplis passim propositis, quæ omnem retundunt lasciviam, refrenari? Quinta utilitas in eo cernitur, quod animus eruditur ad omnem vitæ honestæ functionem, sive docendi sint ii cum quibus agimus, sive corrigendi. Postremo, sacra pagina ita est à Spiritu sancto contexta, ut omnibus locis, personis, temporibus, difficultatibus, morbis, malisque pellendis, bonis accersendis, erroribus jugulandis, dogmatibus statuendis, virtutibus inserendis sit oppido, quàm dici possit, accommodata &c. Quid plura? nullum est bonum, ad quod non impellat atque excitet nos sacræ Scripturæ lectio; nullum vitium, à quo non avocet atque absterreat.*

Franciscus Ribera in proœm. Comment. in Prophetam Amos n. 2. *Si sanctorum Patrum & alios Doctorum libros cum utilitate legimus &c. ecquis tam spiritualis liber, qui cum Scripturis conferri possit, quas Spiritus Dei &c. nobis dictavit?*

Ibid. num 3. O (Scriptura) *cælestis vitæ Dux, virtutum Magistra, vitiorum pestis, lucis parens, expultrixque tenebrarum &c. Tu itineris & laborum comes tu in adversis rebus consolatrix, custos & moderatrix in secundis, adolescentiæ institutrix, virilis ætatis firmamentum, dulcissimum perfugium senectutis!*

Et paulo ante. *Solebam mecum mirari, cum sæpè apud Hieronymum legebam, mirificam vim habere studium sacrarum Scripturarum ad animum hominis incitandum, ad incendia carnis extinguenda, ad contemtum seculi, ad omne denique virtutum genus comparandum, donec intellexi ea dicere illum, quæ in se fuerat expertus & iniquum esse non credere experto &c.*

Lorinus in Comment. 2. Petri 1. v. 20. *Utilis Prophetarum lectio propter firmissimam gravissimamque autoritatem.*

Guilielmus Bailius in Catechismo controversiarum quæst. 2. *Hæreses à somno & veterno nos excitant & ad Scripturam legendam incitant, ad versandos ejus Interpretes & veteres ac probatas religionis nostræ tabulas, quas prius ignorabamus, inquirendas.*

(Ex illis sic concludimus: Quod in negotio salutis multiplicem utilitatem affert, ab eo Laici non sunt arcendi, sed ad illud potius invitandi & incitandi. Scripturæ lectio in negotio salutis multiplicem utilitatem Laicis affert. Ergo.)

Bellarminus lib. 4. de Justificat. capite 3. § 4. sic disserit. *Tria continet Scriptura utriusque Testamenti, mysteria, promissiones & præcepta, id est, res credendas, sperandas & faciendas, quibus fides, spes caritasque respondent. Nam ad hæc tria revocatur Summa totius doctrinæ cælestis, ut Augustinus passim docet.*

(Ex illis sic concludimus: Per quod Laici in fide, spe & caritate possunt ædificari, ab eo nequaquam sunt arcendi Laici per Scripturæ lectionem in fide, spe & caritate possunt ædificari. Ratio est, quia Scriptura utriusque Testamenti tria continet, mysteria, promissa & præcepta, hoc est, res credendas, sperandas & faciendas, quibus fides, spes & caritas respondent. Ergo Laici à Scripturæ lectione non sunt arcendi.)

Idem lib. 1. de Verbo Dei cap. 2 *Cum sacra Scriptura sit regula fidei certissima ac tutissima, sanus profecto non erit, qui ea neglecta Spiritus interni sæpè fallacis & semper incerti judicio se commiserit.* (Atqui si Scriptura est regula fidei tutissima, falsum erit, quod Pontificii clamitant, *hæreses omnes & malos mores à plebe ex Scripturæ lectione disci.*)

De divinis Scripturæ effectibus prolixè disserunt Cornel. à Lapide in proœm. Pentat. fol. 3. Bonfrerius præloq. in Pentat. fol. 39. Mendoza in 1. tom. in 1. Reg. f. 11. Possevinus lib. 2. c. 16. Biblioth. f. 202. Salmero tom. 1 proleg. 1. p. 10.

5. Quod agnoscunt, Laicos de doctrina Pastorum suorum judicium ferre & posse & debere.

c. Ubinam. dist. 96. ex Epistola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem. *Ubinam legistis, Imperatores Antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse? nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ Universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos & ad omnes omnino pertinet Christianos.*

c. Oves. caus. 2. q. 7. ex Eusebio Papa. *Oves, quæ Pastori suo commissæ sunt, eum non reprehendere, nisi à recta fide exorbitaverit, debent.*

c. Secuti. caus. & quæst. iisdem. *A Laicis Clerici merito quandoque reprehenduntur.*

c. Nolite caus. 11. q. 3. ex Chrysostomo. *Sicut Sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet: sic Laicus debitor est, ut veritatem, quam audivit quidem à Sacerdotibus probatam in Scripturis, defendat fiducialiter.* (Ergo Laicus attendere debet, an, quod Sacerdos prædicat, in Scripturis probetur.)

Gerson part. 1. de exam Doctr. consid. 5. & 6. docet, *omnibus in sacris literis sufficienter eruditis licere examini doctrinarum & interpretationum vacare, alius quidem ex officio publico, alius verò per modum doctrinæ*: cui considerationi *veritatem duplicem* subjungit, *Prima est stare, quod aliquis simplex non autorisatus esset credentam excellenter in sacris Scripturis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinæ suæ assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Evangelio, quàm Papæ. Si igitur doceat talis eruditus veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultro erraret, patet, cujus præferendum sit judicium. Altera veritas. Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur Concilium, cui & ipse præsens esset, se illi opponere, si sentiret, majorem partem ad oppositum Evangelii malitia vel ignoratione declinare.*

Erasmus in præfat. Paraphr. in N. Testam. *Scio Pastorum esse partes, panem hunc* (vitæ in Scriptura propositum) *à Christo fractum ac traditum distribuere populo. Sed quid si cessent Pastores? quid si versantur in lupos? Horum est fodere puteos & ex iis haustum liquorem doctrinæ cælestis porrigere populo, ne sitis pereant in deserto. Sed quid si Pastores versi sint in Philistæos & venas aquæ vivæ obturent injecta terra? Quid faciet populus? nimirum implorabit opem Principis Pastorum Jesu &c. Quoties Pastores funguntur suo officio, reverenter sunt audiendi tanquam Angeli Dei, per quos nobis loquitur Christus. Sin insincere docent, tamen excerpendum, si quid admixtum sit boni. Sin autem omnino cessant, aut ea docent, quæ planè pugnant cum Evangelio, aut si quando per occasionem non est Doctoru copia, reficiat suum quisque animum lectione privata. E fontibus Servatoris hauriat sibi quisque, quod potest; è panibus sacris decerpat sibi quisque, quo satiet animam esurientem &c.*

Fridericus Staphylus in Apolog. p. 42. fatetur, *etiam Laicis mandatum esse, ut fugiant hæreticos, & à falsis Prophetis attendant.*

Plura hujus generis adducemus inferius art. 6. capite 1. membr. 7.

(Ex illis sic concludimus: *Si fides est universalis & omnium communis.* Ergo etiam literæ fidei sive Scriptura sacra est omnium communis. *Si oves Pastorem à recta fide exorbitantem reprehendere debent*, utique oportet eas esse gnaras Scripturæ, ut de doctrina Pastoris judicium ferre possint. Summa Sylvestri in voce Scrupulus: *Sexta regula observanda à scrupulosis est, uti virtute epiechiæ, interpretando discretè præcepta non solum humana, sed etiam divina, maximè affirmativa: quæ interpretatio licet in foro contentioso ad eum spectet, ad quē editio legis, tamen secundum Archiepiscopum in foro conscientiæ pertinet ad quemlibet pro facto suo.* Utique ergo quilibet Scripturam, ut pote judicii hujus normam debet legere.)

6. Quod fatentur, lectionem Scripturæ fuisse Christianis in Israelitica & primitiva Christiana Ecclesia familiarem & quotidianam.

Arias Montanus Præfatione in Masoreth de varia in Hebraicis

braicis libris lectione: *Quanquam divinæ legis sacri libri à Mose conscripti in tabernaculi interioris arca religiosissimè servandi depositi fuerint, multa tamen illorum exemplaria Sacerdotum, quibus id munus creditum est, manu, aut aliorum opera descripta, à Sacerdotibus collata & probata, ad lectionis, doctrinæ & explicationis, atque omnem publicarum & privatarum usum rerum multis ex Israelitico populo fuere. Illi enim libri omnibus & pueris & senibus, viris & fœminis legendi propositi sunt, ad quorum normam omnes singulorum vitæ rationes institui debuere.*

Paulo post addit, *divinæ legis exemplaria Josiæ Regis jussu, Sacerdotum & Scribarum procuratione descripta esse, & non studiosis modo, sed etiam omni populo fuisse tradita.*

Stapletonus in Antidotis Apostolicis ad cap. 17. Act. responsurus ad argumentum nostrum ab exemplo *Beroënsium* à Spiritu sancto laudato petitum, inter cætera sic scribit: *Libertas illa in Ecclesiæ primordiis paucis fidelibus concessa constitutæ jam & per totum orbem propagatæ Ecclesiæ non convenit.* (Agnoscit ergò in primordiis Ecclesiæ libertatem Scripturæ legendæ obtinuisse. Quod addit, *paucis tantum fidelibus concessam fuisse*, ejus contrarium ex nostræ sententiæ argumentis elucescit. Nec potest dissimilitudinis ratio hac quidem in parte inter *initia* & *progressum Ecclesiæ* demonstrari, cùm temporibus Hieronymi, Chrysostomi & Augustini illa libertas adhuc locum habuerit, cumque rationes, quibus Pontificii lectionem Scripturæ conantur eripere sint generales, ac proinde debuissent etiam in primitiva Ecclesia locum habere.)

Enchiridion Coloniense in tract. de Ordinibus. *Tum*, (id est, olim in primitiva Ecclesia) *recitatione verbi Dei per lectores saginabantur, nunc lectores, quod recitant, vix ipsi intelligunt.*

Johannes Cantacuzenus (qui vixit ante annos trecentos) Apol. 1. contra Mahometum. Οἱ Χριστιανοὶ ποῦ μὲν εἰς τὰς ἐκκλησίας συναγόμενοι, ποῦ δὲ ἕκαστος εἰς τὴν αὐτοῦ καθημέραν ἀναγινώσκουσι τὰς βίβλους· καὶ ὁ πολὺς χρόνος, καὶ ἡ συνεχὴς ἀνάγνωσις καὶ ἡ ἀκριβὴς ἐξέτασις ἐφανέρωσε καὶ ἐδίδαξεν αὐτοῖς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *Christiani jam in Ecclesias congregati, jam singuli domui suæ quotidiè legunt Biblia. Atque tum temporis diuturnitas, tum continua lectio, tum diligens investigatio manifestat docetque veritatem.* De Musulmannis contra dicit, ἀπὸ τοῦ μὴ γινώσκειν τὰς γραφὰς, ἐνέπεσον εἰς αὐτὰ, *eò quod Scripturas ignorarent, in ea inciderunt* (dogmata falsa.)

Sixtus Senensis lib. 6. annot. 152. fol. 533. *Fatemur nos, quondam sacros libros vulgari idiomate redditos, magna Christianæ fidei propagatione, at nunc idipsum fieri non omnino expedit.*

(Ergo Laici in primitiva Ecclesia Scripturas in linguam vernaculam versas legebant.)

Cornelius à Lapide in Procem. Pentateuch. fol. 9. ex Eusebio memorat, *Christianos primos Alexandrinos ab aurora in noctem sacris literis legendis incubuisse.*

fol. 11. *Caroli Magni indefessum in sacris literis fuisse studium.*

fol. 19. *Robertum Siciliæ Regem Petrarchæ dixisse: Juro tibi Petrarcha, literas* (Biblicas) *mihi cariores esse quàm regnum, & si alterutro mihi carendum sit, sceptro me potius quàm Bibliis cariturum.*

Item: *Alphonsum Aragoniæ Regem decies & quater sacra Biblia una cum commentariis inter tot regni occupationes se pervolvisse gloriatum.*

Azorius lib. 8. Institut. moral. cap. 26. §. Objicies. *Nos libenter fatemur tum temporis* (ætate Hieronymi & Chrysostomi) *Laicos in Scripturarum lectione versatos fuisse, quia sacra eloquia erant Græco vel Latino sermone conscripta, quem sermonem vulgus quoque callebat, nunc vero plebs ferè rudis est & imperita Latini sermonis.*

(Ex eo sic concludimus. Quod conforme est probato piorum in Ecclesia primitiva exemplo, illud in Laicis etiam hodie improbari nequit. Sed lectio Scripturæ assidua & quotidiana conformis est probato piorum in primitiva Ecclesia exemplo. Ergo.)

7. Probant etiam nostram sententiam quædam hypotheses Adversariorum.

Primo Gregorius de Valentia tom. 3. col. 155. inquit, *Verba Scripturæ sunt divinæ doctrinæ character & externa species.*

Christophorus à Castro in cap. 1. Oseæ v. 1. *Verba Dei sunt signa conceptuum Dei.*

(Ex illis sic colligimus Qui voluntatem Dei cognoscere debent, illi à lectione Scripturæ, in qua voluntas Dei revelatur, non sunt arcendi. Atqui etiam Laici voluntatem Dei cognoscere debent. Ergo.)

Secundo Bellarmin. tom. 6. oper. conc. 36. col. 415. b. c. Cornelius à Lapide procemio in Pentat. fol. 2. Scripturam vocant *Epistolam Dei ad homines missam* ex Chrysostomo homil. 2. in Genes. & Augustino tom. 10. sermon. 56. ad fratres in Eremo col. 1410.

(Ex eo sic colligimus. Ad quos Epistola Dei Scriptura scilic. sacra missa est, ab illis etiam est legenda. At Epistola Dei Scriptura sc. sacra missa est ad omnes homines. Ergò.)

Tertiò fatentur, in primitiva Ecclesia Scripturam fuisse in vulgares linguas translatam (ut ostendimus in th. præced.) Utique ergo etiam Scriptura olim fuit à Laicis lecta. Nam ut rectè scribit Costerus in Enchirid. cap. 1. p. 48. *Quod scriptis libris vulgatur, hoc sine dubio legendum proponitur omnibus.*

(Subsumimus, in primitiva Ecclesia vulgata erant Biblia in lingua vernacula. Ergo omnibus eorum lectio fuit concessa.)

Quarto prohibitionem legendæ Scripturæ ex gentilismo & Judaismo depravato descendere agnoscunt.

Jacobus Hackh Jesuita contra Tossanum q. 2. cap. 26. p. 407. Die Ketzer haben keine billige Ursache der Catholischen Kirchen die verbotene Lesung der Bibel so hoch auffzumutzen / weil auch die Bücher des alten Testaments nicht allein zu lesen die Synagog gestattet / auch die Heyden nicht die Bücher der Sibyllen / darinn unserer Religion Häuptarticke1 begriffen waren.

Huc referri potest, quod Joh. Gerson conversus & baptizatus Judæus in libro cui titulus. Der Jüden Thalmud fürnemster Inhalt und Widerlegung / lib. 2. cap. 29. pag. 266. refert, *Judæorum hodiernorum Doctores à lectione Scripturæ discipulos suos diligentissimè dehortari*, citatque ex Thalmud Berochoth fol. 28. verba R. Elieser, qui moriturus discipulis suis hanc admonitionem reliquerit: Wolt ihr selig werden / so last ewre Kinder nicht viel in der Bibel lesen.

(Meritò igitur ab Ecclesia Christiana hæc prohibitio exulare debet.)

Quinto, Lorinus in Comment. 1. Johan. 2. v. 20. *Haud dubium, quin per se Johannes velit significare unctionem internam, nec gratiæ quidem justificantis, sed doni intellectus, quo vulnus ignorantiæ curetur, & ut Gregorius interpretatus est, allocutionem intimæ inspirationis, quæ humanam mentem contingendo sublevat, quamvis cum gratia justificante soleat esse conjunctum hoc donum. Sed & Irenæus chrisma veritatis nominat, hoc est, doctrinam.* Ibidem per τὰ *omnia* in textu Apostolico rectè intelligit saluti necessaria & utilia.

(Cum igitur talis unctio ad curandam ignorantiam detur omnibus fidelibus, quos *filiolos* appellat Johannes v. 28. non debent à Scripturæ lectione vel interpretatione arceri, qui necessaria omnia norunt.)

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad locum Johan. 5. v. 39. Stapletonus & alii excipiunt, *verba illa, Scrutamini Scripturas, non accipienda esse in modo imperativo, sed in indicativo.*

Resp. 1. Maldonatus ad illum locum sic annotat. *Melius Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus & omnes, opinor, præter Cyrillum autores graves, imperantis modo dictum putant.*

2. Emserus & Ditenbergerus itidem verterunt *modo imperandi.* (Et rectè. Pharisæi enim & Scribæ legerunt quidem Scripturas, *obiter* scilic. *oscitanter, perfunctoriè*, foventes præconceptas suas opiniones, sed non fuerunt eas *scrutati* Matth. 22. v. 29. In Græco non est additum pronomen ὑμεῖς, quod verbis indicativi temporis præmitti solet. Imperativi autem sine pronominibus enunciantur Matth. 5. v. 1. cap. 6. v. 33. cap. 7. v. 1. 1. Thess. 5. v. 16. Suffragatur etiam textus Syriacus.)

2. Ad locum Act. 17. v. 11. Stapletonus in Antidot. excipit, *homines illos sic à Luca describi, ut non è vulgo credentium fuisse videantur, sed* εὐγενέστεροι, *quod etiam superlativè acceptum primarios & excellentes viros notat, non tàm nobilitate generis, quàm morum probitate & animi virtute ac pietate, cujusmodi hominibus tametsi Scripturarum lectio utilis sit, non tamen propterea sine discrimine omnes idiotæ rudes, superbi, ad eam vocantur.*

Resp. Cajetanus ad illum locum sic annotat: *Sensus est, quod isti Judæi Beroënses erant nobiliores aliis Judæis, qui erant Thessalonicæ.* (Hanc explicationem confirmat series textus & versio Syriaca. Lucas, cum narrasset successum prædicati Evangelii apud *Thessalonicenses*, à quibus Paulus malè acceptus fuerat, nunc convertit se ad *Beroënses*, quo Paulum

emiserant fratres Thessalonicenses, atque ab iis Evangelium alacrius susceptum narrat.)

3. Ad locum Coloss. 3. v. 16. excipit Stapletonus, *Apostolum loqui non de legendis Scripturis, sed de recognoscenda & ruminanda verbi prædicatione illis facta.*

Resp. 1. Thomas Aquinas in h.l. *Cum dicit, verbum Christi, monet ad sapientiam, & primo docet sapientiæ originem, secundo sapientiæ usum, ibi docentes.* (Duo ergò distincta proponuntur in textu Apostolico, quæ Stapletonus confundit, q. idem esset verbum Dei cum docendo & commonefaciendo, quæ tamen differunt tanquam causa & effectum. Ex eo enim, quod quis abundanter habet inhabitans Dei verbum, potest alios docere & commonefacere. Illud autem Dei verbum non potest aliunde hauriri quàm ex Scriptura.)

2. Lombardus ad h.l. sic annotat. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, scilicet ut omnium Scripturarum intellectum habeatis.*

4. Ad locum 2. Petri 1. v. 19. *Habentes firmiorem Propheticum sermonem &c.* Stapletonus excipit, *attendi Scripturis non solum, quando leguntur, sed multo magis ac tutius, quando per vocem prædicantis Ecclesiæ exponuntur.*

Resp. 1. Claudius Guillaudus Sorbonicus ad h.l. sic annotat. *Ut lucerna posita in obscuro loco viam aperit transeuntibus, ne impingant & tenebræ evadant: ita Scriptura attenta & fideli mente lecta, lectoribus, ne usquam offendant, quod à veritate abducat, viam veritatis aperit, & è senticosis hæreticorum diverticulis avertit.* (Ergo Petri προσέχειν est Scripturam legere & legendo attentè meditari Scripturam, quod qui faciunt, illos benè facere Apostolus asserit.)

2. Lorinus ad h.l. sic annotat. *Utilis Prophetarum lectio propter firmissimam, gravissimamque autoritatem.*

Argum. Adversar. 1. *Populus non intelligit Scripturas, si vel maximè eas legat. Si esset ulla ratio,* scribit Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. argum. 5. *cur Scripturæ lingua vulgari in cœtu fidelium legi deberent, ea certè esset potissima, ut omnes intelligerent. At certè populus non intelligeret Prophetas & Psalmos & alia, quæ in Ecclesiis leguntur, etiamsi materna lingua legerentur. Nos enim, qui Latinè scimus, non propterea continuo intelligimus Scripturas, nisi expositores legamus vel audiamus, quomodo ergo intelligerent homines imperiti?*

Resp. 1. Erasmus in Præfat. Paraphr. in N. Testam. *Scripturæ sacræ ita proditæ sunt, ut citius intelligantur ab idiotâ pio modestoque, quam ab arrogante Philosopho &c. In libris Evangelicis divina sapientia se mirè demittit ad captum etiam infimorum, ut nemo tam indoctus esse possit, quin ad Evangelicam Philosophiam sit docilis. Tantum adsit animus, quantumvis rudis, modo simplex, modo purus ac vacuus ab iis curis & cupiditatibus, quæ doctissimos etiam Christo reddunt indociles. Idiota prius quam Codicem Evangelicum sumet in manum, precatiuncula se præparet ad lectionem &c. deinde nihil aliud venetur in hoc saltu, quàm ut seipso melior evadat &c. quædam dilucidiora sunt, quàm ut oporteat ambigere aut requirere Interpretem &c. Consule proximum, si quid non assequeris fortasse per illum tibi loquetur Spiritus arcanus, qui non uno modo solet se inserere mentibus hominum.*

2. Franciscus Ruizius in Præfat. libri de regulis intelligendi sacras Script. *Scriptura dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur, nec sic clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat &c. Aliquando sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat &c. ita modificata, ut nemo non inde haurire possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poscit, accedat &c. Divinus quasi quidam fluvius est, in quo agnus ambulet & elephas natet &c. In ea abundat, & quod perfectus comedat, & quod parvulus sugat. Ibi est & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia, & solidus cibus, quo robusta perfectorum juventus spiritualia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi tandem est, quod omni ætati congruat, ibi quod omni professioni conveniat.* (Quæ omnia ex Augustino, Gregorio & Fulgentio sunt petita.)

3. Acosta libr. 3. de Christo revelato cap. 20. *Hoc est in divina Scriptura omnino mirabile, neminem esse tam omnino rudem & imperitum, qui si humiliter legat, non multa illic utilia, veraque intelligat.*

2. *Ex Scripturis malè intellectis populus facilè incidit in errores fidei.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 13. pag. 31. *Si ex perversa Scripturæ intelligentia hæresis oritur, quis facilius in hæresin incidet quàm vulgus legens id, quod minimè intelligere potest? &c. Longâ experientiâ compertum est, plures hac occasione hæreses fuisse olim suscitatas.*

Censur. Colon. pag. 20. *Nulla unquam reperta est hæresis, quæ non ex Scripturis occasionem acceperit.*

Bellarminus d.l. *Populus non solum non caperet fructum ex Scripturis, sed etiam caperet detrimentum. Acciperet enim facillimè occasionem errandi in doctrina fidei. Nam ex Scriptura non intellecta nata sunt omnes hæreses.*

Resp. 1. Espensæus in Comment. ad Tit. pag. 105. *Memini ego Episcopum Italum nobilem, nec vero imperitum mihi dicere solitum, conterraneos suos à studio Theologiæ deterreri & quodammodo abhorrere, ne sic fiant hæretici. Quasi vero hæreses ex Scripturarum studio & non potius ex earum neglectu & ignorantia nascantur,* (quod congruit dicto Christi Matth. 22. v. 29. Marc. 12. v. 24. *Nonne ideò erratis, quia Scripturas nescitis.*)

2. Erasmus d.l. *Neque vero hæc dixerim, quo bonis doctoribus adimam autoritatem suam, aut idiotis quibuslibet addam animos, ut sibi vendicent scientiam Scripturæ mysticæ, suæ prudentiæque innitentes aspernentur doctores Ecclesiasticos. Habet humana sapientia supercilium suum, sed habet & idiotarum inscitia non minus arrogans supercilium suum &c. Tantum abest, ut in Laico probem arrogantem divinæ Scripturæ professionem, ut mihi nec in eruditis videatur tolerabilis. Quid enim arrogantius, quàm ut homo se profiteatur doctorem rerum divinarum? &c. Dicet mihi quispiam. Difficilis est discretio Spirituum & Angelus Satanæ nonnunquam transfigurat se in Angelum lucis. Fateor & eam ob causam nolim esse præceps judicium. Sed tamen certissimum cuique suffragium est testimonium suæ conscientiæ, proximum est consensus Scripturæ & vitæ Christi &c. Illud inprimis cavendum, ne Scripturam tentes ad tuas cupiditates, tuaque decreta detorquere, sed ad hujus regulam potius tuas opiniones ac vitæ rationem attempera. Alioquin ex hujusmodi fontibus nascitur asseverandi pervicacia, nascuntur contentiones, nascuntur dissidia & odia, nascuntur hæreses fidei simul & Christianæ concordiæ venena. Neque tamen protinus arcendi sunt à sacris libris idiotæ si quis exortus fuerit, qui per hanc occasionem prolapsus sit in errores. Neque enim istud lectionis vitium est, sed hominis. Nec olim ideo vetitum est Evangelium in templis recitari, quod hinc hæretici prisci hauserint errorum suorum semina. Nec ideò prohibentur apes à floribus, quod ex his aliquando venenum sugat aranea &c.* (Distinguendum igitur inter salutarem lectionis *usum*, & accidentarium ejusdem *abusum*. Scriptura in vero & salutari usu adversus hæreses munimentum & medicamentum præstat.)

3. Si propterea populus à lectione Scripturæ arcendus, quia ex Scripturis malè intellectis oriuntur hæreses, consequens fuerit, etiam doctos à Scripturæ lectione arcendos, quia *perpauci hæresium autores fuere idiotæ*, inquit Alphons. de Castro d.l. *Arius Græcè doctissimus fuit & tamen hæresiarcha extitit*, scribit Salmeron Disp. 10. in Epist. ad Rom.

4. Bellarminus lib. 1. de Pont. R. cap. 8. agnoscit *hæresiarchas fere omnes, aut Episcopos aut Presbyteros fuisse.* (Vel igitur negandum est, suas hæreses Episcopos haurire ex Scripturarum lectione; vel his æque ac Laicis Scripturæ erunt interdicendæ; vel alia excogitanda causa, cur Laicis potius. Primum ne Adversarii quidem dicent, multo minus secundum; tertium probari nequit. Inepta igitur est exceptio de hæresium causa ex Scripturæ lectione orta.)

3. *Ex Scripturis male intellectis populus facilè occasionem acciperet errandi in præceptis vitæ ac morum.*

Thomas Hardingus contra Ivellum art. 15. sect. 5. apud Ivellum tom. 1. p. 122. *Hoc certum est, nonnulla capita atque Historias V. Test. eam materiam continere quæ malarum cogitationum occasionem præbitura videatur, si mulieres, virgines, adolescentes ea legere sinantur.*

Bulengerus contra cap. 6. Plessæi lib. 2. de Eucharist. *Quid idiota dicet, cum Saram leget viro permittere, ut ad ancillam cubaret, uxores Jacob certatim se obtrudentes? quid de Thamar, ejusque viris ac socero? de Dina, de cæde Sichemitarum, de Bersabea, de concubinis David & Salomonis?*

Bellarm. d.l. *Si populus rudis audiret lingua sua vulgari legi ex Cantic. Canticorum. Osculetur me osculo oris sui: Et Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Et illud Oseæ: Vade & fac tibi filios fornicationum; nec non adulterium Davidis, incestum Thamar, mendacia Judith, & quemadmodum Joseph fratres suos inebriavit; Sara, Lea & Rachel dederunt ancillas suas viris in concubinas, & multa alia eorum, quæ in Scripturis magna cum laude commemorantur, vel provocaret ad hujusmodi imitanda, vel contemneret*

ret sanctos Patriarchas, ut olim Manichai, vel putaret mendacia esse in Scripturis &c.

Resp. 1. Episc. Lugdunensis in fascic. rerum expetend. *In sacra Scriptura Davidis & Petri aliorumque sanctorum peccata leguntur, ut cautela sit minorum ruina majorum.*

2. Joh. Baptista Mantuanus Carmelita in lib. 2. de vita beata scribit, *in sacris & profanis literis post scelera recitata pœnarum & ultionum mox fieri mentionem, ut admoneamur, à peccato ad supplicia necessarium esse transitum. Nam rarò magna illa scelera commemorantur, quin insecuta ruina & excidia subjungantur.*

3. Pererius in Comment. Gen. 9. *Ideo scripta sunt peccata sanctorum, ut lecturi ex iis periculum faciant, quod sibi usui fiet &c. Moses ideò narravit ebrietatem Noa, ut ex hoc appareat simplicitas & sinceritas Historia omnia incorruptè narrantis.* In cap. 19. Gen. *Patriarcharum vitia Scriptura exposuit, ut, qui fortis tibi videris, inquit Ambrosius, caveas ne cadas.*

4. Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothec. sanctæ p. 625. *Quanquam ex his vitiis, quæ de Patribus in V. T. narrantur, quadam gravia fuisse crimina concedantur, non ob id Scriptura minuitur autoritas, imò nobis magis commendatur, quòd ipsa non temerè sed justissimis de causis talia vitia sapienter narret, nempe ut eorum consideratione quatuor hæc scil. fidem, eruditionem, timorem ac spem consequamur. Primò fidem, ut nihil de veritate illius Historia dubitemus, videntes, quod ipsa tanquam fidelis speculi nitor adnotatarum sibi personarum, non solum quæ pulchra atque integra, verum etiam, quæ deformia vitiosaque sunt, indicat, nulliusque excipit adulandam personam, sed tam laudanda quàm vituperanda hominum facta, vel ipsa judicat, vel legentib. judicanda proponit, nec solum homines ipsos, vel laudabiles, vel vituperabiles intimans, verum etiam quadam in vituperabilib. laudanda & in laudabilib. vituperanda non tacens. Secundò ad eruditionem nostram vitia patrum refert, non quidem, ut illa imitemur & sequamur, sed ut sciamus, ea vitanda & fugienda esse, quæ Scriptura vituperat. Tertiò timorem, ut casus majorum sit timor minorum. Si enim illos tam sanctos viros perniciosa hujus mundi blandimenta vicerunt, quantò magis imbecillioribus nobis timendum est? Quartò ad spei consolationem, ut discamus in talibus lapsibus non desperandam salutem &c.*

5. Maldonatus in cap. 16. Matth. *Etiam sanctorum lapsus utilis est, inquit Ambrosius, nihil mihi nocuit, quod negavit Petrus, profuit, quod emendavit.*

6. Azorius lib. 8. Instit. moral. cap. 26. *Laici, qui Græcè vel Latinè norunt, Scripturas jure optimo lectitant.* (Si illis non imminet periculum errandi in vita ac moribus ex Scripturæ lectione, utique nec aliis.)

7. Bellarminus d. l. §. 4. *A temporibus Esdræ desiit in populo Dei lingua Hebraica esse vulgaris.* (Ergò ante tempore Esdræ vulgaris fuit. Ergò Scripturas in lingua vulgari legere potuerunt, ac revera etiam legerunt. Quod si ergò damnum illud ex Scripturæ lectione Laicis metuendum, etiam ante Esdræ tempora metuendum fuisset, & Scriptura in lingua vulgari edi minimè debuisset.)

8. Concedunt Pontificii, *in Israelitica & primitiva Christiana Ecclesia liberam fuisse Scriptura lectionem*, ut vidimus superius. Jam vero temporibus Ecclesiæ Israeliticæ & primitivæ Christianæ isthæc omnia in Scripturis jamdudum extabant & legebantur.

9. Franciscus Ribera in cap. 1. Matth. num. 60. p. 389. *An non illi etiam emissarios dant Regi Assyriorum, qui prodigi ingenii sui atque otii ac nequitia Poeta, peccatum suum, velut Sodoma prædicantes amatoria & lasciva carmina scribunt, perinde ac si Ethnici essent &c. Ejusdem factionis sunt, qui Arcadias & Dianas & id genus vanissimos libros conscribunt, quos adolescentuli tenerâ ætate imbibant, & virgines atque honestæ fœmina in sinu gestent, ut fiant inhonesta. Quid dicam de vanis atque perditis hominibus, errantibus & in errorem mittentibus, qui fictorum heroum q. res gesta literis mandant & ardentes amores eorum, amatoria colloquia & facta turpissima confingunt, quibus in animis juvenum atque etiam virorum ignem accendunt gehenna? Hujus generis libros quàmplurimos aut soli Hispani habemus, aut plures quàm alii, neque prohibentur unquam, sed impunè à quavis ætate, à quavis conditione leguntur, in magnam honestorum morum depravationem &c. Nec putes homines nō dico doctos aut ingeniosos, sed homines, ea legere studiosissimè, quæ sciunt à nugacissimis hominibus & tempore & mente abutentibus inanissimè esse conficta.* (Sic ergo libri amatorii impunè à quavis ætate in regno Papali leguntur, sed liber Scripturæ sub vano præcavendarum libidinum prætextu Laicis prohibetur.)

10. Si in pictura, quæ juxta Gregorium est *Laicorum Scriptura*, Cainum contra fratrem insurgentem, Noahum ex ebrietate femora nudantem, Davidem cum Bethsabea fornicantem &c. populo spectandum proponunt, cur *in Scripturis* legendum prohibere velint? Ambrosius Catharinus testatur, *suo tempore in Italia fuisse egregium pictorem Michaelem Angelum, qui admirabilis fuerit in exprimendo nuda hominum corpora & pudenda*, atque addit, *hanc membrorum nuditatem indecentissimè in aris & præcipuis Dei sacellis ubique conspici. Quod est omnium teterrimum*, inquit, *in excelsis templis & sacellis hac tempestate offendes picturas tanta lascivia, ut quicquid Natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat contemplari ad excitandam non devotionem, sed cujusvis demortua carnis libidinem, quod tantum nefas nostra* (Prælatorum) *culpa contingere, qui & hac nedum patiuntur turpissima spectacula, sed eorum etiam nonnunquam autores sunt, nemo potest inficiari.*

CAPUT III.

De Scriptura perspicuitate & interpretatione.

THESIS prima. Articuli fidei ad salutem omnibus scitu necessarii, & præcepta morum perspicuè in Scriptura sacra exponuntur.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an quædam in Scriptura sint obscuriùs dicta & intellectu difficiliora, hoc enim libenter concedimus; sed an dogmata fidei & præcepta morum perspicuè in ea sint proposita? Lutherus in lib. de serv. arbit. *Multa Scriptura loca, quoad verborum & sententiarum involucra sunt obscura sed nullum dogma est obscurum.*

2. Non dicimus, Scripturam in omnibus omninò locis, in quibus de fidei dogmatibus & præceptis morum tractat, ita perspicuè loqui, ut primo statim intuitu plene intelligatur, sed nullum esse fidei articulum, nullum vitæ præceptum esse dicimus, quod non alicubi verbis propriis, claris & perspicuis in Scriptura proponatur.

3. Scripturam ea ratione dicimus perspicuam, ut tamen exclusum nolimus pium & quotidianum studium in Scripturæ lectione & meditatione adhibendum, itemque alia adminicula ad Scripturæ interpretationem necessaria. Origenes homil. 12. in Exod. *Si negligenter audimus, si nihil studii ad eruditionem & intelligentiam conferimus, non solùm legis & Prophetarum Scriptura, sed & Apostolorum & Evangeliorum, grandi nobis velamine tegitur. Ego autem vereor, ne per nimiam negligentiam & stoliditatem cordis non solum velata sint nobis divina volumina, sed & signata &c.*

4. Scripturam eo sensu perspicuam dicimus, quod alia loca aliis in ea sint clariora, quodque ea, quæ in uno Scripturæ loco obscurius proponuntur, in alio manifestius explicentur. Augustinus lib. 2. de doctrin. Christian. cap. 6. *Magnificè & salubriter Spiritus sanctus Scripturas ita temperavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidium detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus istis eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

5. Quæ in Scripturis nuspiā disertè & perspicuè exposita habentur, eorum cognitio non est ad salutē absolute necessaria.

6. Scripturam ea ratione dicimus esse perspicuam, ut ob connatas menti nostræ tenebras *interiorem Spiritus sancti illuminationem* piis precibus à Deo petendam esse, interim non negemus. Origenes d. l. *Non solum studium adhibendum est ad discendas literas sacras, verum & supplicandum Domino, & diebus & noctibus obsecrandum, ut veniat Agnus ex tribu Juda, & ipse accipiens librum signatum dignetur aperire, ipse enim est, qui Scripturas adaperiens accendit corda discipulorum, ita ut dicant: Nonne cor nostrum erat ardens intra nos, cum aperiret nobis Scripturas?*

7. Non dicimus, quod Scriptura quibusvis sit clara & perspicua, sed illis, quibus nullum vel ab ætate, vel ab ignorantia linguæ, in qua Scripturam legunt, vel etiam à præconcepta opinione objicitur impedimentum.

8. *Res Dei sunt obscuræ, res Scripturæ sunt perspicuæ*, inquit Lutherus d. l. hoc est, mysteria fidei in se & absolute considerata sunt obscura, quia supra mētis humanæ captū sunt posita, sed prout in Scripturis proponuntur, sunt satis clara & perspicua.

9. Illud alii sic explicant: De perspicuitate & obscuritate Scripturæ dupliciter potest quæri, ratione vel *mysteriorum*, quæ traduntur, vel *ipsius traditionis*. Illo modo, ut quæstio sit, an ea mysteria accommodata sint ad captum humanum, ut cognosci possint, facile, an secus? Ac tum sine scrupulo respondemus, nihil obscurius esse Scripturis sacris, quia tra-

tractant ejusmodi res, quas nulla unquam mens humana consequi possit, adeò ut in iis revelatione opus fuerit speciali, alias nunquam investigandis, imò cum accesserit revelatio, fide indubitata humiliter amplectendis, non autem ratione curiosiori investigandis. Sed cum de ipsa tradendorum mysteriorum ratione agitur, sensus est, utrum quæcunque dogmata in Scripturis tradita sunt, ea ex ipsis Scripturis intelligi queant, h. e. an ita tradantur, ut ex ipsis Scripturis certò constare possit, quid sit de iis fide tenendum? quod intrepidè affirmamus.

10. Scripturas ita dicimus esse perspicuas, ut de rebus ad salutem pertinentibus in alterutram partem necessario, vel amplectendis, vel repudiandis disertè & perspicuè Dei voluntatem in toto corpore suo proponat, ita ut nullo alio extrinseco aut *adjumento*, aut *supplemento* indigeat. Pontificii contra statuunt, Scripturam non solum non omnia dogmata religionis tradere, sed etiam in illis, quæ tradit, adeo obscuram esse, ut nisi traditiones accedant, non possit certus & constans sensus ex illis elici.

11. Repetimus illud Rhetoris Victorini cum Hieronymo Procem. in 12. libr. Comm. in Ezech. *Obscuritatem voluminum ex tribus rebus fieri, ut rei magnitudine, vel doctoris imperitia*, (supposita voluntate perspicue docendi) *vel audientis duritia*, quorum primum & ultimum de Scripturis confitemur, secundum Dei sapientia & majestas penitus refellit.

Antithesis. Canisius in opere Catechet. p. 44. *Sacra Scriptura in illis, quæ continet & proponit, est velut nasus cereus, non præbens certam aliquam & immotam scientiam, sed quæ in quamvis interpretationem flecti potest.*

Centur Colon. pag. 9. *Difficiles esse Scripturas, etsi plerique hac tempestate negârint, nescio, quis sanæ mentis inficiari possit? Docet id totum vetus instrumentum &c. Quis Psalterium, oracula Prophetarum se assecutum jactitabit? De novo Testamento quid attinet dicere, nam plurima sunt loca, in quibus, cum veteres plurimum sudarint, tandem tamen vix adhuc singula penetrarunt, imo silentio presserunt. In Dominicæ passionis enarratione summâ dexteritate opus est, ut quatuor illa Evangelia inter se conciliari possint.*

Balduinus Junius libr. 12. Manual. Theolog. cap. 7. pag. 529. *Spiritus sanctus Scripturam voluit esse obscuram, nec id sine magna ratione.*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 1. *Manifestè falsum est, Scripturas sacras esse per se facilimas.*

Lib. 3. de Rom Pontif. cap. 21. *Tot Scripturæ versiones, tot interpretationes, tot sectæ diversissimæ quid aliud clamant, quàm Scripturam esse ambiguam & obscuram?*

Et paulo ante. *Ambiguas & obscurissimas in plerisque locis Scripturas esse, non solum Papa verissime docet, sed omnes etiam veteres Patres.*

Salmeron Prolegom. 2. tom. 1. p. 13. Disputationem *de Scripturarum obscuritate* concludit his verbis: *Quis, nisi desipiat, apertas Scripturas audeat asserere, quæ tot Patrum testimonio agnitæ sunt obscuræ & intellectui humano inaccessæ? Audeo profectò asserere, nullum extare librum humana diligentia & industria elaboratum, etiamsi ipse Heraclitus producatur, cujus librum judicavit Socrates Delio natatore indigere propter difficultatem, etiamsi ipse proferatur Aristoteles, qui propter affectatam obscuritatem omnium ingeniorum carnifex est judicatus, qui cum sacris literis in his, quæ ad profunditatem faciunt, meritò conferri possit.* (Confundit *mysteriorum profunditatem cum sermonis obscuritate*; illa ad *materiam*, hæc ad *formam* Scripturæ pertinet.)

Gregorius de Valent. lib. 5. Anal. cap. 2. *Sententia Scripturæ de maximis etiam fidei quæstionibus ita obscura & difficilis ad intelligendum est, ut homines etiam benè literati, nedum vulgares fideles, in ejus inquisitione facilè hallucinentur, ab eaque aberrent.*

Pistorius in Hodeget. cap. 5. *Ecclesia infert Scripturæ lucem, sine qua tota est obscura & tenebricosa.*

Nostram sententiam probamus,

1. *ex disertis testimoniis*, tum T. V. Deut. 30. v. 11. Psal. 19. v. 9. Psal. 119. v. 105. Prov. 6. v. 23. tum Novi 2. Petr. 1. v. 19.

2. *à causa efficiente.* Deus Scripturæ autor principalis ac summus in ea perspicue de fidei mysteriis loqui *& voluit*, quia ad nos informandos eam exarari jussit; Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 15. *& potuit*, cum sit ipsa sapientia.

3. *ex enumeratione partium integrantium.* Scriptura constat sermone *Prophetico* & *Apostolico*. *Propheticum* sermonem esse perspicuum, docet Petrus 2. Epist. 1. v. 19. *Apostolicum* sermonem perspicuum esse, docet Christus Matth. 5. v. 14. Conf. Act. 13. v. 46. & 47. cap. 26. v. 18. 1. Joh. 1. v. 2.

4. *à materia Scripturæ.* Summa doctrinæ cœlestis, quæ in Decalogo, Symbolo Apostolico, Oratione Dominica & Institutione Sacramentorum continetur, habet apertissima & clarissima in Scripturis fundamenta. E. necessaria in Scripturis sunt manifesta. Omnia dogmata, quæ in Scripturis continentur, reduci possunt *ad Legem & Evangelium.* Summa Legis moralis perspicue proponitur in Decalogo, qui in Propheticis & Apostolicis libris clarissime exponitur. Summa Evangelii Solis radiis scripta extat Joh. 3. v. 16. & alibi passim.

5. *ex encomio V. ac N. T.* Confertur V. T. sive quod idem est, Propheticus sermo *lucernæ lucenti in loco caliginoso* 2. Petr. 1. v. 19. N. T. sive quod idem est Apostolicus sermo *libro aperto* Apoc. 5. v. 5. Quod si V. T est lucerna, cum tamen συγκριτικῶς respectu N. Test. confertur *nocti* Rom. 13. v. 12. quanto magis N. Test. erit clarissimum?

6. *ex eventu accidentario.* Verbum *prædicatum* & quod re ipsâ est ταὐτὸ cum eo, verbum *scriptum ex accidenti* demum est obscurum & opertum 2. Cor. 4. v. 3. Ergo *in se* est lucidum & perspicuum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, Scripturam esse lucernam (quam nemo dixerit obscuram, sed vi illuminandi præditam.)

Gregorius in Pastoral. cap. 44. *Scriptura Prophetici sermonis in tenebris vitæ præsentis facta est nobis lucerna & lumen itineris.*

Genebrardus in Psal. 18. testatur, *aliquos de tota Scriptura hoc accipere, quod sit lucerna illuminans oculos.*

Dionysius à Rikel Carthusianus in Psal. 119. super verba: *Lucerna pedibus meis verbum tuum. Hoc est, Scriptura est intellectui meo atque affectui & cunctis operibus meis lucerna, quæ illuminat me, ne ambulem in tenebris vitiorum.*

Franciscus de Puteo in eund. loc. ex Cassiodoro, *In quo testatur beata cohors, pedibus suis verbum Dei, id est, Scripturas sanctas lucere.*

Jodocus Cocciustom. 1. Thesauri lib. 6. art 30. p. 753. citat & approbat illud Theophylacti in cap. 16. Luc. *Scripturæ sacræ sunt lucerna & lumen, quo lucente fur deprehenditur & manifestatur. Illis igitur credendum & de mortuorum suscitatione non curandum.*

Benedictus Arias Montanus in Præfat. operis Regii. *Hæc (Scriptura) lux est, quæ humanam illustrans mentem omnium necessariarum rerum veritatem docet; hæc animos ad difficile virtutis iter strenue & studiose capessendum incitat & accendit; hæc ad doctrinarum, disciplinarum atque artium omnium rationes examinandas, veraque à falsis, honesta à turpibus discernenda, judicium illustrat & informat. Hæc dicit de sacro verbo à divina sapientia consilio & autoritate profecto, quod veritas ipsa est, quæ brevibus librorum voluminibus inexhaustos divinarum & humanarum rerum cognitionis thesauros continet.*

Bonfrerius Præloq. in Pentat. fol. 35. col. 2. *Vix est ea unquam Scripturæ obscuritas, ubi non aliqua lux vel per rimulam se prodat, quæ efficiat, ut res tota saltem confusè apprehendatur & spes affulgeat totum Scripturæ sensum eruendi.*

Cajetanus in Comment. 2. Petri 1. *Petrus universum statum hujus vitæ assimilat loco caliginoso egenti lucernæ lumine, quod est sacra Scriptura, futura verò vita assimilatur diei claro.*

Salmeron Jesuita, Gagnæus & Guillaudus Doctores Sorboni in Comm. 2. Petr. 1. agnoscunt, *Propheticum sermonem, quem Petrus vocat lucernam in loco caliginoso lucentem, esse Canonicam Prophetarum sive V. Test. Scripturam.*

Lorinus ibid. *Prophetica Scriptura vocatur lucerna, omnisque alia Test. Veteris.*

Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus in Clavi Scripturæ p. 6. 7. tit. Usus primæ Clavis, postquam adduxisset verba Petri, *Habemus firmiorem Propheticum sermonem &c.* subjungit: *Vide, ut commendat eos, qui Scripturæ isti, quæ continet oracula Prophetarum attendunt, quam & lucernam vocat lucentem in loco caliginoso. Locus enim caliginosus, ubi sunt tenebræ, est anima nostra & cor nostrum, cujus oculus ad hæc cœlestia ex antiquo peccato caligat, nisi admoveatur illi lucerna hæc lucens & ostendens vitam, veritatem & viam.*

Guillaudus in 2. Petri 1. v. 20. *Illa lucerna* (Scriptura scil.) *posita in obscuro loco viam aperit transeuntibus, ne impingant & tenebræ evadant: ita Scriptura attenta & fideli mente lecta lectoribus, ne usquam offendant, quod à veritate abducat, viam veritatis aperit, & è senticosis hæreticorum diverticulis avertit.*

Cornelius Jansenius in Psal. 119. *In præsentis vitæ tenebris atque in affectuum nostrorum nocte verba legis tuæ rectam mihi virtutis viam commonstrant, ne deviem, impingam & cadam, quemadmodum contingit iis, qui in tenebris illis sine lucerna legis tuæ ambulant, secundum præscriptum legis tuæ non viventes.*

Genebrardus in Psal. 119. *Verbum Dei est lux, lucerna, lumen: quoniam ad Deum dirigit in agendis, sperandis, amandis: & ducatum præstat, ne uspiam offendamus & labamur in hujus vitæ tenebris, néve aberremus ab ea via, quæ ducit ad beatam vitam: est enim fidei & vitæ regula, monstrans viam in tenebris mundi ad vitam æternam.*

Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arbitr. c. 5. §. Clemens, adducit & probat dictum Clementis Alexandrini in Orat. exhortat. ad gentes. *Nullis celatum est verbum, lux est communis omnibus illucescit hominibus, nullus est in verbo Cimmerius.*

2. Quòd agnoscunt, dogmata fidei ad salutem scitu omnibus necessaria & præcepta vitæ satis perspicuè in Scripturis proponi. (Talem enim & non aliam perspicuitatem Scripturæ tribuimus.)

Thomas p. 1. q. 1. art. 10. *Nihil fidei necessarium in spirituali sensu continetur, quod alicubi Scriptura non tradat per literalem.*

Hieronymus ab Oleastro in cap. 30. Deuter. *Gratificandum Deo valde, quod, quæ sunt ad salutem necessaria, facilia fecit.*

Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annot. 152. pag. 490. adducit dictum Chrysostomi homil. 3. in 2. ad Thessalon. *Omnia clara & plana sunt ex Scripturis divinis, quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* (Observa, quod universalitatem assertionis de perspicuitate totius Scripturæ determinet ad necessaria.) Cumque dixisset, *hæreticos ex his Chrysostomi verbis deducere, Scripturam divinam suapte Natura lucidissimam & adeo intellectu facilem esse, ut à quovis rudi & simplici homunculo, si absit externa linguæ impedimentum, apertissimè intelligi possit,* respondet ad hanc objectionem hisce verbis pag. 491. *Referendum est hoc Chrysostomi dictum non ad totum, sed ad partes. Distinguit enim Chrysostomus divina scripta in duas classes, quarum una continet recondita & abstrusa altioris sapientiæ mysteria, neque omnibus pervia, neque omnibus scitu necessaria &c. altera sectio aperta est & dilucida complectens prima summaque rerum credendarum principia, ac præcipua bene vivendi præcepta & exempla cognitu facilia, ut sunt morales sententiæ & sacræ quædam Historiæ formandis moribus utiles, de quibus omnes pene Chrysostomi adhortationes intelligendæ sunt.*

Matthias Bredenbachius in Apolog. p. 93. suadet, *ut ad regulam mandatorum Dei, quæ nec obscura sunt, nec difficilia, unusque vitam componat.*

Ruizius in regulis intelligendi Scripturas regula, 75. p. 54. adducit & probat dictum Augustini lib. 2. de doctr. Christ. cap. 9. *Quæ pertinent ad fidem & bonos mores, aperte traduntur in sacra Scriptura.* Et confirmationis loco subjungit: *Cum in Scripturis voluntas Dei quæratur, & hæc sit, ut Apostolus ait, sanctificatio nostra, nimirum aperta illa esse debent, quæ communia sunt omnibus, ut cognoscantur, ut inde sancti fiant, alioquin ad paucos perveniret & fides & benè vivendi regula, cum præsertim Deus velit omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire.*

Apud Chrysostomum homil. 3. de Lazaro extat egregius locus de *de Scripturæ perspicuitate.* Ad illum Codex Parisiensis novus tom. 2. col. 1041. edit. Ann. 1614. annotat, *Libri sacri dilucidi. Evangelium ab omnibus intelligi potest. Lectio iterata aperit obscura.*

Ederus in Oeconom. Bibl. lib. 1. pag. 52. *Media inter ista sententia est D. Augustini, qui sacras literas non usq; adeo difficiles esse docet, quin ex iis studio & diligentia tantum quisq; possit assequi, quantum ei ad salutem utile sit atq; necessariam, ita tamen sublimes esse censuit, quod homini solerti ad eas probè perdiscendas vix integram ætatem sufficere existimaret.*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 2. §. Alii. *Præcepta Decalogi, cum sint naturalia, facilimè intelliguntur.*

Ibid. §. resp. ad 9. argum. *in N. Testam. mysteria redemtionis etiam rustici & mulieres intelligunt.*

(Ergo ad minimum mysteria redemtionis & præcepta Decalogi in Scripturis perspicue sunt proposita.)

Costerus in Enchirid. cap. 1. p. 48. §. Cæterum. *Non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu ad salutem sunt necessaria, perspicuè satis Apostolicis scriptis comprehensa esse, cujusmodi sunt, mysterium sanctissimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei, Historia passionis Dominicæ, remissio peccatorum & promissio vitæ æternæ.*

Gregorius de Valentia lib. 5. Anal. fid. Cathol. cap. 2. p. 22. fatetur, *eas fidei veritates, quæ absolutè & simpliciter ab omnibus hominibus necessario cognoscendæ & credendæ sunt, perspicuè ferè in Scripturis ipsis doceri.*

3. Quod agnoscunt, DEUM in Scripturis de negotio salutis perspicuè nos informare & voluisse & potuisse.

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 7. *Non hoc dico, quod negem, Scripturam multis in locis obscuriorem esse &c. Sed cum multifariam Deus voluntatem suam mortalium generi declaraverit, primum per Prophetas, deinde per Filium ac Apostolos suos, eamq; Scriptorum monumentis consignatam voluerit, dico, aut in his ipsis monumentis voluntatem Dei conspici atq; elucescere debere, aut nusquam alibi. Absurdum enim est, Deum ita agere nobiscum voluisse, ut verba ejus non intelligerentur, in verbis igitur ab illo prolatis voluntas ejus quærenda est.*

Perpinianus in Orat. pag. 262. *Christus rem totam absq; ulla circuitione verborum & anfractu dilucidè & apertè nobis enarravit.*

4. Quod agnoscunt, ea, quæ in uno Scripturæ loco obscurius proponuntur, in altero manifestius explicari.

Thomas part. 1. q. 1. art. 9. resp. ad 2. *Ea, quæ in uno loco Scripturæ sub metaphoris dicuntur, aliis in locis expressius proponuntur.*

Part. ead. q. 3. artic. 10. ad 1. *Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat.*

Ambrosius Catharinus in Comment. 2. Timoth. 3. inquit, *Scripturas præstanti fidem se faciles præbere & familiares ad sui cognitionem,* (si collatio locorum instituatur.)

Andreas Fricius d. l. *Si quæ obscuritates aut ænigmata occurrunt, ea vel enodatione verborum, vel locorum illustrium collatione interpretanda sunt. Hoc enim & Christus fecit & viros doctos semper fecisse videmus, Scriptura erat illis doctrina, & testimonium Domini lux illuminans oculos, lucerna rectum iter ostendens ad veritatem.*

Salmero Disput. 10. lib. 1. Epistol. Rom. *Optimam illam regulam esse,* ait, *ad locos obscuriores intelligendos & explicandos, si loci similes, qui de eadem re edisserunt, inter se conferantur, nam unus solet alterum illustrare.*

Petrus de Bollo in authentica probatione sacrificii Missæ. *Ea est Scriptura sacra benevolentia, ut nequaquam sinat nos per obscura fluctuare, quin illum verum sensum non proponat, quo duce cunctis refragari possumus adversariis telis.*

5. Quòd agnoscunt, Scripturas ita comparatas esse, ut etiam rudes & Laici ea, quæ sunt necessaria ad salutem, intelligere & discere ex illis possint.

Gregorius in Epistola ad Leandrum. *Scriptura est divinus quidam fluvius, ut ita dixerim, planus & altus, in quo agnus ambulet & elephas natet.*

Erasmus in Præfat. Paraph. in Nov. Testam *In libris Evangelicis divina sapientia mirificè se demittit ad captum etiam infirmorum, ut nemo tam indoctus esse possit, quin ad Evangelicam Philosophiam sit docilis.*

Acosta lib. de Christo revelato c. 2. *Ita providit dulcis Pater, ut multa sint in sacris literis aperta, Historica, facilia, suavia, nobisq; mirificè congruentia, sive Legem, sive Prophetas evolvamus, sive Evangelium, sive Epistolas relegamus. Atqui est in divina Scriptura omninò mirabile, neminem esse tam rudem & imperitum, quin si humiliter legat, multa illic utiliaque veraque intelligat, neminem tam doctum, qui non illic multò plura ignoret, quam sciat.*

Lib. ejusd. c. 5. *Legens mente pura plura intelligere ex sanctis scripturis possit, quam magna vallatus copia commentariorum assequi possit, quod ego sane verissimum esse teneo. si de ea scientia agatur, quæ non inflat. Equidem vidi viros prorsus illiteratos & vix Latinè scientes, ex Scripturis tanta depromere, sensusq; eos afferre, ut pene miratus sim, neq; dubitaverim, longo Gymnasii Biblici terendi tempore nihil tale, homines discere. Spiritualis enim omnia dijudicat.*

Salmero tom. 1. Proleg. 1. pag. 2. col. a. *Ab Adam usque ad Mosen mundus nullam accepit Scripturam sacram &c. Post Mosen autem congruè voluit divina sapientia, ut cognitio cælitus infusa literis consignaretur, quæ suis tum locis, tum temporibus, tum linguis atque personis mederetur, opemque ac lucem afferret universis &c.*

(Si Scriptura eo fine à Deo data, ut lucem afferret universis, utique est perspicua.)

Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annot. 152. pag. 490. adducit dictum Chrysostomi homil. 3. de Lazaro. *Fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores. Propterea siquidem Spiritus gratia dispensarit illa, temperavitque, quo publicani, piscatores, taberna-*

cultorum opifices, pastores, Apostoli idiotæ & illiterati per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent, quæ dicuntur, ut & opifex & famulus & vidua & mulier & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisq; reportaret. Non enim ad inanem gloriam, quemadmodum Ethnici, sed ad audientium salutem hæc composuerunt Philosophi, non quod in commune conducit, quærentes, sed illud spectantes, ut ipsi sint in admiratione, etiamsi quid utile dixerint. hoc quoque in caligine quodam sapientiæ consueta illis occultavit obscuritas. Apostoli verò & Prophetæ contra fecerunt, omnia manifesta claraq; prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisq; discere possit ea, quæ dicuntur, è sola lectione.

Michaël Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 1. v. 4. Exposit. 2. *Scriptura ante Christi adventum tantæ erat difficultatis, ut nullus esset, qui ipsam intelligere posset &c. Sed Christus tanquam agnus occisus proprio sanguine universa delens atq; confringens signacula Apoc. 5. v. 2. librum ipsum ita aperuit, ut postmodum is vel à minimis idiotis & legi & intelligi possit. Ut primum enim Christus tanquam agnus mansuetus ductus est ad victimam crucis, proprio cruore confringens signacula, quibus sacræ Scripturæ liber tamdiu fuerat obsignatus, factusque tanquam occisus, quia post occisionem à mortuis resurrexit, apparens discipulis simul in unum congregatis totamq; Ecclesiam præsentantibus, aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.*

6. Quod agnoscunt, Scripturas ex eventu accidentario in necessariis ad salutem fieri quibusdam obscuras.

Thomas in 2. Cor. 4. v. 3. *Quod multi non intelligunt Evangelium, causa est non ex parte Evangelii, sed propter incredulitatem ac malitiam hominum.*

Johannes Trithemius Abbas q. 4. ad Maximil. *Divina Scriptura, quæ superficie verborum nescientibus apparet confusa, scientibus eam videtur manifesta, quoniam, nisi legatur illo Spiritu, quo infusa hominibus creditur, ad ejus intellectum minimè pervenitur.*

Ibid. *Verè namque diligentibus Deum omnia sunt aperta, omnia nuda, omnia manifesta, quoniam quisquis per amorem in fide Jesu Christi omnia creantem & gubernantem conspicit, universa, quæ sunt et ad salutem necessaria, cognoscit. At verò contra abignavis, epulonibus, invidis, avaris, incubonibus, sordidis, luxuriosis, homicidis, superbis & à pietate alienis procul admodum habitat, illustratio Dei.*

Autor Oneris Ecclesiæ c. 12. §. 7. adducit dictum Catharinæ Senensis c. 85. quòd *olim sancti Doctores à Deo missi tanquã lucernæ fuerunt illuminati lumine mysticè intelligendi sacram Scripturam, quæ ante obscura fuit & literaliter exposita, non Scripturæ defectu, sed legentium ignorantia, siquidem humanus sensus per se profunditatem fidei concipere nequit. Nam lumen intellectus, quo sacra Scriptura intelligitur, procedit à lumine supernaturali à Deo pendente, quo lumine superbi & flagitiosi carent ob amoris proprii nubem, quæ excæcat spirituales oculos.*

cap. 18. § 1. *Opertum est Evangelium in his, qui pereunt, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi, quia propriam quærunt gloriam.*

cap. ejusd. §. 5. *Moderni Doctores elatione mentis & immunditia cordis perplexi sacram paginam à Spiritu sancto satis illuminatam ad suum conatũ retorquent, ac in tenebris eo interpretantur, quò possint suo eleganti scripto seu subtili Disputatione alios quasi vicisse gloriari.*

Ad locum Clementis Alexandrini in Protrepticis, (*Audite ergo, qui estis longè, audite, qui estis propè. Nullis celatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit hominibus, nullus est in verbo Cimmerius;*) Herveus sic annotavit: *Id verbum dicitur lux vera, & sicut lux omnibus est communis, ita verum omnibus illucescit, nisi si qui sua culpa claudant oculos.*

Benedictus Justinianus in 2. Cor. 4. v. 3. *Objicere quispiam potest, multa esse, quæ adhuc latent, quæ propter obscuritatem Interpretis atq; explanatoris opera indigent. Respondet Apostolus, velatum est Evangelium iis, qui pereunt.*

Salmeron Disp. 5. in 2. Cor. *Docet Apostolus credentibus ac fidentibus Evangelium esse apertum, at infidelibus esse tectum & opertum, non quidem ulla Evangelii culpa, sed ipsorum infidelium, qui fide carent, & ad eam accipiendam seipsos non comparant.*

(Idem dicimus de verbo Dei scripto, quod ex Apostolo Salmeron pronunciat de verbo Evangelii prædicato. Excipiunt quidem Cornelius à Lapide & Estius in Comm. h. l. *Apostolum non loqui de Scriptura, sed de Evangelio à se viva voce prædicato.* Verùm respondemus verbis Irenæi lib. 3. cap. 1. *Quod Evangelium Apostoli tunc præconiaverunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt.* Nulla autem dari potest ratio, cur obscurius scribere, quam prædicare voluerint, cum unum eundemque utrobique sibi propositum habuerint finem, videlicet informationem hominum ad salutem.)

Gregorius de Valentia lib. 2. de Missæ sacrif. cap. 4. contra Heerbrand. tom. controv. generali p. 767. *Cum Scripturam obscuram esse dicimus, non ipsam, quæ per se lucidissima est, illuminans oculos, sed humani ingenii tenebras taxare volumus, quarum caligo facit, ut ubique omnes veritatis lucem, quæ in Scripturis splendet, rectè intueri valeant. Quod ni ita esset, qui tot etiam inter vosmet ipsos quotidie de Scripturarum sententia controversiæ orirentur? Lactantius autem, quem citat, clarum esse divinum eloquium, censet, sed non ubique, neque ita, ut nulla humanæ mentis tenebræ sint, quæ impediant, quò minus semper verè intelligatur. Denique Hilarii sententiam, quam adducis, ne Scripturis vim anticipata opinione afferamus ullam, sed ex ipsis, quid sentiendum sit, conemur addiscere, ipsi quoq; & recipimus & veneramur.*

Antonius Possevinus lib. 2. Biblioth. select. cap. 42. *Quoniam puteus altus est, quæstionesque maximæ insunt in Scripturis, non tam Natura sui obscura, quam oculorum nostrorum acie infirma, qui caligamus ad lucidissimam Solis rotam.*

Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 22. circa fin. *Neque potest dici locus (Act. 19.) ambiguus, quia hæretici non conveniunt in eo explicando. Ista enim ambiguitas non oritur ex Natura rei, id est, ex libri obscuritate, sed ex eorum pertinacia in suis erroribus defendendis. Alioqui etiam Patres non convenirent, si esset locus verè ambiguus; & si ambigua essent omnia loca, in quibus aliqui non conveniunt, nihil ex Scripturis probari posset &c.*

Tannerus Disp. de Verbo Dei thes. 70. *Cum Scripturam (quæ in se maximè est conspicua) obscuram dicimus, non aliquod in ea vitium notamus, sed summam ejus excellentiam, nostramque mentis cæcitatem profitemur.* (Si ex accidente demum Scriptura sacra est obscura, utique in se & ex se est perspicua.)

7. Suffragantur etiam nostræ sententiæ quædam hypotheses Adversariorum.

Primò vulgatissimũ est apud Pontificios Scriptores, libros V. Test. vocare *legem veterem*, libros N. Testam. *legem novam*. (Jam verò c. Erit autem. dist. 4. ex Isidoro, inter requisita legis etiam hoc refertur, quod debeat *esse manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat.* Ergò etiam Scriptura, utpote *Dei lex*, est manifesta.)

Secundò, Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei c. 1. *Prophetici & Apostolici libri sunt verũ verbum Dei & certa ac stabilis regula fidei.* (Subsumimus: Regula vel *mensura rei debet esse nota & facilis*, docente Suarez Metaph. p. 2. Disp. 11. § 3. *quia accommodari debet ad rei notificationem.* Cum igitur Scriptura sit regula, non erit obscura & difficilis.)

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad locum Psal. 19. v. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, excipit Bellarminus, *non agi ibi de universis Scripturis, sed tantum de præceptis Dominicis.*

Resp. 1. Genebrardus in h. l. sic commentatur: *Per legem aliqui intelligunt totam Scripturam, non eam Scripturæ partem, quæ est de agendis, cavendis, vel etiam credendis.*

(Confirmatur hæc sententia *ex prædicatis*, quæ non solis præceptis Dominicis competunt, sed toti verbo Dei sunt communia.)

2. Franciscus de Puteo ad h. l. *Hic laudat præcepta Novi & Veteris Testamenti.*

3. Dionysius à Rickel in h. l. *Lex Domini, id est, Christiana religio & Christi traditio.*

2. Ad locum Ps. 119. v. 105. eadem utuntur exceptione.

Resp. 1. Glossa interlinearis *verbum tuum* interpretatur *omnes Scripturas sanctas.*

2. Hoc repetitur à Francisco de Puteo.

3. Nec discedit ab hac expositione Dionysius à Rickel Carthusianus. Bellarminus ipse scribit: *David nomine legis non intelligit decem illa præcepta solùm, sed omnes divinas Scripturas.*

3. Ad locum Matth. 5. v. 14. *Vos estis lux mundi*, excipit Bellarminus, *loqui Dominum de luce exemplorum & probitatis & morum; ac voluisse, ut Apostoli essent quædam exempla sanctitatis omnibus hominibus ad imitandum proposita, propterea subjicere continuò: Sic luceat lux vestra.*

Resp. 1.

Resp. 1. Glossa interlinearis exponit de Apostolorum doctrina. *Vos estis lux mundi, per quos*, inquit, *omnes illuminantur à tenebris ignorantiæ.*

2. Glossa Ordinaria eodem modo. *Quia illuminati à Christo verbo & exemplo mundanis lucem fidei & scientiæ debent ministrare.*

3. Lucas Brugensis ad h. l. sic annotat. *Sic luceat lux vestra. Doctrina Evangelica à vobis prædicata, divulgataque hominibus, ut videant opera vestra bona doctrinæ illi vestræ conformia, cernentes vos agere vitam qualem docetis, sinceram puram, cœlestem.*

4. Salmeron. tom. 5. tract. 30. *Hortatur deinde Christus Apostolos & in eis eos, qui docendi munere funguntur, ut doctrinam, quam verbis prædicant, factu facilem reddant, illamq; bonis operibus ornent.*

4. Ad locum 2. Corinth. 4. v. 3. *Si tectum est Evangelium*, excipit Bellarminus, *Apostolum non loqui de intelligentia Scripturarum, sed de cognitione & fide in Christum, quam Apostoli prædicabant*, quod probat ex cap. 3. præced.

Resp. imò verò ex principio cap. 4. apparet, Paulum ab illa comparatione Testamentorum transire ad suum ipsius ministerium, ut doceat, quomodo se gesserit in prædicando hoc novo Testamento, ac dicit, *se absq; integumentis veritatem Evangelicam prædicasse*, mox occurrit tacitæ objectioni, quod Evangelium non sit ab omnibus receptum, proinde nec omnibus manifestum. Thomas Aquinas in h. l. *Hic consequenter Apostolus respondet cuidam tacitæ objectioni. Posset enim dici sibi ab aliquo, tu dicis, quod non deficis in manifestatione veritatis Christi, sed hoc non videtur, quia multi contradicunt tibi.* Cajetanus in h. l. *Hinc habetur, quod velamen non se tenet ex parte Evangelii aut ministrorum ejus, quemadmodum in V. Test.*

(Cum ergò Apostolus idem scripserit, quod prædicavit, sequitur, Apostolum non solum in prædicando, sed etiam in scribendo omnia integumenta rejecisse.)

Argum. Adverf. ex dictis Scripturæ.

1. Psal. 119. v. 34. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Et tamen noverat David totam Scripturam, quæ tunc erat, & phrases linguæ Hebraicæ, nec erat superbus aut infidelis.* Bellarm.

Resp. Cornelius Jansenius in h. l. sic annotat. *Quoniam frustra quis dicetur, nisi intelligat, quæ docentur, nec in nobis situm est, ut tuam legem & doctrinam intelligamus, non solum doce, sed & da mihi intelligentiam legis tuæ.*

(Etiam ad ea, quæ facilima sunt in fide, opus est divina illuminatione. Ergo ex eo, quod Spiritus sancti illuminatio est necessaria, non debet Scripturæ perspicuitas impugnari.)

2. Ose. 14. v. 10. *Quis sapiens & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quod non de impossibili, sed de difficili accipiendum esse docet* Hieronymus, Salmer. tom. 1. prol. 2.

Resp. Dionysius Carthusianus in h. l. sic commentatur: *Tanquam dicat, pauci ex Judæis convertentur ad Christum, nec ejus gratiam atque mysteria nunc descripta intelligent. Hoc dicit Propheta admirando cœcitatem Judæorum, quod scil. tam pauci respectu aliorum credituri essent in Christum. Juxta quem modum loquitur Esaias. Domine, quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est!*

(Ergò in his verbis nulla significatio obscuritatis, sed exprobratio malitiæ Judæorum, apud quos tam pauci vellent sapere.)

3. 2. Petr. 3. v. 16. *Sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis loquitur in eis, de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Bellarm. notat, *Petrum non dixisse esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, sed difficilia absolute.* Greg. de Valent. monet, *cum Petrus dicat illa D. Pauli, sicut & cæteras Scripturas depravari à perversis, certè Scripturas etiam cæteras magna ex parte similiter esse difficiles indicare.*

Resp. 1. Johannes Gagnæus Sorbonicus rectè docet, illud ἐν οἷς non ad Epistolas Pauli, *sed ad ea, de quibus scripsit Paulus, referendum esse. Ita*, inquit, *ordinanda lectio. Sicut scripsit vobis in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, scilicet de adventu Domini & longanimitate ipsius, in quibus sunt quædam difficilia intellectu. τὸ in quibus refertur non ad Epistolas, quia Græce est ἐν οἷς & Epistolis est fæmininum Græce.* Idem statuunt Lorinus & Estius in Comment. illius loci.

(Ergo quod Petrus de rebus dixit, non est transferendum ad Scripturam. Possunt etiam res sublimes perspicuo orationis genere dici, & similiter res obscuræ perspicuo.)

2. Gregorius de Valentia illo ipso in loco, in quo ex verbis Petri Scripturæ obscuritatem probare contendit, inter varios Scripturæ locos, qui depravantur sive torquentur, etiam hunc numerat, *Hoc est corpus meum*, quem tamen *clarum* appellat.

(Ergò ex eo, quod Petrus dicit, ob illa δυσνόητα cæteras etiam Scripturas, depravari sive torqueri, non debet concludi, reliquas Scripturas, quia depravantur, esse obscuras, cum etiam manifestissimi loci torqueantur.)

3. Folengius ad h. l. sic annotat. *Atqui hæc quidem omnia quemadmodum in Deo, qui est perfectissima veritas, firmata sunt, atq; à divina illius mente in electorum intellectum profecta atq; infusa, sic ab indoctis, parumq; in suis sententiis firmis, male habentur. Nam qui semel à recto religionis itinere deerrarint, obdurruerintq; in erratis, ut plane agunt hypocritæ & hæretici, hi ut plurimum inter sacrarũ Scripturarum amœnitates spinosas comminiscentes opiniones ac somnia, fallaces Chimerisq; portentosissimis plenas persuasiones afferre consuevere.*

(Quæ verò hæc consequentia. Indocti & instabiles detorquent quædam difficiliora in scriptis Pauli. Ergo idem faciunt fideles à Deo docti & in fide stabiles?)

Rationes Adversariorum.

1. *à mysteriorum, quæ in Scripturis traduntur, sublimitate, Scriptura tradit mysteria obscurissima & quæ omnem superant intellectũ. Ergo est obscurissima.* Salmero, Greg. de Valent. Bellarm.

Resp. 1. Costerus in Enchir. cap. 1. p. 48. §. Cæterum &c. inter ea, quæ *perspicuè satis Apostolicis scriptis comprehensa*, recenset *mysterium sanctissimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei &c.* (quæ certè sunt mysteria maxime sublimia: Ergò ex mysteriorum sublimitate non potest Scripturæ obscuritas inferri, cum de rebus etiam maximè sublimibus scribi possit perspicue.)

2. Pontificii tum in Scripturæ sanctæ perspicuitatem tali argumento insurgunt, non tam Scripturam obscuritatis arguunt, quam scientiam Theologicam sive scripto tradatur, sive ore & verbis: quemadmodum qui Metaphysicam (à qua Bellarm. lib. 3. de verbo Dei c. 1. in ἐργασίᾳ hujus argumenti similitudinem ducit) ob rerum eminentiam difficilem & obscuram dicit, non tàm Aristotelicorum scriptorum obscuritatem taxat, quam scientiæ ipsius, à quocunque fuerit sive tradita sive scripta.

3. Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei c. 3. inter *summa mysteria in Scripturis tradita*, ex quibus earundem obscuritatem probat, numerat etiam *dogma de divina Trinitate.* Sed idem sui oblitus lib. 4. de Verbo Dei c. 11. responsurus ad locum Augustini lib. 3. contra Maximinum cap. 14 Nec ego Nicenum &c. dicit, *Augustinum hæc protulisse, quia de illis quæstionibus extabant clarissima testimonia in Scripturis, quæ sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum definitionibus.* Jam verò contra Maximinum quæstio movebatur *de Trinitate*, ex qua Bellarminus obscuritatem Scripturarum colligere voluit.

2. *à Scripturæ dignitate. Voluit Deus Scripturam esse obscuram, nè autoritas ejus vilesceret. Is enim Naturæ nostræ genius, ut nobis clara & facilia citò vilescant, vel ob id solùm, quod communia sint omnibus.* Salmero.

Resp. Si ea, quæ sunt omnibus communia, facilè vilescunt, & quæ clara & facilia, eadem omnibus communia, necessario sequetur, nobis facile vilescere *Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam & Decalogum*, quæ ipsi Pontificii fatentur esse clara & perspicua, ac omnibus communia.

3. *à Commentariorum copia. Si Scriptura esset tam clara, cur tot Commentaria Lutherus & Lutherani scriberent.* Bellarm.

Resp. Symbolum Apostolorum fatentur esse perspicuum, in quod tamen Commentaria scripserunt, Autores Cathechismi Tridentini, Simon Vigorius, Andreas Crocquetius, Johannes Monlucus Episcopus Valentinensis & alii.

4. *ex controversa Scripturæ interpretatione. Si scriptura esset perspicua, unde tot controversiæ de vera Scripturæ expositione?*

Resp. ex Bellarm. lib. de Baptismo. c. 22. § At nos. *Non potest dici locus ambiguus, quia hæretici non conveniunt in eo explicando? Ista enim ambiguitas non oritur ex Natura rei, hoc est, ex libri obscuritate, sed ex hæreticorũ pertinacia in suis erroribus defendendis &c. Et si ambigua dicenda essent omnia loca, in quibus aliqui non conveniunt, nihil omnino ex Scripturis probari posset, nulla enim sunt loca, in quibus non possit unus ab alio dissentire, si velit pertinaciter agere.*

Thesis

Th.2. Scripturæ sensus ex ipsa Scriptura eruēdus & optima Scripturæ interpretatio ea est, quæ ex ipsa Scriptura petitur.

Ἐκθεσις. Non dicimus, collationem locorum esse *solum & unicum* interpretationis medium, sed reliquis illud conjungimus & *regulæ fidei* in perspicuis Scripturæ locis traditæ subjicimus.

2. Quando Scripturæ sensum ex ipsa Scriptura eruendum esse dicimus, præcipue hoc intendimus, quod sensus Spiritus sancti non sitâ verbis Scripturæ separandus, sed in ipsis verbis Scripturæ quærendus & ex illis eruendus.

3. Urgemus illud Hilarii lib.1.de Trinit. quòd *sensum non debeamus Scripturis inferre, sed ex eis efferre*, & veritatem ex Scripturis haurire, quodque *optimus Scripturæ lector sit, qui non cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum.* Sensum ergo oportet esse intrinsecum & q. *αὐϑενῶ*, non extrinsecè illatum vel violenter intrusum.

4. Quamvis Scriptura actu se non semper explicet, tamen media in se continet, quibus se ex se certo modo interpretabilem esse ostendit. Talia media sunt, lingua originalis, cujus verbis usus est Spiritus S. in sensuum divinitus inspiratorum revelatione, connexus antecedentium & consequentium, harmonia Scripturæ, juxta quam potest institui collatio dictorum similium & dissimilium &c.

5. Quamvis pie eruditorum ministerium & opera ad Scripturæ interpretationem accedat & requiratur, ex eo tamen inferri nequit, Scripturam non posse semetipsam interpretari, quia loca illa Scripturæ, quæ invicem conferuntur, non *extrinsecus* ab illis Interpretib. assumuntur, sed *ab ipsa Scriptura* eis suppeditantur, ac proinde pie eruditi sunt duntaxat instrumenta eruendi sensus ex locorum collatione.

6. Aliud est, *sensum Scripturæ eundem tenere, quem Ecclesia*, id est, alii veri fideles sanum & certum esse agnoscunt & profitentur: aliud *sensum Scripturæ exigere & sine examine recipere ab Ecclesia.* Prius probamus, & privatum sensum sive *ἰδιογνωμοσύνην* repudiantes, omnino consensum cum Ecclesia vera exigimus, recipimus & maximi facimus. Posterius vero repudiamus.

7. Sensus Scripturæ nihil aliud est nisi conformitas conceptuum nostrorum cum conceptu divino nobis in verbo ejusdem expresso. Sensum ergo Scripturæ non *abstractivè*, neque in Deo, neque in hominibus consideramus, sed *concretivè*, ita ut cum sensum Scripturæ dicimus, & sensum Dei dicentis & revelantis se in verbo, & sensum hominum discentium & acceptantium verbum conjungamus, alterum enim hic non est sine altero. Itaque cum illi conceptus sunt conformes in Deo & hominibus, tum homines dicuntur tenere sensum Scripturæ ac proinde etiam ipsius Dei.

Antithesis. Hosius de express. Dei p.3. *Si quis habet interpretationem Romanæ Ecclesiæ de loco aliquo Scripturæ, etiamsi nec sciat, nec intelligat, an aut quomodo cum verbis conveniat, illum tamen habere ipsissimum Dei verbum.*

Ibid. *Scriptura in seipsa non est verum illud Dei verbum, nisi juxta sensum Ecclesiæ exponatur.*

Nic. Cusanus Cardin. Epist. 2. ad Bohemos. *Non te moveat, Scripturas esse ad tempus adaptatas & variè intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem ritum universalem exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutaretur.*

Et postea: *Ecclesia non potest ad literam Scripturarum obligari, licet semper ad Spiritum.*

Stapletonus lib.11. princip. fidei cap.2. *Doctrina illa Lutheranorum, quod Scripturarum intelligentia ex ipso Scripturarum diligenti usu & lectione petenda sit, infinitis hominibus imposuit, fecitq;, ut contemtis Patribus & universa Ecclesia, ex solis Scripturis Scripturarum intelligentiam quærerent.*

Ib. *Tantum abest, ut in ipsis Scripturis quærendus sit Spiritus Dei illuminans & aperiens Scripturas, ut plane vocet Apostolus Scripturam, quatenus Scripturam, hoc est, atramento & in tabulis, non cordibus, scriptam, literam occidentem. Scriptura ergo utriusq; Testamenti non in se habet Spiritum Dei, quo intelligatur, sed ab ipso, qui legit, afferendus est, ut intelligatur.*

Ibid. *Spiritus Dei, à quo Scripturarum intelligentia peti & subministrari debet, non est in ipsis Scripturis quærendus, sed aliunde habendus, ut eo munitus quis Scripturas intelligat.*

Lib. ejusd. cap. 10. *Collatio locorum, in qua gloriantur tantopere hodie Protestantes, fallax est interpretandi medium non adhibitâ alio medio.*

Conr. Clingius lib.3. Loc. Comm. c.29. p.266. *Mirum foret, Doctores sanctos tam frequentes fuisse in lectione Scripturarum, & cum tanta difficultate Scripturam explanasse atq; intellexisse, si tam nuda, clara & sui ipsius optimus est interpres Scriptura.*

Petrus à Soto in assertione Cathol. fid. cap.31. f.107. *Modus quærendi veram Scripturæ sententiam in ipsa Scriptura & apud eos, qui per Spiritum sanctum Scripturam per Scripturam exponunt, primò incertus est: quilibet enim dicet, se excitari divino Spiritu, deinde neq; Ecclesiæ sufficiens & unitati fidei, sed aptus, ut unusquisq; sensu suo abundet.*

Theodorus Peltanus in Disp. de num. lib. Canon. sect. 7. th.1. *Scripturam illam non posse legitimum sui ipsius interpretem esse, id omnis & quæstionis & disputationis expers est.*

Cochlæus in lib. de actis & scriptis Lutheri sub anno Christi 1533. fol. 241. *Verum Scripturæ sensum in controversiis non ab ipsamet requiro, quia eloqui nescit, sed à sanctis Patribus, qui vivo Dei Spiritu inspirati locuti sunt; aut à Rom. Pontifice, pro cujus fide Christus ipse rogavit; aut à generali Concilio, in cujus medio Christus ipse est, & Spiritus veritatis realiter præsens existit, sententiamque per ora Patrum (qui Ecclesiam repræsentant) veraciter dictat. Habitat enim Spiritus ille non in mortua litera, sed in vivo corpore Christi, quod est Ecclesia, quam gubernat, sicut anima corpus: non in verbis aut syllabis scriptis, sed in cordibus fidelium, quæ sunt exempla viva (ut ait Apostolus) nam verè vivunt per fidem.*

Tannerus in Disput. de Verbo Dei. th.69. *Scriptura non potest esse ullo modo sufficiens judex aut Magistra fidei, suiq; ipsius interpres, neque per se nudè spectata, neque accedente ulla, quantumvis accurata, cujusvis privati hominis interpretatione.*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap.3. *Nos existimamus, Spiritum illum, quo Scripturæ intelligi debent, etsi multis privatis hominibus sæpe conceditur, tamen certò inveniri in Ecclesiâ, hoc est, in Concilio Episcoporum confirmato à summo Ecclesiæ totius Pastore, sive in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum.*

Lib. ejusd. cap.9. §.1. *Scriptura varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus.*

Et postea: *Scriptura non potest se ipsa interpretari.*

Gordonus Huntlæus controv. 1. cap.3. pag.4. *Verbum Dei scriptum duabus constat partibus, litera, quæ in libris scribitur, & vero literæ sensu, qui est veluti anima & vita literæ, quippe sine quo sola litera occidere potest, vivificare non potest &c.*

cap.4. *Sensus verò Scripturæ, quæ ejus anima est, ex Ecclesiæ judicio & interpretatione unicè petendus.*

Quo pertinet, quod Gregorius de Valentia Disp.1. q.2. de objecto fidei §.39. & Martinus Becanus tract. de fide, spe & caritat. cap.4. hanc propugnant thesin: *Ille est certissimus Scripturæ sensus, quem Ecclesia* (Romana) *esse intelligit.*

Probamus nostram sententiam,

1. *ex loco Apostolico* 2. Petr. 1. v. 20. ubi Apostolus sic concludit. Quia Scriptura sacra ab humana voluntate seu humano arbitrio non est profecta, ideo non debet humano seu privato arbitrio explicari. Quia Spiritus sanctus est autor Scripturæ principalis ac summus, ideo etiam est ejusdem interpres authenticus. Proinde omnis legitima ac solida Scripturæ interpretatio, vel ex immediata Spiritus sancti inspiratione, quæ hodie in Ecclesia non amplius locum habet, vel ex ipsa Scriptura est petenda.

2. *à paritatis ratione.* A quo sensum Scripturæ habuit cognitum & exploratum *Ecclesia prima*, ab eodem etiam *secunda & tertia*, omnesque illam subsecutæ, ab eodem etiam *nostri temporis Ecclesia* sensum Scripturæ agnoscit. Atqui *prima illa Ecclesia* non habuit sensum Scripturæ à seipsa, neque ab anteriore, sed ab ipsa Scriptura, hoc est, à Dei verbo primum viva voce prædicato, post in sacras literas redacto. Ergo & *nostra Ecclesia* ex eodem verum sensum haurire potest & debet.

3. *ex comparatione.* Sicut interpretatio legum humanarum ex ipsis legibus, ita Scripturæ interpretatio ex ipsa Scriptura est petenda. Sicut authentica & summa legum interpretatio pertinet ad eum, qui legum condendarum potestatem habet: sic ad Spiritum sanctum principalem Scripturæ autorem pertinet authentica ejusdem interpretatio, qui cum non nisi in Scripturis & per Scripturas nobis hodie loquatur, ideo legitima Scripturæ interpretatio ex ipsa Scriptura est petenda: ὡς τὸ σῶμα κ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει, *ut corpus textusque Prophetiæ postulat*, docente Clemente Alexandrino lib.7. Stromat.

4. ex

4. *ex fine Scripturæ.* Deus eo fine Scripturam sacram per Prophetas & Apostolos exarari voluit, ut ex ea & per eam homines informarentur ad salutem. Johan. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 15. &c. Ergo ex ipsa Scriptura & potest & debet disci, quod ad salutem necessarium. In dictis consolatoriis sensus Spiritus sancti ex verbis Scripturæ erui potest & debet, quidni etiam in dogmaticis.

5. *ab exemplis probatis.* Nehem. 8. v. 8. *Legebant Legem Dei explanatè & expenendo sensum dabant intelligentiam per Scripturam ipsam.* (In Hebr. במקרא. Vocari autem ab Hebræis מִקְרָא totum Bibliorum corpus, testis est Elias in Titbi.) Act. 9. v. 22. cum Paulus dicitur *affirmans, quoniam hic est Christus.* In Græco est *συμβιβάζων*. Est autem *συμβιβάζειν coagere, conferre,* ut sit sensus, collatis testimoniis demonstrans.

6. *ex divina Scripturæ autoritate.* Spiritus sanctus in Scripturis & per Scripturas ad nos loquitur, imò de rebus fidei non nisi in Scripturis & per Scripturas ad nos loquitur. Ergo in illis Scripturæ verbis sonat vox Spiritus sancti, certam de rebus fidei præbens sententiam, quæ proinde non aliunde in Scripturam inferenda, sed ex ea haurienda. Homo homini cum loquitur de rebus etiam divinis, non diu disceptat de sensu, cum ipsa verba veri sensus sint indicia & q. cubilia. Cur ergo ex Spiritus sancti loquela mens ipsius non posset intelligi, cum ideo loquatur, ut intelligatur? Si nunc Deus immediatè è cœlo nos alloqueretur per illa ipsa verba, quæ in Scripturis sunt annotata, tum ex illo alloquio voluntatem Dei mox intelligeremus & intellexisse nos fateremur. Huc pertinent dicta illa, in quibus Scriptura dicitur *judicare* Hebr. 4. v. 12. passim vocatur *judicia Domini*; dicitur *accusare* Joh 5. v. 45. dicitur *loqui* Rom. 9. v. 17. *concludere omnia sub peccatum* Galat. 3. v. 22. *providere & evangelizare Abrahæ.* Galat. 3. v. 8. nimirum, quia est *vox Dei*, qui per Scripturam judicat Esai. 4. v. 4. loquitur Ex. 9. v. 16. concludit sub incredulitatem Rom. 11. v. 32. & ante evangelizavit Abrahæ Gen. 12. v. 3.

7. *ex absurdo.* Si Scripturæ verus sensus non potest ex ipsa Scriptura erui, sed aliunde debet inferri, Scriptura nihil aliud eri, quam inanime quoddam sceleton & statua muta atque mortua per Ecclesiæ vocem animanda, cum tamen *vivus DEI sermo sit & efficax.* Hebr. 4. v. 12.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, ea, quæ in uno Scripturæ loco obscurius proponuntur, in alio clarius exponi. Dicta illa in præced. thesi sunt enumerata.

2. Quod agnoscunt, Scripturam esse ex Scriptura explicandam.

c. Relatum. dist. 37. ex Epistola 5. Clementis Romani. *Diligenter observandum est, ut lex Dei, cum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur vel doceatur, sunt enim multa verba in divinis Scripturis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumsit, sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis,* (attuleritis) *alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipsum Scripturarum autoritate confirmare, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.*

Glossa Ordin. in 2. Petri 1. *Sicut Prophetæ non sua, sed Dei verba scribebant, ita lector non sua interpretatione uti debet, ne à fide exorbitet, sed laboret attendere, quomodo verba sua voluerit intelligi ille, qui scripsit.*

Ægidius Romanus lib. 12. Hexaëm. c. 13. ponit has regulas: 1. *Scriptura debet exponi, ut illa sententia sit nostra, quæ est Scripturæ, non contra. 2. debemus plus æstimare Scripturam sacram, quàm alias scripturas. 3. imo quàm capacitatem totius humani ingenii. 4. quando multis modis Scriptura exponitur, attendendum, cui expositioni cætera concordant & consonant.*

Gerson in Cantic. p. 3. *Unus potest passus in Scripturis mutuò ceteros exponere.*

Idem de Comm. sub altera specie. *Sacra S. est quasi una oratio copulativa, cujus una pars confirmat, elucidat & exponit alteram.*

In tractat. quæ veritates sint credendæ, contra assert. M. Johannis Parvi num. 14. *Scriptura exponit regulas suas per semetipsas secundum diversos passus Scripturæ.*

Johannes de Wessalia Concionator Wormatiensis circa Annum 1464. inter cætera docuit, *Verbum Dei per collationem locorum mutuam illustrandam esse, tantum verbo Dei credendum, non Glossæ aut Patribus.*

Benedictus Arias Montanus in Præfat. super N. T. *Tuum erit, Lector, ut veterum editionem cum Græcis exemplaribus ita conferas, ut ex utriusque diligenti & accurata collatione sacræ Scripturæ sensum & Spiritus sancti, à quo hæc sunt profecta, mentem & sententiam tandem assequare.*

Alphonsus de Castro lib. 5. adv. hæres. verbo Deus, hæresi 6. disputans contra Erasmum, quod in dicto Christi Joh. 10. *Ego & Pater unum sumus*, essentiæ unitas intelligenda sit, inter cætera sic disserit: *Video à nobis hoc exigi, ut probemus, locum illum nullo pacto posse de animorum concordia intelligi. Pro qua replene exhibenda illud est ante omnia aspiciendum, quid est in eo loco subjecta materia, de qua sermo fiebat, & quis scopus, ad quem Christi verba dirigebantur. Hoc enim est maximè necessarium ad cujuslibet Scripturæ intelligentiam, videlicet ejusdem Scripturæ circumstantias scrutari, ex quarum scrutinio facile Scripturæ intellectus hauritur.* (Si ex Scripturæ circumstantiis & earum scrutinio facilè hauritur Scripturæ intellectus, utique Scripturæ sensus est ex Scripturâ hauriendus.)

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 7. *In verbis à Deo profectis voluntas ejus quærenda, si quæ obscuritates aut ænigmata occurrunt, ea vel enodatione verborum, vel locorum illustrium collatione interpretanda sunt, hoc enim & Christus fecit, & viros doctos semper fecisse videmus.*

Ruizius in regulis intelligendi Scripturas, regul. 62. ex Augustino lib. 3. de doctrin. Christian. cap. 26. *Locum unum sacræ Scripturæ exponere per alium ejusdem Scripturæ clariorem optima est interpretatio.*

Idem regul. 69. ex Hieronymo in cap. 19. Esaiæ: *Moris est Scripturarum, obscuris manifesta subnectere, & quod prius sub ænigmate dixerint, aperta voce proferre.*

Josephus Acosta lib. 3. de Christo revelato cap. 21. *Nihil perinde mihi videtur Scripturas aperire atq; ipsa Scriptura. Itaq; diligens, attenta, frequensque lectio, tum meditatio & collatio Scripturarum omnium summa regula ad intelligendas Scripturas mihi semper est visa. Nam ex aliis Scripturis aliæ optimè intelliguntur, tum phrasis ipsa & Spiritus familiaris fit, ut assuetis jam sermonibus intelligentia pateat. Itaque obscuram aperta, dubiam certa interpretatur.*

Idem lib. 1. cap. 2. asserit, *Testamenti veteris interpretandi nullam esse meliorem rationem, quam novi cognitionem.*

Ederus in Oecon. Bibl. lib. 1. pag. 64. *Ex causis dictorum, inquit Hilarius, assumenda est intelligentia dicendi. Optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit.*

Salmeron Disput. 10. lib. 1. super Epistol. Pauli. *Optima illa regula est ad obscuriores Pauli locos intelligendos & explicandos, si loci similes, qui de eadem re edisserunt, inter se conferantur, nam unus solet alterum illustrare.*

Bellarminus lib. 2. de Sacramentis c. 20. §. His accedant. *Oportet Scripturam exponere per Scripturam, cum id fieri potest.*

Melchior Canus lib. 7. Locorum Theol. cap. 3. num. 13. adducit & probat dictum Clementis Epist. 5. citatum can. relatum. distinct. 37. *Non sensum quem extrinsecus attuleritis, alienum & extraneum debetis quærere, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.*

Defensio Censuræ Anglicanæ contra Protestantes. *Censura nostra sic exponit per aliam Scripturam, qui est modus exponendi optimus.*

Gregorius de Valentia in Anal. lib. 8. cap. 5. §. Ad postremam. *Ad eruendam Scripturarum interpretationem dogma latissimè patens hoc erit, loca clariora consulere & antecedentia & consequentia perpendere.*

Pererius tom. 3. in Genes. cap. 16. v. 5. Disp. *Verba non sunt consideranda seorsim, aut avulsa à contextu totius orationis, sed ut connexa & contexta sunt cum iis, quæ antecedunt & consequuntur.*

Maldonatus in cap. 20. Matth. 1. *Hoc loco non videtur mihi alio Interprete, quàm ipso Evangelista opus esse.*

(Ex illo sic colligimus: Aut universus Scripturæ sensus est incertus & ab Ecclesia petendus, aut pars tantùm Scripturæ. Illud negat Maldonatus. Manebit ergò posterius. At si pars tantùm Scripturæ ratione sensus incerta est, aut incerta erit ratione dogmatis cujusdam ad salutem necessarii, aut ratione certi cujusdam loci. Posterius concedimus, prius negamus, & negant nobiscum ipsi Pontificii saniores, ut suo loco videmus, Confer Possevinum libr. 2. Bibliothec. cap. 14. f. 196.)

Joachimus

Joachimus Perioneius Theolog. Parisiensis lib. 2. Topic. pag. 80. *Alio Scripturæ loco (omnis enim Scriptura divinitus tradita sibi constat, nusquam à se dissidet, aut secum discordat,) & inferiore ac posteriore, & Ecclesiæ approbatione, & sanctissimorum doctissimorumque virorum interpretatione, quæ sit Scripturæ obscura ac difficilis intelligentia, doceri potest. Ac de duobus quidē primis nullam esse controversiam video. Neque enim dubium est, quin si Scripturæ locus dubitationem afferat, ac de ejus sententia controversia sit, aliusq; locus vel paulo superior, vel posterior, aut etiam longe petitus ex aliisque libris sacrosanctis erutus afferatur, qui illum alterum interpretetur, tantum id autoritatis pondus habere debeat, ut non liceat cuiquam ullo modo aut repugnare, aut contradicere, aut etiam ab illius autoritate discedere. Quod quidem hinc colligi potest, quia cum Interpres tum fidelissimus & optimus quæratur, nullus sit Scripturâ sacra ejus nec melior, nec verior, nec verò fidelior Interpres.*

Hieronymus ab Oleastro *sedecim Canones* annotavit Procem. in Pentat. ad *Scripturas ex seipsis explicandas.*

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 4. Matth. v. 7. *Salvator Diabolo Scripturam adferenti Scripturam opponens ostendit, non verborum unius loci sectandos apices, sed loca locis conferenda, si rectè Scripturas interpretari velimus. Falsas igitur de Scripturis Diaboli sagittas veris Scripturarum frangit clypeis.*

Jansenius in cap. 4. Matth. *Christus Scripturam à Diabolo malè citatam alia Scriptura, ceu clavum clavo retudit, rectè docens, Scripturam Scripturæ conferendam esse, si in Scripturarum lectione errare nolumus.*

Mendoza in controv. Theol. q. 10. p. 634. *Sensus Scripturæ non nisi in verbis & quidem prototypis quærendus & inveniendus.*

3. Quod agnoscunt Scripturam sine alieno lumine seipsam interpretari.

Augustinus Steuchus in cap. 2. Genes. *Neque enim adeo inhumanus fuit Deus, ut voluerit hujus rei ignoratione per omnes ætates homines torqueri, cum neque illum in Scripturis sacris esse passus sit locum, quem si accuratè pensitemus, interpretari non possimus. Ut enim hoc loco ait Theodoretus:* Ἡ ἁγία γραφὴ ἐπειδ᾽ ἂν βούληταί τι τοιοῦτον ἡμᾶς διδάσκειν, ἑαυτὴν ἑρμηνεύει, καὶ οὐκ ἀφίησι πλανᾶσθαι τὸν ἀκροατήν.

Salmeron Prolegom. 9. quinquagen. 1. can. 38. fol. 122. *Boni Scripturarum Interpretis est, ut in eis enarrandis expendat cum nomina ipsa, tum verba, ut lucem ingerat loco, quem enarrat.*

Ribera Præludio 1. in expositionem omnium Prophetarum num. 15. adducit & probat dictum Ambrosii serm. 8. in Psal. 118. *Docet Deus & mentes illuminat singulorum & claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis tui & cœlestis gratiæ recipias claritatem. Quando dubitas, diligenter inquiras, qui enim quærit, invenit; & ei, qui pulsat, aperietur. Multa obscuritas in Scripturis Propheticis, sed si manu quadam mentis tuæ Scripturarum januam pulses, & ea, quæ sunt occulta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur tibi non ab alio, sed à Dei verbo, de quo legisti in Apocalypsi, quòd Agnus librum signatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat, quia solus Dominus Jesus in Evangelio suo Prophetarum ænigmata & legis mysteria revelavit, solus scientiæ clavem detulit & dedit aperire nobis.*

Maldonatus in Matth. 20. v. 1. *Mihi non videtur alio interprete, quam ipso Evangelista opus esse.*

4. Quod agnoscunt, ex literali Scripturæ sensu in fidei articulis efficacia argumenta duci. (Si ex literali Scripturæ sensu efficacia *ducuntur* argumenta, utique in eâ revera insunt & per conseq. ex ipsa Scriptura sensus Scripturæ eruendus.)

Bellarm. lib. 3. de Verb. Dei cap. 5. §. Sed quanquam. *Convenit inter nos & Adversarios, ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia. Nam eum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum est, esse sensum Spiritus sancti.*

(Si ille sensus, qui ex verbis immediatè colligitur, est Spiritus sancti sensus, ergo sensus Spiritus sancti ex verbis Scripturæ eruendus.)

Lib. de beatitud. Sanctorum cap. 3. circa 4. testimonium. *Non oportet recurrere ad figuras & relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur.*

Id. lib. de Baptismo cap. 4. §. Secundò refelluntur &c. *Commune est Theologorum axioma, quo docemur Scripturam intelligere secundum verborum proprietatem, ubi non cogimur evidenti absurdo, alioqui possemus depravare omnia loca, etiam clarissima, si liceat pro arbitrio fingere novos sensus.*

Lib. ejusd. cap. 22. §. Hæ duæ &c. *Repudianda est expositio, quæ verba Scripturæ historica & apertissima sine ulla causa detorquet ad impropriam significationem. Non enim licet, præsertim in Historiis, fingere tropos pro arbitrio, alioqui nihil esset certum in ulla Scriptura.*

Lib. 1. de Eucharistia cap. 9. demonstraturus, quod verba *Dominicæ Institutionis, Hoc est corpus meum, propriè, non figuratè accipi debeant, allegat hujusmodi dictum: Verba legum perspicua & propria esse debent.*

Et iterum: *Dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in divinis literis.*

(Idem de reliquis fidei articulis dici potest & debet, quæ enim est ratio unius articuli, eadem etiam est reliquorum. Proinde in articulis fidei retinendus sensus literalis, qui est à Spiritu sancto intentus, & per consequens ex literali Scripturæ sensu colligi potest & debet, quæ sit de singulis fidei articulis Spiritus sancti sententia.

Denique potest huc referri pronunciatum Lipsii in Præfat. Polit. p. 20. *Vatum est, non lectorum, mentem autori affingere ex sua mente.*

5. Quod agnoscunt, Scripturam sacram non tantum *ratione literæ*, sed etiam *ratione sensus* considerandam esse, (utique ergo sensus ille in ipsa Scriptura habetur & ex ea erui potest & debet.

Bellarminus lib. 4. de Verb. Dei c. 4. §. Septimò. *Notandum est, duo esse in Scriptura, voces scriptas & sensum eis inclusum; voces sunt quasi vagina, sensus est ipse gladius Spiritus.*

Ludovicus Richeomus lib. 4. idololatriæ Huguenoticæ cap. 12. p. 421. *Nec Scriptura Dei Codex ex solis constat verbis in charta exaratis, aut ore prolatis, sed ex vocabulis, ut materia, interiorique sensu, ut corpore & anima componitur; idcirco verba sint oportet, quæ Deus ipse dictavit & Spiritus, quo suos Scriptores afflavit.*

Gardonus Huntlæus tom. 1. Epitom. controvers. 1. cap. 3. pag. 5. *Sola litera sine vero sensu propriè & verè verbum Dei dici non potest, sicut neq; corpus sine anima verè ac propriè dicitur homo. Illi igitur, qui literam verò sensu spoliant, perinde faciunt ac illi, qui hominem anima & vita privant. Qui vero in locum veri sensus etiam alium contrarium substituunt, non secus faciunt ac illi, qui non solum hominem interficiunt, sed in corpus interfecti alium spiritum Diabolicum introducunt arte Magica.*

(Aut ergo concedendum, Scripturam habere suum verum & proprium insitum sensum, aut negandum est, Scripturam propriè & verè esse Dei verbum. Quamvis igitur tum Bellarminus, tum Richeomus, tum Huntlæus sensum illum à Scripturæ litera postea separent, tamen si Scripturam pro Dei verbo habere volunt, nefariam illam separationem tueri non possunt, unde Bellarminus notanter dicit, *duo esse in Scriptura, voces scriptas & sensum eis inclusum.* At si sensus vocibus scriptis inclusus est, utique ex illis erui potest & debet. Idem lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. *Eum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum est, sensum esse Spiritus sancti.*)

Gregorius de Valentia lib. 8. Anal. fid. cap. 5. volum. oper. pag. 93. *Constat inter omnes, Scripturam divinam esse doctrinam, quam Spiritu sancto inspirante atque dictante autores sacri literis mandaverunt. Itaque & Apostolus 2. Timoth. 3. eam nominavit doctrinam divinitus inspiratam, & idcirco etiam verbum Dei literis expressum dicitur. Etenim cognitio illa sacris expressa literis, quam Deus Canonicis Scriptoribus indidit, quamque per illos voluit cæteris scripto patefieri, velut sonorum quoddam verbum Dei est, quo is videlicet conceptum æternum mentis suæ, notitiamq; certissimam hominibus eloquitur & manifestat.*

Petrus à Soto in Assert. Catholic. fidei cap. 31. fol. 105. *Scripturam sacram non dubitamus Spiritus sancti esse revelationem &c.*

(At si Scriptura est divina doctrina, & Spiritus sancti revelatio, utique sensum divinum habet insitum atque inditum.)

Huc pertinent omnia dicta, quæ *de divinæ Scripturæ vi atq; efficacia* testantur, quia, nisi Scriptura divinum sensum haberet insitum, non polleret divina illi vi atque efficacia.

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis lib. 2. Sent. *Scriptura penetrat ut gladius, conterit ut malleus, ardet ut facula; quia velut gladius errorum abscindit zizania, velut malleus interimit hæreses universas, velut facula criminum fasciculos comburit, & velut lucerna per nocturna hujus mundi silentia lumen existit commeantibus, ne pedem suum ad errorum lapidem exul & peregrinus homo offendat.*

Costerus

Costerus in Enchirid. pag. 45. *Sacræ literæ dictatæ à Spiritu sancto nec jota unum, vel unum apicem habent, cui non insit suum pondus & efficacitas, unde tanquam divina eloquia mentem hominis admirabili dulcedine & suavitate afficiunt.*

Hector Pintus in cap. 8. Esaiæ fol. 82. *Confugiamus ad verbum Dei, ad Scripturam sacram, ibi inveniemus doctrinam salutarem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, animis medentem, eosque in suam dignitatem revocantem. Hæc est fons uberrimus & plenissimus, cujus haustu atque potu conceptam visceribus sitim sedamus, ardoremque restingimus. Hæc est flamma illa, quam vidit Moses, ardentem, rubumque non comburentem, ibi DEUS est animos nostros incendens, æternæque beatitudinis desiderio inflammans. Hæc est scala illa, quam vidit Jacob, quæ summitate cœlos tangebat, per quam à terra ad cœlum patet ascensus. Hæc est cellarium Joseph in Ægypto hujus mundi constitutum, ad quod undique recurrere debemus, ut famem expellamus. Hæc est manna illud cœleste, minutum, sed candidum & dulce, omnes ad veram promissionis patriam euntes reficiens. Hæc est turris Davidis munitissima, quæ ut est Canticorum libro mandatum, ædificata est cum propugnaculis, ex qua pendent mille clypei, omnisque armatura fortium. Hæc est thesaurus sapientiæ. Hæc est, quæ vitæ tranquillitatem largitur, quæ est lucerna pedibus nostris. Hæc est denique, qua adversus Dæmonem, mundum & carnem contendimus.*

6. Quod agnoscunt, Scripturam non esse aliter intelligendam, quam sensus Spiritus Sancti in Scripturis loquentis postulat. (Utique ergo sensus Scripturæ ex ipsa Scriptura est hauriendus.)

c. Vino dist. 37. ex Hieronymo. *Pseudo-Prophetas eos debemus accipere, qui aliter Scripturarum verba accipiunt, quam Spiritus sanctus sonat.*

c. Hæresis, caus. 24. q. 3. ex Hieronymo: *Quicunque aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 8. artic. 30. pag. 749. adducit & approbat dictum Origenis tract. 25. in Matth. *Juramentum esse, intelligendum est omne testimonium Scripturarum, quod profertur ad confirmationum & colligationem nostri verbi, quod loquimur, ut sit quidem templum gloriæ Dei omnis Scriptura divinitus inspirata, aurum autem positus sensus in ea. Debemus ergo ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus, sensum. Sicut enim omne aurum, quotquot fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum solùm sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templum proprium aurum. Non ergo debemus ad confirmandam nostram doctrinam nostros proprios intellectus jurare, & quasi testimonia assumere, quos unusquisque nostrûm intelligit & secundùm veritatem existimat esse, ni ostenderit eos sanctos esse, ex eo, quod in Scripturis continentur divinis, quasi in templis quibusdam Dei. Stulti ergò ac cæci omnes, qui non cognoscunt, quoniam templum, hoc est, lectio Scripturarum magnum ac venerabilem facit sensum, sicut aurum sacratum.*

Ibid. pag. 751. citat & approbat illud Chrysostomi homil. in Genes. *Non opus habet divina Scriptura hominum sapientia, ut intelligatur, sed revelatione Spiritus, ut hausto inde* (nota *inde*) *vero sensu magnum nobis hinc lucrum accrescat.*

Bellarm. lib. 1. de Justific. cap. 10. §. Sed hæc responsio &c. *Quod credere in Filium sit credere sibi remissa esse peccata per Filium, non habent adversarii ex verbo Dei, sed ex interpretatione sua, proinde non possunt id facere objectum fidei, nisi velint ex verbo suo facere verbum Dei.*

(Si illud solum & unicum est fidei objectum, quod habetur ex verbo Dei, non ex interpretatione privata, consequens est, *Scripturam non esse privatæ interpretationis*, sed Scripturam ex seipsa interpretandam esse, ac proinde dogmata fidei ex genuino Scripturæ sensu unicè petenda esse, quem sensum non debemus privata interpretatione Scripturæ inferre, sed publicum Spiritus sancti judicium in Scripturis propositum securi ex Scripturis haurire.)

Huc referri potest, quod Gregorius de Valentia Analys. lib. 5. cap. 2. §. Sed enim hoc loco &c. fatetur, *Gnosticorum hanc esse hæresin, quod Scriptura ex traditionibus sit explicanda.* Cum enim Irenæum allegasset lib. 3. advers. hæres. cap. 2. conquerentem, *hæreticos, cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem Scripturarum ferri, quasi variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab iis, qui nesciant traditionem; de Gnosticis,* inquit, *sermonem fieri*, quorum errorem hæreticum his verbis exprimit: *Atque hi contendebant, immeritò ac perperam illis Scripturas objici, non enim eas habere alioqui certam autoritatem & variè esse dictas, neque posse ex illis elici veritatem sine adminiculo suarum illarum commentitiarum traditionum.*

Argum. Advers. *Si sensus Scripturæ non est ab Ecclesia petendus, deducuntur homines ad judicium Spiritus privati.* Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. *Scriptura tantùm per eum Spiritum exponi debet, quo scripta est, qui Spiritus residet in Ecclesia.* Anglo-Rhemenses in annotat. 2. Petri 1.

Resp. 1. Panormitanus in c. Significasti. extr. de Elect. *Privato homini & fideli, qui meliores rationes affert, potius credendum, quam toti Concilio & Papæ.*

2. Gerson de exam. doctrin. consid. 5. *Staret, quod aliquis simplex non autorisatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quam Papæ declarationi, est enim plus credendum Evangelio quam Papæ.*

3. Marsilius Patavinus in Defens. Pacis. *In concernentibus fidem unius, etiam privati ac Laici, dictum præferendum est dicto Papæ, si moveatur melioribus autoribus veteris & novi Testamenti quam Papa &c.*

4. Johannes Franciscus Picus Mirandulanus de fid. & ord. cred. theor. 16. *Simplici potius rustico & infanti & aniculæ, quam & Pontifici maximo & mille Episcopis credendum, si contra Evangelium isti, illi pro Evangelio verba facerent.*

(Ergo si privatus aliquis ex perspicuis Scripturæ locis de quadam religionis controversia judicat, tum non proficiscitur illud ex Spiritu privato, sed est publicum Spiritus sancti in Scripturis loquentis judicium ab omnibus audiendum.)

Vicissim 1. Biel 4. sentent. distinct. 1. q. 4. art. 3. *Non licet spernere consilium Prælati, quod verum est, nisi contra legem divinam dixerit, quia sic præcipiendo non sedet super cathedram Mosis, non enim hæc procedunt de cathedra, hoc est, doctrina Mosis, sed de cathedra pestilentiæ.*

2. Wesselus in cap. 23. Matth. *Oportet præcepta Prælatorum tamdiu observare, quamdiu in cathedra Mosis sedentes secundum Mosen docent, & si quid contra vel extra statuunt, non ligamur, Dei enim servi sumus, non Papæ.*

3. Johannes Ferus in cap. 23. Matth. *Non voluit Christus, ut omnia Pharisæorum dogmata susciperent, sed quatenus legi consonarent.*

4. Erasmus in annot. 1. Corinth. 7. pag. 327. *In causa fidei Schola Parisiensis aliquando publicitus improbavit Romani Pontificis sententiam, eumque ad palinodiam compulit, si qua fides Historiis.*

(Ergo si persona aliqua in publico officio constituta præter & extra Scripturam in articulis fidei aliquid profert, illud proficiscitur ex Spiritu privato, etiamsi Papa sit vel summus aliquis Episcopus.)

Thesis 3. Unus tantum est cujusque loci Biblici sensus literalis.

Ἐκθέσις. 1. Non negamus, varias ex uno sensu literali *collectiones* institui, ac varias unius istius sensus & rei, quam litera exprimit, *accommodationes* fieri posse, interim manet unus cujusque loci *sensus literalis*, & ut Bellarmin. loquitur lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 10. §. Nemo &c. *sensus immediatus.*

2. Non negamus, in quibusdam Scripturæ locis sensum *literalem & mysticum* contineri, sed negamus duplicem literalem unius loci sensum.

3. Verus sensus dicitur vel *absolutè* & ad se, nimirum, qui nihil proponit falsi aut impii: vel *relatè* ad locum, de quo est quæstio, ut sit verè is sensus literalis, quem is locus exigit. Priori modo concedimus unius loci varios sensus veros, posteriori non item.

4. Voces considerantur bifariam, vel ἁπλῶς *absolutè*, in parte etymologica & absque collatione ad alias: vel σχετικῶς *respectivè* in parte Syntactica & κατὰ τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος, ut Clemens Alexandrinus loquitur. Priori modo omnem ab earum finibus ambiguitatem non exulare concedimus; posteriori verò æquivocationem in fumum abire dicimus, unde Melchior Canus lib. 3. Locorum cap. 2. rectè dicit, *esse nonnulla Scripturarum loca, quæ in altum atque alium sensum trahi ne à contentiosissimis quidem possint.*

Antithesis. Thomas p.1. q.1. art.10. docet: *Scripturam S. ideò sæpe continere literalem multiplicem, spiritualem triplicem sensum, quod ejus autor Deus sit.*

Lyranus in 2. Reg.7. & Hebr. 1. Paulus Burgensis in additione 2. Reg.7. Abulensis quæst. 9. in idem caput 7. statuunt, *eandem Scripturam multos Historicos sensus capere posse.*

Alphonsus de Castro lib.1. adv. hæres. cap.3. *Quoniam sæpenumero contingit, ut eidem literæ plures accommodentur sensus literales, seclusis aliis, qui de mystica rerum significatione hauriuntur, hoc casu cavendum est, ne ullus eorum rejiciatur, dummodo ex aliis sacræ Scripturæ locis testimonium habeat, voces illas alicubi, id quod nunc eis tribuitur, significare, & sensus, qui ex tali vocum significatione illi literæ accommodatur, si veritati fidei Catholicæ minimè obstet, uterque eorum tanquam germanus & verus literæ sensus censebitur. Quid enim obstat, Scripturam sacram esse adeo fertilem, ut binos fœtus edat. Sic enim de Ecclesiæ Doctoribus, qui sciunt quantumlibet abstrusos literæ sensus eruere, mystica significatione dicitur, Cantic.4. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavatro, omnes gemellis fœtibus & sterilis non est inter eas?*

Melchior Canus lib.2. Locorum cap.11. pag.52. *Eadem litera plura simul literalia sensa continet. Sic verba, ego ero illi in Patrem &c. in sensu literali in Salomonem & Christum conveniunt.*

Lib. ejusdem cap. 2. *Lutherani falsò ponunt, sacras literas non habere plures sensus.*

Salmeron. Proleg.8. in Evangel. tom.1. pag.79. *sex proponit vias sive modos, quibus fit, ut eadem litera plures sensus habeat, 1. propter variam lectionem textus Hebraici vel Græci, dummodo confirmetur autoritate Patrum. 2. propter diversitatem versionum, nempe si quando à textu Hebræo variant LXX. sive Latinus Interpres. 3. propter ambiguitatem vocis Hebrææ. 4. propter ambiguitatem, quæ apud Hebræos contingit ex punctis vocalibus. 5. propter varias rationes distinguendi membra textus. 6. quia res & actiones propè sunt infinitæ, at voces, præsertim in lingua Hebræa, paucissimæ, quo fit, ut unum nomen plures substantias, & unum verbum plures actiones, vel passiones repræsentent, quæ, cum ad rem propositam faciant, non videntur respuendæ.* Sed quilibet videt, vias hasce discrepare à statu quæstionis, quem ipse Salmeron hoc modo formaverat, *an una & eadem numero litera plures sensus literales habere queat?*

Idem tom.15. p.43. Disp.3. in 1. Timoth. 1. § Idem. *Regula est, Scripturarum sententias non unum tantum sensum literalem posse recipere, sed plures.*

Ludovicus Alcasar in cap. 11. Apocal. *Eundem Scripturæ locum duplici literali sensu constare, præsertim, si connexionem inter se habeant, dissentanem non est.*

Bellarminus lib.3. de Verb. Dei cap.3. §. Ex his. *Non est improbabile, interdum plures literales sensus in eadem sententia reperiri.*

Azorius tom. 1. lib.8. Institut. moral. cap. 2. §.11. *Hæc est communis Theologorum* (Scholasticorum) *opinio, ejusdem literæ posse plures esse sensus literales.*

Cornelius à Lapide in Canonibus Comment. in Epist. Pauli præmissis can. rerum 8. *Scriptura potest varios habere sensus.*

Idem in Præfat. super Pentateuch. can. 35. *Dupliciter fieri solet, ut unus locus duplicem habeat sensum literalem, primò subordinatum, quando Scriptura Prophetica præsertim simul complectitur typum & antitypum, hoc est, rem, quam proopriè verba significant, & simul allegoriam, quam illa res repræsentat, sed ita, ut quædam magis typo, quædam magis antitypo conveniant, tumq; duplex illius loci est sensus literalis, prior Historicus, alter Propheticus. Secundo dissimilem & disparatam. E. gr. Psal.2. v.7. Patres & de divina & humana Christi generatione explicant.*

Idem statuunt Hector Pintus in cap.35. Esaiæ. Gregorius de Valentia tom 1. in Thomam Disput.1. q.1. punct.5. col.62. Gretserus in Defens. Bellarmin. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. col.1196. Jodocus Lorichius in Thesauro Theolog. tit. Scriptura sacra, num.13. pag 1826. & alii.

Johannes Stephanus Menochius Jes. in Præfat. annotat. in Biblia cap.25. hoc modo probare conatur, eundem locum Scripturæ posse aliquando plures habere sensus literales: *Ratio, inquit, peti potest, tum ex Scripturæ fœcunditate, tum ex eo, quod in signis ab hominibus institutis eadem res duo simul significare potest, ut v. g. si sono campanæ aut clangore tubæ signum dari soleat in adventu hostium, & etiam cum aliquod incendium excitatur; si accidat, ut eodem tempore hostes adsint & partem aliquam civitatis flamma corripiat, signum campanæ editum utrumq; significare poterit eodem tempore.*

Nostram sententiam probamus,

1. *ex Scripturæ certitudine.* 2. Petr.1. v.19. Certitudo Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ cum varietate illa sensuum consistere nequit. Quod enim plures habet sensus, ambiguum est & æquivocum. Quod ambiguum, idem etiam incertum.

2. *ex Scripturæ perspicuitate.* Quod varios admittit sensus, in se & per se est obscurum. Sed Scriptura in se ac per se non est obscura. Ergò non habet varios literales sensus.

3. *à fine Scripturæ.* Quod de articulis fidei & præceptis morum ita nos instruit, ut sapientes reddat ad salutem, illud non oportet esse ambiguum, proinde etiam nec plures sensus continere. Scriptura de articulis fidei & præceptis morum ita nos instruit, ut *sapientes reddat ad salutem* Joh.5. v.39. cap.20. v.31. 2. Tim.3. v.15.16. & 17. Ergò

4. *à sensus & significationis Natura.* Forma unius rei essentialis non est nisi unica. At sensus literalis seu significatio est forma verborum in Scripturas relatorum. Ergò sensus literalis verborum in Scripturas relatorum non nisi unus est.

Nostræ huic sententiæ suffragantur,

1. Quidam ex Scholasticis.

Alexander Alensis p.1. q.1. n.4 art.2. ad ultimum. Albertus tr.1. Summ. q.5. memb.2. ad quintum. Henricus in Summ. art.16. q.2. ad secundum & q.3. (unde Henricum Gandavensem Tannerus tom.1. Theol. Schol. Disp.1. q.5. dub.2. n.7. acsensfet illis, qui negant, *unius dicti posse esse plures sensus literales.*)

Burgensis in Prolog. super Lyran. addit. *Ex hac consideratione non habetur, quod sub sensu literali continentur tria genera expositionum, sic quod quælibet illarum sit sensus literalis propriè. Sed prima expositio est tantum sensus literalis. Secunda est redditiva causa ipsius literalis sensus. Tertia verò est solutiva contrarietatis illius. Unde secunda & tertia expositio, licet pertineant ad sensum literalem, eò quod per eas magis perficitur seu elucidatur, non tamen sunt sensus literales propriè dicti.* (Illos secutum esse *Michaëlem Medinam*, quando negat duplicem contextus alicujus Biblici sensum literalem dari, concedunt Christoph. Gillius Jes. Comm. Th. lib.1. tr.7. c.4. n.1. & Nic. Serar. Proleg. Bibl. q.12. c.21. f.149.)

2. Quidam ex recentioribus.

Michaël Medina lib.6. de recta in Deum fide cap.25. disertè & ex professo opinionem *de duplici unius loci sensu literali* refellit, urgens potissimum argumentũ à certitudine Scripturæ sacræ petitum: *Quod pluribus, inquit, quam uno constat sensibus & significationibus, illud est ambiguum. Quicquid verò ambiguum, illud etiam incertum, nec definitam parit sententiam, attestante Philosopho lib.1. de cœlo c. 11.* (Medinæ suffragium largitur nobis Azorius lib.8. Inst. moral. c 2. §. Undecimò quæritur: *Quidam, inquit, è quorum numero est Medina, sentiunt, hoc non posse esse, videl. quod sit duplex unius loci literalis sensus.* Largitur etiam Becanus part.2. Theol. Schol. tom.2. tract.1. c.3. q.5. pag.35. *Disputant, inquit, Theologi, an præter mysticum sensum unus idemq; Scripturæ locus admittat plures literales sensus.* Negat Michaël Medina &c.)

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap.100. *Scriptura sacra unum constantem ac simplicem sensum habet, quo pugnatur & vincitur.*

Ribera in cap. 11. Hoseæ num. 3. *Sunt, qui contendant, duos sensus Historicos habere hunc locum* (Oseæ 11. v. 2. *ex Ægypto vocavi filium meum*) *alterum de filiis Israël, de Christo Domino nostro alterum, ut Lyranus in cap.2. Matth. & Dionysius ibidem & hic. Imò Lyranus in Daniel cap. 8. & Dionysius in cap. 2. Matth. Canonem constituunt his verbis: Quando in Vet. Testam. prædicitur aliquid esse impletum in aliqua persona Vet. Testam. verius tamen & perfectius in aliqua Novi Testamenti, tunc est ibi duplex sensus literalis, unus minus principalis & alius principalior, de illo scilicet, in quibus perfectius impletur verbum prædictum. Multis canon Lyrani hodie placet, sed placere non debet.*

Ibid. num 6. *Non possumus non vehementer mirari, valde eruditos & pios, Lyranum & Dionysium, non videre, quam apertè labantur & se suis ipsorum verbis ita convinci & argui, ut impugnatore nullo indigeant. Aliquando, inquiunt, in sacra Scriptura duplex est sensus literalis, quia ea, quæ facta sunt in Vet. Testam. sunt figuræ eorum, quæ fiunt in N. dicente Apostolo 1. Corinth.10. Omnia in figura contingebant illis; & ideo quando in V. T. prædicitur, aliquid impletum esse in aliqua persona V. Test. verius tamen & perfectius in aliqua N. Test. tunc est ibi duplex sensus literalis. Pugnant hæc, & hanc pugnam multi eruditi non vident. Si ea, quæ facta sunt in V. T.*

in V.T. figuræ sunt eorum, quæ sunt in novo. ergo de rerum significatione loqueris, non de vocum, res enim facta sunt, & res sunt figuræ, non voces. Ergo hic non literalis sensus est, sed spiritualis sive allegoricus, à definitione videl. ad definitum. Sensus enim literalis est, quem voces significant & efficiunt; sensus autem spiritualis, quem significant atque efficiunt res illæ per verba prius significatæ.

Idem in Comment. cap. 1. ad Hebræos n. 47. *Multi putant, hæc verba, ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium, sensu Historico dicta de Salomone & de Christo, quoniam eadem Scriptura multos Historicos sensus capere potest, ut Lyranus, Burgensis, Abulensis, Canus &c. Verum in cap. 11. Oseæ manifestissimè hunc Lyrani & aliorum errorem aperui, &, ut arbitror, profligavi. Nunc tantum dicam, si id verum esset, Patrem & Filium in eadem enunciatione propriè & impropriè accipi, quod absurdissimum est, siquidem aliter Salomon filius dicitur, aliter Christus. Deinde ex ipsa sensuum definitione hoc perspicuè intelligitur, ut dubitare nemo debeat aut possit. Si enim Salomon figura Christi est, & homo ille & ejus regnum Christum cum suo regno significat, quæ de Salomone dicuntur, ut figura Christi est, ad Christum non nisi spirituali sensu referuntur. Sensus enim Historicus est, quem verba efficiunt, spiritualis autem, quem efficiunt res illis verbis significatæ. Quare mirum est, non videre Lyranum & quosdam alios pugnantia se loqui, cum dicunt, Hæc dicta sunt de Salomone, prout figura fuit Christi, & ideo de Christo intelliguntur ad literam. Imò ideò intelligi de eo nequeunt ad literam. Nam si Salomon figura fuit Christi, ipse Salomon & res, quæ de illo scripta sunt, significant Christum. Verba ergo significant res Salomonis, & ipse Salomon ac res ejus significant CHRISTUM. Ergo hic sensus non Historicus est, sed spiritualis. Nam spiritualis sensus dicitur, quem efficiunt res significatæ per verba.*

Michaël Ghislerius in Præfat. Comment. in Cant. Cantic. cap. 5. fatetur, *quosdam* (Catholicos) *mordicus tueri, quod unius loci unus duntaxat sit literalis sensus.*

Acosta lib. 3. de Christo revelato cap. 11. *Audivi virum eruditissimum Episcopum Placentinum hac de re pro suggestu disserentem: Censebat ille quidem ea, quæ literaliter de Dei sapientia dicta sunt, de virgine Maria etiam literaliter intelligi debere, quæ sententia viri doctissimi non prorsus circumspecta mihi videtur. Neque enim Ecclesia sensum literalem Scripturæ tribuere potuit, quem illa hactenus non habuerit.*

Hanc suorum hominum dissonantiam fatetur Tannerus tom. 1. Theolog. Schol. Disp. 1. q. 5. dub. 2. num. 7. & Jacobus Bonfrerius Prolegom. in Pentat. f. 70. ubi commemorat, *Erasmum in Præfat. paraphrasium suarum ad Imperat. & Abulensem in cap. 2. Matth. q. 57. rejecisse sensuum pluralitatem.*

Ibid. fol. 72. Bonfrerius rectè docet, *in Scriptura esse hunc sensum literalem, qui primò à Spiritu sancto intenditur, loquente in verbo immediate.*

Fol. 73. inquit, *Ad sensum literalem ipsa verborum significatio & totus contextus ducit.* (Atqui talis sensus non potest esse nisi unus.)

3. Obliquè & timidiusculè idem nobiscum statuit Becanus part. 2. Theolog. Scholast. tom. 2. tractat. 1. cap. 3. q. 5. Postquam enim dixisset, cum Augustino lib. 12. Confess. cap. 30. ac Thoma part. 1. q. 1. art. 10. *rectius affirmari, unum eundemque Scripturæ locum admittere plures sensus literales,* tribus rationibus idipsum confirmat, sed quæsita tractat, ut dubitationem non obscurè exprimat. Primam rationem hisce exprimit verbis: *Deus, qui est autor Scripturæ, adeò fœcundus est, ut unico verbo mentali exprimat simul infinita. Ergò potest* (nota, potest,) *etiam unico verbo scripto multa significare.* Alteram rationem sic informat: *Deus potest efficere, ut una eademque res plura significet. Ergo etiam potest* (nota, potest) *efficere, ut una vox plura significet.* Tertiam rationem sic proponit: *Multa extant Scripturæ testimonia, in quibus videntur* (nota, videntur) *esse plures sensus literales.* Recensitis verò tribus ejusmodi testimoniis tandem subjungit: *Præter hæc testimonia solent plura alia adduci, quæ putantur* (nota, putantur) *habere duplicem sensum literalem. Sed ne erremus, aliqua notanda sunt: Primò, hactenus ab Ecclesia non esse definitum, plures esse sensus literales sub eadem litera.* (Ergò hoc non esse de fide, sed in libertate statuendi vel repudiandi relictum, innuit. *Secundò, multa esse Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres variè interpretantur secundùm literam, sed inde non sequitur, plures esse sensus literales in illis testimoniis. Nam sæpe fit, ut plures illi sensus, qui à variis assignantur, inter se pugnent. Fieri autem non potest, ut hæc pugna à Spiritu sancto sit.* (Ergò concedit, non statim illos sensus esse literales, quos Patres cuique Scripturæ loco tanquam literales tribuunt.) *Tertiò, multa etiam esse testimonia, quæ ex Hebræo textu diversimodè translata sunt. Nec inde sequitur, plures esse sensus literales in eadem litera, sed tantum plures esse sensus literales secundùm varias ejusdem loci translationes, quæ varietas oriri potest vel ex mutatione & varietate punctorum seu vocalium, vel ex ambiguitate vocis Hebrææ.* (At cum unica tantum translatio textui sit genuina & propria, ideò unus tantum est cujusque loci literalis sensus. Item cum puncta sint literis coæva ab ipsis primis scriptoribus textui subjuncta, ideo ad venandam sensuum diversitatem non licet ea mutare vel abjicere.) *Quartò, inter antiquos Patres vix alium esse præter Augustinum,* (lib. 12. Confess. cap. 30. & 31.) *qui disertè affirmet, plures sensus literales sub iisdem vocibus contineri. Agnoscunt quidem plures sensus, sed unum literalem, alterum mysticum.* (Ergò agnoscit hypothesin illam de sensuum literalium in uno Scripturæ contextu pluralitate esse privatam Augustini opinionem.)

4. Ex definitione sensus literalis, quam Adversarii tradunt, argumentum pro nostra sententia elicere possumus.

Salmero Proleg. 19. tom. 1. fol. 340. *Sensum literalem dicit esse eum, qui spectatur à Spiritu sancto & per voces, aut proprias, aut translatas immediatè exprimitur.* (At talis sensus cujusque loci non est nisi unus.)

Argum. Advers. 1. *Cum sensus literalis sit ille, quem autor intendit, autor verò proprius & præcipuus sacræ Scripturæ sit ipse Deus, cujus intentio & mens non est alligata uni duntaxat veritati, ut est hominum intelligentia, sed omnia eodem prorsus momento comprehendat, dubium non est, quin possit Deus iisdem verbis eodemque tempore diversa nobis significare.* Cornelius à Lapide in cap. 3. Eph. Gordon. Huntlæus controv. 1. cap. 15. §. 5.

Resp. 1. à *posse* ad *velle* non est firma consequentia. Requiritur igitur, ut probent, Deum non solum *posse* facere, ut unius dicti sint plures sensus, sed etiam hoc *velle*: Contrarium probamus ex perspicuitate & fine Scripturæ, ut superius fuit demonstratum.

2. Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. §. Sed quanquam. *Non invenitur spiritualis sensus in omni sententia Scripturæ, nec in Vet. nec in Novo Testam.*

(Si ex eo, quod Deus Scripturæ autor omnia eodem prorsus momento comprehendit, ac unico verbo mentali simul infinita comprehendit, colligi posset, *plures esse literales unius loci sensus,* pari ratione ex eo, quod Deus Scripturæ autor omnia spiritualiter intelligit, colligi posset, in omni Scripturæ sententia sensum Spiritualem inveniri, imò in quolibet Scripturæ loco infinitos sensus literales inveniri.)

3. Becanus d. l. scribit: *Deum unico verbo mentali exprimere simul infinita.* (Quod si ergo ex eo, quod Dei intentio non est alligata uni duntaxat veritati, rectè inferri posset, plures esse Scripturæ sensus, utique etiam ex eo, quod Deus unico verbo mentali exprimit simul infinita, inferri posset, unico etiam verbo prolato vel scripto exprimere ipsum infinitos sensus. Sed consequens est absurdum.)

Arg. 2. Patres unum eundemque Scripturæ locum diversimodè, etiam respectu sensus literalis, interpretantur. Salmero tom. 1. Prolegom. 8. pag. 81. *Cum autem ex præcepto Ecclesiæ Scripturas teneamur interpretari juxta communem Patrum expositionem, nihil in ea falsi reperiri debet, alioquin erraret Ecclesia præcipiendo, ut eorum interpretationem amplectamur.* Gillius lib. 1. tractat. 7. cap. 4. n. 8.

Resp. 1. Acosta d. l. *Ecclesia Scripturæ sensum literalem tribuere non potuit, quem illa hactenus non habuerit.*

2. Becanus d. l. *Multa sunt Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres variè interpretantur secundum literam, sed inde non sequitur, plures esse sensus literales in illis testimoniis. Nam sæpe fit, ut plures illi sensus, qui à variis assignantur, inter se pugnent. Fieri autem non potest, ut hæc pugna à Spiritu sancto sit.*

Arg. 3. Multa sunt Scripturæ testimonia, in quibus plures sensus literales dantur.

Primò, 1. Paral. 17. v. 13. *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Hæc verba literali sensu & de Salomone, & de Christo agunt,* Lyranus, Abulensis, Canus d. l.

Resp. Ribera in cap. 1. ad Hebr. n. 39. & seqq. multis demonstrat, hæc verba *Historicè* quidem de Salomone, *allegoricè*

autem (*sive mystice*) de Christo dici. (Ergo non accipitur in sensu literali simul de Salomone & Christo.)

Secundò, Psal. 2. v.7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hæc verba secundum sensum literalem dupliciter intelliguntur, primò de æterna Christi generatione, & sic explicat Apostolus Hebr.1.v.5. Secundò de Christi resurrectione, sic explicat idem Apostolus Act.13. v.33.* Salmer. Proleg.8. tom.1. p.97.

Resp.1. Ribera in cap.1. Hebr. num.32. *Mihi, ut verum ingenuè fateatur, hæc de resurrectione explicatio durior videtur, sicut & aliis ante me visa est, hoc est, Bedæ, Oecumenio & Cajetano in cap. 13. Act. & Sixto Senensi lib.7. Bibliothec. hæres.8. resp. ad 11. object. & Genebrardo in Psal.2. qui negant, hæc verba Psalmi à Paulo afferri ad resurrectionem. Cur ego idem sentiam, dicam. Primum valde durum videtur, idem verbum propriè & impropriè accipi. Nam genui te, negare nullo modo possumus, propriè dici de generatione æterna Filii Dei. Nihil enim Paulus efficeret, nisi ita acciperet. Deinde accipitur impropriè pro temporali ejus generatione, quæ non est ex substantia gignentis, & adhuc magis impropriè de resurrectione, quoniam similis est quodammodo temporali generationi. Deinde quoniam his verbis non potest effici, quod Paulum efficere velle dicunt, hoc est, Christum resurrexisse. Nam si hodie diem significat resurrectionis, non magis probat hic locus Christum resurrexisse, quam resurrecturum esse, ac respondere possent auditores; Resurget in fine seculi cum cæteris, aut resurget post multos annos & eo die verum erit. Ego hodie genui te. Cur tu ô Paule, nunc magis hæc expleta esse contendis, quam eo ipso die, quo CHRISTUS mortuus est? Tertio quoniam Apostolus jam de resurrectione locutus fuerat & aliud assumit probandum, sicut verba ejus indicant. Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, &c. Non probat, eum resuscitatum esse, sed Deum implevisse, quod promiserat Patribus &c. Promissio, quam annunciat, illa est, de qua prius dixit. Eduxit Israëli Salvatorem, i.e. Regem & Ducem, qui populum Dei electum liberet ab omni miseria & servitute.*

2. Becanus d.l. q.6. multis probat exemplis, *Apostolos, quando citant testimonia Mosis & Prophetarum, non semper citare ea tantum in sensu literali, sed quædam in sensu mystico, quædam per accommodationem.* (Non ergo sequitur, Dictum Psal.2.v.7. allegatur Act.13. v.33. & ad resurrectionem accommodatur. Ergo id fit in sensu literali. Distinguendum enim inter *sensum literalem ipsum* & inter *literalis sensus usum*. Dictum Psal.2. *Ego hodie genui te*, in sensu literali loquitur de æterna Filii Dei generatione, consequenter & illativè ex eo probari potest, tum *Christi resurrectio*, tum *æternum Christi Sacerdotium*, quamvis Act.13. non applicetur ad Christi resurrectionem, ut in Exegesi art. de person. Christi ostendimus.)

3. Suffragatur nobis hac in parte Cajetan. in cap. 13. Act. sic scribens: *Dixerat, Jesum esse Messiam testimonio Johannis Baptistæ, & ipsum esse illum, de quo facta est repromissio ad Patres antiquos, & ad hoc affert secundi Psalmi autoritatem testificantem divinitatem Messiæ, dicendo, Ego hodie genui te. Is enim, de quo semper verificatur, ego hodie genui te, Filius est æternus, nec temporaliter, sed æternaliter generatur.*

3. Esa.53.v.4. *Verè Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Illud Petrus interpretatur secundùm literam de nostris peccatis. 1. Epist.2.v.24. Matthæus de morbis corporalibus, quos Christus abstulit & sanavit.* cap.8. v.17. Salmeron d.l.

Resp.1. Jansenius in Concord. cap.28. *Etsi testimonium hoc ab Esaia potissimum dictum sit de infirmitatibus animorum, hoc est, de peccatis, & pœnis, quas pro his merebantur, ut satis patet ex iis, quæ apud ipsum sequuntur, atque ex Petri interpretatione, qui secutus LXX. prædictam autoritatem sic interpretatur, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum; Matthæus tamen, qui Judæis scribens, frequenter V.T. Scripturas factis circa Christum adaptat, hoc testimonium citat de infirmitatibus & morbis corporum, idq; apposite, non solum quod verba Prophetæ etiam quadrant in Christum, ratione curationis morborum corporalium, sed & ob id, quod morbi corporales & peccatorum sunt effectus & morborum animi typi quidam ac figuræ. Quare dum illis tollendis à quolibet se Dominus tam facilem præbuit, ostendere voluit, se multò faciliorem esse, ut sanet morbos animæ eorum, qui ab ipso petunt. Quo ita; Evangelista insinuaret, curatione corporali demonstratum esse curatorem mentis, quod de morbis animi præcipue dictum fuit, adaptat morbis corporis.* Similia occurrunt apud Sanctium in Comment. Esa.53. pag.587.

(Ergo Matthæus hoc dictum citat per *accommodationem*, non autem in *sensu literali*, unde Jansenius ab hac sua explicatione Cajetani sententiam sejungens, paulo post subjicit: *Cajetanus verò contendit, sensum testimonii hujus, ut à Matthæo citatur, esse sensum literalem Prophetæ Esaiæ.*)

2. Franciscus Lucas negat à Petro citari hunc locum: *Quod Apostolus Petrus* (inquit) *habet prioris Epist. 2. cap. v.24. potius id sumtum est ex versibus quinto, sexto, octavo, undecimo capitis quinquagesimi tertii apud Esaiam.*

(Et sanè à Petro neque ullus citatur locus, neque hujus loci verbum ullum, præter illud unicum *portavit.*)

4. Esai.53.v.8. *Generationem ejus quis enarrabit? Hoc dictum etiam secundam literam habet duplicem sensum, unum de æterna Christi generatione; alterum de temporali.* Salmero d.l.

Resp.1. Becanus d.l. q.5. *Multa sunt Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres variè interpretantur secundùm literam, sed inde non sequitur, plures esse sensus literales in illis testimoniis.*

2. Sanctius in Comment. h.l. pag.591. *Et veritati & textui maximè consentanea est illa expositio, ut generatio sit numerosa fidelium soboles, quam Christo atq; Ecclesiæ atq; adeò cœlo peperit tam acerba mors. Ita senit Lyra, Carthusianus & Salmeron in cap.8. Act.* Huic explicationi favent maximè verba, quæ à Propheta subjiciuntur: *Si posuerit pro peccatis animam suam, videbit semen longævum &c.*

(Ergò nec de *æterna*, nec de *temporali generatione* hoc dictum propriè in sensu literali agit, sed *de generatione spirituali*, ut vult Sanctius, vel quod textui convenientius, *de perenni duratione Christi* in statu gloriæ Rom.6. v.9.)

5. Dan.9. v.27. *Et erit in templo abominatio desolationis & usq; ad finem perseveravit desolatio. Hæc prophetia secundùm literam videtur intelligi posse, non solùm de desolatione Hierosolymitana, quæ futura erat sub Antiocho Rege 1. Maccab.1. v.57. sed etiam de ea, quæ futura erat post mortem Christi.* Salmeron d.l.

Resp. Pererius lib.10. Comment. super Daniel. cap.9. priorem interpretationem, sicque etiam Salmeronem rectè refellit duobus argumentis: Primò enim *Gabriel apud Danielem significat mala, quæ Judæis exactis jam 70. hebdomadibus contigerunt. illud autem Antiochi idolum positum est in templo Judæorum circa 41. hebdomadem, scilicet non minus 160. annis ante Christi adventum.* Secundò, *Gabriel affirmat, abominationem desolationis usq; ad finem, id est, in perpetuum mansuram: idolum autem illud non plus tribus annis stetit.*

Sextò, Joh. 11. v.15. *Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. In his verbis unus sensus erat Cayphæ, cum tamen alterum Johannes conceperit.* Salmeron Prolegom. 8. in Evang.

Resp.1. Chlichtovæus ad h.l. sic annot. *In propositione Cayphæ duplex continetur sensus, unus ipsius Cayphæ, qui modo explicatus est, expedire scilicet Christum mori per manus Judæorum, ne tota ipsorum gens à Romanis pereat, & his falsus est & impius.*

Et post: *Alter verò erat ejusdem propositionis sensus à Spiritu sancto intentus, expedire scilicet, unum Christum mori pro populo totius mundi salvando, ut non tota gens generis humani pereat interitu æternæ mortis. Et hunc neque intellexit Cayphas, neque intendit, suam tamen propositionem ita protulit, ut posset & hunc Spiritus sancti sensum aptè atque accommodatè designare.*

2. Consentiunt Jansenius & Maldonatus, ex quibus notandum: Primò Cayphæ sermonem fuisse ambiguum, ita ut in varios sensus deduci posset, neque enim ille expressit, quomodo expediret Christum mori. Secundò varios illos sensus esse variorum autorum, unum nempe Cayphæ, alterum Spiritus sancti, & ita ut neque sensum Spiritus sancti Cayphas intenderet, neque sensum Cayphæ Spiritus sanctus, utpote impium & falsum. Tertiò, cum sensus literalis ille sit, quem autor intendit, & verò hic sit geminus autor, hinc Cayphas, inde Spiritus sanctus, utrumlibet statuas, unicus erit sensus literalis. Novum enim non est, eadem verba pro variis autoribus varios sensus induere.

Septimò, Hab.2.v.3. *Quia adhuc visus procul & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit. Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet. Hæc dicuntur de primo Christi adventu, & tamen Paulus Hebr.10. v.36. de secundo interpretatur.*

Resp. Dionysius Carthusianus ad h.l. sic annotat. *Quia adhuc visus procul, id est, non statim implebitur, quod mihi de prænuntiata*

inducta quæstione Deus respondit vel revelavit; videlicet quod contemtores ac reprobos vult in præsenti ad tempus florere, donec impleatur in eis dejectio, quam talibus peccatoribus comminatus est Dominus.

(Ergo de *primo Christi adventu* non est specialiter eo loco prophetatum. Nec Paulus de *secundo Christi adventu* interpretatur, sed de constantia fidelium in expectandis Dei promissionibus. Itaque apud Paulum sensus literalis, qui apud Habacuc.)

8. Michaël Ghislerius in Præf. Comment. in Cant. Cantic. cap. 5. plures unius loci esse literales sensus, probare cupit ex Ps. 61. v. 12. *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia &c.* cujus dicti sensum statuit eum: *Una quidem locutione Deus locutus est, at per eam Dei locutionem duo ego audivi duplicemque ejusdem concepi locutionis intellectum. Intellexi enim, ipsum Deum potentissimum esse summopere misericordem, atque adeo reddere unicuique secundùm opera sua.*

Resp. 1. Glossa Ordinar. ex Augustin. in h. l. sic commentatur. *Contrarium videtur, Deum semel loqui & duo audiri. Quid etiam est, quod legitur: Multifarie multisque modis olim locutus est, &c. Sed inter homines multis modis, apud se semel, quia unum Verbum genuit, per quod omnia facta, & in quo omnia simul facta sunt, inter quæ duo hæc, quæ opus est dici, audivit: quamvis & alia multa audierit, quæ non est opus hic memorari. Duo illa sunt, potestas & misericordia, de quibus omnes Scripturæ, propter quæ Lex & Prophetæ; ipse Christus missus est & Apostoli.*

2. Lyranus ad h. l. sic annot. *Semel locutus est Deus, h. e. sine retractatione, quantum ad punitionem malorum in suo malo perseverantium, & præmiationem bonorum, ideo subditur. Duo hæc audivi, quia potestas Dei est ad puniendum malos, & tibi Domine misericordia ad præmiandum bonos.*

3. Johannes Lorinus, ad h. l. sic annotat. *Semel locutus est Deus. Hieronymus; Unum locutus est Deus. Potest & hoc significare Hebræum* אחת *& sensus esset, illud unum esse, quod reddet Deus unicuique secundum opera sua, quod unum deinde veluti distinguitur in alia duo, in potestatem ad mala puniendum, & in misericordiam ad præmiandum bona. Vel duo audire erit idem quod bis, id est, multoties, utpote cum variis modis & multis inculcetur idem in divinis literis, & suggeratur quoque menti nostræ à Deo &c.*

4. Subjicit quidem postea: Refert Genebrardus allegoricum Rabinorum hujus loci sensum *de uno Deo loquente, auditu autem duobus, quia una Scriptura duos delineat sensus, unum præceptum continet mysteria spiritualia, interius & occulte aliud quid latet sub exteriore literæ cortice.* Sed præterquam quod allegoriæ non præbeant solidum argumentum, & Rabinicæ expositiones non possint semper probari, notandum, quod nec Genebrardus, nec Rabini, *duos literales unius loci sensus* esse, dicant, sed *absolute & simpliciter* duos, literalem scil. unum & allegoricum sive mysticum alterum.

5. Hieronymus Baptista de la Nuza tract. Evang. 8. num. 137. adducit & approbat expositionem Augustini, quam ex Glossa Ordinaria allegavimus superius.

Thesis 4. Ex solo sensu Scripturæ literali ducuntur firma & efficacia in Theologicis quæstionibus argumenta.

Ecthesis. 1. Literalis sensus hic sumitur generaliter pro *Grammatico*, qui in *literalem propriè ac specificè sic dictum, & figuratum* alias distinguitur.

2. Non negamus, ex sensu mystico innato & ab ipso Spiritu sancto in Scripturis monstrato argumenta duci posse, sed ex mysticis sensibus in Scripturam illatis argumenta duci posse, negamus. Augustinus in Epist. 48. ad Vincentium Donatistam: *Quis non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat alibi manifestissima testimonia, quibus obscura illustrentur?* Bellarmin. rectissimè lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 10. §. 13. *Quamvis ex mystico sensu non soleat fieri solidum argumentum ad probanda dogmata fidei: tamen cum mysticus sensus in ipsa Scriptura exponitur, solidissimum argumentum conficitur, illa enim expositio mystici sensus Scripturæ veteris Testamenti non est mystica, sed literalis sententia Scripturæ Novi Testamenti.*

3. Non negamus, sensum *tropicum* verè explicatum, si ad rem docendam dextrè applicetur, veras gignere fidei δόγματα. Sed si figuratus sensus aliter quam ex scopo dicentis exponatur, tunc applicatio, quæ hinc desumitur, redditur vitiosa.

4. *Propriè & literaliter* aliquid intelligi potest duplici notione dici: Primò *adæquate*, ut de uno aliquo, nec de alio. Sic illud Johan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei*, de uno ac solo Christo literaliter intelligitur. Secundò *generaliter*, cum qui sensus verborum est generalis, lateque patens, uni cuidam ex ea universitate applicatur. Sic ad literam de Paulo verum est, quod Christus generaliter de omnibus fidelibus verbi præconibus dicit Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit.*

Antithesis. Azorius in Instit. moral. lib. 8. cap. 2. §. Decimò. *Quidam, inter quos est Medina, negant, tantum ex literali sensu argumentum efficax colligi ad fidei dogmata confirmanda, sed etiam ajunt, ex mystico multa argumenta desumi.*

Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. resp. ad 1. Chemnicii argumentum: *Ex figuris dogmata fabricari possunt, quando ex Scripturis juxta communem Patrum consensum intellectis colligitur explicatio. Non enim necesse est, ut semper Scriptura apertissimè loquatur, sed satis est, si ita loquatur, ut communem Patrum interpretationem secuti sententiam ejus assequamur, alioqui paucissima ac fere nulla essent dogmata certa in Ecclesia.*

Gretserus in Defens. Bellarmin. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. *ex spirituali sensu argumenta firma peti posse*, ait, *quandocunque nobis iste sensus, vel ex Scriptura* (hoc concedimus) *vel ex traditione Ecclesiæ communique sanctorum Patrum doctrina certò liquet, quod idem docere*, ait, *Gregorium de Valentia part. 1. in Thom. q. 1. p. 5.* (Hoc posterius negamus, quia Ecclesia non potest sensum *literalem* vel *mysticum* Scripturæ tribuere, quem illa non habuerit, ut rectè docet Acosta lib. 3. de Christo revelato cap. 11. Sed & circa prius hoc notandum, sensum mysticum constare nobis ex Scriptura & ex eo argumentum duci posse, duplici sensu accipi potest, vel quod possit aliquis locus *præter literalem sensum* etiam *allegoricè* explicari, sicut Paulus duas Abrahæ uxores explicat, ac tum argumentum sumi potest ab ea allegoria, at non tanquam ex autoritate Mosis, sed tanquam ex autoritate *Pauli*, atque ita argumentum est à sensu literali, nimirum Pauli: vel quod talis aliquis non sit, nisi *allegoricè*, hoc est, figuratè intelligendus, ac tum nihil ad rem à Gretsero dicitur, quia hic sensus est literalis.)

Praxis idipsum manifestè comprobat. Innocentius III. cap. solitæ. de majorit. & obœdient. ad Imp. Constantinopol. *Ad firmamentum cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, hoc est, duas dignitates instituit, quæ sunt Pontificialis autoritas & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, hoc est, spiritualibus, major est: altera, quæ noctibus, hoc est, carnalibus præest, minor, ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* (Hanc expositionem Molina tom. 1. de Just. & Jure tract. 2. Disp. 29. §. His prænotatis &c. tanquam *dignam Pontifice* allegat.)

Bonifacius VIII. in c. Unam sanctam. tit. eod. *Dicentibus Apostolis, Ecce duo gladii hic, in Ecclesia scilic. non respondit Dominus, nimis est, sed satis. Ergo in Ecclesia sunt duo gladii, spirituales videl. & temporalis.*

Turrecremata lib. 1. Summæ cap. 90. ex verbis 2. Reg. 7. *Stabiliam thronum ejus in sempiternum*, colligit, *semper duraturum regnum Pontificis.*

Hosius in Confess. Petricov. cap. 10. ex Esa. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* colligit, *signum crucis tribus digitis faciendum esse.*

Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 1. Psalmum octavum sic exponit: *Deus omnia subjecit pedibus ejus, hoc est, Pontificis Romani, Oves, hoc est, Christianos, Boves, hoc est, Judæos & hæreticos. Pecora campi, id est, paganos, Pisces maris, id est, animas in Purgatorio.*

Turrianus contra Sadeëlem p. 14. ex Esa. 49. *Pulverem pedum tuorum lingent*, deosculationem pedum Pontificis Romani colligit.

Alphonsus de Castro, *auricularem Confessionem* inde probat, quia *leprosos à se sanatos Christus jussit ostendere sese Sacerdotibus*, quod argumentum nec Bellarmino, nec Panigarollæ visum est indignum.

Cœlibatum Sacerdotum Bellarminus ex eo probat, quod *Aaron & filii ejus, cum ingrederentur tabernaculum, fœminalibus lineis à renibus ad femora usq; tecti fuerint.*

Hieronymus Platus lib. 1. de bono status religiosi cap. 7. per *Sodomam* Gen. 19. intelligit *seculum variis libidinibus & desideriis inflammatum, à cujus periculis, laqueis & insidiis sit fugiendum*; per *montem*, perfectionis culmen, videl. *Statum Religiosum* sive Monasticum. (At hac ratione in solo Statu Religioso esset salvatio.)

Panigarolla Discept. 6. part. 1. ex cap. 19. Exod. ubi Deus ad Mosen dicit: *Contestare populum, ne forte velit transscendere terminos, manifeste apparere* dicit, *ad montem Conciliorum, in quibus sermones habentur cum Deo, solos Sacerdotes ascendere debere.*

Idem ibid. part. 2. *Petrum Sedem suam Romæ fixisse*, probat ex cap. 5. Lucæ, ubi Christus Petro mandat, *ut reducat à terra pusillum, deinde ducat in altum, id est, suam ponat Sedem haud longius à promissa terra, id est, Antiochia, ibiq; maneat pusillum, id est, annis septem, postea ducat in altum, vastissima maria transeat, pergat ad gentium reginam, & super septem colles Sedem suam constituat.*

Stapletonus in Relect. princ. controv. 5. q. 1. art. 2. illud ipsum Christi mandatum, *Duc in altum*, sic explicat, *in profundum disputationum.*

Ibidem ambulationem Petri Matth. 14. sic explicat: *Primò calcavit Petrus aquas, id est, omnes hæreseon & persecutionum fluctus sola Petri Sedes calcabit. Secundò ambulatio super aquas designat universam Ecclesiam Petri potestati subjectam fore, qui non in certa navicula ac particulari, ut cæteri Episcopi in certa Diœcesi, sed super aquas ipsas indeterminate venit ad Christum.* (Sic ergo eædem aquæ simul & hæreses & Ecclesiam significabunt.)

Nostram sententiam probamus ex eo, quod is tantum sit Spiritus sancti sensus, quem Spiritus sanctus in verbis Scripturæ intendit ac monstrat. Sed *mystici sensus* in Scripturam illati non intenduntur, nec monstrantur à Spiritu sancto. Fundamentum fidei oportet esse immotum ac certum, sed mystici sensus in Scripturam illati sunt varii & incerti. Ergò non possunt præbere fidei fundamentum.

Nostræ huic sententiæ suffragantur,

c. Vino. dist. 37. ex Hieron. *Pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter Scripturarum verba accipiunt, quam Spiritus sanctus sonat.*

Thomas part. 1. q. 1. art. 10. *Solum sensum literalem*, dicit, *esse argumentativum. Omnes*, inquit, *sensus Scripturæ fundantur super unum sensum literalem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quæ secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in Epistola contra Vincentium Donatistam. Non tamen ex hoc aliquid deperit sacræ Scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi non manifeste tradat.*

Lyranus in cap. 1. Hebr. *Licet Scriptura habeat multiplicem sensum, non tamen habet efficax argumentum, nisi per sensum literalem, quia in argumento semper esset, vel æquivocationis, vel ambiguitatis fallacia propter sensuum multiplicitatem.*

Burgensis in addit. ad Proleg. Lyrani fol. 5. circa fin. *Attendendum est, quod sensus literalis sacræ Scripturæ tantæ capacitatis est seu virtutis, quod in eo continentur virtualiter omnia ad fidem seu bonos mores & virtutes pertinentia. Unde Magister, qui Patrum sententias brevi volumine compilavit, in cujus voluminis expositione Doctores postremi seu scriptores omnia quodammodo Theologica introduxerunt, in hujus sensus literalis testimoniis totum suum opus fundavit. Dicit enim in suo Prologo sic; Volumen, Deo præstante, compegimus ex testimoniis veritatis in æternum fundatis. Constat autem, quod testimonia veritatis in æternum fundata sunt testimonia sacræ Scripturæ secundum literalem sensum sumta, ex quo sensu solo testimonium potest accipi seu argumentum.*

Ibid. *Spiritualis expositio semper debet habere fundamentum ab aliqua literali expositione Scripturæ.*

Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. cap. 9. *Nulla expositio ad hæreses convincendas probabilem vim habet, nisi quæ verè, purè, germanè literæ sententiam explicat, proinde Augustinus, Quis non impudentissimè nitatur*, inquit, *aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat alibi manifesta testimonia, quibus obscura illustrentur?*

Ludovicus Vives in Comment. librorum Augustin. de Civ. Dei col. 792. *Nihil in sacris literis scriptum, quod morali & spirituali sensu aptari nequeat, illi tamen primi & genuini semper sunt servandi, alioqui magna sequeretur rerum omnium in pietate confusio. Nam hæretici omnia pro libitu suo, quo vellent, detorquerent. Sed Deus, cum dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, non corporale aliquid, quale cernimus, sed spirituale tantum spectavit, quid superest, nisi ut idem de bestiis intelligamus, quibus idem est præceptum?*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 100. *Mystici & allegorici sensus, quibus alii Scripturam peregrinis coloribus depingunt, docere certè ad plebis ædificationem aliquid possunt, ad aliquid verò vel confutandum, vel confirmandum nihil possunt. Nam adducat quis in certamen horum aliquem sensuum, citet etiam quantumvis gravem autorem, citet glossam, citet quamlibet sanctorum Patrum expositionem, non ita nos astringunt, quasi non liceat reluctari.*

Andradius lib. 2. Defens. Synodi Trident. *Sensus literalis solùm suppeditat argumenta ad religionis dogmata confirmanda.*

Gregorius de Valentia tom. 1. in Thomam col. 60. D. docet, *ordinarie & utplurimùm duci posse argumentum firmum à sensu literali, non autem à spirituali, quia scil. facilius ac frequentius constat de sensu literali, quàm spirituali*, (quæ pluribus ibidem explicat.)

Christophorus à Capitefontium cap. 3. de Eucharistiæ Sacramento: *Cum mysticus Scripturæ sensus, quem pro suo quisq; effingere potest ingenio, obscurus sit & incertus, hinc sane consequitur,*
ex illo nihil, quod ad fidei nostræ articulos pertineat, efficaciter aut ne-
cessario confirmari posse, nisi clarius & certius ex literali sensu testi-
monium habeatur, ad efficiendum, quod mystico sensu concludere
nitebamur.

Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 3. *Cum tot*
possint eidem literæ sensus accommodari, hoc advertendum est, nullum
eorum sensuum in argumentationem adducendum, nisi qui verè &
germanè literam explicat, quem literalem sensum nostri Theologi ap-
pellitant. Nam cum alii sensus intra literæ corticem magis lateant,
oportet, ut ratiocinatione & discursu & per quasdam rerum simili-
tudines deducantur, in quibus deducendis facilis est error, cum per hu-
manam inquisitionem hoc fiat &c. Ac literalis sensus patentior est,
cum ex vocum significatione, aut ex ejus conjunctissimo vicino hauria-
tur, quo fit, ut solus sensus literalis efficax sit ad dogma aliquod de-
struendum aut fulciendum. Sic enim ait Augustinus in Epist. ad Vin-
centium Donatistam, quæ est in ordine 48. Quis autem impudentis-
simè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi ha-
beat & manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur ob-
scura? Hæc ille. Beatus Hieronymus in 2. lib. Commentariorum su-
per Matth. pertractans de fermento à muliere absconso in farinæ satis
tribus, postquam retulit quorundam expositionem applicantium pa-
rabolam illam ad Trinitatem personarum, & unitatem essentiæ hæc
verba subjungit: Pius quidem sensus, sed nunquam parabolæ & du-
bia ænigmatum intelligentia potest ad autoritatem dogmatum profi-
cere. Ergò nullus sacræ Scripturæ sensus alius, quàm literalis effi-
cax est ad hæresin revincendam.

Idem lib. 4. adv. hæres. verbo Concilium. *Nullus sensus sacræ*
Scripturæ, ut in principio hujus operis diximus, efficax est ad fidem
reborandam & hæreticos revincendos, nisi ille literalis sit. Ex sensu
enim mystico nunquam potest sumi argumentum efficax contra hæ-
reticos.

Idem lib. 10. adversus hæreses: *Nullus sensus sacræ Scripturæ*
est efficax ad aliquam assertionem confirmandam, nisi solus sensus li-
teralis, non autem mysticus.

Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothec. cap. de usu & utilitate
Historicæ ac mysticæ expositionis pag. 140. *Nulla expositio ad*
probationem dogmatum inducta vim habet ac robur, nisi ea, quæ ve-
rè, purè & germanè literæ sententiam explicet. Nam cum aliæ ex-
planationes sensus intra literæ medullam abditos rimentur, indeque
eos ex quibusdam rerum similitudinibus extrahere conentur, facilè
ex similium rerum imaginibus falli possunt, præsertim cum hæc spi-
ritualium sensuum deductio & elucidatio, cogitatione, discursu &
inquisitione humani ingenii fiat, quod sæpe decipitur & crebro inte-
bus obscuris fingere solet ea, ad quæ animus potissimum est vel Natu-
ra, vel exercitatione propensior &c. inde Hieronymus in 2. Com-
ment. super Matth. pertractans de fermento absconso à muliere in fa-
rinæ satis tribus, postquam retulit quorundam expositionem appli-
cantium parabolam illam ad Trinitatem personarum & unitatem
essentiæ, hæc verba subjungit: Pius quidem sensus, sed nunquam para-
bolæ & dubia ænigmatum intelligentia potest ad autoritatem dogma-
tum proficere. Hæc ille. Sola igitur literalis ad veritatem fulcien-
dam & falsitatem destruendam valida est, quia cum ex prima vocum
significatione, vel ex vocibus translatitiis primæ significationis conjun-
ctissimas hauriatur, cæteris explanationibus patentior est & efficacior.

Vega lib. 9. de Justificat. cap. 44. ex Thoma. *Certum est,*
symbolica argumenta non esse argumentativa. Ex sensu mystico ar-
gumentum efficax ad res fidei comprobandas non sumi communis est
Theologorum sententia.

Salmeron. in Prolegom. 9. quinquag. 1. can. 7. *Tripliciter*
aliquid in Scriptura esse dicitur, aut quia est expressè in ea conten-
tum & in sensu literali. Deinde omne, quod virtute in ea contentum
est &

est & necessaria consequentia extractum. Atque his duobus modis agere licet in hæreticos. Tertiò continetur eminenter id, quod probabili consequentia infertur, vel ad eam intelligendam, vel ad implendam ordinatur. Nam medium in fine continetur. Atqui ejusmodi extractis conclusionibus ædificatur fidelis, non convincitur protervus.

Idem Prolegom.19.can.5.pag.345. *Nihil est sub sensu literali alicui loco tribuendum, quod non per alium locum in sensu literali manifestè traditum inveniatur.*

Et paulò ante p.340. *Ex solo literali sensu efficacia argumenta accipi possunt ad comprobanda fidei dogmata, vel ad refellendos errores.*

Id.Salmer.Disp.6.general.lib.1. super Epistolas. *Assumit* (Apostolus) *argumenta utplurimum à Scripturis, atque illis egregiè disputat ad quodvis persuadendum in sensu literali.*

Et postea: *Quandoque tamen ex mystico sensu argumenta deducit, præsertim agens cum fidelibus. Nam etsi ejusmodi argumenta apud Judæos refractarios & infideles firma & solida non sint, apud Judæos tamen ad Christum conversos suam & probabilitatem & firmitatem habent.*

Et iterum in Epist.ad Rom. Disput.34. *Etsi Apostolus sensus mysticos, vel allegoricos interdum adhibeat, quando cum fidelibus agit: ubi tamen de fide & dogmatibus disserit cum Adversariis, iis sensibus nõ utitur, aut apertè exprimit, se allegoricè & in figura loqui.*

Hieronymus Lauretus Cervariensis Abbas Guixolensis, numerosus ille allegoriarum architectus, in aditu ad Sylvam allegor. sic scribit: *Primum jaciendum est fundamentum literæ, ut veritas Historiæ teneatur, ne falso fundamento allegoria innitatur. Corruet tota allegoriæ machina, si non veritas Historiæ teneatur. Deinde id cavendum, ne allegoria coacta, violenta ac detorta proferatur, sed quæ maximè cum Historia congruat &c. Licebit autem cuique supra fundamentum literæ allegoriam formare, modo pietati congruat, nec ab alio loco, qui in Scriptura habetur, diffideat. Illaque est optima allegoria, quæ per alium locum Scripturæ comprobari potest. Estque habendum pro regula, quod ait Petrus apud Clementem: Sunt multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad suum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumsit, quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleris, alienum & extraneum, debes quærere, quem ex Scripturarum autoritate confirmes, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.*

Bellarminus lib.3. de Verbo Dei cap.3. §. Sed quanquam. *Convenit inter nos & Adversarios ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam cum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum est, sensum esse Spiritus sancti. At sensus mystici & spirituales varii sunt, & licet ædificent, cum non sunt contra fidem aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint à Spiritu sancto intenti. Quocirca B. Augustinus in Epist.48. ad Vincentium, meritò ridet Donatistas, qui ex illis verbis mysticè explicatis, Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, colligebant, Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse. Hieronymus quoque in Commentario cap.13. Matth. docet, fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari.*

Idem lib.3. de Rom. Pontif. cap.12. disserens de loco Genes.49. *Erit Dan sicut coluber: Quod si ad Antichristum allegoricè accommodetur, non poterit argumentum duci nisi probabile, quale ex mysticis sensibus ducitur.*

Idem lib.2. de grat. & lib. arbitr. cap.11. §. Respondeo. *Quamvis ex mystico sensu non soleat fieri solidum argumentum, tamen cum mysticus sensus in ipsa Scriptura exponitur, solidissimum argumentum conficitur, illa enim expositio mystici sensus Scripturæ Vet. Testamenti non est mystica, sed literalis sententia Scripturæ Novi Testamenti.*

Ludovicus ab Alcasar in cap.11. Apocalyps. *Ex Dionysio supponimus, quod Theologia Symbolica non sit argumentativa.*

Johannes Stephanus Menochius in Præfat. annotat. in Biblia cap.24. *Ex sensu mystico æquè firmum argumentum peti potest, atque ex literali, si constet, eum sensum verum esse & à Spiritu sancto intentum. Plerumque autem ex hoc sensu desumta argumenta infirma sunt, quia nescimus, an ille sit verus sensus mysticus. Constat autem, aliquem esse verum sensum mysticum, vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel ex consensu Patrum & Ecclesiæ Doctorum.* (De Scriptura concedimus, de Conciliis & Patribus negamus.)

Huc referri potest, 1. quod quidam ex Pontificiis improbant perversum illum Sacras Scripturas interpretandi modum, quando relicto *sensu literali ad mysticum decurritur, vel plures mystici sensus eruuntur*, eo ipso enim manifestum faciunt, quod *ex solo literali sensu*, utpote à Spiritu sancto intento, *firma argumenta colligi posse* statuant.

Jacobus Bonfrerius Profess. Duacenus in Præloq. super quinque libros Mosis cap.20. sect.3. scribit, *sensus illos mysticos, qui à multis afferuntur, sola ferè conjectura niti, cum aliunde non constet, eos Spiritum sanctum intendisse, atque adeo utplurimum minus utiliter in his operam poni, quàm in sensu literali, propterea quod plerunque in his multa ingenii humani figmenta venditentur pro mysticis sensibus, qui veri sensus non sunt, nec à Spiritu S. intenti.* Ibidem culpat eos, *qui in sensibus mysticis sunt nimii, ut qui in nominibus allegorias, vel sensus morales extundere student, idque plerunque violenter & nulla habitudine vel proportione ad sensum literalem, multoque magis eos, qui ita insistunt allegoriis, ut sensum literalem destruant.*

Pererius lib.1. in Genes. *Sensus mysticus & allegoricus præterquam quod non est ad docendum quippiam probandumque satis idoneus & firmus, est etiam varius, multiplex & incertus, tantaque in varietate constitutus, quanta est hominum ad eos sensus fingendos solertia & ubertas ingenii.*

2. Huc referri quoque possunt dicta, in quibus rectè monent, *à literali verborum sensu in Scripturæ expositione non esse discedendum, nisi manifesta rei absurditas ac perspicua Scripturæ in contrarium autoritas cogat.*

Bellarminus lib.1. de Missa cap.12. §. Sed ista. *Non oportet negare proprium & genuinũ sensum literæ sine urgentissima ratione.*

Idem lib.1. de Eucharist. cap.12. §. Sed tota. *Cur sequamur proprium sensum, non debent à nobis petere Adversarii. Simile enim id esset, ac si quis quæreret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem, & tritam, vel cur ingrediantur per portam, non per fenestram.*

Maldonatus in Matth.8.v.12. *Quod propriè interpretari possumus, per figuram interpretari incredulorum est hominum, q. fidei diverticula quærentium.*

Idem in cap.26. Matth. *Cur non & ibi figuras quæsivit* (Calvinus) *ubi Marcion, ubi Arius, ubi Manes, ubi Origenes?*

Salmeron Prolegom.12. can.13. tom.1. oper. *Cum sensum literalem ex vocibus propriè acceptis commodè habere possumus, non est opus ad tropicas & figuratas locutiones decurrere.*

Toletus in cap.10. Luc. *Quando sensus literalis potest haberi ex significatione verborum propria, non est recurrendum ad figuram.*

Suarez tom.2. lib.2. de Stat. Relig. c.10. *Improprietas verborum admittenda non est sine magna ratione & autoritate.*

Leonhardus Lessius in Disput. de Antichristo demonstr. 12. *Regula generalis est, non esse recedendum à verborum proprietate in exponendis Scripturis, nisi aliquid ad hoc cogat, alioqui nihil erit certi.*

Petrus Michaelis Jes. lib. de controv. Euchar. Dial.2. cap.5. *In articulis fidei à clara Scripturæ litera non est recedendum, nisi vel clarior Scriptura, vel analogia fidei, vel scopus ac contextus, seu antecedentia & consequentia cogant.*

Argum. Advers. *Apostoli non solum ex literali, sed etiam mystico Scripturæ sensu argumenta ducunt.* Hebr.1.

Resp.1. Acosta lib.2. de Christo revelato cap.18. *Apostoli, si quando in citandis Scripturis, quod rarum est, sensum mysticum adhibent, cum prophetias impletas dicunt, perspicuum esse omnibus legem scientibus supponunt, quod revera perspicuum & certum erat ex ipsis Scripturis.*

2. Salmeron in Epist. Pauli in genere Disp.6. §. Quandoque. *Paulus quandoque ex sensu mystico argumenta deducit præsertim agens cum fidelibus, quæ apud Judæos refractarios firma & solida non sunt, apud conversos tamen suam probabilitatem habent, quæ apud simplices solent esse plausibiliora, quod facilius illis & suavius erudiantur, hinc raræ sunt apud Paulum allegoriæ.*

Idem in Comment. Hebr.1. Disput.7. §. Idem. *Valent rationes à sensu mystico & probato, non autem ita à mystico & voluntario pro cujusque cerebro. At sensus mysticos ab Apostolo assignatos nemo potest respuere, quia illorum veritatem signa, quibus coruscabant, & sapientia doctrinæ, & vitæ sanctitas testabantur & commendabant.*

3. Azorius lib.8. Institut. moral. cap.2. *Tum valet ad confirmandam fidem mysticus sensus, cum ex aliquo Scripturæ loco planè constat, quales sunt mystici sensus, quos Paulus & alii Apostoli explicarunt.*

4. Ribera in Comment. Hebr. cap.1. num.45. ex Michaele Medina lib.6. de recta in Deum fide cap.25. respondet, *in omnibus disciplinis id moris esse, ut cum argumentis certioribus etiam probabilia afferantur, hoc persæpè fieri in Evangelio & Epistolis, & in reli-*

reliqua Scriptura, etiam cum argumenta necessaria non praecedunt. Argumentantur enim nunc à simili, nunc à majori, nunc à minori, à contrariis, à causis, ab effectu, ab etymologia &c. quod dicitur, rationes è mystico sensu productas non valere, intelligi debere de eo sensu, quem sibi quis voluntariè confinxit, sed si educantur è sensu recepto atque approbato, non minus validas esse, quàm quae è sensu Historico educuntur &c. sensum mysticum Natura sua minus ad confirmationem valere, quàm Historicum, sed ex accidenti non valere aut quia nobis ignotus est, aut non constat illis, quibuscum disputamus, illum esse verum sensum &c. Non reprehendendi sunt Apostoli, qui argumentis ex mystico sensu utuntur, sed magnopere laudandi, quoniam non tam argumentari saepè voluerunt, quam ostendere nobis per Spiritum, quo pleni erant, divina mysteria sub humili cortice literae latentia, & introducere nos ad thesaurum absconditum. & ut certior esset fides nostra, & major laetitia atque exultatio, dum N.T. est mysteria dictis & factis veterum Patrum praedicta, & ante multos annos q. depicta videremus.

Thesis 5. In fidei articulis etiam consequentiae ex Scriptura sacra deductae sunt admittendae.

Ἔκθεσις. Ex illis, quae scripta sunt, non quidem temerè colligenda, quae non sunt scripta, interim tamen consequentias legitimas & necessarias in articulis fidei rejicere minimè possumus. Distinguimus ergò inter consequentias temerarias & necessarias; veri speciem duntaxat habentes, & veras; ἀπαιδεύτως, & legitimas. Illas repudiamus, has acceptamus, dicentes cum Nazianzeno lib. 5. de Theolog. *Quae colliguntur ex Scripturis, perinde sunt habenda, ac si in illis scripta essent.* Item, *quaedam in Scripturis sunt, licet in illis non dicantur*, ea scilicet, quae immota & necessaria consequentia ex illis, quae apertè in Scriptura posita sunt, colliguntur.

Antithesis. Jesuitae quidam in Gallia Gonterius Arnoldus & Veronius, secuti manuductionem Cardinalis Perronii à Protestantibus exegerunt, ut totidem verbis in Scripturâ suam doctrinam extare probarent.

In Colloquio Durlacensi Adversarii postularunt, ut propositiones negativae in ipsis formalibus, & ut loquuntur, in terminis terminantibus ex Scriptura demonstrarentur, verbi causa, *non esse Purgatorium, non esse invocandos Sanctos.*

Hector Pintus in cap. 8. Esai. p. 94. *Ubi quaeso invenisti, non esse credendum, nisi quod est in sacra Scriptura? Lege totam eam à principio Geneseos usque ad finem Apocalypsis, nusquam talem invenies propositionem. Non est igitur credenda haec tua propositio, si verum est, quod dicis, id solum credendum, quod est in sacris literis scriptum, divinisque literis consignatum.*

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiae cap. 15. §. Probatur &c. sic disserit. *Virginem Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, non repugnat expresso Dei Verbo &c. ut vel ex eo perspicuum esse potest, quod nullus Adversariorum adhuc locum ullum Scripturae &c. protulit, ubi disertis verbis legatur, B. Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptam.*

(At si huic discursui vis aliqua probandi inest, praesupponendum fuerit, consequentias ex generalibus Scripturae dictis, quae testantur, omnes homines secundum communem Naturae cursum genitos, nasci in peccato originis, petitas, non esse admittendas.)

Thomas Henrici Jes. Disp. de Ecclesia q. 7. p. 61. *Utinam perpenderent diligenter omnes, non esse credendum Praedicantibus, quando non purum putum Dei verbum sine suis interpretationibus & consequentiis loquuntur! procul dubio viderent, quam vana sit eorum jactantia, qua gloriantur, nihil aliud se docere, quam nudam & meram Scripturam.*

Sed & alia ratione Pontificii labefactant consequentias ex Scriptura petitas, dum ea, quae per consequentias ex Scripturis colliguntur, ad traditiones, & non ad Scripturam pertinere ἀπαιδεύτως statuunt. Jac. Gordon. Huntlaeus tom. 1. Epit. controv. 1. cap. 32. p. 140. *Quae ex Scripturis colliguntur, ad traditiones pertinent potius, quam ad expressam Scripturam. Quod enim consequenter duntaxat & per argumentationem colligitur ex Scriptura, etiamsi necessariò & rectè colligatur, non habetur expressè in Scriptura, sed solummodo latenter, tacitè & implicitè.*

Nostram sententiam probamus,

1. *ex Christi mandato*, Joh. 5. v. 39. dicit Christus ad Judaeos: *Scrutamini Scripturas, quia illae sunt, quae testificantur de me.* v. 46. *Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi, quia de me ille scripsit.* Quaestio erat, an Jesus Nazarenus sit promissus Messias? Christus jubet, ut ex Scriptura ejus decisio petatur. Id verò aliter fieri non poterat, nisi per legitimam aliquam consequentiam & quidem talem: Cui omnes proprietates & omnia requisita Messiae à Mose & Prophetis annotata conveniunt, ille est verus promissus Messias. Huic Jesu Nazareno conveniunt omnes proprietates & omnia requisita Messiae à Mose & Prophetis annotata. Ergò est verus Messias.

2. *ex probato Sanctorum exemplo.* Lev. 10. v. 3. cum Nadab & Abihu propter ignem alienum ad sacrificia adhibitum à Domino occiderentur, Moses verba Domini refert, *In propinquis meis sanctificabor*, hoc est, per poenam Sacerdotibus mihi appropinquantibus irrogatam manifestum faciam, quanto zelo expetam sanctitatem. Nec tamen iisdem verbis hoc à Domino erat dictum, sed talibus, ex quibus Moses id colligere poterat, Lev. 8. v. 35. *Custodietis custodiam Domini, ne moriamini.* Christus cum Pharisaeis, Scribis & Sadducaeis de summis fidei mysteriis disputans per consequentias egit. Sic Matth. 21. v. 16. probat, pueros in templo sibi acclamantes, *Hosanna filio David*, rectè facere, quia scriptum sit Psal. 8. v. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudem.* Matth. 22. v. 32. *resurrectionem mortuorum* contra Sadducaeos probat ex loco Exod. 3. v. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob, Deus autem non est mortuorum, sed viventium Deus.* In eod. cap. Matth. v. 43. & seqq. de persona sua cum Pharisaeis disputat per consequentias. *Si Christus est filius Davidis, quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum? Si Dominum vocat eum, quomodo filius ejus est?* Apostoli in quaestione *de Messia* Act. 2. v. 29. *de justificatione* Act. 10. v. 43. *de abrogatione legum Leviticarum*, Act. 15. v. 8. per consequentias veritatem probant. Apollo *convincebat Judaeos εὐτόνως per Scripturas ostendens, Jesum Nazarenum esse Christum*, Act. 18. v. 28. id verò non nisi per consequentias fieri poterat. Paulus *confundebat Judaeos* Damascenos *συμβιβάζων collatis Scripturae testimoniis demonstrans, Jesum esse Christum*, sicut artifices aliquid compacturi solent singulas partes inter se aptare, ut ad amussim invicem quadrent; quin & constanter asserit Act. 26, 22. *se nihil docere extra ea, quae Moses & Prophetae futura esse praedixerunt.* Jam v. quae Paulus docuit, non extant omnia κατὰ ῥητὸν ac totidem verbis in Mosis ac Prophetarum scriptis. Ergò per consequentiam ex illis ea deduxit. 1. Cor. 15. v. 12. & seqq. illos, qui inter Corinthios negabant resurrectionem mortuorum, refellit per enumerationem falsorum & incommodorum ex negatione resurrectionis consequentium.

Huic nostrae sententiae suffragantur,

Nicolaus Lyranus in Praefat. super lib. Tobiae part. 2. fol. 283. *Libri sacrae Scripturae, qui Canonici nuncupantur, tantae sunt autoritatis, ut quicquid ibi continetur, verum teneatur firmiter & indiscussè, & per consequens illud, quod ex hoc concluditur manifestè. Nam sicut in scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: Sic in Scripturis à Catholicis Doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea, quae sunt fide tenenda, per reductionem ad scripturas sacrae Script. Canonicas, quae sunt habitae revelatione divina, cui nullo modo potest subesse falsum.* (Ergo ut in Philosophicis, ita quoque in Theologia locus datur consequentiis.)

Paulus Burgensis in addit. ad Prolog. Lyrani fol. 6. *Considerandum, quod non omnia, quae secundum sensum literalem ex sacra Scriptura habentur, sunt immediata, sic quod ex primaria literarum significatione intelligantur, sed requiritur quandoque additio alicujus veri, ex quo vero adjuncto sensui literali aliud verum deducatur. Sicut cum Christus Luc. 20. ex testimonio literae dicentis, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, concludit contra Saducaeos, aliam vitam esse negantes hominum post praesentem, sic arguens: Est Deus mortuorum vel vivorum, q. d. cum ex sensu literali habemus de Deo, quod sit Deus Abraham &c. & ratio dictat, quod Deus dicitur esse Deus respectu alicujus existentis in rerum Natura, ergo sequitur, quod Abraham & Isaac essent in rerum Natura, quod negabant Saducaei. Constat autem quod haec conclusio non deducitur ex sensu illius literae, Deus Abraham, Deus Isaac &c. nisi addatur propositio alia vera supradicta & sic patet intentum. Et potest etiam contingere, quod talis conclusio ex una deductione, vel ex pluribus successivis ex sacra litera concludatur, sicut contingit in scientiis seu artibus humanis liberalibus, quod aliquae conclusiones statim à primis principiis naturaliter notis deducuntur. Aliae vero ex multis mediis invicem ordinatis, ut est manifestum. Sensus ergo literalis verus, qui ex primaria significatione literae consurgit, dicendus est primus sensus literalis. Alii vero subsequentes sunt sensus secundarii, quorum certitudo à certitudine primi sensus dependet, quia sensibus secundariis est certior, sicut prima principia naturaliter nota caeteris ab eis deductis certiora sunt.*

Ruizius

Ruizius in regul. intell. Scripturam reg. 74. *Quæ colliguntur ex Scripturis sacris, perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent*; ex Gregorio Nazianzeno lib. 5. de Theolog. Addit autem ibidem Ruizius: *Apertus est regulæ sensus, modo non sit obratiocinatio, quæ plerunque parum attentos aut inexercitatos fallere solet.*

Jodoc. Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. artic. 30. pag. 757. citat & approbat illud Anshelmi Cantuariensis de process. Spiritus sancti contra Græcos. *Nos non tantum suscipere cum certitudine debemus, quæ in sacra Scriptura leguntur: sed etiam ea, quæ ex his, nulla alia contradicente ratione, rationabili necessitate sequuntur.*

Campianus rat. 9. *Logomachia est, cum de sensu constat, de verbis litigare. Quid? Trinitas & persona in Bibliis non sunt, quia voces istæ non sunt?*

Salmeron in Prolegom. 9. quinquagen. 1. can. 7. tom. 1. Oper. *Tripliciter aliquid in Scriptura esse dicitur, aut quia est expresse in ea contentum & in sensu literali. Deinde omne quod virtute in ea contentum est & necessaria consequentia extractum. Atque his duobus modis agere licet in hæreticos.*

Idem in Comm. 1. Timoth. 2. Disp. 7. §. 4. *Nonne Christus Matth. 22. ex collectione Scripturarum resurrectionem probavit?*

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. §. 2. *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur.* (Ergo de fide est, non solum quod in Scriptura expresse legitur, sed etiam quod ex Scripturis evidenter seu manifesta consequentia deducitur.)

Lib. 2. de Conciliis cap. 12. §. Sic etiam. *Cùm Nicenum Concilium definivit, Christum esse homousion Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus disertè continetur, unum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum, ex quibus sequitur necessario, Patrem & Filium ejusdem esse substantiæ & divinitatis. Et similiter Concilium sextum tum definivit, in Christo duas esse voluntates divinam & humanam, deduxit conclusionem ex Scriptura, in qua habetur, Christum esse perfectum Deum & perfectum hominem.*

Lib. 1. de Purgatorio cap. 15. §. Hæc sunt &c. *Dogmata fidei quatuor modis probari solent, 1. ex testimonio expresso Scripturæ cum Ecclesiæ declaratione. 2. per evidentem deductionem ex iis, quæ habentur expresse in Scriptura. 3. ex verbo Dei per Apostolos non scripto, sed tradito. 4. per evidentem deductionem ex verbo Dei tradito.*

Lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 11. §. Ad quæ &c. *Ea, quæ evidenter deducuntur ex articulis fidei, pertinent etiam ad fidem.*

Lib. 3. de Justificat. cap. 8. §. Prima ratio. *Non potest aliquid esse certum certitudine fidei, nisi immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi verbi divini autoritate nitatur.*

CAPUT IV.

De Scripturæ Canonicæ integritate.

Superius in Confessione generali ostendimus, *Scripturam* in tradendis ad salutem necessariis *esse perfectam*, neque assumento *traditionum* indigere; eandem esse *normam & vocem judicis supremi atque infallibilis* in omnibus fidei controversiis. Quia verò Pontificii duobus præcipuè argumentis Scripturæ perfectionem impugnant, quorum prius est, *quod libri aliqui verè Canonici perierint*; posterius, *quod Apostoli non habuerint scribendi mandatum*, ideo de utroque hoc loco seorsim agemus.

Thesis prima. Libri à Prophetis & Apostolis in Canonem relati & ab Ecclesia in Canonem recepti adhuc omnes extant.

Exthesis. 1. Distinguimus cum Augustino lib. 18. de Civ. Dei cap. 38. *inter libros Historicos*, quos sancti Dei homines, ut homines, diligentiâ Historicâ ad ubertatem cognitionis scripserunt; & *Propheticos*, quos, ut Prophetæ, divina inspiratione ad religionis autoritatem, in qua Canon custoditur, scripserunt.

2. Distinguimus cum eodem lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. inter libros *sacros*; & *Canonicos* specificè sic dictos, hoc est, ad fidei universalis Canonem pertinentes, in Canonem à Prophetis relatos & ab Ecclesia receptos. *In magna multitudine Prophetarum perpauci ea scripserunt, quæ autoritatem Canonis obtinerent*, inquit idem lib. 17. de Civ. Dei cap. ult. Si vel maximè probari posset, quosdam non solum *Historicos*, sed etiam *sacros* Prophetarum libros amissos esse, nondum tamen sequeretur, quosdam libros *Canonicos* specificè sic dictos amissos esse.

3. Si vel maxime probari posset, libros quosdam olim verè Canonicos amissos esse, quod tamen probari nequit, nondum evictum foret, Canonem Scripturæ esse imperfectum. Nam ex illis libris, qui adhuc supersunt, nihilominus sufficienter peti posset doctrina Christiana.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. §. Quod autem. *Multi libri verè sacri & Canonici perierunt, igitur non habemus, nec habuimus à mille quingentis annis sufficientem doctrinam, si tota sita est in Scripturis. Nam ex V. T. multos libros periisse, docet Chrysostomus homil. 9. in Matth. in illud, Nazaræus vocabitur. Idem docet homil. 7. in 1. Corinth. Probatur hoc ex Scriptura 1. Paral. ult. Gesta autem David priora & novissima scripta sunt in libro Samuel videntis, & in libro Nathan Prophetæ atque in volumine Cajad videntis, 2. Paral. 9. Reliqua opera Salomonis scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ & in libris Abiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis. 3. Reg. 4. Locutus est Salomon tria millia parabolarum & fuerunt carmina ejus quinque millia. Ubinam sunt hæc omnia? Ex N. T. certum est periisse Epistolam Pauli ad Laodicenses, cujus ipse meminit Coloss. ult. & fortè aliam ad Corinth. cujus mentio fieri videtur 1. Cor. 5. & facilè potest fieri adhuc aliqua alia periisse.*

Sanctius in 1. Regum cap. 10. num. 59. *Ut alii libri plurimi ex Scriptura sacra perierunt, ita etiam, Domino juxta infinitam suam sapientiam permittente, liber iste Samuelis, cujus mentio fit 1. Reg. 10. v. 25. interiit. Scripti fuerunt sacri libri, quorum Scriptura sacra sæpè meminit, neque illorum aliquid est reliquum, præter nomen. Liber bellorum Domini citatur Numer. 21. liber justorum Josu. 10. quinque millia Canticorum Salomonis 2. Reg. 4. ibidem de rerum naturalium Disputationibus. Liber lamentationis Jeremiæ in Josiæ funere 2. Paral. 35. & alii plurimi, quorum tantum superest memoria.*

Idem statuit Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 5. & alii, referente Bonfrerio Præloq. in Pentateuchum.

Becanus in libro de Judice controvers. idem multis exemplis nititur confirmare.

Gulielmus Bailius in Catech. controvers. tract. 1. q. 1. *Hujus sacri libri* (Scripturæ Canonicæ) *periere multæ partes pulcherrimæ. Cujus rei nullam aliam volo probationem, præter eam, quam ipsæ Scripturæ sacræ subministrant. Hinc illæ lachrymæ & querelæ S. Chrysostomi homil. 9. in S. Matth. & 7. in 1. ad Corinth. Ubi sunt tria millia parabolarum & quinque millia carminum Salomonis, quorum meminit cap. 4. tertii libri Regum? Ubi liber Prophetæ Nathan & Gad videntis volumen, de quo cap. ultimo lib. 1. Chronicorum? ubi libri Abiæ & Addo Prophetæ, de quibus 2. Chronicorum cap. 9.? ubi Epistola ad Laodicæos, quam ipse Paulus ad Coloss. scribens cap. ultim. citat?*

Postea concludit. *Quis certos vos fecit, ea, quæ apud vos in dubio ponuntur, non fuisse ibi perspicuè decisa?*

Adamus Conzen in q. Proœm. 5. in quatuor Evangel. secutus *Præceptorem suum*, quem ita vocat, *Nicolaum Serarium*, cap. 8 q. 14. Proleg. Biblicorum, recenset 23. libros sacros amissos. *In ipsis*, inquit, *divinis Scripturis memorantur libri* (insignes amissi) *numero penè 20. aut 19. Primus, liber bellorum Domini, Numer. 21. v. 14. Secundus, liber Justorum seu liber Recti Josu. 10. v. 13. & 2. Reg. 1. v. 18. Tertius, liber Proverbiorum seu rerum gestarum Salomonis, 3. Reg. 11. v. 4. Quartus, liber verborum Regum Israel 3. Reg. 14. v. 19. & cap. seq. Quintus, liber verborum* (gestorum) *Regum Juda ibid. v. 24. Sextus, Samuelis libri, 1. Paralip. cap. ult. Septimus, alius quidam ejusdem Samuelis liber 1. Reg. 10. v. 25. Octavus, Nathanis 1. Paral. 29. v. 29. & 2. Paral. 9. v. 29. Nonus, Gad Prophetæ, ibidem. Decimus, Abiæ Prophetæ, 3. Reg. v. 18. & apertius 2. Paralipom. 9. v. 29. Duodecimus, Jehu Prophetæ, 2. Paralipom. 20. v. 34. Decimus tertius, Chozai Prophetæ, 2. Paralip. 33. v. 19. Decimus quartus, Salomonis tria millia parabolarum, 3. Reg. 4. v. 32. Decimus quintus, ejusdem Cantica quinquies mille, ut habet ibidem mendosus Latinus textus & Græcus LXX. licet uti correctus Latinus ex Hebræo, malint fuisse tantum Cantica quinque super mille. Decimus sextus, ejusdem Physica de plantis, arboribus, & aliis, ibidem. Decimus septimus, liber Enoch, ut ex sancti Judæ Epistola S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. colligit, & lib. 18. cap. 18. aliique plures. Decimus octavus, Epistola Eliæ Prophetæ, quam vel ante mortem, ut in Concentu suo Hugo Brugthonus, vel post mortem ad Regem Israelis misit 2. Paral. 21. Josephus lib. 9. cap. 2. & Seder Holam, hoc est, liber Seculorum cap. 17. Decimus nonus, Jeremiæ descriptiones 2. Maccab. 2. v. 1. Vigesimus, Johannis Hyrcani liber dierum 1. Maccab. ult. v. 24. His addi possent 1. liber Eldad & Medad apud Athanasium in Synopsi. 2. In eadem Synopsi Psalmus unus ultra centum & quinquaginta Psalmos, qui in Græcis exemplaribus & in Græcorum etiam Horologio legitur. 3. Testamentum Mosis, & alii in eadem Synopsi, aliisque autoribus pluribus.*

Nostram hanc sententiam probamus,

1. *à divina providentia*, quæ non permisit, ut libri Canonici proprie & specifice sic dicti, ad totius Ecclesiæ salutem & utilitatem scripti, interirent.

2. *à fideli Israelitica Ecclesiæ custodia.* Qui libri eo fine à sanctis Dei hominibus scribebantur, ut essent pars Canonis, illi ad Sacerdotes delati in latere arcæ fœderalis reponebantur, & summâ diligentiâ asservabantur, ut nullum amissionis periculum ipsis immineret. Si statuitur, illorum librorum, quos Deus in Canonem & Ecclesiæ thesaurum voluit olim inferri, quenquam desiderari, vel Dei providentia, vel Ecclesiæ saltem fides & diligentia in dubium vocari posset, quæ tamen oracula divina sibi *concredita* habuit, Rom.3.v.2.

3. Huc referri possunt reliqua argumenta, quibus superius demonstravimus, libros sacros non fuisse tempore Babylonicæ captivitatis deperditos.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam disertis verbis docent, nullos libros Canonicos proprie & specifice sic dictos periisse.

Salmeron tom.1. Comment. in N. Testam. Prolegom.9. can.4.p.93. postquam enumeravit libros, qui deperditi judicantur, suam de illis sententiam hisce verbis explicat: *Mihi probabilius longe videtur, libros illos deperditos nunquam fuisse Canonicos, etiamsi paratus sim mutare sententiam, si quisquam solidis rationibus contrarium evicerit. Hoc porrò ad credendum his adducor rationibus: Prima est, quia ut ait Origenes homil.1 in Cant. Cantic. illi libri de medio sublati sunt à Spiritu sancto, vel quod aliqua continerent, quæ supra humanam sunt intelligentiam, vel quia apocryphi erant & falsa quædam contra fidem continebant. Prior ratio nulla est, quoniam Prophetica scripta quamplurima supra captum humanum continere solent, nec Deus dona, quæ semel contulit, Ecclesiæ suæ revocare consuevit, sed potius conservare & augere. Si igitur ob hanc causam non sunt exclusi ab autoritate Canonica, superest secunda, nim. quod essent libri Apocryphi & multa incerta & inconstantia continerent. Deinde, constat, Salomonem tria millia Parabolarum & Carmina quinque millia locutum fuisse, & disputasse super lignis à cedro, quæ est in Libano usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, ac disseruisse de jumentis & volucribus & reptilibus & piscibus, ut asserit tertius liber Regum in fine cap.4. Constat autem, hos posteriores libros omninò intercidisse, & ex tot libris parabolarum & carminum non nisi paucas parabolas & Canticum Canticorum ad nos pervenisse. Quia etsi fortassis divina sapientia essent conscripti, non tamen utiles judicati sunt, ut Canonicam autoritatem haberent.*

Tertiò, si Canonici ejusmodi libri extitissent, Ecclesia non fuisset depositi à Deo sibi traditi fidelis custos, juxta illud 1. Timoth. 6. O Timothee, depositum custodi. Cumque liber Canonicus nihil aliud sit, quàm certa regula credendi & vitam legi Dei conformem instituendi, facere jacturam unius libri Canonici, nihil aliud esset, quàm regulam vivendi juxta Dei præscriptum, amittere. Quemadmodum gravissimum esset incommodum, si Ecclesia vel unius tantum Sacramenti ex septem, quo initiatur & sanctificatur, jacturam faceret.

Quartò, posset hoc incommodum non sine ratione retorqueri in Spiritum sanctum Ecclesiæ Dei custodem & protectorem, quia cum posset Ecclesiam præservare, ne librum Canonicum amitteret, permisit tamen. Et tamen librum Pentateuchi amissum, tempore Josiæ inventum esse, memorat Scriptura 4.Reg.22. & librum Threnorum à Rege Joachim combustum curavit Spiritus sanctus, ut iterum à Jeremia Propheta conscriberetur Jerem.36.

Quintò, Esdram Prophetam restituisse omnes libros sacros, qui interciderant tempore captivitatis Babylonicæ, communis ferè omnium Doctorum consensus est. Ejusmodi verò libros, quos enumeravimus, non restituisse inde colligimus, quia post reditum à captivitate nulla eorum fit mentio, quod signum est, illos habitos fuisse ut Apocryphos & pseudepigraphos, aut nullum de Messia mysteriis continere.

Denique ex ejusmodi libris nihil legimus citatum ab Apostolis & Evangelistis in N. Testamento, cum fere ex omnibus aliis, quos Canonicos habemus, aliquid allatum inveniamus; quod apertum argumentum est, eos minimè fuisse Canonicos, nec eos extare in rerum Natura. Libri siquidem Canonici non habentur, nisi in numero literarum Alphabeti, id est, viginti duo. At si isti in Canone fuissent, fuisset supra tricesimum numerum, quod nullus unquam dixit.

Quòd verò ejusmodi scriptores Prophetæ dicantur & eorum scripta prophetiæ & visiones, non arguit, illos fuisse Canonicos, quia possunt Canonici libri citare libros non Canonicos, ut facit Judas producendo librum Henoch & Paulus in poster. ad Timotheum citat Historiam de Janne & Mambre, qui restiterunt Mosi, nec tamen in libris Canonicis habetur. Idem etiam nonnihil ex profanis Poetis producit &c.

Hinc elicimus, Epistolam Pauli, quæ fertur ad Laodicenses, cujus fecit mentionem in Epistola ad Colossenses & quam in eorum Ecclesia legi mandavit, nunquam fuisse Canonicam, sicut nec Epistolas ad Senecam missas & alias, quas pro variis negotiis & peculiaribus scripsisse est verisimile.

Stapletonus lib.9. de princip. cap.5. *Notandum est, tum in Veteri, tum in Novo Testamento ipsos Prophetas & Apostolos aliqua scripsisse, quæ tamen in Canonem Scripturarum non sunt relata.*

Et paulò post. *Itaque in magna multitudine Prophetarum perpauci ea scripserunt, quæ autoritatem Canonis obtinerent.*

Et iterum: *Hujus verò rei causam diligenter quærens Augustinus, aliam se invenire non posse scribit, quàm quod existimet, Prophetas veteres (adde etiam Apostolos) quibus ea, quæ in autoritate religionis esse deberent, Spiritus S. utique revelabat, alia sicut homines Historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse, atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti judicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis autoritatem, in qua Canon custoditur. Hæc ille. Apparet ergo tam Prophetas, quàm Apostolos, cùm plura scripserint, quàm quæ in Canonem Scripturarum referri deberent, eorum quædam in Canonis autoritatem relata fuisse, quædam non.*

Idem de autoritate Scripturæ contra Witakerum lib.2.cap.1.sect.7. *Multo sanè probabilius est, dicere, hujusmodi libros in Canonem nunquam receptos fuisse, postquam ita penitus jam interierint, quàm in Canonem receptos fuisse, antequam interierint. Hoc enim posterius contra illam Dei providentiam facit, quæ in rebus ad salutem vel necessariis, vel plurimum conducentibus nunquam deest, cum res hujusmodi potissimum sit Scripturarũ sacrarum conservatio.*

Nicolaus Serarius inter eos est, qui *probabilius censent, libros aliquos olim Canonicos non extare hoc tempore*, ac prolegom. c.8.q.17. disputat, *Deum noluisse hosce, de quibus agitur, libros conservari diutius*, interim addit, *non fieri alicujus vivendi regulæ jacturam, quando eadem hæc regula in aliis libris est.* (Quod nobis contra reliquos Jesuitas, *imperfectionem Scripturæ* ex hac quorundam librorum deperditione evincere satagentes, sufficit.)

Leonh. Marius in tom.1. Comment. prolegom. q.4. sect.6.p.42. postquam enumerasset libros, qui deperditi ex Canone judicantur, subjungit n.21. *Circa librorum horum autoritatem Origenes dubitat, utrum revera Canonici fuerint eo tempore, quo extabant, an non.* (præfat. in Cant.) *S. Augustinus* (18. de C.D. cap.38.) *disertè negat, eumque ex recentioribus secuti sunt Salmeron, Stapletonus & alii. Chrysostomus tamen & alii Patres, quando sententias, quæ in N.T. citantur ex V.T. neque nunc facile inveniuntur, indicant, in aliquo eorum librorum, qui nunc exciderunt, scriptas fortè fuisse, præsupponunt, eos etiam fuisse Canonicos. Atque hæc sententia saltem quoad eorum, quos supra enumeravi, aliquos est omnino probabilior, etsi neque B. Augustini sententia improbabilis sit.*

Ruizius in regul. intellig. Scripturas reg.158. p.105. adducit & probat dictum Augustini lib.18. de C.D. cap.38. *In ipsa Historia Regum Juda & Regum Israel, quæ res gestas continet, de quibus eidem Scripturæ Canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur & in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt. Et alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur, nec tamen inveniuntur in Canone, quem populus Dei recipit, cujus rei causa me latet, nisi quod existimo, etiam ipsos, quibus ea, quæ in autoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines Historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divinâ scribere potuisse. Atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti judicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis autoritatem, in qua Canon custoditur &c.*

Pererius in præfat. Comm. in Genesin pag.3. §. Illud etiam. iisdem fere argumentis, quibus Salmeron utitur, confirmat, *libros illos, qui perierunt, non fuisse Canonicos.*

2. Quòd judicium de libris illis deperditis suspendere jubent.

Ederus lib.1. Oecon. Bibl. pag.29. postquam libros V.T. qui nunc desiderantur, enumerasset, eosque in *Historicos, Propheticos & promiscuos* distribuisset, subjungit ex Origene, quid de his cuique sentiendum sit atque tenendum. *De his*, inquit, *libris, qui in vetere illo statu Ecclesiæ citantur, nec in nostris Bibliis inveniuntur, sic scribit Origenes: Operosum est, si velimus nunc inquirere, quam multorum librorum commemoratio fiat in Scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita. Sed neque apud Judæos quidem usum hujusmodi reperimus lectionum, quas propter-*

propterea, quòd aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui S. ferre de medio, (hanc rationem esse ἀσύστατον probat Salmeron, manet ergò posterior, quæ sequitur;) *sive quod essent de Scripturis, quæ vocantur Apocryphæ, pro eo, quod multa in eis corrupta & contra fidem veram inveniuntur à majoribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad autoritatem. Supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen palam est multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse prolata & Novo Test. inserta, quæ in his Scripturis, quas Canonicas habemus, nunquam legimus, in Apocryphis tamen inveniuntur, & evidenter ex ipsis ostenduntur assumta. Origenes homil. 1. in Cant.*

3. Quod agnoscunt, Hebraicam Mosaicorum & Propheticorum Scriptorum editionem in conflagratione templi & urbis Hierosolymæ à Chaldæis excitata non fuisse incendio consumtam, ut ab Esdra per miraculum eam restitui necessarium fuerit. Pleraque enim argumenta, quæ hanc sententiam confirmant, etiam probant, Canonicos V.T. libros non esse deperditos. Testimonia eorum, qui hanc hypothesin nobiscum tuentur, enumeravimus superius in hoc ipso articulo cap. 2. thesi 1.

4. Quod agnoscunt, Ecclesiam Israeliticam fuisse fidelem custodem eloquiorum divinorum sibi concreditorum. Ut enim rectè monet Salmeron d.l. Si deperditi illi libri fuissent Canonici, Ecclesia non fuisset depositi à Deo sibi traditi fidelis custos. Testimonia illorum, qui hanc hypothesin nobiscum tuentur, enumeravimus superius cap. 1. sect. 1. n. 3.

5. Quibus argumentis Bellarm. probat lib. 1. de V. D. c. 2. & 7. *Codices Hebræos non esse in universum & omnino corruptos*, iisdem probari potest, nullum librum Canonicum periisse.

6. Si ex eo, quod libri quidam sacri sunt deperditi, Scripturæ imperfectio probari posset, consequens foret, nec ipsos Pontificios perfectum fidei Canonem in sua Ecclesia habere, siquidem ex *traditionum* suarum myrothecio deperditos illos libros restituere nequeunt.

Ad argumentum Bellarmini *in genere* responderi potest ex distinctione superius in ἐκθέσει tradita. *In specie* de quibusdam libris, quos deperditos volunt, hoc notandum.

1. *Librum Justorum*, cujus mentio fit Jos. 10. v. 13. & 2. Sam. 1. v. 18. volunt esse *unum ex deperditis*. Becanus d.l.

Resp. Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. pag. 77. *Quidam existimant, hunc esse librum sempiternæ prædestinationis, in quo scripti sunt omnes justi, quos Deus in æterna præscientia prænovit esse salvandos, testante id Psalmo 63. in quo legitur, deleantur de libro justorum & cum justis non scribantur. Hieronymus in quæstionibus super libris Regum, si tamen opus illud est Hieronymi, tradit, hunc esse librum Samuelis, id est, primum & secundum volumen Regum, quod in eo scribantur gesta justorum, Samuelis videl. David, Nathan, Gad & aliorum justorum. Quidam Hebræorum, quibus non videtur verisimile, ut idem liber in testimonium propriæ sententiæ adducat seipsum, existimant, hunc esse librum duodecim Prophetarum, quia verba citata in libro Josuæ scripta sunt in oratione Habacuc cap. 3. Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, quæ quidem sententia vera esse non potest, eò quod liber duodecim Prophetarum scriptus sit post tempora Josuæ ferè mille annis. Proinde R. Salomon docet, hunc esse volumen totius legis, in quo scripta sunt gesta justorum Abraham, Isaac, Jacob & Mosis, præsertim vero admonitio illa ad filios Israel, ut se in arte bellica, in qua tunc præcipuum locum tenebant arcus & sagittæ, se exercerent, memores illius præcepti, Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, quod in Genesis continetur volumine, cap. 49. Sunt etiam, qui credant, hunc esse librum Exodi, quia in eo dixerit Deus ad Mosen cap. 17. Scribe hoc ob monumentum & trade auribus Josuæ, quoniam delebo memoriam Amalec de sub cœlo. Theodoretus Cyrensis Episcopus in quæstionibus in Jesum Nave autumat, hunc esse vetustissimum commentarium, ex quo Historia libri Josuæ ab incerto autore per compendium collecta fuerit.* (Quamcunque ex his sententiam quis amplectatur, incidet nervum argumenti de libris quibusdam Canonicis deperditis.)

2. *Librum Bellorum Domini*, cujus mentio fit Num. 21. v. 14. volunt esse *unum ex deperditis*. Becanus d.l.

Resp. Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. p. 42. *Hunc librum R. Manachem dicit, fuisse narrationem Dei, quæ revelata erat Mosi, cui manifestaverat, se eadem facturum in torrentibus, quæ olim fecerat ad mare rubrum. Aben Ezra putat esse librum Judicum, quia in eo multa bella adversus Amorræos confecta leguntur. Sunt etiam, qui inter Judæos existiment, hunc ipsum esse librum Numerorum, quia* ספר *quod noster Interpres transtulit librum, etiam numerationem significat, sic, ut Lyranus ait appellatum, quia in eo narrentur bella à Domino per manus Hebræorum gesta. Augustinus Chisamensis Episcopus censet, librum Bellorum Domini non esse volumen aliquod, in quo bella conscripta sint, sed narrationem quandam, quæ tum apud Hebræos communi omnium ore ac voce narrabatur, quia quod Hieronymus vertit librum, Hebraicè* ספר *dicitur, quod non tam librum significat, quàm narrationem & connumerationem à verbo* ספר *narravit, numeravit. Et verbum illud, dicitur, quod apud nos ponitur in præsenti, apud Hebræos ponitur in futuro* יאמר *dicetur, indicat, Mosen loqui non de re jam conscripta, sed de re in posterum narranda, ita ut sensus verborum ejus sit, unde dicetur in libro Bellorum Domini, i. e. cum bella Dei recensebuntur à posteris, hoc quoque dicetur, quod sicut fecit Deus in mari rubro, ita fecit in torrentibus Arnon. Verum D. Augustinus in lib. 18. de Civ. Dei dicit, non esse negandum, hunc librum cum plerisque aliis etiam ante tempora Mosis fuisse conscriptum.* (*Disertè tamen addit, fuisse librum Historicum, non Propheticum, vel Canonicum, quæ hypothesis nostræ sententiæ suffragatur.*)

3. *Gesta Davidis à Nathan & Gad Prophetis descripta; Salomonis à Nathan, Abia & Abdone; gesta Abiæ Regis & Josaphati à Jehu &c. fuerunt olim in Canone, & tamen hodie non extant.* Bellarmin. lib. 4. de Verbo Dei cap. 4.

Resp. 1. Stapletonus lib. 9. de princip. cap. 5. p. 341. agnoscit, *illa nunquam fuisse in Canonem relata.* Ergo ex illorum deperditione imperfectio Canonis non potest inferri. *Notandum est, inquit, tum in Veteri, tum in Novo Testamento ipsos Prophetas & Apostolos aliqua scripsisse, quæ tamen in Canonem Scripturarum non sunt relata. In Veteri sanè populo gesta Davidis à Samuele, Nathan & Gad Prophetis scripta fuisse memorantur. Gesta quoque Salomonis Nathan Propheta, Abias Silonites & Addo Propheta scripsisse perhibentur. Idem quoque Propheta gesta Abiæ Regis scripsisse dicitur: sicuti & gesta Josaphat Regis Jehu Propheta.* (In margine notantur Scripturæ loca 1. Paral. ult. 2. Paral. 9. 2. Paral. 13. 2. Par. 12.) *horum tamen omnium nihil jam in Canone extat.*

2. Sanctius in proleg. 1. Comment. in libros Regum disputat, *ea, quæ à Nathane, Gado, Abia, Addone & Jehu scripta dicuntur, esse partes librorum, qui Samuelis & Regum nomine inscribuntur;* ex quo sequitur, ea adhuc in Canone extare. Postquam enim scripserat, *plerosque autorum in eo consentire, quod libri quatuor Regum non ab uno, sed à pluribus sint contexti, ac librum primum à Samuele quidem scriptum esse usque ad caput 25. ubi de illius agitur interitu, ab eo autem loco usque ad finem libri secundi Nathan & Gad videntes, id est, Prophetas Scriptores existimari, idque colligi posse ex 1. Paralip. 29.* subjungit, *Non puto, Regum temporibus, eo saltem in statu, in quo res erat Regia composita, & inducta publicarum rerum administratio, defuisse, quibus id esset datum negotii, ut quæ diebus singulis Historia viderentur non indigna, Commentariis, id est, posterorum memoriæ commendarent &c.*

Et postea. *Quod attinet ad David, prima illius tempora scripsit Samuel, novissima verò Nathan & Gad, ut constat ex lib. 1. Paralip. cap. ult. in fine &c. Post Davidis tempora verba dierum, id est, Diaria sive Ephemerides Salomonis scripserunt Nathan, qui eandem operam scriptoriam Davidi parenti navaverat, & Abias Silonites & Addo, de quibus 2. Paral. 9. Hæc porro scripta illa esse videntur, quæ lib. 3. Reg. cap. 11. dicuntur liber verborum dierum Salomonis. De aliis Regibus idem puto esse existimandum, tametsi de illis, à quibus eorum Verba dierum sive Ephemerides, aut Diaria scripta fuerint, ex Scriptura non constet. Hoc certè de Roboam legimus libro 2. Paral. cap. 12. v. 15. cujus opera prima atque novissima notata dicuntur à Prophetis Semeia & Addo. Item Abia cap. 13. v. 22. &c. Cum constet igitur, aut valdè sit verisimile, Reges Israel & Juda habuisse, qui, quod singulis diebus dignum videretur, publicâ memoria in Annales referrent, explorandum nobis est, quis ex illis Commentariis ea, quæ nunc in libris Regum habemus, Historico stylo concinnaverit. Quidam Esdram existimant &c. alii Jeremiam &c. Non putarem illum à vero aberrare, qui collectorem putaret Ezechiam Regem, aut eo jubente alios, quibus id negotii Rex ipse mandavit.*

3. Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothec. ad libros Regum. *Liber Samuelis partim à Samuele Propheta, partim à Nathan & Gad Prophetis creditur esse conscriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Davidis ac sui ipsius gesta, quæ in primo Regum usque ad mortem suam, hoc est, usque ad caput vigesimum quintum referuntur. Nathan verò & Gad Prophetæ scripserunt libros Regum à morte Samuelis, usque in finem libri secundi, quod satis aperte indicare videtur liber primus Paralipomenon, in cujus calce hæc verba leguntur: Gesta David priora & novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ & in volumine Gad.*

4. Genebrardus in Chronologia anno mundi 3066. *Samuel scribit librum Judicum, Ruth & maximam partem libri primi Regum, quem ejus nomine alius ad regnum usque Salomonis perduxit. Hebræi Rabba Bathra capite primo, nempe Nathan & Gad videns. Rabbi Mose, Kimhi.* Similia occurrunt apud Paulum Burgensem in additionib. ad cap. 29. 1. Chronicorum.

5. Bonfrerius prælect. in pentat. sect. 6. fol. 19. multis rationibus probat, *libros illos non fuisse ab Ecclesia repudiatos, sed neglectos.* (Ergo si vel maximè essent diversi ab his, quos habemus, nihil tamen ex eo decederet Canonis integritati.)

6. Nathanis & Gaddi scripta non sunt ab Ecclesia rejecta, quia hi duo Historiam Regum mox post Samuelis obitum contexuerunt in lib. 1. 2. & initio tertii Regum, id quod ipse Bellarminus fatetur tom. 7. oper. lib de Script. Eccles. col. 5 tit. Gad & Nathan. (Cum ergò Ecclesia habeat Nathanis & Gaddi scripta in libris Regum, falsum est, eorundem scripta ab Ecclesia esse rejecta.)

4. *Salomon locutus est tria millia parabolarum, sed ea non amplius extant.* Bellarminus d. l.

Resp. Dionysius Carthusianus monet, *non significari à Spiritu sancto, Salomonis parabolas ter mille fuisse scriptas, sed tantum prolatas.* Sic enim habent verba: *Locutus est tria millia parabolarum.*

5. *Judæi, cum non modò essent desides, sed etiam impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt.* Bellarm. d. l. ex Chrysostomo.

Resp. ex ipso Bellarmino lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. 6. Argumentum tertium. *Incredibilis fuit religio Judæorum erga sacros libros. Scribit Philo in libro de egressu filiorum Israel ab Ægypto & citatur etiam ab Eusebio lib. 8. de præparat. Evang. cap. 2. usque ad sua tempora per spatium ampliùs, quàm duorum millium annorum ne verbum quidem fuisse unquam in lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Judæum centies potius moriturum, quàm ut pateretur legem in aliquo mutari.* (Cum hac incredibili Judæorum erga sacros libros religione nullà planè ratione consistere potest suspicio illa, quod *ex desidia* quosdam libros sacros perdiderint, aut *ex impietate* conciderint.)

6. *Ex Testamento Novo certum est periisse Epistolam Pauli ad Laodicenses, cujus ipse meminit Coloss. ult.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanctæ pag. 87. *Chrysostomus arbitratur, hanc non esse Epistolam, quam Laodicensibus miserit, sed quam Laodicenses Paulo miserint, eò quod non dixerit Apostolus, ea, quæ ad Laodicenses vobis legatur, sed* καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, *id est, & illam, quæ ex Laodicea scripta est, legatur. Theophylactus putat, hanc esse priorem Epistolam Pauli ad Timotheum, quæ ut Græca exemplaria testantur, missa est per Tychium Diaconum ex Laodicea metropoli Phrygiæ Pacatianæ. Epiphanius Salaminæ Episcopus lib. . advers. hæreses asserit, hanc Epistolam non esse Pauli, producitque testimonium, à Marcione hæretico ex Epistola ad Laodicenses citatum in hæc verba: Unus Deus, una fides unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus: quod quidem testimonium iisdem ac totidem verbis apud nos habetur in Epistola ad Ephesios cap. 4. Tertullianus in lib. 5 advers. Marcionem indicat, Marcionem ipsum fuisse in hac sententia, ut crederet Epistolam, quæ juxta nos inscribitur ad Ephesios, fuisse à Paulo non Ephesiis, sed Laodicensibus scriptam & inscriptam &c. Suspicor, exemplar illud Epistolæ ad Laodicenses, quod circumfertur, illud idem esse, de quo Theodoretus in Comment. Epist. ad Colossen. ita scripsit: Quidam existimant, Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses Epistolam. Itaque fictam etiam Epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit eam, quæ est ad Laodicenses, sed eam, quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem, eos vel accusasse, quæ fiebant Colossis; vel eodem morbo etiam laboràsse, & ideò dixit, hanc quoque Epistolam eis legendam esse.*

2. Baronius in Annal. Ann. Christi 60. num. 13. enumeratis variis veterum de Epistola ad Laodicenses sententiis suam his verbis subjungit ἐπίκρισιν: *Sanè nullam eidem tabellario ad Laodicenses fuisse à Paulo datam Epistolam, satis constat, dum in ea, quam tum scripsit ad Colossenses, salutari mandat eos, qui Laodiceæ essent fideles, sic dicens: Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ &c. Si enim ad Laodicenses scripsisset, ipse sua Epistola ejusmodi functus esset officio, nec opus habuisset illud Colossensibus delegare. Si vero antea ad Laodicenses Paulus scripsisset, illis utique, ut modò fecit scribens ad Colossenses, ut suas literas legendas traderent Colossensibus, in mandatis dedisset. Libentius igitur Chrysostomo ac Theodoreto inhæremus, quàm cæteris, ut nulla à Paulo scripta fuerit Epistola ad Laodicenses, cum præsertim, quæ ad Laodicenses nomine Pauli spuria fertur, nequaquam sit ab antiquioribus cognita.* (Sic ergo Baronius Cardinalis Bellarmino collegæ suo contradicit. Baronio suffragatur tum *versio Syriaca*, quæ verba Apostoli Coloss. ult. sic reddidit, *Et illa, quæ scripta est ex Laodicea*: tum Theodoretus, qui in Comment. hujus loci sic scribit: *Quidam existimarunt, Apostolum etiam scripsisse ad Laodicenses. Itaque fictam etiam Epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit eam, quæ est ad Laodicenses, sed eam, quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant.*) Idem ex Baronio repetit ejus Abbreviator Bisciola.

3. Pererius in Comm. Epist. ad Roman. prolegom. num. 50. p. 50. *huic sententiæ cum Chrysostomo, Theodoreto & Oecumenio se assentiri*, diserte scribit.

4. Salmeron Disp. 7. in Epist. Coloss. p. 157. *Putarunt quidam, aliquam peculiarè Epistolam ad Laodicenos à Paulo fuisse missam, quam & Jacob Stapulensis edi curavit, & ante eum Anshelmus produxit, dicens esse Epistolam Pauli autoritate Apostolica confirmatam. Sed revera notha & supposititia omnibus doctis habita est hæc Epistola &c. Quod vero ex verbis Apostoli non evincatur, scriptam Epistolam peculiarem Laodicenis, exinde solide probatur, quia non dixit Apostolus,* καὶ τὴν πρὸς Λαοδικεῖς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, *sed tantum dixit,* τὴν ἐκ Λαοδικείας. *Nullas ergo Epistolas missas à Paulo ad Laodicenses, sed potius Laodiceæ scriptas Epistolas fuisse ad Paulum, ait Chrysostomus & Scholia Græca. Et valde probabile putat Theophylactus, hanc Epistolam Laodiceæ scriptam esse priorem Epistolam ad Timotheum, quæ ut inscriptio Græca habet, missa est ex Laodicea.*

5. Ederus lib. 4. partit. Theolog. p. 424. quamvis *communiorem doctiorum sententiam, ipsumque contextum Paulinum insinuare putet quandam aliam ab his, quas modo habemus, diversam, quæ fuerit ad Laodicenos scripta,* non tamen negat, *Theophylactum per docere, non esse aliam, quàm eam, quæ priori loco ad Timotheum per Tychicum Diaconum à Laodicea fuit missa. Cui sententiæ* (inquit) *quorundam Bibliorum correctiorum litera suffragari videtur, quæ sic habet: Facite ut hæc Epistola legatur in Laodicensium Ecclesia, & ea, quæ scripta est ex Laodicea, ut vobis legatur. Porro nulla alia ex Laodicea fuit missa, quam prior illa ad Timotheum. Sunt & qui per Laodicensium Epistolam non aliquam, quæ fuerit ab Apostolo missa, sed eam, quam eadem Ecclesia ad eundem Apostolum, quædam, quæ ad Evangelicæ vitæ rationem conducerent, rogans, scripserit, intelligant, cui per Epistolam ad Colossenses velit satisfactum.*

6. Cornelius à Lapide in Comment. Coloss. 4. v. 16. *Dico, Apostolum hic vocare Epistolam Laodicensium, non suam, quam ad Laodicenses scripserit, sed eam, quam Laodicenses ad Paulum, vel certe ad ipsos Colossenses, ut vult Theodoretus, scripserint, in qua quædam inerant, quæ ad rem Colossensium pertinerent, ac proinde ab eis eam legi voluit Apostolus. Patet id ex Græco textu. Ita Chrysostomus, Syrus & Theodoretus.*

7. Estius in Comment. Coloss. 4. *Nonnulli commentatores persuasi ex hoc loco, Paulum verè aliquam ad Laodicenses Epistolam scripsisse, dicunt eam intercidisse, sicut & aliam quandam ad Corinthios scriptam. Hoc modo sentiunt Anshelmus, Aquinas, Cajetanus, quibus annumerandus videtur Gregorius &c. Fefellit autem hos omnes ambiguitas verborum hujus loci, prout Latine leguntur. Quod enim dicitur, eam, quæ Laodicensium est, intelligi potest Laodicensium, vel ad quos, vel à quibus Epistola scripta sit aut missa. Et quidem priori modo Latini ferè intellexerunt. Sed hanc ambiguitatem planè dissolvit Græca lectio, quæ sic habet, Et eam, quæ ex Laodicea est, ut & vos legatis. Ex quo liquet, Apostolum loqui de Epistola ex Laodicea scripta &c. Probabilior nobis est eorum sententia, qui putant, hic agi de Epistola ab ipsis Laodicensib. scripta ad Paulum, quæ contineret magnam testificationem fidei & caritatis eorum, ideoque Paulum voluisse, ut eam legerent Colossenses, illorum scil. exemplo provocandi atque excitandi ad majorem fidei & caritatis profectum. Ita sentiunt Chrysostomus, Theodoretus, Photius, Oecumenius.*

8. Bellarminus ipse in postrema lib. recognitione pag. 8. non probat, quod dixerat, *certum esse*, adducta Chrysostomi ratione & Latini textus ambiguitate.

9. Gagnæus Sorbonicus in cap. ult. Coloss. *Quæ Laodicensium est id est, quæ ab Laodicensibus mihi missa est. Sic enim Græci explicant, & Græca verba id innuunt.*

10. Benedictus Justinianus ibid. *Chrysostomi ac Theodoreti sententia semper mihi vero propinquior visa est, non Pauli Epistolam*

lam ad Laodicenses, sed contra potius Laodicensium ad Paulum significari, quod Græca verba apertè indicant.

11. Guilielmus Bailius in Catech. controv. tract. 1. q. 3. postquam dixisset, *Ubi Epistola ad Laodicæos, quam ipse Paulus ad Coloss. scribens cap. ultimo citat,* in secunda editione subjungit: *Scio quidem, aliquos dubitare.* In tertia editione hoc argumentum penitus omisit.

12. Lorinus in Comm. 2. Petr. 3. v. 16. *De Epistola ad Laodicenses Thomas docet in cap. ult. ad Coloss. vel non penitus Ecclesiæ de illius Epistolæ autoritate constitisse, vel ab hæreticis depravatam fuisse, vel nihil continuisse, quod non haberent Epistolæ aliæ. Depravatam itidem testatur Philastrius hæres. 89. Theodoretus confictam vocat in c. ult. ad Coloss. Esse Pauli negant Epiphanius hæres. 42. & Hieronymus de viris illustr. in Paulo; confudisse Marcionem cum ea, quæ est ad Ephesios, testis Tertullianus lib. 5. in Marcion. cap. 11. & 17. Quam recitat Jacobus Faber in cap. ult. ad Coloss. & meminit Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. in Paulo, esse Lutetiæ in Codice Sorbonicæ Bibliothecæ ac Patavii in Bibliotheca S. Johannis à Viridario, indigna Paulo videtur. Theophylactus in cap. ult. Coloss. vult esse priorem ad Timotheum, dici vero Laodicensium, quia scripta ex Laodicea. Verosimilior conjectura eadem Theodoreti atque Chrysostomi, Oecumenii, Glossæ interlinearis ibid. Laodicensium Epistolam non esse, quam ad illos Paulus, sed quam ad hunc ipsi scripsissent. Credibile Theodoretus putat, Laodicenses per Epistolam accusâsse, quæ fiebant Colossis, aut eodem etiam ipsos, quo Colossenses morbo laborasse, ut referret, si legeretur à Colossensibus, quam scripserant ad Paulum Laodicenses Epistolam. Non appellat Paulus Epistolam πρὸς Λαοδικεῖς, ad Laodicenses, sed ἐκ Λαοδικείας, ex Laodicea. Lege Pamelium in Tertull. lib. 5. contra Marcion. n. 258. Baronium tom. 1. Annal. ann. 60. p. 169. & 570. Pererium in Proleg. Epist. Rom. Disput. 1. n. 49. & 50. Salmeronem in cap. ult. ad Coloss. Sed hic cum Catharino in cap. ult. ad Coloss. Theophylacti probabilem sententiam putat, quam equidem probare nullo modo possum, etiamsi post illos Antonius Stainus ibid. annuere videatur.*

7. Fortè etiam periit Epistola ad Corinthios, cujus mentio fieri videtur 1. Cor. 5. in illis verbis, *Scripsi vobis in Epistola.* Bellarmin. d. l. Estius in Comm. 1. Cor. 5.

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ sanctæ tit. Paulus p. 88. *Sunt, qui existiment, Paulum præter duas Epistolas ad Corinthios, quæ in Canone habentur, aliam quoque ad eosdem scripsisse Epistolam, inter Canonicas non enumeratam, argumento sumto ex eo, quod Paulus in 1. Corint. 5. dicit, Scripsi vobis in Epistola. Sed Chrysostomus arbitratur, Paulum hic non aliam quandam Epistolam ab hac diversam, sed hanc ipsam nominasse Epistolam, volens his verbis corrigere, quod paulò antè in ea scripserat, cùm dixisset: Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat & vos inflati estis & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit. Et deinde. Nescitis, quod modicum fermentum totam massam corrumpit, expurgate vetus fermentum. Credibile igitur erat, Corinthios suspicari, vitandos esse omnes fornicarios, non solum eos, qui corporea libidinis fœditate contaminantur, sed illos etiam, qui spiritualem fornicationem sectantur, quæ fit, quotiescunque anima recedit à Deo per qualecunque peccatum, sive illud infidelitas sit, sive avaritia, sive ebrietas. Hanc igitur vanam eorum suspitionem excludens Paulus ait, Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis &c. ac si diceret: Ne quid erretis in eo, quod hîc paulò suprà jusserim, à vobis fugere consuetudinem infami libidine contaminatorum. Non hoc sensu, quod postulavi, ut universos mundi hujus tam corporales, quàm spirituales fornicarios vitetis, neque cum ullo spiritualiter fornicante, id est, idololatriæ aut avaritiæ, quæ est idolorum cultus, serviente consuetudinem habeatis. Nec enim, si conemini, tota vobis Græcia, imò totus orbis, relinquendus fuerit, cùm istiusmodi fornicarii nusquam non occurrant, quanquam id quoque cupiam, si liceat. Nunc, quod fieri non potest, non exigo, illud autem nunc scripsi, & in hac Epistola vobis scribo, ut si quis Christianus palam hujusmodi vitiis infectus sit, quæ plurimum absunt ab instituto Christiano, utputa scortatione, avaritia, simulachrorum cultu, maledicentia, temulentia, rapacitate, adeò vitetis hominis familiaritatem, ut ne cibum quidem cum illo capere dignemini, donec resipiscat.*

2. Salmeron Disp. 8. in 1. Corint. p. 65. *Dubium est, quam aliam Epistolam Apostolus scripserit Corinthiis. Aliqui non dubitant asserere, fuisse alteram, quæ non extat. Chrysostomus tamen putat, scriptum esse in verbis superioribus ejusdem capitis. Theodoretus quoque non in alia, inquit, sed in hac. Sed hoc parum ad rem facit, sive in hac, sive in alia scripserit.*

3. Cornelius à Lapide in Comm. *Scripsi vobis, nimirum v. 2. hujus capitis. Ita Theodoretus & Chrysostomus, licet Thomas, Glossa, Lyranus, Cajetanus putent, alia anteriori Epistola, quæ interciderit, id scripsisse Paulum.*

4. Gagnæus Sorbonicus *in medio relinquit*, an Paulum aliam ad Corinthios Epistolam scripsisse, ex verbis 1. Corint. 5. colligi possit, quod tamen Bellarminus *tanquam certum* nobis obtrudere satagit.

Thesis secunda. Evangelistæ & Apostoli mandatum scribendi divinitus acceperunt.

Ἐκθεσις. 1. Facilè concedimus, non posse de omnibus Evangelistis & Apostolis *in specie* demonstrari, quòd mandatum scribendi *externum & expressum* à Deo acceperint, ex eo autem inferri nequit, ipsos nullum planè scribendi mandatum habuisse, cum de Prophetis V. T. omnibus & singulis itidem demonstrari nequeat, quòd *externum & expressum* scribendi mandatum acceperint, quorum tamen Scripturam nemo piorum dubitat ex mandato divino esse profectam. Os. 8. v. 12.

2. Non negamus, occasiones scribendi exterius Apostolis oblatas fuisse, sed illæ non tollunt scribendi mandatum divinitus traditum, quia mirabili divinæ providentiæ dispositione occasiones illæ Apostolis oblatæ fuerunt, & ad eos interior Spiritus S. impulsus postea accessit, quo permoti manum scriptioni admoverunt. Constat etiam *ad prædicandum* Apostolis occasiones oblatas fuisse Act. 17. v. 16. nemo tamen piorum dubitat, ipsos ex mandato divino prædicasse.

Antithesis. Johannes Viguerius in Instit. Theolog. tit. de virt. fidei p. 278. *Scriptura exterior nihil aliud est quàm signum legis Evangelicæ, quam Christus exterius non scripsit, nec scribi præcepit, sed solum publicari & prædicari.*

Eccius in Enchir. Loc. comm. tit. 1. de Eccles. fol. 9. *Christus non scripsit aliquem librum, nec præcepit discipulis vel Apostolis ad scribendum, ut de Ecclesia multa præcepit, unde missurus Apostolos ad plantandam Ecclesiam non dixit, Euntes scribite, sed euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Ideò lex fuit scripta in tabulis lapideis, Evangelium in cordibus.*

Petrus à Soto in assertione Catholicæ fidei contra Wirtenberg. cap. 31. de S. Scriptura f. 102. *Nec Christus unquam præcepit eis, ut scriberent, sed prædicare, inquit.*

Melchior Canus lib. 3. Loc. comm. cap. 3. p. 150. *Christus Dominus librum nullum scripsit, imò quantum legimus, ne præcepit quidem, ut scriberetur. Euntes non ait, scribite, sed prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Martinus Eisengrin. tract. de Ecclesia c. 5. p. 97. *Christus non jussit suis Apostolis, ut Evangelium scriberent omni creaturæ: neque item dixit, ut in Scripturis ederent omnia, quæcunque mandaverat illis.*

Wilhelmus Lindanus lib. 1. panopl. cap. 23. *Natura verbi Evangelici à scripto & literis planè abhorret.*

Cotterus in Enchir. cap. 43. *Christus Ecclesiam suam à charteceis scriptis pendere, & mysteria sua membranis committere noluit.*

Bellarmin. lib. 4. de V. D. cap. 3. §. Falsum. *Falsum est, Deum mandasse Apostolis, ut scriberent. Legimus enim Matth. ult. mandatum, ut prædicarent Evangelium, ut autem scriberent, nusquam legimus. Itaque Deus nec mandavit expresse, ut scriberent, nec ut non scriberent.*

Lib. ejusd. cap. 4. §. Secundò. *Scripturas non omnia ita continere, ut sufficiant ipsæ sine alia traditione, probatur ex discrimine, quod est inter prædicationem & Scripturam Apostolorum. Nam si Christo & Apostolis fuisset propositum, verbum Dei coarctandi & restringendi ad Scripturam, inprimis rem tanti momenti Christus apertè præcepisset, & Apostoli alicubi testarentur, se ex Domini mandato scribere, quemadmodum ex Domini mandato in toto orbe docuerunt. At id nusquam legimus.*

Pistorius in hodeget. p. 32. *Apostoli non scripserunt ex proposito, sed propter incidentem necessitatem.*

P. 33. *Non ex Dei mandato.*

Estius in 2. Thess. 2. v. 14. *Res ipsa clamat, Apostolos non ex composito dogmata Christianæ religionis in scriptum redegisse, ut quibus non scribendi, sed prædicandi Evangelii negotium à Christo commissum esset, sed pro natis occasionibus quædam mandasse literis ad absentes datis, quæ profectò scripturi non fuissent, si vel præsentes fuissent iis, ad quos scribebant, vel occasio defuisset.*

Nostram sententiam probamus I. *Ex divino impulsu*, quo Evangelistæ & Apostoli ad scribendum permoti fuere, 2. Timoth.

moth.3.v.16. ille enim in sanctis Dei hominibus mandato externo æquiparatur. Nam quid aliud est divinus ille impulsus interior, quàm mandatum internum & occultum, ejusdem omninò autoritatis, roboris ac ponderis cum mandato externo & manifesto?

2. *Ex mandato Christi*, quo jubentur *docere omnes gentes*, non illius solum, sed etiam secuturi temporis, Matth.28.v.19.20. Qui enim jubentur docere omnes omnium temporum gentes, illi jubentur doctrinam suam scripto complecti, cum omnes etiam secuturi temporis gentes viva voce absque scripto ab Apostolis doceri non potuerint.

3. *Ex Apostolorum officio*, quod est non solum viva voce, sed etiam scribendo *de Christo testari*. Johan.15.v.27. cap.21.v.24. Actor.1.v.8. cap.10.v.41.42. 1.Joh.1.v.3.4. Apoc.1.v.2.3.

4. *Ex speciali scribendi præcepto* Johanni Apostolo divinitus dato, Apocal.1.v.11.19. cap.2.v.1.8.12.& 18. c.3.v.1.7.& 14. cap.14.v.13. cap.19.v.9. cap.21.v.5. Jam verò in hoc scriptionis opere est par ratio Johannis & reliquorum N. Testamenti Scriptorum, cum omnes ex inspiratione divina scripserint, quæ expresso & diserto mandato hic æquiparatur. Si Johanni mandatum fuit, ut ad Ecclesias minores Asiæ scriberet, quia cum exul esset in Insula Pathmos, non poterat vivæ vocis prædicatione denunciare ea, quæ audiverat, utique ex eadem ratione deducitur, necessarium fuisse, Apostolos, quorum præsentia non potuit omnibus variorum temporum fidelibus præsto esse, uti scripto.

5. *Ex Spiritus sancti approbatione.* Spiritus sanctus Evangelistarum & Apostolorum scriptionem disertè comprobavit, tum Synodica Epistola, Actor.15.v.28. tum miraculis per Apostolos editis, 2.Cor.12.v.12. Hebr.2.v.4. Utique ergo Evangelistarum & Apostolorum scriptio est divina & ex divino mandato profecta.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, Christum per Evangelistas & Apostolos, tanquam suos & Spiritus sancti amanuenses, scripsisse. Ex eo enim immotè colligitur, ipsos scribendi mandato non fuisse destitutos.

Gregorius Episcopus Roman. præfat. in Jobum. *Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit.* Declarat hoc eleganti similitudine. *Si magni cujusdam viri susceptis Epistolis verba legeremus, eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus, ridiculum profectò esset, si non Epistolarum autorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo eorum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum autorem tenemus, cum scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur?*

Idem lib.22. moralium cap.13. *Evangelii gratia diligentibus filiis est collata per Dominum, qui ad redemtionem nostram veniens novum nobis Testamentum condidit &c. librum scribit ipse, qui judicat &c. Erit ergo tunc autor judicii, qui nunc est conditor libri.*

Et postea. *Quia librum N. Testamenti ipse per se humani generis in extremo conderet, Ezechiel Propheta denunciat cap.9. &c. Ipse Dominus, quia postquam pro nobis mortuus est & resurrexit, & ascendit in cœlum, tunc Testamentum Novum per Apostolos scripsit, vir iste atramentarium ad renes habuit. Qui enim Scripturam Testamenti Novi, postquam decessit, condidit, atramentarium quasi à tergo portavit.*

Alphonsus à Castro lib.1. advers. hæres. capite 2. pag.4. *Ex quibus omnibus manifestè colligitur, Scripturas aliquas divinas esse, illas scil. quas homines aliqui, Deo inspirante, scripserunt, imo ut verius dicam, quas Deus ipse manibus hominum scripsit.*

Idem lib.6. advers. hæreses verbo Eucharistia, hæresi 2. *Evangeliorum, sicut & cujuslibet alterius Scripturæ sacræ autor est Spiritus sanctus, ipse autem Evangelista velut calamus fuit, quo mediante Spiritus sanctus Scripturam sacram in ordinem redegit.*

Ederus lib.3. Oecon. Bibl. p.326. proponit quæstionem. *Cur Dominus nihil scripserit, ut aliis de ipso scribentibus necesse sit credere?* ad quam respondet verbis Augustini lib.1. de cons. Evang. cap.35. *Nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quicquid enim de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit.*

Gregor. de Valent. lib.8. anal. fid. c.5. in Volum. oper. p.93. & tom.3. in Thom. Disp.1. q.1. punct.7. col.304. *Cum doctrinam hanc, (verbi revelati) Spiritu sancto dictante, esse à sacris autoribus exceptam literis quæ mandatam dicimus, non utcunque significare volumus, Spiritu sancto dirigente, sacros autores illam infallibiliter scripsisse. Nam & Pontifices summi certam quandam Spiritus sancti assistentiam habent, cùm definiunt controversias fidei, neque tamen illorum definitiones, quantumvis ab ipsis conscripta, Scriptura sacra sunt, aut esse dicuntur sicut nunc quidem loquimur de Scriptura sacra. Autores igitur Canonicos scribere, Spiritu sancto dictante, ob eam rem propriè dicimus, quoniam in doctrina scripto tradenda sic illorum operâ Spiritus sanctus utitur, ut in eo quidem negotio, non tam illi agant, quàm agantur à Spiritu sancto, planè instar calami, cum usurpatur à Scriptore. Quo & illud Davidis spectat, Lingua, inquit, mea calamus Scribæ velociter scribentis. Nec enim alium hoc loco Scribam significat præter ipsum Deum. Deinde ob eam causam quoque Scriptorem sacrum agi potius à Spiritu sancto asserimus, quia etsi spontè quidem scribat, at scribit tamen omnino necessario, ita ut (Spiritu sancto sic efficaciter volente) minimè in ipsius arbitrio positum sit scribere aut non scribere, aut alio modo, alio tempore, aliis verbis scribere. Atque hoc ipsum propriè est, autorem sacrum esse quasi Spiritus sancti calamum, in cujus videl. potestate non est, ut eo Scriptor utatur, vel alio modo utatur.*

Salmero tom.1. proleg.25. *Tanto magis dicendum est, Christum scripsisse per Evangeliorum scriptores, ut per manus suas, quanto illi ne verbum unum, aut jota unum, ut solent plerunque amanuenses facere, de suo Spiritu Evangelio addiderunt, cum exploratum sit, non nisi Spiritu sancto assistente scripsisse.*

Costerus in Enchir. cap.1. pag.42. *Spiritus sanctus Scripturam Evangelicam dictavit, non autem scripsit suis, sed amanuensium suorum, Evangelistarum & Apostolorum, manibus.*

Idem in Apolog. part.1. Enchir. contra Franc. Gomarum p.36. *Scripturam sacram Spiritus sanctus dictavit, singula verba composuit & suis locis constituit, ut nec jota, nec apex unus superfluat.*

Bellarminus lib.1. de Verbo Dei cap.2. §. Secundo. *Rectè Theodoretus præfatione in Psalmos, & S. Gregorius præfatione in Jobum linguas & manus Scriptorum sacrorum nihil aliud, quàm Spiritus sancti calamos appellandos censuerunt. Et August. lib.18. de C. D. cap.41. Non immeritò, inquit, cum illa scriberent, eis DEUM vel per eos locutum &c. tot tantique populi crediderunt.*

Adamus Conzen tom.2. in Luc. fol.6. *Certum est, primariam causam Evangelii (à Luca) scribendi non fuisse hortationem Pauli, sed cœlestem revelationem & imperium.*

Et paulo post. *Itaque non modo divini Spiritus instinctu singula moderante scripsit, sed etiam divina autoritate ac jussu ad scribendum sese accinxit.*

Idem in qq. procemialibus in quatuor Evangelia q.6. §.2. *Necessitatem originis* (in Scripturis sacris) *agnoscimus, quia quidam Apostoli jussi sunt scribere.* (Nota quidam Apostoli, ergo non solus Johannes, sed etiam reliqui omnes, qui scripserunt ex Apostolis.) *Eam verò sequitur necessitas habendi Scripturam, eam venerandi, et credendi, tanquam normæ ac certissimæ regulæ religionis &c.*

2. Quod agnoscunt, Evangelistas & Apostolos ex inspiratione & impulsu divino scripsisse. Nam hic impulsus interior æquiparatur mandato externo, ut Prophetarum exemplum ostendit.

Gregorius in Registr. Epist. lib.4. Epist.40. *Quid est Scriptura sacra, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?*

Alphonsus de Castro lib.1. adv. hæres. cap.2. fatetur, *Apostolos Deo inspirante scripsisse.*

Bellarmin. lib.4. de Verbo Dei cap.3. §. Falsum. *Non negamus, quin Deo volente & inspirante Apostoli scripserint, quæ scripserunt &c. Hoc modo intelligendus est Augustinus lib.1. de cons. Evang. cap. ultimo, ubi sic loquitur: Quicquid ille de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit. Loquitur enim de imperio interno, quo Christus invisibiliter, ut caput membra sua movet ad varias actiones, quod imperium suggestio potius & inspiratio, quàm præceptum propriè dictum existimari debet.* (Si Apostoli scripserunt Deo volente & inspirante; Item ex imperio Dei interno, utique scripserunt ex Dei mandato.)

Idem lib.2. de Concil. cap.12. §. Observandum igitur. *Scriptura est verbum Dei immediatè revelatum & scriptum quodammodo Deo dictante juxta illud 2.Petr.1. Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Et 2.Timoth.3. Omnis Scriptura divinitus inspirata &c. Dicuntur igitur Scriptores sacri habuisse immediatam revelationem & scripsisse ipsius Dei verba, quia vel nova quædam & antea incognita eis revelabantur à Deo, vel Deus immediatè*

diatè inspirabat & movebat Scriptores ad scribenda ea, quæ viderant vel audierant, & eos dirigebat, ne aliquo modo errarent. Ut enim dicitur verè Epistola Principis, quæ à Principe dictatur, etiamsi is, qui eam scripsit, antea sciebat, quæ scripturus erat: ita dicitur & est immediatum Dei verbum, quod scriptum est ab Evangelistis Deo inspirante & dirigente, licet scripserint ea, quæ viderant, vel audierant.

Gregor. de Valent. in anal. fidei lib. 8. cap. 6. Apostoli Deo dictante & inspirante scripserunt.

Maldonatus in Comment. Luc. 1. in procem. Cum dicit, visum est mihi, non humanum tantum ac suum, sed divinum consilium significat, ac si dicat: Visum est mihi in Domino, sicut Actor. 15. Visum est Spiritui sancto & nobis. (Aliud quidem est externa voce præcipere, aliud interna inspiratione impellere, sed aliud quoad mandati modum, non quoad mandati divinitatem & autoritatem.)

Tannerus tom. 3. Theol. Scholast. Disput. 1. q. 1. dub. 7. n. 217. Historiographi sacri ad totum illud scriptionis negotium divinitus impulsi, nec alio, quàm divino nomine & autoritate quidquam scripsisse & notificasse dicuntur.

Coppensteinius contra Harmoniam Calvino-Papisticam Dn. D. Himmelii pag. 11. Apostoli scripserunt absque mandato, literali certum est, vocali fortè, sed minimè absque inspirato. (Si non scripserunt absque mandato inspirato, ergo non scripserunt absque mandato.)

3. Urgemus etiam quasdam hypotheses Adversariorum.

1. Gregorius de Valentia lib. 8 Analys. fidei cap. 1. agnoscit, Apostolos scripsisse, 1. dictante Spiritu sancto. 2. non tam agentes, quàm actos, planè instar calami, cum à Scriptore usurpatur. 3. scripsisse omnino necessario, ita ut in ipsorum arbitrio minimè positum fuerit scribere, vel non scribere, vel alio modo & tempore.

2. Nicolaus Serarius Proleg. Biblic. cap. 4 q. 1. postquam citasset locum Petri 2. Petri 1. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, addit; ac non voce tantum, sed etiam scripto locuti sunt.

Cap. 5. q. 21. etsi postremum illud Gregorii de Valentia axioma non probet, agnoscit tamen vehementem Spiritus sancti motum & incitationem.

q. 14. fatetur, motum illum Spiritus sancti Apostolorum mentem, voluntatem & manum multo perfectius affecisse, quàm solent homines hominibus dictantes facere. (Atqui homines hominibus dictant, scribere jubent.)

q. 17. dicit, Deum scribentis manui astitisse, eamque veluti tenuisse, ne rem pro re, verbulum pro verbulo, literam pro litera poneret.

3. Antonius Possevinus lib. 2. Bibl. select. cap. 31. Proposita necessario per divinas literas fuere supernaturalia, quibus intellectus & voluntas integrum Deo cultum præstantes divino denique præmio afficerentur. Addit, per corporales literas, quas cernamus & legamus, Deum erudire nos voluisse, quod his Augustini verbis ex concione 2. in Psal. 90. illustrat. De illa civitate, unde peregrinamur, hæc nobis literæ venerunt, quæ nos hortantur, ut benè vivamus.

4. Didacus Stella in Lucam fol. 3. Lucas beatissimus, quamvis audierit à Virgine Deipara & Apostolis: nihilominus Spiritu sancto dictante & movente scripsit, quod quidem ipse sub silentio præterivit, ut superbiam & jactantiam vitaret.

(Ex illis omnibus sic colligimus. Qui scribunt dictante & movente Spiritu sancto non tam agentes, quàm acti, instar calami à Scriptore usurpati; quique scribunt omnino necessariò, ex vehementi Spiritus sancti motu & incitatione, ita ut Scriptura illorum à Deo dicatur descendere, illi omnino habuerunt divinum scribendi mandatum. Apostoli scripserunt dictante & movente Spiritu sancto &c. Ergo.)

Argument. Advers. 1. Ad prædicandum viva voce non expectarunt Apostoli oblatam occasionem vel necessitatem, sed sponte sua & ex proprio instituto perrexerunt. At ad scribendum non nisi necessitate quadam coacti animum applicuerunt. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 4.

Resp. 1. Si Apostoli necessitate quadam coacti animum ad scribendum applicuerunt, quod Bellarminus disertis verbis hic asserit, utique Scripturas judicarunt esse necessarias, quod tamen negat in hoc ipso capite §. 1. Scripturas, inquit, non fuisse sine traditionibus simpliciter necessarias, probo ex variis ætatibus Ecclesiæ &c.

Et postea. A Christi adventu per annos multos Ecclesia fuit sine Scripturis.

2. Etiam ad prædicandum occasiones ipsis aliquando datæ Act. 17. v. 16. quæ ut non tollunt prædicandi, ita nec scribendi mandatum.

3. Petrus testatur 2. Epist. 1. se non neglecturum suos illos semper commonefacere, & effecturum, ut post mortem suam possent suorum præceptorum mentionem facere, quæ verba de tractatibus & libris intelligit Thomas de Vio Card. Cajet. in Comm. (Falsum ergo est, quod Bellarminus asserit, ad prædicandum quidem viva voce non expectasse Apostolos oblatam occasionem vel necessitatem; at ad scribendum, non nisi necessitate quadam coactos venisse.)

4. Salmero tom. 3. tract. 25. sic disserit, Causa præcipua, quæ Matthæum ad scribendum permovit, Spiritus sanctus fuit, qui Evangelicam doctrinam literis consignari suo loco & tempore voluit. Nam & ille propterea magnum desiderium in fratribus, qui ex circumcisione Christum fide susceperant, ingeneravit, ut à Matthæo Apostolo conscriptionem Evangelii obtinerent. (Ergo occasiones illæ scribendi non tollunt scribendi mandatum, sed sunt ei subordinatæ.)

2. Epistolæ ab Apostolis scriptæ hunc habebant scopum, ut exstirparent errores contra traditionem ortos, & pro particulari necessitate Ecclesiarum vel personarum, ut Philemonis, Timothei, Titi, Electi & Gaji Epistolæ, non autem ut omnia complecterentur. Salmeron in Epist. Roman. Disp. 8.

Resp. 1. Toletus in Comm. Luc. ad præfat. annotat. 11. p. 8. Etiamsi Lucas uni Theophilo Evangelium suum scripserat, non tamen pro illo solo scripsit, sed pro omnibus, sicut & Paulus multas Epistolas aut hominibus particularibus, aut Provinciis, quæ tamen in utilitatem totius Ecclesiæ ordinabantur.

2. Maldonatus in cap. 1. Luc. Non minus autoritatis habet Historia Actorum, quod ad unum privatum hominem scripta fuit. Nam quod Theophilo Lucas scribit, omnibus scribit, quemadmodum Paulus cum ad Timotheum, Titum, Philemonem, homines privatos scribit. (Ergo quæ ad particulares personas & ex occasione particulari scripta sunt, ex instituto Spiritus sancti ad totius Ecclesiæ salutem scribi potuerunt & revera scripta sunt, cum articuli fidei & præcepta morum in illis tradita ad omnes Ecclesiæ filios pertineant.)

3. 2. Corinth. 3. v. 3. Epistola nostra vos estis scripta à nobis non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis. Ergo Christus noluit Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere. Coster. in Enchir.

Resp. 1. Salmeron Disp. 3. in 2. Cor. p. 290. Licet de tota sacra Scriptura dici possit, quod sit Epistola Dei, testibus Augustino & Gregorio, hic tamen alia ratione Paulus accipit Epistolam, quasi dicat, Tota vestra Ecclesia Epistola nostra est, id est, testimonium & commendatio nostri apud omnes gentes, quam in corde nostro gerimus &c. Quod Epistolæ scriptæ in commendationem meam egissent, id vos nunc ipsi tum fide, tum vita & operibus præstatis.

2. Cornel. à Lapide in Comment. h. l. Vos Corinthii mea opera conversi estis mihi instar Epistolæ commendatitiæ ab omnibus lectæ & intellectæ, quam pro mea commendatione exhibeo, quibus volo. Sicut enim opus commendat opificem, & sigillum rei signatæ facit fidem, sic vos quasi Epistola commendatitia à vobis obsignata me commendatis &c. Vos à me conversi, estis indelebiliter animo meo inscripti, insculptique; ubi nota, quod Paulus hanc Epistolam bis scripserit, primò in seipsa, cum in Corinthiorum mente fidem & Spiritum Christi inseruit & inscripsit. Secundò eandem scripsit & impressit in corde suo per eorum curam & amorem. Tertiò, vos etiam estis Epistola Christi, quorum scilicet in cordibus ministerio meo quasi calamo inscriptus est Christus, ipseque Christus in iis per me & meam prædicationem, suam fidem, spem, caritatem & reliqua dona inscripsit non atramento, sed Spiritu sancto.

3. Estius in Comm. h. l. Dicitur Epistola, de qua sermo est, id est, ipsi Corinthii fideles, scripta in tabulis cordis carneis, in quantum fides & caritas & cætera, quæ lex nova præcipit, in eorum cordibus impressa erant per Spiritum sanctum &c. (Hæc interpretatio congruit Apostoli scopo & cõtextui, ex qua nulla veritatis specie elici potest, vel Apostolos scribendi mandato fuisse destitutos, vel Scripturam illam interiorem & spiritualem excludere externam Apostolorum scriptionem, vel Scripturas in N. Testamento non fuisse necessarias, vel Apostolos aliam doctrinam cordibus auditorum, aliam membranis & chartis inscripsisse.)

CAPUT V.

De Scripturæ Autoritate.

THESIS. Autoritas Scripturæ non pendet ab autoritate Ecclesiæ, ac proinde non est major autoritas Ecclesiæ, quàm Scripturæ sacræ.

Ἔκθεσις. 1. Aliud est Ecclesiam testari de Scriptura & ejus autoritate διακονικῶς, *ministerialiter*, aliud eam conferre Scripturæ suam autoritatem δικαστικῶς, *prætoriè & judicialiter*. Ecclesiæ ministerio & testificatione deducimur ad agnoscendam Scripturæ autoritatem, sed ex eo inferri nequit, quod autoritas Scripturæ vel *in se*, vel *quoad nos* unicè pendeat ab Ecclesiæ autoritate, quia, quando jam cognovimus, Scripturam esse divinam, & continere Dei verbum, non amplius credimus Scripturæ *propter Ecclesiæ testificationem*, sed *propter seipsam*, quia scilicet est vox Dei, qui est αὐταλήθεια ac proinde αὐτόπιστος.

2. Distinguendum est *officium & ministerium Ecclesiæ* ab officii illius *objecto*. Officium Ecclesiæ est testari de Canone: item interpretari Scripturam & refellere hæreticos &c. Sed hoc officium Ecclesiæ non est confundendum cum ipsa Scripturæ αὐθεντίᾳ, quæ solum proponitur ab Ecclesia, tanquam conditione & teste, & hoc est officii Ecclesiæ *objectum*, quod nullo modo *primò & per se* potest dependere ab adjuncto officio, quin potius hoc ab illo dependet.

3. Aliud est, *ex Ecclesiæ testimonio* innotescere nobis Scripturæ autoritatem, aliud verò *ex solo Ecclesiæ testimonio* omnem Scripturæ autoritatem quoad nos *unicè pendere*. Prius concedimus, posterius negamus, quia præter Ecclesiæ testificationem sunt aliæ duæ classes testimoniorum, autoritatem Scripturæ demonstrantium, videl. interna κριτήρια Scripturæ insita, (utpote *antiquitas rerum majestas, sermonis singularitas, perpetua conformitas, prophetiæ de rebus futuris dignitas, complementi veritas, miraculorum, quibus doctrina illa confirmata est, divinitas, Diabolici adversus eam furoris immanitas, ipsius Scripturæ in persuadendo & permovendo efficacitas:*) ac internum Spiritus S. testimonium. Quin & in illa ipsa classe, quæ Ecclesiæ testificationem continet, etiam alia externa testimonia, ex omni scilicet hominum genere proferri possunt: interim non negamus, Ecclesiæ testificationem in hac classe reliquis testimoniis externis esse præferendam.

4. Aliud est loqui de testimonio *Ecclesiæ primitivæ*, quæ ab Apostolis sacrorum librorum autographa accepit, & fidele testimonium de illis posteritati tradidit; aliud verò de autoritate *præsentis Ecclesiæ*. Illud potissimum attendendum, quando de Ecclesiæ testificatione agitur.

5. Docendi causâ quidam distinguunt inter *autoritatem Scripturæ superiorem & inferiorem*. Scriptura in se & ex se habet verè divinam αὐθεντίαν, ἀσφάλειαν, θεοπνευστίαν, ob divinissima κριτήρια ipsi insita; hæc est autoritas *interna & superior: inferior verò & externa* pendet ex propositione Ecclesiæ, ut testatricis & candelabri, cui hæc divini verbi lux imposita est. Sed hæc inferior & externa autoritas nihil aliud est, quàm manifestatio & agnitio autoritatis interioris.

6. Propriè tamen & accuratè loquendo non est *duplex*, sed *una* Scripturæ autoritas, eademque divina, non dependens ab Ecclesiæ autoritate, sed à solo Deo. Autoritas Scripturæ quoad nos, nihil aliud est, quàm manifestatio & cognitio unica illius divinæ & summæ autoritatis, quæ Scripturæ est interna atque insita. Ecclesia igitur non confert Scripturæ novam aliquam autoritatem *quoad nos*, sed testificatione sua ad agnitionem illius autoritatis nos deducit.

7. Concedimus, Ecclesiam esse Scripturæ sacræ testem, custodem, vindicem, præconem & Interpretem, sed negamus ex eo effici, quod autoritas Scripturæ sive *simpliciter*, sive *quoad nos* ab Ecclesia pendeat, & quidem *unicè* pendeat.

8. Quando de Ecclesia dicitur, quod *constituerit Canonem*, phrasis illa duobus modis accipi potest, videlicet vel de Scriptorum Canonicorum αὐθεντικοποιΐᾳ, vel de Canonis hujus μαρτυρολογίᾳ. Priore sensu sola *Apostolorum Ecclesia* N. Testamenti libros Canonicos constituit, miraculis confirmavit, Ecclesiæ commendavit ob ipsam θεοπνευστίαν internam atque insitam. Posteriore vero sensu ἡ μαρτυρία de constituto Canone competit reliquis omnibus *Ecclesiis derivativis*, cumprimis vero primitivæ Apostolorum temporibus vicinæ, quæ constitutum hunc ab Apostolica Ecclesia Canonem recepit & de eo suis filiis testificata fuit, hæcque testificatio subinde per successionem est propagata. Apostoli ergo constituerunt Canonem *effectivè*, ut fideles Dei amanuenses. Ecclesia subsequens *testificative, declarative, propositive.*

Antithesis. c. Si Romanorum, dist. 19. scribit Papa Gelasius, *Si Vetus, Novumque Testamentum sunt recipienda, non quod Codici Canonum sunt annexa, sed quod de his recipiendis Sancti Papæ Innocentii prolata videatur esse sententia, restat nimirum, quod Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sunt recipiendæ, etsi non sunt Codici Canonum compaginatæ, quoniam inter ipsos Canones unum B. Leonis Papæ capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi noverit denegari.* (Conferuntur invicem libri V. & N. T. ac Decretales Romanorum Pontificum Epistolæ, ac tam illi, quàm hæ propter Pontificis sententiam in Codice Canonum Ecclesiasticorum promulgatam recipiendæ statuuntur. Ut ergo Pontificis sententia Decretalibus Epistolis, ita quoque V. & N. Testamenti libris autoritatem quoad nos unice confert.)

Glossa lib. 2. Decretal. tit. 23. c. Sicut noxius 1. *Advertite, quod verba textus non sunt Papæ, sed Salomonis in parabolis, ut patet ex suprascriptione, & habentur originaliter in parabolis c. 26. Sed quia textus est hic canonisatus, facit fidem & inducit necessitatem, sicut si editus fuisset à Papa, quia omnia nostra facimus, quibus autoritatem nostram impartimur.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis Epist. 2. ad Bohemos tom. 2. p. 834. *Scripturarum autoritas & intelligentia fundatur in Ecclesia, quæ unam abjicit & alteram accipit.*

Sylvester Prierias contra Luth. *Indulgentiæ non innotuêre nobis autoritate Scripturæ, sed autoritate Romanæ Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum, quæ major.*

Idem. *A doctrina Romanæ Ecclesiæ & Romani Pontificis sacra Scriptura trahit robur & autoritatem.*

Johannes Maria Verratus Carmelitanus scripsit, *Scripturas non habere firmitatem, nisi ab Ecclesiæ traditione.*

Vincentius Lunellus Franciscanus conclusit, *quia Scripturæ autoritas pendeat ab Ecclesiæ autoritate, & traditionum nullus esset usus, nisi eadem Ecclesiæ autoritate niterentur, hoc inprimis fundamentum, cui sine periculo inædificari possit, faciendum esse, quod omnes Christiani Ecclesiæ credere teneantur, hoc tanquam nobilius firmamentum præferendum esse Scripturæ & traditionibus.*

Johan. Eccius in Enchir. in cap. de autor. Eccles. resp. ad 3. object. *Scriptura non est authentica, nisi Ecclesiæ autoritate.*

Idem §. Scriptura, Art. 15. *Visum est nobis &c. quod decretum Ecclesia postea mutabat. Ecce potestas Ecclesiæ super Scripturam.* (Hanc potestatem Ecclesiæ super Scripturam ibidem multis exemplis confirmare nititur.)

Johannes Casparus Rutlandus in loc. comm. Theol. tit. 2. pag. 85. *Neque ulla Scriptura est authentica sine autoritate Ecclesiæ, à qua debet approbari, sicut Scriptura Novi Testamenti ab ea est approbata. Major igitur est autoritas Ecclesiæ, quàm Scripturæ.*

P. 88. *Ecclesia mandavit parvulos baptizare absque aliqua autoritate singulari Scripturæ. Ex quibus itaque liquet, majorem esse Ecclesiæ autoritatem quàm Scripturæ.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 5. *Dic ergo, cur credis Evangelistæ & non Ecclesiæ, cujus ipse Evangelista membrum fuit, cum Ecclesia tanto Evangelistas excellat, quanto integrum corpus singulis præstat membris? Si uni fidis, cur diffidis cunctis? Si membro tribuis tantum, cur toti nihil tribuis corpori?*

Et postea. *In primordiis Ecclesiæ nascentis, cum primo oriebatur, post receptum Spiritum sanctum aliquod temporis spatium interjectum est usque ad primam Evangelii conscriptionem, quo tempore nulli dubium, quin credendum esset Ecclesiæ circa credenda & agenda à Christo mandata, etiamsi tunc Ecclesia omni Scripturæ præsidio careret. Eritne fortè dicendum, ut brevior sit nunc Ecclesiæ autoritas, quàm tunc? Aut detrudemus Ecclesiam in eam angustos limites, ut eam nunc ex Scripturæ testimonio pendere dicamus, quæ olim minimè pendebat?*

Cardinalis Surdisius in suo Catechismo sic scribit. Doctor. *Ad quemnam pertinet definire libros Canonicos?* Catholicus. *Ad Ecclesiam, cujus absque autoritate non majorem fidem adhiberem D. Matthæo, quàm Tito Livio.*

Cum à quodam dictum esset, *Scripturas valere, quantum fabulas Æsopi, si destituantur autoritate Ecclesiæ*, Cardinalis Hosius lib. 3. ejus operis contra Brentium, cui titulum fecerat, Veræ

Veræ Christianæ Catholicæque doctrinæ solid: propugnatio, asserit, *hoc potuisse pio sensu dici, quem homo pius, qui caritatem habet, qua non cogitat malum, ex iis verbis eliceret. Nam revera, nisi nos Ecclesiæ doceret autoritas, hanc Scripturam esse Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.* Quo sensu iterum in Confess. Petricoviensi dixit cap. 15. *Ecclesiæ si sua non tribuatur autoritas, nullam futuram eorum, quæ scripta sunt ab Evangelistis, autoritatem.*

Caranza controv. 2. Prolegomenon ad summam Conciliorum. *Solum credimus Scripturis propter Ecclesiam testificantem.*

Matthias Aquensis in Catholicæ doctrinæ assertione lib. 1. *Quod Scriptura aliqua credi debeat esse verbum Dei aut Canonica, pendet ex communi Ecclesiæ consuetudine, atque Orthodoxorum Patrum per universum terrarum orbem consensu, aut alicujus plenariorum Conciliorum sententia seu definitione.*

Schleidanus in Comment. rer. gestarum Anno 1553. meminit cujusdam Galli Pontificii, qui, *absque Ecclesiæ autoritate non plus tribuendum esse, dixit, Epistolis Pauli, quàm fabulis Æsopi,* quod pronunciatum Vitus Miletus in discuss. sexcentorum errorum Heshusii pag. 21. *tanquam rectè dictum* defendit, imò exaggerat.

Albertus Piggius lib. 1. Hierarch. Ecclesiast. cap. 2. multis probare conatur, *quod omnis, quæ nunc apud nos est, Scripturarum autoritas, ab Ecclesiæ autoritate dependeat necessario.*

Ibid. fol. 8. *Apostoli quædam scripserunt, non ut scripta illa præessent fidei & religioni nostræ, sed ut subessent.*

Ibid. fol. 9. concludit, *non solum non inferiorem esse, non solum parem, imo & quodammodo superiorem autoritatem Ecclesiæ autoritate Scripturæ, siquidem Scripturis quibusdam eisque præcipuis, hoc est, Evangelistarum, quam neque ex se, neque ex Scriptoribus suis apud nos habebant, Canonicam impertita est autoritatem, aliis vero, quam ex autoribus suis habebant autoritatem, conservavit.*

Thomas Bozius lib. 16. de sign. Eccl. cap. 10. *Quicquid divina Scriptura autoritatis habet, illud totum fuit atque est ab Ecclesia, nam singuli ejus libri confecti sunt à filiis Ecclesiæ.*

Ibid. *Profecto sequitur, multo majorem in Ecclesia esse autoritatem, quàm in divinis libris.*

Thomas Stapleton. in relect. princip. doctrinal. controv. 4. pag. 497. *Ecclesia Scripturis, quas prædicat, præferri potest, quia Scripturas seu scriptum hoc Dei verbum non solum prædicat, sed etiam hoc verbum Dei scripsit ipsa, taxavit quoque & consignavit ipsa pro scripto Dei verbo. Ecclesia facit, ut vera esse à nobis credantur, quæ in Scripturis continentur.*

In triplic. adversus Witak. *Propter solam Ecclesiæ autoritatem credimus Scripturæ sacræ.*

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei c. 4. *Non aliunde habemus, Scripturam esse divinam & qui libri sint sacri, quàm ex traditione non scripta.*

lib. 4. de Ecclesia cap. 2. §. Secunda nota. *Scripturæ pendent ab Ecclesia, non contra, ut sæpè diximus.*

lib. 2. de Sacrament. cap. 25. *Omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate præsentis Ecclesiæ.* (Si firmitas dogmatum, & quidem omnium, ab autoritate præsentis Ecclesiæ pendet, ergo etiam ipsius Scripturæ, in qua dogmata fidei continentur.)

Armandus Jes. in Epist. ad Chamierum p. 21. *In Ecclesiam sit ultimò controversiarum fidei resolutio.*

In Concilio Tridentino Gaspar à Fosso Archiepiscopus Rheginus orationem habuit, in qua inter cætera asseruit, *autoritatem Ecclesiæ autoritate verbi Dei nihilo esse inferiorem; Ecclesiam Sabbatum à Deo institutum in diem Dominicum mutasse; Etiam Circumcisionem Dei ipsius voce districtè imperatam sustulisse, atque hæc non Christi prædicatione, sed Ecclesiæ autoritate innovata.* Petr. Suavis lib. 6. Histor. Conc. Trident. p. 547.

Jacobus Gretserus tract. 1. cap. 7. Unde scis col. 1907. *Ex omnib. indiciis agnoscendi Canonicas divinasque Scripturas propositio & testimonium Ecclesiæ principium tenet, quod si absit, cætera nihil prosunt; si adsit, vel solum sine aliis sufficit.*

Item. *Ecclesiæ testimonium solum est infallibile, quæcunque enim à Prædicantibus afferuntur, ne hilum quidem proficiunt.*

Tract. eod. omnia κριτήρια, quæ pro Scripturæ αὐθεντίᾳ stabilienda afferimus, elidere & eludere conatur. col. 1884. b. dicit, *ea ab hæreticis negari posse.*

col. 1886. c. *ea solum movere animum conversi & credentis, Scripturas esse divinas.*

col. 1904. *ea solum efficere & generare humanam fidem*; ibidem probare nititur, *omnia illa nihil valere posse apud infidelem, neque styli majestatem*, col. 1883. b. *neque summam divinorum Scriptorum consensionem*, col. 1883. c. *neque vaticiniorum veritatem*, col. 1883. c. *neque Scripturæ efficacitatem*, col. 1884. a. *neque ejus sublimitatem*, col. 1884. *neque mutuam V. & N. Testamenti probationem*, col. 1874. *neque antiquitatem*, col. 1883. d. col. 1880. a. *neque testimonii Spiritus sancti veritatem*, col. 1894. a. b. *imo etiamsi aliquis unà cum Paulo in via fuisset & eodem prostratus fulmine fuisset, tamen eundem sine Ecclesiæ testimonio non potuisse de Pauli vocatione & autoritate Canonica esse certum*, col. 1906. a.

Jacobus Gordonus Huntlæus tom. 1 Controv. 2. de Ecclesia cap. 15. p. 230. asserit, *Ecclesiam non tantum dare nudum testimonium Scripturæ, sed etiam autoritatem.* Illud postea hoc modo explicat: *Distinguit testimonium in testimonium nudum & testimonium autoritatis. Illud dicit non esse necessarium, quando res aliunde sit testata, cujusmodi fuit Johannis de Christo testimonium: alterum, à quo pendeat autoritas ipsius testimonii ideò necessarium esse asserit, quod sine eo res non sit satis testata. Ecclesiæ autem testimonium esse omnino necessarium, utpote, à quo dependeat autoritas ipsa Scripturarum.*

Ibid. *Constat, Scripturam Canonicam suum robur & autoritatem accepisse, non ab approbatione primitivæ Ecclesiæ, sed potiùs ab approbatione subsequentis, imò etiam præsentis Ecclesiæ.* (nimirum Concilii Tridentini.)

Cap. 16. p. 231. *Cum verbum scriptum accipiat suam autoritatem & utilitatem à verbo credito & rectè prædicato, quæ sunt partes Ecclesiæ, necesse est, ut scriptum verbum recipiat suam autoritatem & utilitatem ab Ecclesia, utpote in qua sola sunt verbum creditum & rectè prædicatum.*

Valerian. Magnus in Judicio de Acatholicorum credendi regula q. 68. *Dubito, sitne Scriptura sacra, nec ne? Nam hactenus non credidi sacram, nisi commotus autoritate Ecclesiæ.*

Inde quidam Adversariorum eò abeunt, ut statuant cum Scoto lib. 3. sent. dist. 23. q. un. Biele ibid. q. 2. art. 1. & 2. Durando lib. 3. sent. dist. 23. quæst. 1. *propter Ecclesiæ autoritatem ipsi verbo divino in Scripturis revelato credi, ac illam esse primum credendorum & rationem, cur cætera omnia credantur,* qua de re sic disserit Andradius lib. 2. Defens. fidei Trident. fol. 150. *Unde sanè liquet, omnem veteris primitivæque Ecclesiæ existimationem ab hujus* (Ecclesiæ hodiernæ) *excellentia & dignitate pendere. Neque enim eo modo sumus persuasi, Apostolos, Patresque illos, quos Ecclesia observat, viros fuisse summis Spiritus sancti dotibus, & rerum pro Christo gestarum gloriâ excellentissimos, quemadmodum Cæsarum, Pompeji, Alexandri, Cyri, Hannibalisque triumphos credimus & admiramur: hæc enim in hominum opinione non sine aliqua falsitatis suspicione versantur, illa verò tam firmiter & constanter credimus, ut sanguine illa consignare pro summa religione habeamus. Qui verò fieri posset, ut res à sensuum communione disjunctissima & à nostra memoria propter vetustatem remotissima, piorum animis tam altè insiderent, nisi summa esset in Ecclesia illa affirmante autoritas, divinisque eam afflatibus gubernari certi essemus? Neque enim in libris ipsis, quibus sacra mysteria conscripta sunt, quicquam inest divinitatis, quæ nos ad credendum, quæ illis continentur, religione aliqua constringat, sed Ecclesia, quæ Codices illos sacros esse docet, & antiquorum Patrum fidem & pietatem commendat, tanta est vis & amplitudo, ut illis nemo sine gravissima impietatis nota possit repugnare.*

Jacobus Gordonus Huntlæus in Epit. controversiarum controv. 2. cap. 9. & seqq. ex professo disputat, *fundamentum universum fidei verum & præcipuum esse autoritatem Ecclesiæ.*

In cap. 10. *decem proprietates fundamenti fidei* enumerat; cap. 11. ostendere nititur, *solam Scripturam fundamentum illud non esse,* ac caput illud sic concludit, ut *Scripturam quidem fundamentum,* id est, *rationem credendi multorum dogmatum fidei esse* dicat, *sed nec omnium, nec primum, eo quod ipsa per aliud generalius fundamentum, nimirum per autoritatem Ecclesiæ, probetur. Particulare igitur tantum fundamentum fidei, non universale; mediatum, non immediatum; secundarium, non primarium eam esse.* Tandem postquam cap. 12. ostendisset, *proprietates illas fundamenti nec Spiritui privato competere,* cap. 13. ex iisdem confirmat, *Ecclesiam demum universalem & visibilem solidum & verissimum illud fidei nostræ fundamentum existere.*

Johannes Viguerius in Instit. Theolog. tit. de virtute fidei pag. 277. *Quod Ecclesia sit prior dignitate & virtute obligandi, apparet primo ex approbatione Scripturæ. Nam nulla Scriptu-*

ra est Canonica, nisi sit ab Ecclesia approbata &c. Sicut major est, qui benedicit eo, qui benedicitur, unde Apostolus: Sine ulla autem contradictione, quod minus est, à meliori benedicitur: sic qui approbat eo, quod approbatur. Si enim credimus Evangelio propter autoritatem & approbationem Ecclesiæ, à fortiori ipsi Ecclesiæ approbanti, juxta illud Philosophi, propter quod unumquodque tale, & illud majus. Præterea sic se habet Scriptura ad Ecclesiam, sicut corpus ad animam, quia quemadmodum corpus absque anima non habet virtutem operandi: sic nulla Scriptura sine approbatione Ecclesiæ habet in spiritualibus virtutem obligandi. Sed manifestum est, animam esse nobiliorem, digniorem & virtuosiorem corpore, juxta illud. Anima plus est, quàm esca, & corpus, quàm vestimentum. Igitur Ecclesia dignior & virtuosior est Scripturâ exteriori &c.

Vitus Miletus in refut. 600. errorum pag. 45. adducit & approbat dictum Gersonis (part. 1. oper. tract. 1. de comm. Laic. regul. 9.) *Scriptura sacra finaliter in sui receptione & expositione authentica resolvitur in autoritatem, receptionem & approbationem Universalis Ecclesiæ, præsertim primitivæ. Rectè, inquit Miletus, quò enim aliò resolvi possit, assignari non potest. Si enim in seipsam resolveretur, variam expositionem non pateretur.* (Quibus omnibus meritò opponimus illud, quod Tertullianus olim Ethnicis opposuit in Apologet. cap. 5. *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensatur, nisi homini Deus placuerit, Deus non erit*)

Nostram sententiam confirmamus,

1. *A causa efficiente principali Scripturæ sacræ.* Scripturæ sacræ & Canonicæ autoritas pendet à solo DEO, ergo non ab Ecclesiæ autoritate. Antecedens probatur, quia effectum suam dignitatem & præstantiam obtinet à sua causa, jam vero non Ecclesia, sed Deus est Scripturæ autor. Verbum Dei est DEUS loquens. Itaque quæ autoritas est Dei loquentis, eadem est verbi Dei. Præterea autoritas ac majestas Scripturæ est ipsi, utpote θεοπνεύστῳ divinitus insita, est ipsi interna, immediatè & per se inhærens, proinde non dependet aliunde à principio quodam externo, Psalmo 119. vers. 152. קדם *jampridem novi ex testimoniis tuis, te in secula fundasse ea.* Novi, inquit, testimonia esse in secula, hoc est, Scripturam esse divinam; Unde verò hæc notitia? *jampridem*, inquit, *novi ex testimoniis ipsis*, hoc est, ex ipsa Scriptura, quæ est αὐτόπιστος, καὶ ἀναπόδεικτος.

2. *A causa formali.* Scriptura ante Ecclesiæ judicium suam obtinet autoritatem. Ergo ejus autoritas non pendet ab Ecclesiæ judicio & testimonio.

3. *A proprio Scripturæ adjuncto.* Scriptura est principium summum, immediatum, necessarium & unica credendi causa & regula. Ergo ejus autoritas non dependet ab Ecclesia.

4. *Ex proprio Scripturæ effectu.* Scriptura sacra ex internis κριτηρίοις, cumprimis ex vi quadam interna hominum mentes efficaciter movente & ad se rapiente, ac proinde ex interno Spiritus sancti testimonio apud nos autoritatem habet, ut apparet ex prædicatione verbi divini, quod ipsum & non aliud in literas est relatum. Ergo ejus autoritas etiam quoad nos non dependet unicè ab Ecclesia.

5. *Ex Ecclesiæ adjuncto.* Autoritas Ecclesiæ & pendet & probatur ex Scripturæ autoritate, quia ex sola Scriptura discendum, quæ sit vera Ecclesia, & quantum autoritatis illi competat. Ergo Scripturæ autoritas non pendet ab Ecclesiæ autoritate.

6. *Ex deductione ad absurdum.* Si autoritas Scripturæ quoad nos unicè ab Ecclesiæ autoritate penderet, consequens foret, non dari alia κριτήρια & testimonia, quibus de Scripturæ autoritate convincamur, quàm Ecclesiæ testificationem, ultimum fidei nostræ resolutionem fieri in judicium Romani Pontificis, Scripturam non esse primum & ἀναπόδεικτον fidei & religionis Christianæ principium, Deo in Scripturis & per Scripturas ad nos loquenti non esse credendum, nisi Ecclesia jubeat &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscunt, Scripturam esse in se ac per se divinam, αὐτόπιστον, ἀξιόπιστον, αὐθεντικὸν &c. (Ex eo enim immotè sequitur, ejus autoritatem non pendere ab Ecclesia. Pulcrè Salvianus Messaliensis lib. 3. de gubernatione Dei: *Alia omnia, id est, humana dicta, argumentis ac testibus egent, Dei autem sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.*)

c. Quis nesciat dist. 9. ex Augustino lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 3. *Quis nesciat, sacram Scripturam Canonicam tam Veteris, quàm Novi Testamenti certis terminis suis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari, aut disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit, vel constiterit esse; Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem in ea re cujuslibet peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorum autoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate* (in Scripturis revelata, ut patet ex præcedentibus) *deviatum est?*

Bonaventura in Breviloq. part. 5. capite 7. *Necessaria est illustratio veritatis animam elevans; necessaria est etiam testificatio veritatis animam firmans. Primum fit per fidem infusam, secundum per Scripturam authenticam, quorum utrumque est à veritate summa per Jesum Christum, qui est splendor & verbum, & per Spiritum sanctum, qui veritatem ostendit & nihilominus credere facit. Hinc est, quod autoritas præbet fulcimentum, & fides assentit veritati, & quia autoritas principaliter residet in Scriptura sacra, quæ per Spiritum sanctum est condita tota ad dirigendam fidem Catholicam, hinc est, quod vera fides à Scriptura non dissonat.*

Petrus de Alliaco in lib. 1. sent. art. 3. fol. 46. *Principia Theologica esse ipsas sacri Canonis veritates, quoniam ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursus, & ex eis primò singulæ conclusiones Theologiæ deducuntur.*

Gabriel Biel lib. 3. sentent. dist. 25. q. unic. dub. 3. *Veritates Catholicæ absque omni approbatione Ecclesiæ ex Natura rei sunt immutabiles & immutabiliter veræ, & sic sunt immutabiliter Catholicæ reputandæ. Patet ergo quòd nulla veritas est Catholica ex approbatione Ecclesiæ vel Papæ, sed Ecclesia vel Papa per suam approbationem, aliquam veritatem fuisse aut esse Catholicam, agnoscit ac definit.* Illud probat hoc modo: *Aut veritas dicenda est Catholica, quia divinitus revelata, aut in Scriptura divina contenta, aut quia ab Ecclesia recepta, aut quia à summo Pontifice approbata, aut quia ex aliquo prædictorum sequitur in consequentia necessaria, alius modus non est dabilis. Si primum aut secundum, quia revelatio non pendet à summo Pontifice, nec ab Ecclesia, ergo horum approbatio nihil facit ad hoc, quod talis veritas sit verè Catholica, aut quod contineatur in Scriptura divina. Si tertium, quia ab Ecclesia recepta, quæritur, quare Ecclesia talem veritatem recepit, aut quia sibi divinitus revelata, & tunc absque tali receptione est verè Catholica, scil. quia divinitus revelata vel inspirata, aut Ecclesia eam recepit, quia in divinis Scripturis invenit; & tunc iterum absque tali receptione est Catholica, eò quod in Scripturis divinis contenta. Aut recepit eam, quia per experientiam aut naturalem rationem eam cognovit. Sed rationi naturali aut experientiæ Ecclesia in recipiendo Catholicam veritatem inniti non potest &c. Aut Ecclesia eam recepit, quia sibi placet; tunc Ecclesia faciendo veritatem Catholicam inniteretur humanæ voluntati tantum, & fides nostra ita esset in voluntate hominum, contra illud 1. Corinth. 2. Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, ergo multo fortius non in voluntatibus humanis.* Hæc omnia Biel.

Baptista Mantuanus lib. 3. de patientia cap. 2. *Sæpenumero mecum cogitavi, unde tam suasibilis sit ista Scriptura, unde tam potenter influat in animos hominum, unde tantum habeat energiæ, ut non ad opinandum tantum, sed ad solidè credendum omnes inflectat? Non est hoc imputandum rationum evidentiæ, quas non adducit, non artis industriæ & verbis suavibus & ad persuadendum accommodatis, quibus non utitur. Sed vide, an in causa sit, quòd persuasi sumus, eam à prima veritate fluxisse. Unde autem sumus ita persuasi nisi ab ipsa? quasi ad ei credendum nos sua ipsius trahat autoritas. Sed unde quæso hanc autoritatem sibi vendicavit. Neq; enim vidimus nos Deum concionantem, scribentem ac docentem, tamen ac si vidissemus, credimus ac tenemus à Spiritu sancto fluxisse, quæ legimus. Forsitan fuerit hæc ratio firmiter adhærendi, quod in ea veritas sit solidior, quamvis non clarior. Habet enim omnis veritas vim inclinativam & major majorem, & maxima maximam &c. Quid longa opus est disputatione? Firmiter sacris Scripturis ideo credimus, quod divinam inspirationem intus accipimus.*

Lib. ejusd. cap. 3. *Inest ergo sacris Scripturis, nescio quid, imo scio quid Natura sublimius, id est, inspiratio facta divinitus, & divinæ irradiationis influxus certus.*

Item. *Est in verbis vestita nuditas, multiplex simplicitas, & habilis uniuscujusque ingenii subtilitas. Est in ea, quod rudibus foras patescat, & quod eruditos introrsum adducat. Est, quod robustos exerceat, quod imbecilli ultro se exhibeat.*

Autor

Autor oneris Ecclesiæ c.1.§.1. *Omnes Prophetiæ in sacra Scriptura Veteris ac Novi Testamenti comprehensæ per se sunt authenticæ, adeo ut alieno robore non indigeant. Nam in ore Prophetarum dedit Deus verba sua in ignem &c.*

August. Steuchus in princ. Cosmop. asserit, *sacrorum librorum autoritatem minimè sola legentium fide teneri, sed afferre secum divinas quasdam potentissimasq́; rationes magnorum animorum judicia ad se trahentes.*

Cajetanus in opuscul. tom. 2. tract. 1. cap. 1. de conceptione B. Virginis. *Fidei Christianæ certitudo non humano more certa esse debet, sed infallibile omninò debet habere testimonium, quale nullus homo, sed solus Deus præstare potest. Unde & Petrus Apostolus cœlestis vocis, in transfiguratione Domini à se auditæ, proprio testimonio tanquam humano utens, subjungit, habemus firmiorem Propheticum sermonem &c. subjungendo, quod non voluntate humana Prophetia allata est; divino ergo testimonio non humano certitudo haberi debet, in decernendo judicialiter res fidei.*

Hosius Cardinal. in Confess. Petricov. cap. 16. *Nos libenter concedimus, accipienda esse Evangelia, ut verbum Dei intus docentis & revelantis, neque credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus loquentis.*

Pamelius in vita Tertulliani testatur, *ipsum factum esse Christianum, non tantum occasione sumta à miraculis, sed etiam ex fide Scripturarum sacrarum, quarum autoritatem summa antiquitas vindicabat; majestatem divinam prædictionum veritas comprobabat.* (Ergo Tertullianus, teste Pamelio, non ab Ecclesia ad Scripturis habendam fidem fuit impulsus, cum ejus Ecclesiæ nullam autoritatem agnosceret, utpote Ethnicus, sed contrà à Scripturis, quarum autoritatē jam aliis argumentis, nec paucis, nec parvis deprehenderat, ad Ecclesiam fuit perductus.)

Catech. Romanus part. 1. resp. ad q. 3. *Si arrogantis & impudentis hominis est, gravi & sapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, sed præterea urgere, ut quod dixerit, rationibus aut testibus probetur; cujus temeritatis atque adeo stultitiæ fuerit, Dei voces audientem cœlestis ac salutaris doctrinæ rationes requirere? Fides itaque seclusa omni non solum ambiguitate, sed etiam demonstrandi studio tenenda est.*

Canisius in Catech. part. 1. cap. de præcept. Ecclesiæ sect. 16. scribit, *nos Scripturæ propter testimonium divini Spiritus in illa loquentis credere, adhærere ac tribuere maximam autoritatem.*

Raymundus de Sabunde Theol. Hispan. (quem Anton. Possev. tom. 3. Apparat. p. 121. *virum magni & solidi judicii vocat*) in Theol. Natur. cap. 209. *Cum honor sit credere alicui & verbis ejus, sequitur, quod homo debet credere Deo, imò debet ei primò & per se sine alio testimonio, sine alia aliqua probatione purè, simpliciter, suo simplici verbo, solum quod ipse dicit, vel dici fecit, credere, & per consequens debet homo credere, quicquid Deus dicit, ita quod tota causa, tota radix, totum fundamentum credendi verbis Dei debet esse, quia ipse dicit. Et talem honorem tenetur & debet homo Deo & verbis ejus, scil. credere omnia verba Dei, quia ipse dicit &c. Si enim non volo credere verbis Dei, propterea quia ipse dicit, sed quæro aliam probationem & aliud testimonium, tunc magis credo alicui alteri, quam Deo, & reputo aliquid aliud magis verax, quam Deum.*

Cap. 211. *Sicut creaturæ in nullo fundantur, in nullo sustentantur, nisi in solo Deo, immediatè & ante se nihil habent, nisi Deum: ita ipsa verba & dicta Dei & ipsius Bibliæ in nullo fundantur, in nullo sustentantur, nisi in sola Dei autoritate immediatè, quia non fundantur in aliqua probatione, nec argumentatione.*

Et postea: *Certitudo & firmitas & soliditas veritatis ipsius Bibliæ sanctissimæ oritur & dependet ex sola Dei autoritate infallibiliter, & in ea solum fundatur, eò quia ipse dicit.*

Gregorius de Valent. in anal. fid. lib. 1. cap. 20. *Illud nescio, an sit argumentum omnibus argumentis majus, quod, qui vere Christiani sunt, ita se animo divinitus affectos esse sentiunt, ut præcipue quidem propter nullum argumentum, quod vel hactenus fecimus, utpote numerum Martyrum, efficaciam doctrinæ, miracula, Adversariorum Confessionem, infelicem hostium exitum, antiquitatem, quæ quacunque ratione similiter excogitari possint, sed propter supernaturalem divinam revelationem, quæ alio quodam modo fortius, quam ulla argumenta, persuadet ad firmiter credendum.*

Ibid. pag. 268. *Abunde nobis ad eam rem* (certitudinem Scripturæ V. T.) *sufficit ipsum per se testimonium Christi & Apostolorum, quo eorum est autoritas librorum commendata.* (Eadem est ratio librorum N. Test. quibus libri Mosaici & Prophetici V. T. testimonium ferunt.)

Ibid. lib. 8. cap. 5. p. 95. *Scripturæ autoritas est divina prorsus ac proinde omninò infallibilis, quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob revelationem divinam in eadem Scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam propriè fides ipsa respicit: tum etiam ob Ecclesiæ propositionem, tanquam ob conditionem quandam, ut id ipsi Christiana fide credamus, requisitam: tum postremo ob communia fidei motiva, tanquam propter argumenta, videl. quibus animum inducimus credere, non modo, quæ in Scripturis continentur, esse omnia verissima, sed inprimis etiam Scripturas ipsas esse divinas.*

Motiva illa proponit lib. 1. anal. cap. 3. *Quia sacram Scripturam omnes pene gentium nationes, & in his innumerabiles viri summâ autoritate, summo ingenio & excellenti virtute atque eximia, variaque doctrina præditi, ita crediderunt, ut rationem disciplinæ suæ reddere omni poscenti pulchrè possent, & contrarios errores aliarum religionum manifestè refellere.*

cap. 4. *Quia Scripturam sacram innumerabiles omnis ordinis, sexus & ætatis homines, qui & Deo placendi, veræque religionis agnoscendæ colendæq́; cupidissimi erant, & singulari vitæ probitate atque sanctimonia conspicui sic amplexi sunt, uti res omnes ac vitam ipsam exquisitissimis tormentorum generibus admiranda patientia tolerandis postponere non dubitaverint.*

cap. 5. *Quia, qui ex Scripturæ instituto vivunt, singulare quoddam animi robur, magnamque facultatem ad graviora peccata omnia contra legem Naturæ vitanda obtinent.*

cap. 6. *Quia per sacram Scripturam, ejusq́; doctrinam paucissimi homines nulla neque humana eruditione, eloquentiave instructi, neque potentia & vi armati, neque nobilitate clari, neque opulentia præstantes, & præterea ejusmodi res docentes, quæ magna ex parte hominum voluntatibus atque adeò ipsi carni repugnant, plurimos sapientissimos, eloquentissimos, potentissimos, nobilissimos, opulentissimos vicerunt, ut desertis patriis religionibus, quæ vel ipsa diuturnitate confirmatæ erant, Christianam disciplinam amplecterentur.*

cap. 7. *Quia Scriptura sacra miraculis divina planè virtute editis probata orbi est.*

cap. 8. *Quia testimonio Adversariorum laudata.*

cap. 9. *Quia, qui eam non receperunt, acerbissimas clades perpessi sunt.*

cap. 11. *Quia prædictiones continet exactissimæ veritatis.*

cap. 12. *Quia facile à contradictionibus rationis humanæ vindicari potest.*

cap. 13. *Quia insuperabilis est veritatis.*

cap. 14. *Quia cunctis rebus admirabilem ordinem inducit.*

cap. 15. *Quia in tanta verborum simplicitate tam summæ & penetrabilis est efficacitatis.*

cap. 16. *Quia supremæ est antiquitatis.* (Atqui pleræque harum rationum petitæ sunt à κριτηρίοις internis ipsi Scripturæ insitis, quas præter Ecclesiæ autoritatem, imo ante eam, hominibus ad fidem ducendis proponendas suadet.)

Idem tom. 3. Disp. 1. q. 1. §. 10. concedit, Scripturæ credi ob seipsam, Verba sic habent: *Si quis interrogetur, v. g. Quare credat, Deum esse trinum & unum? distinguat, utrum sermo sit de causa ipsius fidei secundum se, cur videl. firmiter & infallibiliter id credat: vel de causa, ob quam acceptaverit eam fidem. Si primum, respondeat, quia Deus revelavit. Si rursus interrogetur, unde cognoscat Deum revelasse? respondeat, se quidem non nosse id clarè, credere tamen eadem fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem, benè tamen ob infallibilem propositionem Ecclesiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam. Si rursus, unde cognoscat propositionem Ecclesiæ esse infallibilem? Similiter dicat, se clarè non nosse, credere tamen fide infallibili ob revelationem Scripturæ testimonium probibentis Ecclesiæ, cui revelationi non credat ob aliam revelationem, sed ob seipsam, quamvis ad hoc ipsum opus sit ipsa Ecclesiæ propositione, ut conditione requisita.*

Pesantius in Thomam fol. 465. b. *Cognitio fidei acquisita non est fundamentum fidei Christianæ secundum se, sed solum ratio movens.*

Boverius lib. 2. Demonstrat. veræ & falsæ relig. Exam. 2. cap. 10. fol. 167. a. *Dei verbum, postquam ab Ecclesia agnitum est & receptum, à solo Deo tum ob summam illius veritatem, tum etiam ob supremam dicentis potestatem, non ab hominibus autoritatem sibi comparare, verissimum est, nec ab ullo negatur, neque enim fas est, Dei verbum, quod ipsissima veritas est juxta Christi testim. Joh. 1 ab alio, quam ab ipso Deo, qui suprema veritas est, autoritatem accipere*

Eisengrein. lib. de Ecclesia, capite 13. pag. 3:5. *Catholici libenter concedunt, accipienda esse Evangelia ut verba Dei*

intus docentis & revelantis, neque credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus loquentis.

Mülhusinus in animadv. contra Paræum agnoscit, *Scripturas* Θεοπνεύστους *semper in se manere divinas, etsi à nemine pro talibus agnoscantur.*

Balduinus Junius Ord. S. Franc. de Observantia lib. 12. Manual. Theol. c. 6. pag. 523. *Autoritas Scripturæ divina prorsus ac proinde est omninò infallibilis, quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob revelationem divinam in eadem Scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam propriè ipsa fides respicit.*

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei c. 4. §. Ecclesiasticæ &c. *Verbum Dei non est tale, nec habet ullam autoritatem, quia scriptum est in membranis, sed quia à Deo profectum.* (Subsumimus. Scriptura est verbum Dei scil. scriptum. Ergo inde atque ideo habet autoritatem, quia à Deo profectum.)

2. Quod agnoscunt, majorem esse Scripturæ, quam Ecclesiæ autoritatem.

Nicolaus de Clemangis in Disputat. de materia generalis Concilii, ut est in Fasciculo rerum expetend. fol. 197. *Non certius videre possumus de Ecclesia & Evangelio, quod altero excellentioris sit autoritatis, quam si demus fieri posse, ut aliquid Evangelio contrarium Ecclesia statuat, quod, etsi fieri non possit, tamen enucleandæ veritatis gratia fingamus fieri posse. Putas in hac causa Augustinum, cum dixit, Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesia moveret autoritas, pro statuto Ecclesiastico fidem fuisse Evangelii rejecturum? absit, cum præsertim dicat Apostolus, Etsi vel Angelus de cœlo aliud Evangelium prædicaret, anathema esto. Manichæi, contra quos ibi agit Augustinus, Scripturas sacras pro arbitrio suo accipiebant, Vetus Testamentum pro majori parte repudiabant.*

Ibid. *Mirum sane prima specie satis videtur, quod autoritatem peregrinantis in terra Ecclesiæ videtur autoritati Evangelii opponere, cum in multis illa falli possit, illud omninò nequaquam possit, & cum ipsius Ecclesiæ autoritas, quantum ad ipsius radicem & fundamentum maximè ex Evangelio constet, imò ipsius institutio, potestas, ædificatio non aliunde tam expresse & certitudinaliter, quam ex ipso habeatur Evangelio.*

Marsilius Patavinus part. 2. Defensor. cap. 19. *Ecclesia est vera causaliter, quia nempe credit veritati Scripturæ: Scriptura autem vera est simpliciter & per se, quia est veritas ipsa.*

Johannes Gerson in lib. de vita spirit. animæ. *Non est in potestate Papæ, aut Concilii, aut Ecclesiæ immutare traditiones datas ab Evangelistis & Paulo, sicut quidam delirant, nec habent quoad hoc, quod est facere aliquid purè esse de fide, parem autoritatis firmitatem.*

Alphonsus Tostatus in cap. 4. Matth. q. 28. *Nulla est major autoritas sub Deo, quam sacra Scriptura.* Ex hoc principio respondet ad quæstionem, *Quare Christus in omnibus tentationibus defenderit se autoritate Scripturæ, nam in singulis allegavit aliquid contra Dæmonem, ut patet in litera. Quia Christus volebat respondere valde efficaciter Diabolo, ut se conclusum & confusum videret.*

Michaël Medina Theol. Hispan. in volum. Venet. impresso. *Quanquam mihi, dum sanctarum Scripturarum dignitatem expendo, nunquam hæc Scripturarum & Ecclesiæ comparatio probari potuit, tantum abest, ut his duabus postremis sententiis, quæ Ecclesiam eisdem Scripturis Canonicis præferunt, ex animo faveam.*

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. capite 7. *Verbo Dei primam, ut par est, autoritatem concedimus, quod & Ecclesiam fulciat & sanctis Doctoribus locum, quem merentur, in ea det. Sunt, qui huic sententiæ assentiuntur quidem, verboque Dei primas concedunt, sed tamen eo sensu, quo velit Ecclesia. Verum hoc modo aut prior datur autoritas Ecclesiæ, cujus nimirum arbitratu exponendum sit verbum, aut certe æquatur utraque, quatenus una subserviat alteri, nec una sine altera subsistat. Atqui Ecclesiam necesse est accommodari ad verbum, non verbum ad Ecclesiam. Verbum fundamentum est, Ecclesia ædificium in illo collocatum. Quanto igitur ad veritatem appositius loquuntur, qui verbum illud, quod ab ore Dei procedit, tanquam Solem constituunt illuminantem cunctam Ecclesiam? Non mutuatur Sol lumen à stellis, sed & eas collustrat & in omnes mundi partes lumen spargit. Illuminat & verbum Ecclesiam, quæ ipsa tum lucere incipit, cum est radiis illius illustrata.*

Anglo-Rhemens. in cap. 4. Joh. *Mulier ista mysticè Ecclesiam repræsentat, & significat homines primò credere, quia sic tradit Ecclesia; postea ipsis Scripturis multo magis confirmari.* (Ergo multo major Scripturæ autoritas etiam quoad nos, quam Ecclesiæ.

Petrus à Soto in Defens. Cathol. Confess. contra proleg. Brentii cap 47. fol 174. *Dubitandum non est, quin Ecclesiæ Scriptura sit subdita. Hanc sententiam semper tenuimus, & quanquam sunt Catholici, qui æqualis volunt autoritatis esse Ecclesiam & Scripturam, & quidam plus tribuant Ecclesiæ, nihil putantes detrahi alteri ex alterius excellentia, maxime cum quicquid Scriptura vel Ecclesia habet, totum sit à Spiritu sancto, qui inter eas, prout vult, dividit autoritatem. Hoc nonnulli asserunt, quos non damnamus, quia hoc sentiunt non damnantes etiam eos, qui aliter sentiunt. Sed nobis multò magis contrarium placet, vel hac sola ratione, quia Spiritus sanctus revelat & dat Ecclesiæ Scripturam sacram, quare non potest non illi subdita esse.*

Ibid. *Si ita est, si certissimè Ecclesiæ subdita est Scriptura, quomodo illi jus tribuimus testificandi & interpretandi Scripturam, nisi quia hoc non ut superior Scripturæ facit, sed ut subdita?*

Et postea. *Quod Wirtenbergenses in cap. de Ecclesia docent, jus hoc, quod Ecclesiæ damus, non sic intelligendum esse, quod habet liberam potestatem vel mutandi Scripturam, vel nova dogmata fidei condendi, aut potestatem, novam religionem & novum cultum statuendi, hoc nos maximè probavimus, ostendentes, hoc esse certissimum & à nostris etiam recentioribus Doctoribus & nominatim à Thoma assertum. Ex quo etiam illud apertè sequitur, quod ibidem affirmant, & nos laudamus, Ecclesiam agnoscere vocem Sponsi sui in libris Canonicis & habere certam regulam, juxta quam obscura interpretatur & dubia definit, Propheticam scil. & Apostolicam prædicationem.*

Johannes Driedo lib. 4. de var. dogmat. cap. 4. *Super omnibus, quæ ex sacris Scripturis sunt manifesta, prior, notior & vetustior est autoritas Scripturæ, quàm ejus Ecclesiæ, quæ nunc est. Nam & hujusmodi Ecclesia, quæ nunc est, ex Scripturis sacris quærenda & cognoscenda est.*

Gregor. de Valent. lib. 8. de anal. fid. cap. 5. p. 95. *autoritatem Ecclesiæ majorem esse, ait, extensivè, id est, latius patere, quàm autoritatem illius, quia Ecclesia non tantum doctrinam in Scriptura contentam tradat, sed & ipsam Scripturam fidelib. credendam proponat & controversias etiam planè & expressè decidat. Intensivè autem neutram altera majorem esse, cum tam Ecclesia, quàm Doctor Canonicus, eodem Dei Spiritu suggerente, pronuncient, atque adeò æquè infallibiliter. Quin si ad utriusque autoritatis quendam modum respiciamus, majoris alicujus dignitatis esse autoritatem Scripturæ, eamque meritò tanquam divinius aliquid suspici,* quod probat ex *diverso modo, quo aliter atque aliter Ecclesia & Scriptor Canonicus Spiritus sancti instinctu pronuncient, & quia Ecclesia ipsa in suis definitionibus Scripturæ autoritate nitatur, tanquam fidei quodam fundamento ob divinam revelationem, quæ ipsis sacris literis continetur.* (Postremum hoc vis veritatis Gregorio de Valentia expressit. Quod priores respectus Ecclesiæ autoritatem nec majorem, nec parem Scripturæ autoritati faciant, suo loco demonstratur.)

Idem tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 1. punct. 7. col. 310. *Quæ omnia efficiunt, ut secundum nos quidem & secundum modum utriusque autoritatis major quædam in Scriptura, quàm in Ecclesia dignitas esse videatur.*

col. 309. *Scripturæ autoritas est divina prorsus ac proinde omninò infallibilis & certa, tum ob revelationem divinam, in quam propriè fides respicit.*

col. 337. *Scriptura luculenter nobis commendat autoritatem Ecclesiæ.* (Ergo Scripturæ utpote probãtis major est autoritas.)

Bellarminus lib. 1 de Verbo Dei capite 2. *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem habendam esse neget. Notissimas enim esse testis est orbis Christianus, & consensio omnium gentium, apud quas multis jam seculis summam semper autoritatem obtinuerunt. Certissimas autem atque verissimas esse, testis est veritas vaticiniorum, incredibilis concordia tot Scriptorum, Deus ipse, ipsa Scriptura & miracula.* (Si Scriptura sacra nihil notius, nihil certius, non potest esse major autoritas Ecclesiæ, quàm Scripturæ.)

Idem lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. *Respondeo, nos non negare, imò defendere contra negantes, verbum Dei ministratum per Angelos & Prophetas esse primum fundamentum fidei nostræ, ideo enim credimus, quicquid credimus, quia Deus id per Angelos & Prophetas revelavit, sed addimus, præter hoc fundamentum primum requiri aliud fundamentum secundarium, id est, Ecclesiæ testificationem.* (Fundamentum secundarium non est majoris auto-

autoritatis, quam primarium, nec confert autoritatem primario. Scriptura est fundamentum primarium, Ecclesia secundarium. Ergo Ecclesia non est majoris autoritatis, quam Scriptura, nec confert Scripturæ autoritatem.)

Idem Bellarminus in Disputationibus suis passim repetit, *ex Scripturis probari autoritatem Conciliorum, infallibilitatem Romani Pontificis, autoritatem Ecclesiæ &c.* Jam verò autoritas probans dignior, certior, major ac notior est conclusione probanda.

Ignat. Armandus Jes. in Ep. ad Chamieru. *Non nego, quin aliquando contingere possit, ut ex Scriptura Ecclesia probetur, sitq; illa ex hypothesi notior, quam hæc, quando nimirum Scriptura est recepta & clare loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia.* (Plura hujus generis adducentur in artic. 5. cap. 4. thesi gen. 1. membro 3. Jam verò autoritas probans à priori major est autoritate probanda.)

Huc referri potest, quod quidam agnoscunt, in verbis Petri 2. Epist. 1. v. 19. *sermonem Propheticum firmiorem* statui testimonio Petri. (Nam sermo ille Propheticus non nisi in Scripturis tum temporis extabat. Quòd si ergo Scriptura Prophetica firmior fuit, respectu autoritatis quoad homines, Petri testimonio, utique multo magis firmior est reliquorum Pastorum testimonio, cum illi dono infallibilitatis, quo Petrus pollebat, non sint præditi. Pastorum autem testimonium Ecclesiæ vocant. Ergo Scriptura Prophetica firmior est Ecclesiæ testimonio.)

Cajetanus in 2. Petri cap. 1. *Non dicit veriorem aut clariorem, aut majoris autoritatis, sed firmiorem, quod constat verissimum tunc fuisse, quoniam Propheticus sermo longe magis firmatus erat in mentibus hominum, quam sermo iste, cujus testem se exhibet Petrus.*

Idem in opusc. tom. 2. tract. 1. cap. 1. duo asserit, *Primò, Petrum suo testimonio tanquam humano firmius & certius addere voluisse, Propheticum tanquam divinum.* (Quod tamen non eo sensu accipiendum, quasi testimonium Petri *in se & absolutè* fuerit merè humanum, sed quod ab illis, ad quos scribebat, *pro tali haberi* potuerit, quos propterea ad Propheticum sermonem, tanquam ad firmiorem, respectu scil. auditorum, eosdem ablegaverit.) *Secundo, divino testimonio, non humano certitudinem haberi debere in decernendo judicialiter res fidei.*

Salmero in h. l. *Sermo Prophetarum dicitur firmior, quam visio transfigurationis, quia, quæ tunc Apostoli apud Judæos fideles vel faciebant, vel dicebant, non erant tantæ autoritatis, quantæ veteres Scripturæ, quæ confirmatæ & comprobatæ erant, & in summum autoritatis fastigium evectæ.*

Guillaudus in h. l. *Firmiorem sermonem dixit propter quosdam infirmos, qui ex Judaismo ad fidem conversi maxime intenti erant Prophetis & eorum dictis.*

Gagnæus in h. l. adducit & approbat dictum Bedæ. *Si quis nobis non credit divinitatem ejus asserentibus ex eo, quod majestatis ejus spectatores fuimus, & vocis è cælo elapsæ auditores, habemus Propheticum sermonem firmiorem, non quidem veriorem, sed firmiorem, quem negare non potestis, sicut nostrum testimonium potestis refellere.*

Josephus à Costa Jesuita lib. 3. de noviss. temp. cap. 3. ad locum illum Petri sic annotat. *Quid quæso est, quod hic dicit se habere firmius testimonium? Sublimis transfigurationis Christi miraculum narrat testis ipse oculatus: at fidei conciliandæ firmius ac majus pondus habere vult Propheticorum oraculorum de Christo illustrissima testimonia.*

Lorinus in Comment. Actor. 26. v. 22. *Petrus Propheticum sermonem, quam ipsius Christi transfigurationem, quam viderat, firmiorem dicit, hoc est, aptiorem ad convincendos Judæos, qui Prophetas recipiunt.*

Barradius tom. 1. Conc. Evang. lib. 1. cap. 17. *Sermo Propheticus firmior est Apostolico, non quidem cum revelatione, sed cum hominibus, qui ad fidem vocantur, comparatus. Veram enim fidem esse, colligunt, quæ tot Prophetarum antiquissimis ac receptis testimoniis confirmatur.*

Similia occurrunt apud Gretserum tom. 1. Defens. Bell. in tract. de agnosc. Canon. Script. cap. 7. pag. 1908. Ambrosium Catharinum & Guilielmum Estium in Comm. 2. Petr. 1.

3. Quod agnoscunt, Ecclesiam tantum manifestare Scripturæ autoritatem, ac de ea testari, non autem Scripturæ autoritatem conferre.

Michaël Medina d. l. *Ex eo, quod Ecclesia Canonicas Scripturas ostendit, & eas à falsis discernendi potestatem exercet, eam eidem Scripturis autoritatem præstare infirmè colligitur, nisi etiam is, qui inter hominum consertissimas turbas mihi Regem ostenderet potioris etiam, quam Rex ipse, autoritatis habendus esset, aut nisi Mosaica lex, quæ Christi & Evangelici status fuit index, juxta illud, Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi; & illud, Scrutatamini Scripturas, quia illæ sunt, quæ testificentur de me &c. majoris esse autoritatis, quam Christus aut Christi Evangelium, quod est absurdissimum. Enimvero Johannes Baptista Christo testimonium perhibuit, fuit enim homo missus à Deo, ut testimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum, neque tamen continuo Christo fuit major aut æqualis. Moses & Elias simul cum nube & cælesti voce, Christum esse Messiam & eundem cunctis mortalibus quasi cælestem Præceptorem audiendum, testificantur, neque tamen protinus majores aut æquales sunt Christo. Denique stella, Pastores, Magi, Anna & Simeon, qui omnes Christo detulerunt testimonium, ut generis humani Redemtor, verusq; Messias agnosceretur ab omnibus, non sunt Christo ipso potiores &c. Sic Ecclesia (fateor) est nobis causa credendi, hunc aut illum librum esse divinum, non tamen cum ipsa eadem Scriptura autoritate contendit, quemadmodum neque horum autoritas, qui de Christo testabantur, cum Christo erat ullo pacto conferenda. Ostendit Notarius aut publicus tabellio, hanc aut illam Scripturam esse Regis, atque ita ostendit, ut illi tantam fidem habeamus, quantam humana negotia postulant. Quis tamen tam insanus, ut tabellionis autoritatem cum Regis aut Imperatoris scripti autoritate componat?*

Jacobus Faber Stapulensis in Comment. Johan. 4. *Mulier, postquam urnam & aquam veteris cisternæ reliquit, gessit typum Ecclesiæ & sipeium, qui non nisi ad credendum præparant. Fides autem, quæ perficit, desuper advenit, Sacrosancto Jesu inhabitante & immanente Spiritu; quem qui habent, dicunt mulieri, non amplius propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Ne ergo posthac dicamus, Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ crederem, aut nisi approbasset Ecclesia & similia, sed potius cum Sicharitis jam verè fidelibus, Jam non propter loquelam tuam credimus, nam nullus Evangelium nobis loquitur, quam Christus Jesus super omnia benedictus. Ex ipso ergo & propter ipsum illud audientes dicamus, audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Qui enim illo modo credit, infirmè & humanè credit, & ut ajunt Dialectici, quod est: qui autem isto modo, validè, divinè, & ut iidem dicunt, propter quid est. Non enim Christus propter Samaritanam, sed Samaritana propter Christum.*

Stanislaus Hosius, Cardin. tom. 2. operum tract. de expresso Dei Verbo. f. 5. *Pronunciamus clara voce, quod verbum Dei non pendeat ab autoritate, testimonio & approbatione Ecclesiæ.*

Didacus Stella in Lucam f. 1. col. 2. *Sacratissima quatuor Evangelistarum volumina &c. Ecclesia suscepit, non quod autoritatem habeant ab Ecclesia (quamvis non sine Ecclesia) quæ sic judicavit. Quod quidem appositissimo simili tibi ostendam. Gemma ab his reperta, qui gemmarum precium ignorant, licet valorem suum habeat ex Natura sua, attamen eis, qui invenerunt, nullius est precii, donec peritorum judicium in hac re accedat.* Mox idem declarat exemplo *Salomonis, qui judiciali decreto declaravit, non efficit, hunc esse filium.*

Andreas Fricius d. l. *Deus est, qui tuetur verbum suum, qui autoritatem ei tribuit, qui illud in dignitatem vindicat, qui per Spiritum San. cordibus hominum obsignat. Testimonium quidem Ecclesia Spiritu Dei afflata dare potest & verbo & doctrina, hanc scil. quam inde ab Apostolis, quasi per manus accepit, & non aliam, à Deo esse proditam, autoritatem vero illi tribuere nemo potest præter Deum ipsum, qui est autor illius, defensor, illustrator, propagator.*

Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 8. p. 18. *Ecclesia decernit, illam esse revelationem, non tamen facit revelatum esse verum. Si autem talis veritas Catholica dicatur eo, quod in sacris literis continetur, cum talem veritatem in sacris contineri non pendeat ex humana aliqua voluntate, sed ex solo Deo Scripturarum illarum autore, constat etiam hac ratione, Ecclesiam nihil prorsus efficere posse, ut veritas illa ad fidem pertineat. Hoc ex Ecclesia habemus, ut sciamus, quæ sit Scriptura divina. At cum, Scripturam esse divinam, nobis constiterit, jam ex seipsa habet, ut ei per omnia credere teneamur.*

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei capite 10. resp. ad 14. argum. *Ecclesia non judicat de veritate Scripturæ, sed de intelligentia tua & mea & aliorum. Neque hinc sumit verbum Dei aliquod robur, sed intelligentia nostra. Non enim Scriptura est verior aut certior, quia sic ab Ecclesia exponitur, sed mea sententia verior,* (rectius, certior) *quando ab Ecclesia confirmatur.*

Idem

Idem lib. 3. de Justif. cap. 3. §. At inquit. *Probatio Ecclesiæ facit, ut omnibus innotescat, objectum illud esse revelatum à Deo & propter hoc certum & indubitatum, non autem tribuit firmitatem verbo Dei aliquid revelantis.*

Idem lib. 2. de Concil. cap. 12. *Scriptura non eget approbatione Pontificis, ut sit authentica, sed tantum ut innotescat ejus autoritas.*

Item. *Concilia cum definiunt, qui sint libri Canonici & divini, non faciunt, eos esse infallibilis veritatis, sed declarant solum esse tales.*

Barrad. tom. 1. Evang. Concord. lib. 1. cap. 17. *Ecclesia non facit, ut Evangelium sit Scriptura sancta, siquidem & absq; ejus testimonio Scriptura sancta est omne id, quod DEUS annotari jussit, Ecclesia tamen declarat nobis, quod curaverit Deus isthac annotari.*

Franciscus Sonnius, Episcopus Buscoducensis lib. 1. Demonstrat. pag. 49. *Scriptura sacra suam autoritatem & certitudinem ab Ecclesia non habet, attamen non sine Ecclesia attestante ac judicante, accedentibus lumine fidei & magisterio Spiritus sancti, sine quibus non intelligitur, ne Natura quidem ac qualitas Ecclesiæ. Vel ut gemma reperta ab iis, qui gemmarum precia ignorant, precium quidem & valorem habet ex sua Natura, attamen illis, qui invenerunt, non est preciosa, nisi postquam accesserit judicium peritorum in hac arte. Aliud simile ex ipsa Scriptura 3 Reg. 3. Cum duæ mulieres meretrices contenderent super infante, utrius esset filius, Salomon per judicium reddens infantem ei, quæ verè mater erat, non effecit, quod puer ille esset filius matris suæ, sed declaravit & autoritate judiciali decrevit, ut deinceps haberetur pro ejus filio & non amplius contenderetur super eo.*

4. Quòd negant, fidem nostram ultimò resolvi in autoritatem Ecclesiæ. (Atsi ab Ecclesiæ autoritate Scripturæ autoritas penderet, utique fides nostra ultimo resolveretur in autoritatem Ecclesiæ.)

Cajetanus 2. 2. q 1. art. 1. ex Thoma docet, *duo ad fidem concurrere, propositionem credendorum, & assensum. Quoad assensum dependere eam dicit à solo Deo ut agente, objecto, fine & regula; ratione autem propositionis dependere eam posse ab homine & Angelis, quibus meditantibus Deus proponat, hæc vel illa credenda esse, præsertim cum Spiritus sanctus providerit, ne in propositione illa error accidat.* Et quanquam *autoritatem illam Ecclesiæ in propositione credendorum regulam unam fidei infallibilem* vocet, *tantam tamen* ait *differentiam esse inter revelationem ipsam & autoritatem Ecclesiæ, ut revelatio sit ratio formalis objecti fidei, autoritas autem Ecclesiæ ministra objecti illius.* Addit etiam, *illam esse regulam fidei per se, hanc autem regulam tantum per accidens, cum primi Patres sine Ecclesiæ propositione & per solam ac immediatam revelationem crediderint, denique autoritatem illam proponendi regulam creatam esse ait, revelationem autem ipsam regulam increatam. Unde etiam negat in revelationibus aut in infinitum procedi, aut in veritatem & testimonium Ecclesiæ, vel in fidem acquisitam resolutionem fieri, sed in divinam revelationem, ut sic, & in ea statum esse ait.* Quare etiam hæc subjicit: *Ex hoc manifestum fit, quod diximus, quod sc. in hac adhæsione ad primam veritatem, ut revelatricem stat resolutio ultima creditorum, & non ad fidem acquisitam, qua credo Johanni Evangelistæ, aut Paulo Apostolo, aut communitati Ecclesiæ.*

Et paulò pòst: *Facit ergo habitus fidei infusæ hominem inhærere Deo, ut testificanti tanquam in ratione omnium credendorum, juxta illud 1. Johan. 5. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Et si hæc advertisset Durandus in 24. dist. 3. sent. art. 1. non dixisset, quod prima ratio credendi alia, & ad quod fit ultima resolutio credibilium est, credere Ecclesiam regi à Spiritu sancto. Nam distinguendo duos actus, scilicet assentiri & proponere; & rursus propositionem simpliciter, vel quoad nos, apparet primò, quod Deus ipse est primo proponens simpliciter ea, quæ sunt fidei: & ideo ad fidem spectant, quia ipse proposuit hæc, & non illa. Apparet secundò, quod, quoad nos, quibus Deus per seipsum non proponit credenda, sicut proposuit Apostolis & Prophetis, sed per Ecclesiam suam, quod Ecclesiam regi à Spiritu sancto, est infallibilis regula ad proponendum credenda nobis. Apparet tertiò, quod ratio, quare assentimus omnibus credibilibus, est, quia Deus dixit.*

Melchior Canus lib. 2. Locor. Theolog. cap. 8. pag. 46. *Eorum hic errorem dissimulare non possum, qui asserunt, fidem nostram eò tanquam in ultimam credendi causam reducendam esse, ut credamus, Ecclesiam esse veracem, cui prius* (inquiunt) *assentimur per fidem acquisitam, quam per infusam. Quod si verum esset, prima ratio formalis infusæ fidei non esset veritas increata, sed creata. Quare fides nostra non inniteretur tanquam suo fundamento divinæ veritati, sed humanæ.*

Et postea: *Huic articulo, Deus est trinus, & huic, Ecclesia non potest errare, & cæteris universis doctrinæ principiis assentior per infusam fidem, non quod Johannes dixerit, aut quivis alius homo, sed quod Deus revelaverit: huic autem, Deus revelavit, immediatè credo à Deo motus per instinctum specialem. Itaque ex parte objecti ratio formalis movens est divina veritas revelans, sed illa tamen non sufficit, nisi adsit causa interior, hoc est, Deus etiam movens per gratuitum specialemque concursum.*

Et paulò pòst: *Quamvis respectu unius aut alterius hominis sacras videl. literas rejicientis, prior sit Ecclesiæ autoritas, quoniam jure probamus illi, hanc esse Epistolam Pauli, illam Jacobi per Ecclesiæ autoritatem: non tamen inde colligitur, quod absolutè Ecclesiæ autoritas sit ratio credendi formalis.*

Et iterùm: *Autoritas Ecclesiæ cum sacrarum literarum autoritate connexa est, & per legem connexorum utramque in alterius probationem sumimus. At si generaliter quæratur, unde fideli constet, ea, quæ fide tenet, esse à Deo revelata, non poterit Ecclesiæ autoritatem inducere, quia unum de revelatis est, Ecclesiam errare non posse, ut 1. Timoth. 3. habetur.*

Et rursum: *Non est Ecclesiæ autoritas ratio per se movens ad credendum, sed causa sine qua nondum crederemus. Quippe ut nos credamus juxta præscriptam à Paulo legem, oportet, ut illa, quæ credere debemus, nobis per hominem proponantur. Providit autem Deus, ut Ecclesia esset, quæ certo ac firmo judicio ea, quæ verè nobis sunt credenda, proponeret. Proponit enim Ecclesia, ut rem exempli causa illustremus, Evangelium Matthæi esse à Deo revelatum. Nec mihi proponere nisi verum potest. Ego igitur non credo Evangelistam dicere verum, quia Ecclesia eum dicat verum dicere, sed quia Deus revelavit. Et tamen Ecclesia proponens est causa, sine qua ego non admitterem, illud Evangelium esse Matthæi. Spiritui itaque sancto Ecclesiam assistentem certo credo, non ut veritatem, autoritatem ve libris Canonicis tribuat, sed ut doceat, illos, non alios esse Canonicos. Nec si nobis aditum præbet ad hujusmodi sacros libros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum est, sed ultra oportet progredi & solida DEI veritate niti.*

Idem Canus ibid. *Nostræ fidei assensio humanis causis & incitamentis non nititur, quæ scil. fides acquisita est. Ne igitur mens nostra vacillet, altius petenda est, quam ab hominis vel ratione, vel autoritate sacræ Scripturæ autoritas, ut si mihi omnes, qui me docuerunt, imò adeo Angeli cœlorum juxta Pauli præscriptum astruerent oppositum ejus, quod fide teneo, non ex eo fides mea labefactaretur, quia Apostoli & Prophetæ resolvebant fidem suam ultimò, non in humanam, sed in divinam autoritatem, & eadem erit ratio fidei nostræ formalis. Confirmatur hoc ex Exodi 14. Crediderunt Domino & servo ejus Mosi. Non dixit, crediderunt Mosi & Domino. Et Apostolus inquit, Accepistis verbum fidei, non ut verbum hominis, sed, sicut est revera, verbum Dei. Et Johan. 5. Si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei majus est.*

Stapleton. de princip. doctrin. controv. 4 lib. 8. cap. 20. *Quamvis non nisi per Ecclesiam revelantem Deum teneamus, tamen non cum Durando in Ecclesiæ voce acquiescimus, ita ut in Ecclesiæ vocem, ut supremam autoritatem, fides nostra desinat, sicut Scholastici quidam incautius & imperitius tenuerunt.*

Gregorius de Valent. tom. 3. Disput. 2. q. 1. punct. 1. col. 37. *Scholastici quidam non satis caute & explicatè resolutionem ultimam nostræ fidei referunt in fidem acquisitam de veritate articulorum fidei, ut Scotus, Gabriel &c.* quos ibidem erroris accusat.

c. 38. *Si rursus* (quæras) *unde cognoscat, propositionem infallibilem esse? Similiter dicat, se clarè non nosse, credere tamen fide infallibili, ob revelationem Scripturæ testimonium prohibentis Ecclesiæ, cui revelationi non credit ob aliam revelationem, sed ob seipsam, quamvis ad hoc ipsum opus sit ipsa Ecclesiæ propositione ut conditione requisitâ.*

Idem lib. 1. de anal. fid. cap. 1. *Deus ipse inprimis est, qui Christianam doctrinam, atque adeo Scripturam sacram veram esse, voce revelationis suæ & externo quodam instinctu atque impulsu humanis mentibus contestatur atque persuadet, ut in ea ipsa Scriptura multis in locis est expressum, & præclare à Divo Prospero Aquitanico explicatur.*

Et rursus: *Accuratè discernendi sunt animi motus duo in iis, qui fidem amplectuntur. Nam & prudentia etiam dictante judicant, dignam esse Christi doctrinam, quæ certò ac firmiter credatur, & demum credunt assensione fidei, adjuti divinitus, eam veram esse. Quod assensione fidei certa atq; firma, adjuti divinitus, credunt, doctrinam*

doctrinam Christi veram esse, id in solum divinum testimonium, quod revelatione continetur; tanquam in causam quidem rationemque credendi referri debet, Itemque in Ecclesiæ propositionem, tanquam in in quandam conditionem, sine qua Christiana quidem fide minimè crederetur.

p.31. asserit, *nos doctrinæ Christianæ veritatem sola fide, in qua non sit evidentia*, (quæ nullas admittat demonstrationes à priori) *tenere.*

Becanus tom.1. opusc.10. thes.29. *Si quæras ex me de actu fidei secundum se, an credam, Scripturam esse infallibilem, dicam, me credere, idq; propter solam Dei revelantis autoritatem, & in hoc actu fidei non procedam ulterius.* (Atqui sola revelatio est causa fidei nostræ de autoritate Scripturæ, falsum utique est, quod Scripturæ autoritas, quoad nos, unicè dependeat ab Ecclesia. Hæc enim sunt opposita. Sola revelatio Dei nos confirmat de autoritate Scripturæ. Et, Non sola revelatio Dei, sed sola Ecclesiæ testificatio nos confirmat de autoritate Scripturæ.)

Ibid. thes.27. & 28. præced. distinguit, *inter fidem de Evangelii θεοπνευςίᾳ & fidei motiva. Fidem*, ait, *resolvi in solam revelationem divinam, quippe, quæ unica fidei nostræ causa sit. Fidei motiva recenset* varia, *ut consensum orbis, miracula, Dei providentiam & similia.*

Idem tract. de fid. cap.1. q.2. num.9. *Dices quartò, Assensus fidei videtur ultimo resolvi in autoritatem Ecclesiæ. Nam si quæram, quare credis articulos fidei? respondebis, quia Deus revelavit. Si iterum quæram, Quare credis Deum revelasse? respondebis, quia Ecclesia Catholica hoc dicit. Ergo ultima resolutio fit in Ecclesiam. Respondeo, tripliciter credi potest, Deum hoc vel illud revelasse. Primò, propter se, & tunc est assensus fidei Theologicæ, de quo hic agimus. Secundo, propter autoritatem Ecclesiæ dicentis, & tunc non est assensus fidei Theologicæ, sed alterius inferioris ordinis. Tertiò, propter autoritatem hominis & tum est assensus fidei humanæ.*

Et postea: *Itaque primus assensus non resolvitur ulterius, sed sistit in ipsa revelatione divina, quæ creditur propter seipsam, secundus resolvitur in autoritatem Ecclesiæ.*

Ibid. q.4. n.4. *Prædicationem publicam & Ecclesiæ autoritate factam dicit esse tantùm, ut applicationem quandam revelationis divinæ, gratiam vero internam esse motionem & impulsum supernaturalem, qui excitet & adjuvet hominem, ut possit credere mysteria, quæ ei per prædicationem proponuntur, sicut ad comburendam stipulas duo necessaria sint, applicatio stipularum ad ignem & vis comburendi in igne.*

Johannes Malderus Episcopus Antverp. de virtutibus q.1. art.2. sect.8. docet, *fidei resolutionem ultimo in Dei veritatem interius loquentis nobis fieri, & Michaëlem Medinam injustè reprehendisse ob hanc doctrinam nonnullos Catholicos.*

Pesantius in Thom.2.2. fol.467. *Quæres, unde cognoscatur, Ecclesiæ esse infallibilem propositionem? Similiter respondeat, se id credere fide infallibili ob autoritatem Scripturæ testimonium perhibentis Ecclesiæ, cui autoritati & revelationi ob seipsam credit, licet ad hoc sit opus Ecclesiæ propositione, tanquam conditione requisita.*

Tannerus tom.3. Theol. Schol. Disput.1. q.5. dub.5. num.174. col.346. *Interroganti cur credis, seu unde scias hæc omnia & singula, quæ credis esse divinitus revelata? Respondebis, te id quidem evidenter non scire, quin etiam credere formaliter, non ob aliam rationem credendi objectivam: attamen certo credere ob eam ipsam revelationem divinam, qua objecta ejusmodi credenda revelata sunt, mediante infallibili propositione Ecclesiæ tibi patefactam, quæ quidem propositio non sit ratio ultima credendi, sed medium, per quod objecta credenda simul cum ratione credendi tibi debito modo applicentur, adeoque conditio, sine qua juxta legem Dei ordinariam credenda omnia & singula à non credendis discernere non potuisset.*

num.185. col.380. *Ipsa propositio Ecclesiæ non proponit objectum credendum &c. ultimate, sed ut credendum ob divinam revelationem.* Id declarat simili: *In Mathematica discipulus acquirit scientiam conclusionis ob propositionem & doctrinam Magistri, non tamen ideò hæc propositio, sed ipsum medium demonstrationis est ratio formalis sub qua assensus illius scientifici.*

5. Quòd agnoscunt, in testificatione de autoritate Scripturæ majorem esse *primitivæ*, quam *præsentis Ecclesiæ* autoritatem. (Cum contra Bellarm. lib.2. de Sacrament. cap.25. *ab autoritate præsentis Ecclesiæ omnium dogmatum firmitatem pendere* asserat.)

Durandus lib.3. sentent. dist.24. q.1. artic.9. *Quod dictum est de approbatione Scripturæ per Ecclesiam, non intelligitur, nisi de Ecclesia, quæ fuit tempore Apostolorum, qui erant repleti Spiritu sancto, viderant miracula, & doctrinam Christi audiverant, atque ideò probati testes erant veritatis Scripturæ, sed qui hanc autoritatem extendere vult ad Ecclesiam, quæ postea secuta est, is certe hæreticus censendus est, cujuscunque sit conditionis.*

Gerson. de vit. spirit. animæ lect.2. coroll.7. *Dicta Apostolorum & discipulorum Christi sunt alterius autoritatis, quoad aliquid pure de fide, quam successorum suorum, quoniam primi à Christo doctrinam immediate susceperunt, eju insuper facta viderunt, & ad eos expresse dictum est, Qui vos audit, me audit.*

Item. *Major fuit primitivæ Ecclesiæ autoritas, quoad prædicta, quam nunc sit.*

Alphonsus Salmero tom.1. Comment. in Evang. prolegom.31. pag.113. *Non negamus, Apostolos oculis vidisse & manibus contrectasse, sed hæc nobis hodie fidem non faciunt indubiam, nisi quatenus ab Ecclesia illa visio Apostolorum & contrectatio comprobata est. Quamobrem Evangelistæ nunc nobis fidem non faciunt, satis est, eos fidem amplam ipsi Ecclesiæ ab initio fecisse. Persuaserunt autem illi Ecclesiæ duobus modis, Primò quidem per evidentiam rerum, quæ tanquam notæ ac manifestæ omnibus fidelibus negari, nisi impudenter, non poterant. Deinde propter approbationem Evangelii B. Marci factam à Petro, & Evangelii Lucæ factam à Paulo, quos Petrum & Paulum confirmatos esse in gratia, & idcirco in approbatione Evangelii errare non posse, sciebat Ecclesia. Postquam autem Ecclesiæ facta est fides abundantissima, alio non est opus ad hoc, ut nos firmiter credamus propter illos quatuor Evangelicæ Historiæ Scriptores, quos nos non novimus, verum propter Ecclesiam universam, in qua existunt innumerabiles hominum myriades, qui idem uno sensu testificantur. Est autem hæc nostra Ecclesia eadem numero per continuationem perennem, quæ tunc erat, quando facta est sibi plenissima fides de veritate quatuor Evangelistarum &c.*

Et postea: *Nobis vero & Ecclesiæ nostræ constat, Evangelistas non nisi vera scripsisse propter Ecclesiam præcedentem, quæ usque ad primitivam continuatur.* (Statuit igitur Salmero, fidem amplam, quam Apostoli ab initio Ecclesiæ fecerunt, facere nobis fidem de Evangeliis.)

Johannes Driedo lib.4 de dogmat. Ecclesiast. cap.4. pag.563. *Ecclesia primitiva in tradendis & docendis Christianæ fidei mysteriis atq; doctrinis majoris autoritatis fuit, quam Ecclesia, quæ nunc est, & id quidem propter Apostolos, qui illius Ecclesiæ columnæ testimonium de his, quæ viderunt, perhibere poterant. Et idcirco, quamvis Ecclesia, quæ nunc est, in remittendis & retinendis peccatis, in Sacramentis cæterisq; mysteriis Christi dispensandis, & in Ecclesiastica potestate semel à Christo Ecclesiæ data sit æqualis autoritatis cum Apostolorum Ecclesia; Ecclesia tamen primitiva propter Collegium Apostolorum ad tradendam novam fidei doctrinam majoris erat gratiæ, majoris autoritatis, quam Ecclesia, quæ nunc est.*

Et postea: *Super omnibus, quæ ex Scriptura sunt manifesta, prior, notior & vetustior autoritas ejusdem Scripturæ est, quam ejus Ecclesiæ, quæ nunc est. Nam & hujusmodi Ecclesia, quæ nunc est, quemadmodum in superioribus diximus, ex Scripturis sacris quærenda est & cognoscenda.*

Stapletonus de princ. doctrinal. de consign. Script. cap. ult. *Waldensis & Driedo viri doctissimi dixerunt, Ecclesiam primitivam quoad hæc (quoad potestatem tradendi Canonicas Scripturas & discernendi ab Apocryphis) majoris autoritatis fuisse, nostram verò antiquis scriptis niti debere.*

Lorinus in Comment.2. Epist. Petri cap.1. vers.19. sic scribit: *Waldensis tom.1. lib.2. doctr. fidei cap.20. & 21. Durandus distinct.24. quæst.1. & Driedo lib.4. de Eccles. script. & dogmat. cap.4. docent, primitivam Apostolorum Ecclesiam majoris autoritatis fuisse, quam quæ nunc est, ad approbandas Scripturas.* (Addit quidem Lorinus, *illos non satis vere sic docere, cum Ecclesia modo regatur eodem Spiritu*, sed sufficit nobis, quod Waldensis, Durandi & Driedonis suffragium nobis largiatur. Ecclesia quidem semper *eodem Spiritu* regitur, interim *modus regiminis* variat. Apostoli immediate à Spiritu sancto fuere inspirati & absolutum non errandi privilegium habuerunt, idem de posterioribus Ecclesiæ Doctoribus dici nequit.)

Mülhusinus contra Paræum de autorit. Script. cap.5. thes.25. *Si alios*, inquit, *Augustinus, quos dicat Apostolorum nostro-*

rum Codices protulerit, quomodo tu ipse (Manichæus) *autoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurrerit? Apocrypha, inquit alibi,* (lib.3. contra Faustum capite 4.) *nuncupantur, eo quod eorum occulta origo non claruit Patribus, à quibus usq; ad nos autoritas veracium Scripturarũ certissima ac notissima successione pervenerit.* (Agnoscit ergo Mülhusinus, Augustinum in hac quæstione ad primitivæ Ecclesiæ testificationem recurrere.)

6. Quòd admittunt, ex sola Ecclesiæ autoritate non posse Scripturæ autoritatem probari. (Quomodo ergo autoritas Scripturæ ab Ecclesiæ autoritate unice pendere poterit?)

Becanus tom.1. opusc.10. thes.19. pag.393. concedit, *circulum esse & nihil probari posse, si quis Christianus apud Ethnicum, qui nec Ecclesiam nec Scripturam admittit, probare vellet; Scripturam esse infallibilem, quia Ecclesia dicat; & Ecclesiam esse infallibilem, quia Scriptura dicat. Nam utrumq; illi æq; ignotum, æq; incertum est.* (Ex eo immotè colligitur, si Scripturæ autoritas aliunde nequit probari vel innotescere, quam ex Ecclesiæ autoritate, quod Ethnicus nunquam convinci aut converti possit, quoniam ille Ecclesiam non admittit, nec ejus autoritatem agnoscit. Aut ergo à solo Ecclesiæ testimonio Scripturæ αὐθεντία & θεοπνευστία non dependet, aut pagani Ecclesiæ infallibilitatem negantes, de Scripturæ θεοπνευστία convinci non poterunt. Posterius est falsum. Manet ergo prius.)

7. Quod agnóscunt, testimonium Ecclesiæ non esse absolutè & simpliciter necessarium ad Scripturæ autoritatem nobis persuadendum. (Ex eo enim sequitur, multo minus solum Ecclesiæ testimonium Scripturæ autoritatem nobis persuadere.)

Stapletonus lib.8. de princ. doctrinalibus cap.3. disertè asserit, *adeò efficax esse fidei à Spiritu S. infusæ donum, ut possibile sit, actu credere omnia credenda per solam fidem infusam absq; testimonio, doctrina & Magisterio Ecclesiæ.*

(Quod si ergo *in omnibus credendis est etiam autoritas Scripturæ,* ut idem asserit lib.9.c.4. *& omnia credi possunt actu ex fidei à Spiritu S. infusæ dono,* quis neget sequi, etiam hoc, quicquid est de autoritate Scripturæ, posse credi absque testimonio, doctrina & Magisterio Ecclesiæ? Quod si est, utique testimonium Ecclesiæ non erit simpliciter necessarium.)

Cajetanus Cardinalis in Comment. 1. Johan 5. super verba: *Spiritus est, qui testificatur, Spiritum veritatem esse. Ecce tertius testis; imo ecce ille, qui solus est sufficiens testis: ecce ille, qui vere testificatur: aqua enim non loquitur, neq; sanguis, sed Spiritus est, qui & intelligit, & omnia novit, & testificatur. Et propterea singulariter de solo Spiritu dixit, & Spiritus est, qui testificatur.*

8. Quod agnoscunt, Scripturam sacram esse primum & summum principium scientificum in religione Christiana. (Ex eo enim immotè sequitur, eam non mutuari ab Ecclesia suam autoritatem, sed in se & ex se, etiam absque Ecclesiæ autoritate esse, αὐτόπιστον & ἀξιόπιστον. Aristot. 1. Topic. initio: ἀληθῆ μὲν καὶ πρῶτα, τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν. οὐ δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστημονικαῖς ἀρχαῖς ἐπιζητεῖσθαι τὸ διότι, ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πιστήν. *Vera & prima illa sunt, quæ non ab aliis, sed à seipsis fidem habent. Non enim oportet in scientificis principiis quærere, quare; sed unumquodque ipsum per se esse certum.*)

Petrus de Alliaco Card. Cameracensis 1. sent. q.1. art.3. *Patet, quæ sint principia Theologica. Sunt enim ipsæ sacri Canonis veritates, quoniam ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursus & ex eis primò singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur.*

Lyranus in prologo super libros Tobiæ: *Sicut in Scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: sic in Scripturis à Catholicis Doctoribus traditis, veritas cognoscitur quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad autoritates Scripturæ sacræ Canonicas, quæ sunt habitæ revelatione divina, cui nullo modo potest subesse falsum.*

Alphonsus de Castro lib.1. advers. hæres. cap.2. *Harum Scripturarum testimonia, tanquam prima in hac scientia principia & velut arma omnibus communia, suscipienda sunt.*

Bellarminus tom. 6. oper. conc.40. de assumt. B. Virginis col.467. fatetur, *nos non credere Petro vel Johanni, sic docentibus, sed quia Deus revelavit* (utiq; in Scripturis) *qui est prima veritas.*

9. Quod autoritatem Ecclesiæ probant ex dictis Scripturæ, Matth.18. v.17. 1. Timoth.3. v.15. &c. (Jam verò autoritas probans major est autoritate probanda.)

Hosius Cardinalis lib.3. de autorit. Script. fol.519. *De audienda Christi Ecclesia manifestum est Christi præceptum Matth.18. Dic Ecclesiæ.* Ergo Christi verbum Ecclesiæ autoritatem tribuit, ut audiatur.

Bellarminus lib.2. de Concil. cap.2. §. Secunda classis &c. & lib.3. de Eccles. cap.14. §. His probatis &c. Gregorius de Valent. tom.3. col.180. Cornelius à Lapide 1. Tim.3. v.16. *Ecclesiæ autoritatem* probant ex loco Apostolico 1. Tim.3. v.16. (Ergo agnoscunt Ecclesiæ autoritatem conciliari à divino verbo, & per conseq. verbum divinum esse superioris autoritatis, quam tantum abest, ut ab Ecclesia accipiat, ut potius Ecclesiæ omnem autoritatem donet.)

Exceptiones advers. 1. *Si interdum Catholici aliqui dicunt, Scripturam pendere ab Ecclesia, sive à Concilio, non intelligunt quoad autoritatem & secundum se, sed quoad explicationem & quoad nos.* Bellarm. lib.2. de Concil. cap.12. §.1.

Resp. 1. Si Scriptura *quoad nos* unicè pendet ab Ecclesia, utique fides nostra ultimo resolvitur in judicium Ecclesiæ, non enim pendet à Scriptura per se & propter se, sed propter Ecclesiæ autoritatem.)

2. Inde Sacrobosc. in defens. Bellarmini p.1. cap.6. §. Posterioris, scribit: *Verum est, multos sanctos viros quædam mordicus tenuisse & propugnasse acerrime, quæ contra Dei verbum fuerunt, nec tamen pro hæreticis habitos, quoniam per autoritatem Ecclesiæ tempore ipsorum contrarium non fuit definitum.*

3. Ostendimus superius, multos ex Pontificiis simpliciter pronunciare, *quod major sit Ecclesiæ, quam Scripturæ autoritas.*

Andradius dicit, *nihil divinitatis inesse in illis libris, quibus sacra mysteria conscripta sunt, quod nos ad credendum, quæ illis continentur, religione aliqua constringat,* lib.2. Def. Trid. p.257.

Pistorius dicit, *falsum esse, quod Scripturæ per se insit divinitas,* contra Mentzerum fol.127.

Stapletonus disputat, *Ecclesiam posse libros sua Natura non Canonicos, ut librum Hermetis, tertium Esdræ &c. facere Canonicos,* Relect. princ. doctrin. controv.5. q.2. art.2. edit. prim.

Hermannus Wolfgangus Coloniensis & Hosius disputant, *Scripturas authoritate Ecclesiæ destitutas non plus valere Æsopi fabulis.* Uterque ergo non solum *quoad nos,* sed etiam *simpliciter* Scripturam ab Ecclesiæ autoritate pendere asserunt.

4. Et quid multis? Stapletonus disertè scribit in Relectione princ. controv.4. q.5. p.497. *Ad Canonizationem seu consignationem Scripturæ authenticam concurrens Ecclesia superiorem quandam autoritatem exercet, non solum respectu illorum, quibus eam pronunciat, sed etiam respectu Scripturæ ipsius, quatenus Canonicæ,* quæ assertio cum Bellarmini exceptione conciliari minimè poterit.

5. Denique Peltanus in Disput. de num. lib. Canon. Ingolstadii habita sect.9. th.5. & 23. sic disserit: *Utrius autem autoritas amplior sit, Ecclesiæne an Scripturæ, id propter morosas disputationes non facile est statuere, nec forte tutum satis absolute pronunciare. Ad opinantes autem quod spectat, sunt, qui Scripturam simpliciter anteponant Ecclesiæ, sunt contra, qui Ecclesiam Scripturæ. Sunt tamen, qui Ecclesiam late acceptam Scripturam excellere, presse autem & stricte sumtam à Scriptura excelli asseverant. Verum enimvero sive Ecclesia sit infra Scripturam, sive Scriptura infra Ecclesiam, sive pari passu procedant ambæ, certum est, legitimum controversiarum judicem esse Ecclesiam Catholicam.*

Secunda exceptio. Quando ex Eph.2. v.20. probamus, Scripturam non accipere autoritatem ab Ecclesia, quia *Ecclesia* dicitur *extructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorũ, adeoque super Scripturam sacram,* excipit Stapletonus in Def. Eccles. potest. lib.3. c.15. sect.6. *nomine Prophetarum intelligi N.T. Prophetas, id est, interpretes sermonum.*

Sed respond. 1. Thom. de Aquino in Comm. agnoscit de *Prophetis V.T.* adeoque de scriptis Propheticis ibi sermonem esse. Verba ejus sic habent: *Dicit autem Apostolorum & Prophetarum, ut designet, quod utraque doctrina est necessaria ad salutem. Item, ut ostendat concordiam inter utramq;, alterius ad alteram, dum idem est utriusque fundamentum. Nam quod Prophetæ prædixerunt futurum, Apostoli prædicaverunt factum.*

2. Eodem modo explicant Lyranus, Gagnæus & alii.

3. Benedictus Justinianus ad illum locum sic annotat. *Miror, quosdam falso imponere Ambrosio, quasi ille contra communem sententiam hoc loco intelligat N.T. Prophetas, de quibus Eph.4. cum tamen apertissime dicat, nos esse cives & lapides super Vetus & Novum Testamentum collocatos.*

4. Bellarm.

4. Bellarm. lib. 3. de V. D. c. 10. de hoc loco sic disserit. Non negamus, imò defendimus contra negantes, verbum Dei ministratum per Angelos & Prophetas esse primum fundamentum fidei nostræ, ideo enim credimus, quicquid credimus, quia Deus id per Angelos & Prophetas revelavit, sed addimus, præter hoc fundamentum primum requiri aliud fundamentum secundarium, i.e. Ecclesiæ testificationem.

Argum. Advers. 1. Propter solum & unicum Ecclesiæ testimonium credimus Scripturæ.

Resp. 1. Michaël Medina in loco proxime citato num. 3. multis ostendit, Ecclesiam non propterea præstare Scripturis autoritatem, etiamsi de ea testificetur.

2. Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 8. Hoc ex Ecclesia habemus, ut sciamus, quæ Scriptura sit divina. At cum Scripturam esse divinam nobis constiterit, jam ex seipsa habet, ut ei per omnia credere teneamur, perinde ac si adducerentur testes ad comprobationem alicujus instrumenti, quo Petrus tenetur Johanni reddere centum aureos, hi testes non efficiunt, Petrum teneri Johanni. Nam etsi Petrus negaret & testes defuissent, revera Petrus Johanni erat debitor, sed ut efficiant, ut per Scripturam convinci possit tanquam debito obnoxius. Quod si dicatur, veritatem illam esse Catholicam, quia jam Universalis Ecclesia recepit, tunc percontabor, quo pacto Ecclesia eam receperit, an quia illi à Deo fuerat revelata, an quia in sacra Scriptura reperta? neutrum autem horum pendere ex Ecclesiæ arbitrio ostendimus; aut Ecclesia recepit, quia per experientiam, aut per rationem naturalem eam cognoscit, quod non est aliquo modo tribuendum Ecclesiæ, eò quod tunc fides nostra soli experientiæ & rationi naturali inniteretur, cui manifeste repugnat Apostolus 1. Cor. 2. &c. Quod si alia ratione dicatur, veritatem esse Catholicam, quia ex revelatis aut in Scriptura contentis manifesta collectione deducitur, cum Ecclesiæ definitio non efficiat, collectionem esse firmam, ut notum est vel parum docto Logico, consequens est, ut neq; in hoc casu Ecclesia efficiat, veritatem aliquam esse Catholicam.

3. Anglo-Rhemenses in c. 4. Joh. Hæc mulier mysticè Ecclesiam repræsentat & significat, homines primo credere, quia sic tradit Ecclesia, postea ipsis Scripturis multo magis confirmari.

Toletus in eundem locum. Cum dicebant, jam non credimus propter sermonem tuum, id est, q. d. prius credidimus propter sermonem, sed nunc majus habemus testimonium credendi, quam tuum. Non indigemus minori, ubi adest majus, significantes se propter verbum Christi, quod audiverunt, credituros, etiamsi propter mulierem Samaritanam non credidissent.

4. Testimonium illud Ecclesiæ de libris Canonicis est Historicum, ac parit fidem Historicam, non autem divinum, quod pariat fidem divinam & salvificam, sed ea nititur αὐτοπίστοις Scripturæ internis & interno Spiritus sancti testimonio.

Salmeron proleg. 33. p. 416. Constat, Apostolos fuisse N. T. autores & scriptores. Nam in hoc consentiunt omnes omnium Apostolicarum Ecclesiarum successiones, quæ successionis regula non solum in sacris libris dignoscendis, sed etiam in judicandis profanis autoribus servari consuevit. Nam, ut rectè disserit Augustinus lib. 33. contra Faustum cap. 6. hos libros, quibus illi, qui de transverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis, unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus & deinceps successionis series commendavit, ut hic dubitare dementis sit. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi autorum librorum, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?

Argum. 2. Ecclesia est notior Scripturis.

Resp. 1. ex Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est certius, nihil notius.

2. Idem lib. 4. de Ecclesia cap. 2. concedit, Scripturam aliquando esse notiorem Ecclesia. Aliquando, inquit, ex hypothesi Scriptura est notior Ecclesia, quando videl. est recepta, & clare loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia. (Subsumo. In dogmatibus inter nos & Pontificios controversis Scriptura clare loquitur, & est ab utraque parte recepta, & inter illa controversa dogmata de ipsa Ecclesia quæstio oritur. Ergo ex Scripturis hic tanquam notioribus judicandum.)

Argum. 3. Augustinus contra Epist. Fundam. cap. 5. dicit. Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret autoritas. Hunc Augustini locum nobis objiciunt Cardin. Hosius tom. 2. fol. 5. Huntlæus controv. 1. cap. 5. pag. 10. Bonfrerius Jesuita in præloq. pentat. sect. 4. fol. 4. &c. Gretserus in Tract. Unde scis. c. 8. col. 1924. & seq. col. 1928. scribit, hunc locum nobis crucē figere.

Resp. 1. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. Augustinus de Ecclesia ut de causa proponente, non ut fundamento fidei locutus est.

2. Durandus lib. 3. sent. dist. 24. q. 1. docet, Augustinum loqui de Ecclesia primitiva, quæ Christum & Apostolos ex parte vidit & audivit, & veritatem ab ipsis profectam habuit exploratissimam, illamque notitiam ad posteros propagavit, & addit: Qui negat hoc, quod dictum est de approbatione Scripturarum per Ecclesiam, intelligi solum de tempore Ecclesiæ primitivæ, hæreticus est censendus.

3. Guilielmus Occamus Minorita, (qui vixit Ann. Christi 1320.) part. 1. Dialogor. lib. 1. cap. 4. Autoritas B. Augustini, quæ adducitur, ut nonnulli dicunt, frequenter à multis contra intellectum textus Augustini allegatur. Et post expositas varias vocis Ecclesiæ acceptiones subjungit: Ecclesiæ nomen pro tota congregatione fidelium Catholicorum sive viventium, sive mortuorum accipit Augustinus, cum asserit, quod non crederet Evangelium, nisi eum autoritas Ecclesiæ compelleret. Ista enim Ecclesia Scriptores Evangelii & omnes Apostolos comprehendit. Quare ex autoritate Augustini sanè intellecta inferri non potest, quod magis sit credendum summo Pontifici Canonum conditori, quam Evangelio. Et per consequens probari non potest, quod major fides sit habenda sacris Canonibus, quam Evangelio sancto. Conceditur tamen, quod magis credendum est Ecclesiæ, quæ est multitudo Catholicorum omnium, qui fuerunt à temporibus Prophetarum & Apostolorum usque modo, quam Evangelio, non quod de Evangelio sit aliqualiter dubitandum, sed quod totum majus est sua parte. Ecclesia ergo, quæ majoris autoritatis est, quam Evangelistæ, est illa Ecclesia, cujus Autor Evangelii pars esse dignoscitur. Non est autem mirum, si major autoritas totius, quam partis. Et ideo major est autoritas totius congregationis comprehendentis Evangelistas & omnes alios orthodoxos usque ad hæc tempora, quam unius vel etiam plurium personarum congregationis ejusdem. (Quamvis verò Occamus autoritatem Ecclesiæ etiam ad præsentem Ecclesiam trahat, addit tamen, præsentem Ecclesiam in se & per se nihil autoritatis habere, sed à congregatione Prophetarum & Apostolorum eam dependere. Quod si ergo Pontificii ad Rom. Ecclesiæ autoritatem hæc pertinere velint, probandum prius erit, quod ad congregationem Prophetarum & Apostolorum ipsorum Ecclesia vere pertineat.)

4. Marsilius Patavinus in Defensore Pacis part. 2. cap. 19. cum dixisset, videri Augustinum hoc loco humanam autoritatem præferre autoritati Scripturæ, quia propter quod unumquodque est, & illud magis, hunc nodum solvit distinctione, aliud, ait, esse credere, sermonem aut Scripturam aliquam esse traditionem alicujus seu ab aliquo factam: aliud credere, illam esse veram, utilem vel nocivam, observandam aut omittendam. Et posse ex hominum testimonio credi horum unum, ut tamen non alterum. Augustini igitur verba posse intelligi, vel ut dixerit, credidisse, Scripturam esse Evangelium, id est, Christi traditionem, ex testimonio Ecclesiæ Catholicæ, quamvis verum continere principalius crediderit ex miraculo vel revelatione, vel fide, qua Christum credidit esse verum Deum & per consequens, omnem ejus traditionem esse veram atque servandam: vel ut utrumque illud testimonio Ecclesiæ Catholicæ primum acceperit & crediderit. Sed priorem sensum meliorem esse & magis convenire sententiæ Apostoli ad Galatas 1. Non enim, inquit, dicta Christi sive Dei vera sunt causaliter, eò quod eidem testificetur Ecclesia Catholica vero testimonio. Sed testimonium Ecclesiæ causaliter verum est, dum dicit dicta Christi vera propter veritatem dictorum Christi.

Ibid. Dicit autem Augustinus, pro tanto se credere Evangelio propter Ecclesiæ Catholicæ autoritatem, quia suæ credulitatis initium inde sumsit, quam Spiritu sancto dirigi novit, fides enim quandoque incipit ex auditu.

5. Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis & Cardinalis 1. sent. q. 1. art. 3. fol. 49. Per autoritatem Augustini non habetur, quod ipse crediderit Evangelio per autoritatem Ecclesiæ, tanquam per principium Theologicum, ex quo Evangelium Theologice probatur esse verum, sed solum tanquam ex causa movente ipsum ad fidem Evangelii, ac si ipse aut alius dixisset; Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ sanctitas, aut Christi miracula commoverent, in quo dicto licet fidei Evangelii causa aliqua assignetur, non tamen aliquod principium prius, cujus fides causa sit, ut Evangelio credatur.

Ibid. Posito, quod Augustinus ex tali principio credidisset, quod tamen ex ejus autoritate non habetur, tamen illud non fuit in eo per se principium Theologiæ, ita quod assensus Theologicus acquireretur meo per aliquem Theologicum discursum, qui reduceretur in ipsum ultimate & per se. (Ergo non est hæc Augustini sententia, quod propter Ecclesiæ autoritatem formaliter ac proprie cre-

dat, sed quod ab Ecclesia didicerit, qui sint veri libri Evangelici & Apostolici.

6. Johannes Gerson, Cancellarius Parisiensis lib. de vita spirituali animæ lect. 2. coroll. 7. *Major fuit Ecclesiæ primitivæ autoritas, quoad prædicta, quam nunc sit &c. Et hic aperitur modus intelligendi illud Augustini, Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ compulisset autoritas. Ibi enim Ecclesiam sumit pro primitiva congregatione fidelium, qui Christum viderunt & audierunt, & ejus testes extiterunt.*

Idem in Declarat. verit. quæ cred. sunt de necess. salut. tom. 1. n. 14. lit. E. monet, *August. loqui de testimonio primitivæ Ecclesiæ*, & addit: *Vicissim dici posse, Ecclesiæ non crederem, nisi me Scripturæ moveret autoritas.*

7. Thomas Waldensis in Doctrinali fidei lib. 2. art. 2. c. 21. intelligit *ab Augustino nominatam Ecclesiam Catholicam, quatenus jam olim & ab initio desinit numerum librorum Canonicorum, quibus deinceps addi nihil potuerit. Sufficiat*, inquit, *Universali Ecclesiæ pro præconio potestatis suæ modernæ, quod olim hoc fecerit. Unde gloria potestatis ejus quasi per cujusdam majestatis imperium valeret ad proposita, ita quod adhuc sine ejus autoritate Scriptura aliqua nec legi poterit, nec haberi pro certo. Et hoc sapuit, cum diceret contra Epistolam Fundamenti statò post principium Augustinus, Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas.* (Quamvis vero hæc expositio dicti Augustiniani non sit satis commoda, cum Ecclesia primitiva non plus contulerit Evangelio, quam Ecclesia hodierna, cumque Augustinus etiam sui temporis Catholicam Ecclesiam intelligat, meritò tamen opponitur illis Pontificiis, qui volunt, *libros aliquos ab Ecclesia factos esse Canonicos aliquot post Christum natum seculis*, quique Ecclesiæ præsenti tantum autoritatis tribuunt, *ut possit canonizare Hermetis Pastorem & Clementis Constitutiones.*)

8. Nicolaus de Clemangis in Disput. super materia Concilii, multis demonstrat, *Augustinum non loqui de potestate & judicio Ecclesiæ, sed tantum de testimonio.* Verba sic habent p. 62. edit. Lugdun. Anno 613. *Venio ad verbum Augustini, quod commemorasti, quo Ecclesiastica autoritas videtur maximè extolli atque fulciri. Evangelio, inquit ille, non crederem &c. Mirum sane prima specie satis videtur, quod autoritatem peregrinantis in terra Ecclesiæ autoritati videtur Evangelii anteponere, cum in multis illa falli possit, illud omnino nequaquam possit, & cum ipsius Ecclesiæ autoritas, quantum ad ipsius radicem & fundamentum, maxime ex Evangelio constet, imò ipsius institutio, potestas, ædificatio non aliunde tam expresse & certitudinaliter, quam ex ipso habetur Evangelio.* Et mox: *Equidem non facile crediderim, Doctorem illum acutissimum atque excellentissimum hoc fuisse facturum* pro Ecclesiastico statuto fidem Evangelii rejecturum) *aut per illa hæc verba sensisse, præsertim cum de fide Evangelii Paulus dicat: Si quis etiam Angelus de cælo &c. Scripta quippe sunt verba illa ab Augustino nisi me fallit memoria, in libro cujus titulus, Contra Epist. Fundam. Manichæorum &c. Manichæi autem, contra quos ibi agitur, Scripturas sacras pro arbitrio suo, non pro Ecclesiæ Catholicæ ordinatione vel acceptandas ducebant, vel repudiandas. Vetus pro majore parte non admittebant testimonium. Evangelio credi volebant, Epistolas Pauli multis adjectis & retractis à falsariis quibusdam corruptas dicebant, multaq; similia deliramenta sine ratione, sed sola voluntatis suæ perversitate de Scripturis confingebant. Ut igitur doceret Augustinus, non ex voluntatis arbitrio, sed Canonica institutione Canonicas Scripturas recipi oportere, illa verba mihi videtur, quantum recordari valeo, posuisse, Evangelio non crederem &c.* hoc est, *Evangelio tanquam Scripturæ Canonicæ non crederem, nisi Ecclesiæ autoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus Canonis habendum censuit, & cui soli est illa autoritas attributa, ut Scripturas possit Canonicas facere, cuique à quolibet fideli in hoc credi debet atque obediri. Scripta sunt à plerisq; sub aliquorum Apostolorum aliorumq; fidelium nominibus multa Evangelia, de quibus etiam meminit Lucas in Prologo sui Evangelii, sed tum propter autorum incertitudinem, tum quia non usquequaq; vera erat illorum narratio, non immeritò inter Apocrypha per Ecclesiam deputata sunt. Illis ergo non est credendum, quia non sunt per Ecclesiam pro Canonicis approbata, sed à Canonica Catholicaque autoritate prorsus exclusa.* Hæc Clemangis, (quæ etiam recitantur in Fasciculo rerum expetendarum fol. 197.)

9. Johan. Wesselus Groningensis, in lib. de potest. Eccle. monet, *id quod dicit Augustinus de Evangelio & Ecclesia, originis de credendo verbum esse, non comparationis & præferentiæ. Quemadmodum*, inquit, *primæ multitudinis credentium quisq; dicere recte potuisset, ego Evangelio non crederem, nisi Petro credidissem: sic & ego hodie, nisi domesticis primum puerulus, & postea Scholasticis, deinde Ecclesiasticis credidissem, hodie Evangelio non crederem: Evangelio tamen magis, quam alicui hominum multitudini credo, adeoque debeo credere. Quod si sentirem, omnes homines discredere, deberem nihilominus Evangelio potius, quam illis adhærerem. Parvulæ nascentis adhuc fidei originem texit Augustin. in verbo suo, non autem autoritatem Ecclesiæ cum Evangelii dignitate comparat.* (Petitum hoc ex ipso August. qui contra Epist. Fundam. c. 14. dicit. *Eos sequamur, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante & illuminante.* Lib. de util. cred. ad honoratum. *Sola est autoritas, quæ commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Hæc autem seposita ratione, quam sinceram intelligere difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil horum est necessarium sapienti, quis negat? Sed id nunc agimus, ut sapientes esse possimus.* lib. 6. Conf. c. 5. *Persuasisti mihi, ô Deus, non eos, qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus autoritate fundasti, esse culpandos, sed eos, qui non crederent, nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent, unde scis, illos libros veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? idipsum enim maxime credendum erat.* Nimirum contra Ep. Fund. c. 5. *de motiva quadam credendi* loquitur. Possunt autem inter causas credendi, quas *motivas* vocant, plures esse, quarum una non tollit aliam, nedum ut præjudicet principali.)

10. Fortalitium fidei lib. 2. consid. 7. *Autoritas B. August. quæ adducitur, ut nonnulli dicunt, frequenter à multis contra intellectum B. August. pessime allegatur. Ad cujus intellectum dicunt esse sciendum, quod nomẽ Ecclesiæ æquivoce in locis variis Scripturarũ accipitur. Aliquando pro aliquo speciali Collegio Clericorum. Aliquando pro loco corporali divinis officiis deputato. Aliquando pro toto Collegio omnium Clericorum. Aliquando pro aliqua multitudine speciali Cleri & populi. Aliquando pro tota congregatione omnium fideliũ, simul in hac mortali vita degentium. Aliquando vero nomen Ecclesiæ non solum totam congregationem viventium, sed etiam fideles mortuos comprehendit. Et isto ultimo modo accipit Ecclesiã B. Augustinus in lib. contra Manichæos & recitatur dist. 11. c. palam, qui ait, Palam est, quod in re dubia ad fidem valeat Catholicæ Ecclesiæ autoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensu firmatur, ubi Ecclesia Catholica Episcopos & populos à temporibus Apostolorum usque ad ordines sibimet succedentes impertat. Et sic accipit nomen Ecclesiæ Augustinus, cum asserit, quod non crederet Evangelio, nisi eum autoritas Ecclesiæ compelleret. Ita enim Ecclesia Scriptores Evangelii & omnes populos comprehendit, sicut probandum est. Quare ex autoritate Augustini sanè intellecta inferri non potest, quod magis sit credendum summo Pontifici Canonum conditori, quam Evangelio, & per consequens per eam probari non potest, quod major fides sit exhibenda sacris Canonibus, quam Evangelio Christi. Conceditur tamen, quod magis credendum est Ecclesiæ, quæ est multitudo Catholicorum omnium, qui fuerunt à tempore Prophetarum & Apostolorum usque modo, quàm Evangelio; non quia de Evangelio sit aliqualiter dubitandum, sed quia totum est majus sua parte. Ecclesia igitur, quæ majoris autoritatis est, quam Evangelista, est illa Ecclesia, cujus autor Evangelii pars esse dignoscitur. Non est autem mirum si major est autoritas totius congregationis comprehendentis Evangelistas & omnes alios orthodoxos usque ad hæc tempora, quam unius vel etiam plurium personarum congregationis ejusdem.*

11. Johannes de Turrecremata Cardinalis in parte 1. Decreti dist. 6. c. Noli meis &c. cum quæreret, *utrum Doctoribus Ecclesiæ, sive ipsi Ecclesiæ magis sit credendum, quam Canonicæ Scripturæ?* pro parte affirmante objectum observavit, *videri Scripturam Canonicam accipere autoritatem ab Ecclesia, idque probari ex hoc loco.* Respondet autem, *Ecclesiam dare autoritatem Scripturæ, dupliciter intelligi posse, vel ut Scriptura habeat autoritatem ab Ecclesia, idque esse falsum; vel ut Ecclesia autoritatem det Scripturæ declarative, quia scil. fidelibus declararet, hanc esse Scripturam sacram. Augustinum igitur sanè intelligendum, non priori, sed altero sensu, quasi dixisset, sibi ignotum fuisse, utrum istud Evangelium pertineret ad sacram Scripturam, nisi Ecclesia instinctu Spiritus sancti hoc declarasset.*

12. Johannes Driedo lib 4. de dogmat. Eccles. cap. 4. pag. 563. *Augustinus, cum dicit, Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia mo-*

ſia moveret autoritas, intelligit Eccleſiam Catholicam, quæ fuit ab initio Chriſtianæ fidei ſecundum ſeriem ſucceſſionis Epiſcoporum creſcens ad hæc uſq; tempora, quæ ſanè Eccleſia complectitur Collegium Apoſtolorum, qui Chriſtum & miracula ejus videntes, doctrinamq; fidei ex ore ejus audientes, Scripturas Evangelicas tradiderunt, qui & Spiritum intelligendi Prophetas, ſalutisque noſtræ myſteria in ſignis viſibilibus cœlitus acceperunt, corroborantes doctrinæ ſuæ veritatem prodigiis & miraculis.

Et ruſus: *De Eccleſia, quæ nunc eſt, intelligendo eam, ut præciſam ſeu abſtractam, ſecundam & abſque cohærentia in fide & moribus cum Eccleſiis, quæ fuerunt in prioribus ſeculis, diceret Auguſtinus, Ego hujus Eccleſiæ homines non agnoſcerem eſſe Eccleſiam Chriſti, niſi doceret me quatuor Evangeliorum autoritas. Ego Eccleſiæ non crederem, ſi aliud Evangelium nobis evangelizaret, ſi Apoſtolorum doctrinam non doceret: quemadmodum ait Paulus, Etiamſi nos ipſi aut Angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.*

(Inde Stapletonus lib. 9. Controv. cap. 12. Driedonis ſententiam tanquam ſuæ adverſariam recitans, ſubjungit: *Hæc ille, agens expreſſe de approbatione Scripturarum.* Et poſtea: *Hæc Driedo, ut doceat, non Eccleſiam, quæ nunc eſt, ſed ſolam illam Apoſtolorum idoneam eſſe teſtem factorum & dictorum Chriſti & per conſequens Scripturæ, quæ illa continet.*)

13. Michaël Medina, Theol. Hiſpan. in Volumine Venetiis impreſſo. *Quod ex eo Auguſtini dicto Eccleſiæ, quam Scripturæ majorem autoritatem perſuadere conantur, prorſus eſt futile. Nam ex eo, quod Eccleſia Scripturas oſtendit & eas à falſis diſcernendi poteſtatem exercet, eam eidem Scripturis autoritatem præſtare infirme colligitur &c. niſi etiam is, qui inter hominum confertiſſimas turbas Regem mihi oſtenderet, potioris etiam, quam Rex ipſe autoritatis habendus eſſet: aut niſi Moſaica lex, quæ Chriſti & Evangelici ſtatus fuit index &c. majoris eſſet autoritatis, quam Chriſtus, aut Chriſti Evangelium, quod eſt abſurdum.*

14. Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 8. p. 34. *Auguſtino negotium erat cum Manichæis, qui abſque controverſia ſuo cuidam Evangelio credi volebant. Rogat Auguſtinus, Ecquid facturi ſint, ſi in hominem incidant, qui ne quidem Evangelio credat, quove genere perſuaſionis ſint eum in ſuam ſententiam adducturi: Certè ſe affirmat non aliter potuiſſe* (præterito tempore) *adduci, quam Eccleſiæ autoritate victum. Non itaque docet, in Eccleſiæ autoritate fundatam eſſe Evangelii fidem, verum ſimpliciter, nullam eſſe certam viam, quæ ſive infideles, ſive in fide novitii ad ſacros libros ingrediantur, niſi Catholicæ Eccleſiæ unum eundemque conſenſum.* (Huic expoſitioni, quod Auguſtinus de ſe adhuc Manichæo loquatur, quidam opponunt illud, quod *Auguſtinus loquatur de præſente ſtatu.* Bellarmin. lib. 3. de Verbo Dei cap. 8. §. Reſpondeo &c. Sed ex aliis Auguſtini locis manifeſtum, uſitatum ipſi eſſe illum dicendi modum, *crederem* pro crediſiſſem, *commoveret* pro commoviſſet, lib. 2. Confeſſ. cap. 8. lib. 6. Confeſſ. cap. 10. & 11. lib. 1. Retractat. cap. 3. & 23. contra Fauſtum lib. 22. cap. 79. ſerm. 60. de Verb. Dom. lib. de duabus animabus &c. unde etiam Johannes Gerſon loco citato adducens dictum Auguſtini pro *moveret*, ſubſtituit, *compuliſſet.*)

Idem Canus lib. & cap. iisd. paulò ante verba modo adducta ſic ſcribit: *Non eſt Eccleſiæ autoritas ratio per ſe movens ad credendum, ſed cauſa ſine qua non crederemus &c.*

15. Petrus à Soto in Defenſione Catholicæ Confeſſionis contra Brentium cap. 48. *Priusquam ulla Scriptura Novi Teſtamenti eſſet, Evangelii fides erat in cordibus, ad quam Scripturæ ipſæ Apoſtolorum & Evangeliſtarum exactè & diligenter ad illam certiſſimam regulam examinatæ, receptæ ſunt ab ipſis viventibus Apoſtolis, eorumque diſcipulis: & non ſolum ab his, qui ſcripſerunt, & quæcunque tunc aut deinceps Scripta prodierunt, quæ ſcimus non fuiſſe pauca de Hiſtoria hac Evangelica, non eâ fide, qua oportebat, rejecta ſunt, etiamſi nomine probatiſſimorum autorum circumferrentur, ut Evangelium Thomæ, Andreæ, Nicodemi & alia multa, de quibus primis illis temporibus, cum recens eſſet memoria Apoſtolicæ prædicationis & converſationis eorum, quorum nomini editi libri tribuebantur, facilè potuerunt haberi certiſſima teſtimonia. Hac igitur ratione omnes, quæ in autoritate ſunt, Scripturæ, agnitæ ſunt ab Apoſtolis & primis Eccleſiæ Doctoribus, eodem Spiritu ſancto, quo ſcriptæ erant, in eis agente, & fide certiſſima commendatæ poſteritati, tanquam à Spiritu S. editæ, quæ omnia videmus apertè ab illa prima prædicatione robur habere. Unde Auguſtinus intrepide & veraciſſime dicit. Ego verò Evangelio non crederem &c.* (Fatetur in his Petrus à Soto, autoritatem Eccleſiæ, quæ commovet ad credendum Evangelio, eſſe autoritatem viventium Apoſtolorum & eorum diſcipulorum; eſſe eam Eccleſiam, in qua recens eſt memoria Apoſtolicæ prædicationis; eſſe autoritatem primorum Eccleſiæ Doctorum, immediato Spiritus S. motu gubernatorum; atque eo ſenſu dictum Auguſtini eſſe accipiendum.)

16. Sixtus Senenſ. lib. 7. Bibl. in ſolut. object. de Epiſt. ad Hebr. q. 605. memorat, in quæſtione de Epiſtola ad Hebr. Auguſtinum autoritatem Eccleſiæ Græcæ antepoſuiſſe Eccleſiæ Romanæ: *Auguſtinus,* inquit, *cum aliquos Latinos hanc Epiſtolam non recipere audiiſſet, malle ſe, dixit, Orientalium Eccleſiarum autoritatem, apud quos nulla unquam fuit de hac Epiſtola ambiguitas.* (At Pontificii dictum Auguſtini de Eccleſiæ autoritate ad Romanam Eccleſiam unicè accommodant.)

17. Bellarminus in dictatis Manuſcriptis in 2. 2. q. 1. art. 1. dub. 1. docet, *Auguſtinum loqui de Eccleſia, ut de cauſa proponente, non ut de primo fundamento fidei;* (citante Witakero in Controv. de Script. pag. 341. Senſus ergo pronunciati illius non eſt *excluſivus,* ac ſi Auguſtinus κριτήρια interna voluiſſet excluſa, ſiquidem ille non in nudo Eccleſiæ hæſit judicio, ſed potius rationes illius attendit, quarum plurimas pro ſacri Codicis θεοπνευστία & αὐθεντία ipſemet paſſim in ſuis ſcriptis adducit.)

18. Denique in Exemplari quodam antiquo edito opera Johannis Amerbachii Baſileenſis, quod habetur in Bibliotheca Arnſtadienſi in æde Franciſcanorum legitur, *niſi Eccleſiæ me commoneret,* non autem commoveret *autoritas.* Ergo agitur de quodam monitorio, non autem de primo fidei principio & fundamento.

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

Adverſariorum querelas, calumnias & aſſertiones erroneas, falſas & abſurdas complectens.

1. QUERELÆ. 1. Bellarmin. lib. 1. de V. D. c. 10. §. Itaque. *Non dicimus, ut Chemnicius impudentiſſimè calumniatur, Eccleſiam, id eſt, Papam poſſe pro ſuo arbitratu ſine ullo veterum teſtimonio facere librum Canonicum de non Canonico & de Canonico non Canonicum &c. iſta enim non ſunt noſtra aſſerta, ſed ipſorum mendacia. Fatemur enim, Eccleſiam nullo modo poſſe facere librum Canonicum de non Canonico, nec contra; ſed tantum declarare, quis ſit habendus Canonicus & hoc non temere, nec pro arbitratu, ſed ex veterum teſtimoniis &c.*

Reſp. 1. Stapletonus lib. 9. princip. fid. doctrinal. cap. 14. p. 357. ſic ſcribit: *Manet firmum, autoritatem determinandi, taxandi & approbandi, quoad nos, ſacræ Scripturæ libros, ad Eccleſiam Chriſti præſentem vel quocunq; tempore exiſtentem, non ſecus pertinere, quam ad Apoſtolorum Eccleſiam, ut ſane ſit penes Eccleſiam Catholicam hujus temporis tum contra hæreticos præſentes &c. Maccabæorum libros, aliasq; Scripturas, quas illi è ſacro Canone expungunt, ſua autoritate confirmare, tum etiam præterea, ſi id ei Spiritus ſuggereret, librum aliquem alium nondum in Canonem receptum, Apoſtolorum tamen tempore conſcriptum & nunquam hactenus Eccleſiæ judicio reprobatum, exempli cauſa librum Hermæ diſcipuli Pauli, Paſtoris nomine inſcriptum &c. vel Conſtitutiones Apoſtolicas à Clemente editas in numerum librorum ſacrorum & certò Canonicorum referre poſſe. Quod ut non temere unquam faciet Eccleſia, ſic ſi faceret, autoritatem divinam apud nos illi libri haberent, non ſecus, quam alii ſive ſub ipſis Apoſtolis, ſive poſt illorum tempora in Canonem relati.* Similia occurrunt in Relect. princ. controv. 5. quæſt. 2. art. 4. pag. 512.

(Liber Hermæ ſive Paſtoris in ſe & per ſe non eſt Canonicus, ut conſtat. Ergo ſi Eccleſiæ tribuitur poteſtas illum pro Canonico recipiendi, utique Eccleſiæ tribuitur poteſtas non ſolum declarandi Canonicam alicujus libri autoritatem, ſed etiam de non Canonico librũ aliquem Canonicum faciendi.)

2. Tannerus lib. 1. Diſpp. in Thomam, Diſput. 1. de Verbo Dei th. 37. pag. 34. *Non omninò improbabile eſt, quod quidam dicunt, poſſe Eccleſiam etiamnum librum aliquem jam olim ſcriptum de novo in Canonem recipere, proponendo ut ſacrum.*

3. Piſtorius falſo 437. idem cum Stapletono ſtatuit.

2. Bellarminus d. l. Petrus à Soto Inſtit. Cat. pag. 173. & alii conqueruntur, *mendaciter ſibi tribui, quod Scripturam ſine Eccleſiæ autoritate comparent fabulis Æſopi.*

Reſp. 1. Hermannus Colonienſis, & Staniſlaus Hoſius comparatione illa in publicis ſcriptis ſunt uſi.

Cardinalis Hoſius lib. 3. de autor. Scripturæ contra Brent.

f.271. primum quidem addubitat, *an tale quid Pontificio alicui scriptori exciderit. Nomen*, inquit, *non exprimis, ac fieri potest, ut sit commentum tuum.* Postea tamen subjicit: *Fingamus, verum esse, quod tu scripsisse, nescio quem, narras, Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur autoritate Ecclesiæ. Et potuit tamen illud pio sensu dici, quem homo pius, qui caritatem habet, quæ non cogitat malum, ex iis verbis eliceret. Nam revera, nisi nos Ecclesiæ doceret autoritas, hanc Scripturam esse Canonicam, perexiguam apud nos pondus haberet.* Confer Eccium in Enchir. cap.1. de Eccles. pag. 28.29.

2. Eandem comparationem Vitus Miletus in Discuss. sexcent. error. Heshusii p.21. non solum laudat, sed etiam exaggerat. *Dicimus*, inquit, *sacram Scripturam, si autoritatem Ecclesiæ tollas, nec tantum quidem valituram, quantum valent Æsopi fabulæ, has enim Æsopi esse fabulas, nec adeò incongruentes hominum moribus, certa traditione hominum constat: Scripturas verò esse Canonicas & à Deo immediatè inspiratas, fideliter & incorruptè scriptas, & ad nos usq; transmissas, si Ecclesiæ tollas autoritatem & traditionem, unde obsecro olearii isti* (Lutherani) *cognoscent?*

3. Bailius Jesuita in Catech. controv. tract.1. quæst.12. *Sine Ecclesiæ autoritate non plus fidei adhiberem Matthæo, quam Tito Livio.*

q.17. *Quis vobis dixit, Scripturam esse divinam, eiq; potius credendum esse, quam Historiis profanis & fabulis? quis de ea re certos vos fecit, num Ecclesia, vel traditio?*

4. Pistorius hyperaspistes contra Mentzerum falso 898. idem pronunciatum Hosii defendit.

5. Schleidanus lib.25. Comm. p.804. Pantaleon & Fox. in Martyr. p.908. de Vicario sive Præfecto Regis Galliæ Lugdunensi memorant, quod, cum Ludovicus Marsacus Anno 1553. cum aliis ad supplicium ductus è sacris literis multa recitaret, *duos tantum esse dixerit Evangelistas, Matthæum & Johannem, reliquos enim duos & Paulum etiam veluti centones quosdam consuisse, quod nisi Ecclesiæ Doctores eam Paulo tribuerent autoritatem, se non pluris facturum ejus Epistolas, quam Æsopi fabellas.* Cumque Marsacus invicem diceret, *de Pauli vocatione atque munere præclara existere testimonia, præsertim in ejus Epistola, quam scripsit ad Galatas cap.1. Nihil*, inquit ille, *ad rem illud facit, nam sibi testimonium ipse dixit.* Ex quo facile judicari potest, quid statuendum de insultatione Adami Contzenii lib.5. polit. cap. 24. fol.348. §.4 *Eckius citatur, quasi dicat, Scripturam non esse authenticam, nisi Ecclesiæ autoritate. Deinde, Hermannus quidam à Pareo, à Scharpio, ab aliis producitur, quasi dicat, Scripturas non plus valere, quam fabulas Æsopicas, si desit autoritas Ecclesiæ. Sed Eckius loquitur de Bibliis, quoad nostram cognitionem; Hermannus ille nusquam est, nusquam fuit, nisi in eorum cerebro, qui sibi hostem finxerunt, ut vincerent, & magna tamen pars jubilantium, tanquam nive, sua commenta texerunt hac fabula.* Confer dicta superius in cap.5. de Script. autoritat.

3. Anglo-Rhemenses in præfat. N.T. *Mentiuntur Protestantes, cum dicunt, versionem vulgatam à nobis defendi, quam opinionibus nostris & erroribus favet.* Similia occurrunt apud Bellarm. lib.2. de Verbo Dei cap.12.

Resp.1. In Concilio Trident. Theologorum major pars contendebat, *eam versionem, quæ retroactis temporibus in Ecclesiis lectitata & in Scholis recepta fuisset, pro divina, authenticaq; in omnibus sui partibus necessario habendam, alioqui victas manus Lutheranis dari &c. Doctrinam enim sanctæ matris Ecclesiæ Rom. aliarum omnium Magistræ, à Pontificibus Romanis & Scholasticis Theologis in aliquo sacræ Scripturæ loco magna sui parte fundatam, potestate vero unicuiq; facta in loci ejus versionem inquirendo, utrum proba sit, nec ne, vel cum aliis Interpretibus eam comparando, vel contextu Hebræo & Græco consultis, tum novos hosce Grammaticastros omnia interturbaturos &c.* Petrus Suavis lib.1. Hist. Concil. Trident. p.157.

2. Albertus Ingolstadiensis dixit, referente Chemnitio part.1. Exam. pag.102. *in veteri litera vulgatæ editionis multa mysteria fidei* (Pontificiæ) *contineri.*

3. Et res ipsa ostendit, versionem vulgatam, quatenus à fontibus discedit, in patrocinium controversorum dogmatum à Pontificiis advocari. *Intercessionem B. Mariæ & Sanctorum* probare conantur ex Gen.3. v.15. cap.48. v.16. Job.5. v.1. cap.33. v.23. Psal.139. v.17. Psal. 150. v.1. Luc.1. v.28. *Merita operum*, ex Gen.4. v.13. Sirac.16. v.15. Luc.1. v.48. Ephes.2. v.10. Hebr. 13. v.16. *Perfectionem operum*, ex Ephes.6. v.13. *Incertitudinem gratiæ*, ex Eccles.9. v.1. Sirac.5. v.5. *Opera supererogationis*, ex Luc.10. v.35. *Sacrificium Missaticum* ex Gen.14. v.18. *Vires liberi arbitrii* in spiritualibus ex Luc.2. v.14. *Conjugii Sacramentum*, ex Ephes. 5. v.32. &c.

Bellarminus lib.2. de Verbo Dei cap.15. §.2. *Chemnitius impudenter mentitur, Ecclesiam Catholicam* (Romanam) *prohibere vulgares translationes. Nam in Indice librorum prohibitorum à Pio IV. edito reg.4. videmus, concedi lectionem ejusmodi librorum iis, qui utiliter & cum fructu ea uti possunt, id est, iis, qui facultatem ab ordinario obtinuerint.*

Salmeron in Comm. 1. Corint.14. *Hæc more suo fingit Chemnitius. Nam Catholici non prohibent in universum Scripturam in vulgarem linguam translatam.*

Resp.1. Clemens VIII. in castigat. Indicis librorum prohibitorum Pii IV. Antecessoris sui regulam sic declaravit. *Animadvertendum est circa supradictam quartam regulam felicis recordationis Pii Papæ IV. nullam per hanc impressionem & editionem de novo tribui facultatem Episcopis aut Inquisitoribus aut Regularium Superioribus concedendi licentiam, emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato & usu S. Romanæ & Universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias, legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacræ Scripturæ tam V. quam N. Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas, ac insuper Summaria & Compendia, etiam Historica eorundem Bibliorum seu librorum sacræ Scripturæ, quocunq; vulgari idiomate conscripta, quod quidem inviolate servandum est.*

Azorius tom.1. lib.8. moral. cap.26. §. Tertiò quæritur. p.714. *In Indice recens edito jussu Clementis VIII Rom. Pont. addita est observatio circa prædictam quartam regulam, quæ sic habet: Animadvertendum est circa suprascriptam regulam quartam Pii IV. nullam per hanc impressionem & editionem de novo tribui facultatem Episcopis vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus concedi licentiam emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato & usu sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis sublata iis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias.*

(Quod ergo Pius IV. dedisse videtur, illud Clemens VIII. hac in parte minime clemens iterum abstulit. Nec absolutè & simpliciter Chemnicius accusat Pontificios, quod nemini concedant licentiam Biblia legendi, sed quod nemini Bibliorum lectionem permissam statuant absque Episcopi licentia, cum tamen divina majestas eam omnibus jam ante permiserit, quodque solam vulgatam versionem Latinam legi permittant.)

2. Idem Azorius d.l. §. Quartò quæritur. *Sacra volumina in maternas linguas converti minimè expedit, quia detrimentum pateretur fidelium concordia, variæ hæresium & errorum causæ nascerentur.*

3. Bellarm. ipse lib.2. de V.D. c.15. arg.5. sic disserit: *Si populus rudis audiret lingua sua vulgari legi ex Canticis Canticorũ, Osculetur me osculo oris sui. Et, Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et illud Oseæ, Vade & fac tibi filios fornicationum, nec non adulterium Davidis, incestum Thamar, mendacia Judith &c. & multa alia eorum, qui in Scripturis magna cum laude commemorantur; vel provocaretur ad hujusmodi imitanda, vel contemneret sanctos Patriarchas, vel putaret, esse mendacia in Scripturis. Et cum tam multas apparentes contradictiones in Scripturis esse videret & solvere non posset, periculum esset, ne tandem nihil crederet.* (Si ob hoc periculum Laici à Scripturæ lectione arcendi, utique translationes Scripturæ in linguas vernaculas erunt improbandæ. Quomodo enim transferri expedit, quod legi minimè expedit?)

4. Hardingus contra Anglicanam Apologiam, *non prius in quarundã gentiũ vulgaribus linguis haberi Scripturas, omninoque interdictum fuisse*, dicit, *quam proterva hæreticorum petulantia Ecclesiæ Præsides, quo populi saluti consultum esset, aliter statuere coëgisset.* (Ergo olim permissum fuit, deinde omnino prohibitum.)

5. Salmeron ipse d.l. *Tertia ratio esse possit, trilinguis duntaxat Scripturæ versio, Hebræa, Græca, Latina, in honorem Trinitatis*; cum quo congruit illud Bellarmini d.l. §.2. *Contenti simus tribus illis linguis, quas Dominus titulo crucis suæ honoravit, id est, Hebræa, Græca & Latina.* (Si in honorem Trinitatis Scriptura in tribus tantum linguis extare debet, sique contenti esse debemus tribus illis linguis, quas Dominus titulo crucis suæ honoravit, utique translationes Scripturæ in linguas vernaculas erunt penitus improbandæ.)

6. Alphonsus de Castro lib.1. adv. hæres. cap.13. contra Erasmum disertis verbis disputat, *Scripturæ translationes in linguam*

guam vulgarem esse noxias & prohibitas, ac laudat Hispaniæ Reges, *quod sub gravissimis pœnis translationem Scripturæ prohibuerint.*

7. De Gregorio VII. Pont. Rom. scribit Olaus lib. 16. cap. 39. ut in lib. de Fasciculo rerum expetendarum habetur, quod Uladislao Bohemorum Duci prohibuerit, *Scripturam sacram in linguam verti vulgarem.*

8. Ne ve ulla mendacii suspicio remaneat, respondeat pro Chemnitio Azorius d. l. *Primo aspectu in quarta regula* (Pii IV. quam Bellarminus urget) *prohibetur solum, ne sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur legi. In Hispania tamen, in Indice librorum prohibitorum ibi edito autoritate generalis Inquisitoris, regula sexta sic habet: Prohibentur Biblia in vulgari lingua cum omnibus suis partibus. Et in Indice recenti edito jussu Clementis VIII. Pont. sublata est facultas concedendi licentiam legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacræ Scripturæ tam Novi, quam V. Test. partes quavis vulgari lingua editas.*

Et postea: *Evangelia & Epistolæ, quæ per totum anni cursum inter Missarum solennia publicè leguntur & decantantur, in Indice Hispaniensi non permittuntur vulgari lingua separatim & seorsim typis mandari. Prohibentur etiam libelli precationum horariarum vulgari lingua conscripti, in quibus continentur Psalmi & Cantica ex Bibliis excerpta, & insuper Summaria & Compendia etiam Historica eorundem Bibliorum seu librorum sacræ Scripturæ, quæcunque vulgari idiomate conscripta.* Confer Indicem librorum prohibitorum sub Sixto V. & Clemente VIII. Colon. sumtibus Bernhardi Gualtheri 1602. pag. 22.

(Ad hanc sextam regulam & Clementis decretum Chemnitius respexit.)

5. Conqueruntur, mendaciter sibi tribui, *quod Scripturam statuant literam mutam & mortuam.*

Resp. 1. Ludovicus Canonicus Lateranensis Roman. in Conventu Tridentino dixit: *Scriptura est quasi mortuum atramentum.*

2. Episcopus de Poiters (al. Pictavius Legatus Pontificius) in eodem Conventu dixit: *Scriptura est res inanimis & muta.* Utrumque citat Ivellus in Defens. Anglic. p. 521. Potterius etiam Schleidanus lib. 23. Comm. de statu relig. Anno 1552. pag. 852.

3. Stapletonus lib. 11. princ. fid. c. 2. n. 5. *Tantum abest, ut in ipsis Scripturis quærendus sit Spiritus Dei illuminans & aperiens Scripturas, ut planè vocet Apostolus Scripturam, quatenus Scripturam, id est, atramento & in tabulis, non in cordibus scriptam, literam occidentem.*

Idem, Triplicat. adv. Witak. c. 23. p. 312. *Scriptura est litera mortua, ad docendum inepta*; cum quo congruit illud Possevini in Judicio de Mornæo p. 16. ubi *Biblia vocat muta.*

4. Costerus in Enchir. cap. 1. de Scriptura. *Istæ* (Scripturæ) *sunt literæ mortuæ, scripta atramento in membrana vel charta &c.*

Idem in cap. 3. de summ. Pontifice p. 131. *Si Scripturam solam nobis Christus judicem reliquisset, hoc judice non satis provisum & consultum fuisset Ecclesiæ, quod* (*ut est res sine anima vel sensu*) *in varias pugnantesque sententias distracta nihil queratur.*

5. Gordonus Huntlæus contr. 1. cap. 3. *Verbum Dei scriptum minimam partem verbi Dei continet, nimirum solam literam, sed verbum Evangelizatum & traditum præcipuam verbi Dei partem conservat & proponit, nimirum veram & germanam literæ intelligentiam.*

6. Gretserus in Defens. Bellarm. tom. 1. p. 413. *Scripturam quidam in se actu primo continere sensum, nisi tamen actu secundo ab Ecclesia ille nobis innotescat, Scripturam quoad nos vere dici literam mortuam.*

7. Albertus Piggius controv. 3. pag. 89. *Si ad Scripturarum hæc referri dixeris judicium, communis te sensus ignarum comprobat. Sunt enim Scripturæ muti judices.*

8. Wilhelmus Lindanus lib. 1. panopl. cap. 22 in fin. pag. 234. sic scribit: *Cum aurum, ut signatum ita & in massam conflatum, adeoque in terra venis delitescens nondum effossum auri & nomen habeat & valorem teneat, quidni & Spiritus sancti eloquium apud universam Christi Ecclesiam ab Apostolis concorditer in fidelium cordibus, tanquam Evangelicæ margaritæ illius scrinio depositum atque viva voce consignatum verbi Dei nomen reipsa mereatur & obtineat, sicut illud ejusdem autoris dogma justo consilio in mortuas, imo occidentes adeò literas relatum?*

9. Gregorius de Valentia lib. 8. Anal. fid. cap. 6. in Volum. operum pag. 106. *Verbum Dei multo latius patet, quam Scriptura, neque illud est ad mutas literas alligatum.*

10. Martinus Peresius in præfat. lib. de traditionibus. *Unus hic imprimis est fons & origo omnium errorum, quod nihil sit pro certo & indubitato iis, quæ ad Christianam attinent pietatem, à quoquam fidelium recipiendum, nisi atramento mortuo in sacris Codicibus expressum inveniatur.*

11. Melchior Canus lib. 3. cap. 3. p. 154. *Indignum erat, ut tota Evangelii doctrina, quæ lex est Spiritus & vitæ, mortuis utique literis committeretur.*

12. Martinus Eisengrin lib. de Eccles. cap. 2. fol. 5. *Magna esset impudentia &c. solum Scripturæ textum, qui per se occidens litera est, admittere.*

13. Vitus Miletus in discuss. 600. errorum in refut. error. 5. pag. 20. effatum illud Petri à Soto, *Omnem Scripturam & quicquid exterius proponitur, ad occidentem pertinere literam*, haud obscure approbat & addit, *Verba sunt Apostoli, Litera occidit, Spiritus vivificat. Quid autem est omnis Scriptura, nisi litera?*

14. Charronæus cap. 2. Veritat. 3. artic. 8. *Scripturam*, asserit, *esse rem mutam, quæ atque non moveatur, agatve à se ipsa, semper in eodem statu maneat, nec seipsam judicet, aut magis explicet.*

15. Gulielmus Baius Jesuita in Catech. Controv. tract. 1. q. 8. *Scriptura tantum est mutus testis.*

16. Hosius lib. 3. de authen. Script. p. 550. *Scriptura destituitur actione, quæ est orationis vita, ideo est fictitia vox & veræ vocis utcunque imitatrix.*

17. Lessius de Antichrist. Demonst. 15. p. 124. *Scriptura est testis mortuus qui cum adversariis certamen inire non potest.*

6. Conqueruntur, falsò sibi tribui, quod *Scripturam vocent nasum cereum.*

Defens. Cens. Anglic. contra Protestantes. *Impudens est Protestantium calumnia, cum dicunt, Scripturam à nobis nasum cereum appellari, quæ in varias expositiones flecti possit. O ministros mendaces!*

Resp. 1. Albertus Piggius in luculenta explicatione controversiarum in Comitiis Ratisbon. tractatarum controv. 3. de Eccles. fol. 89. sic scribit: *Scripturæ sunt velut nasus cereus, qui sicut horsum, illorsumque facile se trahi permittit, ita & illæ se flecti, duci, atque etiam in diversam sententiam trahi, accommodarique ad quidvis patiuntur, nisi quis traditionis autoritatem adhibeat.*

2. Petrus à Soto in Defens. de uno præsente judice fol. 1087. *Scriptura aluteæ instar est, habet nasum cereum, in omnes partes se trahi & torqueri patitur. Sit nobis hoc certissimè constitutum, Scripturam esse dubiam.*

3. Censura Colon. Dial. 4. cap. 112. *Vulgo dare verba, non admodum est difficile, & hominibus carnalibus facile est mundi illecebras persuadere, & certe apud rudem populum facile est sacram Scripturam, quæ veluti nasus cereus est, in quamvis interpretationem flectere, qua aut Principum aut vulgi incauti palpentur vitia &c.*

4. Wilhelmus Lindanus præfat. in Panopl. Evang. *Taceo, quod nulla Scripturæ testimonia* (*quæ, ut vulgo videre est, ob facilem ipsius in varias sententiarum formas flexum, rectè naso fuit assimilata cereo;*) *ad quæstiones, nunc orbem propè universum perturbantes, definiendas, ita vix proferas, aut perspicua, aut efficacia, quibus non oppositionum aliquot plaustra Adversarii opponant.*

5. Jacob. Andradius Payva lib. 2. Orthod. explicat. fol. 46. *Verum, cum Colonienses Patres animadverterent, multa esse loca in divinis literis, quorum verus sensus non facile pateat, sed quæ quivis in varias, imò diversas sententias pro labitu trahere possit, illas nasum cereum: & Pighius, quem etiam Kemnicius carpit, plumbeam Lesbiæ ædificationis regulam aptissima similitudine appellarunt.*

6. Johannes à Daventria in Christianæ veritatis telo verit. 3. B. 1. *Evidentissimè experimur, Scripturam à confusa hæreticorum phalange ad varias hæreses &c. perinde atque ceream nasum impudentissimè deflecti.*

7. Vitus Miletus in Discuss. 600. errorum contra Heshusium in refut. erroris 5. pag. 17. *Erroneam esse hanc assertionem* (qua Scriptura comparatur *naso cereo*) *clamant, cum esse verissimam vel ipsi verissime probent, qui in tot tamque varios & diversos sensus & formas eam inflectant, ut nec nasum quidem ita inflectere possint.*

8. Pammelius Annot. 257. ad librum Tertull. de præscript. *Posteri grata sana & perelleganti metaphora Scripturam vocarunt ceream, ejusque cereum nasum dixere, quia possit ad libitum quocunque flecti. Tam facile est enim, imò facilius est, ad res profanas & impias*

probandas detorquere sanctam Scripturam, quam facile est ex pedibus ac semipedibus aut pentemimeribus Virgilianis epithalamia seu quidvis aliud in unum congerere.

9. Melchior Canus lib. 3. Locor. cap. 2. (Protestantes falsò negant) *Scripturas esse veluti nasum quendam cereum, in omnem sensum flexibiles.*

10. Salmeron in Comm. in Epist. Pauli in genere Disp. 8. §. Tertiò, quia. *Scriptura instar nasi cerei ducetur, quo quis vult.*

7. Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 12. §. 1. *Haeretici hujus temporis passim clamant, nos subjicere Scripturam Conciliis &c. Caeterum hac non est nostra blasphemia, sed ipsorum impostura.*

Resp. Superius in cap. 5. ostendimus, quod *majorem Ecclesiae, quam Scripturae autoritatem* statuant, adeoque Scripturam ab Ecclesia pendere asserant. (Concilia autem juxta ipsorum hypothesin sunt Ecclesia repraesentativa.)

8 Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, quod *statuant, Evangelistas potuisse memoria labi & falli.*

Resp. 1. De Erasmo sic scribit Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 6. §. Nostro seculo &c. *Erasmus in Annotationibus suis ad 2. & 27. cap. Matth. non obscurè scripsit, non esse metuendum, ne totius Scripturae corruat autoritas, si levis aliquis error deprehendatur, praesertim cum Evangelistas interdum memoria lapsos Augustinus concedat & negari nullo modo posse videatur.* Erasmum etiam hoc nomine perstringit Adamus Conzenius in c. 27. Matth.

2. De Cajetano sic scribit Ambrosius Catharinus lib. 1. Annot. & ex eo citat Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 143. *Hic tanquam intolerabile admittendum censui, Lucam in genealogia Christi unam generationem superfluam adjecisse &c. Sed oportebat Cajetanum excusare Spiritum Sanctum, quod permiserit suum amanuensem* (Lucam) *hominum* (LXX. Interpp.) *autoritate duci, aut etiam ductum errare, & ita egregia providentia errorem relinquere in Evangelio.*

3. Albertus Piggius lib. 1. Hierarch. cap. 2. pag. 8. *Unde nobis certum est, hac esse Mosis scripta, qua sub ejus nomine legimus, ut qui autographa ejus non vidimus? Et si videremus, quis certos nos redderet, Mosis tam multis seculis mortui scripta manu? Deinde, ut hoc nobis constaret, quis securos reddidit, vera esse, qua scribit, omnia? Quis vos certos reddet, vera esse & certa omnia, qua scribunt Marcus & Lucas de Christo, qua non viderant, sed crediderunt narrantibus aliis? Item de Matthaeo & Johanne, tametsi credamus, quòd dictis actisq; Christi interfuerint, non tamen omnibus, qua scripserunt, potuerunt enim labi memoria & mentiri, ut omnis homo falli potest & fallere.* (Probat Piggius, Scripturam Propheticam & Apostolicam absque traditione esse incertam & lubricam, quia Apostoli potuerunt memoria labi ac mentiri.)

4. Matthias Mayle in Disp. de Una specie, Dilingae Ann. 608. habita, Respondente M. Johanne Galgemnüller, th. 38. *Ex quo Scriptura sacra verbo constat, quod D. Paulus rectè & non perperam fecerit dando calicem sacrum Laicis praeter Christi exemplum, imò & Apostolorum? Item. Ex quo textus sacrae paginae demonstrant Novatores, S. Paulum hac in re non fuisse reprehensibilem?*

5. Melchior Canus lib. 3. Loc. cap. ult. statuit, *Stephanum memoria esse lapsum.* (Illum hoc nomine κατ᾽ ὄνομα refellit Sanctius in Comment. Actor. 7. num. 44. *Quidam,* inquit, *affirmant, Stephanum, dum tota mentis intentione in causam rapitur, memoria lapsum commutasse nomina, & res diversas in unam confudisse. Ita Beda & Rabanus, sed obscurius. Clarius Canus lib. 3. de Locis cap. ult. ubi dicit, lapsum quidem Stephanum, non tamen Lucam, qui fideliter scripsit, qua à Stephano dicta sunt. Placeret quidem ista Cani solutio, si tamen de viro sermo esset, in quem aut error caderet, aut incogitantia &c. Sed audacter, ut modestissimè loquar, hac tribuuntur Apostolis, Apostolicisq; viris, dum serio res sacras aut concionando, aut scribendo docent, & maxime hoc loco Stephano, qui plenus esse dicitur Spiritu sancto, neque tam ipse, quam in ipso Spiritus sanctus loquebatur.*)

9. Conqueruntur, *per calumniam sibi tribui, quod traditiones praeferant Scripturae.*

Becanus in praelud. Manual. 2. num. 2. *Solent Praedicantes mendaciter clamare, nos pluris facere traditiones hominum, quam verbum Dei.*

Adamus Contzen. lib. 5. Politic. capite 28. fol. 365. *Nullus omnium jubdantium, quod quidem sciam, hanc partem* (de traditionibus) *omisit, sed hac in re nemo ferè acerbius mendax, quam Erhartus Lauterbach, qui Papistas agere contra verbum Dei & suas seque traditiones contendit ostendere.*

Et mox: Polycarpus Leyserus conc. 1. Balduinus Fridericus in Concione praeparatoria pag. 7. *omnes Catholicas civitates infamant, quod humanas leges magnifaciant, verbo Dei relicto, in templo animas tantùm occidant, falsa doctrina & vetitis cultibus animicidia à Catholicis committi. Paulus Laurentius in secunda conc. pag. 24. omnium malorum causam affirmat, quod traditiones humanae contra divinum verbum invaluerint.*

Resp. Id verò multis Pontificiorum dictis confirmatum dedimus lib. 1 General. part. 2. cap. 5. memb. 6.

10. Conqueruntur, *per calumniam sibi tribui, quod Laicis Scripturae lectione interdicant.*

Barclajus in Paraenesi lib. 1. pag. 196. *Dicitis, apud Catholicos latere Scripturas, ab hac pastu arceri oves Christi; vix unis Sacerdotibus eam lectionem concedi: At hoc quanta injuria? imo ex Catholicis viris nemo, nulla ex mulierum grege prohibetur à probatis Scripturarum Codicibus, qui Graecè, qui Latinè sunt editi. Vulgatis autem linguis, ut cautio adhiberetur, prudens consilium fuit, & ex plebecula malis ortum. Decretum igitur, ne Scripturas in vernaculam linguam versas aut foemina legeret, nisi annuente Episcopo. Illum enim judicaturum, cui sit stomachus patiens tanti cibi.*

Resp. Laicos à Scripturae lectione Papalibus interdictis prohiberi, ostendimus superius cap. 2. thes. 8. Barclajus ipse subjungit p. 199. *Num igitur non sapientissimè constitutum, ut imbecillioribus manibus mucro ille non credatur? Vides autem, quam prudenti moderatione usa Ecclesia. Neminem, ut monuimus, arceri voluit à Latinis, Graecisve Codicibus, at à vernaculis hos repellit, qui Sacerdotum judicio tanta efficacia alimentum concoquere non fat possunt. Sed his quoq; providit concionibus, in quibus Evangelia referuntur, libris etiam, in quibus describuntur, tum Psalmorum Paraphrasi, scriptis denique piis, in quibus ex divinis literis multa.*

2. *Calumniae*; & quidem 1. *Generales.*

1. Maximilianus Sandaeus Jes. Herbip. in Themate seculari de Synagoga Protestantium deserenda thes. 27. Protestantibus tribuit, *quod librum Ruth è sacro Canone abraserint.*

Resp. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. §. agnoscit, *quod in Canone librorum V. Testamenti sequamur Hebraeorum sententiam.* (Jam verò Hebraei librum Ruth unanimi consensu libris Canonicis accensent. Eadem est constans nostrarum Ecclesiarum sententia.)

2. Autor quidam Pontificius ἀνώνυμος in MSto per Austriam sparso nos accusat, *quod librum Estheris è Canone excludamus.* Idem nobis tribuit Campian. rat. 1.

Resp. Bellarmin. lib. 1. de V. D. c. 7. §. 1. agnoscit, nos distinguere inter *librum Estheris Canonicum, & septem postrema capita Apocrypha. Non defuerunt,* inquit, *qui librum quidem Esther inter sacros libros numerandum censuerint, septem vero postrema capita, quod in Hebraicis textibus non habeantur, ejus libri vera membra esse negaverint, & tanquam adulterina atque aliena à reliquo corpore resecanda putaverint.* Quibus verbis non solùm Hieronymum, Lyranum, Dionysium Carthusianum, Hugonem, Cajetanum & Sixtum Senensem, sed etiam nostrarum Ecclesiarum Doctores notat, ut conspicuum est ex opposita refutatione §. Accedit. Inde Duraeus Campiani verba sic emollit, *quod Appendicem Estheris intellectam voluerit.*

3. Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 10. §. 1. scribit, *Lutherani volunt solam Lutheri versionem habendam esse authenticam, ut patet ex Decreto quodam Lipsiensi apud Staphylum.* Eandem calumniam repetit Simon Schremerus in Apolog. contra D. Keslerum pag. 313.

Resp. Ex ipso Bellarm. lib. 2. de V. D. cap. 2. §. 1. *Chemnitius in Exam. Conc. Trid. & Gregorius Major praefatione in Psalmos omnia examinari & emendari volunt ad Hebraeum textum.* (At si omnia non solùm in vulgata Latina, sed etiam in quavis alia versione ad textum Hebraeum examinari volunt, quomodo Lutheri versionem authenticam habendam esse dicunt?)

4. Eccius in Enchir. cap. 4. *Lutherani contendunt, Scripturas sacras esse claras, ideo Laici & deliraе anus eas tractant imperiosè.*

Illi affine est illud Costeri Apolog. 2. contra Gomarum, ubi *inter nos & Pontificios quaeri asserit, sitne omnibus passim, doctis pariter & indoctis hac ratione permittenda Scripturarum lectio, ut se pariter judices earum constituant, hoc est, ut eas pro suo quisque judicio interpretetur, atque ex iis, qua suo sensui sapiant, dogmata colligat.*

Itemq; illud Fevardentii, qui in Annotat. ad cap. 47. lib. 2. Irenaei nobis tribuit, *quod statuamus, sacras literas adeò claras, apertas & omnibus pervias esse, ut quibusvis liceat illotis manibus & pedibus ad eas tractandas accedere.*

Resp.

Resp. *Lectionem* Scripturæ omnibus, *imperium* in eas nulli hominum concedimus. Distinctas quoque dicimus esse quæstiones, de Scripturæ *lectione* & ejus *interpretatione*.

5. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 152. p. 491. *Hæretici contendunt, Scripturam divinam suapte Naturâ esse lucidissimam & adeo intellectu facilem, ut à quovis rudi & simplici homunculo, si absit externæ linguæ impedimentum, apertissimè intelligi possit*, (subintellige, *in omnibus clausulis & partibus*; quia respondet distinguendo inter *partes quasdem Scripturæ*, quas perspicuas esse concedit, & *totum Scripturæ systema*, quod perspicuum esse negat.)

Bellarmin. lib. 3. de Verbo Dei cap. 1. §. 1. *Lutherus statuit, Scripturas esse per se facilimas atque apertissimas, ut nulla indigeant interpretatione, esse clariores omnium Patrum Commentariis.*

Pazmannus lib. 7. Hodegi cap. 3. *Lutherus statuit, Scripturam totam ubique tam lucidam & claram esse, sicut lumen Solis, nullamque ejus partem esse obscuram.*

Resp. 1. Lutherus hanc suam assertionem *de articulis fidei* intellectam voluit, quod illi satis clarè & perspicuè in Scripturis tradantur. Ita namque sententiam suam exponit in Diatribe contra Erasmum: *Multa Scripturæ loca obscura esse, fateor, multa verborum & sententiarum involucra, sed nullum tamen dogma obscurum est, ut Deum esse unum & trinum, Christum esse passum & in æternum regnaturum, & hujusmodi.*

In præfat. Comm. super Psalm. scribit, *multa esse obscura ac difficilia in Scripturis nobis à Deo q. d. industria relicta, quo nos perpetuo in Schola Spiritus sancti discipulos haberet.*

2. Bellarminus ipse d. l. §. Accedat, ex Luthero, Osiandro, Brentio & Chemnitio probat, Sacram Scripturam secundum ipsorum doctrinam & sententiam in multis locis esse difficilem & obscuram. *Lutherus*, inquit, *in præfat. in Psalmos scribit, Nolim ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum & doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere. Sat est, aliquos & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus, quo nos semper discipulos habeat; multa solum ostendit, ut alliciat; multa tradit, ut afficiat. Et infra. Scio, esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum. Brentius in Confess. VVirtenb. cap. de Scriptura sic ait, Non est obscurum, quod donum interpretandæ Scripturæ non sit humanæ prudentiæ, sed sancti Spiritus. Spiritus sanctus autem est liberrimus, nec est ad certum genus hominum alligatus, sed distribuit dona hominibus pro suo beneplacito. Chemnicius in Examine 4. sess. Conc. Trident. Deus voluit in Ecclesia extare donum interpretationis, quod non est commune omnibus. Ibid. Grati & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca Commentariis suis utiliter illustrarunt: Centuriatores Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 52. ita scribunt, Scripserunt Apostoli, Scripturas non posse intelligi sine Spiritu sancto & interprete.* (Hæc omnia in nostris Bellarminus legit & ex nostris adducit, nec tamen reformidat, falsam illam hypothesin nobis tribuere, *quod totam Scripturam adeò perspicuam esse statuamus, ut nullibi interpretatione egeat.*)

6. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 3. §. 1. nobis tribuit, *quod statuamus, expresse in verbo Dei scripto omnia necessaria contineri. Controversia*, inquit, *inter nos & hæreticos in eo consistit, quòd nos asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus, & proinde præter verbum Dei scriptum, requiri etiam non scriptum Dei verbum, id est, divinas & Apostolicas traditiones. At ipsi docent, in Scripturis omnia contineri ad fidem & mores necessaria, & proinde non esse opus ullo verbo non scripto.*

Resp. Si per τὸ *expresse* intelligit idem, quod κατὰ ῥητὸν & αὐτολεξεὶ (quo sensu cum hac vocula uti, colligitur ex argumentis, quibus nostram impugnat sententiam,) luculentam nobis facit injuriam, cum non doceamus, omnia, ad fidem & mores necessaria, κατὰ ῥητὸν & αὐτολεξεὶ in Scripturis contineri.

Adamus Tannerus in Relat. Compendiar. Colloq. Ratisbon. p. 133. *Non negant Pseudo-Catholici, omnia, quæcunque ad religionem spectant & circa eam observanda sunt, aut in Scriptura sacra contineri aut ex ea quoquo modo etiam per validam consequentiam deduci posse.*

7. Salmeron in Comment. Gal. 4. Disput. 30. *Nunc argumenta, quæ ab allegoria desumuntur, ab hæreticis nostris parvi sunt, à quibus, vel hoc signo, intelligitur abesse Spiritum sanctum, quo medullas Scripturarum penetrare possint & intelligere.*

Resp. 1. Lutherus in Homil. super cap. 17. Luc. mentem non suam tantum, sed & nostram perspicuè exponit: *Triplex* (inquit) *est significatio figuræ, Prima, cum Scriptura ipsa significationem allegoricam proponit, ut cùm Petrus Baptismum per arcam Noë, Paulus per mare rubrum significat, & Christus crucem suam per serpentem Johan. 3. Hujusmodi significationes pro articulis fidei sunt habendæ. Secunda, cum humanus captus figuram inducit & per appositam similitudinem aliis aliquot claris sententiis Scripturæ accommodat, ut Augustinus hoc in loco per lepram hæresin exponit, quanquam ipsa Scriptura non dicit, per lepram hæresin significari, sed alibi Scriptura hæresis claram mentionem facit, idcircò figura ista fidem non cogit; sin convellatur, tamen immotum stat fundamentum, videl. Scriptura, ad quam significationem illam traxerat. Tertia est nuda significatio ex proprio capite conficta, ubi figura sola est, neque quicquam in Scriptura extat, quod per hanc significari volunt, ut cum per Aaronem Papam intelligi volunt, cum tamen ne apiculus quidem Scripturæ Papæ aut* Papatus *mentionem ullam faciat.*

2. Sixtus Senensis lib. 3. Bibl. p. 142. nimirum allegoriarum studium nobiscum improbat. *Graviter*, inquit, *damnandi sunt inepti quidam nostrorum temporum expositores, qui rejectâ prorsus literali expositione, tanquam re levissimi momenti, & Grammaticis potiùs, quàm Theologis dignâ in singulis Scripturæ locis coactas quasdam & insulsas allegorias protrahunt, vim inferentes divinæ Scripturæ, ridiculas suas venditant cogitationes tanquam magna & arcana Ecclesiæ Sacramenta. Hos ego amantissime obsecro & obtestor, ut considerent, literalem expositionem non esse rem usque adeo vulgarem, vilem ac protritam, & omnibus, ut ipsi jactitant, puerorum pædagogis perviam, sed esse expositionum omnium difficilimam ac maximè operosam.*

8. Salmeron in Comm. 2. Cor. 3. Disput. 4. §. Nec tamen. *Non audiendi sunt hæretici, qui debacchantur in veteres* Patres, *& præcipue in Origenem, quod luserint in allegoriis concinnandis, ac Scripturâ sacra non secus ac pila versatili usi sint, ita ut non esset tam absurdum delirium, quod non colore aliquo allegoriæ commendaretur. Ita illi. Sed revera ludunt isti nebulones & insaniunt, qui nihil spirituale in Scripturis tradi volunt, & nihil nisi carnem vident & intelligunt.*

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothec. p. 142. Hieronymi verba in præfat. Comment. in Abdiam adducit & probat: *Mereri veniam debeo, quod in adolescentia mea provocatus ardore & studio Scripturarum allegoricè interpretatus sum Abdiam* Prophetam, *cujus Historiam nesciebam. Ardebat animus cognitione mystica &c. Sperabam, in scriniolis latere, quod scripseram, & ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, cum subito de Italia affertur exemplar à quodam juvene tot annis, quot ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod quantumvis aliquis malè scripserit, invenit similem lectorem sui. Ille prædicabat, ego erubescebam. Ille quasi mysticos sensus ferebat ad cœlum, ego demisso capite confiteri meum pudorem prohibebar.*

Idem lib. 4. Bibl. pag. 212. *Genus expositionis* (Augustini in Psalterium) *ubique allegoricum ac morale est, literalis intelligentiæ parum attingens &c. Hieronymus in Epistolis ad Augustinum taxare videtur hos Commentarios &c. Cùm Augustinus Hebraici sermonis esset ignarus, & in Græcis literis non sic esset instructus, ut Græca Commentaria libera manu posset evolvere, necesse fuit illum sæpè ex inopia literalis intelligentiæ à vero & proprio literæ sensu ad extortas allegorias deflectere.*

2. Acosta in præfat. lib. 1. de Noviss. temp. *Illud vitium allegorizandi in Origene, Origenisque similibus, quo Historia destruitur, vix dici possit, quàm valdè me offendat.*

3. Ribera in procem. Comm. in Malach. num. 2. *In hoc genere plurimum peccavit Origenes, homo audax & temerarius, adeoq; suorum errorum pertinax amator, ut quicquid in mentem venerit, aptumque judicet, continuò spretâ Ecclesiæ totius autoritate, & religiosarum aurium offensione, quasi magnum aliquod & à Spiritu sancto traditum mysterium monumentis mandet literarum.*

Num. 3. *De Origene Epiphanius in Epistola ad Joh Hierosolym. Quanquam, inquit, hujusmodi nugas soleat ille Scripturarum interpretatione perversâ affirmare, & in hæresin suã detorquere. Prætereo frivolam ejus expositionem super tunicis pelliceis, quanto conatu egerit, ut eas humana esse corpora crederemus.*

Ibid. ex Hieronymo in cap. 27 Jerem. *Delirat hoc loco allegoricus Interpres.* (Origenes.)

4. Pererius in Comment. in Daniel. lib. 6. pag. 323. *Reprehendit Hieronymus eos, qui, cum veritatem Historiæ tueri nesciunt,*

sciunt, ad allegorias confugiunt inanes. Super cap. 13. Esa. Audivimus, inquit, Medos, audivimus Babylonem. Nolumus intelligere, quod fuit: quærimus, quod non fuit, & hoc dicimus, non quod tropologicam intelligentiam contemnamus, sed quod spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem Historiæ quod quidam ignorantes, lymphatico in Scripturis vagantur errore.

9. Bellarminus lib. 4. de Not. Eccles. cap. 9. Arianismi nos accusat, propterea, quòd rejiciamus Traditiones.

Resp. idem Bellarmin. lib. 4. de Verbo Dei c. 11. §. Profert. Dogma, quod Christus sit verus Deus, habet in Scripturis expressa testimonia.

lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Sic etiam. Cum Concilium Nicenum definivit, Christum esse Patri homousion, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus disertè continetur, unum esse verum Deum, & Patrem esse Deum, & Filium esse Deum, ex quibus sequitur necessariò, Patrem & Filium ejusdem esse substantiæ & divinitatis. (Ergo non traditionibus, sed Scripturis contra Arianos pugnatum fuit.)

10. Accusant nos, quod omnes omnino traditiones simpliciter repudiemus.

Resp. 1. Lindanus lib. 1. Panopl. cap. 2. adducit verba Brentii in Apologia Confess. Wirtenb. Ne quid ambiguitatis in nomine Traditionis relinquatur, non loquimur nunc de ea traditione, quâ nobis sacra Scriptura, & quæ in ea continentur, à majoribus nostris tradita sunt nam hanc traditionem affirmamus esse certam, firmam & indubitatam, sed de traditionibus aliis loquimur, quæ non sunt ab Apostolis scriptis mandata.

2 Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 3. Protestantes concedunt, Apostolos quædam instituisse, quæ ad ordines Ecclesiæ spectant, dies quosdam festos observant (Ergo non simpliciter omnes traditiones; non ritus traditos, sed doctrinas in Scripturis non traditas repudiant.)

11. Peltanus lib. 6. de Purgat. p. 242. Solent hi (Protestantes) cum per aliquod Veteris Scripturæ testimonium gravius premuntur, statim subterfugia quærere, ac dicere, Hoc typicum est, hoc Ceremoniale est. Cum hoc nobis nihil commune est, Moysen non agnosco, Maccabæos non recipio, & alia quædam ejusmodi. (At quis ex nostris Scripturam V. Testam. ita rejecit, & Mosen se non agnoscere unquam scripsit vel dixit? Ex solo sensu literali efficacia desumis argumenta, docet ipse Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. Ceremoniales leges in N. Test. non amplius obligare, ipsimet Pontificii agnoscunt. Maccabæorum libros non esse Canonicos, Gregorius Episcopus Romanus docet.)

12. Solenne est Pontificiis, nos appellare Scripturarios, Biblistas, Theologos atramentales, Verbi Deistas &c. propterea quod ad solas Scripturas in fidei controversiis provocamus.

Johan. Eccius in Enchir. Loc. comm. tit. 4. de Script f. 32. Lutherani recipiunt Scripturas, sicut Judæi V. Testamentum, quia insistunt solum sensui literali, & quæ sunt eis contraria, ipsi torquent, unde sunt Theologi atramentales, secundum corticem & superficiem.

Henricus Lancellotus in hæretico Quare q. 18. p. 174. Velint nolint, Biblistæ vestri, in sacra pagina nunquam hæc possunt demonstrare.

Idem in Capistro Hunniano c. 1. p. 14. Conquereris, quod Verbi Deistas, Scripturarios, & Ministeriones nudos vos appellemus, & verè nos ita compellitis appellare.

Gabriel Prateolus non solum nostros Theologos Biblistas & Scripturarios per contemtum vocat, sed etiam sub hisce titulis inter hæresiarchas refert in Elencho hæreticorum lib. 2. tit. Biblistæ 23. p. 01. & lib. 16. tit. Scripturarii p. 473.

Decumanus in Dialog. de Colloq. Ratisbon. p. 1. 2. 3. vocat nos Wortsdiener/ Wortesknechte.

Valerianus Magnus Mediolanensis Fr. Ordinis Minorum Seraphici. in Judicio de Acatholicorum credendi regula, nostros passim vocat Biblistas.

(At Pontifex ipse, de Scriptura magis honorificè sentiendum esse, in Jure Canonico docet. c. Apostolica. de Consecrat. dist. 1. Apostolica autoritate mandamus, dum sancta Evangelia recitantur, ut Sacerdotes & cæteri omnes præsentes non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba attentè audiant & fideliter adorent. Sint ergo, quamdiu Deus ipsis permittit, verbi Magistri & Domini, pro arbitrio suo illud tractantes & torquentes, nos Ministri & discipuli ejus erimus. Sint illi Traditionarii, nos erimus Biblistæ & Scripturarii.)

13. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. nobis tribuit, quòd odio editionis vulgatæ nimium tribuamus editioni Hebraicæ, quando omnia ad Hebræum textum examinari & emendari cupimus.

Resp. Hoc nos minimè facere ex odio editionis vulgatæ, patet ex eo, quòd alias omnes Veteris Testamenti versiones, etiam à nostræ fidei hominib. profectas, ad textum Hebræum æquè examinandas & emendandas esse dicimus. Ac quis dixerit vel ἐκδότῃ honorem debitum derogari, vel πρωτοτύπῳ nimium tribui, quando ἔκδοτον juxta πρωτότυπον examinandum esse statuitur?

14. Gulielmus Bailius in Catech. Controv. tract. 1. q. 4. Hoc semper utuntur effugio Adversarii nostri in suis disputationibus, recurrendum esse ad originale authenticum sacræ Scripturæ. Quæro ab eis, an habeant originalem textum V. & N. Testamenti, scriptum manu Mosis aut Esdræ aut Prophetarum vel Evangelistarum. Si habeant, malè faciunt, quòd sacras illas tabulas non proferunt in lucem scriptas, vel in membranis, vel in charta, aut in corticibus arborum, vel æri aut lapidi insculptas. Si careant, cur igitur ad hoc ementitum originale confugiunt, & ex eadem officina ementitam religionem cudunt & fabricant? Fateantur necesse est, apud se tantum esse ἀπόγραφα, id est, exscripta exemplaria.

Resp. 1. Nemo nostrûm dicit, quod habeamus ipsa Prophetarum & Apostolorum αὐτόγραφα, sed emendatissima ἀπόγραφα textus Hebræi in V. & Græci in N. Testamento nos habere dicimus.

2. Cum de originali & authentico Scripturæ sacræ textu loquimur, agimus de originali sive primogenio textu in ea lingua, ex qua derivatæ sunt versiones diversæ.

3. Eodem sensu Arias Montanus in præfat. tom. 1. Operis Regii vocula isthac utitur, quando dicit, non peritos solum linguarum originalium, verum etiam, qui eas nondum degustarunt, rem ipsam non ex proprio affectu, sed ex veritate & ratione æstimantes, & utiliter & necessariò addisci & sciri debere, suis testimoniis comprobasse, quippe in quibus sacri libri olim conscripti ac traditi, & ad nostra usque tempora conservati: ex quibus duæ germanæ sive originales sunt, Veteris quidem Testamenti Ebraica, Novi verò aut omni, aut certè majori ex parte Græca.

15. Idem Bailius ibid. q. 13. Qui libri sunt apud Adversarios nostros rejectitii? Resp. Omnes qui eorum doctrinæ repugnant. Inter alios Baruch, Tobias, Judith &c.

Resp. 1. Si rejecimus omnes libros, qui doctrinæ nostræ repugnant, sequitur eos, quos non rejecimus, doctrinæ nostræ non repugnare.

2. Calumnia est, nos Apocryphos libros ideò rejicere, quod repugnent nostræ doctrinæ, ideo potius rejicimus, quia certis argumentis demonstramus, eos esse Apocryphos.

16. Ibid. Judæis nos accenset, propterea quod Israeliticæ Ecclesiæ Canonem sequimur. Reformati nostri, inquit, ad Canonem Judæorum recurrunt. Sumusne Judæi? Quis est hujus Canonis autor?

Resp. 1. De pristinis Judæis ante Christum exhibitum dicit Apostolus Rom. 3. v. 2. ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, meritò ergo ab illis Canonem V. Testam. accipimus.

2. Canon ille noster testimonio Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ Christianæ testimonio probatur.

17. Frequens apud Pontificios calumnia est, quòd circulum committamus, quando probamus sensum Scripturæ ex Spiritu cujuslibet fidelis, & rursus hunc ex illa, quam calumniam sæpe repetit Valerian. Magnus in suo Judicio de Acatholicorum credendi regula.

Resp. 1. Pesantius in Thom. 2. f. 467. docet, tunc committi circulum, quando probatio fit ejusdem ab eodem secundum idem. Atqui in hac probatione hoc non fit, quia probat quidem Spiritus sensum & obsignat mentem, & hæc obsignatio rursus ostendit Spiritum, sed non secundum idem. Spiritus enim sanctus probat ἀρχικῶς, δικαστικῶς, κυρίως; obsignatio verò illa δευτέρως, ἐνεργητικῶς, μαρτυρικῶς, quatenus hæc, ut effectus, causam suam arguit, in quo genere demonstrandi non est circulus, sed regressus.

2. Sic Moses & Prophetæ probabant Christum. Viceversa Christus probabat Mosen & Prophetas, nullo circulo commisso, unde hunc modum probandi confirmat Altensteig in Lexico, in verbo Probatio p. 744.

3. Ipsimet Pontificii docent, fidem acquisitam non sufficere ad salutem, sed requiri infusam. Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 8. p. 47. Pesantius in Thomam fol. 465. unde Bellarminus sic disserit lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 1. Nulla est persuasio, quæ

sio, quæ cogere possit hominem ad credendos articulos supernaturales, nec ipsa quidem miracula mentem omnino convincere poterunt.

Lib. ejusd. c. 3. *Argumenta, quæ articulos fidei nostræ credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitatam reddant, nisi mens divinitus adjuvetur.* (Atqui fides infusa non est sine interna Spiritus sancti obsignatione. Ergo ipsi etiam Pontificii ex interna Spiritus obsignatione probant verum Scripturæ sensum.)

18. Adam. Conzenius in qq. Procem. super quatuor Evang. q. 3. §. 5. sic scribit. *Hæretici nostri omni prorsus Scriptura destituti sunt, nec possunt autoritatem divinarum literarum agnoscere ipsi, nec alios docere. Rationem enim, quâ solâ in cognitionem Scripturæ venire possunt, non negligunt modo, sed prorsus etiam repudiant. Ea est Ecclesiæ veteris continuò usque ad nos manans testificatio. Hanc causam illi negant, ad suum privatum instinctum & Spiritum refugiunt.*

Leonhardus Marius Professor Coloniensis in Prolegom. Commentar. in Pentateuchum, postquam sect. 4. & 5. ex ipso Mose & N. Testamento quædam pro astruenda Mosaicorum scriptorum autoritate testimonia adduxisset, subjungit num. 6. *Illud tamen obiter in his testimoniorum sacrorum allegationibus monendum, adversus quosdam nostri temporis hæreticos, non posse ex eis omnium Mosis scriptorum Canonicam autoritatem probari, ut ipsi impudenter & indoctè volunt. Nam quod ad priora attinet, quæ ex ipso Mose desumta sunt, qui Mosen sibi vult probari, etiam illa ipsa testimonia probari volet; quod autem ad duo posteriora, quæ ex verbis Christi Domini sumuntur, attinet, ea solum probant, Mosen generatim quædam de Christo ac speciatim de Deo istud epitheton, Deus Abraham &c. scripsisse, de cæteris verò scriptis in particulari nihil.*

Resp. 1. Falsum est, *nos Ecclesiæ testificationem rejicere.* Aliud est, negare, quòd sola solius Ecclesiæ testificatio Canonicam Scripturæ autoritatem probet, aliud testificationem illam penitus repudiare. Prius nostrum est, posterius à nobis alienum.

2. Deus in Scripturis de se loquens, de se idoneus testis est, τὸ θεῖον ἐστιν ἀυτόπιστον καὶ ἀξιόπιστον.

3. Hinc Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. §. At sacris &c. scribit. *Sacras Scripturas non humana somnia, sed oracula divina continere, testis est ipsa Scriptura.*

4. Hoc testimonium probant tum κριτήρια *Scripturæ insita, tum Spiritus sancti obsignatio interna*; nec tamen excludimus *Ecclesiæ testimonium externum*, sed interno testimonio illud conjungimus.

5. Nec duo duntaxat testimonia ex Mose in N. Test. allegantur, quo numero Marius in allegatione fuit contentus, sed longe plura. Vel solus Deuteronomii lib. 65. vicibus ab Evangelistis & Apostolis in N. Test. adducitur.

19. Idem Marius in Comm. Genes. 1. n. 2. postquam adduxisset dictum Tertulliani lib. de præscript. *quod Marcion ad materiem suam cædem Scripturarum confecerit*, subjungit. *Quod in nostris quoque temporis hæreticos quosdam non malè convenit, quibus nulla religio est, Canoni sacro integros libros demere.*

Resp. Nostra sententia à Marcionis hæresi toto cœlo distat. Marcion libros quosdam *verè Canonicos*, vel certè eorum partes repudiabat; nos ad custodiendam Canonis castitatem *libros Apocryphos* in Canonem recipiendos esse negamus. Ejusdem temeritatis est aliquid *suâ Naturâ Canonicum* repudiare, & aliquid *suâ Natura Apocryphum* in Canonem recipere.

2. Speciales in B. Lutherum effusæ.

1. Bellarminus lib. de Baptismo cap. 15. vehementer exagitat Lutherum, quod in cap. 3. ad Galat. sic fuerit commentatus. *Cum illaqueant te argumentis ex Scripturis pro defensione bonorum operum desumtis, simpliciter respondendum est. Hic mecum est Christus, illic vobiscum Scripturæ testimonia pro bonis operibus. Christus autem est Dominus Scripturæ & bonorum operum. Egregia vero solutio, inquit Bellarminus, quasi Christus & Scriptura sint contraria, & non potius Christus per Scripturam nos alloquatur?*

Resp. Lutherus ibi de actu justificationis, & de angore conscientiæ legis minis territæ agit, quo in casu doctrina legis & operum ex oculis removenda, & solus Christus cum suo merito respiciendus.

2. Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. artic. 5. Lutherum accenset illis hæreticis, qui negant, *Mosen & Mosaica scripta esse summæ autoritatis.* Huic calumniæ colorem quærit ex quibusdam Lutheri dictis, utpote quòd tom. 3. Jenens. Germ. fol. 40 scribit: *Mosen neque audire, neque videre volumus, Nam ille Judaico solum populo datus est, neque quidquam ad nos pertinet. Sit Judæis quasi Speculum Saxonum, neque nos gentes inquietet aut turbet. Ut Gallia Speculum Saxonum non curat, sic lex Mosis nos non ligat. Si quis tibi Mosen cum suis legibus proponat, teque cogere velit, ut eas observes, tum dicas, Abi ad Judæos cum tuo Mose, ego Judæus non sum, ne me cum Mose involvas.*

In Colloq. Conviv. cap. de Lege & Evangelio. *Mosen cum sua lege non suscipiam, nam hostis Christi est. Si mecum ad judicium accesserit, rejiciam eum in nomine Domini & dicam, Hic Christus stat.*

Fol. 118. *Moses omnium carnificum Magister est, nemo eum terrendo, angustiando, Tyrannizando, comminando, tonando æquiparat. Conscientias dirè aggreditur, corda terret, torquet, lacerat.*

Fol. 121. *Lex est vera labyrinthus, quæ conscientias solum in terrorem conjicit. Justitia Legis Minotaurus est, hoc est, mera fabula, non ad salutem, sed Acherontis ducens ad undas.*

Ad Psalm. 45. *Apage cum Mose ad pertinaces ferosque homines ac superbos sanctos, quos terrefaciat ac humiliet.*

Leonhard. Marius Prof. Colonens. in Proleg. Comment. in Pentateuchum sect. 3. n. 32. dicit, *Mosen à Luthero impudenter tractari*, ad quod probandum adducit eadem dicta fidem Jodoci Coccii secutus.

Resp. 1. Quid *de libro Convivalium sermonum* statuendum sit, expositum fuit in Appendice libri primi general. membro secundo.

2. In quibusdam dictis agit *de legibus Ceremonialibus & forensibus*, quas constat soli Judaico populo esse datas, quæ proinde Christianos in N. Testamento non obligant.

3. In quibusdam dictis agit *de Mosis ministerio.* Sic enim scribit præfat. in lib. V. T. tom 3. f. 71. *Præcepta moralia sunt ab omnibus servanda & ad omnes pertinent, sed non quia à Mose præcepta, sed quia Natura hominum hæ leges inscriptæ sunt.*

Et postea. *Dico, servanda esse hæc Decalogi præcepta, non quia Moses ea tradidit, quod ad illum populum tantum pertinebat, sed quia has notitias Naturæ impressas omnes homines habent, cum quibus etiam Moses congruit.*

4. In quibusdam dictis loquitur *de accusatione & condemnatione legis* per Mosen promulgatæ ac repetitæ, quæ in tentationibus audiri non debet, sed consolatio illa fide apprehendenda, quod Christus à maledictione legis nos liberavit.

5. In quibusdam agit *de vero usu legis post lapsum*, quod hominem peccati convincat, non autem justitiam coram Deo valentem conferat.

3. Bellarminus lib. 1. de V. Dei cap. 5. hæres. 5. Lutherum accusat, quòd *Canonicæ autoritati libri Job detrahat*, cum in convivalibus sermonibus tit. de Patriarchis & Prophetis asserat, *se non credere, ita omnia esse gesta, ut in libro Job narrantur*; & rursus tit. de libris V. & N. Testamenti dicat, *librum Jobi esse veluti fabulæ argumentum ad proponendum patientiæ exemplum.*

Eandem accusationem repetit Pazmannus lib. 3. Hodegi in cap. de libr. Canon. & Apocryphis, ex Jodoco Coccio tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 6.

Resp. 1. Liber convivalium sermonum à Luthero nec visus, nec lectus, nec approbatus, ut suo loco monuimus. Constat insuper, quod B. Lutherus in versione Germanica Bibliorum librum Job disertè inter Canonicos retulerit.

2. Lutherus ibidem disertè addit, *Existimo, librum Jobi esse veram Historiam.*

Item. *Interim in rei veritate & in ipso facto ita contigit.* De eo igitur duntaxat dubitat, an omnia externo sermone Jobus protulerit, an quædam cogitarit; ita ut *de ordine ac modo tractationis* verba Lutheri sint accipienda.

3. Vocem *fabulæ* non pro fictitia narratione usurpat, cum ibidem *veram Historiam* vocet, sed *pro argumento Comœdiæ*, eò ferè sensu, quo Historia Josephi in Comœdiam redacta argumentum fabulæ appellatur. Formam ergo fabulæ sive Comœdiæ habere dicit *propter personas colloquentes.*

Bellarminus ipse *fabulæ* nomine veram Historiam interdum significari docet lib. 1. de Verbo Dei cap. 9. §. Ad Hieronymum &c. sic disserens. *Veteres interdum nomine fabularum non res fictas, sed veras narrationes appellant, quomodo Luc. ult.* dici-

dicitur. Et factum est dum fabularentur. Minutius *Felix initio Dialogi, quem Octavium inscripsit, fabulam vocat veram quandam narrationem, nescio cujus navigationis.* Desumsit hoc ex Sixto Senensi, qui lib. 8. Biblioth hæref. 6. sic scribit: *Fabula nomen non à fabulando, sed à fando deducit Hieronymus. Nam & qui vera narrant, communi gentium locutione fabulari dicuntur, sicut de duobus discipulis, in itinere de morte Christi loquentibus, dicitur. Et dum fabularentur ad invicem, i. e. colloquerentur.*

4. Idem Bellarminus d. l. hæref 6. Lutherum accusat, *quod Canonicæ autoritati Ecclesiastæ Salomonis detrahat*, cum in convivalib. sermonib. tit. de libris V. & N. Testamenti dicat, *autorem ejus sibi videri ocreis & calcaribus destitutum, equitare tantum in soccis, quemadmodum ipse soleret, cum adhuc esset in cœnobio.* Eundem locum urget Jodocus Coccius tomo 1. Thesauri lib. 6. art. 7.

Resp. 1. Quæ *de Ecclesiastico* Lutherus dixit, rhapsodus convivalium sermonum ad *Ecclesiasten* errore quodam retulit, disertè enim asserit, *se loqui de eo libro, qui contra Tyrannos agit, qui tempore Maccabæorum à Siracide fuit compositus, qui doctrinas de œconomicis officiis complectitur, qui ex Bibliotheca Ptolemæi Evergetis sit collectus &c.*

2. Ecclesiasten utilissimo Commentario illustravit, & in Bibliorum versione Germanica ab Apocryphis distinxit.

3. Videat Bellarminus, quomodo excusare possit, quod Doctor quidam Pontificius, natione Anglus, anno 1566. librum, *Comitia Parlamentaria* inscriptum, in lucem emiserit, in quo refert fabulam de quodam, qui prælecto Ecclesiastæ libro, *cum noxium esse*, pronunciavit, idque se auribus suis audivisse testatur. Heskingius eum propterea minimè redarguit, sed dicit, *fuisse virum reverendum, gravem, prudentem, pium & non indoctum*, & addit: *Hinc clare liquet, quàm periculosa res sit, si Laici Scripturas legant.*

5. Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 8. scribit, *Lutherum negare Canticum Canticorum Salomonis, ut librum sacrum Canonicum & authenticum valere ad Ecclesiæ dogmata confirmanda; propterea quod in exordio annotat. in Cant. statuat, libellum hunc nihil aliud esse, quàm familiare colloquium inter Salomonem & Rempublic. Judæorum &c.*

Resp. 1. Ex hoc antecedente illud consequens inferri nequit. Nam & Hebræi ad Rempubl. Israeliticam Canticum Canticorum accommodant, nihilo tamen minus Canonicam autoritatem illi tribuunt.

2. Lutherus hoc scripsit primis annis, videl. anno 1520. ut Coccius in margine notat. Posterioribus annis passim *ad Christum & Ecclesiam* Canticum illud accommodat.

6. Idem Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap 6. hæref. 14. Lutherum accusat, *quòd optaverit, hæresin illam vigere ac florere, quæ nullum Evangelistam agnoscit, præter unum Johannem, cum in præfat. N. Test. scribat, abolendam esse falsam illam opinionem, quod sint tantum quatuor Evangelia. Item Johannis Evangelium esse unicum, pulchrum, verum ac principale Evangelium, aliisque tribus longè præferendum.*

Idem urgent Gretserus in Defens. cap. 6. lib. 1. Bellarm. de Verbo Dei, Adamus Conzen. in qq. procemialib. in quatuor Evang. q. 3. §. ubi dicit, *verba illa à Luthero in præfat. N. T. posita perfido pudore à discipulis erasa, Aurifabrum restituisse.*

Resp. 1. Scopus Lutheri est ostendere, omnes illas quatuor Evangelistarum narrationes Historicas esse unum idemque Evangelium *ratione argumenti & finis. Unum* esse *Evangelium* dicit, sed non *unum Evangelistam.*

2. Johannis Evangelio palmam tribuit, non ratione divinæ & Canonicæ autoritatis, quam omnibus Evangelistarum libris communem esse agnoscit, sed *ratione materiæ*, id est, articulorum in illis tractatorum, cum Filii Deitatem & incarnationis mysterium illustrius confirmet.

3 Salmeron in Proleg. Disp. 36. p. 434. itidem primas tribuit Johannis Evangelio. Adducit enim dictum Basilii homil. 16. in verba Johan. *In principio erat Verbum &c. Omnis quidem Evangeliorum vox reliquis omnibus sancti Spiritus præceptis eminentior esse dignoscitur, quod in aliis per Prophetas servos, in Evangeliis autem ipse per se Dominus nos allocutus est. In ipsius autem Evangelii laudibus & sermonis magnitudine & sententiarum gravitate Johannes, alius tonitrui primas obtinet.* Et addit. *Sicut sacra & Canonica Scriptura universa alia, etiam sapientissimorum hominum scripta longè antecellit, & inter ipsas Canonicas Scripturas Novum Testamentum Vetere dignius est atque præstantius: ita inter ipsos N. T libros Evangelium & inter Evangelia primatum tenet, quod ab Apostolo Johanne fuit conscriptum.*

4. Festivus verò est Conzenius, quando *verba illa perfido pudore ex præfat. N. T. à discipulis erasa* scribit. Quasi verò in Romana Ecclesia novum sit ac insolitum ex scriptis Pontificiorum quædam eradi? Perfidum hunc pudorem Index Expurgatorius publicè patefecit.

7. Idem Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 10. §. ultimo. *Martinus Lutherus Biblia pessima fide convertit, ut patet ex Johanne Cochlæo in vita & actis Lutheri anno 1522. ubi legimus, innova translatione Novi Testamenti per Lutherum facta fuisse notata ad mille loca immutata, hoc est, addita, vel detracta, vel deprávata.*

Stanislaus Hosius Cardin. de sacr. vernacul legend. tom. 1. pag. 664. *Ex bonis Latinis mala Germanica fecit Lutherus, nam sacris Bibliis vertendis plus eum, quàm sexcentos errores admisisse, à Catholicis animadversum est.* Similia occurrunt apud Pistorium in lib. de signis novæ & antiq. fidei p. 6. & seqq. Casparem Ulenbergium in causis suæ ad Papatum defectionis caus. 8. & 18. Tannerum in Anatom. Aug. Conf. Demonstr. 2. §. 24. & in Dioptra fidei lib. 1. cap. 5. p. 80. lib. 3. cap. 15. p. 986 cumprimis apud Zangerum, qui integrum scriptum huic versioni opposuit.

Resp. ἔγκλημα hoc 1. provenit ex falso principio, quod Lutherus non *Hebræum textum* in V. nec *Græcum* in N. Testamento, sed *vulgatam editionem Latinam* sequi debuerit. (At ostendimus superius in hoc primo articulo c. 2. th. 2. ex ipsis Pontificiis, fontes solos purè fluere & authenticos esse, versionis Latinæ rivulos esse turbidos & ex fontibus repurgandos.)

2. Originem trahit ex *Codicum*, quos Lutherus ad manum habuit, *variatione* & diversa lectione. (At in ipsa vulgata versione, quæ Pontificiis est authentica, ejusmodi variatio & diversitas lectionis occurrit.)

3. Postulat à Luthero, quod de verbo ad verbum sive κατὰ πόδα omnia vertere debuerit. At hæc servilis vertendi ratio ne ipsis quidem sanioribus Pontificiis probatur.

Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 13. circa finem. *Hieronymus profert illud Horatii: Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres. Et rursus in Epist. ad August. dicit, se sensum potius veritatis, quàm verborum ordinem consecutum esse. In Epistola ad Fricellum, Boni, inquit, Interpretis est, hanc regulam sibi proponere, non ut verba verbis paria dimensa respondeant, sed ut sensus sensui.* (Quod in Hieronymi versione Canus laudat, illud in Lutheri versione alii Pontificii improbare non debent.)

Alphonsus Salmeron Proleg. 12. pag. 140. *Non semper boni Interpretis est verbum verbo reddere, sed unum multis & multa uno, si commodè fieri queat, interpretari.*

Pererius in Comm. Daniel. 7. pag. 363. *Interpres Latinus in versione non tam spectavit verba ipsa, quàm mentem & sententiam Danielis.*

Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 13. resp. ad 1. *In Psal. 2. in Hebræo ad verbum est, Osculamini Filium, tamen sensus ejus loci rectissimè ab Interprete versus, per Apprehendite disciplinam.*

Gordonus Huntlæus Controv. 1. cap. 15. §. 3. *Vulgatam versionem sæpe sensum potius exprimere, quàm singula verba transferre asserit.* (Quod in vulgata versione laudant, in Lutheri versione improbare non debent.)

8. Bellarminus lib. de Baptis. cap. 15. *Lutherus illud assequi voluit, ut ipse unus non solum pro omnibus Patribus & Conciliis, sed etiam pro omnibus divinis literis habeatur.*

Resp. Imò vero doctrinam suam Scripturæ examini & judicio semper submisit, id quod vel sexcentis locis comprobari posset.

9. Alphonsus de Castro lib. 8. advers. hæref. verbo Infernus, hæref. 3. tribuit Luthero, quod neget consequentias ex Scriptura deductas. *Is unus, inquit, locus est* (de descensu Christi ad inferos) *quo maximè possumus Lutherum redarguere, qui Scripturæ sacræ testimonia vult esse apertissima sine ullis ratiocinationibus aut collectionibus, sed quæ apertissimè sententiam doceant. Deinde ait, nihil esse definiendum, quod non sit expressum in sacris literis. Nullum etiam admittit judicem in contentione de rebus ad fidem spectantibus, nisi solam sacram Scripturam. Et certè si ad hos gnomones sunt omnia examinanda, non oportebit dicere, Christum ad inferos descendisse, quoniam hoc sacræ literæ non docent per verba adeo expressa, qualia ipse alibi à Catholicis petit. Nunquam enim hæc verba reperiuntur in sacris literis sub hac forma. Christus descendit ad inferos. Verùm, etsi hæc non reperiantur sub illa*

illa forma, reperiuntur tamen alia, qua eadem cum illis significant & ex quibus illa apertissima collectione deducuntur.

Resp. 1. Lutherus nuspiam consequentias ex Scriptura deductas repudiavit, sed eis sæpissimè contra Adversarios utitur, ut cumprimis apparet ex libro de novissimis verbis Davidis.

2. Alphonsus ipse articulum de descensu Christi non probat per consequentias, sed per Scripturæ dicta. *Illud*, inquit, *Pauli satis est apertum, quod de ascensione Christi differens ait, Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? Et Petrus Apostolus in die Pentecostes, recepto jam Spiritu sancto, de Christo coram populo prædicans ita dicit. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno &c.* Aut ergo Alphonsus his testimoniis nihil probat, aut agnoscit, Scripturam verbis perspicuis de Christi ad inferos descensu loqui, ita ut citra consequentiæ adminiculum hic articulus ex Scriptura probari possit.

3. Assertiones erroneæ, falsæ & absurdæ.

1. Franciscus Turrianus lib. 1. pro Canonib. Apostol. cap. 11. vehementer suadet, *recipiendum esse in Canonem tertium Maccabæorum, cum Canon 84. Apostol. tres Maccabæorum in Canone computet.*

Sed 1. opponimus Turriano Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Quod ad priorem &c. sic differentem: *Probabile videtur, Canonem illum non esse Clementis. Nam Zepherinus Papa XV. à Petro in Epist. 1. tradit, solum septuaginta fuisse Canones Apostolorum, vel, ut alii Codices habent, sexaginta. Humbertus autem in libro contra Nicetam non agnoscit nisi quinquaginta, at iste est octuagesimus quartus &c. Deinde in isto Canone 84. numerantur libri Canonici & omittuntur quidam, qui certissimè sunt Canonici, ut libri Esdræ &c. Apocalypsis quæ res non minimi momenti esse videtur &c. Præterea in isto Canone 84. numerantur inter sacros libros non solum tertius Maccabæorum, sed etiam Epistola duæ Clementis & Constitutiones Apostolicæ ejusdem Clementis, quos tamen libros Ecclesia nunquam pro sacris agnovit.*

2. Opponimus etiam Turriano Innocentium 1. Epist. 3. ad Exuperium & Gelasium c. Sancta Romana. dist. 15. qui *tertium Maccabæorum* è Canone excludunt.

2. Pistorius in motivis, quare Jacobus Marchio Badensis ad Papatum defecerit mot. 1. p. 34. de Luthero sic scribit: *Duo posteriores libri Esdræ nihil plus valent ei, quàm fabulæ Æsopi, vel etiam vilioris notæ libri, ita ut autumet, se illos meritò ex suis Bibliis exturbare & nec versione dignari.*

Genebrardus lib. 2. Chronol. anno mundi 3638. p. 60. Biblander tract. de fat. Monarch. Roman. f. 4. *in Canonem eos recipiendos* censent. Verba Genebrardi sic habent: *Duo postremi libri Esdræ quamvis non sint de priore Canone Hebræorum, quia nondum erant editi, quando Canon iste sancitus est, non desinunt esse sacri & Canonici, quoniam hæc magna Synodus non obligabat consecutos autores sacros, nec Spiritus sancti afflatum extinguebat vel contrahebat, propter quos editus est alter Canon multò amplior.*

Scaliger exerc. 308. quarto Esdræ libro honorificum tribuit elogium. *Arcana*, inquit, *multo plura continentur in libris Esdræ atque potiora quavis enarratione. Eos libros, suspicor, te non vidisse, quorum admirabile ac divinum compendium est apud me Syrâ conscriptum linguâ. In iis longè præstantiores sententiæ continentur, quam in concionibus sordidissimi calumniatoris atque impurissimi impostoris Emanuelis.*

Sed rectius de illis libris judicat 1. Salmero Disp. 4. in 2. Epist. Petri *In libro 4. Esdræ, licet Apocrypho, legimus.*

Tom. 3. tract. 27. p. 199. *Tertius liber Esdræ est Apocryphus.*

2. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Postremò. *Apocryphi sunt tertius & quartus Esdræ.*

Et postea. *Quartus Esdræ sine dubio non est Canonicus, cum à nullo Concilio referatur in Canonem & non inveniatur neque Hebraicè, neque Græcè ac demum contineat cap. 6. quadam fabulosa de piscibus Henoch & Leviathan, quos maria capere non poterant, quæ Rabbinorum Thalmudistarum somnia sunt. Itaque mirandum est, quid Genebrardo in mentem venerit, ut hunc etiam librum ad Canonem pertinere vellet.*

3. Idem Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. §. Hæc opinio &c. sic differit. *Quartus liber Esdræ non modo Apocryphus est, & ab Ecclesia Catholica nunquam receptus, sed etiam multis in locis redolet fabulas Judaicas, & in cap. 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultis & perfectioribus, quam omnes Thalmudistæ faciant de sua Cabala.* (Quantum verò distant Judæorum fabulæ ab Æsopi fabulis? Cumque fatente Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Denique, *tertius & quartus Esdræ non solum apud Hebræos non habeantur, sed ne quidem apud LXX. Interpretes*, quis vitio vertet Luthero, quod nec in Germanica versione eos extare voluit?)

4. Idem de his libris statuit Jacobus Bonfrerius Jesuita Præloqu. in Pentat. fol. 12.

5. Ludovicus Vives in Commentar. lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. *Tertius* (inquit) *& quartus libri Esdræ inter Apocrypha rejiciuntur, quos Hieronymus vocat somnia.*

6. *In Canonibus Apostolorum* inter Canonicos libros non numerantur, Can. 84.

7. Gregorius de Valent. lib. 8. Analys. fidei Cathol. cap. 5. *Statuendum est, Scripturam sacram illis omnibus ac solis contineri libris, qui communiter nunc extant in Bibliis sacris, excepto tertio & quarto libro Esdræ.*

3. Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 13. *Decebat Christianos, sacris literis illam exhibere reverentiam, ut non passim omnibus legendæ traderentur*, quod probat ex dicto Christi, *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Albertus Pius Carpensis in Epist. ad Erasmum fol. 16. *Non videtur Scripturarum genus universum vulgo disseminandum esse, nec margaritas porcis spargendum, nec sanctum, ut Dominus ait, dandum canibus.* (Cui concinnè Erasmus ibid. ad marginem respondebat, *Malè sentis de populo Christiano si dignum judicas, qui porcis & canibus conferatur.*)

Ledesma lib. de Script. & sacris vernac. non legendis & celebrand. *Non decet, ut divina & sacrosancta fidei mysteria in ore omnium hominum promiscuè versentur &c. Tandem hoc ipsum docuit Servator noster Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus.*

Costerus in Enchirid. cap. 2. *A Christo videtur cautum, ne omnia fidei dogmata commendarentur scriptis, dum ait, Nolite sanctum dare canibus.*

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 152. *Cohibenda est tam propter Scripturæ divinæ reverentiam, quam propter animæ salutem tanta vulgarium* (Scripturæ) *versionum copia & licentia, ne, contra Salvatoris præceptum, sanctum detur canibus edendum & margaritæ porcis proterendæ.* Plura hujus generis adduximus superius c. 2. thesi 7. in antith. quæ recitasse est eadem refutasse.

Hæreticorum proprium fuit, dictum Christi, *Nolite sanctum dare canibus*, ad occultanda coram Laicis sua mysteria detorquere. De Simone Mago & Basilidianis Epiphanius hæres. 24. pag. 23. sic scribit: *Idem circulator, nos, inquit, sumus homines: alii verò omnes sues & canes, & ob id dicit, Ne projiciatis margaritas ante porcos, neque date sanctum canibus: occultat enim suam injustitiam ab his, qui mente præditi sunt, revelat autem ipsius Schola his, qui ab eo decepti sunt.*

4. Thomas Stapletonus Controv. 6. lib. 11. cap. 1. p. 396. *Medium intelligendi Scripturam est fides prævia, non ut ditis illis nondum intellectis fides sit quærenda.*

Contra Anglo-Rhemenses in annot. Roman. 13. *Cum Augustinus audiebat vocem illam cœlestem, tolle, lege; & legisset illud ad Romanos, Non in comessationibus &c. ex ipsa lectione* (nota) *ad fidem & pœnitentiam convertebatur.* (Si ex ipsa lectione ad fidem converti possumus, utique Scriptura est medium fidei non solum *augendæ & confirmandæ*, sed etiam *gignendæ & accendendæ*. Johan. 20. v. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis.*)

5. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 11. *Multa loca afferuntur ab Evangelistis per applicationem quandam, non autem quod Prophetæ id significare voluerint, ad quod ab Evangelistis afferuntur, ut cum dicitur, ut impleretur, quod dictum est, ex Ægypto vocavi filium meum, sicut, si quis de Patre nimis filium amante duceret, Videres illum in desiderio filii sui omnia contemnere, ut impleretur in eo illud Maronis: Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.*

Hujusmodi etiam juxta Jansenium est illud Matth. 15. *Hypocritæ, benè de vobis prophetavit Esaias dicens: Populus hic labiis me honorat.* Et illud cap. 13. *Auditu audietis & non intelligetis*

tu &c. & quod est ibidem. *Aperiam in parabolis os meum*, & quod cap.2. legitur. *Vox in Rama audita est &c.*

Contrà Ribera in cap.11. Hoseæ num.13. *Hac in re vir eruditissimus toto cœlo errat, & homo cumprimis pius dicit id, quod pietas fidei nullo modo, ut mihi quidem videtur, dici sinat. Nam cum Scriptura ipsa docet, Prophetam de re illa locutum esse, quam Evangelista commemorant, quis audeat dicere, minime eam significare voluisse & perinde esse ac si versus Virgilii ad illud afferretur? Dominus ait, Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Esaias. Utrum ego Christo credam, an Jansenio, qui ait, non prophetâsse? Planè enim ait, non prophetasse de illis, si id non prævidit ac significare voluit. Nam si ego pro verbis Esaiæ similia verba ex Virgilio substituerem, aut ex Homero, quis me ferret, si dicerem, Homerum de illis hominibus prophetasse? Si autem prophetavit, ut dixit qui non mentitur Christus, ergo & prævidit & intellexit, quæ dicebant. Intelligentiâ enim est opus in visione, ut Daniel cap.10. docet. Cum autem dicitur, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, etsi paulo obscurius, tamen idem est, ac si diceretur, quod prophetatum est, nam propriè verbum meum non impletur, nisi cum illud fit, quod ego futurum prædixi. Audax ergo & periculosa est Jansenii opinatio, & quantum ad hunc locum attinet, universis Patribus adversatur, universisque Expositoribus.*

Jansenium insuper hoc nomine refellit Tannerus tom.1. Theolog Scholast. Disput.1. quæst.5. dub.6. num.4. & 5. Sed Nicolaus Serarius cap.21. Proleg. Biblic. quæst.14. sub finem Jansenium excusat, *quòd probabiliter & Catholicè statuat, sensum accommodatitium in Scriptura esse.*

6. Quidam (Pontificii, referente Azorio lib.8. in Instit. moral. cap.2. §. Nonò quæritur) opinantur, *omnem Scripturæ locum sensu mystico constare, quoniam vox Pauli est 1.Cor.10. v.11. Omnia in figuris contingebant illis.*

Contra 1. Bellarminus lib.3. de Verbo Dei cap.3. §. Sed quanquam. *Non invenitur spiritualis sensus in omni sententia Scripturæ, nec in Testamento Veteri, nec in Novo. Illud enim, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde Deuter.6. & Matth.22. & similia præcepta, non habent nisi unum sensum id est, literalem, ut rectè docet Cassianus collat.8. cap.3.*

2. Johannes Stephanus Menochius Jesuita in præfat. annotat. in Biblia capite 23. *Notandum, cujuslibet loci sacræ Scripturæ sensum aliquem literalem esse, sensum verò mysticum, in aliquibus quidem reperiri, in aliis verò non item &c. Itaque ex omnibus locis omnes sensus extundere velle, non solum supervacaneum est, sed etiam ineptum.*

3. Azorius d.l. *Mihi videtur, leges Ceremoniales & judiciales duplicem sensum habere, literalem scil. & mysticum. At vero præcepta & consilia morum non solent, nisi sensum literalem habere.*

4. Salmeron Prolegom.19. Can.4. *Solidum non est, Scripturam S. per omnes quatuor sensus interpretari, & qui vellet per omnes intelligendi modos universas Scripturas exponere, multa minimè cohærentia confingeret.*

5. Dictum Paulinum non loquitur de allegoriis. Benedict. Justinianus in 1. Corinth.10. *Sed hæc quasi quædam exemplaria fuerunt, in quibus tanquam tabellis Deus nobis delineavit, quid fugere quid sequi debeamus &c.*

Ibid. *Quæ sanè omnia, ut narrantur, verè olim contigerunt, propriè tamen eveniebant eis, ut quodammodo in iis, tanquam in typis perspiceremus, quâ nos ira Dei maneat, si iisdem vitiis fuerimus obnoxii.*

6. Dominicus Bannes in Thom. p.1. quæst.1. artic.10. *Dicit Apostolus, in figura ipsis contigisse supplicia, id est, in exemplum nostrum.*

Ass.7. Gretserus lib.1. de cruce c.6. §. Plus probasset. & §. Nec est. *Nemo miretur, me quercum, in qua Absolon capillis pependit, vocasse crucem. Verè enim crux fuit, crucisque Dominicæ manifesta figura, in qua Absolon pendens Christum præfigurabat.*

Contrà Azorius d.l. §. Decimò. *Hieronymus in cap.10. Oseæ in cap.45. Esaiæ, in cap.12. Ezech. Augustinus lib.2. de serm. Domini in monte, & Origenes homil.5. in Genes. reprehendunt eos, qui allegoricè exponunt res malè & turpiter gestas.*

Ibid. *Dicendum existimo, quod homo bonus, qui in veteri populo præcessit in re aliqua, quæ vere mala non fuit, in ea potuit typum & figuram Christi continere. Sic Abel à fratre suo interfectus est figura Christi. Joseph venditus à fratribus in Ægyptum Christum adumbravit. Samson ingressus ad alienigenas significavit Christi ingressum ad gentes. Sed impios, in quo impii fuerunt, figuram Christi non fuisse.*

8. In Indice Expurgatorio à Junio edito pag.155. *Illud Petri Rami, parabola non est subtilius interpretanda, deleatur.*

Contrà 1. Suarez in Thomam tom.4. quæst.38. artic.4. sect.1. Disput.13. *Monet Chrysostomus homil.48. & 65. in Matth. in exponendis parabolis præcipuè attendendum esse finem parabolæ, nec singula verba accommodanda esse, sed solum quatenus ex iis per quandam analogiam declaratur, quod intenditur.*

2. Salmeron tomo 7. tractat.3. pag.16. *Proponitur gladius, quo panem & carnes secare valeas. Certum est, gladium non omni ex parte scindere, sed ex una tantum, nec enim per manubrium secat, neque per partem obtusam oppositam aciei, neque per cuspidem, sed tantum per aciem, sive acutam partem secat. Et tamen nemo sanæ mentis dixerit, aut manubrium, aut cuspidem, aut partem obtusam oppositam aciei necessaria non esse ad scindendum. Nam etsi per seipsa non scindant, serviunt tamen, ut pars, quæ acuta est & ad secandum nata, scindere fortius & commodius valeat, nam sine illis profecto acies minime scinderet. Ita in parabolis multa afferuntur, quæ, etsi per seipsa sensum spiritualem non efficiunt, conducunt tamen, ut parabola per eam partem scindat & secet, ad quod præstandum ab autore proposita fuerat. Solo item vomere, teste Augustino lib.16. de Civit. Dei cap.2. terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et solis nervis in citharis atque hujusmodi vasis cæteris aptantur ad cantum, sed ut aptari possint, insunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his annectuntur.*

3. Maldonatus in Luc.15. v.22. *Tutissimum est, quod sæpè moneo, non nimis pressè tractandas esse parabolas, frangi sæpè tractando, solereque hic accidere, quod proverbio dici solet, ut, qui nimium emungit, sanguinem eliciat.*

In Johan.10. v.3. *Non est necesse, ut sæpè monuimus, omnia, quæ in parabolis dicuntur, ad id, cujus causa proponuntur, accommodari. Multa dici explendæ narrationis, multa describendæ, multa ornandæ rei gratiâ, unde parabolæ sumuntur.*

In cap.15. Johan. v.6. *Non sunt singulæ parabolæ partes ad rem semper per parabolam significatam accommodandæ, multa enim dicuntur ad explendam, ornandamque narrationem.*

4. Martinus Delrio Isagog. in Comment. Cant. Cant. cap.4. *Notanda est illa regula verissima, non quæcunque in parabola commemorantur, ea ad Historicum vel allegoricum sensum pertinere, vel eò explicari debere, sed ornatus duntaxat & decoris gratia, non ut membra, sed ut emblemata; non quia necessaria, sed quia sic fieri solita inseri solere, atque ideò non omnia bonum Interpretem, quæ in ipso literæ cortice occurrunt, ad medullam literæ transferre & accommodare debere, sed ea duntaxat, quæ ad essentiam (ut sic dicam) medullæ & scopum autoris, finemque parabolæ spectare videbantur. Quæ autem sint talia, id ex fine parabolæ intelligendum. Nec semper personæ personis, nec partes partibus per omnia scrupulosè sunt conferendæ, sed totum negotium toti negotio comparandum, & totum sententiæ corpus intuendum & integrum ex integra parabola trahendum, ut optimè Joh. Maldonatus admonuit in Matth. cap.11. v.16. in cap.13. v.25. in cap.18. v.23. & passim.*

9. Nicol. Cusanus Epist.2. de comm. sub una advers. Bohemos. *Non te moveat, quod diversis temporibus alius atque alius ritus sacrificiorum & etiam Sacramentorum stante veritate inveniatur, Scripturasque esse ad tempus adaptatas & variè intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem ritum Universalem exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutaretur &c.*

Duræus contra Witak. f.45. *Ad Cardinalem Cusanum quod attinet, rectè ab eo scriptum est, alio atque alio modo Scripturas pro temporis ratione accipi posse atque exponi.*

Autor Apologiæ pro dispensatione Papæ super matrimonio Henrici VIII. fol.34. *Et forsitan aliquoties expediens fuerit, neque Deo ingratum ad piè subditorum animos fallendos, in quibusdam causis Scripturas nonnihil à genuino sensu detorquere.* (Hoc vero est certum & immotum fidei nostræ fundamentum, incertum atque lubricum planè reddere.)

10 Stapletonus in Relect. princ. fid. controv.4. quæst.5. pag.497. *Scriptura est quidem vox Dei sed non simpliciter, nec semper &c. Est autem Scriptura vox Dei, quando Ecclesia illam loquitur.*

Hosius de expresso Dei verbo tom.2. p.3. *Scriptura in seipsa non est verum illud Dei verbum, nisi juxta sensum Ecclesiæ exponitur.*

Pag.5. *Jam igitur habes Lasce, quomodo Scriptura pendeat ab autoritate, testimonio atque approbatione Ecclesiæ, & quemadmodum ille demum sensu Scripturæ sit verum & expressum Dei verbum,*

qui

qui fuerit Ecclesiæ Catholicæ judicio comprobatus. (Hac ratione Scripturæ insita majestas & autoritas planè negatur, ejusque autoritas unicè ab Ecclesia suspenditur.)

Ibid.pag.622.& 623 *Qui Dei verba loquuntur extra Ecclesiam, eorum ora Diabolum aperire, certum est: sicut è contrario, qui loquuntur eadem intra Ecclesiam, quin eorum ora Deus aperiat, dubitandum non est &c. Atque hoc est, quod propriè dicitur verbum Dei, quando Scripturæ verbis non proprius astruitur sensus, verum is qui omnium, qui Ecclesiæ Catholicæ est, quem eundem esse Dei sensum, ambigendum non est &c. Si quis suum illis* (Scripturæ verbis) *sensum astruit, quamlibet multa Scripturarum testimonia producat, non tamen expressum Dei verbum, sed expressum Diaboli verbum producit.*

Lib.3.de Autorit.Script.contra Brentium pag.551. *Quando aliquis Scripturam profert, qui non est Catholicus, non profert verbum Dei, sed Diaboli.*

Canis.in Catech.pag.164. *Diabolum per eos loqui, qui Scripturam contra Ecclesiam Catholicam proferunt.* (Hac ratione sensus à verbis Scripturæ separatur, ac Scripturæ ipsius in se consideratæ verus sensus cum hæretica ipsius detorsione ac depravatione confunditur.

11. Johannes Maria Verratus Carmelitanus in scripto edito Anno 1561. *Determinatio Ecclesiæ appellatur Evangelium.*

12. Ludovic. Protonotarius in Concil. Basileensi dixit; *non esse ullam argumentum collectum ex Actis Apostolorum, quorum exempla magis sint admiranda, quàm sequenda.*

13. Anglo-Rhemenses in Annot. Act.15.v.10. *Si Evangelistæ & alii Scriptores sacræ Scripturæ non adhibuissent omnem diligentiam humanam ad investigandam veritatem rei, Spiritus S. non astitisset ipsis.*

Bellarminus lib.1.de Verbo Dei cap.15. *Aliter Deus adfuisse solitus Prophetis, aliter Historicis. Illis revelavit futura & simul astitit, ne aliquid falsi admiscerent in scribendo, his non semper revelavit ea, quæ scripturi erant sed excitavit duntaxat, ut scriberent ea, quæ vel viderant, vel audierant, quorum recordabantur, & simul astitit, ne quid falsi scriberent, quæ assistentia non excludebat laborem*

Lib.2.de Concil.cap.12.§. Alterum. *Scriptores sacri non debuerunt multum laborare in libris suis edendis. Satis enim erat, si laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia; vel ad summum revocando ad memoriam, quæ viderant, vel audierant, & cogitarent verba, quibus ea scriberent, si scribebant Historias, vel Epistolas, vel aliquid simile.*

(Atqui immediata Spiritus sancti assistentia humanam diligentiam & molestiam excludit, ac singula Scripturæ verba sunt θεόπνευστα, non autem humana industria excogitata.)

14. Iidem Anglo-Rhem.Rom.12.sect 1. *S. Paulum præ timore, ne à veritatis linea exorbitaret, quamvis haberet Spiritum sanctum, ivisse ad conferendum cum Petro.* (Contrarium docet Apostolus, Galat.2.v.6.1 Cor 7.v.40.)

15. Bellarminus lib.4.de Verbo Dei cap. 4. *Etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certò id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahometi passim legimus, ipsum Alcoranum de cœlo à Deo missum.* (Alcoranus multis κριτηρίοις Diabolicam falsitatem; Scriptura divinam suam autoritatem demonstrat. Ergo Scripturam cum Alcorano conferre, est lucem cum tenebris, Deum cum Diabolo conferre.)

16. Anglo-Rhemenses in Annot.ad cap.12. Luc. *Idiota Catholicus, cum pro tribunali seculari steterit, de causa fidei examinandus, etsi tantum responderit, se esse virum Catholicum & Ecclesiam ipsam, quam profitetur, posse fidei rationem reddere, nec quicquam præterea aliud responderit, satis viri Catholici muneri faciet.* (Contrarium docet Petrus 1.Epist.3.v.15.)

Anglo-Rhemensibus assurgit Cardinalis Hosius lib. de autorit.Script. ubi commendat *doctum quendam, qui sicut audierat à carbonario, non aliò confugiendum esse duxit, quàm ad fidem Ecclesiæ Catholicæ, tanquam ad asylum unum omnium tutissimum: & in ea tempore mortis plus præsidii invenit, quàm in omni Scripturarum exercitatione, quas tota vita sua meditatus erat diligenter.* Ibidem ait, *pietatem divinam non attendere, quanta cognitione credatur, sed magis quanta devotione, quod creditur, diligatur.* (Atqui ignoti nulla cupido, nedum dilectio.)

Doctor Colus in consessu Ordinum Angliæ dicebat: *Edico vobis, ignorantia est mater pietatis*; apud Ivellum art.27. contra Thomam Hardingum &c. (Christus contra pronunciat, ignorantiam Scripturæ esse matrem erroris Matthæi 22. v.29.)

17. Claudius Espensæus in Comment. 2.Timoth.3. *Repurgatam hodiè opto unam Catechesin. Nam hodiè in primis fidei fundamentis instituuntur, sed non aliter, quàm Latinè Novi equidem generosum & veteranum Equitem, qui de Spiritu sancto interrogatus quid crederet, ingenuè confitebatur, quod olim Ephesii, nunquam se, an ullus esset Spiritus sanctus, audivisse?* (Quid absurdius, quàm institutionem Catecheticam fieri in lingua Latina?)

18. Leo IV.c.de libellis.dist.20. *Magnâ voce pronunciare non timeo, quia, qui sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos Canonum nomine prætitulantur, sive sit Episcopus, sive Clericus, sive Laicus, non indifferenter* (nota) *recipere convincitur, nec Catholicam & Apostolicam fidem, nec sancta quatuor Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur.* (Hac ratione statuta Patrum ejusdem autoritatis cum verbo Dei esse asseruntur.)

19. Martinus Becanus in Manual. p.85.§.8. *Scriptura secundum literam occidit, id est, in lapsum & errorem inducit.* (Quantò rectius Bellarminus lib.3.de Verbo Deo cap.3. *Ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta?*)

20. Albertus Piggius in Assert. Hierarch. Eccles. lib.1.cap.2. disputat, *absque Ecclesiæ autoritate dubitari posse, an Marcus & Lucas Ecclesiæ Christi veritatis ac fidei à se scriptorum testes idonei & infallibiles esse possint, quia non visa, sed narrata ab aliis retulerunt.* Verba integra sic habent fol.4. *De Evangeliis pergam rursum interrogare, qui sciant, hæc esse Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, quæ sub illorum nomine legimus? ut qui autographa eorum nunquam viderint, & si viderent, non agnoscerent: & ut certò agnoscerent, quis certos reddidit, vera esse certaque, quæ scribunt, omnia de Christo, præsertim Marcus & Lucas, quæ nunquam viderant, sed crediderunt narrantibus aliis?*

(Atqui Matthæus & Johannes, propter immediatam Spiritus sancti ἔλλαμψιν & inspirationem, sunt testes infallibiles & ἀνυπεύθυνοι, quam Marcus & Lucas cum illis habent communem. De ea testatur quidem Ecclesia exterius, sed in ipsis Evangelistarum scriptis interna κριτήρια habentur, per quæ Spiritus sanctus in corde cujusque credentis id confirmat interius.)

Rectè Cornelius à Lapide in Comment. 2. Petr.1. v.ult. *Licet Scriptores sacræ Scripturæ nonnulla ex iis, quæ scribunt, scirent naturaliter, puta, quia ea viderant, vel audierant, ut cum scribunt Historias sui temporis &c. tamen in illis ipsis incitabantur à Spiritu sancto ad ea scribendum, idque eo modo & ratione, quo volebat Spiritus sanctus, qui proinde illis assistebat, ut ne vel in puncto errarent. Nam, ut ait S. Augustinus Epist.8.ad S. Hieronymum, Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillet autoritas.*

21. Simon Schreinerus in Apol. contra D. Keslerum de mirac. Franckenthal.pag.344. *Si hæc esset vera antiqua fides, quæ in sacris Bibliis comprehenditur, tunc omnes hæreses & superstitiones essent vera fides.* (At distinguendum inter *violentam Scripturæ detorsionem*, quâ hæretici mendaciis suis colorem inducere fagunt, & inter *genuinam Scripturæ sententiam*, per quam hæreses non confirmantur, sed jugulantur.)

22. Stapletonus in cap.13. Triplicationis adversus Witakerum pag.144. docet, quod verbum scriptum sit duntaxat *objectum & materia fidei*, non autem *causa, vel Magister fidei*, id quod soli Ecclesiæ tribuit. Verba sic habent: *Verbo DEI obedimus, sed in ore Præpositorum, in ore Ecclesiæ & ab Ecclesia tradito, proposito, explicato. Obedimus autem verbo, non ut fidei Magistro, sed ut fidei objecto, nec quia illud nos suo aliquo opere docet, sed quia nos illi nostro opere credimus &c* cum quo congruit illud Bartholomæi Caranzæ Controvers.2. *Autoritatem Scripturarum esse ab Ecclesia, non contra; & Scripturas regulari debere per Ecclesiam, non contra.*

(Contrarium docet Apostolus Roman.10. v.18. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Et Christus Joh.17. v.20. orat pro illis, *qui per verbum Apostolorum erant credituri.*)

23. Albertus Piggius lib.1. Hierarch. Eccles. cap.2. fol.8. scribit, quod *Apostolorum scripta non præsint fidei ac religioni, sed potius subsint.* Verba integra sic habent: *Quorum* (Apostolorum) *ministerio, cum jam diffusa esset in orbem penè universum* (Ecclesia,) *excitavit sacer ille Spiritus pro confirmanda fide & devotione fidelium, sanctorum quorundam virorum*

pium

pium studium, ut literis commendarent & commentarentur redemtionis nostræ à Christo peractam in terris Historiam, ab incarnatione nativitateque ejus auspicantes ad gloriosam triumphalemque ipsius adscensionem in cœlum; non quidem, ut scripta illa præessent fidei religionique nostræ, sed subessent potius, sicut accesserunt eisdem jam propagatis in orbem, non præcesserunt.

In Paralipomenis Abbatis Ursperg. pag. 494. refertur, *quendam Doctorem Pontificium in concione quadam Spiræ habita, publicè dixisse, tutius esse à Scriptura & Evangelio discedere, quàm ab Ecclesiæ Ceremoniis.* (Contra Apostolus Galat. 1. v. 8. pronunciat. *Si vel Angelus è cœlo aliud prædicaverit, quàm quod ab Apostolis prædicatum est, anathema debere haberi.*)

24. Stapletonus in Relect. princip. fidei doctrinal. controvers. quæst. 2 artic. 4. pag. 514. *Si præsens Ecclesia librum Pastoris sive Hermetis &c. in Canonem sacræ Scripturæ referret, nulla ratio obstat, quin eum pro Canonico admittere debeamus æquè atque Epistolam Jacobi.* (At hac ratione librum hæreticum Ecclesia posset facere Canonicum, quod absurdum.)

Johannes Maria Magister sacri Palatii in Censura his libris præfixa tom. 5. Bibl. Patrum edit. 3. *Dubitandum nullo modo est, libellum hunc Pastoris, ut modò scriptus habetur, ab Herma Pauli discipulo non esse conscriptum, cùm & hæresibus & fabulis sit oppletus. Eum S. Gelasius in Romano Concilio inter Apocrypha scripta abjicit. Item, & S. Prosper nullius autoritatis esse pronunciat.*

Bellarminus lib. de Script. Eccles. pag. 58. in 8. vel tom. 7. Oper. col. 23. docet, *multa esse in libro illo Hermetis noxia.*

Tannerus lib. 1. Disputat. in Thom. part. 1. Disput. 1. de Verbo Dei scripto & non scripto thesi 37 Stapletono ex parte suffragatur, sic scribens. *Non omninò improbabile est, quod quidam dicunt, posse Ecclesiam etiamnum librum aliquem de novo in Canonem recipere.*

Suffragatur etiam Pistorius, vel quicunque alius Autor libri de 1020. falsis contra D. Mentzerum falso 437. *Potest Ecclesia, quæ hodiè est, librum quendam recipere in Canonem.*

Contrarium rectiùs statuunt quidam ex Scholasticis & Pontificiis. Durandus 2. sent. dist. 20. quæst. 1. *Hoc autem, quod dictum est de approbatione Scripturæ per Ecclesiam, intelligitur solum de Ecclesia, quæ fuit tempore Apostolorum, qui fuerunt repleti Spiritu sancto: & nihilominùs viderunt miracula Christi & audierunt ejus doctrinam, & ob hoc fuerunt convenientes testes omnium, quæ Christus fecit aut docuit, ut per eorum testimonium Scriptura continens dicta & facta Christi approbaretur.*

Thomas Waldensis lib. 2 tom 1. Doctrinalis fidei cap. 20. *Ecclesia dicit, non posse jam augeri librorum numerum, quia lex Christi jam attigit ad perfectum. Ecce, non minor est potestas hominis in naturalibus, cum creverit ad perfectum hominem, quàm cum infans fuit, & cœpit crescere: tunc autem habebat, quò cresceret per pollices atque pedes usque ad debitæ quantitatis ascensum: cum autem factus est vir, non potest, sicut Dominus dixit, adjicere ad staturam cubitum unum, imo nec pollicem: Ita ergo lex Christi per totum decursum Veteris Testamenti infans erat, dicente Apostolo, quod nihil ad perfectum adduxit lex: temporis verò plenitudo fuit tempus Christi & Apostolorum. Usque tunc ergo, quia fides habebat, quò cresceret, posset per appositionem librorum staturam perfectæ proceritatis acquirere. Elapso autem Apostolico tempore non potuit crescere ampliùs, nisi quis dicat eam hactenus imperfectam.*

Nicolaus Serarius cap. 8. quæst. 21. Prolegom. Biblic. testatur, *de quæstione illa, an Christianorum Canon adhuc augeri possit, autores discrepare, aliis negantibus, aliis verò affirmantibus.*

Tannerus tom. 3. Theol. Scholast. Disput. 1. quæst. 5. dub. 1. num. 56. & 57. negat, *posse Ecclesiam librum Apocryphum reddere Canonicum.* (Quod congruit cum dicto Augustini lib. 11. contra Faustum cap. 5. *Distincta est à posteriorum libris excellentia Canonicæ autoritatis V. & N. Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus &c.*

Bonfrerius Jesuita Profess. Duacenus media ingreditur via, distinguens *inter libros Apocryphos positivè rejectos ab Ecclesia,* hos negat, modo recipi posse in Canonem ab Ecclesia; *& inter libros negativè rejectos, hoc est, qui non sunt probati, vel admissi, & de quibus judicium Ecclesia primitiva suspenderit,* illos adhuc hodie recipi posse in Canonem. Ita disserit Prolegom. Biblic. in 5. libros Mosis sect. 8. fol. 5. (sed ostendimus suo loco *rejicere ex Canone & non recipere in Canonem,* in hac quæstione esse paria.)

25. Melchior Canus lib. 3. Locorum Theol. cap. 3. fund. 4. *Ubi verò gentium est verbum, quod tantopere Lutherani jactare solent? Nam scriptum verbum, si verè & propriè loqui volumus, non est verbum. Apud nos autem, qui Christi & Apostolorum oracula, vocesque tuemur, verbum Domini verè & propriè manet in æternum. Verbum, inquam, vivum, quod ex Doctorum ore in discipulorum transfusum aures fortiùs resonat.*

(Quod verbum scriptum non sit verbum Dei, si verè & propriè loqui velimus, pugnat cum ipsius Spiritus sancti assertione toties repetita, quâ Scriptura sacra pro verbo Dei nobis commendatur, & cum totius Ecclesiæ Catholicæ confessione. Quid quod Bellarminus ipse disertè scribit lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. *Libris, qui Canonici nominantur, verbum Dei contineri.* Et cap. 1. præcedente. *Illud inprimis statuendum, Propheticos & Apostolicos libros juxta mentem Ecclesiæ Catholicæ & olim in Concilio Carthaginensi III. cap. 47. & nuper in Concilio Tridentino sess. 4. explicatam, verum esse verbum Dei:* cum quo congruit illud Gregorii de Valentia lib. 8. Analys. fidei cap. 5. *Cognitio illa sacris expressa literis, quam Deus Canonicis Scriptoribus indidit, quamque per illos voluit cæteris scripto patefieri, velut sonorum quoddam verbum DEI est, quo is videlicet conceptum æternæ mentis suæ notitiamque verissimam hominibus eloquitur ac manifestat.* Ubi etiam illud Balduini Junii lib. 12. Manualis Theolog. cap. 6. pag. 522. *Scriptura sacra est doctrina, quam Spiritu sancto inspirante atque dictante autores sacri literis mandaverunt. Itaque & Apostolus eam nominat doctrinam divinitus inspiratam, & idcirco etiam Dei verbum literis expressum dicitur.*

Jodoc. Lorich. in Thes. Theol. tit. Verbum Dei pag. 1925. *Quod & Scriptura sacra pro verbo Dei habeatur, Christus Dominus ipsemet declaravit.*)

26. Affine est huic Melchioris Cani assertioni illud Wilhelmi Lindani lib. 1. Panopl. cap. 23. *quod verbi Evangelici Natura à scripto abhorreat.* Sic enim caput illud exorditur, *Cæterum, ut quod ad præsentem de verbi Dei Evangelici Natura disputationem, curnam à Scripto literisque mortuis abhorrens, in Scripturas redacta sit, attinet, concludamus &c.*

27. Idem Costerus in Enchirid. Controv. cap. 1. de Script. *Christus nec Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit.*

Contra Andradius lib. 2. Defens. fid. Trident. fol. 100. edit. Ingolstad. *Nemo inficiatur, divinorum mysteriorum cognitionem ex divinis literis potissimum petendam esse, illasque inprimis esse consulendas, cum res quævis in disceptationem, quæstionemque vocatur: ita enim divina consilia & voluntatem continent, ut nulla earum dignitati & amplitudini oratio par & æqualis possit reperiri.*

Et postea fol. 102 *Nos, qui Dei illam* (Scripturam) *omnipotentis oracula, cœlestiaque consilia complecti credimus, qui inde velut ex salutari fonte vitæ præcepta, salutis consilia, veramque potissimum doctrinam haurimus, qui in ea dies noctesque insumimus, qui ex ipsa ad vitæ molestias levandas remedia petimus, qui rerum humanarum contemtum, cœlestium amorem, laborum solatium, ærumnarum levamentum, bonorumque omnium absolutionem ex eadem educimus, istis persuasionibus* (Chemnicii) *minimè indigemus.*

28. Multi ex Pontificiis statuunt, *Scripturam esse literam mutam & mortuam,* ut ostendimus superius membro 1. §. 5.

Contra Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 8. ex professo contra Suencfeldium demonstrat, *Paulum 2. Corint. 3. per literam occidentem non sacram Scripturam, sed per illam quidem legem Mosis citra gratiam spectatam, per Spiritum verò gratiam ipsam & N. Testamentum designare.*

Franciscus Agricola in lib. de Verbo Dei cap. 1. pag. 8. concludit, *per se & propriè nec Mosen, nec ullam Scripturam sacram literam occidentem vocari, nedum rejici, aut tanquam verbum Dei non sit, repudiari debere.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 34. §. 10. *Cum in veteribus Prophetis, tum etiam in novis revelationibus hodiè vocem Domini audimus, quia Scriptura semper loquitur.*

29. Eccius in Enchirid. Locor. commun. cap. de Eccles. probare conatur, *Ecclesiam habere potestatem super Scripturam,* inter cætera argumento eo, *quòd Ecclesia diem Sabbati mutaverit in diem Dominicam. Scriptura* (inquit) *docet, Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini tui est &c. tamen Ecclesia mutavit Sabbatum in Dominicum autoritate sua, super quo nullam habes Scripturam.*

Resp.

Resp. ex Alex. Alens. p.3. q.32. memb.2. præceptum de Sabbato proponi in lege duplici ratione, primò *ut rem*, deinde *ut signum. Ut res proponitur, quatenùs jubet certo tempore vacare Deo; ut signum, quatenùs præcisè diem septimum determinat & futurum aliquid olim designabat.* (Priori modo est præceptum morale seu Decalogi & adhuc durat. Nam etiam hodiè vacare Deo uno aliquo & certo die oportet. Posteriori fuit præceptum Ceremoniale & figurale. Ceremonialia autem eo fine & eâ ratione instituta sunt, ut durarent usque ad N. T. Quemadmodum ergo aliæ Ceremoniæ Leviticæ, ita quoque Sabbatum, quatenus fuit figura & signum, in N. T. est abrogatum, non autoritate Ecclesiæ, sed ipsius Dei institutione & Christi adventu. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 9. *Cum quæris, quare Sabbati otium non servet Christianus? &c.* respondeo *&c. quia, quod eâ figurâ prophetabatur, jam Christus implevit.* Sabbatum ipse Spiritus S. mutavit, qui docuit per Apostolos: *non esse nobis observandos dies aut tempora.*)

30. Costerus in Enchirid. Controv. cap. de Script. *Scriptura (in corde Ecclesiæ exarata) præstantia multis partibus superat Scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt, 1. quòd illa sit exarata digito Dei, hæc calamis Apostolorum &c.*

Resp. 1. ex Gregorio præfat. in Jobum cap. 1. *Quis hæc* (librum Jobi) *scripserit, valde supervacuè quæritur, cùm tamen autor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis Epistolis, verba legeremus, eaq; quo calamo fuissent scripta quæreremus, ridiculum profectò esset, si non Epistolarum autorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum autorem tenemus, cum scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur?* (Ergo non potest inter digitum Dei & calamum Apostolorum ita distingui, ut Scriptura verbo prædicato inferior esse propterea statuatur, quia non ipsius Dei digito, sed Apostolorum calamis exarata est.)

2. Ex Andradio lib. 2. Defens. fid. Trident. fol. 105. ubi contra Chemnicium, qui ad *commendationem Scripturæ cumprimis facere* scripserat, *quod Deus ipse legem suam digito suo lapideis tabulis insculpsisset*, sic declamat: *Sed esto, ita esse Chemnici, ut singuli fuerintque scribendi sacra oracula munus Dei ipsius manu initiatum, majusne ideò pondus & autoritatem illa habere existimabis? Ita nos ingenio hebetes, divinarumque rerum ignaros esse putas, ut pluris sacras literas faciamus, quia Dei sunt manu scriptæ, quàm quia ab eo mortalibus patefactæ atque mysteria ipsis inclusa, maximo illius in nos munere universo sunt orbi enunciata? Si tota illorum autoritas ex omnipotentis Dei fide & autoritate pendet, quem nihil nisi verum & firmum eloqui posse certò scimus, quid illis momenti ex scriptione accedere arbitraris? aut cur non pari pietate & observantia prosequemur, quæcunque à Deo enunciata esse cognoscimus, quamvis in Commentaria relacta nunquam fuissent?*

Et postea, *Cum ad sacrarum literarum pondus nihil pertineat, à rerum omnium procreatore, an à procreatis mentibus, ab Angelis, an ab hominibus Angelicis fuerint conscriptæ, sed tota illarum dignitas & excellentia ex enunciantis Dei fide & veritate extet, quacunque certè ratione Dei nobis mens, voluntas & consilia pateant, non minoris illa faciemus, quàm quæ magnis sunt olim cœli fulgoribus, tonitruis atque clamoribus promulgata, silicibusque infixa.*

3. Ex Salmerone tom. 1. Comment. in Hist. Evang. Proleg. 26. *Si tantùm dicendi sunt scribere, qui propria manu exarant literas, profectò neque Hieremias Prophetiæ suæ autor asserendus esset, cùm illam per Baruch Scribam suam conscripserit, neque Paulus Epistolæ ad Rom. scriptor esset dicendus &c. Tantoque magis dicendum est, Christum scripsisse per Evangeliorum Scriptores, ut per manus suas, quanto illi ne verbum unum, aut jota unum, ut solent plerumque amanuenses facere, de suo Spiritu Evangelio addiderunt, cùm exploratum sit, non nisi Spiritu sancto assistente scripsisse.*

4. Ex Gregorio de Valentia, qui lib. 8. de Anal. fid. Cathol. cap. 5. docet, *autores Canonicos ob eam rem propriè dici scribere Spiritu sancto dictante, quoniam in doctrina scripto tradenda, sic illorum opera Spiritus sanctus utatur, ut in eo quidem negotio non tam illi agant, quàm agantur à Spiritu sancto, planè instar calami, cum usurpatur à Scriptore, quo spectare dicit illud Davidis; Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis, nec alium ibi per Scribam, quàm Deum ipsum significari, quem & alibi David dicat emittere eloquium terræ, & velociter currere sermonem ejus.* (Ergo verbum prædicatum non potest propterea statui præstantius verbo scripto, quod illud Dei digito in corda hominum exaratur, hoc calamis sanctorum Dei hominum exaratum, cùm utrobique sit unum & idem Dei verbum, cumque sancti Dei homines in hoc scribendi officio fuerint ipsius Dei amanuenses & ipsorum manus Dei calami.)

31. Gordonus Huntlæus in Epitom. Controversiarum controvers. 2. cap. 14. num. 15. scribit, *apud se hæc omnia Synonyma esse, Ecclesiam, fidem Ecclesiæ, prædicationem Ecclesiæ, verbum Dei ab Ecclesia prædicatum, veritatem Dei ab Ecclesia propositam. Omniaque hæc, inquit, intelligimus nomine Ecclesiæ, cùm dicimus, Ecclesiam esse fundamentum fidei.* (At res ipsa testatur, hæc esse longè diversa.)

32. Jesuitæ in Reformatione Styriæ & Carinthiæ ante annos triginta suscepta *Germanica Lutheri Biblia* in publico foro exusserunt, referente D. Polyc. Lysero in præfat. Paraph. in Hist. Passionis Domin.

Idem in Bavaria & alibi, *in Germania* factum esse, ubi Jesuitæ simpliciter sacra Biblia tolli, per vim populo Dei eripi, & in foro publico comburi curarunt, testis est Hasenmüllerus in Hist. Jesuit. cap. 9. pag. 315.

In Gallia, Belgio & Anglia *Codices Biblicos* Vulcano aliquoties consecratos, piosque homines ob eorum, vel possessionem, vel venditionem, vel lectionem inquisitioni hæreticæ pravitatis subjectos, morti adjudicatos, & ferro flammisque consumtos, multis exemplis ostenditur in Compendio Martyrologii ex lingua Gallica in Germanicam translati, & Herbornæ in 8. Anno 613. editi. pag. 220. 225. 236. 433. 459. 568. 595. 649. 697. 722. 760 &c. (At hac ratione in ipsum Deum Scripturæ autorem & Dei amanuenses sunt injurii.)

33. Fridericus Staphylus in Apolog. de vero Scripturæ intellectu part. 1. pag. 132. Colon. Anno 1563. *Ecquid vero ipse sibi Dominus voluit, cùm ad discipulos diceret, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant & audientes non intelligant? Quid hac*, inquam, *oratione Dominus innuit? illud nimirum, particulare esse Dei donum, Scripturam sacram probè intelligere, idemque donum peculiariter præstitum esse Apostolis, eorumque discipulis & successoribus illorum officio functuris. Porrò vulgo hominum sufficere, ut quantum est saluti necessarium ex Doctoribus & Pastoribus, sive Parochis, per similitudines & proverbia Scripturæ divinæ explanationem percipiant.* (Intolerabilis hæc est verborum Christi depravatio, cùm constet ex Marco cap. 4. vers. 10. non solis Apostolis, sed etiam aliis, qui cum ipsis erant, hoc esse à Christo dictum.)

34. Johannes Wierus lib. 5. de præstigiis Dæmon. cap. 6. pag. 467. *de Ecclesiasticis quibusdam viris in Papatu* refert, *quod certa persuasione ducantur, contra quemcunque verba Psalmi 109. pronunciassent, illum protinus vel interiturum, vel, ut longissimè, annum supervivere non posse.* (Hic est horribilis Scripturæ sacræ abusus & profanatio.)

35. Collocutores Pontificii in Colloquio Wormaciensi Anno 1557. palam asseverarunt, *Scripturam esse materiam litis*, quam contumeliosam vocem defendit Vitus Miletus in Discussione 600. errorum loc. 1. in refutat. error. 5. pag. 25. sic scribens. *De hac ipsa Scriptura in Colloquio lis erat, deque illa illi ipsi vel imprimis maximè litigabant, & tamen materiam esse litis negant? Si materia litis non est, de ipsa quomodo litigabant? quomodo litigant? quomodo omnes litigant hæretici? an, ut suprà, non litigavit Arius? non litigavit Nestorius? non litigavit Pelagius? non litigavit Berengarius? Sicut ergo nasus est cereus, ita contentiosis & extra Ecclesiam constitutis Oleariis & Heshusiis materia litis est, quietis verò & in Ecclesiæ gremio conquiescentibus materia salutis.*

Theodorus Peltanus in Disput. de numero lib. Canonic. sect. 7. *Scripturæ, cùm plerisque in locis sint obscuræ, & in varios sensus trahi queant, litium & controversiarum materiam plurimum interdum augent.* (Atqui *accidentarius abusus à proprio & vero Scripturæ officio*, quod in finiendis litibus consistit, discriminandus omnino erat.)

36. Maldonatus in Comment. Johan. 21. v. 24. *Hic est discipulus ille &c. Miror vehementer doctos homines, & benè profectò Catholicos ætate nostra extitisse, qui, an hæc verba Evange-*

lista

listæ sint, in dubium revocaverint, videri enim ab aliquo postea, aut à tota Ecclesia ad commendandam hujus Evangelii autoritatem adjecta fuisse, quod nescio, an quisquam hæreticorum, qui modo Johannis receperint Evangelium, quamvis audaces, quamvis magni sint Aristarchi, ausus fuerit facere? Quis enim est veterum autorum, quibus verba, tanquam Evangelistæ non proferat &c. Oportebat homines Catholicos Concilium revereri Tridentinum, quod non solum totum opus, sed singulas etiam partes, tanquam Johannis approbat. (Sic ergo quidam benè Catholici genuinas quasdam Scripturæ partes in dubium vocant, nulla habita Concilii Tridentini decisione.)

37. Salmeron tom. 1. fol. 14. memorat, *multos doctos viros statuere, libros Regum ratione Chronologiæ esse corruptos*, quos hoc nomine carpit, & rectè.

38. Cajetanus dubitavit, *an caput* 16. *Marci sit Canonicum*, referente Coccio fol. 694. Thesauri. Illum hoc nomine refellunt Ambrosius Compsæ Episcopus, teste Sixto Senensi lib. 6. Annotat. 132. ac Maldonatus in cap. 16. Marci.

39. Idem Cajetanus, Historiam *de Angelo Christum confortante*, Lucæ 22. *Canonicam esse* dubitat, referente Coccio fol. 697. Thesauri. Illum hoc nomine refellit Ambrosius Compsæ Episcopus, teste Sixto Senensi lib. 6. annot. 159. ac Maldonatus in cap. 27. Matth. hanc Historiam explicat, ut Canonicam.

40. Idem Cajetanus, eumque secutus Erasmus *Historiam adulteræ* Johan. 8. *Apocrypham esse* statuunt, referente Coccio fol. 791. Thesauri. Sed Concilium Tridentinum probat totum illud caput 8. Joh. ac Maldonatus, Cornelius, Jansenius, Conzenius &c. in cap. 8. Johannis hanc Historiam esse genuinam Canonicæ Scripturæ partem, rectè agnoscunt.

41. Idem Cajetanus asserit, *Lucam unam generationem superfluam adjecisse cap.* 3. *v.* 36. Illum, ut intolerabile aliquid asserentem, hoc nomine redarguit Ambrosius Compsæ Episcopus, teste Sixto Senensi lib. 6. Bibl. annot. 143.

42. Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 2. inter errores refert illud Lutheri in enarrat. cap. 46. Genes. *Septuaginta Interpp. transtulerunt, Septuaginta quinque animæ; & Stephanus allegat ex illis eundem numerum Actor. 7. Sed is manifestus error, sive malitia est, quod pro duabus animabus, quæ natæ sunt Joseph in Ægypto, ausi sunt ponere novem. Sunt alii loci, in quibus aut inscitia, aut improbitate hallucinati sunt, ideoque autoritas eorum apud me parum valet.* Itemque illud Sebastiani Münsteri in Bibl. Hebraic. *Septuaginta Interpretum editio, quæ tempore Hieronymi ubique locorum receptissima erat apud Græcos & Latinos, nedum perperam in quibusdam locis versa fuit, verum & per scriptores & per sciolos plurimum corrupta; ut interim taceam, illos non admodum peritos fuisse linguæ Hebrææ, id quod vel inviti cogimur fateri, alioquin non in tam plurimis locis tam fœdè lapsi fuissent.* Sed Luthero & Münstero suffragatur Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. sic scribens: *Licet non ignorem, nonnullos in ea sententia esse, ut existiment, interpretationem LXX. Seniorum penitus interiisse, multo probabilius censeo, illam adhuc superesse, sed adeò corruptam & vitiatam, ut omninò alia esse videatur. Probatur hoc 1. testimonio Hieronymi, qui præfat. in Paralip. & in Esdram & alibi frequenter monet, versionem LXX. esse vitiatam multis & variis modis. 2. Quoniam LXX. Interpp. dicuntur omnia transtulisse ad verbum, ita propriè, ut quicunque sciret utramque linguam, statim judicaret fidelissimam esse translationem, teste Philone lib. 4. de vita Mosis & Aristæo. At ista Græca versio, quam nunc habemus, in pluribus locis dissentit ab Hebræo, multa non habet, quæ sunt in Hebræo, multa habet, quæ non sunt in Hebræo, ut omnes noverunt, qui in ea versati sunt. 3. Probatur ex multis sententiis, quæ in hac versione inveniuntur, quæ nullo modo cum veritate cohærent, quale est illud de supputatione annorum Mathusalem Genes. 5. &c. Tale quoque illud est Jonæ 3. ubi LXX. habent, Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur, cum Hebraici & nostri Codices habeant, Adhuc quadraginta dies &c. 4. Quia satis constat, editionem LXX. Interpp. à Judæis multis in locis fuisse corruptam, ut Justinus affirmat in Dialogo cum Tryphone.* Confer dicta superius in hoc ipso articulo cap. 2. thesi 4.

43. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 7. & 15. Baronius tom. 1. Annal. annot. 45. secuti Adrianum Finum lib. 6. flagelli contra Judæos cap. 80. & Petrum Antonium Beuterum annot. 9. ad Scripturam statuunt, *Marcum Evangelicam suam Historiam Latinè scripsisse.*

Gretserus in Apolog. p. 497. *primogenium exemplar Venetiis inter κειμήλια Sancti Marci adservari asserit.*

Contrà 1. Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. *Rogatus Romæ à fratribus juxta id, quod Petrum referentem audierat, breve Græco sermone scripsit Evangelium: ita in omnibus conveniens cum his, quæ paulo antè scripserat Matthæus, ut ejus videretur esse pedissequus & abbreviator.*

2. Stapletonus in Relect. principiorum controv. 5. quæst. 3. art. 4. *Apostoli omnes non nisi Græcè scripserunt.*

3. Benedictus Justinianus in 10. cap. prioris ad Corinthios, *Marcellum Latina vox est, quam retinuit Apostolus Græcâ tantum inflexione adhibita, quales multæ in Novo Testamento leguntur, ἀσσάριος, δηνάριος, κεντυρίων, κῆνσος, κουστωδία, λεγεών, λέντιον, λιβερτῖνος, μίλιον, μάκελλον, μεμβράνα, μόδιος, ξέστης, σικάριος, σουδάριον, σπεκουλάτωρ, ταβέρνα, φόρον, τίτλος, φραγέλλιον, φραγελλόω, ut hinc appareat, quàm penitus nullo argumento nitantur ii, qui idcirco putant, Marcum Latinè Evangelium scripsisse, quia voces Latinæ in illo plerunque leguntur, isto enim modo Latinè scripserint Matthæus, Marcus, Johannes, Paulus.*

4. Laurentius Valla initio Annotat. in Marcum. *Admoneor, ut eos improbem, qui putant, Marcum Latinè scripsisse.*

5. Cajetanus ad initium ejus Evangelii, *scripsisse quidem in Italia Marcum, sed tamen Græcè*, asserit. (Quanquam ne illud quidem, scripsisse in Italia, certum. Nam Isidorus Hispalensis in Chronico in contraria sententia fuit. *Marcus Evangelista, inquit, Alexandriæ Christum prædicans Evangelium scripsit.*)

6. Johannes Stephanus Menochius Jesuita in præfat. Annotat. in Biblia cap. 9. *Evangelium Marci creditur ab eo Romæ Latinè conscriptum, quod tamen certissimum non est, cum Romani Græca linguæ studiosi essent, ut nunc plerique Latinæ. Addunt non pauci, ab eodem ipso Marco in Latinum idioma conversum.*

44. Bellarminus in Defensione Latinæ versionis Genes. 3. occupatus lib. 2. de Verbo Dei cap. 12. in respons. ad 1. scribit, *se vidisse unum Codicem Hebræum, in quo lectum fuerit* היא *ipsa, non* הוא *in masculino.* Sed non indicat, an hic Codex fuerit Manuscriptus, an potius typis excusus. Item, quo exscriptore, vel quâ ætate sit manuscriptus, aut apud quos editus. Procul dubio digitum intendit ad volumen Antuerpiæ editum ad apparatum Bibliorum Regiorum, ubi textus est cum interlineari versione omninò ita expressus, ut Bellarminus observavit. Et quidem Franciscus Lucas *non errore factum* significat, *non autoritate veterum Codicum emendatum, sed de industria à Guidone Fabricio Boderiano ex autoritate Pici Mirandulani immutatum.* Quanquam fuerat etiam prius ita peccatum in Bibliis Venetis, curatore Felice Pratensi.

Ibid. Bellarminus Chrysostomum accenset illis, qui legerunt *ipsa*. Sed Pamelius ad lib. 2. Cypriani contra Judæos sic annotavit: *Chrysostomus quidem juxta priorem Interpretem legit ipsa, sed Græcum illius contextum aliud legere annotavit Dominus Philippus Montanus, & præsertim in Commentario, ubi quodam in loco Græcè ἐκεῖνος legitur.*

45. Alphonsus de Castro lib. 4. adversus hæreses verbo Concilium. *Lutherus & sui complices dicunt, penes Scripturas esse judicium omne ad contentiones de fide submovendas, quoniam Christus dixit, Scrutamini Scripturas, quoniam illæ testimonium perhibent de me. Quibus objicimus, quòd ex illa autoritate solum habetur, Scripturas locum habere testium & non locum judicis. Non enim dixit, Scrutamini Scripturas, quoniam illæ judicium ferunt de me, sed dixit, Scrutamini Scripturas, quoniam illæ testimonium ferunt de me. At testium officium non est ferre sententiam, sed solum testimonium dicere.*

Resp. 1. Scripturæ non solum tribuitur *testimonium*, sed etiam *judicium*, Joh. 12. v. 48. Hebr. 4. v. 12. &c.

2. Scriptura est testis *divinâ autoritate* præditus, ideo etiam partes judicis obtinet.

3. Non negamus, Ecclesiam debere & posse judicare, sed ad Scripturam, tanquam unicam & infallibilem judicii normam astrictam esse dicimus, cum vox supremi judicis Spiritus sancti unicè in Scripturis sonet.

46. In Colloquio Ratisbon. Jesuitæ pag. 57. *Christus Matth. 16. monens, cavendum à fermento Pharisæorum, hoc voluit, ut caverentur quoad mores, non quoad doctrinam.* Atqui verba sunt diserta Matth. 16. v. 12. *Tunc intellexerunt, quia non dixerit, cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducæorum.*

Abulensis in cap. 16. Matth. quæst. 23. *Quæritur, quomodo doctrina*

doctrina Pharisæorum vocatur hic fermentum? Doctrina mala vocatur fermentum, quia valdè corrumpit. Nam sicut fermentum existens parvum in quantitate alterat totam massam & corrumpit eam, si superabundanter ponatur, ita & parva hæresis inficit totam sanam doctrinam.

47. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. necessitatem Scripturæ oppugnat, traditionum verò necessitatem stabilire conatur, idque tandem evincere, *Ecclesiam sine Scriptura posse sat consistere, sine traditionibus ἀγράφοις nequaquam.*

Spondanus in resp. ad Tractatum de Ecclesia Theodori Bezæ scribit, *caruisse olim Scripturis Ecclesiam, & iisdem etiamnum carere posse.*

Resp. Possevinus lib. 2. Biblioth. select. cap. 31. agnoscit, *per divinas literas necessario proposita fuisse supernaturalia*, qui etiam *necessitatem Scripturæ* ex eo commendat, *quod nullâ ratione poterat aptius & integrius humanis erroribus consuli.* (Verbum Dei simpliciter fuit & est Ecclesiæ, qua tali, necessarium; verbum illud in literas redigi, non fuit necessarium *simpliciter*, sed *ex hypothesi*, propter vitæ humanæ brevitatem, propter hominum numerositatem, propter custodiæ à traditione expectandæ infidelitatem, propter memoriæ humanæ imbecillitatem, propter cœlestis doctrinæ stabilitatem, ob reprimendam hæreticorum pravitatem &c.)

Chrysostomus homil. 1. in Matth. in princ. postquam egisset de gratia illa speciali, quâ Deus Abrahamum, Isaacum, Jobum, Mosen & ante omnes Noahum & sub V. Testamento alios Patriarchas & Prophetas; sub Novo Apostolos illuminavit, cum vice librorum hac Spiritus sancti gratia uterentur, addit: *Postquam omnis populus Judæorum in vitiorum ima delapsus est, necessariò jam inde literas datas esse & tabulas, & eam, quæ per has administratur, admonitionem.*

Et postea. *Jam ergo considera, quàm sit extremæ omninò dementiæ, si postea quam illam perdidimus dignitatem primam, atque eò redacti sumus, ut scriptis indigeamus, ne secundo quidem remedio ad nostram utimur salutem? Si enim literis egere, & non gratia Spiritus sancti splendere, culpabile est, vide, quanti sit criminis, nec per illud auxilium velle proficere, sed quasi frustrà ac variè disposita scripta cœlestia despicere!*

48. Albertus Pighius lib. 1. Hierarch cap. 4. fol. 13. *Non ideo sunt hæretici Novatianus, Sabellius, Donatus, Arius, Eunomius &c. non, inquam, hi universi sunt hæretici, quia Scripturis non credunt, sed quia non credunt Ecclesiæ.* (Quasi verò Ecclesia vera aliunde argueret aut doceret, quàm ex Scripturis! Quasi fides nostra resolveretur in Ecclesiam & non potius in Scripturam!)

49. Johannes Quinquarboreus, cum iterum curaret editionem *Evangelii Hebraici* à Johanne Tilio primum editi Parisiis Anno 1551. apud Martinum Juvenem, scripsit, *ambigere neminem posse, hoc ipsum esse Evangelium, quod Matthæus Hebraicè scripsit.*

Baronius Annot. 34. n. 165. *Dico, quod Græcus textus* (Matthæi) *cujus fidei sit, nisi collato cum Hebræo originali, affirmare non possumus.*

At hanc opinionem eruditè antea refutaverat Mercerus Profess. Paris. in præfat. ad versionem suam, qui in ea editione *nonnihil Rabinismi* interdum adjunctum reperiebat.

2. Bailius in Catech. Controv. tract. 1. quæst. 14. *Verus Matthæi textus Hebræus non extat. Is quem edidit Münsterus & alter, quem Johannes Tilius excudi curavit, supposititi censentur & Judæorum officinam redolent.*

3. Cajetanus graviter monet, *Evangelium Matthæi non fuisse scriptum Hebraicè*, argumento non inepto, *ab interpretatione vocum Hebraicarum*, ut cap. 1. *Emanuel, quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus*; cap. 27. *Eli, Eli lamma sabachthani: hoc est, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti! Non poterat enim Hebraica editio sic interpretari; nec debuit ullus Interpres, ut patet exemplo aliarum vocum.*

4. Erasmus in cap. 8. Matth. p. 34. *Non mihi fit verisimile, Matthæum Hebraicè scripsisse, cum nemo testetur, se vidisse ullum illius Hebraici voluminis vestigium. Siquidem illud, quod Nazaræorum vocant, nec Hebraicè scriptum Hieronymus testatur, sed Chaldaicè formulis duntaxat Hebraicis, inter Apocrypha censetur. Deinde stylus Matthæi cum stylo Marci plane consentit, haud admodum dissentiens à dictione Johannis.*

50. Bailius in Catech. Controv. tr. 2. q. 57. probaturus, *licitum esse, certo precum numero Mariam Virginem salutare*, inter cætera hic scribit. *Ut appareat, magna arcana in numeris latere, Eliseus Propheta Regi Joas dixit. Si quinquies, sexies, vel septies terram percussisses, totam superâsses Assyriam.*

Contra Jesuita Lorinus in cap 9. Actor. v. 33. in margine scribit. *in numeris non esse suspicienda, nescio quæ, mysteria.* Respondet Bedæ ac Autori Glossæ ordinariæ, qui mysteria in eo quærunt, *quod Æneas paralyticus octennium in grabato suo hæserit. Veneror*, ait, ibidem in Comment. *ut debeo, sanctos Patres, sed subtiliores numerorum perscrutationes (ut verum fatear) nunquam valdè probavi, cum intelligerem, eosdem numeros non in deteriorem minus, quàm in meliorem partem ab iisdem autoribus subinde accipi & speciatim octonarium, de quo Petrus Bongus nihil nisi benè ominosum affert, cum secus illi, quos citavimus, faciant.*

51. De *Joachimo Abbate* Florensi, & *Petro Johannis* memorat Alphonsus de Castro lib. advers. hæreses, in Verb. Apostoli, ab initio, *quod docuerint, Paulum non prædicâsse Evangelium secundum spiritualem intelligentiam, sed tantum secundum literam, se verò illustratos esse spirituali literæ expositione.* (Illum tamen Joachimum multi ex Pontificiis magnoperè dilaudant, ut vidimus superius in procœmio.)

52. Salmero Disp. 5. in 1. Cor. 3. fol. 37. & tom. 1. Prolegom. 30. §. Ad hæc &c. dictum illud Eliphazi, quod ex cap. 5. Jobi v. 13. Paulus 1. Corinth. 3. v. 19 allegat, *Comprehendam sapientes in astutia eorum*, vocat *hominis insipientis sapiens aliquod dictum.*

Guilielmus Estius ad 1. Corinth. 3. v. 19. sic annotat. *Sunt quidem hæc verba, quæ Paulus citat, non ipsius Job, sed Eliphaz amici ejus, & proinde non habentia Scripturæ divinæ autoritatem. Rectè tamen ab Apostolo pro testimonio adducuntur, ut Sapientis cujusdam, cui meritò credendum sit disserenti contra sapientiam hujus.* Et in margine addit. *Testimonium à Paulo citatum non est Scriptura sacra.*

Justinianus ibid. *Testimonio Eliphaz usus est Apostolus, non quia divinam habeat autoritatem, sed tanquam verè ac sapienter dictum probavit, ut alias Poëtarum sententias proferre solet.*

Cornelius à Lapide ad eundem loc. annotat, *Eliphas falsò disputare contra Job, ac proinde hæc verba non habere autoritatem Scripturæ sacræ, sed viri sapientis, uti in Job. 4. cap. dixerit, Paulum verò probare hanc sententiam, quia in se vera est & sapienter à Sapiente illo dicta.*

Contra verò Balth. Hagerus Jes. Herbipolensis in Colloq. Aug. Conf. & Conc. Trident. cum verbo Dei art. 21. testimonium Eliphazi Job 5. v. 13. esse θεόπνευστον, probat ex eo, quod Paulus ex eodem cap. 1. Cor. 3. v. 19. testimonium aliquod citet.

53. Cochlæus lib. 2. de autor. Ecclesiæ, & Stapletonus apud Witakerum de Script. p. 288. urgent, *Scripturam verè ab Ecclesia pendere, cum & hujus sit nova dogmata recipere, ut processionem Spiritus sancti, creationem animarum immediatam, hæreticorum Baptismum non esse iterandum, hæc omnia jam referri inter fidei articulos.*

Resp. 1. Gregor. de Valent. tom. 3. col. 122. d. 123. a. b. & seqq. confirmat, *Ecclesiam ex Scriptura recipere fidei articulos, inde ab Apostolis propositos eosque propagare.* (Non ergo recipit nova dogmata, sed vetera illa in Scripturis Apostolorum fundata.)

2. Ibid. confirmat Gregor. de Valent. *Doctrinam Christi & Apostolorum esse sufficientem.* (At si novos oporteret addi & ab Ecclesia recipi articulos, doctrina Christi & Apostolorum non esset sufficiens.)

3. Melchior Canus lib 2. Locor. cap. 7. lib. 4. c. 4. Alphons. à Castro lib. 1. contra hæres. c. 8. Thomas Waldensis lib. 2. doctrinal. fidei cap. 22. & Gregorius de Valent. hos citans tom. 3. c. 122. b. negant, *Ecclesiam posse novum articulum proponere.*

54. Gretserus in Defens. Bellarm. lib. 4. de V. D. cap. 12. tom. 1. pag. 1842. a. *Quæso te, putasne plures hæreses & sectas exorituras fuisse, si nulla penitus Scriptura extitisset, quàm nunc cum Scriptura mortalibus è cœlo data est? Ego certe propior sum existimanti, pauciores fuisse futuras.* (Hac ratione culpa hæresium redundabit in ipsum Deum Scripturæ auctorem, qui per Scripturam occurrere voluit hæresibus.)

55. Abrah. Bzovius Annal. ann. 1200. n. 20. de Hugone Lincolniensi Episcopo. *Aquâ benedictâ & Evangelii Johannis lectione Satanam à quodam energumeno fugavit.*

Ann. 1285. n. 17. *Per id temporis fuit in Academia Oxoniensi unus ex Scholasticis, qui cum semel sanus lætusq; cubitum iret, ad mediam noctem cæpit magnum tumultum ciere. Accurrentes socii, qui in eodem Solario cubabant, reperiunt hominem præ tetra ægritudine quasi in Æthiopem transformatũ, & tam mutum ac piscem, quorũ*

animis mirum in modum consternatis, quin, inquit, unus ex sociis, ad preces confugimus, principiumque Evangelii Johannis recitamus? Quod cum ille facere occepisset, & alii eadem post, cum sacra Evangelii verba repeterent, ecce Dæmon, qui hominem occupabat, eum dimisit &c. ex MS. Vatic. (Atqui superstitiosum est, lectioni Evangelii Johan. hunc effectum tribuere.)

56. Gordonus Huntlæus Controv. 2. n. 5. p. 190. statuit, *S. Lucam ex discipulorum solum relatione scripsisse.*

Contra Didacus Stella in Luc. fol. 3. *Lucas beatissimus, quamvis audierit à Virgine Deipara & Apostolis: nihilominus Spiritu S. dictante & movente scripsit quod quidem ipse sub silentio præteriit, ut superbiam & jactantiam vitaret.*

Adam. Conzen. tom. 2. in Luc. f. 6. *Certum est, primariam causam Evangelii scribendi, non fuisse hortationem Pauli, sed cœlestem revelationem & imperium.*

57. Gregor. de Valent. in Anal. p. 388. statuit, *posse doctrinam cœlestem purius conservari, per traditionem, quàm per Scripturam.*

Resp. Contrarium statuunt quidam ex ipsis Pontificiis. 1. Gretserus lib. 4. Defens. Bellar. c. 4. *respectu nostri commodius & utilius per Scripturam cœlestem doctrinam à corruptione, oblivione & interitu conservari* dicit, *quàm absque Scriptura, quia magnum memoriæ & utile subsidium sit Scriptura.*

2. Severinus Lobomilius Roxolanus in Monotessaro Evangelico Cracoviæ edito p. 83. *Deus voluit cœlestem doctrinam Scripto commendari propter fidei firmitatem, ut sc. melius Scripturæ fides adhiberetur, quàm traditioni, siquidem magis creditur, aliquid præsens esse prædictum ac proinde esse à Deo, si liber id prædicans etiam ab hostibus proferatur, quàm si verbo tantum ac vivâ traditione dicatur fuisse prædictum &c.* (referente Andrea Riveto Isagoges cap. 4. §. 15.)

3 Antonius Possevinus lib. 2. Biblioth. cap. 31. *Scripturæ necessitatem, ait, istud commendare, quod nulla ratione poterat aptius & integrius humanis erroribus consuli.*

58. Johannes Testefort Dominicanus Parisiis Ann. 1626. tertio Decembris die hancce ad disputandum proposuit thesin. *Dices meritò sacram Scripturam esse eam, quæ continetur partim in Bibliis sacris, partim in Epistolis Decretalibus Pontificum maximorum, quatenus explicant Scripturam sacram.* Sed hæc thesis publico Universitatis Decreto meritò fuit improbata.

59. Innocentius III. Decretal. Gregor. lib. 4. tit. 17. Qui filii sunt legitimi. cap. 13. Per venerabilem &c. *Sanè cum Deuteronomium Lex secunda interpretatur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in N. Testamento debeat observari. Locus enim, quem elegit Deus, Apostolica Sedes esse cognoscitur.* (At hac ratione tota lex Mosaica, tam Ceremonialis, quàm forensis in N. Testamento adhuc esset observanda, quia Deuteronomium est summa legis Mosaicæ & priorum librorum. Exodi sc. Levitici & Numerorum ἀνακεφαλαίωσις.)

60. Guilielmus Raynerius in præfat. Apol. Protest. pro Rom. Ecclesia, negat, *ad religionis dogmata dijudicanda, percipienda, vel tradenda Græcas literas, tanquam necessarias requiri, adeò ut rarò Grammaticastri istiusmodi boni Theologi evadant.* (At cum originalis & authenticus N. Testamenti textus sit Græca literatura exaratus, utique Græcæ linguæ cognitio ad dogmata religionis dijudicanda & utilis est & necessaria.)

61. Duræus adversus Witakerum pag. 45. *Ad Cardinalem Cusanum quod attinet, rectè sanè ab eo scriptum est, alio atque alio modo Scripturas pro temporis ratione accipi posse & exponi.*

Autor Apologiæ pro dispensatione Papæ super matrimonio Henrici VIII. fol. 34. *Et forsitan aliquoties expediens fuerit, neque Deo ingratum, ad piè subditorum animos fallendos, in quibusdam causis Scripturas nonnihil à genuino sensu detorquere.* (Sed hos Scripturæ Interpretes meritò taxat Leonhardus Marius Theologus Coloniensis, cujus hæc sunt verba, Proleg. in sacram Scripturam q. 8 sect. 3. *Hodie eò ferè delapsi sumus, ut quod Patres illi raro fecerunt & reverenter, id nunc & frequentissime & pene ridicule fiat, non sine gravissima verbi divini violatione, dum potius ad populi lascivum pruritum ex talibus accommodationibus admiratio populi & laus ipsius Concionatoris quæritur, quàm instructio populi & Dei laus.* Additque graviter, *eam esse inutilem & pampinosam verborum garrulitatem, quæ cum abundantissime luxuriavit, nihil fructus affert.*)

62. Joh. Gagnæus in notis ad 2. Pet. 1. v. 15. *Non puto unquam reperiri ἔχειν pro posse, alteri infinitivo junctum. Fortassis Petrus, cum præmisisset ἔχειν ob longum hyperbaton, jam non memor prædicti verbi, adjecit verbum ποιεῖσθαι, sufficere enim potest alterutrum. Dabo operam, ut post exitum meum horum memoriam habeatis, vel faciatis.* Similia occurrunt apud Salmeronem in h. l.

(Hæc Gagnæi futilis conjectura in ipsum Spiritum sanctum, utpote principalem Scripturæ autorem, est injuria, ac parum distat à blasphemia. Quod si enim Petrus dictante Spiritu S. hanc Epistolam scripsit, certè si immemor prædicti verbi ἔχειν, adjecit rursum ποιεῖσθαι, utique ipse Spiritus S. oscitantiæ & oblivionis accusatur. Inde Lorinus in Comm. illius loci rectè scribit, *se nullo modo illud de oblivione Petri velle dicere.*)

Coronidis loco observari possunt quædam exempla supinæ negligentiæ in citandis & applicandis Scripturæ dictis in Adversariorum scriptis occurrentia.

1. In concione quadam de Invocatione Sanct. Salisburgi sub nomine einer Hochfürstl. Person Ann. 1593. edita, fol. 20. hæc habentur: Ich sage dir mit dem H. Paulo zu den Römern am funffzehenden: *Non prius, quod spirituale est, sed quod animale est, deinde quod spirituale.*

Item fol. 23. b Ja der ersten Petri am achten. *Omnes invicem humilitatem insinuate.*

Fol. 17. b. zu den Römern am achten: *Scimus, quia idolum nihil est in mundo.*

2. Antonius Sanctarellus Jesuita die 1. Aprilis Ann. 1626. publico Sorbonæ Decreto damnatus est, quod verbis Apostoli 2. Cor. 10. v. 8. *Dedit nobis Deus potestatem ad ædificationem & non ad destructionem*, negativam detraxerit, ut legeretur, *& ad destructionem*, apud Marcum Antonium de Venetis in tract. de potest. Papæ pag. 109.

3. Alphonsus de Castro lib. 8. adversus hæreses, in verbo Jejunium. *Tres pueri intra fornacem mittuntur, jejuni tamen ingredientes, illæsi egressi sunt. Daniel, cum per tres hebdomadas jejunasset, leones, in quorum lacum missus est, jejunare fecit.* At de jejunio nihil habetur Dan. 3 & 6.

4. Idem ibid. *Helias jejunus erat, & ad ejus orationem tribus annis & sex mensibus ros pluviæ non cecidit super terram. Jejunus iterum orat & pluvias à Deo impetrat.* At in Historia 1. Reg. 17. & 19. nulla fit jejunii mentio.

5. Thomas Bozius lib. 10. de Signis Ecclesiæ cap. 11. observat, *Levitis à Deo assignatum, ut si quis fundum, vel aliam rem Deo donasset, id totum nec posset, nisi à Levitis sanctum diceretur, nec ab ullo amplius converteretur in alios usus, aut à prophanis amplius possideretur.* Citatque Levitici caput 27. Sed toto illo capite variarum rerum ex voto Deo dicatarum genera Moses enumerat, sic tamen, ut nullum penes Levitas remanere velit, fundos etiam æstimari ex proportione annorum inde ad jubilæum usque, & sic æstimatos vendi, anno autem jubilæi redire ad suum dominium.

6. Salmeron tom. 6. tract. 15. eum, qui tactu ossium Elisæi in vitam revocatus est, putat fuisse illum Prophetam, qui jussit se eo loci sepeliri. *Objiciunt, inquit, hæretici: Quorsum ista mortuorum ossa & cineres? quibus respondendum est. Quorsum Helisæi Prophetæ cadavere tacto ab alio corpore Prophetæ, qui jussit se juxta illud sepeliri, ad vitam revocatum est?* Sed confundit ἀπαυτῶς duas diversas Historias, 1. Reg. 13. v. 32. & 2. Reg. 13. v. 32.

7. Legatus Regis Hispan. in Orat. ad Pontificem habita pro impetranda Decisione Controversiæ de immaculata B. Virginis conceptione inter cætera sic loquitur pag. 89. *Ad te confugio & supplex tua Numina posco. Aperi tu manum tuam, qui imples omne animal benedictione. Unam & tantam benedictionem tribuas nobis.*

8. Bellarminus lib. de Clericis cap. 19. ex 1. Paral. 24. v. 10. & Luc. 1. v. 5. colligit. *Sacerdotes V. Testamenti per vices suas ministrare solitos, & toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, à domo & uxore abfuisse.* Sed id nuspiam extat in Scripturis.

9. Idem lib. ejusd. cap. 7. docet, *Jus eligendi summum Pontificem, cæterosque Ecclesiæ Pastores & Ministros non convenire populo jure divino, exemplo Aaronis, qui à solo Mose electus est in Pontificem.* At hoc falsum. Electus fuit Aaron à Deo, non à Mose.

10. Costerus part. 2. Concion. pag. 70. in explicatione argumenti, Quare Angelus Apoc. 19. v. 9. & cap. 22. v. 8. à Johanne adorari noluerit, confundit Johannem Evangelistam cum Johanne Baptista. *Angelus, inquit, à Johanne Baptista non sustinuit adorari, suspiciens in eo culmen Apostolicum & Angelicam puritatem.*

11. Idem in Enchirid. cap. 14. probat. *Sanctis post hanc vitam absentia revelari contemplatione divinæ essentiæ, in qua velut in*

in speculo res omnes & ab iis videntur, & sunt longe perfectius, quam in semetipsis existunt, ex c. 1. Joh. *Quod factum est, in ipso vita erat.*

12. Idem d. l. cap. 17. *cœlibatum Sacerdotum* probat ex 1. Cor. 7. v. 5. ubi Apostolus vult, *conjuges ad tempus à congressu abstinere, ut vacent orationi.* Sed locum adducit truncatè, nam Paulus conjungit *jejunium*, ex quo patet, *de solennibus precibus* sermonem esse.

13. Pazmannus lib. 3. Hodegi probaturus, *Deum hæreticos suo jugulare gladio*, hoc est, proprio condemnere judicio, adduxit exemplum Judithæ, quæ *Holofernem proprio interemerit gladio.* Sed pro Juditha nominat *Susannam.*

14. Lorinus in Comm. 1. Petr. 3. v. 22. *ad Christum* applicat, quod Job. 40. v. 14. de Behemoth dicitur: *Ipse est principium viarum Domini.*

15. Thomas Hardingus in Confutat. Apol. Anglican. part. 2. cap. 3. adducturus dictum Propheticum ex Hos. 1. v. 10. *Erit numerus filiorum Israël quasi arena maris &c.* nominat *Ducem Josuam.* Neve erratum putes à Typographo per incuriam in marginem libri illatum, in ipso verborum suorum ordine, latè id omnium oculis subjecit: *Hac de re*, inquit, *sanctus Dux Josua loqui videtur.*

Plura hujus generis adduximus lib. 1. part. 2. cap. 4.

ARTICULUS II.

DE CHRISTO.

CAPUT I.

De Communicatione Divinorum idiomatum Christo secundum humanam Naturam facta.

SECTIO PRIOR.

De communicatione divinorum idiomatum in genere.

Thesis. Christo secundùm humanam Naturam vi unionis personalis & exaltationis ad Dei dextram dona verè divina & infinita, itemque majestas & gloria verè divina & infinita, verè ac realiter sunt communicata.

Ἔκθεσις. 1. Non statuimus essentialem quandam divinorum idiomatum in humanam Christi Naturam *transfusionem*, nec humanæ Naturæ in divinam *communutationem*, nec Naturarum *exæquationem*, sed *personalem communicationem.*

2. Qualis enim est duarum in Christo Naturarum *unio*, talis quoque est divinorum idiomatum Christo juxta humanam Naturam facta *communicatio*, ex illa enim hæc resultat. Atqui unio non est tantum *verbalis*, nec *essentialis*, nec *accidentalis*, nec *physica & naturalis*, sed *hypostatica & personalis.* Ergo etiam communicatio non est tantum *verbalis*, nec *essentialis*, nec *accidentalis*, nec *physica & naturalis*, sed *hypostatica & personalis.*

3. Non dicimus, Christum à primo statim incarnationis momento dona illa divina & infinita verè & realiter juxta humanam Naturam sibi communicata, juxta eandem pleno gradu statim usurpasse, sed statuimus, ipsum plenario eorundem usu in statu exinanitionis sese *evacuasse*, Philip. 2. v. 7. Distinguimus igitur inter *donorum communicationem*, & *plenariam communicatorum istorum donorum usurpationem.* Illa facta est in primo incarnationis momento, hæc verò secuta demum est in gloriosa Christi exaltatione.

4. Gloria Christi dupliciter nominatur, Primò *absolutè* pro ea, quâ in seipso est glorificatus: Secundò *relatè* pro ea, qua *quoad nos* glorificatur. Dicimus ergo, Christum non solum posteriore, sed etiam priore modo secundum humanam Naturam esse glorificatum.

Antithesis. Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 9. *Ex unione hypostatica consecuta sunt in Christi humanitate multa dona creata & infusa, sed ea non sunt attributa divinitatis.*

Jesuitæ Ingolstadienses in Thesibus de persona Christi Witeb. à Crypto-Calvinianis cum commendatione Rectoris recusis th. 34. *Idiomata divina neq; voce, neque reipsa humanæ Naturæ adscribi possunt.*

Busæus Disput. de pers. Christi Anno 1583. thes. 14. *Catholici docent, nec re, nec nomine in persona Christi aut communicatas esse, aut communicari potuisse Naturas, earumq; proprietates.*

Ibid. thes. 29. *Principio ostendemus, Naturam divinam humanitati Christi realiter communicari non potuisse &c. deinde nec majestatem omnem filii Dei, quæ proprietatum divinarum complexu continetur, beneficio unionis hypostaticæ eidem humanitati realiter communicatam esse.* Similia occurrunt apud Gregorium de Valentia in Defens. Disput. contra fundament. Ubiquit. pag. 54. Gretser. in destruct. Labyrinth. Hunn. pag. 57.

Laurentius Forerus in Bello Ubiquet. p. 2[illegible]5. Christum sic alloquitur: *Lutherani docent, duas Naturas in te ita unitas esse, ut divinitatis proprietates realiter communicatæ sint humanitati, & vicissim: hinc dari realem communicationem idiomatum inter utramque tuam Naturam: quæ doctrina fidem Christianam innumeris absurdis contaminat, & hostibus tuis extremè contemtibilem reddit.*

Ad nostræ sententiæ confirmationem duo sunt demonstranda, 1. Quòd non solum *dona quædam creata & finita*, sed etiam *verè divina & infinita* Christo sint communicata.

2. Quòd ea *secundum humanam Naturam* Christo sint communicata.

Prius demonstramus, 1. *ex ὑποστάσεως communicatione.* Si ὁ Λόγος seipsum totum ac suam personam & Naturam assumtæ carni communicavit, utique non tantùm finita quædam dona, sed verè infinita ἀυχήματα carni sunt communicata, cum persona & Natura divina τοῦ Λόγου non sit aliquod finitum, sed verè infinitum & immensum. Sed verum prius, ut patet ex vera & genuina unionis personalis definitione. Ergo & posterius.

2. *Ex totius plenitudinis Deitatis in carne Christi inhabitatione.* Si tota plenitudo Deitatis habitat in Christo σωματικῶς, id est, in assumta Christi Natura, consequens est, dona verè divina & infinita Christo esse communicata, quia *tota plenitudo Deitatis* complectitur non tantùm finita quædam, sed verè divina & infinita ἀυχήματα. Sed verum prius Colos. 2. v. 9. Ergo & posterius.

3. *à Spiritus sancti unctione.* Si Christus plenitudine Spiritus S. unctus, ac Spiritum sanctum *non ad mensuram accepit*, consequens est, dona verè divina & infinita illi esse data, quia dari sine mensura necessario infert, donum illud, quod datur, vere esse immensum. Sed verum prius, Psalm. 45. v. 8. (Heb. 1. v. 9.) Joh. 3. v. 34. c. 1. v. 16. Act. 10. v. 38. Ergo & posterius.

4. *Ex gloriæ Christo datæ descriptione.* Gloria Christo in tempore data sic describitur, quod eam *apud Patrem habuerit ab æterno*, Joh. 17. v. 5. quod sit ipsi in Deitate *cum Patre* essentialiter *communis*, Matth. 16. v. 27. cap. 24. v. 30. cap. 25. v. 3[illegible]. 2. Pet. 1. v. 17. Apoc. 5. v. 13. quòd se exerat per divina *miracula*, Joh. 2. v. 11. quod sit gloria *tanquam unigeniti à Patre*, Joh. 1. v. 14. Atqui talis gloria non est finita, sed infinita, divina & immensa. Ergo.

5. *Ex collocatione ad dextram Dei.* Juxta quam Naturam Christus ad dextram Dei collocatus, juxta eandem accepit dona verè divina & immensa, ac particeps factus est divinæ majestatis, gloriæ ac potentiæ, quia Scriptura dextram Dei *per divinam potentiam*; ac sessionem ad dextram Dei *per divinum dominium* describit. Atqui Christus secundum humanam Naturam ad dextram Dei collocatus. Ergo.

Posterius demonstramus,

1. *ex disertà carnis expressione.* Johan. 6. v. 51. 54. 55. ubi *caro Christo* dicitur *vivifica.*

2. *ex particulæ determinativæ adjectione.* Joh. 5. v. 27. *Pater dedit Filio ἐξουσίαν faciendi judicium, ὅτι quia est filius hominis*, sive, ut est filius hominis.

3. *ex circumstantiarum notatione*, quibus digitus ad humanam Christi Naturam intenditur. Psal. 8. v. 7. Johan. 3. v. 35. Ephes. 1. v. 22. Apoc. 1. v. 13. cap. 5. v. 5. 6. & 12.

4. *ab inanitionis & exaltationis connexione.* Exaltatio describitur ut exinanitionis consequens & præmium. Psal. 8. v. 6. & 7. Ps. 110. v. ult. Luc. 24. v. 26. Rom. 14. v. 9. Eph. 1. v. 20. Phil. 2. v. 9. Heb. 2. v. 9. Ergo juxta eam Naturam Christo competit, juxta quam est exinanitus, hoc est, juxta Naturam humanam.

5. *à præstantioris nominis collatione.* Secundum quam Naturam Christus *Angelis præstantior factus, & præstantius illis nomen sortitus*, juxta eandem etiam divinam & infinitam gloriam accepit. Atqui secundum humanam Naturam *Angelis præstantior est factus &c.* Hebr. 1. v. 4. Philip. 2. v. 9.

6. *ex temporis determinatione.* Quæ *in tempore* Christo data dicuntur, non possunt secundum Deitatem ipsi data dici, quia juxta Deitatem omnia habet ab æterno. Jam vero dona illa infinita in tempore Christo dicuntur data. Dan. 7. v. 13. cap. 9. v. 24. Joh. 17. v. 1. &c.

7. *à Deitatis conditione.* Divina Natura est immutabilis, per-

fectiſſima, αὐτοτελεστάτη, αὐταρκής. Ergo per unionem in tem-
pore factam & per exaltationem *dies carnis* ſecutam ipſi addi
nihil potuit.

8. *ex finis conſideratione.* Quæ Chriſto in tempore data ſunt,
eo fine data ſunt, ut Chriſtus officium Mediatorium exeque-
retur. Jam verò Chriſtus ſecundum Deitatem per eſſentiam
ab æterno obtinet divinam potentiam & ἐνέργειαν ad officii
Mediatoris opera requiſitam. Ergo non fuit opus, ut ſecun-
dum divinam Naturam quidquam in tempore ipſi daretur.

9. *à divinitatis inhabitatione.* In qua Natura habitat *tota ple-
nitudo Deitatis*, illi etiam divina majeſtas & gloria verè & rea-
liter eſt communicata, quia inhabitatio illa non eſt ſine com-
municatione. Jam verò *tota plenitudo Deitatis* habitat in Chri-
ſto ſecundum humanam Naturam, ut patet ex verbis κατοικεῖν,
& σωματικῶς, Coloſſ. 2. v. 9.

10. *ex Spiritus ſancti unctione.* Juxta quam Naturam Chri-
ſtus *unctus eſt Spiritu ſancto*, juxta eandem etiam accepit *virtu-
tem* divinam & infinitam, quæ per miracula ſe exeruit. Act. 10.
v. 38. Atqui Chriſtus juxta humanam Naturam unctus eſt
Spiritu ſancto, tum quia ſecundum divinam Naturam Spi-
ritus ſanctus ab omni æternitate à Chriſto Dei Filio non mi-
nus quam à Patre procedit, ac ſecundum divinam Naturam
eſt ungens; tum quia unctio illa facta eſt in tempore Dan. 9. v.
24. (Eſai. 61. v. 1. Joh. 3. v. 31. & 35. Act. 10. v. 38.)

11. *ex collocatione ad dextram Dei.* Juxta quam Naturam
Chriſtus ad dextram Dei collocatus, juxta eandem etiam di-
vinam majeſtatem accepit. Jam verò ſecundum humanam
Naturam eſt ad dextram Dei collocatus, (tum quia ſecundum
divinam Naturam eſt ipſa *Dei dextra* & virtus, Luc 1. v. 35. 1.
Cor. 1. v. 24. tum quia *in tempore* collocatio illa eſt facta Matth.
26. v. 64. Marc. 16. v. 19. tum quia exaltatio Chriſti, quæ ſe-
cundum humanam Naturam ei obtigit, cum collocatione ad
Dei dextram immediatè conjungitur, Act. 2. v. 33. Hebr. 1. v.
3. 4. Epheſ. 1. v. 20. tum quia Apoſtolus *Chriſti reſurrectionem
ex ſeſſione ad dextram Dei* probat, 1. Corinth. 15. v. 8. tum quia
idem aſſerit, Deum τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος in Chri-
ſto reſuſcitando & ad dextram ſuam in excelſis collocando
exeruiſſe, Epheſ. 1. v. 19. quod ipſum quoq; ſeries articulorum
in Symbolo Apoſtolico confirmat, quia juxta quam Natu-
ram Chriſtus ex virgine natus, paſſus, crucifixus, mortuus,
ſepultus, ad inferos deſcendit, ex mortuis reſurrexit, in cœlos
aſcendit, juxta eandem etiam ad dextram Dei conſedit. (Er-
go etiam ſecundum humanam Naturam divinam majeſtatem
accepit.

12. *ex gratiæ adjectione.* Paulus Phil. 2. v. 9. utitur verbo
ἐχαρίσατο. Deus ex gratia *donavit Chriſto nomen, quod eſt ſuper o-
mne nomen.* Jam verò Chriſtus ſecundum Deitatem nihil ha-
bet ex gratia, alioqui non eſſet Natura Deus.

13. *ex dominii collatione.* Petrus Act. 2. v. 36. docet, Chri-
ſtum per exaltationem in tempore *factum eſſe Dominum.* Hoc
non poteſt accipi ſecundum divinam Naturam, quippe juxta
quam natus eſt Dominus ab æterno, per æternam ſcilicet à
Patre generationem. Ergo ſecundum Naturam humanam
hoc de Chriſto dictum accipiendum.

Huic ſententiæ noſtræ ſuffragatur,

1. Quod Epiſcopi Romani Chriſtum ſecundum humanam
Naturam exaltatum eſſe agnoſcunt.

Gajus Epiſcopus Roman. in Epiſt. Decretali tom. 1. Con-
cil. edit. Binnii, pag. 221. *Cum unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus, &
veræ Deitatis veræq; humanitatis in ipſo una prorſus eademque per-
ſona ſit, exaltationem tamen illam, qua Deus eum exaltavit & do-
navit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ad eam intelligimus per-
tinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento &c.
Humana humilitas eſt in gloriam divinæ poteſtatis evecta &c. Quic-
quid in tempore Chriſtus, ſecundum hominum accepit, cui, quæ non
habuit, conferrentur.*

Leo Epiſc. Rom. Epiſt. 22. (al. eſt 11.) ſic ſcribit: *Dicant Ad-
verſarii veritatis, quomodo omnipotens Pater, vel ſecundum quam
Naturam Filium ſuum ſuper univerſa provexerit, vel cui Naturæ
cuncta ſubjecerit? Deitas enim Verbi in omnibus & ὁμοούσιος eſt Pa-
tri, atque intemporaliter una eademque potentia eſt genitoris & geni-
ti, huic* (divinæ Naturæ) *ſi addita poteſtas eſt, ſi illuſtrata dignitas,
ſi exaltata ſublimitas, minor erat provehente, quæ crevit, nec habebat
divitias ejus Naturæ, cujus indiguit largitate. Sed talia ſentientem in
ſocietatem ſuam Arius rapuit, cui multum ſuffragatur hæc impietas.*

(Utrumque aſſerit Leo, tum quod omnium ſubjectio, ad-
eoque omnis poteſtas in cœlo & in terra Chriſto ſit data, tum
quod ea ſecundum humanam Naturam ipſi ſit data.)

Idem Epiſt. 41. (al. 95.) *Quicquid in tempore Chriſtus accipit,
ſecundum hominem accipit, cui, quæ non habuit, conferuntur. Quia
forma ſervi accepit, eadem in forma Dei etiam ipſe donavit.*

Serm. 3. de Paſſ. in perſona Chriſti ſic loquitur: *Vobis præſta-
tur hæc aſcenſio & ſuper omnes cœlos ad Patris dextram collocanda
veſtra in me humilitas elevatur.*

2. Quod Bernhardus ſerm. 2. de Pentecoſt. col. 161. ſic diſ-
ſerit: *Quanta aſcendentis gloria, cum medius Angelorum & anima-
rum Sanctarum ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cœlis
invectus ſuſceptum hominem in ipſa divinitatis claudis identitate!*

(Si ſuſceptus homo in ipſa divinitatis identitate per aſcen-
ſionem in cœlum & ſeſſionem ad dextram Dei fuit clauſus,
utique idiomatum divinorum & infinitorum per eandem fuit
particeps factus.)

3. Quod tempore exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis Pon-
tificii in noſtra de perſona & officio Chriſti doctrina nihil de-
ſiderabant. Sic enim loquuntur Carolus V. Imp. & Principes
Romano-Catholici in reſp. ad 3. art. *In tertio articulo nihil eſt,
quod offendat, cum tota Confeſſio cum Symbolo Apoſtolorum & cum
certa fidei regula conveniat.*

Proteſtantes ſive Auguſtanæ Confeſſionis ſocii ipſimet in
art. Schmalcald. Ann. 37. ſic loquuntur: *De his articulis* (de
Deo uno & trino, & de Filii incarnatione) *nulla eſt inter nos &
Adverſarios* (Papiſtas) *controverſia, cum illos utrinq; confiteamur.*

Joh. Hoffmeiſterus in judicio de 3. art. Confeſſ. Auguſt.
nihil in noſtra doctrina *de perſona Chriſti* deſiderat, niſi quod
particulariter in Luthero quædam falſo carpit.

Jam verò in Auguſtana Confeſſione artic. 3. doctrina de
donorum vere divinorum & infinitorum communicatione
Chriſto ſecundum humanam Naturam facta continetur. In
eo enim Eccleſiæ noſtræ confitentur, quod *Chriſtus adſcenderit
in cœlos, ut ſedeat ad dextram Patris, & perpetuo regnet & domine-
tur omnibus creaturis:* (ubi notanda tùm denominatio illius
Naturæ, juxta quam Chriſtum ad dextram Patris evectum
confitemur, quia ut ſecundum humanam Naturam in cœlum
aſcendit, ita quoque ſecundum eandem ad dextram DEI ſe-
det; tum explicatio illius ſeſſionis ad dextram DEI, quod ſit
plenaria uſurpatio dominii in omnes creaturas.)

Nec ignota fuit tempore exhibitæ Confeſſionis doctrina
Lutheri de reali idiomatum divinorum Chriſto ſecundum
carnem facta communicatione & majeſtate Chriſti hominis,
quippe quam in publicis ſcriptis contra Carolſtadium &
Zuinglium aliquoties propoſuerat.

Huc etiam pertinet illud, quòd cum in Concilio Triden-
tino ſingula Eccleſiarum noſtrarum dogmata, quæ Romanæ
Sedi minimè probantur, fuerint refutata, tamen doctrina de
communicatione idiomatum anathemati non fuerit ſubjecta.
Scopus Concilii omninò erat, *hæreſes, quæcunq; in Germania &
uſquequaq; ortæ eſſent, exſtirpare,* uti Indictionis Bulla teſtatur,
nec tamen contra publicam Proteſtantium doctrinam de
majeſtate carnis Chriſti & idiomatum communicatione quic-
quam ſtatuit.

4. Quod Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 8. §. His igitur,
ſtatuit, *unionem hypoſtaticam conſiſtere in communicatione ſubſi-
ſtentiæ Verbi.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Diſp. 1. q. 2. punct. 3. §. 3.
*Agnoſcimus, & ſubſiſtentiam & etiam divinitatem atq; perfectionem
omnem Verbi Naturæ humanæ communicatam eſſe uno quodam mo-
do maximè reali, ut ſcil. in perſona Verbi ſubſiſtat, primariò quidem
per ipſam Verbi ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem, ſecundario autem per
divinitatem etiam & perfectionem ejus, quæ ab ea ſubſiſtentia re non
differunt.*

Ibid. §. 8. *Quis unquam Theologorum negavit illis* (Lutheranis)
*plenitudinem divinitatis atque energiam Verbi fuiſſe realiter commu-
nicatam Naturæ aſſumtæ, non ut aſſumta Natura ſit illa, ſed ut per
illam hypoſtaticè ſubſiſtat? nullus omninò, imò omnes idipſum uno ore
fatentur.*

(Ex eo enim ſic concludimus. Si ipſa *Verbi ſubſiſtentia*, quæ
eſt idioma Filio Dei maximè proprium, utpote per quam in
intima Deitatis unitate à Patre & Spiritu ſancto diſtinguitur,
eſt carni communicata, utique *idioma aliquod divinum* eſt aſ-
ſumtæ carni communicatam, Sed verum prius. Ergo & po-
ſterius;

sterius. Ulterius, si communicatio ὑποστάσεως assumtæ carni fieri potuit & verè facta est absque Naturarum confusione & exæquatione, utique etiam reliquorum divinorum attributorum communicatio non statim introducit Naturarum confusionem & exæquationem. Sed verum prius. Ergo & posterius. Denique si ipsa Verbi subsistentia sive τοῦ Λόγου ὑπόστασις est carni communicata, quomodo essentialia attributa τοῦ Λόγου non erunt carni communicata, cùm hypostasis non sit aliquid realiter distinctum ab attributis essentialibus in Filio Dei, alias persona Filii ex duobus realiter distinctis esset composita. Sed illud. Ergo & hoc.)

5. Quod idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 9. §. Secundò &c. concedit, *ex unione hypostatica sequi communicationem idiomatum.* Quamvis verò addat, *communicationem illam non esse realem respectu ipsarum Naturarum, quasi humanitas realiter facta sit omnipotens, ut volunt,* inquit, *Lutherani; neq; esse plane verbalem, ut volunt Calviniani, sed esse realem respectu hypostaseos utriusq; Naturæ, non autem respectu Naturarum:* tamen ex concessa à Bellarmino hypothesi firmiter sic possumus colligere:

Cui communicata est divina Verbi subsistentia, illi etiam dona verè divina sunt communicata. Atqui assumtæ humanæ Christi Naturæ communicata est divina Verbi subsistentia. Ergo assumtæ humanæ Christi Naturæ dona verè divina sunt communicata. Quod Bellarminus excipit lib. ejusd. c. 15. §. Quæ cum ita sint &c. *dona illa data esse humanitati non in se, sed in supposito,* illud ambiguè dicitur. Vel enim intelligitur hoc modo, quod dona illa data sint humanæ Christi Naturæ, *non seorsim ac separatim* subsistenti, nec secundum *essentiales ejusdem proprietates,* sed quatenus *in persona τοῦ Λόγου* subsistit, consideratæ; vel intelligitur eo modo, quod ad ipsam humanitatem nihil plane pertineat illa communicatio, sed tantum *ad hypostasin* sive suppositum. Priore sensu assertionem illam concedimus, posteriore vero negamus. Quia enim per unionem personalem ὑπόστασις τοῦ Λόγου assumtæ Naturæ verè & realiter est communicata, utiq; etiam divina majestas & gloria, ac dona verè infinita & immensa eidem Naturæ sunt communicata. Vitiosa igitur est hæc oppositio, Divina dona realiter sunt communicata assumtæ Naturæ humanæ, quatenus in ὑποστάσει τοῦ Λόγου subsistit. Ergo non sunt data ipsi humanitati. Contrarium potius inferendum erat, Ergo data sunt humanitati, quæ in ὑποστάσει τοῦ Λόγου subsistit. Nimirum Christus *ut homo,* seu juxta suam humanitatem, personaliter τῷ Λόγῳ unitam, sedet ad dextram Dei, non ex suis humanis viribus naturalibus & essentialibus, sed per divinam superexaltationem Dei Patris Ephes. 1. v. 19. Act. 2. v. 33. Sicut itaque divina hæc superexaltatio (passivè sumta) competit Christo juxta carnem, & sic etiam *respectu carnis* & non solum *respectu suppositi*: ita quoque sessio ad dextram Patris eidem Christo competit *juxta carnem,* seu respectu carnis, in qua ipse prius fuerat exinanitus & humiliatus, & non duntaxat *respectu suppositi,* quod non est aliquod tertium à duabus Christi Naturis unitis reipsa distinctum.

6. Quod idem Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 2. §. Altera difficultas &c. disputat, *Christum in conceptione fuisse Spiritu sancto unctum,* quod probat ex dictis Esai 11. *Super virgam de radice Jesse egredientem requiescet Spiritus Domini.* Psal. 45. *Unxit te Deus &c.* Esai. 61. *Spiritus Domini super me, eò quod unxit me.* Act. 4. *Convenerunt adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti.* Act. 10. *Unxit eum Dominus Spiritu & virtute.*

Et §. ult. ejusd. cap subjicit: *Licet Johannes & alii homines ita fuerint pleni initio, ut tamen adhuc potuerint proficere, tamen Christum non potuisse proficere, quia initiò accepit gratiam sine mensura, alii verò acceperunt cum mensura. Nam de Christo dicit Johannes cap. 1. de plenitudine ejus omnes accepimus. Non enim secundum mensuram dat Deus Spiritum, nimirum Filio suo. De aliis dicitur Ephes. 4. Unicuique nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi &c.*

Hisce Bellarmini verbis conforme illud Michaëlis Ghislerii in Cant. Cantic. cap. 1. v. 3. super verba, *Oleum effusum nomen tuum.* Exposit. 2. *Christus singulari unctionis modo secundum hominem unctus est unguento gratiæ, juxta illud Petri Act. 10. v. 38. unxit eum Deus Spiritu sancto: & illud Psal. 44. v. 8. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Quâ certè ita unctus est unctione, ut in ipso tanquam in vase ipsamnet gratiæ unguentum repositum sit, propter quod dictus est plenus gratiæ & veritatis, Johan. 1. v. 14. & plenus Spiritus sancti, de cujus plenitudine nos omnes accepimus v. 16. de cujus unctione seu de cujus unguento nos omnes uncti pariter sumus, juxta illud Pauli 2. Cor. 1. v. 21. unxit nos Deus, dans pignus Spiritus in cordibus nostris &c.*

(Ex illis sic colligimus: Si Christo secundum assumtam Naturam in ipsa conceptione gratia & Spiritus sanctus datus sine mensura, ut ex ejus plenitudine omnes accipere potuerint, & adhuc possint, cum aliis gratia & Spiritus secundum mensuram detur, utique etiam Christo secundum humanam Naturam assumtam in ipsa conceptione dona verè divina & infinita sunt communicata. Ratio connexionis est, quia gratiam & Spiritum dari *sine mensura,* ac *finita* tantùm & *mensurata dona* Christo esse data, ἀντιφατικῶς sibi invicem opponuntur. Sed verum prius. Ergo etiam posterius.

Lib. 4 de Christo cap. 4. §. 1. *Non est ullo modo credibile, ut Verbum personaliter factus sit homo, & non simul effuderit in ipsa incarnatione in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat.* (Si humanitas fuit capax infinitæ Verbi subsistentiæ, utique etiam aliorum donorum infinitorum.)

7. Quod agnoscunt, Christum secundum humanam Naturam gloria vere divina & infinita glorificatum.

Hugo Cardinalis (alias Hugo de Caro circa Ann. 1264.) in cap. 17. Joh. sic commentatur: *Clarifica me secundum hominem claritate, quam habui &c. secundum Deitatem, hoc est, sicut decet Filium Dei hominem factum clarificari.*

Idem in cap. 2. Phil. *Donavit illi* Christo) *secundum hominem nomen &c. Nunc datum est illi per gratiam, quod ab æterno habuit per Naturam, scil. Filius Dei.*

Jodocus Clichtovæus (Commentator Damasceni) in lib. 3. de orthox. fide cap. 15. *Nulli dubium est, quod ex anima rationali hominis enascatur vita utriusq; partis substantialis, ut quidē animæ propria est & naturalis, corpori autem propter unionem ad animam communicata, & in ipsum ab anima transfusa &c. Eodem plane modo à divinitate procedit gloria, utrique in Christo Naturæ communis, divinitati quidem naturalis, humanitati autem commmunicata.*

Johannes de la Haye in Quadrig. Evang. cap. 178. not. 1. allegat illud Basilii lib. 4. advers. Eunom. *Si cùm glorificari à Patre Filius petebat, secundum Deitatem, non secundum humanitatem petebat, quod non habebat, petebat; falsus ergò est, qui dixit Evangelista: Et vidimus gloriam ejus &c. Apparet igitur in quantum homo, non Deitatis defectu, talia dixisse.* Similia dicta ex Athanasio & Gregorio Nysseno adducit cap. eod. not. 5.

Benedictus Justinianus in cap. 2. Philip. super verba: *Ut confiteatur omnis &c. Quicquid sit, ad hanc omninò gloriam referenda esse illa verba Christi apud Johannem: Clarifica me tu Pater &c. autor est Theodoretus & indicat Cyrillus Alexandrinus. Jam vero de humana Christi Natura hæc alii accipiunt, siquidem Damascenus ait, Christum post suum in cælos ascensum hanc divinam majestatem esse assecutum σωματικῶς, quandoquidem caro divinitati conjuncta eadem adoratione, tum ab Angelis, tum ab hominibus colitur. Et in eandem sententiam Leo, Neque ullum, ait, in sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu illius gloriæ sociaretur in throno, cujus Naturæ copulabatur in Filio.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 136. fol. 216. *Humana Natura accepit illam claritatem, quam divina Natura habuit ab æterno, quando humana Natura immortalitate donata est, & in cœlum sublata & per conjunctionem sui cum divina Natura in unitatem personæ ejusdem cum illa gloriæ consors effecta.*

(At si Christi humanitas ejusdem gloriæ cum divina Natura consors facta, utique communicatam habet gloriam verè infinitam.)

Maldonatus in Comment. Johan. 17. v. 5. fatetur, *omnes Interpretes hunc locum accipere de clarificatione humanitatis, non Deitatis.*

Si vera est hæc interpretatio, sequitur, humanitatem Christi vere infinitam gloriam accepisse.)

De eodem loco Joh. 17. v. 5 sic disserit Cajetanus Jentaculo decimo quæst. 4. Oo. 2. *Dicitur, quod sine dubio petit hic Christus Dominus clarificationem sui secundum humanam Naturam. Et ad literam petit clarificationem resurrectionis, ascensionis & sessionis ad dextram Patris.*

Ibid. §. Ad Objectionem. *Possumus quoq; habitam claritatem intelligere claritatem æternam ipsius Filii Dei, & tunc est sensus: Clarifica tu me Pater apud temetipsum, q. extendendo ad humanitatem claritatem meam divinam, quam ab æterno habui. Et juxta hunc sensum denotatur differentia inter glorificationem humanitatis Christi, & glorificationem aliorum Sanctorum.*

Et

Et postea: *Petit Dominus, ut executioni mandetur hoc, scilicet, quod gloria sua æterna derivetur in seipsum secundum humanam Naturam.*

8. Quod agnoscunt, ea, quæ Christo in tempore data dicuntur, secundum humanam Naturam ipsi esse data. (Illa enim cum sint dona vere divina & infinita, consequens est, dona vere divina & infinita secundum humanam Naturam Christo data esse.)

Hugo Cardin. in cap. 2. ad Phil. *Donavit illi* (Christo) *secundum hominem nomen, quod est super omne nomen. Nunc datum est illi per gratiam, quod ab æterno* (Filius Dei) *habuit per Naturam.*

Johannes de la Haye in Quadrig. Evang. cap. 198. not. 5. adducit illud Euthymii in cap. 28. Matt. *Data est mihi, mihi, inquam, tanquam homini potestas, quam habebam tanquam Deus.* Item istud Cyrilli lib. 2. in Johan. cap. 73. *An non vides in istis, Patrem quidem ut Deum dare, Filium vero ut hominem accipere, illa, quæ ut Deus habebat?* ut & istud Chrysologi serm. 80. *Filius Dei Virgini Filio, Deus homini, divinitas carni contulit, quod cum Patre possedit & Spiritu. Et ideò ait, ite, baptizate &c.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 26. pag. 162. *Quamvis, quod dicitur Pater omnia dedisse Filio, possit intelligi de Christo secundum divinam Naturam, tamen potius intelligi debet de Christo secundum humanam naturam, cui per gratiam Deus Pater omnium rerum potestatem dedit, quam divinitas Filii habet per Naturam.*

Benedictus Justinianus Jes. in Comment. 1. Corinth. 15. *Quoniam hoc loco, omnia subjecit &c. abutebantur Ariani, ut ostenderent, Filium minorem esse Patre, rectè Chrysostomus & Theodoretus monent, hæc esse de Christi humanitate accipienda.*

Idem in cap. 1. ad Ephes. super verba: *Supra omnem Principatum &c. Hæc Apostoli verba aperte indicant, eum de humana Christi Natura loqui, ut non obscure indicat Hieronymus & aperte docuit Augustinus.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 1. q. 2. punct. 3. §. 11. *Verissimum est, Christum secundum humanitatem accepisse, quæcunque accepit ex tempore.*

Alex. Caretius de potest. Rom. Pont. adversus impios Politicos lib. 2. c. 5. *Sicut ea, quæ sunt hominis, necessario propter eam unionem divinitati tribuuntur: ita necessariò, quæ sunt divinitatis, humanitati adscribi* asserit. *Itaq; dominium, quod est divinitatis, tribui etiam humanæ Naturæ, adeo ut dominium illud divinum, dicatur etiam humanum.*

9. Quod quorundam Pontificiorum suffragium in hac quæstione nobis largiuntur.

Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 1. §. Autor hujus &c. *Jacobum Fabrum Stapulensem* autorem facit, *doctrinæ de reali idiomatum divinorum communicatione Christo secundum carnem facta.*

10. Quod statuunt, Christi humanitatem esse causam efficientem Physicam & instrumentalem gratiæ nostræ sanctificantis.

(At sine reali idiomatum divinorum communicatione Christus non posset esse causa Physica gratiæ sanctificantis.)

Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disput. 6. q. 4. dub. 1. num. 6. *Causa efficiens Physica instrumentalis conjuncta est humanitas Christi. Ita docet sanctus Thomas 1. 2. q. 112. art. 1. ad 1. ubi ait: Humanitas Christi est sicut organum quoddam divinitatis ejus, ut Damascenus dicit lib. 3. cap. 15. Instrumentum autem non agit actionem agentis principalis propria virtute, sed virtute principalis agentis. Et ideò humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute divinitatis adjuncta, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares. Et ibidem ad 2. in ipsa persona Christi humanitas causat salutem nostram per gratiam, virtute divina principaliter operante &c.*

Argum. Bellarm. 1. *Lutherani docent, Christi carnem habere attributa divinitatis, ex quo sequitur, eos vel esse Nestorianos, vel Eutychianos, vel monstrum ex utraque hæresi compositum. Si enim dixerint, ea esse communicata essentialiter, erunt Eutychiani; si dixerint, accidentaliter esse communicata, erunt Nestoriani,* lib. 3. de Christo cap. 1.

Resp. 1. Bellarminus ipse lib. ejusd. c. 8. tertium aliquod statuit, videlicet *personaliter.* Sic enim scribit: *Tribus modis possunt aliqua uniri, primò essentialiter, secundò accidentaliter, tertiò substantialiter, sive personaliter.*

(Quod ipse *de unione* asserit, idem nos dicimus *de communicatione*, quæ ex unione oritur & Naturam unionis sequitur. Proinde non est immediata oppositio inter communicationē *essentialem & accidentalem*, sed datur intermedium genus communicationis, quæ est & vocatur *personalis.*)

2. Gregorius de Valentia lib. 1. contra Ubiquet. cap. 2. nos ab hoc crimine absolvit, sic scribens: *Dicunt Lutherani, realem illam communicationem divinarum proprietatum cum humanitate assumta nequaquam esse essentialem, hoc est, non ita illam de humanitate affirmari, quomodo affirmatur de divinitate, q. humanitas per suam essentiam dicatur esse illa; nec communicatio est Physica aut subjectiva, quasi in ipsa humanitate insint tanquam in subjecto, sed esse cujusdam modi singularis & arcani, quem hypostaticum seu personalem vocant, atq; ita videri volunt, non tollere Naturarum distinctionem, quoniam inquiunt, humanitas Physicè & sua Natura manet circumscripta, at propter hypostaticam unionem divina illi competunt.*

2. *Ex communicatione idiomatum sequitur, duo esse in mundo omnipotentia, immensa & infinita, nimirum Deitatem & humanitatem Christi.* Bellarm. lib. 3. de Christo c. 10.

Resp. Eodem modo contra communicationem *subsistentiæ Verbi* à Bellarmino concessam aliquis posset argumentari. Ex communicatione hypostaseos sequitur, duas esse hypostases in Christo, videlicet hypostasin Deitatis & hypostasin humanitatis. Quemadmodum verò huic objectiunculæ rectè respondetur, non esse duplicem in Christo hypostasin, sed ipsam illam ὑπόστασιν τοῦ Λόγου, quæ ipsi est & manet in æternum propria, assumtæ carni esse communicatam, sine ulla multiplicatione, physica transfusione, & subjectiva inhæsione: ita quoq; idem Bellarminianæ objectiunculæ responderi potest, non introduci duplicem omnipotentiam, omniscientiam &c. sed ipsam illam Λόγου omnipotentiam, quæ ipsi est & manet in æternum propria, in Natura humana & per Naturam humanam, cui personaliter est communicata, sese exerere, sine ulla sui multiplicatione vel alterius omnipotentiæ productione.

3. *Si idiomata communicantur, non sunt amplius proprietates, sed communitates.* Bellarm. d. l.

Resp. Eodem modo contra communicationem *subsistentiæ Verbi* à Bellarmino concessam aliquis posset argumentari. Si subsistentia Verbi assumtæ carni communicatur, non amplius erit proprietas Verbi, sed communitas. Quicquid Bellarminus huic respondere velit argumento, etiam suo responsum statuat.

4. *Ut unio est reciproca, ita quoque communicatio. Jam vero reciproca communicatio locum tantum habet in concreto sive in persona, non autem in Naturis. Ut ergò Deitas non potest dici mortalis, ita nec Natura humana omnipotens, omniscia &c.* Busæus contra Gerlach.

Resp. 1. Ex Leone Epist. 5. *Assumsit* (Filius Dei) *formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens.* Epistol. 6. *Assumti, non assumentis est provectio.*

2. Ex Jodoco Clichtovæo in Comment. Damascen. lib. 3. de orth. fid. cap. 15. *Anima communicat corpori suas perfectiones vitam, motum, sensum: non tamen à corpore vicissim suscipit illius imperfectiones, incisionem, defluxum partium, substantiæ suæ interitum. Eodem plane modo à divinitate procedit gloria utriq; in Christo Naturæ communis, divinitati quidem naturalis, humanitati autem communicata, non tamen patiebatur divinitas in Christo infirmitates nostras.* Idem in Comment. lib. 4. cap. 3. *Plerunq; minus dignum perfectiori digniorq; conjunctum accipit ipsius dignioris perfectiones atq; præclaras conditiones, & non communicat illi suas imperfectiones.* Id declarat similitudine ferri igniti, & addit, *per hujusmodi ferrum Christi carnem, per ignis autem candores ipsius divinitatem accipe.*

3. Ex Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 10. §. ult. *Patres similitudine ferri igniti ostendunt conditionem hujus mysterii, quomodo videlicet per incarnationem non lædatur divinitas, & multum perficiatur humanitas. Ut enim ignis in ferro non nigrescit, nec frigescit, nec consumitur rubigine, ita & hic se res habet.*

4. Id. Bellar. lib. ejusd. c. 8. §. Ita prorsus &c. hæc habet: *Verbum divinum instar magnæ arboris suscepit ramusculum humanæ Naturæ suo trunco à cœlesti agricola mirabiliter insertum, inde fiat Verbum Deus & homo, & opera divina & humana faciebat, nec Verbum ab humanitate, sed humanitas à verbo pendebat.*

(Ergo Verbum assumsit humanam Naturam, non autem humana Natura assumsit Verbum, sed est assumta à Verbo. *Assumti vero non assumentis est provectio,* inquit Leo Episcopus Romanus Epistol. 6.)

5. Idem

5. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap.7. §. Quia tamen &c. sic disserit: *Cùm Verbum caro factum est, humanitas mutata est, Verbo immutabili permanente.*

(Ergo unio non attulit mutationem Verbo, sed assumtæ humanitati.)

6. In Lib. ejusd. cap.4. §. Porro &c. sic scribit: *Per incarnationem nihil accessit Deo, qui perfectissimus est, & nec augeri, nec minui potest, sed accessit multum boni humanæ Naturæ, ut rectè docet Athanasius in Epistola ad Epictetum.*

(Quamvis ergo unio sit reciproca, tamen cum unitarum Naturarum conditio non sit eadem, ideo per unionem nihil accessit divinæ Naturæ, sed accessit multi boni humanæ Naturæ.)

7. Alphonsus de Castro lib.2. adv. hæreses, verbo Adoratio hæres.2. *Non debet alicui mirum videri,* (quod caro una adoratione in Christo adoretur) *quoniam sunt multa, quæ propter conjunctionem, quam ad alia multo illis nobiliora habent, aliqua ab illis mutuantur, quæ per se consequi non possent, nec tamen eis aliquid de sua nobilitate vice versa mutuant: ut gratia exempli, corpus si ab anima separes, non movetur, non audit, non videt, non gustat, non nutritur, non augetur, non denique vivit, ex animæ tamen conjunctione hæc omnia habet, vivens enim corpus dicitur, anima illi vitam præstante, nec tamen eadem ratione anima aliquid de corporis corruptione recipit: sic etiam fieri potuit, ut caro humana propter Verbi unionem hoc ab illo recipiat, ut una cum illo adoretur.*

(Eadem ratio reliquorum attributorum divinorum carni communicatorum.)

SECTIO POSTERIOR.

De Communicatione Divinorum idiomatum in specie.

Thesis prima. Christo homini, sive secundum humanam Naturam, data est potentia verè divina & infinita.

Antithesis. Bellarminus lib.3. de Christo cap.16. *Potentia collata Christi humanitati non est absolutè omnipotentia. Nam verbis illis Psal.8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Johan.3. Pater dedit omnia in manus ejus &c. solùm significatur omnibus creaturis Christi humanitatem præesse & jus habere in omnes.*

Ibid. *Christus, ut homo, remittebat peccata, ut instrumentum divinitatis, quod non requirit infinitam virtutem.*

Jacobus Gretserus in destruct. Labyrinthi p.56. *Christo communicata est saltem potentia, non omnipotentia.* Et ironicè subjungit: *Quasi potentia & omnipotentia sint unum & idem: quasi verò, qui dicit, Christo secundum humanitatem datam esse potestatem in omnes creaturas, is propterea dicat, Christo secundum humanitatem datam esse simpliciter omnipotentiam, cum omnipotentia ad omnes effectus possibiles se extendat, potentia nequaquam, quod ex ipsis vocabulis manifestum evadit.*

Jodoc. Coccius tom.1. Thesauri lib.2. art.2. inter errores refert, quod Jacobus Andreæ lib. de Ubiq. contra Valentianum p.14. scripsit: *Constanter affirmamus, humanam Naturam ad æqualitatem gloriæ & potentiæ cum divino Verbo exaltatam esse.*

Gregorius de Valentia tom.4. Disp.1. quæst.13. punct.1. pag.319. *Dico, omnipotentiam simpliciter neq; communicatam esse neq; communicari potuisse humanitati Christi, sic ut Christus secundum humanitatem etiam sit omnipotens.*

Nostram sententiam demonstramus, 1. *ex clarissimis Scripturæ dictis.* Dan.7.v.13.14. (confer Dan.4.v.31. cap.6.v.26.) Matth.28.v.18. (confer Luc.22.v.69.) Johan.17.v.2. (confer Num.16.v.22. cap.27.v.16. Jer.32.v.27.) Apoc.5.v.12.&13.

2. *ex descriptione potentiæ communicatæ.* Dicuntur enim *omnia Christi pedibus subjecta,* Psal.8.v.7. 1.Cor.15.v.27. Hebr.2.v.8. *Omnia ipsi à Patre tradita,* Matth.11.v.26. *Omnia in manus ejus data,* Joh.3.v.35. Pater cœlestis dicitur, *ipsum constituisse ad dextram suam in cœlestibus supra omnem potestatem, principatum, virtutem, dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia pedibus ejus subjecisse.* Eph.1.v.20.21.&22. *ita subjecisse ei omnia, ut nihil dimiserit ei non subjectum,* Hebr.2.v.8.

3. *ex potentiæ illius effectis,* quæ sunt, operatio miraculorum, expulsio Dæmonum, administratio extremi judicii, omnium subjectio &c. Luc.4.v.36. cap.9.v.1. Johan.5.v.27. Actor.10.v.38. Philip.3.v.21.&c.

4. *ex sessione ad dextram Dei.* Dextra Dei, ad quam Christus secundum humanam Naturam est evectus, complectitur vere divinam & infinitam virtutem, unde vocatur *dextra virtutis,* Matt.26.v.64. Marc.14.v.62. Luc.22.v.69. &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Christo datum esse dominium omnium, quod non potest absque omnipotentiæ communicatione locum habere.

Thomas in cap.3.Joh. *Dedit omnia in manus ejus secundum humanitatem, dominatur enim omnium eorum, quæ sunt in cœlo & in terra.*

Lyranus in cap.2.Luc. *Christus non solum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo regnabit in æternum, non solum super homines, sed etiam super Angelos.*

Genebrardus in Psal.71. juxta edit. vulg. super verba: *Dominabitur à mari usq; ad mare. Fluvium Euphraten,* inquit, *tranabit potestas Christi, ut ei subjiciatur orbis terrarum ab Oceano Orientis ad Oceanum Occidentis; ab Indico ad Gaditanum, ab uno mari ad alterum oppositum. Demonstratur Universale dominium Christi hominis super omnem terram inter terminos istos contentum.*

2. Quod agnoscunt, Christo homini omnem potestatem in cœlo ac in terra esse datam.

Haymo in cap.5. Apoc. *Ut ipsa humanitas omnia possideat in cœlo, id est, in Angelis; in terra, in hominibus; sub terra, in inferno; & in mari, & quæ sunt in eo. Hoc est, quod ipse Dominus à mortuis resurgens dixit: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.*

Maldonatus in cap.28. Matth. super verba: *Mihi data est &c.* ostendit, *Christo verè datam esse potestatem generis humani, quam sibi meruerit sua passione & morte,* & huc allegat c.7.v.13. Danielis.

(At hæc est verè infinita potentia.)

Matthias Breidenbachius in Comment. super Matth. pag.270. edit. Colon. Ann.1560. *Hæc potestas, de qua Matth.28.v.19. data est Christo tanquam homini, quia ut Deus ab æterno eam habuit.*

Johannes Ferus in Comment. Matth. lib.4. pag.300. *Quomodo hæc potestas ei data sit, pulchrè prævidit Daniel cap.7. Mihi, inquit, & nulli alii. Nec simplex aliqua potestas, sed omnis, super externa scil. & spiritualia. Nec in terra tantum, sed in cœlo. Jam si magnum videtur habere potestatem super terrena, quantò majus est potestatem habere in cœlo?*

Sixtus Senensis lib.2. Bibliothec. sanctæ in verbo Inscriptio pag.72. *Scopus sermonis est* (Apoc.19.) *significare, quod, cum Verbum hypostaticè unitum sit Naturæ humanæ & humanam carnem verè susceperit de virgine, nihilominus omnipotens est, utpote cœlestium Rex & Dominus terrestrium ac subterraneorum, quam imperii omnipotentiam humanitati Filii Dei communicatam volens exprimere Paulus, dixit: Propter quod Deus exaltavit illum &c.* Phil.2.

Bellarminus lib.3. de Christo cap.8. § Transsylvani. *Verba illa Matth. ult. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra, dicuntur de Christo, qua homo erat, non qua Deus. Cum enim ipse idem & Deus & homo sit, qua Deus omnipotentiam ab æterno & ex Natura sua habet; qua homo summam potentiam à Deo ex tempore & dono gratiæ accepit.*

(At quid aliud est omnis potestas in cœlo & terra, ac summa potestas, quam omnipotentia?)

Lib. ejusd. cap.16. *Christi humanitati concessa est potentia in omnes creaturas.*

(Atqui potentia in omnes creaturas non potest esse alia, quam divina & infinita potentia, cum divina Patris potentia per potentiam in omnes creaturas describatur Genes.24.v.7. Numer.16.v.22. cap.27.v.16. 1 Paral.29.v.11. Psal.103.v.19. Psalm.135.v.6. Jerem.32.v.27. Matth.11.v.24. 1.Timoth.6.v.15. Si Bellarminus hæc sua verba restringere velit ad solam ἐξουσίαν, sive autoritatem absque dominio & δύναμιν, corruet omnino vocula potentiæ, quâ tamen disertè utitur.

3. Quod Christum secundum humanitatem assumtam heredem & Dominum universorum factum esse agnoscunt, (hæc enim hereditas divinam & infinitam potentiam includit.)

Hugo Cardinalis (aliàs Hugo de S. Caro, circa Ann.1264.) in cap.1. Hebr. sic commentatur: *Quem constituit heredem universorum, & possessorem omnium creaturarum. Hoc etiam est secundum humanam Naturam.*

Lyranus in cap.1. Hebr. *Quem constituit heredem universorum, quantum ad assumtam Naturam. Eo enim ipso, quo Natura humana à Verbo assumta est in unitate suppositi, eo ipso constituta est super omnem creaturam.*

Huc referri potest, quod Jacobus Faber Stapulensis in Marc.16.f.314. agnoscit, *Christum in Cœlum esse latum super omnem virtutem & potestatem, sicut sæpe per Spir. S. in Psalmis contestatum, ut Psal. 8. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.*

Cor-

Cornelius à Lapide in cap. 1. Ephes. ad verba: *Omnia subjecit &c.* v. 22. sic annotat: *Hinc patet, Angelos esse subjectos Christo homini, & Christum, ut homo est, Regem esse ac Dominum cœli & terræ, hominum & Angelorum. Ita Chrysostomus & Theophylactus.*

4. Quod agnoscunt, humanitatem Christi esse organum ἐνεργητικὸν & efficax divinarum actionum, (utique ergo divina & infinita agendi virtute pollet.)

Jodocus Clichtovæus in Comment. lib. 3. Damascen. de orthox. fide cap. 18. *Divina voluntas suapte Natura efficacissima est & virtutem habens omnia efficiendi, quæ velit. Quæcunque enim vult, eadem & potest. Humana vero Christi voluntas non hanc sua Natura habet omni efficacem virtutem, sed ut Verbo juncta.*

Idem in lib. ejusd. cap. 19. *Actio à præcipua primariaque causa effectrice profecta, & ipsi secundo agenti atque instrumentario secundum denominationem adscribitur. Ut cum adminiculo securis lignum secat, homo & ipsa itidem securis lignum dicitur secare, sicut & calamus scribere. Et cum mens humana organo vocis & linguæ suas exprimit notiones, & ipsa etiam vox & lingua mentem explicare rectè dicitur. Atqui sacratissimum corpus, ut organum fuit conjunctum & instrumentum Deitatis suæ explentis opera. Quare & caro Christi, ut coefficiens & cooperans, divinas etiam operationes perfecisse admittenda est, & miracula Deitatem attestantia peregisse.*

Similia occurrunt in cap. 17. ejusdem lib. in cap. 21. ejusdem lib. & in cap. 2. lib. 4.

Gregorius de Valentia tom. 1. Disp. 1. q. 19. punct. 1. *Quia principale agens effectum attingit conferente ad id instrumento, peculiari ratione actio principalis agentis pertinet etiam ad instrumentum. Unde dicimus, scamnum v. g. fieri à serra, quia participatur veluti à serra actio principalis artificis conficientis scamnum.* Item. *Illæ Christi operationes, justificatio, suscitatio mortuorum &c. duplices atque etiam mixtæ à nobis dicuntur, non tantum quia hujusmodi nominibus partim significatur actio divina, partim actio humana, sed etiam quia divina illa actio, quæ significatur, peculiari ratione adscribitur, non tantum divinitati, sed etiam humanitati, tanquam instrumento.*

Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 7. dub. 6. n. 155. *Humanitas Christi fuit instrumentum conjunctum ad patranda opera miraculosa, cui etiam hic honor præ cæteris debebatur.*

5. Quod agnoscunt, Christo, ut homini, omnia à Patre in manus esse data.

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 26. *Quamvis, quod dicitur Johan. 3. Pater omnia dedisse Filio, possit intelligi de Christo secundum divinam Naturam, tamen potius intelligi debet de Christo secundum humanam Naturam, cui per gratiam Deus Pater omnium rerum potestatem dedit, quam divinitas Filii habet per Naturam.*

Idem in cap. 130. Conc. *Dedit Pater omnia in manus Filio, secundum divinitatem quidem per æternam generationem, secundum humanitatem vero per unionem divinitatis cum humanitate in unitatem personæ.*

Idem in cap. 143. Conc. *Habebat quidem prius tanquam Deus datam sibi omnem potestatem ab æterno, verùm jam resuscitato data est etiam tanquam homini omnium rerum potestas, quoniam humanitas ejus, jam immortalitate donata, nova ratione consors facta est gloriæ & potestatis divinæ.*

Similia occurrunt in cap. 136. Conc. in cap. 59. Conc. in cap. 47. Conc. & alibi passim.

6. Quod Mariæ virgini & Sanctis in cœlo tribuunt summam in cœlo ac terra potestatem.

(Quod si enim Mariæ & Sanctis summam in cœlo ac terra potestatem tribuunt, quantò minus humanæ Christi Naturæ τῷ Λόγῳ personaliter unitæ & ad dextram Patris collocatæ eam denegare debebant? Non quidem probamus illam hypothesin, sed κατ' ἄνθρωπον ex ea argumentum ducimus.)

In Psalterio Mariæ sæpius acclamant B. Virgini: *Domina nostra omnipotens.*

In Antidotario animæ Mariam sic compellant. *Scio, quia potes omnia, quæ vis, nulli dans repulsam, vitam æternam mihi tribuas.*

Costerus in Medit. in Hymnum, *Ave maris stella* p. 61. *Ut mater Regis nihil non potest in universo Filii regno, ita tu mater Dei omnia potes in cœlo & in terra.*

Idem in Enchirid. pag. 359. *Clarè dicit Christus, eandem potestatem accepturos à Deo statim à morte sanctos in cœlo, quam ipse accepit à Patre suo in Psal. 2. promissam. Datur igitur Sanctis autoritas impios cogendi, cohibendi, puniendi & pios ex ipsorum manibus eripiendi.*

Blasius de Viegas in Comment. super Apoc. p. 543. *Maria est per excellentiam Domina & Princeps omnium creaturarum constituta super omnem creaturam.*

Suarez. tom. 2. Comment. in Thomam Disp. 23. sect. 2. p. 209. adducit & approbat dictum Gregorii Nicomediensis, qui in Orat. sua *Virginem Deiparam* vocat *omnipotentem.* Ac Petri Damiani serm. 1. de nativ. Mariæ: *Data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra, & nihil tibi impossibile est.*

Thesis secunda. Christo homini, sive secundum humanam Naturam, data est vere divina & infinita scientia, sive omniscientia.

Antithesis. Ex communicatione idiomatum generaliter negata colligitur, etiam omniscientiæ divinæ communicationem à Pontificiis negari.

Nostram sententiam confirmamus,

1. *ex manifestis dictis.* Esai. 11. v. 1. Luc. 2. v. 40. Johan. 2. v. 25. cap. 3. v. 34. cap. 21. v. 17. Col. 1. v. 19. cap. 2. v. 3.

2. *ex potestate judicium faciendi* Christo data Joh. 5. v. 27. ad eam enim requiritur *manifestatio*, ac proinde etiam introspectio *occultorum cordis*, 1. Corinth. 4. v. 5.

3. *ex cultu adorationis* Christo secundum utramque Naturam debito, ut postea demonstrabitur. Is enim præsupponit, Christum etiam ut hominem occultos cordis nostri gemitus intelligere & intueri.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Gregorius lib. 8. Epistol. 42. *Agnoëtas* Christum omniscium esse negantes refellit inter cætera sic scribens: *Nam Quisquis Nestorianus non est, Agnoëta esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret?*

2. Quod quidam agnoscunt, Christum hominem omnia scire per communicatam sibi omniscientiam.

Thomas part. 3. q. 12. art. 2. secutus Lombardum 3. Sent. dist. 13. lit. B & E animæ Christi tribuit *scientiam increatam, quæ nullo unquam tempore creverit.* (Per hanc increatam scientiam aut intelligunt ipsam divinam omniscientiam Christo homini cum aliis attributis divinis personaliter communicatam, quæ sententia conformis est Scripturæ sacræ, & hac ratione habent nos sibi ὁμοψήφους, vel statuunt, scientiam illam increatam & beatam esse à divina omniscientia distinctam, eandemque subjectivè animæ Christi inhærere, quæ opinio pugnat cum sacris literis, siquidem fingit duas in Christo omniscientias, divinam scilic. τῷ Λόγῳ propriam, & beatam atque increatam scientiam, subjective animæ Christi inhærentem, qua ratione incidunt in illud absurdum, quod Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 10. nobis objicit, quando ex communicatione idiomatum sequi putat, *duo esse in mundo omnipotentia, immensa & infinita, nimirum Deitatem & humanitatem Christi.*)

Lyranus in cap. 3. Joh. *Christus in divina Natura habet eandem scientiam cum Patre, in humana Natura omnia cognoscit, quæ Deus cognoscit notitia visionis.*

Dionysius Carthusianus in cap. 16. Johan. fol. 364. *Christus non solum ut Deus, sed insuper ut homo cognovit universorum cordium abdita, & quicquid in tota creatura unquam fuit, est aut erit.*

Idem in cap. 1. Apoc. fol. 194. *Omnium rerum cognitio, universorumq; secretorum revelatio facta est animæ Christi in primo incarnationis instanti.*

Jacobus Faber Stapulensis in Luc 2. v. ult. num. 36. agnoscit, *in Christo juxta hypostasin fuisse æternam Dei sapientiam & gratiæ plenitudinem etiam à virgineo matris utero, solum quod externa manifestatione sese illa omniscientia patefecerit.*

Bellarmin. lib. 4. de Christo cap. 1. §. ult. *Catholicorum communis semper fuit sententia, Christi animam ab ipsa sua creatione repletam scientia & gratia, ita ut nihil postea didicerit, quod ante nesciret. Ita docent cum Magistro* (Lombardo) *omnes Theologi* (Scholastici) *& omnes Patres.*

(Atqui repletum esse scientia tanta, ut nihil postea discas, quod ante nescieris, est esse omniscium. Omniscientia autem illa sive infinita & increata sapientia est τῷ Λόγῳ essentialiter propria, carni assumtæ *personaliter* communicata.

Lib. ejusd. cap. 2. §. 1. *Christi animam ab ipsa creatione sapientia plenissimam fuisse*, asserit.

§. ult. *Licet Johannes & alii homines ita fuerint pleni initio, ut potuerint proficere, tamen Christum non potuisse proficere, quia initio accepit gratiam* (& sapientiam) *sine mensura, alii vero acceperunt*

perunt cum mensura. Nam de Christo dicit Johannes cap. 1. De plenitudine ejus omnes accepimus. Non enim secundum mensuram dat Deus Spiritum, nempe Filio suo. De aliis dicitur Ephes. 4. Unicuiq; nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Unde dicitur Johannis ultimò, Tu nosti omnia. Et Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.

(Si de Sapientia & Omniscientia divina atque infinita Christo homini personaliter communicata hæc intelligantur, verissima sunt.)

Lib. ejusd. cap. 4. §. 1. *Non esse ullo modo credibile, ut Verbum personaliter factus sit homo, & non simul effuderit in ipsa incarnatione in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat. Nam si fecit illam animam, animam suam propriam, ita ut vere dicatur & sit anima Dei, quomodo verisimile est, non illam continuò sapientissimam reddidisse? Absurdum enim est, animam Sapientiæ aliquando insipientem fuisse.*

(Hæc si de communicatione personali Sapientiæ vere divinæ & infinitæ accipiantur, vere dicuntur.)

Idem lib. & cap. iisdem, §. Secunda ratio. *Sapientia & Gratia Christo homini naturalis fuit ut docet Augustinus in Enchiridio cap. 40. non quidem, quod non fuerit à Deo animæ infusa sed quia in Christo ab intrinseco principio & per modum Naturæ fluebat, siquidem ipse Christus seipsum Gratia & Sapientia replebat, hoc est, ex una Christi Natura in alteram hæc dona redundabant. Ergo non accepit Christus illam Gratiam vel Sapientiam post incarnationẽ, sed in ipsa incarnatione, nam ideo dicitur naturalis, quia statim & abundantissime manavit.*

§. Tertia ratio. *Christus homo in incarnatione cœpit esse Filius Dei. Ergo tunc debuit repleri omnibus donis. Nam Filius est heres omnium bonorum paternorum, nec debuit expectare Christus successionem ex morte Patris, ut notum est. Et hæc esse videtur ratio Cyrilli lib. 1. in Johan. cap. 17. ubi dicit, Deum dedisse Christo omnem Sapientiam & Gratiam, quia Filius erat. Cæteris autem dedisse munera quædam, quia servi sunt, ut etiam legitur fecisse Abraham Genes. 25. qui filio suo Isaac dedit omnia sua adhuc vivens, filiis autem concubinarum largitus est munera.*

§. Quarta ratio. *Christus homo in ipsa incarnatione factus est caput, non solum hominum, sed etiam Angelorum, ut omnes concedunt. Ergo debuit tunc repleri Sapientia &c. Nec enim conveniebat, ut caput esset minus ornatum & minus sapiens, quam sunt membra.*

§. Quinta ratio. *Adam creatus est sapientissimus, ut colligitur ex eo, quod mox à creatione imposuit nomina omnibus animantibus, Genes. 2. Ergo multo magis secundus Adam debuit in ipsa conceptione sapientissimus fieri.*

(Hæc omnia efficaciter concludunt, si de *personali* vere divinæ & infinitæ scientiæ *communicatione* Christo homini in primo incarnationis momento facta accipiantur. Quò minus autem vel *subjectivam* omniscientiæ *inhæsionem*, vel *plenariam communicatæ omniscientiæ usurpationẽ* concedamus, obstat exinanitionis status, alias ex hisce argumentis concludi posset, Christum nec corpore profecisse, nec vere passum & mortuũ esse. Idem statuendum de *dictis Patrum*, quæ in cap. præced. 3. Bellarminus ibidem adducit.)

Thesis tertia. Christo homini, sive juxta humanam Naturam data est potestas *θαυματουργικὴ*, sive miracula faciendi; vis *ζωοποιητικὴ*, sive vivificandi, vis *καθαρτικὴ*, sive mundandi à peccatis, ac potestas *κριτικὴ*, sive judicium faciendi.

Antithesis. Ex negata idiomatum communicatione *in genere*, horum omnium *in specie* negatio colligitur. Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 16. *Christus, ut homo, remittebat peccata, ut instrumentum divinitatis, quod non requirit infinitam virtutem.*

Ibid. *dictum Christi Johan. 5. Pater dedit Filio hominis potestatem faciendi judicium, quia Filius hominis est, potest intelligi eo sensu, ut agatur de potestate judicandi, non quomodocunque &c. sed externus & sensibiliter.*

Vasquez in 1. Thom. Disp. 176. cap. 3. num. 14. statuit, *humanitatem Christi in miraculis perpetrandis fuisse solum instrumentum morale per modum impetrationis.*

Nostram sententiam confirmamus perspicuis Scripturæ dictis.

1. De potestate *θαυματουργικῇ* dicitur Act. 10. v. 38. *Deus unxit Jesum Spiritu Sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes à Diabolo oppressos, quoniam Deus erat cum illo.* Secundum humanam Naturam Christus unctus est *Spiritu Sancto*, secundum eandem data est ei *virtus*, hoc est, omnis potentia in cœlo & in terra, secundum eandem *Deus erat cum ipso.* Ergò etiam secundum eandem donatus est virtute *θαυματουργικῇ*, quæ in miraculorum operatione fuit efficax. Eandem virtutis *θαυματουργικῆς* communicationem probat.

1. *Agentis conditio & status.* Christi vox mortuos in vitam revocans non est tantum humana, sed etiam divina vox; Christi manus leprosos tangens non est tantum humana, sed etiam divina manus, proinde etiam omnipotens vox & omnipotens manus. Si manus hominis viventis opera animatæ substantiæ propria facere potest, quia est hominis animati propria manus, utique etiam manus Christi opera vere divina, miracula scilicet operari potest, quia est ipsius Filii Dei omnipotentis propria manus.

2. *Universalis dominatus.* Christus secundum humanam Naturam *factus est omnium Dominus* Actor. 2. v. 36. *omnia ipsi subjecta* Psalm. 8. v. 7. *constitutus est super omnem principatum & dominationem* Ephes. 1. v. 20. Ergo etiam secundum humanam Naturam miracula facere potest.

3. *Assumtæ Naturæ in miraculis usus.* Christus miracula faciens corporeo usus est ministerio & attactu, voce enim excitavit mortuos, manus tactu sanavit leprosum, luti illitu oculos cœcorum aperuit, ut humanam suam Naturam *δυνάμεως θαυματουργικῆς* participem esse ostenderet.

2. De potestate *ζωοποιητικῇ* dicitur Johan. 5. v. 26. *Sicut Pater vitam habet in seipso, sic dedit Filio habere vitam in seipso*, unde etiam homines spiritualiter in peccatis mortuos sua voce ac prædicatione vivificare potest v. 25. ac sicut corpus Adæ propter unionem cum Spiritu vivente sive anima factum est vivens: sic homo assumtus propter purissimam ad *λόγον* vivificum unionem *factus est in Spiritum vivificantem* 1. Cor. 15. v. 45. hoc est. homo assumtus per & propter unionem Spiritu vivificante est unctus, adeoque virtute vivificandi donatus.

3. De potestate *καθαρτικῇ* dicitur 1. Johan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei mundat nos ab omnibus peccatis.* Hebr. 9. v. 14. *Sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit Deo sanctificat conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Unde etiam Christus de seipso dicit Matth. 9. v. 6. Marc. 2. v. 10. Luc. 5. v. 24. *Filius hominis habet in terra potestatem remittendi peccata, ac in suo nomine*, quod complectitur non solum divinam, sed etiam humanam Naturam, jubet *prædicare remissionem peccatorum* Luc. 24. v. 47.

4. De potestate *κριτικῇ* dicitur Johan. 5. v. 27. *Pater dedit Filio potestatem faciendi judicium, quia Filius hominis est*, Hanc potestatem faciendi judicium esse attributum vere divinum, patet ex eo, quia complectitur, tum *omniscientiam*, tum *omnipotentiam*. Eandem Christo etiam *secundum humanam Naturam* competere, patet tum *ex appellatione*, quia hic judex vocatur *Filius hominis*, Dan. 7. v. 13. Matth. 16. v. 27. cap. 19. v. 28. cap. 24. v. 30. cap. 26. v. 64. *Christus* Act. 10. v. 42. Rom. 2. v. 16. cap. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. *Vir* Act. 17. v. 7. *Dominus* 1. Thessal. 4. v. 16. 2. Thess. 1. v. 7. Judæ v. 14. quæ appellationes vel tantum secundum humanam Naturam, vel certe secundum utramque Naturam Christo competunt; tum *ex judicis hujus descriptione*, dicitur enim hic judex *venturus in nubibus cœli* Dan. 7. v. 13. Matth. 24. v. 30. cap. 26. v. 64. *sessurus super sedem gloriæ* Matth. 25. v. 31. *conspiciendus ab omnibus* Zachar. 12. v. 10. Matth. 24. v. 30. Apocal. 1. v. 7. &c. tum ex *temporis determinatione*, quia hæc potestas *κριτικὴ* dicitur Christo *in tempore* data Dan. 7. v. 13. Luc. 22. v. 69. Johan. 5. v. 22. & 27. tum *ex particulæ διοριστικῆς ac δεικτικῆς adjectione* Johan. 5. v. 27. tum *ex antegressa exinanitione*, tum *ex ascensionis & reditus ad judicium collatione* Act. 1. v. 11. tum *ex muneris hujus conditione*, quia judicium facere pertinet ad officium Christi Regium; jam verò, quæ ad officiũ Christi pertinent, secundum utramque Naturam ipsi competunt.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam agnoscunt, Christo datam esse potestatem *θαυματουργικήν*.

Thomas part. 3. q. 43. art. 2. *Anima Christi consideratur dupliciter, Primo secundum propriam virtutem sive naturalem, sive gratuitam.* (subjective & habitualiter ipsi inhærentem.) *Secundo, ut est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti, sic enim habuit instrumentalem virtutem ad immutationes miraculosas faciendas.* Fuit autem instrumentum non separatum & *ἄεργον*, sed unitum & *ἐνεργητικόν*.)

Gerson in serm. de quatuor domibus Dominic. XIX. post Pentecost. scribit, *Humanitatem propter ipsius ad Verbum hyposta-*

hypostaticam unionem, tanquam causam secundam in omnibus Christi miraculis communicasse.

Jodocus Clichtovæus in Damascen. lib. 3. cap. 15. *In homine anima rationalis efficiendi primatum primariamque agendi autoritatem obtinet, movetque corpus ut suum organum, cujus usu & ministerio suas exercet functiones, siquidem in omni efficientium genere instrumentum inferiorem habet agendi rationem, quam id, cujus est instrumentum. Haud aliter in Christo divinitas præcipuum efficiens humanitate ejus, ut conjuncto organo unitoque utebatur ad divinas actiones perficiendas, neque solum corporis, sed & animæ officio miracula operabatur.*

Et postea. *Propter hujusmodi alternationem & mutuam cooperationem, qua utraque in Christo Natura operabatur sibi propria cum alterius communicatione, ipse Christus ut ait litera,* (Damascenus) *non humanitus faciebat humana, id est, secundum solam humanam Naturam & more aliorum hominum, nam & illa coefficiebat divinitas, vivificas & nobis salutares reddens passiones, quas corpus ejus sanctum tolerabat. Neque itidem Christus divina operatus est signa Deitus & per solam Naturam divinam, ut Pater aut Spiritus sanctus, cooperabatur enim illi & Natura humana, ut divinitatis organum & instrumentum.*

Feuardentius in Dialogis p. 300. §. 10. *Non persequar ulterius, quo pacto solo tactu vivificantis carnis suæ cæcos illuminavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, his ostendendo, humanitatem suam plenam esse vitæ ac virtutis, imo & ipsam esse salutis humanæ causam efficacissimam, proindeque non nisi impie posse cum fistulis & canalibus conferri.* Confer p. 548. §. 8.

Johan. de la Haye in Quadrig. Evang. cap. 55. not. 3. citat illud Theophylacti in cap. 7. Luc. *Non solum verbo facit miraculum, sed & loculum tangit, ut discamus, quod corpus ejus corpus vivificum sit. Quoniam enim caro ejus facta est propria Verbi omnia vivificantis, propterea vivifica est ipsa, tollitque mortem & corruptionem.*

Ibid. citat illud Euthymii in idem caput 7. Luc. *quemadmodum ferrum, quod in igne aliquanto tempore permansit, habet ignis operationes: ita quoque sancta ipsius caro divinitati unita, quæ divinitatis sunt operabatur.*

Similia dicta Eliæ Cretensis & Victoris Antiocheni citat cap. 73. not. 12. & cap. 76. not. 2.

Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 7. dub. 6. num. 155. *Humanitas Christi fuit instrumentum conjunctum ad patranda opera miraculosa, cui etiam hic honor præ cæteris debebatur.*

(At si humanitas est instrumentum conjunctum, utique communem habuit vim à Λόγῳ & in Λόγῳ.

Idem Tannerus ibid. *In aliis sanctorum aut rerum sanctarum miraculis existimo, solum intervenisse concursum moralem, quia umbra Petri v. gr. cum esset solum aliquid negativum, non potuit habere efficientiam physicam ad aliquid operandum.*

Gregorius de Valentia tom 4. Disp. 1. q. 13. col. 331. discedit à Durando, qui putavit, *humanitatem Christi ad miracula non concurrisse tanquam causam effectivam, sed solum tanquam moralem & conditionem, sine qua noluit Verbum divinum miracula operari.* Ab hac inquam, Durandi opinione discedit Gregorius & concedit *humanitatem Christi esse vere & proprie effectivam causã*

Lorinus in cap. 2. Act. fatetur, *humanitatem Christi ad sui ipsius resurrectionem esse cooperatam.*

(Atqui hoc est effectus veræ divinæque omnipotentiæ.)

Estius in 4. sent. dist. 48. § 3. fol. 324. fatetur, *humanitatem Christi esse instrumentum resurrectionis mortuorum,* quod probat *quatuor rationibus,* & deinde subjicit, *fieri id actione occulta & nobis incognita, sicut nos latet, qualis sit operatio magnetis attrahentis ferrum non contiguum.*

(At resuscitatio mortuorum est miraculum divinæ & infinitæ virtutis proprium.)

2. Quod agnoscunt, Christo datã esse potestatẽ ζωοποιητικήν.

Bonaventura in 3. sent. dist. 13. q. 1. n. 28. *Augustinus super Johan. Unius Naturæ sunt vitis & palmes. Propter quod, cum Deus esset, cujus Naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana Natura, cujus & nos esse palmites possemus. Omnino enim idem est de capite, quod de vite intelligendum.*

Ibid. num. 32. *Glossa. Secundum humanitatem dici potest principium Ecclesiæ, quia super fidem humanitatis ejus Ecclesia fundata est.*

Durand. à S. Portiano in 3. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 1. *Illud, quod est ejusdem Naturæ cum membris Ecclesiæ, excedit tamen ordine, perfectione & virtute, habet rationem capitis. Sed Christus, secundum quod homo, est hujusmodi. Ergo Christus, secundum quod homo, est caput Ecclesiæ. Minor declaratur. Quia Christus secundum quod homo est unius Naturæ cum hominibus, qui sunt membra Ecclesiæ. Excedit autẽ in ordine, quia gratia ejus altior est & prior dignitate, et prius tempore, quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Rom. 9. Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Excedit etiam in perfectione, quia ipse habet plenitudinem gratiarum, quæ in aliis sunt divisæ, secundum illud Joh. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Habet etiam virtutem influendi sensum & motum spiritualem membris Ecclesiæ, secundum illud Joh. 1. De plenitudine ejus accepimus omnes.*

Lyranus in Comm. 1. Cor. 15. *Plenitudo vivificantis Spiritus fuit in Christo, non solum ad sufficientiam, sed etiam per redundantiam ad alios.*

Maldonatus in Joh. 5. v. 26. *Euthymius mihi videtur rem attigisse Vitam, inquit, habet in semetipso, id est, ad modum fontis facit scaturire vitam. Loquitur igitur de Filio, quatenus homo est, ut Cyrillus ait, cui dicit dedisse Patrem, ut vitam in semet haberet, id est, ut quemadmodum Pater omnis vitæ fons & cui vult, eam dat, cui vult, tollit: ita Filius omnis in se vitæ fontem contineret, & eam cui vellet, daret, cui vellet, auferret. Hunc esse sensum, ex eo perspicuum est, quod nihil aliud voluerit his verbis Christus probare, quam quod antea dixerat v. 21. Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.*

Et postea, *Augustinus & alii hunc locum de Filio, quatenus Deus est, interpretati per æternam generationem hoc Patri Filio dedisse dicunt. Nos cum Cyrillo hoc illi dedisse, cum fecit, ut homo ille Christus in unam cum filio suo personam uniretur, cum constituit illum Regem & Redemtorem, judicem vivorum & mortuorum. Hoc enim illi necessarium erat tribus illis functuro muneribus, ut vitam, quibuscunque vellet, dare posset.*

Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæreses verbo Eucharistia hær. ult. *Quod Joh. 6. dicitur, Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam, sic exponunt Theophylactus & Cyrillus, id est, caro ista, quam dixi vivificaturam eum, qui illam sumserit, suapte Natura hoc efficere non valebit, tamen hoc efficiet, propter inhabitantem in ea Spiritum Filii Dei. Nam hic Spiritus est, qui vere vivificat, caro autem sola nihil prodesse poterat, sed propter conjunctionem cum Verbo ad altiorem quandam dignitatem elevata est, ut vivificatrix esse possit. Quemadmodum enim, si alicui liquori mel infundas ac misceas, totum liquorum dulcem facit, eamque illi tribuit proprietatem, quam alias non habebat: sic divinum Verbum carni unitum, quoniam Verbum vita est, carnem ipsam etiam vivificatricem fecit, atque ideo caro ex se non prodest quicquam, sed à Spiritu habet, ut vivificare possit.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 1. q. 8. punct. 4. *Verissimum est, quod communiter Catholici Doctores explicant, videl. Christum* (qua hominem) *esse singulare & unicum Ecclesiæ caput mysticum, quatenus per redemtionem ac meritum suum absolutissimum influit gratiam in Ecclesiam. Itemque, quatenus eandem gratiam effective producit, ut instrumentum cum divinitate conjunctum, & denique sit caput est universa Ecclesia.*

Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 2. art. 13. adducit & adprobat dictum Theophylacti in cap. 6. Johan. *Nuda hominis caro nihil prodesse potest, sed quia Deus univit sibi carnem, secundum ineffabilem contemperationem, vivifica est & caro, non quod in Dei Naturam transierit, absit; sed ad similitudinem candentis ferri, quod & ferrum manet, & ignis ostendit operationem. Sic igitur & Domini caro, manens caro, vivifica est, sicut Dei caro.*

Huc pertinet quod agnoscunt potestatem dandi gratiam & Spiritum Sanctum, itemque salvandi Christo secundum humanam Naturam esse datam. (Nam illa potestas cum potestate ζωοποιητικῇ ac vitam spiritualem conferendi est realiter una atque eadem.)

Thomas part. 3. q. 8. art. 1. *Dare gratiam aut Spiritum sanctum convenit Christo secundum quod Deus autoritative; sed instrumentaliter ei convenit, secundum quod homo est, inquam scil. ejus humanitas fuit instrumentum divinitatis ejus. Et ita actiones ipsius ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferæ, utpote gratiam in nobis causantes, & per meritum & per effectum sive efficaciam quandam.*

Art. 5. *In anima CHRISTI recepta est gratia secundum maximam eminentiam, & ideo ex eminentia gratiæ, quam accepit, competit sibi, quod gratia illa ad alios derivetur, quod pertinet ad rationem capitis.*

Idem quæst. 19. art. 1. *Actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis, potest tamen habere aliam operationem, prout est res quædam. Sic ergo operatio, quæ est humanæ Naturæ in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis,*

tatis, non est alia ab operatione divinitatis. Non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi & divinitas ejus. habet tamen humana Natura in Christo inquantum est Natura, quandam propriam operationem prater divinam ut dictum est.

3. Quod agnoscunt potestatem mundandi à peccatis, eademque remittendi αὐτοκρατορικὴν Christo datam.

Alphonsus Tostatus in cap. 9. Matth. q. 6. *Quando agit Christus de rebus magna excellentia, appellat se filium hominis. Et ita fuit hic, quia agebatur de remissione peccatorum, qua ad solum Deum pertinet, ut videatur, quod ista operatio communicata est homini per unionem humana Natura ad divinam personam.*

Cornel. Jansenius in Concord. Evang. cap. 32. *Docet Christus potestatem dimittendi peccata competere sibi, etiam quatenus homo est & non solum quatenus Deus. Remittit autem Christus quatenus homo aliter peccata quam Sacerdotes. Sacerdotes enim solum remittunt tanquam ministri Christi. Christus vero remittit autoritative & meritorie sua morte, expians hominum peccata.*

4. Quod agnoscunt potestatem κριτικὴν Christo datam.

Alphonsus Tostatus d. l. *Quando significavit potestatem judiciariam sibi traditam super totum orbem, vocavit se Filium hominis. Scilicet videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majestate,* (traditam intelligit potestatem secundum humanam Naturam, ut patet ex præcedentibus.)

Compendium Theol. tract. 2. cap. 56. *Quia potestas judiciaria ad Christi exaltationem pertinet, sicut & resurrectionis gloria, ideo Christus in judicio apparebit non in humilitate, qua pertinebat ad meritum, sed in forma gloriosa ad pramium pertinente.*

Cornelius Jansenius in cap. 36. Concord. Evang. *Hilarius, Chrysostomus & Theophylactus dictum Christi, Pater omne judicium dedit Filio, sic intelligunt, ut Pater dicatur Filio dedisse potestatem judicandi, gignendo eum & dando ei Naturam &c. Hunc tamen sensum hoc loco non convenire, ostendit Augustinus sic scribens lib. 1. de Trinit. Quod dicitur, omne judicium dedit Filio, non secundum illam locutionem dictum est, qua dicitur, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, ut significaret, quia sic Filium genuit. Si enim sic diceretur, non utique diceretur, Pater non judicat quenquam. Secundum hoc enim, quod Pater aqualem genuit Filium, judicat cum Filio. Secundum hoc ergo dictum est, quod in judicio non in forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit. Quomodo & Cyrillus intelligit: Datum, inquit, sibi à Patre judicium ait, non quia potestatem hanc* (quam Deo propriam Scripturas facere Jansenius in præcedd. verbis probat ex Psal. 81. & 74.) *ipse Naturâ non habeat, sed per dispensationem, ut homo. Itaque intelligere oportet datum Filio judicium in incarnatione ipsius, quando assumta forma, in qua ab omnibus videri posset, dedit ei potestatem judicandi homines sensibiliter &c.*

Sebastianus Barradius in Concord. Evangel. tom. 2. p. 376. *Adverte, Christum à Patre accepisse judicandi potestatem, tum secundum divinam Naturā per aternam generationem, tum secundum humanam Naturam in tempore. De potestate, quam secundum humanam Naturam accepit, est hic* (Johan. 5. v. 27.) *sermo: judicabit, ait, Filius hominis, quia homo est. Æquum enim est, ut quemadmodum per hominem homines sunt redemti: ita per hominem judicentur, qui Deus sit & homo.*

Idem tom. 3. p. 600. *Dedit ei potestatem & honorem &c Dan. 7. indicatur, Deum trinum & unum dedisse persona Christi secundum humanam Naturam potestatem judicandi & summum illum honorem, quem in die judicii consequetur, regnumque cæli & terra, quod tum perfectissime possidere incipiet, omnibus inimicis sub scabello pedum positis.*

Johannes de la Hayo in Quadriga Evangelii cap. 43. not. 6. allegat illud Bernhardi serm. 73. in Cant. *Ipse Deus Pater dedit Filio judicii potestatem, & non quia suus, sed quia hominis Filius est. O vere Patrem misericordiarum, vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum electo fiduciam præstet Natura similitudo.*

Maldonatus in cap. 5. Johan. v. 27. ex professo refellit Bellarmini effugium, quo lib. 3. de Christo cap. 16. ad enervandam vim argumēti nostri ex verbis Christi ὅτι quia *Filius hominis est,* petiti, inculcat *distinctionem Chrysostomi & Syri Interpretis,* per quam verba illa, (*quia Filius hominis est*) à præcedentibus divelluntur, & ad sequentia referuntur, hoc modo: *Quia Filius hominis est, nolite mirari hoc.* Sed hanc distinctionem, vel potius divulsionem Maldonatus his impugnat verbis: *Mirū, persuasisse sibi Chrysostomū & qui Chrysostomū sequi solent, Theophylactū & Euthymium, hunc locum mutato uno puncto à Paulo Samosateno fuisse corruptum, ac ultima hac verba, quia Filius hominis est, non cum pracedentibus, sed cum sequentibus esse jungenda &c. Miror, inquam, hoc sibi autores illos persuasisse, cum tam perspicuum sit, nostram lectionem, quam illi Samosateno tribuunt, esse meliorem. Primum quorsum nunc diceret Christus, Et potestatem dedit ei judicium facere, cum idipsum v. 22. ante dixisset, omne judicium dedit Filio, si nihil ad eam sententiam additurus erat? Nam ut nos quidem legimus, etsi eadem sententia repetitur, additur causa, quia Filius hominis est, qua efficit, ut ne frustra addita esse videatur. Deinde si hac verba, quia Filius hominis est, cum sequentibus jungenda essent, non dixisset Christus, Quia filius hominis est, nolite mirari, perversa & inusitata verborum collocatione, sed nolite mirari, quia Filius hominis est. Hic enim naturalis erat verborum fluxus. Praterea quid faceret Pronomen illud* τοῦτο *hoc, additum ad finem. Nolite mirari hoc? Si enim superiora verba ad verbum mirari referuntur, jam verbum suum habebat accusativum, nec alterum poterat admittere. Denique & Augustinus hoc loco & lib. 1 de Trinit. c. 13. & lib. quinquaginta homiliarum, homil. 22. & Vigilius lib. 2. contra Eutych. Beda & Latini omnes, Gracus vero Cyrillus ita legunt, quemadmodum in Latinis Codicibus habemus.*

Et postea. *Probavimus jam ante, hic non agi de Filio quatenus Deus, sed quatenus homo erat. Nam etiamsi etiam ut Deus & potestatem, & Naturam ipsam accepit per aternam à Patre generationem, tamen non agitur hic de ea potestate, quam ab omni habuit aternitate, sed quam in tempore habere cœpit &c. Dictio etiam emphatica est, significans, aut Patrem filio non solum curandi paralytici, quod illi mirabantur, aliaque ejusmodi miracula faciendi, non solum suscitandi mortuos, ut antea dixerat, sed etiam vivos & mortuos judicandi dedisse potestatem; aut non solum Patrem ipsum judicandi potestatem habere, sed eam etiam omnem in filium transtulisse, quia Filius hominis est, hoc est, quia personam gerebat ad fungendum officium Judicis accommodatum.*

Thesis quarta. Christo homini, sive juxta humanam Naturam, data est omnipræsentia, hoc est, *prasens ac potens in cælo ac terra dominium;* insuper etiam illud humanæ ipsius Naturæ datum, ut vi unionis personalis &, exaltationis ad dextram Dei possit esse *simul in pluribus locis prasens.*

Ἔκθεσις Omnipræsentia humanæ Christi Naturæ, quam asserimus 1. non est *immensitas.* 2. nec est *prasentia extensiva, expansiva, diffusiva, multiplicativa, inclusiva, circumscriptiva, localis, physica, naturalis* & quæcunque alia, quam mens humana juxta suos λογισμοὺς effingit. 3. sed est *divina, illocalis, inextensiva, incircumscriptiva, incomprehensibilis,* & omnem mentis humanæ captum longissimè excedens præsentia.

Antithesis. Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 11. *Ubiquitas repugnat expressis Scripturis, qua dicunt, Christum hominem ratione humanitatis alicubi non fuisse.*

Cap. 12. *Pugnat Ubiquitas cum articulis Symboli de Christi conceptione, nativitate, morte, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione & descensu ad judicium.*

Ibid. *Illud certum est, Christi corpus nunc esse visibile & palpabile, & tantum spatium occupare, quanta est moles ista corporis & esse in cælo isto corporeo, sive sit intus, ut aliquis dicitur esse in domo, sive sit supra, ut aliquis dicitur esse in tecto.*

Cap. 13. *Pugnat Ubiquitas cum Sacramento Eucharistia.*

Busæus in Apolog. cap. 7. pag. 211. *Divinitas infinitis locis est, ubi non sit humanitas.*

Jodoc. Coccius tom 2. Thesauri lib. 2. art. 2. inter *erros* refert, quod Jacobus Andreæ contra Valentian. p. 218. scripsit. *Ne illum* (Christum) *in certo aliquo cæli loco à nobis remotissimum fingamus D. Paulus enim errore nos liberat: Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Item quod Chemnicius lib. de duabus Naturis in Christo cap. 30. scribit, *etiam extra Ecclesiam omnia subjecta esse Christi humanitati, & Christi humanitatem omnibus rebus dominari & omnia regere, non per Vicarios, q. à rebus distet, quomodo Reges gubernant provincias per alios, sed habere omnia prasentia.*

Adamus Conzen in Comment. cap. 1. Epistolæ ad Rom. vers. 16. doctrinam *de omnipræsentia CHRISTI secundum utramque Naturam* vocat *infame monstrum.*

Nostram sententiam confirmamus,

1. *ex unione personali,* per quam assumta caro τῷ Λόγῳ ἀδιαστάτως fuit unita, ex qua etiam fluit περιχώρησις illa personalis,

ut nec ὁ λόγος sit extra carnem, nec caro extra τὸν λόγον. Quamvis vero post exaltationem demum CHRISTUS in carne & per carnem omnia in cœlo ac terra ratione plenarii usus gubernare cœperit, tamen in medio exinanitionis statu *majestatē omnipræsentiæ* personaliter communicatam habuit, ac nisi sponte propter nos & nostram salutem se exinanivisset, potuisset in primo statim incarnationis momento plenarium universale dominiū *in carne & per carnem* excere, in cujus rei testimonium radios quosdam illius majestatis sibi communicatæ quandoq; exeruit, quod ipsum evidenter probat, unionem personalem à fundamentis omnipræsentiæ non esse excludendam.

2. *ex promissione* Matth. 18. v. 20. cap. 28. v. 20. Johan. 14. v. 23. ubi loquitur CHRISTUS θεάνθρωπος, promittens gratiosam suam præsentiam fidelibus, non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam, quia pronomen *ego* est totius personæ nomen.

3. *ex ascensione.* Christus ita in cœlos ascendit, ut *supra omnes cælos* ascenderit Ephes. 4. v. 20. ac *cælis factus sit excelsior* Hebr. 7. v. 26. Ergo ipsius ascensio ab Enochi & Eliæ ascensione longissime distat, nec potest ex ea inferri, quod in terris non amplius nobis possit esse præsens, cum terminus ascensionis non sit locus aliquis circumscriptus, sed infinita Dei dextra.

4. *ex sessione ad dextram Dei.* Secundum quam Naturam Christus sedet ad dextram Dei, secundum eam præsens in cœlo ac terra omnia gubernat, ut patet tum ex descriptione dextræ Dei Psal. 77. v. 11. Psal. 139. v. 7. 8. 9. Esai. 48. v. 13. Matt. 26. v. 64. Luc. 22. v. 69. Hebr. 1. v. 3. tum ex ipsius Spiritus sancti explicatione, qua phrasin *sedere ad dextram Dei* exponit per τὸ *regnare* Ps. 110. v. 2. 1. Corinth. 15. v. 25. & per τὸ *omnia implere,* præsentia scilicet majestatis Marc. 16. v. 19. Ephes. 4. v. 10. Confer etiam Ephes. 10. v. 2. 21. & 22. 1. Petr. 3. v. 22.

5. *ex omnium impletione.* Ascendit Christus *super omnes cælos, ut omnia impleret,* Eph. 4. 10. omnipræsente sc. majestate & omnipotente dominio, quem esse phraseos hujus sensum, patet ex Jer. 23. Sap. 1. v. 7.

6. *ex omnium subjectione. Omnia* Christo secundum humanam Naturam *sunt subjecta* Psal. 8. v. 7. 1. Corinth. 15. v. 27. Ephes. 1. v. 12. Hebr. 2. v. 8. ita ut nihil quicquam ab universalitate illa exceptum sit, præter eum, qui subjecit ei omnia. Ergo etiam omnia loca & omnia locorum διαστήματα ei sunt subjecta, ut nulla ratione ipsum impedire possint, quo minus promissionem suam implere, nobisque præsens adesse queat.

7. *ex dominatione.* Christus secundum humanam Naturam *factus est Dominus* Act. 2. v. 36. & ad dextram Patris exaltatus regnat ac *dominatur in medio inimicorum suorum* Psal. 110. v. 2. 1. Corinth. 15. v. 25. *dominatur à mari usque ad mare* Psal. 72. v. 8. Zachar. 9. v. 10. Ergo etiam præsens est in cœlo ac in terra.

8. *ex capitis conditione.* Christus est Ecclesiæ caput non solum *secundum divinam,* sed etiam *secundum humanam Naturam,* ut ostendit capitis & membrorum ὁμογένειαν, Ephes. 5. v. 24. & probatur ex eo, quia per collocationem ad Dei dextram, & subjectionem omnium datus sive constitutus est *caput super omnia* ipsi Ecclesiæ, Eph. 1. v. 22. Col. 1. v. 18. Jam vero non convenit caput à membris per locorum διαστήματα sejungi ac separari.

9. *ex regii officii administratione.* Nomina officii competunt Christo secundum utramque Naturam. Adesse Ecclesiæ, eandem regere ac defendere, dominari in medio inimicorum, sunt nomina & opera officii, regii scil. Ergo.

10. *ex invocatione.* Secundum quam Naturam Christus à nobis invocandus, secundum eandem etiam nobis præsens est, quia objectum religiosæ invocationis ejusdem presentiam requirit, Deuter. 4. v. 7. Ps. 91. v. 15. Ps. 145. v. 18. Esai. 55. v. 6. Jam vero Christus secundum utramque Naturam à nobis invocandus, ut postea demonstrabitur. Ergo.

11. *ex Christi apparitione,* Paulus in via ad Damascum *videt Jesum* Act. 9. v. 27. sequenti nocte *assistens ei Dominus ait, Constans esto* Act. 23. v. 11. *Dominus mihi adfuit & corroboravit me,* 2. Timoth. 4. v. 17. ex quibus apparitionib. probat *resurrectionem Christi* 1. Cor. 15. v. 8. Stephanus *videt Jesum stantem à dextris Dei* Act. 7. v. 59. Johannes *videt Christum ambulantem in medio candelabrorum aureorum,* id est, Ecclesiarum, Apoc. 1. v. 13. cui typo omnino respondere debet antitypum.

12. *ex sacræ Cænæ institutione.* Secundum eam Naturam Christus in terris præsens est, cujus præsentiæ testimonium in sacra Cœna nobis reliquit. Atqui in sacra Cœna datur testimonium præsentiæ non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam, quia mediante benedicto pane distribuit nobis suum corpus; & mediante benedicto vino distribuit nobis suum sanguinem. Ergo.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, humanitatem non esse à divinitate post factam unionem uspiam sejunctam.

Leo de incarnat. necess. serm. 8. *Utrique Naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quicquid est ibi Dei, non sit ab humanitate disjunctum, quicquid autem est hominis, non sit à Deitate divisum.*

Busæus in Apol. cap. 7. p. 209. concedit, *divinitatem non fore extra humanitatem, si ea totaliter seu secundum totum unita sit.*

(Jam vero Damascen. lib. 3. orthox. fid. cap. 6. citat dictum Dionysii, quod *Deitas in una suiipsius hypostaseon* ὁλικῶς *nobis communicaverit.*

Johannes Ertlinus Doctor Pontificius in Concione quadam Ingolstadii excusa inter cætera sic loquitur: *Christus post sanctam suam passionem, mortem & resurrectionem se nec separari amplius, nec dividi, nec dimidiari patitur, sed ubi una quadam pars ad personam ipsius substantialiter pertinens adest, sive sit caro, sive sit sanguis, corpus seu anima, ibi simul omnes reliquæ sint oportet, quinimo perfecta & insuper ipsius humanitas & sanctissima divinitas. In summa, sicut nunc & semper sedet ad dextram Patris sui cælestis, ita ut corpus ipsius non sit seorsim in aliquo loco sine sanguine, & sanguis ejus itidem alio in loco sine corpore, sed ambo simul, imo vero etiam anima & divinitas conjunctim adsit in una persona: sic quoque, & non aliter, est etiam in venerando Sacramento, & quidem sub qualibet specie illius æque ac sub utraque.*

(Hæc de omnipræsentia hypostatica recte dicuntur, ad Sacramétalem vero præsentiam minus recte accomodantur.)

2. Quod agnoscunt, Christum suo corpore simul & semel in pluribus, imo in omnibus locis præsentem esse posse.

c. In Christo. dist. 2. de consecrat. *Num, quia in multis locis offertur sacrificium, multi sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus,* (non solum divinitate, sed etiam corpore suo, ut patet ex præcedentibus.)

c. Prima dist. ead. ex Augustino. *Donec seculum finitur, sursum est Dominus, sed tamen hic etiam est nobiscum veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse oportet, veritas autem ejus ubique diffusa est.*

c. Quid sit sanguis. dist. ead. *Sicut divinitas Verbi Dei una est, quæ totum implet mundum, ita licet multis locis & innumerabilibus dieb. illud consecretur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed unum corpus Christi, & unus sanguis cum illo, quod sumsit in utero Virginis, & quod dedit Apostolis. Divinitas Verbi enim replet illud, quod ubique est, & conjungit & facit, ut sicut ipsa una est, ita conjungatur corpori Christi, & unum corpus ejus sit in veritate.*

Scholastici in 4. sent. dist. 20. communiter concludunt, quod *unum idemque corpus divina virtute simul esse possit in pluribus locis, cum locus non sit de intrinseca ratione corporis, sed ponat duntaxat in eo respectum extrinsecum. Possunt autem plures respectus extrinseci simul in eodem fundamento esse.*

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 11. *Quomodo, inquis, corpus Christi unum eodem tempore in diversis locis esse potest? hic est, ibi est, & totum utrobique est, & in multis locis similiter. Noli mirari, qui locum fecit, corpus fecit, & locum in corpore, & corpus in loco, & qui, ut unum corpus in uno loco esset, fecit, sicut voluit, fecit; & si voluisset, aliter facere potuisset. Idcirco cum mirari cœperis, & dixerit forte tibi cogitatio tua, quomodo hoc esse possit, cogita facientem, & desinet esse mirabile, quicquid tandem fuerit. Si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile quicquid erit.*

Cap. 12. *Corpus Christi habet hanc dignitatem ex Natura unionis cum divinitate, ut simul sit in multis locis.*

Biel. 4. sent. dist. 11. *Non solum in diversis locis potest esse corpus Christi definitive & Sacramentaliter, sed etiam & ipsum & aliud corpus quodlibet esse potest per divinam præsentiam in pluribus locis circumscriptive.* Conf. eundem lect. 46. in Can. Missæ.

Förerus in Bello Ubiquet. p. 173. citat locum ex Episcopo Roffensi. *Quis dicit corpus ubique esse? Neque enim sequitur: Potest per operationem Dei corpus aliquod ubique esse: Igitur ita est de facto. Neque enim Deus ad effectum producit, quicquid potest.*

(Quod si ergo per Dei potentiam corpus aliquod potest esse ubique, ergo nulla est contradictio, corpus Christi esse finitum

per

per essentiam, & tamen simul ubique per unionis & exaltationis gratiam.)

Jacobus Faber Stapulensis in cap. 14. Johan. sic commentatur. *Corporalem præsentiam post gloriosam resurrectionem ejus apprehendebant Apostoli. Sed hic præsentiæ modus non erat ille, de quo dicebat, Cognoscetis, quia ego sum in Patre meo & vos in me, & ego in vobis Nam ipsi corporalem ejus præsentiam extra se esse videbant, & se extra eam, sed ipse in Patre erat & in ipsis & ipsi in eo absque modo, nam divine & superintelligibiliter, etsi fide intelligibiliter. Quid enim divinitatem excludere potest, quæ absque modo ubique est? de qua etiam Propheta dicit, Si ascendero in cœlum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Et quid non est in ea, quæ ambit & continet omnia? Qui fide capit, Patrem esse Deum & Filium Dei esse Deum, vere cognoscit quod Filius in Patre est & Pater in Filio, & quod aliter esse non potest. Et gaudet, quod ejus rei cognoscendæ non est modus, & rationem ceu stultam admodum ac deliram ridet, quæ semper modum earum rerum, quarum non est modus quærere vult, & idcirco in vanum fatigatur ac frustra laborat, perinde atque si oculus contenderet videre sonum, qui ipsi est invisibilis. Divina hæc & sublimia mysteria, sonus, fides, auditus, ratio, oculus. Ut ad sonos auris videt & cæcus est oculus: sic & ad divina fides videt, & ratio cæca est. Quòd si ratio quærat à fide, quæ nimirum magistra est, cum de divinis agitur, cum Filius sit in Patre & in omnibus Sanctis, qui sunt in cœlo & in terra, an etiam corporaliter sit?* (puta non ratione *modi*, sed *subjecti* præsentiæ.) *Quidni? sed absque modo, nisi dicas divino & incomprehensibili modo, qui non tam modus, quam non modus dici debet. Et mirum, si id fides non diceret, cum videat simul in India, Africa & Europa locis innumeris Filium Dei in corpore Sacramentaliter esse, quod autem dicitur Sacramentaliter, modus est. Quomodo ergo si subtrahat modum, non videat ubique Filium Dei corporaliter, sed sine modo ac supra omnem modum esse? Ubicunque sane Christus est, incarnatus est. Incarnatus autem sine corpore non est. Et magna fides est, cognoscere Christum corporaliter esse, ubi Sacramentaliter est. Sed major est, cognoscere eum absolute, ubique corporaliter esse, nam hoc est sine modo cognoscere, illud autem cum modo. Fides autem quæ est absque modo, major est, quam quæ modum habet, & illud quodammodo propter hoc est, ut contractum propter absolutum. De quo absoluto cognoscendi modo, qui si est ab omni modo absolutus, non est modus, dicebat Dominus Apostolis, Cognoscetis, quod ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*

(Hunc locum Stapulensis adducunt Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 2. artic. 2. & Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 1. §. Autor hujus &c.)

Idem Stapulensis in 1. Cor. 12. *Vos estis membra Christi ex parte hoc est, pars membrorum Christi, non autem omnia membra Christi. Non enim Corinthii fideles erant totum corpus Christi, imò neque Europa, neq; Asia, neque Africa capax est plenitudinis Christi, corporis inquam Christi, cui corpora nostra spirituali modo uniuntur, & ut sic dicam, incorporantur, quod cœlum implet & terram. Est enim ubicunque Verbum. Nam Verbum caro factum est. Quare Verbũ nusquam sine carne, neque caro illa sine Verbo. Videte ne corporalis imaginatio vos ludat, loca multiplicans, spacia distendens. Neque hic locorum multiplicatio, neque spaciorum distensio intelligitur, sed plenitudo sine loco, supra locum omnem, infra locum omnem, extra & intra locum omnem, sine spacio, supra & infra omne spacium. Et Corpus Christi superspirituali illo modo, qui sine modo est, nulli comparabile, nulli proportionabile, sed corporali modo, quo in terra visus est, & comparabile & proportionabile. Hoc ex assumta infirmitate & modum & comparationem admittens, illud autem ex assumente Natura modum, comparationem, omnemque proportionem diffugiens. Id ratio imaginatione justa non attingit, neque rationabiliter in seipsa manens, verum absurda utrinque loquitur & effingit, sed extra se evadens supernaturaliter superiore mente infusa virtute, ubi neque loca neque spacia, neque numerus, neque multitudo, neque tempora cogitentur, vere sentit & loquitur.*

Contra Stapulensis suffragium opponit Förerus in Bello Ubiquet. p. 176. primò *hanc Stapulensis doctrinam mox Ann. 1525 palam reprehensam fuisse à Facultate Theologica Parisiensi.*

Resp. Contradixit quidem Facultas Parisiensis Fabro, sed ita, ut post istam contradictionem, posteaquam negotium à Rege Galliæ Francisco viris doctis ad examinandum fuisset commissum, Stapulensis ab hæresi liber pronunciaretur. Qua de re legi potest Sleidanus lib. 5. de statu relig. ad An. 1525. ubi commemorat, *Fabro à viris doctrina claris amplum & honorificũ testimonium apud Regem datum fuisse, quo quidem motus ille ad Senatum Parisiensem scripserit, grave sibi futurum, si qua Stapulensi innocenti molestia vel periculum crearetur.*

Secundo. *Natalem Bedam Anno proxime secuto in Annotationibus contra Fabrum editis ad propos. 114. aperte protestatum esse, doctrinam illam Fabri Ubiquetisticam esse in Ecclesia novam, inauditam & monstrosam.*

Resp. Stapulensis æque fuit Pontificius Doctor ac Beda. Scripsit etiam Beda ille contra Erasmum, sed non defuit ipsi defensio legitima, qui in Bedæ Censuris supputavit *mendacia centum octoginta unum, calumnias trecentas & decem, blasphemias quadraginta septem*, ut videre est in libro Supputationis Ann. 1527. edito. Certè Trithemius Abbas Spanheimensis Jacobum Fabrum nominavit *unicum decus totius Galliæ, & celeberrimum Philosophum & virum religiosissimum, qui divino quodam munere non solum omnes Philosophiæ partes à caliginosa Sophistarum barbarie vindicaverit, sed etiam rebus divinis se totum dederit, qui implicita explicet, obscura elucidet, innodata enodet.*

Johannes de Rada part. 4. controversiarum inter Thomam & Scotum controv. 8. p. 294. *De quæstione, an idem corpus possit esse simul in pluribus locis modo suo naturali seu circumscriptivo, inter Catholicos est duplex sententia. Prima est S. Thomæ, qui etsi confiteatur, idem corpus posse esse in uno loco modo suo naturali, seu circumscriptive, & in multis aliis modo Sacramentali, ut fides docet, negat tamen, posse esse modo naturali & per divinam potentiam absolutam simul in pluribus locis. Idem statuunt Bonaventura, Capreolus, Paludanus, Durandus, Henricus, Ægidius, Hervæus, Ferrara &c. Oppositam sententiam tenet Scotus in 4. dist. 10. q. 2. Hugo de S. Victore libr. 2. de Sacram part. 8. cap. 11. Alexander Alens. part. 4. q. 11. artic. 1. § ult. q. 44. membr. 3. Richardus art. 2. qu. 1. Major q. 2. Gabriel q. 1. art. 2. & lect. 46. in Can. Marsilius in 4. q. 7. art. 3. dub. 2. Occam q. 4. Aureolus apud Capreolum dist. 10. q. 1. Alanus libr. 1. de hoc Sacramento cap. 38. Bellarminus lib. 3. de Eucharist. cap. 3. & 4. & communiter omnes fere moderni Scriptores idem tenent.*

In ipsis Comitiis Augustanis Ann. 1530. Fridericus Nausea Doctor Pontificius, & Regis Ferdinandi Concionator aulicus, Carolo Cæsari & Ferdinando Regi Centurias suas Ecclesiasticas dedicatas obtulit, & postmodum Ann. 1349. Explicationem Catechismi Coloniæ impressam edidit, in qua pag. 11. sic scribit: *Sedere Christum ad dextram Patris est esse, habitare, gloriarique ibidem quiete & pacifice, in æquali parique secundum etiam humanitatem Deitati conjunctam judiciaria potestate cum Patre, quandoquidem ipse Pater omne dedit Filio judicium. Non autem sic ad dextram illius sedere credendus est, ut nobiscum, vel maxime in venerabilissimo Eucharistiæ Sacramento altaris adesse nequeat contra nonnullos nostra ætate hæreticos, ipsum illic esse pertinaciter inficiantes; adversum quos ipsamet veritas dixit, Ecce ego vobiscum sum omnibus dieb. usque ad consummationem seculi, Quandoquidem Dominus cœlum ascendit, ac illic ad dextram Patris sedet secundum humanitatem, quæ unita Deitati, non modo nobiscum, sed & ubique est, juxta ipsius verbum, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo: cùm tamen hæc dicens in terris visibiliter & corporaliter conversaretur.* Idem docet, *Quia in una persona duæ Naturæ divina & humana inter se indissolubili copulatione sint conjunctæ, & una sine altera esse non possit, consequi inde, ubi divinitas Christi est, ut ibidem necessariò sit humanitas. Secus si divinitas Christi alicubi esset, ubi non inveniretur humanitas, fore, ut ibi Naturarum præscindatur unio. Jam vero Deitatem Christi esse ubique, ideoq; etiam humanitatem.* Hæc ille, quæ allegant D. Phil. Nicolai lib. 2. de omnipræs. Christ, cap. 11, tom. 1. p. 408. & D. Johannes Schröderus in Sceptro regali p. 771.

Paulus Kemerius Pontificius Scriptor in suis propositionibus, (contra quas Bertrandus Loquæus Cinglianus scripsit) de hoc argumento sic loquitur: *Christum ubique esse corpore, facillimum nobis est, multis & firmis rationibus probare, Primò, quia in gloriam Dei assumtus est. Itaque cum sit glorificatus, nunc corporis conditione mutata ubique præsens est. Secundò quia in ejus persona Naturæ duæ divina & humana ita inter se individuo nexu unitæ sunt, ut neutra absque altera esse possit: unde efficitur, ut ubicunque est Christi divinitas, ibidem & ejus humanitatem esse necesse sit, alioqui si Christi divinitas in aliquo loco sit, ubi ejusdem humanitas non reperitur, scinditur illa Naturarum unio. Atqui Christi divinitas est ubiq; Ergo & humanitas.*

Et paulò post. *Quia Christus omnipotens est, data est enim ei omnis potestas Matth. 28. Ergò corpore suo ubique est, & in terris simul & in cœlo versatur.* (Busæus in Apol. contra Gerlach. edit. 2. fol. 245. & Laurentius Förerus im Überschlag cap. 4. pag. 318. negant, *Jesuitam aliquem Kemeriũ fuisse in rerũ Natura.* Atqui

ludunt in voce Jesuitæ. D. Hunnius, qui Kemerii illius propositiones adducit, non vocat eum *Jesuitam*, sed *Pontificium*: ac diserte nominat autorem Calvinianum, qui contra hunc Kemerium scripsit.)

Casparus Francus in scripto, quo causas suæ ad Papatum defectionis exponit, ad probandam *invocationem Sanctorum* adducit dictum Hieronymi, *Si Agnus ubique est, ergo Sancti, qui sequuntur Agnum, ubique esse censendi sunt.* (Præsupponit ergo, Christum, agnum illum Dei, esse ubique.) Hunc locum adducit D. Ægidius Hunnius in art. de Pers. Christi.

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 1. q. 5. punct. 2. pag. 251. *Minime ego argumentis probare contendam, ne per potentiam quidem Dei absolutam fieri posse, ut corpus aliquod creatum sit ullo modo præsens omnibus in locis. Nam etsi omnino sit impossibile, ut corpus aliquod sit in omnibus vel in pluribus locis per ipsammet omnipræsentiam divinam, tamen fieri id possit per alterius modi præsentiam in omnibus locis, scilicet creatam & pendentem ex aliena Dei virtute. Fatentur enim graves Theologi, qua ratione unum corpus in pluribus locis sine repugnantia esse posse defenditur, eadem ratione defendi posse, quod sine repugnantia esse possit in omnibus locis per Dei potentiam absolutam. Ita nominatim asseruit Scotus in 4. sent. dist. 10. q. 2. art. 3. & Roffensis libr. 5. de Eucharist. contra Oecolamp. cap. 33. & Scotus lib. 4. Physic. q. 2. art. 3.*

(Ergo sententia Lutheranorum de *Omnipræsentia*, nullam involvit contradictionem, nec fovet ullam absurditatem.)

2. Quod agnoscunt, Christum per suam in cœlos ascensionem præsentiam humanæ suæ Naturæ non penitus subtraxisse.

Johannes Ferus in cap. 16. Johan. *Christus non sic abiit, ut plane non sit nobiscum, sed subduxit se ab oculis nostris ad dextram & potestatem Patris, ut omnia impleat, ac verius & præsentius nobiscum sit, quam si semper visibiliter ob oculos carnales esset positus, adeo ut Christi abitus nihil aliud sit, quam quod sese à corporali aspectu subduxerit, & in æqualem Deo potestatem intraverit, ut nobiscum totus, quantus quantus est, perpetuo vivat.*

Hæc verba Johannis Feri adducit & approbat Salmeron tom. 9. tract. 67. p. 519.

Barradius in Harmon. Evang. in Comment. Matth. 28. v. 20. *Quemadmodum in cœlo est Christi humanitas cum divinitate conjuncta, colitur & adoratur in cœlo à beatis Angelis & hominibus: ita eandem humanitatem cum divinitate conjunctam esse voluit in terris, & ab hominibus, qui in terra degunt, in terra coli atque adorari.*

Johannes Lorinus in cap. 9. Actor. probat, *Christum uno & eodem tempore in cœlo & terra apud Paulum fuisse.*

Cornelius à Lapide in eundem locum agnoscit, *Christum uno eodemque tempore fuisse corpore suo in aere & in cœlo.*

3. Quod agnoscunt, Christum suo corpore & sanguine vere ac realiter in sacra Cœna simul pluribus in locis administrata esse præsentem. Ex qua hypothesi ab ipsis concessa sic concludimus:

Si in locis omnibus, in quibus Eucharistia celebratur, corpus Christi vere adest, nec tamen vel extenditur, vel multiplicatur, vel substantia ejus destruitur, sed citra expansionem, multiplicationem destructionem &c. vere adesse potest, utiq; etiam vi *unionis personalis & sessionis ad dextram Dei* in omnibus locis citra expansionem, multiplicationem, destructionem præsens esse potest, & per consequens, mysterio omnipræsentiæ non debent ejusmodi argumenta de corporis Christi expansione, multiplicatione, destructione &c. opponi. Item. Ejusdem virtutis est, in multis & in omnibus locis corpus præsens sistere. Sed illud sine implicatione contradictionis divina virtute fieri potest. E. & hoc. Præterea, si majestatem omnipræsentiæ Christi, quà homo est, oppugnare & exagitare velint, aut cogentur simul negare præsentiam corporis Christi in sacra Cœna, aut si eam negare nolint, necesse habebunt confingere perpetuum descensum in Eucharistiam, & absoluta Missa novam subinde receptionem in cœlum, & quotidianam ascensionem, qualem nonnulli ex Scholasticis commenti sunt, & ob multitudinem locorum, quibus Missificatur, continuas perpetuasque motiones de loco uno in alterum, quo pacto nihil erit corpore Christi irrequietius; aut si hoc paradoxum devitare voluerint, aliud effingent, nimirum non illud corpus, quod in cœlum ascendit & in cœlo usque ad diem judicii manet, esse in Eucharistia, sed illud tantum esse ac manere in cœlo, quoddam vero aliud corpus Christi, imo potius plurima Christi corpora ex panibus Eucharisticis per transsubstantiationem in Eucharistia confici, à qua assertione saniores Pontificii hodierni ipsimet abhorrent & abstinent.

4. Quod sanctos defunctos statuunt pluribus in locis simul præsentes, quanto ergo minus Christo homini, sive secundum humanam Naturam τῷ Λόγῳ personaliter unitam & ad dextram Dei evectam illud denegare poterunt, vel debebunt, quod in omnibus locis præsens esse possit? Certe nullo modo verisimile est, quod sanctis plus attributuri fuissent majestatis, quam ipsi Christo secundum humanam Naturam?

In Psalterio Mariæ S. Virgini frequenter sic accinunt: *Mecum sis in omnibus tribulationibus meis*

Georgius Cassander in Consult. art. 21. p. 964. *Sanctorum Spiritus, non ut procul à nobis absentes, habendi sunt, cum dicat Scriptura, sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Item. *Non igitur prorsus à nobis absentes sunt Spiritus isti justorum perfectorum, ad quorum societatem per fidem in cœlesti illa Hierusalem, civitate Dei viventis accessimus.*

Caspar Francus d. l. *Si Agnus ubique est, ergo & Sancti, qui sequuntur Agnum, ubique esse censendi sunt.*

Ballarminus lib. 1. de beat. Sanct. cap. 20. resp. ad 6. adducit dictum Basilii. *Revereatur Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his Patrum Sanctos Spiritus, nullus enim horum est, qui non ubique omnia videat.*

(Atqui si Spiritus defunctorum Patrum omnia ubique vident, utique etiam sunt ubique præsentes.

Quinimo omnes Pontificii *religiosam Sanctorum invocationem* totis viribus propugnant. At omnis religiosa invocatio est præsentis, teste Scriptura sacra Deuter. 4. v. 7. Psal. 34. v. 19. Psal. 145. v. 18. Esai. 55. v. 6.

5. Quod Christum secundum humanam Naturam ad dextram Dei evectum esse concedunt, eamque definiunt per potentiam & dominium super omnia.

Nicolaus de Lyra in cap. 1. Hebr. *Dicitur etiam secundum quod homo sedens ad dextram Patris, per modum cujusdam associationis, in quantum humana Natura est Verbo communicata, & sic eadem veneratione veneratur.*

Alphonsus Tostatus in cap. 9. Matth. q. 9. *Quando Christus agit de rebus magnæ excellentiæ, appellat se Filium hominis &c. Sic infra, quando Caiphas quæsivit à Christo, an ipse esset Christus, Filius Dei benedicti, dixit Christus: A modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, ut innuat, quod homini communicatum est sedere ad æqualitatem Dei.*

Catechism. Tridentin. in cap. de Symbolo Apostolico. *Sedere hoc loco,* (quando Christus homo dicitur sedere ad Dei dextram, *non situm & figuram corporis significat, sed eam regiæ summæque potestatis ac gloriæ firmam & stabilem possessionem, quam à Patre accepit, declarat.*

Maldonatus in Marc. 16. f. 183. *Sedere ad dextram Dei significat æquali cum Deo Patre gloria gaudere, idque juxta humanitatem.*

Bellarminus tom. 6. Concil. 35. col. 395. *Christi gloriam singularem & plane regiam summam illam Judicis majestatem divinaliteræ nobis significant, cum Dei Filium sedere ad dextram Dei Patris tradunt.*

Idem Bellarminus libr. 3. de Christo cap. 15. *Per Dextram Dei à multis intelligitur beatitudo æterna, non autem majestas, aut potentia divina, quæ sententia confirmari potest ex eo quod apud antiquos sedere à dextris erat minus honorificum, quam sedere à sinistris &c. Sed probabilius est per dextram Dei, ad quam Christus sedet, intelligi debere gloriam, potentiam & majestatem divinam, ita ut sensus sit illius articuli, Christus sedet ad dextram Dei Patris, hoc est, pari potentia, honore regnat, judicat & gubernat omnia cum ipso Patre. Ita exponunt fere omnes Patres, Athanasius serm. 2. contra Arian. Basilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 6. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 14. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. Thesauri cap. 7. Damascenus lib. 4. ca. 2. Leo serm. 1. & 2. de ascens. Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius in cap. 1. Hebr. & cap. 1. Ephes. Ambrosius libr. 2. de fide cap. 4. & in c. 1. Ephes. Idem indicant ipsæ Scripturæ. Nã Matth. 22. Christus attulit locum Psal. 109. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis ad probandam divinitatẽ suam & cum Patre veram æqualitatem. Et hoc ipsum testimonium Psalmi à Paulo affertur ad probandam Christi divinitatem, cum ait Heb. 1. sedet ad dextram majestatis &c. Nec etiam convincit contra hanc sententiam illud, quod affert Augustinus ex cap. 2. ad Eph. consedere nos fecit &c. Non enim sensus est omnes nos sessuros ad dextrã Dei in propriis personis, sed in Christo, ut Paulus dicit.*

cit. *Quia enim ejusdem speciei & Naturæ sumus cum illo homine, qui est in dextra Dei, omnes dicimur per illum sedisse in dextra Dei, alioqui enim tota Scriptura tribuit soli Christo sedere ad dextram Patris.*

Et postea. *Ista sessio ad dextram Patris, quæ significat potentiam & majestatem data est humanitati Christi, ut patet Act.2. Eph.1. Non enim convenit Deitati exaltari & constitui ad dexteram. Ruffinus etiam in explicatione Symboli id datum humanitati, ut eveberetur ad dextram Dei, & B. Leo serm.1. & 2. de ascens. Christi dicit, ipsam humanitatem evectam esse ad thronum Patris & ad consortium gloriæ ipsius. Theodoretus quoque in Psal.109. & in cap.1. ad Hebr. dicit illud, sede à dextris meis dictum esse humanitati, nam Verbum non egebat Patris jussione ad sedendum.*

(Quo ergò tandem se convertit Bellarminus? respondet, *sessionem illam datam esse humanitati non in se, sed in supposito.* Sed frivolæ & nugatoriæ huic exceptioni superius respondimus. Concedit ipse Bellarminus, *unionem personalem consistere in communicatione subsistentiæ*, libr.3. de Christo cap.8. Quia ergò per unionem ipsa *Filii hypostasis* facta est etiam *carnis hypostasis*; ideò etiam per illam ipsam hypostaseos communicationem, eamque secutam ad dextram Patris exaltationem caro illius sessionis vere & realiter particeps est facta.

Declarat Bellarminus nugatoriam suam exceptionem tali similitudine. *Cum Rex inducit purpuram & sedet in solio suo, evehit purpuram ad illud solium, nō sic, ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis, & etiam ut dicatur purpuratus Rex sedere aut regnare &c. Sic per sessionem ad dextram Dei non est factum, ut humanitas in seipsa sedeat ad dextram Dei, sed ut sit humanitas illius personæ, quæ sedet ad dextram Dei.* Sed respondemus verbis ipsius Bellarmini lib. ejusd. cap.7. §. Quia tamen. *Humanitas vocatur indumentum Verbi, non quia Verbum non sit vere & substantialiter homo, sed propter similitudinem, quæ est inter vestes & humanitatem. Nam ut per vestes homines cognoscuntur, sic per humanitatem Deus agnitus est, & quemadmodum cum vestes induimus, aptantur vestes ad figuram corporis & proinde vestes mutantur, non homo; sic etiam cum Verbum caro factum est, humanitas mutata est, Verbo immutabili permanente. Igitur propter has & alias similitudines ejusmodi dici potest humanitas indumentum Verbi, licet alioqui Verbum vere & substantialiter homo factum sit.* Quod si ergò similitudo indumenti non explicat, nec explicare potest *modum unionis*, utique etiam non explicat, nec explicare potest *modum communicationis* ex unione resultantis & unioni exactè respondentis. Si quis ergò ad modum unionis & communicationis explicandum hanc similitudinem accommodare velit, ei opponimus illud Lutheri tom.1. Witeb. fol.415. *Nihil posse dici magis hæreticum, quam Naturam humanam propriè esse vestem divinitatis, cum vestis & corpus non constituant unam personam, sicut Deus & homo unam constituunt Christi personam.*)

Cornelius Jansenius in cap.120. Conc. Evang. *Patet, sessionis promissionem neque tribuendam Christo ratione solius divinitatis, neque ratione solius humanitatis, sed ratione humanitatis conjunctæ divinitati.*

Feuardentius in Dialogis p.543. §.3. *Significat hæc sessio (ad dextram Patris) Christum hominem habitare quidem in gloria cœlesti, sed cum tanta dignitate, majestate & gloria, ut omnis ei potestas data sit in cœlo & in terra, constitutus sit caput super omnem Ecclesiam, tanquam summus omnium Rex præsit omnibus, & velut vivorum & mortuorum judex in ipsomet Dei residens solio à cunctis religiosè adoretur & colatur.*

Idem p.546. §.5. *Dextra Patris designat supremam illam dignitatem, excellentiam, potestatem & gloriam, quæ ratione conjunctionis hypostaticæ homini Christo convenit, cujus ratione etiam quatenus homo est, cum Deo pari cultu honoratur & religiose adoratur* Joh. 5. v.20. & 23. Phil.2. v.9.10.

Sebast. Barradius in Concord. Evang. tom. 4. p.398. *Sedet ad dextram Patris, quia, quà homo est, supremum tenet in cœlo thronum, præstantissimam gloriam, dignitatem & honorem super omnes Angelos, Cherubinos & Seraphinos explicante Paulo ad Eph.1.*

Cornelius à Lapide in cap.3. Coloss. v.2. super verba: *Ubi Christus est in dextra Dei.* pag. 664. *Sedet Christus homo à dextris Dei, id est, præest omnibus, quasi summus Rex ac Judex, qui tanta dignitate præcellit, ut in eodem solio cum sit, & eadem cum eo adoratione colatur. Ita Patres passim.*

p.665. *Sedere Christum ad dextram Patris, est Christum esse socium & participem virtutis & omnipotentiæ paternæ.*

Idem super verba Hebr.1. v.3. *Consedit ad dextram &c.* p.886. *Dicitur Christus sedere ad dextram Dei, primò quia Christus, quà Deus est, Deo Patri ut essentia, ita dignitate & gloria æqualis est. Secundo, & melius, quia Christus, quà homo est, evectus est ad æqualitatem Dei, sive ad participationem sive communicationem divinæ ut hypostasis, ita & gloriæ.*

Idem in Comment. 1. Petr.3. v. 22. citat & approbat dictum Leonis serm.1. de Ascens. *Revera magna & ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis, super omnium cœlestium creaturarum dignitatem humani generis Natura conscenderet, supergressa Angelicos Ordines & ultra Archangelorum altitudinē elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus Naturæ copulabatur in Filio.*

Johan. de la Haye in Quadrig. Evang. cap.154. not.6. adducit illud Augustini lib. cont. serm. Arian. cap.12. *Quod in Verbo jam erat sine tempore, in carne completum est suo tempore, in qua carne ascendit in cœlum, qui de cœlo non recessit, etiam cum inde descendit, & in qua sedet ad dextram Patris, brachium Patris: & in qua descensurus est ad judicium in jussu, in voce Archangeli, in tuba Dei.* Item illud Cyrilli in lib. de recta fide ad Regin. *Quomodo imminutus est ab Angelis, qui ab illis adoratur, qui considet cum Patre. Sedet enim in humanitatis conditione & assumto corpore, quod mori poterat, propriumque suum fecerat &c.* Similem sententiam citat ex Damasceno cap.199. not.3.

Benedictus Justinianus Jes. in Comment. cap. 2. Hebr. super verba, *Gloria & honore &c. Ut ait Chrysostomus, etiam atque etiam cogitandum est, quis ille sit, cui dictum est, sede ad dextram meam: quæ Natura est, cui Deus dixit, Esto particeps meæ sedis? Illa Natura est, quæ audivit, Terra es & in terram ibis. Pene eadem scribit Gregorius. Illa enim, ait Natura, cui dictum est, Terra es, & in terram ibis; hodie in cœlum ivit. Elegantissime verò Leo, Et revera, ait, magna erat & ineffabilis causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis Natura ascenderet, Et rursum, Naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cœli militiam ad Dei Patris est provecta consessum.*

Idem in cap.8. Heb. super verba, *Talem habemus Pontificem. Ut alibi dixi, consessus Christi ad dextram Patris humanæ Christi Naturæ tribuitur. Sedes autem magnitudinis sive majestatis procul dubio est illa sedes, quam ad dextram Patris Christus occupat. Ob id enim addidisse videtur Apostolus in cœlis, quam meritò vocat sedem magnitudinis, in qua divina Christi majestas maximè elucet.*

6. Quòd Pontificii in Comitiis Augustanis Ann.1530. approbarint tertium Augustanæ Confessionis articulum.

Sic enim habet responsum Caroli V. & Principum Romano-Catholicæ religioni addictorum in Harm. Fabricii p.32. *In tertio articulo nihil est, quod offendat, cum tota Confessio cum Symbolo Apostolorum & cum certa fidei regula conveniat.*

Johannes à Daventria scribit, *hunc articulum esse impollutum.* Ibid. *Johannes Cochlæus ait, de hoc articulo neque in Confessione, neque in Apologia ullam esse discordiam inter nos & ipsos.*

(Jam vero doctrina de omnipræsentia Christi hominis in verbis articuli tertii est clarissime fundata. Ut enim prætermittamus illud, quod *duæ Naturæ divina & humana in unitate personæ in Christo dicuntur inseparabiliter conjunctæ*, ex quo sponte sequitur, locorum διαςήματα ἀδιάςατον illam divinæ & humanæ Naturæ unionem separare minime posse, ac proinde divinam Naturam assumtam humanam sibi intime & ἀδιαςάτως præsentem semper habere; notandum, quod *sessio Christi ad dextram Patris* ἐξηγητικῶς *per dominium in omnes creaturas* declaretur, ac quod eadem sessio ad dextram Patris Christo *secundum humanam Naturam* obtigisse ibidem asseratur; ex quo tale argumentum nascitur, Secundum quā Naturam Christus est ad dextram Patris collocatus, ac per eandem collocationem dominium in omnes creaturas accepit; secundum eandem etiam est omnipræsens. Ratio connexionis est, quia ut dextra illa Patris, ad quā Christus est evectus, divina est atque infinita, nulli loco inclusa, à nullo loco exclusa; ita quoque dominium, quod Christus per collocationem ad illam dextram accepit, est divinum atque infinitum, nulli loco inclusum, à nullo loco exclusum, proinde non est dominium absentis, sed præsentis, cum Christus non regnet more hujus seculi, sed per modum dextræ Dei; nec vicaria aliorum opera in regimine suo absens utatur, sed creaturis omnibus præsentissimus modo divino & incomprehensibili dominium suum exerceat. Conf. Ps.110. v.1. 1. Cor.15. v.26. cum Eph. 4. v.10. Jam verò Christus secundum humanam Naturam est ad dextram Patris

collocatus, ac per eandem collocationē dominium in omnes creaturas accepit. Dicitur enim in Aug. Conf. *Christus ideo adscendisse ad cœlos, ut sedeat ad dextram Dei, & perpetuo regnet ac dominetur omnibus creaturis*, ex quo sic inferimus: Secundum quā Naturam Christus ad cœlos ascendit, secundum eandem etiam ad dextram Dei consedit. Absurdū enim est cogitare, quod Christus secundum humanitatem in cœlos ascenderit, ut divinitati suæ regnum acquireret, cum ut Deus sive secundum divinitatem regnum illud cum Patre & Spiritu sancto ab æterno commune habuerit, ac jam inde à prima mundi origine administraverit, Johan. 5. v. 17. Jam vero Christus secundum humanam Naturam cœlos ascendit, ut constat. Ergo etiam secundum humanam Naturam ad dextram Dei consedit, & per conseq. etiam secundum humanam Naturam est omnipræsens.)

Huc referri debet, Primo quod tempore exhibitæ Conf. Augustanæ Pontificii Luthero testimonium perhibebant, *recte eum de Sacramento Eucharistiæ contra Zuinglium & Tigurinos scripsisse*, uti memorat Lutherus ipse in Epist. de privata Missa.

(Jam vero B. Lutherus in libro, quod verba Christi, *Hoc est corpus meum*, adhuc inconcussa persistant Ann. 27. adeoque tribus ante Confessionis exhibitionem annis publice edito; Itemque in Confessione majori Ann. 28. adeoque duobus ante exhibitam August. Confess. annis publici juris facta de hoc omnipræsentiæ mysterio prolixe, solide & accurate disseruerat, quæ ipsa Lutheri dissertatio luculentum exhibere potest verborum istorum Aug. Conf. *quod Christus ascenderit ad cœlos, ut sedeat à dextris & perpetuo regnet, ac dominetur omnibus creaturis*, Commentarium.)

Secundo, quod in Concilio Tridentino contra doctrinam de omnipræsentia Christi hominis non fuerit fulmen anathematis vibratum, cùm tamen solicite conquisiverint omnia, quæ in Ecclesiarum nostrarum doctrina erronea & à Catholicæ veritatis tramite discedere Patribus in Concilio congregatis visa fuere; id quod luculente testatur, vel dogma de omnipræsentia ipsis non fuisse improbatum, vel Patres Concilii de hoc dogmate convenire minime potuisse.

Tertio, quod Calviniani ipsi, circa ea tempora qui scripsere, non solum cum Luthero, sed etiam cum Pontificiis ipsis de hoc dogmate contenderint.

Bullingerus in cap. 9. Act. *At quod hinc* (ex apparitione Christi ad Paulum facta) *colligunt Pontificii, Ergo corpus Christi est ubique, stultius est, quam quod responsionem mereatur.*

Calvinus in cap. 20. Johan. *Minime concedo, quod asserunt Papistæ, corpus Christi penetrasse per januas clausas. Hoc ideò contendunt, ut corpus gloriosum non modo reddant simile Spiritui, sed immensum esse*, (hoc nomine *omnipræsentiam* præter fas & æquum appellitat,) *nulloque loco contineri obtineant.*

Quarto, quod Collocutores Pontificii, qui Wormaciæ cum nostris colloqui mandato Cæsareo debuerunt agnoverint, omnipræsentiæ dogma in Augustana Confessione contineri. Sic enim scribit Cochlæus in lib. viæ septem præparat, Præsidibus Colloqui oblatæ, (apud Goldastum in Politic. Imperiali p. 1212. & seqq.) in controversiis circa Articulum 3. (ubi nostrates ab Augustana Confessione dissentiant:) *Hic, ait, profecto non de re parva aut futili contrarietas est. Confessio enim affirmat, in Christo duas Naturas divinam & humanam inseparabiliter in unitate personæ conjūctas esse, quod illi ambo negare videntur, Lutherus quidem in Eucharistia, Philippus vero in cruce. &c. Si ergo in Christo inseparabiliter* (*ut recte & Catholice dicit Cōfessio Principū*) *conjunctæ sunt duæ Naturæ divina & humana, necessarium est, ut falsa & impia sint, quæ in supra recitatis scriptis docent Lutherus & Philippus, ubi Lutherus Christo adimit adorationis cultum & despoliat eum divinitate in Eucharistia; Philippus autem detrahit ei in cruce pendenti perfectam charitatem, & non veretur dicere, quod in Christo subtrahente se divinitate non flagraverit caritas.* (Ecce secundum Cochlæum Augustana Conf. docet, *duas Naturas in Christo divinitatem & humanitatem inseparabiliter esse conjunctas, ut si humanitas adsit in Eucharistia, non possit non præsens esse in Eucharistia Deitas. Si humanitas adsit in cruce, necessario præsens sit in cruce ipsa quoque Deitas, utpote inseparabiliter conjuncta humanitati.* An non ergo secundum Cochlæum & ejus complices docet Augustana Confessio, non posse divelli duas Naturas in Christo, ut ubi sistitur humanitas, ibi non absit Deitas, & ubi non abest Deitas, ibi sistatur ipsa quoque Christi humanitas?)

7. Quod unionem hypostaticam sic describunt, ut ἀδιάςατον carnis ad Λόγον & Λόγυ ad carnem præsentiam, quam vocant omnipræsentiam *hypostaticam*, negare non possint. (Ex illa autem omnipræsentia hypostatica & exaltatione ad omnipræsentem Dei dextram oritur *omnipræsentia* carnis *majestatica*.)

Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 7. § 2. confert *unionem divinæ & humanæ Naturæ in Christo cum unione corporis & animæ in homine*, quam similitudinem ex veteribus repetit lib. ejusd. c. 8. §. Tertio. (Ex hac similitudine sic concludimus: Ut anima & corpus constituunt unum hominem, ita divina & humana Natura unum Christum. Atqui durante unione animæ & corporis, nec anima est extra corpus, nec corpus extra animam, sed ubi est anima ἐνσώματ☉, ibi corpus; & ubi corpus ἔμψυχον, ibi est anima: sic durante unione divinæ Naturæ τῦ Λόγυ & assumtæ humanæ Naturæ, nec ὁ Λόγ☉ ἐνσαρκωθεὶς est extra carnem, nec caro ἐνυπόςατ☉ est extra Λόγον, sed ubi ὁ Λόγ☉ ἔνσαρκ☉, ibi caro: & ubi caro λογοθεῖσα, ibi etiam ὁ Λόγ☉, quæ est mutua Naturarum unitarum περιχώρησις.)

Lib. ejusd. cap. 8. §. Secundum &c. declarat *unionem personalem* similitudine *ferri igniti*, qua *Basilium, Damascenum & Originem* uti monet. (Subsumimus: In ferro ignito nec ignis est extra ferrum, nec ferrum extra ignem: sic in Christo nec divina Natura τῦ Λόγυ est extra assumtam humanitatem, nec assumta humanitas extra divinam τῦ Λόγυ Naturam.)

Lib. & cap. iisd. §. Quoniam &c. sic disserit: *Quoniam omnes similitudines aliquo modo à veritate deficiunt, ideo S. Bernhardus serm. 3. in Vigil. Nativ. & Damasc. lib 3. c. 5. comparat mysterium incarnationis mysterio Trinitatis, ut ex una re singulari illustrent aliam æque singularem. Ut enim singulare est, quod sint in Deo tres perfectæ hypostases, cum una sola & simplicissima Natura; ita singulare est, quod sint in Christo tres Naturæ, Deitas, anima & caro cum una simplicissima hypostasi.* (Subsumimus: In Trinitate propter mutuam περιχώρησιν personarum, Pater non est extra Filium, nec Filius extra Patrem &c. sic in persona Christi propter mutuam Naturarum unitarum περιχώρησιν nec divina Natura τῦ Λόγυ est extra assumtam humanitatem, nec assumta humanitas est extra divinam Naturam τῦ Λόγυ, quippe cui personaliter & ἀδιαςάτως est unita.)

8. Quod quidam agnoscunt, non involvere contradictionē, si dicatur, posse unum corpus in plurib. locis esse præsens.

Johan. de Rada Professor Salmantic. part. 4. controv. 8. p. 294. fatetur quidem, *Thomam negare, posse unum corpus esse in pluribus locis per divinam etiam potentiam absolutam*, interim addit, *alios Scholasticos id affirmare*, citat autem *Scotum*, *Hugonem*, *Alensem*, *Alliacum, Ricchardum Majorem, Marsilium, Aureolum*, *Bellarminum*. (Locum integrum adduximus superiùs.)

Idem fatetur Albertinus tom. 1. quæst. fol. 301. ubi itidem negat, *hoc implicare contradictionem* & eosdem Scholasticos allegat.

Maldonatus tom. 1. de Sacram p. 155. & seqq. probat quatuordecim *argumentis, minime implicare contradictionem, si unum corpus in pluribus locis esse statuatur.*

Idem docet Dulacus Nugno tom. 1. in 3. p. Thomæ fol. 264.

Argum. contra omnipræsentiam.

Verum corpus humanum salva essentiæ suæ veritate non potest esse in omnibus locis præsens. Hoc argumento omnes utuntur.

Resp. 1. Scotus 4. sent. dist. 10. q. 1. movet quæstionem: *Utrum idem corpus possit localiter esse simul in diversis locis? Hic*, inquit, *tenetur à multis conclusio negativa, sed diversi & diversimode probant*, & post recitata aliquot Doctorum & sua quoque argumenta, subjicit: *Contra istam opinionem negativam hoc sufficit in genere, quod quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec est ex terminis manifestum impossibile involventibus, nec ex eo impossibilitas vel contradictio evidenter concluditur.* Et post refutata argumenta prius allata subjungit: *Dico ergo ad quæstionem, quod est Maxima mihi certissima, Quod Deo est possibile omne, quod non includit evidenter contradictionē, & ad quod non sequitur necessario contradictio. Hoc est ejusmodi. Ergo est possibile Deo, ut patebit solvendo rationes. Dico ergo, quod Deo simpliciter est possibile, idem corpus simul facere in diversis locis localiter. Hoc patet ex intellectu terminorū, quod cum quodlibet concedam secundū Maximam mihi notam esse possibile, quod nō includit contradictionē, nec aliquo autore asseritur includere, & istud sit hujusmodi, quia rationes, quæ inducuntur ad probandam contradictionem, non videntur concludere, ut patebit respondendo, concedo simpliciter possibile Deo, idem corpus localiter simul esse in diversis locis.*

(At

At si Deo possibile est, facere ut unum idemque corpus *localiter* sit simul in diversis locis, ut tamen non desinat esse verum corpus, quanto magis ipsi possibile est, Christi corpus τῷ Λόγῳ *personaliter* unitum & ad dextram Dei evectum *illocaliter* in pluribus, imò omnibus locis esse præsens, ut tamen non desinat esse verum corpus.)

2. Franciscus Mayronis lib. 4. sent. dist. 11. q. 3. *Utrum Deus potest facere, quod idem corpus sit ubique? Dico quod sic, quia quandocunque est aliquid determinatum ad unum, si sit indeterminatum ad plura ejusdem rationis, eadem ratione ad quæcunque se extendit. Cum igitur unum corpus non determinet sibi unum locum numero, sequitur, quod omnia poterit occupare divinâ virtute. Sed hoc difficile est, si potest esse in locis infinitis. Dico quod sic. Sed contra, quia esset infinitum. Dico, quòd non sequitur, tum quia hoc fit divinâ virtute, tum quia ratio localis est ratio intrinseca,*

3. Bellarminus lib. 3 de Christo cap. 19. §. Denique. *Compendium Theologiæ indicare voluit, propter unionem ad Verbum posse hominem Christum statuere suum corpus in pluribus locis. Quia enim ille homo est Deus, ideo potest hoc facere, Nos enim, qui tantum homines sumus, possumus quidem à Deo, si ipse voluerit, poni in pluribus locis, sed non possumus nos ipsos ponere in pluribus locis.*

(Si nos salvâ corporis essentia possumus à Deo poni in pluribus locis, multò magis Christus Deus & homo corpus suum potest ponere in omnibus locis salva essentiæ veritate. Item si Christus homo propter unionem ad Verbum corpus suum statuere potest in pluribus locis, utique etiam propter eandem unionem ad Verbum corpus statuere potest in omnibus locis. Ratio est, quia ratione divinæ potentiæ & unionis ad Verbum utrumque est ipsi æque facile.)

4. Tannerus tom. 1. Theolog. Schol. Disp. 2. q. 4. dub. 3. asserit, *creaturæ posse communicari modo singulari ubiquitatem.*

(Ergò communicatio ubiquitatis non tollit Naturam creaturæ, nec implicat contradictionem.)

Confer ea, quæ dicta sunt superius membro 2. & 8.

2. Bellarminus libr. 3. de Eucharist. cap. 17. §. 4. disputat, *ideo impium esse & injurium Christo, statuere eum secundum humanitatem esse ubique, quia alias corpus & sanguis ejus in Eucharistia ad distributionem moveri non posset. Quod est ubiq;,* inquit, *non potest moveri, nec transire de loco ad locum. Ergo licet corpus Christi sit in pane, tamen non manducatur, cum panis manducatur, quia non movetur, nec transit cum pane è manu ad os, & ab ore ad stomachum.*

Resp. Henriquez libr. 8. de Eucharist. cap. 25. n. 2. p. 447. statuit, in actu sacrificiali Missæ, qui consecratio est, ita esse corpus Christi, ut non moveatur loco. Verba sic habent. *Ex eo, quod in novo specierum loco, aut in multis hostiis de novo adsit præsens per conversionem corpus Christi, non habet in seipso motum localem, cujus oppositum quidam tenent, ut Thomas, Capreolus, Richardus, Alexander, Soto, Bonaventura, Marsilius, Ledesmius, Bellarminus, Victoria; nec dicit immediatum respectum ad locum, nisi ratione specierum, nec deserit locum cœli, in quo manet absque ulla amissione, sicut prius, nec ex novo modo, quo adest totum sub aliqua parte specierum, acquirit aliquid in se.* Et cap. 28. *Adest sub speciebus corpus Christi sine motu locali, quia non deserit locum, in quo erat, nec fit immediate per mutationem adductivam; nec acquirit immediate realem respectum ad novum locum. Ut justificatio impii fit in instanti, sic in corpore Christi non est motus localis, etiam discretus, ut movetur Angelus.*

(Si igitur præsentia transsubstantiatione facta fit absque motu corporis per consecrationem, nec impedit mysterium Sacramenti, sed tantum novum modum præsentiæ superaddit præsentiæ in cœlo, omnipræsentia quoque corporis Christi non impediet præsentiam in Cœna, quin potius tanquam fundamentum generale firmabit.)

3. Id. Bellar. lib 3. de Christo c. 12. §. Item fides requirit &c. concludit, *Lutheranos negare veritatem mortis Christi & ita injurios esse in sacrificium mortis Christi, quia statuunt, corpus Christi per & propter unionem personalem esse omnipræsens. Requiri enim, ut in morte Christi corpus & anima separata fuerint, & corpus quidem in sepulchro jacuerit, anima ad infernum descenderit, cum tamen secundum ubiquitatem in sepulchro etiam fuerit anima cum corpore, & in inferno caro cum anima.*

Resp. Ægidius Coninck Jes. in tract. de Sacramentis q. 81. art. 4. p. 289. statuit, *beneficio Missæ potuisse in triduo mortis corpus extra Sacramentum, mortuum; in Sacramento vero vivens simul & eodem tempore consistere.* Si ergò dogma omnipræsentiæ pugnat cum Natura mortis Christi, utique etiam hoc Conincceianum assertum eodem modo pugnabit. Verba ejus sic habent: *Si spectemus naturalem connexionem, quam habet corpus Christi prout est in propria specie, secum prout est in Sacramento, ex eo, quod in propria specie moriebatur, nullo modo sequitur, eum moriturum fuisse in Sacramento, si fuisset tum conservatum. Et hoc etiam conforme videtur principiis D. Thomæ, qui docet, Christum conservatum in Sacramento non vulnerandum tempore passionis, nec emissurum cruorem: quare sequitur, non etiam emissurum animam.* (Si itaque ex assertione omnipræsentiæ sequitur negatio mortis Christi, etiam ex asseveratione vitæ Christi in triduo mortis sub specieb. Eucharisticis, sequetur negatio mortis Christi. Quod ad rem istã attinet, nequaquam statuimus, *Christum in triduo mortis fuisse omnipræsentem*, si de omnipræsentia majestatica sermo sit, sed per exaltationem ad dextram Dei omnipræsens cœli terræque dominium ipsi collatum esse dicimus.)

4. Idem Bellarm. lib. 3. de Euch. cap. 17. §. 5. *Si corpus Christi est ubique, non egemus Cœnâ Domini, ut Christi corpus habeamus, neque opus est ad Ecclesiam ire, aut parare se ad communionem, aut institutionem audire, sed possumus domi nostræ in pane & vino, & in quolibet cibo, imo in aere, quem inspiramus, Christi corpus habere. Quorsum igitur Cœna Domini? quid illa nobis prodest?* In judicio de Formul. Conc. error. 3. *Si corpus Christi ab ipsa conceptione est ubiq;, non egemus Sacramento Cœnæ, ut præsentiam habeamus corporis Dominici.*

Resp. possumus ex principiis à Pontificiis concessis eodem modo concludere. Si jam ante corpus & sanguis Christi in sublimi altari Dei, imò in Throno dextræ Dei omnipotentis sunt & in conspectu divinæ majestatis, non opus est, ut per consecrationem demum oblata proferantur à sancto Angelo *in sublime altare Dei in conspectu divinæ majestatis ejus*, quia jam ante ex vi majestatis sunt in throno sublimitatis & conspectu majestatis divinæ. At hoc opus est, quia Sacerdos in Canone sic orat: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ.* Ergo Christus secundum humanam suam Naturam non semper est in sublimi altari Dei in Throno majestatis, in conspectu Dei. Quicquid Pontificii hic responderint, suo etiam responsum habeant argumento.

(Distinguimus inter *præsentiam majestaticam*, quæ dependet ex unione personali & exaltatione ad Dei dextram; & inter *præsentiam Sacramentalem*, quæ dependet ex institutione Christi Salvatoris.)

5. Joh. 12. v. 8. inquit Christus, *Pauperes semper habetis, me verò non semper habebitis. Ergo Christus secundum humanam Naturam non est omnipræsens.*

Resp. 1. Joh. Ferus in illum locum sic commentatur. *Non semper habebitis me in illa visibili forma.* Et postea. *Me non semper habebitis, non sic intelligendum, q. Christus non sit in mundo, aut q. tantum Spiritu & divinitate nobiscum sit, non etiam corpore præsens, notanter in Sacramento; sed ita dicit, se non semper futurum in mundo, quemadmodum eum habebat Maria, visibilem sc. tangibilem, passibilem, mortalem. Me, inquit, non semper habebitis, quemadmodum pauperes habetis, quibus corporalia beneficia præstare potestis.*

2. Barradius tom. 3 Concord. Evang. lib. 7. cap. 3. p. 419. *Videntur hæc verba, Me non semper habebitis, pugnare cum illis Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum &c. Si nobiscum est, nobiscum eum habemus. Respondetur, manifestum esse, Christum hic de præsentia loqui in corpore mortali & visibili, obsequiiq; corporalis, qualis erat illa unctio, capaci. Sensus est: Pauperes semper vobiscum habebitis, in corporibus mortalib. & visibilibus, obsequiiq; corporalis & eleemosynæ capacibus, poteritisque illos beneficiis omnibus afficere, Me autem, sicut habetis pauperes, non semper habebitis, in corpore mortali, visibili & obsequii corporalis ipsum tangentis capaci, quale obsequium est unctio hæc.*

3. Adamus Conzen in cap. 26. Matth. v. 11. q. 2. *Zuingliani ex his verbis Christi, me non semper habebitis, colligunt, Christum non esse in Eucharistiæ Sacramento. Responsio facilis, Christus de præsentia aspectabili, & convictu, & familiaritate quotidiana loquitur, quâ videri, audiri, convivio excipi, ungi & pasci solebat &c. At vero nullo modo negat, se invisibili modo cum illis futurum usq; ad consummationem seculi.*

4. Toletus in cap. 12. Joh. p. 986. *Loquitur Christus de præsentia sua visibili, qua inter nos vixit mortalis & passibilis & hominum obsequiis egens.* (Sicut Calviniani ex his verbis non possunt impugnare præsentiam Sacramentalem; ita Pontificii ex illis impugnare non possunt omnipræsentiam majestaticam.)

Thesis

Thesis quinta. Christo homini competit cultus religiosæ adorationis.

Ἔκθεσις. 1. Non dicimus, Christum secundum humanam tantum, vel secundum divinam tantum, sed *secundum utramque Naturam* religiose adorandum esse.

2. Per cultum religiosæ adorationis non intelligimus cultum aliquem inferiorem eo, qui Deo debetur, sed *cultum vere divinum*, soli Deo debitum.

3. Humanam Christi Naturam non dicimus προσκυνητὴν adorabilem *per se & ex se*, ratione essentialium proprietatum, quia enim per se non subsistit propria subsistentia, ideo etiam *per se & ex se* adoranda non est.

4. Nec dicimus, eam adorandam esse *tantum ex accidente*, sicut Rege honorato per accidens etiam purpura honoratur. Quia enim in Λόγῳ non subsistit, *ut accidens*, sed *ut pars personæ*, ideo non est ex accidente adoranda.

5. Nec dicimus, carnem Christi adorandam tantum propter habitualem excellentiam subjective illi inhærentem, qua Angelis & hominibus est superior.

6. Nec dicimus, ideo esse adorandam, quod sit in divinam Naturam substantialiter mutata, vel à divina Natura absorpta, *vel ejusdem Naturæ status & conditionis ac Natura Verbi*, ut Suenckfeldius docuit.

7. Nec dicimus, eo sensu adorandam, quod peculiarem & distinctam à Λόγῳ constituat personam; sed ideo uno eodemque religiosæ adorationis cultu Christum Deum & hominem honorandum esse dicimus, quia utriusque Naturæ est, una & indivisa ὑπόστασις. Una est adoratio Christi, quam Scriptura novit, quæ Λόγῳ per *essentiam*, carni assumtæ per *unionis gratiam* competit.

8. Quando dicimus, Christo, qua homini, competere religiosæ adorationis cultum, tum reduplicatio illa, *qua homini*, non exprimit *rationem & causam* adorationis, ea enim non est humanitas, sed *adorationis objectum*, quod est non solum divina, sed etiam humana Christi Natura in ipsam τοῦ Λόγου ὑπόστασιν assumta.

Ἀντίθεσις. Thomas part. 3. q. 25. art. 2. *Una eademque persona Christi adoratur adoratione latriæ propter suam divinitatem; & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.*

Alensis, Biel. Paludanus, Corduba apud Vasquez Lib. 1. d. 4. c. 4. num. 26. negant, *humanitatem Christi posse perfecta adoratione latriæ coli, qua Verbum incarnatum colitur.*

Bellarminus libr. 1. de beatitud. Sanctor. cap. 12. *Tot sunt species adorationis sive cultus, quot sunt species excellentiæ, honor enim sive cultus debetur personæ propter excellentiam. Iam vero tres sunt species excellentiæ: Prima est excellentia divina & infinita, cui respondet prima species cultus, quæ dicitur latria. Secunda est excellentia humana seu naturalis, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus &c. cui respondet secunda species cultus, quæ dici potest cultus civilis & observantia quædam humana. Tertia est excellentia quædam media inter divinam & humanam, qualis est gratia & gloria Sanctorum, ista enim sunt dona supernaturalia & excellentissima, & huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quem Theologi vocant duliam. Et quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad Verbum, & similiter B. Virgo, ut mater Filii Dei præstat aliis Sanctis, ut dici possit Regina & Domina nostra, quod aliis Sanctis non convenit, nisi admodum imperfecte, ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam proprie dictam & hyperduliam, tribuentes illam Sanctis cæteris, istam vero soli humanitati Christi & matri ejus.*

Nostram sententiam demonstramus, 1. *Ex manifestis Scripturæ dictis.* Psal. 72. v. 11. Psal. 97. v. 7. Ps. 118. v. 26. (Confer Matth. 21. v. 9. Marc. 11. v. 9. Luc. 19. v. 38.) Esa. 11. v. 10. (Confer Rom. 15. v. 12.) Esa. 45. v. 23. (Confer Rom. 14. v. 11.) Dan. 7. v. 13. & 14. Joel. 2. v. 32. (Confer Rom. 10. v. 13.) Johan. 5. v. 22. & 27. Phil. 2. v. 9. 10. & 11. Apoc. 5. v. 12. 13. & 14.

2. *Ab exemplis.* Christum, ut Deum & hominem, adorarunt Magi Matth. 2. v. 11. Discipuli in navi Matth. 8. v. 25. Petrus Matth. 14. v. 30. mulier Cananæa Matt. 15. v. 22. Marc. 7. v. 25. pater Lunatici Matt. 17. v. 15. Marc. 9. v. 24. cæci Matth. 20. v. 3. Marc. 10. v. 47. Joh. 9. v. 37. leprosi Luc. 17. v. 14. latro in cruce Luc. 23. v. 43. post resurrectionem discipuli Matt. 28. v. 17. Luc. 24. v. 52. Thomas Joh. 20. v. 18. post ascensionem in cœlos Stephanus Act. 7. v. 60. Paulus in exordiis suarum Epistolarum *gratiam, pacem & misericordiam* non tantum à *Deo Patre*, sed etiam à *Christo* Ecclesiis precatur &c.

3. *Ex rationibus*, & quidem primo *à personali unione.* Assumta Natura Christi humana unam cum Filio Dei constituit personam; ac hypostasis τοῦ Λόγου post factam incarnationem non est divinæ tantum, sed etiam humanæ Naturæ hypostasis. Ergo humana Christi Natura non est ab objecto adorationis excludenda.

Secundo, *à majestatis & gloriæ divinæ communicatione.* Christo secundum humanam Naturam communicata est divina majestas ac gloria, *omnis potestas in cœlo & in terra.* Ergo secundum eandem etiam est religiose adorandus Dan. 7. v. 13. & 14. Matth. 28. v. 18.

Tertio, *ab officii administratione.* Christus non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam est noster Mediator, Redemtor, Salvator, noster Jesus, vivorum & mortuorum Judex, Rex & Dominus. Ergo etiam non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam religiose adorandus.

Quarto, *ab exaltatione.* Christus secundum humanam Naturam est exaltatus & ad dextram Dei collocatus. Ergo secundum eam etiam religiose adorandus. Phil. 2. v. 9. Apoc. 5. v. 12.

Quinto, *à Baptismi institutione & collatione.* In cujus nomine baptizamur, ille etiam religiose à nobis invocandus Act. 22. v. 16. Jam vero baptizamur *in nomine Christi* etiam secundum humanam Naturam Matth. 28. v. 18. & 19. Act. 2. v. 38. cap. 19. v. 5. Rom. 6. v. 4. Ergo.

Sexto, *à fidei & invocationis connexione.* In quem credimus & speramus, illum etiam religiose invocamus. Rom. 10. v. 14. Jam vero credimus & speramus in Christum θεάνθρωπον non ut Deum tantum, sed etiam ut hominem. Ps. 2. v. 10. Esa. 28. v. 16. Joh. 14. v. 1. Rom. 10. v. 11.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod ab objecto adorationis assumtam Christi humanitatem quatenus est Λόγῳ unita, non esse excludendam agnoscunt,

Leo Serm. 8. Quadrages. *Noli cogitare, quasi in Christo aut sola sit humanitas, aut sola divinitas, sed utramque fideliter credite, fideliter adorate.*

Idem Epist. 10. *Nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera humanitate Deitas creditur.* (Ut autem credimus, ita quoque adoramus.)

Carolus Magnus Lib. 2. de Imag. cap. 5. *Augustinus diligentissimus Inquisitor in Psal. 99. Corpus Domini, quod de Maria Virgine sumsit scabellum pedum ejus, asseruit, sentiri debere propter Naturam humanitatis, quam dignatus est assumere, quod utiq; illi virtuti sic est subjectum atq; unitum, ut constet id omnibus creaturis esse excelsius.*

Ibid. *Adorant Angeli non solum divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, quia sanctus est.*

Et postea: *Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus &c.*

Durandus 3. Sent. dist. 9. q. 2. *Humanitas Christi proprie non adoratur* (per τὸ proprie videtur intelligere *seorsim & separatim*, ut patet ex addita ratione) *cum sit res per se non subsistens. Nec est ratio, per quam debeatur ei adoratio latriæ, cum ratione ejus Christo non competat esse creatorem*: (Si assertio illa, quod humanitas Christi non sit ratio formalis, per quam ei debeatur adoratio latriæ, intelligitur hoc sensu, quod humanitas Christi non sit adorabilis *per se & ex se, ratione essentialium proprietatum*, recte sentit & habet nos ὁμοψήφους.) *Adoratur tamen per accidens adorato supposito & eadem adoratione, qua adoratur suppositum, & sic loquitur Damascenus.* (Per τὸ per accidens intelligitur hic κατ' ἄλλο, quod caro non adoretur *per se & ex se*, ratione essentialium proprietatum, sed *propter unionem personalem*, quia & quatenus est Λόγῳ unita. Ita namque Damascenus, ad quem Durandus provocat, mentem suam explicat Lib. 3. orth. fid. cap. 8. *Unus est Christus Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu una adoratione cũ immaculata carne ejus. Neq; inadorabilem carnẽ esse dicimus, nam adoratur in una Verbi hypostasi, quæ & ipsi hypostasis facta est; neq; creaturam colimus, non enim ut nudam carnẽ adoramus, sed ut unitam Deitati, & ut in unam personam & unam hypostasin Dei verbi duæ ejus revocatæ sunt Naturæ. Timeo quidem carbonem tangere propter ignem ligno conjunctum*, προσκυνῶ τοῦ Χριστοῦ τὸ συναμφότερον, *propter unitam carni divinitatem.* Et Lib. 4. orth. fid. cap. 3. *Filium Dei cum Patre & Spiritu Sancto adoramus, incorporeum quidem ante humanitatis assumptionem, & nunc eundem incarnatum & factum hominem & cum*

cum hoc Deum existentem. *Caro igitur ejus secundum ipsius Naturam, si subtilibus cogitationibus dispescas, quod videtur ab eo quod intelligitur, cogitationeque humanitatem à divinitate præscindas, inadorabilis est ut creatura, unita autem Deo Verbo propter ipsum & in ipso adoratur. Quemadmodum lignum nudum non est tactui inaccessibile, at igni conjunctum & carbo factum non propter seipsum, sed propter conjunctū ignem inaccessibile fit, & nō ut ligni Natura tactu inaccessibile est, sed ut carbo, id est, quando ignitum est lignū; sic & caro secundum sui Naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Deo Verbo, non propter seipsam, sed propter conjunctum ipsi secundum hypostasin Deum Verbum, & non dicimus, quod carnem adoramus nudam, sed carnem Dei hoc est incarnatum Deum.* Hæc omnia Damascenus. Quod si ergo hoc sensu Durandus intelligit, *carnem Christi per accidens adorari*, non male sentit, quamvis incommodius loquatur. Pergit vero) *Si autem humanitas Christi realiter esset separata à supposito Filii Dei & subsistens in proprio supposito, sic nullo modo nec per se, nec per accidens deberetur ei adoratio latriæ* (Ex hac antithesi manifestum, quo sensu *carnē per accidēs dixerit adorabilem, nimirum quia & quatenus est τῷ λόγῳ unita.*)

Bonaventura 3. sent. dist. 9. q. 1. a. 9. *Quod objicitur de glossa, quod caro non est adoranda latria, dicendum, quod verbum illud intelligitur de carne Verbi, prout in se nuda consideratione considera tur. Et hoc est, quod dicit Augustinus, Si hominem separaveris, illi nunquam credo nec servio. Hoc autem non obstat, quin secundum quod unita est, adoranda sit latria. Unde Damascenus, Non nudam carnem adoramus, sed ut unitam Deitati in unam hypostasin Verbi Dei.*

Gabriel Biel 3. Sent. dist. 9. *Homo Christus una adoratione, quæ latria proprie dicta, est adorandus, quia homo Christus est persona Verbi, & ita Deus, & per consequens ea adoratione, quæ solius Dei est, adorandus est, hæc autem est latria proprie dicta.*

Item. *Credendum est & profitendum, hominem Christum esse summum & universale omnium principium, utpote Deum, secundum illud Symboli, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est, & ut tale diligendum ut summum bonum in se & etiam summum bonum nobis. Ergo latria homo Christus adorandus est.*

Jacobus de Valentia in Psalm. 71. *Latria vere competit Christo, qui creator & universalis Dominus & judex, & redemtor, & verus Deus.*

Idem in Psalm. 94. *Quia Christus venit in mundum verus Deus & homo, ideo debetur sibi latria.*

Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæreses, verbo Adoratio, hær. 2. *Vix credere possum de homine, qui se per Christi humanitatem redemtum agnoscit, ut illam adorare refugiat. Nam licet illa suapte Natura indigna sit, ut adoretur, ut tamen conjuncta est divinitati conjunctione tali, quæ omnem excedit humanum Angelicumque intellectum, omnem certe venerationem meretur.*

Et postea: *Adoramus aut veneramur humanitatem non propter se tantum, sed causa divinitatis, cui conjuncta est, ad quam divinitatem adoratio ipsa referenda est, tanquam ad ultimam illius causam. Quod si forte cultu latriæ adoretur humanitas, hoc erit ea ipsa adoratione unica, qua adoratur Christi persona, in qua humanitas subsistit, quæ una adoratione omnia in ipsa subsistentia adorantur. Unde Damascenus Lib. 4. de fid. orth. c. 3. Caro igitur Christi secundū ipsius Naturā, (si subtilibus cogitationibus quod videtur, ab eo quod intelligitur, cogitationeq; humanitatē à divinitate præscindas) inadorabilis est, ut creatura: unita autē Deo Verbo propter ipsū & in ipso adoratur.*

Et paulo post: *Sicut caro Christi non per se subsistit, sed in Verbo, eandemque cum illo habet hypostasin: Sic etiam nec per se adoratur, sed in Verbo, atque eadem unica adoratione, qua Christum colimus, veneramur humanitatem, quæ in illius est hypostasi.*

Jodocus Clichtovæus in Comm. Damasc. lib. 3. orth. fid. cap. 8. *Autor circa calcem præsentis capitis ostendit, carnem, id est, humanitatem Christi esse adorandam ea summa veneratione & reverentia, quæ Deo debetur, non quidem ut per seipsam consideratur, non habita ratione Verbi, cui unitur in una hypostasi, sed ut attenditur conjuncta Verbo in unitate personæ, cui merito debetur adoratio, honor, gloria & benedictio. Et idipsum Apocalypseos cap. 5. satis insinuatur, cum dicitur: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem; & omnem creaturam, quæ in cælo est & super terram & sub terra, & quæ sunt in mari & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno benedictio & gloria & potestas in secula seculorum. Ubi per sedentem in throno divinitas, & per Agnum humanitas Christi designatur, cui nihilominus omnis creatura in cœlo, terra & mari dat benedictionem, honorem, gloriam & potestatem. Sed qui id fiat, nisi humanitas Christi, ut unita Verbo, adoretur & glorificetur ab omni creatura cum omni reverentia & honore? Insuper eum Psalmi 98. locum, Exaltate Dominum Deum nostrum & adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est, exponens Cassiodorus inquit: Beatus Augustinus diligentissimus exquisitor, corpus Domini, quod de Maria virgine sumsit, scabellum divinitatis ejus asseruit debere sentire propter Naturam humanitatis, quam est dignatus assumere. Pedes autem ejus stabilitatem divinitatis significare videntur, quæ semper in Natura suæ omnipotenti gloria tanquam pedum indefecta stabilitas perseverat. Hujus ergo Verbi assumtum corpus quamvis gloriosum, quamvis magnum, quamvis adorabile, tamen propter humilitatem humanitatis scabellum pedum competenter accipimus. Itaque cum admonemur adorare scabellum Domini, sacratissimam Christi carnem Deitati unitam adoratione colere jubemur, quatenus conjuncta quidem est secundum eandem hypostasin &c. Et id quidem, quod proponitur hoc loco, inprimis rationi cōsonum est & veritati conforme. Nam Christus etiā ut homo adorandus est, & in Scripturis adorari prædicatur, quod idem quoq; sit Deus ut Ps. 96. Adorate eum omnes Angeli ejus: quod & B. Paulus ad Hebræos scribens adducit in testimonium ad excellentiam Christi demonstrandā. At humanitas & caro Christi considerata, quatenus unitur Verbo, jam revocatur ad rationē unionis hypostaticæ & cōsideratur, ut in unitate personæ conspirant cum Verbo Dei. Ergo cum hujusmodi attendimus considerationem, ipsa quoq; adoranda est singulari cultu & latria, quandoquidem hoc pacto semper aspicimus personæ dignitatem.*

Idem in Comm. lib. 4. orthod. fid. c. 3. *Sanctissima Christi caro absolute & secundum se considerata & non quatenus divinitati unita, nequaquam est adoranda, quia ea ratione creatura est, cui minime exhibendus est adorationis cultus &c. Si vero eadem consideretur, ut unita Verbo hypostatica unione, & eandem cum eo personam constituens revera adoranda est propter ipsum Verbum, cui unitur, ut præcipuam adorationis causam, & in ipso quoque Verbo, cum quo in unum personali unitate coalescit.*

Et postea: *Respondendum est, nos duas in Christo Naturas post unionem salvas & integras ingenue fateri, non tamen idcirco creaturam nos colere, aut Naturam creatam, sc. humanitatem Christi, secundum se propriamque substantiā consideratam, sed in ratione & habitudine ad Verbum Dei, cui in eadem unitur hypostasi, quandoquidē Christi caro propter ipsum Dei Verbum & in ipso adoratur. Quare neque in Christo unam dicimus Naturam adorabilem, scil. divinam, & alteram inadorabilem, scil. humanam, sed utramq; adorabilem, unam quidē propter se & suapte Natura, alteram vero non secundum se, sed propter unionē cum Verbo. Si enim à Verbo separata foret, nō esset hoc pacto adoranda. Cæterum quia nunquam separabitur ab eo, sed indissolubiliter illi permanet unita, ut Verbo conjuncta semper adoranda colendaque est, quod & B. Augustinus attestatur, exponens illud Ps. 98. Adorate scabellū pedum ejus, quoniam sanctum est. In Christo, inquit, terra est, id est, caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Hæc sine impietate à Verbo Dei assumta caro adoratur à nobis, quia nemo carnē ejus vere manducat, nisi prius adoret, sed qui adorat, non terram intuetur, sed illum potius, cujus scabellum est, propter quem adorat. Enimvero permulta sic invenias in rerum Natura, quæ per se talia non sunt, conjuncta tamen alteri propter ipsum fiunt talia. Nempe corpus humanum si ipsum nudum & anima destitutum intelligas, neque animatum est, neque vivens, propter animam autem, cui conjungitur, vitæ fontem & originē, vivificatur corpus & vegetatur, & quamdiu animæ fuerit compactum, vivens dici debet & vegetum &c.*

Azorius tom. 1. moral. lib. 9. cap. 5. & 6. docet, *humanitatem Christi alia ac diversa adorationis specie adorandam, quatenus à Verbo est assumta, eique mirabili nexu & vinculo conjuncta: alia vero, quatenus consideratur per se, hoc est, ut dimissa vel divisa à Verbo; priori respectu cultu λατρείας, posteriori vero tantum ὑπερδουλείας adorandam.* (Atqui post unionem semel factam caro nunquam dimittitur vel dividitur à Verbo.)

Busæus in Disp. contra Gerlach. th. 78. *Non negamus, quod caro ratione Verbi, cui personaliter unita est, una adoratione cum divinitate est adoranda.* (Idipsum tamen postea sic pervertit, *sensum esse non quod caro, quatenus λόγῳ personaliter est unita, sit religiosæ adorationis objectum, sed quod sit caro ejus, qui est adorationis objectum*, idque declarat similitudine à purpura Regis sumta, *quæ honorato Rege ipsa quoque honoratur, non quod sit honoris objectum, sed quod sit purpura ejus, qui honoratur.* Damascenus quidem eadem similitudine utitur, sed aliter eam accommodat, ut apparet ex addita similitudine de *ferro ignito*, cui ignis vere & realiter suas proprietates communicat. Applicatio ergo Damasceni talis est: *Purpura non honoraretur,*

tur, nisi esset Regis purpura; sic caro non adoraretur, nisi esset Verbo unita caro. Ferrum non ureret, nisi esset ignitum, sic caro non esset adorabilis, nisi esset Verbo unita.)

Cornelius à Lapide in Comm. cap.1. Coloss. p.603. super verba Phil.2.v.10. Ut in nomine Iesu flectatur omne genu. Cum adoramus Verbum incarnatum, coadoramus pariter humanitatem & omnia, quæ Verbo inexistunt. Ita Theodoretus, Ambrosius & alii.

Benedictus Justinianus in cap.2. ad Phil. super verba: Ut confiteatur omnis &c. De humana Christi Natura hæc alii accipiunt, siquidem Damascenus ait, Christum post suum in cœlos ascensum hanc divinam majestatem esse assecutum σωματικῶς, quandoquidem caro divinitati conjuncta eadem adoratione tum ab Angelis, tum ab hominibus colitur.

Gregorius de Valentia tom.3. Disp.1. q.24 punct.1. In contrarium est (disputat contra Danæum) quod Christus homo seu Christi humanitas unita Verbo divino eadem adoratione, qua adoratur Dei verbum, adorari debet. Item. In contrarium est (differit contra ὑπερδουλείαν Christi hominis) usus & consuetudo perpetua Ecclesiæ, quæ ad Christum etiam ut hominem in communi oratione non dicit, Ora pro nobis, sed, Miserere nobis, semperq; illum divino duntaxat cultu honorat. Neq; sane Damasc. lib.3. fid. orth. c.8. & l.4. c.3. ubi ex Ecclesiæ sententia diligenter exponit, quomodo Christi humanitas adorari debeat, alterius meminit honoris, nisi divini. Denique Concilia (Ephesinum anath.8. & Constantinop. II. can.9.) simpliciter unica adoratione Christum adorandũ esse, nempe divina statuunt.

Lorinus in Ps. 96. Propter hypostasin divinam Christus adoratur ab Angelis, ut homo, non præcise tantum, ut Deus. (Si adorationis ratio est hypostasis divina, & verò etiam humana Christi Natura hypostaseos divinæ particeps sit facta, utique humana Christi Natura à religiosæ adoratiõis objecto excludi nequit.)

Dan. à S. Severo Cappucinus in Christomachia. Christus homo est superior Angelis, ut constat ex cap.1. Heb. Et adorent eum omnes Angeli. Paulus ibi præcipit adorari Christum ratione vel gloriæ divinæ, vel ejus, quæ debetur ei, quatenus incarnatus est. At non gloriæ divinæ. Ergo quatenus incarnatus est. Probatur assumtum. Quia si ratione divinæ gloriæ, Ergo frustra esset præceptum. Consequentia probatur. Quicquid omitti non potest, frustra præcipitur. At adorare Christum, qua Deus est, omitti non potest ab Angelis. Ergo id frustra præcipitur. Probatur major ab exemplo, quia posito in agone extremo frustra præcipias, ne moriatur. Ex axiomate Philosophico, Frustra est id, quod non assequitur effectum. (Non, omnino nihil in hac ratiocinatione desiderari potest, interim vera est conclusio, quod Christo non solum ut Deo, sed etiam ut homini debeatur adoratio.)

Maldonatus in cap.2. Matth. Et procidentes (Magi) adoraverunt eum. Qui hoc loco non aliam, quam urbanitatis adorationem intelligunt, nimis mihi videntur urbani. Cur enim tot alios Iudæorum natos Reges nemo peregre adoraturus venit? Quomodo in stabulo & in præsepi jacentem adorant, si nihil nisi hominem cogitant? Quomodo Herodes se quoque adoraturum dicit? Frustra profecto Deus tam inusitato miraculo eos docuisset, ut solum hominem, non etiam Deum adorassent.

(Si hæc fuit religiosa adoratio, utique humana Christi Natura à religiosæ adorationis objecto excludi nequit.)

Estius in 3. sent. dist.9. §.1. ostendit, non alia aut diversa, quam qua Verbum adoratur, adorandam esse carnem (Christi) adoratione, & contrariam sententiam dicit esse Nestorianam.

2. Quod de adoratione Christo homini deferenda invicem non consentiunt. (Dissensiones enim istæ argumentum exhibent, quod à tramite simplicis veritatis in Scriptura patefactæ recesserint, argutias humanæ rationis secuti.)

Altensteig in Lexico in verbo Adoratio p.24. col.2. Homo Christus, ut scribit Gabriel dist.9. lib.3. sent. una adoratione, quæ est Latria propriè dicta, est adorandus, quia homo Christus est persona Verbi, & ita Deus, & per consequens ea adoratione, quæ solius Dei est, adorandus est, hæc autem est latria propriè dicta &c. Ab hoc non discrepat Iacobus de Valentia super illud Psal. 71. Adorent eum omnes Reges, cum ita scribit: Latria vere competit Christo, quia creator & universalis Dominus & judex & redemptor & verus Deus. Idem super illud Psal.94. Venite exultemus &c. ait: Quia Christus venit in mundum verus Deus & homo, ideo debetur sibi latria. Ab hac adoratione Natura humana non est secludenda, ut ait Gabriel, non quod Natura humana sit terminus, i.e. objectum hujus adorationis, sed quia tota persona Verbi in humana Natura ac divina subsistens adoratur tanquam terminus, i.e. objectum adorationis, hæc enim persona, quæ est vere homo, est universale omnium principium &c. Sed humana Natura per se considerata adoranda est dulia majore, sive summa, quæ dicitur hyperdulia, quia humana Natura est creatura, sed secundum gratiam & gloriam omnium creaturarum perfectissima &c. Sed qua specie adorationis humanitas Christi sit adoranda, variæ sunt opiniones ex diversis Sanctorum autoritatibus ortum trahentes. Unde in hoc omnes videntur concordare, quod humanitati Christi in se considératæ, non ut unitæ, debetur dulia major vel minor secundum diversas ejus considerationes. Considerata autem ut à Verbo assumta & Naturæ divinæ in Verbo hypostatice unita, sic de ejus adoratione inveniuntur tres opiniones: Una tenet, quod ut sic adoranda est dulia majori, quæ hyperdulia vocatur, quia solus Deus est adorandus latria, sed Natura humana non est Deus. Ergo. Secunda opinio tenet, quod humanitas Christi considerata, ut unita Verbo, latria est adoranda. Allegant illud Ioh. Damascení, & habet Magister Sent. dist.9. lib.3. non inadorabilem carnem dicentes, adoratur enim in una Verbi hypostasi, & sequitur, non ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam divinitati in unam hypostasin Dei Verbi duabus reductis Naturam. Plura videto apud Gabrielem lect.50. Can. Et hanc approbat S. Bonav. in 3. dist.9. unde dicit, Concedendum est, quod Christus homo non solum adorandus est latria, sed etiam ejus humanitas, inquantum Verbo est unita, quamvis, prout in se consideratur, non debetur ei nisi dulia. Quoniam autem Christi humanitas nunquam est à Verbo separata, ideo semper consideranda est ut conjuncta, & semper adoranda est latria. Hæc Bonavent. Tertia opinio, quod humanitas Christi, ut Verbo unita, adoratur latria, sed non propriissime, sed large sumta. Hæc videtur esse Rabani dicentis: Caro Christi latria adoranda est, sicut Verbum, sed non omni specie latriæ, quoniam adoramus eum omnino prostrati in terram, sic quod credamus, quod creavit nos de nihilo, nec sacrificamus ei, sicut Deo, sed adoramus eam, quia per ipsam redemti sumus. Sic ergo dicitur latria extenso nomine sive large, vel analogice.

Tannerus in Thom.2.2. Disp.4. §.27. Ex fide constat, Christum hominem, cum simul & Deus sit, eadem adoratione, qua Deus adoratur, adeoque perfectissima latria adorandum esse. (Quis non primo intuitu existimaret, hæc verba esse orthodoxa, cum hunc videantur habere sensum, quod Christus non solum ut Deus, sed etiam ut homo, non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam sit perfectissima λατρείᾳ adorandus? Sed ex sequentibus apparet, Tannerum istud minime velle, verum hoc tantum dicere, quod Christus, qui secundum Deitatem adorandus, in personæ unitate sit Deus & homo, sic enim subjicit.) De Christo ut homine, adeoque humanitate ipsa difficultas est. Et negare videntur aliqui, Alensis, Biel, Paludanus, Corduba apud Vasquez lib.1. n.26. eam posse perfecta latria adoratione coli, qua Verbum incarnatum colitur. Alii ut Vasquez d.4. c.4. citans Bonaventuram, Waldensem, Sainctium, Clichtoveum hac sola adorari decenter censent. (Horum sententia Scripturæ sacræ conformis est, sed Tannero non per omnia probatur, ideo subjicit.) Sed veritas in medio videtur consistere. Etenim certum est, Christum, ut hominem, si vocula ut non reduplicative, sed specificative accipiatur, adeoque humanitatem Christi simul cum Verbo eadem adoratione latriæ rectè simul coli & adorari, quod quidam de fide censent, sed diversa ratione, quia Verbum est adorationis seu latriæ objectum per se, absolutum & primarium intrinsece continens rationem adorandi. At vero humanitas tantum est objectum adorationis materiale & quidem secundarium tantum, & q. respectivum, h.e. quod propter excellentiam non propriam sibi, sed q. alienam ita colitur. (Hæc videri poterant sana & orthodoxa; nam & nos dicimus, carnem Christi esse objectum adorationis non propter excellentiam aliquam essentialiter sibi propriam, i.e. propter essentiales suas proprietates, sed propter excellentiam à Λόγῳ sibi personaliter communicatam, videlicet propter unionem cum Λόγῳ & exaltationem ad Dei dextram. Verum Tannerus non eo sensu humanitatem videtur vocare adorationis objectum materiale & secundarium, sed alio, videlicet quod sit humanitas ejus, qui est adorationis objectum, & quod non aliter sit objectum adorationis, quam purpura est objectum honoris, qui Regi purpura induto defertur, videlicet quod sit purpura Regis, qui honoratur, statim enim subjicit. §.28.) Quecirca Durandus etiam dixit 3. sent. dist.9. Christum per se adorari latria, humanitatem ejus per accidens. Quem modum loquendi licet ut singularem & vitandum non nemo reprehendat, Suarez tom.1. disp. 53. sect.2. quod eo significetur, humanitatem Verbo tantum per accidens junctam, volens potius dicendum, adorari per se non primo, sed secundo; quidam tamen Vasquez scil. lib.1. n.67. ut probum defendit. Sed melius & securius alii dixerunt, Thomas, Bonaventura, Richardus

dus 3 dist. 9. ita ex consequenti adorari. Nec male quidam, ita coli per aliud. Exemplum habemus in corpore, quod cum persona qualibet recte simul colitur, etiamsi excellentia, propter quam colitur, sit in anima, non in corpore. (Hoc exemplum propius ad rem accedit, quam illud alterum, quo communiter utuntur de Regis purpura per accidens tantum unà cum Rege honorata, quia inter animam & corpus longe arctior est unio, quam inter Regem & purpuram; ac anima communicat corpori suas proprietates, sed Rex purpuræ nihil communicat. Interim tamen notandum, unionem animæ & corporis esse *essentialem ac separabilẽ*, quia in morte anima à corpore separatur, sed unionem Λόγου & carnis esse *personalem* & *inseparabilem*, adeoque longe arctiorem, proinde nec hoc exemplum est modis plane omnib. simile. Pergit Tannerus n. 29.) *Interim fatendum quoq; ex communi, Christum præcise, ut hominem, adeoque etiam humanitatem ipsius, secundum se nude spectatam, recte nihilominus subinde coli posse, passim enim ita coli nec decet, nec expedit, inferiori aliquo cultu, quem communiter hyperdulian vocant, in quo ratio colendi sit dignitas ejus & excellentia creata, nempe vel ipsa gratia unionis, quo casu à quibusdam hic cultus etiam vocatur latria quædam imperfecta, & secundum quid, ac probabiliter ab ipsa virtute religionis procedit; vel gratia habitualis & sanctitas creata animæ ejus inhærens, quo casu propriè etiam hyperdulia vocatur, ac juxta veriorem habitu non differt à dulia, cæteris Sanctis delata.* §. 30. *Ratio hujus sententiæ est, quia Christus, etiam ut sic spectatus, egregiam quandam & insignem habet excellentiam, adeoque dignus est aliquo cultu, non autem perfecta latriâ, ut quæ nulli rei tribui potest, nisi propria & immediata ratio colendi sit excellentia increata, quæ hic non est.* (Ut Christi humanitas post factam unionem non subsistit seorsim & separatim, sed in Λόγῳ, à quo est in personæ unitatẽ assumta, ita quoque non potest, nec debet seorsim & separatim, vel *latriâ*, vel *hyperdulia* coli; unde Concil. Ephesin. anath. 8. & Concil. Constaninop. X. collat. 8. can. 9. *Nestorianam hæresin esse* statuunt, *carnem cum Verbo coadorare & conglorificare*, nimirum quia ex eo sequitur solutio personæ. Unde ipse Tannerus fatetur, *nec decere, nec expedire, ut humanitas Christi secundum se spectata passim ita colatur*, nimirum quia cum præsentissimo Nestorianæ divulsionis periculo hoc vidit esset conjunctum.)

Cottonus Jesuita lib. 1. Instit. cap. 9. p. 99. *Eo cultu & religionis officio, quod Theologi hyperdulian vocant, sanctissima Filii Dei humanitas coleretur, si esset ab hypostasi sejugata.* (Sublumo. Humanitas Filii Dei non est ab hypostasi sejugata. Ergò non debet coli hyperdulia. Cur ergo Alex. Alensis part. 4. q. 2. n. 3. Gabriel Biel in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. concl. 3. & reliqui communi suffragio asserunt, *humanitatem Christi hyperdulia esse colendam?*)

3. Quod imaginem Christi cultu λατρείας adorandam esse statuunt,

Thomas part. 3. q. 25. art. 3. Alex. Alensis part. 3. quæst. 3. membr. 3. art. 3. Bonaventura 3. sent. dist. 9. art. 1. q. 2. aliique plures, quos adducit & sequitur Gregor. de Valentia tom. 3. Disp. 6. q. 11. punct. 6.

(At si imago Christi mortua hominum manibus formata est religioso cultu λατρείας adoranda, quantò magis Christi humanitas Λόγῳ personaliter unita non ὑπερδουλείᾳ, ut volunt communiter, sed λατρείᾳ erit adoranda? Neque enim major vis relationis inter imaginem & prototypum, quàm personalis unionis inter Λόγον & assumtam carnem.)

CAPUT II

De Scientia Animæ Christi.

THESIS. Anima Christi in naturali & habituali scientia ὄντως & verè profecit, cum ὁ Λόγος omniscius divinam suam omniscientiam assumtæ Naturæ verè & reliter in primo conceptionis momento communicatam, in statu exinanitionis non perpetuo ac semper per assumtam humanam Naturam exeruerit, sed ratione plenarii usus retraxerit.

Ἐκθεσις. 1. Non est quæstio, an *omniscientia* vere divina & infinita in primo statim incarnationis momento personaliter assumtæ Naturæ humanæ Christi sit communicata, Hanc enim communicationem à Pontificiis & Calvinianis negatam constanter docemus & propugnamus.

2. Nec est quæstio de *infusa scientia*, eam enim non minus, quam alia Spiritus sancti dona habitualia & finita in Christi anima locum habere concedimus.

3. Sed hoc est, quod negamus, omniscientiam illam divinam & increatã *subjectivè* animæ Christi inhærere, ut per eam etiã in statu exinanitionis *invariabiliter* omnia sciverit, quæ Deus scit.

4. Negamus etiam, infusam scientiam in statu exinanitionis tam perfectam fuisse, ut Christi anima in ea proficere non potuerit.

5. Distinguimus etiam inter *ignorantiam puræ negationis*, ab omni peccati labe immunis, & inter *ignorantiam pravæ dispositionis* peccati labe contaminatam; illam Christo homini in statu exinanitionis tribuimus, hanc vero ab ipso penitus sejungimus, quia quamvis Filius Dei non solum veram humanam Naturam, sed etiam infirmitates humanas ex peccato ortas sponte susceperit, à peccato tamen immunis semper fuit, est & erit, quin & infirmitates ipsas in statu gloriæ deposuit.

Antithesis. Lombardus 3. sent. dist. 13. lit. B. *Christus secundum hominem tantam à conceptione accepit sapientiæ & gratiæ plenitudinem, ut ei plenius conferri non potuerit, dicitur autem profecisse sapientia & gratia, non in se, sed in aliis, qui de ejus sapientia & gratia proficiebant, dum eis sapientiæ & gratiæ munera secundum processum ætatis magis ac magis patefaciebat.*

Et postea. *Sic dicitur profecisse sapientia & gratia, ut aliquis rector Ecclesiasticus dicitur proficere in cura sibi tradita, cum per ejus industriam alii proficiunt.*

Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 2. art. 3. inter errores refert illud Theodoreti adv. Cyrill. anath. 4. *Non Dei Verbi est ignorantia, sed formæ servilis, quæ tantaper illud tempus sciebat, quanta Deus inhabitans revelabat.* Itemque illud Lutheri in Concione in Natali Domini, ubi explicans Epistolam ad Hebræos & Marc. 13. *De die hoc nemo scit, non Angeli, neque Filius quidem, sed solus Pater*, sic scribit: *Hic intempestivam quidam afferunt enarrationem, dicentes, Filius nescit, i. e. non vult scire. Quid n. opus est istis commentis? Christus verus homo fuit, quare ut alius purus, sed sanctus homo, non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia, sicut imperiti quidam omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiscentes duas Naturas atque opera earum parum prudenter. Sicut n. non quolibet tempore omnia audivit, vidit atque sensit: ita etiam corde non omnia semper agnovit, sed quantum illum duxit ac docuit Dominus.*

Greg. de Valentia Comm. tom. 4. Disp. 1. q. 15. punct. 1. disputat, *Christum nunquam laborasse ullâ ignorantiâ privativâ, sed per aliquã scientiam creatam scivisse semper omnia, quorum ignoratio aliquam imperfectionem hominis denotat.*

Bellarminus lib. 4 de Christo cap. 1. *Catholicorum communis sententia semper fuit, Christi animam ab ipsa sua creatione repletam scietiâ & gratiâ, ita ut nihil postea didicerit, quòd antea nesciret.* ibid. *hæreseos arguit* eorum sententiam, qui statuunt, *humanam Christi Naturam in statu exinanitionis non quovis tempore omnia scivisse.*

Similia occurrunt apud Olorium tom. 1. Concion. p. 256. Pistorium in Spiritu 4. cap. 13. & 14. Feuardentium Theomachiæ lib. 4. cap. 7. Boverium demonstrat. tom. 2. lib. 2. Examinis 1. c. 17. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 51.

Nostram sententiam probamus,

1. ex Marc. 6. v. 6. Ubi locum habet admiratio, ibi plenarius actualis omniscientiæ usus statui nequit, quia admiratio ex rei inopinatæ & improvisæ objectu oritur. Jam vero Christus in diebus carnis suæ admiratus est Nazarenorum incredulitatem.

2. ex Marc. 13. v. 32. Quæ diei novissimi scientia Angelis & hominibus denegatur, eadem etiam Filio hominis in statu exinanitionis denegatur. Utitur enim Christus comparatione imparium, ut oratio ipsa magis magisque assurgat. Jam. v. Angeli & homines ignorant diem judicii, non aliis tantum, sed etiam sibi ipsi, h. e. non eo tantum modo ignorant, ut aliis dicere nolint, sed actu & ὄντως. Ergo & Filius hominis in statu exinanitionis eodem modo ignorat judicii diem. Vicissim. Quæ diei novissimi scientia Patri tribuitur in membro posteriore, ea Filio hominis Angelis &, hominib. denegatur in membro priore. ut ostendit oppositio. Jam verò etiam Pater non scivit diem illum ad revelandum aliis, cùm eum non revelarit. Ergo Filius non aliis tantum, sed etiam sibi illum ignoravit.

3. ex Luc. 2. v. 40. ubi Christus diserte dicitur *sapientia profecisse*. Ubi v. sapientiæ profectus, ibi plenarius actus secundum omniscientiæ statui nequit. Dicitur ibidẽ Christus *profecisse ætate & sapientiâ*. Jam verò ὄντως & vere profecit ἡλικίᾳ sive statura corporis & membrorum quantitate. Ergo etiam ὄντως & vere profecit sapientia. Dicitur profecisse *sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines*, hoc est, non hominũ tantũ judicio, sed Deo ipso teste, judice & approbatore vere & sincere in his profecit 2. Cor. 8. v. 21.

4. ex Phil. 2. v. 9. Quemadmodum Christus in diebus carnis suæ *omnipotentiam* ac majestatem divinam assumtæ Naturæ

humanæ per unionem personalem vere & realiter communicatam non semper nec pleno usu exeruit, ita quoque *omniscientiam* non semper per Naturam humanam exeruit, sed plenario ejus usu sese exinanivit.

5. Ex Hebr.2.v.17. cap.4.v.5. naturale est animæ humanæ in scientia proficere. Jam vero Christus in omnibus naturalibus, absque tamen peccato, nobis similis factus. Ergo & in illo sapientiæ profectu.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Christum vere in diebus carnis suæ scientia profecisse.

Thom.part.3.q.19.art.1. *Potentia animæ Christi reducta fuit in actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam, & ideo secundū eam anima Christi primo quidem cognovit, quæ ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcunque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius & plenius cæteris cognovit anima Christi.*

Cajetanus in cap.2.Luc.super verba: *Iesus proficiebat ætate & sapientia. Adam creatus est, ut principium Naturæ humanæ in naturalibus tam secundum corpus, quam secundum animam, & quia perfecta sunt secundum Naturæ ordinem priora imperfectis, ideo Adam sicut secundum corpus creatus est perfectus in quantitate, ita & secundum animam creatus est perfectus in scientia. Christus autem non est productus ut principium hominum in esse Naturæ, nec in naturalibus pro hoc statu, sed ut doctor mysteriorum Dei & regni cœlestis, in cujus signum productus est secundum corpus quantitatis imperfectæ & similiter secundum animam in pura potentia, quoad scientiam naturaliter acquisibilem, & sicut crevit ætate & vere augmentum corporale habuit, ita crevit sapientia. Simul enim Evangelista hæc dicit.*

Erasmus in Annot. in cap.2.Luc.pag.135. *Non me fugit, quibus rationibus hunc locum explicuit Interpres, Christum profecisse, non quod illi quicquam accesserit à tempore, quo conceptus est in utero matris, sed quod dotes suas, quibus erat cumulatissimus, magis ac magis exprimeret, exereretque, tum apud homines, quorum saluti consulebat, tum apud Deum, cujus gloriam illustrabat. Rursum sunt, qui sic expediant, ut dicant, Christo dotes easdem aliter contigisse, & quod prius afflatu tenebat, mox usu studioque humano comparasse, quorum ego sententiam non refello, tantum illud velim expendat lector, num incolumi fidei sinceritate sentiri possit, cum extra controversiam sit, dotes omnes, quibus præditus fuit Iesus, ut homo, beneficentiæ fuisse divinæ, Deitatem per gradus quosdam eas impartisse Naturæ humanæ assumtæ, præsertim cum id apud Lucam eodem capite bis legamus. Ait enim paulo superius, Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia. Quod enim corroboratur, auctu quodam virium fulciri videtur. Ac rursum apertius hoc loco, Et Iesus proficiebat sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines. Cum enim tria conjungat, sapientiam, ætatem & gratiam, sicut vere profecit ætatis accessu, ita vere profecisse videtur dotium incrementis. Nam quod adferunt quidam, Iesum ab initio gratia plenum fuisse, non impedit profectum, cum idem de Iohanne, deque aliis dictum sit, quibus gradus & accessionem nihilo secius tribuimus. Neque vero perinde nos moveat, si id pugnet cum aliquo placito Scholasticorum aut alicujus hominis opinione, sed an, quod aperte scripsit Lucas, fidei sinceræ adversetur, cui semper est modis omnibus adhærendum?*

Corn. Jansenius in Conc.Evang.c.12. *Quod Christus dicitur profecisse sapientia & gratia ab antiquioribus Interpretibus fere intelligitur, non quod illi quicquam accesserit à tempore, quo in utero matris divinitas humanitati in ipsa conceptione est counita, sed quod sapientiam suam & gratiam magis ac magis declaraverit & declarando magis ac magis ab hominibus habitus sit profecisse. Quod idem est cum eo, quod à recentioribus dicitur, profecisse Christum non secundū habitum sapientiæ aut gratiæ, sed secundum actus sapientiæ & gratiæ, eò quod processerit ab actibus sapientibus ad sapientiores. Aliter tamen etiam à recentioribus explicatur hic locus de habitu scientiæ acquisitæ, qui auctus sit in Christo, cum habitus sapientiæ illi infusæ aut sapientiæ beatæ non sit augmentatus. Verum cum sapientiam hanc, quæ Christo tanquam homini ab initio Conceptionis sit infusa, quaque omnia ab initio cognovisset, etiam ut homo, quidam putent, non posse ex Scripturis probari, putant simpliciùs hunc locum sic explicandum, ut dicatur, Christum secundum sapientiam divinam, id est, quæ ei competit tanquam Deo, non profecisse, secundum sapientiam autem humanam, hoc est, eam, quæ ei, ut homini, competit, vere profecisse, hominum quidem more, sed tamen supra modum humanum. De hac enim sapientia se locutum Lucas significat, dum Iesum, quem profecisse dicit sapientia, etiam ætate profecisse dicit. Nec metuenda hic videtur Damasceni sententia, qui Nestorianismi accusasse videtur eos, qui statuunt, Christum vere profecisse sapientia &c. Ex Damasceni enim ratione tantum consequitur, Christum non absolute profecisse sapientia, quasi scil. non fuerit ab initio plenus sapientia. Probat enim, Christum hominem ratione unionis hypostaticæ ab initio semper plenum & perfectum fuisse in sapientia illa, quæ Verbo propria est. De qua, ut ratio ejus solum concludit, ita etiam eum loqui manifestum satis ex eo, quod carnem dicit sapientiæ plenitudinem participasse, non per gratiam, sicut nos, sed per unionem hypostaticam ea, quæ sunt Verbi, participasse. Proinde habito respectu ad hanc Christi sapientiam, non potest dici Christus profecisse sapientia, nisi quia majorem semper sapientiam factis dictisque demonstravit. Verum cum præter hanc divinam sapientiam necessario oporteat Christo, quatenus homini, humanam etiam tribuere sapientiā, non consequitur ex Damasceni sententia, impiū esse & Nestorianum, asserere, hanc revera quibusdā gradib. in Christo auctā fuisse.*

Et paulo ante in principio capitis. *Quod Christus dicitur confortatus Spiritu & profecisse sapientia, sic communiter intelligitur, quod in eo paulatim emicuit fortitudo Spiritus & sapientia, ita ut tantum creverit ejus sapientia in ostensione & opinione hominū. Quomodo debere intelligi, videri potest ex eo, quod, postquam dixisset, confortabatur Spiritu, adjecit, plenus sapientia, quasi significare volens, eū non vulgarium hominum more profecisse in fortitudine Spiritus & sapientia, ut qui semper plenus fuerit sapientia. Verum ex isto hæc sententia probari non potest. Pro dictione enim plenus non Græcū nomen πληρής, sed participium πληρούμενον, quod, ut annotavit quidam, indicat, illum impleri sapientia ætatis accessu. Non potest hoc participiū una dictione bene correspondente exprimi apud nos, cum sit præsentis temporis passivæ significationis, tamen per circumlocutionem sic ejus significationis vis exprimi posset, confortabatur Spiritu accipiens plenitudinem sapientiæ, ex qua explicatione patet, hic à Luca non significari, puerum hunc semper fuisse plenum sapientia, quod si etiam dictū fuisset, non tamen ex eo sequeretur, Christum vere non profecisse. Plenitudo enim gratiæ non impedit profectum, cum ea Iohanni aliisque tribuatur, quibus gradus & accessionem nihilo secius tribuimus. Itaque cum Scripturis sacris & fidei sinceritati obstare non videatur, si dicatur Deitas per gradus quosdam dotes suas impartisse humanæ Naturæ assumtæ, & Lucas id aperte bis hoc loco dicat, eūdē verbū nunc loquens de Christo, quibus prius de Iohanne, putat quidam hæc Lucæ loca simpliciter accipienda, ut vere Christus significetur profecisse sapientia, sicut profecit ætate. Nam quod plerique veteres dicunt, Christum ab initio fuisse plenum sapientia, nec potuisse proficere, magis videntur respexisse ad sapientiam ejus divinam, quæ non competit Christo, quatenus Deus &c.* (Subjicit quidem Jansenius, *profectum hunc à Scholasticis bene intelligi, dictum esse de sapientia Christi ipso usu & experientia acquisita, cum prius ab initio conceptionis fuerit infusa animæ ejus omnium rerum cognitio.* Item: *præter scientiam beatæ visionis, qua Christus secundum animam assidue fruebatur sua divinitate, etiam congenitam quandam in eo omniū rerum scientiam fuisse, quam Verbum Dei animæ suæ in ipsa creatione implantavit.* Interim discedit à Lombardo, qui *scientiam tempore & usu rerum acquisitam* in Christo non videtur agnoscere; ac *infusam* illam omnium rerum cognitionem non nisi ex Augustini autoritate & verisimili quadam ratione probat, ac tandem subjicit: *Quomodocunque intelligantur hæc loca Lucæ, illud certum est, his verbis ipsum voluisse ita notare veritatem assumtæ Naturæ humanæ, ut tamen etiam significaret, in eo aliquid homine majus apparuisse.* Ex quo apparet, *infusam* illam omnium rerum scientiam non niti firmo aliquo Scripturæ fundamento, quinimo *acquisita & experimentalis scientia* per infusam & beatam scientiam penitus tolluntur. Quod si enim Christi anima ipso actu omnia à primo conceptionis momento absolute & perfecte novit *scientia beatæ visionis & infusa,* quomodo per species intelligibiles & rerum usum quædam cognoscere cœpit? si in mente Christi fuit omnium specierum intelligibilium & immaterialium substantiarum, omniumque singularium præteritorum, præsentium & futurorum notitia, quis acquisitæ & experimentalis scientiæ erit usus & quis illi in anima Christi dabitur locus?)

2. Quod acquisitam scientiam in anima Christi statuunt. (Ea enim, ut modo ostendimus, cum infusa omnium rerum scientia non potest consistere.)

Thom.p.3.q 9.art.4. *Iam quamvis alibi aliter scripserim, dicendum est, in Christo fuisse scientiam acquisitam, quæ proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subjecti recipientis, sed etiam ex parte causæ agentis. Sed modo, qui est perfectior, h.e. inveniendo scientiam ex se, non addiscendo ab alio.* q.12. art.2. ex Luc.2. *profecit sapientia &c.* probat, *ipsum habitum scientiæ*

scientiæ acquisitæ suscepisse incrementa unà cum corporis ætate ac statura.

3. Quod agnoscunt, infusam illam scientiam, quam Christo à primo conceptionis momento tribuunt, non esse divinæ parem. (Ergo non erit absolute & simpliciter loquendo omnium rerum cognitio & omniscientia.)

Clemens Episc.Rom. Lib.10.Recognit. *Refugiunt imperitiæ notam, sed non debet pro hoc quis verecundiam pati, quia nec est aliquis hominum, qui profiteri debeat, omnia se scire. Unus enim est, qui scit omnia, ipse qui & fecit omnia. Si enim Magister noster diem & horam, cujus etiam signa prædixit, nescire professus est, ut totum revocaret ad Patrem, quomodo nos turpe ducemus, si aliqua nos ignorare fateamur, cum Magistri in hoc habeamus exemplum?*

Lombard.3.Sent.dist.14.lit.B. *Dicimus, animam Christi per sapientiam sibi gratis datam in Verbo Dei, cui unita est, unde etiam perfecte intelligit, omnia scire, quæ Deus scit, sed non omnia posse, quæ Deus potest, nec ita clare & perspicue omnia capit, ut Deus, & ideo non æquatur creatori suo in scientia, etsi omnia sciat, quæ & ipse; nec est ejus sapientia æqualis sapientiæ Dei, quia illa multo est dignior, dignius que ac perfectius omnia capit, quam illius animæ sapientia. Ergo & in scientia majorem habet sufficientiam Deus, quam illa anima, qua dignior est omni creatura.*

Bonaventura ibid. *Quamvis anima Christi cognoscat omnia, quæ Verbum cognoscit, nunquam tamen æquatur ei in cognitione, quoniam nunquam omnia illa comprehendit actualiter, secundum quod ipsum Verbum æternum pro uno aspectu de omnibus judicat & omnia intuetur.*

4. Quod agnoscunt, quosdam ex Patribus statuere, Christum in scientia vere profecisse.

Lombardus 3.Sent.dist.13.lit.C.adducit dictum Ambrosii in Lib.de incarnat. Sacramento cap.7. *Deus profectionem Naturæ suscepit humanæ. Suscepit sensum hominis &c. sensu hominis profecit, sicut scriptum est. Iesus proficiebat ætate & sapientia & gratia. Quomodo proficiebat sapientia Dei? profectus ætatis & profectus sapientiæ non divinæ, sed humanæ Naturæ est. Ideo ætatem commemoravit, ut secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sensus autem hominis profecit, & quia sensus, ideo sapientia. Quis sensus proficiebat? si humanus, ergo ipse per incrementum susceptus est. Si divinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, mutatur in melius. Sed quod divinum est, non mutatur. Quod ergo mutatur, non est divinum. Sensus ergo proficiebat humanus, sensum ergo suscepit humanum. Nec poterat confortari Dei virtus, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei impleri. Quæ ergo implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia. Nam quomodo implebatur, quæ, ut omnia impleret, descendit? per quem autem dixit Esaias, quod patrem nesciebat puer aut matrem? Scriptum est enim, priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet spolia Samariæ. Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat.* (Lombardus huic evidenti testimonio frigide respondet lit.E. *Ambrosium hoc velle, quod in Christo profecerit sensus humanus secundum ostensionem & aliorum hominum opinionem.* Verum hanc detorsionem evidenter refellit Ambrosius, quando *profectum ætatis* cum *profectu sapientiæ* conjungit. Christus enim non κατὰ δόκησιν tantum, sed vere & ὄντως ætate profecit. E. etiam sapientia non κατὰ δόκησιν tantum, sed vere & ὄντως profecit.)

Corn. Jansenius d.l. *Ambrosius hoc loco fatetur, Christum, secundum quod homo erat, profecisse. Secundum carnem,* inquit, *utique sapientia Dei implebatur & gratia. Et sub nomine Theophili in catena aurea sic legitur: Sicut Verbum in carne passum fatemur, quamvis sola caro fuerit passa, quia caro Verbi erat, quæ patiebatur: ita proficere dicitur ex eo, quod humanitas proficiebat in ipso.*

Maldonatus in cap.24.Matth. *Multi veteres Patres, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus, Cyrillus, Autor operis imperfecti in Matthæum, docuerunt, Christum quatenus hominem diem judicii ignorasse.* (Opponendum hoc Bellarmino, qui Lib.4. de Christo cap.1. scribit, *omnes Patres docere, Christum nihil à primo ortu didicisse, quod ante nesciret.*)

Argument. Adversar. 1. *Agnoëtæ hæretici docebant, Christum ignorasse diem judicii, neque hoc divinitati, sed animæ humanæ tribuebant, ut ex eorum argumento elicimus. Hanc hæresin sequuntur omnes fere hujus temporis hæretici, qui ajunt, Christi animam humanam vere aliquid ignorasse.* Bellarminus d l.

Resp. 1. Alphonsus de Castro Lib.advers. hæres.tit. Deus. *Agnoëtæ ignorantiam impingebant Deo, & ad hoc usi sunt argumento ex Matth.24. De illo die nemo scit.* (Idem colligitur clarius ex Isidoro Lib.8. Originum cap.5. *Agnoitæ & Tritheitæ à Theodosianis exorti sunt: ex quibus Agnoitæ ab ignorantia dicti, quia perversitati, à qua exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora novissima, non recordantes Christi personam in Esaia loquentis, Dies judicii in corde meo.*)

2. Maldonatus in Comm.Matth.24. *Agnoëtæ, ut ex Damasceno colligitur, simpliciter Christo ignorantiam tribuebant, quia credebant, divinitatem in humanitatem esse conversam.* (Agnoëtarum ergo duo erant genera, quidam Christo non solum *ut homini*, sed etiam *ut Deo* ignorantiam tribuebant, quidam Christo *ut homini* etiam in statu exaltationis; in statu exinanitionis negabant non solum communicatæ omniscientiæ plenarium usum, sed etiam ipsam communicationem. Nos contra Christo non secundum divinam, sed secundum humanam Naturam; nec in statu exaltationis, sed exinanitionis; nec necessariam, sed voluntariam quandam nescientiam; nec ignorantiam peccati labe infectam, sed omni peccato carentem tribuimus; nec omniscientiæ communicationem, sed plenariam omniscientiæ usurpationem in statu exinanitionis negamus.)

Argum. 2. *Docere Christum aliqua ignorantia laborasse, idem est, ac si diceres, eum originis vitio sordidatum fuisse.* Campian. rat. 8.

Resp. 1. Pererius in cap.6.Genes. Disput.4. *Duplex, ut Theologi statuunt, est ignorantia, altera puræ negationis, altera pravæ dispositionis, & hæc quidem repugnat statui innocentiæ, illa vero minime.*

2. Suarez tom.1. in Thomam quæst.9. art.1. Disp.24.§.3. *Non omnis carentia seu negatio scientiæ dici possit vera ignorantia, quia ignorantia non significat quamcunque negationem cognitionis, sed privationem illius cognitionis, quæ inesse debet juxta statum propriæ Naturæ, ut non dicitur homo ignorans, quod caret scientia Angelica, ita Christus nihil eorum nescivit, quæ oportuit scire, considerata personæ ejus dignitate.*

3. Angelos ignorare diem judicii, communis est omnium Scholasticorum sententia, congruens manifestis Christi verbis, Marc.13. At hæc nescientia est in illis sine omni labe peccati.

Argum.3. Esa.11. *Requiescit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ.* Ps.45. *Unxit te Deus tuus.* Esa.61. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me.* Actor.4. *Convenerunt adversus puerum tuum, quem unxisti.* cap.10. *Unxit eum Dominus Spiritu sancto & virtute. Ergo Christi anima ab ipsa sui creatione ita repleta fuit scientia & gratia, ut nihil postea didicerit, quod antea nesciverit.* Bellarm. d.l.

Resp. Thomas part.3.q.19.art.1. etsi dixerat, *illis Esaiæ verbis comprehendi omnia cognoscibilia*, tamen postea contrahit ad ea, *quæ ab homine cognosci possunt. Potentia animæ Christi* (inquit) *fuit reducta ad Actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam, & ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognovit, quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt; sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcunque donum Spiritus sancti. Omnia enim ista abundantius & plenius cæteris cognovit anima Christi.* (Non igitur omnia absolute, sed tantum ea, quæ homini cognoscibilia sunt, vel per vim intellectus, vel per revelationem.)

Arg.4. *Christus accepit gratiam sine mensura*, Joh.1. Ephes.4. Colos.2. &c.

Resp. 1. Bartholomæus Medina in Thom. part.3.q.7. art. 12. *In Christo est infinita gratia, sed scientia creata in anima Christi non est infinita. Ratio hujus differentiæ est, quia dignitas personæ infinita causat gratiam infinitam, sed dignitas personæ parum aut nihil conducit ad rationem scientiæ, mensuratur namque scientia cum lumine illustrante veritatis scientiæ, & quoniam lumen scientiæ in anima Christi est creatum & habet mensuram, hinc etiam provenit, quod ejus scientia non est infinita.*

2. Illi ipsi, qui aliquam scientiam ab initio plenam & perfectam Christo tribuunt, fatentur tamen de scientia *acquisita*, quod Christus in illa non tantum profecit secundum experientiam, sed etiam essentiam, vel habitum ipsius scientiæ.

Thomas in Summa p.3. quæst.12. art.2. ubi ad object.2. respondet, *Scientiam Christi semper fuisse perfectam secundum tempus*, (hoc est, pro ratione ætatis) *sed non simpliciter & secundum Naturam.*

Arg.5. *Patres ita docent.*

Resp.1. Medina in Thomam p.3.q.10. art.2. fatetur, *Ambrosium, Epiphanium, Euthymium, Bedam & Dionysium Carthusianum aliter docuisse.*

2. Maldonatus in cap.24. Matth. *Multi veteres Patres, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus, Cyrillus, Autor Operis imperf. in Matth. docuerunt, Christum quatenus hominem diem judicii ignorasse.*

CAPUT III.

De descensu Christi ad inferos.

THesis 1. Metaphoricus Christi ad inferos descensus in eo consistit, quod Christus tempore passionis suæ dolores vere infernales in sanctissima sua anima senserit.

Ἐκθεσις. 1. Non est hoc loco quæstio *de reali* Christi ad inferos *descensu*, juxta quem post sepulturam ante suam ex mortuis resurrectionem vere & realiter ad infernum descendit, quem descensum haudquaquam negamus, sed de *metaphorico* ad inferos *descensu*, qui mortem & sepulturam est antegressus, quo referri potest distinctio Scholasticorum inter *infernum pœnalem & localem.*

Bonavent. lib.3. Sent. dist.22. q.4. *Dicendum, quod nomine inferni aliquando intelligitur pœna, aliquando locus pœnæ.*

2. Nequaquam dicimus, Christum in doloribus illis infernalibus vel desperasse, vel de gratia Patris cœlestis dubitasse, vel ullam rebellionem, murmur ac ἀταξίαν in ipsius anima locum habuisse, sed hoc dicimus, quod Christus absque omni rebellione ac murmure, imo absque omni, vel minima ἀταξίᾳ iram Dei peccatis humani generis debitam, ad tempus in sanctissima sua anima persenserit, qui divinæ iræ sensus est mortis secundæ gustus.

3. Non dicimus, Christum morte secunda fuisse oppressum & victum, sed mortem secundam pro nobis & propter nos gustasse.

4. Christus horrores infernales ita sensit, ut iis non succubuerit, sed fortissime contra inferorum potentiam pugnans eam superaverit ac destruxerit. Maximum ergo est discrimen inter ipsius, ac eorum, qui à Deo irato puniuntur, cruciatus. Nam quod in ipso fuit temporaneum, in his est æternum. Semper quoque in ejusmodi angustiis Deo confisus est: peccatores autem à Deo damnati desperant ac indignantur, ita ut blasphemias evomant.

5. Non dicimus, Christum omnes ac easdem pœnas expertum esse, quæ damnatos manent, quia damnati multas subeunt pœnas, quæ oriuntur ex ipsorum defectu & imperfectione, quales sunt pœnæ peccatorum, quæ ipsæ peccata sunt, ut desperatio, blasphemiæ, vermis conscientiæ, ac similes. Scholastici distinguunt inter pœnas, quæ proficiscuntur *à causis extrinsecis*, & quæ proficiscuntur *ex causis intrinsecis.* Damnati utrasque experiuntur, Christus autem tantum obnoxius fuit extrinsecis, innoxiis & irreprehensibilibus, non intrinsecis, quæ cum innocentia ejus consistere nequeunt.

6. Non dicimus, *post mortem* Christum inferni horrores sensisse, sed ante mortem in horto olliveti, quando sanguineum sudorem profudit, & in cruce, quando clamavit, *Deus mi, Deus mi, ut quid me dereliquisti!*

7. Christus tempore passionis duas sustinuit personas, suam ac nostram. In nostra percussit ipsum Pater, circumdederunt eum dolores inferni; non vero quatenus erat innocens Dei Filius.

Joh. Ferus in c.26. Matth. *Si personam ejus attendas, videbis, eum innocentissime passum &c. si autem attendas eos, in quorum persona patitur, videbis eum nocentissimum, ut qui peccatum totius mundi in humeris suis habeat.*

Antithesis. Pontificii statuunt, animam Christi in parte sui superiore mansisse ἀπαθῆ à sensu iræ divinæ, & à peccatorum quæ portanda & expianda erant, onere liberam, ab incursu Satanæ, à cruciatibus & doloribus infernalibus propter peccata damnatis debitis, seu à gustu mortis secundæ prorsus immunem fuisse, & non nisi ex sensitivæ potentiæ doloribus, per συμπάθειαν passiones sibi appropriasse.

Bellarm. Lib.4. de anima Chr. c.8. *Novam atque inauditam impietatem* vocat, *statuere, quod Christus in passione sua dolores infernales sustinuerit. Scriptura*, inquit, *sigillatim describit omnes Christi afflictiones, nullam autem mentionem facit inferni.*

Et postea: *Scripturæ passim inculcant, nos morte Christi redemtos, dolorum autem inferni ne meminerunt quidem.*

Anglo-Rhemenses in Annot. Hebr.5.v.7. *blasphemiam esse*, asserunt, *dicere, quod Christus passus fuerit in anima.*

Forerus in Bello Ubiq. pag.293. Christum sic alloquitur: *Nihil dico de inferni cruciatibus, quos te sustinuisse ex iisdem* (Ubiquistis) *nonnulli asserunt, quæ tam blasphema sunt, ut nec Diabolus possit aliquid horribilius ex Cerbereis suis faucibus eructare.*

Bailius in Catech. Controv. tract.2. q.60. *Fierine potuit, ut Natura humana secundæ Trinitatis personæ hypostatice unita damnatorum supplicia sit experta? Estne Cerberus, qui hanc propositionem, Deus est expertus pœnas damnatorum, sub communicationis idiomatum prætextu evomere auderet?*

Nostram sententiam demonstramus 1. ex eo, quod Christus in cruce pendens conqueritur, *se à Deo esse derelictum & non exaudiri*, Psal.22.v.2.5.6.7. Matthæi 27.v.46.

2. Quod Christus dicitur *pro nobis factus maledictum, ut nos à maledicto legis liberaret*, Gal.3.v.13. quo pertinet, quod Apostolus Philip.2.v.9. notanter asserit, Christum factum fuisse *Patri suo obœdientem usque ad mortem, mortem autem crucis.* At mors illa crucis erat symbolum maledictionis, cum scriptum sit, *Maledictus*, vel ut Hebræi fontes emphatice loquuntur, *maledictio est is, qui pendet in ligno*, Deut.21.v.23. Gal.3.v.13. Qui est maledictus, sentit iram & judicium Dei.

3. Ex eo, quod Pater cœlestis *propter peccata nostra in Christum conjecta* ipsum ita dicitur *percussisse, ut voluerit illum atterere*, Esa.53.v.8.10.

4. Ex eo, quod Christus vere in se suscepit peccata nostra, cum quibus nondum expiatis ira & judiciũ Dei individuo nexu conjuncta, Esa.53.v.6. *Deus fecit in ipsum quasi agmine facto irruere omnium nostrûm iniquitates*, sicut aquæ torrentis magno impetu in foveam irruunt: quo pertinet, quod Apostolus Rom.8.v.32. dicit, *Deum proprio Filio suo non pepercisse*, nimirum propter peccata nostra in ipsum quasi conjecta.

5. Ex eo, quod Christus non solum ante passionem dicit, *Baptismo habeo baptizari & quomodo συνέχομαι coarctor & constringor, donec perficiatur!* Luc.12.v.50. *anima mea τετάρακται perturbata est, & quid dicam?* Joh.12.v.27. sed etiam in ipso passionis aggressu in ἀγωνίᾳ constitutus cæpit ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, καὶ λυπεῖσθαι, adeo ut diceret, *animam suam esse περίλυπον, circumquaque tristem*, circumcinctam tristitia, ac *sanguineum sudorem* guttatim in terram destillantem emitteret, Matt.26.v.37.38. Marc.14.v.33.34. Lucæ 22.v.44. propter pondus peccatorum nostrorum, iisdemque conjunctæ iræ & judicii divini ipsi incumbens, quò etiam pertinet, quod *anima ejus* dicitur *laborasse*, Esa.53.v.11.

6. Quod *mortes* in numero plurali Christo tribuuntur, Esa.53.v.9. quia mors crucis maledictionem & sensum iræ divinæ, qui est ipsa mors secunda, conjunctam habuit. Qua morte primus Adam devictus, eandem secundus Adam Christus debellavit. Jam vero Adam duplici morte fuit devictus. Utramque ergo mortem secundus Adam debellavit, *primam* tolerando, *secundam* gustando. Quod nos propter nostra peccata in æternum sustinere debebamus, illud Christus propter nos ad tempus sustinuit. Atqui nos propter nostra peccata iram Dei, mortem secundam & cruciatus infernales in æternum sustinere debebamus. Ergo Christus ad tempus iram Dei & cruciatus infernales sustinuit ac mortem secundam propter nos gustavit. Huc pertinet, quod *correctio* sive castigatio *pacificationum nostrarum*, sive pro pace nostra dicitur *super ipsum*, Esa.53.v.5. hoc est, quod ideo castigatus ac punitus dicitur, ut pacem æternam nobis acquireret, jam vero paci æternæ infernales dolores è diametro opponuntur.

7. Quod æquilibrium divinæ justitiæ, plenitudo satisfactionis, & perfectio redemtionis non mediocriter labefactari videtur, si statuamus, Christum in corpore duntaxat & parte animæ inferiore passiones sustinuisse, superiore animæ parte interim conspectu Deitatis &, quæ inde dimanat, ineffabili lætitia perfruente. Neque enim respondebit justa proportione solutio debito, & pœna peccato, si eximatur à pœna & satisfactione Christi anima; cum ut animæ nostræ potiores sunt in delictis committendis, Deo offendendo & pœnis promerendis partes; sic ipsa

quoque

quoq; in supplicio pro nobis à Sponsore & Mediatore exantlando salva divinæ justitiæ regula immunitate donari & indemnis evadere non potuerit. Quinimo Christus longe minores tulisset passiones, ὠδῖνας ac στενοχωρίας, quam sancti, quos vel in vita, vel in hora mortis nihil dolorum infernalium sensisse nemo dixerit, 2. Sam. 22. v. 6. Psal. 18. v. 6. Psal. 30. v. 4. Psal. 49. v. 16. Ps. 86. v. 14. Ps. 88. v. 4. Psal. 116. v. 3. &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Christum iram Patris cœlestis peccatis generis debitam in se suscepisse, nec solum mortem, sed etiam infernales dolores persensisse.

Gregorius lib. 3. Moralium c. 11. *Idem, qui Patri æqualis est per divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem, quæ nimirum flagella non susciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumsisse.*

Et postea. *Eum, qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat.*

Ibid. *Juxta semetipsum frustra afflictus est, juxta vero acta nostra non frustra. Rubigo quippe peccati purgari non potuit, nisi igne tormenti.*

Thomas p. 3. q. 52. art. 3. dicit: *Christum voluisse esse in inferno, ut nostras pœnas in se reciperet.* Quod Thomæ dictum allegat Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 16. §. Secundum dubium. Illud, si de *metaphorico*, non autem *reali* Christi ad inferos descensu accipiatur, veritati est conforme.)

Nicolaus Cusanus libr. 10. Exercit. 11. *Passio Christi, quâ major nulla esse potest, fuit ut damnatorum, qui magis damnari nequeunt, scil. ad pœnam usque infernalem. In ejus nomine dicit Propheta: Dolores inferni circumdederunt me, eduxisti tamen ab inferno animam meam. Sed ipse solus est, qui per talem mortem intravit in gloriam illam. Illam pœnam sensus conformem damnatis in inferno pati voluit, certe in gloriam Dei Patris sui, ut ostenderet, quod ei obœdiendum sit usque ad extremum supplicium. Hoc est enim Deum magnificare & glorificare omni possibili modo, atque propter nostram justificationem sic actum est per Christum. Nam nos peccatores in ipso infernales pœnas, quas juste meremur, exolvimus, ut sic in resurrectionem vitæ perveniamus.* (Congruunt hæc cum dictis veterum, quæ magno numero adduci possunt.)

Arias Montanus in libro de generatione ac regeneratione Adami, impresso cum approbatione Episcopi Censorisque Antuerpiensis, & privilegio Regis Hispaniæ, describens passionem inter cætera sic disserit: *Igitur susceptum sibique aptatum totius humani generis corpus Deo Patri commendaturus primum, deinde sacrificium una secum devoturus, à Cœna illa arcana surgens, in hortum sibi notum, & ad preces & supplicationes, jam antea sæpius petitum recte tendit, cum tribus Comitibus quos ex Apostolorum Collegio actorum omnium suorum testes jampridem secreverat. At tum primum non propria, sed aliena atque sibi imposita culpæ experimento, quam grave, quam importunum, quam denique ærumnosum ac lethiferum peccati pondus, quam durum jugum esset quod pro terrarum orbe, proque singulis hominibus sustinebat, sensit: quam porro horrendam iram, quam terribiles pœnas mundus commeritus fuisset, quas ipse jamjam luiturus expiaturusque subibat: ut qui nō solum in se contumelias, opprobria, flagra, & ignominiosa supplicia ad mortem usque perlaturum, sed ardorem inimicitiarum, iraque Dei adversus homines patientia, obsequio atque durissima castigationis tolerantia restincturum sciret.*

Et postea. *Verum enim vero novus hic homo, Dei Filius, Deo unitus atque sanctus, cum propria vita, luce virtuteque constaret, suscepta mortis atque densissimarum tenebrarum impetum, pondus & molem humana carne, hoc est, infirmiore sui parte suscipiens, adeo horrenda, adeo laboriosa atque acerba cognovit, ut vel æstimatione ipsa & agitatione mentis ad cruentum usque sudorem actus exercitatusq; fuerit: & qua parte infirmus erat, consolationis adhortationisque usum habuerit à Patre per Angelum demandatæ. Atque hanc rationem sic antea decretam vates prædixerant, hoc tempore peractam sacri narrant autores, at demum expeditam, exantlatam, & superatam Apostoli gratulati sunt:* quam ad rem hæc citat Scripturæ testimonia Esai. 55. Lucæ 22. Hebr. 4. & 5. &c.

Johannes Ferus in cap. 28. Matt. Christum sic loquentem introducit: *At me justissimum à te abjicis & pro impiis objicis, filium me severiter castigas, ut servo rebelli misericorditer parcas: me aquæ tuæ vivæ verum canalem fugis & derelinquis, ut in cisternas detritas & utres diruptos influas &c.*

Ibid. *Dereliquisti me, auxilio tuo destituisti, consolationibus nudasti, rorem refrigerii ne defluat, suspendisti.*

Ibid. *Exuit enim Christus hac hora Deum, non abjiciendo, sed non sentiendo; deposuit Patrem, ut hominem ageret: sic & Deus Pater nunc non Patrem sed Tyrannum agit, quamvis interim amicissimo in Christum sit animo. Observa, quod illa Christi derelictio & pavor conscientiæ nostræ ob admissa peccata, quæ judicium Dei & iram æternam experitur, & sic afficitur quasi in perpetuum derelicta & rejecta à facie Dei esset, juxta illud, Ego dixi in ecstasi mea, projectus sum à facie oculorum tuorum &c.*

Ibid. *Christus, ut peccatores liberaret, constituit seipsum in locum omnium peccatorum, non quidem furans, adulterans, occidens &c. sed stipendium. pœnam & meritum peccatorum, (quæ sunt frigus, calor, esuries sitis, tremor, timor, horror mortis, horror inferni, desperatio, mors, infernus ipse) in se transferens: ut famem, fame; timorem, timore; horrorem, horrore; desperationem, desperatione; mortem, morte; infernum, inferno; breviter Satanam, Satana vinceret.* (Quod Christus desperationem in se transtulisse, eademque nostram desperationem vicisse dicitur, non est eo sensu accipiendum, quasi Christus desperaverit, vel de gratia Patris sui cœlestis dubitaverit, quia in summis augustiis vocat ipsum suum Patrem, sed quod cum tentatione desertionis luctatus gloriose eam vicerit.)

Possevinus in Appar. sacro sub nomine Hippolyti edidit demonstrationem adv. Judæos à Franc. Turriano Latine redditam, in qua autor describens passionem Christi ex Psal. 68. paraphrasticῶs exposito inter cætera sic loquitur: *Christus, qui se humiliavit & formam servi induit, tanquam ex persona nostra invocat Deum Patrem, qui in cœlis est & ait Ps. 68. Quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam, infixus sum in limo profundi, i. e. in corruptionem inferni propter obœdientiam in Paradiso abjectam, & non est substantia, i. e. auxilium &c. Ne igitur demergat me tempestas tentationum nec absorbeat me profundum, id est, infernus.*

Michaël Medina dicit, *aliquos Catholicos sensisse, Christum esse passum aliquas extrinsecas pœnas damnatorum in inferno, non tamen eo modo, quo damnati, scil. involuntario aut cum inordinatione, sed voluntarie pro nostris peccatis & ex maxima caritate,* (referente Suarez in Thom. part. 3 q. 52. art. 8. Disp. 43. §. 1. Illud, si de *metaphorico* Christi ad inferos *descensu* accipiatur, recte se habet.)

Salmeron. tract. 13. in Acta. *Superest, ut intelligamus de doloribus acerbissimis passionis, quos ob id metaphorice inferni vocat, qui tamen finiti sunt in morte.*

Maldonatus in cap. 29. Matth. v. 37. *Ut pro nobis mori voluit, sic pro nobis timuit & pro nobis doluit. Nam mortis præludia & tristitia & sanguineus sudor erant. Magnum ergo fuit & cumulatum Christi beneficium, quod mortem pro nobis non subitam, qualis eorum esse solet, qui nec opinantes securi feriuntur, sed cum omnibus suis circumstantiis conjunctam suscipere voluerit cum dolore, cum flagellis cum convitiis, cum ignominia, & cum nonnullis rebus, quæ mortem comitari non solent, ut vere posset dicere, Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me, Psal. 114. v. 3.* (Ergo non solum dolores mortis, sed etiam pericula inferni propter nos suscepit.)

Didacus Stella in cap. 22. Luc. *Ad mortalium animos nunquam pervenit, nec est auditum, nec visum, aliquem terrore mortis sanguineum sudorem emisisse, quapropter apparet, similem dolorum sensum nunquam fuisse. Hinc etiam percipitur, quanta fuerit amaritudo passionis Christi, siquidem sola ejus cogitatio illum sic turbavit ac torsit, ut sanguinem sudare cogeretur.* (Multi Sanctorum in hac vita dolores infernales senserunt. Atqui Christus graviores dolores passus, quam ullus Sanctorum. Ergo & ipse dolores infernales sensit.

Gregor. de Valent. tom. 4. in Thom. Disput. 2. q. 4. punct. 2. *Quidam Scriptores Catholici citra pertinaciam tamen dixerunt, Christum pertulisse pœnas damnatorum.*

Sanctius in cap. 2. Actor. super verba, *Solutis doloribus inferni. Sermo hic est non de his doloribus, qui quoquo modo apud inferos sustinentur, sed de aliis, qui propter acerbitatem hyperpolice inferni, vel clarius infernales dicuntur. Dolor autem, quem passus est Christus, tantum habuit acerbitatis, ut si uspiam alius, inferni dolor appellari potuerit.*

Bartholomæus Medina in Thomam part. 3. q. 46. art. 6. *Est genus pœnarum, quod patiuntur damnati in inferno, quod omni solatio carent. Quiddam huic simile Redemtor noster sustinere dignatus est, qui omne à se solatium & consolationis remedium in passione abdicavit.*

Ludovicus à Ponte in cap. 8. Cantic. pag. 537. *Christus amore tui non solum mortem, sed acerbissimos instar inferni crucis dolores pertulit. Cave tamen hæreticorum blasphemiam, qui desperationem*

& alia mala damnatorum propria Christo in cruce tribuunt. (At nec desperationem, nec indignationem, nec dubitationem, nec pœnarum æternitatem Christo tribuimus.)

2. Quod quidam agnoscunt, Christum non solum in inferiore, sed etiam superiore animæ parte tristitiam sensisse.

Thomas part. 3. q. 46. art. 7. Si intelligamus totam animam ratione suæ essentiæ, sic manifestum est, totam animam Christi passam esse. Nam tota essentia animæ conjungitur corpori, ita quod tota est in toto corpore & tota in qualibet parte ejus: & ideo in corpore patiente disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur. Si vero intelligamus totam animam secundum omnes potentias ejus, sic loquendo de passionibus propriis potentiarum, patiebatur quidem secundum omnes vires inferiores, quia in singulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inveniebatur aliquid, quod erat causa doloris Christi. Sed secundum hoc superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui objecti, scil. Dei, qui non erat animæ Christi causa doloris, sed delectationis & gaudii: secundum autem illum modum passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subjecti, sic omnes potentiæ animæ Christi patiebantur, omnes enim potentiæ animæ Christi radicantur in essentia ejus, ad quam pervenit passio, passo corpore, cujus est actus.

Maldonatus in cap. 26. Matth. v. 37. Subtilius in Scholis à Theologis disputatur, qui fieri potuerit, ut Christus, cum beatus fuerit, tristitiam habuerit. Sunt, qui respondeant, beatum fuisse superiore tantum animæ parte, corpus enim illius nondum fuisse beatum: quin, ut pati posset, nondum se in illud beatitudo effuderat; tristitiam autem fuisse in inferiore parte, quæ in corpore est. At Christus animam suam usque ad mortem tristem esse affirmat, quo verbo ostendit, omnes animæ suæ partes occupâsse, & paulo post dicit, Non sicut ego volo, sed sicut tu; & ut alius Evangelista clarius dixit, Non mea voluntas, sed tua fiat: ubi haud obscure significat, se etiam voluntate, quæ superior animæ pars est, fuisse tristatum, mortemque refugisse. Et verò ex eo loco Sexta Synodus generalis, aliique autores veteres probaverunt, duas fuisse in Christo voluntates, divinam & humanam. Itaque eorum subtilitas, qui voluntatem hic interpretantur partis sentientis appetitum, probanda non est. Melius igitur alii, dispensatione quadam factum fuisse, ut cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animæ partem admiserit. Nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit, ne deflueret in corpus, ut pati posset, ita premere eam potuit & quodammodo occultare, ut ad tempus tristitiæ cederet, quæ una passionis suæ pars futura erat.

3. Quod quidam agnoscunt, Christi tristitiam & dolorem fuisse omnium maximum. (At summo quid potest dici majus?)

Thomas p. 3. q. 46. art. 5. & 6. probat, quod Christus passus sit in anima per tristitiam, tædium & timorem. Anima etiam secundum vires interiores apprehendit omnes causas tristitiæ; quod Christus, ut satisfaceret pro peccatis omnibus, assumsit tristitiam maximam quidem quantitate absoluta, cujus dolores excedebant omnes dolores, quos homines pati possunt in hac vita, non tamen excedentem regulam rationis &c.

Ibid. paulò ante, quod uterque dolor in Christo maximus fuit inter dolores præsentis vitæ. Potest enim considerari magnitudo doloris ex perceptibilitate patientis. Nam secundum corpus erat complexionatus. Et ideo tantam quantitatem doloris assumsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde consequebatur: & fuit assumta voluntarie propter finem liberationis hominum à peccato.

Catech. Concil. Trident. in artic. 4. Symboli. Quod verò ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare potest, quin summus in Christo fuerit &c. Christus Dominus amarissimæ passionis calicem, quem bibit, nulla suavitate permixta temperavit: humanæ enim Naturæ, quam assumserat, sentire omnia tormenta permisit, non secus ac si homo, non etiam Deus fuisset.

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. Matth. 27. Cœpit contristari, Græce ἀδημονεῖν, quæ vox non proprie mœrere significat, sed significat graviter angi & pene exanimari & deficere præ mœrore.

Osorius tom. 1. Domin. 2. Quadrag. Dolor Christi excessit in immensum omnes hominum dolores.

Franciscus Lucas in cap. 26. Matth. περίλυπος valde tristis, auget enim præpositio περὶ quasi dicat, tristitia undique obsessa & circumvallata est.

Ibid. ἀδημονεῖν anxio esse animo, vehementer angi seu cruciari. ἀδημονεῖν est ita vehementi objecti discriminis metu angi, ut quasi exanimis extra te sis.

4. Quod quidam agnoscunt, Christum sensisse, se à Deo derelictum.

Bernhardus serm. 5. de verbis Esaiæ super verba, Quare dereliquisti me? Quædam ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla majestatis ostensio.

Idem serm. 1. de S. Andrea. Quid magnum fuerat, Domine Jesu, si accedente horâ intrepidus stares? an non longe gloriosius fuit, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret, & quos vivificabat mors tua, tua trepidatio robustos, & tædium alacres, & desolatio redderet consolatos?

Cajetanus in cap. 15. Marci. Christus nihil consolationis interius recipiebat ex parte superiori & derelictus erat, non solum exterius in cruciatibus, sed etiam intus, quod indicant verba, Deus meus, ut quid me dereliquisti?

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 164 ad verba Ambrosii, Clamavit homo separatione Deitatis, sic annotat: Dereliquit eum Deus non secundum divisionem unionis Dei, sed secundum secessionem protectionis.

Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 8. agnoscit, Christi humanitatem derelictam in pœnis, & cum posset eam eripere, noluisse. (At hæc est ipsa pœna infernalis, à Deo derelictum & clamantem, ad tempus non exaudiri, ut ostendit antithesis Psalmi 22. v. 5. Patres nostri speraverunt & salvi facti sunt, ad te clamaverunt & non sunt confusi. Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Quam ergo pœnam damnati in æterum experiuntur, eam Christus paulisper & ad tempus sustinuit, ut sacrificium perficeret, quo mundus à pœnis æternis redimeretur.)

Ibidem agnoscit, Christum non permisisse, ut gaudium ex parte superiore redundaret in inferiorem, nec avertisse cogitationem à morte imminente. (At qui ita patiuntur, ut in partem inferiorem nullum redundet gaudium, ac qui cogitationes defigunt in mortem imminentem, illi sentiunt iram Dei, quæ mortem homini infligit, Martyribus Deus infundit consolationem majorem, quàm sunt omnes mortis pœnæ, unde fit, ut animos à cogitatione pœnarum aversos defignat in spem æternæ beatitudinis certo sibi promissæ.)

Maldonatus in cap. 27. Matth. Cum Christus Deus & homo esset, ita Deus hominem, quasi divinitatem suam cohibens pati permittebat, ut si purus homo esset &c. Itaque etsi Deus sit, tamen ut purus homo orat, ut purus homo se à Deo derelictum esse queritur, non quod se à Deo derelictum esse putaret, in cujus manus paulo post Spiritum suum commendavit, sed quod ita se pati videret, quemadmodum si ab eo derelictus fuisset, quamobrem ex hominis à Deo derelicti more clamat, Deus meus, cur me dereliquisti? ut hominis extrema patientis supplicia & à Deo derelicti personam exprimat.

5. Quod agnoscunt, Christum in parte animæ inferiore nullam sensisse consolationem, nec à parte animæ superiore nec à Deo. (Qui sensus pœnarum sine consolatione est ipse dolor infernalis.)

Thomas part. 3. quæst. 46. art. 6. Magnitudo doloris Christi patientis potest considerari ex doloris & tristitiæ puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur tristitia inferior, ut etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis per quandam derivationem, seu redundantiam à superioribus viribus ad inferiores, quod in Christo patiente non fuit.

Dionysius Carthusianus in cap. 26. Matth. agnoscit, Christi animam sic fuisse passam, ut nulla fieret pro tunc redundantia consolationis & allevationis à parte animæ superiore in partem ejus inferiorem,

Joh. Ferus in cap. 26. Matth. cum Christi agonem in horto exposuisset, his verbis concludit: Habemus, quomodo Christus passionem suam inchoavit, nempe interne in anima sicut & peccatum interne incipit. Oraverat Christus & quidem humili gestu & piis verbis, nec tamen sensit se exauditum.

Melchior Canus lib. 12. Loc. Theol. cap. 13. circa finem. Sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret: sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte Natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium fateor ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex Sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando Sol radios suos, & ne calefaceret, comprehensus est etiam ignis. Quare nihil mirum videri cuipiam debet, si in hominum redemtione per hominis unius dolores explenda voluptas omnis reprimeretur, quam alias ex visione Dei proficisci Naturæ ratio demonstrat.

Et postea. Christus non solum videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictus à Deo omniq; penitus solatio destitutus non gaudebat.

Gre-

Gregorius de Valent. tom. 4. in Thomam Disp. 1. q. 9. punct. 2. asserit, *divinitus tempore passionis factum esse, ut ex visione beatifica ne ad animam quidem aliqua delectatio manarit.*

Maldonatus in cap. 26. Matth. v. 37. *Eorum subtilitas, qui voluntatem hic interpretantur partis sentientis appetitum, approbanda non est. Melius igitur alii, dispensatione quadam factum fuisse, ut cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiore animæ parte admiserit: nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit, ne deflueret in corpus, ut pati posset, ita premere eam potuit & quodammodo occultare, ut ad tempus tristitiæ, quæ passionis pars esse debebat, cederet.*

Pererius Disput. 7. in cap. 12. Exodi. *Christus sane exhibuit se nobis non crudum, sed coctum, nec aqua coctum, quæ ardorem ignis minuit ac refrigerat. In passione enim Christi nulla fuit aquæ gutta, nihilque solatii, quod acerbitatem ejus mitigaret. Martyres alii cocti sunt aqua, passiones enim illorum multis modis refrigeratæ sunt, & mitigatæ: Christus vero nullam habuit in parte inferiore consolationem, nec à parte superiore, nec à Deo, quod significavit dicens, Deus, cur me dereliquisti! Totus assatus est igne.*

Gislerius in Cant. Cantic. cap. 2. v. 2. expos. 2. *Christus Martyres universos voluit superare, quia omni se privari voluit adjutorio, omnique consolatione destitui, ita ut propterea etiam à Patre se in ipsis passionibus derelictum conquestus sit, cum è vestigio Martyres, etiam dum cruciatibus expositi essent, undiquaque quasi sepe quodam divina ope Angelorumque circumdarentur consolationibus.*

Ibid. *Christus absque ulla Angelorum aut hominum ope, vel consolatione expositus fuit ad quaslibet passiones & ad quoslibet cruciatus.*

Argum. Advers. 1. *Si Christus ad expianda peccata nostra dolores infernales sustinere debuit, tum in æternum gehennæ cruciatus & infinitum pœnarum numerum sustinere debuisset. Consequens est absurdum.* Ergo.

Resp. ex Bellarmino lib. 2. de Justificatione cap. 5. §. Quod vero. *Non acceptat Deus in veram satisfactionem pro peccato, nisi justitiam infinitam, quoniam peccatum est infinita offensa, sed ut aliqua justitia sit infinita, id est infiniti pretii & valoris, non est necesse, ut sit justitia Dei essentialis, sed satis est, ut sit justitia personæ infinitæ, qualis est Christus Deus & homo. Itaque obœdientia, passio & mors Filii Dei, quamvis in se & essentialiter fuerit creata & finita, tamen ratione personæ obœdientis, patientis & morientis infinita fuit, & ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* (Ex hoc fundamento solide responderi potest ad argumentum, sufficiens scil. fuisse ad redemtionem nostram à pœnis infernalibus, Christum iram Dei, quæ alias super damnatos *manet in æternum*, Johan. 3. v. 36. & dolores infernales ad tempus sustinuisse propter personæ patientis, utpote infinitæ, dignitatem. Quemadmodum enim peccatum meretur infinitam pœnam *ratione objecti*, quia committitur contra Deum, qui est infinitum bonum: ita Christi passio est λύτρον infiniti precii *ratione subjecti*, quia proficiscitur à Christo, qui est verus Deus ac proinde infinitum bonum.)

Arg. 2. *Si Christus dolores inferni sensisset, aut desperasset, aut affectionum inordinationem sensisset. Neutrum dici potest.* Ergo.

Resp. 1. ex Cornelio Jansenio in c. 26. Matth. *Tristitia illa & ἀδημονία erat tantum propassio, cui voluntas non assentiebatur.*

2. ex Maldonato in eundem locum: *ἀδημονεῖν significat vehementi objecti discriminis metu angi, & quodammodo exanimem & attonitum esse. Alii dicunt, tristitiam hanc non πάθος sed προπάθειαν, hoc est, non passionem, sed propassionem fuisse, quod Theologi inter primos & secundos motus distinguunt. Passionem esse, quæ animam aliqua ratione turbat, & aliquem quamvis imperfectum voluntatis consensum extorquet. Propassionem, quæ hominem quidem movet & aliquem doloris aut delectationis sensum affert, sed animam de quiete sua non deturbat. Ita Origenes, Hieronymus, Beda existimant, Christum fuisse tristatum.* (Si in hominibus dolores ejusmodi non semper conjunctam habent ἀταξίαν, quanto minus in Christo ab omni peccati labe immuni.)

3. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 3. 10. 14. contendit, *animas in purgatorio manentes pœnas subire atrocissimas, sola duratione ab infernalibus differentes, absque ulla tamen desperatione.* (Si possunt illæ animæ salva spe sua tantas pœnas perferre, quid non possit Christus.

4. Aliud est, Christum *pœnas damnatorum sustinuisse*, aliud vero *damnatum fuisse*. Pœnæ damnatorum possunt ita distingui, ut aliæ sint *tantum pœnæ*, aliæ vero *& pœnæ & peccata*. Desperatio est non tantum *pœna*, sed etiam *peccatum*. Potuit ergo Christus pœnas damnatorum prioris generis suscipere, ut tamen non susciperet posterioris generis pœnas.

Arg. 3. *Patres describunt descensum Christi ad inferos, ut descensum victoris & triumphatoris, non ut rei.*

Resp. Bellarminus ipse lib. 4. de Christo cap. 14. allegat dictum Basilii: *Deus redimet animam meam de manu inferni. Vaticinatur Domini ad inferos descensum.*

Hieronymus in cap. 53. Esaiæ sic loquitur: *Vere reputatus est inter peccatores ut descenderet in infernum.*

Eusebius lib. 10. Demonstr. Evang. *Descendere ad inferos est ultima afflictio.*

Thesis 2. Christus non descendit eo fine ad inferos ut Patrum Sanctorum animas ex limbo liberaret, sed ut se victorem ac triumphatorem malignis Spiritibus potenter demonstraret.

Ἔκθεσις. 1. Non quæritur hic de *metaphorico* Christi ad inferos descensu, sed de *reali & proprie accepto* descensu immediate ante resurrectionem ex mortuis facto.

2. Christus non tantum *secundum animam*, sed etiam *secundum corpus*, adeoque totus, ut Deus & homo, ad inferos descendit, tum quia descensus hic factus, non quando anima adhuc à corpore erat separata, sed quando animæ ac corporis unio erat restaurata; tum quia totalitas personæ ex Naturis perficitur, ac persona τοῦ Λόγου non propius & intimius sibi univit animam, quam corpus, sed utrumque in sui complexum inseparabiliter & indistanter univit; tum quia ut in reliquis Symboli Apostolici articulis omnibus & singulis simul includitur corpus Christi, ita quoque in articulo descensus includi debet; tum quia ut caro socia fuit militiæ & passionis, ita quoque socia esse debuit victoriæ, cujus specimen non solum *in terra* per resurrectionem, & *in cælo* per ascensionem, sed etiam *in inferno* per descensionem Christus omnium eorum, *quæ sunt in cælo, in terra & subter terram Dominus* exhibere voluit, Phil. 2. v. 10.

3. Non dicimus, Christum in hoc reali & proprie accepto descensu post mortem ac sepulturam suam aliquid esse passum, quia in cruce omnia *consummata* esse pronunciaverat, latroni Paradisi consortium promiserat, animam in manus Patris commendaverat, nuspiam inter passionis actus hunc descensum numeraverat, nec λύτρον aliquod Satanæ, cujus captivum erat genus humanum, utpote carnifici & servo, sed soli Domino persolvendum erat. Valde igitur probamus illud Bellarmini lib. 4. de Christo cap. 8. §. 13. *Omnes Patres, qui descensum Christi ad inferos describunt, describunt eum ut descensum victoris & triumphatoris, non ut rei, nec ullo modo indicant, Christum aliquid passum in inferno,* quæ sententia de reali & proprie dicto descensu accepta, congruit Scripturæ Ose. 13. v. 14. Ephes. 4. v. 10. 1. Cor. 15. v. 55.

Antithesis Bellarmin. lib. 4. de Christo c. 16. *Christus descendit ad inferos, ut inde animas defunctorum Patriarcharum sub. V. Testamento fidelium ex limbo seu carcere inferni educeret, ubi ante ejus adventum continebantur.*

Fevardentius lib. 7. Theomachiæ capite 1. *Non descendit Christi anima ad inferos damnatorum, sed ad locum, qui est sinus Abrahæ, vel communiter limbus Patrum dicitur, ut animas eorum ex illo liberaret.*

Adrianus Florentinus in 4. sent. agens de Indulgentiis. *Quantumcunque laboraverit Abraham & Patriarchæ, pro expiatione peccati originalis, pro divino decreto debebant apud inferos ferre pœnam damni, quoad usque per mortem Christi animus Domini placaretur.*

Ibid. *Quæ pœna damni, scil. carentia divinæ visionis, secundum omnes sanctos omnium pœnarum maxima esse perhibetur.*

Catechis. Tridentinus ex Decreto Concilii & jussu Pii V. Papæ editus parte 1. art. 5. Symb. q. 3. *Limbus Patrum dicitur tertium receptaculi genus, in quo animæ Sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu beata redemtionis spe sustentatæ quieta habitatione fruebantur.*

Nostram sententiam probamus ex eo,

1. Quod hunc finem descensus, liberationem animarum sanctarum ex limbo, Scriptura nuspiam ponit.

2. Quod eadem nuspiam limbum ponit, sed illũ potius negat. Nam

Nam 1. Duo duntaxat animarum receptacula, tam in Veteri, quam in N. Testamento enumerat, *cœlum scil.* & *infernum*, ut in articulo de purgatorio demonstrabitur.

2. Animas piorum etiam ante Christi mortem defunctorum ad cœlestem beatitudinem & lætitiam statim post egressum è corpore translatas esse docet, 1. Sam. 25. v. 29. Sapient. 3. v. 1. Luc. 16. v. 22. cap. 23. v. 43.

3. De Patriarchis V. Testamenti testatur, *quod fide expectaverint civitatem fundamenta habentem, cujus artifex & conditor est Deus*, Hebr. 11. v. 10. *quod patriam cœlestem expetierint*, v. 16. proinde eorum animæ non in aliquam inferni contignationem fuere detrusæ, sed *in manus Dei commendatæ*, Psal. 31. v. 6. *ad Deum, qui eas dederat, redierunt*, Eccles. 12. v. 7.

4. Idipsum comprobant exempla, *Enochi*, Gen. 5. v. 24. Sir. 44. v. 16. cap. 49. v. 16. Hebr. 11. v. 5. *Abrahami*, Joh. 8. v. 56. Luc. 16. v. 22. 23. 25. 26. *Mosis*, Matth. 17. v. 5. Luc. 9 v. 31. *Eliæ*, 2. Reg. 2. v. 11. Sir. 48. v. 9. 1. Mac. 2. v. 58. *Lazari & cōversi latronis.*

5. Nulla potest dari ratio, cur animæ *infidelium* in V. Testamento immediate & sine mora post egressum è corpore descenderint *in infernum*, & animæ *piorum ac fidelium* aliquandiu exclusæ fuerint *à cœlesti gloria* & beatitudine. Impius epulo fuit *in tormentis* & *in flamma*, h. e. in inferno & extremæ miseriæ statu, Luc. 16. v. 23. Ergo ex vi oppositionis Lazarus fuit *in cœlo beatorum* & in summo felicitatis statu, nisi velimus temere suspicari, Deum majore severitate usum in impiis damnandis, quam benignitate in piis glorificandis, cui suspicioni versatur v. 25.

6. Opinio de limbo nititur falsa hypothesi, quod janua Paradisi ante Christi mortem non fuerit piis aperta.

7. Eadem quoque sibi non constat. Si enim piorum in V. T. animæ in limbum detrusæ, ex quo in Christi ad inferos descensu demum liberatæ, quomodo constabit veritas pronunciatio Salomonis, Eccl. 11. v. 3. *Lignum, in quocunque loco ceciderit, ibi manebit?* Si pii V. T. abierunt in limbum infernalem, quomodo Jobus fide tam certus esse potuit, *Redemtorem suum vivere*, seque ipsum *coram intuiturum?* Job. 19. v. 25. quomodo Christus dicere potuit, Abrahamum, Isaacum & Jacobum *vivere Deo*, Luc. 20. v. 38. Si enim Patriarchæ vivunt Deo, ac sunt in vita æterna, quomodo ab intuitu & visione Dei tum temporis fuere remoti, cum vita æterna consistat in beatifica Dei visione? Johan. 17. v. 24. 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 2. Si Abraham, Isaac & Jacob fuere remoti à regno cœlorum & à Dei visione, quomodo pii in N. T. dicuntur *eorum assessores* fore in regno gloriæ? Matth. 8. v. 11. quomodo Petrus Act. 15. v. 11. asserit, *nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi salvari καθ' ὃν τρόπον Patres V. T.?* quomodo Salvator tam certe pronunciat, eos, qui in ipsum credunt, *à morte ad vitam transiisse?* Joh. 5. v. 24. quomodo *ἀνάλυσιν* pacificam tanto desiderio ante Christi mortem expectarunt? Luc. 2. v. 29. quomodo tanta animi fiducia Jacobus moriturus dixit, *Domine expecto salutare tuum?* Genes. 49. v. 18. &c.

8. Eadem opinio extenuat meritum Christi, quasi illius virtus non redundaverit ad Patres V. T., cum tamen *Agnus* dicatur *occisus ab origine mundi*, Apoc. 13. v. 8. ac *Christus Iesus* dicatur *heri, hodie & in secula idem*. Eadem labefactat unitatem fidei ac spei, quæ viget inter pios. Si enim non est eadem salus, ergo nec eadem justificatio. Si non eadem justificatio, ergo nec eadem fides, nec eadem meriti Christi efficacia. Eadem opinio labefactat Dei misericordiam, & gratuitam fidelium cum ipso reconciliationem, præsupponit enim Deum eodem modo cum fidelibus egisse, quo David cum filio suo Absolone, quem post reductionem ab exilio arcebat aliquandiu à suo conspectu, 2. Samuel. 14. v. 24.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, limbum destitui Scripturæ suffragio.

c. Nec mirum. caus. 26. q. 5. *His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus Satanas, quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra legem, & virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum & justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est.* (At si limbus Patrum haberet fundamentum in Scripturis, ac Samuel fuisset in limbo inferni parte, personatus ille Samuel verum dixisset, nec posset hoc argumento evinci, quod non fuerit verus Samuel, qui Sauli apparuit.)

Lombardus Leg. 52. limbum Patrum ex supposititio *Evangelio Nicodemi* probare instituit. (Agnoscit ergo, in Scripturis Canonicis nullum ejus posse dari fundamentum.)

2. Quod quidam agnoscunt, omnes æqualiter à Christo esse redemtos. (Si enim omnes æqualiter sunt à Christo redemti, ergo ut pii in N. T. vera fide redemtionem Christi amplectentes non descendunt in limbum, sed rectà deferuntur in cœlum, sic pii V. Test. itidem non descenderunt in limbum.)

Gregor. de Valent. tom. 4. in Thomam, Disp. 1. q. 19. punct. 4. §. Secundo sequitur, & Disp. 6 q. 11. punct. 1. §. At ratio. *Omnes Christus similiter redemit, sive ante Christi adventum, sive post vixerunt, quique aliquando futuri erant, unde Apoc. 13. dicitur, Agnus occisus ab origine mundi, & B. Paulus dicit, Christum propositum fuisse propitiatorium præcedentium delictorum, hoc est, ut revera precium postea solveretur, cujus respectu quasi sub fidejussione quadam præterita etiam peccata fuerunt remissa.*

Pererius Disput. 21. in cap. 13. Johan. pag. 219. *Nequaquam dubitandum est, quin ante passionem & mortem Christi non solum Apostoli, sed omnes etiam viri justi & sancti, qui fuere in Veteri Testamento, mundati fuerint à peccatis per virtutem futuræ mortis Christi. Mors enim Christi & futura & præsens & præterita virtutem habuit operandi remissionem peccatorum & sanctificationem in omnibus justis, qui fuerunt usque ab initio mundi. Propterea enim secundum interpretationem plurium Doctorum in Apocalyps. cap. 13. dicitur Christus agnus occisus ab origine mundi, quod virtus futuræ mortis ejus usque ab ipso mundi exordio operari cœperit salutem hominum.*

Barradius tom. 4. Concord. Evang. lib. 2. cap 5. p. 41. *Quis ignorat per Christi crucifixi merita non præsentis solùm temporis justificari homines, quotquot justificantur, sed præteriti quoque atque futuri?*

3. Quod agnoscunt, Sanctos V. Test. æque ac nos fide in Christum fuisse justificatos. (Si enim æque ac nos in Novo Testamento fide in Christum justificati fuerunt, ergo etiam eundem fidei fructum, videl. beatitudinem, in visione Dei consistentem, immediate post mortem consecuti sunt.)

Lombardus Lib. 3. sentent. distinct. 25. lit. A. ex Augustino Epist. 51. ad Optatum. *Christi Dei & hominis saluberrima fide etiam illi justi salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carnem venturum. Eadem enim fides est illorum & nostra. Proinde cum omnes justi, sive ante incarnationem, sive post, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvari nos, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est.*

4. Quod quidam agnoscunt, animas justorum ante Christi ad inferos descensum demortuorum non fuisse sub Diaboli potestate. (Si enim non fuerunt sub potestate Diaboli, ergo nec in limbo inferni parte, cum infernus sit locus regni & potestatis Diaboli, cumque Patroni limbi animas eorum, qui in limbo fuere, à Diabolo detentas statuant. Lombardus in Psal. 48. *Redime animam meam de manu inferi, id est, potestate Diaboli, qui ante adventum Christi animas tenebat.* Galatinus Lib. 6. de Arcan. cap. 6. *Sancti Patres in inferno à Diabolo, Deo permittente, propter Adæ peccatum detinebantur.*)

Pererius Disput. 40. in cap. 14. Johan. pag. 446. *Similius vero dictuque probabilius est, animas justorum, quæ ante Christi adventum post mortem erant in sinu Abrahæ, non fuisse tunc sub Diaboli potestate. Non enim constituimur sub Diaboli potestate, nisi propter peccatum, vel originale, vel mortale. Ergo qui utroque peccato carent, extra Diaboli potestatem sunt. Quod si per gratiam justificationis liberamur à potestate Dæmonis, qui cum ea gratia decesserunt ex hac vita & in ea confirmati sunt, eos ab imperio Diaboli esse liberos, fatendum est. Adde, quod omnes justi sunt amici & filii Dei & dicuntur non esse de hoc mundo, & appellantur filii lucis. At vero Dæmon dicitur Princeps hujus mundi & Rector tenebrarum harum, non igitur mortui, qui erant justi, sub Diaboli erant potestate. Enimvero plane indecens fuisset, justos, qui in hac vita victores Diaboli fuerant, post mortem sub Diaboli potestate & imperio constitui. Adhæc animas justorū post mortem in sinū Abrahæ non per Dæmones, sed per Angelos deferri solitas aperte ostendit Historia Lazari, quam narrat Lucas cap. 16. &c.*

5. Quod agnoscunt, pios etiam in V. Testamento statim à morte ad Deum & in cœlum venire. (Si enim statim à morte ad Deum veniunt, ergo etiam ad beatificam Dei visionem in cœlum devehuntur, non autem in limbum inferni partem detruduntur.)

Pineda

Pineda in cap.12. Eccles. p.1050. *Reditio Spiritus est abitio ad vitæ fontem & patrem ac conservatorem Spirituum Deum.*

Cornelius Jansenius in cap.16. Lucæ, super verba, *Facite vobis amicos, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Cum defecerimus, hoc est, cum ex hoc mundo migrare cogemur.*

Didacus Stella in eundem locum. *Nihil aliud Christus nobis hic innuere voluit, nisi ut bona nostra pauperibus impartiamur, ut cum à vita recesserimus, in æternis tabernaculis recipiamur.* (Ergo etiam ante Christi mortem fidelibus eadem spes fuit, quæ postea Christianis, videl. recipi *non in limbum*, in quo per aliquot dies vel annos commorentur, sed *in æterna tabernacula.*)

Maldonatus in cap.8. Matth. super verba, *Dico vobis, multos ab Oriente & Occidente venturos & accubituros cum Abrahamo &c. Credo ego à discumbentibus sumtam fuisse metaphoram, quorum hic erat ordo ut cui proximus quisq; esset, in ejus recumberet sinum, quemadmodum Iohannes in cœna illa novissima in sinu Christi recubuisse dicitur. Quia ergo, quod in sinu est, conjunctissimum & charissimum nobis est, & qui amat, tunc maximam capit voluntatem, cum in sinu ejus, quem amat, recumbit, ut idem indicavit Johannes, qui cum dixisset, Erat unus ex discipulis ejus recumbens in sinu Jesu, quasi explicandi causa addit, quem diligebat Jesus: factum est, ut sinus locus maximæ voluptatis & personæ amatæ conjunctissimus vocaretur.* (Atqui si sinus Abrahæ est locus maximæ voluptatis, & vero animæ fidelium ante Christi mortem deportatæ sunt ab Angelis in sinum Abrahæ, utique non sunt detrusæ in limbum, sed deporta in cœlum.)

Idem ibidem. *Et recumbent ad mensam, metaphora sumta de convivio. Solet enim regnum cœlorum per convivium significari, quia satiabimur, cum apparuerit gloria ejus, ut apud Lucam: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei, & ego dispono vobis, ut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Et Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* (Atqui si Abraham, Isaac & Jacob accubuerunt in regno Dei, utique non fuerunt detenti in tenebroso inferni limbo.)

Bellarminus lib.1, de beat. Sanct. cap.3. ex verbis Christi ad latronem, *Hodie mecum eris in Paradiso*, probat, *Sanctos statim à morte frui visione Dei.* (Si hoc argumentum efficax, consequens fuerit, piorum animas, etiam ante Christi descensum ad inferos, in Paradisum fuisse translatas. Aut enim latroni hoc fuit concessum, tanquam privilegium personale, vel tanquam beneficium commune. Si prius, absurde Bellarminus concludit. Si posterius, pertinet etiam ad reliquos pios. Vidit hoc Maldonatus, ideo in cap.28. Matth. sic commentatur: *Valde me judicium meum fallit, nisi Paradisus hoc loco Abrahæ sinus appelletur, ubi viri sancti, interim dum cœli aditus patefieret, detinebantur, ille enim locus pro Paradiso & requietis loco habebatur. In eum enim tanquam in locum voluptatis aut certe quietis mortuus Lazarus ab Angelis deportatus esse dicitur.* Sed hac ratione Maldonatus Bellarmino contradicit, qui ex his Christi verbis probat, animas piorum statim à morte frui beatifica Dei visione, quæ demonstratio nulla est, si Paradisus limbum significat, quia degentes in limbo à beatifica Dei visione sunt exclusi.)

Idem Bellarminus d.l. ex Eccles.11.v.27. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere juxta vias suas unicuique*, probat, *Sanctos statim à morte ad Deum venire. Illud facile est*, inquit, *non significat, posset Deus, si vellet, sed reddit Deus & facile reddit unicuique secundum opera in die obitus. Alioqui enim si Deus posset reddere secundum opera, sed non redderet, frustra nos hoc argumento hortaretur sapiens ad benefaciendum. Præterea cum dicat ibidem Sanctus, In fine hominis denudatio operum ejus, indicat etiam in fine hominis reddi unicuique secundum opera: nam ad hoc sit judicium illud & denudatio operum, ut sequatur remuneratio.* (Ergo in V. Testamento dabat Deus in die obitus retributionem cuique, id est, Sanctis fruitionem visionis suæ.)

6. Quod agnoscunt, Augustinum de limbo non fuisse certum. (Ergo non habuit eum pro fidei articulo.)

Suarez in Thomam p.3.q.52.artic.1. Disput.42.§.1. *Augustinus sentire videtur, locum, in quo erant sancti illi Patriacha ante Christi adventum, non fuisse in inferno.* (Illi dubio sic occurrit Jesuita: *Hoc Augustino tunc dubium fuisse, quia nondum assecutus erat veritatem, aliis tamen locis ipsum expresse dicere, quod sinus Abrahæ fuerit apud inferos lib.20. de Civ. Dei cap.15.* Sed ex ipsis Augustini verbis patet, illum non categorice, sed hypothetice illud asserere. Verba Augustini sic habent: *Si enim non absurde credi videtur, antiquos Sanctos apud inferos fuisse.*)

Ludovicus Vives in locum illum Augustini lib.20. de Civit. Dei cap.18. sic commentatur. *Ubi hic locus aut quomodo intelligatur, nescire se Augustinus libro supra Genesin octavo fatetur. Occulta sunt omnia hæc, quia nec sciri attinet, nec ut sciamus, digni sumus.*

Maldonatus in c.16 Luc.v.21. *Ubi sinus Abrahæ esset, Augustin. prudenter dubitabat.*

Ibid. postquam citasset Ambrosium ac Bedam, qui eum *in cœlo* collocant, aliorumque eum *in terrestri Paradiso* statuentium mentionem fecisset, subjungit, *Probabilissimum, quod posteriorum Theologorum obtinuit opinio, fuisse sub terra distinctum quiddam ab aliis pœnarum locis.* (Vides fidei certitudinem in opinione; antiquitatem in posterioribus Theologis.)

Bartholdus Nihusius in scripto contra Saubertum de literis Eliæ ad Regem Joramum. Der Ort/wohin Elias transferiret worden/gehört so gar unser nicht an/daß vergebes davon disputando inquiriret wird/wie der H. Augustinus lehret/lib.2. de tæ grat.cap.23.

7. Quædam hypotheses Adversariorum.

I. Alphonsus de Castro in verb. Beatitudo, hæres.5. contra Armenos ejusmodi argumentis pugnat, quæ nostram contra Papistarum limbum confirmant sententiam. *Hanc nostram*, inquit, *& totius Ecclesiæ sententiam confirmat, quod contra justitiam videtur esse, differre per tot secula mercedem mercenario, propter quod in lege olim præceptum erat! Non morabitur apud te opus mercenarii. Omnes autem justi quasi mercenarii sunt in via Domini laborantes, mercenarii, inquam, qui cum Domino vineæ, h.e. Deo Patre ex denario diurno, clara scil. Dei visione convenerunt, & ex hujus mercedis expectatione omnes suos labores quamlibet duros libenter tolerant: Cum ergo in morte omnes labores sic finiantur, ut jam non sit amplius ad meritorum cumulum laborandum, oportet, ut illis animabus, quæ jam purgatæ sunt, statim merces suorum laborum, æterna scil. beatitudo tribuatur: alioquin injustitia eis fieret, si illis fideliter laborantibus merces non statim daretur, nulla in illis existente causa, quæ obstet, quo minus statim reddatur. Deinde peccatori agenti, quod potest, Deus statim dat gratiam: ergo justo agenti usque ad mortem, quod potuit, Deus statim donabit gloriam. Accedit ad hæc, quod juxta Sapientis dictum spes, quæ differtur, affligit animam: quo fiet, ut animæ quantumlibet sanctæ, in expectatione futuræ beatitudinis suspensæ, sint in continua afflictione. At non est æquum, ut pœnam toleret, qui peccatum, si quod commisit, jam digne purgavit. Præterea peccatoris anima statim post mortē tolerat suppliciū, ergo anima justi statim post mortem habet præmiū: præsertim cum Deus citius ad misericordiam flectatur, quam ad vindictam, & propensius ac libentius justos afficiat præmio, quam peccatores pœna. Si peccatoribus dignam statim infligit Deus pœnam, non est verisimile, ut justis statim debitum reddat præmium?* (At nullum horum quatuor argumentorum quicquam habet virium, si non concludunt de Patribus mortuis ante Christum. Inde ipse Alphonsus ea accommodat ad fideles V. T. *De pœna peccatorum*, inquit, *statim post illorum mortem semper inflicta, testatur Job. sic inquiens: Ducunt in bono dies suos & in puncto descendunt ad inferna, i.e. continuo post mortem.*

II. Sebast. Vilcherus in Comp. Theolog. verit. lib.7. cap.1. f. 415. fatetur, *quod janua cœli illis semper sit aperta, qui nullum habent obstaculū.* (Subsumimus. In V. T. Patres nullum habuerunt obstaculum. Licet enim mors Christi nondum esset peracta *actu transitorio*, promissa tamen erat & facta *actu meritorio*. Ergo cœli janua illis fuit aperta.)

III. Bellarminus lib.4. de Christo capite 16. §. At B. Thomas &c. *Passio Christi non habet effectum temporalem, sed æternum, semper enim est æque efficax.* (Si passio Christi semper est æque efficax in V. ac in N. Testamento, utique quemadmodum pii N. T. virtute passionis Christi post mortem in limbum non detruduntur, sed in cœlum subvehuntur, ita quoque de piis idem in V. T. statuendum.)

8. Quod agnoscunt, recentiorum duntaxat Theologorum, non veterum Ecclesiæ Doctorum sententiam esse, quod *sinus Abrahæ*, per quem *limbum* intelligunt, sit intra terram.

Maldonatus in cap 16. Lucæ. *Ubi fuerit Abrahæ sinus, subtusne an supra terram, affirmare nusquam ausus est Augustinus.*

Et postea. *Probabilissimum, quod posteriorum* (nota, posteriorum) *Theologorum obtinuit opinio, fuisse sub terra.*

Cornelius Jansenius in Conc. Evang. cap.97. appellat *sententiam jam receptam*, id est, non olim & primum, sed tandem & postremo.

9. Arti-

9. Articulus 17. Aug. Conf. in Confut. à Carolo V. Principibus & Theologis Pontificiis fuit approbatus. Atqui articulus ille hominibus omnibus, qui judicandi sunt in novissimo die, *duo tantum* post hanc vitam *receptacula* assignat, *piis* vitam æternam & perpetua gaudia, *impiis* statum condemnationis inter Diabolos, in quo sine fine crucientur. Excluditur igitur *limbus Patrum*, quippe qui est tertius locus intermedius.

Argum. Advers. 1. Genes. 15. v. 15. *Tu ibis ad Patres tuos, Abrahami verò Patres utpote Idololatræ erant in inferno. Ergo & Abrahamus in limbum*, inferni sinum, *ire debebat.* Galatin. 6 de Arcan. c. 8.

Resp. 1. Vatablus sic exponit, *Ibis ad Patres, h. e. morieris.*

2. Cornelius à Lapide in hunc locum. *Ibis ad Patres tuos in pace, id est, defungeris morte placida, pacata & læta.* Eodem modo exponunt alii Pontificii. (Nec omnes Abrahæ Patres fuere idololatræ. De Adamo enim, Setho, Enocho, Noaho & aliis, quis hoc affirmabit?)

3. Si qua vis concludendi huic argumento inest, sequetur, Abrahamum nec in limbum, nec in purgatorium, sed *in ipsum infernum inferiorem* descendisse, quo prius idololatrici Abrahæ Patres descenderant.

4. Galatinus ipse paulò pòst de Saule subjungit, *Ajunt quidam ex nostris & rectè quidem, quod cum mortuus, tunc vivo mortem pronunciaret, verbum illud, Cras mecum eris, ad parem non loci, sed mortis conditionem refertur.* (Atqui si *mortis* tantum, non autem *loci* parem conditionem exprimit hæc Samuelis phrasis, *Cras mecum eris*, quidni etiam nobis integrum erit respondere, parem mortis, non autem loci conditionem in phrasi illa, *ibis ad Patres tuos*, exprimi?)

Argum. 2. Gen 37. v. 35. Descendam lugens ad filium meum in infernum. Pius erat Jacob pius etiam Joseph, & tamen Scriptura significat, utrumque non ascendisse ad cœlum, sed descendisse ad inferos. Pererius in Genesin, Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 10. Petrus Galatinus lib. 6. de arcanis cap. 7.

Resp. 1. Lyranus in Genes. 37. *In Hebræo habetur ad fossam.*

2. Augustin. Steuchus in h. l. שְׁאוֹלָה *ad inferos, aut fossam, aut sepulchrum. Ne quid pravum hoc loco suspicemur, quod Jacob vir Deo amicissimus dicat, se descensurum ad inferos, de qua re nos passim in hoc opere loquemur. Hebraice itaque ubicunque Hieronymus ac LXX. infernum interpretati sunt, est Scheol, hoc est, fossa sive sepulchrum.*

3. Pagninus & Arias Montanus itidem reddunt *in sepulchrum*, quorum versio, *ut Hebræo proxima*, approbatur ab Universitate Parisiensi & Lovaniensi.

4. Cajetanus hunc locum non exponit *de limbo*, teste Pererio in Genesin f. 12. 5. n. 93.

5. Bellarminus d. l. probaturus, vocem *Scheol* nunquam, vel raro *sepulchrum* notare, affert locum Num. 16. *Vivi descenderunt in infernum.*

Contra Bened. Arias Montanus lib. de arcano sermone, *sepulchrum* nomine Scheol ibi significari docet. *Dathan*, inquit, *atque Abiram vivi dicuntur descendere in infernum, id est, ante sepulti, quam mortui.*

Cajetanus etiam locum istum, *corporum fuisse ipsis sepulchrum*, affirmat & probat in cap. 16. Numeri.

6. Fronto Ducæus in Notis ad Nyssenum de pythonissa dictum Samuelis à Pythonissa excitati, *mecum eris*, refert non *ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis*, quod uterque homo fuerit & uterque mori potuerit. Ergo etiam nobis licet dictum Jacobi, *descendam ad filium* accipere de communi cum filio Josepho mortalitate.

7. Vatablus in h. l. dicit esse sensum. *Lugebo filium meum usq; ad mortem, id est, moriar in ipso luctu.*

8. Eodem modo exponunt Hieronymus Oleaster, & Lippomanus in Catena.

9. Cornelius à Lapide in cap. 42. Genes. v. ult. *Sensus est, efficietis, ut ego mœrore & mœstitia moriar, quinimo senio meo accelerabitis mortem*, cujus expositionis autores laudat Abulensem & Vatablum.

10. Confirmatur hæc expositio ex collatione loci paralleli, Genes. 42. v. 38. capite 44. v. 29. 31. *Descendere facitis canitiem meam Scheolah.* At canities ex hypothesi Pontificiorum non descendit in limbum, sed duntaxat anima à corpore separata. Ergo Scheol hic significat statum & conditionem mortuorum in genere, quo etiam modo exponit Emanuel Saa. *Eritis mihi causa mortis, seu efficietis, ut præ mœrore animi moriar.*

11. Hujus significationis, qua vox *sepulturæ & sepulchri* accipitur generali sensu omnibus mortuis conveniente, exempla extant etiam in profanis Scriptoribus, quo spectat versus Mecœnatis:

Nec nudum curo, sepelit Natura relictos.

Cic. lib. 1. Tuscul. qq. *In Hircania aluntur canes, à quibus laniantur mortui, eamque optimam censent esse sepulturam.*

Seneca lib. 8. Controversiarum controv. 4. *Omnibus Natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit: suffixorum corpora crucibus in sepulturam defluunt, eos, qui vivi uruntur, pœna funerat.*

Joh. 5. v. 28. *Per omnes, qui sunt in sepulchro, intelliguntur mortui.*

12. Eandem significationem agnoscunt ipsimet Pontificii. Cornelius Jansenius in cap. 15. Proverb. *Inferni nomine & perditionis significatur status mortuorum, non solum damnatorum, (ut nos fere his verbis auditis concipimus) sed in genere statum mortuorum.*

Christophorus à Castro Jesuita in Commentario ad cap. 2. Baruch, ad verba versus 7. *Inferni*, inquit, *aut inferorum nomine licet aliqui velint intelligi sinum Abrahæ, verius & usui Scripturæ conformius accipiemus sepulchrum, ut accepit Jacob Genes. 37. v. 35. cum dixit, Descendam ad filium meum lugens in infernum, hoc est, Lugere non desinam, donec me sepulturæ mandetis, & cap. 44. v. 29. Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos, hoc est, me senio confectum cogetis celerrime mori & in sepulchrum abire.*

Arias Montanus de arcano sermone cap. 21. *Quicquid terræ superficie jacet inferius, infernus dicitur, una tamen adnotatione absumendi & excipiendi omnia, quæ viva antea fuerint, atque ita interitum infernus spectat, quantum ex illius Natura est. Quamobrem Hebraice dicitur* שאול *quod semper petere & accipere soleat, sponte autem reddere quicquam aut excepta reddere non cupiat. Ex quo fit, ut omnis hominum ex hac vita mortali excedentium status inferni nomine sæpe in sacris literis indicetur.*

Arg. 3. 1. Samuel. 28. v. 13. *cùm Samuel apparuit Sauli consulenti Pythonissam, ejus anima de terra ascendere visa est. Ergo ascendit ex limbo.* Bellarm. lib 2. de purgat. capite 6. & lib. 4. de Christi anima cap. 11.

Resp. 1. Ostendimus superius lib. 1. part. 2. cap. 17. membr. 5. ex ipsis Pontificiis Scriptoribus, non fuisse *animam Samuelis*, sed *spectrum Satanicum*, quod Sauli apparuit.

2. Martinus Delrio lib. 2. Disquis. Magic. cap. 6. effectus Magicos distinguit *in veros, falsos & ex utrisque mixtos*, ac hanc Samuelis evocationem constituit ordine tertio. *Mea sententia*, inquit, *illud de Samuelis anima omnino pertinet ad mixtorum classem. Vera enim fuit Samuelis anima, quæ apparuit: falsitas tamen sive deceptio sensuum in eo reperitur, quod visa obtemperare voci Pythonissæ.*

Item, *quia verum suum corpus aut verum sindonem non attulerat, ut videbatur.* (Quemadmodum ergo verum non est, animam Samuelis habuisse tale corpus, aut tali obvolutam fuisse pallio, etsi sic visa sit: ita ne egressam quidem *è terra*, etsi visa sit egredi.)

Arg. 4. Psalm. 24. v. 7, *Attollite portas Principes vestras.* Hunc locum *Vigor Sorbonicus* & alii ad descensum Christi in limbum accommodant.

Resp. 1. Genebrardus & Emanuel Saa sequuntur Athanasium, Theodoretum & Euthymium, qui *de Christi in cœlos ascensu* exponunt.

2. Lyranus Rabinos sequitur, qui Psalmum hunc censet compositum, cum arca deferretur in Sancta sanctorum. Nam tum accedente arca fuisse ab Angelis clausas januas, unde oportuerit dici, *Attollite portas.*

3. Burgensis commentum illud Judaicũ ridens exponit *de ingressu Christi in urbem Hierosolymam* paulo ante passionem suam.

4. Lorinus in h. l. sic commentatur. *Catholici solidius veriusq; accipiunt ista de Christo, vel ingrediente Jerusalem cum triumpho: vel debellante Dæmonas in descensu ad inferos: vel in cœlum ascendente: vel impedimenta Dæmonum eorundem aliaque removente, quo minus verbum prædicationis liberè in homines subeat.*

Arg. 5. Oseæ 13. v. 14. *De manu inferni liberabo eos, id est, ex limbo.* Ribera in h. l.

Resp. 1. Emanuel Saa in Os. 13. *Vel infernus pro morte accipitur, cum præsertim vox Hebræa etiam sepulchrum notet, sepulchrumq; pro morte accipiatur.*

Idem in Indice phraseon sacræ Scripturæ notat, *Inferi seu infer-*

infernus pro sepulchro vel morte, & enumerat una serie sex & viginti locos.

2. Christ. à Castro in h.l. *Proprie & ad literam de Israelitis captivandis agitur &c. Paulus ea in sensu mystico adduxit ad insultandum morti & acclamandum Christo triumphatori.*

3. Cornelius à Lapide ad h.l. *Hæc sententia generalis est & promissio Universalis. Ergo omnes spectat & ad paucos arctanda non est.* Ergo nec ad limbum.

Arg. 6. Zach. 9. v. 11. *Tu eduxisti in sanguine Testamenti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Hunc locum pro limbo afferunt Feuardent. Dial. 6. §. 10. Salmeron Disp. 6. in 1. Petr. 3. Ribera in h.l. Catech. Trid. in exposit. artic. Descensus. Ballarmin. d. lib. cap. 11. §. Item.

Resp. 1. ex Salmerone Disp. 26. in 1. Cor. 15. §. Vocatur. *Verba illa Zachariæ magis ad eos, qui tunc purgabantur & pœnis vincti erant, & qui aquam consolationis non habebant, & non ad sanctos Patres, qui erant in limbo detenti spectare videntur. Nam qui in limbo tenebantur, non ita vincti erant, neque deerat eis aqua refrigerii & consolationis, unde Abraham de Lazaro dixit ad epulonem Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

2. ex Bellarmino lib. 1. de purgat. capite 3. dicto 9. *Etsi hunc locum adducunt passim pro liberatione ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio, quas Christus eduxit, cùm eò descendit post mortem suam. Primò, quia isti rectius dicuntur vincti. Secundo, quia in purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in limbo, ut patet Luc. 16.*

3. Idem Bellarminus ad locum Psalmi 40. *Eduxit me de lacu miseriæ*, sic commentatur. *Describitur locus profundus carens lumine & luto putrido plenus. in quem multi deciderint, ex quorum motu & ejulatu existat tumultus & confusio magna, quam Septuaginta Interpretes generatim miseriam appellarunt. Hic status est impiorum, qui carent lumine notitiæ Dei & mandatorum ejus, & infixi sunt in limo carnalium cupiditatum, ex quibus non solum fit, ut non possint ambulare ad æternam felicitatem, sed perpetuo inter se tumultuentur & contendant. Ab hoc profundo liberat nos gratia Redemtoris, cum incipimus per fidem cognoscere verum Deum & vera ac sempiterna bona, & per spem ac caritatem liberari à cupiditatibus terrenis; & pacem Dei atque animæ tranquillitatem possidere.* (De hoc lacu etiam Propheticum Zachariæ dictum accipit Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 35.)

4. Bailius in Catech. Controvers. tract. 2. q. 43. diserte negat, *Prophetiam Zachariæ posse intelligi de limbo Patrum*, quia, inquit, *in hoc loco aliqua spiritualis consolationis aqua reperiebatur, quod vel ex sola miseri divitis petitione manifestò evincitur, qui guttulam aquæ ardentissime petebat. Abrahamo Patre fidelium in limbo cum naturalis legis Patriarchis & Mosaicæ legis Prophetis detento.*

5. Ribera in Comm. Zachar. 9. p. 725. *Non omnis lacus est carcer, sed subterraneus & obscurus, quo illi conjici solent, qui morte damnantur &c. Hoc ergo dicit Propheta, esse tantam vim sanguinis Christi & illius beatæ passionis, ut non solum eos, qui carcere, id est, communibus peccatis tenentur, sed eos etiam, qui sunt in lacu, & in profundum peccatorum venerunt, & desperatæ salutis sunt, possit emittere de lacu & de umbra mortis efferre in lucem filiorum Dei.*

6. Lorinus in Comm. 2. Petr. 2. v. 4. p. 689. *Video tuentes primam de aere sententiam, (quòd Angeli mali sint in aereo cœlo conditi) respondere posse* (ad locum Es. 14. v. 13. *In cœlum conscendam:*) *dici Luciferum & asseclas cecidisse de cœlo, non in quo fuerint, sed in quod licuit illis ascendere.* (Pari ratione dicere possumus, per Christum ex lacu, *in quo non est aqua*, id est, ex inferno nos esse liberatos, non quod in inferno jamdum fuerimus, sed quod in illud nos detrudi contigisset, nisi liberatio intervenisset.)

7. Isidorus Clarius & Benedictus Arias *per locum* accipiunt *legis veteris jugum, quo quasi carcere duro vincti Judæi tenebantur*, ex quo nos Christus liberavit.

Idem Arias Montanus notat, *sermonem ibi non dirigi ad Christum, sed ad Ecclesiam*, quod probat ex genere fœminino.

Arg. 7. Eccl. 24. *Penetrabo omnes Inferiores partes terræ, i.e. Christus in limbum Patrum descendit, eosdem ex eo liberaturus.* Lorinus in Act. 2. f. 115. Pererius in Genes. f. 423.

Resp. ex Bellarmin. lib. 4. de Christo cap. 12. *Hic locus non convincit hæreticos, tum quia ipsi non recipiunt hunc librum,* (quin & quidam ex Pontificiis eum non recipiunt;) *tum quia hæc verba desunt in Græco.*

Arg. 8. Matth. 11. v. 3. *Johannes per discipulos ex Christo quærit, Tune es, qui venturus, an alium expectemus, hoc est, Tune in limbum descensurus es & Patres ex eo liberaturus.* Costerus Dom. 1. Adv. p. 40. 69.

Resp. 1. Alphonsus de Castro lib. 8. adv. hæres. titulo, Johannes Baptista. *Non suo nomine & propter se interrogat, sed propter suos discipulos, quos in Christi fide nutantes videbat. Et propter hanc causam illos ad Christum mittit, ut visis miraculis ab illo factis in illius fide confirmarentur. Quod Christus, cum optime nosset, nullam illis dedit responsum, sed multis coram illis ab eo factis miraculis ad Johannem illos redire mandat, ut quæ viderant, illi renunciarent. Non certè aliam ob causam, nisi ut inde Johannes discipulos suos, quos parum fideles esse noverat, apertius de fide Christi instrueret & instructos confirmaret. Sic enim illam Johannis interrogationem interpretatur B. Johan. Chrysostomus homil. 37. super Matth. Chrysostomum ut alibi semper, ita etiam hoc loco imitatur Theophylactus.*

2. Joh. Ferus in h.l. *Non ob id Johannes discipulos suos ad Christum misit, quasi ipse dubitaret, an vere esset Christus &c. sed causa, cur Johannes hic Christum interrogari fecit, est discipulorum suorum ruditas, imò æmulatio eorum pro Magistro suo & invidia contra Christum, per quem videbant Johannis gloriam decrescere.*

3. Stapletonus in prompt. mora i Domin. 2. Adv. p. 18. *Joannes non propter se illos* (discipulos) *ad Christum emisit, nec propter se quæsivit, an ille Messias esset. Non enim potuit ignorare eum, quem antea digito demonstravit, dicens. Ecce Agnus &c. sed ut Hieronymus ait quæst. 1. ad Algasiam, sibi quærens suis discipulis discere voluit.*

4. Jansenius in cap. 47. Concord. Evang. pag. 348. *Ambrosius quosdam scribit intellexisse, Johannem pietate quadam dubitasse, num quem sciebat esse Christum, esset moriturus &c. Gregorius & Hieronymus intelligunt simili fere modo, Johannem interrogasse, num Christus per seipsum esse venturus ad inferos &c. Quibus intelligentiis in idem fere incidentibus videtur suffragari participium venturus. Illius enim occasionem videntur quidam permoti, ut de futuro aliquo adventu Johannem interrogasse putent. Alioqui enim quorsum quærit, num venturus sit, quem jam venisse sciebat? Verum hanc intelligentiam D. Chrysostomus plane rejicit & merito, quod non possit videri probabile, Johannem, qui maximus Prophetarum dicitur à Domino, id ignorasse, aut de eo jam dubitasse, quod alii Prophetæ non solum cognoverunt, sed & Prophetarum scriptis reliquerunt, cum etiam ipsum esse agnum Dei aliquoties testatus fuerit &c. Itaque rectius cum Chrysostomo, Hilario, Ambrosio & aliis intelligitur, Johannem hac interrogatione non sua, sed discipulorum ignorantiæ consulere voluisse &c. Quod autem Johannes interrogare jussit, an Jesus esset, qui venturus esset, non est intelligendum, cum interrogare voluisse de futuro aliquo adventu, sed an esset, qui venturus esset, aut ut habent Græca, an esset ὁ ἐρχόμενος, hoc est, ille venturus.*

5. Maldonatus in h.l. *Quidam statuunt, non dubitasse Johannem, an Christus agnus Dei, verusque Messias esset, sed an moriturus & ad inferos descensurus esset. In quam sententiam meliore nondum inventa maxima pars veterum autorum concesserunt, Ambrosius lib. 7. in Luc. Eusebius Emissenus in homil. Julianus Pomerius lib. 3. contra Judæos, Venantius in expos. Symb. Gregor. homil. 1. in Ezech. cujus opinionis etiam Chrysostomus homil. 37. & Theophylactus in Comm. ad h.l. mentionem fecit, eamque merito refutavit &c. Vera igitur est Hilarii, Chrysostomi, Autoris imperfecti operis, Cyrilli Alexandrini lib. 2. Thesauri c. 4. Euthymii, Theophylacti, Ruperti sententia, Johannem nullo modo, ejus verò discipulos aliquo modo de Christo dubitasse &c.*

Et postea. *Hieronymus & Beda amplius quiddam dicunt, ne discipulos quidem Johannis, an Christus verus esset redemtor, dubitasse, sed an mortem subiturus & ad inferos descensurus esset, eamque obrem ad eum missos fuisse. Sed non congruit interpretatio. Quo enim modo ex miraculis, utrum Christus moriturus & ad inferos descensurus esset, cognoscere potuissent?*

5. Similia occurrunt in Postillis Eccii, *Wicelii* & aliorum.

Arg. 9. Matth. 12. v. 39. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ. Cor terræ significat vel mortem, vel sepulchrum, vel inferos. At non mortem, quia cor terræ est aliquis locus subterraneus, mors autem non est locus. Non etiam sepulchrum. Nam cor est in profundissimo loco animalis, sepulchrum vero prope superficiem terræ. Ergo per cor terræ intelligitur inferus & quidem limbus.* Bellarm. d.l.

Resp. 1. Si vel maxime *per cor terræ* intelligeretur infernus, nondum tamen evictum foret, intelligi limbum, quia à toto

à toto indeterminate posito *ad* certam ac determinatam *partem* non valet consequentia.

2. Per *cor terræ* quidam intelligunt mortem, quæ fuit sepulturæ antecedens. Anshelmus in h.l. *Nautæ sunt Iudæi, piscis mors. Nautæ tradunt Ionam pisci, & Iudæi Christum morti. Piscis tertia die Ionam in portu evomuit, & mors in tertia Christum firmitati vitæ restituit.*

3. *Cordis* nomine pro medio alicujus rei posito non semper intelligitur exacta medietas; sed ὡς ἐν πλάτει. Nihil ergo prohibet cordis nomine hoc loco intelligi *sepulchrum*. Ezech. 27.v.4. in vulg. vers. de Tyro dicitur, *quod in cordis maris sita fuerit*, nec tamen Tyrus ita fuit intra mare, ut est cor intra animalis corpus.

Thomas in Catena aurea citat dictum Rabani. *Ionas tribus diebus & noctibus fuit in ventre ceti, Christus in sepulchro.*

Jansenius in h.l. *Ionas præfigurabat Christum tribus diebus & noctibus in sepulchro.*

Emanuel Saa. *In corde, id est, in medio seu intra, quidam Doctores intelligunt sepulchrum.*

(Chrysostomus rationem singularem reddit hujus phraseos prædicto modo intellectæ. *Non dixit, in terra, sed in corde terræ, ut & sepulchrum ostenderet, & quod nullus solam mortis apparentiam suspicetur.*)

4. Canonistæ *medium noctis* diluculo jungentes docent, *medium in aliquo dici, aut per æqualem distantiam terminorum, aut per interpositionem*, secundum quam medii rationem, cum octava hora surgimus, *media nocte surgere* dici possumus. Turrecremata tract. 37. ad regulam Benedicti citante Durante Lib. 3. de ritib. Eccles. cap. 6.

Arg. 10. Luc. 16. v. 26. *Chasma inter nos firmatum. Chasma significat hiatum, ex quo apparet, nihil solidi fuisse interjectum inter locum damnatorum & sinum Abrahæ, sed utrasque animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes.* Bellarminus d.l. Staplet. in Prompt. Cathol. fer. 5. hebd. 2. Quadragesim. Anglo-Remenses in h.l. Suarez part. 3. Thom. q. 52. art. 1. Disp. 42. §. 2. Fevardentius Lib. 8. Thomachiæ cap. 10.

Resp. 1. *Vulgata versio* in Concilio Tridentino pronunciata est authentica, à qua *nullo prætextu* Pontificiis liceat discedere. Illa vero *chasma* reddidit *per chaos*, quod est *rudis indigestaque moles*. Quomodo ergo nihil solidi interjectum? (Inde Augustinus Epist. 99. ex hac vocula plane contrarium deducit. *In his ipsis*, inquit, *tanti Magistri verbis, ubi ait dixisse Abraham, Inter vos & nos chaos magnum firmatum est, satis, ut opinor, apparet, non esse quandam partem & quasi membrum inferorum tantæ illius felicitatis sinum. Chaos enim magnum quid est, nisi quidam hiatus, multum ea separans, inter quæ non solum est, sed etiam firmatus est.* Macrina morti vicina apud Gregorium Nyssenum in ipsius vita sic orat: *Ne separet me chaos illud formidandum ab electis tuis.*)

2. Cajetanus per *chaos* dicit notari *inaccessibilitatem hinc inde firmatam, ac immutabilitatem utriusque status stabilitam.*

3. Emanuel Saa in h.l. per *chaos* intelligit *maximum intervallum, impeditamque viam.*

4. Cornel. Jansenius in Conc. Evang. super h.l. in voce chasmatos metaphoram agnoscit. *Aliud*, inquit, *non significatur, quam sic esse separatos damnatos à piis, ut impervius sit utrisque ad alteros transitus. Quemadmodum in terræ motu relicta & interjecta vorago & hiatus impervium reddit transitum ab una parte ad alteram: ita firmissimo decreto Dei tanquam chasmate duclusum & separatum esse statum beatorum à statu damnatorum, ut ab hoc ad illum, & viceversa nullus pateat transitus.*

5. Barradius tom. 3. lib. 4. Concord. Evang. cap. 6. ad h.l. sic commentatur. *Est sensus metaphoricus. Magnum chaos inter nos firmatum, hoc est, statutum est à Deo, ut nec nobis ad vos, nec vobis ad nos ullus pateat aditus, ideo fieri nequit, ut ad te Lazarus mittatur.*

6. Maldonatus ad h.l. sic commentatur. *Plerique per hiatum illum non loci intervallum, sed conditionis immutabilem firmitatem significari putant. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Euthymius in h l. & Augustinus Lib. 2. qq Evang. cap. 38. Probabilis opinio. Nam siquidem de loci distantia ageretur, nullus tam procul locus est, ex quo non posset anima, præsertim quæ Spiritus est, ad locum, ubi dives erat, permeare. Quanquam mihi quidem loci etiam distantia videtur designari. Nam etsi Abraham, aut Christus potius in persona Abrahæ solam conditionis firmitatem declarare voluit, tamen dubium non est, quin metaphora à loci distantia ducta sit, & magni hiatus nomine non distantia solum magna, sed etiam impermeabilis significetur, quemadmodum, si ab uno loco in alium vastus terræ hiatus esset, transiliri utique non posset &c.*

Et postea: *Valde suspicor, summum hic cœlum designari, inter quod & infimum damnatorum locum, ubi dives erat, magnus utique erat hiatus.* (At si Abraham & Lazarus fuerant *in summo cœlo*, utique non fuere *in limbo*. Subjicit quidem Maldonatus, *non quod Abraham in cœlo esset, sed quod ita loqui fingatur, quasi esset in cœlo.* Sed quilibet videt, hoc esse coactum & priori assertioni repugnare.)

7. Si nihil solidi est inter infernum damnatorum & limbum Patrum, ut disputat Bellarminus, quomodo cohibitus fuit ignis infernalis, ne vel flamma, vel fumus ejus ad limbum usque ascenderet, cum summa Patrum in limbo degentium molestia? miraculum hac ratione ponitur absque necessitate.

8. Idem Maldonatus d.l. hanc partem *non Historiam, sed parabolam esse*, docet. (Ex parabolis autem non ducuntur firma argumenta, nisi ipsa Scriptura monstret explicationem.)

Arg. 11. In eodem cap. 16. Luc. v. 22. per *sinum Abrahæ* Peltanus Lib. de Purgat. cap. 4. Maldonatus in cap. 16. Luc. Ambrosius Catharinus ibid &c. intelligunt *limbum Patrum*.

Resp. 1. Apud Cornelium Jansenium in Concord. Evang. cap. 97. moriturus Martinus, *Abrahæ*, inquit, *me sinus excipiet*, & (At de eo canit Ecclesia, *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur.* (Atqui Martini anima non descendit in limbum, sed ab Angelis translata est in cœlum.)

2. Sadoletus Lib. 3. Epist. 5. per *sinum Abrahæ* ipsum cœlum beatorum intelligit. *Nusquam*, inquit, *ibi loca, sed res tantum est descripta, cum is, qui jacebat in miseriis, Lazarum vidit in beatitudine recumbentem, aut si in eo locus quærendus est, sinus Abrahæ est regnum cœlorum.* (Quam sententiam probat oppositio textus inter inferos & sinum Abrahæ.)

3. Urget Fevardentius, quod *Abraham & Lazarus in ipsius sinu potuerint invicem cum divite loquentes audiri & videri.* Sed respondemus ex Maldonato. *Quod oculos dives ille levaverit, quod cum Abrahamo locutus fuerit, quod guttam aquæ, qua linguam suam refrigeraret, postulaverit, parabola est, sumta non ex iis, quæ modo fiunt, sed ex iis, quæ post resurrectionem futura sunt, & ad nostrum captum accommodata.*

Et postea: *Iam diximus, neque cum Abrahamo, neque cum Lazaro* (divitem) *locutum fuisse, sed fictum esse in modum parabolæ sermonem.*

Arg. 12. Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*, hoc est, *in limbo*. Dionys. Carthus. in illum locum. Maldonat. in cap. 27. Matth.

Resp. 1. Maldonatus d.l. agnoscit, Cyrillum Hierosolymitanum Catech. 13. Chrysostomum homil. 2. de Cruce, Gregorium Nyssenum Serm. de Resurr. Dom. Augustinum tract. 111. in Joh. per *Paradisum* intelligere *cœlum*.

2. Eccius tom. 1. homil. p. 563. itidem per *Paradisum* intelligit *cœlum*.

3. Cornelius Jansenius in cap. 147. Concord. Evang. *Dominus non post aliquot dies id se facturum pollicetur, sed hodie*, inquit, *nec memorem se dicit illius fore, sed quod majus est, illum, ut erat secum in cruce, ita secum futurum in Paradiso, hoc est, liberatum ab omnibus malis participem fore felicitatis & gloriæ suæ.* (Illud intelligitur per Paradisum, in quo & per quod conversus latro liberandus ab omnibus malis, particeps futurus cœlestis felicitatis & gloriæ. Atqui in limbo nondum fuisset liberatus ab omnibus malis, quia futurus fuisset in pœna damni, quæ omnino aliquod malum; nec particeps fuisset cœlestis felicitatis gloriæ, quia à beatifica Dei visione adhuc fuisset exclusus. Ergo per Paradisum non intelligitur limbus.)

4. Franciscus Lucas Brugens. ad hunc locum sic annotat. *In Paradiso, in æterna futuri seculi vita, in quieto, felicique justorũ à morte loco, mihi socius in Paradiso & gaudio, ut es socius in cruce & pœna.* Subjicit quidem Lucas, *per Paradisum intelligi locum illum communem, in quo omnes Sancti ante Christi mortem congregati*: sed huic opinioni refragatur, quod concedit, *promissi latroni vitam beatitudinemque æternam eo die inchoandam*, beatitudo enim illa in beatifica Dei visione consistit, quæ à limbo exulat: Item quod agnoscit 2. Corinth. 12. vers. 4. *Paradisi nomen accipi pro supremo cœlo perpetuo Dei conspectu beato*, in qua significatione etiam hoc loco accipitur. Denique quod adducit & approbat dictum Augustini Lib. 12. de Genesi ad literam

literam cap.34. *Quapropter animæ illius latronis, cui dixit, hodie mecum eris in Paradiso, non utique inferos præstitit, ubi pœnæ sunt peccatorum, sed aut illam requiem sinus Abrahæ &c. aut illum Paradisum, sive in tertio cælo, sive ubicunque alibi, quo post tertium cælum raptus est Apostolus, si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ beatorum.*

Arg.13. Joh.12.v.32. *Cùm exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum.* In hunc locum Adamus Conzen. Jes. sic commentatur, *Verbis istis, traham omnes, significatur, eos quoque Christum attraxisse, qui in sinu Abrahæ apud inferos morabantur, & redemtionem expectabant.*

Resp.1. Gloss. ordin. ad h.l. *Non dicit omnes, ut de universitate hominum acciperes, sed omnia de integritate creaturæ.*

2. Thomas in Catena ex Augustino dilucidius hæc explicat. *Non dixit omnes, sed omnia, non enim omnium est fides, non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est, Spiritum, & animam & corpus, ad illud scil. quod intelligimus, quod vivimus, quod visibiles sumus, aut si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere, aut certe omnia hominum genera secundum innumerabiles differentias, quibus inter se præter sola peccata homines distant.*

3. Lyranus in h.l. *Subjecta est ipsi multitudo gentium per fidem &c. ex amore enim in cruce ostenso ad genus humanum, habet vim attractivam omnium mentium.*

4. Toletus, postquam sex diversas Patrum expositiones adduxisset, quarum nulla limbi mentionem facit, subjungit: *Existimo, hanc tractionem connexam esse cum ejectione seu expulsione Principis hujus mundi, eo enim ejecto & privato suo Principatu mundus totus, nempe omnes homines, quibus Diabolus dominabatur, transierunt in principatum & regnum Christi, tam credentes & boni, qui Christum secuti sunt & Diabolum deseruerunt, quam mali & infideles, qui Diabolo volentes adhæserunt. Omnium enim est Dominus & Princeps Christus, quamvis, qui Diabolum sequuntur, sunt veluti subditi rebelles & inobœdientes, non tamen propterea desinunt esse servi Christi & ad ipsius jurisdictionem pertinere, quia omnium est Redemtor, & omnium peccata in se punienda suscepit; omnibus libertatem, quantum est, ex se obtinuit, & omnes tandem à morte revocabuntur.*

5. Cornel. Jansenius in cap. 111. Harm. *Trahit ad se omnes Christus, quia misso Paracleto, quem hominibus morte sua impetravit & meruit, efficit, ut omnes abrenunciato Dæmone per Christum superato, quem prius in idolis colebant homines, & cui per peccatum subjecti erant, illum sequantur credentes in eum & obœdientes illi, ac ipsum Dominum suum agnoscentes.*

6. Pergit Jansenius. *Cajetanus illud, omnia vel omnes traham ad meipsum, absolutè intelligit dictum de omnibus, non tantum hominibus, sed Angelis etiam malis, omnesque tractos jam vel aliquando trahendos ad Christum, quia omnes tandem, vel voluntarii, vel inviti illum agnoscent, esse solum verum Dominum.* (Nullus horum Interpp. quidquam de limbo hic cogitavit.)

Arg.14. Actor.2.v.27. & seqq. *Petrus apertis verbis affirmat, Davidem non ascendisse in cælum, neque de illo intelligi posse, quod dixerat, non relinques animam meam in inferno, unde planum fit, Davidis animam derelictam esse in inferno, cum à communi aliorum conditione exciperetur. At in inferno damnatorum illum propterea fuisse aut in sinum Abrahæ receptum non fuisse, nec ipsi hæretici dixerint.* Stapleton. in Antidot.

Resp.1. Lyranus ad h.l. sic annotat: *Non enim David ascendit in cælum, sed fuit sepultus & incineratus.* (Ergo non *absolute*, sed κατά τι intelligendum, quod David negatur ascendisse in cœlum, videlicet eo modo, quo Christus in cœlum ascendit, qui post resurrectionem & anima & corpore in cœlum ascendit, atque ad dextram Patris sui cœlestis consedit.

2. Pontificii fatentur, *Davidem tum temporis*, cum Petrus hæc diceret, *fuisse in cælos elatum*, quia Christus ipse jam ascenderat, ut Lorinus ad h.l. annotat. (Ergo non absolute & simpliciter negatur, Davidem in cœlos ascendisse, sed certo modo Christi proprio.)

3. Quod Dionysius Carthusianus, Lorinus & alii *per infernum* hoc loco intelligunt limbum, ad illud respond. Pagninus per שאול in Psal.16. quem Petrus hic adducit, intelligit *sepulchrum.*

Andradius in Defens. Conc. Trident. de hoc loco agens, *Nullum, inquit, erit inter Latina Græcaque exemplaria dissidium, si animadvertamus, infernum hoc loco pro morte atque sepulchro Hebræorum dicendi more usurpari.*

4. Petrus Galatinus lib. 6. de Arc. capite 7. ipsum *infernum damnatorum* voce שאול indigitari asserit. Jam verò Christus non eo fine in infernum damnatorum descendit, ut ex eo quosdam liberaret, cum ex inferno nulla sit redemtio.

Arg.15. Rom. 10. v. 7. *Quis descendet in abyssum? Id est Christum à mortuis revocare. Ergo Christus post mortem fuit in abysso. Non potest autem nomine abyssi intelligi status damnatorum, neque potest intelligi sepulchrum &c. Fuit igitur Christus post mortem & ante resurrectionem in abysso, quæ longissime abest à cælo, id est, in profundissimis terræ partibus.* Bellarm. lib. 4. de Christo capite 12. §. Quintus locus.

Resp.1. Lyranus ad h.l. sic annotat. *Glossa exponit passum istum de descensu Christi in limbum, quem sequuntur Expositores nostri communiter. Sed quia expositio ista non videtur concordare in aliquo cum sententia Deuter.30. unde accipitur hæc Scriptura, nec etiam cum litera sequenti, ut patet intuenti, ideo aliter potest exponi sic: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum, negativè. Id est Christum deducere, id est, dicere, quod nondum venit in mundum adductus per obœdientiam Patris. Aut quis descendet in abyssum, similiter negative, hoc est, Christum à mortuis revocare, id est, dicere, quod non fuit mortuus & nec per consequens resurrexit à mortuis vitam immortalem inchoando. Utrumque enim dicebant Judæi tempore Apostoli & adhuc dicunt negando, Christum venisse & per consequens resurrexisse à mortuis. Hæc expositio consonat literæ sequenti.*

2. Salmero Disp.32. in Epist. Roman. p.650. sic disserit: Pro his verbis: *Quis descendet in abyssum, in Deuteronomio habemus: Quis è nobis poterit transfretare mare? Et transfretationem vocant Hebræi descensionem in abyssum, abyssus autem significat fundum maris, sive profundas aquas.* Et paulo ante. *Hoc est Christum à mortuis revocare id est, ejusmodi dubitatio, an peccatores, qui egerunt pœnitentiam, apud inferos detineantur, est implicite dubitare, an Christus ad inferos descenderit & mortem devicerit, qua devicta ad Patrem per resurrectionem rediit.* (Nihil ergo hic de limbo, sed de damnatorum inferno agitur.)

3. Bened. Pererius Disp.3. in cap. 10. Rom. p. 602. eodem modo accipit: *Ne dixeris, Quis descendet in abyssum, hoc est, ad inferos, ut ex aspectu inferorum factus certior agnoscat, an pœnitentes detineantur apud inferos. Hæc enim dubitatio secum habet complicatam illam dubitationem, utrum Christus devicta morte resurrexerit & in cælum ascenderit.*

4. Bened. Justinianus ad h.l. *Dum justitia fidei unius Christi merito tribuatur, ne existimes, inquit Paulus, hoc à te exigi, ut in cælum ascendas, ut inde Christum evoces, vel in abyssum penetres, ut inde illum ad vitam revoces, cum satis sit, si illum hominum causa hominem factum esse credas, & vita functum ad inferos penetrasse, mox redivivum remeasse ad superos.*

5. Cornelius à Lapide ad h.l. *Sensus est: Ne dicas, ad certitudinem fidei & ad justificationem opus est Christo præsente, ut eum videamus, ejusque aspectu & præsentia sanemur & justificemur. Itaq; ipse, vel cælo, vel inferno revocandus est. Non putes, hoc à te peti, propinquus enim & facilis jam justificationis modus est, si in Christum credas mortuum & resuscitatum licet absentem, & corde ac ore idipsum profitearis.* (Nec in hac expositione, quam tamen non approbamus, quidquam de limbo habetur.)

Arg.16 Eph.4.v.8. ex Ps. 68.v.19: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Bellarm. lib. de Beatit. Sanct. cap. 3. *Quid per captivitatem potest intelligi, nisi multitudo sanctarum animarum, quas ex limbo ad cælum evexit, ut Ambrosius exponit.*

Resp.1. Salmeron tom.15. Disp.9. in Epist. ad Eph. *Videtur Apostolus alludere ad morem triumphantium, qui ante se ducebant victos & vinctos, sive captivos. Nam ita dixit magnus Poeta de Augusti triumpho:*

Incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam vestis & armis.

(Hæc expositio conformis est Apostolicæ explicationi Col. 2, v.25. non autem congruit opinioni de limbo, quia animas Sanctorum Christus non duxit victas & vinctas in triumpho.)

2. Cornelius à Lapide in h.l. *Captivam duxit captivitatem, activam, scil peccatum, mortem, Diabolum, infernum, idola, Tyrannos, qui nos captivaverant, Christus in triumphum duxit. Ita Chrysostomus & Vatablus.* (Quod Cornelius addit, *Christum etiam captivam duxisse captivitatem passivam, ut sit sensus, Patriarchas, Prophetas, aliosque sanctos erutos captivitate inferni sanctaque & beata jam Christi captivitate captivos Christus triumphans secum in cælum duxit*; non congruit *phrasi Scripturæ*, quippe quæ de captivitate *activa*, h.e. de captivantibus alios à victore iterum

captivatis eam accipit, Judic.5.v.12. Nec congruit *rei ipsi.* Quia eductio Patriarcharum, Prophetarum & aliorum Sanctorum non esset captivatio, sed potius ex captivitate liberatio & in felicem libertatem ac liberam felicitatem translatio.)

3. Genebrardus in Ps.67. (Hebr.68.) v.20. ad verba, *Ascendisti in altum &c. Est Apostrophe ad Christum Deum in cœlos ascendentem de peccato, morte, inferno, Diabolo, idolis & idolorum cultoribus triumphantem. Captivos hostes fecisti, qui tuum populum opprimebant, eos captivos fecisti & subegisti.* (Captivitatis ergo vox sumitur *active*, pro captivantibus; non *passive* pro captivatis.

4. Estius in Comm. h.l. postquam expositionem de liberatione animarum ex limbo posuisset, subjungit: *Alii per captivitatem intelligunt Satanam & mala per eum invecta, peccatum, mortem, maledictionem, hæc enim Theophylactus captivitatem exponens enumerat.* (Objicit quidem huic expositioni Estius, *quod Satanas captus & alligatus sit non proprie per ascensionem Christi, sed per crucem, quæ præcesserat.* Sed distinguendum est inter *victoriam* ab hoste reportatam, & inter gloriosum *triumphum*, qui victoriam consequitur; illam tribuit Apostolus Christi passioni & morti, hunc vero ipsius in cœlum ascensioni.)

5. Idem Estius aliam expositionem ibidem subjungit, quam nequaquam rejicit: *Alii*, inquit, *mentem Apostoli sic explicant; Christus postquam gloriosus in altitudinem cœlorum ascendit, multos homines ex omni gente cepit captivos, idque per Apostolos suos, quos fecit hominum piscatores, & quorum Principi dixerat, Ex hoc jam homines capies, Luc.5. Captivos, inquam, cepit felici captivitate, quando Tyrannide Diaboli liberatos sic illos sibi subjecit ac in potestatem redegit, ut non modo sancta libertate per caritatem ipsi servirent, sed & filios ac fratres suos eos faceret, atque in spem hereditatis assumeret. Hunc sensum suggerunt Thomas in Commentario & Iansenius in mystica paraphrasi, Psal.67.*

Arg.17. Ex eod. cap. Eph.4.v.9. urgent verba Apostoli, *Descendit in inferiores partes terræ.* Bellarm. Lib.4. de Christo cap.12. §. Sextus locus. *Per inferiores partes terræ non potest intelligi sepulchrum Christi, quod fuit supra terram, nec hæc ima terra, quia inferior pars terræ non significat totam terram, sed unam partem, eamque aliis inferiorem. Ergo intelligitur limbus.*

Resp.1. Thomas & Cajetanus accipiunt de terra habitabili. Verba sic habent: *Quod autem dicit in inferiores partes terræ, quamvis possit intelligi de partibus ipsius terræ, distinguendo in ipsa partes superiores & inferiores, appellando partes inferni inferiores partes, ad quas Christus descendit secundum animam: planius tamen intelligitur oppositū terræ, ad determinandū inferiores prates. Infima enim pars mundi est terra, ad differentiam inferiorum partium cœli, quæ sunt in aere: ac si apertius dixisset, quia descendit primum ad inferiorem partem mundi terram.*

2. *Limbus*, ut ipsum nomen indicat, juxta Pontificiorum hypothesin non est in inferioribus terræ partibus, sed potius *infernus damnatorum.* Ergo descensus Christi ad infernum damnatorum, non autem descensus in limbum in his verbis describitur.

3. Cornel. à Lapide in h.l. adducit & approbat dictum Chrysost. *Descendit ad infimas partes, post quas non est aliud quid, & ascendit super omnia, ultra quæ non sunt alia.* (Atqui post limbum adhuc est aliud quid inferius, videl. infernus damnatorum in centro terræ. Ergo non limbus, sed infernus damnatorum hic intelligitur.)

4. Estius in Comm. h.l. fatetur, *quosdam per inferiores partes terræ intelligere terram ipsam, ad quam descendit Christus per incarnationem.* Hunc sensum dicit, *Thomam non rejicere, Cajetanum, Catharinum & Ariam amplecti.* Fatetur etiam, expositionem illam, quæ de descensu Christi in limbum hunc locum accipit, *non esse certam, probabilitatem tamen habere.*

Arg.18. Ex eod. cap. v.10. urgent verba, *ut impleret omnia.* Bellarmin. Lib.4. de Christo c.12. §. At nos &c. *Voluit Christus descendere usque ad verum infernum, sicut descenderat in terras, ut præsens visitaret omnes partes regni sui, quod tripartitum est, juxta illud Philip.2. ut flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, ubi Græce est καταχθονίων, id est, subterraneorum, qua voce non possunt intelligi cadavera, quæ sunt in sepulchris, illa enim etsi subterranea sunt, tamen non possunt in nomine Iesu genua flectere, hoc est, honorem illi præstare; sunt ergo in locis subterraneis aliqui Spiritus, qui Christo reverentiam exhibere debent, & ad eum locum Christus descendit, ut se totius mundi Regem ac Dominum declararet.*

Resp.1. ad locum Eph.4.v.10. Primò, Thomas Aquinas, Lyranus, Cajetanus &c. exponunt *de impletione Scripturarum.* Emanuel Saa, *Ad implenda omnia, quæ promissa & scripta erant de eo.* Secundò, idem Thomas, Glossa interlin. & Dionysius Carthusianus, accipiunt *de impletione donorum gratiosa. Ut impleret*, inquit Dionysius, *omnium hominum genera, id est, quosdam de universis generibus hominum donis & gratiis Spiritus Sancti.* Tertio, Cornelius à Lapide septem affert expositiones, 1. *Ut dominans in cœlis & toto mundo mittensque Spiritum Sanctum, regna omnia sua fide, religione, cultu impleret, inquit Anshelmus.* 2. *Ut omnes electorum Angelorum & hominum sedes ac numerum restauraret, impleretque. Ita idem Anshelmus.* 3. *Ut superis & inferis, sicut & terrestribus sanguinem suum ostenderet profusisse, itaque se fructu sanguinis sui implesse omnia mundi loca. Ita Hieronymus.* 4. *Ut omnia impleret, quæ de ipso prophetata erant. Ita Chrysost.* 5. *Ut concluderet suam peregrinationem & opus redemtionis nostræ, cujus finis & terminus est, ascensus tum Christi, tum noster in cœlum. Ita Thomas.* 6. *Ut è cœlo omnis generis gratiarum, donorum ac Angelorum custodum missione pro sua majestate Ecclesiam impleret. Ita Ambrosius Epist.16.* 7. *Christus successive ex uno in alium locum descendit & ascendit, scilicet ex inferis in cœlum transeundo, ut in imo, summo & medio mundi spacio suam declararet gloriam & virtutem, ubique suos electos liberans, hostesque suos spolians & debellans, sicque indicaret, se imperium in omnes omnino creaturas habere &c.* (Hæc expositio præsupponit, esse limbum, non autem ex textu Apostolico eum probat. Argumentum enim tale est: Christus implevit omnia, Ergo & limbum. Rectissime de universali ac plenario Christi hominis in cœlo ac terra præsentis & regnantis dominio hic locus accipitur, ut suo loco demonstratur.)

2. Ad locum Phil.2. Resp.1. Thomas lect.3. super h.l. per καταχθονίους intelligit *Dæmonas, qui, si non voluntarie & ex affectu reverentiæ, tamen involuntarie & ex sensu potentiæ Christo genua flectere, id est, imperium ejus agnoscere coguntur.*

2. Bellarminus Lib.1. de Purgat. c.8. §. Nonus locus est. *Per illud infernorum non improbabiliter intelliguntur Dæmones.* (Ergo ex γονυκλισίᾳ τῶν καταχθονίων nondum evictus est limbus Patrum.)

Arg.19. Colos.2.v.15. *Expolians Principatus & potestates traduxit confidenter.* Hunc locum Thomas part.3. Summæ q.52. art.1. Cajetan. in Comm. & alii *de liberatione Patrum ex limbo* accipiunt.

Resp.1. Laurentius Valla in h.l. sic commentatur. *Nescientes, quid nunc significat, traduxit, exponunt, transtulit longe ab hoc regno ad cœlum, cum significet, exemplum ignominiæ effecit, ut in principio Matthæi exposuimus. In Græco enim est ἐδειγμάτισε.* Similia occurrunt apud Erasmum in Annot.

2. Johannes Gagnæus ad hunc locum sic scribit: *Traducere hic sumitur pro ignominia afficere, & velut exemplum & spectaculum omnibus proponere, quomodo in triumphis per urbem circumagere captivos victores solent: ita Christus victor in cruce Diabolicis potestatibus spolia detraxit, triumphans illos in semetipso, hoc est, in semetipso de illis triumphum agens confidenter, & palam illos traduxit ignominiose superatos omnibus ostentans.* (Hæc non conveniunt liberationi Patrum ex limbo.)

3. Estius ad h.l. *Principatus seu potestates adversarias, hoc est, Dæmones exutos ac spoliatos imperio, quod habebant in homines, palam omnibus ostentavit, omnibusque spectandos exhibuit in triumpho, quem de iis egit &c. Schema sermonis Apostolici sumtum à victoribus, qui præcipuos ac potentiores captivos in triumpho cum ostentatione ducere solent.*) Nihil de Patribus in limbo habet, sed ad Dæmones totum textum Apostolicum applicat.)

4. Cornelius à Lapide expositionem de liberatione ex limbo refellit. *Nota*, inquit, *verbum traduxit, quod sic explicat Anshelmus, Christus animas Sanctorum ex inferis traduxit ad cœlum. Sed Græce est ἐδειγμάτισεν, id est, traduxit & circumduxit in triumpho, uti solent triumphatores hostes & prædam in triumpho circumducere, ostentare & omnibus spectanda exhibere: sic Christus quasi triumphator suos hostes, scil. Dæmones sua potestate, quam habuerant in homines, jam dejectos & à se victos in triumphum duxit, Deoque & Angelis ostentavit.*

Et postea: *Paulus utitur metaphora triumphi, indicare volens, crucem esse currum triumphalem, in cujus summa parte sedet Christus triumphans & in parte ima trahitur Diabolus alligatus & ostentatur quasi in pompa. Id enim significat Græcum ἐδειγμάτισεν & θριαμβεύσας.* Similia occurrunt apud Bened. Justinianum, ubi inter

inter cætera expositionem de liberatione Patrum ex limbo hisce perstringit verbis: *Qui Græcæ vocis ἐδειγμάτισεν vim ignorant, de traducendi verbo ingeniose quidem, sed prorsus extra rem philosophantur.*

Arg.20. Hebr.6.v.20. *Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor noster pro nobis introiit Iesus. Hic Christus dicitur intrasse cælum, tanquam præcursor reliquorum. At non fuisset præcursor reliquorum, si justi V.Testamenti ante illum intrassent.* Becanus in Append. Disp. de Purgat. Calvin. capite 1. p.43.

Resp.1. Salmeron Disp.23. in 1.Corinth.15. statuit, *Christum ideo vocari primitias resurgentium, quia est initium, exemplum & jus resurrectionis, in quo videmus, quomodo resurrecturi sumus integri in hoc corpore.* (Quemadmodum ergo Christus respectu resurrectionis suæ recte dicitur *primitiæ resurgentium,* quamvis aliqui ante ipsum in V. Testamento ex mortuis resurrexerint, non tantum ad hanc vitam, ut suscitati ab Elia & Elisæo, sed etiam ad beatam & æternam vitam, ut Moses; quia ipse *propria virtute* resurrexit & *resurrectionis autor* cæteris extitit: ita quoque respectu suæ in cœlos ascensionis recte dicitur *præcursor*, quamvis Sancti V.Testamenti in cœlum sint recepti, quia ipse *propria virtute* in cœlum ascendit, & *ascensionis autor* cæteris extitit, Johan.3.v.13.cap.14.v.2. Sicut *Agnus ab origine mundi mactatus fuit*, Apocal.13.v.8. ita ab origine mundi etiam *præcursor fuit in interiora velaminis pro nobis*, passionis, mortis, resurrectionis & ascensionis suæ merito nobis præcurrens, *viam præparans pro nobis interpellans*, Johan.14.v.2. Hebr.7.v.25.cap.9.v.24.)

2. Idem Salmeron, Cornelius à Lapide, Estius & alii in explicatione loci illius Apostolici nullam *limbi* mentionem faciunt. Et merito. Nam si vel maxime inter cæteras causas Christus etiam ideo dicatur *præcursor*, quia *primus* ante reliquos omnes *in cœlum introiit*, (quod tamen Enochi, Mosis & Eliæ exempla vix admittunt;) ex eo tamen non posset inferri, animas Sanctorum in V.Test. ante Christi ascensionem defunctorum non esse translatas in cœlum, cum *præcursor* dicatur ratione eorum, qui ex mortuis resuscitati anima & corpore in cœlum evehentur.

3. Benedict. Justinianus ad h.l. *Christus dicitur præcursor pro nobis, quia nostro veluti nomine præcurrit, ut nos sequamur. Ut enim ait Chrysostomus, præcursor aliquorum est præcursor, sicut Iohannes Christi, nec omnino multum est intervalli aut distantiæ inter præcursorem & eos, qui consequuntur.*

Arg.21. Hebr.9.v.8. *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse viam Sanctorum adhuc priore tabernaculo habente statum. Via ergo cælorum nondum fuit manifestata tempore V.Testamenti. At sane fuisset manifestata, si tot Patriarchæ & Prophetæ fuissent ingressi.* Becanus d.l.

Resp.1. Thom. in Hebr.9. lect.2. *Durante V.Testamento, via Sanctorum scilicet Christus, qui dicit Ioh.14. Ego sum via, nondum venerat. Ipse enim est ostium, per quod patet introitus in Sancta Sanctorum, Iohan.10.v.9. sed non erat propalatus, quia adhuc latebat sub figuris literæ obumbratus.* (In Græco est, μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, *nondum conspicuam vel manifestatã factam fuisse viam ad Sanctum Sanctorum* in V. Testamento, sicut postea in N.Testamento. Non ergo Græcum verbum opponitur *clausuræ*, sed *obscuritati. Viam*, h.e. Christum Joh.14.v.6. *nondum fuisse propalatam*, statum adhuc habente tabernaculo V.T. h.e. non fuisse aperte revelatum & manifestatum Christum, sed sub involucris typicis videl. Ceremoniis Leviticis adumbratum.)

2. Dionys. Carthus. in Comm. per viam itidem intelligit Christum, qui tempore Vet. Test. nondum fuerit manifestatus.

3. Salmeron Disp.18. ad Hebr. ex contextu ostendit, *Apostolum hoc velle, quod adhuc velum steterit ante Sanctum Sanctorum & nondum fuerit scissum à summo usque deorsum, ut postea fuit, quodque velum adhuc fuerit ante oculos mentis Iudæorum in Mosis lectione. Nam summus Pontifex semel ingressus in anno pro se & populi ignorantiis non sine sanguine offerebat, &, quid ibi ageretur, nemo videre poterat, quia adhuc sub velo latebant sancta cœlestia.* Eodem modo exponit Cornelius à Lapide. (Quamvis vero uterque hunc typum rectè applicet ad antitypum, videlicet significatum per id fuisse, quod sacrificia V.T. per se & ex se non aperuerint viam in cœlum, Christum vero in sua passione verum & unicum propitiatorium sacrificium obtulisse, per quod via in cœlum, ac liber aditus ad thronum gratiæ patefactus est, in cujus significationem velum templi in ipsius passione fuit scissum; ex eo tamen inferri nequit, *animas Sanctorum ante Christi passionem defunctorum à cœlo penitus extorres fuisse*, quia passio Christi profuit, antequam fuit, unde *Agnus ab origine mundi* dicitur *occisus*, Apoc.13.v.8. Christus sua passione non solum aditum in cœlum, sed etiam remissionem peccatorum nobis promeruit. Nemo tamen cogitare debet, ante Christi passionem fidelibus in V.T. non fuisse remissa peccata.)

4. Estius in Comm. h.l. talem profert explicationem, quæ Becani argumentum penitus infringit. *Sanctorum via*, inquit, *est gratia N.Testamenti, per quam nobis aditus est ad cœlum. Hac via tempore V.T. nondum erat propalata seu manifestata. Nam etsi nemo fuerit unquam justificatus, nisi per gratiam N.T. cujus autor est Christus, non tamen ante Christi adventum manifestata fuit ea gratia, id est, palam cognita & prædicata, sed latebat sub umbris Ceremoniarum veteris legis, & à paucis spiritualibus ad N.T. pertinentibus apprehendebatur. Denique post adventum Christi prædicato ejus Evangelio, ac legalibus umbris per ejus passionem remotis manifestari cœpit ac palam agnosci. Ad quod significandum, moriente Christo, velum templi scissum fuisse, legimus, à summo usque deorsum, Matt. 27. Hunc sensum tradit etiam Hasselanus.*

5. Idem Estius Becani interpretationem ibidem refellit. *Alii putant*, inquit, *Apostolum hoc dicere: Durante statu veteris legis, hoc est, usque ad mortem Christi cœlum hominibus, quantumlibet justis, mansisse clausum, ipsa vero ejus morte reclusum & apertum fuisse, ut ingressus pateret animabus sanctis. Verum non dicit Apostolus, nondum apertam Sanctorum viam, sed nondum propalatam, Græce, manifestatam, Syriace, revelatam. Hoc autem sensum habet, quem dixi.*

6. Benedictus Justinianus Heb.9.v.8. n.2. *Morte Christi velum, quod Sanctum Sanctorum velabat, scissum est, quo significatum est, jam fore post Christi mortem aperta atque conspicua, quæ obscure in umbris & typis latebant.* (Eodem modo exponunt Origenes tract.35. in Matth. Cyrillus Alexandrinus Lib.12. in Joh. c.37. Theodoretus orat. in Dan. Ambros. Lib.6. in Luc. Hieronym. in c.27. Matth. Augustinus in Ps.67. & 70. Leo Serm. 10. de passione.)

Arg.22. Hebr.11.v.39. *Hi Sancti V.Testamenti non sunt consecuti promissiones, ut non sine nobis consummarentur, hoc est, Patres V.Testamenti ante Christi adventum ad cœlum aspirare non poterant, erant enim in limbo, priusquam Christus per ascensionem aditũ eis ex limbo liberatis aperuisset.* Anglo-Rhemens. in h.l. Becanus d.l. Cornel. à Lapide in h.l. Maldonatus Joh.14.v.2.

Resp.1. Alfonsus de Castro Lib.3. adv. hæres. verbo Beatitudo, hæresi 6. *Fatemur, illos non accepisse repromissionem, quoniam resurrectio corporum, quam Deus Sanctis suis repromisit, adhuc differtur, ut simul omnes resurgamus, quatenus in communi gaudio omnium majus fiat singulare. Et ita expectent, donec omnes resurgamus, Deo ita sapienter ordinante, ut non sine nobis consummarentur, h.e. ut non sine nobis perciperent consummatam beatitudinem animæ & corporis. Et propter hoc non dixit, ut non sine nobis bearentur, sed dixit, ut non sine nobis consummarentur, quia licet sine nobis beatitudinem animæ sint consecuti, tamen perfectam & consummatam animæ & corporis beatitudinem non sine nobis assequentur.*

Et postea: *Hanc repromissionem, quæ de corporis immortalitate data est, Sancti nondum acceperunt, ut integram & perfectam beatitudinem sine nobis non haberent, alias tamen promissiones, quæ videl. de animarum gloria datæ erant, jam acceperunt, quoniam jam Deum vident, jam adimpleti sunt lætitia cum vultu Dei, in illo exultant, illo fruuntur, alioqui sibi Paulus non constaret, quia superius de iisdem Sanctis loquens dixerat, Adepti sunt promissiones.*

2. Ribera in Comm. h.l. §. Altera expositio. *Loquitur Apostolus de consummata beatitudine corporis & animæ, dum ea, quæ corporis est, carent. Et hic est, ut Augustinus exponit, germanus hujus loci sensus, quia non est scriptum, ne sine nobis remunerentur, sed ne consummarentur, nec enim consummatam beatitudinẽ habent animæ.*

Bellarminus Lib. de Beat. Sanctor. cap.3. *Dico per repromissionem, quam nondum erant adepti, intelligi perfectam beatitudinem corporis & animæ, quam Sancti nondum sunt consecuti, quæ est communis Patrum expositio. Non ait, ne sine nobis remunerentur, inquit Augustinus, sed ne consummarentur.* Eodem modo exponunt Suarez tom.2. in Thomam q.53. art.3. & alii plures.

3.Blasius de Viega in cap.1.Apocal.sect.11.p.28. *Illud, non acceptis remissionibus,ad mysteria gratiæ & incarnationem Christi, referendum,ut non sine nobis,inquit,consummarentur,quia nimirum perfecta consummatio in lege gratiæ completa est.*

4.Salmeron Disp.21.in cap.11.Hebr. *Abraham, Isaac & Jacob varias temporalium bonorum acceperunt promissiones, ut de propagatione seminis,de Christo ex gente illa nasci turo & terra Canaan, quas dum viverent,non acceperunt.Peregrini enim fuerunt super terram & de promissis nil fere præter conceptum Saræ viventes obtinuerunt, ut ex ratione dictum sit: Juxta fidem omnes defunctos fuisse non acceptis promissionibus ut sit sensus, omnes sic mortuos, ut adhuc sic fidem retinerent. Nam si accepissent , dum viverent , non essent defuncti in fide. Quod enim habetur & possidetur , non creditur.*

5.Estius in Comm.expositionem *de consummata beatitudine corporis & animæ,*non solum multis confirmat, sed etiam præfert illi,quæ *de animæ beatitudine ad Christi usque adventum suspensa* locum hunc accipit : *Orthodoxi,*inquit,*de sensu variant. Nonnulli promissionem intelligunt Patribus factam de incarnatione & adventu Christi. Hanc enim promissionem sine nobis, id est , ante nos non acceperunt,quia demum in plenitudine temporis & non ante incarnari oportuit Filium Dei &c. Alii exponunt Apostolum de promissione cœlestis beatitudinis, quæ consistit in Dei visione, hoc sensu: Patres antiqui non acceperunt illam promissionem statim a morte, sicut nunc sancti accipiunt,sed expectare debuerunt tempus novæ legis, ut non sine nobis,qui in tempora novæ legis incidimus consummarentur, id est beati fierent secundum animas &c. Alii vero plerique tam Græci,quàm Latini* (nota)*sic exponunt Apostolum: Non acceperunt promissionem, scil.perfecte seu consummate. Perfecte enim accipietur promissio, quando resuscitatis ad immortalitatem corporibus sancti homines cum Christo regnabunt in cœlis. Nam ante id tempus animæ solæ regnant & beatæ sunt,non homines,nisi synecdochice. Loquitur autem Apostolus de hominibus. Hic sensus, ut communior est aliis,ita & multo probabilior,quem & Augustinus tradit in Epist.99. ad Evodium & tract.49 in Joh. Et Chrysostomus in Comment. publice explicat, & Erasmus sententia in melius mutata, sequitur in paraphrasi. Probabilior,inquam,primo, quia id vult extrema pars, quæ non dicit,ne sine nobis remunerarentur,sed, ut non sine nobis consummarentur,id est,consummatam ac totam, quæ promissa est, acciperent remunerationem. Deinde, quia paulo ante de quibusdam dixit, ut meliorem invenirent resurrectionem. Agit ergo de consummatione, quæ per resurrectionem fieri debeat. Denique sensum hunc postulat exhortatio capitis præcedentis , à qua transit ad fidei commendationem & ad excitandam imitationem eorum , qui per fidem Deo placuerunt. Erat enim illa exhortatio ad ferendas patienter afflictiones contemplatione remunerationis in fine seculi recipiendæ quod probant illæ sententiæ. Tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Item. Patientia vobis necessaria est , ut reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est,veniet & non tardabit. Quæ verba pertinere ad remunerationem in glorioso Christi adventu expectandam patet ex contextu.*

6.Idem Estius refellit primarium argumentum, quod pro astruenda expositione de dilatæ animæ beatitudine afferri solet: *Quod vero* (inquit) *pro secundo sensu afferebatur ex cap. 12.Hebr.* (*Et Spiritus justorum perfectorum,id est, animæ justorum consummatorum, est enim idem in Græco verbum, quod in cap.11. ex quo apparet,consummationem intelligi , quam nunc habent animæ Sanctorum:*)*non probat. Nam consummare & consummatio non uno prorsus modo semper accipitur in hac Epistola, sed pro subjecta materia latius aut strictius , manente tamen generali significatione perfectionis. Consummantur enim peccatores, dum justificantur. Et ita sæpe locutus est Apostolus in præcedentibus hujus Epistolæ. Consummantur autem justi:vel secundum animas , dum in cœlum recipiuntur post mortem,& accipiunt eam beatitudinem , quæ animabus competit, & hoc modo loquitur capite 12 vel simpliciter & sine synecdoche, quomodo accipiendus est præsens locus, ubi de justis hominibus absolute loquitur. Juxta quem modum etiam Christus legitur per passiones à Patre consummatus , Hebr.2. & 5. Nam profecto adversus secundam expositionem potest opponi , quod Enoch nondum sit consummatus secundum animam,ut neque Elias, hi tamen comprehenduntur illo generali Apostoli sermone, & hi omnes testimonio fidei probati &c.*

Arg.23 1.Petri3.v.19. *Christus iis , qui in carcere erant, Spiritibus prædicavit, qui increduli fuerunt aliquando , quando expectabant Dei patientiam in diebus Noæ , cum fabricaretur arca. Hic dicuntur animæ in carcere fuisse, non ergo erant in cœlo,nam ridiculum est dicere, animas in cœlo tanquam in carcere inclusas fuisse,cum cœlum sit Dei sedes.* Bellarm.d.l.

Resp.1.Thomas p.3. q. 52.art.2. secutus Augustinum Epist.99.ad Evodium *per Spiritus in carcere constitutos* intelligit homines , qui erant temporibus Noæ , quorum animæ erant in corpore mortali tanquam in carcere , quia corpus est carcer animæ. Illis prædicavit Christus Noæ temporibus non secundum humanam Naturam, quippe quam nondum assumserat , sed secundum divinam Naturam per internam inspirationem , aut per linguam Noæ illis, qui increduli fuerunt. Eodem modo exponunt Lyra , Hugo, Dionysius.

2. Ab hac expositione non longe abit Hesselius , qui *vocationem gentium* hic à Petro describi velut explicante,putat, quod dixerat, *Christum pro injustis esse mortuum.* Nam Prophetæ describunt gentes infideles tanquam *vinctos* , *obtenebratos,vectibus ferreis & portis æreis conclusos & incarceratos,* Psal. 107.Es.42.& 49.

3.Andradius lib.2.Defens.fid.Trid.p.121.negat, *limbum Patrum* ex hoc loco elici posse. Ipse vero sic interpretatur: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est , justus pro injustis,ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne , vivificatus autem Spiritu , in quo Spiritu jam olim ipse veniens prædicavit Spiritibus illis, qui nunc in carcere meritas jam infidelitatis suæ pœnas luunt , quippe qui Noæ recta monenti & arcam Dei jussu construenti fidem habere nunquam voluerunt,*

4. Recte autem negat de limbo hic agi. Nam expositio ille nec verbis Apostoli , nec hypothesibus Pontificiorum congruit.Non illud,quia de anima Christi non potest commode dici,quod fuerit ζωοποιηθεῖσα,nec meminit Apostolus ullius *liberationis* vel *translationis* ex carcere in vitam æternã, sed tantum *prædicationis*;nec facit mentionem sanctorum Patrum,sed eorum,*qui temporibus Noæ* aliquando fuerunt ἀπειθεῖς, increduli. Non hoc,quia Apostolus dicit,*Christum mortificatum esse carne, vivificatum vero Spiritu*,in quo *prædicaverit Spiritibus in carcere.* Quando autem *caro & Spiritus* in persona Christi opponuntur, *Spiritus* divinitatem, *caro* humanitatem significat. Jam vero Pontificii dicunt, *Christum secundum animam tantum ad inferos descendisse.* Apostolus insuper dicit, *Christum prædicasse illis, qui aliquando increduli fuerunt.* Pontificii vero statuunt , in limbo illo,ad quem Christus descendit,tantum pios & fideles fuisse. Nec ulla apparet ratio, si Apostolus de limbo loqui voluisset, cur illorum tantum , qui temporib. Noæ vixerunt, mentionem facere voluerit? Inde Gagnæus negat , se videre posse, quomodo ex hoc loco colligatur hic descensus Christi fuisse fructuosus.

5. Glossa interlinearis φυλακὴν exponit *carcerem tenebrarum & infidelitatis.* (Sumitur enim φυλακὴ in Scripturis , vel pro vigilia nocturna,vel pro custodia & carcere, in quo detinentur sontes. Hic non intelligitur *vigilia.* Ergo *carcer*, proinde in malam partem accipitur pro loco, in quo detinentur,qui divinæ justitiæ sunt obnoxii.)

6. *Quidam ex Catholicis , referente Salmerone Disp.6. in 1. Petr.3.hunc locum de purgatorio carcere interpretantur, primo,quia ait,his,qui increduli fuerant aliquando scil. tempore, quo fabricabatur arca.postea tamen, adveniente tanta aquarum copia , crediderunt & pœnitentiam egerunt. Secundò,quia dicitur Christus Spiritibus mortuorum prædicasse, & quia incredulis & obstinatis prædicandum non erat,in quibus nullum fructum fecisset , ideo prædicavit jam credentibus in purgatorio. Tertio , purgatorium carcer quidam erat,in quo expiabantur animæ, & lacus,de quo educti sunt , in quo non erat aqua consolationis.* (Quod si ergo de purgatorio locus proprie agit, non potest in sensu proprio referri ad limbum Patrum.)

7.Joh.Lorinus *novem* hujus loci interpretationes recenset,quibus ipse suam addit *decimam.* (Cum ergo locus hic omnium in N.T. difficilimus tot modis explicetur, non potest pro immoto limbi fundamento haberi.)

8.Bellarm. ipse lib.4.de Christo,c.13. notat , *Augustinum per carcerem h.l.non intelligere infernum vel limbum, sed corpus humanum , in quo animæ detentæ sunt.* Fatetur etiam, *Augustinum & Bedam nobiscum facere.*

9.Mendoza in Controv.Theol.q.1. p.73.*per carcerem nec limbum,nec purgatorium,*sed *ipsum infernum* intelligit.

Arg.24.

Arg.24.1.Petr.4.v.6.*Etiam mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines carne, vivant autem secundum Deum Spiritu.*

Resp.1. Glossa ordinaria exponit de prædicatione Evangelii facta viventibus, sed spiritualiter in peccato mortuis. *Tanta, inquit, cura est Deo, nos mortificari carne, vivificari Spiritu, ut his quoque, qui majoribus criminib. involuti inter mortuos erant numerandi, verbum fidei evangelizare præceperit, ut judicentur quidem, i.e. condemnentur à seipsis secundum homines, in est, secundum hoc, quod ad morem peccatorum vixerunt in carne, i. e. in carnalibus desideriis; & abjectis vitiis vivant in Spiritu, i.e. spiritualiter juxta Dei voluntatem. Vel judicentur secundum homines, i. e. secundum rationem, quam Deus dedit hominibus, ut ratio ipsorum damnet mala in impiis.*

2.Lyranus in h.l. eodem modo exponit. *Propter hoc & mortuis evangelizatum est, i.e. infidelibus, secundum illud, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Ut judicentur quidem, h.e ut credentes condemnentur, secundum homines in carne, i.e. ab hominibus carnaliter viventibus, vivant autem secundum Deum in Spiritu. Ex conversione enim ad fidem ista duo consequuntur, primum quidem occasionaliter, secundum autem ex intentione evangelizantium fidem.* (Hæc expositio congruit non solum sententiæ Augustini Epist. 99. ad Evodium, sed etiam dictis Spipturæ, in quibus infideles & peccatoris dicuntur spiritualiter *mortui*, Matth.8.v.22. Johan. 5.v.25. Ephes.2.v.5. Col.2.v.13.)

3.Joh. Hesselius mortuos interpretatur *morituros*, tanquam ex eo doceat Petrus, Christum judicaturum mortuos, *quia per pios veros evangelizatur quotidie etiam iis, qui prepter scelera sua adjudicati sunt morti, hoc fine videl. ut etsi apud homines condemnentur, ut secundum carnem moriantur, vivant tamen apud Deum in anima propter fidem & conversionem, quam in extremis habuerunt. Nunquam autem evangelizaretur hujusmodi hominibus, nisi Christus mortuorum curam haberet.* Hanc expositionem confirmat ex 1. Cor.15. ubi Paulus simili argumento ex morientium Baptismo mortuorum resurrectionem arguit.

Arg.25. *Patres docent, Christum ideo ad infernum descendisse, ut Patriarchas V.T. ex eo liberaret.*

Resp.1. Patrum testimonia de hoc articulo variant. Alii enim loquuntur *figurate*, alii *proprie*. Quidam de *descensu virtutis ac efficaciæ*, quidam de *animæ descensu reali*. Verum nec *de loco*, nec *de ejus fine* inter se conveniunt. Quidam enim volunt eum illic profectum, ut *justos ibi detentos liberaret*, sed tum intelligunt per infernum *mortem*, ex cujus manibus Christus juxta eos liberavit Patriarchas ac Prophetas, dum eos resuscitavit, ipsique ex monumentis egressi visi sunt Hierosolymæ. Sic intelligitur à Cyrillo Hierosolymitano Catech.14. *Descendit solus ad inferos, cum multis autem inde ascendit. Nam descendit in mortem & multa corpora quiescentium Sanctorum excitavit.* (Posteriori explicat prius, ut indicat particulâ causali *Nam*, quæ manifeste in textu Græco extans κατῆλθε γὰρ εἰς θάνατον, omissa fuit à Grodecio in sua interpretatione, quod satis ostendit, eum per descensum ad inferos mortem, & per Patrum liberationem, quorundam, non omnium corporum resurrectionem intellexisse.)

2.Agnoscunt ipsimet Pontificii, multos ex veteribus statuere *communem aliquem omnibus sanctorum animabus locum, in quo usq; ad diem resurrectionis detineantur*, quos eo modo excusant, quod ante Ecclesiæ definitionem in Synodo Florentina factam citra hæreseos crimen licuerit sic sentire.

Alphonsus de Castro in verbo Beatitudo, hæresi 5. *Ecclesia illo tempore nihil unquam definierat, quapropter liberum fuit tunc illis citra hæreseos labem sentire.*

Fevardentius in Annotat. ad Iren. lib.5. cap.31. *Id quod dissimulandum potius, quam nimium petulanter exagitandum erat, præcipue quoniam hac de re nondum sententiam Ecclesia tulisset, ut postea fecit contra errorem Armenorum in Universali Concilio Florentino.*

Pamelius in 9. Paradoxum Tertulliani. *Meminerit Lector, hunc errorem non officere eruditioni & pietati tam illustrium Scriptorum, cum Ecclesia illorum temporibus nihil adhuc certi de hoc articulo credendum statuisset.*

(Atqui si non standum illorum definitione, qua de Sanctis agunt, utique nec illa retinenda, qua Patres ante Christum defunctos in limbum detrudunt.)

Arg.26. Denique utuntur hac ratiocinatione. *Sicut Paradisus terrestris clausus fuit Patribus, Patrumque posteris post lapsum: sic & cœlum ad ascensionem usque ejus, qui vocatur clavis David Esai. 22. & habere clavem Davidis Apocal.3.* Cotonus lib.4. Instit. c.8.

Resp. 1. Ex hoc argumento sequeretur, ne nunc quidem cuiquam cœlum patere, quia ne nunc quidem Paradisus terrestris cuiquam est apertus. Sed hoc consequens Cotonus non concedit. Agnoscat ergo, *à Paradiso terrestri ad cælestem* non valere consequentiam.

2. Sanguis Christi rectè dicitur *clavis Paradisi*. Sed quia *Agnus* dicitur *occisus ab origine mundi*, Apoc.13. v.8. ratione scilicet efficaciæ, ideo etiam in V. Testamento credentibus per Christi sanguinem Paradisus fuit apertus.

CAPUT IV.

De officio Christi Mediatorio.

THesis I. Christus est Mediator noster secundum utramque Naturam, divinam & humanam.

Ἔκθεσις 1. Divinam Christi Naturam non tantum dicimus esse *principium*, *quod* operabatur opera Mediatoris, sed etiam *principium, quo* opera à Mediatore fiebant; hoc est: Non tantum dicimus, Christum Mediatorem nostrum in personæ unitate esse verum Deum & verum hominem, sed etiam dicimus, Christum in operibus officii Mediatorii *ut Deum & hominem*, hoc est, secundum utramque Naturam divinam & humanam agere.

2. Distinguendum esse dicimus *inter proprietates naturales*, & *ἀποτελέσματα officii Mediatorii*. Pati, mori, sanguinem effundere, sunt proprietates humanæ Naturæ, quas Christus nobiscum communes habet; sed pati pro peccatis totius mundi, mori pro mundi vita, effundere sanguinem pro multis in remissionem peccatorum, non sunt proprietates naturales assumtæ humanitatis, sed sunt ἀποτελέσματα Christi θεανθρώπου, de quibus proprie hoc loco agitur, atque ad ea utriusq; Naturæ proprietatem & ἐνέργειαν concurrere, asseritur.

3. Docemus, Christum secundum humanam Naturam, vel quod idem est, humanam Christi Naturam in operibus officii non agere tantum secundum naturales & essentiales suas proprietates, sed etiam secundum virtutem infinitam, personaliter à λόγῳ, cui unita est, sibi communicatam. Ex eo vero minime sequitur, divinam Christi Naturam propterea ab operibus officii Mediatorii excludi posse vel debere, siquidem communicatio illa divinæ & infinitæ virtutis carni Christi facta non est *essentialis vel physica*, ita cōparata, ut idiomata illa fiant propria humanæ Naturæ & *subjective* ei inhæreant, sed est communicatio *personalis*, ita comparata, ut cum, in & per Naturam humanam divina τοῦ λόγου Natura virtutem illam communicatam exerat.

Antithesis. Lombardus 3. sent. dist.19. lit. G. *Christus Mediator est, in quantum homo, nam in quantum Deus, non Mediator, sed æqualis est Patri, hoc idem quod Pater.*

Bellarmin. lib.5. de Christo cap.1. *Sententia communis Catholicorum est, ipsum quidem Mediatorem, sive ut Theologi* (Scholastici) *loquuntur, principium quod operabatur opera Mediatoris, non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed utrumq; simul, h.e. Verbum incarnatum, sive Deum humanatum. Principium autem quo illa opera à Mediatore fiebant fuisse Naturam humanam, non divinam.*

Lib. ejusd. cap.3. §.5. *Solum secundum humanam Naturam Christus fuit Mediator, si sermo sit de principio formali.*

Lib. & cap. ejusd. §. Testatur. *Error ille, quod Christus sit Mediator secundum utramque Naturam, aperte inducit partim Arianismum, partim Eutychianismum.*

Lib. ejusd. cap.5. §.4. *Si Christus esset aliquo modo Mediator secundum divinam Naturam, omnes tres personæ erunt Mediatores.* (Ergo juxta Bellarminum Christus ne aliquo quidem modo, id est, nullo modo secundum divinam Naturam Mediator dici potest.)

Vasquez in p.3 Thom. Disp.83. c.3. asserit, *Christum secundum solam humanam Naturam esse Sacerdotem & Mediatorem, particula illa* (secundum) *sumta, ut ajunt, specificative, hoc est, determinante Naturam, à qua elicitur operatio Mediatoris & Sacerdotis, & ratione cujus toti subjecto convenit.*

Johannes Lorinus in Comm. 1. Epist. Johan. p.32. scribit, *illum posse Christum Catholice deprecari, ut pro ipso oret, qui norit distinguere inter humanitatem & divinitatem, juxta quam Advocatus est & pro nobis orat.*

Bufæus in Disp. de Pers. Christi th. 79. *Christus secundum humanitatem tantum Deo obedivit, sacrificavit, obtulit, satisfecit, oravit, impetravit & meruit nobis justitiam.*

Pistorius in Hodeget. p. 161. *blasphemiam* appellat, *quod Christum secundum utramque Naturam Mediatorem nostrum esse docemus.* Similia occurrunt apud Suarez tom. 5. Comment. in Thom. p. 3. Disput. 46. sect. 2. Gregor. de Valent. lib. 2. de Christo part. 2. cap. 4. & puncto. 3. q. 200. in p. 3. Thomæ.

Nostram sententiam demonstramus,

1. *Ex diserta utriusque Naturæ denominatione. De humana Natura* extant dicta clarissima Genes. 3. v. 15. 1. Timoth. 2. v. 4. De *divina* non minus clara & perspicua, Esai. 35. v. 4. Os. 1. v. 7. Actor. 20. v. 28. Roman. 5. v. 10. Hebr. 1. v. 3. cap. 9. v. 14. 1. Johan. 1. v. 7. inde sic concludimus: Quod opus tribuitur Deo ac Filio Dei, ab eo divina Filii Natura excludi nequit. Opus Mediationis ac redemptionis tribuitur ipsi Deo ac Filio Dei. Ergo.

2. *Ex Filii Dei incarnatione.* Filius Dei eo fine humanam Naturam in tempore assumsit, sibique personaliter univit, ut secundum utramque Naturam officium Mediatorium exequeretur, Roman. 8. v. 3, 4. Galat. 4. v. 4. 5. Col. 1. v. 19. 20. Heb. 2. v. 14. 15. 1. Johan. 3. v. 8. Sublata igitur divinæ Naturæ ex ἀποτελέσματι officii Mediatorii ἐνεργείᾳ tollitur proprius incarnationis finis.

3. *Ex Mediatoris conditione.* Mediatorem nostrum oportuit esse *Deum & hominem*, teste tota Scriptura. Ergo etiam divina & humana Natura ad officium Mediatorium concurrunt. Quod si enim Christum Mediatorem, ut talem, oportuit esse *θεάνθρωπον*, Ergo ad Mediatorium officium utraque Natura concurrit.

4. *Ex necessaria divinæ Naturæ in officio Mediatorio operatione.* Reatus ex peccatis totius humani generis ortus erat infinitus, utpote in infinitam Dei justitiam impingens. Læsum erat infinitum bonum, requirebatur ergo infinitum precium. Jam vero actiones & passiones humanæ Naturæ sunt finitæ ac certi temporis, exinanitionis scil. periodo terminatæ. Ut ergo redemtionis precium esset analogum debito nostro & infinito reatui, necessarium erat, ut ad illius persolutionem non finitæ tantum, videlicet *humanæ*, sed etiam infinitæ, *divinæ* scil. Naturæ actio, sive mediatio concurreret, ac passio & mors Christi aliunde, videl. à divinæ Naturæ infinita virtute & efficacissima operatione infiniti precii valorem acquireret, adeoque bonum infinitum malo infinito opponi posset. Pari ratione, reconciliare Deum toti humano generi propter peccata iratum, infinitæ justitiæ divinæ æquivalentem satisfactionem præstare, peccatum, quod est malum infinitum, abolere, perfectam justitiam adducere, superare Diabolum, mortem & infernum, perfectissimam legi obedientiam pro aliis præstare, peccatorum remissionem aliis promereri, introspicere arcanum Dei de redemtione & salute hominum consilium, amissa bona cœlestia recuperare, Ecclesiam sibi ex genere humano colligere, & contra omnes hostium spiritualium & corporalium impetus tueri &c. sunt ejusmodi opera, quæ divinam & infinitam ἐνέργειαν requirunt. Jam vero hæc opera omnia ac singula in officio Mediatorio requiruntur. Ergo infinita virtus & ἐνέργεια ad officium Mediatorium requiritur. Eam verò humana Natura non habet ex se, sed à Λόγῳ & à divina Natura τοῦ Λόγου, cui personaliter est unita. Ergo virtus divinæ Naturæ τοῦ Λόγου ad opera Mediatorii officii requiritur & concurrit.

5. *Ex absurdi consecutione.* Si divina Christi Natura ab officio Mediatorio excluditur, consequens est, non fuisse necessariam divinæ & humanæ Naturæ unionem, obedientiam Christi tam activam, quam passivam, non esse infiniti valoris ac meriti, cum finita Natura, quà talis, non possit per se & ex se esse causa infiniti effectus, ac proinde nos adhuc esse sub dominio peccati, mortis ac Diaboli, opus redemtionis non esse consummatum & perfectum, redemtionem esse opus mere humanum, in V. T. Ecclesiam non habuisse Mediatorem &c.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, in operibus officii Mediatorii Christum secundum utramque Naturam agere, ac proinde secundum utramque Naturam Mediatorem esse.

Leo Episcopus Romanus in Epist. ad Flavianum: *Agit utraq; forma* (Natura, in operibus officii) *cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scil. operante, quod Verbi est, & carne exsequente quod carnis est.*

Agapetus primus Pont. Rom. (seculo sexto) in Epist. ad Anthemium, quæ tom. 2. Concil. habetur: *Quæ reconciliatio esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam Mediator Dei & hominum non susciperet? Qua vero ratione veritatem Mediatoris implet, nisi quia, qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi particeps esset & nostri, ut mortis vinculum unius prævaricatoris morte contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur?*

Thomas p. 3. q. 48. art. 6. *Dicendum, quod duplex est efficiens, principale & instrumentale. Efficiens quidem principale humanæ salutis est Deus. Quia vero humanitas Christi est divinitatis instrumentum, ideo ex consequenti omnes actiones & passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam, & secundum hoc passio Christi efficienter causat salutem humanam.* (Si humana Christi Natura instrumentaliter tantum operatur in virtute divinitatis, tanquam causæ principalis, ad salutem humanam in officio Mediatorio, utique ad officium Mediatorium utriusque Naturæ operatio concurrit, & per consequens Christus est Mediator secundum utramque Naturam.)

Idem in cap. 10. Joh. *Circa quod sciendum est*, inquit, *quod cum unio animæ & corporis sit naturalis, & licet causa hujus separationis & mortis possit esse voluntaria; tamen mors in hominibus semper est naturalis. In nullo autem puro homine Natura subditur voluntati; cum sicut voluntas, ita & Natura sit à Deo, & ideo mors cujuslibet puri hominis oportet, quod sit naturalis. In Christo autem Natura sua & tota alia Natura subditur voluntati ejus, sicut artificiata voluntati artificis. Et ideo secundum voluntatis suæ placitum potuit animam ponere, cum voluit, & iterum sumere, quod nullus purus homo facere potest, licet voluntarie causam mortis sibi possit inferre. Et inde est, quod Centurio videns eum non naturali necessitate mori, sed sua sponte, dicit, vere Filius Dei iste erat.*

Dionysius Carthusianus in Comment. 1. Timoth. 2. *Est Mediator Dei & hominum proprie loquendo, nec ut Deus, nec ut homo,* (scilicet tantum,) *sed ut Deus homo, seu ut Deus incarnatus. Sic quippe competit ei & satisfacere, seu reconciliare, & idoneitas vel efficacia reconciliandi, quorum primum competit ei ratione assumtæ Naturæ, secundum vero ratione Deitatis unitæ, ex quâ opera & pœnæ Christi hominis infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam sortiuntur.*

Harphius lib. 1. Mysticæ Theol. cap. 5. *Ars misericordiæ Dei beatitudinem Dei & miseriam hominis temperavit in unitatem Mediatoris, ut operante Sacramento unitatis per virtutem resurrectionis beatitudo miseriam absorbeat, mortemque vita glutiat, & totus homo glorificandus in divinæ consortium Naturæ transeat.*

Jacobus Gorscius Polonus, (quem Possevinus in Apparatu sacro dicit Acad. Cracov. præfuisse & Sacerdotem ac doctum fuisse & eleganti ingenio) in præfat. libri Prælectionum Plocensium dicati Serenissimo Poloniæ Regi, atque editi Coloniæ apud Maternum Cholinum Anno 1608. sic differit: *Sunt, qui Christum Deum quidem & hominem esse confitentur, sed tamen divinitatem ejus ab hoc munere Mediatoris excludunt, solique humanitati eam tribuunt, ac Christum dividunt, & plane alterum Christum Deum & hominem constituunt, alterum hominem tantum, qui Mediator sit. Quid enim aliud fuerit, Christum Mediatorem dici secundum solam humanitatem, quam Christum Mediatorem nostrum hominem merum constituere, & divinitatem ejus ab omni cura salutis nostræ amovere, otiosamque divinam Christi Naturam omnino reddere, & tametsi non verbis, re tamen ipsa Christum Jesum Deum negare?*

Addit deinde. *Nos cum Ecclesia Catholica medium iter in hac dissertatione tenebimus, ac Christum Dominum, Mediatorem Dei & hominum, solum & verum, & secundum utramque ejus Naturam esse docebimus, ita tamen, ut alia divinitatis ejus esse, alia humanitatis officia & operationes, cum Patribus sanctis, è quorum Schola Mediatorem hunc nostrum producimus, asseramus: ac ut Naturas ejus distinguimus, ita nec operationes suas confundemus, sed ut unum Christum Deum verum, & hominem verum asserimus: ita totum illud mediationis ejus munus utriusque Naturæ esse ostendemus; & alia quidem ejus muneris obeundi divinitatis Christi officia esse, alia vero humanitatis ejus asserimus, quæ tamen unum & idem mediationis opus conficiunt; nec alteram absque altera Naturam Christi mediationis officio fungi potuisse concludemus.*

(Ex his apparet, eam, quam Catholicæ Ecclesiæ tribuit senten-

sententiam, esse illam ipsam, quam nostræ Ecclesiæ profitentur & quam orthodoxam esse contendimus.)

Sub finem libri narrat, quid in Italia & Hispania ex collatione doctorum virorum de ea re didicisset, maxime Compluti, ubi cum Casparo Cardillo Villapandeo communicavit, qui ei laudavit ea, quæ à Stanislao Orichovio Roxolano scripta fuerant contra Stancarum in Chimæra, & professus est, *se & Ecclesiam ita sentire, neque eam sententiam Tridenti qui legissent, ullos improbasse* asseruit. *Quæ*, inquit, *ego cum audissem, Barsium campellari Legatum Serenissimi Regis Sigismundi Augusti, testemque mihi esse volui contra eos, qui Stancari sententiam in cœlum ferrent.*

Postea verba Stanislai Orichovii ex Chimæra describit. *Dico*, inquit, *ad personam Mediatoris absolvendam humanitate ac divinitate peræque opus esse, ratione tamen diversa, id quod definitio ipsa Mediatoris apud Johannem planum nobis facit, Ego sum, inquit Christus, via, veritas & vita. Cur via? quia per me i tur. Cur veritas? quia ad me venitur. Cur vita? quia in me manetur. Humanitas Christi est via per quam de potestate Diaboli transit ad Deum viator. Divinitas vero est finis viæ ejus, in quo tanquam in extremo atque ultimo bonorum omnium idem viator acquiescit: qui finis non foris petitur; sed in via ipsa inest, ut in eodem subjecto atque individuo, & via & viæ hujus finis intus includatur. Quamobrem, si separatim à me requiras: utrum Christum Mediatorem esse Dei & hominum, humanitate tantum credam? ita esse confitebor. Quid ita? quia humanitas Christi intermedia est, quæ tanquam via ducit viatorem ad Deum. Rursum autem, si quæras, num divinitate quoque sola Mediator idem Christus sit? Ita esse (dubio procul) profitebor. Quid ita? quia divinitas Christi finis est defixus in hac via, ad quem tendit viator. Quare si singillatim respondendum est, ita ad humanitatem solam Mediatorem referam, qua via illa est, ut hunc eundem ad divinitatem solam refero, qua finis hujus viæ Deus est. At si conjunctim in communione illa Naturarũ unam & eandem Christi personam consideremus, unus & idem Christus via, veritas & vita, Dei & hominum Mediator est. Hæc fides mea.*

Idem ad objectionem Stancari (quæ etiam Jesuitarum est) qui ex Paulo urgebat, *Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus*, respondet, *id contra te facit ac te Nestorianæ perfidiæ maximopere coarguit. Neque enim illud tuum improbum & perfidiosum* TANTUM *in illis Pauli verbis usquam apparet, utpote cum nihil ad Mediatorẽ Christum attineat. Paulus enim dilucide planeque, homine atque Jesu, Mediatorem Christum ita circumscribit & definit, ut hominem ad Christi humanitatem, Jesum vero ad ipsius divinitatem referat. Porro nomine Jesu divinitatem notari, vir pius atque doctus Bernardus in sermone de Circumcisione Domini infra scriptis verbis testatur: Magnum & mirabile Sacramentum: circumciditur puer & vocatur Jesus. Et infra. Sed agnosce Mediatorem Dei & hominum, qui ab ipso nativitatis suæ exordio divinis humana sociat, ima summis. Item, Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius: Jesus vocatur, tanquam Filius Dei. Hæc ille. Ergo Paulus non pro te, sed contra te est, dum Mediatorem Christum homine atque Jesu hoc est, Filio Dei comprehendit.* Sic Orichovius.

Is autem, de quo diximus, qui Orichovium produxit, sic apertius agit: *Christus*, inquit, *interpellat secundum humanitatem, & hoc modo intercessionis est Mediator secundum humanitatem solum: quam diversitatem mediationis Christi, si omnes animadvertissent, nunquam ad tam ineptas de mediatione Christi disputationes descendissent. Vidissent enim, quando Mediator secundum humanitatem tantum, quando vero secundum utramque Naturam suam, neque ea, quæ humanitatis sunt ejus, cum divinitate confunderent, neque divinitatis & humanitatis simul, soli humanitati attribuerent. Ut enim humanitatis ejus quædam sunt propria & divinitatis quædam: ita utriusque Naturæ quædam communia.*

Et postea expensis aliquot Augustini sententiis. *Hæc*, inquit, *Augustinus: quæ etiam alia divinitati ejus in mediando, alia humanitati convenire docent, tamen & uni Christo attribuuntur. Nam hæc omnia, & quæ divinitatis, & quæ humanitatis Christi sunt, mediationis unum munus conficiunt. Nam quia humiliavit seipsum & exinanivit, & obœdiens* DEO *Patri fuit, eo ipso Deum Patrem placavit, quæ divinitatis sunt. Humiliatus enim Christus secundum divinitatem, non quod divinitas aliquid in se contumeliæ caperet, pura semper & in eadem gloria manens, sed quod forma servi accepta inferior & minor Patre factus sit. Quod item sanguinem fundit, crucifigitur, moritur, interpellat, humanitatis ejus sunt, & ita utraque Natura cum suis operibus unum mediandi officium absolvit: nec enim illa exinanitio divinitatis sine cruce & sanguine nos redemisset, nec crux, sanguisque vim ullam sine divinitatis humiliatione & obœdientia Christi haberet: utrumque concurrere oportebat, ut Deus placaretur, utque homo ad eum perveniret.*

Dixerat antea post quædam ex Chrysostomo allata: *Quod cum ita sit, non tam humanitas, quam vos solam Mediatricem esse vultis, reconciliationis munere fungebatur, quam Deus ipse Filius, hominem indutus: nec humanitas mandata Dei Patris ad nos attulit, sed Deus ipse Filius ad nos missus. Sermo, quem audistis, non est meus, sed Patris, qui misit me: non humanitas* CHRISTI *ad nos missa, sed Verbum* DEUS, *quod caro factum est, Filius Dei de cœlo descendit, ut ipse testatur &c.*

Item. *Ut autem credimus, ita & justificamur. Credimus in Christum, ut Deum & hominem: justificam r & reconciliamur Deo Patri per ejus divinitatem, non quidem per solam divinitatem, sed una cum humanitate: propterea ait Paulus, nos reconcil ari per redemtionem, quæ est in Christo, quem posuit Deus reconciliatorem per fidem, intercedente ipsius sanguine, per fidem ait nos justificari in Christum, quam habemus in eum, ut in Deum, sed interveniente ejus sanguine, ut doceat apertissime, divinitatem in Christo, in quam credimus, conjunctam cum humanitate, quæ sanguinem fundit, in quo abluimur: ita ut Mediatorem nostrum doceat esse Deum & hominem: & quia Deus est, credimus in eum; quia homo, fudit sanguinem pro nobis, quo nos lavat, & eccata nostra remittit, humanitas suo nos sang nelavat, divinitas peccata remittit, & salutem dat per fidem, quam in eum habemus.*

Concludit tandem. *Christus igitur Mediator noster, & ut Deus, & ut homo est, & utraq; Natura Mediator. Mediatorem igit r Christum esse secundum utramque Naturam, satis constat iis, qui diligentius, quid ille & inter nos egerit, inspexerint.*

(Hic autor Pontificius vixit eodem tempore & iis in locis, in quibus primum nata est controversia, ex quo apparet, nostros, qui adversus Stancarum idem argumẽtum tractarunt, & statum controversiæ intellexisse & recta ad scopum collimasse. Confer D. Rivetum in Cathol. Orthodoxo tractatu 2. quæst. 50.)

Claudius Espensæus (quem Gilbertus Genebrardus, & Scævola Sammarthanus in elogiis operi præfixis vocant *Admirabilem*) tract. de Christo Mediatore, qui extat in fine digressionis in 2. Timoth. *Mirati sumus, aliquos tueri, Christum secundũ humanã Naturã tantũ esse diciq; Mediatorẽ, & secus sẽtiẽtes aperti Arianismi & id genus hæresium insimulari &c. Scholastici meritum, satisfactionem, mediationem, redemtionem Naturæ quidem humanæ adscribunt, sed quatenus talem, hoc est, quatenus est tantæ efficientiæ, dignitatis, sufficientiæ, &, ut ita dicam, supersufficientiæ, Naturæ divinæ seu personali cum eadem unioni tribuunt. Mereri, mediare, satisfacere Naturæ assumtæ est, inquit, Cajetanus, ut autem ea tanta in satisfaciendo efficacia sint, ex divinitate habent. Et Gabriel Biel observat ex illo, Per Christum Dominum nostrum, Per, inquit, præpositio mediationem significat. Christus Dominus utramque Naturam. Idem habet glossa Anshelmi. Summa omnium est: Sicut pro salute nostra orare Deus, nisi homo factus, ita exorare homo, nisi Deus simul existens, non poterat. Lachrymas, preces, reliquasque Mediationis executiones non simpliciter contemplamur, sed ut redemtrices, expiatrices, propitiatrices, exoratrices, satisfactrices, & ut tales, non magis ab homine tantum, quam à Deo tantum, sed ab homine Deo profectas.*

Idem Doctor Sorbonicus Espensæus, postquam quædam Augustini dicta conciliasset, addit: *Et omnino salutaris hæc & vivifica mediatio, ejusque quatenus talis, actio, executio, efficacia, efficientia, & ut Græci loquuntur ἐνέργεια, neque divina tantum est, cum non sit Dei nudi, sed humanati seu hominis facti: neque humana tantum, cum nihilo magis sit hominis nudi, sed Deificati, sed θεανδρικὴ Deivira, seu Deivirilis, nimirum ut Dei simul existentis & hominis, ut ample deducit Damascenus lib. 3. Orth. fid. cap. 19.*

(Hæc & alia hujus generis habet Espensæus, ob quæ Vasquez in part. 3. Disp. 83. cap. 2. cum numerat inter *hæreticos*, qui ipsum munus & officium Mediatoris illi supposito ratione utriusque Naturæ tanquam principii elicientis convenire statuunt.)

Salmeron tom. 7. tract. 25. *Egimus ad redemtionem Deitate simul & humanitate quasi humeris. Etsi enim Esai. 9. dicatur in* sin-

singulari, Factus est principatus super humerum ejus, quia sola humanitas crucem sustulit; per humerum tamen interpretari possumus Deitatem, quæ tanquam humerus quidam, supposito tamen panno, sive veste humanitatis onera peccatorum nostrorum portavit.

Maldonatus in Comment. Johan. 10. v. 18. *Alii Patres per animam intelligunt tantum alteram partem hominis, quæ anima dicitur, non autem vitam corporalem. Alii vero pro tota vita humana poni malunt, quam Christus & tanquam Deus & tanquam homo posuerit. Mihi non videtur magnopere interesse, hoc vel illud dicas.*

Toletus in eundem locum. *Docet Christus, se non ut cæteros homines mori, quorũ in potestate non est animam in corpore detinere, aut expulsam in corpus revocare. At Christus non sic. Nam in Christo divina persona unitam humanitatem sibi habuit, sed animam & corpus, quando voluit, conjunxit, & ut qui tenet altera manu ensem, altera vaginam & ensem è vagina exerit, sic animam à corpore separavit.* (Hæc Maldonati & Toleti verba opponenda sunt Bellarmino, qui lib. 5. de Christo cap. 6. sic scribit: *Ponere animam non est Dei, sed hominis. Nam ponere animam quid aliud est, nisi mori, & resumere animã quid aliud, nisi resurgere?* Sed ponere animam plura complectitur, quam mori, ut recte observant Maldonat. & Toletus, ex quorum verbis sic concludimus: Ponere animam competit Christo secundum utramque Naturam. Ponere animam, est opus officii Mediatorii. Ergo aliquod opus officii Mediatorii competit Christo secundum utramque Naturam. Cum verò omnium officii Mediatorii operum hac in parte sit par & æqualis ratio, ideo de reliquis omnibus idem debet fieri judicium.)

2. Quod agnoscunt, solius Naturæ humanæ actiones & passiones non potuisse esse satisfactorias pro totius mundi peccatis, ac meritorias bonorum cœlestium humano generi impetrandorum. (Si enim solius Naturæ humanæ actiones & passiones non potuerunt esse satisfactoriæ, utique etiam ipsius Naturæ divinæ virtus & ἐνέργεια, in actiones & passiones Naturæ humanæ quasi influit, ac proinde opera officii Mediatorii secundum utramque Naturam Christo competunt.)

Thomas part. 3. quæst. 1. art. 2. *Hominis puri satisfactio non potuit sufficiens esse pro peccato, tum quia tota Natura humana erat per peccatum corrupta, nec bonum alicujus personæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius Naturæ detrimentum recompensare; tum etiam quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis. Tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur, unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei & hominis existens.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 23. §. 13. *Licet pœna Christi sit finita, ratione humanitatis, tamen ejusdem pœnæ fructus est infinitus, ratione Deitatis.*

Salmeron Disput. 6 in 1. Timoth. 2. *Passio humanæ Naturæ non placat Deum, nisi in persona divina esset, & inde valorem haberet.*

Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 1. distinguit inter principium quod, & principium quo. *Totum Christum*, concedit, *esse principium quod Mediationis, principium autem quo esse tantum humanitatem*, & hoc appellat *principium formale*. cap. 3. *Ipsum autem suppositum non vult exclusum.* Ex eo sic inferimus: *Suppositum divinum, vel denotat integram personam duabus Naturis constantem, vel denotat alterutram tantum Naturam, scilicet humanam.* At Bellarminus concedit prius cap. 1. & cap. 3. ubi scribit: *Principium quod operabatur opera Mediatoris, non fuit Deus solus, vel homo solus, sed utrumque simul, hoc est, Verbum incarnatum sive Deus inhumanatus.* Sic ergo Bellarminus seipsum confutans nostram confirmat sententiam. Si enim sola humanitas non operatur in Mediationis officio, sed totum suppositum, & utrumque simul homo & Deus, utique divinam Naturam ab officio Mediationis & ejus operibus sequestrare nequit, *cum actiones & passiones sint totius personæ*, quam regulam Bellarminus cap. 2. Stancaro opponit, *Actiones*, inquit, *sunt suppositorum. Si igitur sola humana Natura egit opera illa satisfactoria. Ergo Natura humana per se existebat & proinde suppositum erat à divino supposito distinctum.* Item. *Voce fatetur Stancarus unam personam in Christo, reipsa autem ponit duas. Actionem enim Mediatoriam soli humanitati transcribit. Jam vero actiones & passiones sunt suppositorum. Sic duo erunt supposita in Christo.* Hæc Bellarminus.

Ibid. *Opus Mediatoris præcipuum fuit passio Christi. Hæc autem ipsi Deo & Domino tribuitur in Scripturis, atque ideo necesse est, illi convenire saltem ratione suppositi.*

Idem Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 5. *Deus non acceptat in veram satisfactionem pro peccato, nisi justitiam infinitam, quoniam peccatum offensa est infinita, sed ut aliqua justitia sit infinita, id est, infiniti precii & valoris, non est necesse, ut sit justitia Dei essentialis, sed satis est, ut sit justitia personæ infinitæ, qualis est Christus Deus & homo. Itaque obœdientia, passio & mors Filii Dei, quamvis in se & essentialiter fuerit creata & finita, tamen ratione personæ obœdientis, patientis, morientis infinita fuit, & ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro totius mundi peccatis.*

(Si passio & mors Filii Dei est propitiatio pro peccatis mundi, quatenus est ipsius Filii Dei, adeoque personæ infinitæ passio, utique ipsius Filii Dei virtus ad propitiationem, adeoque etiam ad opera officii Mediatorii concurrit.)

Johannes Busæus Disput. de Pers. Christi thes. 79. cum dixisset, *Christus secundum humanitatem tantum Deo obœdivit, sacrificium obtulit, satisfecit, oravit, impetravit, & meruit nobis justitiam & sanctificationem, Deoque nos reconciliavit &c.* statim subjicit, *quanquam fatendum est, has actiones vim illam & efficacitatem infinitam in expiando humani generis peccato habituras non fuisse, nisi à persona, quæ simul esset Deus & homo, profectæ fuissent.*

Gregorius de Valentia lib. de Christo Redemtore part. 2. cap. 4. etsi dicat, *Christum Mediatorem tantum fuisse, ut hominem, si quæstio sit, per quid Christus proprie & immediate obierit officium Mediatoris*, agnoscit nihilominus, *Si communius quæratur, per quod omnino Mediator fuerit: sive tanquam per id, quo proxime exercuerit id officium, sive tanquam per id, à quo valorem acceperit ejus muneris functio; ex communi & orthodoxa Patrum sententia responderi debere, Mediatorem Christum fuisse non modo ut hominem, neque tantum ut Deum, sed conjunctim, ut Deum & hominem.* Itaque non diffitetur, *Christum ut Deum & hominem conjunctim Mediatorem fuisse, quatenus utraque Natura alio atque alio modo valuit ad efficaciam ejus functionis: Nam*, inquit, *primum secundum utramque Naturam, licet alia & alia ratione omnino est operatus reconciliationem nostram cum Deo; Deinde secundum utramque Naturam conjunctim ab utroque etiam extremo differt, ita ut nihil ad rationem Mediatoris eo modo desit. Postremò hæc sententia Patrum est & maxime Augustini &c.* (Si unaquæque Christi Natura modum suum alium contulit ad efficaciam, certe Natura divina contulit modum suum specialem; qui modus, si ad mediationem fecit, non potest etiam negari, divinam Naturam illius fuisse *principium formale*, ut loquuntur.)

Ibidem. *Distinctione utendum est. Nam si quæstio est, per quid proprie munus Mediatoris Christus obierit, dicendum est, tantum Mediatorem esse, ut hominem. Si per quid fuerit, sive à quo valorem acceperit ejus muneris functio, orthodoxa est Patrum sententia, conjunctim ut Deum & hominem. Non passus est pro nobis secundum divinitatem, tamen secundum utramque Naturam operatus est reconciliationem cum Deo.* (Non est quæstio de proprietatibus Naturæ humanæ essentialibus, nec de passione absolute considerata, sed de operibus θεανδρικοῖς, ac de passione pro peccatis mundi, de morte pro mundi vita. Quod si ergo in passionem & mortem dicto modo consideratam valor infinitus à Natura divina τοῦ Λόγου descendit, utique Christo secundum utramq; Naturam opera Mediatorii officii competunt. Non dicimus, Christum secundum utramque Naturam esse passum & mortuum, quia passio & mors sunt humanæ tantum Naturæ proprietates, hoc verò est, quod dicimus, Reconciliationem generis humani cum Deo per passionem Christi, ac propitiationem pro peccatis mundi per mortem Christi factam, esse ἀποτέλεσμα, quod secundum utramq; Naturam Christo tribuendum sit.)

3. Quod agnoscunt, Christum Mediatorem esse Deum & hominem, non tantum ratione *personæ*, sed etiam ratione *officii*. (Si enim propter officium Mediatoris facta est utriusq; Naturæ divinæ & humanæ in Christo unio, utique etiam in officii illius executione utraque Natura, divina & humana, operatur. Si præter Naturam humanam ejusque essentiales proprietates in operibus officii Mediatorii operatur suppositum divinum, ipsa quoque Natura divina excludi ab ista operatione nequit, quia præter Naturam humanam in supposito illo divino nihil est, nisi Natura divina.

Con-

Contra vero si sola Natura humana est principium, quo Christus opera officii Mediatorii perfecit, non fuit necessarium, Filium Dei incarnari, quia Deus humanitatem sanctam creare, eamque propria personalitate donare potuisset, quæ opera Mediatoris perficere potuisset, etiamsi cum divina Natura non fuisset personaliter unita. Consequens repugnat dictis Scripturæ, quæ de fine incarnationis loquuntur. Ergo.)

Leo Romanus Epist. 12. quæ est ad Julianum Coënsem. *Verus homo vero unitus est Deo, nec secundum existentem prius animam deducitur è cælo, nec secundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in Deo Verbi Dei personam, & tenens communem nobiscum in corpore animaque Naturam. Non enim esset Dei hominumque Mediator, nisi idem Deus idemque homo in utroque & unus esset & verus.*

Osorius tom. 4. Concion. Domin. 3. Adventus in cap. 1. Johan. *Medium utroque extremo participare debet. Ecce extrema Deus & homo! Omnino extrema ista, sicut cælum & terra. Ecce medium participans ista extrema, Christus Dominus, qui Deus & homo est!*

Pineda in Comm. Jobi 7. v. 33. *Non est, qui valeat manum ponere in ambobus. His verbis, ait Tertullianus lib. de patient. circa fin. Jacobus Mediatorem desiderat inter se & Deum, & prophetare videtur de Christo Mediatore. Et sane hic Mediator ponit manum in ambobus. Nam hic quidem dextra Patris est, per quam Pater jurat seque magnificat, tum etiam nobis dextram dedit, cum nobis Naturam humanam copulavit Mediator verissimus, non solum officio & munere, sed etiam substantia & Natura.*

Gregorius de Valent. lib. 1. de Unit & Trinit. cap. 12. *Christus obiit munus Mediatoris apud seipsum, ut Deus, qui una cum Patre & Spiritu sancto erat peccatori infensus. Ac tantum abest, ut Christus, qua Deus & homo est, non potuerit esse Mediator noster apud Deum, ut contra potius sequatur, nisi Deus & homo esset perfectus, esse Mediator non potuerit, ut pulchre omnes Patres demonstrant.*

Estius in Comm. 1. Tim. 2. *Solus homo justus, qualis Christus, id est, homo justus, qui proprium haberet meritum, quique precium infiniti valoris offerre posset, inter Deum & homines injustos ac peccatores Mediator esse potuit, salvo jure ejus, qui fuerat offensus. Sed quoniam à puro homine hæc præstari impossibile erat, ideo hominem illum etiam Deum esse oportuit.*

4. Quod quidam agnoscunt, Patres Christum secundum utramque Naturam Mediatorem statuere.

Claudius Espensæus d. l. *Habemus ex Græcis & Latinis magno consensu de utriusque Naturæ ad Mediatoris nomen concursu nessario velut gravissimum & unanime Senatus-Consultum, inter quos sic Chrysostomus, ut citatur à Vigilio lib. 5. contra Eutychen: Ut quis se interponens, ut litem discordiamque dissolvat, hunc quidem dextra, illum sinistra tenens, utrosque in amicitiam reducit: sic Christus inter nos & Deum se medium ingessit, utramque Naturam sociavit unione Naturarum divinitatis & humanitatis, meritò Mediator & intercessor dictus, ut inquit Theodoretus in Dialog. & Leo hujus nominis primus, idemque magnus Pontifex, de incarnat. Qua ratione, inquit, Mediatoris veritatem impleret, nisi in forma Dei æqualis Patri, in forma servi particeps esset & nostri. Ex Cyrillo Epist. 86. Nec propter carnis dispensationem Mediator vocatur, ut alii Græci Patres de ratione Mediationis utramque Naturam esse sentiunt, idque ex Bernhardo serm. de Circumcis. videre est, de ratione Mediationis salvificæ esse utramque Christi Naturam, quia oportebat Mediatorem non modo sapati, verum etiam satisfacere, quod purus homo nequit, & actio Christi dicitur θεανδρικὴ Deivirilis, seu ut ita dicam humanidivina, ut deducit eximius Theologus Damascenus lib. 3. Orthod. fid. c. 19.*

Salmeron Disput. 6. in 1. Timoth. 2. *Quia veteres Patres in voce Mediatoris perfectam mediationem intellexerunt, ideo putant, per eam conjunctionem utriusque Naturæ designari &c. unde Augustinus lib. de Ovib. cap. 12. Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non Mediator homo præter Deitatem, non Mediator Deus præter humanitatem. Ecce Mediator. Divinitas sine humanitate non est Mediatrix. Humanitas sine divinitate non est Mediatrix, sed inter divinitatem solam & humanitatem solam Mediatrix est humana divinitas & divina humanitas.*

Suarez in Thomam tom. 1. quæst. 1. art. 2. Disp. 4. sect. 5. *Christus vocatur Mediator Dei, quatenus Deus, ut late tractat Cyrillus.*

5. Quod non conveniunt in hac controversia inter se invicem.

Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 1. contra Stancarum probare conatur, *Verbum incarnatum, id est, personam Christi esse principium quod.* Sed Vasquez in part. 3. Thom. Disput. 83. art. 2. cap. 3. pro Stancaro disputat, dicitque, *nihil ea in re definitum esse ab Ecclesia de principio quod operandi in Christo, utrum sit tantum suppositum, an Natura etiam in se considerata abstracte*; imo dicit, *se ostendisse, humanitatem in Christo esse principium quod operandi.* Deinde etsi putet, *Stancarum ita munus reconciliandi Deo Christi humanitati tribuisse, ut existimaverit, dignitatẽ, meritũ & valorẽ ipsius, non ex supposito divino, neq; ex ipsius humanitatis per divinam Naturam unctione & sanctificatione ortum habuisse, sed ex tota Trinitate, acceptante nimirum illius humanitatis actiones:* dicit tamen, *se non posse negare, multos Scholasticos in ea sententia acquievisse, etsi sit contra doctrinam Patrum ipso quidem judice.* Itaque etsi non ausus fuerit plane Stancarum absolvere, quem Nestorianismi arcescebat Bellarminus, quia tamen sentiebat, ejus opinionem reipsa coincidere cum illa, quam tuetur, conatus est Stancarum ita interpretari, ut ab omni hæresi eum vindicaret.

Jacobus Gorscius Polonus lib. 2. prælect. Plocensium hanc quæstionem ex professo tractans, nullam differentiam facit inter Franciscum Stancarum & Catholicos illos, qui negarunt, Christum esse Mediatorem etiam secundum divinam Naturam. *Et quidem,* ait, *non pauci Catholicorum, & hujus ætatis hæreticus ille contentiosus Franciscus Stancarus Christum Mediatorem esse ea parte, qua homo sit, non qua Deus, asseruerunt.*

6. Quod agnoscere coguntur, esse Nestorianum errorem, si Christus tantum secundum humanam Naturam Mediator statuatur.

Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 5. §. Addebant &c. hunc refert Nestorii errorem. *Addebant, Filium Dei unitum esse Filio hominis accidentaliter, secundum operationem, quia Christus homo erat instrumentum, quo utebatur Verbum in operibus illis admirandis, quæ à Christo facta sunt.*

(Confer cum his, quæ Bellarm. scribit lib. 5. de Christo Mediatore cap. 1. §. Est autem &c. *Principium, quo opera Mediatoris à Mediatore fiebant, fuit Natura humana, non divina.*

Gregor. de Valent. tom. 4. Disput. 1. q. 22. punct. 3. pag. 427. *Si quæstio sit, per quid Christus proxime & immediate tanquam per formam & principium operandi obierit officium Mediatoris, dicendum est, illum Mediatorem fuisse tantum, ut hominem.*)

Exceptio Bellarmini. *Vocamus Mediatorem eum, qui inter aliquos dissidentes, aut certe non conjunctos, medium se interponit, ut eos redigat ad concordiam, vel novo fœdere conjungat. Contingit autem hoc dupliciter. 1. Per substantialem aliquam mediationem. 2. Per operationem. Primo modo Christus dici potest Mediator secundum personalitatem, qua connectit duas Naturas, sed non dissidentes, quia humanitas Christi nunquam fuit contraria divinitati. De hac vero Mediatione non quæritur, sed qua Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.*

Resp. Bonaventura lib. 3. sent. dist. 19. *Substantia per se considerata potest esse medium, sed non Mediator.* Nomen Mediatoris in propria sua significatione non est nomen substantiæ, sed muneris & officii. Substantia igitur & operatio non constituunt duo genera Mediationis, sed unum & idem, sicut aptitudine ad muneris alicujus functionem & ipsa functione vel executione totum munus expletur.)

Arg. Bellarm. 1. ex Scriptura 1. Tim. 2. *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Cur quæso addit, homo, nisi ad exprimendum Naturam, secundum quam Christus est Mediator? Præterea distinguit Apostolus Mediatorem à Deo. Ergo Christus non est Mediator secundum Naturam divinam.* lib. 5. de Christo cap. 3.

Resp. 1. Gorscius d. l. Claudius Espensæus d. l. respondent, *Paulum non addere exclusivam tantum: nec solum non addere, sed etiam adjicere Christus Jesus, quorum illud est hominis non puri puti, sed à Deo uncti & in unitatem personæ assumti: posterius autem est nomen Dei hominis ut constat ex Matt. 1. v. 12. Sic quidam,* inquit Espensæus, *urgent: sed quæro ego vicissim, cur Patres hunc locum enarrantes ex eodem loco & vocabulo Christum esse Deum eliciunt & urgent, si Apostolus hic Christum esse Mediatorem tantum quatenus hominem, intellexerit? Sed & vocabulum tantum, quod introducitur, Apostolus non apposuit, quod, qui addunt, timeant plagas huic malo denunciatas, Apoc. 22. Nec modo non apposuit, verum etiam contrarium adjecit. Christus Jesus, inquit, quorum illud*

nomen est non meri hominis sed à Deo uncti, & in unionem personæ assumti, Hebr. 1. Actor. 4. Psal. 44. posterius etiam nomen est Dei hominis, ut Angelus docet Matth. 1.

2. Leo Episcopus Romanus tradit hanc regulam Epist. 41. ad Palæstin. *Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter manente unitate personæ idem sit & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem.* (Ergo verbum *hominis* utpote concretum, licet ab humana Natura tantum denominatum, non notat h. l. ψιλὸν ἄνθρωπον, seu tantum humanam Christi Naturam, sed hominem Christum, qui in personæ unitate etiam verus Deus est; & per consequens ex verbo hominis colligi nequit, Christum tantum ut hominem, sive quod idem est, tantum secundum humanam Naturam esse Mediatorem.)

3. Gregorius de Valentia tom. 4. Disput. 1. q. 22. punct. 3. diserte ex his Pauli verbis colligit, *quod Christus Natura fuerit medius inter Deum & homines, utpote & homo & Deus: atque ita perfectissimus Mediator, Natura etiam participans de utroque extremo. Hanc enim conditionem subindicavit Apostolus, inquiens, Homo Jesus Christus, id est, talis ac tantus homo, nempe Christus, qui secundum aliam & aliam Naturam est Deus & homo.* (Ergo vox hominis hic non accipitur *naturaliter*, ut Naturam tantum humanam notet, sed *personaliter*, ut tota persona denominetur ex alterutra tantum Natura in concreto.)

Arg. 2. *Ex Patribus. Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus & Fulgentius Christum secundum humanam tantum Naturam Mediatorem statuunt.* Bellarm. d. l. cap. 4.

Resp. Claudius Espensæus d. l. *Cyrilli Chrysostomi, Leonis, Theodoreti & Bernhardi* testimonia pro nostra sententia adducit. De Augustino sic scribit. *Si Augustinus videtur negare, Christum Mediatorem esse quoad divinam Naturam, conciliandus sibi erat, non nobis objectandus, nimirum quia negat, Christum Mediatorem fuisse, nisi vel ut hominem jam factum, vel olim promissum agnoscimus, quia eadem erat veterum fides de Christo venturo, & nostra in ventum* (missum sive exhibitum.) *Idem Augustinus negat, Christum Mediatorem esse, ut Deum, hoc quoque cognoscimus. Sed intelligit, ut Deum purum, nullo respectu habito ad hominem factum, vel faciendum, sed in sua immortali & impatibili Natura consideratum. Hæc expositio violenta non est, sed ex mente Augustini, ut patet. Mediatorem, inquit lib. 9. de Civ. Dei c. 15. habere oportet & humanitatem transeuntem & beatitatem permanentem*

Item d. tr. cap. 5. *Præstabat Augustinem Augustino & cæteris conciliare, quam committere vel collidere: cum de mediatione hic loquamur non patiente tantum, aut ad mortem usque & mortem crucis obædiente, sed victoriosa, hoc est, tot victoriarũ contra Diabolum, peccatum, carnem, mundum, mortem & inferos reportatrice. Sic Mediatorem sentimus non magis hominem sine Deo, quam Deum sine homine esse, fore vel fuisse. Sic, inquam, sentimus, vel potius cum omnibus totius retro Ecclesiæ Patribus consentimus, quibuscum sunt nobis de hoc sensu & consensu communes rationes.*

Arg. 3. *Ex rationibus.* Prima desumitur *ex definitione & conditionibus Mediatoris. Mediator debet esse medius, hoc est, distans ab utraque parte dissidente aliquo modo. Hæc definitio convenit Christo, ut homo justus est, non autem ut Deus est. Nam ut homo, distat à Deo, ut justus, convenit cum Deo; & contra, ut homo, convenit cum cæteris hominibus. At Christus ut Deus, non distat à Deo ullo modo, id est, nec Natura, nec justitia, nec ullo alio modo.* Bellarmin. d. l. cap. 5.

Resp. 1. Claudius Espensæus d. l. *Quærendus est medius, inquit Augustinus, qui non modo Deus est, verum etiam homo. Christus est, inquit Cyrillus lib. 7. de Trinit cap. 33 perfecte utramque in seipso Naturam continens. Atque hoc est proprium Mediatoris nostri, ut inquit Chrysostomus homil. 7. in 1. Timoth. ut sit utriusque Naturæ particeps divinæ & humanæ. Nam verus homo remanens Mediator esse nequibat, cum Mediatorem oportet cum Deo colloqui, quod Christus Mediator est: Inde liquet, inquit Theophylactus, quod Deus est, quia Mediator quorundam distantium medium est.*

2. Salmeron. Disput. 6. in 1. Timoth. 2. *Mediatio secundum convenientiam & substantiam Naturarũ perfectior est, quam ea, quæ ex qualitatibus consideratur, teste Bonaventura* 3. sent. dist. 19. *Natura siquidem præstantior est qualitate, licet qualitas sit officio & mediationis actioni vicinior. Quia igitur veteres Patres in voce Mediatoris perfectam Mediationem intellexerunt, ideo putant per eam conjunctionem, utriusque Naturæ designari, sicut cum Christus vocatur Emanuel, & primogenitus in multis fratribus, in quo utraq; Natura designatur.*

3. Repetenda hoc loco dicta Osorii, Pinedæ & Gregorii de Valentia paulo ante num. 3. allegata, in quibus Christum θεάνθρωπον & persona & officio Mediatorem esse agnoscunt.

4. Bonavent. lib. 3. sent. Dist. 19. fatetur, *Christum esse medium inter humanam Naturam & divinam, in quantum est una persona in duabus Naturis*; ac Bellarminus ipse d. l. cap. 1. agnoscit, *Christum esse medium & Mediatorem per substantialem Mediationem secundum personalitatem suam duas Naturas connectentem, & de ista Mediatione sæpe loqui Patres.*

Secunda ratio. *Si Christus esset Mediator secundum utramque Naturam, esset Mediator suiipsius, ut Deus est, quod involvit apertam contradictionem.* Bellarmin. d. l.

Resp. 1. Suarez in Thomam tom. 1. q. 1 art. 2. Disp. 4. sect. 5. §. Sed hic. *Hic modus loquendi, qui negat, Christum & sibi & toti Trinitati pro nobis satisfecisse, omnino mihi displicet; est enim aperte contra Scripturas,* 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi; ubi sicut Deus dicitur esse in Christo, ratione divinæ naturæ, ita ratione ejusdem dicitur mundum reconciliasse sibi. Vocatur Mediator Dei, quatenus Deus, ut latè tractat Cyrillus.*

2 Gregorius de Valent. lib. 1. de Unit. & Trinit. c. 22. *Christus obiit munus Mediatoris apud seipsum, ut Deus, qui una cum Patre & Spiritu S. erat peccatori infensus.*

3. Idem Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 2. contra Stancarum asserit, *Λόγον seu Filium Dei secundum humanitatem esse Mediatorem, quatenus illa subsistit in supposito divino.* (Ex eo itidem possem sic inferre: Persona τοῦ Λόγου est pars læsa. Ergo non erit Mediator. Vel. Suppositum divinum Λόγος est pars læsa. Ergo suppositum divinum non potest esse Mediator. Ergo humana Natura non est Mediatrix propter suppositum divinum, quod est contra Bellarminum.

Tertia ratio. *Si Christus esset aliquo modo Mediator secundum divinam Naturam, omnes tres personæ essent Mediatores. Nam cum Natura divina sit communis tribus personis, quicquid secundum illam convenit uni personæ, id convenit omnibus tribus.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Idem Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 4. disputat, *dici posse, Naturam Verbi* (divinam) *esse incarnatam, si sano modo intelligatur, nimirum quod sit incarnata non per conversionem in carnem, sed per unionem cum carne in una hypostasi Verbi.* (Ex hoc principio posset quis eodem modo concludere. Si Natura divina Filii est incarnata, ergo omnes tres personæ Deitatis sunt incarnatæ. Quicquid Bellarminus huic argumento responderit, suo etiam idem responsum statuat. Non dicimus, Naturam divinam *absolute consideratam*, ut est tribus Deitatis personis communis, fungi Mediatoris officio, sed divinam Naturam τοῦ Λόγου cum certo ὑπάρξεως τρόπῳ consideratam, in assumta carne σωματικῶς habitantem, ad opera Mediatorii officii ἐνεργητικῶς concurrere dicimus.)

2. Becanus part. 3. Theol. Scholast. tract. 1. cap. 12. ad objectionem (*Voluntas divina est communis Patri, Filio & Spiritui sancto. At Pater & Spiritus S. non obligantur speciali titulo gubernare humanitatem Christi secundum divinam suam voluntatem. Ergo nec Filius.*) respondet, *Non sequitur, quia Filius obligatur ratione unionis hypostaticæ, quæ non est communis tribus personis.* (Ex quo apparet voluntatem ac proinde Naturam divinam in unione hypostatica & in persona Filii ad nonnulla obligari, ad quæ non obligatur eadem Natura & voluntas ratione aliarum personarum. Unde non sequitur, si aliquid conferat Natura divina in Christo propter hypostaticam unionem ad actiones aliquas Mediatorias, idem tribui posse aliis personis propter Naturæ communitatem, vel potius identitatem.)

Quarta ratio. *Officium Mediatoris proprium est sacrificare & sacrificando satisfacere. At sacrificare non potest Christo convenire secundum divinitatem, sed solum secundum humanitatem, siquidem facere divinitatem Filii Sacerdotem est apertissimus Arianismus. Idem potest dici de aliis officiis Mediatoriis Christi, ut quod interpellet pro nobis, quod sit Advocatus noster &c. hæc enim omnia arguunt Naturam inferiorem.* Bellarmin. d. l.

Resp. 1. *Quamvis Christus fuerit sacrificium maxime proprie secundum humanam Naturam, tota tamen persona fuit aliquo modo oblata,* ut docet Suarez in Thom. p. 3. q. 1. Disp. 4. (Diserte enim Apostolus dicit Hebr. 9. v. 14. *quod Christus per Spiritum æternum seipsum Deo obtulerit.*)

2. Claudius Espensæus d. l. Sic objiciunt Ariani: *Non desunt, qui responderunt, non esse inæqualitatis argumentum rogare, quia Deus populum suum rogat, Micheæ 6. & Deus ac Christus*

stus omnes nos rogat, ut reconciliemur, 2. Corinth. 5. Theodoretus exemplum introducit, ut si duo Reges eodem honore & potestate æquales sint & alter precibus aliorum auditis, qui eas offendunt, petat à regni consorte, ut illis reconcilietur, idne de ejus, qui petit, dignitate quicquam detrahit? Nequaquam, multo minus hic. Quæ enim placent Patri, placent Filio, & una est utriusque voluntas. Secundò respondendum est ex Patribus, id esse interpellare, non supplicantium servorum more ante pedes Patris volvi, sed suum corpus jam glorificatum Patri quasi nostrum pignus ostendere, ut Gregorius ait, Filium pro humana Natura rogare, est eandem Naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit, ut Chrysostomus ait. Est caritatis oratio, non vocis. Tertio respondeo, præter hanc corporis superennem repræsentationem & exhibitionem coram Patre, quæ est ad perpetuam intercessionem valida, alia est precationis ratio, qua cælestis Sanctuarii Sacerdos utitur, Hebr. 6. nimirum quod Sanctorum preces & vota ad Deum defert, quia idem Christus nobis est oculus, inquit Ambrosius lib. de Isaac Patriarcha cap. 8. per quem videmus Patrem; vox, per quam Patrem alloquimur; dextra, per quam sacrificia Deo offerimus: idque notat ex Ecclesiæ ritu Primasius sup. hebd. 6. Nos, quia puri homines sumus, ad Patrem per Filium accedimus, per eum preces ad Deum dirigimus, in hunc modum concludentes: Per Christum Dominum nostrum Filium tuum, ita ut vel nominis ejus invocatio nos Patri gratos reddat. Postremo respondeo, Christus in sua persona orat & offert pro nobis, ut homo tantum. Sed non tantum de Mediatore sacrificante & orante agimus, sed etiam exorante, perlitante, propitiante, qualis homo simplex non erat futurus, sed ejus orationis efficaciam ex Deitate pendere, magno consensu, cum Patres, tum etiam Scholastici ex Scripturis docent. Cujus postulatio, inquit Ambrosius in Comment. Roman. 8. contemni non potest, quia in dextra Dei est, hoc est, in honore, quo Deus, idque demonstratur in locis Scripturæ, in quibus Sacerdotii ejus describitur divina virtus &c. Sic ergo duplici respectu Christus exauditus erat, & hominis assumti merito, & Filii assumentis præstantia, & non minus Natura divina cum humana, quam humana cum divina meritò & Catholicè ab Augustino Mediatrix dicitur.

3. Jacobus Gorscius d. l. sic respondet. *Inanis est illorum curiositas, qui mediationem Christi divinitati adimunt, ne dividatur Christus à Patris substantia, neve alia Filii & alia Patris & voluntas & operatio inde nascantur metuentes; cum Paulus aperte doceat, eandem voluntatem Patris & Christi fuisse, & Deum reconciliasse per Christum sibi mundum, & in Christo Deum fuisse, cum nondum sibi reconciliaret, hoc est, nec substantia sejunctos fuisse, sed personis tantum & officio, quod Christus ut Filius à Patre ad reconciliandum hominem mitteretur; quodque per eum reconciliaret Deus Pater sibi mundum. Alia enim est persona mittentis; alia ejus, qui mittitur; alia ejus, qui operatur; alia ejus, per quem & in quo operatur; alia ejus, qui est in alio; alia ejus in quo est alius. Est quidem Christus à Deo Patre alius non substantia, sed persona, quia genitus, quia homo factus, quia per ipsum Pater operatur, quia Verbum caro factum. Atque hæc alteratio Christi à Deo Patre diversitatem divinitatis & voluntatis non parit, nec plures Deos efficit; cum constanter Ecclesia Catholica confiteatur, tres personas distinctas in Divinitate multitudinem Deorum non inducere, sed tres illas personas unum & eundem Deum esse. Atque equidem contra omnes argumentationes & omnia Sophismata de mediatione Christi secundum solam humanitatem garrientium hoc uno Pauli verbo propulsantur & calcantur. Quis enim non cernit, quid doceat hic Paulus, cum dicit: Omnia autem ex Deo, qui conciliavit nos sibi per Christum &c. An enim non audis Patrem reconciliatorem una cum Filio esse & cum Filio, cum quo unus est & indivisus substantia? Nonne audis, non sejunctum Christum mediando à Patre esse? & Christum à Patre Verbum reconciliationis nobis datum, quod erat in principio apud Deum &c?* Concludit tandem. *Ut igitur Verbum caro factum non mutatione in carnem, sed humanitatis assumtione ad Deum: ita quoque Mediator Dei & hominum est. Ut enim est, ita & operatur, ita mediationis officio persungitur. Est autem Deus & homo. Ergo Mediator est Deus & homo. Unde & Augustinus ipse, cujus autoritate maxime abutuntur, hæc habet tom. 9. de ovibus cap. 12. Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, homo cum hominibus, non Mediator homo præter Deitatem, non Mediator Deus præter humanitatem. Divinitas sine humanitate non est Mediatrix, neque humanitas sine Divinitate, sed inter humanitatem solam & Divinitatem solam Mediatrix est humana Divinitas, & divina humanitas.*

Quinta ratio. *Si operatio propria Mediatoris convenit Christo ratione utriusque Naturæ, sequitur confusio operationum & consequenter Naturarum.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Thomas p. 3. q. 48. art. 6. *Dicendum, quod duplex est efficiens, principale & instrumentale. Principale efficiens humanæ salutis est Deus, quia vero humanitas Christi est divinitatis instrumentum, ideo ex consequenti omnes actiones & passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam.* (Distinctio illa inter *efficiens principale* & *instrumentale* tollit suspicionem de confusione operationum. Distinguendum vero insuper inter ἐνέργειαν & ἀποτέλεσμα. Unum & commune est ἀποτέλεσμα, ad quod utriusque Naturæ ἐνέργεια concurrit, Damasc. lib. 3. Orth. fid. c. 15.

2. Claudius Espensæus d. l. ex Cajetano, *Mereri, mediare, satisfacere, Naturæ assumtæ est. Ut autem ea tanta in satisfaciendo efficaciæ sint, ex divinitate habent.* (Ergo aliud est *pati simpliciter*, aliud *pro peccatis totius mundi pati*. Illud competit Christo secundum humanam tantum Naturam, hoc vero secundum utramque Naturam. Illud pertinet ad primum, hoc vero ad secundum genus communicationis idiomatum.)

Thesis II. Christus solus est noster Mediator apud Deum.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de *Mediatore* V. T. *typico*, respectu annunciationis sic dicto, qui in vivis adhuc in his terris existens voluntatem Dei hominibus patefecit, & respectu certi alicujus populi ac temporis Mediator dicitur, qualis Mediator fuit Moses, Deut. 5. v. 5. 27. Gal. 3. v. 19. &c. sed de Mediatore N. T. proprie sic dicto, respectu nostræ cum Deo reconciliationis vi satisfactionis ac meriti à se præstiti, talem Mediatorem dicimus esse solum Christum.

2. Non est quæstio de *generali quadam intercessione*, quam defunctis sanctis minime denegamus, sed de speciali omnium nostrarum necessitatum notitia, ac *speciali intercessione*, vi alicujus meriti præstanda, per quam remissio peccatorum & vita æterna alteri impetretur, qualis in Mediatore proprie dicto requiritur.

3. Intercessionis vox minus proprie de mutuis precibus viventium usurpatur, quia apud JCtos *intercedere* est quasi medium se interponere, se vel res suas obligare pro alio; hinc *intercessor* est *veluti quidam inter duos medius & sequester*, ait Cujacius ad Africanum tract. 4. Id autem nullus præter Christum pro alio facit apud Deum. Pari ratione Advocatus proprie is dicitur, qui causam alicujus singulari vocatione scripta ac responsa valida proferendo, suscipit ac defendit. In hac significatione propria solus Christus est noster Advocatus.

4. *Modus mediationis* sive sit dependens, sive independens; sive perfectissimus, sive minus perfectus; sive absolute omnes, sive aliquos solum concernat; sive sanguinis profusione, sive adversitatum tolerantia perficiatur, quo modo Pontificii *Mediationem Christi & Sanctorum* distinguere solent, non variat rem ipsam, sed utrobique fit mediatio *per meritum* & proprie sic dicta. Proinde ex hypothesi Pontificiorum Sancti *vere & proprie* sunt Mediatores, etsi in mediatione sint Christo subordinati.

Antithesis. Eccius in Enchir. p. 154. *Unus est Mediator per redemtionem, sicut & unus Salvator. Sunt autem plures Mediatores per intercessionem, sicut & plures tales Scriptura commemorat Salvatores.*

Cochlæus in Discussione articuli 21. Confess. August. *Christus sic est Mediator & Pontifex, ut non excludat pios & in se credentes alios Mediatores & Pontifices.*

Suarez tom. 1. Comment. in Thomam in fin. q. 26. art. 1. *Quamvis solus Christus sit per se Mediator præcipuus inter nos & Deum, nihilominus sancti homines & Angeli quodam modo sunt Mediatores, tamen per ipsum Christum.*

Ludovicus Granatensis in festo Visit. Mariæ p. 491. *Sicut Deus Pater omnia hominibus bona per Filium, ita Filius per matrem pleraque concedit: hinc sicut ille Mediator apud Patrem, ita mater apud Filium pro hominibus Mediatrix est, ut omnes hoc nomine sicut honorificant Filium, honorificent etiam matrem, eamque sibi piis precibus & recte factis propitiam reddere semper studeant.*

Costerus in Enchir. de vener. Sanct. pag 470. *Mediator est Moses, & sunt Mediatores sancti & Angeli, quia & intercessores & deprecatores, Christus vero longe excellentius & magis proprie.*

Bellar-

Bellarminus lib. 1. de beatit. Sanctor. cap. 20. *Sancti quodam modo etiam possunt dici Mediatores inter Deum & eos, pro quibus orant. Neq; est cur timeamus nomen Mediatoris transferre ad sanctos, sicut ad eos transferimus nomen Advocati & Intercessoris, cum etiam Moses dicatur Mediatur.*

Becanus de Invoc. Sanctor. q. 9. n. 3. *Christus dicitur unicus Mediator, non quia solus est, sed quia principalis est, Sancti sunt Mediatores secundarii.*

Forerus Symb. Cathol. art. 1. p. 13. Christum vocat *Mediatorem, ratione meriti ac redemtionis; Sanctos ratione intercessionis.*

Idem art. 2. q. 1. p. 48. scribit, *Christum unicum esse nostrum Mediatorem in actu primo, seu fundamentaliter; in actu tamen secundo, sive finaliter requiri adhuc nostram cooperationem.*

Bailius Jesuita in Catech. controvers. tract. 2. q. 49. *Sanctos dicimus Mediatores ac Advocatos nostros erga Deum, quia preces suas ipsius majestati pro salute nostra offerunt.*

Nostram sententiam demonstramus ex eo,

1. Quod Apostolus 1. Tim. 2. v. 5. & 6. Christum vocat *unum Mediatorem Dei & hominum*, & quidem eo modo unum, quo est *unus Deus*. Ut ergo Deus ita est unus, ut *extra eum* non sit alius: ita Christus eo modo unus est Mediator, ut extra eum non sit alius.

2. Ibidem Apostolus Mediatorem nostrum sic describit, *quod dederit seipsum pretium redemtionis pro omnibus.* At solus Christus seipsum dedit pretium redemtionis pro omnibus. Ergo Apostolus Christum ideo vocat *unum Mediatorem Dei & hominum*, quia ipse solus *dedit seipsum pretium redemtionis pro omnibus.* Vis autem & meritum redemtionis non consistit solum *in obœdientia crucis*, seu morte Christi, (qua ratione officium Mediationis nulli cum Christo commune esse fatentur Adversarii,) sed consistit quoque *in obœdientia legis*, Gal. 4. v. 4. & 5. Matth. 5. v. 18. ita ut ipsa legis impletio à Christo præstita sit redemtionis nostræ λύτρον; ex quo tale nascitur argumentum: Qua ratione Christus redemtionis pretium pro hominibus solvit, ea ratione dicitur unus Mediator in sensu exclusivo. Atqui Christus non solum ratione *obœdientiæ usque ad mortem crucis*, sed etiam ratione obœdientiæ, quam legi præstitit, redemtionis pretium pro hominibus solvit. Ergo ratione obœdientiæ, quam legi præstitit, æque dicitur unus Mediator in sensu exclusivo, quam ratione obœdientiæ usque ad mortem crucis, & per conseq. falsum est, quod Pontificii hanc Mediationis partem, quæ consistit *in obœdientia legis*, Sanctis volunt esse cum Christo commune. Adde, quod Heb. 7. v. 25. 1. Joh. 1. v. 2. duo illi Mediationis actus, *satisfactio & intercessio*, indivulso nexu conjungantur. Ex propitiatione enim *per satisfactionem* impetrata fluit impetratio aliorum beneficiorum *per intercessionem* obtinenda, unde voce ἱλάσκειν Græci utuntur ad significandum *propitiationem ac impetrationem*, vel ejus, quod petimus, consecutionem.

3. Christus Joh. 14. v. 7. dicit, *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Quod si ergo per solum Christum ad Patrem pervenire possumus, utique ipse solus & unus est Mediator.

4. Mediator Novi Testamenti in sacris literis sic describitur, quod ratione personæ & officii sit θεάνθρωπος, inter Deum & homines *medius*, 1. Tim. 2. v. 4. perfecte *justus*, 1. Johan. 2. v. 2. *qui purgationem peccatorum nostrorum fecerit per seipsum*, Hebr. 1. v. 3. qui sit *propitiatio per totius mundi peccatis*, 1. Joh. 2. v. 2. qui sit *in omnibus, quibus tentamur, etiam ipse tentatus*, excepto peccato, & hinc *sensu infirmitatum nostrarum possit affici*, Hebr. 2. v. 18. cap. 4. v. 15. quem Sacerdotes V. Testamenti præfigurarint, quorum munus proprium hoc erat, ut intercederent *pro suis & populi peccatis*, Hebr. 4. v. 1. cap. 8. v. 8. *qui ideo in cœlum ascenderit & ad dextram Dei consederit, ut vultui Dei pro nobis appareret & pro nobis intercederet*, Rom. 8. v. 34. Hebr. 8. v. 1. c. 9. v. 24. qui sit *Pontifex noster magnus, qui cœlos penetraverit*, Hebr. 7. v. 25. per quem *pacem habeamus apud Deum*, Roman. 5. v. 1. per quem *pateat nobis aditus ad Deum*, Roman. 5. v. 2. Ephes. 3. v. 12. qui *propterea, quod in æternum manet, perpetuum ἀπαράβατον habeat Sacerdotium*, quod non transeat ad alios, unde ad plenum & *perfecte salvare potest, qui per ipsum ad Deum accedunt, semper vivens, ut interpellet pro iis*, Hebr. 7. v. 25. per quem *assidue offerre possimus sacrificium laudis, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*, Hebr. 13. v. 15. *in cujus nomine* possimus ac debeamus orare, Joh. 16. v. 23. qui sit *misericors ac fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum nobis peragenda*, Hebr. 2. v. 18. ad quem ceu *thronum gratiæ cum fiducia possimus accedere & consequi misericordiam & gratiam invenire ad oportunum auxilium*, Hebr. 4. v. 16. qui omnes *laborantes & oneratos* unice ad se vocet, & *refectionem animarum* ipsis promittat, Matth. 11. v. 28. qui sit *autor & consummator nostræ salutis*, Hebr. 12. v. 2. Jam vero hæc membra descriptionis & conjunctim & separatim accepta non conveniunt alii, quam soli Christo. Ergo, necessarium est, ut *Advocatus ac Mediator noster* singulariter nobiscum conferat, omnes causæ nostræ speciales circumstantias norit, ut nos ipsi jus nostrum exponere possimus, & ut omnibus requisitis ad causæ nostræ patrocinium necessariis sit instructus. At solus Christus est talis Advocatus ac Mediator.

5. Quoties Scriptura N. Testamenti Mediatoris meminit, solum & unicum Christum nominat, ut patet ex sufficiente enumeratione.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, soli Christo Mediatoris nomen in N. Testamento tribui.

Clemens Episcopus Romanus lib. 2. Constit. Apostol. cap. 32. tom. 1. Concil. p. 58. *Non enim ad omnipotentem Deum accedere licet, nisi per Christum.*

Hincmarus Episcopus Rhemensis in Epist. ad Hincmarum suum nepotem cap. 25. circa Ann. 800. sic scribit: *Dominus circa vesperam pependit in cruce ipse Sacerdos, ipse victima, ipse oblator, ipse oblatio ipse Sacerdos est, qui nunc ingressus in interiora veli solus ibi ex his, qui carnem gestarunt, interpellat pro nobis.*

Thomas part. 3. q. 26. art. 1 ad 1. ex professo tractans hanc quæstionem, *an solus Christus sit Mediator?* Prophetas & Sacerdotes vocat *Mediatores dispositive & ministerialiter*, in quantum scilicet *prænunciabant & præfigurabant verum & perfectum Dei & hominum Mediatorem.* Sacerdotes autem Novi Testamenti, in *quantum sunt ministri veri Mediatoris, vice ipsius salutaria Sacramenta hominibus exhibentes.* (De mediatione *per meritum* nihil quicquam addit, quem Thomæ locum adducit Claudius Espensæus lib. de Christo Mediatore cap. 1.)

Cajetanus Cardinalis in 1. Tim. 2. *Si plures essent Mediatores apud Deum & homines, existimaretur, quod unus esset Mediator pro quibusdam, & alius pro aliis, sed ex quo unus est Mediator Dei & hominum, ad reconciliandos homines Deo, illi uni incumbit mediare inter Deum & homines.*

Johannes Hesselius (Professor Lovaniensis, quem Rex Hisp. Philippus misit ad Concilium Tridentinum, quemque Johannes Molanus Censor Regius & Apostolicus præfatione in Censura Hesselii *pietatis, prudentiæ, Zeli pro domo Dei, aliarumq; virtutum* nomine singulariter laudat) in Comm 1. Tim. 2. *Ob eam causam Christus dicitur Mediator Dei & hominum quia Deum hominibus reconciliat, placando eum super peccatis commissis, & impetrando nobis Spiritum obœdientiæ, quo deinceps placeamus Deo. Itaque ex dictis manifestum est, sanctos homines & Angelos non esse Mediatores, ut Scriptura loquitur, quia non possunt per seipsos Deo placere, imo ut impropria locutione Mediatores dicantur, non tamen Mediatores esse Dei & hominum, sed, si ita loquendum est, Mediatores ad Mediatorem. Quicquid enim aut Angelus, aut homo sanctus à Deo petit, id petit per Christum Mediatorem, neque ipse ad Deum immediate accedit, ut Christus.*

Claudius Espensæus Theol. Parisiensis (qui in Epitaphio adhuc Parisiis in templo Cosmæ & Damiani extante vocatur *nobilissimus, piissimus, omnique disciplinarum genere cumulatissimus Theologus, imo Theologorum sui seculi facile Princeps*, quemque Gilbertus Genebrardus & Scævola Sammerthanus in elogiis operi præfixis nominant *admirabilem*,) peculiari digressione in locum Apostolicum 1. Tim. 2. *Unus Mediator &c.* fol. 269. oper. cap. 2. demonstrat, *Christum esse unicum nostrum Mediatorem duplici titulo, 1. ob medietatem Naturæ, quia Deus & homo est, adeoque quasi inter Deum & hominem medius, ac qui talis non sit, eum nec Mediatorem dici posse, constanti Patrum consensu asserit. 2. ratione conciliationis & propitiationis, qui honor, ait cap. 1. sic est Christo proprius, ut cum nulla creatura, vel Angelica, vel humana communis.*

In eodem tract. de Christo Mediatore &c. c. 9. *Per Christum & unicum & solum Mediatorem Dei & hominum oblationes & preces nostræ sunt exaudibiles, ut patet ex verbis Petri 1. Epist. 2. vers. 5. asserentis, Ecclesiam esse domum spiritualem, Sacerdotium sanctum, ad offerendum Deo spirituales hostias acceptabiles per Christum.*

Cap.14. f. 299. totam hujus argumenti tractationem sic concludit; *Quomodo nomen λυτρωτῦ Mosi Act.7.v.35. nomen Salvatoris Iosuæ atque aliis tributum est, Iud.3.v.9. 2. Reg.13.v.5. Nehem.9.v.27. ita Mediatoris nomen creaturis quoque tribui posse, verum non aliqua cum Christo communi, sed alia singulari significatione, quia typi veri & unici Salvatoris & Redemtoris &c. fuerunt.*

Alphonsus Virvesius Philipp.16. *Quid ais bone vir? Nunquid omnes illi tibi sunt Mediatores, qui pro nobis orant? Ergo ego sum Mediator tuus, pro quo non semel, testis est mihi Christus, oravi. Nec ego tantum, verum & universi, quantumlibet peccatores, Mediatores esse poterimus, quibus præcipitur orare, ut salvemur. Absit, ut tam vulgarem existimationem habeamus de Mediatore, cujus ratio sita est in eo, non quod pro cæteris potest orare, sed in eo, quod cæterorum omnium preces & opera in illo tantum & per illum placent ei, qui dixit:* Hic est Filius meus dilectus, *in quo mihi bene complacui, & idcirco Mediator est. hoc est, universis factus medium salutis æternæ, utpote de cujus plenitudine nos omnes accepimus. In illo enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & ideo N. Test. Mediator est, ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis &c. Vides hic Christum idcirco Mediatorem factum, ut sit via ad promissionum consecutionem, solvens, ut alibi dicitur, inimicitias in carne sua &c. Hunc Mediatorem agnoscit Universalis Ecclesia, cui soli acceptum fert, quicquid gratiæ aut gloriæ hactenus collatum est, aut confertur hominibus, reliquos vero quantumlibet Sanctos, colit, non ut Mediatores, sed ut Mediatoris ministros, quinimo ut membra, per quæ multoties nobis sua dona largitur. Itaque cum Sanctorum merita orando citamus & interponimus, non ex Sanctis facimus Mediatores, sed Christum in membris suis agnoscimus, cui innixi illi Deo placuerunt &c. Vides non ubique unum profiteri Mediatorem, sine quo neque nos, neque Sancti ipsi, quorum meritis utimur, ut à Christo profectis, placere DEO poteramus. Vides, nos ubique per illum interpellare Patrem ubique, ad illum unum, velut ad sacram anchoram, confugere.*

Cornelius à Lapide in Comment. 1. Timoth. 2. §. Atque hæc. *Catholici nonnulli satis scrupulose cavent, ne Mediatoris nomen alteri tribuant, quam Christo.*

Ludovicus Sotomajor in 1. Timoth. 2. *Non satis habuit hic confiteri, unum esse Deum, sed etiam addidit similiter, & unum esse Mediatorem, seu unicum esse.*

Estius in Comment. 1. Timoth. 2. *Observa, quod sicut unum Deum intelligit cum exclusione plurium, sic & unum Mediatorem Dei & hominum, qui est Iesus Christus. Hoc igitur officium ita proprium Christo agnoscere debemus ex mente Apostoli, ut nulli alteri tribuatur, nec homini, nec Angelo. Mediator enim Dei & hominum ille dicitur, qui immediate ad Deum accedens per suum ipsius meritum, quod ab alieno merito non dependeat, Deum hominibus placatum reddit, atq; omnia salutis dona à Deo hominibus obtinet.* (Quod postea annectit, *Catholicos officium Mediatoris Christo proprium nequaquam transferre ad alios, sed tamen agnoscere alios quosdam imperfecta ratione Mediatores, id est, intercessores nostros ad Deum, quales sunt, quicunque precibus ad Deum fusis salutem nostram Deo commendant &c.* id non congruit phrasi Scripturæ & insufficientem Mediatoris definitionem continet.)

2. Quod talem Mediatoris definitionem proponunt, quæ soli Christo competit.

Thomas Aquinas in 1. Timoth. 2. *tanquam signum, quod unus sit Mediator, subjici ab Apostolo,* dicit, *qui dedit semetipsum pretium redemtionis pro quibusvis.* (Ex eo sic concludimus. Qui est Mediator inter Deum & homines, eum oportuit mori pro hominibus, quia Mediatoris est conciliare partes dissidentes inter se, quod in hoc negotio, in quo Pater propter peccata generi humano irascitur, non potuit fieri sine sanguinis effusione. At Sancti non possunt mori pro hominibus. Ergo.)

Bellarminus Lib.1. de Beat.Sanct. cap.20. inter cæteras causas, propter quas Christus ab Apostolo dicatur *unus Mediator*, etiam hanc affert, quod *non solum ratione officii, sed etiam ratione Naturæ sit Mediator, cum sit Deus & homo.* (At hæc ratio nullo plane modo, ne quidem secundario & minus principali, competit Sanctis. Mediationis officium pendet à personæ dignitate & infinitate, ideo enim meritum Christi ejusque intercessio est infiniti valoris, quia persona est infinita. Jam vero solus Christus ratione personæ ac Naturæ est Mediator. Ergo etiam solus ratione officii est & esse potest Mediator. Chrysostomus homil.7. in 1.Epist. ad Timoth. *Enimvero Mediator utrisque, Deo scilicet & hominibus, debet societate conjungi, quorum Mediator est. Quod si unum quidem societate contingat, ab alio vero fuerit separatus, Mediator dici non potest. Nisi igitur consors sit paternæ Naturæ, Mediator profecto non est, quippe cum à Patris substantia sit separatus.*)

Costerus in Enchirid. pag. 472. *Is vere Mediator est inter partes, qui utrasque componit, maxime si de suo hoc faciat & læsæ quidem satisfaciat, alteram vero, sive juste, sive injuste aversam quacunque ratione etiam muneribus placet.* (At Sancti non possunt partes dissidentes Deum & homines eo modo componere, ut de suo parti læsæ satisfaciant.)

Salmeron Disput.6. in 1.Timoth.2. §. Reprehendit. *Ex his omnibus (videlicet quod Christus ab Apostolo dicitur Mediator inter Deum & homines, quia homines Deo reconciliat placando eum super peccatis admissis, & promeretur hominibus Spiritum, quo deinceps Deo obœdiant) colligimus, Sanctos omnes atque Angelos pro aliis orantes & intercedentes, quo modo loquitur Scriptura, non esse per omnia Mediatores, quia nec satisfaciunt pro peccatis, nec placant Deum, nec promerentur nobis Spiritum obœdientiæ ad servanda Dei mandata, sed improprie* (nota) *sunt dicendi Mediatores, quia pro nobis intercedunt & nobis favent. Quicquid enim Angelus & sanctus homo à Deo petunt, non nisi in virtute Christi Mediatoris petunt &c. Deinde nemo est præter unum Christum, qui pro omnibus Deo reconciliandis Mediator extiterit. Qui est, inquit Apostolus, Mediator Dei & hominum, scil. omnium, de quo subdit, qui dedit seipsum precium redemtionis pro omnibus.*

Pistorius in Hodeget.p.269. *officium Mediatoris, quod Mosi tribuitur Gal.3.v.19. toto cœlo distare ab officio Mediatorio Christi,* asserit.

3. Quod quidam agnoscunt, Patres Christum solum vocare Mediatorem.

Salmeron d.l. §. Quantum attinet. *Augustinus, cum admittat plures advocatos, interpellatores, intercessores & pacificatores, non vult agnoscere, nisi unicum Mediatorem Lib. 2. contra Epist. Parmen. cap.7. paulo ante dimidium. Pro quo, inquit, nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est. Et paulo inferius. Si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Co-Apostoli ejus; ac si multi Mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat, Unus Deus enim est, unus Mediator hominum homo Christus Iesus.*

Ibid. §. Reprehendit. *Ex his duabus conditionibus, id est, accedere per se immediate ad Deum, & pro omnibus intercedere, docet Augustinus Lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 8. solum Christum Mediatorem esse. Pro quo, inquit, nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est. Et infra. Oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium ascendat ad caput, quod præcessit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Co-Apostoli ejus &c.*

Claudius Espenæus d.l. videl. in Digressione 1. Tim. 2. fol. 269. oper. cap. 2. *Græcorum Patrum testimoniis, Cyrilli, Chrysostomi, Oecumenii, Theodoreti, Theophylacti, Epiphanii, Athanasii, Irenæi, Apollinaris adductis verbis,* & cap. 3. productis *Lactantii, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Vigilii Martyris, Bernhardi Latinorum Patrum:* productis itidem *Romanorum Pontificum Caji, Leonis & Gregorii Magnorum, atque Innocentii III. verbis* demonstrat, *Christum esse unicum Mediatorem nostrum, tum ob medietatem Naturæ nostræ, quia Deus & homo est, tum ratione conciliationis & propitiationis.* De *Mose, Aarone & Prophetis*, eorundem Patrum testimoniis probat fol. 268. oper. *eos non veros Mediatores, sed veri Mediatoris typos, umbras, figuras extitisse. Atque sic, ait, accipiendæ sunt voces hæ, sicubi apud probatos autores de creaturis, quamlibet sanctis, dictæ occurrunt, alioqui presse proprieque acceptæ sunt Christo propriæ. De quo superest Augustini locus valde luculentus Lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 5.* (8.) *Si Iohannes, ait, diceret 1. cap. 2. Si quis peccaverit, Advocatum habetis apud Patrem, Iesum, qui est propitiatio pro peccatis vestris; seipsum à peccatoribus segregasse videretur, ut jã non ei opus esset propitiatione, quæ fit per Mediatorem, sedentem ad dextram Patris & interpellantem pro nobis, Rom. 8. quod utique non solum superbe, sed etiam falso diceret. Si vero ita diceret, Mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris, ut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum, quis eum ferret bonorum & fidelium Christianorum? quis sicut Christi Apostolum & non sicut Antichristum intueretur? Et tamen lacus detriti fumosam aquam, istorum superbiam, & Spiritum S. continere non possunt, ut servent*

unitatem Spiritus in vinculo pacis, & in omnibus orationibus suis de uno Mediatore securi sint. Homines enim omnes Christiani se commendãt orationibus suis, pro quo autẽ nullus interpellat, sed ipse pro omnib. hic unus veruſq; Mediator &c. quæ in Augustino sequuntur: neq; Paulum quidem se Mediatorem facere inter Deum & populum, sed rogare, ut pro se orent omnia corporis Christi membra. Atque si Paulus Mediator esset, etiam reliquos Apostolos tales fore, nec futurum esse verum, quod dixerat, Unus Mediator Dei & hominum &c. quo argumento etiam August. utitur tract. 1. in 1. Epist. Johannis.

Eundem *Augustini* locum adducit Bellarmin. lib. 1. de Beatit. Sanctorum c. 20.

Cornel. à Lapide in Comm. 1. Tim. 2. v. 5. adducit dictum Theodoreti in illum locum. *Unus est conciliator pacis, qui ea, quæ erant inter se disjuncta & distantia, conjunxit. Christum autem hominem nominavit Apostolus, quoniam vocavit intercessorem, homo enim factus fuit intercessor. Et quemadmodum, qui duos quospiam manibus inter se conserentes & confligentes vult reconciliare, se medium inteoponens, & hunc quidem dextra, illum sinistra tenens ad amicitiam deducit & conjungit, ita ipse, cum divinam Naturam humanæ univisset, inviolabilem & quæ non potest dissolvi, pacem conciliavit.* (At hæc descriptio Mediatoris nemini, nisi soli Christo competit.)

4. Quod de nomine Mediatoris se nolle disceptare dicunt, an soli Christo illud tribuendum sit, an vero etiam Sanctis competat, modo concedamus, Sanctos pro nobis intercedere.

Cornelius à Lapide d. l. *Inter Catholicos convenit, Sanctos orare pro nobis, ac consequenter esse nostros apud Deum advocatos, antecessores & patronos. Cum hæreticis vero de nomine non multum contendemus. Concedant ipsi, Sanctos quasi advocatos apud Deum pro nobis intercedere, esto nomen eis Mediatoris negent, uniq; Christo tribuant, dabimus illis societatis dextras.*

5. Quædam hypotheses Adversariorum.

1. Cajetanus, Suarez, Pesantius, Tannerus in Comment. ad part. 3. Thom. q. 48. art. 5. ad 3. concedunt, *Christum solum esse Redemtorem.* Ex eo sic concludimus: Si Christus est solus noster Redemtor, utique est solus noster Mediator. Ratio est, quia mediatio & redemtio reipsa non differunt, sed tantum ratione. Verba enim Apostoli 1. Tim. 2. v. 5. & 6. *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum precium redemtionis pro omnibus*, rationem mediationis constituunt in ipsa redemtione; ac Gregorius de Valentia de Christo Redemt. part. 2. cap. 2. ab initio diserte asserit, *usum & effectum Mediationis nihil esse re diversum ab usu & effectu Redemtionis.* Atqui solus Christus est noster Redemtor. Ergo etiam solus est noster Mediator.

Item. Qui est noster Mediator, ille etiam est noster Redemtor. *Sancti non sunt nostri Redemtores*, fatente Thoma part. 3. q. 48. art. 5. & Estio in 3. sent. dist. 19. §. 1. Ergo etiam non sunt nostri Mediatores.

Item. Si subordinatio & dependentia mediationis Sanctorum à merito Christi non impedit, quo minus etiam Sancti sint & dicantur Mediatores, utique etiam nihil impediet, quo minus dicantur Redemtores. Utrobique enim eadem dependentiæ ratio. Merita operum à Sanctis præstitorum pendent à meritis operum Christi, meritum passionis Sanctorum pendet à merito passionis Christi. Sed Sanctos dici posse *Redemtores*, non concedunt saniores Pontifi. ii. Ergo.

2. Salmero, Justinianus, Cornelius à Lapide, Estius in 1. Tim. 2. v. 4. agnoscunt, *Christum dici unicum Mediatorem, quatenus seipsum dedit precium redemtionis pro omnibus*, quod ipsum etiam probat connexio textus.

Jam vero pretium & meritum redemtionis consistit non solum in *obedientia passiva*, sed etiam *activa*, non solum in *obedientia usque ad mortem crucis*, sed etiam in *obedientia legi pro nobis præstita*, ut constat ex Gal. 4. v. 4. ubi *fieri sub lege* idem esse, quod *legem tam Ceremonialem, quam moralem observare, & quidem ex libera alios liberandi voluntate*, agnoscunt Salmero, Justinianus, Cornelius, Estius in Comment. illius loci.

Ergo fateantur Christum dici unicum Mediatorem, etiam *respectu obedientiæ legi præstitæ*, quam tamen Mediationis partem Sanctis volunt esse cum Christo communem.

3. Benedictus Justinianus agnoscit in Comment. 1. Tim. 2. *eadem exclusionis vi Christum dici unum Mediatorem, qua verus Deus dicitur unus Deus.* (Atqui per exclusivam Apostoli omnis illa Deitatis denominatio, qua Deus talis dicitur, de creaturis negatur, eæque non aliqua cum Deo communi, sed alia cum Deo non communi ratione *Dii* dicuntur Ps. 82. v. 6. Johan. 10. v. 34. Ergo etiam omnis illa mediandi denominatio, qua Christus Mediator denominatur, ab omnibus creaturis, adeoque etiam á Sanctis defunctis excluditur, iique non aliqua cum Christo communi, qualis est mediatio per meritum & satisfactionem, sed alia cum Christo non communi mediatione dicuntur *Mediatores.*)

6. Quod in hac quæstione sibi contradicant.

Bellarminus lib. 1. de beat. Sanct. cap. 20. distinguit *Mediatorem ratione officii à Mediatore ratione personæ, Christum solum* dicit *esse Mediatorem ratione personæ, quia Deus sit & homo.*

(Cum ergo solius personæ mediationem soli Christo vendicet, concedit ex officio alios præter Christum esse Mediatores.)

Contra vero Porsanus adversus Falguerollium explicans locum ex cap. 2. prioris Epistolæ Johannis, *Christum*, dicit, *intelligi Mediatorem præcipuum & ex officio.* (Significat ergo mediationem ex officio non competere, nisi Christo.)

Rursus Costerus ita distinguit, ut dicat, *Christum esse Mediatorem excellentiori ratione, homines vero participatione.*

Eccius & alii distinguunt *inter Mediatorem redemtionis & intercessionis.* Solum Christum, dicunt, esse *Mediatorem redemtionis*, Sanctos esse *Mediatores intercessionis.*

(Omnibus hisce dictinstionibus opponimus, quod sint ἀντιγραφῆς excogitatæ, imo quod sint ἀντίγραφοι. Paulus 1. Timoth. 2. v. 4. *unum*, dicit, *Mediatorem*, ut *unum Deum.* At Deus sic unus dicitur, ut excludantur omnes distinctiones, quibus honor Deitatis tribuitur. Pulchre Augustinus libro 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 8. *Homines omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnib. hic veruſq; Mediator est unus.* Docet Augustinus, non omnem, qui apud Deum pro alio interpellat, esse appellandum *Mediatorem*; sed eum solum, *qui sic pro omnibus, ut nemo pro ipso.* Ibidem addit Augustinus. *Si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Apostoli, ac sic multi Mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat: Unus Deus, unus Mediator.* Porsano concedenti, *solum Christum esse Mediatorem ex officio*, merito hoc opponimus. Si solus CHRISTUS est Mediator ex officio, ergo Sancti præter officium Mediatoris usurpant officium.)

Adde, quod Pontificii Sanctos constituant Mediatores non solum *intercessionis*, sed etiam *redemtionis*. Nam semper hæc duo conjungunt *precibus & meritis* hujus vel illius Sancti *placatus &c.*

Bellarminus lib. 1. de Indulgent, cap. 4. scribit, *non esse absurdum, si sancti viri redemtores nostri aliquo modo dicantur.*

Schioppius in Apolog. de Indulgent. cap. 47. disputat, *Sanctos appellari posse Redemtores, licet improprie, eò quod debitum parvi momenti persolvant, si cum eo debito conferatur, pro quo Christus satisfecit.*

Argum, Adversar. 1. Apoc. 8. v. 3. *Angeli preces nostras Deo offerunt Ergo sunt nostri apud Deum Mediatores: Idem de Sanctis statuendum.* Bellarminus lib. 1. de beat. Sanct. cap. 16.

Resp. 1. Blasius de Viega Jes. in Apocal. p. 332. *Hunc Angelum licet plerique esse velint unum ex septem Angelis primariis, qui ante thronum Dei astant, præcipuis illis divinæ providentiæ administris, tamen esse Christum Dominum reliqui omnes Interpretes confitentur, qui, quoniam Patris Nuncius ac Legatus ad homines fuit, Angelus Testamenti appellatur Malach. 3. v. 1. & Angelus magni consilii Esai. 9. v. 6. Nec vero recte quidam è recentioribus argumentantur, Angelum istum Christum esse non posse, quod Christus nunquam Angelus absolute dicitur. Satis enim est ut ex consequentibus facile intelligi possit Christum esse, quæ nisi Christo, alteri apte accommodari non possunt. Cujus enim alterius est universæ Ecclesiæ incensa, hoc est, orationes in thuribulo aureo tanta majestatis specie Patri offerre? cujus præterquam Christi fuit de igne, quo thuribulum aureum erat impletum, partem in terras misisse, easque divini amoris igne, & ignitis Spiritus sancti donis inflamavisse?*

Et postea. *Quanquam etiam nunc orationes Ecclesiæ per Christum summum Pontificem Deo offerantur Hebr. 13. v. 15. Johannes tamen potissimum hoc loco de Christo in cruce loquitur, cum pro omnibus in humanitatis thuribulo omnium mortalium vota, salutem & redemtionem deposcentium ipse cum suo illo sacrificio cumulatissime implevit, interpellans reipsa pro omnibus suo illo cruento sacrificio.*

cio,quod pro mundi redemtione tanquam verus Pontifex offerebat. In hac expositione Blasius de Viega sequitur non solum Patres quam plurimos, sed etiam Thomam, Hugonem Cardinalem & Richardum de S. Victore. Eandem multis confirmavimus tract. de morte §. 477.

2. Ludovicus ab Alcasar Jes. in h. l. sic commentatur: *Per hunc Angelum mihi persuadeo caritatem Christianam figurari. Neq; enim hæc prosopopœia ratio Apocalypsi inusitata est, ut quatuor equitibus capitis 6.*

Et postea. *Qui affirmant, hunc Angelum velut Gabrielem esse, aut Raphaelem, non satis meminisse videntur, ipsorum esse opinionem, inter Angelos tubarum Gabrielem ac Raphaelem esse referendos &c. Ut idem sit Angelus, qui totius Christiani populi orationes excipit, & prunas in terram projicit, nihil occurrit congruentius, quam asserere, per illum Christianam caritatem denotari.* (Stante hac hypothesi corruit argumentum, quod ex h. l. Bellarm. deducit.)

2. Argum. Galat. 3. v. 19. *Moses vocatur Mediator inter Deum & populum Israeliticum. Ergo non soli Christo competit esse Mediatorem.*

Resp. 1. Lombardus, Thomas, Gagnæus, Mediatoris nomine intelligunt *Christum* (secuti hac in parte Chrysostomum, Hieronymum, Ambrosium & Primasium.)

2. Si ad Mosen hoc nomen referatur, nihil aliud denotatur, quam quod Moses fuerit *internuntius*, qui mandata DEI ad populum, & populi responsum ad DEUM retulit. Ita enim exponit ipse Moses Deuter. 5. v. 5. *Ego stabam inter Deum & vos,* quod vulgata versio sic reddidit: *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.*

3. Adde, quod ibi agatur de Mosis in terris officio suo fungentis partibus. Pontificii vero statuunt, Sanctos defunctos esse Mediatores, & quidem ratione meriti.

4. Bellarminus ipse agnoscit, *Mosen vocari Mediatorem ideo, quia fuit internuncius.* Sic enim scribit lib. 5. de Christo Mediatore cap. 1. *Secundo* (medius fieri potest) *referendo hinc inde pacta & conditiones utriusq; partis; quomodo omnes internuncii dici possunt Mediatores. Et in hac significatione videtur accipiendum nomen Mediatoris, cum Moses dicit Deut, 5. Ego medius & sequester fui inter Deum & vos in tempore illo, & Gal. 3. Data est lex per Angelos in manu Mediatoris.*

(At Sancti in cœlo non sunt internuncii, qui à Deo ad nos, vel à nobis ad Deum mittantur.)

Thesis tertia. Christus non sibi, sed nobis glorificationem est promeritus.

Ekthesis. 1. Non est quæstio *de consequente*, an exaltatio Christi juxta decretum & ordinationem Dei fuerit consequens præmium exinanitionis antegressæ, sed *de causa meritoria* proprie & accurate sic dicta, an Christus exinanitione sua proprie & accurate loquendo exaltionem ac glorificationem suam fuerit promeritus?

2. Nec de hac quæstione tanquam de fidei articulo contendimus, sed adversariis hæreseos accusantibus eos, qui negant, Christum sibi aliquid promeruisse, merito obviam imus.

Antithesis. Lombardus 3. sent. dist. 18. lit. A. *Christus sibi meruit impassibilitatis & immortalitatis gloriam &c. Humilitas passionis meritum fuit exaltationis.*

Et postea. *Evidens est, quod Christus per humilitatem & obedientiam passionis meruerit clarificationem corporis, nec id solum, sed etiam impassibilitatem animæ. Anima enim ipsius ante mortem erat passibilis, sicut caro mortalis, sed post mortem merito humilitatis & anima impassibilis facta est & caro immortalis.*

Thomas part. 3. q. 19. art. 3. *Christus gloriam corporis, & quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam, ut ascensio, veneratio &c. quæ minus sunt, quam dignitas merendi, habuit per meritum.*

Part. ejusd. q. 49. art. 6. *Christus per suam passionem meruit sibi suam exaltationem.*

Et postea. *Quia Christus in passione sua humiliavit se infra suam dignitatem, ideo meruit exaltari secundum quatuor, primo per resurrectionem, secundo per ascensionem, tertio per consessum ad paternam dextram, quarto per judiciariam potestatem.*

Bellarminus lib. 5 de Christo cap. 9. *Christus corporis gloriam & nominis exaltationem & omnia, quæ post passionem accepit, sibi promeruit.*

Anglo-Rhemenses in annot. Hebr. 1. sect. 2. *Christus meritus est propriam suam glorificationem.*

In annot. Phil. 2. v. 10. *blasphemiam* vocant, negare, quod *Christus quicquam meruerit pro seipso,*

Salmeron Disp. 8. in cap. 1. Hebr. §. Dubium. *Christus meruit sibi sua passione adorationem latriæ.*

Confer Driedonem tom. 2. cap. 2. part. 2. art. 3. Vigorem sermone in Symbolum 15. duobus postremis capitibus. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 79. Johannem Hayum contra Chambrunum cap. 11. ubi Vigor dicit, *Christum sibi meruisse nominis exaltationem & corporis glorificationem*; Driedo, *aditum cœlestis Paradisi, liberationem à lacu inferni, & à detentione Diaboli, exaltationis suæ gloriam, claritatem seu immortalitatem corporis, impassibilitatem animæ & corporis.*

Nostram sententiam demonstramus,

1. *ex personæ Christi dignitate.* Christus in ipsa unione secundum Naturam humanam nomen multo præstantius Angelis sortitus est, cum assumta illa Natura humana in ipsam Λόγου ὑποστάσει sit evecta, qua gloria & dignitate non potest major cogitari Hebr. 1. v. 5. Ergo ratione sui nullo indiguit merito. *In Christo habitat tota plenitudo Deitatis* Col. 2. v. 9. & *ex ejus abundantia omnes accepimus* Johan. 1. v. 16. Ergo non necessarium habuit, ut per meritum sibi aliquid acquireret.

2. *ex communicationis veritate.* Christo secundum humanam Naturam in primo incarnationis momento dona vere divina & infinita vere ac realiter per unionem personalem sunt communicata. Potuisset ergo Christus in prima statim conceptione majestatem & gloriam sibi communicatam plena luce exerere, nisi redemtionis ac salutis nostræ ratio requisivisset, ut sese prius exinaniret ac formam servi assumeret. In exaltatione, quæ est exinanitionis consequens, non est Christo data nova quædam potestas, quam per unionem personalem non acceperit, sed collata est plena potestatis illius executio & regni administratio. Ergo nullo ipsi opus fuit merito.

3. *ex meriti Christi qualitate.* Quicquid Christus in officio suo promeruit, id nobis, non sibi promeruit Esai. 45. v. 24. Zachar. 9. v. 9. Johan. 17. v. 19. 1. Tim. 1. v. 15. nobis enim natus, nobis datus est Esa. 9 v. 6. nobis factus est *justitia, sapientia, sanctificatio & redemtio* 1. Cor. 1. v. 30. inde sic colligimus: Quorum causa Christus passus est, ad illos etiam spectat, quicquid passione sua promeruit. Jam v. non sui, sed nostri causa passus est, teste tota Scriptura & sanctissima Christi innocentia. Cum enim fuerit omnis peccati ratione suæ personæ expers, ideo nulla pro peccatis satisfactione indiguit. Ergo etiam ad nos, non autem ad Christum spectat, quicquid passione sua promeruit. Item. Pro quibus Christus Patri cœlesti obedientiam præstitit, ad illos etiam pertinet obedientiæ illius meritum. Jam vero pro nobis, non pro se Patri obedientiam præstitit Rom. 8. v. 4. Gal. 4. v. 5. Col. 1. v. 20. 21. Hebr. 2. v. 13. cap. 10. v. 9. 10. &c. Ergo ad nos, non ad ipsum pertinet obedientiæ illius meritum.

4. *ex gratuita exaltationis hereditate.* Quod Christus obtinet ex gratia & hereditate, illud non obtinuit ex merito, quia gratia & meritum sibi opponuntur. Christus nomen super omne nomen obtinuit *ex gratia* Phil. 2. v. 9. ἐχαρίσατο, & *ex hereditate* Hebr. 1. v. 4. κεκληρονόμηκε. Ergo non ex merito.

5. *ex consequente absurditate.* Si Christus per passionem adorationem latriæ sibi promeruit, consequens fuerit, Christum in diebus carnis non potuisse, nec debuisse honorari adoratione latriæ. Consequens est absurdum, quia argumenta, quæ probant, Christo homini adorationem latriæ competere, probant etiam in statu exinanitionis ipsum fuisse latria adorandum; & exempla piorum ostendunt, Christo in diebus carnis latriæ cultum sæpius fuisse delatum, quem etiam minime recusavit.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Vega in opusc. de merit. q. 6. negat, Christum sibi aliquid proprie meruisse. *Christus*, inquit, *totam suam gratiam, totamque gloriam essentialem sine meritis habuit in primo suo humanitatis instanti, nec nisi indirecte meruit gloriam corporis, ut habet Scotus 3. sent. Disp. 18.*

Huic sententiæ jam olim quidam suffragium præbere non dubitarunt, ut constat ex Lombard. 3. sent. dist. 18. lit. E. *De merito Christi quidam dicere solent, quod non sibi, sed membris tantum meruerit.*

Besseus in Post. Dom. XX. Trin. f. 754. Was sind wir

dem grossen Fremde nicht schuldig / der den Kelch des Leidens für uns getruncken hat / der Gott dem Vatter vollkömlich genug gethan / die Pforten des Paradises / durch die Krafft seines Blutes / auch dem Mörder eröffnet / unsere Hoffart mit seiner Demuth / und unsere Wollust mit seinem Schmertzen gereiniget hat / und mit seinem Blut auff das völligste für uns bezahlet / und nicht ihme (nota) sondern uns die himlische Glori verdienet hat.

2. Quod Lyranus in cap.1. Hebr. per ipsam unionem CHRISTUM super omnem creaturam constitutum esse agnoscit. *Quem constituit* (inquit) *heredem omnium, quantum ad Naturam assumtam.* Eo ipso enim, quod Natura humana à Verbo assumta est in unitatem suppositi, constituta est super omnem creaturam.

3. Quod Catechesis Tridentina in explicatione art.4. Symb. fructus passionis Christi enumerans solius meriti pro nobis, nullius autem pro Christo meminit. Verba sic habent: *In quem finem CHRISTUS passus est? nempe primo, ut nos à peccati & Dæmonis Tyrannide liberaret. Secundo, ut pœnam nostris peccatis debitam persolveret. Tertio, ut cœlorum aditum communi generis humani peccato interclusum nobis patefaceret.*

4. Quod de illis, quæ Christus sibi meruerit, vel mereri potuerit, invicem non consentiunt.

Johannes de Rada part.3. controversiarum controv.12. art.3.p.345. *Observa circa meritum Christi in ordine ad gloriam animæ, an scilicet ipsam de facto meruerit, duas esse extremas sententias. Prima tenet partem affirmantem, quam sequuntur Albertus Magnus, Guilielmus de Rubio, Bassolis distinct.18. tertii sentent. &c. Secunda sententia est communis omnium Scholasticorum in 3. distinct. 18. & illa negat, Christum suæ animæ gloriam & dona meruisse, sed libere & gratis illi fuisse concessa. Tenet illam Scotus, Bonaventura, Richardus, Durandus, Marsilius Alexander, Driedo, Soto.*

pag.350. *An Christus sibi corporis gloriam acquisierit, meruerit que directe ac per se, magna controversia inter Doctores, præcipue Scotum & alios. Scotus enim in 3. distinct. 18. videtur expresse negare, directe ac primo sui corporis gloriam meruisse, sed primò amotionem impedimenti quo gloria animæ, ne in corpus proflueret, detinebatur, promeruit & consequenter ipsam corporis gloriam &c.*

Et postea pag.351. *Catholici Doctores tenentes, non pertinere ad fidem, Christum sui corporis gloriam meruisse, dicunt ex his locis Luc.24. Hebr.5 colligi quidem, Christum impetrasse & meruisse sui corporis resurrectionem, non vero ejus immortalitatem & gloriam. Quocirca etsi tenueris Christum corporis gloriam & immortalitatem absolute non meruisse ac directe, nihil alienum à fide concedas, licet oppositum mihi probabilius sit, scilicet Christum sui corporis gloriam sua passione & morte meruisse.*

Bellarminus lib.5. de Christo cap.9. negat, *Christum meruisse sibi unionem hypostaticam*, eamque refert inter illa, *quæ quis mereri non potest.* Eadem est sententia Feuardentii in Theomachia libr.5.cap.4. ubi scribit, *Christum non meruisse sibi unionem personalem, Theologi omnes protestantur.* Sed Maximilianus Sandæus Jesuita Herbipol. in castig. de prodiga Jesuit. liberalitate disputat, *Deum potuisse conferre humanitati gratiam unionis hypostaticæ, non absolute, sed tanquam sub conditione & cum quadam dependentia à futuris operibus & sicut in præmium eorum.*

Salmeron statuit Disput.8. in cap.1. Hebr.5. Dubium. *CHRISTUM meruisse sibi sua passione adorationem latriæ.* Sed reliqui statuunt, CHRISTO homini non latrian, sed tantum *hyperdulian* competere.

Lombardus 3. dist.18. lit.E. scribit: *Ad quid voluit Christus pati & mori, si ei virtutes ad merendum illa sufficiebant? Pro te, non pro se. Quomodo pro te? ut ipsius passio & mors tibi esset forma & causa. Forma virtutis & humilitatis, causa gloriæ & libertatis. Forma, Deo usque ad mortem obediendi, & causa tuæ liberationis ac beatitudinis. Meruit enim nobis per mortis ac passionis tolerantiam, quod per præcedentia non meruerat, scilicet aditum Paradisi & redemtionem à peccato, à pœna, à Diabolo, & per mortem ejus hæc nos adepti sumus, scilicet redemtionem & filiorum gloriæ adoptionem.*

In his verbis totum, quod Christus passione sua promeruit, ad nos, non ad Christum pertinere asserit, & tamen ibid. lit. A. *humilitatem passionis*, dicit, *ipsi fuisse meritum exaltationis.*

Argum. Advers. 1. *Paulus Philip.2.v.9.* inquit, *Christus seipsum exinanivit &c. διὸ καὶ, propterea Deus ipsum superexaltavit. Hebr.2.v.9. Videmus Jesum διὰ τὸ πάθημα propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*

Resp.1. Particulas διὰ καὶ διὸ non semper notare *causam rei meritoriam*, sed interdum *finalem*, sæpius autem *consequentiam & ratiocinationem*, qua unum ex altero concluditur, agnoscunt ipsimet Pontificii.

2. Et ne longe abeamus, de loco Apostolico, Hebr.1.v.9. *Dilexisti justitiam διὰ τοῦτο propterea unxit te Deus &c.* Suarez in Thomam tom.1. Disp.10. sect.4. sed contra &c. sic commentatur: *Per unctionem intelligunt multi Patres ipsam incarnationem & unionem ad Verbum, Augustinus, Anshelmus, Beda, Cyrillus Alexandrinus &c. atque ita propter non de causa meritoria, sed finali intelligenda est.* Idem Suarez Disp.18. sect.2. §. Dico primo &c. monet, *Athanasium hunc locum exponere de gratia animæ habituali.* Jam verò *communis est Theologorum sententia*, scribit idem Disp.40. sect.2. §. Nihilominus &c. *Christum non meruisse sibi gratiam animæ habitualem, sed eam ab instanti incarnationis habuisse*, ac Bellarminus libr.5. de Christo cap.9. scribit, *Christum non meruisse sibi gratiam, aut scientiam, aut gloriam animæ.* Ergo particula διὰ τοῦτο non potest de causa meritoria Hebr.1.v.9. accipi.

(Urget quidem, quod non simpliciter dicatur Phil.2.v.9. διὸ sed διὸ καὶ. Jam vero, quando hæ particulæ conjunguntur, semper denotari causam meritoriam. Sed resp. exempla testantur contrarium Rom.15.v.22. Hebr.13.v.12.)

3. Franciscus Ribera in Comment. Hebr.1.v.9. sic disserit. *Sanctus Thomas* (in annot. Hebr.1. lect.4.) *affirmat, cum dicitur propterea, non meritum indicari, sed finem, ut sit sensus: ad hoc te unxit Deus, ut haberes hæc omnia, quod satis probabiliter dicitur.*

4. Melchior Canus lib.12. Locorum cap.13. §. Tertio demum &c. sic scribit. *Respondere possumus, actiones Christi non fuisse causas meritorias unctionis, sed q. materiales & dispositivas &c. Nec opus est, ut vox illa, propterea, causam efficientem aut meritoriam denotet, sed satis erit, si sit causa, quæ disponat subjectum, quasi materialis.*

(Ex his apparet, Suarez, Riberam & Canum fateri particulas διὰ τοῦτο non semper notare causam meritoriam. Jam vero διὰ τοῦτο est ejusdem significationis cum τῷ διό, Ergo agnoscere coguntur etiam διὸ non semper ac necessario notare causam meritoriam.)

5. Quod autem particula διὸ Philip.2.v.9. non possit, nec debeat pro *causa meritoriæ* descriptione accipi, patet ex ipso textu. Dicitur enim Deus Pater propter antegressam exinanitionem dedisse Christo *nomen, quod est super omne nomen.* Jam vero nomen illud, non de *corporis gloria*, quam Christus promeruisse à Bellarmino statuitur, sed de *gratia unionis*, vel *omnipotentia* ab ipsis Pontificiis Interpretibus exponitur, quam Christus promeruisse à Bellarmino negatur.

Thomas in Comment. Phil.2. *Duobus modis nomen exponitur, vel quantum est Filius Dei, & nomen illi ab æterno & donatio ejus erat æterna generatio. Alio modo de Christo homine & sic Pater dedit illi nomen, ut Deus esset, non per Naturam, sed per gratiam, gratiam autem non adoptionis, sed unionis.*

Vasquez lib.2. de adorat. Disp.8. cap.10. *Per nomen super omne nomen non intelligitur vox Jesu, sed omnipotentia, ut Patres omnes ex Scripturis probant.*

6. Lombardus lib.3. sent. dist.18 lit.C. recte monet, *Christum nomen illud, quod est super omne nomen, per gratiam obtinuisse* ut docet vox Apostolica ἐχαρίσατο. *Christus* (inquit) *meruit donari sibi nomen, quod est super omne nomen, scil. honorificentiam, quod vocatur Deus, hoc tamen nomen ante mortem habuit. Habuit enim hoc nomen Dei Filius, in quantum Deus est, ab æterno per Naturam, in quantum verò homo factus est, habuit ex tempore per gratiam &c. Hoc ergò per gratiam accepit, ut ipse ens homo, vel subsistens in forma servi, id est, in anima & carne nominetur & sit Deus.* Jam verò *meritum* & *gratia* sibi opponuntur, fatente ipsomet Bellarmino.

Argum.2. Hebr.2.v.9. *Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Ergo propter passionis ac mortis meritum Christus honore & gloria coronatus.* Vasquez d.l.

Resp.1. Gagnæus in Scholiis ad h.l. sequitur expositionem veterum, qui *ipsam crucis mortem* intelligunt gloriam illam & honorem, ac contextum ita distinguit, ut non passionem mortis legat, sed *mortis gloria* & *honore.* (Oecumen. in h.l. *Gloriam & honorem crucem vocat. Neque enim tam dignum Deo fuit aut magnificum, creare cœlum & terram & hominem & supernas potestates, quam dignari propter nos cruci affigi.* Autor dictorum

ctorum & interpretationum, quæ tribuuntur Athanasio q. 118. *Gloria & honos Christi crux, quia innumera bona per crucem contigere.*)

2. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus illud per *passiones mortis* connectit cum præcedentibus, ut non dicatur per *passiones mortis gloria & honore coronatus*, sed *minoratus ab Angelis*, hoc est, minor factus ab Angelis per passiones mortis. (Athanas. de Trinit. Dial. 2. *propter incarnationem etiam Angelis minorem factum Apostolum scribens. Iesum autem nonnihil minorem factum Angelis videmus per passionem mortis.* Augustinus contra Maximum Lib. 3. cap. 25. *Denique propter quid dictum sit, Minorasti eum modico minus quam Angelos, aperuit Scriptura, ubi legitur, cum autem modico minus quam Angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Non ergo propter Naturam hominis, sed propter passionem mortis.*) Hanc interpretationem non improbat Benedictus Justinianus Jesuita.

3. Ribera in h. l. sic commentatur. *Coronare est omnem illi honorem dare, quem Natura humana capere possit.* (Jam vero fatentur ipsimet Pontificii, Christum tantummodo *gloriam corporis*, non *animæ* sibi promeruisse. Ergo hic locus, qui de omni humanæ Naturæ, ac proinde etiam animæ gloria agit, non potest de merito gloriæ accipi.)

3. Ratio Bellarmini. *Melius est cæteris paribus habere aliquid ex merito, quam sine merito. Ergo Christus, quæcunque habuit post resurrectionem, ea sibi meruit.*

Resp. Hac ratione sequeretur, nihil omnino Christum habuisse nisi ex merito, non *gratiam*, non *scientiam*, non *ipsam unionem hypostaticam*, quæ tamen ipsimet Pontificii fatentur, non obtigisse Christo ex meritis. Sequeretur etiam Deum, qui non ex merito, sed ex sua Natura habet divinam gloriam, modo interiore eandem habere, quod Pontificii itidem non concedunt.

Thesis quarta. Sine cognitione Christi & fide ipsius meritum amplectente, nullus unquam ullo tempore fuit salvatus. Proinde gentilibus extra Ecclesiam salus tribui nequit.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de *gradibus cognitionis*, sed de *cognitione ipsa*. Libenter concedimus, majorem revelationis & cognitionis lucem esse in N. Test. quam fuit in veteri, interim piis etiam Vet. Testam. cognitio Messiæ ad salutem fuit necessaria.

2. Non est quæstio de gentilibus ad Ecclesiam Israeliticam congregatis, an illi salutis participes facti fuerint, sed de gentilibus extra Ecclesiam. Berlinenses in Colloquio posteriore contra D. Hoe p. 100. & Christ. Pelargus in Comp. correcto p. 289. Luthero tribuunt, quod *sanioribus gentilibus salutem assignet*, in cap. 47. Gen. sed mentem suam diserte exposuit, videlicet se de illis loqui, non *qui in Ethnica incredulitate manserunt*, sed *qui ad veram veri Dei Israelis cognitionem per prædicationem verbi sunt perducti, nec Messiæ ignari extitere, quin etiam Ecclesiæ Israeliticæ sese aggregarunt, si non corpore & loco, tamen corde & affectu, nominat enim Abimelechum, Iobum, Iethronem, Naamanum, quosdam ex Moabitis & Ammonitis.*

3. Non est quæstio *de notitia naturali*, qualis fuit in primo homine *ante lapsum*, sed de notitia naturali, qualis est in hominibus *post lapsum*, extra verbi revelationem, an per illam gentiles luce verbi & cognitione Christi destituti salutem, consequi potuerint? quod negamus.

Antithesis. Quidam Scholasticorum statuunt, *homines ante promulgatam à Mose legem notitia naturali salvari potuisse & salvatos fuisse*, teste Brulifero in Prolog. sentent.

Ann. 1509. edita est Oratio quædam sine nomine Autoris, sub titulo, *Commendatio extemporalis Philosophiæ Aristotelis*, impressa in *Chalcographia librorum Henrici Quentelii*, in qua Autor inter cætera hoc agit, ut Aristotelem in æternitate salvum esse probet. Dicit, *peritiores sui seculi, si de Aristotele quæratur, an de facto fuerit in statu salutis vel damnationis æternæ, respondere, non esse possibile à quoquam vivente sciri indubitato, hominem vel damnatum iri vel salvari debere, nisi probata Dei revelatio interveniat.* Interim conatur certo probare, Aristotelem salvatum. Inquit enim 1. *à nullo sanæ mentis Doctore negari, quin extra Mosaicam legem plerique fuerint in statu salutis ob cultum unius Dei, ut tenet Postillator & cæteri Interpp. Vet. Testamenti.* 2. *Codicem Mosis non datum fuisse Aristoteli. Ergo id ipsi non prajudicare.* 3. *Aristotelem potuisse sub lege Naturæ æternam beatitudinem consequi, quia in Lib. Sapient. dicatur. Sanabiles fecisse Deum omnes nationes orbis terrarum. Item in Paulo, Deum velle omnes homines salvos fieri.* 4. *Non negari posse, quod Deus misericors facienti, quod in se est, (ut unum Deum recognoscere, & ipsum remuneratorem omnium sperare,) non sit denegaturus æternam retributionem.* 5. *Enarrat bona opera Aristotelis, ut cognitionem veri, electionem boni, studium ineffabile, opprobria perpessa pro unius Dei cultu, exilium pro eodem, frequentes eleemosynas usque ad suam inopiam erogatas, & fructus suorum scriptorum, quibus malas gentes & urbes ab excidio sua sapientia præservarit.* 6. *Et ne obstare quidem, quæ scripsit contra fidem orthodoxam, ut æternitatem mundi, quia creatio per rationem non possit indagari, & ob id non esse circa id vel ejusmodi merito culpandum.* Dicit, *hoc videri conforme Evangelio, dicente Christo apud Iohannem, Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* 7. Dicit, *Aristotelem sibiipsi fuisse legem, testimonium ipsi reddente conscientia sua.* 8. Tandem allegat Doctores S. pro se in primitiva Ecclesia, qui *etiam non minus, ut Aristoteles, in multis erraverunt, quæ posteri correxerunt.*

Evagatorium M. Michaelis de Ungaria serm. 7. citat Senecam Epist. 7. his verbis: *Calix venenatus transtulit Socratem à carcere in cœlum.*

(Confer D. Cramerum class. 4. Schol. Prophet. vaticin. 4. p. 241.)

De saniorum gentilium salute superiore seculo idem statuit Theobaldus Thammerus, Mindæ Concionator, ac libris duobus Moguntiæ editis idipsum late probare conatur.

Idem etiam docuit Latomus Lovaniensis, (quo nomine Philip. Melanchthon in Examine p. 2. utrumque graviter reprehendit, & commemorat, quod *finxerint monstrosi isti homines Ecclesiæ membra ubique esse Ethnicos & alios, quorum mores sunt honesti.*)

Andradius Payva in Defens. Concil. Trident. Lib. 3. p. 292. *Vera fides & vera Dei cognitio ad justitiam & salutem æternam non ex sacris tantum literis, divinisque Oraculis, sed ex rebus etiam iis, quæ sensibus subjiciuntur, haberi potest.*

Ibid. *Neque enim diritas atque immanitas tetrior ulla esse potest, quam sempiternis mancipare homines cruciatibus, propter illius fidei inopiam, quam consequi nulla ratione potuerunt.*

Ibid. *Quid igitur est, quod priscis illis Legis Naturæ seculis & cum nondum sese divina bonitas tam large & copiose effuderat, non illam Dei notitiam fuisse etiam ad salutem satis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus patere poterat? aut perspecta illa haberre ac credere astringerentur, quæ neque Deo aperiente acceperant, neque studio consequi, neque labore comparare potuissent? Impossibilia enim in obligationem cadere ferus solum, teter, humanitatisque hostis quispiam poterit existimare. Fuisse quidem Christi cognitionem omnibus ante seculis ad salutem necessariam, quamvis obscuram & involutam, fateor, sed qui diligenter consideraverit, quam late pateat Dei providentia & quanta cum vigilantia provideat rebus humanis, satis intelliget, humani generis per* CHRISTUM *redemtionem in divina procuratione implicate & abscondite contineri.*

In Concil. Trident. Anno 1552. Monachus quidam Franciscanus in explicat. cap. 2. Rom. publice concionatus est, *gentiles etiam sine cognitione Christi salvatos fuisse*, referente Schleidan. Lib. 23. Comm.

Ludovicum Vivem eidem errori affinem fuisse, testis est Capellus in Vindiciis Casauboni Lib. 1. cap. 1. Vide Comm. ejus in Lib. 10. Aug. de Civ. Dei cap. 23.

Ambr. Catharinus in 1. Tim. 4. quosdam non fideles salvari posse asserit.

Caspar Casalius de quadripart. hom. justit. Lib. 1. cap. 15. idem statuit ac in astipulatorum agmine producit *Thomam Aquinatem, Lyranum, Abulensem, Brunonem, Carthusiensem, Arboreum, Durandum, Paludanum.*

Bodinus Lib. 2. Dæmonoman. cap. 3. & Lib. 4. de Republ. *Socratem, Photionem, Aristidem &c. non esse temere damnandos*, monet.

Idem statuit Galeotus Martius, referente Frid. Tilemanno in Præfat. Discurs. Polit.

Erasmus in Præfat. Tuscul. quæst. Ciceron. *Me non admodum adversum habituri sunt ferendis calculis, qui sperant* (Ciceronem) *apud Superos quietam vitam agere.*

Idem in Coll. de convivio religios. *Cum talia lego, vix mihi tempero, quin dicam, Sancte Socrates, ora pro nobis.*

Et postea: *At ipse mihi sæpenumero non tempero, quin bene ominer sanctæ animæ Maronis & Flacci.*

Idem de salute gentilium statuunt Johannes Baptista Fickler

Fickler in Lib. cui titulus, Rettung der Concilien. pag. 75. edit. Ingolstad. Ann. 90. & Isengrinius in Exposit. Evang. Domin. Septuagesi.

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 54. testis est, *editum fuisse librum sub titulo de salute Aristotelis, in cujus calce concluditur, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum Iohannes Baptista in gratuitis.* Verba sic habent: *Dignissimus profecto hodie Latinorum Gymnasiorum Doctor, & quem Colonienses mei Theologi etiam Divis annumerarunt, librumque sub prælo ederent, cui titulum facerent, de salute Aristotelis. Sed & alium versu & metro de vita & morte Aristotelis, quem Theologica insuper Glossa illustrarunt, in cujus calce concludunt, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum Iohannes Baptista in gratuitis.*

(Maximilianus Sandæus Jes. quondam Herbipolensis, vel ex errore, vel ex malitia ipsi Cornelio Agrippæ illam sententiam tribuit, sic enim scribit in Demonstrat. de fide Protestant. Holland. cap. 3. *Patrocinium Aristotelis suscepit incautius Cornelius Agrippa, qui titulum figit de fide Aristotelis, & in calce disputationis dicere audet, Aristotelem sic fuisse præcursorem Christi in naturalibus, quemadmodum Iohannes Baptista in gratuitis.*)

Salmeron tom. 9. tract. 61. *Si gentiles secundum legem Naturæ viverent, illamque servarent, (quod profecto sine nonnulla in Deum fide atque Dei gratia non potest contingere,) tales olim servati sunt per fidem implicitam in Christum, qua Deo credit, quia est, & inquirentibus se remunerator sit, ut docet Thomas in cap. 11. Hebr.* Confer eundem Salmeronem Disp. 6. in 1. Petr. 3. tom. 16. p. 85. & 87.

Gregorius de Valentia tom. 3. Controv. p. 390. introducit quosdam sui ordinis existimantes, *ad suavem Dei providentiam & benignitatem pertinere, ut, si quis aliqua ratione cognoscat legem naturalem, & quæ novit, facienda faciat, quoad potest, modo humano, is absque alia cognitione supernaturali salutem primam & ultimam consequatur, dummodo reliqua invincibiliter ignorat.* Nominat autem *Sotum, Victoriam, Vegam &c.*

Vitus Miletus in Discuss. errorum p. 113. disputat, *gentes ante Christum obscuram quandam in ipsa generali Dei providentia & procuratione hominum salutis involutam de Christo habuisse notitiam, quam alii vocent fidem implicitam.*

Ibid. *Andradii* opinionem approbat, eandemque, quibus potest modis, interpolare nititur.

Maldonatus in cap. 11 Matth. v. 22. *Gentiles poterant servata lege Naturæ omnium confessione esse salvi. Lex autem Naturæ satis erat illis ab ipsa Natura prædicata.*

Pererius Disp. 18. in cap. 1. Rom. *Satis erat antiquis hominibus, si qui absque fide Christi manifesta salutem consecuti sunt, habuisse fidem ejus implicitam in fide unius Dei inclusam, credentes videlicet, Deum esse generis humani Salvatorem secundum ordinem & modos ipsi notos & in mirabili sua providentia occultos.*

Huc referri potest, quod Toletus Cardin. in Summa casuum conscientiæ Lib. 4. cap. 2. scribit: *Non omnes peccant in non recipiendo fidem Christi, multi autem ignorant irrevincibiliter Christi fidem & excusantur à peccato.*

Johannes Barclaius in Parænesi ad Sectarios hujus temporis Lib. 1. cap. 1. p. 30. edit. Colon. *Quæ religio Christiana non persuasit, satis hos declinare inferum ignem, qui legem observant, quam in omnium cordibus Deus insculpsit?* Eadem Parænesis etiam fuit Romæ edita permissu Palatii Apostolici Magistri & Vicesgerentis.)

Adamus Tannerus Jes. tom. 3. Theol. Scholast. Disput. 1. q. 7. dub. 2. num. 30. *Spectant huc nonnulli ex Catholicis, speciatim Vega Lib. 6. in Concil. Trident. c. 17. & 20. & ut referri solet, Victoria, & olim etiam Sotus Lib. 2. de Nat. & grat. c. 11. primæ editionis, qui putabant salvari posse, etiam secundũ legem Dei ordinariam eum, qui aliqua ratione cognoscens legem naturalem, faciat, quod potest.*

Ibid. dub. 3. num. 61. asserit, *multos propter ignorantiam invincibilem à peccato infidelitatis etiamnum inter barbaros degentes excusari posse, non credentes explicite S. Trinitatem in statu legis Evangelicæ.*

Confer Sixt. Senensem Lib. 6. Biblioth. annot. 51. Gretserum de cruce cap. 42. Coppensteinium in Spongia p. 48.

Nostram sententiam probamus ex eo, quod gentiles destituti fuere,

1. *Cognitione unius Dei*, qui est Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ubi sic concludimus: Qui destituti sunt cognitione unius veri Dei, qui est Pater, Filius & Spiritus Sanctus, illi ex naturali notitia salutem æternam haurire non possunt. Johan. 5. v. 23. 1. Joh. 2. v. 23. cap. 5. v. 11. & 12. Atqui gentiles extra Ecclesiam constituti fuere cognitione unius veri Dei, qui est Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Act. 17. v. 30. Rom. 10. v. 14. Gal. 4. v. 8. Eph. 2. v. 12. &c. cognoverunt quidem Deum esse, eundem esse unum, esse justum &c. sed eundem esse in personis trinum naturali notitia cognoscere non potuerunt. Ergo.

2. *Notitia Christi Mediatoris*, ubi sic concludimus: Qui destituti sunt notitia Christi Mediatoris, illi ex naturali notitia salutem consequi non possunt. Johan. 17. v. 3. Act. 4. v. 12. Gentiles extra Ecclesiam destituti fuere notitia Christi Mediatoris, ut constat. Ergo.

3. *Mediis*, per quæ Christi beneficia hominibus offeruntur, ubi sic concludimus: Qui destituti sunt mediis, per quæ Christi beneficia hominibus offeruntur, illi ex naturali notitia non possunt consequi salutem. Salus enim æterna nemini obtingit absque Christo & extra Christum. Christi beneficia ad homines non redeunt, nisi per media divinitus instituta & ordinata, per *verbum* scil. *Evangelii*, eique addita *Sacramenta*. Rom. 1. v. 16. Jam vero gentiles extra Ecclesiam destituti fuere mediis, per quæ beneficia Christi hominibus offeruntur, cum Evangelii doctrina ipsis plane fuerit ignota. Rom. 16. v. 25.

4. *Vera in Christum fide*, ubi sic concludimus: Qui destituuntur vera in Christum fide, non possunt salutis fieri participes, Marc. 16. v. 16. Johan. 3. v. 18. & 36. cap. 14. v. 6. Hebr. 11. v. 6. &c. Gentiles extra Ecclesiam destituti fuere vera in Christum fide, cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei Rom. 10. v. 17. Ergo.

5. *Spiritus Sancti gratiosa inhabitatione.* Qui destituti sunt gratiosa Spiritus Sancti inhabitatione, non possunt fieri salutis participes, quia destituti Spiritus Sancti gratiosa inhabitatione non sunt Dei Filii. Qui vero non sunt Dei Filii, illi nec heredes vitæ æternæ Rom. 8. v. 7. Galat. 4. v. 7. Gentiles destituti fuere gratiosa Spiritus Sancti inhabitatione, Johan. 14. v. 17. Ergo &c.

6. *Operibus vere bonis ac Deo placentibus.* Gentiles extra Ecclesiam aut *fide*, aut *operibus* salvati fuerunt. Non *fide*, quia ea destituti fuerunt. Nec *operibus*, quia opera vere bona non habent locum absque fide. Rom. 14. v. ult. Hebr. 11. v. 6. Ergo. Si ex operibus legis, absque cognitione Christi & fide in Christum gentiles salvari potuissent, legem perfecte implevissent. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam gentilibus extra Ecclesiam disertis verbis salutem derogant.

Gritsch Postillator feria 2. post Palmarum. *Nonne plures Iudæi & pagani Deum amant, magnis holocaustis honorant, in multis virtutum exercitiis Christianis prævalent? sed quia fidem non habent, labores amittunt, & vitam æternam non possidebunt. Hæc enim sola est fœcunda filia Dei vivam prolem procreans, sine qua omnes aliæ virtutes steriles sunt & abortiva producunt.*

Rosarium aureum sermonum Prædicabilium F. Bernhardini de Busto Mediolan. Ordinis Minorum serm. 14. fol. 81. *Augustinus in Lib. de verbis Domini ait: Una sola est fides Deo grata & hominibus salutifera, in qua omnes salvantur, qui salvari debent & extra quam salvari impossibile est.*

Alphonsus de Castro Lib. 9. adv. hæreses, verbo Lex, hæresi 3. *Hæresis, quæ dicit, omnem hominem in lege sua bene viventem, posse salvari, sive Iudæus ille sit, sive Saracenus, sive paganus, aperte convincitur per id, quod ait Paulus in ea, quæ est ad Hebræos Epistola: Sine fide, inquit, impossibile est Deo placere. Nisi autem quis Deo placeat, non potest vitam æternam adipisci, igitur sine fide nemo salvari potest. Et inde colligitur manifeste, in nulla lege aliquem posse salvari, nisi in sola lege Evangelica. Præterea in eadem Epistola Paulus fidei laudes prædicans, ait: Fides est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. Quid est dicere sperandarum rerum substantia, nisi fundamentum & basis, cui innititur spes earum rerum, quæ digne expectantur? Res autem, quæ magis digna est optari & sperari, est æterna beatitudo. Hujus igitur fundamentum est fides Catholica, quia supra illam & ex illa consurgit spes æternæ beatitudinis. Ideo idem Apostolus in priore ad Corinthios Epistola ait: Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Quem locum interpretans Glossa, quæ dicitur ordinaria, ait; id est, Christi fides, quæ per dilectionem operatur, per quam Iesus habitat in cordibus. Alia non est fundamentum.*

mentum. Hæc in Glossa ordinaria, Si fides est primum & unicum fundamentum, supra quod primo spes futuræ beatitudinis fundatur, sequitur necessario, ut fide sublata spes vitæ æternæ corruat, quia ubi fundamentum deest, nihil superædificari potest.

Et postea. *Concilium generale sub Innocentio III. celebratum, de hac re definitionem dedit, sic inquiens: Una est fidelis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.*

Josephus Acosta libr. 5. de procuranda Indorum salute c. 3. pag. 441. *Vix satis mirari possum, quod Præceptoribus quibusdam Scholasticis, viris certe gravibus nostri seculi, in mentem venerit, ut nunc quoque temporis post tamdiu revelatum Christum sine Christi notitia salutem cuiquam æternam contingere posse confirment. Quorum opinio tam mihi semper visa est ac modo quoque videtur absurda, ut nullo modo dubitem, antiquos Patres Augustinum præsertim, in homine Christiano, nedum Theologo moleste id accepturos fuisse, ac nescio sane, an etiam à severiore censura temperare potuissent, à qua tamen propter autorum & eruditionem & pietatem abstinendum nobis est, quorum vestigia potius solemus sequi. Sed illud & libere & vere dicendum est, non dignam Theologo esse sententiam, quæ nihil in sacris literis, nihil in sanctis Patribus firmitudinis habeat, tantum humana quadam suspicione introducta, propter infinitam eorum multitudinem, qui in hoc novo orbe tam longa ætate Evangelii luce caruerunt, quibus aditus in cœlum omnis præcludi videtur, si ad salutem fuerit Christi notitia necessaria &c. Rigidum est, inquiunt, & à Dei, qui omnes vult salvos fieri, caritate alienum, ut ea exigat, quæ nec ipse dat, nec homines per se præstare possunt &c. Unde concludunt: sine fide per naturalem tantum cognitionem illos salutem consequi posse; quorum sententia, tametsi ipsi Catholici sint, est aperte hæretica, ut nihil magis repugnet fidei &c. quasi vero fides ab Apostolis necessaria definiatur ad percipienda ea, quæ à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt visibilia, cognosci possunt, & non potius ad ea, quæ in cor hominis non ascenderunt, nobis vero revelavit Deus per Spiritum suum &c. Revocat nos illud, quod ad Patrem nemo venit, nisi per Christum; nulla alia est via, qua eatur, nullum aliud ostium, quo intretur ad vitam. Ac re quidem vera, si potest sine Christi notitia salus esse aut justitia, ergo gratis Christus prædicatur, frustra Apostoli mittuntur in orbem &c. Tam expresse docet hoc Apostolus Rom. 10. Finis legis est Christus ad salutem omni credenti &c. Non hic agitur, utrum durum ac severum hoc sit, an benignum & liberale, sed utrum verum, nec ne &c. Augustinus docet lib. 8. de Civ. Dei cap. 47. nemini ex iis, qui ex gentib. ante tempora Evangelii servati sunt, salutem contigisse absque revelatione unius Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi &c. Post revelatam fidem patere alicui vitæ januam, nisi per revelatam & expressam Christi cognitionem nullo modo assentior, omnibus & antiquis & novis Scriptoribus hac parte stantibus præter paucos quosdam Scholasticos, qui nec ratione aliqua firma, neque veterum autoritate, sed sua potius suspicione ducuntur.*

Melch. Canus in Relect. de Sacramentis part. 2. disputat contra illos, qui *fidem Christi gentibus ad salutem necessariam esse negarunt.*

Cornelius à Lapide in c. 1. Rom. postquam horrendas præstantissimorum Philosophorum & inter hos etiam *Platonis, Socratis, Aristotelis &c.* libidines ex Diogene Laertio recensuisset, subjungit: *Eant nunc Politici & Naturalistæ nostri, Philosophos hosce, ut viros probos, prædicent, eosque ut sanctos & beatos canonizent, quos infandæ Veneris mancipia Asmodæus auctoravit, orcoque addixit.*

Benedictus Justinianus in cap. 2. Rom. fol. 112. *Turpiter errarunt Cajetanus & Victor qui satis esse putarunt ad salutem consequendam boni honestique cognitionem, etiamsi nihil de Deo cognitum expressumque mente teneretur.*

Lorinus in Comment. 1. Petri 1. v. 21. *Non sunt audiendi, qui quandoque acquiri posse salutem sentiunt ab eo, qui supernaturalia fidei objecta ignoret. Fertur ea opinio Victoriæ fuisse: illam vero tenuit olim Soto lib. 2. de Nat. & grat. cap. 11. sed postea retractavit lib. 4. dist. 1. q. 2. art. 3. hæsit autem in ea Vega lib. 6. sup. Concil. Trident. c. 17. & 20. nec etiam requirens necessario fidem, quod sit unus Deus; in lege Evangelica necessariam esse necessitate medii fidem explicitam de Christo, longe probabilius.*

Maximilianus Sandæus Jesuit. Profess. Herbipol. in Themate seculari de Synagoga Protestantica deserenda n. 51. erroribus accenset, quod *Zuinglius, Bullingerus, Lavaterus, Tossanus &c. docuerunt, gentilium antesignanos, homines scelere inquinatissimos, nominatim Herculem, Theseum, Numam, Camillum, Catonem, Scipiones ad beatam sempiternamque vitam pervenisse, absque fidei transnaturalis subvectione.*

Idem in Demonstrat. de fide Protestantium Holland. c. 3. asserit, quod *ea omnium Societatis Jesu Theologorum affirmatio sit, neminem ex adultis cœlitum albo inserendum, qui in vita mortali fide Christi Salvatoris donatus non fuerit, nec ovis &c.* (Qua veritate hoc asserat, constare potest ex Antithesi.)

2. Quod tales afferunt hypotheses, ex quibus inferri potest, gentilibus extra Ecclesiam salutem esse derogandam.

Primo absque vera in Christum fide nemini salutem contingere nobiscum asserunt, (Quare cum gentiles extra Ecclesiam cognitione & fide Christi destituti fuerint, utique etiam salutis participes fieri non potuerunt.)

Leo serm. 14. de nativit. *Una fides justificat universorum temporum sanctos.*

c. Ubi. caus. 24. q. 1. *Ubi sana fides non est, non potest esse justitia, quia justus ex fide vivit.*

c. Firmissime. dist. 4. de consecrat. ex Augustino. *Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & ob hoc naturaliter iræ nasci filium &c. à qua ira nullus liberabitur, nisi per fidem Mediatoris hominis Jesu Christi.*

Carolus Magnus lib. 3. de Imag. cap. 17. *Nullum opus ad perfectam salutem adducere valet, nisi fidei fundamento superponatur & ejus numine fulciatur. Abraham denique non ex operibus, sed ex fide justificatus est &c. & sancti omnes juxta fidem defuncti sunt.*

Lombardus lib. sent. dist. 25. lit. A. *Sine fide Mediatoris nullum hominem vel ante, (adventum Christi) vel post fuisse salvum, Sanctorum autoritates contestantur, unde Augustinus ad Optatum* (Epist. 51.) *Illa fides sola est, qua credimus, nullum hominem sive majoris, sive minoris ætatis, liberari à cõtagione mortis & obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum Mediatorẽ Dei & hominũ Christum Jesum, cujus hominis ejusdem Dei saluberrima fide etiam illi justi salvi facti sunt, qui, priusquam veniret in carne, crediderunt in carnem venturum. Eadem enim fides est illorum & nostra. Proinde cum omnes justi sive ante incarnationem sive post nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvari nos, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est. Idem lib. de correpr. & gratia cap. 7. Nemo liberatur à damnatione, quæ per Adam facta est, nisi per fidem Jesu Christi. Idem de nupt. & concupisc. cap. 12. Eadem fides Mediatoris, quæ nos salvat, salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis.*

Johannes Trithemius Abbas Spanheimensis in respons. 2. ad octo qq. Maximiliani I. ad q. 2. *Vult Christum declarare mendacem, quicunque alicui extra Christum pollicetur salutem. Nos autem sacratissimis Evangelii confirmati sanctionibus firmiter credimus & indubitanter pronunciamus, neminem extra fidem Christi posse salvari, quantumlibet sancte vel juste vivat, quantumlibet religioni suæ paternæ, vel alteri confidat.* CHRISTI *est salus. Extra fidem Christianam nemo salvabitur &c.*

Fridericus Nausea Viennensis Episcopus cent. 1. homil. 66. *Sine fide nemo unquam vitam æternam habebit, vel quamlibet moraliter bonus, nempe quæ sit illa fides, qua & in qua, ex qua & per quam solam Deus ipse solus maximus nos justificat, perinde atque instrumento ad justificationem necessario &c.*

Gregorius de Valentia tom. 4. in Thom. Disput. 1. quæst. 19. punct. 4. §. Secundo sequitur. & Disp. 6. quæst. 11. punct. 1. §. At ratio &c. *Omnes Christus similiter redemit, sive ante* CHRISTI *adventum, sive post vixerunt, quique aliquando futuri erant, quamobrem Apocalyps. 13. dicitur, Agnus occisus ab origine mundi, & Paulus dicit, Christum propositum fuisse propitiatorium præcedentium delictorum, hoc est, ut revera precium postea solveretur, cujus respectu q. sub fidejussione quadam præterita etiam peccata fuerunt remissa.*

(Si Christus omnes similiter redemit, sive ante ejus adventum, sive post vixerunt, utique, ut post Christi adventum nemo, nisi ipsius merito, salvatur, ita quoque de iis, qui ante ipsius adventum vixerunt, idem omnino pronunciandum.)

Benedictus Pererius in cap. 1. Johan. Disp. 46. pag. 127. *Dictus est agnus occisus ab origine mundi, quia quicunque justi fuerunt ab initio mundi, & justitiam & salutem æternam consecuti sunt virtute futuræ passionis & mortis Christi.*

(Ea vero nemini obtingit nisi per fidem.)

Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 20. §. Aliqui. *Omnes salvantur, qui signantur Christi cruce sanguine, id est, quibus applica-*

tur meritum crucifixi, & nulli salvantur, quibus hoc meritum non applicatur.

Idem libr.6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 2. §. Primum argumentum &c. *Recte animadvertit S. Augustinus sermon. 14. de verb. Apostol. non esse dictum, Johan. 3. Ira Dei veniet super eos,* (qui in Christum non credunt,) *sed manet super eos, ut intelligeremus, fidem in Christum necessariam esse, non solum ne incidamus in iram Dei, sed etiam ut liberemur ab ira, in quam incidimus per inobedientiam primi hominis, de qua dictum est ab Apostolo Ephes. 2. Eramus enim & nos natura filii iræ &c.*

August. Torniellus in Annalibus Ann. mundi 1. n. 11. *Hoc mysterium* (incarnationis) *innotuisse Adamo, ipsumque ilico in Christum venturum credidisse, sperasseque ab eo tandem & à peccato & à malis inde secutis liberatum iri, communiter creditur & necessario credendum videtur, si verum est, quod infra dicemus, videlicet eundem Adamum salutem fuisse consecutum & in gratia Dei decessisse. Certum est enim, neminem unquam nisi in fide Christi potuisse salvari.*

Corn. Jans. in cap. 8. Joh. super verba, *Si me sciretis, utique & Patrem meum sciretis. Si Christus ignoretur, jam etsi Deus ex creaturis suis aliqualiter cognosci possit, non potest tamen perfecte cognosci, nimirum quod sit hominum redemtor, justificator, salvator.* (Ergo absque Christi cognitione, vel, quod idem est, absque Dei in Christo cognitione per fidem nemini contingit salus.)

Martinus Becanus part. 2. Theol. Schol. tom. 2. tract. 1. c. 12. q. 2. concl. 3. §. 10. *Post promulgationem Evangelii fides explicita Christi Mediatoris, divinitatis, mortis & resurrectionis Christi est medium in re necessarium, non solum ad beatitudinem, sed etiam ad justificationem illorum, qui habent usum rationis, & qui per dispositiones liberas & supernaturales consequuntur remissionem peccatorum, probatur. 1. ex Scriptura. Marc. 16. v. 15. Qui non crediderit, id est, qui non crediderit Evangelio, ad quod prædicandum mittebantur Apostoli, damnabitur. Fides autem Evangelii includit fidem divinitatis, humanitatis & mortis Christi, per quam redemti sumus, ut patet ex Joh. 3. v. 11. cap. 17. v. 3. Act. 10. v. 43. Rom. 3. v. 22. cap. 10. v. 9. Gal. 2. v. 16. Ex his testimoniis sic concludo: Nemo adultus potest justificari aut remissionem peccatorum consequi sine explicita fide Christi. Fides autem Christi in eo potissimum consistit, ut credas Christum esse verum Deum & hominem, qui pro nostra salute mortuus est & resurrexit.*

Ibid. q. 3. concl. 2. §. 2. *Explicita fides Trinitatis est necessarium medium ad salutem in N. T. Probatur 1. quia explicita fides incarnationis est necessaria in N. T. Ergo etiam explicita fides Trinitatis, sine qua illa haberi non potest. Nemo enim potest credere mysterium incarnationis nisi credita Trinitate personarum 2. quia Baptismus, qui est Sacramentum fidei Christianæ, debet conferri in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Matth. 28. v. 19.*

Michael Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 1. v. 4. Exposit. 3. *Sponsa deprecatur Regẽ, ut ipsam introducere dignetur in æterna tabernacula. Neque enim quenquam infelicissimam illam patriam introire posse existimat, qui illius non innitatur meritis, à quo pretio sanguinis sui tanta nobis emta est gloria: nisi ab illo, qui devicta morte æternitatis aditum nobis reseravit, à Jesu Nazareno Rege Judæorum introducatur.* (Illa vero introductio fit per fidem.)

Porsanus contra Falguerollium dicti Joh. 14. v. 6. *Nemo venit ad Patrem nisi per me, hunc, dicit, esse sensum; Neminem venire ad Patrem, nisi per fidem Mediatoris Jesu Christi, quia nemo scire possit, Patrem esse Patrem, nisi norit Filium. Itaque cum Christus sit Filius, credendum esse in Christum, ut credant in Patrem.*

Plura hujus generis dicta adduximus superius in hoc ipso articulo cap. 3. præced. §. 2.

Secundo agnoscunt, extra Christum & gratiam Christi nemini contingere salutem: (Jam vero gentiles extra Ecclesiam sunt χωρὶς Χριστοῦ Eph. 2. v. 12. Ergo etiam salutis expertes.)

Erasmus in Expos. Symb. p. 19. *Nihil vere tranquillat animum hominis præter gratiam Christi, quam illi* (Philosophi) *ne per somnium quidem noverunt.*

Clingius summ. doctr. Christ. tit. 9. p. 20. *Extra Christum nemo potest salvari.*

Baronius in princ. Apparatus asserit, *ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam salutem consecutum esse, nisi à Christo & per Christum.*

Ludovicus à Ponte in Cant. Cantic. lib. 5. Exhort. 24. §. 4. *Qui remanent foris* (extra Christi vulnera) *in æternum peribunt, quia extra Christi vulnera nulli contingit salus.*

Matth. Felis Instit. Christ. dist. 1. cap. 2. pag. 7. & Michaël Episcopus Mersburg. conc. 4. in 1. Epist. Joh. f. 10. 15. 16. &c. *Nemo potest Deum propitium sentire, nisi Christus medius occurrat.*

Estius in cap. 9. Hebr. v. 8. *Nemo fuit unquam justificatus, nisi per gratiam N. Test. cujus autor est Christus.*

Tertio agnoscunt, extra Ecclesiam nemini contingere salutem. (Jam vero gentiles sunt extra Ecclesiam, quamdiu tales manent.)

Bonaventura in Breviloq. p. 6. cap. 5. *Munus beatæ vitæ est tantum intra Ecclesiam.*

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. c. 2. *In corpore Christi mystico uno Spiritus unius, nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum.*

Communiter omnes urgent & inculcant illud Cypriani de simplic. Prælat. *Ad salutem & vitam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo potest, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.*

Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 9. §. Respondeo cum Augustino. *Soli boni sunt filii Dei, mali omnes sunt Diaboli.*

Ibid. §. His notatis. *Is enim* (Cyprianus) *non voluit dicere, non esse in Ecclesia nisi filios, sed non esse ullos filios extra Ecclesiam, sicut non sunt ulli boni extra, licet sint aliqui mali intus.*

Lib. 4. de Eccles. cap. 1. §. 1. *Omnes enim confitentur, in sola vera Ecclesia esse veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis æternæ.*

Jacobus Gordonus tom. 1. Epit. controv. Controv. 2. c. 2. probat ex Scripturibus & Patribus, *extra veram Ecclesiam Christi non esse salutem.*

Quarto agnoscunt, opera, quæ non fiunt ex fide, non ita placere Deo, ut speciali amore homines diligat, eos justificet, & vitæ æternæ consortes faciat.

Leo serm. 2. de jejunio Pentecostes. *Extra Ecclesiam Catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

Gregorius hom. 19. in Ezech. *Per finem venitur ad opera.*

c. Cum Paulus. caus. 1. q. 1. *Ubi Christus non est fundamentum, nullius boni operis est super ædificium.*

c. Omnes. caus. 28. q. 1. *Omnis vita infidelium peccatum est, nec valet esse bonum, quod fit absque Deo. Ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.*

Ibid. *Omne, quod non est fide, dicitur esse peccatum, quia quicquid ea fide non fit, ut ad æternam valeat salutem, inutile reputatur apud Dominum.*

c. Ubi. caus. 24. q. 1. *Ubi sana fides non est, non potest esse justitia.*

Thomas in cap. 11. Hebr. *Nullus potest Deo placere, nisi accedat ad ipsum. Jac. 4. Appropinquate Deo & approbinquabit vobis. Psalmo. Accedite ad eum & illuminamini. Sed nullus accedit ad Deum nisi per fidem, quia fides est lumen intellectus. Ergo nullus potest placere Deo nisi per fidem. Accedentem autem per fidem oportet credere Domino.*

Lyranus ibid. *Ad hoc, quod placeat aliquis Deo, opus est, quod accedat: iste autem accessus est per fidem.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 18. §. initiali. *Fides sine operibus mortua est. Opera vero sunt inania sine fide, quæ est pupilla oculi spiritualis. Et si oculus tuus fuerit nequam, etiam corpus tuum tenebrosum erit.*

Concilium Trident. sess. 6. can. 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ Naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Christum gratia justificari posse, anathema sit.*

Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. §. Sanctus &c. *opera sine fide facta mortua esse, & nihil prodesse ad vitam æternam,* asserit.

Lib. ejusd. cap. 10. §. Tertium &c. *Libenter fatemur, omnes homines esse in statu peccati, quod Apostolus Rom. 3 probare contendit, ut necessitatem gratiæ Christi manifestam faciat, & inutiles ad opera bona facienda, quæ Deo placeant, nisi prius per Dei gratiam & redemtionem, quæ est in Christo Jesu, reconcilientur & justificentur.*

Ibid. §. Deinde. *Homo dicitur esse vanitas, ut nihil possit ex se operari, aut etiam cogitare in ordine ad salutem & vitam æternam.*

Ibid. §. Quintum. *Loquitur Esaias in verbis cap. 60. Ecce tenebræ operient &c. non de lumine naturali, quod ad bona moralia cognoscenda requiritur, sed lumine divino, quod necessarium est ad cognoscendum Christum, & rectam viam ad sempiternam felicitatem.*

Ibid. §. Quintũ decimum &c. *Impossibile est sine fide placere Deo, ut quis amicus Dei constituatur. Opera facta ex bono Naturæ sine admixtione malæ alicujus circumstantiæ bona sunt & Deo placent, tametsi non sint ejus pretii, ut vel gratiam vel vitam mereantur æternã.*

Lib. 6.

Lib. 6. de gratia, & Lib. arbitrio cap. 4. §. Nos &c. *Ex Scripturis & traditione Ecclesiastica probabimus, non posse hominem sine speciali gratia Dei aliquid velle, aut facere in iis rebus, quæ ad pietatem & salutem pertinent.*

§. Prima. *Quod Dominus ait Joh. 15. sine me nihil potestis facere, intelligendum est omnino de bono opere, quod ad salutem pertineat.* (Atqui speciali illo gratiæ auxilio gentiles, quamdiu sunt & manent tales, destituuntur.)

Michael Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 1. v. 12. in Append. Expositionum ex Patribus p. 170. *Si quis hominum recte vivat, licet omnes acquirat virtutes, nisi Christum divino Baptismate induerit, nil revera vitæ æternæ hisce virtutibus consequetur. Arcanum hoc unguentariorum exemplo fit manifestum. Cum enim unguentum nardinum volunt conficere, licet alia multa in unum conjiciant, nisi nardum, quæ quidem est herba, simul adhibuerint, frustra operam sumunt.*

Kellerus in Papat. Cathol. artic. de Justificat. cap. 2. § 11. p. 55. Die Catholische zweiffeln daran nicht/ sondern sind geständig/ daß kein Mensch mit seiner eignen natürlichen Frömmigkeit und Tugend für Gott bestehen und das ewige Leben erlangen möge.

(Jamvero gentilium opera non fiunt ex fide, sed ex solis Naturæ viribus, proinde non possunt haberi opera vere bona, Deo ita grata & accepta, ut gentilibus salutem conferat.)

Quinto negant, gentilibus extra Ecclesiam veras virtutes tribui posse.

Bernhardus serm. 22. in Cant. Cantic. *Quid vobis Philosophi cum virtutibus, qui Christum Dei virtutem ignoratis?*

Idem in tractat. de amore Dei cap. 8. col. 1569. *Convincuntur Philosophi justitiam non amasse, quia non amaverunt te (ô Deus) à quo fons & origo, & in quem finis & recursus veræ justitiæ, & sine quo omnes justitiæ hominum sunt pannus menstruatæ. Non enim habebant fidem, quæ per dilectionem operatur, licet affectatum quendam amorem, & quia quædam haberent honestatis, quæ, quia ex fonte veræ justitiæ non prodibant, non in veræ justitiæ finem ibant, tanto desperatius errabant, quanto fortius extra viam currebant, via enim Christus, qui dixit Ego sum via, veritas & vita.*

Idem serm. 4. in ascens. *Quicquid sine fide præsumitur, nulla est animi solida virtus, sed ventosa quædam inflatio & tumor inanis.*

Gregorius Ariminensis 2. sent. dist. 26. statuit, quod *illi, qui asserant, hominem ex naturalibus liberi arbitrii viribus posse implere mandata Dei, quoad substantiam actus & Deum super omnia diligere, plurimum dissonent à doctrina sanctorum & ab Ecclesiasticis definitionibus, faveantque cuidam errori Pelagii condemnato.*

(Ergo etiam gentiles non potuerunt implere mandata Dei quoad substantiam actus, & Deum super omnia diligere, & per consequens virtutes & opera eorum, nec legaliter, nec Evangelice vere bona fuerunt.)

Quinto, agnoscunt, gentiles vera & salvifica veri Dei cognitione fuisse destitutos, (quomodo igitur salutis participes statui poterunt?)

Corn. à Lapide in cap. 4. Gal. v. 8. *Pagni versantur in Dei ignorantia.*

Estius in Ephes. 2. v. 12. *Atheos hic vocat Apostolus, non qui nullum esse Deum credunt, quales etiam apud Ethnicos infames erant ac detestabiles, sed, qui verum Deum ignorant, tales enim, licet multos colant Deos, revera sine Deo sunt in mundo, id est, sine Dei notitia & cultu, cum non sit aliud Deus & verus Deus.*

Bellarm. Lib. 4. de grat. & Lib. arb. cap. 2. §. Probatur. *Jobi 36. dicuntur homines videre Deum, quia omnes habent lumen naturale, quo pertingere possunt ad cognitionem veri Dei: tamen procul eum intueri dicuntur, quia non possunt cognoscere nisi communia quædam, ut esse, & esse unum, esse bonum, &c. quæ ex rebus creatis colliguntur.* (Atqui horum communium cognitio nondum est salvifica veri Dei cognitio.)

Lib. ejusd. cap. 3. §. Illud vero. *Mysterium Trinitatis fatemur non posse cognosci solo lumine rationis.* (Atqui ad salvificam veri Dei cognitionem requiritur etiam mysterii Trinitatis cognitio, juxta Symbolum Athanasii: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia teneat Catholicam fidem. Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*)

Lorinus in Comment. Act 2. v. 38. f. 129. de mysterio Trinitatis scribit, quod *fides ejus explicita sit necessaria tanquam primarii objecti ac fundamenti & principalis causæ tam Baptismi, quam omnium mysteriorum novæ legis.*

(Atqui Trinitatis fides non datur in gentilibus. Ergo nec vera veri Dei cognitio.)

CAPUT V.

De fine incarnationis.

THESIS. Si homo non fuisset lapsus, Filius Dei non fuisset incarnatus.

Antithesis. Didacus Stella in cap. 15. Lucæ. *Nisi Adam peccasset, quanquam Christus ad extollendam humanitatem, illamque præmio æternæ prædestinationis beandam nihilominus erat venturus, & ut operibus nostris vigorem daret, tamen in carne passibili non descenderet, nec tanta abjectione, variis frigoris, æstus, sitis, mediæ & motus aliorumque incommodorum suppliciis obnoxius.*

Tannerus in Thomam p. 3. Disp. 1. pro affirmante quæstionis parte allegat Viguerium, Albertum Piggium & Fonsecam. Idem statuunt Johannes Picus Mirandulanus in conclusion. & Ambrosius Catharinus in Lib. de eximia Christi prædestinatione. Ex Scholasticis Scotus 3. sent. dist. 7. q. 3 ac dist. 19. q. unic. Alensis part. 3. q. 2. memb. 13. Albertus Magnus 3. sent. dist. 20. art. 4. Hugo de prato serm. 1. lit. H. quibus annumerandi Richardus de media villa & Biel. 3. sent. dist. 1. q. unic. qui illud *probabiliter defendi posse* asserunt.

Nostram sententiam probamus,

1. Ex dictis Scripturæ, quæ finem incarnationis Filii Dei ubique statuunt redemtionem humani generis Matth. 18. v. 11. cap. 20. v. 28. destructionem operum ac regni Diabolici Gen. 3. v. 15. 1. Joh. 3. v. 5. debellationē mortis & Satanæ Hebr. 2. v. 16. & 17. illuminationem eorum, qui sedebant in tenebris Esa. 9. v. 1. Luc. 1. v. 87. satisfactionem pro peccatis Joh. 1. v. 29. reconciliationem cum Deo 2. Cor. 5. v. 19. liberationem à condemnatione legis Gal. 4. v. 5. peccatorum salvationem, 1. Tim. 1. v. 15. Luc. 19. v. 10. Joh. 10. v. 10. Atqui si Adamus non fuisset lapsus, nihil horum necessarium fuisset.

2. Ex illis dictis, quæ Adamum, ut *fontem peccati & mortis*, ac Christum ut *fontem justitiæ & vitæ* sibi invicem opponunt Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 45. 47.

3. Ex typis, parabolis ac similitudinibus id ipsum adumbrantibus. Nisi fuisset *diluvium*, non fuisset *arca* ædificata Gen. 6. Nisi Israelitæ ob peccatum à *serpentibus ignitis* icti fuissent, *serpens æneus* non fuisset suspensus, Num. 21. Nisi *tempestas in mari* fuisset orta, *Jonas* non fuisset in mare projectus, Jon. 1. Nisi *servi Regis* rejecti fuissent, *Filius* non fuisset missus, Matth. 22. Nisi *ovis & drachma* periissent, *lucerna* non fuisset ad quærendum accensa, nec *pastor* ad quærendam ovem errantem abiisset, Luc. 15.

4. Ex rationibus. Ex hac hypothesi peccati fœditas, iræ divinæ adversus peccatum atrocitas, immensa Dei bonitas &c. magis elucescunt.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quidam Episcopi Romani.

Leo Magnus serm. 3. Pentecost. col. 217. *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore Naturæ mansisset, nec Diaboli fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret.*

Gregorius Magnus Lib. 3. Moralium cap. 11. *Nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret &c. Nisi Adamum primum per voluntarium vitium in animæ mortem Satan traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariam non veniret.*

Idem Lib. 4. Expositionis in 1. Reg. cap. 2. *Nisi Adam peccaret, Redemtorem nostrum carnem suscipere non oporteret. Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

2. Quidam ex Scholasticis.

Thomas part. 3. q. 1. art. 3. *Ea, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit, unde, cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, itaque peccato non existente incarnatio non fuisset.*

(Idem tamen Lib. 3. sent. distinct. 1. q. 1. art. 3. *utramque sententiam posse defendi* asserit.)

Bonaventura in 3 sent. dist. 1. art. 2. q. 1. *Si Apostolus principalem assignat rationem missionis Filii Dei in carnem, videtur, quod nostra redemtio sit ejus ratio præcipua. Si tu dicas, quod hoc non dicat Apostolus tanquam causam principalem, opponitur contra hoc illud, quod Apostolus dicit Hebr. 2. ubi loquens de Christo, ipse similiter participa-*

ticipa-

ticipavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium.

Et postea. *Si ergo illud, quo posito ponitur aliud & quo remoto removetur & causa, & redemtio assignatur causa principalis & præcipua incarnationis, videtur, quod principaliter incarnatio facta fuit propter reparationem generis humani.*

Ibidem adducit *multas rationes*, quibus hoc ipsum demonstrat & addit: *Prior opinio* (quæ asserit, *Filium Dei fuisse incarnandum, etiamsi homo non fuisset lapsus*) *magis imitatur judicium rationis, sed posterior magis consonat Scripturæ & Sanctorum autoritatibus, & pietati fidei, nobis autem nihil dicendum præter ea, quæ ex sacris eloquiis clarent.*

Similia occurrunt apud Thomam de Argentina 3. sent. dist. 1. q. 1. art. 4. Capreolum 3. sentent. dist. 1. q. unic. concl. 1. Marsilium 3. sent. dist. 1. q. 1. art. 4. concl. 2.

3. Glossa ordinaria in 1. Tim. 1. *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit medicinæ causa.*

4. Quidam ex recentioribus Pontificiis.

Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 10. scribit, *Filium Dei fortasse non assumsisse carnem, si Adamus non peccasset.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Comment. in Thom. Disp. 1. q. 1. punct. 7. p. 74. *Rem hanc non satis compertam esse*, dicit, *convenientius tamen, probabilius & sapientius statui, Christum non fuisse venturum.*

Maldonatus in cap. 18. Matth. v. 31. *Magnum hoc argumentum ad eorum refellendam opinionem, qui, etiamsi homines non peccassent, Christum venturum fuisse, docere solent.*

Becanus in Corollariis Disputationi de vocatione Ministrorum Viennæ Anno 616. institutæ subjectis omittit particulam dubitandi *fortasse* à Bellarmino adjectam, simpliciter statuens, *Adamo per peccatum non lapso, Christum non fuisse incarnatum.*

APPENDIX HUJUS ARTICULI.

QUERELAS, CALUMNIAS AC OPINIONES ERRONEAS & absurdas Adversariorum in Articulo de Deo & Christo complectens.

I. Querelæ.

1. Conqueruntur falso sibi tribui, quod sinceritatem articuli de Trinitate personarum in divinis labefactent.

Resp. in membro tertio demonstrabitur, quod *fundamentum cui mysterium hoc innititur*; Itemque absolutam & simplicissimam *personarum Trinitatis æqualitatem* labefactent &c. saltem *ex loque.*

2. Bellarminus in judicio de Form. Conc. mend. 18. *mendacium esse*, dicit, *quod Augustan. Confess. in artic. de abus. Missæ refert, quosdam in Papatu docuisse, Christum tantum pro peccato originis satisfecisse, in Missa autem fieri oblationem pro quotidianis delictis.*

Resp. sequetur in Appendice articuli de Eucharistia.

3. Conqueruntur, falso sibi tribui, quod *dignitatem meriti Christi labefactent, cum majorem vim ei tribuant, quam nos ipsi.* Costerus in Enchirid. de bon. operib. pag. 293. *Majorem vim & gloriam meritis & morti Christi tribuunt, qui docent, illis non solum peccata hominibus condonari, sed eis quoque vires restitui, dignitatemque conferri promerendi operibus immensum atque æternum futuræ vitæ stipendium.*

Resp. quam variis modis dignitatem & vim meriti Christi labefactent, paulo post in membr. 3. ostendetur. Objectionem Costeri dissolvimus tract. de bonis operib. §. 96.

4. Conqueruntur, falso sibi tribui, quod statuant, *articulum de descensu Christi ad inferos non posse probari ex Scripturis.* Rayhingius (cum adhuc Pontificius esset) in Enchirid. Catholico contra D. D. Hoe. p. 97.

Resp. 1. Suarez in Thomam part. 3. q. 52. art. 8. Disp. 43. §. 2. sic disserit: *Sequitur breve dubium, an veritas de descensu Christi ad inferos non solum de fide sit, sed etiam articulus fidei. Ratio dubii est, quia in Symbolo Niceno non continetur, & quod ab Apostolis positus non fuerat, argumento esse possit, quod Patres in expositione Symboli, Augustinus, Tertullianus, Origenes, Irenæus, eum omiserunt. Respondeo, non esse omnino certum, Apostolos eum articulum addidisse, si per articulum intelligamus veritatem, quam omnes fideles explicite scire & credere tenentur. Existimo, non necessarium hunc articulum computare inter articulos fidei, quia non est res admodum necessaria omnibus hominibus, & quia ob hanc causam fortasse in Symbolo Niceno omittitur, cujus Symboli cognitio videtur esse sufficiens ad præceptum fidei implendum.* (Si existimasset, hunc articulum in Scripturis propositum, non judicasset eum pro re non admodum necessaria omnibus hominibus habendum.)

2. Acosta lib. 5. de procur. Indor. salute cap. 5. Toletus libr. 4. Instructionis cap. 2 hunc articulum prætermittunt.

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. §. Septimo necesse est &c. *Descensum Christi ad inferos* refert inter ea dogmata, *quæ deducuntur quidem ex sacris literis, sed non adeo facile, ut si solis pugnandum sit Scripturæ testimoniis, nunquam lites cum protervis finiri possint*, ex quo ipso *Scripturæ imperfectionem* probare satagit.

4. Andradius lib. 2. Defens. fid. Trident. negat, *descensum Christi ad inferos ex Scripturis colligi posse.*

5. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, quod negent, solum Christum esse nostrum Redemtorem: Adamus Contzen lib. 9. Polit. cap. 44. fol. 827. *Nos coram omnium judice & calumniarum vindice, totoque mundo, toto pectore protestamur, plurima, gravissimaque nobis imponi &c. v. g. Ajunt, nos negare, solum Redemtorem esse Jesum Christum. Nos omni asseveratione, etiam juramento, contestamur, solum Jesum Christum nos redemisse. Calumnia igitur ut sopiatur, oportet, ut veritas audiatur.*

Resp. 1. Non tribuimus Pontificiis, quod expertis verbis negent, Christum solum esse nostrum Redemtorem, sed quod ejusmodi hypoteses amplectantur, ex quibus per infallibilem consequentiam illud inferri possit.

2. Nec omnibus in Papatu hoc tribuimus, sed quorundam duntaxat scriptorum Pontificiorum erroneas assertiones perstringimus.

3. Tales hypotheses & erroneæ assertiones Pontificiorum enumerabuntur paulo post membro 3. hujus Appendicis.

II. Calumniæ 1. in articulo de Deo, & quidem 1. Generales.

1. Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. cap. 9. art. 26. in Catalogo hæresium, quas *Protestantes* amplectuntur, etiam numerat *hæresin Serveti, qui*, ut lib. de Christo cap. 1. §. 1. scribit, *autor fuit novorum Samosatensium. Inter Protestantium enim hæreses numerat hæresin Sabellii, & hoc ideo*, quia *eam docuit Servetus.*

Resp. 1. Res ipsa non solum testatur, sed etiam clamat, Protestantes hæresin Serveti, Samosatensium & Sabellii ex animo detestari, ac publicis scriptis refellere, cui etiam primus Aug. Confess. articulus est oppositus.

2. Inde Stanislaus Hosius Cardin. in Confut. Prolegom. Brentii lib. 1. de hæresibus nostri temporis, & ex eo Bernhardus Paxillius de Brzezck in Præfat. Monomach. pag. 3. calumniam emolliunt, sic scribentes: *Exorti sunt ex Schola Lutheri Johannes Campanus & ex Hispaniis Michael Servetus, qui libros aliquot de Trinitatis erroribus, plenos erroribus & blasphemiis ediderunt.* Eodem modo calumniam mitigat ipse Bellarminus in Præfat. lib. de Christo, ubi Servetum *in Scholis Lutheranorum institutum fuisse* narrat, quod ipsum tamen itidem invita veritate asseritur. Servetus enim in Mahumeticis Academiis in Numidia, non in Scholis Lutheranorum institutus fuit. In Africa Arianos tempore Leonis X. repertos fuisse, testis est Johannes Leo Africanus in lib. 1. descript. Asiæ, sub tit. Priscorum Afrorum fides ac religio. Ex illis Arianicis Afrorum Scholis Servetus suum virus secum in Germaniam transtulit. Sic enim Socinus in lib. adversus Wickum cap. 1. fol. 33. *Secunda ratio, qua conatur Wickus ostendere nostram de Deo & Christo fidem Mahumetanam esse, hæc est, quod Servetus progenitor, ut ipse ait, noster, teste Lindano, postea cum in Africam transfretasset, Alcoranum edoctus est, & statim Mahumetanam scripsit ejusmodi libros, qui Christianam doctrinam in Mahumetanam transformant.*

(Sic ergo Lindanus & Wickus ab intentato crimine Scholas Lutheranorum liberant, quando *Servetum in Mahumeticis Scholis institutum* asserunt, quod ipsum Socinus in responso non negat, Servetum in Africam transfretasse concedens.)

3. Proinde Jesuita Armandus in Epistola ad Chamierum, *Sectam Servetianam à Protestantium secta*, ut loquitur, manifeste distingnit.

Absolvit etiam nos ab hac accusatione Lorichius in Fortalit. fidei cap. de Deo: *Omissa*, inquit, *hæresi Trinitariorum novorum, ut blasphema, & jam olim à toto orbe Christiano damnata & profligata, cæteri horum temporum hæretici nullam hæresin contra fidem Christianam de unitate & Trinitate Dei, & quæ eò pertinent, aperte profitentur, nisi quod plerique, præsertim Calvinistæ, Deum faciunt autorem & effectorem indurationis & excæcationis impiorum.* Concilium Tridentinum sess. 15. in Decreto de proroganda definitione super Sacramentis, & dando salvo con-

conductu apud Binnium fol. 308. tom. ult. Concil. judicat, *Protestantes nomine Christiano censeri & eundem cum Papistis Deum & Redemtorem agnoscere.*

2. Idem Bellarminus Lib. 4. de notis Eccles. cap. 9. artic. 31. 32. inter Protestantium hæreses numerat *heresin Arianorum*, & hoc ideo, *quia eam hoc tempore*, inquit, *docent quidam, qui Tritheitæ dicuntur.*

Resp. Quid vero Protestantibus commune cum Tritheitis, quorum hæresin execrantur & ad orcum damnant? Nihil certè. Idipsum Bellarminus tacite concedit. Si enim *Tritheitæ*, qui illam hæresin docent, iidem sunt qui *Protestantes*, cur non stylum suum sic informavit, qui *Protestantes dicuntur*? Nimirum conscientia ipsi dictabat, non sine calumnia Protestantibus Tritheitarum hæresin affricari posse, quam ipsi solide refellunt.

3. Bellarminus in Præfat. Lib. de Christo, & Lib. 2. de Christo cap. 7. sententiam Wigandi & aliorum nostrorum Theologorum, quod *recte dicatur, essentiam divinam generare, cum gravissimo errore conjunctam asserit, quod ex ea sequatur, esse duas essentias divinas, Item aliã Patris, aliam Filii esse Naturã.* Coppenstein in Spongia p. 22. *Essentia Dei nec absolute in se, nec relate in alio dicitur generare vel generari, sed sola persona seu hypostasis.*

Resp. 1. Abbas Joachim propterea reprehendit Lombardum, quod negando essentiam generare, quaternitatem in divinis asseruerit. *Si enim essentia divina nec generat, nec generatur, consequens est, essentiam illam, quæ nec generat, nec generatur, esse aliquid diversi ab essentia Patris generantis & Filii geniti.*

2. Cardinali Cameracensi Petro de Aliaco doctissimo inter Scholasticos ista determinatio Lombardi non injuria displicuit. Vide Lutheri Disp. tom. 1. Jen. Latin. fol. 533.

3. Bellarminus Lib. 2. de Christo cap. 8. in resp. ad 2. arg. fatetur, *essentiam divinam esse tria ὑφιστάμενα, & tria illa ὑφιστάμενα esse essentiam.* (Negare ergo non potest, essentiam determinate acceptam cum certo ὑπάρξεως τρόπῳ de ea enim unice quæstio est, gignere, gigni & procedere.) Lib. ejusd. cap. 9. in resp. ad 3. arg. concedit, *quod Filius à Patre suam essentiam per generationem acceperit, & quod essentia divina essentialiter includatur in relationibus, cum nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus.* (Quomodo igitur negare potest, essentiam divinam relate acceptam generare?) Lib. ejusdem cap. 10. in resp. ad 4. arg. scribit, *Omnem perfectionem, quam habet generatio, ab essentia habet, essentiam autem totam etiam Filius habet.* (Hoc non poterit cum sua hypothesi conciliare.) Lib. ejusd. cap. 19. §. Restat. *Quod Calvinus dicit, Filium habere à se essentiam, simpliciter est repudiandum & contrario modo loquendum. Pugnat enim is modus loquendi cum verbo Dei Ioh. 5. Pater dedit Filio vitam habere in semet ipso. At si vitam dedit Pater Filio, certe & essentiam. Idem enim Deo est esse & vivere. Item Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Cur non & essentia? Iohan. 7. Ego scio eum, quia ab ipso sum. cap. 8. Sicut docuit me Pater, loquor in mundo, & quæ audivi à Patre meo &c. At non potest intelligi, quomodo Pater tradiderit Filio scientiam, nisi tradendo essentiam,* ibid. adducit & approbat dictum August. Lib. 7. de Trin. c. 2. Lib. 15. c. 4. tr. 31. in Joh. *Filium dicimus esse Deum de Deo, lumen de lumine, sapientiam de sapientia, essentiam de essentia.*

4. Becanus part. 1. Theol. Schol. tract. 2. c. 4. q. 7. p. 274. *Pater genuit Filium de sua substantia, communicando illi totam substantiam suam per generationem æternam &c. Unde sequitur, falsam esse hanc propositionem, Filius genitus est de substantia, seu essentia divina, quia inter Filium & essentiam non est realis distinctio; hanc etiam esse falsam, Filius est de substantia Filii aut Spiritus Sancti, quia nec Filius, nec Spiritus sanctus est principium Filii; hanc esse veram, Filius est de substantia Patris, tum quia Pater est principium Filii, tum quia inter Patrem & Filium est realis distinctio.*

(Eodem modo & nos inter essentiam absolute & determinate acceptam distinguimus.)

2. Speciales contra Lutherum.

1. Bellarminus in Præfat. Librorum de Christo p. 269. *Lutherus contra Iacobum Latomum scribens, Anima mea, inquit, odit hoc verbum ὁμοούσιος. Quid quæso vel sentiret, vel diceret aliud Arius, si ab inferis existeret?* Idem in Judicio de Libr. Concord. mendac. 3. *Lutherus scripsit contra Latomum. Anima mea odit hoc verbum ὁμοούσιος.* Eandem calumniam repetunt Possevinus Lib. 3. de not. verb. Dei p. 68. Campianus rat. 8. Cornel. à Lapide in Comment. 2. Petr. 2. v. 10.

Resp. 1. Lutherus tom. 7. Jen. Germ. fol. 243. vocem ὁμοούσιος in explicatione hujus mysterii non solum frequenter adhibet, sed etiam strenue pro ea pugnat.

2. Nec categorice, sed hypothetice loquitur. Sic enim habent verba tom. 2. op. Lat. fol. 407. *Quod si anima mea odit verbum ὁμοούσιος & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget uti, modo rem teneam, quæ per Scripturas definita est, etsi Ariani male senserint de fide?* (Hisce formalibus Lutheri locum adducit Coccius tom. 1. Thesauri Lib. 1. art. 4. & 5.)

3. Bellarminus Lib. 2. de Christo cap. 3. §. 6. notat, *nomen ὁμοούσιος non solum Arianis displicuisse, sed etiam quibusdam Catholicis, propterea quod Patres Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum negarunt, Filium esse Patri ὁμοούσιον.* (At num illos Catholicos etiam faciemus Arianos?)

4. Campianus d. l. scribit. *Logomachia est, cum de sensu constat, de verbo litigare. Quid? Trinitas personarum in Bibliis non fuit, quia vocabula ista non sunt?* (Jam vero Lutherus itidem non de re ipsa, sed de vocabulo tantum agit. Pulchre Basilius Lib. 2. contra Eunomium: οὐκ ἐν ψόφῳ ἀέρος, ἀλλ᾽ ἐν δυνάμει τῶν σημαινομένων τὸ εὐσεβές, *Non in sono aëris, sed in virtute significatarum rerum est pietas.* Athanasius Dionysium Alexandrinum introducit omnem à se Arianismi suspicionem amolientem, quem patronum asciscebant Ariani, propterea, *quod vocabulum ὁμοούσιος non magnopere illi arrisisset*, quasi qui de hoc vocabulo dubitasset, doctrinam ipsam etiam in dubium revocasset, quippe, inquit de sent. Dionys. tom. 1. edit. Comment. p. 439. *qui ita loquatur, tametsi meum dictum sit, quod non invenerim hanc vocem consubstantialitatis in literis sacris, rem tamen ipsam mihi deprehendi*, ἐξ αὐτῶν τῶν γραφῶν τὸν νοῦν συναγαγὼν ἔγνων, ὅτι υἱὸς ὢν καὶ λόγος, οὐ ξένος ἂν εἴη τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, *agnoscens Filium non esse alienum à substantia Patris.*)

5. Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11. §. Quinto probatur &c. *Non potest damnari pro hæretico, qui rem ipsam confitetur, licet nomen justa de causa arbitretur tacendum.*

(At Lutherus tantum de nomine agit.)

2. Idem Bellarminus ibid. p. 270. *Luthero nomen Trinitatis displicuit, & ex Germanorum precibus illam precandi formulam submovit, Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.* Coppensteinius in Spongia contra Papo-Calvinismum pag. 62. *Luthero in Postill. Domin. Trinitat. vox Trinitas frigide omnino sonat.* Eandem calumniam repetunt Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri Lib. 1. art. 4. Cornelius à Lapide in Comment. 2. Petri 2. v. 10. Gregorius de Valentia Lib. 1. de unit. & Trinit. cap. 7. Sandæus in themate seculari de Secta Protestant. deserenda th. 232.

Resp. 1. Lutherus loquitur de nomine Germanico, quod *triplicitatem* potius, quam Trinitatem *notat.*

(Res illi erat cum hæreticis, qui Trinitatem imaginabantur *abstracte, quasi quid discretum à tribus personis*, quomodo ἡ ἀνθρωπότης mente solum concipitur aliud quippiam ab omnibus hominibus. Ad illorum ergo somnia, qui *non tres illas personas, sed eam Trinitatem, quam sibi imaginabantur, dicerent, esse unum Deum*, cum formulam illam trahi posse videret, sibi eam *absolute & sine necessaria explicatione* non probari dixit.)

2. In Confessione Augustana testatur, se amplecti *Symbolum Athanasianum*, in quo & res & nomen Trinitatis habetur.

3. Transtulit Lutherus Litaniam ex Latino, cujus editionem, qualis ipsi ad manum fuerat, nimirum in qua & ipsa verba hæc desiderabantur, ipse conspiciendam exhibuit tom. 8. Jen. Germ. fol. 308. Si qua ergo in Luthero culpa, ea in ipsam Latinam sive Romanam Ecclesiam redundat.

4. Sed Lutherus ab intentato crimine facile se purgat, quando Litaniam Germanicam à Sacrosanctæ Trinitatis invocatione & expressa trium Deitatis personarum mentione inchoat.

5. Sandæus loco proxime citato, Lutherum accusat, quod *Trinitatis mysterium oblique impugnaverit submovendo ex Bibliis Germanicis dictum 1. Ioh. 5. v. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo. Lutherus* (inquit) *ut Deo debitum honorem detraheret, ex Litaniis orthodoxis usitatam precationis formam, sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis, exturbavit, vocem ipsam Trinitas mordere & arrodere solitus, eandemq; ob causam clarissimum pro Trinitate testimonium 1. Iohan. 5. è Bibliis extrusit.* th. 28. vocat illud *sacrilegum plagium.* Tannerus in anat. August. Conf. part. 1. Demonstr. 2. §. 24. & in Dioptra fidei part. 1. cap. 5. p. 81. *inter corruptelas textus Biblici à Luthero ei illatas hanc omissionem refert.* Gretserus in defens. Bellarmini Lib. 1. cap. 16. p. 290. *hoc publicum sui in Arianos amoris monumentum Lutherum publice statuere voluisse.*

fuisse, asserit. Pistorius in lib. de signis antiq. & novæ fidei p. 6. itidem Lutherum hoc nomine graviter perstringit.

Resp. 1. Lutherus dogma de Trinitate, quod ex verbis illis Johannis demonstratur, non solum toto pectore amplexus est, sed etiam magnis viribus contra veritatis hostes propugnavit, ut patet ex Commentario in ultima verba Davidis.

2. Ergo non dolo malo, nec in gratiam Arianorum hæc verba in Germanica Bibliorum versione omisit, sed quia in Græcis Codicibus, quos in versione sua ad manum habuit, eum non invenit. Testatur enim Erasmus in annot. ad h.l. Anno 41 editis, *ne quidem in pervetusto Codice Bibliothecæ Vaticanæ à Bombasio descripto eum reperiri.*

3. Latina versio in Concil. Trid. pro nunciata fuit authentica. At hunc ipsum locum quædam Latina exemplaria non habent, ac Theologi Lovanienses in suis annotationibus scribunt, *antiquum Correctorium, quod contribuerat Hunnæus, annotare, verba ista omnia, præter extremas duas voces, in terra, quas quædam exemplaria habent, deesse Codicibus quibusdam Latinis antiquis.* Erasmus in annot. N. Testam. edit. Ann. 40. Basil. p. 770. *Consului duos Codices miræ vetustatis Latinos in Bibliotheca, quæ Brugis est D. Donatiani, neuter habebat testimonium Patris, Verbi & Spiritus.* Quicquid pro defensione Latinorum istorum Codicum adducitur, illud etiam pro Germanica Lutheri versione adduci potest. Confer Disp. 1. de hoc dicto habitam part. 2. Disp. p. 1255.

4. Antonius Possevinus lib. 8. Bibliothec. cap. 2. f. 344. Gretserus tom. 1. Defens. Bellarmin. lib. 2. cap. 2. Luthero *Arianismi scabiem adfricare* laborant, propterea *quod Es. 9. v. 6. Hebræum* אל *reddiderit per* Krafft *ad Deitatem Christi labefactandam.*

Resp. 1. Lutherus ipse in explicat. ultima cap. 9. Esai. p. 232. edit. in 8. Witeberg. Ann. 1548. hoc theorema proponit: *Sive Deus sive fortis explices, proprium DEI nomen videtur significare. Malim tamen exponi Deus.* Confer Commentar. in noviss. verba Davidis tom. 8. Jen. German. fol. 145. b. ubi clare ostendit, *recte exprimi per vocem* Gott.

2. Quare verò primum reddiderit per vocem *abstractivam* Krafft/ (quæ itidem solius Dei propria, ac proinde hæc versio Christi Deitatem haudquaquam labefactat) ejus rei causam explicat in Post. Eccles. quia sc. vox אל *sua Natura & origine significat virtutem & potentiam, hic autem referri nomina officii, nec deesse loca alia pro confirmanda Christi Deitate fortiora.*

2. In articulo de Christo & quidem 1. Generalia.

1. Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 1. *Lutherani docent, carnem Christi habere attributa divinitatis, ex quo sequitur, eos vel esse Nestorianos, vel Eutychianos, vel monstrum ex utraque hæresi compositum.* Huic calumniæ respondimus superius art. 2. cap. 1. sect. 1. in arg. Adv.

2. Idem Bellarm. Præf. lib. de Christo, *Lutherani, dum in Christi carnem omnipotentiam, omnipræsentiam, omniaque divina attributa conferunt, eam sine dubio cum divinitate confundunt.* Greg. de Valent. tom. 1. p. 145. scribit, *Servetum Ubiquetistarum vel Magistrum vel prodromum fuisse, propterea quod similiter acti Spiritu Servetiano velint Christo non tantum secundum hypostasin suam, sed etiam secundum suam humanitatem divina omnia prædicata competere.*

Resp. 1. Superius *Servetum* constituerunt Lutheranorum discipulum, hic eundem eorum *Magistrum* constituunt, quomodo isthæc concilianda?

2. Non introducimus *Naturarum confusionem* vel *exæquationem*, sed *personalem divinorum idiomatum carni factam communicationem* docemus.

3. Idem Bell. in Jud. de Form. Conc. errore 1. disputat, *per nostram doctrinam, quod Christus ut Deus & homo Patri fuerit obædiens, destrui veram Christi divinitatem. Qui enim Deo Patri ut Deus obœdivit, is etiam ut Deus à Patre distinguitur.* Repetit hanc accusationem Laur. Forer. in Bello Ubiq. p. 135. ubi scribit, per *assertionem, quod Christus secundum divinitatem Patri suo æterno obædiverit, pro nobis oraverit & officium Mediatoris exercuerit, Christum de divinitatis suæ solio detractum in creaturarum ordinem à nobis redivivis Arianis collocari.*

Resp. 1. Vox *obedientiæ* Christo attributa accipitur 1. pro admirando illo τοῦ Λόγου incarnandi actu θεϊκῷ, quo juxta benignissimum SS. Trinitatis Decretum ex immensa misericordia dignatus est Naturam humanam in unitatem suæ personæ assumere, & mandatum Patris de redemtione generis humani, quod & suum & Spir. S. decretū est, ultro exequi; & hæc obedientia ipsius Deitati competit. Sed observandum est dea effatum S. Script. consentaneum: *Missio & obedientia Filii non tollit æqualitatem personæ.* 2. pro actu τοῦ Λόγου incarnati θεανδρικῷ & officiali, in quem influunt ἴδια divina & humana, sublimia & humilia. Quando ergo dicimus, *Christum ut Deum Patri obedivisse*, tum sumimus illud vocabulum obedientiæ non pro actu obedientiali, quatenus humilia involvit (illa enim Christo secundum Deitatem non competunt;) sed quatenus hæc obedientia τὰ θεϊκὰ divina & sublimia includit, quæ Christo juxta Deitatem competere nemo negare potest.

2. Distinguimus igitur inter *proprietates* Naturæ humanæ *essentielas*, & ἀποτελέσματα Christo secundum utramque Naturam convenientia: *Humilis obedientia* usque ad mortem competit Christo secundum humanam Naturam, sed *pondus, pretium ac meritum illius obedientiæ*, videl. quod Christus pro totius generis humani redemtione ac salute obedientiam illam Patri præstiterit, à divinæ Naturæ humanitati usque ad mortem Patri humilem obedientiam præstanti personaliter unitæ vi & efficacia descendit, & hoc respectu obedientia Christi actio θεανδρικὴ statuitur, ac juxta utramque Naturam Christo tribuitur.

4. Förerus Jes. in Bello Ubiquetist. p. 289. dicit, *humanitatem Christi à nobis everti, quando cum Luthero in Conf. de Cœna dicimus, carnem Christi esse cum Deo unam personam, longissimeque extra creaturas collocandam, imò tam longe quam Deus ipse est extra creaturas; quod idem esse ducit, atque carnem nihil aliud esse, quam Deum.*

Resp. 1. Nequaquam Christi carnem extra numerum & classem creaturarum ponimus, sed eam in Λόγῳ illocali supereminenter subsistentem ad statum creaturarum reliquarum quippe τῷ Λόγῳ personaliter minime unitarum, expendendam negamus.

2. Idem nobiscum docet B. Lutherus, cujus verba integra sic habent tom. 3. Jen. Germ. p. 460. & in lib. Conc. p. 754. edit. Lips. An. 612. *Hunc præsentiæ Christi modum, quem ex unione personali cum Deo habet longissime extra creaturas, quam longe videl. Deus extra creaturas est, ponere te oportet. Rursus autem tam profunde & prope eundem modum in omnes creaturas, quam profunde & prope Deus in omnib. creaturis est, pones. Est enim una inseparabilis persona cum Deo.*

3. Ex quibus patet, Lutherum non loqui de carnis οὐσίᾳ, sed παρουσίᾳ, quæ prout ἐν αὐτῷ τῷ Λόγῳ illocali est & existit, & ad integritatem personæ τοῦ Λόγου ἐνσάρκου hypostatica unione pertinet, extra creaturarū statum & conditione ponenda est.

5. Idem Förerus in Bello Ubiq. q. 292. scribit, *nostrates fingere, Christum non vere, sed simulate esse passum.*

Resp. Minime v. hoc dicimus, sed in art. 3. Aug. Conf. profitemur, *Christum vere esse passum.*

6. Idem Förerus im Uberschlag p. 275. nobis affingit, quod *physicam idiomatum communicationem in Christo statuamus.*

Resp. Non dicimus, divina idiomata carni assumtæ esse *naturaliter & essentialiter* communicata, sed ut unionem, ita quoq; *communicationem personalem* statuimus.

7. JCti Dillingenses in Compos. Pacis p. 44. nobis tribuunt, quod *carnem Christi statuamus esse immensam.* Förerus in Epilogo belli sui Ubiq. p. 294. de nobis scribit, quod *propter hypostaticam unionem Christi corpus ubique in omnib. bestiis, lapidibus, lignis, esculentis, poculentis, cantharis cerevisiarum, cloacis & reliquis creaturis collocemus:* im Uberschlag p. 200. nobis hanc tribuit sententiam, daß Christus nach seiner Menschlichen Natur nicht allein den Himmel/sondern auch die Helle/den gantzen Erdboden/alle Wasser/alle Steine/alle Höltzer/alle Thier/alle Menschen/alles Brot/allen Wein/alles Bier/alles Laub/ alles Graß/allen Lufft/alles Fewr/alles was in der gantzen Welt weit und breit unten und oben und allenthalben lebet und schwebet/ oder sonst ein Creatur ist/ wircklich erfülle und gleichsam bewohne/ auch mit Leib und Seel darinn und darumb sey.

Resp. Nequaquam dicimus, *carnem Christi esse immensam*, nec statuimus, *localem & inclusivam* carnis Christi in omnib. creaturis præsentiam, sed illocalem, incircumscriptivam, incomprehensibilem & omnem humanæ mentis captum supergredientem præsentiam.

8. Tannerus part. 2. Anat. Aug. Confess. Demonstrat. 2. §. 60. Lutheranis tribuit, quod *doceant, Christum reipsa & vere quoad animam non descendisse ad inferos. Adesdum*, inquit, *Homini & proba &c. à tempore S. Gregorii Magni semper & singulis annis fuisse aliquos*

aliquos, qui sequentia (cum vestra Ecclesia) crederent: Christum secundum humanitatem esse ubique, cum non reipsa & vere quoad animam descendisse ad inferos, quod nempe ex Ubiquistarum errore sequitur. Atqui Christum non descendisse ad inferos reipsa & vere quoad animam, nec à nobis asseritur, nec ex nostra doctrina deduci potest. Non prius, quia nemo potest nominari, qui hoc docuerit. Nec posterius, quia omnipræsentia Christi hominis ad dextram Patris collocati cum vero & reali Christi ad inferos descensu minime pugnat, nec eum everit.

2.Speciales contra Lutherum & Brentium.

1.Bellarminus Præfat.lib.de Christo, Lutherum *Eutychianismi* hoc nomine accusat, quod in libr.de Conciliis scripserit, *divinitatem Christi esse passam.* Idem Luthero objicit Jodocus Coccius tom.1.Thesauri Cathol.lib.1.art.1.ubi addit, *se vidisse librum Andreæ Musculi in quo hoc dogma Lutheri commendet, divinam in Christo Naturam esse passam & mortuam.*

Resp.1.Thomas part.3.q.35.art. 1. verba Augustini lib.de fide ad Petrum cap.2.circa med. *quod Natura divina sit concepta & nata,* pie sic explicat: *Ad primum dicendum, quod propter identitatem, quæ in divinis est inter Naturam & hypostasin, quandoque Natura ponitur pro persona vel hypostasi. Et secundum hæc dicit Augustinus loco citato, Naturam divinam esse conceptam & natam, quia scilic. persona Filii est concepta & nata secundum humanam Naturam.* (At si phrasis illa, *divinitas Christi est concepta & nata,* commode explicari potest, utique etiam illa propositio, quod *divinitas Christi sit passa & mortua.*)

2.Gregorius de Valentia lib.2.contra Ubiquit.cap.1.§.At inquis &c. phrasin de *divinitate Christi passa* excusat in Vigilio Eutychianorum oppugnatore acerrrimo. *Certissimum est,* inquit, *Vigilium divinitatem pro Deo ipso dixisse, qui ea quidem ratione impassibiliter passus esse dici potest, quia cum idem passus sit carne & humanitate, nihil tamen passus est, aut pati potuit divinitate.* (Idē pro Luthero respondemus.)

2 Jodocus Coccius tom.2.Thesauri lib.2.art.4. Lutherum erroris accusat, propterea quod in Comm.Psal.16. scripserit, *Christi animam apud inferos pœnam damnatorum exsolvisse.*

Resp.Lutherus loquitur de *metaphorico Christi ad inferos descensu* ante mortem, non de reali & proprio descensu post mortem.

3. Lutherum etiam eo nomine erroris reum peragunt, quod *sanioribus gentilibus cognitione Christi destitutis salutem tribuerit,* propterea quod in lib.conviv.serm.cap.20.sic scribat: Cicero ein weiser und fleissiger Mann hat viel gelitten und gethan/ ich hoffe unser HERR GOtt werde ihm und seines gleichen gnädig seyn/ Wiewol uns nicht gebühret/ das gewiß zu sagen/ noch zu definiren und zu schliessen/ sondern sollen bey dem Wort/ das uns offenbaret ist/ bleiben/ Wer glaubet und getaufft wird/ der wird selig.

Resp.1.Quid de libro Convivalium sermonum statuendum sit, expositum fuit in Appendice libri 1.membr.2.

2.Ex genuinis Lutheri scriptis constat, quod opinionem *de salute gentilium* rejecerit & in Zuinglio damnaverit. tom.2. Jen.Germ.fol.566.b.extat Epistola Lutheri ad Nobilem à Rechenberg Anno 1523.scripta, in qua tractatur quæstio, *an qui sine fide mortuus possit fieri salvus?* in qua inter cætera sic scribit: Wir haben gar starcke Gründe/ daß ohne Glauben Gott niemand wil noch kan selig machen/ als er Marci ult. spricht/ Wer nicht glaubt/ der wird verlohren. Item Ebr.11. Ohne Glauben ists unmüglich GOtt gefallen. Item Johan 3. Wer nicht aus dem Geist und Wasser von newen geboren wird/ kan das Reich Gottes nicht sehen. Item/ Wer nicht gläubet/ der ist schon gerichtet. Wen nun GOtt jemand selig machte ohne den Glauben/ so thete er wider diese seine eigne Wort/ und straffte sich selbst lügen/ ja verleugnete sich selbst/ das ist unmüglich/ denn wie S.Paulus spricht/ Gott kan sich selbst nicht verleugnen. Also wenig es unmüglich ist/ daß Göttliche Warheit liegen kan/ so wenig ists müglich/ daß er ohne Glauben selig mache/ das ist klar und helle zu verstehen. In Confessione minori tom.8.Jen.fol. 193.expresse scribit, quod *Zuinglius per hanc assertionem de salute gentilium infidelium factus sit plane Ethnicus.* In Comment. super Genes.cap.47.fol.633.sic loquitur: *Fanatici hac doctrina de conversione quorundā ex gentilibus abusi fœdissime lapsi sunt, sicut Zuinglius nuper scripsit, Numam Pompilium, Scipionem, Herculem &c. frui æterna beatitudine in Paradiso cum Petro, Paulo & aliis Sanctis, quod nihil aliud est, quam aperte fateri, quod sentiant, nullam esse fidem, nullum Christianismum. Si enim Scipio & Numa Pompilius, qui fuerunt idololatræ, salvati sunt, cur oportuit Christum pati & mori, aut quorsum opus est baptizari Christianos? Itaq; valde perniciosus error est, quem nos neutiquam probare aut tueri possumus; & tamen audio Zuinglium allegare Commentarium meum in Genesin, ubi dixi, aliquos de generatione Cainitica salvatos esse, idq; etiam doceo, sed non dico, quod salvati sint, ut Cainitæ & Ægyptii, sed ut incorporati & conjuncti Ecclesiæ piorum.*

3.Verba Lutheri non sunt *absoluta,* sed *hypothetica,* quæ Lutherus ipse adstringit ad Cynosuram verbi divini, quod gentiles à salute regno Dei excludit.

4.Lutherus non loquitur de *æterna salute,* sed de *mitigatione pœnæ,* Deum scilicet mitius cum Cicerone acturum, quàm cum aliis, qui ingentibus sceleribus ἀπιςίαν suam impleverunt, sicut Christus Tyro & Sidoni ἀνεκτότερον κρίμα fore dicit præ Corazinitis & aliis his non dissimilibus Matth.11.v.22.

5.Multi ex Pontificiis salutem tribuunt sanioribus gentilibus, ut ostendimus superius cap.4.hujus art.th.3.

4.Brentio Bellarminus Præfat. lib de Christo & lib.3. de Christo cap.1.propterea *Nestorianismum* tribuit, quod scripserit, *Filium Dei assumsisse Filium hominis.*

Resp.1.Thomas part.3.q.4.art.3.ac Bonaventura lib.3.sent. dist.5.q.4.dicunt, *locutionem illam, quæ etiam apud veteres occurrit, esse pie exponendam,* ut sit sensus, *Verbum assumsit humanam Naturam, ut per illam esset homo, aliud enim esse loqui de assumtione, quantum ad fieri, aliud quantum ad terminum vel assumtum.*

2.Idem Thomas in Catena aurea super Evang. hoc loquendi modo utitur. *Filius Dei Virginis Filio, Deus homini, divinitas carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit.*

3.Ludovicus Vives in Comment.lib.9. Augustin. de Civ. Dei cap.17.sic scribit: *Augustinus, Hieronymus & cæteri Latini Scriptores nostræ religionis dicunt, quod Deus assumserit hominem. Græci ἄνθρωπον in Christo dicunt, hoc est, hominem, nec fere norunt aliud loquendi genus, cum de assumto à Filio Dei homine loquuntur. Recentiores Theologi, ut ipsi soli de cœlo decidisse videantur, scrutata tota Christi & divinitate & humanitate invenerunt, non hominem assumsisse illum, sed humanitatem, & hoc dicunt esse adversus hæreticos tutissimum, ceu verò parum tuti futuri essemus, Augustini & Hieronymi autoritate muniti. At illi, inquiunt humanitatem sensere, cum hominem dixere. Loquantur ergo isti, ut illi, & sic sentiant. Sed isti linguarum peritiores & totius rationis loquendi, rudem illam vetustatem & inscitiam Latini, Græcique sermonis emendant & expoliunt.*

4 Bellarminus ipse lib.3.de Christo cap.7.sic scribit, *Augustinus, cum in Enchiridio cap.36.dicit Filium Dei assumsisse hominem, intelligit nomine hominis humanitatem.*

(Si in Augustino phrasis illa commode explicari potest, cur non etiam in Brentio?)

5.Laurentius Valla in Declamat.de donat.Constantini memorat, *Cœlestinum Romanum Pontificem hæresi Nestorii infectum fuisse.*

(Tollant igitur prius *trabem* ex oculo Pontificis, antequam *festucam* ex oculis nostrorum evellere satagant.)

6.Alphonsus à Castro lib. 4.advers. hæreses, tit. Christus hæres.3.de Nestorio scribit, quod *duas in Christo dixerit esse personas, unam divinitatis aliam humanitatis: quodq; non unum Christum in Deitate & humanitate senserit, sed separatim atq; sejunctim alterum docuerit esse Filium Dei, alterum Filium hominis.*

(Quid vero cum hac hæresi Luthero commercii?)

5.Idem Bellarminus lib.4.de Christo cap.8.sic disserit: *Prima sententia de descensu Christi ad inferos est, quod descendere ad inferos sit penitus interire. Brentius in Catechismo Ann.1551.dicit, descendere ad inferos esse penitus interire.* Jodocus Coccius tom.1. Thesauri lib.2.art.4. *Johannes Brentius in Catechismo explicans Symbolum Apostolicum, descendere ad inferos nihil aliud esse vult, quam prorsus interire* zu grund und zuboden gehen.

Resp.Bellarminus verba Brentii sic recitat: *Sentiam* (introducit Christum loquentem & in persona Christi dicit, sentiam) *dolores inferni & penitus interiisse videbor.* Atqui aliud est *penitus interire,* aliud *videri interiisse.* Commune est Philosophorum axioma, *quædam videntur esse talia, quæ tamen revera non sunt talia.* Maldonatus in cap.26.Matth. *Etiamsi Christus plus pertimuisse mortem videatur, quam multi alii Martyres, tamen timidior illis dici non possit.*

2.Verba Brentii, in quibus contra calumniatorum morsus sufficienter seipsum munit, sic habent: *Hoc est descendere ad inferos, videlicet videri prorsus & omnino interire. Quare cum & Christus, postquam sepeliebatur, visus fuit prorsus interiisse, recte dicitur,*

tunc

tunc ad inferos descendisse. Non enim sentiendum est, quod Christus passus sit post mortem suam aliquem in inferno dolorem, dicit enim ad latronem, Hodie mecum eris in Paradiso, sed quod visus fuerit in oculis hominum omni salute destitutus, atque à Deo ipso maledictus & abjectus.

III. Opiniones absurdæ & erroneæ, 1. in articulo de Deo.

1. Fundamentum, cui *mysterium Trinitatis* innititur, Pontificii labefactant, dum *ex solis sacris literis illud demonstrari posse*, negant, (quam ipsorum Confessionem presse urgent Photiniani. Ostorod. contra Tradelium part.2. cap.1. pag.86. Socinus in Defens. animadv. contra Eutropium cap.3.)

Immanuel à Vega in oppugnatione facti Samosateniani Dei p.10 *Trinitas non nisi admissa traditione demonstrari potest.*

Ibid. asserit, *credere se tres personas ejusdem Naturæ & majestatis non aliunde, quam unde nobis compertum, hoc scriptum, quod habemus, Evangelium Matthæi esse vel Marci*, i.e. ut ipse exponit, *ab Ecclesia.*

Franc. Fevardentius lib.15. Theomach. Calvin. p.227. *Cum ne verbum quidem expressum sit in Scriptura utriusque Testamenti de Trinitate personarum consubstantialium, coæternarum, coæqualium; de processione Spiritus sancti ab utroq; &c. cum ipsis Scripturis & voces Ecclesiæ & traditiones Apostolicæ sunt conjungendæ.*

Ant. Possevin. lib.8. Biblioth. p.418. *Lutherani si quid de Trinitate solide evulgarunt, in vitula nostra araverunt, nimirum ex nostris Synodis & Patribus, quos prius blasphemè accusaverant, tanquam ex fidis armamentariis tela omnia petere coacti sunt.*

Wilh. Lindanus lib.3. Panopl. c.5. p.104. *Sunt quædam dogmatum genera, quæ in Scriptura aut non sunt comprehensa, aut si comprehensa, ita profecto recondite illic delitescunt inclusa, imo abstrusa, ut nisi ab hominibus acutissimi ingenii acutique judicii includi aut erui non possint. Posterioris exemplum est, Spiritum à filio procedere; Filium Patri ὁμοούσιον esse; extremæ unctionis Sacramentum esse à D. Jacobo commemoratum.*

(Si mysterium Trinitatis non alia ratione in Scripturis extat, quam Sacramentum extremæ unctionis, triumpharunt Photiniani.)

Cochlæus contra Bulling. dicit, *se melius sacrificium Missæ ex Scripturis probare posse, quam τὸ ὁμοούσιον aut Trinitatem.*

Stapletonus lib.12. princ. cap.5. dicit, *τὸ ὁμοούσιον non posse ex Scripturis probari.*

Pistorius in Colloq. Emerting. *Trinitatem non posse ex solis sacris literis probari, sed esse Ecclesiæ traditionem*, asserit.

(Quantò vero rectius Bellarmin. lib.2. de Concil. cap. 12. *Cum Nicenum Concilium definivit, Christum esse homousion Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quib. diserte continetur, unum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum, ex quib. sequitur necessario, Patrem & Filium esse ejusdem substantiæ & divinitatis.* Id. lib.1. de Christo cap.4.5.6.7.8. & 9. Christi divinitatem; lib.2. de Christo cap. 6. Trinitatis mysterium ex sacris literis probat.

Franciscus Costerus in Enchir. c.1. p.49. *Non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu ad salutem sunt necessaria, perspicue satis esse Apostolicis scriptis comprehensa, cujusmodi sunt mysterium Trinitatis sanctissimæ &c.*

Campian. rat.9. *Num Trinitas personarum in Biblis non fuit, quia vocabula ista non sunt?*

Laur. Förerus im Uberschlag pag.80. Es ist nicht wahr/daß in der unverfälschten Bibel das Wort dreyeinig/da man von Gott rede/nirgendts gefunden werde/denn es stehet ja 1. Joh.5.v.7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unū sunt*, das ist/drey sind die Zeugniß geben im Himmel/der Vater/das Wort und der H. Geist/und diese drey sind eins. Heist das nicht/das GOtt dreyeins oder dreyeinig sey?)

2. Absolutam & simplicissimam personarum Trinitatis æqualitatem labefactant, saltem oblique.

Erasmus in Præfat. ad libros Tertulliani. *Cum dicitur à Tertulliano, Filius est minor Patre, non intelligi debet minor, quoad Deitatem, sed quatenus à generante genitus, à mittente missus, à dante accipiens dicitur id quod Scholastici vocant in Patre autoritatem, in Filio subautoritatem.* (Oppositum hoc est in apposito. Si Filius est Patre minor, quatenus est à Patre genitus, utique etiam secundum divinitatem Patre minor erit, quia secundum divinitatem est à Patre ab æterno genitus. Sed ne Erasmi autoritate se premi nolle excipiant, quippe quem Bellarminus Præfat. lib. de Christo *Semi Arianum* facit, ideo subjungimus hujus generis alia.)

Toletus Card. in Comm. Joh.14. *Quidam ratione divinitatis hoc dictum censent, Pater major me est, ut nomen majoris non substantiæ inæqualitatem, sed originis dicat, quia ab ipso Filius, non à Filio Pater. Hanc expositionem illustres doctores sequuntur, inter quos Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Hilarius, Origenes*, (quam expositionem in medio relinquit.)

Sebast. Vischerus lib.1. Syst. Theol. c.3. p.8. *Pater dicitur omnia in sapientia fecisse, id est, cum sapientia, quæ est Filius, quoniam indivisa sunt opera Trinitatis. Unde & propositio in, notat subautoritatem in Filio, qui hoc ipsum habet à Patre, quod res creat.*

Maldonatus in Comm. Johan.14. v.28. *Tertia explicatio est, Patrem majorem dici Filio, etiam quatenus Filius Deus erat, non quidē reipsa, sed hoc ipso, quod ille Pater, hic Filius erat. Patris enim nomen honorificentius sua Naturâ esse, quam Filii, quia principium, & ut Græci loquuntur, causam Filii significat.* (Subjungit quidem, *Sed haud scio, an plus concesserint Adversariis, quam par erat:* interim expositionem illam non repudiat, nec refellit.)

Bellarminus lib.1. de Christo c.10. *Pater est fons & principium personarum, & ea ratione quandam majoritatem habet.*

Lib. ejusd. cap. 16. scribit, *solutionem quorundam Patrum ad locum Joh.14. v.14. Patrem esse majorem Filio ratione principii, non esse omnino improbandam:*

Lib. ejusd. cap.9. *Ministravit* (Filius in opere creationis) *non ut famulus Domino, sed ut Filius Patri, inter quos licet non sit inæqualitas Naturæ, aut dignitatis, est tamen in Patre autoritas principii, quæ non est in Filio respectu Patris.*

Jodocus Clichtovæus in Damascen. lib.1. cap.11. *Patrem esse majorem Filio dignitate, cum in Patre sit principalior modus existendi, quam in Filio & Spiritu sancto.*

Clichtovæum hoc nomine merito perstringit Gabriel Vasquez part.1. Disput.222. cap.5. Lorinus in Comment. 2. Petri 1. v.17. de hac Clichtovæi opinione in margine sic judicat pag. 649. *Clichtovæus parum considerate loquitur.*

Tannerus Disp.3. in part.1. Thom. D.54. c.4. *Patri proprium esse principium omnium personarum procedentium. Quocirca etiam nonnunquam major autoritate.*

Coppenstein in Spong. p.28. *Pater est principium personarum ut generans, nostro intelligendi modo, Filiusque habet quasi subautoritatem.*

(Atqui unitissima essentiæ in Patre & Filio unitas non permittit, ut pater ratione originis Filio dicatur major. Magnum enim & majus proprie significāt quantitatem, vel *molis*, vel *virtutis* & *perfectionis*, non autem denotant vel originis prioritatem, vel principii autoritatem. In humanis esse Patrem notat quandam excellentiam, qua pater filio suo præstat, sed in divinis aliter se res habet, ubi Filius Patri per omnia est æqualis, Johan.5. v.18. inde etiam Bellarm. ipse Præf. lib. de Christo & in lib. 4. de not. Ecclesiæ cap.9. art.32. ut & Greg. de Valent. lib.1. de Unit. & Trinit. cap.9. art.1. *Arianismum & Servetianismum* Calvino propterea tribuere non verentur, quod scripserit *nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν per excellentiam quandam proprie tribui Patri.*)

3. Occam & Gregorius de Arimino Deum sub genus Logicum reducunt. Scotus 1. sent. dist.3. q.3. disputat, quod *Ens sit genus univocum Deo & creaturis*, & formāt hanc propositionem: *Dabilis est conceptus unus communis Deo & creaturis, prædicabilis de eis in quid & primo modo per se.*

(Hoc repudiat Thomas p.1. q.3. art.5. *Est aliquid, inquit, in genere primo simpliciter & proprie, sicut species; secundo per reductionē, sicut principium & privationes. Neutro modo Deus est in genere.* Coppenstein in Spong. p.22. *Occam, ut in multis hæreticis, ita hoc quoque rejicitur & cum eo stantes, quibus oppono Theologiam universam Romanam, quæ Deum Ens Entium omnia transcendens, extra supraque omnem positum categoriam statuit.*)

4. Chassanæus in Catal. glor. mundi part.3. sic differit: *Cum sint tres personæ, ratione personæ sedebit Spiritus sanctus ad sinistram Patris, eo quod Filius sedet ad dextram, non per hoc, quod Spiritus S. sit major, quia nulla hic majoritas, aut minoritas, sed ut secundum sedes naturales si essent tres æquales, qui vellent sedere in uno loco, unus esset in medio & alii duo ad latera, unus ad dextram, alter ad sinistram.* Cum hoc discursu Chassanæi conjunge discursum Bellarmini lib.3. de Christo c.15. *Apud antiquos sedere à dextris minus erat honorificum, quam sedere à sinistris, ut probat Antonius Nebrissensis, unde etiam in sigillis plumbeis Pontificum, & in multis antiquis picturis ponitur Petrus à sinistris. Si ergo Christus, ut minor, & inferior sedet à dextris, non ergo ea sessio debet referri ad majestatem divinam.*

(Quam

(Quam vero proclive erit ex eo colligere, Spiritum S. obtinere digniorem sedem, quam Filius obtinet? Nos speculationib. illis opponimus dicta veterum. Origenes tract.23.in Matth. *Ne tibi describas sensibiles sessiones & duas cathedras & sedentes super eas humano schemate Patrem & Filium.* Cyrillus lib. 12. Thesauri cap.14. *Qando de Deo sedere & sedes aut solium dicitur, nihil aliud intelligitur, nisi principatus & regia potestas, quam naturaliter super omnes habet creaturas. Magna enim amentia est, sessionem & sedem, aut omnino situm aliquem Deo tribuere, sed quæ corporaliter nostro more de ipso scribuntur, convenienter intelligenda sunt.* Athanasius ad Antioch. tom. 1. p. 332. Δεξιὰν λέγων τοῦ Θεοῦ μὴ τόπους καὶ σχήματα δόξης περιγράφει, δεξιὰ γὰρ καὶ ἀριστερὰ τῶν περιγραφομένων ἐστὶν, ὁ δὲ Θεὸς ἁπλοῦς καὶ ἄποιος καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀπερίγραπτός ἐστι.)

5. Usitatum est in Papatu, Trinitatem exprimere hac figura, *ut uni corpori addantur tres facies sese invicem respicientes*, quales picturæ non solum in templis, sed etiam in libris precationum impressis conspiciuntur, ut Coloniæ Agrippinorum vidi. (At per hanc picturam Tritheitarum & Anthropomorphitarum error simpliciorum animis facile posset ingenerari.)

6. Cornelius Mussus in Concion.tom.1.p.545. negat, *Dei nomen esse Deo proprium. Arbitramini*, inquit, *vocem hanc dissyllabicam è quatuor literis conflatam, Deus, proprium Dei nomẽ esse? Videtisne commune etiam esse Angelis & Prophetis & justis, cunctis deniq; hominibus, nec hominibus tantum, sed & Diabolis.* (At Smiglecius contra Schmaltzium pag.48 demonstrat contrarium. *Quando nomen Dei aliis præter unum ac solum verum Deum tribuitur, tum non accipitur proprie, sed modificate, quando vero proprie accipitur, nulli nisi uni vero & æterno Deo in Scripturis tribuitur.* Hieronymus tom.4. operum pag. 412. *Dei nomen proprium est Trinitatis, tribus enim personis proprie competit.*)

7. Nomen *Jehovah* etiam creaturis in Scriptura tribui asseruntt, ac proinde *proprium Dei nomen esse*, negant. (Qua ratione fundamentum pro astruenda Filii & Spiritus S. divinitate ab hoc nomine petitum labefactant.) Bellarminus lib. 1. de Christo cap.5. *Posset aliquis respondere, Angelum dici Jehovam, non ut est Angelus, sed ut Deum repræsentans.* Pererius Disput. 6. in cap.3. Exod. p.89. *Qui in rubo apparuit, personaliter fuit Angelus, repræsentative Deus.* At is, qui in rubo apparuit, vocatur *Jehovah*. Bailius in Catech.controv.tract.2.q.45. statuit, *eum, qui Josua apparuit* Jos.5.v.13 *fuisse Angelum creatum*, qui tamen diserte vocatur *Jehovah*. Pagninus probare conatur, *nomen Jehova etiam idolis tribui*, Ex.32.v.5. Jud.17.v.3. (Quanto rectius Franciscus Lucas Brugensis, Scriptor alioqui Pontificius, in annot. ad Matth.1.v.20. *Nomen* τετραγράμματον יהוה *ab esse derivatum, adeo proprium est Dei nomen, quod sibi ipse indidit, ut illius hominis Jacob, hujus Joseph, ut gerat etiam in capite Jod literam, propriorum nominum formativam.*)

8. Holius in Confess. fidei cap.2. *Distinctionem personarum & unitatem substantiæ, si qui sunt rudiores, quam ut comprehendere possint, non est adeo necessarium ad salutem omnibus credere, ut si quis minus hac fuerit assecutus, de ejus salute dubitandum sit.* Idem statuit Saa in verbo Fidei. Utriusq; verba recitat Tannerus tom.3. Theolog. Scholast. Disp.1.q.7.dub.2.n.49. (Contrarium statuit Athanasius in Symbolo.)

9. Petrus Charroneus, veritatis 3. cap.2. de loco Johan.10. v.30. *Ergo & Pater unum sumus*, sic scribit: *Disertissimus Scripturæ locus ad probandum* τὸ ὁμοούσιον, *verisimilitudinem quandam obtinet, at sufficiens est minime.* (Contrarium testantur pii veteres & ex serie contextus evidentur probari potest.)

10. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 6. sic disserit: *Magister* (Lombardus) *lib.1.dist.2. & multi alii afferunt pro argumento* (quo mysterium Trinitatis probetur) *quod Scriptura conjungat nomen Dei plurale cum verbo singulari. Gen.1. In principio creavit Elohim, Ps.36. Adonai videbit. Sed non puto esse argumentum admodum solidum, siquidem consuetudo Scripturæ id habere videtur, ut nomina illustrium personarum ponantur in numero multitudinis, licet verba retineant singularem numerum. Quam consuetudinem nos Itali ex parte imitamur, dum viris gravibus non dicimus, Tu, sed vos, licet non unum, sed multos alloquamur.* Similia occurrunt apud Sixt. Senensem lib.5. Bibl. annot 1. Pererium in Gen. tom.1.p.15.n. 39. (Atqui Scriptura ipsa ostendit nomine Elohim de Deo usurpato plures personas insinuari Genes.1.v.1.cap.3.v.22.Ps. 33.v.6.&c. Idem agnoscunt Lyranus & Burgensis in cap.1. Genes. Quinimo, quod merito mireris, Bellarm. ipse in sua Grammatica asserit, *pluralem numerum* in phrasi בָּרָא אֱלֹהִים *Gen.1.v.1. ad insinuandum Trinitatis mysterium adhiberi.*)

11. Thom. Hardingus in Confut. Apol. Anglicanæ part. 3. cap.3. perstringit modum illum loquendi, quo Anglicanæ Ecclesiæ Confessores fuerant usi; *Sit Deo nostro gratia. Quem*, inquit, *proprium ac peculiarem Deum dicatis, ignoramus. Frequens admodum est hæc phrasis amanuensi vestro, tanquam alius sit vobis Deus, qui est omnium communis.* (Atqui quoties Psalterium in horis Canonicis decantant, toties ipsimet Pontificii hoc loquendi modo utuntur. Ps.45.v.2. *Deus noster refugium & virtus.* Psal. 46. v.7. *Psallite Deo nostro.* Psal.76.v.21. *Deus noster Deus salvos faciendi.* Psal.113.v.11. *Deus noster in cælo &c.* Quinimo Hardingus ipse sic loquitur fol. 124. b. *Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas.* Confer Ivellum tom.2. oper. p.307.)

2. In articulo de Christo, & quidem,

1. Fundamenta Deitatis Christi oblique labefactant.

1. Thomas de Vio Cardin. Cajet. nova glossa corrupit emphaticum locum, ex quo Orthodoxi probant divinitatem Christi Joh.1.v.1. *Verbum erat apud Deum*, ut sit sensus, *refertur ad Deum*: quam glossam Cajetani, *ut falsam*, recte confutat Ambrosius Catharinus Compsæ Episcopus, teste Sixt. Senensi lib.6. annot.169.

2. Idem Cajetanus in Comm. Hebr.2.v.7. periculose scripsit & docuit, *Christum à Deo diminutum fuisse secundum esse substantiale*: quem propterea merito castigavit Ambrosius Catharinus, teste Sixto Senensi lib.6. annot.331.

2. de unionis personalis mysterio nimis tenuiter sentiunt.

1. Bellarmin. lib.3. de Christo cap.8. in prima editione scripserat, *carnem existere in Verbo, ut brachium in corpore.* (Sed monitus de comparationis hujus absurditate in posteriorib. editionib. dispunxit.)

Ibid. *Sicut ramus inseritur arbori alterius speciei, ubi post insitionem arbor sustentat ramum illum, qui alioqui per se non existeret; ita prorsus* (nota illud prorsus) *Verbum divinum instar magnæ arboris suscepit ramusculum humanæ Naturæ, suo trunco à cælesti agricola mirabiliter insertum.*

Lib. ejusd. cap.4. propositionem, *Verbum caro factum est*, explicat per has propositiones. *Aaron à Deo factus est Pontifex, David factus est Rex.*

Lib. ejusd. cap.8. unionem definit per sustentationem. *Aliter*, inquit, *sustentat Deus Petrum, aliter Christi carnem. Petrum dicitur sustentare, quia conservat illum cum sua essentia & subsistentia, ut cum quis baculum manu tenet; At Christi humanitatem DEI Verbum sustentat eo modo, quo totum sustentat partes intime sibi conjunctas.*

Lib. ejusd. c.15. Λόγον *assumentem humanam Naturam confert cum Rege, qui purpuram induit.*

Lib. ejusd. cap.17. confert *unionem divinæ & humanæ Naturæ in Christo cum globi Solaris & ipsius orbis unione.*

Ibid. §. ult. *Licet alicubi sit Verbum, ubi non est humanitas, tamen etiam ibi Verbum est homo, quia Verbum ibi existens sustentat humanitatem ut suam & propriam, licet alibi existentem.*

2. Propositiones personales, *Deus est homo*, & *Homo est Deus*, Busæus in Disp. de persona Christi cap.2. fol. 49. sic explicat. *Homo, i.e. habens humanitatem est Deus, Deus, h.e. habens Deitatem est homo.*

(At hanc ἀνάλυσιν nec ipse Nestorius negasset, qui tamen unionem personalem quæ per has propositiones exprimitur, negavit.)

3. Gabriel Biel in 3. sent. dist.1. q.2. art.1. postquam disputasset, *Deum posse sibi suppositare, h.e. in suum suppositum assumere, lapidem, asinum, hominem damnatum, imo & Diabolum*, subjungit, *Corollarium, quod sequitur ad hanc conclusionem, Deus est lapis, Deus est asinus, Deus est homo damnatus, Deus est Diabolus. Patet, quia eadem ratione, qua illa conceditur, Deus est homo crucifixus, mortuus &c. etiam illæ sunt concedendæ per communicationem idiomatum.* Contra vero magno zelo Guil. Bailius in Catech. controv. tract.2.q.60. *Estne Cerberus, qui hanc propositionem, Deus est expertus pœnas damnatorum, sub communicationis idiomatum prætextu auderet evomere?*

4. Jodocus Coccius tom.1. Thesauri, lib.1. art.1. inter errores refert, quod Nicolaus Selneccerus in Confut. Accus. f.192. scripsit, *Nemo dicere potest, vel debet, Deum non esse passum, vel mortuum.* Item quod Jacobus Andreæ th.156. fatetur, *pati & mori nomine & re pertinere ad divinitatẽ.* Idem Coccius lib.2. art.2. & 6. inter errores recenset, quod *Lutherus in Confess. majori de Cœna Domini scribit: Cum credo, quod sola humana Natura pro me passa est, Christus ille vilis, nec magni precii Salvator est, imo ipse quoq; Salvatore opus habet.*

(At hac ratione realis idiomatum communicatio, immediatum unionis personalis consequens, negatur. Coccius ipse inter errores numerat & recte, quod Nestorius apud Cyrillum Alexandrinum Epist. ad Cornarium & Potamionem Episcopos dicit *Ego Deum bimestrem aut trimestrem non dico.* At si error est, negare, Deum dici posse *bimestrem*, utique etiam error est, negare, Deum esse *passum.*)

5. Bellarminus, ut evertat similitudinem Chemnitii, qua mysterium unionis & communicationis idiomatum declarat, desumtam à ferro candenti, sic scribit, lib. 3. de Christo cap. 10. *Quale Paradoxum est, quod ignis penetret totum ferrũ, non per calorem, sed per seipsum? & quod ferrum luceat ac urat, non per calorem ab igne acceptum, sed per ipsum, qui est, in igne. Nam hoc modo substantia ignis sine ullo miraculo penetrabit aliam substantiam.*

(Atqui Physici efficacibus rationibus demonstrant, ignem revera esse in ferro, cui assertioni ipse sensus attestatur; ac ferrum urere non per alium, sed per ipsius ignis calorem.)

6. Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 8. §. Tertio probatur. *Solus Filius Dei est incarnatus. Ergo unio facta est per communicationem ejus, quod est proprium Filii, non ejus, quod est commune aliis personis. Sed sola subsistentia Filii est propria Filio, attributa autem omnia essentialia communia sunt omnibus tribus personis. Ergo unio hypostatica facta est per communicationem solius substantiæ.* (Rectius Thomas p. 3. q. 3. art. 4. *Tota Natura divina dicitur incarnata, non quia sit incarnata in omnib. personis, sed quia nihil deest de perfectione Naturæ divinæ personæ incarnatæ.*)

3. Justitiam Christi habitualem & actualem labefactant.

1. Salmeron Disp. 50. in Epist. ad Rom. derogat Christo originalem justitiam. Respondens enim iis, qui concludebant, *Mariam fuisse sub originali peccato, eò quod caruisset justitia originali,* argumentum solvit negata consequentia. *Si hæc connexio,* inquit, *efficax esset, evinceret, Christum fuisse sub originali peccato, eò quod justitia originali destitutus fuerit.* Et postea. *Et hæc dixerim, eo posito, quod Christus caruerit justitia originali, quam tamen quidam ex Scholasticis* (nota *quidam* tantum, non omnes) *illi tribuunt, ut Johannes Gerson & Johannes Majoris, etsi prior sententia mihi magis arrideat* (Contra Scriptura docet, Christum fuisse & adhuc esse prorsus ἄκακον, ὅσιον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν Heb. 7. v. 26.)

2. Suarez tom. 1. Comm. in Thom. part. 3. Disp. 34. sect. 2. f. 504. *Quorundam Theologorum sententia est, non repugnare, Deum peccare per assumptam Naturam, cujus præcipuus autor est, Durandus in 3. dist. 12. q. 1. & Gabriel,* (quod merito ibidem Suarez statuit esse impossibile.) Eundem errorem Greg. de Valentia tom. 4. col. 355. 357. in quibusdam Doctoribus refellit.

3. Idem Suarez tom. 1. Comm. in part. 3. Thom. Disp. 34. sect. 2. f. 514. taxat Durandum, quod statuat, *in appetitu Christi sensitivo fuisse fomitem peccati.* (Absurdum, imo blasphemum merito judicatur, in appetitu Christi sensitivo peccati fomitem statuere.)

4. De actionibus & passionibus Christi θεανδρικαῖς minus commode loquuntur & sentiunt.

1. Petrus de Alliaco Cardin. q. 30. in Genes. statuit, *Christi nativitatem ex Genethliacis divinationibus prænosci potuisse;* quem propterea graviter reprehendit Sixt. Senensis lib. 6. Bibl. annot. 10. eumque ex Patribus & Concilio Tridentino refellit. Nec solum *Alliacum*, sed & alium quendam Doctorem *Saravallium*, qui pariter huic sententiæ Petri de Alliaco faveat & Sixto dicam scripserit, eumque male tractarit. Ptolemæus Lucensis Cisterciensis Ord. Monachus Mantuæ in templo publice docuit, *Christum fuisse juxta cor Mariæ Virginis ex tribus guttulis sanguinis conceptum & non in utero, ut alios juxta communem ordinem,* referente Balæo lib. 7. de Rom. Pontif.

2. Barradius tom. 1. Comment. lib. 10. cap. 15. *gesta Christi ab anno duodecimo ad Baptismum usq; non posse sciri,* probat ex Prov. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* (Errorem hunc versionis Græcæ & Latinæ, quo *adolescentia* ponitur pro *adolescentula* emendaverant aliquæ editiones Latinæ, sed Sixtus restituit & per Lucam Brugensem edixit, ne quis facile scribat *adolescentula.*)

3. Maldonatus in cap. 4. Luc. v. 30. *Verba tantum significant, eum* (Christum) *securum sine ulla fuga, sine ulla festinatione per medios hostes gravi lentoq; gradu processisse. Hæc n. vis verborum mihi videtur indicare, καὶ αὐτὸς διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν ἐπορεύετο. Et ipse, vel potius ipse autem, est n. occulta quædam antithesis, per medium eorum transiens ibat, i. e. procedebat & securus gradiebatur.* Rectius Cottonus lib. 1. Inst. cap. 5. *invisibilitatem corporis Christi* ex hoc loco cum Joh. 8. v. ult. collato probat, urgens tum verbum διελθὼν, quam vocem Paulus etiam usurpat Heb. 4. cum dicit, Christum διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς; tum scopum hujus transitus, quod Christus hoc miraculo voluerit suam divinitatem demonstrare, testibus Ambrosio, Euthymio, Thoma, tum modum, quod se exhibuerit invisibilem, quod probat ex Theodoro Heracliensi. Rectius etiam Jansenius in Conc. Evang. cap. 54. *Se tantum servat & manib. illorum eripit, idq; mirabili quadam potentiæ suæ ostensione, quæ illos, si vellent, ad pœnitentiã commovere posset. Seipsum a. mirabiliter liberaturus non se vertit in avem, aut serpentem, aut aliud præstigii genus, sed divinam plane & se dignã virtutem ostendit &c. Potest a. hic transitus dupliciter intelligi contigisse, aut per hoc, quod illorum mutavit vel obstupefecit sensus, ut vult Beda, adimendo se illis vires, aut per hoc, quod se illis invisibilem reddidit,* (ubi ipsa verborum series ostendit, posteriorem modum à Jansenio præferri.)

4. Gabr. Vasquez in 1. p. Thom. Disp. 244. n. 3. statuit, *Angelum, qui Christo in passione apparuit, Luc. 22. v. 43. ideo missum esse, ut fortitudinem Christi laudaret,* quam sententiam dicit *esse sacris literis consentaneam.* Sed Adamus Conzenius rectius statuit contrarium in cap. 22. Luc. *Fuit,* inquit, *hoc dispensationis æternæ, ut animam consolatione voluntarie privatam & tristem hoc modo Angelus firmaret, quo omnibus fidelibus ostenderet, Dei auxilium afflictis nunquam deesse.*

5. Idem Adam. Conzen. in c. 27. Matth. merito refellit Baronium, qui statuit, *vinum myrrhatum commiserationis causa Christo datum fuisse. Baronius,* inquit, *commiserationis affectu allatum existimat* (vinum myrrhatum &c.) *Forte aliquando factum, non tamen ad Christum pertinuisse videtur. Non enim Christus peccatum suum, quod nullum habebat, confessus est, quod à Thalmudicis quidem cum potione myrrhata conjungitur. Deinde nulla exhibita est miseratio, in dolore & precib. irridebatur.*

6. Ad incommodas locutiones merito refertur, quod corpus Christi mortui *cadaver* nominant, (cum in ipsa morte τοῦ Λόγου vivifici templum personale fuerit; unde Hayus Disputat. lib. 1. cap. 54. in Beza hanc phrasin taxat, qui tamen in iterata versionis N. T. editione eam mutavit.) Nannius illud Athanasii de incarnatione, ἵνα τοῦ δεῖξαι τὸν θάνατον ἐν τῷ σώματι τὸ ... ταῖον ἀνέστησε τοῦτο, ita vertit: *ut mortuum esse suum corpus doceret, non priusquam, nisi ubi jam triduanum cadaver esset, excitavit.* Cajetan. in c. 28. Matth. *Voluit divina providentia, jesu resurrectioni, quæ facta est, non coram hominib. videntib. cadaver ejus resurgere, sed sepulchro clauso testimonium perhibere ab Angelis.* Salmeron tom. 11. tract. 7. *Quomodo anima illa gloriosa sanctum illud cadaver intraverit &c.*

7. Erasmus Roterodamus in explanat. Symbol. Apost. Catech. 4. *Sequitur, descendit ad inferos. Hic est articulus, quem Cyprianus in Symbolo Romano non haberi ait. Ipsa inconcinnitas verborum arguit, ab alio quopiam intertextum emblema. Sepultus est, ad corpus pertinet, quod morte sopitum resurgit. At descendere ad inferos ad animam refertur, quæ nec sepulta fuit, nec resurrexit, sed ad tempus sejuncta, mox ad corpus ex anime rediit. An Thomas Aquinas addiderit, vel subdubito. Nonnulla suspicio est, hunc articulum ab alio adjectum, vel hoc argumento, quod non est suo loco.* (At hac ratione art. de descensu Christi ad inferos labefactabitur, unde etiam Jod. Coccius tom. 2. Thesauri lib. 2. art. 4. hunc Erasmi locum inter errores recenset.)

8. Joh. Picus Mirandula in Apol. q. 1. *Christus non veraciter, & quantum ad realem præsentiam, descendit ad inferos, ut ponit Thomas & communis via; sed solum quoad effectum.* Ibid. *Scotus in sacris literis non parum exercitatus dicit, quod ex Script. sacra non habetur, quod Christus descenderit ad inferos ut refert Francisc. de Mayronis in 4. sent. Quo minus dicere possumus, quod ex Scriptura habeatur certus & determinatus modus descensus Christi.* Huc referri etiam potest, quod Suarez in 3. p. Thom. q. 52. art. 8. Disp. 43. sect. 2. sub finem statuit, *non esse necessarium, descensum Christi ad inferos inter articulos fidei computare, quod non sit res admodum necessaria omnibus hominibus, quodq; ob hanc causam fortasse in Synodo Nicena omittatur, cujus Symboli cognitio videtur esse sufficiens ad præceptum fidei implendum.* (Contrarium quidem tenet communis Schola Pontificiorum: interim Picus suam assertionem satis probabiliter deducit ex hypothesi omnibus communi, quod Christus secundum animam tantum ad inferos descenderit. *Sicut,* inquit, *substantiæ corporeæ non competit fuisse alicubi commensurative, nisi per quantitatem: ita illi animæ Christi non competebat esse in inferno, ubi creditur fuisse, nisi per effectum & operationem. Sed sicut*

ratio

ratio præsentialitatis animabus Sanctorum Patrum fuit, habitudo ad illum locum habens se per modum operationis transeuntis, sicut erat detentio & allegatio ad illum locum, donec aperta janua à Redemtore extraherentur: ita ratio præsentialitatis animæ Christi fuit operatio, quam ibi est operatus.

9. Bellarm. libr. 3. de Christo c. 15. *Aqud antiquos sedere à dextris erat minus honorificum, quam sedere à sinistris, ut probat Ant. Nebrissensis, unde etiam in sigillis plumbeis Pontificum & multis antiquis picturis Petrus ponitur à sinistris, cum tamen constet, Petro semper delatum primum locum fuisse. Si igitur Christus, ut minor & inferior, ad dextram sedet, non ergo ea sessio referri debet ad majestatem divinam.* (Contra Lipsius lib. 1. electorum c. 2. negat & operose refutat, *sedere à dextris apud antiquos minus honorificum fuisse quam sedere à sinistris.* Pugnat argumentum Bellarm. cum fine sessionis Christi ad dextram Patris, & cum definitione ejusdem in Scripturis proposita Act. 2. 33. Phil. 2. 9.)

10. Sebast. Michaelis Dominicanus in resp. ad Joh. Gigordum c. 1. negat *in phrasi Apostolica, qua Christus dicitur sedere ad dextram Dei, esse tropum. Negamus*, inquit, *ullam esse figuram aut metaphoram in his verbis, habita ratione linguæ Apostolorum, qui erāt Syri sive Hebræi. Et notandum, quæ locutio est propria in una lingua, esse metaphoricam in alia, unde hæc verba metaphorica sunt Latine sive Gallice, sed non Hebraice. Hebraice unum idemque verbum æque significat quiescere, habitare, regnare & sedere, sed magis proprie unū, quam alterū. In Symbolo usurpatur pro regnare, ut & Matth. 20. Dic, ut hi duo filii sedeant.* Contra Catech. Trid. in Symb. *Quo loco tropum, id est, verbi immutationem licet animadvertere frequentem in divinis literis: cum humanas affectiones & membra ad nostram intelligentiam accommodantes Deo tribuimus.* Luc. Brugensis in c. 22. Matth. *Metaphora ab eo sumta, quod locus maxime honorificus, sedere à dextris,*

11. Gaspar Sanctius in cap. 3. Act. n. 24. *Hinc* (ex Act. 3. v. 21.) *quidam Catholici inferunt, Christum nunquam in propria & naturali forma è cœlo descendisse, quia ibi futurus esse dicitur usque ad extremum judicii diem. Sed revera est infirmum argumentum.* (Illi Catholici negare coguntur, *apparitiones* illas Christi post ascensionem in Historia Actorum Apostolicorum descriptas fuisse *veras*, quas rectius alii pro veris habent. Confer Bellarmin. lib. 3. de Eucharist. cap. 3.)

12. Lorinus in c. 23. Act. v. 11. *Probabilis est sententia Carthusiani, fuisse apparitionem imaginariam dormienti factam ab Angelo, qui referret Christum, ita ut nec Paulus, dum affirmat se vidisse Christum ad confirmandam veritatem resurrectionis ejus, vel æqualem dignitatem suam in Apostolatu, inde ducere voluerit argumentum: ne qui ex hac præsenti apparitione colligunt, Christum esse in Sacramento Eucharistiæ & in cælo, satis firmiter argumententur.* Rectius Claud. Caronæus in prooemio Equitis Christiani lib. Instit. c. 6. Cæsar Bulengerus contra Plessæum ad lib. 3. cap. 4. de Eucharistia statuunt, Christum ipsum Paulo in terris præsentem astitisse, quod confirmari potest hoc argumento: Is, de quo testificatus est Paulus in Jerusalem, & de quo testificaturus erat Romæ, is inquam est ille Dominus, qui astitit Paulo in castris. Atqui Christus θεάνθρωπος crucifixus & mortuus ac resuscitatus est is, de quo Paulus testificatus est in Jerusalem, & de quo testificaturus erat Romæ. Ergo Christus θεάνθρωπος est ille Dominus, qui Paulo in castris astitit, & per conseq. non imago, non forma.

5. De merito & satisfactione, adeoque de Sacerdotali Christi officio incommode loquuntur, & erroneas fovent opiniones. Nam

1. Christo in opere Redemtionis, Mediationis ac Salvationis adjungunt B. Mariam Virginem.

Brigitta in Revelat. c. 3. *Ego Filius Dei bene dicere possum, quod mater mea & ego q. cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipsa cordis dolore & amore.*

Discipulus de temp. serm. 32. de Sanctis p. 256. *Quomodo Christus sua resurrectione dedit spem gloriosæ resurrectionis virili sexui: ita Maria sua in cœlum assumtione dedit spem gloriosæ resurrectionis sexui muliebri.*

Ibid. f. 628. *Quia contraria contrariis curantur, ideo sicut Eva per superbiam homines perdidit: ita Maria è converso debuit se humilimam exhibere, ut nobis mortem auferret & vitam donaret.*

Mariale editum Argentinæ per Mart. Simmium An. 1493. lib. 1. cap. 5. f. 13. *Fuit Dominus cum ea* (Maria) *& ipsa cum Domino in eodem labore & in eodem opere Redemtionis. Mater misericordiæ adjuvit Patrem misericordiarum in opere salutis nostræ, unde prædictum est de prima muliere, Faciamus ei adjutorium. Quid est ergo, quod Dominus dicit, Esai. 63. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est Domine, quod non fuit vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.*

Antoninus part. 4. tit. 15. c. 44. §. 9. Mariam cum Seraphin sic loquentem introducit. *Oportet impleri Scripturam dicentem, Non est bonum hominem esse solum. Non decet igitur eum* (Filium meum) *esse solum, sed me matrem suam secum juxta eum datam sibi in adjutorium, in redemtione per compassionem, in glorificatione per intercessionem continuam pro humano genere, ut cum minatus fuerit subvertere terram, sicut in diluvio, ego appaream tanquam arcus, ut recordatus fœderis repropitietur.*

Tetzelius in Supplem. Cœlifodinæ, *Christus, beata Virgo & Sancti pro peccatis hominum satisfecerunt.*

Surius in lib. de pass. Christi pag. 158. & 346. *Christus passus est extra in corpore, Maria intus in corde. Ut Pater passionem Christi acceptavit pro sacrificio mundi: sic etiam Mariæ sacrificium suscepit ad utilitatem & salutem generis humani, quo & ipsa perpetua Mediatrix esset inter Deum & hominem. Duo ergo altaria hic præparata, unum in Christi corpore, alterum in Mariæ corde. Christus quidem carnem & sanguinem obtulit, Maria autem animam suam.*

Salmero tom. 6. tr. 6. ad verba, *Dicit mater Jesu &c.* sic annotat. *Ad hoc electa erat Domina, ut instigatrix, quia bonum non erat hominem esse solum, sed oportebat esse adjutorium simile sibi, ut sicut duo vir & mulier operati sunt ad ruinam & damnationem, in qua mulier prævenit virum: ita per contrarium vir unus & mulier una operentur ad salutem, in qua mulier excitaret virum.*

Idem tom. 10. tr. 41. f. 339. Mariam vocat *corredemtricem*, ac scribit, *Mariam cruci astitisse, ut humani generis reparatio ruinæ mundi congrueret. Ut n. ruina ex eo est secuta, quod mulier ad lignum scientiæ boni & mali accedens, comedit, ac proinde mortua est, & viro tradidit in mortem ad edendum: ita hic è contrario; (sicut contraria contrariis curantur) vir primo de ligno amaro crucis gustavit, ac fœmina gustandum præbuit. Et ut ibi à duobus sed præcipue à viro casus mundi profectus est, ita salus ac redemtio à duobus, sed præsertim à Christo proficiscitur. Matrem prope crucem vocavit Jesus, ut ipsa mater Filium suum in sacrificium Patri æterno pro toto mundo offerret, ut Abraham filium suum Isaac, &c.*

Idem tom. 13. Disp. 54. in Epist. ad Rom. *Datum est Mariæ Virgini, ut esset cooperatrix ad redemtionem nostram & adjutorium simile Christo.* Et postea. *Fuerunt in prima conjugatione Adam & Eva ad perdendum &c. in secunda conjugatione habemus Mariam & Jesum &c. Ut prima colligatio nocens inventa est, ita & secundam conjugationem oportuit esse innocentem, separatam à contagio primæ colligationis, alioqui minus esset idonea ad dissolvendam primam, & minus decens esset antidotum. Unde Paulus de Christo magnifice sentiens, dixit, Talis decebat, ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus &c. Quod si hoc desideratum est in Christo, ut idoneus esset Redemtor: simili ratione socia illius operis Maria, ne conjugatio claudicaret, & idonea esset Mediatrix & viro suo auxiliatrix innocens fuit &c.*

Osorius tom. 4. p. 530. *Christus in Calvaria carnem, Maria immolabat animam.*

Vinc. Brunius in Medit. festorum B. Virginis edit. Colon. An. 1590. p. 11. *Cum decrevit, Filio suo unigenito pro redimendo genere humano assumendam esse carnem, simul etiam decrevit & prædestinavit, quæ deberet esse ejus mater, & Redemtionis nostræ cooperatrix.*

In Flosculis S. Francisci, referente Vergerio annot. in Ind. lib. prohibitorum ad Ann. 1559. f. 9. legitur, *Mariam merito virginitatis suæ servasse omnes fœminas ad tempora cujusdam Claræ contemporaneæ S. Francisci, sicut ipse Christus merito passionis suæ servavit omnes viros usque ad tempora ejusdem Francisci.* Vide Wolffium tom. 1. Lect. memorab. p. 522. & tom. 2. pag. 691.

Joh. Leisentrit in cursu piarum precum, Joh. David in Pancarpio Mariano p. 194. & alii Mariam Virginem vocant *Mediatricem, Auxiliatricem, Redemtricem, Illuminatricem & Advocatricem, portam Paradisi, stellam mundi, erutricem inferni.*

Suarez tom. 2. Comm. in Thom. Disp. 22. q. 37. sect. 2. *Maria ad nostram redemtionem singulari modo cooperata est.*

Huc referri potest, quod præter B. Mariam semper Virginē etiā alios Sanctos Christo in opere Mediatorio conjungunt.

Bernhardinus in Rosario part. 2. serm. 27. p. 224. de Francisco scribit, quod *stigmatis quinque vulnerum suorum servet à morte æterna viros, qui à tempore illius usque ad finem mundi vixerint & vivent.*

Antoninus Archiep. part. 3. tit. 23. c. 1. de Dominico scribit, *quod trinam disciplinam de manu propria catena ferrea susceperit u-*

que ad sanguinis effusionem, unam pro suis culpis, aliam pro existentibus in Purgatorio, tertiam pro iis, qui in mundo versantur.

2. Contritionem capitis serpentini B. Virgini tribuunt.

Antidotarium animæ f. 118. ad Mariam. *Adoro sanctissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis caput conculcasti.*

Sab. Fabrinus Recinetensis Theologus apud Rutil. Benzonium Episcopũ Lauretanũ de anno S. Iubilæi Venet. Ann. 1599.

Tu caput inferni fregisti sola Draconis,
Virgineo calcans dira venena pede.

Osorius tom. 3. Concion. pag. 402. & p. 474. *Maria victoria fuit, quia contrivit caput serpentis.*

F. Henricus Helmesius in Expugn. & spoliatione 2. c. 3. *Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis.*

In lib. Cantion. Germ. Dilling. edit. Ann. 1573. Du Maria rein/ durch deine Gehorsamkeit und Gottselig Demütigkeit/ hast dem Teuffel zerknirschet sein Haupt/ und ihn aller Macht beraubt.

Bellarminus libr. 1. de septem verbis Christi in cruce c. 12. p. 102. *Multi ad singulare & plane maternum patrocinium tantæ Virginis accesserunt, & nemo confusus aut tristis dimissus est, sed omnes hilares ac gaudentes, freti patrocinio tantæ matris. De qua enim scriptum est, ipsa conteret caput tuum, in ea confidunt, se quoque fidenter ambulaturos super aspidem & basiliscum &c.* (Quanto rectius contritionem illam capitis serpentini Augustinus Torniellus in Annalibus ann. mundi 1. num. 11. soli Christo tribuit, adducens eam in rem insigne dictum Leonis Magni Episcopi Romani serm. 2. de nativ. Domini *Deus omnipotens & clemens, cujus Natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos Diaboli malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilic. in carne venturum Deum hominemque signans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret.*)

3. Negant Christi satisfactionem simpliciter ad redemtionem & salutem nostram fuisse necessariam.

Thom. p. 3. q. 46. art. 2. *Potuisset Deus sine satisfactione homini remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem.*

Gabr. Biel. 3. sent. dist. 20. q. unic. *Posset Deus peccata remittere per solam nonimputationem, posset per alium satisfieri. potuisset quilibet pro se satisfacere, si data fuisset prima gratia sine merito.*

(At satisfactio pro totius mundi peccatis non potuit proficisci, nisi à virtute infinita adeoque à persona divina.)

Petrus Tataretus in 4. sent. distinct. 15. *Dico, quod quicunque peccator potest satisfacere de peccato commisso, secluso merito passionis Christi, de potentia Dei absoluta, sed non de potentia ordinata, nisi merito passionis Christi. Probatur ista conclusio, quia si Verbum non fuisset incarnatum, vel pro nobis passum, prædestinatus ad vitam æternam potuisset satisfacere ad vitam absq; merito passionis Christi.*

(Neve excipiant, *hanc opinionem Scholasticorum à recentioribus Pontificiis improbari*, observa, quod Bellarminus talem prædestinationis ordinem in mente divina nobis describit, qui ex hypothesi illa Scholasticorum profluit.)

Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arb cap. 9. *Primo prævidit Deus, si hominem concederet, eum lapsurum cum omni posteritate, & simul vidit, posse se variis modis liberare, vel omnes, vel aliquos. Secundo voluit hominem concedere, & ut laberetur, permittere, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis relictis. Tertio excogitavit remedia salvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio & passio filii Dei.*

Gregorius de Valentia tom. 6. Disput. 1. q. 1. punct. 5. pag. 47. b. *Quod in hac re sine contradictione & perversitate fieri potuit, omnino potuit fieri per absolutam Dei potentiam: sed ut nobis absq; satisfactione Christi dona gratiæ tribuerentur, remitterentur peccata, & offensæ, fieri potuit sine ulla contradictione & perversitate. Ergo &c. Minor probatur. Quoniam satisfactio, quæ est per Christum exhibita, non est de essentia illius satisfactionis. Ergo citra implicationẽ contradictionis potuissent dona gratiæ nobis tribui, atq; adeo remitti offensæ, non existente illa Christi satisfactione. Quod autem id etiam sine perversitate fieri potuerit, patet: quia fuisset actus meræ misericordiæ & liberalitatis divinæ, dimittere offensam sine satisfactione æquivalente: atq; ita minime perverse sed bene quoque id factum fuisset &c.*

pag. 48. 2. *Ad argumentum, quo probabatur, necessariam fuisse Christi satisfactionem, ut humanum genus liberaretur à peccato, neganda est major sumta universe. Etenim licitum est quandoq; supremo judici (qualis inprimis est Deus) condonare propter bonas causas pœnam debitam: maxime si idem judex fuerit persona offensa, velitq; gratis remittere injuriam sibi illatam. Utroq; autem nomine potuisset in proposito nostro id facere Deus &c.*

4. Pretium satisfactionis à Christo præstitæ in nuda Patris acceptatione statuunt.

Durandus 4. sent. dist. 15. *Christus secundum strictum justitiæ rigorem non potuit satisfacere, quia quicquid erat in Christo secundum humanam Naturam, erat obligatum Deo & ei debitum, ideo non potuit esse satisfactio de condigno pro quocunq; peccato, considerando Naturam operis vel rei, sed solum potuit esse satisfactio secundum acceptationem gratuitam.*

Et postea. *Passio Christi non fuit tanta, quanta infernalis pœna peccatis debita.*

Gabr. Biel. 3. sent. dist. 19. art. 3. dub. 2. statuit, *hoc modo per Christi passionem à culpa, à pœna, & à potestate Diaboli nos esse liberatos, quod plus placuerit Deo hæc voluntas Christi secundum hominem voluntarie mori eligentis ex tanta caritate elicita, quam omnium hominum peccata displicuere.*

Inde Tannerus tom. 4. Theolog. Schol. Disp. 1. q. 2. n. 47. refert, *Doctores quosdam non ignobiles, videlic. Scotum, Gabrielem, Durandum, Medinam & alios docere, Christi satisfactionem non explevisse Dei justitiam ad æquilibrem, sed ex liberali Dei acceptatione factam esse sufficientem.*

Vasquez Disp. 5. in 3. p. Thom. Suarez tom. 1. in 3. Disp. 39. hujus sententiæ patronos citant *Durandum, Almainum, Scotum, Paludanum, Gabrielem &c* (Rectius Thomas p. 3. q. 22. art. 3. *In quantum Christi humanitas operabatur in virtute Deitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata.* Rectius Bellarm. lib. 1. de Justit. cap. 2. *Notandum est, Christum non esse causam meritoriam, quasi Pater in gratiam Filii nobis peccata dimiserit, quomodo sæpe Reges in gratiam amicorum petentium reos absolvunt, sed quoniam pretium redemtionis exacte persolvit, & ex rigore justitiæ pro nostris omnium sceleribus satisfecit. Id enim significant Scripturæ, cum vocabulo redemtionis utuntur. Hoc idem voluit indicare Concil. Trident. cum docuit, Christum causam esse meritoriam nostræ justificationis, quoniam passione sua pro peccatis nostris integre satisfecit & nobis reconciliationem gratiamq; promeruit.* Lib. 2. de Justit. c. 5. §. Quod attinet &c. *Deus non acceptat in verã satisfactionẽ pro peccato, nisi justitiam infinitam, quoniam peccatum offensa est infinita. Sed ut aliqua justitia sit infinita, id est, infiniti pretii & valoris, non est necesse, ut sit justitia Dei essentialis, sed satis est, ut sit justitia personæ infinitæ, qualis est Christus Deus & homo. Itaque obœdientia, passio & mors Filii Dei, quamvis in se & essentialiter fuerit creata & finita, tamen ratione personæ obœdientis, patientis & morientis infinita fuit, & ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro totius mundi peccatis.* Rectius Benedictus Justinianus in cap. 5. Rom. fol. 172. *Ex hac cum Catholicorum, tum hæreticorum sententia efficitur: Christi satisfactionem non fuisse condignam. Iam vero quam sint hæc omnia ab hac Apostoli sententia aliena, nihil attinet in præsentia pluribus ostendere.*)

Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 5. cap. 1. postquam docuisset, *ex Scholasticis Theologis nõ paucos, neq; ignobiles asseruisse, nullius creaturæ, neq; adeo Christi apud Deum esse meritum & satisfactionem simpliciter condignam, sed ex acceptatione ipsius Dei, qui sponte sua ea satisfactione & merito voluit esse contentus; tumq; nominasset Durandum, Scotum, Gabrielem, Almainum, Job, Medinam;* subjungit: *Vera sententia in duob. posita est, alterum est satisfactionem & merita Christi ex se & ex circumstantiis propriis solum considerata, etiam absque ulla Dei acceptatione & favore fuisse perfecte digna, quibus pro nobis Deo satisfaceret; alterum est, non solum sine acceptatione fuisse digna, sed etiam sine promissione & pacto veram & perfectam rationem meriti habuisse. Eustachius à S. Paulo Summæ part. 2. q. 2. Tanti valoris fuit Christi meritum ac satisfactio, ut ex rigore justitiæ, seclusa etiam promissione divina, liberaliter Christo facta, debuerit acceptari à Deo tanquam æqualis offensæ, imo etiam abundans, seu plusquam sufficiens.*

Franciscus Suarez Profess. Complur. tom. 1. Comm, in part. 3. Thomæ Disput. 4. sect. 2. fol. 43. hac de re sic disserit: *Alia via aliqui Catholici non recte senserunt de valore operum Christi ad satisfaciendum pro nobis. Quamvis enim fateantur, quod fides docet, Christum vere satisfecisse pro peccatis hominum, negat tamen opera Christi de se habuisse valorem & condignitatem ad hujusmodo satisfactionem, sed solum ex acceptatione divina, quia scilicet voluit Deus illa sibi offerri, & promisit illis fore contentum & propter illa remissurum peccata hominibus. Ita opinatur Scotus in 3. sent. dist. 19. & 20. & in 4. dist. 15. q. 1. & Gabriel & Alm. iisdem locis. Durandus similiter in 3. dist. 20. q. 2. & in 4. dist. 15. q. 1. n. 6. & 7. &*

Medin.

Medin. Cod. de pœnit. tract.3. de satisf. q.1. &c. Hæc Suarez, qui eandem sententiam in seqq. solide refellit, ac f.45. dicit: *Contraria nec probabilis, nec pia, nec fidei satis consentanea videtur*, quod probat ex Scriptura & Patribus. f.47. refellit *Durandi* objectionem, quam ex Aristot. Lib.8. Ethic. cap.13. formaverat, nempe *Christi satisfactionem non fuisse æquivalentem ex se, quia Diis & parentibus non possumus reddere æquivalens pro beneficiis susceptis*, quam ibidem Suarez mox solvit.

Idem Suarez ibid. sect.4. f.48. *Autores, qui negant operibus Christi sufficientem valorem, nisi ex acceptatione divina, consequenter imo majori ratione negant infinitum thesaurum satisfactionis ejusdem Christi. Unde Scotus non plus valoris censet esse in operibus Christi, quam sit bonum illud, ad quod à Deo ordinantur & acceptantur.* Et postea: *Medina docet, magis esse infinitum peccatum hominis, quam satisfactionem Christi.* Hanc sententiam Suarez ibidem ex Scriptura, definitionibus Pontificum & Patrum dictis refellit.

5. Negant, Christi meritum esse perfectam satisfactionem.

Ruardus Tapperus in art. Lovaniens. art 6. p.238. *Plena est Christi satisfactio, redemtio, & propitiatio pro universis, non solum quoad culpam, quam tamen præcipue ac principaliter respiciunt, verum etiam quoad pœnam temporalem culpa dimissa remanentem, sed per sufficientiam, non autem secundum efficientiam & fructus participationem.*

Postea addit fol.241. *Satisfactio Christi per sufficientiam tantum non meretur nomen perfectæ satisfactionis, nec redemtio, nec reconciliatio per sufficientiam hæc merentur nomina.*

6. Negant, passionem Christi esse solam & totalem causam nostræ justificationis & salutis.

Biel 3. sent. dist.19. concl.5. *Etsi Christi passio est principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni, & gloria: nunquam tamen est sola & totalis causa meritoria, quia semper cum merito Christi concurrit aliqua operatio tanquam meritum de congruo, vel de condigno recipientis gratiam vel gloriam, si fuerit adultus rationis usum habens, aut alterius pro eo, si careat usu rationis.*

D. Joh. Geilerus Keisersbergius in conc. de ascens. Christi f.73. Ja sprechen sie / Christus hat für uns gelitten und uns das Himmelreich verdienet / was darff ichs dann verdienen? Es ist wahr / *quoad sufficientiam, non quoad efficaciam. Meritum Christi est universalis causa, sed non totalis*, der Genüge nach / aber nicht der Krafft nach / der Verdienst CHristi ist die allgemeine / aber nicht die gantze Ursach. Darumb fehlen die Narren / die also reden / CHristus ist GOtt und Mensch gewesen / sein Verdienst ist unendlich gewesen. Solche Narren verstehen nicht was sie sagen / das Verdienst des HErrn ist nicht die gantze Ursach unserer Behaltnüß / du must dein steur und hülff auch darzu thun.

Vitus Miletus in discuss. sexcent. errorum fol.604. *Christus est quidem causa universalis salutis nostræ, sed tamen nec totalis, nec integra.*

7. Christum non solum hominum, sed etiam Angelorum Mediatorem & Redemtorem statuunt.

Phil. Diez tom.2. Conc.3. in nativ. Dom. p.203. scribit, quod *Angeli boni redemti sunt per Christum, qui eos à lapsu præservârit.*

Greg. de Valentia tom.2. Lib. de Christo p.164. *Christus etiam Angelis gratiam & beatitudinem promeruit.*

Blasius de Viegas in cap.1. Apoc. p.24. *Christus Angelis gratiam & gloriam promeruit, quæ ipsis data sunt propter prævisa Christi merita.*

Suarez tom.1. Disp.42. sect.1. hanc sententiam confirmat 4. rationibus, 1. *Christus fuisset venturus, etiamsi Adam non peccasset.* 2. *Christus est caput hominum & Angelorum.* 3. *Angeli viatores habuerunt fidem Christi.* 4. *Angeli peccarunt ex occasione revelatæ incarnationis.* (Contra, Scriptura docet, Christum non Angelis, sed hominibus Mediatorem & Redemtorem esse datum, sicut etiam *non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.* Hebr.2.v.16. Inde etiam Becanus Jes. tom.1. Theol. Schol. p.350. de Angelis c.2. q.4. recte statuit, *fundamenta illa Suarezii non esse certa.*)

8. Ad Sacerdotale officium etiam pertinet Christi *Intercessio*, de qua

Azorius Lib.9. cap.10. moral. f.754. *Sunt, qui censeant, nequaquam esse dicendum, Christum in cælis pro nobis orare, nam orare est actus suppliciter sese Deo subjicientis.* Sed ibidem recte ex Scripturis docet, *Christum pro nobis orare*, & falsos negantium conceptus de Christo orante perstringit. Plura de hac intercessione Christi afferentur inferius in Append. art.10. de beat. Sanct.

9. Non congruit orthodoxiæ de Prophetico Christi officio, quod habetur c. Testes 39. caus.2. q.7. ex Damaso. *Christus, quamvis esset Pastor suarum ovium, quas verbo & exemplo pascebat, tamen quantum ad officiorum distributionem, (ex qua hodie in Ecclesia alii præsunt aliis unde quidam Prælati, quidam subditi vocantur;) in populo suo Pastorale officium non gerebat, mystica enim & visibili unctione nec in Regem, nec in Sacerdotem unctus erat, quæ solæ personæ in populo illo Prælaturæ nomen sibi vendicabant.* (Scopus Damasi est probare, quod ex Christi exemplo, qui dixerat, *si male locutus sum, testificare de malo*: Item, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* &c. non possit evinci, *Prælatos à subditis accusari posse.* Probat hoc ex eo, quod *Christus non fuerit Prælatus, nec Pastorale officium in populo suo gesserit.* Pugnat hoc cum Prophetico Christi officio, quod in his terris gessit.)

10. Contra Regium Christi officium, ejusque exaltationem pugnat, quod Steph. Gardinerus in scripto sub Marci Antonii Constantii nomine edito ad objectum 144. statuit, Christum nondum plenam ac perfectam gloriæ possessionem adiisse; sic enim scribit d.l. *Tempus humilitatis Christi in conversatione visibili & terrena præstandæ plane præteriit: sed humilis dispensationis tempus eo usque manet, donec tradiderit regnum Deo & Patri.* Pugnat hoc cum infinita gloria, in quam per passionem suam intravit, & cum Regio officio, quod in summa majestate administrat. Confer Ivellum in Defens. art.5. contra Hardingum.

ARTICULUS III.

DE PONTIFICE ROMANO.

CAPUT I.

De Monarchico Ecclesiæ regimine.

Thesis. Nuspiam in N. Test. vel à Christo, vel ab Apostolis est institutũ, ut Monarchicum totius Ecclesiæ regimen ac sumus Principatus sit penes unũ hominẽ in his terris, qui sit ejusdem visibile caput, & authenticus controversiarum judex.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an sit aliqua ratio gubernandæ Ecclesiæ: Cum enim Ecclesia sit *domus Dei* 1. Tim.3. v.15. in qua pastores constituti, sunt *œconomi divinorum mysteriorum*, 1. Cor. 4. v.1. utique domus illa habebit suam œconomiam.

2. Non negamus, Christum esse Ecclesiæ suæ Regem ac caput, à quo Ecclesia gubernatur μοναρχικῶς; sed cum Christo *visibile aliquod* Ecclesiæ *caput* & visibilem *Monarcham* Christi Vicarium statuendum esse, negamus.

3. Non negamus, distinctos Ministrorum Ecclesiæ ordines, sed negamus uni Monarchicum regimen competere.

Antithesis. Franciscus Turrianus in Defens. adv. Sadeelem Lib.2. p.97. *Regnũ Christi in his terris est Monarchia Ecclesiæ Catholicæ Romanæ* &c. *Quod si Ecclesia Catholica est Monarchia Christi, quæ visibilis est, ergo elegit Christus in ea Monarchã, qui esset quoq; visibilis.*

Canisius in Catech. *istam sub capite visibili congregationem essentialem Ecclesiæ partem ac notam* statuit.

Cardin. Hosius in Confess. Petricoviensi cap.27. *Unum præesse toti Ecclesiæ usque adeo est necessarium, ut absque hoc Ecclesia una esse non possit.*

Salmeron Disp.11. generali: *Ut in creaturis, Deus; in genere humano, Adam; in corpore animali, caput; in gregibus, Dux; sic in Ecclesia voluit Deus unum esse summum Pastorem & Monarcham, cui omnes alii obœdiant.*

Bellarminus in Præfat. Lib. de Pontif. Rom. *Cum de Primatu* (Romani) *Pontificis agitur, de summa rei Christianæ agitur. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi & concidere? Quid enim aliud est quærere, an oporteat ab ædificio fundamentum removere, à grege Pastorem, ab exercitu Imperatorem, Solem ab astris, caput à corpore; quam an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus jacere?*

Lib.1. de Rom. Pont. cap.5. *Doctores Catholici in eo conveniunt omnes, ut regimen Ecclesiasticum hominibus à Deo commissum, sit illud quidem Monarchicum, sed temperatum ex Aristocratia & Democratia.*

Cap.8. *Ecclesiasticum regimen non est præcipue penes Episcopos.*

Cap.9. *Ecclesiasticum regimen præcipue debet esse Monarchicum.*

Ibid. *Etsi Christus unus sit ac proprius Ecclesiæ Catholicæ Rex & Monarcha, eamque spiritualiter ac invisibiliter regat ac moderetur, tamen eget Ecclesia, quæ corporalis est & visibilis, uno aliquo summo visibili judice, à quo lites de religione exortæ componantur, quique omnes inferiores Præfectos in officio & unitate contineat.*

Costerus in Enchirid. p.119. *Christus talem ordinem in Ecclesia constituit, qualis & caritatem & sapientiam decebat, & tam dilecto populo conveniebat, optimam autẽ esse Monarchiam, omnes fatentur.*

P.123. *Ita est necessarium in Ecclesia caput visibile, ut si nullum à Christo constitutum foret, vehementer optari ab omnibus oporteret* &c.

ret &c. Quid sequetur incommodi, si quod in omni Republicâ est optimum, id etiam fateamur, Christum in sua Republ. instituisse.

Idem, *Unum Ecclesiæ universali Pastorem præfectum fuisse, qui vice sua Ecclesiam regeret, nos affirmamus.*

Nostram sententiam probamus,

1. *ex Christi prohibitione.* Christus Apostolis & Ecclesiæ ministris primatus & dominatus usurpatione interdixit, Matth. 20.v.25.26.& 27.Marc.10.v.42.43.44.& 45.Luc.22.v.25.& 26.ac diserte prohibuit, ne supremum aliquem fidei *magistrum* & *Patrem* in his terris statuerent Matth.23.v.8.9.& 10.

2. *ex æqualis potestatis collatione.* Christus idem officium, eandem potestatem omnib. ex æquo Apostolis contulit. Nam una eademque erat omnium vocatio & electio ad Apostolatum, unà & pariter missi sunt ad prædicandum Matth. 10.v.1. cap.28.v.19.& 20, Marc.16.v.15.& 16. Luc.9.v.1. Joh. 20.v.21. unà & pariter *claves ligandi & solvendi* acceperunt Matth.18.v.18. Joh.20.v.23. eadem vocationis privilegia omnes acceperunt Matth.10.v.8. Marc.16.v.17.& 18, omnibus cura & pastura fidelium pariter fuit demandata 2. Cor.11.v.28. omnes pariter ratione doctrinæ vocantur *fundamentum Ecclesiæ* Eph. 2.v.20. Apoc.21.v.14. nuspiam vero præceptum, ut ab uno aliquo tanquam visibili capite & Monarcha dependerent, ejusq; mandatis starent.

3. *ex Christi prærogativa.* Christus solus est Ecclesiæ *Pastor* œcumenicus, *caput ac fundamentum*, quia in potestatis & honoris istius consortium neminem ex genere humano unquam recepit, Ezech.34.v.22.23. cap.37.v.24. Joh. 10.v.17. Eph. 1.v. 22. Col.1.v.18. cap.2.v.19. 1.Cor.3.v.11. Scriptura multis in locis ex professo similitudinem *de corpore humano* applicat ad corpus Ecclesiæ, nullibi tamen vel oblique tantum indicat, esse istius mystici corporis aliud caput, præter Christum Rom. 12.v.5. 1.Corinth.12.v.27. Eph. 4.v.16.17. cap.5.v.23.&c. solus est ἀρχιποιμὴν sui gregis 1.Petr.5.v.4. solus *Rex* sui regni Psal. 2.v.6. solus *Sponsus* suæ Sponsæ Joh.3.v.29. 2. Cor.11.v.2. solus est *summus Sacerdos* N.T. Hebr.7.v. 21. hæc ergo gloria alteri tribui non debet. Proinde sic concludimus: In quo summus Sacerdos N.T. summo Sacerdoti V.Test. contradistinguitur, id non obtinet in N T. Quod summus Sacerdos V.T. alteri vices suas tradiderit, in eo summus Sacerdos N.T. isti contradistinguitur. Hebr.7.v.23.& 24. Ergo.

4. *ex Hierarchiæ Ecclesiasticæ Natura.* Christus omnis generis ministros Ecclesiæ suæ dando nullum dedit Episcopum œcumenicum. Eph.4.v.11.& 12. nota Hierarchia Ecclesiastica & omnes ejus ordines accurate recensentur, nullius autem Vicarii, capitis aut Episcopi universalis fit mentio, cum tamen maxime fieri debuisset.

5. *ex Apostolici muneris eminentia.* Apostolatus est summum & maximum in Ecclesia munus. 1.Cor.12.v.18. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia* πρῶτον Ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας. Ergo non datur eo aliquod superius, quale foret Pontificatus, inde Chysostomus tom.8. edit. Savil. p.110. munus Apostolicum dicit esse ὑπὲρ ἁπάσας πνευματικὴν, id est, *supra omnes alias functiones spirituales eminere.* Itemq; ἀρχὴν πνευματικωτάτην, *dignitatem omnium maxime spiritualem*, nec non τῶν πνευματικῶν ἀρχῶν κεφαλὴν καὶ ῥίζαν καὶ ὑπόθεσιν, *dignitatum vel potestatum spiritualium caput, radicem & fundamentum &c.*

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Episcopi Romani Monarchicum Ecclesiæ dominatum repudiarunt.

Clemens Romanus Constit. lib.6. c.14. ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύτην διδασκαλίαν εἰς ἐπιστηριγμὸν ὑμῶν τῶν τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν πεπιστευμένων. *Nos* (Apostoli) *scripsimus vobis Catholicam hanc doctrinam ad fulciendum & confirmandum vos, quibus universalis Episcopatus traditus est.* (Congruit hoc cum pronuntiatis Cypriani lib. 1. de unit. Eccles. *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Epist.53. *Episcopatus unus est, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Epist 67. ad Stephanum, *Etsi Pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus: & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus.* Quod si ergo æquo jure omnes Episcopi facti sunt; si is gradus, qui in Ecclesia Episcopatus dicitur, unus est & in omnibus idem, unius ubique Naturæ, dignitatis & potestatis, utique Ecclesiæ regimen non est Monarchicum.)

Pelagius II. Papa Romanus, Mauritio Imp. contemporaneus, Johanni Patriarchæ Constantinopolitano *universalis Episcopi* titulum & primatum affectanti mascule restitit, unde apud Baronium tom.7. Ann.587, enim 12. sic scribit ad quosdã Orientales Episcopos: *Nullus Patriarcharum hoc tam prophano* (universalis) *vocabulo unquam utatur, quia si summus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cujusquam mente, hoc sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum imminuere ex qualicunq; parte videatur.*

Ibid, num.17. ita pergit. *Johannes noster Co-Episcopus tantam jactantiam sumsit, ita ut universa sibi tentet, & omnia, quæ soli uni capiti cohærent, videl. Christo, per elationem pompatici sermonis ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare.*

num.18. *Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur & fortasse in errore perit, qui universalis dicitur, & nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur. Quapropter charitas vestra neminem universalem nominet.*

Gregorius Magnus, Pelagii Successor, nomen *universalis Episcopi* tanquam Antichristianum ex Ecclesia eliminandum esse judicavit.

Lib.4. Epist.30. ad Mauritium Augustum. *Nunquid si ex superbo ac profano vocabulo meus non in modico animus est vulneratus, tantæ indiscretionis esse potui, ut nescirem, quid unitati fidei, qui concordiæ Ecclesiasticæ deberem? absit hoc &c. Aliud namq; est, quod conservandæ unitati fidei; aliud, quod debemus comprimendæ elationi &c. Eundem fratrem & Con-Sacerdotem meum studiose admonere curavi, ut, si habere pacem omnium concordiamque desiderat, à stulti vocabuli se appellatione compescat &c. Ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari expetit, super cæteros Sacerdotes se extollit &c. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem frivoli nominis scandalum gignant, qui in superbiæ typhum inciderunt.*

Lib. ejusd. Epist.32. ad eundem Imperator. *Non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri J.C. mandata, superbi atq; pompatici cujusdam sermonis inventione turbantur. Sacerdotes, qui in pavimento & cinere jacentes flere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt & novis ac prophanis vocabulis gloriantur &c.*

Ibid. *Petro cura totius Ecclesiæ & Principatus committitur, & tamen Universalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus Con-Sacerdos meus Johannes vocari Universalis Episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere, ô tempora, ô mores! &c. Quis est iste, qui contra Statuta Evangelica, contra Canonum Decreta, novum sibi usurpare nomen præsumit? utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit Universalis! Et certe multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse novimus Sacerdotes, & non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos &c. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium judicium fuit, universa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur Universalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorum nomen illud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Certe pro B. Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomen assumsit, nec uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo, quod nos hujus vocabuli gloriã & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit? Ille ergo magis est piissimorum Dominorum præceptione flectendus, qui præceptis Canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus est, qui sanctæ Universali Ecclesiæ injuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoq; imperii vestri se per privatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur &c.*

Lib. ejusd. Epist.34. ad Constantinam Augustam. *Cum se nova præsumtione atq; superbia frater meus* (Johannes) *Episcopum universalem appellet, ita ut sanctæ memoriæ Decessoris mei tempore adscribi se in Synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, triste mihi aliquid Serenissimus Dominus innuit, quod non eum corripuit, qui superbit, sed magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Evangeliorum & Canonum statuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendat. Quæ in re à prædicto fratre & Con-Sacerdote meo contra Evangelicam sententiam, contra Beatum quoq; Petrum Apostolum & contra omnes Ecclesias, contraq; Canonum statuta agitur &c. In hac ejus* (Johannis) *superbia quid aliud, nisi jam propinqua Antichristi esse tempora, designatur? quia illum videlicet imita-*

tur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: Super astra cœli exaltabo solium meum &c. Unde per omnipotentem Deum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari, neque tam perverso vocabulo ullum quoquo modo præbeatis assensum.

Lib. ejusd. Epist. 36. ad Eulogium Episc. Alexandr. & Anastasium Episc. Antioch. *Frater & Co-Episcopus noster Johannes in Synodo Constantinopolitana se Universalem appellare conatus est &c. hac re ex nova superbia tota Universalis Ecclesiæ viscera perturbantur &c. Uni per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui, Deo disponente, deservio, hoc universitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit, quia videl. si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente, id sibi velle quempiam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur &c. Propter quod sanctitas vestra in suis Epistolis neminem unquam Universalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum &c. Quia juxta est ille, de quo scriptum est, ipse est Rex super universos filios superbiæ, quod non sine gravi dolore dicere compellor, frater & Co Episcopus noster Iohannes mādata Dominica, Apostolica præcepta, regulas Patrum despiciens, cum per elationem præcurrere conatur in nomine &c. Gravi considerationis hujus gemitu torqueor, quod ille quondam modestissim. &c. ex ea, quam prætēdebat humilitate, jactantiam sumsit, ita ut universa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli uni capiti cohærent, videl. Christo, per elationem pompatici sermonis ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare &c. omnibus viribus concurrendum atque providendum, ne in unius veneno sermonis viventia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur.*

Lib. ejusd. Epist. 38. ad Johannem Episcop. Constantinopol. *Quo ausu, quove timore nescio, novum sibi fraternitas vestra conata est nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum pervenire.* Ibid. vocat *nefandum elationis vocabulum nomen erroris, stultum ac superbum vocabulum &c. In hac præsumtione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. Certe Paulus Apostolus, cum audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra ejus aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens exclamavit, dicens. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum, q. capitib. & ipsis quidem Apostolis subjici particulariter evitavit: tu quid Christo universalis sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione supponere? Quis, rogo, in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionib. secum socialiter constitutis ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse & solus præesse videretur? qui etiam dixit: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meū &c. Quid n. fratres tui omnes universalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt, quorum vita simul & lingua inter peccata erroresq; hominum, q. inter noctis tenebras lucent, quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis nisi in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum? &c. Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud quam singularium plebium sunt capita? & tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumsit, qui veraciter sanctus fuit. Nunquid non, sicut fraternitas vestra novit, per venerandum Chalcedonense concilium hujus Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deservio, universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur &c. Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas est, Sacerdotum est præparatus exitus, quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis &c. Dominus discipulis dicit, Vos nolite vocari Rabbi, unus enim magister vester est, vos autē omnes fratres estis. Et patrē nolite vocare vobis super terram, unus enim est Pater vester. Quid ergo frater carissime in illo terribili examine venientis judicii dicturus es, qui non solum Pater, sed etiam generalis Pater in mundo vocari appetis? &c. Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur, fratrum omnium corda ad scandalum provocantur.*

Lib. ejusdem Epist. 39. ad Sabinianum Diaconum. *Ad hoc usq; pervenit* (superbia Johannis Episcopi) *ut sub occasione Johannis Presbyteri gesta hac transmitteret, in quibus se pene per omnem versum οἰκουμενικὸν Patriarcham nominaret.* Ibi vocat *hoc superbum vocabulum*, & addit, *In isto scelesto vocabulo consentire nihil aliud est, quam fidem perdere.*

Lib. ejusd. Epist. 80. *Sicut enim veneranda vestra sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui Deo disponente servio, hoc universitatis nomen oblatum est, sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti consuevit, quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.*

Lib. 6. Epist. 4. ad Cyriacum Episcopum Constantinopolitan. *Tunc pacem veraciter nobiscum habetis, si profani nominis superbiam declinetis, juxta quod magister gentium dicit. O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. Nimis quippe iniquum est, si hi, qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur &c. Ecce enim in nefandi appellatione nominis scandalizati sumus &c.*

Lib. ejusdem Epist. 24. ad Anastasium Episc. Antioch. *De superstitioso & superbo vocabulo eum* (Cyriacum) *admonere studui, dicens, quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit. Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, universæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim, quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur Universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis.*

Lib. 7. Epist. 30. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum. *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur, dicens, sicut jussistis. Quod verbum jussionis peto à meo auditu removere, quia scio, qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio, vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfecte retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale quid scribere debere, & ecce in præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curastis, quod peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo vere honoratus sum, cum singulis quibusq; honor debitus non negatur. Si enim Universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & caritatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atq; post à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra Sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut, dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.*

Lib. 7. Epist. 70. ad Thessal. scribens, *Præcursores Antichristi* facit Johannem & Cyriacum Constantinopol. & hortatur, *ut abstineant à stulto & frivolo vocabulo œcumenici. Nam, si unus,* inquit, *ut putat, universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis, sed omnes illius Universalis vicarii, coadjutores & ministri.*

Lib. 11. Epist 45. *Suademus, ut profanam electionem, quæ animabus semper adversa est, cordis pede calcantes perversi superbiq; vocabuli sandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis &c.*

(Sic ergo Gregorius nomen *Universalis* & *œcumenici* Episcopi habet pro *novo, profano, scelesto, superbo, nefando, perverso, Antichristiano*, pro *nomine erroris & blasphemiæ*, ac soli Christo capitis honorem competere docet.)

Baronius ad annum 595. Sandæus lib. 7. de Monarch. Eccles. Johannes Hayus Disput. lib. 1. cap. 13. &c. excipiunt 1. *non simpliciter nomen Universalis à Gregorio traduci, sed tantum Johannis insolentiam reprimi, qui ad se transferre conaretur id, quod jure tribuendum erat Episcopo Romano.* At hæc exceptio

ceptio repugnat disertis Gregorii verbis, quibus negat, *ullum suorum prædecessorum tam profano vocabulo uti unquam consuevisse*, imo, *ne velle quidem in posterum se in illud consentire*, asserit, *quia non sit aliud, quam fidem perdere*. Item, *hoc scelesto vocabulo omnium Sacerdotum adimi honorem* clamat, ac negari, *alios esse Patriarchas*, quod verum esset, si de suo tantum negotio ageret ac suum Episcopatum exciperet. Nihil enim obstaret, quo minus æque perseverarent in dignitate Patriarchatus omnes, atque adeo singulis suus honor servaretur sub Johanne ac sub Gregorio, si tantum personæ mutatio fieret. 2. *Dupliciter Universalem Episcopum intelligi, vel pro eo, qui solus sit & unicus Episcopus, sic ut nulli præter ipsum Episcopi nomine vocari similiter possint, & potius Universalis istius ac unici Episcopi velut ministri & Vicarii censeri possint & debeant. Vel pro eo, qui non quidem unus & solus, sed saltem præcipuus & summus sit Episcopus inter alios inferiores, habeatque curam totius Ecclesiæ, sed generalem, ita ut non excludat particulares Episcopos.*

Distinguunt ergo inter *Episcopum Universalem* & *Universalis Ecclesiæ Episcopum*. Pontificem negant esse Universalem Episcopum, interim esse Universalis Ecclesiæ Episcopum. *Universalis Episcopus*, inquiunt, *significat, non alium esse Episcopum, ut si de aliquo diceremus, eum esse Universalem hominem, significaremus, eum esse universum hominem, id est, nullum hominem præter ipsum esse in mundo.*

Resp. 1. Quis existimet Gregorium in Epistolis pro vocula tam acriter contendere voluisse adversus Constantinopolitanum Episcopum? de summa potestate Ecclesiastica agebatur, quam Constantinopolitanus una cum hoc nomine sibi arrogabat. Quis credet, Constantinopolitanum Episcopum *Universalis* nomen ita appetiisse, ut nullus esset in orbe alius Episcopus? Primatum in Ecclesia ambiebat & *Episcopi Episcoporum*, sive *Universalis Episcopi* nomen, primatus illius indicium. Qui enim est Universalis Episcopus, sive Episcoporum Episcopus, in omnes reliquos Episcopos jus & potestatem habet. Unde inter alia argumenta Johannis Constantinopolitani Episcopi ambitioni Gregorius hoc opponit, quod solus Christus sit Ecclesiæ Universalis caput. Certe Constantinopolitanus Episcopus nunquam aliam in Ecclesiam usurpavit, vel sibi vendicavit potestatem, nisi eam, quæ postea & usurpata & vendicata est à Papa. Inde Palmerius Abbas Urspergensis, & quotquot Bonifacii III. Historiam descripserunt, sic loquuntur: *Institutum fuit à Phoca, ut Ecclesia Rom. esset caput omnium Ecclesiarum, cum prius Constantinopolitana Ecclesia id usurpare tentasset.*

Sabellicus Ennead. 8. Lib. 6. *Bonifacius tertius egit ab initio administrationis cum Phoca, ut Romana Ecclesia esset aliarum omnium caput, estque id ægre non sine multa contentione Apostolicæ Sedi datum. Græci id ad se decus trahentes, ibi Christianæ pietatis arcem esse oportere ajebant, ubi & imperii.* (Ergo quod Pontif. Rom. datum, illud ipsum Johannes Constant. Episcopus & nihil quidquam aliud sibi arrogabat.)

2. Adde, quod Romanus Pontifex reliquos Episcopos habeat pro ministris & Vicariis. Ergo ex ipsorum Adversariorum concessione Gregorii reprehensionem incurrit. In Concilio Cardinalium delectorum à Paulo III. sic legitur: *Sanctitas vestra ita curam gerit Ecclesiæ Christi, ut ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt Clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presbyteri præsertim & maxime curati, & præ omnibus Episcopi.* Rursus post notatos abusus circa beneficia: *His castigatis, quæ pertinent ad constituendos sibi ministros.* Et iterum: *Posthæc, quæ ad instituendos ministros tuos in hac Universalis Ecclesiæ cura & in ejus deinde administratione spectare videntur.*

3. Gregorius nomen *Universalis* improbat sensu etiam eo, quo quis non excludens particulares Episcopos omnibus sese superiorem diceret. Id enim reprehendit Gregorius, quod Johannes sibi arrogabat. At nunquam Constantinopolitanus Patriarcha sibi arrogabat, ut solus esset Episcopus in toto orbe, qui enim ejus autoritatem agnoverunt, inque ejus ditione fuerunt, & Episcoporum & Patriarcharum titulos retinuerunt. Idipsum ostendit descriptio Oecumenici & Universalis apud Gregorium. *Illud*, inquit, *appetunt, unde omnibus digniores esse videantur, illum imitantur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur.* (Ergo titulus *Universalis Episcopi* sensu Gregoriano non sustulit ordinem aliorum Episcoporum, sed jurisdictionem eorum subvertit, ut Universali ejus Imperio subjecti essent.)

4. Azorius Jesuita Instit. moral. Parte 2. Lib. 4. capite 4. §. Quare breviter &c. col. 424. *Qui seipsum Oecumenicum Episcopum vocat, quamvis quidem ea ipsa appellatione non excludat cæteros Ecclesiarum Episcopos, unum tamen ex duobus significat, vel eos esse inferiores, & sibi subjectos; vel se una cum singulis Episcopis in eorum Ecclesiis præesse, quorum utrumque est absurdum.* (Hoc dicto, velut acutissimo pugione jugulum confictæ illius distinctionis petit.)

5. Hoc sensu, videlicet quod nemo debeat alios Episcopos sibi subjectos habere, titulum *Universalis* à Gregorio esse repudiatum agnoscit Nicolaus Cusanus Lib. 2. Concord. Cathol. capite 34. *Dicit Gregorius Epist. 22.* (inquit) *Nullum Episcopum ita principatum gerere, ut omnia Ecclesiæ membra sint ei subjecta.*

Alphonsus Mendoza in Controvers. Theol. quæst. 4. Scholast. pag. 302. excipit, *Gregorium humilitatis ergo abnuisse ac recusasse titulum Universalis Pastoris, & ne posteris de tam superbo titulo gloriandi ansam præbuisse videretur, ut etiam vel sic Iohannes ille superbissimus Constantinopolitanus Episcopus tali se titulo cognominare desineret.*

Resp. Argumenta Gregorii, quibus contra hunc titulum utitur, ostendunt, quod non ex *humilitate* tantum, sed etiam ex *veritate* superbum illum titulum repudiaverit. (Et quid est, quod successores hac in parte Gregorii vestigiis insistere renuunt? inde Mendoza ibidem pag. 301. scribit: *Gregorium offensionis & scandali materiam videri fidelibus objecisse, qui cum esset Romanus Episcopus, titulum universalis Pastoris à Synodo Chalcedonensi sibi oblatum recusarit, cum negari non possit, Romanum Episcopum esse universalem illum Pastorem ac caput, quod Petro succedit.*)

Excipiunt alii, *quatenus Episcopus Universalis significat eum, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem, hoc modo ex mente Gregorii nomen illud tribui posse Rom. Pontifici.*

Resp. Hic modus, quo non jurisdictio aut regimen, sed duntaxat cura Universalis significatur, nemini peculiaris, sed omnibus communis esse debet.

1. Sirmondus Jesuita in Censura de Suburbic. Eccles. cap. 1. de Athanasio sic scribit: *In Athanasio Magno laudat Basilius Epist. 52. parem illi Ecclesiarum omnium curam esse ac propriæ.*

2. De eodem Salmeron in Comm. 1. Petr. 5. Disput. 8. §. Et dicendo. pag. 102. *Nazianzenus dixit, Athanasio totius velut orbis præfecturam creditam esse, id est, sic præfuit, ut universis prodesset, quia fides, quam ille sartam tectam defendit, ad omnes spectat.*

3. De Cypriano Salmero d. l. *Cyprianus à Nazianzeno dicitur non soli Africanæ Ecclesiæ, sed etiam toti Occidenti præfuisse, imo Orienti fere ipsi & Meridiei ac Septentrioni, & quocunque admiratione sui pervenit.*

4. Paulum Apostolum non fuisse Ecclesiæ Monarcham, statuunt Pontificii. (Atqui Paulus *quotidianam omnium Ecclesiarum solicitudinem sibi incumbere*, asserit 2. Cor. 11. v. 28.)

2. Quod primatus in quibusdam Canonibus, citatis à Gratiano, improbatur.

c. Multi. dist. 40. ex Chrysostomo. *Quicunque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo, nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractavit.*

c. Legimus. dist. 93. ex Hieronymo. *Nec altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ & Britanniæ & Africa & Persis & Oriens & India & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Thebis,* (al. Thanis) *sive Guarmatiæ, ejusdẽ meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.*

(Bellarminus Lib. 2. de R. P. cap. 16. *respectu ordinis tantum, non jurisdictionis hoc accipiendum*, statuit. Sed verba Hieronymi contrarium testantur. *Potentia*, inquit, *divitiarum & paupertatis humilitas sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit.*)

c. Primæ Sedis. dist. 99. ex Conc. Africano. *Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tamen primæ Sedis Episcopus. Universalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* (Ex hoc Canone Concilii Carthaginensis III. repetitus fuit Canon 58. Synodi in Trul-

in Trullo habitæ. ὁ πρωτεύων Ἐπίσκοπος ἔξαρχος τῶν ἱερέων, ἢ ἄκρος ἀρχιερεὺς μὴ λεγέσθω, ἀλλ' Ἐπίσκοπος τῆς πρώτης καθέδρας. Lib.1. Juris Græco-Rom. sect.1. tit.7.)

c. Nullus. dist. ead. ex Pelagio. *Nullus Patriarcharum universalitatis vocabulo unquam utatur, quia si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cujusquam mente, hoc sibi vel velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter caritas vestra neminem unquam suis in Epistolis Universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem defert indebitum.* (Extat etiam Volum.2. Concil. Venet. p.843.)

c. Ecce. dist. eadem ex Gregorio: *Ecce in præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, Universalem me Papam dicentes, inprimere curastis. Quod peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Universalem me Papam Sanctitas vestra dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & caritatem vulnerant.*

(Alphonsus Mendoza in Controv. Theol. q.4. Scholast. p.302. fatetur, Canonem illum, qui incipit, *Primæ Sedis Episcopus &c.* multum pungere. Affert igitur varia effugia. *Franciscus Turrianus dicit, illa verba, Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur, quæ sunt ultima illius capitis, non esse ex ipso Canone Concilii Africani, sed ex rubrica Gratiani in caput proxime sequens, quo etiam modo in Gregoriana Juris Canonici editione ab illo Canone separantur, & in rubrica seq. Canonis ponuntur. Aliorum intelligentia est, ut in Jacobatio, quod ille paragraphus, Universalis autem &c. non referatur ad Papam, sed ad Patriarcham, de quo ibi loquitur, & quem ibi appellat primæ Sedis Episcopum, ut sit sensus: Patriarcha non appelletur Princeps Sacerdos, nec Universalis, nec Romanus Pontifex. Alii melius sic explicant, quod nec ipse Papa appelletur Universalis Pastor, ne, si ipse dicatur Universalis, videatur detrahi aliis Episcopis & Pontificibus sua potestas & jurisdictio. Quando igitur dicitur, Papam non esse Universalem Episcopum, significatur, quod non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, ut proprius & specialis illius Ecclesiæ Rector, quia sic cessarent aliorum Pontificum potestates.* Sed quilibet videt, hæc effugia esse frigida & inania. Nec in Concilio Africano, nec inter Gregorium Episcopum Romanum & Johannem Episcopum Constantinopolitanum quæstio erat, an Patriarcharum aliquis eo sensu debeat vel possit vocari Universalis Episcopus, ut alii non sint Episcopi, sed an propter primatum potestatis in reliquos Patriarchas & Episcopos nomen Universalis Episcopi alicui ex Patriarchis tribuendum sit, quod & Africanum Concilium & Gregorius negant, unde etiam *jussionis* vocabulum ab Eulogio Episcopo Alexandrino sibi attributum repudiat, ac se *potestatis* ratione reliquis Patriarchis non superiorem, sed parem esse agnoscit, Johannem vero Constantinop. Episcopum graviter reprehendit, *quod cuncta Christi capitis membra conetur Universalis appellatione sibi supponere*, quæ sunt ipsissima Gregorii verba superius citata.)

3. Quod solum Christum Universalis Ecclesiæ caput esse agnoscunt, ac talia munia Ecclesiæ capiti assignant, quæ nemini, nisi soli Christo competunt.

Leo I. sermone de Petro & Paulo, non est ausus caput capiti subjicere, sed capiti oculos aptare & hunc summum gradum iis assignat. *Quos*, inquit, *gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore quasi geminum constituerit lumen oculorum.*

Gregorius Lib.4. Epist.36. Christum vocat *unum & solum caput Ecclesiæ.*

Lib. ejusd. Epist.38. *Paulus Apostolus, cum audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra ejus aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissime perhorrescens exclamavit, dicens: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est &c. Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus & ipsis quidem Apostolis subjici particulariter evitavit.* (Ubi probe notandum, inter illos, quibus Apostolus velut capitibus Corinthios subjici noluit, esse etiam Cepham, sive Petrum.)

Thomas in Compend. Theol. cap.30. *Ex eo, quod à Christo ad alios gratia & veritas derivantur, convenit ei, ut sit caput Ecclesiæ. Nam à capite in alia membra, quæ sunt ei conformia in Natura, quodammodo sensus & motus derivantur: sic à Christo & gratia & veritas ad omnes homines derivantur. Unde Eph.1. Et ipsum dedit caput &c.*

Idem part.3. q.8. art 6. *Utrum esse caput Ecclesiæ, est Christi proprium? Resp. Dicitur Colos.2. Christus est caput Ecclesiæ, ex quo totum corpus per commissuras & compages subministratum augescit Dei augmento. Sed soli Christo hoc competit. Ergo solus Christus est Ecclesiæ caput.* (Distinguit quidem ibi Thomas, inter *influxum interiorem* & *gubernationem exteriorem*, ac Christum solum dicit esse caput, respectu *influxus interioris*, alios vero, utpote optimates Amos 6. vocari capita *respectu gubernationis exterioris*. Interim non subordinat unum aliquod caput ministeriale Christo, quod totam Ecclesiam regat, sed potius multa capita & Pastores multos. Sic enim addit: *Esse caput, hoc modo posteriore differenter convenit Christo & aliis. Christus est caput omnium secundum omnem locum & tempus & statum, alii vero, vel secundum locum, vel tempus &c. Christus est caput propria virtute & autoritate; alii, quia gerunt vicem Christi, cujus legatione funguntur. Ut plures sunt Pastores, sed membra unius Pastoris, sic fundamenta & capita. At vero solus Christus est ostium, quia per ipsum solum habemus accessum.* Adde, quod capitis nomen aliis præter Christum attributum tantum propter unam aliquam capitis proprietatem, non autem propter omnes proprietates capitis tribuitur. Ergo nec eodem sensu, nec gradu, quo Christus, capita dicuntur.)

Idem in cap.12. Apocal. *Christus est caput Ecclesiæ, ipsam regens, ei providens, in eam influens sensum fidei & motum dilectionis & operationis.*

Bonavent. Lib.3. Sent. dist.13. art.2. q.1. *Capitis spiritualis tres sunt proprietates primariæ, à capite corporali desumtæ, esse membris conforme, esse membrorum principium, & esse influxivum sensus & motus.* (Quarum prima licet homini cum Christo communis esse queat, posteriores tamen duæ ipsi soli sunt propriæ, ideoque præter Christum caput aliud nullum statui debet. Quicquid enim membrorum principium non est, motumque & sensum spiritualem, hoc est, fidem non impertit & ingenerat, istud non nisi æquivoce & abusive caput dicitur. Tale vero est caput vicarium ac ministeriale.)

Joh. Hussus Lib. de Ecclesia cap.3. p.199. *Christus dicitur caput Ecclesiæ, ideo quia est persona dignissima in humano genere, conferens omnibus membris ejus motum & sensum. Sicut enim in homine caput est pars ejus præstantissima, conferens ipsius scil. hominis corpori & partibus ejus motum & sensum, sine quo, nec corpus, nec aliquod membrum ejus potest notabiliter ex Natura vivere: sic Christus est persona, qui est verus Deus & homo, conferens vitam spiritualem, motum ipsi Ecclesiæ & cuilibet membro ejus.*

Ibid. cap.4. p.202. *Solus Christus est caput Universalis Ecclesiæ, quæ non est pars ad aliam. Patet, quia si quis est caput illius Universalis Ecclesiæ, tunc est melior Angelis effectus & omni Spiritu bono creato, quod solum Christo competit, Hebr.1. &c. Sancti Apostoli confessi sunt concorditer, se esse servos istius capitis & humiles ministros Ecclesiæ Sponsæ suæ, nunquam autem præsumpsit aliquis Apostolorum asserere, quod fuit caput, vel Sponsus dictæ Ecclesiæ, quia hoc foret adulterari cum Regina cœli, & præsumere nomen dignitatis & officii: Dignitatis, quoad prædestinationem æternam, & officii, ad quod ex ordinatione æterna disposuit Deus Christum supreme regere Sponsam suam.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap.49. §.15. *Potest etiam alia esse ratio istius occupationis,* (quod Sarraceni occuparint Hierosolymam) *ne scilicet ob primam inibi Ecclesiæ fundationem & Christi passionem credamus jam Catholicam Ecclesiam, sicut olim Synagogam à Jerusalem pendere, quemadmodum ambitiosi Pontifices statuunt & stulti creduli æstimant, Romam esse caput Universalis Ecclesiæ, quæ tamen principaliter consistit in spirituali collectione fidelium ubique terrarum degentium, & ejus caput solus est Christus, in omnibus primatum tenens, quem Deus dedit caput super omnem Ecclesiam.*

Marsilius Patavinus in Defens. pacis circa Annum 1324. part.2. cap.22. p.247. *Non est Episcopus aliquis aut Ecclesiæ caput, sive principalior aliorum, in quantum hujusmodi, virtute verborum Scripturæ. Caput enim Ecclesiæ simpliciter, & fidei fundamentum Dei ordinatione immediata secundum Scripturam sive veritatem unicum est Christus ipse, non aliquis Apostolus, Episcopus, aut Sacerdos, ut aperte dicit Apostolus Ephes.4. & 5.*

Coloss.1.

Coloss.1.& 1.Corinth.10. unde omnes Apostolos, Prophetas, Doctores, reliquosque fideles dicit constituere corpus Christi, quod est Ecclesia tanquam reliqua membra, neminem autem sicut caput, nisi solum Christum.

Autor Tractat. de Ecclesiast. & politic. potest. pag. 11. *Isthinc vero inducimus hunc fidei articulum, Credo unam sanctam Ecclesiam Catholicam, esse veritatis sempiternæ, propterea quod lege Evangelica stante, Christus divortium cum Ecclesia Sponsa facere non potest, quod de Symbolyco & ministeriali capite Romano Pontifice asseri non debet, quem saltem ad tempus adesse & abesse videmus sine Ecclesiæ interitu. Nam compertum est, Sedem Apostolicam aliquando tres, aliquando septem annos vacasse, siquidem præceptum de habendo Pontifice affirmativum, non negativum est.*

Pag.13 Ad thesin. *Igitur etiam Ecclesia nequit subsistere sine Papa*, respondet his verbis: *Quasi vero Romanus Pontifex essentiale & primarium, non secundarium & ministeriale caput Ecclesiæ esset, unde præceptum habendi Pontificis ad semper non pro semper obligat, ut loquuntur Scholastici.*

Lutetiæ in Collegio Sorbonico fuit olim Theologus Johannes Gigencu r us, qui ad postulata Regis Caroli VI. asseruit, *Ecclesiam Catholicam facile Papa in perpetuum carituram*, memorante è Froissard. lib. 4. cap. 58. 91. 120. & lib. 2. capite 35. lib. 3. c. 46. Antonio Benbellona.

Sed & Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis scripsit peculiarem tractatum *de auferibilitate Papæ.*

(Ex quibus omnibus sic concludimus. Quocunque Ecclesia sine sui destructione carere potest, non est essentiale & perpetuum caput Ecclesiæ. Papâ potest Ecclesia sine sui destructione carere. Ergo Papa non est essentiale & perpetuum caput Ecclesiæ.)

Benedictus Justinianus in cap. 4. Ephes. *Ait Apostolus, quemadmodum caput omnibus corporis membris vi cerebri, unde omnis sentiendi facultas pendet, omnium sensuum actiones suppeditat; non aliter Christum Dominum, qui est Ecclesiæ caput, cum dona Spiritus sancti impertiri, tum membra corporis in unam juncturam atque compagem connectere.* (Atqui hoc munus Christus non habet commune cum Romano Pontifice, sed sibi soli proprium.)

Possumus etiam ex Adversariorum hypothesibus sic concludere.

Primo. Si Papa est caput Ecclesiæ, aut erit caput Christo *superius, aut æquale, aut subordinatum & ministeriale.* Si primum, erit Antichristus, ut constat ex 2. Thessal. 2. v. 4. Si secundum, Romanæ Ecclesiæ regimen non erit Monarchicum, quod tamen Bellarminus fortiter propugnat. Si tertium, eo ipso non erit caput. Nam Stapletonus lib. 6. Princip. fidei cap. 16. fatetur, *duo esse officia capitis, Unum, ut sit principium vitalis influxus; alterum, ut dirigat suo imperio externas functiones*, quæ officia cum capite ministeriali & servili stare nequeunt. Præterea valde monstrosum erit corpus Ecclesiæ. Quando enim, vel ubi tam fœdum monstrum fuit visum, quod unum caput sub altero positum habuerit?

Secundo, Pontifex cum Christo comparatus non potest habere rationem capitis, cum illi subsit. *Caput autem verum nulli subest, & cum in membra influat inferiora, nihilominus influxum ab illis nullum recipit*, ut fatetur Chavassius in Profess. fidei §. 28. p. 147.

Tertio, capitis nomine quispiam insignitur, vel propter Magisterium & autoritatem; vel propter excellentiam; vel propter Monarchicam in Ecclesiam dominationem. Prioribus duabus significationibus nomen capitis non soli Petro & Episcopis Romanis, sed etiam aliis Apostolis & Episcopis tribuitur; postrema significatione nec Petro, nec ulli homini mero, sed soli Christo θεανθρώπῳ competit.

Gregorius secundus Episc. Rom. in Epist. ad Germanum Constantinopolitanum, in secunda Synodo Nicena *Ecclesiæ columnas & capita, Episcopos* nominavit.

Gregorius Lib. 4. in 1 Reg. *Paulus effectus est caput nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum.*

4. Quod agnoscunt, Monarchicum Papæ dominatum non niti Juri divino.

Dominicus Bannes in 2. 2. Thom. q. 1. art. 10. p. 319. refert, quod Scotus 3. sent. dist. 24. & Cajetanus de primatu Papæ c. 13. doceant, *Episcopum Romanum non esse jure divino Episcopum orbis.* (Plura hujus generis inferius adducentur.)

Circa annum Christi 14[illegible] Wessalia Concionator Wormaciensis docu[illegible] *si nullus omnino esset Papa, nihilominus tamen omnes salvari, quicunque essent salvandi.*

Item. *Papam, Episcopos & Prælatos nulla necessitate, sed tantum propter ordinem & pacem creatos fuisse.*

5. Quod tales formant hypotheses, ex quibus inferri potest, Monarchicum Ecclesiæ dominatum non esse alicui præter Christum divinitus commissum.

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 55. *Plus vident oculi, quam oculus, propterea ex plurimis optimis necesse est optimam constare Ecclesiam.*

Erasmus in Scholiis in Epist. Hieronymi ad Evagrium. *Hieronymus æquare videtur omnes Episcopos inter se, perinde quasi omnes ex æquo Apostolis successerint. Nec putat ullum Episcopum alio minorem esse, quod humilior; aut majorem, quod sit opulentior: nam æquat Eugubiensem Episcopum cum Romano.*

Idem in Apologia ad Pium. *Sanctus vir* (Hieronymus) *ingenue fatetur, Episcopum Romanum non esse cæteris sublimiorem Sacerdotio, sed tantum opibus.*

Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. c. 9. §. Respondeo. *In Ecclesiæ primordiis necessarium fuit, ut primis prædicatoribus & Ecclesiæ fundatoribus potestas summa concederetur, mortuis autem Apostolis hæc potestas in solo Petri successore remansit.* (In priore hujus sententiæ parte Bellarminus non obscure concedit, *Ecclesiæ formam à Christo institutam* non fuisse Monarchicam, quod ipsum evidentius probatur ex eo, quod lib. 4. de Rom. Pont. cap. 25. §. ultimo scribit, *Apostolicam dignitatem esse primam & supremã dignitatem in Ecclesia*, 1. Corinth. 12. Ephes. 4. Posteriori assertioni opponimus illud Bellarmini, lib. 2. de R. Pont. cap. 12. rat 2. *Ecclesia, quæ semper est una, debet omni tempore unam formam tenere.*)

Idem Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 6. §. Igitur. *Perfecta beatitudo comprehendit omnia bona. Unum vero & insigne bonum est consortium æqualium personarum.* (Hoc non satis congruit cum pronunciato lib. 1. de Pont. Rom. cap. 4. §. 2. *Monarchia simplex in imperio Dei & Christi locum habet. Debent autem Deo & Christo optima quæque attribui. Ergo optimum regimen simplicem Monarchiam esse necesse est.* Quomodo enim hæc duo cohærent, *Optimum est, esse solum, & summum bonum est, habere consortium æqualium?*)

6. Quod agnoscunt, Universalem & Monarchicum totius Ecclesiæ dominatum, esse uni homini, qui est merus & nudus homo, impossibilem.

Bernhardus Lublinensis sub annum 1515. Simoni Cracoviensi scripsit, *Fieri non posse, ut unus quisquam toti orbi imperet, sufficere ad salutem unius Christi fidem amplecti: qui de Papa nihil audiverunt, non idcirco minus salvos esse.*

Salmeron Disp. 1. in cap. 1. ad Tit. tomo 15. p. 622. *Præcipuum Episcopi munus est, visitare sibi subditas Diœceses, & ordinare Ecclesiæ ministros &c. Voluit Apostolus, nullas magnas urbes suis Pastoribus destitui, nec totam Insulam Cretam, quæ centum constabat urbibus, unde & Hecatompolis vocata est, uni volebat Pastori committi, quia difficile videtur Pastori tot oves pascere, unde & Sedes Metropolitanæ non essent in immensum extendendæ, nec rursus Episcopales Ecclesiæ parvis oppidulis contrahendæ & angustandæ &c.* (Si uni Metropolitæ Insulam unam centum urbibus constantem regere difficile, universum mundum infinitorum regnorum multitudine amplissimum uni Papæ per Metropolitas administrare multo magis difficile erit.

Costerus in Enchirid. tract. de summ. Pontif. §. Frequenter. *Constat, secularem Principem nullum, ne ipsos quidem Romanos, unquam universo terrarum orbi imperasse.* (Ergo multo minus una persona Ecclesiastica universæ per totum terrarum orbem dispersæ Ecclesiæ præesse, & infinitarum animarum curæ sufficere potest.)

Acosta lib. 3. de Procur. Indor. salute cap. 4. *Cum remotissimæ regiones hæ sint, caputq; universæ hujus Reipubl. sive Regiam sive Pontificiam majestatem spectes, longissime dissitum, licentiæ & libidini Præfectorum campus late patens ostenditur, & quicquid libeat, licere etiam sibi opinantur.*

Lib. ejusd. cap. 11. *Difficile est, absentium causas certò dijudicare, & ut Leo Magnus scite ait, inter longinquas nationes in nimias dilationes tendunt veritatis examina. Paulus certe Apostolus, quanquam multa Corinthiis scribit absens, plurima tamen tunc se dispositurum promittit, cum fuerit apud eos. Multum omnino confert oculata experientia, & magnas sapientiæ occasiones præstat.* (At Pontifex visitare

tare Ecclesias istas omnes, præsertim tam longe dissitas, per se non potest, fatente eodem lib. 5. cap. 21.)

Argum. Adversf. 1. *Optimum regimen est Monarchicum. At Christus Ecclesiæ regimen voluit esse optimum.* Bellarmin. lib. 1. de Pont. c. 9. Sanderus lib. 3. de visib. Monarch. c. 3. Panigarolla in lectionib. Catholicis lect. 6. part. 1.

Resp. Bellarminus ipse lib. 1. de Pontif. Rom. cap 3. statuit, *quod Monarchia Aristocratiæ & Democratiæ admixta utilior sit in hac vita, quam simplex Monarchia.*

Item, *quod Monarchia sit omnium Rerumpublicarum præstantissima forma non simpliciter, sed circumstantiis seclusis tum persona, tum aliis.* (Ergo major est particularis.)

2. Bellarminus in argumentando circulum committit. In c. 4. sic procedit. *Monarchia simplex in imperio Dei & Christi locum habet, debent autem Deo & Christo optima quæq; attribui.* in c. 9. sic progreditur: *Monarchia est optimum ac præstantissimum regimen. Ergo Ecclesiæ, quæ est regnum Christi, regimen est Monarchicum.*

3. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. c. 12. §. observandum &c. Monarchiam Papalem dicit esse *rem fidei.* (Ergo *ex tabulis fidei,* id est, ex Scripturis sacris tanquam proprio fidei principio est demonstranda, non autem ex politicis principiis. Ille modus Ecclesiæ gubernandæ optimus est, quem à Christo institutum esse sacra docet pagina.)

4. Idem Bellarm. lib. de Laicis c. 10. §. Septimo. sic ratiocinatur: *Melior est Principis gubernatio per se, quam per Vicarios. At gubernatio sine legibus necessario requirit multos Vicarios, qui omnes ad arbitrium suum judicent, quando autem per leges gubernatur ipse Princeps omnia per se judicare censetur.* (Ex eo duo possumus colligere, Primo, Vicario opus non esse, ubi leges præsto sunt. Secundo, leges sufficienter stare pro ipso Principe. Christus ergo unicus Ecclesiæ Monarcha, licet invisibilis, tamen non indiget visibili Vicario ac Monarcha.)

5. Leo Epistola 54. *Alia ratio est rerum secularium, alia divinarum.* Ipse Bellarminus lib. de Clericis c. 7. scribit, *aliam esse rationem Reipubl. terrenæ, aliam cœlestis, h. e. Christianæ Reipublicæ.* (Ergo ex illa ad hanc non potest firmum duci argumentum.)

6. Patritius Senensis lib. 1. de Inst. Reipubl. cap. 1. scribit, *Tutiorem vitam arbitrandam esse censeo bene moratæ Reipubl. quam cujusque Principis.* (Falsum igitur est, quod Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. scribit, *in hanc sententiam,* quod Monarchia sit optima, *convenire omnes Scriptores.*)

7. Gretserus in Defens. Bellarm. lib. 1. cap. 2. col. 411. digitum intendit ad distinctionem inter Monarchiam consideratam *in abstracto,* ratione sui vel essentiæ; & *in concreto,* ratione hominum vel existentiæ. Priori respectu Monarchia est optima, non autem posteriori. (Ergo non simpliciter, nec semper est optima, inde Banosius lib. de Politia Civ. Dei, & hierarch. Romana c. 14. sect. 2. p. 145. tutissimum censet, omissis *comparativis* tantum in *positivo* loqui, & utrumque regiminis modum, tam Aristocraticum quam Monarchicum, bonum & eligibilem æstimare, eò quod uterque sit Dei ordinatio, uterque & olim fuerit, & etiam hodie usitatus sit, uterque etiam paria videatur afferre commoda.

6. Bodinus lib. 6. de Reipubl. c. 5. Justus Lipsius lib. 2. Monitorum c. 4. *Monarchiam hæreditariam* præferunt *electivæ* propter gravissima incommoda, quæ solent accidere in electione ex ambitu, corruptione, factionibus, legib. violatis, interregno, indeq; ortis seditionibus, cædibus, bellis atq; aliis. Si quis igitur ex hypothesi illa sic concludat; id regimen est omnium optimum, quod non est tantum *Monarchicum,* sed etiam *hæreditarium.* At Ecclesiæ regimen est omnium optimum. Ergo Ecclesiæ regimen est hæreditarium. Si quis, inquam, sic concludat, quid Bellarminus respondere velit?

9. Bellarm. lib. 1. de Pont. cap. 9. §. pen. *Mihi omnino expedire videtur, si posset eo perveniri sine injustitia & bellicis cladibus, omnes provincias mundi ab uno summo Rege gubernari in rebus politicis, præsertim si summus Monarcha sub se haberet non Vicarios & Pro-Reges, sed veros Principes, quomodo Pontifex sub se habet Episcopos.* (Agnoscit igitur, inter Reges terræ nullum omnium regnorum Universalem Monarcham inveniri; agnoscit, ad Monarchiam illam sine injustitiâ & bellicis cladibus non posse perveniri, ecce cur igitur à forma regiminis politici ad regimen Ecclesiasticum argumentum ducit, ac quæ in politicis locum non habet, in Ecclesiasticis Monarchiam quærit?)

Argum. 2. *Synagoga fuit umbra Ecclesiæ.* 1. *Cor.* 10. *v.* 11. *At illa habuit unum caput.* Bellarminus d. l. *Tempore V. Testamenti semper fuit unus, qui omnibus præerat in iis, quæ ad legem & religionem pertinebant, ac præsertim ab eo tempore, quo cæperunt Hebræi redigi ad formam populi & gubernari legibus & Magistratibus, quod fuit post egressionem ex Ægypto. Tunc enim Moses ordinavit Rempubl. Hebræorum, scripsit eis leges, quas à Deo acceperat, Aaronem consecravit Pontificem, eiq; um Sacerdotes & Levitas omnes subjecit.* Similia occurrunt apud Turrianum lib. 1. de Ecclesia c. 3. Costerum c. 3. Ench. p. 124. Gretserum lib. 1 Defens. de Pont. Rom. c. 9. col. 457. &c. *Respublica etiam Judæorum ab uno aliquo Principe fuit gubernata. Ergo Monarchia est optimum regimen.* Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 2.

Resp. 1. Summus Sacerdos V. Testamenti fuit typus Christi, unici illius summi Pontificis in N. Testamento, ut ostendimus ex Cornelio à Lapide & aliis lib. 1. p. 2. cap. 2. & 3.

2. Nomen *figuræ* 1. Cor. 10. v. 11. non accipitur pro figura significante ac præfigurante, sed pro exemplo morali.

Thomas Aquinas in Comm. illius loci. *Ostendit, quid antiquis Judæis contigit, quod non propter se tantum, sed propter corripiendos evenit, ut cohibeamur à peccato cordis, oris & operis, ubi eorum peccata & pœnæ exemplorum causa proponuntur.*

Lyranus in h. l. *Ad significandum, quod sic gravius fiet nobis, si fuerimus similes eis. Ideo subditur, Scripta sunt autem ad correptionem nostram. Dicitur enim vulgariter, quod pulchriter se castigat, qui exemplo alterius se emendat.*

Salmeron Disp. 17. in 1. Corinth. *Hæc extiterunt typi nostri, id est, exemplaria, in quibus, tanquam in tabellis, Deus nobis delineare voluit, quid fugere & quid sequi debeamus. Itaque explicat delicta Hebræorum & supplicia, quibus sunt à Deo puniti.*

3. Respublica Judæorum non fuit omnibus temporibus Monarchice gubernata.

Pererius in c. 49. Genes. p. 823. *Tempore Judicum forma Israeliticæ Reipublicæ ex imperio Dei fuit Aristocratica, atq; etiam sub Mose & Josua Optimates Rempubl. administrabant.*

Carolus Sigonius lib. 1. de Republ. Hebræorum c. 5. *Siquidem illis Rempubl. administrantibus lex valuit & Deus ipse imperium tenuit, hoc probatur ex Josepho lib. 4. antiquit. cap. 8. Aristocratia & vita, quæ ex ea ducitur, res optima est, nec vos capiat desiderium alterius Reipublicæ.*

4. Penes Synedrium erat summa potestas, quod & de summo Sacerdote & de Rege poterat judicare, unde etiam Herodes coram Synedrio causam agere fuit jussus.

Petrus Galatinus lib. 4. de Arcan. Cathol. verit. c. 5. *Non erant judicantes tribum vel sceptrum, neque Pseudoprophetam, neque Sacerdotem magnum, nisi Domus judicii Septuaginta duorum judicum.*

5. Roffensis ad 25. articulum Lutheri, Christianam Ecclesiam facit *mediam inter Ecclesiam cœlestem triumphantem & Synagogam.* (At quæ media est inter extremas, non potest ab altera extrema adumbrari, sive figurari.)

6. Invertimus igitur argumentum hoc modo. Synagoga fuit umbra Ecclesiæ. In Synagoga fuit unus summus Pontifex *absq; ullo Vicario,* & ille Pontifex Christum significavit. Ergo in Ecclesia Christiana solus Christus summus est Pontifex & absque Vicario, ac proinde præter Christum nullus est agnoscendus summus omnium fidelium Pontifex.

7. Damasus in Decretali 4. scribit, *summorum Pontificum,* id est, Episcoporum, sic enim diserte explicantur, *figuram tenuisse Mosen & Aronem.* (Ergo typus Aaronis ad singulas potius, quam universas Ecclesias pertinet, & ex hoc exemplo deduci potest, in unaquaque Ecclesia Episcopum unum esse debere, non in omnibus unum œcumenicum.)

8. Bellarminus lib. de Clericis cap. 6. §. 3. probat, *non decuisse Christianos Sacerdotes carnali successione propagari, ex differentia Vet. & N. Testamenti.* (Atqui si in constitutione Sacerdotii est differentia Vet. & N. Testamenti, utique etiam in constitutione regiminis Ecclesiastici est differentia V. & N. Testamenti.)

Idem Bellarminus disputat, *Sacerdotes N. Testamenti non debere esse uxoratos,* cum tamen V. Testamenti Sacerdotes in conjugio vixerint.

Arg. 3. *Unitas Ecclesiæ non potest consistere absque visibili aliquo capite.* Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. c. 9. Hardingus contra Ivellum art. 4. sect. 17.

Resp. ex Bellarmino lib. 2. de Conc. cap. 16. §. Respondeo.

Non est mirum, si manet Ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex sit Deus.

(Sicut Ecclesia est corpus mysticum & spirituale, ita quoq; caput ejus est mysticum & spirituale, proinde non indiget capite aliquo visibili. Fundamenta unitatis illius proponuntur Ephes. 4. v. 2. & seqq. quod una sit Ecclesia, Primo, *propter unum caput*, quod est Christus, cui si adderetur aliud caput vicarium & ministeriale, Ecclesia foret biceps; nec indiget principale illud caput, quod est Christus, capite aliquo ministeriali, quia omnia capitis munia per seipsum præstare potest, unde Augustinus de ipso scribit lib. 1. contra Petil. c. 5. *quod sit origo, radix & caput Ecclesiæ.* Secundo, *propter unum Patrem cœlestem*, à quo ad vitam æternam electa est, *unitate prædestinationis*, ut loquitur Johannes Hussus lib. de Eccles. cap. 2. Tertio, *propter unam fidem.* Iren. lib. 1. advers. hæres. cap. 3. *Veram & unicam fidem Ecclesia diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens & unum cor, & consonanter hæc prædicat & docet & tradit quasi unum possidens os.* Quarto, *propter unum Baptisma* & *unam sacram Cœnam.* Quinto, *propter unum Spiritum*, quo regitur. Sexto, *propter unam spem* vitæ æternæ. Si præter hæc unitatis vincula, haberet etiam *unum caput visibile*, utique Apostolus ex professo de illa Ecclesiæ unitate tractans, visibilis capitis mentionem fecisset.

Argum. 4. *Ecclesia mortalium hominum similis est Ecclesiæ immortalium Angelorum. Ergo debet esse Monarchica. Antecedens probatur, quia certum est, istam illius exemplar & quasi ideam quandam esse, ut Apostolus indicare videtur, Hebr. 8. Consequentia probatur, quia certum est, inter Angelos præter summum Regem omnium Deum, esse unum, qui aliis omnibus præsit, qui ab initio erat is, qui nunc Diabolus dicitur, post ejus vero casum, Michael.* Bellarmin. lib. 1. de Pont. cap. 9.

Resp. 1. Cajetanus in cap. 8. Hebr. sic commentatur. *Duo dixerat, alterum sanctorum minister, & alterum tabernaculi veri quod fixit Deus. Et quoad primum dixit, quod id, quod offert Jesus, non est super terram, ad differentiam Sacerdotum legalium.*

Et paulo post. *Modo differentiam tabernaculi prosequitur, dicendo de Sacerdotibus legalibus, quia deserviunt exemplari & umbræ cœlestium. Tabernaculum siquidem illud erat exemplatum à tabernaculo cœlesti: & erat velut umbra illius.* (Ergo juxta Cajetanum Apostolus non indicat id, quod Bellarmino indicare videtur.)

2. Si Ecclesiæ Angelorum Ecclesia militans per omnia conformis esse deberet, posset inferri, *omnes in Ecclesia militante debere esse cælibes*, quod ne ipsi quidem Pontificii concedunt.

3. Nicolaus Sanderus lib. 4. de Monarch. c. 1. argumenti hujus infirmitatem agnoscit, sic scribens: *Neque enim puto illum unius Angeli supra cæteros principatum, de quo nunc ago, tam clare aut in Scripturis proponi, aut ab Ecclesia hactenus definitum esse, ut hæreticus aut infidelis haberi debeat, si quis contradixerit.*

4. In eo consistit casus Luciferi, quod reliquis Angelis omnibus præesse, nulli vero subesse voluerit. Gregorius lib. 4. Epist. 78. *Illum videlicet imitatur*, (Johannes Episcopus Constantinopolitanus Universalis titulum appetens;) *qui spreta Angelorum societate conatus est ad culmen singularitatis ascendere.*

5. In Opere Tripartito lib. 2. c. 5. argumentum ex hoc ipso loco in contrariam sententiam instituitur. *In cœlesti Hierarchia tota congregatio Angelorum non habet unum caput præter solum Deum: Ergo à simili in Ecclesiastica Hierarchia hominum non debet esse unum caput præter solum Deum.*

Argum. 5. *Ecclesia comparatur exercitui ordinato, Cantic. 6. v. 9. corpori humano seu mulieri speciosæ, Cant. 7. v. 1. & seqq. regno, Daniel. 2. v. 44. ovili, Joh. 10. v. 1. domui, 1. Tim. 3. v. 15. navi seu arcæ Noæ, 1. Petr. 3. v. 20. quæ similitudines omnes ostendunt, necessario debere esse in Ecclesia unum caput.* Bellarmin. lib. 1. de Pontif. cap. 9.

Resp. Conclusio non attingit quæstionis statum. Probandum enim erat, *præter Christum* esse unum visibile caput in Ecclesia.

1. In Canticum Cant. cap. 6. Gregorius sic commentatur. *Quemadmodum milites, si strictim & concorditer gradiantur, ab hostibus contragradientibus timentur: sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos Spiritus pugnare non desinit, necesse est, ut pace caritatis constringatur, quo salva sit.* Hanc expositionem adducit Glossa ordinaria. (Comparatur ergo Ecclesia aciei, non ratione alicujus Ducis visibilis unius, sed ratione ordinis ac dispositionis. (Martinus Delrio in expositione hujus loci non meminit œcumenici Pastoris, aut ullius omnino capitis, sed *aciem ordinatam* quærit *in Martyribus, Virginibus, Confessoribus, Justis*, vel *in Judæis, gentibus, reliquiis Jacob tandem convertendis*; vel *in Doctoribus, Continentibus, Conjugatis.*

2. In Cantic. Cant. cap. 7. Gregorius Episcopus Romanus sic commentatur. *Caput Ecclesiæ Christus, qui bene ut Carmelus dicitur, quia ipse per passionem, quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus*, (Ergo per caput intelligendus est Christus. Frustra regerit Bellarminus, *Ecclesiam, quæ est in terris, Christo secluso, non inepte comparari Sponsæ, ac proinde, secluso etiam Christo, unum debere caput habere.* Præterquam enim, quod comparationes allegoricæ non sint extendendæ ultra scopum, nihil impedit, Christum dici & *caput* & *Sponsum Ecclesiæ* diverso respectu; alias sequeretur Ecclesiam triumphantem itidem habere aliud caput præter Christum. Si in accommodatione hujus allegoriæ liceret λεπτολογεῖν, dandus esset in Ecclesia unus aliquis, qui responderet uni *collo* & uni *umbilico*. Alias, si plures in Ecclesia possunt respondere uni collo & umbilico, utique etiam plures, omnes scilicet fideles Pastores, possunt respondere uni capiti.)

3. Dan. 2. v. 44. manifestum est, *regnum Christi* describi, Rex igitur Christus est. Frustra Bellarminus urget, *quod Regis absentis constituendus sit aliquis Vicarius.* Nam nec Christus ab Ecclesia sua abest, nec perpetuum est, unius Regis unum tantum esse Vicarium, sed quandoque plures Vicarii constituuntur.

4. Idem dicendum de similitudine domus. Neque enim est perpetuum unius domus unum duntaxat esse œconomum. Id quod de hac domo Dei diserte negat Apostolus 1. Cor. 4. v. 1. Tit. 1. v. 7. Singulæ omnino Ecclesiæ sunt *domus Dei*, ut colligitur ex 1. Timoth. 3. v. 15. neque enim Timotheus omnes Ecclesias unquam ordinavit, sed eam tantum, quæ sibi esset commissa. Jam vero singulæ domus habent suos œconomos, qui à Domino pendent. Ergo etiam singulis Ecclesiis sui sunt œconomi, *soli Domino rationem actuum suorum reddituri*, ut loquitur Cyprianus de unit. Ecclesiæ. Urget Sanderus, *unius diversorii unum hospitem statui*, Luc. 10. v. 35. proinde etiam unum esse summum Ecclesiæ Pastorem à Christo distinctum, lib. 5. de visib. Monarch. cap. 2. sed resp. ex Jansenio cap. 81. Harm. *Hospitibus suis hominem curandum commisit. Hi sunt Apostoli & Apostolorum successores, per quos etiam hodie curat genus humanum.*

5. 1. Petr. 3. v. 20. non *Ecclesia*, sed *Baptismus* cum arca Noæ confertur, ut agnoscunt Lyranus, Thomas de Vio Cajetanus, Gagnæus &c. in Comment. illius loci,

Argum. 6. Distinctioni inter *caput primarium & secundarium* fulciendæ hoc supponunt, quod Apostolus, *qui fundamentum, inquit, aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus*, 1. Corinth. 3. Eph. 2. v. 20. scribat, *superædificati sumus super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Bellarm.

Resp. 1. Bened. Justinianus in cap. 2. Eph. significari ab Apostolo dicit, *Ephesiorum fidem utriusque Testamenti testimonio & autoritate firmari.* (Ergo Apostoli & Prophetæ non dicuntur fundamentum, nisi habita *ratione ministerii*, i. e. quatenus ministri fuerunt jaciendi fundamenti.)

2. Glossa interlinearis, & ordinaria, Thomas, Lombardus, Lyranus, Cajetanus & Gagnæus significari dicunt, *fideles superstructos esse super doctrina V. & N. Test. quæ sit fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, i. e. quod Apostoli & Prophetæ constituerunt, quod idem est, ac si ipsum Christum nominasset. Salmero itidem hanc secundam verborum Pauli sententiam ponit.

3. Bellarm. ipse lib. 1. de R. P. c. 11. §. Altero &c. sic commentatur. *Dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ ratione doctrinæ à Deo revelatæ: siquidem fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Prophetæ &c. Atque hac ratione superædificamur, ut Apostolus ait Ephes. 2. supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

De reliquis Adversariorum argumentis agetur inferius cap. 5.

CA-

CAPUT II.

De primatu Petri.

Thesis. Petrus non fuit à Christo constitutus Ecclesiæ Monarcha, nec pro eo sese gessit, sed fuit Co-Apostolus & Sym-Presbyter reliquorũ Apostolorum & Presbyterorum.

Ἔκθεσις. Non est quæstio de primatu aliquo *honoris*, sed de suprematu *Monarchicæ potestatis*. Petrum prioritate *ætatis* aut *vocationis*, aut *zeli*, aut *ordinis* dici primum concedimus, sed ratione *jurisdictionis* in reliquos Apostolos primum dici, negamus. Primatum habuit *inter Apostolos*, non *in ipsos Apostolos*.

Antithesis. Bellarminus Lib. 1. de Pont. Rom. cap. 10. *Petrus fuit totius Ecclesiæ caput & Princeps, loco Christi ab ipso Christo constitutus.*

Ibid. *Revera non simplex error, sed perniciosa hæresis est, negare Petri primatum à Christo institutum.*

Coccius tom. 2. Thesauri Lib. 7. art. 4. *Petrum Ecclesiæ universæ Principem & Pastorem ab ipso Christo Salvatore constitutum esse*, asserit.

Inter articulos Johannis Huss à Martino V. damnatos fuit 7. iste, *Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ Catholicæ.*

Nicolaus Sanderus Lib. 6. de visib. Eccles. Monarch. cap. 4. fol. 166. scribit: *infallibilitatem Apostolorum non ex eo pependisse, quod Spiritu Sancto impleti fuerint, sed quod eadem docuerint, quæ S. Petrus docebat.*

Lib. ejusd. cap 6. fol. 186. *ideo oportuisse Petrum cæteris Apostolis imperare*, asserit, *ne cum duodecim essent, illorum sex aliquando in unam, sex in alteram partem declinarent, atque ita infinitus esset dissensus.*

Idem de Clave David Lib. 3. cap. 3. dicit, *Petrum fuisse fundamentum illud, in quod ipse Paulus ædificatus sit.*

Costerus in Enchir. in cap. de Rom. Pont. §. Esto ergo. *Christus substituit sibi vicarium unum, qui ejus vice Catholicæ Ecclesiæ præesset, nimirum B. Petrum, quem ut Pastorem cæteris Christianis omnibus præfecit.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex Christi institutione.* Christus omnibus Apostolis æqualem potestatem dedit, nusquam vero Petrum reliquis Apostolis, ut caput & Monarcham, præfecit. Cum de primatu Apostoli toties invicem contenderint, nuspiam tamen Christus vel verbulo significavit, Petro illum à se commendatum esse.

2. *Ex Petri testificatione.* Petrus nuspiam gloriatus est, se, vel potestatem dominii, vel dominium fidei in reliquos Apostolos & omnes Christianos accepisse. Quod ad potestatem dominii attinet, eam sibi derogat, quando se vocat συμπρεσβύτερον 1. Epist. 5. v. 1. Dominium fidei sibi derogat, quando *ad sermonem Propheticum* nos remittit 2. Epist. 1. v. 29. ac sua omnia ex Scripturis confirmat, adeoque Christum solum & unicum Magistrum audiendum esse, cum reliquis Apostolis ex ore Christi docet Matthæi 23. v. 8.

3. *Ex Petri conversatione.* Petrus nuspiam gessit se pro Monarcha & summo Pontifice. Patitur se ablegari una cum Johanne, tanquam æquali ad Samaritanos, Actor. 8. v. 14. æquo animo admittit Judæorum expostulationem, quod ad gentes ingressus fuerit, seque coram illis excusat, Actor. 11. v. 3. controversiam de observatione legis Mosaicæ, non prætoria autoritate, sed communibus cum reliquis Apostolis suffragiis decidit, Actor. 15. v. 5. patitur se à Paulo reprehendi ob simulationem, Gal. 2. v. 14.

4. *Ex Petri prohibitione.* Petr. 1. Eph. 5. v. 3. prohibet κατακυριεύειν τῶν κλήρων, quis ergo credat, ipsum κυριότητα ac dominatum sibi arrogasse, cujus usu aliis Pastoribus interdixit?

5. *Ex Petri cum aliis Apostolis, præsertim cum Paulo, exæquatione.* Actor. 15. v. 5. & seqq. in decisione controversiæ in Ecclesia ortæ non provocatur ad solum Petrum, tanquam Oecumenicum Pontificem, sed ad omnes Apostolos; omnes Apostoli pari cura & solicitudine gregem Domini paverunt & ad pascendum non à Petro, sed à Christo ablegati sunt, Galat. 1. v. 1. Paulus & *plantantem* & *rigantem*, id est, omnes Apostolos *unum esse* dicit, pariterque Domini *ministros*; & tum *Paulum*, tum *Apollo*, tum *Cepham Corinthiorum esse*, 1. Cor. 3. v. 5. 7. & 22. nec solus Petrus dicitur *Ecclesiæ columna*, sed una Jacobus & Johannes, Gal. 2. v. 9. nec Petrus primo loco in enumeratione illa ponitur, sed Jacobus; nec Petro, tanquam Monarchæ, sese Paulus & reliqui Apostoli subjiciunt, sed *dextram societatis* ipsi dant, quod manifestum æqualitatis indicium; quin & pactum Paulus ac Petrus invicem ineunt, quod inposterum Paulus gentilibus, Petrus Judæis ordinarie ac præcipue Evangelium prædicare debeat, mutuas igitur operas ad Ecclesiæ ædificationem conferunt, nequaquam vero Universalem pasturam & dominatum Petrus sibi arrogat. Quin & Paulus prædicavit Evangelium à Christo missus, antequam Petrum vidisset, Gal. 1. v. 17. nihilque à quoquam Apostolorum sibi collatum asserit, cap. 2. v. 6. quinimo, quod accurate notandum, expresse scribit, se μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων, 2. Cor. 11. v. 4. *seque omnium Ecclesiarum cura & solicitudine tangi*, v. 28. se οὐδὲν *in nullo minorem* esse τοῖς ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλοις, 2. Cor. 12. v. 11. quæ in æternum cum Petri primatu conciliari nequeunt.

6. *Ex prohibita à Petro denominatione.* Paulus reprehendit Corinthios, quod quidam à *Cepha* se denominarent, 1. Corinth. 1. v. 1. At si Petrus esset Episcopus Oecumenicus, ab eo sese jure denominare potuissent.

7. *Ex Apostolicæ Ecclesiæ administratione.* Petrus communicato cum aliis Apostolis consilio, non autem Monarchica potestate agit in electione Matthiæ, Actor. 1. v. 23. in constitutione Diaconorum, Act. 6. v. 5. in controversiæ decisione, Act. 15. v. 22. quin & Paulus ac Barnabas absque impetrata à Petro potestate *per singulas Ecclesias Presbyteros constituerunt*, Actor. 14. v. 22. Paulus Titum *Ecclesiæ Cretensi* Episcopum præfecit, Tit. 1. v. 5. cap. 3. v. ult. ipsique potestatem dedit *constituendi per civitates Presbyteros*, Tit. 1. vers. 5. quod absque Oecumenici Pastoris autoritate facere non potuisset, si in Ecclesia Apostolica aliquis fuisset.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Petro primatum & dominatum Monarchicum derogant.

Clemens Episcopus Romanus Jacobum fratrem Domini Episcopum Hierosolymitanum, non autem Petrum appellat Episcopum Episcoporum. Sic enim ad eum scribit tom. 1. Concil. p. 14. *Clemens Iacobo fratri Domini, Episcopo Episcoporum, regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam, quæ est Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias, quæ ubique Dei providentia fundatæ sunt.*

Idem Clemens Lib. 6. Constit. apud Eusebium Lib. 2. Histor. cap. 1. *Petrus, Iacobus & Iohannes post assumtionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus bene prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum Episcopum statuunt.*

Gregorius Episcopus Romanus Lib. 4. Epist. 32. *Petro cura totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen Universalis Apostolus non vocatur.*

Lib. ejusd. cap. 38. *Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra ejus aliis quodammodo capitibus sociabant, vehementissime perhorruit &c. Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis* (inter quos etiam Cephas) *subjici particulariter evitavit.*

Ibid. *Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & Universalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Iohannes, quid aliud, quam singularium plebium sunt capita.*

(Quod nomine *primi membri* non intelligat caput aliquod Monarchicum, sed *ordinis ratione* primum membrum, patet ex Lib. ejusd. Epist. 36 ubi diserte dicit, *Iohannem per usurpationem nominis Universalis omnia, quæ soli uni capiti cohærent, videl. Christo, ejusdem Christi sibi studere membra subjugare.*)

c. Loquitur. caus. 24. q. 1. ex Cypriano, *Quamvis Christus Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater &c. tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Addit Cyprianus, quod est à Gratiano omissum, *Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.*

c. In novo. dist. 21. ex Anacleto. *Cæteri Apostoli cum eodem* (Petro) *pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt.*

Marsilius Patavinus in Defens. pacis circa Annum 324. *Congregatio Apostolorum amplioris fuit autoritatis, quam solus Petrus,*

aut alter Apostolus. Unde legimus, Petrum ab ipsa missum in Samariam, ut apparet Actuum 8. Cur ergo & unde assumunt adulatores sacrilegi quidam dicere, quenquam Episcopum habere à Christo plenitudinem potestatis, etiam in Clericos, nedum in Laicos, cum B. Petrus aut ullus alius Apostolus nunquam talem sibi potestatem adscribere præsumserit opere, vel sermone. Hoc enim asserentes deridendi sunt, nihil credendi, minusque timendi, cum Scripturæ oppositum clament in literali & manifesto ipsarum sensu. Nam B. Petrus nunquam super Apostolos aut alios talem habuit potestatem, sed cum ipsis potius, ut jam diximus, æqualitatem. Unde Matth. 23. Nolite vocari Rabbi, unus enim est Magister vester Christus, omnes autem vos fratres estis, id est, æquales. Et dixit omnes, excipiendo neminem. (Inde Coccius in Thesauro fol. 798. de hoc Marsilio Patavino scribit, quod negaverit, Petrum à Deo super Apostolos reliquos jurisdictionem & potestatem accepisse, ac Bellarminus in Chronol. ad annum Christi 1328. de eodem scribit, quod negaverit, Petrum fuisse Ecclesiæ caput.)

Idem Marsilius Patavinus d. lib. pag 203. Quod si B. Petrus à quibusdam Sanctorum Princeps Apostolorum scribatur, dictum est large ac improprie sumendo vocabulum Principis, etiamsi sit aperte contra Christi sententiam & oraculum, ubi Matthæi 20. & Luc. 22. inquit, Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Ideoque dicendum, sic Sanctos locutos fuisse, non propter potestatem aliquam à Christo super Apostolos sibi datam, sed fortasse quia ætate senior, aut quia Christum prius confessus est, fuisse verum Dei consubstantialem Filium, vel quia fortasse fuit in fide ferventior atque constantior, aut quia cum Christo conversatus & frequentius vocatus in consiliis & secretis. (Inde Coccius d. l. de hoc Marsilio Patavino scribit, quod asseruerit, D. Petrum immediate à Deo nullam habuisse super reliquos Apostolos, aut Christi discipulos jurisdictionem aut potestatem, qua eos, vel in Sacerdotali officio ordinaret, vel ab eo segregaret, vel alio mitteret ad suum officium exercendum.)

Autor libri de ætatibus Ecclesiæ (ante annos fermè trecentos scripti) inter cætera sic loquitur: Legimus in libro 2. Eccles. Histor. cap. 1. ubi Eusebius allegat Clementem in 6. Disputationum libro sic in forma: Petrus enim inquit, & Jacobus & Johannes post assumtionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non sibi vendicarunt primatum gloriam: sed Jacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuerunt. Ex his verbis videtur concludi, quod Jacobus super Apostolos accepit principatum, quia Apostolorum Episcopus factus est. Episcopus autem Superintendens dicitur, & Sedem Domini Jesu suscepit possidendam. In tertio vero libro ait: Post Martyrium Jacobi & continuò consecutum excidium traditur, Apostolos cæteros & Domini discipulos, qui ad illud tempus reliqui erant, in unum è locis omnibus convenisse simul, cum iis, qui propinqui secundum carnem dicebantur, & habuisse commune Concilium, quem oportat dignum successorem Jacobi judicari: omnesq; uno consilio atq; uno consensu Simonem filium Cleophæ decrevisse, cujus mentio in Evangeliis facta est, ut Episcopatus sedem susciperet. Invenimusne adhuc aliquam Prælaturam Petri?

Et postea. In Synodo Apostolorum Act. 15. Jacobus Apostolorum Episcopus secundum prius dictum Historiæ Ecclesiasticæ dictavit sententiam.

Ibid. Secundum Historiam Ecclesiasticam non solum Petrus Romanæ Ecclesiæ præsedit, sed cum eo etiam Paulus &c. unde Alexander Romæ quinta successione post Petrum atque Paulum plebis gubernacula sortitus dicitur.

Michael Celenas Generalis Minoritarum circa annum 1320. docuit, Petrum nunquam sibi arrogasse Monarchicum dominatum, propter quod dogma Pontifex Johannes XXII. eum excommunicavit, inde Antoninus part. 4. Summæ de eo sic scribit: In Extravagante Johannis XXII. quæ incipit, Dudum ab audientia &c. reprobantur, ut hæreses, errores Petri de Corbaria, Johannis & Michelini Ordinis Minorum, qui pertinaciter asseverabant, quod Petrus Apostolus non fuit magis caput Ecclesiæ, quam quilibet Apostolorum, & quod Christus nullum Vicarium in Ecclesia dereliquit, vel caput.

Franciscus Zabarellus Florentinus Ecclesiæ Rom. Presbyter & Cardinalis in lib. de Schismate & Concilio, circa Ann. 1418. scripsit, Petrum non habuisse plenitudinem potestatis, sed fuisse unum ex præcipuis Apostolis & Ecclesiæ administratoribus, & cum claves à Christo accepit, totius Ecclesiæ personam gessisse.

Georgius Haymburgensis in Appellatione contra Pium II. Pont. Roman. Ann. 1434. ad verba Bullæ Pontificiæ, Salvator noster Petrum Apostolorum Principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit, sic annotat: Quis ignorat, omnibus Apostolis Jesu præceptum esse, ut eant in orbem prædicaturi fidem, Baptismum & salutem? quis nescit, passim omnibus esse promissum, ligatum esse in cœlis, quod ipsi ligarint in terris, & solutum esse, quod solverent? Sed quod Cephæ singulariter dictum est, Tibi dabo claves &c. hoc ait Hieronymus esse factum, ut tolleretur schismatis occasio. Et Ambrosius in Pastorali suo dicit, Petro nedum trina interrogatione interrogato, an amaret, terna responsione subsequente, amare se, teste ipso interrogatore Jesu, traditas esse claves, sed & omnibus Apostolis contraditas. Apostoli quoque post ascensionem Domini convenisse, ac Petrum sibi Principem constituisse, & Antiochiæ in cathedram collocasse referuntur, nihil tamen de potestate universis Apostolis à Servatore data, & sua ipsorum omnium Universali missione diminuerunt. Ergo & hodie Catholica exorat Ecclesia, se se per Apostolos ipsos continua protectione custodiri, quos ipse Salvator noster Vicarios tanti operis constituit præesse Pastores. Horum legitimos successores constat esse Universalia Concilia, Christianæ fidei fundamenta &c. Nam si omnes Apostoli missi sunt à Domino Jesu dicente illis; Ite in orbem universum, quodcunque ligaveritis, ligatum erit, quos constat Conciliariter postea esse congregatos, ac ipsum Cepham in messem Domini misisse, quis dubitat, sacra Concilia vicem Christi gerere, quæ & cœtui Apostolico successisse comprobantur?

Nicolaus Cusanus Card. in lib. de Concord. Cathol. prolixe probat, omnes Christi Petrum alloquentis promissiones non speciatim ad solum Petrum, vel Pontificem Romanum sed ad totam Ecclesiam Universalem referendas esse, lib. 1. cap. 11. 14 & 15. Evincit etiam, quod Petrus nullatenus majorem potestatem à Christo acceperit, quam cæteri Apostoli, nec ei quicquam dictum, quod non peræque aliis dictum sit, quippe qui non minus sint petra, quam Petrus ipse, ita quidem, ut non omnes tantum Episcopi, sed & omnes Presbyteri, quoad jurisdictionem, parem potestatem habeant, lib. 2. cap. 8. & 12.

Polydorus Vergilius lib. 4. de Rer. invent. cap. 6. Existunt, qui contendunt, Petrum in omnes Apostolos jus habuisse, de qua re non est nostrum quicquam decernere, qui Sacerdotii originem tantum quærimus. Tametsi contra nonnulli aliter censent, quia id videtur Apostolus 2. Cor. 10. negare, scribens: Nam etsi amplius quippiam gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus, non erubescam. Non enim dicit, quam Petrus dedit, sed quam Dominus dedit.

Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus (circa Ann. 1440.) q. 27. in cap. 10. Matth. negat, fuisse inter Apostolos pro gradibus dignitatis à Christo institutum ordinem. Probat autem sententiam suam firmissimo argumento, quia, inquit, aliquando ipsi contendebant inter se, quis eorum major videretur, Luc. 22. & etiam quærebant hoc à Christo Matth. 18. Christus autem noluit eis dicere, quis esset major, Marci. 9. & semper duravit eis hoc dubium, quamdiu fuerunt cum Christo, etiã in die Cœnæ Domini. Luc. 22. Non ergo posuit Christus istum ordinem. Addit & aliud argumentum ex eo, quod diverso ordine recitata sunt nomina Apostolorum ab Evangelistis. Nam si aliquem certum ordinem dignitatis inter illos Christus instituisset, sine dubio ab omnibus Evangelistis ille ordo constanter fuisset servatus. Existimat vero Abulensis, ordinis inter Apostolos illo tempore servati rationem positam fuisse in tempore, quo illorum unusquisque in discipulatum fuerit admissus.

Erasmus in Annot. Matth. 10. pag. 38. Indicat D. Hieronymus, non eodem ordine recenseri Apostolos ab aliis Evangelistis, quo à Matthæo, ne quis ob hos omnium primum faciat Petrum, quod hic primo loco ponitur. Nam cæteri primũ locum tribuunt Matthæo, proximum Thomæ. Et Hieronymus existimat, ejus esse ordinem ac merita singulorum Apostolorum distribuere, qui illos elegit, innuens, ut videtur, autoritatem omnibus Apostolis parem fuisse, quod ad Apostolici muneris functionem attinet.

In volumine 4. Tractatuum, sive Oceani Doctorum Juris fol. 88 num. 20. hæc habentur: Ex quibus omnibus videtur inferri, tum ex potestatibus Ecclesiæ pariter omnibus Apostolis attributis, tum etiam ex usu & consuetudine omnium Apostolorum, qui una cum Petro disponebant singula in Ecclesia, quod potestas clavium & Ecclesiæ non fuit in solo Petro constituta.

Francisc. de Victor. relect. 2. q. 2. conclus. 3. Apostolos alios omnes jurisdictionem cum Petro æqualem accepisse per totum terrarum orbem ad omnes actus, quos Petrus habuit, patet ex mandatis

datis communibus, docete omnes gentes; ex privilegiis, Sicut misit me Pater; ita ego vos; ex actis & gestis Apostolorum, qui præter Petrum Ecclesias constituerunt, ordinarunt, leges tulerunt.

Toletus in cap.21.Joh. *Apostoli omnes eadem potestate pastorali instructi fuere.*

Johan. Ferus in cap.16. Matth. *Eodem tempore omnes Apostoli claves Ecclesiæ acceperunt.*

2. Quod quidam agnoscunt, Paulum Apostolum non fuisse Petro inferiorem.

Leo I. Serm.1. in Natali Apostol. Petri & Pauli, non solum Petrum dicit *Principem & primum Apostolici ordinis*, sed etiam Petrum & Paulum *Apostolorum præcipuos.*

Ibid. *In horum excellentia Patrum merito est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares & labor similes & finis fecit æquales.*

Gregorius Lib.4. in 1. Lib. Reg. cap. ult. scribit, *Paulum ad Christum conversum esse effectum caput nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum.*

Lib.1. Dialog. cap. ult. *Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo in principatu Apostolico frater est.*

c. In novo. dist.21. ex Anacleto. *Cæteri Apostoli cum eodem* (Petro) *pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt, qui etiam jubente Domino in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt.*

c. Paulus. caus.2.q.7. ex Hieronymo. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.* (Glossa in edit. Gregoriana adjecta notat, *hoc non de officio Ecclesiasticæ dignitatis, sed de puritate vitæ & sanctæ conversationis intelligendum.* Atqui ad reprehensionem non solum requiritur *paritas sanctitatis*, sed etiam ac vel maxime *paritas dignitatis & officii*, ut ostendit locus Ambrosii in cap.2. Galat. ex quo hic Canon est desumtus, qui sic habet: *Nam quis eorum auderet Petro primo Apostolo, cui claves regni cælorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat?*)

c. Beati. caus. & quæst. iisdem ex Ambrosio. *Beati Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos & peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim, illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad Martyrii gloriam pervenisse. Non enim sine causa factum putamus, quod una die passi sunt, uno loco, sub uno persecutore. Una die, ut ad Christum pariter pervenirent. In uno loco, ne alteri Roma deesset. Sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrosque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco iidem Martyrium pertulerunt? in urbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum. Scilicet ut, ubi erat caput superstitionis, illic caput requiesceret sanctitatis, & ubi gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morerentur.* (In Rubrica Canonis additur, *quod fuerint meritis æquales, sed gradu differentes.* Verum huic rubro non respondet nigrum quoad partem posteriorem.)

c. A recta. caus.24.q.1. ex Lucio Papa. *Ecclesia Romana in exordio normam fidei Christianæ percepit ab autoribus suis Apostolorum Christi Principibus.* (Paulo & Petro.)

Bernhardus serm. in fest. Petri & Pauli; vocat eos *Apostolorum Principes.*

Glossa interlin. Gal.2. super verba: *In faciem ei restitit. Quod non auderet, nisi se non imparem sentiret.*

Gloss. ordinar. ibid. de Paulo: *Non didici ab aliis, tanquam à majoribus, sed contuli cum illis, tanquam cum amicis & paribus.*

Ibid. *Dederunt dextras societatis, id est, æqualitatis.*

Marsilius Patavinus in Defens. pacis part.2. *Paulus fuit par officio & dignitate Petro, non inferior, licet Petrus fuerit ætate Senior & tempore prior Pastor.*

Bartholomæus à Chassanæo in Catal. glor. mundi part.3. consid.31.§.2. ex c. Paulus. caus.2. quæst.7. colligit, *quod Paulus fuerit æqualis Petro, & sic, quod Petrus non fuerit solus Princeps Apostolorum, nec illi soli fuerit data illa potestas universalis. Imo* (pergit Chassanæus) *Ludovicus Viraldus in Opere regali in tractatu de pugna partis sensitivæ notabili 4. vers. Paulus Apostolus, docet, quod Paulus fuerit Petro sublimior in quibusdam. Hinc est, quod in Bulla, sive sigillo plumbeo ponitur Paulus à dextris, & Petrus à sinistris.*

Cajetanus in cap.2. Galat. *Non sufficit Paulo, monstrasse, se æqualem aliis Apostolis primis; sed monstrat, se quoque exhibuisse majorem in actione summo Apostolorum vertice Petro.*

Bellarminus Lib.1. de Roman. Pontif. cap.27. §. Et fortasse &c. *Fortasse consulto id veteres observaverunt, ut ex duobus summis Apostolis, modo unum, modo alterum* (in diplomatibus & numismatibus) *anteponerent. Nimirum, ut eo modo significarent, hos Apostolos vel pares esse inter se, vel certe ignorari, uter alteri præstet. Nam etsi Petrus major est potestate, Paulus major est sapientia &c.* (Si Paulus & Petrus sunt *summi Apostoli*, ac sunt *inter se pares*, vel certe ignoratur, uter alteri præstet, utique non potest dici, quod Petrus potestate major sit Paulo. Nam potestatis ratione superioritas, vel solum, vel præcipue æstimatur.)

3. Quod tales ponunt hypotheses, quæ cum primatu Monarchico Petri conciliari non possunt.

Salmeron Disput.14. in Epist. Paul. §. Adhæc. *Protestantes ajunt, neminem Christi personam gerere. At Paulus ait, Et ego quod donavi propter vos in persona Christi. Ergo personam Christi gessit.* (Hoc non satis convenit cum eo, quod idem Disput.11. generali scribit, *solum Petrum summum Pastorem & Monarcham à Christo constitutum.* Si enim solus Petrus Monarcha constitutus, utique etiam solus personam Christi gerit. Vicissim, si Paulus eo sensu personam Christi gerere asseritur, quo alius in his terris personam Christi gerere à nobis negatur, utique Paulus fuit Christi in primatu Monarchico Vicarius, non Petrus.)

Idem Salmero Disput.4. in Epist. ad Roman. pag.287. commendat Apostolum Paulum, quod, *quamvis Apostolus novissimus fuerit, non tamen cæteris omnibus potestate ulla minor, imo etiam in quibusdam, ut in sapientia & dono prædicationis & labore percurrendi universum orbem forte major.* (Sub finem quidem ponit. *Erat nihilominus Petro inferior in Pastoratu cum reliquis omnibus Apostolis.* At Salmeron hac in parte sibi contradicit. Quomodo enim stabit inferioritas cum æqualitate in omni potestate?)

Idem Salmero in Comment. 1. Pet.1. Disput.1. in principio & §. Dicendum tom.16. *Cum Petrus non tantum esset Pastor Universalis Ecclesiæ, sed etiam Apostolus, cujus proprium erat munus, universum orbem lustrare, & Evangelio illustrare, maluit tamen perfungi Apostolico munere, discurrendo per omnes provincias, erigendo Ecclesias & Ministros & Episcopos ordinando,* (quæ munia erant ipsi cum reliquis Apostolis communia,) *quàm Pastoratu, in quo tantum erat coryphæus & universarum Christi ovium judex, & sub se peculiarium Pastorum, ita ut videretur quodammodo Pastoratum suum negligere & primatum: & cum cæteris Apostolis, tanquam fratrem & æqualem se gerere elegit, non autem ut majorem, & ipsorum caput & Rectorem. Nam si Petrus ut Rom. Pontifex & Christi Vicarius scripsisset, videretur in suis Scriptis jus Ecclesiasticum, seu quod idem est, Pontificium dictasse potius, quam divinum.* (Bellarminus & alii Jesuitæ æstu disputationis abrepti primatum Pontificis super omnes Apostolos ex gestis Petri colligunt. Salmero tranquillo animo omnia expendens, Petrum gessisse se, imo etiam *scripsisse ut Pontificem*, diserte negat. Concludimus autem hoc modo: Si Petrus jure divino fuisset constitutus Apostolorum caput & Rector, non debuisset se tanquam æqualem gerere, sed velut Rectorem & caput, alias à regula officii divinitus sibi demandati discessisset. At gessit se non ut Rectorem & caput, sed ut æqualem. Ergo.)

Bellarminus Lib.1. de Pontif. Roman. cap.9. resp. ad 2. object. *Summa potestas Ecclesiastica non solum data est Petro, sed etiam aliis Apostolis. Omnes enim poterant dicere illud Pauli, Instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum.* (Si omnes Apostoli summam potestatem Ecclesiasticam à Christo acceperunt, nihil potestatis super reliquos Apostolos Petrus habere potuit, nisi summo aliquid superius statuatur. Si penes Apostolos omnes summa potestas Ecclesiastica fuit, utique reliqui Apostoli non habuerunt potestatem à potestate Petri dependentem, nec fuere Petri Legati, quia potestas Legati non potest esse tanta per omnia, quanta ejus, qui delegavit. Delegata potestas nunquam est summa potestas. Quod ergo additur, *Petro summam illam potestatam datam esse, ut Pastori ordinario, cui perpetuo succederetur, alius*

vero tanquam delegatis, quibus non succederetur, illud & principii petitionem continet, & priori assertioni contradicit.)

Lib. & cap. iisd. resp. ad 4. object. *Ut unus per multos sibi subjectos ministros & Pastores id faciat* (totam Ecclesiam regat) *non modo possibile, sed etiam utile & commodum censemus. Nam inprimis nonne 2. Cor. 11. Apostolus dicit, se habuisse solicitudinem omnium Ecclesiarum &c. neque loquitur solum de omnibus Ecclesiis, quas ipse plantaverat, sed de omnibus simpliciter. Nam Chrysostomus in h. l. scribit, Paulum totius orbis terrarum curam gessisse.* (Aut hæc Bellarmini responsio est ἀπροσδιόνυσος, aut concedendum, Paulum fuisse Petro æqualem.)

Lib. ejusd. cap. 11. resp. ad 2. arg. sic differit: *Tribus modis Apostoli omnes fuere Ecclesiæ fundamenta, sine ullo tamen Petri præjudicio, Uno modo quia ipsi Ecclesias ubique fundarunt, nec enim Petrus convertit ad fidem totum terrarum orbem, sed alias regiones Petrus, alias Iacobus, alias cæteri ad Christum adduxerunt &c. hoc modo ex æquo sunt Apostoli fundamenta, Apoc. 21. Altero modo dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo revelatæ, siquidem fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerant à Deo Apostoli & Prophetæ &c. Atque hac ratione superædificamur, ut Apostolus ait, Ephes. 2. supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Nec in his duobus major est Petrus cæteris, sed ut Hieronymus ait, in omnes ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur. Tertio modo dicuntur fundamenta omnes Apostoli ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt capita, Rectores & Pastores Ecclesiæ universæ.*

(Atqui si omnes Apostoli & *ratione fundationis* Ecclesiarum, & *ratione doctrinæ*, & *ratione gubernationis* dicuntur *Ecclesiæ fundamenta*, utique non competit Petro potestas Monarchica in reliquos Apostolos.) Subjungit quidem Bellarminus; *reliquos Apostolos non fuisse eo modo capita, Rectores & Pastores Ecclesiæ universæ, quo Petro illud competit. Illos enim habuisse summam atque amplissimam potestatem, ut Apostolos seu Legatos, Petrum autem ut Pastorem ordinarium: deinde reliquos ita habuisse plenitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum & ab illo penderent, non è contrario.* (At quis non videt, hæc itidem & principii petitionem continere, & prioribus contradicere. Si enim Petrus fuit caput reliquorum Apostolorum, ac reliqui Apostoli à Petro dependerunt, quomodo reliqui Apostoli habuerunt summam potestatem & plenitudinem potestatis? Vicissim, si reliqui Apostoli habuerunt summam potestatem & plenitudinem potestatis, utique Petrus non fuit reliquorum Apostolorum caput, nec reliqui Apostoli ab ipso dependerunt. Fieri profecto non potest, ut *plenitudinem potestatis habere, & ab alio capite pendere* non sint contraria. Est enim plenitudo potestatis ea, cui ad summam inter homines potestatem nihil potest accedere. Atqui ea potestas, quæ pendet ab alia, non potest dici summa, proinde aut reliquos Apostolos oportuit non habuisse plenitudinem potestatis, aut certe non pependisse à Petro. Contradicit autem Bellarminus non solum sibi, sed etiam aliis, qui probe viderunt, non posse hæc duo simul consistere, solum Petrum esse Oecumenicum Pastorem, Ecclesiæ Monarcham & caput; ac omnibus Apostolis concessam esse plenitudinem potestatis; inde in eam abierunt sententiam, ut dicerent, *soli Petro & ejus successoribus plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ esse à Christo datam.* Altenstaig in Lexico. *Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est potestas ordinis & jurisdictionis, quæ à CHRISTO collata est supernaturaliter Petro, sicut Vicario suo & Monarchæ primo, pro se & suis successoribus legitimis, usque in finem seculi, ad ædificationem Ecclesiæ militantis pro consecutione felicitatis æternæ.* Et paulo post: *Potestas Ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter & subjective in solo Romano Pontifice.*

Nec majoris roboris est altera Bellarmini exceptio, *quod reliqui Apostoli habuerint summam atque amplissimam potestatem, ut Legati; Petrus autem ut Pastor ordinarius.* Quid enim causæ affertur, cur Petrus sit Ordinarius potius, quam reliqui? aut reliqui Legati potius, quam Petrus? Apostoli nomen significat *Legatum*. Petrus in frontispicio Epistolarum suarum se vocat *Apostolum*. Eccur igitur non erit æque Legatus ac reliqui? Pamelius in notis ad Tertullianum cap. 20. Ἀπόστολος *Græce dicitur, Latine Missus, Nuncius, Legatus, qui cum mandatis aliquo mittitur.* Ἀποστέλλω *verbum significat mittere cum potestate & autoritate aliqua.*)

Lib. ejusd. cap. 12. §. Resp. sanctum Cyprianum &c. *Fatemur, Apostolos pares fuisse in Apostolica potestate & habuisse in populos Christianos eandem omnino autoritatem, sed non fuisse pares inter se.* Autoritatem illam in populos Christianos. §. præced. Dices &c. exponit *per jurisdictionem*. (Atqui, si Apostoli in Apostolica potestate, quæ summa est, fuere pares, & eandem in populos Christianos autoritatem & jurisdictionem habuerunt, utique etiam inter sese pares fuere.)

Lib. 4. ejusd. cap. 27. §. 2. *Cæteri Apostoli missi sunt ad certas Provincias, Paulus ad omnes gentes sine certæ Provinciæ mentione.* (Si solus Paulus ad omnes gentes missus fuit & cæteri Apostoli ad certas duntaxat Provincias, tum Petrus dici nequit Universalis Episcopus. Qui enim non ad omnes gentes, sed ad certas mittitur Provincias, is, nisi velit legationem suam deserere, aliis omnibus dominari nequit.)

Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 23. §. Ultimo. *Apostolica dignitas est prima & suprema dignitas in Ecclesia, ut patet 1. Cor. 12. Eph. 4.* (Si Apostolica dignitas est summa, utique Apostoli inter se fuere æquales, alias summa dignitate daretur aliqua superior.)

Lib. 1. de Concil. cap. 16. statuit, *Concilio Hierosolymitano Actor. 15. descripto omnes Apostolos tanquam judices ad definiendum interfuisse.* (Ergo Petrus non fuit solus summus & authenticus controversiæ illius judex. Nec Concilium illud indixit, nec Monarchica potestate ei præsedit, nec solus definitivam sententiam protulit, nec decreta Concilii solus executioni dedit, quod tamen vel maxime ad Universalem Pastorem & Monarcham Ecclesiæ pertinet.)

Costerus in Enchirid. cap. de Rom. Pont. §. Sextam hanc, *(Potestas eorum,* (Apostolorum) *quoad Apostolatum, erat æqualis; quoad Sacerdotalem jurisdictionem non erat æqualis. Petrus accepit potestatem præceptivam atque regiminis, alii Apostoli executivam. Illi habuerunt honorem faciendi, sed Petrus præcipiendi.* (Atqui potestas faciendi non est eadem & æqualis potestas cum potestate præcipiendi; potestas executiva non est æqualis potestati præceptivæ. Vice versa. Si Apostolorum potestas, quoad Apostolatum, fuit æqualis, utique etiam, quoad Sacerdotalem jurisdictionem fuit æqualis, quia Apostolica potestas major est quavis Sacerdotali jurisdictione.)

Ibid. pag. 25. *In Evangelio, quæ fuerit mens Christi in constituenda Ecclesiastica politia, vel ex ipsa Apostolorum ambitione, intelligitur. Quoties enim Salvator discessus sui ex hoc mundo mentionem fecisset, statim vel taciti secum cogitabant, vel inter se disceptabant, quis ipsorum esset major, vel etiam quærebant, quis major est in regno cœlorum? in Ecclesia nempe, quam nomine regni cœlorum toties à Christo vocari audierant, adeoque primatus iste animis rudium, cogitationibusque adhuc insidebat, ut novissima cœna, cum audita mentione proditionis & mortis instantis mœrore affici debuissent, facta sit tamen contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Intelligebant enim, esse necessarium Pastorem, qui, Christo discedente, universo gregi præesset.* (Ergo ex hypothesi Costeri Apostoli invicem de suprema potestate Ecclesiastica ac Monarchia Papali contendebant, eamque singuli affectabant. Jam vero Christus in responso suo non remittit eos ad Petrum, sed omnes à *magisterio* ad *ministerium*, à *primatu* ad *subjectionem* revocat; non hortatur Petrum ad humilitatem in dominii administratione ac reliquos ad obedientiam in promta erga Petrum subjectione, sed ἀποτόμως primatum & dominatum omnibus derogat.)

Gregorius de Valentia Analys. Lib. 7. cap. 6. §. Hæc ita ordine &c. §. Quod autem &c. & Costerus Enchirid. cap. 3. de summo Pontif. p. 167. 168. fatentur, quod *Petrus potestatem Universalis judicii non usurpaverit.* (Atqui Ecclesiæ commodum potestatis illius usum omnino requisivisset, si quæ talis Petro data fuisset.)

Benedictus Justinianus in paraprasi 2. Corinth. 12. *Nihilo minus perfecta ego vobis annunciavi, quam summi Apostoli aliis prædicarent, neque ulla prorsus re me illis inferiorem fuisse quisquam probare possit.*

Ibid. in explanatione. *Cum Apostolus nulla prorsus re, vel magnis Apostolis sit inferior, quid causæ esse putandum erit, cur illi tanti fiant, ipse vero despiciatur?* (At si Paulus nulla re magnis Apostolis, ac proinde etiam Petro fuit inferior ac minor, ergo ei per omnia fuit æqualis.)

Huc pertinet, quod concedere coguntur, *eos, qui se à Cepha sive Petro denominabant, æque fuisse à Paulo reprehensos, atque illos, qui se ab Apollo denominabant*, 1. Corinth. 1. v. 12. At si

Petrus

Petrus fuisset Ecclesiæ caput, non fuissent ob hanc denominationem ab Apostolo reprehensi. Baronius quidem statuit in Annal.ann.57. *eos rem ad suum principium reduxisse, dicendo, se esse discipulos Petri, velut totius Ecclesiæ supremi post Christum Pastoris & capitis.* Sed hanc Baronii opinionem ex professo refellit Estius in Comment.1.Corinth.1.ac ex ipsis Apostoli verbis demonstrat, *eos, qui dicebant, se esse Cephæ, æque reprehensibiles esse, quam qui Pauli vel Apollo nominibus gloriabantur*, quam dicit esse *omnium Commentatorum sententiam, ipsius etiam Augustini &c.*

4. Quod in asserendo Petri primatu non consentiunt.

Bellarminus lib.1.de Rom.Pont.cap.10. Rayhingius in Enchir. Cathol.pag.1128.& alii statuunt, *in verbis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Item. *Tibi dabo claves regni cœlorum &c. duntaxat Petro promitti, quod futurus sit Ecclesiæ fundamentum & Monarcha, cum ponantur verba futuri temporis.*

Sed Thomas 4.sent.dist.4.quæst.ult. Johannes de Turrecremata lib.2.cap.17. volunt, *quod Petrus per hæc ipsa verba constitutus sit Ecclesiæ fundamentum, cum Christi dicere & facere unum sint.* (Nos ex illo dissensu tale formamus argumentum: Vel sensu idem est, *Tu es Petrus & Tu es petra*, vel non est idem. Si prius, Petrus illo ipso tempore, quo hæc ei dicta, constitutus fuit Ecclesiæ fundamentum, quod tamen Bellarminus negat. Si posterius, tum enervatur argumentum, quod ex eodem nomine Syriaco Cepha utrobique à Christo usurpato Bellarminus elicit, quod d.l. sic scribit: *Dominus Syriace loquebatur, & Syriaca lingua Petrus dicebatur Cephas. Cephas autem petram significat. Dixit ergo Dominus, Tu es Cepha & super hoc Cepha ædificabo Ecclesiam* Præterea ex hypothesi eorum, qui statuunt, *Petrum his ipsis verbis constitutum fuisse Ecclesiæ fundamentum*, immotum colligitur argumentum, quod Petrus *ratione personæ* non possit haberi pro Ecclesiæ fundamento, quia paulo post Christo restitit, & tempore passionis eum abnegavit. Si ergo super Petrum Ecclesia fuisset ædificata, corruisset. Denique Christus hoc loco aut solùm *promisit* Petro primatum & infallibilitatem, aut *exhibuit*. Si solum promisit, cur dixit, *Tu es Petrus*, & non potius, *Tu eris Petrus*? Si exhibuit, quomodo cum primatu & infallibilitate jamdum collatâ consistit, quod Petrus Christum abnegavit?)

5. Quod agnoscunt, Petrum rectè fuisse à Paulo reprehensum.

(Ex eo rectè infertur, Petrum non fuisse Monarcham, nec sibi arrogasse primatum. Nam quia Romanus Pontifex se pro Monarcha gerit, ideo ab aliis reprehendi renuit, c. Si Papa. dist.40. *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehendatur inutilis & remissus in operibus suis &c. hujus culpas istic redarguere præsumat mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.*)

Thomas Aquinas in Catena Gal.2. *Non levis causa reprehensionis erat, periculum enim erat, ne periisset veritas Evangelii, si cogerentur homines servare legalia, quod inducebat Petrus, non quidem imperio, sed exemplo suo. Exempla autem validiora sunt, quam verba, ut Papa Leo docet.*

Salmero Disp.22.in Gal.2. *Delictum Petri erat publicum & publicam correptionem exigebat.*

Bellarm. lib.1.de Rom.Pont.cap.27.§. Apostolus. *Petrus quia Judæorum præcipuè Apostolus erat, gentiles potius, quam Judæos offendere voluit. Paulus autem electionem illam improbavit & Petrum satis acriter reprehendit.*

Cornelius à Lapide in procem. super Epist. Pauli. *Paulus fuit Doctor Petri, imo Doctor Apostolorum, imo Doctor Angelorum. Paulus insigni sapientia, fiducia & constantia Petrum à recto tramite Christianæ libertatis deviantem, & nonnihil ad Judaismum declinantem redarguit, revocavit & correxit.*

Argumentum hoc à reprehensione Pauli ductum male habet Pontificios, unde Baronius locum illum Gal.2. vocat *lapidem offensionis, petram scandali & Historiam captu difficilem.*

1. Alexander Carerius lib.1.cap.5. de eo sic disserit. *Respondetur primo, non Petrum Apostolum, sed quendam alium à Paulo reprehensum, teste Clemente Alexandrino apud Eusebium lib. 1. Hist. cap. 14. Et Piggius lib.3. Hierarch. cap.11. hac occasione in laudes Clementis digreditur.* Sed totus contextus ostendit, non de alio, quam de Petro Apostolo sermonem esse. Itaq; hæc responsio ab aliis Pontificiis non admittitur. Spondanus Baronii breviator: *Hæc nec olim placuere Hieronymo, nec nunc nobis.*

Bellarminus lib.1.de Rom. Pont.c.16. resp.ad 5. obj. *Scio, Clementem Alexandrinum apud Eusebium lib. 1. Histor.cap.14. non Petrum Apostolum, sed quendam alium à Paulo reprehensum dicere &c. Sed probabilior est Augustini* (illud negantis) *sententia.* Idem Interpp. reliqui plerique omnes statuunt.

2. Idem Carerius d.l. *Respondetur secundo, non vere, sed simulatorie Petrum fuisse reprehensum.*

Piggius d. l. *Haud improbabilis sententia est, simulatam fuisse illam reprehensionem Pauli.*

Sed & hanc responsionem Bellarm. d.l. deserit. *Scio*, inquit, *Hyeronymum & alios multos velle, non vere, sed simulatorie Petrum reprehensum. Sed probabilior est Augustini sententia, quod serio fuerit Petrus reprehensus.* Phrasin κατὰ πρόσωπον, quam simulationis Patroni h.l. urgent, Thomas explicat *manifeste*; Emanuel Sà, *palam, coram*; Lombardus, *non in occulto, sed coram omnibus, quibus nocebat*, quæ expositio congruit aliis Scripturæ dictis, Luc. 2.v.31. Actor.3.vers.13.cap.25.v.16.2.Corinth.10.v.7.

3. Sanderus lib. 6. Monarch. c.4. Stapleton.de princ. lib. 6. cap.14.&c. respondent, *Petrum errasse non in fide aut doctrina; sed in conversione. Itaque hunc errorem nihil officere ejus primatui.*

Baronius ad annum 51.§.32.& seqq. longa disputatione contendit, *Petrum omnino nihil peccasse.* (Atqui non à Petri culpa, sed à Pauli reprehensione, argumentum ducitur. Si Petrus in conversione tantum peccavit, & nihilominus à Paulo se reprehendi passus est, argumenti nervus magis constringitur. Qui enim nolunt Papam reprehendi, excipiunt, *si à fide sit devius.* c. Si Papa. dist. 40. tum namque concedunt, reprehendi posse. Qui Petrum ab omni culpa absolvunt, textui diserte adversantur, quia Paulus dicit, *eum non incessisse recto pede secundum veritatem Evangelii*, ac vocat eum κατεγνωσμένον.

Benedictus Justin. in h.l. *Significat, Apostolum Petrum fuisse dignum, qui reprehenderetur ac damnaretur.*

4. Stapletonus fingit, *Paulum reprehendisse Petrum, quatenus Cephas, hoc est Judæorum Apostolus, non quatenus Petrus erat, hoc est, Universalis Episcopus omnibus superior.*

(Atqui si talis distinctio inter Cepham & Petrum locum habet, quomodo ex eo, quod Matth.16.v.16. Christus dixit, *Tu es Cephas, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; Monarchicum Petri primatum evincere possunt?)

4. Bellarminus d. l. excipit, *licere minori reprehendere majorem, modo res postulet & debita reverentia conservetur.*

Resp. Majorem à minori reprehendi posse, concedimus, concedunt etiam Pontificii. Sed Oecumenicum Pontificem ab ullo homine in terris reprehendi posse negant. Nec Paulus tantum reprehendit Petrum, sed *ei etiam in faciem restitit*, ubi utitur verbo ἀντέστην, quod est *resistere, obsistere, sese opponere*, quod non licet minori adversus superiorem, inde Gloss. interlin. ad illud, *restiti*, annotat, *tanquam par.* Perstat igitur immotum argumentum nostrum. Nullus Papa errans tantum in opere debet reprehendi. At Petrus errans tantum in opere fuit à Paulo reprehensus. Ergo Petrus non fuit Papa.

Argum. Advers.1. Matth.16, v.18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex hoc loco Bellarminus deducit quatuor assertiones: Prima est, *quod Petrus sit ista petra, super quam fundata est Ecclesia, non tamen ut erat persona particularis, sed ut Pastor & caput totius Ecclesiæ.* Secunda, *quod esse fundamentum sit esse gubernatorem totius Ecclesiæ.* Tertio, *quod Petrus sit ille, cui dantur claves.* Quarta, *quod per claves intelligatur potestas plena Ecclesiam gubernandi.* Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10--13.

Resp. de hoc dicto egimus superius lib.1.part.2.cap.2.arg.2. ubi ex ipsorum Pontificum & scriptorum Pontificiorum testimoniis ostendimus *perperam* intelligi *Christum*, quem Petrus fuerat confessus, vel quod idem est, *confessionem*, quam Petrus *de Christo* omnium reliquorum Apostolorum nomine ediderat. (Quod si vel maxime concederetur, Petrum hîc vocari *petram*, super quam fundari debeat Ecclesia, non tamen alia ratione hoc tribueretur Petro, quam *ratione doctrinæ, confessionis & officii*, quæ omnia, siquidem cum reliquis Apostolis habet communia, inde eodem sensu vocaretur fundamentum Ecclesiæ, quo Eph.2.v.20. *exstructi* dicimur *super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Christo summo lapide angulari existente*; quove Apoc.21.v.14. *murus civitatis sanctæ* dicitur *habere fundamenta duodecim, & in illis nomina duodecim Apostolorum Agni.*

Probamus idipsum hoc evidenti argumento. Cum quibus Petrus comune habet posterius promissionis membrum, cũ illis etiam prius promissionis membrum ipsi est commune, ut ostendit tum series textus, tum cumprimis illud, quod Petrus omnium Collegarum nomine egregiam illam de Christo confessionem ediderat. Jam vero cum reliquis Apostolis Petrus commune habet posterius promissionis membrum, quod *claves regni cœlorum*, ipsi sint tradendæ Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23. Ergo etiam cum reliquis Apostolis ipsi commune prius promissionis membrum, quod super petram confessionis, quam omnium nomine de Christo ediderat, ædificanda sit Ecclesia nullis inferorum portis destruenda.) Videamus vero, quomodo Bellarminus suas assertiones statuminet.

Primo. *Pronomen, hanc, demonstrat aliquam petram, de qua paulo ante Dominus sit locutus, proxime autem Dominus Petrum vocaverat petram Syriace enim loquebatur, & Syriaca lingua Petrus dicitur Cephas, Johan. 1. Cephas autem petram significat, Dixit ergo Dominus Tu es Cepha, & super hoc Cepha, vel Latine, Tu es petra & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Resp. 1. Si Christus hæc verba Syriace protulit, ergo etiam integram sententiam. At ibi pro Ecclesia habetur vox עדתא quæ descendit ab Hebræo עדה, quod significat *Synagogam*, ipsomet Bellarmino teste. Ergo Christus suam Ecclesiam nominavit Synagogam. Atqui hoc repugnat Bellarmino, qui lib. 3. de Ecclesia cap. 1. scribit, *Populus N. T. nuspiam dicitur Synagoga, sed semper Ecclesia.*

2. Pronomen relativum sæpius refertur ad remotum, non ad proximum. Pererius in cap. 5. Rom. n. 41. *Augustinus monet, illud, in quo, non ad mortem*, (quod est antecedens proximum) *quamvis sit masculini generis, nec ad peccatum, quia apud Græcos ἁμαρτία est fœminini generis, sed ad* (antecedens remotius) *primum hominem, in quo omnes fuerunt, quando peccavit, referri.* Hujus regulæ evidentia exempla occurrunt Num. 25. v. 4. 1. Sam. 13. v. 37. Act. v. 4. 11. c. 7. v. 19. 2. Thes. 2. v. 9. 1. Joh. 2. v. 22.)

2. Bellarmin. d. l. In Græco non legimus, *σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ πέτρᾳ*, sed *σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω τὴν Ἐκκλησίαν.* Jam vero *Græcus textus*, non autem *Syriaca versio* in N. Test. est authentica. Idem Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 4. *Syriacæ editionis autoritas nõ potest esse tanta, ut cum editione Græca aut Latina merito comparari possit.* (Quamvis igitur Christus Syriaco idiomate usus fuerit, tamen Apostoli N. T. Græce scriptum nobis reliquerunt, proinde ad illud tanquam ad fontem recurrendum. Negari nulla veritatis specie potest, Petrum à vera petra Christo, ut fidei firmitatem, ita quoque denominationem Petri sortitum. Christus igitur vera petra est denominans. Petrus à Christo fidei firmitatem accipiens est denominatum. Idipsum indicat Matthæus solicite distinguens inter Πέτρον & Πέτραν, tanquam inter *denominatum* & *denominans*, quamvis Petrus & Petra Syriace uno eodemque nomine Cepha efferantur.)

4. In *vulgata versione*, quæ in Concilio Tridentino pronunciata est authentica, *Petrus & Petra* ceu distincta efferuntur. Male hoc habet Petrum de Bollo Theologum Parisiensem, unde in authentica probatione Sacrosancti Missæ sacrificii ejusmodi texit querelam: *Scimus, quod Interpres Matthæi Syri Græcus & Latinus non sit hoc loco optime de hac nostræ fidei parte promeritus. Si enim dixisset, σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, (ita enim scribit autor) Et tu es Petra, & super hanc petram, res fuisset multo clarior, nunc autem, cum priori loco Πέτρον Petrum, posteriori petram posuerit, videntur propter mutatam vocem res etiam permutatæ, cum Christus, qui Syriace procul dubio loquebatur, dixerit,* דאנת־הו כאפא ועל־ הדא כאפא, *id est. Tu es Petra*, (*πέτρος Attice*) *& super hanc petram &c. Quod si nostro placuisset Interpreti, multum detraxisset obscuritatis.*

5. Nomen *petræ*, quam Christus denotat per pronomen relativum *hanc*, latet in voce *Petrus*, ut sit sensus ejusmodi, Tibi impositum est nomen Petrus à me salutis petra derivatum, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Simile exemplum extat Joh 8. v. 44. *Diabolus est mendax & pater mendacii.* Potest etiam pronomen *hanc δεικτικῶς* accipi, ut ad Christi loquentis personam referatur. Similia exempla occurrunt Joh. 2. v. 19. cap. 6. v. 49. & 50. Atque hæc de Bellarmini argumento dicta sint.

Gretserus urget, *Petrum optimo jure per petram & fundamentum intelligi, Matthæi 16. cum Ephes. 2. v. 40. Prophetæ & Apostoli dicantur Ecclesiæ fundamentum.*

Resp. 1. Lombardus in illum locum sic commentatur. *Super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, id est, super Christum, qui est fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere. Vel, super fundamentum, id est, doctrinam Apostolorum & Prophetarum, id est, super Novum Testam. & Vetus.*

2. Thomas de Vio Card. Cajetanus in h. l. *Metaphoricus est sermo. Et quod dicit, Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, intellige formaliter, h. e. super Christum, seu Deum, quatenus est fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Vere enim non sumus fundati super Christum immediate sed quatenus ipse sustentat Apostolos & prophetas, h. e. mediantib. Apostolis & Prophetis, mediante doctrina ministrata per Apostolos & Prophetas.*

3. Gagnæus in h. l. *Super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, i. e. fidem à prophetis prædictam & ab Apostolis prædicatam.*

4. Consentit Glossa interlinearis & Lyranus.

5. Vasquez in 2. 2. Disp. 210. c. 7. *Non Apostolos & Prophetas intelligit, sed fidem illorum, ab eis scil. prædicatam & annunciatam.*

6. Guillaudus in cap. 2. Eph. *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, i. e. quo Apostoli & Prophetæ & Sancti quilibet, cujuscunque ordinis illi fuerint, nituntur, quod Christus est.*

7. Bellarminus ipse, lib. 1. de Roman. Pont. cap. 11. §. Altero. *Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta Ecclesiæ, ratione doctrinæ à Deo revelatæ, siquidem fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Prophetæ. Nec enim semper revelantur Ecclesiæ novi articuli, sed in ea doctrina Ecclesia acquiescit, quam Apostoli & Prophetæ à Domino didicerunt, & prædicatione vel literis ad posteros mandaverunt. Atque hac ratione superædificamur, ut ait Apostolus Ephes. 2. supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

Idem Gretserus urget locum Apoc. 21. ubi Johannes describit, *fundamenta duodecim in ædificio Ecclesiæ* & explicat, *per fundamenta Apostolos designari.*

Resp. Lyranus in h. l. sic commentatur. *Dicuntur nomina Apostolorum in ipsis fundamentis scripta, quia primo publicarunt fidem Christi prædicando & pro ipsa moriendo.* (Quod ergo *Apostolorum nomina* dicuntur *inscripta duodecim fundamentis Ecclesiæ*, id intelligendum de ipsa doctrina, in qua Apostoli strenue laborarunt. Solent enim in ædificiorum molibus & maximis operibus inscribi architectorum nomina.)

Secundo, inquit Bellarmin. d. l. *Licet Christus possit dici petra, tamen hoc loco non est vocatus petra à Petro confitente, sed Christus Filius Dei vivi, debet autem referri illud* hanc *ad eum, qui nominatus est petra, non ad eum, qui non est appellatus hoc nomine.*

Resp. Quamvis Petrus κατὰ ῥητὸν, Christum non vocaverit *petram*, tamen reipsa eum confessus erat pro petra Ecclesiæ.

Iohan. Ferus in cap. 16. Matth. *Vide, quam magna Petrus paucis his verbis de Christo profitetur, nempe eum esse hominem, nec qualemcunque, sed semen illud Abrahæ promissum! Deinde eum esse Regem & Sacerdotem, nec qualemcunque, sed talem, qui à peccato, Diabolo, mundo, morte suos asserere possit. Præterea ipsum esse unctum Spiritu sancto, non ad mensuram, sicut nos, sed in omni plenitudine, adeo ut ab eo omnes accipiamus. Demum ipsum esse Dei Filium & Deum, cui Pater omnia in manus dederit. En hæc est fides Petri, imo non tantum Petri, sed & Pauli, aliorumq; Apostolorum, imo totius Ecclesiæ.*

Et postea. *Cum Christus dicit, super petram ædificabo Ecclesiam meam, nihil aliud vult, quam se Ecclesiam ædificaturum super firmum immobileq; fundamentum, contra quod nihil possint omnes Adversariorum insultus.* Ex hoc claret, *quod Christus Ecclesiam suam non super Petrum aut quemcunq; alium hominem ædificavit. Nullus enim homo tam firmus & constans, qui non possit moveri, id quod etiam in Petro manifeste videmus. Alia igitur petra inquirenda est. Et quidem in Scriptura sacra ipse Christus frequenter lapis vel petra dicitur, ut apud Esaiam, Ponam in Sion lapidem angularem, probatum, electum. Et in Psalmo, Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli. Et Petrus, Accedentes ad Christum lapidem vivum, & vos tanquam lapides vivi superædificamini. Audis, quid Petrus dicat, nempe Christum lapidem esse, deinde vult & nos lapides esse, quod tunc fit, cum superædificamur Christo. Superædificatur autem Christo, qui in Christum credit, non tantum verbo, sed & opere, & innititur his, quæ Christus habet & potest. Petra igitur primario Christus est, cui tota Ecclesia superædificata est, juxta illud, Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus. Deinde, quia per veram fidem Christo conjungimur, ac sic quodammodo & nos petrascimus, si sic licet loqui, & ipsa igitur fides Christiana &*

veritas

veritas Evangelica firma & inconcussa petra illa est, super quam Christus ædificavit Ecclesiam. (Si per petram intelligitur confessio Petri, frustra in præcedentibus desideratur aliquid præter personam Petri, cui pronomen relativum ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ accommodari possit.)

Tertio inquit Bellarminus, *Si nomen petra referretur ad Christum, quorsum dictum fuisset, Ego dico tibi, quia tu es Petrus? plane frustra, nisi id, quod sequitur, ad Petrum referatur.*

Resp. Johan Ferus in h. l. *Non citra causam Petrum appellavit, qui prius Simon dicebatur. Legimus in Johanne, cum Andreas Simonem fratrem suum adduxisset ad Christum, statim cum primum eum vidisset Christus, ait, Tu es Simon filius Johannis, tu vocaberis Cephas. Et primo statim conspectu prædixit, ipsum aliud nomen habiturum, nec quodcunque, sed tale nomen, quod saxum significet. Neque tamen eo loco addidit rationem hujus appellationis, neque usquam in Evangelio hactenus audivistis, cur dictus sit Petrus, nisi tantum hoc loco. Cum enim Petrus dixisset, Tu es Christus Filius Dei. Statim audivit, Tu es Petrus, quasi diceret, Hactenus dictus es Simon, & fuisti filius hominis, nunc filius Dei & Petrus es, jam hoc nomine dignus es, jam vere saxum es; quia supra petram stas. Vides, Petrum sic appellatum esse propter fidei confessionem. Hæc autem nominis mutatio etiam nos concernit, sic enim prædictum est de credentibus, Et vocabitur tibi nomen novum &c. Solius Christi est, ut sit petra. Hoc autem novum nomen acquirit, qui supra hanc petram ædificatur, quemadmodum in Petro vides.* (Simon igitur à petra dictus fuit Petrus, quia per fidem seipsum, per confessionem & prædicationem etiam alios super Christum veram petram ædificavit; sicut omnes credentes tanquam vivi lapides super Christum ædificantur, 1. Pet. 2. v. 4. & 5. non auté, quia ecclesia super ipsum ratione personæ & successorum erat ædificanda. Certum est, confessionem *omnium discipulorum nomine* à Petro fuisse editam, Christus igitur revelat Petro consilium suum de ædificanda Ecclesia, quæ hanc confessionem ceu fundamentum sit constanter servatura: simul etiam exponit Petro, se ipsius ac reliquorum opera in Ecclesiæ structura uti velle. Sicque de se tanquam petrâ & fundamento Ecclesiæ occasione nominis Petri loqui incipit. Joh. 4. v. 13.)

Rayhingius adhuc Pontificius excipit, *Lutherum ipsummet Joh. 1. v. 42. vocem Πέτρος reddere* ein Felsen.

Resp. Sicut vox Christ/ & appellative & proprie accipi potest, ita & vox Felsen. Luth. in lib. quod Papatus à Diabolo. Du sagest von allewegen/ ich sey Messias/ oder Christus des lebendigen Gottes Sohn/ wolan/ so sage ich dir widerumb/ Du bist ein Christ/ (oder Felsen) und auff den Christ (den Felsen) will ich meine Kirche bawen.

Quarto, *si ad Christum referretur, non diceret Dominus, ædificabo, sed ædifico Ecclesiam meam, nam in se jam ædificaverat Apostolos & discipulos multos. Dicit autem ædificabo, quia nondum constituerat Petrum fundamentũ, sed post resurrectionem suam id futurus erat.*

Resp. Christus post hanc promissionem non desiit Ecclesiam *super se* ædificare, vel Ecclesiæ fundamentum esse. Dicit autem in futuro, *ædificabo*, quia ut hactenus fuerat fundamentum *Ecclesiæ ex Israelitico populo præcipue collectæ*, ita promittit se inposterum fore fundamentum *Ecclesiæ ex Judæis & gentibus*, Petri & reliquorum Apostolorum ministerio *colligendæ*, Joh. 10. v. 16. c. 11. v. 52. c. 12. v. 32. Eph. 2. v. 20. &c. Sic Matth. 1. v. 21. *ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, & tamen jampridem eum salvum fecerat.

Corn. Jans. in Conc. Ev. cap. 114. *Christus describitur petra & lapis angularis, ut parietes duos conjungeret, Judæos ac gentiles, conjunctosque retineret, ut Petrus docet 1. Ep. 2. v. 5.*

Maldonatus in cap. 21. Matth. *Christus angularis lapis dictus est, quia duo populi Judæi & gentiles in eo connectuntur.*

Staplet. in Antid. Act. 10. super verba, *In veritate comperi, quod in omni gente, qui timet Deum, acceptus est ei. Dixitque, Petrus, se jam comperisse ex facta sibi revelatione, non solos Judæos veluti personas singulariter electas, verum etiam ex omni populo, sive Judæo, sive Græco, aliquos jam esse electos.*

Bellarminus ipse sic disserit: *In se jam ædificaverat Apostolos & discipulos multos.* Quod addit, *Petrum nondum fuisse à Christo constitutum fundamentum, sed post resurrectionem Christi demum futurum fuisse fundamentum*, in eo sibi contradicit, Disputaverat enim: *Petrum eo ipso fundamentum esse Ecclesiæ, quod Petrus nominetur, Petrumque & petram idem notare.* Si autem eo ipso, quod Petrus est, petra ac fundamentum est, sequitur, eum *in præsenti*, non *in futuro* esse fundamentum Ecclesiæ, quia Christus in præsenti loquitur, *Tu es Petrus.*

Quinto, *Fides absolute sumta recte quidem dicitur fundamentum justificationis & omnium virtutum; at Ecclesiæ proprie non est fundamentum fides. Debet enim ejusdem generis esse fundamentum & reliquum ædificium. Est autem Ecclesia hominum congregatio quasi lapidum vivorum 1. Petr. 2. debet ergo lapis, qui est fundamentum, esse etiam aliquis homo, non aliqua virtus.*

Resp. Fides consideratur hoc loco non *absolute*, quatenus est qualitas, sed *relative*, quatenus Christum verum & unicum Ecclesiæ fundamentum amplectitur, confitetur ac prædicat, qua ratione est ὁμογένεια inter Christum verum Deum & hominem, & inter credentes tanquam vivos lapides supra petrã Christum ædificatos.

Salmer. Disp. 6. in c. 2. Eph. *His in verbis, superædificati estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, hic subesse sensus potest, ut Christus Dominus, sive fides ejus, quæ suo tempore fuit in Prophetis, & deinde in Apostolis fit ipsum fundamentum Apostolorum & Prophetarum, idcirco singulari numero dixit fundamentum.*

Cajetanus in cap. 2. Eph. *Intellige per fundamentum formaliter Christum, quatenus fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

Atque hæc sunt Bellarmini argumenta, quibus primam assertionem suam stabilire nititur; apud alios occurrunt insuper alia, sed minoris momenti.

Primo, *Loquitur Christus de ædificatione per seipsum facienda: Ego, inquit, ædificabo. Deus autem super Christum ædificat, non Christus super seipsum. Ergo per petram hic non intelligitur Christus, sed Petrus.* Stapleton. Controv. 3. de doctr. princ. ad concl. 4.

Resp. 1. Bellar. lib. 1. de R. P. c. 10. §. Nemo &c. diserte scribit. *Nemo dubitat, quin Christus sit petra & primum fundamentum Ecclesiæ, & quod etiã ex hoc loco id aliquo modo colligatur.* (Si ergo Christus est, *Petra & fundamentum Ecclesiæ*, utique Christus Ecclesiam ædificat super seipsum.)

2. Glossa in c. Ita Dominus. dist. 19. *Per dictionem hanc, in verbis super hanc petram, non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus Domino respondit, cum dixit: Tu es Filius Dei vivi, quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia. Ergo super seipsum fundavit Dominus Ecclesiam.*

Secundo, *Fidem & confessionem Petri esse Ecclesiæ fundamentum, semper intelligendum est cum relatione ad Petrum confitentem. Idem enim est, super Petrum certa fide & singulariter confitentem, & super certam & singularem Petri confessionem Ecclesiam esse ædificandam.* Gregor. de Valent. in Analysi lib. 7. cap. 5. §. Ut eodem modo.

Resp. Fides hic consideranda est non *ratione subjecti*, sed *ratione objecti*. Quotquot enim exemplo Petri in Christum credunt, ipsumque confitentur, illi tanquam lapides vivi immediate super Christum, veram petram, ædificantur, ut patet exemplo eorum, qui per alios Apostolos, quam per Petrum ad Christum sunt conversi. Salmeron Disp. 3. in 1. Ep. Petri, Petrũ sic loquentem introducit: *Ego à Christo petra Petrus sum cognominatus, & non tantum ego Petrus sum, sed & vos omnes Petri estis. Quemadmodum à Christo Rege, Sacerdote, Pastore atque Doctore omnes fideles de regno ejus & Sacerdotio & Pastoratu atque Doctoratu participant.* Id. Disp. 6. in c. 2. Eph. *Est fides una tantum hypostasis rerum sperandarum, & in aliis quidem ædificiis non omnes lapides tangunt fundamentum, sed virtute tantum, reipsa autem alios lapides attingunt: tamen Christus ita est fundamentum, ut omnes lapides eum fide & amore attingant, etsi intermedio ministerio Apostolorum & prædicantium & Sacramenta administrantium.*

Tertio, *Patres omnes docent super Petrum fundatam esse Ecclesiam*, Maldonat. in c. 16. Matth. *communiter etiam ab antiquissimis & omnibus Catholicis per petram hanc Petrus ipse intelligitur.* Jansenius in c. 16. Matth.

Resp. 1. Bellar. d. l. §. Quarta &c. fatetur, *multos ex Patribus per petram nobiscum fidẽ & confessionẽ Petri intelligere*, ac diserte scribit, *idem esse super Petrũ & super fidẽ Petri ædificatã esse Ecclesiã, cum ratione fidei indefectibilis Petrus sit petra Ecclesiæ firmissima.*

2. Erasmus in Annot. Matth. 16. *Cyprianus videtur accipere super Petrum fundatam esse Ecclesiam &c. nisi forte sic excusandus est Cyprianus, quod Petrum hic non pro homine illo, sed pro typo accepit, quod propemodum indicant, quæ sequuntur. Unus pro omnibus loquens & Ecclesiæ voce respondens ait, Domine, quo ibimus. Itaque Petrus saxeus solidam Ecclesiæ fidem repræsentat.*

Pamelius in Annot. ad Ep. 27. Cypriani, quæ est ad lapsos, agnoscit, Cyprianum locum hunc Matth. 16. sic intellexisse, ut ad plures, quam ad Petrum eum accommodaret, cum omnibus Episcopis eum accommodet. Verba Cypriani sic habent: *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcop:*

scopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur & dicit Petro, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. & tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Excipit quidem Pamelius, *eundem Cyprianum alibi maxime Epist. 55. hunc locum applicare* soli Petro; illud si sic intelligat Pamelius, ut dicat, *Cyprianum alias in citando hoc loco solius Petri meminisse*, facile assertionem illam concedimus. Sin hoc velit, *Cyprianum asserere, verba illa Christi soli Petro convenire & præter eum nulli*, tum Cypriani menti & scopo adversatur.

3. Cornel. Jansenius in Conc. Evang. c. 64. recenset Augustini sententias negantis, *hunc locum de Petro esse accipiendum, sed de Christo.* Ibidem affert Cyrillum & Theophylactum petram hanc *de fide & confessione* intelligentes.

4. Joh. Hoffmeisterus tom. 2. homiliar. p. 162. etiam nominat Cyrillum.

5. Maldonatus in h. l. non obscure largitur, *Hilarium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum & Augustinum de fide Petri hunc locum fuisse interpretatos.* (Patres ita Christum Ecclesiæ petram esse asserunt, ut Petrum *ratione personæ* fundamentum Ecclesiæ esse negent.)

Chrysostomus homil. 55. in Matth. *Super hanc petram, non dixit Petrum, non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam.*

Augustin. de Verb. Domini sec. Mathæum serm. 13. *Super hanc petram, quam confessus es, quam cognovisti dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, super hanc ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te.*

Hieronymus in Comm. 1. Cor. 3. *Hoc fundamentum jecit Petrus, vel potius ipse Dominus, cum enim dixisset Petrus, Tu es Christus, dixit Dominus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ne vos igitur denominate ab hominibus, Christus enim est fundamentum, ac si dicat, Non est aliud fundamentum, quam petra illa, quam Petrus posuit in fundamentum, cum diceret. Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Anshelmus in c. 16. Matth. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam, i. e. super me, quasi dicat, Es tu Petrus à me petra, & tamen mihi reservetur fundamenti dignitas &c.*

Altera Bellarmini assertio est, *Ecclesiam ædificari super petram, nihil aliud esse, quam Petro esse commissum regimen totius Ecclesiæ & præcipue circa fidem. Petræ enim fundamentali hoc est proprium totum ædificium sustentare & regere*, lib. 1. de Pont. R. c. 11. Hanc suam assertionem non alia ratione probat, quam trium Patrum, videl. Chrysostomi hom. 55. in Matth. Ambrosii serm. 47. & Gregorii lib. 4. Epist. 32. testimoniis.

Resp. 1. Salmeron lib. 1. in Epist. Pauli part. 3. Disp. 6. Costerus in Enchir. cap. de Script. p. 63. & alii non nisi *ex unanimi Patrum consensu* infallibile argumentum peti posse docent. At trium duntaxat Patrum expositio nondum constituit unanimem omnium consensum, ut nihil dicam de eo, quod Chrysostomus & Gregorius tale quid Petro tribuunt, quod cum omnibus Apostolis ipsi fuit commune, videl. *quod Christus universo terrarum orbi eum Pastorem præfecerit, & curam totius Ecclesiæ commiserit.*

2. Bellarmin. d. l. concedit, *omnes Apostolos fuisse Ecclesiæ fundamenta*, Ps. 68. Eph. 2. Apoc. 21. *& quidem tribus modis: Uno modo, quia ipsi primi Ecclesias ubiq; fundarunt, nec enim Petrus convertit ad fidem totum terrarum orbem, sed alias regiones Petrus, alias Jacobus, alias cæteri ad Christum adduxerunt, quo modo ex æquo Apostoli sunt fundamenta, Apoc. 21. Altero modo dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo revelatæ. Siquidem fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Prophetæ. Atque hac ratione superædificamur supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, Eph. 2. nec in his duobus major est Petrus cæteris, sed ut Hieronymus ait lib. 1. in Jovin. in omnes ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur. Tertio modo dicuntur fundamenta Apostoli, ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt capita, Rectores & Pastores Ecclesiæ universæ.* (Quod Bellarm. addit, *reliquos Apostolos non eodem modo, quo Petrus fuit caput, Rector, & Pastor Ecclesiæ, fuisse capita, Rectores & Pastores, cum illi habuerint summam atq; amplissimam potestatem, ut Apostoli seu Legati, Petrus autem ut Pastor ordinarius; deinde illi ita habuerint plenitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum & ab illo penderent, non è contrario*; in eo manifeste petit principium, & contradicit non solum verbis Christi Joh. 20. v. 21. & Apostoli 1. Cor. 12. v. 18. sed etiam sibi ipsi, ut superius ostendimus. Si enim Apostoli omnes acceperunt summam potestatem, utique Petrus non accepit aliquam superiorem; si omnes Apostoli fuerunt Legati Christi, ergo non pependerunt à Petro tanquam capite; si omnes fuere à Christo Ecclesiæ universæ Pastores constituti, & ad docendum omnes gentes ablegati, ergo non fuere extraordinarii, sed ordinarii Pastores. Si æqualem autoritatem & potestatem, imo plenitudinem potestatis habuerunt in populum Christianum, utique etiam Petrus ratione potestatis non fuit ipsis major, sed tantum ratione ordinis & honoris primus.)

Tertia Bellarmini assertio est, *Petrum esse illum, cui claves hoc loco à Christo promittuntur*, lib. 1. de R. P. cap. 12. Probat hoc ex serie textus.

Resp. Nemo nostrûm negat, Petro claves regni cœlorum esse datas, sed ut Petrus nomine reliquorum Apostolorum respondit, ita quoque in persona Petri *omnibus Apostolis*, imo *toti Ecclesiæ*, cujus confessionem Petrus protulerat, claves à Christo sunt datæ, id quod superius (lib. 1. p. 2. cap. 3. Arg. Adv. 1. ex N. T. petito) non solum ex Jure Canonico & Lombardo, sed etiam ex Johan. Fero, Maldonato & ipso Bellarmino demonstravimus. Aliud ergo est, promissionis actum dirigi ad solum Petrum, aliud rem promissam ad solum Petrum pertinere. Quis neget soli adolescenti à Christo dictum Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* & tamen Pontificii generaliter inde concludunt, *oportere nos servari operum meritis.*

Concludimus ergo hoc modo: Petrus pro omnibus respondit. Ergo etiam in ipsius persona omnibus Apostolis datæ sunt claves.

Gloss. interlin. Matth 16. *Sciunt & Apostoli, sed Petrus respondet pro omnibus.*

Lyranus ibid. *Tanquam principalis inter alios pro se & pro aliis dedit responsum.*

Cornel. Jansen. ib. *Tanquam os Apostolorum pro omnibus respondet.*

Regerunt 1. *Petrum respondisse, ut caput & Principem reliquorum Apostolorum.* Atqui ipsimet Pontificii disputant, *in mercedem hujus egregiæ confessionis Petro Monarchicum primatum à Christo esse datum.* Ergo cum nomine reliquorum responderet, nondum erat caput & Princeps reliquorum Apostolorum.

Regerunt ulterius 2. cumprimis Barradius, *Petrum ex revelatione didicisse, quod respondebat, non ex consultatione humana; nec scivisse, quid reliqui essent responsuri. Si enim scivisset aliorum mentem, aliquo modo id indicasset, ut Joh. 6. Ad quem ibimus, nos credimus &c.*

Resp. Gerhard. Mercator in Harmonia ostendit, *id quod narratur Joh. 6. prius gestum esse, quam quod Matth. 16.* Ut ergo ibi noverat Petrus aliorum mentem, ita quoque hoc loco eam non ignorabat.

Maldonatus in cap. 6. Joh. *Respondisse pro omnibus, & omnes sentiunt autores, & ejus docent verba.*

Abulensis quæst. 60. *Potest dici, quod cæteri Apostoli meruerunt credendo, & præmium eis redditur: quia tamen solus hic Petrus locutus est, respondet ei soli Christus, dirigendo verba ad eum. Et tamen verba, quæ Petro dantur pro hac fide, dantur etiam aliis, cum eadem fides sit omnium.*

3. Bellarm. excipit, *reliquis Apostolis Joh. 20. non dari omnem potestatem clavium, sed tantum potestatem ordinis ad remittenda peccata.* Atqui illud refragatur non solum expressis Christi verbis, quibus clavium istarum potestatem utrobique eodem modo explicat, sed etiam dictis Pontificiorum, quæ modo sunt citata. Ac probe notandum, quod Bellarminus h. l. §. Alia, disertis verbis scribat, *Patres, communiter locum Matth. 18. v. 18. exponere de potestate, non solum ordinis, sed & jurisdictionis.* Ergo pro nostra sententia militat consensus Patrum, quod sc. omnib. Apostolis eædem claves *ordinis & jurisdictionis* sint datæ, unde etiam §. Dices, diserte scribit, *Non solum potestatem ordinis per verba, Accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c. sed etiam potestatem seu clavem jurisdictionis per verba, Sicut misit me Pater &c. reliquis Apostolis esse datam, ipsosq; verbis istis quasi Legatos & nomine Christi gubernatores Ecclesiæ constitutos esse.* Quid ergo fiet de Monarchica potestate soli Petro data? Subjicit Bellarminus, §. Ut autem &c. *Ut intelligeremus, summam hanc potestatem*

statem collatam Apostolis omnibus, ut Legatis, non ut Pastoribus ordinariis & cum quadam subjectione ad Petrum, ideo soli Petro dicitur Ioh.21. Pasce oves meas, quemadmodum soli illi dictum erat, Tibi dabo claves. At quis non videt hac ratione principium peti, deseri hunc locum Matth.16. quem alias in prima acie collocant, & in loco Joh.21. omne causæ robur constitui? Si Christus eandem potestatem jurisdictionis dedit reliquis Apostolis per verba Joh.20. Sicut misit me Pater, quam Petro promisit in verbis Matt.16. Tibi dabo claves, quod disertis verbis asserit Bellarm. Lib.4. de Rom. Pont. c.23. §.2. utique non est major ac superior aliqua potestas Petro, quam reliquis Apostolis data.

Quarta Bellarmini assertio est, per claves intelligi plenam potestatem Ecclesiam gubernandi, Lib.1. de R.P. cap.13. Probat hoc, tum ex metaphora clavium, per quas intelligitur principatus Ecclesiasticus, Es.22. & 9. Apoc.3. tum ex verbis annexis, Quodcunque ligaveris. Nam in Scripturis ligare dicitur, qui præcipit Matt.23. & qui punit Matt.18. solvere vero dicitur, qui remittit peccata, qui liberat a pœna, qui dispensat in lege, in votis, in juramentis & similibus obligationibus. Cum ergo dicitur Petro generaliter, Quodcunque solveris &c. datur ei potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi, proinde sit judex & Princeps omnium, qui sunt in Ecclesia.

Resp.1 Bellarminus Lib.4. de R. Pont. cap.23. §. Addit, sic scribit: Cyrillus docet in Comment. Ioh.20. his verbis, sicut misit me Pater &c. Apostolos creatos esse totius orbis Doctores, & ut intelligeremus in Apostolica autoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam, ideo adjecisse Christum, Sicut misit me Pater, siquidem Pater misit Filium summa potestate præditum. Cyprianus Lib. de. Unit. Eccles. Loquitur Dominus ad Petrum, Tibi dabo claves regni cœlorum, & eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater & ego mitto vos, tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit. Ubi vides, idem dari Apostolis per illa verba, Ego mitto vos, quod Petro fuerat promissum per illud, tibi dabo claves, & postea exhibitum per illud, Pasce oves meas. Constat autem per illa, tibi dabo claves, & per illud, Pasce oves, intelligi jurisdictionem plenissimam etiam exteriorem. (Contradicit Bellarminus his verbis Stapletono, qui in Relect. controvers. q.1. art.1. concl.4. statuit, verba illa, Et quæcunque ligaveris &c. non esse expositionem præcedentium, Tibi dabo claves &c. sed rem plane distinctam iis promitti. Quicquid vero sit de illa contradictione, nos ex concessis à Bellarmino concludimus hoc modo: Si per verba, Tibi dabo claves &c. Petro datur principatus Ecclesiasticus, h.e. principatus omnium, qui sunt in Ecclesia, consequens fuerit, per verba, Sicut misit me Pater, etiam reliquis Apostolis dari principatum omnium, qui sunt in Ecclesia, & per consequens non solus Petrus erit Princeps omnium, qui sunt in Ecclesia, sed etiam reliqui Apostoli; nec ipsi soli competet Monarchicus dominatus, sed omnibus Apostolis. Ratio consequentiæ est, quia ex concessione Bellarmini, quod Petro promissum per illud, Tibi dabo claves, & datum per illud, Pasce oves meas, idem etiam reliquis Apostolis datum per illud, Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.)

2. Idem Bellarminus h.l. §. Accedit &c. sic scribit: Per claves intelligi principatum, ostendit communis consuetudo, etiam in rebus profanis. Quando enim urbes deduntur alicui Principi, offerunt ei claves in signum subjectionis, & ei, qui instituitur œconomus in domo, claves tradi solent. (Ex illis sic colligimus: Christus dedit claves Petro, aut ut Principi, aut ut œconomo. Prius dici nequit, quia Christus Petro ministro non in signum subjectionis, sed sui principatus dedit claves. Manet ergo posterius, videlicet quod Petro datæ sint claves, ut œconomo. Jam vero non solus Petrus, sed etiam reliqui Apostoli œconomi fuere à Christo constituti 1. Cor.4. v.1. Ergo etiam reliquis Apostolis claves Petro hic promissæ fuere datæ. Præterea potestas œconomi non est Monarchica & absoluta, sed restricta. Petro nomine clavium data est potestas talis, qualis est œconomi. Ergo non Monarchica.)

3. Idem Bellarminus h.l. adducit dictum Esaiæ c.22. de Sobna, dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudet; & claudet, & non erit, qui aperiet: & locum Apoc. 3. Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David, ut innuat, Petro & successoribus ejus Pontificibus Romanis, tanquam Christi Vicariis, clavem ejusmodi Monarchicæ potestatis esse datam, id quod manifestius indicat Maldonatus in cap. 16. Matth. Hoc, inquit, sensu datæ sunt Petro claves, id est, suprema secundum Christum in Ecclesia potestas, ut claudat & nemo aperiat, aperiat etiam, & nemo claudat, i.e. ut quæ solverit, nemo ligare, quæ ligaverit, nemo solvere possit, unde potestas Rom. Pontificis ad reservandos, quos vocant casus efficacissime probatur. Sed ut hac vice prætermittamus, Sobnam non describi, ut Præfectum templi, uti habet vulgata translatio, sed ut Oeconomum domus regiæ, ut habet Hebraica veritas; (jam vero non est eadem Natura, officium & ratio clavium Ecclesiasticarum, quæ est clavium domus regiæ;) monemus illud, quod Ribera in cap.3. Apoc. agnoscit, soli Christo hæc dicta Es.22. & Apoc.3. competere. Eliakim (inquit) figura Christi fuit. Habet ille clavem templi, quia Princeps est, aperit, i.e. si aperuerit, ut populus ingrediatur, nemo illi repugnare poterit, & contra: ita Christus habet clavem Ecclesiæ, quæ dicitur clavis David, i.e. domus ipsius David, & in eam introeunt, quibus ipse aperit, i.e. quos ipse adducit per gratiam, & quibus ipse propter incredulitatem fores occludit, introire non poterunt. Idcirco ait Christus Ioh.10. Ego sum ostium &c. Si quis quærat, cur hæc nunc de Christo dicantur, legat quod statim sequitur, Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere. (Res ipsa etiam ostendit, non nisi de Christo hoc intelligi posse, quia si Pontifex clave potestatis utatur sine clave scientiæ, tunc Christus aperit, quod Pontifex claudit, unde dicunt, quod ea, quæ Pontifex ligat in terris, esse ligata in cœlis, intelligendum sit cum hac limitatione, clave non errante.)

4. Idem Bellarminus h.l. §. Hic aperte &c. sic scribit Es. 22. per claves non intelligitur remissio peccatorum aut ministerium verbi, sed principatus Ecclesiasticus. (Ex eo sic colligimus: Aut Matt.16. nomine clavium idem intelligitur, quod Es.22. aut aliud & diversum quid. Si prius, consequens erit, verbis hisce, Tibi dabo claves, Petro non esse datam potestatem remittendi peccata, nec ministerium verbi, sed principatum Ecclesiasticum, cujus contrarium scribit Bellarm. in c. præced.12. §. Verum hæc doctrina. Inauditum est, inquit, in Ecclesia esse alias claves, quam ordinis & jurisdictionis. Et planus sensus illorum verborum, Tibi dabo claves, & quodcunque solveris &c. iste est, ut primo promittatur autoritas seu potestas designata per claves, deinde & actiones seu officium explicetur per illa vocabula solvere & ligare, ita ut omnino sit idem solvere & aperire, claudere & ligare. Expressit vero Dominus clavium actiones per solvere & ligare, non per claudere & aperire, ut intelligeremus, esse omnes istas metaphoricas locutiones, & tum demum cœlum hominibus aperiri cum homines solvuntur à peccatis, quæ ingressum in cœlum prohibebant. Si posterius, consequens fuerit, locum Es.22. non esse huic loco Matth.16. parallelum.)

5. Voculæ Quodcunque in cap.16. Matt. v.18. non potest esse vis major, quam ejus, quæ legitur Matt.18. v.18. Quæcunque alligaveritis. Non solum enim Syrus Interpres, sed etiam Lovanienses Theologi eadem voce reddiderunt. Jam vero non solum Patres utrumque locum applicant omnibus Episcopis, sed etiam ipsimet Pontificii agnoscunt, posteriorem non tam late patere, ut significet summum judicium omnium controversiarum, & Monarchicam in universam Ecclesiam potestatem. Ergo etiam ex priore loco eadem probari nequit.

6. Per claves intelligi potestatem ligandi & solvendi omnibus Apostolis communem, non autem Monarchicam quandam soli Petro concessam, docent Scholastici. Biel in 4. sent. dist.18. q.1. Sic describitur clavis spiritualis, est potestas judicandi, i.e. ligandi & solvendi, qua dignos recipere & indignos excludere debet à regno Dei.

Johannes de Turrecremata in Summa de Ecclesia Lib. 1. cap.93. conclus.8. Convenienter Clavis definitur, cum dicitur, Clavis est potestas ligandi & solvendi, qua Ecclesiasticus judex dignos recipere & indignos excludere debet à regno. Eodem modo definiunt claves Ecclesiasticas Durandus in 4. sent. dist.18. q.1. Altensteig in Lexico Theologico.

Hosius Cardinalis in Confessione Petricoviensi cap. 47. Ipsa ligandi solvendique potestas Sacerdotibus à Christo data est, quæ clavium nomine appellatur. Similia occurrunt apud Maldonatum, Jansenium, Franciscum Lucam &c.

Joh. Ferus in cap.16. Matth. In futurum pollicetur, scilicet se daturum claves, non hoc loco dedit. Quæramus igitur, ubi ipsas claves dedit in præsenti, & non occurrit alius locus, nisi is, qui in Iohanne: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; quorum retinueritis, erunt retenta. Claves igitur regni cœlorum sunt potestas remittendi & retinendi peccata, id quod etiam ex hoc loco probatur.

2. Argum. Joh.21. v.17. Christus dicit Petro, Pasce oves meas, ubi Bellarminus tria sibi demonstranda sumit, Primo, soli Petro dictum esse, Pasce oves meas; deinde, verbo illo, pasce, ei traditam esse summam Ecclesiasticam potestatem, postremo, illis

illis vocibus, oves meas, *univerſam Chriſti Eccleſiam eſſe deſignatam*, lib. 1. de Rom. Pont. cap. 14. 15. & 16.

Reſp. De hoc dicto Chriſti itidem actum fuit ſuperius lib. 1. part. 2. cap. 2. Arg. 3. ubi ex ipſis Pontificiis Scriptoribus demonſtravimus, nec ex verbo *paſcendi*, nec *ex trina mandati repetitione*, nec *ex ovium & agnorum diſtinctione* Monarchicum aliquem primatum exſculpi poſſe. Hoc loco expendemus, qua ratione eum ex his Chriſti verbis ſtabilire conentur.

Primo, *Cum is plus amat, cui dicitur paſce oves, conſtat, traditam eſſe Petro ampliorem poteſtatem propter majorem ejus amorem*. Sanderus lib. 6. de viſ. Monarch. c. 4.

Reſp. 1. Thomas in h. l. *Antequam negaret Petrus, ſuperbivit contra cæteros Apoſtolos, dicens, Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego in te nunquam ſcandalizabor. Item contra Dominum, quod Domino dicente, Ter me negabis, ille ſubdit, Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Sed modo de propriis viribus victus non audet confiteri ſuum amorem, niſi ſub teſtimonio & proteſtatione Domini. In quo inſtruimur, quia non debemus nos aliis præponere, ſed alios nobis.* (Ergo non conſtat ex verbis Petri, quod plus amaverit Chriſtum, quam reliqui.)

2. Gregor. de Valent. in Ann. lib. 7. c. 8. *Quia Petrus ante paſſionem ſuperbe reſponderat, ſe omnibus præferens, Licet, inquit, omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor; jam interrogatus, an diligeret Dominum plus aliis, non ſe præfert cæteris, ſed judicium ſui Domino defert, dicens, Tu ſcis &c.*

3. Emanuel à Sa in Schol. Johan. 21. ex Auguſtino. *Non addidit Petrus, plus his, quia cor aliorum videre non poterat.*

4. Maldonatus in eund. loc. *Cum Petrus Domino quærenti, diligis me plusquam hi, reſpondet, Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te, notant Theodoretus, Chryſoſtom. Theophylactus & Bernhardus, non auſum reſpondere Petrum, ſe plus Chriſtum, quam alios amare, ſed cum moderatius dicere, ſe quidem eum amare, ipſumq́; quem nihil lateret, Dominum proferre teſtem, factum ſc. cautiorem poſt negationem. Cum enim antea dixiſſet, ſe animam pro Chriſto poſiturum, paulo poſt Chriſtum negavit, cujus nunc memor temeritatis nihil audet magnum de ſe polliceri, ſed rem omnem ad Chriſti judicium referre, quod falli non poſſit. In quam ſententiam eleganter admodum Auguſtinus tract. 143. in Joh. Hunc invenit exitum ille negator & amator, præſumendo elatus, negando proſtratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus.* (Diſcedit quidem Maldonatus ab hac Patrum ſententia, & ex particula Ναὶ, *Etiam*, colligit, *Petrum non obſcure ſignificaſſe, ſe plus cæteris Dominum diligere.* Sed particula illa non confirmat, quod Petrus plus cæteris Chriſtum diligat, quia in reſponſione *προσδιορισμὸς plus illis* omittitur, ſed quod Petrus vere & ex animo Chriſtum diligat.)

Secundo. *Nullus alius Apoſtolorum nomen Paſtoris accepit*. Sanderus d. l.

Reſp. De nomine fruſtra quæritur, quando de re conſtat. 1. Bellarminus lib. 1. de P. R. cap. 11. §. Tertio modo. *Omnes Apoſtoli fuerunt capita, Rectores & Paſtores Eccleſiæ univerſæ.* (Cum quo parum congruit, quod in hoc cap. 14. §. 10. ſcribit, *Soli Petro commiſſam eſſe generalem poteſtatem totum gregem Chriſti paſcendi*. Si enim omnes Apoſtoli fuere Paſtores univerſæ Eccleſiæ, utique omnibus à Chriſto commiſſa eſt poteſtas paſcendi totum gregem Dominicum, alias ſequetur, ipſos abſq; Chriſti mandato Paſtoratum univerſæ Eccleſiæ ſibi arrogaſſe.)

2. Toletus in cap. 20. Joh. *Chriſtus cum dicit Joh. 20. Sicut miſit me Pater ita & ego mitto vos, ſignificat, ſe ſummum Paſtorem alios Apoſtolos Paſtores feciſſe.*

3. Epiſcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, frequens eſt apud Pontificios pronunciatum. Aut ergo Epiſcopi non ſunt Paſtores, aut Apoſtoli etiam Paſtores erunt habendi. (Recte igitur Auguſt. de agone Chriſtiano cap. 30. & Chryſoſtom. lib. 2. de Sacerd. *Non quia ſoli Petro dicit, paſce oves meas, reliquis non dicit.*)

Tertio. Paulo poſt in eodem cap. v. 19. *Petrus videns diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem dicit, Hic autem quid? Nunquam Petrus interrogaſſet, quid Johannes acturus eſſet, ſi intellexiſſet dictum omnibus, paſce oves, neq; Dominus dixiſſet, quid ad te? tu me ſequere, ſed dixiſſet, idem faciet quod tu.* Bellarm. lib. 1. de Pont. cap. 14.

Reſp. Non tam quærit quid Johannes *acturus*, quam quid *paſſurus*. 1. Thomas in h. l. *Quaſi dicat: Ego ſequor te in paſſione ſed hic nunquid morietur?*

Gloſſ. ordin. *Quia audierat Petrus, ſe crucifigendum, voluit etiam fratris cognoſcere exitum.*

Guillaudus ibid. *Sciens Petrus de morte ſua, interrogat Chriſtum, an Johannē mortis ſuæ comitē haberet, quaſi diceret, quo exitu Johannes mihi cariſſimus vitam hanc clauſurus eſt? Extendam ſolus manus, cingar ſolus, ducar ſolus, quomodo?* Similia occurrunt apud Carthuſianum, Gorranum, Cajetanum, Toletum, Maldonatum, Saa &c. (Non ergo quærit Petrus, quid acturus eſſet Johannes, quove munere functurus an ipſe etiam paſturus oves, ſed quomodo exceſſurus è vita?)

2. Maldonatus in cap. 21. Joh. *Patres aliqui dicunt, Petrum noluiſſe à Johanne ſeparari, ſed optaſſe, ut Johannes etiam Chriſtum ſequeretur, id eſt, cum illo moreretur. Reſponſio Chriſti haud obſcure indicat, Petrum genus quoddam beneficii ac privilegii eſſe exiſtimaſſe, quod Johannes violentam cum eo non ſubiret mortem. Adhuc Petrus non Spiritu ſancto firmatus, & in novum mutatus hominem ut homo loquebatur. Credo ego, Petrum duabus contrariis rationibus in eam impulſum fuiſſe dubitationem, una ex parte cum ſciret, quantopere Chriſtus Johannem diligeret, perſuadere ſibi non poterat, Chriſtum conceſſurum, ut Johannes mortem violenter ſubiret; altera vero ex parte, cum eum ſequentem videret, conjiciebat, eum pro Chriſto moriturum. In hanc ancipitem cogitationem adductus quæſtionem Chriſto proponit, ille autem quid? Chriſtus reſpondet, Quid ad te?*

3. Salmeron tom. 11. tract. 31. pag. 252. *Senſus eſt, Num & ipſe te quoque ſequetur? num eadem nobiſcum via ingredietur? num morte crucis curſum ſuum conſummabit? Siquidem intellexerat Petrus, quid Dominus monuiſſet illis verbis, ſequere me, quemadmodum Chryſoſtomus, Euthymiusq; interpretantur. Et Cyrillus exponit, Hic autem quid? id eſt, Quis vitæ illi terminus imminet? Ratio quoq; contextus idipſum indicat, quia reſpondet, ſic illum velle manere, donec veniat. Eſtq; planus ſenſus. Cur non das amico, quod mihi, ut ſcil. ſit Martyr & crucis morte te clarificet?*

Quarto. *Petrus ex officio paſtoratus ſibi commiſſi quærit, Hic autem quid? curam accipiens Johannis tanquam oviculæ precioſiſſimæ & ſibi cariſſimæ*. Salm. d. l.

Reſp. Salm. ipſe de hac quæſtionis cauſa dubitat, ſic enim ſcribit: *Aut fecit hoc ex officio paſtoratus ſibi commiſſi, aut ex cauſa, quam acute vidit Ambr. l. 10. in Luc. ita ſcribens: Poſt tentationem præſumtionis ſuæ Petrus jam non audet voluntatis perſeverantiā polliceri, ſed quaſi ad ſolatium ſui conſortiū quærit alterius. Aut forte ex ingenti amore, quo peculiariter Johannem diligebat, atq; ejus exitum & fatum non minus, quam ſuum ſolicite curabat. Quanquam fieri potuit, ut aliquid fuerit humanæ autoritatis, quæ interdum magnis & ſapientibus obrepit viris &c. Permiſit Dominus Petrum in hanc interrogationem incidere, ut occaſionem captaret inutiles & curioſas noſtras quæſtiones, quibus plus operæ & temporis, quam par ſit, impendimus reprehendi.* (Chriſtus Petro reſpondet, *quid ad te?* Quod ſi ergo Petrus ex opinione primatus Monarchici de futuro Johannis ſtatu quæſivit, utique Chriſtus hac reprehenſione illam opinionem Petri fortiter repreſſit.)

Quinto. *Chriſtus in præſenti dicit, paſce, non in futuro, paſcas. At illo tempore nullæ aliæ erant oves, niſi Apoſtoli ac nonnulli alii diſcipuli. Inprimis igitur Apoſtolorum cura & gubernatio Petro commiſſa eſt.* Bozius lib. 18. de Not. Eccleſ. cap. 1.

Reſp. Si erant nonnulli alii diſcipuli, ut Bozius concedit, non poteſt concludi nomine ovium *ipſos Apoſtolos* Petro paſcendos & regendos committi. Si per hæc verba, *Paſce oves meas*, Chriſtus Petrum *totius Eccleſiæ Paſtorem* conſtituit, ut omnes Pontificii aſſerunt, utique etiam præceptum illud, *paſce*, non tantum *præſentis*, ſed etiam *futuri* temporis ſignificationem includit. *Si omnes Apoſtoli fuere univerſæ Eccleſiæ Paſtores*, ut dicit Bellarmin. lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 11. *ac idem datum reliquis Apoſtolis per illa verba, Sicut me miſit Pater, quod Petro datum per hæc verba, Paſce oves meas*, ut ſcribit idem lib. 4. de Rom. Pont. cap. 23. qua veritatis ſpecie dici poteſt, quod reliqui Apoſtoli, ut oves, Petro paſcendi & regendi fuerint dati? (Si verbum *paſce* non poteſt reſpicere futurum tempus, etiam verba *docete & baptizate* Matth. 28. non poterunt futurum tempus reſpicere.)

Arg. 3. *Luc. 22. v. 31. dicit Chriſtus ad Petrum. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Tu autem converſus confirma fratres tuos. Hoc Sole clarius facit pro autoritate Petri ſuper alios*, inquit Roffenſis art. 25. adv. Luth. *Ex hoc loco Petri primatus probatur*, inquit Bellarm. lib. 4. de R. P. cap. 3. *Eſt locus valde illuſtris, quo Catholici principatum Petri probare conſueverunt*, inquit Gregorius de Valent. in Analyſi lib. 7. cap. 3.

Reſp. De hoc dicto itidem egimus ſuperius lib. 1. part. 2. Argum. 1. ubi oſtendimus, *infallibilitatem Rom. Pont.* ex eo evinci

evinci non posse, hoc loco expendendum restat, quomodo primatum Petri ex eo probent.

Primo, *Christus pro Petro singulariter orans clarissime ostendit, Petrum fore Principem & caput fratrum*, inquit Bellarminus Lib.1.de R.P.cap.20. *Dominus, dum singulariter Petro loquitur, ac pro illo se peculiariter rogasse dicit, satis indicat, hunc futurum reliquorum caput*, Cornel. Jansen.in Concord.Evang.Similia occurrunt apud Salmeronem tom.9. tract.46. Stapletonum in Antidot.Luc.22. & de princip.Lib.6.cap.8.

Resp.1.Clemens Romanus Constitut. Lib.7.cap.5. οὗτος ἐρεῖ καὶ νῦν, ὡς καὶ πάλαι συνηθροισμένων ἡμῶν, ὅτι ἐδεήθην, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις ἡμῶν. *Ipse dicet, etiam nunc, quomodo olim, cum congregati essemus, Rogavi, ne deficiat fides vestra.* (Ergo Christus non solum pro Petro, sed etiã pro reliquis Apostolis rogavit.)

2. Ex Salmerone Disp.24.in c.2. Galat. §. Ad quartum. *Magna cum ratione putandum est, Apostolos omnes non solum deficere non potuisse, sed nec errare in fide.* (Utique ergo non solum Petro, sed etiam reliquis Apostolis Christus precibus suis hoc impetravit, ut in fide non deficerent, Joh.17.v.20. & seqq. Commune erat omnibus periculum, *Satanas expetivit, ut cribraret vos.* Ergo etiam remedium non erat Petri proprium, sed omnibus commune, *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quod singulariter & præcipue oravit pro Petro, non arguit Monarchicam Petri eminentiam, sed gravius & imminens periculum & graviorem lapsum.)

3. Ex Maldonato in cap.22. Luc. *Non dubium, quin ad futuram Petri negationem Christus alludat, sed longius etiam respexit, non solum ad eas tentationes, quas Petrus cæterique Apostoli ipsi per se viventes, sed ad eas etiam, quas eorum successores, id est, Ecclesia unquam subituri essent.* (Si in verbis, *Rogavi pro te*, Christus respexit etiam ad aliorum Apostolorum tentationes, utique non ad solum Petrum.)

4. Bellarminus Lib.4.de Rom.Pont.cap.3.§.Altera. *Certum est, Dominum saltem mediate orasse hoc loco etiam pro aliis Apostolis. Nam ideo præmisit tanquam orationis causam, Satan expetivit, ut cribraret vos, & postea subjunxit, tanquam effectum, Tu conversus confirma.* (At si Christus non solum Joh.17. sed etiam hoc loco *saltem mediate* pro aliis Apostolis rogavit, utique ex eo, quod pro Petro peculiariter rogavit, non potest Monarchicus ejus dominatus probari.)

Secundo, *Confirmare fratres convenit homini, ut est caput, & Princeps aliorum*, Bellarm.Lib.4.de R.P.c.3. *Confirmatio spectat ad eum, qui majoris munere fungitur. Ergo Petro hic primatus datur.* Salmeron in h.l.

Resp.1.Thomas Aquinas in Catena. *Quasi dicat, inquit Beda, sicut ego tuam fidem, ne deficiat, orando protexi, ita tu fratres, ne desperent, confortare momento. Hoc intelligendum est, inquit Theophylactus, non solum de Apostolis, qui tunc erant, ut roborentur à Petro, sed de omnibus, qui usque ad finem mundi futuri sunt, fidelibus, ne aliquis credentum diffidat, videns eum, qui cum esset Apostolus, abnegavit, ac iterum per pœnitentiam obtinuit prærogativam*, (Apostolatus) *ut esset antistes totius mundi.*

Glossa interlin. ad h.l. *Sicut ego orando pro te, protexi, ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent.*

Gloss.ordin.in expos.morali addit rationem. *Nam illi, qui consecuti sunt à Deo donum misericordiæ, debent, quantum possunt, in bono cæteros roborare.*

2. Benedictus Arias Montanus in h.l. *Tu conversus confirma fratres, quasi dixerit, Alii tentabuntur, tu autem gravissime. Ego igitur oravi pro te. Tu itaque conversus ad me oratione & exemplo confirma fratres tuos, Ita demum fiet, ut Satanæ studium irritum evadat, cum ille te graviter ad ruinam compulerit, fratrum tuorum confirmationem esse, viderit.*

Salmero in h.l. *Qui considerat, Apostolum tam turpiter Christum abnegasse, atque illum per pœnitentiam à Domino fuisse non tantum ad amicitiam admissum, sed etiam ad primatum Ecclesiæ regendæ receptum, magnopere peccatores omnes futuros usque ad seculi consummationem confirmat, ut nullus desperationis barathro demergatur.* (At hoc genus confirmationis procul abest à dominatu Monarchico.)

3. Emanuel à Saa in h.l. *Sicut ego orando te protexi, inquit Glossa interlinearis, ne deficeres: sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne à venia desperent.* (Ergo exemplo Petrus confirmare debebat fratres. Itemque informatione & oratione, non autem Monarchico dominio. Ne quis vero dicat, hæc esse subordinata, observetur)

4. Quod Lucas Brugensis ad h.l. sic annotet. *Mandat Christus Petro officium non dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei & caritatis.* (1.Thess.3.v.2. dicit Apostolus, *se misisse Timotheum ad confirmandos Thessalonicenses*, nec tamen propterea Monarchicus primatus Timotheo tribuendus. Act.15. v. ult. Roman.1.v.11. Paulo tribuitur *confirmatio Ecclesiarum*, nec tamen propterea dominatus Monarchicus ei tribuitur. Angelo Ecclesiæ Sardicensis dicitur Apocal.3.v.2. *Confirma cætera*, nec tamen in Ecclesia Sardicensi, sed Romana Principem & caput Ecclesiæ tunc quærendum fuisse docent Pontificii.)

4. *Ad primatus Petri confirmationem singulares variasque Petri prærogativas asserunt.* Roffensis in confutatione articuli 25. Luther. cum promitteret, *se ostensurum, quod summus Pontifex & totius Ecclesiæ caput fuerit Petrus*, primo, *ex Scripturis*, deinde *ex Patribus*; *Age*, inquit, *primum ex Petri prærogativis, quæ non paucæ sunt, istud ostendamus.* Similia occurrunt apud Bellarm. Lib.1. de Rom.Pont. cap.17. §.1. *Prærogativæ illæ luce clarius singularem Petri majestatem nobis demonstrant*, inquit Lindan. Lib. 4.Panopl.cap.51.

Prima prærogativa est, *mutatio nominis*, Joh.1. *Vocaberis Cepha.*

Resp.1. Arias Montanus in cap.3. Marc. *Dominus Iohannis & Iacobi nomina mutabat, quos vocabat Bonaerges.*

2. Bellarm.d.l. *Christus imposuit nomen filiis Zebedæi Bonaerges.* (Excipit quidem, 1. *fuisse illud potius cognomen, quam nomen.* At de Petri nomine idem dici potest. Act.10.v.5 *Accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.* Idem confirmant omnia Scripturæ dicta, in quibus hic Apostolus vocatur *Simon Petrus* utroque nomine conjuncto.

Salmeron in Comm.2.Pet.1. *Non contentus fuit dicere Simon, quod est nomen proprium, sed addidit Petrus, nomen à Christo impositum.* Hoc congruit verbis Christi, *Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Petrus.*

Joh.Ferus in cap.16. Matth. *Initio vocatur Simon, additur deinde à Christo cognomen Petrus.*

Quid quod *Saulo* in conversione nomen *Pauli* datum, quo inposterum semper fuit appellatus, qua de re Chrysostomus in c.1.Rom. sic scribit: *Quam ob causam mutavit ei nomen Deus, & Saulus qui esset, Paulum nominavit? ut ne hac quidem parte reliquis Apostolis inferior esset, imo quod habuit eximium Princeps ille discipulorum, hoc ipsum obtineret, majorisque necessitudinis argumentum sumeret.*

2. *Excipit, fuisse Petro tale nomen datum, quod Syriace petram, Græce vero caput significat.*

Resp. De nomine *Petri* sic scribit Joh. Ferus in c.16. Matt. *Petrus es, quia supra petram stas. Vides, Petrum sic appellatum esse propter fidei confessionem. Hæc autem mutatio nominis etiam nos concernit. Sic enim prædictum de credentibus, Et vocabitur tibi nomen novum.* (Petrus ergo à petra denominatur, non quia super ipsum tanquam petram Ecclesia ædificanda, sed quia vera fide super petram se ædificaverat, quod cum omnibus credentibus sit cum Petro commune, ideo & ipsi vocantur *lapides vivi*, 1.Petr.2.v.5.)

De nomine *capitis* sic scribit Laur.Valla in Declam.de donat.Constant. *Quasi vero hoc vocabulum Cepha Græcum sit* ἀπὸ τῆς κεφαλῆς.

Cajetanus in cap.1. Joh. *Ut Evangelista huic errori occurreret, de industria interpretationem apposuit, Cephas ait, quod interpretatur Petrus, non caput.*

Joh.Ferus in cap.1.Joh. *Ridiculum est, quod quidam per Cephas caput interpretantur.*

Pintus in cap.1. Dan. *Non solum Petrus, sed etiam unus ex LXXII. discipulis fuit Cephas appellatus, quæ non est vox Græca, sed Chaldaica, ut Hieronymus observat.*

3. *Excipit, Petrum deinceps fere semper vocari Petrum.*

Resp. Nec Joh.21.v.15. ubi Petro primatum à Christo collatum fingunt, nec Act.15.v.13. ubi Petrum Monarchicam suam potestatem exercuisse asserunt, vocatur Petrus, sed Simon.)

3. Salmer.tom.4.part.1.tr.17. *Ejusmodi nominis mutatione signata est nova vita & novus ac primus filius Christi, qui olim erat filius Iona, ut sit typus aliorum lapidum, qui si naturaliter non repugnant veritati, Dominus intuetur eos oculo misericordiæ, Naturam imperfectam ac debilem fide confirmatam reddens.* (At hoc mysterium nihil habet commune cum primatu Monarchico.)

4. Gorranus in c. 10. Matth. *Mutatur filio Ionæ nomen, in signum spiritualis mutationis, quia qui præficitur, debet mutari in virum alterum, ut legitur de Saul 1. Reg. 9.* (Neque hæc mutati nominis ratio quidquam commune habet cum primatu Monarchico.)

Secunda prærogativa est, *quod cum ab Evangelistis nominantur Apostoli, vel omnes, vel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus.* Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. Bellarm. Lib. 1. de R. P. c. 18.

Resp. 1. Erasm. in annot. Matt. 10. p. 38. *Indicat D. Hieronymus, non eodem ordine recenseri Apostolos ab aliis Evangelistis, quo à Matthæo, ne quis ob hoc omnium primum faciat Petrum, quod hic primo loco ponitur. Nam cæteri primum locum tribuunt Matthæo, proximum Thomæ. Et Hieron. existimat, ejus esse ordinem & merita singulorum Apostolorum distribuere, qui illos delegit, innuens, ut videtur, autoritatem omnibus Apostolis parem fuisse, quod ad Apostolici muneris functionem attinet.* (Petrus ergo vocatur *primus Apostolorum*, non quasi Princeps & Dominus reliquorum esset, sed cum Evangelista numeraturus esset Apostolos *primus*, inquit, *Simon, qui dicitur Petrus*, primus videl. in ordine Apostolorum, ut Augustino Serm. 13. de Verb. Dom. placet, & quia fuit unus ex πρωτοκλήτοις, ut scribit Theophyl. in c. 10. Matth. & quia Christo præ cæteris amantissimus, quemadmodum Judas filius Patriarchæ Jacobi in Bibliis Latinis vocatur *primus inter fratres*, cum tamen non esset primogenitus, sed ob donorum excellentiam, Genes. 44. v. 14.)

2. Si ex eo, quod Petrus inter Apostolos primo loco nominatur, Monarchicus Petri primatus evincitur, sequitur, Christi matrem omnium mulierum fuisse postremam, quippe quam Lucas ultimo loco numerat Act. 1. v. 14. sequitur, Jesuitas Mariam Christo Salvatori, ratione non solum honoris, sed & potestatis anteferre, cum libros suos hac δοξολογία concludere soleant, *Laus Deo & Beatæ Virgini Mariæ, Item Iesu Christo.*

3. Salmeron in Comm. 2. Tim. 4. super verba, *Salutant te Eubulus & Pudens & Linus. Linus Pontifex postpositus fuit Eubulo & Pudenti. Sed hoc nihil obstare debet summæ Pastoris dignitati, quemadmodum Gal. 2. Petrus postponitur Iacobo.* (Si postponi nihil obstat summæ dignitati, utique præponi non infert summam dignitatem.)

4. Gal. 2. v. 9. *Iacobus* præponitur *Petro*, etiam in vulg. versione, quæ Pontificiis est authentica. (Quod si ergo ex collocatione Monarchicus dominatus inferri posset, consequens foret, Jacobum fuisse Apostolorum Principem. Excipit Pintus in c. 1. Dan. *Per Cepham non intelligi Apostolum Petrum, sed aliquem ex LXX. discipulis.* At Salmeron Disp. 23 in c. 2. Gal. tom. 15. p. 97. hoc repudiat: *Hanc opinationem*, inquit, *ut frigidam & commentitiam rejecit Hieronymus, cum res aperte doceat, hunc sermonem ad Petrum & reliquos Apostolos Iacobum & Iohannem esse referendum &c. In textu Græco Petrus dicitur venisse Antiochiam, non Cephas.* Et infra. *Dixi Cephæ coram omnibus, habent etiam Græca, dixi Petro. Cum etiam dixit, Petrum & Iacobum & Iohannem, qui videbantur columnæ esse, manifeste ostendit, de magno Petro, non de vulgari aliquo Cepha se loqui.* Confer dicta superius memb. 5. Aliter igitur excipit Bellarm. d. l. *Credibile est, præponi Iacobum Petro, quia Iacobus erat Episcopus Hierosolymitanus, ubi tunc erant Apostoli.* (Quasi vero Pontifex æquo animo laturus sit, Episcopum aliquem in sua Diœcesi sibi præferri, si ad Diœcesin istam veniat. Si Petrus ex Adversariorum hypothesi fuisset Oecumenicus universæ Ecclesiæ Episcopus & Princeps, debuisset utique Jacobo Ecclesiæ particularis, videl. Hierosolymitanæ, Episcopo præferri.) Aliter igitur excipit Bellarminus, *Iacobum ideo præpositum fuisse Petro, quia Paulus hoc loco nullum servaverit ordinem.* (At si Bellarmino integrum, statuere, quod Paulus Galat. 2. nullum servaverit ordinem, nobis etiam integrum respondere Matth. 10. Marc. 3. &c. non esse servatum ordinem.) At, inquit, Bellarminus, *Petrus non solum primo loco ponitur & primus vocatur, sed etiam passim in Scripturis describitur, ut paterfamilias, ut dux, ut princeps reliquorum. Marc. 1. Luc. 8. & 9. Petrus & qui cum illo erant. Marc. 16. Dicite discipulis & Petro. Act. 2. Stans Petrus cum undecim. Dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos. Act. 5. Petrus & Apostoli dixerunt. 1. Cor. 9. Sicut cæteri Apostoli & Cephas.*

Alphonsus à Castro Lib. 12. adv. hær. *Si non esset Petri, quam reliquorum major autoritas, cum Scriptura nunquam à reliquis sejungeret.*

Resp. Non negamus, Petro ab Apostolis vel ætatis, vel donorum ratione dicendi partes, vel alios etiam honoris actus attributos esse, primatum autem Monarchicum ex eo elici posse, negamus. Quod peculiariter Petro Christi resurrectio nunciari jubetur, ideo factum, quia Petrus gravius reliquis peccaverat.

Glossa ordin. in cap. 16. Marc. *Petrus vocatur ex nomine, ne desperaret ex negatione. Nisi enim Angelus eum nominatim exprimeret, qui Magistrum ter negaverat inter discipulos venire non auderet.* Similia habet Lyranus.

Toletus in cap. 11. Rom. annot. 37. *Exprimitur Petrus propter negationem, ne videretur exclusus.*

In cap. 20. Joh. *Singulatim Petro, quia is præ aliis incredulum se ostendisset &c. Iohannes viso signo credidit, quo viso Petrus non credidit. Et hoc probatur ex Marco, Dicite, ait Christus, discipulis & Petro; distinxit Petrum solum à cæteris, quia cum venisset ad sepulchrum & vidisset, non credidit.* (Ergo Petrus specialiter nominatus est, ut discipulis adscriberetur, non ut iisdem præferretur.)

Tertia prærogativa est, quod solus Petrus cum Domino ambulat super aquas, Matth. 14. Joh. 21. Bellarm. Lib. 1. de R. P. cap. 19.

Resp. 1. Luc. 10. v. 19. *Ecce ego dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici.* 2. Cor. 12. v. 4. *Paulus raptus fuit in tertium cœlum.*

2. Petrus aquis inambulare jussus audit à Domino, *Modicæ fidei cur dubitasti?* in quæ verba sic commentatur Jansenius. *Disce in dubitando labendi facilitatem, quod majus est, nempe undas, superat, à minori, scil. vento, superatur.*

3. Salmero nullam hic agnoscit prærogativam. *Petiit*, inquit, *ambulare super aquas, non quod prior esset dignitate, quia ambulare super mare non est actus Pontificatus.*

Quarta prærogativa est, illa peculiaris revelatio soli Petro facta, Matth. 16. *Reliqui Apostoli vocabant Christum Dei Filium eo modo, quo omnes Sancti dicuntur filii Dei. At Petrus intellexit, Christum esse Filium Dei verum ac naturalem.* Bellarm. d. l.

Resp. Petrus omnium Apostolorum nomine hanc confessionem edidit, omnes enim ex miraculis vere divinis cognoverant, Christum esse verum & naturalem Dei Filium. Matth. 14. v. 33. Joh. 2. v. 11. c. 1. v. 14.

Jansenius in Concord. Ev. c. 66. *Petrus tanquam os Apostolorum pro omnibus respondet, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et postea: *Petrus hoc dicit, Alii alium & alium te esse opinantur, nos te Christum esse confitemur. Tu te filium hominis vocas, nos vero etiam Filium veri Dei.* Jam ante omnes Apostoli Christum ex miraculis agnoverant esse vere Filium Dei Matth. 14. v. 33. ubi Maldonat. interpretatur Filium *non adoptione, sed Natura: non ut virum justum, sed ut verum Deum* Lyranus ibid. *Dicitur vere, i. e. non metaphorice, nec per adoptionem, sicut sancti, sed propriæ & ejusdem Naturæ.*

Ad argumentum Bellarmini à magnifica Christi approbatione petitum respondemus verbis Salmeronis tom. 4. part. 3. tract. 1. *Cum ergo quæritur, cur solus Petrus prædicetur beatus ab hac fide; respondemus, nonne etiam dictum est de Abraham, quod credidit, & reputatum est illi ad justitiam? Et tamen ante ipsum & postea multi crediderunt.*

Quinta prærogativa est, quod speciali privilegio promissum Petro, sedem ejus nunquam ruituram. Matth. 16. Bellarm. d. l.

Resp. Lyranus in c. 16. Matth. *Inventi sunt multi Principes & summi Pontifices apostatasse à fide, ideo Ecclesia non consistit in hominibus, ratione potestatis, vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis.* (Omnibus omnino fidelibus promissa est stabilitas & firmitas, non absolute & simpliciter, sed quatenus fide super petram ædificati constanter eidem adhærent, Matth. 7. v. 25.)

Sexta prærogativa est, Matt. 17. ubi Dominus jubet solvi tributum pro se & Petro. Da, inquit, illis pro me & te. Ex quibus verbis Apostoli collegerunt, Petrum omnibus aliis esse prælatum, Bellarm. d. l. Alphons. de Castro Lib. 12. adv. hæres. verbo Papa.

Resp. 1. Cornel. Jansen. in Conc. Evan. c. 70. *Plerique existimant huic contentioni occasionem præbuisse, quod Dominus pro se & Petro didrachmum jusserit exsolvi, velut Petrum præ aliis omnibus honorans &c. Sed hanc non fuisse occasionem contentionis, videri potest ex eo, quod Lucas & Marcus hanc contentionem etiam commemorantes nullam prius fecerint mentionem didrachmi, certissimum vero ex eo fit, quod Dominus in domo existens in Capharnaum jussit staterem peti ex ore piscis, cum, ut Marcus testatur, discipuli de primatu contendissent inter se in via, antequam venissent in Capharnaum.* (Ex Matth. 8. colligitur, Petrum habuisse domum in Capharnaum, quod de reliquis incertum, ideo Christus pro Petro tributum solvere jubet, ex quo colligitur, successores Petri Magistratui

gistratui civili debere esse subjectos. *Cum Apostoli viderent,* inquit Theophyl. *Petrum esse in tanta apud Christum autoritate, illo ipso temporis momento ad Christum accesserunt & quæsiverunt, quis primas teneret in regno cœlorum?* Sed primatus Petro non datur, verum omnibus derogatur.)

2. Salmeron tom.6.tr.37. dum exponit hunc locum de solutione tributi, *Simonem vocat, non Petrum, quia nondum ut Vicarium, sed ut subditum & privatum habebat.* Idem hanc Bellarmini allegoriam silentio obruens, tantum dicit, *à Christo assumtum Petrum, vel quia tum solus erat cum eo, vel quia Christus, qui caput erat familiæ Apostolicæ, solvere voluit pro Petro, qui ibi habitabat & habebat domum, uxorem & liberos, ideoque obligatus erat ad censum;* Subjicit quidem, *vel quia ad Petrum, utpote Vicarium Christi futurum & caput, hoc maxime pertinebat scire. Atque ita ejus primatum aliquo modo indicavit.* Hæc ille. Sed nota, *indicavit tantum.* Item. *Indicavit aliquo modo.* Nec exprimit, quid debuerit futurus ille Vicarius *scire.*

Septima prærogat. est in piscatione Luc.5. & Ioh.21. ubi in utraque navi, quæ apertissime totius Ecclesiæ statum significant, semper Petrus Princeps invenitur, in ipsius enim navi Christus docet, ipsi soli dicitur, duc in altum & laxa retia, ipse solus alios ducit ad piscandum. Bell. d.l. cap.20.

Resp.1. Bellarm. Lib.3. de V.D.c.3. *Convenit inter nos & Adversarios, ex solo sensu literali peti debere efficacia argumenta. Nam cum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est, sensum esse Spiritus Sancti. At sensus mystici & spirituales varii sunt, & licet ædificent, cum non sint contra fidem, aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint à SS. intenti, inde Hieronymus in Comment. Matth. 13. docet fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari.* (Petrus habuit alios piscationis socios, quibus dictum, *Laxate retia,* sed Monarchicus primatus non admittit socios.)

2. Salmeronis conjectura est, *navim illam, quam Ioh.21. piscationis causa conscenderunt, non fuisse Petri.* Quæ ergo hic Petri prærogativa? Nec solus Petrus, sed & reliqui Apostoli jubentur rete projicere & pisces captos afferre.

3. Si in Historia Joh.21. significatur *Ecclesia triumphans* & Monarchicus Petri primatus, sequitur, Petrum esse caput Ecclesiæ triumphantis.

Octava prærogativa est, quod Christus peculiariter pro fide Petri rogavit Luc.22. Bellarm. d.l.

Resp. Rogavit pro omnibus Apostolis *in genere,* pro Petro *in specie,* tanquam gravius lapsuro, ut paulo ante ostendimus.

Nona prærogativa est, quod Christus post resurrectionem primo omnium apparuit Petro, Luc.24. 1.Cor.15. Bell. d.l.

Resp. 1. Suarez in Thom. p.3. q.55. art.4. Disp.49. §.4. fatetur, *hoc non esse certum.*

Maldonatus in cap.28. Matth. *verisimile* statuit, *non Petro soli, sed Iohanni simul Christum apparuisse.*

2. Sicut Mariæ Magdalenæ primum apparuit, ex qua septem Dæmonia ejecerat, ut ostenderet, resurrectionem suam esse nostram contra Satanam victoriam, ita primum Petro apparuit, qui contra Christum gravius peccaverat, ut ostenderet, resurrectionem suam esse efficacissimam contra peccatum medicinam.

Royardus Dom.2. post Pentec. *Petro neganti primum apparuit, ne gratiam desperaret.*

3. Sicut ex eo, quod Mariæ Magdalenæ Christus primæ omnium hominum apparuit, nulla ejusdem in reliquas fœminas autoritas colligitur, fatentibus ipsismet Pontificiis: ita nec ex apparitione Petro facta ejusdem autoritas Monarchica in reliquos Apostolos colligi potest.

Decima prærogativa est, quod Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lavit Iohan.13. Bellarm. d.l. cap.21.

Resp.1. Bellarminus d.l. agnoscit, *Chrysostomum & Theophylactum statuere, quod Christus Iudæ primum laverit pedes.*

2. Thomas & Lyranus testantur, *Origenem asseruisse, Christum in lotione pedum cœpisse à minoribus Apostolis, urgentes ipsam verborum seriem.* Salmero hæc Origenis verba adducit: *Videntur omnes loti ante Petrum, qui præ aliis reverens extitit & singularis.* Confer Originem tract.32. in Johan. & Ambros. Lib.3. de Sacrament. c.1. ubi *omnes reliquos ante Petrum lotos fuisse,* statuunt.

3. Maldonatus in cap.13. Joh. v.5. *curiosi lectoris esse dicit, quærere, quem Apostolorum Christus primum laverit & hanc curiositatem,* ait, *esse, vel satiandam, vel reprimendam.*

4. Albertus in Comm. illius loci fastum Rom. Pontificis, dominatum suum ex hac lotione probantis, haud obscure perstringit, quando ad verba Christi, *Nescis, quid ego facio,* sic annotat, *Nescis, quam necessarium sit vobis humilitatis exemplum, quia post totum illud adhuc cum Lucifero superbient, qui Vicarii & successores Christi existunt.*

5. Salmero, postquam aliquot rationes pro confirmanda Augustini sententia (*quod Christus Petro primum pedes laverit*) in medium adduxisset, subjungit. *Hæ rationes, etsi non necessario probent, quemadmodum nec priores, probabiliores tamen mihi videntur.* (Ergo agnoscit rationes illas non esse necessarias, vel cogentes.)

Emanuel à Sa in cap.13. Joh. *Apparet, fuisse Petrum primo lotum, quanquam nec id certum.* (Ergo etiam hæc prærogativa est incerta.)

7. Toletus in h.l. in iis est, qui negant à Petro factum initium, nixus primo *verbis Iohannis, quibus inesse vim magnam,* asserit, & negans *in humilitatis negotio primas deferendas ei, qui maximus esset:* denique addens, *secutum esse Christum in lotione ordinem sedendi, sedisse autem ab uno latere proximum Magistro Iohannem, qui recubuerit ad pectus; ab altero non potuisse Petrum sedere, quia videl. non potuisset Iohannem secreto alloqui & jubere, ut interrogaret de proditore.* (Ergo privilegium hoc de Petri in lotione primatu non est certum.)

8. Salmero, *Petrum primò lotum esse,* probat ex Petri primatu. Conquirens enim rationes, *ob quas verisimile sit, Petrum primo esse lotum, prima,* inquit, *ratio est, quia Petrus inter primos vocatus relictis omnibus secutus sit Christum. Secunda, quia prior fuerit dignitate, utpote designatus Christi Vicarius.* (At hac ratione circulus committitur. Petrus primo lotus est, quia reliquis fuit prior dignitate. Et Petrus est reliquis prior dignitate, imo Monarchica potestate, quia est primo lotus.)

Undecima prærogativa est, quod Christus soli Petro mortem & quidem crucis prædixit Ioh.21. & addidit, Sequere me, id est, esto id, quod fui & vivens & moriens, age Pastorem animarum, dum vivis, & postea per crucis mortem abi de hoc mundo ad Patrem. Bell. d.l.

Resp. Petrus etiam mortem Christi impedire voluit Matt. 16.v.22. Suarez in p.3. Thom. q.46. art.8. Disp.34. §.3. *In hoc fecit contra Dei ordinationem & voluntatem Christi sibi cognitam, & quantum in se est, voluit prædictiones Scripturæ inanes reddere.* (Si Petrus ideo superior, quia Christus ei mortem prædixit, posset dici reliquis inferior, quia prædictam Christi mortem impedire voluit. Christus omnibus Apostolis mortem prædixit Matth.24.v.9. Joh.16.v.2. ab omnibus sequelam sui requisivit Matth.16.v.24.)

Duodecima prærogativa est, quod Petrus Act.1. tanquam Paterfamilias colligit in unum cœtum discipulorum, & unum eligendum esse docet in locum Iudæ. Bellarm. d.l. cap.22.

Salmeron tom.12. tract.9. ex eo, *quod Petrus in medio discipulorum stetisse dicitur,* colligit, *Petrum Iesu personam sustinere, qui consueverat in medio discipulorum stare.*

Resp. Chrysost. Theophylact. & Oecumenius in Comm. Act.1. notant *sapientem Petri moderationem, non vendicantis sibi autoritatem & potestatem, sed volentis esse communem deliberationem.* Quod Petrus tanquam Paterfamilias discipulos collegerit, de eo nec γρῦ, nec μῦ apud Lucam; στάσιν in medio non semper afferre secum aliquem primatum, patet ex Matt.18. v.2. Marc.3.v.3. Act.27.v.21. cumprimis Luc.22.v.27.

Decima tertia prærogativa est, quod primus post acceptum Spiritum Sanctum promulgat Evangelium Actor.2. Bellarm. d.l.

Resp. Act.2.v.4. *Omnes repleti Spiritu S. linguis variis loquebantur magnalia Dei.* Κοινὴν προσβάλλει φωνὴν, καὶ πάντων αὐτὸς ἦν στόμα, inquit Theoph. in ill. loc. Maria Magdalena *prima annũciavit resurrectionẽ Christi,* nec tamen ex eo sortita est primatũ.

Decima quarta prærogativa est, quod Petrus primum miraculum edidit Act.3.

Resp. Omnes Apostoli dono miraculorum fuere instructi Matth.10. Luc.10. quinimo Salmeron Disp.4. in c.1. Rom. statuit, *Paulum fuisse eminentiorem.* Nec fuisse hoc primum Apostolorum miraculum, colligitur ex Act.2.v.43.

Oecumenius in c.3. Act. *Cum plurima signa patrarentur ab Apostolis, ut paulò ante meminit is, qui hæc scripsit Lucas, nullius eorum nominatim meminit, sed id solum describit, quo omnes commoti fuerunt.*

Decima quarta prærogativa est, quod tanquam divinus judex agnovit hypocrisin Ananiæ Act.5. Bell. d.l.

Resp. Paulus Petri simulationem deprehendit, eiq; *in faciem restitit* Gal.2.v.14. incestuosum Satanæ tradidit, 1.Cor.5.v.5.

Salmeron tom.12.tr.21. *Ostendit Dominus hoc facto, Apostolos habere potestatem remittendi & retinendi peccata.* (Hoc certius est & concinnius.)

Decima sexta prærogativa est, quod Petrus transiit per omnes. Act.9. Bell.d.l.

Resp. Paulo incubuit *solicitudo omnium Ecclesiarum* 2.Cor. 11.v.28. plures & periculosiores profectiones suscepit ad Ecclesias plantandas & visitandas, atq; ad fratres confirmandos.

Joh. Ferus in c.15. Act. *Visitemus fratres, inquit Paulus, omnes gentes peragrans.*

Bellar. lib.1. de R.P. c.27.§. Prima. *Paulus plures regiones peragravit, & plures gentes ad fidem Christi adduxit, quam Petrus.*

Cajetan. in c.9. Act. *Hinc apparet, quod Apostoli, qui remanserunt in Hierusalem, non permanebant ibidem, sed discurrebant evangelizando, ut etiam apparet ex verbis Pauli ad Galatas, ubi narrans primum suum adventum in Hierusalem post triennium conversionis suæ, dicit se duos tantum Apostolos vidisse tunc, Petrum sc. & Jacobum fratrem Domini.* (Congruit hoc cum Act. 18. v.23. ubi de Paulo dicitur, *Egressus est percurrens ordine Galaticam regionem, Phrygiamque, confirmans omnes discipulos.* Ergo Petrus jure Apostolatus, non autem Monarchici alicujus primatus visitationem Ecclesiarum instituit.)

Decima septima prærogat. est, quod Petrus primus gentilib. prædicavit. Act.10. Bell.d.l.

Resp. Bellarm. d.l. fatetur, Paulum Act. 9. dici *locutum gentilibus, antequam de Petro Act.10. id dicatur.* Excipit quidem, *Paulum non locutum esse gentilibus ad fidem eos pertrahendo, sed fidem ab eorũ calumniis vindicãdo.* Sed quis nõ videt ac ridet illas ineptias? Quo fine ab illorum calumniis fidem vendicavit? certe ut ad fidem eos pertraheret. Sed & Paulo peculiariter *concreditũ fuit Evangelium in præputium* Gal.2.v.7. unde Bellar. ipse lib.1. de R.P. c.27.§. Altera pars, eum vocat *præcipuum Doctorem gentium*. lib. ejusd. c.16.§. Poterant. *Jure divino tam Petrus quam Paulus omnibus, tam Judæis, quam gentibus prædicare poterant.* Præterea, antequam Petrus gentibus prædicaret Act.10. Philippus prædicaverat Samaritanis & Eunuchum ex Æthiopia baptizaverat. Bellarminus excipit, *Eunuchum illum fuisse proselytum.* Sed Salmero tom.12. tr. 28. rectius notat *œconomiam propagati Evangelii à Judæis ad Samaritas, inde ad puros gentiles, inter quos erant quidam, qui peculiari religione templum Hierosolymitanum venerabantur, ob duplicem causam, tum templi illius magnificentiam, tum Græcam Veteris Test. versionem.* Denique prædicavit Petrus primus gentibus, sed uni familiæ & intra Judæam; Paulus verò primus omnium cum Barnaba delectus à Spiritu S. ad publicum ministerium prædicandi gentibus Act.13. quæ longe major prærogativa, quam Petri. Urget Bellarm. *Petro dictum esse, macta & manduca. Manducare autem esse capitis.* At hac ratione evinci posset, Petrum esse *totum corpus.* Petro enim dictum est, *Surge*, & surgere est totius corporis. It. Petrum esse *pedes*, Pedum enim est διέρχεσθαι, ac de Petro dicitur, *quod pertransierit.*

Salmero tom.12. tract.31. *Occidere sive mactare, i.e. tanquam sacrificium immolare, ut Græca vox indicat, & incorporare peccatores Christi Ecclesiæ per Sacramenta, sive in vitam suam convertendo, ut vitam, quam vivebat Petrus, communicaret manducatis.* (At hoc manducare commune est Petro cum omnibus Apostolis, imo cum omnibus Ecclesiæ ministris.)

Decima octava prærogativa est, quod pro Petro in carcere constituto oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia, unde etiam insigni miraculo liberatus est Act.12. Bell.d.l.

Resp. 1. Paulus ex pluribus periculis & malis liberatus, 2.Cor.11.v.26. Lyranus in cap.16. Act. *Paulus & Silas magno excitato terræ motu è carcere liberantur.*

2. Salmero notat, *ex his precibus Ecclesiæ pro Petro, ortam in Ecclesia consuetudinem, ut in Liturgia semper oretur pro Pontifice.* Sed addere debuisset, *in Romana Ecclesia pro Romano*, alibi pro aliis. In Liturgia Marci oratur *pro Marco.* In Liturgia Clementis *pro Clemente.* In Liturgia Basilii, *Inprimis memento Domine Archiepiscopi nostri.* Ita quoque in Liturgia Chrysostomi.

Decima nona prærogativa est, quod Petrus in Concilio Act.15. primus loquutur. Bell.d.l.

Resp.1. Ostendimus lib.1. part.3. cap.10. membro 6.§.3. non fuisse ex solius Petri tanquam Monarchæ arbitrio, sed communi Apostolorum suffragio omnia ibi gesta. Joh. Ferus in c.15. Act. *In Concilio Apostolorum omnia prudenter aguntur. At nos aliter convenimus dicendo, ex plenitudine potestatis volumus & mandamus. Quomodo Spiritus S. hujusmodi conventus probare possit?*

2. Horantius lib.6. Locor. Cathol. cap.10. addit, *Petrum illud Concilium congregasse.* Sed Lucas nusquam illud significavit, qui simpliciter *congregatos* testatur *Apostolos & Presbyteros:*

3. Præterea circulari argumento utuntur Adversarii. Horantius Petri primatum probat ex eo, quod Concilium istud congregaverit. Salmeron ex Petri primatu colligit, quod Concilium illud congregaverit. *Cujus autoritate atque jussu*, inquit, *fuerit hæc Synodus coacta, in dubium vocandum non est. Nam aderat Petrus supremus Apostolorum coryphæus, cujus unius vel successoris ejus autoritate Concilia generalia congregari possunt tantummodo.*

4. Bellarmin. urget, *quod Petrus in hoc Concilio primus locutus fuerit.* Atqui textus diserte dicit, *Cum multa disceptatio fuisset, Petrus surgens dixit.* Non potuit autem disceptatio fieri nullis loquentibus. Si ergo surrexit, facta jam disceptatione, non est primus locutus. Et Glossa ordin. observat, *eam disceptationem factam inter judices.* Ergo ne quidem inter judices primus est locutus.

Vigesima prærogativa est, quod Paulus Hierosolymam ascenderit videre Petrum Galat.1. Bellarm. d.l.

Resp.1. *Post annos tres* ascendit, ut habet textus à Bellarmino citatus. Ergo non ascendit, ut à Petro docendi potestatem impetraret. Diserte etiam negat, *sibi aliquid ab Apostolis collatum*, datas vero sibi asserit *societatis dextras*, & Petro non recto pede ambulanti in faciem restitit.

2. Thomas in cap.1. Galat. *Dicit ergo*, (Paulus) *licet non iverim ad Apostolos, ut instruerer ab eis circa principium meæ conversionis, quia jam eram instructus à Christo, tamen ex affectu caritatis compulsus, post annos tres, sc. conversionis meæ, veni Hierosolymam, quoniam tamdiu desideravi videri Petrum, non ut discerem ab eo, sed ut visitarem eum.*

Lombardus ibid. *Videre Petrum, non discere aliquid ab eo, sed videre eum propter affectum Apostolatus, & ut Petrus sciret, me fore sibi Co-Apostolum; & apud eum diebus quindecim mansi, receptus ab eo, ut verax & Co-Apostolus.* (Ergo non profectus est Paulus ad Petrum tanquam ad Oecumenicum Pontificem, sed tanquam ad Co-Apostolum ex impulsu caritatis.)

Vigesima prima prærogativa est, quod Christus suis manibus solum Petrum baptizaverit. Bellarm. d.l. cap.23.

Resp 1. Johan.4.v.2. *Jesus neminem baptizabat.*

Cajetan. in illum locum. *Mentiti sunt nuncii, qui dixerunt, Christum baptizâsse, ut notat Theophylactus.*

Salmeron in Comm. 1.Cor.1. Disp.2.§. Qui vero. *Christus non per se, sed per discipulos baptizabat. Officium autem prædicandi executus est in Judæa.*

Toletus in c.4. Joh. *Intelligi debet, Christum non per se baptizâsse, sed per discipulos.*

2. Opinio illa, *quod Christus Petrum & quidem solum suis manibus baptizarit*, autorem habet Evodium, cujus autoritatem elevat Baronius ad annum 34. propterea quod *à Christi morte ad Stephani Martyrium computet annos septẽ, cum vix decem menses post Christi mortem occisus sit.* (Quin & Euthymius ipse, qui eam Evodii opinionem suppresso nomine recitat, *Apostolos à Johanne baptizatos fuisse*, asserit, ac consentit longe antiquior Eulogius apud Photium Biblioth. cap.280. Item Tertull. de Bapt. cap.12. & Chrysostomus homil.1. in Acta.)

3. Præterea idem Evodius asserit, *Mariam æque ac Petrum à Christo fuisse baptizatam*, quæ tamen Pontificatum nunquam gessit.

Vigesima secunda prærogativa est, quod solus Petrus à Christo Episcopus ordinatus fuerit, cæteri autem à Petro Episcopalem consecrationem acceperint. Turrecremata lib.2. Summæ cap.32. Bellarm. d.l.

Resp.1. Franciscus de Victoria Relect.2.q.2. *Utrum Petrus eos ordinarit, est incertum.*

ibid. concl.3. *Omnem potestatem, quam Apostoli acceperunt, habuerunt à Christo immediate. Pro certo ergo mihi videtur pronunciandum & tenendum, Apostolos omnes accepisse utramq; potestatem* (& ordinis & jurisdictionis) *à Christo.*

2. Gregor. de Valent. lib.7. Anal. cap.2. p.52. *Sententiam, quæ negat, Petrum alios ordinasse, magis est communis.*

3. Bellarminus lib. 4. de R. P. c. 23. *Quod Apostoli immediate à Christo acceperint omnem jurisdictionem, testantur verba Domini Joh.20. Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Quem locum sic exponunt Patres Chrysostomus & Theophylactus, ut aperte dicant, factos esse his verbis Apostolos Christi Vicarios, imo ipsum Christi officium & autoritatem accepisse. Addit Cyrillus in hunc locum, his verbis pro-*

prie

prie Apostolos creatos esse Apostolos & orbis totius Doctores, &, ut intelligeremus, in Apostolica autoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam, ideo adjecisse Christum, Sicut misit me Pater. (Si Apostoli immediatè à Christo acceperunt omnem jurisdictionem, ac in Apostolica autoritate continetur omnis potestas Ecclesiastica, certe Apostoli non sunt à Petro Episcopi ordinati, sed immediate à Christo.)

4. Bellarminus h.l. statuit, *Apostolos in ultima Cœna simul omnes ordinatos fuisse Sacerdotes minores, sive Presbyteros.*

Gregor. de Valent. lib. de usu utriusq; speciei c.2. §. Præterea. *Orthodoxi Patres docent, Apostolos in illa postrema Cæna accepisse à Christo potestatem Sacerdotalem, per illa verba, Hoc facite.*

(Jam vero ostendemus suo loco, in Apostolica & primitiva Ecclesia eosdem fuisse Episcopos & Presbyteros. Quod si ex hypothesi Pontificiorum potestas Episcoporum jure divino major est potestate Sacerdotum, consequens erit, minorem potestatem Apostolis à Christo collatam, majorem Petri arbitrio reservatam.

5. Joh. de Turrecremata & Bellarm. probant ex eo, *Petrum esse ordinatum à Christo Episcopum, quia, si Apostoli non essent à Christo facti Episcopi, non potuissent alios Episcopos creare, quod enim quis non habet, alteri dare nequit.* Ad hac ratione etiam statuendum foret, Apostolos esse Diaconos á Christo ordinatos, cum ipsi postea Diaconos ordinaverint. Paulum Bellarminus dicit *Episcopum ordinatum,* Act. 13. Sed contradicit Bellarmino Benedictus Justinianus de Apostolatu cap. 3. qui locum illum *de ordinatione ad Apostolatum* accipit; *Initio hujus Epistolæ* (inquit) *Paulus se vocatum Apostolum nominat, hoc est, ut interpretati sumus, divina vocatione Apostolum. Hujus vocationis Historia describitur à Luca. Cum enim Paulus una cum Barnaba esset Antiochiæ, ministrantibus inquit illis &c. Rursus quid quæso aliud putamus esse illud. Segregate mihi Saulum ac Barnabam? Ad hunc, opinor locum allusit Paulus, ut monuimus in explanatione, cum se dixit segregatum in Evangelium Dei, & cum scribit ad Galatas, se Apostolum esse non ab homine, neque per hominem &c.* Sequitur Justinianus Lyranum, qui in c. 13. Act. sic commentatur: *Segregate mihi &c. in opus publicationis Evangelii, sicut & alii Apostoli ad hoc sunt assumti.*

Vigesima tertia prærogativa est, quod Petrus primum hæresiarcham Simonem detexit & damnavit Act. 8. Bell. d.l.

Resp. Cyrill. Hierosl. Catech. 6. Sulpitius Severus lib. 2. Hist. Isidorus Hispalens. in Chronica & *Petro & Paulo* conjunctim illud tribuunt.

Vigesima quarta, quod Romæ potissimum sedem divino jussu collocaverit. Bell. d.l.

Resp. Bellarm. ibid. citat dictum Maximi, *Ubi mundus caput habebat imperii, ibi regni sui Principes* (Petrum & Paulum) *collocavit.* Ergo si propterea Petrus œcumenicus Pontifex, etiam Paulus erit talis.

Vigesima quinta, quod sub finem vitæ Petri Christus ipsi apparuerit. Bellarm. d.l.

Vigesima sexta, quod solæ illæ Ecclesiæ Patriarchales habitæ, quas Petrus fundavit. Bellarm. d. lib. cap. 24.

Resp. Aliam causam affert Baronius ad annum 39. §. 10. *Majores in instituendis Sedibus Ecclesiarum, non aliam iniisse rationem, quam secundum Provinciarum divisionem & prærogativas à Romanis antea stabilitas, quamplurima sunt exempla.* (Ergo causa non fuit Petri dignitas, ut vult Bellarm.

Pergit Baronius. *Sed satis modo erit, unum vel alterum huc in præsentiarum adferre; ac imprimis illud haud longe petitum de Sede Antiochena, quæ quantumlibet à Petro ante Alexandrinam fuerit instituta, tamen quoniam Præfectura Alexandrina Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissime præ cæteris ab eodem fuit nobilitata, longe præstabat Syriæ præfecturæ, ea de causa factum apparet, ut quamvis Sedes Antiochena ante Alexandrinam à Marco nomine Petri erectam, fuerit instituta, tamen illi postposita habeatur. Sic etiam, quoniam inter omnes Orientales Præfecturas Syriæ Proconsulatus præstabat, cum ejus Provinciæ metropolis esset Antiochia: inde etiam accidit, ut prima omnium Antiochena Ecclesia haberetur, & quantumvis Hierosolymorum Ecclesia prima omnium origine temporu & nobilitate rerum in ea consummatarum merito dici posset, cæterisq; ea de causa, quæ in Oriente essent, Ecclesiis jure præferenda videretur, illi tamen subjiceretur.* (Sic ergo Baronius contra Bellarm. probat in instituendis Sedibus non aliam fuisse rationem, *quam Provinciarum prærogativas,* ac Alexandrinam Antiochiæ præpositam, quia Præfectura Alexandrina dignior Syra.)

Vigesima septima, quod publice celebretur festum in honorem Cathedræ Petri. Bell. d.l.

Resp. Baronius in Annot. ad Martyrol. Rom. *De consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis monent Græcorum Menologia, in quibus S. Basilii, Johan. Chrysostomi & aliorum agitur Sedis eorum natalis dies; quo etiam usu & ratione Romana Ecclesia eam diem solenniter agere consuevit, quo Romanæ natalis est Cathedræ.* (Ergo hoc festum nunquam celebratum fuit in universa Ecclesia, sed tantum in Romana, neque enim reperitur in Græcorum Menologiis, sed tantum in Latinorum Martyrologiis, ex ritu autem particulari primatus Universalis concludi nequit. Neq; quisquam Beda antiquior festi hujus meminit, Augustini enim sermones de Sanctis sunt supposititii.)

Vigesima octava, quod in literis formatis antiqui post nomen Patris & Filii & Spiritus S. nomen Apostolorum Principis adjungebant. Bellarm. d.l.

Resp. 1. Prærogativæ octo proximæ omnes ἄτις γραφῆς (*absque qua Petrus,* teste Clemente Alexandrino lib. 6. Stromat. fol. 288. *nihil docuit,* & cujus Symbolum fuit, οὐδὲν ἄτις γραφῆς;) afferuntur, ac si vel maxime omnes concederentur, tamen nihil aliud sunt, quam prærogativæ *honoris*, non autem *Monarchicæ* cujusdam *potestatis.*

2. Posset quis præstantiores prærogativas Paulo tribuere, ex quo tamen primatus Monarch. nondum inferri posset. Paulus illustriore modo ad Apostolatum vocatus est, quam Petrus, videl. à Christo in statu exaltationis, præeunte luminis cœlestis splendore, & voce cœlitus demissa. Act. 9. 3. Paulus *raptus fuit in tertium cælum, ibiq; audiit τὰ ἄῤῥητα,* 2. Cor. 12. v. 1. de Petro tale quid nuspiam legitur. Christus post ascensionem Paulo in visibili forma apparuit, Act. 23 v. 11. 1. Cor. 15. v. 8. Petro idē contigisse, Scriptura nuspiam testatur. Paulus *ad omnes gentes sine certæ provinciæ mentione missus est, cæteri Apostoli missi sūt ad certas provincias,* scribit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. ca. 27. unde etiam Paulus κατ' ἐξοχὴν Apostolus vocatur, Petrus non item. Paulus in veritate fidei semper ambulavit, Petrus autem *simulando* erravit, unde Paulus *in faciem ei restitit* Galat. 2. v. 11. Paulus plures Ecclesias plantavit, & *plus omnibus laboravit,* 1. Cor. 15. v. 10. plura pro Christo & ejus Evangelio pertulit, 2. Cor. 11. v. 23. fuit *ratione sapientiæ Petro major,* fatente Bellarmino d. l. plures Epistolas Ecclesiæ reliquit &c. Ipse solus appellatur *vas electionis* Act. 9. v. 51. primus à Spiritu S. mittitur prædicaturus gentibus Act. 13. v. 1. ejus scripta etiamnum viventis citantur & quidem à Petro 2. Epist. 3. v. 15.

5. Præter has prærogativas à Bellarmino enumeratas, alii adhuc alias afferunt, ut ex illis Petri primatum probent.

Primo, *Cur Dominus de præstantiori caritate Petrum præ cæteris tum præsentibus interrogasset Joh. 21. v. 15. nisi majoris etiam atq; præstantioris muneris autoritatem ipsi attribuere voluisset?* Gregorius de Valentia in Anal. libr. 7. cap. 4.

Resp. 1. Glossa ordinar. in h.l. ex Augustino. *Numerus legitimus impleatur, ter confiteatur per amorem, qui ter negaverat per timorem. Sicut fuit indicium timoris negare Pastorem, ita officium est amoris pascere Domini gregem.*

2. Toletus in Comment. Johan. 21. *Hoc dictum fuisse Patres judicant, ut Petrus trinæ negationi suæ satisfaceret &c. Voluit Dominus Petrum probare in duobus, Primum est humilitas, nam qui antè passionem superbe responderat, se omnibus præferens, jam alius factus & interrogatus, an Dominum plus cæteris diligeret, non præfert se cæteris, sed judicium sui Domino defert. Alterum, in quo probatur Petrus est dilectio, quia ter negaverat, ter interrogatus, ut inquit Cyrillus, de majori dilectione, quia qui majoris culpæ remissionem obtinuerat, majorem tenebatur exhibere dilectionem.*

3. Erasmus in Paraph. h.l. *Illud Dominus Jesus dignatus est explicare, qui sibi vellet ter iterata dilectionis professio. Qui pro salute gregis Dominici contemnit facultates suas, negligit honores hujus mundi, negligit affectus suos, magnum quidem de se sinceri amoris argumentum præbet. Cæterum, qui non dubitat pro salute gregis vitam suam in discrimen adducere, is absolutæ caritatis certissimum documentum dedit, id olim Petrum facturum subindicat.*

4. Thomas in Catena Joh. 13. statuit, quod *Christus plus dilexerit Johannem, quam Petrum,* & hujus rei aliquot causas ex veteribus recenset.

(At si quem Apostolorum ratione Monarchicæ potestatis reliquis Apostolis Christus prælatum voluisset, Johanni, quem præ reliquis diligebat, illum contulisset, sicut etiam præ omnibus aliis vitam longissimam & quietum finem ei concessit.)

Secundo, *Dominus Petrum sibi primum Apostolum eligebat.* Anglo-Rhemens. in annot. Galat. 2.

Resp. 1. Cajetanus in cap. 1. Joh. *Primus vocatus erat Andreas, qui fratrem suum Simonem ad Iesum traxit, ut patet Ioh. 1.*

2. Ribera in Apoc. 21. p. 568. *Mihi videtur in omnibus servari ordo vocationis, non primæ omnium, in qua primus est Andreas Ioh. 1. nec ultimæ, cum ex multitudine discipulorum selegit duodecim, quos & Apostolos nominavit Luc. 6. &c. sed ejus vocationis ordo servatus est, qua Dominus eos ad se vocavit, ut manerent, nec recederent jam, ut ante fecerant, quæ propria vocatio dicitur. Ita sensit Abulensis, & hoc ex eo colligo, quod in hac vocatione Evangelium primum locum tribuit Petro & Andreæ, secundum Iohanni & Iacobo.*

(In omnium prima vocatione Andreas primus vocatus fuit, in vocatione propria Petrus & Andreas simul. Quomodo ergo Christus Petrum primum Apostolum elegit?)

Tertio, *Soli Petro dictum est, Tibi dabo claves regni cœlorum. Quicquid solveris, erit solutum &c.* Matth. 16.

Resp. Cum Anshelmus Havelburgensis Episcopus (qui floruit circa annum 1150.) pro Primatu Petri & consequenter Pontificis Romani hoc dictum urgeret, Nechites Theologus Græcus ipsi respondit: *Tibi videtur, soli Petro & non potius omnibus Apostolis dictum à Domino. Quodcunque solveris &c. Quinimo non soli Petro, sed omnibus cum Petro, & cum omnibus Petro indifferenter dictum à Domino creditur. Nec super solum Petrum descendit Spiritus Sanctus in Pentecoste à Domino missus, sed omnes simul inflammavit, & non impari dono, nec impariter, sed pari dono omnes pariter, sicut promissum fuerat, donavit. Sic ergo recognoscimus Petro datam & acceptam à Domino potestatem, ut non putemus imminuendam cæterorum Apostolorum autoritatem, qui utique æqualiter omnes sine aliquo invicem præjudicio vel usurpatione, tanquam vere mites & humiles corde, eundem Spiritum Sanctum acceperunt, & in eodem Spiritu Sancto eandem potestatem ligandi atque solvendi susceperunt. Nec soli Petro videtur attribuendum privilegiũ, quod ab ipso Domino donante commune est omnium. Cavendumq; est, ne cæteris in eadem potestate eandẽ prærogativam habentibus derogetur, dum uni tantum, quæ est omnium, authoritas adscribitur.*

(Idipsum, videlicet non soli Petro, sed omnibus Apostolis, imo omnibus eorum in Ministerio Successoribus, claves traditas esse, suo loco uberius confirmabitur.)

Quarto, *Petrus Paulo dedit licentiam prædicandi.* Glossa in c. Quis nesciat. distinct. 12.

Resp. 1. Hugo Cardinalis in cap. 1. Gal. *Secundum literam instruimur de mutua dilectione, quam deberent habere prædicatores & doctores, quia Paulus venit videre Petrum, quoniam bona audierat de ejus doctrina.*

2. Salmeron Disp. 22. in Gal. 2. §. Prima dubitatio. *Ex Epistola ad Galatas liquet, multos falsos Apostolos apud Galatas criminari solitos fuisse in Paulo, quod neque jus legationis, neque Evangelium à Christo Domino accepisset, quapropter Apostolus egregie se purgat & docet, se Christi Apostolum esse, & ab eo hæc accepisse.*

CAPUT III.

De sede Papali Romæ à Petro erecta.

THesis. B. Petrum Apostolum Romæ Papalem Sedem erexisse, eandemque per viginti quinque annos rexisse, gratis dicitur.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an Petrus Romæ fuerit, illud enim in medio relinquimus. D. Chemnitius in Harmon. Evang. cap. 50. p. 277. *Petrum Romæ fuisse, omnes Historici consentiunt. Quò vero tempore eò venerit, perturbatissimæ sunt annotationes. Illud cum Historia Actorum simplicissime convenire videtur, quod Origenes & Nicephorus annotant, Petrum circa finem vitæ suæ ultimis annis Neronis venisse Romam, reliqui addunt, quod ibi demisso capite & inversis vestigiis cruci affixus sit.* Hoc vero in quæstione est, an Petrus fuerit proprius Romanæ urbis Episcopus & Sedem Papalem in illa urbe erexerit.

2. Neque quæstio est, an in latiore significatione Petrus dici possit ac à veteribus dictus fuerit Episcopus Romanus. Dicimus enim Episcopi nomen dupliciter accipi; Primo, *late*, pro functione cum autoritate regendæ Ecclesiæ, Epiph. hæres. 27. *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus, iidem Apostoli & Episcopi.* Secundo *stricte*, pro certa functione Ecclesiastica infra Apostolos, ut 1. Tim. 3. v. 1. *Si quis Episcopatum desiderat &c.* Petrus fuit Episcopus non posteriore, sed priore significatione.

Antithesis. Bellarminus Lib. de Rom. pontif. c. 4. *Petrus fuit Episcopus Romanus & cum Episcopatum ad mortem usque retinuit.*

Lib. ejusd. cap. 1. *Quoniam jus successionis Pontificum Romanorum in eo fundatur, quod Petrus Romæ Sedem suam jubente Domino collocaverit, atque ibidem usque ad mortem sederit, prima nascitur quæstio, An Petrus Romæ Episcopus fuerit, nec inde unquam Sedem suam aliò transtulerit.*

Et postea: *Est autem observandum, quatuor esse, quæ in dubium revocantur: Primo, an Petrus fuerit Romæ. Secundo, an sit mortuus Romæ. Tertio, an fuerit Episcopus Romæ. Quarto, an Romanum Episcopatum semel susceptum nunquam mutaverit? Ex his quatuor solum postremum & requiritur necessario, & sufficit ad Romani Pontificis Primatum constituendum. Quæ causa fuit, cur Calvinus solum hoc quartum nullo modo admiserit, cum de cæteris tribus parum solicitus esset. Nam illud primum neque requiri, neque sufficere planum est, cum multi veniant Romam, qui tamen Romani Pontifices nunquam evadunt, & multi Romani Pontifices nunquam fuerint Romæ, ut Clemens V. Iohannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. qui in Galliis ordinati ibidem semper manserunt. Alterum item neque requiri, neq; sufficere testantur multi Romani Pontifices, quia extra Romam mortui sunt. Nam Clemens I. obiit in Ponto, Pontianus in Sardinia, Iohannes I. Ravennæ, Agapetus Constantinopoli, Innocentius III. Perusiæ, Innocentius IV. Neapoli, Iohannes XX. Viterbii & alii aliis in locis. Idem testantur multo plures, qui quotidie moriuntur Romæ, nec tamen Romani Pontifices sunt. Tertium autem requiri, sed non sufficere, ex eo colligitur, quod Petrus Episcopus Antiochiæ fuit, & tamen, quoniam Sedem aliò transtulit, nunquam deinceps locum primum Antiocheni Episcopi habuerunt. Igitur quartum solum & requiritur & sufficit.*

Nostram sententiam probamus,

1. Petrus non fuit Ecclesiæ Monarcha, ut in cap. præcedent. ostendimus. Ergo etiam non erexit Sedem aliquam Papalem.

2. Petrum fuisse Romæ, ex Scripturis evidenter ostendi nequit. Ergo illud non tenemur recipere tanquam dogma ad salutem necessarium, sed est Historica quæstio.

3. Petrum per annos 25. Romæ egisse, non solum non potest ex Scripturis evidenter probari, sed etiam cum iis, quæ de Petro & Paulo in Scripturis annotata extant, difficulter potest conciliari. Petrus Concilio Hierosolymitano, quod juxta calculum Hieronymi in cap. 2. Galat. incidit in annum 9. Claudii, interfuit Act. 15. v. 7. Post Concilium Hierosolymitanum Paulus Petrum reprehendit Antiochiæ Galat. 2. v. 14. tunc ergo nondum fuit Romæ. Anno secundo vel tertio à Concilio, hoc est, anno undecimo vel duodecimo Claudii Paulus scripsit Epistolam ad Romanos, teste Bellarmino Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 8. In ea salutat fere omnes, quicunque Romæ præstantiores, Petri vero nullam facit mentionem. Anno secundo Neronis Paulus Romam captivus ducitur, fideles, qui tum Romæ erant, obviam ei procedunt, Act. 28. v. 15. Petri nulla fit mentio. In captivitate illa Paulus fuit per biennium, Act. 28. v. 30. Sed toto isto tempore Petrus non fuit Romæ. Scripsit enim Paulus ex carcere Epistolas varias, *ad Colossenses* unam, posteriorem *ad Timotheum*, *ad Philemonem* unam. At in nulla istarum Petri mentionem facit, quinimo 2. Timoth. 4. v. 16. diserte dicit, *in prima defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* In iisdem Epistolis ad *Colossenses*, ad *Timotheum*, ad *Philemonem* multi boni viri Romæ existentes salutant eos, ad quos Paulus scribit, Petri autem nulla fit mentio. Act. 19. v. 21. dicit Paulus, *oportet me Romam videre.* Ipse Christus dicit ad Paulum Act. 23. v. 11. *Confide Paule, ut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet etiam Romæ testificari.* At si Petrus tum Romæ fuisset, vel inde aliò abiens Universalem aliquem Episcopum in Sede Papali Successorem constituisset, quorsum opus fuisset, Paulum Romæ testificari? in Epistola *ad Philippenses*, quam Paulus itidem Romæ scripsit cap. 2. v. 20. de Timotheo sic loquitur: *Neminem habeo ἰσόψυχον, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit*, v. 21. *omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.* At si Petrus tunc Romæ fuisset, infidelitatis à Paulo accusatus fuisset. Paulus de se scribit Rom. 15. v. 20. *Ibi prædico Evangelium, ubi Christus non est nominatus, ne super alienum fundamentum ædificem*, v. 21. *sed sicut scriptum est, quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* v. 22. *propter quod & impediebar plurimum, venire ad vos &c.* Erat igitur Paulus Romæ prædicaturus, ubi nondum fuerat per ullum Apostolorum prædicatum, & nequaquam tantopere laborasset, ut Romam perveniret, si Petrus jam ibi esset, neq; imperfectionem fidei

fidei à Romanis susceptæ argueret, si à Petro illi edocti fuissent, eundemque adhuc præsentem haberent. Rom.1.v.11. *Desidero vos videre, ut gratiam spiritualem vobis administrem.* Act.28. v.21. Judæi Romæ habitantes Paulum sic alloquuntur, *Nos neque literas de te à Judæa accepimus, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit quid de te malum.* v.22. *Rogamus autem audire ex te, quæ sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* At si hi Petrum habuissent præsentem, & ejus prædicationem audivissent, non fuissent adeo rudes & ignari, neque opus habuissent, ut Paulus pleniorem sectæ istius notitiam traderet. Primus, qui Petrum Romæ fuisse retulit, erat Papias quidam, *homo tenuis autoritatis & loci in Ecclesia, & multarum fabularum autor*, ut de eo testatur Eusebius lib.3. Histor. Eccles. cap.39. edit. Græc. cap.33. edit. Christophors. Ex eo istud accepit Egesippus, ex Egesippo alii, quemadmodum in scribendis Historiis posteriores sequi solent priores.

4. Petrum Romæ Episcopum egisse, non satis convenit cum pacto, inter ipsum ac Paulum inito, quod Petrus suo Apostolatu principaliter inter Iudæos fungi debeat Galat.2.v.7. Romæ enim gentiles rerum potiebantur, nec satis convenit cum eo, quod Petrus ad hanc suam cathedralem Ecclesiam nullam scripsit Epistolam.

5. Petrum Romæ mortuum esse, itidem non extat in Scripturis, ergo non est fidei articulus. Hieronymus in c.23. Matth. ad Petrum refert, quod Christus dicit, *Ecce ego mitto ad vos* (Judæos) *Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex iis occidetis & crucifigetis.*

6. Petrum per 25. annos, adeoque ad mortem usque Episcopum fuisse, Scriptura non solum nusquam dicit, sed etiam contradicit. Acceperat enim idem mandatum cum omnibus Apostolis, ut prædicaret Evangelium in toto terrarum orbe Matth.28.v.19. Marc.16.v.15. Act.1.v.8. an credemus, eum non fuisse huic mandato obsecutum? Ex 1. Epist. Petri cap.1. v.1. constat, quod profectus fuerit, in *Pontum, Galatiam, Cappodociam, Asiam & Bithyniam*, ut dispersis fratribus (Judæis) illic prædicaret; quod autem per annos 25. Romanum Episcopum egerit, de eo altum in Scripturis silentium.

Confer Udalrici Veleni librum, cui titulus, Decem & octo persuasiones, quod Petrus nunquam post Christi passionem Romæ fuerit, apud Flacium in refut. Invect. Bruni p. 88. Sebastian. Franc. in Chron. fol. 258. Caroli Molinæi Commentar. contra abusus Paparum. Nicolai Vedelii tractatum de tempore utriusque Episcopatus Petri adversus Baronium & Bellarminum.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam negant, Petrum fuisse Ecclesiæ Monarcham & Principem, ex quo sponte sequitur, quod Papalem aliquam Sedem, nec Romæ, nec alibi erexerit. Testimonia eorum allata sunt cap. præcedente.

2. Quod quidam negant, Petrum per 25. annos Romæ Episcopum egisse, ac Episcopatum illum ad mortem usque retinuisse.

Marsilius Patavinus in Defens. Pacis part. 2. circa Annum 1324. *Per Scripturam convinci non potest, Petrum fuisse Romanum Episcopum, & quod amplius est, ipsum unquam Romæ fuisse. Admirandissimum namque videtur, si secundum quandam vulgatam Ecclesiasticam Legendam Sanctorum B. Petrus prævenerit Romam B. Paulum, ibidem prædicans verbum Dei & postmodum captus, deinde quod B. Paulus in suo adventu Romam una cum B. Petro tot conflictus habuerint cum Simone Mago, & simul pro fide certarint adversus Imperatores & ipsorum ministros, demumque secundum eandem Historiam, quod ambo simul capite privati propter Christi confessionem dormierunt in Domino, & sic Romanam Christo consecraverunt Ecclesiam. Admirandissimum, inquam, dico, quod B. Lucas, qui Actus Apostolorum scripsit & Paulus Apostolus de B. Petro nullam prorsus mentionem fecerunt. Amplius quod B. Petrus Romam non prævenerit eos, credere facit probabiliter valde, quod Actuum ultimo scribitur, dum enim Paulus in suo adventu primo alloqueretur Judæos, inter cætera sui adventus Romam volens assignare causam, inquit: Contradicentibus autem Judæis coactus sum appellare Cæsarem. At illi dixerunt ad eum, Nos neque literas accepimus de te à Judæa, neque veniens aliquis fratrum nunciavit, aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Dicat ergo mihi veritatis inquisitor, non quærens contendere solum, si probabile sit alicui, B. Petrum prævenisse Paulum, & nihil nunciasse de Christi fide, quam Judæi loquentes ad Paulum sectam vocabant. Amplius Paul. reprehendendo ipsos de incredulitate, si novisset, Cepham ibidem fuisse & prædicasse, quomodo non dixisset, aut ipsum hujus testem indixisset negotii, qui resurrection. Christi testis extiterat? ut apparet Actuum 5. Et rursum, de quo jam diximus, quis opinabitur, quod biennio existens ibidem Paulus, nunquam conversationem, collationem aut contubernium habuerit cum B. Petro? & si habuisset, quod de ipso nullam penitus mentionem fecisset, qui Actuum scripsit Historiam. In aliis enim locis minus famosis, dum Paulus Petrum invenit, mentionem de ipso fecit, & cum eo conversatus est, ut in Corintho, prima ad Corinth. tertio, & in Antiochia, ut ad Galatas secundo, & sic de reliquis plerisque locis. In Roma vero inventum, quomodo non nominasset, quæ omnium urbium famosissima erat, & in qua secundum jam dictam Historiam B. Petrus præerat tanquam Episcopus? Sunt enim hæc incredibilia quasi, propter quod Historia illa sive Legenda non videtur in hac parte probabiliter posse teneri & cum Apocryphis computari debere. Sed per Scripturam sacram indubitanter tenendum, B. Paulum fuisse Rom. Episcopum, & si quis alter cum ipso Romæ fuerit, tamen Paulum singulariter & principaliter propter causas prædictas fuisse Rom. Episcopum, Beatum vero Petrum Antiochiæ, ut apparet Galat. 2. Romæ vero non contra dico, sed verisimiliter teneo, ipsum in hoc non prævenisse Paulum, sed potius è converso.*

Idem cum Marsilio statuunt Michael Cesenas, Lyranus, Mantuanus & alii, quos recenset Wolffius tom.1. memorab. pag.23.

Lyranus in c.23. Matth super verba. *Ecce ego mitto ad vos &c.* asserit, *Petrum fuisse à Judæis Hierosolymæ crucifixum.*

Johannes Baptista Mantuanus lib.6. Fastorum de Petro Apostolo sic canit:

> *Urbibus Assyriis Christi post funera, postquam*
> *In cœlum rediit, bisseptem dicitur annos*
> *Impendisse, gravi vexans mala numina bello,*
> *Mox maria ingressus, longaque ambage viarum*
> *Circulatus, iter vertit Bithynica versus.*
> *Littora, Cappadoces, Galatas, Pontumque peragrans*
> *Quotquot erant illis Judæa ab origine regnis,*
> *Edocuit Christum, veterique retraxit ab usu.*

(At hæ profectiones continuæ nō congruunt cum eo, quod Petrus per annos viginti quinq; Episcopum Romæ egerit.)

Qua ergo veritatis specie Bellarmin. lib.2. de Rom. Pontif. cap.1. scribit, *supra mille & quingentos annos constantissime à toto terrarum orbe creditum fuisse, quod B. Petrus fuerit Episcopus Romanus ac Romæ per crucis Martyrium Spiritum Domino reddiderit.* (Cui assertioni suæ paragr. statim sequente contradicit, sic scribens:) *Guilielmus quidam Johannis Wiclefi Præceptor, ut refert Thomas Waldensis lib.2. doctrin. fidei art.1. c.7. docuit, B. Petrum neque Episcopum fuisse Romæ, nec Romam ipsam unquam vidisse.*

Johannes Aventinus lib.2. Annal p.21. *Sub idem tempus Imperii Claudiani anno secundo, quidam Petrum Romam venisse credunt, quod mihi non sit verisimile, maxime cum D. Paulus narret Galatis, se duodevigesimo post suam conversionem anno Hierosolymis Petrum adiisse, qui fuit annus imperii Claudiani decimus, Christi vero alter & quinquagesimus. Ibidem refert, posthac Petrum Antiochiam adiisse. Hoc satis quoque constat, tertio Neronis anno Paulum & Lucam Romam deductos biennio ibi commoratos fuisse. Unde D. Paulus nomine suo & Timothei ad plerosque scripsit, quos obscurissimorum quoque Romæ degentium verbis solicite & anxie salutat. Atque neque Paulus, neque Lucas ullam mentionem Petri faciunt, profecto non prætermissuri, si tum ipse Romæ fuisset. Deniq; cum Paulus in Epistola Corinthi data ad Romanos ultimo imperii Claudii anno (quod curiosius inquirenti sacram Historiam perpalam fiet,) ex via properans Hierosolymam jubeat ignobiles Romæ salutari, tantum Ducem, Legatum Christi, nunquam silentio prateriret. Præterea in secunda ad Timotheum Epistola, dum secundo tribunali sisteretur, & gladius Neronis capiti ejus immineret, conqueritur se ab omnibus derelictum, solum Lucam secum esse. Cum itaq; non incelebrati autores sint, eodem quidem die, verū non eodem anno Petrum & Paulum à Nerone Romæ occisos fuisse, suspicantur alii, Petrum Nerone Principe, & post cædem Pauli Romam commigrasse. Quamvis non desint, qui, ipsum Romæ vivum quidem fuisse omnino pernegent, quod Paulo, quemadmodum est in arcanis sacrarum literarum, provincia docendi cultores Deorum (quorum caput Roma) demandata fuerit à Christo, Petro Hebræos duntaxat instituendi copia facta, quamobrem ipse & Babyloniæ (ubi tum multi Judæi, ut Iosephus scribit, erant, adeo ut potentissimum Regem Persarum bello lacessiverint,) & ad Iudæos Christi sectatores scripserit. Has ego pugnas ad contentiosos in palæstram relego,*

go, conjecturas humanas, certi nihil adferre possem. Nam Babyloniam à Petro, sicut à Johanne Romam appellari, autores sunt, alii Babyloniã Ægypti intelligunt, quæ nunc est Alcairum, antiquis Mempho.

Huc referri potest, quod Salmero in Epistola ad Antonium Carafam Cardinalem, quæ extat tomo ultimo operum in Append. p. 376. scrupulos movet haud facile eximendos de his 25. annis, quibus Petrus Romæ sedisse fingitur. *Lego*, inquit, *apud Eusebium, Hieronymum ac Damasum, Petrum secundo Claudii anno Romam venisse, & ab eo tempore usq; ad mortem Sedem suam ibi fixisse. Hoc autem scrupulo non caret, quia Petrum legimus Act. 12. ab Herode in discrimen vitæ perductum fuisse. Quod cum paucos ante dies ante obitum Herodis ab Angelo percussi, ut testatur Lucas, evenerit; illum autem constat tertio anno Claudii obiisse, ut testantur Josephus & Eusebius; (nam ille septem tantum annos regnavit, quatuor sub Caligula & tres sub Claudio:) colligimus, Petrum duodecimo anno post Christum assumtum, & tertio anno exacto Claudii Hierosolymis fuisse. Quomodo igitur Romam profectus est secundo Claudii anno, si tertio ejusdem anno erat Hierosolymis? Vix enim annus integer satis erat ad hoc, ut expeditissime Romam visitaret & Hierosolymam regrederetur. Præterea dubium est, quo tempore Petrus Antiochiæ prædicaverit & Sedem tenuerit. Deinde quando dispersis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ atque Pamphiliæ evangelizaverit? nam ante duodecimum annum Apostolos simul versatos fuisse Hierosolymis & in Judæa, testatur Eusebius lib. 5. Histor. Ecclesi. cap. 18. producens traditionem Thraseæ cujusdam Martyris, qui pro fide occubuit; hic enim à majoribus se accepisse dicebat, Apostolis Dominum suo verbo præcepisse, ne ante duodecimum annum ab se invicem prædicandum gentibus discederent, & totum illud temporis spacium Hierosolymitanæ & aliis Judæorum Ecclesiis in fide instituendis impenderent. Quam traditionem confirmat Beda in cap. 13. Act. Si igitur hæc vera sunt, quando ille dispersis Judæis per minorem Asiam evangelizare potuit? nisi dicas, illum urbe pulsum in illas Asiæ provincias evangelizandi gratia pervenisse. Hæc pauca sunt, quæ animum meum excruciabant, & quæ etiam nunc ambiguum & suspensum tenent.*

Idem Salmero in Epistola ad Stephanum Tuccium, quæ extat tomo eodem pag. 408. hæc dubia latius deducit. *Incidi*, inquit, pag. 413. *his diebus in Chronologiam annorum Apostolorum Principis Petri, & qua ratione ille sedere potuerit viginti quinq; annis & eò amplius Romæ, si vera sunt ea, quæ in Scripturis continentur. In hac ego aliquantulum sane hæsi, atq; etiamnum hæreo, ut cogar te, virum diligenter exercitatum in ratione temporum, libenter consulere & judicium tuum expectare. Solent hæretici cum pertinaciter & impudenter negant, Petrum unquam Romæ fuisse, levissima quædam objicere argumenta, ut quod Scriptura Canonica de Petri adventu in urbem nihil dixerit, quod Paulus scribens Romanis, eum non salutaverit, & his alias persimiles nugas: sed præsertim nituntur huic argumento, quod à ratione annorum vitæ Petri deducunt. Nos enim cum Damaso, Eusebio Cæsariensi, B. Hieronymo, Beda atq; aliis Ecclesiasticis Scriptoribus, Petrum Romam venisse secundo Claudii anno affirmamus, atque ab eo tempore Sedem suam ibi fixisse: deinde asserimus, Martyrio coronatum fuisse ultimo Neronis anno, tempus autem inter hos terminos definitum ad 25. annos & eo aliquid amplius pervenisse. Porro hæretici inter hæc axiomata disputantes, producunt Paulum, qui in Epist. ad Galat. tradit, à conversione sua, quæ accidit sub finem primi anni à Christo in cœlum assumto, per triennium in Arabia commoratum, ac venisse Hierosolymam, ut videret Petrum, mansisseque apud eum dieb. quindecim. Deinde post annos quatuordecim commemorat, se Hierosolymam ascendisse cum Barnaba & Tito ad Apostolos, inter quos Petrus erat, atque ibi quæstionem de legis Ceremoniis, an servandæ essent à gentibus, quæ Christi fidem amplectebantur, agitatam fuisse atque definitam. Porro si quatuordecim his annis addas tres priores, & annum illum, qui elapsus prope erat à Christo in cœlum assumto, usque ad suam conversionem, efficies summam 18. annorum: qui si detrahantur à 37. annis, qui fluxerunt à morte Christi usque ad Marytrium Petri, supersunt tantum anni 19. quomodo igitur Petrus potuit Romæ sedere 25. & eo amplius annis? Quod si respondeas, Petrum quidem Romæ fuisse ante illud Concilium Act. 15. celebratum, ad quod etiam Paulus ascendit, cum Barnaba & Tito, atque ad illud Petrum ex urbe Hierosolymam revertisse, expulsum à Claudio Imperatore, quem Judæos tumultuantes Christo impulsore ex urbe expulisse, autor est Suetonius: urgere poterunt hæretici negantes, Petrum Romam antea venire potuisse, argumento adducti, quod Agrippa Herodes Act. 12. Petrum vinctum duabus catenis in carcerem misit, & servavit post dies azymorum producendum ad supplicium. Hæc autem Historia Petri à vinculis liberati, & Herodis Agrippæ Regis infeliciter extincti incidit in annum tertium Claudii Imperatoris, hoc est, duodecimum à Christo in cœlum sublato, & septimum, hoc est, postremum annum Agrippæ, cui Josephus tantum septem annos tribuit lib. 2. antiq. cap. 7. nam à primo Caligulæ, quo accepit regnum, usque ad tertium Claudii, septem tantum anni computantur fluxisse. Erat igitur Petrus Hierosolymis anno duodecimo & anno decimo octavo: adde etiam anno decimo quinto, quo creditur B. Virgo in cœlum assumta. Nam anno sexto Claudii collocat Eusebius in Chronico assumtionem Virginis: illi autem interfuisse Petrum, docet Dionysius Areopagita cap. 3. de Ecclesi. Hierarch. Aderat, inquit, quoque Jacobus frater Domini & Petrus Theologorum Coryphæus & Princeps. Quando igitur potuit Romæ adesse, si duodecimo, decimo quinto, & decimo octavo Hierosolymis erat? Dicet aliquis, venit Romã ante duodecimum annum; sed id nequaquam dici posse probatur ex verbis, quæ ex Apollonio ad confutandos Cataphrygas producit Eusebius lib. 5. Histor. Ecclesi. cap. 18. dicens: Meminit autem & Thraseæ cujusdam Martyris, qui q. ex traditione priorum se accepisse asseruit, Salvatorem præcepisse Apostolis suis, ut ne ante annum duodecimum à Jerosolymis discederent. Hæc ibi: quod certe cum ratione videtur esse conjunctum, ut videlicet omnes Apostoli Ecclesiam Judæorum primum instituerent, rationemque & ideam fundandi Ecclesias apud Gentes Apostoli ipsi certo experimento addiscerent. Accedit his Martyrologium Romanum, quod 15. Julii anno duodecimo post ascensionem Domini, factam fuisse Apostolorum divisionem, tradit, ad verbum Dei in orbis plagas propagandum. Beda quoque pertractans illud verbum Act. 13. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos, hujus præcepti ad Apostolos facti meminit, dicens: Videtur Saulus juxta ordinem Historiæ tertio decimo post Domini passionem anno Apostolatum cum Barnaba, Paulique accepisse vocabulum. Quarto decimo autem anno juxta condictum Jacobi, Cephæ & Johannis ad Gentium magisterium profectum est: nec Historia Ecclesiastica repugnat, dicens, Apostolis fuisse præceptum, ut duodecim annis prædicarent in Judæa. Sic ille. Si igitur Petrus præceptum hoc Domini observavit, ante duodecimum annum profecto minime ad Evangelizandum gentibus profectus fuit. In hanc tamen traditionem seu Domini præceptum quædam facere videntur, mihi minime apud te silentio supprimenda &c.* Illis ordine expositis subjungit: *Quod si quis contendat cum Beda in Act. 13 Concilium illud Act. 15. coactum incidisse in annum 15. à morte Christi, quo etiam B. Virgo creditur in cœlos fuisse assumta, ut plerique tradunt: etiam hæc sententia suas patitur angustias. Nam inprimis illud Concilium celebratum est, Paulo ascendente Hierosolymam cum Barnaba & Tito. At hic ascensus, ut ipse Apostolus ad Galat. 2. tradit, fuit post decimum septimum annum à conversione sua, ut Hieronymus ad Galatas explicat, & post decimum octavum à Christo assumto. Deinde si liberatus à vinculis Herodis Regis, hoc est, anno duodecimo, evangelizandi gratia se statim contulit ad dispersos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ & Asiæ, ut docet Simeon Metaphrastes, quomodo potuit tam brevi temporis spacio tot provincias Evangelizando percurrere, & adesse Romæ secundo Claudii anno, cum solum duo anni effluxerint inter liberationem à vinculis Agrippæ, & adventum in urbem? Adhæc post illud Concilium Hierosolymis celebratum convenit Paulus Petrum Antiochiæ, quia reprehensibilis erat, ut ad Galat. 2. testatur, quod tamen non statim accidit, cum Paulus & Barnabas antea missi essent cum Sila & Juda in Antiochiam. Quod si distantiam locorum & urbium Hierosolymæ & Antiochiæ & Romæ cogites, si, quod Petrus in illo cum Paulo congressu non cursim aut raptim salutaverit Antiochenam Ecclesiam, sed multum ibi commoratus fuerit, adeo ut Jacobus ad illum ex Jerosolyma quosdam miserit, tanquam ad quem totius Ecclesiæ cura spectaret: si denique mente consideres, quod per alias Ecclesias, quas profecturus erat Romam, pro sua, qua fungebatur, autoritate & gravitate; & pro populi erga eum reverentia & devotione, moram aliquam trahere cogebatur: persuaderi (vix) possis, Petrum eodem anno, quo Concilium fuit congregatum, Romam pervenire potuisse; & ubi maxime id concedamus, quod eodem anno sub finem eò accessisset, ut minimum essent jam sexdecim anni à morte Christi usque ad ejus ingressum in urbem: quibus si addas viginti quinque, quibus sedit in urbe, efficies quadraginta & unum. Quod si Concilium celebratum fuit annis octodecim à Christo, & adjungas viginti quinque, efficies summam annorum quadringinta trium à cæde Christi ad Martyrium Petri. Rursus, si liberatio à vinculis Herodis fuit anno duodecimo post Christi ascensionem, accidit eodem anno, quo Agrippa extinctus fuit, id est, postremo anno ejus & tertio Claudii Cæsaris: prius ergo fuisset Romæ, & Sedem ibi suam fixisset, quod accidit secundo anno Claudii, ut omnes tradunt; quam fuisset liberatus à vinculis. Est & alia peculiaris ratio, qua probatur, Petrum Romæ fuisse ante initium imperium*

perium à Claudio, quia Philo disertissimus missus fuit ab Alexandrinis, legationis apud Cajum Caligulam ineundæ gratia: at illo tempore Philo cum B. Petro Romæ versatus est, ut autor est Eusebius libr. 2. Histor. Ecclesiast. c. 16. Quod si hæc vera sunt, fuit ergo Petrus ante duodecimum annum egressus è Jerosolyma & Judæa ad evangelizandum Gentibus, contra Dominicam illam traditionem.

Tandem concludit. *Non ignoro omnes hujus nodi dissolutiones, sed ego aliquid abs te planum, dilucidum & insigne expecto, quomodo scil. illi 25. anni solide ac vere sint computandi, ac quoto anno Petrus venit in urbem? &c.*

(Si potuisset Salmeron in hisce dubiis sibiipsi satisfacere, non recurrisset ad Tuccii judicium, unde etiam concedit, non posse statui, quod Petrus per annos 25. continuos Romæ substiterit.) *Non intelligo, inquit, perpetuo ibi* (Romæ Petrum) *hæsisse, sed ad tempus ibi versatum, & postea pro Apostolico munere suo diversas lustrasse provincias ac Romam rediisse.*

3. Quod agnoscunt, Apostolatum ab Episcopatu differre.

(Quia ergo constat, Petrum fuisse à Christo ad Apostolatum vocatum, ex eo sequitur, quod non fuerit proprie Romanæ urbis Episcopus.)

Claudius Espensæus in 1. Comment. 1. Timoth. *Apostolus ab Episcopo differt, ut docet Chrysostomus in Matthæum homil. 19. quia erant Apostoli omnium Ecclesiarum doctores, juxta illud Pauli: Mihi incumbit solicitudo omnium Ecclesiarum. 2. Cor. 11. Hic, scilicet Episcopus, per homines vocatur, certo loco præest, non sic Apostoli.*

Josephus Acosta lib. 5. de procur. Indor. salute cap. 21. *In militia Christiana duo sunt ordines, unus eorum, quia certo loco decertant, alter eorum, qui per omnia discurrunt & omnibus opem ferunt, quod militiæ genus Apostoli sibi sumebant, Episcopi suarum Diœcesium limitibus conclusi sunt.*

Salmero Disput. 4. in Epistol. rom. pag. 287 *Homines nullam talem Ecclesiasticam potestatem dare possunt, nedum Apostolatus supremam.*

(Ergo Papa non succedit Petro in Apostolatu, cum per homines ad Pontificatum evehatur. Bellarminus quidem lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 12. excipit, *Apostolatum Pontificis non habere in se inclusam immediatem vocationem, sed facultatem novarum Ecclesiarum condendarum, & summam potestatem in omnes Ecclesias.* Atqui absurdum est, velle rem integram habere, essentiali parte exemta.)

Idem Salmeron in Comment. 1. Timoth. 1. Disp. 2. §. Gravissime. *Gravissime peccant, qui nulla idonea & necessaria de causa longe absunt à gregibus suis &c. unde ait Alberstatensis Episcopus* (Haymo in 1. Corinth. 12) *ante annos quingentos scribens in illa Apostoli verba, Primũ posuit Deus Apostolos in Ecclesia: Qui vice Christi positi sunt in Ecclesia, sicut ait Apostolus; Obsecramus per Christum, hoc est, vice Christi reconciliamini Deo, horum vice surrogati sunt Episcopi. Sed Apostoli ex præcepto Domini compellebantur transire de regno in regnum. Episcopi vero suis in Ecclesiis autoritate Canonica residere jubentur ob utilitatem sibi commissorum.*

4. Quod in asserendo Romano Petri Episcopatu, ac in assignando tempore quo Petrus Romam venerit, non consentiunt.

Primo, Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 6. scribit, *Petrum ante quintum annum à resurrectione Christi non excessisse à Judæa;* addit etiam, *ipsum post hoc quinquennium elapsum profectum esse Antiochiam.* Onuphrinus vero in Addit. ad Platin. scribit, *ipsum ante nonum annum post Christi resurrectionem non excessisse è Judæa,* & addit, *eum post hoc novennium Romam adiisse.* Passionale dicit, *Petrum proximo post Christi passionem anno Romam venisse.*

Secundo, Bellarminus asserit, *Petrum quinque annos mansisse in Judæa, & septem annos sedisse Antiochiæ, atque iterum duodecimo anno à resurrectione venisse Romam.* Onuphrius vero dicit, *eum in principio anni decimi à Christi resurrectione Romam venisse.*

Tertio, Bellarminus Hieronymum secutus asserit, *Petrum anno secundo Claudii venisse Romam.* Orosius, *eum in principio Imperii Claudii Romam venisse.* Damasus in Pontificali, *cum Nerone Cæsare Romam ingressum,* Marianus Scotus, *eum non ante quartum Claudii annum Romam venisse,* quod ipsum etiam statuit Fasciculus temporum Eusebius lib. 3. Hist. cap. 1. asserit, *Petrum sub finem vitæ demum Romam venisse.*

Quarto, Onuphrius dicit, *Petrum non sedisse Antiochiæ, nisi post reditum ab urbe Romana.* Sed Bellarminus scribit, *hoc non esse probabile,* & aliquot argumentis id refellit.

(Excipit Bellarminus, *etiam de tempore mortis Christi non constare, nec tamen eam propterea negandam.* Resp. est ratio maxime dispar. Illam confirmant autores divinitus inspirati, sancti scil. Evangelistæ & Apostoli. Sed nullus eorum asserit, *Petrum per 25. annos Romanum Episcopatum administrasse.*)

Quinto, Bellarminus h. l. scribit, *Petrum, cum jam septem annis Romæ prædicaverat, rediisse Jerusalem & tunc factum esse Concilium Hierosolymitanum.* Sed lib. 1. de Conc. c. 19. §. Ego suspicor &c. reddens causam, quare Pontifex Romanus in propria persona non interfit Conciliis alibi quam Romæ celebratis sic scribit: *Non videbatur convenire, ut caput sequeretur membra, cum potius membra sequi debeant caput, itaq; propterea interfuit Papa Conciliis Romanis & quibusdam aliis, quæ ipse convocavit ad se, hoc est, ad locum, ubi ipse erat, non autem voluit neque debuit ire ad Concilia alibi congregata.*

Sexto, Bellarminus lib. dict. c. 8. scribit, *Paulum quando Coloss. ultimo dicit, Hi soli sunt adjutores mei, loqui tantum de suis domesticis, qui ei ministrare soliti erant, ut non possit ex eo probari, Petrum tunc non fuisse Romæ.* Verum hanc exceptionem eludunt ipsa Apostoli verba, prout à Bellarmino ibidem citantur. *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei.*

Septimo, Bellarminus libr. 2. de Rom. Pont. cap. 7. pacta illa conventa inter Petrum & Paulum Galat. 2. inita, ejusmodi fuisse, dicit, ut *Petrus prædicaret quidem omnibus sed principaliter Judæis: Paulus vero etiam omnibus, sed principaliter gentibus.* Atqui si Petrus se fecisset Episcopum Romanum, tum pacta illa violasset, quod absit. Constabat enim Ecclesia Romana præcipue ex gentibus, Judæis autem nullis, aut admodum paucis.

Octavo, Baronius tom. 1. Ann. 58. nu. 51. causam redditurus, cur Paulus in Epistola ad Romanos cap. ultimo Petrum non salutarit, si Romanæ Sedi præfuit, dicit, *potissimam ejus rei causam credi, quod Petrus edicto Claudii jam semel Roma cum Judæis pulsus, in Occidentem ad extremas orbis oras prædicationem Evangelii converterit, ibique tunc occupatus fuerit.* Sed Bellarminus lib. 2. de Pontifice Rom. cap. 7. Petrum in Orientem hoc tempore reducit, dicit enim, *tunc illum Roma in Syriam fuisse reversum.*

5. Quod agnoscunt, Episcopos Romanos non solum Petri, sed etiam Pauli Successores esse.

Utique ergo non μοναρχικῶς sed διδακτικῶς, non modo dominandi Politico, sed Ministerii Ecclesiastico, Rom. Ecclesiæ Petrus præfuit.

Johannes VIII. Epist. 37. & 186. tom. 1. Concil. pag. 2. profitetur, *se Episcopum Dei autoritate ac Petri & Pauli Apostolorum Principum.*

Idem facit Gregorius VII. sive Hildebrandus lib. 1. Epistol. 13. & 17. ac Epist. 34. homicidæ cuipiam remittit peccata *autoritate & vice Apostolorum Petri & Pauli.*

Idem lib. 9. Epist. 14. ait, *sibi vicem Apostolorum Petri & Pauli concessam, seque in illorum throno sedere.*

Apud Baronium tom. 10. Ann. 876. n. 13. & Ann. 968. n. 27. Pontifices dicuntur *Vicarii Pauli.*

Bellarminus lib. 1. de Pont. Rom. c. 27. §. 5. *Pontifices tam Petrum, quam Paulum prædecessorem & parentem agnoscunt, siquidem uterque Apostolus Ecclesiam Rom. fundavit & gubernavit, ut præter alios testatur Irenæus lib. 3. c. 3.*

In altari S. Petri in Missis solennibus inter 13. Apostolorum statuas *primus ponitur Paulus, & primus honoratur, quia ipsi Romanorum conversio maxime accepta referenda,* ut fatetur Baronius tom. 1. Ann. 68. num. 2.

Sed & Paulo potius quam Petro fundationem Ecclesiæ Rom. tribuendam, ostendit illud, quod post Paulum Linus & Clemens administrarint Ecclesiam Romanam, uterque enim fuit Pauli discipulus 2. Tim. 4. v. 21. Philip. 4. v. 3. Si Petrus melius de Rom. Ecclesiâ fuisset meritus, sique eam fundasset, procul dubio Ecclesiam à se ædificatam vel Marco, vel alii discipulo curandam reliquisset.

Erasmus in Præfat. Paraphr. Epist. ad Roman. *Amplectere Roma Principem aut certe præcipuum religionis tuæ Magistrum,* (Apostolum Paulum.)

Argum. Advers.

1. *Romana Ecclesia omnium consensu semper habita est prima & præcipua omnium aliarum. Non potest autem ulla ratio reddi hujus excellentiæ, nisi quia Princeps Apostolorum illius Ecclesiæ proprius Pastor & Episcopus fuit.* Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. capite 4.

Resp. 1. Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontif. Epist. 31. ad Mar-

Martinum Mayerum. *Ante Nicenam Synodum unusquisq́ sibi vixit, parvus respectus ad Romanam Ecclesiam habebatur.*

2. Bellarminus ipse agnoscit, argumentum hoc esse probabile tantum, non apodicticum. *Primum*, inquit, *suadere videtur ipsa summa dignitas Romanæ Ecclesiæ.* At quando *de summa rei Christianæ agitur*, ut Bellarminus Primatum Pontificis in Præf. lib. de Pont. appellat, non debent afferri argumenta suadentia sed cogentia; nec dispiciendum quid videatur, sed quid sit certum & immotum.

3. Bellarminus *circulum* in argumento committit. Antea disputavit, *Romanam Ecclesiam esse omnium primam & præcipuam, quia Petrus fuit illius Episcopus.* Hoc loco probat, *Petrum Romæ fuisse Episcopum, quia Romana Ecclesia est omnium prima & præcipua.*

(Veram causam, propter quam Ecclesia Romana habita fuerit prima ac præcipua, ostendit Concil. Chalcedon. c. 24. *τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην τοὺς πατέρας εἰκότως ἀποδεδώκεναι τὰ πρεσβεῖα.*

4. Bellarminus lib. 1. de Pont. Rom. c. 26. §. Ad alteram, concedit, *Ecclesiam Hierosolymorum esse matrem omnium Ecclesiarum, antiquitate & multis privilegiis insignem, ob Domini & Apostolorum præsentiam &c.*

Quia igitur mater, ideo prima & præcipua, unde paulo post addit Bellarminus, *Episcopatum Hierosolymitanum illo tempore fuisse nobilissimum, quo ex particularibus Episcopatibus nullus fuerit nobilior.*)

5. Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. c. 6. ad locum Cypriani, quem semper urgent Pontificii (in Epist. 55. ad Cornelium: *Navigare audent ad Petri cathedram atq́ Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.*) sic annotat: *Ne quis erret, nulla alia ratione Sacerdotalis ordo à Rom. Episcopo profectus esse dici potest, nisi apud Italos duntaxat id factum intelligatur, cum perdiu ante adventum Petri in urbem Romanam Hierosolymitanum Sacerdotium rite institutum fuisse, liquido liqueat.*

Huic annotationi eò pressius insistere possumus, quia Censores Lovanienses alia quædam ex hoc capite, unde desumta est, auferentes, eam intactam reliquerunt.)

2. Argum. *Si non fuit Petrus Episcopus Romæ usq; ad mortem, exponant adversarii, ubi Petrus sederit ab eo tempore, quo reliquit Antiochiam.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Bellarminus h. l. nobis tribuit, quod statuamus, *Petrum fuisse tantum alicujus particularis Ecclesiæ Episcopum*, ex qua hypothesi hoc argumentum fluit. At non ita statuimus, sed Petro, æque ac reliquis Apostolis, dicimus esse datum mandatum prædicandi omnibus gentibus, adeoque totius orbis doctorem & Apostolum fuisse constitutum.

2. Onuphrius in Addit. ad Platinam dicit, *Petrum Roma Antiochiam profectum esse.* Ergo Petri cathedra non Antiochia Romam, sed Roma Antiochiam fuisset translata.

3. Bellarminus docet, *Petrum anno secundo Claudii Romam venisse.* Concilium Hierosolymitanum, cui Petrus interfuit, celebratum fuit anno 9. Claudii, post illud Concilium Paulus Antiochiæ reprehendit Petrum Galat. 2. v. 14. & tamen Anacletus Epistola 3. Marcellus Epistola 3. Innocentius Epist. 14. dicunt, *Petrum non sedisse Antiochiæ post reditum ab urbe Roma.* Sicut ergo Petrus Antiochenam Ecclesiam potuit fundare, cum tamen non esset proprius Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, ita quoque Romanam Ecclesiam una cum Paulo fundare potuit, licet non fuerit proprius Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

CAPUT IV.

De Successione in Sede Petri.

THesis. Pontifex Romanus non est verus Petri Successor.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de successione temporis*, sed *de successione muneris*, & quidem ejusmodi muneris, quod *Monarchicum* in Ecclesiam *dominatum* includat.

2. Non est quæstio de primis Romanæ urbis *Episcopis*, an illi officio docendi Petro successerint. Ut enim alii Episcopi, ita quoque Romanus Episcopus successit Apostolis in officio docendi. Cyprianus lib. 4. Epist. 9. *Christus loquitur ad Apostolos & per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt.*

3. Sed quæstio est de *Pontificibus* Romanis, qui progressu temporis abjecto docendi munere, Monarchicam in universam Ecclesiam potestatem sibi arrogarunt, prætextu cujusdam successionis in Sede Petri Papali.

Antithesis. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. c. 12. *Pontifex Romanus succedit Petro non solum in Episcopatu Romano, sed etiam in universæ Ecclesiæ Primatu.*

Ibid. *Romanum Pontificem Petro succedere in Pontificatu Ecclesiæ universæ, probatur ex jure divino & ratione successionis.*

Quinimo tantum deferunt huic successioni, ut Symmachus Pont. c. Non nos. dist. 40. dicat, *In Papa si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci Prædecessore præstantur*, ubi Glossa annotat, *Petrus fecit Papam hæredem bonitatis suæ.*

Nostram sententiam probamus,

1. *ex Papalis potestatis à Petro remotione.* Quod Petrus non habuit, aliis dare non potuit; quod Petrus nunquam sibi arrogavit, in eo nemo potest ipsi succedere, si quidem *nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse obtinet.* Atqui Petrus Monarchicum in Ecclesiam dominatum non habuit, nec unquam eum sibi arrogavit, ut in cap. præc. 2. & 3. ostendimus. Ergo in Pontificem Rom. tanquam Successorem suum eum transferre non potuit.

2. *ex sufficienti enumeratione.* Pontifex Romanus non succedit Petro in officio, nec in doctrina, nec in vita. Non *in officio*, quia Petrus fuit Evangelii præco; Pontifex Romanus docendi officium in aliorum humeros à se rejecit. Petrus à dominio civili penitus abstinuit; Pontifex est Dominus temporalis. Petrus fuit doctor omnium Ecclesiarum per universum orbem, præditus Apostolica potestate ubivis locorum docendi & Ecclesias fundandi; At Romanus Pontifex non habet potestatem ubivis docendi, sed gregem sibi commissum pascendi, 1. Petr. 5. v. 2. cum Apostoli non ordinaverint Apostolos, sed Pastores. Non *in doctrina*, ut mutua collatio ostendit. Petrus docet, *quod non sit in alio quoquam salus, nec sit aliud nomen datum, in quo oporteat homines salvos fieri, quam nomen Jesu* Act. 4. v. 12. Pontifex Romanus docet, *salutem non esse quærendam in solo Christi merito, sed in meritis Sanctorum, in meritis ac satisfactionibus propriis, in votis Monasticis, in Papalibus indulgentiis.* Petrus docet, *in nomine Christi accipere remissionem peccatorum omnes, qui crediderunt in eum* Act. 10. v. 43. Pontifex Romanus docet, *peccata post Baptismum commissa redimi operib. bonis, nec sola in Christum fide obtineri remissionem peccatorum, sed requiri etiam proprias satisfactiones.* Petrus docet, *solum Christum esse lapidem angularem & fundamentum Ecclesiæ* 1. Ep. 2. v. 6. *ἀρχιποίμενα* & *Episcopum animarum nostrarum* v. 25. Pontifex Rom. seipsum vocat *fundamentum, caput, universalem Episcopum & Sponsum Ecclesiæ.* Petrus jubet, ut Christiani *subjecti sint omni humanæ creaturæ*, i. e. Magistratui civili, qui tunc temporis adhuc erat Ethnicus 1. Epist. 2. v. 13. At Pontifex Rom. vult, *omnes Reges & Principes sibi esse subjectos, Clericos omnes ab obedientia Magistratui debita exemit*, docet, *Christianos non posse tolerare Regem infidelem vel hæreticum.* Petrus docet, quod Christus *pertulerit peccata nostra super lignum* 1. Epist. 2. v. 24. quod Paulus Hebr. 10. v. 14. sic explicat, *una oblatione consummavit in æternum sanctificandos.* Sed Pontifex Romanus docet, quod *Christus quotidie in sacrificio Missæ incruento modo pro peccatis nostris immoletur.* Petrus docet, Baptisma esse *stipulationem bonæ conscientiæ cum Deo per resurrectionem Jesu Christi* 1. Epist. 3. v. 21. ac licet Christum abnegaverit; tamen erigit se consolatione ex fœdere in Baptismo inito petita. *Baptisma*, inquit, *nos salvos facit.* Sed Pontifex Romanus docet, *si quis post perceptum Baptismum in peccata prolabatur, illum non posse etiam post seriam conversionem ex Baptismi fœdere consolationem petere.* Petrus jubet, ut, qui *in Ecclesia loquitur, loquatur tanquam eloquia Dei.* 1. Epist. 4. v. 11. ac fideles unice remittit ad *Propheticum* & Apostolicum *sermonem* 2. Epist. 3. v. 2. Sed Pontifex Romanus traditiones *ἀγράφους pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo recipiendas esse*, decernit. Petrus prohibet, ne Pastores *dominentur Clero* 1. Epist. 5. v. 4. Sed Pontifex Romanus *dominium* sibi arrogat non solum super *homines in terra*, sed etiam *super Angelos in cælo*, quibus in Bullis suis mandare non veretur. Petrus prohibet, ne Pastores gregem sibi commissum *turpis lucri causa pascant.* ibid. Sed in regno Papæ omnia auro sunt venalia.

Ignis, thura, preces, cælum venale, Deusque! Petrus docet, *Diabolo resistendum esse fide* 1. Epist. 5. v. 9. Sed Papa Romanus docet, *Diabolum fugari aqua lustrali, benedictis cereis, signaculo crucis.* Petrus docet, *vocationem & electionem nostram posse fieri firmam*, 2. Epist. 1. v. 10. Sed Pontifex Romanus docet, *de gratia Dei ac pecca-*

peccatorum remissione, adeoque etiam de electione esse perpetuo dubitandum. Petrus finem bonorum operum statuit eum, ut per illa ex fide facta tanquam infallibilia testimonia *vocationem & electionem nostram firmam facimus*, ibid. Sed Pontifex Romanus bona opera *causam meritoriam justificationis & salutis* statuit. Petrus prohibet, ne fideles *attendant doctis fabulis*, sed unice Dei verbo 2. Epist. 1. v. 16. Sed Pontifex Romanus fabulosos libros quamplurimos, Conformitates Francisci, Legendas Sanctorum, Decretales Pontificum canonizavit. Petrus commendat Scripturæ firmitatem & perspicuitatem 2. Epist. 1. v. 19. *Habemus*, inquit, *firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso.* Sed Pontifex Romanus Scripturas arguit obscuritatis, earumque autoritatem & *αὐθεντίαν* unice ab Ecclesia pendere asserit. Petrus requirit, ut etiam Laici, quos ita vocant, *sermoni Prophetico attendant*, ac proinde etiam Prophetarum scripta legant, ibid. Sed Pontifex Romanus *Laicos à Scripturæ lectione arcet*, ac quæ scripta Petrus Ecclesiæ reliquit & in illis de necessariis fidei articulis nos instruxit, ea propter Pontificis prohibitionem multi non audent legere. Quæ ergo potest esse doctrinæ Petrinæ & Papalis convenientia? Nec *in vita & moribus* Pontifex Romanus Petro successit. Petrus dicit Act. 3. v. 6. *aurum & argentum non habeo.* Sed nec illius fuit appetens. Sed in Pontificis Romani ærarium opes totius mundi confluxere. Petrus vixit in humilitate, exhibuit se omnibus ministrum, passus est se ab Apostolis ablegari Samariam Act. 8. v. 14. Sed Pontifex Romanus dominium super omnes Episcopos sibi arrogat, ac Bellarminus lib. 1. de Conciliis c. 19. de ipso scribit, *Non convenit, ut caput sequatur membra.* Petrus Simonem arguit, quod *existimaret dona Spiritus sancti pecunia vendi emive posse*, Act. 2. v. 20. Sed in Curia Romana dominatur Simonia, vendit Papa *Cardinalatus, Episcopatus, Indulgentias, Dispensationes &c.* Petrus non permittit, ut Cornelius ad *pedes suos procidat* Act. 10. v. 25. Sed Pontifex Romanus præcipit, ut *quando in sella portatur, omnes coram se procidant, oscula pedum à Regibus & Principibus admittit, quin & Imperator Romanus cogitur stapedem tenere, si Papa equitare velit.* Petrus æquo animo patitur, *se à Paulo reprehendi* Galat. 2. v. 14. Sed Pontifex Romanus à *nemine vult judicari*, c. Si Papa. dist. 40. Petrus vixit *in conjugio* Matth. 8. v. 14. 1. Cor. 9. v. 5. Sed Pontifex Romanus damnat *conjugium Clericorum.* Petrus improbat, si *quis luxurietur in eleemosynis* 2. Epist. 2. v. 13. Sed quid Canonicatus aliud sunt, quam *eleemosynæ majorum*, in quibus hodie multi luxuriantur? Petrus fuit pius, sanctus, castus, honestus. At quot Pontifices fuere impii, scortatores, cœdium & bellorum autores! Apud Nicephorum lib. 13. Hist. cap. 28. cum Arsacium indoctum, indignum & delirum senem in Chrysostomi Sede collocatum vidisset Simeon, exclamavit statim *Proh pudor! Quis cui!* Eodem modo de Papa in Petri cathedra sedente exclamemus merito licet, *Proh pudor; Quis cui;* Rectissime enim scribit Aonius Palearius Verulanus in action. adv. Rom. Pontif. test. 18. *Pontifices Romani exempliæ vitæ Petri quæ ex Actis Apostolorum colliguntur, minime sunt imitati. Doctrinā vero, quam ex Apostoli hujus scriptis habemus, ita passim proculcaverunt & everterunt, ut Petri eversores potius, quam successores sint appellandi.*

3. *ex paritatis ratione.* Petrus non solum Romæ, sed etiam Antiochiæ docuit; nec Romanam solum, sed etiam Antiochenam fundavit Ecclesiam. Quod si ergo Romanus Episcopus esset Petri in Monarchia Successor, propterea quod Petrus Romanam Ecclesiam fundavit, utique etiam Antiochenus Episcopus se pro Petri in Monarchia Successore gerere potuisset, propterea quod Petrus Antiochenam Ecclesiam fundavit.

4. *ex Petri statu & conditione.* Petrus habuit immediatam Spiritus sancti assistentiam, ut, quicquid protulerit, fuerit Spiritus sancti oraculum; fuit immediate vocatus, potestatem habuit Antiochiæ & Alexandriæ Successores ordinandi, instructus fuit dono linguarum & miraculorum &c. Nullum horum competit Romanis Pontificibus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, successionem *personalem & localem* nihil valere absque successione *doctrinali.* (Ergo si vel maxime Pontifex ratione *personæ ac loci* esset Petri Successor, illud tamen nondum sufficeret, ut pro vero ac genuino Successore agnosci posset, nisi etiam eandem cum Petro doctrinam se tenere probaret.)

Claudius Taurinensis Episcopus circa Annum Christi 810. in Chron. Saxon Abbatem Theodemirum sic compellat: *Nec illud moror, quod ais, Apostolicum, (ita nempe Pontificem appellas,) mihi ob hoc succensere. Statuo enim. Apostolicum esse, non qui Sedem Apostolorum, sed qui eorundem potius officium & doctrinam amplectitur. Nam & Pharisei & Scribæ & pessimi quique hypocritæ Mosis, optimi Prophetæ, cathedram occuparant, cum inde nihil minus, quam vera Mosis præcepta docerent.*

c. Multi. dist. 40. ex Chrysostomo. *Multi Sacerdotes & pauci Sacerdotes. Multi nomine, pauce opere. Videte ergo, quomodo sedeatis super cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, injuriam facit cathedræ, ideoq; malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.*

(Hoc congruit cum eo, quod habetur 2. Macc 5. v. 19. *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.* Librum illum Pontificii habent pro Canonico, proinde hoc dictum efficaciter illis opponi potest.)

c. Non est facile. dist. ead. ex Hieronymo. *Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.*

c. Nos qui præsumus. dist. ead. ex Gregorio. *Nos, qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, non urbium* (Romæ, Carthaginis, Constantinopoleos) *claritate, sed fidei puritate.*

c. Non loca dist. ead. ex eodem Gregorio. *Non loca vel ordines creatori nostro proximos faciunt, sed ei nos merita bona jungunt, aut mala disjungunt.*

c. Hæc est fides. caus. 24. q. 1. ex Hieronymo ad Damasum. *Tu Petri Sedem & fidem tenes.*

(Utrumque ergo esse debet conjunctum; tenere Petri Sedem & fidem. *Non enim Petri hæreditatem habet, qui fidem Petri non habet*, ut loquitur Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 6.)

Walthramus Episcopus Naumburg. in lib. de Investit. Episcop. circa An. 1076. *Non omnes sunt Petrus, qui tenent Sedem Petri. Sic Scribæ & Pharisæi, qui sederunt super cathedram Mosis, non omnes fuerunt Moses. Elatio enim ex prælatione & indiscretio ex correctione pariunt scandalum & confusionem.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 58. §. 9. *Non loca, sed merita nos Deo conjungunt: non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.*

Stapletonus in relect. princip. fidei controv. 1. de Eccles. q. 4. art. 2. agnoscit *nullam esse veram successionem absque vera doctrina.*

Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. c. 8. §. Quarto scribit, *hæresiarchas fere omnes, aut Episcopos, aut Presbyteros fuisse.* Jam vero ut idem scribit

Lib. 4. de not. Eccles. cap. 8. §. Nota secundo. *Non sunt veri Episcopi, nisi qui successionem habent ab Apostolis.*

(Ergo illi, qui habent successionem ab Apostolis, possunt fieri hæresiarchæ. Ostendit hoc res ipsa. Paulus Samosatenus hæresiarcha in Ecclesia Antiochena successit Apostolis. Successit in illa Ecclesia, in qua docuerunt celeberrimi Apostoli, Barnabas & Simeon, qui vocabatur Niger, & Lucius, imo in qua etiam Apostolus docuerat Act. 11. v. 26. Successit in illa urbe, in qua, ut scribit Baronius tom. 1. Annal. Anno Christi 39. *Petrus Apostolus ipse Episcopus fuit & Sedem Antiochenam erexit, eique per septennium præfuit.* Nestorius & Macedonius hæresiarchæ successerunt in Ecclesia Constantinopolitana Apostolo Andreæ, qui Ecclesiam Bizantinam fundavit, ut memorat Nicephor. lib. 8. Chron. cap. 6. Georgius Cappadox Arianus successit in Ecclesia Alexandrina Marco Evangelistæ. Ergo successio localis absque successione doctrinali nondum est vere Apostolica successio. Si excipere velint, *aliam esse rationem successionis in Sede Romana, cum ea successionem doctrinæ esse indivulso nexu conjunctam*, petunt principium & contradicunt illis, qui Pontifices quosdā Romanos hæresi imbutos fuisse concedūt.)

Idem Bellarminus lib. 4. de Ecclesia c. 8. §. Adde. *Omnes Ecclesiæ Patriarchales per longa tempora Episcopos manifeste hæreticos habuerunt, ac proinde interrupta est apud illos veterum Pastorum successio.*

(Atqui de Romana Ecclesia idem demonstrari potest, quod habuerit Episcopos manifeste hæreticos. Vid. lib. 1. p. 2. cap. 2. Ergo successio est interrupta.

Idem

Idem lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 6. §. Ad quintum. *Templa sæpe ab hæreticis occupabantur, cum Catholici in cryptis & desertis versabantur.*

(Ergo successio loci absq; successione doctrinæ nihil valet.)

Pazmannus in Hodeg. l. 9. cap. 12. ad argumentum nostrum (quod Græca Ecclesia successionem Episcoporum Constantinopolitanorum monstrare possit usque ad Apostolum Andream, Niceph. d. l. cum tamen Heissius in Disc. 3. q. de Ecclesf. p. 30. & Costerus in Enchirid. cap. 3. Græcos vocent schismaticos & hæreticos;) respondet, *Græcos, terminos vocationis suæ transgressos esse, novum cudentes errorem de processione Spiritus sancti ac aliis de rebus, ideo non posse gloriari de legitima Episcoporum successione.*

(At hac ratione conceditur, fundamentum *successionis localis* esse *successionem in doctrina*, quæ ante omnia demonstranda, alias frustraneæ sunt omnes de locali successione gloriationes. Quamprimum igitur demonstratur, Pontifices Romanos Apostolicæ doctrinæ terminos esse transgressos, ac novos errores procudisse, statim quoque demonstratum est, ipsos non esse veros Apostoli Petri Successores.)

Claudius Espensæus Episcopus in Comment. Epistol. ad Timoth. Digress. lib. 2. p. 290. *Photius homo profanus Ignatio legitimo Patriarchæ per autoritatem Pseudo-Synodi substitutus erat.*

Idem lib. 3. Digress. pag. 360. *Legere est egregiam Catholicorum ab exilio reversorum erga Arianos, quos in Ecclesiis suis præfectos repererunt, animi moderationem & humanitatem, qua suos Episcopatus Arianis pari potestate administrandos concesserunt, modo orthodoxam pietatem amplecterentur.*

Rayhingius adhuc Pontificius in Excubiis contra D. Meisnerum p. 16. *Habet Græca Ecclesia quidem seriem, si potestas ordinis spectetur, non diffitemur: sed ejusdem doctrinæ prædicationem cum majorib. communem & ab iis deductam, quæ tamen series maximi ad veram Ecclesiam demonstrandam momenti est, non habet.*

2. Quod quidam agnoscunt, Pontifices Romanos, nec *in doctrinæ puritate*, nec in *vitæ sanctitate* Petro vere succedere, in quibus omnino succedere deberent, si veri Successores esse vellent; nec in *Monarchica potestate*, quam Petrus non habuit, nec exercuit, ei succedere posse.

Bernhardus lib. 4. de consid. ad Eugenium col. 1035. *Petri Sedem tenes, qui nescitur aliquando processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. In his non Petro, sed Constantino successisti.*

Idem Epist. 237. *Verus Successor Pauli dicet cum Paulo, non dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri; Petri heres audi Petrum dicentem, non ut dominantes in Clerum, sed forma facti gregis.*

Matthæus Paris in Hist. Anglica. *Anno Domini 1247. tepuit devotio fidelium & filialis affectus caritatis, quem quilibet Christianus adversus patrem nostrum spiritualem, videlicet Dominum Papam, gerere teneretur, non sine animarum periculo læsus deperiit, imo & in odium execrabile & maledictiones occultas est conversus. Videbant enim omnes & singuli, & videntes sentiebant, ipsum Dominum Papam pecuniæ & pecuniarum rapinis in multorum damnum & depauperationem insatiabiliter inhiare. Nec credebant jam multi, ipsum potestatem B. Petro concessam cœlitus, videlicet ligandi & solvendi, obtinere, qui penitus B. Petro dissimilis probabatur. Resolutum est igitur os iniqua loquentium & obloquentium ubique locorum, & præcipue in Francia, in qua multi nobiles in ipsum Papam & Ecclesiam, quod nunquam meminimus evenisse, conspirabant.*

Idem: *Anno Domini 1240. quidam quasi honestæ vitæ ac severæ vir habitum & gestum prætendens Ordinis Carthusiensis, captus est apud Cantabrigiam, nolens intrare Ecclesiam aliquam. Super quo deliramento requisitus, cum secus, quam deceret, respondisset, arctiori custodia reservabatur, ita quod post paucos dies sequentes transmissus est ad Legatum, in turri Londinensi recludendus. Palam enim asseruit, Gregorius (nonus) non est Papa, non est caput Ecclesiæ, sed aliud est caput Ecclesiæ. Ecclesia prophanata est, nec debent in ea divina celebrari, nisi reædificata fuerit. Vasa & vestimenta ejus reconsecranda sunt. Diabolus solutus est, Papa hæreticus. Polluit Ecclesiam, imo mundum Gregorius, qui Papa dicitur. Et præsentibus & audientibus multis Magistris, dixit Legatus illi deliranti, Nonne concessa est desuper potestas Domino Papæ solvendi animas atq; ligandi, ut vices B. Petri exequatur in terris? Et cum omnes expectarent, quid responderet, credentes judicium ab hac sua responsione dependere, ait sub interrogatione & non sub assertione, Quomodo possem credere, quod cuidam Simoniali & usurario, & forte majoribus facinoribus involuto concedatur talis potestas, qualis concessa fuit B. Petro, qui immediate factus est Apostolus & secutus est Dominum, non tantum incessu pedum, sed virtutum claritate. Ad quod verbum erubuit (Papæ) Legatus.*

Petrus de Vineis Friderici II. Imper. Rom. Cancellarius, circa Annum 1240. lib. 1. Epist. Epist. 1. inter cætera contra Pontif. Rom. sic scribit: *Qui Christi Vicarius diceris, & Petri Successor etiam humilis piscatoris, cur accensus furore refugis id, pro quo Rex omnium induit formam servi. Dic, rogo, quid resurgens à mortuis dixit primo discipulis ille Magister omnium Magistrorum? Non, inquit, arma & scutum sumite, nec sagittam vel gladium, sed pax vobis. At quid gloriaris in malitia, qui solus in orbe ditaris fraude & dolo? quid aliud nisi pacem dicit hymnus Angelicus & tertius Agnus Dei? vel quid ille mirabilis Regis æterni filius, corporali præsentia discessurus, tunc reliquit discipulis, cum redit, unde venit? Certe pax & dilectio sunt principaliter illa duo, quæ teneri voluit post discessum. Ergo si Christi Vicarium & Petri te asseris Successorem, à Christi prorsus & Petri tramite non discedas, sed actus concordent actibus, & Campanus inhæreat Galilæo. Istud autem satis & merito turbat Christi fidelium puritatem, quod Petrus relictis omnibus & reti sequi, Christo vocante, voluit viam vitæ, qui tanquam omnia possidens & nil habens, ad thesaurum cœlestis patriæ semper ardentius aspirabat. Tu vero nil prorsus habens, omnia autem possidens, quæris semper, quid devores & deglutias, nec sedare potest aliquando totus mundus tui ventris ingluviem, quia tibi non sufficit orbis terræ. Petrus autem Apostolus, ut legitur, ad portam veniens speciosam, nec argentum, nec aurum habeo, dixit claudo. Tu vero si forsan incipit acervus pecuniæ, quem adoras, minui, statim cum claudo claudicas, quærens anxie, quæ sunt mundi. Sed qui, Christo jubente, prædicas tanquam Pastor Ecclesiæ paupertatem, cur refugis, quod hortaris, quærens semper, ut cumules aurum auro? In hoc ergo non restat aliud, si non dormis, nisi ut summi Pontificis prorsus prædicatio contemnatur. De cœlo namq; si bene recolis, descendit linteum super Petrum, cui, surge, macta & comede dictum est, dum oraret, qui tamen immunda noluit manducare, dura quamvis esset esurie stimulatus: tu vero ad hoc vivis, ut comedas, in cujus vasis & scyphis aureis scriptum est, Bibo, bibis &c. Dic rogo, quid est hoc, quod curabat, ut legitur, infirmos à validis morbis umbra Petri? Tu vero tanquam vir sanguinum ad hoc solum invigilas, ut facta strage viventium sanguis innoxius effundatur &c.*

Marsilius Patavinus in Defens. pacis Ann. 1324. scripto part. 2. c. 16. p. 204. *Quod si Apostoli B. Petrum tanquam sibi Episcopum elegissent, aut principaliorem, propter ipsius ætatem & sanctitatem acquisitam excellentiorem, ut habetur ex quodam Anacleti Papæ decreto in Isidori Codice contento, cujus series est: Cæteri vero Apostoli cum eodem, scilicet Petro, pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; Principem eorum esse voluerunt; non tamen ex hoc sequeretur, quod ipsius Successores in Romana Sede, vel alia, si alibi fuit Episcopus, hanc prioritatem habeant super aliorum Successores, nisi à reliquorum Successoribus eligerentur ad hoc, majoris enim virtutis fuerunt aliqui Successores aliorum quibusdam Successoribus Petri, quamvis proprie quilibet Episcopus indifferenter sit Successor cujuslibet Apostoli, quantum ad officium, licet non locum. Rursum, cur magis hoc conveniret Successoribus ejus in Sede Romana, quam in Antiochena vel Hierosolymitana, vel alia, si Episcopus in pluribus extitisset? Amplius, quilibet Episcopus, quantum ad intrinsecam dignitatem, inseparabilem scilicet, indifferenter Successor est cujuslibet Apostoli, & ejusdem meriti sive perfectionis, quantum ad dignitatem prædictam, sive characterem, quoniam omnes hunc habent eundem ab uno efficiente sive datore secundum numerum immediate, videlicet à Christo, non ab eo, qui manus imposuit. Neque refert, quis Apostolorum manus imposuerit. Unde 1. Corinth. 3. Nemo in hominibus glorietur, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas &c. vos baptizaverit, vel aliter manus imposuerit, non refert. Unde subdit, Vos autem Christi estis, id est, interius signaculum habetis à Christo. Ubi glossa. Vos autem Christi, non hominum, in creatione vel recreatione, quæ fit per Sacramenta, supple. Amplius, propter manuum impositionem Romanus Episcopus non est, aut dici potest singulariter B. Petri Successor, quoniam Romanum Episcopum esse convenit, cui non imposuit manus B. Petrus, nec mediate, nec immediate. Nec rursum propter Sedem, sive loci determinationem, primum quidem, quia nullus Apostolorum lege divina determinatus fuit omnino ad populum aliquem vel locum, nam omnibus dictum est, Euntes docete omnes gentes. Amplius, quoniam Beatus Petrus prius legitur Antiochiæ fuisse, quam Romæ. Rursum, quoniam, si Roma fieret inhabitabilis, non propterea periret Petri successio. Adhuc,*

Adhuc, quia neq; lege divinâ, neq; Scripturâ, quenquam de necessitate salutis ad sui credulitatem invitante, convinci potest, per Christum aut Apostolorum aliquem, vel ipsorum Collegium fuisse statutum, Episcopum alicujus determinatæ Provinciæ sive Diœcesis debere vocari, vel esse, Petri aut alterius Apostoli singulariter successorem, cæterisq; priorem, esto quantumcunq; Apostolos autoritate impares extitisse, sed ille vel illi magis sunt aliquo modo B. Petri & reliquorum Apostolorum successores, qui vitæ & ipsorum sanctis moribus amplius conformantur. Tales enim responderent B. Apostoli, fore successores suos interrogati de his, instar Christi eorum magis qui Matth.12. respondens dicenti sibi, Mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te, ait: Quæ est mater mea & fratres mei? Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est. Quis ergo Episcoporum aut Sacerdotum magis meretur Apostolorum dici successor? is certè, qui eos amplius operibus & moribus imitatur. Quòd si dicatur, Episcopum aliquem eò fieri B. Petri singulariter & principaliter successorem, quia per Romanum clerum aut per ipsum cum reliquo populo ad Episcopatum eligitur, & eò fieri Episcopum universalis Ecclesiæ, quanquam specialiùs civitatem Romanam respiciat, quamdiu extiterit ipsa, dicendum, quòd, quamvis hoc dictum multiplices possit pati calumnias, unico tamen modo sufficienter repelli potest, quoniam ex sacra Scriptura convinci non potest, sed oppositum magis, propter quod eâdem vel consimili facilitate, quâ dicitur, negari potest.

Pag.206. *Per Scripturam probari nequit, Romanos Episcopos successores esse singulares B. Petri, propter sedis sive provinciæ determinationem, sed propter hoc potiùs eos, qui sederunt aut sedent in Episcopali Antiochena sede, quàm Romanos &c. Cùm enim per Scripturam evidenter constet, Paulum Romæ fuisse biennio, & ibidem omnes suscepisse gentiles converti volentes, ibidemque prædicasse, constat, ipsum fuisse Romanum Episcopum specialiter, eò quòd ibidem officium Pastoris exercuit, autoritatem hujus habens à Christo, & revelatione mandatum, & Apostolorum aliorum electione consensum. De beato verò Petro dico, per Scripturam sacram convinci non posse, ipsum fuisse Romanum Episcopum &c.*

Pag.208. *Quod autem omnium maximè attendendum propter propositum principale est, quoniam etsi aliquæ sint congruentiæ, propter quas appareant quomodocunq; singulariter vocati successores B. Petri, successoribus aliorum reverentiores, & præcipuè in Episcopali sede Romana, nulla tamen, ut eisdem subjecti credantur secundùm aliquam potestatem jam dictam aliorum Apostolorum successores, sacræ scripturæ necessitas vocat. Esto adhuc, Apostolos autoritate impares extitisse. Non habuit ergo B. Petrus aut Apostolus alter virtute verborum scripturæ super alios potestatem instituendi aut deponendi, neque quantum ad Sacerdotalem dignitatem, quam essentialem diximus, neque ad eorum missionem seu determinationem ad locum aut populum, neque ad scripturæ seu fidei Catholicæ interpretationem, neque quantum ad coactivam cujusquam in hoc seculo jurisdictionem. Unde per necessitatem sequi videtur, quòd nec virtute verborum scripturæ successor aliquis ipsorum alicujus singulariter quomodocunque vocatus in successores reliquorum aliquam supradictarum habeat potestatem.*

Magister Alofresant vates ex Insula Rhodo circa Annum 1394. de Pontificibus Romanis sic scripsit: *Qui neque Christi, neque Apostolorum opera exercent, quis unquam tales reliquit successores & Vicarios? tempus igitur putationis advenit.*

Richardus Samson Cicestrensis Episcopus sic scripsit: *Pontifex ait, se Petri successorem esse, & ab hac successione autoritatem accepisse. Si adesset D. Petrus, negaret planè & in hunc mendacem haud dubiè exclamaret: O quantum mutatus ab illo! O virum ambitiosum, avarum, superbum, arrogantem! An non docuit Magister meus humilitatem? nihil minùs arrogavit sibi Petrus, quàm ejusmodi primatum, quem exercuit nunquam, & ideò non exercuit, quia nunquam accepit.*

Joannes Hussus lib. de Ecclesia cap.9. fol.212. *Si jam dictis virtutum viis,* (videlicet fidei, humilitatis & caritatis) *incedit vocatus Petri Vicarius, credimus, quod sit verus ejus Vicarius & præcipuus Pontifex Ecclesiæ, quam regit. Si verò vadit viis contrariis, tunc est Antichristi nuncius, contrarius Petro & Domino Jesu Christo. Unde B. Bernhardus lib.4. ad Eugenium ita scribit: Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multâ circumdatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum magis quàm ovium pascua hæc sunt. Non sic factitabat Petrus, vel Paulus ludebat. Et sequitur: Pastorem te populo aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus sedem tenes, te neget heredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, vel vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus ministris, absque his tamen credidit, satis posse implere salutare mandatum, Si amas me, pasce oves meas. In his non successisti Petro, sed Constantino. Hæc Bernhardus. Novit iste sanctus, quod Eugenius Papa debuit esse Vicarius in paupertate & humilitate, non in fastu, sed pastu ovium, sequens Petrum. Nam illius est homo verus Vicarius, cujus vicem gerit, & à quo procuratoriam potestatem legitimè accipit. Sed nemo verè & Christo acceptabiliter gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia est sequela pertinens, nec aliter nisi sub illa conditione recipit à Deo procuratoriam potestatem. Et ideo ad tale officium Vicarii requiritur & morum conformitas, & instituentis autoritas. Et hinc Salvator commendans in Cœna novissima institutionem Sacramenti venerabilis & discipulos constituens Vicarios ad hoc, ut sic facerent in suam commemorationem, dixit Joh.13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis. Et Matth.5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Lib. ejusd. c.14 fol.223. *Quia Vicarius debet gerere vicem superioris, à quo accepit vicariam potestatem, ergo oportet, quod immediatiùs illi, cujus vicem gerit, in operibus conformetur. Nam alias potestas in eo frustraretur. Tunc ex illo formatur argumentum: Illius est homo vicarius, cujus vicem gerit & à quo procuratoriam potestatem legitimè accipit. Sed nemo verè gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela est pertinentior, nec aliter à Deo recipit procuratoriam potestatem. Igitur ad id vicarium officium requiritur & morum conformitas & instituentis autoritas. Si ergo Papa est homo humilimus, mundanos honores & lucrum seculi parvipendens, si est Pastor trahens à pastu verbi Dei nomen, de quo pastu Petro dixit Dominus, pasce oves meas, Joh.21. Si pascit oves verbo & virtutum exemplo, factus forma gregis ex animo, ut docet Petrus 1. Epist.5. Si est mitis, patiens, castus & in ministerio Ecclesiæ laborans anxiè & solicitè, arbitrans omnia mundi temporalia ut stercora: tunc sine dubio est verus Vicarius Jesu Christi, manifestus Deo & hominibus, quantum ad judicium externum sensuale. Si autem vivit istis virtutibus contrariè, cum non sit Christi communicatio ad Belial 2.Cor.6. Et qui non est mecum, contra me est, ait Christus Matth. 12. quomodo est verus & manifestus Christi, vel Petri Vicarius? & non magis Antichristi Vicarius, obvians Christo in moribus & vita? Unde Christus Petrum, dum fuit sibi in voluntate & verbis contrarius Matt.16. post promissionem dationis clavium, vocavit Satanam, hoc est, adversantem, dicens: Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Si ergo Petrus primus Christi Vicarius ab ipso electus & Ecclesiæ spiritualiter deputatus, vocatus est à Christo Satanas, quia ex affectu dilectionis carnalis dissuadebat ei mortis subire supplicia, cur alius in vita Christo amplius contrarius non diceretur verè Satanas, & per consequens Antichristus, vel ejus Vicarius, vel minister præcipuus Antichristi?*

Et postea. *Augustinus docet, quod veri Vicarii Petri sunt justi, & Judæ Scariothis sunt Vicarii mali, & præsertim Sacerdotes avari, hypocritæ & blasphemi. Ambrosius dicit 22. q. ult. Mendacium est, se Christianum dicere & opera Christi non facere. Mendacium namq; est, Episcopum, Sacerdotem vel Clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari, & 2. q.1. Omnes Prælati non pro Prælatis habentur. Nomen enim non facit Episcopum, sed vita. Et dist.4. sub rubrica. Non est verè Sacerdos, qui nominatur Sacerdos. Et Chrysostomus, Multi Sacerdotes & pauci Sacerdotes. Ecce ex his & aliis positis ostenditur, quòd non est Papa manifestus & verus successor Principis Apostolorum Petri, si vivit moribus contrariis Petro, & si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Scariothis, qui amavit mercedem iniquitatis, vendens Jesum Christũ.*

Georgius Haymburgensis JCtus (qui floruit circa tempora Concilii Basiliensis, quod inceptum Anno 1434.) in Confutatione primatus Papæ part.2. ejusmodi antithesin inter Christum & Pontificem Romanum instituit. 1. *Christus regnum mundanum exclusit: Vicarius illud ambit.* 2. *Christus regnum fugit oblatum: Vicarius se ingerit, ut habeat negatum.* 3. *Christus se negavit constitutum secularem judicem: Vicarius præsumit judicare Cæsarem.* 4. *Christus se subdit Cæsaris Vicario: Vicarius Christi se præfert Cæsari, imò toti mundo.* 5. *Christus appetentes primatum reprehendit: Vicarius de primatu etiam cum tota Ecclesia contendit.* 6. *Christus die Palmarum in asino equitasse legitur: Vicarius*

pomposo equitatu non contentus est, nisi dextra strepa ab Imperatore teneatur. 7. Christus discordes Judæos & gentes in unum regnum Ecclesiasticum congregavit: Vicarius Germanos olim concordes sepè seditionibus conturbavit. 8. Christus innocens patienter injurias pertulit: Vicarius reus Ecclesiæ & Imperio injuriari non cessat.

(Ex quo infert, Pont. Rom. nec verum Christi Vicarium, nec verum Petri successorem esse.)

Circa Annum 1466. in Æquicolis in oppido Pola quidam docuerunt, *nullum esse verum Christi Vicarium ex illis, qui post Petrum Pontifices fuere, nisi qui paupertatem Christi imitati sunt.* Platina in vita Pauli II.

Fulgosus in Histor. *Cum ad Sixtum IV. Pontificem Romanum in locum Pauli II. à Cardinalibus suffectum pleriq; ex ordine Minoritarum (cui addictus erat) gratulabundi accederent, ita sane accidit, ut Franciscus Arragonius illi inprimis olim familiaris accederet. Qui cum palatii magnitudinem, pompamq; & ejus ornatum maximè admiraretur, ut non dubitarit Sixtus argentea illi pocula aureamq; supellectilem omnem liberius ostentare, quin etiam illud addere, Petrum & Paulum Christi Apostolos nequaquam hæc ipsa ornamenta ostensuros; tunc pari libertate usus dixit, nec tu quidem Pontif. Maxime, Petri successor, claudicanti dicere poteris, surge & ambula.*

Autor oneris Ecclesiæ c. 19. §. 3. *Si Christus super alios Apostolos Petrum & forte ejusdem Petri successores super alios Sacerdotes præposuerit, quemadmodum proditur in Dialogo Catharinæ Senensis c. 115. tamen hoc fecit ob Petri præcipuam fidem, humilitatem & caritatem. Ideo successoribus Pontificibus, nisi essent ejusmodi, talem præeminentiam non præsumitur attribuisse, neq; super eos ædificasse suam Ecclesiam universalem, quæ simpliciter pendet à Christo, qui est angularis lapis & fundamentum ipsius Ecclesiæ. Ephes. 2. Quid quod Papa incedit deauratus, gemmatus, vario ornatu decoratus, milite stipatus, equo albo vectus, aut à ministris in altum portatus. Hæc sunt magis Dæmonum quàm ovium pascua, ubi non est pastus ovium, sed fastus hominum, ibi non Petro, sed Constantino succeditur. Nam illius quivis est Vicarius, cujus vicem gerit & quem in moribus sequitur. Hieronymus nempe ait: Non est facile stare in loco Petri ac Pauli, & tenere cathedram regnantium cum Christo, quia hinc dicitur, Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Qui bene sederit super cathedram, honorem facit cathedræ. Qui malè sederit, injuriam facit cathedræ. Non enim locus Pontificis, sed vita & mores sanctum faciunt Pontificem.*

Theodoricus à Niem, qui vixit in aula quinque Paparum, intimus eorum scriba & tandem Episcopus Verdensis factus, in tract. de Schismate. *Papa maleficus & Ecclesiam scandalizans reverà proprie non potest dici Christi Vicarius, qui Christi opera & mandata non sequitur, nec observat, in detrimentum maximum omnium Christianorum, & sic non Papa, sed bestia magis proprie appellatur, qui enim à ratione deviat, non homo, sed animal irrationale jure censetur. Et talis existens Papa videtur etiam esse Tyrannus potius quàm Dei minister, & ideo propter ejus demerita sit omnibus despectior, & ut indignus à tanto regimine sanctissimo removetur, quia malus Sacerdos non dicitur Sacerdos, & malus Episcopus non est Episcopus. Hoc probare videtur autoritas Evangelii, ubi Petro dicitur conditionaliter, Si diligis me, pasce oves meas, ex quo infertur, quod, qui non diligit Deum; scilicet, si est Simoniacus, adulter, vel alias publicus peccator incorrigibilis, non meretur esse, nec est verus Pastor ovium, sed mercenarius, sive lupus, quia boni & veri Pastoris officium non exercet, & ideo poterit & debet per alios judicari.*

Ibid. *Ex hoc* (continuatione scil. Simoniæ in Curia Romana) *apud veteres multum vilescit & vituperatur Papalis autoritas & diffamatur, unde quidam Imperator dixit, illum esse Christi Vicarium & Petri successorem ac dispensatorem fidelium animarum indignum fatemur, non ob dignitatis injuriam, sed ob personæ defectum, qui dispensationes cum fratrum deliberatione maxima faciendas in camera sua more mercatorum existens ipse bullator, scriptor & forsan numerator solus perfecit. Et talis fuit sine verecundia ante dictus Bonifacius* (nonus.)

Erasmus in Adagio. Sileni Alcibiadis. *Pontifices nunc sunt Vicarii Julii Cæsaris, Alexandri Magni, Xerxis, Crœsi.*

In Tractatu cui titulus, Threni Jeremiæ mysticati, seu lamentationes Germanicæ Nationis A. 1526. *O Petre Apostole, si jam viveres, vix campanator fieres. Si autem Papa jam esses, quam opulentus esses! oporteret te rursus negare Christum pauperẽ & deponi.*

Imperatori vel Duci Moscoviæ Magno cum Possevinus persuadere vellet, ut abjecta Græca fide Pontifices Romanos coleret, Moschus in maximo Procerum consessu respondit, *se non in Græcos, sed Christum credere. Omnes Apostolos Christum prædicasse, sed nullum ex illis fuisse majorem: Petrum & alios Pontifices sanctos se agnoscere, at verò qui eos secuti sunt, quia improbe vixerunt, quonam modo Petro succedere, aut eadem autoritate in Petri sede residere potuerint, non videre; Pontificem Romanum Pastorem non esse, quia crucem Christi pedibus apponit, in sella se gestari & tanquam adorari sinit.* Possevinus in Moscov.

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. sub tit. Elenchus abusuum Curiæ Romanæ. *Dispiciatur, num Christianismum deceat, ut Apostoli Petri successor ita se per omnem vitam gerat, ut appareat, eum nihil minus esse quàm quod dicitur, num successorem humilimi piscatoris hominum diadema plusquàm regium deceat? num conveniat, ut per urbem ministrorum humeris tanta pompa, strepituq; ac splendore gestetur, ac si ostentaret, seipsum esse Deum, elatus contra supraq; omne, quod dicitur numen &c. Num post Christum & hunc crucifixum, supremum Ecclesiæ sub Sole caput, æquum sit, ut patiatur suos deosculari pedes ac manus, nec simpliciter pedes, sed sanctissimos pedes?*

Baronius A. 1061. refert ex Historiis, *S. Petrum in forma terribili Papæ cuidam apparuisse, atq; ei, quod balsamum suo altari destinatum vendidisset, elato brachio colaphum vehementem incussisse.*

(At quomodo ausus fuit Petrus, Papæ successori suo colaphum impingere, si *Papa jure successionis potestate Petro par est?* ut disputat Bellarminus lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 12.)

3. Quòd quidam agnoscunt, Episcopum Romanum Petro in sede Papali non succedere jure divino, nec posse illam successionem ex scripturis probari, nec præeminentiam illam sedi Romanæ esse præcise alligatam.

Nicolaus Cusanus Cardin. lib. 2. de Concord. Cath. c. 13. *Si Ecclesiæ ita visum est statuere, Trevirensis Episcopus Episcopo Romano præesse possit.*

Ibid. *Si per possibile Trevirensis eligeretur pro capite Ecclesiæ, ille propriè plus successor esset B. Petri, quam Romanus Episcopus. Non enim successio ex loco arguit successionem in principatu.*

Thomas de Vio Cardin. Cajetanus tract. 2. de compar. Pont. & Conc. c. 22. fatetur, *non Evangelicam institutionem causam esse ob quam Romanus Pontifex Petri successor esse debeat, sed appropriationem Rom. Ecclesiæ.*

Concilii Basileensis Patres (fatente Staplet. lib. 13. doct. princ. c. 15.) statuerunt, *ut Episcopus Romanus Petro succederet, esse tantum ex jure Ecclesiastico.*

Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses, verbo Papa. *Non possum silentio præterire, quæ B. Rhenanus de hac re loquens, ait: Is enim in quodam argumento, quod præfixit libro Tertulliani de præscriptionibus hæreticorum, innuit, se sentire, Romanum Pontificem non esse à Deo institutum superiorem cæteris Episcopis, & hanc dicit esse sententiam Tertulliani in illo libro,* (quo nomine Alphonsus eum ibidem perstringit.)

Idem tamen ille Alphonsus lib. 1. contra hæres. cap. 9. aliquid asserit, quod hypothesin de successione Pontificis Romani in sede Apostolica non mediocriter labefactat. *Quamvis*, inquit, *teneamur ex fide credere, verum Petri successorem esse supremum totius Ecclesiæ pastorem, tamen non tenemur eadem fide credere, Leonem aut Clementem esse verum Petri successorem.*

(At nisi hoc posterius etiam fide eadem credamus, labascit tota successionis structura.)

Franciscus Suarez libr. 3. Defens. fidei Cathol. c. 13. §. 5. *Solum Romanum Episcopum esse verum successorem Petri, & potestatem Petro datam ad oves Christi pascendas in illo perseverare, assertio certa & Catholica fide tenenda est. Nam licet expresse & in propriis terminis in sacra scriptura non legatur, in principiis tamen in illa revelatis virtute continetur, quod per Ecclesiam sufficienter est declaratum.*

Et paulò post. *In qua sede vel Episcopatu relicta fuerit hæc success. & person. series, in hac dignitate succedentiũ, scriptura non retulit.*

(Quod virtualiter in scriptura continetur, potest per legitimam interpretationem sine additione alterius principii probandi ex scriptura deduci. At quod Romanus Episcopus sit Petri in primatu & pastoratu Oecumenico successor non potest per legitimam interpretationem sine additione alterius principii probandi ex scriptura deduci. Ergo quod Romanus Episcopus sit Petri in primatu & pastoratu Oecumenico successor, virtuali-

tualiter in ſcriptura non continetur. Fruſtrà igitur addidit Suarez, *licet expreſſe & in propriis terminis hoc dogma in ſcriptura non legatur, tamen in principiis in illa revelatis virtute contineri.* Unde etiam aſſertioni ſuæ ipſemet contradicit, quando paulò poſt ſubjungit: *In qua ſede vel Epiſcopatu relicta fuerit Oecumenici ſucceſſio & perſonar. ſeries, in hac dignitate ſuccedentium, ſcriptura non retulit, quia Hiſtoria Canonica N.T. uſq; ad mortem Petri non pervenit. Ideoq; ut Eccleſiæ certo conſtet, in tali Sede impletam eſſe & hactenus impleri inſtitutionem à Chriſto factam & in ſcriptura revelatam, ſatis eſt, ut applicatio illius inſtitutionis & dignitatis ad talem Epiſcopatum per evidentem traditionem & continuum ac notiſſimum uſum eidem Eccleſiæ ſufficientiſſimè proponatur.* Hæc Suarez, in quibus notandum, quod propoſitionem hanc quartam iis, quæ ſufficienter in ſcriptura continentur, non per additionem aliquam, ſed per legitimam ejuſdem ſcripturæ interpretationem, de quibus in præcedentibus egerat, c.13.n.5. ſignanter contradiſtinguat. Quando enim continuo ſubdit, *in qua autem Sede vel Epiſcopatu relicta fuerit Oecumenici ſucceſſio &c. Scriptura non retulit,* illud vi oppoſitionis ſic intelligendum videtur, quod nec ſufficienter, nec per legitimam interpretationem id retulerit ſine additione alterius principii probandi. Idipſum videtur Jeſuita ipſemet agnoſcere, quando ad fi.n.6. poſtquam ad traditionem provocaverat, ait: *Hoc ergò modo dicimus, aſſertionem poſitam eſſe de fide, & in ſcriptura Eccleſiæ traditione adjuncta ſufficienter contineri.* Atqui quamprimum Eccleſiæ traditio ἄγραφος ſcripturæ adjungitur, cadit aſſertio, quod *virtute in ſcripturis contineatur, Rom. Pontificem in primatu Oecumenico Petro ſuccedere, quodque ſine additione alterius principii probandi ex ſcriptura hoc deduci poſſit.*)

Melch. Canus lib.6. Loc. Comm. c.2. Primò dicit, *etiam Catholicos nonnullos imprudenter inficiatos eſſe, Rom. Sedem eſſe eam, ubi Petri & ſoliditas & autoritas Deo autore collocata ſint.* Deinde cum jus divinum producendum eſſet, *Locum,* inquit, *arduum explanaturi, teſtibus primùm id faciemus &c. Ordiar autem ab ipſis ſummis Pontificibus, Anacletus, Evariſtus, Alexander &c.* (At hac ratione prætermiſſis ſcripturis teſtes domeſticos & quidem fidei maximè ſuſpectæ profert.)

Lib. ejuſd. c.8. reſp. ad arg. 10. §. Deinde &c. *illud magnoperè advertendum eſſe,* ait, *Rom. Pontificem Petro ſuccedere, non eſſe per ſe quidem in S. literis revelatum, ſed aliunde conſtare.* Et poſtea. *Ex Evangelio nihil aliud proximè colligitur, quàm Petri ſucceſſores eundem habere cum Petro principatum. Si huic Evangelicæ concluſioni illam addas, Epiſcopum Rom. eſſe Petri ſucceſſorem, quam ex Hiſtoriis, à traditione virorum graviſſimorum accepimus, manifeſtò colligitur, Rom. Epiſcopum & cæteris Epiſcopis ſuperiorem eſſe, & eandem habere in Eccleſia poteſtatem & autoritatem, quam habuit Petrus. Quòd ſi ſententia hæc noſtra minus viris doctis fuerit probata, habemus adhuc aliam rei explicandæ formam. Diximus quippe retrò, fidem noſtram non ſolùm ſcripto, ſed etiam traditione contineri, ita, licet Rom. Epiſcopos Petro ſuccedere, in S. literis non habeatur ſcriptum, tamen ab Apoſtolis Eccleſiæ, quaſi per manus traditum eſt.* (Fatetur ipſe Canus, quod concluſio non ſit juris divini, ſi principia talia non ſunt. Atqui Pontif. Rom. Petro ſuccedere nõ poteſt probari ex ſcriptura. E. non eſt juris divini.)

Dominicus à Soto in 4. ſent. diſt.24. c.2. art.5. apud Greg. de Valentia l.7. Analyſ. c.12. exiſtimat, *rationem ſucceſſionis jure Eccleſiaſtico tantum annexam eſſe Epiſcopatui Romano, & proinde fieri poſſe autoritate Eccleſiæ, ut Petri ſucceſſor Rom. Epiſcopus non ſit: quia cum Chriſtus Petrum univerſalem paſtorem inſtituebat, nulli eum certæ ſedi addixit, neq; aliunde inſtitutio Chriſti circa hoc ſatis conſtat. Quare videtur potius totum hoc reliquiſſe Chriſtus diſpoſitioni Eccleſiæ, ut ſcil. illa pro ratione circumſtantiarum ac temporum variè ſtatuere poſſet de conditione perſonæ eligendæ.*

Eund. Domin. à Soto, docentem, *jure ſolum Eccleſiaſtico ſucceſſionem Epiſcopatui Rom. annexam eſſe,* perſtringit idem Greg. de Valentia tom.3. col.275. ac ſubjungit col.276. *Mihi videtur ea opinio in re tam gravi nimium eſſe ſingularis, nec verò ſatis tuta.*

Stapletonus lib.13. de doctr. princ. c.15. *Patres Conſtantienſis Concilii putabant, primatum Pontificis Rom. non jure divino niti, ſed tantum poſitivis Eccleſiæ Decretis.*

(Excipit quidem Bellarm. lib.1. de Conc. c.7. *Concilium hoc, quantum ad primas ſeſſiones, ubi definit, Concilium eſſe ſupra Papam, reprobatum eſſe.* Sed non poteſt inſtrumentum publicum ex una parte repudiari, ex altera acceptari. Quod ſi ergo Concilii hujus judicio nos ſtare vult Bellarm. in controverſia *de tranſſubſtantiatione,* de *communione ſub una ſpecie,* imò in hac ipſa controverſia *de ſucceſſione Rom. Epiſcopi in Oecumenicam Petri juriſdictionem,* pro qua ſeſſ. 8. & 15. hujus Concilii allegat lib. 2. de R.P. c.13. utique etiam ſeipſum Concilii legibus & Decretis ſubjiciat. Cum enim Calvinus adverſus Sanctorum invocationem Concilii III. Carthaginenſis teſtimonio pugnaſſet, Bellarminus lib.1. de ſanct. beat. cap.18. eum jubet *ex teſtimonio hujus Concilii etiam libros Maccabæorum in Canonem admittere,* addita ratione, *quia dicendum non ſit, eos Patres in uno ſapere, in altero delirare.* Quod ſi ergo Bellarmino ſapuerunt Patres Conſtantienſes in ſententia *de tranſſubſtantiatione,* de *communione ſub una ſpecie,* & de aliis articulis latâ, utique non delirârunt, quando Romanum Epiſcopum *non jure divino, ſed humana conſtitutione Petro ſucceſſiſſe,* crediderunt, *& ſe habere à Chriſto immediatè poteſtatem, cui quilibet cujuscunque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire teneatur, in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & membris,* quod bis repetitur à Concilio ſeſſ.4. apud Binnium f.849. & ſeſſ.5. p.850.)

Bellarminus lib.2. de Roman. Pontif. c.12. §. Ut autem, *Aliud eſt ſucceſſio, aliud ratio ſucceſſionis. Nam ſucceſſio Romani Pontificis in pontificatum Petri ex inſtituto Chriſti eſt. Ratio autem ſucceſſionis, quâ Romanus Pontifex potius quàm Antiochenus Epiſcopus, vel aliquis alius ſuccedat, ex facto Petri initium habuit. Succeſſio, inquam, ipſa ex Chriſti inſtituto & jure divino eſt, quia Chriſtus ipſe inſtituit in Petro pontificatum duraturum uſque ad finem mundi, & proinde quicunq; Petro ſuccedit, à Chriſto accipit pontificatum. At verò quòd Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione.*

(Si ex facto Petri, & non ex Chriſti inſtitutione ortum habuit, quòd Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, quâ veritatis ſpecie dici poteſt, quod *ſucceſſio Romani pontificis in pontificatum Petri ſit ex inſtituto Chriſti?* In *ſenſu abſtractivo* forte dici poſſet, *ſucceſſionem alicujus* in pontificatum Petri eſſe ex inſtituto Chriſti, ſi vel maximè ex hypotheſi daretur, Petro Monarchicam poteſtatem à Chriſto eſſe datam, ſed *in ſenſu concretivo* dici nequit, *ſucceſſionem Romani pontificis* in pontificatum Petri eſſe ex inſtituto Chriſti, quia fatente ipſomet Bellarmino, *ratio illa ſucceſſionis, quâ Romanus Pontifex potius quàm Antiochenus Epiſcopus vel aliquis alius ſuccedat, ex facto Petri ortum habuit & non ex Chriſti inſtitutione.*)

Ibid. §. Obſervandum ſecundo &c. *Tametſi fortè non ſit de jure divino, Romanum pontificem, quia Romanus pontifex eſt, Petro ſuccedere in præfecturam totius Eccleſiæ, tamen ſi quis abſolutè petat, an jure divino Romanus pontifex paſtor ſit & caput totius Eccleſiæ, omninò id eſt aſſerendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, niſi ut ſucceſſio ſit de jure divino, hoc eſt, ut ordinarium officium Eccleſiam univerſam cum ſumma poteſtate gubernandi non ſit ab hominibus, ſed à Deo immediatè inſtitutum.*

(Etiam hæc ſunt ἀσύςατα. Si enim firmiter credi debet, Romanum pontificem jure divino eſſe paſtorem & caput totius Eccleſiæ, non ſufficit, ex jure divino probari, *aliquem Epiſcopum* Petro in præfectura totius Eccleſiæ ſuccedere, ſed determinatè & definitè ex jure divino probari debet, *Romanum Epiſcopum* eſſe illum ipſum, qui Petro in præfectura totius Eccleſiæ ſuccedit. Sicut non ſufficit, probare, Meſſiæ promiſſo competere ſummum totius Eccleſiæ regimen, & quidem jure divino; ſed oportet etiam probari & credi, Jeſum Nazarenum eſſe illum in Vet. Teſt. promiſſum, & in Nov. exhibitum Meſſiam, cui ſummum totius Eccleſiæ regimen jure divino competat. Et ut proprius accedamus, Bellarminus non judicavit ſufficere, ſi probaſſet *aliquem Apoſtolorum* à Chriſto conſtitutum Eccleſiæ Monarcham, ſed conatus fuit definitè & in ſpecie probare, *Petrum* eſſe illum ipſum Apoſtolum, cui Chriſtus vicarias ſuas partes commiſerit, ipſumque Monarcham Eccleſiæ conſtituerit. Agnoſcat igitur, pari ratione non ſufficere, ut probetur, *aliquem Epiſcopum* jure divino Petro in præfectura totius Eccleſiæ ſuccedere, ſed probari inſuper debere, *Romanum Epiſcopum* eſſe illum ipſum, cui jure divino competat, eſſe Petri ſucceſſorem, quod cum fateatur ex jure divino probari non poſſe, agnoſcat, ſe hactenus nihil egiſſe.)

Ibid. §. Obſervandum tertiò. *Licet fortè non ſit de jure divino, Romanum pontificem, ut Romanum pontificem, Petro ſuccedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinet. Non enim eſt idem, aliquid eſſe de fide, & aliquid eſſe de jure divino. Nam non fuit de jure divino, ut Paulus haberet penulam, eſt tamen hoc ipſum de*

fide, Paulum habuisse penulam. (Nimirum, quia Paulum habuisse penulam est veritas in scripturis revelata. Probet igitur Bellarminus ex scripturis, *Pontificem Rom. esse illum ipsum, qui Petro in Monarchia Ecclesiastica successerit*, & libenter admittemus illud esse de fide, licet non sit de jure divino. Sed hic agnoscit Bellarminus ἀδυναμίαν, subjungit enim:) *Etsi autem Romanum Pontificem succedere Petro non habeatur expresse in scripturis, tamen succedere aliquem Petro deducitur evidenter ex scripturis, illum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex traditione Apostolica Petri, quam traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta & Patrum consensus declaravit.* (Hic Bellarminus victas dat manus, & fatetur, se non posse *ex scripturis* probare, quòd Rom. Pontifex sit ille ipse, qui Petro in Monarchia successit, sed hoc tantum haberi *ex traditione* in Conciliis, Pontificum Decretis & Patrum consensu declarata. Quomodo igitur potest esse *de fide*, quòd *ex tabulis fidei*, hoc est, ex scripturis sacris probari nequit? *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Prophetas aut Apostolos revelavit, aut quod evidenter inde deducitur*, scribit Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei, cap. 9. Probet igitur, per Prophetas vel Apostolos hoc esse revelatum, quod Romanus Episcopus sit Petri in Monarchia successor, & fidem ipsi habebimus.)

Idem lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. §. At secundùm. *Neque scriptura, neque traditio habet, Sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri non possit.*

Idem §. Penultimò. *Marcellus & Leo Pontifices non definiunt hanc rem* (quod Sedes ex Roma transferri non possit) *tanquam de fide, sed narrant, ut Historiam. Non sunt autem de fide pontificum narrationes, sed solum decreta.*

§. Ultimò. *Etiamsi constaret, Christum imperasse Petro, ut Romæ Sedem collocaret, non tamen continuò sequeretur, jussisse, ut eam immobiliter ibi collocaret. Quoniam ergo non constat, quomodo Christus jusserit Petro, ut Romæ Sedem collocaret, ideò non est de fide, divino & immutabili præcepto Romæ Sedem esse constitutam, sed tamen est probabilissimum & piè credendum.*

Alphonsus Mendoza in Controvers. Theol. q. 4. p. 291. & seqq. latissimè disputat, *utrum Sixtus V. qui tunc Pontifex erat, Papatum Romanum ab Episcopis Romanis ademtum conferre & annectere Salmanticensibus possit?* pro decisione format tales conclusiones. Prima hæc est: *Non videtur esse de jure divino, quòd Papa sit Romanus Episcopus. Licet sit de jure divino, quòd in Ecclesia sit unus Monarcha in spiritualibus, Christi Vicarius & Petri successor, tamen quòd iste supremus pontifex sit potius Romanus Episcopus, quàm Salmanticensis aut Toletanus, non videtur ad jus divinum pertinere, sed ad humanum. Probatur primò, quia, ut habet Thomas quodlib. 4. art. 13. lex nova nulla alia habuit divini juris præcepta, nisi moralia, naturalia, & articulos fidei & Sacramenta. Sed sic est, quod Papam sedere Romæ, ad aliquod illorum non pertinet, ergò nec pertinet ad jus divinum. Quòd si dixeris, id, quod ex divina habetur traditione, & est ab Apostolis divinitus promulgatum, etiam constituere jus divinum, resp. Tametsi perpetua sit traditio, quòd Papa Romæ sedeat, at non est divina traditio, nec ab Apostolis divinitus promulgata, sed est Apostolica traditio, de genere illarum, quas Apostoli propriâ autoritate instituerunt, quæ non sufficiunt ad condendum divinum jus. Secundò, nihil ad jus divinum pertinet, quod non contineatur in sacra Scriptura, aut sit Divina traditio, aut ex altero horum deducatur per rectam ac legitimam consequentiam. Sed Papam Romæ sedere, nec expresse, nec latenter & tacite habetur in scriptura, nec ex his, quæ in ea continentur, deduci potest, etiam per multas & quales consequentias, nec est divina traditio. Ergo non est de jure divino. Confirmatur ex verbis, quibus Petro promissa est & collata potestas Matth. 16. & 18. Joh. 21. in quibus nulla Romæ aut alterius particularis loci mentio facta est, in quo pontificatus figeretur, sed id D. Petri ac successorum judicio relictum est.* Secunda conclusio est: *Quamvis de jure divino esset, quod summus pontificatus esset Romæ, adhuc tamen ex magna & urgentissima causa dispensari per Ecclesiam aut per solum Papam posset, ut aliò transferretur & alteri annecteretur Ecclesiæ.* Tertia conclusio: *Si sanctissimus D. N. Sixtus Pontifex maximus totam vellet suæ plenitudinem potestatis exerere, posset Apostolicam Sedem ab Ecclesia Romana removere, eamque alteri admoveret Ecclesiæ.*

(Quòd si ergò non est de jure divino, quòd *Papa sit Romanus Episcopus*, utique etiam ex eo, quòd Petrus Romanam Ecclesiam fundavit ac Romæ mortuus est, probari nequit, Romanum Episcopum peculiari modo, videlicet in Monarchia Ecclesiastica, esse Petri successorem, aliàs Romano Episcopatui successio illa necessario & indivulso nexu adhæreret.)

Inde Cornelius à Lapide in Apocal. cap. 17. fol. 238. memorat, *Antonium Cordubensem, Casparem Cassalium, Thomam Waldensem & plures alios apud Mendozam Scholast. controv. q. 4. concl. 3. consentientes invicem in hoc esse, quod Episcopa Oecumenica possit à Romano Episcopatu separari, ideoque Romanus Episcopus, quà Romanus, non sit Oecumenicus.*

Illis adjicere debuisset Joh. Gersonem Cancellarium Parisiensem, cujus quale judicium fuerit de jure Romani Episcopi, constat ex Censura Cardin. Cajetani opusc. 1. cap. 8. *Dum audimus*, inquit, *Gersonium & socios, viros doctissimos, Papatum retinere & tueri, sciamus profectò, id ab eis verbis tantum dici, non ex animi sententiâ, & ad vitanda scandala, ac ne majores adhuc turbæ in Ecclesia excitarentur.*

Denique ipsimet Pontificii pro deroganda reliquis Apostolis pari cum Petro potestate negativè ex scripturis argumentantur hoc modo: *Scriptura non memorat, reliquis Apostolis dictum esse, pasce oves meas, sed soli Petro, igitur non reliqui Apostoli, sed solus Petrus est pastor Oecumenicus.* Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 14. *Dictum est Petro, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non verò aliis. Igitur hi non sunt petra Ecclesiæ, sed solus Petrus.* Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3. Sanderus lib. 6 de visib. Monarch. f. 167. 171. 186. &c.

(Concedant ergò nobis, ut eâdem argumentandi formâ sic concludamus: Nullum jus divinum dicit, Pontificem Romanum Petro succedere in primatu Monarchico & Oecumenico. Ergò Pontifex Romanus non succedit Petro in primatu Monarchico & Oecumenico.)

4. Quod agnoscunt, de proximis Petri in Sede Romana successoribus nihil certi constare; (cùm Tertullianus lib. de præscript. & Hieronym. lib. 1. in Jov. post Petrum ponant *Clementem*, quæ sententia Juris Canonici Decretis est conformis; Optatus Milevitanus lib. 2. advers. Parmenian. post Petrum ponat *Linum, Clementem* autem faciat tertium; Irenæus lib. 3. cap. 3. post Petrum ponat *Linum*, post hunc *Cletum*, & *Clementem* ponat quarto loco; ut sic non solùm *ratione originis*, sed etiam *ratione continuationis* successio illa sit incerta.)

Abbas Urspergensis in Chron. *De successione Romanorum Pontificum & ordine atque tempore eorum jam inde à principio & deinceps in plurimis diversa sentiuntur à diversis, quorum opiniones hic summatim scribere, ideò arbitror non esse absre, ut & segniores & negligentiores mei similes ad veritatem rei attendendam excitentur, & prudentiores ad hanc subtilius investigandam provocentur. Quidam scribunt, quibus & Ecclesiastica consentire videtur Historia, Linum post passionem Petri Apostoli Romanæ Sedi 25. annis præsidentis hanc regendam suscepisse, & post duodecim sui regiminis annos secundo Titi anno pontificatū Anacleto reliquisse, & hunc item post duodecim annos Clementi Sedem tradidisse, quod videtur anno Domitiani duodecimo contigisse, ipsumque Clementem post novem sui pontificatus annos sub Trajano passum, Evaristum quarto ejusdem Trajani anno successisse, huic Alexandrum, illi verò Sixtum & sic cæteros. Alii verò scribunt, Linum & Cletum sub Petro fuisse, ipsumque Petrum, mox ut pontificatum accepit, Linum pro se in Agendis Ecclesiasticis, quò ipse liberius prædicationi vacaret, ordinasse, illoque post annos duodecim decedente Cletum huic surrogasse. Quo etiam item post annos duodecim defuncto, eo anno & tempore, quo ipse Petrus passus est, scilicet decimo quarto Neronis anno, Clementi Sedem commisisse, & eisuisq; successoribus ligandi solvendique potestatem, sicut ipse Christus susceperat, demum tradidisse, & huic passo sub Domitiano Anacletum successisse, cui Evaristum, & huic Alexandrum, sicque cæteros. Quæ descriptiones cum sibi multum dissona probentur, quærendum, cui magis credi judicetur. Consideremus ergò earum inæqualitates. Igitur si Linus Anacletum, isque Clementem successorem reliquisse accipitur, ut prior descriptio testatur, Cletus omninò de pontificum catalogo excluditur, cujus veneratio per omnes Ecclesias sic celebris est, ut non solum in Martyrologiis attituletur, verùm etiam in Canone Missarum & in supplicationibus Letaniarum publicitus inter Linum & Clementem recitetur. Si verò post Linum Cletus, deinde Clemens, & post hunc Evaristus & Alexander numerentur, locus non habetur, ubi Anacletus recipiatur, cùm Beda in Martyrologio suo dicat, hunc quartum post Petrum sedisse, & sub Domitiano passum fuisse, ut primus sit Linus, secundus Cletus, tertius Clemens, quartus Anacletus.*

cletus. Sed si post Clementem Anacletus ponatur, & secundum Bedam sub Domitiano passus recipiatur, necessariò illud refellitur, quod Antecessor ejus Clemens sub Trajano passus dicitur, cum evidenter sub Domitiano passus esse probetur, si successor ejus Anacletus ab eodem occisus non negetur. Adhuc autem argumentatur & illud, quia si Linus & Anacletus juxta quosdam, sive Linus & Cletus secundum alios, uterq; post passionem Petri, quæ decimo quarto Neronis anno facta est, per annos duodecim tenebat pontificatum, quod spacium per viginti quatuor annos in Domitiani duodecimum pertenditur annum, Clemens ab Apostolo Petro sedem & ligandi solvendiq; licentiam nullatenus accepisse probatur, quòd à nonnullis firmatur. Additur & hoc, quod S. Dionysius Areopagita B. Pauli Apostoli discipulus, & Athenarum Episcopus, cum (sicut in libro passionis ejus legitur) beatos Apostolos Petrum & Paulum audiret Romæ teneri, subrogato Athenis Episcopo properavit Romam velocius attingere, summopere desiderans, si Deus ita vellet, cum eisdem sanctis Apostolis occumbere. Sed cum divina dispositio vota ipsius præveniret, sanctiq; Apostoli prius passionis gloriâ coronarentur, quàm ipse Romam adiret, tandem perveniens Clementem condiscipulum suum Romanæ sedi jam præsidentem invenit, qui & illum in Gallias prædicatorem direxit. Quæ igitur fuit festinantia tanti desiderii, si per viginti quatuor annorum spacium, vel amplius, inter Athenas & Romam nullo potuit obsistente cohiberi? Nec enim illud refragatur, quod ostio fidei sibi aperto causa seminandi verbum Dei aliquandiu retardatus fuisse narratur. Quia etsi per contiguas parochias divina semina prædicandi avidus disperserat, passionis tamen desiderio fervens ab Athenis infra viginti quatuor annos maturius Romam contendere poterat. Adhuc verò cum idem Dionysius 96. Dominicæ incarnationis anno, qui est decimus quartus Domitiani, passus describatur, Clemens verò, qui eum direxit in Gallias, duodecimo ejusdem Principis anno, juxta superioris opinionem descriptionis, sedem accepisse dicatur, mirum potest videri, qualiter anno nondum & vix expleto, possent omnia hæc expleri, scilicet ut Dionysius de Roma in Gallias veniret, & tam cervicosum populum, ignotus adhuc & advena, fidei jugo substerneret, basilicam construeret, aliaq; plura, quæ de eo leguntur, Sacerdotum super his commotorum relatio Romam recurreret, divulgataq; persecutione Præfectus inde missus in Galliam Dionysium diversis pœnis occideret. Liber quoque passionis Alexandri Papæ testatur, quòd in ordine pontificum Romanorum Clemens post Petrum primus, hoc est, secundus ab illo habeatur. Sic enim ibi scriptum est. Quinto loco à B. Petro Apostolo Romanæ Ecclesiæ cathedram Alexander suscepit, & reliqua. Quod si Linus à Petro secundus dicatur, necesse est, ut & Cletus ante Clementem & Anacletus post eum à numero excludantur, quatenus Alexander quintus inveniatur, scilicet, ut Petro existente primo, Lino secundo, Clemente tertio, Evaristo quarto, Alexander quinto loco subsequatur. Aliter enim Alexander quintus à Petro non habetur. Quia si Linus à Petro secundus & Cletus sive Anacletus ante Clementem fuerit positus, Alexander erit sextus. Si verò Cletus ante Clementem, & Anacletus post illum ponitur, Alexander septimus habetur, nisi Clemens à Petro secundus numeretur.

Primum à Petri morte Episcopum Romanum & Successorem Petri fuisse *Linum*, testantur Martyrologium & Breviarium Romanum, Irenæus, Tertullianus in carminibus adv. Marcionem &c. Contrà *Linum* non fuisse à morte Petri Episcopum Romanum, proinde nec Successorem Petri, testatur Catalogus Romanorum Pontificum insertus Juri Canonico edit. Lugdunensis in quarto Ann. 1591. quippe in quo notatur, *Linum vivo Petro Anno Christi 57. Ecclesiæ Romanæ præfectum*; testatur Clemens Romanus lib. 7. Constitut. cap. 46. apud Laurentium Surium tom. 1. Concil. edit. Colon. ubi dicit, *Linum vivo adhuc Petro Ecclesiæ Romanæ à Paulo Episcopum datum*. Pontificale Damasi in eodem tom. 1. Concil. pag. 134. ubi sic habetur. *Petrus ordinavit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium Sacerdotale in urbe Roma populo, vel ad se venientibus exhiberent, beatus autem Petrus orationi, prædicatione populum erudiens, vacabat.*

Clementem ergò, non *Linum* successisse Petro mortuo, primum testantur Constitutiones Apostolicæ, Damasus Papa, Clemens ipse Epist. 1. ad Jacobum, Tertullianus de præscript. advers. hæres. cap. 32. Hieronymus lib. 1. in Jovinian. Anacletus Papa Epist. 1. Alexander Papa Epist. 1. Fabianus Papa Epist. 1. Johannes III. Papa in Epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Ita pauciores testes deponunt, *Linum* Petro mortuo primùm successisse, contrà verò plures testes, ex quibus sunt quidam Romani Pontifices, *Clementem* primum faciunt. Utris jam testibus credemus? pluribusné an paucioribus? Antiquioribusne, ut sunt Constitutiones Apostolicæ & Epistolæ Clementis, Anacleti, Alexandri & Fabiani, an recentioribus? capitibusné Ecclesiæ, an simplicibus Episcopis? Bellarminus & Baronius, qui *primum à Petro Linum* fuisse dicunt, assentiuntur paucioribus, posterioribus, Episcopis simplicibus; Contrà Marianus Scotus, Johannes Carolus Bovius Episcopus Ostunensis, qui Constitutiones Apostolicas Clementis in Latinum sermonem convertit, earumque autoritatem multis argumentis in Præfatione munire satagit, Laurentius Surius Collector Conciliorum, assentiuntur testibus pluribus, antiquioribus & Romanis Pontificibus, Ecclesiæ Romanæ capitibus.

Bartholomæus Caranza in summa Conciliorum Parisiis 1564. edita, cum de hac veterum & recentiorum in Historia de proximis Petri Successoribus dissensione disseruisset, pag. 13. subjungit, *In re tam perplexâ lectoris arbitrio judicium permitto.*

Bellarminus libr. 2. de Rom. Pontif. cap. 5. fatetur *dissonantiam autorum* de successione pontificum Petro proximorum.

Confer Symphoniam Catholicam Polani c. 18. th. 63. p. 665. ubi dissensio illa de primis Petri successoribus latè demonstratur.

5. Quod agnoscere coguntur, successionem illam sæpius fuisse interruptam, & quidem multipliciter.

Primò, per *diuturnam vacationem*. Referente enim Platina, in Vit. Pontific. post Johannem III. vacavit Sedes Romana *mensibus decem, diebus tribus*; post Pelagium II. *mensibus sex, diebus viginti octo*; post Gregorium *mensibus quinq;, diebus novendecim*; post Fabianum *mensibus undecim, diebus viginti sex*; post Bonifacium III. *mensibus sex, diebus viginti quinque*; post Severinum *mensibus quatuor, diebus viginti novem*; post Martinum I. *mensibus quatuordecim*; post Vitalianum *mensibus quatuor, diebus quindecim*; post Paulum *anno uno, mense uno*; post Clementem IV. *annis duobus*; post Nicolaum I. *annis octo, mensibus septem, diebus novem.*

Nicolaus Cusanus lib. 3. Conc. Cathol. c. 41. p. 823. *Post Marcellum annis septem vacabat sedes, nec inefficax erat Sacerdotium.*

Joh. Marius de schismate & Concil. c. 12. *Post ejus* (Clementis V.) *mortem Sedes Apostolica annos duos, menses tres & 17. dies vacavit, quòd Cardinales in electione ita dissentirent, ut in conclavi duo eorum mutuis verberibus perierint.*

Opusc. Tripartitum (tom. 2. Concil.) part. 3. *Ecce quantum damnum & quantum scandalum emanavit per totum mundum, ut de aliis taceatur, in tantis vacationibus Papatus, quæ contigerunt in diebus nostris!*

Secundò, *per Anti-Paparum dissensionem*. Bellarminus lib. 4. de Pontif. Rom. c. 14. *Tempore Johannis XXIII. erant tres Papæ, nec, quis erat legitimus Papa, facilè constabat.*

Possunt ex Platina, Onuphrio, Balæo, Bellarmino in Chron. & aliis *viginti octo schismata* numerari, quæ in Sede Romana contigerunt, inter quæ gravissimum fuit schisma 27. quod duravit ultra 30. annos inter Urbanum VI. & Clementem VI. (Jam verò *dubius & incertus Papa habetur pro nullo*, docente Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 19. resp. ad 3. ac *schismaticos nihil juris habere in Ecclesia*, statuitur c. Didicimus 24. q. 1.)

Nicolaus de Clemangis Epist. 2. ad Benedictum XIII. Pont. Rom. p. 9. *Vides, Pater beatissime, non dico Ecclesiæ statum, sed lapsum, sed ruinam & lamentabilem desolationem, quæ schismate horribilissimo, & omnium, quæ fuerunt, schismatum pestilentissimo, anno jam decimo sexto, cum tanta, quantam omnes cernimus, spiritualium, temporaliumq; bonorum jactura conteritur.*

Idem Epist. 16. ad Carolum VI. Galliæ Regem p. 67. *Cum ante hoc schisma* (sub Benedicto XIII.) *omnium, quæ fuerunt, perniciosissimum & capitalissimum, duo & viginti in Ecclesia Romana præcesserint schismata, nunquam in ullo visum est schismate, quin semper intrusis omnibus ejectis victor in Sede verus Pontifex remaneret.*

Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. verbo Adoratio, hæresi 1. *Tempore Johannis Wiclephi Ecclesia in tres partes fuit scissa à tribus se pro summis Pontificibus gerentibus. Nunquam verò facilius crimen proficit, quàm bellorum tempore, quo omnia licent.*

Idem lib. 1. advers. hæreses cap. 9. *Sæpenumero evenit, ut aliquis schismaticus dicatur, qui tamen Ecclesiam credit esse omnium matrem, & fidem tenet, quam Catholica tenet Ecclesia, sed solâ hac ratione separatur, quod negat Pontificem rectè, & ut decebat,*

electum, atque ideo non vult ei subesse, tanquam ei, quem non credit, verum esse Pontificem: quale schisma Historiæ recentes memorant, per quadraginta fermè annos permansisse in Ecclesia, quæ tres se pro Pontificibus gerentes tunc passa est, quod in Concilio Constantiensi sub Sigismundo Romanorum Rege finitum est.

Baronius tom.11. Annal. An.1044. postquam de tribus Anti-Papis disseruisset, subjungit n.5. *At quodnam primum remedium adhibitum fuerit, ad extinguendam tricipitem bestiam hanc è portis inferis emergentem videamus. Illi planè simile excogitatum remedium est, quod in extinguendo Cerbero illo fabuloso finxere Poëta, nempe piceâ offâ opplendo fauces, dando illis mandendum aliquid, ut à latratu omninò cessarent.*

Onuphrius in vita Urbani VI. *Urbano VI. Cardinales tàm Itali, quàm Galli suis communibus suffragiis electo Pontificatum abrogant, dicentes falsò, metu populi Rom. se eum elegisse, Clementemque VII. substituunt, in quo schismate Galli, Hispani & Scoti Clementem; Germani verò, Hungari & Angli Urbani partes secuti sunt.*

Glovianus de schismate pag.181. *Schisma ambiguum orbem Christianum graviter concussit, quando alter Pontifex Romæ, alter Avinione creatur, uterq; magna Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, Principum ac populorum assensione Pontificatu defungeretur. Nam cùm tres simul Pontifices inaugurati essent, Johannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. tum quidem gravi schismate est Ecclesia Christi dilacerata & in partes dissecta.*

Azorius Instruct. moral. part.2. lib.4. cap.7. *Tempore Johannis XXIII. tres simul pro veris Papis habebantur.*

Stapletonus libr. 14. de princip. doctrin. cap.15. *Schisma in Ecclesia Romana de Pontificum successione per annos ferè quadraginta durabat, & omnium schismatum, quæ in Ecclesia Romana fuerunt, non plus confecit, quam annos centum viginti quatuor.*

Bellarminus in Præfat. controv. de Rom. Pontif. *Non ignoratis quantas Tragœdias in Ecclesia Imperatores excitarunt, & q. hæc parva fuissent, addidit Satan Romanos Pontifices contra Pontifices commovere.*

Concilium Basileense *Papam Eugenium* pronunciavit *schismaticum*, qui tamen nihilominus Sedem illam obtinuit, atque ex eo descenderunt reliqui Pontifices in hunc usque diem, qui omnes sunt schismatici illius Successores, ergò secundùm proprios ipsorum Canones nullum jus habent in Ecclesia.

Tertiò per hæreticam à vera fide discessionem.

Bellarminus lib.4. de Eccles. cap.8. scribit, *in Græcis Ecclesiis Patriarchalibus interruptam esse successionem, propterea quòd per longa tempora habuerint Episcopos manifestos hæreticos.*

(At de Romanis Episcopis idem dici potest, ut ostensum fuit superius lib.1. part.2. cap.2.)

Quartò, per illegitimam occupationem.

Nicolaus II. c. in nomine. dist.23. circa Annum 1059. constituit, ut Papa eligatur suffragiis Cardinalium & Episcoporum, consensu reliquorum Clericorum ac populi Romani, ipsius denique Imperatoris, & ut si quis alio aliquo modo illegitimo Papatum adipiscatur, is excommunicatus & anathematizatus sit, habeaturque, quemadmodum Antichristus. *Decernimus*, inquit, *atque statuimus, ut obeunte hujus Romanæ Ecclesiæ universalis Pontifice, inprimis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedant, nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliquâ occasione surrepat, & ideo religiosissimi viri præduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces &c. Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alta sumatur, salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, & jam sibi concessimus, sicut successoribus illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint &c. Quòd si quis contra hoc Decretum nostrum Synodali sententia promulgatum quasi per seditionem, vel præsumtionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus seu inthronizatus fuerit, authoritate divina & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis autoribus & fautoribus & sequacibus à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur, sicut Antichristus, & invasor, & destructor totius Christianitatis, nec aliqua super hoc ei audientia reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu, in quocunque fuerat priùs, sine retractatione deponatur, cui quisquis adhæserit, vel qualemcunq; tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumserit, pari sententiæ sit mancipatus.*

Repetitur hoc Decretum c. Si quis. dist.79.

Platina in vita Nicolai II. de eo sic scribit: *Concilio apud Lateranum habito legem tulit, ut in Decreto legitur, Romanæ Ecclesiæ admodum salubrem, quæ talis est: Si quis pecunia vel gratia humana aut populari militativè, tumultu sine concordi & Canonica electione Cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus, hoc est, à ratione deficiens, meritò vocetur.*

c. Sicut Simoniaca. c. Insinuatum. c. Gratia. c. Quicunque. c. Quanta. extr. de Simonia, ut & caus.1. quæst.1. per multos Canones statuitur, *non esse legitimos Episcopos, qui per Simoniam aditum sibi ad officium Episcopale paraverint.*

Glossa in c. Quisquis 1. q.1. *Si quis pecuniâ ordinatur, ipsum esse hæreticum, manifestum est.*

Julius II. Papa Ann.1505. 19. Calend. Februar. edidit Bullam, eandemque in Concilio Lateranensi sess.5. renovavit, ut patet ex tom.4. Conciliorum fol.567. in ea inter cætera sic loquitur: *Si contigerit, electionem Romani Pontificis ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo seu aliquibus de cœtu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per Simoniacam hæresin in dando, promittendo, vel recipiendo bona cujuscunq; generis &c. celebrari, vel fieri, non solum hujusmodi electio vel assumptio eo ipso nulla existat. & nullam eidem sic electo vel assumpto administrandi in spiritualibus & temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum vel assumptum de Simoniaca labe à quocunq; Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi & excipi possit, sicut de vera & indubitata hæresi, ita quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur &c. Et idem electus, non Apostolicus, sed apostaticus & tanquam Simon Magus & hæresiarcha, & ad prædicta omnia & singula perpetuò inhabilis habeatur & sit. Nec hujusmodi Simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronisationem seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem seu obedientiam ullo unquam tempore convalescat.*

Salmeron tom.3. Comment. part.3. Disput.2. *Si contingeret ad Pontificatum assumi, qui se aut violenter introducent, aut eum gradum vi & armis occuparent, aut Simoniaca pravitate infecti summum Sacerdotium pecunia redimerent, aut denique, qui manifestam hæresin amplecterentur, tales non essent pro veris Vicariis & legitimis agnoscendi.*

Jam verò de Pontificibus Romanis Historiæ testantur, quòd quidam per media illegitima & injusta in Sedem Papalem se intruserint.

Johannes Sarisber. in Policratico. *Papam hodiè nulla vocat electio, sed repugnante in membris Christo ambitio cæca & cruenta non sine sanguine fraterno intrudit, quod quidem est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in commissi dispensatione ovilis.*

Wilhelmus Occam in Opere nonag. dierum cap.124. *Dicitur in Chronicis, circa viginti septem vocatos Episcopos Romanos, postquam Ecclesia extitit temporalibus divitiis dotata, fuisse, qui sceleribus maximis, publicis & notoriis, postquam fuerunt ad Papatum assumti, vel in ipsa assumtione ad Papatum irretiti, scilicet crimine hæresis, idololatriæ, intrusionis fautoriæ, pravitatis hæreticæ, blasphemiæ, fornicationis & aliis multis enormibus criminibus involuti fuerunt.*

Picus Mirandulanus in Epistola ad Leonem de reformandis moribus tractat.4. *Plerique olim Pontifices per summum dedecus ad summum decus pervenerunt.*

Baronius de Johanne XX. Anno 1024. n.3. *Indignè atque Tyrannicè Sedem occupabat, & malis artibus ad ipsam ascendit.*

Atq; ut aliquos illegitimos occupationis modos recenseamus, Primò, per *Simoniacam largitionem* Sedem Romanam occuparunt Sergius, Honorius II. Formosus I. Johannes VIII. Gregorius V. Alexander VI. &c.

Bernhardus lib.4. de consid. ad Eugenium col. 1035. *Quem dabis mihi de tota maxima urbe, qui te in Papam receperit precio seu spe precii non interveniente?*

Alvarus Pelagius Episcopus Lusitanus post primorum Romæ Episcoporum laudes, ita de eorum successoribus conqueritur de planctu Eccles. lib.2. art.15. *Successerunt, jam sunt multa tempora, successores eorum autoritate, sed dissimiles sanctitate, Romano Pontificatui se ingerentes procurantes, utinam ante promotionem non pacificentes, convenientes & promittentes, cumulantes absq; mensura, parentes ditantes & exaltantes, & consanguineos promoventes, in delitiis viventes, amicos dignificantes, plurimumque alios conculcantes, in Babylonia, id est, Roma secundùm Hieronymum turres & palatia ædificantes &c.*

Platina

Platina in Sylvestro III. *Pontifex creatur largitione, non intrans per ostium, sed per posticum. Eò enim tunc Pontificatus devenerat, ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrinâ valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppressis & rejectis retineret, quem morem utinam aliquando non retinuissent nostrâ tempora! sed hoc parum est, pejora, nisi Deus cavebit, aliquando visuri sumus.*

Idem in Benedicto IV. p.148. *Peperit nobis licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum coërcente, hæc monstra, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri Sedes occupata est potius quàm possessa.*

Idem in Sergio III. *Vide, quæso, quantum isti degeneraverint à majoribus suis! illi enim, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ vacantes: hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes, adepti posthabito cultu non secus ac sævissimi quidam Tyranni inimicitias inter se exercebant, suas voluptates postea securius expleturi.*

De Gregorio VII. Hildebrando prius dicto Henricus IV. Imp. in quadam Epistola sic loquitur: *Dominus Jesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad Sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, astutia pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adiisti, & de sede sedem pacis turbasti.*

De eodem Gregorio VII. Abbas Urspergensis in Chronico scribit: *Constat, Hildebrandum non à Deo electum, sed à seipso fraude ac pecunia intrusum.*

De Benedicto IX. sic scribit Fulgosus in Histor. *Benedictus IX. Gregorio VI. Pontificatum vendidit, quem credibile est, si tantum emtorem invenisset, semetipsum quoque venditurum fuisse, ac libertatem vitamque ipsam auro, si magna ejus vis oblata fuisset, postpositurum.*

De eodem Benedicto IX. Baronius tom. 11. Ann. 1033. n. 6. ex Glabro Monacho Cluniacensi lib. 4. c. 5. refert, quòd *puer decennis intercedente thesaurorum pecunia in Sede Romana collocatus turpitudine vitæ eam deturpaverit.*

De eodem Platina sic scribit: *Romani Benedictum hominem ignavum & nullius precii perosi è Sede dejiciunt, in ejusq́; locum sufficiunt Johannem Sabinum Episcopum Sylvestrem III. appellantes, quo post novem & quadraginta dies pulso denuò Benedictus restituitur. Is autem, cùm cerneret se iterum subiturum eadem discrimina, Johanni Archipresbytero S. Johannis ad Portam Latinam, qui postea Gregorius VI. appellatus est, Pontificium munus liberè cessit, vel, ut quidam affirmant, vendidit.*

Blondus libro decimo. *Johannis Italiæ Exarcho Paschalis magnam pecuniarum vim promisit, si se Pontificem crearet.*

De Johanne XX. sic scribit Baronius Anno 1024. num. 4. ex Glabro. *Johannes cognomento Romanus, frater illius Benedicti, cui in Episcopatum successerat, largitione pecuniæ &c.*

De Roderico Borgia Valent. qui postea Alexander VI. dictus, scribit Franciscus Guicciardinus (Patritius Florentinus, Leonis X. per Flaminiam, quæ aliàs Romagna, Administrator seu Præfectus,) lib. 1. Hist. Ital. quòd *partim per Cardinalium Ascanii Sfortiæ, & Juliani Roverei discordiam, partim per largas promissiones præbendorum & coëmta suffragia ad dignitatis Papalis fastigium fuerit evectus. Partim numerata pecunia* (inquit) *partim promissionibus officiorum & beneficiorum suorum, quæ ampla possidebat, emit, nemine nesciente & vidente, suffragia multorum Cardinalium, quos documentum Evangelii contemnentes, non puduit ei vendere potestatē de sacris thesauris negotiandi cum nomine & autoritate cœlesti in celsissima & principali templi parte.*

Meritò igitur Franciscus Petrarcha Dial. 107. hujusmodi querelam texit. *Quis vel Romanum vel quemcunque Pontificatum aliam cupit ob causam, nisi quo potentior ac ditior sit? contra justitiæ præceptum præesse quæritur non prodesse, quodq́; sacrilegium, pudendumque vel dictu est, magnis sæpè muneribus, quin & pactis & sponsionibus, spes emitur Sacerdotii pinguioris.*

Secundò, per *vim & factiones.* Sedem Romanam occuparunt Damasus, Sylverius, Vigilius I. Christophorus I. Johannes XIII. Benedictus V. Damasus II. Victor X. Vide Platinam in vitis horum Pontificum.

Carolus Sigonius lib. 8. de regno Italiæ scribit, *Pontifices Romanos ad annos 200. non nisi per seditiones, aliaque media offendiculo plena ad hanc Sedem pervenisse.*

De Stephano VII. sic scribit Baronius tom. 10. Ann. 897. num. 1. *Adversus Bonifacium* (Sedem Apostolicam invadentem) *Stephanus Septimus, dictus sextus, subrogatur, pulso Bonifacio, intruso pariter ab intruso. Ista omnia per vim & metum extorta, maximam irrogarunt ignominiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Quòd autem intrusorum Pontificum alii, ut Pontifices postea recepti inveniantur, alii verò penitus abrogati, ut iste, de quo agimus, Bonifacius, inde evenit, quod illi quantumlibet Tyrannicè adepti fuerint Sedem, tamen accedente consensu Cleri satius esse existimantis eos qualescunq́; tolerandos, quàm Ecclesiam schismate conscindendam, ut legitimi Pontifices novis Comitiis, consuetis ritibus sint electi. Hæc ut dicamus, illud plane necessario cogit, quod universa Ecclesia Catholica eos, ut legitimos Pontifices coluit, iis obedivit, atq́; ut Christi Vicarios, Petriq́; successores cognovit ac cultu germano Pontifice digno eosdem frequentavit, quod nequaquā factū fuisset, nisi de facta postea electione legitima constitisset.*

(At quis non agnoscit, *petitionem principii & circulum* in hoc argumento committi? Ecclesia Romana est vera *Ecclesia* ac nequit errare, quia semper habuit legitimos in Sede Apostolica Successores. Vicissim, Successores illi in Sede Apostolica fuere legitimi, quia Ecclesia Romana, quæ errare nequit, illos pro legitimis Successoribus habuit.)

Idem Baronius Anno eod. n. 4. conqueritur, quòd circa Annum 897. *per Tusciæ Principes intruderentur in cathedram Petri, solium Christi, homines monstrosi, vitâ turpissimi, moribus perditissimi & usquequaque fœdissimi.*

Idem Anno 900. n. 1. *Quot tunc ab eis proh dolor, proh dolor! in eandem Sedem Angelis reverendam, visu horrenda intrusa sunt monstra! Quot ex eis oborta sunt mala, consummatæ Tragœdiæ! quibus tunc ipsam sine macula & ruga contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisque perpetua infamia denigrari!*

Genebrardus lib. 4. Chronol. ad Ann. 901. *Seculum illud hoc uno infelix, quod per annos ferè 150. Pontifices circiter 50. à Johanne scilicet VIII. qui Nicolao & Hadriano II. sanctis Pontificibus successit, ad Leonem IX. usque, à virtute majorum prorsus defecerint, Apotactici, Apotaticive quàm Apostolici &c. quando non per ostium, sed per posticum, id est, Imperatorum Tyrannidem ingrediebantur.*

Similia occurrunt apud Platinam in vita Stephani VI. p. 145. in vita Sylvestri III. p. 168. in vita Damasi II. p. 170.

Nauclerus in Chronic. *Post Benedictum Leo V. Pontificatum adeptus est. Hunc Leonem post 30. & aliquot dies Christophorus Presbyter & familiaris ejus cepit, & in carcerem misit, ipseque Præsulatum invasit.*

De eodem Leone Platina in ipsius vita. *Leonem V. è Sede Romana expulsum, Christophorus in carcerem compegit & se in Sedem intrusit.*

Idem Platina cùm memorasset, *Sergium III. Papam Christophorum Papam de Sede deturbasse, & in vincula conjecisse,* subjicit, *Vide, quantum isti degeneraverint à majoribus suis! Illi enim, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes: hi vero largitione & ambitione Pontificatum quærentes & adepti, posthabito divino cultu, inimicitias non secus ac sævissimi quidam Tyranni inter se exercebant, suas voluptates postea securius expleturi, cùm nullibi extarent, qui eorum vitia coërcerent.*

De Johanne Sergii filio Baronius tomo 10. Anno 908. n. 5. scribit, *nobile quoddam scortum obtinuisse Monarchiam urbis, & Johannem Sergii filium ex nefario adulterio genitum obtinuisse dignitatem Ecclesiæ Romanæ.* His postea subdit: *Tantum invaluit meretriciū imperium, ut pro arbitrio legitimè creatos Pontifices dimoverent, & violentos ac nefarios homines intruderent.*

Tom. eod. Ann. 912. n. 8. *Quæ tunc facies Romanæ Ecclesiæ? quàm fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ æquè ac sordissimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur Sedes, darentur Episcopi, &, quod auditu horrendum atque infandum, intruderentur in Sedem Petri meretricum amasii Pseudo-Pontifices, qui non sint, nisi ad consignanda tantum tempora in Catalogo Pontificum scripti. Quis enim à scortis hujusmodi intrusos legitimos dicere possit fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis vel consentientis postea aliqua mentio. Canones omnes pressi silentio, Decreta Pontificum suffocata, proscriptæ antiquæ traditiones, veteresq́; in eligendo summo Pontifice consuetudines, sacrique ritus & pristinus usus prorsus extincti.*

Agapetus *vi & usurpatione manifesta* Papatum occupaverat, quem propterea Bernhardus Epistol. 125. vocat *bestiam Apocalypticam, cui datum sit os loquens blasphemias.*

De Johanne XII. cui Imperator Otto juramentum præstitit c. Tibi Domino. distinct. 63. sic scribit Baronius

Ann.960.num.5. *Johannes malè conscius de sua in Sedem Apostolicam intrusione, sic liberationem Romanæ Ecclesiæ ab Ottone exoptat, ut tamen antea voluerit sibi esse consultum, ne sui pontificatus quoquo modo jacturam pateretur. Innatum est à Natura latronibus, ut omnes semper timeant, etiam socios, atque adjutoribus se non credant.*

De Bonifacio VII. (qui sedit Anno 974.) fatetur Gaulterius in tabb. Chronolog. fol.618. *quòd Sedem Tyrannicè invaserit, & Benedictum VI. in vincula conjectum strangulaverit.* Inde

Genebrardus in Chronolog. ad Annum Christi 1007. fatetur, quòd *istius temporis pontifices, ut intrusi ab Imperatoribus potius, quàm electi, monstra fuerint.*

De Damaso sic scribit Platina in ipsius vita: *Damasum constat non solum vi & armis, sed multis cœdibus etiam in templo editis pro pontificatu certasse & superiorem evasisse. Imò etiam, ut refert Ammianus Marcellinus, qui eo tempore floruit & scripsit lib. 27. tantâ tamq́; cruentâ seditione Damasus & Ursicinus supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem Sedem ardentes, scissis studiis, asperrimè conflictabant instar belli, ut nec Juvencius urbis & Palatii præfectus sedare potuerit, sed vi magna urbeque relictâ coactus fuerit secedere in suburbanum, & tandem in concertatione superavit Damasus, sed uno die 137. cadavera peremtorum in ipso templo reperta sunt, non computatis his, qui aliis diebus vel extra templum occisi sunt.*

De eodem Sabellicus Enneadis 9. lib. 2. *Stephanus Bavarus Clementi II. venenum miscuit, moxq́; ab ejus interitu sine Cleri populive suffragio sacram invasit Sedem, seq́; Damasum II. vocavit. Usq; adeò mos inoleverat Apostolicæ Sedis per vim & dolum occupandæ.*

Onuphrius in vita Honorii II. *Cœlestinus II. communi Cardinalium consensu legitimè electus, Papatu cedens Honorium II. vi electum veneratus est.*

De Eugenio testatur Æneas Sylvius in lib. de gestis Concil. Basil. quod *à Sede Apostolica detrusus sine electione rursus in Sedem irruperit.*

Tertiò, per *fraudes ac dolos* itidem complures ad hanc Sedem evecti.

De Bonifacio VIII. sic scribit Robertus Gagvinus lib. 7. Histor. Franc. *Talem vitæ exitum habuit contemtor omnium hominum Bonifacius &c. qui dolo & malis artibus Romanum Episcopatum quæsiverat sibi, & Cœlestinum, à quo dignitatem receperat, in carcere, dum vixit, habuerat.*

Orthvinus Gratius in Fasciculo rerum expetend. fol. 44. *Bonifacius VIII. per admirandam & Diabolicam potius fallendi artem Pontifex factus, Cœlestino piissimo impiissimus successit.*

De eodem Bonifacio sic scribit Bartholomæus Caranza in summa Conciliorum pag. 432. *Cœlestinus V. Papa fuit singulari vitæ sanctimonia præditus, & propterea nescius gubernare aulam pontificiam, hujusque magnificentiam amplificare. Hunc igitur Bonifacius VIII. voce tanquam cœlitus missa per cannam ad id factam, ut pontificatum desereret & Bonifacium institueret, decepit.*

Similia de eo inveniuntur apud Johannem Aventinum in Chron. Bavar. lib. 7. & Bennonem Cardinalem in vita Hildebrandi.

De hoc Bonifacio proverbii loco dictum fuit: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.* Wernerus Rolvvinck in Fasc. temp.

De Gregorio VI. scribit Platina in ipsius vita, quod *non per ostium ingressus sit, sed per posticum, ut fur & latro.*

Gregorius VII. sex ordine pontifices per administrum suum Gerardum Brazutum veneno sustulisse, scribitur, ut hanc Sedem ascendere posset.

De Johanne XXIV. (Balthasare Cossa prius dicto, qui Antecessorem suum Alexandrum V. veneno è medio tolli curaverat) sic scribit Johannes Stella in ipsius vita: *Cum Bononiæ potius ut Dominus, quàm Legatus esset, magnoq́; exercitui imperaret, & Cardinales pro novo pontifice deligendo ibidem convenissent, multa eis interminatus est, nisi pontificem sibi gratum elegissent. Ea de causa multi nominati sunt, quorum neminem approbare voluit. Cum verò obsecraretur, ut, quem vellet, significare dignaretur: Date mihi, inquit, Petri chlamydem, & ego dabo pontifici futuro. Quod cum factum esset, ille pallium suis humeris imponens, ait, Ego sum Papa: hac arte, aliis reclamare non audentibus, Pontificatum est adeptus.*

Quartò quidam per *artes Magicas* ad hanc Sedem pervenerunt, ut Martinus II. Bonifacius VII. Sylvester II. &c.

De Sylvestro II. prius Gereberto dicto, sic scribit Platina in ipsius vita. *Gerebertus ambitione & Diabolica dominandi cupiditate impulsus, largitione primum Archiepiscopatum Remensem, inde Ravennatem adeptus, pontificatum postremò majore conatu, adjuvante Diabolo, consecutus est, hac tamen conditione, ut post mortem totus illius esset.*

Benedictus IX. *malis artibus pervenit ad dignitatem pontificiam*, quam postea mille libris Turonensibus vendidit suo in Magia & malis artibus sodali Gratiano, qui dictus fuit Gregorius VI.

Benno de vita Hildebrandi refert, quod *quinq́; Papæ Sylvester II. Benedictus IX. Johannes XX. & XXI. Gregorius VII. se totos consecrarint Satanæ, ut ad hanc Sedem eveherentur.*

Quintò, Johannes II. Pontificatum Romanum operâ meretricis famosissimæ Theodoræ consecutus est, Stella in Chronic. Blondus Decad. 2. lib. 2. &c.

(Ex illis omnibus manifestum, successionem illam in Sede Apostolica, quam ita vocant, sæpius fuisse interruptam, & multos Pontifices Romanos non fuisse veros Petri Successores, quod ulterius demonstramus hoc modo.)

Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 8. §. Deinde &c. sic differit, *Non succeditur, nisi Episcopis defunctis, legitimis Episcopis detrusis nemo potest succedere.*

Idem lib. 2. de Pontif. cap. 26. & lib. 2. de Concil. cap. 18. *Nullus pontifex potest jure ullo coactivo deponi, sive Politico, sive Ecclesiastico.*

Jam verò, teste Platina in vitis Pontificum, multi successerunt Antecessoribus nondum vitâ functis, sed vel fraude, vel vi depositis. Constantinus ejicitur, Stephanus III. sufficitur; Leo VIII. à Christophoro in vincula conjicitur, ipse Christophorus Sedem occupat, Papa salutatur. Johannes XXIV. fugam arripit, capitur, damnatur, quo è Pontificatu ejecto Oddo Pontifex creatur. Cœlestinus doctis dolis delusus à Bonifacio, sese spontè Pontificatu abdicat, ipse Bonifacius Pontifex constituitur.

Ergò multi, qui inter Romanos Pontifices numerantur, non sunt veri Successores Petri.

Ulterius Nicolaus II. legem tulit, *ut quisquis non Canonicâ electione in thronum Petri ascendit, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur*, teste Platina in illius vita.

Jam verò multi Pontifices, teste eodem Platina, non Canonicâ electione in thronum Petri ascenderunt, sed per illegitima media eam sibi appropriarunt. Romanus Pontificatum vi, Christophorus malis artibus, Bonifacius dolo ac fraude, Sylvester II. arte Magicâ, Formosus Simoniâ, Martinus II. itidem malis artibus Pontificatum sunt adepti.

Ergò multi Pontifices non sunt Apostolici, sed Apostatici habendi.

Huc referri potest, quòd Johannes Ludovicus Gotofredus Archontolog. pag. 57. seq. de Gregorio XV. memorat, quòd *in magnis dissidiis, non habito ad Ecclesiæ salutem respectu, sed ob mundana negotia per illegitimam electionem ad Sedem Papalem evectus sit.*

Ibid. pag. 66. de Urbano VIII. qui hodie rerum potitur memorat, quòd itidem *in gravissimis Cardinalium dissidiis Papa sit creatus.*

6. Quòd agnoscere coguntur, successionem illam per *Johannam Papissam* fuisse turpiter deformatam.

(Sanè recentiores Pontificii, cumprimis Jesuitæ, Historiam illam de Johanna Papissa vocant *fabulam*, ut constat ex Onuphrii annotationibus in Platinam, Baronio Ann. 854. n. 9. Thoma Hardingo in Confut. Apol. Anglican. part. 2. cap. 1. Bellarmino lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 24. Autore lib. de utilit. legendæ Historiæ edit. Antuerp. ex Officin. Plantin. Ann. 93. sed non fuit inventus, qui eam negatum iret, antequam turpitudo Romanæ meretricis per B. Lutherum denudari inciperet.)

Testantur autem de veritate hujus Historiæ, Primò, *Historicorum Scriptura.* Non solùm enim post Lutherum, sed etiam ante Lutherum Historiæ hujus mentionem faciunt varii Scriptores, utpote,

Marianus Scotus Monachus Benedictinus in Cœnobio Fuldensi, in quo fœmina ista annos aliquot vixerat, circa Ann. 1086. in Chronico ex vetustissimis Cœnobiorum libris collecto, in Historia Anni 854. lib. 3. ætate 6. (Bellarmin. lib. de Script. Eccles. in Martino Polono p. 360. contra hoc testimonium sic differit. *In impressis Codicibus Mariani & Sigeberti irrepsit*

repsit hac fabula ex Martini Poloni libro, sed in antiquis MStis non habetur. Atqui Sigeberti & Mariani Scoti libri ad fidem probatissimorum MStorum sunt impressi, illis ergò potius habenda fides, quàm uni vel alteri MSto Codici. Exemplar Mariani, quod imitatus est Typographus Basileensis, prodiit ex libraria Collegii S. Bartholomæi in urbe Francofurto, jussu Episcopi Moguntini, in quo ea, quæ isti in suis MStis Codicibus esse negant, exarata fuere.)

Sigebertus Abbas Gemblacensis (qui vixit circa Ann. 111.) in Chron. Ann. 854.

Otto Frisingensis lib. 7. Chronic. circa Ann. 1161. Catalogo Pontificum eam inserit.

Gotfridus Viterbiensis circa Ann. 1192.

Martin. Polonus Monachus Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarius Papæ Nicolai III. postea Archiepiscopus Consentinus circa Ann. 1282. (Hunc testem rejicit Bellarm. lib. 3. de P. R. cap. 24. interim ipse in alia quæstione ad ejus testimonium provocat lib. 4. de Rom. Pont. cap. 13.)

Robertus Gallus circa Ann. 1290.

Wilhelmus Occam in cap. 124. Operis nonaginta dierum circa Annum 1320.

Martinus Minorita in Chronico, cujus titulus, Flores temporum, circa idem tempus. (In hoc Chronico additur, quòd Johanna Dæmoniacum quendam adjurans interrogavit, quando Dæmon recedere vellet, cui Diabolus responderit:

Papa Pater Patrum Papissæ pandito partum,
Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.)

Ranulphus in Polychron. lib. 5. cap. 32. circa Ann. 1360.

Franciscus Petrarcha (qui in aula Pontificis vixit) in Chronico Italicè circa An. 1374. scripto, Florentiæ An. 1478. excuso.

Johannes Bocacius lib. de claris mulieribus cap. 99. circa Ann. 1375. (Hic liber Bocacii in Germanicam linguam translatus est à Medico civitatis Ulmæ, & nuncupatus Ducissæ Austriæ Ann. 1473. impressus in eadem urbe typis antiquis & rudibus cum effigie parturientis Papissæ.)

Johannes Huss de Eccles. c. 7. *Quomodo illa Romana Ecclesia, illa Agnes Johannes Papa cum Collegio semper immaculata permansit, qui peperit?* (circa Ann. 1400.)

Idem Hussus d. l. cap. 13. adducit testem hujus Historiæ Castrensem lib. 5. cap. 3.

Chronicon Constantiense circa idem tempus.

Johannes de Marcoville Gallus de bonitate & malitia sexus fœminei, circa Ann. 1410.

Theodoricus à Niem, qui aliquot Pontificibus fuit à Secretis (circa Ann. 1420.)

Jacobus de Regiscuria in Chronico, circa Ann. 1446.

Antoninus Archiep. Florentinus tit. 16. part. 2. cap. 1. §. 7. circa Ann. 1457.

Platina de vitis Pontificum, circa Annum 1460. (qui post Historiam recensitam subjungit: *Hæc, quæ dixi, vulgò feruntur, incertis tamen & obscuris autoribus, quæ ideò ponere breviter & nudè institui, ne obstinatè nimium & pertinaciter omisisse videar, quod fermè omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat, ea, quæ dixi, ex his esse, quæ fieri posse creduntur.*)

Compilatio Chronologica scripta Ann. 1470. Francof. à Johanne Pistorio edita.

Chronicon vetus Germanicum excusum Augustæ An. 1487.

Chronicon vetus Ulmæ impressum Ann. 1486.

Guilielmus Jacobus Monachus Ecmondensis prope Alcmariam in rhythmis de vitis Pontificum Ann. 1490.

Æneas Sylvius in sexta mundi ætate p. 170. Operis Historici impressi Noriberg. Ann. 1493. per Kobergerum.

Wernerus Rollvvinck in Fasciculo temporum An. 1494.

Chronicon Norinbergense Hartmanni Schedelii circa idem tempus excusum, (in quo ad narrationem de Johanna Papa expressa est effigies fœminæ, pontificialiter quidem coronatæ, sed pro trabea pontificali stolam mulierem ab humeris, & infantem in ulnis gestantis.)

Johannes Baptista Mantuanus lib. 3. (in Topothesia Tartari. *Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem Fœmina &c.*) circa idem tempus.

Abbas Trithemius in Chronico Hirsaugiensi circa An. 1495. in vita Luitprandi I. Abbatis.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus Ennead. 9. lib. 1. circa Ann. 1495.

Johannes Marius Belga in libr. de schismat. circa Ann. 1498.

Albertus Crantzius Canonicorum Hamburgensium Decanus in Chronic circa Ann. 1500.

Hermannus Ædituus lib. 2. part. 2. circa idem tempus.

Stephanus Blanck Passavianus ad Alexandrum VI. de Romanæ urbis miraculis circa idem tempus.

Johannes Nauclerus in Chronico circa idem tempus.

Jacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chronic, circa Ann. 1503. (impresso Venetiis.)

Johannes Stella Sacerdos Venetus circa idem tempus, in libro, cui titulus est, Vitæ ducentorum & triginta summorum Pontificum à B. Petro usque ad Julium II. modernum Pontificem.

Franciscus Picus, Johannis Pici Comitis Mirandulani ex fratre nepos in lib. de fide & ordine credendi. *Prodit olim memoria fœminam Pontificem creditam.*

Raphael Volaterranus in Commentariis, quos ipsi Pontifici Julio II. inscripsit, circa idem tempus.

Liber, cui titulus, Onus Ecclesiæ cap. 19. circa An. 1517.

Johannes Henaldus Gallus de statu Ecclesiæ sub Nerone ad Carolum V. circa Ann. 1518.

Henricus Cornelius Agrippa de nobilitate & præstantia sexus fœminei, & in lib. de vanit. scient. cap. de Monachis, circa Ann. 1520.

Liber vetus Italicus, cui titulus, Historia di Donne famose.

Liber Romanarum Indulgentiarum Anno 1525. Romæ editus, in quo refertur, *Angelum huic Papissæ uterum gerenti apparuisse, ipsique optionem eligendi pœnam temporalem aut æternam dedisse, ipsam verò pudorem temporarium elegisse.*

Richardus Wasseburgius Verdunensis in Chronic. Austrasiæ circa Annum 1527.

Liber, cui titulus, Puerperium Papæ, editus Ann. 1530.

Bernhardus Girardus Historiographus Regius Gallicus, circa idem tempus.

Don Piero di Mexia, hanc Historiam *in authenticis scripturis se reperisse*, testatur, eamque cum nonnullis aliis memorabilibus Romanorum Imperatori Carolo V. linguâ Ibericâ inscripsit.

Dominicus Jacobatius Cardinalis lib. 9. de Concil. art. 9. n. 6. & 7. circa idem tempus.

Valerius Anshelmus in Chronico Bernensibus dicato circa idem tempus.

Paulus Constantinus Phrygio in Chronico circa An. 1534.

Achilles Gassarus in Chronico Ann. 1538.

Christianus Massæus in Chronico Ann. 1540.

Ludov. Cœlius Rhodiginus Italus volum. 4. antiq. Lect. circa idem tempus.

M. Guazzus in Chronico Italico circa Ann. 1546.

Valentin. Müntzerus in Chronographia ex Fuldensi Cœnobii Bibliotheca collecta, & Fuldensium Præsuli dedicata ætate 3. circa Ann. 1549.

Matthæus Palmerius Continuator Eusebii & Prosperi, qui incipit ab Anno 449. desinens in Annum 1471. Exemplar impressum est Basileæ Anno 1549.

Ravisius Textor in Officina, in capite, Fœminæ habitum virilem mentitæ.

Fr. Leander Albertus Bonaniensis Monachus, qui *se in texenda Historia illos potissimum secutum*, scribit, qui *rectius exactiusque visi sunt scripsisse*, in libro quodam privilegiato à Cæsare, Regibus Hispaniarum & Galliarum, circa Ann. 1550.

Jacobus Curio in Chronolog. circa Ann. 1558.

Johannes Lucidus in Chronic. Venet. Ann. 1575.

Laonicus Chalcondylas lib. 6. de reb. Turcicis.

Petrus Flandrus circa Ann. 1593.

Valerius Anselmus in Chronico Bernensibus dicato.

Petrus Gregorius Tholosanus in Syntagm. Juris lib. 15. cap. 3. num. 22. *Sexus fœmineus impedit, electionem sortiri effectum, si in summum Pontificem eligatur fœmina &c. ut ferunt, contigisse in ea, quæ Anglia nata in Moguntia, facta summus Pontifex, sexum ementita dicta est Johannes Septimus.*

Ejusdem Historiæ mentionem faciunt varii libri MSti, utpote,

Chronicon Germanicum MStum ex compluribus Autoribus collectum per Jacobum de Regiscuria (von Königshofen/) Sacerdotem Argentinensem, quod incipit, Gott in Ewigkeit ꝛc. desinens in Anno 1456. in Eugenio IV. legitur f. 110.

Johan-

Johannes von Mentz was Pabst zwey Jahr / funff Monat / der was ein Weib.

Chronicon Helvetico idiomate scriptum, pertingens usque ad Annum 1400.

Chronicon Campidonense MStum, in quo Abbates illius Cœnobii enumerantur.

Annales Augustani Latinè MSti.

Martini Chronicon Germanicè redditum, cujus Manuscriptio absoluta est An. 1429. miniatis passim titulis interstincta.

Confer Johannem Wolffium in Lection. memorab. tom. 1. Centur. 9. pag. 224. & seqq. ubi formalia Autorum verba recitantur: Librum, cui titulus, Assertio veritatis Historicæ de Papa Johanne VIII. contra Bellarminum & Baronium instituta à Conrado Dekero Oppenheimii Anno 612. in 8. edit. Dn. D. Hoë in Apocalypsin lib. 6. pag 68. Catalogum testium veritatis libr. 10. p. 1103. & seqq.

Secundò, *publicæ picturæ ac statuæ.*

Osvvaldus Crollius in Itinerario Italico memorat, Senis in templo cathedrali D. Catharinæ, omnium Romanorum Pontificum facies sculptas in marmore videri, & in his quoque suo ordine reperiri Johannem Papam adscriptis his verbis, *Fœmida Angla.*

Antoninus d. l. memorat, *quoddam signum sculpturæ marmoreæ in via, ubi hoc contigerit, ob hujus rei memoriam positum fuisse.*

Stephanus Blanck d. l. *Ibi loci adhuc recumbit saxum quoddam, referens sculptam ipsius & infantis ejus imaginem.*

In veteri quodam fragmento de Schola Romæ Græca sic legitur: *Johannes de Anglia, sexu mulier, natione Moguntina &c. in Papam a Romanis concorditer electa, Papatum biennio amplius tenuit &c. cum quadam die in rogationibus cum Clero Romano in solenni processione incederet, Papalibus ornata divitiis, edidit filium suum primogenitum propè templum pacis in urbe, ut adhuc vetus statua marmorea illic posita figurativè monstrat.*

Tertiò *processiones pontificiæ.*

In eodem veteri fragmento additur, *unde pontifices, dum ad Lateranense de basilica Principis Apostolorum, & è contra vadunt, illud rectum iter non faciunt, imò per alias vias per indirectum transeunt, illud aliquantulum prolongando.*

Chron. Argentor. *Ideo Papa posthac viam illam, quia Johanna meretrix ibi enixa est infantem, vitant, alias quærendo ambages.*

Martinus Polonus in Chron. *Propterea quod Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur omninò à quibusdam, quod ob detestationem facti hoc faciat.*

Ranulphus in Polychronico: *Hoc facinus sequentes pontifices damnare visi sunt. Nam ab ea via semper declinarunt, euntes in Lateranensem Ecclesiam, & nomen hujus meretricis ex Catalogo pontificum exturbarunt.*

Joh. Bocatius de clar. mulier. cap. 99. *Ad cujus detestandam spurcitiem & nominis continuandam memoriam, in hodiernum usq; summi pontifices rogationum die cum Clero & populo sacrum agentes, eum locum partus medio itinere positum abominantur, & eo misso declinant per diverticula vicosque, & sic loco detestabili post tergato reintrantes iter perficiunt, quod cœpere.*

Sabellicus d. l. *Fama tenet & mos, qui adhuc hodiè durat, ob tam fœdæ rei memoriam Rom. Pontifices, cùm Lateranum hodiè petunt, ibi loci viâ deflectere.*

Naucleus in Chron. *Quia Papa eandem viam semper declinat, cum Lateranum accedit, creditur à plerisque, quod ob detestationem facti hoc faciat.*

Theodoricus à Niem. *Adhuc vetus statua marmorea illic posita figurativè monstrat* (hoc factum) *unde summi pontifices, dum ad Lateranum de basilica Principis Apostolorum & contra vadunt, illud iter rectum non faciunt, imo per alias vias per indirectum transeunt, illud aliquantulum prolongando.*

Platina in vit. Pont. *Sunt, qui ob hac scribant, pontificem ipsum, quando ad Lateranensem basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causa viam illam consulto declinare, quod non abnuerim.*

Chronicon vetus Ulmæ Ann. 1486. impressum. Dieselbe Straß meiden noch alle Bäpst / daß sie nicht daran kommen von der Schand wegen.

Guilielmus Jacobus Monachus Eemondensis:

Fatur que scriptoribus, quod Papa præfato,
Vico senioribus transiens amato
Congruo ductoribus sequitur negato

Loco, quo Ecclesia partu denigratur.

Quartò, *sella porphyretica.*

In libro visionum Roberti (qui vixit circa An. 1290.) *Duxit me Spiritus ad Lateranense palatium, & posuit me in porticu ante sedes porphyrii, ubi dicitur probari Papa, an sit homo masculus.*

Felix Malleolus Canonicus Constant. in Dial. de Nobil. & Rustic. circa An. 1444. *Successit Benedictus III. natione Romanus, qui in rei memoriam certam cathedram apud Johannem Lateranensem pertusam erexit, quæ comparet usque in hodiernum diem, ad hoc coaptatam, ut electus summus Pontifex ibidem collocaretur & per duos de Clero fide dignos ejus testiculi, tanquam testes, testimonium de sexu virili præbentes, debitè tangerentur.*

Similia occurrunt apud Laonicum Chalcondylam lib. 6. de rebus Turcicis, Sabellicum d. l. Nauclerum d. l. Johannem Stellam Sacerdotem Venetum.

(Platina tamen & Petrus Gregorius per sellam illam stercorariam Pontificem humanæ fragilitatis admoneri arbitrantur.)

Alludunt ad eandem sellam porphyreticam versiculi Johannis Pannonii ante controversiam de hac Historia natam scripti:

Non poterat quisquam reserantes æthera claves,
Non exploratis sumere testiculis.
Cur igitur nostro mos hic nunc tempore cessat?
Antè probat quòd se quilibet esse marem.

Quintò, *exceptiones Adversariorum frigidæ.* (Qui frigidè & insufficienter se excusat, culpam fatetur. Atqui excusationes illæ, quibus Adversarii hanc labem abstergere & amoliri conantur, sunt frigidæ & jejunæ.)

Urgent contra hanc Historiam, primò, quod *Martinus Polonus primus sit, qui anno Domini 1282. hujus Historiæ mentionem faciat.*

Resp. 1. Bellarminus lib. de Script. Eccles. p. 360. fatetur, *in impressis Codicibus Mariani Scoti & Sigeberti Gemblacensis,* quorum uterque Martino Polono fuit superior, *hanc Historiam extare.*

2. Martinus ille Polonus in vestibulo operis sui recenset, ex quorum monumentis illud congesserit, qui vel interiere, vel alicubi latent cum blattis & pulvere colluctantes.

3. Fuit hic Martinus *Pœnitentiarius* Papæ Nicolai III. quod munus non concreditur hominibus contemtis, futilibus & mendacibus. Postmodum factus est *Archiepiscopus Consentinus.*

4. Onuphrius ipse testatur, *legisse se Commentarios Damasi & Pandulphi Pisani eâ ætate scriptos, in quorum margine inter Leonem IV. & Benedictum III. hac fœmina fuerit inserta.* (Addit quidem, sed *alio atramento.* Verùm hujus rei fides sit penes autorem.)

Secundò, quòd *multi ex Historicis Anastasius, Rhegino, Adamarus, Antonius Parisiensis, Herm. Schaffnaburgensis nullam hujus rei mentionem faciant.*

Resp. 1. Bellarmin. lib. 2. de Pont. Rom. c. 8. sic disserit: *Nihil concluditur ex argumentis ab autoritate negativè. Non enim sequitur; Lucas, Paulus & Seneca non dicunt, Petrum fuisse Romæ, igitur non fuit Petrus Romæ. Non enim isti tres omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testib. affirmantib. quàm mille nihil dicentibus, modò isti non negent, quod alii affirmant, alioqui quia Matthæus non scribit in Evangelio, Christum circumcisum, Marcus non meminit præsentationis, Lucas non meminit stellæ novæ, Johannes non dicit, Christum natum de Maria virgine, ista omnia erunt falsa, quod absurdissimum est.* Idem lib. 1. de Missa c. 24. resp. ad 2. *Etiamsi Evangelistæ non dixerint expressè, Christum se Patri obtulisse, tamen neq; expressè dixerunt, se non obtulisse &c. Argumenta illa negativa, Non habetur expressè in scriptura, ergo non est factum; jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.*

(Si juxta Bellarmini hypothesin in Historicis ne quidem ex ipsis sacris literis negativè argumentari possumus, quantò minus ex prophanis Scriptoribus?)

2. Ranulphus in Polychronico lib. 5. c. 32. respondet, *Propter deformitatem facti hanc Historiam ab aliis esse omissam.* Marianus Scotus. *Hujus Johannæ nomen autores non ponunt propter turpitudinem rei & muliebrem sexum.* Martinus Polonus. *Johanna non ponitur in Catalogo sanctorum pontificum, tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti.*

Tertiò, quod *Græci suo erga Romanam sedem odio hanc Historiam non omisissent, si quid veri ei subesse ipsis visum fuisset.*

Resp. Laonicus Chalcondyla lib. 6. de rebus Turcic. pag. 411. ejus disertè meminit, ut & Barlaam Græcus in Dialogo de Papæ Principatu, Zonaras, Nicetas, Cedrenus, & alii scriptores

ptores Græci ſuorum duntaxat Imperatorum & Eccleſiarum, non Romanorum Pontificum negotia exponere voluere.

Quartò, quod *autores in ejus narratione variis modis inter ſe pugnent.*

Reſp. Bellarminus libr. 2. de Rom. Pontif. c. 5. reſp. ad 1. *Sæpiſſimè accidit, ut conſtet de re & non conſtet de modo, vel alia circumſtantia. Nam conſtat apud Chriſtianos, Chriſtum eſſe mortuum in cruce pro nobis, tamen maxima diſcordia eſt de tempore, quo mortuus eſt. Tertullianus, Clemens Alexandrinus & Lactantius docent, Chriſtum mortuum anno 15. Tiberii, ætatis autem ſuæ anno 30. Ignatius, Euſebius & alii dicunt, eum anno ætatis 33. & Tiberii 18. crucifixum. Onuphrius, Mercator & aliquot alii recentiores anno ætatis ſuæ 34. Chriſtum paſſum eſſe volunt. Irenæus contendit, Chriſtum ferè ad annum 50. perveniſſe, proinde non ſub Tiberio, ſed ſub Claudio paſſum eſſe. De die ac menſe, quo Chriſtus mortuus eſt, tanta eſt diſcordia veterum & recentiorum, ut adhuc ſub judice lis ſit &c. At nunquid propterea negabimus, Chriſtum eſſe paſſum?* Idipſum applicat ad quæſtionem de Petri in urbem Romam adventu. *De tempore, quando Petrus primo Romam venerit, & quis ei primus ſucceſſerit, magna eſt inter autores diſſenſio, nec tamen dubitandum, an Petrus Romæ fuerit.*

(Martinus Polonus non dicit, Johannam illam fuiſſe Anglicam patriâ, ſed tantum cognomine, natam Moguntiæ. Inde Faſciculus temporum d. l. *Nugantur aliqui, ea de cauſa nullum Alemannum in Papam eligi, quod falſum eſſe conſtat.* Ergo non putavit fuiſſe Anglum, ſed Germanum.)

(Cum ergo Hiſtoriæ hujus veritas tot teſtibus confirmata in dubium vocari nequeat, imò per annos ſeptingentos publico conſenſu fuerit recepta, ideò non abſurde ſtatuunt Balæus & Funccius, *divinitus permiſſum fuiſſe, ut fœmina hæc fieret Pontifex & eadem meretrix. Nam cum eo tempore Pontifices ſenſim ſibi Reges ſubjicere quærerent, ut à Leone cœptum cum Anglo & ſequentibus cum aliis omnibus tentatum, ac poſt longas rixas obtentum, ſignificare Deum voluiſſe hac meretrice Pontifice, magnum illud Babylonicum ſcortum, de quo Spiritus S. in Apocalypſi prædixerat, jam tum Romæ potens eſſe.* Gregorius Nigrinus lib. 5. Inquiſit. Papal. c. 8. obſervat, quod ab anno Domini 855. quo meretrix illa Anglica in ſedem Pontificiam eſt evecta, uſque ad annum 1521. quo Lutherus Wormatiæ in Comitiis inter Ordines Imperii Romani coram Cæſare Papæ contradixit, inq; propatulo meretricem ſcortantem & poculo ſuo Reges terræ inebriantem propoſuit, numerantur anni 666. qui ſunt character beſtiæ Apocalypticæ.)

7. Quòd quidam agnoſcunt, Petrum nec primum, nec ſolum Epiſcopum Romanum fuiſſe.

Clemens Epiſcopus Romanus lib. 1. Recognit. ſcribit, *Barnabam primum Evangelium Chriſti Romæ prædicaſſe.* (Idem teſtatur Dorotheus Tyrenſis in Synopſi. Colligitur etiam ex Hiſtoriis, antequam Petrus Romam veniret, fuiſſe ibi Eccleſiam aliquam plantatam. Plerique ſcriptores Pontificii ſtatuunt, *Petrum ſecundo anno Claudii Romam veniſſe.* Sed antiquiſſimi ſcriptores teſtantur, tempore Tiberii, qui Claudium & Caligulam in Imperio anteceſſit, Romæ multos Chriſtianos fuiſſe. Tertullianus in Apolog. c. 5. Oroſius lib. 7. c. 4. Marianus Scotus in Chron. Quod ſi ergo Petrus non fuit primus Romanæ urbis Epiſcopus, ſed Barnabas, cur non potius Barnabæ quam Petri ſucceſſores Pontifices ſeſe vocant?)

Idem Clemens lib. 7. Conſtit. c. 46. Petrum ſic loquentem introducit: *Romanæ Eccleſiæ Linus, Claudiæ primus à Paulo, Clemens poſt ejus mortem à me Petro ſecundus ordinatur.*

(Ergò Linus fuit primus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, non à Petro, ſed à Paulo conſtitutus ac mortuus ante Petrum. Ergò non fuit Petri ſucceſſor, nec primus poſt Petri mortem Rom. Epiſcopus.)

Anglo-Rhemenſes in annotat. Gal. 2. ſect. 6. ſtatuunt, quòd *Eccleſia Romana fundata ſit ſimul à Petro & Paulo.* (Congruit hoc quorundam veterum teſtimoniis. Irenæus lib. 3. adverſ. hæreſ. cap. 3. ſcribit, *à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatam & conſtitutam Eccleſiam.* Epiphan. lib. 2. adv. hær. hæreſ. 27. ἐν Ῥώμῃ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι. Eccur igitur Petri potius, quàm Pauli in Epiſcopatu Romano ſucceſſores ſeſe vocant? Si Paulus æquè fuit Epiſcopus Romanus ac Petrus, utique peculiari aliqua ratione non ſuccedunt aliter Petro, quam Paulo.)

Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. c. 6. §. Manſit. *Petrus ex Judæa anno quinto à paſſione Domini* (antequam Romam veniret) *profectus in Syriam Antiochiæ fixit ſedem & manſit annos ferè ſeptem Epiſcopus ejus urbis. Poſtea anno ſecundo Claudii Romam venit, ibique ſedem fixit ac tenuit annis 25.*

(Si Petrus non ſolùm Romanus, ſed etiam Antiochenus Epiſcopus fuit, utique Antiocheni Epiſcopi æquali jure cum Romanis fruuntur, ſeque non minus Petri ſucceſſores eſſe gloriari poterunt, quàm Romani, quod ipſum etiam faciunt. Matthæus Paris in Hiſt. Anglica. *Anno Domini 1238. ad tantam auſus eſt proterviam impetu temerario prorumpere Antiochenus Archiepiſcopus, conſentiente Germano Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, Græcorum Advocato, & vices agente Antipapæ, quod Dominum Papam cum tota ſua Rom. Eccleſia & Curia inani autoritate excommunicavit. Et illam blaſphemando, ſe autem ſuamque Eccleſiam ſolenniter prædicando tempore & dignitate Domino Papæ & Romanæ Eccleſiæ propoſuit, & eſſe & fuiſſe Romanâ Eccleſiâ excellentiorem, eò quod B. Petrus Apoſtolus primo Eccleſiam Antiochenam cum ſummo honore rexerit per ſeptennium, ibidem cum ſumma, qua decuit, receptus reverentia, & ſimiliter honorifice incathedratus, Romæ verò fuerit multis injuriis & convitiis multipliciter laceſſitus, tandemque mortem ſub Imperatore Nerone paſſus, cum Co-Apoſtolo ſuo S. Paulo, ſpeciali Græcorum doctore, diræ mortis ſupplicium conſummarit. Unde merito charior & amabilior eidem eſſe tenetur ea civitas & regio cum ſuis civibus & omnibus incolis, quæ eidem B. Petro Apoſtolo honorem & reverentiam contulerunt, quam quæ dedecus & tormenta inflixerunt, poteſtatemq; ſolvendi & ligandi liberaliter potius Eccleſiæ Græcorum contuliſſe, quàm Romanæ, quam Simoniæ & uſuræ, avaritiæ & aliorum facinorum maculis conſtat jam ſordere.*)

8. Quod ex hypotheſi concedunt, *Petrum non fuiſſe Romæ mortuum.* (Atqui tota moles argumentorum, quæ pro Romani Pontificis Paſtoratu Oecumenico, & ſucceſſione in ſede Apoſtolica afferuntur, tandem devolvitur ad hoc principium, quod Petrus Romæ ſederit & mortuus ſit.)

Sanderus de clave David, lib. 3. cap. 2. ſub finem. *Sed quid ſi eis daremus, Petrum nunquam ſediſſe Romæ, an propterea Pontifex Rom. Petri ſucceſſor eſſe non poteſt? Quemadmodum enim licet Chriſtus Romæ, dum in terris ageret, non fuerit: tamen Vicarium Chriſti Romæ ſedere credimus. Eodem etiam modo potuit ſucceſſor Petri ſediſſe Romæ, quanquam Petrus ipſe illic non ſediſſet. Talis enim & tam neceſſaria erat Petri poteſtas in omnes Chriſti agnos atq; oves, ut ubicunq; ſediſſet, ſucceſſorem aliquem omninò habere debuerit, ſive is* (ſucceſſor) *Romæ, ſive alibi ſedem eligeret. Sic autem divinitus atteſtante Ambroſio in orat. de baſilicis trad. comparatum eſt, ut is Romæ ſedem collocaret &c. Non ergo Romani Pontificis primatum id tollit, etiamſi verum eſſet, quod iſte ex ſuis indoctiſſimis Magiſtris hauſit, Romæ videl. nunquam ſediſſe Petrum.*

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 12. reſp. ad 2. *Reſpondeo ex dictis, non ideo Romæ eſſe ſedem Pontificalem, quia Petrus Romæ obiit, ſed quia Romanus Epiſcopus fuit, nec ſedem ex Roma unquam aliò tranſtulit.*

Vidit Suarezius Sanderum in concedendo nimis liberalem fuiſſe, ideò lib. 3. Defenſ. fidei Cathol. c. 13. n. 10. contra eum ſic diſſerit: *Addunt nonnulli Catholici* (in margine citat Sanderum lib. 2. de clave David c. 6.) *Licet hæreticis daremus, Petrum non fuiſſe Romæ, nihilominus potuiſſe Pontificem Romanum eſſe ſucceſſorem Petri. Nam potuit Petrus alibi exiſtens, aut ſedens, vel Romæ, vel alibi, ſucceſſorem ſibi deligere. Quod quidem verè dictum eſt, & ex abundantia ad confuſionem hæreticorum, procedit tamen ſolum de poſſibili ſeu de poteſtate. Ut autem de facto conſtet, multum refert, quod Petrus Romanus Epiſcopus fuerit uſque ad mortem. Nam ſi Petrus alibi ſedem habuiſſet uſq; ad mortem, ut Romanus Epiſcopus in Pontificia ſede illi ſuccederet, oporteret illam inſtitutionem oſtendere ex peculiari Petri ordinatione, quæ revera non exſtitit, quia non alibi, ſed in Romana ſede & urbe mortuus eſt. Quo poſito, non fuit neceſſaria nova inſtitutio aut voluntas Petri. Nam ex natura rei, ſuppoſita priore inſtitutione divina, qui in Romana ſede Petro ſuccedit, primatum ejus conſecutus eſt, & ita per ſucceſſionem ad reliquos Romanos Pontifices derivatus eſt.*

(Aut ideò ſuccedit ſolus Romanus Epiſcopus in Oecumenico Paſtoratu, quia oportebat ex natura rei eum, qui in loco mortis Petri ſuccedit, ſuccedere quoque in Oecumenico Paſtoratu: aut ſuccedit ex peculiari quadam Chriſti & Petri inſtitutione. At non ſuccedit ordinariè *ex loco mortis*, alias Petrum Hieroſolymis oportuiſſet Chriſto ſuccedere, quæ eſt collectio Sanderi d. l. Nec ſuccedit *ex peculiari quadam inſti-*

institutione Petri, quia talis reverà non extitit, quod est Suarezii argumentum d. l. Nec succedit *ex peculiari institutione Christi*, quia hoc, quòd *Christus Petro obviam factus dixerit, vado Romam crucifigi, narrant solum Pontifices, non decernunt credendum*, quæ est Bellarmini argumentatio libr. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. Ergo nullo plane modo succedit.)

9. Quod fatentur, successionis ordinem non certò constare ex Historicis.

Onuphrius apud Platinam in vita Nicolai I. Papæ. *Porrò cum sequentes Pontifices usque ad Clementem II. neq; perpetuum quendam habeant scriptorem, & majorem suorum actorum partem amiserint, tempora adeo incerta & obscura habent, ut neq; quo loco, neq; quo ordine aliquot Rom. Pontificum nomina reponerentur, satis liqueat. Quidam etiam novi irrepserunt Pontifices, ut post Marinum Agapetus, & post Hadrianum III. Basilius, quos Sigebertus in Chronicis prodidit, quibus, stante maximè Historiæ veritate & temporum ratione, locus in hac serie esse non potest. Hi enim vel iidem nominibus mutatis cum aliquot aliis Pontificibus vel schismatici fuerunt, vel omninò nunquam extiterunt.*

Argum. Adverſ. 1. *Marcellus Papa in Epist. ad Antioch. scribit, Petrum Domino jubente venisse Romam; Ambrosius in Orat. contra Auxentium, & Athanasius in Apolog. pro fuga sua dicunt, Petrum Christi jussu Romæ Martyrium pertulisse. Ergo non est improbabile, Dominum etiam apertè jussisse, ut sedem suam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus Episcopus absolute ei succederet.* Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12. §. Et quoniam.

Resp. Alphonsus Mendoza in controverſ. Theolog. q. 4. pag. 328. ex Dominico Soto in 4. ſent. dist. 24 pag. 2. art. 5. in fine: *Quamvis illius revelationis Historia ab Abdia, Egesippo, Ambrosio & aliis referatur, adhuc tamen non tantâ pollet autoritate, ut rei tanti momenti solidum sit fundamentum. Præterea licet illa Historia esset irrefragabilis veritatis, adhuc collectio non esset satis firma. Nam Christus Petro apparens non jussit, ut Petrus Romæ sedem figeret, sed ut Romæ subiret Martyrium. Et quidem evenire posset, ut ille, qui totius orbis erat Episcopus, pateretur in urbe aliqua particulari, jubente Deo, sicut Mosen, qui totius populi Hebræi caput erat & Princeps, jussit Dominus in certo loco animam agere. Quòd si dicas id, quod rectè vidit Cordubensis lin. 4. Quæstionarii, q. 1. propoſ. 8. dub. 2. ex eo, quod Christus præcipiebat ac volebat, Petrum Romæ mori, meritò præsumi poterat, Deum velle ac præcipere, ut Papatus esset Romæ, quodq; ille, qui Romæ succederet in Episcopatu Petri, successurus etiam esset in Papatu, nam in locum ejus, qui moritur, sufficitur ille, qui succedit. Huic objectioni respondeo, adhuc non esse satis firmam collectionem, & qualis esse debebat ad firmandum ac constituendum jus divinum. Nam in multos sensus detorqueri Historia illa adhuc potest. Præterea licet constaret, Dei esse voluntatem, ut Papatus annecteretur Romæ, non continuo ad jus divinum pertineret. Aliud est enim jussus & voluntas, aliud statutum & lex, sive jus. Nam ordinationes Principum, ut maneant post mortem ipsorum, non sat est, ut habeant vim cujusdam simplicis voluntatis, sed vim statuti & legis oportet habeant. Non ergo fit, quòd sit de jure divino, Papatum esse Romæ ex iis conjecturis, quas nobis suppeditat illa Historia. Tandem, quia si hæc Historia tanta pollet veritate & autoritate, jam sane ex ea conspicuum habemus, quod triginta septem annis post mortem Christi non erat de jure divino, ut sedes Pontificia esset Romæ. Nam, ut illa habet Historia, anno trigesimo septimo à morte Christi D. Petrus rogatu fratrum Romam deserere, & in aliam civitatem transmigrare volebat, quod & faceret, nisi divino oraculo revocaretur Romam. Signum ergo est sufficientissimum, ex eo ut conjiciamus, Christum, dum viveret, nihil unquam vivâ voce, nec implicite & latenter insinuasse D. Petro, ut Romæ figeret pedem ac sedem.*

Arg. 2. *Nemo gessit se pro successore Petri, nisi Episcopus Romanus & Antiochenus. Atqui Antiochenus non successit Petro in Pontificatu Ecclesiæ totius. Nam non succeditur nisi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est, depositionem vel renunciationem. Petrus autem adhuc vivens & Pontificatum gerens Ecclesiam reliquit & Romæ sedem suam fixit. Restat igitur, ut Romanus Episcopus, qui Petro in urbe Roma morienti successit, eidem in tota ipsius potestate & dignitate succedat.* Bellarm. d. l. §. Jam verò.

Resp. 1. Alphonsus Mendoza d. l. p. 340. *Distinguere debemus duplicem in D. Petro, qui fuit Romanus Episcopus, potestatem, Primam quidem, quæ solum erat Episcopus Romæ, sicut singuli Apostoli singularum erant Ecclesiarum Episcopi. Alteram, qua totius erat caput ac Princeps Ecclesiæ. Et quidem quantum ad primam attinet potestatem, qui non esset Romanus Episcopus, illius successor dici non posset. Quantum verò ad alteram pertinet potestatem, existimo, non oportere, ut quis sit Romanus Episcopus ad hoc, ut illi dicatur succedere, statuente ac declarante ipsomet Romano Episcopo, non ut Romanus est, sed ut universalis est Ecclesiæ Princeps, quod, quamvis quis non sit Rom. Episcopus, sit universalis Pastor Ecclesiæ.*

(Si potestas, qua Petrus fuit *Romanus Episcopus*, distincta est à potestate, qua fuit *totius Ecclesiæ Princeps*, utique ex eo, quòd Pontifex est Romanus Episcopus, non statim inferri potest, quod sit Petri in principatu Ecclesiæ successor.)

2. c. Legimus. dist. 93. *Omnes Episcopi Apostolorum successores sunt.* Pamelius in annot. ad Cyprianum Epist. 42. ad Cornelium. *Pulchrè Episcopos successores Apostolorum nominat.* (Ergo etiam Antiochenus Episcopus est Petri successor, ad quam successionem non requiritur necessario, ut Petrus Romæ sit mortuus, alias nulli Episcopi essent Apostolorum successores, nisi illi, qui successerunt in illis locis, ubi Apostoli singuli fuere mortui, quod falsum. Cæterum successio illa Episcoporum intelligenda, ratione Ministerii Ecclesiastici, non ratione Monarchicæ potestatis, quam Petrus nec habuit, nec exercuit; nec ratione Apostolatus, in quo nullus Episcoporum ulli Apostolorum successit.)

3. Si Romanus Episcopus Petro in tota ipsius potestate & dignitate successit, utique etiam in Apostolatu successit, quippe qui est maxima Petri potestas & dignitas. Sed Bellarminus in hoc ipso cap. in responſ. ad 1. object. Nili scribit; *In Apostolatu tria contineri, primò, ut qui Apostolus est, sit immediatus verbi minister, ita ut ab ipso Deo doctus sit & sacros libros scribere possit, & hoc fatemur, non convenire in Romanum Pontificem.*

(Ergo non in tota potestate & dignitate Romanus Episcopus Petro successit.)

4. Si Romanus Episcopus inde atque ideo in tota potestate & dignitate Petro successit, quia Petrus Romæ fuit mortuus, consequens fuerit, etiam alios Episcopos reliquis Apostolis in tota potestate & dignitate succedere in illis locis, ubi Apostoli fuere mortui. Sed consequens est falsum, quia in Apostolatu nemo illis successit. Ergo.

(Bellarminus quidem excipit, *summam potestatem in omnem Ecclesiam, in qua Pontifex Romanus Petro succedit, fuisse in Petro ordinariam, in cæteris Apostolis delegatam*, sed falsum hoc esse, superius in cap. 2. ostendimus.)

5. Onuphrius in Additionibus ad Platinam negat, *Petrum Antiochia relicta Romam profectum esse*, idque se demonstrasse gloriatur ex antiquis autoribus.

(Quomodo igitur ex eo, quod Petrus relicta Antiochia Romam venerit, ibique sedem fixerit, infallibiliter probari potest, Rom. Episcopum & non Antiochenum esse Petri successorem?)

6. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 5. §. Cæterum. *Linus & Cletus ipsius Petri adjutores in Episcopali officio fuerunt.* Illud in Pontificali Damasi sic declaratur. *Petrus ordinavit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium Sacerdotale in urbe Roma populo, vel ad se venientibus exhiberent.* Clemens in Constit. Apost. lib. 7. cap. 46. introducit Petrum sic loquentem: *Romanæ Ecclesiæ Linus Claudiæ primus à Paulo, Clemens post ejus mortem à me Petro secundus ordinatur.*

(Ergo Linus Petro adhuc vivente Episcopali munere functus est. Jam verò Linus juxta Bellarminum est primus post Petrum Romanus Episcopus. Quomodo igitur sibi constat, quod Romanus Episcopus ideò, quia Petro in urbe Roma morienti successit, eidem in tota potestate successerit? Certè Pontificale Damasi & Marianus Scotus asserunt, Linum fuisse Papam tempore Neronis à Consulatu Saturnini & Scipionis usque ad Capitonem & Ruffum Consules. Saturninus & Scipio fuerunt Consules anno 2. Neronis. Capito & Ruffus anno Neronis 13. Petrus mortuus anno Neronis 14. Ergo Linus ante Petrum fuit mortuus.)

7. Concludimus verbis Nicolai Cusani Cardinal. lib. 1. de Concord. Cathol. cap. 34. *Successio ex loco non arguit successionem ex Principatu.*

CAPUT V.

De Ecclesiastico Romani Pontificis Principatu.

THesis. Pontifex Romanus de jure divino non habet Monarchicam potestatem in universam Ecclesiam.

Ἔκθεσις. 1. Non est in quæstione, an Episcopis Romanis ob orbis celebritatem & antiquæ fidei puritatem primatus honoris & ordi-

& ordinis inter Sedes Patriarchales olim concessus fuerit, sed hoc est in quæstione, an Pontificibus Romanis *jure divino Monarchica potestas* in universam Ecclesiam competat?

2. Neque in quæstione est, an Romani Episcopi etiam ante Constantinum dominatum affectaverint, quia Victor decimus quintus in ordine Episcopus ob controversiam de celebratione Paschatis Ecclesias Græcas præter jus damnabat, & à Communione rescindebat Anno Christi 191. quo nomine ab Irenæo ipsum graviter reprehensum fuisse, memorat Eusebius lib. 5. Hist. c. 24. Sed hoc est in quæstione, an dominatus ille super universam Ecclesiam, quam Pontifices Romani hodiè sibi arrogant, sit *de jure divino*.

3. Neque hoc est in quæstione, an Constantinus Imp. pientissimus Episcopum Romanum multis ornamentis decoraverit & opibus auxerit, sed an *primatum potestatis Monarchicæ* in universalem Ecclesiam ipsi dederit.

Antithesis. Bonifacius VIII. in c. Unam sanctam. extra. de major. & obed. *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.*

Et paulò ante. *Est autem hæc autoritas,* (suprema, quæ à solo Deo, non ab homine poterit judicari) *etsi data sit homini & exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibiq; suisq; Successoribus in ipso, quem confessus fuit, petrâ firmata, dicente Domino ipsi Petro, Quodcunque ligaveris &c. Quicunq; igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichæus, fingat esse principia.*

c. Quamvis. dist. 21. ex Pelagio Papa. *Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutionibus cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris primatum obtinuit.*

c. Aliorum. caus. 9. q. 3. ex Symmacho. *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed Sedis istius præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam habere conscientiam.*

Sexcenta talia in jure Canonico & apud Canonistas occurrunt.

Isidorus Mosconius de majest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 1. p. 20. *Papa est totius Ecclesiæ caput.*

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 12. §. Observandum secundò &c. *Si quis absolutè petat, an jure divino Romanus Pontifex sit pastor & caput totius Ecclesiæ, omninò id est asserendum.*

§. Observandum tertiò. *Petrus Pontifex totius Ecclesiæ à Christo institutus Romanæ urbis Episcopatum evexit ad summum orbis terræ Pontificatum. Ex quo sequitur, ut qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesiæ totius, etiamsi fortè id non exprimant electores.*

cap. 17. *Nullum tempus assignari, nullus autor notari potest, quin eo antiquiorem hunc primatum fuisse demonstremus, nisi ad Christum autorem & Christi tempora veniatur, eò igitur veniamus necesse est.*

cap. 18. *Legimus à Pontificibus Romanis Episcopos in toto orbe institutos, vel depositos vel restitutos.*

cap. 19. *Romanus Episcopus autoritatem leges ferendi, dispensandi & puniendi in Ecclesiæ filios, quamvis maximos & nobilissimos exercuit.*

cap. 20. *Summus Pontifex Vicarios suos in variis regionibus aut ordinariè aut ad tempus habebat, cum reservatione tamen majorum causarum.*

cap. 21. *Ex quavis orbis Christiani parte ad Rom. Pontificem legitimè provocatur, ab ejus verò sententia nulla conceditur appellatio.*

cap. 26. *Romanus Pontifex à nemine in terris judicari potest.*

cap. 31. *Episcopus Romanus vocatur Papa, pater Patrum, Christianorum Pontifex, summus Sacerdos, Princeps Sacerdotum, Vicarius Christi, caput corporis Christi, fundamentum ædificii Ecclesiæ, pastor ovilis Domini, Pater & doctor omnium fidelium, rector domus Dei, custos vineæ Dei, sponsus Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis Præsul, Episcopus Universalis.*

Idem lib. 3. de Eccles. c. 5. resp. ad 2. *Nemo potest, etiamsi velit subesse Christo, & communicare cum Ecclesia cœlesti, qui non subest Pontifici & non communicat cum Ecclesia militante.*

Lib. 3. de Laicis c. 19. contra Cassandrum disputans inter cætera sic scribit: *Etiamsi protestantes in omnibus fidei articulis cum Romano Pontifice convenirent, non tamen esse vera Ecclesiæ membra, cum nolint subesse & obedire Rom. Pontifici.*

Petrus à Soto in assert. Cathol. p. 537. *Cœtus ille non est Ecclesia, nec pars ejus, qui Roman. Pontificem non agnoscit superiorem.*

Alphonsus Mendoza controv. Theol. q. 4. p. 299. *Unanimis est ac fuit ab initio nascentis Ecclesiæ omnium fidelium sensus, Romano Episcopo præ cæteris Petri principatum fuisse relictum.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri Catholici, toto lib. VII. qui est de Hierarchia Ecclesiæ, *ex sacris Literis, Patribus Græcis & Latinis, nec non recentioribus Scriptoribus* probare intendit, *& necessarium & utile esse, ut omnes Christiani unione tam internâ quàm externâ Romano Pontifici connectantur*, inprimis art. 7.

Nicolaus Sanderus lib. 3. de clave David c. 5. p. 63. *Tam Episcopi omnes, quam cæteri fideles per unam Apostolicam & principalem Romani Pontificis cathedram eo visibili modo inter se connectuntur & copulantur, ut, qui extra unitatem Romani Pontificis degat, membrum Ecclesiæ Christi, aut communionis Sanctorum particeps fieri nullo modo possit.*

Abrahamus Bzovius libro de R. P. edito Colon. Ann. 619. Romanum Pontificem quinquagenâ capitum integrâ ita extollit, ut eum appellet *Christianorum Monarcham, à Deo assumtum, mortalium supremum, primæ Sedis præsulem, Catholicæ Ecclesiæ primatem, Conciliis jure divino Prælatum, Autorem, Præsidem, Præfinitorem, Moderatorem, judicem Conciliorum, nec falli, nec fallere scientem, nec judicariâ quoquam hominum potis, à quo nulla provocatio, ad quem in rebus fidei provocatio, depositi Apostolicæ, servatorem, à Christo & Spiritu S. traditæ doctrinæ dictatorem, sacræ Scripturæ custodem & cognitorem, ejus interpretem, cognitorem dogmatum, doctorem orbis, judicem controversiarum de fide, hæreticorum ultorem, innocentem ab hæresi, impollutum & à peccatoribus segregatum, censorem librorum, antistitem sacrorum, clavigerum cœlorum, janitorem regni cœlestis, judicem cæli, in judicio terreno supremum, fontem Sacerdotii, Principem Pastorum, Legislatorem, totius Ecclesiæ curatorem, judicem Episcoporum, verticem religionis, patrimonii Apostolici justissimo titulo possessorem atque patremfamilias, Christiani imperii columen, imperii Christianorum servatorem, unctorem Regum, arbitrum orbis, indeficientem.*

Michaël Ghislerius in Cant. Cantic. c. 1. v. 7. exposit. 2. *Sicut in Synagoga civitatem unam Jerusalem elegit Dominus, cui universa niteretur religio, ita pariter postquam Christus Dominus venit in mundum, sanctamq; sibi desponsavit Ecclesiam, unam elegit Sedem, cui universa niteretur fides Catholica, Petri videlicet cathedram, unamve urbem Romam, ubi potissimum ipsius Petri resideret successor.*

Nostram sententiam probamus,

1. Nuspiam in N. T. vel à Christo vel ab Apostolis est institutum, ut Monarchicum totius Ecclesiæ regimen ac summus Principatus sit penes unum hominem in his terris, ut in cap. 1. ostendimus. E. nec Rom. Pontifici Monarchica illa in universam Ecclesiam potestas competit.

2. Petrus non fuit à Christo constitutus Ecclesiæ Monarcha, nec pro eo se gessit, ut in cap. 2. ostendimus. Ergò nec Pontifex, prætextu successionis Petro factæ, Monarchicam potestatem in totam Ecclesiam sibi arrogare potest.

3. Petrus Apostolus non erexit Romæ Sedem Papalem, ut in c. 3. ostendimus. Ergò nec Pontifex prætextu Sedis Romanæ Principatum in universam Ecclesiam sibi arrogare potest.

4. Pontifex Rom. non est verus & genuinus Petri successor, ut in c. 4. ostendimus. Ergò nec in potestate Monarchicâ Petro succedit.

5. Episcopo Romano *primatus honoris* per Canones Conciliorum datus. Ergò *primatus potestatis* non competit ipsi jure divino.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam ex ipsis Episcopis Romanis agnoscunt, jure divino sibi non competere universalem ac Monarchicam in totam Ecclesiam potestatem.

Clemens Romanus Episcopus, quem Petri successorem fuisse volunt, Epistolæ ad Jacobum Episcopum Hierosolym. titulum ejusmodi præfixit: *Clemens Jacobo fratri Domini, & Episcopo Episcoporum, regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias, qui ubique Dei providentiâ fundatæ sunt.*

(Si Jacobo competit, omnes Ecclesias regere, utique Clementi Petri successori illud non fuit proprium.)

Cùm in Synodo Chalcedonensi Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus sibi subjicere vellet Orientales Ecclesias ob concessionem Synodi Constantinopolitanæ, Leo I. acriter repugnavit, scribens: *Nicenam Synodum constituisse per singulas*

gulas provincias Metropolitanos, quibus omnes alii subjecti essent, & nullus planè imperaret, nisi vel Synodi provinciales, vel universales. Pro his vitam se profusurum ait, & non passurum, ut quis Metropolitanos sibi subjiciat. Neminem enim debere in Ecclesia Dei imperandi cupiditatem & aliorum Episcoporum potentiam quærere.

Epist. 53. *Et manentibus terminis, quos posuerunt Patres, nemo in jus tendat alterius, sed intra fines proprios atque legitimos.*

(Atqui inter Metropolitanos illos etiam est Episcopus Romanus. Ergò nec ipse debet reliquos Metropolitanos sibi subjicere.)

Idem Leo Epist. 24. Anatolium Constantinopolitanum Episcopum vocat *suum Co-Episcopum*, (quia illo tempore Sedes Constantinopolitana *parem habebat potestatem* cum Sede antiquioris Romæ c. Renovantes. dist. 22.)

Cùm per Dioscorum Patriarcham Alexandrinum multæ turbæ in Ecclesia concitatæ essent, Leo Episcopus Romanus non potuit eas tollere, sed ob eam causam judicavit *Synodum convocandam*. Leo Epist. 9.

Cùm Concilium impetratum esset, tum Dioscorus sibi in eo omnia vendicabat, neque à Papa, ejusque Legatis retundi poterat. Leo Epist. 26.

Cùm Dioscori sententia in Concilio vicisset, non potuit à Leone impediri, ut non ubique reciperetur, ideò Imperatori supplicat, *ut jubeat omnia in eo statu manere, in quo fuerunt ante omne judicium.* Epist. 24.

Cùm illa, quæ per Concilium Ephesinum à Dioscoro turbata erant, emendanda esse censeret, supplicat Imperatori, ut *Concilium in Italia indicat.* Epist. 24.

Licet Imperator Synodum concederet, tamen non impetrabat Leo, ut *in Italia* indiceretur. Epist. 50.

Cùm Synodus esset indicata, supplicabat Leo Imperatori, *ut differretur in tempus magis idoneum.* Epist. 24.

Neque tamen hoc impetrabat. Epist. 50.

Cùm melior sententia in Concilio Chalcedonensi vicisset, & Dioscorus esset condemnatus, Leo non habebat potestatem eligendi alium Episcopum in Alexandrina Ecclesia, & ob eam causam supplicat Imperatori, *ut mandet Alexandrinis, ut alium Episcopum eligant.* Epist. 73.

Ex Epistola 45. Leonis apparet, Papam tum temporis non habuisse tantùm potestatis in Diœcesi Constantinopolitana, ut vel unum Monachum inde ejiceret. Supplicat enim Pulcheriæ Augustæ, ut *præcipiat Eutychetem ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi vicinus erat, longius transferri.*

Ex Epistola 55. colligitur, quòd voluerit *ordinationem Antiocheni Episcopi* à Constantinopolitano peractam facere irritam, sed non potuerit.

Gregorius lib. 4. Epist. 32. *Certè pro B. Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomen assumsit, nec uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo, quod nos hujus vocabuli gloriam & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit?*

Idem repetit lib. ejusdem Epist. 36. & 38. &c. lib. 7. Epist. 30. scribit: *Hoc verbum jussionis quæso à meo auditu removete. Scio, quis sim & qui sitis, loco mihi fratres estis, moribus Patres, non ergò jussi, sed quæ utilia sunt, indicare curavi.*

c. Ecce. dist. 99. ex Gregorio. *Ecce in præfatione Epistolæ, quam ad me ipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, Universalem me Papam dicens, inprimere curastis quod peto, mihi dulcissima sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigit, præbetur &c. Si universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat, se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & caritatem vulnerant.*

Huc referri potest, primò, quod Episcopi Romani in Ecclesia primitiva non se *universales totius Ecclesiæ Catholicæ, vel totius orbis Episcopos*, sed *urbis Romæ Episcopos* nominarunt.

Papa Liberius apud Baronium tom. 3. Anno 354. n. 3. suum Episcopatum nominat *Episcopatum urbis Romæ.*

Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 44. indict. 13. inquit: *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ me divina dispensatio præesse voluit.*

Imperator Honorius apud Baronium tom. 5. Ann. 419. n. 12. Bonifacium vocat *Papam urbis Romæ.*

Secundò, quòd Episcopi Rom. Patriarchis olim annumerati. Theodoretus Studita magnæ sanctimoniæ, & in Romana Ecclesia autoritatis vir apud Baronium tom. 9. Anno 819. n. 27. ponit *corporis Ecclesiastici quinos vertices, i. e. quinq́ Patriarchas.*

Idem Studita apud Baronium tom. eod. A. 821. n. 37. & A. 823. n. 12. Episcopum Romanum vocat *Patriarcham Occidentis.*

(Hæc restrictio satis arguit, Romanum Episcopum fuisse Patriarcham particularem.)

2. Quòd in jure Canonico citantur Decreta quorundam Conciliorum, in quibus Monarchica potestas Romanis Episcopis derogatur, honoris verò primatus per Conciliorum Canones ipsis datur.

c. Constantinopolitanæ. dist. 22. ex Concilio Constantinopolitano. *Constantinopolitanæ civitatis Episcopum oportet habere primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit nova Roma.*

Similia occurrunt apud Socratem lib. 5. Histor. c. 8. & Sozomenum lib. 7. c. 9.

(Ergò non *ex jure divino*, sed *ex constitutione Ecclesiastica* Episcopus Romanus primatum obtinuit. & quidem primatum *non Monarchicæ potestatis*, sed duntaxat *honoris ac sedis*, ut pluribus ostendit Nilus Archiepiscopus in lib. adv. Primatum Papæ. Quòd si enim Constantinopolitano Episcopo propter *novam Romam*, hoc est, propter Imperium Romanum Constantinopolin delatum secundus locus datur, sequitur, Romano datum esse primum honoris locum, quia ibi est *vetus Roma*, hoc est, vetus Imperii sedes.)

In editione Decreti Gregoriana ad cap. Constantinopolitanæ. dist. 22. ista leguntur: *Constantinopolitani Episcopi Imperatorum potentia freti, secundum locum Patriarchalium Sedium sibi usurparunt, idq́ tandem pacis & tranquillitatis causa fuit ipsis concessum, sicut in ea antiqua de privilegiis Innocentius Papa III. declaravit. Habetur hoc Decretum in Concilio Lateranensi Innocentii III. c. 5. Antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovantes, sancta Universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate.*

(Consensit ergò tandem Romanus, ut Constantinopolitana Sedes post Romanam inter Patriarchales esset prima.)

c. Renovantes. dist. ead. ex Synodo sexta. *Renovantes sancti Constantinopolitani Decreta Concilii, petimus, ut Constantinopolitana Sedes similia privilegia, quæ inferior Roma habet, accipiat, non tamen in Ecclesiasticis rebus perinde magnificetur, ut illa, sed hæc secunda post illam existens, prius quàm Alexandrina Sedes numeretur, deinde Antiochena & post illam Hierosolymitana.*

(Hisce verbis Gratianus Canonem illum adducit, sed multis modis corruptum. Sic enim habent verba Græca can. 3. ὁρίζομεν, ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων, ὃ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι. Gratianus habet, *petimus*, Concilii canon, ὁρίζομεν *definimus.* Gratianus habet, *similia privilegia*, Concilii canon, τῶν ἴσων πρεσβείων, *æqualia privilegia.* Gratianus habet, *superior Roma*, Concilii canon τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης *antiquioris Romæ.* Gratianus habet, *non tamen in Ecclesiasticis rebus perinde magnificetur ut illa*, Concilii canon habet, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι, *& in Ecclesiasticis æquè atq́ illa magnificetur negotiis.* Sic ergo Gratianus affirmativam mutavit in negativam. Hanc corruptelam ipsimet Pontificii coacti sunt agnoscere, quia in editione Gregoriana pro *non tamen*, repositum est, *nec non.* Sed si vel maximè corruptum illum Canonem, prout à Gratiano recitatur, assumamus, manifestũ tamen est, *primatum* duntaxat *honoris* Ecclesiæ Romanæ fuisse attributum. cum Constantinopolitanæ post illam secundæ similia privilegia conferantur. Inde Glossa in illum Canon. Renovantes, sic scribit: *Constantinopolitanus Episcopus idem juris habet in suis subditis, quod Papa in suis. Similiter Alexandrina Ecclesia fortè in prædictis simile Privilegium habet Romanæ.* Ac Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 7. artic. 6. scribit: *Græci in Chalcedonensi Concilio act. 16. absentibus Legatis Romanis definiunt, Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, ut tamen habeat æqualia Privilegia.* Confer tom. 1. Conciliorum edit. Colon. Anno 1551. pag. 936. Surium tom. 2. in Concil. Chalcedon. pag. 206. Baronium Anno 451. n. 136. ubi agnoscunt in Concilio

cilio Chalcedonensi act. 16. can. 28. Romano & Constantinopolitano Episcopis æqualia privilegia fuisse collata.)

c. Mos antiquus. distinct. 65. ex Concilio Niceno. *Mos antiquus perduret in Ægypto vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Romano Episcopo parilis est mos. Similiter autem apud Antiochiam & cæteras provincias honor suus unicuiq; servetur Ecclesiæ.*

(In hoc Canone 6. Concilii Niceni Oecumenici omnes Metropolitani & Patriarchæ Romano Episcopo exæquantur, nec ei quicquam amplius, quàm Alexandrino, Antiocheno & cæteris aliarum provinciarum Metropolitanis tribuitur. Jam verò Papa Gelasius in c. Confidimus. caus. 25. q. 1. pronunciat, quòd *Romana Sedes statuta Universalium Conciliorum strictè observare debeat:* ac Gregorius c. Sicut Sancti. distinct. 15. asserit, *se quatuor Concilia Oecumenica suscipere & venerari, sicut quatuor Evangelii libros.* Ergo etiam primi hujus Oecumenici Concilii Niceni Decretum observare debet. Et sane Gregorius observavit, unde *Universalis Episcopi* titulum admittere noluit, sed alii ab eo discesserunt. Cùm enim Episcopi Romani Zozimus, Bonifacius & Cœlestinus missis Legatis Faustino Episcopo Potentino, & duobus Romanæ Ecclesiæ Presbyteris in Concilio Carthaginensi sexto, cui & Augustinus cum 217. Episcopis interfuit, contenderent, *Decreto Niceni Concilii constitutum esse, ut Episcoporum omnium causæ ad Romanæ Sedis cognitionem pertinerent,* ibi Patres Concilii Carthaginensis requisitis & inspectis originalibus, quæ in Archivis Orientalium Ecclesiarum Alexandrinæ, Constantinopolitanæ & Antiochenæ asservabantur, crimen falsi deprehenderunt, & missâ Epistolâ Synodali, quæ extat tom. 1. Concil. p. 308. in hæc verba responderunt: *Presbyterorum quoq; & sequentium Clericorum improba refugia, sicut id dignum est, repellat sanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicena sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt.* Addiderunt & hoc: *Alias etiam Ecclesias habere Spiritum sanctum, ut causas cognoscere & dijudicare possint & illic, ubi orta sunt, in suis locis finienda esse negotia.* Monuerunt insuper *ne* καπνώδη τῦφον τοῦ κόσμου *fumosum seculi fastum in Ecclesiam Dei inducerent.* Tom. 1. Concil. de Concilio Carthagin. VI. p. 37. Circa quæ notandum, Zozimum non prætendisse affectato primatui *jus divinum* aut scripturam sacram, non consuetudinem quadringentorum annorum, sed tantum *jus humanum,* videlicet Decreta Nicena; eundem primatus tam cupidum fuisse, ut ob illum obtinendum non veritus fuerit Nicenæ Synodi Canones falsare, & quidem scribens ad tantum Concilium, cui Augustinus ipse interfuit; Patres verò istius Concilii Pontificem Romanum cum suo postulato repulisse, ac primatum ipsi penitus denegasse. At si primatus Pontificis niteretur jure divino, Augustinus & reliqui illius Concilii Patres in fundamentali fidei articulo gravissimè errâssent. Provocant ad hoc Concilii Carthaginensis Decretum Episcopi in Synodo Rhemensi An. 991. congregati, *Benè,* inquiunt Can. 27. *quoq; Aphricanos Episcopos super hoc Romanorum typho permotos fuisse, qui super hac re Synodo 217. Episcoporum tempore Zozimi Papæ inchoata & per tempora Bonifacii distenta, tandemq; sub Cœlestino consummata, quid de Rom. Episcopi potestate sentiri vellent, in æternis monumentis statuerunt.* Et sane repulsam illam, quam circa primatus affectationem in Concilio illo Carthaginensi Rom. Episcopi passi fuerant, tam ægrè & iniquè tulerunt, ut Bonifacius II. Zozimi Successor de Augustino sic scribere non erubuerit: *Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus, cum Collegis suis instigante Diabolo superbire temporibus Prædecessorum nostrorum Bonifacii & Cœlestini contra sanctam Romanam Ecclesiam cœpit &c.* Item: *Patres Africanos,* inter quos fuit Augustinus, *penitus inflammatos & Diabolico Spiritu instigatos* fuisse, asserit. Quamvis verò Baronius ad Annum 419. n. 92. & seqq. *reconciliationem Afrorum cum Romana Sede sub Eulalio* refellat, tamen Stapletonus in Relect. princip. controvers. 3. p. 7. eam asserit.

Severinus Binius tom. 1. annotat. in Concil. Carthaginens. pag. 203. agnoscit, verba illa Concilii Carthaginensis III. *Neque quisquam nostrûm Episcopum se Episcoporum constituit, aut Tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit,* opposita esse Pontifici Romano. *Concilium,* inquit, *his verbis alludit ad Decretum Stephani Papæ, qui aliter sentientibus pœnam excommunicationis acriter communicatus est.*)

c. Constantinus. distinct. 96. ex gestis B. Sylvestri. *Constantinus Imperator quarta die sui baptismi Privilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romani Pontifices vel Sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut Judices Regem.*

Ibid. *Decernentes sancimus, ut Romana Ecclesia Principatum teneat tàm super quatuor Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei, & Pontifex, qui per tempora ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat & ejus judicio, quæ ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur.* (Ergò hoc privilegium non descendit ex jure divino, sed ex donatione Constantini.)

c. Primæ Sedis dist. 99. ex Concilio Africano. *Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm primæ Sedis Episcopus. Universalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.*

(Caranza in summa Concil. p. 113. ex eo itidem colligit, *ne Romanum quidem Episcopum debere Universalem appellari.*)

c. Nullus. dist. ead. ex Pelagio. *Nullus Patriarcharum universitatis vocabulo unquam utatur, quia, si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quenquam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter caritas vestra neminem unquam, etiam suis in Epistolis, Universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem infert indebitum.* (Si nullus Patriarcharum Universalis debet vocari, ergò nec Romanus Episcopus.)

c. Placuit. caus. 2. q. 6. ex Concilio Milevitano. *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quicquid est, diffiniant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quòd si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverint appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiantur.* Idem decretum repetitur c. Presbyteri causa. 11. q. 3.

(Si non licet ad transmarina Concilia provocare, utique nec ad Romanum Pontificem. Gratianus huic Canoni Milevitano addit impudentem exceptionem, *nisi fortè Romanam Sedem appellaverint.* Sed hæc exceptio in actis illius Concilii non extat, imò manifestè iisdem repugnat, cùm hoc ipsum decretum fuerit contra eos, qui ad Romanam Sedem appellarent. Illi, qui jussu Gregorii XIII. Jus Canonicum correctum ediderunt, falsitatis convicti adjecerunt hanc excusationem: *Hæc in antiquis Codicib. scribuntur tanquam Gratiani verba.*

Bellarmin. lib. 2. de R. P. cap. 22. § 3. itidem agnoscit, *hanc exceptionem à Gratiano additam non quadrare, cùm præcipuè propter Romanam Ecclesiam Africani statuerint, ut non liceret appellare ultra mare.* Aliam igitur affert exceptionem, videl. *in isto Canone agi tantum de Presbyteris & minoribus Clericis, non de Episcopis.* (Sed Africani Patres in Epistola ad Cœlestinum P. R. disertè dicunt: *Nam etsi de inferioribus Clericis videtur ibi præcaveri, quantò magis de Episcopis voluit observari &c.*)

3. Quòd quidam agnoscunt, Monarchicam illam Papæ potestatem esse sacris literis & ordinationi divinæ adversam, vel certè non esse de jure divino.

Bernhardus Epist. 230. col. 946. ad tres Episcopos Hostiensem, Tusculanum, Prænestinum, (Romanæ Ecclesiæ Cardinales) *Et olim quidem eratis, contra Apostolum Petrum, dominantes in Clerum, imò & contra Co-Apostolum ejus Paulum dominabamini fidei totius orbis. Ac nunc novum aliquid addidistis, usurpantes amplius & in ipsam religionem. Quid restat, nisi ut adjiciatis & ipsis sanctis Angelis dominari?*

Idem lib. 2. de consid. ad Eugen. *Disce, exemplo Prophetico præsidere non tam ad imperitandum, quàm factitandum, quod tempus requirit. Disce, sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia messis quidem multa, operarii autem pauci. Blanditur cathedra? specula est. Inde denique superintendis sonans tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, solicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem? audi ipsum, non dominantes, inquit, in Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum solà humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio, Reges gentium domi-*

dominantur & benefici vocantur. Et infert. Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergò tu, & usurpare tibi aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque.

Idem lib.4. de Considerat. ad Eugenium Papam col. 1041. *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo autore praees, Ecclesiarum matrem esse, non Dominam, te verò non Dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis, porrò fratrem diligentium Deum & participem timentium eum.*

De Waldensibus scribit Schleidanus lib. 16. quòd circa annum 1160. *vetusta consuetudine Pontificem Rom. non agnoverint pro capite Ecclesiæ.*

Durandus Episcopus Mimatensis (circa ann. 1300.) de modo celebrandi Conc. generalis part.2. tit.32. citat multa ex Epistolis Gregorii, quomodo *ille noluerit se vel quenquam alium Universalem vocari.* Probat item prolixè ex multis veterum Paparum Epistolis, *eos solitos alios Episcopos sibi præferre.* Quare monet ex Gregorio, *ne nimium Papæ subjecti simus, ne eorum vitia venerari compellamur.*

part.3. t.22 *expedire* censet, *si primatus Rom. Ecclesiæ declararetur & distingueretur per jura Ecclesiastica & secularia, nec D Papa vocaretur universalis Eccles. Pontifex, cũ hoc prohibeat Greg.*

part. ejusd. tit.31. *Novitas nostri temporis sub inquietudine degit, quia Papa & Romana Curia omnium jura ad se trahit, rapit & vertit. Quia antiqua ordinatio de regimine mundi & Ecclesiæ & sua cuiq; jurisdictio à Romana Ecclesia & Præsidentibus non servatur, & ordo Ecclesiasticus confunditur, sicut Gregor. attestatur, & ad se, quæ ad minores & medios pertinent, trahere volunt, ut in eis verificetur illud, cũ exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum; mundus turbatur, universalis Ecclesia læditur & gravatur, & ordo Ecclesiasticus confunditur, ut Gregor. attestatur.*

Marsilius Patavinus in Defens. pacis Ann. 1324. part.2. cap. 16. *Non determinavit Petrus dubia circa fidem* (in Concilio Act.15.) *de plenitudine potestatis, quam quidam somniantes Magistri in Israel habere dicunt Romanum Episcopum, quia pronunciaverunt in non scriptis dogmatibus, ipsum per se solum, quod non ausit Petrus, ea quæ circa fidem dubia sunt, determinare posse, quod falsum apertum est & scripturæ dissonans palã &c. Cur ergò & unde assumunt adulatores sacrilegi quidam dicere, quenquam Episcopum habere à Christo plenitudinem potestatis, etiam in Clericos, nedũ in Laicos, cùm B. Petrus, aut alter Apostolus nunquam talem sibi potestatem ascribere præsumserit opere vel sermone?*

Et postea. *Romanus Episcopus supra reliquos sibi Co-Episcopos aut Compresbyteros nullam habet à Christo, nec habuit potestatem aut autoritatem. Nam sicut Petrus hanc non habuit supra reliquos Apostolos, ita nec Petri successores in Episcopali sede Romanâ suprà successores reliquorum Apostolorum.*

Ibid. *Multi successores aliorum Apostolorum fuerunt electi & constituti Episcopi ritè, ipsorumq; Provincias sanctè rexerunt absque alia institutione vel confirmatione de ipsis facta per successores Petri. Et extitit hoc sic legitimè observatum usque quasi ad tempora Constantini Imperatoris, qui quandam praeminentiam & potestatem tribuit Episcopis & Ecclesiæ Romanorum super cæteras mundi Ecclesias seu Presbyteros omnes.*

ibid. c.22. *Nusquam ex Scriptura colligi potest, quòd præcepto Christi vel consilio, aut alicujus Apostolorum Ecclesiæ, vel Episcopi reliqui subesse deberent Ecclesiæ, vel Episcopo Romanorum, etiam in Ecclesiastico ritu. Quòd si tamen necessitatis fuisset debitum ad salutem fidelium, quemadmodum asserunt jam quidam Rom. Episcopi, nec solum circa ritum Ecclesiasticum, verùm etiam in jurisdictionibus coactivis, non tantùm super Clericos, verum etiam seculares principatus quoslibet, quomodo existimabile est, Christum & ipsius Apostolos hoc prætermisisse tradendum? Sed quoniam tam Christus, quam ipsius Apostoli apertè statuerunt oppositum, præsertim in jurisdictionibus coactivis, debet sic sermo dicentium cum Apocryphis fabulis computari.*

Joh. de Janduno Marsilii socius docuit, *quòd Christus ascendens dimisit Ecclesiam suam sine Vicario, & quòd Papa majorem potestatem Presbyteris cæteris non habeat, quodque Cæsari subesse debeat & ab eo judicari.* De eo vide Baconthorpium in 4. sent.

Michaël Cesenas Minoritarum Generalis, quidam Joh. & Petrus de Corbaria circa ann. 1329. primatum Papæ impugnârunt. De illis sic scribit Antoninus part. 4. Summæ. *In Extravagante Johannis XXII. quæ incipit, Dudum ab audientia &c. reprobantur ut hæreses, errores Petri de Corbaria, Johannis & Michelini Ordinis Minorum, qui pertinaciter asseverabant, quòd Petrus Apostolus non fuit magis caput Ecclesiæ, quàm quilibet Apostolorum, & quòd Christus nullum Vicarium in Ecclesia dereliquit, vel caput. Et quod Papa non habet corrigere, & punire, instituere vel destituere Imperatorem. It. dixerunt, quòd Sacerdotes omnes cujuscunque gradus existant, sint æqualis autoritatis, potestatis & jurisdictionis, institutione Christi, sed Cæsaris institutione Papam esse superiorem, qui etiam potest hoc revocare. It. quòd nec Papa, nec tota Ecclesia potest punire quenquam punitione coactivâ, nisi hoc habeat ab Imperatore.* (Adstipulati sunt illis Wilhelmus de Occam. Joh. de Castilione, Franciscus de Arcatara & alii, ex quibus multi à Papa interfecti sunt.)

Nilus Thessalon. Archiepisc. circa an. 1330. scripsit prolixum librum contra Latinos, in quo primatum Pontificis multis argumentis refellit. Totam dissidii & schismatis inter Orientalem & Occidentalem Ecclesias culpam in Papam rejicit, dicit, *eum solum, contra omnes Canones, imperare velle, neminem audire, nullum liberum Concilium pati congregare &c.* Docet, *Papam non jure divino, sed humano aliquã præ aliis Episcopis dignitatem habere, quippe quã ipsi Concilia, Patres & Cæsares concesserint, nec concessisse tamen ob aliam graviorem rationem seu gravius jus, nisi quia ea urbs tunc orbis terrarum Imperium habuerit, non quia Petrus ibi vel fuerit, vel non fuerit.* Ostendit, *eum primatũ seu prærogativam nequaquam talem ac tantam esse, quantam ipse ejusq; adulatores sibi usurpant,* ac refutat ordine præcipuas Papistarum propositiones. Ostendit, *Papam nihil habere imperii super alios Patriarchas, posse enim errare ipsum, sicut & alios mortales, subjectum eum esse legibus & Conciliis, sicut & alios Episcopos, non esse ipsius jus convocare Concilia, sed Cæsarum, nihil eum posse sine aliis Episcopis in rebus Ecclesiasticis statuere, & deniq; nihil eum aliud ex Petri successione, quàm ut sit Episcopus, habere, quod & alii, omnes Episcopi à suis Apostolis habeant.* Exponens causam, δι' ἣν ὁ τῶν ἐκκλησιῶν πόλεμος, ἤρξατο, καὶ ἤκμασεν εἰς τοσοῦτον, λῆξαι δ' οὐδ' ἂν ἐλπίζειν ἐστὶν, ἂν μὴ Θεὸς χεῖρα ὑπέρσχῃ, *ob quam Ecclesiarum bellum & ortum sit primum & in tantum efferbuerit, ut ne sperandus quidem sit finis, ni Deus ex alto manum porrexerit,* subjunxit, τοὺς μὲν Ῥωμαίους διδασκάλους τὸ ζήτημα ἐθέλειν καθέζεσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους ἐν μαθητῶν μοίρᾳ ὑπακούοντας ἔχειν. *Quod Romani magistrorum partes sibi sumunt; alios vero instar discipulorum dicto audientes habere velint.* (Meminit hujus scripti Bellarminus lib.2. de Rom. Pont. c.12. ut & Coccius tom.1. Thesauri lib.7. art.6. ubi sic loquitur: *Nilus Thessalonicensis Episcopus de primatu Papæ Romani duos libros, qui Græcè & Latinè editi extant, scripsit, in quibus de potestate Papæ & ejus primatu quæstiones movet.*)

Alvarus Pelagius in lib. de planctu Ecclesiæ circa ann. 1341. *Quia dicit Dominus, Marc.10. Qui major vestrûm est, erit minister. Non veni ministrare, sed ministrari. 9. q.3. Nullus primas &c. Ex hac humilitate Papa Leo se committit judicio Imperatoris. Ex hac humilitate Gregorius Doctor non vult vocari Papa Universalis, sed vocat hoc verbum superbæ appellationis, 99. dist. Ecce. Et tamen Universalis est & in omnibus Ecclesiis ordinarius Papa. Cesset ergo fastus Romanorum Pontificum Vicariorum Filii Dei in carne humiliati Phil.2. & crucifixi, nostro infelici tempore tumentium, & succedant sic in humilitate Gregorio sicut & dignitate. Unde Hieronymus, Fatiscat, ait, invidia Romani culminis, recedat ambitio, cum successore Piscatoris discipulo Christi loquor, 24. q.1. Qui vetus &c. ubi Glossa dicit, quod cùm duo certarent de electione Papatus, & unius nobilitas allegaretur, alius ex adverso respondit, Piscatori & Christo fabri filio successorem quærimus, non Augusto.*

Carolus V. Galliarum Rex, Sapientis cognomen sortitus, circa Ann. 1364. curavit librum edi sub titulo *Somnium Viridarii*, in quo Pontifici superioritatem super Episcopos jure divino competere, negatur. Impressus est Parisiis ante Lutheri tempora. Multa in hoc libro ex Marsilii Patavini Defensore pacis verbatim sunt descripta. Inter cætera sic loquitur: *Sciendum, quòd Ecclesia Romana ab initio sui usque ad tempora Constantini obtinuit licitè prioritatem hanc ex aliarum Ecclesiarum quasi electione, præbentium eidem consensum & obedientiam, sponte tamen, non quidem quia eidem forent aliquâ autoritate subjectæ, sed propter Apostolorum Petri & Pauli præeminentiam caritatis & in fide constantiam. Et rursum propter multitudinem solennium personarum in ea honestate præpollentium atque dominia, qui etiam propter ipsorum caritatem, immensam curam, volebant fideles alios instruere & fraternè monere &c.*

Et post-

Et postea. *Nunquam ex Scriptura colligi potest, quòd ex præcepto Christi, vel consilio, aut alicujus Apostolorum, Ecclesiæ, vel Episcopi reliqui subesse deberent Ecclesiæ, vel Episcopis Romanorũ, etiam Ecclesiasticorum rituum respectu. Quod tamen, si necessitas fuisset & debitum ad salutem fidelium, quemadmodum asserunt jam quidem Romanorũ Episcopi &c. quomodo est credibile, Christum & ipsos Apostolos hoc prætermisisse? Sed quòd Christus & ipsi Apostoli apertè statuerunt oppositum &c. pluries est ostensum.*

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in Tract. de reformatione Ecclesiæ circa Annum 1414. *Non debet Romana Curia indignari, seu respuere à generali Concilio reformari, sicut nec contempsit à generali Concilio plures sui principatus honores recipere. Quia licet principaliter Romana Ecclesia principatum habuit à Domino, tamen secundario à Concilio, ut testatur Glossa super c. Concilia. dist. 17.*

Ibid. *Multi suspicantur, quòd multa injusta, & iniqua prætextu ficta & corrupta consuetudinis licita habita dissimulaverit Romana Curia, & super iis Concilia fieri neglexerit, ut possit ad suæ voluntatis libitum pleniùs dominari & jura aliarum Ecclesiarum liberiùs usurpare, quod non assero esse verum. Sed tamen quia hujusmodi laborat infamiâ, deberet ad eam purgandam super congregatione Conciliorum generalium & Provincialium providere, alioqui juxta dictum Augustini, quia famam suam negligit, crudelis est.*

In Concilio Constantiensi 240. Episcopi unanimi consensu statuerunt, *quòd primatus Pontificis non divino, sed humano tantum jure consistat.* Illis Concilii Basileensis Patres multi suffragati sunt.

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in Tractatu de auferibilitate Papæ, docet, *non esse peccatum mortale, non obtemperare Papæ, si non fiat ex contemtu.*

Idem in Tract. de potest. Ecclesf. consid. 10. *Quidam putaverunt, quòd omnia, quæ nunc summis Pontificibus conveniunt, competant eis ex primaria Christi institutione, & immutabili jure divino, quod falsum est, quoniam staret, aliquem esse verum Papam & perfectum, qui careret actualiter multis talibus privilegiis & honoribus, in quibus non consistit plenitudo Ecclesiastica potestatis, qualem in Petro fuisse diximus.*

Consid. 11. *Potestas Ecclesiastica in sua plenitudine est in Ecclesia, sicut in fine, & sicut in regulante applicationem & usum hujusmodi plenitudinis potestatis Ecclesiasticæ per seipsam, vel per generale Concilium ipsam sufficienter & legitimè repræsentans. Constat utique, datam fuisse Petro plenitudinem potestatis à Christo ad ædificationem Ecclesiæ suæ &c. propterea loquitur Augustinus cum aliis quibusdam, quòd claves Ecclesiæ datæ sunt non uni, sed unitati, & quòd datæ sunt Ecclesiæ.*

In Epilogo illius Tractatus. *Fatendum est, quòd plenitudo Ecclesiasticæ potestatis principaliùs est in Ecclesia suo modo, & hoc quadruplici respectu, scilicet indeviabilitatis ac indefectibilitatis, extensionis, regulationis & generalis obligationis, cui subjicitur etiam ipse Papa tanquam Imperatrici sponsæ Regis summi, qui potest condere Canones & diffinire, etiamsi Papa fuerit præsens.*

Panormitanus c. Significâsti, de Electione. *Papa est Vicarius Christi & non verè caput Ecclesiæ.*

Thomas de Corsellis circa Annum 1428. *Ut olim ambitio pestiferam illam bestiam, quæ per Arium primò quasi de infernis extulerat caput, cupidum Episcopatus induxit: sic hodiernam hæresin illi præcipuè nutriunt, quos jam mendicare suppudet, quorum alius clamat, subditorum facta judicari à Papa, Romanum verò Pontificem solius Dei reservari arbitrio. Alius dicit, quia primam Sedem nemo judicabit, quòd neque ab Augusto, neq; ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo valeat judicari. Alius asserit, ejectionem summorum Pontificum sibi Dominum reservâsse. Alius verò asserere non veretur, Romanum Pontificem, quamvis animas catervatim secum ad inferos trahat, nullius responsioni fore subjectum. Nec considerant miseri, quia, quæ prædicant tantopere, verba aut ipsorum summorum Pontificum sunt, suas fimbrias extendentium, aut illorum, qui eis adulantur.* Et quia hujusmodi *dicta solutionem habent, recurrunt statim ad* Evangelium *& verba Christi, sed non prout Spiritus Sancti sensus exposcit, sed suopte ingenio interpretantur, plurimumque illud extollunt, quia Petro sit dictum, Tu vocaberis Cephas, per quod eum caput faciunt; & Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram; & Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua; & Pasce oves meas, & Duc in altum rete, & Noli timere, jam ex hoc eris homines capiens, quodque soli Petro tanquam Apostolorum Principi Christus mandârit pro se & ipso staterem dare; & quia Petrus traxit ad terram rete plenum piscibus magnis; & quod solus Petrus ad Christi defensionem gladium evaginavit. Quæ omnia hi homines miro modo sublimant, expositionibus sanctorum Doctorum omninò posthabitis, quas si, ut par est, considerarent, manifestò cognoscerent contrarium.*

Æneas Sylvius (postea Pius II. Pontifex) in lib. 1. Comm. de gestis Conc. Basil. circa An. 1457. *Quicquid dicant alii, ego cum illis non sentio, qui Rom. Pontificem caput* Ecclesiæ *dicunt, nisi forsitan ministeriale. Legimus enim, quia Christus est* Ecclesiæ *caput, non Papa, & illud est verum caput immutabile, perpetuum & æternum. Romanus autem* Pontifex *nihil plus est, quàm veri capitis locum tenens.* Ecclesia *verò ipsius Christi corpus, cujus etiam ipse* Papa *est membrum, Vicarius autem Jesu Christi non in destructionem, sed in ædificationem ejusdem corporis Christi, quod est* Ecclesia, *quo fit, ut si damnosus & destructor reperiatur, deponi & abjici queat, non enim id agit, propter quod est institutus.*

Idem. *Dixerat fortè Argensis, Romanum* Pontificem *ministrum* Ecclesiæ *fore. Id ferre* Panormitanus *non poterat, tantumq; eâ die seipsum & suam scientiam, quæ utique maxima est, deseruit, ut* Papam Ecclesiæ *Dominum asseverare non vereretur. Cui Segovius, Vide quid agas* Panormitane, *inquit, honoratior titulus* Pontificis *ille est, quo Servum servorum se Dei appellat. Id enim ex eo est sumtum, quòd Christus discipulis suis ait, cùm quærerent, quis eorum major esset futurus. Scis enim, respondisse illum, quia Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic, & reliqua; ubi dominatum omninò prohibuit; &* Petrus, *qui & ipse Vicarius Christi primus fuit, Pascite, inquit, qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè, & paulò pòst, neque ut dominantes in Clero. Si Filius Dei Christus non ministrari, sed ministrare venit, quo pacto ejus Vicarius dominabitur, aut dici Dominus, sicut vis* Panormitane, *poterit? cùm non sit discipulus supra Magistrum, neque servus supra Dominum suum; Neque vocemini Magistri, inquit Dominus, quia Magister vester unus est Christus, & qui major est vestrûm, erit minister vester. Hac responsione quietato paululùm* Panormitano *recessum est.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 2. de Concord. Ecclesf. c. 13. circa Ann. 1464. *Quia ab illa potestate ligandi & solvendi, quæ est immediatè à Christo, est divinæ jurisdictionis potestas, patet, omnes* Episcopos, *& fortè etiam Presbyteros, æqualis potestatis, quoad jurisdictionem, esse.*

Ibid. *Omnes* Episcopi *sunt æquales quoad jurisdictionem. Itaque* Papatus *est de jure positivo, ut & omnes gradus majoritatis & minoritatis.*

Lib. ejusd. c. 34. *Gregorius dicit, nullum* Episcopum *ita principatum gerere, ut omnia membra* Ecclesiæ *sint ei subjecta, quinimò, eum Lucifero similem esse, dicit, qui hoc præsumit.*

Dominicus à Soto lib. 4. sent. dist. 24. q. 2. art. 5. & Cajetanus de primatu Papæ cap. 13. fatentur, *universalem* Ecclesiæ *gubernationem jure duntaxat* Ecclesiastico *annexam esse Romano* Episco*patui.* (Quam Soti opinionem Greg. de Valentia tom. 3. col. 275. & Tannerus tom. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 4. n. 155. dicunt, esse *nimis singularem, nec satis tutam.*)

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 49. §. 15. *Potest etiam esse alia ratio hujus occupationis* (quòd Hierosolyma ab Ethnicis occupata) *ne scil. ob primam inibi Ecclesiæ fundationem & Christi passionem credamus jam Catholicam* Ecclesiam, *sicut olim Synagogam, à Jerusalem pendere, quemadmodum ambitiosi* Pontifices *statuunt & stulti creduli æstimant, Romam esse caput Universalis* Ecclesiæ, *quæ tamen principaliter consistit in spirituali collectione Christi fidelium ubiq; terrarum degentium, & ejus caput solus est Christus, in omnibus primatum tenens, quem DEUS dedit caput super omnem* Ecclesiam.

Zabarella Cardinalis in c. Licet ext. de Elect. scribit, Papam *invasisse omnia jura inferiorum* Ecclesiarum, *adeò ut inferioris ordinis* Prælati *pro nihilo sint, & nisi Deus succurrat, vehementer periclitaturum esse Ecclesiæ statum.* (Ergo potestatem illam Monarchicam de facto sibi arrogavit.)

Idem d. l. *Papam nullo jure sibi summam & Universalem in omnes ubique Ecclesias administrationem & potestatem sumere, neque ullo fieri id S. Petri exemplo.*

In Volumine 4. Tractat. Doctorum Juris fol. 88. num. 20. hæc habentur: *Ex quibus omnibus videtur inferri, tam ex potestatibus Ecclesiæ pariter omnib. Apostolis attributis, quam etiam ex usu & consuetudine omnium Apostolorũ, qui unà cum Petro disponebant singula occurrentia in Ecclesia, quòd potestas clavium & Ecclesiæ non fuit in solo Petro constituta, & hodiè non sit in solo Papa, sed est in omnibus aliis Episcopis, qui Apostolorum loco sunt successores.*

Erasmus in Apol. ad Pium adducit dictum Hieronymi ad Evagrium. *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli &c. ejusdem meriti est & Sacerdotii.* Et addit. *Sanctus vir ingenuè fatetur, Episcopum Romanum non esse cæteris Episcopis sublimiorem Sacerdotio.*

Binius tom. 2. Concil. annot. in Synod. Chalced. pag. 183. col. 1. tractans de definitione Concil. Chalcedonensis, *quod Ecclesia urbis Constantinopolitanæ æqualibus cum Romanæ urbis Ecclesia privilegiis frui & non secus ac illa extolli & magnifieri debeat*, rationem illius decreti hanc tradit: *Supponit Synodus illa, quòd Romana Sedes non divino, sed humano jure caput Ecclesiarum effecta fuerit.*

4. Quòd quidam agnoscunt, ante Constantini tempora Episcopos Romanos non habuisse primatum.

Marsilius Patavinus in Defensore pacis part. 2. cap. 22. p. 258. *Episcopus & Ecclesia Romanorum ab initio sui usque ad tempora Constantini obtinuit licitè prioritatem aliquam ex aliarum Ecclesiarum quasi electione, præbentium eidem consensum & obœdientiam, sponte tamen, non quidem, quia eidem aliquâ forent autoritate subjectæ, sed propter Apostolorum Petri & Pauli præeminentiam caritatis & in fide constantiam, & rursum propter multitudinem solennium personarum in ea, honestate præpollentium atque doctrinâ. Qui etiam propter ipsorum caritatē, immensam curam & solicitudinem assumserunt, aliarum Ecclesiarum Prælatos & singulares fideles alios instruere ac fraternè monere. His autem ipsorum monita tanquam doctiorum suscipientibus, ipsorum etiam ordinationes citra Ecclesiasticum ritum, quoniam utiles videbantur & justæ, postmodum susceperunt, & demum ipsorum mandatis sub Ecclesiastica Censura excommunicationis, vel interdicti, propter fidelium unitatem servandam, obœdierunt, quæ siquidem obœdientia spontanea per longam consuetudinem obtinuit vim electionis cujusdam. Unde licet circa initium Ecclesiæ reliqui Episcopi & Ecclesiæ fidelium, neque divinâ, neque humanâ lege aliquâ obligarentur obœdire mandatis aut institutis Ecclesiæ, vel Episcopi Romanorum, plusquàm è converso, invalescente tamen hac utili & rationabili consuetudine quâ fideles in unitate ampliùs servabantur, eò quòd tunc fideli caruerunt legislatore* (Imp. Romano) *ipsos ad ordinē reducente ac unitatem servante, obligati fuerunt posteri lege divinâ ad hujusmodi obœdientiam in licitis & honestis, ac si dictum Episcopum & Ecclesiam per electionem sibi judicem statuissent circa Ecclesiarum ritum, & hoc præsertim usq; in ea tempora, quibus possent publicè congregari & de statu Ecclesiastico perfectiùs ordinare. De contentiosis autem actibus altera quidem ratio est, in illis enim judicandis inter fideles, sive Sacerdotes, sive non Sacerdotes aliud consilium dedit Apostolus 1. Cor. 6. Hoc enim noluit Apostolus esse officium Sacerdotis, seu Episcopi cujusquam, aut solius ipsorum Collegii, sicut ex Apostoli serie ac Sanctorum expositionibus evidenter apparet* ibidem. *Sic ergo Rom. Episcopus & ipsius Ecclesia prioritatem licitè à principio per quandam sui caritativā solicitudinem obtinere cœpit, quæ postmodum propter consuetam devotionem, reverentiam & obœdientiam spontaneam quasi electionis robur assumsit. Nusquam enim ex Scriptura colligi potest, quòd præcepto Christi, vel consilio aut alicujus Apostolorum Ecclesiæ, vel Episcopi reliqui subesse deberent Ecclesiæ, vel Episcopo Rom. etiam in Ecclesiastico ritu &c. Tempore verò Constantini primi Romanorū Imperatoris, qui patenter Christi fidem & baptismum assumsit, primùm fideles inceperunt publicè congregari & dubia circa fidem diffinire, ac Ecclesiasticum ritum ordinare, ut apparet ex Codice Isidori, capitulo de primitiva Ecclesia, in Synodo Nicena. Ab hoc siquidem Constantino per edictum Imperiale juxta prædictam laudabilem & antiquam consuetudinem obtinuit, Episcopus & Ecclesia Romanorum prioritatem, quam sibi super alias determinavimus convenire &c. Et ultra prioritatem hanc Provinciarum quarundam possessiones atq; dominia, quamvis ante tempora Constantini, & post etiam Romanorū Episcopi quidam suis Epistolis sive decretis quibusdam prioritatem, quam super alios illis convenire monstravimus, electione vel constitutionibus Principum sibi singulariter absq; requisitione vel consensu legislatoris humani fidelis, Collegii cujusquam vel personæ singularis cujusvis præeminentiæ aut autoritatis existat, innuerunt divinâ lege deberi, cujus tamen oppositum monstratum est sufficienter capitulo præcedente. Post tempora verò Constantini primi & præcipuè Imperiali Sede vacante, hanc sibi deberi prioritatem quandoque lege divinâ, quandoque verò concessione Principum suis Epistolis expresserunt Romanorū Episcopi quidam &c. Hanc etiam autoritatem extendentes in omnes Episcopos & Ecclesias, populos & singulares personas ad sententiam excommunicationis & interdicti divinorum officiorum tam subditus, quàm Ecclesiarum ministris sive Prælatis, ac alterius cujuslibet Ecclesiasticæ censuræ consimilis, ut anathematis in supradictos fideles ferendum. Consequenter verò ipsorum aliis idem intendentibus de omni jurisdictione seu coactiva potestate, super omnes Ecclesiarum mundi ministros & ipsorum Collegia, eâ quidem utentes tanquam sibi conveniente ex concessione Principis, quamdiu potens extitit Rom. Princeps, ipsiusq; regnum integrum & plena sedes. Hoc verò deducto in seditionem, & præcipuè Imperiali Sede vacante per temporum intervalla freti sunt hac potestate, tanquam sibi divinâ lege concessâ &c. Sic etiam suis Epistolis expresserunt, sibi convenire temporalium omnium Ecclesiasticorum dispensationem, seu distributionem pro voto absque Collegii cujusquam aut personæ singularis cujuscunq; dignitatis vel autoritatis, requisitione consensus. Quibus etiam ipsorum moderniores excessibus non contenti suis expresserunt Epistolis sive Decretis, autoritatem sive jurisdictionē coactivam supremam super omnes mundi principatus, populos, & singulares personas sibi lege divinâ deberi, sic quidem, ut nullus principantium jam dictorum jurisdictionem hanc coactivam, quam vocant ipsi gladium temporalem, præter aut contra ipsorū consensum sive dictamen, licitè valeat exercere, præter autem aut contrarium facientes Principantes & populos excommunicationis vel interdicti sententiâ vocaliter pronunciando subjectos, asserunt enim, se solos in mundo Christi Vicarios, qui fuit Rex Regum & Dominus dominantium, hoc latenter intendentes per eum, quem sibi debitum dicunt, titulū plenitudinis potestatis, propter quod etiam ad suam autoritatem pertinere dicunt, omnia mundi regna & principatus conferre ac auferre licitè posse Regibus & cæteris Principantibus ipsorum mandata transgredientibus, quamvis impia sint secundùm veritatem & illicita sæpè.*

Carolus V. Galliarum Rex, cognomento Sapiens, in libro, quem sub titulo Somnium Viridarii, in publicum edi curavit, hunc Marsilii Patavini discursum verbatim recitat.

Æneas Sylvius Epist 31. ad Martinum Mayerum. *Ante Nicenam Synodum unusquisque sibi vixit, & parvus respectus ad Romanam Ecclesiam habebatur.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 8. §. 2. *Constantinus Palatium Lateranense ac Romanam urbem, omniumq; Italiæ & Occidentalium regionum Provincias Successoribus B. Petri assignavit, privilegium quoque dedit, ut sicut Roman. Imperator esset caput totius mundi, sic Romanus Pontifex caput omnium Ecclesiarum.*

Salmeron in 1. Pet. 5. Disp 8. §. Et dicendo. *Tempore Cypriani* (cùm dixit *Episcopatum unum & universalem esse & indivulsum, cujus pars à singulis in solidum teneatur, quia unusquisque portionem gregis sibi creditam gubernet;*) *casus peculiares ipsi Pontifici reservati non fuerunt.* (Ergo nec suprema jurisdictio Ecclesiæ, quam ex reservatis illis casibus demonstrare satagunt.)

5. Quòd quorundam Conciliorum & Patrum suffragium nobis hac in quæstione largiuntur.

B. Rhenanus in argum. Tertull. de præscript. *Quanquam honorifico laudis titulo Romanam exornat Ecclesiam, non tamen tanti illam facit, quantam hodiè fieri videmus. Nam Apostolicis Ecclesiis illam annumerat, non solam facit Apostolicam, h. e. summatem facit, non summam.*

Pazmannus lib. 10. hodegi cap. 1. ex Justiniani Novella 131. scribit, *in quatuor primis Conciliis œcumenicis sancitum esse, ut Papa Romanus sit primus omnium Sacerdotum, huic succedat Patriarcha Constantinopolitanus.* (Ergo per Conciliorum decreta datus ipsi fuit primatus ordinis inter eos, qui ejusdem cum ipso potestatis, & qui ratione ordinis ipsi succedebant.)

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. c. 17. Objicit Nilus *Concilium Chalcedonense, quod Can. 28. ut ipse citat, vel Act. 16. in nostro Codice, dicit, Romanam Ecclesiam à Patribus habuisse primatum, eò quòd illa civitas Imperio orbis terræ eo tempore potiretur. Respondeo, decretum illud magni quidem esse Concilii, sed non legitimè factum, proinde nullius esse roboris vel autoritatis. Nam ex ipsa Actione 16. constat, Decretum illud absentibus Legatis Apostolicæ Sedis, qui Concilio præsidebant, esse factum, constat item, eosdem Legatos post ea apertissimè reclamâsse.* (Largitur ergo nobis suffragium Concilii Chalcedonensis, sed autoritatem ejus elevare conatur. Notandum verò, quòd Decretum illud Concilii Chalcedonensis repetitum & confirmatum sit in Concilio Constantinopolitano, cujus decretum Juri Canonico insertum c. Constantinopolitanæ. dist. 22. Quòd Legati Papæ huic Canoni contradixerunt, illud ostendit, Pontifices Romanos jam tum primatum affectâsse, nondum autem in ejus posses-

sione fuisse, aliàs non fuisset in Legatorum absentia decretum illud factum.)

Lib.2. de Conciliis cap.8.§. Respondeo primùm. *Objicitur nobis Concilii Carthaginensis Can.26. in quo decernitur, neminem debere vocari Principem Sacerdotum. Respondeo, Concilium illud fuit nationale, nec ferebat leges Universæ Ecclesiæ, sed tantùm* Episcopis *Africæ. Itaque non prohibuit, nec potuit prohibere, ne Romanus Pontifex diceretur summus Sacerdotum vel summus Sacerdos, sed tantùm, ne ita appellaretur ullus Metropolitanus Africæ.* (Quòd voluerit Concilium hoc prohibere, patet ex verbis à Gratiano adductis, *Universalis autem Episcopus, nec Romanus Episcopus dicatur.* Idipsum etiam agnoscit Roffensis in confut. assert. Luth. verit. 8. *Non placuit Concilio Africano, ut Romanus Episcopus appellaretur Universalis.* Quòd *potuerit* prohibere, agnoscit ibidem Roffensis scribens, *Ætas illa, quæ fuit vicina Apostolorum temporibus, modestiæ simul & humilitati studuit.* Ac si vel maximè non potuisset prohibere, pertinaciæ & ambitioni Romanorum Episcoporum hoc esset adscribendum, sicut in simili Bellarminus lib.2. de R.P. cap.12. resp. ad Nili argumentum scribit: *Etsi hoc tempore Græcorum pertinacia non permittit, ut Papa Romanus Antiochiæ & Alexandriæ Episcopos ordinet, tamen id olim ei licuit.)*

Medina lib.1. de orig. sacr. cap.5. *Hieronymus æqualitatem inter Episcopos docuit.*

6. Quòd agnoscunt, Constantinum Sylvestro, Phocam Bonifacio (sive *quarto*, ut vult Martinus Polonus, sive *tertio* ut alii volunt, sive utrique) primatum dedisse.

Marsilius Patavinus in Defens. pacis part.2. cap.22. pag.255. *Principalitatem hanc tribuit Constantinus Episcopo & Ecclesiæ Romanorum & cum principalitate hac propter devotionem autoritates alias quàmplurimas etiam coactivas, ad quarum collationem eidem divino vel humano jure minimè tenebantur. Hanc siquidem etiam principaliter jam dictam ab Episcopo & Ecclesia Roman. revocatam fortasse per successores aliquos Constantini, restituit Augustus Phocas Ecclesiæ supradictæ, ut ex Chronico Martini de Romanis Pontificibus & Imperatoribus evidenter apparet, ubi legitur inter cætera, Bonifacius IV. natu Marsorum &c. & parùm infra. Hic obtinuit ab Augusto Phoca Imperatore, ut Ecclesia B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia Constantinopolitana primam omnium se scribebat.*

Pomponius Lætus in Phoca. *Unum porrò sanxit, quod laudem meruit, hoc est, urbem Romam totius salutaris vitæ caput esse, cùm antea propter Sedem Principis Constantinopolis haberetur.*

Sabellicus Enneadis 8. lib.6. *Egit is* (Bonifacium intelligit) *ab initio suæ administrationis cum Phoca, ut Romana Ecclesia esset omnium aliarum caput, estque id ægrè, nec sine multa contentione Apostolicæ Sedi datum. Græci id ad se decus trahentes, ibi Christianæ pietatis arcem oportere esse ajebant, ubi Imperii caput esset.*

Aimonius sive Annonius Monachus in Chron. *Bonifacius Gregorii successor à Phoca petiit & impetravit, ut Sedem Romanæ Ecclesiæ caput omnium Ecclesiarum statueret, quia Constantinopolitana sese omnium primam scribebat.* (Observa emphasin verborum, *impetravit & statueret.)*

Flavius Blondus Decad.1. lib.9. *Phocas ipsius Pontificis suasione, publicâ & ad universum orbem Christianum demissâ sanctione constituit, ut Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici omnes orbis Ecclesiæ obœdirent.*

Anastasius Rom. Ecclesiæ Bibliothecarius de vit. Pontif. pag.62. *Bonifacius tertius obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.*

Abbas Urspergensis in Chronic. *Bonifacii rogatu Phocas constituit, Sedem Romanam esse caput omnium Ecclesiarum, nam antea Constantinopolitana Ecclesia scribebat se matrem omnium.* (*Constituit* inquit, non restituit.)

Platina in vit. Bonif. III. qui interjecto tantùm Sabiniano annis non integris duobus Gregorio successit. *Bonifacius à Phoca Imper. obtinuit, magnâ tamen contentione, ut Sedes B. Petri, quæ est caput omnium Ecclesiarum, ita diceretur & haberetur ab omnibus, quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vendicare conabatur faventibus interdum malis Principibus, affirmantibusq; eo loci primam Sedem esse debere, ubi Imperii caput esset. Affirmabant Romani Pontifices, urbem Romam, unde Constantinopolit. colonia deducta est, caput imperii meritò habendam esse, cùm etiam Græci ipsi literis suis Principem suum τῶν ῥωμαίων αὐτοκράτορα, id est, Romanorum Imperatorem vocent, ipsiq; Constantinopolitani etiam ætate nostrâ Romæi non Græci vocentur.*

Onuphrius in Addit. ad Platinam p.78. *Cùm res* (de Universalis Episcopi nomine & primo in Ecclesia loco,) *Mauritii inertiâ sub S. Gregorio transigi non posset, eo mortuo sub Bonifacio III. ab Imperatore Phoca ita constituta est, ut Rom. Pontifex juxta Apostolica dogmata & vetustissimam S. Patrum traditionem primum omnino locum in cathedra Ecclesiæ retineret.*

Ibid. addit, *ipsum Bonifacium ab hoc nomine postea abstinuisse, quia conscientia ei dixit, illud insolentius esse.*

Polydor. Vergilius lib.4. de rerum invent. cap.9. *Cùm Bonifacius III. ab Imperatore Phoca impetrâsset, ut in omnes Episcopos prærogativam haberet, omniumque caput perpetuò foret, jam tum Romanus Pontifex multò quàm antea cùm suo urbano Sacerdotum Senatu cunctis sine controversia præstare autoritate cœpit.*

Hieronymus Balbus Episcopus lib. de coronatione ad Carolum V. *Inter Antiochenam Romanamq; Sedem de Sacrorum Pontificum prærogativa gravissima & diuturna contentio fuit. Sed non minus postquam Constantinus Bizantium deduxit coloniam, de Ecclesiæ primatu certatum est, quoad Bonifacius III. à Phoca Imperatore obtinuit, magnâ tamen contentione, ut Sedes B. Petri Apostoli caput, sicut caput est omnium Ecclesiarum, ita diceretur & haberetur ab omnibus, quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana vendicare conabatur, plerisque affirmantibus eò loci Ecclesiæ Sedem esse debere, ubi Imperii caput esset &c.*

Nauclerus Generat. 21. *Bonifacius insolentiam Patriarchæ Constantinopolitani, οἰκουμενικὸν se appellantis compescuit. Phocas enim Pontificis suasione publicâ ac ad universum orbem dimissâ sanctione constituit, ut Romanæ Ecclesiæ Romanoq; Pontifici omnes orbis Ecclesiæ obœdirent, quòd retroactis temporibus non ad unguem servabatur, maximè a Græcis asserentibus eò loci primam sedem esse debere, ubi esset caput Imperii.*

Baronius Anno Christi 106. n.5. agnoscit, *Bonifacium tertium à Phoca obtinuisse, ut solus Universalis vocaretur.*

Jacobus Augustus Thuanus Histor. lib.67. *Phocas Bonifacio tertio insignes Episcopi Universalis titulos, quos nuper Gregorius in Johanne Constantinopolitano improbaverat, prolixè attribuit.*

7. Quòd agnoscunt, primatui Pontificis ab Ecclesiis quibusdam fuisse jam olim contradictum.

Ecclesias Africanas illi contradixisse constat ex Concilio Carthaginensi, cujus decretum relatum est in jus Canonicum c. Primæ Sedis. dist.99. *Universalis nec Romanus Episcopus appelletur.* Ac ostendimus superiùs, Legatos Zozimi Pontificis cum falsatis Niceni Concilii Canonibus ab Augustino & aliis Episcopis Africanis repulsos fuisse, unde anathematis vinculo à Pontifice Romano innexi fuêre, ut constat ex Epistola Bonifacii ad Eulalium.

Bernh. lib.3. de consid. ad Eugen. *Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem! Ambitio in Ecclesia per te regnare molitur, præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Repertum ad remedium reperitur ad mortem, antidotum versum est in venenum. Murmur loquor & querimoniam omnium Ecclesiarum, truncari se clamant & demembrari, vel nullæ, vel parvæ admodùm sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant.*

Episcopi per Galliam ad Nicolaum Episcopum Romanum, à quo severius erant tractati, Anno 863. in hanc scripsêre sententiam: *Sciesque, nos non tuos esse, ut te jactas & extollis, Clericos, quos ut fratres & Co-Episcopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras.* Extat hæc Epistola in Annalibus incerti Autoris à Petro Pithæo editis.

Ecclesia *Ravennatum*, *Aquilegiensis* & *Mediolanensis* multis annis restiterunt primatui Papæ usque ad annum 900. In Epistola etiam, quam Papa ad Ursum Ducem Venetum scripsit, quæ apud Sabellicum & Bonintendium extat, clarè confitetur Papa, *Ravennatum Ecclesiam esse multarum Ecclesiarum caput.*

Baronius Anno 1680. n.35. *Episcopus Ravennas Romano demum subjectus fuit* Anno 680. *qui tamen postea iterùm descivit.*

Idem Anno 708. n.2. *usque dum circa Annum* 900. *unà cum Aquilegiensi & Mediolanensi Romanæ Sedi planè subjiceretur.* Wolff. Cent.2. Lect. memorab. pag.38. Ergò vix nono seculo Papa pro Universali capite fuit receptus.

Cùm Johannes XXII. Pont. Roman. prolixè ad Græcos scripsisset, *unam tantùm esse Christi Ecclesiam, cujus ipse sit caput Univer-*

Universale, Christi in terris Vicarius unus, quem & ipsi agnoscere debeant, rescriptum ab ipsis fuit, *Potentiam tuam firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam explere non valemus, Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Johannes Mandevilla lib. 1. c. 17.

Inde Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. c. 12. resp. ad 4. Nili argumentum scribit, *hoc tempore Græcorum pertinacia non permittit, ut Papa Romanus Antiochiæ & Alexandrinæ Episcopos ordinet.*

Idem in præfat. lib. de Rom. Pont. *Primi, qui primatum Romani Pontificis oppugnârunt, videntur fuisse Græci. Illi enim jam inde ab anno Domini 381. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea ne patriarcha quidem erat, tribus Patriarchis Orientis anteponere, & secundum à Romano Pontifice facere voluerunt. Id intelligi potest ex Concilio Generali Can. 5. Deinde anno 451. eo Græci non contenti eum Episcopum Constantinopolitanum Rom. Pontifici parem efficere conati sunt. Nam in Synodo Chalcedonensi act. 16. definiunt Græci Patres, non tamen sine fraude & absentibus Legatis Romanis, Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, ut tamen habeat æqualia privilegia. Neque hoc etiã contenti temporibus S. Gregorii ac prædecessoris ejus Pelagii ejus nominis secundi circiter annum 600. Episcopum Constantinopolitanum œcumenicum, id est, orbis terræ sive Universalem Episcopum appellare cœperunt &c. Extat etiam libellus Græcè scriptus à Nilo Thessalonicæ Archiepiscopo adversus primatum Romani Pontificis.*

Baronius tom. 4. Anno 372. num. 32. *Basilius est ausus Occidentales erecti supercilii insimulare*, qui etiam in Epist. 10. dixit, *Odi fastum illius Ecclesiæ.*

Maldonatus in cap. 16. Matth. *Græci Episcopi maximè semper Romano Pontifici hanc potestatem inviderunt.*

In Indice expurgatorio pag. 60. referuntur & deleri jubentur verba Laonici, *Romanos accepimus & eorum Pontifices maximè longo tempore cum Græcis in Christianæ religionis articulis contertâsse.*

In Ecclesia Occidentali primatui Romani Pont. contradixerunt *Waldenses*, sive Pauperes de Lugduno.

Bellarminus loco proximè citato. *Waldenses Anno 1170. exorti ex Latinis primi sunt, qui ab obœdientia Romani Pontificis se subtraxerunt. Anno deinde 1300. Matthæo Palmerio teste in Chronico, extiterunt quidam, qui Fratricelli dicebantur, qui præter alios errores etiam hunc habuerunt, Petri autoritatem in Romana Ecclesia jamdudum cessâsse atque ad Sectam Fratricellorum esse translatam. Vide Joannem de Turrecremata lib. 4. Eccles. part. 2. c. 37. Non diu post, eodem Joanne de Turrecremata teste, extitère Marsilius Paduanus & Johannes de Janduno, qui Romano Pontifici non modò Episcopos omnes, sed omnes etiam Presbyteros pares fecerunt. Deinde circiter annum Domini 1390 exortus est Johannes Wiclef & eum secutus est Johannes Hus &c.*

Potest etiam hoc modo ex ipsorum Adversariorum testimoniis demonstrari, Universali isti autoritati, quam Pontifex Rom. sibi arrogat, semper fuisse in Ecclesia contradictum.

Universalis autoritas *in congregandis Conciliis Universalibus* refutata fuit per octo prima generalia Concilia, quæ erant ab Imperatoribus congregata. Nicol. Cusan. lib. 2. Conc. Cathol. cap. 25. Constat insuper ex Epistolis Leonis I. quòd multâ supplicatione non potuerit ab Imp. Theodosio obtinere, *ut Concilium intra Italiam celebraretur.*

Universalis autoritas *approbandi vel improbandi decreta Conciliorum* repressa fuit in Concilio Sardicensi, ubi in forma præscribitur, *ne liceret Papæ sententiam Synodi improbare.* Cusanus lib. 1. cap. 15.

Universalis immunitas, *ut Papa nunquam Concilii potestate coactivâ deponatur*, repressa fuit per Concilium etiam Romæ habitum contra Johannem XII. Papam. Victoria Relect. 4. de Pont. Propos. 23. postea à Concil. Constantiensi & Basileensi penitùs fuit explosa.

Universalis jurisdictio *in excommunicandis alienis Ecclesiis* repressa fuit ab Asianis Episcopis contra Victorem Papam; Surius tom. 1. Concil. p. 194. postea à Carthaginensibus contra Stephanum Papam tanquam Tyrannicus terror & superba ambitio rejecta. Surius ibidem pag. 242.

Universalis potestas *Appellationum* in Concilio Africano *tanquam fumosus seculi typhus*, vel repugnante Papa Bonifacio, fuit explosa. Surius ibid. pag. 591.

8. Quòd tales proferunt hypotheses, ex quibus primatus Monarchicæ potestatis Pontificiæ everti potest.

Primò. Anglo-Rhemenses in annot. Eph. 1. Sect. 6. fatentur, quòd *Papa sit Christi Vicarius tantùm in regimine ejus partis Ecclesiæ, quæ est in his terris.*

Bellarminus lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 9 §. At Papa. *Christus regit omnem Ecclesiam, quæ est in cœlo, in purgatorio, & in terris. At Papa solùm regit eam Ecclesiæ partem, quæ est in terris.*

(Ex illo sic colligimus: Una familia seu una congregatio habet duntaxat unum caput. Ecclesia triumphans in cœlo & Ecclesia militans in terris constituit unam tantùm familiam, Ephes. 3. vers. 15. Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 5. §. penult. *Ecclesia triumphans unita est, imò potiùs una est cum militante.* Ergo habet duntaxat unum caput. Jam verò Ecclesiæ triumphantis caput est solus CHRISTUS, non Pontifex Romanus. Ergo etiam Ecclesiæ militantis caput est solus Christus, non Pontifex Romanus. Item, Qui est caput Ecclesiæ Universalis, illum etiam oportet esse caput Ecclesiæ triumphantis. Papa Romanus non est caput Ecclesiæ triumphantis. Ergo. Videt hoc Bellarminus, ideò in recensendis Petri prærogativis lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 20. prærog. 7. scribit: *Prima piscatio Petri Luc. 5. designat Ecclesiam militantem; secunda piscatio Johan. 21. denotat Ecclesiam triumphantem. Jam ergo insignis prærogativa Petri est, quòd in utraque navi & piscatione, quæ apertissimè totius Ecclesiæ statum significat, semper Petrus Princeps invenitur.* At si huic figuræ debet veritas respondere, utique etiam successor Petri principatum Ecclesiæ triumphantis habere debet.)

Secundò. Iidem Anglo-Rhemenses in annot. Ephes. 2. sect. 2. fatentur, *Ecclesiam non posse vocari corpus mysticum Petri, nec Papæ, nec alterius cujuscunque Prælati.* (At si Papa in aliquo sensu potest esse caput totius Ecclesiæ, tum Ecclesia eodem respectu posset vocari ejus corpus.)

Huc referri potest illud, quòd Johannes de Turrecremata Cardinalis lib. 2. de Eccles. cap. 23. ad 4. & 5. respondet, *neque Petrum, neque successores ejus habere ullum externum influxum, quo prosint Ecclesiæ, neque per modum efficientis, neque per modum meriti.*

Tertiò. In Jure Canonico c. Legimus. dist. 93. ex Hieronymo sic habetur: *Ubicunque fuerit Episcopus sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* (Si omnes Episcopi sunt Apostolorum successores, ergo Pontifex non est solus Petri successor, sed id commune habet cum aliis Episcopis. Si dicere velint, *solum Pontificem Romanum succedere Petro in Monarchica potestate, alios Episcopos succedere tantùm in docendi officio*, petitur principium. Si Linus Petro in Monarchica potestate successisset, consequens foret, Linum fuisse Johanne Apostolo in Monarchica potestate superiorem. Ratio est, quia Johannes adhuc in vivis fuit, cùm Linus Petro succederet. At consequens est absurdum, quia Apostolatus potestas & dignitas est summa potestas & dignitas in Ecclesia. Ergo & antecedens falsum est.)

Quartò in c. Cùm venisset. lib. 1. Decretal. Gregor. tit. 15. de sacra unctione ex Innocentio III. *Apostolorum Vicarii sunt Episcopi.*

Toletus in cap. 20. Johannis super verba: *Sicut misit me Pater. Apostolos Christus Vicarios instituebat, ut dirigerent mundum in via salutis.* (Si omnes Episcopi sunt Apostolorum Vicarii, utique non solus Pontifex Romanus est Petri Vicarius. Vicarii autem sunt non ratione Apostolatus, quia illa dignitas & potestas non fuit transmissa ad successores, sed ratione pastoratus. Si excipere velint, ut excipiunt, *Papam propriè succedere Petro velut ordinarium Ecclesiæ Pastorem, alios Episcopos succedere Apostolis impropriè in pastorali & Episcopali vocatione*, petitur principium, quia ut Petrus fuit ordinarius Ecclesiæ Pastor, ita quoque reliqui Apostoli fuerunt ordinarii Ecclesiæ Pastores.)

Quintò. Clemens V. in Concilio Viennensi c. si quis. lib. 5. Clementin. tit. 8. de pœnis sic loquitur: *Episcopi dicuntur sanctissimi, Christi Legati existunt, spirituales sunt patres, nostrique fratres & Co-Episcopi, columnæ comprobantur Ecclesiæ.* (Si omnes Episcopi sunt sanctissimi, sunt Christi Legati, sunt Pontificis Co-Episcopi, sunt columnæ Ecclesiæ, utique soli Ponti-

Pontifici Romano non competit esse sanctissimum & esse Christi Vicarium. Ratione *officii Sacerdotalis* nullus Episcopus est Christi Legatus, ratione *officii Prophetici* omnes fideles Episcopi sunt Christi Legati.)

Sextò. Idem Clemens V. lib. 2. Clementin. tit. 9. c. Romani. de jurejurando. *Sacrosancta Romana Ecclesia caput est Christus Redemtor noster, Romanus Pontifex est ejusdem Redemtoris Vicarius.* (Christus ideò est caput Ecclesiæ, quia est ejus Redemtor & Salvator, quod desumtum ex Ephes. 5. v. 24. At Pontifex Romanus non est Redemtor Ecclesiæ. Ergo nec ejus caput.)

Antoninus Archiepiscopus Florentinus part 3. Summ. tit. 22. cap. 2. de Conciliis Generalibus §. 6. edit. Argent. Ann. 1496. *Papa est Vicarius Christi, & non verum caput Ecclesiæ, ut notat Glossa, ne Romani. de ele. in Cle. quæ etiam dicit, quòd mortuo Papa Ecclesia non est sine capite, quia non est sine Christo, qui est caput ejus.*

Septimò. Plurimi ex Pontificiis non solùm vetustioribus, sed etiam recentioribus statuunt, *Concilium esse supra Papam*, ut suo loco in articulo de Conciliis videbimus. (At qui Concilium statuunt supra Papam, illi negant summam Pontificis potestatem. Gregor. de Valent. in Anal. lib. 8. cap. 7. §. Atque hinc. *Qui dicunt, Concilium esse supra Papam, illi reverà pugnant cum primatu Pontificis.* Ergo plurimi ex Pontificiis non solùm vetustioribus, sed etiam recentioribus pugnant cum primatu Pontificis.)

Octavò agnoscunt, discrimen inter Pontifices & reliquos Sacerdotes ab Ethnicis mutuatum, & in Ecclesiam traductum. Præfat. dist. 21. *Inter eos* (Sacerdotes) *quædam discretio servata est, ut alii appellentur simpliciter Sacerdotes, alii Presbyteri, alii Chorepiscopi, alii Episcopi, alii Archiepiscopi seu Metropolitæ, alii Primates, alii summi Pontifices. Horum discretio maximè à gentilibus introducta est, qui suos Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant.*

Nonò. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 24 §. Hæc ergò &c. sic disserit. *Hæc est ratio numeri harum Sedium*, (ut prima sit Romana, secunda Alexandrina, tertia Antiochena.) *Ratio autem ordinis est, quia cum omnes tres sint Sedes Petri, tamen Romanam per se usque ad mortem administravit, Alexandrinam per Marcum Evangelistam; Antiochenam per Evodium. Sicut ergo major est Petrus Apostolus Marco Evangelista, & Marcus Evangelista Evodio, qui neque Apostolus, neque Evangelista fuit, ita quoque Romana Ecclesia Alexandrinam & Alexandrina Antiochenam autoritate & dignitate superat.* (Ex illo sic colligimus: Linus, qui ex hypothesi Bellarmini Petro in Sede Romana successit, vel eandem, quam Petrus habuit, jurisdictionem est sortitus; vel non eandem, sed inferiorem. Si eandem, tum Linus fuit superior Marco Evangelista, quippe quo Petrus fuit superior. Si non eandem, tum Petro mortuo Alexandrina Sedes non fuit inferior Romanâ, quippe cui Marcus Evangelista Lino superior præfuit, cum Linus, nec Apostolus, nec Evangelista fuerit.)

Decimò. Bellarminus lib. 4. de R. P. c. 4. §. At secundum &c. hæc habet: *Ecclesiam Rom. non posse deficere, non adeò certa est sententia, ut contraria dici possit hæretica.* (Si Ecclesiam Romanam non posse deficere, non est adeò certa sententia, ut contraria dici possit hæretica, utique non est certum, de Sede Romana hoc intelligendum, quod Matth. 16. v. 16. dicitur, *portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*, quod tamen Bellarminus in præfat. lib. de Pont. Rom. asserit. Ulterius. Si Ecclesiam Romanam non posse deficere, non est adeò certa sententia, ut contraria dici possit hæretica, utique non est adeò certum, Romanum Pontificem Petri in Sede Romana successorem habere Monarchicam in totam Ecclesiam potestatem. Ratio est, quia Monarchica illa Pontificis Romani potestas nititur hac hypothesi, quòd Sedes Romana sit prima Sedes, nunquam à fidei firmitate ruitura. Quid quòd Ribera in c. 17. Apoc. concedit, *Romam aliquando futuram Sedem Antichristi*, ut suo loco plenius videbimus.)

Undecimò. Bellarminus lib. de Clericis c. 14. §. Quod ad secundum &c. sic scribit. *In Testamento Veteri unus erat summus Sacerdos Aaron, & qui ei succedebant, erant præterea minores Sacerdotes, omnes videl. filii Aaron, & qui ab illis descendebant, ac denique erant Levitæ, ceteri &c.* §. Quod autem &c. *At Episcopi id sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in V. Testamento, id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes, ut etiam id Diaconi nostri, quod illorum Levitæ.* (Atqui si in Ecclesia N. Testamenti quilibet Episcopus id est, quod summus Pontifex in Vet. Testamento, concidit Monarchicus Papæ primatus, quia supra quemlibet Episcopum nullus dabitur gradus altior.)

Duodecimò. Bellarminus lib. 2. de Pont. cap. 27. §. 4. & 6. concedit, *quòd Pontifex ex caritate ab alio in Ecclesia corripi possit, & quòd Pontificem hæreticum Ecclesia possit judicare.* (Ergo Pontifex non est absolutè summus Monarcha, quia supremum illud dominium requirit, ut *Rom. Pont. à nemine in terris judicari possit*, docente eodem Bellarmino lib. 2. de Pontif. cap. 26. & 27. ac lib. 2. de Concil. cap. 17.)

Decimò tertiò. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 24. §. Vera igitur, citat dictum Gregorii lib. 6. Epist. 37. ad Eulogium Alexandrinum. *Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in autoritate convaluit, quæ in tribus locis* (Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ) *unius est &c. Cùm ergo unius atq; una sit Sedes, cui ex autoritate divina tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo.* (Si in tribus his locis unius atque una est Sedes, ergo etiam harum trium Sedium una est ratio. Proinde ut *contra Alexandrinam & Antiochenam Sedem portæ inferorum prævaluerunt*, docente Bellarmino lib. 4. de not. Eccles. cap. 8. §. Si ergo &c. ita quoque contra Romanam prævalere poterunt, aliàs unius Sedis non esset una ratio. Vicissim, si tres illæ Sedes sunt unius & una Sedes, ergo Romanæ non competit Monarchica potestas in Sedes Alexandrinam & Antiochenam.)

9. Quòd quidam agnoscunt, nuspiam in N. Testamento, vel à Christo, vel ab Apostolis institutum esse, ut Monarchicum totius Ecclesiæ regimen ac summus principatus sit penes unum hominem in his terris; quorum dicta allata sunt cap. 1. quòd quidam agnoscunt, Petrum non fuisse à Christo constitutum Ecclesiæ Monarcham, nec pro eo se gessisse, quorum dicta allata sunt cap. 2. quòd quidam agnoscunt, Petrum non erexisse Romæ Sedem Papalem, quorum dicta allata sunt cap. 3. denique quòd quidam agnoscunt, Pontificem non esse verum & genuinum Petri Successorem, quorum dicta allata sunt cap. 4. Ex illis enim omnibus deduci potest, Pontifici Romano non competere Monarchicam in totam Ecclesiam potestatem.

10. Quòd quidam negant, *esse de fide, credere Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ*, Bannes, Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 9. Turrecremata lib. 4. Summæ cap. 9. (apud Tannerum tom. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 4. §. 163. quibus sese Tannerus d. l. Gregorius de Valentia, Salmeron, Vasquez & alii opponunt.)

11. Quòd tales concedunt hypotheses, ex quibus inferri potest, Papam non esse caput Ecclesiæ.

Primò, quidam Pontificii statuunt, *Papam non esse suprà, sed infra Concilium*, ut in seq. art. demonstrabitur. (At qui est infra Concilium, is non est caput Ecclesiæ, cùm Concilium repræsentet Ecclesiam. Consequentiam hanc firmam esse, fatetur ipse Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 14.)

Secundò. *Petrum fundasse Romanam Ecclesiam*, negavit quidam Guilielmus An. 1350 teste Coccio, f. 814. Thesauri tom. 1. (Atqui opinio de Monarchica Papæ potestate nititur hoc fundamento, quòd Petrus Romanam Ecclesiam fundaverit, eidemque per 25. annos præfuerit.)

Tertiò, *reliquos Apostolos non à Petro, sed à Christo potestatem accepisse*, docet Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 4. dub. 2. n. 86. (At si Petrus fuisset Ecclesiæ caput, utique ab ipso potestatem suam reliqui Apostoli accepissent & accipere debuissent. Inde Turrecremata asserit, *reliquos Apostolos à Petro potestatem accepisse*, ut Monarchicam Petri & successorum ejus in Sede Romana stabiliat potestatem.)

Quartò. Si solus Episcopus Romanus fuisset summus Pontifex, reliqui Episcopi non fuissent dicti, nec dici debuissent summi Pontifices ac summi Sacerdotes, quia summo non datur superius. Jam verò quidam ex Episcopis Romanis & ex Scriptoribus Pontificiis agnoscunt, *olim etiam reliquos Episcopos dictos fuisse summos Pontifices.*

Anacletus Epist. 2. *Unde liquet, quòd summi Sacerdotes, id est, Episcopi à Deo sunt judicandi.*

Et postea. *Quo loco contemplari licet, Aaron summum Sacerdotem, i. e. Episcopum fuisse.*

Leo ad Anastasium Thessalonicensem Epist. 84. cap. 5. *Cùm ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisq; consensus postularit.*

Idem

Idem Epist. 88 ad Ravennium. *Provectionem dilectionis tuæ, quæ summi Sacerdotii adepta est dignitatem, nobis placere cognosce.*

Zozimus Episcopus Rom. ex Epistola ad Isichum apud Gratianum dist. 36. *Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumit;* quod decretum Gratianus ipse de Episcopis interpretatur.

Marianus Victorius in annotat. ad locum Hieronymi contra Luciferianos, *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet. Per summum Sacerdotem intelligit Episcopum.*

(Neve quis excipiat, *Episcopos vocari summos Sacerdotes tantùm respectu inferiorum ordinum, non autem simpliciter summos, cùm Roman. Episcopus omnibus sit superior*, notandum est, quomodo illa Superioritas Episcop. describatur. Ignatius ad Trallianos: Τί γάρ ἐστιν Ἐπίσκοπος, ἀλλ᾽ ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν. *Quid est Episcopus, nisi is, qui prætergressus est omne imperium & potestatem, quiq; omnibus imperat, quantum quidem homo imperare potest?*

Optatus Milevitanus lib. 1. adv. Parmen. *apices & Principes omnium* Episcopos vocat.

Leo Epist. 87. ad Africanos. *Quantò magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.*)

Quintò. Cœlestinus Romanus ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Clerum & populum Catholicum Constantinopolitanum in actis ejusdem Synodi. ἡμεῖς πατρικῆς φροντίδος ἡμᾶς ὑπὲρ ὑμῶν καιούσης, ἀλλοτρίῳ πυρὶ ἐνεπρήσθημεν. *Nos paternâ curâ, quam gerimus de vobis, urente alieno igne incensi sumus.* (Alienum ignem appellat ea, quæ Ecclesiam Constantinopolitanam perturbabant. At quo sensu id dici potuisset, si ad Cœlestinum Constantinopolitana negotia proprio jure pertinerent, tanquam ad Monarcham? Nam certè non is ignis alienus est Regi, qui aliquam è suis Provinciis infestat, sed domesticus. Cum ergo sic locutus fuerit Cœlestinus, indicavit, Ecclesiam Constantinopolitanam sibi non esse subjectam.)

12. Deniq; contra Monarchicum Papæ Suprematum sic concludimus: Nullum paritionis mandatum, quod est de jure divino, est ab ipso Papa mutabile. Nam *de fide est, præcepta divina non posse ab hominibus immutari*, uti magnâ vehementiâ contendit Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. c. 19. & 20. Obedientia ab omnibus Christianis Romano Episcopo præstanda est mutabilis. Nam quod Bonifacius VIII. c. Unam Sanctam. X. de majorit. & obed. dicit, *esse de necessitate salutis, Pontifici Romano subesse omnem creaturam humanam, ad eam subjectionem* Clemens V. Pontif. Rom. *regnum & Regem Galliarum non pertinere*, decrevit, *tam quantum ad Ecclesiam, quàm ad Regem & regnicolas*; neque hoc capitulum ab Indice Expurgatorio quicquam reformationis passum, sed Glossa solùm aliqua ad c. Romani, in Clement. de jurejurando, quæ præter rem textui addita erat & obiter hujus capituli mentionem faciebat, expuncta est, sanctio verò ipsa, quia post diligentem revisionem à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. nihil in ea animadversum fuit, confirmata.

Arg. Adversariorum 1. Esai. 28. v. 16. *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum, id est, secundarium fundamentum post Christum.* Bellarminus in præfat. Controv. de Pont. Rom. MSta negaverat, *hoc dictum de Christo intelligi posse, sed necessariò de Petro & ipsius successore Pontifice Romano intelligendum esse*, additâ ratione, *quia dicatur lapis super fundamentum fundatus, id est, fundamentum post fundamentum, sive fundamentum secundarium, quod Christo competere non possit.* In excuso verò exemplari hoc corrigit & quædam inserit: *Etsi non dubitamus*, inquit, *hæc præcipuè de Christo intelligenda esse, tamen ad Petrum quoq; non ineptè referri possunt &c. Quid est enim in fundamento fundari, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum non primarium, sed secundarium, siquidem primum & præcipuum fundamentum non ignoramus esse Christum, at post Christum fundamentum est Petrus.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 1. de Christo c. 4. de loco Es. 8. *hic erit in lapidem offensionis & petram scandali*, qui huic nostro parallelus est, sic scribit: *At hoc ipsum tribuunt Christo Lucas cap. 2. Petrus 1. Ep. 2. Paulus Rom. 9. Ergo Christus est verus Deus.* (Quod si ex hoc loco argumentum pro divinitate Christi formari potest, necessariò *soli Christo*, non autem Pontifici Romano competit.)

2. Rectè ergo Sixtus Senensis de hoc loco Esaiæ dicit, *Ille lapis est solus Christus.*

3. Thomas Aquinas in 1. Petr. 2. *Esaias vocat Christum lapidem preciosum propter redemtionis precium, quem Propheta Daniel vocat lapidem abscissum sine manibus cap. 2. quia erat natus ex virgine sine virili semine.* (At hæc soli Christo competunt.)

4. Leo Castrius in Comm. Esai. 28. docet, *idipsum Esaiam illis verbis intellexisse, quod D. Paulus explanat 1. Cor. 3. v. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere.* Atque hanc sententiam confirmat autoritate Cypriani lib. 7. adv. Jud. cap. 16. Eusebii lib. 1. Demonst. Evang. c. 5. Cyrilli Comment. in Esai. lib. 3. Augustini in Psal. 94. & tract. 7. in Joh. Theodoreti in Ps. 117. & in cap. 2. Dan.

5. Bellarminus hoc loco sic disserit: *Quanquam hæc verba in Christum præcipuè convenire non ignoramus, eadem tamen non ineptè in Christi Vicarium quadrare censemus.* (Ex illis sic inferimus: Quæ verba in Christum *præcipuè* conveniunt, ea non agunt de lapide *in fundamento fundato*, sed de lapide, qui ipsum fundamentum est, aliàs ineptè in Christum quadrarent. Atqui, fatente Bellarmino, *verba illa Prophetica in Christum præcipuè conveniunt.* Ergo.)

6. Pererius lib. 2. Comm. in Daniel. p. 104. *Hebraicè fundamentum fundatum & solum Christum significat*, quò etiam accommodat dicta Prophetica Daniel. 2. v. 34. Zachar. 3. v. 9. quæ soli Christo competunt.

7. Hector Pintus in c. 28. Esaiæ. *Vocatur Christus fundamentum Sionis, hoc est, Ecclesiæ, de quo ait Paulus 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus &c. Significat Sion Ecclesiam Catholicam, cujus caput & lapis angularis probatus & preciosus est Christus, de quo dixerat alius Propheta: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et volens ostendere, esse hanc vaticinationem de Christo intelligendam, subdit, O Domine salvum fac. Et Christus de seipso eam apud Matthæum c. 21. interpretatur.*

Et postea. *Appellatur Christus lapis angularis, quia utrumque populum & Judæorum & gentium in una Ecclesia copulavit, & in fundamento fundatus, i. e. solidissimum fundamentum.* (Hæc omnia probant nemini, nisi soli Christo, hoc oraculum competere.)

8. Sanctius in h. l. *Hæc prophetia de Christo sub hac proverbiali forma primum à Davide posita est Ps. 117. nunc paulò explicatius ab Esaia, postea repetita à Christo Matth. 21. & à Petro Act. 4. & Epist. 1. cap. 2. & à Paulo Rom. 9. &c. Pro eo, quod vulgatus transtulit, in fundamento fundatum, Hebr. est fundatum, fundatum, in qua repetitione mira est epitasis, quâ significatur firmissimum fundamentum, quod vi nullâ convelli aut labefactari possit,* quò etiam pertinet regula, quam tradit Genebrardus in Ps. 108. v. 1. *Substantivum seipsum regens casu genitivo, vel quod ejusdem cum illo significatus, superlativum cum singulari energia denotat.* Est ergo *fundamentum fundamenti*, fundamentum firmissimum. (Hoc postremum argutias Bellarmini *de fundamento post fundamentum* in fumum discutit.)

9. Salmeron in 1. Epist. Petri 2. *Dicitur Christus lapis ἀκρογωνιαῖος summangularis, in quo duo populi, Judæi & gentiles, connectuntur; dicitur probatus, quia pervicit Dæmones, mundum, carnem, infernum; dicitur preciosus, meriti sui æstimatione, quia Patri in eo complacuit.* (Hæc omnia soli Christo competunt.)

10. Maldonatus in Matth. 21. v. 41. *Dicitur Christus lapis preciosus, quia honorificatus est à Deo super omnes creaturas.* (Hoc nec Petro, nec Pontifici Romano competit, sed soli Christo.)

11. Demus verò, vulgatam versionem, quæ reddit *in fundamento fundatum*, rectè se habere, quæ est quæso hæc connexio? *Loquitur propheta de lapide in fundamento fundato. Ergo datur fundamentum secundarium.* Inverso potius modo procedendum erat, Hic lapis est fundatus in fundamento, Ergo non est fundamentum. Ratio est, quia fundamentum non fundatur, sed alia in fundamento fundantur, uti mensura non mensuratur, sed alia juxta illam diriguntur.

Arg. 2. Ezech. 37. v. 21. *Rex unus erit omnibus imperans. v. 24. Pastor unus erit omnium eorum.* Hunc locum de Pontifice Romano exponit Sanderus lib. 4. de visib. Eccles. Monarch. c. 5.

Resp. 1. Glossa interlinearis hoc vaticinium exponit ex verbis Angeli Luc. 1. v. 32. *Dabit ei Dominus sedem David Patris ejus,* & Apostoli Phil. 2. v. 6. *qui, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbi-*

arbitratus eſt &c. Statuit igitur de ſolo Chriſto illud intelligendum eſſe.

Gloſſa ordinaria ex Theodoreto addit: *Hæc ex tunc conſtituta ſunt ſecundum figuram in Zorobabele; accuratè autem & verè in Domino Chriſto.*

2. Lyra ad h.l. annotat, *non poſſe eum intelligi de perſona Davidis, nec de aliquo ſemine ejus, niſi de Chriſto, cujus regnum eſt æternum.* Et addit: *Per hoc enim deſignabatur futurum, quòd regnum Iſraël erat conjungendum regno Judæ ſub uno Rege Chriſto.*

3. Hector Pintus in h.l. *Hic eſt ille, de quo quærebant Magi Orientales Matt.2,2. Ubi eſt is, qui natus eſt Rex Judæorum? Non dicunt, Ubi eſt Rex? ſed ubi eſt natus Rex? quia, antequam naſceretur, erat Rex, de quo dixit Angelus Luc.1.v.32. Regnabit in domo Jacob in æternum; talis, cui omnes Reges & omnes Præſules parére debent.*

Ibidem ſuper verba. *Servus meus David &c. Hæc ſunt verba Patris cœleſtis, qui Chriſtum unigenitum Deum, ut verum hominem, ſervum vocat. Verus hic eſt David, qui Goliathum mundum ſuperat, paſtor unus, de quo Joh.10 v.16. Fiet unum ovile & unus paſtor; de quo Zach.13.7. percutiam paſtorem & diſpergentur oves, quem locum Chriſtus Dominus noſter de ſeipſo interpretatur.*

4. Sanderus ipſe d.l. fatetur, per hunc Regem Chriſtum eſſe intelligendum. *Equidem concedo*, inquit, *hunc Regem & paſtorem unum, de quo Ezechiel prædicit, eſſe Chriſtum, qui eſt Filius Dei ſecundum carnem & Dominus David ſecundum Deitatem.*

5. Ribera in cap.5. Hoſeæ n.24. adducens hoc vaticinium, *David ſervus meus Rex in perpetuum erit &c.* ſubjungit, *David Chriſtum ſignificat, quem olim Judæi rejecerunt, quoniam David Chriſti figura fuit, & uſitatum eſt in ſcripturis nomen figuræ rei figuratæ tribui.*

6. Cornelius à Lapide in h.l. *Rex unus erit omnibus imperans, puta unus Rex Chriſtus. Unum enim imperii corpus unius animo regendum videtur.*

Et poſtea. *David Rex ſuper eos, id eſt, Chriſtus filius Davidis erit paſtor & Rex omnium fidelium. Huc alludit Chriſtus Joh.10. v.16. dicens, Fiet unum ovile & unus paſtor. Princeps eorum in perpetuum, quia regni ejus ſcil. Chriſti, non eſt finis. Luc.1.v.33.* (Hæc omnia oſtendunt, de ſolo Chriſto in hoc vaticinio Prophetico agi, id quod oſtendit ipſe contextus. Propheta enim in verbis præcedentibus non loquitur de vocatione gentium, ſed de Judæorum unione in Chriſto, qui poſt Salomonis mortem diviſi erant in duo regna. Judaicum & Iſraëliticum, ambo tamen reſtituenda in unum ſpirituale regnum ſub Meſſia.)

Arg.3. Oſeæ 1.v.ult. (in Lat.& Germ.c.2.v.1.) *Congregabuntur filii Juda & filii Iſraël pariter, & ponent ſibi caput unum.* Hoc Sanderus d.l. itidem ad Pontificem Roman. accommodat, ſecutus Johannem de Pariſiis lib. de poteſtate Regia & Papali c.3.

Reſp.1. Gloſſ. interl. *Ponent ſibi caput unum, ſcil. Chriſtum, unde Ezechiel. Et Princeps unus in medio, David ſervus meus.* Gloſſ.ord. *Omnes ponent ſibi Chriſtum caput.* Eodem modo exponit Lyranus in h.l. ſecutus Hieronymum in cap.1. Oſeæ.

2. Ribera in h.l.n.130. *Hoſeas per unum caput Chriſtum intelligit, de quo Eph.1. v.22. ſcriptum eſt, Dedit ipſum caput ſuper omnem Eccleſiam &c. Eleganter autem Chriſtus caput dicitur, quoniam capitis eſt, providere cæteris membris, & ea gubernare ac ducere. Et qui Chriſti ſunt, ſapientiâ ſuâ niti non debent, ſed ut membra ductui capitis parére, & quaſi pueros atq; omnium ignaros ſeſe Chriſto tradere regendos & gubernandos, ut id de rebus* (divinis) *ſentiant & id faciant, quod ille ſentiendum, faciendumque docuerit, unde Pater Matth.17. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Et Dominus ipſe Matth.23. Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus. Sed hoc, quod dico, apertius ex Paulo intelligimus, 1.Cor.11. Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput eſt Chriſtus, caput autem mulieris vir, caput verò Chriſti Deus, hoc eſt, ut Chriſtus non proprio, ſed Patris conſilio omnia fecit ac dixit, ita vir conſilium & ductum Chriſti ſequi debet, & mulier conſilium & ſententiam viri. Ex quo facilè cernimus, neceſſe eſſe errare atq; deſipere omninò, qui ſibi potius credere & obſequi volunt, quàm tanto ac tali capiti, quod ne verbo quidem uno unquam à capite ſuo, id eſt, à Patris ſenſu receſſit.* (Videat Pontifex, qui ſe pro Vicario Chriſti & viſibili Eccleſiæ capite venditat, an in omnibus Chriſto obſequatur. Res ipſa teſtatur, quòd ſibi potius credi & obſequium præſtari velit, quàm Chriſto.)

3. Chriſtophorus à Caſtro in h.l. *Licet quidam hunc Principem intelligant Ezechiam ſeu Joſiam, alii Zorobabelem, ut vult Theodoretus, at verior & communior intelligentia eſt ſanctorum Patrum Hieronymi, Auguſtini, Ruperti & Haymonis, Alberti, Lyræ, Dionyſii, Vatabli, Iſidori & Montani, de Chriſto vero Eccleſiæ capite exponentium, quem Deus dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, Eph.1.v.22.*

Arg.4. Matth.16. v.18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Reſp. De hoc dicto egimus lib.1. parte 2. cap.1.arg.2. & lib. ac part. ejuſdem c.3.arg.1.ex N.Teſt. Item lib.2.art.3.c.2.arg.1.

Arg.5. Luc.12.v.42. *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam &c. His verbis Chriſtus apertè indicat, ſe unum ſervum toti familiæ ſuæ, id eſt, Eccleſiæ præpoſiturum, qui à ſe ſolo judicari poſſit. Nam Petro Dominus reſpondet, quis putas? quaſi diceret, Tibi, ô Petre, inprimis dico, tibi enim incumbit &c.* Bellarm.lib.1.de Rom.Pont.cap.9.

Reſp.1. Thomas in catena ſuper h.l. *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator? Ambroſius. Superioris quidem in omnes præcepti forma eſt generalis, verum ſeries ſequentis exempli diſpenſatoribus, h.e. Sacerdotibus videtur eſſe propoſita, unde ſequitur: Dixit autem Dominus, Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens? Theophylactus. Quaſi dicat, Prædicta parabola communiter omnes fideles attingit, ſed quid vobis Apoſtolis & Doctoribus conveniat, audiatis. Quæro enim, quis diſpenſator inveniatur, in ſe habens fidelitatem & prudentiam? Sicut enim in diſpenſationibus facultatum, ſive aliquis incautus ſit fidelis Domino exiſtens, ſive etiam prudens ſit, & infidelis, diſpereunt res Domini, ſic & in rebus divinis opus eſt fidelitate & prudentiâ. Chryſoſtomus. Quærit autem hic Dominus, non quaſi fidelem & prudentem diſpenſatorem ignorans, ſed volens innuere raritatem rei, & hujusmodi Præſulatus magnitudinem.*

2. Gloſſ.ordin. in h.l. *Vobis, qui diſpenſatores eſtis inſtituti, hoc ſpecialius convenit de cuſtodia & præparatione, ut & vos & alios præparetis in adventum judicis, quia pauci ſunt, qui commiſſam ſibi benè adminiſtrant diſpenſationem. Quis putas &c. h.e. Quàm rarus eſt Domino propter Dominum ſerviens, oves Chriſti non ad lucrum, ſed ad amorem Chriſti paſcens &c.*

3. Lyranus in h.l. *Hic conſequenter ponitur tertium ſtabiliens in fide, quod eſt exigentia officii, quia Prælati, qui debent alios in fide firmare, debent eſſe in fide magis ſolidi.*

Et poſtea. *Quis putas &c. quaſi dicat, Licet quilibet debeat vigilare ſuper cuſtodiam ſui, tamen hoc præcipuè Prælatis incumbit, qui ſunt diſpenſatores Dei, & ideò debent eſſe vigiles & ſoliciti, ut miniſtrent ſubditis bona ſpiritualia.*

Idem in locum parallelum Matt.24. *Poteſt intelligi tripliciter, uno modo in diſpenſatione ſpiritualium, quod propriè pertinet ad Prælatos: alio modo in regimine temporalium, quod pertinet ad Principes ſeculares & judices: tertio modo in bono uſu gratiarum ſibi à Deo collatarum, & hoc pertinet ad omnes*

4. Salmeron tom.7. tract.20. *Conjectabat Petrus, condiſcipulos ſuos electos eſſe ad officium patrisfamilias, cujus munus eſt domui cuſtodiendæ invigilare, & Dominus reſpondit per aliam præſentem parabolam, quâ tacitè innuit, ſe ad omnes præcedentem dixiſſe, ſed præſertim ad paſtores & Prælatos Eccleſiarum, quorum eſt alios regere & paſcere. Ita enim, cum ſimilem parabolam apud Marcum dixiſſet, ſubjungit, Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.*

Et poſtea. *Scopus in hac parabola eſt, boni paſtoris qualitates detegere & præmium amplum, quo remunerandus eſt, & mali paſtoris vitia & ſupplicium, quo ſit plectendus, atque ita hortatur bonos, ut memores ſint ſui officii, & malos terret.*

5. Emanuel Sà in Scholiis h.l. *Theophylactus, parabola hæc, inquit, fideles omnes attingit. Cyrillus oſtendit, mandatum præmiſſum convenire admiſſis in gradum diſcipulorum.*

6. Janſenius in c.87. Concord.Evang. *Parabola hæc propriè pertinet ad Prælatos Eccleſiæ, quæ tamen etiam ſuo modo ad omnes pertinet & ſubjungit tandem: Omni autem, cui multum datum eſt &c. ſignificans ſatis prædicta ad omnes pertinere, ſed tamen magis ad eos, quibus plura dona ſunt conceſſa: dicit, quis putas vel quisnam? ſignificans raros eſſe, qui fideles ſint diſpenſatores, & ſimiliter raros eſſe, qui Eccleſiæ ſuæ benè præeſſent, quorum quæ debeant eſſe conditiones, pulchrè ſubindicat hac parabolâ.*

7. Maldonatus in Luc.12.v.49. *Interrogaverat Petrus Chriſtum, Domine ad nos dicis parabolam, an ad omnes? Omnes enim, quos Domin. vigilantes inveniſſet, præmio; omnes, quos dormientes & imparatos, ſupplicio afficiendos eſſe, ſive Apoſtoli, ſive alii eſſent. Docet tamen nunc, quid inter eos diſcriminis futurum ſit &c.*

8. Fran-

8. Francisc. Lucas Brugensis in h.l. *Ita temperat responsum, ut non neget quidem, pertinere ad omnes, qui salvi fieri volunt; significet autem, ad Petrum & Collegas ipsius, quos Ecclesiæ suæ præfecturus erat, præcipuè pertinere.*

9. Nec potest ex verbis, *super omnia bona constituet eum*, colligi, de unico totius Ecclesiæ Monarcha hîc agi, quia promissio illa non Ecclesiæ totius dominium, sed æternæ beatitudinis præmium complectitur.

Glossa interlin. *Super omnia, quæ possidet, id est, cœlestis regni gaudia.*

Glossa ordin. *Quanta inter bonos auditores & bonos Doctores distantia meritorum, tanta & præmiorum. Auditores bonos facit discumbere & transiens ministrat, dispensatores constituit super omnia, quæ possidet, non ut soli, sed ut præ cæteris habeant æterna, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia.*

Lyranus in h.l. *Quia in beatitudine æterna consequetur bonum infinitum, quod includit omnia bona.*

Salmeron in h.l. *Videndo divinam essentiam super omnia bona Dei constituitur, quia amicorum omnia sunt communia.*

Emanuel Sà in h.l. *Dabit illi regni cœlestis æterna gaudia æterna possessione frui.*

Cornel. Jansenius d.l. *Parabolicè significat Dominus, eos, qui hic præfecti familiæ Christianæ fide optimâ munus suum obeunt, ab ipso, cùm ad judicandum redierit, præficiendos omnibus bonis suis, quod fiet, cùm cœlestium bonorum suorum eos participes faciet, idq; abundantius, quàm cæteros Sanctos, quando simul cum Christo regnabunt, judicabunt nationes, dominabuntur impiorum, & possidebunt cum cœlestibus etiam universam terram.*

Arg. 6. *Si Ecclesia est unum ovile, in eaq; unus pastor. Ergo etiam est unus summus Pontifex præter Christum. Probatur antecedens ex Joh.* 10. v. 16. Sander. lib. 5. de visib. Monarch. c. 2. Auratus paradoxo 70. Staplet. antidoto in 10. c. Joh. Tolet. in Joh.

Resp. 1. Lyranus in h.l. *Et unus pastor, scil. Christus, alii autem non sunt, nisi Vicarii hujus pastoris.*

2. Guillaudus in h.l. *Unum ergo ovile, hoc est, una Ecclesia ex Judæis & gentibus, in unam religionem conspirantibus facta, congregataque est sub uno pastore, capite hujus Ecclesiæ, Christo.*

3. Dionysius Carthusianus in h.l. *Et fiet unus pastor, i.e. Christus, qui fuit pastor Judæorum solùm, fiet pastor Judæorum & gentium. Et qui multos atque diversos habuerunt pastores, vel potius dissipatores, quantum ad gentes, quæ servierunt Dæmonibus, convertentur ac sortientur unum verum ac summum pastorem*, videl. Christum.

4. Nicolaus Gorranus in h.l. *unde ad Ephes. 2. Ipse pax nostra, qui fecit utraq; unum, scil. gentes & Judæos in unum ovile, cujus ipse est unus pastor.*

5. Jodocus Clichtovæus lib. 7. in Joh. *Et unus pastor Christus.*

6. Thomas de Vio, Cajetanus in h.l. *Non erat constituendus alter pastor, sed unus præexistens pastor, extensurus erat seipsum ad pascendum omnes.* (Ergo in sensu literali per unum illum pastorem non alius intelligitur, quàm Christus v. 11.

7. Maldonatus itidem exponit *de Christo, lapide angulari, conjungente in Ecclesiæ unius corpus Judæos & gentes.* (Huic expositioni non potest opponi Sophisma Sanderi & Aurati. *Sermo est de Ecclesia militante. Ergo pastorem oportet intelligi militantem, per cujus temporale ministerium oves ad Christum, utpote pastorem verum æternumq; adducendæ sint.* Respondemus enim, Sanderum ipsum disertis verbis scribere, quòd *nemo negare debeat, verba illa de Christo uno pastore esse intelligenda.* At hæc expositio non potest consistere cum illa consequentia, cùm Christus non possit dici militans pastor.)

Arg. 7. *Joh.* 21. v. 17. *Pasce oves meas.*

Resp. De hoc loco egimus lib. 1. p. 2. cap. 2. arg. 3. lib. & part. ejusd. c. 3. arg. 4. ex N.T. lib. 2. art. 3. c. 2. arg. 2.

Arg. 8. *Si in membrorum multitudine est unum caput, quod omnia membra unit & regit, utiq; etiã in visibili Ecclesia, quæ est corpus Christi. Rom. 12, 4. & 5. 1. Cor. 12, 12. Sed illud. Ergo & hoc.* Item. *In verbis Apostoli 1. Cor. 12. v. 21. Non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarii, per caput vel Christus intelligitur, vel alius. Non Christus, quia possit ille dicere pedibus, non estis mihi necessarii. Si alius, tum intelligitur, unum aliquem esse, qui præter Christum sit summum caput Ecclesiæ.* Sanderus de visib. Monarch. lib. 5. cap. 3. Turrianus lib. 1. contra Disp. Lipsf. Bellarmin. lib. 2. de Pont. c. 12. Estius in 1. Cor. 12.

Resp. 1. Thomas Aquinas in 1. Cor. 12. per *caput* intelligit *tum Prælatos Ecclesiæ, tum Principes seculi.* Verba sic habent: *Et hoc est, quod subdit, aut iterum caput, i.e. Prælatus, secundum illud 1. Reg. 15. Caput in tribubus factus es; non potest dicere pedibus, i.e. subditis; non estis mihi necessarii, quia ut dicitur Prov. 14. In multitudine populi dignitas Regis.* (Quando Ecclesia in Scriptura comparatur *corpori*, fit illud duplici ratione, Vel ut significetur arctissima totius *Ecclesiæ cum Christo conjunctio.* Ephes. 1. v. 22. c. 4. v. 15. c. 5. v. 24. Coloss. 1. v. 18. hoc respectu facilè concedimus, dari in Ecclesia caput, sed unicum, quod est Christus: vel ut declaretur arctissima *fidelium inter se conjunctio*, qualis est membrorum in uno eodemq; corpore Rom. 12. v. 4. & 5. 1. Cor. 12. v. 12. hoc respectu non potest ex illa comparatione evinci, unum aliquod totius Ecclesiæ visibile caput, quia capitis nomine non intelligitur unus aliquis totius Ecclesiæ Monarcha, sed illi, qui plura & præstantiora Spiritus S. charismata acceperunt, qui tenent locum capitis non relatè ad totam Ecclesiam, sed ad alios fideles, qui sunt in eadem Ecclesia. Quòd si enim ex eo, quod in corpore humano est unicum caput, inferri posset, unicum esse debere Ecclesiæ Monarcham & visibile caput, utique etiam in corpore mystico bini pedes, oculi, manus binæ essent statuendæ. Thomas *Prælatos & Reges capiti in Ecclesia respondere* dixit, quia sunt in præeminentia officii constituti, nec tamen negavit, plures Prælatos & plures Reges esse in Ecclesia. Ut enim nihil obstat, quò minus plures sint in Ecclesia, quàm duo, qui respondeant binis oculis, binis pedibus, binis manibus in corpore, ita quoque nihil obstat, quò minus plures sint in Ecclesia, quàm unus, qui respondeant uni capiti in corpore humano.)

2. Lombardus ibid. adducit verba Ambrosii in h.l. *Non potest autem dicere oculus manui, operâ tuâ non indigeo, hoc est, non potest dicere potior inferiori, non mihi opus es, quia oculis quidem videtur, sed manus sunt, quæ operantur. Aut iterum caput dicere pedibus, non estis mihi necessarii, id est, major gradu & dignitate non potest sine illo esse, qui humilis est: quia est quod humilis potest, quod non potest sublimis, quia ferrum potest, quod non potest aurum, ac per hoc honorem capiti faciunt pedes.* (Ergo capiti in corpore humano censet plures ἀνάλογως in corpore mystico respondere. Quod ipsum manifestissime constat ex λόγῳ Apostolica, in qua Apostolos confert capiti v. 28. jam verò non unus tantum fuit Apostolus, sed plures.)

3. Gloss. interlin in h.l. *Majora non possunt dicere minoribus, quod eis non egeant, quia si oculus prævidet, manus operatur, ac potest aliquis humilis, quod non potest sublimis.*

4. Salmeron tom. 14. Disp. 20. in 1. Cor. *Oculus est contemplativus; manus activus, caput sunt præsidentes; pedes subditi & executores.* (Per caput ergo non intelligitur unus Monarcha, sed multi Prælati sive præsidentes, alias per pedes duo subditi intelligendi essent. Comparatio non instituitur in numero membrorum, sed in eorundem symmetria.)

9. Thomas Bozius de signis Eccles. lib. 3. cap. 18. urget locum Philip. 4. v. 3. *Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente & cæteris adjutoribus meis. Is Clemens, inquit, erat Episcopus, quia Pauli συνεργός, quo nomine semper Paulus vocat Episcopos. Quid erat autem, quòd Clemens adjuvaret eas mulieres, quæ Philippis erant tam longè ab urbe positæ, nisi quòd Clemens non modo Episcopus erat urbis designatus, sed & ad eum jam pertinebat curam habere omnium? Et quid nominatim Clementis mentionem fecit? cur non aliorum? cur non propinquorum Philippis? nisi quòd nominatim pertinebant hæc omnia ad illum, ad cæteros non nisi generatim, vel suis in Diœcesibus ac locis?*

Resp. 1. Salmero non concedit, Clementem illum jam tum fuisse Episcopum. Respondens enim Centuriatoribus, ab eo ipso συνεργός nomine arguentibus, non fuisse designatum Romanum Pontificem à Petro, *Ignorant*, inquit, *isti boni viri, quòd Paulus hanc Epistolam scripserit ex urbe & ex vinculis, à quibus liberatus vixit ferè per decennium. Illo autem tempore erat quidem cooperator Pauli Clemens, non autem noverat esse ordinatum Ecclesiæ Romanæ pastorem. Nam Petrus jam proximus morti illum sibi successorem futurum declaravit.* (Concidit ergo fundamentum argumenti.)

2. Benedictus Justinianus in annotat. *Non facilè quis statuat, à quo verbo pendeant: an fœminæ illæ duæ cum Paulo laboraverint, itemque cum Clemente & cæteris: an hic compar germanus fœminis illis, ipsique adeo Clementi, reliquisque adjutoribus, opitulari debeat. Utrumque sensum tam Græci, quàm Latini Codices admittunt, verùm illi priori sententiæ magis favent.*

In Pa-

In Paraphrasi. *Quæ unà mecum promulgando Evangelio strenuè decertarunt, unaque cum Clemente, cæterisque adjutoribus meis, quorum nomina in libro vitæ descripta sunt, mihi laboranti subsidio fuerunt.*

3. Lyra & Cardinalis Cajetanus verba Apostoli sic accipiunt, *quòd Paulus testimonium solùm det Clementi, quòd se juverit unà cum Evodia & Syntyche.*

4. Cornelius à Lapide in Comment. h. l. fol. 602. *per σύζυγον, qui juvare rogatur illas mulieres, non posse Epaphroditum intelligi*, colligit ex eo, *quia non Philippis, sed Romæ apud Paulum erat.* (Si hæc collectio valet, eâdem ratione inferri poterit, quòd Clemens, qui Romæ erat, non rogatus sit juvare illas mulieres, sed pro eo rogatus sit σύζυγος, ut ipsum adjuvaret.)

Arg. 10. Idem Bozius d. l. pro astruendo Monarchico Pontificum Romanorum primatu adducit locum 2. Petri 1. vers. 15. *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut memoriam horum faciatis. Quomodo*, inquit, *Petrus operam dedit, ut post obitum suum Ecclesiæ cunctæ semper commonerentur? nam speciatim se id facturum pollicetur. Et quis unquam Petri nomine id egit? hoc enim necesse; alioquin non magis Petrus, quàm quivis ad hæc operam posuisse dicetur. Duo sunt igitur necessaria, & ut aliquis hoc semper egerit & egerit, ex præscripto ipsiusmet Petri. Atqui solus Romanus Pontifex hoc confecit. Ergo de mandato Petri jus ipse habet in cunctas Ecclesias commonendi & videndi, ut illæ memores sint mandatorum Petri ac Dei.*

Resp. 1. Guillaudus in h. l. sic commentatur. *Quemadmodum optimi præceptores discipulis, quorum studiosissimi sunt, ne animo excidant, quæ pia & sancta ab eis didicerunt, ut non solùm his, sed & posteris omnibus prodesse possint dicendo, literas & virtutum monumenta à se scripta, veluti animorum componendorum specula, tradere solent: ita & noster Apostolus ipsis Asianis, quin potiùs toti Ecclesiæ Christianæ destinare, & ceu Testamento delegare voluit hanc Epistolam, quâ animum divinum, purum, sincerum & integrum non modò perspiciant, sed etiam ipso mortuo habeant, quod doctrinæ olim ab ipso traditæ admoneat.*

2. Lorinus in h. l. *Est apud Græcos trita satis ὑπομνήματος notio* (à verbo scil. ὑπομιμνήσκειν, quo usus est Petrus) *pro commentario & brevi ad juvandam memoriam scripto.*

3. Cornelius à Lapide & Estius in h. l. prolixè commentantur. Sed neuter eorum successionem Romani Pontificis in Oecumenicam Petri curam de jure divino ei competentem hîc videre potuit.

Argum. 11. *Concilium Nicenum Romano Pontifici primatum tribuit.*

Resp. 1. Ostendimus superiùs, Patres Africanos deprehendisse Romanum Pontificem in manifesto crimine falsi, quòd acta Synodi Nicenæ corruperit, & adulterinum Canonem ipsis obtrudere voluerit, cui ipsi opposuerunt alium, ne videlicet cuiquam Episcopo ex Africa, aut aliis Provinciis Metropolitanos habentibus ad Papam appellare liceat, sed prima cognitio causarum Ecclesiasticarum sit *penes Episcopos & Metropolitanos*, secunda *penes provinciale Concilium*, ultima *penes Universale*, & nullum deinceps jus Romano Pontifici super Ecclesias Africanas constituatur. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25. fraudem illam Romani Pontificis specioso aliquo schemate tegere voluit, scribit enim, *sibi videri admodùm probabile, in Concilio Niceno non fuisse expressè illos Canones, quos Roman. Episcopi nomine Canonum Nicenorum venditabant, sed à Zosimo & Bonifacio vocari Canones Nicenos, quia Concilium Nicenum & Sardicense pro uno eodemque habeantur*, quod & rationibus quibusdam evincere conatur. (At non debebant Rom. Episcopi Concilium unum pro altero ponere & majoris Concilii autoritate abuti. Sufficit nobis, quòd Bellarminus fatetur, Canones illos non esse Concilii Niceni, ex quo ad ea, quæ alii Pontificii Scriptores pro astruendo Romani Pontificis primatu ex Concilio Niceno afferunt, responderi potest. De numero enim Canonum Concilii Niceni discrepantes sunt autorum Pontificiorum opiniones. Pazmannus lib. 10. hodegi cap. 1. & alii statuunt, fuisse 70. Alphonsus Pisanus lib. 3. de Concil. Nicen. octoginta. Stephanus Pontifex Romanus apud Gratianum dist. 16. can. 20. tantùm viginti Canones numerat; nec plures statuit Bartholomæus Caranza in Summa Conciliorum. Bellarminus etiam non plures videtur agnoscere, quia pro primatu Papæ tantùm unum ex illis 20. citat, videlicet sextum, lib. 2. de Pontif. Rom. c. 13. qui tamen primatui Pontificis potiùs repugnat, ut ostendimus superiùs §. 2. ex c. Mos antiquus. dist. 65. Reliqui præter illos viginti genuinos Concilii Niceni Canones quinquaginta sunt *Arabici*, de quibus Franciscus Turrianus Jesuita, qui eos in Latinum sermonem transtulit, dubitat, an è Græco in Arabicum fuerint translati, & sic ipsemet eorum fidem labefactat, quia *rem istam conjecturis tantùm niti* scribit. Ex istis Arabicis Canonibus Pazmannus pro primatu Papæ objicit Canonem nonum. Hardingus art. 4. sect 6. Canonem quadragesimum quartum. Sed uterque est supposititius & Patribus Concilii Niceni ignotus, fatentibus illis, qui 20. tantùm Canones numerant.)

2. Cùm Anshelmus Havelburgensis Episcopus circa ann. 1150. decretum Synodi Nicenæ pro primatu Sedis Romanæ proferret, Nechites Theologus Græcus ipsi respondit, *Ecclesiam Rom. fuisse inter tres Sorores*, (Sedem Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam) *primam. Sed Romanus Episcopus*, inquit, *non est dictus primus Sacerdotum, nec primus Episcopus, sed primæ Sedis Episcopus, & à Phoca primùm accepit hoc, ut caput omnium Ecclesiarum diceretur. Veruntamen*, addit, *ne vel Rom. Pontifex, vel Alexandrinus, vel Antiochenus aliquid in suis Ecclesiis docerent, vel instituerent, quod à fide vel aliorum concordia discreparet, ut omnes unum dicerent & prædicarent; statutum est, quòd duo Legati in fide & sanâ doctrinâ eruditi à Rom. Ecclesia semper mitterentur, quorum alter Alexandrino, alter Antiocheno Patriarchæ assisterent, qui eos in analogia stantes & publicè de fide prædicantes diligenter observarent. Similiter duo ab Alexandria mitterentur, quorum alter Romano Pontifici, alter Alexandrino, cùm esset opus, assisterent. Et ita quicquid in una istarum Ecclesiarum prædicaretur, quod Catholicum esset, autoritate & testimonio aliorum confirmaretur. Si quid verò fortè contrarium fidei & dissonum communioni & alienum à veritate istarum Ecclesiarum diceretur, Legati aliarum fraternâ caritate ac humili monitione hoc corrigerent. Et si quidem corrigere non possent, & ille tanquam temerarius & de se præsumens errorem suum contentiosè defendere vellet, statim per eosdem Legatos ad aliarum sororum audientiam hoc deferretur. Quòd si per Epistolas Canonicè missas revocari posset ad concordiam sanæ doctrinæ, benè esset: sin autem minùs, Concilium generale super hoc celebraretur.* (Hæc opinionem de Pontificis Romani primatu Monarchico & absoluta ejusdem infallibilitate penitùs destruunt & evertunt.)

Arg. 12. *Concil. Sardicense statuit, unicuique Episcopo licere provocare ad Pont. Romanum.*

Resp. 1. Si in illo Concilio Papa primatum accepit, utique non habet primatum ex jure divino, sed ex autoritate humana.

2. Bellarminus. lib. 1. de Concil. cap. 7. Sardicense Concilium numerat inter ea, *quæ partim approbata, partim improbata sunt.*

3. Nicolaus Cusanus lib. 2. de Concord. Cathol. cap. 25. *dubitari posse*, scribit, *num Canon iste de provocatione ad Papam sit Concilii Sardicensis?* Nam in Carthaginensi Sexto, quòd 50. annis post Sardicense fuit coactum can. 185. legitur, *hujusmodi provocationem ad Papam in nullo Patrum Concilio decretam fuisse.* Cumque Sardicensi Concilio circiter 40. Episcopi Africani interfuerint, ut Athanasius Apol. 2. testatur, notum id fuisset Patribus Carthaginensibus, si tale decretum in Sardicensi Concilio fuisset factum. (Concilium Sardicense appellandi decretum liberum facit, non proprio aliquo Pontificis jure coactum, ut patet ex can. 3. *Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus de iis, qui judicaverunt, & scribatur Julio Romano Episcopo, ut per propinquos Episcopos, si opus sit, judicium renovetur.* Et can. 5. *Si quis postulat suum negotium audiri, & ad suam supplicationem Romanum Episcopum judicare visum fuerit.*)

Arg. 13. *Primatum Romani Pontificis confirmant testimonia primorum Romanæ Ecclesiæ Episcorum.* Bellarminus lib. 2. de R. P. cap. 14.

Resp. Ostendimus superiùs lib. 1. parte 2. cap. 9. Decretales illas Epistolas esse supposititias. Johannes Teutonicus Juris Canonici Glossator in c. Placet. caus. 9. q. 3. scribit: *Familiaris est hæc probatio, quòd unus Papa inducit alium in testem, idque ideò, quia de ipsorum testimonio non est dubitandum.* Sed huic præconceptæ opinioni opponimus illud Cypriani Epist. 69. *Dominus ipse dicit, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat, eò quod unusquisq; utique sibi faveat.*

c. Placuit. caus. 4. q. 3. *Nullus idoneus testis in re sua intelligitur.* ib. *Etiam civili jure domestici testimonii fides improbatur.*

Conferatur l. Divus Hadrianus 24. de test. mil. l. Nullus ff. de Testibus. De his Pontificum in propria causa testimoniis dici potest illud, quod olim Thomas Corsellis in Concilio Basileensi dixit, referente Ænea Sylvio lib. 1. de gest. Conc. *Alius clamat, subditorum facta judicari à Papa, Romanum verò Pontificem solius Dei reservari arbitrio, alius dicit, quia primam Sedem nemo judicabit; alius asserit, ejectionem summorum Pontificum sibi Dominum reservâsse; alius asserere non veretur, Romanum Pontificem, quantumvis animas catervatim secum ad inferos trahat, nullius reprehensioni fore subjectum. Nec considerant miseri, quia, quæ prædicant tantoperè verba, aut ipsorum Pontificum sunt, fimbrias suas extendentium, aut illorum, qui eis adulabantur.*

Arg. 14. *Ad potestatem Romani Pontificis omnes Patres confugiebant.*

Resp. 1. Marsilius Patavinus part. 2. cap. 16. *Nemo Episcoporum usque ad tempora Constantini primi in alios jurisdictionem coactivam exercebat. In quibus dubitabant, tam de Scriptura, quam de ritu Ecclesiæ, non audentes se publicè congregare, consuluerunt Ecclesiam Romanam propter maximum fortè fidelium numerum Romæ existentem, aut magis peritorum &c. Et sic Aurelienses Universitas Parisiensem requirebat pro suis regulis, cùm tamen non esset Parisiensi subjecta.*

2. Nicolaus Cusanus lib. 2. de Conc. Cath. 17. ex Augustino & aliis contrarium ostendit. *Augustinus Epist. 162. ad Gloriam in causa Caciliani & Donati ad eos, qui se contra sententiam Miltiadis Papæ opposuerunt, dicentes, malos judices perpessi sumus, respondit, Ecce putemus eos, qui Romæ judicârunt, malos fuisse, restat Concilium, in quo cum ipsis judicibus possit agitari causa.* (Approbavit igitur Augustinus appellationem Donati à Romano Episcopo ad Concilium.)

Ibid. Cusanus aliud adducit exemplum. *Damasus Papa in causa Bonasi Episcopi, quam Synodus susceperat, negat sibi judicandi formam competere.* (Et tamen illa Synodus, quæ causam Bonasi susceperat, erat particularis tantùm in Italia) Verba Damasi sic habent, (Epist. 79. inter Epistolas Ambrosii.) *Cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonaso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non potest.*

3. Glossa in c. Romana. de Appellationibus in Sexto *etiam ad parem appellari posse* docet. *Appellari*, inquit, *ad parem potest, si de hoc sit consuetudo.*

4. Appellationes illæ ad Pontificem à multis improbatæ. Antoninus parte 3. Summ. tit. 18. cap. 4. *Appellatur ad te de toto mundo in testimonium singularis primatus tui, & utinam tam fructuosè, quàm necessariè. Non est autem appellatio subfugium, sed refugium. Sed antidotum versum est in venenum. Qui enim non verè gravatus appellat, ut frequenter accidit, aut gravare intendit, aut tempus redimere. Unde & Bernhardus docet, abjiciendas frivolas & indebitas appellationes.*

Arg. 15. *Episcopus Romanus jam olim confirmavit reliquos Episcopos. Ergo est Oecumenicus.*

Resp. 1. Confirmationem illam alienorum extra fines suæ Diœceseos, contra Canonem quartum Synodi Nicenæ, Romanus Episcopus sibi arrogavit, & quidem non primis, sed posterioribus seculis.

Krantzius lib. 6. Saxoniæ cap. 16. *Necdum Romana Ecclesia tantùm sibi juris in omnes omnium Provinciarum Ecclesias vendicabat, ut nisi Confirmatione Apostolicâ Episcopus non haberetur legitimus. Id enim posteriora tempora adinvenerunt. Nec ibi quievit Ecclesia Romana, donec annatas quoque sibi ex omni Christianismo advocaret.*

Idem lib. 7. Metropolis c. 45. *Nihil tum opus erat Apostolicâ confirmatione. Satis erat electionem ab Archiepiscopo comprobari. Nunc ad se omnia Ecclesiarum jura traxit Romana Ecclesia.*

Lib. 8. cap. ult. *Rediit Ecclesia Mindensis in possessionem libertatis suæ, ut juxta prima tempora vacantibus Ecclesiis providerent per electionem Capitula. Sed eam libertatem coangustârunt Romani Pontifices per multas reservationes, per confirmationes, quas sibi solis attraxerant, cùm antè permitterentur Metropolitanis, cuique in sua Provincia.*

2. Confirmatio illa fuit duntaxat assensus, quo electio facta significabatur placere. Sic Leo Epist. 54. scribit: *Anatolium Constantinopolitanum Imperatoris auxilio & sui favoris assensu adeptum esse Episcopatum.* Hunc suum assensum latiùs describit in Epistola 38. ad eundem Anatolium; *ut per totum mundum una nobis sit unius communionis integritas, in qua societatem tuæ dilectionis amplectimur; & gestorum, quæ sumimus, seriem necessariis munitam subscriptionibus approbamus.*

Arg. 16. *Quicunque non consensit olim cum Romano Episcopo, non fuit habitus Catholicus, sed hæreticus. Ergo Romanus Episcopus est Oecumenicus.* Bellarmin. lib. 2. de Pont. cap. 16.

Resp. De antecedente hujus argumenti agetur in artic. 5. de Ecclesia cap. 4. thesi speciali 7. Hoc loco monemus 1. Non esse hoc perpetuum, ut quicunque consentit cum quocunque Episcopo Romano, is sit Catholicus; hæreticus, qui non consentit.

Nam Sergius Patriarcha Constantinopolitanus communicavit, quamdiu vixit, cum Honorio Romano, & tamen damnatus est post mortem, tanquam Monotheleta, nec tantùm ipse, sed & cum eo Honorius. Ac quamvis strenuè pugnent Pontificii, *Honorium non fuisse hæreticum, aut etiam damnatum*, tamen fatentur, Sergium & hæreticum & damnatum fuisse, nec possunt tamen negare, communicâsse cum Honorio. Itaque saltem tunc temporis, non erat Catholicus, qui communicabat cum Romano.

Liberius post exilium communicavit cum Arianis, communicavit etiam Felix, nec tamen Ariani sunt unquam habiti Catholici. Contrà Cyprianus acriter dissensit à Stephano, & tamen, teste Augustino, *unitatem servavit Ecclesiæ.*

Flaviano Antiocheno noluerunt communicare plurimis annis Damasus, Syricius, Anastasius: & tamen fuit Catholicus.

2. Non fuisse hoc solius Romani Episcopi privilegium & ἀξίωμα Liberius ad Orientales Episcopos scribens apud Socratem lib. 4. c. 11. *Vestra*, inquit, *literæ nobis maximam lætitiam attulerunt, id adeò inprimis, quòd vestras sententias & opiniones, tum cum mea, qui infimus omnium sum, tum cum aliorum Episcoporum Italiæ, cæterarumq; omnium regionum versus Occidentem sententiis consentire concordareque ostenderunt, atque adeò confirmârunt.*

Cœlestinus ad Cyrillum præscribit Nestorio, ut intra dies decem non solùm sua damnet, sed & testetur, ταύτην κατέχειν τὴν πίστιν περὶ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν, ἣν καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων, καὶ ἡ τῆς σῆς ἁγιότητος ἐκκλησία, καὶ ἡ καθ' ὅλου θρησκεία κηρύττει, *se eandem fidem habere de nativitate Christi Dei nostri, quam tum Romana, tum Sanctitatis tuæ Ecclesia, Catholicaque religio prædicat.* (Ergo, teste ipsomet Cœlestino Episcopo Romano, tum temporis non tantùm Romana Ecclesia, sed etiam Alexandrina erat fidei norma.)

Arg. 17. *Papæ tribuuntur talia nominà, quæ Monarchicum ejus primatum arguunt.* Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 31. Vocatur enim,

Primò *Papa*. Resp. 1. In Liturgia Chrysostomi, quam nobis solent opponere, oratur pro *Oecumenico Papa*, Nicolao ejus nominis tertio, qui Patriarchatum Constantinopoli gerebat sub Alexio.

2. In ἐπιγραφῇ c. Loquitur. causa 24. q. 1. *Cæcilius Cyprianus Carthaginensis Episcopus vocatur Papa.* Constat enim, textum illum esse Cypriani Carthaginensis Episcopi. Nullus autem in Catalogo Romanorum Pontificum est Cypriani nomine.

(Pontius in vita Cypriani. *Galerius Maximus dixit ad Cyprianum, Tu es, quem Christiani Papam suum nominant, Sanctus Dei respondet, Ego sum.*

Baronius ann. 263. n. 30. *Proconsul dixit, Isne tu es, qui Christianis hominibus te Papam præbuisti? Cyprianus, ego sum.*

Lib. 2. Epist. 7. apud Cyprian. Clerus Romanus sic scribit: *Cypriano Papæ Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes salutem.*

In fine Epistolæ. *Optamus te, beatissime & gloriosissime Papa, semper in Domino benè valere.*)

Pamelius in annot. ad 3. Epist. Cypriani ostendit, *hoc nomen omnibus Episcopis olim commune fuisse.* (Confer Apollinaris Sidonii Epistolas, in quibus nomen Papæ & Pontificis aliis, quàm Rom. Episcopis tribuitur.)

3. Clodovæus, seu ut Beatus Rhenanus mavult, Ludovicus primus Francorum Rex Christianus simplicem Episcopum *Papam* vocabat, ut est apud Gregorium Turonensem lib. 2. Hist. c. 27. Vide Carolum Molinæum de abusibus Rom. Curiæ.

4. Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus in Meditat. quæ extat tomo 1. Juris Græco-Rom. lib. 7. resp. 1. p. 449. *Ex nominum diversitate, quòd scilicet Episcopum Romanū appellant Papam, Alexandrinum & Constantinopolitanum & Hierosolymitanum Archiepiscopos; Antiochenum, Patriarcham; nulli fieri injuriam, idq; omninò* διὰ τὴν ταυτότητα τῆς τιμῆς.

5. Onu-

5. Onuphrius tract. de interpret. vocum Eccles. obscur. in Papa. *Hanc vocem Papa omnes antiqui Christianorum Episcopi pro Patre seu Majore frequentârunt &c. præsertim magnarum & insignium urbium, ut Romæ, Carthaginis, Antiochiæ, Hierosolymorum & similium.*

Ibid. *Post Gregorii* (Magni) *tempora nomen hoc, Papa, reliquis Episcopis ademtum soli Pontifici Rom. attributum esse.*

Ibid. *Cornelius Episcopus Roman. & alii multi Cyprianum Carthaginensem Episcopum Papam & Papatem vocarunt.* Inde Autor libri de Ætatibus seculi (ante annos fermè trecentos scripti) inter cætera sic loquitur: *Fateor, me ignorare, quomodo hoc nomen Papa ita jam restrictum sit, quod* (ut) *soli Romano Pontifici adscribatur. Olim enim generale nomen erat & pro omnibus Episcopis supponebatur. Unde B. Hieronymus in Epistolis, quas ad Episcopos scripsit, eos Papas nominavit. Exemplum: Domino verè sancto, beatissimo Papæ Augustino. Sic & reliquis scribit, & in diversis Doctorum scriptis idem reperimus.*

6. Pazmannus lib. 3. Hodegi in quarto falsorum dogmatum testimonio fatetur, *Cyprianum Martyrem & Augustinum fuisse appellatos Papas.* (De Cypriano id jam antè ostendimus. Augustinus à Concilio Africano & Hieronymo, Papa fuit appellatus.)

7. Canisius in Catech. in princip. sub tit. Encomia Patrum. *Nazianzenus Epist. 38. ad Simplicianum Basilium Magnum vocat magnum Pontificem, Dei & hominum Mediatorem, Spiritus Sancti domicilium. Hieronymus in Epist. ad Chromatium, Epiphanium vocat B. Papam. In Epist. 80. ad Augustinum scribit: Incolumem & mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, Domine venerande & Beatissime Papa. Athanasius Pontifex Maximus & ArchiSacerdos appellatur apud Ruffin. lib. 2. Histor. cap. 26. Ichyras ad Athanasium Apol. 2. Beato Papæ Athanasio.*

8. Lorinus in cap. 1. Act. v. 16. cap. 20. v. 17. memorat, *Gregorium VII. primum fuisse, qui nomen Papæ sibi appropriaverit.* (Balsamo Patriarcha Antiochenus in Meditatione seu responso, quod extat tom. 1. Juris Græco-Rom. à Leoncl. editi lib. 6. *Sylvestrum primò esse à Constantino primum Papam veteris Romæ appellatum,* asserit.)

9. Baronius ad annum 430. §. 26. disputans contra Nicephorum asserentem, *Cyrillo propterea, quòd Cœlestinus partes Legati ad Synodum Ephesinam ipsi imposuerit, nomen Papæ attributum fuisse,* inter cætera sic scribit: *Constat, Papæ nomen commune fuisse reliquis Episcopis.*

Idem confirmant alii. Pachymeres in inscriptione paraphraseos in Dionysium Athanasium vocat *Papam.*

Savaro in primam Sidonii Epistolam lib. 6. multa collegit exempla, quibus probat, *Papæ nomen veteribus usitatissimum esse pro Episcopo.*

Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. c. 7. *Papa cujusdam paternitatis nomen est & Clericorum congruit dignitati.*

Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 80. *Nomen Papæ, tametsi hodiè apud Latinos uni Romano tribuatur Pontifici, apud priscos tamen Universo Presbyterorum ordini fuisse commune, non leves extant conjecturæ.*

Onuphrius in Additionibus ad Platinam in vita Bonifacii III. *Additum, ut Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, cùm ante omnibus commune esset Episcopis, retineret, quo uno & illi tantùm particulari nomine potestatis ejus dignitas & supra cæteras Ecclesias vetus prærogativa designatur.* (Ex hoc fundamento responderi potest ad exceptionem Bellarmini, quòd Papa per antonomasian appelletur solus Episcopus Romanus, id enim posterioribus demùm seculis fieri cœpit.)

Balbus de Coronat. §. Hæc ideò &c. agnoscit, *eos, qui nunc Papæ appellantur, antiquitùs nec Papas, nec Pontifices, sed tantùm Romanos Episcopos vocatos fuisse.*

Lorinus in Comm. 2. Pet. 1. v. 14. p. 638. *Nomine Papæ certum est appellatos olim alios Episcopos ac inferiores quoq; Clericos.*

Secundò vocatur *Pater patrum.*

Resp. 1. Est hæc circumlocutio nominis Archiepiscopi & Patriarchæ. Quis enim nescit, Episcopos esse Patres? qui igitur his præsunt, sunt *Patres patrum.*

2. In quinta Synodo œcumenica Episcopi Secundæ Syriæ Johannem Constantinopolitanum sic salutant, *Domino nostro per omnia sanctissimo & beatissimo, Patri patrum, Archiepiscopo & Oecumenico Patriarchæ Johanni.* Synodus ipsa in Relatione sic loquitur: *Domino nostro sanctissimo & beatissimo Patri patrum, Archiepiscopo & Oecumenico Patriarchæ Johanni.*

Sidonius lib. 6. Epist. 1. ad Lupum. *Benedictus Spiritus Sanctus & Pater Dei omnipotentis, quòd tu Pater patrum & Episcopus Episcoporum & alter seculi tui Jacobus, de quadam specula caritatis, nec de inferiore Hierusalem tota Ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis.*

3. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. pro astruendo hoc titulo affert Concilium Africanum. At aliud Concilium Africanum, cui interfuit Augustinus, appellationem ad Rom. Pontif. prohibet. Hoc cùm Stapletono esset objectum, stomachabundus respondit doctrin. princ. controv. 3. q. 7. *Hujus Concilii decreta pro suo jure temerè sanxiverunt.*

Tertiò. *Princeps Sacerdotum.*

Resp. 1. Agnoscit ipse Bellarminus hoc nomen damnatum fuisse ab Africanis, sic enim habet Canon. 26. in Concilio Carthaginensi 3. *Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid aliud hujusmodi, sed tantum primæ Sedis Episcopus.* (Excipit quidem, *fuisse duntaxat particulare Concilium, nec potuisse aliarum Provinciarum Episcopos obligare.* Resp. interim fuit Concilium Catholicum, ac si non *vi legis*, tamen *vi rationis* aliarum Provinciarum Episcopos obligare potuit. Interfuit huic Concilio Aurelius Carthaginensis, Augustinus Hipponensis Ecclesiæ Episcopi, quorum sententiæ magnum omninò pondus obtinent.)

2. Amphilochius Basilium Cæsar. Episcopum vocat *Principem Sacerdotum.* Nazianzenus in orat. de laudibus Hieronis Athanasium vocat ἀρχιερέα τῶν ἱερέων, i. e. *Principem Sacerdotum*; quod Billius reddidit, *antistitem Sacerdotum.* Nec tamen Basilius, nec Athanasius propterea fuêre Oecumenici.)

3. Hardingus in Confut. f. 204. b. verba Hieronymi, *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet*, in genere de quovis Episcopo accipit. *Hanc exortem, inquit, & ab omnibus eminentem potestatem in illo loco suæ cujusq; Diœceseos Episcopis assignat Hieronymus.*

Quartò, *Rector domus Dei*, apud Ambrosium in 3. cap. prioris ad Timoth.

Resp. 1. Sensus est, quòd Damasus sit unus è Rectoribus domus Dei. Baronius anno 301. *Dicebatur ille etiam Dux exercitus, qui vel uni tantùm ab Imperatore legioni præfectus erat.* (Non verò vult unum & solum esse Rectorem totius & universæ domus, quid enim fiet reliquis Episcopis, qui itidem sunt in hac domo *Oeconomi* ac Rectores? 1. Cor. 4. v. 1.)

2. In Breviario Romano Andreas Apostolus eodem nomine censetur. *Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut Ecclesiæ tuæ B. Andreas Apostolus extitit prædicator & Rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor.* (Apud Athanasium Apol. 2. legitur Epistola Arsenii Hypselitani ad Athanas. *Etiam nos diligimus pacem & unionem cum Catholica Ecclesia, cui tu nunc praees per Dei gratiam.*)

Quintò, *Pater sanctus: quâ appellatione non vulgus tantùm, sed omnes Principes Christiani etiam summi utuntur, cùm ad Pontif. Romanum scribunt, atque ad eum loquuntur.* Bellarminus lib. de offic. Princ. Christ.

Resp. 1. Azorius Inst. Mor. part. 2. c. 4. *Hæc nomina sanctissimus & beatissimus Leoni I.* (videlicet circa annum Domini 440.) *cœperunt tribui.* (& quidem non ob muneris, sed morum sanctitatem, non ut Pontifici, sed ut homini morum sanctitate peculiari prædito. Inde Azorius d. l. sic scribit.) *Licèt hæc nomina, sanctissimus & beatissimus, Leoni I. cœperint tribui, tanquam Præsidi cuidam vitæ & morum dignitate sanctissimo, postea verò sunt ea nomina retenta ratione muneris & officii, quod Pontifex gerit: ut Christianissimi nomen uni Francorum Regi dari cœpit, Christi fidem & religionem egregiè tuenti, quod postea aliis mansit hereditarium, & Catholici nomen Regibus Hispaniæ ob fidei Catholicæ patrocinium.* (Ergo hic titulus non est Apostolorum temporibus coævus, nec probat Pontificis primatum.)

2. Bonifacius hac inscriptione Epistolam suam Augustino nuncupavit. *Domino beatissimo & venerabili, Sancto Patri Augustino Episcopo.* In operibus Augustini Epist. 190. 191.

Ad eundem modum Hieronymus. *Domino verè sancto & beatissimo Papæ Augustino.* Ibid. Epist. 11. (At hinc evincere nolint, Augustinum obtinuisse primatum super universos Christianos.)

3. Possevinus in Apparatu tit. Severus Sulpitius. sic scribit: *Gregorii Turonensis Archiepiscopi mos erat, ut omnes viros pietate insignes, nominaret sanctos.*

Sextò, *Universalis. Sic appellatur à Sixto Pontifice & Martyre in inscriptione cujusdam Epistolæ circa annum 142.*

Resp. 1. Baronius in anno Christi 142. agnoscit, *Epistolam illam esse fidei haudquaquam indubitatæ. Porrò,* inquit, *titulus, ut Pontifex Universalis Ecclesiæ Episcopus dicatur &c. non recens est in Ecclesiam introductus, sed antiquitùs usurpatus, quod parum est, ut ex Sixti Epistola, quæ ab eis ducitur in controversiam, demonstremus &c.*

2. Gregorius lib. 4. Epist. 32. *Pro B. Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici nomen Universalis Episcopi oblatum est, sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomen assumsit, nec uti consensit,* citatur hoc dictum Gregor. c. Ecce. dist. 99.

3. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. §. Primò, quia. *Successores Gregorii nunquam se vocàrunt Episcopos Universales.* (Sujungit quidem Bellarminus, *quòd sæpè se vocarint Episcopos Universalis Ecclesiæ, quod sit idem quoad sensum cum Episcopo Universali.* Sed Lindanus lib. 4. Panopl. c. 93. & Costerus in Ench. in cap. de summo Pontifice object. 7. contrarium statuunt, vid. *differre nomen Universalis Episcopi, à nomine Universalis Ecclesiæ Episcopi, illo enim œcumenicum totius Ecclesiæ regimen sibi aliquis arrogat, hoc verò solicitudinem pro totius Ecclesiæ salute testatur.*)

4. In Concilio Africano exprefsè prohibitum, *ne Episcopus Romanus Universalis appelletur.* Bellarminus quidem d. l. scribit, *Hæc verba, quia Gratiani sunt, non habent autoritatem.* Sed alii ex Pontificiis agnoscunt, esse ipsius Concilii verba.

Roffensis in Confut. assert. Lutheri verit. 8. *Non placuit Concilio Africano, ut Romanus Pontifex appelletur Universalis Episcobus, quippe studuit illa ætas, quæ vicina erat Apostolorū temporibus, modestiæ simul & humilitati, non placuit Concilio titulus gloriosus.*

Lindanus lib. 4. Panopl. c. 93. *Canon 26. Concilii Africani. Primæ Sedis, Episcopus, inquit, non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi.*

5. L. Cognoscere 7. C. de summ. Trin. Epiphanius salutatur *sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus regiæ urbis & Oecumenicus Patriarcha.* N. 16. *Anthemius sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus Constantinopolitanus & Oecumenicus Patriarcha.* Ergo Oecumenici nomen primùm fuit commune omnibus Patriarchis, quod postea Romanus per ambitionē sibi soli vendicavit.

Theodorus Balsamo Patriarcha Antiochenus apud Leoncl. tom. 1. Juris Græco-Romani lib. 7. resp. 1. p. 451. *Quando malus ille ambitionis genius Papam Romanum à reliquorum Patriarcharum cœtu avulsit, simul & illicò illa Universalis Papæ nominatio intra Occidentem coarctata est.*

6. Baronius ann. 595. n. 52. initium hujus nominis (*Universalis & Oecumenici Episcopi*) quærit in Hormisda, qui circa annum 514. præfuit. Contradixerunt autem illi sancti Patres c. Nullus. dist. 99. c. Multi Sacerdotes. dist. 40. &c.

7. Eleutherius Papa ad Episcopos Galliæ sic scribit, *Universalis vobis à Christo Ecclesia est commissa.*

Septimò, *Pontifex & Doctor omnium Christianorum.*

Gregorius Indict. 11. Epist. lib. 2. c. 52. Fundensis Ecclesiæ Episcopum *Pontificem* vocat: ibidem etiam Terracinensis gentis Episcopum Petrum vocat *Pontificem.*

2. Bernhardus Epist. 24. ad Archi-Episcopum Senonensem scribens, *Nihil suum,* inquit, *Episcopus quærat, sed tantum Dei gloriam, ac salutem proximorum, hoc enim faciens implet non solum Pontificis officium, sed & Etymologiam nominis, pontem utique seipsum faciens inter Deū & proximum. Pertingit pons iste ad Deum eâ fiduciâ, quâ non suam, sed illius gloriam quærit; pertingit usque ad proximū illâ pietate, quâ & ipsi non sibi prodesse desiderat.*

3. Nec est, quòd urgeant προεδρίαν Maximi. Sic enim Baronius tom. 2. ann. 216. num. 11. *Pontifex maximus apud Gentiles quinto in loco* (ergo non erat summæ potestatis vel dignitatis nomen) *positus est &c. Idcircò ne, cùm alii maximi dicerentur, iste Pontifex maximus alios supra se, vel sibi æquales videretur habere Pontifices, Pontificis maximi nominis amplitudini jure junctus est titulus, Episcopus Episcoporum.*

4. Idem Baronius ann. eod. num. 10. titulum Pontificis Maximi ex Ethnicorum ritu arcessit. *Sicut,* inquit, *pariter apud gentiles Romanæ superstitionis cùm essent plures Pontifices, iidemque sui cujusque ordinis summi & autoritate maximi, qui tamen judiciariâ potestate cæteris eminneret, solus Pontifex maximus dicebatur. Hinc apud Festum: Maximus quisq;: Maximus videtur Rex, nempe Sacrificus: deinde Dialis: post hunc Martialis: quartò loco Quirinalis: quinto Pontifex maximus. Et paulò post. Rex, quia potentissimus; Dialis, quia universi mundi Sacerdos; Pontifex maximus, quòd judex habetur rerum divinarum, humanarumq;. Hæc Festus.* Ex eodem fonte Polydorus Virgilius l. 4. de rer. inventoribus cap. 6. p. 326. hunc titulum deducit.

5. Idem Baronius d. l. hunc titulum etiam ex Judaismo arcessit. *Sic quoque,* inquit, *discriminatur ab aliis Pontificibus summus Sacerdos apud Leviticum, cùm dicitur, Pontifex, i. e. Sacerdos Maximus: nimirum quòd æquè essent apud Judæos alii quoque Pontifices ac summi Sacerdotes.*

6. Idem Baronius ann. 142. n. 4. indicium hujus nominis (Pontifex summus) *ante Tertullianum* invenire non potuit.

7. Commune fuisse hoc nomen aliis Ecclesiæ Doctoribus, agnoscit Lorinus in Comment. 1. Petr. 5. v. 1. *Lego quoque,* inquit, *ab Irenæo vocatum Presbyterum summum Pontificem.*

8. Doctores omnium Christianorum etiam alii Episcopi fuere appellati. Salmeron in 1. Petr. 5. Disp. 8. *Gregorius Nazianzenus laudat Athanasium Creditur illi, inquit, populi Alexandrini præsidentia, quod perinde est, ac si dicam, totius orbis præfectura, i. e. sic præfuit, ut universis praeesset, quia illa Sedes, quam ille sartam tectam defendit, ad omnes spectat. Simile quid Gregorius tradit in orat. de Cypriano, Non enim soli Carthaginensi Ecclesiæ præfuit, inquit, sed universo Occidenti, imò Orienti & Meridiei ac Septentrioni, quocunque ille admiratione sui pervenit. Hæc ille Sanctus. Hoc est dictum propter fidem communem, in quo cum Carthaginensibus universa Ecclesia consentiebant.*

9. Canisius in Catech. cap. Encomia Patrum. *De Hilario Augustinus lib. 1. contra Julianum. Insignis, inquit, Ecclesiæ Doctor Hilarius loquitur. De Chrysostomo Pontifex Innocentius I. in Epist. ad Arcadium Imperatorem. Ejecisti ex throno suo, inquit, re non judicatâ magnum orbis Doctorem. De Basilio Nazianzenus Ep. 10. ad Basilium. Tu lumen orbis, Sol inter sidera, doctrinæ palatium. Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 17. eum orbis universi lumen vocat.*

Octavò. *Christi Vicarius.*

Resp. 1. Thomas Aquin. contra gentes opusc. 20. *Apostoli omnes & discipuli erant Christi Vicarii.*

2. Patres Conc. Basil. *Potius Vicarius Ecclesiæ, quàm Vicarius Christi dici debet.* (Vicarius enim propriè est absentis, sed Christus Ecclesiæ suæ semper est præsens.)

Nonò. *Ecclesiæ Sponsus.*

Resp. 1. Thomas de Corsellis in Concil. Bas. *Diximus, Ecclesiam Jesu Christi Sponsam fore, Papam verò Vicarium esse, scimus. At nemo sic Vicarium suum instituit, ut ejus Sponsam illi subjiciat. Quinimo plus arbitrii in rebus arduis creditur habere Sponsa quàm Vicarius, cùm illa unum corpus cum Sponso existat, Vicarius non idem cum Domino.*

2. Bonifacius P. R. Ep. 1. quæ est ad Honorium. *Christus Dominus noster vestri fidus Rector & gubernator imperii Ecclesiam uni* (nota uni) *desponsatam sibi & intactam virginem servat &c.*

3. Thomas Aquinas contra impugn. rel. c. 4. *Sponsus Ecclesiæ propriè loquendo Christus est, de quo dicitur Johan. 3. Qui habet Sponsam, Sponsus est. Ipse enim de Ecclesia suo nomine filios generat. Alii autem, qui Sponsi dicuntur, sunt ministri Sponsi, extrinsecùs cooperantes ad generationem spiritualium filiorum, quos tamen nō sibi, sed Christo generant: qui quidem ministri in tantum Sponsi dicuntur, in quantum vicem veri Sponsi obtinent.*

4. Pererius Disp. ult. in c. 29. Genes. *Sponsus non est nisi unicus. Qui enim habet Sponsam, Sponsus est.*

5. Johannes Ferus in c. 3. Joh. p. 83. *Discant ex Johanne prædicatores, ut soli Christo Sponsam adducant, non sibi &c.*

6. Thomas Hardingus in Confutat. Apol. part. 2. c. 2. *Affirmamus & credimus, si propriè quis loqui velit, Christum Sponsæ suæ Ecclesiæ Sponsum esse solum, sibi enim ipse ex Ecclesia liberos tollit. Alii verò Sponsi dicuntur, qui ad spirituales libros procreandos extrinsecùs in laboris societatem cum Christo veniunt, quos tamen non sibi, sed Christo gignunt. Tales autem etiam ministri vocantur Sponsi, quia illius muneere funguntur.* (At hæc Sponsi acceptio est penitùs catachrestica & Scripturis ignota.)

Decimò. *Munus Romani Episcopi vocatur Apostolatus.*

Resp. 1. Claudius Espensæus in 1. Tim. 1. *Apostolatus ab Episcopatu differt, quia Apostolus immediatè à Christo vocatur & certò habet Spiritum sanctum, & omnium Ecclesiarum curam sustinet, Episcopus mediatè vocatus uni certæ Sedi præest.* (Propriè ergo & accuratè loquendo Episcopus non est Apostolus.)

2. Cani-

2. Canisius d.l. *Basilius Epist. 55. de Ambrosio dicit, quandoquidem te Dominus è medio Judicum terræ ad præsidentiam Apostolicam transtulit.* (Ergo nomen Apostoli generaliter acceptum omnibus Episcopis commune est.)

Undecimò. *Sanctitas Romani Archiepiscopi & Patriarchæ caput omnium sanctarum Ecclesiarum dicitur. l. ult. Reddentes pr. C. de summ. Trin.*

Resp. *Caput esse omnium aliarum Ecclesiarum* non est proprium soli Papæ Ecclesiæ Romanæ, verùm etiam aliis attribuitur, imò pro indiviso commune est omnibus thronis Archiepiscopalibus & Patriarchicis. Sic enim etiam Ecclesia Constantinopolitana *omnium aliarum* dicitur *esse caput*, l. Constantinopolitana 24. pr. C. de sacros. Eccles. Et propterea Episcopus, qui est ejus Ecclesiæ caput, propter eam aliarum quoque Ecclesiarum caput dicitur. Sic in l. Decernimus 16. C. eod. Impp. Leo & Anthemius hoc modo loquuntur: *Sacrosanctam quoque hujus* (Constantinopoleos) *religiosissimæ Civitatis Ecclesiam & matrem nostræ pietatis,* (paulò antè appellaverant Acacium Episcopum *suæ pietatis patrem*) *& Christianorum orthodoxæ religionis omnium & ejusdem Regiæ urbis sanctissimam Sedem, privilegia & honores omnes super Episcoporum creationibus & jure ante alios residendi & cetera omnia, quæ ante nostrum imperium & nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter, regiæ urbis intuitu judicamus & sancimus.* (Si Constantinopolitana Ecclesia est mater omnium Christianorum orthodoxæ religionis, cur ejus Episcopus eorundem non dicatur Pater & caput? unde Can. 28. Synodi IV. qui est apud Leoncl. tom. 1. Juris Græco-Rom. l. 1. sect. 1. tit. 2. p. 3. §. ultimo, de Constantinopolitano Episcopo disertè dicitur, τῶν ἴσων πρεσβείων τῆς Ῥώμης ἀξιωθείς, *quòd pares cum Romano consecutus sit honores propter Imperii translationem.*)

Caput VI.
De Antichristo.

Thesis. Pontifex Romanus post factam apostasian est Antichristus ille magnus, de quo Daniel, Paulus & Johannes fuére vaticinati.

Ἔκθεσις. 1. Quando in nostris Ecclesiis docemus, *Papam Romanum esse Antichristum*, nequaquam id volumus, quòd sub Papatu nulla ampliùs superstes manserit, vel adhuc supersit Ecclesia, quia teste B. Luthero tomo 4. Jenensi Germ. fol. 409. in lib. contra Anabapt. fatemur, *sub Papatu esse multum Christiani boni, imò omne Christianum bonum, atque inde ad nos pervenisse.* Nimirum fatemur, *sub Papatu esse veram Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum Ministerium, verum Catechismum, utpote Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam &c. adeoq; verum Christianismum, quia Antichristum non extra Ecclesiam, sed in templo Dei, id est, in Ecclesia sessurum ac dominaturum esse*, prædictum fuit, 2. Thessal. 2. vers. 4.

2. Multò minùs hac assertione, quòd Papa Romanus sit Antichristus, Dynastarum Ecclesiæ Romanæ addictorum potestati & autoritati quidquam detrahimus, vel detractum cupimus, *dominationes spernentes ac majestates blasphemantes*, Jud. v. 8. quasi Magistratibus Sedi Romanæ addictis debitus honor ac obedientia sit deneganda. Sed hoc duntaxat docemus, quòd Papa Romanus propter varios errores Antichristianos in Ecclesiam introductos, quos igne & ferro in hodiernum usque diem pertinaciter tuetur, meritò habeatur pro Antichristo illo magno, de quo Daniel Propheta, Paulus Apostolus & Johannes Theologus fuére vaticinati, cùm omnia, quæ sancti illi Dei homines Antichristo tribuunt, Papæ Romano competant, proinde etiam quosvis superioris, mediæ, infimæ sortis homines seriò hortamus, ut ab Antichristianis illis erroribus & corruptelis sibi caveant.

3. Nec hoc volumus, quòd Episcopi Romani Apostolorum temporibus proximi pro Antichristo sint habendi; illi enim verbum Dei purè prædicârunt, Sacramenta juxta Christi institutionem administrârunt, sanctam vitam egerunt, ac sanguinis sui profusione veritatem Evangelii confirmârunt; sed hoc dicimus ac docemus, quòd Antichristianorum errorum cataclysmus, ac Antichristianus Monarchicæ potestatis primatus pedetentim in Ecclesiam introductus sit, donec tandem Antichristi regnum ad summum pervenerit fastigium.

4. Neque hanc assertionem nostram, quòd Papa Romanus sit Antichristus, venditamus pro ejusmodi fundamentali articulo fidei, cujus notitia ac confessio omnibus omnium temporum & locorum Christianis ad salutem sit eâ ratione necessaria, ut defectus illius notitiæ ac confessionis in se ac per se sit simpliciter damnabilis. Antequam enim revelaretur Antichristus, multi Ecclesiæ Doctores citra salutis dispendium aliter de Antichristo senserunt, docuerunt ac scripserunt, quàm quòd Romæ sit quærendus. Sed & post Antichristi revelationem multi inveniuntur Christiani, qui de Papa Romano nihil quicquam noverunt, nihilominùs tamen errores Papales tanquam Antichristianos repudiant. Sed pertinet hæc quæstio, an Papa Romanus sit Antichristus, ad veram & solidam explicationem vaticiniorum, quæ in Scriptura sacra, præsertim in Prophetia Danielis, Epistolis Pauli & Apocalypsi Johannis ad Ecclesiæ consolationem Spiritus sanctus annotari voluit.

5. Proinde etiam simplicis alicujus Christiani saluti hoc fraudi esse nequit, si vel maximè fundamentalem omnium illorum vaticiniorum explicationem proferre, & à strophis & corruptelis Adversariorum vindicare suopte studio nequeat, modò in reliquis cum Romana Ecclesia hodierna controversis articulis ab Antichristianis erroribus Papalibus sibi caveat, eosque detestetur.

6. Nomen Antichristi in Scripturis sumitur vel γενικῶς, vel εἰδικῶς. *Generaliter* hoc nomen tribuitur cuilibet Christum oppugnanti, 1. Joh. 2. v. 18. 2. Joh. v. 7. *Specialiter & magis propriè* usurpatur pro insigni quodam & inter omnes Antichristos insignitur notabili Antichristo, qui determinatè vocatur ὁ Ἀντίχριστος. 1. Joh. 2. v. 18. *Audistis, quòd ille Antichristus veniet.*

Antithesis. Bellarminus librum tertium de Pontifice Romano totum consumit in amolienda à Romano Pontifice Antichristianismi accusatione, ac inter cætera cap. 1. scribit, *Magnâ impudentiâ hæretici Pontificem Romanum faciunt Antichristum.*

Idem saxum volverunt Petrus Thyræus, Caspar Schioppius & alii complures.

Laurentius Förnerus *crimen læsæ majestatis* illis tribuit, qui Romanum Pontificem Antichristum vocant.

Idem statuit Lamperterus Jesuita Monacensis in Statera fidei part. 2. pag. 826. sic scribens, *Lutherani, qui naris sunt emunctioris, ipsimet non credunt, Papam Antichristum esse.*

Item. *Magnâ profectò injuriâ per commentum istud afficiunt Prædicantes Lutherani non tantùm Catholicos Cæsares, Reges & Principes, quasi honorarent Antichristum, sed & suæ fidei addictos Electores & Principes in Catholicorum Ordinum devotione, amicitiâ & obsequio perseverantes.*

Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 4. dub. 5. n. 18. audacter asserit, *Papam nunquam dictum habitumve esse Antichristum.* (Cujus pronunciati falsitatem ex ipsis Pontificiis Scriptoribus demonstrare possumus.)

Nostram sententiam confirmamus hoc argumento,

Cui omnes ac singulæ notæ conveniunt à Daniele, Paulo & Johanne, Antichristo illi magno, qui venturus ab ipsis prædictus fuit, attributæ, ille est Antichristus, de quo quæritur.

Pontifici Romano post factam apostasiam omnes ac singulæ notæ conveniunt à Daniele, Paulo & Johanne, Antichristo illi magno, qui venturus ab ipsis prædictus fuit, attributæ. Ergo.

Majorem concedit Mich. Christoph. Pontificius de Antichr. part. 2. pag. 11. *Convenit,* inquit, *inter nos, eum esse magnum illum Antichristum, cui Prophetiæ sacræ Scripturæ de Antichristo propriè conveniunt.* Circa eam verò notandum, quòd emphaticè dicatur, eum pro Antichristo habendum esse, cui *omnes & singulæ notæ* à sanctis illis Dei hominibus annotatæ conveniunt. Proinde nondum posset Papa Romanus pro Antichristo haberi, si aliquas duntaxat notas illi convenire demonstraretur, sed necessariò demonstrandum, omnes & singulas notas illi convenire, quinimò si vel unica dari posset nota, quæ Romano Pontifici non conveniret, jure ac meritò pro Antichristo haberi nondum posset, nec deberet, quemadmodum omnia & singula quæ in Veteri Testamento de Messia prædicta, Jesu Nazareno convenire & accomodari debent, ut pro vero Messia agnoscatur, ac si vel unicum quid de Messia prædictum esset, quòd Jesu Nazareno accommodari non potuisset, Judæi accusati forent, quòd Jesum pro Messia non recepissent.

Circà Minorem notandum, quòd notæ Antichristi in Scriptura sacræ annotatæ sint duplicis generis, quædam sunt Antichristi *notæ interiores*, & ut sic loquar, *essentiales* per quas factus est Antichristus; quædam verò sunt *notæ duntaxat externæ & accidentales*, per quas agnoscitur Antichristus, quando scil. simul sumuntur & cum notis prioris generis conjunguntur, quemadmodum de Messia in V. Testam. prædictum erat, quòd Bethlehemi nasciturus, & asino vectus Hierosolymam ingressurus sit, quæ erant duntaxat externa quædam accidentia, ex quibus solis Dominus Jesus non potuisset pro Messia agnosci, cùm multi infantes Bethlehemi fuerint nati, & multi homines asinis vecti Hierosolymam fuerint ingressi, nisi hæ notæ simul fuissent sumtæ, & cum reliquis propriis & essentialibus Messiæ notis conjunctæ, utpotè quòd ex virgine sine virili semine nasciturus sit, quòd verus Deus & verus homo in personæ unitate futurus sit &c.

Ad priorem notarum classem pertinet 1. *Genus doctrinæ*, quòd doctrina Antichristi in multis omninò partibus doctrinæ Christi futura sit contraria. Inde enim atque ideò vocatur Antichristus, hoc est, Christo & ipsius doctrinæ contrarius.

Hanc notam tradit Daniel cap. 11. v. 36. *Adversus Deum Deorum loquetur mirabilia*, ac Paulus, quando 2. Thessal. 2. v. 4. Antichristum vocat τὸν ἀντικείμενον, ac v. 3. dicit, *diem Domini non venturum, nisi priùs veniat ἡ ἀποστασία, ac reveletur ille adversarius*. Ubi per ἀποστασίαν intelligit peculiarem aliquam, insignem & magnam à fide apostasiam, quam explicationem tradit 1. Timoth. 4. v. 1. *Spiritus manifestè dicit, quòd in novissimis temporibus discedent quidã à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum.* Eandem etiam notam tradit Apostolus 2. Thess. 2. v. 10. scribens, *Propterea quòd caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*. v. 11. *mittet illis Deus efficiam erroris, ut credant mendacio*. v. 12. *ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Ubi invicem opponuntur veritas doctrinæ Christi, & mendax, sive falsa doctrina Antichristi. Quod autem *doctrina Papæ Romani* sit contraria *doctrinæ Christi*, ex mutua collatione suo loco prolixè demonstratum fuit.

2. *Introductio novi cultus*, quòd Antichristus novum aliquem cultum divinum in Ecclesiam sit introducturus.

Hanc notam ponit Daniel cap. 11. v. 37. *Deum Patrum suorum non reputabit*. (Ubi per *Patres* intelliguntur Prophetæ & Apostoli, qui sunt veri & aviti Ecclesiæ patres 1. Cor. 4. v. 15. in quorum scriptis vera divini cultus forma ac norma est annotata, quam explicationem tradit Angelus Luc. 1. v. 17. *Joh. Baptista convertet corda patrum ad filios*, i. e. doctrinam Prophetarum, antiquorum istorum Patrum, repurgabit à corruptelis Pharisaicis, & ad veros atque avitos illos Patres corda Israëlitarum convertet.) v. 38. *Deum autem Maozim ipsius loco venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro & argento & lapide pretioso, rebusq; pretiosis*. v. 39. *alienum Deum agnoscet*. Dicuntur autem in Scripturis *Deos alienos colere*, qui novos introducunt cultus, à vero Deo in ipsius verbo nec præscriptos, nec mandatos. Quòd autem Papa Romanus introduxerit novos cultus, patet, tum ex sacrificio Missatico, quod maximam divini cultus partem in Papatu constituit, de quo in Eucharistiæ institutione nihil quicquam habetur; tum ex variis cultibus electitiis in Papatu usitatis, videl. peregrinationibus, vigiliis & hujus generis aliis cultibus per humanas traditiones in Ecclesiam introductis. Quò etiam pertinet, quòd in Papatu docetur, ἐθελοθρησκείας à Deo nec mandatas, nec præscriptas, Deo placere.

3. *Primatus affectatio*, quòd Antichristus supremam ac Monarchicam potestatem in Ecclesia sibi arrogaturus sit, ac ejusmodi dominium sibi vendicaturus, quo pro lubitu & arbitrio quicquid velit, in Ecclesia statuere possit. Dan. 11. v. 36. *Et faciet Rex juxta voluntatem suam*. Illud Paulus sic declarat 2. Thess. 2. v. 4. *sedet in templo Dei tanquam Deus, & ostentat se pro Deo*; ubi per sessionem in templo Dei indicatur dominium in Ecclesia, quod Antichristus sibi arrogaturus sit, ita namque exponitur Apoc. 18. v. 7. Babylonica meretrix *dicit in corde suo, Sedeo Regina*: quò etiam pertinet locus Apoc. 17. v. 1. *Ostendam tibi judicium meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, quæ sunt populi, & gentes, & linguæ*. v. 15. Dicitur ergo Antichristus *sessurus in templo Dei*, i. e. dominaturus in Ecclesia, ac *seipsum pro Deo ostentaturus*, quia talem potestatem sibi arrogabit, quæ soli Deo competit, videl. supremam ac Monarchicam potestatem super universam Ecclesiam, potestatem ferendi leges, quibus Christianorum conscientiæ per totam Ecclesiam obligentur. Quòd autem Papa supremam & Monarchicam potestatem super universam Ecclesiam sibi vendicet, est in propatulo, unde etiam ipsimet Pontificii Scriptores dominium Papæ verbo *sedendi* describere solent, ac *Sedis Romanæ* appellatio est apud ipsos usitatissima. Quinimò Pontifex in c. Si Papa. dist. 40. disertis verbis scribit, *se à nemine judicari velle, etiamsi innumerabiles animas catervatim secum in gehennam ducat*, in c. Satis. dist. 96. gloriatur, quòd *à Constãtino Magno Deus sit vocatus*; arrogat sibi hanc prærogativam, quòd *sit supra omnes Patres*, quòd sit *infallibilis &c.* Nec injuriâ quis dixerit, etiam hoc ad Antichristi notas pertinere, quòd Papa se solum & unicum homuncionem Ecclesiam vocari permittit, ut sic impleatur illud Apostolicum vaticinium 2. Thess. 2. v. 4. *Sedebit* εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ. quod Augustin. lib. 18. de Civit. Dei cap. 2. sic exponit, *Sedebit in templum DEI*, quasi ipse sit templum ipsum, ipse Ecclesia solus.

4. *Supra Monarchas exaltatio*, quòd se supra omnes Monarchas politicos, Imperatores, Reges, Principes ac Dynastas sit exaltaturus, divinas ordinationes immutaturus, mandata & cultus à se institutos divinis mandatis prælaturus &c. Dan. 11. v. 36. *Elevabitur & magnificabitur adversus omnem Deum*. v. 37. *nec quenquam Deorum curabit, quia adversum universa consurget*. 2. Thessal. 2. v. 4. ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα. Id verò Papam Romanum facere, est in Solis mensa positum. Arrogat sibi potestatem Imperatores, Reges & Principes, qui in Scripturis dicuntur *Dii* Psalm. 82. v. 2. & 7. Johan. 20. v. 34. pro arbitrio è solio deturbandi, quod etiam sæpiùs ab ipso factitatum; *potestatem suam Imperiali potestate tantò majorem* dicit, *quantò major est Solis splendor Lunæ obscuro lumine, & quantò major dignitas auri, quàm plumbi*. Mandata sua divinis præfert mandatis, quia quamvis Christus Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie instituerit, *hoc tamen non obstante* communionem sub una specie præcepit; Laicis interdicit lectione Scripturæ, cujus contrarium Deus in verbo præscripsit; lupanaria permittit, cùm tamen Deus in lege sua impudicitiæ & libidinibus totis viribus obviam ire præceperit.

5. *Prohibitio matrimonii*, quòd matrimonii prohibitionem & ciborum discrimen introducturus sit. Dan. 11. v. 37. *Non curabit amabilitatem fœminarum*. Illud Paulus sic declarat 1. Tim. 4. v. 1. *In novissimis temporibus quidam attendent Spiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum*. v. 2. *in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam*. v. 3. *prohibentium nubere* (ac præcipientium) *abstinere à cibis, quos Deus creavit ad accipiendum cum gratiarum actione*; ubi Apostolus utitur pro voce κωλυόντων, quæ non significat nudam doctrinam, sed prohibitionem per νομοθεσίαν. Quòd autem Papa Romanus Clericis suis matrimonio interdixerit, ac legibus de discrimine ciborum conscientias illaqueaverit, negari nullâ veritatis specie potest.

6. *Crudelis persecutio*, quòd Antichristus falsam suam doctrinam & novos cultus vi externâ & crudeli sanguinis profusione sit propagaturus. Apoc. 17. v. 6. *Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum & de sanguine Martyrum Jesu*. Quòd autem Papa Rom. regnum suum vi externâ & sanguinis alieni profusione propaget, manifestum est. Docet, *hæreticos igni & gladio extirpandos esse*, hæreticos autem vocat omnes illos, *qui velin minimâ parte ab ipsius doctrina dissentiunt*. Testantur Historiæ, multa Christianorum millia tum per Inquisitionem ac rogos, tum per bella Pontificis flabello excitata esse è medio sublata, propterea quòd Papæ & ipsius doctrinæ contradixerint.

7. *Asseclarum suorum ad honores evectio*, quòd eos, qui falsam ipsius doctrinam amplexuri, & regnum ejus propagaturi sunt, divitiis & honoribus cumulaturus sit. Dan. 11. v. 39. *Et faciet, ut ii, qui confirmabunt Maozim*, alienum nimirùm Deum, quem ille agnoscit, *dignitatib. augeantur, & super multa dominos constituet eos & terram illis pro mercede distribuet*. Quia igitur ex una parte adversantibus sibi vi externâ resistet, ex altera parte honorum, divitiarum ac dignitatum promissione & oblatione ad amplexandum suam doctrinam, & propagandum regnum suum homines alliciet, inde doctrina & regnum ejus longè lateque propagatum iri prædicitur. Dan. 11. v. 36. *Et dirigetur, donec compleatur iracundia*. Paulus 2. Thess. 2. v. 11. Antichristi doctrinam vocat *efficaciam erroris*, & 1. Tim. 4. v. 1. dicit, *in novissimis temporibus discedent quidam* (non pauci, sed multi)

multi) *à fide*. Apocal. 17. v. 2. *Cum meretrice magnâ sedente super aquas multas fornicati sunt Reges terræ & inebriati sunt, qui inhabitant terram, vino prostitutionis ejus.* (Ubi intelligitur fornicatio spiritualis, quæ est idololatria & falsa doctrina.) Quòd autem Papa Rom. asseclas suos ad honores & dignitates evehat ac divitiis illos cumulet, in omnium oculos incurrit. Cardinales majorem *Regibus*, Episcopi & quidam Abbates majorem *Principibus* dignitatem obtinent. Doctrinam & regnum Papæ longè lateque propagatum esse, ipsumque diuturno tempore in omni rerum abundantia & prosperitate vixisse, nemo inficias ire potest, quinimò Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 18. *felicitatem temporalem pro vera veræ Ecclesiæ nota* venditare non erubescit, nimirum quia Romana Ecclesia eam diu satis propitiam ac faventem est experta.

8. *Miracula mendacia*, quòd doctrinam & regnum suum per falsa & ementita miracula sit confirmaturus ac propagaturus. 2. Th. 2. v. 9. *Adventus Antichristi erit secundum operationē Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus.* Apoc. 13. v. 13. *Et bestia facit signa magna, ut etiam ignem faciat de cœlo descendere in terram in conspectum hominum.* v. 14. *& seducit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere.* Quòd autem Papa per miracula doctrinam suam confirmare conetur, de eo ipsius asseclæ ipsimet gloriantur, quæ cùm falsam doctrinam confirment, meritò pro mendacibus prodigiis habentur, ut suo loco pleniùs demonstratur.

9. *Vitæ impietas*, quod Antichristus impiam vitam sit ducturus, sicque non solùm in doctrina sed etiam in vita Christo sese contrarium exhibiturus. Ideò enim Paulus ipsum vocat *hominem peccati*, 2. Thessal. 2. v. 3. quia non solùm ipse peccat, sed etiam alios peccare facit, & ad peccandum inducit. Quòd autem Pontifices Romani impiam vitam egerint, ac gravissimis & notoriis peccatis immersi fuerint, testantur domestici ipsorū Historici, nec ipsi Jesuitæ, qui aliàs in luce apertissimè posita negare solent, inficias ire possunt. Quòd autem etiam alios ad peccandum inducant, patet ex eo, quòd Dynastas ad opprimendos & extirpandos Evangelicæ veritatis Confessores impellunt, quòd publica lupanaria permittunt, & à meretricibus annuum censum exigunt, quòd per matrimonii prohibitionem libidinibus ac mutis peccatis efficacem causam præbent, quòd concubinatum potiùs, quàm conjugium Clericis permittunt.

Ad posteriorem notarum classem pertinet; 1. Quòd quidem jamtum Apostolorum tempore *mysterium iniquitatis* Antichristianæ clanculùm *operatum fuerit*, interim tamen potentia Imperii Romani priùs diminuenda fuerit, antequam Antichristus ad plenum dominium & vires integras pervenire posset, 2. Thess. 2. v. 7. & 8.

2. Quòd regni sui sedem habiturus sit *urbem in septem montibus positam, & imperium super Reges terræ habentem*, Apolyps. 17. v. 18.

3. Quòd regio & idioma Antichristi habiturum sit tale nomen, cujus literæ exhibent numerum 666. Apocalyps. 13. v. 18.

4. Quòd in novissimis temporibus revelandus sit, *ac Spiritu oris Christi interficiendus*, tandem verò in novissimo ejus adventu penitus destruendus.

Has notas itidem Romano Pontifici convenire manifestè constat:

Nam 1. Papa Romanus ad supremam illam dignitatem ac potestatem tum demum plenè evectus fuit, & Antichristianum suum regnum stabilivit, quando temporibus Heraclii Imperiū Romanum magnam diminutionem sensit, ac Phocas Mauritii interfector titulum *Universalis* ipsi concessit.

2. Sedem regni sui habet in urbe Roma septem montibus imposita, atque ex eo *septicollis* dicta, quæ tempore Johannis habuit imperium super Reges terræ.

3. Irenæus antiquissimus Scriptor per numerum 666. denotari scribit Λατεῖνος, jam verò Papa sedet in Latio, id est, in Italia, publica sacra non nisi in lingua Latina celebrari jubet, etiam in illis locis, in quibus lingua Latina hominibus non est vernacula, versionem Bibliorum Latinam pronunciavit authenticam, eamque textui Hebræo V. & Græco N. Test. anteferre non dubitavit, cùm tamen Prophetæ Vet. Test. Hebræâ, Evangelistæ & Apostoli Nov. Testament. Græca lingua scripserint.

4. Novissimis hisce temporibus per reaccensam Evangelii lucem pro Antichristo in Ecclesia Dei publicè fuit declaratus. Atque hæ sunt Antichristi notæ in sacris literis à Daniele, Paulo & Johanne annotatæ, ex quibus Romanum Pontificem Antichristum esse cognoscimus, ad quas reliquæ commodè referri possunt.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd Bellarminus l. 1. de Christo cap. 11. *ex Sibyllarum oraculis* divinitatem Christi probat, ac disertè de illis pronunciat, *quòd multa clariùs prædixerint, quàm ulli Prophetarum*; utique ergo Sibyllarum autoritatem ad probanda dogmata efficacem esse concedit.

Jam verò in Sibyllinis oraculis Papa Romanus, Antichristus; Roma, Babylon appellatur. Sic enim in illis legimus:

Verùm ubi tibi Reges delicati ter quinque fuerint,
Qui mundum servitute presserunt ab Ortu usque ad Occasum,
ἔσσετ' ἄναξ πολιόκρανος ἔχων πέλας οὔνομα πόντου,
κόσμον ἐποπτεύων μιαρῷ ποδὶ δῶρα πορίζων.
Erit Rex cano galero, habens vicinum nomen Ponto,
Mundum spectans, scelerato pede munera conferens.
Auri quidem quamplurimùm habens & argentum inimicum,
Plura postquam collegerit & nudaverit, (homines spoliando *absumet.*
Et Magicorum adytorum mysteria omnia tenebit.
Servum (vel famulum, aut puerum) *Deum ostendet, omnes culturas solvet,*
Et ab initio erroris mysteria omnibus aperiet.
Miserum inde tempus (erit) *quia linum ipsum perdet.*
Et quando populus dicet, Magnus, Existens,
Robustus, urbs cadet,
Sciens statim superventurum diem malum,
Et tunc lugebunt simul tuum illud prævidentes
Tristissimum fatum patris & parvuli pueri,
Væ, væ, plorabunt humidas ad Tyberis undas.

(Hisce versibus describit Sibylla Antichristum, demonstrans *tempus*, quando videlicet sit exoriturus & venturus; deinde exponit, qualis sit futurus, quidve facturus. Denique quòd sit perdendus & quomodo, quantoque suorum luctu prosequendus. Et quantùm quidem pertinet ad exortum vel adventum Antichristi, jubet ab exusta Roma, de qua in proximè præcedentibus versibus egerat, numerare 15. Reges, post quos dicit exoriturum novum illum Regem, quem Antichristum vocamus. Certò autem constat, Romam exustam esse regnante Justiniano Imperatore, quem secuti sunt Græculi Imperatores vel Reges 15. usque ad Leonem Isauricum Constantinopoli residentes. Nam Roma desolata non ampliùs ullum habuit Regem, sed despecta Præfectura erat sub Exarcho Ravennate, nullam amplius habens vel autoritatem, vel potestatem, sed & vexabatur miserè à Longobardis, qui à Narsete vocati in Italiam graviter eam atterebant, ac sibi subjugabant, donec ejicerentur à Carolo Magno. Reges vero illi 15. quos commemorat Sibylla, Orientem & Occidentem, id est, aliquot utriusque partes vel tenuerunt subditas sibi, vel rebellantes presserunt armis. *Delicatos* hos appellat, quod omnes penè parùm strenui fuerint. Primus fuit *Justinus*, sub cujus imperio Longobardi bonam Italiæ partem Alboino Duce occuparunt. Secundus, *Tiberius* victoriosus contra Persas, sed infelix contra Longobardos. Tertius, *Mauritius* parricidio à Phoca peremtus. Quartus *Phocas*, qui jussit Romanam Ecclesiam & ejus Pontificem esse caput omnium aliarum Ecclesiarum. Sub eo potior Imperii pars defecit, defectioque ea facta est, quam futuram prædixerat Apostolus, 2. Thess. 2. v. 3. De eo Eutropius lib. 17. & Otto Frising. lib. 5. cap. 8. *Imperatoris desidiâ hostes Rom. Imp. potentiores sunt facti. Etenim in parte Occidentali Germaniam cum Insulis, Gallias, Hispaniamque & bonam Italiæ partem; sed & Pannonias & Mysiam abstulêre cum bona Africæ parte. In Oriente verò Iberos, Armenos, Arabes, Dardanos, & mediterranea Macedoniæ & Græciæ Cacanus Thrax Hunnorum Rex pervagabatur. Assyriam verò totam ferè Persæ occuparunt, Ægyptum Saraceni vastârunt. Proh dedecus! Nostræ vires adeo defecerant per luxum & avaritiam, libidinemq́, ut Imp. Romanum solo tantùm nomine constaret*; quæ omnia Naucleri Historici verba sunt. Quintus *Heraclius*, sub quo pleniùs absolvitur, quod erat sub Phoca inceptum, Saraceni enim omnia longè latèque occuparunt ab Ægypto usque ad Euphratem. Sextus *Constantinus* brevi tempore imperavit, nec quicquam memoria dignum egit. Septimus

Heracleonas, propter ignaviam repudiatur à Senatu, ipsis etiam naribus ei turpiter detruncatis. Octavus *Constans*, sub quo, quòd Armeniorum fuerat reliquum, defecit ab Imperio. Nonus Constantinus, sub quo pleniùs serviliusque à Bulgaris subjugantur Provinciæ usque ad Danubium. Decimus *Justinianus*, & Undecimus *Leontius* abdicantur & truncantur naribus. Duodecimus *Tiberius*, regno ejicitur. Decimus tertius *Philippicus* obtruncatur. Decimus quartus *Anastasius*, & Decimus quintus *Theodosius*, desperantes de felici gubernatione Imperii Monachi sunt facti. Rectissimè ergò Sibylla dixit, *Reges illos fuisse delicatos.* Istos secutus est Princeps fortis ac strenuus *Leo Isauricus* ejus nominis III. Is contra instructissimam Saracenorum vim Constantinopolin asseruit, & idola ex templo Dei ejecit ac comminuit, & ut idem facerent Romani Pontifices, mandavit. Verùm hi insidiosè & malignè contra eum egerunt, effeceruntque favore Principum Francicorum & superstitione populi Italici, ut Leo Exarchatu, omnique Italiæ dominatu exutus Papam videret regnantem in Italia. Id circa hæc tempora accidit, quibus completur numerus bestiæ 666. Hic autem sub Leone III. Imp. exoritur *Rex ille novus cano galero insignis*, quem Sibylla in illis versibus graphicè depingit. Dicit, eum fore πολικέρανον Regem, *qui insignis futurus sit candido galero vel infula alba*, unde significat, eum fore Episcopum; deinde noncupat eum Pontificem, dum dicit, *nomen ejus esse affine ponto.* Uberiorem totius hujus vaticinii Sibyllini explicationem & ad Pontificem Romanum accommodationem vide apud Bullingerum concion. 61. in Apoc. & Wolffium in Lect. memorab. Cent. 3. p. 65. & seqq.)

Arezia vel Aretia Patriarchæ Noahi uxor, omnium Sibyllarum antiquissima, Chaldæa à priscis autoribus, à quibusdam etiam Sambetha sive Cœlestis dicta, 24. libris omnium gentium ac populorum momenti præcipui res descripsit, denique Christi negotia principalia, ejusque æmulum nefarium & Pseudo-Christum suis depinxit coloribus. Vocat enim eum *mendaciorum Prophetam, peritissimum artium Magicarum, veneficiorum amatorem, magnificè gloriantem Tyrannum, Regem deterrimum, Gog vel immanem hostem populi Dei, atque impostorem, & Ecclesiam ejus, regnum nefarium ac jactabundum, quòd justū populum persequereter*, appellat, *pellicem impudicam, Babylonem*, & nequis aliam existimet, quàm Romam, *mixtionem nefariam admittentem.* Alio item loco vaticinans Romam expressè *Babylonem* hisce verbis nominat:

Venit cœlo stella magna in mare vastum,
Et inflammabit mare profundum, ipsamq; Babylonem
Italiæ terram, cujus gratiâ multa perierunt,
Hebræorum Sancti, fideles & templum verum.

(Vide plura de his apud Simonem Schardium JCtum Cameræ Imperialis quondam Assessorem in libro, qui continet 30. maximæ autoritatis Scriptorum testimonia, qui Romam Babylonem, ejusque Episcopum Antichristum vocârunt. Itemque Wolffium in Lect. memorab. Cent. 16. pag. 839.)

2. Quòd Gregorius Episcopus Romanus titulum *Universalis Episcopi*, quo Pontifex Romanus hodiè gloriatur, pro Antichristiano habuit.

Lib. 4. Epist. 34. ad Constantinam Augustam: *In hac ejus* (Johannis Constantinopolitani Episcopi titulum Universalis sibi arrogantis) *superbiâ, quid aliud nisi jam propinqua Antichristi esse tempora designantur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: Super astra cœli exaltabo solium meum.*

Lib. ejusd. Epist. 36. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum & Anastasium Episcopum Antiochenum: *Sanctitas vestra in suis Epistolis neminem unquam Universalem nominet &c. Quia juxta est ille, de quo scriptum est, ipse est Rex super universos filios superbiæ, quod non sine gravi dolore dicere compellor, frater & Coepiscopus noster Johannes mandata Dominica, præcepta Apostolica, regulas Patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine.*

Lib. ejusd. Epist. 38. ad Johannem Episc. Constantinop. *Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas, Sacerdotum est præparatus exitus*, (in edit. vetustioribus rectiùs legitur, *Sacerdotum ei præparatur exercitus:*) *quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis.*

Lib. 6. Epist. 30. ad Mauritium Augustum. *Ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbiâ ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari expetit, super cæteros Sacerdotes se extollit.* (Jam verò omnes Papæ Romani à temporibus Bonifacii III. hunc titulum affectârunt & usurpârunt usq; in præsentem diem. Ergo illi omnes judicio Pontificis è cathedra pronunciantis sunt Antichristi.)

Excipiunt 1. *Gregorium non loqui de vero Antichristo, imò neq; omninò de Antichristo, sed de Antichristi præcursore solùm*, Tannerus in Antich. proscripto, præscr. 5. pag. 87. *Nihil ex hoc loco ostendere possunt Lutherani, quia Gregorius I. dicit, quòd tales sint præcursores Antichristi, Prædicantes autem volunt, Romanum Pontificem, si talem titulum usurpet, esse verum Antichristum*, Compositio Pacis §. 167. cap. 642. a

Resp. 1. Præcursor Antichristi non alio Spiritu agitatur, quàm Antichristiano, & præcursor Antichristi est Antichristus *in fieri* constitutus, *Antichristus* autem *in facto esse.*

2. Gregorius Magnus tanquam Antichristi præcursorem notavit eum, qui titulum Universalitatis affectat, seipsum *Universalem Sacerdotem* vocat, aut vocari desiderat, utique ergo, qui hunc titulum plenâ possessione obtinet, est ipse Antichristus.

3. Nec Antichristum, nec Antichristi præcursorem volunt esse suum Pontificem.

2. *Gregorium non loqui de eo, qui titulum hunc ab aliis jure delatum acceptat, sed qui nullo jure & ex animi elatione aut arrogantia ita aut seipsum vocat, aut vocari desiderat, uti Constantinopolitanus Episcopus, contra quem agit, fecerat.* Tannerus præscr. 5. pag. 87. *Apparet, Gregorium primum ad retundendam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcoporum superbiam Oecumenici Episcopi nomen abhorruisse, cùm interim fateretur ac prædicaret, se totius Ecclesiæ, seu omnium Ecclesiarum esse Pastorem.* Composit. Pacis §. 167. p. 642. b.

Resp. 1. Quamvis arrogantia Episcopi Constantinopolitani occasionem præbuerit Gregorio, ut tam graviter inveheretur in Universalitatis titulum, ipsa tamen Gregorii assertio generalis est. *Quisquis se Universalem Sacerdotem vocat &c.*

2. Non ergo potest distingui inter eum, qui jure hunc titulum possidet, & qui eum sibi sumit ex arrogantia, cùm Gregorius apertè dicat, neminem esse, qui titulum istum jure possideat, sed quisquis illum usurpet, facere id per Antichristianam arrogantiam.

3. Proinde non excludit Romanum Pontificem, tum quia nulla uspiam apparet limitatio vel exceptio, tum quia Gregorius est sui ipsius luculentus Interpres, qui distinct. 99. Ecce, omninò ipsus recusat vocari Universalis Sacerdos. *In præfatione*, inquit, *Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, Universalem me Papam dicentes, imprimere curâstis. Quod peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultrà non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigit, præbetur.* Et paulò post. *Si Universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur Universum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & caritatem vulnerant.* Sed & ibidem ex alio Gregorii loco refertur, Chalcedonense Concilium obtulisse hunc titulum Romanis Episcopis, qui tamen eum tanquam incompetentem recusârint. Verba sic habent: *Et quidem ex sancta Chalcedonensi Synodo, atq; posteà subsequentibus Patrib. aliis, Decessorib. meis oblatum vestra Sanctitas novit, sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum;* quæ verba Tannerus ipse allegat pag. 88.

4. Compositio Pacis §. 167. p. 642. a. apertè fatetur, *etiam*
Romanam Ecclesiam & Romanum Pontificem de judicio Grego-
rii debuisse abstinere ab Universalitatis titulo. Gregorius primus
Pontifex, inquiunt, *reprehendit Johannis Constantinopolitani E-*
piscopi superbiam, quòd Oecumenici seu Universalis Episcopi nomē
sibi arrogarit, idq; vanum ac profanum nomen esse censuit, adeò ut
neq; Ecclesia Romana se Ecclesiam Universalem, aut Pontifex Ro-
manus Universalem Episcopum se vocari velit, quia si ipse Uni-
versalis Episcopus est, aliarum Ecclesiarum Episcopi nulli erunt.

Exc. 3. *Verba Gregorii sic accipienda esse, ut nomine Universalis reprehendat illum, qui velit agnosci Episcopus unicus, respectu cujus cæteri sint solùm Vicarii aut Suffraganei, non verò eum, qui cæteris omnibus Episcopis superior est, iisdemq;, saltem ubi culpa inter-*

intervenit, jus dicit; cum Gregorius in universa Ecclesia judiciariam potestatem in omnes Episcopos exercuerit. Tannerus præscript. 5. p. 87. *& verbis etiam sibi attribuerit totius Ecclesiæ curam.* Comp. Pacis. §. 167. p. 642.

Resp. Inane hoc effugium refellitur ex ipsa Historia. Nunquam Constantinopolitanus Episcopus voluit unicus orbis Episcopus salutari, ut titulum Episcopi derogaret aliis omnibus, quin Romanum agnovit & appellavit ipse Episcopum, sibi conjunctos salutavit Episcopos, tantùm eam ambiit superioritatem, quam postea exambiit Bonifacius III. Gregorii successor, & quo sensu hic Universalis dicitur, tanquam cæteris omnibus superior, eodem planè Constantinopolitanus Universalis dici exoptavit. Præterea huic explicationi propria significatio vocis *Universalis* maximè refragatur, namque Universalis non est, nisi sub se particulares comprehendat, ut qui unicus est, non sit Universalis; & qui Universalis est, non sit unicus, quemadmodum singulare nunquam est genus, & quicquid genus est, non potest esse singulare. Quando Gregorius sibi *curam totius Ecclesiæ* tribuit, id accipiendum *de communitate solicitudinis*, quo sensu Paulus *sibi curam omnium Ecclesiarum incumbere* 2. Cor. 11. v. 28. asserit, non autem de Monarchica quadam potestate Universalitatis. Ac si vel maximè Gregorius potestatem judiciariam in omnes Episcopos totius orbis sibi arrogâsset, quod tamẽ nondum demonstratum, responderi posset ex hypothesi distinctionis Jesuiticæ; Gregorium reprobantem Universale Pontificis Sacerdotium fecisse hoc, *ut Papam publicam personam, ex officio & cathedra pronunciantem*, (quippe cujus decretum hac autoritate fuit munitum, quando Juri Canonico est insertum;) si præter hoc, aut contrà, aliud statuit, verbis aut factis, in eo, *ut privatum* errâsse.

Exc. 4. negant, *Pontifices Romanos titulum Universalis usurpâsse.*

Tannerus præscript. 5. p. 87. *Falsum est, Papas omnes hoc titulo uti consuevisse. Ità quidẽ ab aliis jure meritò vocantur, sed ipsi hoc pro se titulo communiter uti non solent.*

P. 88. *Humilitatis studio id nomen sibiipsis Pontifices tribuere non sunt soliti.*

Resp. 1. Si jure ac meritò Pontificibus competit titulus *Universalis*, cur illo non utuntur?

2. Post Bonifacium III. nullus Pontificum ab Universalitatis titulo abhoruit.

3. Quinimò Jus Canonicum testatur hunc titulum ceu ordinarium à Romanis Pontificibus adhiberi, quoties decreta promulgant. Vide Extravag. Johann. 22. tit. 7. de relig. domib. cap. unic. Sancta Romana. Extravag. Comm. lib. 1. tit. 2. de postul. Prælat. cap. 3. Sancta Romana. tit. 9. de Treuga cap. 1. Ad Universalis, lib. 3. tit. 2. cap. 13. Ad regimen. tit. 5. de emt. & vendit. cap. 1. Regimini. cap. 2. Regimini.

4. Sufficit verò, si maximè se Papa ipse non nominaret *Universalem*, quòd sic appellari se permittit, imò desiderat. Hæc Dn. D. Hunnius in demonst. Innocentiæ Lutheranorum p. 275. & seqq.

3. Quòd ante Lutheri tempora non solùm Imperatores, Reges, Principes, Scriptores Historici ac Theologi, Pontificem Romanum, Antichristum; Romam, Babylonem appellârint.

Circa Annum 858. Güntherus & Tetgaudus Coloniensis ac Trevirensis Episcopi ad Nicolaum I. Pontif. Roman. in hæc verba scripserunt, referente Aventino lib. 4. Annal. pag. 255. *Immortalis Imperator Augustam & Sponsam suam clara æternáq; supellectile instruxit, dote non fragili ac caducâ condonavit, sed perpetuo diademate ac sceptro ornavit, fecit eidem potestatem, ditiq; copiam, ut vivos consecraret, cœlo adsereret, ægrotos curaret, mortuos immortalitate donaret. Quæ beneficia tu veluti latro intercipis, templo Dei præripis, in teq; transfers. His factus fucus ovibus abuteris, vivos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus gladium melle litum condis, mortuos, quibus per te reviviscere non licet, ad inferos extrudis. Tu Pontificis quidem personam præ te fers, at Tyrannum agitas. Sub habitu & cultu Pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis Jovem ostentas. Cùm sis Servus servorum, Dominus dominorum esse contendis. Juxta disciplinam Christi Servatoris nostri infimus ejus omnium minister templi Dei, tu verò libidine dominandi in præceps abis, quicquid tibi libet, licet. Fucus factus es Christianis &c. Civitas Dei nostri, cujus municipes sumus, ad universos cardines pertinet, major est urbe, quæ Babylonia in sacris vatibus appellatur, ut quæ divinitatẽ usurpat, cœlo se æquat, se æternam fore jactitat, perinde ac si esset Deus, immortalisq; Sapientia; nec unquam errâsse, neque errare posse, mendaciter gloriatur.*

Et paulò antè. *His de causis nos cum Collegis nostris neque edictulis tuis stamus, neque vocem tuam agnoscimus, neque tuas bullas tonitruaq; timemus.*

(Excipiunt, *Nicolaum I. justam defendisse causam, Episcopos illos injustam, patrocinati enim fuerant Imperatori Lothario legitimam conjugem Tetbergam ob Waldradæ concubinæ illecebras repudianti.* Sed non quæritur hoc loco de justitia causæ, verum de forma ac modo processus. De Nicolao isto I. Regino & Platina referunt, *cum tantæ fuisse majestatis & autoritatis, ut ab omnibus tanquam Numen coleretur, quodque Regibus ac Tyrannis imperaverit, eisque quasi Dominus orbis esset, præfuerit.* Hunc Antichristianum fastum Episcopi illi jure meritoque taxârunt, etiamsi causam non bonam foverint. Ac quâ processus formâ Pontifex Romæ adversus ipsos usus fuerit, ipsimet in sua Epistola disserunt, in qua inter cætera sic loquuntur: *Patres, Episcopi & fratres Coepiscopi nostri nos ad te misêre, ipsi quoque spontè Romam venimus, acta tibi obtulimus, ut si quid in his peccatum, erratumve videretur, tanquam parens pientissimus benignè & modestè, ut Præceptorem decet, commonefaceres. Tu verò accepto libello nostro viginti ampliùs diebus nullum omninò vel per internuncios responsum reddidisti, tantùm abfuit, ut in conspectum tuum admitteres. Nos otiosi sedimus Romæ. Post mensem demum ferè nos accersitos, ubi absque cunctatione advolavimus, nihil mali suspicantes, quasi more latronum oppressisti. Nam statim, ubi in ædes recepti fumus, pessulo foribus obdito circumdatos turbâ paganorum exspoliatos, itaque omni ope humanâ & comites nostros sacratis profaniisq; exclusisti, ibi contra fas, contra decreta, moremq; majorum sine cœtu Ecclesiastico, cùm circumstetisset nemo Archi-Episcopus, nemo Pontificum & Symmistarum accessisset, neque tum aut de errore nostro quicquam penitus disseruisti, aut ratione aliqua, testimonio, scripto, aut argumentis errorem per te arguisti, sed subitò & de improviso, cùm lateri tuo adhæreret Anastasius Monachus, ambitus condemnatus, sententiam contra nos injustam, temerariam & nefariam, & Christianæ religioni repugnantem de chartula effudisti, & satis protervè tuis fratribus atq; conservis illusisti.* Hæc illi. Quicquid sit, nondum tunc publicè receptum fuisse illud dogma, quòd Pontifex sit infallibilis, ex hac ipsa Episcop. protestatione apparet.)

Circa annum 960. quidam in Anglia publicè docuerunt, Romanam Ecclesiam esse meretricem Babylonicam, ac proinde Papam esse Antichristum. De illis Matthæus Parisiensis lib. 4. Hist. sic scribit: *Anno Domini DCCCCLX. quidam pravi dogmatis disseminatores* (videl. Ecclesiæ Romanæ judicio) *apud Oxonium tracti sunt in judicium, præsente Rege & regni Episcopis: quos in fide Catholica devios & in examine superatos atque confusos facie cauterio notabiles Rex cunctis exposuit, qui & ilicò sunt expulsi è regno. Hi dicebant, Romanam Ecclesiam, quæ Christi reliquerat fidem, meretricem esse Babylonicam, ficumq; sterilem, cui ipse maledixerat olim. Dicebant, non obœdiendum esse Papæ & Episcopis, & Monachatum esse cadaver fœtidum, vota esse frivola & Sodomam nutrientia, Ordinesque characteres esse magnæ bestiæ.*

Circa annum 991. Arnulphus Aurelianensis Episcopus Rhemensem Synodum sub Rege Capeto habitam sic allocutus est: *Quid hunc Reverendi Patres in sublimi sedentem veste purpurea & auro radiantem, quid hunc, inquam, censetis? nimirum si* (pro quia) *caritate destituitur, scientiâ inflatur, Antichristus est, in templo DEI sedens, & se ostendens, tanquam sit Deus. Si autem nec caritate fundatur, nec scientia erigitur, in templo DEI tanquam statua, tanquam idolum est.*

Et postea. *Ut enim planiùs dicamus, palamq; fateamur, post Imperii occasum hæc urbs Alexandrinam Ecclesiam perdidit, Antiochenam amisit, & ut de Africa taceamus atque Asia, ipsa jam Europa discedit; nam Constantinopolitana Ecclesia se subduxit, interiora Hispaniæ ejus judicia nesciunt. Fit ergo discessio secundùm Apostolum, non solummodò gentium, sed etiam Ecclesiarum, quoniam cujus ministri Gallias occupaverunt, nosq; totis viribus premunt, Antichristus instare videtur. Et, ut idem Apostolus ait, jam mysterium iniquitatis operatur, tantum ut, qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, ut illo perditionis filius reveletur, homo peccati, qui adversatur & extollitur supra Dei nomen, Deiq; culturam. Quod in aperto fit, ut Romana potentia conquassata, religione profligata, nomen DEI frequentibus perjuriis impunè humilietur, ipsius divinæ religionis cultus etiam à sum-*

mis

mis Sacerdotibus contemnatur. Ipsa insuper Roma jam penè sola à seipsa discedit, dum neque sibi, neque aliis consulit.

(Huic orationi non contradixit Synodus, sed ex sententia Arnulphi tum judicatum fuit.)

Idem Romæ ad Pontificem & Cardinales vitæ ipsius propter liberiorem redargutionem insidiantes dixit: *Ego quidem mortem pro veritate subire non timeo, vobis autem in verbo Dominico prædico, quòd omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcitiâ pleni plebem vobis commissam præceditis ad infernum.* (Bellarminus in Append. ad libros de summ. Pontif. cap. 8. excipit, *hunc Aurelianensem Episcopum fuisse hostem Romani Pontificis, & inimico animo, quicquid stomachus suggerebat, evomuisse.* At sufficit nobis, quod hic Episcopus justis ex causis hostis Romani Pontificis fuerit, ejusque sententiam Synodus Rhemensis confirmaverit.)

Circa Annum 1010. floruit Aretas, qui in Commentario super Apocalyps. scribit, *Antichristum emersisse post occasum Constantini Magni, & Babylonem esse regionem illorum, quibus dominaturus sit filius peccati.*

Circa Annum 1074. Sedi Papali præfuit Gregorius VII. Hildebrandus priùs dictus, qui Henricum IV. Imperatorem è folio deturbavit. De Hildebrando illo sic scribit Aventinus lib. 5. Annal. pag. 352. (in quibusdam edit. pag. 555.) *Plerique tum privatim, tum publicè, indignum facinus clamitant, pro concione Gregorio maledicunt, Hildebrando malè precantur, ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, Antichristum esse prædicant, pietatis sub specie* (inquiebant) *debacchatur, honestis nominibus bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi agitat, in Babylonia in templo Dei sedet, super omne id, quod colitur, extollitur. quasi Deus sit, se errare non posse, gloriatur in excolenda gloria sua pertinaci spei atq; concupiscentiæ Imperatoris suo arbitrio constituendi se devovit, homines non peccatis, sed lege Christi atque Sacramentis solvit, pacem atque pietatem religionis nostræ labefactat, bella, seditiones, concitat, stupro, cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget &c. Quicquid dixerit, legem Dei putat, ad aviditatem suam incogrua conquirit testimonia. sententias depravat, ad voluntatem suam Scripturam trahit repugnantem.*

Idem p. 363 (in quibusd. edit. p. 470.) *Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tum Antichristi Imperium cæpisse, quòd ea, quæ Christus Servator noster tot annis antè nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebāt, memoriæ literarum prodiderunt.*

Et paulò antè pag. ead. *Post mortem Hildebrandi Sacerdos expiranti similis triduo in Saxonia decubuit. Is, ubi ad se rediit, apud inferos Hildebrandum, Rudolphum, Hermannum Tyrannos æternis mactari suppliciis revelavit. Falsi tum Prophetæ, falsi Apostoli, falsi Sacerdotes emersere, qui simulatâ religione populum deceperunt, magna signa ac prodigia ediderunt, & in templo Dei sedere atque extolli super omne id, quod colitur, cæperunt.* (Sic ergo completum fuit vaticinium Apostolicum *de adventu Antichristi in signis & prodigiis mendacibus*, 2. Thess. 2. v. 9.)

Idem de Henrico IV. Imperatore sic scribit lib. eod. Annal. pag. 476. *De acerbitate hostium, factione Romanorum Pontificum Imperator queritur, Hildebrandi, Urbaniq; omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat, à quibus filios suos inductos & depravatos queritur, in se commissum esse, quod & apud hostes religionis nefandum habetur, refert. De obtrectatione, invidia & conspiratione in se Hildebrandi, cujus ipse & honori & dignitati adjutor fuerit, plura dicit, se servâsse, ut essent, qui se perderent, aperit, novum exemplum è Republ. tollendum, ne in perniciem populi Christiani latiùs serpat, docet. Se oppresso omnium capitibus insultaturos Sacerdotes Romanos prædicit. Proinde hortatur, ut Reges rationem posteritatis habeant; majestatem, imperium, regnum, populum Christianum, suam existimationem & dignitatem à sævissimis Tyrannis vindicent, qui sub honesto Christi titulo publicam Christianorum libertatatem à Deo Opt. Max. sanguine emtam opprimere conentur, & universos Christianos in servitutem redigere durissimam, diu noctuq; manibus pedibusq; connitantur, & facturos, nisi Reges caveant, neque cessaturos admonet, donec more Antichristi in templo Dei sedeant, atq; ab omnibus quasi Deus colantur & adorentur.*

Idem Aventinus lib. 5. Annal. p. 563. quando de dissidio Imperatoris Henrici IV. & Pontificis Romani Gregorii VII. Hildebrandi dicti agit, inter cetera sic scribit: *Gerochus quoque (quo nemo acriùs scriptis Hildebrandum tutatus est, utpotè qui crimina Cæsari objecta, quæ apud nullum alium legerim, explicat,) tandem suæ partis pertinaciam, ne dicam Tyrannidem, hisce verbis, coactus veritate, notat: Romani, inquit, sibi divinum usurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec sibi dici æquo animo ferunt, Cur ita agis? Istud Satyricum inculcant:*

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Circa ejusdem Hildebrandi tempora (alii volunt circa annum 1110. alii circa ànnum 1119.) Episcopus Florentinus (ita eum vocat Molinæus, aliàs Fluentinus dictus, ut Sabellicus eum vocat,) publicè docuit, *Antichristum natum esse.* Cùm enim Paschalis II. Hildebrandi successor in Ecclesiam Ravennatem sæviret, Fluentinus ille Episcopus publicè docuit, *Antichristum jam venisse & publicè in Ecclesia dominari.* Quo dicto cum Paschalis Pontifex Rom. se peti non absque causa sentiret, ipsemet ad illum profectus silentium illi imposuit. Platina in vita Paschalis II. f. 188. Sabellicus Ennead. 9. lib. 4. Petrus Asilus de Tyrann. Pontif. cap. 3. pag. 67. Verba Platinæ sic habent: *Cum intellexisset Paschalis II. Florentinum Episcopum affirmare solitum, Antichristum natum esse, eò statim proficiscitur, Concilioq; habito re ipsa admodùm discussâ cum lenitate quadam, ut alicujus magnæ rei autor videretur, motum Episcopum cerneret, hominem verbis castigatum dimittit.* (Hinc Papa Paschalis excogitavit & statuit, ut electum Papam in Papali dignitate indutum coccineâ chlamyde ornarent & confirmarent, scilicet ut impleretur Scriptura Apoc. 17. *Et erat mulier circumdata purpurâ & coccino:*)

Idem Platina memorat f. 229. *Papam jam olim vocatum Antichristum & Satanam*, quod Jacobus Hack Jesuita negare minimè potuit q. 2. cap. 19. p. 313.

(Excipit Tannerus in Antichr. proscripto p. 91. *Platinam hoc tantùm dicere, quòd Episcopus. Florentinus affirmarit, Antichristum natum esse, non autem hunc esse ipsum Paschalem II. quia statuerit, eum sub Pontificatu Paschalis fuisse natum, Paschalem etiam fuisse mitissimum &c.*

Resp. Platina doctrinam Episcopi Florentini his exponit verbis, *Antichristum natum esse.* Quia verò 1. Paschalis II. vix 15. annis sedit post Gregorium VII. quem *fundâsse regnum Antichristi* Aventinus ex communi rumore & opinione memorat; & hæc ipsa erant tristia tempora, *cùm Romanam cathedram occupârunt tam horribilia monstra*, qualia Baronius ad annum 900. n. 1. describit;

2. Res ista cor Paschalis ita pupugerat, ut statim se Florentiam ejus rei causâ conferret;

3. Concilium Episcoporum propterea convocaret;

4. Episcopum Florentinum compesceret, quales actus nemo hactenus instituerat in eos, *qui Antichristi tempora instare, Antichristum venisse &c.* opinati fuerant;

5. Acta istius Concilii prorsus fuerint supressa; certis his indiciis patet, ipsum Paschalem II. ab Episcopo Florentino ceu Antichristum notatum. Dn. D. Hunnius in Innoc. Lutheranorum pag. 293.

Circa Annum 1110. Ecclesia Leodiensis in responso Paschali II. dato Romam vocavit *Babylonem*, dixitque *eam à Petro sic vocatam Spiritu Prophetico, quòd Romanis procellis ac turbinibus Ecclesia esset turbanda.* Inter cætera sic loquitur Epistolæ illius autor: *Quæ major olim fuit confusio in Babylone, quam hodiè est in Ecclesia? In Babylone confusæ sunt linguæ gentium, in Ecclesia dividuntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in sua Epistola, Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Hactenus interpretabar, ideò voluisse Petrum per Babylonem signare Romam, quia tunc temporis Roma confusa erat idololatriâ & omni spurcitiâ. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quòd Petrus Prophetico Spiritu dicens Ecclesiam in Babylone collectam, prævidit confusionem dissensionis, quâ hodiè scinditur Ecclesia.* Habetur hæc Epistola tom. 2. Concil. edit. Colon. pag. 809. Baronius tom. 12. p. 26. eam vocat *acerrimam.*

Anno 1120. Honorius Augustodunensis Diolog. ad calcem 2. tom. Auctarii Bibliothec. Patr. edit. Paris. Ann. 610. Prophetias Apocalypseos *de bestia & Babylone*, Papæ & Romanæ Ecclesiæ accommodat. Confer Catal. testium verit. p. 395. Cent. 12. cap. 7.

Circa Annum 1124. (vel ut alii volunt 1119.) Rupertus Abbas Tuitiensis (alii eum vocant Robertum) super verba Apocal. 13. vers. 15. *Et faciet, ut, quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur*, sic commentatus est: *Hoc Christus non fecit, neque Prophetæ ejus, neque Apostoli docuerunt, neque Reges Christiani jam facti hoc acceperunt, ut occidant & sanguine cumulan-*

cumulandum existiment Christi servitium. Verus namque Deus non coacta, sed spontanea servitia vult. Ergo & in hoc, imò maximè in hoc palàm faciet sensum habentibus & ratione pollentibus, quòd verè sit Antichristus, quòd verè non Christus, sed secundùm nomen suum Christo sit contrarius. Hic est Christus, qui sanguinem suum fudit. Hic est Antichristus, qui sanguinem fundit alienum. (In quo & per quem vaticinium hoc compleatur, novit totus Christianus orbis.)

Idem lib. 8. in Apocal. *Diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur, locum novit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debuit, scilicet civitatem Babylonia, undosam populositatem malignantium. Nam ut vetus habet Prophetia, Radix omnium Malorum Avaritia.*

Circa annum 1130. Bernhardus Abbas Claræuallensis Epist. 125. sic scripsit de Romano Pontifice: *Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum Sanctis, cathedram Petri occupat, tanquam leo paratus ad prædam.*

(Excipiunt, *Bernhardum hæc dixisse de uno solùm Pontifice, qui Papatum vi & usurpatione manifestâ occupaverat.*

Resp. Bernhardus invasorem illum propterea vocat Antichristum, quia Anti-Paparum alter, *Innocentius* dictus, electus & approbatus fuerat à Regibus Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniæ, Hierosolymorum, consensum etiam & approbationem universi Cleri ac populi nationum jam dictarum habebat; alter verò *Agapetus* minimè. Sic ergo Bernhardo non solùm unicus ille Anti-Papa, de quo ibi loquitur, sed & plerique omnes multis ab illo seculis sunt bestia illa in Apocalypsi demonstrata, utpotè qui à solo Collegio Cardinalium, eoque non rarò inter se factionibus diviso nullâ interveniente Regum & populorum illorum autoritate, electi fuerunt & adhuc eliguntur. Ubi enim eadem ratio, ibi idem jus. (Quinimò, si nihil aliud, hoc tamen evidenter ex dicto Bernhardi colligitur, fieri posse, ut Antichristus Romæ sedeat & Petri cathedram occupet, secùs quàm Pontificii statuunt, qui ex Babylone illum expectandum esse, arbitrantur.) Sentētiæ Bernhardi conforme est decretum Nicolai II. c. in nomine. dist. 23. qui Anno 1059. constituit, *ut Papa eligatur suffragiis Episcoporum Cardinalium cum consensu reliquorum Clericorum ac populi Romani, ipsius denique Imperatoris, & si quis alio aliquo modo Papatum adipiscatur, ut is excommunicatus & anathematizatus sit, habeaturq; quemadmodum Antichristus.* (At quotusquisque Pontifex, eo modo fuit legitimè electus?)

Idem serm. 1. de convers. Pauli col. 18. *Conjurâsse videtur contra te* (Deus) *universitas populi Christiani, à minimo usque ad maximum, à planta pedis usque ad verticem non est sanitas ulla. Egressa est iniquitas à Senioribus judicibus, Vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones & universam deinceps liberè & potestativè incendio tradunt civitatem &c. Multi sunt nostris temporibus Antichristi.*

Serm. 6. in Psal. 91. *Pro Episcopatibus, Archi Diaconatibus, Abbatiis, aliisq; dignitatibus impudenter hodiè decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur. Superest, ut reveletur homo peccati, filius perditionis, Dæmonium non modò diurnum, sed & meridianum, quod non solùm transfiguratur in Angelum lucis, sed extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

Serm. 33. in Cant. col. 602. *Ministri Christi sunt & Antichristo serviunt. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt, inde is, quem quotidiè vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus &c. Pro hujusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarũ Præpositi, Decani, Archi Diaconi, Episcopi, Archi-Episcopi. Nec enim hæc cedunt illi negotio, quod perambulat in tenebris. Ipse enim est Antichristus.*

Circa idem tempus Bernhardus Monachus Cluniacensis scripsit Satyram de contemtu mundi Carmine dactylico, in quo Papam Romanum vocat *Regem Babylonis*. (Agnoscit igitur per Babylonem in Apocalypsi intelligi Romam, ac Pont. Rom. esse Antichristum.) Inter cætera sic canit:

Qui super hoc mare debuerat dare se quasi pontem
In Sion, omnibus est via plebibus in Phlegethontem.
Si nova dicere, vel nova fingere non grave nossem,
Quos scio, sed tego, Pontifices ego dicere possem &c.

Et postea:

Stat simulatio, corruit actio relligionis,
Heu! sua propria deputat omnia Rex Babylonis.

Circa Annum 1157. (alii 1177.) tempore Alexandri III. Rom. Pont. Johannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis duos edidit Tractatus, quorum alterum *Objurgatorium Clericorum*, alterum verò *Policraticum*, sive *de nugis Curialium* vocat, qui Ann. 1513. sunt impressi. In illis Clericos Romanos graviter taxat, *Scribas & Pharisæos in Romana Ecclesia sedere, & intolerabilem in Ecclesia Tyrannidem exercere* asserit, Pontificem Romanum *Antichristum* & Romam *meretricem Babylonicam* vocat.

Circa Annum 1159. Otto Frisingensis Episcopus (Henrici IV. Imper. nepos, Henrici V. sororius, Conradi Regis frater uterinus, Friderici I. patruus,) improbavit factum Gregorii VII. qui Henricum IV. Imperatorem excommunicaverat, & Romam aliquoties *Babylonem* (ac proinde Antichristi sedem) vocavit.

Circa Annum 1160. Waldenses (à quodam Waldo cive Lugdunensi, aliàs Pauperes de Lugduno dicti) exorti, inter reliqua dogmata Romanæ Synagogæ opposita habuerunt articulum, *quòd Papa sit Antichristus & caput omnium errorum, quòd Ecclesia Romana non sit Jesu Christi Sponsa, sed Ecclesia malignantium, mater fornicationum & abominationum, ebria sanguine Sanctorum, Babylon illa, quam Johannes in Apocalypsi descripsit, & quòd defecerit à Sylvestri temporibus, cùm venenum temporalium in Ecclesiam infusum est, & facta sit meretrix in Apocalypsi.* Rainerus in Summa, Jacobus Rebiria & alii.

(Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 7. art. 6. *Waldenses Romanam Ecclesiam purpuratam meretricem appellarunt.* Nicolaus Eymericus part. 2. q. 14.)

Circa Annum 1177. Petrus Blesensis ArchiDiaconus Bathoiensis Henrici II. Anglorum Regis familiaris, tempore Friderici I. Imp. & Alexandri III. Rom. Pont. (de quo Bellarm. in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis sic judicat, *quòd multa sapienter & eloquenter scripserit,*) quendam Officialem Romanum per Epistolam sic alloquitur: *Quia te affectuosissimè diligo in visceribus Jesu Christi, proposui, te salutaribus monitionibus adhortari, ut de Ur Chaldæorum & de medio Babylonis tempestivè exeas, ut ministerium damnatissimæ villicationis amittas.*

Epist. 55. *Clerici & Episcopi occisores Romam mittuntur, eunteśq; in delictis cum plenitudine gratiæ Apostolicæ & majori delinquendi audaciâ revertuntur. Hic Christus exul, Antichristus Dominus, Beelzebub judex.*

Idem Clerum sæpè nominat *Syriam, Edom, vitulos Bethel, idola Ægypti, pingues Samariæ, Sacerdotes Baal, judices, qui condunt leges iniquas. Aufer*, inquit, *Domine de domo tua idolum, & confringe cornua peccatoris. Munera Romæ omnia pervertunt, omnia Monachis licere, permittunt, imò ad omnes carnis illecebras, quas annuâ redimunt pensione. Cantantur eorum turpitudines in tentoriis Geth, & in compitis Ascalonis. Sic factus est Princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.*

Circa Annum 1197. Gualtherus Mapes Henrici II. Anglorum Regis Clericus & familiaris scripsit versiculos (quos tamen alii Hildeberto Genomensi tribuunt,) in quibus inter cætera sic loquitur:

Vide, Deus ultionum,
Vide, videns omnia &c.
Quod in templum Salomonis
Venit Princeps Babylonis,
Et excelsum sibi thronum posuit in medio.

Circa Annum 1200. Joachimus Abbas Florensis in Calabria in rhythmis Germ. affirmavit, *Papam Romanum ejusq; Clericos esse Antichristos.* Hujus Joachimi fama, cum ad Richardum I. Angliæ Regem in expeditione Hierosolymitana occupatum perveniret, atque Spiritu Prophetico ventura prænunciare diceretur, Rex eo tempore, quo in Sicilia agebat, eum ad se accersivit, auditurus quid de Antichristo inter cætera denunciare posset? Hic ergo Joachimus explicans mysterium *septem Regum* in Apocalypsi, *quorum quinque ceciderunt, Reges septem*, inquit, *sunt septem persecutores, Herodes, Nero, Constantius, Mahumet, Melsemutus, Saladinus, Antichristus.* De Antichristo sic ajebat, *quòd is jam in urbe Roma prognatus esset, & in Sede Apostolica sublimaretur, de quo Apostolus, Extollitur & adversatur super omne, quod dicitur Deus.* Ex Rogerio Hovedeno lib. 2. Chron. in Richardo I. fol. 388. Foxus in Comment. rerum in Eccl. gestarum, Balæus Cent. 3. cap. 35. Append.

Extant

Extant etiam hujus Joachimi Abbatis picturæ super Apocalypsin cum expositionibus, in quibus itidem Papam & ejus Clericos graviter perstringit.

In Apocal. pag. 194. *Hanc magnam meretricem dixerunt Patres Catholici esse Romam.*

Pag. 190. *Civitas Romana est nova Babylon & meretrix, quæ sedet super aquas, hoc est, populos Romani Imperii.*

Idem lib. 10. Revelat. part. 5. *Traditum est nobis, quòd Roma est in Spiritu Babylon.*

Idem in Comment. super Esaiam. *Apoc. 17. mulier auro inaurata indifferenter cum terræ Principibus fornicatur. Romana Ecclesia est ista, quæ in Babylonem vitæ confusione transfusa mœchatur.*

Idem in Jerem. *Est & alia ficus, quæ maledictione prævaricationis jam aruit, Latina Ecclesia sive navicula S. Petri, cujus folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata ad excusandas excusationes in peccatis, quibus inhonestatem vitæ suæ, tam Adam summi Pontificis, quàm Eva Ecclesiæ subjectorum operiunt, & in ligno Ecclesiasticæ gloriæ sese miserabiliter absconderunt.*

In Jerem. p. 55. *Si ad cor redirent Cardinales & alii schismatis Doctores, Christum audirent, mitem & humilem quærerent, & Antichristo tumido non adhærerent, sed si futura est eorum eversio, quid laboro?*

Circa Annum 1220. Honorius Augustodunensis Presbyter in Dial. de prædest. & lib. arbitr. sic scripsit: *Verte te ad cives Babyloniæ & vide, quales sint & per quas tendant plateas. Vide, veni huc ad supplicium montis, ut cuncta possis ædificia cernere damnatæ civitatis. Intuere Principes ejus & Judices,* (Cardinales, Archiepiscopos &c.) *ecce posita est in eis sedes bestiæ. Omni tempore ad malum sunt intenti, semper negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non solum faciunt, sed & alios facere instruunt, sancta vendunt, scelera emunt, totis viribus laborant, ne soli ad tartara veniant. Verte te ad Clerum & videbis in eis bestiæ tentorium. Dei servitium negligunt, terrenis lucris inserviunt, Sacerdotium per immunditiem polluunt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes Scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populi substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præcedunt. Contemplare & Monachorum Conciliabula, & videbis in eis bestiæ tabernacula &c. Inspice & habitacula Monialium & cernes in eis bestiæ præparatum thalamum.*

Circa Annum 1240. Fridericus II. Imperator Pontificem Romanum in publicis literis ad Status Imperii datis Antichristum nominavit. Sic enim de eo memorat Aventinus lib. 7. Annal. pag. 416. (in al. edit. p. 541.) *Augustus ubi hæc rescivit, Principibus cunctis, maximè Ottoni Bojorum regulo, Præfectoque Prætorio Rheni literas mittit. Illarum literarum hæc sententia fuit. Pleraque crimina sibi objecta à Rom. Pontifice negando diluit, alia in illum retorquendo confutat. Pontifices Romanos auctos divitiis & dignitate à se atque cæteris Imperatoribus æmulos esse pertinacissimos omnium Regum atq; Principum, neque parem ultrà ferre posse. Manibus pedibusque, noctes diesque id eos conari, ut non tam se, quàm Sacrosancto Rom. Imperio tanquam capite oppresso, facilè cæteris membris omnibus servitutem imponant, affectare eos dominationem atq; divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imò magis, quàm Deus timeantur. Nam multos Antichristos inesse Romanensibus illis, nec ullos alios, quemadmodum opera ostendunt, exitio religioni Christianæ esse. Se quidem optimè sentire de Christo atque ejus religione, prædicat, nihilque magis cupere, quàm ut suo tempore Resp. Christiana pristinam majestatem, simplicitatem & pacem recuperet. Quod fieri nequaquam potest, nisi spinæ eradicentur, h. e. ambitio, superbia, fastus, luxus Sacerdotum Romanorum, subtractis opibus atque divitiis, extirpentur radicitùs.*

Et postea. *Namque hæc* (opes & aurum) *perniciem esse religionis, adeò ut homo ille, qui dicitur Papa, divitiis nimiùm auctus, maximo pietatis Christianæ detrimento, omnia sibi licere more Tyrannorum pessimorum putet, rationem actuum nemini, quasi Deus sit, reddere velit; id quod soli Deo convenit, usurpet, se errare, ullâve mendacii religione astringi non posse, credi sibi impudentissimè, simulque imperiosè postulat, &c.*

Pag. 471. (in al. edit. p. 542.) *Idem Imp. Fridericus ad Wenceslaum Regem Bohemiæ scripsit & per Legatos ipsi proposuit, spectandam esse audaciam Romanorum Flaminum, ne horum fallaciâ seductus se atque Rempubl. discordiæ malis perditum eat. Pontificem Rom. insidiari nationi orbis Reginæ &c. Qui sint Romanenses illi, opera eorum ostendere. Christum mundo pacem dedisse, illos bella civilia propinare, Duces, regulos, tetrarchas, eisdem falsis Christis cohortantibus, invicem sævire, & velut membra Augusto capiti suo repugnare atque divinæ majestati resistere; Gregorium nonum captum Imperii consuetudine, ut solus regnet, omnia perturbare atque commiscere, cuncta tumultu complere, ut sursum deorsum universa ferantur. Jampridem eos, qui Babyloniæ, h. e. Romæ templo Dei incubent, divinitatem affectare & astutè id dissimulare, solasque Germanicas vires ab his timeri.*

De eodem Imp. Friderico II. memorat Goldastus to. 3. p. 390. quòd ad universos Prælatos sic scripserit: *Ipse* (loquitur de Pontif. Rom.) *Draco magnus est, qui seduxit universum orbem, Antichristus est, cujus nos dixit præambulonem, & alter Balaam conductus suo precio, ut malediceret nobis Princeps inter Principes tenebrarum, qui abusi sunt Prophetiis. Hic est Angelus prosiliens de abysso, habens phialas plenas amaritudinis, ut mari & terræ noceat.*

Hujus Friderici II. Imp. Cancellarius Petrus de Vineis circa idem tempus multas Epistolas ad diversos nomine Imperatoris potissimùm de excõmunicatione & depositione Cæsaris à Papa facta exaravit, lib. 1. Epist. 31. ad universos Prælatos, Fridericum Imp. sic loquentem introducit. *Scripsit enim solo nomine Papa, nos esse bestiam ascendentem de mari, plenam nominib. blasphemiæ, pardiq; varietatibus circumscriptam. At nos ipsum belluam illam asserimus, de qua legitur. Exibat alius equus ruffus de mari, & qui sedebat super eum, sumebat pacem de terra, ut vivẽtes invicem se interficiant. Nam à suæ promotionis tempore iste pater non misericordiarum, sed discordiarum, desolationis & non consolationis solicitus procurator, totum mundum ad scandala excitavit. Et ut verba sua recto sensu interpretemur, ipse Draco magnus, qui seduxit universum orbem & Antichristus est (cujus nos dixit esse præambulum) & alter Balaam conductus precio, ut malediceret nobis, Princeps per Principes tenebrarum, qui abusi sunt Prophetiis. Hic est Angelus prosiliens de abysso, habens phialas plenas amaritudine, ut mari & terræ noceat.*

Circa idem tempus Anno scilicet 1240. Eberhardus Archi-Episcopus Salisburgensis in Concilio Reginoburgensi coram Imperatore ac Imperii Principibus, tam Ecclesiasticis, quàm politicis, gravissimam adversus Rom. Pontifices orationem habuit, quam recitat Aventinus, lib. 7. Annal. p. 420. (in al. edit. p. 546. al. p. 984.) in qua inter cætera hæc protulit: *Christus cùm devictis inferis triumphabundus rursus in cœlum rediturus esset, pacem suam nobis dedit, pacem suam nobis reliquit, concordiam atque mutuum amorem tanquam notam atque tesseram, quâ cives sui à militibus inferi Jovis discernerentur, assignavit. Summo opere quoq; admonuit, uti falsos Christos, falsos Prophetas vitaremus, qui tecti pelle ovinâ, nimirùm Christiano nomine atq; Pontificio titulo, nobis dominari atque illudere cuperent. Quos ex spinis atque operibus, nempe avaritiâ, luxu, contentione, odio, invidia, bellis, discordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognosci oportere docuit. Quidnam apertiùs hisce verbis, quàm Babylonis Pharisæos atq; Scribas cœlestis Imperator indicavit? Sub Pontif. Max. titulo Pastoris pelle lupum sævissimum, nisi cæci sumus, sentimus &c. Christus inimicos odio habere vetat, eosdẽ amari præcipit, de hisce promereri, fidem hostibus servare, beneficiis maleficia expiare docet. Romanenses contrà sancta violare, fœdere Dei nomine sacrato ad fallendos homines abuti, benè meritis ingratos esse, malefactis beneficia compensare, bellare, litigare, defraudare, prodere, decipere, sub magna pietatis superficie jubent; divinæ majestati, cœlesti providentiæ, Naturæ repugnare, supremæ majestati à DEO Opt. Max. constitutæ, resistere nos volunt. Hildebrandus ante annos centum atq; septuaginta primus specie religionis Antichristi Imperii fundamenta jecit. Hoc bellum nefandũ primus auspicatus est, quod per successores hùc usq; continuatur &c. Formam servi suprema majestas suscepit, ut discipulis suis serviret, eorumque pedes lavaret. Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, nõ desistent, donec omnia pedibus suis conculcaverint, atq; in templo Dei sedeant, extollanturq; supra omne id, quod colitur. Fames opum, sitis honorum inexplebilis est, quò plura avido concesseris, eò plura appetit. Porrige digitum & manũ concupiscet. Licentiâ omnes sumus deteriores. Qui Servus servorum est, Dominus dominorum, perinde ac si Deus foret, esse cupit. Sacros cœtus atq; Concilia fratrum, imò dominorum suorum aspernatur. Timet, ne eorum, quæ adversus auspicia, leges, intercessiones indies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quasi verò Deus esset. Nova consilia sub pectore volutat, ut propriũ sibi constituat imperium. Leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit,*

diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, (quem Antichristum vocare solent) in cujus fronte contumeliæ nomen scriptum est, Deus sum, errare non possum, in templo Dei sedet, longè lateque dominatur &c. Romani populi majestas, quâ olim orbis regebatur, sublata est de terris, & Imperium in Asiam reversum est. Rursus Oriens dominabitur, serviet Occidens. Regnum multiplicatum, summa rerum potestas per plures dissipata, concisa, minuta, nedicam dilacerata, discordiæ civiles in perpetuum seruntur, nec ullam requiem bellis exitialibus esse, sentimus; Imperator vana appellatio & sola umbra est. Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ, Romanum quondam Imperium, non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua, id quod D. Aurelio Augustino incredibile visum est, Turcæ, Græci, Ægyptii, Afri, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali Romanas Provincias possident, Romanosq; in his excidere colonos. Cornuq; parvulum sub his succrevit, quod oculos habet & os loquens grandia, tria potissimùm Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redigit, sibiq; servire cogit, insustentabili dominatione populum Christi, Sanctosq; Dei vexat, divina humana miscet, infanda execrabilia molitur. Quid hac Prophetiâ apertius? &c. (Hæc verba Eberhardi reliqui præsentes Principes & Episcopi, inprimis Passaviensis, Bambergensis, Brixensis, Ratisbonensis & alii suis suffragiis confirmarunt, quod notandum propter Bellarminum, qui in Append. ad lib. de P.R. c. 10. excipit, *Eberhardum illum fuisse Pontificis Gregorii IX. hostem, Imperatoris verò Friderici fautorem.* Quinimò)

Circa idem tempus Friderici II. Imp. adeo multi in Germania, Italia, Francia & Anglia crediderunt, *Romam esse Babylonem & meretricem illam magnam, de qua in Apocalypsi Johannæa prædictum*, ut impostores quidam Apocalypsin illam Johannæam abolere conati fuerint, maximè quidam Cyrillus Carmelitarum Præses Generalis, natione Græcus, qui tam Mosis, quàm Johannis exemplo, *novam Apocalypsin è cœlis Dei ipsius digito in argenteis tabulis Græcè scriptam super futuro Ecclesiæ statu se accepisse gloriatus est*, de quo Balæus lib 5. de actis Rom. Pont. sub Vita Gregorii IX. Wolfius tom. 1. Lect. memorab. Cent. 13. p. 523.

Otto Bavariæ Dux in oratione ad Episcopos Myldorffii congregatos apud Avent. lib. 7. Annal. p. 550. *Ego coactus ad Rom. Episcopum provocavi, jussuq; Gregorii Pontificis maximi armis mea tutatus sum. Hoc mortuo, Romanum Episcopum Antichristum esse, prædicâstis, egoq; desertâ primarii Sacerdotis Sectâ ad Imperatorem defeci.*

Circa idem tempus, videlicet circa anuum 1240. Guilielmus de S. Amore, Theologus Parisiensis & Canonicus Belovacensis, (quem Bellarminus lib. de Script. Eccles. vocat *virum pium & doctum*) palàm docuit, *Papam esse Antichristum & Romam Babylonem.*

In libr. de collat. benef. scribit, *peccata Prælatorum non esse simpliciter peccata, sed peccatorum monstra terribilissima, eos non Ecclesiam, sed Babylonem, Ægyptum ac Sodomam esse, Prælatos non ædificare Ecclesiam, sed destruere, ac Deo illudere.* Omnia Scripturæ testimonia, quæ Antichristum, ejusque ministros depingunt applicavit Spiritualibus.

Circa Annum 1245. tempore Innocentii IV. Nicolaus Gallus deformatum Ecclesiæ statum piis lachrymis deplorans, aculeatum in Pontifices librum quem *igneâ Sagittam* vocat, emisit.

Circa Annum 1250. (al. 1220.) Guilielmus Aurifex, referente Cæsario, dist. 10. Dialogi publicè docuit, *Papam esse Antichristum, Romam Babylonem & Prælatos membra Antichristi*; propter quod etiam fuit incineratus. Balæus.

(Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 7. art. 17. *Wilhelmus Aurifex Albigensium Propheta dicebat, Papam esse Antichristum, Romam Babylonem.* Cæsarius Heisterbachius l. 5. c. 22.)

Circa Annum 1252. Gerhardus Sagarellus Italus Parmensis, & Dulcinus Navarrensis asseruerunt, *Papam esse Antichristum; & Ecclesiam Romanam, h. e. Papam, ejusq; Spirituales à Deo rejectos, esse meretricem illam Babylonicam, de qua est in Apocalypsi. Habuerunt ampliùs quàm per 40. annos multos Sectatores, præcipuè in Gallia Cisalpina & proximis Alpibus.*

Meminit hujus Sagarelli & Dulcini Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri l. 7. art. 6. p. 826. sic scribens: *Gerardus Sagarellus & Dulcinus Novariensis dixerunt &c. quòd Romana Ecclesia sit illa meretrix, quæ à fide Christi apostatavit, de qua scribit Johan. in Apocalypsi.* Nicolaus Eymericus part. 2. q. 11. Guido Carmelita de secta Pseudo-Apost. c. 1.

Circa idem tempus Anno scil. 1253. Rupertus (al. Robertus) Capito, Lincolniensis Episcopus docuit, *Papam nihil contra justitiam & veritatem posse, & cùm id attentet, pejorem esse Lucifero & Antichristo.* Cistrensis l. 7.

De eodem Matthæus Paris in Hist. Anglica memorat, quòd ad Pontificem Innocentium inter cætera sic scripserit: *Post peccatum Luciferi, quod idem erit in fine temporum ipsius filii perditionis Antichristi, quem interficiet Dominus Spiritu oris sui, non est nec esse potest alterum genus peccati, tam adversum & contrarium Apostolorum doctrinæ & Evangelicæ; & ipsi Domino J.C. tam odibile & detestabile, & tam abominabile, quàm animas curæ pastoralis officii & ministerii defraudatione mortificare & perdere.*

Ibidem. *Anno 1253. Tertia nocte ante festum S. Dionysii Episcopus Lincolniensis Robertus lethali tædio & infirmitate prægravatus accersiri præcepit aliquos de Clericis suis, ut saltem mutuis collocutionibus recrearetur, quibus Episcopus dolens de jactura animarum per Papalis Curiæ avaritiam, suspirans ait: Christus venit in mundum, ut animas lucraretur, ergo si quis animas perdere non formidat, nonnè Antichristus meritò est dicendus? Dominus sex diebus mundum condidit universum, sed ut hominem repararet, plusquam triginta annos laboravit, nonnè ergo animarum destructor, inimicus Dei & Antichristus censetur?*

Idem in oratione, quam habuit coram Papa Innocentio IV. & Cardinalibus. *Cum principale opus Christi, propter quod ipse venit in mundum, sit animarum vivificatio, & Satanæ opus proprium & maximè ab eo inventum, utpotè homicidæ ab initio, sit animarum occisio, ipsi Pastores personam Christi induti, verbum Dei non annunciantes, etsi non supperadderent malitias alias, sunt Antichristi, & Satanas transfiguratus in Angelum lucis, fures & latrones, mactatores ovium & perditores, facientes domum orationis speluncam latronum.*

Circa Annum 1260. Laurentius Anglicus Magister Parisiensis docendo & scribendo partes Guilielmi de S. Amore, Christiani Beluacensis, & aliorum secutus, scripsit duos libros contra Monachos, alterum titulo, *Cavendum esse a Pseudoprophetis*; alterum, *Defensionis Guilielmi de S. Amore*; & quædam alia, in quibus omnibus ostendit multis signis ac testimoniis, *adesse Antichristum præ foribus.* Johannes Foxus in Martyrol.

Circa Annum 1262. Hugo de S. Caro Cardinalis in Postilla super 2. Johan. adducit ac approbat verba Bernhardi: *Videtur, bone Jesu, adversus te conspirasse Universitas Christianorum, & illi in tua persecutione primi sunt, qui in Ecclesiâ videntur primatum tenere & gerere principatum.*

Circa Annum 1280. Probus Episcopus Tullensis in Concilio Würtzburgensi contra Pontificem sic locutus est apud Aventinum l. 7. Annalium pag. 440. (in al. edit pag. 573.) *Quousque Collegæ charissimi, Romulei illi vultures patientia nostra, ne dicā stultitia abutentur? quousque eorum flagitia, avaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus Archisynagogon pessimum, nisi omnes ad egestatem & servitutem durissimam redegerit. Discordia nostra hocce malum, discordiâ nostrâ illi nebulones tuti sunt. Nec unquam, quamdiu illi salvi fuerint, Christianis festam pacem servare, ab armis feriari, pietatem inter se colere licebit. Nuper Saxones & Suevos inter se commiserunt. Deinde D. Fridericum II. Imp. Reipubl. Christianæ utilissimum, Conradum IV. Suevos, atque optimos Principes Imperio simul atque vitâ privarunt. In Germania discordia mala Satanæ & Antichristi Satrapæ seminarunt.* (Et addit Aventinus, *Hæc ubi Probus dixisset, cæteri omnes sententiam ejus collaudant atq; sequuntur.*)

Circa idem tempus Rogerus Bacon Anglus (vir magni nominis, qui præter alios libros, complures Epistolas, nonnullas ad Clementem Papam scripsit, in quibus Ecclesiæ labem ac ruinam vehementer deplorat) cùm in libello de idiomate linguarum acri oratione perstrinxisset miserabilem statum sui temporis, *Isti*, inquit, *tot errores Antichristum requirunt.*

Circa idem tempus (videlicet circa annum 1280.) Albertus Magnus in cap. 10. Johan. sic scripsit: *Illi, qui modo præsunt in Ecclesiis, plurimùm sunt fures & latrones; plùs spoliatores, quàm tutores, plùs mactatores, quàm custodes; plùs perversores, quàm Doctores; plùs seductores, quàm ductores. Isti sunt nuncii Antichristi, subversores ovium Christi.*

Circa Annum 1291. Frater Robertus Gallus in libro Visionum suarum sic scribit: *Anno Domini millessimo ducentesimo nonagesimo primo, cùm in Aurasica civitate morarer, accidit una dierum, quòd posui me in lectulo, ut quieti tempus darem, & factum est, dum adhuc vigilarem, Spiritus Domini assumsit me in Spiritu & statuit in civitate Romana citra fluvium Tiberis, pro-*

spiciensq; ultra fluvium vidi cathedram ligneam antiquam valdè vacuam. Et ecce, à parte, unde fluvius egreditur, venit linteum album, larvam habens hominis, intus autem vacuum & in cathedra positum est. Illoq; amoto, posita fuit ibi imago B. Mariæ cum Filio argentea. Hac dum inspicerem, duxit me Spiritus ad Lateranense Palatium, & posuit me in porticu ante Sedes Porphyrii, ubi dicitur probari Papa, an sit homo masculus. Et omnia pulvere plena erant & vivens ibi non videbatur. Et ecce ante sancta sanctorum vidi arundinem grossam & ultra modum aliarum altam, secundùm altitudinem hominis magni. Et in ea vertebat se serpens ingens cum impetu magno, cujus caput supra tectum erat, quievitque bis, & bis ultra impetū fecit. Cumq; mirarer ego, quid hoc esse volebat, dixit mihi Spiritus, qui stabat ad dextram meā, & qui me illuc adduxerat, Serpens hic Antichristus est, & subitò è judicio judicium ejus. Et ecce prostratus est in pavimento ad modum unius trabis lividi coloris, & super eum infinitas gladiorum, lancearum, tabellarum & omnium instrumentorum, quæ de ferro fieri possunt, quæ non exprimo, cùm nusquam ea viderim, sed nec lingua humana potest ea exprimere. Conversus est autem serpens in rotam terream, attritusq; est diversis generibus gladiorum.

Idem. *Orabam flexis genibus erectâ facie ad cœlum juxta altares S. Jacobi Parisius à dextris, & vidi q. in aëre ante me corpus unius Summi Pōtificis, albis sericis indutum, tenebatque dorsū ad Orientem, elevatis manibus ad Occidentem, sicut solent Sacerdotes stare, dum agūt Missarū secreta, nec videbatur caput ejus. Diligētiusque intuens, an esset omninò sine capite, vidi caput ejus aridum, macilentum ac si esset ligneum. Dixitque Spiritus Domini, Statum Ecclesiæ Romanæ significat.*

Circa idem tempus, Annum scil. 1291. Arnoldus de Villa nova Hispanus, vir eximiè eruditus, linguarum Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ & Latinæ, Philosophiæ & Theologiæ peritissimus, conatus fuit ex Prophetiis Danielis & Sibyllarum vaticiniis demonstrare, *Antichristi adventum & Ecclesiæ turbationem ac persecutionē futuram esse intra spacium annor.* 1300. & 1400. *quasi in Anno* 1376. super quo edidit librum *de speculatione Antichristi.* Docuit etiam, quòd *Diabolus totum Christianum populum fecerit aberrare à veritate Jesu Christi.* Caspar Hedio in Chronic. ubi addit, *Igitur si quis velit animadvertere, quando Ecclesia persecutiones passa aliquando, ipsa facta sit vice versâ persecutrix, eò facilior erit computandi ratio, Qui habet aures audiendi audiat.*

Idem in Collocutione sua cum Friderico Siciliæ Rege. *Quia Pseudopræcones per suos sermones non intendunt placere Deo vel proficere Christo & populo, sed ad nequitiam suæ affectationis populum instigare, propterea seducunt ipsum dupliciter, scilicet omittendo necessaria & utilia, & tradendo nociva, & in Spiritu Antichristi satagunt populū avertere à præclaris ordinariis, & oves subtrahere propriis pastoribus.*

Circa Annum 1292. Mænardus Comes Tirolensis contra Papam Nicolaum IV. in publico edicto sic locutus est, referente Aventino lib. 7. Annal. pag. 444 (in al. edit. p. 577.) *Quòd si quispiam vas atque præs fuerit, ne metuere perfidiam & lupos habeam, néve de cætero hujuscemodi nobis à fastuosis illis Archisynagogis (nam Pastoribus dicere religio est) contingant, actutum omnia reddam, aliter nunquam committam, ut tam stultus videar, ut è manu manubrium mihi eripi patiar, aut memet ultrò atque meos ludibrio effœminatis Antichristis atque prodigiosis Eunuchis esse finam. Nemo magis concordiam Christianam labefactat, non sacris literis interpretandis aut ediscendis, sed liberis dant operam, Liberum amant, divitias congregant, regna, gloriam, dominationem avidissimè appetunt. Pro hisce nobiscum sanguine ovium decertant, Christi paupertatem, comitum ejus simplicitatem non solùm non æmulantur, sed irrident quoque atque antiquare conantur. Si Antichristi non sunt, quid aliud obsecro sunt? Estné istud pascere oves? amare gregem? regna, opes, aliena appetere, pro gloria, dignitate digladiari, oviculas opprimere, occidere, belligerari? Christi preceptum invertunt, donanti tunicam & pallium vi auferunt. Quis tam ferreus, ut verius dicam, tam stolidum pecus fuerit, ut superbiam, fastum, perfidiam, fraudem, flagitia, scelera, luxum, avaritiam nebulonum æquo animo ferat? Pejores Turcis, Saracenis, Tartaris, Judæis sunt, plus his omnibus Christianæ simplicitati officiūt, libertatem Christi sanguine partam exscindere conantur, dominationem arripiunt. Cum nostri servi sint, ipsi dominari, contra jus gentium adversus leges, auspicia & oracula divina dominos sibi servire volunt. Scitum est vulgi Proverbium, Sacerdotes superstitionum præstigiis caliginem oculis offundere mortalium, & Ceremoniis, carminibusque cassis, veluti mandragora soporifera poculo mentem mutare, & humanis animis atque sensibus stuporem propinare &c.*

Circa Ann. 1300. Dantes Florentinus, *Papam ex Pastore factum esse lupum*, scripsit, & in Cant. 19. & 32. *eum esse meretricem Babylonicam*, testatus est.

Italicos versus Dantis Aligerii ex Cant. 19. adducit Petrus Paulus Vergerius Episcopus Justinopolitanus in lib. de idolo Lauretano, eosque in Latinam linguam transtulit, qui sic habent:

De vobis, Pastor, intellexit Evangelista,
Quando illa, quæ sedet super aquas,
Fornicari cum Regibus ab illo fuit visa.
Illa, quæ cum septem capitibus nata est,
Et à decem cornibus habuit audaciam,
Donec virtus suo marito placuit.
Fecistis vobis Deum ex auro & argento,
Et quid interest inter vos & idololatras,
Nisi quod illi unum & vos oratis centum?

(Bellarminus in Append. ad libros de Pontif. c. 15. excipit, *veteres Patres doctissimosque Scripturæ Interpretes uni Danti anteponendos esse, eorum verò nullum locum istum Apoc. 17. de Romana Ecclesia aut summo ejus Pontifice accipi docuisse.*

Resp. Temporibus Patrum Papa nondum degeneraverat in Antichristum, omnium verò optimus ac certissimus vaticiniorum Interpres est eventus. Jer. 28. v. 9. Dan. 12. v. 4. Irenæus l. 4. adv. hæres. c. 43. *Omnis prophetia, priusquam habeat efficaciam, ænigmata & ambigitas sunt hominibus. Cum autem venerit tempus & evenit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem.* Ludovicus Vives in Comment. l. 20. August. de Civ. Dei c. 19. *Patrum in hoc genere fuisse leves conjecturulas*, notàvit. Quid quòd Tertullianus, Hieronymus & alii ex veteribus per *Babylonem* Apocalypticam Romam intelligendam esse docuerunt?)

Hermannus quidam Italus circa idem tempus docuit, *Romanam Ecclesiam esse meretricem* (Apocalypticam ac proinde Antichristum.) Palmerius in Chronicis, Joh. de Turrecremata de Eccl. l. 4. p. 2. c. 37. & ex illis Coccius tom. 1. Thesauri l. 7. art. 6.

Circa Annum 1306. (al. 1325.) al. 1288. Petrus Johannis Diœcesis Biranensis (a Bitl. errensis) Aquitanus Minorita floruit, de quo Bernhardus Lützelburgius Prædicatorii Ordinis Monachus in Catal. hæreticorum sic scribit: *His temporibus claruit Petrus Johannis, qui in Postillis suis super Apocalypsin, Matthæum ac Genesin, multas posuit hæreses, quæ autoritate Papæ & Magistrorum consilio sunt postea solenniter in Curia Romana damnatæ. Per Babylonem enim meretricem illam magnam Ecclesiam Romanam intelligit, quam vocat carnalem bestiam & Satanæ Synagogam, per mysticum Antichristum intelligit Papam, omnesque Abbates quinti temporis convenire dicit in quintum bestiæ caput, quæ bestia est Diabolus, Antichristus & congregatio malorum.*

Hujus Petri Johannis etiam mentionem faciunt Volaterranus, Nicolaus Emerici in libro Inquisitionum, Guido Perpinianus de hæresibus, & Balæus in Laurentio Anglico in Catalog. Brit. Scriptorum. Pontifex Romanus cùm hunc Petrū vivum nequivisset exurere, longè post mortem ossa ejus erui & exuri curavit.

(Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri l. 7. art. 17. *Petrus Johannis, discipulus Abbatis Joachimi dixit, in Apocalypsi Johannis per Babylonem meretricem magnam Romanam Ecclesiam significari, teste Guidone de erroribus Abbatis Joachimi & Petri Johannis.* Bellarminus in Chron. fatetur, *Petrum illum Johannis dixisse, Papam esse mysticum Antichristum.*)

Eodem tempore floruit Petrus Cassiodorus Italus, qui in Epistola ad Ecclesiam Anglicanam scripta graviter eam hortatur, ut *Antichristi jugum & crudeles, continuasq; exactiones excutiat.*

Circa An. 1308. Ubertinus à Casali Minorita scripsit librum de septem Statibus Ecclesiæ, quem Autor Oneris Ecclesiæ in omnibus fermè capitibus allegat, itemque de reformatione Ecclesiæ contra Romanam Curiam. Inter cætera sic loquitur: *Dicitur carnalis Ecclesia nova Babylon, quæ Ecclesia vocatur meretrix magna, cùm quia ordo virtutum est in ipsa per deordinationē vitiorum enormiter confusus, & verus cultus & amor Sponsi Jesu turpiter adulteratus, tum quia in malo non solùm intensivè, sed etiam extensivè est magis, ita quod boni sunt in ea, sicut pauca grana tritici sub immenso cumulo palearum, tum etiam quia sicut filii Israël fuerūt in Babylone captivati & vehementer oppressi, sic Spiritus justorum hujus temporis supra modum angustiatur & opprimitur à Principatu & prædominio Babylonis, & velit nolit in multis meretricis actibus ei servire compellitur.*

Circa

Circa Ann. 1320. Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis librum scripsit contra Papæ Primatum. Idemque *Antichristum jam olim in Ecclesia Dei natum esse*, asseveravit, *eumq́, esse Papam antiquæ Romæ*, multis rationibus demonstravit.

An. 1324. Ludovicus IV. Imp. Reginoburgi Conventum instituit, cui cum aliis Imperii Proceribus interfuerunt tres Electores Ecclesiastici, Matthias Moguntinus, Balduinus Trevirensis & Henricus Coloniensis, ac Rex Bohemiæ Johannes, in eo contra Pontificem Johannem XXII. decretum est factum, in quo Imperator & Imperii Proceres, tâm Ecclesiastici, quâm Politici inter cætera sic loqûtur, apud Aventinum l. 7. Ann. p. 469. (in al. edit. p. 609.) al. p. 762. & apud Goldastum in Constit. Imper. p. 325. *Christus Servator Dominus ac Deus noster, ejus Legati primarii Petrus, Paulus, Jacobus, Johannes tempora periculosa, ubi ad cœlum migrarint, nobis imminere cantarunt, & inprimis admonuerunt, ut summoperè atq́, anguium in morem astuti Decreta Pharisæorum, Pseudochristos, Pseudoprophetas, Pseudoapostolos à mendacio simulatæ religionis ita appellatos, vitaremus, qui se mystas Christi ferunt, cū sint nuncii Antichristi. Eos inexplebilis honoris, pecuniæ, potentiæ sitis atq́, luxus, avaritia, fastus, quæ in proverbium venêre, produnt &c. Johānes ille, qui se Papam XXII. nuncupat, qualis sit, oviculis Christi nostro beneficio operæ precium est agnoscere, ne deceptæ pelle ovinâ à sævissimo lupo devorentur. Nempe sanguinem Christianum sitit, discordiæ, seditionum mala ubique gentium inter Christianos serit &c. Nec licèt per hunc Antichristum Christianis pacem à Deo datam servare, tanta est hominis, vel potiùs Satanæ illius vecordia, publicè pro concione scelera suaq. benefacta prædicat. Cùm Christiani, inquit, Principes inter se discordant, tum verè Rom. Sacerdos est, Pont. Max. demū regnat, demū dominatur, ubi ōnibus discordiâ, seditione, mutuo odio debilitatis formidolosa fit ejus potestas, ūversi ejus nutui obsequūtur, & velut creatum observant. seditio atq́, discordia Germanorum salus est Romanorum Pontificum, proinde pro virili enitendum est Pontifici Romano, si salvus esse velit, ut æneum serpentem, hoc est, Alemannum Imperium conterat, in cineres atque favillas redigat.*

Et postea. *Satanæ Spiritum sibi sumit, se similem Altissimo facit, se adorari, quod cœlitum quidam sibi à Johanne fieri prohibuit, pedes sibi osculari more Diocletiani atque Alexandri crudelissimorū Tyrannorum permitit, cùm Christus manceps divinitatis, Dominus & Deus noster pedes comitum suorum, piscatorumque laverit, ut nuncii sui vicissim illis, ad quos missi sunt, faciant &c. Si servus servorum Dei est, cur non servit? cur non amat? cur non ministrat? cur non pascit? cur non docet? non nunciat? Si id, quod cupit, esse velit, cur non Christi*, Petri & Pauli *vestigia in carceribus & periculis variis æmulatur? cur mentitur, tergiversatur, fallit, regnat, dominatur? aviditate potentiæ, pecuniæ, ima summis miscet, omnia venalia Deum & inferos habet. Cur vitam Christi parvipendit? qui de hereditate à fratribus captus etiam arbiter judicare noluit, sed competitores ad prætores Cæsaris rejecit, & tribunal relegavit.*

Sub finem. *Ut Antichristus non sit, tamen ejus antecursorem atque anteambulonem esse necesse est.*

Idem Ludovicus Imp. in alio quodam edicto Ann. 1328. publicato, sic loquitur, apud Aventinum l. 7. p. 475. (al. 541.) *Iacobus ille de Baburco* (Johannes XXII.) *qui se Papam nominat, temporalibus hujus seculi curis contra divinum præceptum incubat, regno mundano inhiat, sicut* Pastor *est personatus, ita mysticus est Antichristus, canis pelliculâ tectus in gregem Christi lupinâ rabie grassatur, vendit scelera, inferos, superos, beneficia cœlestia cauponatur, cum Saracenis Armenios Christianos quinque annis continenter ejus opem implorantes, infestantibus fœdus societatemq́, init.*

Et postea. *Proinde Iacobum illum crimine veræ irreligiositatis, notâ hæreseos antea à Franciscanis cæterisque Theologis inustum, contemtorem paupertatis Christianæ, Imperii Antichristi autorem, jure nostro, consilio, sententiâ, consensu communi Principum, Pontificum, Germaniæ, Italiæ efflagitantibus Sacerdotibus populoque Romano exauguratum, abdicatum, hæreseos condemnatum declaramus, proscribimus, acta ejus rescindimus, universi Christiani eundem in numero impiorum atque sceleratorum habeant &c.*

Ludovici Imperatoris sententiam viri in Italia, Germania & Gallia doctissimi comprobârunt. Sic enim scribit Aventinus l. 7. p. 468. *Ludovicus divini humanique Iuris consultissimos quosque in Italia, Germanis, Galliis, præcipuè Bononiæ atque Lutetiæ, jure utroque atque sacris literis peritos consulit. Hi omnes rescripsêre, acta & dogmata Johannis XXII.* Pontif. *Rom. adversus Cæsarem Christianæ simplicitati & divinæ Philosophiæ repugnare. Extant hujuscemodi consilia Theologorum in Bibliothecis in membranis scripta. Contra Vicesimum secundum libros quoq́, edunt hi amici Ludovici, Marsilius Patavinus, Johannes Gadunensis, Luitpoldus de Bebenburg, Andreas Laudensiis mysta Fruxinensis, Augustæ magister Epistolarum. Ulricus Hangenor Augustâ ortus, sacro Cæsaris scrinio præfectus, Dantes Alligerius Florentinus, qui tum cultiorum literarum semina sparsit &c. Iisdem diebus* Wilhelmum *Occamensem Franciscanum Theologum præstantissimum atq́, Dialecticum suæ tempestatis acutissimum, duos Collegas ejus, Bonam Gratiam Bergomensem & Michaëlem Cæsenatem Franciscanorum Antistitem primarium, sacrarum literarum, utriusque Juris Professores cum sacris Antonii Patavini Monachium ad Ludovicum venisse reperio &c. Ad Ludovicum dixisse ferunt: Tu nos pugnis, ēse, ferro, armis à servitute assere, nos te linguâ, calamo, literis stylo, libris, verbis vindicabimus. Atque illi omnes certatim diserti in Romanum Pontificem invecti sunt, ratiocinationes, captiones ejusdem confutant, argumenta diluunt &c.*

Ex illis Ludovici fautoribus Occamus præmemoratus librum edidit, cui titulus, *Vindex pacis Christianæ*. In eo sacræ Historiæ testimoniis probat, *Romanum Pontificem, nisi Antichristi fastum quàm Christi & ejus Comitum paupertatem æmulari malit, infimi cujusq́, Christiani, nedum Supremæ potestatis servum esse.*

Ejusdem Ludovici Secretarius intimus Ulricus de Augusta in Regiis literis Summum Pontificem vocavit *Bestiam è mari ortam, de qua in Apocalypsi*, eoque discordiæ causam inter Johannem XXII. Papam & Imperatorem præbuisse fertur, ut Paralipomena Urspergensis testantur A. 1323.

Marsilius Patavinus, cujus jam antè ex Aventino mentio facta est, in Defens. pacis omnia à Paulo de Antichristo præscripta de Pontificibus & eorum ministris accipit, ac dicit, *eos non gerere vicem Christi.*

Michaël Cesenas Minoritarum Generalis eodem tempore A. 1323. scripsit contra Tyrannidem, fastum & Primatum Papæ. Accusavit eum, *ut Antichristum* & Romanam Ecclesiam tanquam *Babylonicam meretricem sanguine Sanctorum ebriam.*

A. 1338. die Augusti 6. Francofurti in publico Statuum Imperii Conventu Decretum est factum, in quo Imperator & Status Imperii sic loquuntur: *D. Petrus atq́, Paulus nuncii æternæ majestatis primarii longo antè tempore prædixêre, cecinerunt, sedulò nobis denunciârunt, post fata sua vafros, versutos, audaces falsos Prophetas, Sacerdotes, Legatos mendaces futuros, facta jampridem illorum depinxêre nobis. In templo Dei (inquiunt) hoc est, Ecclesia, q. sint Deus, sedebunt, & supra omne id, quod usquam gentium aut colitur, aut cultum est, extollentur. Neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quodlibet, noscent modum, gloriam, regnum concupiscendi nec finem scient, nec terminum capient. Dominationem, potentiam, urbi, orbique terrarum, nec minùs ipsis exitiabilem rejectâ cruce Christi arripient, confictis ad quæstum, lucrum, ambitionem, luxum sermonibus de populo Christiano, abusi credulitate stolidi vulgi, nundinabuntur. Quæ itaque vates illi veridici, arcanorum Dei interpretes, nobis antè cantarunt, verissima esse, experimentis animadvertimus & planè, nisi asini ad lyram simus, sentimus &c. Qui vult maximus esse, sit infimus omnium, nunciis Christus præcipit; &, Reges quidem dominantur populo, vos autem servi gregis mei, nempe pastores, non Domini estis. Nihilominùs tamen, quanquam illa clarissima sint, tamen pessimi Pharisæi, perditissimi Antichristi Comitiis Cæsareis, suffragiis Principum, rebus impositum, ajunt, non esse Imperatorem, nisi primarius Sacerdos, qui Dominus rerum & utriusq́, potestatis manceps sit, autor fiat &c.*

Sub finem. *Si quis huic edicto oblatrare aut obstrepere ausit, tanquam veritatis osor, pacis conturbator, hostis Reipublicæ, inimicus pietatis, satelles Antichristi, mancipium Satanæ, perfidiæ, perjurii reus, non Philosophorum argumentis vel Decretorum, sed verbere, vinculis, carcere fatigatus, possessionibus, peculio mulctabitur & ultimo supplicio more majorum parricidium luet.* Avent. l. 7. Ann. pag. 479. (in al. edit. p. 623.) & apud Goldastum tom. 3. Const. Imp. p. 410.

Circa idem tempus Guilielmus Occam (Aventino Occamensis dictus) librum adversus Carolum & Clementem VI. scripsit, qui adhuc extat, in quo Clementi hæreseos notam inurit, ipsumque Antichristum vocat. Avent. l. 7. p. 628.

Circa An. 1340. Johannes de Rupescissa Franciscanus, præditus ingenio & eruditione summâ docuit, *Ecclesiam Romanam esse meretricem, Papam ministrum Antichristi, Cardinales Pseudoprophetas, ob immensum luxum & ambitionem, quibus dediti erant. Probaturum se ajebat omnia sua dicta per Apocalypsin & veteres libros Sanctorum Prophetarum, qui ipsi per gratiam Spiritus*

sancti essent retecti &c. Conspiciebantur sanè quadam venientia eo ipso tempore, quo pronunciaverat. Neq; dicebat quicquam uti Propheta, sed per Scripturas veteres & sancti Spiritus gratiam, qui ipsi largitus erat scientiam declarandi omnes illas veteres Prophetias ad annunciandum omnibus Christianis annum & tempus, quibus debebant impleri, & confecit complures libros magnâ doctrinâ benè fundatos. Joh. Froissardus Thesaurarius & Canonicus Chymayensis in Comitatu Hannoniæ Diœcesis Leodiensis, qui eodem seculo vixit & Historiam condidit in 2. lib. Hist. sub finem, ubi *summæ & reconditæ eruditionis* laudem huic Johanni de Rupescissa tribuit.

Idem Joh. de Rupescissa non solùm asseveravit, *in Papatu regnare Antichristum*, sed multa etiam prædixit de duobus Antichristis paulò pòst futuris; Urbanum VI. ut videtur & Clementem intelligens. Cui prædictioni, etiamsi autor Fasciculi temporum in A. 1364. fidem non habuerit, ejus tamen veritatem eventus comprobavit. Hi enim Antipapæ in Bullis suis se invicem *Antichristos* appellabant.

An. 1378. in carcere scripsit Tractatum Propheticum &c. cui titulus, *Vade mecum in tribulationem*, in quo *Antichristum* in Papatu *regnare* asseveravit, & Ecclesiæ reformationem præsagiit. Petrus Præmonstratensis in Chron. quod inscribitur, Biblia pauperum.

Circa An. 1343. (al. 1345.) Monachus quidam Minorita Hayabalus persecutionem passus est à Clemente VI. quòd publicè solitus esset affirmare, *se divinitùs esse missũ, ut concionaretur, Ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, Papam & Cardinales esse Antichristos.* Henricus de Erphord. in Hist. de fact. memorab.

Circa An. 1357. (al. 1382.) Johannes Wicleph. docuit, *Papam non solùm nõ esse Vicarium Christi, sed etiam Antichristum.* Æneæ Sylvii testimonio scripsit plus quam ducenta volumina. Vixit aliquandiu in exilio ob dogmata Sedi Romanæ adversa, sed restitutus in Ecclesia sua de Luttervvort, (quod vocabulum benè consideratum mysterio non caret) Licestrensis provinciæ sepultus fuit. Habebat fautores multos, ut ex Waldeni scriptis apparet, & primarios ex ordine equestri.

De hoc Wiclepho sic scribit Jodocus Coccius tomo primo Thesauri l. 7. art. 17. fol. 909. *Johannes VViclevus art. 30. in Concilio Constantiensi sess. 8. damnato. Excommunicatio Papæ vel cujuscunque Prælati non sunt timenda, quia est censura Antichristi.*

Landherr im scharffen runden Auge B. iiij. fac. alt. Der sose Mann Wicleff hat c. 37. super Evangelium, Cùm videretis abominationem &c. geschrieben / der Römische Bischoff ist ein Ursach alles Ubels / dann er ist ein Lügner / von Christi Lehr abgewichen / ja er ist das Greuel selbsten von welchem Daniel geschrieben.

In Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum enumerantur quidam articuli Johannis Wiclephi in Concilio Constantiensi damnati, inter quos etiam hic est: *Papa ille est Antichristus, qui in Scriptura exprimitur, cùm sit specialis procurator Diaboli, procurans promere datam proditionem annuè contra Christum. Non solùm illa simplex persona, sed multitudo Paparum à tempore dotationis Ecclesiæ, Cardinalium, Episcoporum & suorum complicium aliorum est Antichristi persona composita, monstruosa. Genus humanum, specialiter in Europa, profundatur in illa hæresi nimis cœca, quòd oportet totam militantem Ecclesiam duci per regimen Antichristi.*

Idem Wiclephus Papam vocavit *hæresiarcham*, *Antichristum in Scriptura designatum*, *abominationem desolationis astu Satanæ introductam, apostema in Ecclesia &c.*

Circa Annum 1360. Ranulphus in Polychronico sic scribit: *Deus hoc seculo memorabili & insigni facinore revelavit turpitudinem Sedis Pontificiæ & illam Babylonicam meretricem omnium oculis & conspectui subjecit, ut agnoscerent, sanctam illam, quæ à toto mundo celebratur, dignitatem Pontificiam esse matrem omnis fornicationis spiritualis & corporalis, eamq; abominari & detestari discerent. Nam Johannes Anglus insigne scortum &c. in publica pompa puerum peperit.*

Anno 1363. obiit Brigida sive Brigitta virgo Scotica, S. Patritii familiaris, in Catalogum Sanctorum à Pontifice relata. Illa Pontificem Romanum non obscurè vocat Antichristum l. 1. Revelationum in c. 41. in persona Christi eum sic alloquens: *Nunc ergò conqueror super te, caput Ecclesiæ meæ, qui sedes in Sede mea, quam Petro & Successoribus ejus tradidi ad sedendum in ea triplici dignitate, Primò, ut potestatem haberent ligandi animas & solvendi à peccato. Secundò, ut aperirent cœlum pœnitentibus: Tertiò, ut clauderent cœlũ maledictis & condemnatis. Sed tu qui deberes solvere animas & ad me præsentare, verè es animarum interfector. Ego enim institui Petrum Pastorem ovium mearum, tu autem es dispersor & lacerator earum. Tu autem prior es Lucifero. Ipse enim habebat ad me invidiam, & nullum concupivit occidere nisi me, ut pro me dominaretur: tu autem tantò deterior es, quòd non solùm occidis me, removendo me à te per mala opera tua, sed & animas occidis per malum exemplum tuum. Ego redemi animas sanguine meo & commisi eas tibi tanquam amico fideli; tu autem tradis eas iteratò inimico, à quo redemi eas. Tu es injustior Pilato, qui nullum judicabat ad mortem, nisi me: tu autem non solùm judicas me quasi nullius dominatorem & nullius boni dignum, imò & animas innocentes condemnas & nocentes dimittis. Tu es immitior Juda, qui me solùm vendidit: tu autem non solùm vendis me, sed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo & vano nomine. Tu es abominabilior Judæis, ipsi crucifixerunt corpus meum solùm, tu autem crucifigis & pungis animas electorum meorum, quibus malitia tua & transgressio tua amarior est omni gladio. Et ideò, quia tu es similis Lucifero, injustior Pilato, immitior Juda, abominabilior Judæis, ideò meritò conqueror super te.*

Circa An. 1366. Jacobus Misnensis scripsit *de adventu Antichristi*. In eo scripto facit mentionem cujusdam docti viri, nomine Militzii, quem *famosum ac venerabilem Prædicatorem*, appellat. Fuit ille Concionator Pragensis, longè ante Hussum. Citat & ex scriptis ejus quædam satis prolixè. In illis dictis narrat Militzius, *quonam modo sit invitus impulsus à Spiritu sancto, ut ex sacris literis quæreret de adventu Antichristi, comperitq;, eum jam suo tempore venisse.* Idemque se ait, *Romæ coactum à Spiritu sancto publicè concionatum, & postea coram Inquisitore affirmâsse, Magnum illum Antichristum, de quo Scripturæ prophetizant, venisse.* Invenitur quoque Bulla Gregorii XI. ad Archiepiscopum Pragensem, in qua eum jubet excommunicare & persequi Militzium, ejusque auditores. Narrat autem illa Bulla, *fuisse eum prius Canonicum Pragensem, sed posteà renunciâsse Canonicatui, cœpisseq; concionari.* Narrat etiam, *eum Ann. 1366. docuisse, Antichristum jam adesse, ac propterea à Johanne Archi-Episcopo Pragensi incarceratum.* Balæus cent. 7. de Script. Brit. in App. de Thoma Colby, Catalogus testium veritatis l. 18. col. 1795.

Circa An. 1370. (al. 1347.) Franciscus Petrarcha, patriâ Florentinus, Archidiaconus Parmensis & Canonicus Patavinus (de quo Bellarminus l. de Script. Eccl. p. 386. sic judicat, quòd *multa opera gravia & utilia scripserit, & tandem piè sancteque obierit,*) in l. Epist. sine titulo Epist. 19. hortatori cuidam fido, sed improvido, *ut Babylone* (Romæ) *vivere eligeret,* respondet: *Ad quid ibi vivam, ut videam bonos mergi, malos eripi, reptare aquilas, asinos volare, vulpes in curribus, corvos in turribus, columbas in sterquilinio, liberos lupos, agnos in vinculis, Christum denique exulem, Antichristum Dominum, Beelzebub judicem? &c. O crudelis & impia secta hominum &c. nihil nisi seipsos amantium, idq; ipsum perversè prorsus ac nefariè!*

Epist. 18. de urbe Roma sic scribit: *Famosa dicam, an infamis meretrix fornicata cum Regibus terræ, illa equidem ipsa es, quam in Spiritu sacer vidit Evangelista, illa eadem inquam es, non alia, sedens super aquas multas, sive ad littora tribus cincta fluminibus sive rerum atque divitiarum turba mortalium, quibus lasciviens ac secura insides, opum immemor æternarum, sive ut idem, qui vidit, exposuit, populi & gentes & linguæ aquæ sunt, super quas meretrix sedet. Recognosce habitum. Mulier circumdata purpurâ & coccino & inaurata auro & lapide precioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus.*

Et postea. *Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes & Reges terræ, & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quod Johannes idem ait: Cecidit Babylon magna & facta est habitatio Dæmoniorum &c. Verè jam talis facta es. Quanto enim homo perditus & desperatæ nequitiæ Dæmone melior? verè habitatio, imò regnum Dæmonum facta es, quis suis artibus humana licet effigie, in te regnat. Tu verò amice cum eodem Apostolo audi vocem aliam de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, & ne participes sitis plagarum ejus.*

Ep. 20. Curiam Romanam vocat *Babylonem* & *meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrẽ omnium idololatriarum & scortationum, cum qua scortati sunt Principes & Reges terræ, asylũ hæresium & errorum, de qua in Apocalypsi Spiritus Prophetavit.*

In Rhythmis suis Italicis Romam sæpius vocat *Babyloniam, matrem errorum, nidum perditionum.*

Carmen

Carmen Italicum hujus Francisci Petrarchæ, quod incipit Fontana di dolore, albergo d'ira &c. quidam sic vertit:

Fons ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, sectarum nobile templum;
Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax,
Ex qua tot luctus gemitusq; feruntur in orbem.
O fraudum mater, carcer teterrimus iræ,
Carnificina boni, sed iniqui sedula nutrix,
Vivorum infernus, miraclum insigne futurum,
Si nunquam contra te Christi seviat ira.
Casta in paupertie tua sunt fundamina jacta,
Sed modo fundantes oppugnas cordibus altis,
Quidnam frontis habes meretrix? quò niteris audax?
Spes in adulteriis, spes in tam divite cista est.

Circa Ann. 1380. Matthias quidam cognomento Parisiensis, (fortè, quòd ibi diu literis operam dederat, sed natione Bohemus,) prolixum librum *de Antichristo* scripsit, in quo probat, *eum jam venisse*, ac non obscurè indicat, Papam pro Antichristo habendum esse. Opera Antichristi esse dicit, quòd *fabulæ & adinventiones hominum in Ecclesia regnent, quòd passim statuæ & falsæ reliquiæ colantur, quòd alii alios Sanctos ac Servatores pro Christo colant, quòd Monachi relicto Christo, alios sibi Servatores quæsierint, quibus glorientur, Franciscum, Dominicum, alios; quòd, verbo Dei neglecto, Regulas suas introduxerint, quòd hypocritæ ejusmodi in Ecclesia regnantes sint locustæ illæ, de quibus in Apocalypsi.*

Item. *Antichristum omnes Universitates & eruditorum Collegia seduxisse, ita ut nihil sani doceant, aut Christianis rectè doctrinâ suâ præluceant.* Huic suo de Antichristo opusculo inseruit etiam aliorum de eadem materia scripta ac sententias, ut Scholæ Parisiensis, Conciones Guilielmi de S. Amore, & M. Militzii ac aliorum quorundam veterum. Jacobus Misnensis testatur in suo libello de Antichristo, *multos prædicto M. Matthiæ eximium testimonium honestissimæ vitæ, summæq; pietatis præbere.*

Anno Domini 1389. Magistri Parisienses tempore magni in Ecclesia schismatis videntes fratrum Mendicantium crescere nequitias, librum aculeatum Guilielmi de S. Amore *de periculis novissimorum temporum* An. Chr. 1256. editum & ab Alexandro IV. Rom. Pont. An. 1260. damnatum, in eorum vituperium revocabant. *Hi nempe doctores in Christo fideles & gloriosi existentes, ut lumen sanctæ Ecclesiæ super candelabrum constituti, quorũ multitudo tunc erat sanitas orbis terrarum, nequissimum Antichristum & membra ejus ac meretricem ipsius ex parte cognoscentes & ex parte in futurum prophetantes, præcavendo sanctæ Ecclesiæ & ejus gubernatoribus apertè & nudè revelârunt.* Matth. Paris in Hist. Anglica.

An. Chr. 1390. erant eodem tempore duo Pontifices Romani, Urbanus VI. Pontifex Italicus, & Clemens VII. à Gallis electus, eorum alter in alterum censuris sæviebat, & alter alterum schismaticum, hæreticum, *Antichristum* appellabat.

Circa An. 1390. Gualterus Brutus Anglus, Mertonensis Collegii socius, Wiclephi discipulus, *pontificem Romanum Antichristum esse Apocalypticum*, affirmavit; idemque Richardus Wimbletonus celebris ille Concionator asseveravit. Foxus in Martyr. tom. 1. ex Catal. sociorum Metronensium.

Circa eundem An. 1390. (al. An. 1421.) (sed prior numerus colligitur ex c. 13. & 20. illius Comm.) Johannes Purvæus Commentarium in Apocalypsin scripsit, quem edidit Lutherus Ann. 1518. in quo Papa Romanus vocatur *Antichristus*; Roma *Babylon*. (Lutherus testatur, *Commentaria illa ex finibus Livonicis & Polonicis sibi esse transmissa.* Edita sunt sine nomine autoris, sed postea compertum est, esse Johannis Wiclephi per Johannem Purvæum Anglum ex prælectionibus Magistri collecta.) Ideò autem *Papam se pro Antichristo habere dicit, quòd neglecto Dei verbo suas humanas traditiones Ecclesiis obtrudat, Evangelium, piosq; Doctores opprimat, quæstus gratiâ Indulgentias excogitaverit, potentiam & splendorem regium sub falso donationis Constantini nomine ad se traxerit.* Hortatur etiam omnes, ut *fugiant ex illa Babylone.* Addit, *complures fuisse ante se, qui illam spiritualem Babylonem oppugnârint, & suo tempore multos veritatis Præcones in carceribus detentos, custoditosq; arctissimè.* Fuit & ipse autor in carcere ac catenis insuper chalybeis, cùm ea Commentaria scripsit, ut ex 11. & 12. ejus scripti capite apparet. *Nunquam*, inquit, *hæc consimilia scripsissem contra Antichristum & suos, nisi me incarcerâssent, ne in eos agerem.*

Idem ἀνώνυμος autor, in c. 7. Apoc. *Illa septem signa, quæ prædicta sunt à Johanne, manifestanda solummodò temporibus Antichristi, jam implentur secundum omnem intellectum Catholicorum ipsis possibilem. Ergò tempus Antichristi adest veraciter, adest etiam Antichristus. Ergò Antichristus regnat, quod erat probandum. Et quis sit ille, tam facilè patet, quòd Antichristus dicitur ab Anti, quòd est contra, & Christus, quia tàm vitâ, quam doctrinâ impugnat Christum. Ergò Princeps talis est præcipuus Antichristus. Ille Antichristus est Papa Romanus, ut patet ex prædictis. Ergò Antichristus ille magnus jam regnat.*

Circa Ann. 1400. vixit Franciscus Philephus, Eques auratus & Poëta laureatus Italus, qui de Antichristo sic cecinit, Decad. 6. Hexast. 9.

Est etiam tecum formido pericli
Illa trucis volvenda animo, contraria Christo
Facturus, cunctis horrendus & efferus ille,
Quisquis erit, cujus nescimus temporis horam,
Non Scytha, non Turcus, non qui terrore Damascum
Ægyptumq; tenet, sed maximus ille Sacerdos,
E medio templi nostrum emersurus in axem,
Antichristus erit, qui se canat orbe (ore) colendum
Pro Christo, cujus referat nomenq; vicemq;,
Sphinga dolo mitem, tanta est versutia mentis,
Æthiopum tauros superet mix. osq; Crocottas
Sævitiâ: sceleris qui deniq; nullius expers
Omnia confundat: donec Pater ipse Deorum
Omnipotens rebus finem allaturus iniquis
Fallacem meritâ mulctabit cæde latronem?

Agnovit hic Philephus Antichristum fore maximum illum Sacerdotem, qui se jactitat esse Christi Vicarium.)

Circa An. 1402. floruit Vincentius Concionator Italus, sanctitatis opinione celebris, ejus Epistola citatur in Prophetiis sub Maximiliano Parisiis in 8. editis, in qua affirmaverit, *Antichristum jam esse in mundo, imò Papam esse illum Antichristum.*

Eodem tempore. vid. circa An. 1402. in Anglia floruit Galfridus Chaucerus. Eques auratus, qui in Aratoris Narratione & in aliis libris *Pontificem Antichristum esse*, denunciat.

Circa A. 1404. prodiit scriptum sub titulo, *Speculum aureum*, in quo disertè dicitur, quòd *Roma Papalis errorum suorum veneno omnes ferè mundi partes inebriaverit.*

(Proinde libelli istius autor Romam Papalem itidem pro meretrice seducente & poculo suorum errorum homines inebriante habuit.)

Circa An. 1408. durante schismate inter Gregorium XII. & Benedictum IX. Manfredus Vercellensis Ordinis Prædicatorum Theologus *præsentem* sentiebat *adesse Antichristum*, contra quem Manfredum prædicabat Bernhardinus Senensis Franciscani Ordinis Monachus.

De hoc Manfredo sic scribit Antoninus part. 3. Tit. 22. c. 7. parag. 8. *Manfredus venerabilis vitâ, religiosus, Ordinis Prædicatorum, erat peritus & timens Deum. Hic prædicans in partibus Longobardiæ, nescio quo ductus Spiritu, populis nunciabat propinquum Antichristi adventum, & quasi tempore suo esset futurus, inducebat ad hoc suas rationes ex Scripturis, præcipuè Apocalypsi &c.*

An. 1413. nobilis ille Martyr Johannes Oldcastellus D. de Cobham coram Archiepiscopo Cantuariensi, aliisque Episcopis intrepidè professus est, *Papam esse verum Antichristum, aliosq; Prælatos membra, fraterculos caudam ejus.* Hypodigm. Neustriæ per Thom. de Walsingh in Chronico p. 181.

An. 1415. Constantiæ exustus est Johannes Huss, qui in scriptis suis Romanum Pontificem subinde vocat *Antichristum.* In Anatomia Antichristi c. 42. *Istud principium est Catholicè amplectendum, quòd nullus viator est aptior Romano Pontifice, ut sit Vicarius principalis Satanæ & præcipuus Antichristus. Patet ex hoc, quòd ipse potest faciliter fraudare Ecclesiam in hypocrisi & omni mendacio. Item ipse potest plus seipsum ultra Christum extollere, & talis juxta Scripturæ testimonium est pronior, ut sit maximus Antichristus. Nam Rex super omnes filios superbiæ & pater mendacii aptavit sibi talem Vicarium, qui falsò potestatem & dignitatem pompando prætendit, ut indulgentiis & aliis cautelis simplicem plebem decipiat, & magistro suo in peccato similior, profundius ruat. Item plus potest pecuniam Simoniacè cumulare & sic complices de secta Magog pro defendendo suo facinore latiùs & diuturnius sceleratiusq; aggregare. Sed hæc omnia testantur conditiones maximas Antichristi.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri l. 7. art. 17. fol. 909. *Johannes Huss*

nes Hus dixit: Papa non conformis Christo & Apostolis non Christi, sed potiùs Antichristi est Vicarius & bestia illa, de qua in Apocalypsi, teste *Johanne Cochlæo l.3. Hist. Hussitica.*

Circa An. 1417. Nicolaus Clemangis Archidiaconus Bajocensis, Theologiæ Doctor Parisiensis in libro de corrupto Ecclesiæ Statu c.26. Romanam Ecclesiam sic alloquitur: *Si ulla in te sani cordis scintilla superest, Prophetarum dicta sedulò revolve. Tu inquam illic statum & tuam confusionem non utique dormitantem, sed è vicino impendentem considera. Videbis, quis te exitus exspectet, quamque malè & perniciosè in his sordibus tamdiu jaceas. Quòd si Prophetas non audis, nec de te, dum tot mala nunciant, locutos arbitraris, ipse te fallis & periculoso nimiùm errore desipis. De te enim illi locuti sunt & quæ minantur onera super te, nisi resipis, relapsura, debes agnoscere. Sed fac, eorum vaticinia aliò spectare, quid de tua Prophetia de Johanne, scilicet in Apoc. censes? An non illam saltem ad te aliquâ ex parte pertinere putas? Non pudorem ita cum sensu perdidisti, ut hæc neges. Illam ergò intuere & lege damnationem magnæ meretricis, super aquas multas sedentis, illicq; tua facta præclara contemplare & tuos futuros casus.*

Idem Clemangis Epistolam scripsit ad Gerardum Maketum, quòd *non mentis tantùm affectu, sed etiam pedibus corporis à Babylone discedendum sit.* In ea inter cætera sic loquitur: *Licet aliquid Babylonis ubique sit, non tamen ubique est illa Babylon mater fornicationum & abominationum terræ, cujus usque ad cœlum, ut ait Johannes, pervenit judicium, quæ à vino prostitutionis suæ omnes inebriavit, & quæ omnes suos cogit incolas fornicari, blasphemare, idolothyta manducare, Draconem adorare &c.*

Idem in descriptione Antichristi p.359. *Antichristum non modò natum, sed adultum & provectum & jamdudum regnantem ac sævire paratum indubitanter existimo.*

An. 1428. *White Papam Antichristum esse scripsit & docuit.* Usserius de Eccl. Success. p.66.

Circa An. 1434. Gregorius Heimburgensis Juris Doctor edidit libellum *de Primatu Papæ,* in quo subinde Romanam Ecclesiam *Babylonem & meretricem Babylonicam* appellavit. *Papã* ex multiplici, quam notat, antithesi, *Christo per omnia contrarium esse,* probat.

Circa An. 1435. Johannes Robitzana Archiepiscopus Pragensis publicè docuit, *Ecclesiam Romanam Babylonem esse Occidentalem, in qua regnat peccatum in Spiritum sanctum, Papam verò ipsissimum Antichristum, qui tot superstitionibus simplicem Dei cultum obruit, sinceræ religioni multa de suo assuit, multis miraculis plebem credulam in varios errores induxit.* Ecclesiam urbi *magnæ ab hoste vastatæ persimilem esse, ex qua veri cives alii ægrè evaserint, alii repugnantes cæsi, capti alii, ipsaque facta sit latibulum ferarum & spelunca latronum immanium, sentibus obsita atque ruderibus, cujus recuperatio & reformatio perdifficilis foret. Hostes autem belluas, latrones, Papas cum Sacerdotibus esse, qui eã sensim occupaverint, deprædati uti latrones, depasti ceu apri sint, rudera, errores scelera que eorundem dici, cives illos omnes, quicunque se unquam immoderatæ dominationi eorum opposuissent, falsis doctrinis restitissent, vitia reprehendissent, quorum omni seculo fuerit cunctis locis aliquis numerus, sed qui propemodùm omnes, vel interimerentur, vel vitæ consulentes suæ laterent occulti.* Inculcabat etiam illud Angelicum auditoribus: *Exite Babylone, exite citi, ne participes sitis peccatorum, plagarumque ejus.*

Jacobus de Guitrode Carthusiensis (qui floruit circa A. 1440) in libro de causis & remediis passionum animi, reprehendens Prælatorum superbiam, disertè dicit, *eos locum tenere Antichristi & non Christi.*

Circa An. 1447. Æneas Sylvius (postea Pius II. Pont. Rom.) in l. de moribus Germ. sic scribit: *Infestabat eã tempestate Romanam Ecclesiam Ladislaus Rex Neapolitanus, adversus quem Johannes XXIII. Papa bellum decernens, plenariam peccatorum remissionem indulsit his, qui ad Ecclesiam tuendam arma induerent. Recitabatur in Ecclesia Pragensi Decretum* Pontificis. *Quod cum quidam sordidæ artis audissent, Johannem Papam Antichristum esse, magnâ voce clamaverunt, qui crucem contra Christianos decerneret. Eos è vestigio Senatus in carcerem rapi jussit, populus verò susceptis armis dimitti omnes petiit. Sed placatus oratione Senatus, tanquam vita captivorum in tuto esset, suam quisque domum rediere, de illis clàm supplicium sumtum. At cùm sanguis extra prætorii portam defluens indicium necis fecisset, iterum accurrens populus interemtorum corpora rapuit & aureo circumvoluta panno per omnes urbis Ecclesias detulit, clamantibus ejusdem sectæ Sacerdotibus, isti sunt sancti, qui pro Testamento Dei corpora sua tradiderunt. Exin cadavera in sacrario in Bethlehem reposita, quasi Martyrum reliquiæ aromatibus condita.*

Circa An. 1460. Hermannus Ried in libello de vita & honestate Clericorum, adducit dictum Bernhardi superius citatum: *Ministri Christi sunt & Antichristo serviunt.*

Circa An. 1464. Nicolaus Cusanus Cardinalis floruit, qui acres contentiones cum Monachis Mendicantibus habuit, quarum summa quædam descripta extat. In ea commemoratur, pervenisse in manus Cusani scriptum cujusdam provincialis Mendicantium, in quo assertum probatumque fuit, *Romanam Ecclesiam esse illam Apocalypticam meretricem, sedentem super aquas multas.* Affirmatur etiam ibidem, *multum tunc solitos fuisse Mẽdicantes concionari contra Sedem Apostolicam.*

Circa A. 1490. (al. 1480.) Hieronymus Savanorola (Ferrariẽsis Monachus Dominicanus, Florentiæ jussu Alexandri VI. exustus) interpretari aggressus Apocalypsin, in ea maximam partẽ in Papa Romano depingendo, ruinamque ejus prædicando insumsit. Docuit, *Papam nec vitam, nec doctrinam Christi retinere, quia plus suis Indulgentiis & traditiunculis, quàm Christi merito tribuat, ideoq; eum esse Antichristum.*

Idem Savanorola prædicabat publicè, *Carolum VIII. Galliæ Regem missum à Deo ad castigandos Italiæ Tyrannos & Ecclesiæ Statum reformandum.* Cùm a. exercitum Rex in Italiam admirabili successu perduxisset, idque ipsum, ad quod vocatus erat, neglexisset, eodem prædicente Savanorola justo DEI judicio mortuus est. Regnum ab eo accepit Ludovicus XII. quem *populi patrem* meritò ferunt, & cum regno perdendæ Babylonis animum, quod ejus testantur numismata aurea cum hac inscriptione, *Ludov. XII. D. G. Rex Franc. Dux Mediol.* & in altera parte, *Perdam Babylonem.*

(Hunc Savanorolam Picus Mirandulæ Comes *sanctum Prophetã* appellat, & proprio scripto contra Papam defendit. Marsilius Ficinus in quadam Epistola *Propheticum Spiritum* ei tribuit & magnificè eum celebrat. Philippus Comineus Historicus Gallicus, qui cum eo locutus est, testatur, *eum fuisse virum sanctum, ac Prophetici Spiritus, quippe qui multa sibi prædixerit, quæ eventus comprobârit!*)

Circa An. 1508. Carolus Bovillus in Epistola ad Nicolaum Horium Episcopum Rhemensem in Gallia, visionem Nicolai de Petra describit, cui Bovillus respondens & visionem applicans disertis verbis Pontificem vocat Antichristum: *Gladius,* inquit, *in fronte, qui crucem pungit, declarat, Pontificem Antichristum esse. In oculis autem unus quidem inexplebilem ejus avaritiam, sed alter abominandam scortationem innuit, in naribus ostẽditur ejus Tyrannis & rerum spiritualium contemtus & irrisio. Labia, quæ sunt postremo gladio transfixa, pigrum nebulonem & mutum in Ecclesia, verbumq; Dei non docentem subinferunt. Sed quid sibi volunt decussata manubria? hoc videlicet, quòd quemadmodum expertem capuli pugionem sine læsione tangere non licet, ita maximum sit periculum, si coneris dominum illum redarguere & gladios ab ejus facie dimovere. Quantum ad barbam prolixam, horridam & trifurcatam attinet, eam puto omnis generis infortunia & calamitates portendere. Nam quia Papa, quando homines barbam ejus mulcebant, eos quidvis agere contra verbum Dei concessit, verisimile est, id ipsum haud impune laturum esse.*

Præter hos Volquinus quidam ante tempora Lutheri (sub initium seculi decimi quinti) in homilia de zizaniis, (quæ An. 1555. Basileæ postmodùm edita) super abominationes regni Papalis sic ingemuit: *Proh dolor! proh dolor! hodiè meretrix antiqua habet poculum aureum in manu sua plenum abominatione, fornicatione & immunditie, quâ mirabiliter inebriat Sacerdotes & Laicos, de qua in Apocalypsi: Vidi mulierem ebriam de sanguine virorum & de sanguine Martyrum Christi. Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriâ carnis, ebriam de sanguine suorũ scortorum sive scortatorum. Hæc est illa sanguisuga, quæ sugit sanguinem Ministrorum Dei & Martyrum Dei, qui Martyres Christi esse debuerant & fiunt Martyres Diaboli in honorem ejus & obsequium carnem & sanguinem consumentes. Cùm vidissem,* inquit, *homines miratus sum. Quis non miretur & horreat & obstupescat Sacerdotem Domini, ministrum Dei, calice epoto sitibundum & potare feces de calice Babylonis?*

Petrus Walde publicè docuit & scripsit, quòd *Ecclesia Romana facta sit meretrix in Apocalypsi descripta.*

Wolffgangus Aitinger Clericus Augustanus, qui Prophetias Methodii Commentariis illustravit, contendit, *Antichristum non in corporea, sed mystica Babylone nasciturum, quæ, Petro teste, Roma est.* Circa An. 1502.

Johannes

Johannes de Poliaco Theologus Parisiensis, Thomas Rhedonensis, Dominicus Brixiensis, Antonius Rosellus, Rodericus Zamorensis & alii complures, *Romam Papalem esse meretricem Babylonicam Apocalypticam*, agnoverunt.

Quid multis? testatur Platina fol. 229. *Pontificem Romanum superiorib. tẽporibus Antichristũ, Satanã ac Diabolũ fuisse vocitatũ*, quod ne ipse quidẽ Jac. Hack Jes. negare potuit q. 2. c. 19. p. 313.

4. Quòd tempore Lutheri & post Lutheri tempora quidam docuerunt, in regno Papali Antichristianos errores & impietatem dominari, ac per Babylonem in Apocalypsi intelligendam esse Romam Papalem.

Autor oneris Ecclesiæ c. 19. §. 14. *Columna Dei viventis jam penè videtur nutare, & sagena summi piscatoris, scil. Petri procellis intumescentibus cogitur in naufragii profunda submergi; quod nemo percipit corde &c. sed singuli Pontifices tàm summi quàm inferiores carnalia sequẽtes, exhibent se magis mixti Antichristi præcursores, quàm veri Christi fideles servitores.*

Cap. 42. *Etsi magnum aliquem Antichristum venturum* dicat, *& distinctum à mixto nescio quo Antichristo*, quem fingit, atque in magno non discedat à vulgi opinione, tamen *hunc mixtum Romanum futurum*, asserit. *In hoc idolo*, inquit, *figuratur Romanus Pontifex abominabilis ob defectum vitæ, & dicitur desolationis, ob Ecclesiam à statu debito per eum desolandam. Qui Pontifex Diaboli procuratione Ecclesiam Dei ponet in præsenti quinto statu.*

Et iterum: *Is mixtus Antichristus per abyssalem malitiam & procurationem Dæmonum, ac per sui ipsius ambitiosam astutiam Papatum Tyrannicè usurpabit.*

Cap. 43. §. 4. *Sicut fidelium collectio est una Ecclesia propter unitatem fidei, habens prolem variam, sic reproborũ caterva appellatur una meretrix seu bestia habens septem capita peccatorum mortalium &c. De ea cœlestis Aquila scribit: Meretrix magna sedet super aquas multas & super bestiam coccineam &c.*

§. 4. *De qua ulteriùs in Apocalypsi sequitur. Babylon magna facta est habitio Dæmoniorum &c. & mercatores de virtute delitiarum ejus divites facti sunt. Prout hodiè quidam Florentini mercatores exaltantur & ditantur ex patrimonio B. Petri & ex eleemosyna Ecclesiæ Romanæ &c. Væ, væ civitas illa magna, utpote Roma, quæ amicta erat bysso & purpurâ!*

§. 7. *Deus præterea in Ezechiele modernam Ecclesiam alloquitur his verbis, Fornicata es nimis, nec es satiata, sed multiplicâsti fornicationem tuam in terra.*

§. 9. *Ceterùm Ubertinus de perversa Ecclesia ponit hæc verba: Carnalis jam Ecclesia dicitur nova Babylon & meretrix magna, quia in ea, utpote in pluribus & potioribus ejus membris ordo virtutum per deordinationem vitiorum enormiter est confusus, nec non sui Sponsi amor turpiter adulteratus & ejus cultus nequiter neglectus. Modica quidem grana tritici sũt in immenso palearum cumulo, quoniam justorum Spiritus hoc tempore à malis opprimitur, usq; adeò ut præ multitudine perversorum justus cogatur servire Babyloni in plerisq; iniquis actibus. Ecclesia enim quasi ancilla facta est, sicut quondam filii Israël propter peccata multorum capti in Babylone servire compulsi sunt.*

Cap. 44. §. 6. *B. Maria apud Brigittam, ait, Vitia in mundo jam plus solito invalescunt. Nempe mysterium jam operatur iniquitatis, ficta namq; pietas, quæ est mystica seu secreta iniquitas Antichristi (qui suo tempore revelabitur) hoc tempore in Ecclesia operatur, ficti enim & mali Christiani, qui sunt Antichristi præcursores, in Ecclesia regnant & grassantur, donec de medio mundi tollatur potestas Romani Imperii, vel donec fiat discessio à fide & suppressio Universalis Ecclesiæ.*

§. 7. *Christus nobis ceu morbosis membris Ecclesiæ Babylonicæ positus est judex in ruinam.*

§. 9. *Antipapa seu mixtus Antichristus, ut sibi soli omnes dignitates, divitiasq; imburset, sub specie sanctitatis homines decipiet.*

Erasmus in Scholiis ad Hieron. in Epist. ad Marcellam annotat, *Romam in Apocalypsi Johannis cap. 17. designatam fuisse sub figura mulieris, quæ insidet bestiæ, septẽ capita habẽti, & quod septem capita significent septẽ colles seu montes, quos vetus urbs Roma murorum ambitu cõprehendebat.*

Ann. Chr. 1528. die 15. Maji Johannes Staphilæus Episcopus Sibutiensis post direptionem urbis Romæ orationem habuit ad Rotæ auditores, in qua inter cætera sic loquitur: *Eramus omnes cives & inhabitatores, non Romæ urbis sanctæ, sed Babylonis urbis peccatricis, de qua impletum est temporibus nostris verbum Domini in Esaia: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis! &c. Hanc filiam Sion Johannes Apostolus in Apocalypsi interpretatur non Jerusalem, sed Romanam prorsus urbem, quod ex illius descriptione, si introspicimus, in aperto est, dum exponens Johannes, seu veriùs unus de septem Angelis Johanni visionem, quam vidit super damnatione mulieris meretricis, sub nomine Babylonis intelligit hanc urbem. Mulier, inquit, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum (quod de regno spirituali vult intelligi) super Reges terræ. Dicit, illam sedere super septem montes, quod propriè Romæ convenit, quæ ab antiquis ob hoc potissimùm dicta est septicollis. Ponit sedem quoque illius super aquas multas, quæ significat populos, gentes, ac varias linguas, ex quibus magis, quàm ulla alia, in orbe præsertim Christiano, collecta est hæc urbs, ut videmus. Et propterea dicitur communis patria omnium undecunque venientium. Dicit præterea, plenam esse nominibus blasphemiæ, matrem immunditiæ, fornicationum & abominationum terræ. Hæc quippe verba demonstrationem hujus urbis magis specificam non exigũt, cùm hæc flagitia, etsi ubiq; ferè regnent, hic tamen sedem & imperium habeant. His tot & tantis flagitiis, prævaricationibusq; illius enumeratis, subjungit severissimam Dei sententiam, quæ contra nos hoc tempore funestissimam executionem sortita est. Formula autem sententiæ hæc est: Quoniam pervenerunt peccata illius usq; ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum, ideò in una die venient plagæ ejus, mors, luctus & fames, desolatam facient illam & nudam, & ipsam igne concremabunt. Quòd si quispiam pertinaciùs defendere velit, Apostolum loqui specificè de Babylone, huic ego respondeo, quòd potiùs quàm Apostolus in prima Epistola, teste D. Hieronymo de viris illustr. sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat, dum inquit: Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta. Postremò, si his locupletissimis testibus non credimus, scilicet per Babylonem urbem hanc significari, effectibus saltẽ hoc tempore lamentabiliter subsecutis credere oportet.*

Claudius Espensæus in 1. Tim. l. 3. Digr. p. 374. adducit & ad Clericos Papales accom̃odat dictum Berhardi superiùs citatum: *Ministri Christi sunt & Antichristo serviunt.*

Cornelius Episcopus Bitontinus, Concilii Tridentini Assessor, præsentibus omnibus Concilii Assessoribus sic locutus est in Oratione, quam in Concilio habuit: *Utinam à religione ad superstitionem, à fide ad infidelitatem, à Christo ad Antichristum, à Deo ad Epicurum, vel ad Pythagoram velut prorsus unanimes nõ declinâssent, dicentes in corde impio & in ore impudico, Non est Deus! Neque jamdiu fuit Pastor, qui requireret; quia omnes, quæ sua sunt, quærunt; quæ Jesu Christi, ne unus quidem.*

Johannes Ferus in c. 24. Matth. p. 199. *Regnum Antichristi statim temporibus Apostolorum incepit, quemadmodum Paulus ait: Jam mysterium operatur iniquitatis. Et Johannes: Jam Antichristi multi sunt.*

Et postea. *Nemo attendit, quòd hæc abominatio & apostasia (Antichristiana) in pluribus jam completa sit, & quotidiè impleatur, id quod facilè deprehendet, qui Christi doctrinam ad nostra tempora conferet.*

D. Simon Schardius Cameræ Imp. quondam Adsessor 30. testimonia ex Põtificiis Scriptoribus collegit, quòd *Papa Romanus ab illis, qui põtificiæ religioni addicti fuêre, Antichr. sit nominatus.*

Baronius An. Chr. 900. n. 1. deplorans turbulentum Ecclesiæ Romanæ statum sub Stephano VII. inter cætera sic scribit: *Hoc anno novum inchoatur seculũ, quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopiâ Scriptorum appellari consuevit obscurum. In cujus limine constituti ob ea, quæ pro foribus adeò flagitiosa nuper contigit aspexisse, antequam progrediamur ulteriùs, hic Lectorem monendo præfari aliquid necessarium duximus, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem desolationis in templo, sed magis miretur & cognoscat in ejus custodia divinam invigilare potentiam, cùm non, ut olim, abominationem tantam secuta mox fuerit desolatio templi &c.*

(Atqui per *abominationem desolationis* veteres plerique in sensu mystico intelligunt Antichristum. Quòd si ergò *abominatio desolationis* tẽporibus Stephani *stetit in templo*, concludi potest ex hypothesi veterum, Antichristũ tunc in tẽplo Dei sedisse.)

Ribera Jes. in Comm. Zach. 11. n. 50. 51. *(Ego suscitabo Pastorem in terris, qui derelicta non visitabit.) idest, Pastorem, qui tantum suæ utilitati & ambitioni studebit. (Oves non visitabit) idest, non curabit. Pastoris autem nomine significatur Antichristus, quoniam & Pastor, & Doctor, & Rex, imò & Deus haberi volet &c. (O Pastor & idolum!) nempe qui præter figuram nihil habet Pastoris, qui Pastor videri & vocari cupit, cùm sit certissima pecorum pernicies, & ut idolum adorari ab illis velit.*

(At hæc omnia Pontifici competere, ipsa αὐτοψία testatur.)

Plura testimonia eorum, qui per Babylonem Apocalypticam, Romam intelligendam esse, agnoscunt, adducentur inferius.

Contra hæc testimonia in genere sic excipiunt,

1. Dillingenses in Comp. *Pacis* c.11. q. 83. §. 160. p. 634. fac. a. *Romanum Pontificem Hussus & alii heretici tanquam adversantem suis doctrinis, ipsosq; damnantem vocarunt quandoque Antichristum sensu allegorico, quòd esset similis Antichristo, quemadmodum Cæsares quandoque ob crudelitatem dicti sunt Nerones.*

Resp. 1. Non solùm Hussi & aliorum, quos Romana Ecclesia hæreticos fuisse proclamat, sed etiam Imperatorum, Episcoporum & aliorum, quorum autoritatem subterfugere minimè possunt, testimonia hactenus produximus.

2. In testimoniis adductis complurib. ea, quæ Daniel, Paulus & Johannes *de Antichristo magno propriè sic dicto* proferunt, ad Rom. Pontifices accommodantur.

3. Johannes Hussus in Anatomia Antichristi manifestè ostendit, quòd probare voluerit, *Papam Rom. esse magnum illum ac propriè dictum Antichristum.* Confer etiam & expende ea quæ ex Jodoco Coccio hactenus sunt allata.

4. Ipsorum Pontificiorum confessio contrarium evincit, videl. quòd testimonia adducta *de Antichristo magno propriè sic dicto* loquantur. Thyræus Jesuita in Disp. de Ant. c. 3. §. 26. *Mirũ est, in Rom. Pontificem fuisse improbos & contumeliosos, non nostros solùm, verùm etiam omnium temporum hæreticos, & tamen nullum adhuc esse inventum, qui numerum bestiæ, aut in unius Pontificis nomine proprio, aut in communi aliquo deprehenderit.* (Ergò de tali Antichristo loquuntur, cui numerus bestiæ competere debet.) Adamus Tannerus Apol. c. 16. p. 139. non potest contradicere testimonio Aventini, *tempore Gregorii VII. plerosq; omnes bonos, aperti ingenii, simplices, tum Antichristi imperium cœpisse, quòd ea, quæ Christus Servator noster tot annos antè nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidisse.*

Exc. 2 Idem verò Tannnerus sic excipit præscript. 5. pag. 89. *Nemo unquam ex omnibus Catholicis Papam magnum aut verum Antichristum, sed ex æstuantis iræ affectu hunc vel illum Pontificem, cui privatis odiis infensi erant, Antichristum dixerunt, eodem sensu ac jure, quo Satanam dixerunt aut diabolum.*

Resp. Imò verò ab Autoribus allegatis judicatus fuit Antichristus propriè dictus. Nam

1. Dicebatur Papa *Antichristus mysticus.* Is ergò, qui *in mysterio iniquitatis* jam Pauli tempore latitabat 2. Thess. 2. v. 7. & *in cujus fronte scriptum est nomen mysterium* Apoc. 17. v. 5. utique est magnus ille & propriè dictus Antichristus.

2. Tempore Gregorii VII. communi piorum hominum judicio credebatur Antichristus natus, certè κατ' ἐξοχὴν ac propriè ita dictus, non verò indefinitè homo aliquis sceleratus.

3. Is rumor inde nascebatur, quòd *viderent omnes, impleta jam esse, quæ Christus & Apostoli prædixerunt*, utique de *magno illo & propriè dicto Antichristo.*

4. Credebatur, iisdem temporibus *regnum Antichristi* cœpisse. At in orbe Christiano nullum scitur Antichristi regnum, nisi magni illius & propriè dicti.

5. Nullo argumento probari potest, *Imperatores & Episcopos, imò quosvis bonos alium notâsse Antichristum, quàm illum magnum, olim à Christo & Apostolis notatum.*

Exc. 3. Idem Tannerus fidem Scriptorum, præsertim Aventini, elevat, ex quibus illa ἐγκλήματα Pontifici intentata petuntur. *Si historiæ,* inquit, *petantur, non ex Aventino infido & malæ notæ Historico, sed ex antiquis & probatis Historicis, compertum fiet, supradictos Pontifices extra culpam fuisse, præsertim Gregorium VII. virum sanctissimum & sapientissimum, quicquid schismatico Imperatori malè faventes falsò dixerint,* præscript. 5. p. 89. & 90.

Resp. 1. Sequitur hac in re Tannerus Gretserum in Apol. Gregorii VII. Sed perquam ἀπαιδεύτως requirunt, hanc causam unicè judicari ex Historicis, qui Pontificis parasiti extiterunt, ac omnem omninò fidem abrogandam iis, qui à parte Impp. steterunt.

2. De fide & autoritate Johannis Aventini egimus in Prolegomenis.

3. Tannerus ipse Apologet. c. 16. p. 138. & part. 2. Anatom. Demonstr. 5. §. 281. non potest negare, *Fridericum II. Ludovicum IV. Henricum IV. dixisse Papam Antichristum.*

4. Autores Rom. Pontifici vel maximè addicti, fermè nihil aliud de illis temporibus & Pontificibus testantur. Bellarminus part. 2. Chronol. ad An. 970. qui regimini Gregorii VII. erat proximus, sic annotat: *Vide seculum infelix, in quo nulli Scriptores illustres, nulla Cocilia, Pontifices parùm soliciti de Republica.* Baronius eadem tempora multis lachrymis deplorat, ad An. 900. n. 1. *En,* inquit, *incipit annus Redemtoris nongentesimus, quo & novum inchoatur seculum, quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, maliq; exundantis deformitate plumbeum, atque inopiâ scriptorum appellari consuevit obscurum.* In specie quales præfuerint Sedi Pontificiæ, his exponit verbis n. 3. *Est planè, ut vix aliquis credat, imo nec vix quidem sit crediturus, nisi suis inspiciat ipse oculis, manibusq; contrectet, quàm indigna, quamq; turpia atque deformia, execranda insuper & abominanda sit coacta pati sacrosancta Sedes Apostolica, in cujus cardine universa Catholica Ecclesia vertitur, cùm Principes seculi hujus, quantumlibet Christiani, hac tamen ex parte dicendi Tyranni sævissimi, arrogaverunt sibi Tyrannicè electionem Romanorum Pontificum. Quot tunc ab eis proh pudor! proh dolor! in eandem Sedem Angelis reverendam, visu horrenda intrusa sunt monstra? quot ex eis oborta sunt mala, consummatæ Tragœdiæ? quibus tunc ipsam sine macula & sine ruga contigit aspersis sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisq; perpetua infamiâ denigrari?*

(Ergò non præter rem omnes boni tunc judicârunt, quòd magni illius Antichristi regnum cœperit.)

4. Idem Tannerus præscr. ead. p. 90. excipit, *Fridericum II. Ludovicum IV. Henricum IV. Primatum Romani Pontificis nunquã impugnasse, sed potiùs apertè cognovisse, particularibus solùm quibusdam personis Pontificum infensos.*

Resp. in quibusdam adductis testimoniis hæc exceptio locum habet; in quibusdam verò ipsa Sedes Romana, & regnum Papæ Antichristianismi fuit accusatum. Præterea laudatissimi isti Impp. Papam vocârunt *Antichristum* propter potestatem supremam Politicam in omnes Reges & ipsum Imperatorem sibi arrogatam. At hoc commune est omnibus Pontificibus post Gregorium VII. Aventinus de Gregorio illo inter cætera sic loquitur: *Hildebrandus primus specie religionis Antichristi Imperii fundamenta jecit.*

5. Quòd talia tribuant Antichristo, quæ Romano Pontifici competunt.

Gregorius VII. c. Pervenit caus. 1. q. 3. ut & caus. 16. q. 7. *Pervenit ad nos fama sinistra, quòd quidam Episcoporum non Sacerdotibus propriæ Diœcesis decimas atque Christianorum oblationes conferant, sed potiùs Laicalibus personis, militum videlicet sive servitorum, vel quòd gravius est, consanguineis. Unde, si quis amodò Episcopus inventus fuerit divini præcepti transgressor, inter maximos hæreticos & inter Antichristos non minimus habeatur.*

(Atqui Pontifices Romanos beneficia & officia Ecclesiastica in consanguineos, non quòd digni, sed quòd consanguinei essent, conferre solitos fuisse, adeoque contra Canonem Gregorii VII. peccasse publicis totius orbis querelis probatum reddi potest.)

Onuphrius in vita Hadriani VI. *Difficulter cognatos ad beneficia provehebat &c. quarum rerum testimonio profusam superiorum Pontificum erga propinquos liberalitatem, uti gravem & Reipubl. perniciosam, detestari erat solitus.*

D. Georgius Sigismundus Seldus Ferdinandi I. Imperatoris Vice-Cancellarius im Bedencken über ihrer Käys. Maj. Wahl und Hoheit p. 92. de Pio V. Pontifice sic scribit: Mã sagt / als ihre Heiligkeit erstlich zu der Bäpstlichen Würde kommen / habe männiglich (ihrer Heiligkeit vorigem thun und Leben nach) anders nicht vermuthet / dann daß sie mit Hindanstellung ihrer zeitlichen Pracht und Herzlichkeit / allein ihrer anbefohlenen Kirchen mit Christlichem Ernst und Eyffer vorstehen würde. Es sey aber fast ihre erste Arbeit gewesen / ihre Verwandten / Bluts-Freunde und Vettern in grosser Anzahl zu Bischoffen und Cardinälen zu machen / deren doch etliche dermassen qualificirt / daß sie vielmehr zu Kriegs-Handlungen und einen Hauffen Soldaten zu führen / dann die heilige Kirche zu regieren / geschickt seyn / auch zu Geistlichen Sachen so gar untüchtig / daß sie auch der Lateinischen Sprach unerfahren. So haben auch etliche derselben noch kaũ das achtzehende oder zwantzigste Jahr ihres Alters erreichet.

Item, Ihre Heiligkeit fast alle reiche Bisthumb / Abteyen und andere stattliche beneficia in dieselbigen allein zu stecken / da doch andere from̃e gelährte Cardinäl / deren gleichwol jetzund weniger dann bey vielen vorigen Bäpsten seyn sollen / darneben Mangel und Noth leiden müssen.

Item,

Item, Wann ihre Heiligkeit derselben ihren Blutsverwandten einen Legationweise außgeschickt / so muß man ihn auß der Päpstlichen Cammer allein zu unterhaltung seines unmenschlichen Prachts so viel geben/davon ihre Heiligkeit sonst ein gantz Collegium der Cardinäl unterhalten möchte/da doch andern/so in gleiche Legation geschickt / so übel versehen/ daß sie das übrige darob müssen versetzen / einbüssen und gar noch Hunger leiden.

Item, Ihre Heiligkeit beschneide etliche alte Officia an ihren Gerechtigkeiten und Einkommen/richte dargegen neue Officia auf/denen sie dieselben zueignen/allein damit sie derselben Blutsverwandte Cardinäl damit versehen und bereichern köñe/darauf dann erfolget / wo man vor zeiten von solchem Officiis sechs/ acht/zehen gelehrte Männer unterhalten können/so muß jetzo alles in eine unerfahrne untaugliche Person/zu Erhaltung derselben Pracht und Uppigkeit/gestecket werden.

Platina in vita Johannis XVI. p.161.a. (edit Col. An. 600. apud Gosuinum Cholinum) *Divina humanaq́; omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur, posthabito Dei honore & Romanæ Sedis dignitate, quem certè errorem ita posteris tradidit, ut ad nostram quoq́; ætatem pervenerit. Qua quidem consuetudine nil certè dici perniciosius potest, cùm non ob Religionem & Dei cultum appetere Pontificatum nostri Sacerdotes videantur, sed ut fratrum, vel nepotum, vel familiarium ingluviem, vel avaritiam expleant.*

Idem in vita Clementis IV. p.231.a. *Habuit nepotem Clericum, quem, ubi comperit tres Præbendas (ita enim Canonicatus vocant) habere, optionem facere compulit, ut, quam vellet, ex his retineret, duas relinqueret. Verùm instantib. amicis, ut non solùm, quæ habebat, nepoti dimitteret, sed majora & plura tribueret. Respondit vir sanctissimus, (quem utinam nostræ ætatis Pontifices imitati essent) se Deo, non autem carni & sanguini acquieturum: Deum ita velle, ut sua in pias causas erogarentur, nec esse dignum, qui plus cognationi, quam pietati & Christo tribueret.*

In vita Innocentii VIII. hæc refert Onuphrius in Supplemento p.354.a. *Quum ante Pontificatum aliquot filios suscepisset, duos ex his Pontificatui suo superstites magnis honoribus & opibus evexit. Nam Francisco oppida nonnulla urbi vicina dedit: Laurentiiq́; Medicis filiam Magdalenam formosissimam puellam matrimonio junxit. Alteram Theodorinam Gerhardo Usumari Genuensi nuptam magnis divitiis cumulavit; unâ creatione octo Cardinales prioribus adjunxit, Laurentium Cybo fratris sui nothum Archiepiscopum Beneventanum & arcis præfectum, & Johannem Medicem Laurentii filium, nurus suæ fratrem, vix decimum tertium annum agentem.*

Similia occurrunt apud Onuphrium in vita Alexandri VI. p.375.a. & p.359.a. in vita Pauli III. p.389.a. p.391.b. p.408.b. in vita Julii III. p.411.a. in vita Pauli IV. p.434.b. in vita Sixti V. p.513. qui omnes, ut & alii complures *opes & honores Ecclesiasticos in indignissimos, in scorta & spurios suos contulerunt.* Ergò illi omnes judicio Gregorii VII. sunt hæretici & *Antichristi.*

Contra hanc Gregorii VII. Censuram excipiunt,

1. *Canonibus illis non obligari summos Pontifices, sed tantùm ei subjectos Episcopos.*

Compositio Pacis §.166. p.641.b. *Non est ibi sermo de Pontifice Romano, sed aliis Episcopis, quibus potestas in proventus Ecclesiasticos eos à titulo spirituali segregandi & Laicis conferendi non competit.*

Tannerus in Antichr. proscripto præscr. 5. p.85. *Stoliditatem suam Autor necessariæ depulsionis variis modis manifestè demonstrat, dum verba illa Canonum, Quidam Episcoperũ &c. & Quicunq́; Pontificum &c. non ad cæteros solùm Romano Pontifici subjectos, sed ad ipsos etiam Romanos Pontifices refert, nescius in parem aut superiorem nemini potestatem esse concessam.*

Resp. 1. c. Ideò permittente, caus. 25. q.1. decernitur, quòd *Romanus Pontifex Decreta Sedis Apostolicæ servare teneatur. Oportet primam Sedem observare ea, quæ decernendo mandavit, non necessitate obsequendi, sed autoritate impertiendi. Licet ita, que sibi contra generalia Decreta specialia privilegia indulgere & speciali beneficio concedere, quod generali prohibetur Decreto. Quanquam si Decretorum intentionem diligenter advertamus, nequaquam contra sanctorum Canum autoritem aliquid concedere invenietur.*

(At hoc speciali privilegio nil foret opus, nisi ordinariè ac generaliter æquè Romanus Pontifex ad obsequium Decretorum Sedis Papalis esset devinctus ac alii Episcopi.)

2. Ratio Canonis 13. causa 1. quæst. 3. æquè obligat Rom. Pontificem, ac alios Episcopos. Ratio illa est divinum præceptum, quam his verbis Canon tradit, *unde si quis amodò Episcopus inventus fuerit hujus divini præcepti transgressor &c.* Papa autem vel maximè divinis præceptis subjectus manet, vel proprio suo judicio c. Unam sanctam. Extrav. comm. lib. 1. tit. 8. de majorit. & obed. Quòd si ergò opes & honores Ecclesiasticos ad consanguineos transferens ideò maximus hæreticus & Antichristus judicatur, quia divinum præceptum tali opere transgreditur, sequitur, omnem illum, qui divino præcepto est subjectus, ac proinde etiam Papam Rom. sub ea constitutione Gregorii VII. teneri.

3. c. Decenter. dist. 89. è Concilio Toletano VI. desumtus Papam tùm generalitate verborum, tùm aliis indiciis expresse sub idem præceptum redigit. Verba sic habent: *Decenter omnibus placet & in præsenti tale rescindere factum, & non esse de cætero faciendum. Quicunq́; igitur Pontificum deinceps aut sanguine propinquis aut favore personis quibuscunque sibi conjunctis talia lucra commendare tentaverit, quod jussum fuerit, devocetur in irritũ, & qui ordinaverit, annuæ excommunicationi subjaceat.*

4. Pontifices Romani, æquè, ut alii Episcopi, prohibentur pro lubitu disponere in officiis & bonis Ecclesiasticis, eaque conferre in indignos aut non capaces, lib. 3. Decretal. tit. 19. de rerum permutatione cap. 3. Mancipia. *Quod semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non debet.* At bona Ecclesiastica, maximè verò officia, Deo ejusque gloriæ consecrata, ad humanos usus transferuntur, quoties mundani commodi causâ in non capaces & indignos conferuntur.

5. Quinimò Composit. Pacis §.166. p.642. a. hoc ipsum ultrò fatetur. *Ultrò*, inquiunt, *fatemur, si Pontifex Romanus Ecclesiasticos proventus sine justa causa ab Ecclesia alienet & in Laicos, etiam consanguineos suos, transferat, abuti Pontificia sua potestate.*

Exc. 2. Tannerus d. l. excipit, *Pontifices Gregorium VII. secutos ideò non obligari illius Decreto, quia pari in parem aut superiorem potestas concessa non sit.*

Resp. Pontifex ex hypothesi Pontificiorum divinâ potestate & autoritate agit, quicquid agit, omniaque illius Decreta non minus valida sunt, atque D. Apostolorum statuta, c. Sic omnes. dist. 19. *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.* Sicut ergò Apostoli Petri, aliorumque Apostolorum Statuta & Decreta suos Successores quoscunque (ac proinde per hypothesin Pontificiam etiam Papam,) ad observantiam obstringunt, etiam Gregorii VII. vox Petrinæ æquiparanda, Successores ad observantiam devinciet. Et hac de causâ toties cautum fuit, *ne Successor tollat Decreta Antecessoris* c. Si ea. 4. c. Institutionis 7. c. Quod verò 10. c. Amputato 11. caus. 2. 5. q 2.

3. Excipiunt, *nomine Antichristi Gregorium VII. cùm, inquit, inter Antichristos non minimus habeatur, solùm generatim dictos, non verum Antichristum intelligere.*

Compos. Pacis §.166. p.641.b. *Qui talia agunt, Antichristos appellari impropriè & secundùm allegoriam, quia ob commissum scelus similes sunt Antichristo.*

Tannerus in Ant. proscripto præscript. 5. p. 86. rationem addit, *Antichristum non ignorabat ab omnibus Catholicis unicum tantùm credi & adhuc venturum expectari.*

Resp. Nihil aliud ex illa Gregorii Censura elicere cupimus, quàm quòd ipsius Pontificis (Gregorii VII.) sententia quidam Pontifices inter Antichristos non minimos & magno illi Antichristo similes. Eccur igitur protinus injuriæ & læsæ Majestatis nos reos agunt, si Pontificem Antichristum vocamus.

Confer Dn. D. Hunnium in Innoc. Lutheran.

Hùc referri potest Decretum Nicolai Papæ c. In nomine. dist. 21. in quo inter cætera de electione Rom. Pontificis statuitur, *ut obeunte Rom. Ecclesiæ Universali Pontifice, inprimis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant, sicq́; reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedant.* Postea additur. *Si quis contra hoc Decretum nostrum &c. electus aut inthronisatus fuerit &c. à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur sicut Antichristus.*

(Atqui ad electionem Romani Pontificis hodiè non accedit Cleri & populi consensus. Conclusio spontè sequitur.)

6. Quòd in doctrina de Antichristo variis sententiarum divortiis invicem pugnant, utpote,

1. In de-

1. In definienda *Antichristi conceptione.*

Primò, multi statuunt, *quòd à Dæmone incubo generandus sit.*

Sed hanc opinionem explodit Robertus de Licio in opere quadragesimali serm. 53. c.2. sic scribens: *De modo autem, licet quidam dicunt, quòd opere Dæmonis generabitur sicubi, scil. quòd in assumto corpore in specie mulieris supponet se viro & incubo, qui scil. postea in specie viri commiscebit se mulieri. Tamen hoc nullâ autoritate probari potest. Et ut Hieronymus dicit ad Paulinum, Quod de Scripturis sacris autoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ asseritur.*

Antoninus part.4. Summæ tit.13 c.4. §.4. edit. Arg. A.1496. *Circa finem nascetur in Babylone de tribu Dan ex viro & muliere.* Apud recentiores similia occurrunt.

Benedictus Justinianus in 2. Thess.2. p.419. *Ipsum incubantis Dæmonis nisu concipiendū absque autore & certa ratione traditur.*

Et postea: *Antichristum humano semine ex mare ac fœmina concipiendum esse, non dubito.*

Secundò, alii statuunt, *corpori Antichristi ex virili semine formato Satanam ita cooperaturum, ut quàm projectissimum ad omnia vitia formetur.*

Hanc opinionem cum multis aliis tenet Antoninus part. 4. Summ. tit. 13. c.4. *Sed concepto,* ait, *& animato, ut dicit Magister in Schola, descendet Diabolus in uterum matris ad implendum eum omni malitiâ, ut vase suo.*

Verùm eandem opinationem confodit Ben. Justinianus, qui verbis superiùs citatis immediatè subjungit. *Mox tamen à conceptu obsidendum à Dæmone indicat Theodoretus, apertè asserunt Oecumenius, Anshelmus & alii. Quam sententiam, qui acutissimè interpretantur, id ajunt moliturum, atq; omni studio perfecturum Dæmonem, ut in efformatione fœtus humani corporis materia atque humores ita inter se aptentur & commisceantur, ut inde existat humanæ Naturæ quædam constitutio ad omnia vitia atq; flagitia quàm maximè apta atq; propensa. Atq; hac ratione existimant, Hieronymum appellâsse alicubi Dæmonē Antichristi parentem.* Verùm quanquam id posse *Dæmonem, atq; adeo conari in singulis non inficior, non possum tamen adduci, ut credam, embryonem in utero matris absq; ulla privatâ ac propria culpa, quam nondum neque perpetrare ullâ ratione potuit, ita penitùs à DEO deseri, ut communi etiam providentiâ & naturali quodammodo patrocinio destituatur, quod nulli omnino mortalium denegetur. Quòd si Deus gravissimis & atrocissimis sceleribus coopertos deserere, excœcare atque indurare dicitur, id, quia propriâ ipsorum culpâ & vitio contingit, nemo miratur. At quis citra culpam ferre queat, quis admiserit, quempiam à Deo deseri, qui non ipsum sponte suâ deseruerit prius? quis æquis auribus ferat quempiam affirmantem, priùs Deum esse ultorem, quàm hominem scelestum & impium? At quæ potest major ultio cogitari, quàm ut is, qui omnis labis prorsus est expers, Dæmonis imperio ac potestati tradatur? Apage igitur, ut, antequam sit mentis compos, ullam in Antichristo Dæmonis actionem affectionemvè admittamus. Nam qui illum festinatâ intelligendi ratione, ratiocinandique facultate ante maturum tempus compotem sui futurum affirmant, cùm id citra miraculum effici nequeat, quid quæso aliud, quàm miserum hominem absq; ulla culpa Deo autore in omne flagitium non impellant modò, sed planè præcipitem agunt? Igitur more cæterorum hominum humanum conceptum, ortum, progressumque Antichristi accipio, mox tamen, ut ait Damascenus, omnem operationem Satanæ suscipiet, brevissimoque temporis spacio eos faciet in impietate progressus, ut meritò divinis auxiliis, si non omnibus, at certè plurimis, spoliandus videatur.* Hæc Justinianus in 2. Thess.2. p.419.

Contra eandem opinionem stat Viguerius in Institut. Theol. c.21. fol. 3. n.3. *Nec,* ait, *verisimile est, secundùm Vincentium Beluacensem ipsum Antichristum in utero matris, ut aliqui dicunt, malitiâ Diabolicâ fore replendum.*

2 *Ratione loci,* in quo nascetur.

Robertus de Licio serm. 53. c.2. in quadrag. edit. An.1481. juxta Rubricam, scribit: *Secundùm Methodium nascetur* (Antichristus) *in Chorozaim, nutrietur in Bethsaida, ubi tamen alii has civitates ejusdem deputant nutritioni.*

Chronica Norinb. cum fig. excusa An.1493. edit. p.206. Antichristus wird auß Syria/oder als die andern haben/auß Babylone von dem Geschlecht Dan vom bösen Geist gebohren werden.

Nicolaus de Gorran Provincialis Franciæ An.1052. quem Trithemius in Catal. Script. Eccl. fol.1022. singulariter commendat, in Postill. elucidiva super Epist. Pauli 2. Thess.2. hæc tradit: *Ipse namque* (Antichristus) *nascetur in Babylone, sed in qua Babylone, scilicet vel Chaldææ, vel Ægypti, nescitur. Probabilius tamen, quòd in Babylone Ægypti. Babylon enim Chaldææ destructa est & deserta, sed Babylon Ægypti valdè populata.* Alii statuunt, *Antichristum venturum ex Babylone Chaldaica,* quæ sententia cæteris est magis trita.

Ei tamen jamdudum contradixit Robertus de Licio d.l. §. 2. *Sed quibusdam,* inquit, *videtur, quòd nascetur in Babylone, ut dicit Glossa super 2. Thess. & Hieronymus super Daniel. Veruntamen nec hoc videtur consonum veritati, nisi intelligamus Babylonem mysticè, prout significat confusionem, eò quòd Babylon illa magna cecidit & facta est inhabitabilis. Ex quo dubium videtur,* (concludit ille) *in quo loco determinatè sit nasciturus Antichristus.* Elidit eandem Alcasar in Apoc.

3. *Ratione miraculorum.*

Benedictus Justinianus in 2. Thess.2. p.419. *Porrò in Apocalypsi, cùm magna dicuntur fore Antichristi signa, tum duo quædam præcipua recensentur. Et vidi &c. alterum non ita multò pòst, Fecit, inquit, signa &c. De priori illo signo non omnes eodem modo loquuntur, sunt enim, qui putent, imitaturum Christi mortem simulatione illatæ necis, tùm subitò sese quasi in conspectum hominum daturum, quam sententiam præter Bedam, Primasium, Anshelmum, pluresq; alios gravissimos Theologos probat etiam Gregorius. Alii volunt, præcipuum quempiam Antichristi ducem gravi accepto vulnere ipsius ope & Dæmonum artificio recuperaturum ilicò pristinam valetudinem, & virium firmitatem.* Eâdem fabulâ de ficta morte & resurrectione Antichristi delectatur Bellarminus l.3. de Rom. Pont. c.15. Ribera verò in Apoc. c.13. §.9. eam refellit, *& vulnus non capiti Antichristi, sed capiti alicujus ex decem Regibus Antichristi præcursoribus & membris inflictum fingit.* Ludovicus Alcasar exploso utroque figmento, *Neronem caput occisum in Domitiano revixisse,* contendit, sic enim ad Apoc. 13. v.3. p.640. commentatur: *Qui ad Antichristum confugiunt, alii ex illis volunt, hoc primum bestiæ caput pro ipso Antichristo substitui. Existimant enim, illum mortuum se simulaturum & triduo transacto denuò appariturum, ut verè à mortuis excitatus credatur. Alii caput hoc interpretantur de uno ex septem Regibus, qui se Antichristo subjicient. Opinantur enim hunc Regem lethali priùs vulnere in prælio percussum, mox ab Antichristo fore sanandum. Sic noster Viegas, qui priorem explicationem impugnat. Sed utrumq; meo judicio omninò est extra rem.* Sic Cadmæi fratres inter se prælia miscent. Alterum miraculum est, quòd *Antichristus faciet ignem de cœlo descendere.* De eo inferiùs dicetur. Tertium est, quòd *Antichristi præcursor statuam Antichristi ad adorandum expositam loqui ad literam curaturus sit.* Nec in eo explicando Pontificii consentiunt. Ribera existimat, *Imaginē Antichristi in tēplis collocatū iri.* Alcasar verò, exploso hoc figmento, eam *de statuis Ethnicorū cœlesti miraculo loquētibus,* exponit.

4. *Ratione præliorum.*

Gog & Magog fore in exercitu Antichristi docent Pontificii, sed quinam per *Gog & Magog* intelligendi sint, variant sententiis. Bellarminus l.3. de Rom. Pont. c.17. *Gog erit ipse Antichristus.* Sic etiam Barradius tom.1. Conc. Ev. l.2. c.14. n.18. *Prælium illud celeberrimum ab Ezechiele descriptum, quod Messias faciet cum Gog & Magog. Antichristum enim Ezechiel Gog appellitat, Antichristi verò exercitum Magog. Nam Magog significat ex Gog, hoc est, ex Antichristo. Gog autem, teste Hieronymo, sive Gag significat tectum.* Marc. Marulus part.2. dictorum & factorum ed. An. 1601. l.6. c.5. sic scribit: *Per Gog Antichristus intelligitur, quia Gog tectum interpretatur, quæ est pars domus superior & ipse super omnes se efferet, etiam supra Deum, tanto superbiæ Spiritu inflatus incedet. Mosoch & Tubal filii fuère Japhet & h.l. designant illas gentes, quæ ab ipsis originem trahentes cum Antichristo contra Ecclesiam venturæ sunt.* Ribera verò id negat in c.20. Apocal. Quem sequitur etiam Barradius tom.3. l.9. c.14. n.19. & seq. contra priorem suam sententiam, inquiens: *Probatur præterea, Gog non esse Antichristum, quoniam c.20. in quo agit de Gog, Johannes Antichristum appellat bestiam, non autem appellat Gog. Lege Riberam Apoc.20. qui opinatur, Gog & Magog duos esse Reges Antichristi sectatores,* (quod tamen Alçasar in h.c. not.7. p.841. negat.) *Hinc tamen,* ait, *non infertur, quod aliquis voluit inferre, nimirum per duo isthæc nomina Gogum & Magogum designari duos Reges diversos, quos asserunt Antichristo præcipuam opem laturos. At credi potest,* (addit) *Gog esse Regem, Magog verò regnum Aquilonare, ut constat ex Ezechiele, & exercitum Scytharum, similiumque nationum.* Alcasar in Apoc.20. c. p.840. not.7. ait, *Magog secundum Japheti filium appellatum fuisse, Genes. 10. vers.2. quem*

quem eodem testante Josephus scribat, fuisse autorem Magogitarum à se denominatorum, seu Scytharum, quā tamē cen Judaizantium sententiam Hieronymus traducat. Atque idem ibidem refutat illorum sententiam, qui statuunt, *Gog & Magog in Apocal. non esse peculiarem gentem. Nihilominus tamen*, ait, *loqui posse Apocalypsin de iis Gogis & Magogis, qui super quatuor terræ angulos sunt, quibus ipsis verbis id probare conantur. Nam*, pergit, *mystici Gogi & Magogi non unicam innuunt peculiarem gentem, sed nationes omnes sub Antichristi vexillis militantes. Quamobrem nihil erat, cur Ribera & Viegas affirmarent, præcipuam Antichristi exercitus partem ex Scythis constatum iri, & propterea totam illam persecutionem per Synecdochen Gogi & Magogi bellum appellari. Incertum hoc est & à gravioribus explosum.* Sic ergò Alcasar in fine hujus notat. 7. p. 842. vult; *Gogi nomine significari totum Antichristi exercitum & quicunque ab illo decipiendi sunt.* Ibidem simul negat Prophetiam Ezechielis cum hac Apoc. 20. pari sensu ambulare. *Ex dictis*, inquit, *potest facili negotio intelligi, in præcipuo Ezechielis sensu per Gogum denotari Rom. Imperatores Ethnicos & universum idololatrarum Imperium contra Christianam Ecclesiam* (Antiocho Duce præcipuo) *belligerantium.* Id quod longiùs deducit in Comm. c. 20. p. 837.

5. *Ratione interitus.*

Barrad. tom. 3. Conc. l. 9. c. 6. & seqq. *Arrogantissimum hominem & super Deum sese extollentem* (Antichristum) *descendens è cœlo Christus levi flatu ex ore emisso vitâ privabit &c.* Num. 17. *At videntur hæc Pauli verbis repugnare. Paulus ait, Antichristū interficiendum, nos dicimus vivum in stagnum ignis, hoc est, orcum præcipitandum. Si vivus in orcum deturbandus est, non occidetur, ut Paulus ait. Resp. Græcè Paulum uti verbo ἀναλώσει, quod significat consumet, vel perdet, Pagninus vertit, consumet. Non ergò significat Paulus, Antichristum esse reipsâ occidendum, sed à Christo disperdendum. Egregiè verò disperdetur & consumetur, cùm vivus in tartarum deturbabitur &c. Aliter resp. potest, Antichristum reipsâ à Christo interficiendum, post resurrectionem verò & judicium cum suo Pseudopropheta & aliis impiis in tartarum vivum præcipitandum. In Apocalypsi verò anticipatione usum Johannem, idq́;, quod post resurrectionem continget, priùs commemorare &c. Tertiò respondetur, sensum horum verborum, vivi missi sunt hi in stagnum ignis, hujusmodi esse, qui missi sunt in stagnum, quia viventes animæ in tartarum mittentur, postea corpora. Quartò respondent nonnulli, Antichristum in ipso ad tartara descensu esse moriturum, quemadmodum mortui sunt Dathan & Abyron, de quibus legitur, Descenderunt vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Descenderunt vivi, sed in ipso descensu interierunt, ut volunt Abulensis Num. q. 20. Lyranus & alii sic Antichristus.*

Et postea: *In Glossa habetur occidendum Antichristum, vel à D. Michaële jussu Christi. Thomas in 2. Thess. 2. Michaël, inquit, interfecturus est Antichristum in monte oliveti. Et Lyranus. De mandato Christi fulminabitur per Michaëlem &c. Similiter Carthusianus, Interficiet, inquit, Antichristū Christus Spiritu oris sui, id est, suo præcepto, jubens eum occidi à Michaële &c. Addit, vel per seipsum eum occidens suo aspectu, eadē est aliquorum sententia.*

Benedictus Justinianus in 2. Thess. 2. statuit, *non necesse esse, quòd vel Christus ipse eum perimat, nec satis certum, Michaëlis operâ eum occidendum, neq́; probabile, eum Christi verbis è cœlo loquentis perimendum. Dicit juxta Apocal. 19. eum unà cum falsis Prophetis vivum conjiciendum in stagnum ignis; quæ verba Beda, Anshelmus & alii sic accipiunt, non quòd illi non sint obituri, sed idcirco vivos dici conjiciendos in stagnum ignis, quòd eorum supplicium futurum sit acerbissimum, quale est eorum, qui vivi videntesq́; igne cremantur. Probabile* (Riberæ verò id non placet in Apocal. p. 587. n. 34) *id esse, sed tamen probabilius, eum unà cum suis Pseudoprophetis vivos ad inferos detrudendum, & hac ratione dici Antichristum Spiritu oris Christi interficiendum, quia jussu Christi è vivis rapietur à Dæmonibus & ad inferorum supplicia detrudetur.* Sic & Ribera p. 589. in Apoc.

Estius 2. Thess. 2. ait, *in Græco haberi consumet, conficiet*, cujus dicti & Dan. 8. sensus sit, *modo quodam stupendo & insolito sine ministerio hominum eum è medio tollendum.*

Alcalar in Apocal. p. 674. ingenuè statuit, *Paulum non agere de propria atq́; personali Antichristi nece, sed tantùm contendere, Christi assertoris nostri doctrinam ac fidem Antichristo ipso multò superiorem extituram.*

Argumenta Bellarmini, quibus probare cupit, *Papam Romanum non esse Antichristum.*

1. *Antichristi nomen significat hostem & æmulum Christi. Romanus autem Pontifex se Christi famulum & Christo subjectum in omnibus fatetur, non autem Christum se ullo modo dicit, neq; illi se parem facit, neque Deum sese vocat, neque Deo parem facit. Ergò non est Antichristus.* Bellarminus l. 3. de Rom. Pont. c. 1.

Resp. Potest aliquis, qui se, non totidem syllabis, *Deum esse*, dicit, tamen *se ita gerere, quasi Deus sit.* Inde Optatus Milevitanus l. 3. exagitans Donati Carthaginensis temeritatem inter alia sic scribit: *Hoc modo exaltatum est cor ejus, ut sibi jam non homo, sed Deus fuisse videatur.*

Et postea. *Ad quem Deus sequitur, dicens, Dixisti, Ego sum Deus. Ideò quamvis non sit usus hac voce, tamen aut fecit, aut passus est, quod defectum hujus vocis impleret. Extulit cor suum, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur, & de tumore mentis suæ altior sibi visus est esse, quia quicquid est supra homines, jam Deus est. Deinde cùm Episcopi Deo debeant famulari, tantum sibi de Episcopis exigit, ut eum non minori metu omnes venerarentur, quam Deum, h. e. quòd sibi Deus visus est.*

Rursus. *Quum ante ipsius superbiam omnes, qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est, populum cum Deo dividere, & qui illum secuti sunt, jam non Christiani vocarentur, sed Donatistæ. Denique Episcopus inter Coepiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat, quòd extulit cor suum & Deus sibi fuisse videbatur.*

Sic ergò juxta Optatum Milevitanum is qui se superiorem constituit & Ecclesia & Imperio, gerit simile quid Deo. Id verò facit Pontifex Romanus uti omnibus constat. Sed non opus est ut eò decurramus, breviore agemus lineâ.

1. Papa *nomen Dei* sibi tribui patitur. c. Satis. dist. 96. *Satis constat, Pontificem à Constantino Deum appellatum:* (ubi notetur, non nudam appellationem, sed ipsam etiam dignitatem & potestatem Dei propriam Pontifici tribui, sic enim concludit Pontifex: *Satis evidenter ostenditur, à seculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum, nec posse* Deum *ab hominibus judicari, manifestum est.* Hunc Canonem diligenter inculcat Augustinus Steuchus in l. 2. de donatione Constantini contra Vallam f. 277. (al. p. 141.) *Audis, inquit, summum Pontificem à Constantino Deū appellatum, habitum pro Deo. Hoc videlicet factum est, cùm eum præclaro illo edicto decoravit uti Deum, uti Christi & Petri Successorem, divinos honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est.*) Glossa in c. Fundamenta §. Ne autem de elect. l. 6. c. Cum inter nonnullos. extr. de verb. significat. in verbo, declaramus; Felinus in c. Ego N. de Jurejur. *Papa Dominus Deus noster.* Glossa in verbo, Tanti patris c. ad conditorē. ext. de verb. significat. *Papa non est purus homo.* Eadē in proœm. Clement. in verbo Papa. *Est medium quiddam inter Deum & hominem.* Ludovicus Gomesius in reg. Cancell. *Papa est quoddam Numen visibile, quendam Deum præ se ferens.* Christophorus Marcellus in Concilio Lateranensi sess. 4. Romæ celebrato inter alia his verbis compellavit Jul. II. die Decembr. 10. Ann. 1513. *Tu Pastor, tu Medicus, tu gubernator, tu cultor, tu deniq; alter Deus in terris.* Conc. Col. tom. 3. p. 576. 587. In eodem Concilio sess. 9. de Pontifice dicitur: *Majestatis tuæ divinæ conspectus &c.* In eodem Concilio Lateranensi Patres Julio Pontifici acclamârunt, *Tu es omnia, omnis potestas tibi data in cœlo & terra.* Johannes de Capistrano l. de pot. Papæ & Ecclesiæ. *Papa est quasi Deus in terris.* Sixtus IV. Pontifex æquo animo ferre potuit, ut populus Romanus in primo ejus ad urbem accessu arcum triumphalem ei erigeret cum tali inscriptione:

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris diceris esse Deus.

Lælius Zecchius de Republ. Eccl. c. de statu Papæ art. 28. *Est & dicitur Christi Vicarius & q. Deus in terris, & quod ipse facit, non humanus Princeps, sed Deus facere videtur.* Thomas Stapletonus in Præfat. ad Gregorium XIII. præfixa l. de princ. fidei doctrinal. & Marianus Victor in tom. 4. Operum D. Hieronym. Præfat. ad Pium V. Papam vocant, *Optimum Maximum & supremum in terris Numen*, omnes passim eum vocant *Sanctissimū, Beatissimum.* Bellarminus in respons. ad tract. Johannis Gersonis de excommunicationis valore An. 606. edit. p. 75. sic scribit: *Teneant pusilli & simplices, Papam Deū quendam esse & potestatem omnē habere in cœlo & in terra. Deo plus placet eorum* (Gersonis & aliorum) *infirmitas & simplicitas, quam firmitudo eorum, qui prudentes sibi videri volunt, proindeq; autoritatē Vicarii Christi, ut mos est nostræ ætatis sectariis, omnib. modis supprimere conantur.*

Exiguum

Exiguum quid est, Papam pro Deo in terris haberi, cùm de omnibus Principibus in Psalmo dicatur, Ego dixi, Dii estis. (At Pontifex eâ ratione sibi nomen Dei tribuit, ut consortes hujus nominis nullos eo sensu admittat.) Ibid. p. 76. *Credo dici posse & rectè, tam eximiam esse Summi Pontificis dignitatem & potestatem, ut pauci ejus sublimitatem & splendorem capiant.*

2. Papa *nomen Christi* sibi tribui patitur. Bellarminus in Appendice ad lib. de Summo Pontifice libello cuidam Italico opposita cap. 9. adducit & commendat dictum Bernhardi lib. 2. de consider. ad Eugenium Papam cap. 9. *Tu es Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus.* Paulus Æmilius in libro 5. de rebus gestis Franc. Paulus Jovius in Philippo III. *A Panormitanis ad Pontificem Oratores missi viri sancti, qui ad pedes illius strati, velut pro ara hostiaq́; Christum agnum Dei salutantes, dixerunt, Qui tollis peccata mundi, miserere nostri.* Iterum, *Qui tollis peccata mundi, miserere nostri.* Tertium, *Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Claudius Seisselius adversus Waldenses Ann. Domini 1520. fol. 36. *Papa, quantiscunq́; culpis alioquin sit irretitus, Angelus Dei est & eò amplius, Apostolorum Successor & Christi Vicarius, dicam amplius, imò & Christus.* Waddingus in descript. Legationis de Trejo p. 165. citat Epistolam Leonardi Nogarali ad Sixtum IV. in cujus descriptione eum vocat, *Mariæ dilectum filium.*

3. Papa tribuit sibi ac patitur sibi tribui ea, quæ sunt *solius Dei propria.* Gregorius VII. in secunda Bulla excommunicationis contra Henricum Imperatorem: *Astiterunt Reges terræ & Principes Seculares & Ecclesiastici, aulici & vulgares convenerunt in unum adversus Dominum & vos Christos ejus, dicentes, Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Innocentius III. ad Decanum & Capitulum Andegav. c. Inter corporalia, extr. de translat. Episcopi. *Dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum &c. Non enim humanâ, sed potius divinâ potestate conjugium spirituale dissolvitur, cùm per translationem, dispositionem, aut cessionem, autoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur.* Paulus V. in inscriptione libri Benedicti de Benedictis *Anno* 1608. Bononiæ excusi audit, *Vice-Deus, Christianæ Reipublic. Monarcha invictissimus, & Pontificiæ omnipotentiæ conservator acerrimus.* Panormitanus c. Quantò, extr. de translatione Prælati ex Hostiensi hæc citat: *Papa & Christus faciunt unum Consistorium, ita quòd excepto peccato potest Papa quasi omnia facere, quæ facit Deus.* In lib. 1. Ceremoniar. sect. 8. sic habetur, *Papa in nocte nativitatis Domini benedicit ensem, quem postea donat alicui Principum in signum summæ potentiæ Pontifici collatæ, juxta illud, Data est mihi omnis potestas.* Lib. 2. sect. 1. *Moderatio Imperii R[illegible]ani pertinet ad Papam, Dei vices gerentem in terris, tanquam ad eum, per quem Reges regnant.* (At solus Deus est is, per quem Reges regnant.) Libr. 3. Ceremoniar. sect. 1. *Papa Romanus nemini facit reverentiam. Omnes mortales cujuscunq́; sunt dignitatis & praeminentiæ, cùm primùm in conspectum Papæ veniunt, distantibus spaciis ter debent ante illum genu flectere & ejus pedes osculari.*

Glossa in c. Quantò. extr. de translat. Episc. *Papa Naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alii.*

Ex c. Si Romanorum. dist. 19. apparet quòd Papa sibi hoc tribuat, *quòd verbo Dei autoritatem conferat. Vetus & N. Testam. recipienda sunt, non quòd Codici Canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendis sancti Papæ Innocentii prolata videatur sententia.*

*A*ntoninus in Summa part. 3. tit. 22. c. 5. §. 4. *Non minor honor debetur Papæ quàm Angelis, unde Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes & oscula pedum, quod non permisit Angelus à Johanne Evangelista sibi fieri.*

Ex Bulla Clementis VI. in Jubilæo promulgata apparet, quòd *Papa potestatem in Angelos sibi arroget,* imperat enim Angelis, *ut eorum animas, qui in itinere Romam Jubilei gratiâ suscepto moriuntur, à Purgatorio in absolutam Paradisi gloriam introducant.*

Zamorensis in Speculo humanæ vitæ libro secundo c. 1. *Tanta est sublimitas Papæ, tanta praeminentia, tantaq́; immensitas, ut nullus mortalium nedum comprehendere, aut satis exprimere, sed ne cogitare quidem possit.*

*A*lexander Carerius Patavinus lib. 2. de potest. Pontif. c. 9. numer. 10. *Error est non credere, Pontificem supra spiritualia & temporalia Universalem habere Primatum, in quem quandoq́; multi labuntur dictæ potestatis ignorantiâ, quæ cùm sit infinita, eò quòd magnus Dominus, & magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non est finis, omnis creatus intellectus in ejus perscrutatione invenitur deficere.* Inde meritò conqueritur Erasmus in 1. Tim. 1. pag. 465. *De Pontificis potestate penè negotiosiùs disputatur, quàm de ipsius Dei potestate, dum quærimus de duplici ipsius potestate, & num sit Universale caput totius Ecclesiæ; & num sit superior generali Concilio, & an possit abrogare, quod scriptis Apostolicis decretum est; an possit aliquid statuere, quod pugnet cum doctrina Evangelica; an possit novum articulum condere in fidei Symbolo; utrum majorem habeat potestatem, quàm Petrus, an parem; an possit universum purgatorium, quod vocant, tollere; an possit arbitratu suo cœlo excludere etiam immerentes; utrum simplex homo sit, an quasi Deus; an participet utramque Naturam cum Christo; an clementior sit, quàm Christus fuerit, cùm is non legatur, quenquam à purgatoriis pœnis revocâsse. Sexcenta id genus disputantur magnis editis voluminibus, idq́; à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus; his seriò occupantur Theologorum Scholæ; his ætas rerum omnium fugacissima conteritur, cùm pleraq́; sint ejus generis, ut doctiùs nesciantur, quàm sciantur, ut ridiculè quærantur, temerè definiantur.*

Ex quibus omnibus manifestum, quòd non solùm *nomen,* sed etiam *proprietates Dei* Pontifici tribuant.

Primò, Deus est *omnipotens. At, qui non credit, Papam esse omnipotentem, est hæreticus* secundùm Canonistas, prout demonstrat Serinus consil. 51. n. 52. volum. 1. Franciscus de Ripa dicit, quòd *Papæ potestas sit absoluta.* Antoninus Florẽtinus dicit, *potestatem & dignitatem Papæ esse majorem, quàm Angelicam.* (At nulla potestas major Angelicâ, quàm divina.) Dist. 40. c. 6. in Glossa, dictum Jobi, *Si destruxerit, nemo est, qui ædificet;* de Papa explicatur. D. Marta Neapolitanus in urbe Roma Advocatus in tract. de jurisdict. part. 1. c. 18. 22. dicit, *eandem esse potentiam Papæ & Christi hominis, qui dixerit: Data est mihi omnis potestas.*

Secundò, Deus est *omniscius.* Papa dicit, *se omnia jura habere in scrinio pectoris.* Sexto Decretal. libr. 1. tit. 2. de Constit. c. Licet. Paulus II. apud Platinam in ipsius vita, *Ita nos ad judices revocas, ac si nescires, omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse.*

Tertiò, Deus est *infinitus & implet omnia. At* de Papa dicunt Jason, Maynus & Bozius, quòd *omnia comprehendat & sit in mundo, sicut Deus est in mundo, & sicut anima est in corpore humano.*

Quartò, Deus est *arbitrii liberrimi,* cùm neminem habeat superiorem. At talem libertatem Papa sibi arrogat. Cùm Innocentius III. c. Quantò personam. tit. de translat. Episcopi dixisset, *Romanus Pontifex non puri hominis, sed Dei vicem gerit in terris;* Glossator addidit, *hinc sequi, habere cœleste arbitrium, Naturã rerum immutare, substantialia unius rei applicando alii, de nullo posse aliquid facere; sententiam, quæ nulla est, facere aliquã, in his quæ vult, esse ei pro ratione voluntatem, nec esse, qui ei dicat, cur ita facis? ipsum posse supra jus dispensare, de injustitia posse facere justitiam, corrigendo jura & mutando, plenitudinem obtinere potestatis &c.* quæ omnia ex Decretis & Decretalibus probat. Paulus II. apud Platinam in ipsius vita, *Sic stat sententia, loco cedant omnes, eant quò volunt, nihil eos moror, Pontifex sum, mihiq́; licet, pro arbitrio animi mei, aliorum facta & rescindere & approbare.*

Quintò, Deus est *Dominus omnium dominorum, judex omnis carnis, qui judicat omnes, à nemine verò judicatur. At* Papa à Felino & Baldo l. ult C. sent. resc. vocatur *Dominus dominorum.* Isidorus Mosconius in libr. 1. de Eccles. triumph. part. 1. cap. 1. scribit, *Deum & Papam habere unum Consistorium.* Johannes Andreas c. *Ad* honorem de autor. & usu pallii, Hostiensis c. Quantò. de translat. Episc. Panormit. c. Licet. de Elect. scribunt *Papam & Christum facere unum Consistorium, &, excepto peccato, Papam q. omnia facere posse, quæ potest Deus, & à nemine judicari debere.*

Sextò, Deo competit hic honor, ut *adoretur flexis genibus.* Papa sibi hunc honorem arrogat. Quò pertinet illud D. Lands. Admir. 1. lit. L. fac. 1. Der Papst herꝛn im scharffen runden Aug / ist mehr als ein Engel. (*At Angelis* nemo superior, nisi Deus & Christus ὑπεράνω πάντ., Eph. 1. v. 21. Phil. 2. v. 9. Hebr. v. 13.)

Non est, quòd excipiant, *de Antichristo prædictum, quòd se adversus*

versus omnem Deum, adeoque supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, elevaturus sit, Dan.11.v.36.2. Thessal.2.v.4. *Illud vero, cùm Papa minimè faciat, ex eo manifestum esse, quod non sit Antichristus.*

Resp. Quando Antichristus dicitur, *se extollere super omnem Deum*, nomen Dei non accipitur *propriè* pro vero illo Deo, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus, sed *metaphoricè*, pro Magistratu Psal.82.v.6. 1.Cor.8.v.5. quod probatur.

1. *Ex appellatione*, Verus Deus nunquam appellatur *omnis Deus*, sed *unus Deus*, 1.Cor. 8.v.5.&6. Dii nuncupativi dicuntur *omnes Dii*, Psal 97.v.7.

2. *Ex distributione*, in qua minus præcedit & majus sequitur, ut crescat oratio. Sic Deus metaphoricè sumptus pro quovis Magistratu est minus, majus subjicitur, nimirum σέβασμα, *Numen, quod colitur*, per quod vocabulum non ipse cultus ac veneratio, sed objectum cultus intelligitur σεβαςὸς nimirum, seu summus Magistratus, unde Cæsares appellantur σεβαςοὶ *Augusti* Act.25.v.21. & 25. Est ergò hic verborum Pauli sensus: *Antichristus extollet se super omnes Magistratus, non tantum inferiores Principes ac judices seculares, sed etiam supra augustissimam in orbe christiano majestatem, qualis est Imperatoria majestas.*

3. Probatur hæc significatio ex loco Irenæi lib.3.cap.6. *Pater omnium Deus dicitur & est, & non super hunc extolletur Antichristus, sed super eos, qui dicuntur quidem, non autem sunt Dii.*

4. Quod vocabulum Dei hoc loco *propriè* accipi nequeat, ostenditur per deductionem ad absurdum. Si enim Antichristus palàm dicturus esset, se majorem esse Deo omnipotente, neminem reperturus esset asseclam.

5. Idem probatur *ex Antichristi gloriatione*. Antichristus gloriabitur, se à Deo esse missum: jactitabit, se esse Christum in lege & Prophetis promissum, *disputabit ex Scripturis, se esse Christum*, juxta dictum Ambrosii in cap. 21. Luc. *simulabit, se Deum fœderis & Testamenti esse*, juxta Hieronym. in cap.11 Danielis, quia *ceremonias Legis & Sabbati revocabit*, teste Bellarmin.lib.3.de R.P.cap.14. imò juxta Pauli vaticinium, *sedebit in templo Dei*. Ergo verbis se inferiorem Deo fatebitur, licet postea clam & occultè & per sequelam se supra Deum efferat, quatenus sua Decreta verbo Dei anteponit, novos fidei articulos cudit, Sacramenta à Christo instituta pro lubitu mutat, supernumeraria Sacramenta confingit, Missaticum sacrificium pro vivis & mortuis, pro peccatis totius mundi, non sine abnegatione perfecti sacrificii Christi, quotidie offert, opera supererogationis pro satisfactionibus ac meritis venditat, Mariolatriam, iconolatriam &c. introducit.

6. Idem probatur *ex Pontificiorum hypothesi*. Dicunt illi, Antichristum fore *professione Judæum, & à Judæis loco Messiæ susceptum iri*. Ex quibus infertur, illum Deum Israelis agniturum & ab eodem se missum professurum. Utrumque enim Judæi postularent, utrumque faceret, Messiam qui se venditaret, Judæi enim hominem, non Deum suum expectant Messiam.

7. Quinimò, quòd Papa etiam supra verum illum Deum, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, si non verbis, tamen re ipsa & per consequentiam se extollat, probari potest hoc modo:

1. Deus in verbo suo sese sic manifestavit, quod nolit facere injustum, quod sua Natura est injustum. At Papa gloriatur, *se posse facere sententiam justam ex injusta*. c. Hæc quippe c.3. q.6. *se posse facere ex justitia injustitiam* extr. de app. ut debitus.

2. Erasmus in cap.11. Matth. ostendit, quod *Papa se extollat super Christum*.

3. Potestatem sibi tribuit divinas ordinationes & institutiones mutandi, ut apparet ex ποτηενηλχλ[illegible] &c.

4. Tribuit sibi, quod possit mutare jus divinum. Johannes Sylva in tract. de benef. part.3.p.8. *Licet jus divinum disponat, quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, tamen Papa statuit contra illud.* Azorius lib. 5. Instit. cap. 15.q. 6.p. 373. ipsi tribuit, *quod possit seipsum absolvere à juramento, quod præstitit*. Tannerus tom.3. Theol.Schol. Disp.5.q.4. dubio 6. col.106. *quod possit tollere jus naturale*.

5. Petrus de Monte in lib. de Monarchia disputat, quod *Papa possit tollere jus divinum dispensando contra Evangelium; quod dispenset contra universalem statum Ecclesiæ; quod dispenset contra vetus Testamentum; quod dispenset contra multa capitula quatuor Conciliorum*. Gobelinus Persona Cosmodromii ætate 6.cap.87. *Bonifacius non solùm contra Apostolū, sed etiam contra Evangelium dispensavit. Nam Ladislao Regi Siciliæ seu Neapolis indulsit, quod ipse, abdicatá à se uxore sua legitimâ jam multis annis cum eo commorante, aliam superinduxerit uxorem.* Krantzius lib.5. Saxon. cap.13. suum seculum præcedentibus comparans, quibus aut raræ, aut nullæ erant dispensationes. *Nostra*, inquit, *tempora liberaliora; nescio, si meliora, quando una puella tertium, ut dicitur, experitur maritum, primis duobus superexistentibus.*

(Puella hæc erat Lucretia Alexandri VI. filia, quam ante Pontificatum Hispano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablatam Johanni Sfortiæ Pisaurensi Principi primum, deinde abdicatam Aloysio Arragonico, Alphonsi Regis filio notho: eoq; demum interfecto Alphonso Essiensi Ferrariæ Duci locavit.)

4. Papa tribuit sibi ea, quæ sunt solius Christi propria c. Quoniam de Immunitate in sexto, Papa vocatur Sponsus Ecclesiæ. *Nos* inquit Pontifex, *justitiam nostram & Ecclesiæ Sponsæ nostræ nolentes negligere &c.* Innocentius III. sermon.3. in consecrat. Pontificis, *Annon ego Sponsus sum & quilibet vestrûm amicus Sponsi? utiq; Sponsus, quia habeo nobilem, divitem, sublimem, decoram, castam, gratiosam, sacrosanctam Romanam Ecclesiam.* Antonius Puccius in Oratione habita ad Leonem X. sess.9. Concil. Lateran. *Concitare atque exurge, Sion matrem nostram, sponsamque tuam circumda, ipsam complectere.* Et ipse Leo X. in Bulla Concordatorum cum Francisco I. Rege Galliæ. *Nuper siquidem, ut Ecclesia Sponsa nostra in sancta unione conservaretur &c.* Harding. contra Ivellum pag. 99. *Papa sub Christo & in loco Christi est caput Ecclesiæ & potest appellari vicem gerens Sponsi Ecclesiæ.* Augustinus Triumphus libr. de potestate Ecclesiastica quæst.19.art.1. ex professo disputat, *Papam esse Sponsum Ecclesiæ & quidem solum, hoc est, sic, ut præter eum nullus Episcopus ejus honoris sit particeps.* Tetzelius in Thesibus Francofurti ad Viadrum contra Lutherum propositis, Bellarminus lib.2.de Rom. Pont. cap.31. nomine 13. itidem Pontificem vocant *Ecclesiæ Sponsum*, idque probant ex Concilio Lugdunensi in c. Ubi periculum de electione in sexto.

(At nomen illud soli Christo competens ne quidem Johannes Baptista admittere voluit, Joh.3. v.29. quod urget Bernh. Epist.237. ad Eugen.)

Sed & alia nomina soli Christo propria Pontifici tribuunt. Durandus Episcopus Mimatensis lib. 2. divin. officior. cap. 1. num. 17. de Pontifice Romano. *Hic est Melchisedech, cujus Sacerdotium non est cæteris comparatum.* (Hoc soli Christo competit. Hebr.7.v.2.& seq.) Et paulo antè. *Dicitur Summus Pontifex, quia caput est omnium Pontificum, à quo illi tanquam à capite membra descendunt & de cujus plenitudine omnes accipiunt &c.* (Hoc soli Christo competit Joh.1. v.16.) Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib.1. art 3. *Papa participat utramq; Naturam Christi.* Apud Ottonem Frisingensem lib. 1. de vita Friderici cap. 57. Cardinales de Sede Romana, *hæc est*, inquiunt, *sola, quæ claudit & nemo aperit; & sola aperit, ac nemo claudit.* (Hoc soli Christo competit, Apocal.3. v.7) Simon Begnius de Modrusia sess.6. Concil. Lateranensis ultimi ad Leonem dixit: *Ecce venit Leo de tribu Juda, radix David. Ecce suscitavit tibi Deus Salvatorem*, pag.601. (Hoc soli Christo competit. Apocal.5. v. 5.) Lainezius Jesuitarum Generalis in concilio Tridentino verba faciens inter cætera dixit, *negari non posse Christo autoritatem de quacunq; lege dispensandi. Cùm autem Pontifex Vicarius sit Christi, cumque idem sit tribunal & idem Consistorium Principalis & vicem ejus gerentis, confitendum, Papam eadem autoritate munitum.* Petrus Suavis lib. 8. Histor. concil. Trident. pap.840. Baronius tom.9. Annal. Ann. 745. num. 48. Pontificem Rom. vocat *primarium vineæ Dominum*. (At hoc soli Christo competit, Matth.21. v.38.) Bellarm. in præfat. librorum de summo Pontifice, dictum Propheticum Esai 28. *de lapide pretioso in Sion fundato*, quod soli christo competit (Rom.9.v.33.1.Petr.2.v.6.) ad Rom. Pontificem applicat. Lib.2. de concil. cap.17. *Omnia nomina, quæ in Scripturis tribuuntur Christo, unde constat, eum esse supra Ecclesiam, eadem omnia tribuuntur Pontifici, est enim paterfamilias, pastor, caput, vir, ac sponsus.* In concilio Tridentino cornelius Episcopus Bitontinus dixit: *Papa lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, (Joh.3.v.19.) Margarinus de la Bigne in præfat. Biblioth. sacræ applicat ad Pontificem dictum Heb.4. v.15.&16. quod de solo Christo agit. Et quid multis? Pontifex ab adulatoribus Papalibus vocatur *totius gregis Domi-*

nici unicus Pastor (apud Abrah. Bzovium in libro, qui inscribitur Romanus Pontifex cap. 6. ubi citat Jacobum Spinosum pag. 55.) *cujus dignitate nulla alia, non modo non inveniri, sed nec excogitari potest in terris major* (Barthol. Scala ibid. p. 56.) *de cujus potestatis viribus disputare, sacrilegium est* (Petr. Cheurerius ibid.) *unctione & regno Christus præparticipibus suis* (Stephanus Tegliacius Archiepisc. ad Innocent. VIII. ibid.) *cum cujus cœlesti majestate nullum diadema comparetur, cui claudere cœlos & aperire, detrudere ad inferos & eruere quoscunq; velit, concessum est* [Bernhardus Justinianus Orator Venet. ad Paulū II. ibid. p. 57.) *cui à Deo rerum omnium potestas tributa est* (Erasmus Vitellius Episcopus Julio II. Papæ ibid.) *Sponsus Ecclesiæ Catholicæ, Præpositus supra gentes & regna, ut evellat &c.* (Ægidius Viterbiensis in Concil. Lateran. Julio II. p. 59.) *à cujus nutu pendent leges, cujus voluntas pro lege, vox pro oraculo* (Joh. Babo Galliæ Regis Orator Pio V. Papæ ib. p. 66.) *Sancta & Universalis Ecclesiæ Pastor juxta Apostolum, super omnem principatum & potestatem, & omne, quod nominatur, sive in hoc seculo, sive in futuro à Deo constitutus.* (Ferdinandus Valascus Lusitan. Orator Innocentio VIII. ibid. p. 56.) *Christi & Dei Vicarius, in quo illud Propheticum rursus impleatur, Adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei* (Antonius Puccius in Concil. Lateran. Leoni X. pag. 59) *Quo nihil majus videt Lunæ globus.* [Justus Ricleius Belga Panegyr. ib. pag. 69.] Hæc omnia Bzovius adducit.

5. Papa *divinos honores* sibi tribui patitur, imò affectat. Autor libri de Ætatibus seculi (ante annos fermè trecentos scripti) inter cætera sic loquitur: *Patiuntur Rom. Pontifices divinas sibi adscribi laudes & homines idololatrare faciunt vel sinunt. Nam ambitiosi & avari, ut ea, quæ petunt à Papa, impetrent, ejus humiles creaturas in suis supplicationibus se nominant. Divinum opus est creare; & unus creator tantum est ille, qui creavit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Absit, ut homo mortalis, homo pulvis & cinis, commune cum Deo nomen habeat, quod solius Dei proprium est, mortalis sibi vendicet.* Blondus lib. 3. Romæ instauratæ. *Omnes Principes orbis terrarum Pontificem ut Deum summum honorant & colunt.* Augustinus Steuchus de donat. Constantin. pag. 141. *Adoravit Constantinus Papam, uti Deum, ut Christi Successorem, divinos honores ei contulit, velut vivam imaginem Christi veneratus est.* Johannes Baptista Mantuanus de Pontifice sic canit:

Cujus vestigia adorant
Cæsar & aurato vestiti murice Reges.

Joh. Faber in Præfat. Instit. *Papa in verbis dicit, se esse servum servorum, sed de facto permittit se adorari, quod Angelus in Apocalypsi refugit.* Jovius lib. 2. Hist. Carolus (VIII. Galliæ Rex) ad ea respondit, *se, priusquam Galliæ fines exiret, voto pro salute feliciteq; suscepto decrevisse, Romana templa invisere, sanctissimas Petri aras venerari, ipsumq; Pontificem, qui religionis, pietatisq; fastigium obtineret, suppliciter adorare.* Augustin. Triumphus de pot. Eccl. q. 9. art. 3. disputat, *Papæ honorem exhibendum eundem cum Sanctis*: imò art. 4. *majorem, quàm Angelis.* Antonin. part. 3. Hist. tit. 23. cap. 17. orationem descripsit Florentinorum Legatorum (quorum Princeps erat Archiepisc.) in qua oratione hæc extant. *Beatitudinem tuam ipsa civitas præcelsa & inclyta Florentina Romanæ Ecclesiæ filia, tibique deditissima, per nos Oratores suos sanctitatis tuæ famulos veneratur, dein magnificâ exaltatione gratulatur quamplurimum & sanctitatem hyperduliâ adorat, reverenter tibi genua flectit.* In Conc. Lateranensi sub Leone X. sess. 9. hæc totidem verba Antonin. Puccius protulit: *Factum est, ut quorum truculenta vulnera timebantur, libentia oscula tui exceperint pedes, quasi in te uno vero atq; legitimo Christi & Dei Vicario Propheticum illud debuerit rursus impleri. Adorabunt eū omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Baron. tom. 12. recitat ex Neubrigensi ingressum Alexandri III. in urbem Montempessulanum, in eoq; hanc historiam. *Inter Christianos nobiles, qui accedebant ad ejus vestigia, quidam Saracenorum industrius Princeps cum sociis suis reverenter accessit & deosculatis pedibus ejus, fixit genua coram eo, & inclinato capite, tanquam sanctum & pium Christianorum Deum ipsum Pontificem adoravit. Videntes autem hæc universi, qui aderant in conspectu ejusdem Pontificis, valde mirabantur & dicebant ad invicem illud Propheticum. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.*

6. Papa est Dei & Christi æmulus. Dei proprium est, *de nihilo aliquid facere*, id Papa itidem se posse facere, jactat Gloss. in c. Quando de transl. Dei proprium est, *trāsferre regna*, id Papa jactat, se posse facere c. Solitæ de majorit. In Christo dicuntur *omnes scientiæ & sapientiæ thesauri recōditi*, Col. 2. v. 3. Papa dicit *se omnia jura habere in pectoris scrinio.* c. Licet de Constitut. in sexto. *Christi pedib. omnia* dicuntur *subjecta* Ps. 8. v. 6. id Pontificii Papæ tribuunt. Christus dicit, *omnem potestatem in cœlo ac terra sibi esse datam*, Matth. 28 v. 18. id Papa sibi accommodat. In c. Unam sanctam extr. de majorit. Bonifacius Pont. dicit, *Esse de necessitate salutis omnem humanam creaturam sibi esse subjectam.* Ant. Puccius sess. 9. Conc. Lateran. sub Julio. *Non ignari, omnem tibi uni in cœlo & in terra traditam à Domino potestatem, ut non spiritualibus tantum viris, sed terrenis quoque hujus seculi potestatibus in causa cōmunis boni jus dicere non pertimescas.* In cod. Concil. sess. 10. Stephanus Patracensis. *Reges in compedibus magni Regis liga & nobiles in manicis ferreis censurarum constringe, quoniam tibi data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Ibid. *Bernhardus ad Eugenium tanquam ad summum Hierarchicum in Ecclesia virum, in quo erat omnis potestas supra omnes potestates tā cœli, quàm terræ.* Rectè scripserat. *Tibi data est omnis potestas, in qua, qui totum dicit, nihil excludit.* Quin & Baronius tom. 10. Annal. Anno Christi 849. n. 17. in margine asserere non dubitat, quod *nec fides, nec bona opera prosint sine obœdientia sedis Apostolicæ.* Idem tom. 6. Anno 504. n. 1. *Evidenter manu tangere quisq; poterit, cuncta bene cessisse Theodorico, dum, licet Arianus, nihil voluit imminutum jurium Romani Pontificis.* Año 506. n. 12. *Observatione digna res est, quomodo Alaricus Rex, quamdiu nullum negotium facessivit Catholicæ Ecclesiæ Episcopis, quam felicissimè ad viginti duos annos regnum, licet inter æmulos barbaros, propagarit.*) Docet igitur, nullam impietatem aut perfidiam in Deum cuiquam in obsequio Papæ persistendi obstitisse, quo minus feliciter regnarit, quod probat exemplis Arianorum Principum Theodorici & Alarici, quos prosperrimâ ait fortunâ usos; quamdiu Papæ jura intacta reliquerint, unde sequitur, atrocius peccatum esse, Papam lædere, quam Christi divinitatem negare.)

7. Denique non conveniunt in explicando Antichristi nomine. Bellarminus lib. 3. de Pontif. cap. 1. scribit: *Non potest ullo modo vox Antichristi significare Vicarium Christi, sed solum aliquem Christo contrarium.* Contra vero Thyræus in Disp. de Antichristo cap. 1. th. 1. *Antichristi nomen significat eum, qui vel Christi in terra vices gerit, vel eidem quacunque ratione adversatur.*

Argum. 2. *Antichristus erit una tantum persona. Pontifices autem multi fuerunt & erunt, eâdem dignitate & potestate præditi: Ergo alibi quærendus est Antichristus, quàm in Romana sede.* Bellar. lib. 3. de R. P. cap. 2. Gretserus lib. 3. Defens. cap. 2. col. 823.

Resp. Negamus argumenti hypothesin, quod *Antichristus futurus sit una tantum persona.* Nam

1. Lyranus in 2. Thess. 2. sic commentatur. *Per ἀποστασίας intelligitur recessus à fide Catholica, non quod omnes sint à fide Catholica recessuri, sed quia major pars credentium discedet ab ea.* (Jam verò illa ἀποστασία non est res paucorum annorum, ut sub uno rege compleri possit, qua de re postea pluribus dicetur.)

2. Johannes Ferus in cap. 24. Matth. p. 199. *Regnum Antichristi statim Apostolorum temporibus incepit, quemadmodum Paulus ait. Jam mysterium operatur iniquitatis. Et Johannes. Jam Antichristi multi sunt.* (Quia ergò tempore Pauli & Johannis jamdudū mysterium Antichristianæ impietatis cœpit operari, & tamen Christus in novissimo suo adventu Antichristum *Spiritu oris sui occisurus est*, 2. Thess. 2. v. 8. ideò Antichristus non potest esse una numero ac singularis personæ.)

3. Progredimur ergo hoc modò: Quæcunq; in Scripturis Propheticis, sive Danielis sive Johannis sub typis *bestiarum* mysticè describūtur, ea nō sunt singularia individua, sed singuli bestialiū hominum status. Jam vero Antichristus sub typo bestiæ describitur Apocal. 13. & 17. fatentibus quibusdam Pontificiis. Ergo. Majoris assertio non infringitur instantiâ illâ, quam opposuit Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 2. & Suaretz in Defens. fidei cathol. lib. 5. de Antichristo cap. 3. num. 3. *Danielem per unā bestiam interdum significare unum Regem, ut cap. 8. ubi per arietem intelligit Darium Regem Persarum; per hircum, Alexandrū Magnum.* His enim masculè obviam ivit Franciscus Ribera in comment. Apocal. 17. pag. 528. *Postremò* inquit, *intelligat, non esse inusitatum in Scriptura, ut in uno Rege multi similes, & quæ ejusd. corporis significentur, quod est summè observandum. Nam Daniel. 8. legimus: Et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa & unum excelsus altero atq; succrescens. Et postea. Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente, & porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. Deinde utrūq; explanans Angelus ait, Aries, quem vidisti, habere cornua, Rex* Medo-

Medorum est atq; Persarum. Quibus verbis, ut recte Hieronymus exposuit, *non hic aut ille Rex designatur, sed omnes Reges Medorũ atq; Persarum sibi ordine succedentes, & quasi unum corpus efficientes, qui idcirco quasi unus Rex censetur. Nec enim in unum Regem conveniunt, quæ in eo capite prædicantur, sed in omnes simul.* Deinde ait: *Porro hircus caprorum, Rex Græcorum est. Et ne existimemus, hoc de uno homine dici, continuo in cornu magno ejus Alexandrum prædici docet, & in quatuor cornibus quatuor ejus successores; hæc enim infert. Et cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est Rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor, pro eo, quatuor Reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. Nec dissimile est illud Ier. 25. Et servient omnes gentes istæ Regi Babylonis 70. annis, cum tamen non uni Regi servierint, ut constat ex cap. 27. ejusdem Prophetæ. Matthæi etiam 20. legimus, Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, in quem locum Hieronymus. Unus iste omnes, qui sociati sunt malitiâ, intelliguntur.* Minor propositio, quòd, *per bestiam Apoc. 13. intelligi Antichristũ quidam Pontificii fateantur,* est in aprico. Interim notandæ circa hanc assertionem ipsorum dissensiones. Lessius p. 17. vult, *bestiam septem capitibus & decem cornibus conspicuam,* quam Antichristum esse dicit, *significare unicam & singularem personam, quia bestia hæc unica & singularis est, & quæ de ea dicuntur, non possunt convenire in tantam multitudinem,* (quanta est Paparum) *sed solùm in unam personam.* Bellarm. cùm adhuc sub Jesuitarum castris militaret lib. 3. de R. Pont. cap. 15. disputat, *priorem bestiam Apoc. 13. denotare vel Romanum Imperium* (cui sententiæ magis favet) *vel multitudinem impiorum.* Postea etiam ex Jesuita cardinalis Apol. 12. c. 12. p. 158. ait: *Communem esse Catholicorum veterum, per priorem bestiam intelligi universitatem impiorum: per caput hujus bestiæ occisum & reviviscens, Antichristum.* Eodem modo Alcasar in Apocal. Disp. de argum. cap. 13. §. 6. *Arcanum marinæ bestiæ mysterium non unam aut alteram personam repræsentat, sed ingentem hominum multitudinem, hoc est, Romanum Imperium.* Idem Alcasar in Apocal. Disp. de argum. cap. 13. Apoc. §. 2. Lessii sententiam masculè refellit. Negat enim *fieri posse, ut septem capita bestiæ singulari alicui personæ, vel sub eodem tempore aptentur, cum ex cap. 17. constet, ea non simul, sed per successionem extitisse, ut verè de illis dicatur, quinq; Johannis tempore desiisse unũ tunc fuisse & aliud nondũ venisse,* id quod sæpius repetit. Suaretz lib. 5. Defens. cap. 15. & 13. scribit: *Bestia habens septem capita & cornua decem, non est adæquatè, ut sic dicã, Antichristus, sed est successio Tyrannorum persequentiũ Christianos, post quos ortus est Antichristus, tanquã cornu parvum de medio eorum.* Ex horum ergò judicio non tota bestia est Antichristus, sed unum bestiæ caput, quod sive septimum, sive octavum esse dicatur, non tamen unicum & singularem hominem repræsentat, ex ratione, quam adducit Ribera. Ecque etiam ratio persuadebit, ut, cum sex illa capita priora de Regum successione singula accipiantur, septimum, quod Antichristum Pontificii exponunt, de singulari homine tres duntaxat annos & sesqui regnaturo accipiamus?

4. Ipsimet Pontificii, quando Papam vocant, non unum aliquem hominem, sed seriem hominum in sede Papali sibi invicem succedentium intelligunt. Augustinus Triumphus de Ancona lib. de potest. Eccles. q. 3. art. 7. scribit, *quod officium Papatus & autoritatem omnes Papæ, qui fuerunt à principio* (sc. Papatus) *& erunt usque in finem mundi, non sunt, nisi unus Papa.* Glossographus in Præfat. Decretor. in verbo Resecatis, ait: *Potest ergo Dominus Papa derogare constitutionibus prædecessorum suorum, non obstante, quod par in parem nõ habet imperium. Et est ratio, quia eadem persona censetur cum eo, cui succedit, & nemo sibi potest hanc legem imponere, ne liceat sibi à prima voluntate discedere.*

5. Quinimò Hosius Cardinalis in Confess. fidei Petracov. An. 1552. edit. sic scribit: *Confiteor, inter hos Ministros Principẽ esse Petrum; non illum Galilæum Simonẽ, qui perfunctus Petri munere jam olim decessit, sed Petrum, hoc est, hominem, qui hoc nomine pro autoritate muneris & officii à Christo instituti ad salutem ovium Christi utitur, qui nunquam moritur, sed semper successione vivit: estq; in Ecclesia, fuit, eritq;, usq; ad consummationem seculi. Credo & confiteor & nullo modo dubito, hunc Petrum Romæ vivere, hunc Petrum omnis vetustas appellavit Papam, id autem est, Patrem patrum.* Sic ergò Hosio omnes & singuli Pontifices non tantùm stant pro uno Papa, sed etiam pro uno Petro, quasi Petrus non hominem, sed officium denotaret. Quò etiam spectat illud Hildebrandi mittentis coronam Rudolpho hoc carmine inscripto: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* (Invalidum ergò telum est, quo contra nos pugnant Pontificii, quando sic argumentantur: *Si Papa est Antichristus, Ergò ducenti erunt Antichristi:* quod validè sic retorquemus. Si Papa est caput Ecclesiæ. Ergò ducenta sunt capita Ecclesiæ. Si Papa est Sponsus Ecclesiæ. Ergò ducenti erunt Sponsi Ecclesiæ. Tam enim nobis unus Antichristus Papa, quam illis unũ est Ecclesiæ caput, unus Spõsus &c. quantumvis hæc officia non sustineat unus individuus homo, sive Papa, sed sint per successionem in pluribus individuis.)

6. Thomas in Comm. Apoc. 13. de Antichristo sic loquitur: *Corpus & non homo.* Glossa ordin. ibid. *Antichristus integer caput & corpus.* Cardinalis Hugo ibid. *Universitas &c.*

7. Nicolaus Pontifex c. in nomine dist. 23. statuit *Antichristum censendum* esse, qui per Simoniam in Rom. Pontificem fuerit electus. c. Pervenit caus. 16. q. 7. statuitur, eum, qui Laicalibus personis decimas confert, *inter maximos hæreticos & Antichristos non minimum esse* habendam. (Ergò non unica tantùm persona est Antichristus, sed plures.)

8. Anglo Rhemenses in cap. 17. Apoc. annot. 7. *Septem capita sunt septem Reges* (aut regna) *quinq; eo temporis punctulo præterierant, sextus fuit Imperii tum præsentis status & conditio, septimus futurus est status Antichristi.* (Quemadmodum igitur illi sextũ caput non de aliqua individua persona exponunt, sed interpretantur de statu Imperatorum, qui numero complures fuerunt: ita stante eorum expositione septimum caput accipiatur oportet, non pro aliquo certo & singulari homine, sed pro statu & regimine.)

Unde verò probat Bellarminus, *Antichristum fore unicam singularem personam?* Producit primò dictum Christi Johan. 5. v. 43. *Si alius venerit in nomine suo illum accipietis,* ubi urget, *quòd Dominus opponit sibi alium hominẽ, h. e. personæ personam, nõ regnũ regno, quodq; Antichristus à Judæis pro Messia recipiendus sit, jam vero judæi unum certum & singularem hominẽ expectant.*

Resp. Nomen *alius* de pluribus sumitur Joh. 4. v. 37. 1. Cor. 12. v. 8. 9. 10. Phil. 3. v. 4. quo modo etiam h. l. accipiendum, juxta infallibilem interpretationem ipsius Christi Matth. 24. v. 4.

Salmeron tom. 7. tract. 13. *Etsi hoc verbum de Antichristo accipi soleat, potest tamen intelligi de quocunq; suo nomine dignitatem Messiæ usurpante.*

Pererius in h. l. *Ita planè illis contigit, ut à Domino prædictum eis fuerat. Nam qui verum Christum accipere noluerunt, plures postea Pseudochristos ingenti cum ipsorum exitio receperunt.*

Toletus in cap. 5. Johan. *in suo nomine veniet, quia reverâ nullam habebit virtutem, sed suâ malitia finget, se à Deo missum, ut Dei filium, sicut falsi Prophetæ in suo nomine veniebant, quia reverâ à Deo non mittebantur, & hoc est, quod dicitur, nunc si quis venerit in nomine suo, hoc est revera non missus à Deo, nec Dei habens potestatem, sed suâ se fingens propriâ nequitia talem.*

Maldonatus in cap. 5. Johan. *Quod dicit, si quis, non est dubitantis, sed generaliter potius affirmantis, quasi dicat. Quisquis alius nomine suo veniet, eum recipietis adeo perversi estis judicii. Quare magis convenit, ut non solum de Antichristo, sed de omnibus falsis Prophetis generaliter interpretemur, qui currebant, cùm non mitterentur.*

Pergit Maldonatus. *Familiare enim erat Judæis, eos* (falsos Prophetas) *potiùs, quàm veros recipere Prophetas. Sub Christi tempora nonnullos venisse, qui se Messiam esse mentiti fuerint, partim ex Luca Act. 5. v. 36. 37. partim ex Josepho lib. 18. Antiquit. cap. 14. & ex Eusebio lib. 4. Histor. cap. 6. discimus. Idem Christus monuit Matth. 24. v. 23. Neq; contraria sunt, quæ illic Christus & hic dicit, quod illic in nomine Christi, hic proprio ipsorum nomine venturos dicat. Illic enim venire in nomine Christi, est mentiri, se Christum esse & à Deo missum, cum revera non sit: hic in nomine suo venire, est non à Deo missum.*

Idem Maldonatus in cap. 24. Matth. refert ad omnes Pseudoprophetas, qui excidium Hierosolymitanum præcesserunt. *Hujusmodi,* inquit, *nugatores infinita Iudæorum multitudo secuta est divino planè judicio, ut qui Christo vero Dei Filio non crediderant, seductoribus crederent, sicut Christus prædixerat Iohan. 5. v. 43. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

Malvenda lib. 1. de Antichr. cap. 8. post allata variorum seductorum exempla, subjicit, *non semel, sed sæpius infelices Iudæos à Pseudochristis fuisse deceptos.* Idem lib. 5. de Antichr. cap. 24. fatetur dictum illud Johan. 5. v. 45. *Si alius venerit &c. ex parte cœpisse impleri in Pseudochristis illis & Pseudoprophetis Antichristi præcursoribus:* Nec reticet, *Franciscum Suarez tom. 2. Di-*

ſput. 14. ſcripſiſſe; Hanc verborum Chriſti de Antichriſto interpretationem eſſe quidem propter Patrum autoritatem probabilem, non tamen neceſſariam.

Cornel. Janſenius cap. 27. Concord. Evang. verba Chriſti Johan. 5. v. 45. *non de ſolo Antichriſto, ſed de aliis Iudæorum ſeductoribus*, exponit; *quod enim hic Dominus dixit, frequenter impletum eſſe, & nominatim in gemino Benchuſiba.*

Didacus ſtella in cap. 17. Luc. v. 23. ad verba, *Si alius venerit, illum accipietis*, ſic annotat. *Hoc multoties fecerunt Judæi.* Confer Galatinum lib. 4. de arcanis cap. 21. & Barradium tom. 3. Harm. Evangel. lib. 9. cap. 2. pag 587. ubi dictum Johannis cap. 5. v. 43. itidem *de multis Antichriſtis* accipitur.

Secundo profert Bellarminus dictum Apoſtoli 2. Theſſ. 2. v. 3. *Niſi venerit diſceſſio primum & revelatus fuerit homo peccati. v. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus &c.* ubi urget, *quod Apoſtolus addat articulum ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱὸς, ὁ ἄνομος.*

Reſp. ὁ ἄνθρωπος etiam de multis uſurpatur cum articulo, Matt. 12. v. 37. Marc. 2. v. 23. 2. Timoth. 3. v. 17. Sylveſter Vallenſis lib. 4. de juſtis magnit. Eccleſ. Rom. cap. penult. Regulam illam, quod *articuli Græci contrahant ſignificationem ad unam rem ſingularem*, reſtringit. *Saltem*, inquit, *ſi in eodem ſubjecto articuli iſti ſint frequentes, tum ſanè regula erit infallibilis & abſq; exceptione.* Atqui non ſolùm in eodem ſubjecto, ſed etiam in eodem nomine regula fallit. Nam in cap. 4. Levit. occurrit ὁ ἱερεὺς ter & decies, ὁ ἀρχιερεὺς ter, nec tamen denotatur unum individuum, ſed quilibet ſummus Sacerdos. Contra Pontificios urgemus, quòd Matthæi 16. v. 18. habetur numerus ſingularis cum articulo & particula demõſtrativa ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, nihilo tamen minùs ad quemlibet Pontificem illud referunt. Urgemus & hoc, quòd Jus Canonicum, quando *Papam* nominat, non intelligit unum hominem, ſed quemvis Papam, pro tempore exiſtentem, ſeu totam Paparum ſucceſſionem.

Argum. Bellarmini 3. *Antichriſtus nondum venit. Pontifex jamdudum venit. Ergo Pontifex non eſt Antichriſtus.* Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 3.

Reſp. Negamus argumenti hypotheſin. Johannes Ferus in cap. 24. Matth. *Regnum Antichriſti ſtatim temporibus Apoſtolorum cæpit.* (Congruit hoc pronunciatis Apoſtolicis 2. Theſſal. 2. v. 7. *Myſterium iniquitatis jamdum operatur*, 1. Joh 4. v. 3. *Hic eſt Spiritus Antichriſti, quem audiviſtis, venturum eſſe & qui jam in mundo eſt.*) Bellarminus ipſe d. l. *Omnes veteres, animadvertentes ſuorum temporum malitiam ſuſpicati ſunt, tempora Antichriſti imminere. Cyprianus lib. 3. Epiſt. 1. Hieronymus Epiſtola ad Agerurchiam.*

Contra probationem noſtræ ſententiæ ex 2. Theſſ. 2. v. 7. petitam, *Si Antichriſtus jam tum tempore Apoſtolorum operatus eſt myſterium iniquitatis, utiq; tum illum fuiſſe neceſſe eſt, etſi non apparuerit*,

excipit 1. Cornelius à Lapide in Comment. illius loci. *Per myſterium iniquitatis intelligi ipſum Neronem, qui fuerit inſignis typus & figura Antichriſti.*

Sed Cornelium refellit Guilielmus Eſtius ad h. l. ſic annotans *Hæc de Nerone evertuntur obſervatione temporũ, quo Paulus hanc Epiſtolam ſcripſit, quemadmodum ſubtiliter animadverſum eſt à Cardinale Baronio ad annum Domini 70. & facilè colligi poteſt ex iis, quæ nos in argumento utriusq; Epiſtolæ diximus. Non enim ſub Nerone Principe ſcripta eſt hæc Epiſtola, ut de illo dictum intelligi poſſit, myſterium operatur iniquitatis, ſed ante imperium annis circiter tribus, Claudio adhuc regnante.*

Excipit quidem denuò Cornelius, *poſſe hunc locum accipi de Nerone, non ut actu regnante, ſed ut proximè regnaturo.*

Reſpondet iterum Eſtius. *Neronem primis imperii ſui annis non ita ſe geſſiſſe, ut de eo verificari poſſit, Apoſtoli ſententia.*

2. Bellarmin. lib. 3. de Pont. Rom. c. 2. excipit, *Antichriſtum tempore Pauli operatum fuiſſe myſterium iniquitatis, non in propria perſona, ſed in præcurſoribus ſuis, hæreticis nempe & Tyrannis, ſicut Chriſtus venire cæpit ab origine mundi in Patriarchis & Prophetis.*

Reſp. invertimus comparationem. Sicut Chriſtus per Patriarchas locutus eſt in propria perſona, licèt nondum incarnata: ſic Antichriſtus operatus eſt per præcurſores ſuos in propria perſona, licèt nondum revelata. Præterea per *myſterium* propriè intelligitur, quod tunc adhuc erat occultum, nam ob hanc ipſam occultam ſerpendi rationem inter cæteras Antichriſtianiſmum Apoſtolus hic appellat *myſterium*. Atqui non hæreſes, ſed Antichriſtianiſmus tunc erat res talis occulta, ad quam hæreſes aliæ, quæ tunc apertæ erant & palàm defendebantur, ſpectabant, & quæ tandem ex hæreſibus illis crevit & in lucem prodiit. Ergò non hæreſes, quæ quidem aliquo modo hic intelliguntur, ſed Antichriſtianiſmus occultè tunc ſerpens propriè & principaliter hic debet intelligi, non quidem ratione plenariæ revelationis, ſed ratione *fundamentorum*, quæ tùm jacta: & *ſeminum*, quæ tùm paſſim ſparſa fuerant. Paulatim enim Antichriſti regnum propagatum eſt & poſt aliquot demum ſecula ſe in urbe Roma & Sede Pontificum Romanorum collocavit. Præterea, Antichriſtum jamdum veniſſe, demonſtramus ex ſignis ab ipſo Bellarmino aſſignatis. *Sciendum eſt*, inquit lib. 3. de Pont. Rom. cap. 4. *Spiritum S. in divinis literis ſex ſigna certa adventus Chriſti nobis dediſſe. Duo præcedentia ipſum Antichriſtum, nempe prædicationem Evangelii in toto mundo & Imperii Romani deſolationem. Duo comitantia, videl. prædicationem Henoch & Heliæ; & perſecutionem maximam & notiſſimam, ita ut publica ſacra omnia ceſſent. Duo ſequentia, nimir. interitum Antichriſti poſt tres annos cum dimidio & finem mundi, quorum nullum adhuc videmus exiſtere.* At ſepoſitis duobus ultimis ſignis ex quatuor prioribus tanquam potioribus κατ' ἄνθρωπον oſtendemus, Antichriſtum veniſſe.

Primum ſignum eſt *prædicatio Evangelii per totum terrarum orbem.* Hoc probat ex Matth. 24. v. 14. Atqui hoc ſignum & vaticinium jamdudum completum fuiſſe, non ſolùm ex circumſtantiis textus & ex complemento, ſed etiam ex ipſis Pontificiorum ſcriptis probari poteſt, uti paulò poſt manifeſtum fiet. Adde, quòd Bellarminus Præfat. tom. 1. controv. & in Orat. tom. 4. controverſ. præfixa agnoſcat, *doctrinam Evangelicam noſtris tẽporibus longè lateq; ſparſam & ad ipſum novũ orbem perveniſſe.*

Secundum ſignum eſt *Imperii deſolatio.* Atqui etiam hoc ſignum rectè expoſitum eſſe impletum, paulò poſt demonſtrabitur.

Tertium ſignum eſt *adventus Enoch & Eliæ.* At ſi per Eliam intelligitur Johannes præcurſor Chriſti, ſequitur, Eliam jamdudum veniſſe, & per conſeq. hoc tertium Bellarmini ſignum dudum impletum eſſe. Jam vero multi ex Pontificiis per Eliam intelligunt *Iohannem Baptiſtam*, ut poſtea demonſtrabitur.

Quartum ſignum eſt *publica perſecutio.* Sed & hoc ſignum completum eſſe & quotidiè impleri, teſtatur experientia.

Videamus ergò, unde probet Bellarminus, *Antichriſtum nondum veniſſe?* Affert ſex demonſtrationes. Sed quæ nec ſunt *leves conjecturalæ*, ut Ludov. Vives in lib. 20. de civ. Dei cap. 19. Patrum de Antichriſto opiniones appellat.

Prima demonſtratio hæc eſt. *Evangelium in toto mundo prædicabitur, antequam veniat ultima perſecutio, quæ excitabitur ab Antichriſto Matth. 24. v. 14. At nec dum noſtro tempore Evangelium eſt in toto mundo prædicatum.* Bellarminus lib 3. de Pont. Rom. cap. 4.

Reſp. Chriſtus ibi loqitur de excidio Hyeroſolymitano, quod illud antegreſſura ſit Evangelii in toto orbe prædicatio.

1. Lyranus in cap. 24. Matth. *Quod ante deſtructionem civitatis per Titum & Veſpaſianum in tribus partibus orbis ſcilicet Aſia, Africa & Europa prædicatum ſit Evangelium Chriſti, patet.*

2. Dionyſius Carthuſianus in cap. 10. Rom. *Ubiq; prædicaverunt Apoſtoli per ſeipſos & ſuos diſcipulos, ut patet ex diverſis Hiſtoriis & Legendis. Iohannes quippe implevit Chriſti Eccleſiis Aſiam, Petrus Italiam, Andreas Achaiam, Matthæus Æthiopiã, Thomas Indiam, Bartholomæus Armeniã, Paulus totũ penè orbẽ.* Idè in cap. 1. Coloſſ. *Omni creaturæ, i. e. cunctis hominibus in terra degentibus, de quibus ajebat, Prædicate Evangeliũ omni creaturæ.*

3. Johannes Ferus in cap. 24. Matth. lib. 3. pag. 197. *Chryſoſtomus hæc quoq; refert ad Apoſtolorum tempora, quod ſcil. ante deſtructionem Hieroſolymæ prædicatum ſit nomen Chriſti in toto mundo. Sic enim Paulus dicit de incredulis, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum. Et iterum Coloſſenſibus ſcribit. Evangelium quod audiſtis, prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt. Et iterum de ſe ipſo. Ab Hieruſalem, inquit, usq; ad Illyricum replevi Evangelium Chriſti, paratus jam tranſire Romam & Hiſpaniam. Si unus hic Apoſtolus in tantillo tempore tam longè lateq; prædicavit, quid alii fecerunt? Pervenit igitur Evangelium etiam ante deſtructionem Hieruſalem ad fines uſque orbis terrarum. Perfectius tamen implebitur ante finem mundi.*

4. Salmeron tom. 4. pag. 655. *Non ignoro, pleroſq; eſſe Patres veteres, qui hæc ad ſeculi conſummationem referant, quia putant, eo uſq; non eſſe impletam prædictionem de prædicando Evangelio per univerſum orbem. Mihi tamen prior ſenſus magis placet, & ad literam, non puto poſſe intelligi, niſi de everſione Hieroſolymæ, quod his rationibus evinco. Primò, quia ad hunc ſenſũ cogit, quod ſub*

subdit. Cùm ergò videritis abominationem desolationis &c. Et Lucas. Cùm autem videritis circūdari ab exercitu Jerusalem &c. quasi prædicatio Evangelii præcedere debeat urbis Hierosolymæ casum. Hoc etiam ostenditur ex Marco, ubi dicitur; Ante Reges & præsides stabitis. Et subdit. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium. Et cum duxerint vos tradentes &c. Ubi præcedentia ac consequentia dicta ad Apostolos testantur, sermonem de prædicando Evangelio per universum orbem ad eos spectare &c. Præterea, si de mundi consummatione intelligendum esset illud verbū. Et tunc veniet consummatio, nihil certi diceret, quia ignoratur finis prorsus prædicationis, cùm semper sit prædicādum. Si verò de urbis subversione intelligas, illa secuta est paulo post quadragesimum annum. Ad hæc sententiam hanc de prædicatione, per universum orbem facta ante excidium templi & Hierosolymæ, *amplectuntur Eusebius Cæsariensis, Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, Lyranus, & nonnulli alii, & confirmari potest ex verbis Apostoli, qui in Epistola ad Romanos scribit. In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Rursus *ad Colossenses de Evangelio ait. Quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat & crescit. Quæ verba apertè declarant, tempore Apostoli prædicationem Evangelicam ad omnes nationes tunc notas pervenisse, & ubique fructum edere cœpisse &c.*

5. Gaulterius in tabul. Chronog. f. 13. *Evangelium circiter hoc tempus in universum terrarum orbem disseminatum, ut testis est Chrysostomus, qui scribit, viginti post* Redemptoris *mortem, aut triginta annorum curriculo doctrinam Evangelicam ubiq; fermè auditam fuisse, homil. 76. in Matth. & illud Apostoli* Rom. 1. v. 8.

6. Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 6. in Epist. Festi D. Andreæ pag. 17. *Verbum fidei seu Evangelium in omnibus universæ terræ finibus & regionibus (tempore Apostolorum) est propagatum, nec ullâ est, aut fuit sub Sole gens, quæ de tam gratioso ac salutifero nuntio non audierit. Nam Apostoli in universum mundū iverunt prædicatum Evangelium Marci 16. Act. 1. & quotquot horū fuerunt discipuli, quos vocamus Apostolos.*

7. Ecclesia Romana quotannis 15. Julii solenniter celebrat *festum divisionis Apostolorum* ex veteri traditione, *quòd Apostoli cunctas orbis provincias sortito inter se diviserint, non aliter ac Israelitæ terram Canaan in* 12. *tribus partiti sunt, easq; prædicatione Evangelii repleverint.*

8. Pererius Disput. 4. in cap. 10. Rom. pag. 607. *Sententia Origenis & Augustini ajentium, ne suo quidem tempore fuisse Evangelium in toto orbe prædicatum, non videtur certam fidem facere. Fieri enim potuit, ut olim fuerit illis gentibus prædicata fides Christi, sed postea, propter bella & mutationes regnorum atq; Regum sit apud eos abolita fides doctrina, ac deinceps longinquitate temporis factum sit, ut apud posteros nulla ejus rei memoria permanserit. Videtur etiam infirmum præcipuum hujus opinionis fundamentum positum in verbis Domini Matth. 24. v. 14. Multi enim per consummationem intelligunt eversionem urbis Hierosalem & regni Judaici factam à Romanis. Et hanc intepretationem satis adjuvat contextus verborum ab initio illius capitis usque ad eum locum, præsertim verò, ut eam Historiam enarrat Marcus capite decimo tertio. Idemque arguit, quod proximè subjungit Dominus. Cùm videritis abominationem desolationis, per quod Lucas in Evangelio & Augustinus de consens. Evangel. intelligunt exercitium* Romanum.

6. Maldonatus in cap. 24. Matth. *Hieronymus & Beda colligunt ex his verbis; Et prædicabitur Evangelium &c. non agi hic de tēpli & urbis vastatione, sed de fine mundi, quia dicitur prius Evangelium in universo terrarum orbe prædicandum, quod ante Hierosolymitanum excidium neque factum fuisse constat, neque fieri potuisse. Chrysostomus tamen & Theophylactus in sua sententia persistunt, ut hæc omnia de solo Hierosolymitano excidio intelligantur, quos multi ex recentioribus sequuntur. Argumento, quod objicitur, respondent, etiam ante templi eversionem Evangelium fuisse toto terrarum orbe prædicatum.* Rom. 1. v. 8. cap. 10. v. 18. *At certè in multis orbis terrarum partibus Evangelium prædicatum non erat, cùm & Patrum nostrorum memoriâ reperta sit quarta pars orbis multò cæteris major, ubi nulla Evangelii notitia unquā fuerat, & D. Augustinus Epistol. 80. testatur, multas suo tempore in Africa fuisse gentes, quæ Evangelium neque acceperant, neque audierant! Vera ista sunt, sed facile à multis respondetur, hyperbolicam esse istam Pauli correctionem, quâ dicit; Evangelium in toto orbe prædicatum, quia in plerisque locis prædicatum erat, eodemq; modo Christum hoc loco locutum esse. Nam cùm Hierosolyma vastata est, vix ulla erat regio ex iis, quæ ad illud usque tempus repertæ fuerant, ubi Evangelium non innotuisset.*

10. Cornelius Jansenius in Concord. Evangel. cap. 122. pag. 834. cùm eorum sententiam retulisset, qui occasione horum verborum putant, *Christum locutum de fine mundi*, subjungit: *His non obstantibus magis videtur, cum Chrysostomo intelligendum istud impletum temporibus Apostolorum fuisse, sicut & omnia præcedentia. Et quod dicitur de consummatione, accipiendum non de consummatione generali, sed de fine gentis Judaicæ, urbisque ac templi.* Et additis rationibus ex ipso contextu petitis docet, *impletum esse hoc vaticinium ante eversionem Hierosolymæ.* Ibidem etiam respondet exceptioni Bellarminianæ, *quod Evangelium temporibus Apostolorum nondum fuerit in toto orbe prædicatum. Quod si quis* (inquit) *objiciat, multas adhuc fuisse terras & gentes, in quibus Evangelium non fuerat prædicatum: Is scire debet, multa in scripturis dici per synecdochē.* Et postea. *Certè quo schemate D. Paulus suo adhuc tempore prædicatum in toto mundo dicit Evangelium: eodem & hic rectè intelligitur, Dominum illud prædixisse futurum ante vastationem & finem Hierusalem.*

11. Barradius in Conc. Evang. tom. 3. lib. 9. cap. 2. pag. 481. sic disserit: *Hæc quoque verba; Et prædicabitur Evangelium &c. ad tempus pertinent præcedens excidium Hierosolymorum. Prædixerat Dominus gravem in discipulos persecutionem, eâ verò nō obstante, nunc docet, Evangelium toto orbe ab aliis prædicandum; post prædicationem autem Evangelii, consummationem, Græcè τέλος, id est, finem fore & eversionem Hierosolymorum.* Pergit Barradius. *Hæc sententia est Chrysostomi homil. 76. Theophylacti, Euthymii & Hilarii. Probat autem Chrysostomus, Evangelium ante excidium Jerusalem toto orbe fuisse prædicatum, his verbis: Quòd ante urbis eversionem per mundum Evangelium effusum esset, Paulum audi Rom. 10. In omnem terram exivit sonus eorum. Et rursus ad Coloss. Prædicatum est Evangelium universæ creaturæ, quæ sub cœlo est. Et videas Paulum ab Hierosolymis ad Hispaniam usq; currentem. Quòd si unus in tanta orbis parte prædicavit, quid à reliquis factum fuerit? Sed & alibi Coloss. 1. de Evangelio scripsit, quod fructum ferat & crescat in omni creatura, quæ sub cœlo est. Sic Chrysostomus. Divus quoq;* Hilarius *can. 25. Per omnes, inquit orbis partes viris Apostolicis dispersis Evāgelii veritas prædicabitur. Et cum universis fuerit cognitio Sacramenti cœlestis invecta, tunc Ierusalem occasus & finis incumbet, ut prædicationis fidem & infidelium pœna & metus erutæ civitatis consequatur. Addit Chrysostomus, hanc velocem per totum orbem Evangelii promulgationem, maximum esse argumentū omnipotentiæ Christi. Ut enim tam brevi tempore legem difficillimam orbis reciperet, Dei omnipotentiâ indigebat, quod primo tomo ostendimus. Chrysostomi interpretationem sequuntur Abulensis, Lyranus, Iansenius, Salmero. Ea mihi videtur verisimilior, ut ex seq. colligetur &c.* Ita Barradius. Post hæc idem rationes adducit. *Cur Deus ante excidium Ierusalem in universo orbe Evangelium prædicari voluerit. 1. quia Iudæorum pœnitentiā expectare voluit. 2. quia voluit novū sibi populum toto orbe constituere, priusquā veterem omninò aboleret. 3. prius voluit Christianum populum ex omnibus creare gentibus ante eversionem, antiqui populi, ut ipsi Christiani pœnas de Iudæis ob perfidiam sumtas considerarent, magisq; confirmarentur in fide. 4. ut inexcusabiles essent Iudæi, Evangelii cernētes potentiam &c.* Idem subdit. *Si quis objiciat, ante excidium Ierusalem nō fuisse Evangelium toto orbe promulgatum, siquidem multæ illud regiones ignorabant. Resp. Christum ita locutum, ut loquitur Paulus loco citato, & Lucas, cùm ait; Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Multarū regionum incolæ Cæsari minimè parebant, dicitur tamen descriptus universus orbis per synecdochen, vel hyperbolen, quia maxima pars orbis Cæsari obtemperabat. Ita dicitur prædicatum Evangelium in universo orbe per synecdochen, vel hyperbolen, quia in maxima parte orbis & in toto orbe tunc reperto prædicatum erat.* Post hæc adducit contrariam Augustini, aliorumq; Patrum sententiā, qui urgent, *hæc ad consummationē orbis adstringenda*, quibus respondet, *non de sola consummatione sive fine seculi, sed etiam de consummatione templi rogare discipulos, Christumq; hoc loco de illius & urbis Hierosolymæ consummatione loqui.*

12. Bened. Justinianus in Rom. 10. v. 18. quærit, *quomodo verū sit, in omnem terram exivit sonus eorum? Certè, ait,* Euthymius *& Theophylactus existimarunt, tempore Apostolorum ubiq; gentium populos ac nationes aliquâ ex parte* Evangelicæ *prædicationis luce fuisse perfusos, idq; ante eversionem Hierusalem imperantibus Vespasiano & Tito, contigit. Nec dissentit Pseudo Ambrosius, qui hunc ipsum locum tractans.* Evangelii *famam ad omnia orbis terræ loca penetrasse, confirmat. In eandem sententiam scribit Hilarius.* Post hæc adducit quædam Scripturæ loca quæ huic sentētiæ favent,

ut, fides vestra annuntiatur in universo mundo; Et, verbum Dei fructificat in universo mundo; quibus tamen subdit, *in contrarium sentire Augustinum & Origenem, quosdam tamen utramq; sententiam temperare sæpe pote: famam quidem ad omnes nationes pervasisse, non tamen ipsam prædicationem & doctrinam;* tandè concludens ait: *Ego si quidquam judicando valeo, ne nostra quidē ætate crediderim Evangelium omnibus gentibus ac nationibus patuisse, quid autem imposterum futurum sit, malo ingenuè fateri, nescire me* (displicuit ergò Justiniano, *ante Antichristi adventum Evangelium per totum terrarum orbem prædicatum iri,* hoc enim si crederet, non, se id nescire, diceret) *quàm temere divinare. Nam quod affertur ex Matthæo. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio, non de mundi interitu, sed de urbis Jerusalem eversione intelligendum esse, Marci & Lucæ ejusdem rei narratio probat.*

13. Lucas Brugensis in cap. 24. Matth. *Suo modo etiam ante finem Iudaicarum rerum Evangelium in universo orbe omnibus gentibus prædicatum fuit, quia in majore parte orbis noti, Asiæ inquam, Africæ, & Europæ, & celeberrimis illius regionibus ac gentibus prædicatum fuit. Simili enim loquendi modo Lucas Act. 2. v. 5. dicit, Hierosolymis habitâsse Judæos ex omni natione, quæ sub cœlo est. Quocirca Apostolus Paulus Col. 1. v. 6. loquens de verbo veritatis Evangelii, quod pervenit, inquit, ad vos, sicut & in universo mundo est & fructificat & crescit. Et paulo post v. 23. quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est. Rursus Roma. v. 8. Fides vestra, ait, annuntiatur in universo mundo. Atq; hic Paulus solus si, ut gloriatur Rom. 15. v. 19. ab Hierusalē per circuitum usq; ad Illyricum replevit omnia Evangelio Christi, idq; annis plus minùs quatuordecim ante eversionem Jerusalem, quid non terrarum ac regionum peragrârunt cæteri simul omnes Apostoli, discipuli ac præcones Christi, antequam Hierosolyma everteretur? Hæc hujus loci interpretatio conciliat sibi mutuò varias Patrum sententias, Græcorum de fine Hierosolymorum, & Latinorum de mundi fine locum ferè interpretantium, videturq; germana esse à Dionysio Carthusiano & aliis quibusdam suggesta.*

14. Similia occurrunt apud Thomam Aquinatem, Thomā de Vio, Cajetanum & Dominicum à Soto in cap. 10. Rom. Alphonsum Tostatum in cap. 24. Matthæi, Johannem Lorinū in Act. 1. v. 8. ubi pro hac sententia citat Hilarium, Euthymium, Ambrosium, Guiliel. Estium in cap. 10. Epist. ad Rom. pag. 185.

(Ab his omnibus discedit Bellarminus, quando ex Matth. 24 v. 14. probare cupit; *Evangelium nondum prædicatum esse in toto orbe, ac proinde Antichristum nondum venisse.* Quin imo discedit à seipso.) Nam,

quod 15. est, sic scribit lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. §. Probatur secundò; *Apostoli per totum terrarum orbem Evangelium prædicârunt & Ecclesias constituerunt, ut patet ex Paulo Rom. 10. & ad Coloss. 1. & ex Marci Evangelio capite ult. Item ex Irenæo lib. 1. cap. 3. qui, cum fuerit vicinissimus Apostolicis temporibus, tamen dicit, suo tempore fuisse Ecclesias jam fundatas in Oriente, in Lybia, in Ægypto, in Hispaniis, in Germania, & in mediis regionibus, id est, Italia & Gallia.*

Lib. 4. de Ecclesia cap. 7. §. Jam verò scribit, *tempore Apostolorum Evangelium fructificâsse in toto orbe, tempore Irenæi Ecclesiam in omnes terras esse propagatam.*

8. Idem Bellarminus ibid. §. Ultimo nota, sic differit. *Ecclesia jam senuit. Si ergo in sua adolescentia & juventute non crevisset, quomodo nunc in senectute cresceret?* (Cum eo parùm congruit, quòd hoc loco disputat, *ante Antichristi adventum futurum adhuc esse generalē Evangelii prædicationem in toto mundo, quâ propriè & simpliciter in omni gente Ecclesiæ constituantur.*

Idem Bellarminus lib. 3. de Eccl. cap. 16. resp. ad Quintū &c. de loco Daniel. 9. *Deficiet hostia & sacrificium &c.* sic differit. *Etsi Hilarius Can. 25. in Matth. & Hippolytus atque Apollinarius apud Hieronymum in cap. 9. Daniel. intelligunt eam Prophetiam de tempore Antichristi, tamen sine dubio decepti sunt. Loquitur enim Daniel apertissimè de eversione Hierusalem & cessatione Sacrificii Judæorum. Sic enim exponunt Chrysostomus & Theophylactus & Hieronymus in cap. 24. Matth. Augustinus Epist. 80. ad Hesychiū &c. Et hanc solutionē coguntur admittere hæretici. Nā ipsi dicūt, nunc esse tēpora Antichristi, & fuisse jā à multis seculis, & tamē non cessavit hostia & sacrificiū. Ergo debent intelligere hūc locum Danielis non de tēpore Antichristi, sed de eversione Hierosolymæ, quod sane ex Evangelio evidenter colligitur. Quòd enim Matthæus cap. 24. ait. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat, tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: idem sic exposuit Lucas capite 21. Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus, tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.*

(Atqui si Matth. 24. v. 15. agitur de tempore Hierosolymæ excidium præcedente, utique de eodem etiam agitur in v. 14. *Et prædicabitur Evangelium regni in toto orbe &c.*

Secunda demonstratio hæc est. *Antichristi adventum præcedet omnimoda desolatio imperii 2. Thess. 2. v. 3. Illa nondū est facta. Ergo necdū venit Antichristus.* Bellar. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 5.

Tannerus part. 3. Theol. Schol. v. 8. Disp. 1. q. 4. dub. 5. *Si Romanus Pontifex jam mille annis in Antichristum degeneravit, necesse est, à totidem jam annis sublatum fuisse Rom. Imp. cùm hæc sit certa nota adventus Antichristi &c. Hoc autem sine injuria Romani imperii in Ferdinando Imp. augustissimo & felicissimo etiamnum florentis dici nequaquam potest.*

Resp. 1. Textus Apostolicus de ἀποστασίᾳ à fide agit, juxta ipsius Apostoli interpretationem, 1. Tim. 4. v. 1.

Lyranus in 2. Thess. 2. *Quidam exponunt de discessione à Romano Imperio, quod florebat tempore Pauli; alii exponunt de recessu ab obedientia Romanæ Ecclesiæ &c. Sed salvo meliori judicio mihi videtur, melius intelligendum de recessu à fide Catholica, sicut exponunt aliqui,* quam expositionem ex Matth. 24. v. 12. 1. Tim. 4. v. 1. 2. Tim. 3. v. 1.

Dominicus à Soto lib. 4. Sent. dist. 46. q. 1. art. 1. *statuit, tempore Antichristi tantam à fide defectionem secuturam, ut vix superfutura sit fides in terra.*

Salmeron in Comm. 2. Thess. 2. tomo 15. p. 387. *Quia absolute dicitur apostasia, nō ab hoc vel illo, & quia illa, quæ est à Christi fide data defectio, multò major est, & quia sacræ literæ frequenter de hac defectione 1. Timoth. 4. Hebr. 3. 2 Tim. 2. Act. 21. faciunt mentionem, cùm tamen de defectione à Romano Imperio nullibi, quod sciam, disseratur, propterea præsens locus congruentius de defectione fidei venit interpretandus.*

Claudius Espensæus in 1. Tim. 4. scribit, *Paulum de eadem* ἀποστασίᾳ loqui, 2. Thessal. 2. v. 3. & 1. Tim. 4. v. 1. (At 1. Tim. 4. v. 1. loquitur de apostasia à fide.)

Franciscus Suarez tom. 2. q. 59. art. 6. Disp. 54. sect. 6. *majorem fortasse fidelium partem à Christo defecturam esse sub Antichristo, colligi posse, ait, ex illis verbis 2. Thessal. 2. Nisi venerit discessio primùm. Nam licet pleriq; Latini interpretantur de defectione Romani Imperii: tamen propriùs intelligitur de defectione à Christo. Nam verbum Græcum est* ἀποστασία. *Et ita interpretantur omnes Græci & Augustinus de Civitate Dei lib. 20. cap. 19. Quamvis enim sæpe contigerint in Ecclesia defectiones à Christo propter persecutiones hæreticorum vel Tyrannorum: illa tamen, quæ futura est sub Antichristo, quasi per antonomasian apostasia dicitur, quia erit major & Universalior cæteris.*

Alcasar Apoc. 14. not. 2. itidē interpretatur de ἀποστασίᾳ à fide.

Guilielmus Estius in Cōm. 2. Thessal. 2. *Discessionem multi interpretantur eam, quâ omnes gentes Rom. Imperio subjectæ ab eo recedant; Apostolum autem, dicunt, id exprimere noluisse, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat, æternum fore suum Imperium. Ita Hieronymus Epist. 151. ad Algasiam q. 11. & Ambrosius in Commentario: quos utraq; Glossa tam ordinaria, quàm interlinearis & alii non pauci sequuntur, inter quos Cajetanum numero. Sed aliis non placet hæc interpretatio. Primùm, quoniam, ut testatur Thomas & Lyranus & res ipsa probat, jam olim à Romano Imperio gentes, quotquot ei subjectæ erant, desciverunt, solumq; penè nomen Imperii Romani hodiè reliquum habemus; nec tamen venit Antichristus, quem venturum statim post apostasiam Apostolus significat. Deinde, quia non in terreno regno spirituale suum regnum, id est, Ecclesiam Christus alligavit, ut illo florente, ipsa floreret, & illo deficiente, deficeret, aut in angustias redigeretur. Nam Romani Imperatores, florente adhuc Imperio Christi Ecclesiam vel maximè persecuti sunt, nec solùm Ethnici; verùm etiam nonnulli Christianam fidem professi, atq; in hæresin vel schisma prolapsi, nec Græci modò, verùm etiam Latini. Quæ res ex Historiis notissima est. Adde, quod à Prophetis pronuntiata est Ecclesia, non in uno regno futura, sed diffundenda per omnes gentes & per omnia regna terrarum, ut Ps. 71. Adorabunt eum omnes Reges, omnesq; gentes servient ei, Ps. 60. Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit. Deniq; nomē apostasia in sacris literis magis sonat defectionem spiritualē, qualis est à fide & religione, quàm politicā, qualis ab Imperio terreno, quæ etiā sine peccato cōtingere potest. Inde* 1. Tim.

1.Tim.4. ubi dicitur, quòd in novissimis temporibus discedent quidam à fide, rursus est Græcum verbum, à quo derivatur ἀποστασία. Rectius itaque & sacris Scripturis cõvenientius sentire videntur, qui apostasiam hanc interpretantur defectionem à fide Catholica, eamq; universalem, quia nimirum non tantùm personæ, quamvis multi (quod prioribus seculis sæpe accidit) sed & regna & Provinciæ omnes, aut penè omnes recedent ab Ecclesia Catholica & ab obedientia ejus, quem suum in terris Vicarium, suæq; Ecclesiæ Pastorem constituit, hoc est, successoris B. Apostoli Petri, Romani Pontificis. Ita discessionem hanc intellexerunt Anselmus & Aquinas in Commentariis Hæc omnia Estius.

Benedict. Justinianus Jesuita in Comment. ejusd. loci p.410. *Discessionem seu defectionem à fide & regno Christi. Etenim Græcus articulus insignem aliquam defectionem significat, illam videl. quam indicavit Christus, cum dixit apud Lucam cap. 18. v. 8. Veruntamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? hæc igitur erit defectio, quia multi Christi fidem deserent.*

Eodem modo, videl. *de defectione à fide* exponunt Hugo Cardinalis, Anglo-*Remensis* & Grillius in 2. Thess. 2. Adrichomius in Chron. f. 285. &c.

2. Bellarminus disputat, *defectionem ab Imperio fore signum præcedens Antichristum.* Sed Cornelius à Lapide in cap. 17. Apoc. f. 283. contra sic scribit. *Romani Imperii interitus signum erit non prævium, sed simultaneum, non adventantis, sed præsentis Antichristi.*

3. Romanum imperium durabit usq; ad finem mundi. Ergo omnimoda ejus desolatio non præcedet adventum Antichristi. Bellarm. d.l. fatetur, *Dan. 2. describi successionem quatuor regnorum, quorum successio erit usque ad finem mundi.*) Quomodo ergo Monarchia Romana ante Antichristi adventum prorsus abolebitur.)

4. Magna ab Imperio Romano discessio jam olim facta est. Episcopi Galli in Synodo Remensi sub Hugone & Roberto Francorum Regibus cap. 28. *Imperii occasum* nominare non verentur.

Thomas de Aquino in Comm. 2. Thess. 2. *Sed quid est hoc, quòd jamdiu gentes recesserunt à Romano Imperio, & tamen necdum venit Antichristus?* At cum Hieronymo ad Geront. de Monogam. potiùs sic colligere debebat. *Qui tenebat, de medio fit, & non intelligimus, Antichristum appropinquare.* Sic ille ex veritate, ex necessitate, debuisset. Qui tenebat, de medio jampridem factus est, & non intelligimus, Antichristum jamdiu venisse? Quod enim ipse sibi respondet, eo ipso Antichristi adventum comprobat) *Dicendum*, inquit, *quòd nondum cessavit Rom. Imperium, sed commutatum est de temporali in spirituale.* (Bestiæ quidem Septicipitis, h. e. Romani status Imperium non cessavit, sed sexti capitis, quod erat Imperatorum, jamdiu expiravit, eiq; ultimum, quod est Antichristus, surrogatum est. Atq; hoc nihil aliud est, quàm quod Thomas post se reliquit. *Imperium Rom. commutatum esse de temporali in spirituale.*)

Eberhardus apud Aventinum lib. 7. Annal. *Romani majestas populi, quâ olim orbis regebatur, sublata est è terris. Imperator vana appellatio est & sola umbra est. Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ, Romanum quondam Imperium, partiti sunt.*

Theodoricus à Niem, qui in aulis quinque Paparum vixit, eorum intimus Scriba & tandem Episcopus Verdensis factus, circa Annum 1418. scripsit de schismate, inter alia sic loquitur. *Quam magnifici triumphatores sint nostri Reges & Principes Christiani, qui tamen volunt invictissimi appellari, eorum gesta testantur, & quam magnificum sit Romanum Imperium, in Alemannia saltem apertè videtur. Reperitur enim illic aliquis Archiepiscopus, vel Episcopus, qui forte in duplo plus habet in reditib9, quã percipit Rex Romanorum in omnibus terris sibi subjectis; & aliquis Princeps secularis, qui detinet plures terras, quàm possidet Imperator, quod non laudo, tendit enim in perniciem fidei prædictæ, quia deficientibus rerũ facultatibus & potentiâ seculari & imperio, restat, quòd Imperator vel Rex Romanorum sit pauper & impotens, & Christianum populum defensare non possit.*

Wernerus Rollwinck in Fascic. temporũ circa Ann. 1494. sic scribit. *Imperium Romanorum circa hæc tempora* (ann. Christi 624. *ubiq; in orbe terrarum cœpit deficere irrecuperabiliter. Nã in Oriente Saraceni, & in Occidente Gotthi dominiũ assumserunt & deinceps retinuerunt. Item Saraceni de exercitu Imperatoris interfecerunt 150000. pugnatorum &c. Causa hujus diversimodè assignatur. Quidam dicunt, quòd hoc fecit insatiabilis Romanorum avaritia, qui sibi subditas nationes jugo servitutis intolerabili opprimebant &c. Alii dicunt, quod hæresis Orientalium hoc fecit, ubi communiter Imperatores habitabant, & sæpe cum perversis perversi facti sunt &c. Alii dicunt, quod causa hujus defectus fuit superbia dominorum, quâ subjectos despiciebant, canes aut asinos nuncupando, vel similiter, propter quod pudore & dolore incitati erexerunt se & fecerunt, quod cernimus. Fortè omnes hæ simul sunt una causa, quia per quod aliquid nascitur, per ejus oppositum destituitur. Et sic jam omnes quatuor Monarchiæ defecerunt, & non restat alia, nisi Antichristi, cujus adventum Deus novit, interim dominia hinc inde variantur in particulari.*

Dionys. Carthus. in 2. Thess. 2. *Discessio gentium à Rom. Imperio jam pro magna parte impleta est.*

Lyranus in 2. Thess. 2. *Ab Imperio Romano recesserunt quasi omnia regna, negantia ei subjici & redditionem tributi jam à multis annis. Illud etiã Imperiũ caruit Imperatore pluribus annis.*

Idipsum confitentur Historici. Nauclerus Generat. 2. de temporibus Phocæ. *Desidia & ignaviâ Imperatoris Romanorum hostes potentiores facti in Occidentis orbe Germanias cum Insulis, Gallias, Hispaniasq; & bonam partem Italiæ, Pannoniasq; & Mysiam abstulerunt; & magnam partem Africæ; in Oriente verò Iberos, Armenios, Arabes, & hinc Dardanos & mediterranea Macedoniæ & Græciæ. Cacanus Thrax Hunnorum Rex modo huc, modò illuc undique discurrebat. Penè totam Asiam Persæ occupaverãt, Ægyptum Saraceni vastaverant. Proh dedecus! nostræ vires adeo defecerant per luxum & libidinem, ut Imperium Romanum solo nomine constaret.*

Paulus Jovius Episcopus initio Historiarum suarum. *Postquam Cæsarum potentia fato cessit, quæ quondam sublatis undiq; Regibus cuncta uni parere coegerat, cum ferocissimi quisq; populi pristinæ libertatis memoriâ rebellarint, nobilissimum Imperium alio atque alio barbarorum impetu convulsum atque dilaceratũ in minora regna & multorum ditionem abiisse, manifestum est.*

Lib. 17. Hist. *Ægyptus post interitum Romani nominis Constantinopolitanis Imperatoribus cessit.*

Onuphrius Panvinus in Comment. lib. 3. Fastor. *Sub hoc Principe* (Phoca) *Romanum Imperium ita a barbaris hinc inde vastatum est, ut vix ejus nominis umbra staret.*

Bodinus in Meth. Histor. cap. 7. *Imperator in angulum Germaniæ detrusus vix centesimam partem orbis terrarum superstitem habet.*

Nec diffitentur recentiores Theologi Scriptores Pontificii, qui Lutheri tempore & post Lutheri tempora vixerunt.

Johan. Fischerus Roffensis Episcopus contra Luther. art. 34. *Provincias multas Europæ Turca occupat, & qui eas incolebant Christiani, partim cæsi, partim acerbissimo servitutis jugo subacti sunt.*

Jacobus Faber Stapulensis in 2. Thess. 2. *Ubi, quæso, nunc est Romana Monarchia? ubi, qui in ea mundi regat habenas? cùm & videamus Monarchiæ caput etiam ab ea deficere; quam, obsecro, nunc Roma suo Regi præbet obedientiam? & nescio, quibus temporibus potuit major defectio apparere.*

Bossius de ruinis gentium advers. impios Politic. lib. 7. cap. 3. *Imperatoris potestas nunc adeò est extenuata, viresque omnium Germanorum adeò accisæ, ut ad desperationẽ videantur adductæ.*

Salmeron Disp. 2. in 2. Thess. 2. tom. 15. p. 387. *Imperium illud Romanum jamdiu eversum est, & in multa regna dissipatum & quasi extinctum. Nam qui nunc est & vocatur Imp. Rom. tenuissima quædam umbra est imperii antiqui, usque adeò, ut ne ipsam quidem urbem Romam, unde nominatur, possideat, & per multos annos defecerunt Imperatores Romani.* (Non probamus hoc Salmeronis effatum, quia Romana Monarchia adhuc durat & ad finem mundi durabit, interim Bellarmino illud fortissimè opponi potest.)

Dominicus à Soto lib. 4. Sent. dist. 46. q. 1. art. 1. per ἀποστασίαν statuit, *accipiendam esse duplicem discessionem, unam ab imperio civili & temporali, alteram à potestate spirituali & Ecclesiastica, quam Rom. Pontifex obtinet, ac priorem discessionem jam extare asserit, cum temporale Romanæ urbis Imperium jam cessaverit, posteriorem adhuc expectari per defectionem totius orbis à Sede Romana, in cujus Sedis potestatem fuit temporale illud Imperium commutatum.* (Sed posterioris hujus defectionis nulla in Scripturis extant fundamenta, quòd sc. illa pro signo adventus Antichristi sit habenda, interim probè notandum, quòd Dominicus à Soto fatetur, *defectionem ab Imperio Romano per translationem potestatis civilis in Rom. Pontificem jamdum esse factam.*)

Pererius in Com. cap. 8. Danielis. *Mahumetes parva habuit initia, nũc autẽ ejus sectatores & alumni, Turcas dico, triũ mundi partiũ magnã ex parte Imperiũ possident Asiæ, Africæ & Europæ.*

Benedictus Juſtinianus in 2. Theſſ.2. *Jampridem Rom. imperium in anguſtias redactum eſt, ut vix tenuem quandam umbram imperii retineat.*

Baronius Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto §. 1. cùm videret, non tantùm Imperatorem eſſe Græcum, ſed ne Conſules quidem Romanos. *Sic*, inquit, *Occidentale imperium (quod erat Romanum) penitùs collapſum eſt, & devolutum ad Barbaros.*

Barradius in Concord. Evang. tom. 1. lib. 4. cap. 4. *Judæis negantibus Chriſtum veniſſe, quia Imperium Romanum adhuc ſtet, reſpondetur*, inquit, *non extare Romanorum Monarchiam, ut eſt compertum.* (Cum quo congruit illud Salviani. lib. 4. de gubernat. Dei p. 116. *Rempubl. Rom. aut jam mortuam eſſe, aut extremum agere ſpiritum.*)

Barradius tom. 3. lib. 9. cap. 5. n. 27. *Advertendum hoc loco, à Romano Imperio jam his temporibus diſceſſiſſe Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Ægyptum, Syriam, Græciam, Aſiam minorem, Africam, Angliam*, (En diviſionem Rom. Imperii! *quæ non Romanis Imperatoribus, ſed aliis Regibus parent. Jam ergo à Romano Imperio facta eſt maxima diſceſſio & apoſtaſia, ſed id, quod ex Imperio reſtabit, ipſumque Romanum Imperium, quod tunc erit, delebit verum monſtrum Antichriſtus, atq; ad finem usq; mundi Romanus permanebit Principatus.*

(Ad diſtinguendum inter *vetus Imperium* & *novum*, ſive inter ordinem veterum Imperatorum, qui in Auguſtulo expiravit) à quo ad Carolum usque Magnum, h. e. ab Anno 475. ad 800. neque ullus ex Occidente fuit Imperator, nec Imperator Orientis occidentale Imperium tenuit. Extorſit quidem partem Italiæ Juſtinianus, ſed reliquam Italiam Gothi primùm, deinde Longobardi poſſederunt, Provinciæ verò Occidentis pleræque omnes à ſuis quæque Regibus tenebantur) & *novorum* ſeriem, quæ in Carolo initium ſumſit.

De veteri verò Imperio loqui Apoſtolum, patet 1. *Ex adjuncto temporis, Tantùm, qui nunc tenet*, id eſt, ordo Imperatorum, qui nunc Imperium tenet, *teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur iniquus ille.* Ergo Apoſtolo non eſt ſermo de novo Imperio, quòd nondum tum extiterat, ac proinde neq; tum temporis tenere Imperium, atque detinere Antichriſtum potuit, ſed de veteri, quod tunc toti orbi erat fulgur & fulmen belli formidabile.

2. *A detinendi poſſibilitate.* Veteres Imperatores, quia urbis & orbis Domini ſalutabantur, gaudebant eâ poteſtate, quæ quaſi repagulis quibusdam conatus Antichriſti maſculè retardavit. Hi ergo Imperatores fatis debebant priùs concedere, antequã univerſale ſuum dominium exerceret. Nudus verò titulus & nomen Imperatoris Romani (quæ juxta multorum Pontificiorum aſſertionem hodie ſola ſuperſunt) in Germania, cohibere Antichriſti eruptionem ac dominationem minimè poteſt. Nunquid enim titulus Romani Imperatoris in Germania Antichriſto obicem ponet Romæ, quam tamen Salmerone judice non poſſidet, nedum Hieroſolymis, ubi eum collocant, ubi itidem nihil juris Imperator Germanorum habet?

3. *A Romani Imperii in decem Reges diviſione.* De illo Imperio Scripturæ ſermo eſt, quod diviſionis in decem Reges eſt capax. At vetus tantum Imperium non novum, quod nec urbem, nec Provincias poſſidet, ejusmodi diviſionis eſt capax. Neque enim unquam ad expectandam Imperii Germanici in decem Reges diviſionem poſteritatem invitabunt Pontificii. Aut ſi invitare velint, quod Ribera facit, invitabunt nos, ut Romanum Imperatorem, Regem Galliæ, Hiſpaniæ &c. non amplius tempore Antichriſti ſuperfuturos, vel Antichriſti in caſtris illos ſtrenuè tum militaturos ſtatuamus.)

Meritò igitur urgemus, quod Bellarminus Chronol. part. 2. ad Annum 476. Tannerus Dioptr. lib. 3. quæſt. 3. cap. 14. pag. 955. agnoſcunt. *Poſt diviſionem Imperii in Orientale & Occidentale, anno Chriſti 475. imperium occidentale, in Cæſare Auguſtulo expiraſſe ac demùm poſt 320. annos in Carolo Magno eſſe reſuſcitatum.* (Quo tempore Antichriſtus in illa Imperii diminutione ac Gothorum & Exarchorum confuſione regnum ſuum valdè ſtabilire potuit.)

Fevardentius in annot. ad Iren. lib. 5. cap. 26. *Diſſipationem unius Imperii Romani in decem regna per decem articulos pedum ſtatuæ, decemque cornua beſtiæ ſignificata, adventum Chriſti præventuram, poſt Irenæum ex Daniele & Apocalypſi colligit Theodoretus, & ut Hieronymus fatetur, omnes Scriptores Eccleſiaſtici.*

Quæ ſint autem illa, haud difficile reprehendent, qui Hiſtorias Romanorum à temporibus Arcadii, Honorii & Theodoſii ad hanc usq; ætatem percurrerint. Ab illis enim ſeculis comperient in Europa Hiſpanos, Gallos, Anglos, Germanos: in Africa Carthagineſes, Numidas, Ægyptios: in Aſia Syros, Armenos, aliosq; multos variis licèt modis jugum Imperii Romani excuſſiſſe. Atq; etiam nunc in ſola Europa conſpicimus Poloniam, Sueciam, Norvegiam, Daniam, Britanniam, Galliam, Hiſpaniam, *Siciliam, Italiam, Hungariam, decem clariſſima & potentiſſima regna, ab Imperii Romani obedientiâ ſe ſubduxiſſe, imò & illud attriviſſe, ut vix quoddam illius inane ſuperſit ſimulachrum.*

Bellarminus ipſe lib. 2. de Rom. Pont. cap. 2. §. Prædicit. *Romanum Imperium jam ferè deletum eſſe, cernimus.* (Sive ergo
hanc ἀποστασίαν, de qua Paulus loquitur 2. Theſſal. 2 v. 3 accipia-
mus *de diſceſſione à fide*, quomodo eam Spiritus Sanctus in aliis
Scripturæ locis exponit, quam expoſitionem ſequuntur Irenæ-
us lib. 5. p. 328. Chryſoſtomus homil. 3. in 2. Theſſal. Auguſtinus
lib. 20. de Civitate Dei cap. 19. Damaſcenus lib. 4. orth. fid. cap.
27. Theophylactus in 2. Theſſal. 2. ſive *de defectione ab Imperio*,
quomodo exponunt Lactantius lib. Inſtitutionum cap. 15. Hi-
eronymus ad Algaſiam q. 1. Ambroſius in 2. Theſſ. 2. &c. utrum-
que eſt completum.)

5. Quod 2. Theſſal. 2. v. 6. 7. *antequam è medio tolleretur*, ob-
ſtitiſſe dicitur patefactioni Antichriſti, non eſt *Romanum Im-*
perium, (quippe quod ex oraculo Prophetico non interiturum
ante finem univerſalem didicimus,) ſed *terror imperii* juxta
Chryſoſtomum, ac *dominium Imperatorum in ipſam Roman.*
Hoc enim neceſſum erat è medio tolli, ſi deberet plenario
jure introduci Antichriſtus. Septem illa priora regimina ipſi-
us urbis ceſſare ante debebant, quam octavus Rex ex ſeptem
colli urbe ſuam potentiam jactaret. Apoc. 17. v. 9. & ſeqq.

Crantzius lib. 5. Metrapol. cap. 1. *Cum virtus in Imperio elan-*
guit, auſi ſunt Pontifices eos contemnere.

Non eſt, quòd urgeant phraſin, è medio tolli. de ea enim E-
ſtius in Comment. 2. Theſſal. 2. v. 7. ſic ſcribit; *Phraſis illa, de me-*
dio fieri, pro eo, quod eſt è medio tolli, perdi, aboleri, nusquam alibi
reperitur, ſed Hebræis è medio ſignificat ſeparationem alicujus,
aut aliquorũ ab aliis, ut Matt. 13. Exibunt Angeli, & ſeparabunt
malos è medio juſtorũ. Et 2. Cor. 6. Exite de medio eorum & ſepara-
mini. Nã & illud, quod dicitur 1. Cor. 5. ut tollatur de medio veſtrũ,
qui hoc opus fecit, non interitum, ſed ſeparationẽ ſignificat. Poſtea
ſenſum hujus loci dicit eſſe eũ. *Myſteriũ iniquitatis nunc agitur,*
erupturum aliquando in apertam apoſtaſiam, interim verò, dum
agitur, quicunq; tenet Chriſtum & veram ejus religionem, firmi-
ter retineat, donec de medio Eccleſiæ fiat apoſtaſia, hoc eſt, magna
illa defectio, quâ regna & populi ab Eccleſia recedunt. Hic ſenſus,
inquit, *optimè congruit cum iis, quæ de apoſtaſia ſuperiùs dicta ſunt.*
At ſtante hac explicatione non poterit ex loco Apoſtolico
probari, *omnimodam Imperii deſolationem eſſe præceſſuram*
Antichriſti adventum.)

6. Quidam hanc *omnimodam Imperii deſolationem*, Anti-
chriſti adventum præceſſuram, probare cupiunt ex Daniel. 2. v.
41. ubi dicitur, *regnum diviſum iri.* Sed Cornelius à Lapide
in illum locum ſic commentatur, *Imperium Romanum ibi præ-*
dici fore diviſum, id eſt, differens viribus & enervandum. Et ad-
dit; *Potiſſimum diviſum fuiſſe hoc regnum, dum variæ nationes ſe*
ab ejus obedientia ſubtraxerunt, ſibiq; proprios Reges conſtituerunt,
uti fecerunt Hiſpani, Poloni, Angli, Franci &c. (Diviſione ergo
illa quarti regni, de qua Daniel agit, Imperium Romanum non
excindetur, ſed enervabitur.)

7. De Diviſione Rom. Imp. in decem Reges Antichriſti ad-
ventum præceſſura non conſentiunt Pontificii. Quidam præci-
sè *decem Reges* intelligi putant, non plures, nec pauciores. Sed
Ludovicus Vives in Cõment. lib. 20. Aug. de Civ. Dei. cap. 19.
ſic ſcribit. *Hieronymus in Danielem omnes hoc dixiſſe Scriptores*
ait, futuros circa finem ſeculorum decem Reges, qui Romanum
inter ſe dividant orbem, superventurum undecimum Antichri-
ſtum. Sed hæ ſunt leves conjecturæ.

Suaretz. lib. 5. cap. 22. n. 4. *Auguſtinus incertum eſſe, putat, an*
denarius ille numerus ſignificet univerſam multitudinem Regum
futurorum in Rom. Imperio, priusquam Antichriſtus veniat, an
verò præcisè 10. Reges monſtret. Proſper etiam in dimidio tempo-
ris cap. 8. dubitat, an per illos decem Reges intelligantur trucu-
lentiores Reges, qui fuerunt in religione Chriſtiana.

Et paulò pòſt; *Et in hanc ſententiam videtur inclinâſſe Pere-*
rius

rias lib. 2. in Dan. *Dum per 10. digitos statuæ significari, ait, Romanum Imperium novissimè divisum iri in multa regna, multosque Reges quorum alii potentiores, alii imbecilliores futuri sunt, & ideò digiti partim ferrei erunt, partim testiles.* Et ibidem ait, *per 10. cornua in cap. 7. significari multos Reges.* Idemq; lib. 8. tractans *sententiam Augustini sub disjunctione loquitur, dicens, negari non posse, quin, quo tempore venturus est Antichristus, futuri sint in orbe Rom. decem Reges, vel multi Reges.*

Et num. 16. ait, *esse rem in opinione positam. Nam Patres pro secunda sententia allegati non tradunt illam ut certam, imò nec vim faciunt magnam in præciso ac proprio numero denario, sed in divisione Imperii in plura regna, & utuntur illo numero, quia Scriptura ita loquitur. Constat autem, numerum denarium esse unum ex his, qui in S. Scriptura pro multitudine magna, vel universali sumitur.*

Et num. 7. concedit, *posse quidem numerum denarium pro certo poni,* id tamen ita exponit; *etiamsi fortasse plura regna parva, vel Principatus minores eo tempore in orbe Romano esse possint, nihilominus omnia poterunt ad 10. principalia regna & quasi capita revocari.*

Idem Suaretz lib. ejusdem cap. 9. num. 15. *Imperium Romanum esse dividendum in decem vel plura regna Rom. Imperii sub Regibus, qui illud inter se divisum occupabunt, hoc certissimum est. An verò per decem illa regna omninò extinguendum sit nomen & dignitas Imperii, aut Imperatoris, aut Regis Romanorum, hic modus eversionis incertus est.*

Quinimò Michael Christophorus de Antichr. part. 2. pag. 49. negat *quenquam Catholicorum unquam somniasse, Romanum, quod nunc est, Imperium dividendum fore in decem Reges.*

Paulò molliùs progreditur Ludovicus Alcasar cap. 12. Apoc. p. 587. *Opinio,* inquit, *asserens mundum sub Antichristi tempus in 10. Reges divisum iri & horum tres ab Antichristo delendos, septem reliquos subigendos fore, hæc, inquam, opinio non adeo certa est, ut Ribera contendit. Nam quamvis Hieronymus eam Ecclesiasticis Scriptoribus adscribat, non tamen vult, eam ab omnibus certam reputari, sed solùm eam fuisse communem ac vulgarem omnium opinionem.*

Frustra igitur nos urgent, ut monstremus, illam divisionem Imperii in decem regna. Præterquam enim, quod numerus denarios juxta ipsos est h. l. indefinitus, non agitur de divisione quæ eversionem secutura, sed quæ constante Imperio futura. Ea verò jam olim præcessit. Fevardentius in lib. 5. cap. 26. Irenæi. *Etiam nunc in sola Europa conspicimus Poloniam, Sueciam, Norvegiam, Daniam, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam, Hungariam, decem clarissima & potentissima regna ab Imperii Rom. obœdientia ita se subduxisse, imò & illud attrivisse, ut vix quoddam illius inane superfit simulachrum.*

Tertia demonstratio hæc est. *Enoch. & Elias circa adventum Antichristi ridibunt, Antichristo se opponent, ab eo occidentur & post tres dies reviviscent.* Malach. 4. Siracidis 44. & 48. Matth. 17. Apocal. 11. *Atqui Enochus & Elias nondum redierunt. Ergo Antichristus nondum venit.* Bellarm. lib. 3. de Pont. Rom. cap. 6.

Resp. 1. Non diffitemur multos ex veteribus statuere, *Enochum & Eliam in propria persona ante diem judicii redituros.* Sed notanda opinionis hujus origo. De Elia erroris causa est editio Græca librorum sacrorum, in quibus locus Malach. 4. sic legebatur, καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην, *Ecce mitto vobis Eliam Thesbitem;* manifesta depravatione, pro *Elia Propheta.* Inde factum, ut de ipso Elia Thesbita Malachiam loqui existimarint. De Henoch autem sic scribit Aretas in cap. 11. Apoc. περὶ δὲ τοῦ Ἐνὼχ μαρτυρίαν μὲν ὅσον πρὸς τὴν παρουσίαν ἀπὸ τῆς γραφῆς οὐκ ἔχομεν, πλὴν τοῦ διὰ μεταθέσεως ἀπαθανατισθῆναι. λόγος δὲ φέρεται ἐκ παραδόσεως φοιτῶν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπαραλλάκτως, καὶ αὐτὸν ἥξειν μετὰ Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου. *De Enoch testimonium nullum, quod attineat ad ejus præsentiam, habemus ex Scriptura, sed tantùm per translationem immortalitate donatum esse. Verùm fertur sermo ex traditione pervadens Ecclesiam invariatè, ipsum etiam venturum unà cum Helia Thesbite.* Ergo altera opinio est à corrupta versione, altera ex incerta traditione.

Hentenius præfat. ad Aretam in Apoc. *Non dicitur hic,* (in Apocal.) *vel alibi in Scripturis, quòd Henoch & Elias testes futuri sint.* (Ergo opinio illa de advẽtu Henochi & Eliæ est ἄγραφος.

2. Sixtus Senensis lib. 7. Biblioth. sanctæ hæres. 3. pag. 491. (mal. edit. pag. 576.) de loco Malach. 3. v. 1. sic scribit. *Quod improbi Anabaptistæ subdunt, Malachiæ testimonium non de Johanne Baptista, sed de Elia intelligi, commentum est ac fabula Judæorum nostri temporis, qui per Angelum missum ante faciem eundem Angelum intelligunt, quem statim post Malachias appellat Angelum Testamenti seu fœderis. Hunc Judæi Heliam esse putant, quia ille zelum habuit pro fœdore circumcisionis, proinde semper, cùm puerum circumcidunt, in omni circumcisione adornant Heliæ sellam, putantes, Spiritum Heliæ præire ante faciem pueri circũcidendi, tanquã pro circumcisionis Testamento pactoq; zelantẽ. Judæi quoq; tempore Hieronymi primã partẽ istius vaticinii, scilicet, Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam, de Helia interpretabantur, sequentia verò, Et statim adveniet ad templum suũ dominator Dominus & Angelus Testamenti, quẽ vos vultis ad ἠλειμμένον suum, (ut Hieronymi verbo utar) hoc est, ad Christum suum, quem credebant & adhuc credunt ultimo tempore venturũ, referebant. Verùm Christus redemptor noster docet, de quo prophetia hæc intelligenda sit, nempe de præcursore suo Johanne Baptista, qui Angelum egit in officii dignitate & vitæ sanctitate, inquiens. Hic est enim, de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante me. Nec obstat, quod Anabaptistæ unà cum recutitis Judæis dicunt, Prophetã Malachiam seipsũ declarare infra quod de Helia loquatur, cùm dicit cap. 4. Ecce ego mitto ad vos Heliam Prophetam, quoniam Angelus apud Lucam cap. 1. & Christus apud Matthæum cap. 11. eadem verba de Johanne Baptista exponunt. Si vultis scire, inquit Christus ipse est Elias, qui venturus est, ideo Helias per similitudinem dictus, quia in virtute & Spiritu venit Heliæ, hoc est, parem habens Spiritus sancti mensuram, vel gratiam, vel meritum, eandemq; vitæ austeritatem ac mentis rigorem.* (Sic ergo ex ipsius Christi & Angeli expositione Sixtus Senensis nostram contra Bellarminum probat sententiam, quin & respondet ad contrarium Bellarmini argumentum, quando subjungit) *Quod autem additur, Heliam venturum ante diem magnum & terribilem, neminem movere debet, quasi ad Johannem, qui non in secundo, sed in primo Christi adventu venit, aptari non possit, quoniam in sacris literis dies magnus Domini ac terribilis, non solum de secundo Christi adventu ad judicium, in quo venturus est Helias, sed etiam de primo Christi adventu in carnem, quem Iohannes præcessit, intelligi solet. Dicitur autem primus Christi adventus secundum carnem dies Domini magnus & terribilis, vel propter excæcationem & ruinam Hebræorum terribilem in eo factam, vel ut Beda inquit propter diem nativitatis & passionis Christi, qui à Petro Apostolo ex testimonio Joelis Prophetæ appellatus est dies Domini magnus & manifestus, eò quod cum Christo nato novum sidus emicuit & eò crucifixo Sol obscuratus est, Luna non dedit lumen, terra contremuit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt & multa corpora sanctorũ, quæ dormierant, magno spectantium terrore per urbem discurrere visa sunt.*

Arias Montanus in cap. 4. Malach. Hentenius in præfat. ad Comment. Aretæ in Apocal. Iohannes Ferus in cap. 11. Matth. &c. locum Malach. 4. *de solo Iohanne Baptista* explicant.

De eodem loco Malach. 4. Cornelius Jansenius in Comment. Malach. sic scribit *Calvinus & alii nonnulli Catholici, Burgensis, Arias, Clarius, Eliam, censent, esse Ioh. Baptistam, quia de eo Christus ad hunc Malachiæ locum respiciens, Matth. 17. v. 10. ait, Elias jam venit, scil. Ioh. Baptista, uti mox explicat S. Matthæus & cap. 11. v. 14. Omnes Prophetæ & lex usq; ad Iohannem prophetârunt, & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* (Hæc expositio probatur testibus omni exceptione majoribus, videl. Christo Matth. 11. v. 24. & Gabriele Archangelo Luc. 1. v. 17.

Cornelius Jansenius in cap. 28. Sirac. *vaticinium Malachiæ non in propria Eliæ persona, sed in eo, qui venturus erat in Spiritu & virtute Eliæ, implendum fuisse,* docet, *nec posse contrarium ex Siracide probari.* Male id habet Bellarminum, inde loco proximè citato sic scribit. *Non possum satis mirari, quid Episcopo Iansenio in mentem venerit, ut exponens locum Siracidis scriberet, Etiamsi opinio sit omnium veterum, Heliam venturum, tamen non convinci ex hoc loco. Dici enim posse; Ecclesiasticum id scripsisse, secundum receptam suo tempore opinionem, quã creditum fuit ex verbis Malachiæ, Heliam verè in sua persona venturum ante Messiam, cùm id non esset implendum in propria ejus persona sed in eo, qui venturus erat in Spiritu & virtute Eliæ.*

Joh. Ferus in cap. 11. Matth. super verba. *Ipse est Elias. Iohannes ipse est Elias, quem Malachias sub nomine Eliæ promisit. Atq; his verbis respondet tacitæ quæstioni. Persuasum enim omnibus erat, Eliam venturum, antequam Messias veniret, quem quia nondum videbant, de Christo dubitabant.*

Et paulò post. *Post Iohannem igitur nihil aliud expectandum, quam dies Domini magnus & terribilis, id quod in eodem Prophe-*

propheta sequitur. *Contemnentibus enim Dei misericordiam nihil aliud restat, nisi Dei justitia, id quod Iudæis evenisse, nunc cernimus. Venit Iohannes, prædicavit: sed quia noluerunt credere, subsecuta est dies Domini terribilis, judicium scil. Dei, tempore Titi & Vespasiani & percussit terram anathemate.*

Alcasar in Apoc. 13. v. 3. *Illud Malachiæ. Ecce ego mittam vobis Eliam, de Iohanne Baptista Domini præcursore explicat Angelus Luc. 1. v. 17.*

Idem in Apocal. 11. v. 3. notat. 6. *Certum est, Malachiæ locum de spirituali Eliæ adventu in persona Iohannis fuisse à Christo Domino explicatum, Matt. 11. v. 14. & 17. v. 10. ubi nota, verba illa, Elias quidem venturus est, ita posse explicari, quasi dicat, certum ex Scriptura esse, Eliam fore venturum, nempe ante primum Domini adventum, nimirum spiritualiter.*

3. Ad locum Ecclesiastici 44. *Henoch placuit Deo & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Cornelius Jansenius in Comment. sic annotat. *In Græco est ὑπόδειγμα μετανοίας, exemplum pœnitentiæ, ut scil. ex ejus translatione omnes intelligentes, Deo curæ esse, qui illi student placere, etiam ipsi à mala sua vita convertantur & pœnitentiam agant, Deo se commendare studentes: vel etiam aliter, qui cum viveret, erat omnibus exemplum pœnitentiæ, nimirum, qui sua sancta vita hominibus sui seculi docebat pœnitentiam & ad eam trahebat.*

Benedictus Bererius in cap 5. Genes. lib. 7. Comm. n. 137. *Videtur esse lectionis Græcæ* (apud Siracidem cap. 44. v. 15.) *sententia, Deum idcirco transtulisse Henoch virum sanctissimum, ut eo intelligeretur, viros innocentes & pios cordi & curæ esse Deo & improbi tam mirabili exemplo permoverentur ad pœnitentiam agendam, vel significatur, Henoch esse translatum, quia, dum viveret, omnibus erat eximium pœnitentiæ exemplum.*

Ludovicus Alcasar in cap. 11. Apocal. *In exemplum resipiscentiæ Enochus translatus est, ut intelligeretur, viros innocentes & pios cordi & curæ esse Deo, & improbi tam mirabili exemplo permoverentur ad agendam pœnitentiam.*

Vatablus locum Genes. 5. de translatione Enochi sic interpretatur. *Deus assumsit eum in cœlum, donavitq́; eum immortalitate.* (Ergo non redibit ad hanc vitam, ut occidatur ab Antichristo.)

Franciscus Suaretz lib. 5. cap. 14. n. 19. sic argumentatur. *Si solùm in exemplum translatus fuit, non certè in Paradisum terrestrem, sed in cœlestem transferendus fuisset, nec in mortali corpore in terra servandus, sed gloriâ & honore statim coronandus.*

4. De loco Matth. 17. Pontificii non consentiunt.

Ribera in cap. 4. Malach. *Rupertus ait. De adventu Eliæ quicquam definire non ausim, quia Doctorum aliqui, quibus ferè consentimus, credunt, eum ad literam esse venturum, alii verò nequaquam, quibus vir illustris B. Hieronymus consentire videtur. Johan. Ferus in cap. 17. Matth.* illam Phrasin, *restituere omnia*, explicat *per Propheticam, convertet corda Patrum &c.* (Atqui hoc Johannes Baptista fecit. Ille ergo intelligitur.)

5. De loco Apocal. 11. variant opinionibus.

Joachimus Abbas in cap. 11. Apoc. fol. 146. scribit. *Neq́; intellectu spirituali, neq́; Historico probari potest, eos testes, quos scribit Iohannes, esse Enochum & Eliam, maximè cùm verba, quæ videantur ex parte aliquantã facere præsumtionem, non videantur tangere Enoch & Eliã, sed potius Mosen & Eliam qui simul, mediante Domino, cernentibus tribus Apostolis, apparuerunt in monte.*

Ibid. *Ita scribit B. Hieronymus, utens autoritatibus veterum & se in eorum sententia circa hoc & circa multa manere demonstrãs, quòd Henoch & Elias mortis necessitate superatâ, ita, ut erant in corporibꝰ de terrena cõversatione, ad cœlestia regna trãslati sunt.*

Thomas de Aquino in Comment. Apoc. 11. statuit, *per istos duos testes intelligi omnes Prædicatores, qui sunt modò & erunt*, qui ideò sub binario ponuntur, quia de *duobus Testamentis accipiunt, quod prædicant*, vel ut Lyranus in cap. 11. Apocal. annotat. *quia Dominus binos misit discipulos ad prædicandum.*

Arias Montanus per duos testes intelligit *legem & Prophetas.*

Ubertinus & Eritsingerus *de Christo & Johanne* exponunt.

Cornelius à Lapide in Comment. dicit, *quosdam Dominicum & Franciscum intelligere.*

Ibid. adducit expositionem Pannonii, juxta quam per duos hosce testes intelliguntur *Ecclesiæ Doctores & Prædicatores, qui duo Testamenta prædicant.*

Estius in annot. ad h. l. memorat, *quosdam duos ordines testium intelligere, unum tempore pacis, qualis fuit Enoch, alterum tempore persecutionis, qualis fuit Elias.*

Cumprimis verò prolixè de hoc loco disserit Loysius (vel Ludovicus) ab Alcasar in Comment. ad cap. 11. Apocal. v. 3 p. 534. edit. Antuerp. quorum summa hæc est. *In sententia de duobus testibus explicanda quatuor sunt viæ. Prima interpretatur de duobus viris tempore Antichristi prædicaturis, atque in hac sunt iterùm divortia. Quidam designant Enochum & Eliam, ut Aretas, Ambrosius, Haymo, Richardus Ansbertus, Strabus, Hugo Cardinalis, Thomas, Dionysius, Clarius, Vatablus, Ribera, Viegas, Suaretz part. 3. tom. 2. Disput. 55. sect. 2. Pamelius ad Tertullianũ, Mendoza in Quolib. Pererius in Daniel. Malvenda lib. 9. de Antichr. Quidam designant Mosen & Eliam, Ambros. in cap. 9. Luc. Hilarius in cap. 17 Matth. Abbas in Ioachim, Catharinus, Arboreus, Gagneus, Maldonatus, Iansenius, in Concord. c. 67. Secunda explicat quidem de tempore Antichristi, sed non de duobus viris, quã incedunt Ticonius, Primasius, Beda, Hortulanus, Pannonius. Tertia explicat de duobus viris, sed non de tempore Antichristi, quæ via varia. Quidam enim primitivæ Ecclesiæ tempus respiciunt & duos illos testes, suspicantur, esse Christum & Iohannem, ut Ubertinus de Casalis & Eitsingerus. Alii inducunt duos illos Sacerdotes, ut Iesum & Ananum, quos occiderant Idumæi. Ita Caponsachius. Nonnulli exponunt de Sylverio Papa & Mena Patriarcha, pugnantibus contra Eutichianos, ut Aureolus, Antoninus, Lyranus, Ederus, Lazarazus. Non defuerunt quoq́; qui existimârunt in his duobus testibus, respici ad Franciscum & Dominicum. Quarta nec de duobus viris, nec de Antichristi tempore exponit, ut per prosopopæiam ficta dicantur illæ personæ. Sententia hujus prima semita est existimantium, non agi hic de peculiari aliquo tempore, sed de cunctis Christianæ fidei sæculis. Quam sententiam sequitur Pannonius, dum ait, duos illos testes esse omnium temporũ veritatis assertores duobus Testamentis subnixos. Quò spectat Arias Montanus, qui asserit, testes illos duos esse legem & Prophetiam. Altera semita,* quam Alcasar calcat, *in primitivæ Ecclesiæ tempore subsistit, atq́; figurã duorum testium spiritualiter esse explicandam contendit. Hæc sententia autores habet eos, qui arbitrantur à cap. 4. Apoc. usq́; ad 11. sermonem esse de modo, quo Deus se gessit cum populo Judaico sub primitivæ Ecclesiæ tempora; cap. 12. usque ad 20. de actione Dei cum populo gentili. Quæ sententia* judicio Alcasaris *est autoritate gravissima, firmamentis certissima*, unde statuit, *hosce duos testes esse magnam sapientiam & magnam sanctitatem ministrorum Evangelii*, quam sententiam reprobanti respondet ex Hieronymi Epist. 148. *De Enoch & Elia, quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros, non est istius temporis disputatio, cùm omnis ille liber, aut spiritualiter intelligendus sit, aut fabulis acquiescendum.*

Porrò, præmissâ earum objectionum solutione, quas priorum sententiarum assertores interserere poterant, progreditur ad Scripturæ testimonia reliqua, quæ pro corporali Enochi & Eliæ adventu allegantur. Primus est 4. Reg. 2. v. 11. ubi dicitur *Elias curru igneo in cœlum adscendisse. Id tamen non videtur, inquit, convincere. Nam similiter dicitur de Enocho Gen. 5. v. 24. Ambulavit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Qui autem ajunt, hanc esse Ecclesiæ traditionem, non minus de Enocho, quàm de Elia loquuntur, cùm tamen Ambrosius, Hilarius, Catharinus & Maldonatus affirment, non Enochum, sed Mosen cum Elia venturum. Locus ergo ille non planè convincit. Alter locus est Ecclesiastici 48. v. 9. & 10. Resp. Prima hujus loci pars eadem est cum verbis 4. Reg. 2. In secunda verò parte dici posset, Ecclesiasticum loqui quidem secundum rei ipsius veritatem, loqui tamen de spirituali adventu Eliæ. Neq́; obstat, quòd in contextu ad ipsam Eliæ personam dirigatur sermo. Nam loquendo cum persona ejusdem & respiciendo spiritualem ejus adventum in alterius persona Eliæ ipsi potuit elegantissimè dici. Tu scriptus es à Malachia, mittendus esse præcursor Messiæ. Pro cujus intelligentia advertendum est, Ecclesiasticum ibi congerere laudes veri Eliæ, sed ad ipsius quoq́; Eliæ laudes spectare, quòd Ioh. Baptista in illius Spiritu & virtute venerit. Quid enim magnificentius, quàm Eliæ nomen ita esse illustre atq́; gloriosum, ut ejus imitatio ac nomen potuerit Ioh. Baptistam supremum Christi prodromũ honorare &c. Tertius locus est ex Malach. cap. 4. v. 5. Quem locum, quamvis Maldonatus, Toletus, Pererius contendant, explicandum omninò esse, de proprio veri Eliæ, nõ de spirituali adventu, Hieronymus tamen explicat de universo Prophetarũ choro, sive de Prophetia. Et Jansenius in locũ Eccl. 48. vult, Malachiam non agere de personali Eliæ adventu, sed de spirituali nimirum Johannis Baptistæ. Et meâ quidem,* inquit Alcasar, *sententiâ certum est, Malachiæ locum de spirituali Eliæ adventu in persona Iohannis fuisse à Christo explicatum. Ubi nota, verba illa, Elias quidem venturus est, ita posse explicari, quasi dicat, Certum quidem ex Scriptura esse, Eliam venturum*

rum ante primum Domini adventum spiritualiter, porro ad Enochi reditum stabiliendum, qui affertur locus, primus est Gen. 5. v. 24. Resp. ex hoc loco non videtur efficaciter probari, Enochum, ut contra Antichristum prædicet, venturum cum Elia & unà cum ipso fore occidendũ. Constat enim stante adhuc hoc ipso loco aliquos ex gravissimis autoribus & inter eos Ambrosiũ atq; Hilarium sibi persuadere, non Enochum cum Elia, sed Mosen ad prædicandum venturum. Quam sententiam nostrâ ætate sequuntur Catharinus, Arboreus, Gagneus, Arias Montanus & alii. Sequitur alter locus Eccl. 44. v. 15. Henoch placuit Deo & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiã. Veruntamen textus Græcus non cogit, ut explicemus de Enochi adventu, ut notavit Jansenius. Græca enim ad verbum sonant. Henoch placuit Domino & translatus est, documentũ pœnitentiæ ætatibus seu generationibus. Absq; eo autem, quod Enochi adventus affirmetur, prædicta verba videntur aliter aptè posse explicari, nimirum, ideo Deum abstulisse Enochum, ut miræ illius rei recordatio in posterorũ seculis & ætatibus admoneret peccatores, à Deo assumi sanctos viros & ex sceleratorũ convictu secerni, quia non meretur mundus illos apud se habere, quorũ mores adeò sunt diversi atq; cõtrarii depravatis mundanorũ hominũ moribus. Licet igitur videat Alcasar, graves Theologos asserere, Enochi & Eliæ adventũ ad contradicendum Antichristo, esse traditionem Ecclesiæ & proinde de fide, aliis tamen non ita certum videri, ait. Inprimis enim de Enocho id negant Hilarius, Ambrosius & nonnulli ex Theologis junioribus. Deinde eam traditionem non videntur recipere, qui Enochum immortalitate donant, Procopius Gazeus in Genesin, vel qui dubitant, an sint immortales, ut Gregorius Nazianzenus, quem refert Pamelius. Eugubinus etiam illis immortalitatẽ tribuit, quem refert Suaretz parte 3. tom. 2. Disp. 55. & favere, ait, Epiphanium & Hieronymum. Præterea non defuêre qui in dubium revocarint, num reverâ sint Enochus & Elias venturi, de quo videri possunt, quæ scripserat Hentenius & contra eum Pererius in Danielem. Ad hæc Suaretz ait, non esse de fide, sed disjunctivè, aut esse de fide, aut proximum fidei. Pererius vero solum ait, esse communem sententiam & ab antiquis temporibus in populo Christiano receptam, & Jansenius Eccles. 48. plane asserit, non esse de fide.

6. Ipsimet Pontificii non consentiunt, quinam sint illi duo testes tempore Antichristi redituri. Blasius de Viegas in Comm. Apoc. 11. sect. 7. p. 452. sic scribit. Joan. Arboreus lib. 11. suæ Theosophiæ cap. 11. Ambrosius Catharinus in Comm. Gen. 3. & Abbas Joachim. in c. 11. Apoc. existimârunt, Mosen simul cum Enocho & Elia futurum præcursorem secundi adventus Christi. Idemque sentit Gagnæus in Comm. Apoc. 11. quanquam enim illum obiisse fateatur, nihilominus tamen existimat, a mortuis eo tempore excitandum & sese Antichristo oppositurum.

Et postea. Manifestum relinquitur, Mosen non venturum esse Antichristi tempore, contrariamq; opinationem esse omninò improbabilem, ut mirari satis non possim, Iohannem Maldonatum in cap. 17. Matth. ausum fuisse damnare non solum temeritatis, sed etiam impudentiæ communem hanc sententiam.

Huc referri potest, quod Johannes Fridericus Lumnius de vicen. extrem. judic. lib. 1. cap. 14. pag. 80. de Eliæ socio dubitanter loquitur. Pro certo, inquit, tenere debemus, quod Elias cum Enoch vel cum Mose, ut quidam opinantur, venturus sit. Itemq; quod Blasius de Viega in Comment. Apoc. 10. p. 430. scribit, Plerosq; in eam ire sententiam, Iohannem simul cum Enocho & Elia extremis mundi temporibus venturum & fidem Christi adversus Antichristum ejusq; sectatores propugnaturum, quam sententiam dicit inter alios amplexum Catharinum in opusculo de hac re & in Comm. super c. 2. Gen. & Georgium Trapezuntium in tractatu quodam super illa verba Ioh. 21. Sic enim volo eum manere, donec veniam.

Barradius tom. 4. Concord. Evang. lib. 9. cap. 4. multis argumentis probat, unà cum Enocho & Elia etiam Johannem Evangelistã ex Paradiso terrestri Antichristi temporibus in has terras rediturum. Primò, quia id significant propriè verba Christi. Sic eum volo manere, donec veniam. Adventus enim Christi propriè dicitur vel primus, vel secundus. Ergo hic locus de pro adventu intelligendus est hoc pacto. Sic sine morte volo eum manere, donec adveniam ad judicandum orbem. Quorsum verò vult eum manere? nimirum ut cum Henoch & Elia Antichristo repugnet. Secundo, nemo Iohannem vidit mortuum, nemo ejus ossa conspexit. Indicium sanè est vehemens translationis in Paradisum terrestrem. Tertio, Antichristi insaniæ occurret Henoch ex lege naturæ & Elias ex lege scripta Mosis. Sanè par esse videtur, ut occurrat etiam aliquis Dux ex lege nova Christi; quæ cum sit cæteris præstantior, præstantiorem mittet Ducem, videl. dilectissimum Domini discipulum, honoris illius summopere studiosum. Forsitan verò una ex causis, propter quas Christus singularem Iohanni amorem ostendit, voluitq; in Evangelio hujus præcipui amoris fieri mentionem, fuit, ut Christiani extremi illius temporis illum maximè ament & venerentur, Christumq; se in illo videre putent, quem Christus singulariter dilexit. Hæc etiam causa videtur fuisse, cur de Antichristo in Apocalypsi revelationem acceperit preclaram. Quarto, Apoc. 10. dicitur Iohanni; Oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis & Regibus multis &c. Hoc vero nondum videtur fecisse, quia Ephesi mansit. Ergo credendum est, Johannem id facturum tempore illo extremo. Quinto, Christus Apostolis omnibus concessit, ut per varios cruciatus in cœlum ascenderent, quæ igitur causa est, cur dilectissimo discipulo tantum hoc beneficium, tantumque honorem denegaverit? cur quod maximè optabat Johannes & flagitabat orando, non est largitus Dominus? Quis enim dubitet, Iohannem martyrii flagrasse desiderio, idq; sæpe à Christo postulasse? Nunquid defuit fortissimo Apostolo ad martyrium animus? minime. Animo defuit martyrium, sed non deerit in fine seculi. Idcirco enim non subiit mortem, ac cruciatus, quia ab Antichristo cum Henoch & Elia Martyrio afficietur & compos fiet desiderii sui, perfecteq; illud Domini implebitur verbum Matth. 20. Calicem quidem meum bibetis &c. Sexto, Iohannes missus est in dolium feventis olei. Cur non est passus Dominus, illum tunc mori? cur magno miraculo vitam illi conservavit? Sanè dicere videtur. Sic eum volo manere, donec veniam, tunc morietur. Denique Christi verba mysteriis plena sunt. Non sine causa ergo dixit, Sic eum volo manere, donec veniam. Neque sine causa discipuli dixerunt; Discipulus iste non morietur. Neque verò Iohannes negat, verum dixisse discipulos, sed ait, Christi verba id apertè non significare; non dixit perspicuè, non moritur, sed sic eum volo manere, &c.

Tandem concludit. Non est contemnenda hæc sententia. Argumenta enim, etsi dissolvi possint, tamen cum autoribus citatis (Theophilacto, Areta, Hippolyto, Metaphraste, Damasceno, Trapezuntio, Catharino,) probabilitatem efficiunt.

Quidam excluso Henocho substituunt Mosen, ut Isidorus Clarius in cap. 4. Zach. cumprimis Maldonatus, qui in cap. 17. Matth. ait, Iohannem in Apocalypsi cap. 11. v. 3. & 6. tam apertè scribere, Mosen & Eliam esse venturos, ut nemo non solùm sine temeritate, sed nec sine impudentia negare possit.

Maldonatum refellit Lorinus in Comm. 2. Petri 1. v. 16. sic disserens. Ioachim Abbas in cap. 11. Apocal. Iansenius in Conc. Evang. cap. 67. Gagnejus in cap. 17. Matthæi, & Apoc. 11. Catharinus in cap. 2. Genes. volunt. Mosen & Eliam ideò in transfiguratione Christi apparuisse, quia ante judicium redituri sint in hunc mundum. Favent alii, qui negant, adhuc Mosen mortuum, aut certè volunt resurrecturum eo tempore, ac denuò moriturum. Sed neutrum esse verum & de reditu, &, quod non sit mortuus, aut quòd sit rursus moriturus, demonstravi suo loco, quemadmodum eadem duo de Iohanne Evangelista falsa censeo ac de Ieremia. Maldonatus in cap. 17. Matth. minus profecto rectè oppositam de Mose opinionem, quæ longe communior & verior est, censet temerariam & impudentem.

7. Ambrosius Catharinus in opusc. de cõsumata gloria Christi apud Viegam in Apocal. cap. 11. Comm. 5. Sect. 4. num. 2. & Augustinus Eugubinus in recognit. Vet. Test. super cap. 2. Genes. statuunt; Enochum & Eliam jam frui visione beatificâ & in corporibus gloriosis in cœlo regnare. (Stante hac hypothesi concidit figmentum, quod tempore Antichristi sint redituri & ab eo occidendi.)

8. Monachi Flagellantes circa Annum 1350. affirmârunt, quendam Begardum de Erfurdia fuisse Eliam, Enoch verò fuisse quendam Conradum de Smet, qui Flagellantium sectam primus in Thuringia publicavit. (Ergo Henoch & Elias ante annos trecentos venissent.)

9. De statu, in quo Henoch & Elias hodie versẽtur, opinionibus plurimũ variãt. Quærunt, an Enochus & Elias sint in statu merendi? Pererius lib. 7. Coment. in Genes. utramq; partẽ tuetur.

Suaretz in Thomam p. 3. q. 59. art. 6. Disput. 55. sect. 1. probabilius existimat, eos jam esse extra statum merendi, cui magno conatu se opponit Blasius de Viegas in Apoc. cap. 11. p. 445.

Quærunt, An in terrestri Paradiso adhuc vivant? Scholastici communi suffragio affirmant, quos sequitur Bellarminus. Sed August. Eugubinus d. l. Iansenius in Concord. Evang. capite 143. Hieronymus ab Oleastro in cap. 2. Genes. Catharinus ibid. Genebrardus lib. 2. Chron. 4. ætat. 1. Bene-

Benedictus Pererius tom.1. in Geneſ. lib. 3. Diſput. 1. quæſt. 5. & lib. 7. quæſt. ult. Suaretz d. l. Blaſius de Viega d. l. p. 447. contrarium ſtatuunt, videl. *Paradiſum jam non exiſtere, ſed aquis diluvii obrutum & plane diſſipatum eſſe, adeoq; Enochum & Eliam in eo non eſſe.*

Plura hujus generis afferuntur inferiùs art. 20. de gratia primi hominis cap. 4.

10. Provocat Bellarminus *ad teſtimonia Patrum, quorum conſentiens ſit ſententia, Enochum & Eliam tempore Antichriſti redituros.*

Sed reſp. ex Blaſio de Viegas p. 452. *Hilarius (an. 20. in Matthæum, & Victorinus in cap. 11. Apocal. putârunt, Enoch non futurum ſecundi adventus Chriſti præcurſorem.*

Ibid. col. 2. *Ieremiam temporibus Antichriſti venturum ſenſit Victorinus in Comment. hujus cap. 11. Apoc. eamq; fuiſſe multorum ſententiam, teſtatur D. Hilarius Can. 20. in Matthæum.*

Itemque ex Sixto Senenſi lib. 1. Biblioth. ſub tit. Jeremias. *Victorinus Martyr, ac alii plerią; vetuſtiſſimi Patres docuerunt, Ieremiam adhuc vivere & unà cum Eliam ultima ſeculi ætate ab Antichriſto perimendum eſſe.* (Quomodo ergo concors eſt Patrum ſententia. Enochum & Eliam tempore Antichriſti redituros?)

Quarta demonſtratio hæc eſt; *Antichriſti perſecutio erit omnium graviſſima & noviſſima, ita ut ceſſent omnes publicæ religionis Ceremoniæ & ſacrificia, Matth. 24. Apoc. 20. Dan. 12. At eorum nihil adhuc videmus. Ergo Antichriſtus nondum venit,* Bellarm. lib. 3. de Pont. Rom. cap. 7.

Reſp. 1. Bellarminus lib. 3. de Eccleſ. cap. 13. *Docet Apoſtolus Epheſ. 4. manſura in Eccleſia miniſteria Paſtorum & Doctorum, & continuam ædificationem corporis Chriſti, & proinde viſibilem Eccleſiam uſq; ad diem judicii.*

Idem docet Nondinus in cap. 1. Exodi, ſic ſcribens; *Nonne hæc ſunt vera Chriſti verba, Ecce ego vobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi? Hæc verba omninò pertinent ad Eccleſiam viſibilem.* (Cum hac hypotheſi non congruit, *ceſſaturas omnes publicas religionis Ceremonias.*)

2. Verba Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi,* (ex quibus Bellarminus h. l. ſuam probat hypotheſin) Granatenſis Dominic. 24. poſt Trinit. conc. 2. Stapletonus in Prompt. morali pag. 617. Coſterus in paraph. Evang. dictæ Dominicæ, Maldonatus in c. 24. Matt. Barradius tom. 3. lib. 9. cap. 3. num. 1. pag. 486. Salmeron. tom. 4. tract. 39. pag. 363. Hoffmeiſterus tom. 2. homil. Domin. 26. poſt Tinitat. Beſſæus in concept. prædicabil. Dominica 24. Franciſcus Lucas Brugenſis in cap. 24. Matth. exponunt *de tempore excidii Hieroſolymitani*, quam expoſitionem probat contextus.

Barradius d. l. ſic ſcribit; *Intelligenda ſunt verba Domini, Erit enim tunc tribulatio magna &c. de Judæis, de quibus loquebatur, hoc ſenſu. Erit tribulatio magna in populo Judaico, qualis in illo non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet, aut erit in eodem Iudæorum populo usque in finem mundi. Verùm, quia Dominus ait: Qualis non fuit ab initio mundi, ſed in Ægypto cœpit conſtari, ſatius eſt intelligere, nullam fuiſſe ubique terrarum tribulationem illi æqualem ab initio mundi neque futuram.*

Regeris, ſtatim ſequi apud Barradium, *verba hæc etiam de Antichriſti tribulatione poſſe intelligi.*

Reſp. aut intelligit eam *in ſenſu literali*, aut *in ſenſu myſtico.* Non poteſt priori modo intelligere, quia unus tantum eſt cujuscunque loci ſenſus literalis, ut fatentur nobiſcum quidam ex ipſis Pontificiis. Si poſteriori modo, urgemus illud Bellarmini lib. 3. de verbo Dei cap. 3. *ex ſolo ſenſu literali peti debere efficacia argumenta.*

Cornelius Janſenius in cap. 122. Concord. Evang. *Dubitandum non eſt, quin Dominus hic præcipuè loquatur de afflictione Iudæorum genti per Romanos inferenda.*

3. Blaſius de Vigeas in Comment. Apocal. 20. initium *mille annorum, quibus Satanas fuit ligatus*, ſtatuit in paſſione Chriſti. (At juxta hanc computationem mille iſti anni jampridem præterierunt.)

4. Locum Daniel. 12. Hugo Cardinalis exponit *de jugi ſacrificio Iudaico, quod Antiochus Epiphanes abolevit.* Si Bellarminus in ſenſu myſtico ad ſacrificium Miſſæ eum accommodare velit, audiat ſeipſum lib. 3. de verbo Dei, capite 3. & lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 12. *ex ſolo ſenſu literali firma & apodictica. ex myſticis ſenſibus nonniſi probabilia ducuntur argumenta.*

5. De jugi ſacrificio Danielis ſic diſſerit Jacobus de Theramo in Compendio perbrevi, *Conſolatio peccatorum* nuncupato & apud nonnullos Belial vocitato ad Papam Urbanum VI. conſcripto anno 1484. pag. retrò numeratâ 32. (deſtituitur ille liber notis numerorum) *De anno,* inquit *ex eis quatuor Regibus ſeu regnis egreſſum cornu unum modicum, id eſt, ad regnum parvum, & factum eſt grande contra Orientem & contra Meridiem, & contra fortitudinem, & iſtud regnum fuit Antiochi, ut 1. Maccab. 1. qui magnificatus eſt uſq; ad fortitudinẽ cœli templi Dei, & dejecit de fortitudine & de ſtellis, id eſt, Prælatis & Pontificibus, & conculcavit eos, in quarum ſtellarũ ſeu Prælatorum loco dejectis veris Prælalatis, & Pontifices poſuit uſq; ad Principem fortitudinis, id eſt, ad verum ſummum Pontificem templi magnificatus eſt, & ab eo tulit juge manè & veſperè duorum agnorum in die, ut Exod. 29. & quod ſacrificium defecit in templo quatuor annis, quia centeſimo quadrageſimo quinto anno Græcorum defecit, quia abominabile idolum ſuper altare Dei poſuit, ut 1. Maccab. 1. & centeſimo quadrageſimo octavo anno Sacerdotes ſacrificium obtulerunt, ut 1. Maccab. 4. Et poſt hoc, Antarco mortuo, ejus ſucceſſor regni Demetrius in templo poſuit Anti Pontificem Alchimum nomine & dejecit locum ſanctificationis, ut 1. Maccab. 7. Robur autem datum eſt ei, ſcilicet regno Antiochi, contra juge ſacrificium Dei propter peccata populi & Sacerdotum, ut proſterneretur veritas ſcil. Legis & Evangelii. Et hæc omnia executa fuerunt per prædictum regnum Antiochi.*

[Ergo per juge ſacrificium intelligitur ſacrificium Judaicum V. non Chriſtianum N. Teſtamenti.)

6. De perſecutione Antichriſti variant Pontificii. Alii namque ſtatuunt, *hanc perſecutionem fore in toto terrarum orbe.*

Quibus tamen contraivit Suaretz lib. 5. de Antichriſto cap. 10. n. 20. ſtatuens, *non totum terrarum orbem, ſed orbem Romanum perſecutionem & apoſtaſiam occupaturam.*

n. 21. ait, *non eſſe neceſſarium, ut totum orbem Romanum talis perſecutio & diſceſſio invadat.*

7. Bellarminus lib. 1. de Sacrament. cap. 9. §. Octavum &c. ſic diſſerit. *Sine Sacramentis religio eſſe non poteſt, proinde tamdiu durare debent Sacramenta, quamdiu religio duret &c. Paulus de Euchariſtia Sacramento dicit. Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis, donec veniat, hoc eſt, durabit hic ritus, quo mortem Domini commemoramus, donec ipſe mundus finiatur, & Dominus ad judicandum veniat.* (Aut ergo Miſſa non eſt verum Sacramentum, aut durare debet usque ad finem mundi.)

8. Experientia teſtatur, veram Chriſti Eccleſiam ab Antichriſto graviſſimam his temporibus ſuſtinere perſecutionem.

Excipit Bellarminus, *perſecutionem, quam noſtri à Pontifice experiuntur, non poſſe comparari cum perſecutionibus Ethnicis. Dicunt quidem hæretici,* (inquit) *ſe magnam perſecutionem ab Antichriſto pati, quia interdum comburuntur aliqui de ipſorum numero. At quæ comparatio eſt talis perſecutionis cum perſecutione Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani & aliorum? Siquidem pro uno hæretico, qui comburitur, mille Chriſtiani olim interficiebantur, idq; in toto orbe Romano exercebatur, non in una ſola provincia &c. Scribit Damaſus in vita Marcellini ſupra 17. millia Chriſtianorum intra unum menſem interfecta &c.*

Reſp. Idem Bellarminus lib. 4. de Eccleſ. capite 13. §. Tempore &c. ſic ſcribit. *Tempore Innocentii III. in Gallia ab octo millibus Catholicorum cæſa ſunt uno prælio centum milia Albigenſium hæreticorum, ut ſcribit Æmilius lib. 6. Hiſtor. Francorum.* (Graviores ſunt Antichriſti perſecutiones, quàm Ethnicæ. 1. Quia hæ in corpora tantum ſæviebant, illæ etiam in animas. 2. hæ ſunt breviores illæ diuturniores.)

Quinta demonſtratio hæc eſt. *Antichriſtus non regnabit niſi tres annos cum dimidio. Dan. 7. & 12. Apoc. 12. At Papa jam regnavit ſpiritualiter in Eccleſia plus quam mille quingentis annis, nec poteſt aſſignari ullus, qui ſit habitus pro Antichriſto, qui præciſè regnaverit tribus annis cum dimidio. Non igitur Papa eſt Antichriſtus, proinde Antichriſtus nondum venit.* Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 8.

Reſp. 1. Si Antichriſtus *per tres annos vulgares & ſex menſes* regnaturus eſſet, præciſè conſtare poſſet de fine mundi. At huic hypotheſi toties contradicunt Pontificii, quoties nobiscum docent, *tempus & annum diei noviſſimæ ſciri non poſſe.*

Sanè Leonhardus Leſſius Demonſt. 13. ac Suaretz lib. 5. cap. 5. num. 17. concedunt, *poſt revelatum Antichriſtum diem judicii præſciri poſſe; & quod Chriſtus ait, de die autem illo nemo*

nemo scit, intelligendum esse de iis, qui Antichristi adventum & tempora novissima antecedunt. Sed alii ex Pontificiis rectius hoc negant.

Didacus Stella in cap. 21. Lucæ tomo 2. pag. 263. *De die illa nemo scit, nec Filius, quatenus homo est ex natura sua, nisi ex unione ad Verbum, nec sciri potest ab aliquo mortali seclusa Dei revelatione.*

Viguerius Instit. Theol. cap. 21. sect. 2. dist. 7. *Quo autem tempore judicium generale fiet, Evangelium non declarat, & ideò cùm pendeat à sola divina voluntate, nullus absque Dei revelatione scire potest. Deus voluit judicium particulare & universale esse incertum, quantùm ad determinationem temporis. Et quamvis quidam temerè ex hebdomadibus Danielis præsumserint figere certum tempus judicii generalis, illis tamen contra verba Evangelii fides non est adhibenda.*

Caspar Scioppius in Syntagm. de Antichr. pag. 79. *Hic mille anni, quibus Satanas ligatur, vocantur totum illud tempus, quod est à Christi ascensione usq; ad Antichristi adventum. Numerus certus pro incerto ponitur. Quod si expressisset numerum, potuisset certò sciri dies extremi judicii.*

(Idem obverti potest hypothesi illi, quod Antichristus præcisè per tres annos cum dimidio regnaturus sit.)

2. Lyranus non planè negat, *per tres annos* cum dimidio Antichristo assignatos *annos Angelicos* accipiendos esse, nam in cap. 12. Danielis incertum esse dicit, *an dies ibi propriè sumatur pro naturali die, vel metaphoricè pro anno.*

Jacobus de Theramo in libro Belial nuncupato pag. 29. antrorsum numerata sic disserit. *Nunc videndum est, quid sit hebdomas. Breviter dico, quod sint anni. Probo. Dies in Prophetis recipitur pro anno, ut Ezechiel. 4. Diem pro anno do tibi. Sed qualibet hebdomada habet 7. dies. Ergo qualibet hebdomada habet 7. annos, ut Exodi 29. & Levit. 25. Numerabisque tibi septem hebdomadas* annorum, quæ simul faciunt annos 49.

3. Barradius tomo 3. lib. 9. cap. 6. *Plures, quam 45. dies post Antichristum ad judicium usque interfluxuros, probatur: quia alioqui occiso Antichristo, imò postquam ille Ecclesiam persequi incipiet, scient Christiani diem judicii affuturum, post tres annos cum dimidio persecutionis & illos 45. dies: quod repugnat dicto Christi: De die autem illa &c. Jansenius Matth. 24. aliud, ait, videri illorum 45. dierum significatum, quod non facilè quis explicaverit. Abulensis quoq; Matth. 24. ejusdem est sententiæ. Secundò probatur, quia verisimile est, Deum Judæis in fine conversis tempus longius daturum, quò possint Christum serò cognitum diutius colere, summumq; in illum amorem mundo patefacere & terram promissionis inhabitare. Nam Ierusalem Christianam & terram promissam Judæos jam Christi cultores inhabitaturos Carthusianus opinatur. Ezechiel. 47. Convertentur, inquit, omnes Judæi in fine seculi ad Dominum Jesum Christum & terram promissionis inhabitabunt. Sed quamdiu tunc vitæ præsentis cursus durabit, (videlicet ab Antichristo usq; ad judicium) non constat. Beda consentit, cùm Israel (inquit Luc. 21.) promissa salute fuerit potitus, patrium quoque rediturus ad solum & metropolis quondam suæ, i. e. Jerusalem possessionem atq; habitationem, gavisurus esse forsitan non temerè speratur. Lege Pannoniũ in Apocal. & Cardinalē Nicolaum Cusanum in conject. de novissimis diebus. n. 37. Quod autem tunc maxima ex parte orbis Christi fidem sit recepturus, Lyranus docet 1. Thess. 5. Doctores, inquit, & Sancti communiter dicunt, quod, mortuo Antichristo & falsitate ejus manifestè detectâ, omnes gentes convertentur ad Christum &c. Qui tamen Doctores & Sancti hoc dicant, non aperit. Ratum hoc habet Lyrani dictum Carthusiensis eodem cap. Verum, inquit, est, quod Sancti affirmant, totum mundum convertendum ad Christum, Antichristo occiso. Quod non est intelligendum tam absolutè, quod singuli convertentur, sed quia tam multi convertendi sunt, quod comparatione eorum alii erunt paucissimi.*

(At hæc Judæorum & Gentilium ad Christum quasi universalis conversio non poterit fieri 45. diebus.)

4. Probant suam hypothesin de regno Antichristi per tres annos cum dimidio duraturo ex Dan. 12.

Sed resp. Ludovicus Alcasar in Apocal. 11. v. 2. not. 2. pag. 529. *Danielis locos licet multi* (Pererius, Serarius, Bellarminus) *ad Antichristi persecutionem referant: mihi tamen dubium non est, quin in sensu saltem proximo sermo sit in capite 12. de tempore, quo duratura erat Antiochi Epiphanis persecutio. quæ non per tres solum annos, ut aliqui sibi persuadet, sed per tres annos & dimidiũ sæviit.*

Probant eandem ex Apoc. 13. v. 5.

Sed respondet Alcasar d. l. n. 4. *Meo quidem judicio evidens est, Apoc. 13. v. 5. sermonem esse de persecutionibus Romani Imperii, quibus Ecclesiam afflixit.*

5. Inde idem Alcasar in Apoc. p. 567. disertè fatetur, quod in accurato hoc calculo non inveniat, ubi pedem figat. *Mihi tamen* (inquit) *adhuc licet dicere, si hanc de Antichristi persecutione explicationem, ut præcipuam, in hoc capite undecimo assumam, me omnino nescire Apocalypseos filum ducere & consequentem texere seriem.*

Et postea. *Veruntamen quemadmodum dimidia hora capitis 8. & quinque menses capitis 9. non sunt in proprio sensu desumpti, sed mysticè: ita etiam convenienter ad Apocalypseos contextum accipiendi sunt hi quadraginta duo menses in sensu mystico, non proprio. Etenim accipere hos numeros dierum, mensium aut annorum, ut sonant, id quidem nequaquam stylo ænigmatico quadrat.* (Cur ergo ad certos annos Pontificii nos obstringere volunt, ad quos Alcasar obstringi renuit?)

6. Apocal. 13. v. 5. ubi mentio fit 42. mensium, per *bestiam* quidam ex Pontificiis intelligunt Romanum Imperium, Bellar. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 15. §. Respondeo. Jam verò certum est, quòd nec antiquum, nec novum Imperium Romanum tantùm duraverit *per tres annos cum dimidio.* Ergo nec de Antichristo hoc possunt dicere.

7. Hentenius præfat. in Comm. Aretæ in Apoc. *Non esset possibile ipsum* (Antichristum) *tam parvo tempore tam multa regna & Provincias obtinere.*

8. Johannes Ferus in cap. 24. Matth. *regnum Antichristi statim temporibus Apostolorum cœpisse*, asserit, cum quo fermè congruit illud Gagnæi in 2. Thessal. 2. ubi locum Apostolicum sic exponit, *quod ipse Antichristus, qui futurus est mysterium iniquitatis, jam operatur, & ut Græci dicunt, ἐνεργεῖται, id est, vim suam profert & exercit in sui similibus & præcursoribus hæreticis & seductoribus.*

9. Ex eo, quòd Antichristus dicitur venturus *novissimis temporibus*, non potest colligi, eum paucis tantum ante mundi finē añis regnaturum, quòd enim 1. Tim. 4. v. 1. *novissimis temporibus* quidam dicuntur venturi, *qui nuptias sint prohibituri & discrimen ciborum introducturi*, illud Pontificii ad Carpocratianos & Encratitas referunt, qui tamen ante aliquot secula venerunt.

Barradius in Harmon. Evang. lib. 2. cap. 4. *Novi Testamenti tempus sic appellatur, quia extrema est mundi ætas. Quemadmodum verò hominis longa senectus potest reliquas omnes ætates annorum numero superare, nihilominus tamen senectus dicitur: sic mundi extrema hæc ætas potest numero annorum cæteras ætates vincere, nec tamen præterea desinet esse ætas extrema & tempus novissimum.* Concludit tandem. *Quid igitur mirum, si tempus post Messiæ adventum, quamvis longum sit, novissimū nominetur?*

10. Pererius lib. 14. in Danielem, Viguerius Instit. Theolog. cap. 21. sect. 3. dist. 4. statuunt, *regnum Antichristi esse modicum illud tempus Diaboli soluti.* Atqui manifestum est, tempore *mille annorum*, quibus ligatus est Satanas, *animas eorum cum Christo regnâsse, qui non adorarunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus*, Apocal. 20. Quo ergo tempore illi denegârunt bestiæ adorationem, eo tempore ipsis à bestia obtrusa illa fuit, eo tempore bestia sæviit, eo tempore abominationem desolationis est molita. At illud factum est mille annis. Ergo tempus bestiæ sive Antichristi non potest triennio & semestri tantùm circumscribi.

11. Daniel. 7. v. 25. Antichristo pagano & Orientali, videlicet Turcæ, eadem periodus adscribitur. Simul enim Tyrannidem suam *Antichristus Ecclesiasticus & paganus, Occidentalis & Orientalis* exercere cœperunt. Constat verò, Tyrannidem Turcæ longè diutiùs, quam tres annos cum dimidio durâsse. Ergo etiam Antichristi Ecclesiastici Tyrannis longius spacium requirit.

12. Insinuatur in his vaticiniis tempus aliquod definitum, sed soli Deo cognitum, præcisè autem quoad nos non exprimitur illud tempus, quot annos duratura sit Antichristi Tyrannis, cùm plenariam ejus destructionem Apostolus cum illustri adventu Christi conjungat. 2. Thessal. 2. vers. 8. Quam ob causā etiam tam variè describitur, modò *per annos*, modò *per menses modò per dies*, eosq; inter se non parùm dissimiles. Interdū attribuuntur Antichristo dies 1260. Apoc. 11. v. 3. interdum 1290,

nonnunquam 1335. Daniel.12.v.11.12. ne quis præsumere audeat, calculum quendam Arithmeticum in hisce ænigmaticis mysteriis subducere.

13. Apocal.11. vers. 3. dicitur, *duos Prophetas*, qui se opponent regnanti Antichristo, *prædicaturos diebus 1260.*

In vers.11. asseritur, quòd Prophetæ isti post mortem suam *jacebunt tres dies cum dimidio insepulti & quarto die reviviscent.* Subducat jam Bellarminus calculum juxta sensum literalem & prodibit talis explicatio. Antichristus regnabit *tres annos cum dimidio*, postea adolebitur per adventum CHRISTI ad judicium. Tot annos prædicabunt duo illi testes, & tandem occidentur ab Antichristo mox perituro. Ergo merientur paulò ante extremum judicium vel in ipso articulo extremi judicii. Postea jacebunt *tres dies cum dimidio*, inhumani & quarto demum die reviviscent, atque sic stante literali sensu hujus vaticinii post universalem resurrectionem mortuorum cum adventu Christi ad judicium & abolitione Antichristi immediatè conjunctam expectanda erit particularis resurrectio horum duorum testium, quod est absurdum & ab ipsis Pontificiis repudiatur.

14. Pleriq; Pontificii statuunt, *Prophetiam Ezechielis & Apocalypseos in idem collimare*, quo præsupposito ex textu contra eos sic procedi potest. Minatur Deus, *Gog casurum in montibus Israelis, seq. ignem missurum in Magog, tuncq; habitatores Hierosolymæ exituros & succensuros spolia igni septem annis, tantamque fore hostium carnificinam, ut à cadaveribus terra purganda sit septem mensibus.* Pontificii verò Antichristiano regno & bello Gogico non integrum despondent quadriennium: & iidem *ab hac Ecclesiæ victoria usque ad extremi judicii diem*, ne septem quidem menses, nedum septem annos, sed non nisi *quadraginta quinque dies superfuturos* contendunt. Igitur vel hoc posterius, vel illud prius commentum fueri oportet. Hanc difficultatem ut evitent, aliter Ribera, aliter Bellarminus progreditur.

Ribera in Apocal.20. num.70. ait, *verba Ezechielis importare non actum, sed potentiam, non quòd cadaveribus sepeliendis septem assignentur menses, sed tantam cadaverum copiam fore, ut si omnia contumulanda essent, septem mensium spacium requireretur.*

Bellarminus lib.3. de Rom. Pontif. cap.17. excipit, *Prophetam non loqui propriè, sed figuratè dicere septem annos pro longissimo tempore.* Riberam confutat ipse textus loquens non de potentia, sed de actu v.13. Vidit hoc Ribera, fatetur igitur, *se verbis Ezechielis adductum cogi contra Bellarminum & receptā opinionem concedere, post Antichristi necem non solum dies quadraginta septem, sed septem annos esse fluxuros usque ad novissimam diem*, Bellarmini sententia seipsam jugulat.

14. Acosta de temp. noviss. lib.2. capite 8. fatetur, *neminem hominum certo scire præcisam regnaturi Antichristi durationem, ac proinde tres illos annos cum dimidio nihil, nisi regni ejus extremitatem, summitatem aut fastigium significare.*

Sexta demonstratio hæc est. *Antichristi adventus erit paulò ante mundi finem. Ergo si Antichristus jamdum venisset, deberet jamdudum mundus esse finitus.* Antecedens probat ex Dan 7. Matth.24.2.Thess.2. 1.Johan.2. Apocal.20. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap.9.

Resp. patet ex proximè præcedentis argumenti solutione. Fatetur ipse Bellarminus hoc loco §. Idem denique, *tempus à primo Christi adventu usque ad secundum ejus adventum & mundi finem vocari novissimam horam, hoc est, novissimum tempus, sive ultimam ætatem.*

Jamdum tempore Sylvestri I. cum Constantinus Romanæ Ecclesiæ amplissima donaria offerret, auditam esse in aere vocem, *Hodie venenum infusum est in Ecclesia*, refert Ferdinandus Vasquius JCtus Hispanus à Philippo II. Hispan. Rege ad Concil. Trident. ablegatus lib. 1. controvers. usu frequent. cap.6. num. 2.

Eodem tempore *hac verba muro palatii Lateranensis per manum quandam inscripta fuisse*, memorat Felix Malleolus de nobilit. & Nauclerus lib.2. generat. Hoc venenum postea in latissimam Antichristianæ potentiæ & Antichristianorum errorum messem excrevit. Huc referenda sunt testimonia, quæ superius magno numero adduximus, quòd Antichristus jamdudum in Ecclesia regnaverit.

Argument. 4. *Si Antichristus venisset atque esset Romanus Pontifex, certo constaret de ejus nomine à Johanne prædicto. At de nomine Antichristi adhuc maxima controversia est. Ergo Antichristus nondum venit, nec est Romanus Pontifex.* Bellarminus lib.3. de Roman. Pontif. cap.10.

Resp.1. Nomen *Antichristi* jam olim fuit Romano Pontifici attributum, ut testantur ea, quæ superiùs adducta.

2. Bellarminus h. l. *nomen & characterem* Antichristi describi agnoscit in verbis Apocal. 13. *Et faciet omnes pusillos cum magnis, divites & pauperes, liberos & servos habere characterem in dextra manu, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere aut vendere, nisi habeat characterem aut bestiæ nomen &c.*

Jam vero Martinus V. Pontifex Romanus in Bulla damnationis errorum Wiclefi & Hussi annexa actis Concilii Constantiensis disertè mandat, *ut, qui nolunt Romanam Sedem pro capite agnoscere, nec domicilia teneant, nec larem foveant, nec contractus ineant, nec negotiationes & mercaturas exerceant, nec humanitatis solatia cum Christi fidelibus habeant.* tom.2. Concil. p. 1168.

3. De nomine *bestiæ Apocalypticæ* Apocal. 13. uti etiam *de bestia* ipsa Pontificii invicem non consentiunt.

Primò, Lyranus per hanc bestiam intelligit *filium Cosroæ Persarum Regis contra Heraclium pugnantem.* Idem statuunt Ederus, Lyzaraszus & Sotus 4. dist. 49. q. 1. artic. 2. citante Alcasare in cap. 13. Apocal. §. 2. de argumento illius capitis.

Secundò, Alphonsus Salmero tom. ultimo fol. 365. statuit, *bestiam illam notare Mahumetum ob bestialem legem, quam tulit, & mores ejus barbaros & beluinos &c.* cum quo consentiunt Antonius, Anninus, Hentenius, Genebrardus &c. ut notat Alcasar. d.l.

De hac opinione sic differit Pererius in lib 23. Disputationum adversus Johannem Annium Viterbiensem Disput. primâ. *Jacobus Clitovæus in suis Commentariis in Damascenum super caput 27. lib. 4. de orthod. ait, multis sui seculi doctissimis viris esse visum, verum Antichristum non fuisse alium, nisi Mahometem, qui omnium maximè contrarius fuit Christo.* Ac licet ibi Clitovæus nihil ex sua sententia decernat, tamen satis apparet, ipsum ad eam opinionem fuisse propensum, sicut etiam fuit Prateolus in litera M. in vocabulo Mahometes.

Quin etiam Genebrardus in sua Chronologia in Anno Domini quingentesimo nonagesimo, ubi primum incipit agere de Mahomete. *Ego*, inquit, *facile crediderim, Antichristum fuisse ipsum Mahometem*, & adjicit ejus rei argumentum *ex ipso nomine Mahometis, cujus literæ continent numerum illum 666. qui est numerus nominis Antichristi, ut in capite decimo tertio Apocalypsis significavit B. Johannes.* Quamvis verò Salmero tom. 15. in 2. Thess.2. p. 338. asserat, *hanc Catholicorum fuisse sententiam*, tamen Pererius d.l. eam refellit.

Tertiò, quidam per hanc bestiam *Lutherum* repræsentari asserunt.

Blasius de Viegas in Apocal. cap.13. §.1. num.2. *Tertia est aliorum* (sententia) *qui crediderunt, Martinum Lutherum, id est, Martinum Lauter Antichristum fuisse, eo, quod ejus nomen eum numerum conficiat.*

Ita sentit Guilielmus Lindanus lib. 3. Dubitantii. Liber etiam, cui titulus, Lutheri Ante-Lutherana opera fratris Johannis Apobolymæi, aliàs Findeling, Anno 1528. editus, in præfatione, *bestiâ illa Apocalyptica Lutherum indigitare*, nugatur.

Genebrardus in suæ Gronologiæ lib. 4. idem cum Lindano fingit de Lutheri nomine, cum tamen lib. 3. de nomine Μαομέτις talia commentetur. Sed *hac per se corruere.* Viegas loco supra citato monet.

Quartò, *multi Interpp. bestiam ascendentem è mari interpretantur multitudinem impiorum, ut Richardus, Beda, Primasius, Ansbertus*, (sunt verba Viegæ Comment. in cap.13 Apocal. sect. 1.) hinc Bellarminus scribit Apolog. cap. 12. p. 158. *communem esse expositionem Catholicorum veterum, per priorem bestiam intelligi universitatem impiorum.* Cum his sentiunt Anglo-Rhemenses in 2. Thessal.2. & in Apoc. cap. 13. Sed refellit hanc opinionem Blasius de Viegas Comm. in Apocal. cap.7. sect.2. n.3.

Quintò, inveniuntur etiam, qui hanc *bestiam Diabolum esse*, contendunt. Ita statuit Pineda, citante Alcasare, in cap.13. Apoc. §. 1. Præter has manifestè falsas & absurdas opiniones sunt duæ aliæ, eæque magis probabiles sententiæ.

Nam

Nam sextò, quidam per hanc bestiam *Romanum* intelligunt *Imperium*.

Sic enim disputat Ludovicus Alcasar in Comment. Apocalyps. Disput. de argum. cap.13. §.5. *Ad Romanum Imperium aptissimè implicatur, quidquid de marina bestia textus recenset, nec in quavis alia expositione quidpiam reperitur, quod hac in re animū omnino expleat.* Id probat Alcasar collatione hujus bestiæ cum illis quatuor Danielis bestiis capite 7. introductis. *Certum est*, scribit in Apocal. cap.13. §.3. *eam fuisse divini Spiritus intentionem, ut hanc maris bestiam ex quatuor illis Danielis conflaret; non ut hæc bestia omnes Monarchias significaret, sed ut edoceremur, quicquid furiosi, crudelis & immanis in quatuor belluis Danielis dispersum conspexerit, totum hoc in uno Rom. Imperio Ethnico coactum atque compactum reperiri.*

Suarez lib.5. de fide Cathol. cap.6. §.6.& 7. *Addo vero, non deesse Catholicos Scriptores, qui in cap.13. Apoc. bestiā illā interpretantur Romanum esse Imperium, quæ certè non est improbabilis sententia, cùm in cap 17. probabilissimum sit, bestiam illam esse Rom. Imperium & verisimile sit utroque loco eandem bestiam significari.*

Septimò denique, quidam hanc bestiam marinam de *Antichristo* interpretantur, cui opinioni Pontificiorum plerique subscribunt. Videatur Ribera & Viegas in hoc caput 13. Apocal. Sententiis tamen variant.

Nam Petrus Bessæus in Conceptibus Theologicis Domin. 24. post Pentecost. scribit, *bestiam hanc allegoricè Antichristum denotare.*

Sed Alcasar in Comment. hujus capitis ostendit, *bestiam hāc marinam Antichristi figuram minimè gerere.* In tanta sententiarum varietate quid tandem certi de nomine hujus bestiæ sive Antichristi proferre poterunt?

Alcasar ad cap.13. Apoc. v.18. sic annotat. *Valdè aberrant à scopo, meo judicio, qui putant, Spiritum S. in his verbis de numero nominis Antichristi agere.* At alii ex Pōtificiis disertè hoc asserunt.

Sebast. Barradius tom.1. Conc. Evangel. lib.9. cap.3. num.25. & tom.3. lib.9. cap.5. num.5. *Numerus nominis Antichristi senariis multiplicatis constat, quia senarius rerum caducarum numerus est, quæ sex diebus conditæ sunt, Antichristus autem & Antichristiani caducis rebus erant mancipati. Præterea, ut senarius non attingit septenarium numerum quietis, septimo enim die quievit Dominus ab omni opere, quod patrarat; sic Antichristus & Antichristiani quietem non attingent, sed æterna tormenta patientur.* Eadem tradit Alcasar in Apocal.13. v.18. p.657.

Salmero tom. ult. in prælud. Apoc. p.366. hujus rei ferè contrariam rationem subjungit. *Et cùm*, inquit, *senarius sit numerus perfectus & sex anni, & sexaginta, & sex centenaria annorum computentur, hoc triplo senario ostenditur Antichristus ter perfectus in malitia & iniquitate & fraudibus, quæ dicitur simul bestia & homo, id est, bestia sub specie humana.* (His rationibus tribuat quis, quantum velit, nulla earum aliena est à Pontifice Romano.)

4. Bellarminus lib.3. de Rom. Pont. cap.10. agnoscit, Irenæum lib.5. cap. penult. nomen numeri 666. quærere in vocibus Τεῖταν & Λατεῖνος. Utrumque competit Romano Pontifici. De nomine Latinus dubium nullum. In Latio sive in Italia dominatur, in Latina lingua Missas, Litanias & totum cultum divinum administrari præcipit, Latinam Bibliorum versionem authenticam pronuntiavit.

Martinus Navarrus in Epist. dedicat. ad Gregor. XIII. Manuali Confess. præfixa, Pontificem vocat *Latinorum Regem, totiusque Christiani populi summum patrem.*

Thyræus Disp. de Antichristo cap.3. Thess. 3. *Nolo negare, vocem Λατεῖνος in Romanam Sedem cadere non posse.*

Τεῖταν significat solem. At Pontifex sese Soli comparat. Innocentius III. Decret. Gregor. lib.1. tit. 33. de Major. & obed. c. Solitæ ad Constant. Imperatorem sic scribit. *Nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli. Luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, id est, universalis Ecclesia fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis autoritas & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est, nam tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.*

Carerius lib. 2. de R. Pont. cap. 12. *Optimè explicat summus Pontifex hac decretali Pontificiæ dignitatis eminentiam.* Ibid. *Ea est proportio inter summum Pontificem & Imperatorem, quæ est inter Solem & Lunam. Sed Sol præstantior est valdè ac eminentior Luna, & hæc ab illo mutuatur splendorem & lucem. Igitur Papa est eminentior Imperatore & Imperatoris autoritas à summo Pontifice pendet.*

Bellarmin. de potestate summi Pontif. adversus Barclaium cap.13. *Rectè comparavit Innocentius III. potestatem Pontificiam Soli & potestatem Regiam Lunæ &c.*

Isidorus Moscon. de majestate milit. Ecclesiæ lib.1. cap.1. pag.20. *Denique Papa Ecclesiam Christianam religione illustrat, sicut Sol stellas suis radiis illuminat.*

5. Suaretz lib. 5. de Antichristo capite 19. num. 11. & 29. *De nomine bestiæ omnes docent, talem futurum esse, ut ex literis constet, quæ ad rationem numerorum juxta Græcæ linguæ morem redactæ numerum 666. contineant.*

(Tale vero nomen est Λατεῖνος, docente Irenæo lib.5. pag. 335. ubi allegat testimonium eorum, qui Johannem ipsum cognoverunt, quod Romano Pontifici competere jam antè ostendimus, est, qui in voce παράδοσις, quæ Pontificiis est τὸ πᾶν, nomen & numerum illum quærit.

Π α ρ α δ ο σ ι ς.
80 1 100 1 4 70 200 10 200.)

Arg. 5. *Character, qui tribuitur Antichristo, non competit Romano Pontifici. Ergo Pontifex non est Antichristus.* Bellarmin. lib.3. de Pont. Rom. cap.11.

Resp. 1. Bellarminus d.l. disputat. *characterem illum esse aliquid materiale, quo Antichristus signaturus sit eos, qui aliquid emere velint in foro, & addit, ignorari, qualis sit ille character, donec veniat Antichristus.* Sed Thomas p. 3. q. 63. artic. 3. rectiùs statuit, *characterem bestiæ esse professionem illiciti cultus.* (Eam verò Papæ sectatoribus convenire, probatur ex Antichristiana Papæ doctrina.)

2. Glossa ordinaria characterem illum sic exponit Apocal. 13. *Omnis humana creatura ita erit Antichristo obligata, ut hoc ore confiteatur & factis testetur.* (Ergò per characterem non intelligitur aliquid materiale adhuc ignotum, sed obligatio illa ad Sedis Romanæ obedientiam, quia Papa *omnem creaturam* eò redigit, ut credat, *se de necessitate salutis ei esse subjectam.* c. Unam sanctam ext. de majorit. & obed.)

3. De *charactere Antichristi* plurimùm variant Pontificii.

Bellarminus lib. 3. cap. 11. rejicit quosdam Catholicos statuentes, *characterem futurum esse literas, quibus nomen Antichristi illiusdem fronti inscribatur.*

Alcasar per characterem *ipsum nomen Antichristi* intelligit, quem refutat Cornelius è Lapide in cap. 13. Apocal.

Ribera *formam Draconis futurum esse Antichristi nomen* in cap. 13. Apocal. statuit.

Cornelius à Lapide in cap.13. Apoc. v.17. *peculiari quâdam figura, quæ exprimat tres initiales literas nominis χειςὸς, characterem Antichristi* describit.

Pererius in cap. 12. Daniel. *Inter plures convenit, hoc fore insigne Antichristi; Nego Baptisma, vel, nego Jesum.*

4. Hildebrandus, qui & Gregorius VII. autor Guilielmo Conquestori fuisse videtur, *ne aliquem in sua potestate aliquid emere aut vendere permitteret, quem Apostolicæ Sedi inobedientem deprehenderet.* Bertold. Constant. Append. ad Hermann. Contract. Anno 1084.

Alexander etiam Tertius in Synodo Turonensi decrevit cōtra eos, qui characterem bestiæ recusarant, seq; à subjectione Romanæ Sedis subduxerant, *ne ubi cogniti fuerint, receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertiri præsumat, sed nec in venditione & emtione aliqua cum iis communio habeatur, ut solatio humanitatis amisso ab errore viæ suæ resipiscere compellantur &c.* Guilielmus Neubrig. rer. Anglic. lib. 2. cap. 15. inter Decreta Turonensis Concilii.

Item in Concilio Lateranensi contra Albigenses habito (quos Catharos & Patarinos vocat) *eos & defensores eorum & receptores anathemati decernimus subjacere: & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum iis exercere præsumat.* Neubrig. lib. 3. cap. 3. & Decretal. Gregor. lib. 5. tit. 7. de hæretic. cap. 8.

Martinus etiam V, ut jam antè monuimus, in Bulla damnationis errorum Wiclefi & Hussi annexa actis Concilii Constantiensis districtè prohibet, ne *hujusmodi homines* (qui scilicet non tenent fidem & communionem Romanæ

Ecclesiæ, sed de rebus ac dogmatibus religionis aliter sentiunt aut docent, quam sacrosancta Romana Ecclesia docet, prædicat & observat) *domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negotiationes & mercantias qualibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittantur.* Epist. Mart. V.

Ejusmodi quoque fuit Bulla Pauli III. adversus Regem Angliæ Henricum VIII. quòd Pontificis jugum excusserat, Christianis omnibus interdicentis, *ne cum Henrico, ejusq; subditis commercia haberent, aut contractu inirent.*

5. Dionysius Carthusianus in cap. 13. Apocal. *Character Antichristi est conformitas seu imitatio vitæ, doctrinæq; ejus, quæ in manu dextra ac frontibus, id est, opere manifesto; & oris confessione, seu mentis manifestatione ab Antichristianis habebitur.*

Petrus Bulengerus in eundem locum. *Notam in manu dextra, aut in fronte accipiunt, quo ab aliis discernantur, doctrinam ejus & impietatis cultum apertâ actione & oris confessione palam profitentes.*

Blasius de Viegas ibid. *In fronte professio cultus, in manu famulatus exprimitur.* (Qui ergo apertè profitetur subjectionem & fidem Papæ & communionem cum eo, quique determinatum vivendi modum & religionis cultum observat juxta consuetudines, leges & traditiones Romanæ Sedis, characterem habet Romanum vel Latinum, sicut observationem gentilium rituum Autor secundi libri Maccabæorum vocat τὸν ἑλληνικὸν χαρακτῆρα cap. 4. v. 10.

Argument. 6. *Antichristus nascetur ex Iudæis, videlicet ex tribu Dan, Genes. 49. v. 16. Ierem. 8. v. 16. Apocal. 7. circumcidetur, observabit Sabbatum, veniet propter Iudæos & ab eis pro Messia recipietur, Ioh 5. At hæc non conveniunt Romano Pontifici.* Bellarm. lib. 3. de Pont. cap. 12.

Bzovius cap. 5. p. 32. *Antichristus certò nasciturus est ex tribu Dan.*

Resp. 1. Lyranus in cap. 8. Daniel. *Et post regnum eorum, scil. Græcorum, inquit, quia regnum Antichristi pertinet quodammodo ad regnum Romanum, de quo, ut prædictum est, orietur &c.*

2. Hieronymus Oleaster & Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus traditionem de Antichristo ex tribu Dan nasciturο quasi fabulam rident, fatente Cornelio à Lapide in cap. 49. Genes. & Pererio in Genesin. f. 1381.

Alphonsus Tostatus in cap. 49. Genes. *planè incertum esse, scribit, quod vulgo fertur de Antichristo, ex tribu Dan futuro.*

3. Suarez tom. 2. in part. 3. Thom. q. 59. art. 6. sect. 2. pag. 642. *Quæri ulterius potest, unde venturus, seu ubi nasciturus sit Antichristus & ex quo genere & ex quibus parentibus, hæc enim omnia antiqui Patres inquirunt. Et quidam dicunt, nasciturum Babylone, ut Autor operis de Antichristo nomine Augustini, & Hieronymus Daniel. 11. & Anshelmus in Elucidario. Lactantius verò lib. 7. cap. 17. dicit, oriundum ex Syria. Rursus affirmant, generandum esse ex fornicatione Damascenus & Anshelmus. Tandem docent, generandum esse ex Iudæis parentibus, & multi affirmant, futurum è tribu Dan. Hæc verò omnia incerta sunt, cùm neque ex Scriptura, neque ex alia divina revelatione nobis tradita sufficienter colligantur. Illud tamen inter omnia verisimillimum est, futurum Antichristum Iudæum & origine & professione.* (Ex incertis illis Patrum conjecturis nihil certi colligi potest.)

4. Jacobus Bajus lib. 1. Instit. relig. Christ. cap. 259. *Quisnam futurus sit Antichristus, ubi & ex quibus nasciturus, quo nomine appellandus, ubi regni sedem collocaturus, & quo mortis genere interficiendus, nobis incertum est, quia de his non nisi obscurissimè locutus est Spiritus Sanctus. Quidam opinantur, ex Iudaico populo de tribu Dan nasciturum.*

(Sic ergo Bajus habet pro incertis, ex quibus tanquam certis principiis Bellarminus disputat, videlicet de genere, nomine & Sede Antichristi.)

5. Bellarminus ipse d. l. fatetur, *non esse omninò certum, num Antichristus ex tribu Dan sit nasciturus, tum quia pleriq; Patrum non dicunt, se hoc scire, sed probabile esse, insinuãt, tum quia nulla Scripturarum pro hac opinione adductarum id convincat.*

(Hoc observandum contra Albertum in Compend. Theol. lib. 7. cap. 7. Thyræum Disput. de Antichristo cap. 12. Anglo-Rhemenses in 2. Thessal. 2. Casparem Scioppium in Epistol. de Antichristo, Anno 1605. edita, pag. 68. *qui semper in Ecclesia jam inde ab Apostolorum temporibus creditum esse, asserunt, quod Antichristus ex tribu Dan sit nasciturus,* Inde Leonhardus Marius in cap. 49. Genes. contra Bellarminum insurgit, & ejus rationes refellere conatur, videns scilicet, ipsum in concedendo nimis liberalem fuisse.)

6. Idem Bellarminus d. l. §. Hæc sententia, unanimem Patrum sententiam, puta Irenæi, Hippolyti, Ambrosii, Augustini, Prosperi, Theodoreti, Gregorii, Bedæ, Ruperti, Arethæ, Richardi, Anshelmi &c. *Antichristum ex tribu Dan nasciturum esse,* asserentium, *incertam* esse disputat, propterea quòd non possit ex Scripturis ostendi.

(Eodem jure nos rejicimus Bellarmini sententiam, quòd Antichristus nasciturus sit ex Judæis, quia itidem destituitur Scripturæ fundamento.)

7. Pontificii dicunt, *Judæos Antichristum pro Messia recepturos esse.* At Judæi ex tribu Juda, non ex tribu Dan Messiam suum expectant.

8. Johannes Ferus in cap. 21. Genes. pag 395. Seraphinus Firmianus in enarrat. cap. 14. Apocal. Socolovius lib. 2. de Eccles. cap. 5. & reliqui Pontificii plerique omnes statuunt, *secuturam insignem Iudæorum ante novissimum diem conversionem,*

(At si Judæi per Antichristum seducendi, quomodo sperantur convertendi?)

Excutiamus verò Pontificiæ assertionis fundamenta.

Antichristum è tribu Dan oriturum probare conantur Pontificii ex Genes. 49. v. 16. *Fiat Dan coluber in via &c.*

Sed 1. Lyranus in locum illum sic commentatur. *Exponitur de Samsone, qui fuit de tribu Dan, ut habetur Iud. 13. Et ipse judicavit Israel 20. annis, ut habetur Iud. 16. Ipse etiam vindicavit filios Israel de Philistæis, quorum multos interfecit, ut habetur cap. 16. unde subditur. Fiat Dan coluber, quia in diebus ejus Philistæi non audebant venire super Israel per vias & semitas, quas custodiebant.*

2. Cajetanus in illum locum sic commentatur. *Si tamen verum esset, quod Antichristus ex tribu Dan venturus est, quadraret, ut hoc de ipso diceretur.*

3. Torniellus in Annalib. ad annum 2345. num. 7. *Mox Jacob deveniens ad Dan, prædixit futurum de tribu sua, qui judicaret, seu vindicaret populum suum, quod ad laudem dictæ tribus, licet satis obscurè, pertinere videbatur. Fuit autem Samson, quem colubro & cerastæ comparavit, quia quemadmodum isti serpentes astu & morsu perterrefaciunt, perimuntque homines: ita Samson fortitudine & astutia sua hostes populi Israel, videl. Philistæos admodum turbavit, plurimosq; illorum interfecit. Et sicut cerastes clam mordens equi ungulas facit cadere ascensorem ejus: ita Samson Philistæis nihil minus cogitantibus binas domus columnas concutiens, ipsosq; seq; pariter sub ædificii ruina oppressit. Et quoniam hæc fuit insignis figura Salvatoris, qui morte sua Diaboli potentias stravit, ex ipsius recordatione ac desiderio hic obiter Iacob exclamavit, dicens. Salutare tuum expecto Domine.*

4. Opus Regium in h. l. *De domo Dan eligetur & consurget vir. In diebus ejus liberabitur populus suus & in annis ejus requiescent simul tribus Israel. Erit vir, qui eligetur & consurget de domo Dan, cujus timor irruet super populos & percutiet fortiter Philistæos, quasi coluber, & dejiciet ascensores eorum retrorsum.*

5. Vatablus in h. l. *Laudat tribum Dan ab astu bellico*

6. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 12. *Jacobus loquitur ad literam de Samsone, qui fuit de tribu Dan, & fuit verè Philistæis tanquam coluber in via, nam ubique eis occurrebat.* Atque ita hæc verba ab Hieronymo etiam exponi, docet in quæstionibus Hebræis; & addit: *Videtur sanè Iacob bene precari filio suo, cùm hæc dicit, & proinde non malum, sed bonum prædicere.*

7. Cornelius à Lapide, *duplici literali sensu hæc verba explicari posse,* tradit, sed id pugnat cum hypothesi quorundam Pontificiorum, negantium, esse duplicem unius dicti literalem sensum.

8. Si allegoricè ad Antichristum ea accomodare velint, non poterit ex illis argumentum aliud duci, nisi probabile, quale ex mysticis sensibus elicitur.

9. Sasbout in cap. 14. Esaiæ, *verbis Patriarchæ Iacobi Genes. 49. Erit Dan, sicut coluber, significari putat fortitudinem ipsius Dan contra hostes, quæ per colubrum denotetur. Hinc multi volunt, hoc vaticinium impletum esse in Simsone,* quæ sunt verba Estii in cap. 49. Gen.

10. Benedictus Arias Montanus in Caleb, interpretatur *de invasione ejus tribus, quæ alios locos occupavit, præter eos, qui sibi erant in terræ distributione assignati. Hujus invasionem,* inquit, *à filiis Dan efficiendam antiquus omnium tribuum pater in p adictionibus significaverat. Fiat Dan coluber in via.*

11. Bene-

11. Benedictus Pererius in Comment. Genes. 49. literaliter interpretatur de Samsone. *Prævidens*, inquit, *Jacob tribum Dan, quæ satis alioqui obscura & ignobilis futura erat, majorem in modum à Samsone, qui ex ea tribu fuit, illustratum ac nobilitatum iri*, propterea Vaticinium hoc de tribu Dan totum retulit ad Samsonem.

12. Bellarminus lib. 3. de Pontif. Roman. cap. 12. scribit *Genes. 49. Iacobum videri ad literam loqui de Samsone &c. Samson enim fuit de tribu Dan, & fuit verè Philistæis tanquam coluber in via, nam ubique eis occurrebat, eosque vexabat. Ita exponit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis. Et videtur sanè Iacob bene precari filio suo, cùm hæc dicit, & proinde non malum, sed bonum prædicere.*

Deinde conantur illud probare ex Jerem. 8. v. 16. *A Dan auditus est fremitus eorum &c.* Nondinus in cap. 1. Exodi.

Sed resp. 1. Bellarminus d. l. itidem hanc expositionem luxat. *Sine dubio* inquit, *non loquitur de Antichristo, neque de tribu Dan, sed Nabuchodonosore, qui venturus erat ad Hierosolymam evertendam per eam regionem, quæ dicebatur Dan, ut ibi Hieronymus rectè exponit.*

2. Viegas in Apocal. cap. 13. Comm. 2. sect. 4. pag. 702. *Ut autor D. Hieronymus loquitur, Hieremias ad literam de Nabuchodonosor, qui à Dan regione per Phœnicem cum exercitu venturus describitur. Itaque ad Antichristum non pertinet.*

3. Opus Regium ad h. l. sic scribit. *Pro eo, quòd coluerunt vitulum, qui est in Dan, Rex cum exercitu suo ascendet super eos, & transmigrare eos faciet; à voce conculcationis fortium suorum commovebuntur omnes habitatores terræ, & venient, & deprædabuntur terram, & plenitudinem ejus civitates, & habitantes in eis.*

4. Similia occurrunt in Glossa ordinaria & apud Lyranum in Comm. h. l.

Tertium argumentum desumunt ex Apocal. 7. ubi nulli ex tribu Dan signantur.

Atqui 1. hunc locum etiam enervat Bellarminus d. l. sic scribens. *Cur omittatur Dan, non satis constat, præsertim cùm etiam Ephraim sit omissus, cujus tribus una est maximis.*

2. Jacobus de Theramo pag. retrò numerata 24. hujus omissionis rationem redditurus sic scribit. *Nunc autem quærendum est, quare de tribu Dan & Ephraim non fuerunt electi duodecim millia, sicut de aliis tribubus, ut Apocal. 7. Estq; respondendum. quòd tribus Dan prima fuit, quæ Idolum in Israel primò adinvenit & idem adoravit, quousque domus DEI fuit in Silo, Iudic. 18. in fine; tribusque Ephraim in duobus Idolis domum Israel à domo DEI separavit & in duas partes divisit & eadem Idola adoravit, quousque domus Dei fuit in Jerusalem, ut Reg. 12. & 13. per totum. Et propter hoc Iohannes in sua Apocalypsi tanquam Dei inimicos à cæteris tribubus separavit, ut Apocal. cap. 7.*

3. Johannes Benedictus in Genesin ita scribit. *Itemque Ruben, quia natus est, licèt parvus numero assumitur, & Ephraim adoptatus, quamvis multiplex relinquitur: ad insinuandum videlicet, quod ad consequendam hæreditatem, pro qua signamur in frontibus nostris signaculo Dei vivi: neque soli nati, neque soli adoptati filii Israel, id est, neque soli, qui ex Iudæis, neque soli, qui ex Græcis, sed communiter tam ex his, qui ex illis assumuntur, vel reprobantur, quos vel fideles commendaverit, vel infideles reprobabiles fecerit, Rupertus super 49. Genes.*

4. Distelmeierus in tract. de Antichristo pag. 93. scribit, *Nunquam ab Ecclesia Catholica certò definitum esse, quod ex tribu Dan Antichristus oriundus sit, & infirmo conjecturam istam niti fundamento, quia etiam tribus Ephraim hic sit omissa.*

5. Cumprimis verò Ludovicus Alcasar in cap. 7. Apocal. not. 4. pag. 444. prolixè de hac quæstione disserit, sic scribens. *Qui existimant, in hoc sermonem institui de magna infidelium conversione post Antichristi mortem futura, & illos centum quadraginta millia fore Iudæos tunc ad Christi fidem traducendos; affirmant pariter, ideo nullum hic ex tribu Dan inter signatos adscribi, quia Iudæi ex hac tribu erunt, qui quasi cognati & familiares ita pertinaciter Antichristo adhærebunt, ut nec ipsius Antichristi mors, nec horribile cæli supplicium futura sint satis, ut eorum aliquis convertatur ad fidem. Ita Ribera atque Pererius. Antichristum verò futurum ex tribu Dan, ajunt, Ecclesiæ traditionem videri, quia multi Patres sunt in ea sententia, ut Irenæus, Hippolytus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Prosper, Gregorius, Ruffinus, Theodoretus. Citant hos Patres Ribera hic & Pererius Disput. 10. & lib. 14. in Daniel. Accedit, quod ex Apocal. Interpretibus Andreas, Haymo, Beda, Richardus, Anshelmus, Rupertus & plures alii dicunt, prætermissam hic esse tribum Dan in odium Antichristi. Atque hanc esse Spiritus Sancti mentem in Apocalypsi, dum inter tribus non enumerat tribum Dan, inde probat Pererius, quia alioquin traditio illa Patrum de Antichristo, ex tribu Dan futuro, nullum haberet in sacris literis fundamentum. Constat enim, duos alios locos, qui ad traditionem eandem confirmandam à nonnullis adducuntur, nihil ad eam rem facere, quia primus locus est Genes. 49. v. 17. Fiat Dan sicut coluber in via, sicut cerastes in semita &c. quod omnino ad Samsonem referendum est, ut docet Hieronymus. Alter locus est Ierem. cap. 8. v. 16. A Dan auditus est fremitus. Ubi manifestè sermo est de Nabuchodonosor per Aquilonem in Iudæam invadente. In hac quæstione primum noto, quam aliqui Ecclesiæ traditionem esse, putant, videlicet, Antichristum ex tribu Dan futurum, eam mihi nullo modo traditionem Ecclesiæ videri, sed solum aliquorum Doctorum opinionem. Nam tametsi aliquæ sunt traditiones de rebus verissimis ad Christianam fidem spectantibus, quas non opus est in aliquo Scripturæ loco expressas haberi hoc tamen caput, de quo agimus, non tanti est, ut seorsim revelatum fuisse credamus & Ecclesiæ traditione conservari sine aliquo Scripturæ fundamento. Patet hoc, quia ipsimet, qui, Antichristum ex tribu Dan fore, asserunt, (ut ex eorum verbis colligitur) in eo videntur niti, quod ita contineri credunt in aliquo ex prædictis Scripturæ locis: unde infertur, eos non hoc, ut Ecclesiæ traditionem, sed ut propriam ipsorum opinionem nobis proponere, ac proinde opinioni huic non plus inesse firmitatis, quàm quæ illi proveniat ex eo, quòd in aliquo ex tribus prædictis locis id Scriptura innuat. Secundò noto, Abulensem & Oleastrum Genes. 49. valde dubitare, an Antichristus ex tribu Dan sit proditurus, quinimo Oleastrum apertè asserere, hoc est fabulosum. Longius tamen, quàm par erat, in hac Censura progressus fuit. Nam, ut opinio aliqua reputetur probabilis, satis est, multos sapientes viros probabiliter existimâsse, illam in aliqua Scripturæ parte fundari. Tertiò noto, quemadmodum Riberæ ac Pererio affirmare licuit, neutrum ex prædictis locis, nempe Genes. 49. vers. 17. & Ierem. 8. vers. 16. esse ad rem, ut probetur, Antichristum ex tribu Dan nasciturum, sic etiam mihi dicere fas esse, quod certum existimo. in hoc scilicet Apocalypseos loco opinionem illam non posse solidè stabiliri. Nam si agenda res est antiquorum Patrum autoritate, asseverantium, Antichristum fore de tribu Dan, nullus ferè eorum hanc opinionem in Apocalypsi fulcit, sed alii in Geneseos, alii in Ieremiæ locis. Ex interpretibus verò Apocalypseos perpauci sunt, qui septimi capitis visionem ad Antichristi tempora censeant revocandam. Si autem ipsius contextus ratio ac vis attendatur, pro comperto mihi est, Riberæ etiam expositionem minimè hujus capitis contextui quadrare. Neque enim agi de Antichristi seculo; sed de prima illa Ecclesiæ ætate: quod adeo certum est, ut ex ipsismet autoribus, qui tribus Dan prætermissionem ob Antichristi odium factam fuisse dicunt, multi arbitrentur, hanc visionem non ad Antichristi, sed ad primæva Ecclesiæ tempora pertinere. Si tamen hoc est, minus consequenter loqui, conferenda in me culpa non est; & illi ab ea eximi aliquâ ex parte possunt, quod ad aliquorum Patrum opinionē adhæserint. Cæterum decernere sententiam illam in Veteris Testamenti locis non posse conniti, ideoque in cap. 7. Apocal. esse fundandam, hoc, inquam, nihil aliud esse, opinor, quam nimiùm se credere singulari cuipiam declarationi, cuique cohærentiæ apta ratio reddi non potest: præsertim cùm in hujusmodi rebus verum omninò teneat illa D. Dionysii regula. Theologia Symbolica non est argumentativa. Nam ad illud comprobandum, quod ignoratur aliunde, nec contextus ad ejus assertionem cogit, minimè conducit liber omninò Symbolicus. Quartò, verisimile mihi fit, hujusmodi opinionem in vetustissima aliqua allegoria fuisse fundatam. Sæpè enim accidit, ut, quod initio mysticè aut dictum fuit, aut depictum, postea accipiatur, ac si propriè & simpliciter fuisset assertum. Idem, judicat Baronius, evenisse in eo, quod vulgo credebatur de quadam Virgine per D. Gregorium ab immani Dracone liberata. Idem etiam videtur nonnullis, quod communi jam consensione receptum est de Gigantea D. Christophori statura: Quibus in rebus sapientes viri facilè se in modo loquendi ad communem conceptionem effingunt, in modo tamen sentiendi ad id, quod veriùs existimant, animum intendunt Ita similiter suspicari mihi liceat, multos eorum, qui dicunt, Antichristum & ipsius sectatores ex tribu Dan orituros, id tamen affirmare velle, Antichristum & suos reprobando: atque illis posse allegoricè applicari, quod dicitur Genes. 49. vers. 17. Fiat Dan coluber in via &c. & apud Ieremiam cap. 8. vers. 16. A Dan auditus est fremitus. Si verò è contrario opponatur, non*

esse allegoricum Scripturæ sensum, qui in literali non innititur. Respondeo, applicationes etiam & accommodationes dici solere allegorias. Et Ieremiæ saltem loci applicatio in sensu proprio stabiliri potest, si consideretur, Nabuchodonosorem ipsiusq; exercitum fuisse figuram Antichristi & ejus sectatorum. Atq; ita Ribera ait, S. Irenæum allegoricè de Antichristo & sociis ejus exposuisse, quod à Ieremia dicitur, A Dan auditus est fremitus equorum. Si ergo hoc est loqui allegoricè, quis est, qui non videat, allegoriam in merum ac proprium sensum transmutari. Si inferatur inde, qui verba illa ad Antichristum applicant, eo ipso sentire, illum verè ac propriè fore ex tribu Dan, idem dixerim de eo, quòd nonnulli addunt, Antichristum videlicet Babylone nasciturum. Hoc enim inde habuit ortum, quod existiment, Antichristum fuisse in Nabuchodonosore adumbratum, ex quo infertur, illum Nabuchodonosorem nuncupandum fuisse. Quintò, quòd nonnulli autumant, in generali illa Judæorum conversione à D. Paulo prædicta, Rom. 11. v. 11. & 26. neminem ex tribu Dan Evangelicæ prædicationi obsecuturum, id sanè nihil habere probabilitatis existimo. Nam Paulus generatim loquitur, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret. Cumq; loquatur Apostolus de Iudaici populi conversione, (sic enim Ecclesia semper intellexit) non invenio, quo pacto solidè affirmari possit, ex integra nihilominus tribu nullum ad Christi fidem traductum iri. Agnovit hanc difficultatem Pererius, sed ut illi Riberæ responsio non placet, ita nec mihi illius solutio arridet. Et verò opinionem hanc, quæ nullum ex tribu Dan esse convertendum tradit, tum novam, tum malè fundatam, existimo. Quare, qui in eo insistunt, ut in cap. 7. Apocal. prætermissionem tribus Dan putent ad illud respicere, quòd sub extrema Ecclesiæ tempora est eventurum, ut consequenter procedant, devorant ea, quæ neutiquam deberent concedere. Sextò, si mihi indubitatum esset, Antichristum fore ex tribu Dan & ex tribu susceptos illi contumaciter adhæsuros: satis esse putarem, si dicerem, in Apocalypsi allusionem fieri ad ea, quæ extremis mundi tẽporibus eventura sunt & ad hanc rem ea comparatione uti. In contextu tamen dicere nullo modo possem de Antichristo directè egi. Nã acoluthia & rerũ consequentia à me exigit, ne dubitem in hoc cap. 7. sermonẽ esse de Ecclesia primitiva, ut jam explicavi. Hæc omnia Alcasar.

6. Quod si Pontificii nihilominus pertinaciter huic sententiæ adhærere velint, quòd Antichristus ex tribu Dan nasciturus, ostendemus illis ex Anonymo in Apocalypsin scriptore, quem Lutherus ex Livonia acceptum Ann. 1528. Witebergæ evulgavit, quomodo Antichristus ex ista tribu natus dici possit. Sic autem loquitur pag. 72. *Quæritur, quare tribus Dan non numeratur inter alias? Respondetur in Glossa dupiciter. Primò, quia ex genere Dan nascetur Antichristus, ideo hic prætermittitur, ut ex omni numero Sanctorum ostendatur ejiciendus Antichristus; sed non est hic accipiendum, sicut sonat prima facie ad literam, quod de tribu Dan nascatur Antichristus, quia ex superioribus patet, quod sensus mysticus utrobique intelligendus est in isto libro, & hoc planius patebit infra, cùm ad Enoch & Eliam veniemus. Unde Hieronymus in prologo magno dicit, quod liber iste, quot habet verba, tot habet sacramenta. Et propterea dicendum est, quòd Dan judicium interpretatur, & quia Curia Romana est meta omnium litigiorum Ecclesiæ, quorum omnium ipse Papa judex creatur principalis à quibusdam; eò quod magis caveret, quo se præ cæteris Prælatis reputat Apostolicum, ideo Papa & Apostaticus & Antichristus rectè de tribu Dan natus dicitur.* Atque hæc dicta sint de quæstione, num Antichristus ex tribu Dan sit oriturus.

Neque verò major certitudo inest opinioni, quæ in genere statuit, Antichristum fore Judæum.

Nam 1. Distelmeyerus in tract. de Antichr. pag. 91. fateri cogitur, non adeò invictè verum esse, quod Antichristus natione Judæus sit futurus.

2. Paulus 2. Thess. 2. v. 3. prædicit, Antichristum futurum caput insignis ἀποστασίας post tempora Apostolorum secuturæ. Judæi autem jam antè *per incredulitatem erant* abjecti & *excisi*, Rom. 11. v. 20. Et quomodo omnes populi gentium tam brevi temporis spacio catervatim se subjicient imperio hominis Judæi? quomodo inveteratum illud odium & contemtus ille Judaicæ gentis, qui omnium populorum cordibus altissimè est infixus, subito apud omnes convertetur in tanti honoris fastigium?

2. Antichristus erit Pseudo-Christianus & Apostata, in Ecclesia Dei sedens, sub nomine Christi Christum oppugnaturus, unde Bellarm. lib. 3. de Pont. Rom. cap. 3. scribit, *per ἀποστασίαν rectissimè apud Paulum 2. Thess. 2. Antichristus intelligi potest. Hoc enim docent communi consensu Græci interpretes & præterea Augustinus hunc sensum,* inquit Malvenda lib. 4. de Antichristo cap. 22. *conjunctio illa Et, cùm dicitur, & cùm revelatus fuerit homo peccati, pro, id est, posita intelligi debet, ac si dicat, nisi venerit extrema illa apostasia, hoc est, revelatus fuerit homo peccati.*

Juxta hanc hypothesin quærimus, an apostasian intelligant à Romano Imperio, an à Sede Romana? (Quidam enim priorem, quidam posteriorem sententiam amplectuntur.) Si prius dixerint, exponant, quomodo quis professione Judæus, Babylone oriundus, apostata à Romano imperio, cui tamen nunquam erat subjectus, dici possit? Si posterius dixerint, iterùm exponant, quomodo apostata à sede Romana dici poterit, cui se nunquam aggregavit? Neque enim ab aliquo deficere quis statuendus, cui tamen se nunquam aggregavit. Si intelligant apostasiam à vera fide Christi, iisdem rationibus obviam iri potest.

4. Antichristum fore natione & religione Judæum, Pontificii probant, tum ex Johan. 5. v. 43. *Si alius venerit &c.* Sed de hoc loco egimus superius argum. secundo, tum ex 2. Thess. 2. v. 10. ubi de Judæis Apostolus dicit, *eò quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, idcirco mittet illis Deus efficaciam erroris.*

Resp. Si hoc dictum ad Judæos restringitur, sequetur, solos perituros Judæos, solos non recepturos dilectionem veritatis, solos, redituros mendacio. Disertè enim Paulus dicit, *ut omnes judicentur, qui non crediderunt veritati.* Ex hypothesi Pontificiorum sic concludimus. Illi, de quibus Apostolus loquitur, pereunt & damnantur. Atqui juxta Pontificios Judæi non pereunt, sed convertuntur & salvantur. Asserunt enim, *plerosque Judæos Antichristum suscipientes ab Enocho & Elia convertendos esse.*

Argum. 7. *Antichristi Sedes erit templum Hierosolymitanum, 2. Thess. 2. v. 4. Pontificis Sedes est Roma. Ergo Pontifex non est Antichristus.* Bellarmin. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 13. Costerus in Apolog. part. 3. cap. 2.

Resp. 1. Per *templum Dei* 2. Thessal. 2. non intelligitur templum Hierosolymitanum, sed *Ecclesia*, in quam Antichristus imperium sibi arrogaturus est, 1. Cor. 3. v. 17. Ephes. 2. v. 20. &c.

Thomas lect. 1. in 2. ad Thessal. 2. *Ideo exponitur in templo Dei, id est, in Ecclesia, quoniam multi de Ecclesia eum recipient, vel secundum Augustinum in templo Dei sedet, id est, principatur & dominatur, tanquam ipse cum suis nuntiis sit templum Dei, sicut Christus est cum suis.*

Hugo Eterianus de regressu animarum ab inferis cap. 23. *Sedebit in templo Dei in Ecclesia.*

Cajetanus in 2. Thess. 2. *Non aliquod determinatum templum significatur, sed in quocunq; templo Deo dicato sedebit tanquam sibi dicato.*

Johannes Ferus in cap. 24. Matthæi lib. 3. pag. 198. *Templum Dei in mundo Ecclesia fidelium est. In hoc itaq; templo futuram Christus prædicit abominationem, antequam mundus finiatur &c. dis- abominationem futuram dicit in Ecclesia, hoc est, apostasiam, hoc cessionem à Deo, nec qualemcunque, sed ea, quæ desolatoria sit, Hanc est, funditus evertere conabitur religionem Christianam. per autem abominationem Iohannes Apocalypsi nunc quidem mulie- bestiam illam, cui Draco potestatem dedit, nunc autem per gentes rem illam bestiæ insidentem ac de vino prostitutionis omnes Nisi, potantem intelligit, de qua & Paulus apertius loquitur. pecca- inquit, venerit discessio primum & revelatus fuerit homo & ti &c. Nihil igitur aliud est abominatio hæc, quàm regnum & Tyrannis Antichristi, vel apostasia sub ipsius regno.*

Et postea. *In templo sedebit, in cordibus scilicet hominum insidebit hæc abominatio, ut externe quidem templa Dei videantur, loco Christi idolum sedeat, hoc est, bonâ speciê se poliet abominatio hæc, ut etiam Sanctos decipere possit, nisi divinitus præserventur.*

Vega pro reali præsent. assert. 221. *Non verè, sed allegoricè sedebit in templo Hierosolymitano.*

Gregor. de Valentia tom. 4. col. 2380. *Potest simul cum hoc admitti, sessurum etiam Antichristum in Ecclesiis Christianis, præ superbia scilicet, sicut etiam censuit Chrysostomus, & Theodoretus & Theophylactus in 2. Thessal. 2.*

Suarez lib. 5. de Antichristo cap. 15. §. 5. *Hic sensus, quòd per templum Dei 2. Thessal. 2. v. 4. intelligatur Ecclesia, errorem non continet, sed potius probabilis est. Hieronymus enim Epist. 151. ad Algasiam q. 11. sensum illum cæteris præfert, illumque sequitur*

Hugo

Hugo Eterianus lib. de regress. animæ cap. 23. & Oecumenius ibi ita hunc sensum probat, ut alios excludat, dicens. Non dicit templum, quod erat Hierosolymis, sed Ecclesiam Dei.

Gretserus lib. 3. Defens. Bellarm. cap. 13. pag. 924. fatetur, per templum Dei posse intelligi Ecclesiam. *Tametsi* (inquit) *nunc etiam ad templa Christianorum materialia & metaphoricè idipsum Ecclesiam, prout est spiritualis Dei domus, extendi queat, quia* (Antichristus) *& domicilia sacra & corda multorum Christianorum occupabit & in servitutem suam rediget.*

Rayhingius in Manuali contra Dn. D. Hoë. pag. 1137. fatetur, *quosdam ex Patribus, Anshelmum & Oecumenium in illum locum, Augustinum lib. 20. de Civitate Dei cap. 10. Autorem imperfecti operis, homil. 49. templum Dei exponere de Ecclesia,* 2. Thessal. 2. v. 4.

Guilielmus Estius in 2. Thessal. 2. num. 4. *Dubium hic est, de quo Dei templo loquatur Apostolus. Quidam templum Hierosolymitanum intelligunt. Quamvis enim destructum sit illud, quod erat tempore Pauli, aliud tamen ejus loco aliquando reædificandum dicunt, sive à Judæis, sive ab ipso Antichristo. Verùm si Antichristus sibi tanquam Deo construet templum, non illud Apostolus templum Dei vocaret, nihilò magis, quàm templum Iovis aut Dianæ eo nomine dignaretur. Cajetanus putat, non aliquod determinatum templum significari, sed sensum esse, quod in quocunque templo DEO dicato sessurus sit Antichristus, tanquam illud sibi dicatum esset. At verò Hieronymus in Epistola dudum citata verius arbitratur, Apostolum Dei Ecclesiam significâsse. Quam interpretationem post glossam Interlinearem etiam Thomas recipit, nec Augustinus rejicit. Chrysostomus quoque ac Theodoretus & cæteri Græci de Ecclesiis Dei (pluraliter enim loquuntur) Apostolum exponunt, quod in idem recidit. Nam Ecclesia Dei ex multis particularibus constat Ecclesiis. Hic sensus probabilitatem accipit ex eo, quòd sicut tempore Maccabæorum, ut habetur 1. Maccab. 1. in templo Dei, quod erat Hierosolymis, stetit abominandum idolum desolationis, de quo prophetaverat Dan. cap. 9. & sicut posteriori tempore statua Cæsaris, teste Hieronymo, super Matth. 24. in eodem templo veluti secunda abominatio collocata fuit: ita & in Ecclesia Dei (cujus insignem typum prætulit templum illud Hierosolymitanum) videatur sessurus homo peccati, quem abominationes illæ priores præfiguraverunt.*

Et postea. *Hoc pacto verificatur etiam Cajetani expositio, quâ dicebat, Antichristum sessurum passim in templis Deo dicatis, quò spectare videtur etiam Græcorum Commentarius, nam per Ecclesias fidelium oratoria seu templa significantur.*

2. Hanc interpretationem probat evidens ratio, quia templum Hierosolymitanum non ædificabitur ante diem novissimum.

Lyranus in cap. 23. Matth. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, id est, ipsum templum, quod per Romanos fuit destructum, non reædificabitur amplius, quia, secundum quòd dicitur Dan. 9. usq; in finem mundi perseverabit desolatio.*

Ludovicus Vives in Comm. lib. 20. de Civ. Dei cap. 7. *Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex, ut Hieronymus libro in Esaiam 18. narrat, elegantem scripsit librum, irridens mille annorum fabulam & auream atq; gemmatam in terris Hierosolymam, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias partus, liberorum educationem, epularum delicias & cunctarum gentium servitutem &c.*

Benedictus Pererius lib. 10. in Daniel. pag. 506. ait. *Templum Hierosolymitanum nunquam reædificandum esse*; atque subdit idem, *cùm Iudæi, instigante Iuliano, id attentarent, Cyrillum, qui tunc Hierosolymitanum Episcopum agebat, probâsse ex Danielis vaticinio & ex verbis Matth. 24. fieri non posse, ut illud templum Iudaicum repararetur.*

Idem lib. 14. in Danielem p. 718. notat. *Templum Iudaicum post mortem Domini omni sanctitate, religioneq; privatum profanum, impurum & impium invasisse, ac Dominum nostrum & Danielem prædixisse, desolationem illius templi fore in omne ævũ irreparabilem, in Christianorum igitur templis juxta Theodoretum, Damascenum & alios sessurum Antichristum.*

Cornelius à Lapide in Com̃ent. Ezech. 40. pag. 1183. *Daniel cap. 9. disertè docet, eversionem & desolationem templi factam à Tito & Romanis ob occisum à Iudæis Christum duraturum usque ad mundi finem.*

Baronius Anno 72. num. 28. *Sic igitur hoc anno Iudæi subacti à Romanis nunquam ampliùs post hæc servire desierunt, aut definent aliquando usq; ad mundi finem. Nec enim est spes aliqua restituendæ iterum Hierosolymæ, vel templi denuò excitandi. Nam secundum quod à Daniele prædictum est, usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Alcasar in cap. 20. Apocal. pag. 843. *Quod autem de instauranda Hierosolyma, deque Judæis eò conventuris dicitur, nescio, quàm certum sit.*

In Hodæporia peregrin. Hierosol. F. Johannis Dubliulii Nervii Francisc. p. 21. scribitur, *quod destructo templo Salomonis eodem in loco quingentis aut circiter post annis à Mahumetanis extructum. Salomonis nunc dicitur, non illius Judæorum Regis, sed Haly unius ex Pseudoprophetæ asseclis opus esse, dicitur. Atque hoc templum adeò profanum Iudæis esse, ait, ut mori malint, quàm illud ingredi; Christianis verò introire capitale esse, nisi abjurato Christo & circumcisione susceptâ. Julianus Augustus,* ait, *quem Apostatam dicimus, Iudaicum illud eversum restituere, Iudæisq; in contumeliam Christiani nominis reddere conatus est, sed impius suo malo didicit, cum Deo non esse pugnandum, nec antiquas illas ceremonias, sacrificiorumq; genus, Evangelio coruscante, deletum, ullo modo posse restitui. Igitur hoc templum Salomonis dicitur, propterea quod eodem in loco, in quo illud antiquum à Salomone constructum fuerat, situm est. Ita Mahumetanum opus, non Iudaicum, soli impietati hoc tempore dedicatum, splendido Salomonis nomine ornatur.* (Hic quæri possit, num hoc sit illud templum, in quo Antichristus sessurus sit.)

3. Sane Pontificii ex Apocal. 11. v. 8. *ubi & Dominus crucifixus est &c.* conantur probare, *Antichristum in templo Hierosolymitano sessurum.*

Sed resp. Anglo-Rhemenses ad Apocal. 17. vers. 18. sic annotant. *Si hoc intelligatur de una aliqua civitate, verisimilimum est, Romam veterem denotari, ut ex Græcis nonnulli exponunt. Autoritate enim veteris Romani imperii Christus primum neci traditus est, & deinde duo principes Apostoli eorumq; successores Episcopi Romani & infinita Christianorum multitudo.* Hæc illi:

Dicitur ergo Christus Romæ crucifixus *mysticè* in suis membris. Sic extare, ajunt, notum celebratumque locum in via Appia, *Domine, quò vadis*, appellatum, ubi profugo Petro Christus occurrit, eique roganti. *Domine, quo vadis*, respondit, *Romam, iterùm crucifigi.* Vide Salmeronem tom. 16. Disput. 2. pag. 119. & tom. 15. Disput. 21. pag. 89. Bellarmin. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 23. in fine. Sic & Onuphrius de septem urbis Eccles. p. 216. refert, *Helenam Constantini matrem Capellam, Jerusalem nuncupatam, terrâ sanctâ montis Calvariæ, qui sanguinem Christi exceperat, replevisse, ex quo sacellum ipsum ac tota basilica & universa urbs secunda Jerusalem, imò verior Jerusalem meruit appellari, apud quam & Dominus ad illius robur fidei in Petro iterum crucifigi voluit.*

4. Johannes in Apocalypsi docet, in mystica *Babylone*, id est, Romæ quærendum esse Antichristum, quod confirmant omnes illi autores, qui per *Babylonem & Babylonicam meretricem* intelligunt Romam, quorum testimonia magno numero superiùs sunt citata.

Illis addi possunt sequentia.

Bernhardinus de Busto Mediolanensis Ordin. Francisc. part. 2. Quadrages. Serm. 11. *Possumus per Babyloniam intelligere Romam, unde super illud 1. Petr. 5. Salutat vos Ecclesia, in Babylone collecta, ait Glossa. Romam appellat Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ. Et nos dicere possumus propter confessionem multiplicis malitiæ, in qua fortè nascetur Antichristus ex aliquo malo Pontifice, qui fuerit alicujus sanctæ religionis Professor, sed inobservator & prævaricator regulæ suæ.*

Johannes Huss in Anatomia Antichristi cap. 44. *Dicit Lyra, Daniel. 8. regnum Antichristi quodammodo pertinet ad regnum Romanum, de quo orietur, non obstante vulgari rumore, quo dicitur, in Babylone debere nasci, quia Babylon est Roma, dicente Petro Apostolo 1. Canon 5. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, id est, in Romam illata & inferenda. Nec tunc temporis, scilicet Apostolorum, habitabat vir in Babylone, nec quis ultra habitabit, quia Dominus eam subvertit in desertum, ut prædicitur Esai. 14. & sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorram & vicinas ejus civitates, ut prædixerat Ierem. 50.*

Ludovicus Vives lib. 18. de Civitate Dei cap. 22. *Petrus Apostolus Romam Babylonem appellat, ut etiam Hieronymus in vita Marci interpretatur, qui ad Marcellam scribens, non aliam existimat describi à Iohanne in Apocalypsi Babylonem, quàm urbem Romanam. Nunc verò nomen tam odiosum exuit. Nam nihil est in ea confusum & promiscuum, discretis adeò & redactis omnibus in certas leges, ut cùm omnia propè illic vendantur*

& emantur, nihil tamen agas sine lege ac formula, atque etiam sanctissimi juris.

Malvenda lib. 4. de Antichristo cap. 1. agnoscit, Babylonis nomen mysticè in Apocalypsi esse accipiendum, idque confirmat ex verbis Apocal. 17. v. 5. Mulier illa in fronte scriptum habet nomen mysterium, Babylon illa magna, mater illa scortationum &c.

Salmero tomo 12. tract. 60. pag. 388. Vocatur autem Roma Babylon, tum quod sicut olim Babylon fuit caput orbis propter imperium ejus latissimum, ita etiam Roma; & quia, ut illa olim Judæos & justos affligebat, ita Roma omnium crudelissima, omnes, qui Christi fidem profitebantur in omnibus mundi partibus, sive Africa, sive Asia, sive Europa, tormentis sævissimis vexabat & Martyrio afficiebat, ita ut Iohannes in sua Apocalypsi cap. 18. tradat de Babylone, in ea omnis sanguis Prophetarum & Sanctorum inventus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra: tum quia nomen Babylonis confusionem sonat, quæ magna Romæ erat, & sæpius fuit ob negligentiam eorum, qui vigilare debebant. Atque ita Roma in Apocalypsi vocatur Babylon, de qua dicitur, Cecidit, cecidit Babylon magna &c. Magna enim idololatria olim, tum postea horrendorum flagitiorum & peccatorum confusio ibi inventa est. Et paulò ante inquit Angelus. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet. Et de Roma testatur Poeta:

> Scilicet & rerum facta est pulcerrima Roma,
> Septem quæ una sibi numero circundedit arces.

Idem Præludio 5. in Apoc. Johannem satis tectè & involutè de urbe Roma, quæ septem montibus nititur, loqui notat.

Johan. Gagnæus in cap. 17. Apoc. Hanc Babylonem magnam & meretricem Græci veterem Romam interpretantur: aquas, in quibus sedet, populos, quibus quondam imperabat. Septem montes colles illos septem, quibus vetus Roma insigniserat.

Lessius de Antich. p. 72. Roma à Johanne sæpius vocatur Babylon, ut patet cap. 17. & 18. quia Babylon fuit figura Romæ.

Pag. 73. Angelus explicans quænam illa mulier sit: Mulier, inquit, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ, quibus verbis apertè designat Romam.

Pag. 82. Mulierem quam Johannes vidit, constat esse Romam.

Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 2. §. Præterea. Johannes in Apocalypsi Romam vocat Babylonem, ut Tertullianus annotavit lib. 3. contra Marcion. & lib. contra Judæos, & aperte colligitur ex cap. 17. Apocal. ubi dicitur Babylon magna sedere supra septem montes, & imperium habere super Reges terræ. Nec enim alia civitas est, quæ Iohannis tempore imperium habuerit super Reges terræ, quam Roma, & notissimum est, supra septem colles Romam ædificatam esse.

Idem lib. 3. de Rom. Pont. cap. 13. postquam disputaverat, per meretricem, quæ sedet super septem montes; non intelligi Romam, sed universam Diaboli civitatem, per septem montes intelligi universitatem superborum, & præcipue Regum terræ, subjungit. Dici potest, & meo quidem judicio melius, intelligi Romam, ut Patres exponunt. (videl. Tertull. lib. contra jud. & lib. 3. contra Marcion. & Hieronymus Epist. 17. ad Marcellam & q. 11. ad Algasiam.)

Blasius de Viega in Comment. Apocal. cap. 13. sect. 2. Apostolus per Babylonem Romam significat, ut manifestum est ex capite 17. & 18.

In Comm. cap. 17. sect. 3. late idipsum confirmat in Comment. cap. 18. Apocal. Illud etiam nobis dicendum videtur ex Areta, Primasio, Ansberto, Haymone, Ambrosio & aliis, hoc loco idololatriam urbis Romæ significari, defecturamque esse Romam à fide, atque adeò futuram esse habitationem dæmoniorum & omnis Spiritus immundi ob flagitia & idololatriam, quæ tunc temporis in Romana civitate Romanoq; Imperio longe lateq; grassabitur.

Anglo-Rhemenses in Apocal. 17. v. 5. Ut Nero & alii Imperatores, qui Antichristi figuram portabant, Romæ præcipue sederunt; ita verisimile est, ut (quòd) magnus ille Antichristus Romam Sedem habiturus sit: quanquam aliorum opinio est, præcipuam ejus civitatem fore Hierosolymam.

Rogerius Howeden Annalium parte posteriore. De isto Antichristo idem dicit Joachim, quòd jam natus est in civitate Romana & in Sede Apostolica sublimabitur.

Marianus Victorius fatetur, Hieronymum loqui de urbe Roma, eamque Antichristi Sedem agnoscere, quando scribit Epist. 17. Lege Apocalypsin Iohannis & quid de muliere purpurata & scripta in ejus fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis & Babylonis cantetur exitu, contuere.

Ribera in cap. 14. Apocal. num. 27. pag. 396. Arbitror, quod Andreas Episcopus Cæsariensis & Aretas in hujus libri Commentariis nonnullos, sensisse testantur, Romam nomine Babylonis designari. Etenim cum Babylon ante adventum Christi Reges haberet potentissimos & populo Dei infestissimos, in eaque Judæi captivi servili conditione diu vixissent, Apostoli Romam Babylonem appellârunt, quod Iudæos cœpisset, sibique subjecisset, & ejus Imperatores totius orbis terræ Domini vehementer Christianos affligerent & plurimos eorum occiderent, & Babylon verè Romæ figura fuisset. Quare meritò Augustinus scripsit, lib. 18. de Civitate Dei cap. 2. Babylonem esse quasi primam Romam, & cap. 22. Romam esse velut alteram Babylonem & velut prioris filiam Babylonis. Et Orosius lib. 2. cap. 4. multis in rebus eas similes esse, demonstrat.

Num. 28. pag. 397. Hinc Petrus in prioris Epistolæ calce scripsit. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylon collecta, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, ut ait Hieronymus in Catal. script. in vita Marci. Quod etiam sentit Eusebius lib 2. Histor. Eccles. cap. 15. secutus Papiam Iohannis Apostoli discipulum, & Nicephorus lib. 2. Histor. cap. 15 & Beda in eundem locum Petri & in proœm. Comment. in Marcum, & Oecumenius & Thomas & alii ex recentioribus. Similiter in Apocalypsi nomine Babylonis Romam intelligi, sæpe Martyr Victorinus docet. Et Hieronymus idem significat in Comment. Esai. 24. & apertiùs alludens ad mulierem meretricem cap. 17. quæ vocata est Babylon in prologo librorum Didymi de Spiritu sancto, & in calce posterioris libri adversus Iovinianum; in Epistola 151. ad Algasiam q. 11. in cap. 47. Esaiæ, in Epistola 17. ad Marcellam &c.

Num. 30. p. 398. Eandem sententiam confirmat Tertullianus
lib. adversus Judæos & lib. 3. contra Marcion. non longe à princi-
pio. Eadem sententia est Sixti Senensis lib. 2. Bibliothecæ, Verbo
Meretricis magnæ inscriptio, eamq; noster Robertus Bellarminus
in 1. tomo Disput. lib. 2. qui est de summo Pontifice, cap. 2. & latiùs
cap. 13. eruditè confirmat. Testem etiam citarem Ludovicum Vi-
vem, qui in cap. 22. lib 18. de civit. Dei idem affirmavit, nisi in eo-
dem parum modestè locutus fuisset. Citabo tamen Episcopum Lin-
danum lib. 4. panopliæ cap. 82. & Coepiscopum ejus Franciscum
Horantium lib. 6. Locorum Catholicorum cap. 12. & Marianum
Victorinum Episcopum Amerinum in Scholiis Epist. 17. Hieronymi,
ut alios recentiores omittam. (Per recentiores illos intelligun-
tur Baronius anno 44. num 18. ubi certissimum esse, dicit, nomi-
ne Babylonis Romanam urbem significari. Sanderus lib. 8. de visi.
Monarch. cap. 8. Remalcus de Vaulx in Hippocrate divino part.
1. Johannes Aquipontanus Disput. de Antichristo thes. 31.
Johannes Hartus in Colloquio cum Rainoldo, Emanuel Saa
in cap. 13. 14. & 17. Apoc. qui omnes per Babylonem intelli-
gunt Romam. Pergit vero Ribera.) Hoc dicam, Ambrosius,
qui prius negaverat, tandem in cap. 17. veritate convictus, per
Babylonem Romam significari, confessus est. Huic conveniunt
apertissimè omnia, quæ de Babylone dicuntur in hoc libro, ut suis lo-
cis videbimus, quibus omnia confirmabuntur, atq; illud inprimis
quod alii convenire non potest. Septem capita, septem montes sunt,
super quos mulier sedet. Constat enim, Romam super septem montes
fundatam fuisse, de quibus Virgil. ait 6. Æn. Septemq; una sibi muro
circũdabit arces. Et Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 4. Sed quæ de septẽ to-
tum circumspicit orbem montibus Imperii Roma, Deorumq; locus.
Et Horatius in carmine seculari, quod est ultimum libri Epodon.
Diis, quibus septem placuere colles, dicere carmen. Hi sunt Pala-
tinus, Quirinalis, Aventinus, Cælius, Viminalis, Esquilinus,
Janicularis.

Num. 32. pag. 399. Si omnia conjungamus, quæ de Babylone
dicuntur, planius, eam Romam esse intelligemus. Si meminerimus,
Babylonem Chaldæorum ab Augustino dici quasi primam
Romam, & Romam esse alteram Babylonem, tumentem imperio
& populum Dei persequentem, atq; ita Babylonem illam figuram
esse Romæ, ac pervulgatum esse in Scriptura, ut res figurata nomen
habeat figuræ, ut cum Christus vocatur David aut Salomon. Ad-
damus, hanc Babylonem sedere super septem montes, esse urbem
magnam, quæ apud omnes sine addito urbs dicitur, habere eam re-
gnum super Reges terræ, matrem esse fornicationũ & abominationũ
terræ, Reges terræ cũ ea fornicatos esse à Regibus & à negotiatoribus
desleri, sub se habere decem cornua, id est, decem Reges magnos, se-
dere super aquas multas, à decem Regibus esse vastandam. Nã eis
quadam ex singulis vel in congregationem malorum, vel in aliam
urbẽ convenire possint, õia profectò, nisi in Romã non conveniunt.

In cap. 17. Apoc. n. 7. p. 470. Vidi mulierem ebriam de sanguine
Sanctorum. Hoc in nullam urbem æquè convenit, ac in Romam, in
qua innumerabiles Martyres cæsi sunt. Quãvis non ebria dicitur

tantum

tantum propter sanguinem in eo fusum, sed etiam propter sanguinem, qui ejus jussu & potestate in aliis urbibus effusus est, nam hunc etiam ipsa fudit, nec de sanguine usque ad Iohannis tempora effuso tantù loquitur, verùm & de eo, qui postea erat effundendus.

Ludovicus ab Alcasar in Apocal. fol. 807. *Meretricis magnæ nomen tribuitur civitati magnæ idololatriæ.* In margine additur summa hujus paragraphi ejusmodi verbis. *Nomen meretricis magnæ Romæ imponi.*

Fol. 808. *In Apocalypsi dicuntur omnes gentes inebriatæ epoto calice iræ meretricis, id est, dum Roma idololatricæ iram meditantur.*

5. Excipiunt quidem, *Iohannem loqui de Roma Ethnica, qualis erat tempore persecutorum, non de Roma Papali.*

Sed respondemus, Johannes Romam describit, qualis futura erat sub Antichristo ante ultimum & finalem ejus excidium, eaque descriptio ad ultimum illud excidium pertingit. Quare si per Babylonem Roma Ethnica intelligenda esset, certè extrema hæc desolatio ei, dum Ethnica fuit, contigisset. Sed Antichristus, cùm Roma esset Ethnica, nondum venerat, & clades illa, quæ veteri Romæ ab Herulis & Gotthis contigit, non erat ultimum hoc & finale excidium, de quo loquitur Johannes.

Suarez lib. 5. cap. 7. num. 11. *Desolatio Romæ, quæ prædicitur Apoc. 18. erit sempiterna, ideoque certum videtur, oraculum illud in nullo præcedentium excidiorum Romanæ urbis impletum fuisse.*

Idem cap. 21. num. 6. *Prophetia illa nondum impleta est, nondum enim Roma fuit penitus extincta; nam licet aliquas graves calamitates & clades non modicas sub Gothis & Vandalis passa sit: per illas tamen non est impleta Iohannis Prophetia in dict. cap. 18. quia per illa excidia factum non est, ut amplius non inveniatur.* Præterea clades illa Gotthica supervenit Romæ, non dum Ethnica, sed dum Christiana fuerat. Neque credendum est, Romam Christianam ob veterem gentilismum pœnas dare debuisse. Inde multi ex Pontificiis agnoscunt, *Romam circa mundi finem futuram Antichristi Sedem.*

Anglo-Rhemenses in cap. 17. Apocal. scribunt: *Fieri posse haud incommodè, ut magnus ille Antichristus Romæ Sedem suam habeat. Nam ut Nero,* scribunt, *& alii Imperatores, qui Antichristi figuram portabant, Romæ præcipuè sederunt: ita verisimile esse* (concedunt,) *ut magnus ille Antichristus Romæ sedem habiturus sit: quanquam aliorum,* inquiunt, *opinio est, præcipuam ejus civitatem fore Hierosolymam.*

Ribera in cap. 14. Apoc. num. 39. pag. 404. *Loquitur Iohannes in Apocalypsi de Roma, qualis sub Ethnicis Imperatoribus olim fuit & qualis postquam à Romano Pontifice defecerit, in fine seculi futura est.*

Num. 46. pag. 408. *Quoniam dubium non est, Babylonem omnis idololatriæ & omnium scelerum officinam futuram esse, si fidem fecimus, Babylonem Romam dici, dubitari non potest, quin Roma prope finem seculi hæc omnia habitura sit.*

Blasius de Viegas in Apocal. cap. 17. Comment. 1. sect. 3. *Nomen Babylonis ad eam Romam transferendum, quæ antequam reciperet fidem Christi, idolis serviebat & ad eam, quæ erit tempore Antichristi, quam à summo Pontifice, atque adeo à fide defecturam, Iohannes hoc capite decimo septimo & sequenti commemorat. Existimamus igitur cum Tertulliano & Hieronymo, nomine Babylonis hoc Apocalypsis opere, potissimumque hoc capite & sequenti nomine etiam mulieris fornicariæ Romanam urbem sub duplici illo statu accipiendam esse, ejusque urbis calamitatem & excidium sub Antichristi tempore futurum prænuntiari.*

Idem in cap. 18. Apocal. Comment. 1. sect. 4. *Franciscus Ribera existimat, Romam usque adeo vastandam, miserrimoque incendio delendam, ut in desertum & solitudinem evadat, fiatque habitatio bestiarum & Dæmoniorum, quæ desertis locis delectantur &c. Sed nobis etiam illud dicendum videtur cum Aretha, Primasio, Ansberto, Haymone, Ambrosio & aliis, hoc loco idololatriam ejus urbis significari, defecturamque esse urbem à fide, atq, adeò futuram habitationem Dæmoniorum & omnis Spiritus immundi & volucris immundæ ob execranda flagitia, idololatriaq, superstitionem, quæ tunc temporis in Romana civitate, Romanoq, imperio latè grassabitur.*

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 4. §. ultimo. *Est probabilissimum & piè credendum, divino & immutabili præcepto Romæ sedem Petri esse constitutam. Neque obstat, quod tempore Antichristi Roma desolanda & cremanda videatur, ut deducitur ex cap. 17. Apocal. Nam hoc non fiet, nisi in fine mundi & prætereà tunc etiam summus Pontifex Romanus Pontifex dicitur & erit, licèt Romæ non habitet.* (Si ergo Roma circa finem mundi Sedes Antichristi futura, ac non tantum de Ethnica, sed etiam Antichristiana Roma Johannes in Apocalypsi loquitur, non potest ex eo probari, Romanum Pontificem ideò non esse Antichristum, quia Romæ Sedem habeat. Quin imò argumentum planè inverti potest. Quia Romanus Pontifex Romæ sedem habet, ideò si reliquæ Antichristi notæ ipsi convenire probantur, etiam hoc ipsum, quòd Romæ sedem habet, unà cum reliquis signis ipsum Antichristum esse probat.)

6. Inde est, quòd Ludovicus Alcasar (videns reliquos Jesuitas jam citatos, in concedendo nimis liberales fuisse) & Franciscus Ribera uterque Jesuita in explicatione Apocalypseos invicem adversis sententiis pugnant. Alcasar, cùm negare non possit *per Babylonem, quæ Antichristi sedes futura prædicitur, in cap. 14. 17. & 18. Apocal. intelligendam esse Romam.*

Pag. 666. & 746. eò abit, ut statuat, *hæc omnia intelligenda esse de Roma Ethnica & per ruinam Babylonis accipiendam esse ejus conversionem ad fidem Christianam.*

Pag. 670 *Nova Babylonis ruina non est alia, nisi Romæ conversio*

Pag. 787. *Incendium Babylonis mysticæ, hoc est, Romæ est lætissimum, est exustio ad fidem, cœpit inflammari fide.*

Sed Alcasari contradicit Ribera, qui statuit, *Apocalyptica illa vaticinia non de præteritis, sed de ultimis temporibus esse accipienda.*

Pag. 414. *Summa omnium est, Johannem in omnibus, quæ de Babylone loquitur, adversus urbem Romam vaticinari, postquam & Pontificis maximi obedientiam & omnem pietatem abjecerit, Babylonemque dici, quod hoc illi nomen tempore, quo ipse hæc scribebat, maximè conveniret & tempore, quo hæc explebuntur non minùs, quàm antè conveniet.*

Item, *ruinam Babylonis non de conversione ad fidem, sed de defectione ad Ethnicismum & idololatriam esse accipiendam.*

Vicissim Ribera statuit, *Pœnas Apocal. 18. Babyloni irrogandas à Iohanne prædictas, Romæ hodiernæ irrogandas tum propter idololatriam & crudelitatem, quam sub Ethnicis Imperatoribus ante mille & quingentos annos exercuit.*

Pag. 406. *Exigendas esse pœnas ab hac civitate propter persecutiones illas Neronis & Trajani, dubitare non possumus &c. tum propter defectionem à Pontifice & fide.*

Pag. 408. *Quoniam dubium non est, Babylonem omnis idololatriæ & omnium scelerum officinam futuram esse, si fidem fecimus, Babylonem Romam dici, dubitari non potest, quin Roma prope finem seculi hæc omnia habitura sit.*

Et pag. seq. *Necesse est dicere, eam à fide & obedientia Vicarii Christi eo tempore defecturam.*

Sed utrumque negat & refellit Alcasar. Nam quoad prius membrum pag. 747 scribit. *Nec ferri potest, post duo annorum millia Romam illam postremam pœnas dare eorum scelerum, quæ altera illa Roma antiqua perpetravit.*

Quoad posterius, pag. 746. scribit, *Patres clamant, Romanam Ecclesiam nunquam fore à vera religione defecturam. Et quamvis nova Riberæ & Viegæ opinio respondere possit, minimè implicare, Ecclesiam rursus Romanam valdè premi & conflictari, sicut Diocletiani & Iuliani tempore. Cæterum ut affirmetur, Romanam Ecclesiam sub Antichristi tempus Romæ oppressum iri, deberet solidum aliquod afferri fundamentum quod tantum abest, ut adduci possit, ut Gregorius Magnus lib. 2. Dial. cap. 15. affirmet, S. Benedicto fuisse divinitus præsignificatum, Romam nunquam ab infidelibus eversum iri.* (Quòd si ergo pœna, in Apocalypsi Babyloni prædicta, futuris temporibus Romam opprimet, ut fatetur Ribera, nec potest illa pœna propter Ethnicam idololatriam dici Romæ irroganda, nec statui potest illam à fide defecturam, uti disputat Alcasar, relinquitur, propter præsentem statum eam esse Romæ irrogandam, ac per consequens Romæ non esse alium Antichristum expectandum, quam qui hodie illic rerum potitur.)

7. Excipiunt alii (Ribera in Apocal. 14. n. 42. 47. & 57. Viegas in Apocal. 17. Com. 1. sect. 3. Cornelius à Lapide in 2. Thess. 2. p. 710.) *Babylonem, de cujus extrema desolatione vaticinatur Johannes, designare quidem Romam, qualis est sub finem mundi, tempore Antichristi futura, verum non Romam Ecclesiam se profitentem, nec papæ subjectam, sed Romam paganam à fide Christi & obedientia Papæ ad Ethnicismum relapsam.* At hanc expositionem Suarez lib. 5. c. 7. n. 12. non probat, nec Alcasar in Apocal. prolegom. in c. 17. & 18. Disput. 1. nec Benedict. Justi-

Justinianus in 2. Thessal. 2. pag. 416. quin imò Malvenda lib. 4. de Antichr. cap. 5. eam, *ut incredibilem*, detestatur.

Suaretz d. l. sic scribit. *Quod verò ante illam destructionem redituram sit Roma ad pristinam potentiam & temporale dominium, non video, unde probari possit.* Confer eundem cap. 11. n. 10.

Verba Benedicti Justiniani d. l. sic habent. *Non me fugit, quod viri docti ex libro Apocal. colligunt, redituram urbem Romam ad pristini sui Imperii magnitudinem ac majestatem, mox ejus Imperium rursus evertendum & omnia Antichristo, subjicienda. Sed quid hoc est aliud, quam divinare.*

Et paulò pòst. *Sed hoc tamen admisso, nescio quo fundamento affirmare possimus, eam à suo Pontifice recessuram, idolorum cultui fore obnoxiam, justos insectaturam, aliaq; id genus scelera patraturam, demum ejus Imperium dissolvendum. Sed quid in Apocalypsi significet Iohannes, mitto in præsenti quærere; quæ de urbe Roma dicuntur, fateor, me non posse facilè sine certa ratione admittere.*

8. Quidam Pontificii dicunt, *Babylonis nomine Apoc. 14. 17. 18. significari non certam aliquam urbem vel statum, sed universam multitudinem reproborum*, Malvenda de Antichristo lib. 4. cap. 2. Anglo-Rhemens. in Apoc. 14. v. 8. & cap. 18. v. 21. Sanderus de visibili Monarch. lib. 8. cap. 8.

Sed illis contradicit Suarez lib. 5. capite 7. num. 8. *Iohannes*, inquit, *Apoc. 17. si proprietas verborum teneatur, de speciali civitate loquitur. Et cap. 18. loquitur non tantum de populo, sed etiam de materiali civitate & peculiari loco terræ sita.* (Certè Babylonem illam Spiritus S. disertè vocat πόλιν, Apocal. 14. v. 8. ubi tamen in vulgata versione vocula *urbis* est omissa; cap. 18. v. 10. 16. 18. 19. 21. eamque tum inter alias civitates numerat, Apoc. 16. v. 19. tum ut certam quandam civitatem describit, *insidentem septem montibus*, Apoc. 17. v. 9. *regnum habentem super Reges terræ*, v. 18. *cujus excidium Reges qui cum illa scortati sunt, & mercatores, qui cum illa negotiati, ac reliqua impiorum turba, qui supremæ illi & finali Babylonis internecioni superstites futuri sunt, lugebunt & plangent procul stantes propter metum cruciatus ejus*, Apocal. 18. v. 10. 15. 17. quæ quidem multitudo non esset futura de universitate impiorum, si Babylon universam impiorum multitudinem designaret.)

9. Sic ergo Pontificii non consentiunt, quid per *subversionem Babylonis* Apoc. 18. prædictam intelligendum veniat.

1. Quidam per Babylonem intelligi volunt *universitatem reproborum*, Stapleton. in relect. controv. 3. Sed quia à Babylone illa universitas impiorum distinguitur, ideò

2. Quidam agnoscunt, *nomine Babylonis intelligi Romam, sed Ethnicam idolis servientem*, Alcasar Apoc. 17.

3. Sed quia res ipsa testatur, eà, quæ de finali Babylonis excidio prædicta sunt, nullo modo competere Romæ Ethnicæ, ideò alii per Babylonem intelligunt *Romam, qualis futura est sub finem seculi, relapsam scil. ad idololatriam & ab obedientia Romani Pont. prolapsam*, Ita Ribera & Viegas in Apoc. Lessius de Antichristo &c.

3. Sed hanc opinionem Malvenda lib. 4. de Antichr. c. 5. Suarez lib. 5. c. 7. §. 10. & 12. Bened. Just. in 2. Thess. 2. refellunt.

5. Controvertentibus hoc modo invicem Pontificiis & omnem moventibus lapidem, ut à Roma Papali vaticinium illud de Babylonis excidio amoliantur, Ludv. ab Alcasar quasi ἀπὸ μηχανῆς superveniens in Epist. dedicat. ad Paulum V. bono animo ipsos esse jubet, ac conflagrationem illam Romæ dicit esse *non illius eversionem, sed conversionem, quâ ex meretrice Babylonica facta est Sponsa Agni, quam amplissimi, æterniq; triumphi maneant in cælo*, quæ expositio est omnium absurdissima, ut tota series textus ostendit.

Argum. 8. *Antichristus negabit, Jesum esse Christum & proinde oppugnabit omnia Salvatoris nostri instituta, docebit, nondum cessasse circumcisionem, Sabbatum & alias legis ceremonias*, 1. Joh. 2. *asseret, se esse verum Christum in lege & Prophetis promissum*, Joh. 5. *affirmabit, se Deum esse & pro Deo coli volet*, 2. *Thess. 2. ac se non solum Deum, sed etiam solum se Deum esse dicet & oppugnabit omnes alios Deos, i. e. tam Deum verum, quam etiã Deos falsos & omnia idola*, 2. *Thess. 2. Dan. 11. At hæc non conveniunt Romano Pontifici*. Bellarmin. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 14.

Resp. 1. Ostendimus superiùs in responsi. ad proxime præcedens argumentum membro 2. Ludovicum Vivem in Comm. lib. 20. August. de Civ. Dei cap. 7. refellere somnium *de restituendis ceremoniis*.

2. Anglo-Rhemenses in annot. 1. Johan. 4. sect. 7. dicunt, *quòd negare Patrem & Filium solummodò erat signum, inserviens illi tempori ad describendum hæreticum* (Christus nõ solum negatur *apertè*, sed etiam *occultè*, non solum *ratione personæ*, sed etiam *ratione officii*, non solum *doctrinâ*, sed etiam *vitâ*.)

3. De loco Johan. 5. egimus superiùs argum. 2. de loco 2. Thess. 2. egimus argum. 1.

4. Antichristus, docente Bellarm. & reliquis Pontificiis, *à Judæis pro Messia recipietur*. Ergo verum Deum Israelis agnoscet & palàm dicturus est, quòd à Deo missus sit. Si enim blasphemaret, *se solum esse Deum*, protinùs à Judæis repudiaretur, Joh. 10. v. 33. *Habebit cornua similia Agno*, Apoc. 13. v. 11. Igitur simulabit se Christum, sed intus erit Christi adversarius. Glossa ibid. *Antichristi mancipia simulabunt, se habere innocentiam & puram vitam & veram doctrinam & miracula, quæ Christus habuit & suis dedit, & duo Testamenta sibi usurpabunt.*

5. Fortalitium fidei lib. 3. q. antepenult. *Ita ut in templo Dei ipse* (Antichristus) *sedeat, quod ædificabit in Ierusalem, secundum quosdam, vel ut verius loquimur, secundùm alios ipse se dicet templum Dei, ostendens se, tanquam ipse sit Deus. Hoc est, quod dicit Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 19. quod illud, quod nos habemus de Antichristo, in templo Dei sedeat, Græci habent, in templũ Dei sedeat, tanquam, inquit Augustinus, ipse sit templum Dei, id est, Ecclesia, ex quo dicto accipitur argumentum, quod Antichristus erit falsus Christianus & finget se virum Ecclesiasticum ad cumulatiùs nocendum, quia in templum Dei* (sedebit) *id est, in modũ Ecclesiæ, ait Augustinus. Hoc idem vult Franciscus de Maronis in 4. dist. 48. quæst. 2. allegans Augustinum, ubi suprà, ipse etiam, ut facilius Christianos & Iudæos ad ritum suum attrahat, diem Sabbati in diem Dominicum in favorem Christianorum, & diem Sabbati in favorem Judæorum faciet custodiri, ut patet in Decret. de consecr. dist. 3. pervenit.*

(Atqui si Antichristus erit falsus Christianus, si finget se virum Ecclesiasticum, si diem Dominicum in favorem Christianorum faciet custodiri, quomodo oppugnabit omnia Salvatoris nostri instituta? quomodo abrogabit Baptismum?)

6. Apostolus non dicit, quòd Antichristus se elaturus sit supra verum Deum cœli & terræ conditorem, sed ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν. Lombardus in 2. Thessal. 2. *quod dicitur Deus, vel falsâ opinione, ut Dii gentium; vel beneficii gratiâ, ut Sancti.*

Bruno ibid. *Supra omne, quod dicitur Deus, i. e. quod nuncupativè Deus dicitur & non est substantialiter, ut sunt Sancti, secundùm illud. Ego dixi, Dii estis, Ps. 82.*

Dionys. Carthus. ibid. *Extolletur, id est, superbiâ erigetur supra omne, quod dicitur Deus, id est, universis creaturis, quæ vel singulari perfectione, vel vanâ hominum opinione Dii vocantur, se præferret.*

7. Bellarm. h. l. disputat, *quòd Antichristus se ipsum sit nominaturus Christum*. Sed cum eo parum cõvenit, quod lib. 3. de Pont. c. 10. disputat, *nomen Antichristi esse ignotum atq; incognitum.*

8. Pontifex non solùm extollit se supra unum illum verum Deum, cujus ordinationes, præcepta, verbum, multis modis depravat, iisq; suas ordinationes & præcepta præponit, ut suo loco demonstratur. (Erasmus in 1. Cor. 7. p. 327. *Plerique Theologi tantum autoritatis tribuunt Rom. Pontifici, ut possit abrogare, quod ab Apostolis, atque adeo ab ipso Petro institutum. Nec desunt, qui vocent in quæstionem, an jus habeat, etiam adversus Evangelicam doctrinam statuendi quippiam, nec prorsus abnuunt, quin aliqua ratione possit, si non abrogando, quod statuit Christus, certè vel interpretando, vel relaxando.*) Sed etiam supra omnes λεγομένους θεοὺς, h. e. supra Principes, Reges, & ipsum Imperatorem.

Cæsar, ut primum videt Papam, detecto capite, illum genu terram tangens veneratur, & iterùm, cum appropinquat ad gradus Sedis, genu flectit & Papæ pedes osculatur. Autor Ceremon. lib. 3. sect. 5. tit. de urbis ingressu Imperat.

Cæsar tenet stapham, quoad Papa equum ascenderit, & accepto equi fræno, per aliquod passus ducit equum Papæ. Idem lib. 1. sect. 5. tit. Processio Papæ & Cæsaris per urbem.

Constantinus M. tenuit frænum equi, quo Sylvester equitabat & statoris officium ei exhibuit. c. Constantinus dist. 96. *Imperator in convivio Papæ aquam præbet ad lotionem manuum.* Lib. 1. Cerem. sect. 3. tit. de soleñi convivio Papæ. *Idem Imperator vel Rex Romanorũ portat primum ferculum ad mensam Papæ.* Ib. *Quod si Papa non equo, sed sella veheretur, tunc Imperator vel Rex, si adsunt, debent ipsã sellã suis humeris portare.* Lib. 1. Cerem. sect. 2. tit. Ordo processionis. Augustinus Steuchus lib. 2 contra

Vallam

Vallam fol. 285. *Pontifex est major Imperatore.* Hadrianus IV. expostulavit cum Imperatore, quòd *in literis suum nomen Papæ nomini proposuisset.* Alexander III. Imperatoris Friderici caput pedibus suis calcavit. Bonifacius VIII. tempore Jubilæi uno die cum Papalibus infulis altero die cum paludamento Imperatorio prodiit, & ante se gladium nudatum deferri curavit, ac simul altâ voce clamavit: *Ego sum Papa atque Cæsar, & cœleste ac terrestre imperium habeo.* Crantzius lib. 8 c.36. Papa jactitat, *se totius orbis Principatum tenere*, c periculoso in sexto de statu Regularium; asserit, *omnem humanam creaturam sibi de necessitate salutis esse subjectam.* c. Unam sanctam extr. de majoritate, *dignitatem suam esse quadragies septies majorem Imperiali dignitate.* Gloss. c. Solitæ de Majoritate. *Omnes Reges esse suos vasallos.* c. Romani §. Nos præmissis de jurejurando in sexto: c. Tibi Domino dist. 63. *Se habere potestatem Imperatores ac Reges de solio deturbandi*, quam potestatem ipso facto exercuit Innocentius III. in Philippum & Ottonem IV. Impp. Innocentius IV. in Fridericum II. Gregorius VII. in Henricum IV. Paschalis Papa in Henricum V. Zacharias in Childericum Francorum Regem. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 16. §. At hæc. *Constat à Pontificibus fuisse depositos præter Leonem III. Græcum & Childericum Francum etiam Henricum IV. à Gregorio VII. Ottonem IV. ab Innocentio III. Fridericum II. ab Innocentio IV. qui omnes re ipsâ imperium amiserunt.* Inde Augustinus de Ancona Summ. de Eccles. potest. q. 1. art. 7. scribit: *Papa habet omnem potestatem, etiam Regalem & Imperialem in toto mundo, quia consecratur, ut Sacerdos; & coronatur, ut Rex.* q. 46. *Papa Regibus, tanquam suis vasallis suæq; potestati subjectis, imperat.*

9. Quod Daniel dicit, *Antichristum secundum voluntatem suam facturum*, ac, quod Paulus dicit, *ipsum fore ἄνομον*, illud itidem Pontifici competit. c. Si Papa distinct. 40. *Judicaturus omnes, à nemine debet judicari.* Bonifacius c. Unam sanctam extr. de majoritate. *Si suprema potestas, quæ est Papæ, deviat, à solo Deo, non ab homine potest judicari.* Gomesius, Zasius & Canonistæ. *Papæ potestas est suprema, in qua non habet parem. Papa potest facere sententiam, quæ nulla est, aliquam, habet voluntatem pro ratione, nemo debet ei dicere, cur ita facis? autoritate & potestate major est Angelo, Papæ absolutè credendum.* Baronius Anno 373. num. 21. *Ex arbitrio Romani Pontificis semper pependit, fidei decreta sancire & sancita mutare.* Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 17. *Papa est supra Concilium.*

Argum. 9. *Antichristus & ejus ministri facient miracula* Matth. 24. 2. Thess. 2. Apoc. 13. *sed mendacia* 2. Thess. 2. *ignem de cœlo faciet descendere; faciet, ut imago bestiæ loquatur, ac finget se mori & resurgere* Apoc 13. *At hæc non conveniunt Romano Pontifici. Ergo non est Antichristus.* Bellar. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 15.

Resp. 1. Lyranus in c. 14. Daniel. jam olim conquestus est, *aliquando maximam populi deceptionem fieri in Ecclesia per miracula ficta.* Exempla ejusmodi mendacium ac fallacium miraculorum complura adduximus tract. de Ecclesia §. 284. quibus addendum illud, quod recitat Selneccerus part. 4. Exam. pag. 537. ex Nicolao Palladio Dano. *Quidam Manochi ante aliquot annos non erant contenti mortuâ figurâ Christi in cruce pendentis, sed scribebant ad quendam mirabilem artificem, ut faceret eis vivum crucifixum, qui respondit. Si vivum fecero, fortassis à novo interficietis. Tandem precibus & muneribus adductus fecit crucifixum q. vivum, caput in cruce mobile, oculos & labia mobilia. Hanc imaginem Christi crucifixi in suo templo super januam chori collocaverunt & illâ magnam hominum multitudinem longo tempore deceperunt. Quoties enim magna hominum turba conflueret ad videndam & adorandam statuam, quidam Monachus à tergo stans traxit funiculum, quo avertebat caput idoli, q. nollet illos respicere & exaudire, unde fiebat magna animorum consternatio. Statim clamavit Monachus, inquient, date, offerte opulenter nobis miseris fratribus, tunc rursus convertet ad vos placidum vultum. Tunc cœperunt homines munera offerre ad aram. Interea Monachus traxit alium funiculum, quo convertit caput imaginis ac populum, ac si donis se placari significâsset. Tandem idolum proditum est & Monasterium destructum.*

2. Anglo-Rhemẽses *bestiam, quæ ignem faciet de cœlo descendere*, exponunt non de Antichristo, sed de alio Pseudopropheta inferiore Antichristo. Ribera in Comm. p. 370. *de quodam Antichristi præcursore.*

3. Bestiam illam, *quæ de mari ascendit, & ignem de cœlo productura est*, Bernhardus Epist. 125. dicit, *esse Pontificem, Sedis Papalis invasorem*, ac Ulricus Episcopus Augustanus Imp. Ludovici Secretarius circa Annum 1321. solitus est Johannem XXII. appellare *bestiam è mare ortam* (Neuter tamen illorum propriè & literaliter tamẽ loquendo ignem de cœlo fecit descendere.)

4. Stapletonus in prompt. morali Domin. XXIV. post Pentec. Corn. Jansenius cap. 123. Conc. Evang. *Antichristum vera miracula editurum*, asserunt. Dionysius Carthusianus in 2. Thess. 2. *Miracula Antichristi erunt mendacia non formaliter, sed finaliter.* Hoc pugnat cum assertione Bellarmini, quòd *Antichristi miracula non futura sint vera miracula.*

5. Quod de Antichristo dicitur, *ignem cœlo faciet descendere*, id hodie plerique omnes Pontificii literaliter *de materiali igne* cœlo evocando accipiunt. Atqui primo, Compendium Theologicæ veritatis mysticè exponit. Sic enim differit lib. 7. c. 8. *Faciet etiam, sicut legitur Apocal. 13. ignem de cœlo ad terram descendere. Glossa, id est, malignum Spiritum faciet super suos descendere, ut loquantur variis linguis. Spiritus enim malignus descendet in eos in conspectu hominum, sicut Spiritus sanctus descendit in Apostolos Christi.* Secundo, si literalis sensus in Apocalypsi simpliciter militaret, multa sequerentur absurda. Sic Apoc. 11. v. 5. dicitur, *Ignis prodibit ex ore eorum*, h. e. juxta Pontificios *Enochi & Eliæ*, quod literaliter accipere perquam absurdum foret. Eodem cap. v. 6. de iisdem dicitur, *Claudent cœlũ, ne pluat in dieb. prophetiæ ipsorum.* Nunquid a. regni Antichristiani tempore cœlum erit clausum, ne pluat? quomodo igitur Antichristus in continua fame tantos ducet exercitus? Sic Dan. 8. 10. legimus de Antiocho, quod *stellas de cœlo sit dejecturus*, quod tamen ad literam acceptum falsum esse, experientia docuit. Ergò à litera ad figuram necessariò veniendum. Tertiò Lud. Alcasar. in Apoc. p. 701. agnoscit, *literalem sensum ænigmatis stylo haud congruere*: verissimè haud dubiè, licet is errorem corrigat errore satis inepto. (Ansbertus in illum locum. *Bestia cum duobus cornibus ignem de cœlo descendere faciet in terram, quia Prædicatores Antichristi, falsâ imitatione Ecclesiæ, per impositionem manus dare se suis Spiritum S. sequacibus, fingunt.* Ibid. *Quæ est autẽ imago ejusdem bestiæ, nisi illa simulatio, quâ putetur, Antichristus verè esse Dei filius, cum sit in eo Diabolus, idemq; malignus in illa simulatione Spiritus? Qui verò sunt, qui faciunt imaginem hujus bestiæ, nisi qui illam imitantur simulationem?* Eodem modo exponit Haymo. Ergò hæc non sunt κατὰ ῥητὸν accipienda. Quartò, Metaphoricè per istum ignem intelligitur *ignis excommunicationis Papalis*, quem ceu fulmen aliquod cœlitus delapsum ejaculatur adversus omnes Monarchiæ suæ adversantes. Gregorius VII. in Epistola ad Germanos Henricum IV. Imperatorem excommunicatione percussum, *fulmine afflatum esse*, pronuntiavit. Hûc enim pertinet Ceremonia, quâ Ministri Pontificis in ejaculandis fulminibus excommunicationis utuntur. Faces enim ardentes & cereos accensos è loco sublimiori vibrant in excommunicatos, ut intelligant, se ignem iræ divinæ, sive, ut loquuntur in Bullis, *indignationem omnipotentis Dei & Beatorũ Petri & Pauli Apostolorum* incurrisse, nihilque aliud illis expectandum esse, quàm, ut animæ excoñunicatorum descendant in ignem infernalem, postquam ignis ille excommunicatorius devoravit bona eorum tàm corporis quàm fortunæ. Job. 1. v. 16. Inde etiam Abbas Urspergensis in Chronico excommunicationem Friderico Imperatori intentatam vocat *ignem ab Hadriano accensum.* Quinto, procul dubio per *descensum illum ignis de cœlo* respicit Spiritus sanctus ad Histor. Eliæ 1. Reg. 18. & 2. Reg. 1. ut *συνεκδοχικῶς nomen speciei* ponatur *loco generis.* Sic Judæi proverbialem habent locutionem. *Si quis ignem de cœlo descendere faciat & legem neget, maledictio sit*; cujus sensus est. Si quis miracula edat, & tamen falsum doceat contra legem, anathema sit, quod congruit cum loco Deuter. 13. v. 2. & seqq. ac merito opponitur Pontificiis, multum de miraculis suis gloriantur.

6. Quòd si omninò literæ inhærere velint ac exigere, ut ignem è cœlo delapsum ostendamus, præterquam quòd Iohannes Linturnius Sacerdos Hosiensis in Appendice ad Fasciculum temporum memorat, *ignem reverâ è cœlo aliquoties cecidisse*, adducimus illud, quod Horatius Tursellinus lib. 1. Histor. Lauret. cap. 15. pag. 77. & cap. 17. pag. 85. lib. 3. cap. 11. pag. 267. cap. 13. pag 281. cap. 14. pag. 283. de ædicula Virginis Lauretanæ scribit: *Visa non semel est per noctem subita de cœlo effundi flamma, quæ primo velut pluribus sparsa locis coruscabat, deinde quasi uno facto agmine ad Deiparæ cellam tendens omnia circum cœlesti luce complebat. Visum etiam sæpe crebris luminibus collucere tectum summa cum admiratione intuentium.* En ignem è cœlo descendentem!

7. Ad stabiliendum Sanctorum cultum inter reliqua miracula etiam ignem de cœlo deduxerunt. *Ad Thomæ memoriam quater lux descendit, & in Sancti gloriam cereos accendit.* Breviarium ad usum Eccles. Sarisbur. in festo Thomæ Cantuar. In Legenda Proti, Hyacinthi & Eugeniæ ignem de cœlo deducunt *ad consumendam Melanciam, quæ Eugenium falsò accusaverat.* In Legenda Eduardi Martyris *columna ignis deducitur de cœlo ad terram usq; ad indicandum sepulchri ejus locum.* In Legenda Georgii ignem de cœlo devocant, *ad comburendum Dacianum, qui Georgium decollâsset, postquam orâsset Dominum, ut quicunq; ipsius imploraret auxilium, petitionis suæ consequeretur effectũ, responsumq; cœlitus accepisset, quòd sic fieret, ut oravit.* In Legenda Barbaræ ignem cœlitus deducunt, *quo pater ipsius, qui eam persecutus fuerat, penitus absumtus fuit.* (Quamvis verò Martyres isti passi sint *ante natum Antichristum*, Historia tamen conscripta est *post Antichristum quadantenus revelatum*, quâ in conspectu hominum, quibus verissima est visa, ignis deductus est de cœlo ad horum Sanctorum commendandum cultũ. Hic enim est omnium Legendorum scopus.) Pari ratione in Legenda Martini, ut eum Apostolis assimilent, faciunt *Spiritum sanctum in eum descendere in forma ignis, sicut descenderat super Apostolos, à quibus etiam visitatus est.* Cui non absimile est illud, quod refert Baronius Ann. 1145. num. 24. *radium Solis super caput Eugenii III. dum Missam celebraret, splendido fulgore coruscâsse & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes fuisse conspectas; quod cum unus ex Legatis Orientalibus vidisset, neque tamen ullum aditum perspicere potuisset, per quem lux illa transfunderetur, ad obedientiam Romanæ Sedis accensus est.*

8. Idem judicium est de alio Antichristi miraculo, quòd *videlicet facturus sit, ut imago bestiæ loquatur.* Hoc enim itidem non propriè, sed mysticè accipiendum, per imaginem enim bestiæ, cui vitam Antichristus inspiraturus dicitur, Romanum Imperium antiquum intelligitur, quod in Italia q. demortuum Romanus Pontifex instauravit & novo Spiritu donavit. Quòd si omninò etiam hoc ipsum κτ̃ ῥητὸν intellectum velint, respondemus, in Legendis aliquoties de Imaginibus Sanctorum commemorari, quòd fuerint locutæ. Bernhardus de Parentinis in Lilio Missæ de Thoma Aquinate hæc commemorat. *Hic Doctor egregius ad preces omnium Magistrorum in Parisiis super Expositione Missæ scripsit, quod verum esse videbatur, & postquam scripsit, libellum suum præsentavit Crucifixo in altari, rogans ferventissimè, quod si vera de eo scripserat, ipse sibi ostendere dignaretur, & tum Crucifixus respondit; Bene scripsisti de me Thoma.*

Argum. 10. *Antichristus ex humili loco prodiens, per fraudes & dolos regnum Judæorũ est adepturus Dan. 11. pugnaturus cum tribus Regibus, nimirum Ægypti, Libyæ atq; Æthiopiæ, & eorum regna illis devictis occupaturus Dan. 7. subacturus sibi alios Reges, & eo modo Monarcha totius orbis evasurus Apoc. 17. cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturus Apoc. 20. At nihil horum convenit in Rom. Pontificem.* Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 16.

Resp. 1. Non *Judæorum*, sed *Romanum regnum* Antichristus sibi subjugabit, ut superius ostensum. At Pontifex sibi illud vendicat.

2. Dan. 7. agitur de Antiocho & sub ejus figura de Antichristo Orientali. Fatetur ipse Bellarminus, *Danielem in sensu literali agere de Antiocho, nec nisi ratione typi ad Antichristum ea posse applicari.* Eccur igitur *Ægyptum, Lybiam & Æthiopiam* in sensu literali accipit?

3. Papa sibi arrogat potestatem in omnes Reges ac Principes, imò in ipsos Imperatores, ac *de necessitate salutis esse dicit, sibi subesse omnem creaturam.* Ergò est Monarcha.

4. Ecclesiam à Pont. Rom. persecutionem sustinere, jam olim Imperatores & Episcopi conquesti sunt, quorum testimonia superiùs sunt adducta.

5. Bellarminus putat, Ezech. 38. & 39. agi de *præliis & exercitu Antichristi.* Sed Pererius libr. 15. in Gen. fol. 552. statuit, Ezechielem loqui de Regibus Syriæ. Ezech. 38. (inquit) *Magogæi recensentur inter varias gentes, quæ sub Principe Gog, hoc est, Regibus Syriæ militaturæ & bellaturæ erant adversus Iudæos ex captivitate Babylonica reductos.* De loco Apoc. 20. itidem *varias & diversas haberi sententias*, fatetur Dionysius Carthusianus in Comment. illius loci. Bellarminus ipse suam expositionem, *ut probabilem tantùm*, affert, *non ut certam.* Si prælium illud Gogi & Magogi est ultima persecutio adversus Ecclesiam, quamque statim consequetur solida Ecclesiæ liberatio, ergò ea pertinebit non *ad adventum*, sed *ad destructionẽ* Antichristi, quam nondum plenè & finaliter factam concedimus, sed ex eo probari nequit, Antichristum nondum venisse.

Argum. 11. *Patres alium Antichristum agnoscunt, quam Pontificem Romanum.*

Resp. 1. Ludovicus Vives, cùm Lactãtii & Hieronymi de Antichristo sententiam adduxisset, *futuros scil. circa finem seculorũ decem Reges, qui Romanum orbem inter se dividant, superventurum undecimum Antichristum*, subjungit, *sed hæc sunt leves conjecturulæ.*

2. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. §. Præter &c. sic disserit: *Duæ sunt sententiæ sanctorum Patrum de generatione Antichristi. Prima est, Antichristum de fornicaria muliere nasciturum, non ex legitimo matrimonio. Docent hoc Damascenus lib. 4. cap. 27. & quidem alii. Sed cùm non possit ex Scripturis ostendi, est quidem probabile, non tamen certum. Secunda est, Antichristum nasciturum de tribu Dan. Asserit hoc Irenæus, Hippolytus Martyr, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Theodoretus, Gregorius, Beda, Rupertus, Aretas, Richardus, Anshelmus. Probant ex Gen. 49. Jerem. 8. Apoc. 7. Hæc sententia est valdè probabilis propter tantorum Patrum autoritatem, non tamen omninò certa, tùm quia pleriq; eorum Patrum, non dicunt, hoc se scire, sed, probabile esse, insinuant, tum quia nulla eorum Scripturarum convincit.*

(Atqui si ideò tantùm probabile est, *Antichristum de muliere fornicaria nasciturum*, quia id non potest ostendi ex Scripturis; ac si sententia illa, quòd *Antichristus nasciturus ex tribu Dan*, non est omninò certa, etiamsi totus fermè Patrum chorus eam afferat, quia nullum Scripturæ dictum, quod pro ea adducitur, convincit, consequens erit, plerasq; Patrum de Antichr. opiniones, utpote Scripturæ suffragio destitutas, esse incertas.)

3. Pererius Comment. in Dan. lib. 15. pag. 76. sic scribit: *Prophetia ante adimpletionem ænigma. Notabilis sententia Irenæi libr. 4. cap. 43. Omnes prophetiæ priusquam habeãt efficaciã, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus. Cum autem venerit tempus & evenerit, quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem.* Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 10. §. Accedat &c. *Commune est omnibus vaticiniis Prophetarũ, ut ambigua & obscura sint, donec impleantur, ut Irenæus rectè docet & probat lib. 4. cap. 43. cum verò impleta sunt, clarissima efficiuntur,* cap. eod. in fin. Eadem ferè habet Salmero tom. ult. oper. pag. 357. (quod congruit cum Jer. 28. v. 9. Daniel. 12. v. 4. & cum verbis Augustini lib. 20. de Civ. Dei cap. 23. *Vereri me sanè fateor, ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inventurus Antichristus, fortè fallamur, atque ita ille inopinatus adveniat, non existentibus tot Regibus in orbe Romano.* Andreas Cæsariensis in Apoc. cap. 18. τὴν μὲν ἀκρίβειαν τῦ ψήφου, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ περὶ αὐτὸ (Ἀντιχρίστου) γεγραμμένα ὁ χρόνος ἀποκαλύψει καὶ ἡ πεῖρα τοῖς νήφουσι.

(Atqui Patrum vita ad complementum illarum prophetiarum, quæ in Scripturis de Antichristo extant, non pertigit.)

4. Inde tot diversæ Patrum de Antichristo sententiæ. Primo quidem statuũt, *Neronem ab orco revocandum.* Barradius tom. 3. Concord. Evang. lib. 9. cap. 5. num. 13. & 14. *Neronẽ autem non tantum Antichristi effigiem quandam fuisse, sed ipsummet fore Antichristum nonnulli falsò arbitrati sunt, ut Augustinus indicat libr. 20. de Civ. Dei cap. 19. Nonnulli, inquit, Neronem resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alii nec eum occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus & vivum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, donec revertetur. Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumtio. Hæc Augustinus. Severus Sulpitius lib. 2. Histor. Neronem sub finem mundi mittendum, ait, eamque opinionem tribuit D. Martino in Dial. lib. 2. Legendus Cardinalis Baronius tom. 1. Adeò absurda est hæc opinio, ut refutatione nullâ indigeat.* Sic Barradius, è cujus jussu conferatur Baronius tom. 1. pag. 684. ubi etiam Chrysostomum perstringit. Eadem scribit quoque Pererius in Danielem lib. 14. pag. 697. *Annotavit*, inquit, *D. Hieronymus super hoc cap. 11. Daniel. Quosdam Scriptorum Ecclesiasticorum opinatos esse, non alium fore Antichristum, quam ipsum Neronem, qui in fine mundi venturus est, idem sub finem ejus & propè mundi interitum eandem crudelissimè persequatur. Scilicet hoc illos putasse, verisimile est, propter magnitudinem crudelitatis & turpitudinis, quâ cunctos mortales Nero superavit. Certè id memorat etiam Severus Sulpitius in lib. 2. sacr. Histor. cum de Nerone scribit. Nero inquit, creditur, etiamsi se ipse gladio transfixerit, curato vulnere ejus servatus, secundum illud, quod de eo scriptum est in Apocal.*

Apocal. cap.13. Et plaga mortis ejus curata est. Idemque putatur sub finem seculi mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat. Verum idem Sulpitius in Dialogo secundo, hac de Nerone & Antichristo à B. Martino prodita Gallum facit referentem; ante finem seculi Neronem in occidentali plaga Regibus subactis decem imperaturum, persecutionem autem ab eo eatenus exercendam, ut idola gentium coli cogat. Ab Antichristo autem orientale Imperium esse capiendum, qui quidem Sedem & caput regni Hierosolymam sit habiturus: ab illo urbem & templum esse reparandum: illius tam persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negare, se potius Christum esse, confirmans, omnesq; secundum legem Mosis circumcidi jubeat & ipsum deniq; Neronem ab Antichristo esse perimendum, atq; sub illius potestatem universum orbem cunctasq; gentes esse redigendas, donec adventu Christi impius opprimatur. His subjungit Pererius judicium Augustini, atque etiam suam virgulam censoriam. Eadem ferè refert Benedictus Justinianus Jesuit. in 2. caput ad Thessal. cap. 2. pag. 418. scribens, *quosdam de Neronis morte ambigere, ut Suetonium in vita Neronis cap. 57. Et Tacitum lib. 1. & 2. Histor.* Conferatur etiam Jesuita Ribera Comment. in Apocal. cap. 17. num. 11. ubi hunc ipsum errorem etiam in Victorino & cum Hieronymo in Dan. cap. 11. in multis aliis veteribus Scriptoribus Ecclesiasticis damnat.

Secundò, quidam existimant, *Antichristum non alium fore, quàm ipsummet Diabolum.* Atque hujus erroris magister fuit Hippolytus, cujus vestigia alias tantopere in hac quæstione de Antichristo adorant Pontificii. Grandes tamen ejus errores ipsimet non diffitentur. Barradius tom. 3. Conc. Evang. lib. 9. cap. 5. num. 7. de eo sic scribit. *Ex tribu Dan fore & Diabolum fore incarnatum phantasticè existimat D. Hippolytus in Orat. de consumm. seculi. Antichristus, inquit, certè nasciturus est ex tribu Dan. Item Diabolus ex impura muliere prodibit super terram. Item, Diabolus licet carnem assumat, hoc opinione tantùm. Item, Diabolus falso nascitur ex virgine. Item, Diabolus hanc carnis suæ substantiam phantasticam assumit organicè, propterea videtur ex virgine veluti Spiritus, qui tunc reliquis apparebit caro. D. Bernhardus serm. 3. de verb. Esai. Vidi Dominum, & Theodoretus videtur sentire, Diabolum assumturum Naturam humanam. Sed explicari facile poterunt eorum verba. Frustra inquit Bernhardus, paras ò Lucifer, venturũ in fine seculorum Dominum, in damnato illo, quem assumturus es homine, prævenire. Et Theodoret. lib. 5. div. Decretor. cap. de Antichristo. Ante adventum Domini veniet, humanam naturã subiens, hominib. perniciosus, Deiq; adversarius Dæmon &c. dedit illi Draco virtutem δύναμιν suam, i.e. Dæmon dedit Antichristo suam potentiã ad fallendos homines & separandos à Deo. Vide Ambros. 2. Thess. 2. Bedam Apoc 13 Hieronymum Dan. 7. Verùm hæ opiniones falsæ sunt, quoniam Antichristus homo verus appellatur, non phantasticus. Præterea quia non potest Diabolus Naturam humanã assumere in suo supposito. Quorsum ille assumeret Naturam humanam? nunquid, ut æternas & graviores in ea det pœnas? scit enim damnandũ Antichristum. Non erit Diabolus Antichristus, sed homo erit Diabolicus, h.e. Diabolo plenus, Diaboli sedes atq; domicilium. Damascenus lib. 4. de fide cap. 27. Neq; verò, inquit, quemadmodũ Dominus humanitatẽ assumsit, ita Diabolus homo efficietur. Verum ex fornicatione parietur atq; omnem Satanæ afflatum suscipiet.* Hactenus Barradius. Contra hunc ipsum Hippolytum disputat etiam Pererius lib. 14. in Daniel. pag. 693. *Hic,* inquit, *maxime cavendum est lectori, ne fortasse permotus auctoritate Hyppolyti in errorem ejus à Patribus damnatum impingat. Putavit ille, Antichristum non alium fore, quam ipsummet Diabolum, sub specie simulata humani corporis & Naturæ,* cujus verba ibidem subnectit. Conferatur Viegas in cap. 13. Apocal. Comment. 2. sect. 2. ubi itidem tradit, *quosdam statuisse, Diabolum naturam aliquam humanam in unitatem sui suppositi assumturum, quemadmodum verbum divinum per incarnationem sibi humanam naturam copulavit.*

Tertiò, alii statuerunt, *non alium fore Antichristum, quàm Mahumetum,* quod probatur Genebrardo Parisiensi Theologo in Vitaliani; *probatumque fuisse aliis quibusdam viris doctissimis.* Jodocus Clichtovæus in Comment. super cap. 27. lib. 4. Damascen. de orthod. fide annotavit. *Veruntamen,* inquit, *sine præjudicio eorum, quæ in hoc loco Damascenus de Antichristo disseruit, conformia vulgatæ sententiæ, & quæ plurimorum in ore versatur, id unũ hic adjecerim, quod nonnulli viri eruditissimi sentiunt, Mahumetum illum spurcissimum & abominabilis execrandæque legis autorem esse verum in persona Antichristum à sacris literis prænuntiatum.*

Nec tantum in persona Antichristi dissentiunt, sed etiam 2. *in loco* tàm *nativitatis* quàm *Sedis* Antichristi definiendo. Ali enim pro patria Antichristo vindicarunt *Chorozaim*: alii *pagum Leuchusi*: alii *Basan*: alii *Babylonem Chaldaicam*: alii *Babylonem Ægyptiacam.* Anastasius Sinaita in Appendice Bibliothec. S. Patrum pag. 1509. edit. 1579. *In Deuteronomio autem* (scil. in cap. 33.) *in benedictionibus Mosis, quas prædixit 12. tribubus, tanquam Christi adversarium introducens Antichristum propheticè divinus Moses, similiter etiam ipsum Christum appellat catulum Leonis, nos docens & tribum & locum unde nascetur. Cùm autem venisset ad prophetiam tribus Dan, dicit. Catulus leonis Dan & exiliet ex Basan. Basan autem, quidam dicunt, esse Scytopolin, quæ est propinqua Galilææ, unde etiam Christus processit secundùm carnem. Locum autem tibi nunc ostendit Antichristi necessario, undénam habeat exitum & motũ, quandoquidem ante ejus adventum ejus deceptio multos homines præveniens decepit, dicentes, quòd ex quodam pago Leuchusi nascetur Antichristus. Hic autem fuit astus & machina Diaboli, ut homines hunc ex Ægypto expectantes credant & excipiant illum, qui nascitur ex Galilæa, eum tanquam Christum adorantes, qui planè est planus & Antichristus.* Pro *Sede* alii deputârunt Antichristo *templum Hierosolymitanum*: alii *Ecclesiam*: alii putârunt, *illum successurum in templum, quasi ipse cum suis esset templum Dei,* id est, Ecclesia.

3. In designandis etiam *testibus* non idem sentiunt. Alii enim in aciem evocant *Enochum & Eliam*: alii *Mosen & Eliam*; alii *Jeremiam & Eliam*: alii his tertium addunt *Joh. Apostolum.*

Divortia illa sententiarum prolixe explicat Alcasar Jes. in Apoc. 11. p. 534. *Quatuor,* inquit, *sunt explicandi viæ. Prima interpretatur de duobus viris tempore Antichristi prædicaturis. Secunda de Antichristi quidem tẽpore, non tamen de duobus viris. Tertia de viris duobus, sed non de tempore Antichristi. Quarta deniq; nec de duobus viris, nec de Antichristi tẽpore exponit. Rursus harum viarum singula in variaq; semitarũ divortia partiuntur. Nam qui de viris duobus sub Antichristo prædicaturis censent explicandum esse contextum; alii quidem designant Enochum & Eliam, ex quibus sunt Aretas, Ambrosius, Haymo, Richardus, Ansbertus, Strabus, Hugo Cardinalis, Thomas, Dionysius, Clarius, Vatablus, Ribera, Viegas. Quorum explicationem certissimã esse existimant Suarez part. 3. tom. 2. Disp. 55. sect. 2. Pamelius in Tertullianum, Malvẽda lib. 9. de Antichristo, Mendoza in quodlib. Pererius in Daniel. Alii verò censent, hic significari Mosen & Eliã, quam sententiam sequuntur explicantes Christi transfigurationem. D. Ambrosius in cap. 9. Lucæ. D. Hilarius in cap. 17. Matth. Abbas Joachimus, Catharinus, Arboreus, Gagneius & Maldonatus, Matth. 17. v. 3. in quam etiam inclinat Jansenius in Concord. Ev. cap. 67. Atq; hæ sunt in prima via præcipuæ semitæ. Nam Victorini sententia & aliorum, qui denotari hic putant Jeremiam aut Elisæum, communi consensione, ut improbabilis, ab omnibus exploditur. Secunda via, i.e. explicatio de Antichristi tempore, sed non de duobus viris placuit Ticonio, Primasio & Bedæ. Ticonius enim homil. 8. in fine impugnat eorum expositionem, qui per duos testes intelligunt duos viros; additque, ex ipso contextu omnem explicationis hujus suspicionem excludi. Primasius, quamvis hunc locum referat ad Antichristi tempus & mentionem faciat Eliæ tunc prædicaturi, nihilominus recusat, in duobus testibus intelligere duos viros, explanatq; de duplici genere testium, qui ab Elia confirmati Christũ eo tempore profitebuntur. Beda etiam licet quorundam referat expositionem de Enocho & Elia, tamen eam non sequitur, & Ticoniũ, ut assolet, sectatur. His adjungo Abbatem Joachimum, tametsi enim statuit, sub Antichristi tempus venturos esse Enochum, Mosen & Eliam, subdit tamen, juxta primum & legitimum sensum duos illos testes, quos recenset Apocalypsis, esse duo prædicatorum genera, nempe Sacerdotes & Monachos. Abbatem sequitur Hortulanus in Cantic. ubi ait: Duo illi testes Enoch & Elias gerunt personam prædicatorũ illius temporis sub Antichristo. Cui sentẽtiæ nonnihil etiã favet Pannonius. Tertia via erat explicatio de duobus viris, sed non de tẽpore Antichristi, quæ in varios item tramites dividitur. Quidã enim primitivæ Ecclesiæ tempus respiciunt &, duos illos testes, suspicantur esse Christum Dominũ & Ioh. Baptistam. Ita Ubertinus de Casalis & Michael Eitsingerus in suo Pentaplo. Alii inducunt duos illos Sacerdotes Iesum & Ananum, quos occiderunt Idumæi, ita Caponsachius. Nonnulli exponunt de Sylverio Papa & Mena Patriarcha pugnantibus cõtra Eutychianos. Sic Aureolus, Antoninus, Lyranus, & Ederus & Lizarazus. Nõ defuerunt etiã, qui existimarent, in his duobus testibus respici ad Beatos Dominicũ atq; Franciscum, quod arrisit quoq; Ubertino & quibusdam aliis. Quarta viã insistunt, qui censent, hoc in loco non institui sermonem de Antichristi tempore, neq; de duobus singularibus viris, sed de fictis personis per prosopopœiã. Via hujus prima sentẽtia est existimantiũ, non agi hic*

de peculiari aliquo tempore, sed de cunctis Christianæ fidei seculis. Quam sententiam sequitur Pannonius, dum ait, duos illos testes esse omnium temporum veritatis assertores, duobus Testamentis subnixos. Huc spectat Arias Montanus, qui asserit, testes illos duos esse legem & prophetiam, legem scil. in Mose denotatam, prophetiam in Elia. Altera deniq; semita, quâ nobis gradiendum est, in primitiæ Ecclesiæ tempore persistit, atque duorum testium figuram spiritualiter esse explicandam cōtendit. Hæc omnia Alcasar.

Potest autem hæc dissensio plenius sic explicari. Quidam negando duas esse personas; vel *duo Testamenta* de Christo testantia accipiunt, ut Ticonius autor homil. in Apoc. apud Augustinum, *Dabo duobus testibus meis*, ait: non, dabo duos testes meos, ut tacitè declinetur objectio, Testamenta non danda demum; vel accipiunt *Ecclesiam ex duobus populis unitam*, & duorum Testamentorum lumine radiatam, ut Beda in Apoc. 11. Ansbertus in Apoc. lib. 5. Primasius in Apoc. lib. 5. accipit Ecclesiam *duob. Testamentis prædicantem* & prophetantem; Vel intelligunt, iisdem autoribus testantibus, *Ecclesiam & Scripturam*, utramque duplicem, hoc sensu: ut *duæ olivæ* stent pro Scripturis: *candelabra* verò pro Ecclesiis, quæ ab oblivis oleum hauriant; Vel *duo genera martyrii* subintelligunt, eodem referente Primasio, unum *in habitu*, alterum *in actu*; vel ut Rupertus in Apoc. 11. lib. 6. duos ordines testium inter se distinctorum, quomodo Henoch & Elias inter se differunt, hoc est, *Confessorum & Martyrum: Enoch enim*, ait, *in pace cum Deo ambulavit, Elias verò magnas persecutiones pertulit.* Glossa ordin. Apoc. 11. agnoscit, *de Enocho & Elia* agi, attamen per eos alios Prædicatores intelligi. Sic & Thomas in Apoc. 11. ait, *per ipsos intelligi omnes alios Prædicatores, qui sunt modo & erunt, qui ideò sub binario ponuntur, quia de duobus Testamentis accipiunt, quod prædicant*, vel juxta Lyranum, quia *Dominus binos misit discipulos ad prædicandum*, cætera ex Alcasaris relatione addi possunt.

Qui verò testes hosce certas personas asserunt, in varias abeunt sententias. Lactantius lib. 7. cap. 17. *unum duntaxat prophetam magnum* per duos testes intelligere videtur. Alii verò tres in aciem evocant, addunt namque & *Johannem Evangelistam. Opinio hæc*, ait Antoninus Summ. part. 4. tit. 13. *§. 3. est Johannis Dominici & Theophili.* Quibus novissimè accessit Salmero in Prælud. Apocal. *Mittet igitur*, ait, *suo tempore ipsum Enoch ex lege Naturæ, Eliam ex Vet. Test. & Johannem Evangelistam ex novo &c.* Rursus ex illis, qui binarium testium numerum agnoscunt, discrepant. Alii namque dicunt, mittendum *Elisæum*, alii *Jeremiam*. Vide Victorinum in Apocal. 13. Multi vero sequestratis *Enocho & Jeremia* substituunt *Mosen*. Sic Hilarius in cap. 17. Matth. Nec est, quod dicant, paucissimorum hanc esse sententiam. Est enim Isidori Clarii in Zachar. 4. Jansenii in Concord. Evang. cap. 67. Ambrosii Catharini in cap. 3. Genes. Johannis Arborei lib. 11. Theosoph. cap. 11. Gagnæi in Apoc. 11. Abbatis &c. Maldonatus in cap. 17. Matth. scribit, *Johannem in Apocalypsi cap. 11. apertè scribere, Mosen & Eliam esse venturos, ut nemo non solum sine temeritate, sed nec sine impudentia negare possit.* Cæteras varietates recenset Alcasar, qui ipse quoque novam instituit sententiam. Nam testes illos accipit *de tempore primitivæ Ecclesiæ, ejusque temporis prædicatorum, tùm sapientiâ, tùm sanctitate, illamque Mosen mysticum indigitat, hanc mysticum Eliam.* De tempore etiam maxima sese offert discrepantia, uti constat ex Alcasare.

Addendum est, alios statuere, *antequam è cunabulis prodeat Antichristus, jam adfuturos duos esse testes.* Sic Victorinus in Apocal. & cum eodem Rabanus in fine de Institut. Cleric. *Ante exortum ejus duo magni prophetæ mittuntur in mundum Enoch & Elias.*

Tandem discordant in assignando *loco*. Alii enim eos cœli, alii Paradisi terrestris incolas statuunt: alii amœnum in his terris locum eis assignant, incognitum tamen. Vide Suaretz in 3. p. Thom. q. 59. art. 6. Disp. 55. sect. 1. Alii *sinum Abrahæ*, quem *limbum patrum* vocant. Vide Maldon. in cap. 27. Matth. v. 44. Quidam ex Patribus *nesciri* dicunt, *ubi sit Henoch & Elias.* Vide Suarez libr. 5. de Antichr. cap. 13. num. 9. Horum omnium consideratio permovit Bellarminum, ut lib. 3. de Pont. Rom. cap. 12. §. Præter &c. fateretur, *ea quæ à Patribus in hac causa asseruntur, etiā cum magno consensu, probabilia tantùm esse, non autem certa, nisi ex Scripturis possint demonstrari.* Ac Johannes Viguerius in Instit. Theolog. cap. 21. sect. 3. v. 3. scribit. *Multi multa fingunt de ejus (Antichristi) ortu, nativitate, nutritione*, (ubi videtur Methodii Revelationes traducere) *quæ neque autoritate S. Scripturæ, neque Doctorum authenticorum probantur; ideò non est eis credendum, neque in recitatione talium opinionum immorandum.*

Atque hæc dicta sint de quæstione, *An Papa Romanus sit Antichristus.*

De quæstione, *An Papa sit summus Index in controversiis fidei & morum dijudicandis*, quam tractat Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 1. egimus superiùs lib. 1. part. 2. cap. 3.

De quæstione, *An Papæ judicium sit absolutè infallibile*, quam tractat Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. à cap. 2. usque ad cap. 15. egimus ibidem cap. 2.

De quæstione, *An Papa possit leges condere, quæ universam Ecclesiam obligant*, quam Bellarminus tractat. lib. 4. de Rom. Pont. à cap. 15. usque ad cap. 20. egimus ibidem cap. 5. quia ad *Traditiones ἀγράφους*, quas in rebus fidei præter verbum scriptū Pontificii urgent, etiam pertinent *Pontificum constitutiones.* Dependet etiam hæc quæstio ex illis, quæ in hoc ipso articulo cap. 4. & 5. sunt disputata. Si enim Pontifex Romanus non est Petri Successor, nec totius Ecclesiæ Monarcha, utique etiam non potest leges condere universam Ecclesiam obligantes. Interim quia peculiaria quædam hic occurrunt, ideò distinctè de hac quæstione agemus. Esto ergo

CAPUT VII.

DE POTESTATE PAPÆ ET PRÆLATORUM *in ferendis legibus Ecclesiasticis.*

THESIS. Pontifex Romanus & Episcopi non sunt tales Principes Ecclesiastici, qui possint sua autoritate, etiam sine plebis consensu, vel Presbyterorum consilio, leges ferre, quæ in conscientia obligent.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de legibus divinis*, hoc est, de legibus moralibus autoritate divinâ latis, quas Episcopi ovibus fidei suæ commissis perpetuò inculcare debent. Illas enim omnes omninò Christianos in conscientia directè & absolutè obligare, concedimus.

2. Neque quæstio est *de Magistratu Politico*, an ille polleat autoritate ferendi leges *de rebus civilibus*, quod itidem concedimus.

3. Neque absolutè & simpliciter quæritur, an Ecclesia possit leges quasdam Ecclesiasticas, videlicet Canones *εὐταξίας, διατάξεις, διατάγματα* &c. circumstantiarum primam tabulam respicientium utiles determinationes condere; illud enim itidem concedimus, interim illam condendarum legum Ecclesiasticarum autoritatem certis limitibus circumscribimus.

4. Negamus enim, eandem esse legum istarum Ecclesiasticarum autoritatem cum legib. divinis, quæ sunt immutabiles. Hæ enim *specialiter*, h. e. ratione sui & immediatè obligant conscientiam, illæ tantùm *generaliter*, i. e. non ratione sui & in specie, sed tantùm mediante generali præcepto de obedientia Præpositis præstanda. Heb. 13. v. 17. Hæ absolutè & simpliciter conscientiā obstringunt, adeo ut sine offensione Dei nullo respectu nullove in casu omitti queant; illæ tantùm *hypotheticè*, adeoque non simpliciter, sed *cum conditione* obligant, videl. quatenus illarum trāsgressione τάξις & εὐσχημοσύνη Ecclesiastica propter vè violatur & infirmis scandalum præbetur. Hæ directè obligant conscientiam, cùm illarum prævaricatio in ipsum Deum feratur & cultui divino per se adversetur, illæ non nisi indirectè conscientiam obligant, cùm earum transgressio directè & per se Deum Deive cultum non attingat remotè tamen, quatenus ordinationi divinæ resistitur, ejusq; ministri contemnuntur. Inde quidam dicunt, legis nomen aliquando *latè* sumi, aliquando *strictiùs.* Leges latā significatione acceptæ sunt quævis constitutiones, aliquid faciendum sive omittendum imperantes. Leges strictā significatione acceptæ sunt, quæ per se vim habent imperandi & quidem ἀναγκαστικῶς. Hæ obligant conscientiam *specialiter, absolutè, directè & per se.* Illæ non nisi *generaliter, hypotheticè, indirectè & propter aliud.*

5. Potestatem ferendarū legum Ecclesiasticarum *toti Ecclesiæ* tribuendam esse, dicimus, nō autem *solis Prælatis aut Pastoribus*, multò minus soli *Pont. Rom.* Proinde etiam *Magistratum Christianum* ab hac potestate νομικῇ excludendum esse, negamus.

6. Potestatem illam νομοθετικὴν Ecclesiæ concessam, dicimus esse *non absolutam*, qua pro arbitrio liceat, quicquid libuerit, sed *restrictam*, videl. ad normam verbi divini & Ecclesiæ commodum alligatam. Leges igitur Ecclesiasticæ non debent divinis adversari, sed potiùs subservire, & hunc habere finem ac scopum propositum, ut Politia Ecclesiastica conservetur & cultus divinus commodiùs exerceatur.

Anti-

Antithesis Bellarm. lib. 4. de P. R. c. 16. § Ultimo. *In Ecclesia Catholica semper creditum est, Episcopos in suis Diœcesibus & Rom. Pontificem in tota Ecclesia esse veros Principes Ecclesiasticos, qui possint sua autoritate etiam sine plebis consensu, vel Presbyterorum consilio, leges ferre, quæ in conscientia obligent.*

Petrus Lizetus de mobilibus Ecclesiæ præceptionib. lib. 3. c. 2. *Si quis vel mediocriter in sacris eruditus literis attentiùs, quæ ad hanc rē pertinēt, animadvertere velit, mox illi in propatulo erit, Ecclesiasticis mandatis nō secus ac penè divinis & Evangelicis ad æternæ mortis pœnam obligativam inesse vim.* Quinimò in c. Violatores caus. 25. q. 1. ex Damaso *violatores Canonum*, legū Ecclesiasticarum, dicuntur *peccare in Spiritum S. Violatores* (inquit) *Canonum voluntariè, graviter à sanctis Patribus judicantur & à Sancto Spiritu, instinctu cujus ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præmissum est, aliquid protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumtio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum, quia contra eum agit, cujus nutu & gratiâ sancti Canones editi sunt.* Cum quo congruit c. Si Romanorum dist. 19. *Omnia decretalia constituta nostra declaratione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps denegari noverit.* Ac testatur ipsa praxis, Ecclesiasticas leges in Papatu divinis, non solùm exæquari, sed etiam præferri. Sic graviùs peccare censetur Sacerdos, si uxorem ducat, quàm si domi concubinam foveat, vel promiscuè scortetur; gravius punitur, qui in quadragesima carnes comederit, quàm qui vino se ingurgitarit; majori pœnæ subjacent, qui Pontificis majestati contradicunt, quàm qui divinam majestatem blasphemiis lædunt, quod Judæi quotidie faciunt, quibus tamen publicum religionis suæ exercitium à Papa & Episcopis Pontificiis conceditur.

Nostram sententiam probamus,

Primò, Quòd non solis Prælatis aut Pastoribus, multò minùs soli Pontifici Romano competat jus ferendi leges Ecclesiasticas, probamus *1. ex clavium traditione.* Cui claves Ecclesiasticæ à Christo datæ, illi etiam competit jus ferendarum legum Ecclesiasticarum. Ratio est, quia, cui claves datæ sunt, illi etiam competit omne id, quod ad potestatem clavium exercendam pertinet. Sed claves toti Ecclesiæ datæ sunt. Ergò. *2. Ex politiæ Ecclesiasticæ temporibus Apostolorum administratione.* Politia Ecclesiastica temporibus Apostolorum ita fuit administrata, ut ad communes deliberationes, politiam Ecclesiæ spectantes, etiam alii fideles præter Apostolos fuerint admissi. Act. 1. v. 16. cap. 6. v. 2. Ergò non solis Episcopis Apostolorum in ministerio successoribus, sed etiam aliis fidelibus jus ferendi leges Ecclesiasticas competit. *3. Ex Concilii Apostolici conditione.* A quibus leges Ceremoniales in Concilio Apostolico Act. 15. præscriptæ, illis etiamnum competit jus ferendarum legum Ecclesiasticarum. Atqui non à solis Apostolis, sed à tota Ecclesia leges Ceremoniales in Concilio Apostolico sunt præscriptæ. Convenerunt enim Hierosolymis non solum Apostoli, sed etiam *οἱ πρεσβύτεροι* v. 6. per quos non tantum Pastores, sed etiam alii Ecclesiæ Curatores intelliguntur. Utrique convenerunt eodem fine, videl. *ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου*, an circumcisio & alii ritus Mosaici adhuc in N. T. vigorem suum obtinere debeant. Quin imo interfuit *πᾶν τὸ πλῆθος tota credentium multitudo*, v. 12. & ex communi omnium suffragio factum est decretum v. 22. *Tunc placuit Apostolis & Seniorib. cum omni Ecclesia.* unde inscriptio decreti Synodalis sic formatur v. 23. *Apostoli, & Seniores & Fratres, his, qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratrib. ex gentib. salutem* quod repetitur v. 25. *Placuit nobis collectis in unum.* v. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria. 4. Ex praxi Ecclesiæ primitivæ*, de qua suo loco pleniùs.

Secundò, quod Magistratus Christianus à legum Ecclesiasticarum promulgatione non sit excludendus, probatur iisdem argumentis, quibus evincitur, Magistratum Christianum non debere à cura religionis & negotiorum Ecclesiasticorum excludi, quæ adducentur inferius articulo 8. cap. 1. Peculiariter hîc urgemus.

1. Quòd ad bonum subditorum, cui Magistratus Christianus ferendis honestis legibus inservire debet, vel maximè etiam pertineat bonum Ecclesiasticum. Proinde à ferendis legibus Ecclesiasticis Magistratus non debet excludi.

2. Quòd custodia legum Ecclesiasticarum Magistratui sit commissa, proinde etiam à promulgatione earundem excludi minimè debet.

3. Quod exempla piorum Regum & Principum in Vet. ac Christianorum Impp. in N. Testam. testentur, multas leges Ecclesiasticas ab illis fuisse promulgatas.

Tertiò, quòd leges Ecclesiasticæ *specialiter, absolutè & directè* non obligent conscientias, probamus.

1. Ex libertate Christiana. Christus à jugo legum Ceremonialium nos liberavit & à servitute conscientiarum, quæ oritur ab humanis obligationibus nos absolvit. Act. 15. v. 10. 1. Cor. 7. v. 23. Galat. 5. v. 1. Col. 2. v. 16. & 20. ubi libertas in rerum indifferentium usu, modò absit scandalum, Christianis concessa stabilitur.

2. Ex Christi mandato. Christus disertè vetuit, ne Apostoli quicquam docerent, nisi quod ipse mandavit. Matth 28. v. 20. sicut etiam in V. Test. Deus noluit quicquam *addi vel auferri* suis mandatis Deut. 4. v. 2. cap 12. v. 32. Prov. 30. v. 2. ac expressè testatus est, se nolle *mandatis hominum coli*, Esai 29. v. 13. Ergò non dedit cuiquam potestatem novos cultus instituendi, vel novis legibus conscientias onerandi.

3. Ex Apostolorum exemplo. Apostoli non arrogârunt sibi potestatem novas leges ferendi ac per illas *conscientiis dominandi*. 1. Cor. 7. v. 35. 2. Cor. 1. v. 24.

4. Ex legislatoris Natura. Solus Deus est cōscientiarum Dominus, ac solus *legifer noster*, Esai 33. v. 21. *unus legislator*, Jacob. 4. v. 12. quippe qui solus habet potestatem servandi & perdendi. Ergò ipsi soli competit leges ferre, quæ *directè, immediatè & absolutè* conscientias obligent. Justinus in Dial. cum Triphone pag. 176. *Αἰώνιος τε ἡμῖν νόμος καὶ τελευταῖος ὁ Χριστὸς ἐδόθη καὶ ἡ διαθήκη πιστή, μεθ' ἣν οὐ νόμος, οὐ πρόσταγμα, οὐκ ἐντολή. Æterna nobis lex & perfecta Christus datus est & Testamentum fidele, post quod nulla est lex, mandatum aut præceptum.*

5 Ex veræ Ecclesiæ scopo. Vera Ecclesia res adiaphoras non jubet facere, vel omittere propter suum mandatum, sed tantùm propter *τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην* conservandam, ut ordo observetur & scandalum vitetur, quæ, quamdiu non violantur, conscientias liberas relinquit, nec iis, vel scrupulum injicit, vel necessitatem imponit.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam agnoscunt, Pontifici non competere Monarchicum in Ecclesiam universam dominatum.

(Ex quo sponte sequitur, ipsi non competere potestatem ferendi leges universam Ecclesiam obligantes. Quemadmodum enim Bellarminus libr. 2. de Rom. Pont. cap. 19. Monarchicum Pontificis dominatum ac primatum probat *ex autoritate leges ferendi, dispensandi & puniendi, quam Romanus Pontifex in Ecclesiæ filios, quamvis maximos & nobilissimos, exercuit*, ita è converso ex denegato Pontifici Monarchico in universam Ecclesiam dominatu rectè colligitur, ipsi non competere potestatem ferendi leges, universam Ecclesiam obligantes.)

Dicta illa enumerata sunt superius in hoc ipso articulo cap. 5.

2. Quòd quidam conqueruntur, Ecclesiam copia & veritate inutilium, imo noxiarū Traditionum & Constitutionū gravari.

(Quod si enim ejusmodi Constitutiones, in immensum potissimum auctæ, Ecclesiæ sunt inutiles, imò noxiæ, ergò Pontifices & Prælati eas introducentes minus rectè agunt.)

Dicta illa enumerata sunt lib. 1. part. 2. cap. 5. membr. 5.

3. Quòd quidam Canones negant, præter id, quod in Scripturis continetur, esse aliquid vel præcipiendum, vel prohibendum.

c. Si is, qui præest caus. 11. q. 3. *Is, qui præest, si præter voluntatē, vel præter quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus habeatur.*

c. Lex divina caus. 27. q. 2. ex Benedicto Papa. *Cur prohibeatur, quod prohibendum nunquam sacra Scriptura declarat?*

Huc pertinet illud, quòd soli Deo potestatem legem ferendarum, in conscientia obligantium competere, asserunt.

Gerson Cancellarius Paris. part. 3. de vita spirit. animæ lect. 4. coroll. 1. *Alius à Deo sicut non habet potestatem infundere gratiam, sic nec erigere. Ipse verò solus habet claves vitæ & mortis æternæ, qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.*

Ejusd. lect. coroll. 4. *Ista verò concludunt, quòd solus potest dare præcepta affirmativa aut negativa sub pœna mortis æternæ; quia illam infligere solus potest. Nullus ergo perdit gratiam, nullus reatum damnationis æternæ incurrit, nisi pro quanto divinæ legis præcipuè transgressor extiterit.*

Postea addit. *Idcirco præterea legislatores Ecclesiastici & civiles plerumq; sua autoritate noscuntur abuti; præsertim Ecclesiastici*

illi quicquid ordinant, quicquid monent, quicquid præcipiunt, pro divinis legibus haberi: par, æquale quoq; robur habere per interminationem damnationis æternæ. Neq; tamen accusaverim omnes legislatores taliter & talia loquentes. Præsumo enim, quòd ad rectam regulam & divinam sapientiam sermones suos voluerunt glossari, interpretari & recipi. Quòd si hoc non intenderunt, pronuntio non ego, sed Apostolus, quod nihil possunt contra veritatem, sed neq; contra caritatem: Deniq; suum est, talibus uti verbis in institutionibus, quæ à vero non devient, neque simplicioribus & ignaris timores & scrupulos vanos ingerant, q. videlicet ipsi ligentur, ubi liberi sunt: tanquam præterea gravi jugo premantur, ubi ad jugum leve & suave vocavit eos Christus.

Stephanus Brulifer Doctor Parisiensis (qui floruit circa annum 1470.) super Bonaventuræ Sententias commentatus, sic scribit. *Nec Papa, nec Concilium, nec ullus planè homo potest quidquam præcipere sub pœna mortalis peccati, quòd ante à Deo præceptum non esset.* Confer ejusdem tractatus de timore servili, de paupertate Christi, cum sermonibus variis edit. Parif. An. 1500.

4. Quod quidam agnoscunt, Apostolis non fuisse datam potestatem novarum legum ferendarum.

(Multò minus ergo Pontifici & Prælatis ea competit.)

Cajetanus in cap. 28. Matth, super verba: *Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Mandavi, ego; non mandabitis vos, non adinveniatis vos; mea enim mandata servare est necessarium & salutem, vestra autem possunt esse mortifera.*

Cornelius Jansenius ibid. *Tertium est, ut post doctrinam fidei & Baptismum doceant fideles servare omnia, quæ ipsis erant præcepta Apostolis.*

5. Quod quidam conqueruntur de multitudine festorum.

(Illa namque ejusmodi legum & Constitutionum Ecclesiasticarum sunt pars non postrema.)

Dicta illa enumerabimus lib. 2 art. 10. cap. 6.

6. Quod quidam agnoscunt, fideles non debere fieri servos hominum.

(Ergò ex natura relationis, Pastores non sunt Ecclesiæ domini, ut novis legibus conscientias onerare & illaqueare possint.)

Lombardus in 1. Cor. 7. super verba: *Pretio emti estis, ne fiatis servi hominum*, repetit verba Ambrosii: *A Deo emti, id est, à Christo, servi hominum esse non debent. Servi autem hominum hi sunt, qui humanis se subjiciunt superstitionibus.*

Thomas ibid. *Et quia tanto pretio emti estis, nolite fieri servi hominum, postponendo servitium Dei, & vos humanis superstitionibus occupando.*

Cajetanus ibid. *Non de servitute corporis, sed de servitute animæ ad literam Paulus loquitur. Quod patet ex hoc, quod secundum id prohibet, fieri servos hominum, secundum quod emti sunt à Christo, hoc est, secundum illam partem, quâ sunt servi Christi. Constat autem, quod secundùm animam sumus Christi servi, secundùm quam nullus sit servus hominis, nisi qui consentit homini adversus Christum.*

Contarenus ibid. *Idcircò concludit; Nolite fieri servi hominum, eâ parte scilicet, quâ estis liberi à peccato & facti servi justitiæ, id est, Christi.*

7. Quod negant transgressionem legum Ecclesiasticarum, si absit contemtus, esse peccatum mortale.

Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæreses verbo Ecclesia, hæresi 3. *An quæcunq; transgressio præceptorum Ecclesiæ sit mortalis, non differo: quoniam video quosdam & non ex infima Theologorum Scholasticorum sorte, qui asserunt, transgredientes præcepta Ecclesiæ, modò id non omittant ex contemtu, sed ex infirmitate quadam, aut fortè negligentiâ, non peccare mortaliter, alios autem scio docere oppositum.*

Argum. Adversar.

1. Deut. 17. v. 12. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille &c. Si Israëlitici Sacerdotis præcepta erant verè imperia & obligabant conscientiam, ergo etiam Christiani. Ratio consequentiæ est, quia non est minor autoritas Sacerdotis Christiani, quàm Israëlitici.* Bellar. lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 16. Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæres. verbo Ecclesia, hæresi 3.

Resp. De hoc dicto egimus lib. 1. part. 2. cap. 2. argum. 4.

2. Prov. 6. v. 20. *Conserva, fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Hunc locum urget Alphons. de Castro d. l. *Si hæc verba, inquit, ad sola præcepta Dei, qui & verus & solus est Pater noster, dicas esse referenda, non obsisto. Verum dic mihi, quæ est illa mater, cujus legem docet non esse dimittendam? Hæc enim duo conjunxit & præcepta patris & legem matris. Quibus verbis docuit, præcepta Dei Patris esse conservanda & præcepta Ecclesiæ matris nostræ, in qua per Baptismα, quod in ea recepimus, renati sumus, non esse contemnenda.*

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 192. adducit locum Michaelis Medinæ in Apolog. pro Joh. Fero. *Præceptum non semper pro lege sumitur, quandoq; namq; præceptum pro doctrina, consilio, aut pro suasione accipitur &c. quâ ratione vocamus militaria & paterna præcepta militum aut filiorum institutiones, de quibus Salomon Prov. 6. Conserva, fili mi, præcepta patris tui &c.*

2. Lyranus loquitur disjunctivè, *Legem matris, hoc est, Scripturæ vel Ecclesiæ.*

3. Alphonsus ipse agnoscit lib. 4. adversf. hæreses verbo, Concilium, *ex solo literali efficacia argumenta contra hæreticos posse peti.*

(Atqui in sensu literali agitur de obedientia parentibus præstanda.)

3. Matth. 16. v. 19. *Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis. Ligare est legem imponere* Matth. 23. v. 4. *Christus loquitur generaliter, ideoq; ejus verba referri possunt & debent ad omnia, quæ secundum usum Scripturæ dicuntur ligari. Ergò Dominus Petro promisit, ut quidquid ipse ligaverit, id est, quam obligationem præcipiendo ipse fidelibus imposuerit, sit ligatum & in cœlis* Bellarm. d. l.

Resp. De hoc dicto egimus lib. 1. part. 2. cap. 3. argum. 1. classis secundæ, hoc loco monemus, per τὸ *ligare* hîc non intelligi *legem imponere*, sed *peccata retinere*, ut ostendit, tùm oppositio inter solvere & ligare, tùm ipsius Christi explicatio tradita Matth. 18. v. 18. Johan. 20. v. 23. Agnoscunt hoc ipsimet Pontificii Interpretes.

1. Lombardus lib. 4. Sent. dist. 18 lit. F. *Sacerdotibus tribuit Deus potestatem solvendi & ligandi, hoc est, ostendendi homines ligatos & solutos* (Ergò ibi non agitur de impositione legum.)

2. Bellarminus fatetur lib. 1. de Pont. Rom. cap. 12. Matth. 18. v. 18. ubi eandem phrasis occurrit, quæ Matth. 16. v. 19. *Communem esse expositionem Hilarii, Hieronymi, Anshelmi, Augustini & aliorum, Dominum loqui de potestate clavium, quâ Apostoli & eorum successores ligant vel absolvunt peccatores.* Cur à communi Patrum expositione discedit?

3. Maldonatus in cap. 16. Matth. *Hac etiam metaphora est, quâ idem, quod duabus superioribus significatur, supremam remittendi aut retinendi peccata potestatem Petrum habuisse.*

4. Emanuel Saa ibid. *Id est, quemcunq; indignum remissione judicaveris, dum vivit, apud Deum indignus judicabitur.*

5. Franciscus Lucas Brugensis ibid. *Volens Jesus declarare supremam potestatem Simoni proximis verbis promissum, adfert in exemplum unum quoddam, præcipuum ex multis, quod erit potestatis ipsius, quòd penes ipsum erit summa omnium vitæ spiritualis, mortisque autoritas, quòd quoscunque peccatis obstrictos poterit vel justè punire, vel clementer servare.*

6. Joh. Driedo de lib. Christ. lib. 2. c. 2. postquam dixisset, *Duplices esse claves, unam scientiæ, quâ discernat inter lepram & lepram*, subjungit. *Alia est clavis potestatis, per quam secundum conditionem tribunalis tàm interioris, quàm exterioris ex actu judicialiter cognitis solvit & ligat, absolvit vel cōdemnat pœnitentes vel impœnitentes secundùm peccatorum varietates, quas audivit.*

(Aliud ergo est ligare peccata, aliud verò conscientias hominum legibus ligare. Illud pertinet ad omnes Ecclesiæ ministros, hoc verò ex hypothesi Pontificiorum tantùm ad Pontificem & Prælatos. Illud objecti loco tantum habet impœnitentes, hoc vero omnes Ecclesiæ cives. Illud occupatur in peccatis, quæ sunt τῶν καθ' ἕκαστα, hoc vero in legibus, quæ sunt τῶν καθ' ὅλου.)

7. Matth. 23. v. 4. non habetur δῆσαι *ligare*, sed δεσμεύειν *vinculis constringere*, nec de hominibus agitur, sed de oneribus, quorum neutrum ad Matth. 16. v. 19. quadrat.

Arg. 4. Joh. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. At Christus missus est à Patre, non solum cum potestate prædicandi & Sacramenta ministrandi, sed etiā præcipiendi & judicandi. Igitur eandem Apostolis atq; imprimis Petro ipse tribuit.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Si omnis potestas, cum qua Christus à Patre in mundum missus, data est Apostolis & ipsorum Successoribus, consequens fuerit, etiam potestatem redimendi genus humanum, instituendi nova Sacramenta & regendi universam Ecclesiam αὐτοκρατορικῶς, itidem datam esse Apostolis & ipsorum Successoribus, quippe cum qua potestate Christus itidem munuū missus.

Sed conseq. hoc Pontificii non admittunt. E. nec anteced. statuere debent.

2. Si omnes Apostoli eandem cum Petro potestatem in his Christi verbis acceperunt, conseq. erit, non tantum Pontifices Rom. quos volunt esse Petri Successores, sed etiam omnes omninò Ecclesiæ ministros, qui sunt Apostolorum in ministerio Successores, habere potestatem ferendi leges universam Ecclesiam obligantes. Prius asserit h. l. Bellarm. sic scribens. *Neque potest responderi, hæc dari omnibus Apostolis simul, non a. singulis. Nam Apostoli mox separandi erant ab invicem, & ituri in diversissimas mundi partes, neque id Dominus ignorabat, ac proinde sine dubio, quod omnibus dedit singulis etiam seorsim datum esse, intelligi voluit.*

3. Lyranus in h. l. sic comentatur. *Sicut misit me Pater ad veritatem fidei docendam: ita ego mitto, i. e. mittam vos ad hanc veritatem prædicandam per totum mundum.* (Ergò hæc potestas, cũ qua Christus misit Apostolos, ad officiũ docendi est restricta.)

4. Bellarminus ipse in ἐργασίᾳ hujus argumenti adducit dictum Chrysostomi in h. l. *Suum illis reliquit ministerium* (cum quo congruit illud Cyrilli lib. 12. in Johannem cap. 55. *Christus ordinavit his verbis Apostolos orbis doctores & divinorum mysteriorum ministros, quos, ut luminaria, universum orbem illuminare jussit.* Et postea. *Hinc intelligant Apostoli, vocandos esse peccatores ad pœnitentiã, curandos esse Spiritu malè habentes, mundũq; doctrina fidei & prædicationibus salvandũ,* quem Cyrilli locũ adducit & approbat Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. c. 23. §. 2. Ergò de ministerio docẽdi, nõ de legũ ferendarũ magisterio hic agitur.)

Arg. 5. Joh. 21. v. 15. *Pasce agnos meos, ubi Christus exhibiturus Petro, quod ei promiserat, utitur regio vocabulo ποίμαινε.* Bellarminus d. l.

Resp. De hoc dicto egimus lib. 1. part. 2. cap. 2. arg. 3. & cap. 3. arg. 4. classis secundæ, Hoc loco monemus, & l. 2. p. 1. art. 3. c. 2. arg. 2. p. 569.

1. *Pascendi* verbum generale esse, ad omnes Ecclesiæ Ministros spectans, docente Petro 1. Epist. 5. v. 2. Jam verò ipsimet Pontificii contendunt, *potestatem ferendi leges Ecclesiasticas ad solum Romanum Pontificem & Principes Ecclesiasticos pertinere.*

2. Cornelius Jansenius in h. l. sic commentatur. *Pronomen, meas, indicat, Ecclesiæ Pastores, non debere sibi commissos habere veluti suos, quibus tanquam Domini præsint, sed tanquam alieni Domini, qui eos sibi emit proprio sanguine, cui Pastores aliquando sint de commissis ovibus rationem reddituri. Unde hanc formam sibi præscriptam probe intelligens Petrus eandem aliis explicatius tradit Pastoribus, sic scribens: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè; neq; turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neq; dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* (Ergò ποιμαίνειν hoc loco non est vocabulum regium; nec pastores sunt gregis Dominici Reges; nec suis, sed Christi legibus Ecclesiam debent pascere.)

6. Act. 15. v. 29. *Apostoli novam legem condunt. Nam de sanguine & suffocato nihil præcepit Christus, neque sunt hæc jure Naturæ bona vel mala, sed indifferentia.* Alphonsus d. l. Bellarm. d. l.

Resp. De hoc dicto iisdem egimus lib. 1. part. 2. cap. 3. argum. 6. hic monemus.

1. Apostolos ibi non promulgasse novas leges, quibus conscientias obligarent, contrarium enim iisdem verbis testantur, quando dicunt; *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, præter hæc necessaria.* Quæ enim Apostoli conversis ex gentilibus hic imponunt, jam ante erant à Deo præcepta in lege veteri, illa ergò ad tempus jubent adhuc observari ad avertendum scandalum Judæorum. *A lege hæc accipiunt,* inquit Chrysostomus.

2. Ipsimet Pontificii agnoscunt, non esse eandem omninò autoritatem ac potestatem Apostolorum, utpote immediatè à Christo vocatorum & extraordinariam Spiritus S. assistentiã habentium; ac reliquorum Ecclesiæ Ministrorum immediatâ illa vocatione & extraordinaria Spiritus S. assistentiâ destitutorum. Bellarm. lib. 1. de R. P. c. 11. §. Altero modo. *Fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Prophetæ. Nec enim semper revelantur Ecclesiæ novi articuli, sed in ea doctrina Ecclesia acquiescit, quam Apostoli & Prophetæ à Domino didicerunt & prædicatione, vel literis ad posteritatem mandaverunt.* Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12. resp. ad 1. Nili Object. *In Apostolatu tria continentur. Primo, ut, qui Apostolus est, sit immediatus verbi minister, ita ut ab ipso Deo doctus sit & sacros libros scribere possit. Secundo, ut, qui Apostolus est, Ecclesias constituat, & fidem propaget in iis locis, ubi nunquam fuit. Tertio, ut, qui Apostolus est, summam habeat in omnem Ecclesiam potestatem.* Lib. 4 de Pont. Rom. cap. 23. §. ult. *Apostolica dignitas est prima & suprema dignitas in Ecclesia, ut patet 1. Cor. 12. & Ephes. 4.* At hæc omnia & singula Pontificii & Prælatis competere, Pontificii non poterunt dicere. Ergò ex Apostolorum νομοθεσίᾳ non potest concludi, eandẽ potestatẽ Pontifici & Prælatis cõpetere.

3. Lyranus in h. l. monet, vocari illa, quæ ab Apostolis statuuntur, *necessaria* non ἁπλῶς, sed κατά τι, *ad vivendum scil. communiter cum Judæis in Ecclesia primitiva.* Cajetanus ibid. *Adverte, ne intelligas hæc necessaria unâ & eâdem ratione necessitatis. Nam ratio necessariò vitandi scortationem divini & juris: ratio autem abstinendi ab iis, quæ immolata sunt simulachris, & ab esu sanguinis & ab esu suffocati est, ut morem geratis iis, quibus convivitis, Judæis,* (quo pertinet pulcherrimus locus Augustini Epistol. 19. *Paulum & alios rectæ fidei Christianos tunc illa vetera Sacramenta paululùm observando veraciter commendare debuisse, ne putarentur illæ Propheticæ significationis observationes, à piissimis patribus custoditæ, tanquam sacrilegia Diabolica à posteris detestatæ. Jam enim, cum venisset fides, quæ prius illis observationibus prænuntiata, post mortem & resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui. Veruntamen, sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè; non autẽ deferenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morsibus projicienda.*) Ergo ex lege caritatis salutem proximi quærentis, scandalum verò fugientis erant necessaria. Agnoscit hoc Bellarminus ipse sic scribens. §. Sed hæc. *Finis Apostolici præcepti erat, ne scandalizarentur infirmi.*

4. Urget quidem Bellarminus, *Lucam hoc Apostolorum statutum vocare præceptum,* quando in fine capitis de Paulo dicit. *Pertransiens civitates præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Sed Cajetanus in Comment. notat, *has sex ultimas dictiones superfluere, cùm non habeantur in Codd. Græcis.*

5. Urget idem Bellarminus §. Quod autem &c. can. 62. Apostolorum, in quo *imponitur gravissima pœna prævaricantibus præceptum Apostolicum de non comedendo sanguine & suffocato, nam Clerici illis vescentes deponuntur, Laici excommunicantur. At pœna tam atrox non posset imponi, nisi pro mortali peccato.*

Sed respondemus ex ipso Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. §. Quod ad priorem. *Zepherinus Papa decimus quintus à Petro in Epist. 1. tradit, solùm septuaginta fuisse Canones Apostolorum, vel, ut alii Codices habent, sexaginta. Humbertus autem in libro contra Nicetam non agnoscit, nisi quinquaginta. Et certè meliùs noverat Zepherinus, quot essent Apostolorum Canones, quàm ulli posteriorum. Quocirca non sine causa Gelasius dist. 15. can. Sancta Romana, posuit inter Apocrypha Canones Apostolorum, quod propter aliquos, vel corruptos, vel additos ab hæreticis fecisse videtur.* Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 27. §. At Canon &c. *Canon 65. Apostolorum, qui vetat Sabbatis jejunare, videtur supposititius. Solùm enim quinquaginta Canones Apostolorum Ecclesia recipit, ut Humbertus Cardinalis testatur in libro adversus Nicetam, & habetur apud Gratianum distinct. 16.*

7. Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c.* Et postea. *Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hic locus non solùm intelligitur de Principibus Secularibus, sed etiam de Ecclesiasticis, loquitur enim Apostolus in genere de omnibus potestatibus. Esse autem aliquã Ecclesiasticam potestatẽ idem Paulus docet 2. Cor. 13. Et etiamsi Paulus ad literam solùm loqueretur de secularibus, tamen à simili, vel à majori idem deberet intelligi de Ecclesiasticis potestatibus. Quòd autem leges eorum, qui sunt potestate præditi, in conscientia obligent, patet ex illis verbis. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Item ex illis. Qui resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt. Item ex illis. Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam conscientiam.* Bellarm. d. l. Alphons. de Castro d. l.

Resp. 1. Concessimus superius in ἐκθέσει leges Ecclesiasticas obligare in conscientia *generaliter, hypotheticè & indirectè.* Ergò argumentum rectè formatum nobis non adversatur.

2. Agnoscunt ipsimet Pontificii, Apostolum hic tantùm loqui de potestate civili.

Lombardus in h. l. *Omnis ergò anima subdita sit, ut etiam voluntate serviat homo potestatibus secularibus bonis & malis, scil. Regibus, Principibus, Tribunis, Centurionibus & aliis hujusmodi.* Et statim. *Sit ergò omnis anima subjecta potestatibus sublimioribus, id est, in hoc, quòd sublimes sunt, i. e. in mundanis.*

Thomas ibid. *Considerandũ est, quòd quidem fideles in primi-*

tiva Ecclesia dicebant, terrenis potestatibus se subjici non debere, propter libertatem, quam consecuti erant à Christo &c. Et hoc est, quod hic Apostolus dicit; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

Salmero in h. l. *Patres veteres, & præsertim Augustinus Epist. 54. ad Macedonium, & Chrysostomus præsenti loco Apostolum interpretantur de potestate seculari tantùm, quod & ipse textus subindicat.*

Benedictus Justinianus in h. l. *Josephus autor est, apud Judæos fuisse quandam sectam Gaulonitarum, à quodam Juda Gaulonita ortam &c. quæ negabat, censum & obedientiam Cæsari deberi &c. Eodem vel persimili errore delusi, malè Christianam libertatem interpretantes, fuerunt olim, qui existimarent, eos, qui Christo nomina dedissent, legibus civilibus solutos esse, ac penitùs liberos à Principum potestate. Itaq; malè olim audiebant Christiani apud infideles, quasi Principibus ac Magistratibus minùs essent obsequentes &c. Hanc igitur falsam atq; impiam suspicionem Paulus in præsentia amolitur.*

3. De quibusvis Ecclesiæ ministris dici potest, quòd ipsis, mandata divina repetentibus & inculcātibus, obediendū sit, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Item. *Qui illis resistunt, divinæ ordinationi resistunt.* Neque tamen Pontificii potestatem ferendarum legum quibusvis Ecclesiæ ministris concedunt, sed tantùm Pontifici & Prælatis. (Nimirum cui competit potestas ferendarum legum, huic obediendum est propter conscientiam, sed non è converso, cui obediendum propter conscientiam, huic competit potestas ferendarum legum, cum in Republ. civili etiam inferioribus Magistratibus propter conscientiam sit obediendum, quibus tamen ferendarum legum potestas minimè competit.)

8. 1. Corinth. 4. v. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, ac in Spiritu mansuetudinis?* ubi nomine virgæ intelligitur potestas judiciaria puniendi peccatores. *Christus Rex Ecclesiæ habet virgam Ps. 2. & Ps. 44. quam communicat cum Episcopis, qui nomine suo* (ejus) *Ecclesiā regunt.* Bellarm. d. l. Alph. de Castro d. l.

Resp. 1. Salmero Disput. 7. in 1. Cor. sic scribit: *Virga pro severitate sumitur, quâ pastor oves suas corrigit, de qua Prov. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum & Ps. 22. Virga tua & baculus tuus ipse me consolata sunt. Nam virga pueris leviter, hoc est, ex ignorantia & infirmitate peccantibus adhibetur: baculus autem grandioribus & ex malitia delinquentibus &c. Sensus ergò est. Si non conducit Spiritus lenitatis, veniendum est mihi ad virgam, nisi velim degenerare à Natura patris filium suū ex amore corrigentis.*

2. Corn. à Lapide ibid. *Virgâ, i. e. severitate correptionis & potestate puniendi. Nota hîc potestatem puniendi in Ecclesia & Prælatis Ecclesiæ, quam cap. seq. exercet Paulus.*

3. Estius ibid. *Significat virga metonymicè severitatem disciplinæ cum autoritate eam exercendi. Erat enim Apostolis data à Christo potestas pœnis quibusdam animadvertendi in eos, qui gravius delinquerent, quæ & procul dubio transivit ad eorum Successores. Hanc potestatem exercet Paulus cap. seq.* (Atqui ex hac potestate, severitate adversus delinquentes utendi, non potest inferri potestas ferendarum legum conscientiam directè obligantium, aliàs eadem competeret non solùm quibusvis Ecclesiæ ministris, sed etiam omnibus parentibus & patribusfamiliâs. Apostolus hanc virgam minatur non transgressoribus Constitutionum Ecclesiasticarum, sed legum divinarum. Quam etiam virgam intelligat, exponit Apostolus 1. Cor. 5. v. 1. & seq. legis sc. & pœnæ divinæ annuntiationem.)

CAPUT VIII.

DE JURISDICTIONE EPISCOPORUM, *an à Papa descendat?*

QUÆSTIO illa, *An Christus jurisdictionem Ecclesiasticam soli Pontifici summo immediate contulerit, ita ut omnis Episcoporum jurisdictio à Papa immediatè descendat,* (quod Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 22. 23. 24. & 25. affirmat, idemque aliquot argumentis confirmare nititur) itidem pendet ex hypothesi Petro & Pōtifici Romano ejusdem Successori à Christo collatæ.

Negativam ergò nostram probamus,

1. *Ex Apostolorum æqualitate.* Christus non unum aliquem Monarcham, sed duodecim Apostolos instituit, iisque omnibus & singulis non solum æqualem, sed etiam eandem potestatem concessit Joh. 20. v. 21.

2. *Ex Apostolica praxi.* Si Christus uni dedisset universam totius Ecclesiæ jurisdictionem, ille potuisset Matthiam & Paulum ad Apostolatum eligere. Sed Apostoli petunt unanimiter, ut Christus ipse ostendat, quem elegerit Act. 1. v. 24. ac Matthias dicitur *accepisse sortem ejusdem ministerii & Apostolatus* v. 15. Ergò non fuit inter Apostolos quidem Monarcha. Paulus *nec ab homine, nec per hominem constitutus est Apostolus* Gal. 1. v. 1. neq; *contulit cum carne & sanguine,* v. 17. neque, *qui videbantur esse aliquid, ei quicquam contulerunt.* Apostoli multos Episcopos non consulto Petro ordinarunt &c.

3. *Ex Episcoporum autoritate.* Omnes ministri subsequentibus Ecclesiæ temporibus à Deo suam autoritatem, munus & jurisdictionem habuerunt, Act. 20. v. 28. Ephes. 4. v. 11. Potestas Episcoporum est in prædicatione verbi, administratione Sacramentorū, usu claviū &c. hanc verò potestatē non habent ab iis, à quibus ordinātur, sed à Christo Ministerii autore & cōservatore.

4. *Ex consequente absurdo.* Si omnes Episcopi à Papa haberent suam autoritatē & jurisdictionem, sequeretur, Papâ mortuo vacillare omnem Episcopalem autoritatem; Sede Romana vacante, vel etiam duobus de occupatione illius contendentibus nullos constitui posse Episcopos; illos, qui à Papa dubio ordinati, denuò esse ordinandos &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam negant, omnem Episcoporum jurisdictionem à Pontifice descendere.

Bernh. lib. 3. de consid. ad Eugen. *Erras, erras, si ut summam, ita & solam institutam à Deo existimas vestram Apostolicam potestatem. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait; Nō est potestas nisi à Deo.*

Et paulò post: *Denique idem ait; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non ait, sublimiori tanquam in uno, sed sublimioribus tanquam in multis, non ergo tua sola potestas à Deo, sunt & mediocres, sunt & inferiores. Et quomodo, quos Deus conjunxit, non sunt separandi, sic nec, quos subjunxit, comparandi. Monstrum facis, si manui submovens digitum, facis pendere de capite, superiorem manu, brachio collateralem. Tale est, si in Christi corpore membra aliter locas, quàm disposuit ipse &c.*

Marsilius Patavinus in Defens. pacis part. 2. cap. 16. pag. 202. *Sicut Petrus Antiochiæ legitur electus in Episcopum per fidelium multitudinem, aliorum Apostolorum confirmatione non indigens: sic & Apostolorum reliqui præfuerunt in aliis provinciis absque Petri scientia, institutione vel consecratione aliqua, fuerunt enim per Christum consecrati sufficienter, propter quod similiter opinandum, horum Apostolorum Successores non indiguisse aliqua confirmatione Successorum Petri, quin imo multi Successores aliorum Apostolorum fuerunt electi & instituti Episcopi ritè, ipsorumq; provincias sanctè rexerunt absq; alia institutione, vel confirmatione de ipsis facta per Successores Petri. Et extitit hoc sic legitimè observatum usque quasi ad tempora Constantini Imperatoris, qui quandam præeminentiam & potestatem tribuit Episcopis & Ecclesiæ Romanorum super cæteras mundi Ecclesias seu Presbyteros omnes.* Idipsum multis confirmat & illustrat, ac subjungit.

Pag. 205. *Quilibet Episcopus, quantum ad intrinsecam dignitatem, inseparabilem scil. indifferenter Successor est cujuslibet Apostoli & ejusdem meriti sive perfectionis, quantum ad dignitatem prædictam sive characterem, quoniam omnes hunc habent eundem ab uno efficiente sive datore secundum numerum, immediate videlicet à Christo, non ab eo, qui manus imposuit. Neque refert, quis Apostolorum manus imposuerit.*

Cap. 17. pag. 213. *Ostendere volo, quòd post tempus Apostolorum & piorum Patrum, sibi quasi propriè succedentium in officio & præcipuè communitatibus fidelium jam perfectis hujus institutionis seu determinationis Præsidis, sive majoris, quem vocant Episcopum, sive minoris, quos curatos Sacerdotes appellant, simul & reliquorum minorum causa factiva immediata sit & esse debeat universa ejus loci fidelium multitudo per suam electionem seu voluntatem expressam, aut ille vel illi, cui vel quibus jam dicta multitudo harum institutionum autoritatem concesserit.*

Antoninus part. 3. Sum. tit. 18. cap. 4. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Pluraliter dicit potestatibus, non enim tua sola potestas à Deo est, sunt & mediocres, sunt & inferiores. Et quoniam, quos Deus conjunxit, non sunt separandi, ita quos Deus subjunxit, non sunt comparandi,* (per exemptionem scil. contra quam verbis Bernhardi ibi disputat.)

Johannes de Polliuco, Concionator Parisiensis, circa annum 1322. docuit, *Pastores & Episcopos habere suam potestatem immediate à Christo & non à Papa,* (ut constat ex propositionibus Fratrum Jacobitarum & Minoritarum ipsi oppositis.)

Anno 1429. Frater quidem ex Ordine Prædicatorum, Johannes Sarazenus dictos, in Gallia publicè proposuit sequentes theses. *1. Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ aliæ Papali potesta-*

potestate sunt ab isto Papa, quantum ad institutionem & collationem. 2. Ejusmodi potestates non sunt de jure divino, nec immediatè instituta à Deo. 3. Non invenitur, Christum tales potestates, scilicet alias à Papali, expressisse, sed tantùm supremam, cui commisit Ecclesiæ fundationem. 4. Quandocunque in aliquo Concilio aliqua statuuntur, tota autoritas dans vigorem Statutis, in solo summo residet Pontifice. 5. Ex textu Evangelii non habetur expresse, alicui Apostolorum, nisi Petro, autoritatem jurisdictionis fuisse collatam. 6. Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate à Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat. 7. Sicut nullus flos, nulla pullulatio, nec eorum omnes flores & pullulationes simul possunt aliquid in arbore, quia hæc omnia sunt propter arborem instituta, & ab arbore derivata: sic omnes aliæ potestates nihil de jure possunt contra summum Sacerdotium aut Sacerdotem, (Pontificem Romanum) *ab ipso instituta.*

Sed Facultas Theologica Parisiensis 8. Martii solenniter congregata eas rite expensas publicè damnavit, dictumque Johannem abjurare compulit & in contrarias theses Sacramento adegit, quæ sunt: *1. Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ alia à Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam; à Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem. 2. Ejusmodi potestates sunt de jure divino & immediatè instituta à Deo. 3. Invenitur in sacra Scriptura, Christum Ecclesiam fundasse & potestates alias à Papali expresse ordinasse. 4. Veritas; quandocunque in aliquo Concilio aliqua statuuntur, tota autoritas dans vigorem statutis residet, non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto & Ecclesia Catholica. 5. Ex textu Evangelii & doctrina Apostolorum habetur expresse Apostolis & discipulis à Christo missis autoritatē jurisdictionis fuisse collatam. 6. Dicere, inferiorū Prælatorum potestatē jurisdictionis suæ sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate à Deo, Evāgelicæ & Apostolicæ cōsonat veritati. 7. Aliqua potestas. scil. potestas Ecclesiæ de jure potest aliquid, & in certis casibus contra summum Pontificem &c. Deniq; si alia protulerim, vel scripserim, quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter scripta sint, nolo in eis stare, sed volo & supplico haberi pro non dictis, vel scriptis, & alia quæcunque viderentur præbere occasionem scandali, vel erroris.*

(Quorum omnium Acta solenniter in Archivis Sorbonæ asservantur.)

Franciscus Victoria in relect. de potest. Eccl. q. 2. &

Alphonsus à Castro lib. 2. cap. 24. de justa hæreticorum punitione docent. *Episcopos immediate à Deo accepisse potestatem & accipere jurisdictionem.*

Ludovicus Romanus in sermone in concilio Basileensi habito (qui adjectus est ultimo consilio ejusdem num. 11.) pulchrè probat, *etiam simplices Sacerdotes esse Christi Vicarios, qui solus primariam solvendi ac ligandi potestatem habeat.*

In Concilio Tridentino Johannes Fonseca Theologus Archiepiscopi Granatensis asseruit, *Episcopos à Christo institutos &c. Quod si pontifex à Christo sit institutus, quia Petro dixit; Tibi dabo claves regni, & pasce oves meas, itidem & Episcopos ab ipso institutos, quòd omnibus Apostolis dixerit: Quæcunq; ligaveritis super terrā, erunt ligata & in cœlo, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et postea, Euntes in universum mundum prædicate Evangelium: quodq; est omnium maximum, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Tum si Pontifex D. Petri Successor, & Episcopos esse Successores Apostolorum, citatis magno numero testimoniis Patrum dicentium, Episcopos Apostolorum esse successores. Recitavitq; sigillatim longum S. Bernhardi sermonem in hac materia lib. 2. ad Eugenium Papam. Locum etiam illum ex Actis Apostolorum citavit ubi S. Paulus dixit Ephesiis, ipsos à Spiritu S. positos esse Episcopos regere Ecclesiā Dei. Neq; vero rectè consequi, à Christo institutos nō esse, nec ab ipso autoritatem habere, propterea quod confirmantur aut creantur à Papa; siquidem & papam à Cardinalibus creari & tamen autoritatem habere à Christo. Et Presbyteros creari ab Episcopo Ordinatore, verum autoritatem recipere à Deo. Similiter Episcopos à Papa accipere Diœcesin, autoritatem vero à Christo.* Petrus Suavis libro 7. Histor. Concil. Trident. pag. 698.

F. Antonius de Grosseto Dominicanus *urgebat illa S. pauli verba, quibus usus est ad Ephesios Mileti, hortatus, ut attenderent gregi, cujus regimine à Spiritu Sancto præpositi essent. Atq; multa hic observabat. Inprimis ajebat, necessario declarandum esse Episcopos officii sui functionem ab hominibus non habere. Nam si ita esset, mercenarios fore, quorum oves non sunt propriæ; tum ubi ei, à quo hæc cura demandata, satisfactum fuerit, nihil ipsis ultra cogitandum. Atqui D. Paulum demonstrare obligationē regendi populum Christianum esse divinam & à Spiritu S. impositam, ut constare possit, eos inde vi nullius humanæ dispensationis excusari posse. Celebrem illum Cypriani locum attulit, quemlibet Episcopum ad rationem soli Christo reddendam teneri. Adjunxit deinde, Episcopos Ephesinos non fuisse è numero eorum, qui instituti erant à Christo Domino nostro, dum esset in carne, sed ut ab ipso S. Paulo, aut alio aliquo Apostolo sive discipulo. Et tamen nullā fieri mentionem Ordinatoris, sed totum Spiritui Sancto attribui, qui non solum autoritatem dederit regendi, verum etiam partem gregis diviserit, ipsisq; pascendam attribuerit. Tum invectus est in eos, qui superioribus diebus dixerant, Papam gregem distribuere, inculcando, id minus rectè dictum, atq; hoc modo redire illud, quod S. Paulus tanto opere abominatus, Ego sum Pauli & ego Apollo. Esse Papam caput Ecclesiæ ministeriale, quo mediante Christus principale caput operatur, & cui opus adscribendum, dicendumq; cum S. Paulo, Spiritum Sanctum gregi pascendo præponere. Nunquam opus adscribi instrumento, aut ministro, sed sēper agenti principali. Ab antiquis hanc formulā semper adhibitam, Deum & Christum Ecclesiæ de Præpositis providere; quæ à S. Paulo accepta est, qui ad hos eosdem Episcopos scripsit, Christum, postquam ascendisset in cœlum, dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores, demonstrans evidenter, Christum post ascensum in cœlum Pastores dare; nec aliter Christo soli adscribendam institutionem Pastorum & Doctorum, (qui sunt Episcopi) quàm ipsorum Apostolorum & Evangelistarum.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Concil. Trident. pag. 699.

Archiepiscopus Granatensis instabat, *ut in septimo articulo diceretur, Episcopos jure divino institutos esse Presbyteris superiores &c. Citavit pro sua sententia Dionysium, asserentem, Ordinem Diaconorum referri in eum, qui est Presbyterorum; eum, qui est Presbyterorum, in eum, qui est Episcoporum; & eum, qui est Episcoporum, in Christum Episcopum Episcoporum. Deinde Eleutherium Pontificem Romanum, qui in Epistola ad Episcopos Galliæ scripsit, Christum ipsis commisisse Ecclesiam universalem. Tum Ambrosium, qui in primam Epistolam ad Corinthios dixit, Episcopum personam habere Christi & esse Vicarium Domini. Adjunxit etiam Epistolam Cypriani ad Rogatianum, ubi sæpius repetit, tùm Diaconos ab Episcopis fieri, tùm Episcopos à Deo. Et ejusdem viri sancti celebrem illum locum, unum esse Episcopatum, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Papam, dixit, Episcopum esse, ut alios: ipsum atq; illos fratres inter se, filios unius Patris, nempe Dei, unius matris Ecclesiæ, unde à Pontifice fratres etiam vocantur: adeoq; si Papa institutus est à Christo, ab eodem pariter institutos Episcopos. Nec dici posse, Papā eos vocare fratres per speciem humanitatis aut humilitatis. Nam & incorruptis seculis Episcopos ipsum fratrem appellasse: extare Epistolas Cypriani ad Fabianum, Cornelium, Lucium & Stephanum, in quibus ipsos compellat titulo fratrum. Extare epistolas, apud Augustinum & suo nomine. & aliorum Africæ Episcoporū ubi itidem Innocentius & Bonifacius Pontifices appellantur fratres. Sed quod est longe clarissimum, non solum in Epistolis istorum Sanctorum, sed multorum etiam aliorum Pontificem appellari Collegam. Esse contra Collegii Naturam, ut constet è diversi generis personis. Quod si tanta differentia foret, ut Papa institueretur à Christo, Episcopi à Papa, ejusdē collegii esse non possent. Id sanè Naturam Collegii admittere, ut in eo caput sit, atque ita de Episcopali evenire, cujus Papa caput est, nempe ad ædificationem duntaxat, & , quod dici solet, in beneficientem causam. Nempe quo modo S. Gregorius in Epistola ad Johan. Siracusanum ait, quoties in culpa est aliquis Episcopus, eū subjectū esse Sedi Apostolicæ; de cætero cùm culpa nō est, omnes humilitatis ratione esse æquales & hanc esse humilitatē Christianam, nunquam à veritate separatam. Citavit Hieronymum ad Evagrium. Ubicunque fuerit Episcopus sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopolis, sive Rhegii, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Item, Omnes Apostolorum Successores sunt. Invectus est in eos Theologos, qui dixerant, Petrum, cæteros Apostolos ordinasse Episcopos. Admonuit, ut sacræ Scripturæ studerent & observarent, omnibus ex æquo datam potestatem docendi per universum mundum, Sacramenta ministrandi, remittendi peccata, ligandi, solvendi, Ecclesiam gubernandi; in summa, ita missos in mundum, sicut Pater misit Filium; adeoque quemadmodum Apostoli autoritatem habuerant non à Petro, sed à Christo: ita successores Apostolorum non habere potestatem à Successore Petri, sed ab ipso Christo. Adduxit in eam rem arboris exemplum, in qua multi sunt rami, truncus unus. Tum Theologos illos irridēs, qui dixerant, omnes Apostolos à Christo fuisse institutos & pares autoritate, sed hanc in ipsis fuisse personalem, &, quæ ad Successores*

non commearet, præterquam in Petro solo: percunctatur eos, tanquam præsentes, quo fundamento, quâ autoritate, quâ ratione in assertionem adeo audacem prorupissent, quæ à quinquaginta duntaxat annis inventa expressim cum sacra Scriptura pugnaret? in qua, Christo omnibus Apostolis promittente, se cum ipsis futurū usq, ad consummationem seculi, cùm id de propriis ipsorum personis non intelligatur, de successione omnium necessario accipiendū, atque ita intellectum ab omnibus Scholasticis, quibus hæc nova opinio ex diametro repugnat. Sed & illo argumento usus est. Si Sacramenta à Christo instituta sunt, esse consequens, Ministros Sacramentorum ab eodem institutos. Et qui dicere velit, Hierarchiam esse juris divini & summum Hierarcham à Deo opt. max. institutum, ei dicendum, cæteros etiam Hierarchas eandem habere institutionem: Ecclesiæ Catholicæ hanc esse constantem doctrinam, ordines dari per manum Ministrorum, at potestatem conferri à Deo. Petrus Suavis lib. 7. Hist. Conc. Trident. pag. 707.

Archiepiscopus Bracarensis *multus in eo erat, ut probaret, institutionem Episcoporum de jure divino, adductis iisdem penè rationibus & argumentis cum Granatensi. Addidit insuper, Papā Episcopos privare non posse autoritate datâ ipsis in eorum consecratione. Eam in se complecti non solum potestatem Ordinis, sed etiam jurisdictionis.* Idem pag. 708.

Circiter LIX. è Patribus in hac fuerunt sententia & fortassis major fuisset numerus, nisi multi eo tempore laborassent infirmâ valetudine &c. Idem pag. 710.

F. Georgius Sincout Franciscanus Episcopus Segniensis *in Granatensis sententiam concedens affirmavit, nunquam se crediturum, fore, ut aliquando sentiret in dubium vocari, an Episcopi sint instituti & an authoritatem habeant à Christo. Nam si à Deo opt. max. eam non habent, ne Concilium quidem, quod ex Episcopis consistit. Necessariū esse, ut cœtus omnis, quamvis numerosissimus, ab eodem autoritatem habeat, unde singuli, è quibus constat. Quòd si episcopi non sunt à Christo sed ab hominib. autoritatē profecto omnium in unum congregatorum esse quoq, humanā, & cujus aures hoc personat, Episcopos non esse à Christo institutos, abesse nō posse, quin existimet, hanc Synodum esse congregationem hominum profanorum, cui non præsideat Christus, verùm potestas quædam precaria ab hominibus accepta; totq, Patres frustra tantos sumptus facere & tot incommoda Tridenti perferre, quando majori cū autoritate eadem tractari possint ab eo, qui Episcopos & Concilium ad eorū tractationē potestate munivit, adeoq, toti in universū populo Christiano illusum, cum non modo ut optimum, verùm uti unicū & necessarium medium propositum fuit, ad hujusce temporis controversias determinandas &c.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Concil. Trident. pag. 710.

Episcopus Parisiensis dixit, *hanc doctrinam (quod solius Pontificis jurisdictio sit à Christo, reliquorum Episcoporum à Pontifice) prioribus seculis inauditam ante annos 50. à Cajetano primum excogitatā, ut pileum Cardinalitium mereret. Eam à Theologis Sorbonensib. eo ipso tempore ignominiosè notatam, quæ ex regno cœlesti, (sic enim Ecclesiam vocari) faciat non regnum, verùm Tyrannidem temporalem, quæ Ecclesiam spoliet titulo sponsæ Christi & eam veluti servam unius hominis libidini prostituat. Vult, scilicet, unū tantum Episcopum à Christo institutum, cæteris nullam esse potestatem, nisi ab illo pendentem, quod perinde est, ac si dicatur, unum solum esse Episcopum, cæteros ejus Vicarios ad placitum amovendos &c.* Petr. Suavis lib. 7. Hist. Concil. Trident. p. 718.

Cardinalis Lotharingius *Tridentum veniens, instituit domi suæ congregationem Præsulum & Theologorum, qui cum ipso è Gallia venerant, ut eorum sententiam exquireret, super illo præcipuè capite de jurisdictione Episcoporum, inter quos unanimi consensu definitum, à Deo eam esse & juris divini.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Concil. Trident. pag. 738.

Jacobus Gilbertus de Nogueras Episcopus Alliphiensis *in Concilio Tridentino, Christum membra quædam Ecclesiæ in Apostolos, pastores &c. distinxisse, ad fideles ab erroribus defendendos & in unitatem fidei & cognitionis Dei dirigendos. His dedisse donum pio huic officio exercendo necessarium, potestatem, ut appellāt, jurisdictionis: quæ in omnibus æqualis non est, verùm quanta quanta in quolibet est, ipsi eam Christus immediatè largiatur. Nihil esse D. Paulo magis contrarium, quàm si dicatur uni soli data, qui eam aliis communicet ad libitum &c.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Concil. Trident. pap. 743.

Cardinalis Lotharingius *copiosâ oratione docuit, jurisdictionem à Deo immediatè Ecclesiæ datam, adduxit locos D. Augustini, claves datas Petro, non uni personæ, sed unitati; & Petrum, cùm Christus ei claves promisit, totam Ecclesiam repræsentasse. Quòd si Sacramentum ille non fuisset, hoc est, Ecclesiam repræsentans, Christum ei claves non fuisse daturum. Progressus inde asseruit, eam jurisdictionis partem, quæ ordini Episcopali connexa est, Episcopos immediatè à Deo accipere.* Id. pag. 744.

Reliqui præsules Galli apertè defenderunt, authoritatem Episcoporum esse de jure divino, rationes à Cardinale citatas asserentes, explicantes. Id. p. 745.

2. Quod quidam agnoscunt, primis Ecclesiæ temporibus nondum fuisse à Romano Pontifice usurpata omnia Ecclesiarum jura. (Ergò etiam primis Ecclesiæ temporibus Episcopi non acceperunt jurisdictionem suam à Pontifice Romano.

Krantziuslib. 6. Saxoniæ cap. 16. *Nondum Romana Ecclesia tantum sibi juris in omnes omnium provinciarum Ecclesias vendicabat, ut nisi confirmatione Apostolicâ Episcopus non haberetur legitimus. Id enim posteriora tempora adinvenerunt. Nec ibi quievit Romana Ecclesia, donec annatas quoq, sibi ex omni Christianismo advocaret.*

Idem Metropoleos lib. 2. cap. 26. *Nec dum Sedes Apostolica Roma cuncta sibi Ecclesiarum (ut nunc) jura vendicavit. Metropolitanus cuncta gerebat in provincia sua.*

Et lib. 7. cap. 45. *Ragenburgensis tum Ecclesia, mortuo Henrico, vacabat: & se ingerebat non electus à fratribus Lambertus quidam Hamburgensis & Bremensis Canonicus, qui Ecclesiam alienigenam à summo Pontifice ad se nihil pertinentem impetravit. Vide in quantum licentiæ tum processit post Imperatorum destitutionem Romana Ecclesia, ut se inciperet intromittere de Ecclesiis vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando disponere Ecclesia: per ventum est eò, ut de solis Germaniæ Ecclesiis & Abbatiis disponerent: idq, extortum est manibus eorum tempore Henrici V. Imperatoris: tum Ecclesiis provenit libera electio: in eam quoq, Papa manus injecit per hæc tempora: & crevit illa facultas in immensum, ut satis sit per Germaniam res tolerabilis, sed in Francia & Anglia immoderata.*

Paulò post: *Nihil jam opus erat Apostolicâ confirmatione, satis erat electionem ab Archiepiscopo comprobari: nunc ad se omnia Ecclesiarum jura traxit Romana Ecclesia.*

Idem lib. 9. cap. 23. *Jam inoleverat, ut Apostolicâ provisione darentur Episcopi, posthabitâ capitulorum legitimâ electione.*

Hûc referri potest quod Aventinus lib. 7. Annal. de titulis Epistolarum ab Episcopis olim exaratarum commemorat, hisce verbis: *Illius tempestatis Episcopi* (seculo scil. duodecimo) *in titulis, initiis Epistolarum atq, Decretorum, non, uti nunc fit, adscribunt, Apostolicæ Sedis gratia, nimirum favore humano, sed more Pauli, clementiæ duntaxat divinæ id munus atq, donum acceptum referunt. Ita enim cœpisse Epistolas, Senatusconsulta, placita, rescripta, exempli gratia, reperio.* Sigefridus sola miseratione divina Regnoburgensis Episcopus &c.

3. Quòd quidam agnoscunt, Apostolos omnem jurisdictionem à Christo immediatè accepisse (ex eo enim colligi potest, Episcopos Apostolorum Successores itidem à Christo, non à Pontifice jurisdictionem accipere.)

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 20. §. Initiali. *Status Episcopalis est immediatè à Christo & supernaturaliter in Apostolis institutus &c. dignitati Episcopali à solo Deo potestas concessa & post Papam ordinata est.*

Erasmus in annot. 2. Corinth. 10. p. 382. *Paulus ab ipso Christo acceperat autoritatem Apostolicam, non à Petro, cum quo postea contulit, sed ita, ut diceret, sibi ab illo nihil accessisse.*

Bellarminus lib. 4. de Pont. Rom. c. 23. §. 1. *Quòd Apostoli acceperint à Christo immediatè suā jurisdictionem primum testantur verba Domini Johan. 20. Sicut misit me Pater & ego mitto vos, quem locū sic exponunt Patres, Chrysostomus & Theophylactus, ut apertè dicāt, factos esse his verbis Apostolos Christi Vicarios, imò ipsum Christi officium & autoritatem accepisse. Addit Cyrillus in hunc locū, his verbis propriè Apostolos creatos esse Apostolos & orbis totius doctores, & ut intelligeremus in Apostolica autoritate contineri omnem potestatē Ecclesiasticam, ideo adjecisse Christum. Sicut misit me Pater, siquidem Pater Filium misit summa potestate præditum. Cyprianus lib. de unit. Eccles. docet, idem dari Apostolis per illa verba; Ego mitto vos, quod fuerat Petro promissum per illud; Tibi dabo claves, & postea exhibitū per illud, Pasce oves meas. Constat autem per illa verba, tibi dabo claves, & per illud, pasce oves, intelligi jurisdictionem plenissimam, etiam exteriorem. Secundò idem ostendit electio Matthiæ in Apostolatum. Nam Act. 1. legimus, Matthiam Apostolum non fuisse ab Apostolis electum, nec datam ei ullam autoritatem, sed implorata divinitus & impetrata electione ejus mox inter Apostolos annumeratum. Certè si Apostoli omnes à Pe-*

stoli à Petro habuerunt jurisdictionem, in Matthia maximè id ostendi debuisset. Tertiò probatur ex Paulo, qui ex professo docet, se autoritatem ac jurisdictionem habuisse à Christo, & inde probat, se verum Apostolum, Galat. 1. & 2. Quartò probatur evidenti ratione. Nam Apostoli à solo Christo facti sunt Luc. 6. Johan. 6. Quòd autem Apostoli habuerint jurisdictionem, patet tùm ex gestis Pauli, qui 1. Cor. 5. excommunicat & 1. Cor. 6. 7. 11. 14. & alibi passim leges constituit, tùm quia Apostolica dignitas est prima & suprema dignitas in Ecclesia, ut patet 1. Corinth. 12. Eph. 4. Vide B. Thomam in cap. 12. 1. ad Cor.

Azorius Jesuita Instit. moral. part. 2. lib. 4. cap. 11. §. Altera opinio, col. 445. arctè tenet, & accuratè defendit, *omnes Apostolos à Christo Domino proximè fuisse Sacerdotes & Episcopos ordinatos, & ab eo potestatem non solum ordinis, sed etiam jurisdictionis accepisse. Quia (inquit) omnes Apostoli sunt à Christo electi, uti ex Evangelio constat, & ipse Paulus apertè tradit Galat. 1. & 2. se non esse ab hominibus, neq; per hominem, sed per Jesum Christum Apostolum institutum. Matthias autem non erat ab Apostolis, sed à Deo creatus: at Apostolica potestas continebat in se non solùm ordinis potestatem, sed etiam jurisdictionis: & ideò Apostoli ubiq; terrarum Episcopos & Presbyteros constituebant, omnibusq; dictum: Accipite Spiritum S. & omnibus plenissima jurisdictio data est Matth. 18. illis verbis: Quæcunq; alligabitis &c. omnibus dictum est. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Etiam de Juda dictum, Episcopatum ejus accipiat alter.* In hanc sententiam citat Cajetanum, Sotum, Cordubensem, Bannez.

(Salas Jesuita de legib. part. 1. q. 95. sect. 4. pag. 156. §. Alii verò &c. pro eadem sententia citat Majorem, Victoriam, Petrum de Soto, de Castro, affirmantes, *opinionem suam esse omnium Doctorum sententiam.*)

4. Quod Jus Civile docet, jus Patriarchatus esse ab Imperatoribus & Conciliis Novel. 11. Novel. 131. c. 2. 3. 4. cùm Pontifex contra glorietur, jus Patriarchatus à Romana Ecclesia originem trahere. c. Omnes 1. dist. 22. ex Nicolao.

5. Quòd Pontificii in hac quæstione non consentiunt.

Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 22 §. 1. *Sciendum est, triplicem esse in Pontifice, aliisq; Episcopis potestatem. Unam ordinis, alteram jurisdictionis interioris, tertiam jurisdictionis exterioris, quarum prima refertur ad Sacramenta conficienda & ministranda, altera ad populum Christianum regendum in foro interiori conscientiæ, tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori. De prima certum est apud omnes, illam æquè immediatè habere à Deo Episcopos ac ipsum summum Pontificem. De secunda est aliqua dissensio inter autores. Nam Abulensis in libro, quem appellat Defensorium part. 2. cap. 36. existimat, hanc potestatem conferri omnibus Sacerdotibus immediate à Deo, quando ordinantur &c. At Johannes de Turrecremata libr. 1. Summæ cap. 96. docet, hanc potestatem non conferri à Deo ex vi ordinationis, sed ab homine per simplicem injunctionem, ambo tamen in eo conveniunt, quòd usus hujus potestatis pendeat à jurisdictione exteriore. Solum igitur de tertia agendum. Et quidem omnes in eo conveniunt, jurisdictionem Episcoporum saltem in genere esse de jure divino. Nam Christus ipse ita ordinavit Ecclesiam, ut in ea sint Pastores, Doctores &c. Ephes. 4. At quæstio est, an Episcopi Canonicè electi accipiant à Deo suam jurisdictionem, sicut eam accipit summus Pontifex, an verò à Pontifice. Sunt autem tres de hac re Theologorum sententiæ. Prima eorum, qui volunt tam Apostolos, quàm cæteros Episcopos immediatè à Deo accepisse & accipere jurisdictionem. Ita docet Franciscus Victoria in relect. 2. de potestate Ecclesiæ quæst. 2. & Alphonsus à Castro libr. 2. cap. 24. de justa hæreticorum punitione. Altera est eorum, qui volunt, Apostolos non à Christo, sed à Petro, & Episcopos, non à Christo, sed à Petri successore accepisse, vel accipere jurisdictionem. Ita Johannes de Turrecremata lib. 2. cap. 54. Summæ de Ecclesia & Dominicus Jacobatius lib. 10. de Concil. art. 7:* (Potuisset addere Petrum de Palude, qui in libro de potestat. Apostolorum artic. 3. sic disserit: *Dico, quod nullus Apostolorum, præter Petrum, factus est à Christo Episcopus.* Ibidem. *Videretur in Novo Testamento, quod alii Apostoli nullam potestatem jurisdictionis receperunt, & per conseq. relinquitur, quod omnis potestas jurisdictionis, quam habuerunt Apostoli, specialiter post Christi ascensum, fuit collata eis à Petro.*) *Tertia est media eorum, qui volunt, Apostolos quidem accepisse à Christo immediate omnem suam autoritatem, tamen Episcopos non à Christo, sed à summo Pontifice eam accipere. Ita Cajetanus in tractat. de autorit. Papæ & Concilii cap. 3. Dominicus à Soto in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. Franciscus Vargas in libello de hac ipsa quæstione, Hervæus in lib. de potestate Papæ, Gabriel in canonem Missæ lect. 3 & eadem videtur sententia veterum Scholasticorum Bonaventuræ, Alberti, Durandi atque aliorum in 4. dist. 18. aut 20. aut 24.* (Bellarminus tertiam amplectitur sententiam, sed hac ratione contradicit, non solum Francisco de Victoria & Alphonso à Castro, sed etiam Johanni de Turrecremata & Dominico Jacobatio, qui æqualem hac in parte, statuunt, esse rationem Apostolorum & Episcoporum, ita ut, si quis affirmare velit, Apostolos à Christo jurisdictionem accepisse, etiam cogatur statuere, Episcopos à Christo jurisdictionem accipere; & vicissim, si affirmare velit, Episcopos à Pontifice jurisdictionem accipere, etiam cogatur affirmare, Apostolos à Petro jurisdictionem accepisse. Regerit quidem Bellarm. c. 25. §. 2. *Magnum esse discrimen inter successionem Petri & aliorum Apostolorum, cum Rom. Pontifex propriè succedat Petro, non ut Apostolo, sed ut Pastori ordinario totius Ecclesiæ, & ideo ab illo Romanum Pont. habere jurisdictionem, à quo habuit Petrus, at Episcopos non succedere propriè Apostolis, quoniã Apostoli non fuerint ordinarii, sed extraordinarii & quasi delegati Pastores, quibus non succeditur.* Sed quis non videt, hæc manifestam petitionem principii continere? Ecquis enim Bellarmino concedere velit, Apostolos reliquos non fuisse ordinarios, sed extraordinarios & quasi delegatos Pastores, cùm æqualem cum Petro, adeoque summam potestatem acceperint, cùm æquè ac Petrus ubique locorum prædicârint, Ecclesias fundârint, & Successores Episcopos constituerint?)

Idem Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 24. § 2. *Episcopos omnes à Papa jurisdictionem accipere*, confirmat ex eo, *quòd regimen Ecclesiæ sit Monarchicum, ac proinde omnis autoritas sit in uno & ab illo in alios derivetur.*

(At si hæc ratio efficax, convinci, Matthiam & Paulum post Christi ascensionem à Petro, utpote visibili Ecclesiæ capite ac Monarcha jurisdictionem accipere debuisse. Quia verò non à Petro, sed à Christo jurisdictionem acceperunt, ac nihilominus Ecclesiæ regimen fuit Monarchicum, ex eo manifestum, non Petrum, sed Christum esse Ecclesiæ Monarcham.)

Caput IX.

De Potestate Pontificis in *temporalibus.*

THESIS. Pontifici Romano non competit summum dominium temporale in Imperatorem, Reges & Principes, nec convenit Ecclesiasticis personis, ut talibus, jure divino Politica jurisdictio.

Ἔκθεσις 1. Non solum derogamus Pontifici *directum dominium* temporale in Politicos Magistratus, sed etiam *indirectum*. Recentiores Pontificii, præsertim Jesuitæ, cum videant, nimis crudum esse, si Pontifici tribuatur *dominium totius orbis, vel dominium totius orbis Christiani*, vel ulla merè temporalis jurisdictio *directè*, quod Canonistæ olim fecerunt, jurisdictionem Pontificis temporalem sic restringunt, ut asserant, *Pontificem, ut Pontificem, etsi non habeat ullam merè temporalem potestatem, tamen habere in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum,* ac *proinde habere summam temporalem potestatem indirectè.* Bellarm. lib. 5. de R. P. cap. 6. Hanc suam distinctionem explicant ejusmodi similitudine. *Sicut ars frenifactoria & equestris sunt duæ inter se diversæ artes, quia distincta habent objecta & subjecta & actiones; & tamen quia finis unius ordinatur ad finem alterius, ideo una alteri præest, & leges ei præscribit: ita videntur potestas Ecclesiastica & Politica distincta potestates esse, & tamen una alteri subordinata, quoniam finis unius ad finem alterius Naturâ suâ refertur.* Quibusdam hæc similitudo non videtur conveniens, cùm in illis artibus inferior sit solum propter superiorem, adeò ut sublata superiore continuo tollatur etiam inferior, quod non habet locum in Politica potestate ad Ecclesiasticam comparata, ideo utuntur similitudine ab homine desumptâ. *Ut se habent caro & Spiritus in homine, ita se habent in Ecclesia duæ illæ potestates. Caro subest, Spiritus præest, & licet, Spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, tamen quando eæ officiunt fini ipsius Spiritus, Spiritus carni imperat, eamque castigat: sic Ecclesiastica potestas non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut antequam essent conjunctæ hæ duæ potestates, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest & debet coërcere temporalem potestatem omni ratione ac via, quæ ad id necessaria videbitur.* Hac similitudine Bellarminus d. l. utitur, sed eodem laborat incommodo, quo prior ab arte frenifactoria & equestri desumpta, quam hoc nomine ipse-

ipsemet repudiat. Caro enim, hoc est, corpus in homine est propter spiritum, hoc est, animam. Subducto Spiritu, corpus nec vivit, nec ullas actiones exercet. Atqui sublata potestate Ecclesiastica, Politica adhuc locum habet, & est vera potestas, etiam sine ordine ad aliquam Ecclesiasticam potestatem. Præterea caro ita subesse debet in omnibus spiritui, ut spiritus in nullo subesse debeat carni. Sed Politica potestas *in spiritualibus* ita subesse debet Ecclesiasticæ potestati, ut Ecclesiastica potestas *in civilibus* Politicæ potestati subesse debeat.

2. Pontifici & Episcopis multos Principatus & Provincias ab Imperatoribus, Regibus & Principibus donatas esse, concedimus, sed illi donationes illas non debuissent recipere; verum vestigiis Christi insistere, qui regnum sibi oblatum acceptare noluit, Johann. 6. v. 15. Sed & particulares illæ donationes Ludovici I. Pipini, Mathildæ Comitissæ & aliorum nondum probant supremam illam in omnes Imperatores, Reges ac Principes potestatem, quam Papa sibi vendicat.

3. In Confessione Augustana articulo ultimo abusuum sententia nostrarum Ecclesiarum sic declaratur. *Non commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & civilis. Ecclesiastica suum habet mandatum Evangelii docendi & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, nõ abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus, aut cõtractibus non præscribat leges Magistratibus de forma Reipublicæ. Si quam habẽt Episcopi potestatẽ gladii, hanc non habent, ut Episcopi ex mandato Evangelii, sed jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus ad administrationẽ civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quàm ministerium Evangelii. Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet Imperium ab Ecclesiastica jurisdictione. Porrò secundùm Evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino nulla jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item cognoscere doctrinã & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ sine vi humana, sed verbo &c. Si quam habent aliam potestatem, vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum, hanc habent jure humano, ubi cessantibus ordinariis coguntur principes vel inviti suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.* Et sub finem. *Petrus vetat Episcopos dominari & Ecclesiis imperare. Nunc id non agitur, ut dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc unũ petitur, ut patiantur Evang. purè doceri, & relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari nõ possunt.* Hæc in Apolog. Augustan. Confess. artic. 14. 16. & 28. latiùs explicantur. Inter cætera in cap. de potest. Eccl. sic loquuntur Confessores. *Sæpe testati sumus, nos Politicas ordinationes & donationes Principum & privilegia non reprehendere*: Item. *Sint sane Episcopi juxta politiam Canonicam, quam non reprehendimus.* In articulis Schmalcaldicis art. 4. de Papatu docetur, quod *Papa non sit de jure divino seu secundum verbum Dei, caput totius Christianitatis, hoc enim nomen uni & soli Christo debetur; sed tantum Episcopus & Pastor Ecclesiæ, quæ est Romæ, & eorum, qui voluntarie & sponte, vel per humanam creaturam, hoc est, Politicum Magistratum se ad eum conferunt, non ut sub eo tanquam sub Domino vivant, sed ut cum eo, tanquam fratres, collegæ, sodales & Christiani sint &c. Hodie verò nullus Episcoporum audet Papam nominare fratrem, ut ætate Cypriani factum est, sed oportet, ut Episcopi, imò Cæsares & Reges Papam appellent omnium gratiosissimum Dominum. Hanc arrogantiã bonâ conscientia nec volumus, nec possumus, nec debemus probare. Qui verò se ei subjicere voluerit, faciat id suo periculo sine nobis. Hinc sequitur, omnia, quæ Papa ex tam arrogante, temeraria, mendace, blasphema & furto arreptâ potestate suscepit & fecit & adhuc facit, fuisse & esse mere Diabolica acta & instituta (exceptâ Politici regni administratione, ubi Deus sæpe etiam per Tyrannos & perfidos nebulones populo alicui benefacit) ad perditionem totius sanctæ Ecclesiæ Catholicæ seu Christianæ (quantum in ipso est) & ad destructionem primi & præcipui articuli de redemtione facta per Jesum Christum.* In Tractatu de potestate & primatu Papæ à Theologis Schmalcaldiæ congregatis Ann. 1537. scripto. *Papa gloriatur, se jure divino habere utrumq; gladium, i. e. penes se esse electionem, translationẽ & depositionem Regum & regnorum mundi constitutionem &c. Sed Christus discipulis suis tribuit tantùm spiritualem potestatem, Evangelium scil. prædicandi, remissionem peccatorum annuntiandi, Sacramenta exhibendi, impios excommunicandi, per verbum sine vi corporali & nequaquam eis præcepit usum gladii politicũ & regnorum constitutionem, Regum vel præfectionem vel depositionem. Quapropter constitutio Bonifacii VIII. &c. Omnes dist. 22. & similia dicta prorsus impia & falsa sunt, quibus obtinere volunt, Papam jure divino esse Dominum regnorum mundi, ex qua falsa opinione primum horrendæ tenebræ in Ecclesia, deinde terræ distractiones & magni motus in Europa orti fuerunt & ministerium docendi fuit neglectum, doctrina de fide & spirituali regno Christi prorsus extincta fuit & Pontificis externæ traditiones & larvæ pro Christiana justitia habitæ fuerunt.*

4. Brentius homil. 48. in pass. Christi p. 484. hac de re sic scribit: *Non licet Episcopo seu Ecclesiæ ministro, habere externum Principatum, eumq; usurpare prætextu Evangelii & Ecclesiastici Ministerii. Petrus non idcirco debet Antiochiæ aut Romæ dominari, quia Apostolus est &c. Quòd si vero externus Principatus aut externorum bonorum possessio contigerit ministro Ecclesiæ, vel legitima hæreditate, vel ordinaria electione, aliòve civili & legitimo contractu ibi tum, etsi difficilimum sit, unà externas opes administrare & prædicando Evangelio servire, tamen licet hæc externa bona habere, non ut Apostolo, aut ministro Ecclesiæ prætextu ministerii, sed ut externo hæredi, aut civi aut collegæ, ordinariè electo, ut negotiatori, legitimis contractibus utenti.* (Sed hæc Brentii sententia cum certa limitatione accipienda, videlicet ne Principatus ex ordinaria electione obtingens tam amplus sit, ut impediat partes ministerii Ecclesiastici, neve ministerium Ecclesiasticum per alios Vicarios, sed potius Principatus Politicus & negotia temporalia per alios administrentur, aliàs talis Episcopus coram Deo & juxta Scripturæ definitionem non ampliùs manet persona Ecclesiastica, sed fit Magistratus Politicus.)

Antithesis. 1. Augustinus Triumphus in Sum̃a de potestate Ecclesiæ qu. 1. art. Alvarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 13. & multi Jurisconsulti, (Canonistæ) ut Hostiensis in cap. Quod super his, de voto & voti redemptione, Panormitanus in c. Novit, de judiciis, Sylvester in Summa de peccatis in verbo, Papa, §. 2. & alii non pauci docent, *Summum Pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in universum terrarum orbem, tùm in rebus Ecclesiasticis, tùm in Politicis.* Quin etiam Hostiensis ulterius progreditur. Docet enim *per Christi adventum, omne dominium Principum infidelium translatum esse ad Ecclesiam & residere in Summo Pontifice, ut Vicario summi & veri Regis Christi, & ideo posse Pontificẽ regna infidelium jure suo donare, quibus voluerit fidelium* (quæ omnia sunt verba Bellarmini libr. 5. de Pontif. Rom. c. 1. ex Canonistis ea allegantis) *Papa jus utriusque gladii à Christo accepit, ac proinde ipsum imperium ab Ecclesia, hoc est, à Pontifice dependet, atque ita de necessitate salutis credi oportet*, inquit Panormitanus. *Constantinus non donationem, sed restitutionem Papæ fecit, cùm Papa gerat Christi vices, cujus est terra & plenitudo ejus, & cui data est omnis potestas in cœlo & in terra*, inquit Johannes de Lignano. *Deus omnia subjecit pedibus Papæ juxta illud Propheticum, subjecisti omnia pedibus ejus*, inquit Barbatia. *Utcunq; Imperatores sint electi ante hæc tempora, tamen nulli dubium esse debet, quin summus Pontifex, quam Constantinus Vicarium Dei Filii firmiter confessus est, Imperatorem possit eligere, quemcunq; & undecunque sibi placet.* Item, *Papa habet omnem Regalem & Imperialem potestatem in toto mundo.* Item, *Papa Regibus tanquã suis vasallis, suæque potestati subjectis imperat, ut etiam possit eos instituere & destituere*, inquit Augustinus de Ancona q. 1. & 46. *Habet Pontifex ipso jure in Imperatores jurisdictionem & cæteris Regibus re ipsâ imperat*, inquit Petrus Belluga. *Reges omnes sunt Pontificis Romani clientes atq; vasalli, & si sunt prodigi aut minus apti, Curatores illis dantur à Pontifice*, inquit Baldus in c. Pastoralis de Rescriptis l. rescripta, de præcibus Imp. offerendis.

Cardinalis Bertrandus in tract. de orig. & usu jurisdict. q. 4. tom. 4. Bibliothec. SS. PP. col. 1105. sic disserit. *Quia Jesus Christus, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno naturalis Dominus fuit, & de jure naturali in Imperatores & quoscunque alios depositionis sententias ferre potuisset & damnationis & quascunque alias, utpote in personas, quas creaverat, & donis naturalibus & gratuitis dotaverat, & etiam conservabat, & eâdem ratione etiam ejus Vicarius potest. Nam Dominus non videretur fuisse discretus, (ut cum reverentia loquar) nisi unicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset.*

Quin imo Jodocus de Terano Urbani VI. Pontif. Rom. Cubicularius in tractatu de Monarchia verba Christi, *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, temporaliter exponit, scilicet *antequam Chri-*

Christus passus esset & cœlos victor ascendisset. Ex aliis verò Christi verbis, *Ego cum exaltatus fuero de terra, omnia traham ad me ipsum*, colligit, quod *Christus omnia imperia & regna mundi recuperatus & à Cæsare, Regibus, aliisque Principibus per milites suos Apostolos ablaturus sit*. Præcepta Apostolis data, *ut neq; aurum neque argentum possideant*, itidem intelligit temporaliter, non de tempore legationis, quâ functi sunt, Christo in terris agente sed quo post ejus ascensionem militaverunt in humilitate, afflictionibus & paupertate, donec imperia & regna mundi subjugâssent, quibus subactis vel conversis, ait, *licitum esse discipulis Apostolorum, regiis opibus, cultu & deliciis uti, præsertim Papæ, utpote Regi Regum*.

In Concilio Lateranensi sess. 7. Balthasar Del Rio de Leone X. tunc Papa. *Ceu Leo Rex quadrupedum, tu alter Leo hominum, non alter Rex tantum, sed Regum Rex & orbis terrarum Monarcha effectus.*

In eodem Concilio Antonius Puccius sess. 9. de Leone X. dixit, *in regale Romanorum Pontificum genus consentientibus omnium suffragiis adscitus.* Inde Radevicus lib. 1. de gestis Friderici cap. 10. memorat, *à nonnullis Romanorum temerè affirmari, Imperium urbis & regnum Italicum donatione Pontificum reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare & ad posteros transmittere.*

2. Quamvis vero hanc Canonistarum assertionem Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. cap. 2. 3. & 4. repudiet, imò refellat, probat enim cap. 2. *Papam non esse Dominum totius mundi*; cap. 3. *Papam non esse Dominum totius orbis Christiani*; cap. 4. *Papam non habere ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino*, tamen hac in parte non convenit ei cum aliis Pontificiis Scriptoribus etiam illis, qui post reformationem Ecclesiæ à B. Luthero cœptam de temporali Pontificis potestate scripserunt.

Augustinus Steuchus in lib. de donat. Constant. disputat, *omnes Reges esse Papæ vasallos.*

Thomas Bozius in Epistol. nuncup. libris de temporali Ecclesiæ Monarchia præmissâ, inter cætera sic loquitur: *Etiam Ethnici, quoad temporalia, Ecclesiæ adeoque ejus Pastori Universal Romano Pontifici subjiciuntur, ut docent Innocentius, Johannes Andreas, Hostiēsis, Sylvester, S. Anton. & cæteri Doctores Canonistæ.*

Ibid. *Pontificē habere potestatem circa omnia temporalia quæ cadunt in usū humanū, ostendā ex Patribus, Theologis, Canonistis.*

Idem Bozius lib. 1. de Monarch. Eccles. cap. 1. *Temporalis potestas omni ex parte spirituali potestate est subjecta*, ex quo concludit, *ut beneficia Eccles. ita omnia regna esse Papæ manualia.*

Idē in libris illis de Monarch. Eccles. tēpor. passim disputat, *omnem vim regiam, omniumque rerum, quæ in terris sunt, potestatem & dominium datum esse Romano Pontifici jure divino, & quicquid potestatis uspiam terrarum habent Reges & Principes seculares, tām fideles, quàm infideles, id totum à Papa pendere, & quantum ad executionem temporalem tantummodo ab eo in illos derivatum, ita, ut ipse velut totius mundi Dominus regna & principatus, cui, & quando voluerit, dare vel auferre possit, quamvis nemo sciat causam, cur ita faciat. Ac proinde, inquit, potuit Indias occidentales Castellæ; orientales verò Lusitaniæ Regibus adjudicare & addicere, quamvis cuncti homines ignorarent connexionem rationis, quâ addicebantur. Et hanc sententiam de directa Pontificis in temporalibus Monarchia ab Ecclesiâ definitam* scribit lib. 5. de temp. Monarch. cap. 2. pag. 696.

Alexander Pesantius Romanus lib. de immunit. Eccles. & potestate Rom. Pont. Paulo V. dedicato pag. 45. edit. Rom. *Dico, summus Pontifex jure divino habet plenissimam potestatem in universum terrarum orbem, tùm in rebus Ecclesiasticis, tùm in Politicis.*

Et in margine libri notat Autor. *Papa jure divino est directus Dominus orbis.*

Restaurus Castaldus in tract. de Imperat. c. 36. disputat, quòd *Imperator teneatur Papæ præstare juramentum fidelitatis*, (cujus formulam extare dicit c. Tibi Domino dist. 63.)

Lancellot. in templ. omn. judic. lib. 1. cap. 1. §. 2. q. 2. & Hieronymus Gigas de crim. læs. majest. lib. 1. rubr. qual. & à quibus crim. læs. majest. comm. statuunt, *Imperium ab Ecclesia, hoc est, à Pontifice dependere.*

Petrus Cudsemius in Saxon. Catholica pag. 125. scribere non dubitat, *Imperatores à Papa non coronatos à sede Apostolica sic toleratos esse, ut Reges appellari passa sit.*

Pag. 136. *Pontificiæ Sedis principaliter & propriè hoc esse disponere de dignitate S. R. Imperii & Imperatoris.*

Pag. 123. *Loco Ludovici ultimi & Conradi I. Ioco in Italia alios à Papa unctos, coronatos & Imperatores vocatos esse.*

Alexander Carerius Patavinus de potestat. Rom. Pontif. lib. 2. cap. 3. num. 18. (edit. Colon. Ann. 1601.) postquam de potestate Pontificis disseruisset, subjungit. *Ex quibus concluditur verè & juridicè nullum in orbe Principem esse, qui delinquendo Romanum Pontificem in superiorem non habeat temporaliter eum, si expedit, punientem & deponentem, vel alias pro modo delictorum corrigentem. Et contrarium asserere est hæresis omnium hujus temporis hæreticorum.*

In sequentibus copiosè refellit Bellarminum, qui probare voluit, *Papam nullam habere temporalem jurisdictionem directè.*

Lib. ejusd. cap. 5. n. 6. *Sicut dominium mundi fuit in Christo divinum & humanum, ita & in Papa ejus Vicario idem fatendum est.*

Cap. 9. num. 1. *Tertia erat opinio, summum Pontificem, jure divino habere plenissimam potestatem in universum orbem terrarū, tùm in rebus Ecclesiasticis, tùm in Politicis, quam opinionem approbandam censeo, eamq; communis Theologorum Schola secuta est.*

Num. 10. pro hac opinione adducit S. Antonium tit. 3. de dominio regnorum cap. 2. nec non part. 3. Summ. tit. 22. cap. 5. §. 17. hæc verba facientem. *Qui autem dicunt, Papam in orbe terrarum totum dominium habere super spiritualia, non autem super temporalia, similes sunt consiliariis Regis Syriæ, qui dixerunt, Dii montium sunt Dii eorum, & ideo superaverunt nos sed pugnemus contra eos in campestribus & in convallibus, in quibus Dii eorum dominium non habent & obtinebimus contra eos 3. Reg. 20. sic hodie mali Consiliarii adulatione pestiferâ seducunt Reges & Principes terræ, dicentes. Dii mōtium, puta spiritualium bonorum sunt summi Pontifices, sed non sunt Dii vallium, quia temporalium bonorum nullum dominium habent. Ideo in campestribus, in potentia scilicet bonorum temporalium pugnemus contra eos & obtinebimus. Sed quid dicat eis divina sententia, audiamus. Quia dixerunt, inquit, Syrii, Deus montium est Deus eorum, & non Deus vallium, dabo hanc multitudinem in manu vestra & scietis, quia ego sum Dominus.*

Adducit etiam Henricum Gandavensem, Augustinum Triumphum, Rodericum Sancium Episcopum Zamorensem & concludit. *Est verò naturaliter, moraliter & divino jure cum recta fide tenendum, Principatum Romani Pontificis esse verum, unicum, immediatum Principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia, & Principatum Imperialem esse ab ipso dependentem & mediatum, ministerialem & instrumentalem eidem subministrantem, foreq; ab eo ordinatum & institutum, & ad jussum Principatus Papalis mobilem, revocabilem, corrigibilem & punibilem.*

Ac postquam pro hac sententia multos citasset Autores tùm veteres, tùm etiam recentiores, quorum quosdam Bellarm. pro se, i. e. pro contraria sententia adduxerat, ut Alexandr. Alensem, Hugonem de S. Victore, Bonaventuram, Rainerium, Pisanum, Johann. à Capistrano, Bielem, Ægidium Romanum, Alexandrum de S. Elpidio, Jacobum de Viterbio, Guilielmum Cremonensem, S. Bernhardum, Alvarum Pelagium, Sylvestrum Prieratem, Joh. Selestadiensem, Tartaretum, Jacobum Naclantem, Franciscum, Mayron, Franc. de Sylvestris, Celsum Mancium &c. Canonistas &c. tandem concludit. *Ex his apparet, hanc esse Theologorum communem sententiam, Papam jure divino habere plenissimam potestatem in universum terrarum orbem, tùm in rebus Ecclesiasticis, tùm in Politicis.*

Cap. 14. *Sicut in supernis unus est Deus, ita & in terris debet esse unus Dei Vicarius ad ejus similitudinem. At hic Vicariatus non Cæsari, sed Apostolico traditus reperitur, ergo ipse Pontifex solus est Dei Vicarius, cui cuncta temporalia & spiritualia subsunt.*

N. 17. *Pro exacta hujus rei notitia observandum, quòd potestas triplex est, immediata scilicet, derivata & in ministerium data. Prima est in sola Papa. Secunda in omnibus Episcopis & Prælatis. Tertia in Imperatore, & Regibus & Principibus secularibus, qui jurisdictionem super talia à Deo mediante Papa accipiunt, in cujus signum ei fidelitatis juramentum præstant.* Et concluditur. *Quare veritas manet inconcussa, quod solus Petrus super mare ad Christum venit, designans totum dominium, quod per mare significatur, eidem Petro suisque successoribus committendum.*

Hunc Carerii librum de directa Pontificis tùm in Ecclesiasticis, tùm Politicis potestate, magnis ornaverunt encomiis Episcopus Patavinus hæreticæ pravitatis Inquisitor, ejusq; Vicarius.

Alvarus Guerretius in libr. de jure Rom. Pont. cap. 16. *Principatus summi Romani Pontificis, non solùm ad spiritualia, sed etiam*

etiam ad temporalia se extendit, ita quod in toto terrarum orbe jurisdictionem habeat temporalem.

Celsus Mancinus in tract. de juribus Principatuum lib. 3. cap. 1 *In summo Pontifice est utravis potestas seu jurisdictio spiritualis atque temporalis; & uti omnium est eminentissimus in potestate spirituali, ita etiam in temporali.*

Tannerus in Apologet. adversus Anti-Tanneri autores p. 145. & in Epist. Dedicat. Relat. Colloq. Pontificem vocat *caput non solum Ecclesiæ Christianæ, sed etiam sancti Romani Imperii.*

3. Nec solùm cum Scriptoribus Pontificiis, sed etiam cum ipsis Pontificum Decretis & factis malè convenit Bellarmini assertio, quòd *Pontifici nec dominium totius orbis, nec dominium orbis Christiani, nec ulla temporalis jurisdictio directè competat.*

c. Omnes dist. 22. ex Nicolao Pont. *Terreni & cœlestis Imperii jura Petro* (& ejus Successoribus in Sede Romana) *dicuntur commissa.*

c. Cuncta caus. 9. q. 3. *Romana Ecclesia dicitur fas habere de omnibus judicandi, ut nulli liceat de ejus judicari judicio.*

c. Omnes 10. de major. & obed. *Omnes principes terræ ac cæteros homines Episcopis obedire, à Petro jussos esse*, asseritur.

Adrianus IV. tempore Friderici Barbarossæ circa Ann. 1159. ad Archiepiscopos Maguntinũ, Trevirensem & Coloniensem, sic scripsit; *Unde habet Imperium Imperator nisi à nobis? &c. ergò per nos imperat &c. Imperator, quod habet, totum habet à nobis*, referente Aventino lib. 6. Annal. p. 506.

Innocentius III. c. Venerabilem extr. de electione & electi potest. *Principes recognoscere debent & utique recognoscunt &c. quod jus & autoritas examinandi personam electam in Regem & promovendam ad Imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus & coronamus.*

Ex ejusdem Innocentii III. Decreto c. Licet extr. de foro competent. colligitur, Pontificem sibi vendicare, quòd *vacante Imperio in administratione succedat & Imperiali potestate utatur, donec alius electus fuerit.*

Gregorius IX. Epist. ad Archiep. Græcorum apud Matthæum Paris. in Henrico III. *Illud tantum adjicimus, quòd utrumq; gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Evangelica lectione tenemus.*

Innocentius IV. apud Matthæum Paris. *Nonne Rex Anglorum noster est vasallus, & ut plus dicam, mancipium?*

Bonifacius VIII. c. Unam sanctam de majorit. & obedient. in VI. sic statuit. *Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronuntiamus, omninò esse de necessitate salutis.*

Ibid. *In potestate Ecclesiæ*, hoc est, Pontificis, dicit. *esse duos gladios, spiritualem videlicet & temporalem, sive materialem, & illum quidem Sacerdotis, hunc verò manu Regum & militum exercendum esse, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis.*

De hoc Bonifacio sic scribit Platina in ipsius vita. *Moritur autem hoc modo Bonifacius, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam religionem injicere conabatur, quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur.*

De eodem in Fasciculo temporum sub anno 1294. hæc leguntur. *In tantam arrogantiam erexit seipsum, ut Dominum totius mundi se diceret, tam in temporalibus, quam in spiritualibus.*

De eodem sic scribit Krantzius lib. 8. Saxoniæ cap. 36. *Utriusq; penes se unicum gladii potestatem manere affirmabat, quod ipso apparatu in eo, qui, ut diximus, tum agebatur, in urbe jubilæo, solenniter fertur ostentâsse. Primo quidem solenni die in Pontificalibus apparens populo, Apostolicam illis benedictionem impertitur. Postero autem die Imperiali habitu infulâ nihilominus Cæsareâ insignis gladium ante se nudatum jussit deferri & sedens alta voce testatur, Ecce duo gladii hic.* Subjicit Krantzius. *Vides ô Petre Successorem tuum; Et tu salutifer Christe tuum cerne Vicarium. Vide, quò ascendit superbia servi servorum tuorum?* In margine annotat. *Papa in theatro jubilæi duplicem fabulam saltat.*

Clemens V. in Concilio Viennensi decrevit, *Pontificem Romanum vacante Imperio Imperatori succedere* libr. 2. Clementin. tit. 9. de Jurejurando c. Pastoralis tit. 11. de sent. & re judicat. (Illud Bellarminus lib. 5. de Pont. Rom. cap. 5. sic limitat, *Pontificem, vacante Imperio, Imperatori succedere, non in omnibus rebus, sed solùm in autoritate judicandi & terminandi eas causas quæ à solo Imperatore judicari solent, & quæ non patiuntur facilè moram.* Sed hæc limitatio Pontificum gloriationi minimè congruit.)

Paulus IV. Pontif. Rom. postquam comperisse, Carolum per Legatos in comitiis Frantofurtensibus Ann. 1558. in præsentiam Electorum dignitatem Imperatoriam ejurâsse, ac Ferdinandum in Imperatorem solenni ritu inauguratum esse, *more suo desævit & ampullatur. Confirmationem nempe Pontificiam facere Imperatorem; ejurationem itidem in manus suas fuisse faciendam; quæ aliter facta sit, invalidam, suiq; juris esse, eo casu, quem vellet, in Imperatorem eligere; Electoribus quidem favore Pontificis factam potestatem deligendi Imperatoris in demortui locum, minimè autem in casu renuntiationis idem iis permissum, sed tum Sedis Apostolicæ arbitrio rem relinqui, cujus est de dignitatibus omnibus arbitratu suo statuere, quæ illi renuntiantur. Quare Caroli renuntiationem jure nullam esse, sed autoritatem creandi Cæsaris ad se devolutam, neq; Regem Romanorum pro Imperatore agnoscere.* Petrus Suavis libr. 5. Hist. Concil. Trident. pag. 477.

Johannes Anglus de Medicis Mediolanensis Presbyter, Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte per Cardinales ingressos conclave die 5. Septembris electus summus Pontifex nocte diei natalis Gloriosissimi Dominici & Pius IV. nominatus *ex mente & cum interventu sacri Collegii Cardinalium S. R. Ecclesiæ Francisco Turriano penes se pro Ferdinando Austriaco Oratore confirmavit, eum Cæsarem nunquam approbatum per ejus Prædecessorem prætendentem, devolutum fuisse ad sacram Sedem Apostolicam jus Imperium conferendi cuicunq; voluisset; & nec Carolum olim Imperatorem, cum ipsum deposuisset, potuisse illud conferre fratri, & nec confirmari per ejus Electores ac Principes Germanos præter mentem & ordinem ipsius Prædecessoris ac sacri Collegii Cardinalium Romanæ Ecclesiæ.* Ludovicus Cavitellius Patricius Cremonensis in Annalib. fol. 345. Ex hoc principio (de potestate Pontificis suprema in Imperatores, Reges & Principes Romanæ Curiæ assentatores deducunt, *Pontificem posse subditis alicujus regni prohibere, ne Magistratui juramentum fidelitatis, subjectionis, purgationis &c. præstent, si scilicet in detrimentum Romanæ Sedis illud vergat*, cujus rei judicium omne uni Pontifici tribuunt. Itemque *si juramentum jam sit præstitum, Pontificem posse subditos religione juramenti solvere, iis, ut Regem vel Principem suum è solio dejiciant, imperare & ut alii homagium præstent, validè indicere, si scilicet Romanæ Ecclesiæ, vel potiùs Curiæ salus ita exigat.* Bellarminus lib. 5. de Rom. pontif. cap. 6. & seqq. in respons. ad Epist. anonymi prop. 1. pag. 8. & seqq. pag. 51. & seqq.. Suaretz Defens. lib. 3. cap. 5. libr. 6. cap. 5. &c.

In tract. de Rom. Pontificis autoritate & victoria Clementis VIII. de Henrico IV. Galliarum Rege recensentur Pontifices, qui Imperatorum subditos à juramento fidelitatis ipsis præstito absolverunt, ut Gregorius II. & III. Leonis Imperatoris subditos, Alexander III. Friderici I. Imperatoris subditos &c. & additur, *Romæ haberi rem ridiculam, Regem Franciæ suum Imperium immediatè à Deo obtinere, quia Pontifex jamdiu habeat potestatem solvendi juramenta populorum, quo eos sibi Reges habeat obstrictos.* Sed & Patrum nostrorum memoriâ Pius IV. Pius V. Clemens VIII. Paulus V. Reginæ ac Regis Angliæ ac Venetorum subditos *juramento fidelitatis* liberarunt, & iis, qui nondum præstiterant, injunxerunt, ne præscriptam juramenti formulam præstarent.

Inde etiam scribit Bellarminus lib. 1. de translat. Imper. cap. 12. §. *Huc accedit, quòd, cùm principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur quidem, sed cum pacto expresso vel tacito, ut sceptra sua Christo subjiciant & Ecclesiam Catholicam non evertant, & nisi id fecerint, puniri possint etiam regni amissione* (sc. per Pontificis sententiam.)

Quin & Bellarmini Collega Cardin. Baronius Anno 1073. num. 13. vocat *heresin politicorum* eorum sententiam, qui statuunt, *Romanum Pontificem jure divino non habere potestatem temporalem in Imperatorem, Reges ac principes nec directè, nec indirectè, nec posse illos ob quantumvis crimen suis dominiis temporalibus spoliare.*

Idem Baronius Anno 1169. num. 11. majusculis literis inprimi curavit responsum Gratiani Legati Pontificii Henrico II. Angliæ Regi datum. *Domine noli minari, nos enim nullas minas timemus, quia de tali Curia sumus, quæ consuevit imperare Imperatoribus & Regibus.*

4. Inde etiam Sixto V. Pont. Roman. parum placuit temperamentum illud Bellarminianum *de potestate Pontificis indirectâ in temporalibus*, siquidem in Bulla contra Henricum III. Franciæ Regem affirmat, *se supremam in omnes Reges & principes universæ terræ, cunctosque populos & gentes & nationes non humanâ sed divinâ institutione sibi traditam potestatem obtinere,* hinc *parùm abfuit*, scribit Barclaius JCtus Pontificius libro de pote-

potestate Papæ cap. 13. pag. 101. quin *omnia Doctoris illius* (Bellarmini) *opera, quæ hæresin summo hodie successu oppugnant, Pontificia Censura magno cum Ecclesiæ detrimento aboleret, ut illius Ordinis Patres, cujus tunc erat Bellarminus, seriò mihi narrarunt.*

5. Quamvis vero Bellarminus *indirectam tantum potestatem* in temporalibus Pontifici tribuat, tandem tamen eò abit, ut diserte scribat lib. 5. de Pontif. Rom. cap. 8. *Licet Imperatoria dignitas, absolutè considerata, non sit à Pontifice, sed à Deo, mediante jure gentium, tamen Imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debent suum Imperium.*

Et postea: *Licet absolutè non esset necessarium, ut Papa confirmaret Imperatorem, nec ut Imperator Pontifici juramentum fidelitatis præstaret, tamen à tēpore translati Imperii in Germanos utrumque requiritur, ut patet ex Innocentio III. in cap. Venerabilem extr. de Electione, & ex Clementina unica de Jurejurando, neq; injuste hoc requiritur.*

Lib. ejusd. cap. 3. approbat illud Innocentii c. Solitæ extr. de majorit. & obœd. quod *Papæ potestas Soli, Imperialis v. Lunæ comparetur* (ex quo facilè inferri potest, sicut Luna à Sole lumē accipit, sic Imperatorem à Papa suam accipere potestatem.)

Idem Bellarm. contra Barclaj. c. 3. inquit, *per ipsam spiritualē potestatem potest summ. Pontif. ligare Principes seculares vinculo excommunicationis; potest per eandem solvere populos à juramento fidelitatis & obœdientiæ, potest obligare eosdem populos sub excommunicationis pœna, ut Regi excommunicato non pareant, atque alium sibi eligant Regem.*

6. Neque vero in solos Reges hæreticos supremam illam potestatem à solio Regali eos deturbandi, Pontifici asserunt, sed etiam *si quis hæreticis favere visi fuerint, si qui non statim expedierint arma, & in innocentes, quos pro hæreticis habet Pontifex, ferro flammaq; ad mandatū Pontificis grassati fuerint, imò si qui socordius tractarint sceptra,* illi juxta hypothesin Jesuiticam à sceptris hereditariis per Pontificem removeri possunt. Hanc enim causam, *si nempe Rex hæreticos & schismaticos non puniat,* affert Bellarm. lib. 5. de Pont. Rom. cap. 7. in argum. 5. *cur Reges excommunicari & dominio in subditos privari queant.* Sic Childericus Francorum Rex à Zacharia Pontifice exautoratus fuit, quod *ineptus & ignavus esset,* ut idem Cardin. adversus Barclajum c. 5. loquitur. Et manifesta sunt ejusdem verba contra Barclaj. cap. 19. *Si nolit Imperator ad nutum Sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum ejus strinxerit, & res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, hoc est, censuris Ecclesiasticis gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere: Et si censuris non movebitur, & Ecclesiæ necessitas id requirat, liberabit subditos ejus ab obœdientia, eiq; Imperium abrogabit.* Et quid multis? Si potestas Ecclesiastica Pontificis extenditur ad omnem statum rerum temporalium, ubicunq; bonum spirituale concurrit, sequitur potestatem illam Papæ spiritualem extendi ad omnes prorsus actus Politici regiminis, cujuscunque etiam sint generis; consequenter, potestas hæc in omnibus actibus Politicis disponet, quid ubiq; & in omnibus facto opus, quod reipl. est, potestati Papali omne prorsus regimen tradere & Magistratibus adimere. Parum igitur interest, sive summa *potestas directa* sive *indirecta* in temporalibus Pontifici tribuatur, dummodo judicium, quando, ubi & quatenus hæc potestas exercenda sit, penes solum Pontificem maneat, ut pro suo arbitrio & judicio adversus Reges & Principes procedere possit.

Nostram sententiam superius expositam confirmamus,

1. *Ab expresso Christi interdicto.* Cum Apostoli reliqui Collegis suis, Jacobo & Johanni, indignarentur, quod primatum ac dominatum in Christi regno affectassent, ac partes eas sibi præreptas cupivissent, Christus de conditione regni sui rectius eos informans, inquit Matth. 20. v. 25. Marc. 10. v. 42. *Principes populorum dominatum in eos exercent: sed non ita erit inter vos, sed, quicunque voluerit inter vos fieri magnus, sit vester minister; & quicunq; voluerit inter vos esse primus, sit omnium servus.* Luc. 22. v. 25. cum contentio oriretur inter Apostolos, ecquis eorum videretur major, Christus pari ratione illis respondet: *Reges gentium dominantur in illas, & qui potestatem habent in eis, vocantur benefici. Vos autem non sic, sed qui major inter vos, fiat sicut junior; & qui præcedit, tanquam minister.* Ex illis sic concludimus: Quocunq; Apostolis & ipsorum in Ministerio successoribus Christus interdixit, illud eis usurpare non licet. Sed dominatu Politico & Principatuū terrenorū administratione Apostolis & ipsorū in Ministerio successoribus Christus interdixit. Ergo.

2. *A Christi exemplo.* Christus disertè testatur, *regnum suum non esse de hoc mundo.* Joh. 18. v. 36. *se non venisse, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret.* Matth. 20. v. 28. unde, cum ipsi regnum offerre cuperent, *fugit in montem;* Joh. 6. v. 15. cum quidam ab ipso peteret, *ut fratrem ad hereditatis divisionem cogeret,* recusavit, Luc. 12. v. 14. Magistratui *tributum solvit,* Matth. 17. v. 27. ac *Cæsari, quæ sunt Cæsaris, danda esse,* docuit, Matt. 22. v. 21. Ex quibus omnibus sic colligimus: Si regnum Christi non est de hoc mundo, etiam Papæ & Episcoporum regnum non debet esse de hoc mundo: vel si Papæ regnum est de hoc mundo, non erit Christi in illo regno Vicarius.

3. *Ab Apostoli interdicto.* 1. Pet. 5. v. 1. *Presbyteros inter vos obsecro ego συμπρεσβύτερος.* v. 2. *Pascite gregem Dei.* v. 3. *non dominantes in cleris;* ex quo sic inferimus: Quicunq; eo modo debent ἐπισκοπεῖν & pascere gregem Dei, ne in eum dominatum exerceant, illi non possunt simul esse Episcopi & domini Politici. Sed Presbyteri eo modo debent ἐπισκοπεῖν & pascere gregem Dei, ne in eum exerceant dominatum. Ergo.

4. *Ab Apostolorum exemplo.* Apostoli nuspiam leguntur Politicum Imperium administrasse. Act. 6. v. 2. cum per *curam mensarum* impedimentum aliquod prædicationi verbi objici animadverterunt, eam à se rejecerunt. Quod si Apostoli judicarunt, se non posse simul verbum prædicare, & mensis ministrare, quomodo Episcopus Ecclesiastico officio ritè fungi, & integram provinciam imperio Politico gubernare simul poterit?

4. *Ex dicto Apostolico* 1. Timoth. 2. v. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Vulgata versio, quæ addit vocem DEI, Pontificiis est authentica, iidemque ex hoc loco probare cupiunt, *Ministro Ecclesiæ à conjugio abstinere debere.* Juxta illorum ergo hypothesin, tale ex dicto Apostolico extruimus argumentum: Quæ sunt negotia secularia, illis Episcopus, utpote Deo militans, non debet implicari. Magistratum Politicum gerere pertinet ad negotia secularia. Ergo.

6. *Ab Ecclesiasticæ & Politicæ potestatis discrimine.* Quascunq; potestates Deus ipse distinctas voluit, eæ non sunt invicem commiscendæ, ut ab una eademque persona administrentur. Sed Ecclesiasticam & Politicam potestatem Deus ipse distinctas voluit, ut ex causa instrumentali, materia circa quam, sive objecto, forma ac fine utriusq; potestatis manifestum. Confer tract. de Magistr. Polit. §. 195. Ergo.

7. *A divina in Ecclesia Israëlitica ordinatione.* Regnum fuit *tribui Judæ* proprium; Sacerdotium autem *tribui Levi* fuit assignatum. 2. Paral. 19. v. 11. inquit pius Rex Josaphat, *Amarias Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit; porrò Zabadias filius Ismahel, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Quin & potestatem & regimen Politicum ad salutem Ecclesiæ, seu ad finem spiritualem accommodandi Deus Regibus mandavit, Psal. 24. v. 7. Esai. 49. v. 23. atque hanc potestatem exercuerunt Reges V. T. David 1. Paral. 15. v. 15. & seqq. cap. 16. v. 16. c. 26. v. 1. & seqq. Josaphat 2. Paral. 17. v. 6. Hiskias 2. Reg. 18. v. 3. & seqq. 2. Paral. 29. v. 3. & seqq. Josias 2. Reg. 23. v. 40. seqq. 2. Paral. 35. v. 2. & seqq. Idem in N. Testam. fecerunt Constantinus Magnus, Theodosius, aliique Christiani Imperatores.

8. *Ab incommodo.* Pari cura & industria utrumque officium ab una eademq; persona administrari nequit. *Quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, divinoq; ab officio decerpitur,* inquit Ambrosius lib. de fuga seculi cap. 2. Si doctrina armata esset gladio, facile irrumperet idololatria. Confer tractatum de potestate & Primatu Papæ à Theologis Schmalcaldiæ congregatis scriptum, cujus superius mentionem fecimus, in quo recensentur incommoda ex Ecclesiasticæ & Politicæ potestatis confusione in Ecclesia & Imperio orta.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quidam ex Pontificibus & Episcopis Romanis.

Petrus Apostolus (quem primum Romanum Pontificem fuisse, volunt) in fragmentis Apostolorum à Prætorio editis ad Clementem Successorem suum, sic dixisse memoratur: *Impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis solicitudines suscipere seculares.*

Marianus Scotus Monachus Fuldensis in Chronico circa Annum 1086. hac de re sic scribit: *Petrus, sicut in gestis Pontificū habetur, Clementē Episcopum consecravit, eiq; Cathedram & omnem Ecclesiam disponendam commisit, dicens: Sicut mihi gubernanda tradita est à Domino Jesu meo Christo potestas ligandi, solvendique, ita*

ego tibi committo, ut ordinans dispensatores diversarum causarum tu minimè in curis seculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem & prædicationem vocare stude. Quo etiam pertinet can. 7. Apostolicus, (quem Petrus una cum reliquis Apostolis edidisse dicitur) *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam seculares curas assumat; sin aliter, dejiciatur.*

Clementis (quem proximum in Sede Apostolica Petri Successorem fuisse volunt) ad Jacobum fratrem Domini Epistola apud Isidorum Hispalensem in lib. Conciliorum reperitur (quam etiam recitat Æneas Sylvius lib. 1. Comment. de gestis Concil. Basil.) in qua B. Petri ad se verba referens, sic ait: *Si enim mundialibus curis fueris occupatus & teipsum decipies, & eos, qui te audient, non enim poteris, quæ ad salutem pertinent, plenius singulis quibusque distinguere, & ex eo fiet, ut & tu, tanquam, qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris & discipuli per ignorantiam pereant.*

Eadem Epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini citatur c. Te quidem. caus. 11. quæst. in hac hæc habentur: *Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejussor existas, ne advocatus litium fias, néve in ulla aliqua occupatione prorsus inveniaris mundialis officii occasione perplexus. Neq; enim judicem, neq; cognitorem seculariū negotiorū hodie te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominū curis non possis verbo Dei vacare. Hæc vero opera, quæ tibi congruere minus diximus, exhibeant sibi invicem vacantes Laici & te nemo occupet ab his studiis, per quæ sua salus hominibus datur.*

Et postea. c. Sicut. caus. & quæst. iisd. ex eadem Epist. *Sicut enim impietatis crimen est tibi, ô Clemens, neglectis verbi Dei studiis solicitudines seculares suscipere: ita unicuiq; Laicorū peccatū est, nisi invicem sibi etiam in his, quæ ad communis usum vitæ pertinent, operam fideliter dederint, te verò securum facere ex his, quibus non debes instare, omnes communiter elaborent. Quod si fortè à semetipsis hoc Laici non intelligunt, per Diaconos edocendi sunt, ut sibi solius Ecclesiæ solicitudines relinquant.*

Eleutherius in Epistola ad Lucium Angliæ Regem, quæ citatur inter leges Eduardi I. sic scripsit: *Vos estis Vicarius Dei in regno juxta Prophetam Regium.*

Miltiadis Papæ (qui sedit circa Annum 311.) tale extat Synodale Decretum. c. Decrevit. dist. 88. *Decrevit sancta Synodus, nullum deinceps Clericum aut possessiones conducere, aut negotiis secularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum ac viduarum, aut si forte Episcopus civitatis Ecclesiasticarum rerum solicitudinem habere præcipiat. Ubi patet, quod alia sunt negotia secularia, alia Ecclesiastica.*

Ut autem primi à Sede Romana Episcopi à Politica potestate sibi temperarunt, Ecclesiasticis duntaxat Ministeriis intenti, ita quoque Imperatoribus Romanis, adhuc Ethnicis, se subjectos esse, professi sunt.

Primis post Christum natum annis trecentis inter Pontifices à S. Petro usque ad Miltiadem Papam fuerunt numero 31. quorum plerique sub Nerone, Domitiano, Decio, Diocletiano, aliisque immanissimis Tyrannis exquisitissimis tormentis trucidati, Martyrii coronam consecuti sunt. Illi nec directam, nec indirectam in Imperatores potestatem sibi arrogarunt, neque quidquam studio novarum partium contra infideles Principes moliti sunt.

Illos excipiunt, qui post seculum tertium vixerunt. Illi in suis ad Imperatores literis summam erga illos obedientiam ac reverentiam sunt professi. In quorum testimoniis recensendis ordo temporum, prout à Severino Binio traditur, observari potest.

De Sylvestro I. qui sedit circa Annum 314. refert Platina in ipsius vita, quod *concessum sibi diadema aureum, distinctum gemmis, aspernatus sit, tanquam religioso capiti minimè conveniens.* (Ab eo longissimè abiit Gregorius VII. qui, referente Binio, tom. 3. Concil. part. 2. fol. 1196. inter dictat. suos Epist. 55. statuit, quod *solus Rom. Pont. possit uti Imperialibus insigniis.*)

Anno 352 Liberius I. Papa ad Constantium Imperatorem sic scribit: *Opto, tranquillissime Imperator, ut benignas aures mihi clementia tua tribuat, quo possim mansuetudini tuæ mentis meæ propositū aperire. In eo me laborare intelligo, quod, repetita satisfactione, animam tuam in gratiam meam revocare non possum, sermo enim tuus me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est,* (nota) *plurimum lacerat. Misi igitur ad exorandam mansuetudinem vestram Luciferum &c.* (apud Binium tom. 1. p. 461. & in notis pag. 466.)

Anno 440. Leo I. Papa in Epistolis suis aliquoties se Imperatori Romano subjectum esse, profitetur.

Epist. 9. ad Theodosiū. *Pietas vestra supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam jubeatis habere Episcopale Concilium.*

Epist. 23. ad Clerum ac plebem Constantinopolitan. *Quoniam oportet vos post divinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, ut petitioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imper. dignetur annuere.*

Epist. 24. ad Imperat. *Omnes Sacerdotes cum lachrymis & gemitibus mansuetudini vestræ supplicant, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrare.*

Epist. 25. rogat Imperatorem, *ut de Eutychete præcipiat, ut ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus est, longius transferatur, Monasterio quoq; ipsius jubeat Catholicum Abbatem præponi.*

Epist. 26. ad Pulcheriam Augustam. *Quod, ut obtinere mereamur* (indictionem scil. Synodi) *probatissima nobis fidei pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvat, supplicationem nostram apud clementissimum Principem, sibi specialiter à Petro Apostolo legationem commissam, dignetur asserere.*

Epist. 35. ad Eudoxiam Augustā. *Suppliciter,* inquit, *postulari.*

Epist. 47. supplicat, *ut Ephesinæ Synodi, cui Cyrillus Episcopus præsuit, statuta permaneant.*

Epist. 65. ad Leonē Augustū. *Literas clementiæ tuæ veneranter accepi, quibus cuperē obedire, sed magis id vobis arbitror placiturū &c.*

Epist. 73. supplicat Leoni Augusto, *ut Alexandrinæ Ecclesiæ per Catholicos Sacerdotes talem jubeat provideri Pontificem, in quo nihil irreprehensibile reperiatur.*

Epist. 93. ad Turribium Austriensem Episcopum. *Ecclesiastica lenitas, Sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones.* (Ergo Pontificis potestas non extendit se ad illud, ut Reges & Principes è solio deponere & subditos contra eos concitare possit.)

Anno 467. Simplicius I. Papa Epist. 4. ad Zenonem Imperatorem. *Ea devotione, qua Principes Christianos jugi veneratione suscipio, cupio debita pietati vestræ officia deferre.*

Et postea: *Clementiæ vestræ propensius Coëpiscopus meus Acatius mea vice supplicabit.* (apud Binium tom. 2. p. 205.)

Anno 483. Felix III. Papa Epist. 2. ad eundem Imper. *Honorificentiam tuam precor, ut supplicationem meam Princeps Christianus benignis accipias auribus,* (apud Binium tom. 2. p. 205.)

Anno 492. Gelasius I. Epist. 5. ad Anastasium Imp. (apud Binium ibid. pag. 318.) *Duo quidem esse,* docet, *quibus mundus regitur, autoritatem Pontificum & regni potestatem; hac illam esse graviorem, itaq; Imperatorem à Sacerdotum pendere judicio:* idem tamen in Politicis Sacerdotes & inter hos ipsum Romanum Pontificem civili Magistratui subjicit, subjungens: *Si quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus humanis exclusæ videantur obviare sententiæ, quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis.* (Ergo Gelasio judice religionis Antistites, h. e. Pontifices, Sacerdotes, Præsules rerum divinarum, quibus in Sacramentis dispensandis Imperatorem subdi oportet, legibus tamen Imperatoriis parere debent, ideoque Imperatori colla subjicere, in rebus scil. seculi.)

Anno 496. Anastasius I. Papa Epist. 78. ad Anastasium Imp. *Humilis pietati tuæ precator occurro &c. Præcelsū pietatis tuæ vocabulū per universas gentes toto orbe præfulget,* (apud Biniū ib. p. 633.)

Epist. 5. *Ad literas vestras & mandata respondi* (apud Binium pag. 327.)

Epist. 78. ad Justinum Imp. *Ipsam tibi Ecclesiam Dei mecum supplicare* (apud Binium pag. 633.)

Anno Domini 555. Pelagius I. Papa Epist. 16. ad Childericum Francorum Regem. *Regibus nos* (Episcopos) *subditos esse sacræ Scripturæ præcipiunt.*

Anno Domini 590. Gregorius I. cognomento Magnus lib. 2. Epist. 62. (in quibusdam libris est 65.) ad Mauritium Imp. Augustum sic scribit: *Omnipotenti Deo reus est, qui Sereniss. Domino in omne quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque ut Episcopus, neq; ut servus jure Reipubl. sed jure privato loquar, quia, Serenissime Domine, ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo stratore veniente Dominorū legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis respondere nil valui; in qua Dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat.*

Et postea:

Et postea: *Ego hæc Dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis?*

In eadem Epistola Christum Imperatorem sic alloquentem introducit: *Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi.*

Et postea de se sic loquitur: *Ego indignus famulus vester scio &c. Requirat Dominus meus piissimus &c. Ego quidem, jussioni vestræ subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimo Domino meo significavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

Lib. ejusd. Epist. 65. dicit, *Deum Imperatore omnia tribuisse & dominari eũ non solùm militibus, sed etiam Sacerdotibus concessisse.*

Idē lib. 4. Epist. 31. ad Mauricium Augustum. *In serenissimis jussionibus suis dominorum pietas, dum me de quibusdã redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit &c. Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat,* (ubi Gregorius seipsum annumerat illis, quibus Imperatorem dominari asserit.)

Lib. ejusd. Epist. 32. *Quantum ad me attinet, serenissimis jussionibus obedientiam præbeo.*

Lib. ejusd. Epist. 34. ad Constantinam Augustam. *Salonitanæ civitatis Episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, ac facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod ego audiens, ad eundem prævaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, ut omninò Missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à Serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi jussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandavi.*

Et postea: *Ad me venire secundum jussionem dominorum noluit.*

Ib. *In omnipotente Deo confido, quod longam piis Dominis vitam tribuet, & nos sub manu vestra secundum suam misericordiã disponet.*

Lib. ejusd. Epist. 44. *Si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano prædia sua sponte præsumserit, anathema sit.* (Excipit Bellarminus lib. 5. de Pont. Rom. cap 8. *Ecclesiam tum temporis nondum habuisse Politicum Principatum, sed possedisse bona temporalia ad eum modum, quo privati cives possident.* Resp. Benè est, ergò melioribus illis Ecclesiæ temporibus Episcopi Romani à Politico Principatu abstinuerunt, quod nobis sufficit.)

Lib. 7. Epist. 1. ad Sabinianum Diaconum. *De qua re unum est, quod breviter suggeras Serenissimis Dominis, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Duces, nec Comites haberet, atq; in summa confusione esset divisa. Sed, quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.*

Lib. 8. Epist. 11. ad Romanum. *Perlatum est ad nos, reverendissimum fratrem nostrum Basilium Episcopum velut unum de Laicis in caussis secularibus occupari, & prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit, cum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic te insistente quinq; diebus sub qualibet excusatione inmorari non liceat &c.* (citatur c. Perlatum. dist. 88.)

Anno 647. Martinus I. Papa Epistol. 3. ad Constantinum Imperatorem: *Domino piissimo & serenissimo Martinus Episcopus servus servorum Dei & universa Synodus in hac urbe Romæ congregata. Nos ad pietatem vestram confugientes, orantes, atq; hortantes vestram serenitatem, ut hæc diligenter legere dignetur,* (apud Binium tom. 2. p. 1047.)

An. 679. Agatho I. Papa ad Heraclium & Tiberium Impp. *Domini Serenissimi secundum piissimam missionem vestram pro obedientia, quam debuimus, præsentes consamulos nostros curavimus demandare, pro quibus flexo mentis poplite suppliciter vestram mansuetudinem & clementiam deprecamur,* (apud Binium tom. 3. p 12.)

An. 772. Hadrianus I. Papa Epist. ad Constantinum & Iren. *Domini piissimi deprecantes clementiã vestram, tanquam præsentialiter humo stratus & vestris vestigiis provolutus, quæso &c.* (apud Binium ibid. pag. 254. & pag. 257.)

An. 796. Leo III. Papa. Postquam Carolum coronaverat, & Imperatorem curaverat, *spectante populo ipsum voluit adorare,* ut agnosceret sc. populus, quanti esset Imperatoria majestas, (apud Bozium de signis Ecclesiæ tom. 2. l. 20. pag. 709.)

An. 847. Leo IV. in Epistola ad Imp. Ludovicum (quæ citatur c. Nos si. caus. 3. q. 7.) *Nos si incompetenter aliquid egimus & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorũ vestrorum cuncta volumus emendare judicio &c. Inde magnitudinis vestræ clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta, quemadmodum si vestra præsens fuisset Imperialis gloria, diligenter exquirant, & non tantum hæc sola, quæ superius diximus, quærimus, ut ex amussim agitent, sed sive minora, sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus inposterum nihil sit, quod ex eis indiscussum vel indiffinitum remaneat.*

Id. c. De capitulis. dist. 10. ad Lothar. Augustũ. *De capitulis vel præceptis Imperialib. vestris &c. irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quanto valuimus & valemus Christo propitio & nunc & in ævũ nos conservaturos modis omnibus profitemur; & si fortè quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacẽ.*

An. 858. Nicolaus I. Pont. Rom. ad Imper. Michaëlem, (& citatur c. Cum ad verum. dist. 96. & c. Quoniam. dist. 10. sub nomine Cypriani.) *Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imp. jura Pontif. arripuit, nec Pontifex nomen Imper. usurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus actib. propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusq; discrevit, propriâ volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in infernum demergi: & ut Christiani Imper. pro æterna vita Pontif. indigerent: & Pont. pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & Deo militans minimè se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset secularibus negotiis implicatus.*

Id. ad Alvinũ Archiep. & habetur c. Inter hæc. caus. 33. q. 2.) *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet nisi spiritualẽ, quo non occidit, sed vivificat.* Ergo Pontifices non habent utrumque gladium.)

An. 1159. Alexander III. c. Causam. lib. 4. Decr. tit. 17. Qui filii sint legitimi. *Nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium asserit ad se pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenus Regi possessionum judicium relinquentes &c.*

A. 1198. Innoc. III. lib. 1. Decr. tit. 6. de Electione. c. Venerabile 34. protestatur, Jus Principũ nolumus nobis vendicare.

An. 1294. Bonifacius VIII. c. Unam sanctam x. comm. de majest. & obœd. sic definierat: *subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.* Sed hanc Bonifacii Bullã, quoad regnum Galliæ, Clementi V. Successori non placuisse, patet ex c. Meruit, Extrav. comm. de privilegiis lib. 5. tit. 7. quod sic habet: *Meruit carissimi filii nostri Philippi Regis Francorum illustris sinceræ affectionis ad nos & Ecclesiam Rom. integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper regnicolarum puritas ac devotionis sinceritas, ut tam Regem, quàm regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est, quod nos Regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit, Unam sanctam, nullum volumus vel intendimus præjudicium generari. Nec, quod per illam Rex, regnum & regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quam antea existebant; sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad Ecclesiam, quàm & ad Regem, regnum & regnicolas superius nominatos.*

2. Quædam etiam posteriorum Synodorum Decreta.

Synodus Macrensis circa Annum 881. in Diœcesis Rhemensis finibus celebrata. *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, autoritas sacra Pontificum, & regia potestas. Solus enim Dominus noster Jesus Christus verè potuit fieri Rex & Sacerdos, post incarnationem vero & resurrectionem atq; ascensionem ejus in cœlum, nec Rex Pontificis dignitatem, nec Pontifex Regiam dignitatem sibi usurpare præsumsit, sic actionibus propriis dignitatibusq; ab ea distinctis, ut & Christiani Reges pro æterna vita Pontificib. indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum cursu Regum dispositionibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & in Deo militans Domino minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.*

Et postea: *Quoniam ad exteriora negotia partim necessitate barbarici clamoris, partim negligentia nostri temporis dilapsi sumus, & aliud ex honore suscepimus, atq; aliud officio actionis exhibemus, ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnã nostram Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namq; Dominum hi, qui nobis commissi sunt, & tacemus, cum in pravis actibus jacent & correctionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus.*

Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim secularibus intenti tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippe terrenæ curæ à cœlesti desiderio obdurescit animus, & cum ipso usu suo durus efficiatur, per actionem seculi Adæ emolliri non valet ad ea, quæ pertinent ad caritatem Domini, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus; Domini causam relinquimus; ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profectò, quod scriptum est, Et sicut erit populus, sic Sacerdos. Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendat actionem. Ecce jam pene nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent.

Huc etiam pertinet, quod veterum Conciliorum hac de re Decreta in Jure Canonico citentur & approbentur.

c. Episcopus 5. dist. 88. ex Concilio Carthagiensi. *Episcopus tuitionem Testamentorum non suscipiat.*

c. Episcopus 6. dist. ead. ex eod. Concil. *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.*

c. Episcopus 7. dist. ead. ex eod. Concil. *Episcopus gubernationem viduarum & pupillorum ac peregrinorum non per seipsum, sed per Archi-Presbyterum aut per Archi-Diaconum agat.*

c. Pervenit. caus. 21. q. 3. ex Concilio Carthaginensi I. *Pervenit in sanctam Synodum, quia de eis, qui in Clero connumerantur, quidam, propter turpis lucri gratiam, alienarum possessionum conductiones & seculares causas suscipiunt, & seipsos quidem à ministeriis sanctis per desidias separant, ad domos autem secularium concurrunt & substantiarum eorum gubrnationes avaritiæ causa suscipiunt. Decrevit igitur sancta & magna Synodus, neminem deinceps eorum, hoc est, non Episcopum sive Clericum aut Monachum conducere possessiones aut misceri secularibus procurationibus, nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas sive procurationes inexcusabiles attrahantur, aut cui ipsius civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel orphanorum, aut viduarum, quæ indefensæ sunt, aut earum personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adminiculo propter timorem DEI. Si quis verò transgressus fuerit hæc statuta, correctioni Ecclesiasticæ subjaceat.*

c. Credo placere. caus. & quæst. iisdem ex eodem Concilio. *Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ & displicere vobis, ut, qui serviunt Deo & annexi sunt Clero, accedant ad actiones seu administrationes seu procurationes domorum. Gratus Episcopus dixit, & Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Proinde aut Clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio Clericorum. Universi dixerunt, hoc observamus.*

3. Jus Canonicum, Gratianus & Glossator.

c. Placuit. caus. & quæst. iisdem ex Concilio Carthaginensi III. *Placuit ita Episcopi, Presbyteri & Diaconi vel Clerici non sint conductores, neq; procuratores, neq; ullo turpi, vel inhonesto negotio victum quærant, quia respicere debent scriptum esse, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Petrus Crespetius Cœlestinus Parisiensis in Summa fidei Catholicæ & discipl. Eccles. verbo Clericus tit. *Clerici secularia negotia non exerceant*, adducit multos Conciliorum Canones, & Patrum dicta, in quibus Clerici à negotiis secularibus arcentur. Inter alia adducit dictum Dionysii Areopagitæ lib. de cœlesti Hierarch. cap. 3. *Neq; enim fas est his, qui sacra mysteria tradunt, sive qui illa percipiunt, operari prorsus aliquid, nisi quod officii sui divina sanxit institutio.* Item Canonem 5. Concilii Forojuliensis sub Adriano I. & Carolo Magno: *Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Intueri quapropter subtilius libet, cujus nos esse Regis milites gratulamur. Et quia in castris Dominicis militamus, solitè pensare constringimur, quibus armis muniti cum tanto adversario certaminis bella aggressi pugnare valeamus, ut expediti ab omni præsentis seculi impedimento, intrepidi in prima acie persistentes, post palmam victoriæ triumphatricis gloriæ coronam ab eo Rege, qui nos de antiquo hoste triumphavit, suscipere mereamur.*

Præterea, quæ ex Decretis Pontificum & Conciliorum in Jure Canonico adduci hactenus ostendimus, pertinent huc sequentia:

c. Nos si. caus. 2. q. 7. in Appendice. *Notandum est, quod duæ sint personæ, quibus mundus iste regitur, Regalis videl. & Sacerdotalis. Sicut Reges præsunt in causis seculi, ita Sacerdotes in causis Dei. Regū est corporalem irrogare pœnam; Sacerdotum, spiritualem inferre vindictam. David ergo, etsi ex regali unctione Sacerdotibus & Prophetis præerat in causis seculi, tamen suberat eis in causis Dei. Unde Reges à Prophetis & Sacerdotibus ungebantur, & eorum oblatione peccata Regum expiabantur. Sicut ergo Ozias à Domino lepra percussus est, quia Sacerdotum officia usurpare voluit, sic Sacerdotibus & Prophetis Regum usurpare officia non licuit. Nathan ergo Propheta cum Regem redarguit, suum est executus officium, in quo erat Rege superior, non usurpavit Regis officium, in quo erat Rege inferior; monuit eum, ut per pœnitentiam sua peccata expiaret, non tulit in eum sententiam, qua tanquam adulter & homicida morti addiceretur. Sic & B. Ambrosius Theodosium & B. Innocentius Imperatorem Arcadium excommunicavit, & ab Ecclesiæ ingressu prohibuit,* (non tamen ab Imperiali & Regali throno eos detruserunt, nec subditos à juramento absolverunt, nec bella contra eos concitarunt.)

c. Cyprianus caus. 21. q. 3. ex Epistola Cypriani ad Presbyteros & Diaconos lib. 1. Epist. 9. *Jampridem in Concilio Episcoporum est statutum, ne quis de Clericis & Dei ministris Tutorem vel Curatorem Testamento suo constituat, quando singuli divino Sacerdotio honorati & in Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atq; orationibus vacare debeant. Scriptum est enim, Nemo militans Deo obligat se negotiis secularibus, ut possit placere eis, qui se probavit.*

c. Mollitiis. caus. & quæst. iisdem, ex eadem Cypriani Epistola. *Mollitiis* (molestiis) *& secularibus rebus laqueisq; obligari non debet, qui divinis rebus & spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos & seculares actus vacare.*

(In editione Gregoriana sic mutatus est hic Canon: *Mollitiis & laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt.*

c. Hi qui. caus. & quæst. iisdem, ex eadem Epistola. *Hi, qui in Ecclesia Domini ad ordinationem Clericam* (al. Clericorum) *promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis & secularibus negotiis alligentur, nec ab altaribus & sacrificiis recedant, sed die noctuq; cœlestibus rebus & spiritualibus serviant.*

c. Sacerdotium. caus. & quæst. iisdem, ex eadem Epistola. *Sacerdotium religiosè decretum & necessariò factum servetur à nobis, simul & cæteris fratribus detur exemplū ne quis Sacerdotes & ministros Dei, altari ejus & Ecclesiæ vacātes, ad seculares molestias devocet.*

Distinctionis 88. titulus sic habet: *Episcopi & Ecclesiastici secularia negotia non curent.*

Libri 3. Decretalium Gregorii titulus 50. sic habet: *Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.*

Glossa in c. Quoniam. dist. 10. ad verbum, discrevit: *Cum ergo potestates istæ* (Imperialis & Papalis) *sint distinctæ, est hic argumentum, quod Imperium non habetur à Papa, & quod Papa non habet utrumq; gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, ut 93. dist. legimus, & Imperium à solo Deo habetur, ut 24. quæst. 4. Quæsitum &c. alioquin si ab ipso haberetur, licitè appellaretur in temporalibus ad ipsum, quod prohibet Alexander, & dicit, quod illa non contingunt suam jurisdictionem extr. de Apost. si duobus, & extr. qui fil. sint legit. Item Ecclesiæ solvant tributum Imperatori, ut 11. q. 1. Magnum.*

Eadem Glossa in c. Quemadmodum. in verbo Invidia. caus. 24. q. 1. *Papa est Successor Petri piscatoris, non Augusti Imperatoris.*

Eadem Glossa in c. Quoniam. dist. 10. ad verbum, discrevit, statuit, *Pontifices Romanos non minus actu ac potentia, quam alios cujusvis Ecclesiæ Antistites jurisdictione seculari carere;* (quod ipsum prolixe probat Antonius de Rosellis tract. de potest. Papæ & Imperatoris, Almain in tract. de potestate Eccles. & Laic. relati à Covarruvia in relectione c. Peccatum p. 2. §. 9. n. 7. ubi contrarium quidem à plerisque in favorem Pontificis traditum, hoc tamen absque ulla hæreseos suspicione defendi posse asserit.)

4. Bernhardus, qui in mediis Papatus tenebris floruit, Anno scil. 1120. Epist. 42. ad Henricum Archiep. Senon. *Ego concludo cum Chrysostomo: Sive Apostolus sis, sive Propheta, sive Evangelista, sive quisquis tandem fueris, his supereminentibus potestatibus subjectus esse debes.*

Epist. eadem. *Conditor Cæsaris Cæsari non cunctatus est reddere censum, exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis.*

Et paulò ante: *Si omnis anima subdita sit supereminentibus, autoritatibus, tum etiam vestra. Quis vos excepit ab universitate? Si quis tentat excipere, tentat decipere. Nolite acquiescere consiliis eorum,* (quem locum Bernhardi allegat & approbat Claudius Espensæus Comm. in Tit. 3. Digress. 10. part. 513. edit. Paris. 1568.)

Lib.

Lib. 1. de consid. ad Eugen. Pontif. col. 1015. *Non monstrabunt, puto, qui hoc dicent, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum, Stetisse lego Apostolos judicandos, non sedisse judicantes, non quia indigni vos, sed quia indignum vobis.*

Lib. 2. de considerat. col. 1021. *Petrus Apostolus inquit, non dominantes Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio, Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Plane ab utroque prohiberis; si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Formula Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Esto, ut alia quacunque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico jure, neque enim Petrus tibi dare potuit, quod non habuit &c.*

Ibid. *Sarculo Prophetæ opus est tibi non sceptro, ut opus facias Prophetæ, & ille quidem non regnaturus ascendit, sed extirpaturus &c. Cum dicat Dominus ac Magister, se non esse constitutum inter duos judicem, non debet servo ac discipulo indignum videri, si non judicet universos. Ergo in criminibus potestas vestra, non in possessionibus, quoniam propter illa, non propter has accepisti claves regni cœlorum. Quænam tibi videtur major dignitas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? nulla comparatio. Habent hæc terrena & infima judices suos Reges & Principes, quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?*

Lib. 4. de consid. col. 1036. *Quid denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam &c. Uterque ergo Ecclesiæ & spiritualis scil. gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis & jussum Imperatoris.*

Lib. eod. *Clericum Curiam frequentantem, qui non sit de Curia, ad idem noris pertinere ambientium genus.*

(Excipit Bellarm. lib. 5. de Pontif. cap. 8. *Bernhardum hoc velle, quod Pontifex, ut Pastor ovium, non debeat eis dominari, sed eas pascere, interim sicut nihilominus iisdem ovibus, ut sunt cives Reipublicæ, dominatur Princeps Politicus; ita eadem ratione posse dominari Pontificem, si sit eorum Princeps Politicus.* At hac ratione petitur principium. Id enim est in quæstione, an Pontifex simul esse possit Ecclesiæ Pastor & Princeps Politicus? Ac si Pontifex, ut Pontifex & Pastor ovium, non debet eis dominari, cur ipse Bellarm. cap. 7. præced. ex dicto Christi, *Pasce oves meas*, demonstrare conatur, *Papam habere summam potestatem temporalium indirecte.* Si Pontifex, ut Pontifex, & secundum id, quod habet ex Christi institutione, non obtinet dominatum Politicum, ut hoc loco Bellarminus concedit, cur præcedente cap. 1. scribit, *non tam sententiam, quam hæresin esse, quod Pontifex, ut Pontifex & ex jure divino nullam habeat temporalem potestatem?* Si jure Apostolico Pontifex non habet Politicum dominatum, cur igitur propter successionem in Sede Apostolica eam sibi vendicat? Ex verbis Bernhardi satis perspicuum, quid de temporali Pontificis potestate statuerit.)

Bernhardo adjungimus Arnoldum Brixiensem Episc. (qui floruit circa Ann. 1150.) Is itidem *damnavit civilem administrationem in Clero, seu quod sibi temporalis gladii potestatem usurparent, atq; eam ob causam ab Hadriano IV. Pontifice est hæreseos damnatus.*

Item Petr. Blesensem (qui itidem floruit seculo duodecimo) is in Epist. quendam Episcopum sic alloquitur: *Professio tui ordinis nec seculi curas, nec sævitiam gladii materialis admittit. Reges gentium dominantur eis; vos autem non sic. Si acceptas ministerium Christi, si jugum Christi non detrectas, permane in ea statione, in qua vocatus es; dimitte Laicis populi principatum.*

5. Quidam ex Scholasticis.

Lombardus lib. 4. dist. 37. *Sancta Dei Ecclesia nunquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem.*

Thomas opusc. 15. cap. 3. *In uno eodemq; officio non debet dispar esse professio.*

Alexander Brito, Theologus circa Ann. 1206 à Rege missus fuit Romam, ut defenderet regiam potestatem contra Papam, igitur probabat rationibus & Scripturis, *non esse in regnis à Deo constitutis potestate regia dominationem majorem, Episcoporum vero nullum esse temporale regimen, cum Christi regnum non sit de hoc mundo.* Adduxit Gregorii Magni dicta ad Augustinum Monachum, atque contra omnes in conflictatione prævalebat, sed postea fuit remotus ab officio & in exilium ob veritatem pulsus. Idem ausus fuit durissima in Papam scribere contra ejus potestatem, *temporale dominium, de cessatione Papali, potestate Vicarii* & alia. Balæus Cent. 5. cap. 57.

Guilielmus Occam in cap. 93. operis sexaginta dierum (circa Annum 1320.) *Oportet probare, quod B. Petrus non fuit Vicarius Christi, quantum ad officium regni temporalis, nec etiam in temporalibus quibuscunque. Probatur autem sic: Si B. Petrus fuisset Vicarius Christi, quantum ad officium regni temporalis in aliquo regno temporali, B. Petrus habuisset potestatem judicandi omnes & de omnibus non solum credentibus, sed etiam non credentibus constitutis in regno sibi subjecto. Sed B. Petrus de infidelibus, qui nunquam fidem Christi susceperunt, habuit minime judicare, teste Apostolo, qui de imperio omnium Prælatorum Ecclesiæ dixit 1. Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris sunt judicare? Ergo B. Petrus de his, qui foris erant, in quocunq; regno non habuit judicare, & ita non fuit Vicarius Christi in quocunque regno temporali. Secundo sic. Qui est Vicarius generalis alicujus Regis temporalis in aliquo regno non habentis superiorem, habet jurisdictionem temporalem super omnes constitutos in regno, qui per Regem minime sunt exemti. Sed Christus instituendo B. Petrum Vicarium nullum exemit à jurisdictione B. Petri. Ergo B. Petrus habuit jurisdictionem temporalem super omnes constitutos in regno; ita cum regnū ipsi non plus fuerit unum, quam aliud, sequitur, quod B. Petrus habuit jurisdictionem super Imperatorem & omnes alios Reges, ex quo sequitur, quod cum Romanus Pontifex sit Successor B. Petri & ei æqualis in potestate à Christo sibi concessa, quilibet Roman. Pont. habeat jurisdictionem temporalem super Imperatorem Romanum & omnes alios Reges mundi, quod sacris Canonibus repugnat aperte. Unde Nicolaus Papa, ut habetur dist. 96. c. cum ad verum &c sic ait: Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoris usurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum Christus Jesus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit. Ex his datur intelligi, quod Romanus Episcopus ex successione B. Petri non habet jurisdictionem temporalem super Imperatorem. Quod etiam Papa non habeat jurisdictionem super alios Reges, testari videtur Innocentius IV. qui ut habetur Extr. de judiciis cap. 3. ait, non putet aliquis, quod jurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare aut minuere intendamus &c. Non ergo Papa super Regem Francorum jurisdictionem obtinet temporalem. Item si Papa haberet ex successione B. Petri jurisdictionem temporalem super Reges, multo magis ex eadem successione haberet jurisdictionem temporalem super possessiones eorum & aliorum, cujus contrarium asserit Bernhardus aperte, qui scribens ad Eugenium, ait lib. 1. cap. 6. Ergo in criminibus non possessionibus potestas vestra, propter illa siquidem & non propter has accepistis claves regni cœlorū &c. Ex his aliisque quamplurimis patet, quod B. Petrus jurisdictionem temporalem super Imperatorem & Reges non habuit, & ita non fuit Vicarius Christi in aliquo regno temporali.*

Idem lib. de potest. Pont. cap. 1. q. 1. *Potestas spiritualis suprema dominationem excludit, sicut & omnis Prælatio Ecclesiastica, teste Petro, pascite, quantum in vobis, gregem Dei, neq; ut dominantes in Clero. Et cap. 4. Militans Deo, secularibus se non debet implicare. Item. Laicalis potestatis est, armis intendere & judicium sanguinis exercere, non enim frustra gladium portat. Armis autem intendere & judicium sanguinis exercere, Christus Prælatis spiritualibus verbo & exemplo interdixit Matth. 20. Scitis, quod Principes gentium dominantur, vos autem non sic &c. Seipsum ponit in exemplum, Non venit filius hominis, ut sibi ministraretur &c.*

Idem Occamus cum Collegis suis, Bona Gratia, Bergomensi & Michaële Cæsenate Franciscanorum Antistite primario, libellum edidit, in quo *Pastorem Romanum atque rerum dominum diversa esse*, argumentis probat: *Hunc terræ dominari, illum dispensare spiritualia; illius munia, amare oves, pascere gregem, crucem egeni & mendici Christi ferre; hujus, imperare, strictum ensem gestare, belligerari* asserit. Item docet, *Imperium nequaquam Sacerdotis, sed Dei opt. max. beneficium, cujus populus sit, esse; Cæsarem continuò esse & vocari, postquam à Septemviris delectus sit. Ad Cæsarem regna, imperia, divitias, bella, hujus seculi potentiam spectare; Sacerdotem Romanum nihil horum contingere ac procurare debere, nisi Antichristus esse, velit.*

Ægidius de Roma, Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, S. Theol. Professor & Archiepiscopus Bituricensis ventilavit hanc quæstionem, *An Pontifex Romanus plenam jurisdictionem & ordinariam potestatem habeat, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, ita quod omnes Principes temporales ei subjint, quantum ad temporalia.* Et negativam solidè probavit per rationes Physicas, principia religionis Pontificiæ, jura

Canonica & Civilia, uti videre est volumine 3. Monarchiæ S. Rom. Imperii Melchioris Goldasti p. 96. usque ad pag. 107.

Palatius in 4. sent. dist. 25. asserit, *Papam non esse exemtum à potestate civili jure Divino vel Canonico, sed jure tantum Civili seu ex privilegio Imperatorum*, quam sententiam Suarez lib. 4. Defens. fid. Cath. c. 4. n. 2. *perniciosam ac minimè probandam* vocat.

6. Imperatores & Reges sub Papatu.

Carolus Galliæ Rex ad Hadrianum Pontificem Rom. (seculo nono) inter cætera ex Gelasio sic scribit: *Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperavit, sic actionibus propriis dignitatibusq; distinctis officia potestatis utriusq; discrevit, suosq; volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Principes pro æterna vita Pontificib. indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialium dispositionibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, ut & modestia utriusq; ordinis curaretur, ne extolleretur utroq; suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur &c.*

Ansegisus Abbas circa Annum 880. conscripsit librum Decreta utilia Caroli Magni & ejus filii complectentem, in quo lib. 4. cap. 47. sic scribit: *Jussit, ut Monachi & qui in Sacerdotali gradu constituti sunt, ad secularia negotia non transirent.*

Henricus Imperator de Gregorio VII. Hildebrando Pontifice Romano, ad Episcopos in hæc verba scripsit: *Unus cum utrumq; regimen Politicum & Ecclesiasticum sibi vendicavit, utrumq; dissipavit, nec in neutro prodesse voluit nec potuit.* Abbas Ursperg in Chron.

Hadrianus IV. Pontifex Romanus ad Imperatorē Fridericum Barbarossam his scripsit verbis: *Adrianus Episcopus, servus servorum Dei, Friderico Imperatori salutem & Apostolicam benedictionem. Lex divina, sicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis voce docemur, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentiam tuam nōn mediocriter admiramur, quod B. Petro & S. Romanæ Ecclesiæ non quantam deberes reverentiam exhibere videris, in literis enim ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris.* Sed Imperator Pontifici rescripsit hoc modo: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hadriano Rom. Ecclesiæ Pontifici, omnibusque adhærere volentibus iis, quæ cœpit JEsus facere & docere, S. D. Lex justitiæ unicuique, quod suum est, restituit, non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, à quibus (progenitoribus nostris) & regni dignitatem suscepimus & coronam. Nunquid tempore Constantini Sylvester regalis aliquid habuisse dignoscitur? sed ejus pietatis concessione, libertas data est Ecclesiæ, pax restituta, & quicquid regalis Papatus vester habere dignoscitur, largitione Principum donatur, unde cum Romano Pontifici scribimus, jure ex antiquo nomen nostrum præponimus, & ad justitiæ normam, idem nobis scribenti concedimus. Revolvite annales & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenitur.* (apud Nauclerum generat. 39. vol. 2.)

Cum Adrianus IV. ad Fridericum I. cognomento Barbarossam Legatos misisset exprobrantes, *Imperium esse beneficium à Romana Ecclesia acceptum*, tum, qui cum eo erant, Principes fremere, indignari, tumultuari, nec ferendum ducere, ab ipsis Legatis vix manus abstinere. Ipse autem Imperator per universum Imperium literis circularibus testari, *divina potentia, à qua omnis potestas in cœlo & in terra, sibi à Christo ejus regnum & Imperium regendum esse commissum*; item *à solo Deo per electionem Principum Imperium suum esse*; ac tandem, *Quicunq; nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dicit, divinæ institutioni ac doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit.* Hæc constantia movit Papam, imò terruit jam sibi paratum bellum cernentem. Quare scripsit ad Episcopos Germaniæ de mitigando Imperatore. Illi rescribunt: *Verbis illis, quæ in literis vestris continebantur, commota est universa Respubl. Imperii nostri: aures Imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neque aures Principum sustinere: omnes ita continuerunt aures suas, quod nos salva gratia vestræ sanctissimæ paternitatis, ea tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare, nec audemus, nec possumus, eò quod insolita & inaudita fuerunt usq; ad hæc tempora.* Extat apud Ottonē de sancto Blasio cap. 7. & 8. Appendicis. Radevicum de gestis Friderici I. libro 1. Albericum de Rosate in l. Bene à Zenone III. num. 16. de quadr. præscript. Baronium anno duodecimi seculi quinquagesimo septimo.

Radevicus lib. 1. c. 10. memorat, hunc Fridericū I. ad Principes Imperii sic rescripsisse: *Cum per electionem Principum à solo Deo regnum & Imperium nostrum sit, cumq; Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit, Deum timete, Regem honorificate, quicunq; nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est & mendacii reus erit.*

Apud Goldastum Imperial. Constitut. tom. 3. p. 333. extat Rescriptum ejusdem Imperatoris Friderici Barbarossæ Anno 1155. publicatum, quod sic habet: *Gloriaris, me per te vocatum esse, me per te primò civem, post Principem factum, quod tuum erat à te suscepisse. Quæ dicti novitas quam ratione absona, quam veritate vacua sit, æstimationi tuæ prudentiumque relinquitur arbitrio. Revolvamus modernorum Imperatorum gesta, si non Divi nostri Principes Carolus & Otto nullius beneficio traditam, sed virtute expugnatam Græcis seu Longobardis urbem cum Italia eripuerunt, Francorumque apposuerunt terminis. Docent hoc Desiderius & Berengarius Tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam Principibus innitebaris. Eos à Francis nostris non solum subjectos & captos fuisse, sed & in servitute ipsorum consenuisse verà relatione didicimus; cineres ipsorum apud nos reconditi evidentissimum hujus rei repræsentant indicium. Sed dices. Vocatione mea venisti. Fateor, vocatus fui. Redde causam, quare vocatus fuerim. Ab hostibus pulsabaris, nec propria manu Græcorumvè mollitie liberari poteras. Francorum virtus invitatione adserta est. Implorationem potius quam vocationem hanc dixerim. Implorasti misera felicem, debilis fortem, invalida validum, anxia securum. Eo tenore vocatus (si vocatio dicenda est) veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps usque in præsentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus possessor sum. Eripiat quis, si potest, clavam de manu Herculis. Siculus, in quo confidis, fortè hoc faciet? ad priora respiciet exempla. Nondum facta est Francorum sive Teutonicorum manus invalida. Deo largiente vitaque comite & ipse temeritatis suæ quandoque capere poterit experimentum.*

Eundem Fridericum Barbarossam Güntherus lib. 6. Ligurin. sic loquentem introducit:

Pontificis cogor vobis depromere fastum.
Ecce paterna fides & magni Præsulis alma
Integritas, humilisque Petri vestigia sectans!
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult quam Petrus haberi.
Ecclesiæ pacem, gladiis quæ ritè duobus
Utitur, alterutro nunquam bene firma remoto,
Scindit, & in sese geminos exasperat enses.
Dumque Sacerdoti conatur jungere Regem,
Non uno tantum contentus, lædit utrumque
Quid voluêre duo gladii, quos Petrus in illo
Judicat esse globo? totidem nisi nomina summi
Juris in Ecclesia, quæ cum sibi mutua quondam
Fœderis alterni nexu suffragia præstent,
Sunt divisa tamen, nec in unum posse videntur
Juncta coire caput, nec eodem sæpe recurrunt
Instituenda modo, licet unus utrique sit autor,
A quo nomen habet sub cœlo quæque potestas.
Alter honos Cleri consensum postulat, alter
Arbitrio Procerum, regnique favore paratur.
Ergo quid ad summum de regni jure, quid, oro,
Pontificem spectat? nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cœlorum Rege, potestas.
Ecclesiam regat ille suam, divinaque jura
Temperet, Imperium nobis fascesque relinquat &c.
Cogitet antiquos primævi temporis annos,
Præteritosque dies & secula prisca revolvat.
Num Petrus, aut Clemens, num cætera turba piorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat Præsul, Regali munere crevit.
Nec tamen ut fasces & regni jura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit.
Excessere modum magnorum munera Regum,
Si tantum cuiquam jus in sua regna dederunt.

Henricus Leo, Pater Ottonis IV. Imperatoris, *invidens Episcopis rerum omnium tam latam ditionem, arbitrabatur, administrationem*

tionem rerum per provincias deberi Principibus; Episcopos autem solis curandis sacris intendere oportere, uti Crantz. lib. 7. Metropol. cap. 1. memorat.

De Ottone Imp. sic scribit Johannes Nauclerus, Præpositus Tubingensis, in Chron. Anno Domini 1212. Otho Saxo excommunicatus, depositus, & ab Imperio abrogatus, nihilominus pro Imperatore se gessit, cum ad partes Germaniæ, dimissa Italia, declinasset. Circa Festum Pentecostes Conventum Norinbergæ Principum suæ partis declaravit, in quo multiplices Rom. Pontificis contra se ostensas calliditates exponens, quam injustè ab illo insectaretur, declaravit. Adeste, inquiens, animis Principes, quibus cura sit de regno, deque in eodem rebus gerendis, nempe ad vos respicit Teutonici regni quævis dispositio, vestra interest eminus cuncta prospicere. Vestri etenim juris esse fatemur, non Rom. Pontificis, Imperatorem creare, simul & destituere; vestrum, si quid in Imperio tumultus insurrexerit, quo viritim exstirpetur, curare. Igitur ô Principes & regni cordati Proceres, jus vestrum defendite, pro patriis & Imperii legibus vires exercete, ne si minus, & Imperium & patrimonium dimittatis. Ut autem id fieri possit, persuasum credimus, Rom. Pontificem, quò sese suis à præsumtionibus revocet, si monere blandiloquio tentaveritis. Nam si pro libitu suo Rom. Pontifici nimium, quàm expedit, dissimulando, depositionem Imperatoris promiseritis, actum brevi vestra de potestate in deligendo Imperatore omni dubio procul intelligetis.

Fridericus II. Friderici illius Primi, Barbarossæ dicti, nepos, in literis ad Principes Imperii, maximè Ottonem Bojorum Regulum, præfectumque Prætorio Rheni missis, inter cætera sic scripsit: Imperium Christianum, cujus ipse caput constitutus sit à Deo, non armis, non vi opprimi posse, sed luxuria, cupiditate, quæ radix omnium malorum est, enervari, adulterari, corrumpi. Quod ne fiat, se obviam iturum, se summoperè pro commisso sibi à Deo negotio potestate, enseque divinitus tradito contrà enisurum, ut ovili Pastorem, populo Pontificem, mundo parentem detracta persona lupi, Tyranni atque Domini restituat, ut eundem abdicatà regnorum, humanarum litium curà, prophanorum negotiorum administratione, quibus illi interdictum sit, ad æmulanda pauperis Christi, cujus se Vicarium jactitat, vestigia cogat, se amplius neque passurum, ut Christianæ plebi lupus, ovina pelle tectus, diutius incumbat. Opus vel maximum pietatis esse atque caritatis, gratissimum immortali Deo, opes & aurum irritamenta malorum Sacerdotibus auferre &c. Aventin. lib. 7. Annal. p. 541. & 542.

Balduinus Imperator Constantinopolitanus, Imperium Orientis obtinuit circa Annum 1205. quem cum Innocentius III. Papa objurgasset, sibique in ipsum jus vendicaret, scripto respondit, meminisse ipsum debere, quod non dominus Imperatoris, sed subditus sit; sacrarumque literarum testimoniis probavit, Papam & omnes Clericos Politico Magistratui obedire & non dominari debere; ad quod probandum adduxit dictum Petri: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum sive Regi &c. Huic Imperatoris Epistolæ Papa respondit superbo scripto, cujus pars recitatur c. Solitæ. tit. de obœd. & majorit. in qua dictum Apostolicum eo modo pervertit, quòd non sit præceptum juris, sed consilium humanitatis.

Johannes XXII. Pontifex Romanus ad Ludovicum Bavarum Imperatorem sic scripsit: Posteaquam à Decessoribus nostris res Romana, à Græcis ad Romanos translata, Carolo Magno in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor beneficium Pontificis maximi esse solet. Decretum siquidem est, ut cum Germani Principes Regem jussissent, id demum ratum esse, si Rom. Pontifex, universi orbis Christiani Pater atque Princeps, autor fieret, nec antè cuiquam Comitiis Cæsareis suffragiis Principum designato Regi, neque administrandi, neque Regii tituli usurpandi jus est, quàm primarius Sacerdos, Dei opt. Legatus, suo numine faveat & aspiret. Præterea summa potestas, maximum Imperium, ubi orbum capite fuerit, penes max. Pontificem, cujus beneficium illud est, existit. Itidem ubi septem suffragatores Comitiis Cæsareis discordes fuerint, neuter Rex est. Episcopus Rom. sicut communis omnium mortalium parens, fasces Romanos ob dissensionem destitutos, Rempub. derelictam suo arbitrio temperat. Quemadmodum animus imperare, corpus illi, cujus beneficio vivit, servire debet, ita optimè consultum esse rebus Christianis nemo ambigit, (observa, unde Bellarminus similitudinem suam de potestatis Ecclesiasticæ & Politicæ subordinatione desumserit;) ubi fragilia æternis, prophana sacris, corporalia spiritualibus subdita sunt atque obtemperant, quod tum fiet, quando Pontif. Max. dignitatem utramque suo arbitratu moderatur, Ecclesia dominatur, cujus lege atque imperio omnis potestas redigitur, & Imperator religione Sacramenti ei, qui terris præsidendo vicem cœlestis Imperatoris persungitur, addictus est &c. Nos igitur juxta munus nobis cœlitus datum Ludovico præcipimus, ut intra menses tres sese abdicet à regio nomine, gubernatione, functionib. publicis, rebus gerendis penitus abstineat à se hactenus acta rescindat, nec posthac nisi jussu & mandato nostro potestatem resumat. Quod si obtemperare detrectaverit, Patriarchis, Episcopis cunctis, Sacerdotibus, Principibus, Civitatibus imperamus, ut eundem deserant, ac nobis parere cogant. Data atque publicata Avinione, octavo Idus Octobris, Anno dignitatis octavo, Christi verò 1321.

Sed Ludovicus publico Decreto cum Imperii procerum suffragio huic Pontificis edicto obviam ivit, in quo inter alia sic loquitur: Imperatores terris, neque forte, neque casu, neque à mortalibus, neque occulta fatorum potestate dantur, sed à supremo Numine eliguntur atque divinitus constituuntur, rebusque humanis à patre indulgentissimo imponuntur. Porro Romanus Sacerdos, cujus conversatio in cœlis esse debet, urbes, castella, vicos, regiones, opes, potentiam, tantum splendorem, jus gladii, adventitia non jure suo, sed alieno beneficio occupat, possidet, nempè benevolentia atque liberalitate, ne dicam socordia atque ignavia Rectorum Germaniæ. At mortalium ingratissimi de optimè meritis pessimè merentur. Ensem, cujus manubrium nostra munificentia tenent, in nostra viscera, quorum beneficiarii sunt, stringere non verentur &c. Et ut est dissociabile regnum, omnisque potestas impatiens consortis, jam egregii illi Pastores opibus & splendore à majoribus nostris aucti, ferre parem nequeunt, Cæsarem Italia, Roma, Christum terris extrusere, illi cœlum quidem permittunt, inferos atque terras sibi asseruere, Deusque terrarum, hominumque non solum dici, sed etiam credi volunt, quasi perinde animis atque linguis (quod ne Deus immortalis quidem tentat) imperare possint atque divisum cum Jove habeant Imperium. Repugnant & maximè diversa sunt crucifixus, & summa potestas; miles & Sacerdos; Imperator & Pastor; regnum & patibulum; corporalia & spiritualia; arma & sacra; bellum & pax; Cæsar & nuncius; princeps & minister; Dominus & servus. Qui vult esse maximus inter vos, ait Supremus arbiter cœli Legatis suis, infimus omnium atque vester servus sit. Cæteris recumbentibus, quemadmodum ego feci, ad cyathum ministret. Unus magister & Dominus vester in cœlis, vos a. fratres estis. Bellua multorum capitum, monstrum biceps est Augustus & Pont. Max. Id quidem fuisse Decium atque Neronem, & hujusmodi Tyrannos falsorum Deorum cultores in numismatis & epigrammatis legimus. Quod de animo & corpore afferunt, nugæ sunt & contortæ conclusiunculæ. Ceu v. nesciamus, carnem adversus spiritum pugnare & animam, nisi è corpore emicuerit, interituram. Ludibrium Naturæ abominabile, ita Dei, socordia atque ignavia nostra est, principem principum servo servire Deorum. Si servus servorum est, cur non servit? cur non amat? cur non ministrat? cur non pascit? cur non docet? non nunciat? si id, quod cupit, esse velit; cur non Christi, Petri & Pauli vestigia in carcerib. & periculis æmulatur? &c. Cur vitam Christi parvipendit? qui de hereditate à fratrib. captus, etiam arbiter judicare noluit, sed competitores ad Prætores Cæsaris rejecit & tribunal relegavit. Cum populus eidem regnum Palæstinæ ultro offerret, aufugit, regnum suum de hoc mundo non esse, confitetur. Quamobrem vigesimus secundus non sine maxima sua atque Reipubl. pernicie, libidine dominandi in præceps abit, aliena, quæ nihil ad eum attinent, curat, usurpat; sua, hoc est, religionem, spiritualia, mores, vitam hominum negligit. Imperium terræ, mortalia, vetante Christo, arripit. Præsides, Proconsules, professus crucem atque paupertatem, in aliena ditione obtrudit. Ubi res ad interregnum redit, penes se summam potestatem esse comminiscitur, munus Præfecti Prætorio Rheni, Reguli Bojorum intercipere, atque in se transferre conatur &c. Pascat bonus pastor oviculas Christi & amet, non armis oppugnet, vi opprimat. Argutas cavillationes missas faciat, veritatem, simplicitatem Christianam, Christumque cui verba dare difficile est, amplectatur. Illius conversatio sit in cœlis, spiritualibus deditus, corporalibus se non contaminet. Nos nostro jure, majorum instituto, sicut jus gentium est, sacra oracula docent, res nostras, nimirum terrena, caduca, fluxa, fragilia agere sinat & verbum inter nos non commutabimus &c. Ann. 1324. Aventinus lib. 7. Annal. p. 468. & seqq. (in al. edit. p. 608.)

In alio quodam edicto Anno 1328. publicato, idem Imperator Ludovicus de Pontifice sic loquitur: Sicut Abjathar Sacerdos ense Cæsareo nobis à cœli Numine commisso abutitur, temporalibus hujus seculi curis contra divinum præceptum incubat, regno mundano inhiat, Pastor est personatus &c. Imp. majestatem, autoritatem Reipubl. temere contra placita Christi usurpando labefactat, polluit, Monstrum biceps, mundanus & spiritualis esse contendit. Christus Servator noster, cui omnis potestas in cœlo atque terra data est, tamen Imperium atque regnum terrarum à populo sibi oblatum suscipere detrectavit. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Atque satis constat inter omnes divinæ Philosophiæ, legum &

Pontificii juris scientissimos, penes Pontificem Romanum nequaquam esse utramque dignitatem, sacram atque prophanam. Omnis potestas ab immortali atque suprema est majestate, cœleste beneficium, quod imperamus, non humanum est. Comitiali Conventu delecti, suffragiis Principalibus comprobati, mortalis cujuspiam astipulatione, aliove hominis autoramento nullo pacto indigemus. Sacrosanctum Imperium, cui CHRISTUS, comites ejus, obtemperarunt & vectigales fuerunt, sacrificuli fastuosi beneficium esse pernegamus. Caput orbis terrarum à suprema cœli majestate constituti, nulli mortalium, quatenus ad hujus seculi Imperium attinet, rationem reddere debemus &c. Hoc edictum ab Imperatore, item Sacerdotum Senatu, populoque Romano signatum est, publicatumque in celeberrimo mystarum populi Romani, Regulorum, Dynastarum, Tetrarcharum, Flaminum, Pontificum maximorum, minorum Antistitum Conventu. Aventinus lib. 7. Annal. p. 473. 474.

Anno 1338. 6 die Julii hora 6. Benedicti XII. Pontif. Max. anno 4. *in pomario vici Rheuosci in ripa Rheni amnis, ubi ferè Septemviri Cæsariani Electores convenire, atque de summis Imperii rebus colloqui solent, Henricus Moguntinus, Valentinus Agrippinensis, Balduinus Trevirorum, Archimysta Rudolphus, Ruperti duo & Stephanus Præfecti Prætorio Rheni, cum nondum decretum foret, quisnam eorum Comitiis Cæsareis suffragium ferret Rudolphus Dux Saxoniæ, Ludovicus Brandenburgensis limitis Præfectus, Item alii plerique omnes Sacrosancti Imperii clientes & optimates, sacrati, prophani, concione vocata, Sacramento prius rogati, ritu solenni ex consilii Decreto, accitis tribus libellionibus, qui in acta quacunque fierent, dicerenturve, ex fide referrent, subscriberent, atque in vulgus ederent. Hanc rogationem sciverunt, jusserunt, decreverunt, voluerunt, promulgarunt, perpetuo sanxerunt: Sacrosanctum Imperium summa in terris potestas, cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post Deum est, & tam grande nomen à solo Deo traditur, cui soli ille Reipubl. administrandæ rationem reddendam habet. Qui à supremo duntaxat cœli Numine in summo rerum humanarum fastigio collocatus est, & in terris neque parem, neque superiorem habet. Per quem leges, jura, regna humano generi largitur æterna majestas. Cæsari reddite, quæ Cæsaris sunt, præcepit Christus. Is & Comites ejus omnes, vectigalia, honorem, officium, obsequium obœdienter ac reverenter Imperatoribus præstiterunt. A Curiatis igitur Heptarchis rebus impositus continuò more majorum atque jure gentium Rex est & vocatur. Ipsum contra majestatem Reip. decus Imperii, Legatos ad Sacerdotem Romanum, ut autor fiat, copiam administrandi, concedat, mittere eidem, jurejurando fidem astringere, atque petere ab eo usum regii diadematis, religio est. Nullum harum rerum jus omninò est Pastori, qui servus ovium est, & in consecrando Domino, gregi servit, quippe jure suffragiorum, beneficio Electorum atque populi quisque imperat. Hæc verissima est, convenit inter omnes annalium, rerum humanarum, divinarumque peritos, atque jam sæpius utriusque juris Cæsarei atque Pontificii, cœlestis thesauri testimoniis comprobatum est. Tamen quidam, ut sunt ebrii successu rerum nimio atque impotentes sui mortalium animi, prosperis enim rebus ferocitas atque superbia augescunt, impudentissime refragari non erubescunt &c. contra Naturæ legem docere non erubescunt, Pastoris beneficiarium esse dominum, neque ante Principem Principum esse, aut nominari oportere, quàm ille servus servorum autor fiat & dignum judicarit, qui regnet. Hacque cum maxima Respubl. Christianæ pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ majestatis jactura, nec sine gravissimo Tetrarcharum, Dynastarum, clientium Imperii detrimento, instigante Stygio Principe, Domino hujus mundi, commenta esse eventus docet, exitus probat &c. Ut ergò posthac augusta pace, festa quiete populus Christianus fruatur, ex consilii Decreto, hocque plebiscito decernimus, quæ suprà solenni ritu religione adacti censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum ex solo electionis beneficio omnem potestatem, imperiumque proficisci, nec ullo pacto Pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio, autoritate, consensu opus esse. Quicunque aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine læsæ majestatis reus hostis Reipubl. atque proscriptus esse, capite pœnas solvito, bona ejus publica sunto, prædia infiscentur.* Aventinus lib. 7. Annal. p. 477. & Goldast. tom. 3. Imperial. Constit. p. 400.

Eodem Anno 1338. Francofurti die 6. Augusti Imperator Ludovicus IV. Decretum publicavit, in quo inter cætera sic habetur: *Qui vult maximus esse, sit infimus omnium, nunciis Christus præcipit, & Reges quidem dominantur populo, vos autem servi gregis mei, nempe Pastores, non domini estis. Nihilominus tamen, quanquam illa clarissima sint, tamen pessimi Pharisæi, perditissimi Antichristi, Comitiis Cæsareis, suffragiis Principum, rebus impositum, ajunt, non esse Imperatorem, nisi primarius Sacerdos, qui dominus rerum & utriusque potestatis manceps sit, autor fiat. Id etsi pravum, ineptum, falsum, perquam absurdum, alienum à vita Sacerdotis Crucifixi, divino humanoque juri sacris, contrarium, nec rationi consentaneum sit, tamen illi impostores in malitia pervicaciores, quam boni in pietate existunt. Quis obsecro non videt, nisi talpa planè perpetuò, oculis à rerum summo opifice damnatus, terræ tenebris incubet? Repugnantissima sunt, nec coire possunt corporale & spirituale, terrenum & cœleste, fluxum & æternum, caducum & immortale, ensis mysticus atque ferreus, hic Cæsari à Deo datus est, ut malis & pacis atque concordiæ disturbatoribus, necii datus, boni tranquillâ quiete perfruantur. Ille concioni Christianæ à Servatore commissus, mortuos vitæ restituit, neminem occidit. Diversa sunt Sacrificulus & Augustus, uterque cœlesti dono constituitur, suis limitibus clausus, atque ut sunt humana atque divina, ille servorum servus, hic Princeps Principum habetur, & esse in bene constituta Republ. debet. Nos solius Dei beneficio, Curiatorum Comitiorum jure, lege suffragiorum, autoritate Senatus, majestate atque viribus populi, principatum tenemus. Si quis ambigat, ad sacra Historiæ penetralia, annales priscos recurrat, ita dubitare desinet. Quod si ignorare perrexerit, ignorabitur. Ut tamen Sophistæ illi, monstra & larvæ Christianæ religionis abominandæ, clava Herculis repercutiantur, & suo ense jugulentur, veteres juris Pontificii, cui vacat, evolvat Codices, ubi non semel scriptum est, Pontificis atque Imperatoris omninò diversas esse jurisdictiones, nec vices earum commiscendas esse. Quocirca liquet, quàm perperam atque temere vicesimus ille secundus* (Johannes Pont. Roman.) *Imperii habenas sibi usurparit, præter fas atque æquum Italiam à regno Germaniæ separare conatus fuerit, adversus leges, instituta, morem majorum, contra auspicia, intercessionem, autoritatem Senatus, majestatem Principum, atque populi Romani, Italici, Germanici.*

Decretum aliud Ludovici Imperatoris Francofurti, in hac ipsa causa factum, enarrat Johannes Naucletus Præpositus Tubingensis hisce verbis: *Anno salutis 1338. die 8. Augusti, Ludovicus Imperator in Francofurt, vocata solenni Curia. Decretum quoddam de consilio quorundam fratrum Minorum sub sigillo suo contra processus quondam Johannis Papæ promulgavit, in quo inter alia Augustus sic loquitur: Inprimis contra nos & Imperialem dignitatem, autoritatem, potestatem & jus Imperii allegatur, quod potestas & autoritas Imperialis est à Papa, & electus in Regem Romanorum ex sola electione non est, nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem jurisdictionis & antequam inungatur, consecretur & coronetur, Papa in temporalibus etiam habet plenitudinem potestatis. Ad quod respondemus hanc oppositionem sacris Canonibus, juri & rationi obviare, sicut expresse patet in c. Cum ad verum &c. Si Imperator. dist. 96. ubi habetur, quod nec Imperator jura Pontificatus, nec Pontifex jura Imperii sibi usurpare debet, ubi glossa dicit, quod istæ potestates sunt distinctæ, & quod neutra dependet ab altera. Imperator enim non habet Imperium à Papa, sed à solo Deo. 93. dist. c. Legimus, ubi textus, quod exercitus facit Imperatorem. Et glossa ibi dicit eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmatur. Probatur idem in c. Quoniam 10. dist. quem textum ponit in longum. Infert, quod Papa non habet utrumque gladium; alioqui si Imperium haberetur à Papa, in temporalibus posset ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa, dicens, illa temporalia habere suam jurisdictionem in de appell. Si duobus c. Causam hi quæ fi. sunt le. ibi gloss. Facit & text. in c. quo jure 8. distinct. & c. Novit de judic. ex quibus concludit, quod potestas Imperialis est immediate à Deo. & Imperator ex sola electione, antequam inungatur aut coronetur habet potestatem Imperialem, nec Papa habet potestatis plenitudinem dictam in temporalibus.*

Secundo objiciunt nobis, quod Johannes XXII. per suos processus cassavit ac annullavit electionem de nobis factam, & nos postea administrare non potuisse jura Imperii, sed administratio ad ipsum Papam pertinebat de jure, quæ omnia sunt contra jura Imperii & contra jura & libertates eorum, ad quos, vacante Imperio, pertinet electio, & contra jura ac libertates Principum Alemanniæ & subditorum Imperii, contra consuetudines ab antiquo rationabiliter introductas. Insuper per processus suos, bullas aut literas, quas dicitur per mundum direxisse, in quibus asserit, se totam Italiam ab Imperio & regno Alemanniæ separasse, insinuans, quod Papa est Dominus Universalis, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus.

Ad quæ omnia duximus respondendum, quod dicti omnes, sui processus, assertiones & literæ, & circa prædicta gesta, sunt atque fuerunt nulli & nulla, nullius roboris vel momenti, rationibus infra scriptis: Prima ratio, quod Papa, quantumcunque legitimus, talem potestatem in temporalibus, maximè supra jura Imperii non habeat, claré determinant jura supra allegata. Unde quicquid dictus Johannes XXII. fecit in prædictis, tanquam à non suo judice factum, nullius fuit

fuit roboris vel momenti. 2. quæst. 1. c. Inprimis, de judic. at si Clerici, cum simili. Secunda ratio, ex eo, quod dicti processus, imo verius excessus, contra nos & in præjudicium enorme nostri & illorum, qui nos elegerunt, & aliorum Principum Alemanniæ ac totius Imperii ex notoriè falsis causis, & nullo juris ordine servato nobis & aliis, quorum intererat, absentibus, & nullo modo legitimè citatis, emanarunt, sunt idcirco invalidi, nulli, nullius roboris vel momenti 3. quæst. 9. per totum, ubi dicitur, quod omnia, quæ contra absentes in omni negotio aut loco aguntur, irrita erunt, nec aliquam obtinent firmitatem.

Et posteà. Nullus in propria causa debet esse judex, vel jus sibi dicere. c. 23. qu. 4. inter quærelas. c. ne quis in propria causa in rubro & nigro. Sed notorium est, quod dictus Johannes contendebat, se etiam in temporalibus, & in nos, ac in totum Imperium habere plenitudinem potestatis, & quod contra nos ac jura Imperii de facto movebat & jura Imperii usurpare conabatur, & ut hostis persequi curabat &c. Manifestum est, quod dictus Johannes mandavit, ut non obœdiatur nobis, cui omnes subjecti Imperio obœdire, & reverentiam exhibere secundum divina & humana jura debent, & quod hoc fecit, volendo sibi jus Imperii in temporalibus usurpare, quod est contra Deum & omnem justitiam.

Albericus de Rosate, in l. benè à Zenone num. 16. de quadrien. præscript. adducit verba Decreti à Ludovico Bavaro Imperatore publicè promulgati, quæ sic habent: *Licet juris utriusque testimonia manifeste declarent, Imperialem dignitatem & potestatem immediatè in Filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem, & Reges mundi jura humano generi apertè tribuisse, & quod Imperator ex sola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione seu approbatione, quoniam in temporalibus superiorem non habet in terris, sed eidem subsunt nationes, & ipse Dominus noster Jesus Christus mandaverit, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari fore reddenda. Quia tamen quidam avaritiæ & ambitionis cæcitate devicti & nullius Scripturæ intelligentiam se habere dicentes, sed divertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & prava commenta & in assertiones detestabiles prorumpunt, contra potestatem & autoritatem Imperialem & jura Imperatorum, electorum, & aliorum Principum, & Imperii fidelium committentes, fallaciter asserentes, quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quod electus in Imperatorem non est verus Imperator, nec Rex, nisi priùs per Papam sive Sedem Apostolicam confirmetur, approbetur & coronetur, & per hujusmodi pravas assertiones & pestifera dogmata hostis antiquus movet lites & jurgia suscitat, contentiones parit & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum de consilio & consensu Electorum & aliorum Imperii Principum declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo, & quod de jure & Imperii consuetudine antiquitus approbata est, postquam aliquis eligitur in Imperatorem sive Regem, ab Electoribus Imperii concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex sola electione est verus Rex & Imperator Rom. censendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio subjectis obœdiri, & administrandi jura Imperii & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, habet plenariam potestatem; nec Papa sive Sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione confirmatione, autoritate indiget, vel consensu. Et hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in Imperatorem concorditer, vel à majori parte Electorum ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debeat obœdiri, & administrationem & jurisdictionem Imperialem & Imperialis potestatis plenitudinem habeat & habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata Decreta, vel definita, aut aliquid eorum asserere seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obœdire præsumserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis & immunitatibus à nobis, vel Prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus & ipso jure & facto decernimus esse privatos. Insuper eos crimen læsæ majestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ majestatis committentibus subjacere.* Datum in Coloniensi civitate Alemanniæ, (Anno 1314.)

Goldastus tom. 1. Constitut. Imperial. pag. 336. refert talem Constitutionem Ludovici Bavari, publico Procerum & omnium Ordinum Decreto sancitam Francofurti Anno 1338. 18. Augusti. *Et ea propter hac in perpetuum valiturá lege sancimus, ut electus in Imperatorem concorditer, vel à majori parte Electorum ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debeat obœdiri, & administrationem & jurisdictionem Imperialem & Imperialis plenitudinis potestatem habeat, & ita habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata, decreta & definita aut aliquid eorum asserere seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, & eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præsumserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis, & immunitatibus à nobis & Prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus, & ipso jure & facto decernimus esse privatos. Insuper eos crimen læsæ majestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ majestatis committentibus subjacere.*

Apud eundem Goldastum habetur etiam rescriptum Electorum de hoc negotio. *Præhabitâ diligenti deliberatione & discussione ac consilio multorum Principum, Comitum, Baronum & Nobilium, est, concorditer declaratum & sententialiter definitum; quod vacante Imperio is, qui eligitur concorditer, vel à majori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus, & quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, vel autoritate Sedis Apostolicæ super administratione bonorum & jurium Imperii indiget, sive titulo Regis assumendo, quodque jura & bona Imperii administrare, & gubernare poterit, de jure & consuetudine, nulla Sedis Apostolicæ super hoc licentia habita vel obtenta.*

De eodem Ludovico Bavaro memoratur in paralipom. ad Chronicon Abbatis Urspergens. pag. 377. quòd dixerit: *Nulla Scriptura, nulla ratio, sed sola usurpatio introduxit, ut Pontifex vacantis Imperii administrationem haberet.*

Idem Ludovicus in Constit. de potest. electi Imp. dixit: *Juris utriusque Testamenta manifestè declarant, Imperialem potestatem & dignitatem immediatè à Filio Dei ab antiquo processisse.*

Et paulò post: *Declaramus itaque, quod Imperialis potestas & dignitas immediatè à solo Deo sit.*

(Hæc Constitutio Ludovici congruit juri publico lib. 1. C. de veteri jure enucleando, ubi *Imperium Cæsari à cœlesti majestate traditum dicitur*, unde in Novell. 28. Imperator dicit, *Deum Imperii coronam sibi imposuisse.*)

Caroli Calvi Rescriptum ad Adrianum Papam apud Baronium tom. 10. Ann. 871. num. 93. 94. fol. 571. inter cætera hæc habet: *Reges Francorum ex Regio genere nati non Episcoporum Vicedomini, sed terræ Domini hactenus fuimus computati, & ut Leo ac Romana Synodus scripsit; Reges ac Imperatores, quos terris divina potentia præcepit præesse, jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt.*

De Ludovico, Philippi Pulchri Regis Francorum avo, sic scribit Massonius in vita Bonifacii VIII. *Illum inter Divos retulit Papa Bonifacius. Hic autem* (Philippus) *cum Bonifacius non Galliæ solum, sed mundi Dominum se esse prædicaret, monet eum, ne eo loquendi genere in regni sui perniciem uteretur: cum id facere Pontifex recusaret, vetuit Rex pecuniam à Gallia Romam deferri, & admonitus ab Episcopo Romano, ut interdictum solveret, mutare sententiam noluit, Nunciumque Galliæ finibus statim excedere jussit. Tunc Pontifex Regem, ut Romam proficisceretur, publicè citavit: Rex ad Concilium futurum provocavit adversus Bonifacium, quasi hæresis reum.*

Philippus cognomento Pulcer, Franciæ Rex, Bonifacio VIII. qui potestatem ac superioritatem in eum sibi arrogabat, in hæc verba scripsit: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio, se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum & Præbendarum collationem ad nos jure Regio pertinere.* Verba rescripti ex originali retulit M. Jean de Serres en seconde parte generale de l'Histoire de France, in vita D. Philippi IV. & Stephanus Aufrerius in repetit. Clement. 1. de officio Ordinarii n. 57. Meminit etiam Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 9. n. 139.

(Hoc responsum Philippi ad Bonifacium, ac regium illud jus, quod Philippus tutabatur, Schola Parisiensis contra Pontificem approbavit, teste Aufrerio.)

Philippus Vallesius Galliæ Rex constituit, *ut à Parlamento, tanquam à Politica administratione, Prælati & Episcopi omninò arcerentur, se enim, ait Rex, bona conscientia non posse Pastores, animarum curam gerentes, à tam ardua cogitatione revocare.* Obrechtus in Disput. de bello, th. 100.

Carolus V. Galliarum Rex cognomento Sapiens, in Somnio Viridarii, *inter excessus, Christi & Apostolorum doctrinæ contrarios, numerat, quod Pontifices Romani in Decretalibus suis Epistolis jactitant, autoritatem sive jurisdictionem coactivam supremam*

mam super omnes mundi Principatus, populos & singulares personas sibi lege divinâ deberi, sic quidem, ut nullus Principantium jurisdictionem coactivam, quam vocant ipsi gladium temporalem, præter sive contra ipsorum dictamen sive consensum licitè valeat exercere: præter autem vel contrarium facientes Reges aut populos excommunicationis vel interdicti sententiæ vocaliter pronunciando subjectos.

(In illo tractatu Pontificis in omnes Imperatores ac Reges imperium & præsumta potestas duobus libris & 550. capitulis refutatur.)

Cum Julius II. Ludovico XII. Galliæ Regi molestus esse pergeret, ipsique exautorationem minitaretur, Rex Concilium Ecclesiæ Gallicanæ convocavit apud Turones, ibique audiit pronunciatum: *Non licere Pontifici Romano armis persequi Principes temporales extra dominium Ecclesiæ: & si quem vexare attentet, licere ei Principi, ad hanc propulsandam injuriam, invadere terras Ecclesiæ.* Joh. Serranus in Inventario Historiæ Gallicæ in Ludovico XII.

Carolus IX. Galliæ Rex certior factus *de monitorio Decreto in Inquisitione Romana, & excommunicatione fulminata in Reginam Navarræ, quo regno Navarræ destituebatur*, apud Pium IV. ea de re graviter conquestus est.

Cum Sixtus V. & Gregorius XIII. Henricum IV. Navarræum excommunicarent & interdicto subjicerent Ecclesiasticos, aliosque regni Proceres, qui ipsius mandatis obtemperarent, tum Rex, convocato Caruntam Clero, *hæc fulmina nulla esse*, judicavit, Parlamenta *eadem nulla esse judicarunt.*

Philippus II. Rex Hispaniæ, quo tamen nemo suæ ætatis Principum Sedi Romanæ favisse putatur impensius, in causa Lusitanica Papæ judicium repudiavit, *cum antiquis exemplis, quibus præsumta Pontificiæ Sedis majestas in omnes adstruitur, novum non esse addendum putaret, diceretque, se in terris nullum habere judicem, quàm Deum, non obstante sacro illo Canone; subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* Tuba pacis pag. 50. ex Hieronymo Conestag. de Portugal. & Castell. conjunct. lib. 3. Admonit. ad orbis terræ Princip.

Cum Baronius tom. 11. Annalium Anno 1097. n. 18. & seqq. de potestate Pontificis in regno Siciliæ multa scripsisset, quibus potestas Regis in Sicilia limitari, & ad secularia tantum constringi possit, Rex Hispaniæ, acerrimus alioqui Pontificis defensor, publicum edictū promulgavit 8. Octob. Ann. 1610. in hanc sententiam: *Quoniam nobis innotuit &c. Cæsarem Baronium olim S. R. E. Cardinalem in undecimo Annalium suorum Ecclesiasticorum tomo in vita Urbani Pontificis II. Ann. 1097. longa & prolixa dissertatione, verbis & rationib. minus æquis & modestis, ac ipsius postularet professio, aggressum, non modo in suspicionem adducere, sed etiam falsos & injustos ac violentos titulos & origines evincere, quarum ope Decessores nostri, Serenissimi Reges Siciliæ simul cum dominio Regales ac prærogativas acquisiverunt, quas huc usque pacificè tutati sunt & conservarunt. Quia verò non debemus nec possumus sinere, ut lectione relationis adeò temerariæ, cujusmodi hæc Cardinalis, commoveantur, turbentur, & in nos subditorum insurgant animi, & Regum illorum ac nostra existimatio & conscientia ullâ unquam labe aspergi queat &c. ideo hoc edicto & pragmaticâ sanctione decernere, mandare & jubere constituimus, ne cui, cujuscunque sit ille dignitatis, sortis & conditionis, quovis insignita privilegio, dictum undecimum tomum adscriptum autoris vel alterius cujuspiam nomine excusum vel manuscriptum, quocunque extet idiomate, cum dissertatione illa adversus dictam Monarchiam &c. sine examinis & castigationis à delegatis factæ testimonio exponere, habere, vendere & in regnis nostris & ditionibus emptitare liceat.*

Guilielmus Neubrigensis lib. 3. rerum Anglic. cap. 25. adducit vocem sapientissimam Henrici II. Anglorum Regis. *Nonne melius est, ut pecuniæ istæ impendantur necessariis regni negotiis, quàm Episcoporum absumantur delitiis? Nostri enim temporis Præsules veterum in se formam minimè exprimunt sed circa officium languidi & remissi totis mundum brachiis amplectuntur.*

Sigismundus Rex Poloniæ *prohibuit Ecclesiasticos prorsus misceri judiciis secularibus, nisi peculiariter à Rege requisitos.* lib. 1. Status Polon. cap. 2. art. 11.

Extat publicum Edictum Leonhardi Donati, Ducis Venetiarum, contra Bullam Papæ, in quo expressè scribit, *quod neminem in temporalibus superiorem agnoscat, quod affectatum dominium Papæ in temporalibus sit contra ea, quæ divina Scriptura, sanctorum Patrum doctrina, sacrique Canones præcipiunt, inque præjudicium cedat secularis autoritatis à Deo traditæ.*

7. Episcopi & Theologi.

Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, sub Carolo II. Ludovici Pii filio, circa Annum Domini 870. ad Pontificem Hadrianum inter cætera sic scripsit: *Dicunt* (Galliæ Episcopi Regibus hac in parte suffragantes) *secularem Scripturam dicere, quia omne regnum seculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apostolici,* (Pontif. Rom.) *vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur, & Scripturam divinam proponunt dicere, Quia Domini est regnum, per quem Reges regnant, & cui voluerit, dat illud ministerio Angelorum & hominum &c.*

Et postea: *Petite Dominum Apostolicum, ut quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui Antecessores Ecclesiasticum Ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in sic longinquis partibus adjuvare non possit, contra subitaneos, & frequentes paganorum impetus, & nos Francos non jubeat illi servire, cui nolumus servire; quia istud jugum sui Antecessores nostris Antecessoribus non imposuerunt &c.*

Paschasius Rodobertus Abbas Corbeiensis circa Annum 880. in Comment. super Lamentat. Jeremiæ lib. 4. cap. 2. talem texit querelam: *Ecce jam penè nulla est secularis vitæ actio, quam non Sacerdotes Christi administrent. Nulla mundi negotia, in quibus altaris ministri se non occupent.*

Et postea: *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, dum susceptæ religionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, dum locum sanctitatis ad terrena negotia deflectimus & mundanis actibus implicamur. Ita quod pejus est, lupi pastores fiunt; ministri altaris negotiatores seculi &c.*

Cum circa Annum 1074. Gregorius VII. Hildebrandus, Imperatorem Henricum IV. è solio Imperiali deturbaret, Episcopi in Germania hoc Pontificis superioritatem in Imperium sibi arrogantis factum improbarunt, sic enim scribit Aventinus lib. 5. Annal. fol. 465 (in al. edit. pag. 359.) *Mense Majo, ubi constitutum fuerat, Imperator, Proceres, Duces frequentes coëunt. Item Petrus Portuensis Episcopus, duo Flamines Romani, Legati Clementis III. Pontificis maximi Archimystæ, hi atque minores Pontifices Galliæ, Germaniæ, VVezilo Moguntinus, Angelbertus Trevirensis, Segivinus Agrippinensis, Luitmarus Bremensis, Theodoricus Virdunensis, Hainricus Leodiensis, Conradus Trajectensis, Udalricus Aichstetensis, Meginardus Fruxinensis, Otto Reginoburgensis, Rupertus Bambergensis, Hermannus Spirensis, Otto Constantiensis, Burchardus Losaniensis, Sigefridus Augustanus, Gebhardus Pragensis, Uto Hildesheimensis, Hainricus Bodebornensis, Erpho Monasterii, Volcmarus Mindensis, Bibo Tullensis, Burchardus Basiliensis, Otto Argentoratensis conveniunt, adsunt Legati aliorum Pontificum Galliæ, Italiæ, Germaniæ, communi omnium consensu Hildebrandi, secta pietati Christianæ repugnans explosa est & exsibilata.*

Idem Aventinus lib. ejusdem pag. 569. *Hugo flamen Romanus, cum literis in Germaniam mittitur: Is, ubi eò venit, voluntate Cæsaris & Sigefridi Moguntini Pontificis in Vangionum urbe Quinquagenalibus Concilium cogit. Interfuêre omnes Episcopi Galliæ, Germaniæ præter Saxonas. Lectæ sunt frequenti Senatu Epistolæ Flaminum primorum populi Romani, in quibus Hildebrandum ambitus & perjurii accersunt, eundem pleraque avarè, superbè facere conqueruntur, hocque rejecto alium Pastorem postulant. Fit Patrum consultum hujusmodi: Hildebrandus, qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro, adversus Imperatoris Romani, rerum Domini à Deo constituti, voluntatem, contra morem majorum, contra leges, contra auspicia Pontificatum Maximum, quem pridem ambivit, & judicio convictus perpetuò abjuravit, invasit &c. Utrumque & Imperium & Pontificatum, sicut Decii & falsorum Deorum cultores factitare consueverunt, usurpat. Utriusque personam, quasi larvæ, lemuresque agitat. Crimen irreligiositatis læsæque Majestatis committit, sacratissimo Cæsari, optimoque Principi, vitam simul cum regno, quorum neutrum dare habet, auferre conatur. Hasce ob causas sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus, populusque Christianus illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oves lupo committendas censent. Huicque Decreto non solum Germaniæ, Galliæque, sed Italiæ quoque Episcopi, Conventu Ticini acto subscripserunt, jurarunteque, se nunquam Pontificem Max. isthoc nomine recepturos.*

Idem in Præfatione lib. 6. pàg. 602. *Ego superioris dissensionis ac seditionis* (inter Henricum IV. Imperatorem & Gregorium VII. Pontificem) *has causas fuisse reperio &c. Hildebrandus non solum absque voluntate & sine consensu Cæsaris, quod hactenus non licuerat, Pontificatum Max. occupavit, verum Imperium etiam Romæ sibi & Successoribus asserere cœpit. Ejus hoc consilium atq;*

ratio

ratio fuit, sicque animum induxit: *probabilia hæc atque verisimilia, ma jam subnectam, paulatim obtinere posse conjectatus est: quæ cum obtinuisset, (uti tandem evenit) tum facilè, dictum factum, inveniri aliquam causam, quamobrem abdicaretur & dejiceretur fastigio rerum atque in ordinem redigeretur vel potentissimus Imperator: atque ratiunculæ tales fuerunt: Omnem potestatem à DEO Christo, à Christo Petro, ejusque Successoribus Romanis Episcopis datam, iisdem religione jurisjurandi, conditione parendi perpetua, cæteris verò Principibus duntaxat temporario Sacramento, quoad illis libeat, quemvis Christianum instructum esse. Licere proinde primario Sacerdoti Imperatorem precario duntaxat regnantem, ubi Romano Pontifici, (qui Christi Domini Deique nostri vicem in terris gerit, ejus religione præsidendo persungitur,) non obtemperabit, abdicare, eidem, sicut cuilibet Christiano diras atque inferias more Pontificum dicere. Imperium enim beneficium Pontificis maximi esse. Item Tyrannum quovis modo è Republ. tollendum, neque liberis Regum quempiam, nisi ab ipsis creatum, quamdiu illis placeat receptum, dominari posse: Episcopum communem animarum parentem atque Pastorem non ab Imperatore in Curia, sed à Sacerdotibus populoque communiter in templo diligendum esse: Et Sacerdotem, qui uxorem habeat, divinam rem non facere, ejus sacrificia summoperè à populo, ne contagione polluantur, evitanda, neque illis ullo pacto decimas & hujusmodi donativa tribuenda esse. Hasque ultimas tres rationes Hildebrandus in vulgus edidit &c.*

(Sic ergò Hildebrandus primus *istam novitatem*, ut Sigebertus loquitur, in Ecclesiam introduxit.)

Circa Annum 1150. Arnoldus Brixiensis damnavit *civilem administrationem* in Clero, seu quòd *sibi jus temporalis gladii Clerici usurparent, atque ob eam causam est ab Hadriano IV. hæreseos damnatus*. Stumpffius in Chron. Helvet.

Circa Annum 1177. Johannes Sarisberiensis in Policratico lib. 8. scripsit: *Rectissimam eminendi viam docuit Christus, qui discipulos suos Regibus gentium noluit conformari, ut dominentur in subditis &c. At isti aliam prætulerunt, ascendentes ex adverso fratrum & ministrandi humilitate rejecta appetunt præ Regibus gentium dominari.*

Eodem tempore Petrus Blesensis tractat. de Instit. Episcopi ad Episc. Wigorniensem scripsit: *Modis omnibus cave, ne secularibus te involvas, nulla enim est consonantia Spiritus Dei ad spiritum hujus mundi, permane in vocatione tua.*

Et paulò post. *Animabus Prælatus es, non corporibus, nihil Prælato commune est cum Pilato. Christi villicus es & Petri Vicarius, nec te respondere oportet Cæsari de commissa tibi jurisdictione sed Christo.*

In Catalogo testium veritatis lib. 16. col. 1595. (edit. recent. Ann 608.) ex veteri quodam Codice citatur Epistola (seculo 12. scripta) cujus ἐπιγραφὴ sic habet: *Ecclesiæ nobili Anglicanæ in luto & latere ancillatæ, Petrus filius Cassiodori, miles Catholicus, pugil Christi devotus salutem & captivitatis jugum abjicere & bravium accipere libertatis.* Ejus autor inter cætera sic loquitur: *Nonne debet in oculis omnium mirabile reputari, quod, ubi Christus pro se & Petro Regibus solvi jussit tributum, ipse regna & regnorum Principes contra voluntatem illius, cujus dicit se esse Vicarium, qui abs se regna & mundi judicia abdicavit, suæ subjicere nititur ditioni, dominio sui styli, quia totum sibi vendicat, quod scripserat esse suum?*

Circa An. 1301. Pontifex non *solum Regi* (Galliarum) *sed toti etiam regno sacrificiis interdixit, seque, non minus in profanis, quàm sacris, Dominum esse prædicavit. Proceres tamen regni unà cum Principibus Sacerdotum convocati, soli Regi profitebantur se esse devinctos, nullum sibi Dominum præter eum agnoscentes. Egit illis gratias Rex, seque illos defensurum pollicebatur.* Jacob. Mejer in Chron. Flandr.

Circa Ann. 1310. Joh. Parisiensis (al. de Parisiis) in tr. de Regali & Papali potestate sic scripsit: *Imperator habet potestatem à solo Deo, non à Pont. Romano*, cap. 8. *Nec Christus habuit Imperium mundanum, cujus Vicarius Pontifex esse cupit.*

In eod. lib. *Si Papa habet à Deo potestatem secularem immediatè, & Princeps habet executionem à Papa immediatè, ergò Princeps est minister Papæ, sicut Papa minister Dei vel Christi, quod videtur inconveniens, & contra Scripturam Canonicam. Dicitur n. Rom. 13. de Rege & Principe, Dei minister est. Non dicit Papæ, sed Dei &c. Item priùs fuit potestas regia secundum se, & quantum ad executionem, quàm Papalis & priùs fuerunt Reges Franciæ in Francia quàm Christiani. Ergò potestas regia nec secundum se, nec quantum ad executionem est à Papa, sed est à Deo & à populo Regem eligente in persona, vel in domo, & sic sicut antè. Dicere n. quod potestas regia priùs esset à Deo immediatè, & postea à Papa, est valdè ridiculosum. Nonn. potest hoc esse, nisi Christus Petro dederit potestatem conferendi regiam potestatem, quod non est verum. Indubitanter est à Deo, igitur, sicut antè.* Et postea. *Licitum est Principi abusum gladii spiritualis repellere eo modo, quo potest, etiam per gladium materialem, præcipuè ubi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reipubl. cujus cura Regi incumbit. Aliter enim sine causa gladium portaret.* Videatur integer Tractatus in volum. 3. Monarch. S. R. Imp. Melchioris Goldasti Haimensfeldii, in quo Johannes ille Parisiensis cap. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. omnia Pontificiorum sui temporis argumenta *pro summa potestate temporali Papæ* elidit.

Circa Annum 1320. Robertus à Licio (al. Liciensis) Monachus in præsentia Papæ & Cardinalium suggestum conscendit & nihil aliud, quàm hæc tantum verba subinde declamando prædicavit, *Vah te sanctum Petrum! vah te sanctum Paulum!* Papa verò, cum eum in carcerem conjicere vellet, causamque ipsius tam insolitæ concionis sciscitaretur, respondit ille: *Non equidem satis possum collaudare Papam cum Cardinalibus, Episcopis, Monachis & id genus suis hominibus, quod clavium potestate sibi ipsis & aliis liberalem cœli aperiendi faciendo copiam tam frugaliter fruuntur & utuntur probè & ex hoc hilarem, jucundamque sibi parant vitam & Bacchanalia vivunt: vice verò versa Petrum, Paulum & similes Apostolos vituperare, quod clavium potestate, utpote, in quos primos à Christo illa est infusa, tam parce usi, duriter adeo & rigide vixerunt, cum illustrem pariter vitam athleticam agere & cœlum rectà intrare potuissent, ut nostrates, verum tenaces Euclиones & austeri patres, cum non opus fuisset, tamen cœli introitum tam difficilem finxerunt & fecerunt.* (Idem etiam de repudiata ab Apostolis, à Papa verò affectata temporali potestate dici potest.)

Cum Anno Christi 1321. Pontifex Johannes XXII. Imperatorem Ludovicum IV. è solio deturbare conaretur, ac Imperium esse Pontificis Romani beneficium, gloriaretur, Ludovicus divini, humanique juris consultissimos quosque in Italia, Germaniis, Galliis, præcipuè Bononiæ atque Lutetiæ, jure utroque ac sacris literis peritos consuluit, Hi omnes rescripsêre, acta & dogmata Johannis adversus Cæsarem Christianæ simplicitati & divinæ Philosophiæ repugnare. Extant hujuscemodi consilia Theologorum in Bibliothecis in membranis scripta. Contra Johan. vigesimum secundum libros quoque edunt hi amici Ludovici Marsilius Patavinus, Johannes Gadunensis, Luitpoldus de Bebenburg, Andreas Laudensis mysta Fruxinensis, Augustæ Magister Epistolarum, Ulricus Hangenor Augusta ortus, sacro Cæsaris scrinio Præfectus, Dantes Aligerius Florentinus, VVilhelmus Occamus Franciscanus Theologus præstantissimus, atque Dialecticus suæ tempestatis acutissimus, Bona Gratia Bergomensis & Michaël Cesenas Franciscanorum Antistes primarius &c. Ad Ludovicum dixisse ferunt, Tu nos pugnis, ense, ferro, armis à servitute asfere, nos te linguâ, calamo, literis, stylo, libris, verbis vindicabimus. Atque illi omnes certatim diserti in Rom. Pont. invecti sunt, ratiocinationes, captiones ejusdem confutant, argumenta diluunt, testimonio divini, humanique juris probant, Johannem libidine dominandi insanire, in Christi plebem grassari. Pontificem Romanum, ut infimum Christianorum, si quidem id, quod cupit, esse vult, quemadmodum Christus, Petrus atque Paulus fuêre, Imperatori subjiciunt, tantum abfuit, ut ejus bullas actaque tuerentur. Qui servus servorum est, inquiunt, *nemini dominari debet, recumbentibus ministret, amet, pascat, cœlo habitet, spretis honore, divitiis, potentia Christum, cujus Vicarium se mentitur, æmuletur, vestigia Pauli sequatur. Hi contumelias, paupertatem, beatitudinem, opes, imperia, spinas atque scelera & cultum Deorum vocant, pleraque tum alia præcepta, legesque vivendi superiores Cæsaris consultores libellis editis Sacerdoti Romano dixere. Quæ Johannes, ubi accepit, illorum libros (pars tamen editi atq; servati in Bibliothecis cum blattis & itineis colluctantur) combussit.* Aventinus lib. 7. Annal. p. 468. (in al. edit. p. 608.)

De Michaële Cesenate (cujus modò facta mentio) sic scribit Christianus Massæus Cameracensis Hieronymita in Chronico mundi Anno 1322. *Johannes Papa Decretalem edidit in Fratricellos, quorum caput erat Magister Michael de Cesena, minister Ordinis Minorum Generalis, Hic dogmatizabat &c. Romanorum Imperatorem non esse subjectum Pontifici, nisi tantum in spiritualibus, & neminem posse salvari, qui aliter crederet.*

Et postea. *Joh. Jandunus & Marsilius Patavinus natione Lombardi, studentes Parisiis, Bavarû (Imp. Ludovicum IV.) adeunt, manus ejus confortant, &, non esse subjectum Pontifici, confirmant. Michael etiam (Cesenas) apud Perusium generale Capitulum celebrat, & contra Pontificem cum Bavaro ad futurum generale Concilium appellant.*

Liranus (circa An. 1343.) in cap. 6. Joh. scribit, *Christum, cum Judæi*

Judæi vellent ipsum Regem creare, fugisse, ne fides Catholica potentiæ humanæ adscriberetur, sicut lex Mahometi. (Hæc ratio etiam valet in Pontifice, qui se *Christi Vicarium* esse gloriatur.)

Idem in 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo solicitè in prædicationis opere implicat se negotiis secularibus.*

Engelbertus Wüstervvitz Clericus Brandenburgensis, qui aliquot annos Romæ Cardinalibus inserviendo consumsit, in Chronico Marchitico sic scribit. *Anno 1405. Innocentio septimo Papæ Romani cives claves civitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omne dominium urbis Romæ, etiam temporale, illi concesserunt, sed minus juste, minusque laudabiliter, quoniam illa temporalium affluentia officit haud parum spiritualibus. Nec Petri successor Papa ejusmodi periculosum temporale dominium sumsisse debuerat. Nusquam equidem legitur, quod priscis temporibus, etiam post donationem Constantini (de qua cuncti curiosi Canonistæ magnum faciunt festum) quispiam summus Pontifex, temporale dominium urbis Romæ gubernaverit. Ast nostris temporibus, nostrâque memoriâ certi Pontifices de illo labores & dolores sibimet inde cumulantes se intromittere ausi fuêre, quandoquidem ab antiquo Roma semper extitit urbs regalis & Imperialis. Alioqui ab Electorib. deputatis ad Imperium legitimè sublimatus quisquis ille foret, incassum & frustrà Rex appellaretur Romanorum, quia non verbis, sed factis prosperari quis debet, cum & lex non verbis, sed factis imposita sit. Et idipsum copiosè veteres protestantur Historiæ.*

Joh. Gerson (qui floruit circa an. 1410.) in lection. super Marcum part. 1. operum f. 99. *Dicunt Historiæ, & legitur in Postilla super Bibliam, quòd, dum dotata esset Ecclesia bonis temporalibus per Constantinum, audita est vox in aëre, Hodiè venenum effusum est in Ecclesia sancta Dei. Et quicquid fuerit de hoc, potuit enim tunc dotatio hujusmodi esse utilis propter bonitatem & fidelitatem dispensantium & dilatationem Ecclesiæ post adversitates habitas, nihilominus nunc aut aliàs poterit spoliatio similiter esse utilis propter malitiam Ecclesiasticorum talibus bonis abutentium & claudatur via malignantium, spinis adversantium, ne cadant in præcipitium vitiorum.*

Idem in tr. de stat. Eccl. *Postquam in Ecclesia multiplicata sunt dominia in temporalib. & spiritualibus, inceperunt intrusiones & schismata in Rom. Ecclesia, propter quæ dominia & potestates continuè fuerunt odia & rancores inter summos Pontifices, Imperatores Romanos & Dominos temporales.*

Id. lect. 2. sup. Marc. ad finem ait, *quòd potuerit quidem initio dotatio hujusmodi esse utilis propter bonitatem & fidelitatem dispensantium, & ditationem Ecclesiæ post adversitates habitas. Sed postea divitiarum magnitudo generavit vermem, ut ibidem Gerson vocat, pessimum, (qui est superbia & voluptas effrenata, quæ tandem majestatem Imperatoriam arrodere, & loca, gentesque imperio subditas depascere cæpit.)*

Apud Cæsarium Cisterciensem dist. 2. c. 28. Clericus Parisiensis edixit, *Episcopos Alemanniæ salvari vix posse, quia penè omnes habeant gladium spiritualem & materialem, deque sanguine judicent, bella exerceant, magisque soliciti sint de stipendiis militum, quàm de salute animarum sibi commissarum.*

Theodoricus à Niem Episc. Verdensis circa an. 1418. in tr. de Schismate *Fatuè & adulatoriè loquuntur illi, qui dicunt, quod Papa seu Ecclesia duos habeat gladios, sc. spiritualem & temporalem, cùm in Evangelio Petro sit dictum, Converte gladium tuum in vaginam, & ibid. additâ ratione, videl. Omnis enim, qui gladio ferit, gladio peribit. Etenim si uterque gladius apud Papam existeret, supervacuè vel fictè Imperator aut Rex Romanus illud nomen haberet. Sed isti adulatores per talia scripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem. Conculcatur enim per hoc Imperialis autoritas, & ejus potestas sub dubio collocatur in totius Reipubl. detrimentum.*

Cum Anno 1429. Frater quidam Prædicatorii Ordinis Johannes Sarazenus periculosas aliquot theses de potestate Papæ defenderet, Facultas Theologica Parisiensis 8. Martii solenniter congregata eas ritè expensas publicè damnavit, dictumque Johannem abjurare compulit, & in contrarias Sacramento adegit.

Nicol. Cusanus Cardin. lib. 3. Conc. Cathol. c. 5. affirmat, *quod Imp. Celsitudo sit independens, quoad sui Naturam primò & supremò distincta à spirituali, habens dependentiam immediatè à Deo.*

Berthorius lib. 34. moralitatum cap. 9. *Quando Constantinus dedit reditus Ecclesiæ, audita est vox in aëre, Hodiè venenum effusum est in Ecclesiam.*

Circa annum 1515. floruit Lutetiæ Johannes Majoris, Theologiæ Professor eximius, qui in Disputatione de potestate Pontificis dist. 24. q. 3. sequentes propugnavit theses, 1. *Maximus Pontifex non habet dominium temporale super Reges &c. 2. Si enim dicas, succedit Christo, & Christus est Dominus omnium. Contrà, probare non potes, quod Christus secundum humanitatem est Dominus omnium, cùm dixerit Pilato, Regnum meum non est de hoc mundo. Et illo dato, consequentia est invalida, & impossibile est eam probare. Crebrò Vicarius non est tantæ autoritatis, quantæ est superior, cujus est Vicarius. Nam Christus instituit Sacramenta, dedit legem gratiæ & potest revocare omne jus divinum positivum: hoc tamen non potest Pontifex. 3. Dato opposito, sequitur hæc conclusio. Constantinus nihil dedit Sylvestro, sed solum restituit ei debitum: cujus contrarium dicitur 96. dist. c. Constantinus, & 12. q. 1. c. Futurum &c. 4. Ipsi Pontifices fatentur, ad se non pertinere jurisdictionem temporalem, nec velle juri Regio detrahere. Innocentius III. in c. Novit. de Judiciis, & Alexander in c. Causam. Qui filii sint legitimi. & illo famoso cap. Per venerabilem. eod. tit. Innocentius III. dicit, quod Rex Francorum Superiorem in temporalibus minimè recognoscit, propterea cum filio, tanquam cum inferiore dispensare poterat. Sed dicit cum Glossa. Non recognoscit de facto debet tamen de jure. Hanc Glossam puto, esse Aurelianensem & textus corruptivam: quia si sic, Romanus Pontifex non respondisset sufficienter illi nobili de monte Pessulano, petenti dispensationem pro suo spurio, quomodo Rex cum suo illegitimo filio dispensarit. Nam dixit Rom. Pontifex, Rex Francorum est supremus in suo regno in temporalibus. Si locutus fuisset de facto, responsio fuisset nulla. Poterat enim sic ille nobilis respondere, ego non cognosco, vel non cognoscam amodò Superiorem de facto. 5. Multi devoti Reges à Pontificibus Maximis canonizati, nunquam Romanos Pontifices supra se in temporalibus admiserunt, & in hoc mortui sunt. Ergo signum est, quòd Rom. Pontifices non habent dominium omnium in temporalibus. Item, Reges non habent suas potestates immediatè à Pont. Romano, nec influentiam ab eo ullam in temporalibus susceperunt, sed consensu populi, successione, emtione, donatione, vel alio titulo habent regna. Potestas enim terrena non sic dependet à potestate spirituali maximi Pontificis ut Centurio à Principe militiæ, sed sicut duæ potestates non subordinatæ, quarum neutra dependet ab altera. Nam regnum possidens non est vasallus Romani Pontificis, nec Imperator ullo modo est ei subjectus.*

Paulus Langius Monachus in Chronico Citicensi, in Historia Anni 1405. repetit verba Engelberti Wüstervvitz Canonici Brandenburgensis paulò antè citata.

Idem. *Anno Domini 1513. Julius II. Pontif. Rom. non tam Apostolicæ Sedis claviger, quam armiger, vi & armis Serviam, Ravennam, Imolam, Faventinam, Forlivium & nonnullas alias Romanæ Ecclesiæ terras, juvante Maximiliano Cæsare, qui & ipse Romano Imperio multa tunc recuperavit, à Venetis recepit & eripuit.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 12. §. 6. *Cur Constantini donum Petri patrimonium vocatur, quod ipse Petrus se non habere gloriatus est? Temporalibus nempe bonis tanquam spinis Ecclesia Christi magis irretitur & obruitur, quàm ædificatur.*

cap. 20. §. 5. *Multoties is, qui dicit, Pax vobis, (Episcopus) non columba, sed corvus reputatur, præsertim illi, qui Principatu seculari judicium sanguinis (quod regalia nuncupant) obtinere prætendunt, & Principes seculares se esse gaudent, hi frequenter labem irregularitatis incurrunt inscii.*

§. 6. *Quo fit, ut nunc temporis Episcoporum status & dignitas perpendatur in terrenis operibus, in sordidis ac plebeis curis, in bellorum processus, in Imperiis mundialibus. Heu Dominus Jesus palam negavit, regnum suum hujus esse mundi, quinimò ipse solus fugit in montem, cum cognovisset, quia populi venturi essent, ut raperent eum & facerent eum Regem: quomodo ergo convenit, ut Christi locum tenens mundanam ditionem non solum admittat, verum etiam ambiat, ut libidine, luxu, violentiâ, superbiâ, fastu, divitiis, rapacitate regnet, quem Christus docuit, esse humilem & corde mitem? Nulla equidem comparatio regni cœlorum (sic enim Christus suam vocat Ecclesiam) cum regno terrarum, ubi est cura congregandi pecuniam, tyrannizandi, tumultuandi, bellandi, triumphandi, ac alia faciendi, sine quibus imperium temporale administrari nequit. Ideò Deus videtur Clericis inhibere dominationem mundanam per Prophetam, dicentem: Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, qui separati estis in diem malum & appropinquatis solio iniquitatis &c. Amos 6.*

§. 7. *Cupiditas nempe principatuum mundanorum, & pompa superfluæ familiæ, equorum, vestium, utensilium, aliarumve rerum temporalium, rarò absque vitio animi & ostentationis habetur, nec salvâ justitiâ sustinetur, & maximè absque injuriis & de ipsis vix gu-* ber-

buntur. Idirco renunciandum erit dominio temporali, quoniam regnum mundiale per se infinitis laboribus obnoxium est, tum verò longè minus feliciter cedit Sacerdotibus, quàm Laicis, idque duabus fere de causis, partim, quod vulgus hominum libentius pareat in hoc genere profanis, quàm Ecclesiasticis dominis; partim, quòd illi, ceu liberis suis relicturi ditionem, student eam quam florentissimam reddere, hi contrà quasi aliunde ad imperium adsciscuntur, ita quoniam sibi ipsis gerunt non heredibus, magis expilant, quàm ornant patrimonium Christi, perinde quasi præda sit adjecta, non provincia. Si sibiipsis Episcopi gerunt imperium, Tyranni sunt; si Reipublicæ, erunt negotiosissimi. Successoribus non favent & plerunque sibi infestos successores adsciscuntur. Inde propinquos locupletare student cum Ecclesiarum suarum expilatione.

§.8. Præterea Episcopi pecuniariis actibus incumbere nituntur. At cur Angelus Dei (sic enim appellatur Episcopus) temporalibus rebus oneratur, quæ vel homine bono sunt indignæ, quibus usurarii sunt divites, & quibus Tyranni nuncupantur magni? Minimè itaque decet, Episcopos onerari iniquo Mammona, neque eidem servire, vel temporalium, seu civilium rerum esse procuratores. Quoniam per usum hujusmodi temporalium ipsi Episcopi suam dignitatem magis vilipendunt, quàm augent, ac debito destituuntur circa subditum populum honore, & populus Christianus orbatur dignis Episcopis, quoniam sacra dona Spiritus sancti extinguuntur atque confunduntur cum profanis mundi donis. Episcopi igitur, (juxta Pauli decretum) si secularia negotia habuerint, ad ea alios constituant. Non enim æquum est, eos relinquere verbum Dei & ministrare mensis. Quamobrem ultro rejicere, vel certè contemtui habere debent bona & officia temporalia, & sic possidere, quasi non habeant. Nam eos, qui ad spiritualis vitæ tranquillitatem sunt destinati, non decet protrahi ad mundanos tumultus, neque in rebus caducis versari, alioquin ipsi dicuntur mortui, qui sepeliunt mortuos.

cap.24.§.initiali. Regalis potestas, præsertim Imperii Christiani, à solo Deo est, quoniam Jeremias extendit dextram & dedit Judæ gladium aureum, dicens: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei. Hinc Dei Sapientia inquit, per me Reges regnant &c. Quod fatetur David, Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Item. Elegit me Dominus, ut essem Rex super Israel &c.

Georg. Wicelius in Compend. de semit. antiq. De utraque Episcoporum potestate operæ precium facit liber, (Apologia Aug. Confessionis) qui recta admonet, idque magis amicè quàm odiose, præsertim cum taxat illorum opinionem, aut potiùs assentationem, qui commiscuerunt in Pontificibus ac Episcopis Ecclesiasticam pariter ac politicam potestatem. Nam eæ quo longius discernuntur, hoc magis Evangelium sapit. Secus antè sensi, quàm penitus ac pressius negotium totum intuerer. Sed tamen verbis dissentiebam potiùs, quàm sensu. Quid n. choro cum foro? quid gladio Spiritus cum gladio carnis? Profectò Apostolus de Apostolis & horum successorib. apertè negat, arma illorum esse carnalia. Quæ est societas Christo cum Herode, aut Paulo cum Agrippa? Itaque magnopere probamus istud discrimen, sicut discrimen ponimus inter cœlũ & terram. Potestas Ecclesiastica de cœlo est, at politica de terra. Utramque verò in uno eodemque homine conjungi posse, disputent alii, qui solent objicere de gemino dispari. Non bene conveniunt, nec in una sede morantur. Verum disputetur ad vivum investigandæ veritatis ergò, utrum idem existere possit Pastor spiritualis & miles plusquam carnalis? ac jurene gestet altera manu pedum Pontificale seu Episcopale, & simul altera ensem cruentum, galeam, thoracemque Martialem? Verum hæc sacra non aliter constant: tantò difficilius est, contra tractum fluminis niti & cum suo depugnare seculo. Alioquin enim provocari poterat ad Ecclesiæ principia, quando tam Pontifices, quàm Episcopi uni vacabant potestati Ecclesiasticæ in timore & tremore Dominum suum audientes, nimirum Vos non sic. Quin & cum Bernhardo quæri poterat. Sicnè fecit Petrus? sicnè Paulus? Talia gestavit arma Linus? Talem zonam induit Clemens? & Episcopi, Dionysius, Ignatius, Augustinus, Ambrosius & infiniti horum similes? Sed esto, ait Bernhardus, alius & alii hominum mores & tempora periculosa non instant jam, sed extant. Hæc Bernhardus. Attamen nihilò segnius faciendum id, quod res est. Nimirum Pontifices, Episcopos, Patriarchas, Cardinales, primam omniũ curam ac operam impendere oportet in ea, quæ solius Dei sunt, memores Paulini mandati, quando inquit: Dicite Archippo, vide ministerium, (Diaconiam) quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Quod mandatum Apostolicum summum literis aureis inscribi, sculpique debuit in omnibus palatiorum Episcopalium fenestris ac parietibus, simul cum hac Apostolica atque gravissima præmonitione. Attendite vobis & cuncto gregi, in quo Spiritus S. vos posuit Episcopos, ad regendum sive pascendum (ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Quod munus propriè suum si sincerè obierint vel biennium, sensim, crede mihi, nauseabunt ad secularia. Semel statuant, potestatem Ecclesiasticam, qua Episcopi sunt, omninò excellere & longè inferiorem esse potestatem, qua Principes sunt. Quod cum sit irrefragabile atque immotum, tamen gaudent audire tantum Principes & propemodum pudet Episcopos dici. Imò illorum aula non sustinet patienter audire, si quis roget, ubi Rever. Episcopus sit: præcisè dicendum est, ubi reperiam meum gratiosissimum Dominum & Principem; sin secus, ad suspicionem malam protinus rapitur. Cujus rei forsan causa est, quod malint esse reipsa Principes, quàm Episcopi, & propensiores sint ad principatum, quàm Episcopatum. Si qui tales existunt, ipsi constituunt semet Episcopi nomine ultra modum indignos, sed hoc pacto non subterfugient iram venturam. Porro quandoquidem usus, mosque publicus obtinuit, ut videl. Pontifices & Episcopi utraque simul potestate fungantur, etiam atque etiam contemplandum est, ne dum alterutri incumbant, alterum negligant. Quod si eligendum est melius, multo satius est, Ecclesiæ curis operisque incumbere Pontifices ac Episcopos, quàm politicis vacare causis & mundi hujus implicari negotiis. Hoc enim alieni officii est, illud verò proprii. Quòd si Cæsar Romanus, totumque Imperium sinceris animis super ea re consultaret ac dispiceret, an utrumque, an verò alterutrum Christianismo conducibilius foret, haud equidem arbitror, Episcopos ipsos hanc deliberationem improbaturos. Omnino prius habeant religiosi Prælati, ut Ecclesiæ Christi benè præsint juxta legem Domini, quàm ut aulæ suæ benè prospiciant, & seculo caduco serviant. Prima cura Christo proxima Ecclesiæ, ultima, si ita libet, ditioni debetur. Addam liberiùs, si constaret potestatem Episcoporum & Pontificiam Ecclesiasticam aut præpediri, aut diminui, aut labefactari, aut evacuari per potestatem politicam, quam simul exercent jure humano, præstabat, alteram videl. hanc potiùs deponere, quàm hujus onere alteri malè præesse, cui primas partes tribui oportuit, & quæ, ut benè administraretur, totum requirit hominem, non divisum ipsum. Adhortamur ideò per miserationes Dei, non præcipimus, primum Pontificem ipsum, maximum Episc. Episcoporum; deinde Episcopos reliquos, præsertim per Germaniam nostram, ut potestatem quam acceperunt à Domino non ad destructionem, sed ad ædificationem Ecclesiæ, eò videl. conferant, ac solam exerceant, misso interim gladio in vaginam suam & politicam politicis hominib. administrandam, tradant, adhibentes in consilium Jethro illum Midianiteu Sacerdotem, quod ille consilium olim Mosi servo Domini dederat, nimirum ut Moses multitudine ac ceu pelago causarum populi Israëlitici adobrutus majora tantum negotia curet, videl. quæ ad cultum divinum spectant, cætera demandet transigenda primatibus in cœtu suo &c.

Et postea. Politicam potestatem in corpora, resque corporeas, honorandam esse ducimus in aliis, qui etiam apud Apostolum audiunt Liturgi Dei, at eam in Præsulibus (ut alienam) magis toleramus, quàm laudamus. Nimirum ab his cœlestia potius, quàm terrestria expectantes inque his priscos Ecclesiæ Episcopos, non Hircanos aut Aristobulos, aut Jasones quærimus, Judaismum cum sceptro conjunctum relinquentes. Toleramus tamen, præsertim si id minimi faciant, respectu potestatis spiritualis, & quod æquum est, exequantur & oderint Tyrannidem satrapicam, & horreant bellum & fugiant expilationem gregis & excoriationem pauperum &c.

Ibid. sub tit. Elenchus abusuum. Dispiciatur, num ad Evangelium Christi Jesu cujus vice fungi fertur, congruat, ut (Pontifex) politicè imperet, non populis solum, verum omnib. etiam Regibus terræ, seseque anteferat Monarchis & in Imperatores imperium sumat, quos velit agnoscens, quos nolit procul abjiciens? Num potestatem hos confirmandi ac approbandi à supremo cœli terræque Domino acceperit, adeò ut Imperator non sit, quem is reprobet, nec tantillum valeat Principum electio atque autoritas, si ille caput quassans renuat?

Et postea sub tit. Abusus Curiarum Episcopalium. Omnes illos abusus progignit status ille Archicus sive ἡγεμονικὸς, cujus initium est ab homine, non à Deo & homo Cæsar poterit Ephoros hosce hoc onere levare, quippe qui imposuit. Qui habet condere, idem habet rescindere. Videbatur illud Ecclesiæ prodesse, sed comperitur obesse, siquidem potestas politica præpedivit Ecclesiasticam & cura seculi præponderavit in detrimentum Christi. Scriptum est de magnis Sacerdotibus, sive illi Synagogici sint, sive Ecclesiastici officium illorum esse in his, quæ apud Deum agantur. Mundus excluditur, nec Deo militans implicatur vitæ hujus negotiis, quod utrumque Paulinum esse intelligis. Et verum est, quod ait Satyricus: Pectora nostra duas non admittentia curas, nempe cœli & terræ, nec minùs verum est, Neminem posse duobus servire dominis.

De Jacobo Vehanski Archiepisco Gesnensi memorat Autor Consilii de recuperanda & inposterum stabilienda pace regni Poloniæ, quod, *cum summus Pontifex excommunicationis telum ei intentaret, propterea quòd animadverteret, eum in consiliis publicis majorem salutis patriæ quàm Sedis Romanæ respectum habere, adeò non passus sit à proposito se dimoveri, ut Pontifici potius rescripserit, se, si pergeret, Reipubl. nomine ei molestiam exhibere, intentatum fulmen in eum retorsurum.*

Eccius in Postill. homil. de festo Stephani. *Nostrates Prælati ordinem invertunt Apostolicum, dum spiritualia graviora, quàm quæ subeant, rati, in Pontificalib. Suffraganeorum, in judiciali Officialium, in absolvendis Pœnitentiariorum ope utuntur, in prædicatione Monachum, nescio quem præferunt, in aliis spiritualibus Vicarios habent. Sin qua in re de censu & temporalibus agitur, res hæc ad Dominum nostrum Episcopum referenda est.*

Claudius Espensæus in 1. Tim. lib. 2. cap. 9. *Nos, proh dolor! ex pacificis in litigiosos degeneramus, eaque est hodiernæ Ecclesiæ praxis, ut quæri seriò soleat, Theologusne an Canonista sit ad Episcopatum aptior &c. Dicunt quidam, priscis quidem Episcopis Theologiam magis convenisse, cujus gladio Catholicis contra hæreticos procedere opus sit; hodiè verò contrà Jurisperitiam magis congruere, quia plures accidunt quæstiones ad jus, quàm ad fidem spectantes. Sed longè aberrant, quia Episcopi non minus hodiè, quàm antè prædicare tenentur, quibus non minùs nunc, quàm tunc in consecratione prædicandi officium imponitur, prædicationis autem materia est divina Scriptura, hanc igitur docere magis tenetur, quàm Canones, quos non immediatè Dominus, sed sancti Dei homines ediderunt.*

c. 11. *Quàm non expediret homines Episcopos Cancellariatu fungi!*

Idem in Comm. 2. Tim. 2. super verba. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, adducit verba Ambrosii super illum locum. *Ecclesiasticus autem idcirco se probat Deo, ut huic devotus officium impleat, quod spopondit, in Dei rebus solicitus, à seculari negotio alienus. Non enim convenit, unum habere duplicem professionem.* Postea subjungit. *At nunc, quod post Augustinum queritur Anshelmus, nunc, inquam, videmus secularium causarum discussionibus intendere ac de temporalibus judicare Episcopos. Quid dicturi boni Patres, qui hujus & similium locorum occasione sacris hominibus adeò profanis negotiis interdixerunt, ut & inde titulum fecerint, ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis sese implicent &c.* Et paulò ante. *Si miles terrenus, ut victoriam adversus hostes patriæ obtineat, ab omnibus, quæ ab armis abstrahunt, negotiis & delitiis abstinet, quantò magis Christianus, ut Deo, cui se devovit, se probet, ab iis, quæ ab eo abstrahunt, curis vacabit. Quod cum de omnibus dictum sit, inquit Cyprianus, quanto magis molestiis & laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus ac spiritualibus occupati sunt?*

Lib. 2. Digress. in 1. Tim. c. 6. querimoniam Cleri Leodiensis ad Paschalem II. Pont. ex tom. 2. Concil. suam facit, *Gregorium quidem I. idololatras Longobardos & Ambrosium Arianos, tametsi possent, non gladio, sed precibus superâsse, Reges autem & Imperatores aut minimè aut difficilè excommunicâsse.*

Idem lib. 2. Digress. pag 275. *Gregorius VII. Pontif. cui nomen erat Hildebrandus, novo exemplo regnum & Sacerdotium scindens, primus Sacerdotalem lanceam contra Imperii diadema elevans, se suoque exemplo alios Pontifices contra Principes & excommunicatos gladio accinxit, belloque quasi hæreditario insurrexit &c. Utinam Petrum in feriendo imitati, Petrũ in recondendo gladio imitarentur!*

Idem Espensæus in Epist. ad Titum Digress. 2. sub finem, & Digress. 10. de autoritate Principum, conqueritur *de Tridentina Synodo, quòd Caroli IX. Galliarum Regis postulatum, ut Episcopi judicio rerum civilium abstinerent, ne responso quidem dignata sit.* (Quæ verba Index Expurgat. Hispanicus in verbo Claudius Espensæus, deleri jussit.)

Idem Espensæus in Comm. Tit 3. Digress. 10. p. 513. *Turbulenti quidam, motâ inter regnum & Sacerdotium controversia, mirum quot, quantasque turbas utrinque dederint! Atqui tot post Paulum, tot ante hanc Camarinam annorum Centenariis, & Chrysostomus, ut nihil unquam tale futurum suspicans, simpliciter illud (omnis anima subdita sit &c.) enarrat! Omnis, inquit, etiamsi sive Apostolus, sive Propheta, sive Sacerdos, sive Monachus &c. quem illic sequuntur Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & qui non Græci?*

Erasmus in Compend. Theol. p. 26. *Non dictum est, rege aut subige oves, sed pasce, neque dictum est oves tuas, sed meas; alieni gregis Pastor es, non Dominus; vide ut oves bona fide annumeres tibi creditas.*

Idem Erasmus in Chiliadibus in Proverb. Sileni Alcibiadis. *Quos potiùs exprimant vitâ Pontifices, quam quos plumbo exprimunt, quos titulis referunt, quorum vices occupant? An magis convenit, Julios, Alexandros, Cræsos & Xerxes nihil aliud, quàm magnos latrones, imitari Christi Vicarium, quàm ipsum Christum unicum Ecclesiæ Ducem & Imperatorem? Quos justiùs æmulentur Apostolorum successores, quàm Apostolorum Principem? Christus palam negavit, regnum suum esse hujus mundi: & tu convenire putas, ut Christi successor mundanam ditionem non solum admittat, verum etiam ambiat, proque hac omnem, quod ajunt, lapidem moveat?*

Ibid. *Cur Apostolicos principes eis ornamentis magnos fieri vis, quibus calcandis magni fuerunt Apostoli? cur illud Petri patrimonium vocas, quod ipse Petrus se non habere gloriatus est? cur Christi Vicarios opibus irretiendos putas, quas ipse Christus appellavit spinas?*

In annot. 1. Tim. 3. p. 469. *Olim qui Episcopatum appetebat, præclarum opus appetebat; his temporibus, qui Episcopatum expetit, bonum censum expetit, præclarum imperium expetit.*

Idem in annot. 1. Petr. 5. p. 533. *Pascite gregem, non dominantes &c. Præceptum hoc Apostolorum Principis in omnibus omnium Episcoporum aulis vel aureis literis oportebat inscribi. Pascite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate, idque non coacte, velut ex officio, sed ex sincero affectu, tanquam patres, neque turpis lucri gratia, quasi præsentiens, Ecclesiæ pestem hinc orituram. Denique non dominantes more Regum, sed exemplo pascite, benefactis vincite. Nunc Episcoporum vulgus nihil audit ab assentatoribus, nisi dominia, ditiones, gladios claves potestates, atque hinc fastus quorundam plus quàm regius, sævitia plus quàm Tyrannica. Jam Romano Pontifici magnis voluminibus adulamur, potestatem Christo parem tribuentes &c.*

Johannes Ferus ad cap. 16. Matth. lib. 3. pag. 30. (edit. Ann. 1559.) *Potestatem igitur Petrus accepit, non terrenam aliquam, ut possit scil. dare, auferre, alienare regna, principatus &c. nec talem potestatem, ut sibi licuerit facere, quicquid libuisset &c.* (Curatores editionis Lugdunensis Ann. 609. dicti hujus claritatem sustinere non potuerunt, ideò per manifestum crimen falsi ad verbum *principatus* addiderunt, *nisi legitima subsit causa.*)

Idem Ferus in cap. 22. Matth. lib. 3. p. 167. *Christus oblatum denarium se agnoscere dissimulabat, ut ostenderet, se non terrena, sed cœlestia tractare, simulque doceret, quàm non oporteat callere Principum negotia, qui se Vicarios Christi profitentes docere debent cœlestia.*

Salmeron tom. 7. tract. 18. p. 104. *Augustinus non ita vacabat litibus discernendis, ut interim à prædicatione & Episcopi muneribus vacaret. Quod nunc Episcopi causis civilibus & criminalibus incumbunt, consuetudine Ecclesiarum introductum.* (Ergo melioribus Ecclesiæ temporibus illud non erat usitatum.)

Idem tom. 8. tr. 59. p. 466. *Docemur, jura utriusque potestatis & secularis & Ecclesiasticæ distincta esse &c. Ergo Sacerdos non debet, relicto grege suo, potestatem Laicam sibi usurpare, aut in aulis, vel in bellis, vel in negotiis mundi servire. Nemo enim militans Deo, ait Apostolus, implicat se negotiis secularibus &c. Principes etiam Laici debent cavere, ne Episcopos ad profana munia asciscant, ne à pascendis gregibus suis, & propulsandis hæreticis, & ministrandis Sacramentis, & populo suo exhibenda præsentia impediantur.*

Tom. 16 Disp. 4. in 1. Epist. Petri. *Christus coram Pilato declaravit, regnum suum non esse de hoc mundo, sed à Deo & desuper. Et regnum quidem, non seculare, quod habet pro fine divitias, honores & gloriam mundi. Nam hoc regnum, cum Christo esset oblatum, fugiens recusavit, sed spirituale est, cujus finis est vita & gloria æterna &c. Papa non tantum summus est Sacerdos loco Christi, sed etiam verè est Rex, sed spiritualis, vice ejus verbo & exemplo per seipsum & per alios Ecclesiam gubernans & pascens gregem Domini.*

Idem Disp. 5. in Epist. Rom. *Paulus ad Evangelium separatus, etiam separatus fuit à negotiis secularibus*, quod probat ex dicto Apostolico: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* (Quòd si ergo Pontifex cupit audire successor Petri, ad Evangelium itidem separati, agnoscat, se vi hujus separationis à negotiis etiam secularibus separatum.)

Autor Orat. ad Regem Christianissimum, qui se Catholicum nominat p. 19. edit. Lugdun. *Claves, quas Deus dedit Petro & sanctis Patribus, successorib. ejus, ad regnum cœlorum duntaxat pertinent, ad regnum terræ nullo modo. Ille ipse omnipotens, cum hic in terris ageret, non instituit castigare Reges, non coronas effringere, sed contra tota vita ipsius fuit quidam apertus humilitatis liber.*

P. 15. *Propositionem illam, quòd penes Pontifices sit, ut Reges excommunicent, & à jurejurando ac fide data absolvant subditos, quotquot in regno Gallico, ex quo Christianum est, vixerunt, exploserunt velut omnium periculosissimam & summè adversantem verbo Dei, qui dixit, regnum meum non est de hoc mundo; super quem locum*

cum Augustinus tract. 115. in Joh. scribit. *Audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram.*

P. 16. *Johannes Tanquarellus Anno 1561. aresto Parlamenti fuit in solennem professionem honorariæ pœnitentiæ damnatus, & ut à Rege veniam posceret de eo, quod suis thesibus propositionem istam ausus fuisset inserere, quamvis exposuisset, se illam disputandi gratia perscripsisse.*

P. 21. *Famosam illam Extravagantem communem, Unam sanctam de majoritate & obedientia, semper damnavit Gallia.*

Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 8. art. 5. ut probet, *Clericos non debere secularibus negotiis vacare*, adducit & approbat dicta sequentia.

Clem. Rom. Epist. 1. *Non judicem aut cognitorem secularium negotiorum hodiè te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare.*

Can. Apost. 71. *Dicimus, non oportere, ut Episcopus aut Presbyter se in populares administrationes dejiciat, sed potius Ecclesiæ rebus necessariis oportunum tempus impendat.*

Cap. 73. *Episcopus, qui utrumque retinere vult Magistratum, Romanum & administrationem suam, deponatur.*

Const. Apost. lib. 2. c. 6. *Episcopus ne se implicet vitæ negotiis.*

Synesius Epist. 57. *Politicam virtutem Sacerdotio agglutinare idem est quod convolvere, quæ convolvi non possunt. Antiquum tempus tulit eosdem Sacerdotes & judices &c. Deinde postquam divinum opus humano more fiebat, distraxit Deus vitas, & hæc quidem Sacerdotalis, illa Principalis facta est &c. Cur copulare tentes, quæ à Deo separata sunt?*

Synodus Chalcedonensis Can. 7. *Eos, qui in Clero semel ordinati sunt, statuimus ad secularem dignitatem non posse venire.*

Theodorus Balsamon ad Can. 3. Synodi Chalcedonensis. *Diversi Canones prohibuerunt, Clericos curas negotiorum secularium suscipere, alienasque causas & ministeria tractare.*

Cyprianus lib. 1. Epist. 8. *Molestiis & laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus & spiritualibus occupati ab Ecclesia recedere & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt.*

Ambrosius in cap. 2. poster. ad Tim. *Ecclesiasticus in Dei rebus solicitus à seculari negotio sit alienus. Non enim convenit, unum duplicem professionem habere.*

Radulphus Ardens in festo S. Lucæ. *Prædicator prohibetur ferre peram, i. e. onus secularium negotiorum, ne si collum mentis ejus opprimat, ad cœlestia aliis prædicanda non assurgat.* Hæc omnia & plura ejusdem generis Coccius d. l. adducit.

Stapleton. in Promt. Cath. Domin. 22. post Trin. text. 2. *Catholicam doctrinam, de distincta potestate Ecclesiastica & politica, Christus hoc loco, Matth. 22 Date Cæsari &c. diserte docet.*

Et postea. *Christus ita respondet, ut spiritualem potestatem tam suam, quam eorum, quos missurus esset, à politica & regia distinctam stabiliret.*

Autor libri de Eccles. & polit. potest. in Gallia scripti edit. Francof. Ann. 612. p. 24. & seqq. multis Scripturæ dictis demonstrat, *Ecclesiam nec territorium, nec jus gladii, carceris, aut alterius pœnæ corporalis habere, de terrenis hereditatibus ac possessionibus minime judicare, cum animas hominum, non terrena imperia habeat pro subjecto, Ecclesiasticos non debere se negotiis secularib. immiscere &c.* Et addit, *à quo tempore contrarium fieri captum, magnam Ecclesiasticæ disciplinæ conturbationem esse subsecutam.*

Thomas Widringtonus Scriptor Pontificius in Apolog. pro jure Principum demonstrat *per doctrinam Jesuiticam de summa potestate Pontificis in Imperatorem, Reges & Principes, non solum ipsorum regna & diademata, sed etiam vitam & sanguinem Pontifici subjici. Primum autem* (inquit) *& præcipuum inconveniens est, quia sequeretur primò, summum Pontificem non solum habere jure divino autoritatem in ordine ad bonum spirituale privandi Principes suis dominiis, verum etiam vita corporali. Secundò sequeretur, posse Papam dare etiam licentiam cuilibet privato, ut tales Principes in ordine ad idem bonum spirituale per insidias interficiat, si aliquin deponi commodè non possint. Prima consequentia est ex se manifesta, tum quia, cum vita sit res temporalis, & Pontifex ex sententia Cardinalis Bellarmini plenam habeat potestatem disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, etiam Principum, non potest assignari sufficiens ratio, quare in ordine ad eundem finem etiam de vita corporea Principum disponere non possit, qui plerunque vita privari, quàm è regno pulsi vivere cum ignominia, optabilius arbitrantur. Secunda etiam consequentia erit satis perspicua, si prius supponamus, quod docet Gregorius Sayrus in Clave regia lib. 7. cap. 11. num. 11. cum quo cæteri Theologi & totius Christiani orbis consuetudo in hoc consentiunt. Ita ergo scribit Sayrus: Rex, Princeps, aut Respublica legem statuere, aut facultatem alicui concedere absolutè non potest, ut quis ante judicis sententiam malefactorem occidat. Ratio est, quia est contra jus Naturæ, ut quis non auditus condemnetur. Etenim condemnationem juridicam præcedere debet cognitio juridica, ita scil. ut condemnandus citetur, eique defensio concedatur, ut exinde statuatur, licitè an illicitè aliquid fecerit. Neque Princeps ipse, quamvis scientia privata certò novit aliquem morte dignum, eum tamen occidere potest, donec juridicè convincatur de crimine. Et hinc homicidii sunt rei occidentes veneno, vel alias secreto, de mandato Dominorum non citatos, non auditos, non condemnatos, etiamsi rei læsæ Majestatis dicerentur, ut rectè docet Cajetanus in verbo Homicidium. Et quamvis Princeps humanis legibus solutus sit, juri tamen naturali subjectus est. Exigit autem Natura actus publici, (qualis est justa hominis occisio) ut ex potestate & scientia publica procedat. Hæc tamen doctrina limitari solet, ita ut procedat, primo quando crimen esset publicum & notorium: tunc enim sine citatione, defensione & processu condemnari & puniri potest. Secundò, quando reus ita esset potens, ut capi non posset, tunc enim non vocatus & non defensus condemnari posset in absentia. Et ita Navarrus in Manuali num. 10. cap. 25. dicit, se excusasse magnum quendam Monarcham, qui virtute processus, in absentia facti, & sententiæ, sine citatione latæ, fecit capite plecti quendam suorum militum ducem, sibi in alio regno militantem, quia nec capi, nec sine metu rebellionis illius & magnæ partis exercitus audiri posset. Post latam autem sententiam & declarationem criminis, qua quis justè ad mortem damnatus est, potest licitè Princeps vel Respublica concedere hominibus privatis facultatem occidendi malefactores in aliquibus casibus: Prima est circa latrones publicos, assasinos & aliarum viarum invasores & perturbatores Reipublicæ. Cum enim isti aggressores sint & hostes Reipublicæ & singularum de illa personarum, concedi potest facultas occidendi istos cum non possint alia via comprehendi. Hactenus Sayrus. Ex qua doctrina evidentissimè colligitur consequentia præcedens. Cum enim ex sententia Card. Bellarmini summus Pontifex sit supremus Princeps omnium Christianorum, etiam Regum, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, in ordine ad bonum spirituale, & consequenter in ordine ad illud bonum tantam habeat super Principes autoritatem, quantam ipsi Principes super suos subditos habent potestatem, necessario consequitur, quòd habeat potestatem lupos quoscunque, etiam Principes, qui Ecclesiam devastant, latrones publicos boni spiritualis, assasinos & alios, non viarum, sed animarum invasores, hostes ac perturbatores Ecclesiæ, (quales sunt Principes hæretici, qui alios ad hæresin pertrahere conantur) extremo supplicio afficiendi. Et si crimen est publicum ac notorium, aut si ipsi ita potentes sunt, ut sine periculo rebellionis capi non queant, (quales sunt omnes ejusmodi Principes) possunt sine citatione, defensione & processu in absentia condemnari. Atque post latam sententiam declaratoriam criminis, qua justè ad mortem condemnantur, potest summus Pontifex concedere hominibus privatis facultatem hujusmodi malefactores veneno aut aliis viis occultis aut apertis è medio auferendi. Ex quo sequitur, cum hujusmodi condemnationis sententia ferri possit ita secreto, ut vix possibile sit, ad talium Principum notitiam pervenire eam posse, ejusmodi Principes vix uno temporis momento, vel de propria vita, vel de subditorum fidelitate esse securos, sed ipsorum salutem ex Pontificis beneplacito quàm maximè pendere. Cum enim ex mente Bellarmini quid bono spirituali prosit, noceat vel obsistat, penes Pontificem sit judicare, ejusque judicio acquiescendum, quis non videat, quod voluntas Pontificis (juxta illud Poëtæ) pro ratione stare debeat, ejusque judicium tam quoad vitam, quam bona cæteraque omnia temporalia, quæ bono spirituali obsunt, ab illius beneplacito vix disjungi possit?* (Sed non opus hic agere consequentiis, cum Bellarminus lib. 5. de Pont. Roman. c. 8. & in lib. adversus Barclaium passim, & Becanus lib. de controv. Anglic. p. 123. *eandem, dicant, habere Pontificem potestatem, quam olim habuerit Jojada Pontifex, qui Athaliam Reginam non modo regno, sed etiam vita privavit.* Quin & à Jesuita Mariana lib. 1. de Reg. & Regis instruct. cap. 6. adorea publica afficitur Parricidium in Henricum III. Valesium commissum, cujus autorem Monachum Dominicanum Jacobum & Clementem, sicut & conjurationis pulverariæ in Anglia conscios Garnetum Oldecornium Martyrum numero nonnulli non verentur adscribere, Molinæo teste. Publicata certè Legenda istius Parricidæ scribitur titulo, *Vita Sancti Clementis.* Quin sicut Galli scribunt in pio consilio de Papæ monitorialibus tom. 2. de Monarchia Imperii apud Goldastum p. 162. *ipse Pontifex Sixtus V. hoc tam immane Monachi*

facinus cum comperisset, inter gaudia & triumphos publicos, totâ Româ ob parricidium commissum omni voluptatum genere exultante, Cardinales & totum clientum suorum numerum in Consistorium convocavit, concionem Papalem apud eos habiturus. Actum hoc est die 11. Sept. Ann. 1589. Ejus argumentum fuit, *Monachum illum Regis sui parricidam in divorum numerum referendum esse, illiusque zelum magnificis laudibus evehendum esse. Ac quia ad facinus aliquod exaggerandum in comparationibus plurimum inesse momenti sciret, cum nullum satis gloriosum facinus in iis omnibus, quæ de heroicis illustrium virorum actis referuntur, illi occurreret, quod cum illo meritò conferri posse putaret, ex Deo ipso comparationem illam repetiit, ac Regis cædem in cubiculo suo, Monachi perfidia venenato cultro interfecti, cum ipsius mundi creatione, ignoscat Deus ista referenti, cum incarnatione Filii Dei, cum resurrectionis Christi mysterio conferre, non fuit veritus, quam orationem Pontifex intra conclavis septum contineri non passus, in vulgus edendam curasse dicitur.)*

Inde idem Widringtonus in d. Apolog. num. 114. meritò concludit, *propositionem istam, qua Pontifex dicitur non posse Principes seculares suis regnis & principatu privare, etiamsi illis privari alioqui mereantur, nec esse hæresin, nec Catholicæ doctrinæ repugnantem, eamque expressis verbis defendi à pluribus Doctoribus Catholicis.*

Ibid. n. 284. 343. 344. ex Ignatio, Justino Martyre, Tertulliano, Origene, Ambrosio, Augustino, Bernhardo &c. demonstrat, *Principibus etiam infidelibus in rebus politicis sine exceptione esse obediendum.*

Idem in Disputat. de juram. fidelit. cap. 6. sect. 3. num. 6. probat, *Papam in votis & juramentis soli Deo factis dispensare posse, non ea abrogando, sed in Deo gratius quid commutando, in juramentis autem proximo factis citra consensum tertii non posse, quia jus divinum neminem privat suo jure, quod legitime acquisivit.* Pro qua sententia adducit Dominicum à Soto lib. 8. de justit. & jure quæst. 1. art. 9. Petrum de Arragonia in 2. 2. q. 89. art. 9. Gregorium Sairum lib. 5. Thesauri cap. 8. n. 4.

Idem in Disput. de juram. fidel. pag. 56. & seqq. & in Apologia pro jure Princ. n. 416. memorat, *supremæ illi potestati Pontificis in temporalibus Blakvville Archipresbyterum Angliæ, tredecim Sacerdotes Pontificios & alios innumeros in Anglia contradixisse.*

Cardinalis de Pelleve in Conventu Ordinum Conjuratorum Parisiis Ann. 1595. *articulum illum Sessionis Tridentinæ 25. cap. 19. quo statuitur privari Regem civitate illa, locove, in quo permiserit duellum, pronunciavit, esse contra autoritatem Regis, qui non possit privari suo dominio temporali, respectu cujus nullum omnino superiorem agnoscit.* Recitat Widringtonus in Apol. §. 31.

Anno 1626. die 4. Aprilis, Facultas Theologica Parisiensis, contra Jesuitæ Sanctarelli librum de potestate Pontificis temporali, hanc Censuram edidit:

Die prima Aprilis Anno 1626. post Missam de Spiritu S. habitis solenni more & usitatis Comitiis in aula Collegii Sorbonæ de impio libro Sanctarelli Jesuitæ, audita est relatio Doctorum, ab eadem Facultate selectorum, qui exposuerunt, in duob. illis capitibus, quæ ipsis notata fuerant, sequentes propositiones contineri; Papam posse pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosque deponere & regnis suis privare, ob crimen hæresis, eorumque subditos ab illorum obœdientia liberare, eamque semper in Ecclesia fuisse consuetudinem; & non tantum propter hæresin, verum etiam propter alias causas, ut pro delictis, si expedit, si Principes sunt negligentes, propter insufficientiam & inutilitatem suarum personarum. Item. Pontificem jus & potestatem habere in spiritualia simul & temporalia; & hanc ipsam potestatem Papam habere jure divino; Credendum esse, Ecclesiæ summoque ejus Pastori concessam esse facultatem puniendi temporalibus pœnis (Principes) qui peccant contra leges divinas & humanas, præsertim si crimen ipsorum est hæresis. Dixerunt etiam, eundem Sanctarellum affirmare, Apostolos fuisse quidem subjectos Princip. secularibus, verum de facto & non de jure. Item. Statim atque constituta est Majestas Pontificia, omnes Principes cæpisse illi subjectos esse. Breviter, retulerunt, autorem hunc explicare verba Jesu Christi; quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis &c. non tantum de potestate spirituali, sed etiam de temporali; ipsum etiam depravare & corrumpere textum S. Pauli, (2. Cor. 10. potestatem dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem) detrahendo negationem; & affingere etiam autoribus à se citatis talia, quæ ipsis nec per somnium quidem in mentem venerunt; concludentes, hæc & multa alia quæ retulissent, gravi Facultatis animadversione & Censura dignissima esse. Re igitur in deliberationem à D. Decano adducta, auditis etiam omnium Doctorum sententiis, & votis ipsorum collectis, bene trutinatis, Facultas improbavit & damnavit doctrinam in his propositionibus, & allegatorum capitum conclusionibus, tanquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, dignitati Pontificiæ odium conciliantem, schismati longam portam aperientem, supremæ Regum autoritati à solo Deo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum conversionem impedientem, pacem publicam turbantem; Regna, Status, Respubl. evertentem; breviter, subditos à debita obœdientia, quam Superioribus debent, avocantem, liberantem; & ad factiones, rebelliones, & seditiones, & Principum parricidia excitantem. Datum in Sorbona die & anno præfatis, & recognitum die 4. Aprilis 1626. De mandato D. D. Decani & Doctorum Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis. Signatum P. H. Bovvot. Hæc Censura & Gallico & Italico idiomate in publicum est edita.

Ex Jac. Augusto Thuano lib. 28. Hist. memorat Chamierus tom. 2. panstrat. lib. 15. c. 14. n. 10. *Anno 1561. quendam Studii Theologici Candidatum, Johannem Tanquarellum, Theologorum quorundam malè consultorum impulsu, inter alia themata hanc Pontifici adscripsisse autoritatem, quod tanquam solus Christi Vicarius & Ecclesiæ Monarcha potestate spirituali & seculari omnes fideles subjectos continere Principes, suisque præceptis regno ac dignitatibus exuere possit. Hoc ad Regem* (Carolum IX.) *cum referretur, atque ad seditionem & legitimi obsequii, quod Regi ac Magistratibus debetur, fidem labefactandam spectare videretur, Tanquarellus ex decreto Senatus mulcta honoraria puniendus fuit, & per Apparitorem Facultatis Theologicæ, (ipse enim absens erat) pronunciare debuit, temerè & inconsideratè eam quæstionem agitatam fuisse, ac denique veniam delicti à Rege petere, adeoque reipsa factum, ut Petrus Bustus Tanquarelli nomine errorem à Bonifacio VIII. invectum & post ejus mortem passim damnatum, stans nudo capite ignominiosa confessione recantaret.*

Petrus Suavis lib. 5. Hist. Conc. Trid. p. 543. eandem Historiam hisce recenset verbis: *Johannes Tanquarellus Studii Theologici Candidatus, de more Sorbonensis Scholæ industriæ suæ periculum facturus de consilio quorundam Theologorum hæc inter alia capita disceptanda proposuerat, Pontificem Christi Vicarium & Ecclesiæ Monarcham Reges ac Principes præceptis suis minus obsequentes regnis, dignitatibus ac ditionibus suis exuere posse. Quo nomine in judicium vocatus, propriaque confessione criminis manifestus, cum malè sibi metueret, aufugit. At judices eo absente decreverunt, ut Apparitor Facultatis Theologicæ in Academia, personam absentis repræsentans, quæstionem eam temere agitatam agnosceret & ignominiosa Confessione retractaret. Vetitum quoque, ne hujusmodi quæstiones imposterum à Theologis agitentur: simul imperatum, ut ex his nonnulli Regem adeant, eique supplicent, ut ipsis gratiam faciat offensionis, quod rem tantam, quæ ad labefactandam fidem obsequii Regibus debiti spectat, in quæstionem adduci sinerent, seque huic doctrinæ repugnatores sponderent. Hanc ob causam de Gallis Romæ non aliter loquebantur, quàm de hæreticis deploratis, qui negabant autoritatem à Christo datam D. Petro pascendi universi gregis omniumque solvendorum ac ligandorum, quæ potestas versatur potissimum in delictis, quibus scandalum aut detrimentum Ecclesiæ in universum adfertur, coercendis, nullo habito Principis aut privati hominis discrimine. Confer Benignum Millelotum in tract. de delicto communi & privilegiato.*

Johannes Hartus in præfat. Colloq. cum Rainoldo. *Licet excellentior sit potestas spiritualis nobiliorque temporali, utraque tamen à Deo est, nec altera ab altera pendet, unde hoc tanquam certam conclusionem colligo, eorum nempe opinionem, qui Pontificem temporalem etiam Regum, Principumque dominum censent, à ratione atque probabilitate prorsus abhorrere. Non enim in civilibus rebus quicquam in illos juris habet, nedum ut ipsos dejiciat, eorumve imperia aliis deferat, hoc illi in mandatis datum non est. Pater is, meo judicio, Ecclesiæ est, non Princeps mundi, ne Christo quidem ipso talem aliquem titulum sibi assumente, eundemve Petro aut cuiquam discipulorum suorum concedente.*

Libellus Collegii Wisbac. in Resp. ad Ordin. Jesuit. Patronum generosum p. 15. *Christus nunquam hanc potestatem Petro delegabat, ut traderet gentem in gentem. Pone gladium in vaginam, ipsi præcipit.* (Vide Mort. in Apol. Cathol. part. 1. cap. 74. p. 324.)

Jesuitæ Pontimusonii supplices facti Henrico IV. Galliarum Regi pro Sodalitio suo in Galliis rursum recipiendo dixerunt, *nil magis adversari Ordini Ecclesiastico, quàm immiscere se rebus secularibus, à quibus sint animo longè alienissimo.* Continuat. Schleidan. tom. 3. p. 421. edit. Ann. 603.

Gaspar Scioppius in Syntagm. de Antichristo p. 64. *Romam modernam nullum prorsus regnum habere super Reges terræ de jure,* asserit.

Cum

Cum Pontifices Romani Pius IV. Pius V. Clemens VIII. Paulus V. Reginæ ac Regis Angliæ ac Venetorum subditos à juramento fidelitatis absolverent, & iis, qui nondum præstiterant, injungeret, *ne unquam præscriptam juramenti formulam præstarent*, adversus edicta præclarissimi inter Pontificios tum Theologi, tum Jurisconsulti masculè pugnarunt, atque effecerunt, ne ullum quidquam valuerit. Ex Venetis VII. Theologi, & post eos Paulus Servita & Johannes Marsilius. Ex Anglis prædictus Widringtonus, Romanæ hæreseos in aliis tenacissimus, in Apologia pro jure Principum adversus Bellarminum, & Disputatione Theologica, pro juramento fidelitatis conscripta, præter ea, quæ Rex Angliæ & ejus subditi magno numero & pondere Brevibus illis Pontificiis opposuerũt.

Gallofrancus in Epist. ad Philenetum pro libertate Status Veneti Ann. 606. Paris. *Videant, qui temporalem gladium in potestate Petri, atque ideò in Ecclesia esse contendunt, cum tamen D. Paulus in 2. Corinth. 10. contra dixerit, Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.*

Hieronymus Vendramenus Sacerdos Venetus in assert. contra Reipubl. Venetæ detractores thes. 1. *Summus Pontifex, qua Christi Vicarius est, nullum habet temporale dominium in Principum secularium regnis atque imperio.*

Theologus quidam Pontificius in causa Venetorum contra Pontificem Paulum V. publico scripto demonstravit, *Principum potestatem à Deo dependere, Pontificisque potestatem merè spiritualem esse.* Cont. Schleid. p. 758. Ann. 605.

Huic scripto opposuit se Cardinalis Bellarminus, verum est à Marsilio Presbytero Neapolitano refutatus. Contin. Schleid. d. l.

Prostant complures ejusmodi considerationes Censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempubl. Venetam, à Paulo Veneto Ordinis Servorum editæ, in quibus firmis argumentis evincitur, *Pontificem in Principes seculares, quoad temporalia, nullum habere imperium, & Ecclesiasticas personas Magistratui seculari esse subjectas.* Inter alia sic scribit ille Paulus: *Considerent contradicentes, num unquam ex Pontificibus Episcopis aut aliis Sacerdotibus aliqui dixerint, se à potestatibus Principum & Magistratuum esse exemtos, ne unum quidem invenerint; illorum verò non paucos, qui suam ipsius subjectionem apertè sint confessi, justitiam solummodo in iis rebus negantes, in quibus condemnabantur. Hujus famosissimum exemplum habemus in Polycarpo Smyrnensi Episcopo, Johannis Evangelistæ discipulo, nostræque fidei fundatore, & post Apostolos Theologo præstantissimo, qui apud Eusebium ita ait: Magistratibus & potestatibus enim à Deo constitutis eum honorem, qui nostrarum animarum saluti, nostræque religioni nihil affert detrimenti, pro dignitate tribuere docemur. Objiciunt aliqui, Apostolum subjectionem illam Christianis mandasse, cum Principes adhuc essent Ethnici & infideles, postea vero, cum facti essent Christiani, non amplius; idque propterea, quia Ecclesiastici, ratione sacri sui ordinis & autoritatis spiritualis, multo sint majores. His S. Johannes Chrysostomus in hunc modum respondet: Si enim Paulus, cum gentiles adhuc essent Principes, præcepit, multo magis oportet & fidelibus exhibere.* Huc pertinet tractatio Theologorum Venetorum. Petri Antonii ArchiDiaconi, & Vicarii Generalis Veneti; Pauli Ordinis Servorum Theologi Reip. Venetæ, Bernhardi Gordani Minoris Observantis Theologi, Michaelis Agnoti Minoris Observantis Theologi, Marci Antonii Capelli Minoris Conventualis Theologi, Camilli Augustiniani Theologi & Fulgentii Ordin. Servorum Theologi. Hi omnes potestatem Pontificis absolutam & Universalem in temporalibus oppugnarunt.

Ex parte etiam nostræ sententiæ suffragatur, quod Bellarm. lib. 5. de P. R. c. 1. crudam illam opinionem Augustini Triumphi, Alvari Pelagii, Hostiensis, Panormitani, Sylvestri & aliorum, *quod Pontifex jure divino habeat plenissimam potestatem in universum terrarum orbem, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis*, manifestè improbat, eique suam opponit, quam vocat *Theologorum Catholicorum communem sententiam, quod Pontifex, ut Pontifex, non habeat directè & immediatè ullam temporalem potestatem, sed solum spiritualem, tamen ratione spiritualis, habeat saltem indirectè potestatem quandam, eamque summam in temporalibus.* Hujus sententiæ autores laudat, *Hugonem de S. Victore, Alexandrum Alensem, Bonaventuram, Durandum, Petrum ab Alliaco, Joh. de Parisio, Jacob. Almain, Gabrielem Bielem, Henricum de Gandavo, Johannem Driedonem, Johannem de Turrecremata, Albertum Piggium, Thomam Waldensem, Petrum de Palude, Cajetanum, Francisc. Victoriam, Dominicum à Soto, Nicol. Sanderum, Navarrum, Antonium Cordubensem &c.* (Illi ergo omnes Canonistarum opinioni, de plenissima potestate Pontificis in universum orbem tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis, contradicunt.)

Notandum verò circa hanc distinctionem *inter directam & indirectam Pontificis in temporalibus potestatem*, quod, quoad potestatem temporalem, optima omninò sit & omnem difficultatem tollat, si explicetur eo sensu, quo Bellarminus adv. Barclajum c. 5. à nonnullis eam explicari memorat, ut sit sensus, *potestatem spiritualem in Pontifice esse directè, i. e. justè & legitimè, temporalem autem indirectè, i. e. injustè & usurpativè.* Sed si sensu Jesuitico intelligatur, tum quicquid Pontifici per abnegationem *directæ potestatis* subtractum est, id ei per *obliquam & indirectam* cumulatè restituitur. Nam sive directè, sive indirectè habeat hanc potestatem, ut possit Monarchas summos subditis, regno, vita privare, habet tamen eam; quare candidè agit Bellarminus, cum præfatione in Barclajum inquit: *Quoniam Barclajus potestatem summam Pontificis in temporalibus universè negat, ego quoque potestatem eandem universè astruam, non multum laborans, sive ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extendat.* Nimirum cautiorem reddiderat Bellarminum longa ætas & experientia, quia tempore Sixti V. parum abfuerat, quin omnia sua opera Censura Pontificia aboleri vidisset, eò quòd per *indirectæ tantum potestatis* assertionem Pontifici non satisfecerat, ut Barclajus cap. 13. se ex Jesuitis ipsis audivisse memorat.

Lib. ejusd. c. 2. Bellarminus probat, *Papam non esse Dominum totius mundi, 1. quia Papa non est Dominus earum Provinciarum, quas obtinent infideles, nam Joh. 21. Dominus solum oves suas Petro commisit, infideles autem non sunt oves. 2. non potest Papa judicare infideles 1. Cor. 5. 3. Infideles Principes sunt veri & supremi Principes regnorum suorum, nam dominium non fundatur in gratia aut fide, sed in libero arbitrio & ratione; nec descendit ex jure divino, sed ex jure gentium. Dan. 2. Matth. 22. Rom. 13. Si igitur Papa non est Dominus earum Provinciarum, quas obtinent infideles, sequitur, eum non esse Dominum totius mundi, nisi eæ Provinciæ ad mundum non pertinere dicantur.*

Lib. ejusd. c. 3. probat, *Papam non esse Dominum totius orbis Christiani, 1. quia si res ita se haberet & quidem ex jure divino, ut volunt, deberet id constare ex Scripturis, aut certè ex Apostolorum traditione. Ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici claves regni cœlorum, de clavibus regni terrarum nulla mentio fit. Traditionem Apostolicam nullam Adversarii proferunt. 2. Christus non abstulit, neque aufert regna iis, quorum erant, nam Christus non venit destruere ea, quæ benè se habent, sed perficere. Ergo quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod jure obtinebat, sed acquirit novum jus ad regnum æternum, alioqui obesset Regibus Christi beneficium, & gratia Naturam destrueret. 3. Si Papa est Dominus totius orbis Christiani supremus, ergo singuli Episcopi sunt Principes temporales in oppidis suo Episcopatui subjectis, siquidem quod est Papa in Ecclesia universa, est quilibet Episcopus in particulari, at Episcopos esse Dominos urbium, quarum sunt Episcopi, nec Adversarii concedunt & est apertè falsum. 4. Ex confessione Pontificum. Leo Epist. 38. ad Martianum, fatetur, Imperatorem Martianum à Deo ad imperium esse electum. Et Epist. 43. ad eundem fatetur, autorem Imperii Martiani esse Deum. Et similia in omnibus ferè Epistolis ad Theodosium, Martianum & Leonem sibi invicem succedentes Imperatores scribit. Gelasius in Ep. ad Anastasium Imp. quæ habetur etiam in Decreto Dist. 96. Can Duo sunt. Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quib. principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra Pontificum & Regalis potestas. Ubi notandum est, Gelasium non loqui solum de executione, sed de ipsa potestate & autoritate, ne dicant Adversarii, (ut solent) Papam quidem habere utramque potestatem, sed executionem aliis demandare. Gregorius lib. 2. Epist. 61. ad Mauritium. Potestas, inquit, super omnes homines dominorum meorum pietati cœlitus data est. Et clarissime Nicolaus in Epist. ad Michaelem, Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur. Hic etiam Pontifex non de sola executione, sed de potestate & dignitate loquitur.*

Lib. ejusd. cap. 4. probat, *Papam non habere ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino, quia Christus, ut homo,*

dum in terris vixit, non accepit, nec voluit ullius Provinciæ vel oppidi merè temporale dominium. Summus autem Pontifex Christi Vicarius est, igitur summus Pontifex, ut Christi Vicarius, atque adeò ut summus Pontifex est, nullius Provinciæ vel oppidi habet merè temporale dominium.

Et postea. *Potuisset Christus homo, si voluisset & si expedire sibi visum fuisset, accipere regiam autoritatem, sed noluit, ac proinde nec accepit, nec habuit non solum executionem dominii & regni, sed nec autoritatem, vel potestatem regni ullius temporalis. Nam si habuit, fuit vel ex hæreditaria successione, vel ex electione, vel jure belli, vel dono speciali Dei. Omne enim regnum aliquo horum modorum acquiritur. Sed nullo eorum Christus habuit &c.*

(Hæc Bellarmini disputatio opponenda est illis, qui adhuc hodiè idem cum Canonistis statuunt, quorum opinionem magis allubescere Pontifici, quàm moderationem hanc Bellarminianam, de *indirecta tantum potestate*, ostendimus superius.)

Lib. ejusd. cap. 5. §. Sanctus &c. *Bernhardus multis in locis operis de consideratione ad Eugenium demonstrat, Pontificis maximi potestatem propriè spiritualem esse, non temporalem. lib. 1. de consid. cap. 5. In criminibus, inquit, non in possessionibus potestas vestra. lib. 2. cap. 5. Esto, inquit, ut alia quacunque ratione hæc tibi vendices, (bona videl. temporalia, quæ habet Ecclesia ex dono Principum terrenorum) sed non Apostolico jure, nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit.*

Lib. ejusd. cap. 6. §. Ita prorsus, fatetur, *tempore Apostolorum has potestates* (Ecclesiasticam & politicam) *fuisse separatas.*

Lib. ejusd. cap. 9. §. Denique. *Etsi absolutè fortè præstaret, Pontifices tractare solum spiritualia & Reges temporalia, tamen propter malitiam temporum experientia clamat non solum utiliter, sed etiam necessario ex singulari Dei providentia donatos fuisse Pontifici, aliisque Episcopis temporales aliquos Principatus.*

Et postea. *Ecclesia primis temporibus ad majestatem suam tuendam temporali principatu non egebat.* (Ergo primitivis Ecclesiæ temporibus Ecclesia, id est, Pontifex & Episcopi non habuerunt temporale dominium.)

Lib. ejusd. cap. 10. *Luc. 12. Quis me constituit judicem? Act. 6. Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Utroque isthoc loco admonentur Pontifices & Principes, ne minutis & vilibus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur majora.* (Majora illa officia, Episcopis commissa, sunt spiritualia, quorum respectu omnia temporalia sunt minuta & vilia, à quibus proinde omnibus abstinere debent, ne majoribus illis impedimento sint. Secularia negotia Episcopis prohibita sunt, non tam propter eorum vilitatem, quàm quod sint impedimenta pastoralis functionis. Constat autem & evidens est, quod, cum etiam gubernatio politica sit tam magna, imò multo major distractio mentis, quàm executio minorum & inferiorum officiorum, & requirat majus studium atque industriam, ideò æquè ac magis etiam impediat curam rerum spiritualium.)

Ibid. *Tempore Gregorii Ecclesia nondum habuit politicum principatum.*

Ibid. *Non convenit, ut idem sit Pontifex totius orbis, & simul etiam Imperator totius orbis.* (At si vacante imperio Pontifex Imperatori succedit, utique tum unus atque idem est Pontifex totius orbis & simul Imperator totius orbis, saltem ad tempus.)

Lib. 1. de Concil. cap. 13. §. Quarta ratio. *Eo tempore* (quo prima quatuor Concilia œcumenica celebrabantur) *Pontifex, etsi in spiritualibus esset caput omnium, etiam Imperatorum, tamen in temporalibus subjiciebat se Imperatoribus; & ideo non poterat invito Imperatore aliquid agere.*

Et postea. *Quia Pontifex Imperatorem Dominum suum temporalem agnoscebat, supplicabat, ut juberet convocari Synodum.*

Idem in tract. de officio Principis pag. 124. ex Tertulliano citat & approbat, *Principem esse à Deo secundum.* (At si Papa in temporalibus Principi vel *directè*, vel *indirectè* præest, Princeps non secundus, sed tertius à Deo erit.)

Notandum verò, quod nec ista Bellarmini moderatio *de indirecta Pontificis in Reges & Principes potestate* Proceribus Regni Galliæ probetur, sic enim scribit Daniel Chamierus in Panstratia tom. 2. lib. 15. cap. 14. num. 11. *Quid plura? Ne quis fortè improbari tantum Canonistarum sententiam (de directa Pontificis in omnes Reges potestate temporali) putet, hoc ipso anno, cum hæc scribebam, damnatus est ab eodem Senatu* (Parisiensi) *Bellarmini contra Barclajum tractatus de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus gravissimo edicto, quod etiam typis est excusum, quo hæc ipsa Theologorum sententia, quæ eam potestatem non agnoscit, nisi indirectè, damnata est, tanquam fax seditionis, scaturigo rebellionis. Pari ratione Defensio fidei Catholicæ Francisci Suarez publico decreto per manum carnificis incendio tradita est Anno 614. die 27. Junii; quod tamen scriptum Censuris & approbationibus commendarunt D. Alphonsus à Castello Branco Episcopus Conimbricensis, D. Ferdinandus Martinez Mascaregnius Episcopus Algarbiensis, (qui in sua Censura addit, regnum Gallorum in Ecclesiæ Romanæ præsidium, pariterque & obsequium, oppignoratum esse illo facto, quod Clodovæus primus Francorum Rex Christianissimus, proximè moriturus, Romanum Pontificem coronâ regiâ redimierit.)* D. Martinus Alphonsus à Mello Episcopus Lamecensis, Johannes Alvarus Societatis Jesu in Lusitana Provincia Visitator simul ac Provincialis, multique alii.

Sed & Regii Gallici Cognitores in commonefactione adversus librum Bellarmini Barclajo oppositum Ann. 1610. edita, sic loquuntur: *Certum hoc, statutumque semper, totoque Christianitatis orbe apud omnes, qui benè de veritate sentiunt, Catholicum dogma est, nihil ullum Concilium Universale, Nationale, Generale aut Provinciale in temporalibus directè aut indirectè decernere posse quam ob causam ad eorum postulatum die 26. Novemb. Ann. eod. damnatus est Lutetiæ, Aresto Curiæ Parlamenti liber adversus Barclajum, quâ tanta Pontificis in Reges & regna potestas defenditur. Verba Aresti hæc sunt, Curia vetuit vetatque, ne quisquam, cujuspiam sit qualitatis aut conditionis, pœnâ læsæ Majestatis in delinquentem constituta, accipiat, retineat, communicet, excudat, excudendum tradat, aut venundet dictum librum, qui falsam & execrabilem propositionem continet, quæ ad eversionem potestatum supremarum à Deo constitutarum & ordinatarum pertinet, subditos aciens ad rebellionem, & Principum imperio subtrahens, ad machinandum in eorum capita, ditionesque ad turbandam denique tranquillitatem & quietem publicam incitans. Jubentur ii, penes quos erunt dicti libri exemplaria, aut qui habentes norint, confestim suis judicibus profiteri, ut postulantibus subcognitoribus Regiis in crimen inquiratur, & in sontes, ut par est, animadvertatur. Eadem pœna constituta Doctores, Professores, aliosque dictam propositionem tractare, disputare, scribere, docere directè aut indirectè in Scholis, Collegiis, aliisque locis prohibet.*

(Pepercerunt illi Galero Bellarmini, alias liber ipsius eandem subiisset sortem, quam scriptum Jesuitæ Suarii ac opus Marianæ de Instit. Regis, quos libros publicè funesta carnificis manu Parisiis, jussu Parlamenti, in flammam conjici & in cineres & favillas redigi Gallia vidit.)

Cum in Concilio Tridentino de Residentia Episcoporum disceptaretur, Johan. Baptista Bernardis Episc. Adiacensis inter cætera dixit: *Absentiæ* (Episcoporum ab Ecclesiis) *non aliam esse causam, nisi quod Episcopi in aulis Principum degentes secularibus negotiis administrandis impliciti tenentur, Judicum, Cancellariorum, Secretariorum, Consiliariorum & Quæstorum munera obeuntes, adeò ut vix ferè munus aliquod publicum reperiatur, in quod Episcopus aliquis adlectus non sit. Hanc alieni muneris usurpationem prohibitam à D. Paulo, necessarium ducente, ut qui Ecclesiæ militat, secularibus abstineat negotiis. Faciendum igitur, quod per Apostolum Deus præcipit, rursusque vetandum ne Ecclesiastici in secularibus munus, officium, gradum ordinarium, vel extra ordinem teneant. Hoc semel prohibito, statutoque, ne negotiis implicentur secularibus, cum Episcopis nulla supersit causa, cur aulam frequentare debeant, sua sponte absque præceptis pœnarumve denunciationibus, in suam quemque se Diœcesin ad residendum ibi recepturum, neque inde negotiorum occasionibus jam ademtis facilè migraturum. In Summa urgebat, uti Synodi declaratione innotesceret cunctis, neque Episcopis, neque aliis, quibus animarum cura incumbit, fas esse, seculare aliquod munus aut officium exercere.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Tridentini pag. 572.

Oratores Galli in observationibus ad articulos reformationis, Legatis in Concilio Tridentino exhibitis, etiam hanc proposuerunt num. 13. *Prohibitio, ne Clerici negotiis secularibus se immisceant, ita explicetur, ut semper se abstineant ab omnibus functionibus, quæ sacræ non sunt aut Ecclesiasticæ & ordini suo propriæ.* Idem Petrus Suavis lib. 8. Hist. Concil. Trident. pag. 877.

Anno 1593. Jesuitarum Superiores, cum animadverterent, res Gallicas suorum potissimum scelere jam ferè perditas, coacto Romæ generali totius Ordinis Conventu statuto sanxerunt, *Patres Societatis Jesu cum omnibus, qui Ordini illi adscripti sunt, à causis & negotiis secularibus in universum abstinere debere.* Autor Deliberationis de compesc. Jesuitarum conat. ex Polonico in Latinum sermonem translatæ & in publicum editæ Ann. 609. H. 4.

Georg.

Georg. Landherr im scharffen runden Auge / Admir. 7. lit. H iij fac. 2: Für wen helt die Geistligkeit den Keyser? Tertullianus verantwortet alle zugleich / Pabst und Bischöff ꝛc. *Colamus Imperatorem sic, quomodo nobis licet & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem.* (Ergo etiam Pontifice majorem) Diß Lob gibt Tertullianus einem Keyser / der zu seiner Zeit dem Götzendienst verehret gewesen und des Christlichē Namens abgesagter Feind. Wie billicher kan diß gesaget werden vom Christlichen Keyser?

Cornel. à Lapide in c. 6. Act. v. 2. *Notent Episcopi & Prelati, procurationem rerum suarum temporalium aliis demandare, sibi verò Ecclesiæ regimen & prædicationem competere. Id cognoscebant S. Basilius, Nazianzenus, Augustinus, qui ne quidem de rebus suis temporalibus loqui, aut earum rationes audire sustinebant, ut patet in eorum vita. Vide etiam Bernhardum lib. 4. de consecrat. cap. 9.*

Gretserus in Defens. Bellarmini lib. 5. de Rom. Pont. c. 4. & 5. col. 1151. *Verba Christi plana sunt. Quis enim sensus illis subjici potest præter istum, nisi quis ea distorquere velit? Regnum meum non est de hoc mundo, h. e. non est mundanum, non ejusmodi, quali regno & Imperio Reges terræ gaudent ac potiuntur. Neque enim Pilatus aliud interrogaverat, quam utrum Rex terrenus & temporalis esset? Quapropter accommodatè ad quæstionem Pilati simpliciter negavit Christus, suum regnum esse de hoc mundo.* (Si ergo regnum Christi non fuit de hoc mundo, utique etiam Papæ regnum non debet esse de hoc mundo, si verus Christi Vicarius audire expetit.)

Tannerus in Dioptra lib. 3. q. 2. cap. 8. p. 863. Belangend sonderlich den weltlichen Gewalt des Römischen Pabsts / so sich nemlich eigentlich und directè auff die weltlichen Güter und Gerechtigkeiten erstrecket / hat gleichwol selbigen der Römische Pabst gleich anfangs nicht gehabt / noch von Christo selbst empfangen / sondern ist ihme von Christlichen Keysern und Potentaten / fürnemlich dem Constantino und Carolo Magno gegeben und mitgetheilet worden.

p. 864. Daß aber die Prædicanten uns Catholischen in gemein diese Meynung zuschreiben / als wenn nach unserer Meynung dem Röm. Pabst auch ein allgemeiner Primat zugeschrieben würde / auch er also zu einem weltlichen Häupt und Potentaten uber die gantze Kirchen gesetzt würde / thun sie uns hierinn unrecht / ist auch nicht war / daß sich die Römischen Päbste eines solchen weltlichen politischen Gewalts vor oder zu dieser zeit jemals angemasset haben / wie davon weiter zu lesen Bellarm. lib. 5. de Pont. c. 4.

p. 954. Es ist eine grosse Unwarheit / daß sich der Römische Pabst jetzt gleichsam eines weltlichen Kayserlichen Gewalts unterfange / wie es die Prædicanten an gemeltem ort deuten. Denn dieser Gewalt / so er uber die gantze Kirchen / und also uber die Römischen Keyser hat / ist kein weltlicher / sondern geistlicher Gewalt / so das geistliche und die Seelen Seligkeit antrifft.

Idem Tannerus part. 2. Anatom. Aug. Conf. Demonstr. 2. §. 138. doctrinam Marsilii de Padua, *Sede vacante, Imperatorem succedere Papæ*, erroneam indicat, quod *confundatur potestas civilis cum Ecclesiastica.* (Quo ipso manifeste fatetur, nec Papam, Sede vacante, succedere Imperatori, ne confundatur potestas Ecclesiastica cum civili.)

Idem in Antichristo proscripto præscr. 9. pag. 194. fatetur, *hodie non omnia statuta Pontificia circa electionem & creationem Imperatoris, Imperiiq; gubernationem observari.* (Atqui Constitutiones illæ Papales, quas ipso facto Romanum Imperium reprobavit, concernunt summam illam potestatem Papæ in Imperium sibi arrogatam, illamque penitus rejiciunt, dum nemo hodie agnoscit, *vacante Imperio, jurisdictionem & potestatem ejus recidere in Papam.* Non petunt hodie Electores Imperii à Pontifice sibi potestatem electionis conferri. Non cunctantur Electores, defuncto Imperatore Vicariatus administrationem suscipere, nec quisquam expectat censuram Pontificis. Non stant Electores consilio, vel approbatione, vel improbatione Pontificis, usurpantes civilem potestatem, quicquid hujus placeat aut displiceat Papæ. Nemo Imperatorum à Papa requirit confirmationem, manus impositionem, coronationem. Nullus Papæ examini sese subjicit. Nullus juramentū fidelitatis præstat, quæ omnia sunt jura Pontificis, à quibus omnis autoritas, & potestas Papæ in Imper. usurpata dependet.)

8. Jurisconsulti ac Politici.

Ek de Repkau Juris Saxonici Glossator (circa Ann. 1150. al. 1160. lib. 3. art. 57. pronunciat, *Papam non habere jus utriusq; gladii, nec esse supra Cæsarem.* Nun diß alles zu einem Unterricht soltu wissen / daß der Pabst beyde weltlich und geistlich Gericht haben soll / das ist unrecht. Denn hierwider ist 10. distinct. Quoniam, da stehet daß Gott habe das geistlich Gericht und das weltliche gescheiden an zweyen Personen / das ist / an dem Pabst und an dem Käyser.

Petrus de Vineis Friderici II. Imperatoris Cancellarius, circa annum 1230. aliquot Epistolis demonstravit, *Pontifici secularem jurisdictionem non competere, Papam non habere gladium civilem, nec ullum jus deponendi Imperatorem.* Scripsit etiam librum *de potestate Imperatoris contra Papam*, in quo asseruit, *Papam nullum jus in politicis rebus supra Imperatorem habere.* Inter cætera sic loquitur lib. 1. Epist. 3. *Nusquam legitur, vel divina, vel humana lege Pont. Romano concessum, quod transferre pro libito possit imperium, aut de puniendis temporaliter in privatione regnorum Regibus & Principibus judicare &c.*

lib. eod. *Rex terrestrium & cælorum in terris diutius conversando, nil prorsus habere voluit cum terrenis, sed docendo discipulos beatos pauperes Spiritu tunc vocavit. Tu verò tantum in terris habens proprium & commune terrenis in terris terrea thesaurizas.*

Marsilius Patavinus Ann. 124. scripsit integrum librum adversus usurpatam Rom. Pontif. jurisdictionem pro Imp. Ludovico Bavaro, cui titulum fecit, *Defensor Pacis*, qui postea Basileæ Ann. 1522. editus. In eo multis confirmatur, *Pontifici non competere temporalem jurisdictionem, vel superioritatem in Imperatorem.*

lib. 2. cap. 4. hunc præfixum habet titulum: *De Canonicis Scripturis, Christi mandatis, vel consiliis & exemplis & sanctorum ac approbatorum Doctorum Evangelicæ legis expositorum, quibus demonstratur evidenter, Romanum aut quemvis Episcopum, sive Presbyterum vel Clericum omnem, virtute verborum Scripturæ, nullum coactivum Principatum, seu jurisdictionem contentiosam, nedum supremum omnium supra quenquam Clericum aut Laicum sibi vendicare vel adscribere posse, & quod Christi consilio & exemplo, præsertim in communitatibus fidelium talem principatum, si eisdem offeratur aut conferatur, per autoritatem ejus habentem debeant recusare; rursumq; quod omnes Episcopi & indifferenter vocati nunc Clerici subesse debeant coactivo judicio sive principatui dominantis autoritate legislatoris humani præsertim fidelis.*

cap. 5. hunc habet titulum: *De Canonicis Apostolorum oraculis & expositionibus Sanctorum atque Doctorum, quibus apertè convincitur idem, quod ex capitulo præcedente.*

cap. 29. hanc habet ἐπιγραφὴν, *De solutione instantiarum ex Scriptura inductarum, tertio hujus* (libri capite) *ad ostendendum, jurisdictionem coactivam Episcopis, & supremam Romano Episcopo in quantum hujusmodi convenire.*

Inter cætera loquitur: *Assumserunt titulum, quem de se prædicant, & hujus nequitiæ instrumentum facere student, plenitudinem videl. potestatis, quam à Christo in persona B. Petri, ajunt, sibi tanquam hujus Apostoli successoribus, singulariter fuisse concessam. Quo siquidem execrabili titulo & oratione Sophistica secundum æquivocum, omnibusq; fidelibus nihilominus tanquam falsa secundum omnem ejus sensum semper & ubique neganda paralogizaverant hactenus, paralogizant adhuc, & amplius paralogizare nituntur, & in ipsorum servitutem redigere omnes mundi Principes & populos, Collegia & singulares personas. In eo namque sensu, secundum quem plenitudo potestatis signare videtur universalem animarum curam, seu pastoratus Universalitatem, & rursum secundum quem sensum potestatem importat, omnes enim homines singulariter absolvendi à culpis & pœnis sub specie pietatis, caritatis & misericordiæ, dicto titulo plenæ potestatis per Romanos Episcopos sibi primum assumto, ex his paulatim atque latenter, ut deduximus 23. hujus, transiverunt & demum sibi sumserunt hunc titulum in eam, & secundum eam significationem, qua potestatis plenitudo per ipsos intelligitur, autoritas Universalis, & suprema jurisdictio sive principatus coactivus omnium Principum, populorum & temporalium rerum.*

Albericus de Rosate in l. bene à Zenone. n. 16. c. de quadr. præscript. (circa annum 1340.) statuit, *Imperatoris potestatem esse immediatè à Deo, Imperium non dependere à Papa*; approbat etiam Legem Imp. Ludovici Bavari, *ex sola electione verum Imperatorem fieri, sine ulla Papæ vel Sedis ejus approbatione, & contrarium asserentes opibus, feudis & bonis Imperii ipso facto privari & crimen læsæ majestatis incurrisse. Hanc opinionem,* (inquit) *quod Imperator suam potestatem habeat à Deo, puto veriorem per jura & autoritatem Innocentii & aliorum. Et de hoc magna fuit concertatio tempore Johannis XXII & successoris ejus Benedicti XII. inter eos, & Dominum Ludovicum de Bavaria electum in Imperatorem, me existente*

stente tunc in Romana Curia. Audivi autem magnos Prælatos, etiam Laicos, in utroque jure peritos, in hanc opinionem inclinare tanquam veriorem.

ibid. *Præsidentes Ecclesiæ Romanæ sua astuta & sagaci prudentia, secundum temporum varietatem, sua variaverunt statuta, modo imperium sublimando, modo paulatim deprimendo de tempore in tempus. Sed ad quid? nisi ut sensim omnia & cœlestia & terrena, tum spiritualia, tum temporalia (ut vocant) pedibus suis, ut palam gloriantur subjicerent.*

Idem in Lexico in verbo Electio: *Pastores Ecclesiæ, mittentes falcem in alienam messem, fecerunt super hoc tres Decretales, unam de Electione Imperatoris &c. quæ an sint justæ, Deus novit, nullam enim earum, salvo saniori judicio, & si erroneum foret, revoco, credo juri consonam, imò eas credo proditas contra jura & libertatem Imperii, & puto, potestates distinctas esse & à Deo processisse.*

Bernhardus, Glossator Juris Canonici, in cap. Si Clericus. extra de foro compet. conqueritur, *Papam sæpissimè literas Ecclesiasticis Judicibus adversus Laicos scribere. contra id, quod scribit in cap. Novit. Ob id, inquit, mirum non est, si totus judiciorum ordo pervertatur.* Tantundem dixit Bartolus in l. 1. § fin. ff. de pœnis & expressius Hostiensis & post eum Johannes Andreæ in c. Solitæ. tertia column. Extra. de majorit. & obed. Dicunt enim *& spiritualem & regalem gladios hodie reciprocare. Namque in multis locis temporalis gladius Sacerdotalis effectus est, Ecclesiasticos & res Ecclesiasticas pariter ut Laicos & res temporales judicans, contra id, quod scribitur in Authent. ut Cleri apud propr. Episc. §. Si vero Ecclesiasticum colla. 7. Similiter spiritualis gladius ex levi causa non tantum per alios, sed & per seipsum movens guerras & nutriens, factus est militaris contra jura. Neque secundum eosdem hæc pestis cessabit, aut deficiet, donec uterque suis terminis contentus sit.*

Wiclerus Cancellarius Trevirensis, Ann. 1343. cum Papa in Comitiis Francofurdensibus, regnante Imperatore Ludovico, vellet, *ut Imperium & Imperator à Papa dependerent*, magnis viribus se opposuit, dicens: *Si hoc fieret, ruinam totius Imperii non procul abesse*, adductis pluribus rationibus, quæ extãt apud Joh. Kymeum.

Johannes Petrus Ferrariensis (circa Ann. 1400. in form. libell. action. confess. gloss. 7. ad verbum plenam in principio. *Ipse Papa, qui deberet, tanquam verus Vicarius, Jesu Christi vestigia sequi, possidere & manu armata nititur tenere jurisdictionem in terris, civitatibus & villis & locis, quæ sunt naturaliter & à mundi creatione & Christi ordinatione Imperii Romani, juxta illud: Quod est Dei, reddatur Deo, & quod est Cæsaris, Cæsari. Imò ipse Papa in ipso Imperatore nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere & abominabile audire. Bene ergo & sanctè faceret Papa, si totam temporalem jurisdictionem in manus Imperatoris remitteret, nec aliter unquam Resp. quiescet, & ex hoc status universus Clericorum magis redderetur Deo ac populo devotus, & ipse Papa cum Cardinalibus viverent quietius ac Deo devotius & populo magis acceptius & gratius.* Clericos, dicit, *olim fuisse sub potestate & jurisdictione Imperii, postea eos benignitate Imperatorum privilegiis donatos, quibus, tanquam ingrati, pessimè abusi sint; Papam Provincias & civitates detinere non jure, sed mera violentia; Papa potestatem nimium ampliatam auctamque, ideo necessario restringendam esse; non concedendum esse Papæ merum & mixtum imperium, imò potius penitus ei temporalem gladium extorquendum; Imperatores olim habuisse utrumq; gladium, contulisse non tantum politica feuda, sed etiam Episcopatus, atq; adeò ipsos Papas creasse; non quieturam prius Christianitatem, quam Papa & Clerici restituant temporarium dominium Imperatori, atq; ita reddita fuerint Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei; non debere Papam & alios Ecclesiasticos gubernatores habere temporale dominium & potentiam; quia non conveniat psalterium cum cythara, nec dictum sit a Christo, vel à B. Petro, quod possidere debeant talia, sed, quod est Cæsaris, reddendum Cæsari; stultos Cæsares multa privilegia concessisse Clericis, quæ Laicorum statum consumant; Papam & Clericos multis modis illaqueare Laicos, usurpare jura Imperii, suamque jurisdictionem per suos Canones ampliare, explendæ avaritiæ suæ causa, fierique stultitia Principum & Imperatorum, quod in servitutem Clericorum redigantur. Hæc in Practica sua passim inculcat.*

Idem in forma libelli, in quo agitur ex substitut. §. Sub corpore &c. *Scire debes, tu ignare Laice, quod imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem scilicet & spiritualem, adeoq;, quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per universum orbem, & amplius eligebant Papam, ut habetur in c. Adrian. 13. distinct. &c.*

Idem in Rub. for. resp. rei conv. *Nunquam quiescet Ecclesia, nec Italia, donec ipsa Ecclesia possideat civitates vel castra, & donatio eidem facta per Constantinum non fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus revocata.*

Theodoricus à Nyem, aliquot Paparum intimus Scriba (qui floruit circa Annum 1420. in tract. de Schismate Norinbergæ Ann. 1532. impresso) lib. 3. cap. 7. sic scribit: *Quod imperium principaliter & immediatè pendet à Deo, sicut Ecclesia seu Ecclesiastica potestas, patet per rationes evidentes, & sicut etiam firmatur & habetur in Decreto, ubi legitur, & scribit Papa Imperatori in hunc modum: Ecclesiæ meæ cui Deus noster Sacerdotium meũ, vobis res humanas regentibus deputavit. Et hoc idem in plerisq; aliis locis patet in jure. Ex quo infertur, quod fatuè & adulatoriè loquantur illi, qui dicunt, quod Papa seu Ecclesia duos habeat gladios, scilicet spiritualem & temporalem, cum in Evangelio Petro dictum sit, Converte gladium tuum in vaginam &c. Etenim si uterque gladius apud Papam existeret, supervacue vel ficte Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet. Sed isti adulatores seu assentatores per talia scripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Christianitate & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem. Conculcatur enim per hoc Imperialis autoritas, & ensis potestas sub dubio collocatur, in totius Reip. detrimentum.*

Georgius Heymburgensis (circa ann. 1434.) in admonit. de injustis usurpat. Romanorum Paparum f. 118. *Primitiva Ecclesia, nullum seculare dominium sibi vendicans, sanctis moribus & doctrinis Ecclesiam ædificavit, & Imp. Rom. ad fidem Christi & sui Sacerdotii reverentiam induxit. Sed postquam effrænata cupiditas & fastus dominandi Ecclesiam modernam & carnalem affecit, miris Sophisticationibus reverentiam Imperatoris convertit in debitum privilegium & immunitatem à devotis Imperatoribus concessam in dominium, & sic paulatim in usum usurpatorium plenitudinis potestatis processit. Quod videre quivis poterit clarissime, intueri volens Chronicas & Speculum Historiale. Nam revera à B. Petro usq; ad S. Sylvestrum tempore Constantini M. in hac materia temporalis dominii nulla fuit quæstio. Sublimati enim in Papam, primis trecentis ferè post Christum annis, non ad temporale dominium trahebantur, sed ad Martyrium.*

Et postea: *Hujus Ecclesiæ gloria fuit non purpura, non divitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus, sed, ecce reliquimus omnia & secuti sumus te Domine. Speramus ex hoc non acquirere Sedem temporalis eminentiæ, sed Sedem judicantium duodecim tribus Israel juxta Christi promissum. Sed à tempore Sylvestri, qui fuit vigesimus quartus Papa à Petro, incepit Ecclesia mixta, sanctus enim Sylvester Constantini donationem pro usu Notariorum, qui gesta Martyrum describerent & pauperum, non in dominium, sed usumfructum acceptavit &c.* Postea ex Historicis prolixè ostendit, *quibus gradibus Papa ad illam potestatis plenitudinem pervenerit.*

Idem: *Qua conscientia præsumit quis Sacerdos, etiam Papa, absolvere subditos à juramento & obedientia, ad quam Christus & Apostoli unumquemque astringunt?*

Idem in Confutatione primatus Pontificii. Evangelium Luc. 22. ostendit, Christum nec Apostolis, nec Petro aliquam plenitudinem potestatis vel dominatus tradidisse, imò dominatum & potestatem verbo & exemplo prohibuisse, dicens: *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Ubi Origenes, Hieronymus, Chrysostomus & Basilius concorditer loquentes sentiunt, quod Principes seculares non contenti tantum habere subditos, sed etiam dominando eis utuntur: Vos autem non sic, scilicet vos Apostoli & mei successores, sed vestrum est, servire, ministrare & pascere verbo & exemplo.* In hanc sententiam multa subjungit ex Bernhardi lib. de Considerat. ad Eugenium, & addit: *Ridicula est probatio, quam adulatores Paparum ad id consueverunt adducere ex cap. de major. & obed. de Luna & Sole. Nam quamvis Luna recipiat lumen à Sole, non tamen motum & influentiam: ita, quamvis Reges & temporales Domini, per Lunam designati, recipiant & recipere debeant lumen doctrinæ à Papa & suo Clero per Solem designatis, non tamen eis ex hoc dominari concessum est. Imo, similitudo bene intellecta efficit contrarium. Nam illa duo luminaria scil. Sol & Luna sic creata sunt, ut Sol præsit diei, Luna nocti: Sic Papa & Cleri præsunt diei, id est, doctrinæ spirituali & orationi ad impetrandum divinam misericordiam, ut notatur ad Hebr. 2. Illa autem, quæ Dei sunt, lux & dies sunt, quibus præesse debet Papa, sub metaphora Solis. Quæ autem mundi, tenebræ & nox sunt, quibus præesse debet Imperator, sub metaphora Lunæ. Sicut igitur Sol, quanquam illuminat Lunam, nullum tamen dominium habet in eam: sic Papa & Clerus, etsi luce doctrinæ debeant*

Impera-

Imperatorem & seculares illuminare, nullum tamen datum est eis dominiũ à Christi institutione in eos, sicut nec Magistro in discipulos.

Et postea: *Ex Scripturis sanctis Sacerdotium nullum habet secularem principatũ &c. Christus non solum à se, suisq; discipulis exclusit seculare dominium, verum etiam seculari potestati voluit suos subjicere, imò sese exhibuit ipsi potestati judiciali subjectum &c.*

Ibid. *Quibus omnibus summatim recollectis, patet luce clarius, Sacerdotio nullam potestatem, multo minus plenitudinem potestatis mundanæ & temporalis à Christo collatam: imo verbo & exemplo Apostolis & per consequens Apostolorum successoribus esse interdictam.*

Felinus Canonista (circa annum 1500.) in c. Cum non liceat. col. 6. num. 11. vers. Contrariam partem. ext. de præscriptionibus. *Licet, inquit, communis opinio Canonistarum sit in cap. Novit. ext. de judic. quod Papa habeat utrumq; gladium habitu, tamen quia nullus habitum induxit in actum, non videtur sufficere, quod solùm dicatur verbis, ipsum esse Monarcham respectu temporalium. Quia cum ille habitus non inveniatur deductus in actum, ideo non dicitur esse præscriptus, quia non solum verbo, sed & opere debet recognosci.* [*Quod & à Johanne in Disputatione, an Rex Franciæ recognoscat Imperatorem n. 92. vers. 7. comprobatur.*

Antonius Rosellus (circa annum 1511.) scripsit librum titulo Monarchiæ. In eo probat, *Papam non esse mundi Dominum, nec posse aut debere Cæsari imperare, nec omnino habere gladium temporalem.*

Jacobus Spigelius, Consiliarius Imperialis, in Comment. super versus Güntheri lib. 6. (circa idem tempus adhuc ante Lutherum) *Gladiis quæ rite duobus utitur &c. Sequitur commentitiam Scholasticorum Theologorum sententiam, qui Christi verba de duobus gladiis, ut pleraque alia, quæ propriè ad Philosophiam cœlestem pertinebant, superverterunt, reclamantibus omnibus Christi præceptis, reclamante tota ipsius vita, reclamante doctrina Apostolica, refragantibus tot Martyrum millibus, repugnantibus vetustis interpretibus. Paucis illis verbis, Ecce duo gladii hic, mundi gladium Imperatori & Ecclesiæ, si Christo placet, asseruerunt, quamvis ipse affirmet, regnum suum non esse de hoc mundo, & Apostolus: arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Dei. Sed quid attinebat, hinc trahere publicam Magistratuum functionem, quam neque Christus, neque Apostoli ademerant, quin eam etiam idololatris incolumem esse voluerunt, quod Justitiæ divinæ servirent.*

Et postea: *Ergo quid ad summum &c. An nescis Friderice, Princeps Christianissime, dictum Christi, inter vos non dominabimini, sicut subditis dominantur Reges gentium, hoc valere scilicet, Tu Petre cum tuis successoribus Romani Imperii heres esto perpetuus? Item ego veni ministrare & non ministrari: Imperatores & Reges terrarum tua ac successorum tuorum in solio plusquam regio venerabundi gemmata osculentur vestigia? tum illud, Qui primus voluerit esse inter vos, erit vester servus, & qui voluerit inter vos fieri major, sit vester minister; aliud significare nihil, quam apud vos est præcipiendi potestas, reliquam Ecclesiam manet parendi necessitas? Constat enim dicere solitum Benedictũ XII. omnem imperii potestatẽ suam esse, eò quod Christi Jesu superni Regis esset unicus in terris Vicarius & successor Petri.*

Super verba: *Nullum caput ista super se aspicit &c. Hoc si quis hodie constanter asseveraret, hæretici nomen apud Pontificos adulatores non effugeret. Contrariam tamen partem, ut veritati affinem magni nominis viri tutati sunt, licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui universam prope Scripturam divinam adulterinis interpretationibus subverterunt. Apud quos nata sunt illa olim ignota penitus Sanctis vocabula; Caput universalis Ecclesiæ, generalis Vicarius, Deus terrenus, Pontifex maximus, Suprema potestas, Legitima potestas, Habitus gladii, Usus gladii & alia multa hujusmodi. Quid pluribus? hodie habet Imperator, ut eorum utar verbis, recognoscere Papam in superiorem, & expectare ab eo personæ suæ approbationem.*

Super verba: *Ecclesiam regat ille suam &c. juxta præceptum Pauli, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Sed hic in promptu adest duplex nobis solutio, Una, Romanum Pontificem non alligari verbis Apostoli, quoniam inferior non habet imperium in superiorem. Altera, quod ipsius uterq; sit gladius solius. Item, omnia esse ejusdem propter illum Christi sermonem. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Idem in Scholiis Günth. lib. 6. ad Regem Ferdin. *Invenias itaque, inquit, qui tam impudenti mendacio subscribant, (D. Petrum omnia jura Romæ tenere solum) cum à Nerone, sub quo Roma Petrum passum esse credimus, usq; ad Phocæ tempora & principatum, urbs Roma in Imperatoris potestate fuerit. Nam Bonifacio non licuit* Πάνθειον *(Pantheum Cybelæ matri & omnibus Diis commune) in honorem Mariæ Virginis transferre, nisi potestate ædificandi à Phoca impetrata, adeo Pontifex (urbis non tam Dominus quam inquilinus) omni ditione carebat, ut ne sacellum quidem unum sine Imperatoris jussu ædificare potuerit.*

De Laurentio Valla memorat Raphaël Volaterranus, quod scriptis probare conatus sit, *nullum jus sive munus Imperii Pontifici esse concessum.*

Bartholomæus Chassanæus lib. 4. Catal. gloriæ mundi, consid. 7. *Summũ Pontificem & Sacerdotes sancti Ordinis Regi & Principis subditos esse* dicit, *quia 4. Regum 23. ponitur verbum Principis ad Sacerdotes imperative.*

Michaël Ulcurunnus Pampilonensis in tract. de regimine mundi Imper. Carolo V. dedicato p. 2. q. princ. num. 47. *Ex quibus concluditur, quod potestas temporalis est immediate à Deo in Imperatore, nec Papa eam habet actu vel habitu.*

Idem de tract. part. 2. quæst. 2. n. 61. *Est etiã aliud inconveniens, quia Papa exercendo dictam temporalem potestatem supra Imperatorem vel aliquem Regem, vel Principem, venit contra prohibitionem Domini, qui præcepit, ne uteretur gladio temporali, dum dixit: Mitte gladium tuum in vaginam sine limitatione, & sic simpliciter debet intelligi dictum Christi.*

Franciscus de Victoria relect. 1. q. 1. *Regimen animarum est ars artium, ergo non possit unus & idem utrumque munus implere administrandi secularem & Ecclesiasticam potestatem.*

Relect. 1. quæst. 6. *Quod Canonistæ dicunt, etiam Ethnicos quoad temporalia subjici summo Pontifici, ego puto merum esse commentum in assentationem Pontificum, quod cordatiores sentiunt esse ludibrio dignum.* (Inter cordatiores illos locum habere Bellarminum lib. 5. de Pont. cap. 2. idem contra Canonistas probantem, vidimus superius.)

Johannes Quintinus Heduus Juris Consult. de Christi civ. concordia: *In hujusmodi pompis & potestatibus secularibus non Petro, qui nec aurum, nec argentum se habere gloriatus est, sed Constantino successerunt Pontifices, ait Bernhardus de Consid. ad Eugenium. Curam duntaxat & custodiam Pontifex habet, non dominium.*

Menochius Consil. 112. n. 6. *Pontifex non potest libere & absolute, nullâ scil. causâ præcedente legitima, concedere, quæ Ecclesiæ sunt, cum non sit absolutè Dominus, sed dispensator, sicut probat illud Apostoli 1. Corinth. 4. Sic nos existimat &c. Dispensatores dixit Apostolus, non Dominos. Et idem Tit. cap. 1. Oportet Episcopum &c. sicut Dei dispensatorem &c. quod relatum est in c. Legimus. dist. 93. & Pontificem esse beneficiorum dispensatorem, non autem Dominum, censuit Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. in resp. ad ult. & in 4. sent. dist. 25. q. 3. art. 3. in resp. ad 2. Cardinalis Zabarella in Clem. 1. in 2. oppos. de summa Trinit. & fide Cathol. Cardinalis Cajetanus in 2. 2. quæst. 44. art. 8. & quæst. 100. artic. 1. & Thomas Campegius in tractatu, an Papa possit incurrere labem Simoniæ in resp. ad 8. Et hi quidem sancti eruditiq; Patres scribunt, Pontificem non posse indigno conferre beneficia, quia non dispensator mysteriorum Christi, sed dissipator appellaretur.*

Balbus JCtus Pontificius lib. de Coronat. pag. 51. ex Platina in vita Bonifacii IX. *Ex Pontificibus primum Bonifacium IX. Anno 1400. urbis Romæ dominatum sibi vendicare tentavisse* asserit; *ipsam enim urbem ingressum munita mole Hadriani mœnibus & turribus dominatu urbis sensim potitum esse.*

Parlamentum Parisiense, teste Bochello de decretis Eccl. Gallic. damnavit hanc propositionem, *Papa Christi Vicarius Monarcha, spiritualem & temporalem habens potestatem, Principes suis præceptis rebelles regno & dignitatibus privare potest.*

Petrus à Well, in tract. de Usuris edit. Colon. An. 64. in octern. C. *Miscentur officia politica & Ecclesiastica, quod dum fit, differentia inter politicum & Ecclesiasticum Magistratum non rectè evanescit. Deum precer, ut hoc tandem corrigere dignetur ad nominis sui gloriam sempiternam.*

Johannes Barclajus JCtus contra temporalem Pontificis potestatem publicum scriptum, sub titulo de potest. Papæ in Princ. Christ. edidit, idemque sub titulo Vindiciarum contra Bellarminum defendit.

In præfat. prioris scripti ad Papam Clementem VIII. directa sic loquitur: *Vide Pater sanctissime, quam non expediat, Ecclesiæ istud Imperium vendicare, quod veluti Sejanus equus proprios Dominos perdidit.* Rationes affert potissimum duas, 1. *Quia Petrus & cæteri Apostoli tunc temporis nullum habebant jus in quemvis privatum subditum, nedum in Magistratum.* 2. *Quia nemo ex antiquissimis hujus potestatis Papalis mentionem facit.*

Idem Barclajus in eod. de potestate Papæ libro pag. 6. testatur, *quod nobilis Concionator, si quis in Jesuitis est, cum ab eo, quid de Thomæ Bozii opinione de temporali potestate Papæ sentiret, percon-*

Percontaretur, *Papalem parasitum eum vocasse: excellentes Theologos, in quibus Bellarminus, novos Theologos appellare, atq; eos ut apertissimè falsa & adversus omnem veritatem pugnantia scribentes graviter incusare.*

Idem Doctor Papista. *in hoc scripto Bozii nihil solidæ rationis ad sententiæ suæ confirmationem, non alicujus fallaciæ & captionis admixtione corruptum, nihil vetustæ ac probatæ autoritatis, non adulterinæ interpretationis fuco depravatum invenit.*

Carolus Molinæus in lib. contra abusus Paparum f. 198. & seqq. prolixè probat, *Imperium nequaquam à Papa dependere.*

Petrus Gregorius Tholosanus lib. 26. de Republ. cap. 5. ex Ottone Frisingensi lib. 6. Chronic. cap. 35. sic scribit: *Lego & relego Regum & Imperatorum res gestas, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc Henricum Imperatorem, quem Hildebrandus deposuit, à summo Pontifice esse regno privatum.*

lib. 13. de Republ. cap. 1. §. 29. *Personæ Ecclesiasticæ videntur resilire à proprio munere secularibus se immiscendo.*

Johannes Georgius Hervvarth ab Hohenburg in Bzovio injuriarum postulato p. 121. & seqq. multis demonstrat, *electum Imp. Rom. posse gubernacula Imperii gerere & administrare ante acceptam à Papa confirmationem.* Inter alios adducit Azorium tom. 2. Instit. moral. lib. 10. cap. 6. §. 2. & seqq. p. 1581. idipsum probantem.

Cum Philippus Hispaniarum Rex Portugalliæ regnum, defuncto Rege Heinrico, ad se jure hereditario pertinere contenderet, & Papa ultro & non rogatus judex esse vellet, Rex expetivit super ea re ab Universitate Alcalana consilium. Doctores, re pensiculatius deliberata, responderunt, *Papam & Apostolicam Sedem nequaquam in hac causa vel posse, vel debere judicialiter cognoscere, quia secularis & mundana omninò esset, spiritualibus illum potius, omissis his, ut incumbat, decere.* Wolff. tom. 2. p. 937.

Antonius Quirinus, Patritius ac Senator Venetus, rationes Serenissimæ Reipubl. contra Papam Paulum V. congessit & typis publicis commisit.

Marcus Antonius Peregrinus, Patavinus Jurisconsultus & eques, in suo responso publicato idem præstitit.

Johannis Baptistæ Leonis Veneti Ducis Urbinatum, discursus duo, *super potestate Ecclesiastica & Romanæ Curiæ Monarchia*, itidem Ecclesiasticorum dominium temporale evertunt.

Nicolaus Crassus junior, in Antiparænesi ad Cæsarem Baronium Cardinalem, idem argumentum tractat.

Ventura Vicentinus in Consilio suo demonstrat, 1. *Papam non posse pro sua voluntate ad finem temporalem leges statuere per orbem.* 2. *Papam non esse Regem temporalem Franciæ, Hispaniæ, aliorum regnorum ac Rerumpublicarum, nec aliarum Civitatum extra eas, quas possidet.* 3. *Papam non esse Dominum earum Provinciarum, quas habent infideles.* 4. *Papam non esse Dominum totius orbis Christiani.* 5. *Nec habere dominium directum in temporalibus extra civitates, quas possidet.* Ostendit insuper, *I. Christum, cujus se Vicarium Pontifex gloriatur, 1. Non fuisse Regem ex hereditate. 2. Non ex electione. 3. Non jure belli. 4. Non dono speciali. II. Papam non habere omnem potestatem, quam habuit Christus.*

Johannnis Budæi de la Gormandiere, Jus Regum adversus Bellarminum ejusdem est argumenti. Hæc & hujus generis plura scripta conjunctim edidit Melchior Goldastus Haimensfeldius Volum. 2. Monarchiæ S. Romani Imperii.

9. Historici, Philosophi, Poëtæ &c.

Circa Annum 320. *in Laterano visa manus invisi autoris, quæ ad parietem scribebatur, cunctis videntibus simul ac legentibus, Hodie venenum Ecclesiæ infusum est. Et hoc illa die, qua Constantinus Magnus Imperator Sylvestro Pontifici dedit Ecclesiæ Romanæ palatium Lateranum, urbem Romam ac Italiæ Provincias.* Malleolus de nobilit.

Legitur in Chronicis, eo tempore, quo Italiam Pontifici donatam, ferunt, de cœlo vocem auditam, Hodie est infusum venenum Ecclesiæ Dei, quâ Ecclesiam rerum donatione contentarum capacem non fuisse indicatum est, cum ipsius Ecclesiæ intersit plus æquo non ditari, quo enim magis ditescit, eò magis periclitatur. Johan. de Parif. in tract. de Papali & regia potestate cap. 22. Albericus de Rosate in l. 2. C. de quadr. præscript. Everhardus in Topicis loc. à verosimili n. 15. Vasquius lib. 1. Controvers. usu frequent. cap. 6. n. 2. ex Salyceto in rubr. C. de verb. signif.

Sigebertus Gemblacensis in Chronico circa annum 1111. Henricum IV. Imperatoem contra Pontificem defendit, asserens, *Papam non habere utrumque gladium, neque juris aliquid super ipsum Imperatorem, ac detestabilem esse hæresin in Papa, politicorum dominorum subditos à juramentis absolvere.* Verba ejus ad annum Christi 1088. sic habent: *Hæc sola novitas, non dicam hæresis,* (quod Hildebrandus primus illam potestatem adversus Imperatorem sibi assumsit de solio Imperiali ipsum dejiciendi) *necdum in mundo emerserat, ut Sacerdotes illius, qui dixit Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subjectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, qui contra Regem senserint, imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa injustitiæ & perjurii absolvatur.*

Otto (Ludovici Pii Marchionis Austriæ filius, Episcopus) Frisingensis (circa Annum 1160.) lib. 6. Chronici cap. 35. p. 137. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quenquam Roman. Imperat. ante hunc* (Henricum IV.) *à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum.*

lib. 1. de gestis Friderici primi Imperatoris cap. 1. p. 407. *Gregorius septimus, qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem, tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decernit, cujus rei novitate eò vehementius indignatione motum suscepit Imperium, quo nunquam ante hæc tempora hujusmodi sententiam in Principem Romanum promulgatum cognoverat.*

Dantes Algerius Florentinus, circa ann. 1321. scripsit librum, quem appellavit *Monarchiam*; (cujus libri meminit Bartholus in l. Divi. §. Præsides ff. de requir. reis. Ejusdem etiam meminit Archiepiscopus Mediolanensis Arcimboldus in Catalogo hæreticorum, uti memorat Petrus Paulus Vergerius Episcopus Justinopolit. in tract. de idolo Lauretano.) In eo confirmat, *Papam esse sub Imperatore, Romanum Imperium non dependere à Papa &c. Ad istud,* (inquit) *quod quidam dicunt, duo magna luminaria cœli Solem & Lunam designare Papam & Imperatorem, & Lunam non habere lucem, nisi prout recipiat à Sole, sic & Imperium destitui autoritate, nisi prout recipiat à Papa; respondeo non quadrare, quia non omnia, quæ gesta narrantur, etiam aliquid significare putanda sunt. Et quoniam regimina ejusmodi accidentia sunt hominis, Deum ordine usum fuisse perverso, dicendum esset, quod absit, producendo accidentia prius quam subjectum proprium. Nam luminaria illa duo producta sunt die quarto, & homo die sexto, cum ista regimina sint hominum directiva in quosdam fines. Si autem homo stetisset in statu innocentiæ, in quo à Deo factus est, talibus directivis non indiguisset, sunt ergo ea regimina remedia contra infirmitatem peccati. Cum ergo non solum in die quarto peccator homo non erat, sed etiam simpliciter homo non erat, producere remedia, certum est fuisse otiosum, quod est contra divinam bonitatem, igitur, licet Luna non habeat lucem abundanter, nisi ut à Sole recipit, non propterea sequitur, quod Luna ipsa sit à Sole. Aliud est enim, esse ipsius Lunæ, aliud virtus ejus & aliud operari. Quantum est ad esse, nullo modo Luna dependet à Sole, nec etiam quantum ad virtutem, nec quantum ad operationem simpliciter, quia motus ejus est à motore proprio, & influentia sua à propriis suis radiis. Habet enim aliquam lucem ex se, ut in ejus eclipsi manifestum est. Sic regnum temporale non recipit esse à spirituali, nec virtutem, quæ est ejus autoritas, nec operationem &c.*

Et postea: *Ad id, Petrus potuit omnia solvere & ligare. Successor Petri potest, quod Petrus potuit. Ergo successor Petri potest omnia solvere & ligare, unde inferunt, autoritatem & decreta Imperii solvere & ligare ipsum posse, dico, non absolute sumendum esse eam potestatem, respective ad aliquid, alias enim impœnitentem, matrimonia & quosvis contractus civiles solvere posset, respexisse autem Christum ad potestatem clavium regni cœlorum, regni quod non est de hoc mundo. Universale illud signum, quod includitur, in quodcunque contrahitur in sua distributione ab officio clavium regni cœlorum, ideo nequaquam sequitur, quod Petrus possit solvere decreta imperii.*

Remotis falsis postea veritatem ostendit, ac *Imperium non dependere ab Ecclesia*, probat hoc modo: *Ecclesia autoritatis Imperii causa esse nequit, quia Imperium virtutem & autoritatem habebat, nondum existente & operante Ecclesia. Nam virtutem, quam longe ante imperium habuit, ab Ecclesia, quæ longè post demum extitit, accipere nullo modo potest. Habuisse autem virtutem & autoritatem Imperium Christus testatur nascendo & moriendo. Ecclesia quoque, Paulus enim ait, ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicari. Item Angelus ait, Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere. Et iterum Paulus ait: Cæsarem coactus sum appellare, ut eruerem animam meam de morte.* Ex his patet, *Cæsarem judicandi tempo-*

temporalia potestatem habuisse. Item ait, Ecclesiam virtutem autorizandi Romanum Principem non habere nec à Deo, nec à se, nec ab Imperatoribus, nec ab universo mortalium assensu. A Deo accepisse, vel per legem divinam, vel naturalem, nullibi reperitur, quinimo, ait, se invenire, de præcepto Sacerdotes ab illa remotos esse. Nec à se, quia, quod non habet, dare non potest. Nec ab Ecclesia, quia nec ipsa dare potuit, quod non habuit. Nec ab Imperatore, quia nec hic habet attribuendi alteri, quod præjudicat suæ jurisdictioni. Nec ab assensu omniũ, ut palam est. Etenim & Asiani & Africani omnes, quin & major pars Europæ hoc abhorret. Item potestas ea non potest esse de numero virtutum Ecclesiæ, quia est contra Naturam ejus. Nam Natura Ecclesiæ est, vitam Christi referre. Christus autem abnegavit tale regimen coram Pilato &c.

Propter hæc & alia, quæ contra Pontificem scripsit, tanquam hæreticus post suum exitum à Papa fuit damnatus, Bartoli Saxoferratis & aliorum Jurisperitorum sententia, ut memorat Raphaël Volaterranus.

Onuphrius de var. creat. Rom. Pont. lib. 4. Etsi ante Rom. Pontifices tanquam religionis Christianis capita, Christiq; Vicarii & Petri successores colerentur; non tamen eorum autoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel asserendis, vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab eis creabantur, de iis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Northmannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris, per Italiam potentissimæ, confisus, discordiaq; Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem contemta Imperatoris potestate & autoritate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, à quo, si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam regno imperioq; privare ausus est. Res ante ea secula inaudita.

Ibid. respondet exemplis Arcadii, Anastasii & Leonis Iconomachi, quæ à potestatis Papalis assertoribus urgeri solent: Fabulas, inquit, quæ de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur, nil moror. Nam Arcadium Innocentius sola communione corporis & sanguinis Christi censuit privandum cum injunctione pœnitentiæ salutaris. Anastasius per Symmachum Papam separatus est à communione cum Romana Ecclesia, ut illa certo temporis intervallo eum in suam communionem non admitteret &c.

Fulgosus lib. 6. Hist. & ex eo Duarenus JCtus lib. 1. de sacris Eccles. minist. cap. 4. Arator quidam senex in Germania, cum Episcopum Ducemq; Coloniensem, qui iter armatus faciebat, vidisset, magno risu solutus, interrogatus est, Quæ tanti risus causa esset: Arator autem, cum negare se rem videret, non posse, respondit, ridere se, quod Petrus Apostolus Clericalis Ordinis Princeps, in tanta inopia mortuus esset, & posteros in eo ordine tantopere locupletasset. Respondente autem Episcopo, se simul & Ducem esse & Episcopum, & eo tempore ut Ducem armatum esse, & cum armatis iter facere; & cum in templo esse contingeret, illic ut Episcopum agere; majori etiam cachinno solvi arator cœpit. Denuo igitur causam rogatus dixit, vellem equidem declarari mihi, cum mortuum hunc Ducem, cujus personam geris, in inferno esse continget, quo putes Episcopum iturum?

Johannes Aventinus lib. 5. Annal. de Gregorio VII. Primus contra morem majorum, contemta Imperatoris autoritate, Pontificatum maximum occupavit, utramque personam sibi impositam esse à Christo, se, quodcunq; ut liberet, ligare, solvere posse jactavit &c.

Idem in præfat. ad lib. 6. Annal. pag. 370. Ante Paschalem II. Mystæ, Monachi, Sacerdotes, Virgines, sacratæ fœminæ, Episcopi rebus divinis, studio literarum, scribundis libris duntaxat (delegata domus, penatium, agrorum cura in profanos) operam dabant, rerum fluxarum caducarumque administratione contaminari & pollui se credebant. Pecunias igitur prædiorum, reiq; familiaris curam in Procerum quempiam, qui vicinus, aut autor contubernii erat, à se relegabant. Illum Cæsar dabat, qui Sacerdotibus nidum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, hunc q; Βοηθὸν, Boëthum, hoc est, patronum, curatoremq; vocabant.

Nicolaus Machiavellus lib. 1. Histor. disertè affirmat, Pontifices nullam aliam potestatem, nisi Ecclesiasticam usq; ad Theodericum Regem Longobardorum habuisse, eo usque in politicis rebus Regibus paruisse, sed tunc paulatim etiam politicam potestatem quærere ac sibi rapere cœpisse; tribus autem rationibus aut artibus, eos crevisse, demonstrat, excommunicationibus, Indulgentiis & armis.

Albertus Crantzius lib. 8. Saxon. capite 36. referens de Bonifacio, quomodo secunda die solennitatis Jubilææ, quam primus celebravit habitu Cæsareo, præferente quodam aulico gladium nudum præsentibus Cæsaris Alberti Legatis templum ingressus sit & ubi consedit, alta voce exclamavit: Ecce hic duo gladii, Papa ego sum & Cæsar, cœlestis & terrestris Imperii potestatem habeo, subjungit: Vide, ô Petre, Successorem tuum; & tu, salutifer Christe, tuum Vicarium, vide, quo ascenderit superbia servorum tuorum!

Idem: Mira Pontificum perplexio, qui utrisq; rebus impliciti & secularibus & Ecclesiasticis magnam rem peragunt, si utrobique integri ex fide omnia implent.

Idem: Crevit proinde magnum in modum autoritas & dignitas Romanæ Ecclesiæ, quæ jam Imperatores & confirmare & consecrare cœpit, quod ante hunc diẽ fecit nunquam. Duo gladii, quos Petrus adesse dixit, Christus autẽ satis esse respondit, jam tum primum in successore Petri Leone tertio apparuerunt. Nam cæteri Pontifices alterum in vagina reclusum ad oportuna tempora tenuerunt, quamvis etiam ante hunc diem temporalem gladium exercuisset Ecclesia in aliquot districtus, quos Gothi, Longobardi & super omnes idem Carolus, victis Longobardis, Ecclesiæ contulerunt.

Theophrastus Paracelsus in annot. ad figuram decimam Joachimi Abbatis. Aquila non subjicitur Papæ imperio, nec corona Imperatoria substernitur ipsius pileo.

Franciscus Guicciardinus Florentinus lib. 3. Histor. (qui tamen locus ex impressis hactenus exemplaribus detractus, postea ab interitu vendicatus & Latinè, Italicè, Gallicèq; editus.) Pontifices Romani, quorum primus Petrus Apostolus fuit, accepta à Jesu Christo in rebus sacris ac divinis autoritate, caritate, submissione, patientia, Spiritu sacro & prodigiis magni per illorum initia, non modo potentia civili & mundana penitus nudati, verum etiã ab illa vexati diu obscuri ac ferè ignari fuerunt, eorum nomine nulla re magis, quam suppliciis & cruciatibus perferendis innotescente, quæ una cum iis, qui eos sequebantur, sustinebant &c.

Et postea: Nemo negat, Imperii Constantinopolin translatione ad Pontificum potentiam viam esse patefactam, ex eaq; originem habuisse. Nam indies magis & magis Imperatorum autoritate, cum ex illorum continua absentia, tum quod gravissimis in Oriente bellis distinerentur, in Italia debilitata populus Romanus ab Imperatorum obedientia paulatim desciscens, atque ob eam rem tanto magis Pontifices præsentes respiciens, eis cœpit, non obedientiam quidem, sed voluntarium quoddam obsequium exhibere. Quanquam ne hæc quidem, nisi lente se ostenderunt, ob Gothorum & Vandalorum, aliarumque barbararum nationum in Italiam effusiones, à quibus capta sæpe ac direpta Roma & Pontificum nomen, quod ad civiles res attinet, in obscuro pene contemtum jacebat, & Imperatorum in Italia autoritas evanescebat, quandoquidem eam tanta cum ignominia prædæ barbaris expositam deserebat &c. (Locum integrum ex Guicciardino deletum, recenset Wolfius tom. 2. memorabil. p. 164. qui hisce tandem verbis concluditur.)

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati ac sensim animarum salutis, divinorumq; præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divina autoritate aliter, quam quasi telo & instrumento rerum fragiliũ abutentes, Principes potius gentium, quam rerum sacrarum Pontifices videri cupiunt. Horum cura & negotia, non jam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas; sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis, sacra tractantes; sed pecuniæ immensa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ insidiæ ad pecuniam undique cogendam; in hunc finem audacissime arma cœlestia vibrare, profanarum sacrarumque rerum nundinationem impudentissime exercere; hinc opes in immensum adauctæ & in totam ipsorum aulam effusæ, ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatesque nefandæ; nulla de successoribus, nulla majestatis perpetuæ Pontificatus solicitudo, sed horum loco cupido anxia & pestifera filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios, non modo ad opes immoderatas, verum etiam ad regna & imperia evehendi; non jam honores & emolumenta immerentes & bonos conferendo, sed plerumque auctionando, aut in homines, ambitione, avaritiâ & pudendis voluptatibus perditos effundendo.

Suffragantur etiam nostræ sententiæ quædam hypotheses Adversariorum.

1. Maldonatus in Summula q. 12. artic. 7. & q. 15. art. 21. 22. concedit, Papam non posse solvere vinculum naturale.

Subsumimus. Subditi naturali vinculo tenentur obstricti suo Magistratui, qui vel successione, vel electione imperium obtinuit.

2. Bellarm. de potest. Papæ contra Barclajum cap. 21. pag. 202. in resp. ad Epist. Anonymi propos. 1. & in respons. contra Johannem Marsilium cap. 3. pag. 233. fatetur, subditos legitimo suo Principi de jure divino & Naturæ ita esse obstrictos, ut Papa nec velit, nec possit eos illa obligatione liberare. Sed hanc obligationem

tionem concedit, *quamdiu Princeps est legitimus, postquam vero Pontificis decreto regno privatus sit, desinere esse legitimum, adeoq; juramentum non ligare amplius subditos.* At hæc continent meram principii petitionem. Falsum enim est, quod Pontifex ideo, quia potestatem habere dicitur, Christianos Principes ob hæresin aut alia de causa excommunicandi, potestatem quoque habeat eosdem regno privandi, cum hæc duo, tanquam diversa agendi principia, ac diversæ potestates, nequaquam sese invicem consequantur, fatentibus ipsismet Pontificiis. Suarez tom. 5. Disput. 8. sect. 1. Becan. in controv. Anglican. cap. 3. q. 2. p. 108. Richeomo in Expolc. Apolog. p. 175. Paludano, Richardo, Antonino, Soto, Medina, apud Widringthonum Apol. pro jure Princ. n. 346. Eudæm. Apolog. pro Garnetto cap. 13. n. 3. Confer Marcum Antonium de Dominis lib. 6. de Republ. cap. 10. & lib. 5. cap. 9. Præterea circulus in hac disputatione committitur. *Non licet*, inquiunt, *Papæ Principis legitimi subditos à juramento fidelitatis absolvere, quamdiu est legitimus.* Et vicissim: *Licet Papæ ex legitimo Principe facere illegitimum, atque ita subditos legitimi Principis juramento solvere.* Quid enim in ultima ἀναλύσει hoc aliud est, quam subditos solvere juramento, quo legitimo Principi erant obstricti?

3. Meritò etiam hoc urgemus, quod Widringthonus in Disput. de juram. fidel. cap. 3. sect. 3 num. 16. & 17. memorat, *Aubertum Miraum ex Sigeberti Chronico integras sententias, adversus Romanorum Pontificum temporalem in Imperatoris jurisdictionem facientes, abscidisse.* Alios etiam Papistæ cujusdam Anglici librum, quo & directa & indirecta temporalis Pontificis potestas confutata erat, sub prelo ita corrupisse, ut Autor ipse, cum impressum vidisset, ne librum quidem suum agnosceret. (Nisi frontem plane perfricuissent, ab hoc plagio omnino abstinerent.)

4. Nec hoc prætermittendum, quod spiritualis & temporalis potestatis in Pontifice conjunctionem ab Ethnicis acceptam esse fatentur. c. Cleros. dist. 21. *Antea qui Reges erant, & Pontifices erant. Nam majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos & Pontifex.*

Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. cap. 14. p. 372. *Pontificem maximum Numa Martium Marci filium ex Patribus creavit, cujus potestati omnia sacrorum jura subjecit, ac quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa, sacra fieri oporteret, formulam docuit, constituitq; eum, teste Festo, judicem ac arbitrum rerum æque divinarum ac humanarum. Fuit id, credo, certum portentum, quo est significatum, urbem Romam postremò perinde Pontificia majestate, qua nunc latè patet, gentibus moderaturam, atq; olim potentia imperasset.*

pag. 380. caput illud, quod regimen Ecclesiasticum descripserat, hisce verbis claudit: *Atque tale fuit apud Romanos rerum sacrarum initium, quarum bonam nos partem accepimus.*

Baronius inter ea, quæ ab Ethnicismo Rom. Ecclesia fuit mutuata, refert etiam utriusq; potestatis conjunctionem, Anno 44. num. 88. sic scribens: *Utque ipsi quoque haberent Regale Sacerdotium, constituebant Regem, qui etiam Sacerdotio fungeretur, & ea de re Rex sacrificus diceretur.* Confer eundem Anno 57. n. 34. ubi Papæ civilem potestatem supra magnates itidem exemplis ex Ethnicismo petitis probat.

5. Baronius Anno 657. n. 10. refert, *in Monotheletis damnatum, quod utramque potestatem, Ecclesiasticam & Politicam, in uno subjecto concurrere dicerent, Imperatori etiam Sacerdotiū tribuerent.*

6. Fatentur, Sacerdotes in V. T. Regibus fuisse subjectos. Abulensis in cap. 32. Exod. q. 33 p. 221 scribit: *Aaronem Mosi hoc responsum (ne indignetur mihi Dominus meus) dedisse, non ut majorem, sed ut subditum, cum Moses fuerit constitutus Dux populi.* Neve quis cum Sandero excipiat lib. 2. de vis. Monarch. cap. 3. p. 59. *Mosen fuisse Sacerdotem, ac proinde ut Sacerdotem Aaroni præfuisse*, notandum, quod idem Abulensis in cap. 29. Exodi q. 4. p. 126. col. 2. scribat: *Postquam Sacerdotes isti consecrati sunt à Mose, & ministrare poterant, Moses desiit esse Sacerdos & nunquam ministravit.*

Idem Abulensis in cap. 3. Jos. quæst. 16. *Quamvis Josua non esset de tribu Sacerdotum, mandabat tamen non modo minoribus Sacerdotibus sive Leviticis, ut hic, (Jos. 3. Deus dixit Josuæ, Tu præcipies Sacerdotibus) sed etiam magno Sacerdoti. Num. 27. cum dicitur. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.*

Idem in 4. Reg. 12. *Rex (Josias) potestatem super Sacerdotes habuit & potuit eos occidere pro crimine, sicut cæteros Laicos, & à fortiori, privare eos officii dignitate.*

Neque verò hæc est privata & peculiaris quædam solius Abulensis opinio, sed habet alios complures ὁμοψήφους.

Joh. de Parisiis in lib. de potest. Regia & Papali cap. 5. *In veteri lege Sacerdotium indignius erat potestate regia & ei subjectum.*

Salmero tom. 12. tract. 63 pag. 428. §. Sed nunc &c. asserit, *summos Sacerdotes subditos fuisse Regibus in V. Testam. sicut apud gentiles.*

Stapletonus lib. 5. Controv. cap. 22. concedit, *Reges ipsos in V. Testamento non solum piè, sed & necessario rebus Ecclesiasticis non-nihil se immiscuisse*, cujus veritatis assertorem adducit Thomam Aquinatem in 1. Petr. 2. sic scribentem: *In veteri Testamento regnum præeminebat Sacerdotio.*

Dormann. Lovaniensis fol. 40. (referente Ivello tom. 2. oper. p. 504.) *Vos estis Regale Sacerdotium, quasi dicat, Sacerdotium ante quidem Regale non erat, quandoquidem Reges Sacerdotibus tum imperitabant, nunc vero Regale factum est, quia sub Sacerdotium ipsi etiam subjiciuntur Reges.*

Argum. Pontif. 1. *Christus dicit. Ecce duo gladii hîc*, Luc. 22. ex quo Bonifacius VIII. in Extravaganti Unam Sanctam deducit, *Pontificem duos gladios ex Christi institutione habere.*

Reip. 1. Gregorius Episc. Rom. lib. 7. Epist. 1. ad Sabinianum sic scribit: *Si gladio uti voluissem, Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* (Ergo Gregorius, Bonifacii hujus Antecessor, melioribus Ecclesiæ temporibus gladium illum ad se minime pertinere statuit.)

2. Dantes Aligerius Florentinus in libro de Monarchia circa ann. 1321. ad hoc argumentum sic respondit: *Christus omnino non subinnuit duo regimina, Ecclesiasticum & Politicum, typicè enim non potest intelligi, cum Christus non dederit istos gladios, sed jusserit, ut emerent in futuros usus propter necessitatem, sed quia Petrus duos adesse ajebat, cum Christus vellet, ut quilibet ex duodecim unum coëmeret, respondit, satis esse. Ideò intentio Christi omninò non fuit, per istos duos gladios intelligi debere duo ista regimina; quod & inde apparet, quod cum Petrus gladio seculari uteretur, increpatus à Christo, jussus est, ut reconderet, & ut planius faceret Christus, duos gladios Petro non competere, ait, qui gladium (scilicet, cui ego non concessi) acceperit, gladio peribit.*

3. Jacobi Spigelii de Pontificia illa verborum Christi detorsione sententiam paulo ante adduximus.

4. Hieronymus Balbus de coronat. ad Carol. V. Imp. *Inter argumenta, quibus Canonum Professores asserere student, omnem Imperatoris autoritatem à Pontifice emanare, hoc est unum, quod dicunt, se pro comperto habere, utrumque gladium penes Ecclesiam esse, cum Apostoli, qui totius Ecclesiæ personam sustinebant, intrepide protulerint, Ecce duo gladii hîc, nec Christus eos ut superfluos exclusit, sed respondit, & cum Petrus gladium stringeret, nequaquam jussus est eum abjicere, sed in vaginam recondere, quasi usum prohibens, non imperium auferens, quæ enucleatius explicat Andreas Siculus, Antoninus & Ancontanus, qui omnes ex hac Evangelica narratione effici volunt, usum solum & procurationem alterius gladii Imperatori demandari, potestatem verò utriusque penes Pontificem residere, ad quod nihil videtur accommodatius, quam Nicolai Pontificis jussa. c. Omnis, dist. 22. & c. autoritatem. caus. 15. quæst. 6.* (Sed non posse illud ex istis Christi verbis colligi, etiam quidam recentiores agnoscunt.)

5. Lyranus in h. l. *Dicit autem Chrysostomus, quod illi duo gladii erant duo magni cultelli ad scindendum carnes agni.* (Concidit ergo allegoria.)

Cajetanus in h. l. *Non dixerunt, Ecce duo gladii nobis, sed in hoc loco. Fortè monstrabant gladios patrisfamilias illius domus.* (Si ergo hi gladii non fuerunt Apostolorum, ineptè hoc transfertur ad stabiliendam potestatem spiritualem & temporalem.)

7. Mendoza tom. 1. in quatuor libros Regum fol. 12. *duos hosce gladios de duobus Testamentis* interpretatur, (non de duplici potestate, Ecclesiastica & Politica.)

8. Didacus Stella in cap. 22. Luc. *Multi in hoc loco interpretantur illos duos gladios de duplici potestate, Ecclesiastica scil. & secular̄i, sed quia hæc non sunt ad rem, ne immoremur in increpatione expositionis huic loco dissonæ & tortæ, transeamus ad ea, quæ in contextu sequuntur.*

9. Francisc. de Victoria relect. 1. sect. 6. *De duobus gladiis clarum est, quod in sensu literali nihil habetur* (de potestate temporali

potali,) sed cum Christus significabat, eos habituros contradictionem & necesse habere defensionem, ipsi errantes dixerunt, Ecce duo gladii hic.

10. Arias Montanus in c. 22. Luc. Significat, adversus tantam militum manum non plus duodecim gladios prodesse, quam duos, ergo duos satis esse, id est, nihil posse.

11. Bellarm. lib. 5. de Pont. Rom. cap. 1. resp. ad 2. fatetur, ad literam in eo loco Evangelii nullam fieri mentionem de gladio spirituali vel temporali Pontificis, sed solùm Dominum verbis illis admonere voluisse discipulos, tempore passionis suæ in iis angustiis & metu ipsos futuros fuisse, in quibus esse solent, qui tunicam vendunt, ut gladium emant, ut ex Theophylacto aliisq; Patribus colligitur. (Jam verò ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta, docente eodem Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.)

12. Maldonatus in cap. 22. Lucæ v. 38. Existimandum non est, militares fuisse gladios, sed rusticos potius ad secandas res necessarias gladios secum gestasse, quales lanii & homines rustici solent. Atq; ejusmodi gladio Petrus Malchi auriculum abscidit. Recentiores Interpretes ex hoc loco colligunt, Ecclesiam duos habere gladios, alterum spiritualem, temporalem alterum, quos ut habeat, ex hoc certè loco non habet. Quod respondit Christus, satis est, non confirmat discipulorum opinionem existimantium gladiis rem gerendam esse, sed ut ait Theophylactus, aut ironicè locutus est, aut plane indicat, sibi non opus esse gladiis, quod nollet se gladiis defendere. Quod si enim res gladiis agenda esset, non modò duo, sed ne centum quidem adversus armatam militum cohortem satis fuissent. Satis ergo duos esse dicit, quia ne illi quidem erant necessarii. In eo, quod jussit eos gladios acquirere, significabat, mortem suam instare; in hoc, quod dicit, satis est, indicat mortem suam esse voluntariam.

13. Cornelius Jansenius cap. 134. Concord. Respondit Dominus, Satis est, aut ironicè locutus, quasi dicat, quia duo sunt, multi sunt, & omninò nobis sufficiunt contra multitudinem, quæ veniet contra nos. Aut simpliciter amputans sermonis progressum, quod videret eos non assequi intentum sensum, quem ob causas dictas necdum eis explicandum censuit: ut sic jam responderit Dominus, Satis est: quomodo & nos, si quando cum quodam conversantes, videmus eum non intellexisse, quod dictum est, dicimus, Bene, dimitte. Posteriorem sensum amplectuntur, inque eo acquiescunt Cajetanus, Salmero, Maldonatus & Lucas Brugensis.

14. Allegoriam hanc jam olim invertit Henricus IV. Imperator in Epistola ad Annonem Coloniensem Archiepiscopũ, (quæ extat apud Aventinum in Annalibus) sic scribens: Regnũ ac Sacerdotium, DEO nesciente, sibi usurpavit (Hildebrandus,) in quo piam Dei ordinationem contemsit, qui non in uno, sed in duobus dico, id est, regnum & Sacerdotium principaliter consistere voluit, sicut ipse Dominus Salvator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit, cui cum diceretur, Ecce, Domine, duo gladii hic, respondit: Satis est, significans hac sufficiente dualitate spiritualem & carnalem gladium in Ecclesia esse gerendum, quibus omne nocivum foret amputandum, videlicet Sacerdotali ad obœdientiam Regis pro Deo, Regali verò gladio ad expellendos Christi inimicos exterius, & ad obœdientiam Sacerdotii interius, omnem hominem docens fore castigandum, ut ita de alia in aliam caritate tenderetur, dum nec regnum Sacerdotii, nec Sacerdotium regni honore privaretur.

(Hæc allegoria, etsi suis laboret vitiis, tamen concinnior est, quam Bonifacii allegoria, quia militaris mos est, ut singuli singulis gladiis accingantur, unde etiam Petrus postea uno tantùm gladio usus est. Bonifacius autem supponit, utrumq; gladium fuisse in Petri dominio.)

15. Georg. Landherr / im scharffen runden Auge Admirat. 6. lit. G. iij. fac. 2. Sie beyde (Pabst und Käyser) tragen zwey Schwerdter / wofern eins nicht schneidet / daß schneidet das ander / fürchtet man das eine / als krafftloß / so fürchtet man das andere / als kräfftig und durchschneidend. Glückselig ist der weltliche Fürst / (sagt Petrus Damianus der Cardinalen hellscheinendes Liecht serm. 1. de dedicat. Eccles.) welcher des Königreichs Schwerdt / auch des Priesters Schwerdt verbind / das mit des Priesterthumbs Schwerdt versöhnete / oder milderte des Königs Schwerdt. Dieses seynd eben / von welchen gelesen wird: Ecce duo gladii hic, & respondetur à Domino, Sufficit. (Hæc non possunt intelligi collectivè, quasi uterque eorum haberet utrumque gladium spiritualem, quod totis viribus negat Landherr / ergò intelligenda sunt distributivè, quod Papa spiritualem, Imperator corporalem gladium gerat, id quod etiam Damiani dictum confirmat.)

16. Damianus enim illorum gladiorum usum non uni & eidem simul attribuit, sed diversis, & tantum requirit duorum gladiorum, id est, Statuum alias diversissimorum, Politici scil. & Ecclesiastici, concordiam & conjunctionem, unde etiam à Baronio hæreseos arguitur eam ipsam ob causam, quod Papæ Romano non nisi spiritualem gladium attribuat tom. 11. Anno 1052. num. 13.

Arg. 2. Joh. 18. v. 11. Recondegladium tuum in vaginam. Ergò gladius est Petri & successorum ejus, ita concludit Turrecremata.

Resp. 1. Dionysius Carthusianus in h. l. Zelum illum Petri, ex quo gladium strinxit, indiscretum fuisse, asserit.

2. Salmeron. tom. 11. tract. 17. sic differit. Alii probabilius sentiunt, quod nonnihil in eo facto peccati commiserit Petrus, primò, quia à Christo verbis & facto sanandi fuit reprehensus. Deinde, quia nec judex erat, nec à judice potestatem habebat, ideò propria autoritate assumsit gladium.

3. Lucas Brugensis in h. l. ex Hieronymo, talem fuisse Petri zelum, confirmat, quali olim Dominum de morte ipsius increparat.

Idem in c. 26. Matth. Petro deerat autoritas, nemo ipsi gladium concesserat, non Respublica, non Deus, non Christus Dei Filius.

Ibid. Fecit hoc Petrus eodem mentis ardore, quo cætera, inquit Hieronymus, eodemq; zelo, quo altas Dominum de morte sua locutum increparat. (Quomodo verò gladius à Petro temerariè, inconsideratè, nulla autoritate legitima, sed privato motu usurpatus, significare potest temporalem potestatem legitimè jureq; pertinere ad Episcopum Romanum?)

Arg. 3. Pro potestate deponendi Principes è solio, & subditos à juramento absolvendi, urgent dictum Christi Matth. 16. v. 19. quo Petro datur potestas ligandi, quodcunq; ligare velit. Ex quo concludunt, Romanum Pontificem subditorum quoq; juramenta legitimo Magistratui præstita solvere posse. Bellarm. ad Apolog. Regis Britann. p. 10. Suarez Defens. fid. lib. 6. cap. 5. n. 2. & lib. 3. cap. 23. n. 6.

Resp. 1. Joh. Parisiensis in tract. de potest. regia & Papali cap. 15. apud Widringthonum Disput. de juram. fidel. p. 142. sic differit: Respondeo ad illud Matth. 16. Secundum Chrysostomum & Rabanum per hoc non intelligitur data aliqua potestas, nisi spiritualis, absolvendi scil. à vinculo peccatorum, stultum autem esset intelligere, quod per hoc datur potestas absolvendi à vinculo debitorum.

2. Eodem modo exposuit Card. Cajet. in 2. 2. q. 43. art. 8.

3. Johannes Ferus lib. 3. in Matth. super cap. 16. pag. 30. ex Bernhardo lib. 1. consid. ad Eugen. sic scribit: Potestatem accepit Petrus non terrenam aliquam, ut posset scilicet dare, auferre, alienare regna. (Ubi in post. edit. assuerunt verba, nisi legitima subsit causa. quæ nec in priore edit. nec apud Sixtum Senensem lib. 6. Bibl. annot. 72. habentur.)

Ibid. paulò antè pag. 28. Ferus sic differit: Executio igitur potestatis Ecclesiasticæ in his duobus consistit, prædicatione scilicet Evangeliorum, & administratione Sacramentorum, neq; enim alia Apostolos fecisse legimus. Cui adstipulatur Hieronymus in Esa. capit. 14. Solvunt, inquit, Apostoli sermone Dei, testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutis. Sicut autem solvunt sermone Dei, sic & solvunt Sacramentis, quæ appendices sunt verbi. Neq; ego aliud quicquam invenio Apostolis traditum, per quod exequi debeant suam potestatem, quam hæc duo. (Nimirum objectum ligandum & solvendum, ab ipso Salvatore determinantur peccata, non autem legitima juramenta. Matth. 18. vers. 18. Joh. 20. v. 21.)

4. Idem Ferus d. l. sic scribit: Quidam hoc soli Petro dictum esse contendunt, ex eo, quod dicit, Tibi dabo, quibus tamen alii contradicunt. Ego igitur, ne quid temere hic definiam, non meam, sed Augustini sententiam in medium afferam, qui sic ait tract. 124. super Johannem, Petrus, inquit, tenuit figuram Ecclesiæ. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, Natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiori gratia unus idemq; primus Apostolus, sed quando ei dictum est, Tibi dabo claves regni cœlorũ, universam significat Ecclesiam. Quod Petro specialiter dictum Matth. 16. v. 19. Quodcunq; ligaveris, id cuivis fratri generaliter dicitur Matth. 18. v. 18. Quæcunq; ligaveritis &c. ex quo tamen nemo unquam deduxit, vel deducere potuit, posse quemlibet Christianum alterius subditos juramento solvere.)

5. Idem Ferus pag. 29. Observandum & illud, quod signanter dictum est, Tibi dabo claves regni cœlorum. Non dicit, regni terrarum. Nihil hæc verba spectant ad terrenam potestatem, quam tamen ex his verbis stabilire nituntur, asserentes, Petrum nedũ in spiritualibus sed & externis plenitudinem potestatis accepisse, id quod Bernhardus ad Eugenium manifestè arguit. In criminibus, inquit, non in possessionibus est potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepistis claves regni cœlorum, peccatores utiq; exclusuri, non possessores. (Quæ verba Index Expurgatorius non delevit.)

6. Jacob. Faber Viennensis Episcopus eodem modo exposuit, videlicet, *clavibus solvenda esse tradita spiritualia, non temporalia, nec soli Petro, sed Apostolis omnibus, eorumq; successoribus.* (Sed hæc expurgari jussit Index Hispan. Antuerp.)

7. Eodem modo exponit Claudius Espensæus Theologus Parisiensis in 1. Timoth. lib. 1. Digress. 3. sub fin. ubi *potestatem solvendi & ligandi ad res temporales se extendere* negat *& ad sola spiritualia* restringit. Alibi quoq; illud Bertrandi ingeminat, *Episcopis datas esse claves, ut peccatores excludant, non possessores.*

8. Ante hos omnes Conradus Trajectensis Episcopus seculo undecimo, in Conventu Garstungi instituto, ad quem Germaniæ & Galliæ Episcopi evocati erant, causam Henrici IV. Imperatoris contra Papam Hildebrandum Gregorium VII. defendens, inter cætera de verbis illis Christi sic disseruit: *Ambitiosi & superbi sunt, qui illud Domini Dei; nostri elogium, Quodcunq; solveris super terram, erit etiam solutum in cœlis: & quodcunq; ligaveris super terram, erit & ligatum in cœlis, perfricta fronte interpretando adulterant, suæ libidini servire cogunt & nobis, ceu pueris atque omnium rerum imperitis, astu illudere student. Quasi vero nesciamus, peculiare esse sacris vatibus divinæ sapientiæ consultis pro capacitate auditorum diversis nominibus idem appellare &c. Proinde Pontifex æternus id, quod subobscurè de vinculo dixit, Pax vobis, inquit, Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quibus remiseritis peccata, remittuntur; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Argum. 4. *Vicarius Christi habet potestatem eam, quam Christus. Papa est Vicarius Christi. Ergò.* Ulterius. *Christus habet potestatem Regalem & Sacerdotalem. Ergò etiam Papa.* August. Triumphus de potestate Ecclesiast. q. 1. art. 7.

Resp. 1. Franciscus à Victoria Relect. 4. quæ est de potestate Papæ & Concilii, cum sibi objectum esset, *Vicarium posse, quicquid potest Principalis, Ad quintum,* inquit, *respondetur, quod verum est, quod Papa est Vicarius & Legatus Christi, & nego consequentiam. Non enim infertur, Est Vicarius Christi, Ergo potest, quicquid potest Christus, nec unquam aliquis tribuit hanc licentiam Papæ, Est enim proprium heredis sive successoris. At Christo nullus fuit unquam aut heres aut successor, nedum Papa. Et probatur, non esse in Vicario omnem potestatem, quia omnes Episcopi sunt Vicarii Christi, & tamen non habent omnem Christi potestatem, nam, ut reliqua taceam, saltem non sunt totidem Papæ.*

2. Christus, ut Mediator, non fuit *Rex terrenus, sed spiritualis & cœlestis.* Alexander Carerius de potestate Romani Pontificis adversus impios politicos lib. 2. c. 5. probat, *Christum esse Regem* ex Matth. 2. v. 1. ubi Magi quærebant *de recens nato Rege Judæorum.* Sed rectè monet Salmeron tom. 3. tract. 38. Christum esse Regem spiritualem. *Quia verò,* inquit, *Christus constitutus est Rex à tempore conceptionis, & post resurrectionem declaratum est, regnum ipsius esse planè spirituale & divinum, sicut ipse dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Propterea, volentes eum Regem facere, fugit & latuit, quia regnum ejus non erat de hoc mundo, id est, non pendebat ex electione & voluntate hominum. Erat tamen Rex Judæorum, scil. credentium & confitentium eum Regem spiritualem.*

3. Idem Carerius probat, Christum esse Regem *ex ingressu regio in urbem Hierosolymam.*

Resp. Ingreditur ut Rex spiritualis. Cornelius Jansenius in c. 110. Harmon. Evang. *Summæ humilitatis, & plus quam plebeiæ fuit, quod alieno & commodatitio jumento usus est; quod asello insederit, nihil minus quam regio vectore; quod pauperum discipulorum vestimentis, non aureis vestibus insederit; stipatus inermibus comitibus, qui pro hastis ac gladiis arborum ramusculos manibus gestabant. Quo utiq; declarabat, aliam esse conditionem regni sui, quam regnorum hujus mundi.*

Maldonatus in cap. 21. Matth. *Videtur Christus regni sui speciem, quod in humilitate consistebat, ob oculos ponere voluisse.*

Franciscus Lucas Brugensis ibid. super verba. *Ite in castellum &c. Non jubentur nominare Jesum, nec dicere Dominus noster, aut Dominus vester: sed simpliciter, Dominus, universi videlicet, & jumentorum istorum, & dominorum ipsorum, & absolute omnium; cui proinde non facilè quid negandum est. Dominus appellari voluit, qui sese mox Regem ex divino decreto exhibiturus erat expectantibus redemtionem Israel. Visum itaq; est Jesu, autoritatem hic exercere regiam, adeoq; divinam, jumentis his duobus ad brevem usum postulatis.* (Ergo regiam & divinam potestatem exercuit, non autem temporalem.)

4. Multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt, *Christum, ut Messiam, non esse Regem terrenum.*

Cajetanus in cap. 18. Joh. super verba. *Regnum meum non est de hoc mundo. Regna reliqua sunt de hoc mundo, ut partibus eorum. Constant enim ex dominiis, gradibus, statibus, affectibus & effectibus transitorii mundi. Regnum verò Messiæ non constat ex his, & ideò dicitur non esse de hoc mundo.*

Villagudus ibid. Christum loquentem introducit. *Audio, Pilate, Judæorum clamores & falsam accusationem, agnoscoq; me affectare regnum, sed non tale, quale carnales isti somniant, nec quale calumniatores isti me affectare criminantur. Nam regnum meum non est de hoc mundo, hoc est, regnum meum non est Cæsareum & terrestre, sed cœleste & spirituale. Nihil ergo, quod affecto, Cæsarem lædere potest. Nam hujus mundi regnum subsistit manu militari, ferreo gladio servis ac subditis corporalibus, castris, oppidis, propugnaculis, arcibus, vicibus, villis ac prædiis: at spirituale regnum subsistit stultis hujus mundi, carnis impotentia, afflictionibus, justitia, æquitate, bonitate, gaudio Spiritus & vita æterna. Regnum mundi exercitu instructo & gladiis defenditur; cœleste verò defenditur verbo, veritate & sanguinis effusione. Milites enim regni cœlestis suo sanguine veritatem ipsam obsignant, pro qua mortem oppetunt & quò plures sanguinem effundunt, eò illustrius & amplius redditur regnum spirituale. Hujus regni cœlestis Rex pro oppidis & habitaculis corda credentium habet, quæ non armorum machinis, sed verbo Dei, remissione peccatorum, vivâ fide, justitia, bonitate, atq; adeo vita æterna reguntur ac defenduntur.*

Piggius lib. 5. Hier. Eccles. c. 3 *Quis hoc unquã Christianus affirmavit, quod nemo ignorat, & verbo & opere negasse Christũ. Neq; enim venit, ut esset Præses Provinciæ, Proconsul, Prætor, Rex, Imperator, aut ut ejusmodi aliquem Magistratum inter homines gereret.*

Arg. 5. *Si propter lepram corporalem poterat olim Sacerdos Regem judicare, & regno privare, utiq; etiam propter lepram spiritualẽ, hoc est, heresin, Pontifex Rom. idem hodie poterit. Sed verum prius ex 2. Paral. 5. ubi Ozias leprâ percussus à Pontifice est ex templo ejectus, & ab urbe discedere, & regnum filio renunciare coactus. Pontificis enim has fuisse partes patet ex Lev. 13.* Bellarm. lib. 5. de Pont. c. 8. Alexand. Carerius de potest. Pontif. lib. 2. c. 19.

Resp. 1. Pontifici hoc jus deponendi Reges hæreticos adscribunt *soli Pontifici Romano.* At vi hujus argumenti cuilibet Episcopo esset adscribendum, quia jus judicandi de lepra pertinebat non solum ad Judæorum Pontificem, sed etiam ad quemlibet Sacerdotem. Lev. 13.

2. Sacerdotes de lepra judicabant, Magistratus autem post Sacerdotis sententiam leprosos seorsim habitare cogebat. Consequens ergo foret, Pontificem Romanum debere tantum de hæresi judicare, non autem Regem hæreticum deponere.

3. Ozias non fuit à Sacerdotibus propter lepram regno privatus, dicitur enim *quinquaginta duos annos regnasse,* 2. Reg. 15. quod non congruit, nisi anni lepræ connumerentur.

Argum. Bellarmini, quibus probare discupit, *indirectam Pontificii in temporalibus potestatem. 1. Potestas civilis subjecta est spirituali, quando utraq; pars est ejusdem Reipubl. Christianæ. Ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de rebus temporalibus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim superior imperare potest inferiori suo.* Bellarm. lib. 5. de Pont. c. 7.

Resp 1. Hanc subordinationem Ecclesiasticæ & politicæ potestatis multi ex ipsis Pontificiis negant, ut patet ex dictis. (Subordinantur quædam ἁπλῶς, quædam κατά τι. Quæ ἁπλῶς subordinantur, ea sunt inferiora & dignitate & subjectione, non autem quæ κατά τι duntaxat subordinantur. Jam verò civilis potestas non ἁπλῶς, sed κατά τι tantum Ecclesiasticæ subordinatur.)

2. Bellarminus ipse cap. proximè præcedente scribit, §. At hæc &c. *Etiamsi Ecclesiastica potestas non esset, adhuc esset politica.* §. Ita prorsus &c. *Inveniuntur hæ potestates quandoq; separatæ, ut tempore Apostolorum.* (Ergo potestas politica non est absolute ac simpliciter Ecclesiasticæ potestati subordinata. Quæ enim absolutè & simpliciter subordinata sunt, eo modo conjuguntur, ut sublato superiore statim tollatur inferius.)

Ibidem agnoscit, *tum demum subjectam esse civilem potestatem spirituali, cum utraq; est pars ejusdem Reipubl. Christianæ.* At tempore Apostolorum hoc non erat, nam Reges erant Ethnici, proinde non subjecti, & per conseq. subordinatio illa non potest probari ex 1. Tim. 2. v. 2. quod tamen facit Bellarm. contra Barclaium.

3. Probatur nobis de hac subordinatione Ecclesiasticæ & politicæ potestatis dictum Pelagii Papæ, quod adducit Nicol. Cusanus Conc. Cathol. lib. 3. capit. 3. ex Glossa Juris Canonici, *Patricium* (qui erat ab Imperatore quasi Pro-Rex conti-

constitutus; *fuisse patrem Papæ in temporalibus, sicut Papa est ejus pater in spiritualibus.*

Argum. Bellarm. 2. *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Ergò debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum; sed necessaria est ad finem spiritualem potestas utendi & disponendi de rebus temporalibus, quia alioqui possent mali Principes impunè fovere hæreticos & evertere religionem.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Idem Bellarminus cap. 6. præced. scribit: *Separatæ erant illæ potestates* (Ecclesiastica & politica) *tempore Apostolorum.*

Cap. 10. scribit: *Tempore Gregorii Ecclesia nondum habebat politicum principatum.* (Tempore Apostolorum & Gregorii perfecta fuit Respublica Ecclesiastica, nec tamen Episopi tunc temporis habuerunt potestatem utendi & disponendi de temporalibus rebus. Ergò potestas utendi & disponendi de temporalibus non pertinet ad perfectionem Reipubl. Ecclesiasticæ.)

2. Multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt, *Petrum nec habuisse, nec exercuisse potestatem disponendi de temporalibus*, quorum dicta superius sunt adducta. (Ergò etiam Pontifex, quem Petri successorem esse volunt, talem potestatem sibi vendicare nequit, nemo enim plus juris in successorem transmittit, quam ipse obtinet.)

3. Respubl. Ecclesiastica etiam in V. T. fuit perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Atqui in V. T. Sacerdotium fuit inferius regno. Johannes de Parisiis de potestate Regia & Papali cap. 5. *In veteri legi Sacerdotium indignius erat potestate Regia & ei subjectum.*

4. Bellarm. lib. 5. de Pont. cap. 3. §. 1. sic scribit: *Quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod jure obtinebat, sed acquirit novum jus ad regnum cælorum, alioqui obesset Regibus Christi beneficium & gratia Naturam destrueret.* (Atqui si Pontifex supremam illam in temporalibus potestatem obtineret *vel directè, vel indirectè*, certè Reges & Principes, quando fiunt Christiani, perderent supremam in regno suo potestatem, sicq; Christi beneficium illis obesset.)

5. Idem lib. ejusd. cap. 4 §. Quod deniq; sic. scribit: *Christus nunquam exercuit in hoc mundo regiam potestatem, venit enim ministrare, non ministrari; & judicari, non judicare &c.*

Et paulò antè. *Verba Christi, regnum meum non est de hoc mundo, hunc habent sensum: Ego quidem Rex sum, sed non eo modo, quo Cæsar & Herodes, regnum meum non constat honoribus, opibus, potentia mundana.* (Christus nunquam sibi arrogavit potestatem in Imperatorem, ne quidem indirectam. Ergò si Pontifex vult esse Christi Vicarius, itidem ab ea sibi temperare debet.)

6. Idem lib. 2. de Concil. cap. 19. *Non est mirum si Ecclesia, quando habet malum Pontificem, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipuè humana industria; sed divina protectione, cum ejus Rex Deus sit. itaq; etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat; & certum est, Deo fore curæ ejus salutem, qui talem Pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam Ecclesiam destruat.* (Eodem modo respondemus Bellarmini argumento. Non est mirum, si Ecclesia, quando habet Magistratus impios vel hæreticos, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipuè humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex Deus sit. Itaque etiamsi Episcopi non possint deponere tales Magistratus, tamen debent ac possunt Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat. Certè, quando Bellarminus potestatem Pontificis extollit supra Imperatores, supra Concilia, supra universam Ecclesiam, nihil præsidii humani relinquit, quo obviam eatur Pontifici Ecclesiæ malum inferenti.)

Arg. Bellarm. 3. *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur subditos pertrahere ad hæresin vel infidelitatem. At judicare, an Rex pertrahat ad hæresin, nec ne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa religionis cura. Ergo Pontificis est judicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. De hoc argumento egimus superius lib. 1. part. 2. cap. 18. sect. 1. th. 5.

Argum. Bell. 4. *Quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso vel tacito, ut sceptra sua subjiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi servaturos, etiam sub pœna regni perdendi.* Bellarm. d. l.

Resp. Repetimus verba Bellarmini in hoc ipso libro cap. 3. *Quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod jure obtinebat, alioqui obesset Regibus Christi beneficium.* (Si non amittit regnum terrenum, ergo nec amittit supremam potestatem regni sui tenendi, nec subjicitur in temporalib. Romano Pontifici, per quam subjectionem amitteret potestatem regni sui tenendi.)

Arg. 5. *Cum Petro dictum est, Pasce oves meas Joh 21. data est illi facultas omnis, quæ ad tuendum gregem Pastori est necessaria. Ad eam pertinet potestas arcendi lupos. Si ergò Princeps fiat lupus, h. e. hæreticus, Pastor Ecclesiæ potest eum arcere.* Turrecremata, Bellar. d. l.

Resp. 1. Salmeron tract. 28. in Acta *Illa verba, Super hanc petram ædificabo; Pasce oves meas; & fiet unum ovile & unus Pastor, in spiritualib. tantùm locum habent.* (Quomodo igitur ex hoc loco Papæ temporalis potestas inferri poterit?)

2. Bellarminus libri hujus cap. ult. resp. ad dictum Bernh. statuit, *Pontificem ut Pontificem & secundum id, quod habet ex Christi institutione consideratum, non habere dominatum politicum* (At si hanc potestatem non habet ut Pontifex, utiq; etiam eam non habet ut Pastor. Si eam non habet ut Pastor, nec ex Christi institutione, utique etiam eam non habet ex verbis Christi, *Pasce oves meas.*)

3. Idem Bellarminus libri hujus capite 2. §. Si igitur &c. sic scribit: *Ridiculum est, dedisse Deum Papæ jus in regna totius mundi, & non dedisse illi unquam facultatem utendi ejusmodi jure.* (Si ergo Petrus per hæc verba accepisset potestatem Reges hæreticos & infideles deturbandi è solio; utique etiam facultatem accepisset utendi ejusmodi jure. At nunquam & nuspiam jure illo eius legitur.)

4. Idem Bellarminus lib. 4. de Justif. cap. 13. arctissimo & individuo nexu conjungit *mandatum & vires implendi* (Quod si ergo verba Christi, *Pasce oves meas*, includerent mandatum de Regibus hæreticis & infidelibus è solio deturbandis, utique etiam vires illud implendi Petrus & Christiani in primitiva Ecclesia habuissent. Sed non habuerunt ejusmodi vires, sic enim scribit idem Bellarminus libri hujus 5. de Roman. Pont. c. 7. §. Quod si. *Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem & Diocletianum, & Julianum Apostatam, ac Valentem Arianum & similes, id fuit, quia deerant vires temporales Christianis.*)

5. Bellarminus & alii Pontificii dicunt, *his verbis, Pasce oves meas, datum fuisse Petro idipsum, quod fuerat ante promissum Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum.* At claves regni cælorum non sunt claves regnorum terrenorum.

Argum. 6. *Pontifices sæpè deposuerunt Imperatores.* Bellarm. lib. 5. de Pontif. cap. 8.

Resp 1. Multi se Imperatores defenderunt contra Pontifices, ut monuimus superius.

2. Quidam Imperatores deposuerunt Pontifices.

3. Ostendimus lib. 1. part. 2. c. 18. sect. 1. thes. 5. membro 5. malè cessisse illis, qui ob Pontificum excommunicationem Impp. obedientiam debitam denegarunt.

4. Wernerus Rolwinck in Fascic. temporum monet, *quod circa tempora Leonis Papæ plus solito se opponere cœperint Imperatoribus in temporalibus.* Sigebertus non solùm *novitatem*, sed & *hæresin* vocat, quod Gregorius VII. Imperatorem è solio deturbare ausus fuerit.

Argum. 7. *Leo III. Imperium à Græcis ad Germanos transtulit. Ergo Imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debent suum Imperium, ac à tempore translati Imperii in Germanos requiritur, ut Papa confirmet Imperatorem, & ut Imperator Pontifici præstet juramentum fidelitatis.*

Innocentius III. c. Venerabilem, de Electione dicit, *Jus & potestatem eligendi Imperatorem, ab Apostolica Sede pervenisse, quæ Romanum Imp. in Germanos transtulit.*

Alvarez de jure Pontif. Imperat. &c. cap. 32. n. 17. *Papa potest transferre Imperium & regna de gente in gentem. Sic Papa transtulit Imperium Græcorum in Germanos, & Alexander VI. transtulit illam regionem novi orbis in Ferdinandum.*

Bellarm. lib. 1. de Transl. Imp. cap. 13. §. Verum. *Non politica, sed Ecclesiastica potestate, quæ politica longè major & sublimior est, quæq; politicæ præest eamq; regit ac dirigit, translatio ea facta est.*

Petrus Cudsemius in Saxon. Cathol. pag 118. *Imperium à Græcis ad Romanos Apostolica gratia est translatum.*

Adamus Tannerus part. 3. Theolog. Schol. Disp 1. q 4. dub. 5. *Si Pontifices Antichristus sunt, per Antichristum Romanum Imperium acceperunt Franci, & postea Germani laudatissimi Imperatores.*

Georg Landherr im scharffen runden Auge Admirat. 10.

lit. M. ij. fac. 2. Die prærogativ. des Käyserthumbs kömpt vom Pabst zu Carolo, von diesem zum jetzigen Käyser. Similia habet lit. L. iij fac. 2. lit. M. iij. fac. 2.

Resp. 1. De translatione illa Imperii plurimum variant Historici, quidam in Pipinum; quidam in Carolum eam factam asserunt; quidam Anno 753. alii Anno 755. alii Anno 776. eam factam esse tradunt; quidam hoc factum non Pontifici, sed Senatui populoq; Romano adscribunt, ut apud Æneam Sylvium, Leopoldum de Badenburg, Blondum, Onuphrium, Panvinium & alios videre est. Sunt, qui jure gladii Carolum ad se transtulisse Imperium asserunt.

Sigebertus in Chron. Anno 801. *Romani, qui ab Imperatore Constantinopolitano jamdiu animo desciverant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Constantino filio suo, eis imperabat, uno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumq; per manum Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant, Pipinum verò filium ejus Regem Italiæ ordinatum collaudant.*

Marianus Scotus in Chron. *Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus.*

Nauclerus Volum. 2. gener. 27. refert, *præhabita matura deliberatione Carolum, Francorum Regem potentissimum, populi Romani consensu à Leone Pont. inter Missarum solennia Imper. Romanum declaratum, ac diademate coronatum fuisse, ter acclamante populo, Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria! eumq; inunctum à Pontifice cum Pipino filio suo, quem Italiæ Regem solenni decreto pronunciaverit.*

Nicolaus Gillius Ludovici XII. Galliarum Regis Notarius & à Secretis Anno 801. *Interea dum Rex Carolus Magnus devotione profectus Romam, ubi Papa & Romani honorificè eum exceperunt, ibi subsisteret, Papa & Romani (qui nolebant amplius ferre, ut subessent fœminæ, id est, Irenæ illi, quæ Imperatorem filium, ut & nepotem suum curaverat excæcari, ex quo erant mortui, & ipsa sola tenebat, regebatque Imperium) Carolum Magnum rogaverunt, ut dominium Romani Imper. vellet accipere, adeoq; institerunt, ut tandem consenserit.*

Aventinus lib. 4. Annal. *Cum mulier Constantinopoli imperaret, quod inauditum esse videbatur, putabant Romani se potestatem habere & jus eligendi Cæsarem, quod imperium ex ipsis esset & nominaretur. Tenebat autem Carolus omnes Provincias, quæ ad urbem Romanam pertinebant. Itaq; anno Christi 801. Leo Papa, Senatus & populus Romanus illum designabant Imperatorem.*

Idem. *Pontifex, Senatus, populusq; Romanus Imperium transferre suo jure in Germanos, Carolumq; tacito Senatusconsulto plebiscitoq; decernunt.*

Onuphrius. *Cùm primum Imperator & Augustus renunciatus fuisset, à Romano Pont. ungebatur, aureoq; diademate coronabatur, tanquam Romani Imperii uno totius orbis primario Sacerdote, more accepto ab Impp. Orientalibus, qui à Patriarchis Constantinopolitanis primariis Græcanici Imperii Pontificibus consecrati aurea corona redimibantur.* (Nec in Italiam, nec in urbem ipsam Leo imperium habuit, maximam enim Italiæ partem tenebat Desiderius, ac Leoni in urbe non fuisse locum, docet ejus querela ad Carolum; Itemq; legatio, quam Adrianus Leonis Antecessor ad Carolum misit, supplex orans, ut se & urbem contra Desiderium defenderet. Quod ergo Leo nunquam in potestate sua habuit, illud dare non potuit.)

2. Imperatores olim sæpius militum exercitusque suffragiis fuere electi, id quod sub Leone Basiliscano Constantinopolitano Imperatore factum, Anno Christi 460. ubi milites Othocarum Germanum ad dignitatem Cæsaream extulerunt, Romanique illum summis honoribus in Capitolium deduxerunt. Zenon Imp. Constantinopolitanus in Theodoricum Germanum Romam, Italiam & totum Occidentale Imperium sponte & solenniter transtulit, ut Abbas Urspergensis in Chronico testatur. Anastasius Imp. nomen & dignitatem Augusti Clodoveo & Francorum Regibus communicavit, testantibus Gregorio Turonensi lib. 2. Hist. Adone in Chronic. ætat. 6. Sabellico Ennead. 8. lib. 2. Quid mirum ergo, Carolum Magnum hereditario jure dignitatem Imperii Romani sibi vendicasse, cum omnia privilegia Regum Francorum ad ipsum legitimè sint translata?

3. Imperatores & Imperii Proceres huic Pontificum arrogantiæ, qua *Imperium* dicunt *esse Romanæ Sedis beneficium*, totis viribus se opposuisse, exemplo Friderici I. Friderici II. Ludovici IV. & aliorum Procerum superius ostendimus.

Otto Frisingensis lib. 3. cap. 8. & 9. refert: *Cum Pontificis Adriani Legati gloriarentur, quod Papa Imperatori dignitatem & honoris plenitudinem contulerit, non tantùm Otto Comes Palatinus, Dux Bavariæ, exerto gladio illis mortem intentavit, sed & Imperator verba Pontificis vocem nefandam, omniq; veritate vacuam nominavit, & literis patentibus, per totum Romanum Imperium missis, clausulam hanc inseruit: Cum Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit Deum timete, Regem honorate, quicunq; nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est & mendacii reus erit.* Videatur integra Historia apud Ottonem Frisingensem d. l. ubi & Pontificis & Imperatoris literæ recensentur. Eandem Historiam ex Ottone Frisingensi prolixè recenset Theologus primarius Dn. D. Höe lib. 6. Comment. in Apocal. p. 225.

Joh. Cuspinianus in Friderico I. p. 404 addit, *quod Imperii Principes Imperatori Friderico autores fuerint, ut contra Adrianum hoc nomine bellum gereret.*

Crantzius in Hist. Sax. *Vidit, ut ferunt, invitus Fridericus in pariete opere musivo factam picturam, quam oculis ut annotavit, vultum avertit contractum. Erat hujusmodi: Sedit Pontificali cathedra Innocentius II. ad cujus genua Lotharius Imperii coronam curvatus accepit. Fremuit, nihil dicens Fridericus, & cum rediisset in Germaniam, Hadrianus Papa misit ad eum Cardinales duos rem magnam acturos. Scripsit inter alia Papa, Beneficium coronæ tibi concessimus, quod verbum indignè ferens efferbuit. Nostris, inquit, Electoribus acceptum ferimus post Deum, quod regnamus. Primam coronam à Colomensi recognoscimus, Imperialem à Papa. Cæterum beneficium ab illo non recepimus, Deo soli debemus & Electoribus, non Papæ, quod regnamus.* Plura in hanc sententiam adduximus superius. Confer Præstoni Sacerdotis Apologiam pro Principibus.

4. *At, inquiunt, Coronatio, quam Imp. accipit à Pontifice, ostendit, beneficium Pontificis esse Rom. Imperium.*

Resp. 1. Rudolphus I. noluit à Papa coronari & confirmari. Apud Goldast. tom. 1. Constit. p. 311. extat Rudolphi illius apophthegma. *Alemannorum Reges Italia consumsit. Non ibo Romam. Rex sum, Imperator sum, nec minus pro utilitate Reipubl. me facturum confido, quam si Romæ fuissem coronatus.*

2. De Maximiliano I. sic scribit Guicciardinus lib. 7. Hist. p. 667. edit. Bas. *In Comitiis Constantiensibus Anno 1507. cum rescivisset consilium Regis Galliarum, quod vellet Rotomagensem in Sede Pontificia collocare & ab illo Imperii coronam accipere, oratione gravi ad Septemviros & Principes habita, dicit, omnibus constare, supervacaneam esse coronam Romanam. Ego, inquit, Cæsareæ coronæ accipiendæ prætextu (quæ pompâ magis, quam re, ut vobis notum est, continetur. Cæsarea namq; dignitas atq; autoritas prorsus ex voluntate vestra pendet,) sed revera, ut hæc Gallorum nefanda consilia constringam, & quando alia ratione nos ab illorum insolentia tutos reddere non possumus, eos Mediolanensi Imperio pellam, in Italiam exercitum traducere statui.* (Ergò uterque judicavit, coronationem Romanam non esse necessariam.)

3. Marsilius Patavinus parte 2. Defens. pac. cap. 25. *Voluerunt,* inquit, *Romanorum Principum quidam circa tempora Constantini, ex superflua quadam devotione, electionem de se factam amicabiliter significare Romanis Pontificibus, ut in eorum persona Christo singularem reverentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessionem ampliorem benedictionem & gratiam, ad suum gubernandum Imperium, obtinerent. Eodemq; modo propter suæ inthronisationis solennitatem & signum, diadema regium per eos sibi imponi fecerunt. Ex hac reverentia sic spontè per Romanos Principes exhibita, quærentes sæpius, quæ sua non sunt, Episcopi Romanorum induxerunt consuetudinem & abusum verius, propter Principum simplicitatem, laudationem electæ personæ ac benedictionem, quam super illam mittebant, vocaliter aut in scriptis, vocare confirmationem electionis prædictæ. Nec attendentibus olim Romanis Principibus, quæ sub hac appellationis figura præjudicialis lateat intentio: sic ipsum successivè in duxerunt latenter, ut nullus quantumcunq; convenienter electus Rex vocari debeat, neq; Regis autoritatem habeat, nisi per Romanum Episcopum fuerit approbatus.*

4. Thuanus lib. 2. Hist. pag. 39. *Otto tertius, cum Gregorio V. Pontifice, quem in Sedem (Papalem) restituerat, posteris æque damnosa ac ignominiosa pactione transegit, ut nimirum qui Rex Romanorum ab Electoribus deinceps crearetur, non prius Imperator & Augustus haberetur, quam cum Rom. Pontifex inaugurasset. Ita Romanus Pontifex ab Impp. Romanis prius creari atque constitui solitus, arbitrium summi inter Christianos principatus constituendi ad se*

ad se paulatim traxit. Id circa ann. Dom. *ↄ ccc. XVII. accidit. Postea Carolus VI. eandem legem renovavit, sub Bullæ aureæ nomine Anno cIↄ. ccc. LVI. publicatæ, quæ & hodie magna religione inter Germanos servatur. Is suo, periculo, sed serò sensit, quorsum pertineret jus illud, quod sibi in inaugurandis Imperatoribus Romanus Pontifex sumsit, scilicet ut liceret leges, quas vellet, pro inaugurationis pretio imponere, siquidem Innocentius VI. non aliter coronam per ministros ipsi* (*Ottoni* III.) *imponi passus est, quam ille jurejurando se obstrinxisset, Romæ aut in Italia injussu Pontificis diutius non moraturum. Ut non immeritò Franciscus Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo miratus sit, quænam ista superbia esset, Principem Romanum, publicæ libertatis autorem, libertate privare, cujus esse debent omnia, ipse non sit suus?* (Ergo coronatio non est nova quædam potestatis conciliatio, sed electionis legitimæ significatio, & omnis felicitatis apprecatio.

5. D. Seldus im Bedencken von Käys. Ferdinandi Wahl pag. 38. & seqq. recenset aliquot Imperatores, qui à Papa nullam coronam acceperunt, nec accipere voluerunt, & tamen veri ac legitimi Imperatores fuerunt.

Argument. 8. *Gregorius V. sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem Germaniæ Principes, quæ usq; ad hanc diem servatur. Ergò Pontifex Imperatore & omnibus Principibus est superior.* Bellarminus d. l.

Inde Tannerus part. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 5. *Si Pontifices Antichristus sunt, Antichristus Imperatoris eligendi autoritatem tribuit Germaniæ Principibus.*

Resp. 1. Jordonus Historicus Pontificius disertis verbis de Carolo Magno scribit, *quod ordinatio & institutio Electorum divinitus illi fuerit inspirata.*

2. Cuspinianus in Ottone III. Cranzius in Saxonia, Cusanus lib. 3. cap. 4. Theophilus Banosius de Hierarch. Romana c. 11. §. 8. statuunt, *tempore Caroli Magni ad evitandam confusionem, quatuor, postea tempore Ottonis tertii septem Electores, consensu totius orbis Christiani, esse constitutos.*

Chronicon Hirsaugiense Joh. Trithemii Ann. 995. p. 42. part. 2. ex edit. Freheri. *Gregorius Papa V. congregata Synodo statuit, consentientibus Romanis & omni Clero, Romanum Imperium apud Germanos debere perpetuis futuris temporibus permanere, ita ut Germaniæ Principes per Ottonem deputati habeant jus & potestatem Imperatorem eligendi.*

3. Georgius Haymburgensis JCtus in confutat. primatus Papæ part. 2. *Sub imperatorum privilegiis & dominationibus ita reverenter habiti sunt Papæ, ut etiam quidam Imperatores ex devotione à Papa coronari voluerint. Ex tunc insolescere incipientes plures ab Impp. depositi sunt, utputa Johannes XII. quia lubricus & incorrigibilis fuit, ab Ottone primo deponitur, & Leo IX. substituitur, communiq; voto statuitur, quod nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatorum. Ottonum itaq; tempore, quia Imperium fuit validum, insolentia Paparum fuit refrenata. A quibus etiam cum voluntate Romanorum & Imperii Procerum constituti sunt Electores Imperatoris, & non autoritate Papæ, quia nihil ad eum pertinebat, nisi reverentia devotionis.*

Nauclerus Generat. 34. testatur, *quod aliqui scribant, Ottonem III. ex consilio Principum Germaniæ* (circa Annum 1000.) *constituisse, ut, Imperatore mortuo, Francofurti nova fieret electio per tres Archiepiscopos & quatuor seculares Imperii Principes.* Postea addit. *Itaq; ajunt, Gregorium V. cognita Imperii imbecillitate, varietateq; fortunæ, quo diutius apud Germanos summa potestas remaneret, illeq; cæteris præesset, qui virtute & dignitate cæteris præstaret, retulisse sanctionem de Imperatore deligendo &c.* Nauclero suffragatur Theodoricus à Niem Episcopus Verdensis.

4. Aventinus lib. 5. Annal. pag. 401. (al. p. 310.) statuit, *Demum post Friderici secundi mortem, Anno Christi 1250. Electores constitutos, & à Gregorio X. qui Anno 1271. Papalem Sedem conscendit, confirmatos.*

Bellarminus d. l. *Est autem hic annotandum, Onuphrium in libro de Comitiis Imperialibus contra communem Historicorum sententiam scripsisse, sanctionem hanc de electione Imperatoris non Gregorii quinti, sed Gregorii decimi fuisse, quod existimo non esse verum.*

5. Petrus Cutsemius in Saxon. Catholica pag. 140. evincere laborat, *Innocentium quartum Augustum illud Collegium fundasse.* (Ipsimet ergo priùs inter se conveniant. Quicquid sit, certum est illud, quod)

6. Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 3. de concord. Cathol. cap. 4. prolixe confirmat, *Electores potestatem eligendi non à Pontifice, sed vim radicalem habere à communi consensu omnium, qui sibi naturali jure Imperatorem constituere potuerunt.* Inter cætera Cusanus sic loquitur: *Electores, qui communi consensu omnium Alemannorum & aliorum, qui Imperio subjecti erant, tempore Henrici secundi constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso omnium consensu, qui sibi naturali jure Imperatorem constituere poterant, non ab ipso Romano Pontifice, in cujus potestate non est dare cuicunq; Provinciæ per mundum Regem vel Imperatorem, ipsa non consentiente. Sed concurrebat ad hoc consensus Gregorii V. tanquam unius Pontificis Romani, qui juxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem interesse habebat.* Legatur totum illud caput, in quo præclare ostendit, *Principes Electores non habere potestatem eligendi à Romano Pontifice sic, quod nisi ipse consentiret, non haberent; aut si vellet, ab ipsis tollere posset.*

7. Christophorus Gewoldus (ad quem provocat Tannerus in Antichristo proscripto præscr. 9. pag. 195. eumq; *rem totam satis in perspicuo collocasse* asserit;) divortia sententiarum gravissima de hac Electorum institutione commemorat. *Quamvis*, inquit, *res hæc ita se habeat, nihilominus tamen reperiuntur nonnulli, & hi quidem Germani, qui eam vel subtilitate ingenii, vel petulantia, vel deniq; odio tantum non Vatiniano in autores tanti patriæ nostræ, Germaniæ inquam, collati beneficii abrepti, in dubium vocare, & eminentissimo Septemvirorum ordini status quæstionem movere audent: qui quidem antagonistæ diversimodè arcem hanc Electoralem oppugnant: quidam enim originem illius evertere conantur, alii autores à primis veruq; diversos statuunt; nonnulli decernendi potestatem eripere nituntur his, quibus eam in hoc negotio ratione commissi sibi muneris præ cunctis aliis competiisse, hactenus à nemine contradictum fuit: alii demum Principes quosdam in SeptemVirale album ab antiquo relatos, aut isto gradu suo omnino dejicere, aut à priscis illis ad secula, nostro propinquiora, relegare conantur &c.*

Et postea. *Altera opinio ab his profecta est, qui Septemviratus institutionem Gregorio V. Pontifici maximo, & Ottoni III. ereptum eunt. Sunt nonnulli, qui Gregorii V. & Ottonis III. constitutione Germanis Principibus universis jus designandi Cæsarem collatum, concedunt quidem, Septemviros autem longo post illa tempora intervallo institutos fuisse comminiscuntur. Alii jus eligendi Cæsaris ab Ottone III. à Gregorio V. Germaniæ Principibus indultum fuisse pernegant. Alii sunt, qui temporibus Conradi Salici, successoris Henrici sancti: quidam jus liberæ electionis pro successione generis à Gregorio VII. fluxisse perhibent. Alii Friderici I. pleriq; circa tempora Friderici II. nonnulli in Concilio Lugdunensi: rursum alii post Concilium istud, circa tempora Rudolphi I. quidam vero istis omnino quinquaginta annis, qui inter Innocentium III. & Innocentium IV. Pontifices intercesserunt; nonnulli deniq; recentiore seculo Electores cæpisse, proclamant.* Confer Saxoniam Evangelicam Dn. D. Höpfneri, in qua de hoc & præcedente argumento eruditè contra Cutsemium disseritur.

Argumenta Bellarmini, quibus probare conatur, *quod non pugnet cum verbo Dei, ut unus homo sit Princeps Ecclesiasticus & politicus simul. 1. Præsto sunt exempla Sanctorum, qui fuerunt simul Principes & Pontifices, ut Melchisedec Genes. 14. primogeniti V. Testamenti Genes. 49. Moses Exodi 18. 32. 40. Levit. 8. Heli 1. Reg. 1. Maccabæi in lib. Maccab.* Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 9.

Resp. 1. Nicolaus I. Pontifex in Epistola ad Michaëlem cap. cum ad verum. dist. 96. docet, *ante Christi adventum eosdem Reges & Pontifices fuisse, sed Christum, verum Regem & Pontificem, ista distinxisse.* Verba Canonis adducta sunt superius membro 1.

2. Petrus Augustinus de Morla part. 1. emp. Juris tit. 2. ff. q. 4. n. 13. scribit: *In lege Naturæ fuit primogenituræ annexum Sacerdotium, sed ex hoc non debet sumi argumentum ad legem gratiæ, in qua Sacerdotium est à regno separatum.*

3. Baronius Anno 657. n. 10. Monotheletis Imperatori etiam Sacerdotium tribuentib. ac dicentibus, *Quomodo igitur Scriptura Regem & Sacerdotem esse dicit Melchisedech?* respondet: *Unus Naturæ Regis universorum Dei, qui factus est propter nostram salutem Pontifex, unus fuit typus Melchisedech.*

4. Bellarminus lib. de Clericis cap. 6. sic differit: *Sacerdotium Aaronicum fuit carnale, Christianum autem Sacerdotium spirituale est.* (Ergo Sacerdotium Aaronicum cum imperio politico facilius jungi potuit, quam Sacerdotium Christianum. At sicut Bellarminus ex hac diversitate infert, *non decuisse carnali generatione Sacerdotes in N. T. propagari*, ita longè rectius ex eadem inferre possumus, non decuisse Sacerdotes N. Test. politico imperio præfici.)

5. Nandinus in cap. 5. Exodi fol. 275. adducit & approbat verba Nicolai Pontificis superius citata.

Argum. 2. *Potestas Ecclesiastica & politica non sunt contrariæ,*

sed utraq; bona, utraq; à Deo, utraq; laudabilis, & una alteri servit. Ergò non pugnant inter se, ergò simul in eodem esse possunt. Item. *Magis diversa sunt pax & bellum, quam bona temporalia & spiritualia. At unus & idem Rex simul præest Senatui & exercitui, togatis & armatis. Ergò multò magis poterit unus præesse in temporalibus & spiritualibus rebus. Præterea potest unus Rex gubernare diversissima regna, quæ diversos mores, ritus, leges, consuetudines habeant, & pari ratione potest unus Episcopus regere plurimas Ecclesias. Ergò etiam poterit unus homo regere unum Episcopatum & unum Principatum.*

Resp. 1. Posset quis eodem modo concludere. Conjugium & Sacerdotium non sunt status contrarii, sed uterque est bonus, uterq; à Deo, uterq; laudabilis & unus alteri servit. Ergò non pugnant inter se. Ergò simul in uno esse possunt. Conclusionem Bellarm. non concedit.

2. Adduximus superius plurima eorum dicta, qui agnoscunt, *duas hasce potestates differre causa instrumentali, materia circa quam sive objecto, forma & fine proximo, ac proinde non posse ab uno eodemq; homine ritè administrari.*

3. Ipsimet Episcopi Pontificii facto ipso testantur, unam eandemque personam non posse utrique muneri sufficere, ideò munus docendi in aliorum humeros rejecerunt, quod etiam Romanus Pontifex fecit. Ostendemus autem inferius in articulo de Clericis, ipsos minus rectè docendi officio se abdicasse.

Argum. 3. *Qui donaverunt Episcopo Romano, aliisq; Episcopis Principatus temporales, pii homines fuerunt, & eâ de causa præcipuè à tota Ecclesia commendati sunt, ut patet de Constantino, & Carolo Magno, & Ludovico ejus filio.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. De Constantini donatione multi ex ipsis Pontificiis scriptoribus dubitant, quidam etiam manifestè eam impugnant.

Ek de Repkau Juris Saxonici Glossator circa Annum 1160. lib. 3. art. 63. disputat contra Constantini donationem, inter alia sic scribens: Sage aber dennoch/ daß so gethane Gabe durch recht nicht lang und nicht taug umb ihn. Authent. de non alien. aut permut. Eccles. reb. §. Si igitur. collat. 3. & cap. de legib. & constit. Princ. & edict. leg. Digna vox. & Inst. quib. mod. testamentum infirmatur §. 1. Denn von solcher Gabe möchte er das gantze Reich vergeben: Ach Pfaff / das erzürne nur nicht auff mich/ sondern zürne auff Accursium. Denn diese Wort Accursii in der gemeinen Gloß ut in Authentic. ut determinatus sit numerus Cleri §. 1. super verba, bonum & competens. col. 1. Denn obwol der König Constantinus gab dem Pabst Sylvestro weltlich Gewalt/ er gab ihm darumb nicht alle weltliche Gericht.

Dantes Aligerius in lib. de Monarchia circa Annum 1321. *Papæ inquiunt, Quæ Ecclesiæ sunt, nemo de jure habere potest, nisi ab Ecclesia. Romanum regimen est Ecclesiæ. Ergò ipsum nemo habere potest de jure, nisi ab Ecclesia. Minorem probant, quod Constantinus Imperator mundatus à lepra, intercessione Sylvestri Papæ, Imperii Sedem Romam cum aliis Imperii dignitatibus Ecclesiæ donavit. Sed probationem hanc dico esse nullam, quia Constantini officium non fuit, ideò nec potuit alienare Imperii dignitates, nec Ecclesiæ fuit easdem recipere, & si aliqua dignitates per Constantinum essent alienatæ, ut dicunt, ab Imperio, excessissent in potestate Ecclesiæ, scissa esset tunica inconsutilis, quam scindere ausi non sunt, qui Christum verum Deum lancea perforarunt. Fundamentum Ecclesiæ est Jesus Christus, petra, super quam ædificata est Ecclesia, Imperii vero fundamentum est jus humanum. Et sicut Ecclesiæ non licet contrariari suo fundamento, sic nec Imperio licet contra jus seipsum destruere. Nam jurisdictio est prior suo judice, quia Imperator ab ea recipit esse, quod est, ideò eam permutare non potest, nec etiam ab imperio auferre quicquam potest, minoratio enim esset jurisdictionis. Præterea Ecclesia indisposita omninò est ad temporalia recipienda per præceptum prohibitorium expressum Matth. 10. Nolite possidere aurum. Ergò nec recipere per modum possessionis, nec illa conferre per modum alienationis Ecclesia potest.*

Laurentius Valla Patricius Romanus & Canonicus circa Ann. 1411. ex professo donationem Constantini refutavit. Inter cætera sic loquitur: *Scio, jamdudum expectare aures hominum, quodnam Pontificibus Romanis crimen impingam? Profectò ingens sive supinæ ignorantiæ, sive immanis avaritiæ, quæ est idolorum servitus, sive imperandi vanitatis, cujus crudelitas semper est comes. Nam aliquot jam seculis aut non intellexerunt, donationem Constantini commentitiam fictamq; esse, aut ipsi finxerunt, sive posteriores in majorum suorum dolis vestigia imprimentes pro vera, quam falsam cognoscerent, defenderunt, dedecorantes Pontificatus majestatem, dedecorantes veterum Pontificum memoriam, dedecorantes religionem Christianam & omnia cædibus, minis, flagitiisq; immiscentes. Suam, ajunt, esse urbem Romam, suum regnum Siciliæ, Neapolitanumq;, suam universam Italiam, Gallias, Hispanias, Germanos, Britannos, suum deniq; Occidentem. Hæc enim cuncta in ipsa donationis pagina contineri. Ergò hæc omnia tua sunt, summe Pontifex? omnia tibi in animo est recuperare? omnes Reges ac Principes spoliare urbibus, aut cogere, ut annua tibi tributa pensitent, sententia est? At ego contra existimo, justius licere Principibus, spoliare te imperio omni, quod obtines. Nam ostendam, quod donatio illa, unde natum esse jus summum summi Pontificis volunt, Sylvestro pariter & Constantino fuerit incognita. Quæ donationis pagina est istorum unicum patrocinium, ut non modò falsum, verùm & stolidum.* (Extat hæc Declamatio de donatione Constantini in Fasciculo rerum expetendarum Coloniæ An. 1535. licet prohibeatur in Indice librorum damnatorum. Ulricus Hutenus Ann. 1517. eam edidit, & Leoni X. Pont. dedicavit.)

Jacobus Spigelius in Comment. super versus Güntheri lib. 6. super verba, *Sed neq; tanta fuit largitio: Designat vulgatam illam Constantini donationem, de qua apud nullos extat autores, præterquā in libro Decretorum, idq; in antiquis voluminib. minime contineri, autor est Antoninus in Chronicis. Quanquam Isidorus in Historia sua scribit, eum urbe Romā Pontifici cessisse, relictis ornamentis & omnibus Imperialibus, diademate videl. habituq; & albo equo, quo vectabatur. Basilicas item dicitur nonnullas in urbe condidisse. Sed quid hæc ad tam immensum Petri, ut ajunt, patrimonium, elephantiasi Constantini, sanguine puerorum & Sylvestri Baptismate partum? O beatas nugas, quæ tantum constituere Imperium!*

Nicolaus Cusanus Card. (de quo Cuspinianus in Comment. ad Cassiodori Cons. scribit, quod *omnia scrinia Pontificū ei patuerint*) lib. 3. Concord. Cathol. cap. 2. *In veritate, supra modum admiror, si res ita est, eò quod in authenticis libris & in Historiis approbatis non invenitur. Relegi omnia, quæ potui gesta Imperialia ac Romanorum Pontificum Historias, S. Hieronymi, qui ad cuncta colligendum diligentissimus fuit, Augustini, Ambrosii ac aliorum opuscula peritissimorum, revolvi gesta sacrorum Conciliorum, quæ post Nicenum fuere, & nullam invenio concordantiam ad ea, quæ de illa donatione leguntur.*

Ibid. *Ego ad longum hanc Scripturam in quodam libro inveni, & diligenter eam examinans, reperi ex ipsamet Scriptura argumenta manifesta confictionis & falsitatis.* (Hanc suam sententiam etiam ad Concilium Basileēnse mittere Cusanus non fuit veritus.)

Hieronymus Paulus Cathalanus, Canonicus Barcinonensis Juris Doctor, & Alexandri VI. Cubicularius in Practica Cancell. Apostol. apud Rebuffum p. 436. *Quod donatio Constantini etiam de facto non fuerit, lege Laur. Vallam & Papam Pium in Dialogo. Nec de tali donatione quicquam legi apud probatum Historicum, præsertim inter eos, qui scripserint illa ætate vel illi proxima. Nam nec Eusebius &c. nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Johannes Chrysostomus, nec Ammianus, nec Historia Tripartita, nec ipsemet Damasus Papa in suo Chronico, nec Beda, nec Orosius meminerunt &c. Et constat, per plures quàm 300. annos post Constantinum Impp. tenuisse gubernacula urbis & Italiæ per Duces, Præsides & Exarchos, & urbis Romanæ usq; ad tempora Innocentii II. ut patet apertè in Chronicis & Historiis. Et de Justiniano patet in l. 1. & 2. de Off. Præf. Prat. Aphric. & in Procem. Instit. & in Epistola. Inter claras, ibi, nostrum firmat Imperium. Et in l. fin. C. de vet. jur. enucl. & in l. Bene à Zenone. & in Authent. ut etiam Rom. Eccles. ibi, ad Ecclesias nostras, & usq; ad Oceani recessus. & in Auth. ut proprio nomine Imper. Et in vita Phocæ Imperatoris legitur impetrasse Pantheum Bonifacium Papam ab eo. Unde ergo habuerit terras Ecclesia, vide gesta Caroli Magni & Pipini, & Pium in d. Dial. & collecta novissimè per D. Bartholomæum de Platina, Bibliothecarium, qui omnia instrumenta pertinentia ad statum Ecclesiæ in temporalibus, præsertim circa acquisitionem terrarum & aliorum jurium & censuum, collegit in valde magno volumine, ad cujus collectionem etiam operam nostram præbuimus in revidendo &c.*

Æneas Sylvius in Dialogo quodam, quem adhuc Cardinalis scripserat, apertè instrumentum illud (donationis) falsitatis arguit, *ac stolidos Legistas* appellat, *qui tantopere sudaverint in disputando, an ea donatio valeat, quæ nunquam facta fuit.*

Eadem fuit sententia Felini, in cap. Solitæ in fin. Extra. de majorit. & obœd. Et ante hunc Accursii in Authent. Quomodo oporteat Episcopos in princ. col. 1. Quem sequuntur Petrus de Bella Pertica in rubric. procemii Institut. n. 11. cum seqq. Et Bartolus in procem. ff. Alexander in cons. 24. n. 23. lib. 5.

Nec verisimile est, *Platinam* in vitis Pontificum id fuisse omissurum, si verè facta fuisset hæc prætensa donatio, præsertim

sertim cum admodum operosè cæteras liberalitates & fundationes Constantini recenseat.

Johannes Aventinus lib. 2. Annalium p. 109. edit. Basil. & p. 159. edit Ingolstad. *Quæ de Sylvestro & donatione Constantini prædicantur, ficta, falsa, inepta, pugnantiaque sunt. Miror extare tam stolidos, qui credant; & tam impudentes, qui defendere audeant, præcipuè cum etiam Pius II. Pont. Max. ut commenta anilia fabulamque manem rideat.*

Lib. 5. Annalium p. 534. *Ea, quæ de Sylvestro & Constantino vulgo inculcantur, non minus imperitè, quam impudenter, mendaciterq; conficta esse dicit, quæ ob modestiam Christianam referre pudeat.*

Crantzius in Hist. Sax. *Melchiades insequitur, natione Afer, qui tempora Constantini attigit. Hic (ut Gratianus ejusdem Pontificis verbis testatur) ante Sylvestrum ostendit, fuisse Christianum Constantinum. Unde convincitur tota res de donatione Constantini in Sylvestrum, & de Imperatoris baptismo esse commentitia.*

Franciscus Guicciardinus Patritius Florentinus lib. 4. Histor. p. 156. num. 44. postquam dixerat, *Constantinum quadam prædia & vectigalia Episcopo Romano donasse*, subjicit: *Fama quoque est, Constantinum Orientis Provinciarum motibus, Imperii Sedem Bizantium, post de suo nomine Constantinopolin appellatam, transferre cumpulsum, Pontifici Romanæ urbis, aliarumque & urbium & regionum in Italia imperium donasse. Quæ fama, quamvis à sequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & sustentata, eorumque autoritate à multis credita, est nihilominus cum à scriptoribus gravissimis, tum vero rebus ipsis refutata. Illud autem certò constat, & tunc, & longo post tempore urbem Romam, Italiamq; omnem tanquã Imperio Cæsarum obnoxiam ab Imperatorum ministris ac præfectis fuisse gubernatam: nec desunt, qui, quicquid de Constantino & Sylvestro dicitur, (usque adeò sæpe profundis in tenebris res vetustæ demersæ latent;) redarguãt, ostendantq;, eos longe diversis temporibus extitisse: nemo tamen negat, Imperii Constantinopolin translatione ad Pontificum potentiam viam esse patefactam, ex eaque originem habuisse.*

Nauclerus Generat. 11. f. 39. *Alii dicunt, textum istum paleam esse, & nihil probare, quod credibile redditur: Nam Constantinus postea præmissa regna filiis suis Testamento reliquit, quæ etiam ab inde successionis jure remanserunt in manibus Imperatorum & Regum Catholicorum.*

Kalteisen, qui itidem ante Lutherum scripsit, *ea, quæ de donatione Constantini referuntur, Apocrypha esse* statuit.

Cæsar Baronius Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Bibliothecarius Apostolicus, in Annalib. suis Ecclesiasticis (Pontificis Romani consensu, autoritate & auspicio editis) palam profitetur, *Instrumentum illud Donationis esse falsum & commentitium, mala fide, dolo & fraude excogitatum, ab impostore aliquo scriptum, ad probandam Constantini donationem, tam non idoneum, ut eam ambiguam potius reddat, quam probet.* Tom. 3. Annal. Ann. Christi 324. n. 118. & seqq. Itemque tom. 12. Anno Christi 1191. pag. 825. & seqq. (Transfert quidem culpam hujus figmenti, vel potius crimen hujus falsi in Græcos, sed nullo jure ac nulla omnino veritatis specie, quin & *donationem nihilominus factam esse* credi vult; ac idem omnino facit, quod in Græcis reprehendit, adeoque evincere laborat, *non ex Imperatorum liberalitate & privilegiis, sed ab ipso Christo Romanam Ecclesiam suum habere principatum*, nec dubitat affirmare, *eos, qui instrumentum illud donationis improbant, potius Romanorum Pontificum causam agere, quam contra eos pugnare.* Interim quicquid sit, nobis sufficit, totum illud fulcrum, quo vel unico, vel certe præcipuo donationis illius gloriatio nitebatur, ab ipsomet Cardinali esse subversum.)

Nicolaus Everhardus in Top. legali loc. à verisimili n. 15. *Argumentum à verisimili valet ad multa, ut videre poteris per Præpositum in c. Constantinus, 96. distinct. ubi per hoc solvit multa argumenta Laurentii Vallensis, impugnantis donationem Constantini, tanquam fictam & ementitam, fundatã in verisimili. Sed quis justiùs induat arma, Laurentius an Præpositus, ex hinc inde per eos adductis facilè videre poteris.*

Similia occurrunt apud Antonium Archiepiscopum Florentinum part. 3. tit. 8. cap. 2. §. 8. *Caput illud*, inquit, *non habetur in antiquis Decretis*; Renum Episc. Paduanum de vitis Pontificum, Raphaelem Volaterranum, (qui lib. 23. Anthropol. Julio II. Pont. dedicatæ sic scribit: *De dono Constantini aut concessione apud nullos extat autores, præterquam in libro Decretorum, idq; in antiquis voluminibus minimè cõtineri autor est Antoninus Præsul Florentinus,*) Marsilium Paravinum, Franciscum Petrarcham, Baptistam Mantuanum lib. 1. de patient. cap. 30. Andream Alciatum lib. 7. parerg. cap. 19. B. Egnatium lib. 2. Roman. Princip.

Et quid multis? In eo, quod ostentant, Donationis hujus autographo in Vaticana Bibliotheca literis aureis conscripto, Notarii manu ad calcem minùs Latinè adjicitur: *Quam fabulam longi temporis mendacia finxit.*

Mornayus in Myster. iniquit. p. 40. Ac Otto tertius Imperator in illo Diplomate, quod Asisii in Archivis Romanæ Ecclesiæ asservatum, indeque erutum, de Donatione illa loquens, *Hæc sunt commenta*, inquit, *quibus Joh. Diaconus, cognomento Digitorum munitus, Præceptum aureis literis scripsit, & sub titulo Magni Constantini longi mendacii tempora finxit.*

Idem p. 427. Quàm eximiam & singularem Latinæ linguæ elegantiam ac nitorem ostendat fabellæ istius artifex, patet ex hisce flosculis: *Signa & banna; decernere disponenda; concedere permanenda; licentiam dare; equos equitare &c.* Porrò *Clericare* istius lingua non minùs Latinè dicitur, quàm sacris aliquem initiare. Certè ejusmodi est illa Latinitas, ut ne Constantini quidem coquus Latinè sic unquam fuisset locutus. Sed nec in margine Glossographus autori suo vel tantillum concedit, sive ingenium spectes, sive literas. Nam quod ait hic, *Contradicimus Beato Sylvestro Phrygium nostrum*, id est, mitram; annotat ille perquàm bellè in margine. *Nota, quòd Phrygium factum est ex pennis pavonum.* Dignum vero Imperatore munus, & decoram Papæ mitram! Ivell. tomo 2. fol. 415.

2. Qui donationem illam non planè negant, timido tamen incedunt gradu, ac multis modis eam limitant, quidam etiam sibi contradicunt.

Hieronymus Balbus Episcopus lib. de coronat. ad Carolum V. Imp. *Laurentium Vallam missum facio, qui calumniandi potius, quam veritatem indagandi studio in sacram Sedem Apostolicam petulanter debacchatur; eos potius autores sequar, qui procul ab invidia ac metu, rursus à gratia & amore, hæc ex fide retulerunt, ex quorum monumentis innotuit, Constantinum Ecclesiam in urbe Roma condidisse in hortis Equitii, donaque obtulisse, patinam argenteam, & cyphos duos, & calicem aureum, aliaque vasa ex auro & argento conflata, fundum quoque Cornelianum, & in urbe hortum, Item domum intra urbem. Reliqua de ejus donatione, & lepra & balneo sanguine puerorum redundante passim decantata, silentio prætereo, ne odium gratuitum mihi comparem.* (Quæ sint illa reliqua, superius ex Valla audivimus, videl. quod *Pontifices ex Constantini donatione suam esse dicant urbem Romam, suum regnum Siciliæ, Neapolitanum, Italiam universam, Gallias, Hispanias, Germanos, Britannos, suum denique Occidentem*)

Albertus Pighius lib. 5. Hierarch. Eccles. cap. ult. omnes illas exaggerationes, quibus donatio urbis Romæ (quam ipse quidem veram credit) in immensum augetur, *fabulas & imposturas, & impudentia, peneque palpabilia mendacia esse* statuit; idq; *factum esse dolo malevolorum Ecclesiæ & ordinis Ecclesiastici, ut hac arte veritati quoque fides detraheretur, quasi ne in urbis quidem Romæ solius, vel paucorum locorũ Romæ vicinorum donatione veritas ulla subesset.*

Melchior Canus lib. 1. Locor. Theol. cap. 5. p. 311. *Quòd ad Constantini donationem attinet, de ea non lubet in præsentia disputare. Disputent alii, quibus cordi est Romanæ Ecclesiæ majestatem, amplitudinemq; minuere. Laurentium Vallam scimus integro libro adversus receptam communi opinione sententiam declamasse. Jurisperiti, quæ vulgò circumfertur ejus donationis formula, eam commentitiam esse satis indicant, cum paleæ inscriptione denotant. Eusebius, Ruffinus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Eutropius, Victor, cæteriq; probæ fidei autores, qui omnia Constantini gesta scripsere diligentissimè, non modò nullam donationis ejus mentionem faciunt, sed tradunt etiam, orbem Romanum, sic inter tres illius filios distributum, ut Italia uni eorum tota contigerit. Ammianus Marcellinus lib. 15. Constantium urbis dominationem habuisse, & Leontium præfectum ibi constituisse, autor est. Nonnullos deinceps Imperatores Italiæ, atque adeo Romæ imperasse, omnes Historici memoriæ prodiderunt. Hæc & alia ejusmodi quis ignorat? Verùm quid refert, à Constantino facta ea donatio sit, an à Principibus posterioribus? Fictam & commentitiam fabulam dicunt à Nicolao, Clementeque prolatam. Quasi vero Pontifex aut factam eam donationem suo decreto definiat, aut urbem eo solum titulo defendat. Negant donatam à Constantino urbem esse, quanquam nequeunt probare id quidem. Sed quæro, quod donatam negant, ea si non donata esset, quidnam facerent? An urbem Cæsari concederent? urgent rusticè sane. Negant enim donatam esse & in eo perstant. Nos vero tanquam tormenta quædam adhibemus, ut si responderint, quod donata à Constantino non est, idcirco ad jus nunc Cæsaris pertinere, stultos se esse fateantur. Potuit enim donare alius. Potuit quoque Rom. Pontifex urbem justo alio nomine possidere &c.*

Carolus Sigonius in ea, quam de Occidentali Imperio scripsit Historia, ita de Constantino scripsit, ut non modò non confirmarit Constantinianæ donationis dictum, sed etiam infirmarit lib. 3. & 4. de Imper. Occid. Illum Sirletus Cardinalis Roma usque admonuit, *Balsamonem, Calecam, Gennadium hujus edicti testes esse.* (Miserum verò contra universos priscos testimonium.) Verùm qualecunque fuerit, Sigonius illud in acta mittat oportet, & humaniter tractet, quod etiam facit, lib. 3. quanquam ejus subvertat deinde fundamentum lib. 4. & hoc tamen timidè misellus, atque sui excusatione porrò utens, *se scil. officii sui esse, putasse, ut quid Eusebius & multi alii scripsissent, minime reticeret, licet ab Ecclesia Romana autoritate dissentirent.*)

Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 8. fatetur, *Italos vectigalia solvisse ad Gregorii II. tempora Imperatoribus Græcis.* (Ergò ipsa Roma & Italia sub. Impp. Græcorum Imperio permanserunt aliquot secula post Constantinum mortuum.) Idem hoc loco tantùm in genere *donationis Constantini* meminit, non autem quid & quantum donaverit, exprimit.

Idem Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 28. §. Adde. *Non sine causa Gregorius ita humiliter cum Imperatore loquebatur, siquidem eo tempore Imperator dominium temporale in urbem Romanam obtinebat.*

(Si hoc verum est, ut est verissimum, ergò Constantinus, qui ante Gregorium mortuus est, annis plus minùs 250. id dominium non transtulit in Episcopum Romanum.)

Baronius tom. 3. Annal. num. 117. intra labia mussitat, *Constantinum Romanam Ecclesiam amplissimis donasse muneribus, summa potentia communivisse atque juribus stabilivisse.*

3. Commenti hujus falsitatem probat collatio c. Futuram 12. quæst. 1. cum c. Constantinus. dist. 96. Nam in c. Futuram Melchiades quasi *suo tempore* donatio facta esset, commemorat, contra verò *sub Sylvestro* id demum factum in c. Constantinus refertur. Melchiadem autem ante Sylvestrum sub Maximino vixisse, ex Historia Pontificum constat. c. Constantinus dicitur, quòd *Romana urbs & tota Italia unà cum Imperio Occidentis sit Sylvestro donata.* Sed c. Fundamentum in Decretalibus lib. 1. tit. 6. de elect. in Sexto, *urbis* tantum fit mentio. Inde Glossa ad c. Constantinus. dist. 96. sic annotat, *Palea ista non legitur in Scholis.*

4. Cum Alexander VI. Venetis litem moveret de vectigali mari Adriatico imposito, & instrumenta illius privilegii sibi demonstrari peteret, respondit ei Hieronymus Donatus Legatus Venetus, *extare ea in facie altera istius paginæ, cui donatio Constantini inscripta.* Hieronymus Megiserus in Parad. deliciarum pag. 403.

Hodiè non una tantum aut altera, imò non novem tantum, quot recensuit Boetius Epo. lib. 2. quæst. heroic. q. 3. sed duodecim hujus instrumenti editiones extant, eæque inter se diversæ, magno falsi argumento, teste Marquardo Frehero in Commentario ad Instrumentum Donationis illius à se suppresso tamen nomine edito p. 33.

5. Quidam Imperatores huic Donationi contradixerunt, ut constat ex illis, quæ dicta sunt superius. Otto tertius Imperator his aliquando usus est verbis: *Confusis Papaticis legibus & jam abjecta Ecclesia Romana, in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partem Imperii nostri Apostolatui suo conjungerent, jam non quærentes, quæ & quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt, sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata dimittentes, quasi culpam suam in Imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est, ad nostra & nostri Imperii maxime migraverunt. Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis inventa, quib. Johannes Diaconus, cognomento Digitorum mutilus* (al. mutius) *præceptum aureis literis scribens sub titulo Magni Constantini, longa mendacii tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum (Calvum scilicet) S. Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil dare jure potuisse, utpote jam Imperio privatum, jam destitutum & annullatum. Ergò quod non habuit, dedit.* (Diploma hoc Ottonis ediderunt Marq. Freherus, Haiminsfeldius & ipse Baron. lib. 12. Annal. p. 827.) Inde Melchior Goldastus, Haiminsfeldius tom. 1. Constit. Imper. fol. 41. de hoc Ottone III. memorat, quod donationem Constantini vocaverit commentitiā, erdichtete Fabeln und Traumschrifften/welche von den Päbsten selbst erfunden / also / daß Johannes Diaconus, mit dem Zunahmen Digitorum, eine Bull mit güldenen Buchstaben unter dem Schein-Titul des grossen Käysers Constantini geschrieben/und eine so lange zeit unbewust und vor nie erhörte Fabel und Lügen erdacht.

6. Quinimo de Ænea Sylvio, postea Pontifice Pio secundo, memorat Hieronymus Paulus Cathalanus, *quod Dialogum contra hanc donationem conscripserit.*

Hieronymus Balbus Episcopus lib. de coronat. ad Carolum V. *Hæc, quæ de Constantini donatione feruntur, magnos alioqui autores habent. At Pius II. Pontifex sedulus, rerum vetustate involutarum diligentissimus indagator, in nobili illo Dialogo, quem ante Pontificatum in Germania edidit, paleæ scripta de Constantino ut subdititia & adulterina refellit, invehiturq́, contra miseros (ut ejus verbo utar) Legistas, qui tantum sudant disputando, an id valuerit, quod nullo unquam tempore fuit.* (Hùc merito refertur, quod Pontifices Romani, licet sæpe multumque de sua eminentia ac potentia cum aliis Episcopis contenderint, tamen in jure suo prosequendo nullam donationis hujus mentionem unquam fecerint, cum tamen commodius medium ad componendas illas controversias habere non potuissent, quam istud donationis instrumentum, nisi fidem ejus vacillare intellexissent.)

Totum hoc figmentum Constantinianæ donationis penitus evisceravit Theologus Nobilissimus & præclarissimus Dn. D. Hoë lib. 3. Commentariorum in Apocalypsin pag. 200. & seqq. ut & Caspar Bitschius JCtus Argentoratensis in Disput. de hoc puncto in Jubilæo Ann. 1517. habita, qui probant, *hanc donationem non solum in Decreto Gratiani esse paleam, sed etiam in mundo impudentem fabulam.*

Argum. 4. *Etsi absolutè fortè præstaret, Pontifices tractare solùm spiritualia, & Reges temporalia, tamen propter malitiam temporum experientia clamat, non solum utiliter, sed etiam necessario & ex singulari Dei providentia donatos fuisse Pontifici, aliisq́, Episcopis temporales aliquos principatus. Si enim in Germania Episcopi Principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permansissent.* Bellarm. d. l.

Resp. Imò verò hanc commixtionem multa mala secum attulisse, agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis scriptoribus, quorum testimonia adduximus superius.

Claudius Espensæus Episcopus in 1. Timoth. Digress. lib. 2. cap. 9. *Nos, proh dolor! ex pacificis in litigiosos degeneravimus &c.* Locum integrum in præcedentibus allegavimus.

Argum. 5. *Si vel maximè nullo alio, tamen præscriptionis jure Pontifex illa regna & provincias, quibus dominatur, obtinet.* Bellarminus d. l.

Resp. Hic eos destituit bona fides, qua deficiente, ne quidem incipere potest præscriptio, *etiamsi quis per millena millia annorum possederit,* ut Doctores etiam Pontificii loquuntur. Sciverunt enim aut donationem illam Constantini nunquam factam esse, ut Æneas Sylvius postea Pontifex fatetur; aut certè, si facta esset, eam non jure factam esse, cum & in ipso Jure Canonico sancitum sit, *alienationes in præjudicium regni & contra Renici honorem factas illicitas esse, ac proinde non servandas, sed revocandas, etiamsi Rex jusjurandum de non revocando præstitisset* c. Intellecto. ext. de jurejur. Et constat jure Pontificio etiam ob supervenientem malam fidem præscriptionem expirare. c. Vigilanti. ext. de præscript. c. Si virgo 34. quæst. 1. & 2. c. Possessor. de regul. juris in Sexto.

APENDIX HUJUS ARTICULI, DE QUERELIS, CALUMNIIS ET OPINIONIBUS ABsurdis Adversariorum.

I. Querelæ.

1. Hardingus in defens. Apol. pag. 75. *Nunquam dictum aut cogitatum fuit apud Catholicos, quod omnis religio dependeat ex autoritate Papæ, ut vos fictis falsisque rumoribus hominibus persuadere vultis.*

Resp. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate præsentis Ecclesiæ.* Nomine verò Ecclesiæ in ultima analysi intelligitur Papa, ut ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 1.

2. Idem in Defens. Apolog. pag. 106. negat, *quod aliquis unquam ex Pontificiis dixerit, Papam succedere Christo in tota potentia.* (At in Concilio Lateranensi sub Julio Pontifice celebrato ipsi acclamatum, *Tibi data est omnis potestas in cœlo & in terra!*

Glossa Extrav. Comm. lib. 1. tit. 8. de major. & obed. c. Unam Sanctam, in Additionibus Bertrandi sic argumentatur: *Christus commisit summo Pontifici vices suas. Sed Christo data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ergo summus Pontifex, qui est ejus Vicarius, habet hanc potestatem.*

Thomas Bozius de jur. Nat. & div. Eccles. lib. & pot. lib. 1. cap. 13. p. 64. *Christus omnem suam potestatem Papæ communicavit.* Idem lib. 4. cap. 1. p. 109. *Christus constituit Pontificem Romanum*

num, qui loco ipsius in terris Sacerdos Sacerdotum, Pater Patrum, Rexque omnium Regum foret.

Bertachinus in Repert. in dict. Papa, de Pontifice Rom. dicit, *quod de potestate absoluta possit, quicquid vult; quod Papa sit causa causarum, quod non sit de potestate ejus inquirendum, cum primæ causæ nulla sit causa.*

In libro Ceremoniarum lib. 1. sect. 7. pag. 85. dicitur, *quod Papa in nocte nativitatis Dominicæ benedicat ensem in signum infinitæ potentiæ sibi datæ, juxta illud, Mihi data est omnis potestas.*

Panormitanus c. Licet. de Elect. *Papa potest omnia, quæ Deus potest.* Confer dicta superius cap. 6. in resp. ad 1. argum.)

3. Idem in Defens. contra Apolog. Anglic. pag. 463. negat, *quod Papa requirat ab Imperatore servitium in tenendo stapede aut freno Papalis equi. fieri autem illud*, dicit, *repugnante & ope quanta maxima posset renitente Pontifice.*

Resp. 1. Genebrardus Theol. Paris. lib. 4. Chron. fol. 622. ad annum 1180. *Ferunt, Ludovicum Francorum, & Henricum II. Anglorum Reges pedites ei (Alexandro tertio) interfuisse stratoris officio, ac læva dextraque frenum equi ipsius tenentes, eum per Totiacum urbem magna cum pompa deduxisse: cujus eos pudere non debuit &c.*

2. Anastasius in Nicolao I. de Ludovico Imp. Lotharii filio memorat, *quod frenum equi Papalis pedestri more manibus suis apprehenderit, & quantum sagittæ actus extenditur, traxerit.*

3. In libro Ceremoniarum expresse sic legitur. *Imperator accedit ad equum Papæ, & in honorem Domini nostri Jesu Christi, cujus personarum in terris Papa sustinet, tenet stapedem, donec Papa ascendit in equum, & post accipit frenum & ducit equum.*

4. In c. Constantinus. dist. 96. memoratur de Constantino Magno, quod hoc stratoris officium exhibuerit Sylvestro Pontifici. Verba sic habent: *phrygium candido nitore splendidum resurrectionem Dominicam designans ejus* (Sylvestri) *sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi ipsius, pro reverentia Beati Petri stratoris officium illi exhibuimus.* De repugnantia verbum nullum. Quinimo

5. Baronius Ann. 1155. num. 8. recenset, quomodo Adrianus IV adegerit Fridericum Imperatorem, ut hoc illi officium præstaret. *Cum Rex de more Papæ officium stratoris non exhiberet, Cardinales turbati & valde perterriti abierunt retrorsum, & in civitatem Castellanam se receperunt, relicto Pontifice in territorio Regis. Quocirca Dominus Papa turbatus, & quid sibi agendum foret incertus, licet tristis, descendit & in præparato sibi faldistorio sedit. Tunc Rex ad ejus vestigia procedit, & deosculatis pedibus, ad pacis osculum accedere voluit, cui idem Pontifex protinus locutus est in ista verba: Quandoquidem tu mihi illum consuetum & debitum honorem subtraxisti, quem prædecessores tui Orthodoxi Imperatores, pro Apostolorum Petri & Pauli reverentia prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus exhibere usque ad hæc tempora consueverunt: donec mihi satisfacias, ego te ad pacis osculum non recipiam. Rex autem respondit & dixit, se hoc facere non debere. Ea propter remanente ibidem exercitu totus sequens dies sub istius rei varia collocutione decurrit. Tandem requisitis antiquioribus Principibus, qui cum Rege Lothario ad Papam Innocentium venerant, & prisca consuetudine diligenter pervestigata, ex relatione illorum & veteribus monumentis judicio Principum decretum est, & communi favore totius Regalis Curiæ roboratum, quod idem Rex pro apostolorum prædictorum reverentia prædicto Papæ Hadriano exhiberet Stratoris officium, & ejus streguam, suppedaneum scilicet, teneret ad conscendendum in equum. Alia igitur die Regis mota sunt castra & in territorium Nepesinum, juxta locum, qui dicitur Tabula, fuerunt translata, sicut à Principibus fuerat ordinatum, Rex Fridericus præcessit aliquantulum & appropinquante Domino Papa tentorio Regis, per aliam viam transiens descendit & occurrens Rex ei, quantum est jactus lapidis, in conspectu exercitus officium Stratoris cum jucunditate implevit & streguam fortiter tenuit. Tum vero Pontifex eundem Regem ad pacis osculum primum recepit.*

Helmoldus in lib. 1. Histor. Sclav. cap. 81. memorat, quòd Adrianus ille IV. Pontifex Bambergensem Episcopum, qui nomine Imperatoris Friderici verba fecerat, hisce allocutus fuerit verbis: *Dicis, Principem tuum condignam B. Petro exhibuisse reverentiam, sed B. Petrus magis videtur inhonoratus: cùm dextram tenere deberet strepam, tenuit sinistram. Hæc cum per Interpretem Regi nunciata fuissent, humiliter ait. Dicite ei, quia defectus hic non fuit devotionis, sed scientiæ. Non enim tenendis strepis magnoperè studium dedi: enimvero ipse, ut memini, primus est, cui tale obsequium dependi. Cui Dominus Papa: si, quod facillimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima? Tunc Rex aliquantisper motus, ait, vellem meliùs instrui, unde mos iste inoleverit ex benevolentia, an ex debito? Si ex benevolentia, nihil causari habet Dominus Papa, si vacillaverit obsequium, quod de arbitrio, non de jure subsistit. Quod si dicitis, quia ex debito primæ institutionis hæc reverentia debetur Principi Apostolorum, quid interest inter dextram strepam & sinistram, dummodo servetur humilitas, & curvetur Princeps ad pedes summi Pontificis? Diu itaque acriterque disputatum est. Postremo discesserunt à se invicem sine osculo pacis.* Hæc Helmoldus.

Idem Fridericus Alexandro III. similiter inserviit, recensente Baronio Annal. 1177. num. 69. *Imperator ut humilitatem, quam corde conceperat, opere demonstraret, sumto Stratoris officio, pallium deposuit, manu virgam accepit, Laicos de choro expulit, & Papæ ad altare solenniter & processionaliter venienti viam tanquam ostiarius præparavit.*

4. Idem Hardingus in Defens. p. 469. negat, *quod Papa instigarit Henricum quintum filium adversus Henricum IV. Imperatorem patrem.*

Contrà Gregorius Heimburg. sic scribit: *Paschalis Papa Principes contra Henricum quartum concitavit, imò proprium ejus filium, quem etiam contra Patrem fecit per multos Episcopos Rheni in Regem coronari & vocari Henricum quintum.* Inde Carion Ann. 1103. *Hunc Henricum filium solicitarunt Episcopi, ut adversus patrem insurgeret, eumque Imperio pelleret.* Erant autem Episcopi isti, authore Urspergense, *Responsales Paschalis Papæ*, id est, Papæ per eas Germaniæ partes Procuratores. (Pontifex in eundem Henricum IV. non multò ante Rodolphum Sueviæ Ducem immiserat, misso ad ipsum diademate cum tali inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.)

Pazmannus lib. 4. Hodegi *mendaciorum quintam quasi essentiam vocat, quod Apologia Augustanæ Confessionis dicit, Pontifices non curare Evangelium, nec lectione dignum judicare, multos palàm irridere religiones omnes &c.*

Resp. 1. Panormitanus dicit, *plerosque Pontifices ejusmodi vitam in hoc seculo agere, ut facile appareat, eos non credere aliam restare vitam aut ullam mortuorum resurrectionem aut judicium.*

2. Palingenius in Capricorno scribit:

Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ.
Nec præcepta Patrum, nec Christi dogmata curant.

3. De Leone X. (ad quem procul dubio Autor Apologiæ respexit) scribit Onuphrius, *quod voluptatibus, venationibus, aucupiis effuse deditus fuerit, quodque luxui & splendidissimis conviviis, Musicæque magis, quàm tantum Pontificem deceret, impenderit.*

Balæus de eo refert, quòd *Evangelium appellarit fabulam de Christo*, quandoquidem Bembo Cardinali Secretario suo aliquid ex Evangelio præferenti regesserit: *Quantum nobis nostrisque ea de Christo fabula profuerit, satis est omnibus seculis notum.* Idem repetit Ivellus Defens. Apolog. p. 273.

4. Franciscus Picus (Johannis Pici Mirandulani Comitis ex fratre nepos) in lib. de fide & ordine credendi. *Meminimus, Pontificem creditum & adoratum, quem præstantes viri putarent, nec Pontificem eum esse, nec esse posse, utpote qui nullum Deum credens omne infidelitatis culmen excederet: pessimaq; ejus opera in coëmendo Pontificatu, in omnigenis sceleribus exercendis idipsum testabantur: sed & pessima quoque dicta confirmabant, namq; fassum eum affirmabatur domesticis quibusdam, nullum se Deum aliquando, etiam dum Pontificiam Sedem teneret, credidisse.* (Leonem X. perstringere videtur, cujus vitam & mores inspexit; & addit,) *Alium audivi summum Pontificem, qui vivens familiari cuidam aperuerat, apud se immortalitatem animarum non creditam. Mortuus verò eidem per vigiliam apparuit, divino judicio manifestans, se, quam mortalem crediderat animam, immortalem tum maximo cum damno & perpetuis ignibus expertum.*

6. Conqueruntur, falsò sibi tribui, *quòd Pontificum autoritatem & decreta præferant verbo Dei.*

Resp. 1. Ruinus consil. 109. n. 1. *Papa potest statuere super Epistolas Pauli.*

2. Rota Decis. I. n. 3. *Potestas Papæ major est Apostolo ac potest dictis Apostolicis derogare.*

3. Paulus secundus ad Platinam dixit, *se omnia jura in scrinio pectoris sui habere*, cum tamen fuerit indoctissimus. Platina in vita Pauli secundi.

4. Jodocus Lorichius in Thesauro Theologico novo, vocab. Votum. n. 7. *Etsi vota facta implere sit juris divini, tamen eveniente aliquo impedimento ad implendum votum, Papa declarat, votum illud non obligare.*

5. Concilium Constantiense à Papa confirmatum usum u-

hius

nius speciei in Eucharistia constituit, *non obstante Christi institutione*; unde Gregorius de Valentia scribit: *communionem sub utraque specie sublatam esse per contrariam Ecclesiæ dispositionem.*

6. Bellarminus contra Barclaium capite 21. docet, *Pontificem posse dispensare in votis & juramentis, quæ Deus ipse jussit reddi & quorum solutio est de jure divino.*

Ibid. cap. 31. *In bono sensu dedit Christus Petro* (ac proinde Papæ) *potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.*

7. Conqueruntur falso sibi tribui, *quod ex Caiphæ exemplo infallibilitatem Romani Pontificis colligant.* Stapletonus in Promtuar. Cath. fer. post. pass. Dom. & in antidot. Joh. 11.

Resp. 1. Roffensis in confut. assert. Lutheri verit. 5. *Igitur miror te Luthere, cum hæc non ignores, quod tam parum tribuis Pontificis Romani judicio, cum apertissimum sit, Caipham verum judicium protulisse.*

2. Anglo-Rhemenses in cap. 11. Johan. *Hoc cum dixit Caiphas Pontifex, Spiritus sancti assistentiam expertus est. Ergo Pontifices nostri non possunt errare.*

3. Melchior Canus lib. 5. Loc. Theol. cap. ult. §. Ad id. Johan. 11. *Hoc Caiphas non à seipso dixit, sed cum esset Pontifex illius anni &c. quo fit, ut Pontificum Romanorum vita, licet forte sit contraria Domino Jesu, at judicia eorum vera erunt, utpote quæ ad populi salutem constituta sunt, imò adeò à Spiritu sancto sunt, quia, qui ea proferunt, sunt Ecclesiæ Christi Pontifices.*

8. Becanus in Appendice Disputat. de fide hæreticis servanda in exam propos. 3. negat, *Pontifici liberam potestatem tribui relaxandi juramenta.*

Resp. Becanus ibidem vi veritatis compulsus idipsum fatetur. Negat enim, *Pontificem in Principum ac Regum Christianorum contractibus dispensare posse*, sed addit, *nisi urgente necessitate boni spiritualis.* Concedit igitur, *Papam dispensare posse, urgente necessitate boni spiritualis*, hoc est, cum ex Ecclesiæ Romanæ incremento & utilitate esse videtur, hæc enim est urgens illa necessitas in rebus spiritualibus.

9. Baronius Annal. ann. 1177. n. 86. negat, *Papam Alexandrum III. humi prostrati Cæsaris* (Friderici) *& à Pontifice veniam petentis collum pedibus conculcasse. Abhorrens*, inquit, *est à tanta Christi Vicarii mansuetudine turgens fastu facinus, penitusque alienum ab ipsius moribus &c.* in margine annotat: *Mendacissima de Alexandri fastu asserta convincuntur.*

Resp. 1. Nauclerus Volum. 2. generat. 40. pag. 784. illud his verbis recitat: *Isto fœdere Alexander Pontifex inito, confestim ad januas templi D. Marci accessit, & ibidem universo astante populo Imperatori jussit, ut se humi prosterneret, & veniam denuo postularet. At summus Pontifex Cæsaris Imperatoris collum pede comprimens ait: Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem. At Fridericus, Non tibi, ait, sed Petro, cui successores, pareo. Et Pontifex respondit, Et mihi & Petro.*

2. Eandem refert Historiam Johannes Stella Sacerdos Venetus in vitis Pontificum, impressis Basileæ per magistrum Jacobum de Pforßheim 1507. die 17. Calend. Martii. Supplementum Chronicorum Fratris Jacobi Philippi Bergomensis, excusum Venetiis per Magistrum Bernardinum Riccium de Novaria Anno à nativitate Domini 1492. habet eadem per omnia. (Ann. 1506. Venetiis illud supplementum denuo est excusum.) Nec abnuit Gilbertus Genebrardus Theologus Parisiensis & Professor lib. 4. Chronic. fol. 622. ad Annum 1180. liquido scribens: *Fridericum Imperatorem ad pedes Alexandri III. petentem excommunicationis absolutionem procubuisse.*

3. Massonius Historicus Pontificius in vita Alexandri III. *Fridericum Barbarossam Alexander III. inclinata cervice collum pedi suo submittere compulit, dicens: Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & Draconem. Respondit Imperator, Non tibi, sed Petro. Pontifex regessit; Et mihi & Petro.*

4. Similia exempla Pontificii fastus apud Baronium occurrunt. Ann. 1077. num. 10. scribit: *Henricum IV. Pontifex Gregorius VII. non nisi nudis pedibus ad se venientem, & per quatriduum jejunantem ad colloquium admisit.*

10. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, quod *Pontifici tribuant potestatem condendi novos fidei articulos.*

Resp. 1. In Bulla Leonis inter Lutheri hæreses numeratur hæc ipsius assertio, artic. 26. *Certum est, in manu Ecclesiæ aut Papæ non esse, statuere articulos fidei.*

2. Philarch. de offic. Sacerd. tom. 1. lib. 3. cap. 2. initio, Ad Sixtum V. Pontif. Roman. *Cavenda est impia Lutheranorum hæresis, qui dixerunt, nullam esse in Ecclesia potestatem condendi novos articulos.*

11. Adamus Conzen in præfat. ad Chronologiam Jubilæi Evangelici inter falsa & mendacia refert, *Papam imperare Angelis, ut animas Romipetarum ægrorum, si in via dent pecuniam, cœlo inferant.*

Resp. Clemens VI. in Bulla Indulg. super anno Jubilæo 1350. B. Angelis in præceptis dat, ut animas eorum, qui postquam Romam peregrinandi causa venire proposuissent, in via forte confessi morerentur, in cœlum rectà transferrent. *Prorsus*, inquit, *mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant.* Balæus in vita Clem. VI. Cornel. Agrippa de vanit. scient. cap. 61. Confer etiam Lutherum tom. 1. Jen. Germ. fol. 424. fac. b. tom. 2. Jenens. fol. 54. tom. 5. Jenens. fol. 278. fac. b. tom. 6. Jenens. fol. 497. fac. b. Huc referri potest illud Augustini Triumphi in Summ. de potest. Ecclef. quæst. 18. *Papa major est Angelis in quinque, in jurisdictione, in Sacramentorum administratione, in dominatione, in cognitione, in præmio. Nulli enim Angelo commissa est jurisdictio & cura totius orbis, sed Papæ totius mundi jurisdictio & cura est commissa &c.* Itemq; illud Nicolai Egmundani apud Balæum de vit. Pontif. in Clem. VIII. *Papa habet imperium in Angelos & Dæmonas.*

12. Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglic. part. 2. cap. 5. *Zosymum Papam corrupisse acta Concilii Niceni nemo probus aliquis à condito mundo unquam dixit. Nemo id unquam dixit præter Illyricum aut obscænum Balæum.*

Resp. Præter Acta Concilii Africani illud ipsum Græci in Concilio Florentino publica voce professi sunt. Sic enim in illo Concilio Marcus Ephesi Archiepiscopus reliquorum nomine locutus est: *Nonne vides, Reverende Pater, summum Pontificem* (Zosimum) *falsum decretum & non in Synodo promulgatum ad tantum Concilium pro re tam magna misisse?* Atque iterum. *Nullam equidem de Zosimo mentionem fecissem, Reverende Pater, nisi meum de eo sermonem verum esse possem ostendere.* Adstipulati huic rei sunt & eam pariter asseverabant, atque in Concilio præsentes considebant Josephus Constantinopolitanus Patriarcha, Bessarion Archiepiscopus Nicenus, idemque pòst Tusculi Episcopus & Cardinalis Romanus, Isidorus Syriæ Metropolitanus, præter Archiepiscopos alios Septuaginta, cum magna pariter inferiorum ordinum Episcoporum & eruditorum Patrum multitudine, qui ex eorum comitatu erant. Inde Copus Dial. 1. pag. 78. sic scribit: *Certè doctissimi quiq; ex omni Græcia & inter eos Bessarion, cùm Florentino Concilio interessent, jactabant Nicenum Canonem per Romanos Pontifices depravatum.*

II. Calumniæ.

1. Bellarm. lib. 5. de Pont. Rom. cap. 8. *Lutherani, sicut populum fide & religione spoliaverunt, ita quoq; Imperatorem suum de sede sua deturbare moliuntur.* Huic calumniæ Bellarminus colorem quærit ex eo, quod Magdeburgenses Cent. 8. cap. 10. col. 751. statuunt, *translationẽ à Leone factam, qui Imperium transtulit à Græcis ad Germanos, esse præcipuum ex miraculis Antichristi*, ex quo colligit, *quòd successores Caroli Magni non habeant pro veris Imperatoribus.*

Resp. Omnes omninò Caroli Magni successores pro veris Imperatoribus habemus, etiamsi pro fastu Antichristiano habeamus, quòd Pontifex gloriatur, *Imperium esse suum beneficium.*

2. Tannerus part. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 4. dub. 5. *Si Pontifices Rom. Antichristi sunt, idololatræ & Antichristi prostibula, nullos unquam verè Christianos Principes ac Imperatores ante Lutherum habuit Germania, imo nec terrarum orbis, quando omnes Reges & Principes Christiani ante Lutherum sese Romano Pontifici subjectos & obnoxios profitebantur, tanquam oves Pastori, tanquam discipulos Magistro, tanquam filios patri.*

Compositio pacis cap. 11. q. 83. n. 150. scribit: *Ministros Ecclesiæ* (Evangelicæ) *Pontificem vocando Antichristum, populum universum ab obedientia & æstimatione Romani Imperatoris, Electorum & Principum Pontifici obligatorum avertere.*

Resp. 1. Multi Imperatores & Imperii Status etiam ante Lutherum in articulis Antichristianismo propriis, Pontifici Romano sese opposuerunt. Proprius Antichristianismi articulus est *suprema ac Monarchica Pontificis potestas in politicis & Ecclesiasticis.* At huic potestati plurimi Imperatores, Reges, Principes, Comites in medio Papatu contradixerunt & adhuc contradicunt.

2. Diversitas religionis non impedit politicum dominatum, nec absolvit subditos ab obedientia Magistratui debita.

3. Cum

3. Cum non damnemus personas privatas omnes, Papalium errorum quadam labe infectas, multò minus Augustiss. Impp. & Christianos Principes sub Papali jugo ingemiscentes damnamus.

4. Potuissent eodem argumento uti gentiles, quando Imperatores adhuc erant Ethnicæ superstitioni immersi.

5. Michael ab Isselt in Historia sui temporis Ann. 1584. pag. 851. in marg. (edit. Colon. apud Quentelium Ann. 1602.) hic annotat: *Si quis Lutherum hæreticum appellat, putant Principes ejus doctrinæ, se hæreticos appellari.* Hanc consequentiam Isseltius negat. Pari ratione negare possumus, *Papam Antichristum appellando, Imperatorem, & Principes Papali religioni addictos, vocari Antichristos.*

3. JCti Dillingenses in Compositione pacis passim repetunt, *dogma de Papa Antichristo non esse à Catholicis habitum articulum, aut partem doctrinæ, sed calumniam.* §. 171. pag. 647. 2. p. 648. b. cap. 11. q. 83. num. 170. *Catholici insaniam istam de Papa Antichristo nunquam pro dogmate fidei controverso agnoverunt.*

Resp. Ipsimet Jesuitæ doctrinam de tempore adventus & revelationis Antichristi referunt inter fidei articulos.

Bellarminus totum librum tertium de Pontifice Romano insumsit, ut demonstraret, *Romanum Pontificem non esse Antichristum*, cui labori supersedere potuisset, nisi agnovisset pro controverso fidei dogmate, imò nunquam attigisset, cum ea tantum se tractaturum in titulo, dedicatione, aliisque in locis promittat, *quæ ad controversa fidei dogmata pertinent.* At lib. 3. de Rom. Pont. cap. 1 §. Ut igitur &c. *quæstionem hanc diligenter explicandam esse* dicit.

Staplet. Relect. princip. fidei controv. 3. q. 3. p. 352. *Est hodiè omnium hæreticorum constans ac certa sententia, Papam esse Antichristum.*

Et postea *Deniq; in omnibus Confessionibus & Institutionibus doctrinæ Christianæ, quas ediderunt, hunc articulum accuratè defendût.*

Cornelius à Lapide in 2. Thess. 2. v. 2. f. 676. asserit, *de fide esse, Antichristum fore unum hominem.*

In Colloq. Ratisbon. sess. 11. p. 331. Tannerus, *tempus Antichristi*, aliquoties, *ad cultum religionis spectare*, ait.

P. 333. 334. *articulum fidei* nominat. *Falsum dixit* (Hunnius) *quando de Antichristo loquens dicit ab Apostolo nullum articulum fidei Thessalonicensibus esse traditum, dum iis tempus futuri Antichristi denunciaret. Necessariò enim fatendum est, eiusmodi Apostoli dictum tanquam de fide certum ab omnibus fuisse credendum &c.*

P. 337. *Suis falsitatibus* (Hunnius) *hoc jam etiam absurdum, ne dicam blasphemum, addit, Thessalonicenses nimirum illam circumstantiam temporis ab Apostolo voce declaratam, non debuisse, tanquam articulum fidei, credere.*

P. 338. *Necessarium esse fidei articulum* decernit. *Id quoq;*, inquit, *antea à me prætermissum est, quod aliis falsis annumerari debet, ejusmodi articulum fidei non esse necessarium, cùm tamen ex illorum quidem sententia, & ut isti dicunt, nihil magis sit necessarium, quàm ejusmodi designatam ab Apostolo circumstantiam temporis credere, quod Antichristus jam venerit.* (Distinguendum inter articulos *fidei salvificæ* & articulos *fidei Historicæ*. Papam esse Antichristum est articulus fidei Historicæ, seu pars doctrinæ Ecclesiasticæ, faciens ad fidem non salvificam, sed Historicam, cujus tamen usus est longè maximus, quoad negationem sc. ut Christiani seductorem illum discant fugere.

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. c. 10 *Primus bonos Rom. Pontifici habetur, ut si minus pulchro honestetur nomine, ei statim creato liceat illud mutare. Verbigratia, non extra jocum dictum sit, si homo maleficus antea fortè fuerit, ut Bonifacius appelletur; si timidus, Leo; si rusticus, Urbanus; si improbus, Innocentius; si ferox, Clemens; si malè audierit, Benedictus; ut saltem nomine Pontifex ornamento sit dignitati. Ejus autem rei autor fuisse dicitur Sergius II. cui, cùm Os porci diceretur, ad obscænam nominis vocem tollendam, datum est, ut aliud sibi nomen optaret.* (At nominis mutatio non statim mutat animum.)

2. Papam vocant *caput Ecclesiæ secundarium.* (At si est caput, non potest esse secundarium caput. Si est secundarium caput, non est propriè dictum caput. Aut enim Papa est caput supra Christum, aut cum Christo, aut sub Christo. Si primum, non erit Christi Vicarius. Si secundum, non erit in Ecclesia Monarchia, sed Dyarchia. Si tertium, hoc ipso non erit caput. Quis enim unquam vidit ejusmodi monstrum, quod habuerit caput sub alio capite positum? Quantò rectius Chrysostomus homil. 8. in 1. Corinth. scribit, μικρὸν μέγεν ἡμῶν καὶ Χριστὸς.)

3. Pontifex Paulus V. Oratori Regis Hispaniæ, Antonio à Trejo Episcopo Carthaginensium solicitè instanti, ut controversiam de immaculata Virginis conceptione definiret, inter cætera respondit. *Pontifices omnibus Regum & Principum votis adesse non posse, præsertim in iis, quæ non humana, sed divina terminantur sententia, nec hominum judicium, sed Spiritus S. inspirationem & internum exposcunt impulsum. Spiritus autem, quando & ubi vult, spirat, secundum suæ divinæ dispositionis & providentiæ secretum.* Waddingus in Hist. de legatione Antonii à Trejo p. 54. (Hoc responsum Papæ sapit Enthusiasmum, & ostendit, ipsum non semper habere assistentem Spiritum S.)

4. Pontificem suum vocant & vocari debere asserunt Sanctissimum. Lorinus in acta Apost. p. 446. *Sanctissimi nomen summo duntaxat Hierarchæ, Episcoporum Episcopo, Pontifici Romano tributum est.*

Francisc. Turrianus de Ecclesia p. 272. *Non propter sanctitatem vitæ omnes sanctissimos vocamus, sed propter fastigium Apostolici gradus, in quo sunt, & propter dignitatem summam cathedræ Petri, in qua sedent.*

Glossa in c. Unam sanctam. extr. de major. & obed. *Est quædam spiritualitas secundum statum, quando est in statu sanctissimo & spiritualissimo, & in hoc statu est solus summus Pontifex.* (Atqui nomen Sanctissimi soli Deo & Filio ejus Christo Jesu competit. Dan 9. v. 24.)

5. Gregorius VII. Hildebrandus tom. 3. Concil. part. 2. fol. 1196. dictitavit, *Romanum Pontificem Canonicè electum meritis Petri indubitanter effici sanctum.* (Atqui si Papa indubitanter est sanctus, cur post Papæ mortem tot Missæ pro ipso celebrantur? Majolus Episcopus tom. 2. Canicularium p. 490. memorat, *primâ die exequiarum Papæ pro ejus anima legi in aula Pontificis ducentas Missas.* Item, *Idem fit in nono die. Et inter novenum quotidiè aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo à Senioribus, post Subpriorem Episcoporum & leguntur centum Missæ.*)

6. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 4. docet ac scribit, Christum fuisse Papam. Ita enim habent verba: *Papista deducitur à Papa, qualis fuit olim etiam Petrus & Christus ipse.* (Atqui de Papæ definitione est, quod sit Vicarius Christi Regis, non ipse Christus. Absurdum ergo est, statuere Christum fuisse Papam.)

7. Canonistæ *sacrilegii instar esse* dicunt, *disputare de facto Papæ, Papam esse causam causarum, unde de illius potestate non sit quærendum &c.*

Sed 1. Johannes Corasius Tolosanus JCtus Pontificius hanc adulationem improbat. *Quidam* (inquit de offic. electionibus &c.) *scripserunt, posse Papam etiam sine causa suo Clericum privare beneficio gloss. cap. fin. 9. q. 3. Doct. c. qua in Eccles. de constitut. Absurda sane sententia & à Christianorum dignitate aliena. Ita enim non pasceret Petri Vicarius oves suas, sed degluberet, necaret & perderet. Panorm. c. fin. col. pen. de confir. util. Card consil. 141 cum tamen Christus Petrum non Tyrannum, non, inquit Theophylactus, Dominum, non Regem aut Principem fecerit, sed fidum Pastorem jusserit esse. Joh. 21. tertio etiam repetita interrogatione, ut tanta diligentia futurorum Pontificum animis præclaram hanc sententiam inculcaret. cap. Significasti. de Elect. exorituros non ignorans, qui amoris JESU obliti populi Christiani curam susciperent, vel arriperent potius, pro Pastoribus Tyrannos, prædones & rapaces lupos agentes. Restringenda est igitur sub ratione potestas Papæ c. illa. 11. quæst. 3. & cum peccandi licentiam non habeat. ca. nonnos. 40. dist. negandum cum Leone Pontifice, Petri durare privilegium, ubi iniquè fertur judicium. ca. manet 24. q. 1. quam enim autoritatem habet, à Christo optimo habet. cap. Quamvis 21. d. st. ca. omnes 22. dist. Christum autem iniquæ potestatis autorem fuisse, verisimile non est Bart. l. fin. ca. Si contra jus. Ut explodendos meritò dicat Card. tract. de union. Eccles. perniciosos illos assentatores, qui alicujus autoritatis aucupandæ gratia per fas nefasque Romani Pontificis autoritatem extollunt. Eorum namque opera factum est, ut errores permulti irrepserint tam altis defixi radicibus, ut non nisi maxima vi divelli posse videantur. Neque credendum est, inquit, Papam posse quodlibet, sed quod licet, unde ei nonnihil injustum præcipienti parendum non est. ca. Julianus c. Qui resistit 11. q. 3. veluti, si pro Clerico indignitate inexcusabili notorie indigno rescribat, aut pro eo, qui moribus est adeò turpibus, ut sine populi scandalo promoveri nequeat. c. Si quando. de rescript. c. cùm teneamur. & utrobique Panorm. de præb. Deo enim ne male agamus imperanti, magis quàm Rom. Pontifici obedire nos oportet, c. Si Dominus & ca. Si is, qui præest. §. Is, qui 11 q. 3. Innoc. c. Inquisit. de sent. excomm.*

2. Speculator tit. de Legato §. nunc ostendendum, n. 51. & seq. & tit. de dispens. nunc breviter dicendum; *Pontificiæ potestatis*

testatis plenitudinem rationis honestatisque juxta & Decalogi, nec non S. Evangelii preceptis restringit.

8. Quidam Fridericus Rayserus oriundus è Dettach prope Donaverdam, Fridericus simpliciter, & Fridericus Danubianus dictus, propterea quòd donationem Constantini negaret, seq; *Episcopum fidelium in Christiana Ecclesia donationem Constantini spernentium* nominaret, ut hæresiarcha Argentorati Anno 1458. igni concrematus fuit, ipsiusque complices non pauci utriusque sexus, partim ultimo supplicio, partim exilio damnati, ut præter Reipublicæ Argentoratensis monumenta testatur Wimphelingus, tum in libro, cui titulus, *Germania*, ad Rempublicam scripto, & impresso Argentinæ Anno 1501. sub cap. *Quæ religionis amore sint castigandæ*: tum in libro, cui titulus, *Apologia pro Republ. Christiana*, impresso Phorcæ Anno. 1506. cap. 43. sub finem, & Jacobo de D. in literis ad Academiam Viennensem. (Sed hodie multi ex ipsis Pontificiis huic commento parum tribuunt, ut ostendimus superius cap. ultimo.)

9. Clemens VI. Papa Bullam suam sive diploma, quo Jubilæum in Annum 1350. indixit, hoc velut emblemate exornavit, quòd *inclytæ recordationis Constantinus, postquam per B. Sylvestrum, sicut per Petrum & Paulum Apostolos cognovit, renatus fonte Baptismatis fuerat, & à contagio lepræ mundatus, Lateranensem Ecclesiam in honorem Salvatoris construxerit*, ut videre est in Extravag. commun. c. Unigenitus de pœnitent. & remission. lib. 5. tit. 9. (Sed Clementis VI. Antecessores in controversiis de primatu, cum reliquis Patriarchis olim agitatis, ad hanc Donationem Constantini nunquam provocarunt.)

10. Hieronymus Albanus Cardinalis in tractat. pro donatione Constantini, Matthæus de Afflictis de prohib. alien. feudi pro Frideric. cap. 1. notab 3. num. 19. Rolandus à Valle vol. 1. consil. 88. num. 29. Franciscus Bursatus Vol. 1. consil. 124. n. 38. & seqq. scribunt, *si quis neget, donationem Constantini esse de jure validam, etiamsi de facto veram esse credat, reus sit hæreseos.* Ac inter alios articulos, ob quos Johannes Wiclephus ut hæreticus fuit damnatus in Concilio Constantiensi, etiam hic fuit numero trigesimus quartus: *Sylvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt, Ecclesiam ditando*, ut videre est in tom. 2. Concil. f. 110. b. & in Fascic. rerum expetend. f. 145. b. quod & pro argumento adducit Bursatus d. consil. 124. n. 34. (Sed Jesuitæ pro fidei articulo hanc donationem non amplius venditant.)

11. Johannes Igneus in repetitione l. donationes n. 20. & 21. scribit: *totam Academiam Canonistarum & Legistarum pro validitate donationis sentire, ac in ipsa dubitatione cæcos videre, surdos audire & mutos loqui*, ut refert Bursatus d. consil. 124. sub n. 21. §. Joh. Igneus.) Sed tantam hujus Historiæ evidentiam esse, nemo facilè hodie asserit.)

12. Cardinalis Alexandrinus (aliàs Præpositus dictus, proprio nomine Johannes Antonius de S. Gregorio) in c. Constantinus. dist. 96. Cardinalis Bergomensis, Hieronymus Albanus in prooem. digest. n. 35. & seqq. (quam Commentarii ejus particulam etiam in Tractatum Tractatuum transscribendam curavit Gregorius XIII. P. Rom. tom. 15. part. 2. in fine:) & multo prolixius Franciscus Bursatus Vol. 1. consil. 124. per tot. omnium verò prolixissimè atque vehementissimè, & ut ipse profitetur, quibuscunque potuit viribus, Augustinus Steuchus Eugubinus Episcopus Kisamus, & Sedis Apostolicæ sub Paulo III. Pont. Bibliothecarius, libris duobus pro donatione Constantini adversus Laurentium Vallam scriptis, qui extant sub finem tomi 3. operum ejus editorum Parisiis Anno 1577. & Boetius Epo. in Heroicis & Ecclesiasticis quæstionibus impressis Duaci Ann. 1588. lib 2. q. 3. & 5. speciem veri *Instrumento Donationis* conciliare laborant. (Sed fervor ille in Jesuitis hodie plurimum remisit, ac Baronius, falsitatis illud instrumentum arguit Anno Christi 324. n. 118. ann. 1191. p. 825.)

13. Idem Baronius tom. 3. Annal. Anno Christi 324. n. 118. & seqq. *Magnum planè est de collatis Romanæ Ecclesiæ à Constantino muneribus argumentum, quod Francorum Christianissimi Principes suis ipsorum diplomatibus ea à Longobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere professi sunt. Si enim Romana Ecclesia ante collata illa à Francorum Regibus privilegia jam potiebatur rerum dominio, unde illud sibi, nisi jure debitum potuit vindicasse? cum certum sit, nulla id factum armorum vi atque violenta grassatione.* (At Constantinus Copronymus, Legatis ad Pipinum in Italiam cum exercitu adversus Longobardos profectum missis, postulavit, *ut si ei contingeret Longobardos superare, Ravennam & cætera Exarchatus loca sibi restituenda curaret, quia Imperii essent, non Pontificis*: usque respondit Pipinus: *se Ecclesiæ Romanæ militare, atque ideo in Italiam venisse, ut ejus commodis consuleretur, quicquid Longobardi vi & armis subegissent, Romanæ subjiceret* (nota subjiceret, non restitueret) *Ecclesiæ*, ut videre est apud Sabellicum Ennead. 8. lib. 8. col. 580. Et Platinam in Stephano II. Quin & ipse Anastasius, quamvis testis domesticus Papæ, non tamen dicit, Pipinum loca illa restituisse Pontificibus Sedis Apostolicæ, sed *obtulisse, donasse, & possidenda atque disponenda tradidisse*, ut videre est apud ipsum Baronium ann. 755. & Gretserum in Comm. de munificent. Impp. cap. 1.)

14. Cardinalis Alexandrinus in c. Constantinus. dist. 96. *Constantinus prædictam donationem facere potuit, imò debuit, ratione manifesta, quia potius dicetur agnoscere bonam fidem, & relaxare, quod indebitè per eum & antecessores suos erat occupatum.*

Et paulo post. *Deprehendit omne imperium prædecessorum suorum, seu Monarchiam, quæ hactenus in mundo fuerat, usurpationes fuisse & indebitas occupationes.*

Cardinalis Albanus in prooem. digest. *Neque sanè id quicquam juri Ecclesiæ potest obesse, quod quidam Imperatores, ne dicam Tyranni, quæ fuerunt irrevocabiliter donata, impietate violenta invaserunt, cum id, quod nostrum est, nobis auferri non possit.* (Hæc in Imperatores Romanos & Romanum Imperium extremè sunt injuria, quia per ea constituuntur Tyranni & malæ fidei possessores.)

15. De Gregorio VII. scribit Aventinus lib. 5. Annal. *Cæsares, Reges, Augustos, ut precario regnantes, floccifecisse dicitur.*

Franciscus Bursatus consil. 124. n. 74. *Licet Constantini filii cæterique successores Provincias fere omnes possederint, id fuit ex permissu Papæ, qui eis temporalium, ut decet, exercitium permisit, prout etiam modernis temporibus permittit.*

Augustinus Steuchus lib. 2. contra Vallam fol. 285. *Cernis Romanam Sedem, tametsi domina sit regnorum, pati tamen & velle Reges suis regnare locis, reginam tamen universalem agnoscentes.*

Fol. seq. *Sinit regnare, modò dominam reginamque agnoscant &c.* (Juxta illud Apocal. 18. v. 2. *Sedeo Regina.*)

Boetius Epo. lib. 2. quæst. heroic. q. 3. n. 64. *Imperio in Pontificem translato, nihilominus tamen, aut ut Pontificis Vicarii seu Procuratores, seu Prætores, seu locum tenentes, imperarunt, aut potius à Pontifice imperium receperunt.* (Hac ratione Imperatori ac Regibus tantum conceditur precaria possessio, vel etiam talis, quæ revera possessio non est, sed tantum detentio, utpote quam alieno, hoc est, Pontificis nomine habeant.)

15. Albanus Cardinalis d. l. & Bursatus d. cons. n. 23. nugantur, *donationem Constantini ab ipso Spiritu sancto fuisse insinuatam prædictam & probatam 1. Paralip. ult. ubi David dicit: In manu tua, Domine, magnitudo & imperium omnium, tua sunt divitiæ, tua est gloria, tu dominaris omnibus. Ego autem & populus meus quid sumus aut possumus tibi promittere? cum tua sint omnia, sed hæc ipsa quæ de manu tua suscepimus, dedimus tibi. Et Jer. 1. ubi dicit Deus ad Jeremiam. Ecce constitui te hodie super gentes & super regna.* (At hac ratione non solum Jeremias constituitur typus Papæ, sed etiam Papa ipsi Deo æquiparatur.)

16. Fischerus Roffensis Episcopus in confut. assert. Lutheri verit. 5. *Apertissimum est, Caipham verum judicium protulisse.*

Contrà Bellarminus lib. 2. de Concil cap. 8. §. Alii dicunt. *Sic quidam exponunt, sed revera altera pars sententiæ Caiphæ blasphema erat, quia sequitur in textu, Caiphas dixit, Christum blasphemare.*

17. *Papa potest facere novos articulos fidei & veteres abolere.*

Monachi Antuerp. apud Foxum p. 920. *Papa potest dispensare contra jus divinum.* caus. 16. q. 1. Quicunque, in glossa. *Papa potest dispensare contra jus Naturæ.* c. 15. q. 6. autoritate, in glossa. *Major honos debetur Papæ, quam Angelis.* Antoninus. Plura hujus generis φοβερὰ ἀκούσματα adduximus superius.

18. Fr. Turrianus contra Sadeelem pag. 14. *Prophetia Esai. 61. in faciem terræ adorabunt & pulverem pedum tuorum lingent. Ubi hoc, nisi in deosculatione pedum Episcopi Romani, ut jam exitus patet?*

Liber Ceremoniarum lib. 1. sect. 5. p. 51. *Imperator, ut primum Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur: & iterum, cum appropinquat ad gradus Sedis, genu flectit, demum cum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devotè osculatur.*

Antoninus part. 2. tit. 22. cap. 5. §. 4. *Non minor honor debetur Papæ, quàm Angelis, ideo Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum.*

Josephus Stephanus Valentinus de osculat. pedum Rom. Pontif. cap. 9. *Pontifex Christi personam sustinet, ideo ejus vice oscula pedum excipit.*

Lorinus

Lorinus in cap. 10. Act. *Nos in quolibet Pontifice agnoscentes Christum ipsum, cujus vices in terris gerit, ad illius pedes exosculandos proni provolvimur*: ad quod probandum Scripturis sacris insigniter abutitur. Confer Bozium de signis Eccles. tom. 1. lib. 11. cap. 10. pag. 913.

Resp. 1. ex Polydoro Virgilio lib. 4. de rerum invent. c. 13. p. 365. & seqq. ubi ab Ethnicis morem osculandi pedes Pontificis deducit: *Voluit*, inquit, *procul dubio Cornelius Centurio pedes Apostoli Petri exosculari, sed pater mansuetudinis plenus, id fieri non est passus, qui elevans eum sibi ad pedes jacentem dixit, Surge, & ego ipse homo sum. O vocem memorabilem atque salutarem! Si bene multi hodie sese quoque homines tantum esse perpenderent, qui propterea, quod Sacerdotio præditi sint, plane se reliquorum mortalium longe post hominum memoriam imperiosissimos Dominos præbent, non communes patres, uti fieri deberet. Ita usu venit, ut nos Pontificum nostrorum pedes exosculemur, illudque institutum à Romanis Pontificibus duxerim, quo mos ille osculandi antiquus à Deorum etiam cultoribus servatus, ad veram pietatem usurparetur. Perinde quandoque expedit ad alliciendos hominum animos ad veram religionem, ut quod apud illos honori antea fuerat, non tollatur penitus, sed sanctiore instituto ad consimilem adhibeatur cultum. Nam, ut Plutarchus testatur, Sacerdotibus Romanis nec habere, nec petere Magistratum permittebatur, lictore tamen & sella Curuli utebantur, ut iis deliniti ultra non quærerent: in templis prope januam lecticam habebant tanquam custodes & refugium: pedes iis reliqui osculabantur. Quin & aliis summis viris id genus honoris habebatur, cujus rei testis est Seneca, scribens, Cajum Cæsarem perrexisse ad osculandum sinistrum pedem Pompejo Pœno, ut ita ostenderet socculum auratum, margaritisque distinctum. Idem Pomponius Lætus affirmat, ita scribens: Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant, post suis manibus sublevabant ad oris osculum, vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes sibi exoscularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis & margaritis, quod fecisse antea Cajum Caligulam memorant. Is honos hodie Romano Pontifici fit, qui adeuntes se ad sacra pedum oscula admittit: cæteri verò Antistites dextram manum aversam adeuntibus religiose osculandam porrigunt, quod vel ab Ethnicis sumtum constat. Plinius enim libro undecimo dicit, religionem aliquam esse in dextra, quæ in fide porrigitur, quæ osculis aversa appetitur. Testatur idem Apulejus libro asini sui secundo, ubi de Propheta Ægyptio meminit.*

2. Ex Massonio Historico Pontificio, qui in Benedicto XII. pag. 286. b. sic scribit: *Notabo Jacobi Fabri prudentissimi juris verba &c.* (*Papa in verbis dicit se servum servorum Dei, de facto tamen se adorari permittit, quod Angelus in Apocalypsi refugit.*) *Videtur autem id dicere, quasi damnans consuetudinem moremque eorum, qui demississime procumbunt ad pedes Pontificis, ut signum crucis in superficie calcei intextum deosculentur: qui mos, an sit antiquissimus, nescio, nondum enim omnia legi, sed hoc scio, consuetudinem illam Cisalpinus populis minùs probari, quàm Italicæ genti ad hujus generis obsequia & demissiones natæ.*

3. Ex Erasmo lib. 6. apophthegm. *Maximinus senior nunquam ad pedum suorum osculationem quenquam admisit. Absit, inquam, ut quisquam pedibus meis oscula figat. Ubi sunt igitur, qui non modo ingenuos, verum etiam summos Monarchas ad oscula non pedum, sed calceorum, non dico admittunt, sed invitant & quodammodo cogunt.*

4. Navarrus tom 2. Comm. cap. 18 n. 39. monet, *à nonnullis Pontificiis reprehendi Reges Castellæ, quòd manum Sacerdotibus osculandam porrigant.* (Quam ergo intolerabilis est iste fastus, quod Pontifex pedum oscula non solùm admittit, sed etiam exigit, cum Regibus ipsis vitio vertatur, quod manus deosculandas Sacerdotibus porrigant?)

5. Non congruit illud pedum osculum cum exemplo Petri Actor. 10. v. 25. & 26. quem tamen *primum Pontificem fuisse*, asserunt.

19. Cornel. Agrippa de vanit. scient. cap. 63. *nobis Canonici persuadere conantur, penes Pontificem esse autoritatem dispensandi contra jus naturale, imò contra Novum Testamentum, idq; Pontificem tentasse in legibus matrimonialibus*, ibidem multis exemplis probat.

Glossa c. autoritatem 15. q. 6. *Tu dicas, quod in voluntariis juramentis* (Papa) *non dispensat, sed in coactis bene. Si tamen absolvit aliquem, tenet absolutio. Dico enim, quod contra jus naturale potest dispensare, dum tamen non contra Evangelium, vel contra articulos fidei, tamen contra Apostolum dispensat.* (Tales dispensationes merito quis dixerit dissipationes.)

20. Potestatem Pontificis supremam in temporalibus, qua Reges à solio dejicit, & subditos à juramento fidelitatis absolvit, deducunt ex dicto Jer. 1. v. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas &c.* Innocentius III. in c. Unam sanctam. ext. de major. & obed. Sanderus de clavibus David c. 6. p. 100. Baronius tom. 11. Ann. 1074. n. 69. & n. 70. Paulus III. in Bulla contra Henricum VIII. Angliæ Regem eodem dicto suam potestatem stabilire cupit, ut est apud Petrum Matthæum Comment. in Bullam Pauli III. Apud eundem extat Bulla Pii V. qua Elisabetham Angliæ Reginam eodem prætextu exautoravit. Unde Carerius de potest. Rom. Pont. lib. 1. cap. 3. p. 104. n. 16. hanc Scripturam ponit tanquam fundamentum Pontificiæ super Reges potestatis temporalis, *Hoc* (inquit) *Propheta Jeremias in persona Christi ad Rom. Pontificem loquitur: Ecce constitui te super Reges & regna, scil. per correctionem & punitionem si Reges mali fuerint.*

At 1. figurata & allegorica evulsio hic notatur, quæ fit gladio oris, non ore gladii, quæ non respicit personas Regum, sed universitatem Magistratus & subditorum, quæ fit tum Propheticis præmonitionibus, & legis divinæ inculcationibus tum etiam prædictionibus Propheticis cap. 1. v. 5. Ministri enim Dei dicuntur facere, quod Deus verbo ipsorum prædicit & præstat. Gregorius Episcopus Rom. part. 3. Curæ pastoral. admonit. 35. *Aliter admonendi sunt, qui bona nec inchoant, atque aliter, qui inchoata minime consummant. Qui enim bona nec inchoant, non sunt eis prius ædificanda, quæ salubriter diligant, sed destruenda ea, in quibus semetipsos nequiter versant &c. Hinc est, quod Jeremia ad prædicationem misso dicitur: Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas & disperdas & dissipes & ædifices & plantes. Quia nisi prius perversa destrueret, ædificare utiliter recta non posset, quia, nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret.* (Sic ergo ad omnes Ecclesiæ Doctores dictum Prophetæ applicat & ad morum correctionem per verbum illud accommodat.)

Glossa ordin. Jer. 1. *Ut evellas regnum Satanæ, ut plantes bona, ut ædifices Ecclesiam.*

Bernhardus lib. 2. de Considerat. ad Eugen. *Dicit Deus Prophetæ, ut evellas & destruas &c. Quid horum fastum sonat? Schemate quodam magis rusticani sudoris labor spiritualis expressus est, ut nos sentiamus, nobis impositum esse ministerium, non dominium datum. Esto Propheta, sed nunquid plus, quam propheta? Si sapis, eris contentus mensura, quâ mensus est Dominus. Quod amplius est, ex malo est.*

Johannes de Parisiis de potestate Regia & Papali cap. 15. *Jeremias nullum regem deposuit, sed intelligitur positus supra gentes & regna, quasi habens autoritatem super ea in annunciando & prædicando vera. Non de destructione Regum mundi sed de destructione vitiorum & plantatione fidei & morum agit.*

2. Bellarminus in tract. de officio Princ. Christ. p. 32. de hoc loco Prophetico sic disserit: *Neque significant hæc verba* (Jeremiæ) *mandari à Deo, ut bella gerat cum regnis & Regibus & ea sibi armis subjiciat, sed ut in alto sedens observet malos mores & corruptelas omnium Regum & regnorum, & clamando & vociferando liberrime increpet vitia, præsertim publica & Regum & Principum & populorum, & pœnas à Deo paratas prædicat, & ipse quoque Censuris, pœnisq; aliis coerceat contumaces, & eo modo disperdat & destruat peccata Regum & populorum, & ædificet & plantet virtutes ac bonos mores.*

3. Provocat ibidem ad testimonium Bernhardi lib. 2. ad Eugenium, quod jam ante adduximus.

4. Maldonatus in h. l. *Ut evellas, id est, si non resipuerint Judæi, nunciabis fore, ut ego* (Dominus) *eos evellam, destruam, perdam &c. si autem resipuerint, nunciabis fore, ut ædificem, plantem, id est, bene eis faciam.*

5. Agnoscunt ipsi Pontificii jurisdictionem Ecclesiasticam in V. T. non fuisse penes Prophetas, sed penes Sacerdotes in cathedra Aaronis sedentes.)

21. Bellarminus lib. 3. de Conc. cap. 19. §. Ego suspicor &c. causam, *quare Pontifex non adfuerit personaliter Conciliis extra Romam celebratis*, affert eam, *quia non videbatur convenire, ut caput sequeretur membra.*

Resp. 1. Ferus in cap 18. Act. sic commentatur. *Quantùvis membrum unũ altero nobilius sit, nihilominus tamen hoc esse omnibus commune, quod sint membra corporis ejusdem, in hoc, unum non præstare alii, unum alteri non invidere, nec inferius contemnere: atq; eodẽ modo in Ecclesia quodlibet membrum sua operatione aliis inservire.*

2. Pontifex se vocat *servum servorum Dei.* (Eccur igitur se indignum censet proficisci ad Episcopos Dei servos in Conciliis

congregatos? Petrus Act. 8. ab Apostolis cum Johanne in Samariam missus, profectionem illam minimè recusavit.)

22. Idem Bellarmin. lib. 2. de Conc. c. 19. §. Ad alterum &c. probaturus, *Pontificem se non posse submittere coactivæ sententiæ Conciliorum, ut deponatur*, affert hoc argumentum, *quia præstat caput ægrum habere, quàm nullum: nec consulunt Medici, ut caput, ægrum licèt, tollamus, ut ab ægritudine liberemur.*

Resp. Ad hoc argumentum jam olim responderunt Patres Concilii Basileensis apud Æneam Sylvium de gestis Concil. Basil. lib. 1. fol. 7. §. Constare jam &c. *Quamvis*, inquiunt, *nunquam suadeant Medici, ut caput, quamvis ulcerosum, abscindatur &c. tamen si perinde, ut in corpore mystico, uno capite submoto, possit aliud inveniri, nunquid non sæpissimè ob varias ægritudines capita mutarentur &c.*

23. Suarez tom. 4. in Thom. Disp. 56. §. ult. monet, *Papam etiam in casu intolerabilis erroris, ut in causa nimiæ indulgentiæ, non esse publicè reprehendendum*; ac dicit, *hanc suam assertionem magis ad prudentiam pertinere, quàm ad doctrinam. Quia*, inquit, *cavendum est, ne cum hæreticis in verbis aut factis, quæ Pontificis imminuere autoritatem videantur, etiam apparenter conveniamus.* (Congruit hoc cum Decreto c. Si Papa. dist. 40. à Pontifice Gregorio XIII. confirmato, sed non congruit cum facto Petri, cujus successores audire volunt, qui à Paulo æquo animo se patiebatur reprehendi.)

24. Jesuitæ videri volunt, non absolutam & *directam*, sed *indirectam* duntaxat potestatem Pontifici in Imperatores, Reges & Principes concedere. Sed, quàm latè vagetur illa potestas exempla manifestum faciunt. Azorius Jesuita part. 2. Instit. moral. lib. 5. cap. 28. commemorans exempla Impp. Regum ac Principum, *qui à Pontificibus Romanis non solùm excommunicati, sed etiam regnis exuti*, adducit Regem Siciliæ Rogerum, *qui* (per Leonem IX. Papam) *è solio dejectus, quòd Episcoporum & Abbatum electiones ad se contra Canones traxerat*; Berengarium, (per Johannem XII. excommunicatum & exautoratum) *quòd nimia erat ejus potentia, à quo Pontifex multa indignè passus est*; Fredericum Imperatorem, (per Alexandrum III. depositum) *quòd sui juris esse dixerat, causam judicare in schismate, quod inter Papam & Antipapam intercesserat*; Ferdericum II. (per Innocentium IV. regno exutum) *quòd perjurus erat & sacrilegus*; Chilpericum Francorum Regem, (per Zachariam Papam, ut quidam volunt, *solio deturbatum*) *qui non tam pro suis iniquitatibus, quàm quod tantæ potestati erat inutilis, ubi coadjutor adhibere potuit.* (Quantò rectius Acosta lib. 2. de Indor. salute cap. 5. negat, *vel Barbaris eripiendum imperium, quia sunt imperiti, ne eadem ratione à fœmina aut adolescente, ubi regnat, dominatus extorqueatur, aut à Præsule indocto Pontificatus.*)

25. Bzovius lib. de R. Pont. cap. 6. p. 67. jactabundus commemorat, *Pontificem Rom. ab Oratoribus Principum vocari Apostolorum heredem.*

Massonius in vita Clementis V. memorat, *ab Hayto anno Domini 1307. in libro jussu Pontificis scripto, eundem Apostolum votari.*

Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 31. §. Tertio, quia &c. *non tantum Romanum Pontificem Sedis Apostolicæ Præsulem, sed etiam ejus munus Apostolatum* vocat. Pontifex literas suas sic orditur; *Salutem & Apostolicam benedictionem.* (Atqui Apostolatus fuit munus temporarium, quod non amplius in Ecclesia viget, sed cum Apostolorum temporibus desiit.)

26. Glossa Bonifacii VIII. c. Unam Sanctam. ext. de major. & obed. *Non videri Dominum* (Christum) *satis discretum fuisse, (ut cum reverentia, inquit, loquar,) nisi unicum post se Vicarium reliquisset, qui posset in Imperatores & quoscunque alios depositionis sententiam ferre.* (Quæ verba ibidem præmittuntur. At qualis hæc reverentia, quæ conjuncta cum tam insigni blasphemia?)

27. Quia Scriptores aliqui *Clementem*, aliqui *Linum* immediatum *Petri successorem* statuunt, inde ad conciliandum hoc opinionum dissidium alii dicunt, *Petrum quidem successorem sibi nominasse Clementem, sed vel Clementem ipsum recusasse*, (ita Genebrardus lib. 3. Chronol. in Lino,) *ne hujus nominationis exemplum transiret ad posteros*; sive ut Glossa Juris Canonici habet c. Si Petrus. caus. 8, q. 1. *quod perniciosum esset exemplo, quod aliquis sibi eligeret Successorem*; *vel Senatores Ecclesiæ Romanæ Clementem non accepisse, sed Linum elegisse, cognoscentes hujusmodi denominationis formam graviter in futurum Ecclesiæ nocere posse, ut Liber Ceremoniarum Ecclesiæ Rom. lib. 1. sect. 1. cap. 2. habet.* (Utrum ergò dicemus, Petrum impium fuisse vel insipientem, qui illud in causa tanti momenti fecerit, quòd mali esset & perniciosi exempli; an illos blasphemos, qui ut illam de Clementis per Petrum ordinatione fabulam, illudque de primatu à Petro moriente in Episcopos Romanos derivato figmentum tueantur, tantam Apostolo tanto vel impietatem, vel insipientiam impingunt?)

28. Bellarminus contra Cassandrum disputans lib. de Laicis cap. 19. negat, *Protestantes, etiamsi cætera omnia cum Pontificiis credant, conciliari cum his posse, quamdiu Romani Episcopi universalem Episcopum negent, ob cujus solius negationem Aërius pro hæretico sit declaratus ab Epiphanio hæres. 75.* Sed Epiphanius nuspiam hoc asserit, verum *Aerium* dicit *fuisse Arianum.*)

29. Suarez lib. 3. Defens. fid. cap. 29. n. 10. *Licet Papa non potest dispensare in jure naturali, potest nihilominus mutare materiam ejus, qua mutatione facta ipsum naturale jus cessat, & ita in præsenti potest de subdito facere non subditum, subjectione autem ablata cessat ratio & obligatio naturalis obœdiendi.* (At hoc recepta est tollere jus naturale. Et pari ratione posset dici, Papam posse tollere præceptum aliquod Decalogi mutando scil. præcepti illius materiam.)

30. Polyd. Vergilius lib. 4. de rer. invent. cap. 10. pag. 345. *Rom. Pontifex humeris hominum circumfertur: hoc inde natum quidam arbitrantur, quod Stephanus II. ut populo Romano ob insignes animi virtutes, vitæq; integritatem carissimus, statim factus Pontifex, humeris omnium præ gaudio exultantium fuerit sublatus, atque in ædem Salvatoris ad Lateranum deportatus*; (circa annum 752.) *quem ritum deinceps servarunt successores; adeo semper veterum honorum ac pomparum magis, quàm morum tenax est posteritas.*

31. Pontificis sui fastum & pompam totis viribus defendunt, quam ab hæretico Paulo Samosateno originē ducere non diffitentur. Polyd. Vergilius lib. 8. de rer. invent. cap. 5. p. 638. *Is Paulus* (Samosatenus) *vir intolerabili superbia, simulatque est Episcopatum adeptus, cæpit inter viam præ insolentia literas relegere & dictare, multis constipato agmine præcedentib. ac subsequentibus, unde propter hominis arrogantiam plerique Christianam religionem detestabantur. Ab hoc Paulo, opinor, nostros Pontifices pomparum ordinem, quem nunc ducunt, accepisse.* (Baronius Ann. 272. n. 5. ex Eusebio refert, *quomodo Paulus iste gradum & thronum altiorem sibi construxerit*, id quod optimè congruit in Romanum Pontificem.)

32. JCti Dillingenses in Compos. Pacis cap. 11. quæst. 83. §. 161. pag. 635. a. postulare audent, ut Cæsarea Majestas, totumque Romanum Imperium in causa injuriarum, ex asserto Papæ Romani Antichristianismo, in Imperatorem & Status Romani Imperii redundantium, citra ulteriorem causæ cognitionem adversus Lutheranos, ceu læsæ Majestatis reòs, ab executione procedat. Sic enim disserunt dicto loco: *Concilia nihil hac de controversia decreverunt, quia non censebatur id pertinere ad fidei aliquam controversiam, quæ in Concilio Episcoporum definienda, sed notoria calumnia, quæ abs ulla indagine per Imperatoriam Majest. mox coercenda esset.*

Ibid. §. 163. pag. 636. a. *Per se turpe, nec satis honestum videtur, in quæstionem vocare, & publicè utrinque editis libris discutere, num Sedes Apostolica Antichristiana sit. Quare & nos in hac sententia sumus, non libris aut scriptis, sed justitia & publica potestatis autoritate talia profliganda esse.*

§. 164. pag. 639. a. *Si injuria aliqua manifesta sit, & legibus Cæsareis atque omnium populorum persuasione dudum damnata, tum absque controversia aut alia indagine injuriam appellari posse, & ejus castigandæ & coercendæ justitiam implorari. At vero, quod Sedes Apostolica, cui Imperatores juramentum edere solent, Antichristiana sit, & Romanus in ea præsidens Episcopus pluribus retro seculis verus ac principalis Antichristus existat, injuriam notoriam, & Cæsareis legibus atque omnium populorum persuasione damnatam calumniam continet. Itaque à quolibet absque ulla controversia, aut ulteriore indagine appellari, imo apud competentem Supremum Magistratum, videlicet Cæsarem, accusari potest, neque probatione alia opus est, nisi ut libri ac scripta calumniantium exhibeantur.*

Scioppius in Classico cap. 2. pag. 17. scribit: *Protestantes suam sententiam, (quod Papa sit Antichristus) probaturos, ne quidem audiendos esse.*

(Hoc postulatum adversatur sententiæ Rom. Pontificis in jure Canonico expositæ.)

c. Nihil. caus. 2. quæst. 1. *Nihil contra quemlibet accusatum absque legitimo & idoneo accusatore fiat. Nam & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est ejectus.*

c. Deus omnipotens, caus. & quæst. iisd. *Si Deus cognitor omnium,*

minum, Sodomorum mala (quorum clamor ad cœlum usque pervenerat) omnia sciens, prius nec credere, nec judicare voluit, quam ipse ea cum fidelibus testibus diligenter investigans, quæ audierat, opere comprobaret: nos, qui sumus homines & peccatores, quibus incognita sunt occulta judicia Dei; hoc præcaventes, nullum ante veram justamque probationem judicare ac damnare debemus.

c. Quòd suspecti. caus. 3. quæst. 5. *Etsi manifesta sint crimina alicujus, tamen accusatione inimici condemnandus non est.*

c. Judicantem caus. 30. quæst. 5. *Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendiq́ue, præbita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter: nec litigantibus Judex prius velit sua sententia obviare, nisi quando jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant, & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur &c.*

33. Iidem Dillingenses capitali supplicio illos afficiendos esse volunt, qui Papam Antichristum vocant. Composit. Pacis cap. 11. quæst. 83. §. 161. 162. pag. 635. b. *Scire debent Prædicantes, scripta sua in lucem publicam edita de Papa Romano Antichristo aliud non esse, quàm famosos & contumeliosos libellos sparsos adversus duas Supremas potestates, Romanum Pontificem ac Cæsarem, imo adversus omnes Electores, Principes & cujuscunque ordinis Catholicos, cujusmodi scripta, qui inprimunt, edunt, vendunt, retinent ac inventa non lacerant, capitali pœna plectendi essent.*

Eandem tibiam inflat Adamus Tannerus in Antichristo proscripto præscript. 10. pag. 236. *Cum hactenus*, inquit, *probatum sit, impium & fabulosum hoc dogma de Papa Antichristo, contra utramque Supremam potestatem, Romanum Pontificem & Cæsarem, totam Ecclesiam ac Romanum Imperium summè contumeliosum, nec ulla pacis transactione hactenus in Imperio toleratum esse, sequitur, scripta illa, quibus id dogma spargitur & defenditur, nihil aliud, quàm famosos ac contumeliosos libellos esse, quos qui inprimunt, edunt, vendunt, retinent, nec inventos lacerant, aut igne absumunt, jure civili capitali pœna digni judicantur.*

Atqui ministerium Spiritus elencticum non est crimen aliquod Politicum capitali supplicio dignum. Pontificii non solum Lutherum vocant *Antichristi præcursorem*, Contzen lib. 6. Polit. cap. 29. §. 1. sed etiam Evangelicam doctrinam vocant *hæresin illam, quæ proxime antecedit Antichristum.*

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 21. §. Jam verò. *Catholici per quintam tubam intelligunt hæresin aliquam valdè perniciosam, quæ Antichristi tempora proxime antecedit, quam quidem esse hæresin Lutheranam, multi valdè probabiliter conjiciunt.*

Quod hoc loco de aliis dicit, Præfat. in tom. 4. ex professo ipse asserit, §. 5. *Quinta tuba*, inquit, *hæresin quandam deterrimam ac multiplicem significat, quæ Antichristi persecutionem proximè præcurrat, eiq́ue viam patefaciat atq; sternat, quã hæresin Lutheranam esse non ego solus, sed plurimi ante me ex conjecturis non levibus docuerunt.*

Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglic. part. 4. c. 13. divis. 2. *Sic sentiunt multi boni viri, Antichristum cœpisse jamdudum tabernaculum ac regium sibi solium per antecursores Martinum Lutherum, Zwinglium, Calvinum, vosque eorum discipulos, cæteramque nefariæ nationis istius sceleratam colluviem in multorum animis, quæ templa DEI esse oportebat, collocare.*

Et postea. *De Antichristi corpore pars quædam estis &c.*

(Num propterea se capitali supplicio dignos fatebuntur?)

34. Papa se vocat Universalis Ecclesiæ Sponsum c. Quoniam. de immunit. in 6. inquit Pontifex: *Justitiam Ecclesiæ Sponsæ nostræ nolentes negligere &c.*

Conradus Wimpina in thesibus Disputationi Lutheri de Indulgentiis oppositis th. 13. Man soll die Christen lehren / daß den grossen reichen Ablaß nicht ein allgemein Concilium, auch nicht andere Prælaten der Kirchen sämptlich oder sonderlich geben können / sondern allein der Bapst / der da ist der Bräutigam der allgemeinen Kirchen.

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. ex eo, quod Papa dicatur *Ecclesiæ Universalis Sponsus, Primatum ejus Monarchicum* deducit.

Isidorus Mosconius de majest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. c. 1. *Papa Catholicæ Ecclesiæ Sponsus.*

(At hunc honorem nec Paulus, nec Johannes Baptista sibi arrogarunt, sed potius paranymphos & amicos sponsi sese vocant, ille quidem 2. Corinth. 11. v. 1. hic vero Johan. 3. v. 29. inde quibusdam ex sanioribus Pontificiis hic titulus insolentior fuit visus, ut ostendimus superius cap. 5. hujus articuli in resp. ad 17. Advers. argum. membro 9. Meritò igitur Lutherus contra hanc Pontificis arrogantiam graviter detonat tom. 7. Jenens. fol. 269. fac. b. sic scribens: Es ist auch dieser Irr[...] daher kommen / daß sie die Bischoffe und Bäpste Bräutigam der Kirchen genennet und gehalten haben / daher sie den Spruch S. Pauli 1. Tim. 3. ziehen / Ein Bischoff soll eines Weibes Mann seyn / das ist / einer Kirchen Bischoff / wie Christus einer Kirchen Bräutigam ist / darumb sollen sie nicht Digami seyn. Fürwar / Bäpste und Bischöffe sind feine Gesellen dazu / daß sie der Kirchen Bräutigam seyn solten / ja wenns die Hurenwirthin were / oder des Teuffels Tochter in der Hölle. Rechte Bischöffe sind Diener dieser Braut / und sie ist die Frau und Herrin über sie. S. Paulus nennet sich selbst Diaconon / einen Diener der Kirchen / will nicht Bräutigam noch Herr seyn dieser Braut / sondern JEsus Christus GOttes Sohn / also heist der rechte Bräutigam dieser Braut. S. Johannes spricht nicht / Ich bin der Bräutigam / sondern ich bin des Bräutigams Freund / und freue mich / daß ich seine Sprache hören soll / denn wer die Braut hat (spricht er) der ist Bräutigam / des Sprache soll man mit Freuden hören / und sich darnach als ein Diener halten / Joh. 3.)

35. Johannes de Parisiis de potestate Regia & Papali cap. 6. *Fiet unum ovile & unus Pastor: quod quidem de Christo intelligi non potest; sed de aliquo alio ministro, qui præsit loco ejus.*

(Contra. Omnes Interpretes tum veteres, tum recentiores, & inter illos ipsimet Pontificii agnoscunt, de Christo ibi sermonem esse.)

36. Pontifex ab iis *quatuor Patriarchis* desertus, qui toto terrarum orbe revera primi erant, in eorum locum vicemque Capellanorum suorum quatuor constituit, quibus *Patriarcharum* nomina imponit. Horum primum *Constantinopolitanum* facit, secundum *Alexandrinum*, tertium *Antiochenum*, quartum denique *Hierosolymitanum*. Ita hos quatuor ad omnia circumagens, ac pulchrè sibi tam lepidâ imagine beatus, omnia, quæ usquam terrarum sunt, versat solus & moderatur. Eodem plane exemplo ac simili ostentationis pompa, hodieque magnus Tartariæ Cham, postquam satur prandio jam suo finem imposuit, signo tuba dato, omnibus omnium terrarum Regibus atque Imperatoribus prandendi potestatem facit, & inani hoc cogitationis ludibrio ac gloria sibi plaudens, ac gestiens, integrum semper retinet, & minime interruptum totius orbis terrarum possidendi jus, nec deteriore sanè conditione quàm Papa. Sed & Pontifex Romanus, si quando palam, celebrique ac solenni more Missæ sacrum peragit ipse, Evangelium ejus diei & Epistolam recitari Græce jubet, unde Magister Ceremoniarum lib. 3. cap. 7. *Hanc consuetudinem*, inquit, *hinc ortam puto, ut appareat, Romanam Ecclesiam in se continere utramque gentem*, puta Græcorum & Latinorum. Sed Antoninus in Summ. part. 3. tit. 22. cap. 6. subjungit, *Hoc Græci non credunt*. Johannes Ivellus part. 2. operum pag. 416. pro Apolog. Angl. part. 5. cap. 6. divis. 10.

ARTICULUS IV.

DE CONCILIIS.

CAPUT I.

De Autoritate indicendi Concilium.

Thesis. Jus atque autoritas indicendi Concilia generalia sive œcumenica, non est penes Pontificem sed penes Imperatorem.

Ἔκθεσις. 1. Non solum derogamus Pontifici *jus atque autoritatem indicendi Concilia Oecumenica*, sed etiam, *consensum ejus* ad eorundem congregationem absolutè necessariũ esse, negamus, potest enim etiã invito Pontifice Imperator Conciliũ indicere.

2. Nec tamen propriè quæstio est de consensu, sed *de potestate convocandi*. Ex consensu non statim sequitur jus atque autoritas indicendi, quia præbuerunt etiam alii Episcopi consensum, quamvis, ob Romanæ urbis eminentiam, Episcopus illius loci primus rogaretur de consensu.

3. Propriè & principaliter hoc loco non est quæstio de *Conciliis particularibus*, sed *œcumenicis*.

Antithesis. Julius II. in Lateranensi Concilio sess. 1. atque in Bulla indictionis. *Videbunt hujusmodi Concilia à solis Romanis Pontificibus esse indicta, & aliter indicta, rata non fuisse.*

Salmero in cap. 15. Actor. *Cujus autoritate atque jussu fuerit hæc Synodus (Apostolica) coacta, in dubium vocandum non est. Nam aderat Petrus, supremus Apostolorum Coryphæus, cujus unius vel Successoris ejus autoritate Concilia generalia congregari possunt tantummodo.*

Catoillus in Defens. Concil. Trident. Disput. 1. *Vis & facultas indicendi, cogendi, & celebrandi Concilium œcumenicum non ad Imperatorem, sed ad Pontificem maximum pertinet.*

Stapletonus in relect. princ. fidei controv. 6. q. 3. art. 1. pag. 595. *Et vetustissimus Ecclesiæ Canon, qui jubet, non oportere absq; Romani Pontificis sententia Concilia celebrari. Sed ejusdem autoritatis est, Concilia congregare, cujus est congregata celebrari & prosequi. Alioqui aut frustra congregaret Imperator, quod postea prosequi & cõtinuare non posset, aut frustra celebrandi & tenendi Synodos potestatem Pontifex haberet, si easdem convocare non posset.*

Hanc sententiam paulò pòst sic explicat: *Convocantur Episcopi ad Concilia generalia tribus modis, Uno modo præceptivè & justa autoritate, ita videlicet, ut vocanti obedire & comparere teneantur cæteri Episcopi, legitima excusatione cessante. Hoc non convenit Imperatoribus aut Regibus, qui nullam habent in Episcopos circa causam religionis potestatem aut jurisdictionem, sed hoc convenit Romano Pontifici tanquam omnium Ecclesiarum capiti & supremo Pastori &c. Ejus in hoc propria potestas manifesta fit, quod tum nulla Concilia absque ejus consensu congregata vim ac robur habere potuerunt, etsi Imperatoris autoritas accessisset, tum etiam quædam Concilia à solo Romano Pontifice congregata absque Imperatoris consensu, robur tamen ac vim habuerunt. Alio modo convocantur Episcopi ad Concilia celebranda per viam exhortationis & admonitionis. Hoc Imperatores Christiani & pii propter bonum pacis Ecclesiæ & pium zelum semper fecerunt, sed absque ulla coactiva aut præceptiva autoritate. Tertio modo convocantur Episcopi ab Imperatoribus & Regibus ad Concilia, seu generalia, seu etiam provincialia, per modum autoritatis & præceptivè, sed per viam executionis & jus facti, quod Principi seculari competit, non aliter, id est, voluntatem & desiderium Romani Pontificis, cujus est ista propriè curare & disponere, tardantibus, aut etiam reluctantibus forte Episcopis, piè exequi.*

(Sic ergò in Conciliis congregandis Imperatoribus nullæ aliæ relinquuntur partes, quàm exhortationis & executionis.)

Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 12. §. At de &c. *Catholici munus convocandi Concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere statuunt, sic tamen, ut possit etiam alius, Pontifice consentiente, Concilium indicere, quin etiam satis sit, si indictionem factam ipse postea ratam habeat, & confirmet: at si nec ipse indicat Concilium, nec aliquis alius de ejus mandato vel consensu, nec ipse saltem approbat indictionem, illud non Concilium, sed Conciliabulũ fore.*

Lib. ejusd. cap. 21. §. 2. *Protestantes hanc requirunt in Concilio conditionem, ne Pontifex ei præsit.*

§. 6. *Respondeo, hanc conditionem esse iniquam, quia Pontifex non potest privari suo jure indicendi Concilia, in cujus potestate jam fuit per mille & quingentos annos, nisi priùs in legitimo judicio convincatur, non esse summus Pontifex.*

Gregorius de Valentia in anal. fid. p. 86. *Est Concilium Universale, quod ab Universali Pastore Romano Pontifice non indicitur, Concilii nomine indignum.*

Compositio Pacis cap. 3. q. 18. n. 37. *Prima quatuor Concilia Oecumenica Rom. Pontificis autoritate congregata fuerunt.*

Conformis est hæc opinio sanctioni Juris Canonici c. Synodum. dist. 17. ex Marcello Papa. *Synodum Episcoporum absque hujus Sedis Romanæ autoritate, (quanquam quosdam Episcopos possitis congregare,) non potestis regulariter facere.*

c. Regula. dist. ead. ex Julio Papa. *Canones præcipiunt, sine Romanæ Ecclesiæ autoritate Concilia fieri non debere, nec ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod ejus non fuerit fulcitum autoritate.*

c. Multis. dist. ead. ex Pelagio Papa. *Multis denuo Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Rom. Pont. Concilia celebrari.*

Nostram sententiam confirmamus,

1. *Ab exemplis Regum & Principum Israëliticorum.* Conventus & Synodi in populo Dei non *ab Aarone* Sacerdote, sed *à Mose* gubernatore populi; neque *ab Eleasaro*, sed *à Josua*; ac deinceps *non à summis Sacerdotibus*, sed *à Judicibus* seu gubernatoribus populi convocari fuere solitæ. Postmodum *pii Reges* in Ecclesia Israëlitica soliti sunt Concilia convocare. 1. Par. 13. v. 1. & 2. *David* congregavit Concilium de arca reducenda. 1. Paral. 23. v. 1. aliud Concilium congregavit, cum jam senex esset. Idem fecit *Salomon* 1. Reg. 8. v. 1. *Ezechias* 2. Paral. 29. v. 4. *Josias* 2. Reg. 23. v. 1. *Jehu* 2. Reg. 10. v. 19. Ergò multò magis Christianis Principibus competit jus congregandi Concilia. Consequentia probatur, quia Ecclesia Israëlitica habuit summum Pontificem à Deo ipso constitutum, ac nihilominus jus indicendi Concilia fuit penes Reges.

2. *Ab exemplo Herodis in N. T.* Herodes Rex congregat Concilium Sacerdotum, ut cognosceret, ubi Messias nasciturus Matth. 2. v. 4. Antequam Imperatores fierent Christiani, nulla Concilia Oecumenica sunt congregata.

3. *Ab exemplis Christianorum Imperatorum.* Illos enim Concilia olim convocasse generalia, probari potest, tum *in genere*, tum *in specie*. *In genere* notandum illud Socratis in procem. lib. 5. Hist. Eccles. *Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ab iis pependerunt, atque adeo maxima Concilia de eorundem sententia & convocata fuerunt & adhuc convocantur*, αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. Itemque illud Hieronymi Apol. 2. adv. Ruffinum. *Responde quæso, Synodus, à qua excommunicatus est, in qua urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula: profer sententias subscriptionum, vel diversitatem, vel consonantiam: doce, qui eo anno Consules fuerint, quis Imperator hanc Synodum jusserit congregari?*

In specie. *Concilium Nicenum* ab Imperatore Constantino M. fuit conscriptum. Apud Euseb. lib. 1. Hist. Eccl. c. 6. Constantinus sic loquitur: *Magnam Episcoporum turbam ad urbem Nicæam accersiri.* Apud Theodoret. lib. 1. Hist. cap. 9. Socratem lib. 1. Hist. cap. 6. Patres illius Concilii dicunt: *Quoniam gratiâ Dei & mandato Imperatoris Constantini magnum & sanctum Concilium Nicenum coactum est.* Ruffinus lib. 10. Hist. c. 1. sic loquitur: *Tum Constantinus apud urbem Nicenam Episcopale Concilium convocat.* Confer Eusebium lib. 3. de vita Constantini c. 6. Sozomenum lib. 1. Histor. cap. 17. Socratem lib. 1 Hist. cap. 8. Theodoretum lib. 1. Hist. cap. 7. & lib. 2. cap. 4.

Concilium Constantinopolitanum primum à Theodosio Seniore est indictum. Theodoretus lib. 5. cap. 9. Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 7. Nicephorus lib. 12. cap. 19. Epistola ad Imperatorẽ præfixa Canonibus Concilii hujus sic habet: συναχθέντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατὰ τὸ γράμμα τῆς εὐσεβείας.

Concilium Ephesinum primum Theodosius Junior congregavit. Evagrius lib. 1. Hist. cap. 3. νεύματι *nutu vel Imperio Theodosii Junioris Concilium illud congregatum esse.* Item. *Imperatorem scripsisse literas ad Cyrillum & ad omnes ubiq; sanctarum Ecclesiarum Præpositos*, asserit.

Liberatus in Hist. de Concil. Ephesin. *Et post hæc scripsit* (Imperator) *gratiam sacram ad universos Episcopos, ut Ephesum convenirent & ferrent de Nestorii libris ac Cyrilli judicium.*

Idem dicunt Episcopi Orientales in Epistola ad Reges Theodosium & Valentinianum, quæ est inter Acta. Tota Synodus in Epistola ad Reges testatur, *se ab illis convocatam fuisse, & illorum literis atque edicto convenisse, ac se illorum Synodum vocat.*

In Epistola ad omnes Episcopos ipsa Synodus sic scribit: *Cum essemus Ephesi secundum pias Imperatoris literas congregati.* Idem testatur Nicephorus lib. 14. Hist. cap. 34.

Concilium Chalcedonense ab Imperatore Marciano indictum fuit. Marcianus dicit, *se scripturum ad omnes Episcopos, ut ad certum locum convenirent*, in Epist. ad Leonem Episcopum Romanum.

Ipsa Synodus Chalcedonensis act. 1. testatur, *non modò se ab Imperatore indictam, verum etiam ipsum Romanum Episcopum eò vocatum esse, qui cum ipse adesse non potuit, quatuor Legatos ad illam misit.*

Sic enim in Act. illa 1. p. 748. Patres loquuntur: *Eodem tenore à piissimis & Christianissimis Impp. sanctissimus noster Papa, Romanæ Ecclesiæ Præpositus, Leo vocatus est.*

In l. Nemo Clericus 4. C. de summa Trinit. Marcianus sic loquitur: *Injuriam facit judicio Reverendissimæ Synodo si quis semel judicata ac rectè disposita revolvere & publicè disputare contenderit, cum ea, quæ nunc de Christiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, per nostra præcepta statuta sunt &c. in hac regia urbe definita esse noscantur.*

Sigebertus in Chron. Ann. 452. *Instantia Leonis Papæ, jubente Imperatore Marciano, congregata & habita est quarta Universalis Synodus 630. Episcoporum apud Chalcedonem.*

Hanc quatuor primorum Oecumenicorum Conciliorum Historiam complectitur Imp. Justinianus in literis positis statim initio Synodi Oecumenicæ quintæ, Constantinopolitanæ II. in quibus inter cætera sic loquitur: *Semper studium fuit Orthodoxis & piis Imperatoribus, Patribus nostris, pro tempore exortas hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & recta fide sincere prædicata, in pace sancta Dei Ecclesiam custodire. Quapropter & Constantinus, piæ recordationis Ario blasphemante & dicente; Non esse Filium consubstantialem Patri, sed creaturam, & ex non extantibus factum, congregavit Niceæ ex diversis Diœcesibus trecentum decem & octo sanctos Patres &c.*

Et

Et paulo post: *Sed & Theodosius senior, piæ recordationis, Macedonio negante Deitatem Spiritus sancti, & Apollinario, vel magno ejus discipulo, in dispensatione incarnati Dei Verbi blasphemantibus & dicentibus, sensum humanum non recepisse Deum verbum, sed carni unitum esse animam irrationalem habenti, congregatis in regia urbe centum quinquaginta sanctis Patribus, cum & ipse particeps fuisset Concilii, damnatis prædictis hæreticis, una cum impiis eorum dogmatibus, fecit rectam prædicare fidem.*

Et postea. *Iterum Nestorio impio alium dicente Deum Verbum, & alium Christum, & hunc quidem Natura Filium Dei Patris, illum autem gratia Filium impiè introducente, & sanctam gloriosam semper Virginem Dei genitricem esse negante, cum pene omnes Orientales partes sua impietate adimplesset idem Nestorius; Theodosius Junior, piæ recordationis, congregavit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebat Cœlestinus & Cyrillus sancti Patres.*

Rursus. *Et post hæc iterum, cum Eutyches demens emersisset, negando consubstantialem esse nobis carnem Domini, multis interea motis, tam Constantinopoli quàm Ephesi, tanta pro illo facta est hæreticorum circumventio, ut etiam ejiceretur propter eum Flavianus, religiosæ memoriæ, regiæ urbis Episcopus. Piæ autem recordationis Marcianus congregavit Chalcedone sanctos Patres &c.*

(Sic ergò Justinianus commemorat in literis tractoriis Historiam quatuor primarum Universalium Synodorum, à quibus exemplis ipse sibi animum factum testatur ad quintam illam, de qua loquebatur, congregandam, subjungens:) *Cum autem secundum suam misericordiam Dominus Deus Reipubl. gubernationem nobis credidit, initium & fundamentum nostri Imperii fecimus, conjungere divisos Sacerdotes sanctarum Dei Ecclesiarum ab Oriente usque Occidentem.*

Et aliquantò post: *Vocavimus vos ad regiam urbem, hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem iterum manifestare.* apud Binium f. 47.

Concilium Sardicense ab Imperatore Constantino indictum est. Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 4. *Constantinus jussit, ut in Sardica Concilium celebraretur. Indicitur iterum generalis Synodus autoritate duorum Regum* (Constantii scilicet & Constantis) inquit Socrat. lib. 2. Hist. cap. 20. Confer Athanas. in Epist. ad solitar. vit. agentes, & Sozomen. lib. 2. Hist. cap. 16.

Concilium Constantinopolitanum II. à Justiniano Imperatore fuit convocatum. Nicephor. lib. 17. Hist. cap. 27. Imperator ipse in Epistola ad Synodum sic loquitur: *Vocavimus vos ad regiam urbem;* ibidem testatur, *priores quatuor Synodos ab Antecessoribus suis indictas fuisse.*

Concilium Constantinopolitanum III. à Constantino Pogonato fuit congregatum.

Nicenum II. Constantinus & Irene convocarunt. Sic enim habet sacra & ad Synodum: *Huic igitur petitioni annuere tum visum est, meoque nutu jussi convenire, imò ut verius loquar, Deo sic volente, nobis verò præeuntibus congregavi vos.* Ipsa Synodus initio act. 1. sic loquitur: *Conveniente Universali Synodo, quæ per gratiam divinam, piumque illorum Imperatorum Decretum congregata est in clarissima Nicensium metropoli.*

Constantinus Magnus non modò *Nicenam I.* sed & aliam *Tyri* congregavit, & postea per literas illius Synodi Episcopos ad se venire jussit, *ut quid contra Athanasium statuissent, indicarent, ac facti sui rationem redderent*, teste Sozomeno lib. 2. cap. 28.

Socrates lib. 2. Hist. cap. 37. dicit, *à Constantino Imp. duas Synodos indictas, Seleuciæ nempe & Arimini, eumque sua autoritate hæc Concilia convocasse.*

Justinianus Nov. 123. *Jubemus provinciarum Præsides, si quid eorum, quæ à nobis de Synodis congregandis sancita sunt, negligenter haberi viderint, ut primum quidem Metropolitanos & alios Episcopos urgeant ad celebrandas annuas Synodos, & omnia servent, quæ de Synodis constituimus &c.* Episcopi in *Concilio Aquilejensi* congregati in Epistola ad Gratianum, Valentinianum & Theodosium Imperatores sic scribunt: *Gratias agimus vobis, Clementissimi Principes, quòd & fidei vestræ studium probavistis, qui ad removendas altercationes congregare studuistis Sacerdotale Concilium &c. Itaque juxta mansuetudinis vestræ Statuta convenimus &c.*

Carolus Magnus in *Gallia* quinque Concilia provincialia celebravit, & unum generale *Francofurti*, in quo damnata fuit sententia Synodi Nicenæ II. de cultu imaginum.

4. *Ab Imperatoris potestate.* Ad illum pertinet jus convocandi Concilia Oecumenica, qui habet jurisdictionem ac potestatem in congregandos, & cujus autoritati Christiani Episcopi parere debent. Atqui Papa non habet illam potestatem ac autoritatem in omnes Christianos Episcopos, sed Imperator, ac Reges & Principes Christiani. Rom. 13. v. 1. Tertullianus lib. ad Scapulam f. 499. *Imperator omnibus major, solo vero Deo minor.* Chrysostomus homil. 2. ad popul. Antiochen. Imperatorem vocat *summitatem & caput omnium super terram hominum.*

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Episcopi Romani ab Imperatoribus petierint, Synodos illorum potestate & autoritate congregari.

Liberius Papa in sermone quodam cum Constantino Imperatore apud Theodoretum lib. 2. Histor. cap. 16. & Sozomenum lib. 4. Hist. cap. 10. *autoritatem convocandi Concilia* Imperatori tribuit. (Bellarminus excipit lib. 1. de Concil. c. 13. *Magdaburgenses mentiri, quando dicunt, Liberium concessisse Imperatori potestatem convocandi Synodum.* Sed verba Liberii apud Theodoretum sunt manifesta: Εἰ σοι δοκεῖ τῇ εὐσεβείᾳ, κριτήριον συςαθῆναι, κέλευσον. *Si tuæ pietati placet, judicium sive Concilium congregari, manda.* Non ergò satisfacit Bellarminus, existimans, *Liberium sic locutum, quod sciret invito Imperatore Concilium congregari non potuisse.*)

Idem Liberius ad Constantium Augustum sic scripsit: *Non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerant, propter quæ Concilium fieri, mansuetudinem tuam fueram deprecatus.*

Et postea. *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris fratrem & Co-Episcopum meum, sanctum virum Luciferum cum Pancratio Compresbytero meo & Hilario Diacono placuit proficisci, quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.*

De Leone Episcopo Romano scribit Liberatus in Historia de rebus Ecclesiæ cap. 12. *quod una cum aliis Episcopis Italiæ ingenua provolutus ab Imperatoribus petierit, ut Concilium indicerent, nec tamen impetrare id potuerit.* Verba sic habent: *Leo audiens Legatorum suorum suggestionem* (eorum scil. qui Ephesi adfuerant) *& Theodoreti querelas suscipiens, literis Theodosium Imperatorem & Pulcheriam Augustam rogat, ut fieret intra Italiam generale Concilium, ut aboleretur error fidei, per violentiam Dioscori factus. Valentinianum autem Imperatorem & Eudoxiam uxorem ejus, ad memoriam B. Petri, cum multis Episcoporum genibus provolutis Romanus Pontifex deprecatus est, ut Imperatorem Theodosium hortaretur, aliam fieri Synodum.*

Leo ipse Epistol. 9. ad Imperatorem Theodosium sic scribit: *Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Episcopale Concilium, cito, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala resecari.*

Epist. 24. ad eundem. *Omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lachrymis supplicant Sacerdotes, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari;* (quod tamen impetrare non potuit, quia Theodosius Ephesi Conciliũ indixit, ut patet ex Epist. 12.)

Epist. 26. ad Pulcheriam Augustam postquam dixisset: *Se ad Imperatorem scripsisse, ut Synodus in Italia haberetur. Quod, ut obtinere mereamur,* inquit, *probatissima nobis fidei pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvat, supplicationem nostram apud clementissimum Principem dignetur asserere.*

Epist. 23. ad Clerum Constantinopolitanum: *Quoniam oportet vos post divinum auxilium etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter & sapienter exposcite, ut petitioni nostræ, quâ plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere*

Mortuo Theodosio idem petiit Leo à Marciano, cumque celerius, quam cupiebat, Concilium indiceretur, petiit *tempus prorogari*, sed nihil obtinuit, ut patet ex Epist. 43. *Poposceram quidem,* inquit, *à gloriosa clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à nobis etiam petitam, necessariam judicastis, aliquantisper differri, ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia pio studio humanis negotiis divina præponitis, ego etiam vestris dispositionib. non renitor.*

Petiit etiam hoc Concilium *in Italia institui* Epist. 26. sed nihil obtinuit, quia Chalcedone autoritate Valentiniani & Marciani Imperatorum fuit indictum.

Epist. 48. ad Theodosium Augustum scribit: *Sanctum clementiæ vestræ studium, quo ad reparationem pacis Ecclesiasticæ Synodum habere voluistis, adeo libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quò scilicet plurimi possent Episcopi etiam de longinquis provinciis evocari, mox tamen ut mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de*

Compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam sufficienter implerent.

Confer Epist. 59. Leonis tom. 1. Concil. f. 367. & Epist. ejusdem ad Constantinum tom. 2. Concil. part. 2. f. 84.

Baronius Ann. 353. num. 19. recitat Epistolam Leonis ad Hosium, in qua inter cætera sic loquitur: *Qui mecum religiosissimum Imperatorem Constantium fuerant deprecati, ut juberent, sicuti ipsi placuerat dudum, Concilium Aquilejense congregari.*

Innocentius ad Honorium & Arcadium Imperatores *quinque mittebat Episcopos Romanæ Ecclesiæ cum duobus Presbyteris, ut Synodum ac definitum ejus tempus & locum impetrarent.* Sozomenus lib. 8. Hist. cap. 38.

De Concilio Oecumenico sexto Trullano, sic scribit Leo II. in Epist. ad Constantinum Augustum inserta act. 18. Synodi sextæ. *Cognovimus, quod sancta, & Universalis & magna sexta Synodus per Dei gratiam Imperiali Decreto in regia urbe congregata est.*

In eadem Synodo Theodorus & Gregorius Presbyteri, & Johannes Diaconus Vicarii Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ, nec non & ii, qui ex persona Synodi ejus erant, dixerunt Constantino Imperatori præsidenti, *Benignissime Domine, secundum directam sacram à Deo instructa vestra fortitudine ad sanctissimum Papam demandati sumus ad piissima vestigia à DEO confirmatæ vestræ serenitatis.*

2. Quod Episcopi Romani, se Imperatoribus Romanis in temporalibus subjectos esse, confessi fuerunt (ex eo enim firmiter colligitur, potestatem convocandi Synodos ad Imperatores pertinere, ut in confirmatione nostræ sententiæ argumento quarto ostendimus.)

Hujusmodi confessiones Episcoporum Romanorum Leonis I. Gregorii I. Leonis IV. &c. adduximus in præcedente articulo 3. de Pont. Rom. cap. 8. membr. 1. quibus addendum illud, quod Gregorius lib. 2. Epist. 61. *Imperatori super omnes homines potestatem cœlitus datam* agnoscit, *seq. indignum famulum Imperatoris vocat, cujus mandatis ex officio parendum sit.*

Idem lib. 9. Epist. 53. Theodoricum Regem hortatus est, ut Synodum cogeret. *Iterata*, inquit, *vos pro vestra magna mercede, adhortatione pulsamus, ut congregari Synodum jubeatis.*

Lib. ejusd. Epist. 54. *Itaque excellentia vestra Dei nostri mandatis inhærens, studium ad congregandam Synodum pro sua mercede adhibere dignetur, ut omne à Sacerdotibus corporale vitium & Simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesiis iniqua ambitione surrexit, potestatis vestræ imminente censura, Concilii definitione tollatur, & abscissa à radicibus amputetur.*

Bellarminus ipse lib. 1. de Concil. cap. 13. §. Quarta ratio, exponens causas, *quare prima quatuor Oecumenica Concilia non solus Pontifex indixerit*, quarto loco hanc affert: *quia eo tempore Pontifex, etsi in spiritualibus esset caput omnium, etiam Imperatorum, tamen in temporalibus subjiciebat se Imperatoribus, & ideo non poterat invito Imperatore aliquid agere; & cum tantum debuisset petere ab Imperatore auxilium ad convocandam Synodum, vel ut permitteret Synodum convocari, tamen, quia Dominum suum temporalem eum agnoscebat, supplicabat, ut juberet convocari Synodum; at post illa tempora hæc causa mutata est, quia Pontifex, qui est caput in spiritualibus, non est subjectus in temporalibus, cum etiam ipse in suis provinciis sit Princeps supremus temporalis sicut sunt Reges & Principes alii, id quod divina providentia factum est, ut Pontifex libere munus suum exequi posset.*

(Sufficit confirmandæ nostræ sententiæ, quod Bellarminus fateri cogitur, *Episcopos Romanos in temporalibus olim subjectos fuisse Imperatoribus Romanis*, quodque non ausus fuerit expresse scribere, *Pontifices hodie nonamplius esse Imperatoribus subjectos.* Nec potest illud ex principio à Bellarmino posito probari. Quamvis enim Pontifex in suis provinciis sit Princeps supremus temporalis, tamen cum illæ provinciæ Italiæ limitib. comprehendantur, ex eo nondum efficitur, quod sit Princeps supremus temporalis in Imperio Germanico, in Hispania, in Gallia, in Anglia & aliis regnis ac provinciis Christianæ religioni addictis, ex quibus tamen Episcopi ad Concilia Oecumenica congregari debent. Nec est, quod *de consensu Pontificis ab Imperatoribus requisito* Bellarminus quidquam regerat. Non enim hic quæstio est de consensu convocatorum, sed de potestate convocandi. Nec solius Romani Episcopi, sed etiam aliorum Episcoporum, illorum præsertim, qui Sedes Patriarchales obtinebant, consensus fuit requisitus, unde Ruffinus lib. 10. Histor. Eccles. cap. 1. scribit: *Constantinum ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse*, quem Ruffini locum Bellarmin. ipse adducit & approbat lib. ejusd. cap. 13. §. Ac primum &c.)

Idem Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. cap. 3. per totum multis confirmat contra Canonistas, *Papam non esse Dominum totius orbis Christiani.*

Lib. ejusd. cap. 4. probat, *Papam non habere ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino.*

(Ex eo sic colligimus: Qui non est Dominus totius orbis Christiani, nec habet ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino, ille etiam non habet jus ac potestatem convocandi Episcopos ex toto orbe Christiano ad Oecumenicum Concilium. Ratio connexionis est, quia potestas convocandi præsupponit dominium & jurisdictionem, cum non sit quæstio de libera invitatione, sed *de convocatione*, quæ fit ex potestate cum imperio conjuncta. Pontifex Romanus non est Dominus totius orbis, nec habet ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino. Ergò.)

Lib. ejusdem cap. 19. resp. ad quartum. *Tempore Gregorii Ecclesia nondum habuit Politicum Principatum.*

(Ergò tempore Gregorii subjectio Episcoporum erga Imperatorem Romanum adhuc locum habuit, & per conseq. congregatio Conciliorum Oecumenicorum ad Imperatorem Romanum pertinuit. Constat autem prima quatuor Oecumenica Concilia tempore Gregorii jamdum fuisse celebrata, siquidem lib. 1. Epist. 24. affirmat, *se venerari prima quatuor Concilia, sicut quatuor Evangelia*, quod dictum Gregorii adducit & approbat Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 3. §. Gregorius. Ergò prima quatuor Oecumenica Concilia potestate Imperatorum fuere congregata.)

3. Quòd agnoscunt, prima quatuor Oecumenica, atque insuper etiam alia Concilia potestate & autoritate Imperatorum esse congregata.

c. Sancta Romana, dist. 15. *Sancta Romana Ecclesia post illas Veteris Testamenti & Novi Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet; Sanctam Synodum Nicenam 318. Patrum mediante Constantino Maximo Augusto, in qua Arius hæreticus condemnatus est; Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio Seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem accepit; Sanctam Synodum Ephesinam I. in qua Nestorius damnatus est consensu B. Papæ Cœlestini, mediante Cyrillo, Alexandrinæ Sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato; Sanctam Synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana & Eutychiana hæresis simul cum Dioscoro ejusq. complicibus damnata sunt.*

De Niceno Concilio sic legitur tom. 1. Concil. f. 130. *Sermo* (de Arianismo) *usq. ad aures religiosi Principis* (Constantini Augusti) *pervenit, tum ille ex sententia Sacerdotum* (nota Sacerdotum in plurali & non solius Episcopi Romani) *apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat, ibique Arium, trecentis decem & octo Episcopis residentibus, adesse jubet.*

Platina in vita Sylvestri. *Cum Alexander, Alexandrinæ urbis Episcopus, frustra revocare Arium ab errore tentasset, Constantini mandato, adhibita etiam impensa, munificè quidem apud Niceam urbem Bithyniæ Concilium generale indicitur.*

Mercurius Caroli V. Cancellarius Bononiæ, nomine & in præsentia Imperatoris, Pontificem Clementem VII. inter cætera his compellavit verbis: *Novit Cæsarea Majestas Constantinum non minus tuenda religione, quàm Politica administratione & bellis fuisse occupatum, & cum perniciosi atq. blasphemi errores in Filium Dei ab Ario sparsi essent, ad illos cognoscendos & damnandos celebre & divinum Concilium Niceæ convocasse, effecisseque, ut à sanctis Episcopis & doctis Patribus monstrati errores publica sententia damnarentur.*

De Constantinopolitano I. Concilio sic habetur tom. 1. Concil. fol. 235. *Mox, ut Imperium sumsit Theodosius, præ omnibus de concordia Ecclesiæ cogitavit, & uniuscujusque Præsulatus Episcopos Constantinopolin venire præcepit.*

De Ephesino Concilio sic legitur tom. 1. Conc. fol. 441. *Secundum sanctionem piissimorum & amicorum Christi Imperatorum Theodosii & Valentiniani congregata in Ephesia metropoli ex omni, sicut dicitur, mundo hac Synodo religiosissimorum omnium sanctarum Ecclesiarum Episcoporum.*

Ephesinam Synodum ἐκ θεσπίσματος *gloriosiss. Imperat. coactam esse*, patet ex literis citatoriis ad Cyrillum Alexandrinum Episcopum, quarum duo exempla sunt apud Binium f. 163. 164. & qui-

& quibus Imperator testatur, *se simili forma omnes Metropolitanos ad Synodum citasse*. Patet ex literis Cœlestini Episcopi Rom. ad Theodosium datis, quib. declarat, *se Legatos suos misisse ad hanc Synodum, quam esse Imperator jusserit*. act. 2. f. 236. apud Binium.

Leo Episcopus Romanus ad Pulcheriam Augustam Epist. 13. *Augustissimus & Christianissimus Imperator cupiens quam celerrime turbata componi, Episcopali Concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breve & angustum tempus indixit.*

De Concilio Chalcedonensi tom. 1. Concil. fol. 400. apud Binium fol. 32. & seqq. memoratur, *quod ex Decreto piissimorum Imperatorum Valentiniani ac Marciani sit collectum.*

Leo Episcopus Romanus Epist. 43. ad Marcianum Imperat. *Poposceram quidem à gloriosissima clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem à nobis etiam petitam necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus oportunius juberetis &c. sed quia pio studio humanis negotiis divina præponitis &c. ego etiam vestris dispositionibus non renitor.*

Idem Epist. 53. ad Anatolium Constantinopolit. Episc. *Sanctam Synodum* (Chalcedonensem) *ad extinguendam solùm hæresin, & confirmationem fidei Catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam in occasionem ambitus trahis.*

Cum Marcianus Imp. ad Synodum ipse venisset, disertè ait: *Se hæresi remedium adhibere volentem hanc Synodum coëgisse; eiq; præsentem esse voluisse, exemplo Constantini ac decernere &c.* act. 6. apud Binium fol. 258.

De Concilio Constantinopolitano II. (Oecumenico 6.) tom. 2. Concil. fol. 12. dicitur, *quod juxta pium jussum à Christo amati & à Deo custoditi Justiniani Imperatoris sit convocatum.*

De Concilio Constantinopolitano III. (Oecumenico 7.) scribit Leo Papa ad Constantinum Imper. tom. 2. Concil. part. 2. f. 84. *Sancta universalis & magna sexta Synodus, quàm nutu Dei vestra clementia & sedulo convocavit; & cui pro Dei ministerio præfuit, Apostolicam in omnibus regulam secuta est.*

De eodem sic loquitur ipsemet Imperator tom. 2. Concil. part. 2. fol. 73. *Summum Sacerdotalem hunc cœtum non destitimus congregare, ut Ecclesiarum distantia procul expulsa pacis conjunctio coaptetur.*

C. Habeo liberum. dist. 16. *Sancta Synodus Universalis sexta, post promulgatam ab ea definitionem contra Monotheletas Constantino Imperatore, qui eam congregaverat, non multò post defuncto, Justiniano filio ejus regnante pro eo &c.*

C. Sexta. dist. ead. *Sexta Synodus universalis Constantinopoli congregata est & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente piissimo Principe Constantino intra palatium suum, simulq; Legatis Apostolicæ Sedis & Episcopis 150. residentibus.*

(Literæ citatoriæ tùm ad VI. Synodum (quæ & Trullana dicitur) tùm ad Rom. & Constantinopolitanum Episcopum à Constantino Copronymo Imp. directæ; *ut suos quisq; Episcopos & Legatos ad Synodum destinarent*, præfixæ sunt Actis apud Binium tom. 3. part. 1. fol. 10. 11.)

In Synodo Constantinopolitana temporibus Basilii Imp. Orient. habita act. 6. sic loquuntur Episcopi: *Imperator à Deo coronatus hanc sanctam Universalem Oecumenicam Synodum, de componenda & restituenda Ecclesia Constantinopolitana coegit.* Apud Binium tom. 3. part. 2. pag. 900.

C. Hadrianus 22. distinct. 63. *Carolus Rex Romam reversus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarchatu Lateranensi, in Ecclesia sancti Salvatoris, quæ Synodus celebrata est à 153. Episcopis religiosis & Abbatibus.*

Reccaredus Hispaniæ Rex *Concilium Toletanum* convocavit Anno 582. tom. 2. Concil. p. 668.

Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis in lib. cont. Primat. Episcopi Romani scripto probat, *omnia antiqua Concilia ab Imperatore, non à Romano Pontifice fuisse congregata.*

Jurisconsultus quidam ἀνώνυμος in lib. de libert. Eccl. (qui tractatus extat apud Goldastum in p. 1. Monarch. c. 3.) de Constantino Magno ex Eusebio refert, quod *Ecclesiæ Dei peculiarem sollicitudinem impertinens, cum per varia loca exorirentur inter Episcopos dissensiones, ipse, ceu communis aliquis Episcopus à Deo constitutus, Synodos ministrorum Dei indicebat.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 2. de Concord. Cathol. cap. 25. asserit, *octo Universalia Concilia per Imperatores fuisse convocata.* (Verba paulò post adducentur.)

Ibid. *Ex illo tempore, quo Imperatores Christiani esse cœperunt, ex illorum nutu pendere visa sunt negotia Ecclesiæ, atq; adeo maxima Concilia ex eorum sententia convocabantur, ut ex Eusebio, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, patet.*

Henricus VIII. Angliæ Rex im Bedencken von dem erdichten außgeschriebenen und darnach auffgeschobenen Mantuanischen Concilio Pauli deß Römischen Bischoffs / edit. An. 1538. n. 11. (apud D. Hortlederum tom. 1. lib. 1. de caus. bell. Germ. cap. 30.) Woher hat der Bapst Gewalt und Recht die Könige zu einem Concilio zu fordern? und dieweil vor Zeiten alle Concilia aus der Keyser / Könige und Fürsten Verwilligung und Befehl gehalten sind / were es nicht billich / daß es auch noch jetzt geschehe? oder daß ihr Ursachen anzeiget / warumb es nicht seyn solte?

(Inde Sleidanus lib 11. Comment. de hoc Angliæ Rege sic scribit: *Non multo post Angliæ Rex & suo & regni Procerum nomine scriptum evulgat, Concilium à Pontifice convocatum esse, cujus ille rei potestatem non habeat.*)

Epistola cujusdam Canonici Pontificii ad Decanum Pontificium scripta Ann. 1540. (apud D. Hortlederum tom. 1. lib. 1. de caus. bell. German. cap. 34.) n. 25. Es kan kein Eyd (dem Bapst geleistet) den Keyser / König und andere abhalten / daß sie nicht auffs ehest ein Concilium in deutscher Nation zu halten ausschreiben / darinnen nach wohlhergebrachter alter Weise die streitigen Punct fürnehmen und erklären / und insgemein die rechte Verwaltung des Gottesdienstes / der Lehre und Ceremonien wider an und auffrichten lassen sollen / können und mögen. Nach dem Exempel der gantz Christlichen Keyser / so viel ihrer von Constantino dem Ersten oder Grossen / biß auff Keyser Henrichen den Vierdten regieret / welche alle Krafft habender Gewalt National- und General-Concilia ausgeschrieben und angesagt / denselben entweder selbst oder durch andere præsidirt / und allen müglichen Fleiß angewendet / daß durch die Bischoffe und andere Christliche Gottesfürchtige und gelährte Männer die Lehre und Kirchenzucht zurecht gebracht würden ꝛc. Und ist so gar ohne / daß ein einig Römischer oder anderer Bischoff dafür gehalten habe / es sey der Dienst / so die Häupter der Christenheit der Kirche geleistet / der Kirchen Ansehen und Gewalt abbrüchig und nachtheilig / daß auch die Bäpste selbst die Keyser offtmals darumb gebeten haben / und die zum höchsten gelobet / von welchen sie es erlangen können.

Baronius fateri cogitur, *ab Imperatoribus & Regibus congregata esse Concilia*, utpote *Arelatense* Ann. 314. num. 41. & seqq. *Mediolanense* Ann. 355. n. 2. & seqq. *Constantinopolitanum* Ann. 420. n. 54. & alia complura. Fatetur etiam, *sine Pontificis autoritate Patres convocasse Concilia*, utpote *Africanos Episcopos* Ann. 254. n. 85. & seqq. *Cyprianum* Ann. 257. n. 12. Ann. 258. n. 5. & 27. *Osium* Ann. 318. n. 22. *Athanasium* Ann. 363. n. 132. *Meletium* Ann. 363. n. 140. & alios complures.

Et quid multis? Bellarminus ipse lib. 1. de Concil. cap. 13. §. Habemus &c. sic scribit: *Habemus prima illa Concilia* (Nicenum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. Chalcedonense) *ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pontificum sententia & consensu; quia tunc adhuc vigebat lex illa Imperialis antiqua, quæ prohibebat omnia Collegia & frequentes hominum Conventus sine Imperatoris autoritate.*

(Ex illis sic concludimus: A quibus prima quatuor Concilia Oecumenica sunt indicta, penes illos fuit potestas ea indicendi. Atqui prima quatuor Oecumenica Concilia ab Imperatoribus fuere indicta. Ergò penes Imperatores fuit ea indicendi potestas. Non est, quod ad minorem excipiatur, *ex Pontificum sententia & consensu illam indictionem fuisse factam.* Per sententiam enim vel intelligitur *potestas jurisdictionis*, vel nudus duntaxat *consensus*. Sed prius asserere pugnat cum Ecclesiasticâ illorum temporum Historia. Manet ergò posterius, unde Bellarminus ipse, veritatis vi convictus, *sententiam* ἐξηγητικῶς per *consensum* exponit.)

4. Quod agnoscunt, potestatem convocandi Concilia ad Imperatores, Reges & Principes pertinere, eosq;, etiam invito Pontifice, Concilia indicere posse.

Marsilius Patavinus in Defensore Pacis part. 1. capit. 21. ex Actis Conciliorum probat, *non nisi Cæsarum illam perpetuam fuisse luentiam & potentiam.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis d. l. *Autoritas Concilii non ita dependet à congregante, ut nisi à Papa congregetur, non sit Concilium, quia tunc omnia octo Universalia Concilia non fuissent firma, quia per Imperatores convocata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliorum Patriarcharum Divales sacras jussiones de veniendo aut mittendo ad Concilium recepit.*

Idem Cusanus lib. 3. de Concil. Cath. cap. 15. *Negligentiæ aut*

aut contradicente Papa Imperator potest praeceptivè Synodos indicere ad providendum fluctuanti Ecclesiae.

Æneas Sylvius (postea Pontifex Pius II.) lib. 1. de gestis Concil. Basil. *Ex hisce autoritatibus mirum in modum se putant armatos, qui Concilia negant fieri posse sine consensu Papae, quorum sententia, si, ut ipsi volunt, inviolata persistet, ruinam secum Ecclesiae trahit. Quid enim erit remedii, si Papa criminosus Ecclesiam perturbet, si animas perdat, si fidei contraria praedicet, & haereticis dogmatibus imbuat subditos?*

Et postea. *At ego dum lego veteres Historicos, hunc morem non invenio, ut soli Papae Concilia congregaverint. Nec post tempora Constantini Magni & aliorum Augustorum quaesitus est magnopere assensus Romani Papae.*

(Cardillus Disp. 1. de Concil. excipit, *Æneam, cum juvenis atq; Æneas esset, ita sensisse, sed ubi adolevit ac Pius evasit, sententiam mutasse.* Resp. Cum ad solium Papale evectus esset, mutavit quidem sententiam, sed rationes illae, quas ipsemet adduxit, ostendunt mutationem illam in pejus fuisse factam.)

Franciscus Zabarellus (vel Zabarellis) Florentinus, Ecclesiae Romanae Presbyter & Cardinalis (circa Annum 1406.) in scripto de Schismate & Concilio, inter caetera lib. 3. art. 1. col. 10. 15. 17. asserit, *Concilia convocare licere Imperatori, & id ejus proprium jus fuisse. Convocasse enim olim Concilia Constantinum, Justinianum, Carolum & alios &c. Si Romanus Pontifex*, inquit, *non congreget suo tempore Concilia, ex quacunq; causa, tunc Imperator debet convocare, & ita potestas convocandi Concilia revertetur ad jus pristinum, quia extremitas retrahitur ad principium.*

Ibid. *Si indistinctè sentiremus, nulli licere congregare Concilium generale, nisi Papae, posset per hoc fides multum periclitari. Et si Papa fieret haereticus, nec cogere Concilium, nec de se judicium fieri vellet, ut facile contingere potest, quin etiam ille conjuratos Cardinales crearet, qui & ipsi de suo Collegio Papam haereticum crearent: tunc ad Imperatorem partes convocandi Concilium spectabunt: alioquin tota Ecclesia ad errorem perduci posset, & ita dictum impleretur, qualis rector domus, tales & habitantes in ea.*

Dominicus Jacobatius lib. 3. art. 1. p. 143 *Quia à principio facultas congregandi Concilia spectabat ad Imperatores.*

Georgius Cassander in Consult. art. 16. *Principum officium jam olim habitum est, Concilia convocare, quae ad constituendam Ecclesiae pacem pertinerent, diligenter inquirere.*

Franciscus de Victoria relect. 4. propos. 23. *Posse quoq; congregari Concilium contra voluntatem Papae, expresse tenet Cardinalis Turrecremata & Sylvester, & est vera sententia.*

Philippus Decius JCtus cons. 151. statuit, *quando Papa & Cardinales in congregando Concilio negligentes sunt, ad Imperatorem spectare Concilii convocationem.*

Idem in c. Cum venissent. n. 37. secund. edit. Venetam extr. de judic. *Quando Papa est de crimine haereseos suspectus, tali casu non congregatur Concilium ejus autoritate.*

Duarenus de sacr. Eccles. minist. p. 44. agnoscit, *verum esse, Principis jussu & imperio convocari Concilium.*

Piggius lib. 6. de Hierarch. Eccles. cap. 1. scribit, *generalium Conciliorum convocationem fuisse inventum Constantini Magni.*

Erasmus ad verba Hieronymi Apol. 2. adv. Ruffinum. *Quis Imperator hanc Synodum jussit congregari?* sic annotat: *Nota Lector, olim Synodos Imperatorum jussu congregari solitas.*

(Erasmum hoc nomine Marianus Victor perstringit, qui voluisset additum, *Imperatores fuisse executores Apostolicae Sedis, non talis rei autores.* Sed, salva Historiae veritate, Erasmus hoc non potuit asserere.)

5. Quod Imperatores Romanae Ecclesiae addicti potestatem convocandi Concilia sibi vendicarunt.

Carolus Magnus in Edicto, quod extat apud Goldastum in Reichssatzungen part. 2. in princ. Wir Carolus von Gottes Gnaden und Gunst seiner Barmhertzigkeit / König und Herrscher des Reichs zu Francken / ein dienstlicher Beschürmer und demütiger Helffer der Kirchen rc. *Is quinq; Concilia provincialia* in Gallia & *unum generale* inconsulto Romano Pontifice celebravit, ut ex Ænea Sylvio refert Reinking. lib. 3. de dupl. regim. class. 1. cap. 4.

Regino lib. 2. Ann. 794. de Carolo Magno. *Congregavit Synodum magnam Episcoporum Gallorum, Germanorum & Italorũ, ubi fuerunt missi Apostolici Theophilus & Stephanus Episcopi.*

Et annis viginti post p. 40. *Concilia quoq; jussu Caroli super statum Ecclesiarum per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Moguntiae, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Caballonis, quintum Arelati congregatum est, & constitutiones, quae in singulis factae sunt, ab Imperatore confirmatae sunt.*

Ex Moguntino illo Concilio Archiepiscopi scribunt: *Humillimi famuli ac missi vestri venimus secundum jussionem vestram in civitatem Moguntiam*, tom. 3. part. 1. sect. 2. in Praefat. Concil. Mogunt. p. 197.

Ibid. pag. 202. *Rhemense Concilium* dicitur *convocatum à Domino Carolo, piissimo Caesare, more priscorum Imperatorum.* Sic enim in ejusdem vestibulo legitur: *Hic est ordo Capitulorum breviter annotatus, quae notata sunt in Conventu Metropolitanae Sedis Rhemensis Ecclesiae à Domino Carolo, piissimo Caesare, more priscorum Imperatorum.*

Ex Concilio Turonensi, quod tertium fuit, similiter humilimè significant per literas Carolo obedientiam suam tom. 3. Concil. part. 1. sect. 2. p. 189. quod *à sancto Principe nobis injunctũ fuit, ad statuta loca convenimus.*

Eandem potestatem etiam alii Imperatores & Reges exercuerunt. Nam

Ludovicus, Caroli filius & Successor, *tria Concilia convocavit*, Aquisgrani, Lutetiae & Moguntiae, sicut Aimonius lib. 5. refert, & tomus 3. Concil. part. 1. sect. 2. pag. 313. 340. 372. ostendit.

Carolus Calvus *Meldensem & Suessionensem Synodum* ad S. Methardum, Lotharius *Valentinam*, Ludovicus II. *Wormatiensem*, Otto I. *Romanam Synodum* indixit, teste Reginone lib. 2. p. 81. & Platina in Johanne XIII.

Aurelianensis Concilii II. initium sic habet: *Cum ex praeceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem urbem de observatione legis Catholicae tractaturi, DEO auxiliante, sancti Patres convenirent.*

Avernensis: *Apud Ecclesiam Avernam cum in Dei nomine, congregant S. Spiritu, consentiente Domino gloriosissimo, pioq; Rege Theodoreto in Avernam urbem S. Synodus convenisset.*

Aurelianensis quinti: *Clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus, Dominus Childebertus cùm prae amore sacrae fidei studio religionis in Aurelianensium urbem congregasset in unum Dominos Sacerdotes.*

In Synodo Francica sub Zacharia Papa: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Christi 742. 11. videlicet Calend. Martii, cum consilio servorum Dei & optimatum meorum, Episcopos, qui in regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi.*

Haec Concilia *in Gallia* autoritate Regum sunt congregata. Nec aliter *in Hispania* fuit observatum.

Concilium Toletanum III. sic loquitur: *Cum pro fidei suae sinceritate gloriosissimus Princeps* (Richardus) *omnes regiminis sui Pontifices in unum convenire mandasset.*

Toletanum IV. *Dum studio amoris Christi ac diligentia religiosissimi Sisenandi, Regis Hispaniae atq; Galliciae, Sacerdotes apud Toletanam urbem in nomine Domini convenissemus, ut ejus imperiis atq; jussis commoniti, à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiae disciplinis tractatus.*

Bracarense I. & II. ex praecepto Ariamiri;

Toletanum VIII. Recesiunthi congregatum.

Toletanum XI postquam deflevit, quod *ante id tempus non fuisset adunandorum Pontificum ulla praeceptio*, tandem exultat, quod *sui aggregandi hortatu Principis Wambani facultas data esset, Episcopiq; tandem divinae voluntatis imperio & religiosi Principis jussu evocati in Toletanam urbem convenissent.*

Toletanum XII. Eringii jussu celebratum sese profitetur. Plura exempla alibi occurrunt. Sed redeamus ad Imperatores Romanos. Ex illis

Fridericus Barbarossa apud Radevicum lib. 8. cap. 58. *jus indicendi Concilia penitus ad Imperatorem spectare*, asserit, sic enim loquitur Imperator in Concilio Romano circa Annum 1154. celebrato: *Quamvis noverim, officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, praesertim in tantis Ecclesiae periculis, (hoc enim & Constantinus & Theodosius, nec non Justinianus, seu recentioris memoriae Carolus Magnus & Otto Imperatores fecisse, memorantur;) autoritatem tamen definiendi hujus maximi & summi negotii vestrae prudentiae, vestraeq; potestati committo.* Ex Radevico adducit Otto Frisingensis lib. 4. c. 68.

Carolus V. in Recess. Imp. Augustae Anno 1532. rubric. Concilien betreffend §. Und so fern Wir von Päbstlicher Heiligkeit

ligkeit dasselbe nicht erlangen möchten / daß wir alsdenn von Amptswegen Versehung hierinn thun wolten / daß uns von unserer Käyserlichen Macht gebühret / und wir zu thun schuldig / sonderlich in Sachen des gemelten Concilii.

Cum Concilium Tridentinum injussu Cæsaris autoritate Pontificis Bononiam transferretur, graviter de eo Imp. per Legatum suum Vargam conquestus est, ut memorat Thuanus lib. 5. Hist. Inter cætera sic locutus: *Videre omnes, quorsum translatio Concilii pertineat, nimirū, ut cùm Bononiam Patres migraverint, sine consensu Cæsaris, cui Conciliorum Universalium cura permissa est, aut Concilium omnino dissolvatur, aut nequaquam eò venientibus Germanis ad Pontificis & illorum, de quibus Germani conqueruntur, arbitrium peragatur.*

Et paulò post: *Quæ ex eo detrimenta acceptura sit Respubl. non Cæsari, sed ipsis tribuenda, quorum in potestate minimè sit citra consensum Cæsaris Concilium aliò transferre.*

Status Imperii, non solùm Evangelici, sed etiam Pontificii, in resp. ad propositionem Legati Pontificii in Comitiis Norinbergensibus Ann. 23. Es können Keys. Maj. Stadthalter / auch Churfürsten / Fürsten und andere Stände des Reichs kein tröstlicher hülfflicher Mittel (der Lutherischen Lehr und Schrifften halben) erdencken / denn das die Bäpstliche Heiligkeit mit Verwilligung Röm. Keyserl. Maj. wie denn solche beyde Christliche Häupter Macht haben / und ihnen zu thun gebühret / ein frey Christlich Concilium ausschreiben.

(Ergò non soli Papæ hoc competit.)

6. Quod quidam agnoscunt, ad Politicos Magistratus curam Ecclesiæ & rerum Ecclesiasticarum pertinere.

Hæc dicta enumerabuntur in articulo de Laicis thesi prima.

7. Quod tales concedunt hypotheses, ex quibus nostra sententia confirmari potest.

1. Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 10. §. 1. fatetur, *Ecclesiam primis trecentis annis caruisse Conciliis generalibus, cum tamen non defuerint illo etiam tempore multa hæreses, multa schismata, multa vitia atq; abusus, quæ tamen omnia Ecclesiam Catholicam, tametsi Conciliorum generalium præsidio destitutam, opprimere non potuerunt.* Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 9. §. Dices &c. *Primis trecentis annis nullum fieri potuit generale Concilium.*

(At, quæ hujus rei causa alia, quam quod Imperatores, penes quos potestas convocandi Concilia generalia, adhuc fuerint Ethnici?)

2. Idem Bellarminus lib. ejusdem cap. 14. §. ad quæstionem, *An non liceat Concilium indici ab alio, quam à Papa, quando sit necessarium Ecclesiæ, & tamen Papa nolit illud indicere?* respondet ex Turrecremata, *vix esse possibilem eum casum, non enim credibile esse, ullum Pontificem fore tam malum, qui non velit Concilium celebrari, si apertè constet, id esse necessarium Ecclesiæ conservationi. Quod si etiam ipse ex se talis esset, tamen Deus, qui Ecclesiam conservat, sine dubio vel ejus mentem mutaret, vel eum de medio tolleret.*

(At quilibet videt, hanc responsionem petere principium. Ubi enim habetur promissio, quod nullus Pontifex futurus sit tam malus, qui non velit Concilium celebrari, si apertè constet, id esse necessarium Ecclesiæ conservationi; ac si Pontifex ex se talis esset, tamen Deum sine dubio ejus mentem mutaturum, vel eum de medio sublaturum? Certè, *si Deus permisit, ut quidam parum probi Pontifices aliquando hanc Sedem tenerent & regerent, quales fuerunt Stephanus VI. Leo V. Christophorus I. Sergius III. Johannes XII. aliiq; non pauci, si vera sunt, quæ de eorum vita & rebus gestis apud Historicos eorum temporum scripta leguntur,* ut loquitur Bellarminus in Præfat. lib. de Summo Pontifice; Itemque, si Deus permittere potest, ut talis Pontifex Sedem Romanam obtineat, *qui sua & fraternæ salutis negligens, inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ.* c. Si Papa. dist. 40. ac nihilominus tamen Ecclesia divinitus conservatur; utique etiam Deus permittere potest, ut talis Pontifex Sedem teneat, qui à Concilio ad Ecclesiæ salutem necessario abhorreat, ut nihilominus Ecclesia divina virtute conservetur. Quinimò Paulus Jovius, Historicus Pontificius, in vita Leonis X. generaliter affirmat, *nihil magis esse invisum aut suspectum, aut periculosum, aut formidabile Romano Pontifici, quàm nomen Concilii.* Aliam ergò responsionem Bellarminus subjicit, videl.) *Si nihil horum fieret, posse eum haberi tanquam suspectum de hæresi, qui enim errori manifesto non resistit, cum possit & debeat, eum approbare censetur. cap. Error. dist. 83.* Quid ergò consilii capiendum, si Papa est hæreticus vel schismaticus? Item, si Papa captivus apud infideles esset, vel mortuus, vel insanus effectus, vel renunciasset? certè in hisce casibus alius præter Pontificem haberet potestatem indicendi Concilium, proinde potestas indicendi Concilia non pertinet ad unicum & solum Pontificem. (Respondet Bellarminus d. l. §. Ultimò. *In nullo casu posse sine Pontificis autoritate convocari verum & perfectum Concilium, quod autoritatem habeat definiendi quæstiones fidei, posse tamen in illis duobus casibus congregari Concilium imperfectum, quod sufficiat ad providendum de Ecclesia capite, ac Concilium illud imperfectum fieri posse, si vel indicatur à Collegio Cardinalium, vel ipsi per se Episcopi in locum unum conveniant.* Itane verò penes Ecclesiam non est potestas celebrandi Concilium perfectū, in quo definiantur quæstiones fidei, quando tempore schismatis est *Papa dubius & incertus*, qui nisi Bellarminus nos fallit, *habetur pro non Papa*, lib. 2. de Concil. cap. 19. resp. ad 3.? hac ratione multa Christianorum millia in fide dubii è vivis excedere cogerentur, antequam perfectum Concilium institueretur, & in eo quæstiones fidei determinarentur. Ac quicquid sit de imperfecto illo Concilio, cum per illud Ecclesiæ de capite prospici possit, utique est verum Concilium, quamvis non sit à Pontifice indictum. Relinquitur igitur, consensum Pontificis non esse simpliciter ad veri Concilii indictionem necessarium, tantum abest, ut penes solum Pontificem unicè resideat ejus indicendi autoritas.

3. *Omnium Patriarcharum* (non solius Romani) *autoritate Synodos olim indictas fuisse, agnoscunt.* Baronius tom. 8. Ann. 633. n. 45. Maximum Abbatem vocat *Scriptorem celebrem & Catholicæ fidei egregium defensorem.* Hic Maximus Abbas apud eundem Baronium tomo eodem Ann. 645. n. 9. in Disputatione cum Pyrrho Constantinopolitano sic inquit: *Subiit animum admiratio, quomodo Synodum appelles, quæ nec secundum leges, nec secundum Canones, nec sanctiones Ecclesiasticas indicta est, neq; enim literæ de consensu Patriarcharum hinc inde dimissæ sunt.* Hic Abbas legum Synodalium primam ponit hancce, *ut de communi sententia omnium Patriarcharum indicatur Synodus.* Deinde recenset alias legitimi Concilii conditiones, in quibus *nullus Primatus, nullum jus*, tribuitur Patriarchæ Romano super alios Patriarchas, sed omnes Patriarchas facit æquales & ejusdem potestatis atque autoritatis.

Argum. Adversar. 1. *Concilium Ecclesiæ non est legitimum, nisi congregetur in nomine Christi, Matth. 18. v. 20. Congregari autem in nomine Christi nihil videtur esse aliud, quam congregari autoritate Christi, hoc est, ab eo, qui à Christo habet autoritatem congregandi, videlicet ab eo, qui Petro, cui Christus Ecclesiam regendam commisit, succedit, hoc est, à Pontifice Romano, qui est Pastor omnium ovium, Regum, Imperatorum.*

Resp. De hoc dicto egimus superius lib. 1. part. 2. cap. 10. argum. 1. ubi adduximus verba Salmeronis tom. 4. tractat. 10. part. 3. pag. 462. *Nihil de Conciliis celebrandis Christus hic præscripsit, sed pium Christianæ unitatis consensum, & communem fidelium orationis efficaciam nobis commendat*; Stapletoni in relect. princip. fid. controv. 6. quæst. 3. art. 4. p. 613. *Christus ibi non loquitur de Conciliis Episcoporum, sed de quavis fidelium unanimi congregatione*; Nicolai de Clemangis in Disput. de Concil. *Non est putandum, carnales filios Ecclesiæ, qui temporalia quærunt, spiritualia non curant, Concilia agitant, ut ipsi in otio vivant, hos in Christi nomine congregari &c.* hoc loco addimus sequentia:

1. Nervus argumenti totus in eo consistit, quod Petrus sit Ecclesiæ Monarcha ac visibile caput à Christo constitutus, quodque Petro in hac Monarchia successerint Romani Pontifices, qua de re quid statuendum sit, articulo præcedente 3. fuit expositum.

2. Lyranus illud, *in nomine meo*, exponit, *caritate uniti.* Orantius lib. 2. contra Calvini Institut. cap. 17. *Definiamus, quid sit, juxta sanctorum Patrum doctrinam, in Christi nomine congregari. Hieronymus his verbis Christi ad concordiam nos provocari, proposito tam magno præmio, evidenter interpretatur. Origenes similiter, in Christi nomine congregari dicit, quotquot animorum & fidei unitate sibi mutuo consentiunt. Chrysostomus addit, parum esse congregari, nisi in Christi nomine, hoc est, ob Christi tùm gloriam & honorem, tùm amorem conventus celebretur. Hilarius item. Nomen Christi pacem & caritatem interpretatur. Habes igitur Christiane Lector, nihil esse aliud in nomine Christi congregari, quam una fide, uno Redemtore, unoq; consensu, quæ ad vitam æternam pertinent, mutuo conferre.*

3. Arias Montanus in cap. 18. Matth. *Congregari in nomine Christi est in ejus Spiritu & virtute convenire.*

4. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. ad h. l. *Congregari*

gregari in nomine Christi est propter Christum & aliquam causam ad Christum pertinentem congregari. (Ergò non sufficit à Pontifice congregari, ut in nomine Christi Concilia dicantur congregata, *cum Concilia etiam à Pontifice congregata errare possint,* fatentibus ipsismet Pontificiis.) Salmeron d.l. *Vide, quales velit esse illos duos vel tres qui deprecaturi sunt, nimirum in nomine ejus congregatos, hoc est, in fide nominis Jesu unitos, & gloriam nominis Jesu quærentes, & necessaria ad salutem, quæ in nomine Jesu designantur, postulantes.* Lucas Brugensis in h. l. *In nomine meo, hoc est, propter me, mea causa, quia res facit ad honorem meum.*

(Ergò hæc verba non denotant *causam efficientem* illorum cœtuum, hoc est, unde sit potestas congregandi Concilia, sed *eorum formam*, quæ sit Natura legitimæ congregationis.)

5. Marsilius Patavinus in Defensore pacis part. 1. cap. 21. ostendit, *indicere Concilia esse actum jurisdictionis & imperii.*

(Jam verò Petrus & ipsius Successores à Christo jussi sunt pascere, non dominari & jurisdictionem Politicam exercere.)

6. Si in nomine Christi congregari significaret, à Pontifice Romano, utpote Christi Vicari congregari, consequens foret, *nulla Concilia, à Romano Pontifice congregata, errare posse.* Connexio probatur, quia Conciliis in nomine suo congregatis Christus pollicetur se adfuturum. Consequens Bellarminus non admittit, cùm ad congregationem à Rom. Pont. factam, *etiam confirmationem Pontificis* accedere oportere statuat, si Concilium debeat esse infallibile. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. §. Contra, & lib. 2. de Concil. cap. 11. in ἐπιγραφῇ.

Arg. 2. *Ejus est Concilia generalia congregare, qui potest omnes cogere. At Imperator non potest omnes cogere, quia nullus Imperator totam Ecclesiam subjectam unquam habuit, etiam quoad actiones civiles, ut eam habet Pontifex, quoad actiones spirituales.*

Resp. 1. Nullus Pontificum totam Ecclesiam subjectam unquam habuit. Confer seq. artic. de Eccles. cap. de notis Eccles. th. 3. membr. 3. & 5. (est ergò hic in parte par ratio.)

2. Hypothesis argumenti consistit in suprematu Papæ, de quo in præced. articulo actum fuit.

3. Bellarminus in ἐπεξεργασίᾳ hujus argumenti scribit: *Quid si nullus esset Imperator, imò etiam nullus Princeps Christianus, num ideò Concilia fieri non possent?* eodem modo nos dicimus: Quid si tempore schismatis nullus esset Papa? quid si Papa in suo officio esset negligens? num ideò Concilia fieri non possent? Æneas Sylvius lib. 1. de gestis Concil. Basil. *Sententia eorum, qui Concilia negant fieri posse sine consensu Papæ, ruinam secum Ecclesiæ trahit. Quid enim erit remedii, si Papa criminosus Ecclesiam perturbet, si animas perdat, si fidei contraria prædicet, & hæreticis dogmatibus imbuat subditos?*

Arg. 3. Ex Epistolis Decretalibus Pontificum multa adducunt. Sed quid de illis statuendum sit, exposuimus superius lib. 1. part. 2. cap. 9.

Arg. 4. Binius, Bellarminus & alii Pontificii probare conantur, *Sylvestrum suo mandato coëgisse Nicenum, & Damasum Constantinopolitanum Concilium, quia in VI Synodo generali seu Constantinopolitana III. dicatur, quod Constantinus & Sylvester Synodum in Nicæa συνέλεγον congregarint, & Imperator Theodosius & Damasus, Gregorius & Nectarius primam Constantinopolitanam congregaverint,* act. 18. tom. 3. Concil. part. 1. f. 94. apud Biniū.

Resp. 1. Ipse Binius in notis ad Synodum VI. fol. 263. fatetur, *acta hujus Concilii multis in locis depravata esse.*

2. Albertus Pighius peculiari tractatu probat, *Acta hæc esse parengrapha seu surreptitia.*

3. Melchior Canus lib. 5. Locor. cap. ult. ad 6. operosus est in confutandâ hujus Concilii autoritate, ut probet, *illud nullam habere Ecclesiasticam autoritatem, quia multa Romana Ecclesia contraria statuerit,* quæ recitat c. 1. §. Sexta item Synodus.

4. Nihil ex Concilii verbis, si vera sunt, elucet, quam quod Romani Episcopi ad congregationem harum Synodorum fecerint in sua Diœcesi id, quod Gregorius Nazianzi & Nectarius Constantinopoli fecerunt, cum una & eadem phrasi hi dicantur congregasse Concilium, nulla ergò hic Pontifici tribuitur præeminentia.

5. Ostendimus superius, Historicos Ecclesiasticos magno consensu Niceni Concilii convocationem *Constantino Imp.* & Constantinopolitani I. *Theodosio Imp.* tribuere.

CAPUT II.

De Assessoribus Concilii.

THesis. Non soli Episcopi & Prælati jus habent definiendi in Conciliis, sed ex quovis hominum ordine pie eruditi eligi possunt, qui ad Concilium mittantur ac suam in eo libere pronuncient sententiam.

Ἔκθεσις. 1. Non negamus, Episcopos ad Concilia cumprimis vocandos, sed illos solos vocandos esse, negamus.

2. Non introducimus nec approbamus confusionem, sed omnia εὐσχημόνως & κατὰ τάξιν institui cupimus.

3. Eorum vocem præferendam dicimus, qui suam ex Scriptura proferunt & demonstrant sententiam, etiamsi non præfulgeant Episcopalis dignitatis culmine.

4. Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 15. duas nobis tribuit sententias,

Primò, *ex omni hominum genere debere interesse eos, qui eruditi sunt, & omnes debere esse judices & habere suffragiū decisivum, quicquid sit de aliis muneribus.* Ita dicit sentire *Lutherum part. 2. de Conciliis pag. 264. Protestantes in libro cur Electores, Principes & Status Imperii ad Concilium Tridentinum non accedant, Molinæum, de non recipiendo Concil. Trident. §. 28. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 9. col. 548.*

Resp. Nullus horum confusionem introductam cupit, sed hoc volunt, deligendos esse viros rerum divinarum & Ecclesiasticarum peritos, solertes, pios ac doctos, qui ad Concilia mittantur, & ex omnibus Christiani orbis partibus eos mittendos esse, si sit generale Concilium, nec tamen expectandum esse, ut omnes veniant, sufficere, si vel trecenti adsint, ne confusio introducatur.

Secundò, *Concilium constare debere non nisi ex verè piis & electis.* Id dicit statuere *Brentium in Confess. Wirtenb. cap. de Conciliis.*

Resp. Brentius hoc non dicit, ex eo enim sequeretur, nunquam posse haberi Concilia, cum non constet, qui sint verè pii & electi. verba Brentii sic habent: *Etsi Ecclesia habeat certam promissionem præsentiæ Christi perpetuæ, & gubernetur à Spiritu sancto, tamen non quivis hominum cœtus pro vera Ecclesia haberi potest. Et ut maxime multi aliquoties in nomine Christi convenire videntur, tamen pauci sunt electi & non est omnium fides.* Hoc Brentius eo fine dixit, ut ostenderet, *Conciliorum autoritatem non esse absolutè infallibilem, non autem hoc voluit, quod ex solis electis Concilia constare debeant.*

Antithesis. Clemens VII. Pontifex Romanus in responso Legatis Caroli V. Imp. dato Anno 1532. inter cætera dixit, *esse exploratissimum, jus suffragii in Concilio Canonum Decretis soli competere Episcopis, consuetudine autem Cœnobiarchis, & Pontificis privilegio aliis quibusdam concedi, cæteros omnes qui audiri cupiant, horum sententiæ acquiescere necesse habere.* Petrus Suavis lib. 1. Histor. Concil. Trident. pag. 69.

Dominicus Jacobatius Cardinalis, *Pontificis voluntati & arbitrio relinquendum esse,* dicit, *an hanc dignitatis prærogativam Laicis largiri velit, ut possint interesse Conciliis.*

Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglic. part. 6. cap. 3. div. 3. *Hoccine vultis, ut ad Concilia Oecumenica adhibeatur plebecula? & quos tandem de plebe dicitis? num caupones & cerdones, fidicines & tibicines, quorum hominum sunt vestri ministri? Eheu quid ibi faciant miseri? Nam nec usquam ibi potatur, nec ulla sutrino datur opera, nec fidibus canitur, ac ne tibiis quidē, & subulas ibi condant, tibiasq; & ora pariter obturent licet. Nam in tali auditorio, nec ita loqui possunt, ut audiantur; nec ipsi vicissim intelligere, quæ loquantur alii.*

Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 15. §. 5. *Catholicorum sententia est, solos Prælatos majores, eosq; omnes, id est, Episcopos in Conciliis generalibus & provincialibus habere jus suffragii decisivi ordinarie, ex privilegio autem & consuetudine etiam Cardinales, Abbates & Generales Ordinum, licet Episcopi non sint; ex Presbyteris autem & aliis Clericis minoribus tantum vocari viros aliquos doctos, qui juvent in disputando vel aliis ministeriis. Principes autem vocari, tum ut Concilium defendant, tum ut testes sint & conscii Decretorum Concilii, postea transgressores & contumaces pœnis corporalibus puniant. Denique ex privatis Laicis tantum vocari aliquos, qui videantur utiles vel necessarii ad aliquod ministerium.*

Lib. ejusdem cap. 16 §. Ad confirmationem. *Episcopi autoritatem habent judicandi, non quia docti sunt, sed quia sunt personæ publicæ, hoc est, Principes habentes Ecclesiasticam jurisdictionem.*

Lib. ejusd. cap. 21. §. 1. *Protestantes in Concilio requirunt, ut Theologi Principum ac Statuum Augustanæ Confessionis non minus, quam Episcopi in Concilio sententias ac voces decisivas proferre permittantur.*

§. Septima. *Respondeo, si intelligatur de voce decisiva propriè in forma judicii, est contra formam omnium Conciliorum.*

Notan-

Notandum verò 1. quod Episcopi, quibus solis jus suffragii decisivi in Conciliis tribuunt, arcto juramento Pontifici Romano sint obstricti, quod impedit, quò minus liberas habeant linguas. Verba juramenti sic habent: *Ego N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, sanctæq; Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, Dominoq; meo Papæ, ejusq; Successoribus Canonice intrantibus. Non ero neq; in consilio, neq; in facto, ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium, quod mihi, aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ & regulas sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines &c.*

Inde Julius II. Pontifex in Epistola ad Moguntinum Capitulum scribit: *Eam esse vim jurisjurandi, quo Clerum Pontifex sibi obstringit, ut per id ne quidem in causa justa & veritatis defensione Clericis liceat Papæ adversari.*

2. Quod suffragia Episcoporum eatenus duntaxat valeant, quatenus Papa suum illis addit calculum, hinc nullum Decretum Tridenti promulgatum fuit, de quo non censura & approbatio Papæ ante publicationem requisita fuerit, quæ res proverbio locum dedit, ut vulgò diceretur, *Spiritum sanctum subinde Roma Tridentum venire manica inclusum.*

Nostram sententiam confirmamus,

1. *Ex forma Concilii Apostolici Hierosolymitani*, quod meritò pro reliquorum Conciliorum regula habetur. Actor. 15. v. 6. *Convenerunt Apostoli & Presbyteri, ut de hac re dispicerent. vers. 22. Tunc visum est Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia*, ex quo colligitur, non solùm Apostolos, sed & Presbyteros huic Concilio interfuisse, imò & totam Ecclesiam cum Apostolis & Presbyteris habuisse decisivum suffragium. Act. 16. v. 4. Paulus civitatibus illis, per quas transibat, dicitur tradidisse τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν Αποςόλων καὶ τῶν Πρεσβυτέρων ἐν Ιερυσαλήμ.

2. *Ex Natura Concilii.* Concilium generale universam Ecclesiam repræsentat. Ergò debent in eo adesse quidam ex omni genere & ordine hominum.

3. *Ex debito piorum officio.* Causa fidei communis est omnibus Christianis, & ad omnes pertinet; omnibus præceptum est, *ut scrutentur Scripturas* Joh. 5. v. 39. *caveant à Pseudoprophetis* Matth. 7. v. 15. *probent Spiritus* 1. Joh. 4. v. 1. unde Beroenses laudantur, Act. 17. v. 11. quod in Scripturis *inquisiverint de illis, quæ à Paulo & Barnaba docebantur*. Ergò non soli Episcopi, sed ex omni Christianorum ordine aliqui Conciliis interesse debent.

4. *Ab antiquorum Conciliorum exemplo.* Conciliis in primitiva Ecclesia celebratis non soli Presbyteri, sed etiam Principes, Senatores, Judices, aliique homines Laici non modò interfuerunt, verùm etiam sententias dixerunt, subscripserunt & definierunt.

In Concilio Niceno Constantinus *circumspexit oculo regio, ne quæ erroris reliquiæ superessent*, teste Eusebio lib. 3. de vit. Constantin. præscripsit Episcopis, ut secundum Scripturam judicarent ac ipsius jussu τὸ ὁμοούσιον Decreto Synodi Nicenæ fuit insertum. Theodoret. lib. 1. Histor. cap. 10. In eadem Synodo Nicena senex quidam Laicus, non admodum peritus Logices & Philosophiæ, plus præstitit adversus Philosophos quàm cæteri Episcopi omnes. Ruffin. lib. 1. Histor. Eccles. cap. 4.

In Concilio Constantinopolitano I. Patres illius Concilii in Epist. ad Theodosium sic loquuntur: *Cupimus abs te, humanissime ac potentissime Imperator, diplomate tuo Synodi sententiam confirmari, ut, quemadmodum literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honorasti, ita etiam placita Synodi subscriptione tua munias.*

In Concilio Chalcedonensi Martianus in sua ad Patres illius Concilii oratione, inter cætera sic loquitur: *Considerantes exemplum Constantini, Concilio interesse voluimus, ad veram fidem confirmandam, non ad nostram potestatem ostendendam.* In act. 1. illius Concilii non modò Episcopi, verum etiam Legati Imperatoris, qui Senatores & Patritii erant, Dioscorum & Juvenalem hæreticos una cum Episcopis damnaverunt, *Gloriosissimi Judices & Amplissimus Senatus dixerunt &c.* Evagrius lib. 2. cap. 4. de eodem Concilio. *Senatores ista decreverunt.* Patres in eodem Concilio act. 1. *Videtur nobis justum, si placuerit divinissimo & piissimo Domino nostro.* Evagrius lib. 2. cap. 4. Theodoretus fuit restitutus *supplicatione Synodi, autoritate verò & nutu regni.*

In Concilio Constantinopolitano III. act. 18. Constantinus Imperator non modò *sedit* cum Episcopis, sed etiam *subscripsit* cum Episcopis. *Legimus*, inquit, *& consensimus.*

In Concilio Arausicano II. viri *Patritii* non modo sententiam de religione dixerunt, sed etiã cum Episcopis *subscripserunt.*

Cyprianus in Præfat. Concilii Carthaginensis, cui ipse non solùm interfuit, sed etiam præfuit. *Cum in unum Carthagini convenissent Calendis Septembris Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania cum Presbyteris & Diaconis, præsente etiam plebis maxima parte, & lectæ essent literæ Jujabani &c.*

Grassantibus in Aphrica Donatistis, Honorius Imp. Carthagini Synodum indixit, cui Marcellinum Tribunum præfecit Præsidem & cognitorem, qui audita, quantum satis erat, utraq; parte, postea tulit hanc sententiam, *Donatistas veris Catholicorum & firmissimis rationibus convictos videri & esse*, ut Augustinus in opere Breviculi Collation. tertiæ diei annotavit.

Concilium Antisiodorense can. 7. definivit, *ut omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, omnesq; Abbates ad Concilium conveniant*, (non *ad consultandum* tantùm, sed etiam *ad decidendum*, ut subscriptio monstrat, apud Binium fol. 295.)

Concilium Toletanum IV. Ann. 633. ordinem celebrandorum Conciliorum præscripturum, *non vocandos solùm Presbyteros, sed una cum Episcopis cum omni timore Dei & disciplina sedere jussit, quos tanquam communes judices Diaconus quidem alba indutus appellet*, apud Binium fol. 346 *ita*, *ut quæcunque deliberatione communi finiuntur, Episcoporum singulorum manibus subscribantur* (ubi subscriptio quidem Episcopis, sed finitio communi deliberationi injungitur.)

Concilium Tarraconense ad Annum Christi 615. can. 13. ita sanxit: *Epistolæ tales per fratres à Metropolitano sunt dirigendæ, ut non solum è Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de Diœcesianis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ secularibus secum adducere debeant, cui Canoni non Episcopi solùm, sed & Nubridius Ecclesiæ Egarensis minister pari cum Episcopis forma subscripsit*, apud Binium tomo 2. fol. 617.)

Idem Binius in notis ad Concilium Lateran. IV. tom. 3. part. 2. fol. 697. de hoc Concilio Lateranensi IV. quod vocant Universale XII. testatur ex Matthæo Paris, Urspergensi, Platina &c. *Mandato Innocentii Papæ III. & sub communione ultionis Canonicæ citatos esse præter 412. Episcopos, etiam 800. & plures Abbates ac Priores, ad reformandam Ecclesiam in fide & moribus.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Synodis etiam Imperatores & Magistratus Politicos interfuisse & interesse debere.

c. Ubinam legistis. dist. 96. ex Epistola Nicolai I. Pontificis Romani ad Michaelem Imperatorem. *Ubinam legistis Imperatores, Antecessores vestros, Synodalibus Conventibus interfuisse? nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ est Universalis, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos & omnes omnino pertinet Christianos.*

(Excipit Bellarminus, *Imperatorem ex sententia Nicolai interesse debere, non ut judicem, sed ut Concilii defensorem.*

Resp. Hoc modo etiam in aliis Conventibus Synodalibus interesse potest. Jam verò in Epistola illa Nicolai fit oppositio inter Synodales Conventus in genere, & inter eos in quibus causa fidei tractatur.)

c. Nos ad fidem. dist. ead. recitatur dictum Imperatoris Marciani in septima actione Concilii Chalcedonensis. *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodò interesse voluimus, ut inventa veritate non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet.*

(Interfuit igitur non tantùm ut defensor, sed etiam ut judex.)

c. Futuram. caus. 12. q. 1. *Constantinus præsidens sanctæ Synodo, quæ apud Niceam congregata est &c. dixit.*

c. Si quis ingenuus. caus. 29. q. 1. præmittitur à Gratiano. *In Concilio apud Vermeriam, cui interfuit Rex Pipinus, statutum est &c.*

c. Ad sedem. caus. 35. q. 5. inquit Alexander Papa: *Nos hanc quæstionem discutere curavimus in Synodo, habita in Lateranensi Consistorio, convocatis ad hoc opus Episcopis & Clericis atq; judicibus diversarum provinciarum.*

Nicolaus Cusanus lib. 3. de Concord. Cathol. cap. 16. *In octava Synodo Basilius Imperator Patriarchalium Sedium Vicariis & Patriarchis in subscriptione se postposuit ex humilitate, tot à Synodo rogante, ut se præponeret.*

Idem. *In universalibus octo Conciliis, ubi Imperatores interfuerunt, & non Papa, semper invenio, Imperatores & Judices suos cum Senatu primatum habuisse, & officium præsidentiæ per interlocutores,*

& ex

& ex consensu Synodi conclusiones & judicium fuisse, & non invenitur instantia in octo Conciliis, præterquam in tertia actione Synodi Chalcedonensis.

2. Quod quidam agnoscunt, præter Episcopos etiam Presbyteros & Laicos ad Concilium admittendos esse.

Durandus Episcopus Mimatensis in scripto de modo celebrandi Concilii generalis part. 2. tit. 11. recitat formam Concilii ex Isidoro, quam dicit *valdè vetustam esse*, in eaque *etiam Laicos* in Concilium intromittit.

Marsilius Patavinus in Defens. pacis part. 2. cap. 20. & alibi passim defendit, *etiam Laicos debere Conciliis interesse.*

Cardinalis Arelatensis, apud Æneam Sylvium lib. 1. de gestis Concil. Basil. *Visum est nobis &c. Act. 15. Significat vocem decisivam & refertur ad illud, quod præcesserat, Apostoli & Presbyteri, ex quo constat, Presbyteros quoq; vocem decisivam habuisse &c. Quid prohibet exemplum Apostolicum imitari?*

Ibid. *Nec ego cujusvis Episcopi mendacium, quamvis ditissimi, veritati præponam pauperis Presbyteri: nec dedignari debet Episcopus, si aliquando ignarus & rudis sequacem non habeat multitudinem.*

Ibid. *In Concilio Niceno I. Athanasius Presbyter, vel solus argumentationes Arianorum disturbabat, & in Constantiensi Concilio vidi Presbyteros ad decisionem rerum admitti arduarum. Idem observari in Pisano & Lateranensi nemini dubium.* Locum integrum paulò post in resp. ad except. adv. adducemus.

Idem. *Si soli Episcopi vocem decisivam haberent, id demum factum iri putes, quod nationi Italicæ placet, quæ omnes alias nationes sola numero Episcoporum aut superat, aut exæquat,* ad quam Card. Arelatensis querelã provocat Claudius Espensæus in 2. Tim. 4.)

Platina in vita Nicolai I. Pontif. annotavit, *eum hoc novum jus primo omnium impetrasse apud Imperat. Ludovicum, ne ullus Princeps secularis aut etiam Imperator Conciliis Clericorum interesse auderet, nisi quando de fide agitur, tum enim licere & par esse.*

Franciscus Zabarellus in tract. de Schismate, *Laicos vult interesse Conciliis, quia, quod omnes tangit, ab omnibus opprobari debeat.*

Principes & Ordines Imperii in responso, quod Ann. 1523. Francisco Cheregato Pontificis ad Comitia Norinbergensia Legato scripto comprehensum dederunt, inter alia sic loquuntur: *Quod consilium ab ipsis petat, qua ratione tot malis ingruentibus obviam eundum censeant &c. non aliam esse viam commodiorem, magisve efficacem, quam ut Concilium pium, liberum & Christianum de assensu Imperatoris in urbe aliqua Germaniæ &c. quantum potest ocyssimè, congregetur sic ut ea convocatio ultra annuum non differatur, atq; omnibus, qui intererunt, tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis, potestas fiat pronunciandi liberè & consulendi citra alterius cujuscunq; juramenti, aut obligationis violatæ periculum, quod ad Dei gloriam, animarumq; salutem maximè conducat.*

(Principes illi atque Ordines magna ex parte Pontificiæ religioni fuere tum temporis addicti.)

Petrus Suavis lib. 1. Hist. Concil. Trid. p. 30. Legatus Imperatoris Caroli V. ad Pontificem Anno 1532. Romæ in Senatu Cardinalium inter cætera *de suffragiis in Concilio ferendis disseruit, quandoquidem partim eorum consuetudine, partim privilegio invaluissent, latum nunc aperiri campum beneficentiæ suæ exercendæ, alia consuetudine introducta, ad præsentis temporis necessitatem magis accommodata. Cœnobiarchis enim olim propter doctrinæ præstantiam & rerum religionis intelligentiam de more in Concilium admissis, rationem nunc postulare, uti homines doctrina iis pares, vel superiores, etsi Abbatum titulis non insigniti, assuetudinis etiam libertate fruantur. Privilegium autem ad satisfaciendum omnibus patefacere aditum. Nam si Pontifex privilegii beneficium indulgere velit omnibus, qui in eo cœtu DEI cultum studeant promovere, tùm certè Concilium liberum, Christianum & ad eam, quam omnes expetunt, pietatis amussim concelebraturum.*

Idem Petrus Suavis lib. ejusdem p. 69. In prima Concilii Tridentini congregatione, cum quæstio oriretur, *an titulo Concilii Sacrosancta Synodus &c. addendum esset, Ecclesiam Universalem repræsentans,* quod Episcopi Galli urgebant, Episcopus Feltrensis dixit, *si in titulo Concilium dicatur Ecclesiam Universalem repræsentare,* inde statim argumentaturos Protestantes, *omnibus Ecclesiæ Ordinibus suffragium in Concilio permittendum, cumq; duo sint, Ecclesiasticus & secularis, Ecclesiam debito modo non repræsentari Laicis exclusis.*

(Atqui titulus ille *Sacrosancta Synodus Ecclesiam Universalem repræsentans,* in Constantiensi & Basileensi Concilio fuit adhibitus.)

Andreas Fricius Polonus censet, *Legatos regnorum & provinciarum Christiani orbis ad Ecclesiæ actiones hujus generis esse admittendos.* Verba sic habent lib. 4. de Republ. emend. cap. 3. *Non ego is sum, qui Episcopos ad Scribas & Pharisæos comparare velim, sed Christi hoc verbo de cavendo fermento, & illo de cavendis falsis Prophetis, quod ad plebem pertinet, admoneor, plebis esse discernere inter fermenta, interq; falsos & veros Prophetas, Episcopos, Doctores. Itaq; si tu vis, ut oves ad ductum Pastorum sese applicent, an non æquum est, ut de ducendi ratione judicent?*

Ibid. operosè probat, quod *in Concilio non tantum Clericis, sed & Laicis fas sit interesse, sententias dicere & de controversiis judicare;* ibidemq; argumenta, quibus alii diversum probare nituntur, solidè refellit.

Antonius de Rosellis Concilium definit, quod *sit collectio omnium fidelium.*

Petrus de monte Venet. in tract. pro Monarch. Concil. in 3. q. n. 7. *alios præter Episcopos* ad Concilium admitti, *& Laicorum sententiam in eo audiendam* admonet.

Duarenus de sacris Eccles. minist. lib. 1. cap. 11. *Quamvis judicia Ecclesiastica soli exerceant Sacerdotes, tamen ubi de eo negotio agitur, quod ad Ecclesiam Universalem pertinet, quæ non solùm ex Clericis, sed etiam ex Laicis constat, c. Ecclesia. de consecrat. dist. 3. æquum non est, Laicos ab hujusmodi deliberationibus removeri, sed communi potius decreto omnia definiri, quod & ab ipsis Christi Apostolis observatum fuisse satis Lucæ testatur Historia Act. 15. atq; ita celeberrimi juris Pontificii Doctores senserunt, Gloss. cap. Adrianus 63. dist. Gloss. c. ult. de his quæ fiunt à precat.*

Lorinus, Sanctius, Estius in Comm. Act. 15. Baronius ad Annum Christi 51. n. 14. agnoscunt, *in Concilio Apostolorum non Episcopos solùm, sed etiam Presbyteros definitivè judicasse de controversia ibidem decisa,* id quod Clementis lib. 6. Constit. cap. 12. & Irenæi lib. 3. adv. hæres. cap. 12. testimonio confirmant.

(Alphons. à Castro lib. 4. adv. hær. verb. Concilium. Salmero tom. 12. tract. 43. & 78. fingit, *intelligi per Presbyteros Episcopos ordine Presbyteris contradistinctos.* At talem ordinum distinctionem tunc temporis nondum fuisse, suo loco demonstratur. Idem Salmero cum videret, *nec Hierosolymis oportuisse esse plures uno Episcopos, nec finitimas Ecclesias plenè constitutas,* ridiculè fingit, *Petrum modernorum Paparum artificio usum titulares aliquot Episcopos absq; curatis officiis in futurum creasse.* Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 16. & Cornelius à Lapide in Comment. Act. 15. *Presbyteros* quidem *ab Apostolis distinguunt,* sed *judicium decisivum* illis negant. Atqui nihil quicquam in illo capite occurrit, quo Petri decisiva autoritas, vel tale quid, quod reliqui Apostoli cum Petro non habuerint commune, demonstrari possit.)

3. Quod ejusmodi ponunt hypotheses, ex quibus inferri potest, Laicos non esse simpliciter à Concilio excludendos.

1. c. Oves. caus. 2. q. 7. ex Eusebio Papa. *Oves, quæ suo Pastori commissæ sunt, eum reprehendere, nisi à fide exorbitaverit, non possunt.*

(Ergò à contrario sensu, si à fide exorbitaverit, possunt eum reprehendere, ac proinde à Concilio, in quo de fide agitur, simpliciter excludi non debent. Potest enim contingere, ut Episcopi in Concilio congregati à fide exorbitent, ut in Ariminensi, Seleuciensi & aliis Conciliis contigit.)

2. Panormitanus in c. Significasti. extr. de elect. *In concernentibus fidem etiam unius privati dictum præferendum dicto Papæ, si melioribus ille moveretur autoritatibus Vet. ac Nov. Test. quam Papa.*

Gerson part. 1. de exam. doctr. consid. 3. *Unius etiam privati hominis judicium Papæ constitutioni in Concilio quandoq; præferendum esse,* asserit. *Staret,* inquit, *prima veritas, quod aliquis simplex non autorisatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quam declarationi Papæ. Altera veritas. Talis eruditus deberet in casu, si celebraretur generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret majorem partem ad oppositum Evangelii malitia vel ignorantia declinare.*

(Si contingere potest, ut dictum privati præferendum dicto Papæ, utique etiam contingere potest, ut dictum privati præferendum sit dictis Episcoporum in Concilio congregatorum, proinde etiam privati non sunt absolutè ac simpliciter à Concilio excludendi.)

Idem Gerson in lib. Quæ veritates sunt credendæ? corol. 4. *Spectare potest ad alios deliberatio, sicut & cognitio super his quæ fidem respiciunt, ita etiam, ut ad Laicos hoc possit extendi, & plus aliquando, quam ad multos Clericorum.*

(Ergò à Conciliis non debent penitus excludi.)

3. Lyra-

3. Lyranus in c.16. Matth. *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis, vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis, quia multi Principes, summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse à fide, propterea quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia vera & confessio fidei & veritatis.*

(Si notitia & confessio veritatis non est astricta ad personas Ecclesiasticas, utique etiam non solæ personæ Ecclesiasticæ debent interesse Concilio.)

4. Petrus de monte Venet. in tract. de Monarchia Concilii in 3. q. n. 7. probat, *causam fidei esse communem tàm Clericis quàm Laicis.*

(Proinde etiam Laicos Conciliis debere interesse.)

5. Antonius de Rosellis, *Concilium*, dicit, *esse collectionem omnium fidelium.*

(Ad fidelium verò cœtum non solùm Clerici, sed etiam Laici pertinent.)

6. Johannes Picus Mirandulanus in quæstione, *An Papa sit supra Concilium*, ponit hanc thesin; quod *simplici rustico & infanti & aniculæ plus credendum sit, quam Pontifici maximo & mille ejus Episcopis, si hi contra Evangelium, isti autem pro Evangelio verba facerent.*

(Ergò notitia & confessio veritatis non est alligata ad Episcopos & per conseq. Laici non sunt à Conciliis penitus excludendi.)

7. Franciscus Zabarellus in tract. de Schismate. *Intantùm Imperatoris est fidem defendere, quod si Papa est de hæresi suspectus, potest ab eo exigere, ut indicet, quid sentiat de fide, quod probat ex c. Satagendum caus. 25. q. 1.*

(Si Imperator potest Papam de hæresi suspectum ad fidei confessionem edendam cogere, utiq; etiam Episcopos in Conciliis congregatos, si de fide suspecti sunt, ad confessionem edendam cogere potest, & per conseq. à Concilio non est excludendus.)

Idem Zabarellus d. l. *Ubi de fide agitur, ibi etiam Laici* (Concilio) *interesse debent. Nec ullum moveat, quod Imperator est Laicus & ex hoc putet inconveniens, quod se intromittat in causis Clericorum, neque enim semper prohibetur de Clericis judicare.*

8. Claudius Espensæus in Comment. 1. Tim. *Ut soli Episcopi judices sint, factum est postremis seculis.*

(Ergò in primitiva Ecclesia aliter fuit observatum, ad quā antiquitatem meritò redeundum.)

9. Bellarm. lib. 1. de Conc. c. 16. resp. ad 2. utitur hac comparatione: *Sicut in Comitiis generalibus multorum Statuum congregari solent Consules vel Domini civitatum: sic in Comitiis Ecclesiæ generalibus congregantur omnes Episcopi.*

(Hanc comparationem possumus invertere. Quemadmodum in Comitiis Politicis non semper mittuntur Consules & Domini civitatum, sed quandoque etiam alius, qui & ipse civitatis personam gerit: sic non solùm Episcopi ab Ecclesia ad Concilia mittendi, sed etiam alii pie eruditi, & rerum Ecclesiasticarum periti.)

Excipit quidem Bellarminus, *ex aliis Clericis præter Episcopos aliquos viros doctos interdum ad Concilium vocari, qui in disputando, non in judicando juvent.* Sed resp. eundem Bellarminum lib. 1. de Concil. c. 15. §. Prior &c. sic disserere: *Definire in Conciliis ea, quæ sunt credenda, vel agenda, proprium est munus Pastorum.* Subsumimus. Non soli Episcopi, sed etiam Presbyteri sunt Pastores. Bellarm. lib. de Clericis c. 14. §. Secundò probatur. *Episcopos Apostolis succedere, Presbyteros autem septuaginta discipulis, docent constanter omnes Patres.* Jam verò septuaginta discipuli fuerunt Pastores docendi munere occupati. Ergò etiam Presbyteri sunt Pastores & per conseq. etiam ipsi habent potestatem definiendi in Conciliis.

10. Idem lib. ejusd. c. 9. per totum *sex* recenset *causas*, ob quas Concilia celebrantur, quæ sunt *1. hæresis nova, seu nunquam antea judicata. 2. schisma inter Romanos Pontifices. 3. resistentia communi hosti totius Ecclesiæ facienda. 4. suspicio hæreseos in Romano Pontifice, vel etiam Tyrannis incorrigibilis. 5. dubitatio de electione Romani Pontificis. 6. reformatio generalis abusuum & vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepunt.*

(At hæ causæ omnes ita comparatæ sunt, ut ab aliis etiam, quam Episcopis tractari possint, quædam etiam commodius ab aliis, quam Episcopis tractentur.)

11. Idem lib. ejusd. c. 15. §. Tertio probatur, fatetur, *in Concilio Basileensi etiam Presbyteros ad suffragium decisivum esse admissos.* (Addit quidem, *illud perperam esse factum*, interim nobis sufficit, Patres Concilii Basileensis illud approbasse.)

Posset etiam huc referri, quod Bellarm. lib. 2. de Conc. c. 2. §. Tertius locus &c. statuit, ex forma Concilii Apostolici Act. 15. formam accepisse omnia alia Concilia. (Jam v. in Concilio illo Apostolico non solùm Apostoli, quibus Episcopos successisse asserunt, sed etiam Presbyteri præsentes fuere, ac tota Ecclesia unà cum Apostolis & Presbyteris decisivum habuit suffragium Act. 15. v. 6. 22. & 23. c. 16. v. 4.)

12. Nec Bellarminus, nec Baronius, nec Coccius *statutum aliquod veteris Ecclesiæ vel Conciliorum* proferre potuerunt, quo Presbyteri à judiciis decisivis in Conciliis, vel Provincialibus, vel Oecumenicis fuerint exclusi. Contra verò prostant exempla plurima Conciliorum omnibus seculis congregatorum; quibus Presbyteri definiendo subscripserunt, quomodo de primis Conciliis, Romano sub Cornelio, contra Novatum coacto Anno Chr. 255. Et Antiocheno, contra Samosatenum, Euseb. lib. 6 c. 43. & lib. 7. c. 30. testatur, utriq; *tàm Presbyteros quam Episcopos subscripsisse.* Acta verò ipsa interciderunt. Vide Binium tom. 1. Conc. f. 126. & 160. (Bellarm. quidem excipit lib. 1. de Conc. c. 15. *Presbyteros subscripsisse, ut suffragatores, non ut judices.* Sed nulla subscriptionis diversitas animadverti potest in notulis Presbyterorum & Episcoporum. In Concilio Eliberitino Ann. Chr. 305. est æqualis subscriptionum formula, ut 19. Episcoporum, sic 36. vel juxta alios 26. Presbyterorum ap. Bin. tom. 1. f. 199. In Ancyrano & Neo-Cæsariensi Nicenum præcedentibus Conciliis eadem est aliorum, quam Episcoporum subscriptio, apud eundem Binium, quamvis in vetustis Codd. planè nulla sit. In Nicena Synodo eadem usi sunt formula Victor & Vincentius Presbyteri, qua Hosius Cordubensis Episcopus Concilii Præses ap. eund. f. 281. Qui Sardicensi Concilio subscripserunt, eadem cum Episcopis formula, plurimi non fuerunt Episcopi. ap. eund. f. 436. In Constantinopolitano I. multi *tùm Presbyteri, tùm Diaconi* eadem *cum Episcopis* forma subscripserunt, ut est in edit. Quentel. quorum nomina Binius interpolavit fol. 537. seqq. In Chalcedonensi Concilio act. 1. eadem omnino formulâ plures *Presbyteri* quam *Episcopi* subscripserunt sententiæ in Eutychen latæ, apud eundem Binium tom. 2. f. 94. 95. Et post condemnatum Eutychem ejus restitutioni per sententiam subscripserunt *Presbyteri* etiam *ante Episcopum Dioscorum* collocati, apud eund. f. 129. 150. atq; ita per actiones ejus Synodi reliquas. Tribus ad minimum Synodis Carthaginensibus B. Augustinus, *ut Presbyter* interfuit, nec aliter quā quisquam *Episcoporum* subscripsit, etiam in VI. Carthaginensi Concilio, quo appellatio ad Romanum Episcopum latâ sententiâ negabatur, Augustinus *cum duobus Presbyteris Romanis* decidit & subscripsit, ap. Binium tom. 1. fol. 723. In Conciliis Romæ habitis sub Hilario Anno 467. *universi Presbyteri cum Episcopis consederunt & subscripserunt*, apud Binium tom. 2. f. 432. Sub Gregorio I. Ann. 590. post 22. Episcopos subscripserunt *34. Presbyteri*, apud Greg. lib. 4. Epist. cap. 88. quos tamen Binius omisit. Eodem Anno in Antisiodorensi Concilio subscripserunt eadem plane formula *unus Episcopus, 9. Abbates, 32. Presbyteri, Diaconi tres*, apud Binium tom. 2. p. 2. pag 296. Synodo Rom. II. sub Gregorio Ann. 595. *Presbyteri* omnino eadem forma, qua Episcopi subscripserunt, apud eund. f. 301. Synodo Romanæ I. sub Symmacho Anno Christi 499. subscripserunt *cum 72. Episcopis. Presbyteri 67.* eadem planè forma, apud eund. tom. 1. f. 520. Plura hujusmodi exempla ex tomis Conciliorum licet colligere. Vide de hoc argumento Bilson. de gubernat. Eccles. capit. 16. pag. 408. Bowele in Orat. Londini 31. Januar. Ann. 1620. habita. Dn. D. Hülsem. Disp. 19. contra Hageium p. 1080.

13. In ultimo *Basileensi Concilio Presbyteros suffragium decisivum pariter cum Episcopis tulisse*, ipsimet Pontificii negare nequeunt. (Excipit quidem Bellarm. d. l. §. Tertio &c *factum hoc esse contra morem.* Sed contrarium patet ex inductione. Nec enim si alicubi Presbyterorum subscriptiones non extant, inde sequitur, eos non subscripsisse, quia *plerorumq; Conciliorum Acta tùm injuria temporis, tùm librariorum perfidia ita sunt corrupta, ut personarum & locorum inprimis certitudo sufficienter haberi nequeat*, ut fatetur ipse Binius fol. 281. cui suffragantur Melch. Canus lib. 9. Loc. c. 1. Claudius Espens. Digress. 21. in 2. Tim. Multò minus sequitur, *eos de jure subscribere non potuisse.* Sufficiente enim Episcoporum numero aut judicio, in re præsertim non gravi Presbyterorum nomina aliquando fuerunt omissa, quam rationem Eusebius suggerit lib. 7. Histor. cap. 27 cur Episcopos saltem in Concilio Antiocheno I. congregatos recenseat, quia *inter innumeros Presbyteros*, inquit, *illustriores erant, quos recensui.*

14. Ferdinandus Imperator in instructione, Legatis tùm

Imperii, tùm regni Hungariæ nomine ad Concil. Trident. missis data jubebat *non tractare solùm &c.* sed etiã *causas fidei & quæcunq; in Synodo proposita concludere & determinare*, in literis fidei exhibitis Synodo 24. & 26. Februar. Anno 1562. quæ extant in Orat. Synodi Venet. Anno 1569. edit.

(Ergò aliis, etiam præter Episcopos sententiæ decisivæ jus competere opt. Imp. censuit.)

15. Agnoscunt, *Episcopos in Conciliis congregatos quandoque non esse necessariis requisitis ad definiendas fidei controversias instructos.* Didacus Stella in Lucam fol. 184. *Quid in Concilio aget, qui Theologus non fuerit? aut quod munus ibi exercebit? Utiq; homo elinguis ligni vel instar lapidis muti, qui fieri poterit, ut adversus hæreses disputet, aut quomodo de Sacramentis aget, qui Theologus non est? Quod si responderis, quod hi Episcopi secum ducunt doctos Theologos, qui eos illuminent, dirigant & doceant, quid dicturi, quidve responsuri sint, ut nostris temporibus contigit in sacro Tridentino Concilio. In hac quidem re non possum me à risu temperare, ut velint Episcopi, scil. dignitatem habere, reditus & honorem Episcopalem, & ut laborem ferant Theologi scientia sua onusti non fame pereuntes. Melius hi quidem Episcopi facerent & salubrius, si Episcopatus renunciarent Theologis, quandoquidem agnoscunt magis aptos & bene meritos ad tale munus esse, quod quidem ipsi negare non possunt.*

(Ipsi ergò necessitas requirit, ut præter Episcopos etiam alii habeant in Conciliis vocem decisivam.)

Argum. Advers. *Definire in Conciliis ea, quæ sunt credenda vel agenda proprium est Pastorum munus. Pascere enim propriè est docere, & docere ita, ut alii teneantur credere. Jerem. 3. Ephes. 4. At non sunt Pastores Laici nec Ecclesiastici quicunq; sed soli Episcopi Joh. 20. Act. 20.* Bellarm. lib. 1. de Concil. c. 15.

Resp. 1. ex c. Ubinam legistis. dist. 96. *Fides est Universalis & omnium communis, nec solùm ad Clericos, verum etiam ad Laicos & omnes omnino pertinet Christianos.* (Pastorum munus est populũ verbo Dei pascere, & Sacramenta administrare. Sed finis generalis Concilii alius est, videlicet vel exortas hæreses tollere, vel abusus corrigere, vel de negotiis aliis, totam Ecclesiam concernentibus, deliberare; Aliud est publicè in Ecclesia docere, aliud de rebus fidei ex verbo Dei judicare; quod etiam alii piè eruditi præstare possunt, sicut Beroenses Act. 17. v. 11. ex Scripturis de doctrina judicant.)

2. Si pascere est docere, & Episcoporum proprium munus est pascere, quo loco erunt Episcopi Pontificii, qui docendi munus rarò, quidam etiam nunquam attingunt? Cum Wilhelmus ab Honstein in Episcopum Argentinensem eligeretur, Joh. Keisersbergius pro concione dixit: *In centum annis neq; visum neq; auditum est, quod aliquis Episcoporum spiritualia exercuerit, non animas, sed bursas visitaverunt, & hoc quidem omni anno.*

3. Qui Act. 20. v. 28. vocantur *Episcopi*, iidem v. 17. vocantur *Presbyteri*. Si ergò ex hoc loco probari potest, *solis Episcopis vocem decisivam in Conciliis competere*, sequetur eandem Presbyteris non esse denegandam. Confirmatur argumentum, quia illi, quos Paulus alloquitur, erant unius civitatis, Ephesi scilicet, Episcopi. At Canones Romanæ Ecclesiæ prohibent, *plures esse unius civitatis Episcopos.* Ergò Episcopi illi erant Presbyteri. Jam verò Bellarminus Presbyteros ex Conciliis excludit.

4. Salmeron Disp. 10. in Epist. Ephes. super verba: *Ipse dedit alios Pastores & doctores. Per Pastores in his verbis Pauli intelligo Episcopos & Presbyteros, uni civitati pascendæ affixos, & curam animarum habentes, quibus est annexum officium docendi, quo oves suas pascant. Si quid autem in his vocibus discriminis est, pastor dicitur respectu rudium & simplicium, doctor vero respectu eruditiorum.* (Si ergò Pastores ideò debent interesse Conciliis, quia ipsorum munus proprium est pascere: & verò etiam Presbyteri sunt Pastores ac eorum munus est pascere, ergò etiam Presbyteri debent Conciliis interesse.)

5. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 27. §. Pari ratione. *Sanctus Hieronymus & sanctus Thomas Aquinas simplices Presbyteri fuerunt, & tamen multis sanctis Episcopis & summis etiã Pontificibus præponuntur, quoniam libris suis plurimum Ecclesiæ profuerunt.* (Si ergo soli Episcopi Conciliis interesse debent, etiam Hieronymus & Thomas Episcopis peritiores ex Conciliis excluderentur.)

6. Cardinalis de Turrecremata lib. 3. Eccles. cap. 14. *Viri docti, sive sint seculares, sive regulares, qui non sunt Prælati, vocantur ad Concilium, quemadmodum factum esse tempore præterito legimus, & in Concilio Constantiensi & Basileensi, quibus nos interfuimus, practicatum vidimus, quia in his nostris diebus, proh dolor! multi Episcopi, sive Prælati majores non tanta sapientia splendent, ob hanc causam multi alii ad Concilium de inquirendis veritatibus accersuntur.* (Ergò potest tempus incidere ejusmodi, ut ipsa necessitas aliorum præter Episcopos præsentiam requirat. Addit quidem Turrecremata, *viros illos doctos non fungentes Episcopali munere, habere tantùm vocem consultivam, solos autem Episcopos decisivam,* quod etiam Bellarmino placet, sed quid de hac exceptione statuendum sit, jam antè ostendimus.)

Exceptio Advers. *Ex aliis Clericis, præter Episcopos, aliqui viri docti interdum ad Concilium vocantur, qui in disputando, non in judicando juvent, interim soli Episcopi habent vocem decisivã.* Bellar. d. l.

Resp. 1. Repetimus, quod jam antè monuimus, videlicet quod Bellarminus in arg. præced. probet, *Episcopos ideò debere Conciliis interesse, quia sunt Pastores.* Jam verò non soli Episcopi sunt Pastores, sed etiam alii Clerici. Ergò etiam illi possunt Conciliis interesse, & quidem eadem potestate qua Episcopi, videlicet, ut habeant non solùm *consultivam*, sed etiam *decisivam vocem.* Melchior Canus de Scholasticorum Doctorum autoritate disputans lib. 8. Loc. Theol. cap. 4. *Cum dixit Dominus: Qui vos audit, me audit; hæc verba non solum ad primos Theologos, h. e. ad Apostolos referebantur, sed ad alios Doctores in Ecclesia, quamdiu pascendæ sunt illæ oves in scientia & doctrina.*

2. Cardinal. Arelatensis apud Æneam Sylvium lib. 1. de gest. Concil. Basileensis. *Visum est nobis & spiritui sancto Act. 15. Vox nobis refertur ad illud, quod præcessit, ubi nominantur Apostoli & Seniores. Et verbum, visum est, non consultationem illius, sed decisionem significat. Quid prohibet exemplum Apostolicum imitari? In Concilio Niceno I. Athanasius Presbyter ferè solus argumentationes Arianorum disturbabat. Constantiensis Synodi recens est memoria, ubi ego, qui nondum Cardinalis vel Episcopus, sed tantum Doctor eram, interfui, vidiq; sine difficultate inferiores cum Episcopis ad decisionem rerũ admitti arduarum. Quin etiam in Pisano Concilio & amplissimo Lateranensi judicasse Presbyteros unà cum Episcopis, non est ambiguum. Præterea si Abbates, ut in omnibus Conciliis observatum vidimus, vocem habent decisivam, qui tamen ordines à Christo instituti non fuerunt, cur non Presbyteri, quorum ordinem Christus per discipulos instituit? Si soli Episcopi, ut Panormitanus vult, vocem decisivam haberent, ubi nunc fides Catholica, cum præsertim Episcopi delitiis indulgeant, soli ferè Presbyteri pro unitate Christi persecutiones sustineant? &c.*

3. Didacus Stella in Comm. Luc. 6 super verba: *Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Qui fieri possit, ut adversus hæreses disputet, qui non est Theologus? Quod si responderis, quod hi Episcopi secum ducunt doctos Theologos, qui eos illuminent & doceant, quid dicturi sint, ut in nostro Concilio Tridentino nostris temporibus contigit, in hac quidem re non possum mihi à risu temperare. Melius sanè Episcopi facerent, si Episcopatus suos Theologis renunciarent. De his vera est Domini sententia, Si cæcus cæcum ducit &c.*

(Ergò risu potius quàm approbatione dignum, quod docti causam in Concilio disceptare, indocti judicare debeant.)

4. Meritò vero quispiam miretur, cur Pontificii tàm operosè disputent, *solis Episcopis decisivam vocem in Concilio competere*, sed locùm ne Episcopi quidem in ipsorum Conciliis decidant, sed solus Pontifex aut ejus Legatus, id quod in Conc. Tridentino manifestè patuit, adeò, ut non solum *judicium decisivum* Episcopis ademtum fuerit, sed etiam proponendi ac disputandi potestas, quando decreto de celebrando Concilio sess. 17. hæc clausula inserta est, *ea tractanda esse, quæ proponentibus & præsidentibus Legatis apta visa fuerint.* Salmero tom. 12. tract. 78. ab initio, postquam multa in mediũ attulisset, quibus probare conatus fuit, *solis Episcopis judicium decisivum competere*, tria postmodum distinguit *judicia seu tres voces*, Primam vocat *consultoriam*, ad quã *omnes doctos Sacerdotes* admittit; alteram *deliberativam*, ad *quam non sunt admittendi*, inquit, *nisi Prælati majores Ecclesiæ, h. e. Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Abbates & Generales Ordinum.* Tertiam vocat *ex consultatione & deliberatione concludentem*, de qua sic loquitur fol. 553. *Ad vocem verò tertiam, quam & concludentem diximus, non omnes vocantur, cum hæc ad solum Pontificem Romanũ, vel ad Legatos ejus locum tenentes & Synodo præsidentes omni jure spectet, & non ad aliquem alium, nisi ex permissione ipsius Pontificis, qui gerat in hoc vices suas. Valet enim Papa paucis aliis simul cum Legatis committere.* (Ergò Episcopi in rei veritate non habent vocem decisivam.)

CAPUT III.

De Præside Concilii.

THesis. Præses Concilii non est necessario Episcopus Romanus, vel ejus Legati, sed is, qui per suffragia Episcoporum ad illud eligitur.

Exceptio. I.

Ἔκθεσις. 1. Quemadmodum in aliis Conventibus omnibus, ita etiam in Conciliis requiritur certus aliquis *Præses ac moderator*, ut omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν 1. Cor. 14. v. 40.

2. Præses ejusmodi duplici fungitur officio, Primò dirigit ac moderatur Concilium *in Politicis*, i.e. continet Episcopos & Assessores Concilii reliquos in officio, ne ante Concilii exitum è loco Concilii discedant; curat, ut certo ordine omnia peragantur; prospicit illis de necessariis; prohibet tumultus & dissipationes Concilii, defendit eos ab injuriis & oppressionibus; mandat, ut quæ juxta Scripturam in Concilio definita, in Ecclesia observentur & executioni dentur. Hoc Præsidis officium ordinariè pertinet ad Imperatorem Romanum, si ipsemet Concilio intersit, vel ejus Legatum. Secundo dirigit ac moderatur Concilium *in Ecclesiasticis*, h.e. proponit deliberanda, veram sententiam argumentis è Scriptura petitis confirmat, eorum ψευδοδοξίας refellit, suffragia colligit, decreta ex illis format. Hoc Præsidis officium pertinet ad eum, quem utpote ad illud maximè idoneum atq; instructum Concilium elegerit.

3. Triplex ergò docendi gratia statui potest Conciliorum Præses, Primò *Deus*, qui verbo suo in divinis Scripturis revelato loquitur in Conciliis in Christi nomine congregatis. Secundò *Imperator* cum Imperio & præcipiendi potestate ad verbum tamen Dei adstricta, siquidem Christianum & pium debet esse Concilium, qui etiam hanc potestatem alii potest communicare. Tertiò *Episcopus aliquis*, qui præ aliis eruditione, rerum usu, prudentiâ, autoritate, aliisq; donis polleat, qui Concilium moderetur & inquirat suffragia, & sententias pronunciet.

4. Præesse Concilio aliquando dicuntur illi, quorum erat supra reliquos spectata dignitas: hoc sensu quinque Patriarchæ *Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus*, quoties aderant, dicuntur Conciliis præfuisse. Aliud verò est præsidentiæ genus, cum ad ordinem conservandum in singulis Synodis necesse erat unum aliquem esse, qui actiones moderaretur, suffragia colligeret ac decretum pronunciaret. Hæ partes in Synodis non semper uni cuipiam Episcopo fuere demandatæ, imò aliquando nulli Episcopo; sed vel Imperator sibi eas sumsit, vel Legatis suis demandavit.

5. Non denegamus simpliciter Episcopo Romano *præsidentiam*, quia in quibusdam Conciliis Episcopi Romani Legatos præsedisse novimus, sed hoc absolutò & simpliciter necessarium esse negamus.

6. Cumprimis verò præsidentiam *cum Papali autoritate ac Monarchica potestate conjunctam* ei competere negamus, *ut ipsius sententiam omnes Assessores sequi teneantur.*

Antithesis. Johan. de Turrecremata lib. 3. de Eccles. c. 22. *Regulariter Romanus Pontifex per se, aut Legatos suos, habet Universali Concilio præsidere.*

Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses, in verbo Papa. *Omnia Concilia, quæ ad aliquid valuerunt, Papæ autoritate sunt confirmata. In Concilio Niceno præsedit Osius Cordubensis Episcopus tanquam Legatus Papæ Julii. In Concilio Ephesino Legatus Sedis Apostolicæ fuit Cecilius* (fortè legendum Cyrillus) *Alexandrinus Episcopus, qui nomine Papæ in illo Concilio præsedit. In Concilio Chalcedonensi fuerunt Legati Leonis Papæ primi, Paschasinus Lilibetanus Episcopus, & Lucentius Episcopus Esculanus, & Bonifacius Episcopus Romanus. In quinta Synodo Legati Agapeti Papæ fuerunt quinq; Episcopi, ut apertè constat ex actione secunda ejusdem Concilii. In sexta Synodo præsederunt Legati Agathonis Papæ Theodorus & Georgius Presbyteri, & Johannes Diaconus. Denique nullum fuit hactenus generale Concilium, in quo si Papa fuit absens, Legati illius non præsiderent.*

Caspar Cardillus Disput. 2. de Concil. *In Conciliis Oecumenicis unus Pontifex maximus jure præsidet, aut qui ejus locum in Concilio tenent.*

Bellarm. lib. 1. de Conc. c. 4. §. 2. *Concilium generale legitimum non est, in quo non præsidet Pontifex aut alius ejus nomine.*

Hardingus in Confut. Apolog. Anglic. part. 6. capit. 12. *Imperatorum nemo unquam in Concilio sedit tanquam judex, multi autem & ipsi Imperatores, & eorum Vice-Legati ita sederunt, ut qui parati præstoq; essent, id, quod ab Episcopis judicatum ac decretum fuisset, omni ope tueri ac defendere.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ab exemplo Concilii Apostolici Act. 15.* Illic enim Petrum, & quidem solum, præsedisse cum Papali autoritate, nusquam legitur. Lucas nusquam asserit, à Petro Concilium hoc congregatum, quod certè factum fuisset, si Petrus pro Monarcha & capite Ecclesiæ sese gessisset ac Præsidem in illo Concilio egisset. Apostoli & Presbyteri ad Concilium illud celebrandum dicuntur congregati, sed à quo congregati fuerint non additur, verisimile est, quod à Jacobo Hierosolymitano Episcopo congregati fuerint. Sed & Petrus non loquitur primus in illo Concilio. Nam v. 7. *cum multa disceptatio esset, surgens Petrus dixit &c.* sicut Paphnutius post longam disputationem Patrum in Concilio Niceno surrexit, ac veram sententiam protulit, quã omnes Episcopi secuti sunt, nec tamen Paphnutius propterea fuit Concilii Præses, pari modo se res habet in hoc facto Petri. Quin & ex Jacobi potius, quam ex Petri sententia decretum est factum, Is enim postremus loquitur & reliquis auditis definitivam sententiam proponit, ac Synodales literæ scriptæ sunt in Jacobi sententiam, unde Theophylactus in cap. 15. Act. scribit, *Jacobus ultimus locutus est, quia fuit Episcopus Hierosolymitanus.*

2. *Ab exemplis Conciliorum Ecclesiasticorum veterum.* In Concilio *Niceno I.* quis fuerit Præses, de eo variant sententiæ. Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 19. statuit, *Legatos Pontificis Romani Hosium Episcopum, Vitum & Vincentium Presbyteros in eo præsedisse.* Sed Hosium fuisse Episcopi Romani Legatum gratis dicitur. Fuit Episcopus Cordubensis in Hispania, ac suo nomine Synodo interfuit, non ut Episcopi Romani Vicarius. Fuit Episcopus magnæ autoritatis, prudentia & doctrina alios antecellens, unde Athanasius in Epist. ad solit. vit. agentes eum vocat *istius Concilii Principem*, sed ex eo colligi nequit, quod Præses Concilii fuerit. Nec Eusebius lib. 3. de vit. Constant. cap. 7. nec Socrates lib. 1. Hist. cap. 5. nec Theodoretus lib. 1. Hist. cap. 7. nec Sozomenus lib. 1. Hist. cap. 16. ubi de ordine in Concilio Niceno agunt, Præsidem ejus Hosium fuisse asserunt. Athanasius Apol. 2. dicit, *subscripsisse primum Hosium, tum Julium Episcopum Romanum per suos Presbyteros*, ubi manifestè ex numero Legatorum Romanorum Hosius excluditur. Eusebius lib. 3. de vita Constant. cap. 7. *Ejus* (Episcopi Romani) *Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt.* Theodoretus lib. 1. Histor. c. 7. *Duos ille misit Presbyteros &c.* Sozomenus lib. 1. cap. 16. *Vitus & Vincentius ejusdem Ecclesiæ Presbyteri pro illo adfuere.* (Hic tantùm fit duorum Presbyterorum ab Episcopo Romano ad Concilium missorum mentio, Viti scil. & Vincentii, nulla autem Hosii, qui fuit Episcopus.) Quin & duo illi Presbyteri ab Episcopo Romano ad Concilium missi post Hosium subscripserunt. Quidam asserunt, *Athanasium fuisse Concilii illius Præsidem*, sed nullo probant veterum testimonio. Magdæburgenses Centuriatores Centur. 4. cap. 7. col. 536. statuunt, *Eustathium Antiochenum Episcopum Concilii illius Præsidem fuisse*, idque colligunt ex Eusebio lib. 3. de vita Constant. c. 11. Theodoreto lib. 1. Hist. cap. 7. Nicephoro lib. 8. Hist. cap. 16. cum quo congruit illud Nicetæ lib. 5. Thesauri c. 6. *Qui ad Concilium convenerunt, præfuere Macarius Hierosolymorum, & Eustathius Antiochenorum Pontifices.* Brentius in Proleg. præsidentiam *Constantino Imp.* tribuit, cum Eusebius, Theodoretus, Socrates &c. de autoritate Imperatoris in illo Concilio honorificè & magnificè loquantur. Eusebius lib. 1. de vit. Const. cap. 37. dicit, *illum fuisse quasi communem Episcopum, & in media frequentia sedisse, ac fuisse participem rerum, quæ in deliberationem veniebant, ac jussisse, ne aliquid seditiosè facerent.* Id. Euseb. lib. 3. de vita Const. c. 13. *Cum multa essent ex utraq; parte proposita, magnaq; controversia in ipso disputationis progressu concitata, Imperator toleranter ac placidè omnibus animum attendere studio acri prolatas sententias excipere, vicissim ferre opem utriq; disputantium parti, eos magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliare, conferre cum singulis comiter & benignè sermonem, Græcè, quid ipse sentiret, loqui.* At hæ profectò sunt Præsidis partes. Socrates lib. 1. c. 5. de ipso memorat, quod *ubi consessum est, orationem hortatoriam habuerit, qua Episcopos ad consensionem animorum & concordiam commovit; quod Episcopi, cum sese mutuò accusarunt, libellos ei obtulerint; quod oblatos illos libellos comburi jusserit, & ut se totos ad propositum negotium converterent, hortatus fuerit; quod habita oratione de religionis dogmatibus disserendi potestatem Episcoporum arbitrio permiserit.* Nicephorus lib. 8. c. 17. disertè eum vocat *Concilii Præsidem.* Hæc sententia non pugnat cum priore, quod Hosius & Eustathius sub Imperatore, supremo Præside in Politicis, fuerint Præsides Ecclesiastici. Euseb. lib. 3. de vit. Const. c. 13. cum Imperator peroraffet, sermonem deinceps concessit τοῖς τῆς Συνόδου προέδροις aliis Con-

Præsidibus. Ergò Imperator Constantinus Præsidis partes sibi vendicavit, sed inter Episcopos Eustathius primus sedit.

In Concilio *Constantinopolitano I.* Præses fuit Nectarius Episcopus Constantinopolitanus, Theodoretus lib. 5. Hist. c. 9. & 10. Romani Episcopi in Actis Concilii illius Constantinopolitani I. nuspiam fit mentio, nisi in Epistola ad alios sex Episcopos pariter & ad Damasum Romanum destinata, apud Binium f. 538.

In *Concilio Ephesino* Præses Ecclesiasticus fuit Cyrillus Episcopus Alexandrinus l. Quicunq; C. de hæreticis, qui propter suam virtutem, eruditionem & dignitatem in magno erat honore, quem Synodus Ephesina, scribens ad Theodosium & Valentinianum, vocat τὴν κεφαλὴν τῶν συνειλεγμένων ἁγιωτάτων ἐπισκόπων, *caput congregatorū sanctorū Episcoporū*; eundemq; ac Memnonem vocat ἔξαρχον καὶ προεστῶτα. Huic Cyrillo partes suas Romanus Episcopus demandavit, cum ipsemet Concilio interesse non posset, unde Zonaras dicit, προεστάμενος τῶν ὀρθοδόξων πατέρων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου Πάπα Ἀλεξανδρείας, ἐπέχοντος δὲ τὸν τόπον Καιλεστίνου, quæ verba in editione Parisiensi fide non bona sic reddita: *Præsidente orthodoxis Patribus pro Cælestino Romano Pontifice, Alexandrino Papa Cyrillo.* Atqui Cyrillum non Romani Episcopi, sed suo nomine huic Synodo præfuisse, Acta illius Concilii manifestè testantur. Quamvis enim Synodus sæpè mentionem Cœlestini faciat, nuspiam tamen *Præsidis* titulo ipsum honorat, quinimò disertè eum vocat, συνεδρεύοντα *assidentem*, non προεδρεύοντα, *præsidentem*. In relat. quæ est c. 109. Constat etiam ex ejusdem Concilii actis, quod Imp. Theodosius junior miserit ad Concilium Senatorem & literas, & graviter Episcopos accusaverit, ac pronunciaverit, *omnia esse irrita, quæ hactenus sunt gesta*, ac jusserit, *ut ordine convenirent, & postquam consenserint, ad se decreta mitterent, ut ipsius autoritate corroborarentur*. Quamvis igitur moderator Concilii in Ecclesiasticis fuerit Cyrillus, major tamen Imperatoris fuit potestas. Pontificii, ut probent, *Cyrillum loco Episcopi Romani in Concilio Ephesino præsedisse, ac Cœlestinum Episcopum Rom. Cyrillo vices & potestatem præsidendi delegasse*, adducunt locum Evagrii lib. 1. c. 4 qui sic habet: *Cyrillo locum Cœlestini Episcopatum antiquæ Romæ gerentis obtinente.* Resp. Græca sic habent: Κυρίλλου τοῦ θεσπεσίου διέποντος καὶ Καιλεστίνου τόπον τὴν ἐπισκοπὴν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης φυλάττοντος, h.e. *Cyrillo divino administrante & locum Cœlestini Senioris Romæ Episcopatum regentis.* Aliud v. est Κυρίλλου διέποντος τόπον Καιλεστίνου, *Cyrillo administrante Cœlestini locum*: aliud verò Κυρίλλου διέποντος καὶ Καιλεστίνου τόπον *Cyrillo administrante & Cœlestini locum.* Illud simplex est enunciatum, quod Cyrillus partes Cœlestini administraverit: hoc duplex est, quod Cyrillus & partes suas administraverit & Cœlestini locum simul. Quod a. *locus Cœlestini* sit officium summi Conciliorum Præsidis, id demonstrandum erat. Προεδρείαν & *primam sedem Episcopo Romano in reliquorum Episcoporum Concilio concessam Imperatorum constitutionibus fuisse* non negamus, sed quod illa ipsa προεδρεία inferat officium summi Præsidis in Concilio, idipsum quoq; docendum. Cyrillus in illo Concilio primas obtinuit partes, vel quia reliquos vicit eruditione, facundia, rerum divinarum scientia, aliisq; donis: vel quia, cum Nestorius esset Patriarcha Constantinopolitanus & hæresis reus, Papa autem Romanus non accederet, Antiochenus v. nondum advenisset, prima Sedes ultrò cessit Alexandrino Patriarchæ Cyrillo. *At*, inquiunt, *in formula depositionis Nestorii Patres Ephesini Concilii dicunt, quod Cœlestinus Synodo necessitatem imposuerit, & quod Patres necessitate illius Epistolæ coacti fuerint, ut Nestorium deponerent.* Resp. 1. Integra depositionis formula extat apud Evagrium lib. 1. Hist. Eccles. c. 4. in qua tota ista depositionis actio tribuitur toti Synodo. *Quoniam*, inquiunt, *venerandissimus Nestorius neq; vocationi nostræ obedire voluit, neq; sanctissimos & religiosissimos Episcopos à nobis missos suscepit, necessario ad id progressi sumus, ut quæ impiè sunt ab illo præsumta, rejiceremus. Et quoniam illum cùm ex lectis Epistolis & libris ejus, tùm ex verbis, quæ recens in hac ipsa metropoli locutus est, impie sentientem & prædicantem deprehendimus, necessitate tam Canonum quàm Epistolæ sanctissimi Patris Comministri nostri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi coacti, frequenter illachrymantes, ad duram hanc sententiam proferendā processimus: Dominus itaq; noster Jesus Christus blasphemiis ab illo affectus per hanc præsentem Synodum Nestorium hunc ab Episcopali dignitate universoq; Sacerdotii Collegio alienum esse decrevit.* 2. in eadem formula Cœlestinum Episcopum Rom. vocant *Comministrum suum*, & in Epistola Synodi ad Nestorium, *Consacerdotem*. Atqui verbum *Comministri & Consacerdotis* longissimè abest à προεδρείᾳ, quā Pontifex in Conciliis sibi arrogat. 3. non omnis coactio statim infert præsidium cum imperio. Amicus precibus amico imponit negotii suscipiendi necessitatem, discipuli Emaunta profecti παρεβιάσαντο *coegerunt Dominum*, nec tamen habebant imperandi potestatem. 4. *necessitas Epistolæ* non statim infert *throni ac προεδρείας necessitatem*. Etiam alterius alicujus minoris Episcopi Epistola eandem necessitatē Synodo afferre potuisset demonstrata ex verbo Dei Nestoriana impietate, & indicato periculo, quod incursuri sint, si in profliganda tam abominanda hæresi sint remissiores. 5. si tanta fuisset Cœlestini autoritas ac potestas in Episcopos & Synodum Ephesinam, quantā hodie Rom. Pontifex sibi arrogat, non licuisset ipsis de Nestorio judicare, utpote quem Cœlestinus convocata Synodo quadam Romana jam judicaverat & condemnaverat. At verò *Synodus Ephesina*, decreto *Synodi Romanæ* minimè contenta, ipsa etiam inquisivit in errorem, & eo demonstrato de Nestorio judicavit, eumq; damnavit. Confer D. Mejerum in Juris publici quæstione contra Classicum Scioppii p. 192. & seqq.

In *Concilio Chalcedonensi* act. 1. interfuit Imp. Marcianus, ac primo loco sedit, in reliquis actionib. quosdam *Judices Consulares* præfecit, qui præcipuum locum obtinuerunt ac curarunt, ut omnia tranquillè & graviter fierent. Legati Romani Pont. primas tenebant inter Concilii illius Episcopos, sed tamen Imperator per suos Legatos illis præfuit. Nam Judices illos Consulares non solùm violentiæ depellendæ ergò, sed etiam cum autoritate dicendæ sententiæ præfuisse, patet ex act. 1. ubi in hæreticorum condemnatione hæc verba usurpantur: *Gloriosissimi Judices & Amplissimus Senatus dixerunt.* Evagr. lib. 2. c. 4. *Homines Consulares decreverunt ista*. Ibid. *Si ista sanctissimo nostro Domino, Imperatori* sc. *placuerunt.* Atticus Episcopus Neapolitanæ civitatis in act. 1. Concilii Chalcedonensis testatur, *Patrum Ephesinorum Principem atq; Magistrū factum esse omni laude dignissimum & ter beatum inter Angelos, qui olim pater noster erat, Cyrillum, qui ubiq; terrarum illustravit sanctum fidei nostræ mysterium.*

Constantinopolitano II. Concilio præfuit, vel *Mennas* (sic n. incipiunt Acta illius Concilii, προκαθεζομένου, *præsidente Domino nostro sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo ac Patriarcha Menna*) vel Eutychius Episcopus Constantinopolitanus Mennæ Successor, (quia enim sub initium ejus Concilii Mennas è vivis excessit, Imperator Successorē destinavit Eutychium, *quem advertisset prudenter sententiā dixisse in prima actione.* Niceph. lib. 17. c. 27.)

Sardicensi Conc. præfuit Hosius; apud Sozomen. lib. 3. c. 11.

Carthaginensi VI. Aurelius &c.

3. *Ex Romani Pontificis conditione.* Pontifici Romano non competit jure divino Monarchica potestas in omnes Episcopos, ut in præc. art. demonstratum. Ergò non est absolutæ necessitatis, ut sit Præses omnium Conciliorum. Fieri potest, ut Roman. Pontifex in hæresin prolabatur, quo in casu minus tutum fore, προστασίαν Concilii ipsi concedere. Tempore schismatis non habetur certus Pontifex. Ergò eo in casu Romanus Pontifex non potest præsidere in Conciliis. *Dubius enim Papa habetur pro non Papa.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, Imperatores quibusdam Conciliis non solùm interfuisse, sed etiam præfuisse.

c. Nos ad fidem. dist. 96. allegatur dictum Marciani Imperatoris in septima actione Concilii Chalcedonensis. *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus, ut veritate inventa, non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet.*

c. Continua. caus. 11. q. 1. *Constantinus Imperator præsidens in sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata est.*

c. Futurā. caus. 12. q. 1. ex Melchiade Papa. *Idem* (Constantinus) *præsidens sanctæ Synodo, quæ apud Nicenam congregata est.*

In Præfat. c. Si quis ingenuus. caus. 29. q. 2. *In Concilio apud Vermeriam, cui interfuit Rex Pipinus, statutum est.*

Tom. 2. Concil. part. 2. fol. 84. b. de Constantinopolitano III. Concilio memoratur, quod *Imperator Constantinus id non modò convocarit, sed etiam Dei ministerio eidem præfuerit.*

Idipsum probatur ex Synodi illius actis. Sic enim habetur act. 1. *In nomine Domini &c. Imperantibus &c. Præsidente eodē piissimo & Christo dilecto magno Imperatore Constantino in secretario sacri Palatii, quod cognominatur Trullus, & ex jussione ejus Theosophæ serenitatis, præsentibus & audientib. Niceta, glorioso Ex-Consule &c. Theodoro glorioso Ex-Consule &c. Juliano, Constantino, Anastasio, Johanne, Polyeucto, Paulo, Petro, Leontio ejusdem tituli &c.* apud Binium fol. 16. 17. (Omnia in Synodo illa ita gesta sunt, ut Legati Romanæ Sedis nihil quidquam directorii, aut præ aliis

aliis eminentiæ nacti videantur, quod inductione per omnes & singulas actiones facta probari potest.

Carolus Magnus in Epist. ad Elipandum Toletanæ civitatis Metropolitanum & cæteros Hispaniæ Sacerdotes. *Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens congregationi Sacerdotum auditor & arbiter assedi. Discernimus, & Deo dante discrevimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum.*

Sub eodem Carolo Magno celebrata est Synodus Arelatensis, quæ Statuta sua Ecclesiastica submisit Imperatori Carolo Magno cap. 26. his verbis: *Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam severissimè annotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur*, tom. 3. Conc. sect. 2. part. prior. p. 189.

Regino lib. 2. p. 40. *Concilia quoq; jussu Caroli super statum Ecclesiasticum per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Moguntiæ, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Caballonis, quintum Arelati, congregatum est, & constitutiones, quæ in singulis factæ sunt, ab Imperatore confirmatæ sunt.*

Cum Basilius Imperator in Concilio VIII. in subscriptione nomen suum ex humilitate nominibus Episcoporum postponeret, tota Synodus rogavit, *ut se præponeret*, referente Nicolao Cusano lib. 3. Concil. Cathol. c. 19. p. 796.

(Id tantæ Synodi tot Patres, erant enim num. 300. ut memorat Onuphrius in Synodo VIII. sub Hadriano, nunquam precibus ab Imperatore contendissent, si Episcopos ei præferendos existimassent.)

Ex Novell. 42. apparet, tùm demum *sententias Synodales condemnatorias* adversus hæreticos pronunciatos, effectum suum sortitas esse, cum Imperatoria Majestas illas autoritate sua fecit κυρίας ratas & κυριωτέρας magis ratas d. N. 42. c. 1. pr. c. 2. ibi ἐςὶ κυρία. Et ibi, κυρίας δεξαμένης. Et c. 3. ibi, ἣν κυρίαν καὶ αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς οὖσαν κυριωτέραν ἡ βασιλεία ποιεῖ. Et ibi, κύριον δὴ καὶ τοῦτο τίθεμεν καὶ τοῖς βασιλικοῖς ἡμῶν αὐτὸν νόμοις ἐπικυροῦμεν. Unde *Imperialis confirmatio* eadem Nov. 42. c. 1. §. 1. Nec simplicem Sacerdotum relationem sequi debuit Imperator, sed ipse etiam examinare debuit Sacerdotum sententiam. Si enim dignos præter meritum illi de solio deturbarent, ut in Pseudo-Synodis sæpè factum, & in vera etiam Synodo astutiâ calumniatorum accidere potest, tùm Imperator, si deprehendat peccatū esse, sententiam Sacerdotalem non sequatur, quod ex eadem Novell. 42. apparet, dum ait, *quoties Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio de sacris sedibus deposuit, toties Imperium ejusdem sententiæ & ordinationis cum Sacerdotum autoritate fuit*, ἡ βασιλεία σύμψηφος γέγονε τῆ τῶν ἱερέων αὐθεντίᾳ. Necesse ergò fuit Imperatori, in sententiæ justitiam inquirere, & deinde ψῆφον suam sive calculum & sententiā addere, quo fit σύμψηφος.

Et rursus, *divina humanaq; pariter concurrentia unam consonantiam rectis sententiis faciunt*. Ergò Imperator etiam examinat, an sint rectæ sententiæ; Et si rectæ sunt, ipse vocem humanam *voci divinæ*, (sic vocatur vox Sacerdotalis, reverentiæ & voti causa, & quod talis esse debeat,) addit, ut inde consonantia συμφωνία oriatur. Inde etiam Patres in Concilio Constantinopolitano congregati, ab Imperatore Theodosio petierunt, ut decreta Concilii confirmaret; idemq; rogarunt Martianum Imperatorem Patres Chalcedonensis Concilii.

Confer D. Gesnerum lib. 1. de Conc. c. 5. p. 272. D. Mejerum in quæst. juris capitali contra Classicum Scioppii p. 44.

In Concilio Florentino Anno 1439. *Imperatori Græco* supra omnes Episcopos Orientales; *Germano Imperatori* supra Episcopos Occidentales Sedes collocata est, ac acerrima contentio inter *Galliæ & Hispaniæ Reges* orta est, quis eorum proximus Imperatori sedere deberet; apud Surium tom. 4. p. 366.

Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 2. de Concord. Cathol. c. 2. *In Conciliis fuit semper Præsidentialis Romani Pontificis autoritas, sine qua Universale Concilium non fuisset, dummodo saltem interesse voluisset, aut potuisset. Nam alioqui non præfuit.*

(Ergò non semper omnibus Conciliis pro jure præsedit.)

Idem lib. ejusd. c. 12. *Habetur ex præscriptis una conclusio, scilicet in Conciliis Romanum Pontificem in condendis statutis generalib. non habere eam potestatem, quam quidam adulatores illi contribuunt.*

Idem Cusanus lib. 3. Conc. Cath. cap. 16. *Sciendum est, quod in Universalibus octo Conciliis, ubi Imperatores interfuerunt & non Papa, semper invenio Imperatores & Judices suos cum Senatu primatum habuisse, & officium præsidentiæ per interlocutores & ex consensu Synodi conclusiones & judicium fecisse, & non invenitur instantia in octo Conciliis; præterquam in tertia actione Concilii Chalcedonensis.*

Ibid. *In sexta Synodo Constantinus præsedit in medio, cùm decem de majorib. Patritiis, & ad lævam ejus Vicarii Senioris Romæ, ut Hierosolymorum: ad dextram verò Patriarchæ alii, primò Constantinopolitanus, deinde Alexandrinus, qui in eodem scamno conjungebatur.*

Francisc. Zabarellus Card. & JCtus in tract. de Schismate & Concilio. *In Concilio Niceno Constantinus præsedit. Est Concilii pars Imperator & suo jure, non ex gratia, Concilio interest.*

Nauclerus in Chronic. *Constantinus, cum Nicenam ingrederetur Synodum, jussus & rogatus fuit ab Episcopis, ut primam sedem occuparet.*

Francisc. Duarenus lib. de sacr. Eccles. minist. fatetur, p. 62. *se legisse, Reges ac Imperatores olim non adfuisse tantùm Synodis, sed etiam præfuisse.*

Johannes Kyntæus in Hercule Pontificio cap. 2. *Cùm in actione quarta octavi Concilii Universalis Legati Pontificii Status Imperii haudquaquam ut judices, sed ut testes solummodò quæstionum Synodalium admittere vellent, Legati verò Principum protestarentur, sibi cum Concilii actis nihil commune futurum, nisi causa exigente sententia quoq; dicendæ sibi potestas fieret, tum Metrophanes Metropolitanus Smyrnæ in concione assurgens, Principes justa contentione vitè probavit, cujus viri sententia à tota Synodo recepta est.* Vide Commonefactionem de fine JCti fol. 28.

Petrus Suavis in Hist. Conc. Trident. lib. 2. p. 152. *Olim in Conciliis Principes aut Magistratus, qui Episcopos convocaverant, ipsi intervenientes actionem omnem gubernabant, proponentes, rerum tractationem moderantes & controversias in forma agendi obortas sententiis interlocutoriis determinantes, revicta tamen Patrum suffragiis principalis controversia, quæ Synodo causam dederat, definitione. Atq; hanc formam in Conciliis, quorum acta adhuc extant, cernere est. Hujus exemplum adduci possit colloquium inter Catholicos & Donatistas coram Marcellino, cum aliis plerisq; Sed ut generalia tantùm Concilia attingamus, id videre est in Concilio Ephesino. I. coram Comite Candidiano ad præsidendum ab Imperatore misso, & clarius in generali Chalcedonensi coram Martino & Judicibus ab eo designatis, in Constantinopolitano Trullensi coram Constantino Pogonato, in quo Princeps ac Magistratus tanquam Præses imperabat, quid esset tractandum, quis ordo servandus, cui loquendum, cuive tacendum esset, & difficultates inde nascentes aut terminabat aut conciliabat. Atq; idipsum in generalibus Conciliis, quorum acta non extant, factitatum à Constantino & Theodosio in I. Niceno & II Constantinopolitano illorum temporum Historici attestantur. Iis tamen temporib. Principes ac Magistratus non se immiscebant Episcoporum cætibus à semetipsis convocatis, in quibus unus ex ipsis actioni præerat & ex communi sententia decretum fiebat.*

Pag. 153. *Tandem exclusis penitus à rerum Ecclesiasticarum tractatione Principibus, desiit usum habere hoc genus Conciliorum,* (in primitiva Ecclesia usitatum) *& permansit alterum illud solum ab ipsis Ecclesiasticis convocatum, quod prope totum in se Romanus Pontifex derivavit, missis eò, ubi haberi debeat, suis ad præsidendum Legatis, etiam arrogata sibi ante aliquot secula ea potestate, quæ Impp. Romanorum fuerat, Concilia ex universo Imperio convocandi, & ubi coram adesset, per se præsidendi; si abesset per præfectum, qui suo nomine præsideret & negotium omne moderaretur.*

Bellarm. lib. 1. de Concil. c. 19. §. Altera. *In Conciliis Orientalibus semper interfuit Imperator aut aliquis ejus Legatus. Et quamvis nec Imperator, nec Legatus ejus præsideret Concilio propriè, ut judex, tamen præsidebat saltem quod locum materialem, & etiamsi summus Pontifex ibi fuisset, adhuc voluissent illi eo modo præsidere, ut patet ex Concilio Florentino in initio, ubi Græci omnino contendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator & summum Pontificem præcederet. At quamvis utcunq; tolerabile sit, ut Principes seculares in Concilio sedeant ante alios Episcopos, tamen nullo modo convenit, ut ante ipsum summum Pontificem. Ne ergò vel hoc tolerandum esset, vel tumultus excitandus, non ibat ad ea Concilia, sed Legatos tantùm mittebat.* (In hoc Bellarmini discursu notandum primò, quod fateatur, *Imperatorem vel ejus Legatum præsedisse olim in Conciliis saltem, id est, ad minimum quoad locum materialem.* Secundo, quod *jus illud sibi vendicaverint Imperatores pii ac laudati.* At si Papæ illud jus competeret, pro sua pietate & erga Dei Ecclesiam reverentia illud ipsi minimè denegassent. Tertio, si Pontifici jus præsidendi competeret, debuisset etiam ipsius Legatis præsidentia concedi, quia Legati in Conventibus publicis obtinent locum, qui competit illi, à quo missi sunt. Expende verò Conciliorum horum antiquitatem & autoritatem, ac majus pondus accedet huic Bellarmini confessioni.)

Lib. & cap. iisdem. §. Quartum. *In prima actione Concilii Chalcedonensis Imperator Marcianus interfuit & sedit primo loco.* (Addit quidem Bellarminus, *ipsum non præsedisse, ut judicem, sed ut ipsemet testatus est in orat. ad Synodum act. 1. ad confirmandam fidem, sicut olim fecerat Constantinus Magnus, hoc est, non venisse ad explicandam fidem & controversias judicandas, sed ad hoc, ut fides à Concilio explicata, firma ac tuta consisteret, defensa videlicet Imperatoris ope & autoritate. Interfuisse quidem nomine Imperatoris in aliis actionibus Judices quosdam seculares, eos tamen non fuisse Judices controversiarum fidei, sed tantùm an omnia fierent legitimè sine vi, fraude & tumultibus.* At hoc ipsum nobis sufficit, videlicet Imperatorem & ejus Legatos fuisse Præsides supremos in moderandis Concilii actionibus, ac Legatos Romani Pontificis primas quidem tenuisse inter Episcopos, sed tamen Imperatorem Romanum illis ad lævam sibi sedentibus præfuisse. Ostendimus etiam superius ex Concilii illius actis, judices illos Consulares non solum violentiæ depellendæ ergò, sed etiam cum autoritate dicendæ sententiæ adfuisse; ac Marcianus Imp. legem præscripsit de fide Nicena constanter & illibatè tenenda.)

2. Quod agnoscunt, quibusdam Conciliis non præfuisse Romanum Pontificem, nec per se, nec per Legatos, sed alios potius Episcopos.

Leo Episc. Romanus Epist. 47. *Prioris Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit, in Nestorium specialiter statuta permaneant.*

Felix Episcopus Rom. in Epist. ad Zenonem Augustum de depositione Petri Antiocheni: Καὶ Εὐςαθίου τοῦ ὁμολογητοῦ καὶ προέδρου τῶν τιη' ἁγίων πατέρων ἐν Νικαίᾳ ἀθροισθέντων, *Eustathiiq; Confessoris ac Præsidentis trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa convenerant.*

Julius Episcopus Romanus in prolixa Epistola ad Orientales, quam recitat Athanasius Apolog. 2. οἱ ἡμέτεροι πρεσβύτεροι τότε ἐν τῇ κατὰ Νικαίαν συνόδῳ γενόμενοι. *Nostri,* inquit, *Presbyteri, qui tunc erant in Synodo Nicena.* (Intelligit Vitum & Vincentium. Ergò Hosius, qui Niceno Concilio præsedit, ut vult Bellarminus, non fuit Romani Episcopi Legatus, proinde nec Episcopi Romani nomine præsedit.)

In actis Synodi V. Oecumenicæ (Constantinopolitanæ II.) ne nomen quidem Romani Episcopi aut ejus Legati reperitur, sed primus ex Patribus est *Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus*, post eum Alexandrinus, atque ita deinceps apud Binium tom. 2. Concil. part. 2. f. 45.

Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 19. §. Secundum. *In Concilio Constantinopolitano I. quod fuit generale secundum, constat non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium Episcopum Constantinopolitanum, cujus rei causa est, quia Romanus Pontifex non interfuit nec per se, nec per Legatos. Pontifex enim Damasus convocaverat quidem Episcopos Orientis Constantinopolin, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire ubi ipse coëgerat Synodum Episcoporum Occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum Concilium. Cæterum Orientales excusaverunt se justas ob causas, & conjunxerunt se animis & sententiis cum Occidentalibus, non autem præsentia corporali.* (Interim Italicum illud Concilium, cui Damasus præfuit, non dicitur *Oecumenicum & generale*, sed illud, quod Constantinopoli ab Episcopis Orientalibus celebratum fuit: quomodo ergò constabit assertio Bellarmini, *Generalia Concilia dicuntur, quibus nemo rectè præsidet, nisi summus Pontifex, aut alius ejus nomine*, lib. 1. de Concil. cap. 4. §. Generalia.) Præterea Episcopi Constantinopolitani in Concilio congregati, non fuere secuti instructionem ac directionem Romani Pontificis, cum Pontifex nec per se, nec per legatos ei interfuerit, multò minus præfuerit; sed juxta Scripturæ normam de exorta controversia sententiā tulerunt. Quomodo ergò constabit veritas assertioni Bellarmini lib 2. de Concil. cap. 11. §. Præterea secundo. *Firmitas Concilii nascitur ex consensione & conjunctione corporis cū capite? Ergò errare potest Concilium, quando caput nondum aperuit suam sententiam*; & in ἐπιγραφῇ cap. *Concilia generalia ante confirmationem summi Pontificis errare possunt, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem.*

Idem lib. ejusd. cap. 4. §. Secunda. *Secunda Synodus generalis est Constantinopolitana, quæ celebrata est adversus Macedonium, negantem Spiritus sancti divinitatem. Convenerant autem Episcopi ex diversis provinciis 150. è quibus Patriarchæ fuerunt Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus & Cyrillus Hierosolymitanus &c. Est verò animadvertendum, in hoc Concilio neminem adfuisse ex provinciis Occidentalibus. Siquidem Damasus Papa Romæ coëgerat Synodum Occidentalium, atq; ad eum locum invitaverat Episcopos, qui Constantinopoli convenerant, ut eo modo Romæ celebraretur Concilium plenissimum, sed quia Patres Orientales justis de causis Romam venire non potuerunt, accepit Damasus excusationem eorum, & animis ac sententiis duæ illæ Synodi conjunctæ sunt, ac si una & eadem fuissent. Atq; propter hujusmodi conjunctionem habita est Synodus Constantinopolitana, una ex Oecumenicis & legitimis Synodis.* (At definiente ipsomet Bellarmino *Concilium est cœtus Episcoporum in unum locum congregatus. Concilii nomine,* inquit lib. 1. de Concil. cap. 3. §. 1. *significatur idem in Ecclesia, quod nomine Comitiorum in regnis. Nam quemadmodum cum oritur controversia in Republica, conveniunt in unum Principes regni vel Magistratus, ac statuunt, quid facto opus sit: ita in Ecclesia cum oritur controversia aliqua de religione, conveniunt Præsules Ecclesiarum, & simul collatis sententiis statuunt, quod bonum videtur.* Sic ergò colligimus. Constantinopolitanum Concilium est verum, generale & Oecumenicum Concilium. Atqui Concilio Constantinopol. Pont. Rom. nec per se, nec per Legatos interfuit, multò minus præfuit. Ergò potest celebrari Concilium Oecumenicum, etiamsi Pontifex nec per se, nec per Legatos suos ei præsit.)

Lib. ejusd. cap. 19. §. Hæc Historia. *Liberatus in Breviario cap. 12. scribit, Legatos Romani Pontificis noluisse in Concilio* (Ephesino II.) *sedere, cum vidissent præsidere Dioscorum, & non datam sanctæ Sedi possessionē.* Nihilo tamen minus Ephesinum II. Concilium, etiam absentibus Rom. Pontificis Legatis, decreta fecit. Ergò præsidentia Pontificis non est ad Concilium simpliciter necessaria.

(Addit quidem Bellarminus, *Dioscorum extorsisse contra fas ab Imperatore præsidentiam illam*, quod dicit, *scribere Zonaram in vita Theodosii, & Evagrium lib. 1. c. 10.* Sed Zonaras scribit, *Eutychen exorasse Imperatorem, ut ipse coram Dioscoro & reliquis Episcopis Ephesum cogendis judicaretur*; Evagrius scribit, *Dioscorum ejus Concilii Præsidem esse designatum.* Ac si vel maximè detur *Dioscorum præsidentiam ab Imperatore extorsisse*, ex eo tamen adhuc conspicitur, Imperatorem jus designandi præsidem Concilii sibi vendicasse, nec Romanæ Sedis ossibus illud inhærere censuisse.

Idem lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 17. §. Quare. *Ex act. 16. Concilii Chalcedonensis constat, decretum illud, quod Romana Ecclesia à Patribus primatum habuerit, absentibus Legatis Apostolicæ Sedis, qui Concilio præsidebant esse factum.*

(Ergò judicarunt Concilii Chalcedonensis Patres etiam absentibus Romanæ Sedis Legatis decreta fieri posse.)

3. Quod agnoscunt, in Concilio Apostolico Act. 15. non præsedisse Petrum Papali autoritate & Monarchica potestate. (Ergò nec Pontifex Romanus, qui se Petri Successorem gloriatur, hoc sibi arrogare potest.)

Lyranus in c. 15. Act. *Jacobo hoc tributum fuit, ut determinationem proferret, eò quod ejus Ecclesiæ Episcopus esset.*

Gerson tom. 4. in prop. utilit. ad exter. Schism. *Concilio Hierosolymitano præerat Jacobus, non Petrus.*

Johannes de Parisiis de potestat. Reg. cap. 14. *Postquam Petrus dixisset, Jacobus autoritate Pontificali protulit definitivam sententiam.*

Patres Concilii Basileensis dicebant, *Papæ Legatos non oportere Præsides esse, quod nusquam legatur, Petrum in Concilio præsedisse.*

Dionysius Carthusianus in cap. 15. Act. agnoscit, *Jacobum fuisse Concilii Apostolici Præsidem. Consequenter,* inquit, *inducitur definitiva sententia Jacobi Hierosolymitani Episcopi, qui Pontificali autoritate habuit definitionem proferre.*

Johannes de Turrecremata lib. 3. c. 24. *Nusquam expreßè & formaliter legitur, quod B. Petrus præsederit in Conciliis celebratis per Apostolos.*

Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 16. §. Deinde. *Post Petri sententiam mox subditur, Tacuit autem omnis multitudo & audiebat Paulum & Barnabam. Deinde subditur, Et postquam tacuerunt, nimirum Paulus & Barnabas, respondit Jacobus, dicens, & mox finitâ Jacobi oratione, subjungitur, Tunc placuit Apostolis.*

(Jam verò qui in Conciliis ultimum suffragium decisivum profert, ille est Concilii Præses.)

Atqui *Concilium Apostolorum primum fuit, à quo formam acceperunt alia omnia Concilia.* Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 2. §. Tertius locus &c.

Inde in Concilio Tridentino quidam monebant, *in primo Concilio Apostolorum, quod sequentium norma & exemplar esse debet, observari posse, decretum nec à Petro factum in Conciliis præsentia,* nec

nec ab ipso cum ejusdem approbatione, sed Epistolam inscriptam nomine trium generum & quasi graduum, qui interfuerunt ei Congregationi, Apostolorum, Seniorum & Fratrum; Petrumq́; in illo primo genere sine ulla prærogativa inclusum. Quod unicum exemplum, tum propter antiquitatem, tum propter divinam autoritatem abrogare fidem debeat iis, quæ à temporibus sequentibus vel in unum conjectis duci possunt. Petrus Suavis lib. 7. Histor. Conc. Trident. p. 718.

Sed & Tostatus Episcopus Abulensis in cap. 17. Matth. q. 13. ad 1. citante Lorino ad cap. 15. Actor. v. 19. dicebat: *Omnes Apostolos, dum in Judæa habitarent, Jacobo Hierosolymorum Episcopo quodammodo subditos fuisse, ipsumque illis, etiam Petro, majorem extitisse, & in Concilio isto, id quod fecerunt Apostoli & Ecclesia tota, non à Petro, sed ab illo definitivè pronunciatum, velut totius Ecclesiæ organo, & quolibet ex Assistentibus majore.*

Cornelius à Lapide in cap. 15. Act. v. 13. itidem adducit hunc locum Abulensis, *quòd non Petrus, sed Jacobus in Concilio Hierosolymitano definitivam protulerit sententiam.*

4. Quod tales concedunt hypotheses, ex quibus inferri potest, jus præsidendi in Conciliis per absolutam quandam necessitatem non competere Rom. Pontifici.

Primò, Tiraquellus lib. de pœnis caus. 51. num. 65. *Judex in sua suorumvè causa nemo esse debet.*

(Jam verò quædam Concilia instituuntur ac institui debent contra Papam, videlicet tempore schismatis & quando Papa laborat suspicione hæreseos, quia Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 9. §. 3. 5. & 6. inter *causas, ob quas Concilia celebrantur*, recenset *schisma inter Romanos Pontifices & suspicionem hæreseos in Romano Pontifice, vel etiam Tyrannidem incorrigibilem. Itemque dubitationem de electione Romani Pontificis.* Ergò ad minimum in illis Conciliis Papæ non potest præsidentia concedi.)

Secundò, Adversarii à statu V. Testam. ad statum N. Testam. perpetuò argumentantur, ac quæ de Pontifice V. Testam. dicta, ad Pontificem Romanum accommodant, ut patet ex Bellarmino lib. 4. de Romano Pont. c. 16. §. 2. & alibi passim.

(Jam verò in V. Testam. duo fuerunt summi Synedrii Præsides, ut patet ex 2. Paral. 19. v. 12. ubi *Amarias Pontifex* & *Zabadias Dux* in domo Juda Præsides nominantur. Idem colligitur ex Deut. 17. v. 8. ubi & *Sacerdotis & Judicis* Politici fit mentio. Ergò etiam in Nov. Testam. non solus & unus Pontifex Romanus Papali autoritate Conciliis præsidere debet.)

Tertiò, Pontifex Romanus in multis Conciliis per Legatos præsto fuit, quinimo in Conciliis extra Romam celebratis, non nisi per Legatos præsens est.

Johannes de Turrecremata lib. 3. de Eccles. cap. 1. *In octo Conciliis, quæ in Ecclesia præstantioris autoritatis habentur, Papa nullus personaliter præfuit.*

Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 10. §. 2. *Catholici omnes id munus proprium esse docent summi Pontificis, ut vel per se, vel per Legatos Synodo præsideat. Dicimus autem per se, vel per Legatos, quia summus Pontifex nunquam interfuit Conciliis Orientalibus per se. Neque id factum est casu; sed certa ratione, ut patet ex Epistola Leonis 17. ad Theodosium, & 47. ad Concilium Chalcedonense, ubi dicit, se non venire ad Synodum; quoniam id non patitur consuetudo, nec ulla Prædecessorum habet de hac re exempla. Adde, quòd Vigilius Papa erat Constantinopoli, cum fieret in ea civitate Concilium V. generale, & tamen noluit interesse, sed per libellum confirmavit acta Concilii, ut scribit Photius in libro de septem Synodis &c. Quæ autem sit ratio hujus rei, incertum est. Johannes de Turrecremata libr. 3. cap. 11. ponit aliquot rationes, quæ mihi non multum probantur. Ego suspicor, has duas fuisse causas inter alias, Unam, quia non videbatur convenire, ut caput sequeretur membra, cum potius membra sequi debeant caput. Itaque propterea interfuit Papa Conciliis Romanis & quibusdam aliis, quæ ipse convocavit ad se, id est, ad locum, ubi ipse erat, non autem voluit neque debuit ire ad Concilia alibi congregata. Altera ratio est, quia in Conciliis Orientalibus semper interfuit Imperator aut aliquis ejus Legatus. Et quamvis nec Imperator, nec Legatus ejus præsideret Concilio propriè, ut judex, tamen præsidebat saltem quoad locum materialem; & etiamsi summus Pontifex ibi fuisset, adhuc voluissent illi eo modo præsidere, ut patet ex Concilio Florentino &c. At quamvis utcunque tolerabile sit, ut Principes seculares in Concilio sedeant ante alios Episcopos, tamen nullo modo convenit, ut ante ipsum summum Pontificem. Ne ergò vel hoc tolerandum esset, vel tumultus excitandus, non ibat ad ea Concilia, sed Legatos tantùm mittebat.*

(Multa in hoc Bellarmini discursu observari possunt, utpote, 1. quod rationes Johannis de Turrecremata sibi non multum probari asserit. Atqui Turrecremata fuit in eodem dignitatis gradu cum Bellarmino constitutus, videlicet Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Rationes Turrecrematæ hæ sunt: *Prima, ne violentia illi inferretur: Secunda, ut libera autoritate sua uteretur. Tertia, propter necessitates incumbentes Ecclesiæ Romanæ & civitati, quibus præsentia Romani Pontificis maximè præsidio fuit.*

2. quòd rationes, quas Bellarminus profert, proprio ipsiusmet judicio sint *meræ suspiciones, suspicor*, inquit. Ergò ut ipsi non probantur rationes Turrecrematæ, ita nec nobis rationes Bellarmini.

3. quod juxta prioris Bellarminianæ rationis vel potius suspicionis hypothesin Petrus non fuerit summus Pontifex nec caput Ecclesiæ, quia profectus est Hierosolymam ad Concilium Act. 15. v. 7.

4. quod juxta regulam juris, *quod quis per alium facit, per se fecisse videatur*, quodque Legati repræsentent personam mittentis. Si ergo *non convenit, ut Papa proficiscatur ad Concilia alibi, quam Romæ congregata, ne caput videatur sequi membra*, utique etiam non erit conveniens, ut suos Legatos ad Concilia illa mittat, ac per conseq. omnia Concilia Romæ erunt celebranda.

5. quod Innocentius IV. interfuerit Concilio Lugdunensi, Clemens V. Concilio Viennensi. Aut ergo illi non fuerunt Ecclesiæ capita, aut non est inconveniens, ut caput sequatur membra? ac quid de Christo fiet? an ille desiit esse Ecclesiæ caput, quando è cœlis ad nos descendit, ac ut verus *Pastor oves errantes* quæsivit? Luc. 15. v. 1.

6. quod summum & intolerabilem Pontificis fastum arguat, quod propterea per se Conciliis, in præsentia Imperatoris celebratis, interesse nolit, ne cogatur primam Sedem Imperatori concedere. Petrus Ferrariensis in forma l. in action. Confess. verbo, plenam in Princ. *Papa in ipso Imperatore nititur superioritatem habere, quod est ridiculum dicere & abominabile audire.*

7. quod Antichristianam superbiam præ se ferat, nolle ad Concilium ire, quia primas in eo non possis tenere; nec tanti æstimare, ut Legati inferius sedeant, sed ut ipse alibi, quam in primo loco sedeas, ferre non posse. Didacus Stella in cap. 6. Luc. *Qui minor est, inquit Christus, hic major est, quia quanto quis humilior, tanto Christi similior. Ergo inter vos spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo.* Sed de his omnibus hac vice prætermissis notamus, quod Papa in propria persona nolit interesse Conciliis alibi, quam Romæ congregatis. Jam vero non sufficit per Legatos præsidere ad conciliandam alicui Concilio infallibilitatem. Ergo Papa aut in propria persona Concilio præsideat, aut præsidendi partibus sese abdicet, vel quod idem est, si velit Conciliis præesse, debet etiam iisdem interesse. Assumtum probatur ex eodem.)

Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 11. § Præterea. *Etsi Legati præsunt nomine Pontificis, tamen non sunt revera Pontifices, nec sciunt, qualis sit mens Pontificis, nec habent illud privilegium non errandi, quod habet Pontifex.*

Ibid. §. Tertio &c. *Concilium Basileense una cum consensu Legati Pontificis Romani definiebat, Concilium esse supra Papam; quod tamen nunc judicatur erroneum.*

Argum. Bellarm. 1. *Si summus Pontifex est Pastor & Pater Ecclesiæ universæ adeo, ut etiam Episcopi ac Principes omnes respectu summi Pontificis oves & filii dicantur. Sed Patres filiis & pastores ovibus præsidere debent.*

Resp. De hoc argumento egimus in cap. præced. 1. Si ex autoritate *pascendi*, pendet autoritas *præsidendi in Conciliis*, tum omnes Episcopi habebunt jus præsidendi, quia omnes sunt Pastores. Si excipere velint, *solum Pontificem esse Universalem Episcopum*, petitur principium, ut patet ex art. præced. 3.

2. Committitur circulus, *Papa debet præsidere, quia est summus Pontifex & Pastor caputque omnium*; Et, *Papa est Pontifex, Pastor, caputque omnium, quia præsidet Conciliis.* Utrumque est Bellarmini argumentum.

3. *Patrem* appellatum fuisse Rom. Pontificem, reliquos autem Episcopos ab eo appellatos fuisse *filios*, non est perpetuum. Leo Epistol. 45. quæ est ad Synodum Chalcedonensem, *Unde, fratres carissimi, rejecta penitus audacia &c.* Cœlestinus Cyrillo in Synodo Ephesina, τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Κυρίλλῳ, *Dilecto fratri Cyrillo.*.

2. In Concilio Apostolico præsedit Petrus Act. 15. Ergo ejus Successor Pontifex Romanus habet jus præsidendi in Conciliis.

Resp. Contrarium ostendimus membro 3.

3. In Conciliis Oecumenicis præsedit Pontifex Romanus.

Resp. Contrarium ostendimus membro 1. & 2.

CAPUT IV.

De Autoritate Concilii supra Papam.

Thesis. Concilium est supra Pontificem Romanum.

Ἔκθεσις. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 13. disputat, *duobus modis posse comparari Papam cum Concilio, Uno modo, ut sumatur ab una parte solus Papa verus & indubitatus; ab altera parte Concilium generale, cui præsit Papa per se, vel per Legatos, ita ut nihil definiatur sine consensu ipsius. Altero modo, ut sumatur ab una parte solus Papa, ab altera Concilium generale, cui Papa nec per se, nec per suos Legatos præsit.*

Postea subjūgit. *Quæstio præsens, licèt nonnullis videatur præcipuè versari circa priorem comparationem, quippe qui existimant, Concilium sine Papa non esse verum Concilium, ac proinde sine dubio Papam esse majorem tali Concilio, tamen revera quæstio præcipua est de posteriore comparatione,* id quod confirmat duobus argumentis. Respondemus igitur, etiam quoad posteriorem illam comparationem, Concilum esse supra Papam.

Antithesis. c. Non decet. dist. 12. ex Papa Calixto ad omnes Episcopos. *Non decet à capite membra discedere, sed juxta Scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cujus regulis nullatenus vos convenit deviare. Et sicut Filius Dei venit facere voluntatem Patris sui, sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia, cujus caput, ut prædictum est, Romana consistit Ecclesia. Quicquid ergo sine discretione justitiæ contra hujus disciplinam actum fuerit, ratum haberi nulla ratio permittit.*

c. Multis. distinct. 17. ex Pelagio Papa. *Multis denuo Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter, ut jam dictum est, rectè non Concilium, sed Conventiculum vestrum, vel Conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habeatur & vacuum.*

c. Significasti. extr. de electione & electi potestate. §. Ajunt. *Ajunt, in Conciliis statutum non inveniri. Quasi Romanæ Ecclesiæ legem ulla Concilia præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis semper patenter excipiatur autoritas.*

Glossator ex c. Nemo. caus. 9. q. 3. colligit, *tum à Concilio non posse judicari Papam, tum Pontificis sententiæ standum esse, quamvis totus mundus sententiaret in aliquo contra eum.*

Leo X. Pontifex Romanus in Bulla, qua Lutherum damnavit, inter cætera etiam hoc nomine ipsum hæreseos declarat, quòd ad Concilium à Pontifice appellasset. *Quod deterius est, inquit, addens mala malis, de citatione* (nostra) *notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Cōcilium, contra Constitutionem Pii II. ac Julii II. Prædecessorum nostrorum, qua cavetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos.* Bulla Pii II. ad quam Leo provocat, edita est Anno 1459. Julii II. Anno 1509. Pius provocationem ejusmodi appellat *execrabilem abusum, pestiferum virus. Si quis eam usurpaverit, cujuscunque,* inquit, *status, gradus, ordinis fuerit, etiamsi Imperiali, Regali vel Pontificali præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat, à qua nisi per Romanum Pontificem & in mortis articulo, absolvi non possit. Universitas verò, sive Collegium Ecclesiastico subjaceat interdicto, & nihilominus tam Collegia & Universitates, quam prædicta & alia quæcunque personæ eas pœnas ac censuras incurrant, quas rei majestatis & hæreticæ pravitatis fautores incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper ac testes, qui hujusmodi actibus interfuerint, & generaliter, qui scienter consilium, & auxilium dederint, vel favorem talibus appellantibus, pari pœna plectantur.* Julius II. similiter appellat *prohibitum & damnatum remedium, immunem & periculosum morbum*; Piique Constitutionem firmans & extendens, *decernentes,* ait, *declarantes ultra pœnas impositas,* (*quas ipso facto dictos violatores & contravenientes incurrere volumus,*) *ipsos & eorum quemlibet pro veris & indubitatis schismaticis & inconsutilis tunicæ Domini nostri Jesu Christi violatoribus ac dissipatoribus ac de Catholica fide male sentientibus, habendos & reputandos, pœnisque Canonicis & legalibus contra tales impositis subjacere, & cum Dathan & Abiron partem & damnationem habere. Deinde has ipsas pœnas iis quoque irrogat, qui in Senatu, consiliis, parlamentis, congregationibus etiam Synodalibus & provincialibus, vel alias quomodolibet, tacitè vel expressè, voce vel scripto, per se vel alium* (*cujuscunque timoris vel reverentiæ velamine, vel prætensa excusatione, & Superioris mandato non obstantibus*) *decreverint, consuluerint seu deliberaverint, vel aliorum dicta approbaverint, consilium aut vocem dederint, ut ad futurum Universale Concilium à nobis vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus contra prædictam Constitutionem appellare liceat, possit vel debeat.*

Nec solum Pius II. & Julius II. appellationem à Pontifice ad Concilium ante illam Leonis Bullam hæreseos damnaverant, sed etiam ipse Leo, cum in Lateranensi Concilio Anno 1516. sess. 11. sanctionem pragmaticam Gallicanam abrogaret, edixerat, *solum Rom. Pontificem pro tempore existentem, tanquam autoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere.*

Inde Pius IV. Pontifex Romanus durante Concilio Tridentino Romæ in Senatu conquestus est, *Lansacum Galliæ Oratorem cum Collegis patrocinari nonnullis, qui autoritatem Concilii supra Papam disputationibus tuentur, quæ opinio cum hæretica sit, ejus quoque fautores esse hæreticos quibusvis persecutionibus & suppliciis castigandos.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trident. pag. 604.

Idipsum (videlicet *Papam esse supra Concilium,* multi ex Pontificiis Scriptoribus, præsertim verò Canonistæ propugnant.)

Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 6. §. 22. asserit, *Papam posse mutare statuta sanctorum Patrum in Conciliis generalibus edita, aut contra ea dispensare.*

Alvarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ art. 6. *Synodus Universalis Papam judicare non potest. Plus standum est sententiæ solius Papæ, quam sententiæ totius mundi. Omnia Concilia recipiunt ab ipso potestatem.*

Augustinus Anconitanus in libro de potestate Eccles. quæst. 6. artic. 6. *Major est potestas Papæ in Concilio majoritate actuali, sed contra major est potestas in Concilio majoritate habituali, quia mortuo Papa non moritur hæc potestas, sed manet in Ecclesia & Concilio habitualiter, quam tamen actu exercere non potest sine Papa: Sed in Papa est actualiter, ille potest plus agere, quam totum Concilium.*

Johannes de Turrecremata libr. 2. cap. 93. *Papa à nullo judicari potest extra causam hæreseos, nec potest se cujusquam sententiæ subjicere.*

Dominicus Jacobatius libr. 10. de Concil. art. 7. fusè hac de re disserit, & sexaginta tria argumenta pro sententia contraria format ac solvit.

Johannes Antonius Delphinus lib. 2 de Ecclesia dicit: *Concilium esse supra Papam scientia, prudentia, doctrina, Papam supra Concilium potestate, autoritate, jurisdictione.*

Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis duobus tractatibus probare conatur, *Papam esse supra Concilium.* Inter cætera dicit: *Papam subjicere Concilio perinde esse, ac si quis patrem liberis, caput pedibus, Ducem militibus & pastorem ovibus subjicere velit.*

Albertus Pighius lib. 6. de Eccles. Hierarch. cap. 13. *Certius est judicium Papæ, quam judicium generalis Concilii, aut totius orbis terrarum.*

Idem lib. eodem. *Adeò nuper in Constantiensi Basileēnsique Conciliis, novo more, perniciosove, (ut mihi quidem videtur) exemplo Ecclesiasticam Hierarchiam, ut ad illius cœlestis exemplar, decentissimè ornatam constitutamque à Christo supra demonstravimus, evertere, & pro ea popularem quandam promiscuæ & confusæ multitudinis dominationem inducere, hoc est, Babylonem ipsam resuscitare conati sunt: sibiipsis aut communitati Ecclesiasticæ (quam se repræsentare, quamvis falsò, prætendebant) ipsum totius Ecclesiæ caput & Principem, & qui ipsius Christi in hoc ejus regno inter nos agit vicarium, subjicientes, adversus rerum ordinem & Naturam, contra clarissimam Evangelicæ veritatis lucem, contra omnem antiquitatis autoritatem, atq; adeò ipsius orthodoxæ Ecclesiæ (quod post intelliges) indubitatam fidem & sententiam.*

Melchior Canus libr. 5. Locor. cap. 5. *Pondus Conciliis dat summi Pontificis & gravitas & autoritas, quæ si adsit, centum Patres satis sunt, si desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi.*

Johannes Hieronymus Albanus libro 1. de potestate Concilii asserit, *nullum casum reperiri, in quo verè dici possit, Concilii potestatem Pontificia majorem esse.*

Bartholomæus Caranza controv. 4. disputat, *omnium Conciliorum autoritatem subesse autoritati Sedis Apostolicæ & Romanorum Pontificum, atque ab illa necessariò pendere.*

Franciscus Turrianus lib. Defens. Locor. Script. adversus Anton. Sadeelem p. 294. dicit, *statuere Concilium esse supra Papam, esse repugnare Naturæ, nihilque aliud quam partem præferre toti.*

Bellarminus libr. 2. de Concil. cap. 14. §. Ultima. *Communis ferè est (Doctorum Catholicorum) sententia, quòd Papa adeò sit supra Concilium, ut non possit etiam se subjicere ejus sententiæ, si propriè de sententia coactiva agatur. Hæc sententia videtur*

esse omnium Scholasticorum veterum, ut Alberti, B. Thomæ, B. Bonaventuræ, Richardi, Paludani & aliorum in 4. dist. 19. ubi de clavibus agitur, tametsi ex professo ipsi de hac re non disputarunt. Expresse autem hoc docent S. Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 10. §. 4. Summæ Historialis, & part. 2. tit. 3. cap. 11. Summæ Theologicæ, Johannes de Turrecremata lib. 2. cap. 93. & 104. Summæ de Ecclesia, & in responsione ad Oratores Basileenses de Summi Pontificis & Concilii generalis autoritate, Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ libr. 1. artic. 6. Dominicus Jacobatius lib. 10. de Concil. artic. 7. Cardinalis Cajetanus in tractat. de Comparatione Papæ & Conciliorum, & in Apologia pro Tractatu prædicto, Albertus Pighius lib. 6. de Hierarch. Ecclesiæ, Franciscus Ferrariensis lib. 4. contra gentes cap. 76. Augustinus de Ancona in Tractat. de potestat. Ecclesiæ, Petrus de Monte in libr. de potestat. Papæ & Concilii, Franciscus Turrianus in tribus libris quos de hac quæstione scripsit, & Canonistæ ferè omnes in cap. Significasti, de electione, & can. Si Papa, dist. 40. Johannes Antonius Delphinus lib. 2. de Eccles. cap. ultimo, Thomas Campegius in tract. de potest. Romani Pont. cap. 22. & seqq. Nicolaus Sanderus lib. 7. de visib. Monarchia p. 540.

Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 15. & seqq. aliquot propositionibus suam complectitur sententiam,

Prima hæc est: *Romanus Pontifex est pastor & caput non solum omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam totius Universalis Ecclesiæ simul congregatæ à Christo immediatè constitutus.* cap. 15.

Secunda hæc est: *Summa potestas Ecclesiastica non est in Ecclesia vel Concilio, remoto Papa, aut formaliter, aut suppletivè.* cap. 16.

Tertia hæc est: *Summus Pontifex simpliciter & absolutè est supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* cap. 17.

Quarta hæc est: *Summus Pontifex non potest committere neque Concilio, neque ulli homini supra se judicium coactivum, sed tantum discretivum.* cap. 18.

Idem Bellarminus in recognit. lib. de summo Pontifice cap. 2. *Rectius dicemus, nos non audere eam sententiam, (quæ statuit, Concilium esse supra Papam,) planè hæreticam judicare, quoniam qui sententiam illam sequuntur, neque ab Ecclesia ipsi damnati, neque libri eorum prohibiti unquam fuerunt; videri tamen nobis ita manifestè erroneam, ut meritò possit Ecclesiæ judicio hæretica declarari.*

(Quod merito hæreticum declarari potest, illud in se revera hæreticum est. Sententia eorum, qui censent, Concilium esse supra Papam, merito hæretica declarari potest. Ergò revera hæretica est. Major est manifesta, judice ipsomet Bellarmino, sic enim disserit lib. 2. de Concil. cap. 12. *Concilia, cum definiunt, qui sint libri Canonici & divini, non faciunt eos esse infallibilis veritatis, sed declarant solum esse tales, nempe, quia semper in se revera fuere tales.* Multi ergo sunt hæretici in Romana Ecclesia, aut certè hæreticorum doctrinam sectantes, quibus nihil deest præter declarationem. Quinimo non solum aliquot Romani Pontifices sententiam illam hæreseos damnarunt, ut superius vidimus, sed etiam Pius II. Pontifex Romanus in Epist. 415. ad Senatum Norimb. *Diabolicam hæresin* vocat, quòd *quidam sibi jus appellandi à Papa ad Concilium vendicent, & putent, Concilium esse supra Papam, atque eam quidem hæresin sensim,* dicit, *crevisse, sed se jamdudum eam cum fratribus suis Cardinalibus damnasse.* Falsum igitur est, quod Bellarminus dicit, *hanc sententiam non esse ab Ecclesia Rom.* hoc est, Pontifice, *damnatam.*)

Stapletonus relect. princ. controv. 3. q. 6. *Pontifex tantam habet autoritatem, ut unumquodque dogma priùs definire, & unamquamque hæresin priùs damnare possit, ejusque doctrinam & determinationem reliqui Episcopi & Concilii Patres semper ad amussim sequitentantur.*

Gregorius de Valentia in Anal. lib. 8. cap. 7. §. Atqui hinc. *Qui statuunt, Concilium esse supra Papam, pugnant revera cum Primatu Pontificis.*

Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disput. 5. q. 5. dub. 4. n. 124. sententiã, quæ negat *Papam esse supra Concilium,* dicit, *esse falsam, improbabilem, erroneam.*

(Justè ergò conqueritur Petrus Paulus Vergerius in Epistol. ad Reg. Polon. tom. 1. oper. *Papa in suis creaturis non modo in reliquis hanc durissimam & inauditam Tyrannidem exercet, ut quicquid sua lex præscribat, quæ Cardinalibus, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis dat potestatem, ut in Conciliis sententiam dicant, tamen velit ipse solus esse director, solus cognitor, solus definitor, solus judex, solus Dominus, solus Tyrannus, solus denique omnia in Concilio etiam. Sic res est. Hanc quoque potestatem & autoritatem suarum creaturarum una cum pluribus aliis devoravit & absorpsit.*)

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex verbis Christi Matth. 18. v. 17. Dic Ecclesiæ.* Si ipse Episcopus remittitur ad Ecclesiam, tanquam ad superius quoddam judicium, ac ad eam jubetur deferre aliorum delicta & offensiones, sequitur, Ecclesiam esse Episcopo majorem. Sed verum prius. Ergo & posterius, videlicet quod major sit Ecclesiæ, quã Episcopi autoritas. Jam vero Pontificii dicunt, *Concilium esse Ecclesiam repræsentativam.* Ergo illud quovis Episcopo majorem habet autoritatem, ubi notandum, quod verba Christi, *Dic Ecclesiæ,* etiam Petro dicta. Ergò etiam Successores ejus obligant.

2. *Ex comparatione Papæ & Ecclesiæ.* Ecclesia est unum quoddam corpus mysticum, Papa est Ecclesiæ membrum. Ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia. Ac quia de jure Naturæ est, ut membra inficientia totum corpus abscindantur, ideo etiam potest ac debet Papa amputari, hoc est, deponi & excommunicari, si per hæresin vel aliis modis Ecclesiam inficiat.

3. *Ex comparatione Petri cũ Apostolis.* Nuspiam Scriptura testatur, unius Petri majorem fuisse autoritatem, quam totius Apostolorum Collegii & ipsius Ecclesiæ, sed contrarium potius colligitur ex Historia Apostolica, Act. 1. 6. 8. 11. 15. Galat. 2. & c. Ergo multo minus Pontifici Romano, qui se Petri Successorem gloriatur, tale quid tribuendum.

4. *Ex comparatione fidelium ad Ecclesiam.* Filius non est supra matrem. Ecclesia est mater omnium fidelium Galat. 4. v. 26. Papa, si fidelis & pius sit, est Ecclesiæ filius. Ergo ejus non est major quam matris autoritas.

5. *Ex consequente absurdo.* Aut major est autoritas Conciliorum quam Papæ, aut frustra indicuntur ac celebrantur Concilia. Sed consequens est absurdum. Ergò. Consequentia probatur. Si enim unius Papæ sententia Concilii sententiæ præferenda, quorsum opus tot sumtibus, tot laboribus, tot molestiis Episcopos ad Concilia convocare?

6. *Ab exemplo summi Sacerdotis V. Test.* Summi Pontifices V. Test. non fuerunt supra Concilia vel reges, quia in rebus dubiis non ad solum Pontificem, sed ad Concilium Sacerdotum Israelitæ mittuntur Deut. 17. v. 9. & Abiathar fuit à Salomone abdicatus propter conspirationem cum Adonia 1. Reg. 2. v. 26. Ergo multo minus Pontificis Romani potestas ac autoritas est supra Concilium & Imperatorem, cum Primatus ejus non sit à Deo institutus.

7. *A Natura clavium.* Summa potestas Ecclesiastica, quæ in clavibus consistit, primo ac principaliter Ecclesiæ datur, per ministros nomine Ecclesiæ administratur, unde Augustinus passim asserit, *Petrum gessisse personam Ecclesiæ, cum ipsi claves Christus committeret.* Si uni Pontifici potestas illa conveniret, intereunte Pontifice etiam potestas illa expiraret. Quomodo ergo Pontificis major, quam Ecclesiæ vel Concilii autoritas.

8. *A sufficiente enumeratione.* Si intelligatur *majoritas dignitatis,* Ecclesia dignior est quam Papa, quia Papam dicunt propter Ecclesiam esse institutum. Si *majoritas stabilitatis,* Ecclesia stabilior quàm Papa, quia Ecclesia non deficit, Papa autem potest deficere. Si *majoritas meritorum,* ut loquuntur, Ecclesia magis abundat operibus bonis, quam Papa. Si *majoritas assistentiæ Spiritus sancti,* Christus non uni Apostolorum, sed omnibus Apostolis; nec uni fidelium, sed toti Ecclesiæ dixit: *Ero vobiscum.* Si *majoritas potestatis,* Ecclesia itidem major, quam Papa, quia de Papis quibusdam judicavit, eosque deposuit.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam disertis verbis asserunt, Concilium esse supra Papam, & à Papa ad Concilium posse appellari.

Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 14. §. 1. *Concilium esse supra Papam, asserunt inprimis omnes hæretici hujus temporis &c. Idem asserit Cardinalis Cameracensis, Johannes Gerson, Jacobus Almainus & alii nonnulli in suis tractatibus de potestate Ecclesiæ. Item Nicolaus Cusanus in tractatu de Concordantia Canonica libr. 2. cap. ultimo. Panormitanus in c. Significasti, extr. de electione, & ibidem Magister ejus Cardinalis Florentinus, Item Abulensis in cap. 18. Matth. quæst. 108. & in Defensorio trium conclusionum & quidam alii.*

(Hi ergo omnes, fatente Bellarmino, idem cum hæreticis hujus temporis, quos ita vocat, in hac quæstione asserunt.)

Lib. ejusdem cap. præcedente 13. §. 1. *Quæstio hæc exorta est tempore Concilii Pisani, quia cum duo Pontifices, qui simul sedebant in schismate, Gregorius XII. & Benedictus XIII. non videbantur serio cogitare de tollendo schismate per spontaneam abdicationem, quemadmodum ante Pontificatum uterque voverat & juraverat, Cardinales utriusque partis secesserunt Pisam, & tractare cœperunt, an sibi liceret invitis Pontificibus illis Concilium generale convocare, & eos*

Pon-

Pontifices deponere. Meminit Anton. hujus dissut. quæ Florentiæ habita est part. 3. Summ. Hist. tit 22. c. 5. §. 2. Deinde cum paulo post fieret Concilium Constantiense, & Johannes XXIII. qui solus ad Concilium accesserat, à Concilio clam discessisset, atq; ita Concilium sine capite remansisset, tractare Patres cœperunt, an Concilium posset invitum Pontificem judicare ac deponere? Sed maxime controversia crevit tempore Concilii Basileensis. Quia enim Eugenius Papa IV. Concilium Basileense inchoatum dissolvere volebat & impedire, ne ulterius progrederetur, cœperunt Patres quærere, an tenerentur obedire Pontifici, an Pontifex potius teneretur obedire ipsis, hoc est, generali Concilio. Et quoniam paulo ante viderant, duos Pontifices Johannem XXIII. & Benedictum XIII. depositos fuisse per Concilium Constantiense, & sic impositum fuem maximo schismati, cœperunt metuere, ne si Pontifex non teneatur obedire Concilio, iterum schisma renovaretur, & sine ullo remedio Ecclesia remaneret. Itaque hac occasione tunc plurimi in eam sententiam iverunt, ut Concilium esset supra Pontificem.

(Ergo fatente Bellarmino, tempore Concilii Pisani, Constantiensis & Basileensis plurimi non infimæ sortis homines, nec vulgares Doctores, sed Episcopi & Cardinales in eam iverunt sententiam, ut statuerent, *Concilium esse supra Pontificem.* Age verò in specie quorundam confessiones adducamus.)

Galliarum Episcopi Nicolao Papæ scripserunt, *Decretales & Bullas Romanorum Pontificum nequaquam obligare, nisi Canonum disciplinis & Conciliis antè receptis atque approbatis, essent conformes Can.* Si Romanorum. distinct. 9. Ergò statuerunt, Concilia esse supra Papam.

Ludovicus Imp. in publico Imperii edicto Anno 1338. die 8. Augusti Francofurti publicato, inter cætera sic loquitur: *Manifestum est secundum doctrinam Catholicam, quod Papa, ubi de fide agitur, subest Conciliis 16. dist. sicut in text. & in gloss. 25. q. 2. Sunt quidam 19. dist. Anastasius, 40. dist. Si Papa. Ubi de jure divino agitur Concilium est supra Papam, juribus allegatis. Cum autem pro defensione juris Imperii, quod à jure divino & fide Catholica dependet, appellaverimus, sequitur quod appellatio nostra interposita fuit ad superiorem, hoc est, ad Concilium generale &c.* Refert Nauclerus Præpos. Tubing. in Chron.

Glossa Juris Canonici in c. Legimus. dist. 93. ad verba, *Orbis major est urbe,* sic annotat: *Est hoc argumentum, quod Statuta Concilii præjudicant Statuto Papæ, si contradicant.*

Guilielmus Occam in Compendio errorum Johannis XXII. Papæ Romani. *Johannes XXII. sæpius reprehensus à diversis personis, & ut pestiferas suas revocaret assertiones, vel saltem cessaret ab eisdem per Cardinales suos & alios publicè & quotidie admonitus fuit & rogatus. Nec profuit correptio cujuscunque, quinimo correptores suos & admonitores in tantum terruit, quod etiam Cardinales, Episcopi & in Theologica Facultate Magistrati, qui aliquando fortissime sibi restiterant & ipsum reprehenderant de suis erroribus profanis & detestandis, timentes ipsius furiam, à suis correptionibus salutiferis, ne damna temporalia incurrerent, pavidi cessarunt. Quidam etiam Frater de Ordine Minorum, nomine Frater Bonagratia de Pergamo dictum Johannem in Consistorio suo publice & in scriptis corripuit, ac ut ab erroribus suis resiliret, admonuit & suasit, nec non ab ipsius erroribus in sua præsentia appellavit, cujus rei gratia prædictum Fratrem Bonagratiam ipse Johannes contra jura & justitiam statim capi fecit, & tetro carceri crudeliter mancipavit, ubi fere per annum integrum absque aliqua causa detinuit & afflixit. Cernens itaque Frater Michael de Cesena, Ordinis Fratrum Minorum generalis, Minister & Doctor sacræ Theologiæ, prædictum Johannem XXII. contra fidem & bonos mores effrenate debacchari, & pertinaciter errores suos perniciosos defendere & affirmare, & fidei Christianæ periculum imminere & scandalum intolerabile, ad quod præcavendum de necessitate salutis pro posse tenebatur, audiensque quod scilicet in faciem dictus Johannes XXII. determinationem Ecclesiæ in Decretali, Exiit, qui seminat, contentam, & in Concilio generali approbatam pluries & furiose audientibus quamplurimis asseruit & pronunciavit hæreticam, occurendum censuit esse malitiæ, & adhærentibus sibi religiosis viris Fratre Francisco de Esculo, Fratre Guilielmo de Occam, sacræ Theologiæ Professoribus, & Fratre Bonagratia de Pergamo, utriusque Juris perito, cum quibusdam aliis, à dicti Johannis XXII. erroribus (tanquam perniciosis & pestiferis) ad sanctam matrem Ecclesiam, & ad Concilium generale futurum, juste & absque dolo in loco tuto congregandum & celebrandum, per admonitionem in Conventu Fratrum Minorum ritè & legitime appellavit, & ab ipsius Johannis XXII. obedientia & communione cum sibi adhærentibus proinde recessit, & in partes Thusciæ ad civitatem Pisanam, Deo favente, properans, appellationem suam pro injuriis & gravaminibus sibi & fidei Christianæ multipliciter irrogatis, interpositam solenniter publicavit.*

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in tract. de potest. Eccles. scribit, *Ecclesiam debere obœdire Papæ in iis, quæ ad ejus ædificationem pertinent, sed si abutatur sua autoritate, posse à Concilio & Ecclesia judicari.*

Qui ad Ferrariense Concilium convenerant Episcopi, ad hunc modum loquuntur: *Quacunque facultate Romana Ecclesia prædita sit, universali tamen Ecclesia, quam Generalis Synodus præ se fert, inferior est.* Concilium Ferrariens. session. 10.

Concilium Constantiense sess. 4. Anno 1415. die 30. Martii definivit, *Papam esse Concilio subjectum.* Verba sic habent: *Ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obœdire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris &c.*

Item, *quod sanctissimus Dominus noster Papa Johannes XXIII. Romanam Curiam & Officia publica illius vel illorum Officiarios ab hac civitate Constantiensi ad alium locum non mutet aut transferat, seu personas dictorum Officiariorum ad sequendum eum directè vel indirectè cogat sine deliberatione & consensu ipsius sanctæ Synodi, & hoc, quoad illos Officiarios vel illa Officia, per quorum absentiam Concilium verisimiliter dissolveretur vel læderetur. Et si contrarium fecisset seu faceret in futurum, aut aliquos processus seu mandata contra dictos Officiarios vel alios quoscunque huic Concilio adhærentes, etiam censuras Ecclesiasticas aut alias pœnas quascunque continentes, ut ipsum sequerentur, fulminasset, fulminaret seu fulminaverit, totum sit irritum & inane, nec iisdem processibus, censuris & pœnis tanquam irritis & inanibus quomodolibet obœdiendum fore, & ea & eos irritat; quinimò dicti Officiarii in dicta civitate Constantiensi suis officiis utantur & illa exerceant liberè, ut prius, quamdiu ipsa sacra Synodus in eadem civitate celebrabitur. Item, quod omnes & singulæ translationes Prælatorum, nec non privationes eorundem aut aliorum beneficiorum quorumcunque, commendarum aut donationum revocationes, monitiones, Censuræ Ecclesiasticæ, processus sive acta & gesta, gerenda, agenda & fienda per præfatum Dominum nostrum, aut suos Officiarios seu Commissarios in læsionem Concilii seu adhærentium eidem à tempore sui recessus contra adhærentes huic sacro Concilio, vel existentes in eodem, aut in ipsorum præjudicium, seu alicujus eorundem quomodolibet ipsis invitis facta aut fienda, facta vel facti, facienda vel faciendi, ipso jure sint nulla, cassa, irrita & inania, cassæ, irritæ & inanes ac nullius roboris vel momenti, ex sua autoritate cessat, irritat & annullat.*

Franciscus Zabarellus Florentinus Ecclesiæ Romanæ Presbyter & Cardinalis, in scripto de schismate Anno 1418. *Concilium esse supra Pontificem,* confirmavit.

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis, qui Constantiensi Concilio interfuit, in Tractat. de Examin. doctrin. part. 1. consider. 2. in tractat. de auferibilitate Papæ & alibi passim hanc thesin, quod *Concilium sit supra Papam,* defendit, *admodum perniciosos adulatores esse* perhibens, *qui Tyrannidem hanc in Ecclesiam invehant, quasi neque parere debeat Concilio Pontifex, nec ab eo judicari possit, nisi de ipsius voluntate, quasi nullis legum teneatur vinculis, neque factorum ab eo possit exigi ratio. Longe nimirum repudianda esse hæc monstra verborum, quæ cum legibus, cum æquitate, ipsaque ratione pugnent, penes Concilium enim esse omnem potestatem Ecclesiæ, & eos qui rogant, utrum Pontifex major sit Ecclesia, perinde facere, ac si quærant, num parte sit majus totum.*

Idem in tractat. de potestat. Eccles. asserit, *Concilium posse autoritativam jurisdictionem exercere in Papam, utpote quam dat lex divina, ne Ecclesiæ noceat aut sibi, ut phreneticus.*

Ibid. *Concilium Basileense Ecclesiam liberabat à pestifera doctrina, quæ statuebat, Papam esse supra Concilium aut Concilio parem.*

Idem in duodecim Considerationibus circa materiam excommunicationum & irregularitatum consider. 8. *Dixerunt olim ante Concilium generale Pisanum & Constantiense, quod nullo modo licitum sit, appellare à Papa ad Concilium generale, & allegarunt jura sua pro se valde (sicut ipsis videtur) expressa. Sed constanter nunc asseritur, quod est hæresis damnata per Constitutionem expressissimam & practicatam in Concilio prædicto Constantiensi, prout alibi diffusius est ostensum.*

In

In *Concilio Basileensi* decretum illud Concilii Constantinensis, quod *Concilium sit supra Papam*, quatuor vicibus repetitum fuit, utpote sess. 2. 15. Calend. Martii Anno 1432. sess. 16. 24. April. Anno 1434. sess. 18. 6. Calend. Jul. Anno 1434. sess. 34. 17. Calend. Junii Anno 1439. ac statutum, quod *Papalis etiam dignitas generali Concilio obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem in capite & membris.*

In eadem sessione 34. *ad majorem soliditatem omnium Catholicorum in unanimi professione veritatum ipsarum definivit*, prout sequitur: *Veritas de potestate Concilii generalis universalem Ecclesiam repræsentantis, supra Papam & quemlibet alterum, declarata per Constantiense & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ. Veritas hæc, quod Papa Concilium generale, universalem Ecclesiam repræsentans, actu legitime congregatum super declaratis in præfata veritate aut aliquo eorum, sine ejus consensu nullatenus autoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei Catholicæ. Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est hæreticus. Datum in sessione nostra publica in majori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata 17. Calend. Junii, Anno à nativitate Domini 1439.* Vide Goldastum tom. 3. Const. Imp. pag. 465. & pag. 472.

In Epistola Synodali ad universos Christi fideles Patres illius Concilii sic loquuntur: *Animadvertite inprimis, ô Christicolæ, & ante oculos vestros ponite miserandum & flebilem statum religionis Christianæ, si eò redacta fuerit, ut quisque, in summo Pontificio positus, jam assecutus sit, quod nullam correctionem à Conciliis generalibus habeat pertimescere, quantumcunque Ecclesiam scandalizet & ejus statum perturbet ac decoloret, ita ut si omnes dignitates Ecclesiasticas & beneficia venderet, si Prælatos quosque invitos transferret & expelleret injustè pro libito voluntatis, etiam notorie ac injuste Reges ac Principes dejiceret, moribus perniciosis animas hominum passim perimere laboraret, crudelitates perpetraret horrendas, legem Dei confunderet, quæque salubria instituta everteret, temporalia Ecclesiæ Romanæ & cæterarum particularium Ecclesiarum dissiparet atque alienaret, aliaque innumera flagitia, scelera & crimina notoria perpetraret ac se incorrigibilem redderet, omnis Ecclesia in unum congregata, nullatenus eum à talibus coercere possit, quinimo liberum esset, quamlibet Synodum eum reprimere volentem ilico transferre vel dissolvere, persistentes in Synodo contra voluntatem ejus persequi, excommunicare, privare, inhabilitare, contumeliis & injuriis afficere, invasiones corporales adversus eos excitare; deinde quicquid Synodus statueret, præciperet, dictaret, ordinaret, penitus contemnere, abjicere, reprobare! Conspicite pro DEI reverentia, qualis ex hac re daretur introitus inimico humani generis ad subvertendum religionem Christianam, dum seducendo unum hominem posset Christianitatem in maximam desolationem dejicere, mores pervertere canones & regulas quasque dissipare Ecclesiasticas, regna & provincias conturbare, ac bonis spiritualibus & temporalibus spoliare, vitiorumque immanitatem introducere! Aperite oculos & videte, qualis ex hoc daretur ingressus Antichristo, sed & considerate, quomodo ea res fidem Catholicam confunderet atque violaret, quæ est primum fundamentum Ecclesiastici ædificii, quo everso, omnia corruunt? &c.* Vide tom. 4. Concilior. pag. 139.

Patres illius Concilii inter cætera dixerunt: *Quæ major est superbia, inquit Bernhardus, quod unus homo toti Ecclesiæ suum præferat judicium, quasi solus Spiritum sanctum habeat! Item, hæreticum esse, qui Papæ autoritatem Concilio anteponeret.* Æneas Sylvius de gest. Concil. Basil. lib. 1.

In Appendice illius Concilii: *Nonnulli os suum ponentes in cœlum, potestatem Romani Pontificis supra potestatem sacrorum generalium Conciliorum, contra juris divini & humani veritatem à sanctis Patribus alias declaratam, exaltare nituntur.*

Ibid. *Ecclesia Romana non est universa, sed de universitate corporis mystici, hoc est, Ecclesiæ. Et sic est membrum dicti corporis mystici, ut patet per B. Gregorium. Igitur ex quo est membrum dicti corporis, non est nec esse potest caput illius &c.*

Ludovicus Cardinalis Archiepiscopus Arelatensis in pleno illius Concilii consessu dicere non est veritus, quod *Oratores Eugenii ubique novam doctrinam prædicent, & Concilium Papæ subjiciant.* Ibid.

Sic ergo non solum Concilium Constantiense sess. 4. fol. 849. apud Binium, sed etiam Basileense sess. 2. fol. 20. apud eundem decreverunt, *se habere à Christo immediate potestatem, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & membris.*

Atq; hanc potestatem *non suam solum esse*, dicunt, *sed omnium Conciliorum generalium. Quicunque ajunt*, in Constantiens. sess. 5. fol. 850. & Basileens. sess. 3. tit. Monitio contra Papam fol. 21. apud Binium & Resp. Synodali prolixa fol. 100. *etiamsi Papalis dignitatis, præceptis, mandatis, statutis seu ordinationibus hujus sacræ Synodi aut cujuscunque alterius Concilii generalis obedire contumaciter consenserit, debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.*

Hanc potestatem ipso facto exercuit idem *Constantiense Concilium*, quando tres Romanos Papas deposuit, & Martinum V. elegit; eandem etiam *Concilium Basileense* exercuit, Eugenium Rom. Pont. de Sede deturbando.

(Hæc Concilia allegat Bellarminus *pro transsubstantiatione* lib. 3. de Eucharist. cap. 21. pro *communione sub una* lib. 4. de Euch. cap. 21. pro *potestate Romani Pontificis* lib. 2. de Rom. Pont. cap. 13. &c. ferat igitur etiam in hac causa judices, quia *dicendum non est, eos Patres in uno sapuisse, in altero delirasse*, inquit Bellarminus in simili negotio, cum Calvinus idem Concilium nunc recipiebat, nunc rejiciebat lib. 1. de Sanctor. beat. cap. 18. §. Secundus locus.)

Ac probe notandum, quod illi, qui negant, *Rom. Pontificem subjectum esse Concilio*, in Concilio *Constantiensi*, quod pro *Oecumenico* habent, anathemate feriantur, sess. 4. fol 848. & sess. 5. fol. 850. apud Binium.

Itemque, quod iidem in *Concilio Basileensi*, quod itidem pro *Oecumenico* habent, *Papalistæ* vocentur, apud Cassandrum fol. 886. ac *Pseudo-Catholici* & *Papistæ* apud eundē lib. de officio pii viri, oper. fol. 792.

Henricus Token Canonicus Magdæburgensis fuit Legatus Archiepiscopi Magdæburgensis in Concilio Basileensi, ac ibi edidit prolixum librum, qui adhuc invenitur, quo probavit, *Concilium esse supra Papam, posseque ac debere eum & judicare & deponere, cum justa causa adest.*

Thomas de Corsellis itidem Concilii Basileensis Assessor in eodem sic disseruit: *Sunt aliqui sive avidi gloriæ, sive quod adulando præmia expectant, qui peregrinas quasdam & omninò novas prædicare doctrinas cœperunt, ipsumque summum Pontificem ex jurisdictione sacri Concilii demere non verentur. Excæcavit namque illos ambitio, à qua non solum hoc modernum, sed omnia usque in hunc diem schismata suborta reperiuntur.*

Julianus Cardinalis S. Angeli, qui Concilio Basileensi præfuit, ad Papam Eugenium duas scripsit Epistolas, quæ cum Æneæ Sylvii libr. de gest. Conc. Basil. sunt impressæ, in quibus probat, *Concilium esse supra Papam.*

Gregorius Haimburgensis (*inter Jurisconsultos Germanos facilè Princeps*, ex judicio Æneæ Sylvii, postea Pontificis Pii II. Comment. lib. 3.) in Confut. primatus Papæ: *Sacrum Concilium Basileense, quia in reformatione cœpta Curiam Papæ tetigit, ventum validum contra se commovit, ita ut navicula Petri videatur quasi fluctibus absorpta, quæ cum mergi non possit, fluctuat. Quod fit, quia hi, qui primò contra insolentias Eugenii fuerunt in ipso, & cum ipso sacro Concilio ferventissimi, (ita quod electionem ejus etiam publicè declararunt invalidam, & ad ejus usque depositionem, nisi humiliatus fuisset, erroresque suos retractasset, processerunt,) per eum corrupti, jam contra ipsum sacrum Concilium, una secum errores ejus approbantes, sine fœdere bellant, primatumque, quem sacro Concilio prius Catholicè adscripserunt, ipsi nunc erronee adscribere non verentur. Meretrix enim supra descripta tot habet amatores, ne dixerim adulatores, de vino prostitutionis ejus inebriatos, ut Sponsa Christi unica, & ejus repræsentativum Concilium inter mille vix potuerit unum verum amatorem habere. Propter unum enim capitosum hominem, in errore de spiritu libertatis aberrantem, tamdiu reformationi Romanæ Ecclesiæ se opponentem, totam Ecclesiam perturbantem, errores carnalium Paparum, de quibus dictum est, sequentem, imo plus potestatis, quam aliquis suorum prædecessorum usurpantem, pro primatu supra generalia Concilia contendentem, ebrii & cæcutientes videntur omnes fore & spirituales & seculares, specialiter Alemanni, de quibus plus miserandū est.*

Idem in appellatione contra Pium II. *Apostolorum legitimos successores constat esse Universalia Concilia, Christianæ fidei firmamenta, quæ Pontificum actiones pro tempore saluberrimis doctrinis instruxerunt, & errores emendaverunt. De quibus summus ille Pontifex Gregorius scribit: Quisquis illa destruere tentaverit, seipsū destruit. Sed quorsum hæc? eo certè pertingunt, ut convellatur illa superstitio,*

in qua

in qua Papa Pius factionibus Cardinalis Cusani astruit, Concilium supra Papam non esse, dum dicit, ad futurum Concilium, quod supra Christi Vicarium esse nequit. Videte ergò, quam vim omnis Concilii exterrem, Papa inferre tentaverit? Nam si omnes Apostoli missi sunt à Domino Jesu, dicente illis: Ite in orbem &c. quodcunque lig[illegible] eritis &c. quos constat conciliariter esse postea congregatos, ac ipsum Cepham in messem Domini misisse, quis dubitat, sacra Concilia vicem Christi gerere, quæ & cætui Apostolico successisse comprobantur? Siquidem orbis major est urbe.

Et postea. *Sed reprimo me, pergens ad illius decreti vanitatem, in quo vetantur oppressi vel opprimendi ad Concilium provocare, quod non est, & quòd (ut ait) Concilium supra Papam esse nequit. Jam supra ostensum est, cætum Apostolicum fuisse supra Petrum, & nunc affirmo, quòd sicut ad Sedem Apostolicam vocantem appellari potest, sic ad Concilium, quod nondum est congregatum, ritè appellatur, quia potestas Ecclesiæ immortalis est, quemadmodum ipsa Ecclesia, quæ etsi nunc dispersa est, aliquando tamen habet congregari, & hoc nunc maxime opus esse nemo dubitat, qui calamitates Ecclesiæ intelligit & cognoscit, cujus si Papa partem se esse fateatur, se utique minorem illa fateri necessarium est, siquidem orbis major est urbe.*

Ibid. *Hæreticum me audet nuncupare, qui ajo, Concilium orbis Christiani fore supra Papam; hæreticus est Papa, qui contrariam sectam foret.*

Panormitanus (Nicolaus Siculus de Tudeschis Archiepiscopus & Cardinalis) in c. Significasti. ext. de Electione statuit, *Concilium esse supra Papam.*

Super 1. partem prim. Decretal. f. 142. *Non est simpliciter dicendum, Papam esse supra Concilium. Non potest Papa disponere contra dispositum per Concilium. Concilium potest condemnare Papam de hæresi.*

Defendit etiam idem Panormitanus Concilium Basileense contra Eugenium, sed tandem, ut in suis Commentariis refert, *Eugenium non tam volens, quàm jussu sui Regis defendit*, quin etiam ait, *se, cum tandem in Concilio victus esset, domum sese mæstum recepisse, ibique diu secum questum de suo Rege, qui se invitum compellat contra veritatem pugnare.*

Narrat autem Æneas Sylvius, *& quendam Ludovicum Protonotarium Romanum*, quem plurimum, *eruditionis & ingenii* nomine deprædicaret, *eundem Eugenium contra mentem suam defendisse, sed non ita multo post pene subitanea morte extinctum esse, non enim ultra 36. horas ægrotantem jacuisse.*

Idem Æneas Sylvius (antequam Pontifex Pius II. fieret) defendit, *Concilium esse supra Papam*, quod etiam inde patet, quia laudat *Coloniensem Scholam*, quæ idem publico scripto probaverat. Verba Epistolæ sic habent: *Æneas Sylvius Rectori & Universitati Studii Coloniensis S. D. Homini Christiano, qui vere Christianus vult dici, nullam rem magis cordi esse convenit, quam ut fidei, sibi per majores à Christo traditæ, puritatem servari ab omnibus immaculatam studeat. Et quippe si quando adversus Evangelicas traditiones aliquid instruitur, surgendum populariter est & ad commune restinguendum incendium afferre aquam omnes tenemur. Nec timendum est, ut inimici aut invisi fiamus verum dicentes, resistendum est quibuscunque in faciem sive Paulus, sive Petrus sit, qui ad veritatem non ambulat Evangelii. Quam rem fecisse per hos dies Universitatem vestram gaudio in hoc sacro Concilio Basileensi gaudemus omnes. Allatus namque ad nos est tractatulus quidam vester, quo imperitiam, vel verius dicam, temeritatem illorum arguitis, qui subjectum generali Concilio Romanum Pontificem esse diffitentur, quos sic vivacibus rationibus & Scripturarum veritate premitis & retunditis, ut nec tanquam lubrici angues se evolvere, nec in aliquo cavillari aut sugillare queant &c.*

Idem lib. 1. de gest. Concil. Basil. *In Basileensi Concilio disputatum fuerat, num Papa supra Concilium esset, nec ne? Cum boni omnes id negarent, at in gratiam Eugenii IV. Pontificis quidã, ex quibus erat Achilles Panormitanus, hanc conclusionem, ne promulgaretur, impedirent, jamque magnus tumultus esset exortus, ut, cum causa non possent, strepitu saltem vincerent Eugeniani. Ludovicus Cardinalis Arelatensis Concilio præfectus simulavit, novos se ex Gallia nuncios habere, turbarum illic plena esse omnia; si paterentur, sese narraturum. Assentientibus universis, silentioque impetrato Historiam seu fabulam potiùs narravit. Et sensim ad causam accedens Eugenii Legatos nova doctrina Galliam perturbasse dixit, autoritatem Pontificis Concilio potiorem esse asserentes, eosque multis fidem facturos, nisi citò occurratur. Interesse igitur Concilii, ut ea, quæ vere disputata fuissent, concludantur; sese igitur, pro ea, qua fungeretur autoritate in nomine Trinitatis concludere, Papam Concilio subjici. Hoc pio astu Gallus homo Italos & Hispanos, quamvis nasutissimos & in conclusione impediendâ pertinaces, elusit.*

Ibid. fol. 5. *Necesse est, ut Pontifex Concilio subjiciatur. In Hieronimi sententia tanquã in agro fertilissimo versor, ubi dicit, autoritas orbis major est urbe Magna Papæ autoritas, qui Romanæ Ecclesiæ præest, sed major est autoritas Universalis Ecclesiæ, quæ si mater est omnium fidelium, filium habet etiam Romanum Episcopum; alias verò, sicut Beatissimus prædicat Augustinus, nunquam habebit Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem. Quod Anacletus* (Papa) *intelligens Universalem Ecclesiam, matrem suam appellat: & Calixtus* (Papa) *ait: Sicut Filius* (Christus) *venit facere voluntatem Patris: ita & nos debemus implere voluntatem matris nostræ, quæ est Ecclesia. Papa igitur debet subesse Concilio, quod est Ecclesia: unde & Petrus alio nomine est Simon appellatus, quæ Hebraica vox (ut Rabano placet) interpretatur obediens, ut intelligerent omnes, etiam in Romano Pontifice necessariam esse obedientiam.*

Ibid. *Veritas est Catholicæ fidei sacrum generale Concilium supra Papam & alium quemvis potestatem habere.*

(Sed postea pius II. Pontifex factus Epist. 400. ad Senatum Norinbergensem *excommunicavit Gregorium Heimburgensem propter appellationem ab ipso Papa ad Concilium factam, ac ejus bona publicari jubet.* Narrat simul, *Diabolicam quandam hæresin, quod quidam sibi jus appellandi à Papa ad Concilium vendicent, & putent, Concilium esse supra Papam, sensim crevisse, sed se jamdum eam cum suis fratribus Cardinalibus damnasse.* 18. Octobr. Ann. 1460.)

Ann. 1438. in Comitiis ab Alberto Moguntiæ indictis, Theologi octo conclusiones (quas veritates appellabant) conscripsere, inter quas etiam hæ fuere, *1. Veritas est fidei Catholicæ, sacrum generale Concilium supra Papam & alium quemvis potestatem habere. 2. Generale Concilium legitimè congregatum sine ipsius consensu nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex autoritate sua potest Romanus Pontifex, idque veritatis ejusdem est. 3. Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus. 4. His veritatibus Eugenius IV. repugnavit, cum primo ex plenitudine potestatis Apostolicæ Basileense Concilium dissolvere sive transferre attentavit. 5. Errores his veritatibus repugnantes monitus, tandem per sacrum Concilium Eugenius revocavit &c.* (Exemplaria harum propositionum per totum orbem spargi curarunt.)

In Appendice Concilii Basileensis tom. 3. Conciliorum habetur Tractatus Ann. 1434. à Johanne Patriarcha Antiocheno conscriptus, quem Basileæ in magna Franciscanorum aula publice recitavit, *quod Concilium generale sit supra Papam.* Ejus initium est, *Ad ostendendum.* In eo ex Patribus & Decretis ipsis probat, *Romanum Pontificem esse Ecclesiæ servum, castigandum ab ea, si officio perperam fungatur.*

Jacobus de Paradiso lib. de sept. Statib. Ecclesiæ & ejus reformat. *Ponere se supra totam Ecclesiam, aut supra generalia Concilia legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentantia, non est aliud, quam totam spem reformationis Ecclesiæ auferre, & uni homini peccabili se committere, qui & se & Ecclesiam per devia erroris ducere potest. Inde infertur hoc inconveniens, quod Christus Ecclesiæ suæ post suam ascensionem insufficienter providerit, committens eam uni, qui eam in damnationem inducere potest, pro qua ejus salute, ipse de cœlo descendens, proprium sanguinem fudit, & animam suam ponere dignatus est in mortem. Et quis Regum temporalium peregre proficiscens in omnem eventum absolute & sine correctione committet populum suum uni ad gubernandum sine omni conditione, & sine omni contradictione singulorũ, ne aliter facere auderet, quàm ille præceptus esset, sive bene, sive male? & non potius populus in unum congregatus, incarceraret aut deponeret illum perverse regnum gubernantem? Sic de Sponsa commissa per Sponsum peregrinantem uni militi, qui eam stuprare vellet, deberetne ei ex commissione generali Sponsi obedire? Quis hoc nisi insanus diceret? Sic simili modo in Papa & Ecclesia.*

Et postea. *Auferre igitur à Papa correctionem, imo potestatem deponendi, est maximæ impietatis; & ipsum statuere in plena audacia peccandi & per consequens furioso dare gladium, ut seipsum sine resistentia interimat. Mittunt igitur Papam in foveam damnationis, & cum eo damnantur, qui eum subesse Ecclesiæ Universalis correctioni contradicunt.*

Ibid. *Inspiciamus primum Papam, qui cum in vera fidei confessione Christum Dei Filium pronunciasset, dictum est ei à Christo, Beatus es Simon Bar-Jona. Cum vero à vera Dei regula, quoad Christi passionem impediendam (quanquam pie illud fuisset visus sensisse) ei dixisset: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Respondit Jesus Petro: Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea*

quæ

quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum Matth. 16. *Ecce qualis mutatio facta est in eodem homine, non persona mutata, sed habitu mutato, de beatudine in Satanam! Et, si simile contingeret in persona Papæ, cur non similesibi attribueretur in appellatione, cum ipse sit successor Petri? Non inde potestas culpatur, sed vitium personæ in reprobum sensum mutatæ. Cur ergo quis audeat dicere, Papam non posse corrigi aut deponi per Ecclesiam conciliariter congregatam? cum tunc non censeatur agere ut Papa, sed ut degenerans de dignitate Papali incorrigibilis existit, & scandalizat Ecclesiam, sicut Petro dictum est, Scandalum mihi es.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 2. de Concord. Cathol. cap. 7. *Quia sedentes in ipsa Sedem (Romana) ab hominibus assumuntur deviabiles & peccabiles, & nunc maxime mundo ad finem tendente & malitia excrescente, sua potestate ad ædificationem data, ad destructionem abutuntur, quis dubitare potest sana mentis Universale Concilium tam in abusum, quam in abutentem potestatem habere &c. universaliter dici potest; Universale Concilium esse omni respectu tam supra Papam, quam supra Sedem Apostolicam.*

Lib. ejusd. cap. 34. *Quantum ex hoc, clare probatur, autoritatem Synodi supra Papam esse, & etiam Commissarios Synodi, vicem totius Synodi gerentes, Papæ in commisso præferri.*

Et postea: *Quare concluditur, Universale Concilium rite adunatum, licet gradationes inter se habere possit, quod judicia: est tamen semper majoris autoritatis & minoris fallibilitatis, quam Papa tantum. Ex quo sequitur corollarie, Universale Concilium etiam in alio, quam hæresis casu Papam deponere posse. Sicut hoc etiam de Benedicto XII. & Johanne XXIII legitur. Et hoc probatur ext. c. 1. de renunc. lib. 9. Quia si Papalitas ab hoc subjecto materiali, scilicet isto homine, est judicio ipsius Papæ, dum se inutilem judicat, removibilis, ut ibidem & hic habetur, majoris autoritatis esse Concilii judicium, quam Papæ tantum & minus fallibile, tunc clarum est, quod sicut Papa tunc potest ex causa legitima cessare ab administratione, ita etiam subjecti communi consilio possent ex eodem casu in præstando obedientiam cessare, quando inutiliter administraret. Dum enim Prælatus eligitur, eligitur ut præessendo prosit. 1. q. vers. ecce cum honore 8. q. 1. qui Episcopatum 28. q. 1. jam nunc. c. de renunc. non cum pridem vers. porro 23. q. 4. quisquis. Unde, quando inutilis est, tunc conditio tacita, secundum quam consensus intervenit, & cessante causa, propter quam electio facta est, præstant illam autoritatem sic ipsi Concilio à fortiori, quam seipsum in illo capite primo Papa habere dicit. Et non habet aliquis ratione utens in hoc dubium, quin major sit potestas ipsius Concilii Ecclesiam repræsentantis in Papalitatem, ut secundū utilitatem Ecclesiæ materiale ejus subjectū disponatur, quam unius hominis injudicio in ipsam Papalitatem sibi nomine Ecclesiæ, & propter ipsam adjunctā.*

Idem. *Cum Papa sit membrum illius Ecclesiæ, quæ corpus Christi mysticum dicitur, potestas Ecclesiæ est supra Papam, ut ex Augustino constat, qui in causa Cæciliani de Miltiade Papa dicit. Si judices tuos malos fuisse putamus, qui Romæ judicarunt, restat Concilium plenarium, ubi cum ipsis judicibus causa possit agitari, si male judicasse convicti fuerint.*

Idem. *Papam non esse supra Ecclesiam ex Augustino, Cypriano, & Gregorio Papa, etiam ex Ambrosio & confessione Pontificum constat.*

Wernerus Rollvvink Pastor Hofensis in Fasciculo temporum. *Determinavit quadam sancta Synodus, quod Concilium legitime congregatum repræsentat Ecclesiam Universalem, & potestatem habet à Christo immediate, cui omnis Status, etiam Papalis, obedire teneatur in his, quæ sunt ad generalem reformationem Ecclesiæ, scilicet in fide & moribus, tam in capite, quam in membris.*

Jacobus Almain 3. sent. dist. 24. q. 1. dub. 6. *quæstionem de fide ad summum Pontificem deferendam esse*, scribit: *non ut ferat sententiam, sed ut Concilium congreget, & Concilium indefectibiliter determinet.*

Alphon. à Castro lib. 1. contra hæres. c. 2. *Si tanta esset solius Papæ autoritas, quanta totius Concilii plene & recte congregati, frustra tantus labor pro Conciliorum congregatione sumeretur. At cum semper judicatum fuerit, Conciliorum congregationes maximi esse momenti ad lites, quæ de rebus fidei emergere subinde contingit, tollendas, convincitur inde aliquid magis esse autoritatis penes totum Concilium recte, ut decet, congregatum, quam penes solum Pontificem.*

Lib. ejusd. cap. 6. *Concilium Constantiense, non dubito, à Spiritu sancto fuisse congregatum. Atqui illud definivit, quod Concilio generali quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur &c.*

Lib. ejusd. cap. 18. dicit: *Sedem Apostolicam proximum post generale Concilium in definiendo locum habere.*

Beatus Rhenan. ibidem *Concilio majorem autoritatem tribuit, quam Papæ*, inde in indice Expurgatorio apud Junium pag. 165. sic legitur: *Epist. Beati Rhenani lib. 10. ob errorem, de primatu Petri, quo adulationem appellat hanc assertionem, Papam esse supra Concilium, deleatur.*

Parisienses Theologi Concilium Basileense, in quo sess. 33. statuitur, *fide Catholica tenendum esse, quod Concilium sit supra Papam*, laudatur, ac ejus autoritatem defenderunt contra Leonem X. quod scriptum Parisiensium publice extat.

A Synodo Lateranensi articulum istum, *quod Papa sit supra Concilium*, recipiente, ad Oecumenicum Concilium provocavit *Academia Parisiensis*; quod fecerant quoque *Universitates Coloniensis & Lovaniensis*, teste Ænea Sylvio, necnon *Viennensis & Cracoviensis*, quemadmodum Cromerus de rebus Polonor. lib. 21. refert.

Orthvinus Gratius in Fasciculo fol. 240. *Seminarium malorum est omnium, summum Pontificem Universali Concilio non velle obedire.*

Franciscus Picus (Johannis Pici Mirandulani Comitis ex fratre nepos) lib. de fide & ordine credendi, tractans quæstionem in Pisani & Lateranensis Concilii conflictu agitatā, *An in causa fidei decernenda Pontifex Concilio, vel Concilium Pontifici præponi debeat*, ex Decreto ipso respondet: *Scribitur in Decretorum Glossis dist. 19. Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, ubi de fide agitur, & tunc Synodus major est Papa. Quamobrem Archidiaconus Bononiensis Glossam ipsam probans, inquit, periculosum esset fidem nostram unius hominis arbitrio committere. Ad hanc ferme sententiam Bernhardus loquitur, inquiens, Quæ major superbia, quam quod unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam solus habeat Spiritum sanctum?*

Stephanus Pascasius Theologus Parisiensis, cum Anno 1565. pro antiquissima Academia Parisiensi contra Jesuitas in regno Galliæ non suscipiendos publice disputaret, *Gallos Pontificem quidem tanquam caput & Principem Ecclesiæ agnoscere* concludit, *sed ita, ut Oecumenicis Conciliis, tanquam inferior parere teneatur* Jac. Aug. Thuanus lib. 36 Histor.

Anno 1540. editæ sunt duæ Epistolæ *Decani & Canonici cujusdam* de quæstione, *An Statui & dignitati Ecclesiasticorum magis conducat admittere Synodum nationalem, piam & liberam, quam decernere bello?* In earum posteriore Canonicus sic loquitur: *Nec consistere illud nuperum inventum potest, Papam supra Concilium esse, & facultatem habere decreta Conciliorum rescindendi. Petrus, Apollo, Paulus ac mundus totus Ecclesiæ sunt, Ecclesia vero Christi est, non Petri aut ullius creaturæ. Ministros Ecclesiarum te prædicaverunt Apostoli, atque minister non supra eum est, cui ministrat. Hinc prisci Pontifices se ipsi Conciliorum judiciis ultro subjecerunt, tamq; alienum à suo munere judicarunt Conciliorum decreta rescindere & sacros Canones vel ipsos transgredi, vel aliis id permittere, ut illud ipsum esse blasphemiam in Spiritum sanctum statuerint. Nosti illud Zozimi, Contra Statuta Patrum concedere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest autoritas. Et legi illi Christi, Si peccaverit in te frater tuus &c. ipse quoque Pontifex subjectus est, quod & Canonistæ tui fatentur.* (Apud D. Hortlederum tom. 1. lib. 1. de causis bell. Germ. c. 34.

Cum in Concilio Tridentino titulo decretis præfigendo, Sacrosancta Synodus &c. Antistites Galli addendum esse dicerent, Ecclesiam Universalem repræsentans, eamque opinionem plerique omnes Episcopi assensu suo confirmarent, Legati Pontificii secum reputantes hunc titulum in Constantiensi & Basileensi Conciliis tantummodo usitatum, ea vero imitando & memoriam eorum renovari, & autoritatem confirmari & fenestram aperiri admittendis iis difficultatibus, quibus Ecclesia Romana eo tempore conflictabatur: tum advertentes etiam post adjecta ea verba, Ecclesiam Universalem repræsentans, potuisse nonnullis venire in mentem, quæ continuo sequuntur verba, (quæ potestatem immediate à Christo nacta est, cui unusquisq; etiamsi Pontificia dignitate obedire tenetur; strenue se opposuerunt, & sicut ab ipsis Romam perscriptum est) expressis verbis obstiterunt, uti refert Petrus Suavis lib. 2. Histor. Conc. Trid. pag. 155.

In eodem Concilio Tridentino Cardinalis Lotharingius monuit, *dictum illud Pontificem autoritatem habere regendi Ecclesiam Universalē, ab Gallia admitti nullo modo posse, & si deinceps proponatur, non posse committere Oratores, ut non protestentur nomine Regis & præsulum Gallorum, à quibus id, ut faciant, mandatum semper in promtu habituri sint, præjudicaturum id opinioni, quæ ab omnibus in Gallia tenetur, nempe Concilium esse supra Papam.* Petrus Suavis lib. 7. Hist. Concil. Trid p. 771.

Doctor Seldius Cæsaris Cancellarius egit cum Delphino Nuncio

Pontificis in aula Cæsarea, ut curaret expungenda è decreto Concilii illa verba, Universalem Ecclesiam, ne fomenta darent opinioni de Papæ supra Concilium potestate, affirmans, hoc rerum Statu tempestivum non esse de hujusmodi re disceptare. Scire Cæsaream Majestatem, seque etiam ipsum, Carolum V felicis memoriæ, in hoc articulo contrariam opinionem tenuisse, & cavendum inprimis, ne occasionem aliquam Cæsari, aliisque Principibus præbeant declarandi, quid de hac re sentiant. Hisce addebat illud, quod ipse Lotharingus ad se scripserat, se non esse jam tempus tractandi difficultatem, quam afferebant illa verba, Universalem Ecclesiam &c. & simul quod Tridento perscriptum erat, illum Cardinalem asseverare non posse, aut se aut præsules Gallos ea admittere, ne Canone sanciant opinionem toti Galliæ contrariam. Et falli eos, qui crederent, ubi ventum esset eò ut aperte quisque loqueretur & peteretur declarari, quod Papa non sit supra Concilium, illam opinionem non plures & fautores & propugnatores habituram, quam plerique somniarent. Idem Petrus Suavis lib. 7. Histor. Concil Trident. p. 797. 798.

Cardinalis Lotharingus in sententia dicenda divertit in eam Gallorum assertionem, quod Concilium sit supra Papam, adjiciens, ita definitum in Concilio Constantiensi & Basileensi. Idem p. 837.

Ipsum Tridentinum Concilium Papisticissimum nunquam & nusquam agnovit Romanum Episcopum *pro superiore in causis fidei, si abstraheretur à Concilio, eiq; contradistingueretur*, quod ex Andradii defensione pro Concilio scripta apparet, qua omnino negat, *Papam si separetur à Concilio, hoc esse superiorem aut magis infallibilem*, negat quoque, *Ariminense Concilium ideo non obligare, quia à Papa confirmatum non fuit.* Vid lib. 1. pag. 59. 60. 75 88 sequ. ac refert Espensæus Digress 2. In Epist. ad Tit. fol. 480. oper. *Papam Pium IV in illa oratione qua Patribus Tridentinis gratias egit, quod ab emendatione morum Romanam Sedem ejusq; assectas semper exemerint, fuisse pollicitum, se Concilii reformantis autoritatem non declinaturum.*

Cum consultaretur de decretis Concilii Tridentini à Papa confirmandis sess. ult. licet illa confirmatio *non superioritatem supra integrum corpus, sed ratione præcipui membri*, ex ipsorum Papistarum hypothesi inferret, & Papa id tantum confirmando efficeret, quantum in se est, restiterunt tamen tres Episcopi ac contradixerunt, *ne Confirmatio à Pontifice peteretur, quia Concilium per se sufficeret ad autoritatem suis Decretis impertiendam*, ut est in Actis Antuerpiæ à Shellio excusis, sed à Binio Carranza & sequentibus Curatoribus Actorum mala fide omissum.

Petrus Crespetius in summa fidei Cathol. & Discipl. Eccl. in verbo Concilium tit. *An Concilium sit supra Papam*, scribit: *Absque hæresi neminem defendere posse, quod in Concilio Basileensi & Constantiensi definitum, Concilium esse supra Papam.* Sed idem Crespetius in verbo Papa, tit. *Papa an sit supra Concilium generale*, sic scribit: *Dictum est ex superiori annotatione, quia a nemine possit summus Pontifex judicari, nisi cum Concilium sanctum in judicium vocaverit, & legimus, quod in Concilio generali 6. Papa judicatus est, atque Concilium Milevitanum corripit summum Pontificem, eò quod communionem his dedisset, quos excommunicaverat.*

Franciscus Duarenus lib. 3. de sacris Eccles. minister, cap. 2. *Pontificem Concilio subesse requirit jus divinum, non enim uni Petro, cujus successor dicitur Pontifex Romanus, data est à Christo potestas ligandi & solvendi, sed toti Ecclesiæ.*

Andreas Friccius lib. 4. de Republ. emend. cap. 5. *Ambitiosæ sunt magis, quam fructuosæ disputationes de Pontificia potestate supra Concilium. Quorsum enim cogitur Concilium, si major est potestas Papæ? Cur quidam Papæ sententiâ Concilii non modo in ordinem redacti, sed & hæretici pronunciati? Non est major urbs orbe, nec pars toto, ne caput corpore in quo & ipsum caput & omnia membra continentur. At capitis est, membris aliis vires dare, quæ sine illo salva esse non possint. Esto. Veruntamen & vires ejusmodi capitis insanas aliquando fuisse audivimus, & non si caput insaniat, mox alia membra insanire necesse sit.*

Andreas Rivetus in Cathol. orthod tract. 1. q. 17. p. 273. *Novi duas tertias Pontificiorum, qui in Gallia vivunt, veteri Sorbonæ doctrinæ adhærere, quod Concilium sit supra Papam.*

Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disput. 5. q. 5. dub. 4. num. 124. fatetur, Abulensem in cap. 18. Matth. q. 108. & in Defensorio trium Conclusionum, ac Navarrum statuere, quod Concilium sit supra Papam. Idem tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 4. dub. 8. num. 308 & seqq. fatetur, quod quidam Cardinales Concilia & Canonistæ statuant, Papam esse infra Concilium.

2. Quod quidam ex ipsis Pontificibus se Concilio subjectos agnoverunt.

Nicolaus Cusanus lib. 2. de Concord. Cathol. cap. 18. & seqq. *Est Epistola Papæ Damasi in Epistolis Ambrosianis inserta, ubi Papa ipse fatetur, in causa Bonasi post Concilii decretum sibi formam judicandi minime competere. Neque, inquit, contra sententias vestras mihi tentandum est aliquid. Vide Ambrosium* Epist. 71. 73. *Zozimus Papa dicit: Contra Statuta Patrum aliquid condere aut mutare, nec nostræ Sedis potest autoritas. Leo Papa in Concil. 8. Canonibus Nicenis necesse est me perseverantem exhibere famulatum.* Ex *quibus clare constat, autoritatem Synodi esse supra Papam.*

Franciscus de Victoria lib. 2. de potest. Papæ, relect. 4. *Tempore Conciliorum antiquorum Pontifices similes erant Patribus Conciliorum, ut non opus esset, aliquo decreto ad revocandum ab infrenata & immoderata licentia. Nam si bene revolvuntur Historiæ, reperiemus, quod non præsumebant Pontifices decreta Conciliorum tam facile dispensare, sed tanquam divina oracula observabant. Sed jam nec mala nostra, nec remedia pati possumus.*

Hasce assertiones confirmant quorundam Pontificum exempla.

Post sententiam *Melchiadis Papæ* (qui sedit circa annum 311.) judicavit eandem causam Episcopus Arelatensis, teste Augustino Epist. 162. *Ecce*, inquit, *putemus illos ipsos Episcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos judices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.*

(Excipit Bellarminus, *causam illam iterum judicatam fuisse, nō quia oporteret; sed quia voluit Imperator acquiescere Donatistis petentibus aliud judicium, si forte in duobus judiciis condemnati sanarentur.* Atqui Donatistæ petierant judices ab Imperatore, cur non ad Papam provocarunt, si ipse summus judex? Imperator eis dat judices, quare non respondet, *hoc Papæ competere?* Inter alios judices datur Episcopus Romanus, si ipse solus summus judex, *cur adduntur illi alii?* Donatistæ provocant ab hoc judicio ad Imperatorem. Si non licet de Papæ judicio ulterius dubitare, cur fugiunt ad Imperatorem, quinimo cur Imperator alios dat judices, & de ipso Papæ judicio ulterius quæri permittit? Ac probe notandum, quod Augustinus Concilio plenario tribuat, *illud non solum de causa Donatistarum judicare posse, sed etiam de Melchiade Papa & aliis judicibus ab Imperatore ad causam dijudicandam constitutis.* Ergo summam autoritatem ac potestatem non Pontifici, sed Concilio tribuit.)

Liberius Episcopus Romanus (qui sedit circa annum 351.) cum sibi Constantinus Imperator obsisteret in Athanasii causa, nunquam jactavit ullam suam œcumenicam autoritatem, sed Concilium indici postulavit, apud Theodoretum lib. 2. Hist. cap. 16. *Si tuæ Clementiæ*, inquit, *ita visum sit, judicium haberi jubeto.*

Et paulo post: *Omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accusatores & causæ eorum patronus, sunt: atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter feramus.*

Innocentius Episcopus Romanus (qui sedit circa annum 402.) scribens ad Clericos Constantinopolitanos de Chrysostomi negotio, hæc habet inter alia, (apud Sozomenum lib. 8. cap. 26.) ἀλλὰ τί κατὰ τῶν τοιούτων νῦν ἐν τῷ παρόντι ποιήσομεν; ἀναγκαία ἐστὶν διάγνωσις συνοδικὴ, ἣν καὶ πάλαι ἔφημεν συναθροισθῆναι. *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria est Synodalis cognitio, quam etiam multo jam antea congregandam diximus:* μόνη γὰρ ἐστὶν ἥτις δύναται τὰς κινήσεις τῶν τοιούτων καταστεῖλαι καταιγίδων, ἧς ἵνα τύχωμεν, χρήσιμα τέως ὑπερτίθεσθαι τὴν ἰατρείαν τῇ βουλήσει τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest, quam quidem, donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei & Christi ejus Domini nostri.* (Si sola Synodus fuit remedium conveniens. Ergo non arrogavit sibi dominium in Synodum, nec sibi soli eam potestatem vendicavit, quæ est Concilii.)

Zozimus Papa (qui sedit circa ann. 419.) se aperte inferiorem Concilio fatetur, dum Galliæ Episcopis respondet, *Sedis Apostolicæ autoritatem sacris Collegiorum sanctionibus derogare non posse*, Can. Contra. caus. 25. q. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest autoritas, apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.*

Leo Magnus Episcopus Romanus (qui sedit circa annum 440.) post Ephesinam Synodum secundam λῃστρικὴν dictam, ad Theodosium Augustum Epist. 24. sic scripsit: *Ecce ego Christianissime & venerabilis Imperator cum Con-Sacerdotibus meis obsecramus, coram Deitatis inseparabilis Trinitate, quæ tali*

tali facto læditur, ut omnia in statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. (Sic ergo Leo suam autoritatem non extulit supra Concilium, sed provocavit ad majus Concilium.)

Idem Leo in causa Anatolii, ejus, qui post Flavianum factus erat Episcopus Constantinopolitanus, à quo petebat sibi dari confessionem fidei, eo fine, quem ipse exponit ad Theodosium Augustum scribens Epist. 33. *ut si Constantinopolitanus Antistes in eandem confessionem consentit, securi, ut dignum est, de Ecclesiastica pace lætemur, neque aliquid residere videatur ambiguum, ut de superfluis forsitan suspicionibus laboremus. Sin vero aliqui à puritate nostræ fidei atque Patrum autoritate dissentiunt, Concilium Universale intra Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, Clementia vestra concedat, ut in unum convenientibus his, qui aut ignorantia, aut temere lapsi sunt, correctionis remediis consulatur.*

Ejusdem *Leonis Epistolam Concilii Chalcedonensis Patres examinarunt*, teste Evagrio lib. 2. cap. 18. ac Leo ipse Epist. 63. dicit: *Epistolam suam à Concilio fuisse approbatam*. Agnovit ergo, Concilium esse Papali dignitate superius.

(Excipit Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 19. *Epistolam hanc à Leone esse missam, non ut continentem ultimam & definitivam sententiam, sed ut instructionem tantum.* At si Concilium non est supra Papā, injuste egerunt Patres Chalcedonenses, quod Epistolam illam Leonis examinaverint, ac de ea judicaverint, quia absq; omni inquisitione & examine eam recipere debuissent.)

Gregorius Magnus (qui sedit circa annum 590.) Can. Sicut sancti. dist. 15. *Se quatuor generalia Concilia venerari fatetur, sicut quatuor libros sancti Evangelii, quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos religant, aut religare, quos solvunt.*

Idem Gregorius lib. 4. Epist. 82. ad Johannem Episcopum Constantinopolitanum scribens, dicit: *se Dominicum præceptum Matth. 18. v. 17. Dic Ecclesiæ, servasse, monuisse illum per se, misisse etiam alios, qui monerent*, tum subjungit: *Sed quia in mea correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere.* (Ergo Gregorius ipse agnoscit, Ecclesiæ judicium esse superius judicio Romani Episcopi. Per Ecclesiam enim non intelligit se unum, sed plures Episcopos in Concilio vel extra Concilium judicantes. Frivolum proinde est, quod Bellarminus dicto loco excipit, *præceptum illud Christi locum habere in Episcopis, quorum delicta non ad suam, sed ad altiorem Ecclesiam deferenda, nullo autem modo in Pontifice Romano, qui solius Dei judicio reservandus*; cum tamen verba Christi sint generalia, *si peccaverit in te frater*; Item, Pontificem hoc præceptum Christi eo modo implere, *ut eum, qui peccavit, corripiat privatim, deinde adhibeat testes, postremo dicat Ecclesiæ, id est, sibi ipsi ut Præsidi & Ecclesiæ, cui ipse præest.* Atqui si ipse Papa in alium peccet, qua actionis forma tunc utendum erit?)

Nicolaus Pontifex (qui sedit circa annum 858.) c. Præcipue 11. quæst. 3. ad Lotharium Galliæ Regem scribens, monet eum, *ut communionem Gualdrudæ pellicis vitet. Cave*, inquit, *ne duos aut tres testes adhibeamus juxta Domini præceptum, ut hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus, & tu de cætero fias cunctis sicut Ethnicus & publicanus.* (Fatetur ergo Nicolaus, Ecclesiæ judicium esse superius.)

c. Sancta dist. 16. recitatur ex diurno libro professio Romani Pontificis, quam olim edebat, cum promovebatur ad Episcopatum. *Sancta octo Universalia Concilia, primum Nicenum, secundum Constantinopolitanum, tertium Ephesinum, Chalcedonense quartum & quintum. Item Constantinopolitanum sextum. Item Nicenum septimum, octavum quoque Constantinopolitanum usque ad unum apicem immutilata servare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & statuerunt, modis omnibus sequi & prædicare; & quæcunque condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteor.* (Quisquis Papa Romanus hoc profitetur, Conciliis se subjectum esse agnoscit.)

Bellarmin. lib. 4. de Rom. Pont. c. 14. §. Refert &c. Johannem XXII. Pont. Roman. ab intentato hæreseos crimine vindicaturus, inter cætera sic scribit: *Refert Johannes Villanus lib. 11. Histor. cap. 19. Johannem Papam pridie ante mortem partim declarasse, & partim etiam revocasse sententiam suam. Primum enim testatum, se nunquam, cum hac de re locutus erat, quæstionem definire in animo habuisse, sed solum disserere ad veritatem investigandam. Deinde addidisse, existimare se jam probabiliorem sententiam esse eam, quæ asserit, beatos frui visione divina, etiam ante diem judicii, & hanc sententiam se amplecti, nisi aliquando aliud Ecclesia definierit, cujus definitioni suas omnes sententias lubentissime subjiceret.* (Credidit ergo Johannes ille, Ecclesiæ judicium esse superius quam suum, cum Ecclesiæ judicium suum se libentissime subjicere asserat. Illud vero Ecclesiæ judicium à Pontificis judicio distinctum, etiam ex ipsius Bellarmini hypothesi non potest esse aliud, quam judicium Concilii, quod proinde vocant *Ecclesiam repræsentativam*.)

Hermannus Mutius in Chronico lib. 17. *Pontifex Romanus duos Cardinales mittit Legatos, qui cum Sigismundo Imperatore agerent communi consilio de Ecclesiæ labefactatæ in omnibus suis partibus statu reformando. Cum autem multis in varias partes disputatum esset, quomodo & quo remediorum genere subveniri in extremo periculo constituto posset, tandem una concordi omnium sententia judicarunt, fieri non posse, quam generali Concilio.* (Ergo etiam Pontifex statuit Concilium esse superius Romanæ Sedis judicio.)

5. Quod Concilia superioritatem in Pontificem Romanum exercuerint.

Nicenum Concilium I. Can. 5. tulit legem contra appellationes, statuit enim, *non licere cuipiam Episcopo vel Christiano ab una Ecclesia ad aliam, aut ab uno Episcopo ad alium provocare.* Can. 6. *Singulis Patriarchis & Metropolitis Provincias suas* assignat.

Concilii Antiocheni Patres scripserunt ad Julium Episcopum Romanum, inque literis hisce illum *graviter & acerbe reprehenderunt, quod nonnullos contra consuetudinem & leges Ecclesiæ in communionem recepisset, quos Synodus damnasset*, & minantur, *secum illo similiter facturos.* Sozom. lib. 3. Hist. Eccles. cap. 8.

Concilium Constantinopolitanum Can. 3. statuit, *Constantinopolitanum Episcopum imposterum Romano fore proximum & iisdem privilegiis ornandum, quibus antea Romanus Episcopus ornabatur.* Decretum hoc, quamvis displiceret Romano Episcopo, mutare tamen illud non potuit.

In Concilio Chalcedonensi act. 16. Can. 28. itidem statutum fuit, *ut Episcopus Constantinopolitanus esset secundus Patriarcharum, & iisdem privilegiis ornaretur, quibus Romanus Episcopus antea erat ornatus.* Factum fuit hoc decretum repugnante Leone & ejus Legatis. Nam Leo in Epist. 53. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum objurgat illum, *quod ausus esset hoc tentare*, & ait, *suos Legatos constanter restitisse, seque nunquam consentire potuisse.* Epist. 59. scribit, *se semper reprehendisse, quæ in hac Synodo decreta sunt.* In eadem act. 16. hujus Concilii legitur, *Lucentium Romani Pontificis Legatum flebiliter conquestum fuisse, injuriam esse factam Romano Pontifici, & petiisse à Patribus, ut decretum rescinderetur, sed non potuisse, quod petiit, impetrare, imo responsum esse à Judicibus: Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.* Liberatus cap. 13. Histor. *Cum Anatolius, consentiente Concilio primatum obtinuisset, Legati vero Romani Episcopi contradicerent, à Judicibus & Episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est.*

In Concilio Carthaginensi VI. tres Episcopi Romani, Zozimus, Bonifacius & Cælestinus, petebant, *ut liceret ad se provocare undique*, & proferebant hac de re *Canonem Niceni Concilii ementitum.* Sed Patres illius Concilii petitioni isti non solum nullum dedere locum, verum etiam acerbe rescripserunt ad Cælestinum, accusantes illum *ambitionis*, ac sancientes, *ut si quis Episcopus Africanus extra Africam provocaret, à nemine intra Africam in communionem reciperetur.* Concilio huic interfuit Augustinus.

In Concilio Constantinopolitano VI. Oecumenico multa contra Episcopum Romanum & praxin Romanæ Ecclesiæ fuere statuta Can. 13. 36. 55.

(Melchior Canus lib. 5. Locor. cap. ult. & Pighius in Diatrib. excipiunt, *Canones hos non fuisse sextæ Synodi.* Sed quicunque fuerint illius Concilii Patres in Epistola ad Imperat. vocant se οἰκουμενικὴν Σύνοδον, quod impudentissime fecissent. Si quid verum non esset. Necunquā hæc Synodus eo nomine fuit damnata, quod aliquid contra Romanū Episcopum statuisset. Præterea Gratianus in Decretis hos Canones sæpe citat & semper appellat *Sextæ Synodi Canones* Adrianus Papa. c. Sextam. dist. 16. dicit: *Sextam Synodum sanctam cum omnibus suis Canonibus recipio.* Innocentius III. in tractatu de ætat. & qualit. ordinand. unum ex his Canonibus citat & vocat *Canonem Sextæ Synodi*, quem etiam citat Gratianus c. Si quis. dist. 32.)

Quinimo quædam Concilia deposuerunt quosdam Pontifices Romanos. Marcellinus Episcopus Romanus *in Concilio Sinuessano ab Episcopis damnatus & depositus fuit.*

(Excipit Bellarminus, *Marcellinum fuisse accusatum de actu infide-*

infidelitatis, in quo casu possit Concilium discutere causam infidelitatis, & si inveniat revera infidelem, posse declarare, eum esse extra Ecclesiam, & sic damnare.

Resp. Hac ratione Bellarminus sponte fatetur, quod argumentorum fidiculis extorquere cupimus. Si enim Concilium potest judicare, an accusatio de actu infidelitatis Pontifici intentata sit vera, utique Concilium est supra Pontificem; ac falsum est, *Pontificem à nemine judicari posse.* Est autem par ratio inter actum infidelitatis, & alia crimina notoria ac graviora, ut constat ex 1. Tim. 5. v. 8. Addit postea Bellarminus, *Episcopos non prius damnasse Marcellinum, quam se primus ipsum damnaverat.* Sed quid, si Marcellinus peccatum non agnovisset, an de ipso Episcopi non debuissent, nec potuissent judicare?)

Concilium Constantiense deposuit Johannē XXIII. & Benedictum XIII. ac Gregorium XII. eò adduxit, *ut Papatu ultrò cederet.* Sic ergo facto ipso comprobavit, quod definierat, *hæreticum esse statuere, quod Papa non habeat superius judicium in terris, sed sit supra omne judicium, nec possit ab aliquo judicari.* Ac probe notandum, quod Martinus Papa in ult. sess. confirmaverit *omnia Concilii hujus decreta circa fidem.*

(Excipit Bellarminus, *sententiam Concilii non esse, Concilia absolute habere à Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum in casu, scil. tempore schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa quia dubius Papa habetur pro non Papa.*

Resp. Verba Concilii sess. 4 & 5. aliud testantur, absolute enim dicunt, *Concilia generalia habere à Christo immediatam autoritatem, cui omnes obedire teneantur, etiamsi Papalis dignitatis existant.* Confer Epistolam Synodicam Concilii Basileensis, in qua decretum Synodi Constantiensis repetitur & explicatur. Bellarmini responsio plane contrarium dicit, *si quis vere sit in Papali dignitate constitutus, eum non esse Concilio subjectum.* Ac si tempore Concilii Constantiensis fuit *dubius Papa*, id est, juxta Bellarmini explicationem *nullus*, tum certe Ecclesia fuit sine capite. Ad aliam igitur exceptionem confugit Bellarminus, *Concilium Constantiense, cum id assereret, non fuisse hujusmodi, ut quæstiones de fide definire posset, cum tantum adfuerit tertia pars Ecclesiæ, adeoque non fuisse generale Concilium.* At hac ratione Concilium illud non potuisset judicare Hussum & Pragensem, nec potuisset dictos Pontifices deponere. Fingit Bellarminus distinctionem, *Concilium sine Papa non posse definire nova dogmata fidei, posse tamen tempore schismatis judicare, quis sit verus Papa.* Atqui ad posterius æque requiritur immediata Spiritus sancti assistentia, atque ad prius, si judicium debet esse absolute infallibile. Ac si non est verum Concilium, cui non præest verus Papa, utique nec hoc decretum Constantiense de electione Martini V. erit verum Concilii decretum. Subjungit Bellarminus, *Johannem & Gregorium sponte cessisse Papatui.* Sed hoc respectu Johannis falsum est. Johannes ille nihil magis cupiebat, quam ut locum suum teneret, cumque animadverteret, se à Concilio deponendum, aufugit, sic ergo illum absentem Concilium damnavit. Ad confirmationem Martini V. excipit Bellarminus, *illam referri solum ad damnationem hæresium Wiclefi & Hussi.* At Bulla loquitur generaliter & *omnia decreta* approbat, quæ ab hoc Concilio in materiis fidei facta, jam vero quæstio, an *Concilium sit supra Papam*, ex ipsius Concilii Constantiensis sententia pertinet ad fidem.)

Concilium *Basileense* deposuit Eugenium.

Excipit Bellarminus, *Basileense Concilium initio quidem fuisse legitimum, nam Legatus Pontificis aderat, at quo tempore Eugenium Papam deposuit, non fuisse Concilium, sed Conciliabulum schismaticum.*

Resp. Orthunius Grajus in Epist. quæ affigitur Volumini de Fasciculo rerum expetendarum, de Concilio illo sic judicat: *Concilium Basileense, quam celebre fuit, quam sanctum, quam in Christo Jesu congregatum, Qui ignorat, totius Academiæ Parisiensis nunquam satis laudatæ contra Leonem decimum appellationem legat, is procul dubio sentiet, quanti illud fecerint doctissimi illius Universitatis viri, vel si etiam legat Juliani Cardinalis Legati Pontificis literas ad Eugenium quartum.* Cardinalis Julianus S. Angeli (qui à Pontif. Eugenio ablegatus erat, ut Concilio Basileensi præesset) in Epist. ad Papam Eugenium (quæ extat apud Æneam Sylvium) inter cætera sic scribit: *Concilium Basileense ex Constantiensi dependet. Si illud verum fuit, & istud. Nemo autem dubitare visus est, an illud legitimum fuerit, similiter & quicquid ibi decretum est. Nam si quis dixerit, Decreta illius Concilii non esse valida, fateri necesse habet, privationem olim Johannis factam vigore illorum Decretorum non valuisse. Si illa non valuit, nec etiam Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est defendere Decreta illius Concilii &c.* Adde, quod Nicolaus V. Pontifex confirmaverit illud Concilium Basileense cum suis actibus. Excipit Bellarminus, *Nicolaum solum confirmasse ea, quæ egerat Concilium circa beneficia & Censuras Ecclesiasticas.* Atqui iniquum est, ut unum idemque Concilium probetur ex parte tantum una, quæ placet; non probetur ex parte altera, quæ displicet. Jurisconsulti docent, *Instrumentum probationis aut totum acceptandum, aut totum repudiandum.* Atqui hoc ipsum in quæstione est, an Pontifex acta Concilii pro arbitrio infirmare vel confirmare possit. Certe omnes sessiones illius Concilii ab uno & eodem Spiritu.)

De Johanne duodecimo (aliis decimo tertio) Platina in ipsius vita sic scribit: *Otto* (Imperator) *Concilium indixit, & convocatis Italiæ Episcopis, quorum judicio vita sceleratissimi hominis* (Johannis Pontificis) *dijudicaretur suadente Clero Leonem Pontificem creavit.* (Opponendum hoc Bellarmino, qui lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. *Zelum Ottonis sine scientia fuisse*, asserit. *Ab Ottone primo*, inquit. *satis constat bono zelo, sed non secundum scientiam depositum fuisse Johannem duodecimum. Fuit enim iste Johannes omnium Pontificum fere deterrimus, atque ideo non mirum, si pius Imperator minus peritus rerum Ecclesiasticarum judicaverit, eum potuisse deponi, præsertim cum multi doctiores ita senserint.*)

Platinæ suffragatur Franciscus de Victoria lib. de potest. Papæ relect. 4. propos. 23. *Propter injustas*, inquit, *dispensationes & alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procederent, posset convocari ac congregari Concilium generale contra voluntatem Papæ, ut ei resisteret & obviaret ejus insolentiæ. Hoc expresse tenet Sylvester, atque etiam Turrecremata assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis lib. 3 cap. 10. Ad refrenendas, inquit, quorundam Pontificum exorbitantias, qui Pontificatum extra sanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut Simoniaca pactione dehonestant, aut seculi vanitate & vita scandalosa confundunt. Hac de causa legitur congregatum Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Johannem Papam duodecimum, qui venator lubricus & incorrigibilis erat. Hoc factum laudat & approbat Turrecremata &c.*

(Ergo Imperator non solum *doctiorum consilium* secutus est, quod Bellarminus concedit, sed etiam *Episcoporum concilium*, quod contra fidem Historiæ tacite negat.)

De Gregorio sexto sic scribit Platina in ipsius vita. *Henricus secundus Imperator in Italiam cum magno exercitu veniens habita Synodo Benedictum nonum, Sylverium tertium, Gregorium sextum tanquam tria teterrima monstra abdicare se Magistratu cogebat.* Idem referunt Sabellicus Ennead. 9. lib. 20. Carolus Sigonius lib. 8. & 9. Imq. Occ. (Opponendum hoc Bellarmino, qui d. l. scribit: *Henricum non deposuisse Gregorium, sed persuasisse illi, ut sponte cederet.*)

De Honorio Monotheleta Bellarminus lib. 4. de R. Pont. cap. 11. §. Quod si. & §. Resp. ad 3. ipsemet fatetur, *quod Constantinopolitana Synodus sexta, item septima eum hæreticum fuisse judicaverit & damnaverit.*

De Liberio Ariano lib. ejusd. cap. 9. §. Post biennium &c. scribit: *Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia dignitate, ob præsumtionem hæresis, se contulit ad Felicem, quem Catholicum esse cognovit.*

4. Quod in nullo Concilio adhuc definitum sit, Papam esse supra Concilium, contrarium vero, videlicet Concilium esse supra Papam, in tribus Conciliis Papisticis, *Pisano Constantiensi & Basileensi* definitum fuit.

Etsi Patres & Episcopi Tridentini in omnibus sese subjecerint Romano Pontifici, tamen non ausi fuere definire, *Papam esse supra Concilium.* Sane Melchior Canus lib 5. Locor. cap. ult. resp. ad arg. 9. asserit, *hoc definitum esse in Concilio Florentino & Lateranensi.* Sed Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 13. §. Deinde, respondet. *Quia Concilium Florentinum non ita expresse hoc definivit, & quia de Concilio Lateranensi, quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant, ideo usque ad hanc diem quæstionem superesse inter Catholicos.*

5. Quod tales ponunt hypotheses, ex quibus inferri potest Concilium esse supra Papam.

Primo concedunt, *Papæ posse vi & armis resisti eique obedientiam denegari.* Ergo non competit ipsi absoluta & suprema po-

Baldus in cap. Olim, ext. de rescript. inquit, *contra Papam sua Potestate abutentem primo utendum esse verbis, hoc est, admonitionibus, secundo, herbis, hoc est, comminationibus, tertio, lapidibus, & ubi non sufficit virtutis ingenium, valere debere armorum præsidium.*

Ludovicus Romanus consil. 525. n. 15. *Si ipse Papa Ecclesiam non honorat, ipsum salubriter admonentem, nec tunc merebitur ab Ecclesia honorari, ita ut tolleret ipsum cum scandalo regentem atque incorrigibilem. Cur enim ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* c. Esto subjectus. dist. 95.

Franciscus de Victor. lib. de pot. Papæ. relect. 4. prop. 22. & 23. *Si Papa decreto Concilii contrarium mandaverit, posse Episcopos vel Concilium provinciale resistere tali mandato, Doctores egregii & aliter magni defensores autoritatis Pontificiæ expresse tenent hanc sententiam.*

Cajetanus in ipso opere, ubi tenet superioritatem Papæ supra Concilium, *Resistendum est*, inquit cap. 27. *etiam in faciem Papæ publicè dilaniantis Ecclesiam.*

Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 29. resp. 7. *Sicut licet resistere Pontifici invadenti corpus, ita licet resistere invadenti animas vel turbanti Rempubl. & multo magis, si Ecclesiam destruere niteretur. Licet, inquam, ei resistere, non faciendo quod jubet, & impediendo, ne exequatur voluntatem.*

Lib. 2. de Conc. cap. 19. §. Respondeo, non mirum. *Licet Pontificem, servata reverentia, admonere & modeste corripere, repugnare etiam vi & armis, si Ecclesiam destruere velit.*

Secundo concedunt, quod Papa in crimine hæreseos accusari, judicari & de eo convictus deponi possit. (Utique ergo Concilium est supra Papam, quia à Concilio judicandus est & deponendus. Sane Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 29. scribit: *Licere quidem Pontifici resistere, non autem licere eum judicare, vel punire, vel deponere, quod non est, nisi Superioris.* Sed alii, videl. Cardinalis Cameracensis, Cusanus, Panormitanus, Gerson, Alphonsus de Castro, Æneas Sylvius &c. contrarium statuunt, imo ipsemet alibi contrarium statuit.)

c. Si Papa. dist. 40. *Si Papa suæ fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus, hujus culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* (Ergo si à fide devius deprehendatur, judicari potest.)

Patres Concilii Basileensis, referente Ænea Sylvio, de gestis Conc. dixerunt: *Si accusari Pontifex impius possit, tum etiam judicari exigente delicto possit atque deponi.*

Philippus Decius consil 151. Vol. 1. *exorbitantem Papam, si sit incorrigibilis, ab Ecclesia accusari posse* statuit secundum glossam, dist. 40. Si Papa, ubi manifeste hoc asseritur, *quam glossam communiter per omnes teneri ac maximum fundamentum contra Eugenium IV. in Concilio Basileensi fuisse*, ibidem pronunciat.

Johannes Ferus in cap. 11. Act. super verba. *Cur cum incircumcisis comedisti? Petrus* inquit, *respondebat & omnia narrabat. Potest igitur Ecclesia à ministris non modo exigere rationem, sed etiam deponere & repudiare potest. Impii autem nostri Pontifices quasi Domini sint, non ministri, ab Ecclesia quidem argui & in ordinem cogi nolunt.*

Bellarminus lib. 1. de Concil. cap 9. §. Quarta. *Quarta causa celebrandi Concilii est suspicio hæresis in in Romano Pontifice, si forte accideret, vel etiam Tyrannis incorrigibilis. Tunc enim deberet congregari generale Concilium vel ad deponendum Pontificem, si inveniretur hæreticus, vel certe ad monẽdum, si in moribus videretur incorrigibilis. Nam ut dicitur in VIII. Synodo act. ult. Can. 21. debent generalia Concilia cognoscere controversias circa Romanum Pontificem exortas, non tamen audacter in illum sententiam ferre. Ob istam causam legimus celebratum Concilium Sinuessanum in causa S. Marcellini, & Romana Concilia in causa Damasi, Sixti III. Symmachi, Leonis III. & IV. &c.*

Lib. ejusd. cap. ult. §. Denique. *Pontifex in Concilio non est solus judex, sed habet multos Collegas, id est, omnes Episcopos, qui si eum convenire possent de hæresi, possent eum judicare & deponere, licet invitum. Nihil ergo habent hæretici, quod conquerantur, si Romanus Pontifex Concilio præsedit, antequam damnatus esset.*

Tertio, quod Concilium contra Papæ voluntatem congregari possit. (Utique ergo majus & superius est Papa.)

Franciscus de Victoria lib. de potest. Pap. Relect. 4. propos. 23. *Propter injustas dispensationes & insolentia mandata Papæ possit convocari Concilium generale contra voluntatem Papæ. Hoc expresse tenet Sylvester in verbo Papa, §. Quod si. Hoc expresse quoque tenet Turrecremata assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis lib. 3. cap. 10.*

Idem Relect. 2. *Celebratio Conciliorum utilis est ad refrenandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontificatum suum aut extra Patrum regulas pro voluntate sua exercent, aut Simoniaca pravitate dehonestant, aut vita scandalosa confundunt. Hac de causa legitur congregatum fuisse Concilium Italiæ Romæ per Imperatorem contra Johannem XII. Papam, qui venator lubricus & incorrigibilis erat, quod factum laudat Turrecremata.*

Quarto, quod Pontifex non sit Dominus bonorum Ecclesiasticorum sicut Ecclesia, sed tantum dispensator. (Jam vero Dominus est major dispensatore. Ergo etiam Ecclesia repræsentativa, videl. Concilium, Pontifice.)

Maldonatus in Summ. quæst. 10. artic 2. *Quæstio est, quomodo peccetur in conferendis beneficiis Ecclesiasticis. Intelligendum est primo, quis sit Dominus bonorum Ecclesiasticorum. Non enim is, qui dat, aut is, qui accipit, Dominus est sed uterque dispensator, Ecclesia sola domina est. Unusquisque enim Dominus est sui stipendii, non beneficii Ecclesiastici. Nam si Dominus esset beneficii, posset de eo facere, quicquid vellet. Itaque summus Pontifex posset retinere omnia beneficia & omnia vendere, sicut ego calicem, quod utrumque valde absurdum est, & in antiquis decretis semper summus Pontifex non Dominus, sed dispensator vocatur.*

(Huc referri potest dictum Bernhardi lib. 4. de consid. ad Eugen. *Consideres Ecclesiam, cui praes matrem esse, non dominam, & te, non dominum Episcoporum, sed unum ex eis.*)

Quinto, quod Pontifex debeat obedire Concilio, (utique ergo majus est Concilium, quia is, cui obedientiam præstare tenemur, nobis est superior.)

Orthunius Grajus in Epist. ad Lectorem, quæ habetur in Fasciculo rerum expetendarum. *Audivi sæpe à doctissimis viris, omnique virtute præditis, omnium malorum seminarium esse summum, videl. Pontificem Universali Concilio obedire nolle.*

Quo pertinet, quod Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis asserit lib. 1. de primatu Pont. *solam continuati schismatis causam esse eam, quod Episcopus Rom. nolit subjici Oecumenico Concilio.*

Huc referri potest, quod agnoscunt, Pontificem esse Ecclesiæ membrum & filium. (Membrum vero toto corpore & filius matre est inferior, eique obedire debet.)

Gregor. lib. 4. Epist 83. *Certe Petrus Apostolorum primus membrum sanctæ & Universalis Ecclesiæ est.*

Ibid. *Sancti ante legem, Sancti sub lege, Sancti sub gratia, omnes hi in membris Ecclesiæ constituti sunt.*

Anacletus c. Qui abstulit. caus. 12. q. 2. *Mater nostra Ecclesia est.*

Sexto, quod docent, Ecclesiasticam potestatem esse in Ecclesia *formaliter, subjective & principaliter*, in Pontifice tantum *instrumentaliter*. ac proinde mortuo Pontifice, Ecclesiam posse illam potestatem exercere congregando Concilia & alios illius potestatis Ecclesiasticæ actus peragendo. Ergo etiam Pontifice spiritualiter mortuo, id est, quando in hæresin incidit, vel notoriis flagitiis Ecclesiam perturbat, potestas illa formaliter & principaliter est in Ecclesia, & per conseq. Concilium est majus Pontifice.)

Stapletonus lib. 13. de doctrinal. princip. cap. 15. *Mortuo Pontifice Romano Ecclesia nominandi, ordinandi, creandi, constituendi jus sibi vendicat, & Pastores, defuncto Pontifice, Concilia congregant, ligant, solvunt & omnia munia jurisdictionis Pontificia præstant.*

Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 14. *Quidam Catholici Doctores Cardinalis Cameracensis, Johannes Gerson, Jacobus Almain, Nicolaus Cusanus, Panormitanus, Cardinalis Florentinus, Abulensis & alii docent, supremam Ecclesiasticam potestatem esse tam in Concilio, quam in Papa, sed in Concilio principalius, immediatius & immobilius. Dicunt enim, Christum immediate omnem solvendi & ligandi tribuisse Ecclesiæ, & cũ Ecclesia semper duret, immobiliter in ea semper manere hanc potestatem. Quia tamen non potest Ecclesia semper congregata manere, & exercere per se hanc potestatem, instituit Christus summum Pontificem tanquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ, & in eo posuit hanc summam potestatem, ut eam exerceat nomine Ecclesiæ. Differunt inter se hi autores, quod aliqui ponunt hanc potestatem formaliter & subjective in solo Pontifice, in Ecclesia autem ponunt eam ut in fine quia est propter Ecclesiam, & ut in regulante, quia Ecclesiæ est regulare & dirigere Papam, cum ipsa non possit errare, Papa autem possit; ac denique ut in supplente, quia deficiente Papa, propter mortem naturalem aut civilem, Ecclesia supplet ejus officium. Alii vero volunt esse formaliter & subjective principaliter in Ecclesia, instrumentaliter in Pontifice.*

Conveniunt tamen in eo omnes, ut doceant, esse hanc potestatem immediate in Ecclesia, & proinde mortuo Papa, vel deposito, vel nolente adesse Concilio, Concilium non propterea esse corpus imperfectum, sed perfectum, & habere potestatem Papalem definiendi de fide, sanciendi leges, dandi Indulgentias &c. ex quibus deducunt, Concilium esse supra Papam, & posse ipsum judicare & punire, & idem esse quærere, an Papa sit major Concilio, an pars sit major suo toto. Denique volunt Papam esse in Ecclesia id, quod est Dux Venetiarum in Republ. Veneta, vel Magister generalis in aliqua Religione. Constat enim, Ducem Venetum esse supra singulos Magistratus, & supra singulos Senatores & Civitates Venetas, non tamen supra totum Senatum simul collectum, & quando moritur, certum est, totam autoritatem Ducalem esse in Senatu. Quomodo etiam Magister generalis est supra singulos religiosos, etiam Priores & Provinciales, tamen non est supra congregationem generalem, cum ei parere debeat, non imperare.

(Contrarium quidem statuit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap 12. ubi disputat, *mortuo Pontifice, claves non manere in Ecclesia formaliter, sed in manibus Christi, ut novus Pontifex, cum institutus est, non accipiat claves ab Ecclesia sed à Christo &c.* Atqui praxis ipsa testatur, quod mortuo Pontifice, Ecclesia potestatem illam exerceat, utique ergo eam habet, ut Stapletonus recte colligit.)

Septimo, quod Conciliorum quorundam decreta repudianda esse agnoscunt, quia cum Scripturis pugnant. (Si enim Papa esset supra Concilium, & infallibilitas ac autoritas Conciliorum unice penderet ab infallibilitate & autoritate Papæ, utique adæquata & immediata causa, propter quam quorundam Conciliorum decreta repudianda essent, foret ea, quod Papa eadem non confirmaverit.)

Leo Magnus Epist. 26. ad Pulcheriam de Synodo λῃστρικῇ sic scribit: *Quæ enim congregatâ apud Ephesum Synodo sopienda & sananda pacis remedio credebantur, hæc non solum in majora pacis dispendia, sed quod nimis dolendum est, etiam in ipsius fidei, qua Christiani sumus, excidia præcesserunt.*

Idem Epist. 28. ad Archimandritas. *Specialibus dilectionem vestram literis cohortandam esse credimus, ut memores sanctæ professionis vestræ, quæ proprie in fide & caritate consistit, omnia scandala, quæ contra pacem Ecclesiæ orta sunt, à vestris cordibus repellatis, beati Apostoli sententiam pia mente retinentes: Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis anathema sit.*

Idem Epist. 29. ad Anastasium Thessalonicensem. *Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quæ latebat & in nefandissimam hæresin unius imperitissimi senis asseclæ transierunt, tempus probationis nostræ debemus agnoscere, & contra impetus adversantium, munitionibus cœlestibus freti, incommutabilis animi constantiam præparare.* (Sequitur hac in parte Leo Hieronymum in Epist. ad Galat. *Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis libris prodita est, contra quam, si quid statuant Concilia, nefas duco.*)

Octavo, quod maximam Synodorum *utilitatem*, imo ratione status Ecclesiæ earundem *necessitatem* agnoscunt.

Ægidius Viterbiensis in Oratione, quæ est in præambulis Synodi Lateranensis sub Julio secundo. *Paulus Apostolorum decus, cum salutis caput ostenderet, absque fide, inquit, Deo placere nullo modo possumus. Atqui sine Synodis stare non potest fides, absque Synodo igitur salvi esse non possumus.*

Et postea: *Quiquid laude, quicquid gloria dignum à Melchiadis ætate in Ecclesia gestum est, aut ad hostem arcendum, aut ad Rempubl. componendam, id omne de Synodis originem sumsit, & proinde Synodis referendum est acceptum.* (Si tanta Synodorum utilitas & necessitas, utique Pontifex non est supra Concilium, siquidem solus etiam absque Concilio rem omnem peragere posset.

Nono, quod à Pontifice ad Concilium appellari posse concedunt, & facto ipso appellant.

Extat solennis Universitatis Parisiensis congregatæ 27. Martii Ann. 1517. in qua inter cætera sic loquuntur: *Nos Rector & Universitas gravatos, læsosque & oppressos esse sentientes, idcirco à Domino nostro Papa non recte consulto, sacri Concilii Basileensis & ei adhærentis Pragmaticæ Sanctionis statutorum abrogatione, novorum statutorum editione, consensus præstatione, ad futurum Concilium legitime congregatum provocamus & appellamus &c. instanter, instantius, & instantissime protestantes hanc appellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, iniquitatis vel injustitiæ, & alias prout melius poterimus, optione nobis conservata &c.*

6 Quod in asserenda Pontificis potestate supra Concilium sibi non constent, sed variis modis dissentiant.

1. Melchior Canus lib. 5. Locor. cap. ult. contendit, *superio-*
ritatem esse in Concilio Florentino & Lateranensi. Sed Bellarminus
lib. 2. de Concil. cap. 13. §. Deinde, scribit: *Quamvis in Concilio*
Florentino & Lateranensi ultimo videatur quæstio definita, tamen
quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definivit, & de Con-
cilio Lateranensi, quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant,
an vere fuerit generale, ideo usque ad hanc diem quæstio superest inter
Catholicos.

2. Idem Bellarminus ibidem §. Observandum, sic disserit:
Duob⁹ modis potest Papa comparari cũ Concilio, Uno modo, ut suma-
tur ab una parte solus Papa verus & indubitatus; ab altera Concilium
generale, cui præsit Papa per se vel per Legatos, ita ut nihil definiatur
sine consensu ipsius. Altero modo, ut sumatur ab una parte solus Papa
ab altera Concilium generale, cui Papa nec per se, nec per suos Legatos
præsit &c. Quæstio præsens, licet nonnullis videatur præcipue versari
circa priorem comparationem, quippe qui existimant, Concilium sine
Papa non esse verum Concilium, & proinde sine dubio Papam esse ma-
jorem tali Concilio, tamen revera quæstio præcipua est de posteriore com-
paratione. (Ergo nec in explicatione terminorum hujus quæ-
stionis consentiunt.)

3. Ibidem §. Hæc ergo. *Qui docent, Papam esse supra Concili-*
um sine ipso celebratum, iidem docent, parem esse autoritatem in solo
Papa, & in Concilio cũ Papa intensive, licet extensive sit major in Con-
cilio, & proinde non posse à tali Concilio Papam judicari vel damnari,
nec ejusmodi Concilii decretis eum obligari coactive, sed tantum dire-
ctive, & posse in eis dispensare, exceptis decretis de fide, quæ immutabi-
lia sunt. Ratio horum est, quia par in parem non habet potestatem.
Qui vero docent, Concilium sine Papa esse supra Papam, docent etiam
consequenter, Concilium cum Papa esse supra Papam, & obligare
Papam, tametsi ipsi iidem fatentur, posse Papam tanquam ministrum
Ecclesiæ dispensare in præceptis Concilii generalis, sed si male dispensa-
verit, posse corrigi & puniri postea à Concilio generali.
Idem lib. ejusdem cap. 14. *De quæstione, an Concilium sit supra*
Pontificem, tres invenio doctorum (Catholicorum) *sententias: Pri-*
ma est, Concilium esse supra Pontificem &c. id quod asserunt Cardi-
nalis Cameracensis, Johannes Gerson, Jacobus Almainus & alii non-
nulli in suis Tractatibus de Concordantia Canonica lib. 2. cap. ult. Pa-
normitanus in c. Significasti. ext. de Electione & ibidem Magister ejus
Cardinalis Florentinus. Item Abulensis in cap. 18 Matth. quæst. 108.
& in Defensorio trium Conclusionum, & quidam alii &c. Differunt
inter se hi autores, quod aliqui ponunt hanc potestatem formaliter &
subjective in solo Pontifice, in Ecclesia autem ponunt eam, ut in fine,
quia est propter Ecclesiam; & ut in regulante, quia Ecclesia est regula-
re & dirigere Papam, cum ipsa non possit errare, Papa autem possit;
ac denique ut in supplente, quia deficiente Papa propter mortem natu-
ralem aut civilem Ecclesia supplet ejus officium. Alii vero volunt esse
formaliter & subjective principaliter in Ecclesia, instrumẽtaliter in Pon-
tifice &c. Secunda opinio est aliquorum Canonistarum, qui volunt,
Papam quidem esse supra Concilium & à nemine judicari posse invi-
tum, tamen posse ipsum sese subjicere Concilio & dare illi supra se po-
testatem, & si hoc fecerit, acquiescere debere sententiæ Concilii, etiamsi
de ipsius depositione ageretur. Ita docet Glossa in Can. Nos si incompe-
tenter 2. q. 7. & in Can. In Synodo. dist. 63. Ultima sententia est fere
communis, quod videlicet Papa adeo sit supra Concilium, ut non possit
etiam se subjicere ejus sententiæ, si proprie de sententia coactiva agatur.
Hæc sententia videtur esse omnium Scholasticorum veterum & Ca-
nonistarum fere omnium.
5. Idem Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 13. §. 2. *Usq; ad*
hanc diem quæstio superest etiam inter Catholicos, (an Concilium sit
supra Pontificem, an Pontifex supra Concilium?) Subsumo
ex Gregor. de Valentia in anal. lib. 8. cap. 7. §. Atque hinc.
Qui statuunt, Concilium esse supra Papam, pugnãt revera cum prima-
tu Pontificis. (Ergo de primatu Pontificis usque ad hanc diem
quæstio superest inter Catholicos. Jam vero primatus Ponti-
ficis *est de fide*, ut loquuntur, quia *est de necessitate salutis, Ro-*
mano Pontifici omnem subesse creaturam, ut decernit Bonifacius
in cap. Unam sanctam ext. de majorit. & obœd. ac ubi de
primatu Pontificis agitur, *de summa rei Christianæ agitur,* ut do-
cet Bellarminus præfat. librorum de Rom. Pontif. Ergo
de summa rei Christianæ, ac de dogmate aliquo, quod est de
fide, usque ad hanc diem quæstio superest inter Catholicos.
Id vero, quomodo convenit cum gloriatione de omnimoda
unitate & concordia in quæstionibus fidei?)

6. Lib. ejusdem cap. 17. §. 1. idem Bellarminus scribit:
Propositio illa, quod summus Pontifex simpliciter & absolute sit supra
Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, est fere de
fide.

fide. Indicium hoc est trepidantis conscientiæ, quod dicit, eam esse *fere de fide.* Quia enim multi & graves Scriptores Pontificii contrarium defendunt, non audet asserere, eam vere esse de fide. Sed expende, quid apud Bellarminum sequatur.) *Probatur hæc propositio ex duabus præcedentibus: Nam si Papa est caput Ecclesiæ universæ, etiam simul congregatæ, & Ecclesia universa etiam simul congregata non habet ullam potestatem ratione suæ totalitatis, sequitur, Papam supra Concilium esse & supra Ecclesiam, non contra.* (At hæ propositiones ex hypothesi Bellarmini sunt vere de fide. Ergo etiam hæc, quæ ex illis deducitur, non *fere*, sed *vere* est de fide.)

7. Idem Bellarminus lib. & cap. iisdem §. Ad hunc locum *Non sunt proprie hæretici, qui sentiunt, Concilium esse supra Pontificem, sed à temeritate magna excusari non possunt.*

Contra lib. & cap. iisdem §. præcedente, Præterea &c. *In Constantiensi Concilio edita est Bulla Martini V. ipso approbante Concilio, in qua jubentur de hæresi suspecti interrogari, an non credant, Romanum Pontificem habere in Ecclesia Dei supremam potestatem. At certe suprema est, qua nulla est major, & cui nulla æqualis.* (Si de hæresi suspecti interrogari debent, an Romanus Pontifex habeat in Ecclesia Dei supremam, adeoque Concilio majorem potestatem, sequitur, hæreticos esse eos, qui negant, Pontificem esse supra Concilium.)

8. Idem Bellarm. lib. & cap iisdem §. Probatur. *Concilia & Pontifices inter se de eo conveniunt, quod Pontifex simpliciter & absolute sit supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat. Extat enim Concilium Sinuessanum sub Marcellino, in cujus fine legimus: Prima Sedes à nemine judicabitur. Paulò post existit Concilium Romanum sub Sylvestro, in cujus ultimo Canone similiter legimus. Nemo judicabit primam Sedem.*

Lib. ejusd. c. 19. resp. ad 2 *Si ipse summus Pontifex peccet, judicio Dei reservandus est, non enim est ulla Ecclesia, ad quam deferri posset.*

Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 26. *Romanus Pontifex à nemine in terris judicari potest.*

Et postea. *Error est Nili in libro de primatu, quod Pontifex à Concilio Episcoporum judicari & puniri possit.*

Contra vero lib. 2. de Concil. capite 19. resp. ad 1. *Marcellinus fuit accusatus de actu infidelitatis, in quo casu potest Concilium discutere causam Pontificis, si inveniat revera infidelem esse, potest declarare, eum esse extra Ecclesiam, & sic damnare.*

9. Idem Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 21. §. Denique. *Pontifex in Concilio non est solus judex, sed habet multos Collegas, id est, omnes Episcopos, qui si eum convincere possent de hæresi, possent etiam eum judicare & deponere, licet invitum. Nihil ergo habent hæretici, cur conquerantur, si Romanus Pontifex Concilio Tridentino præsedit, antequam damnatus esset.*

Contra lib. 2. de Concil. cap. 13. *Quæstio illa, an Concilium sit supra Pontificem, introducta est propter Pontificum depositionem, id est, ad inquirendum, an Papa etiam invitus à Concilio judicari, damnari & deponi posset. Ad hunc autem finem supervatanea est illa quæstio, an Concilium cum Papa sit majus solo Papa. Nam sive sit majus, sive minus, nunquam judicabit, neque damnabit, neque deponet invitum Papam. Quomodo enim hoc illud Concilium faceret, quod nihil agit sine consensu Papæ? num Papa seipse invitum volet judicari & damnari?*

(Ergo adhuc habent hæretici, quos ita vocat, quod conquerantur, Romanum Pontificem ab ipsis hæreseos accusatum in Concilio Tridentino præsedisse. Quamvis enim juxta Bellarmini exceptionem non fuerit solus judex, sed habuerit multos Collegas, id est, omnes Episcopos, qui, si eum convincere potuissent de hæresi, etiam eum judicare & deponere, licet invitum, potuissent, tamen cum ita præsederit Concilio per Legatos, ut absque ejus consensu nihil quicquam statuere potuerint, ideo nullo modo est verisimile, quod seipsum invitum voluerit judicari & damnari.)

10. Idem Bellarmin. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 4. *Certum est, Ecclesiam Dei, à sapientissimo Principe Christo institutam, optime gubernari.*

Contra lib. 2. de Conc. cap. 19. §. At inquiunt. ad argumentum: *Ecclesia sine remedio humano manet, si habet malum Pontificem, & poterit Pontifex impune omnes vexare & perdere, & nemo potest resistere;* respondet hoc modo: *Non est mirum, si manet Ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus ejus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus Rex Deus sit. Itaque etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat, & certū est Deo fore curæ ejus salutem, qui talem Pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam Ecclesiam destruat.*

(Concedit Bellarminus, non esse mirum, si Ecclesia aliquando maneat sine remedio humano efficaci; & tamen ideo visibile caput & Monarchicum Ecclesiæ regimen introducit, ne maneat aliquando sine remedio humano efficaci. Si invisibile caput Ecclesiæ, quod est Christus, sufficit ad Ecclesiæ conservationem & protectionem, quando Pontifex Ecclesiam destruere nititur, ergo visibile caput non est simpliciter necessarium.)

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ERRONEAS *& absurdas Adversariorum complectens.*

I. Querelæ.

1. Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 12. *Hæretici hujus temporis passim clamant, nos subjicere Scripturam Conciliis &c. Cæterum hæc non est nostra blasphemia, sed ipsorum impostura. Catholici enim Scripturam sacram non subjiciunt, sed anteponunt Conciliis.*

Resp. Bellarminus ibidem statim subjicit, *Si interdum Catholici aliqui dicunt, Scripturam pendere ab Ecclesia, sive Concilio, non intelligunt quoad autoritatem & secundum se, sed quoad explicationem & quoad nos.* Confer dicta in quæst. de autoritate Scripturæ, & in articuli illius Appendice.

2. Conqueruntur, *Concilio Tridentino per calumniam tribui, quod non fuerit liberum.*

Resp. 1. Dominicus à Soto in libro contra Ambrosium Catharinum Achiepiscopum Compsanum, qui Concilio Tridentino interfuerat, scribit, *Catharinum negare, liberum fuisse in Synodo Tridentina disputare, atque eo ipso negare illam fuisse liberam, in qua parte faveat hæreticis, qui itidem negent, Concilium illud fuisse liberum.*

2. Carolus nonus Galliæ Rex in protestatione sua contra Concilium Tridentinum inter cætera sic loquitur: *Quanquam Patres sanctissimi vestra omnium religio, vita & eruditio magna semper fuit & erit apud nos autoritatis, cum tamen nihil à vobis, sed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur, magis Pii quarti placita, quam Concilii decreta jure æstimentur, denunciamus & protestamur, quæcunque in hoc conventu, id est, solo Pii nutu & voluntate decernuntur & publicantur, ea nec Regem Christianissimum probaturum, nec Ecclesiam Gallicanam pro decreto Oecumenici Concilii habituram.*

3. Petrus Paulus Vergerius in Epist. ad Regem Poloniæ sic scribit, p. 119. *Ego nullam aliam ob causam fui ex illa Synagoga rejectus, nisi quia, cum in Germania, ut duorum Paparum internuncius aliquandiu fuissem, & causam hanc utcunque intelligerem, suspicio erat, me rem totam probe nosse, & ejus ingenii esse, ut facile sinerem mihi à nonnullis Episcopis persuaderi, ut contra Papam voce prairem, & veluti viam sternerem, ac duntaxat propter istam suspicionem ejiciebar. Excludebatur post me alius quoque nempe Jacobus Nachiantes Fossæ Clodiæ sive Clugiensis Episcopus. Cum enim legeretur decretum tertiæ sessionis, pie & summa modestia dixit, sibi dura videri verba, mutuata scilicet ex c. Ecclesiasticarum. dist. 11. in quibus dicebatur, eodem pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas esse traditiones, quæ ipsummet Evangelium, nihil enim esse, quod cum Evangelio conferri ullo modo possit. At duntaxat propter hoc effatum jussus est à Legatis Tridento discedere & Romam petere, si forte Papa vellet illi ignoscere, quod tam temerarius fuisset, qui decreto, ab ipsomet Papa Romæ condito, ausus fuisset contradicere.*

Ibid. p. 222. *Nullum decretum, nullus Canon fuit in sessionibus Concilii Tridentini lectus, qui Roma missus non fuerit, cogebantur vero miserrima illa creatura, mox ubi illud audiissent recitari, annuere mitrato capite, & demisse pronunciare, placet, tametsi sentirent, vulnerari suam conscientiam, vel quod aliquando non intelligerent, quid id esset, quod approbarent. Nam plerique eorum erant valde rudes ac indocti, vel quod non ignorarent esse contra verbum DEI saltem aliquis.*

4. Marcellus Cervinus Cardinalis, cum à Pontifice ad Concilium mitteretur, mandatum ab ipso accepit, *ne quid omnino pateretur in Concilio constitui, quod contra Majestatem Romanæ Sedis esset, verum exstirparet potius ejusmodi personas, quæ tale quid suaderent.*

5. Unde cum quidam Wilhelmus Venetus Ordinis S. Dominici dixisset, *in Concilio Basileensi decretum esse, quod Concilium sit supra Papam,* Cervinus eum cōtinuo jussit ex Concilio secedere. Balæus f. 423. Wolffius Cent. 16. memorab. p. 140.

Cum quidam Episcopus diceret, *absurdum sibi videri, Deum vocari*

vocari sanctum, Papam vero sanctissimum, vocatus est à Papa Romam, & Episcopatu privatus. Balæus d.l.

6. Cornelius Bitontinus Episcopus in Concilio Tridentino dixerat, *Christum in Cœna non suum corpus & suum sanguinem obtulisse, sed à Patribus explosus est.* Melch. Canus lib. 12. Locor. cap. 12. p. 412.

7. Episcopi Pontificii, qui in Concilio congregantur, arcto juramento Papæ Romano sunt obstricti. Extant tres illius juramenti formulæ. Prima habetur in Decretalibus c. Ego de Jurejur. Altera extat in Pôtificali, ubi de ordinatione Episcopi agitur. Tertiam Secretarius Pauli IV. in act. 3. an Concil. Trident. decreta armis imp. f. 90. Romæ extare dicit, quæ reliquis & arctior & auctior est, in ea enim his juratur verbis: *Papatum Romanum & Regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Jura, honores, privilegia & autoritatem Romanæ Ecclesiæ Domini nostri Papæ & Successorum ejus conservare, defendere, augere & promovere curabo. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones & mandata Apostolica totis viribus observabo & faciam ab omnibus observari. Hæreticos, schismaticos & rebelles Domino nostro Papæ pro posse persequar & impugnabo.* Hoc juramentum cum non fuerit Patribus Concilii Tridentini relaxatum, ecquis credat, ipsos vel minima quadam in re contra Pontificem quicquam fuisse decreturos? In Paralipomenis Chronici Urspergensis recitatur dictum Æneæ Sylvii, postea Pontificis Pii II. quod *si Episcopus Papæ contradicat, etiam vera loquendo, nihilominus contra juramentum Pontifici præstitum peccet.* Quomodo igitur ab Episcopis Tridenti congregatis Ecclesiæ reformatio & errorum redargutio expectari potuit?

8. In Oratione Synodica Tridenti 4. Sept. Ann. 62. sess. 4. coram Patribus nomine Regis Galliæ recitata hæc habentur: *Nostra Patrumque nostrorum & avorum memoria Synodos indictas fuisse, Episcopos convenisse, maximos in Germania atque Italia conventus peractos scimus, vix tamen ullus, aut perexiguus inde fructus Christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores, ventosque colligere, hoc prætermittere certe non possum, quod vereor, ne nimis ad rem pertineat, quod minus legitima, minusve libera fuisse dicuntur illa Concilia. Qui aderant, ad voluntatem alterius semper loquebantur, aut potius annuerunt, qua re nulla in judiciis perniciosior, nullave capitalior esse potest.* (At quæ sunt illa Concilia, nostra ac Patrum memoria indicta, nisi initia Tridentini Ann. 46. & 51. facta? Flacius de Pontif. p. 186.)

II. Calumniæ. I. *In genere.*

1. Bellarminus in præfat. lib. de Concil. & Eccles. accusat nos, *quod Ecclesiastica judicia fugiamus & Conciliorum autoritatem vilipendamus.*

Resp. 1. Imo vero dicimus cum ipsomet Bellarmino lib. 1. de Concil. cap. 10. *Conciliorum convocationes utilissimas & suo quodam modo necessarias, non tamen absolute & simpliciter necessarias esse*, quod patet ex manifesta ratione, quam Bellarminus adducit: *Primis trecentis annis caruit Ecclesia Conciliis generalibus, nec tamen interiit. Quemadmodum enim annis illis trecentis Ecclesia sine Conciliis generalibus incolumis mansit, sic etiam potuisset sine dubio aliis trecentis annis, & rursum aliis sexcentis, atque aliis mille permanere. Nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreses, multa schismata, multa vitia atque abusus, quæ tamen omnia Ecclesiam Catholicam, tametsi Conciliorum generalium præsidio destitutam, opprimere non potuerunt.*

2. Ipsimet Pontificii criminis hujus potius rei sunt, nam Albertus Piggius lib. 6. de cœlesti Hierarchia cap. 1. disputat, quod *Concilia universalia non habeant divinam aut supernaturalem originem, sed prorsus humanam*, quodque sint *Constantini Principis inventum, utile quidem nonnunquam ad inveniendum in subortis Disputationibus, quæ sit orthodoxa & Catholica veritas, quamvis ad hoc minime necessarium, cum magis in promtu sit, Apostolicam de his Sedem consulere*, quæ assertio ipsimet Bellarmino non probatur, inde lib. 1. de Concil. cap. 3. §. Hanc autem &c. scribit: *Probabilius est, originem Conciliorum esse divinam, sunt enim demonstrata à Christo in illis verbis Matthæi 18. Ubi duo vel tres congregati fuerint &c. ac credibile est, Apostolos, qui pleni erant Spiritu sancto, non nisi ipso Spiritu sancto admonente, primum Concilium congregasse.*

Lib. ejusd. cap. 13. §. Ac primum &c. *Falsum est, quod Pigghius dicit, Conciliorum generalium convocationem esse inventum Constantini Magni.*

3. Lutherus ad Henricum Ducem Brunsuicensem sic scribit apud Sleidan. lib. 13. pag. 347. *Cur Concilium modo flagitatis, modo promittitis, modo suspenditis, modo recusatis? Quod si sancta est Ecclesia vestra, quid ita sibi metuit à Concilio, quid opus habet emendatione? Quod si opus habet, quomodo sanctam dicitis? num Sanctimoniam quoque vestram vultis emendari? Nos quidem, ut Ecclesiæ nostræ reformentur, nunquam postulavimus Concilium, nam verbo suo Deus jampridem sanctificavit eas, & sordes omnes Pontificias expurgavit, & veram doctrinam nobis restituit. Concilium autem eò petimus, ut Ecclesiæ nostræ palam audiantur, & ut doctrina vestra Christi doctrinæ contraria damnetur, & ab ea revocati homines verum Dei cultum cognoscant ac sequantur.*

Confer scriptum Germanicum, cujus titulus: Ursachen/ so die Chur- und Fürsten/auch Stände und Städte der Bekäntnüß warhafftiger/ Göttlicher und Evangelischer Lehr allen Königen/ Hoheiten und Potentaten der Christenheit zu erkennen gegeben/ darumb sie Pabst Pauli des Namens des dritten außgeschrieben Concilium, das auff den 23. Tag Maji schierst künfftig gegen Mantua angesetzt/ billich verdächtig/ auch zu gemeiner Christlicher Einigkeit nicht dienstlich achten; editum Witebergæ Ann. 1573. (cujus etiam meminit Sleidanus lib. 2. Comment.) apud Dn. Hortled. lib. 1. de caus. bell. Germ. cap. 29. p. 111.

4. In Concilio Niceno decretum est, *quotannis provincialia Concilia debere institui*. Sed Pontif. Rom. hoc prætermisit.

Opusc. tripartitum de negotiis Ecclesiæ, scriptum seculo 12. (quod extat tomo 2. Concilior.) part. 3. cap. 10. *Concilia antiqua, & etiam posteriora, vix inveniuntur, & est mirabile, quomodo hoc ita neglexit Ecclesia Romana, & quomodo non ordinavit, quod in Ecclesiis cathedralibus, vel etiam Metropolitanis saltem semper habeantur.*

Platina in Sylvestro I. p. 44. *Decernitur etiam, ac quidem sancte, ne cuiquam fieret injuria, ut singulis annis Concilium in Provincia haberetur. Quare hoc sanctum institutum aboleverint nostræ ætatis Pontifices, non video, nisi quod Censuras bene viventium ac sentientium reformidabant.*

Petrus de Alliaco Cardinalis Camer. in lib. de reform. Ecclesiæ existimat, *Romanam Curiam ideo Conciliorum convocationem neglexisse, ut posset ad suæ voluntatis libitum plenius dominari & jura aliarum Ecclesiarum liberius usurpare.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 19. §. 16. *Concilia profecto debita raro & segniter celebrantur, vel Romæ seu alibi coram potentibus tractantur, ubi humilibus & fidelibus non libera est expressio, ut in eis lente corrigantur ea, quæ divinum cultum & Christianam religionem, reformationemque concernunt.*

Cap. 20. §. 11. *Concilia provincialia per Archiepiscopos, vel Synodialia per Diocœsianos juxta Patrum editiones minime celebrantur, unde multæ res Ecclesiasticæ, quæ opus habent correctione, negliguntur.*

cap. 32. §. 3. *Christianitatis capitibus ægrotantibus universalium & particularium Conciliorum congregationes omittuntur, in totius Ecclesiæ perniciem ac in animarum damnationem.*

Paulus Jovius Historicus Pontificius in vita Leonis X. affirmat, *nihil magis esse invisum aut suspectum, aut periculosum, aut formidabile Romano Pontifici, quam nomen Concilii.* Atque hoc ita se habere, constat ex eo, *quod Innocentius III. decrevit, non debere Concilium generale celebrari, nisi semel intra quinquaginta annos*, referente Matthæo Paris in Henrico III.

Clemens VII. Pontifex, *Concilium*, solitus fuit dicere, *eo usq. esse utile, quoad de autoritate Pontificis agatur: ea vero in quæstionem vocata nihil esse periculosius. Pontifices quidem temporibus anteactis ad Concilia tanquam ad armaturam & munimentum decurrisse: his vero unicum esse rerum suarum præsidium, firmamentumque, Concilia vitare ac declinare.* Petrus Suavis lib. 1. Histor. Conc. Trident. p. 39. cum quo consentit, quod in scripto, cujus titulus Erleuterung des Buchs von der Freystellung p. 347. de hoc Papa Clemente VII. memoratur, ipsum dicere fuisse solitum, Wer nicht länger Papst seyn will/ der halte das Concilium, darauß sichet man des Papstes Gelegenheit.

Franciscus Zabarellus (vel Zabarellis) Cardinalis Florentinus & JCtus insignis (qui floruit circa annum 1406.) in scripto de schismate & Concilio: *Mos antiquus habuit, ut crebrò fierent Concilia, & ut quæque difficilia per ea terminarentur. Pontifices vero, qui magis admodum terrenorum Principum quam Apostolorum rexerunt Ecclesiam, non curarunt facere Concilia, ex qua omissione processerunt infinita mala.* Platina.

5. Unius ac solius Pontificis sententiam non solum exæquant, sed etiam præferunt definitioni Concilii generalis, ut postea apparebit.

6. Bellar-

6. Bellarmin.lib.1.de Concil.cap.5.§. Ex his &c. de nobis sic scribit: *Lutherani Concilia prima sex generalia recipiunt.*

Lib.ejusd.cap.21.§.Primo ergo. *Lutherani Concilia generalia efflagitant.*

2. Idem Bellarm.lib.1.de Concil.cap.15.nobis tribuit, *quod statuamus ex omni hominum genere Conciliis debere interesse eos, qui eruditi sunt, & omnes debere esse judices & habere suffragium decisivum quicquid sit de aliis muneribus.* Ita dicit sentire Lutherum part.2.de Concil. p.264. Protestantes in lib. Cur Evangel. ad Concil. Trident. non possint venire. Molinæum de non recip. Concil. Trident.§.28. Magdeburgenses Centur.1.lib.2.cap.9. col.548.

Resp. Calumniam hanc diluimus superius cap.2. in ἐκθέσ.

3. Communiter nos accusant, *quod in variis Conventibus & Synodis non potuerit pax inter Lutheranos sanciri,* quam accusationem sæpè repetit Forerus in Bello Ubiquet.

Resp. Wilhelmus Lindanus in præfat. Concord. Discordis p.48. sic scribit: *Quæ hic Synodi provinciales, quæ Dioce esanæ suum sunt consecutæ effectum? Fuerunt quidem aliquot habitæ sed, quo pietatis fructu, quo exoptatæ adeo reformationis emolumento, quo denique Canonicæ ac desideratæ castigationis exemplo? Totus, heu dolor! videt, imo ridet ac luget mundus.*

4. Calumniantur, *quod per pios & doctos viros, quos majores nostri ad futurum Concilium poposcerunt, non alios nisi suæ Sectæ homines intellexerint.*

Resp. Quales intelligant, expresserunt in Comitiis Norinbergensibus Anno 1523. universi Status Imperii in Responso Adriani VI. Pont. Rom. Legato dato apud Sleidanum lib.4.ad Ann.1523. nempe, *quia Papa ab ipsis consilium petat, consulere se, ut primo quoque tempore Generale Concilium convocetur, atque ad summum intra annum ejus fiat initium, sed hac lege tamen & conditione, ut omnes pariter, qui interierunt, cujuscunque sint ordinis, data fide per jusjurandū promittant, quicquid ad gloriam Dei & salutarē Reipubl. constitutionem pertinere videbitur, ut id absque dissimulatione & libere pronuncient, nam fore alioquin, ut tale Concilium habeatur suspectum, & aliquanto plus adferat incommodi, quam boni.* Ad tale Concilium provocant Status Protestantes in præfat. Confess. Aug. *ad tale, ajunt, in omnib. Comitiis sub Imp. gloriosissimo Carolo V. coactis fuisse appellatum.* Ad tale provocat Elector Saxo in supplicatione ad Imperatorem die 21. Julii Augustæ Anno 1530. in ipsis Comitiis apud Chytræum Hist. Aug. Conf. pag. 207.210.211. Provocat congregatio Principum & Theologorum ad pacis cendum selecta in iisdem Comitiis ibid. p.229.345. & seorsim congregationis pars Pontificia in notis unionis ineundæ, in iisdem Comitiis ibid.391.

5. Ex eo, quod *Scripturam* dicimus *esse perfectam, & in fidei controversiis consulendum esse Spiritum Sanct. in Scriptura loquentem,* inferunt, *juxta nostram hypothesin frustra esse tot Concilia coacta.*

Resp. In fide duo possunt considerari,

1. *Ipsa fidei essentia & integritas interna,* illa ex solo Dei Verbo petitur, non ex Concilio, quia aliquot seculis in Ecclesia nulla celebrata sunt Concilia. Hoc sensu dicimus, *fidei articulos ex sola Scriptura petendos.*

2. *Unitas externa*, respectu membrorum inter se, quoad propagationem & hæresium depulsionem. Et hanc unitatem nonnunquam ex Conciliis habemus, ut quando Macedonium damnavit Synodus Constantinopolitana, Nestorium Ephesina &c. Sed hæc fidei unitas externa in Conciliis declarata per communicationem suffragiorum & damnationem contrariorum non est opponenda unitati fidei & integritati internę, quæ per Spiritum sanctum ex solis Scripturis petitur.

II. *In specie.* 1. Bellarminus in præfat. libror. de Conciliis & Ecclesia, Lutherum accusat, *quod arrepto calamo, omnium Conciliorum autoritatem abjecerit.*

Resp. 1. Idem Bellarminus lib.1.de Concil.cap.6.§.Octavum &c. *Concilium Witebergense congregabant trecenti Pastores Præside Luthero.* (Si Lutherus Concilii Præses, quomodo omnium Conciliorum osor & hostis?)

2. Lutherus ipse in tractatu contra Papatum §. Sed agedum. *Audetis vos Pontifices quatuor illa Concilia prima cum quatuor istis Christianissimis & potentissimis Imperatoribus contemnere & conscelerare ob Execrales (volui dicere, Decretales) vestras!*

2. Idem Bellarmin.lib.2.de Concil.cap.8.tribuit Luthero, *quod videatur reprehendere Concilium Apostolicum* Act.15. cum in assertione articulorum artic.29. dicat, *Jacobum mutasse sententiam Petri;* cumque in lib. de Concil.part.1. multa dicat de hac lege Apostolorum, *& quamvis non audeat asserere, fuisse malam, tamen inde probat, Concilium nihil prodesse, quia non potest defendi ista lex, nisi dicamus, Concilium non obligare.*

Resp. Lutherus ne minima quidem ex parte sanctissimo illi Apostolorum Concilio detrahit. Jacobus non respuit sententiam Petri, ut falsam; sed quod sententiæ Petri defuit, id supplevit. Nuspiam vel in allegato loco, vel in aliis dicit Lutherus, nullum vel hujus, vel aliorum Conciliorum fuisse usum, sed contra potius laudat Concilia. In assert. artic. 29. *Ego non docui, Conciliis resisti posse pro cujusvis libidine. Docui à Conciliis dissentire ac resistere, si quando contraria vel Scripturæ, vel sibiipsis statuissent, Scripturam, inquam, volo judicem Conciliorum.*

3. Idem Bellarminus lib.1.de Concil.cap.15. Brentio tribuit hanc sententiam, quod in Confess. Witeberg. cap. de Concil. statuat, *Concilium non nisi ex vere piis & electis constare debere.*

Resp. Calumniam hanc diluimus superius cap.2. in ἐκθέσ.

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. *Unius ac solius Pontificis autoritatem ac decisionem Conciliorum decisioni non solum exequant, sed etiam præferunt* (Ex quo sequitur, frustra institui Concilia, quia ut Pererius Comment. in Ex.19. Disput.2.n.14.& in cap.13. Disp.7. scribit, *frustra fit per plura & majora, quod æq. bene fieri possit per pauciora & minora, neq. absq. necessitate multiplicāda sunt Entia,* ut loquūtur Philosophi.)

Bellarmin.lib.4.de Rom.Pontif. cap.3.§. ultimo, *plurimas hæreses Romanus Pontifex sine Concilio generali damnavit, ut Pelagii, Priscilliani, Joviniani, Vigilantii, aliorumque multorum.*

Idem lib.1.de Concil.cap.10.§.Denique. *Si ad extinguendas septem hæreses celebrata sunt septem Concilia generalia, plusquam centum hæreses extinctæ sunt à sola Sede Apostolica, cooperantibus Conciliis particularibus.*

Lib.2.de Concil.cap.17.§.Probatur quinto. *Omnia Concilia revocantur tandem ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur; quæ improbat, rejiciuntur.*

Costerus in Enchirid.cap. de Rom.Pontif.p.135.§.Et quidem. *Hoc modo, per autoritatem Romani Pontificis, Christus majori compendio Christianorum commodis prospexit.*

Gregor. de Valent. de anal. fidei lib.6. cap.4.§. Cæterum. *Spiritus veritatis est in summo Pontifice*, etiam cum vult aliquid sine Concilio definire.

(Hic merito dixerit aliquis cum Erasmo in annot. 1. Cor.7. *Quid opus Conciliis? quorsum tot Theologi accersuntur? quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei negotiis distorqueri, cum ex uno Pontifice, quid verum sit, audire liceat?*)

2. Episcopi in Conciliis ad amussim tenentur sequi sententiam Rom. Pontificis, à quo si vel latum unguem discedunt, errare dicuntur. (Quomodo ergo Episcopi in Conciliis libera habebunt suffragia? quomodo erunt *judices & non consiliarii,* quod tamen asserit Bellarminus lib.1.de Conc. cap.18.)

Bellarmin.lib.2.de Concil.cap.11.§.Secundo nota. *Quatuor modis contingere potest, ut fiat generalis Concilii definitio: Primo, ut Patres consentiant & definiant dissentientibus Legatis Apostolicæ Sedis. Secundo, ut definiant consentientibus Legatis, sed contra instructionem Pontificis agentibus. Tertio, consentientibus omnibus, etiam Legatis, sed qui non habuerunt certam instructionem. Quarto, consentientibus omnibus cum Legatis habentibus & sequentibus instructionem Papæ. De primo & secundo modo nulla est difficultas, constat enim, talia Concilia errare posse &c. quia ejusmodi Concilia non solum non confirmata, sed etiam reprobata dici debent. Idem enim est, sive Pontifex expresse Concilium reprobet, sive Concilium agat contra Pontificis sententiam. Constat autem, Concilia reprobata à Pontifice nullam habere autoritatem. Nec possunt dici legitima Concilia, quæ pugnant cum suo capite, & similiter quando consentiunt Legatis agentibus contra informationem, quia tunc Legati non agunt ut Legati, cum agant nomine Pontificis. De tertio modo res est sub opinione. Ego tamen existimo, tale Concilium posse errare, neque esse infallibile ejus judicium ante confirmationem Pontificis &c. Firmitas enim Concilii nascitur ex consensione & conjunctione corporis cum capite. At caput nondum aperuit sententiam suam. Etsi enim Legati præsunt nomine Pontificis, tamen non sunt revera Pontifices, nec sciunt, quæ sit mens Pontificis, nec habent illud privilegiū non errandi, quod habet Pontifex &c. Dico igitur, Concilium illud non posse errare, quod est absolute generale, & Ecclesiam universalem perfecte repræsentat, ejusmodi autem Concilium non est, antequam ad sit sententia summi Pontificis. De quarto modo vix dubium esse potest, videtur enim esse certum, tale Concilium non posse errare.*

Et postea. *Sciendum est, Pontificem mittere solere Legatos instructos de sententia Apostolicæ Sedis cum ea conditione, ut si Concilium consen-*

consen-

consentiat judicio Apostolicæ Sedis formetur decretum; sin minus, differatur decreti formatio, donec Romanus Pontifex consultus respondeat. Quomodo vero cum his assertionibus conciliari potest, quod in hoc ipso cap. §. Quarto potest &c. Bellarminus scribit: *Non tenentur Episcopi in Concilio sequi instructionem Legatorum Pontificis, nam alioqui non essent judices, neque libera essent suffragia?* Aut enim Episcopi instructioni Pontificis Legatis ante Concilii definitionem datæ possunt repugnare, vel tenentur eam exactissime sequi. Si prius, legitima erunt Concilia, quæ cum capite pugnant, quod tamen Bellarminus negat. Si posterius, Episcopi non erunt judices, sed consiliarii, nec libera habebunt suffragia, quod tamen idem Bellarminus absurdum judicat.)

3. Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 18. §. Objiciunt secundo, sic disserit: *Objiciunt aliqui Catholici, Si omnes Episcopi essent judices, teneretur Pontifex, qui Concilio præsidet, in decretis faciendis, sequi majorem partem Episcoporum. At falsum hoc est, cum Damasus irritaverit Acta Concilii Ariminensis, quibus major pars Episcoporum consenserat &c. Dico Præsidem Concilii, ut Præsidem, debere sequi in decreto formando majorem partem suffragiorum, tamen Pontificem non ut Præsidem, sed ut Principem Ecclesiæ summum posse retractare illud judicium, & consequenter, si ipse sit Præses Concilii, posse non ut Præsidem, sed ut Principem summum non sequi majorem partem.* (At quomodo potest distingui inter Pontificem *ut Præsidem*, & ut *Principem Ecclesiæ summum*, cum Pontifex inde atque ideo legitimus Concilii Præses à Bellarmino statuatur, quia est Princeps Ecclesiæ summus? Sic enim scribit cap. statim sequente 19. *Ad summum Pontificem jure pertinere præsidentiam in Conciliis generalibus, probatur ratione ex Scriptura petita. Summus Pontifex est Pastor & pater universæ Ecclesiæ, adeo ut etiam Episcopi & Principes omnes respectu summi Pontificis oves & filii dicantur. At quis ambigere potest, utrum Patres filiis & Pastores ovibus præsidere debeant, an filii patribus & oves Pastoribus?*)

4. Hosius Cardin. lib. 2 contra Proleg. Brentii affirmat, *sententiam in Concilio Pharisæorum & Sacerdotum contra Christum prolatam fuisse veram.* Sed hoc refellit ipse Bellarmin. lib. 2. de Concil. cap. 8. *Alii dicunt*, (inquit) *Pontificem & Concilium errasse, quantum ad errorem propriæ mentis, non tamen errasse in sententia, quam protulit. Vere enim Jesus reus erat mortis, quia peccata nostra in seipso purganda susceperat & vere eum expediebat mori pro populo, quare Johannes cap. 11. dicit, Caipham prophetasse. At licet verba Caiphæ bonum sensum recipiunt, non tamen omnia. Cum enim ait de Christo, blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? certe tunc non prophetavit, sed blasphemavit.*

5. Bellarmin. lib. 2. de Concil. cap. 9. §. Ad alteram. *Etiamsi summus Pontifex, quod fieri non posse credimus, & omnes Episcopi, qui ad aliquod generale Concilium à summo Pontifice convocantur, essent corde hæretici & sola externa professione Catholici, nec vere accepissent sacri ordinis invisibilem characterem, sed nudam impositionem manuum: tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, ut ejusmodi Concilium in decretis suis formandis erraret. Assistit enim Concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum Concilium, quam propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur, Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne erraret Ecclesia universa, divina providentia fecit, ut etiam Concilium illud Episcoporum fictorum, vellet, nollet, verissimam fidem Ecclesiæ sequendam proponeret.* (Atqui absurdum est, Spiritum sanctum adesse Concilio illorum Episcoporum, qui sunt corde hæretici; absurdum est, Spiritum sanctum efficere, ut hæretici illi Episcopi velint, nolint, veram fidem proponant. Nam Spiritus sanctus non tantum linguas trahit, sed etiam corda movet. Bellarminus ipse lib. 3. de lib. arbit. cap. 8 docet, *voluntatem non posse cogi.* Et hoc ipso in loco subjungit: *Quia tamen non solum scimus, Deo curæ esse salutem Ecclesiæ suæ, sed etiam ex Scripturis didicimus, Dei providentiam suaviter omnia disponere, propterea certo credimus, Deum non permissurum, ut in Concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conveniant Episcopi aut omnes, aut pro majori parte non legitimi, aut non Catholici. Esset enim vehementer durum ac violentum, etsi non impossibile Deo, qui etiam per jumentum aliquando corripuit Prophetæ insipientiam, ut Concilium totum hæreticorum, repugnante voluntate ac sententia, decretum Catholicum conderet.*)

Bellarminus lib. 1. de Concil. c. 21. §. Quarta conditio. *Protestantes hanc exigunt conditionem, ut in Conciliis ex Scriptura divina sententiæ ferantur, non ex traditionibus aut Canonibus. Respondeo, est conditio iniqua, quia non debent semel definita in dubium revocari, constat autem in generali Synodo septima definitum esse, traditiones non scriptas recipiendas esse.* (Atqui absurdum est, conditionem hanc, quæ nititur ipsius Scripturæ sacræ perfectione, iniquam censeri, unde ipse Bellarminus subjicit: *Quamvis conditio hæc iniqua sit, possit tamen admitti, donec iterum in Synodo legitime esset definitum, traditiones recipiendas esse pro verbo Dei. Hinc enim est, quod Concilium Tridentinum, antequam ad alia progrederetur, definivit, Scripturas & traditiones pro verbo Dei recipiendas.* Sed enim quam conditionem ante Concilii Tridentini decretum admitti posse concedit, eandem quoque post illud Concilium admitti debere, contendimus. Ratio pendet ex Scripturæ perfectione, propriis Pontificiorum testimoniis suo loco confirmata.)

7. Joverius initio Constitutionum Ecclesiasticarum Concilium Apostolicum Act. 15. *ex numero Oecumenicorum* eximit ob paucitatem eorum, qui convenerũt, quos censet fuisse tantum *quatuor Apostolos* cum paucis Hierosolymitanis. Contra. Concilium hoc merito vocatur Oecumenicum, quia interfuerunt, imo præfuerunt ei Apostoli, *Oecumenici Doctores totius orbis* à Christo constituti. Etsi proinde de numero Assessorum non possit certi aliquid affirmari, cum Lucas eum non expresserit, ac ex Epistolis ad Galatas colligatur, præsentes fuisse ex Apostolis solos *Petrum, Paulum, Johannem, Jacobum & Barnabam*, tamen autoritas hujus Concilii est longe major, quam ullius deinceps habiti Concilii, ac decreta ejus vere fuere œcumenica ab illis, qui im̃ediato Spiritus sancti impulsu præditi fuere, profecta, unde etiam in partem Scripturæ sacræ & Canonicæ abierunt. Neque tantum de ritibus Judaicis in hoc Concilio actum, sed de distributione Provinciarum inter Apostolos, præsertim vero Petrum & Paulum, ita ut illi Judæorum, huic gentium cura fuerit demandata, id est, ut Petrus eorum, qui ex circumcisione; Paulus eorum, qui ex præputio, Apostolus fuerit constitutus.

8. Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. resp. ad 15. *Verbum Ecclesiæ, id est, Concilii vel Pontificis docentis ex cathedra non est omnino verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo verbũ Dei, id est, prolatum assistente & gubernante Spiritu S.* (Atqui si verbum Concilii vel Pontificis ex cathedra pronunciantis habet autorem immediatum Spiritum S. est pure divinum & nullo modo humanum. Ratio est, quia hoc respectu est idem cum verbo, quod Spiritus S. sanctis Dei hominibus inspiravit.)

9. Bailius Jes. in Catech. controv. tract. 2. quæst. 6. statuit, *Concilia nobis in difficultatibus esse instar oraculorum*, & commendat illud Gregorii, *quod credatur quatuor Conciliis* (Oecumenicis,) *quemadmodum quatuor Evangeliis*, idemq; de aliis legitime congregatis pronunciandum censet.

Resp. 1. Leo Pontif. Rom. Epist. 53. ad Anatolium unum ex his quatuor, videlicet *Chalcedonense Concilium* non dubitavit accusare, quod ambitioni Anatolii inservierit. Neque pro oraculo habere voluit, quod de Archiepiscopi Constantinopolitani ante Alexandrinum præsidentia ab eo decretum fuerat, sed approbationem suam ad ea restrinxit, quæ de fide Catholica in eadem definita fuerant. Non itaque existimavit *ejusdem cum Evangelio esse autoritatis.*

2. Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 12. quinq; rationibus probat, *autoritatem Scripturæ esse majorem, quam Conciliorum, Primo, quia Scriptura est verbum immediate à Deo revelatum, non autem Concilia. Secundo, quia Scriptores sacri non debuerunt multum laborare in suis libris edendis: at Patres in Conciliis debent rem ipsam quærere. Tertio, quia in Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus; sive affirmetur aliquid generale, sive particulare. At Concilia in judiciis particularibus errare possunt. Quarto, in Scriptura non solum sententiæ, sed etiam verba ad fidem pertinent, at in Conciliis maxima pars actionum ad fidem non pertinet. Quinto, Scriptura non eget approbatione Pontificis, ut sit authentica. At Concilia etiã legitima & generalia non sunt rata, nisi à Pontifice confirmentur.*

3. Dictum ergo Gregorii restringi debet ad id, quod in quatuor Conciliis Oecumenicis de Sacrosancta Trinitate, de una persona & duabus Naturis Christi secundum Scripturas definitum fuit.

4. Unde Bellarminus d. l. monet. *illud, sicut, in verbis Gregorii sonare similitudinem, non æqualitatem, ut illud Matth. 5. Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.*

10. Bellarmin. in præfat. librorum de Rom. Pont. calumniatur, quod Chalcedonense Concilium *non sine fraude & absentib. Legatis Romanis decretum de Episcopo Constantinopolitano exæquando Romano fecerit.* Atqui act. 16. more suo præmittit inter præsentium nomina Paschasinum & Lucentium Episcopos, atque Bonifacium Presbyterum *habentes locum sanctissimi Archiepiscopi*

senioris

senioris Romæ Leonis fol. 333. apud Binium. Quo igitur instrumento probantur reliquis actionibus interfuisse, eodem & hic. Excipit quidem Binius *diem sessionis seu calculum corruptum esse, qui dicitur in Actis V. Kalend. Novembris, cum tamen actio 14. & 15. pridie Kalend. Novembr. celebratæ dicantur*, ex quo colligit in notis marginalibus ad sess. 16. *Legatos Romanos jam discessisse*. At longe verisimilius est numerum ordinantem sessiones immutatum esse, utpote qui ab ipsa Synodo non est additus, quam æram diei & sessionis, quæ conceptis verbis in quavis actione præponitur, idque indubitatis Synodi & solennibus in quovis instrumento publico verbis.

ARTICULUS V.

DE ECCLESIA.

CAPUT. I.

De Materia Ecclesiæ, hoc est, de illis, ex quibus constat Ecclesia.

THesis generalis. Ecclesia proprie est congregatio Sanctorum.

Ἔκθεσις. 1. Non negamus, in externa Ecclesiæ societate hypocritas in hac vita esse mixtos Sanctis, unde postquam Augustana Confessio artic. 7. *Ecclesiam* dixisset *esse congregationem Sanctorum, in qua Evangelium recte docetur & recte administrantur Sacramenta*, artic. 8. subjungit: *Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio Sanctorum, tamen cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur.*

2. Hoc vero est, quod dicimus, eos, qui per vocationem in Ecclesiæ cœtum congregantur, esse in duplici differentia: Quidam enim *interius* per Spiritum sanctum regenerantur, renovantur, vera fide donantur, illuminantur, sanctificantur, Christo inseruntur, & hac ratione fiunt vera & viva Ecclesiæ membro. Quidam vero *externa* tantum societate, quæ in professione fidei & usu Sacramentorum consistit, cœtui vocatorum sive Ecclesiæ visibili sese conjungunt, interna regeneratione & sanctitate destituti.

3. Illi sunt *vera & viva* Ecclesiæ *membra*, quæ à Christo capite vitam ac Spiritum hauriunt; hi sunt *membra putrida & emortua*; illi pertinent ad Ecclesiam *interne*; hi duntaxat *externe*; illi *simpliciter, proprie & univoce*; hi *secundum quid, improprie, καταχρηστικῶς & ὁμωνύμως*; illi respectu *interioris & spiritualis cũ Christo conjunctionis*; hi respectu *externæ consuetudinis, professionis & societatis* cum cætu vocatorũ; illi *in corde*, hi in *externa specie*; illi ἔσω, hi ἔξωθεν; illi *judicio Dei*, hi *judicio hominum*; illi ut *de anima & corpore Ecclesiæ* pariter, hi ut *de corpore & non de anima*; illi ut *veræ & sanæ corporis partes*; hi *ut scabies & mali in corpore humores*.

Illud ipsum alii sic efferunt:

Distinguendum esse inter Ecclesiam Christi in his terris militantẽ, quatenus consideratur *ex divina vocatione*, & deinde inter eandem Ecclesiam, quatenus spectatur *ex divina electione*. Et vicissim. Ecclesia Christi ex divina per verbum & Sacramenta facta vocatione considerata attenditur, vel *respectu externæ societatis* in fidei Christianæ professione & Sacramentorum administratorum usurpatione consistentis, vel respectu *internæ societatis* in regeneratione & renovatione Spiritus sancti consistentis. Mali Christiani, qui fidem Christianam profitentur, sunt partes Ecclesiæ vocatæ & consideratæ respectu externæ societatis: at non sunt partes Ecclesiæ à Deo ad vitam æternam electæ, (nisi ante finem vitæ suæ resipiscant) & respectu internæ societatis æstimatæ. Breviter, distinguendum est inter cœtum, in quo est Ecclesia; & cœtum, qui est Ecclesia.

4. Quando quidam ex nostris dicunt, *Ecclesiam esse cœtum electorum*, tunc termino illo nõ utuntur *stricte & proprie* pro solis in fide ad finem usque vitæ perseverantibus, prout Scriptura electos definit; nec utuntur eo in sensu Calviniano, pro quibusdam absoluto Dei decreto electis; sed *late & improprie* pro omnibus vere renatis, credentibus ac sanctis, sicque nullum discrimen est inter has duas sententias, quod *Ecclesia sit congregatio Sanctorum*, & quod *Ecclesia sit cœtus electorum*.

5. Quando quidam ex nostris dicunt, *Ecclesiam esse congregationem justorum ac perfectorum*, tunc terminis illis non utuntur sensu Pelagiano, Novatiano, Donatistico & Anabaptistico, sed prout Scriptura justos & perfectos definit, illos scil. qui vera fide justitiæ Christi participes facti, & per Spiritum sanctum regeniti, justitiæ operum student, atque ad perfectionem justitiæ contendunt.

6. Non statuimus duas Ecclesias, unam *veram, realem & internam*, alteram *nominalem & externam*, sed dicimus, unam eandemque Ecclesiam, totum scil. vocatorum cœtum, dupliciter considerari, ἔσωθεν scil. & ἔξωθεν, sive respectu *vocationis & externæ societatis* in fidei professione & Sacramentorum usu consistentis; ac respectu *interioris regenerationis & internæ societatis* in vinculo Spiritus consistentis. Priori modo ac respectu etiam hypocritas & non sanctos ad Ecclesiam pertinere cõcedimus, sed posteriori modo ac respectu solos vere credẽtes & Sanctos ad eam pertinere contendimus.

7. Insistentes Scripturæ vestigiis distincte de Ecclesia loquimur. Interdum enim accipitur nomen Ecclesiæ *pro toto cœtu vocatorum*, in quo omnes, qui externa professione sese aggregãt ad auditum verbi & usum Sacramentorum, pro Ecclesiæ illius membris habentur; interdum vero accipitur *pro cœtu vere credentium & sanctorum*, qui non solum externa fidei professione & usu Sacramentorum externo, sed etiam vera fide cordis & interiore regeneratione sunt donati. Atque hi ipsi non sunt extra cœtum vocatorum, ut peculiarem & separatam Ecclesiam constituant, sed sunt in ipso cœtu vocatorum, quibus externa societate sunt conjuncti.

8. Idipsum etiam sic efferri potest. Distinguendum inter Ecclesiam *visibilem ac particularem*, & inter Ecclesiam *invisibilem ac Catholicam*. In Ecclesia visibili & particulari boni ac mali, electi ac reprobi sunt commixti, sed ad Ecclesiam invisibilem & Catholicam boni duntaxat pertinent.

Antithesis. In Concilio Constantiensi sess. 15. hæ duæ sententiæ ut hæreticæ in Johanne Husso sunt damnatæ, *unicam esse sanctam Universalẽ Ecclesiam, quæ est universitas prædestinatorum*; & *Ecclesiam ut sumitur hoc sensu pro cœtu prædestinat. esse articulum fidei*.

Bellarminus lib. 3. de Eccles. & Concil. cap. 2. § 5. *Docet Confessio Augustana artic. 7. Ecclesiam esse Sanctorum congregationem; qui vere credunt & obediunt Deo.*

§. 9. *Nostra autem* (Romanensium) *sententia est, Ecclesiam unam tantum esse, non duas, & illam unam & veram esse cœtum hominum ejusdem fidei Christianæ professione & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Pontificis Romani.*

Definitionis hujus tres constituit partes, quas omnes & singulas requiri dicit, ut quis ad Ecclesiam pertineat, *professionem scil. veræ fidei, Sacramentorum communionem & subjectionem ad Romanum Pontificem*. Ratione primæ partis dicit *excludi omnes infideles, tam eos, qui nunquam fuerunt in Ecclesia, ut Judæos, Turcas & paganos, quam illos, qui recesserunt, ut hæreticos & apostatas*. Ratione secundæ partis dicit *excludi Catechumenos & excommunicatos*. Ratione tertiæ partis excludi *schismaticos, includi autem omnes alios, etiamsi reprobi, scelesti & impii sint*.

Ibid. §. 10. *Ut aliquis aliquo modo dici possit pars veræ Ecclesiæ, de qua Scripturæ loquuntur, non putamus, requiri ullam externam virtutem, sed tantum externam professionem fidei, & Sacramentorum communionem, quæ sensu ipso percipitur.*

Nostram vero sententiam, quod Ecclesia proprie sit congregatio Sanctorum, *conflatam esse* dicit *ex hæresi Pelagianorum, Novatianorum & Donatistarum*.

Lib. ejusd. cap. 7. §. 1. probat, *ad Ecclesiam non solos prædestinatos, sed etiam reprobos pertinere*, ex parabolis Christi Matt. 3. 13. 22. 25. exẽplo incestuosi 1. Cor. 5. & dicto Apostolico, 2. Tim. 2. v. 22.

Lib. ejusd. cap. 9. §. 1. *In una vera & Catholica Christi Ecclesia non solum imperfectos, sed etiam graves peccatores esse, & non solum occultos, sed etiam manifestos, contra errorem Confessionistarũ probatur.*

Pazmannus lib. 8. Hodegi cap. 2. *Falsum est, veram Ecclesiam esse cœtum eorum tantum hominum, qui justificati sunt & ad salutem electi.*

Similia occurrunt apud Lindanum lib. 4. Panopl. c. 4. Canisium c. 2. de præcept. Eccl. artic. 9. Anglo-Rhemenses annot. Joh. 15. ubi scribunt, *impios & reprobos in publica Ecclesiæ professione remanentes vera corporis Christi membra existere.*

Nostram sententiam probamus ex Natura & proprietate veræ Ecclesiæ.

1. Ecclesia in Scripturis vocatur *corpus Christi* mysticum Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 10 v. 17. c. 12. v. 27. Eph. 1. v. 23. Col. 1. v. 18. Ut ergo in corpore humano unumquodque verum ac proprie dictum membrũ animatur ac regitur Spiritu vitæ, & vicissim, quicquid in corpore humano non animatur ac regitur Spiritu vitæ, illud non est membrũ corporis, nisi ὁμωνύμως ac æquivoce: sic quicunque est verum & genuinum corporis illius mystici membrum, regitur à Spiritu sancto; & vicissim, quicunq; non habet inhabitantem Spiritum sanctum, à quo regitur, ille non est verum & genuinum corporis mystici membrũ, 1. Cor. 6. v. 15 & 19. Eph. 1. v. 22. cap. 4. v. 16. Col. 2. v. 19.

2. Eccle-

2. Ecclesia est *mater omnium credentium* Gal. 4. v. 26. ac vera Ecclesiæ membra sunt etiam *filii Dei*. Jam vero filii Dei sic describuntur, quod sint *ex Deo nati* Joh. 1. v. 12. quod sint *hæredes Dei & cohæredes Christi* Rom. 8. v. 17. quod *ducantur Spiritu Dei* v. 14. quod *imitentur opera Patris sui cœlestis* Matth. 5. v. 45. Hasce filiorum Dei proprietates, manifestũ est, non convenire omnibus vocatis, qui sunt in externa Ecclesiæ societate. Ergo non omnes vocati pertinent ad cœtum filiorum Dei, hoc est, ad Ecclesiam proprie & principaliter sic dictam.

3. Ecclesia est Christi *ovile* Joh. 10. v. 1, ac veri Ecclesiæ cives sunt etiam Christi *oves*. Jam vero oves Christi sic describuntur, quod *audiant vocem* Christi *Pastoris sui*, quod *Christus eas cognoscat*, quod *sequantur Christum* Pastorem suum, quod *Christus det eis vitam æternam*, quod *non pereant in æternum*, quod *nemo rapiat eos ex manibus Christi* Joh. 10, v. 27. 28. Hæc descripto non convenit omnibus, qui sunt in cœtu vocatorum sive in externa Ecclesiæ societate, sed solis vere credentibus, siquidem in cœtu vocatorum ovibus in hac vita intermixti sunt fætentes *hirci*, quos cœlestis *ἀρχιποίμην* in die novissimo *ab ovibus separabit* Matth. 25. v. 32. Ergo non omnes vocati, sive quod idem est, non omnes illi, qui sunt in externa Ecclesiæ societate, sunt veræ oves Christi ac vera Ecclesiæ membra.

4. Prophetæ & Apostoli sæpe ita loquuntur de Ecclesia, ut illa encomia non possint referri ad totum cœtum vocatorum, qui complectitur *bonos & malos, triticum & zizania, pisces bonos & putres &c.* Ps. 45. v, 14. Cant. 4. v. 7. Esa. 52. v. 1 Ezech 44. v. 9. Joel. 3. v. 17. Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15. Ergo statuenda est vera quædam Ecclesia proprie & *κυρίως* sic dicta, cui *πρώτως* & *ἀμέσως* illa encomia & attributa competant. Omne enim prædicatum requirit aliquod subjectũ, cui per se proprie & immediate tribuitur, de reliquis vero non nisi *κατ' ἄλλο* & propter primum illud ac principale subjectum prædicatur. Huc pertinet, quod Ecclesia in V. ac N. T. passim vocatur *Christi Sponsa* Cant. 4. v. 10. Esa. 91. v. 10. Joh. 3. v. 29. 2. Cor. 11 v. 2. Jam vero ut in V. T. Sacerdotũ Sponsæ erant virgines Lev. 21. v. 13. Ezech. 44. v. 2. Sic Christus summus N. T. Sacerdos illas solum animas in Sponsam & Ecclesiam eligit, quæ fidei virginitate præstãtes ab adulterinis Satanæ, mundi & carnis amplexibus abstinent.

5. Apostolus Rom. 8, v. 29. & 30. sic describit veram Ecclesiam & vera Ecclesiæ membra, ut descriptio illa non possit tribui omnibus, qui ad externam Ecclesiæ societatem pertinent. Non enim omnes vocati sunt prædestinati, non omnes justificantur & glorificantur. Ergo non omnes vocati pertinent ad Ecclesiam proprie & principaliter sic dictam.

6. Idem Rom. 2. v. 28. & 29. distinguit inter *Judæum in manifesto & Judæum in abscondito*, illum æstimandum esse dicit *ex circumcisione externa*, hunc vero *ex circumcisione interna*. Quemadmodum igitur is demum est verus Judæus, qui in abscondito Judæus est & corde circumcisus: sic is demum est verus Christianus & verum Ecclesiæ Christianæ membrum, qui in abscondito Christianus est & spiritualis circumcisionis particeps, 1. Pet. 3. v. 4.

7. Petrus spirituale Ecclesiæ ædificium 1. Epist. 2. v. 5. sic describit, ut illa descriptio non competat omnibus vocatis externa societate Ecclesiæ conjunctis. Non enim omnes *ut lapides vivi superædificantur* Christo, neque omnes *offerunt Deo spirituales hostias*. Ergò nec omnes vocati pertinent ad spirituale Ecclesiæ proprie sic dictæ ædificium.

8. Ecclesia eo nomine appellatur, quia est *ex mundo evocata*. Ergò qui adhuc sunt de mundo, h. e. qui nondum regeniti, sanctificati & renovati, sed in mundanis & carnalibus concupiscẽtiis toti adhuc immersi sunt, illi nõ sunt vera Ecclesiæ membra. Rom. 8. v. 9. *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus*. Qui vero non est Christi, ille non est Ecclesiæ Catholicæ verũ membrum, quia caput Ecclesiæ est Christus. Ergò qui non est Christi, non est verum Catholicæ Ecclesiæ membrum. 1. Cor. 12. v. 13. *in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus*. Ergò in quibus non est Christi Spiritus, illi non pertinent ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Gregorius Episcopus Romanus lib. 28. moralium cap 5. *Omnes electi intra mẽsuras ejus continẽtur, extra stant omnes reprobi.*

Idem in Cantic. c. 4. *Hortus sancta Ecclesia existit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene dicitur, quia caritatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.*

In cap. 6. Cant. *Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent & ab unitate non scinduntur.*

Id. homil. 19. in Evang *Conditor noster habet vineam, Universalem sc. Ecclesiam, quæ ab Abel justo usq; ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit.*

Homil. 23. in Evang *Regnum cœlorum est Ecclesia justorum, quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quod ad superna spirant jam in eis Dominus quasi in cœlestibus regnat.*

2. Bernhard. serm. 28. in Cant. *aperit tanquam arcanum, quod à Paulo didicit, idque se pronunciat audacter locuturum, Ecclesiam esse cœtum omnium electorum, prædestinatorum ante secula.*

Serm. 62. in Cant. *Vinea Domini est Ecclesia prædestinatorum.*

Serm 68. in Cant. *Quid est Sponsa Domini, nisi congregatio justorum? Quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Sponsi?*

Ibid. *Ecclesia est cœtus electorum ante secula prædestinatus, de quibus Apostolus, Omnia, inquit, propter electos &c. Ecclesia Sanctorum, non modo quoniam dilecta, sed & quod prius dilecta fuerit.*

3. Quidam Canones & capitula Juris Canonici.

c. Cum aliquis 7. caus. 24. q. 3. ex Origene. *Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à caritate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocatioem minime abjiciatur.*

c. De illis. caus. & quæst iisd ex Augustino. *Nec ille dicendus est esse in Ecclesia & ad istam societatem Spiritus pertinere, qui ovibus Christi ficto corde miscetur, Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Neque enim solum ad Ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in ejus unitate corporaliter misti per pessimam vitam separantur.*

c. Certum est. caus. & quæst. iisdem ex quinta Synodo. *Certum est, quod qui impius demonstratus est, omni modo separatus est à Deo.* (Ergo etiam à domo Dei, quæ est Ecclesia.)

c. Ecclesia. dist. 1. de pœnitentia ex Hieronymo. *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neq; rugam, aut aliquid istiusmodi. Qui ergo peccator est & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. Possibile autem est, ut quomodo Ecclesia, quæ prius rugam habuit & maculam, in juventutem & munditiam postea restituta est, ita & peccator currat ad Medicum, quia non opus habent sani medico, sed male habentes, ut curentur vulnera ipsorum & fiant de Ecclesia, quæ est corpus Christi.*

c. Hoc Sacramentum dist. 2. de consecrat. *Hoc Sacramentum pietatis est, signum unitatis, vinculum caritatis. Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat, accedat, credat & incorporetur, ut vivificetur. Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis.*

c. Est unitas. dist. 4. de consecrat. *Est unitas Ecclesiæ, quæ late patet, in Sacramentorum videlicet societate & communione, quæ complectitur cum granis etiam paleas, quando eas corporaliter mistas ita partitur, ut neque illas justi vitent, neque ab illis justi vitentur. Sic sunt in Ecclesia homines mali, ut in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt ex corpore.*

(In editione Gregoriana additur. *Sententia sumta est ex B. Augustino in Epistolam primam Johannis, & Beda in eundem locum.* Glossa autem ordinaria ibidem sic habet: *Sic sunt ficti in Ecclesia, quomodo humores mali in corpore, quando evomuntur, relevatur corpus, sic quando exeunt mali, relevatur Ecclesia.*)

Glossa in d. c. Ecclesia. dist. 1. de pœnit. *Ecclesia quandoque large sumitur, ut granum & paleam complectatur.*

4. Quædam pronunciata Scholasticorum.

Lombardus lib. 1. sent. dist. 37. lit. C. *Illi ad templum Dei non pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificant.*

Thomas Aquinas in Comm. Eph. 5. *ut exhiberet Sponsam suam Ecclesiam immaculatam hic per gratiam, illic per gloriam.* (Atqui impii nec hic per gratiam sunt immaculati, nec illic per gloriã imaculati erunt. Ergo non pertinent ad mysticum illud Christi corpus, hoc est, ad Ecclesiam, de qua Apostolus ibi loquitur.)

Idem in Comm. Rom. 8. super verba. *Qui non habet Spiritum Christi non est ejus. Sicut non est membrum corporis, quod per Spiritum corporis non vivificatur: ita non est membrum Christi, qui Spiritum Christi non habet.* (Qui vero non est verum & vivum membrum Christi capitis, ille etiam non est verum & vivum membrum Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum.)

In Comm. 1. Petri 3. *Sicut arca fuit de lignis levigatis ac dolatis, ita Ecclesia constat de Sanctis per angustias & tribulationes afflictis. Sicut arca ex lignis imputribilibus, ita Ecclesia constat ex hominibus incorruptis.*

Albertus Magnus in cap. 5. Lucæ. *Una est Ecclesia, uno Spiritu vivificata, mota, sanctificata & communicata.*

Hugo

Hugo lib.2.de Sacram.cap.2. *Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum ejus. In corpore uno Spiritus unus, nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum.*

Biel lect.22. in Can. Missæ. *Forma mystica corporis Christi, quod est Ecclesia, est vera fides, propter quod Ecclesiam definientes ajunt, Ecclesia est corpus Christi mysticum fide Christi animatum.*

ibid. *Ecclesia accipitur pro tota multitudine prædestinatorum.*

5. Quædam Conciliorũ, etiam recentiorum, pronunciata.

Concilium Wormaciense in præfat. *Ecclesiam Catholicam precio sanguinis sui redemtam credimus cum eo in perpetuum regnaturam.* (Jam vero soli Sancti cum Christo regnabunt in perpetuum.)

6. Quorundam recentiorum Scriptorum, qui non solum ante, sed etiam post Lutherum docuerunt, pronunciata.

Johannes Wiclef. in tract. contra Fratres sive Monachos cap.39. *Fratres hunc articulum fidei Christianæ destruunt. Credo Ecclesiam Catholicam. Docent enim, homines damnandos esse membra Ecclesiæ sanctæ, & sic Diabolum cum Christo connubio jungunt.*

Johannes de Turrecremata lib.1. capite 57. statuit, *malos & impios tantum secundum quid & æquivoce ad corpus Ecclesiæ pertinere,* quod probat ex Alexandro de Ales, Hugone & Thoma. Asserit etiam, *fidem necessario requiri ad id, ut quis sit verum Ecclesiæ membrum,* (quem propterea refellit Bellarminus lib. 3. de Eccles. c.9.)

Johannes Picus Mirandulanus theorem. 13. *Ecclesia primo & principaliter dicitur Catholica, quæ omnes rectæ & Apostolicæ fidei & non fictæ caritatis homines complectitur.*

Autor operis Ecclesiæ cap.5. §.2. *Universalis Ecclesia septem statibus distinguitur, ac vitam & vegetationem à Spiritu septiformi accipit, alioquin Ecclesia Catholica, id est, collectio fidelium est una tantum licet habeat prolem variam, exitusq; diversos, correspondentes conditionibus septem statuum. Eodem modo reproborum Christianorum caterva denominatur una meretrix, tametsi diversa, utpote septem peccatorum capita habeat.*

cap.8. §.5. *Ecclesia potissime formatur & constat ex electis Christianis, tametsi in se membra frequenter reproba contineat.*

cap.18. §.7. *Johannes Huss & Hieronymus Pragensis asseverarunt, (ut fertur) Universalem Ecclesiam non in Roma vel Papa, sed in prædestinatorum Universitate consistere &c. ob hujusmodi doctrinam in Concilio Constantiensi, rupto salvo conductu, ambo exusti sunt. An hæc vel alia eorum dogmata fuerint novæ vanitatis, an Evangelicæ antiquitatis, nescio, ego non judico quenquam &c.*

cap.43. in procem. *Ecclesia Catholica est fidelium multitudo fide & caritate unica, omnes enim Episcopi, omnesque fideles una sunt Ecclesia. Origenes censet, templum Dei ex lapidibus vivis constructum, esse Christi Ecclesiam, in qua multi sunt, non sicut condecet, spiritualiter viventes, sed secundum carnem militantes, qui domum orationis, de lapidibus vivis constructam, faciunt esse speluncam latronum, ideo destruendi, actibus enim suis non Ecclesia Dei, sed latronum spelunca & virginibus fatuis reddunt se dignos.*

cap.49. §.15. *Ecclesia Universalis principaliter consistit in spirituali collectione Christi fidelium, ubique terrarum degentium, & ejus caput solus est Christus.*

(Eodem modo Ecclesiam definit Cataldinus de Boncampagnis in tract. de potest. Papæ Volum 3. Tractatuum Dd. Juris fol 89. num.11. videlicet, quod sit *multitudo fidelium fide & caritate unita.* Jam vero impii interiore fide & caritate non uniuntur vere fidelibus.)

Cajetanus Cardinalis in Comment. Matth. 16. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam, quæ constat ex congregatione fidelium una fide, spe & caritate.*

Alphonsus de Castro lib.1. advers. hæreses cap.9. *Duplex est unio, Una, quæ fit per caritatem, per quam tanquam per juncturas membra junguntur, ut capiti suo, scil. Christo, cohæreant, & per hanc constituitur corpus illud, quod dicitur esse sine macula. Et hoc modo unitas Ecclesiæ consistit in unitate caritatis, qua membra invicem se diligunt & Deum. Alia est Ecclesiæ unio per fidem, per quam omnes fideles sunt grex sub uno Pastore. Et hæc est illa Ecclesia, quæ in Evangelio aliquando comparatur sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti: aliquando decem virginibus, è quibus quinque erant fatuæ, quinque prudentes.*

Erasmus in Symbolo Catech.4.p.145. *Ecclesia proprie dicta est arcana societas ad vitam æternam prædestinatorum, cujus magna pars jam agit apud Christum; quæ verò superest, in hoc vocata est, ut ad summam puritatem enitatur; & recte negatur habere maculam, ut rugam, vel per synecdochen, vel à scopo seu fine, unde denominationem sumi fatentur Logici. Interdum tamen vox Ecclesiæ ita dilatatur, ut omnes Baptismo tinctos complectatur, sive pie vivant, sive secus.*

Enchirid. Christian. Instit. Colonienf. cap. de Sacram. Ordinis pag.171. *Ut autem contendant quidam, Ecclesiam invisibilem esse, quod de Ecclesia prædestinatorum non negamus, nihilo secius, ut opinamur, nobis concedent, Ecclesiam esse visibilem, quæ bonis admixtos habet malos, visibili fidei professione & Sacramentorum communione sociatos.* (Id vero libenter concedimus, ut ex Augustanæ Confessionis artic. 8. & ἐκθέσεως nostræ sententiæ manifestum.)

Melchior Canus lib.4. LL. cap. ult. ad 9. distinguit *inter membra & partes Ecclesiæ,* ac negat, *impios esse membra Ecclesiæ aut Christi, partes tamen esse, sed non homogeneas* asserit.

Præterea fatetur lib. ejusdem cap.2. *Qui nervosius Ecclesiam finiunt, illos non dubitare, eam fidelium tantum numero constari.*

Catechismus Concilii Tridentini jussu Pii V. Pontif. editus, in exposit. Symboli docet, *caput Ecclesiæ quasi corporis esse Christum, cujus Spiritus, ut anima corporeis membris vitam, ita fidelibus impertitur gratiam, eoque sanctam esse, quia gratiam sanctitatis & peccatorum veniam accepit à Christo, à quo sanctificatur, ejusq; sanguine abluitur. Catholicam autem dici, quoniam unius fidei splendore diffunditur ab ortu Solis ad Occasum, complectens quosvis homines, sive barbaros, sive Scythas, sive liberos, sive servos, sive masculos, sive fœminas, & continens fideles omnes, qui fuerunt ab Adam usque in hunc diem, quive sunt futuri, quamdiu mundus extabit, profitentes veram fidem, fundati in Christo super Apostolorum ac Prophetarum fundamento.*

(Ergo juxta Pii V. & Patrum Tridentinorum sententiam, Ecclesia, quæ traditur in Symbolo, est *corpus Christi.* Docet vero Scriptura, totum corpus Christi *Spiritu sancto* tanquam anima vivificari & augeri Ephes.4.v.16. At mali nec vivificantur, nec augentur. Non sunt ergo mali pars corporis Christi, proinde nec Ecclesiæ. Item juxta Pii quinti & Patrum Tridentinorum sententiam *Ecclesia mundata est sanguine Christi, sanctitatis gratia imbuta, donata peccatorum remissione. Beati verò, quorum remissæ sunt iniquitates* Roman. 4. v. 7. *beati mundo corde, quia Deum videbunt* Matth.5.v.8. At mali nec beati sunt, nec Deum videbunt, nec peccata illis sunt remissa, nec corda ipsorum purificata. Ergo non sunt vera Ecclesiæ membra. Item, juxta Pii V. & Patrum Tridentinorum sententiam Ecclesia dicitur *Catholica, quia comprehendit fideles universos à prima mundi origine usque ad ejus finem, profitentes veram in Christum fidem & in Christo fundatos.* At mali & hypocritæ vel non sunt vere fideles, vel si certo respectu, videlicet ratione externæ professionis, *fideles* dici possint, tamen non sunt *fundati in Christo.* Qui enim in Christo vera salutis petra fundati, non movebuntur in æternum Matth.7.v.24. At mali movebuntur, proinde non sunt pars Ecclesiæ. Essent autem necessario pars Ecclesiæ, si nomen Ecclesiæ denotaret proprie *Ecclesiam,* quam vocamus *visibilem,* ex bonis & malis constantem. Ex quo consequens, Ecclesiam, quæ traditur in Symbolo fidei, non significare *Ecclesiam visibilem,* hoc est, multitudinem bonorum & malorum, sed *Ecclesiam invisibilem,* id est, congregationem Sanctorum.)

Idem Catech. Tridentin. pag.111. & 114. asserit, *veram Ecclesiam dici & esse unam, 1. Propter unum Dominum & caput Christum. 2. unum Spiritum, 3. unam spem vocationis, siquidem omnes fideles eandem rem, vitam æternam, atque beatam sperent.*

(Atqui Ecclesia, quæ complectitur pios & impios, non est unitate Spiritus & spei una, siquidem pii reguntur Spiritu bono, impii malo; pii sperant vitam æternam, de qua impii vel prorsus non sunt soliciti, vel non debito modo ad eã aspirant.)

Catechismus Romanus de Eccles. *Ecclesia militans est, quæ cum immanissimis hostibus Satana, mundo & carne perpetuum bellũ gerit,*

Item, *Ecclesiam electorum* appellat *piorum numerum, qui non solum fidei professione, communione Sacramentorum, sed etiam Spiritu gratiæ & caritatis vinculo inter se conjuncti sunt & colligati.*

Item, *Ecclesiam domum Dei* appellari ait, *quia sit velut una familia, quam unus paterfamilias moderatur, & in qua est bonorum omnium spiritualium communio.* (At hæc non nisi congregationi Sanctorum conveniunt.)

Johannes Hoffmeisterus (quem Sixtus Senensis lib.4. Biblioth. sanctæ vocat *bene meritum Provincialem Ordinis S. Augustini in Suevia*) in artic. 8. August. Confess. ex Augustino notat, *esse in Ecclesia dici bifariam; Uno modo esse in ea tanquam membrum in compage justitiæ, particeps videlicet spiritualis vitæ, hoc est, cohærens cæteris membris in Spiritu caritatis. Alio modo, inquit, esse in Ecclesia, est adhærere membris Ecclesiæ, sicut palea tritico.* Ibidem

etiam approbat sententiam Philippi in Locis, *Ecclesiam interdum in genere significare cõgregationem omnium, qui profitentur Evangelium, propriè autem & principaliter significare congregationem justorum, qui verè credunt Christo & sanctificantur Spiritu Christi.* Et hæc fatetur dici juxta fidem Catholicæ Ecclesiæ. Utitur etiam similitudine Augustini lib.7. de Bapt. cap.51. *Alios ita esse in domo DEI, ut ipsi etiam sint eadem domus; alios dici esse in domo Dei, ut non pertineant ad compagem domus; alios denique magis ex domo, quam in domo esse.*

Georgius Cassander in Consult. art.7. p.927. *Quod addunt, Ecclesiam esse congregationem Sanctorum, nec illud meritò reprehendi debet, ideo enim sancta dicitur Ecclesia, quod ex sanctis, id est Baptismo sanctificatis & consecratis, constet, præsertim cum in sequenti articulo hypocritas & vitiosos ab hac externa Ecclesiæ societate non excludant, idque latius in Apologia explicent.*

Georgius Wicelius Imp. Consil. in Compend. de semit. antiquis ad Imper. Ferdinandum: *Non diffitemur Catholici de Ecclesia, quod una & sancta perpetuò sit in terris mansura. Est autem Ecclesia propriè congregatio membrorum Christi sanctorum in universum, qui verè credunt & ex animo obediunt Christo, etsi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti sunt usque ad novissimum judicium.*

Liber Interimisticus c.9. *Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum caritatem vivunt, Sanctorum est tantum, & catenus spiritualis & invisibilis.*

Johannes Ferus in c.16. Matth. super verba. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Non loquitur Christus de Ecclesia, sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur, sive boni sint, sive mali, sed de Ecclesia secundum Spiritum, quæ solos electos complectitur.* Illud ibidem declarat parabola Christi Luc. 6. *Qui audit & facit, similis est homini, qui ædificat domum suam super petram.*

(At impii non ædificant domum suam super petram; nec vincunt tentationes, sed eis succumbunt. Ergo non pertinent ad Ecclesiam illam, cui non dicuntur prævalituræ inferorum portæ.)

Claudius Espensæus in Comment. 2. Timoth. 2. *Ecclesia prædestinata, de qua Paulus dicit; firmum stat fundamentum Dei habens hoc signaculum, Deus novit, qui sunt ejus; nunquã seducetur à Diabolo.*

Stapletonus in Relect. princ. controv. 1. q. 2. art. 5. p. 17. laudat illa Augustanæ Confessionis verba, *quod mali sint membra Ecclesiæ secundum externam societatem per Sacramenta, ipsam tamen Ecclesiam principaliter esse societatem fidei Spiritus sancti.*

Anglo-Rhemenses in annot. 2. Tim. 2. *Hæretici, qui in externa communione Sacramentorum & professione persistunt, in conspectu Dei ab Ecclesia separantur, & reipsa & propriè domus Dei finibus exterminantur.* (Atqui eadem est ratio occultorum hypocritarum, qui quamvis in externa communione Sacramentorum & professione fidei persistant, tamen in conspectu Dei ab Ecclesia separantur, & reipsa & propriè domus Dei finibus exterminantur. Ut enim requiritur *fides recta*, ita etiam *vita sancta* ad hoc, ut quis verum & vivum sit Ecclesiæ invisibilis membrum.

In annot. 1. Johan. 2. sect. 10. *Impii viventes in Ecclesia sunt potius velut mali humores & superflua excrementa, quam veræ & vivæ partes corporis.*

Toletus Cardinalis in Comment. Johan. 10. super verba, *Oves meæ vocem meam audiunt. Animadvertendum est, quamvis generaliter sint oves Christi, qui in Christum credunt, tamen particulariter hic loquitur Christus de electis ac prædestinatis, qui oves Christi in æternum sunt futuræ.*

(Maldonatus quidem in Comment. hoc improbat, interim fateri cogitur, *Augustinum & Bedam, hæc verba Christi eodem modo exposuisse.* Quin & Bellarminus lib. 4. de Eccles. c. 2. Toleto suffragatur, sic scribens: *Loquitur Christus tantum de electis, qui perseveranter audiunt.*)

Idem Toletus in Comment. Rom. 8. *Christiani non sunt, qui non vivam Christi fidem habent.*

Bellarminus lib. 3. de Eccles. c. 2. §. penult. *Notandum est ex Augustino in Breviculo collationis collat. 3. Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est anima & corpus; & quidem anima sunt interna dona Spiritus sancti, fides, spes, caritas &c. corpus sunt externa professio fidei & communicatio Sacramentorum.* (Omittit *subjectionem ergà Romanum Pontificem*, quam in præcedentibus fecerat tertium necessarium requisitum;) *Ex quo fit, ut quidam sint de anima & de corpore Ecclesiæ, & proinde uniti Christo capiti interius & exterius; & tales sunt perfectissimè de Ecclesia, sunt enim quasi membra viva in corpore, quamvis etiã inter istos aliqui magis, aliqui minus vitã participent, & aliqui etiam solum initium vitæ habeant & quasi sensum, sed non motum, ut qui habent solam fidem sine caritate. Rursum aliqui sint de anima, & non de corpore, ut Catechumeni vel excommunicati, si fidem & caritatem habeant, quod fieri potest. Denique aliqui sint de corpore & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe, aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicant sub regimine Pastorum, & tales sunt sicut capilli aut ungues, aut mali humores in corpore humano.*

(At si Ecclesia est corpus vivum, in quo est anima & corpus, hoc est, non solum externa fidei professio & usus Sacramentorum, sed etiam dona Spiritus interna, fides, spes, caritas, ergo ut aliquis sit verus Ecclesiæ civis, & verum Ecclesiæ membrum, non sufficit externa fidei professio, & Sacramentorum usus externus, sed requiritur etiam interior renovatio per Spiritum sanctum. Quia enim Ecclesia non est corpus solum, sed etiam anima, hoc est, corpus vivum & animatum, ideo ut quis ad corpus Ecclesiæ verè pertineat, requiritur, ut Spiritu sancto regatur, ducatur & quasi animetur. Sed Bellarmini definitio prætermittit illos, qui perfectissimè sunt de Ecclesia, qui sunt *de anima & corpore Ecclesiæ*, qui sunt viva membra in hoc corpore, id est, qui internis Spiritus sancti donis præditi sunt, imo etiam planè excludit quosdam ex illis, qui sunt de anima Ecclesiæ, ut Catechumenos & injustè excommunicatos veram fidem habentes; contra verò includit illos, qui sunt tantum de corpore Ecclesiæ, qui sunt sicut capilli aut ungues in corpore humano, hoc est, qui exterius duntaxat profitentur fidem sine ulla renovatione interiori, unde Bellarminus disertis verbis addit §. ultimo. *Definitio nostra solum comprehendit hunc ultimum modum existendi in Ecclesia.* At hoc perinde est, ac si quis velit hominem definire ex capellis, unguibus aut malis humoribus & excrementis; aut si quis definiturus vinum, feces ejus definiat; definiturus navim, sentinam & saburram duntaxat nominet.)

Lib. ejusdem c. 5. resp. ad 2. scribit: *Ecclesiam triumphantem esse unam cum Ecclesia militante, & proinde neminem posse separari velle ab una, quin separetur ab altera.* (Atqui *triumphans Ecclesia* est tantummodo Sanctorum congregatio. Ergo & *militans*.

Lib. ejusd. c. 6. resp. ad 1. concedit, *quosdam in Ecclesia animo sive desiderio, quod sufficiat illis ad salutem, non tamen esse corpore, sive externa communicatione.*

(Ex hisce Bellarmini verbis sic colligimus: Qui actu salvatur, ille etiam est actu membrum Ecclesiæ, quia extra Ecclesiam non est salus. Injustè excommunicatus actu salvatur. Ergo etiam est actu membrum Ecclesiæ. Ulterius. Injustè excommunicatus externa communicatione non est in Ecclesia, sed tantum interna societate. Ergo salutaris & salvifica communio cum Ecclesia non consistit in externa, sed interna societate.)

Lib. ejusd. c. 7. resp. ad 5. *Ovile dicitur* (Ecclesia) *etsi non contineat solas oves, à meliore parte, quemadmodum Roma dicitur civitas, licet etiam multos non cives complectatur.* (Atqui si hædi, hoc est, mali ita se habent ad ovile Ecclesiæ, ut non cives ad civitatem, consequens est, malos non esse veros Ecclesiæ cives.)

Lib. ejusd. c. 9. resp. ad 3. concedit, *malos esse Dei filios, non quidẽ ratione regenerationis, nec ratione imitationis, sed ratione doctrinæ.* (Atqui, ut aliquis sit verum & vivum Ecclesiæ membrum ac verus Dei & Ecclesiæ filius, non sufficit, esse filium *ratione doctrinæ*, sed requiritur etiam, ut sit filius, *ratione regenerationis & imitationis*. Qui enim nec regeneratione, nec imitatione, sed sola doctrina filii sunt, illi sunt filii Diaboli, non autem filii Dei & Ecclesiæ Catholicæ propriè sic dicti.)

Lib. & cap. iisdem §. Ad ultimum, sic scribit: *Dico malos non esse membra viva corporis Christi, & hoc significari illis Scripturis* (Esai. 52 *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.* 1. *Corinth.* 10. *Unus panis & unum corpus multi sumus. Roman.* 8. *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus.* 1. *Corinth.* 12. *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.*) *Ad id, quod addebatur, igitur sunt æquivocè membra &c. à multis solet concedi, malos non esse membra vera, nec simpliciter corporis Ecclesiæ, sed tantum secundum quid & æquivocè. Ita Johannes de Turrecremata lib. 1. cap. 57. ubi id probat ex Alexandro de Ales, Hugone & B. Thoma. Idem etiam docent Petrus à Soto, Melchior Canus & alii, qui tamen, etsi dicant, malos non esse membra vera, dicunt nihilominus verè esse in Ecclesia, sive in corpore Ecclesiæ, & esse simpliciter fideles seu Christianos. Neque enim sola membra sunt in corpore, sed etiam humores, dentes, pili & alia, quæ non sunt membra. Neq. fideles aut Christiani tales dicuntur à caritate, sed à fide, sive à fidei professione.*

Hæc

(Hæc eadem etiam nostra est sententia. Concedimus, *malos esse in corpore Ecclesiæ, ratiōe externæ societatis*, interim non sunt *vera & viva hujus corporis membra*, sed arida & mortua, ac proinde *æquivoce* tantum sunt membra, sicut homo pictus æquivoce tantum est homo. Nam Spiritus sanctus in adductis Scripturæ locis vera & viva corporis hujus mystici membra sic describit, ut malis descriptio illa minime tribui possit. Utique ergo Alexandrum Alensem, Hugonem, Thomam, Johannem de Turrecremata, Petrum à Soto, Melchiorem Canum & alios hic habemus ὁμοψήφους, imo ipsum Bellarminum, quippe qui sententiam hanc non repudiat, sed potius objectionem, quæ ex hac hypothesi formatur: Si Ecclesia sumatur de congregatione vocatorum per verbum & baptizatorum, non negamus, malos esse in Ecclesia, quod August. Confess. aliquoties inculcat. Relinquatur nobis interim illud, quod enumerati scriptores Pontificii nobiscum docent, malos non esse vera Ecclesiæ membra.)

Lib. & cap. iisdem in resp. ad 6. arg. sic scribit: *Hieronymus in cap. 1. Gal. exponens illud, Paulus Apostolus Ecclesiis Galatiæ, volens explicare, quomodo cohæreant inter se verba Apostoli, qui nunc totas Ecclesias videtur laudare, nunc totas vituperare ac reprehendere, dicit, Ecclesiam dupliciter accipi, id est, non duas esse Ecclesias, sed de una diversimode Scripturas loqui &c. Interdum enim Scriptura tribuit toti Ecclesiæ id, quod est proprium perfectorum, ut carere macula & ruga, interdum id, quod est proprium peccatorum, ut peccare & correptione indigere.* (Idem & nos dicimus, *tribui scilicet per synecdochen toti Ecclesiæ, quod uni parti convenit*, quæ sunt verba Bellarmini cap. præced. octavo. Nimirum Scriptura loquitur de Ecclesia diversimode, Primo *populariter & synecdochice*, & sic totū cœtum vocatorum hoc nomine intelligit. Deinde *exquisite, proprie & principaliter*, & sic solos electos sive sanctos in illo cœtu numerat.)

Lib. & cap. iisd. in resp. ad 8. argum. conqueritur, *etiam aliquos Catholicos* (propter quædam loca Augustini lib. 2. contra Cresconium cap. 21. lib. 2. contra Petilianum cap. ult. lib. 4. de Baptism. capite 3 lib. 6. cap. 3. lib. 7. cap. 49. 50. & 51. lib. de unit. Eccles. cap. ult. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 32. ubi dicit, *malos non esse de corpore Christi, quod est Ecclesia, nec Christum habere posse membra damnata*,) *fingere duas Ecclesias*, hoc est, amplecti distinctionem in Ecclesiam visibilem & invisibilem, adeoque statuere, Ecclesiam κυρίως ac proprie dictam esse *sanctorum congregationem*, quos cum ibidem refutare instituit, sententiam eorum vel maxime confirmat. *Cum Donatistæ*, inquit, *calumniarentur, Catholicos duas Ecclesias facere, unam, quæ solos bonos, alteram, quæ bonos cum malis contineret, responderunt Catholici, se nunquam duas Ecclesias somniasse, sed tantum distinguere partes vel tempora Ecclesiæ; partes quidem, quia aliter boni, aliter mali ad Ecclesiam pertinent, boni enim sunt pars interior & quasi anima Ecclesiæ, mali sunt pars exterior & quasi corpus, & dabant exemplum de homine interiore & exteriore, qui nō sunt duo homines, sed duæ partes ejusdem hominis. Tempora autem distinguentes dicebant, aliter esse nunc, aliter futurum post resurrectionem, nunc enim habet bonos & malos, tunc non habet nisi bonos.* (Atqui eadem est etiam nostra sententia, malos ad externam Ecclesiæ societatem pertinere concedimus, sed ab interna ac spirituali communione exclusos esse dicimus, quod ipsum confirmant similitudines, quas ex Augustino Bellarminus §. eodem adducit, sic enim scribit:)

Ibid. *Hanc doctrinam idem Augustinus alibi sæpe confirmat, & variis similitudinibus explicat. Nam lib. 7. contra Donat. capite 51. dicit, bonos sic esse in domo Dei, quæ est Ecclesia, ut ipsi sint domus Dei, constructa ex vivis lapidibus; malos sic esse in eadem domo, ut ipsi tamen non sint domus. lib. de unit. Eccles. cap. ult. dicit, malos esse præcisos ab Ecclesia animo, non tamen corpore, quod est dicere, pertinere ad hominem exteriorem Ecclesiæ, non tamen ad interiorem. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 32. explicans illud Cantic. 1. Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, notat, non esse dictum, nigra fui, sed nigra sum & formosa, quia ipsa una & eadem Ecclesia nunc est nigra, sicut tabernacula Cedar, propter peccatores, quos in se habet; & simul est formosa, sicut pelles Salomonis, id est, sicut tentoria Regis, propter bonos, quos in se habet. Idem Augustinus tract. 3 in Epist. Joh. docet, malos esse in Ecclesiæ corpore, non ut membra, sed ut humores corruptos, qui revera sunt in corpore, & tamen sunt etiam vere separati à membris corporis.* (Non potest evidentius ac clarius sententia nostra exponi, quam hisce similitudinibus ab Augustino factum, quas cum Bellarminus probet, sententiam nostram improbare non poterit.)

Lib. ejusdem cap. 10. sic scribit: *Infideles occultos, hoc est, qui nec fidem internam, nec ullam Christianam virtutem habent, & tamen exterius propter temporale aliquod commodum fidem Catholicā profitentur, & communione Sacramentorum veris fidelibus permiscentur, nullo modo ad veram Ecclesiam pertinere, non solum Confessionistæ docent, sed etiam aliqui ex Catholicis, quorum unus est Johannes de Turrecremata lib. 4. de Eccles. part. 2. cap. 20.*

(Ergo quorundam Catholicorum, cumprimis Turrecrematæ suffragium in hac quæstione Bellarminus nobis largitur. Fuit autem ille Turrecremata in eodem dignitatis gradu cum Bellarmino constitutus, uterque enim fuit Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.)

Salmeron in cap. 8. Rom. super verba. *Qui non habet Spiritum Christi, non est ejus. Ut non est membrum corporis vivum, quod per Spiritum corporis non vivificatur: ita ad Christi membra non pertinet, qui Spiritum Christi non habet.*

Bened. Justinianus ibid. *Nam qui hoc Spiritu Christi destituitur, is nullo modo inter Christi sectatores atque discipulos numerandus videatur.* (Ergo nec est membrum verum & vivum Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum.)

Costerus in Apolog. part. 3. cap. 12. *Ut phlegma, sanies, saliva, sanguis abundans viventis hominis neque membrum sunt, neque partes, & tamen non sunt extra corpus: ita impii ad superfluos humores referuntur, qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus ejiciuntur.*

Ibid. *Ex hoc loco Eph. 4. pius Doctor Hugo alludens ad corpus humanum, cui est simile corpus Ecclesiæ, dicit, qui non habet Spiritum Christi, non est Christi membrum. Nihil in hoc corpore mortuum, nihil extra corpus vivum. Verū est si enim Christiani justi in membris soli habeantur, non mirum, tum quia in illis solis est Spiritus S. sicut scriptum est, Qui Spiritum Christi non habet, is non est ejus; tum quia omnia ad illorum commoda referuntur.*

Gregorius de Valentia in anal. p. 37. Becanus tom. 5. opusc. p. 591. Stapletonus in Relect. pag. 53. Tannerus in anatom. part. 2 p. 513. docent, *Ecclesiam dici sanctam synecdochice, propter aliquos sanctos in ea semper existentes, licet non omnes sancti sint, sed multi etiam non sancti & mali in ea reperiantur.* (At si licet ipsis Ecclesiam totam vocare *sanctam* propter aliquos sanctos, quamvis plures in ea sint non Sancti, cur nobis non liceret, Ecclesiam à meliori parte definire *per congregationem Sanctorum*, cum eadem sit ratio descriptionis, quæ est denominationis, & Ecclesiæ conceptis verbis dicantur Ecclesiæ vel *congregationes Sanctorum* 1. Cor. 4. v. 32. & *justorum* Psal. 1. v. 5?)

Catechesis Jesuitarum Austriaca docet, *quod Ecclesia Catholica, quam credimus, ea sit, extra quam sicut extra arcam Noæ, nulla omnino salus mortalibus competit.* (At extra visibilem Ecclesiam positi multi salvantur, juxta ipsorum Pontificiorum hypotheses, ut patebit exemplis Catechumenorum, Excommunicatorum, Schismaticorum &c. qui sunt extra Ecclesiam visibilem, & tamen salvari ex illis quidam possunt, ut ex sequentibus apparebit.)

Landtherr im scharffen runden Auge pag. 50. Die Christliche Kirche ist mit keiner Sünden Mackel befleckt/noch mit einiges Irrthumbs Nebel unterzogen. (Hoc non potest dici *de Ecclesia visibili*, alias approbaretur opinio Anabaptistarum. Ergo *de invisibili Sanctorum Ecclesia*.)

Arg. Pontif. 1. ex 1. Cor. 10. v. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes de uno pane participamus.* Ex eo nectunt tale argumentum: *Etiam impii manducant panem Sacramentalem, igitur sunt unum corpus cum reliquis fidelibus.*

Respond. 1. Cornelius à Lapide & Esthius in h. l. annotant, *hic non dici de unitate communicantium inter se, sed cum Christo*, (id quod colligitur ex v. 16. præced. & v. 18. seq. Iam vero Papistæ ipsi concedunt, manifeste impios non percipere influxum à capite Christo.) Inde Cyprianus l. 1. Epist. 6. contrario modo ex hoc loco argumētatur: *Quomodo paleæ non ingrediuntur panē, ita reprobos non esse veras ejus Ecclesiæ partes, quæ panis unus dicitur.*

2. Iacobus Tirinus Iesuita in Comm. illius loci accipit quidem de unitate communicantium non solum cum Christo, sed etiam inter sese, (sic enim scribit: *Quoniam unus panis est, de quo omnes participamus, hinc per illius unius sumtionem omnes, quantumcunq; multi, efficimur & sumus unum corpus Christi, unum, inquam, tum cum Christo, nam alimentum coalescit cum alito: tum inter nos mutuo, nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt etiam inter se eadem. Ita Irenæus, Hilarius, uterq; Cyrillus, Chrysost. & alii Patres*) interim quia mysticam cum Christo unionem unitati communicantiū præsupponit, nō potest, nisi de fideliū & piorū unitate, accipi.

Arg. 2. *Ecclesia, quam Paulus persequebatur, vel erat vera Ecclesia, vel falsa. Si vera, tum Paulus aliquando non fuit membrum veræ Ecclesiæ, quomodo enim erat de illa Ecclesia, quam totis viribus oppugnabat? Si non erat illa vera Ecclesia, ergo mentiuntur Paulus & Lucas, cum eam absolute Dei Ecclesiam vocant.* Bellarmin. lib. 3. de Eccles. cap. 7. §. Accedat.

Resp. Loquimur de prædestinatis actu jam vocatis. Proinde solutionem argumenti petimus ex ipso Bellarmino, qui ibidem resp. ad 6. argum. sic scribit: *Notandum est, hominem posse dici Christi ovem, filium, membrum, duobus modis, Uno modo, secundum prædestinationem, altero, secundum præsentem justitiam. Qui sunt oves, aut filii, aut membra solum secundum prædestinationem, non sunt actu, sed solum potentia tales: At qui sunt tales, secundum præsentem justitiam, sunt actu & simpliciter tales &c.* (Quando ergo Ecclesia Catholica dicitur *congregatio electorum*, id in posteriore significatione propriè intelligitur, quia electi secundum præsentem statū sic dicti, sunt actu & simpliciter Catholicæ Ecclesiæ membra, electi vero secundum præscientiam, non actu, sed potentia suo tempore in actum deducenda & secundum quid Ecclesiæ membra dicuntur.)

Costerus in Apolog. part. 3. cap. 12. *Electi & prædestinati non sunt vera membra Christi, antequam fide illuminentur.*

Exceptio Bellarmini hæc est. *Membra considerari possunt duobus modis, Uno modo, ut sunt res quædam secundum se, sive secundum essentiam ac substantiam suam, altero modo, ut sunt instrumenta operativa. Doctores mali sunt membra mortua, & proinde non vera corporis Christi, quantum attinet ad rationem membri, ut est pars quædam vivi corporis, tamen sunt verissima membra ratione instrumenti.* Bellarm. lib. ejusd. cap. 9. resp. ad 1.

Resp. 1. Membra humani corporis sunt certo respectu ejusdem instrumenta, sed ex eo nō sequitur, *omnia instrumenta esse etiam membra.* Quando ergo Bellarminus dicit, *malum Episcopum non esse verum membrum, ratione membri, ut est pars quædam vivi corporis, sed tantum ratione instrumenti,* reipsa dicit, malum Episcopum non esse membrum, quippe quod Spiritu oportet esse animatum ac vivificatum, sed duntaxat instrumentum.

2. Idem Bellarm. lib. 2. de Justif. cap. 7. §. Septimo sic scribit: *Si Christus per injustitiam nostram sibi imputatam vere dicitur peccator, dici etiam poterit, quod horret animus cogitare, filius Diaboli. Sed Scriptura ubiq; eum vocat filium Dei.* In hoc argumento præsupponit Bellarminus, neminem simul dici, nedum simul esse posse, *filium Dei & filium Diaboli.* At si mali Prælati, quia sunt instrumenta operativa, dicendi sunt *vera membra Ecclesiæ*, consequens erit, eos simul esse *membra Christi & membra Diaboli*, ac proinde etiam *filios Christi & filios Diaboli.* Ratio est, quia ex Bellarmini hypoth. si sunt vera membra Ecclesiæ, ac proinde etiam vera membra Christi. Ex Scripturæ sententia mali Prælati sunt membra Diaboli.

3. Bellarminus concedere cogitur, quod Prælati mali non sint membra vera & viva, sed *æquivoce tantum* sic dicta, neque enim Spiritus vinculo Christo, Ecclesiæ capiti, sunt conjuncta, neque incrementum capiunt corpori conveniens ad ædificationem sui pro caritate. Nec obstat, quod eorum ministerio Deus utitur, id enim non efficit eos *vera membra*, sed *instrumenta duntaxat operativa.*

Thesis specialis prima. Catechumeni vera fide præditi, etiam ante Baptismum perceptū, sunt vera & viva Ecclesiæ membra.

Ἔκθεσις 1. Non baptizati sunt in duplici differentia, quidā à religione Christiana prorsus alieni sunt, ac gentilium superstitiones & idololatrias sequuntur, repudiato Christianorum baptismo, illos esse extra Ecclesiam, utrinque conceditur 1. Cor. 5. v. 12. Quidam vero, etsi Sacramentum Baptismi non receperunt, tamen interna & vera fide, à Spiritu S. per prædicationem Evangelii in cordibus ipsorum accensa, sunt præditi, ut latro in cruce, Catechumeni, Martyres ante susceptum Baptismum ad supplicia rapti &c. ad quos pertinent etiam infantes ex Christianis parentibus nati, & per preces parentum atque Ecclesiæ Christo oblati. De hoc posteriore non baptizatorum genere thesis est accipienda.

2. Catechumenorum duo sunt genera, Unum eorum, qui audiunt conciones, & volūt fieri Christiani, sed nondum petierunt Baptismum, illi dicuntur *Audientes seu Auditores*: alterum eorum, qui petunt Baptismum & dicuntur *Competentes seu electi.* Ambrosius Epist. 33. *Dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.* Isidorus lib. 2. de officiis cap. 2. *Post Catechumenos secundus Competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendā festinant, ideoque appellantur* Competentes, *i. e. gratiam Christi petentes.* Confer August. lib. 9. Confes. capite 6, lib. de fide & operib. cap. 6. serm. 116. de temp. qui est ad Competentes, Hieronymus in Epist. ad Pamm. (Quidam tamen volunt, *Competentes* eosdem fuisse Augustino cum *Catechumenis* generaliter sic dictis.) De utroque Catechumenorum genere thesis est accipienda, modo sint vera fide præditi.

3. Bellarminus de solis Catechumenis hoc loco tractat, quos Ecclesiæ membra esse negat, nos contra & Catechumenos & omnes alios, vera fide interna præditos, in Ecclesia esse dicimus, si vel maxime Baptismum actu nondum susceperunt.

4. Catechumeni, si vel maxime per Baptismum demum *Ecclesiæ visibili & particulari* dicantur aggregari, h. e. publico suscepti Baptismi testimonio confirmare, quod fidei professione Ecclesiæ fuerint aggregati, tamen si vera fide interna præditi sunt, pro membris *Ecclesiæ Catholicæ*, etiam ante susceptum Baptismum, à Deo censentur.

Antithesis. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 2. §. Nostra. *Catechumeni, quoniam non sunt admissi ad communionem Sacramentorum, excluduntur ab Ecclesia.*

Lib. ejusdem cap. 3. §. De Catechumenis. *Certum est, Catechumenos non esse in Ecclesia actu & propriè, sed tantum in potentia, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus & natus, non dicitur homo, nisi in potentia.*

Nostram sententiam probamus,

1. Quicunque salvantur, illi sunt vera Ecclesiæ membra. Catechumeni, vera fide præditi, salvantur. Ergo.

2. Qui sunt *membra Christi*, sunt etiam *membra Ecclesiæ*, quia Ecclesia est corpus mysticum, cujus caput est Christus. Catechumeni vera fide præditi sunt membra Christi, Joh. 14. v. 5. Rom. 6. v. 5. Gal. 2. v. 20. Ergo.

3. Qui sunt *filii Dei*, sunt *filii Ecclesiæ*, quia eorum, qui spiritualiter regenerantur, Deus est Pater, Ecclesia mater, Galat. 4. v. 26. Catechumeni vera fide præditi sunt filii Dei, Joh. 1. v. 12. Gal. 3. v. 26. Ergo.

4. Qui sunt participes bonorum Ecclesiæ, illi etiam sunt membra Ecclesiæ. Catechumeni vera fide præditi sunt participes bonorum Ecclesiæ, videl. remissionis peccatorum, donationis Spiritus sancti &c. Ergo.

5. Infantes non baptizati, ex Christianis parentibus nati, per eorundem & Ecclesiæ preces Deo oblati, sunt filii Dei, membra Ecclesiæ & heredes salutis, ut suo loco demonstratur. Jam vero Catechumenorum fidelium conditio non est deterior, quam infantum illorum non baptizatorum, cum fides eorum exerat se per externam confessionem & externos bonorum fructus. Ergo.

6. Latro in cruce, Martyres ante susceptum Baptismum ad supplicia rapti facti fuere cives Ecclesiæ *triumphantis* in vita futura. Ergo etiam fuere cives Ecclesiæ *militantis* in hac vita.

Nostræ sententiæ suffragantur quædam hypotheses Adversariorum.

1. Melchior Canus, referente Bellarmino lib. 3. de Eccles. cap. 3. statuit, *Catechumenos, licet non sint de Ecclesia, quæ propriè dicitur Christiana, tamen esse de Ecclesia, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel usq; ad mundi consummationem.* (At si sunt de Ecclesia illa *Catholica*, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel usque ad mundi consummationem, utique etiam sunt de *Ecclesia Christiana*, quia etiam V. Testamenti Ecclesia, si rem ipsam spectare velimus, fuit Christiana. Ut enim fideles in N. Test. credunt *in Christum exhibitum*, ita fideles V. Test. crediderunt *in Christum exhibendum.* Recte igitur Bellarminus contra Canum sic colligit: *Catechumenos, si non sint de Ecclesia Christiana, de nulla omnino Ecclesia esse, cum præter Christianam nulla sit alia vera Ecclesia.* Res ergo eò redit. Qui sunt de Ecclesia Catholica, illi etiam sunt de Ecclesia Christiana, docente Bellarmino rectissime. Catechumeni vera fide præditi sunt de Ecclesia Catholica, docente Melchiore Cano rectissime. Ergo Catechumeni vera fide præditi sunt de Ecclesia Christiana.)

2. Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 2. §. Notandum &c. statuit, *Catechumenos, si fidem & caritatem habeant, esse de anima Ecclesiæ & unitos Christo capiti interius.* (Quicunque sunt de anima Ecclesiæ, illi omnino sunt de Ecclesia, quia anima tam est pars hominis, quam corpus, imo potior ac principalior pars. Catechumeni vera fide præditi sunt de anima Ecclesiæ. Ergo.

Ergo. Ulterius. Qui sunt uniti Christo Ecclesiæ capiti interius, illi sunt vera & viva Ecclesiæ membra, quia Ecclesia est corpus mysticum, cujus caput est Christus. Catechumeni vera fide præditi, sunt uniti Christo Ecclesiæ capiti interius. Ergo. Quod Bellarminus addit, *Catechumenos esse quidem de anima, sed non de corpore Ecclesiæ*, illud si intelligatur de externa Ecclesiæ societate, quæ in professione fidei & Sacramentorum communione consistit, tum ratione posterioris partis illud concedimus, ratione prioris partis negamus. Nequaquam enim ad id, ut aliquis sit de corpore Ecclesiæ, requiritur utrumque, videlicet *& fidei professio & Sacramentorum communio*, alioqui sequeretur, infantes baptizatos, cum non profiteantur fidem, non esse de corpore Ecclesiæ, ac Clericos Papales, cum non fiant participes Sacramenti matrimonii, itidem non esse de corpore Ecclesiæ.)

3. Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disput. 1. q. 3. d. 2. n. 54. refellit Alphonsum à Castro *Catechumenos in Ecclesiam locantem*. (Ergo Alphonsi à Castro suffragium in hac quæstione nobis largitur.)

4. Toletus Cardinalis lib. 2. Instruct. Sacerd. cap. 21. *Catechumeni, si obeant absque Baptismo, tamen cum contritione & voto Baptismi, salvantur.*

Bellarminus lib. 3. de Eccles. c. 3. §. Deniq;. *Autor libri de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 74 aperte respondet, Catechumenos non salvari. Sed hoc nimis durum esse videtur. Certe Ambrosius in Oratione de obitu Valentiniani disertis verbis affirmat, Catechumenos posse salvari, de quorum numero Valentinianus erat, cum de hac vita migraret.*

Et postea. *Catechumeni salvari possunt.*

(Ex eo sic colligimus: Quicunque salvantur, illi sunt vera Ecclesiæ membra, quia extra Ecclesiam non est salus, (juxta illud Concilii Lateranensis c. 1. *Una est fidelium Universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur*, quod adducit & approbat Bellarm. d. §. de Catechumenis,) & *ad triumphantem Ecclesiam* non patet aditus, nisi *ex Ecclesia militante*. Catechumeni vera fide præditi salvantur. Ergo. Excipit quidem Bellarminus, *illud, quod dicitur, extra Ecclesiam neminem salvari, intelligi debere de iis, qui neq; reipsa, neq; desiderio sunt de Ecclesia, quoniam autem Catechumeni si non re, saltem voto sunt in Ecclesia, ideo salvari eos posse.* Sed respondemus, quotquot salvantur, illos non solum *voto & desiderio*, adeoq; potentia, sed etiam *reipsa & actu* esse de Ecclesia. Nulli enim salvantur, nisi prius è mundo damnabili actu in Ecclesiam vocentur; nulli salvantur, nisi Christo fide prius inserantur. Atqui per talem vocationem actu transitur in Ecclesiam, & qui per fidem actu fit membrum Christi capitis, ille etiam actu fit membrum Ecclesiæ, quæ est mysticum Christi corpus. Non erat sufficiens, *desiderio* esse in arca, ut quis in diluvio servaretur, sed requirebatur, ut *actu* in ea esset: sic non sufficit, *desiderio* esse in Ecclesia, ut quis ab iræ divinæ diluvio salvetur, sed requiritur, ut *actu* sit de Ecclesia.)

5. Idem Bellarminus d. l. §. At inquies. *Augustinus tract. 4. in Joh. dicit, Catechumenos esse in Ecclesia.* (Ergo juxta Augustini sententiam, Catechumeni sunt membra Ecclesiæ, quia quoad fideles est par ratio hujus phraseos esse in Ecclesia, & esse de Ecclesia. Excipit Bellarminus, *esse illos in Ecclesia non actu, sed potentia, cum Augustinus à fidelibus eosdem ibi separet, ac lib. 2. de Symb. hominibus conceptis, nondum autem natis, eos comparet.* Resp. Homo conceptus formatus & animatus est actu homo, etiamsi nondum in lucem sit editus. Ergo etiam Catechumeni actu sunt Ecclesiæ filii, etiamsi nondum perceperint Baptismum. Inde Augustinus dicto loco ab infidelibus eosdem distinguit & duo genera fidelium constituit, quorum quidam sint baptizati, quidam nondũ baptizati, baptismũ tamen desiderantes.)

Argum. Bellarm. *Catechumeni non habent jus ad ulla Sacramenta, neq; ad alia, quæ sunt communia universæ Ecclesiæ. Ergo non sunt actu & proprie de Ecclesia*, lib. ejusd. cap. 3.

Resp. 1. Bellarm. concedit, *Catechumenos vera fide præditos salvari, si in eo statu moriantur.* (At non possent salvari, si remissionis peccatorum & Spiritus sancti, quæ sunt bona Ecclesiæ propria, non essent participes.)

2. Bellarminus Catechumenis concedit finem, videl. *salutẽ æternam*. (Ergo non potest illis denegare media ad finem ducentia, quæ sunt bona Ecclesiæ propria, videl. regeneratio, justificatio, remissio peccatorũ &c. cũ finis præsupponat media.

Thesis specialis secunda. Hæretici occulti, antequam per obstinationem & pertinaciam ab Ecclesia separentur, sunt adhuc in Ecclesia visibili.

Ἔκθεσις 1. Distinguendum est inter eos, qui Romanæ Ecclesiæ, qualis est hodie, h. e. Pontificis Romani judicio sunt hæretici; & inter eos, qui revera & judicio Dei sunt hæretici. Pontifex hæreticos esse pronunciat illos, *qui traditionibus humanis valere jussis verbum Dei scriptum in fidei articulis, velut unicam normam sequuntur, & in solo Christo omne justitiæ ac salutis suæ perfugium unicè quærunt.* Illos à suo consortio Romano-Catholica, quam ita vocant, Ecclesia excludit, & anathema illis dicit, sed propterea non sunt exclusi ab Ecclesia vere Catholica, quæ ambitu suo complectitur omnes vere fideles ab initio mundi usque ad consummationem.

2. Distinguendum est inter eos, *qui occulte hæresin fovent*, & inter eos, qui sunt *manifesti hæretici*, i. e. qui dogmata contra fundamentum fidei pugnantia pertinaciter defendunt, propagant ac disseminant, quorum quidam ab Ecclesia ipsimet secessionem faciunt, quidam vero legitimo Ecclesiæ judicio ab ea per excommunicationem separantur.

3. Occulti hæretici, antequam per obstinationem & pertinaciam ab Ecclesia separentur, adhuc sunt in visibili Ecclesia licet ad Ecclesiam Catholicam, quæ est *congregatio Sanctorum*, neutiquam pertineant. Ergo sunt in Ecclesia, licet non de Ecclesia.

4. Hæretici non vocantur à nobis membra, sed partes visibilis Ecclesiæ, cui adhærent tanquam pravi humores & ulcera corpori, à quo sine læsione, imo magna cum utilitate corporis separari possunt.

Antithesis. Stapletonus in princ. fid. doctrin. p. 1. cap. 13. p. 14. *Lutheri sententia est, veram Ecclesiam vocari hæreticam.* p. 15. *Lutheri sententia est, omnium ætatum hæreticos, qui quidem ejus dogmatibus suffragati sunt, veram Ecclesiam fuisse.* Contra quam sententiam ex professo ibi disputat.

Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 4. §. 1. *Sententia, quæ statuit, hæreticos esse membra & partes Ecclesiæ, etiamsi palam falsam doctrinam profiteantur, ut aperte falsa est, ita facillime refutari potest.* Idem docet Tannerus tomo 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 3. d. 2. n. 52.

Pistorius in Colloquio Badensi contra Wirtenbergicos Theologos acriter contendit, *hæreticos non esse in Ecclesia.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex dicto Apostolico. 1. Cor. 11. v. 19. *Oportet esse hæreses inter vos, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*, (ubi illud ἐν ὑμῖν bis repetitum priore loco vulgata versio omisit.)

2. Ex præmonitione Apostolica. Act. 20. v. 13. *Ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa.*

3. Ex prædictione Apostolica. 2. Thessal. 2. v. 4. *Antichristum sessurum in templo Dei*, id est, Ecclesia.

4. Ex parabolis Christi. Matth. 3. v. 12. in *arca Ecclesiæ*, durante hujus vitæ statu, *tritico* permixtæ sunt *paleæ*. cap. 13. v. 24. *regnum cælorum*, h. e. Ecclesia confertur *homini seminanti bonum semen in agro. v. 25. cum vero dormirent homines, venit inimicus ejus & superseminavit zizania in medio tritici & abiit.*

Nostræ sententiæ suffragantur quædam hypotheses Adversariorum.

1. Alphonsus de Castro lib. 2. de justa hæreticorum punitione, cap. 24. col. 1392. *Ego fateor quidem, & meo judicio negari non potest, hæreticum esse partem Ecclesiæ & membrum illius, & non esse omnino ab illa separatum, quia etsi fidem non habeat, habet tamen characterem Baptismalem, quo durante, semper erit membrum Ecclesiæ.* (Plus concedit Alphonsus, quam par est, hæretici enim non sunt *membra Ecclesiæ*, cum sint membra Satanæ, sed tantum *partes sunt visibilis Ecclesiæ*, cui, ut jam ante diximus, adhærent velut ulcera corpori. Sunt ergo *in Ecclesia*, sed non sunt *de Ecclesia*. Quemadmodum de Apostolis & vere fidelibus dicit Christus, quod sint *in mundo*, sed non *de mundo*, Joh. 17. v. 14. in quæ verba Toletus sic commentatur: *Aliud est esse de mundo, aliud in mundo. In mundo erant Apostoli & Christus, de mundo verò non fuerunt. In mundo esse, est visibiliter in mundo conversari & vivere at de mundo esse, est mundi malitiam & incredulitatem amplecti.* Sic hæretici sunt *in Ecclesia*, non autem *de Ecclesia*. 1. Joh. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nã si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*)

2. Gregorius de Valentia in analysi de Ecclesia part. 6. pag. 123. *minime negandum esse*, scribit, *quin quadam ratione hæretici ad Ecclesiam pertineant, quia nimirum & characterem habent Baptismi, & aliquando membra Ecclesiæ fuerunt.* (Illud fere conforme est nostræ assertioni, quod hæretici, licet ad Christi Ecclesiam nõ pertineant, tanquam vera & viva membra, tamen quadam ratione

tione in Eccleſia ſint, ſecundum illud Apoſtoli. *Oportet eſſe hæreſes in vobis.*)

3 Bellarminus lib. 3. de Eccleſia cap. 2. §. Noſtra &c. Eccleſiam definit, *quod ſit cœtus hominum ejuſdem fidei Chriſtianæ profeſſione & eorundem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum ac præcipue unius Chriſti in terris Vicarii Pontificis Romani.* (Jam vero in hoc cœtu ſunt aliqui occulte foventes hæreſin; qui aliquandiu tolerantur, donec vel ipſi ſeſe ſeparent, vel per excommunicationem expellantur. Ergo non poteſt ſimpliciter negari, hæreticos eſſe in Eccleſia. Excipit quidem Bellarminus lib. ejusd. cap. 4. reſp. ad *illos, qui nondum per obſtinatiam ab Eccleſia ſeparantur, non tam hæreticos, quam errantes cenſendos eſſe.* Sed Thomas & Occamus, referente Alphonſo de Caſtro, lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 6. rectius ſtatuunt, *quod hæreticus ſit, quisquis à fide Catholica quomodolibet recedit,* & Bellarminus ipſe *Pontificem occulte foventem hæreſin* vocat *hæreticum* lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30.)

Lib. ejusdem cap. 3. §. De Catechumenis &c. diſputat, *homines fieri de corpore Eccleſiæ, cum baptizantur.* (Jam vero in cœtu baptizatorum ſunt hæretici. Ergo quidam hæretici pertinent ad corpus Eccleſiæ, ſcilicet viſibilis.)

Lib. ejusd. c. reſp. ad 2. *Licet Auguſtinus & Ambroſius per vaſa lignea & fictilia* (in loco Apoſtolico 2. Tim. 2.) *ſignificari velint hæreticos, tamen Auguſtinus idem explicat lib. 3. de Baptiſmo cap. 19. quomodo ſit intelligendum eos eſſe in Eccleſia, ubi dicit, eos eſſe in Eccleſia, antequam per obſtinationem & pertinaciam ſeparentur, & ad hoc tempus reſpexiſſe Apoſtolum, ita ut non tam hæretici, quam errantes dicantur eſſe in Eccleſia.* (Sufficit nobis, quod Auguſtinus ſtatuit, *hæreticos eſſe in Eccleſia, antequam per obſtinationem & pertinaciam ab ea ſeparentur,* quodque Bellarminus agnoſcit, hanc eſſe veram & genuinam Auguſtini ſententiam. Quod Bellarminus addit, *illos errantes potius, quam hæreticos judicandos eſſe,* de eo quid ſtatuendum ſit, jam ante fuit expoſitum.)

Lib. cap. & §. iisdem. *Addit etiam Auguſtinus, poſſe dici, eos eſſe in Eccleſia, poſtquam exierunt propter Sacramentorum adminiſtrationem, quia etiam ipſi quædam Sacramenta vere adminiſtrant, quod eſt dicere, eos eſſe in Eccleſia ſecundum aliquid, non ſimpliciter.* (Si hæretici ſunt certa ratione in Eccleſia poſtquã ab ea exierunt, multo magis erunt in Eccleſia viſibili, antequam ab ea exeant.)

Lib. cap. & §. iisdem. *Ambroſius autem accipit Eccleſiam largo modo & magis vulgari, quam proprio, prout videlicet omnes eos complectitur, qui quovis modo nominantur Chriſtiani, ad quem modum pagani dicere ſolent, in cœtu Chriſtianorum multas eſſe diſſentientes opiniones ac ſectas.*

(Eodem modo etiam nos Eccleſiæ nomen accipimus, largo ſcilicet modo, prout omnes vocatos complectitur, quando hæreticos in Eccleſia eſſe dicimus.)

Lib. ejusd. cap. 10. §. Auguſtinus &c. *Auguſtinus, cum de occultis hæreticis dicit, eos videri eſſe in Eccleſia, non ſignificat, eos non eſſe revera, ſed non eſſe eo modo, quo eſſe videntur. Videntur enim eſſe uniti interna & externa conjunctione membris cæteris, & tamen non ſunt uniti, niſi conjunctione externa. Nam ſi revera nullo modo eſſent intus, ſed tantũ eſſe viderentur, pari ratione non vere exirent, quando aperte ſe produnt, ſed exire viderentur. Auguſtinus autem dicit, inventis occaſionibus foras exeunt, & addit, eſſe ſeparatos quidem, etiam antequam exeant, ſed ab inviſibili caritatis compage, non ab externa Eccleſiæ communione, quemadmodum intelligi debet etiam, quod idem Auguſtinus dicit libro 4 capite 16 ubi dicit, hæreticos occultos ſeparatos eſſe judicandos, licet ipſi non exeant. Loquitur enim de ſeparatione interna non de externa.*

Ibid. *Dicit & Apoſtolus de quibusdam, qui circa fidem aberraverant, in una magna domo eos fuiſſe, credo, quod nondum exierant. Auguſtinus lib. 4. cap 10. Aut ſi zizania, inquit, ſola dicenda ſunt, quæ uſque in finem in maligno errore perdurant, & foris multa frumenta ſunt & intus multa zizania. Quorum verborum hic videtur eſſe ſenſus; ut intelligamus, extra Eccleſiam eſſe multos manifeſtos hæreticos, qui tandem convertentur ad veram fidem, & intus in ipſa Eccleſia eſſe multos occultos hæreticos, qui nunquam convertentur.*

Et poſtea, §. Rurſum &c. *Auguſtinus tract. 61. in Johan. Utrumq; verum eſt, & ex nobis, & non ex nobis, ſecundum communionem Sacramentorum ex nobis, ſecundum ſuorum proprietatem criminum non ex nobis. lib. de geſtis cum Emerito cap. 1. Quidam adhuc corde poſiti in parte Donati præſentiam nobis exhibent corporalẽ, carne intus, foris Spiritu.* (Hæc omnia noſtræ ſententiæ exacte ſunt conformia, quæ ſi Bellarminus in Auguſtino approbat, noſtram ſententiam improbare minime poterit.)

4. Anglo Rhemenſes in annot. 2. Timot. 2 *Hæretici, qui in externa communione Sacramentorum & profeſſione perſiſtunt, in conſpectu Dei ab Eccleſia ſeparantur, & reipsa & proprie domus Dei finibus exterminantur.* (Ergo ſunt in Eccleſia viſibili, ſed non de Eccleſia Catholica; ſunt de Eccleſia judicio hominum, ſed non de judicio Dei.)

5. Pazmanus lib. 8. Hodegi cap. 2. quamvis argumentis quibusdam probare conetur, *hæreticos, quia veram fidem non habent, eſſe fugitivos proditores & exploratores, non membra Eccleſiæ,* (quod & nos dicimus) ſibi tamen ipſi contradicens ſcribit, *hæreticos externo quodam modo in Eccleſiæ ſocietate exiſtere,* (quod noſtræ ſententiæ eſt conforme.)

6. Pontificii nos habent pro hæreticis, & tamen negare non audent, nos habere legitimum Baptiſmum, nam baptiſatos à nobis, ſi ad ipſos tranſeunt, rebaptizare nõ ſolent. Quod enim ſub Duce Albano in Belgio factum, ipſimet cordatiores Pontificii non approbant. Ex quo ſequitur, quod agnoſcant, nos non eſſe extra Eccleſiam, cum Baptiſmus non niſi in Eccleſia adminiſtretur.

Theſis ſpecialis tertia. Schiſmatici ab hæreticis Epiſcopis, vel ipſo etiam Romano Pontifice in hæreſin prolapſo, ſeceſſionem facientes non deſinunt eſſe membra Eccleſiæ, modo in Chriſti fide perſeverent.

Ἔκθεσις 1. Antiquitas non alia ratione hæreticos à ſchiſmaticis diſtinxit, quam quod *hæreſis* errando fidei & ſalutis fundamentum evertat, *ſchiſma* in illis aberret, quæ fundamentum integrum circumſtant.

2. Qui ob alicujus ritus differentiam vel dogmatis fundamentum ſalutis non concernentis diſcrepantiam à ſe invicem diſſident, non protinus habendi ſunt *ſchiſmatici,* modo fidei & caritatis unitate maneant conjuncti.

3. Qui deſtinata opera ab Eccleſia ſe avertit, ut ſchiſma excitet, illum, utpote unitatis hoſtem, ad Eccleſiam non amplius pertinere, libenter concedimus.

Antitheſis. Bellarminus lib. 3. de Eccleſ. cap. 5. §. 1. *Facile eſt ex ſacris literis & Patrum traditione docere, ſchiſmaticos non eſſe de Eccleſia*

Et poſtea §. 3. *Pelagius Papa ex profeſſo probat, ſchiſmaticos non eſſe de Eccleſia. 24. q. 1. Can. pudenda & Can. ſchiſma.*

Ibid. *Catechiſmus Romanus, cujus non eſt exigua autoritas in Eccleſia Dei, in explicatione Symboli Apoſtolici diſertis verbis ſchiſmaticos ab Eccleſia ſeparat,*

In reſp. ad 2. *Nemo poteſt, etiamſi velit, ſubeſſe Chriſto & communicare cum Eccleſia cœleſti, qui non ſubeſt Pontifici & non communicat cum Eccleſia militante.*

Noſtram ſententiam probamus,

1. Qui ab Epiſcopis, in hæreſin prolapſis, ſeceſſionẽ faciunt, proprie loquendo ſchiſmatici non ſunt, quia hac ratione ad Eccleſiam Catholicam tranſeunt.

2. Pontificis Romani in univerſam Eccleſiam dominatus ex Scripturis ſacris probari nequit. Ergo non ſunt ſtatim ſchiſmatici, qui nolunt obedire Romano Pontifici, præſertim ad idololatriam & hæreſes cogenti.

3. Pontificem Romanum abſolutum infallibitatis privilegium habere, nec poſſe hæreſin publice docere, nondum ex Scripturis probatum. Ergo Pontifici Romano non eſt abſolute obediendum, ſed ſi hæreſin propugnet, ab eo ſeccdendum.

4. Quandoque integri cœtus adhærentes ſuis Paſtoribus à ſe mutuo avelluntur, nec tamen ſtatim fiunt ſchiſmatici. De Victore Epiſcopo Romano memorat Euſebius lib. 5. Hiſtor. cap. 23. *quod propter controverſiam de tempore Paſchatos totius Aſiæ paræcias, una cum vicinis Eccleſiis tanquam aliena ſentientes à communionis unitate abſcindere, conatus fuerit.* Sed Epiſcopi Europæi, ut Irenæus & alii, nec Romanam nec Aſiaticam Eccleſiam judicabant ſtatim ſchiſmaticam, quia & cum Victore communionem colebant, & ab Aſiaticorum communione non abſtinebant, quod nõ feciſſent, ſi alterutrã ſchiſmaticam judicaſſẽt.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quod Bellarminus d. l. fatetur, *quosdam Catholicos idem nobiſcum affirmare.* Verba ſic habent: *De ſchiſmaticis nonnulli Catholicorum dubitant, an ſint de Eccleſia, imo eſſe eos de Eccleſia affirmat Alphonſus de Caſtro loco notato.*

Et poſtea. *Objiciunt* videl. nonnulli Catholici,) *Eccleſia eſt Catholicorum congregatio, ut Papa Nicolaus definivit de conſecr. diſt. 1. Can. Eccleſia. At Schiſmatici ſunt Catholici, igitur ſunt de Eccleſia. &c. Secundo objiciunt* (ſcilicet nonnulli Catholici, aliorum enim non facit mentionem Bellarminus in toto hoc capite)

capite) *Schismatici, etsi nolint subesse Pontifici, tamen volunt subesse Christo summo capiti, & licet nolint communicare huic Ecclesiæ, quæ est in terris, tamen volunt communicare Ecclesiæ, quæ est in cœlis, quæ est melior pars Ecclesiæ, non igitur tollunt Ecclesiæ unitatem, nec sunt absolute extra Ecclesiam.*

2. Quod Glorianus in lib. de schismate p. 181. scribit. *In schismate simplici, quod sine ulla depravata doctrina fit, ita ut ambiguum fit, à quo schisma fiat, antequam legitime judicetur, dubium non est, quin ejus sectatores ad Ecclesiã pertineãt, ut Gersõ testatur.* Congruit hoc cũ c. Nõ affert. caus. 24. q. 1. *Causa, nõ separatio facit schisma.*

3. Quod jus Canonicum docet, Ecclesiam illam deserendam esse, quæ veram fidem deseruit.

c. Quæ dignior. caus. 24. q. 1. ex Ambrosio. *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est, quod Apostolus quoque evidenter asseruit, dicens: Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.*

Quo pertinet illud Bernhardi serm. 1. de conv. Pauli. *Agnoscite dilectissimi & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum.*

(Ergo non quævis desertio Ecclesiæ schismaticos facit, sed desertio, quæ fit propter aliam causam, quam propter fidem.)

4. Quod quidam ex Pontificiis concedunt, *Papam posse in hæresin incidere*, ut ostendimus superius lib. 1. part. 2. cap. 2. (Iam vero ab Episcopis hæreticis secessionem faciendam esse, hoc loco ipsemet Bellarminus concedit. Verba sic habent §. ultimo. *Respondeo, eum, qui separat se ab Ecclesia & Episcopo particulari, necessario separari ab Ecclesia & Episcopo universali, nisi forte ideo se aliquis separet ab Episcopo particulari, quod illa Ecclesia aut ille Episcopus hæretici aut schismatici sint.*)

5. Quod concedunt, licitum esse, quandoque Pontifici vi & & armis resistere. (Atqui, si licet Pontifici vi & armis resistere, multo magis licitum erit ab ejus communione sese separare.)

Baldus in c. Olim ext. de rescript. *Contra Papam sua potestate abutentem, primo utendum est verbis, hoc est, admonitionibus; secundo, herbis, id est, comminationibus; tertio, lapidibus, & ubi non sufficit virtutis ingenium, ibi valere debet armorum præsidium.*

Bellarminus lib. 2. de Pontif. Rom. c. 29. resp. ad 7. *Sicut licet resistere Pontifici invadenti corpus: ita licet resistere invadenti animas, vel turbanti Rempublicam, & multo magis, si Ecclesiam destruere niteretur. Licet, inquam, ei resistere, non faciendo quod jubet & impediendo, ne exequatur voluntatem suam, non tamen licet eum judicare, vel punire, vel deponere, quod non est nisi superioris.*

Lib. 2. de Conc. c. 19. §. Respondeo non mirum. *Licet Pontificem servata reverentia admonere & modeste corripere, repugnare etiam vi & armis, si Ecclesiam destruere velit.*

Thesis specialis quarta. Injuste excommunicati non desinunt esse membra Catholicæ Ecclesiæ, etiamsi è visibili & particulari Ecclesia ejiciantur.

Ἐκθέσις 1. Non est quæstio de excommunicatione justa, sed injusta.

2. Nec de Ecclesia *particulari & visibili*, sed *de Ecclesia Catholica & invisibili*, à qua per excommunicationem nemo separatur, nisi prius impœnitentia & incredulitate ab ea seipsum separaverit.

3. Quinimo, nec ab externa visibilis Ecclesiæ communione excommunicatio perpetuo separat, ut ex argumentis nostræ sententiæ apparebit.

Antithesis. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia c. 6. §. 1. *De excommunicatis, quod in Ecclesia non sint, docent Catechismus Romanus in explic. Symb. Thomas Waldensis tom. 1. lib. 2. c. 9. doctr. fid. antiqua, Johannes de Turrecremata lib. 1. cap. 3. Summæ de Ecclesia, Johannes Driedo lib. 4. c. 2. part. 2. de Script. & dogmat. Ecclesiasticis & alii nonnulli, quod probatur ex Scriptura, Jure Canonico, ex Patribus & ratione.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex Luc. 6. v. 22. *Beati estis, ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς.* Ergo quidam etiam post separationem & excommunicationem sunt ac manent beati. Nemo vero potest esse beatus, nisi sit verum & vivum Ecclesiæ Catholicæ membrum.

2. Ex Johan. 16. vers. 2. ubi Christus ad Apostolos suos dicit: *facient vos ἀποσυναγώγους.* Jam vero Apostoli per ejusmodi excommunicationem non desierunt esse membrum Ecclesiæ.

3. Ecclesia Catholica & invisibilis est congregatio Sanctorum, ab ea excommunicatio hominem non separat, sed, separatum esse duntaxat, declarat. Ergo nemo per excommunicationem ab Ecclesia Catholica separatur, id est, separatus declaratur, nisi prius seipsum per impœnitentiam & incredulitatem ab ea separaverit.

4. Qui injuste excommunicantur, possunt salvari. Nemo autem potest salvari, nisi sit membrum veræ Ecclesiæ. Ergo injuste excommunicatus non desinit esse membrum Ecclesiæ.

5. Asiaticis à Victore Episcopo Romano, ob controversiam de tempore paschatis, excommunicatis, Irenæus & alii Episcopi Europæi communicabãt, quod & Ægyptii & Palæstini & Africani faciebant, teste Eusebio lib. 5. Histor. c. 24. Ergo excommunicatio ne quidem ab externa Ecclesiæ communione perpetuo separat.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. c. Ut evidenter. caus. 11. q. 1. *Sicut is, quem Sacerdos tolerat in Ecclesia, est tamen extra Ecclesiam, & extra corpus, cujus caput est Christus si ei ostiarius non aperuerit; ita non ideo extra Ecclesiam est, & non est de corpore, si quis Pastoris præjudicio compellitur foris esse.*

c. Quomodo. caus. 11. q. 3. *Quomodo Sacerdos mundum leprosum non facit: sic Episcopus vel Presbyter non alligat eos, qui insontes sunt, nec solvit noxios, sed pro officio, cum peccatorum varietates audierit, scit, qui ligandus sit, qui solvendus.*

c. Ipse ligandi. caus. & quæst. iisd. *Si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur injuriam.*

c. Sic habes. caus. 24. q. 3. *Illicita excommunicatio notatum non lædit, sed excommunicantem condemnat.*

c. Si quis. caus. & quæst. iisd. *Si quis non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur & foras mittatur, si ipse antea non exiit, h. e si non ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus, & ita fit, ut interdum ille, qui foras mittit, intus sit, & ille foris, qui intus videtur retineri.*

c. De illicita caus. & quæst. iisd. *Qui illegitime excommunicatus est, majoris Sacerdotis autoritate ad gratiã sanctæ cõmunionis redeat.*

c. Cum aliquis, caus. & quæst. iisd. *Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à caritate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minime abjiciatur; sicut è contrario aliquis dum non recto judicio foras mittitur scil. si ante non exierit, id est, si non egerit, ut mereretur exire nihil læditur. Interdum enim, qui foras mittitur, intus est, & qui foris est, intus videtur retineri.*

c. Certum est. caus. & quæst. iisd. Gratinus concludit. *Illicita ergo excommunicatio, ut ex præmissis apparet, non lædit eum, qui notatur, sed illum, à quo notatur, ac per hoc, qui innocentes sunt, ex alterius crimine condemnari non possunt.*

(Si injuste excommunicatus non læditur, nec condemnatur, utiq; adhuc est in Ecclesia, quia extra Ecclesiam non est salus.)

2. Lombardus lib. 4. sent. dist. 18. lit. H. *Aliquando Sacerdotes ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum; & pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt, & indignos Sacramentis admittunt & dignos arcent. Sed intelligendum est hoc in illis, quorum merita solvi vel ligari postulant. Tunc enim sententia Sacerdotis judicio Dei & totius cœlestis curiæ approbatur & confirmatur, cum ita ex discretione procedit, ut reorum merita non contradicant. Quoscunq; ergo solvunt vel ligant, adhibentes clavem discretionis reorum meritis, solvuntur vel ligantur in cœlis, id est, apud Deum, quia divino judicio Sacerdotis sententia sic progressa & approbatur & confirmatur. Quos ergo secundum merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit; & illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur, nisi contemnat. Unde Origenes homil. 14 in Levit. ad c. 24. ejusdem. Exit quis à veritate, à fide, à caritate: per hoc exit de castris Ecclesiæ, etiamsi Episcopi voce non abjiciatur; sicut contra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim, qui foras mittitur, intus est: & qui foras est, intus videtur retineri.*

3. Quædam hypotheses Bellarmini.

Lib. 3. de Eccles. c. 5. resp. ad 2. *Ecclesia triumphans unita est, imo potius una est cum militante, & proinde nemo potest velle separari ab una, quin separetur ab altera.* (Injuste excommunicati non separantur ab Ecclesia triumphante, quia *manẽt amici Dei*, ut paulo post ex ipsius Bellarmini confessione probabimus. Ergo nec separantur ab Ecclesia militante. Consequentiæ ratio petitur ex adductis Bellarmini verbis.

Lib. ejusd. c. 6. §. At contra &c. concedit, *injuste excommunicatos posse salvari.* (Ergo non desinunt esse Ecclesiæ membra, quia extra Ecclesiam non est salus. Regerit quidem Bellarminus, *sufficere illis ad salutem, quod sint in Ecclesia animo sive desiderio, quamvis non sint in Ecclesia corpore sive externa conversatione.* Resp. monuimus superius, non sufficere ad salu-

tem, animo ac desiderio esse in Ecclesia, sed requiritur, ut reipsa & actu aliquis sit de Ecclesia, sicut non erat sufficiens, ut quis animo & desiderio esset in arca, ut ab exitio in diluvio servaretur, sed requirebatur, ut actu & corpore esset in arca. Præterea perfectius sunt in Ecclesia, qui de anima, licet non de corpore ejus sunt, quam qui de corpore tantum & non de anima Ecclesiæ sunt, quod probari potest ex ipsis Bellarmini verbis Lib.3. de Ecclesia cap.2. §. penult. *Quidam sunt de anima & de corpore Ecclesiæ, & tales sunt perfectissime de Ecclesia. Rursum aliqui sunt de anima & non de corpore, ut Catechumeni vel excommunicati, si fidem & caritatem habeant, quod fieri potest. Denique aliqui sunt de corpore & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicant sub regimine Pastorum, & tales sunt, sicut capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano.* Hæc ille. Insuper, qui actu sunt membra Christi, illi non solum animo & desiderio, sed etiam actu sunt membra Ecclesiæ. Ratio est, quia Ecclesia est corpus mysticum, cujus caput est Christus. Injuste excommunicati actu sunt *membra Christi.* Ratio est, quia salvantur. Ergo etiam actu sunt *membra Ecclesiæ.* Denique animum illum ac desiderium illud injuste excommunicatorum solus Deus καρδιογνώστης novit. Ergo injuste excommunicati sunt invisibilis Ecclesiæ soli Deo notæ membra. In visibili Ecclesia juxta Bellarmini hypothesin non sunt, & tamen oportet esse in aliqua Ecclesia, quia salvantur. Ergo sunt in Ecclesia invisibili & Catholica.)

Lib. & cap. iisd. resp. ad 1. arg. scribit Bellarminus, *externam communicationem proprie facere, hominem esse de Ecclesia visibili, quæ est in terris.* (Tacite ergo concedit, eum, qui injuste excommunicatur, animo & interna communicatione esse membrum invisibilis Ecclesiæ, quod nos asserimus. Si enim datur duplex communicatio in Ecclesia, utiq; etiam dabitur duplex modus existendi in Ecclesia, videl. secundum *communicationem externam* & secundum *communicationem internam.*)

Ibid. fatetur Bellarminus, *injuste excommunicatum posse esse amicum Dei & proinde esse de anima Ecclesiæ, quando scil. retinet dona interna, fidem, spem, caritatem &c.* (Quomodo igitur in genere statui potest, per excommunicationem privari aliquem omni commercio spirituali, quod habent homines Ecclesiæ inter sese? certe spirituale commercium, quod habent homines Ecclesiæ inter sese, potissimum in donis internis consistit.)

Ibid. resp. ad 2. scribit: *Per excommunicationem non intendunt Pastores separare homines à numero salvandorum.* (Si excommunicati non separantur à numero salvandorum, utique injusta excommunicatio non separat hominem injuste excommunicatum ab Ecclesia Catholica & invisibili, extra quam non est ullus salvandus & intra quam sunt omnes salvandi.)

Lib. & cap. iisdem. §. Probatur ultimo, confert Bellarminus *excommunicationem cum relegatione civili.* At hæc comparatio nostræ potius inservit sententiæ. Quemadmodum enim in relegatione civili sunt certi gradus; siquidem aliqui ad certum duntaxat tempus relegantur, quo exacto, jus habent in urbem revertendi, qui non perdunt omne commercium, quod cives inter se habent: aliqui vero relegantur sine spe restitutionis, ac jus civitatis plane amittunt: sic in excommunicatione etiam sunt certi gradus, quidam ad tempus duntaxat à sacris mysteriis arcentur, qui non statim privantur omni commercio, quod est inter Ecclesiæ cives.)

Quæ Bellarminus Lib. ejusd. cap.7. de prædestinatis;

Cap. 8. de non perfectis;

Cap. 9. de magnis peccatoribus disserit, de iis facile judicari potest ex illis, quæ superius in thesi generali sunt adducta. Esto igitur,

Thesis specialis quinta. Infideles & hæretici occulti sunt *in Ecclesia*, non autem *de Ecclesia*; sunt in Ecclesiis *particularibus*, sed ad *Catholicam Ecclesiam* κυρίως & proprie sic dictam non pertinent.

Ἔκθεσις. Occultos infideles definit Bellarminus, *quod sint ii, qui nec fidem internam, nec ullam Christianam virtutem habent, & tamen exterius propter temporale aliquod commodum fidem Catholicam profitentur, & communione Sacramentorum veris fidelibus permiscentur,* quam definitionem concedimus.

Antithesis. Bellarminus Lib.3. de Eccles. cap.10. §. 2. *Nos modum loquendi plurium sequimur, qui docent, eos, qui sola externa professione conjuncti sunt fidelibus cæteris, esse veras partes exteriores, atq; adeo etiam membra, licet arida & mortua corporis Ecclesiæ. Vide Thomam Waldensem tom. 1. lib. 2. c. 9. n. 10. & c. 11. n. 5. Iohannem Driedonem Lib. 4. de Eccles. script. & dogmat. cap. 2. part. 2. Petrum à Soto in Confessione Catholica, quam opposuit Confessioni VVirtenbergensi cap. de Ecclesia & cap. de Conciliis, & in Apologia pro ead. Confessione part. 1. cap. 11. Hosium Cardinalem Lib. 3. contra Prolegom. Brentii & Melchiorem Canum Lib. 4. de Loc. Theolog. cap. ult. ad argum. 12.*

Nostram sententiam confirmamus,

1. Quod infideles & hæretici occulti sint *in Ecclesia*, patet ex eo, quia juxta hypothesin, exterius fidem Catholicam profitentur & communione Sacramentorum veris fidelibus permiscentur. Jam vero tales sunt in Ecclesia visibili.

2. Quod infideles & hæretici occulti non sint *de Ecclesia*, nec ad *Ecclesiam Catholicam* proprie sic dictam pertineant, patet ex eo, quia, juxta hypothesin, nec fidem internam, nec ullam Christianam virtutem habent. Jam vero Ecclesia Catholica est congregatio vere fidelium & Sanctorum.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quidam ex ipsis Pontificiis. Sic enim scribit Bellarminus in principio hujus capitis: *Infideles occultos nullo modo ad veram Ecclesiam pertinere, non solum Confessionistæ & Calvinistæ docent, sed etiam aliqui ex Catholicis, quorum unus est Iohannes de Turrecremata Lib. 4. de Ecclesia part. 2 cap. 2.*

2. Quædam hypotheses Bellarmini.

Bellarminus in hoc ipso capite. §. 1. scribit, *Verissimum est, requiri fidem, ut quis unitus dici possit interna unione corpori Christi, quod est Ecclesia.* (Si ergo infideles occulti non sunt interna unione uniti corpori Christi, utique non sunt de Ecclesia Catholica, quæ est congregatio Sanctorum, unione interna corpori Christi unitorum.)

Ibid. §. 2. *Qui sola externa professione conjuncti sunt fidelibus cæteris, sunt veræ partes exteriores, atque adeo etiam membra, licet arida & mortua, corporis Ecclesiæ.* (Si sunt tantum partes exteriores & membra arida & mortua, ergo non pertinent ad interiorem Catholicæ Ecclesiæ communionem, nec sunt vera & viva membra, sed tantum æquivoce sic dicta.)

§. 3. Dictum Johannis, *è nobis exierunt, sed non erant ex nobis &c.* sic explicat, *Apostolus de hæreticis dicit, eos, antequam exirent, non fuisse ex nobis, id est, non fuisse Catholicos animo ac voluntate, sed hæreticos atque Anti-Christos, & tamen ex nobis exivisse, quia etsi non erant ex nobis animo & voluntate, erant tamen ex nobis externa professione.* (Atqui, ut aliquis sit membrum Ecclesiæ Catholicæ, requiritur, ut animo ac voluntate Catholicus sit, non externa tantum professione, quia Deus cor & animum magis respicit, quam verba & speciem exteriorem.)

§. 4. Adducit dictum August. tract. 3. in Epist. Joh. *Hæretici sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando evomuntur, tunc relevatur corpus.* (Sed humores mali non sunt vera corporis membra.)

§. 8. *Hæretici videntur esse uniti interna & externa conjunctione membris cæteris, & tamen non sunt uniti, nisi conjunctione externa.* (Atqui, ut quis ad Ecclesiam Catholicam pertineat, requiritur conjunctio interna, cum vinculum communionis in Ecclesia Catholica sit spirituale ac internum.)

§. ult. *Illi, qui se simulant Christianos & Catholicos, non sunt de Ecclesia, nisi secundum apparentiam exteriorem & putative, non vere.* (Atqui ut ad Ecclesiam Catholicam quis pertineat, non sufficit, ut secundum exteriorem apparentiam & putative, sed secundum interiorem conjunctionem & vere sit de Ecclesia. Corpus mysticum, Ecclesia Catholica, uti non est putativum seu extrinsece solum apparens, sed verum & vivum corpus, ita etiam talia requirit membra.)

CAPUT II.

De distinctione in visibilem & invisibilem Ecclesiam.

Thesis. Ecclesia recte in visibilem & invisibilem Ecclesiam distinguitur.

Ἔκθεσις. 1. Non introducimus duas Ecclesias ἀντιδιῃρημένως sibi invicem oppositas, ita ut *visibilis & invisibilis Ecclesia* sint species contradistinctæ, sed unam eandemque Ecclesiam respectu diverso visibilem & invisibilem dicimus.

2. Nec approbamus furores Anabaptistarum, qui hoc prætextu in abscondito latitantes circumeunt domos & in iis clam Ecclesiolas constituere cupiunt; quia scil. Ecclesia sit invisibilis. Vult enim Deus, nos quærere, scire & agnoscere debere, quæ & ubi sit vera Ecclesia, ut ad eam tanquam membra & cives nos adjungamus.

3. Nec patrocinamur Enthusiastarum fanaticis opinionibus, qui contemto visibili verbi & Sacramentorum ministerio raptus

tio raptus internos expectant, & hoc fine in angulos se concludunt, ut extra hominum conspectum positi, divina alloquia audiant.

4. Nec solo nomine & *ἀλληγορικῶς* Ecclesiam visibilem esse dicimus, ut Pontificii calumniantur, sed vere & reipsa.

5. Nec hoc fine Ecclesiam dicimus esse invisibilem, ut, sub Papatu Ecclesiam conservatam fuisse, obtinere possimus, quia veram, sanctam & Catholicam Ecclesiam semper invisibilem esse dicimus, etiam hoc ipso tempore, quo reaccensa lux Evangelii in multis regnis & Provinciis clarissime splendet.

6. Nec agimus hoc loco tantum de *Ecclesia triumphante*, quam esse oculis humanis nondum clarificatis invisibilem, ne ipsi quidem Pontificii negare possunt, sed etiam *de Ecclesia* in terris *militante*.

7. Quando in extremo judicio Christus *oves separabit ab hædis* & electos *ad dextram statuet*, Matth. 25. v. 32. tunc Ecclesiam Catholicam quæ est Sanctorum congregatio, visibilem fore non negamus, sed agimus hoc loco de Ecclesia in statu hujus vitæ considerata.

Hoc vero est, quod dicimus,

1. Ecclesiæ appellatio interdum *generaliter* accipitur pro cœtu promiscuo vocatorum, in quo omnes, qui externa professione sese aggregant ad auditum verbi, & usum Sacramentorum, pro Ecclesiæ membris habentur: interdum *specialiter & proprie* accipitur pro cœtu vere renatorum & electorum in illo cœtu, qui Deo, cordium & renum scrutatori, cogniti sunt. Respectu *vocatorum* Ecclesia dicitur *visibilis*, respectu *electorum invisibilis*.

2. Ecclesia, pro toto vocatorum cœtu accepta dupliciter consideratur, *ἔσωθεν* scilicet atque *ἔξωθεν*, id est, respectu *internæ & externæ societatis*. Interna Ecclesiæ societas consistit in unitate fidei salvificæ, spei & caritatis, qua Christo capiti, & reliquis mystici corporis membris, vere pii sunt conjuncti. Externa Ecclesiæ societas consistit in professione fidei & usu Sacramentorum, cui disciplinæ Ecclesiæ exercitium addi potest. Visibilis est Ecclesia, respectu *societatis externæ*, sed invisibilis est, respectu *societatis internæ*. Quinã enim ad externã Ecclesiæ societatẽ pertineãt, oculis hominũ est obvium; sed quinam ad internam Ecclesiæ societatem pertineant, non item.

3. Ecclesia ex vocatione æstimata, & pro toto cœtu vocatorum accepta, dicitur visibilis, non solum respectu *hominum vocatorum*, sed etiam respectu *externorum mediorum & instrumentorum*, per quæ in his terris Deo colligitur Ecclesia, uti etiam respectu *externorum religionis exercitiorum*, quæ sunt prædicatio & professio doctrinæ, administratio & usus Sacramentorum ac disciplina Ecclesiastica. Vicissim invisibilis dicitur, primario quidem & potissimum respectu *fidei & internorum donorum Spiritus Sancti* in renatis, quæ humanis oculis perspici nequeunt, deinde etiam respectu *capitis in mystico illo corpore*, quod jam non videmus; & quia discretio bonorum ab hypocritis, quibus in visibili Ecclesia intermixti sunt, soli divinæ notitiæ est relicta.

4. Ecclesia visibilis & invisibilis non sunt *contrarie opposita*, sed *subalterna ac subordinata*. Nam invisibilis electorum cœtus continetur sub visibili congregatione vocatorum, & Ecclesia vocatorum latior est, quam electorum. Quicunq; igitur pertinent ad Ecclesiam invisibilẽ, illi etiã ad visibilẽ pertinent, hoc est, quotquot sunt electi, sunt etiã vocati, sed non contra.

5. Ecclesia *electorum* dicitur invisibilis, non quod illi per orbem dispersi pii ratione suæ personæ non veniant in conspectum hominum, sed quia fides & divina electio, ratione quorum ad Ecclesiam, ut viva membra, pertinent, in illis non apparent. Videntur, ut homines corporei; non videntur, ut homines vere fideles & electi. Illud quidam sic efferunt: Ecclesia *materialiter* accepta, hoc est, de hominibus in ea versantibus, ex parte est visibilis, nimirum quatenus de militante hoc intelligitur, triumphans enim nobis est invisibilis; *formaliter* vero accepta, nempe de fidelibus, est invisibilis.

6. Nec ideo electorum Ecclesia dicitur invisibilis, quod piis & electis cum visibili verbi ministerio, Sacramentorum usu, & externo divini cultus exercitio nihil sit commercii, sed quia dona Spiritus Sancti interna, quibus ipsi, tanquam viva Ecclesiæ membra, à putridis & mortuis membris in oculis Dei discernuntur, hominum aspectui minime sunt obvia.

7. Opposita ergo est distinctio Ecclesiæ *in visibilem & invisibilem* opinioni Pontificiorum, quod ad Romanum Pontificem & Prælatos, qui sunt in ordinaria successione, Ecclesia Christi ita sit alligata, ut quodcunque illi statuant & sentiant, necessario sit ab omnibus recipiendum, ac nullo modo, nullove prætextu ab illis discedendum. Item persuasioni illorum, qui in delictis sibi blandiuntur, seque non posse damnari, putant, cum sint visibilis Ecclesiæ membra.

8. Secundario & minus principaliter Ecclesia dicitur invisibilis, respectu *ad externum splendorem regnorum mundanorum & cœtuum hæreticorum* habito, sensu scil. eo, quod miser, contemtus & exiguus ille cœtus, in quo sunt multæ infirmitates, quique non tantum persecutionibus & cruce premitur, sed etiam offendiculis & scandalis deformatur, sit Ecclesia, de qua non ex specie externa, sed ex verbo Dei sit statuendum, & juxta normam verbi judicandum.

9. Vox *visibilis* accipitur, vel *absolute*, vel *respective*. Rem *absolute* visibilem dicimus, quæ suapte Natura est objectum visus, Natura scilicet & forma exteriori, interior enim est invisibilis. *Respective* aliquid visibile appellamus, non considerando simpliciter ipsius Naturam visibilem, sed illorum facultatem, qui id videre vel non videre possunt. Sic Sol in seipso est maxime visibilis, sed est invisibilis respective, id est, quoad nos, vel cum sub Horizonte est occultatus, vel cum interpositione Lunæ eclipsin patitur; sic enim saltem ex parte nobis invisibilis est. Pari ratione Ecclesiam militantem dicimus esse visibilem, tum *quantum ad materiam*, quia ex hominibus constat, non ex Angelis incorporeis & invisibilibus; tum *quoad formam exteriorem*, quæ in prædicatione verbi & Sacramentorum administratione consistit: invisibilis autem est, quod *formam interiorem*, quæ in regeneratione, renovatione, illuminatione & sanctificatione fidelium consistit. Item, Omnes Ecclesiæ particulares totius mundi sunt visibiles, possuntque in sua materia & forma exteriori videri, verum quemadmodum fieri potest, ut res sua Natura visibilis nobis fiat invisibilis, vel quod ab oculis nostris removeatur, vel quod nos ab ea discedamus, vel quod aliquid interponatur: sic evenire potest, sæpiusque evenit, ut Ecclesia, quæ per se nobis visibilis, facta sit invisibilis; verbi causa, cum membra locum conventus ordinarium reliquerunt, vel inimici exteriorem ordinem impediverunt, vel nos in ea investiganda negligentes fuimus.

10. Ecclesia visibilis non sunt omnes homines, quibus verbum prædicatur & porriguntur Sacramenta, alias non Ecclesia solum, sed singula Ecclesiæ membra, qua membra, essent visibilia: sed Ecclesia visibilis dicitur illa, quæ in illo cœtu, cui recte prædicatur verbum & porriguntur Sacramenta, visibilis est, quoad omnes & singulos credentes, etsi non demonstrabilis per separationem hujus & illius individui. Ob promissionem Dei infallibilem Esa. 55. v. 11. fieri non potest, quin in congregatione auditorum verbi divini sint aliqui fideles, iique quà partes congregationis visibiles, quanquam per separationem unius ab alio nemo ausit dicere, *hic certo & indubitato fidelis est, ille est*, tametsi dubium nullum sit, ex iis, qui videntur, aliquos tales esse.

Antithesis. Stapletonus in relect. princip. doctrin. controv. 1. q. 2. artic. 1. *Ecclesia vera & Catholica est multitudo per omnes gentes dispersa. Sed electi, teste Christo, in fine parabolæ Matth.* 20. *sunt pauci. Ergo electi, qua tales, non constituunt Ecclesiam veram, sed qua visibiles & vocati, & per conseq. vana est distinctio inter Ecclesiam visibilem & invisibilem.*

Anglo-Rhemenses in annot. Act. 11. v. 24. *Ecclesia ab ascensione Christi usque ad hoc tempus omnibus semper insigniter visibilis & cognita fuit, publica Sacramenta, conciones publicæ, pastores visibiles, visibiles etiam adversarii, Concilia quoque visibilia, tota Ecclesia undique visibilis, & professorum nomina toti mundo notissima. De invisibili Protestantium Ecclesia in tota Scriptura ne γρῦ quidem.*

Bellarminus Lib. 3. de Ecclesia cap. 2. §. Atque hoc. *Ecclesia est cœtus hominum ita visibilis & palpabilis, ut est cœtus populi Romani, vel regnum Galliæ aut Respubl. Venetorum.*

Cap. 10. resp. ad 2. *Ut Episcopos ac Pastores illos, quos videmus, pro veris Episcopis habeamus, non requiritur ad hoc in illis fides, nec character ordinis, nec legitima electio, sed solum, ut habeantur pro talibus ab Ecclesia &c. quod idem est, ac si diceremus, eos non esse quidem in se veros Episcopos, tamen donec pro talibus habeantur ab Ecclesia, deberi illis obedientiam. Item, tenere eos locum Christi de facto, non de jure; denique non posse ab illis Ecclesiam decipi, cum Ecclesia non possit errare, & tamen eos teneatur sequi, quos pro veris Pastoribus habet, quod postremum sano modo accipiendum, si videl. hujusmodi Episcopi in doctrina omnes conveniant aut summi Pontifices sint.*

Lib.

Lib. ejusd. c.11. *Lutherani dicunt, veram Ecclesiam esse invisibilem, Deoq; soli cognitam. Nos contrarium asserimus.*

Ibid scribit, *Lutheranos initio Ecclesiam invisibilem fecisse, deinde tamen cum viderent absurda, quæ inde sequebantur, secreto consilio statuisse, ut Ecclesia visibilis diceretur, cœpisse igitur omnes docere Ecclesiam esse visibilem, sed sic tamen, ut nomine visibilis, re invisibilis esset.*

Lib. ejusd. c.9. resp. ad 8. arg. scribit, *nos duas Ecclesias fingere, quarum una sit visibilis, altera invisibilis.* Idem repetit Becanus tract. de Ecclesia q.1. concl.1. p.20. Pistorius in Hodeg. p.134. & 135. affingit nobis oppositionem Ecclesiæ visibilis & Catholicæ. p.145. nobis hanc opinionem tribuit quod statuamus, *Ecclesiam non semper fuisse visibilem, ut sub Papatu.* Eccius invisibilem Ecclesiam dicit esse *Mathematicam & ideas Platonicas.* Alii vocant *stigmaticam, Utopicam, imaginariam Ecclesiam.*

Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q.1. *An rebus invisibilibus prædicatur & Sacramenta administrantur? num grex invisibilis pascitur? &c. Ecclesia est congregatio hominum fidelium, hodiene adhuc inveniuntur quidam è Gygis stemmate, qui se faciant invisibiles? &c. Dicere Ecclesiam invisibilem nihil est aliud, quam eam uno verbo negare, salutisq; viam reddere incognitam.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex omnibus illis dictis & argumentis, quæ probant, Ecclesiam proprie esse *congregationem Sanctorum*, quæ in cap. præcedent. sunt enumerata. Ex illis enim sic concludimus: Ad Ecclesiam, κυρίως & proprie sic dictam, non pertinent nisi sancti & vere credentes. Jam vero quinam sint sancti & vere credentes non est oculis humanis obvium. Ergo etiam vera & proprie sic dicta Ecclesia non est oculis humanis obvia.

2. Ex illis dictis, in quibus splendor & ornatus veræ Ecclesiæ dicitur interior & absconditus. Psal.45. v.14. Rom.2. v.28. & 29. 1. Petr.3. v.4. Quod est in abscondito, illud etiam est invisibile. Ecclesia κατὰ πρῶτον λόγον est in abscondito. Ergo Ecclesia κατὰ πρῶτον λόγον est invisibilis.

3. In quibus soli Deo vendicatur notitia illorum, qui sunt vera & viva Ecclesiæ membra. 1. Reg.19. v.18. Rom.11. v.4. 2. Timoth.2. v.19. Si solius Dei, non autem hominum oculis obvium, quinam sint vera & viva Ecclesiæ membra, utique etiam vera Ecclesia est invisibilis.

4. In quibus vera Ecclesia sic describitur, quod sit Christi sponsa, quæ in Spiritu Christo adhæret, vera fidei obedientia ipsi subjecta est, sincere ipsum diligit, quam Christus vicissim amat, fovet, sanctificat, *mundat ac gloriosam reddere* incipit. 2. Cor.11. v.2. Ephes.5. v.26.27. &c. Jam vero quinam ex hominibus vere tales sint, oculis humanis non cognoscitur, nec cognosci potest.

5. In quibus Ecclesia sic describitur, quod sit cœtus eorum, qui sunt oves Christi, *audientes vocem pastoris sui*, eique obsequium præstantes Johan.10. v.27. *qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud in corde bono & sincero, ac fructum afferunt in patientia*, Luc.8. v.15. qui non in arena, sed *in petra ædificant* Matth.7. v.24. Jam vero non possumus externo aspectu cognoscere, quinam vere sint tales, quique ad cœtum illum pertineant. Ergo vera Ecclesia est invisibilis.

9. In quibus Ecclesia dicitur *corpus mysticum* ac proinde invisibile; Item in quibus Christus dicitur *Ecclesiæ caput*, illud enim in hac vita non videmus. 1. Pet.1. v.8. Jam vero caput est primarium corporis membrum. Qui ergo illud non videt, is nec corpus videt.

7. Ecclesia est regnum Dei spirituale. Jam vero exterius videri nequit, quinam proprie ad spirituale illud regnum Dei pertineant, Luc.17. v.20. Ecclesia est *domus Dei* spiritualis 1. Tim.3. v.15. 1. Pet.2. v.5. *mons Sion* spiritualis Hebr.12. v.18. Jam vero exterius videri nequit, quinam ad illam domum & montem spiritualem pertineant. Vera Ecclesia consistit in veris Dei adoratoribus, qui *in Spiritu & veritate adorant* Joh.4. v.23. Jam vero quinam revera tales adoratores sint oculis humanis conspici nequit.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Qui agnoscunt, Ecclesiam proprie dictam esse *congregationem Sanctorū*, quorum dicta enumerata sunt in c. præcedēte.

Ex illo vero sequi, *Ecclesiam esse invisibilem*, agnoscit ipse Bellarminus sic scribens lib.3. de Eccles. c.10. §. Deinde. *Si ii, qui fide interna carent, non sunt nec esse possunt in Ecclesia, nulla erit inter nos & hæreticos amplius quæstio de Ecclesia visibilitate, proinde supervacaneæ erunt tot eruditissimorum hominum disputationes, quæ hactenus prodierunt. Omnes enim, qui hactenus scripserunt, id objiciunt Lutheranis & Calvinistis, quod Ecclesiam invisibilem faciant. Nullam autem futuram amplius quæstionem, ita probo:*

§. Lutherani. *Lutherani & Calvinistæ signa visibilia quædam & externa Ecclesiæ statuunt, nimirum prædicationem verbi Dei & Sacramentorum administrationem, & constanter docent, ubicunq; hæc signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Quia tamen solos justos & pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt, & nemo potest certo scire, qui sunt vere justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exterius præ se ferunt, cum certum sit, multos ubiq; esse hypocritas & falsos fratres. Idcirco nostri recte concludunt, eos facere Ecclesiam invisibilem. Porro Lutheranis & Calvinistis justitia in sola fide consistit, idemq; est apud eos, Ecclesiam esse cœtum justorum & piorum, & esse cœtum verè credentium. Quis non igitur videt, nos cum illis plane convenire, si omnes illos ab Ecclesia excludamus, qui veram fidem in corde non habent.*

2. Qui fatentur, Ecclesiā certo respectu posse dici invisibilē.

Bellarminus libr.3. de Ecclesia c.9. resp. ad 8. arg. scribit, *non solum Brentium & Calvinum, sed etiam aliquos Catholicos fingere duas Ecclesias, hoc est, distinguere in Ecclesiam visibilem & invisibilem.* Ergo quorundam Catholicorum suffragium nobis largitur, neque id immerito; Nam

Erasmus in Symbolo catech. 4. p.145. sic disserit: *Ecclesia proprie dicta est arcana societas ad vitam æternam prædestinatorum, cujus magna pars jam agit apud Christum, quæ vero superest, ad hoc vocata est, ut ad summam puritatem enitatur.*

(Si Ecclesia proprie dicta est arcana societas prædestinatorum ad vitam æternam, utiq; etiam Ecclesia proprie dicta est invisibilis, quia si societas illa visibilis esset, arcana amplius non esset. Quin & electio ipsa, per quam arcanæ huic societati inseruntur, est infallibilis, ac pars illa Ecclesiæ, quæ apud Christum agit, oculis humanis non est obnoxia.)

Franciscus Turrianus tract. 2. libr.3. cap.4. *Una tota Ecclesia partim visibilis est, partim invisibilis.*

Idem in Defens. Locor. Script. contra Antonium Sadeelem p.60. *Dawus, Antoni, Ecclesiam quam definimus, καθ' ὅλον esse, ut est καθ' ὅλον extra mentem non esse, ac proinde non esse sic visibilem.*

Enchiridion Christian. Institut. Coloniense de Sacramento Ordinis pag.171. *Ut autem contendant, quidam, Ecclesiam invisibilem esse, quod de Ecclesia prædestinatorum non negamus, nihilo secius ut opinamur, nobis concedent, Ecclesiam esse visibilem, quæ bonis admixtos habet malos, visibili fidei professione & Sacramentorum communione sociatos.*

(Id vero haud inviti concedimus, ut ex Augustanæ Confessionis art.8. & ex declaratione sententiæ nostræ superius tradita manifestum.)

Liber Interimisticus c.9. *Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum caritatem vivunt, sanctorum est tantum, & eatenus spiritualis & invisibilis.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc.1. in Epistolam festi Innocentum p.184. *Sciendum est, Ecclesiam esse duplicem, visibilem nimirum & invisibilem, mixtam & puram. Visibilis seu mixta est collectio omnium illorum, qui profitentur Christi nomen ac Evangelium, & Sacramentis participant. In hoc promiscue sunt boni & mali, quemadmodum Dominus parabola de jacto in mari verriculo etiam docet &c. Cæterum invisibilis seu pura Ecclesia est collectio credentium, qui Christianam fidem & ore profitentur coram mundo, & corde constanti retinent coram Deo, Christiani sunt & nomine & reipsa, Evangelicam doctrinam & avide audiunt & sedulo exercent, Sacramenta sumunt, eorumq; fructibus redduntur participes. Hujusmodi autem credentium concio seu Ecclesia propterea invisibilis dicitur, non quod videri non possint, qui in ea sunt, sed quod nemo mortalium eos tales esse norit. Nam tametsi, quatenus homines sunt, videantur, tamen quatenus veri credentes, non possunt videri, eò quod vera fides lateat intus in corde.*

3. Quædam hypotheses Bellarmini.

Lib.3. de Eccles. c.2. §. Notandum &c. concedit, *quosdam esse de anima Ecclesiæ, licet non sint de corpore:* ibidēq; *tres modos existendi in Ecclesia constituit, videlicet corpore tantum, anima tantum, & utroque simul.*

(Atqui ille modus existendi in Ecclesia, qui fit anima tantum, videri nequit. Ergo Ecclesia respectu illorum, qui anima tantum sunt in Ecclesia, est invisibilis.)

Lib. ejusd. c.5. §. Penultimo scribit. *Ecclesia triumphans unita est, imo potius una est cum militante.*

(Si ergo triumphans Ecclesia est invisibilis, negari nequit, Ecclesiam Catholicam, respectu beatorum in cœlo triumphantium

tium, esse invisibilem, quod enim parti convenit, toti etiam propter illam partem tribui debet. Quinimo non solum *triumphans* Ecclesia est invisibilis, sed etiam *militans* Ecclesia, qua talis, est invisibilis. Dicitur enim Ecclesia militans propter militiam, quam exercet. Sed hæc militia est spiritualis & invisibilis, hostes sunt invisibiles, arma sunt invisibilia, agonotheta est invisibilis Eph.6.v.12.)

Lib.ejusd.cap.6.resp.ad 1.asserit, *quosdam esse in Ecclesia animo, nō autem corpore seu externa communicatione, quod illis sufficiat ad salutem.* (Jam vero externo aspectu dijudicari nequit, quinam sint de anima Ecclesiæ, & in quorum cordibus dona illa interna, per quæ homo est de anima Ecclesiæ, videl. fides, spes, caritas, &c. locum habeant, & tamen illi ipsi peculiarem aliquam societatē constituunt, quia vinculo Spiritus sunt conjuncti, & in illis proprie ac principaliter consistit Ecclesia.)

Ibid.resp.ad 2.concedit, *excommunicationem non separare hominem à numero salvandorum,* (sed ab Ecclesia visibili. Reipsa igitur concedit, excommunicationem non separare hominem ab Ecclesia invisibili & Catholica, extra quam nullus salvandus est, & intra quam omnes salvandi, adeoque reipsa approbat distinctionem inter Ecclesiam visibilem & invisibilem. Sic enim progredimur: Omnis, qui actu salvatur, est membrum Ecclesiæ. Injuste excommunicatus actu salvatur, si in illo statu moriatur. Ergo est membrum Ecclesiæ. Non est autem membrum Ecclesiæ visibilis, quia ab ea per excommunicationem separatur. Ergo datur Ecclesia invisibilis, cujus est & manet membrum, etiamsi à visibili Ecclesia separetur.)

Lib.ejusd.cap.9.§. Addit &c. sic disserit: *Addit etiam Augustinus, quod, cum calumniarentur Donatistæ, Catholicos duas Ecclesias facere, unam in terris, quæ haberet bonos & malos, alteram in cælis, quæ non haberet nisi bonos, responderunt Catholici, se non duas Ecclesias facere, sed distinguere duo tempora Ecclesiæ: Eandē, inquit, ipsam unam & sanctam Ecclesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram, sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus. Quæ sunt notandæ contra nostros Confessionistas & Calvinistas, qui duas Ecclesias fingunt.* (Sicut Donatistæ propter distinctionem Ecclesiæ in *militantem* & *triumphantem* per calumniam tribuebant Catholicis, quod duas facerent Ecclesias: sic Pontificii propter distinctionem Ecclesiæ in *visibilem & invisibilem* per calumniam nobis tribuunt, quod duas fingamus Ecclesias. Sed ut Catholici Donatistis olim respondebant, se non duas Ecclesias facere, sed *duo tempora Ecclesiæ* distinguere: sic & nos Pontificiis respondemus, nos non fingere duas Ecclesias, sed internam & externam Ecclesiæ societatem distinguere.)

Lib. & cap. iisdem in resp. ad arg. 6. *Hieronymus in c.1.Galat. exponens illud, Paulus Apostolus Ecclesiæ Galatiæ volens explicare, quomodo cohæreant inter se verba Apostoli qui nunc totas Ecclesias videtur laudare, nunc totas vituperare ac reprehendere, dicit, Ecclesiam dupliciter accipi, id est, non duas esse Ecclesias, sed de una diversimode Scripturas loqui. Interdū enim Scriptura tribuit toti Ecclesiæ id, quod est propriū perfectorū, ut carere macula & ruga, interdū id quod est propriū peccatorū, ut peccare & correptiōe indigere* (Idē & nos dicimꝰ.)

Lib.ejusdem c.15.resp.ad 1.scribit, *Testamentum novum proprie esse caritatem, quæ est lex in corde scripta, at Ecclesiam visibilem habere multa invisibilia, fidem, spem, caritatem, quæ sint necessaria in Ecclesia & in sola Ecclesia, non tamen in omnibus ejus partibus.* (Si id, quod in veris ac vivis Ecclesiæ membris requiritur, videri nequit, utique Ecclesia respectu vivorum ac verorum membrorum invisibilis erit. Sed caritas, quæ proprie est N.Test. & lex in corde piorum scripta, exterius videri nequit, ergo Ecclesia respectu verorum & vivorum membrorum est invisibilis, h.e. quinam sint vera & genuina Ecclesiæ membra, in quibus locum habeant invisibilia illa veræ Ecclesiæ dona, qui sint de anima Ecclesiæ &c. humanis oculis non est obvium. Si excipere velit, *ex actionibus externis de internis illis donis, per quæ homo sit verum & vivum Ecclesiæ membrum, judicium fieri posse,* respondemus ex Bellarmino Libr.ejusd.c.10.§.Sed neutra, *Cognitio fidei ex illius effectis non est certa, sed conjecturalis.*)

Lib.& cap.iisd.resp.ad 2.scribit, *in dicto Luc.17.v.20.regnum Dei non venit* μετὰ παρατηρήσεως, *v.21. Ecce enim regnū Dei intra vos est; per regnū Dei, juxta Theophylactū, intelligi gratiā, per quam Deus in cordibus hominū regnat, juxta Bedam intelligi ipsū Christum.* Atqui oculis humanis nō est manifestum, in quorū cordibus per fidē Christus habitet & per gratiā in illis regnet. Ergo etiā exterius videri nequit, quinā proprie pertineant ad spirituale illud regnum, vel, quod idem est, ad Ecclesiam proprie dictā.)

Lib & cap.iisd.resp.ad 3.concedit, *præcipuum cultum Ecclesiæ esse spiritualem & internum.* (Ergo ex cultu externo & Ceremoniis externis judicari nequit, quisnam proprie sit Ecclesiæ civis & verum illius membrum, sed judicium faciendum ex cultu interno. Is vero oculis hominum non est obnoxius. Ergo nec illi possunt videri, qui spiritualem & internum cultum sectantur.)

Lib.& cap.iisdem in resp.ad 5. scribit, *Ecclesiam à Petro vocari domum spiritualem, propterea quod non sit ex lignis & lapidibus, sed ex hominibus Deo consecratis ædificata.*

(Si Ecclesia est domus spiritualis, ex hominibus spiritualibus ædificata, utique etiam est invisibilis. Ratio est, quia sola Spiritus Sancti regeneratione ac renovatione fiunt homines spirituales, & domus Dei spiritualis, hoc est, vera Ecclesiæ membra. Jam vero operatio illa Spiritus S. est interior & oculis hominum nequaquam exposita. 1.Cor.2.v.11. Ergo etiam videri nequit, quinam homines sint vere spirituales. Homines quidem constituunt spiritualem hanc domum, non autem quatenus homines corporei ac visibiles, sed quatenus homines spirituales, hoc est, quatenus in unam structuram mysticam per Spiritum Sanctum coalescunt.)

Lib.& cap.iisd.in resp.ad 6.scribit: *Dico, in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est, quæ profitetur Christi fidem. Quis autem evidenter scit, nostram fidē esse Christi, id quod firma ac certissima fide credimus? Sed aliud est credere, aliud videre; imo ipsū credere definitur ab Apostolo argumentum non apparentium.* Illud ipsum &. ultimo declarat duobus exemplis. *Hominem illum, qui est Christus Dei Filius, Apostoli videbant, & tamen illum esse Christum Dei Filium non videbant, sed credebant. Et in Symbolo dicimus, Credo unum Baptisma, licet videamus & sentiamus Baptisma, hoc est, aquæ aspersionem & verborum prolationem. Non enim videmus, sed credimus, illam aquæ aspersionem & verborum prolationem esse Baptisma Christi, hoc est Sacramentum quoddam.*

Similia occurrunt apud Riberam in Comment. Hebr. 11. ubi dicit, *mundum videmus, creatum credimus*; Peretium in Comment.Rom.8. ubi distinguit inter *materiale & formale in fidei objecto*; Costerum in Enchirid.cap. de Ecclesia, Becanum de Ecclesia quæst.1.conclus.1.pag.24.

(At hæc omnia nostram exponunt & confirmant sententiam. Videmus illum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quod illi homines sint vera Ecclesia, non videmus. Ut Christum hominem non soli Apostoli, sed omnes promiscue videbant, sic homines Ecclesiæ filios promiscue omnes vident. Sed ut illum hominem, Christum, esse Dei Filium, oculi non ostendebant, sic illos homines esse Ecclesiæ filios, nec sensus nec oculi renunciant. Aquæ aspersionem in nomine Trinitatis factam omnes vident, sed illam aspersionem esse Baptisma Christi, & sanctum aliquod Sacramentum, oculi non renunciant: sic homines, qui ad Ecclesiam pertinent, videntur & conspicui sunt, sed homines illos esse vera & viva Ecclesiæ membra, exterius non apparet. Ecclesia respectu sui *materialis* videri potest, sed quatenus est *formale* fidei objectum, non videtur, sed creditur. Concedit Bellarminus, *non videri, sed credi, quod cœtus ille hominum, qui profitetur fidem Christi, sit vera Ecclesia, quia scil. evidenter sciri, hoc est, videri nequit, an illa fides sit Christi.* At quanto fortius argumentari possumus? Quia fides interna & salvifica, per quam homines redduntur vera & viva Ecclesiæ membra, & sine qua sunt arida & putrida, hoc est, æquivoce dicta membra, quia, inquam, fides illa interna videri nequit, ideo etiam veram Ecclesiam, quæ est vere credentium & sanctorum congregatio, esse invisibilem? *Quis certò novit, in quibus sit ista fides interna?* inquit Bellarminus Lib. ejusd. cap. 10. §. Adhæc. Ergo etiam quis certo novit, quinam pertineant ad Ecclesiam Catholicam, quæ est sanctorum congregatio?)

4. Quædam hypotheses aliorum Pontificiorum.

Primo, Catechismus Concilii Tridentini pag.127. & 128. edit. Burdegal. *Tertia proprietas Ecclesiæ ea est, ut Catholica, nempe Universalis vocetur, quæ appellatio vere ei tributa est, quoniam, ut testatur Augustinus Epist. 166. à Solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. Neq; enim, quod humanis Rebuspublicis accidit, aut hæreticorū conventibus, unius tantum regni terminis, aut in uno hominum genere Ecclesia definita est: verum omnes homines, sive illi barbari sint, sive Scythæ sive servi, sive liberi, sive masculi, sive fœminæ, caritatis sinu complectitur, Quare scriptum est, Redemisti nos in san-*

in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua & populo. Item, *propterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc usque diem fuerunt, quive futuri sunt, quamdiu mundus extabit, veram fidem profitentes, ad eandem Ecclesiam pertinent, quæ super fundamento Prophetarum & Apostolorum fundata est, qui omnes in illo lapide angulari Christo, qui fert utraque unum, & pacem iis, qui prope, & iis, qui longe annunciavit, constituti sunt & fundati.*

(Atqui ejusmodi Ecclesia Catholica oculis corporeis omnino est invisibilis. Fide opus est, ut hoc mysticum corpus Christi cognoscamus & credamus, quod tot variis partibus, tot personis constat, idq; omni tempore & omnibus in locis.)

Secundo, cum Donatistæ Ecclesiam in certo quodam mundi angulo visibilem facerent, Optatus Milevitanus Lib. 2. contra Parmen. eos sic compellabat: *Ubi ergo proprietas Catholici nominis, cum inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis & ubiq; diffusa?* Ad illum locũ Scholiastes Balduinus in not. ad 2. Lib. Opt. observat, *Videtur rationabilem appellare, quæ non tam oculis cernatur, quã ratione, hoc est, mente & intellectu comprehẽdatur.*

Tertio, Cardinalis Hosius in Confess. Petricov. cap. 14. *Nos credere profitemur sanctam Ecclesiam Catholicam, quam ex nostris animabus constructam domum, dicit Chrysostomus.*

(At num domus ex animabus ædificata est objectũ visus?)

Argum. Advers. 1. *Non potest proferri vel unicus locus, ubi nomen Ecclesiæ tribuatur congregationi invisibili, sed ubicunque nomen Ecclesiæ invenitur, semper visibilis congregatio significatur.* Bellarmin. Lib. 3. de Eccles. cap. 12.

Resp. 1. De loco Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* sic scribit Cajetanus in Comment. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam, quæ constat ex congregatione fidelium una fide, spe & caritate.*

Johannes Ferus in eundem locum: *Non loquitur Christus de Ecclesia, sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur, sive boni sint, sive mali, sed de Ecclesia secundum Spiritum, quæ solos electos complectitur.*

(Hanc expositionem confirmant prædicata illius loci: De tali enim Ecclesia Christus loquitur, quæ supra petram eo modo extructa est, ut portæ inferorum adversus eam non prævalere possint. Sed hoc non potest de Ecclesia aliqua visibili intelligi, sed de invisibili Catholica Ecclesia vere credentium & electorum.)

Maldonatus in cap. 16. Matth. à communi sententia omnium Patrum (ut ipsemet fatetur) discedit, & cum solo Hilario per *portas, defendendi non offendendi aliquam vim* intelligit, quia *portæ vincere non solent, sed resistere.* Sensus igitur secundum Maldonatum hic est. Portæ inferi non prævalebunt, id est, non poterunt resistere, quando ab Ecclesia oppugnantur.

(At hæc explicatio non potest ad visibilem Ecclesiam accommodari, cum portæ inferi non tantum restiterint Ecclesiæ visibili, sed etiam auctæ & extensæ fuerint, diminuto Pontificis per Reformationem Lutheri imperio, ut conqueritur Bellarminus Lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 21.)

Ferdinandus Ponzeus Cardinalis Lib. 4. de Sacrament. tract. 1. c. 4. petram explicat *de lapideis altaribus in templis.*

(Sed adversus altaria lapidea sæpe prævaluerunt inferorum portæ, quando furore hostium eversa & desolata sunt.)

2. Bellarminus Lib. 3. de Eccles. cap. 10. §. Lutherani &c. sic scribit: *Lutherani signa visibilia quædam & externa Ecclesiæ statuunt, nimirum prædicationem verbi Dei, & Sacramentorum administrationem, & constanter docent, ubicunque hæc signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Quia tamen solos justos & pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt, & nemo potest certo scire, qui sint vere justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem præ se ferunt, cum certum sit, multos ubiq; esse hypocritas & falsos fratres, idcirco nostri recte concludunt, illos facere Ecclesiam invisibilem.*

(Ergo non statuimus Ecclesiam *simpliciter* esse invisibilem, sed tantum *secundum* quid, nec fingimus duas Ecclesias, sed unam eandemque Ecclesiam κατ᾽ ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον, visibilem & invisibilem esse dicimus, & per conseq. dicta illa, in quibus nomen Ecclesiæ pro visibili congregatione usurpatur, nostræ sententiæ non adversantur.)

3. In Symbolo profitemur, *nos credere sanctam Catholicam Ecclesiam, communionem Sanctorum,* quæ est invisibilis.

(Hoc fidei Symbolum Pontificii non repudiant, nec repudiare possunt.)

Argum. 2. Psal. 19. v. 5. *In Sole posuit tabernaculum suum. Hoc Augustin. tract. 2. in Epist. Iohan. sic exponit: In manifesto posuit Ecclesiam suam, ut sicut Sol non potest latere, ita nec Ecclesia possit abscondi.* Bellarminus d. l. Becanus Manual. Lib. 1. c. 3. §. 5.

Resp. 1. Lyranus in h. l. sic commentatur: *In Hebræo & in translatione Hieronymi juxta Hebræum habetur sic: Soli posuit tabernaculum in eis, & est finis versus præcedentis, & sic exponitur, quod Sol in medio Planetarum ponitur. Habet enim tres supra se, Martem, Iovem & Saturnum; & tres infra se, Venerem, Mercurium & Lunam; & sic in orbibus Planetarum, qui cœli dicuntur, habet habitaculũ. Et fit hic specialis mentio de Sole magis, quã de aliis stellis, quod per ipsũ & ejus effectus magis innotescit ordo divinæ sapiẽtiæ hominibus.*

Eodem modo Hebræum textum reddidit Benedictus Arias Montanus. *Soli posuit tabernaculum in eis.*

Jacobus Tirinus Jesuit. in Comment. *Est hypallage, pro posuit Solem in tabernaculo suo, nempe in cœlo. Hebraice enim, Chaldaice & apud S. Hieronymum est, Soli posuit tabernaculum in eis.*

4. Sixtus Senensis Lib. 3. Bibliothec. pag. 141. tit. de utilitate mysticæ expositionis. *Manichæi ex imperitia linguæ Hebrææ, cum non intelligerent literalem sensum hujus dicti, convertunt se ad præsidia allegoricæ expositionis, dicentes, Christum post resurrectionem suam sine carne ad Patrem ascendisse, relicto corpore suo inter ambitum globi Solaris, ut à nobis caro ejus in Sole, tanquam in tabernaculo Dominici corporis, adoraretur; cum tamen genuinus & proprius ejus literæ sensus sit, Deum posuisse Soli tabernaculum in cœlo.*

(Provocat ab allegorica expositione ad sensum literalem. Idem & nos facimus, & quidem merito. Nam)

3. Bellarminus Libro 3. de Verbo Dei cap. 3. §. Sed quanquam, tradit hanc regulam: *ex solo sensu literali firma & apodictica argumenta peti possunt.*

4. Raynerius Snoygaudanus in Scala cœli, seu paraphrasi Psalterii Davidici, locum hunc sic explicat: *In Sole & lumine totius mundi, quia factus homo visibilis, posuit Christus tabernaculum & corpus suum assumtum ex Virgine.*

(Hic autor in titulo libri gloriatur, *se veram genuinamque Prophetæ intelligentiam lectori commonstrare.*)

Argum. 3. Esa. 2. v. 1. Daniel. 2. v. 35. Mich. 4. v. 1. *comparatur Ecclesia monti magno & conspicuo, qui nullo modo potest latere, juxta expositionem Hieronymi in illa loca, & Augustini tract. 1. in Epist. Iohan.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Hector Pintus in cap. 2. Esa. sic commentatur: *Hic mons Christus est, qui, ut est apud Danielem; lapis est, qui abscissus est de monte sine manibus, hoc est, de virgine Maria sine humano opere, sed virtute Spiritus Sancti crevit in montem magnum & replevit terram. Hic est mons ille, super quem ædificata est civitas Dei, hoc est, Ecclesia. Hæc civitas appellatur hic ab Esaia domus Domini & Christus mons hujus domus, in quo sita est Ecclesia; est enim Christus Ecclesiæ fundamentum. Per montes & colles, in quorum vertice mons ille præparatus dicitur, intelligit Prophetas & Patriarchas, cæterosque Sanctos, qui ob animi altitudinem & celsitatem montes appellantur, quos omnes Filius Dei Dominus noster Iesus Christus transcendit.*

Et postea: *Prædicit divinus vates, congregandam esse Ecclesiam Catholicam ex gentibus in magnam multitudinem, & coagmentandum esse corpus unum pulcerrimum, cujus caput & magister est Iesus Christus, qui nomine montis significatur &c.*

(Ergo in his dictis agitur de Ecclesiæ magnitudine & amplitudine temporibus Messiæ futura.)

2. Christophorus à Castro in cap. 4. Mich. pag. 299. *R. Salomon, Lyra & Dionysius intelligunt ipsum montem Sion, & insinuant eandem intelligentiam Vatablus, Isidorus & Montanus in cap. 22. Esa. quin & multi ex veteribus eam tradunt &c. Hæc intelligentia videtur verbis Prophetæ aptius convenire proprie acceptis &c. Quia dixerat, montem domus Domini à Chaldæis vastandum, ac cultum ab eo abolendum, promittit modo fore, ut idem mons restauretur, & ad tantam dignitatem, excellentiamq; revehatur propter novum cultum, qui in eo est stabiliendus & inchoandus, & propter legem Evangelicam in eo ferendam, & in universum orbem inde promulgandam, ut nullus mons aut collis, quantumvis religione aliqua præstans, illi possit comparari, necdum coæquari &c. Quia consuetudo fuit & Iudæis & gentibus in editioribus locis, in montibus & collibus templa, sacellaq; construere, in quibus Deos suos colerent, ideo mons Sion ratione Evangelicæ religionis comparatur montibus & collibus, eisq; excelsior dicitur, in quibus religio superstitiosa tradebatur & exercebatur.*

3. Ribera in cap. 4. Mich. n. 21. ex Cyrillo. *Hic mons, qui est Ecclesia, positus est in vertice montium & elevatus super omnes colles, quoniam ejus doctrina, tam quæ ad fidem, quam quæ ad mores spectat, altior est omni humana sapientia, & altitudine sua longe superat quicquid altum apud homines videtur. Idem docet Origenes l. 5. contra*

contra Celsum. Hanc contemplemur, loquitur autem de domo Dei, quæ est Ecclesia, quomodo ædificata sit in summis montibus, omnibus Propheticis sermonibus, qui ejus fundamenta sunt. Extollitur autem hæc domus super omnes colles, qui videntur aliquid eximium in sapientia & veritate polliceri apud homines.

4. Eodem fere modo exponit Jacobus Tirinus Jesuita in Comment. Esa. 2. *Mons domus Domini erit in vertice montium, hoc est, supra omnes montes loco celsiore, dignitate altiore, gloria sublimiore, quam sint omnes montes cultu aliquo sacro celebres. Nam Sion & Moria & similes Iudææ montes typi erant solummodo & umbra Ecclesiæ Christi, umbra autem subest corpori, & idea subest fabricæ domus. Deinde doctrina Ecclesiæ & ritus & mores omni veterum religione, omni Philosophia & sapientia humana longe sublimiora sunt, utpote supernaturalia.*

Argum. 4. Matth. 5. v. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita, quod Augustinus de unit. Eccles. cap. 14. exponit de Ecclesia.* Bellarm. d. l.

Resp. in genere monendum, quod ipsimet Pontificii agnoscant, *ex allegoriis non posse peti firma argumenta,* ut suo loco demonstratum. In specie respondemus 1. ex Barradio tom. 2. Concord. Evang. Lib. 7. c. 13. *Divus Augustinus Lib. 16. cõtra Faustum c. 17. civitatem supra montem positam Ecclesiam significare interpretatur supra Christum fundatam. Sed literali sensu Dominus significat, Apostolicum munus publicum esse, Apostolosq; latere nõ posse, quemadmodum civitas, quæ in excelso monte exædificata est, latere nequit. Cum autem latere non possint, enitendum, ait, ut vita sanctissima exemplo præcellant. Quemadmodũ, inquit, civitas supra altissimũ montem extructa abscondi non potest, sic & vos discipuli abscondi non poteritis, in oculis enim hominum versabimini. Itaq; date operã, ut sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra & glorificent Deum. Idem lucernæ similitudine Dominus ostendit, videlicet munus Apostolicum publicum esse, & in oculis hominum positum, neque debere Apostolos latere, sed toti orbi lucem afferre.*

2. Maldonatus in eundem locum: *Voluit Christus tribus similitudinibus salis, lucis & civitatis rem unam eandemq; declarare &c.*

Et postea: *Non potest civitas abscondi. Deest prima pars similitudinis. Vos estis civitas aut similes civitatis supra montem positæ. Per mõtes solere Prophetas & Apostolos significari, multis Hieronymus locis observavit, quia edito in Ecclesia loco positi ab omnibus cõspiciuntur.*

3. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. c. 39. *Non potest civitas abscondi supra montem posita &c. Præterquam quod explicat, quorsum eos* (Apostolos) *vocet lumen mundi, tertio suos etiam civitati in monte constructæ comparat, & vult significare, quod quomodo civitas supra montem posita abscondi non potest, sed necessario omniũ oculis est exposita propter montis altitudinem: ita Apostolos propter status & officii sui altitudinem non posse latere hominibus, sed necessario omnium oculos convertendos in ipsos &c.* Ergo juxta Jansenium sensus dicti hic est: *Doctorum publicorum, quales futuri erant Apostoli, vita & mores latere non possunt.*

4. Lucas Brugensis itidem ab hac Augustini explicatione discedit, quam Bellarminus contra nos urget: *Quemadmodum,* inquit, *mox sali & luci, ita hic civitati supra montem positæ Apostolos Christus comparat. Vos Apostolatus honore insignitos in edito collocavi, ita ut omnium in vos oculi sint conjiciendi. Cavete itaque, ne vestro desitis officio, ne persecutionum metu latebras quæratis & ob conjuncta pericula Evangelii prædicationem subterfugiatis.*

5. Jacobus Tirinus Jesuita eodem modo in Comment. h. l. *Quadruplici,* inquit, *similitudine, salis, lucis, urbis in monte & lucernæ in candelabro, quibus discipulos suos comparat Christus, docet, quodnam sit ipsorum officium, nempe ut doctrina & exemplo conspicui sint toti mundo, non tamen suam, sed unius Dei gloriam & animarum salutem intendentes.*

Argum. 5. *Parabolæ Evangelicæ de area, de reti, de ovili, de convivio &c. omnes ostendunt, Ecclesiam veram, quæ est regnum cœlorum, esse visibilem. Item tenemur omnes sub periculo æternæ mortis veræ Ecclesiæ nos adjungere. At hoc fieri non potest, si Ecclesia est invisibilis.* Bellarminus d. l. Becanus d. l. §. 29.

Resp. 1. ex Bellarmin. Libr. 3. de Eccles. cap. 10. §. Lutherani &c. *Lutherani visibilia quædam & externa signa statuunt, nimirum prædicationem verbi Dei & Sacramentorum administrationem, & constanter docent, ubicunque hæc signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam.*

2. Lib. ejusd. cap. 6. resp. ad 1. fatetur Bellarminus, *injuste excommunicatum posse fieri salvum, cum sit adhuc in Ecclesia animo sive desiderio, licet non corpore sive externa communicatione.*

3. Lib. ejusd. cap. 3. disputat, *Catechumenis sufficere, quod licet non reipsa, saltem voto & desiderio sint in Ecclesia.*

(Ergo necessitas illa conjunctionis cum Ecclesia non potest necessario ac semper intelligi de externa conjunctione cum *Ecclesia visibili*, sed de interna & spirituali conjunctione cum *Ecclesia Catholica*.

CAPUT III.

De quæstione, an Ecclesia possit deficere?

Thesis. Ecclesia potest deficere.

Ἔκθεσις. 1. Nequaquam statuimus, *Ecclesiam Catholicam* deficere vel interire posse, quia Christus est Rex & Sponsus Ecclesiæ perpetuus, vi ergo relationis habet regnum æternum, & semper sibi colligit Ecclesiam ex genere humano, quam ut Sponsam suam fovet, amat, tuetur & ad gaudiũ cœlestium nuptiarum olim introducet. Bellarminus Lib. 3. de Eccles. c. 13. in princ. *Notandũ est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, Ecclesiam absolute non posse deficere, nã Calvinus & cæteri hæretici id concedunt, sed dicunt, intelligi debere de Ecclesia invisibili.*

2. Hoc vero dicimus, *particularem Ecclesiam* hanc & illam deficere posse, cum nulli Ecclesiæ particulari data sit absoluta promissio, quod futura sit perpetua & defectionis periculo nequaquam obnoxia. Quamvis vero hæc & illa particularis Ecclesia deficiat, tamen Ecclesia, absolute & simpliciter loquendo, nunquam *tota* deficit, quia colligit sibi Deus perpetuo Ecclesiam ex genere humano usque ad finem mundi, si non in hoc, tamen in alio populo.

3. Negamus igitur, Ecclesiam N. Test. ad certam quandam Sedem eo modo alligatam esse, ut in illa perpetua quadam successione, visibili splendore, sit duratura, sicut Pontificii de Romana Ecclesia dicunt, quod sit unica illa Catholica Ecclesia, in qua sit Pontifex, Christi Vicarius & Petri successor, cui necessario & absolute omnes obedire oporteat, in qua sola perpetua, & non interrupta Pontificum successione usq; ad hæc tempora doctrinæ cœlestis veritas sine ulla corruptela sit conservata, quæ splendorem externum habuerit ac habitura sit perpetuum, ut ab omnibus in toto mundo semper videri possit.

4. Nec hanc solum & illam particularem Ecclesiam, sed omnes omnino particulares Ecclesias, adeoq; totam visibilem Ecclesiam nube corruptelarum, errorum, hæresium, scandalorum, persecutionum &c. obscurari, inque eum redigi posse statum dicimus, ut splendor & claritas ejus exterior deficiat, nec supersit illustris aliquis cœtus, omnibus in toto mundo conspicuus, qui puro verbi ministerio publice sonante gaudeat, interim tamen semper supersunt aliqui, fundamentum fidei retinentes, ac Deus etiam per corruptum ministerium filios & filias, ad Catholicam Ecclesiam pertinentes, generat.

5. Distinguimus ergo inter *splendorem Ecclesiæ internum,* qui in fide, spe, caritate & internis Spiritus S. donis consistit, & *externum,* qui in frequentia hominum, tranquillitate à persecutionibus, claritate & puritate doctrinæ publice sonantis omnimoda, ministerio verbi penitus incorrupto &c. consistit. *Internus* Ecclesiæ splendor est illi essentialis & perpetuus, *externus* vero accidentalis & temporarius.

6. Ut Christus Ecclesiæ caput secundum duplicem exinanitionis & exaltationis statum consideratur, sic in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, itidem duo status observari possunt, alter *exinanitionis & humiliationis*, quando vel persecutorum potentia, vel hæreticorum astutia, vel scandalorum invalescentium frequentia premitur; alter *exaltationis vel glorificationis*, quando tranquilla sacrorum administratione fruitur, incorrupti ministerii splendore fulget, & quieto puri cultus divini exercitio publice coruscat. In illo statu Ecclesia est visibilis, patens & gloriosa; in hoc vero est invisibilis, latens & ignominiosa.

7. *Ecclesia nunquam ipsa, semper alia; etsi semper ipsa, quando alia*, ut verba Tertulliani in dissimili materia huc accommodemus. Etenim Ecclesia semper una, at non una illius facies; in fide semper una & recta, licet non eodem splendore. Pii veteres idipsum declarant similitudine à phasibus Lunæ petita. Ambrosius Libro 4. Hexaëmer. cap. 8. &c. in Lucam Libro 10. capite 21.

Antithesis. Bellarminus Lib. 3. de Eccles. cap. 11. §. Penult. *Hæretici docent, visibilem Ecclesiam interdum ita errare in fide & moribus, ut penitus deficiat. Nos contrarium asserimus.*

Lib. ejusdem cap. 1. §. 1. *Quod Ecclesia vera & visibilis non possit deficere, facile probari potest &c.*

Ibid. subjectum quæstionis sic exponit: *Nomine Ecclesiæ non intelligimus unum aut alterum hominem Christianum, sed multitudinem congregatam, in qua sint Prælati & subditi.*

Congruit hoc definitioni superius cap.2. ab ipso traditæ, quod *Ecclesia sit cœtus hominum ejusdem fidei Christianæ professione & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum & præcipue unius Christi in terris Vicarii, Pontificis Romani.*

Prædicatum quæstionis in eod.cap.2.§. Atque hoc &c. sic explicat, quod *Ecclesia sit cœtus hominum ita visibilis ac palpabilis, ut est cœtus populi Romani, vel regnũ Galliæ, aut Respublica Venetorum.*

Hæc omnia clariora evadunt ex notis, quas Bellarminus Ecclesiæ tribuit. Veritatem enim ac dignitatem Ecclesiæ æstimat ex *nomine Catholico*, ex *amplitudine*, ex *successione Episcoporum*, ex *felicitate temporali*, h.e. externum Ecclesiæ splendorem quærit, eundemque illi perpetuum & ἀχώριστον esse opinatur.

Anglo-Rhemenses in annot. Ephes. 5. v.29. *Si Protestantes ullum in se Theologiæ sensum haberent, nunquam dicerent, Ecclesiam posse à Deo deficere, id est, à Christo Sponso divortium pati.*

Nostram sententiam probat,

1. *Historia Ecclesiæ V.T.* Primo, *tempore antediluviano*, ubi insidiis & persecutionibus Cainitarum Ecclesia fuit pressa, Genes.4.v.26. quin & Cainitæ divitiis & successibus florentes veræ Ecclesiæ cives ad se pertraxerunt, Gen.6.v.2.

Secundo, *tempore diluvii* in exiguo octo animarum cœtu Ecclesia in arca Noaitica fuit conservata, & inter illos octo homines Cham irrisor locum habuit. Gen.8.v.16.cap.9.v.22. 1.Pet.3.v.20.

Tertio, *post diluvium* idololatria ubivis adeo invaluerat, ut ante Abrahæ vocationem ex Ur Chaldæorum nuspiã purum verbi ministerium fuerit inventum. Gen.11.v.31. Jos.24.v.2.

Quarto, *in familia Iacobi* conservata fuit Ecclesia, sed illa in perpetuo q. fuit exilio, nec immunis ab idololatria. Genes.31. v.19.c.35.v.2. insuper etiam variis scandalis fuit deformata.

Quinto, Israelitæ *in servitute Ægyptiaca* misere premebantur, ac Ægyptiorum idololatria se contaminabant. Ezech.20. v.7.cap.23.v.3.& 8.

Sexto, *in deserto* sæpius contra Deum & servum ejus Mosen murmurarunt, erexerunt vitulum aureum, Exod.32.v.25. in quam idololatriam Aaron & populus consensit, sed nec postea ab idololatria penitus abstinuerunt, Amos 5.v.25. Act. 7.v.42. Nadab & Abiu offerunt alienum ignẽ, Lev.10. Coreh, Dathan & Abiram seditionem excitant, Num.16. Israelitæ Moabitarum idolis & scortatione sese contaminant, Num.25.

Septimo, *post introductionem in terram Canaan* cultus divinus apud Israelitas non diu mansit purus & incorruptus, Judic.2. v.7.& seqq. Num.22.v.41. sed temporibus Judicum subinde prolapsi fuere ad idololatriam Baaliticam, ac coluerunt Deos gentilium. Judic.3.v.7.c.8.v.27.c.10.v.6.c.17.v.5. &c.

Octavo, *temporibus Heli Sacerdotis sermo Domini erat preciosus* sive rarus admodum, 1.Sam.3.v.1. filii Heli erant *filii Belial*, 1.Sam.2.v.12. inde *detrahebant homines sacrificio Domini*, v.17.

Nono, *in diebus Saulis* arca non fuit requisita, 1.Paral.13.v.3. jacuit igitur publicum divini cultus exercitium.

Decimo, cor *Salomonis* sub finẽ vitæ inclinatum est per mulieres alienigẽas, ut sequeretur Deos alienos, 1.Reg.11.v.4.&5.

Undecimo, *post divisionem regni Israelis & Iuda*, Jeroboam Rex Israelis fecit *duos vitulos aureos*, quorum unum collocavit *in Dan*, alterum *in Bethel*, 1.Reg.12.v.28. sicque *peccare fecit Israel*, hoc est, occasionem dedit idololatriæ, cap.14.v.16. hinc Oseas (qui sub Jeroboamo Rege Israel prophetavit Ose.1.v.2.) de Synagoga Judaica sic loquitur: *Iudicate matrem vestram, quoniam ipsa non uxor mea & ego non vir ejus; auferat fornicationes suas & adulteria sua de medio uberum suorum.* Publicum illud idololatrici cultus exercitium in regno Israelis duravit usque ad abductionem in captivitatem, unde de Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri & Achab dicitur, quod *ambulaverint in viis Ieroboami, quod peccare fecerint filios Israel, quod irritaverint Dominum in operibus manuum suarum*, 1.Reg.15.v.26.& 34.cap.16.v.7. & seqq. cumprimis de Achabo conqueritur Spiritus Sanctus, quod *non suffecerit ei, ut ambularet in peccatis Ieroboami, sed etiam servierit Baal & posuerit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria &c.* 1.Reg.16.v.31.

Duodecimo, *tempore Eliæ* sublatum erat publicum veri cultus divini exercitium, Baalitica idololatria passim regnabat, veri confessores à Jezabele ad internecionem quærebantur, unde conqueritur Elias, *se relictum esse solum*, 1.Reg.19.v.14. septem illa millia virorum, qui *non curvaverunt genua sua coram Baal*, v.18. non constituebant Ecclesiam publice illustrem ac visibilem, alias Eliæ quoque noti fuissent, sed latitabant & occultabantur, ut rabiem Jezabelis effugere possent, 1.Reg.18.v.4.

Decimo tertio, *in regno Iuda* cultus divinus itidem non mansit purus. Temporibus Roboami primi Regis Juda Israelitæ in regno Juda *ædificabant excelsa, statuas & lucos super omnem collem excelsum & subter omnem arborem frondosam*, 1.Reg. 14.v.23. Abiam, Roboami filius, *ambulavit & ipse in peccatis patris sui*, exercendo cultus idololatricos in excelsis, 1.Reg. 15.v.3. quæ excelsa nec Asa v.14. nec Josaphatus sustulit. 1.Reg.22.v.44. ac plerique omnes Successores Achabi Reges Israelitici idololatriam secuti sunt, ut constat ex libris Regum & Paralipomenon, unde etiam de Regno Juda dicitur, quod *ambulaverit in erroribus Israel*, 2.Reg.17.v.19. De Achaso testatur Historia 2.Paralipom.28.v.24. quod *direptis omnibus instrumentis domus Dei atque confractis, occluserit fores domus Iehovæ, feceritque sibi altaria in quolibet angulo Ierusalem, & in singulis civitatibus Iuda fecerit excelsa ad adolendum Diis alienis.* Huic rei non solum connivebat, sed etiam suam operam locabat summus Pontifex Urias, qui altare simile Damasceno extruebat, ibidemque holocausta offerebat, uno verbo, *omne id faciens, quod ipsum Rex Achas jusserat*, 2.Reg.16.v.16. Confer Jerem.3.v.6. Ezech.16.v.50.

Decimo quarto, *decem tribus à Salmanassare Assyriorum Rege* tandem fuere in *captivitatem abductæ*; ac Judæi specialiter sic dicti *in Babylonicam captivitatem* rapti, in qua per septuaginta annos hæsere, in qua miserrimus fuit Ecclesiæ status.

Decimo quinto, *post reditum ex Babylonica captivitate* temporibus Antiochi Epiphanis, qualis fuerit Ecclesiæ status, prolixe describitur 1.Maccab.1.per totum. Veri confessores trucidati sunt, vel in cavernis latuerunt, abolita fuerunt publica sacra, libri legis combusti.

Decimo sexto, *ante Christi nativitatem* sectæ Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum in populo Israelitico dominabantur, ac horribiles errores publice grassabantur, Ecclesia vera tunc erat in paucis & obscuris quibusdam hominibus.

2. *Historia Ecclesiæ N.T.* Primo, *tempore passionis Christi* Pontifices, Scribæ & Pharisæi, qui titulum Ecclesiæ sibi arrogabant, Christum in Concilio damnaverant, Judas prodiderat, Petrus negaverat, Apostoli aufugerant, latebant in abscondito, populus sententiam Pontificum approbaverat, solus latro, persona vilissima, confitebatur, Josephus & Nicodemus aliquam confessionis speciem edebant &c.

Secundo, post Christi in cœlos ascensionem *tempore decem persecutionum* Ecclesia valde fuit obscurata & ad paucitatem ac contemtam speciem redacta.

Tertio, reddita *sub Constantino* Ecclesiæ pace, Arianismus paulo post instar cataclysmi inundavit, veri confessores in exiliũ pellebantur, nec habebant publicũ religionis exercitiũ &c.

3. *Querelæ Propheticæ* de paucitate veræ fidelium & piorum. Esa.1.v.3. & seqq. cap.5.v.4. c.10.v.11. Jerem.2.v.26. & seqq. cap.5.v.1.cap.2.v.8. & seqq.cap.3.v.6. & seqq.cap.6.v.13.cap. 7.v.28. Ezech.7.v.26. cap.22.v.26. & seqq. Oseæ 3.v.4.cap. 4.v.1.& seqq. Mich.7.v.2.&c. 2.Paralip.15.v.13.

4. *Prædictiones Christi & Apostolorum* de statu Ecclesiæ, qualis futurus sit tempore dominantis Anti-Christi & ante finem mundi. Matth.24.v.24. Luc.18.v.8. 2.Thessal.2.v.9. 1.Timoth.4.v.1. Apocal.12.v.7.c.13.v.3. & seqq.c.17.v.2.c.18.v.3.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Ecclesiam eo modo, qui superius in ἐκθέσει expositus fuit, deficere posse.

Thomas Aquinas in cap.9. Apocal. *Per Solem Doctores, per aerem Ecclesia, longe lateque dispersa, significatur, quæ lumen à Pastoribus mutuatur. Hæc obscurata est.*

Fortalitium fidei Lib.5. *Etsi non nisi duo viri fideles remanerent in mundo, tamen in iis salvaretur Ecclesia, quæ est unitas fidelium.*

Panormitanus in cap. Significasti, extr. de electione. *Possibile est, quod vera fides Christi remaneret in uno solo. Atque ita verum est dicere, quod fides non deficit in Ecclesia. Hoc patuit post passionem Christi. Nam fides remansit tantum in B.Virgine, quia omnes alii scandalizati sunt, tamen Christus ante passionem oraverat per Petro, ut non deficeret fides sua. Ergo Ecclesia non dicitur deficere, nec etiam errare, si remanet vera fides in uno solo.*

Æneas Sylvius Lib.1. de gest. Concil. Basil. scribit, *fidem adeo in arctum adigi posse, ut apud unam aliquam misellam vetulam hospitetur.*

Gerson sermonem peculiarem habet part.1. operum, in quo *octo signa* recenset *imminentis ruinæ Ecclesiæ.*

(Existimavit igitur, Ecclesiam visibilem posse ruere.)

Staple-

Stapletonus controv.5.princ.doctrinal.Lib.9.c.14. *Quemadmodum non eadem semper lux lucet, etiam lucente Sole, sed suas habet nebulas & caligines dies ipse, sic non eadem semper est Scripturarum aut aliorum fidei dogmatum lux & claritas in hac plenitudine temporis & statu Evangelico, sed vel ignorantia interdum, dormitantibus ministris, obrepti, vel fraudulenta & pertinax hæreticorum contradictio, & disputatio caligines ac difficultates inducunt.*

Anglo-Rhemenses in annot. ad cap.12. Apocal. fatentur, *fieri posse, ut Ecclesia aliquando non habeat publicum splendorē, publicum statum ac regimen, nec libera sanctorum munerum exercitia.*

Gregorius de Valentia Lib.6.anal.fid.cap.4.pag.143. *Novimus, Ecclesiam iis aliquando errorum, schismatum, persecutionum fluctibus agitatam esse, ut imperitis quidem, nec satis prudenter rationes temporum rerumque circumstantias æstimantibus, cognitu fuerit difficilis &c.*

Ibidem adducit dictum Augustini Epist.48. ad Vincentium, *Divus Augustinus* (inquit) *sic scribit: Ipsa est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, sed tamen in suis firmissimis eminet.* (Cumque Valentinianus approbet illud Augustini dictum ex Epist.48. petitum, ideo ex eadem Augustini Epistola notanda sunt sequentia: *Semper*, inquit, *palea mixta est tritico. Quod si aliquando contigerit, ut nihil propemodum, quam palea nostris oculis appareat, vera tamen Ecclesia non in palea, sed in granis delitescit.* Et iterum: *Illi, qui tunc firmissimi fuerunt, verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt. Sed pauci sunt in comparatione cæterorum, sed tamen & ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam orbe latitabant. At sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est, & usque in finem, donec omnino gentes omnes etiam barbaras teneat, conservabitur.*)

2. Quod Ecclesiæ statum variabilem cum phasibus Lunæ conferunt.

(Quemadmodum enim Luna interdum plena luce refulget, quandoque vero silet & inconspicua est, & varias omnino φάσεις, defectus & ortus, decrementa & incrementa obtinet: sic Ecclesia Christi modo fulget per publicum & liberum divini cultus exercitium, modo obscuratur per gravitatem persecutionum & hæresium invalescentium, tandem tamen ex obscuritate iterum emergens de persecutionibus & hæresibus gloriosum reportat triumphum.)

Johannes Ferus in cap.15. Johan. *Beata sanctorum Angelorum societas semper quasi Luna plena est, nec deficit, nec minuitur. Ecclesia hujus temporis non semper in eodem statu permanet, sed nunc sublevata per contemplationem donis ejusdem Spiritus plus fulget, nunc obscura pressuris, vel seculi tribulationibus minus lucet.*

(Desumsit hanc similitudinem ex Ambrosio, qui Lib.4. Hexaem.cap.2. scribit: *Obumbrari potest Ecclesia, deficere,* (penitus scilicet) *non potest.* in Lucam Lib.10 cap.21. *Plurimis à religione deficientibus clara fides obscurabitur nube perfidiæ.*)

3. Quod agnoscunt, Ecclesiam V.T. deficere potuisse.

Bellarminus Lib.3. de Eccles.cap.16. §. Ad tertium &c. *Etiamsi universa Iudæorum Synagoga defecisset, non continuo omnis Ecclesia Dei in terris defecisset.*

Hardingus in Confut. Apolog. Anglicanæ cap.12. *Si extincta sit aliquando Synagoga Iudaica, an hinc consequi necesse est, Ecclesiam quoque ad paucos redigi posse & omnino deficere?*

Becanus Lib.de Ecclesia q.1.conclus.4.pag.76. *Non sequitur, Synagoga defecit, Ergo Ecclesia deficiet, primo, quia Ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac stabilitate, quam Synagoga non habuit. Secundo, Ecclesia est libera, Synagoga fuit ancilla. Tertio, Ecclesia est Catholica, Synagoga non erat Catholica.*

(Atqui Synagoga, ut loquuntur, sive cœtus Israelitarum absolute loquendo Ecclesia erat, & vera Dei Ecclesia erat, antequam Christum repudiaret, nec fuit eo tempore alia visibilis Ecclesia, quam Israelitica. Agnoscit hoc ipsemet Bellarminus, sic enim scribit Lib.1. de Bapt.cap.1. *Cœtus Israelitarum absolute loquendo Ecclesia erat & Ecclesia Dei veri, antequam Christum negaret.* Si ergo Synagoga sive Ecclesia Israelitica deficere potuit, utique visibilis Ecclesia deficere potest. Neve obvertas, hæc κατ' ἀνθρωπον ac tantum ex hypothesi ab illis ita disputari; notandum,)

4. Quod agnoscant, Israeliticam Ecclesiam tempore Vet. Testam. cumprimis temporibus Regum Israel eo sensu, quem superius exposuimus, defecisse.

Lombardus in Comment. Rom. 11. Ex Ambrosio. *Cum Achab Rex Samariæ dedit filiam suā Ioramo Regi Iudæ, tūc omnes Iudæi videbantur esse idololatræ, ita ut Elias putaret se relictū esse solum.* (Ergo Elias non loquitur solum de ea Israelitici populi parte, quæ subjecta erat Regi Samariæ & ex decem tribubus constabat, ut vult Bellarminus Lib.3.de Eccles.cap.16. sed de toto populo Israelitico, tribum Juda & Benjamin complectente; nec Elias fugiens in Judæa mansit, sed in longinqua deserta se abscondit. Ergo in regno Judæ itidem non fuit cultus purus, id quod confirmat etiam nomen generale *Israelis*, quo Apostolus utitur Rom.11.v.3. Benedictus Arias Montanus in cap.1. Oseæ. *Observandum est, cum nomen Israel absolute appellatur, integram Iacobi familiam, hoc est, duodecim tribus significari. Nam cum tantum decem tribus seorsim indicantur, id fit aut appositione Iudæ aut additione regni, aut domus, ut regnum Israel aut domus Israel, quasi propriis notis nominatur.* Frustra à quibusdam huic nostræ sententiæ opponitur, *Melanchthonem statuere, quod tempore Eliæ Ecclesia fuerit in Elia, Elisæo & paucis Sacerdotibus.* Nā nemo nostrûm dicit, Ecclesiam ita penitus deficere, ut nulli prorsus supersint veri confessores, sed hoc dicimus, Ecclesiam eo modo deficere posse, ut publicum ministerium corruptelis invalescentibus non amplius sit purum & incorruptum, ut vera Dei Ecclesia lateat & in illis conservetur, qui non constituunt cœtum aliquem illustrem & omnibus in toto mundo conspicuum. Proinde de illis idem haud injuria dici posset, quod de quibusdam fidei suæ hominibus, Pontificiis Scriptoribus, Bellarmin.dicit Lib.3. de Eccles. cap.13.§.1. *Notandum est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolute Ecclesiam non posse deficere, adversarii enim id concedunt.*)

Carolus Sigonius Lib.2. de Republ. Hebræorum cap.4. *Reheboam traductis ad se decem tribubus, quod Israel appellabat, omnem illum populum ab avita religione ad idolorum cultum avertebat. Quare Deus permisit populum suum postea captivum duci in Assyriam. Reges etiam Iudæ* (nota) *in cultus sanctitate minime permanebant, ita ut Ezechias Rex graviter questus est, quod tabernacula etiam clauserant, holocaustum idolis obtulerant, proinde non multis post annis urbe temploque incensis, in Babyloniam captivi abierunt, ibique ut scribit Oseas Propheta cap.4.v.4. per septuaginta annos manserunt sine sacrificio, sine altari, sine Ephod.* (Veritatem hujus assertionis comprobat manifestus textus 1.Reg.14.v.22.)

Gregorius de Valentia tom.3.col.182.agnoscit, *tempore Eliæ Ecclesiam in statu defectionis & Tyrannidi subjectam non succurrisse ignorantiæ & infirmitati humanæ, deficiente publico ministerio, & paucissimis admodum veritatem profitentibus.*

Michael Ghislerius in Comment. Cant.Cantic. cap.1.v.6. exposit.2.pag.93.super verba: *Vineam meam non custodivi. Quomodo id verum sit, quod Iudaicus populus cultum Dei, ejusque legem non custodierit, facile unicuique fiet persuasum, qui sacras evolverit literas. Et quamvis nunquam aliqui de prædicto populo defuerint, quos sibi Deus reliquisset sui adoratores veros, legisque observantissimos, quibus Sponsæ competeret nomen, & pro quibus Dei compesceretur furor, ne universos è mundo tolleret: Sic namque videmus, quando universus populus vitulum aureum adoravit, in vero Dei cultu perstitisse saltem Moysen & Iosuam, per quos ira Dei placata est. Exod 32. Sic & ad Eliam Prophetam, quando omnis populus Deum adorabat Baal, affirmavit Deus, se sibi in Israel servasse septem millia virorum, quorum genua non essent curvata ante Baal &c. 3.Reg.19.v.18. Sic & populus ipse hoc fatetur, dicens apud Esaiam cap.1.v.9. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus & q. Gomorræ similes essemus, hoc est, nisi Dominus aliquos de medio nostrum sibi reservasset, qui ipsius cultum & legem custodirent, ita illi fuissemus execrabiles, sicut fuit Sodoma & Gomorra &c. Quamvis, inquam, semper aliqui de populo Iudaico ac Synagoga perseverantes extiterint in veri Dei cultu & in ejusdem legis observatione, ita tamen pauci frequenter extitere, ut Esaias cap.17. v.6. comparet eos unico racemo post vindemiam relicto, vel duabus aut tribus olivis in summitate rami post oleæ excussionem, adeoque pauci ii erant, ut in comparatione tanti populi vix ulla eorum haberetur ratio, parum enim, ut vulgato proverbio dicitur, pro nihilo reputatur. Ex quo factum est, ut frequentissime Synagoga universa, omnisque ejus populus generaliter in Scripturis arguatur criminis hujus, quod Dei cultum & legem non custodiret. Deut.31.v.27. Esa.1. v.2. Ierem.2.v.20.*

5. Quod agnoscunt, Ecclesiam tempore passionis Dominicæ modo eo, qui superius fuit expositus, defecisse.

Alexander Alensis p.3.q.ult.art.2.& ex recentioribus.

Johannes de Turrecremata Lib.1. de Eccles. cap.30. ac Lib.3.c.61. dicunt, *in passione non mansisse veram fidem, nisi in sanctissima Virgine Maria, idq; significari credunt illa candela, quæ sola accensa conservatur in triduo ante pascha in officio nocturno.*

Bellarminus quidem lib.3. de Eccles. c.17. §. penultimo, illud improbat, quia *multi, qui aberant à Jerusalem, habuerunt veram fidem*, interim tamen manifestum est & nulla veritatis specie negari potest, cœtum illorum fuisse exiguum & contemtum, nec constituisse visibilem aliquam Ecclesiam splendore externo illustrem, Ministerio verbi penitus incorrupto perfruentem; Pontificibus contra, Pharisæis & Scribis in ordinaria successione constitutis titulum & dignitatem Ecclesiæ magna specie sibi arrogantibus.

Gregorius de Valentia in Thomam Comment. tom.3. col. 173. sententiam Alensis & Turrecrematæ itidem improbat, interim tamen concedit tale quid, quod nostram sententiam manifeste confirmat, sic enim d. l. scribit: *Si maxime omnes Apostoli tunc fidem abjecissent, non inde consequitur, in nullo præterquam in B. Virgine fidem permansisse, potuerunt enim alii perseverare fideles, etsi de illis taceatur.* Ergo ex concessione Valentiniani Ecclesia interdum ita deficit, ut ita taceatur de fidelibus, qui perseverant, hoc est, ut non sint publice noti, nec externo aliquo splendore conspicui.

Ibid. col.174. scribit: *Licet Apostoli fidem exterius non fuerint professi & scandalum passi sint, quoad externam fidei confessionem, potuerunt tamen in anima retinere fidem.* Idem & nos dicimus, sub Papatu quosdam in anima retinuisse fidem, licet de illis taceatur.)

Stapleton. lib.2. princ. doctrin. c.11. *Maxima turba Judæorum in hoc Concilio* (Pontificum, Scribarum & Pharisæorum contra Christum congregato) *Synagoga Satanæ fuit.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. c.140. *Sacerdotes, Scribæ, Seniores congregati erant in Concilium commune adversus Jesum. Turba populi clamabat, Crucifige, crucifige &c.*

(Vel illa multitudo Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, populi &c. quæ Christum excommunicabat, Ecclesia fuit, vel cœtus pusillus & obscurus eorum, qui Christum agnoscebant. Si illa, quomodo Christum caput & Sponsum suum persequebatur? Si hic, quomodo splendor externus & multitudo perpetua Ecclesiæ nota?)

6. Quod agnoscunt, Ecclesiam tempore persecutionum modo superius exposito defecisse.

Johannes Baptista Mantuanus:
Tum Cajus, qui Præsul erat Romanus, in altis
Delituit cryptis &c.
Tum plerique Patres sancti cum tale viderent
Exitium, fugere urbes, & more ferarum
Per deserta vagi cæcis latuere cavernis.

Fulco refert, *Tyrannos quosdam gloriatos esse, nomen Christianorum à se funditus extirpatum, & Christi superstitionem ubiq; deletam, ut marmora quædam Salmanticæ testentur.*

Blasius de Viegas in Comment. Apocal.6. persecutionem Ecclesiæ sub Diocletiano & Maximiano sic describit: *Cœlum recessit sicut liber involutus, hoc est, Ecclesia, quæ Cœlum dicitur, sese propter metum persecutionis occultabat exceptis paucis, qui ardentissimo fidei zelo inflammati, se Martyrio offerebant, quod magis explicatur, cum subditur; Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt, quoniam in rupibus & insulis locisq; remotioribus Christiani ad mortem quærebantur. Denique omnis ætatis & conditionis homines in latebras & subterranea loca sese metu persecutionis abdiderunt, id enim significant verba sequentia Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus & liber absconderunt se in speluncis & in petris montium, & dicunt montibus & petris, Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum, quia videlicet existimant fideles, contra se DEUM & Agnum esse iratum, & propterea tanta acerbitate ipsorum scelera vindicare.*

7. Quod agnoscunt, tempore dominantis Arianismi Ecclesiam modo superius exposito defecisse.

Vincentius Ferrarius Italus de Valentia Theologiæ Doctor, Ordinis Prædicatorum, qui interfuit Concilio Constantiensi in expositione trium Prophetiarum Danielis &c. circa Ann.1455. scripta. *Tunc surrexerunt Ariani & alii hæretici in Ecclesia, qui loquebantur errores & falsas opiniones contra fidem, ita quod per eos fere totus mundus fuit corruptus hujusmodi erroribus &c. & finaliter status veræ fidei & bona vita corruit.*

Alphonsus de Castro (quem Sixtus Senensis lib.4. Biblioth. vocat virum acri judicio & hæreticorum hostem acerrimum) lib.5. advers. hæres. titulo Deus, hæresi 6. de Ariana hæresi sic scribit: *Nulla fuit unquam hæresis, quæ tantum invaluerit, quoniam valde diffusa longo tempore duravit. Ab ortu siquidem Solis & meridie, videlicet ab Ægypto veniens per Græciam transivit in Aquilonem, & inde Gothi egressi totum pene Occidentem hoc veneno infecerunt, quoniam illi Arianis maxime favebant. Duravit autem hæc pestis fere per 300. annos aut forte amplius. Nam Hispaniam hoc morbo laborasse tempore Gregorii Papæ ipsomet Gregorio narrante cognovimus lib.3. Dial. cap.51.*

Erasmus Præfat. in Hilarium p.3. *Ariana factio tempore Hilarii tam late radices egerat, sicque invaluerat, ut mundus aliquamdiu nutaret, anceps, utram in partem se inclinaret præsertim cum per Constantium Augustum exiliis, direptionibus, minis ac terroribus compellerentur accedere partibus Arianorum.*

Wilhelmus Lindanus lib.2. Panopl. cap.6. *D. Hieronymus in Chronicis ex Eusebio memoriæ proditum reliquit, omnes pene toto orbe Ecclesias Arianorum consortio pollutas fuisse, imo uni illi Nicenæ Synodo ab Arianis decem & amplius Ariminense, Smyrnum, Mediolanense, Isauricum, Nicomediense, Tyrium, Nicenum, Thraica, diversa Cõstantinopolitana, plurima Antiochena Concilia objecta esse videas.*

Ibid. *Ariani totas Orientis Ecclesias Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam expulsis orthodoxis, occupant, atq; in Occidente ejecto in exilium Liberio, Felicem in Romanam Sedem substituunt.*

Cotterus in Enchiridio tract. de Ecclesia §. Postquam. *Ariana hæresis Romanum orbem pene pervagabatur.*

Pistorius in cautis mutat. relig. nomine Marchionis Badensis editis agnoscit, *tempore grassantis Arianismi Ecclesiam tantum professione & conscientia permansisse, ac majorem Arianorum, quam recte sentientum multitudinem fuisse.*

Gregorius de Valentia libr.6. Anal. fid. c.4. p.143. *Novimus, Ecclesiam iis aliquando errorum, schismatum, persecutionum fluctibus agitatam esse, ut imperitis quidem nec satis prudenter rationes temporum, rerumq; circumstantias æstimantibus cognitu fuerit difficilis, quod tum maxime accidit, cum Arianorum heresis in orbe pene toto dominabatur. Nam eo tempore scripsit Hieronymus contra Luciferianos, Ecclesiæ navem pene obrutam fuisse; & Hilarius pluribus monuit verbis contra Auxentium, non fuisse Ecclesiam tum temporis in tectis & exteriori pompa quærendã, sed potius in carcerib. & speluncis.*

Et postea *Ideo cum Ecclesiam semper visibilem esse affirmavimus, non ad præsentem Ecclesiæ statum, quo videbatur latere, respicimus.*

Michael Ghislerius in Comment. Cant. Cantic. c.1. v.7. exposit.2. *Contingit sane frequentius, tantas in Ecclesia commoveri turbas, ut vix perfectiores in recta & Catholica fide stabiles persistere queant &c. prout præ cæteris persecutionum æstibus contigit tempore Constantii Imperatoris Ariani, qui cum se maxime Catholicum venditaret, ut sub falsa Catholicæ fidei determinatione Arianam propagaret hæresin, frequentissima indicebat Episcoporum Concilia, in quorum uno Ariminensi tanti fuere Catholicæ fidei æstus, ut juxta Hieronymi dictum universus ingemiscens orbis terrarum se Arianum miratus sit, quando ingentes quoq; & in ipsa Petri cathedra commotas legimus turbas.*

8. Quod de corrupto Ecclesiæ suorum temporum statu complures fuere conquesti.

(Tales querelas longa serie recensuimus lib.1. part.1. c.4. ex quibus oppido conspicuum, Ecclesiam modo superius exposito deficere posse. Cum enim reipsa defecerit, frustra quæritur, an deficere potuerit.)

De statu Ecclesiæ in seculo decimo sic disserit Baronius Ann.912. §.8. *Quæ tunc facies sanctæ Ecclesiæ Romanæ? quam fœdissima; cum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur Sedes, darentur Episcopi, & , quod auditu horrendum est, intruderentur in Sedem Petri earum amasii Pseudo-Pontifices, qui non sint nisi ad consignanda tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti.*

Item. *Dormiebat tum plane, alto, ut apparet, sopore Christus in navi, cum hisce flantibus validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur &c. Nec erant, qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent discipuli, stertentibus omnibus &c.*

Bernhardus serm.1. de convers. Pauli col.81. *Nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utiq; Christiani dicuntur. Amici tui Deus & proximi adversum te appropinquaverunt & steterunt. Conjurasse videtur contra te, ô Domine, universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum &c. egressa est iniquitas à Senioribus, Judicibus, Vicariis tuis, qui videntur regere populũ tuũ &c. Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum: arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps libere & potestative tradunt incendio civitatem.*

Serm.33. in Cant. col.602. *Ministri Christi sunt & Anti-Christo ser-*

serviunt. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt; inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, sellis & calcaribus. & plus calcaria quam altaria fulgent; inde splendidæ mensæ & cibis & scyphis, inde comessationes & ebrietates; inde cythara, & lyra & tibia; inde redundantia torcularia & promtuaria plena, eructantia ex hoc in illud; inde dolia pigmentaria; inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiscopi &c.

Autor oneris Ecclesiæ cap. 42. §. 2. *Proh dolor, vinea à Deo electa, nunc conversa est in pravam & in maculatã iniquitate sua. Nam Pastores multi demoliti sunt eam, de quibus Catharina Senensis dicit, Deus cap. 23. & cap. 14. Clerici vineam ipsis commissam colere nolunt, imo propriam una cum aliena exterminant, & non solum obmittunt virtutes plantare, sed etiam semen gratiæ Baptismalis abjiciunt & conculcant.*

Et iterum: *Aspice Sponsam meam, hoc est, Ecclesiam, in facie coinquinatam & immundam, quasi leprosam ex amore proprio & tumefactam ex avaritia pariter & superbia eorum, quos ubera sua lactant, qui sunt universale corpus Ecclesiæ mysticum, & sic in Ecclesia sunt ablata membra Christi, & membra meretricis.*

§. 3. *Hinc Ecclesia nominatur meretrix, non defectu sui, nec in semetipsa. quoad ejus Sacramenta. sed in suis membris, quæ sunt Ecclesiæ per Baptismum copulata, sed cum Diabolo fornicata. Ecclesia quippe est hodie collecta in Babylone, id est, in Christianitate confusa, de qua Propheta ad nos inquit Jerem. 50. Confusa est mater vestra nimis & adæquata pulveri, quæ genuit vos. utpote per Baptismum, ideo repudiatur à suo sponso Christo nos interrogante, Quis est hic liber repudii matris vestræ quo dimisi eam? tunc respondet. Ecce, in iniquitatib. vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrẽ vestram &c. Per filiam utique Babylonis intelligitur cum universalis, tum etiam individua Ecclesia, id est anima hominis. Utraque propter excessus desiit esse Dei filia & incepit fieri confusionis proles.*

§. 7. *Deus in Ezechiele modernam Ecclesiam alloquitur his verbis cap. 16. Fornicata es nimis, nec es satiata, sed multiplicasti fornicationem tuam in terra, ac facis omnia opera meretricis & procacis mulieris, quia revelata est ignominia tua in fornicationibus suis, ideo judicabo te judiciis adulterarum & destruetur lupanar tuum &c. Insuper ad Ecclesiæ membra in Esdra omnipotens inquit lib. 4. cap. 2. Populo isti mandata dedi per pueros meos Prophetas, quos audire noluerunt, sed irrita fecerunt mea consilia. Mater, id est, Ecclesia, quæ eos generavit, scilicet in Baptismo, dicit illis, Ite filii, quia ego vidua sum & derelicta educavi vos cum lætitia, & amisi vos cum luctu & tristitia, quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, & quod malum est, coram eo fecistis, ideo iratus est Dominus in populum suum.*

§. 9. *Cæterum Ubertinus de perversa Ecclesia ponit hæc verba, Carnalis jam Ecclesia dicitur nova Babylon & meretrix magna, quia in ea, utpote in pluribus & potiorib. ejus membris, ordo virtutum per deordinationem vitiorum enormiter est confusus, nec non sui sponsi Jesu amor turpiter adulteratus & ejus cultus nequiter neglectus, modica quidem grana tritici sunt in immenso palearum cumulo, quoniam justorum Spiritus à malis hoc tempore opprimitur, usq; adeo, ut præ multitudine perversorum justus cogatur servire Babyloni in plerisque iniquis actibus, Ecclesia enim quasi ancilla facta est. sicut quondam filii Israel, propter peccata multorũ capti, in Babylone servire cõpulsi sunt.*

§. 13. Concludit hoc modo. *Plures alias absurditates & enormes perversitates ac abusiones, humanaq; traditiones contra Evangelicum statum introductæ allegari possent, quæ hodie in quibusdam Ecclesiis quasi pro legitimo jure defenduntur, quas ad præsens brevitatis gratiâ prætereo.*

cap. 44. §. 3. accommodat ad statum Ecclesiæ *statuam Danielis*, quæ ex *auro in argentum, ex argento ad æs, ex ære ad ferrum, ex ferro ad lutum transiit*, id est, à primæva integritate plurimum defecit per errores & peccata.

9. Quod agnoscunt, ante finem mundi tempore Antichristi Ecclesiam talem defectionem, qualem superius descripsimus, vel maxime passuram. Thomas in cap. 9. Joh. *Hæretici erunt præcursores Antichristi, cum ante ipse dilataverit potestatem.*

Lyranus in comm. Psalm. 9. f. 100. *Sciendum est, quod tanta futura est persecutio Ecclesiæ tempore Antichristi, ut videatur Deus eam deseruisse, si fieri posset.*

In Comment. Psal. 101. f. 237. *Tempore Antichristi tanta erit tribulatio, quod videbitur aliquibus de Ecclesia, quod fides Catholica debeat totaliter deficere.*

In Comment. 2. Thess. 2. *Salvo meliore judicio mihi videtur melius intelligendum de recessu à fide Catholica, sicut exponunt aliqui, non tamen intelligendo, quod omnes sint à fide Catholica recessuri, quia durabit in aliquibus ad finem mundi, sed quia major pars credentium discedet ab ea, quia secundum dictum Salvatoris; Appropinquante Antichristi tempore abundabit iniquitas & refrigescet caritas multorum, & per consequens, vera fides deficiet in multis.*

Autor oneris Ecclesiæ, capite 44. §. 2. *Ruet fides Catholica tempore Antichristi magni.*

§. 8. *Antichristo grassante fides Catholica penitus supprimetur in Ecclesia. & quasi in toto terrarum orbe &c. Tunc enim tertia fiet Ecclesiæ Latinæ ruina, quæ in aliis Ecclesiis, utpote Hebræa & Græca, dudum præcessit, ubi fides Catholica laudabiliter olim viguit, postea miserabiliter evanuit & adhuc illic jacet supina, loco cujus multiplices sectæ Saracenorum, Mahumetistarum, Wiclefistarum, aliaq; hæreses infinitæ pullulant, & q. totam Asiam, Aphricamq; occupant. In nonnullis quoque Europæ regnis, utpote in Sarmatia, Russia, Bohemia, aliisve Germaniæ partibus irregulares crudelitates invalescunt contra fidem orthodxam, quæ hactenus ad pauca Europæ regna redacta est, & sicut quondam in Judaica & Græca Ecclesia ruina est præterita, sic in Latina Ecclesia erit futura & quoad Ecclesiasticam dignitatem subvertendam valde propinqua.*

§. 13. *Tertia ruina erit fidei Catholicæ, quæ fiet per magnum Antichristum. Idipsum signatur in Daniele per ingentem arborem, cujus cacumen cælum tangebat. Nam is decipiet mundum, dignitates & divitias promittendo & largiendo, vel per illusiones, tormenta, dona, vel per carnalitates Christianos de cœlo cadere faciet, id est, à fide Catholica ejicere conabitur.*

Cap. 61. §. 4. *Licet mali semper sæviant in bonos, tamen contra eos tempore Antichristi apertissime & crudelissime insurgent, quemadmodum ex Apocalypsi elicitur, quoniam sub Antichristo Ecclesia patietur secundum væ, utpote usque ad fidei Catholicæ suppressionem.*

§. 5. *Illa erit tertia Ecclesiæ ruina, in qua fides cadet Catholica, siquidem Antichristus exequetur judicium & sententiam à Deo contra Babylonem meretricem magnam latam, ex tunc enim Ecclesia per Antichristum prope desolabitur, & forte penitus extirparetur, nisi ei subventum fuerit per veritatis assertores Enoch & Eliam &c.*

§ 9. *Antichristus una cum suis satellitibus attentabit Ecclesiam & fidem Christianam radicitus extirpare, in quo conatu tantam obtinebit victoriam, ut reputetur Deus.*

Stapletonus lib. 13. princ. doctr. cap. 2. *Pelli sane in desertum poterit Ecclesia regnante Antichristo, & illo momento temporis in deserto, hoc est, in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quo sancti se recipient, non incommode quæretur Ecclesia.*

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 7. §. 1. *Certum est, Antichristi persecutionem fore gravissimam & notissimam, ita ut cessent omnes publicæ religionis Ceremoniæ & sacrificia.*

Et postea §. Denique &c. *Antichristus interdicturus est omnem divinum cultum, qui in Ecclesiis Christianorum nunc exercetur.*

(At si tempore Antichristi cessabunt omnes publicæ religionis Ceremoniæ, cessabit publicum fidelium cum Ecclesia commercium, utique Ecclesia deficiet, eo scil. sensu, quo nos eam deficere posse asserimus.)

Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 4. §. ult. *Neque obstat, quod tempore Antichristi Roma desolanda & cremanda videatur, ut deducitur ex cap. 17. Apoc. Nam hoc non fiet, nisi in fine mundi.*

Lib. 3. de Ecclesia cap. 16. §. Ad illud &c. *Dicamus cum Theophylacto, loqui Dominum (Luc. 18. Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem) de fide absolute, & velle dicere, paucos futuros fideles tempore Antichristi, nõ tamẽ nullos, nec tã paucos, ut nõ faciãt Ecclesiã.*

(Hoc ipsum etiam nos dicimus. Nequaquam enim hoc volumus, incidere posse tempus ejusmodi, ut nulli amplius supersint fideles, vel tam pauci, ut non faciant Ecclesiam; sed hoc dicimus, persecutionibus vel hæresibus invalescentibus vere fideles ad eam paucitatem redigi posse, ut præ reliquorum multitudine exiguus & contemtus sit eorum cœtus, ut non constituant illustre aliquẽ cœtũ, omnibus in toto mundo conspicuum, adeoq; ut vera Ecclesia in paucis conservetur.)

Cornelius Jansenius in Conc. Evang. p. 124. *Christus his verbis, Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? indicat, paucos futuros, qui usq; in illum adventum, quo sunt liberandi, persistant in precum perseverantia ob fidei pusillitatem.*

Et postea: *Communiter intelligitur hic significari, inter eos, qui in novissimo Domini advẽtu reperientur vivi, paucos inveniendos fideles, quod fides sicut & caritas multorũ, cõtinue refrigescat, quodq; per Antichristi persecutionem & deceptionem multi à fide, vel excident, vel abalienabuntur circa Domini adventum.*

Ibid. *Non tantum significat defectum & paucitatem fidei in hominibus qui vivi reperientur in novissimo die, sed etiam in hominibus cujuslibet temporis &c. Non multum dissimilem hujus sententiæ intelligen-*

gentiam & connexionem indicat Theophylactus , *nisi quod adhortationem Domini ad perseverantiam orationis , refert potissimum ad tempora Anti-Christi, quibus fideles graviter affligentur, ut significetur, paucos tunc perseveraturos in oratione & spe divinæ liberationis, multis per illam persecutionem deficientibus à fide, ita ut Filius hominis tunc veniens raram fidem sit inventurus in terra.*

Anglo-Rhemenses in annot. Matth.24. affirmant, *tempore Anti-Christi sacrificium Missæ prorsus abolitum iri.*

Iidem in annot. 2. Thess.2. sect.6. concedunt, *defectionem tempore Anti-Christi fore integrorum regnorum, populorũ ac provinciarum, ac publicam eo tempore fidelium consuetudinem cum Ecclesia Rom. cessaturam, ita ut corde duntaxat cum ea sint communicaturi.*

Ibid. sect.10. *Verisimile est, hanc ingentem apostasiam futuram esse non modo ab Imperio Romano, verum etiam ab Ecclesia Romana, cujus status externus tunc cessabit & publicum fidelium cum eadem commercium, & apostasia passim & tunc obtinebit, & tamen tunc pii corde & animo cum Papa & Romana Ecclesia communicabunt.*

In cap.12. Apocal. *Quemadmodum Ecclesia nostra Romana hodierno die in Anglia se habet , ut nullum regimen publicum obtinet, nulla officia sacra publica exercet , dici potest in solitudinem abiisse, quanquam nec fidelibus eam sequentibus, nec hostibus eam persequentibus ignota est, ita tempore Anti-Christi futura erit.*

Bened. Pererius Lib.15. comment. in Daniel. pag.714. *Tempore Anti-Christi Sacramentum non erit in locis publicis, nec publicus ei honor adhibebitur, sed privatim & occulte servabitur & honorabitur à Christianis.*

Acosta Lib.2. de temp. noviss. cap.15. *Tempore Anti-Christi omnis Ecclesiastici ordinis splendor & decus exoletum & sepultum jacebit, Sacerdotes gementes, portæ destructæ, altaria deserta , sacræ ædes vacuæ, quod non sint, qui veniant ad Agni solennitatem.*

Cap. ult. *Ecclesiarum ædes sacræ erutæ, Liturgia extincta, Psalmorum cantatio nulla erit.*

Blasius de Viegas in comm. Apoc.13. sect. 11. pag.711. refellit quidem Dominicum à Soto qui Lib.4. sent. dist.46. q.1. art.1. scripserat, propter *acerbissimam Anti-Christi persecutionem fidem ac religionem Christi extinguendam esse*, argumento eo, quod *hæc opinio pugnet cum Christi promissione*. Matth.16. v.18. cap.24. v.24. qua in parte Viegas nos sibi habet ὁμοψήφους, idem tamen sect.12. pag.713. scribit , *Eucharistiæ mysterium & cultum divinum publice cessaturum tempore Anti-Christi , quamvis non sit effecturus , quo minus privatim & in locis occultis, ubicunque fideles metu persecutionis sese abdiderunt , Sacerdotes corpus Christi consecrent, fidelibusque communicent.*

Sect.17. pag.719. scribit : *Quartum signum adventus Anti-Christi erit gravissima , simulque novissima toto orbe Christianorum persecutio , ita ut omnia Christianæ religionis officia , Ceremoniæ, Sacrificia, Sacramentorum ritus, Ecclesiæque sanctiones penitus aboleantur , quoad publicam celebritatem, in eo enim potissimum debet omnis Anti-Christi certare industria, ut Christi optimi & maximi nomen memoriamque extinguat &c. id quod magno cum animi sensu lamentatur Hippolytus Martyr orat. de consumm. mundi. Templa, inquit, divina domorum instar erunt, locis omnibus eversiones fient Ecclesiarum, Scripturæ contemnentur, hostes illius cantica ubiq; decantabunt, nulla erit reverentia rerum sacrarum, nulla religio temerare ac violare divina, lugebunt Ecclesiæ luctu magno , quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus, sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurii instar erunt.*

Idem Viegas in cap.12. Apocal. sect.15. *significatur ad literam* (per mulierem in desertum fugientem) *tantam fore Anti-Christi persecutionem , ut magna Ecclesiæ pars ad eam subterfugiendam secedere debeat in solitudinem , ut in latebras ac deserta loca se abderet toto tempore Imperii Anti-Christi.*

Similia occurrunt apud Franc. Riberam & Cornelium à Lapide in cap.13. Apocal.

(Quod si ergo tam miserabilis Ecclesiæ status temporibus Anti-Christi, quicunque tandem ille sit, futurus à Pontificiis creditur, qua veritatis specie negare audent, Ecclesiam, modo superius exposito, deficere posse?)

10. Quod reliquas Ecclesias particulares omnes deficere posse concedunt , Romanam vero Ecclesiam solam deficere posse negant.

(At hanc exceptionem & hoc privilegium Romanæ Ecclesiæ probare nequeunt. Toletus in comm. Rom.1. v.13. super verba, *ut aliquem fructum habeam ex vobis, sicut in cæteris gentibus*, eandem Ecclesiæ Romanæ quam aliarum conditionem esse agnoscit. *Perpende*, inquit, *Evangelii indifferentiam. Quamvis enim Romani inter cæteras gentes eminerent & primatum tenerent, tamen in prædicatione Evangelii & salutis negotio pares eos facit.* Quæ assertio evidenter probari potest ex Rom.11. v.21.)

Quid quod de isthoc Romanæ Ecclesiæ privilegio ipsimet nondum sunt certi.

Sic enim scribit Bellarm. Lib.4. de Rom. Pont. c.4. §.2. *Ecclesiam Romanam nõ posse eo modo errare, ut omnes omnino errent & nulli sint in Romana Ecclesia fideles & Pontifici adhærentes, dupliciter intelligi potest, Uno modo, ut nõ possit errare persistente Romæ Apostolica Sede, secus autem, si fides auferretur: altero modo, ut simpliciter non possit errare vel deficere, quia nec Sedes Apostolica possit unquam Romã aliò transferri. Et quidem secundum priorem sensum propositio nostra est verissima &c.*

§.5. *At secundum posteriorẽ sensum Ecclesiam Romanam nõ posse deficere, est quidẽ pia & probabilissima sententia, non tamen adeo certa, ut contraria dici possit hæretica vel manifeste erronea, ut recte docet Iohannes Driedo Lib.4. c.3. parte 3. de Eccl. dogm. & Script. Quod non sit omnino de fide , à Romana Ecclesia non posse separari Apostolicam Sedem patet, quia neq; Scriptura, neq; traditio habet, Sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ , ut inde auferri non possit. Et omnia testimonia Pontificum & Patrum, qui dicunt , Romanam Ecclesiam non posse errare, possent exponi de Romana Ecclesia , donec in ea Apostolica Sedes permanet, non autem absolute & simpliciter.*

Argumenta Advers. 1. Matth.16. v.18. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam. Ergo Ecclesia non potest deficere.* Bellarminus Lib.3. de Eccl. cap.13.

Resp.1. Bellarminus in hoc ipso capite. §.1. sic scribit: *Notandum est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolute Ecclesiam non posse deficere. Nam hæretici id concedunt.*

2. Si excipere velit, *argumentum probare, quod Ecclesia visibilis, de qua Christus loquitur, non possit deficere*, resp. ex eodem Bellarmin. Lib. ejusd. c.16. §. Ad quarum &c. *Prophetæ & Apostoli interdum reprehendunt universum populum, quasi nemo ibi sit bonus, cũ tamen permulti sint boni , è contrario interdum consolantur omnes, quasi omnes sint boni, cum tamen constet, ibi multos esse malos.*

Lib. ejusd. c.7. §.10. *Sæpe Scriptura per figuram intellectionis attribuit aliquid toti, quod solum convenit parti, sicut Matth.27. dicuntur latrones, qui erant cum Domino crucifixi, blasphemasse contra eum, cum tamen constet ex Luc.23. unum tantum eorum blasphemasse. Phil.2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt. Et tamen tales non erant permulti sancti, qui tunc vivebant, & præcipue Philippenses.*

(Agnoscit ergo , usitatam esse in Scripturis Synecdochen, quæ etiam hic locum habet. Concedimus , visibili Ecclesiæ quodammodo accommodari posse , quod sit *fundata supra petram*, & quod *portæ inferorum non possint adversus eam prævalere*, non autem simpliciter & absolute, sed secundum quid & synecdochice , videlicet respectu electorum , qui in visibili Ecclesia malis & hypocritis sunt intermixti , contra illos nihil possunt inferorum portæ , hos vero facile evertere possunt. Ex eo vero probari nequit, quod splendor externus Ecclesiæ sit perpetuus. Electi enim illi, ac vere fideles, in quibus promissio illa impletur, in persecutionibus latent ac hæresibus invalescentibus exiguum & contemtum cœtum constituunt.)

3. Cajetanus in Comm. h.l. *Adversus Ecclesiam, quæ constat ex congregatione fidelium una fide, spe & caritate, non prævalent inferorum portæ.*

Joh. Ferus in h.l. *Non loquitur de Ecclesia, sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur , sive boni sint sive mali , sed de Ecclesia secundum Spiritum, quæ solos electos complectitur.*

(Promissio igitur illa proprie & adæquate competit Ecclesiæ Catholicæ & invisibili, cum in visibili Ecclesia sint quidam, qui non in petra, sed in arena ædificantur, Matth.7. v.26.)

4. De sola *Romana Ecclesia*, Pontifici Romano , tanquam Christi Vicario adhærente, Adversarii statuunt, quod deficere nequeat. Romanæ vero Ecclesiæ, vel Romani Pontificis nulla in hoc dicto fit mentio.

Lyranus in h.l. *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis, vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis, quia multi Principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse à fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia & vera confessio fidei & veritatis.*

4. Alph. Salmero tom.4. tract.3. p.401. τὸ *adversus eam*, non refert ad propinquius, videl. *ad Ecclesiã*, sed ad remotius, videl. *ad petrã*, quod adversus eã inferorum portæ non sint prævalituræ. Distinguendum ergo inter Ecclesiæ *durationẽ perpetuam sive æternitatẽ*, & inter *visibilẽ ejusdem claritatem*. Dictum Christi loquitur de Ecclesiæ perpetua duratione , quam nemo nostrûm negat; at ex ea nondum sequitur, visibilẽ ejusdem claritatem

tatem perpetuo ipsi competere. Nō enim prævalent adversus Ecclesiam inferorum portæ, si vel maxime propter persecutiones lateat & claritas ejus externa obscuretur.

Arg. 1. 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. Ergo non potest deficere.* Bellarm. d. l.

Resp. De hoc dicto late egimus lib. 1. part. 2. c. 11. arg. 5.

Arg. 3. *Matth. 28. v. ult. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Hæc verba dicta sunt ad Ecclesiam visibilem, nimirum ad Apostolos, & probant perpetuam Ecclesiæ durationem.* Bellarm. d. l.

Resp. Illam vero perpetuam Ecclesiæ durationem nemo negat, sed quid hoc ad externum splendorem & claritatem visibilis Ecclesiæ? quid ad Ecclesiam Romanam, q. illi absoluta promissio sit facta, quod non possit deficere? Recognoscat ergo Bellarminus sua verba. 1. lib. 5. de Ecclesia cap. 11. §. Jam Magdæburgenses. scribit: *Definiunt Protestantes, Ecclesiam esse cœtum visibilem, sed tamen exiguum plerunq; esse.* §. Ad primum, *Lutherus in lib. de servo arbitrio, cum ei Erasmus objecisset, non esse credibile, Deum tam longo tempore deseruisse Ecclesiam, respondit, Deum nunquam deseruisse Ecclesiam, sed non esse Ecclesiam Christi illam, quæ vulgo dicitur Ecclesia, h. e. Papam, Episcopos, Clericos, Monachos & cæteram Catholicorum multitudinem, sed Ecclesiam esse quosdam paucos pios, quos q. reliquias Deus conservat: Et semper hoc fuisse in mundo, ut vera Ecclesia non esset illa, quæ dicebatur Ecclesia, sed pii quidam pauci.* (Ergo Ecclesiæ etiam visibilis perpetuam durationem non negamus.)

2. Lib. 4. de Eccles. c. 7. §. Jam vero &c. *Tempore Apostolorum Ecclesia in toto mundo fructificare cœpit. Item tempore Irenæi erat sparsa per totum orbem, h. e. per omnes provincias tunc cognitas &c. Idem postea de suo tempore refert Tertullianus &c. Idem postea Athanasius &c. Idem postea Chrysostomus, Hieronymus & Augustinus &c. Sed hæc fortasse non negabunt Adversarii.* (Profecto non negamus, quin & addimus, Ecclesiam fore perpetuam, sed splendorem illum externum, de quo inter nos & Pontificios disputatur, perpetuum esse negamus.)

3. Ostendimus superius, quod ipsimet Pontificii statuant, *tempore Anti-Christi cessaturas omnes publicas religionis Ceremonias, sacrificium externum, & omnem cultum divinum externum ac pios duntaxat animo & fide interna cum Ecclesia communicaturos.* (Nihilo tamen minus tunc implebitur & firma manebit promissio Christi: *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.*)

Arg. 4. Eph. 4. v. 11. *Et dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum. Ergo manebunt in Ecclesia ministeria Pastorum & Doctorum & continua ædificatio corporis Christi.* Bellarm. d. l.

Resp. Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 7. c. 15. p. 439. sic scribit: *Ad judicii usq; tempus Pastores & Doctores in Ecclesia permansuros videtur nonnullis significare Paulus Eph. 4. &c. Glossa ordinaria sic habet: Donec occurramus in die judicii. Glossa interlin. Tamdiu durabit hæc prælatio, donec occurramus. Lyranus, dicta, inquit, officia exercebuntur in Ecclesia, donec occurramus Christo venienti ad judicium. Similiter Catharinus: Hoc talis ministerii opus durabit donec occurramus ad judicium venienti Christo. Ita quoq; Dionysius Carthusianus, Prælatio, inquit, ordinationis prædicta durabit, donec occurramus omnes in die judicii nobis invicem & Christo. Et D. Thomas. Usque ad hoc extenditur prædictum ministerium, donec in resurrectione occurramus Christo. Similiter D. Anshelmus. At mihi verisimilius est, Paulum de tempore judicii non loqui, cum sancti Christo occurrent. Nam cum Christo occurrent, Deum jam videbunt, quamobrem fide carebunt, visio enim Dei fidem pellit. Atqui Apostolus de occursu loquitur, in quo fides permanet & fidei unitas in omnibus, quod de illo occursu in die judicii falsum est. Donec, inquit, occurramus in unitatem fidei. Si de die judicii loqueretur, diceret: Donec occurramus in visionem, non in unitatem fidei. Illa etiam verba, ut non simus parvuli &c. recte expendenti, de die extremo non haberi sermonem ostendunt. Itaq; Apostoli sensus est, Pastores & Doctores à Christo creatos esse, ut Ecclesiam extruant & Christianos perficiant, donec Christiani omnes in eandem perveniant fidem & Christi cognitionem, evadantq; viri perfecti, nec sint parvuli in fide fluctuantes, sitq; corpus Ecclesiæ mysticum non puerile, sed virile, id est, in perfecta viri ætate & statura spirituali & mystica, quemadmodum Christi corpus naturale perfectum & est in perfecta viri ætate & statura. Doctores enim & Pastores eniti debent, ut ad perfectam & stabilē fidē atq; caritatē Christianos ducāt.*

(Quod si vel maxime cōcedatur, promitti mãsura in Ecclesia illa ministeria Pastorum & Doctorum usq; ad diem judicii, tamen ex eo colligi nequit, illos Pastores & illas oves in visibili successione & illustri loco toti mundo fore conspicuos & manifestos. Contrariū enim ostendit non solū Historia primitivę Ecclesiæ grassantibus persecutionibus, sed etiam ipsa hypothesis Adversariorum de statu Ecclesiæ tēpore Anti-Christi.)

Arg. 5. Es. 61. v. 8. *Fœdus perpetuum feriam cum eis, & scietur in gentibus semen eorum & germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint illos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Locus hic tā perspicuus est, ut expositione non egeat, quomodo enim invisibilis erit ille cœtus, de quo dicitur, omnes qui viderint eos, cognoscent eos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus?* Bell. d. l.

Resp. 1. Leo Castrius in Comment. h. l. *Fœdus perpetuum, hoc est, ut Hieronymus exponit, Evangelicum. Semen eorum significat fideles, per Apostolos ad fidem adductos, quorum prædicatione universus orbis ad fidem conversus est.*

2. Didacus Alvarez in eundem loc. *Quia Apostoli ibant lugentes, seminantes Evangelium lachrymis & afflictionibus multis, sed non frustra, sed lætantes propter gloriosam messem.*

3. Hector Pintus in h. l. *Cognoscetur inter gentes semen Apostolorum. Quasi dicat, fideles, quos Apostoli verbo & exemplo genuerint, erunt inter omnes homines cogniti. Divus Paulus Corinthiis scribens, per Evangelium, inquit, ego genui vos. Et in Psalmo ait Christus: Semen meum serviet ipsi.*

(Loquitur ergo Propheta de statu Ecclesiæ, qualis potissimum tempore Apostolorum erat futurus.

4. Gaspar Sainctius in h. l *Sic Deus amplectetur, ornabitq; pium ac liberalem populum, ut omnes in illo videant evidentissima singularis benevolentiæ documenta, qualia nimirum spectari possunt à Dei benedictione.*

(Non negamus, Deum perpetuum fœdus iniisse cum Ecclesia, sed illud fœdus sic describitur Esai. 59. v. 21. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui.* Ergo ad illam Ecclesiam pertinet hęc fœderalis promissio, quæ veritatem verbi cœlestis conservat, hoc est; ad Ecclesiam Catholicam, sed ad visibiles & particulares Ecclesias non pertinet, nisi cum hac conditione & limitatione, quatenus puritatem verbi conservant.

5. Jacob. Tirinus Jes. ad h. l. sic annotat. *Chaldæus, LXX. Osorius, Mariana, Sa & Sainctius per opus intelligunt fructum & mercedem operis, quam & amplissimam Deus daturus sit & stabilem, firmam, ac perpetuam sit redditurus. Nec solis Apostolis hæc promittit Deus, sed etiam semini eorum, id est, filiis Apostolorum spiritualibus, puta fidelibus per eos Christo genitis.*

(Ergo ad solos fideles spirituales Apostolorum filios hæc promissio pertinet, ad quos solos etiam illa merces pertinet.)

Arg. 6. *Si aliquando sola maneret in mundo Ecclesia invisibilis, aliquando etiam salus esset impossibilis iis, qui sunt extra Ecclesiam. Nam non possunt salvari, nisi in Ecclesiam ingrediantur. At non possunt ingredi in Ecclesiam, quam ignorant.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Bellarminus libr. ejusdem c. 3. §. penultimo, statuit, *Catechumenis ad salutem sufficere, si voto ac desiderio sint in Ecclesia, quamvis actu in ea non sint.*

(Ergo, quando incidit tempus ejusmodi, ut externus Ecclesiæ visibilis splendor intercidat, tunc non est simpliciter de necessitate salutis, ut quis sese visibili ac particulari Ecclesiæ conjungat, sed sufficit, ut quis per veram fidem sit membrum Ecclesiæ Catholicæ, de qua proprie intelligendum, quod *extra Ecclesiam non sit salus.*)

2. Sicut Bellarminus c. 13. recte monet, *Scriptores illos Pontificios tempus terere, qui probant, Ecclesiam absolute non posse deficere, cum hoc à nobis concedatur:* ita quoque Bellarminus tempus terit, quando operose probat, *Ecclesiam perpetuo durare, Ecclesiam absolute non esse invisibilem, fieri non posse, ut aliquando in mundo sola invisibilis Ecclesia maneat &c.* cum hæc omnia itidem à nobis concedantur. Quamvis enim Ecclesia in eas quandoque redigi possit angustias, ut non sit gloriosa splendore externo, in puro verbi ministerio publico, in certa ac perpetua quadam sede visibilis, ex eo tamen inferri nequit, quod absolute & simpliciter loquendo non sit visibilis, cum pauci illi confessores, in quibus Ecclesia conservatur, si vel maxime toti mundo publice noti non sint, tamen sibiipsis invicem noti esse possint, ac si vel maxime actu non semper sint conspicui, tamen potentia sint visibiles. Ac sicut Sol non desinit esse visibilis, si vel maxime nubibus tectus aliquandiu non videatur, cum postea clarissimo splendore jubar ejus iterum effulgeat: sic Ecclesia non desinit esse visibilis, si vel maxime veri confessores in cavernis & occultis locis aliquandiu delitescant, quia defervescente persecutorum rabie & profligata hæresium caligine iterum in publicum prodeunt.)

Arg. 7. *Vel homines illi occulti, qui Ecclesiam invisibilem constituunt,*

unt, *profitentur palam fidem suam & abstinent ab idolorum cultura, vel non. Si profitentur, ergo non est Ecclesia invisibilis sed maxime visibilis, sicut erat tempore Martyrum Si non profitentur, ergo nulla est Ecclesia. Nam non est Ecclesia vera, in qua nulli sint boni & qui salventur, non autem sunt boni, nec salvantur, qui non confitentur fidem. sed ea in corde retenta, exterius profitentur perfidiam & idololatriam.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. ex Thoma in c. 11. Rom. *Elias sic queritur apud Deum: Ego relictus sum solus hoc est, cultor unius Dei. Ita dixit, quia alii non ita manifestabant se esse veros Dei cultores, responsum tulit, extitisse jam septem millia, qui cultum Dei minime deseruerant.*

(Huic divino responso Elias idem argumentum Bellarmini obvertere potuisset.)

2. Bellarminus lib. 3. de Eccles. c. 2. §. Ultimo. *Quidam in Ecclesia sunt corpore tantum, quidam animo tantum, quidam animo & corpore simul.*

(Potest ergo quis esse *animo tantum* in Ecclesia, hoc est, potest esse membrum Ecclesiæ Catholicæ invisibilis per fidem cordis & assensum interiorem, licet propter Tyrannidem persecutorum non accedat exterior confessio oris.)

3. Anglo-Rhemenses dicunt, *in Anglia Romanæ Ecclesiæ cives haberi, nec tamen publicum religionis exercitium habere, sed sibi invicem notos esse.*

(Illis idem argumentum objici posset.)

4. Plerique omnes Pontificii dicunt, *tempore Anti-Christi fideles animo tantum cum Ecclesia Romana communicaturos.*

(Illis itidem hoc argumentum posset objici.)

Arg. 8. *Si aliqua fuisset Lutheranorum Ecclesia ante Lutherum, prædicante Luthero mox cognoscere socios suos & ad eos currere debuissent, etiam non vocati. At non ita factum est. Ergo.* Bellarm. lib. 4. de Eccles. c. 5. §. Præterea.

Resp. 1. ex Alphonso de Castro in Epist. nuncup. libri adv. hæres. *Nec solus hoc seculo Lutherus prodiit, sed etiam multorum agmine, ceu quodam satellitio, stipatus processit, qui illum tanquam Ducem primo spectasse videtur, ut illum deinceps sequerentur. Illi enim statim adhæserunt Philippus Melanchthon, Conradus Pelicanus, Lambertus, Fabritius, Capito, Osiander, Sturmius, Martinus Bucerus.*

2. ex Erasmo in hyperaspist. Diatrib. contra Lutherum a. 5. *Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quendam orbis favorem, animadvertebam, quo vehementius à Theologis ac Principibus obsistebatur, hoc latius propagari ac magis invalescere negotium, ex his ratiocinabar, non sine Numine rem geri, itaque decreveram spectator esse tuæ Tragœdiæ, sic apud me cogitans juxta Gamalielis sententiam. Si Deus hæc movet, non est meum resistere; sin aliunde ortum est, quod agitur, sponte dissipabitur.*

3. ex Bellarmino Præfat. tom. I. controv. *Quis ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse; tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna previ tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse & in Italiam usq; penetrasse?*

(Ergo in omnibus regnis & provinciis prædicatio Evangelii invenit quosdam veritatis cœlestis & salutis cupidos, qui se Evangelicæ Ecclesiæ aggregarunt.)

CAPUT IV.
De notis Ecclesiæ.

Thesis generalis prima. Notæ veræ Ecclesiæ sunt pura verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio.

Ἔκθεσις 1. Quædam notæ sunt *propriæ & essentiales*, quædam vero *communes & accidentales*. Illæ sunt principia & causæ rei, proxime & adæquate rem constituentes, atque ideo sunt perpetuæ, propriæ, essentiales & infallibiles notæ, quas ubi deprehendimus, certo pronunciare possumus, rem notatam nos cognoscere, docente Philosopho lib. 2. posterior. c. 11. text. 13. Hæc vero sunt signa & accidentia quædam externa, quæ rem externe circumstant, eique communiter accidunt, ac proinde sunt notæ communes & accidentales, ac proinde etiam fallaces. Hoc loco quærimus notas Ecclesiæ *proprias & essentiales*, quas esse dicimus puram verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem.

2. Prædicatio Evangelii & administratio Sacramentorum κατ' ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον, diversa considerandi ratione, est *causa formalis Ecclesiæ*, & est, *effectus seu officium Ecclesiæ*. Causa formalis est Ecclesiæ, scilic. *constituendæ & conservandæ*, dum ipsa discit ex verbo, & per verbum ac Sacramenta Deo colligitur; officium & effectus est Ecclesiæ scil. *jam constitutæ*, dum alios docet ac informat. Proinde hæ notæ, tum *à priori*, tum *à posteriori* Ecclesiam notant ac demonstrant. A priori, quia Ecclesiam constituunt & conservant; á posteriori, quia Ecclesia verbo Dei & usu Sacramentorum constituta, ipsa jam verbum Dei aliis prædicat, commendat, interpretatur, Sacramenta administrat &c.

3. Cum pura verbi prædicatio legitimum Sacramentorum usum includat, cumque non sit eadem Sacramentorum, quæ est verbi & fidei ad salutem necessitas, ideo, si stricte velimus loqui, posset una tantum propria & essentialis Ecclesiæ nota constitui, videl. pura verbi prædicatio, cujus appendix est legitimus Sacramentorum usus.

4. De talibus notis hic agimus, quæ proprie & immediate ab illis attendendæ sunt, qui in Ecclesia Christiana jam versantur, ambigunt autem, quinam Christianorum cœtus sint vera, sincera & incorrupta Ecclesia, hoc est, qui divinam Scripturæ autoritatem admittunt & agnoscunt.

5. Non pugnat cum hisce notis, quod quidam dicunt, *ex Scripturis discendam esse Ecclesiam*; vel quod idem est, *verbum Dei revelatum & communicatum esse notam veræ Ecclesiæ*, quia pura verbi prædicatio ex *Scriptura*, *vel quod idem est*, *ex verbo Dei revelato*, in Scripturis proposito, dijudicanda est, cum non possit aliter nisi ex Scripturis cognosci, an & quatenus pura sit verbi prædicatio. Qui ergo statuit, puram verbi prædicationem esse notam Ecclesiæ, eo ipso dicit, ex Scriptura de veritate & sinceritate Ecclesiæ judicium esse faciendum.

6. Puritatis illius sunt certi quidam gradus, quia verbum Dei aliquando *magis pure*, aliquando *minus pure* in Ecclesia prædicatur, nec statim desinit esse Ecclesia, si vel maxime in quibusdam religionis capitib. non pure doceat. Quo igitur purius & sincerus prædicatur Dei verbum in aliqua Ecclesia, quove propius ad normam Script. sacræ prædicatio & doctrina accedit, eo purior & sincerior erit Ecclesia; quo v. longius à regula verbi recedit, eo impurior & corruptior erit Ecclesiæ status, nec tamen per quamvis corruptelam desinit esse Ecclesia, quia Deus etiam tunc semen sanctum & spirituales filios sibi generare & conservare potest, quando publicum visibilis Ecclesiæ ministerium est corruptum.

7. Vera Ecclesia opponitur falsæ, *vel contradictorie*, i. e. non-Ecclesiæ, seu ipsam essentiam Baptismi & religionis totius evertenti; *vel privative*, h. e. non orthodoxæ Ecclesiæ. Posteriore significatione Ecclesia apostasiæ partialis rea, non est vera Ecclesia propter depravationem religionis, sed est falsa, hoc est, vitiata & impura Ecclesia. Prioris oppositionis respectu concedimus talem Ecclesiam *esse veram*, hoc est, adhuc esse Ecclesiam, quod patet tum à Sacramenti initiatorii, hoc est, Baptismi, quem retinet, veritate, tum à communicatione verbi facta per publicam textuum Biblicorum lectionem.

8. Ecclesia visibilis quoad formam externam sive quodidem est, quoad publicum ministerium consideratur, vel *in statu puro & incorrupto*, vel *in statu impuro & aliqua ex parte corrupto*. Quando notæ Ecclesiæ dicuntur pura verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio, tunc consideratur Ecclesia in statu priori & comparatione facta non solum ad cœtus profanos, sed etiam ad Ecclesiam corruptam & impuram, id quod recte fieri apparet ex eo, quod definitiones, regulæ ac canones tradi debeant de idea, quodque Ecclesiæ corruptæ secundum normam & formam doctrinæ sincerioris & purioris sint reformandæ, restituendæ ac repurgandæ.

9. Totæ & integræ Ecclesiæ non sunt æstimandæ ex solis Pastoribus, nec ex quibusdam paucis, proinde non sunt statim totæ Ecclesiæ damnandæ, si vel Pastores, vel quidam pauci ab integritate & sinceritate doctrinæ discedant, quia *puriores sæpe sunt auditorum aures, quam labia docentium*, ac multi in corrupto Ecclesiæ statu post Baptismum perceptum retinentes fundamentalia doctrinæ cœlestis capita, erroribus, quos Pseudodoctores in ea spargunt, vel non assentiuntur, vel sine ulla pertinacia iis adhærent, vel ex iis ante finem vitæ iterum eluctantur.

10. Quando pura verbi prædicatio nota veræ Ecclesiæ statuitur, tunc *prædicationis* nomen generaliter accipitur, pro doctrinæ professione omnibus Ecclesiæ membris, Pastoribus & auditoribus, communi, ac pro publica textuum Biblicorum lectione, quæ etiam est quædam prædicatio Act. 15. v. 21. Prædicatio stricte accepta est Pastoris potius actio propria,

pria, quam totius Ecclesiæ communis, nec simpliciter & absolute ad Ecclesiam necessaria, ut ostendunt tempora gravissimarum persecutionum, in quibus per solam Scripturæ lectionem absque publica puræ doctrinæ prædicatione Ecclesia conservari potest.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 2. §. Notandum &c. *Lutherus in libro de Concil. & Eccles. in ultima parte libri proponit septem notas Ecclesiæ, primo, veram & incorruptam prædicationem Evangelii. Secundo, legitimam administrationem Baptismi. Tertio, legitimum usum Eucharistiæ. Quarto, legitimum usum clavium. Quinto legitimam electionem ministrorum, qui doceant & Sacramenta administrent. Sexto, orationem publicam, & Psalmodiam & Catechismum, sed lingua, quæ intelligatur ab omnibus. Septimo, mysterium crucis, hoc est, tribulationem intus & extra &c. Porro cæteri solent duas tantum proponere, quæ complectuntur primas quinque notas Lutheri, hoc est, prædicationem sinceram verbi Dei, & sincerum usum Sacramentorum, & ex his duabus qualibet Secta probat, apud se esse veram Ecclesiam. Ita docet Confessio Augustana artic. 6. & in Apologia ejusdem Item Brentius in Confessione Wirtenbergensi capite de Ecclesia &c. Centuriatores Cent. 1. lib. 1. cap. 4. col. 137. & 164. & col. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. 379. 380. 318. his duabus addunt alias duas, quæ possunt reduci ad quintam & septimã Lutheri, hoc est, constantiam in confessione fidei, sive perseverantiam & obedientiam erga Ministros verbi. quatenus verbum ipsum administrant. Hæ notæ non sunt ullo modo sufficientes.*

Pistorius in Hodeget. 4. cap. p. 113. *Verus intellectus Scripturæ est quidem necessaria & essentialis Ecclesiæ pars, sed tamen non potest ejus esse nota, propter infirmitatem judicii hominũ, quia est difficilior notitia Ecclesiæ, & notitia Ecclesiæ præcedit cognitionẽ totius Scripturæ.*

Nostram sententiam confirmamus ex eo, quod pura verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio,

1. Veram Ecclesiam certo ostendit. Omnis enim effectus proprius certo ostendit suam causam, & omne officium proprium certo ostendit suum subjectum. Prædicare Evangelium & administrare Sacramenta est effectus proprius sive propriũ officium Ministrorum verbi, quod Ecclesiæ nomine exequuntur, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. &c. Præterea veri Christiani ex eo agnoscuntur, quo *manent in sermone Christi* Johan. 8. v. 31. *audiunt verbum Dei*, v. 47. quod *audiunt vocem Pastoris sui Christi*, cap. 10. v. 27. quod *alienam doctrinam non recipiunt*, Galat. 1. v. 8. 2. Thessal. 3. v. 6. 2. Joh. 1. v. 10. quod *sint ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, Eph. 2. v. 14. Jam vero, quæ est nota singulorum & omnium Christianorum, illam etiã oportet esse totius Ecclesiæ notam, cum Ecclesia Christiana nihil aliud sit, quam collectio sive multitudo Christianorum, 1. Cor. 1. v. 2.

2. Ecclesiæ soli & semper convenit. Verbum enim est veluti anima Ecclesiæ, est *semen* spirituale, ex quo filii Dei ac cives Ecclesiæ generantur; ac Sacramenta sunt bona Ecclesiæ propria, Esai. 59. v. ult. Matth. 13. v. 24. Act. 2. v. 42. Rom. 3. v. 2.

3. Eandem non solum à Turcis, Judæis & gentibus, sed etiam à cœtibus hæreticorũ distinguit Deut. 4. v. 6. Psal. 147. v. 19. &c.

4. Ab Ecclesia separari nequit, cum vera Ecclesia in rebus fidei ad verbum tanquam unicam regulam & normam sit adstricta, Deut. 4. v. 2. Jos. 23. v. 6. Esai. 8. v. 20. Gal 1. v. 8. &c.

5. Per hæc media non solum colligitur, sed etiam conservatur, ac propagatur. De verbo & Sacramentis conjunctim hæc dicta testantur, Matth. 28. v. 19. Marc. 15. v. 16. De verbo 1. Corinth. 4. v. 15. 1. Petr 1. v. 23. Jacob. 1. v. 18. de Sacramentis Johan. 3. v. 5. Eph. 5. v. 27. Tit. 3. v. 5. 1. Corinth. 10. v. 17.

6. Per has notas veri & orthodoxi Doctores à falsis, ac proinde etiam vera Ecclesia à falsa distinguitur. Matth. 7. v. 16. Luc. 6. v. 45. Johan. 5. v. 39. Act. 17. v. 11. 1. Iohan. 4. v. 1. 2. Iohan. v. 9. & 10.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam concedunt, puram verbi prædicationem & legitimum Sacramentorum usum esse veras & proprias veræ Ecclesiæ notas.

Hosius Cardinalis in Confess. Petricov. cap. 20. pag. 27. *Sanam doctrinam & legitimum Sacramentorum usum Ecclesiæ notas esse, negari non potest. Certum enim est. quod verbum Dei, quod Sacramentorum verus usus nusquam est alibi, quã in sola Catholica Ecclesia.*

Enchiridion Christian. Instit. in Concilio provinciali Coloniæ Anno. 1549. celebrato fol. 22. ibidemque postea editum in exposit. Symboli, in articulo *Credo sanctam Ecclesiam. Notas & signa habemus longe certissima, quæ nos de Ecclesia, ubinam sit, dubitare non sinunt. Principio nemo negat, in Ecclesia sinceram doctrinam Evangelicam & Apostolicam esse debere, & hanc præcipuam esse Ecclesiæ notam, juxta illud: Oves meæ vocem meam audiunt.*

Georgius Wicelius in Compend. de semitis antiquis ad Imperatorem Ferdinandum. *Non diffitemur Catholici de Ecclesia, quod una & sancta perpetuo sit in terris mansura &c. Habet autem Ecclesia proprie dicta signa sua, puram ac sanam doctrinam Evangelii & rectum usum Sacramentorum, & ad veram unitatem Ecclesiæ opus est consentire de hac doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum.*

Georgius Cassander in Consult. artic. 7. de Ecclesia, pag. 927. *Quod subjicitur, ad veram Ecclesiæ unitatem satis esse, consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum, non satis est, ad Schismaticos ab Ecclesiæ societate segregandos. Nam Donatus agnoscit, Donatistas suæ ætatis hæreticis non annumerandos esse, verum odio quodam injusto se à communione ejus, quæ est per universum orbem, Ecclesiæ segregasse. Requiritur ergo ad hanc unitatem Ecclesiæ præter doctrinæ & morum similitudinem etiam unitas animorum, hoc est, ut cum ea Ecclesia communionem & societatem agnoscas, quæ ab Apostolis in universo terrarum orbe constituta & per successionis traducem ad nos usq; propagata est. In hac sane unitate animorum potissimum spectanda est obedientia, quæ debetur Ecclesiarum præfectis &c.* (Agnoscit, notas Ecclesiæ esse *doctrinam Evangelii & usum Sacramentorum*, sed addit, tertiam etiam notam necessario requiri, videlicet *obedientiam Ministerio Ecclesiæ debitam*, quam ipsa Apologia Confessionis Augustanæ, fatente ipsomet Cassandro, aliquoties addit.)

Liber Interimisticus cap. 10. *Sunt Ecclesiæ veræ notæ, doctrina sana & Sacramentorum usus, quibus à Judæorum & Ethnicorum cœtibus Ecclesia distinguitur, quorum utrique & sana doctrina & Sacramentis carent.*

Martinus Peresius de Traditionibus assert. 5. pag. 64. concedit, *notas illas*, à nobis assignatas, *esse Ecclesiæ proprias.*

Augustinus Villavincentius de ration. stud. Theolog. in Præfat. idem concedit. *In confesso est*, inquit, *ex ministerio verbi & recta Sacramentorum dispensatione, & ejusdem fidei manifesta confessione, caritatisque communione, tanquam impressis & perpetuo adhærentibus signis Ecclesiam, ut quæ visibilis sit, potissimum cognosci & videri.*

Martinus Isengrinius lib. de Eccles. cap. 7. fol. 126. scribit: *Catholicos non plane negare, has esse notas, quas nos statuimus, nempe puram verbi prædicationem & legitimum Sacramentorum usum, sed non esse tam illustres notas.*

Stapletonus lib. 1. de princ. fid. cap. 22. *Evangelii prædicationem*, dicit esse *propriam & valde illustrem notam Ecclesiæ Catholicæ*, sed addit, *in legitimis ministris.*

In relect. princ. fid. controv. 1. quæst. 4. art. 5. pag. 113. concedit, *Ecclesiam Christi à sapientibus & spiritualibus cognosci per sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum. Quemadmodum*, inquit, *discernunt hominem à bruto parvuli quidem per externa lineamenta corporis & figuram hominis, quia judicium eorum non excedit sensum, adulti vero & rationis usum habentes, indocti tamen & rudes, per operationes vitæ & functiones proprie humanas, ut loqui more humano, ambulare & similia; sapientes autem & prudentes, quorum judicium altius penetrat, per animi prudentiam, aliasq; dotes homini adhuc magis excellenter proprias. Sic Ecclesia Christi à sapientibus quidem & spiritualibus ipsis, quales sunt Ecclesiæ Magistri & Pastores, cognoscitur per sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum; ab imperitis autem fidelibus & parvulis in fide, qui de doctrina ipsa in suis causis, principiis & mediis considerata judicare nõ possunt, ab ipsis quoque infidelibus, qui parum ac nihil de causa norunt, per externam faciem & multitudinem populorum credentium atque Pastorum.*

(Si Ecclesia Christi à sapientibus & spiritualibus cognoscitur per sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum, utique illæ sunt notæ propriæ, genuinæ & spiritualib. hominibus accommodatæ. Cum enim nulla sit certior rei nota, quam illius forma, consequẽs est nostras hasce notas, in quibus forma Ecclesiæ consistit, esse genuinas, proprias, certas & infallibiles.)

Edmundus Augerius in Catechismo suo Regi Galliæ dedicato cap. 1. lect. 12. Doctor. *Dic nobis has notas* (Ecclesiæ.) Infans. *Primo, ubi est vera verbi divini prædicatio & legitima Sacramentorum administratio, ibi est Ecclesia quam credimus.*

2. Quod agnoscunt, Ecclesiam Apostolicam ex his notis pro vera Ecclesia fuisse agnitam, (utique ergo adhuc hodie vera Ecclesia ex iisdem agnoscenda.)

Johannes Ferus in Comment. Act. 2. super verba: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum & in communicatione &c In his descri-*

describuntur mores primitivæ Ecclesiæ. Unum est, perseverare in sana doctrina, in quo commendatur fides Thessalonicensium, quod Evangelii verbum suscepissent, non ut sermonem hominum, sed ut verbum Dei, in eoque persisterent. Est evidens signum pii & sacri cordis, ardenter verbum Dei desiderare. Huic qui non obedit, facile seducitur, ut Eva, hæc enim una causa est erroris, quod plus fidei adhibemus rationi nostræ, quam expresso Dei verbo. Alterum est, quod doctrinæ divinæ Sacramenta sunt annexa. Perseverant in fractione panis, hoc est, in usu frequenti Sacramentorum. Confer jam dicta ad hujus seculi mores & facile perspicies, quantum à pristinæ Ecclesiæ statu declinaverimus.

3. Quod quidam concedunt, ex Scripturis discendum, quænam sit vera Ecclesia, (quam assertionem cum notis à nobis assignatis exacte convenire, ostendimus superius.)

Albertus in cap. 15. Luc. *Ecclesia est radicata in Scripturis & doctrina Prophetarum.*

Erasmus in Symbolo Catech. 4. p. 146. *Quo signo dignoscimus unicam Christi columbam? Quod aberrat à sacris voluminibus non est Christi.*

Johannes Driedo Theologus Lovaniensis libro 4. de dogmat. var. cap. 4. *Super omnibus, quæ ex Scriptura sacra sunt manifesta, prior, notior & vetustior autoritas ejusdem Scripturæ est, quam ejus Ecclesiæ, quæ nunc est. Nam & hujusmodi Ecclesia, quæ nunc est, ex Scripturis quærenda est & cognoscenda.*

Et paulo post: *Ecclesiam, quæ nunc est, ex Scripturis cognoscimus apud eos esse, ubi est doctrina quatuor Evangeliorum.*

Thomas Hardingus part. 4. Confut. Anglic. cap. 18. *Quod Ecclesiam in fundamentis Prophetarum & Apostolorum ædificatam esse dicitis, atq; ex sacris & Canonicis Scripturis ostendi, fatemur sane cum Augustino.*

Ibid. fatetur, *Ecclesiam ex sacris literis necessario probandam, quando cum hæreticis agendum est, qui Ecclesiæ autoritatem non admittunt.*

Salmeron tom. 13. Disp. 3. in Epist. Pauli pag. 193. adducit locum ex Autore imperfecti operis in Matth. homil. 49. *Volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia, non est alius modus, nisi tantummodo per Scripturas. Quare? quia omnia hæc, quæ sunt proprie Christi in veritate, habent & hæreses illæ in schismate. Similiter Ecclesias, similiter & ipsas Scripturas divinas similiter Episcopos, cæterosq; ordines Clericorum, similiter Baptismum, similiter Eucharistiam, & cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? Item antea & per signa cognoscebantur, qui erant veri Christiani & qui falsi. Quomodo? falsi quidem aut non poterant facere sicut veri Christiani, aut talia non poterant qualia veri Christiani, sed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, utilitatem autem nullam habentia, Christiani autem faciebant plena, non solum admirationem facientia, sed etiam omnem utilitatem habentia; & per hæc cognoscebantur, qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino levata est, magis autem & apud eos Christianos invenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum danda est potestas. Item ex moribus ipsius prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum aut omnium aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat, nunc autem aut tales, aut pejores facti sunt Christiani, quales sunt hæretici aut gentiles. Adhuc autem & major continentia apud illos invenitur, quamvis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?*

(Neve quis cogitet, Salmeronem hæc duntaxat *recitative*, non *approbative* ponere, notandum, quod in margine annotet, *Veræ Ecclesiæ cognoscendæ modus optimus per Scripturas, ut ille dixit,* quodque recitatis hisce verbis subjungat: *Hæc ille eleganter sane.* Opponendum hoc Bellarmino, qui scribit, *librum hunc esse à quodam Ariano corruptum.* Subjungit quidem Salmeron, *Autorem imperfecti operis sibi hoc velle, quod per Scripturas in proprio & germano sensu expositas colligantur certa & indubitata signa, quibus q. digito indicetur vera Christi Sponsa & corpus ejus Ecclesia.* Sed verba ipsa ostendunt, aliud voluisse Autorem illum, videl. quod de omnibus ac singulis fidei articulis ex Scriptura faciendum sit judicium, ac postea statuendum, illum cœtum, in quo sonat doctrina sacræ Scripturæ consentanea, esse veram Ecclesiam. Removet enim signa alia omnia tanquam fallacia & incerta, inter quæ sunt quædã ab ipsis Pontificiis assignata, videlic. successionem Episcoporum, gloriam miraculorum, sanctitatem vitæ &c. ac diserte dicit: *Cum videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Ecclesiæ sanctis, tum, qui in Judæa sunt, conferant se ad montes, id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Vera enim Judæa Christianitas est, montes autem sunt sancta Scriptura. Quare autem jubet Dominus hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere fidei firmitatem &c.* Ergo de fidei firmitate in singulis articulis ex Scriptura in specie cognoscenda, non aute de generalibus quibusdam notis ex Scriptura colligendis loquitur. Quod dicit, *hæreticos habere Scripturas*, illud eodem sensu dicit, quo *hæreticos*, dicit, *habere Ecclesias*, videl. quod ut nomen Ecclesiæ, ita quoque possessionem Scripturæ sibi vendicent, sed cum pravis suis detorsionib. Scripturas corrumpant, & in alienum sensum transferre laborent, ideo *Scripturas habent ad speciem, non salutem*, ut loquitur Augustinus lib. 3. de Bapt. contra Donatistas cap. 7. quod Augustini dictum Salmeron ibidem adducit atque approbat.)

Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annot. 104. *Vincentius Lyrinensis primam regulam discernendi veram Ecclesiam ab hæretica ponit Scripturarum autoritatem.*

Bellarm. lib. 3. de V. D. cap. 3. §. Philippus. *Non possum judicare, quæ sit vera Ecclesia, nisi prius judicem, quæ sit sententia congruens cum verbo Dei.* (Si non potest judicari, quæ sit vera Ecclesia, nisi prius judicetur, quæ sit sententia congruens cum verbo Dei, tum omnino de Ecclesia judicandum est ex Scriptura. Sed illud. Ergo & hoc, & per conseq. Scriptura sive verbum Dei est Ecclesiæ nota.)

Idem lib. 4. de Ecclesia cap. 2. resp. ad 6. concedit, *quando Scriptura est recepta, & clare loquitur & oritur quæstio de Ecclesia, tunc Ecclesiam ex Scriptura tanquam notiore judicari posse.* Adducit etiam exemplum Ecclesiæ Africanæ; *Cum disputabatur*, inquit, *de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia Scripturæ receptæ & claræ erant, inde* (ex Scripturis) *Augustinus probabat* (suam sententiam. Jam vero ab utraque parte & nostra & Pontificia recepta est Scriptura & clare loquitur. Ergo ex illa cum Pontificiis disputandum, penes quem cœtum sit vera Ecclesia.)

Ibid. fatetur, *Scripturam docere, quæ sint notæ Ecclesiæ.* (At si est nota notarum, quare non & ipsius notati?)

Armandus in Epist. ad Chamierum p. 29. *Non nego, quin aliquando contingere possit, ut ex Scriptura Ecclesia probetur, sitque illa ex hypothesi notior quam hæc, quando nimirum est Scriptura recepta & clare loquitur & oritur quæstio de Ecclesia.* (Si apud eos, qui Scripturæ autoritatem agnoscunt, Scriptura certius atque illustrius Ecclesiam demonstrat, quam Ecclesia Scripturam, utiq; Scripturarum sacrarum doctrina maxime obtinere debet ad Ecclesiam investigandam, ac veram Ecclesiam à falsa discernendam.)

Pistorius in Hodeg. pag. 112. dicit, *irrefutabiliter ex Scriptura ostendi posse, Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam.*

(At si ex Scriptura ostendi potest, quæ sit Ecclesia falsa, utiq; ex eadem ostendi potest, quæ sit vera Ecclesia, eadem enim est recti & obliqui norma.)

Jesuitæ in Colloq. Ratisbon. sess. 8. p. 216. edit. Spir. *Catholici contra Sectarios Ecclesiam etiam ex sola Scriptura sæpe demonstrarunt, & porro etiam demonstrare parati sunt.*

(Atqui si ex Scriptura, & quidem sola, Ecclesiam demonstrare possunt, cur Scripturam Ecclesiæ notam constituere subterfugiunt?)

Pazmannus lib. 8. Hodeg. cap. 1. *Cognitio Ecclesiæ cumprimis necessaria & non nisi ex Scripturis petenda.*

4. Quod concedunt, fidei veritatem & rectum Sacramentorum usum esse propria & inseparabilia Ecclesiæ bona.

(Veritas autem fidei non nisi ex norma & regula Scripturæ agnoscitur. Ut ex primo & secundo membro apparet, veram verbi prædicationem & rectum Sacramentorum usum esse *genuinas & proprias*; ex tertio membro esse *notiores*; ita ex hoc quarto membro elucescet, esse *inseparabiles notas*. Quare cum Bellarminus hoc nomine nostras illas notas insectetur, quod *non sint propria, nec notiores, nec inseparabiles*, consequens est, si contrarium demonstratum fuerit, videlicet has notas esse proprias & notiores & inseparabiles, quod pro veris notis sint habendæ.)

Gregorius lib. 6. moralium cap. 6. *Quasi distinctæ in mundo regiones sunt Ecclesiæ gentium, quæ in una fide positæ, morum linguarumque diversitate dividuntur.*

(Ergo fidei veræ unitas est veræ Ecclesiæ propria.)

c. Alienus, caus. 24. q. 1. ex Cypriano, *Quomodo possunt duo aut tres*

tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab ejus Evangelio separari?

(Si illi demum in Christi nomine colliguntur, qui ab Evangelio Christi non separãtur, sequitur, quod Christus in illorum medio sit, h.e. gratiose illis præsens sit ac pro suis eos agnoscat, qui puram Evangelii doctrinam amplectuntur.)

c. Quæ dignior. caus. & quæst. iisd. ex Ambrosio. *Fides ergo inprimis Ecclesiæ quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit legendum* (degendum.) *Si vero perfidus populus aut præceptor hæreticus deformet habitaculum Ecclesiæ, vitanda est hæreticorum communio, fugienda Synagoga censetur &c.*

(Ex fide ergo, h.e. ex doctrina jubet fieri judiciũ de Ecclesia.)

c. Prima igitur dist. 4. de consecrat. *Propterea sancta & Catholica est Ecclesia, quia recte credit in Deum.*

Si Ecclesia ideo est sancta & Catholica, quia recte in Deum credit, utique vera & recta fides est ab Ecclesia vera & Catholica inseparabilis, ac proinde propria illius nota.)

Thomas 2.2.q.83.art.2. *Ecclesia perficitur per unitatem fidei.*

(Si Ecclesia perficitur per fidei unitatem, utiq; unitas fidei erit forma Ecclesiæ ab ea inseparabilis, ac proinde nota ejus certissima.)

Concilium Basileense in responsione ad Schedulam Oratorum Principum de mutatione Concilii asserit, *vitam Ecclesiæ in fide & probis moribus præcipue consistere, quibus capiti suo & fonti vitæ Christo conjungitur, ac cum eo pacem habet.*

(Si vita Ecclesiæ in fide & probis moribus consistit, utique hæc est ipsius causa formalis ac proinde nota propria.

Lyranus in cap.16. Matth. *Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia & vera confessio fidei & caritatis.*

Johannes Ferus in cap.16. Matth. p. 28. *Ubi prædicatur verbum Dei & creditur ibi est vera fides petra ista immobilis; ubi fides, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi Sponsa Christi; ubi Sponsa, ibi omnia, quæ Sponsi sunt. Ista fides omnia secum habet, quæ ad fidem sequuntur, claves, Sacramenta, potestatem.*

Bellarminus lib.3. de Ecclesia cap.2.§. Nostra &c. definit Ecclesiam, quod *sit cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipue unius Christi in his terris Vicarii Pontificis Romani.*

(Jam verò nulla certior rei nota, quàm ipsius definitio essentialis, exprimit enim rei essentiam. Proinde cum professio veræ fidei, & legitimus Sacramentorum usus ingrediatur definitionem Ecclesiæ, utiq; etiam erunt veræ & propriæ notæ Ecclesiæ. Tertium illud definitionis membrum de *subjectione erga Romanum Pontificem* ex Scripturis probari nequit, proinde merito pro non adjecto habetur.)

Cardinalis Perronius lib.1. Replique contra Jacobum Angliæ Regem cap.5. itidem Ecclesiam definit, quod *sit societas eorum, quos per veram fidei confessionem Deus vocavit ad salutem.*

(Utique ergo confessio veræ fidei, utpote in definitione Ecclesiæ posita, est notior definito, hoc est, Ecclesia.)

Lib.4. de Ecclesia cap.5. §. In omni &c. disputat, *Ecclesiam Romanam hodiernam esse veram Ecclesiam, quia jam inde à Christi & Apostolorum temporibus nulla doctrina ac religionis mutatio in ea fuerit facta,* (hoc est, quia eandem doctrinam & fidem constantér adhuc teneat, quam Apostoli docuerunt, eidemque commendarunt. Atqui si Romana Ecclesia ideo & inde pro vera Ecclesia agnoscenda est, quia doctrinam Christi & Apostolorum sine mutatione integram & inviolatam retinet, consequens est, doctrinam illam, quam Christus & Apostoli tradiderunt, esse veræ Ecclesiæ notam.)

L. ejusd. c.11. statuit, *sanctitatẽ doctrinæ esse notã veræ Ecclesiæ.*

(Atqui sanctitas doctrinæ non potest nisi ex Scripturis cognosci. Ac quid interest inter hæc duo pronuntiata, *sanctitas doctrinæ est nota veræ Ecclesiæ*, & *pura prædicatio verbi* ac sancta *doctrina est nota Ecclesiæ?*)

Lib. ejusd. cap.12. §.1. asserit, *solam Ecclesiam habere doctrinam immaculatam.*

(Ergo hæc est propria Ecclesiæ possessio, ac proinde etiam propria ipsius nota.)

Gregorius de Valentia in Analysi lib.6. cap.4. pag.40. *Veritas fidei est ipsa essentia, seu potius de essentia Ecclesiæ, quatenus Ecclesia congregatio vere fidelium esse describitur.*

Tom.3. Disput.1 q.1. de objecto fidei, puncto 7. §.18. *Nos fatemur neq; veritate doctrinæ, neq; legitimo Sacramentorum usu Ecclesiam Christi carere posse, & apud quos hæc omnino sint salva, ex iis constare veram Ecclesiam.*

Costerus in Enchirid. cap.2. de Eccles. privileg. propos.1. *In sola Ecclesia est verus Dei cultus, sincera Sacramentorũ administratio.*

(Quocunque posito ponitur Ecclesia, illud est certissima ejus nota. Sed posita sincera verbi prædicatione, & legitima Sacramentorum administratione, ponitur Ecclesia, quia in sola Ecclesia illa inveniuntur. Ergo.)

Pazmannus lib.8. Hodeg. cap.1. *Ecclesia est congregatio eorum, qui vera fide & Sacramentorũ externorũ unitate in unũ collecti sunt.*

(At si vera Ecclesiæ membra vera fide & Sacramentorum externorum unitate in unum collecta sunt, utique non aliunde rectius, quam ex prædicatione verbi & usu Sacramentorum agnosci possunt. Quod enim aliquid constituit, eo ipso rei constitutæ nota fit, quemadmodum ex anima rationali, quæ constituit hominem, aliquem verum esse hominem agnosco.)

Lib. ejusd. cap.8. concedit, *Ecclesiam veram verbi divini prædicatione non posse spoliari,*

(Si prædicatio verbi semper est in Ecclesia, ergo ex ea cognosci potest Ecclesia. Vera prædicatio verbi veram Ecclesiã arguit, cũ & in falsa Ecclesia prædicetur verbũ, sed impure.)

Tannerus part.2. Anat. August. Confess. Demonstr. 2. §.11. *Sine vera fide fideiq; doctrina impossibile est veram esse Ecclesiam, quæ nihil aliud est, quam fidelium Christi congregatio, fideles autem juxta consuetam divinæ providentiæ legem non fiunt, nisi per doctrinam seu prædicationem.*

Balthasar Hagerus Jesuita Herbipol. in Collat. Aug. Conf. & Concil. Trident. art 7. tanquam *hæreditatem veræ Ecclesiæ* tribuit *puram doctrinam & rectam Sacramentorum administrationẽ.*

5. Quod agnoscunt, doctrinæ falsitatem esse notam falsæ Ecclesiæ.

(Si falsa doctrina est certissima & inseparabilis nota falsæ Ecclesiæ, utiq; doctrina vera est certissima & inseparabilis nota veræ Ecclesiæ. Ratio est, quia doctrina se habet ad Ecclesiam, ut forma ad suum formatum. Ut ergo de formato ex forma judicium fieri potest ac debet, sic ex doctrina judicandum est de Ecclesia.)

Bellarminus lib.4. de Eccles. cap.8. § Dico secundo. *Quod apud Græcos non sit Ecclesia probamus alio modo, quia nimirum convicti sunt legitime in tribus plenariis Conciliis Lateranensi, Lugdunensi & Florentino de schismate & hæresi, ac præcipue de hæresi circa processionem Spiritus sancti à Filio, quam esse manifestam hæresin Lutherani & Calvinistæ etiam confitentur. Adde ultimo, quod omnes Ecclesiæ illæ Patriarchales, (Antiochena, Constantinopolitana, Alexandrina, Hierosolymitana) habuerunt per longa tempora Episcopos manifestos hæreticos, & proinde interrupta est veterum Pastorum successio.*

Lib. ejusdem cap.9 §.1. disputat, *veram veræ Ecclesiæ notam esse conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua, & nostram Ecclesiam ex eo hæreticam esse*, probare conatur, quia *antiquis hæresibus patrocinetur.*

(At si conspiratio cum Ecclesia antiqua est nota veræ Ecclesiæ, eccur consensus cum doctrina Prophetica & Apostolica in Scripturis contenta, non erit veræ Ecclesiæ nota?)

Maldonatus in cap.10. Joh. *Oves meæ vocem meam audiunt; Vos non auditis, quia non estis ex ovibus meis. Ac si argumentaretur Christus: Omnes oves meæ vocem meam audiunt. Vos non auditis. Ergo non estis oves meæ.*

6. Quod agnoscunt, veros Ecclesiæ Doctores à falsis Doctoribus per sanam & incorruptam doctrinam distinguendos esse, (ex quo sic colligimus: Per quod verus ac sincerus Ecclesiæ Doctor à Pseudopropheta distinguitur, per illud etiam Ecclesia vera à falsa distingui potest ac debet. Ratio est, quia qualis est doctrina, quæ in publico Ecclesiæ ministerio sonat, talis etiam judicatur esse illa Ecclesia. Si Catholica doctrina in ea sonat, judicatur esse Catholica; si hæretica doctrina in ea sonat, judicatur esse hæretica. Jam vero quidam ex Pontificiis fatentur, verum & sincerum Ecclesiæ Doctorem à Pseudopropheta per sanam & in corruptam doctrinam esse distinguendum. Ergo etiam per sanam & incorruptam doctrinam Ecclesia vera à falsa distinguitur. Assumtum confirmandum restat.)

Stapletous lib.10. princip. fid. doctrinal. cap.1. pag.360. *Quod Matth.7. dicit Salvator de Pseudoprophetis, Ex fructibus eorum cognoscetis eos, hoc de falsis dogmatibus, ex Scriptura male intellecta collectis, intelligit, ut docet Vincentius Lirinensis in lib. contra profanas hæresium novitates cap.36. & ante eum Theodoretus lib.3. hæret fabul. in princ. & Autor operis imperfecti in Matth. hom.19.*

Idem in Promtuar. Catholic. Dominica VII. post Pentecosten loc.4. *Hæreticorum fructus, ex quibus cognosci debent, non sunt*

sunt aliqua vera, quæ docent, nec sunt semper ipsa opera, quæ faciunt, sive bona sive mala, mala enim non semper ex ipsa hæresi, sed aliquando ex personæ improbitate proveniunt. sed sunt partim dogmata ipsa hæretica, falsa & impia, quæ singulis hæreticis sunt propria, & à singulis architectis propriè inventa, partim etiam quædam mala opera hæreticis propria, & ex ipsa hæresis radice pullulantia.

Idem in relect. princ. fidei controv. 2. quæst. 4. art. 1. concl. 1. *Absque sana fide nemo legitimus Ecclesiæ minister esse potest. Probatur à majori, quia absque ea nec Ecclesiæ membrum est.*

concl. 2. *Qui unitatem fidei deserit, Pastor esse desinit.*

Ibid. p. 221. *Per falsos Prophetas intelligi possunt hæretici, quorum fructus sunt nova & inaudita dogmata, ut exponit Theodoretus hæretic. fabular. libr. 3. & qui sub vestimentis ovium, hoc est, sub allegatione verbi Dei in ore, intus, & in sensu sunt lupi rapaces, ut eleganter exponit Vincentius Lirinensis in lib. contra prophanas novitates c. 36.*

Bellarminus libr. 5. de grat. & lib. arbitr. c. 10. §. Hoc posito &c. *Dico Matth. 7. per arbores bonas & malas intelligi doctrinas veras & falsas, vel ipsos homines, quatenus docent sanam doctrinam aut corruptam & perniciosam. Dominus enim vult eo loco nos instruere, ut caveamus à falsis Prophetis. Docet autem ex fructibus posse dignosci, utrum lupi sint, an pastores, hoc est, hæretici ministri, an Catholici Episcopi &c.*

Et postea: *Vult igitur Dominus Matth. 7. ut ex fructibus doctrinæ de ipsa doctrina & Doctoribus judicemus.*

Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 7. c. 30. p. 500. *Fructus mali, ex quibus Pseudo-Prophetas agnoscendos esse Salvator innuit Matth. 7. v. 16. non tam sunt pravi mores, quippe qui cadere possunt etiam in veros doctores, quam falsa doctrina & prava consectaria, quæ ex ipsorũ dogmatibus fluunt, Deiq; cultum & verã pietatẽ impediunt.*

Huc referri potest, quod Thessalonicenses ex collatione doctrinæ Apostolorum cum Scripturis pro veris doctoribus eos agnoscebat.

Arias Montanus in Comment. Act. 17. *Judæi Thessalonicenses probabant, utrum ea, quæ Apostoli prædicaverant, cum Scripturis convenirent, & postquam omnes in Scripturis explorassent, sequitur in textu, crediderunt.*

7. Quod agnoscunt, Judæos ex Scripturis & potuisse & debuisse Christum Ecclesiæ caput cognoscere.

(Ex eo sic inferimus: Quo argumento Judæi Christum *Ecclesiæ caput* agnoscere & potuerunt & debuerunt, eodem etiam Ecclesiam, quæ est *corpus Christi* mysticum, agnoscere & possumus & debemus. Sed Judæi Christum Ecclesiæ caput ex Scripturis agnoscere & potuerunt & debuerunt. Ergo. Assumtum confirmandum restat.)

Lyranus in cap. 5. Joh. *Scripturæ V. Test. manifestè loquuntur de Christo.*

Cornelius Jansenius in c. 36. Concord. Evang. super verba: *Scripturæ testificantur de me. Jam affert Christus testimonium majus testimonio Johannis, ut Judæi tergiversari omnino nequeant, testimonium Scripturarum.*

Maldonatus in c. 5. Joh. v. 39. *Quidam Interp. statuunt, Christũ quatuor testimoniis hic fuisse usum, Johannis & tribus aliis majoribus quam Johannis, operum, quæ faciebat, Patris & Scripturarum. Augustinus autem & Beda, propterea ad Scripturas nunc eos mittere, quia illi propterea ipsi non credebant, sed potius repugnabant, quia existimabant Mosi & Scripturis eum adversari, quasi dicat, si attente Scripturas legatis & consideretis, reperietis me non solum illis non adversari, sed etiam illas mihi testimonium perhibere, me eum esse, quem illæ venturum mundi Redemtorem prædicabant. Perstringit obliq; eorum ignorantiam & cæcitatem, qui, cum se in Scripturis valde versatos esse putarent, Christum in illis non viderent.*

Argumentum hoc pressè considerandum. Quo tempore Christus in terris docebat, magna erat in populo Judaico dissensio, quænam esset vera Ecclesia, an Christus cũ suis Apostolis & discipulis, an vero Pontifices, Pharisæi, Scribæ & qui illis adhærebant? Christus provocabat ad Scripturam, ex ea de se Ecclesiæ capite, & de Ecclesiæ veritate judicium fieri jubebat. Pontifices, Pharisæi & Scribæ provocabant ad successionem ordinariam, ad nomen Ecclesiæ sibi attributum, ad antiquitatem, ad durationem diuturnam nec unquam interruptam, ad amplitudinem, ad conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua, ad unionem membrorũ inter se & cum capite, ad felicitatem temporalem &c. Quotquot gloriatione illa Pontificum, Pharisæorum & Scribarum, prætermisso Scripturæ judicio, oculos sibi perstringi patiebantur, Christum crucifigebant, & à vera Ecclesia turpissimè aberrabant. Qui vero Scripturæ judicium sequebantur, Christum veræ Ecclesiæ caput & veram Ecclesiam agnoscebant.)

8. Quod agnoscunt, Ecclesiam esse unam unitate fidei.

(Hujus enim fidei fundamentum non est, nec potest esse aliud, quam Prophetarum & Apostolorum doctrina in ipsorum scriptis tradita Eph. 2. v. 20.

Staplet. Relect. p. 62. not. 3. asserit, *rectam fidem esse animam Ecclesiæ.*

Idem p. 13. 14. & 57. *Hæc est*, inquit, *maxima ratio unitatis.*

D. Reyhing im Catholischen Handbüchlein p. 158. Wo offentlich: Uneinigkeit in Glaubenssachen ist / da kan die einige und reine Lehre der Propheten und Apostel nicht seyn.

Similia occurrunt apud Costerum in Enchir. de Eccles. not. 1. §. At vero.

Cottonum lib. 2. Instit. de Eccles. milit. c. 4. p. 171.

Badische Motiven 5. pag. 251.

Gregorium de Valentia lib. 6. Analys. c. 9. p. 49.

Tannerum tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 3. d. 3. d. 68.

Argum. Adversar. 1. *Notæ debent esse propriæ non communes, Sed sincera prædicatio verbi est nota communissima omnibus Sectis, saltẽ opinione earum. Quæ enim Secta unquam fuit, quæ non diceret, se habere sinceram prædicationem veritatis?* Bellarm. lib. 4. de Eccl. c. 2. §. Ac primum.

Resp. 1. ex Bellarmino lib. ejusd. cap. 12. §. 1. *Sola vera Ecclesia habet doctrinam immaculatam.*

(Hoc nobis sufficit, quod doctrinæ puritas est solius veræ Ecclesiæ propria, utique ergo est ejus nota certissima. Quod notæ ne quidem opinione debeant esse communes, & veritati & ipsi Bellarmino adversatur. Veritati quidem, quia opinio errantium non efficit, ut aliquid sit revera tale, nec quod hic vel ille opinatur esse suum, statim est ipsius proprium. Bellarmino autem, quia notæ à Bellarmino assignatæ, itidem magna ex parte ita comparatæ sunt, ut opinione hæreticorum sint eis cum Ecclesia communes.)

2. ex Costero in Enchirid. de Eccles. c. 4. prop. 1. *In sola Ecclesia est verus Dei cultus & sincera Sacramentorum administratio.*

(Ergo hanc notam non habet Ecclesia cum cœtibus hæreticis communem.)

3. ex eodem Costero part. 3. Apolog. c. 7. *Non quæritur, quid cæteræ Ecclesiæ dicant sed quid verè dicant. Omnes hæretici affirmant apud se veram & Catholicam fidem inviolatam teneri. At cum constet, unicam esse fidem & unicam Ecclesiam, facile apparet, neq; omnes istos, sed unicam ex omnibus veram fidem profiteri, & nomen Catholicæ Ecclesiæ sibi vendicare.*

Arg. 2. *Notæ debent esse notiores ea re, cujus sunt notæ, alioqui enim non sunt notæ, sed ignotæ. Jam vero pura prædicatio verbi non est notior Ecclesia. Quis enim nosse potest, ubi verè credatur verbum? Insuper ab Ecclesia discendum quæ sit vera prædicatio verbi, ac quæ sit vera Scriptura & verus Scripturæ sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Bellarminus libr. de Verbo Dei c. 2. §. At sacris &c. sic disserit: *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis libris continentur, nihil est certius, nihil est notius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem adhibendam esse neget.*

(At si sacris literis nihil est notius, utiq; etiam Ecclesia non erit illis notior, sed ipsæ notiores erunt Ecclesia.)

2. Idem libr. 3. de Verbo Dei c. 3. §. Philippus &c. *Non possum judicare, quæ sit vera Ecclesia, nisi prius judicem, quæ sit sententia congruens cum verbo Dei.*

Lib. 4. de Eccles. c. 2. respons. ad 6. concedit, *aliquando Scripturam esse notiorem Ecclesia, quando sc. est recepta, & clare loquitur & oritur quæstio de Ecclesia.*

(Jam vero hæc omnia in hac controversia, quæ inter nos & Pontificios de Ecclesia agitatur, ita se habent. Ergo ex Scriptura judicandum erit de Ecclesia.

3. Idem lib. 3. de V. Dei c. 10. resp. ad 13. arg. scribit: *Verbum Dei esse fundamentum fidei nostræ primarium, Ecclesiæ testificationem secundarium.*

(Si verbum Dei, in Scripturis propositum, est fundamentum fidei primarium, utique Natura notius esse oportet, quam Ecclesia, quæ est fundamentum duntaxat secundarium.

4. Ostendimus superius ex ipsis Põtificiis, de doctore judicãdũ ex dũ ex doctrina. Pari ratione de Ecclesiæ veritate judicãdũ ex doctrinę qualitate, sicut Christ[us] *à fermẽto*, hoc est, doctrina *Pharisæorũ & Sadducæorũ* cavendũ, & ex doctrinę falsitate pro falsis Doctoribus eos agnoscẽdos esse docebat Matth. 16. v. 12.

5. Clau-

5 Claudius Espensæus in Comment. Epist. ad. Tit. circa fin. *Trapezitis comparati sunt Scripturarum studiosi, inquit Chrysostomus, scientes, quod bonum est, retinere, ut si quis sit nummus adulterinus, & non habens figuram Cæsaris, eum reprobent.*

(Ergo vera Scripturæ interpretatio ex nativo suo lumine illucescit.)

Argum. 3. *Veræ notæ sunt inseparabiles à vera Ecclesia. Sed Ecclesia Corinthiorum & Galatarum, ad quas scribebat Apostolus, veræ Ecclesiæ erant, & tamen non erat ibi aliqua pura prædicatio verbi, arguuntur enim Corinthii, quod docerent, non esse futuram resurrectionem, & Galatæ, quod docerent, servandam esse legem Mosaicam cum Evangelio.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. ex vulgata versione 1. Cor. 15. v. 12. *Si Christus prædicatur, quod surrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis,* (nota) *quoniam resurrectio mortuorum non est?*

(Ergo non omnes Corinthii religioni Christianæ addicti, errores illos amplectebantur.)

2. Ex Aria Montano in Præf. Comm. in Epist. ad Gal. *Nonnulli ex Judæis Pseudo-Apostolos suos unũ aut plures absente Paulo submiserunt, ut hæresin docerẽt.* Gal. 1. v. 7. *Sunt aliqui, qui vos conturbãt.*

3. Bellarminus ipse h. l. scribit: *Aliud est errare & paratum esse ad discendum, &, cum didiceris, ad obœdiendum, aliud nolle discere &, cum audieris veritatem, nolle acquiescere.*

(Distinguendum igitur inter *errorem simplicem* & inter *errorem cum pertinacia conjunctum.* Prior potest locum habere in Ecclesia particulari, ut illi, qui eum amplectuntur, non desinant esse Ecclesiæ membra; posterior vero minime. Constat autem ex ipsis Epistolis Apostolicis, quod Corinthii & Galatæ errores illos non defendebant pertinaciter, sed spes conversionis & emendationis de illis adhuc erat reliqua.)

Thesis generalis secunda.

Notæ Ecclesiæ, à Pontificiis assignatæ, sunt nothæ, fallaces & incertæ.

Ἔκθεσις. Non negamus, quasdam notas à Pontificiis assignatas quibusdã temporibus Ecclesię cõvenire, sed quod omnibus temporibus Ecclesiæ veræ, & quidem soli, conveniant, adeoq; genuinæ certæ & infallibiles notæ sint, hoc negamus.

Antithesis. Bellarm. lib. 4. de Ecclesia cap. 3. §. 1. *Veras notas Ecclesiæ proponemus,* (videlicet proprias, notiores, & inseparabiles, ut ex antithesi capitis proxime præcedentis manifestum, in quo notas à nobis assignatas propterea repudiat, quod non sint *propriæ, notiores, & inseparabiles*) Subjungit autem ejusmodi notas quindecim, quæ sunt 1. *Nomen Catholicum* cap. 4. 2. *Antiquitas* cap. 5. 3. *Duratio diuturna* cap. 6. 4. *Amplitudo sive multitudo & varietas credentium* cap. 7. 5. *Successio Episcoporum in Romana Ecclesia hinc inde usque ab Apostolis ad nos deducta* cap. 8. 6. *Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua* cap. 9. 7. *Unio membrorum inter se & cum capite, hoc est, cum Pontifice Romano* cap. 10. 8. *Sanctitas doctrinæ* cap. 11. 9. *Efficacia doctrinæ* c. 12. 10. *Sanctitas vitæ autorum sive primorum Patrum nostræ religionis* cap. 13. 11. *Gloria miraculorum* cap. 14. 12. *Lumen Propheticum* cap. 15. 13. *Confessio Adversariorum* cap. 16. 14. *Infelix exitus adversariorum* cap. 17. 15. *Felicitas temporalis* cap. 18.

Nostram sententiam confirmamus ex eo,

1. Quod hæ notæ non conveniunt *soli* Ecclesiæ veræ.

2. Quod non conveniunt Ecclesiæ *semper* & omnibus temporibus.

3. Quod non sint ab ea *inseparabiles*, ac proinde non sunt veræ, propriæ, genuinæ & infallibiles notæ, ut ex speciali singularum examine apparebit.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod Adversarii non consentiant in assignandis verę Ecclesiæ notis, nec plures illæ notæ, quæ à quibusdam assignantur, reduci possint ad pauciores, quas alii assignant.

(Ex eo enim constat, quod non proprias & essentiales, sed communes tantum & accidentarias notas recenseant.)

Lindanus lib. 4. Panopliæ c. 83. ac Canisius in Catech. tract. de præcept. Eccles. cap. 9. statuunt, *Romanum Pontificem & cathedram Romanam esse indubitatam Ecclesiæ notam.*

Horantius lib. 6. contra Instit. Calvini cap. 6. *unam* facit *Ecclesiæ notam certissimam, continuatam Sacerdotum ac Prælatorum, præcipue Romanorum, successionem.*

Catechismus Synodi Tridentinæ *duas* facit *Ecclesiæ notas,* quod sit & dicatur 1. *Catholica.* 2. *Apostolica.*

Stapletonus in prœmio libri quarti de principiis fidei *tres* constituit *Ecclesiæ notas,* quibus à falsa hæreticorum & schismaticorum Ecclesia discerni debeat, scil. *multitudinem, visibilitatem & perpetuitatem.*

Joh. Driedo lib. 4. de dogmat. Eccles. cap. 2. & Petrus à Soto parte 1. defens. cap. 44. *alias tres* constituunt, (referente Bellarmin. lib. 4. de Eccles. cap. 3. §. penult.)

Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. annot. 104. laudat *tres notas* Vincentii Lyrinensis, quæ sunt *Ecclesiasticæ traditionis universalitas, antiquitas & consensio.*

Balthasar Hagerus Jesuit. Herbip. in Collat. Aug. Confess. & Conc. Trid. art. 7. *tres illas notas, quod Ecclesia sit una, sancta, & Catholica, & sufficere & solius Ecclesiæ signa esse ait,* quo ipso inutilem eorum operam perstringit, qui plures notas colligunt.

Hosius Cardinalis in explic. Symbol. & Costerus in Enchirid. cap. 2. p. 86. *quatuor* ponunt *Ecclesiæ notas,* quod sit *sancta,* quod sit *Catholica,* quod *una,* quod *Apostolica.*

Salmer. tract. 23. tom. 6. *Lutheranorum fidem & Ecclesiam non esse veram,* probat ex quinque fundamentis. 1. *quia caret signis & miraculis.* 2. *Martyrii gloria.* 3 *Obœdientia ad Ecclesiam, Principes seculares & Imperatorem.* 4. *Concordia doctrinæ.* 5. *non admittit nova consilia.*

Sanderus lib. 8. de visibili Monarchia cap. 50. *sex* proponit *notas,* quarum prima est *altitudo & sublimitas,* secunda *splendor & claritas,* tertia *latitudo & immensitas,* quarta *successio & perpetuitas,* quinta *consensio & unitas,* sexta *invicta fides & constantia.*

Jesuitæ Posnanienses in Disp. de Eccles. *septem* constituunt Ecclesiæ *notas,* quæ sunt, *claritas, diffusio, antiquitas, appellatio Ecclesiæ Apostolicæ, Pastorum ordinatio & vocatio legitima, sanctitas, unitas.*

Michael Medina lib. 2. de recta fide recenset *decem* Ecclesię *notas,* & lib. 7. cap. 26. addit *undecimam.*

Cunerus Petri in lib. de notis Ecclesiæ ponit *duodecim.*

Eundem numerum observat Pistorius in Hodeg. cap. 4. ubi Ecclesiæ notas enumerat hoc ordine: 1. *Christus ad finem usque mundi assutrus est Ecclesiæ suæ duraturæ usq; ad novissimũ diem,* p. 88. 2. *Christi Ecclesia cœpit Hierosolymis non alibi, & inde progressa fuit ad extremas mundi partes,* pag. ead. 3. *Ex seipsa semper propagata fuit, & sequens Ecclesia ex antegressa enata est & edocta,* p. 89. 4. *Semper habet veros à Spiritu sancto in Ecclesia positos & legitime vocatos, & missos & ordinatos Pastores & Doctores,* pag. 89. *eosq; puros,* p. 90. 5. *Semper etiam habet oves & gregem, non tantum malas, verum etiam bonas & electas quæ vocem Christi audiunt & confitentur ad salutem,* pag. 91. 6. *Nunquam tota ne minimum quidem errat,* p. 92. *sed semper est pura Ecclesia, & pura in ea fides, pura Sacramenta,* p. 93. 7. *Ecclesia audiri debet, quia suo officio & regimine filios suos procurat, eosq; obedientes habet,* pag. 94. 8. *Non tantum crucem & contemtum, sed etiam suo tempore magnam gloriam, pacem & felicitatem apud Dynastas, & populos invenit,* pag. 95. 9. *Ab uno mari ad alterum per totum terrarum orbem habitabilem extenditur,* p. 96. 10. *Ecclesia Christi longissime separata est à Synagoga Judaica, & aliud cum hac fœdus Deus init, quam cum illa* pag. 69. *alligavit enim sese Deus Ecclesiæ suæ fine ulla conditione,* pag. 97. 11. *Una semper mansura est Ecclesia, in omnibus semper consentiens, nunquam divisa,* pag. 79. 12. *Ecclesia in mundo passim est visibilis & conspicua, & visibiliter officium suum & cultum divinum exequitur,* pag. 98 99.

Jacobus Rayhingius (adhuc Pontificius) in Muris Civitatis sanctæ *duodecim* enumerat fidei Papisticæ *fundamenta,* quæ appellat *rationes solidissimas, quibus cuiq; prudenti persuasissima fiat Papistica religio.* 1. *Falsorum dogmatum impositionem, qualia non tradantur à Pontificiis.* 2. *Ecclesiæ in Scripturis interpretandis Magisterium.* 3. *Apostolicam originem.* 4. *Petri Primatum.* 5. *Romanorum Pontificum successionem.* 6. *Conciliorum autoritatem.* 7. *Patrum consensum.* 8. *Cultorum sanctitatem & miracula.* 9. *Nomen Ecclesiæ Catholicæ,* 10. *Concordiam & unitatem Romanensium;* quibus subjungit, 11 *Eum, qui Ecclesiæ Papisticæ se adjungere noluit, reum esse inexcusabilis impudentiæ,* & 12. *extremæ superbiæ,* quæ duo postrema membra non tam nova & distincta sunt fundamenta, quam conclusiones ex prioribus fundamẽtis collectæ, ideo solum additæ, ut rationes illæ utcumq; responderent numero fundamentorum, Apoc. 21. v. 14. cœlesti Hierosolymæ assignatorum.

Bellarminus d. l. *quindecim* assignat *notas,* quas dicit aliquo modo revocari posse ad illas *quatuor,* quę communiter à recentioribus assignantur ex Symbolo Constantinopolitano, *Credo unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

De his quindecim notis à se recensitis dicit, quod sint *propriæ, non communes,* lib. 4. de Eccl. cap. 2. §. Ac primum &c.

Socolovius in lib. de not. Eccles. recenset *viginti notas.*

Thomas Bozius *centum notas* assignat.

Hæc divortia sententiarum in assignandis Ecclesiæ notis

 apud

apud Pontificios Scriptores occurrentia, agnoscit ipse Bellarm. lib 4. de Ecclesia cap. 3. §. Ex recentioribus &c. sic scribens; *Hæ notæ varie à variis nominantur & enumerantur. Driedo lib. 4. cap. 2. part. 2. de Eccl. dogm. & Petrus à Soto prima parte Defensionis cap. 44. & seq. alias tres; Cardinalis Hosius in explicatione Symboli, quatuor; Nicolaus Sanderus lib. 8 de visibili Monarchia cap. 50. alias sex; Michael Medina lib. 2. de recta fide ponit decem, & lib 6. cap. 26. addit undecimam. Cunerus Petri in libello de notis Ecclesiæ, ponit (ni fallor) duodecim. Nos quindecim notas proponemus.*

2. Quod agnoscere coguntur, eas non esse proprias, certas, adæquatas, perpetuas & infallibiles, adeoque essentiales veræ Ecclesiæ notas.

Stapletonus in relect. princip. fidei controv. 1. q. 4. art. 5. p. 113. *Quemadmodum discernunt hominem à bruto, parvuli quidem per externa lineamenta corporis & figuram hominis, quia judicium eorum non excedit sensum; adulti vero & rationis usum habentes, indocti tamen & rudes, per operationis vitæ & functiones proprie humanas, ut loqui more humano, ambulare & similia; sapientes autem & prudentes, quorum judicium altius penetrat, per animi prudentiam, aliasque dotes homini adhuc magis excellenter proprias. Sic Ecclesia Christi à sapientibus quidem & spiritualibus ipsis, quales sunt Ecclesiæ Magistri & Pastores, cognoscitur per sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum, ab imperitis autem fidelibus & parvulis in fide, qui de doctrina ipsa in suis causis, principiis & mediis considerata, judicare non possunt, per externam faciem & multitudinem populorum credentium atque Pastorum.*

(Fatetur igitur, nostras notas esse proprias, genuinas & spiritualibus convenientes.)

Bellarmin. lib. 4 de Ecclesia cap. 3. §. 1. *Notæ illæ, quas afferemus, non quidem efficiunt evidenter verum, Romanam Ecclesiam esse veram Dei Ecclesiam, sed tamen efficiunt id evidenter credibile. nec enim est idem, evidenter verum & evidenter credibile. Nam evidenter verum dicitur, quod in se vel in suis principiis videtur; evidenter credibile dicitur, quod non videtur nec in se, nec in suis principiis, habet tamen tot & tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens id merito credere debeat.*

(Atqui si notæ à Bellarmino assignatæ non faciunt *evidentiam veritatis*, sed tantum *credibilitatis*, merito nobis sunt suspectæ. Multa enim sunt credibilia, quæ tamen non sunt vera. Sic credibile est, eum, qui fuga sibi consulit, homicidium commisisse, sed tamen non semper est verum.)

Gregorius de Valentia in Analysi lib. 6. cap. 7. *Hæ notæ, quas ni gemus, una, sancta, Catholica & Apostolica, non sunt notæ Ecclesiæ sigillatim, sed conjunctim, quia fieri possit, ut una harum & altera aliis conveniat.*

(Agnoscit igitur, notas illas non esse proprias, nec inseparabiles.

Ibid. pag. 172. *Non impedit, nec tollit rationem notæ, quod quædam ex hujusmodi Ecclesiæ accidentibus non jam inde ab ejus exordio ipsi convenerunt. Satis est, si secundum certissimas Scripturas ei competant in eo statu, quem jam habet, quemque habitura fuit post disseminatum Evangelium in orbe per prædicationem Apostolorum. Quæritur enim jam post Apostolorum tempora Ecclesia in eo velut ætatis suæ statu, quem habet & habitura fuit post ea tempora, non autem in illo, quem vel in ortu suo, vel in primo progressu habuit ad breve tempus tanquam in infantia.*

(*Veræ notæ Ecclesiæ sunt inseparabiles*, inquit Bellarminus. At notæ, quas Pontificii assignant, *nō sunt inseparabiles*, fatente Gregorio de Valentia. Ergo non sunt veræ & propriæ notæ.)

Pazmannus lib. 8. Hodeg. cap. 9. *Signa eodem modo, eademque forma, qua in signum proponuntur, nulli alii competere, apud neminem etiam alium, quam rem notatam, reperiri debent.*

(At hac ratione nulla earum notarum, quas Pontificii assignant, erit vera & infallibilis nota, cum omnes ac singulæ, si à puritate doctrinæ separentur, etiam falsæ Ecclesiæ, quædam etiam infidelium cœtibus competant. Excipit vero Pazmannus: *Quamvis aliquod horum signorum etiam competat alii conventui, interim tamen cum reliquis signis simul acceptum nemini aliquam Ecclesiæ competit.* Atqui nondum convenit inter Pontificios, quæ & quot sint illæ sufficientes notæ, ut certus quis esse possit, an omnes simul sumserit. Nec communiter accidentia, sed propria rem certò notant; ac notæ adæquatæ non solum simul sumtæ, sed etiam una earum rem certò designat.)

3. Quod agnoscunt, notas illas non omnes necessario & semper Ecclesiæ convenire, (utique ergò non sunt adæquatæ & propriæ notæ.)

Pazmannus d. l. *Quando Ecclesia jam confirmata & dilatata fuit, non alio ad eam agnoscendam opus est testimonio, quam eo, quod Dominus Deus promiserit Ecclesiæ, illam in omne tempus & in omnes nationes extendendam, dilatandamque esse, semper Pastores & Antistites habituram & nunquam occultandam.*

(At si Ecclesia confirmata & dilatata non alio opus habet testimonio unde cognoscatur, quam quod extendenda sit in omnes nationes, quod semper Antistites habitura, quod nunquam occultanda, cur non contenti sunt Romanenses hoc testimonio, sed plures alias notas assignant? illæ enim cum non sint necessariæ & essentiales, utique erunt communes & accidentales.)

Thesis specialis prima. Nomen Catholicum non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. 1. Ecclesia dicitur *Catholica primario ac* πρώτως respectu electorum ac sanctorum, quatenus ambitu suo complectitur omnes vere in Christum credentes, totum illud mysticum corpus, cujus caput est Christus, quo sensu etiam accipitur in Symbolo Apostolico, ut patet ex voce *credendi*, quæ ostendit, de invisibili Ecclesia sermonem esse.

2. Quia vero electi ac credentes non sunt extra cœtum vocatorum, sed in ipso visibilis Ecclesiæ cœtu, in quo etiam hypocritæ ipsis sunt admixti, inde *secundario & consequenter* etiam visibilis Ecclesia vocatorum dicitur *Catholica*: Primo, *respectu substantiæ*, quatenus ambitu suo complectitur omnes vocatos, inter quos sunt non solum electi & vere credentes, sed etiam hypocritæ & non sancti, de doctrina tamen consentientes. In hac significatione nomen Ecclesiæ Catholicæ opponitur *Ecclesiis particularibus*, quæ in certa regione, civitate, vel familia colliguntur. Secundo, *respectu quantitatis, locorum* scilicet *ac temporum*, quatenus omnium locorum & temporum fideles complectitur, quæ vocari potest *Universalitas externa*. In hac significatione opponitur Ecclesiæ Israeliticæ Vet. Testamenti, quæ fuit ad certum locum alligata & duravit usque ad Christum. Tertio, *respectu qualitatis*, doctrinæ scilicet, quatenus una atque eadem est totius Ecclesiæ fides & confessio fundamento Prophetarum & Apostolorum innitens, quam vocare possumus *Universalitatem internam*. Catholica doctrina dicitur ea, quæ καθόλου & in universum sacris literis est consentanea. In hac significatione nomen Ecclesiæ Catholicæ opponitur conventiculis hæreticorum, qui licet quandoq; late se propagent & diu durent, fide tamen Catholica & Apostolica, ac consensu veteris & veræ Ecclesiæ destituuntur.

3. Quidam sic progrediuntur: Ecclesia Catholica dicitur, vel *ratione quantitatis, vel ratione qualitatis*. Quantitas spectatur, vel *ratione omnium partium & membrorum*, & sic determinat subjectum; vel *ratione omnium linguarum, gentium & nationum*, ex quibus Ecclesia Catholica colligitur, atque sic de Ecclesia prædicatur. *Ratione qualitatis* Ecclesia dicitur Catholica propter doctrinam & fidem, in qua cum tota Ecclesia seu cœtu omnium vere credentiū per totum orbem diffuso consentit, qui consensus interdum manifeste conspicitur, ut ad eum provocari possit, & tunc *Ecclesia Catholica* idem notat; quod *orthodoxa*, juxta interpretationem Justiniani Imp. l. Cunctos populos. C. de summ. Trinit. & fide Cathol. interdum, cum scil. ministerium publicum corrumpitur, est occultus, in iis, qui publici erroris sunt innoxii.

4. Catholicum dicitur, vel, *solo nomine* vel *ut rem conjunctam habet*. Respectu priore Catholicum non potest esse Ecclesiæ nota, quia ex mera & nuda appellatione non potest duci apodicticum argumentū. Si rem, ipsam sc. universalitatem appellationi conjunctā consideremus, duplex universalitas invenietur, una *externa*, quæ ex circumstantiis externis loci, temporis, status, conditionis, ætatis, sexus &c. æstimatur, altera *interna*, quæ fidem Catholicam, sive consensum in fide Catholica respicit. Illa vero Catholica fides necessario ex scriptis Propheticis & Apostolicis æstimanda est, siquidē ea continent Canonē & normam veræ fidei Catholicæ. Atqui hoc sensu posteriore, si scil. nomini Catholico conjuncta sit interna illa fidei universalitas Propheticis & Apostolicis scriptis determinata, facile concedimus, illam Ecclesiam, quæ est & vocatur *Catholica*, propter Catholicum in doctrina Prophetica & Apostolica consensum, esse veram Ecclesiam; *hæreticam* vero, quæ consensu illo fidei Catholicæ & Apostolicæ destituitur.

5. Ecclesia Christi Catholica omnium gentium respectu definitur,

definitur, *non affirmative*, quod necessario requirat amplitudinem eam, qua se nunquam non visibiliter per totum terrarum orbem diffundat; sed *negative*, quod ad nullum amplius definitum & peculiarem locum, ut olim ad Israeliticum, sit alligata, sed portæ ejus indefinite cunctis per universum orbem pateant.

Antithesis. Bellarm.lib.4.de Ecclesf.cap.4.§.1. *Prima Ecclesiæ nota est ipsum Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum nomen.*

Catechismus Synodi Tridentinæ duas facit Ecclesiæ notas, quod sit & dicatur *Catholica & Apostolica.*

Suarez lib.1.Defens.fidei cap.12.n.11.&12.objicit Serenissimo Angliæ Regi, quod *Papistas Catholicorum nomine appellasset.*

Jac. Rayhingius inter fidei Papalis fundamenta nono loco recenset *nomen Ecclesiæ Catholicæ.*

Compositio Pacis cap.1.qu.3.fol.5.q.6.& 7.cap.11. 96. &c. idem urget.

Nostram sententiam confirmamus,

1. Ex solo nomine ad rem ipsam non potest firmum & immotum argumentum duci. Joh. 8. v.33. 2.Cor.11.v.14. Apoc. 2.v.9.cap.3.v.1.& 9.&c. *Nomen habes, quod vivis, & mortuus es.* *Hæretici nos suo appellant nomine, h. e. Catholicis nomen hæreticorum imponunt,* inquit Hieronymus in cap.29. Jeremiæ. *Ecclesiæ nomine armamini & contra Ecclesiam dimicatis*, inquit Leo Magnus Epistol.83.ad Palæstinos.

2. Nomen *Catholicum* & *Christianum* etiam hæretici sibi arrogant. Cyprian.Epist.73. Tertull.lib.4.adv.Marcion.Lactant. lib.4.Instit.cap.30.

3. Nomen Catholicum non cœpit cum ipsa Ecclesia, quia antequam Evangelii prædicatio ad omnes gentes perveniret, Ecclesia non fuit dicta Catholica.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, nomen Catholicum & Christianum etiam cœtus hæreticorum sibi arrogasse.

(Bellarmin.lib.4.de Ecclesf.cap.2.§.5.disputat, *sinceram verbi prædicationem non esse notam Ecclesiæ, cum sit communissima omnibus Sectis, saltem opinione ipsarum.* Si ergo nomen Catholicum est commune hæreticis & Sectariis, saltem opinione ipsorum, non erit genuina & propria Ecclesiæ nota.)

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis adversf.Lutherum art.3. *Marcionitæ & Valentiani se Catholicos & orthodoxos dici voluerunt, cæteros hæreticos appellabant.*

Alphonsus de Castro lib.2.adv.hæref.verbo Adam, errore 3. *Armeni proprium habent primatem, quem Catholicum appellant, huic velut summo Pontifici obœdiunt. Romanum siquidem Antistitem contemnunt &c.*

Wilhelmus Lindanus lib.4.Panopl.cap 7. *Donatistæ se solos jactitabant Christianos,* ac de ipso nomine Catholico acriter cum Catholicis, h.e. orthodoxis contendebant, apud se potius esse Catholicam Ecclesiam, seque esse vere Catholicos, ut constat ex Augustino tom.7.in Collat.diei tertiæ cum Donatistis c. 2. *Inter hæc etiam,* inquit, *de Catholico nomine, apud quos potius esset, pauca ab utraque parte orthodoxorum & Donatistarum invicem dicta & objecta sunt, & jussum est, principali causæ potius reservari. Et post aliquanta, identidem cum Catholici à nominis facta mentione dicerent Donatistæ, apud se potius esse Catholicam &c.*)

Melchior Canus lib.4.Locor.Theolog.cap.1.circa init. *Hæreticis omnibus hoc gentile est, Ecclesiæ rem ad se nomenque transferre, & eam in illis esse negare, ubi revera est.*

Johan. Lorinus in Comm. Act. 20. v. 30. *Ariani se vocabant Catholicos.*

Bellarminus lib.4.de Ecclesia cap.1.§.2.adducit & approbat dictum Lactantii lib.4.divin.Institut.cap.ult. *Singuli quiq; hæreticorum cœtus se potissimum Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.*

Ibid. *Omnis hæresis ad se solam trahit veram Ecclesiam, & alios omnes extra Ecclesiam ponit.*

Lib.ejusd.cap.4.§.1. adducit & approbat dictum Augustini lib.contra Epist.fundam.cap.4. *Omnis hæresis vult videri & dici Catholica Ecclesia.*

(Non est, quod excipiat, *opinione tantum hanc notam hæresi convenire, non reipsa.* Nam, ut jam ante monuimus, tales requirit notas, quæ ne quidem opinione sint sectariis & hæreticis communes.)

Baronius tom.3. Annal. Anno 357.n.3.allegat locum Epiphanii hæres.57. quod *Ariani affectarint nomen Catholicum.*

Costerus part.3.Apolog. cap. 7. *Non quæritur, quid cæteræ Ecclesiæ dicant, sed quid vere dicant. Omnes hæretici affirmant, apud se veram & Catholicam fidem inviolatam retineri, ac cum constet, unicam esse fidem & unicam Ecclesiam, facile apparet &c. unicam ex omnibus veram fidem profiteri, & nomen Ecclesiæ Catholicæ sibi vendicare.*

2. Quod agnoscunt, orthodoxis nomen Catholicum ab hæreticis fuisse derogatum.

(Si nomen Catholicum esset adæquata, genuina & propria Ecclesiæ nota, utique esset ab ea inseparabilis, nec potuisset ab hæreticis veræ Ecclesiæ derogari. Connexio ulterius confirmatur ex eo, quod Bellarminus requirit tales notas, *quæ ne opinione quidem sint sectariis & hæreticis communes.*)

Roffensis d. l. *Novatiani se puros vocabant, cæteros omnes impuros.*

Wilhelmus Lindanus in Præfat.Panopl.§.Quod inquiunt. *Priscis illis seculis Catholicæ atque Apostolicæ fidei propagatores simul & propugnatores Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, hæretici calumniabantur Apostolicæ doctrinæ corruptores, & hæreticos Manichæos, Homousianistas, Sabellianos, Basilianistas appellabant.*

Lib.3.Panopl.cap.38. *Manichæi Catholicos Semi Christianos vocabant.*

Lib.4.Panopl.cap.7.in fine. *Jovinianus Ambrosium appellabat Manichæum, Augustinum Pelagiani hæreticum.*

Posnanienses Jesuitæ thesi 4. *Ariani orthodoxos homousianos per contumeliam dixerunt, & Donatistæ eos etiam vocabant Traditores.*

Sixtus Senensis lib.4. Bibl. memorat, *orthodoxos ab Arianis olim vocatos fuisse homousianos & Athanasianos.*

Johannes Lorinus d.l. *Ariani Catholicos, hoc est, orthodoxos vocabant homousianos, Athanasianos, Romanos, hoc est, hæreticos.*

Rayhingius fundam. 9. p.226. asserit, *Catholicos à Novatianis dictos fuisse Cornelianos.*

3. Quod agnoscunt, nomen sine re nihil valere.

(Jam vero Catholicum solo nomine Pontificiis competit, cum Ecclesia Pontificia destituatur fide Catholica in Propheticis & Apostolicis Scripturis fundata.)

Johannes Ferus in cap.8. Actor. *Simon Magus vulgo dictus erat, magna Dei potentia. Ita enim populum dementabat, ut, quod Deo proprium est, in creaturam transferret.*

Franciscus Ribera in cap. 3. Apoc. *De Ecclesia Sardicensi dicit Spiritus, Scio opera tua, quia nomen habes quod vivis, & mortua es. Hæc erat mortua, cum tamen nomen haberet, quod viveret & opinione sua viva erat.*

Everhardus in Topicis, loco ab Etymolog. n. 12. monet, *limitandum esse vulgare dictum, Si re priveris, nec nomen habere mereris, ut scilicet illud procedat, quando nomen significat substantiam vel qualitatem necessariam inesse alicui subjecto, secus si nomen significet solam simplicem demonstrationem*

Num. 13. subjungit, *ex sola nominatione, ut quia masculus & fœmina se conjuges nominant, non probari matrimonium, quia uxor mœcha quæstum faciens genere quodam meritorio nihilo secius uxor nominatur.*

4. Quod agnoscunt, cum nomine Catholico fidei Catholicæ veritatem conjungi oportere, si debeat esse genuina & propria Ecclesiæ notæ.

(Demonstrent igitur Pontificii, dogmata Ecclesiæ suæ esse Catholica, hoc est, Catholicis Prophetarum & Apostolorum scriptis conformia, si ex nomine Catholico Ecclesiæ suæ veritatem demonstrare velint.

Nestorius Olevanus in Epist. ad Animum Brunsfeldium Anno 1584. exarata: *Post Augustana Comitia, quæ celebrata fuerunt Anno 30. Evangelicum nomen cœpit obscurari. Et Pontificii Evangelicos Protestantes cognominabant, sese autem Obedientes, & privatim inter se dissentientes, his duobus nominibus divisi sunt atque distincti à se invicem. Sed Protestantes nomen Evangelicum præclarum judicantes illud retinere sategerunt. Quod animadvertentes Pontificii Evangelii nomen illustrius esse, quam Obedientiæ, arripuerunt nomen Catholicum & sese Catholicos vocarunt, quod nomen illis minime concedendum est &c. Doctrinâ enim Catholica & Universali verbum istud ponderandum esse sentio.*

Animus Brunsfeldius in Epist. ad Nestorium Olevanum eod. Anno scripta. *Non potest esse Catholicus, non Catholica Ecclesia, quæ à Catholica fide defecit. Defecit autem Ecclesia Romana à fide Catholica, hoc est, à vera doctrina & persona Jesu Christi. Ergo non est Catholica. Vera & Catholica fides cognoscitur ex scriptis Prophetarum & Apostolorum, & ex Commentariis atque scriptis Patrum primæ Ecclesiæ*

Ecclesiæ, cum Latinorum, tum inprimis Græcorum, apud quos fateor doctrinam de persona Jesu Christi diligenter custoditam & defensam fuisse, sed posterioribus temporibus statim depravatam & vitiatam à Rom. Episcopis.)

c. Prima igitur. dist. 4. de consecrat. *Propterea sancta & Catholica est Ecclesia, quia recte credit in Deum.*

Hincmarus Rhemorum Archiepiscopus (circa Ann. 882.) cap. 20. libri contra ejusdem nominis Hincmarum Jandunensem Episc. memorat, *de destructione septimæ Synodi Græcæ non modicum volumen, (quod in palatio adolescentulus legerit) ab Imperatore Carolo Magno Romam per quosdam Episcopos esse missum, in cujus voluminis lib. 4. hæc de Universali (sive Catholico) nomine scripta sint: Universitas ab uno cognominatur, quod uno multoties verso propagatur. Nam multitudo unitatum vertendo in unum collecta universitas efficitur. Sicut enim Ecclesia universalis est, quæ Græco eloquio Catholica dicitur: ita nimirum omne, quicquid ab ejus unitate non discessit, Catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel quælibet constitutio sive traditio talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ, quod nequaquam hæretici observavere, qui per diversas mundi partes aliquibus regionum partibus coarctati, conventicula quædam statuêre, quibus & se & quamplurimos ab Ecclesiasticæ unitatis consortio segregaverunt. Cum ergò duarum & trium provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, Catholicum est, quod faciunt, & fortasse dici potest Universale, quoniam quamvis non sit ab universi orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat, quod crebro factum in plerisque mundi partibus quibusdam necessitatibus incumbentibus scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & roboratur Ecclesia. Si verò duarum aut trium provinciarum Præsules in unum convenientes nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi orbis Ecclesia consentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est Catholicum, quod faciunt, & ideo Universale nuncupari non potest. Omne, quod Ecclesiasticum est, Catholicum est: & omne quod Catholicum est, Universale est. Omne autem quod Universale est, profanis vocum novitatibus caret. Omne igitur, quod Ecclesiasticum est, profanis vocum novitatibus caret. Et si hæc Synodus vocum novitatibus careret, ac antiquorum Patrum dogmatibus contenta esset, Universalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est, non igitur Universalis dici potest. Universalem plane eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam Universalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.*

Eadem habentur in libro Synodico Francofurtensi cap. 28.

Johan. Picus Mirandulanus theoremate 13. *Ecclesia primo & principaliter dicitur Catholica, quæ omnes rectæ & Apostolicæ fidei & non fictæ caritatis homines complectitur.* (Desumtum hoc ex loco Cunctos populos C. de summ. Trinit. & fid. Cathol. *Catholici ab hæreticis Apostolica Evangelicaque doctrina distinguuntur*, quam significationem uti primam etiam Suarez concedit lib. 1. Defens. fid. Cathol. cap. 14.)

Greg. de Valentia in Anal. lib. 6. cap. 3. *Ecclesia dicitur Catholica, h. e. Universalis, propter universalitatem doctrinæ, quam profitetur de Deo, creaturis, Angelis &c.*

Bellarm. lib. 4. de Eccl. cap. 7. §. 1. adducit dictum Vincentii Lyrinensis in commonitorio. *Eos proprie esse Catholicos, qui tenent id quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.*

(Agnoscit igitur, nudum ac solum nomen Catholicum non sufficere, sed cum eo fidei Catholicæ veritatem conjungi oportere, si debeat esse vera, genuina, propria & essentialis Ecclesiæ nota. Proinde si Pontificii ex nomine Catholico Ecclesiæ suæ veritatem evincere cupiunt, demonstrent, *semper, ubique & ab omnibus Catholicis id creditum esse, quod in Ecclesia Romana hodie docetur.*)

Huc pertinet, quod per nomen Catholicum orthodoxi olim distincti fuerint ab hæreticis Trinitatis mysterium negantibus. Sozomenus lib. 7. Hist. Eccles. cap. 4. *Theodosius decrevit, ut illorum Ecclesia duntaxat Catholica diceretur, quæ Trinitatem æquali honore coleret.*

(Demonstrent igitur Pontificii, nos à fide Catholica secessionem fecisse ac mysterium Trinitatis negare, si nomen Catholicum nobis velint derogatum.

5. Quod agnoscunt, Ecclesiam Christianam à Patribus dictam fuisse Catholicam, ut distingueretur à Synagoga Judæorum, & ab illis hæreticis, qui Ecclesiam uni loco affixam esse putarunt.

(At in hac significatione non potest nomen Catholicum Ecclesiæ nostræ derogari, quia disertis verbis docemus, Ecclesiam nostram non esse certo loco alligatam.)

Thomas in Exposit. Symbol. cap. 12. *Ecclesia est Catholica, id est, Universalis, Primo, quantum ad locum, quia est per totum mundum, contra Donatistas. Secundo, quantum ad conditionem hominum, quia nullus abjicitur, nec dominus, nec servus, nec masculus, nec ancilla,* (nec Judæus nec gentilis.) *Tertio, quantum ad tempus, quia Ecclesia incipit à tempore Abel, & durabit usque ad mundi finem.*

Ludovicus Vives in Comm. lib. 10. de Civ. Dei cap. 32. *Hæc est pietas nostra, quæ ideo Catholica dicitur, quod non certo alicui populo tradita est, sicut Judaica, sed toti generi humano, nec ullum excludit, omnibus per hanc salvis esse licet, & sine hac nulli.*

Bellarmin. lib. 4. de Eccl. cap. 7. §. Sunt autem. *Observandum est ex Augustino lib. de unit. Eccles. cap. 6. & Beda in cap. 6. Cantic. ut Ecclesia sit Catholica, inprimis requiri, ut non excludat ulla tempora, loca vel hominum genera, in quo distinguitur à Synagoga, quæ erat Ecclesia particularis non Catholica, quia erat alligata uni tempori usque ad adventum Messiæ, Item uni loco, i. e. templo Salomonis, extra quod non poterat sacrificari, & uni familiæ, hoc est, filiis Jacobi.*

6. Quod tales asserunt hypotheses, ex quibus inferre possumus, nomen Catholicum non posse Ecclesiæ nostræ derogari. Præterquam enim quod fidem Catholicam vere & proprie sic dictam amplectitur, nec est ulli loco alligata, ut in membro 4. & 5. præcedentibus monuimus, notandum insuper

Primo, quod statuunt, *Catholicum & Christianum esse idem.* (Secuti hac in parte Pacianum, qui Epist. 1. ad Sempron. scribit: *Qui Catholicus est, idem iste est obediens, & qui obediens, idem est Christianus, atque ita Catholicus Christianus.* Aut ergò nomen Christianorum nobis derogent, aut cognomen Catholicorum concedant.)

Præfat. Ludov. Granat. in Ducem peccatorum. *Catholicum & Christianum idem omnino est.*

Canisius in Symbolo addit hæc verba, eine allgemeine Christliche Kirche. (Jam vero vox Christiana non extat in Symbolo, ideoque male huc transfertur, nisi Canisio *Catholicum & Christianum* sunt Synonyma.)

Bellarm. lib. 4. de Eccl. cap. 4. *Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum nomen* unam statuit notam Ecclesiæ. Ac §. Justinus &c. adducit & approbat dictum Lactantii lib. 4. Instit. cap. 30. *Cum Marcionitæ aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana & externa vocabula induerunt.* (Aut ergo concedant, nos esse Catholicos, aut negent, nos esse Christianos. Posterius facere nequeunt, quia Concil. Trident. sess. 15. in salvo conductu Protestantib. dato *Christianorum* nomen nobis tribuit, ap. Binium tom. 4. pag. 836. *Quæ quidem omnia, inquiunt, pro universis & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus tam Ecclesiasticis, quam secularibus quibuscunque &c. inviolabiliter observanda esse promittit.*)

Secundo, quod statuunt, illum esse Catholicum, qui in rebus fidei non pendet ab autoritate humana. (Ostendant igitur, nos ullius hominis autoritatem veritati fidei in Scripturis revelatæ præponere. Liberat nos ab hoc crimine Bellarminus ipse sic scribens lib. 3. de V. D. cap. 3. §. At hæretici &c. *Hæretici hujus temporis docent, Spiritum non esse alligatum ullis Episcopis aut ulli hominum generi, & ideo unumquemq; judicem esse debere.* Nos ergò sumus veri Catholici, quia fides nostra non dependet ab hominum autoritate, nec alligamus Ecclesiam certo loco vel certis hominibus, nec denominamus nos ab homine, tanquam fidei nostræ autore & fundamento, sed unice ac insolidum nitimur Catholicis Prophetarum & Apostolorum oraculis. Pontificii vero non sunt vere Catholici, quia à judicio Romani Pontificis in rebus fidei unice pendent.)

Georg. Ederus in Oeconom. Biblica lib. 5. in Epilog. ex Vinc. Lyrinensi Catholicum definit eum, *qui veræ fidei non præponit cujusquam autoritatem.*

Tertio, quod *Catholicum* agnoscunt idem esse quod *Universale.* (Jam verò etiam nostra Ecclesia est Catholica & Universalis, ratione *Catholicismi interni*, qui consistit in fide Catholica & Universali.)

Feuardentius Præfat. in Epist. Jacobi. *Epistola Jacobi Catholica dicitur & Universalis. Ut enim Epistola ad Romanos Græcis etiam utilis erat, sic hæc Judæis dicata universos instruit.* (Si ratione doctrinæ Epistola illa dicitur Catholica, utiq; etiam nostra Ecclesia, Prophetarum & Apostolorum doctrinam amplexa, ratione illius doctrinæ Universalis recte vocari potest Catholica. Si excipere

cipere velint, *nostram Ecclesiam ratione amplitudinis non esse Catholicam, cum non diffundatur per totum terrarum orbem*; resp. ex Bell. lib. 4. de Eccles. cap. 7. §. 3. *Nota ex Augustino Epist. 80. ad Hesychium, ut sit Ecclesia Catholica, non requiri, ut sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum ut innotescat omnibus provinciis & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de Ecclesia &c.* §. 4. *Nota ex Driedone lib. 4. cap. 2. part. 2. de Eccles. dogmat. non requiri, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario esse oporteat aliquos fideles. Satis enim est, si fiat successive. Ex quo id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere & proprie diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diversis in toto mundo.* Cui conforme est illud Costeri in Enchir. tract. de Eccles. §. Postquam. *Ut Ecclesia eodem tempore totius orbis ditiones occupet, ne in hunc usque diem forte contigit.*)

Quarto, quod Christianorum nomen fidelibus in primitiva Ecclesia sufficiens fuisse agnoscunt.

Stanisl. Hosius lib. 1. de hæresibus nostri temporis. *In primitiva Ecclesia non vocabantur alii Evangelici, alii Papistæ, non aliis quibuscunque nominibus censebantur: sed à Christo, quem unanimiter profitebantur omnes, in quo sibi solo fas esse gloriari persuasum habebant, Christiani cuncti nominabantur, quo nomine nullum sibi dari posse nomen gloriosius existimabant.*

Wilh. Lindanus Episcop. Ruræmund. in Dial. Dubitantii. *Cum tranquillus multos annos, fere septingentos, totus ageret orbis Christianus, unoque Christi nomine censerentur Christiani omnes &c.* (Atqui si Christianorum nomen est sufficiens, Catholicorum non erit simpliciter necessarium.)

Quinto, quod agnoscunt, nos Ecclesiam non alligare certo loco, vel certis hominibus. Ergo nostra Ecclesia vere est Catholica, Adversariorum vero Ecclesia non est vere Catholica, quia Romanæ Sedi & Pont. Rom. eam alligant.

Bellarmin. lib. 3. de V. D. cap. 3. §. At hæretici &c. *Hæretici hujus temporis docent, Spiritum sanctum Scripturæ Interpretem non esse alligatum Episcopis, vel ulli hominum generi &c. Lutherus in art. 115. ex illis quingentis, quos Cochlæus collegit ex libris Lutheri, sic ait: Capite hoc Evangelium, quia neque Papæ, neque Conciliis, neque ulli hominum commissum est, ut constituat & concludat, quid sit fides &c.* (puta extra & contra Scripturam) *Brentius in Confess. Wirtenb. cap. de sacra Scriptura docet, quod non liceat in causa æternæ salutis alienæ sententiæ ita inhærere, ut eam sine nostro ipsorum judicio amplectamur.* (Quo referendum est, quod Lutherus tom. 2. Jen. Germ. f. 81. tom. 4. Jen. Germ. f. 4. tom. 6. Witeb. f. 372. prohibeat, *ne quis ab ipso tanquam primo doctrinæ autore denominetur.*)

Sexto, quod suam Ecclesiam à capite visibili *Papalem*; à loco *Romanam* denominant, ac Monasticen professi ab hominibus se appellant. (Ergò ipsorum Ecclesia non est vere & proprie dicta Catholica.)

Georg. Cassander in libello de officio viri pii p. 35. oper. fol. 792. *Sunt alii, qui quod non pauca ex ipsa antiquitate adhuc apud se reliqua vident, præsentem Ecclesiæ statum, quamvis corruptum & pantim subortis abusionibus contaminatum, omnino tamen suo loco manere volunt, neque quicquam, quamvis id veterum Decretis consentaneum fieri possit, immutari patiuntur; Pontificem vero Romanum, quem Papam dicimus, tantum non Deum faciunt: ejusque autoritatem non modo supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam divinam efferunt, & sententiam ejus divinis oraculis parem, immo infallibilem fidei regulam constituunt. Hos non video, cur minus Pseudo-Catholicos & Papistas appellare possis.*

Erasmus in annot. ad cap. 24. Matth. super verba: *Ecce hic est Christus. His verbis excluditur schisma hæreticorum, sed idem nobis quoque cavendum est, qui nobis orthodoxi videmur. Audimus Monachos passim clamantes, singulos de cellis suis, Ecce Christus hic est, apud alios non est, nec hos tamen inter se consentire. Observantes dicunt, apud Conventuales Christus non est, sed hic est Christus. Rursus Benedictini clamant, hic est Christus, non apud Mendicantes.*

Idem in 1. Cor. 3. *Si D. Paulus ita stomachatur in Corinthios &c. quid diceret de nostræ tempestatis factionibus, quia mille cognomentis, mille cultibus, Ceremoniis, regulis inter se dissident, qui vocantur Religiosi? quibus ex rebus quantum concordiæ Christianæ nascatur inter hos, non libet commemorare.*

Bellarmin. lib. 4. de not. Eccles. cap. 4. §. ult. ad argumentum, quod vocentur Papistæ & Romanenses, sic respondet: *Ista nomina veritati attestantur &c. Papista enim deducitur à Papa, qualis fuit etiam Petrus & Christus ipse, ut notum est. Romanus autem & Romanensis etiam ante mille & centum annos idem erat; quod Catholicus, ut patet ex Ambrosio in oratione de obitu Satyri.* (Fatetur igitur, se vocari Papistas, sed excipit, *etiam Petrum & Christum fuisse Papam*, quod μέγα λίαν ἄιτημα. Rom. & Catholicam Ecclesiam differre, ut partem & totum, ostendimus in proœm. cap. 2.)

Joh. Lorinus in Comm. Act. 20. v. 30. §. *Unus est. A Papa Papistas dici nec veremur, nec erubescimus, imo in eo egregiũ orthodoxæ fidei elogium testimoniumque libenter agnoscimus ac profitemur.*

Rayhingius in muris civit. sanctæ. fundam. 19. p. 226. & 227. agnoscit, *Ecclesiam suam esse & vocari Romanam ac Papalem.*

Petrus Cursemius in Saxon. Cathol. pag. 156. fidem Papisticam vocat *religionem Catholicam Romanam*, (quod opponendum Dillingensibus, qui in Composit. Pacis q. 70. n. 98. indignantur & dicam illis scribunt, qui quandoque ipsos cum additamento *Romano-Catholicos*, Römisch-Catholische vocant.)

Jacobus Beyus lib. 1. Instit. cap. 18. p. 318. *Papistæ nomen nihil aliud significat, quam hominem Papæ communionem tenentem, seu Petri cathedræ, summoque Ecclesiæ Pastori & vero Christi Vicario adhærentem, proinde Papistæ atque Pontificii nomina nihil mali, sed confessionem veritatis continent.*

D. Landherr im scharffen runden Auge / Admirat. 3. lit. E. j. Ihr solt seyn auffrichtige Päpstische / in Gottesfurcht wolerzogene Kinder / des Bapsts Liebhaber / Item, treue gehorsame Unterthanen.

Quinimo nomen Romanæ Ecclesiæ ipsi fidei Symbolo inserere non dubitarunt.

Articuli Inquisitionis Belgicæ à Doctoribus Lovaniensibus Regis Hispaniarum subditis Ann. 1568. præscriptis, inter cætera art. 13. sic habent: *Credo, sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium aliarum Ecclesiarum esse Magistram atque matrem.*

Septimo, Erasmus videtur nomen Catholicum postponere nomini Christiani. Sic enim scribit lib. 17. Epist. 26. ad Montoium apud Schultet. in Annal. Ann. 1521. *Nec technis quorundam, nec pollicitis, nec odiis aliorum unquam perpelli potui, aut potero, ut alius sim quam Christianus, male sit omnibus, qui gaudent dissidiorum nominibus.*

Arg. Bellarm. 1. *Cum in aliquam urbem veneris, ubi variæ sectæ conveniunt, quærasque ubi sit Ecclesia vera, omnes hæretici dicent, se habere veram fidem & veram Ecclesiam; sed petas insuper, ubi sit Catholica, nullus hæreticus suam Ecclesiam ostendet.*

Resp. 1. Pontificii nos vocant *Evangelicos, Reformatos &c.* Si ergò in aliquam urbem veneris, ubi Pontificii & Augustanæ Conf. socii publicũ habent Religionis exercitium, ac quæras, ubi sit Ecclesia Evangelica & Reformata; nõ ad Romano-Catholicos, sed ad Augustanæ Confessionis socios te deducent.

2. Si Venetiis quæras de Ecclesia Catholica non addito nomine Romanæ, Græci ad suam te revocabunt Ecclesiam, cui nomen Catholicum, antiquitatem, successionem Episcoporum &c. æque vendicant ac Romanenses suæ. Patriarcha Sedis Constantinopolitanæ adhuc hodie se vocat *Universalem & Oecumenicum*, quo nomine ipsius Antecessores jam olim fuere honorati, l. 7. C. de summ. Trinit. Nov. 3. 5. 7. 16. 42. &c.

Argum. 2. Ex 1. *Cor. 1. v. 12. cap. 3. v. 4. apparet, schismaticos tempore Pauli nomina ab hominibus sumsisse, ita ut quidam dicerent, se esse Pauli, alii se esse Cephæ, alii Apollo. Ergo schismatici sunt, qui ab hominibus denominantur; Catholici, qui à Christo tantum nomen habent.* Idem repetunt Bened. Justinian. & Tirinus Jes. in Comm. h. l.

Resp. 1. ex Alphonso de Castro lib. 2. advers. hæres. tit. Aqua; hæres. 2. *Hæretici flagellantes ita ab eorum opere nomen sunt sortiti, quoniam nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, seipsos flagellabant. lib. 4.* titul. Christus, hæres. 4. *Surrexerunt Acephali, qui simul insurrexerunt, nullus enim repertus est, qui eorum esset Princeps & Magister. Isti unam tantum in Christo Naturam esse dicebant.* Lib. 6. tit. Eucharistia, hæresi 6. de Aquariis. *Quis fuerit hujus hæreseos autor, & quo tempore cœperit, apud neminem invenire potui.* (Dantur ergò hæretici, qui non sumserunt sibi nomen ab ullo homine. Tales etiam fuerunt Alogiani, Agnoetæ, Angelici, Anthropomorphitæ, Cathari &c.)

Erasmus & Stapulensis in Comm. 1. Cor. 1. scribunt: *Voces illas, Ego sum Francisci, ego Dominici, ego Benedicti, similes omnino esse illis, quas Paulus in Corinthiis reprehendit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.* (Ergo locus Apostolicus Romanenses potius taxat.)

3. Estius in Comm. 1. Cor. 1. v. 12. disputat, *non esse reprehendendos, qui dicunt, Ego sum Thomæ, ego Scoti, si tantum hoc sentiunt, se hunc aut illum insignem doctorem Scholasticum sequi tanquam præceptorem, ducem ac monstratorem doctrinæ sacræ, quantum pertinet ad metho-*

methodum, sententias & principia quædam, quæ probabiliter disputari possunt, non sic autem, ut ejus sententiis per omnia sibi statuant, ac mordicus in hærendū, atq; eum nusquam aberrasse credant, neq; pugnaciter pro placitis ejus certēt, tanquam jurati in verba Magistri, sed agnita libenter cedant veritati, imo etiam majori probabilitati, secluso omni studio partium & specie factionum. Eadem exceptione utuntur Benedictus Justinianus & Tirinus Jesuitæ.

(At si cum hac limitatione à Thoma, Scoto &c. se denominare licet, utique cum eadem limitatione à doctore orthodoxo, non tanquam primo doctrinæ autore, sed monstratore denominari, non est statim signum schismatis, vel hæreseos.)

4. Omnes Interpp. Pontificii concedunt, illos, quos Apostolus perstringit, in articulis fidei fuisse consentientes, ac tantum propter majora dona docentium schismata excitasse & alios ab aliis doctoribus se denominasse.

(Ex eo autem inferri nequit, eos qui communi *Christianorum* vel *Catholicorum* nomine vocantur, non esse schismaticos vel hæreticos, cum etiam hæretici velint dici Christiani & Catholici.)

5. Baronius tom. 1. Ann. 57. n. 3. statuit, *illos, qui se Cephæ esse dicebant, non contentionis studio id fecisse, sed ut declinarent illam contentionem & scissuram Ecclesiæ, rem ad suum principium, id est, ad Ecclesiæ caput reducentes.* Sed Benedict. Justinianus in Comment. 1. Cor. 3 id *probabile tantum esse* scribit, ex professo autem refellit Estius in Comm. ejusd. loci, Primo, *quia secundum hanc opinionē Petrus & Christus tanquam capita diversa non essent distinguendi. Ego sum Cephæ, ego autem Christi.* Secundo, *quia pro Corinthiis Petrus æque non est mortuus, nec in Petri nomine baptizati sunt, ut de Paulo dicitur v. 13.* Tertio, *in cap. 3 v. 21. generaliter concludit. Nemo glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas. Unde recte dicit Beda in h. l. Quotquot Apostoli per prædicationem Evangelii filios generarunt, non Paulinianos, non Petrianos, sed Christianos nominaverunt. Theodoretus in 1. Cor. 1. Adjecit nomen Principis Apostolorum, docens, quod neutrorum nominibus ad hoc uti æquum est.*

6. Lutherus noluit quenquam à se, tanquam dogmatis autore, denominationem petere debere. Sic enim scribit tom 2. Jen. edit. Anno 72. f. 62. *Ego nec sum, nec volo esse alicujus Magister. Ego cum Ecclesia habeo unam Christi doctrinam, qui omnium nostrûm Magister est.*

Thesis specialis secunda. Antiquitas non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. 1. Antiquitas vel est *vera* ὄντως talis, vel *apparens* δοκίμως talis

2. Antiquitas vel est *prima*, quæ originem suam ad Deum ipsum antiquum dierum Dan. 7. v. 13. sive divinā revelationem referre potest, vel *post primam orta*, quæ post divinā patefactionem subingressa aliquot seculis duravit. Idipsum alii sic efferunt, Distinguendum esse inter *primævitatem & longævitatem.*

3. Antiquitas vel conjunctam habet *doctrinæ cœlestis veritatem ac sinceritatem*, vel ab ea est sejuncta ac separata. Antiquitas, quę opinione duntaxat talis, quæ non potest originem suam referre ad divinam revelationem, quæque non habet conjunctam doctrinæ cœlestis veritatem ac sinceritatem, non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Antithesis. Thomas Bozius lib. 3. de signis Eccles. cap. 9. prolixe ex Scriptura sacra & Patrum doctrina probat, *antiquitatem esse signum Ecclesiæ certissimum.*

Bellarm. lib. 4 de Eccl. c. 5. *Secunda nota Ecclesiæ est antiquitas.*

Sixt. Senens. lib. 8. annot. 104. Jesuitæ Posnanienses in Disp. de Eccles. & alii antiquitatem itidem pro vera Ecclesiæ nota agnoscunt.

Greg. de Valent. in Analysi fidei part. 6. fol. 190. postulat monstrari *tempus, autores & modum apostasiæ in Rom. Ecclesia, si quæ sit unquam facta.*

Nostram sententiam probamus,

1. Jubemur divino præcepto scrutari, num antiquitas, quæ prætenditur, sit vera & prima antiquitas, conjunctam habens divinæ revelationis originem & doctrinæ cœlestis veritatem? Ezech. 20. v. 18. & 19. Ergo antiquitas sola & per se non est Ecclesiæ nota.

2. Doctrinæ Christi & Apostolorum *novitatis* crimen objiciebatur Marc. 1. v. 27. Act. 17. v. 19 sed propter apparentē illam novitatem, quæ videbatur talis veteribus erroribus innutritis, non repudiabatur, nec repudiari etiam debebat, sed propter συμφωνίαν cum Scripturis acceptari, Joh. 5. v. 39. Act. 17. v. 11.

3. Matth. 19. v. 3. Pharisæi in quæstione *de divortiis* provocabant ad antiquitatem, sed Christus revocat eos ad veram & primam antiquitatem in sacris literis descriptam v. 4. docet ergò, in quæstionibus fidei nullam temporis præscriptionem, nullam diuturnæ consuetudinis, vel apparentis antiquitatis rationem esse habendam, sed ex sacris literis, quæ sunt omnium antiquissimæ, veritatem esse investigandum.

4. Antiquitas non convenit Ecclesiæ semper ac perpetuo, quia fuit tempus ejusmodi, quo Ecclesia nondum erat antiqua. Ecclesia V. Test. initium habuit in Adamo, Ecclesia N. Testam. tempore Christi & Apostolorum.

5. Antiquitas non convenit soli Ecclesiæ, quia jam inde ab initio generis humani fuere duæ civitates Dei & Diaboli; gentiles in Disputationibus contra Christianos provocarunt ad antiquitatem; Baalitæ, Pharisæi &c. ad antiquitatem provocabant; Judæi, Ariani &c. adhuc hodie ad eandem provocant.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, consuetudinem, Scripturæ ac veritatis suffragio destitutam, nihil quicquam in rebus fidei & cultu divino valere. Itemque consuetudinem veritati in verbo revelatæ cedere oportere. (quomodo igitur sola & nuda antiquitas poterit esse genuina & infallibilis Ecclesiæ nota?)

Ejusmodi testimonia magno numero ex Jure Canonico & aliis Scriptoribus Pontificiis sunt adducta, lib. 1. part. 2. cap. 12. num. 3. & 4.

2. Quod agnoscunt, gentiles ab antiquitate ad fidei & Ecclesiæ veritatem falso argumentari. (Ergò antiquitas sola, sive qua talis, non est veræ fidei & Ecclesiæ nota.)

Clemens Romanus Episcopus lib. 4. Recognitionum. *At, dicunt gentiles, impium est si non colamus ea, quæ nobis tradita sunt à Patribus nostris, & religionem prævaricemur à majoribus datam. Hac ratione si cujus pater latro fuerit aut leno, à patribus sibi datam consuetudinem mutare non debet.*

Franc. Xaverius lib. 4. Epist. 1. *Indi, ne Christiani fierent, causam hanc afferebant, se à majoribus suis semper Deorum cultores extitisse, Sacerdotibus suis Bonziis plurima largitos esse, sedes & domicilia excitasse, itaque si jam ad Christum se transferrent, omnem superioris vitæ fructum perdituros.*

Ibid. *Hac Indos odiosissima cogitatio vel maxime à Dei cultu revocabat, quod ex nostra doctrina didicerant majores suos salutaris veritatis hujus cognitione destitutos ad interitum ivisse sempiternum.*

Josephus Acosta lib. 2. de procurand. Indorum salute c. 18. *Difficillimum nobis apud Indos fidei impedimentum ex ipsa inveterata consuetudine proficiscitur, ubique sane consuetudo magnas vires habet, sed apud barbaros maximas, quippe ubi rationis est minimum, ibi consuetudo radices profundissimas agit.* (Desumsit hoc ex Chrysostomo, qui homil. 7. in 1. Cor. sic comentatur: *Fertur Plato, quamvis certo eorum intelligeret errorem, qui Deos colerent, solennitatib. tamen & aliis eorum Ceremoniis condescendisse, utputa, qui consuetudini repugnare non posset. Quod reipsa à Magistro, Socrate, didicit, qui suspectus quædam circa religionem innovasse, tantum abfuit, ut, quod vellet, assequeretur, ut & vita, quamvis defensus, excideret. Quot autem & in præsentia videmus homines à priori sua opinione in impietate perseverantes, qui gentilitatis accusati, cum nulla se possint ratione defendere, patres, avos & proavos in suam adducunt accusationem? propterea quidam Scriptorum secundam Naturam consuetudinem appellaverunt, quæ cum in dogmatib. est, longe firmior efficitur. Nam facile est, quidvis aliud mutare, quam religionem & consuetudinis reverentiam.*)

Huc referri potest Historia de Rochardo Phrisonum Duce circa Annum 700. Is enim cum baptizandus esset & pedem unum sacro lavacro jam intinxisset, quæsivit: *Ubinam pars major suorum antecessorum constituta esset, in inferno, an in Paradiso?* & audiens, *plures esse in inferno*, mox intinctum pedem retrahens, *rectius est*, dixit, *plures quam pauciores sequi.* (Sigebertus in Chronic. illum vocat *Ratholdum ac Wulfrani Episcopi prædicatione conversum*, sed *tertia post Baptismi recusationem die à Dæmone interfectum* memorat.)

3. Quod agnoscunt, Samaritanos & Pharisæos ad antiquitatem provocasse.

De Samaritanis sic scribit Carolus Sigonius lib. 2. de Rep. Hebr. cap. 6. *Eligebat Deus duas urbes cultus sui, Silo in Samaria, & Jerusalem in Judæa; in illa tabernaculum, in hac templum suum constituebat, rejecta Silo diligebat Jerusalem. Samaritæ nihilominus cultus divini laudem sibi vendicabant, eò, quod in Silo primum invocatum esset nomen Domini. Judæi contra ad se id decus trahebant, eò, quod postea Deus Sionem, h. e. Hierosolymam Silo præposuisset,*

Cornelius Jansenius in cap. 4. Johan. *Mulier Samaritana pro antiquitate loci divini cultus contendebat & objiciebat exemplum*

Abrahæ

Abrahæ & Patriarcharum, Patres nostri, inquit, adoraverunt in hoc monte: Judæi vero Prophetarum & verbi divini autoritate suum cultum tuebantur. Samaritani contra sibi videbantur Antiquitatis vestigiis insistere.

De Pharisæis idem Cornelius Jansenius in cap.19. Matth. sic scribit: *Postquam Pharisæi proposuissent constitutionem Mosis, cui nitebatur divortii consuetudo, Dominus vicissim illis proponit antiquiorem DEI circa propositam quæstionem constitutionem, cui tum ob antiquitatem, tum quod Dei esset, non Mosis, Mosaica constitutio merito cedere deberet.*

Haud incommode huc referri posset responsum Abassinorum Pontificiis datum apud Nicol. Godignum de Abassinis lib.2. cap.18. *Annos jam transiisse plus quam mille, ex quo illam profitebantur fidem: si quid in ea inerat à vero abhorrens, quam ob causam tot per annos nemo fuerit, qui tales ipsis exprobraret errores?* Et iterum. *In eadem nunc sumus fide, in qua fuimus ab initio, ea, si recta non erat, cur per tot ætates ac secula nemo repertus est, qui nos errantes commoneret?* (Eadem omnino exceptione Pontificii contra nos utuntur, quam ab aliis audire coguntur.)

4. Quod agnoscunt, antiquitatem sacrarum Scripturarum suffragio destitutam nihil valere, neque quicquam veritati derogare.

Bernhardus Epist. 91. ad Abbates Suessione congregatos. *Recedant à me & vobis, qui dicunt, nolumus esse meliores, quam Patres nostri, tepidorum & dissolutorum se filios protestantes, quorum memoria in maledictione est, quia manducaverunt uvas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt. Aut si sanctis & bonæ memoriæ Patribus gloriantur, imitentur certe sanctitatem, quorum indulgentias, dispensationesque pro lege defendunt.*

Durandus in Speculo part.1. summar.1. num.33. *Erubescere non debet antiquitas, si quid melius horũ, quæ ipsa tradit, novitas adinvenit.*

Tempore Roberti Ormeskirci, qui vixit circa Annum 1380. dicebant quidam eruditi viri, *Carmelitas sodales frustra petiisse suam originem à Carmelo monte & à Thesbite Elia. Si Sacer locus,* inquiebant, *& tempus longum probos faciunt homines, Satan ipse valde probus est, qui in cœlo cœpit ante hominem creatum.*

Alphonsus à Castro lib.1. advers. hæres. cap.7. *Est etiam aliquid deferendum antiquitati, non quod velim rerum æstimationem à solis annis sumi, quoniam hoc stultissimum est, cum hac lege oporteret etiam vitia comprobare, quæ antiquissima reperiuntur, sed quod antiquitas vitæ & doctrinæ accedens magnum pondus efficiat.*

Andreas Fricius lib.4. de Eccles. cap.7. *In his, quæ divinis sunt contraria oraculis, nullius vetustatis autoritatem valere, consuetudinemque quantumvis inveteratam, quæ bonis moribus ac religioni aut Scripturis divinis adversa sit, pro errore habendam esse, certum & indubitatum est.*

Claudius Espensæus lib. 2. de adorat. cap 8. *Non sunt audiendi, qui circa Dei & Sacramentorum cultum omnia reduci volunt ad vetustum morem, non enim semper melius, quot antiquius.*

Pineda in cap.32. Jobi v.9. fol. 710. *Æquissimum de rebus judicium non est permittendum multitudini neque senectuti, sed divinæ benignitati, quæ, quos vult, cumulat sapientiæ munere.*

Baronius in Annal. Anno 109. num. 51. *Iura veritatis sunt ampliora omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum seculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari &c. ac nullus relictus fidei locus, nisi ipsi in omnibus veritas suffragetur.*

Greg. de Valentia in Analysi lib.1. c.16. *Sacrarum Scripturarum summa est antiquitas, quæ bona sua parte longe antecesserunt omnium prophanorum hominum monumenta, ut ostendit Iosephus lib. 1. contra Appionem, Iustinus Apol.2. Clemens Alexandrinus lib.1. Strom. Tertullianus in Apolog. cap.19. Augustinus lib.18. de Civ. Dei c.37. Ex his fontibus etiam prophanarum sententiarum vetustissimi Doctores hauserunt quicquid melius & verius tradiderunt. Tertullianus igitur in Apologet contra gentes recte scribit, Sine divina literatura nullius momenti esse antiquitatem. Antiquior, inquit, omnibus veritas, ni fallor. Et postea subjungit. Hoc mihi proficit antiquitas præstructa divinæ literaturæ, quo facile credam, eam thesaurum fuisse posteriori cuique sapientiæ. lib.4. advers. Marcion cap.5. in princ. Id verius, quod prius; id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis.* (Quia hæc antiquitas est summa, ideo juxta ejus normam de vera antiquitate faciendum est judicium.)

Idem Valent. tom.3. col.82. *Athenienses antiquitate deceptos* commemorat.

5. Quod agnoscunt, novitatis crimen doctrinæ Christi & Apostolorum objectum fuisse. (Ut ergo Christus & Apostoli *ab antiquitate apparente*, quam Pharisæi & Judæi urgebant, *ad veram antiquitatem* doctrinæ suæ in Scripturis fundatam provocarunt, ita eorum exemplo idem vere piis faciendum.)

Arias Montanus in cap.26. Matth. *Nazareni nomen tam infame apud Judæos esse cœperat propter Jesum, quem novæ Sectæ autorem dictitabant, erat que perinde ac si hæreticum dicerent.*

Bellarm. de Eccl. cap.3. §. In omni &c. *Christiana religio jam recens nata mox oppugnata fuit à Scribis & Pharisæis.* (Et quidẽ oppugnata fuit objecto novitatis crimine Marc.1 v.27. Act. 17.)

Salmeron. tom.12. tract.47. *Deos novos & ignotos* (Athenienses) *vocabant Jesum & resurrectionem, quasi Dea quadam esset anastasis, quorum utrumque ignotum erat Atheniensibus.*

6. Quod agnoscunt, Ecclesiam Christianam aliquando non fuisse antiquam, utpote tempore infantiæ. (Ergo antiquitas non semper convenit veræ Ecclesiæ, ac proinde non est inseparabilis & propria illius nota.)

Bellarm. d.§. *Scimus autorem* (Christianæ religionis) *fuisse Christum, unde dicimur Christiani, ac cœpisse tunc* (in principio N. Test.) *explicite credi nova dogmata, Trinitatis & incarnationis, ac cœpisse ista prædicari anno decimo quinto Tiberii Imperatoris.*

Huc pertinet, quod doctrina Christi respectu inveteratorum errorum Pharisaicorum fuerit nova.

Bellarminus d. lib. cap. & paragr. scribit: *Christianam religionem cœpisse prædicari in Iudæa, ac initio multo pauciores Christianos fuisse, quam essent Judæi, cum separatio facta est.*

Barradius tom.2. Conc. Evang. lib.5. cap.7. *Nova erat doctrina, tũ doctrinæ ipsius novitate, tum quia cum miraculis conjũcta erat.*

Cornelius Jansenius in cap.27. Conc Evangel. *Eò magis admirabantur novam Christi doctrinam, quæ regnum cœlorum annunciabat, quod tanta virtus eam comitaretur, ac tanta potestate docentis comprobaretur, quasi dicerent: Oportet hujus doctrinam, quamvis nova sit & inaudita, plane esse divinam, & cœlestem, quod is, qui eam tradit, tanta cum autoritate & virtute imperat Dæmonibus, & obœdiunt ei.*

7. Quod agnoscunt, Ecclesiam Romanam non esse antiquissimam, sed esse aliam ea antiquiorem.

Bellarminus lib.4. de Eccles. cap.5. §. In omni. *in Judæa* (ac proinde ex Judæis) *cœpit Christiana religio.* (Si Ecclesia Judaica est antiquior Ecclesia Christiana. Ergo etiam Romanâ.)

Lib.2. de Rom. Pontif. cap.6. §. Mansit &c. *Annò quinto à passione Domini Petrus ex Judæa profectus in Syriam, Antiochiæ fixit Sedem & mansit annos fere septem Episcopus ejus urbis.*

§. Non tamen &c. *Inde profectus anno septimo Episcopatus Antiochensis, qui erat undecimus à passione Domini, rediit in Jerusalem, ibique comprehensus ab Herode in vincula conjectus est diebus azymorum Act.12. sed paulo post ab Angelo liberatus eodem anno, qui erat annus secundus Claudii, Romam venit, ibique Sedem fixit & remuit annis viginti quinque.*

(Ergo Sedes Antiochena antiquior est Sede Romana, & tamen Ecclesiam Græcam hodiernam dicunt schismaticam.)

Costerus in Enchirid. cap. de summo Pontif. object. 6. *In Ierusalem primò fides prædicata est.*

8. Quod quidam agnoscunt, in Eccl. Rom. multa esse nova, quæ ab antiquitate Ecclesiæ & fidei Apostolicæ degenerant.

Sigebertus in Chronic. ad Ann. 1088. *cum Hildebrandus Pontifex primum illam potestatem adversus Imp. Henricum, de solio ipsum dejiciendi, sibi arrogaret: in Pontifice illud tanquam novitatem, &* quanquam id dicere subveritus, *tanquam hæresin* improbavit, *Hac sola,* inquit, *novitas, ne dicam hæresis.*

Anshelmus Havelbergensis ante quadringentos annos scripsit: *Plerosque mirari tot novitates in Ecclesia Dei, tot Ordines Clericorum, tot genera Monachorum, tot diversas formas religionum discrepantium, ac Christianam religionem tot adinventionibus immutatam ac tot novis legibus & consuetudinibus agitatam.*

Ludovicus Cardinalis Archiepiscopus Arelatensis in Concilii Basileensis pleno consessu dicere non est veritus, quod *Oratores Eugenii ubique novam doctrinam prædicent, & Concilium Papæ subjiciant.* Æneas Sylv. lib. 1. de gestis Conc. Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 16.

Platina in Vita Sixti. *Sixtus mandavit, ut in celebratione Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth, cantaretur. Nuda primò hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim, ubi consecraverat, oratione Pater noster est usus. Auxit hæc mysteria Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, auxit & Basilius, auxere & alii. Nam Cœlestinus Missæ introitum dedit; Gregorius Kyrieleison; Gloria in excelsis Deo, Telesphorus; Collationes, Gelasius I. Epistolam & Evangelium, Hieronymus. Alleluja sumtum est ex Ecclesia Hierosolymitana; Symbolum ex Concilio Niceno; Mortuorum commemorationem Pelagius in-*

venit; thus, Leo III. *Osculum pacis,* Innocentius I. *Ut caneretur Agnus Dei, Sergius instituit.*

Johan. Aventinus lib.3. Annal. p. 278. edit. Ingolst. Anno 1554. memorat, *postquam Columbanus & Gallus Monachatum in Germaniam introduxerat, Imp. Lotharium circa Annum Christi 620. multa reformasse. Conventus Sacerdotum,* inquit, *coacti sunt adversus Columbani & Galli novas* (nota) *Ceremonias, quibus populum Christi sanguine redemtum liberatumque in servitutem redigere, atque onerare contra majorum instituta conarentur.*

Nauclerus vol. 2. generat. 27. loquens de temporibus, quæ Henricum I. & Ottonem Magnum antecesserunt, imitatus Platinam (quem citat) palam fatetur, *Pontifices illius temporis à vestigiis B. Petri multum discessisse, & quod Respubl. Christiana ignaros ac desidiosos Principes habuerit, Horror,* inquit, *est audire, quam multa perperam per viginti octo ferme Pontifices sint admissa.*

Concilium Tridentinum sess. 6. de reformatione cap. 1. fatetur, *collapsam esse admodum disciplinam Ecclesiasticam, depravatosque in Clero & populo Christiano mores, & antiquos Canones injuria temporum pene in desuetudinem abiisse.*

Sess. 22. de observandis & evitandis in celebratione Missæ: *Multa in Missæ celebratione sive temporum vitio, sive hominum injuria & improbitate irrepsisse videri, a tanti sacrificii dignitate abhorrentia atque aliena, quorum partem avaritia, idolorum servitus; partem irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest; partem superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, invenerit.*

Bellarm. lib. de Clericis cap. 7. in resp. ad 9. arg. *Non negamus, quin aliquando populus elegerit* (Pastores.)

Lib. ejusd. cap. 16. §. Neque etiam. *Fateor olim Episcopos quoscunque prælatos fuisse Cardinalib. non Episcopis &c. postea tamen mutatus est ordo & cœpti sunt Cardinales Episcopis anteponi &c. cujus mutationis duplex ratio assignari solet, Una, quod ad solos Cardinales devoluta sit electio summi Pontificis &c. Altera causa est, quod soli Cardinales cœperint adesse summo Pontifici in Conciliis &c. Primis sexcentis vel octingentis annis summi Pontifices ad graviora negotia Ecclesiæ dijudicanda cogebant Concilia nationalia Episcoporum Italiæ &c. His postremis annis sexcentis, vel septingentis cœperunt paulatim omitti Concilia Episcopalia, & res tota redigi ad Senatum Cardinalium.*

Lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 10. in resp. ad 4. *Tempore Gregorii Ecclesia Romana nondum habuit Politicum dominatum.*

Lilius Gregorius Gyraldus Ferrariensis in Præf. de vita Herculis ad Herculem Ducem IV. Ferrariensem p. 44. *Ideo lubentius has fabulas agere volui, quod in his literis sine ullo piaculo læsave pietatis & religionis crimine aliquid aliquando vel tollere vel elevare liceat. Si enim novam aliquam arbitratu meo in sacris literis interpretationem, vel ita ut sit alienam à nostra pietate Historiam adornatum, ritumvæ Ceremonias aliquando afferrem, à quibus videri possent nostra, si non deducto, aliquo saltem modo derivata vel deflexa, ut certe non pauca observavi,* (nota) *me extemplò ut impium &c. morosi isti incurvice rvices ejiciendum proclamarent.*

Plura hujus generis adduximus lib. 1. part. 1. cap. 4. Confer locum de Ecclesia §. 206.

9. Quod quidam agnoscunt, doctrinam Ecclesiarum nostrarum non esse novam, proinde etiam Ecclesiam ipsam non esse novam.

Erasmus in Epistola ad Godschalcum Rosemundanū Lovaniensis Academiæ Moderatorem Anno 1520. in Epist. p. 588. sic scribit: *Ille* (Nicolaus Egmendanus Carmelita) *nova appellat, quibus non adsuevit. Ita huic novus erit Hilarius, novus Cyprianus, novus Hieronymus, novus Augustinus. Nihil vetus præter in Scholis decantata dogmata & glossam ordinariam cum additionibus; imo huic vetus erit, quod novum est, novumque vetus. Nos vetera instauramus, nova non prodimus. Detestati sunt impudens hominis mendacium, cū diceret, Lutherum horrendos illos errores hausisse è novis, cum ex vetustis Scriptoribus hauserit, si quid hausit, ut prædicant, qui illius libros legerunt.*

De Adolpho Mersburgensi Episcopo refert Joachimus Camerarius in vita Georgii Principis Anhaldini, quod audiens nostram de Justificatione doctrinam, ut novam, traduci, stomachabundus responderit: *Quid? vosne hanc doctrinam perhibetis novam? an non meministis in Psalmo dictum, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens?*

Episcopi Bononiæ Anno 1549. congregati in consilio, quod Paulo III. Pontifici dederunt. *Lutherani Symboli Apostolici articulos omnes recipiunt ac confitentur &c. negant, velle se ullam aliam doctrinam admittere, quam unicam illam, quæ Christum & Apostolos autores habet.*

Petrus Ramus, cum in Possiacensi Synodo à Lotharingo Cardinale *de quindecim à Christo seculis primum vere esse aureum* audivisset, *reliqua quò longius abscederent, eò esse nequiora & deteriora,* Christi ideo & Apostolorum seculū renovandum, & sibi diligendum esse putavit, eaque occasione Pontificiam religionem, cujus antea observantissimus erat assecla, deseruit. Theoph. Banosius in vita Petri Rami.

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 3. *Nulla alia doctrina,* inquit *Lutherus, in Ecclesia tradi aut audire debet, quam purum Dei verbum, id est Scriptura sacra.* (Ergo Lutherus non excogitavit novos fidei articulos, sed ad doctrinam vere antiquam in Scriptura propositam nos revocavit.)

Idem lib. 4. de Eccles. cap. 5. *Lutherani passim ad primos D. vel DC. annos extendunt Ecclesiæ puritatem.*

Jesuitæ hodie gloriantur, quod in novo orbe multas fundent & plantent Ecclesias. Eæ vero non sunt antiquæ, sed novæ, num propterea dicent, non esse veras? Si respondeant, *propter consensum cum antiqua Catholica Ecclesia eas esse antiquas,* respondemus, id longe rectius de nostris Ecclesiis dici posse, quod cum antiqua Catholica & Apostolica Ecclesia consentiant, id quod ex scriptis Apostolicis in singulis Confessionis nostræ articulis demonstrare parati sumus.

10. Quod agnoscunt, quædam ex Judaismo & Ethnicismo in Ecclesiam Romanam esse translata. (Atqui ea necessario inter novitates sunt referenda, quia Christiana religio Judaismo & Ethnicismo prior fuit, si scil. Christiani dicuntur, quotquot in Christum vel promissum vel exhibitum credunt.

Polydorus Vergilius in Præfat. lib. 4. de rer. Invent. p. 239. *Cæterum deinceps sylva Judaicarum Ceremoniarum sic paulatim agrum Dominicum occupavit, ut periculum sit, ne aliquando ipse Dominus illud agricolis crimini det, ab eisque petat, Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris? Verū ut non parū multa à Judæis, ita non modica ab aliis gentilibus instituta, aut casu ratione ve accepta tam in frequentem usum consuetudinem ve venere, ut pro nostris haberentur.* (Polydorum hac de causa Expurgatorius Index Madritianus Bernhardi Sandovalii Cardinalis Toletani p. 723. perstringit.)

Beatus Rhenanus in annot. ad lib. 5 Tertull. adversus Marcionem ait p. 105. *Lustrationis Februalis loco mortuorum baptizatio fortassis fuit apud quosdam Christianos, & ex illo lustrandi ritu solenni irrepsit. Equidem quod negari non potest, Ceremoniæ ardentium cereorum, quos hodie Chistiani eo die, qui purificatæ Mariæ dicatus est, ex more circumferimus, à Februalibus Romanorum sacris originem traxere. Pertinaci paganismo mutatione subventum est, quem rei in totum sublatio potius irritasset.* (Index expurgatorius Hispanicus Madritianus quindecim loca in Rhenano expungenda notat, inter quæ is, qui jam adductus, non habetur.)

Jacobus de Voragine serm. 82. de Sanctis. *Festum illud (quod Proserpinæ sacrum erat) in honorem matris luminum transtulerunt, ut in ejus honorem deferamus lumina, quæ nobis verum genuit lumen, ut jam non fiat in honorem Proserpinæ Sponsæ Dei infernalis, sed ad honorem Sponsæ Dei cœlestis.*

Cornelius Agripp. de scient. vanit. cap. 56. *Bona pars Ceremoniarum, teste Eusebio, ab Ethnicis in nostram religionem migravit.*

Nec diffitetur Jus Canonicum c. Decretis. dist. 21. *Inter Pontifices quædam discretio servata est, ut alii appellentur simpliciter Sacerdotes, alii Archipresbyteri, alii Chorepiscopi, alii Episcopi, alii Archiepiscopi seu Metropolitæ, alii Primates, alii Patriarchæ, alii summi Pontifices. Horum discretio à gentilibus maxime introducta est, qui suos Flamines, alios simpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellarunt.*

Plura hujus generis suo loco sunt enumerata.

11. Quod nostras Ecclesias accusant, in ea antiquas hæreses propugnari. (quomodo ergo novitatis accusatio eas gravat?)

Gregorius de Valentia in Anal. f. 186. *Quicquid Sectarii nostri adversus Ecclesiam Catholicam defendunt, non nisi ex veterum fece hæreticorum hauserunt, ut in omnibus quæstionibus controversis facile ostenduntur.*

Pistorius in Merckzeichen f. 510. daß die neue Kirchen in den mehrentheiln ihrer Irrthum vorlengst vō der gantzen Kirchē Christi und allen lieben H. Vätern widerlegt und verdampt worden.

In Composit. Pacis pag. 35. adducitur Edictum Wormatiense contra Lutherum Ann. 1521. in quo inter cætera habetur, daß Lutherus viel anderer Ketzer vormahlst verdampte und verloschene Lehren zusammen gerafft/ auch viel neue darneben erfunden habe. (Cui tamen contradicit Valentianus, quando omnia nostra ex fece veterum hæreticorum hausta esse scribit.)

12. Deni-

12. Denique huc referri potest, quod antiquitas non fundata in ipsa origine, per decreta Romanorum Pontificum ex Ecclesia proscribatur.

Sext. Decretalium lib. 5. de Regul. Juris, cap. 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

5. Decretal. tit. 41. de Reg. Jur. cap. 5. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.*

c Porro 14. caus. 16. q. 3. *Si annorum prolixitas jus facit) Deus ipse reprehendendus est, quod post quadringentos & triginta annos filios Israel de durissima servitute Pharaonis & fornace ferrea liberavit: sed ipse per se noster Redemtor fuit, qui humanum genus post tot annorum millia de inferni claustris eripuit.*

(Atqui, ut antiquitas non fundata in ipsa origine, non est nota veritatis in articulis fidei, ita quoque eadem non est nota veræ Ecclesiæ.)

Argum. Bellarm. *In omni insigni mutatione religionis ista sex semper demonstrari possunt, Primo, illius autor; secundo, dogma aliquod novum; tertio, tempus, quo cœpit; quarto, locus, ubi cœpit; quinto, quis eam oppugnaverit; sexto, exiguus aliquis cœtus, unde paulatim aliis accidentibus cœpit. At nihil horum de Papistica Ecclesia post Apostolorum tempora demonstrari potest. Ergo ea est antiquissima, nec ullam mutationem passa.*

Resp. 1. ex Alphonso de Castro lib. 2. adv. hæres. verbo Adam & Eva, hæresi 5. *Quis hujus hæreseos* (quod primi parentes ante peccatum fuerint cœci) *autor fuerit, & quo tempore fuerit orta, mihi non constat, quoniam solum Philastrium hujus meminisse video, qui cum dicat, talem fuisse aliquando ortam hæresin, non tamen expressit quo tempore aut loco, aut quo autore fuerit orta.*

Idem lib. 4. adv. hæres. verbo Christus, hæresi 4. *Post Eutychetem & Dioscorum illius fautorem parvo tempore elapso surrexerunt alii hæretici, dicti Acephali, sic nominati, quoniam simul insurgentes nullus repertus est, qui illorum esset Princeps atque Magister.*

Lib. 5. advers. hæreses, verbo Deus. *Hæretici agnoetæ Deo ignorantiam tribuerunt, quis fuerit ejus hæresis autor, aut quando cœperit, apud neminem reperire potui.*

Lib. 8. advers. hæres. tit. Idololatria, postquam varias Sectas enumerasset subjungit: *Hæ omnes Sectæ tam antiquatæ & ex memoria hominum abolitæ sunt, ut lateat nos, qui fuerint illarum inventores & quo tempore cœperint.*

Lib. 9. advers. hæreses, verbo Lex, hæresi 3. *Johannes de Turrecremata libro primo de summa Ecclesiæ, capite vigesimo primo dicit, fuisse hæreticos, dicentes, quemq; hominem in sua lege posse salvari, si illam bene servaverit, non tamen aperuit, quis fuerit primus illius hæreseos autor, aut quis unquam fuerit illius patronus.*

Lib. 13. advers. hæreses, verbo Silentium. *Fuerunt quidam hæretici, Pattalorinchitæ dicti, in tantum silentio studentes, ut digitum naribus & labiis suis opponentes, silentium quasi semper exercuerint. Quo autem tempore hæc hæresis cœperit, aut quis illius fuerit inventor, nec Philaster, nec Augustinus expressit.*

(Ergo quædam illorum, quæ Pontificii requirunt, non possunt semper & in omni mutatione religionis demonstrari.)

2. ex Claudio Espensæo in Comment. 2. Timoth. 2. *Hæresis serpit sicut cancer, ubi Græci & Latini intelligunt horrendum illum morbum, videlicet ulcus, quod in mulierum mammillis enatum est, quod, nisi cito subventum est, putrefacit, & paulatim omnes partes occupat & corrumpit.*

(At nec cancri nec tabis prima exordia exacte notari possunt)

3. ex Gregorio de Valentia lib. de Eucharistia cap. 10. p. 499. *Consuetudo hæc non administrandi Eucharistiam populo sub duplici specie usu primò comprobata est, deinde lege sancita, postquam in Ecclesiis Occidentalibus obtinuisset. Quando vero cœperit, minime constat.*

4. ex Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 7. *Ratio eligendi Clericos ad suffragia populi paulatim in Ecclesiam irrepsit, proinde etiam paulatim suaviterque de medio tolli debuit. Initio enim, hoc est, Apostolicis temporibus, insciente populo, Pastores eligebantur, deinde cœpit populus adhiberi ad testimonium dandum de vita & moribus eligendi, tum ut populi magis diligerent suos Episcopos, cœpti sunt iι tantum ordinari, quos populus postulasset. Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet. Sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, & apparuit ejus rei confusio & indignitas, tum etiam paulatim sublata est populo electio & postulatio.*

(Quo tempore hæc omnia in Ecclesiam sint introducta & mutata, ne ipse quidem Bellarminus exacte annotare potuit.)

5. ex ipso Concilio Tridentino adduximus paulo superius querelam de variis abusibus, qui in Ecclesiam irrepserunt.

(Num vero sex illas circumstantias de istis abusibus omnibus & singulis exponere poterunt? Num indicare poterunt, quo autore, ubi, quando, quibus modis ac mediis abusus illi in Ecclesiam introducti? *Dormientibus hominibus Diabolum superseminare zizania*, docet Salvator Matth. 13. v. 24 quomodo ergo zizaniorum superseminatorum circumstantias omnes exacte annotare poterunt? Nimirum, ut agricola non quærit scrupulose, quo mense aut die orta sint aut succreverint zizania, quæ in agro luxuriari videt, sed potius illis extirpandis operam adhibet: sic non est necesse, ut in agro Dei, hoc est, in Ecclesia indigitentur temporum apices, quibus hæc vel illa hæresis, hic vel ille abusus in Ecclesiam irrepserit.)

Thesis specialis tertia. Duratio diuturna non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις 1. Ecclesiam perpetuo durasse & perpetuo duraturam esse nemo nostrûm negat.

2. Ex eo vero inferri nequit, durationem perpetuam esse genuinam & infallibilem Ecclesiæ notam, si absque doctrinæ veritate consideretur.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 6. *Tertia Ecclesiæ nota est duratio diuturna, nec unquam interrupta.*

Stapletonus in Procœm. libri 4. de principiis, *perpetuitatem* itidem recenset inter *Ecclesiæ notas.*

Pistorius in Hodeg. cap. 4. primo loco ponit hanc notam, quod *Christus ad finem usque mundi adfuturus sit Ecclesiæ suæ, duraturæ usque ad novissimum diem.*

Nostram sententiam demonstramus,

1. Si duratio accipitur *respectu temporis præteriti*, coincidit cum antiquitate, idem igitur de ea, quod de antiquitate, debet esse judicium. (Aristoteles lib. 1. Ethicor. ad Nicom. cap. 6. ἀλλ' ἀ μὴν ὐδὲ τῷ ἀΐδιον εἶναι, μᾶλλον ἀγαθὸν ἔςαι, εἴπερ μηδὲ λευκότερον τὸ πολυχρόνιον τῦ ἐφημέρυ. *Neq; vero eò, quod sempiternum, magis erit bonum, siquidem neque res candida diuturna, candidior est ea, quæ unum diem candida est.*) Si *respectu temporis futuri*, nondum præsens est, ac proinde notæ vicem sustinere nequit.

2. Duratio diuturna non semper convenit Ecclesiæ. Apostolica Ecclesia, quæ post Christi ascessionem per prædicationem Evangelii in toto terrarum orbe colligebatur, non poterat de tali duratione, qualem Adversarii hic requirunt, gloriari, nihilo tamen minus erat vera Ecclesia.

3. Duratio diuturna non convenit *soli Ecclesiæ*, quia communis est illi cum Synagoga Satanæ ac civitate Diaboli. Nestoriani, Eutychiani, Ariani, Photiniani &c. Itemque Mahumetistæ, Judæi hodierni, gentiles gloriantur de diuturna duratione. Antichristi Synagoga longo tempore duravit, & durabit usque ad diem novissimum 2. Thessal. 2. v. 8. Mahumetismus itidem ad finem usque mundi durabit Dan. 7. v. 26.

4. Duratio diuturna non est inseparabilis ab Ecclesia particulari. Promissio divina de perpetua Ecclesiæ duratione non pertinet ad hanc vel illam particularem, sed ad Catholicam electorum Ecclesiam in petra fundatam.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt durationem diuturnam etiam Judaismo & paganismo ac quibusdam hæresibus competere. (Ergo non poterit esse vera & propria Ecclesiæ nota.)

Alphonsus de Castro lib. 2. advers. hæreses, verbo Anima errore 4. *Manichæorum hæresis valde Ecclesiam infestavit, & longo tempore durans, plures provincias infecit.*

Bellarminus d. l. §. Jam vero. *Ante tempore Lutheri fuere hæ religiones: Paganismus, Judaismus, Mahometismus, Græcismus.*

Potuisset Bellarminus altius ascendere ac dicere, quod Paganismus & Judaismus ante Ecclesiam N. Testam. in mundo fuerint, ac serie non interrupta usque ad nostra tempora duraverint. Agnoscat ergo, durationem diuturnam etiam Judaismo & paganismo competere, ac proinde nôn esse propriam Ecclesiæ notam.)

2. Quod agnoscunt, Antichristi Synagogam longo tempore durasse & duraturam usque ad finem mundi.

Claudius Espensæus in Comment. 1. Tim. 4. super verba Johannis: *Multi Antichristi sunt in mundo. Notat Bruno, Apostolum de Antichristi tempore instruentem innuere, ejus membra per longa tempora caput suum præcedere, hanc etiam instructionem omni Ecclesiæ, & secundum omnes suas ætates esse factam.*

Cajetanus in Comment. 2. Thess. 2. *Hinc habes, prudens Lector,* quod

quod sequaces Antichristi durabunt usque ad apparitionem adventus Christi. Differentia enim est inter destructionem & consumtionem. Cōsumtio spiritualis est. Consumet eum Spiritu oris sui, hoc est, Spiritu sermonis Evangelici, ubi multi ad veritatem Evangelicam convertuntur. At multi perseverabunt usque ad adventum Christi, inde additur, & destruet eum illustratione adventus.

Johannes Ferus in cap. 24. Matth. *Regnum Antichristi statim Apostolorum temporibus cœpisse*, asserit.

(Omnes Pontificii docent, paulo ante mundi finem desiturum Antichristi regnum.)

3. Quod agnoscere coguntur, durationem diuturnam ac nunquam interruptam non esse inseparabilem ab Ecclesia.

Romana Ecclesia antiqua, temporib. Apostolorum propinquior, gravissimas passa est vicissitudines, tum à gentilibus tum ab hæreticis. Primi ejus Episcopi coacti fuerunt fugere in solitudines, Marcellinus immolabat idolis, Liberius factus est Arianus, Honorius Monotheleta.

Huc pertinet, quod Pontifices Romani jam inde aliquot seculis dicti fuerint *Antichristi*, ut ostendimus superius art. 3 c. 6. (At quæ major aut deterior mutatio ac durationis interruptio Romanæ Ecclesiæ obtingere potuisset, quam quod Papa illius caput in Antichristum degeneravit?)

Quas hodie *in novis Indiis & Insulis* plantant Ecclesias, illæ de duratione interrupta gloriari nondum possunt.

4. Quod agnoscunt, Ecclesiam ante mundi finem insignem defectionem passuram, imo ipsam Romam aliquando fore Sedem Antichristi & officinam idololatriæ, ut ostendimus superius in hoc ipso articulo 5. cap. 3, membr. 9. & in art. 3. cap. 6. resp. ad 7. argumentum.

(Quomodo ergo de duratione perpetua & nunquam interrupta nec interrumpenda gloriari potent?)

5. Quod nostræ Ecclesiæ nec respectu temporis præteriti, nec respectu temporis futuri durationem denegare possunt.

Quod attinet tempus præteritum, agnoscunt, multos *ante Lutherum* eandem nobiscum doctrinam professos, ac de corruptione Ecclesiæ Romanæ conquestos fuisse, ut ostendimus lib. 1. part. 1. cap. 4. & 5.

De Waldensibus scribit Poplinerius Pontificius in Hist. Franc. Ann. 1581. *illorum doctrinam parum differre ab ea, quam hodie Protestantes profitentur.*

Campianus rat. 3. illos *majores nostros* vocat.

Circa annum Domini 1254. referente Alberto Crantzio lib. 3. cap. 16. multi fuerunt, *qui veniam peccatorum à solo Deo expectandam & accipiendam statuerunt, omissis sicutiu Papæ Indulgentiis, qui pro hæreticis à Papa habiti & proclamati fuerunt.*

(Plura hujus generis passim in hoc scripto adducuntur.)

De duratione respectu temporis futuri sic differit

Polydorus Virgilius lib. 8. de rerum inventoribus cap. 4. p. 472. *Lutheri doctrinam primum Anno 1519. suum in terris vestigium posuisse, mansurā, ut videtur, quoad Christus ipse populum suū, culpa rectorum, ita in duas Sectas sejunctum, rursus coire dignabitur.*

Cyprianus Leovitius Astronomus in tract. de conjunctionibus magnis. *Hæc oppositio Planetarum*, inquit, *facta est in signis fixis, nullo superiorum debilitato, imo Mars domicilium suum Scorpionem cum Saturno occupat, sub quo Zodiaci signo Monarchia Romana initium sumsit & usque ad mundi finem durabit. Unde consequitur, doctrinam Lutheri fore firmam & constantem, cujus incrementa usq; ad extremum judicium se extendant, nec in posterum labefactentur.* Citante Wolfio in Epist. dedicat. tom. 1. Lect. memorab.

(Opponenda hæc sunt Joh. Taisnierio Hannonio, qui in Physiogn. Paul. oper. Matth. p. 457. Ann. 1572. ex astris prædixit, *religionem Lutheranam intra triennium extirpatum iri*, perinde ut olim Ethnici de Christiana religione augurabantur, eam brevi interituram; quib. hoc modo respondet Augustinus in enarrat. Ps. 70. *Ad certum tempus*, inquit gentilis, *sunt Christiani, postea peribunt, & redibunt idola, redibit, quod erat antea. Verum tu cum expectas miser infidelis, ut transeant Christiani, transis ipse sine Christianis.*)

Thesis specialis quarta. Multitudo sive amplitudo non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Amplitudo vel conjunctam habet doctrinæ veritatem, vel ab ea est sejuncta. Amplitudo doctrinæ veritate destituta non est infallibilis & genuina Ecclesiæ nota, quia non quævis multitudo hominū, sed multitudo veram & Catholicā fidē profidentium, Eccl. Catholicam constituit. Ergo necessario cum amplitudine conjungenda est vera & Catholica fides, absque qua multitudo etiam maxima nō constituit Ecclesiam.

Antithesis. Bellarm. lib. 4 de Ecclesia cap. 7. §. 1. *Quarta Ecclesiæ nota est amplitudo sive multitudo & varietas credentium.*

Stapletonus in procem. lib. 4. de princ. fidei *multitudinem* primo loco inter Ecclesiæ notas recenset.

Nicolaus Sanderus lib. 8. de visib. Monarch. cap. 50. tertiam Ecclesiæ notam constituit *latitudinem & immensitatem.*

Jes. Posnaniens. secundā Ecclesiæ notam ponunt *diffusionem.*

Pistorius in Hodeg. p. 88. secundam Ecclesiæ notam statuit, quod *Hierosolymis cœperit & inde progressa fuerit ad extremas mundi partes.*

Jacobus Rayhing in mur. Babyl. fundam. 11. p. 298. *Sunt Doctores fidelibus pauciores, illi tamen audiendi, quorum auditores multo plures sunt. Multitudo fidelium meliores nobis ostendit Doctores.*

Adamus Conzen de pace German. lib. 1. cap. 18. pag. 298. *Sub Confessione tam exili* (Augustana) *quæ indies in arctum cogitur, quæ pene animam agit, immensam Ubiquitatem tegere velle, quantæ est inconsiderationis, ne dicam stultitiæ?*

Nostram sententiam probamus,

1. Amplitudo non convenit perpetuo ac semper veræ Ecclesiæ. Ecclesia N. Testam. angustis Hierosolymitanæ urbis ac Palestinæ limitibus fuit inclusa, antequam in universum orbem propagaretur; sub finem mūdi itidem exiguus erit Ecclesiæ cœtus, Matth. 24. v. 11. Luc. 18. v. 7. 2. Petr. 2. v. 1 &c.

2. Amplitudo non convenit soli veræ Ecclesiæ. Ecclesia Cainica ante diluvium, Baaliticæ idololatriæ sectatores, Synagoga Judaica tempore Christi, Ariani tempore Impp. Arianorum, Catholicæ fidei professores numero & multitudine superarūt. Antichristi doctrina & regnum longe lateque sese propagabit, 2. Thessal. 2. v. 9. 10. 11. Apocal. 13. v. 8. & 14. cap. 17. v. 1. & seqq. cap. 19. v. 2.

3. Contrarium amplitudinis de vera Ecclesia prædicatur, Esai 1. v. 8. & 9. cap. 6. v. 13. Soph. 3. v. 12. Luc. 12. v. 32.

4. Amplitudo accidit duntaxat Ecclesiæ, & mutabiliter inest, vera enim Ecclesia quandoque est ampla, quandoque vero exigua.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, paucos quandoque esse veritatis confessores, ac veram Ecclesiam in angustum redigi. (*Ergo amplitudo non est inseparabilis & perpetua veræ Ecclesiæ nota.*)

Liberius Episcopus Romanus, cum ab Imperatore Constantino moneretur, ut Athanasii societatem abnegaret, ac inter cætera paucitatis crimen sibi objici intelligeret, dicente Imperatore: *Quota pars tu es orbis terrarum, qui solus facis cum homine scelerato, & orbis terrarum ac mundi totius pacem dissolvis?* masculè & vere respondit; οὐ δὴ τὸ εἶναί με μόνον τῆς πίστεως καταλύεται λόγος, *Non diminuitur solitudine mea verbum fidei. Nam & olim tres solum inventi fuere, qui edicto resisterent.* Theodoretus lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 16.

Lombardus in cap. 11. Rom. ex Ambrosio: *Cum Achab Rex Samariæ dedit filiam suam Joram Regi Judæ, tunc omnes Judæi videbantur esse idololatræ, ita ut Elias putaret, se solum relictum.*

Alexander Alensis part. 3. q. ult. art. 2. eumque secutus Johannes de Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 30. & lib. 3. cap. 61. statuunt, *tempore passionis Christi veram fidem in sola Virgine Maria superstitem mansisse.*

Abbas Urspergensis in Chronico ex vetusto quodam Codice adducit disputationem Johannis Rochenzan, & Johannis Capistrani. Capistranus asserebat, *se Bohemiam peragrasse, ut tot, millia animarum à faucibus Satanæ liberaret.* Respondit Rochenzan, *se tenere compactata de veritate Sacramenti calicis sigillo magnorum consignata, & voluntate ac consensu Papæ Eugenii; & cum voluntate ac robore firmo Concilii Basileensis cum assensione sigillatum Majestatis in testimonium Serenissimi Sigismundi Imperatoris & Ducis Austriæ.* Capistranus objiciebat, *multitudinem Regnum Romanorū, Franciæ, Angliæ, Ungariæ, Bohemiæ & cæteros plerosq; sub una tantum specie communicantes.* Rochenzan argumentum multitudinis diluens, *Multi*, inquit, *vocati sunt, pauci electi*, adducens exemplum *Heliæ in diebus Achab. Tempore Arii multos & majores Episcopos & Principes ab ejus parte stetisse, & paucos Christianos illosq; absconditos recte sensisse, ut erat Hilarius & Athanasius, qui Treviris latuit. Et Dominus JESUS fere unus fuit in tota Jerusalem.*

Fortalitium fidei lib. 5. *Et si non nisi duo viri fideles remanerent in mundo, tamen in eis salvaretur Ecclesia, quæ est unitas fidelium.*

Erasmus in Præfat. Hilarii. *Arianæ hæresi accedebat Cæsaris autoritas & præter hanc ingens subscribentium numerus, cui merito fuisset accedendum, si semper melior pars quæ major.*

Ederus in Oeconom. Biblica lib. 2. de lib. Regum. *In libris Re-*

Regum describitur regnum Judæ & regnum Israel. Per regnum Judæ designatur paucitas fidelium, tantum enim tribus duas continebat. Per regnum Israel designatur multitudo hæreticorum, ut Hieronymus ad Paulinum observat.

Melchior Canus lib 5. Locor. Theol. cap. 5. *Quadringenti Prophetæ Achab mentiti sunt, ex ore solius Michæ viri contemtibilis veritas egressa est. Non igitur numero suffragiorum sententiam metimur. Sapientes pauci sunt, stultorum infinitus est numerus.*

Alphonsus Salmeron tom. 12 Comment. in Act. Apost tractat. 9. p. 46. super verba: *Erat autem turba hominum fere centum & viginti. Vides quam parvo numero tunc existeret Ecclesia, quæ tamen mox in omnes mundi partes & gentes propaganda erat! Veritas enim Ecclesiæ Dei in multitudine non consistit, ut primitiva docet, nec rursus in paucitate, in qua Donatistæ gloriabantur, contra eam, quæ Augustini tempore totum mundum implebat, nec in opibus aut potentia mundi, sed in verbo Dei & veritate doctrinæ à Christo acceptæ, & legitimis ejus sibi invicem succedentibus ministris, sive tales multi sint, sive pauci; sive opulenti, sive pauperes.*

Emanuel à Saa in not. ad cap. 12. Luc. *Ecclesia est pusillus grex, numero & viribus.*

Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 5. §. In omni &c. scribit: *Ecclesiam Christi fuisse initio exiguum aliquem cœtum, unde paulatim aliis accedentibus cœperit.*

Et postea: *Initio fuisse multo pauciores Christianos quam essent Judæi, cum separatio facta est.*

(Nihilo tamen minus Ecclesia Christi tunc fuit vera Ecclesia. Ergo amplitudo non est inseparabilis & perpetua Ecclesiæ nota.)

Idem tom. 6. Conc. 14. fol. 141. docet, *paucos admodum fuisse, qui Christum receperint, & adhuc parvam esse Ecclesiam*, allegans ex Hieronymo, quod *Ariana rabies fulta præsidiis mundi fremuerit, & mundus quadam Babylonia temporibus Hieronymi fuerit, & omnes sibi, exceptis paucis sanctis, timuerint &c.*

Benedictus Pererius Disp. 11. in Exodi cap. 7. super verba Apostoli: *Oportet esse hæreses. Non igitur doleamus, inquit Chrysostomus homil. 46. in Act. quod multæ sint Sectæ. Hoc tempore Prophetarum contigit. Fuerunt tunc plures Pseudoprophetæ, verum ex eorũ comparatione veri Prophetæ illustriores fuerunt. Etenim morbus sanitatem magis demonstrat, tenebræ lucem, tempestas tranquillitatem.*

Gregorius de Valentia in Analysi pag. 134. fatetur, *veram Christ: Ecclesiam interdum ad paucos redigi posse.*

p. 143. *Ecclesiam Christi interdum in carceribus & speluncis quærendam.*

Idem tom. 3. Comm. in Thom. col. 174. fatetur, *tempore passionis Christi fuisse aliquem fidelium numerum, ex quorum congregatione licet exigua constaret Ecclesia: sic etiam sub mundi finem aliqua omnino Ecclesiæ congregatio erit, Christus enim illo modo dicendi, putasne? paucos futuros esse fideles, significat.*

col. 182. *Eliæ temporibus paucissimi rectum cultum retinebant.*

Corn. Jansenius in Conc. Evang. c. 85. in cap. 12. Luc. super verba: *Noli timere pusille grex. Non illud in discipulos tantum competit, sed in omnes, qui perfectionis discipulorum sunt imitatores, quod hi ad reliquam multitudinem hominum sint pauci.*

Maldonatus in cap. 12. Luc. v. 32. locum illum cum Euthymio accipit *de omnibus fidelibus & Christianis, quos hunc gregem pusillum esse* dicit.

Pistorius in causis mutatæ religionis à Marchione Badensi, agnoscit, *tempore grassantis Arianismi Ecclesiam tantum professione & conscientia permansisse, ac majorem Arianorum, quam recte sentientium multitudinem fuisse.*

Michael Ghislerius in Comm. Cantic. Cant. cap. 1. v. 7. exposit. 2. p. 109. super verba: *Indica mihi, ubi pascas. Ecclesia sancta post Christi adventum hoc loco purgans seipsam, exponit illi, quare non semper cum eodem fervore, eademque multitudine eum secuta fuerit, nempe quia aliquando tanta extitit Catholicæ fidei perturbatio, ut quodammodo ignoraret, quò eum sequi posset, hoc est, quibus Christianis fidem præberet. Loquitur autem ex persona imperfectiorum ac simpliciorum fidelium.* (Huc referenda sunt omnia illa testimonia, quæ superius cap. 3. ad confirmandam thesin, quod *Ecclesia certa ratione deficere possit*, adduximus.)

2: Quod agnoscunt, ex sola multitudine doctrinæ cœlestis veritate destituta non posse argumentum duci vel pro Ecclesia, si adsit; vel contra Ecclesiam, si absit.

Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem Imperatorem tom. 3. Decretal. Epistol. pag. 4. *Numerus pusillus non obest, ubi abundat pietas; nec multiplex prodest, ubi abundat impietas. Nolite ergo gloriari in multitudine, quia non multitudo, sed causa damnationem vel justificationem adducit.*

Æneas Sylvius de gestis Concil. Basil. lib. 1 f. 9. *Vox Græca Catholica sonat Latine idem quod Universalis, quæ tamen* (fides Catholica) *non sic dicitur, quod universi eam teneant, sed quod eam habere teneantur, nec enim fides nostra desinit esse Catholica, quod quamplurimi eidem adversantur.*

Melch. Canus lib. 5. Loc. Theol. cap. 5. p. 164. *Nego, cum de fide agatur, plurimorũ judicium nos sequi oportere, neq; enim hic, ut in humanis judiciis, ex suffragiorũ numero sententiam metimur. Quadraginta Prophetæ Achab mentiti sunt, ex ore solius Michæ viri contemtibilis veritas egressa est. Non igitur numero suffragiorum sententiam metimur. Sapientes pauci sunt, stultorum infinitus est numerus.*

Benedictus Arias Montanus in cap. 1. Galat. *In rebus divinis autoritas divina spectanda est, neque decet multitudine aut conditione personarum rem ipsam æstimari.*

Georgius Wicelius art. 5. Relectionis improbat, quod *Evangelici ad multitudinem provocant.*

(Ergo non agnoscit amplitudinem esse infallibilem veræ Ecclesiæ notam.)

Cajetanus in cap. 18. Matth. super verba: *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo &c. Non dixit, multi, ne ad magnarum Ecclesiarum gratiam sermo restrictus videretur.*

Bellarm. lib. 3. de Eccl. c. 2. §. Nostra &c. definit Ecclesiam, quod *sit cœtus hominum ejusdẽ Christianæ fidei professione colligatus.*

(Ergo Ecclesia non est quævis multitudo, sed multitudo veram & Catholicam fidem profitentium, ac proinde necessario cum amplitudine veram & Catholicam fidem conjunctã esse oportet, si ex ea veritas Ecclesiæ demonstrari debeat.)

Lib. 4. de Eccles. cap. 7. §. 3. *Ut Ecclesia sit Catholica, non requiritur, ut sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum, ut innotescat omnibus provinciis, & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus provinciis sint aliqui de Ecclesia.*

§. 4. Nec requiritur, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario oporteat esse aliquos fideles. Satis enim est, si fiat successive. Ex quo id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere & proprie diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo. Hæc Bellarminus ex Driedone lib. 4. cap. 2. part. 2. de Eccles. dogmat. Similia occurrunt apud Georgium Schererum in Epitom. Postill. de temp. p. 175. (Ergo amplitudo Ecclesiæ non ex locorum & provinciarũ numero, sed ex fide Catholica est æstimanda.)

Huic Bellarm. dissertationi conformis est illa Costeri in Enchirid. tract. de Eccl. in qua fatetur, *non ex eo dici Ecclesiam Catholicam, quod eodem tempore totius orbis ditiones occupet, hoc quippe ne in hunc usq; diem fortassis contigit, quando Antarcticis hominibus, & qui extremas, remotissimasq; Americæ oras incolunt, fides Christi nunquam innotuit, sed his duabus potissimum de causis, tum quod nulli nationi, ut olim ex Judæis sit alligata, nulloque loco conclusa &c. tum quod juxta veterum Prophetarum vaticinia aliquando per singula orbis loca seminandum sit Evangelium, plantanda fides, atque extendenda Ecclesia, quod nulli alteri cœtui contingere potuit.* (At quomodo id, quod esse potest, quod futurum est, quod nondum contigit, præsentis Ecclesiæ nobis quæsitæ clara ac evidens nota esse potest? Et quomodo ex hac nota Ecclesiam cognoscemus, cum eodem Jesuita confitente eveniet, quod in Apocalypsi prædixit Apostolus, *novissimis temporibus cœlum recessurum ad instar libri involuti*; hoc est Ecclesiam, quæ prius late patebat, in angustias contrahendam?)

Thom. Hardingus in Confut. Apolog. Anglic. cap. 4. apud Ivellum tom. 2. oper. p. 40. *Alterum argumentum, quo Evangelium vestrum veritatem esse persuadere vultis, totum jam prope (ut jactatis) terrarum orbem ad aspiciendã lucem oculos incipere aperire. Argumentum hoc Antichristo mire aptum est, qui si jam venerit, recte vos sane ejus antecursores videamini: imo si vera dicitis, totum prope terrarum orbem eò spectare, cum postremis temporibus & prope mundi interitum fore sciamus, ut iniquitas abundet, & apud majorem hominum partem refrigescat caritas, in contrariam partem argumentari licet; & vel inde Evangelium vestrum fallax & vanum esse judicare, quod ad illud accipiendum tam parata est multitudo.*

Pineda in Jobi cap. 32. v. 9. f. 710. *Æquissimum de rebus judicium non est permittendum multitudini, neque senectuti, sed tantum divinæ benignitati, quæ, quos vult, cumulat sapientiæ munere.*

Gregorius de Valentia in annal. p. 13. agnoscit, *argumentum à multitudine & consensione hominum ductum, non esse prorsus ex suo genere infallibile.*

pag.

pag.88. Respondendum. *Possit errare major pars.*

Martinus Becanus in Disput. de vocat. Ministr. Viennæ An. 616. habita thes. 57. *In V. Testamento infiniti prope homines adhærebant falsis Prophetis, tamen inde non poterat colligi, vel ipsos à Deo missos, vel eorum vaticinia divinitus fuisse inspirata.*

(Huc referenda sunt ea, quæ superius thesi speciali 1. membro 4. adduximus, quod cum nomine Catholico fidei Catholicæ veritatem conjungi oporteat.)

3. Quod agnoscunt, Christo in terris docenti paucos credidisse, (utique ergo pauci tunc fuere veri veræ Ecclesiæ cives.)

Maldonatus in cap. 3. Joh. super verba, *Testimonium ejus nemo recipit. Quod dicit nemo, hyperbole est, nec enim nemo, sed pauci ejus testimonium acceperunt.*

Emanuel Saibid. *Nemo scil. ferè.*

Guillaudus ibid. *Quasi dicat, Adeo pauci sunt, qui ejus testimonium accipiunt, ut vix audeam pronunciare, aliquos accipere illum, adeo parvus auditorum est numerus.*

Toletus ibid. *Verba hæc paucietatē credentium illius temporis significant. Nemo, inquit, credit. Credebant quidem tunc jam aliqui, tamen collatione eorum, qui tanto testi credere debuerant, nemo dicitur credidisse.*

4. Quod agnoscunt, ab Ecclesia Romana magnam secessionem ac defectionem esse factam, ut de pristina amplitudine gloriari neutiquam amplius possit.

Theodoricus à Niem, quinque Paparum Scriba intimus, & tandem Episcopus Verdensis, in tract. de Schismate circa An. 1418. *Ecclesiæ Romanæ propter ejus divisionem diutinam satis patet impotentia, & dudum capit ejus discessio, & adhuc durat per Asiam & Africam, ubi omnes Ecclesiæ Catholicorum desolatæ sunt & ad nihilum devenerunt. Sed remanebunt & remanent Ecclesiæ Catholicæ tantummodo per Europam, excepta Græcia & Russia, quarum schisma jamdiu fuit inchoatum. Et qualis sit discessio in ipsa Ecclesia Romana, & etiam Prælatorum Ecclesiasticorum religio sive sanctimonia in partibus Occidentis, non oportet describi. Patet enim utrumque istorum in Sacerdotio & in regno. Et si ipsa sunt prognostica adventus ipsius Antichristi, discutiant, si qui noverunt sensum Dei. Nunc unionem omnes desiderant & forte non omnes, ut liquet expræmissis, qui suis affectionibus passionati quærunt illa, quæ sua sunt, ut superius expressi.*

Nicolaus de Clemangis lib. de corrupto Ecclesiæ statu, cap. 27. p. 25. *Nam ut ea, quæ longinqua sunt, de Græcorum à nobis dissidio propter nostrorum superbiam & avaritiam orto, de contractis limitibus Catholicæ religionis per totam pene orbis terrarum vastitatem olim porrecto &c. non repetam, nonne saltem ruina illa, qua urbem, Romanam Sedem ac caput Ecclesiæ sic ruere & collabi videmus, Ecclesiæ ipsius & totius ejus Imperii desolationem propinquare nunciat?*

Paulus Langius Monachus in Chronico Ziticensi Anno 1453. *Mahometes Imperator Turcorum Ann. Imperii sui tertio Constantinopolin Orientis Imperii Sedem terrâ marique plus, quam trecentis millibus hominum 66. diebus continue obsessam & oppugnatam, tandem vi & armis cepit. Imperatore ipso Græcorum Constantino Paleologo ex matre Helena genito, nec non Patriarcha eorum cum omnib. Christianis masculis ad instar pecudum trucidatis, mulieribus abductis, raptisq; virginibus. Et hoc quidem 28. die Mart. miserabilissimum factum est excidium, & , ut ferunt, proditione cujusdam Jannensis, qui juxta promissum per Turcum constitutus Rex per triduum, quarto die ejusdem jussu decollatus fuit. Et fit planctus in tota Christianitate & timor grandis, periit siquidem pene totaliter ipsa fides Christi in Græcia fidelibus passim peremtis, passim captis, omnib. autem prorsus profligatis. Porro calamitatem prædictam & expugnationem Græci passi referuntur Dei ultione, ob peccata eorum, præsertim perfidiæ & inobedientiæ. Nuper enim sub Eugenio Papa in Concilio Florentino Romanæ Ecclesiæ reconciliati & uniti, paulo post recidivantes denuo ab obedientia prædictæ Romanæ Ecclesiæ recesserunt, ac pristinis se erroribus, utpote de processione Spiritus sancti, deque in fermento consecratione, & similibus impiis addixerunt, propter quæ etiam iram Dei incurrerunt, quam nihilominus & nos valde formidare debemus, quia non minoribus, imo gravioribus, utpote Simoniæ, avaritiæ, ambitionis ac libidinis turpissimis irretimur sceleribus, quæ nisi pœnitudine & vitæ emendatione expiare curaverimus, simile exitium per Dei indignationem & Turcorum infestationem nobis imminere non dubitemus.*

Nicol. Clenardus in Epist. ad Jacobum Latomum p. 70. *Quid est hodie Christianismus, si spectes gentes Mahometi? Nimirum quod olim Judæa comparata mundo reliquo.*

Antonius Marinarius in orat. habita in Concil. Trid. tom. 3. Concil. p. 989. conqueritur, *quod in Europæ angulis arctata sit Ecclesia, & quod adhuc domestici hostes surrexerint, grassantes in reliquam hanc Ecclesiam ad angulum coactam.*

Franciscus Sonnius Antuerpiæ Episcopus lib. 2. Demonstrat. Christ. relig. tract. 8. cap. 3. *Quantum, obsecro, nunc patet per orbem habitabilem Ecclesia Catholica? vix tres ulnas longum comparatione ejus vastitatis, quam possidet Synagoga Satanæ.*

Fridericus Staphylus in orat. funebri Caroli V. *Quota pars Europæ in fide manserit, videmus; quanta autem sit ea, quæ defecerit, omnes sane deploramus.*

Bellarmin. lib. 3. de R. P. cap. 21. §. Et hoc. *Ab eo tempore, quo per vos Papa Antichristus esse capit, non modo non crevit ejus imperium, sed semper magis ac magis decrevit.*

(Agnoscit igitur, ab Ecclesia Romana nostris temporibus magnam secessionem ac defectionem esse factam, ut de pristina amplitudine gloriari minime possit.)

Idem in præf. super lib. de beat. Sanct. *Ob mendacia* [hæreticorum] *innumerabiles populi, regna, nationes, multa millia animarum Christi sanguine redemtarum à Christi corpore separata, & tanquam rami ad arbore vi tempestatis avulsi & disjecti jacent, & instar ovium, quæ ab ovili suo egressæ sine ullo Pastorum canumve præsidio in montib. vagantur, infernalium luporum quotidie præda fiunt.*

Theologi Veneti in tract. de interdict. Pauli V. p. 139. edit. Francof. 607. *Nomen Catholicum in paucissimas quasi Provincias hoc seculo restrictum est.*

Josephus Acosta lib. de novissim. capite 2. *In Septentrione fere toto magna facta est ab Ecclesia Romana discessio.*

(Huc pertinet, quod quatuor sint classes earum Provinciarum, quas Romana Ecclesia sua amplitudine non attingit: prima est eorum, qui de Papa nihil audivere, vel si audivere, parum tamen eum curant. Tales sunt Asiani, Cilices, Armeni, Palæstini, Tartari, Persæ; ut & Ecclesiæ in Taurica Chersoneso, in Africa, Ægypto, Æthiopia, &c. Secunda est eorum, qui Pontifici Romano, ejusque Tyrannidi fortiter restiterunt, ut sunt Græci in Asia & Aphrica. Tertia est eorum, qui Papali Tyrannide pressi, adduci tamen non potuerunt, ut jugo ejus se submitterent & Papales errores approbarnet, ut fuerunt Waldenses in Gallia, Anglia, Germania, Polonia commorantes. Quarta est eorum, qui superiore seculo in variis regnis & Provinciis Papale jugum excusserunt. Philipp. Marnixius in Discursu falsò dictæ Cathol. & Evang. relig. part. 3. cap. 11.)

4. Quod agnoscunt, Antichristo, quicunque tandem ille sit futurus, majorem partem adhæsuros, quam Eccl. Catholicæ.

Franc. Rib. in Comm. Apoc. 13. sup. verb. *Adoraverunt bestiam omnes, qui inhabitant terram. Significat Apostolus his verbis infinitam multitudinem eorum, qui Antichristo adhærebunt.* Plura hujus generis testimonia de Ecclesia tempore Antichristi in angustum redigenda, adduximus superius c. 3. memb. 9.

5. Quod agnoscunt, Ecclesiam nostram esse longe lateque propagatam.

Alphonsus de Castro in præfat. lib. adv. hæreses. (*Utinam pestis hæc* (Lutherana hæresis) *intra solos Germaniæ fines sese contineret, & non in reliquas Christiani orbis partes tam sæve atq; potenter grassaretur, ut jam rara sit Christiani nominis Provincia, in qua aliqui non sint, qui publice aut latenter Luthero nomina dederint & in illius verba juraverint!* (Scripsit hæc Alphonsus An. 1545.)

Bellarm. in præf. tom. 1. Controv. *Quis ignorat, pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientē profectam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumsisse; tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna brevi tempore populatam; ad extremum Alpes transcendisse & in Italiam usque penetrasse.*

In Orat. tom. 4. oper. præfixa sub finem. *Volantes currus miram indicant velocitatem, qua nova ista secta* (Lutherana) *instar pestiferæ tabis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta Occiduis & Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque & Meridiem, ad Græcos, ad Indos ad ipsum novum orbem nagivare ausa est, quanquam & à Græcis cum ignominia repulsa fuit, & apud Indos nos non permisit Dominus, ut vestigium figere posset.*

Confessionem Augustanam *in ipsas Hispanias*, inque Cænobia Hispaniarū penetrasse, rogi in Virginum, Nobilium, Monachorum vivicomburia hanc ipsam ob fidem Hispali & Pinciæ Ann. 1559. insumti gloriolo non minus, quam evidenti argumento demonstrarunt. Jac August. Thuanus lib. 13. Petrus Suavis Polanus lib. 5. Hist. Conc. Trid. p. 486.

Apud Ruthenos quoque ad Mosqui fluenta invenit Confessio Augu-

Augustana tutam & honoratam sedem. Philipp. Nicol. lib. 1. de regno Christi cap. 1. ex Oderbornio.

Græcorum hæc Confessio non formidavit ingenia. Subiit conspectum *Patriarchæ Constantinopolitani, à quo etiam Confessionis hujus socii ad sacrorum participationem intromissi in interiora templi loca, quo soli Patriarchæ cum his, qui sacra peragentem ministerio suo adjuvant, penetrare licet.* Phil. Nicolai d.l.

Legitur *sermone Heneto* à Trubero Carniolano munificentia Ducis Wirtenbergici Christophori adjuto in Henetam linguam transfusa, ne *in Turcicis Provinciis*, quibus Henetus sermo familiaris est, ingemiscentes sub jugo Ottomanico Christiani tanto Thesauro privarentur, Jacob. Andreæ in orat. funebri Truberi.

Albaniam, imo & *Iberiam & Caspium mare* penetravit, ab ipso Georgianorum Principe illata. Nam cum Anno Christi 1579. duo fratres, Georgianorum Principes, parte ditionum suarum à Mustapha Turcico Bassa occupata, recuperandi regni causa Constantinopolin cum splendido comitatu ad Amurathen essent profecti, & minor quidem natu, subjectione promissa fideque Christi ejurata, regnum ex voto impetrasset, alter autem Quarquare Artabas, cui totum regnum propter nascendi sortem debebatur, omni dominationis recuperandæ spe excidisset, quod nollet in Turcarum transire ritus & religionem, factum est sic mire disponente Deo, ut pius hic Princeps, fructus tamen peregrinationis suæ non pœnitendos, aut potius præmia constantiæ amplissima ferret, & qui regno terreno à Turca exclusus esset, regni divini comunione bearetur, inq; propagatorum veritatis à Christo asciscceretur consortium. Singulari enim providentia divina venit in notitiam Oratoris Cæsarei Baronis Ungnadii, ex eoque per Interpretes comiter salutato, Ecclesiarum Germanicarum statum sciscitatus est; amanter illum resalutavit Baro interprete Wenceslao Budovicio, aulæ suæ tum temporis Magistro; deque nostris Ecclesiis edoctum, ut in Christiana fide constanter perseveraret, monuit. Ad hæc exemplar Græcum Augustanæ Confessionis manu sua scriptum, Principi communicavit, quod ipse serena fronte acceptans *in sermonem Ibericum* illico per Interpretes transferri jussit, & exemplar utrumque in patriam transmisit. Sic ergo nunc in extremis illis oris, vix fama satis cognitis, Principis sui pietatem imitati Georgiani Confessionem Augustanam legunt, versant, exosculantur, nunc *Caucasi & Mœotidis accolarum* barbara labra de restituta verbi cœlestis puritate nobis gratulantur, & ipsa *vagorum Scytharum* feritas fidei orthodoxæ mansuetudine mitescit. Philip. Nicol. d.l.

Secretarius Pauli IV. Pont. in actione, an Concilii Tridentini decreta armis propaganda sint, fol. 69. ad Pontificem. *Puto, te scire, in omnibus tuis urbibus nonnullos esse, qui Lutherano veneno infecti sunt, neque hos ex infima tantum fece populi, sed ex mediis etiam & summis viris.* (Aut ergo veræ Ecclesiæ titulum nostris Ecclesiis concedant, aut agnoscant, solam amplitudinem absque veritate doctrinæ consideratam, non esse veram veræ Ecclesiæ notam.)

6. Quod Bellarminus lib. 3. de Justif cap. 3. §. Quod vero &c. contra Ambrosium Catharinum disserens, sic scribit: *Omnis fides divina habet certitudinem fidei Catholicæ. Fides enim non est certa, quia Catholica, sed quia divina. Non enim ideo certitudinem habet fides, quia toti Ecclesiæ communis est, sed quia nititur autoritate Dei qui nec fallit, nec fallere potest, cum sit ipsa veritas.*

(Ex illis sic colligimus: Quæcunque fides nititur verbo divino, ea quoque est fides divina. Nostrarum Ecclesiarum fides nititur verbo divino; quam hypothesin tamdiu tuemur, donec contrarium à Pontificiis ex verbo Dei probetur. Ergo est fides divina. Ulterius. Omnis fides divina habet certitudinem fidei Catholicæ. Non enim ideo certitudinem habet fides, quia toti Ecclesiæ communis est, sed quia nititur autoritate Dei. Nostrarum Ecclesiarum fides est divina. Ergo habet certitudinem fidei Catholicæ, non quia toti Ecclesiæ communis est, sed quia nititur autoritate Dei.)

7. Quod agnoscunt, Ecclesiam nondum esse per totum terrarum orbem propagatam.

Jacobus Gretserus tom. 2. Defens. Bellarm. lib. 3. cap. 4. pag. 855. di *Nec juvat te, quod ais, Indicos scriptores testari, quædam Christianæ religionis monementa apud Indos reperta. Sed apud quosdam, non omnes, præcipue vero Orientales, quorum nonnullis S. Thomam, S. Bartholomæum & S. Matthæum Evangelicam doctrinam tradidisse, compertum est. At quid de Indis Occidentalibus? quid de Japonibus? quid de Ca.n.s? quid de Brasilcensibus? quid de aliis vastissimis regnis dicemus, quæ partim jam patefacta sunt, partim quotidie felicibus auspiciis patefiunt, ubi nec vola nec vestigium ullius Christianitatis olim introductæ & postea obrutæ.* (Agnoscat ergo, ante repertum novum orbem Ecclesiam non fuisse per omnes mundi regiones propagatam, ac proinde non potuisse de tanta amplitudine gloriari.)

Bellarminus lib. 3. de Pont. Rom. capite 4. Tannerus part. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. q. 3. dub. 5. statuunt; *Evangelium nondum esse in toto orbe prædicatum.* (Quomodo igitur Ecclesia per totum orbem propagata?)

Argum. Advers. *Amplitudinem Ecclesiæ* probant ex Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Resp. 1. Glossa interlinearis, Costerus in Enchirid. & alii dicunt, *hoc semel impletum esse per Apostolos, qui omnes mundi angulos tunc cognitos & habitatos, si non præsentia, tamen fama expleverũt.*

Confirmant hoc ipsum plurimi scriptores Pontificii, quorum testimonia adduximus superius in cap. de Antichristo in resp. ad 3. arg. 1. demonstr.

3. Jesuita Schererus in Epit. Postill. de temp. sup. Evang. 3. Dom. post Epiphan. accipit *de successiva Ecclesiæ propagatione*, quam nemo nostrũm negat.)

Thesis specialis quinta. Successio Episcoporum non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Duplex est successio, Una quidem *locorum & personarum*, altera vero *doctrinæ*, Illam vocare possumus *externam* hanc *internam*. Successio locorum & personarum est accidens quoddam externum & mutabile, neque quidquam valet absque doctrinæ successione; doctrinæ autem successio est veræ Ecclesiæ propria. Quando igitur negamus, successionem Episcoporum esse genuinam & infallibilem Ecclesiæ notam, de locali & personali successione, quæ doctrinæ successionem conjunctam non habet, idipsum intelligimus.

Antithesis Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 8. §. 1. *Quinta Ecclesiæ nota est successio Episcoporum in Romana Ecclesia, hinc inde ab Apostolis usque ad nos deducta, hinc enim dicitur Apostolica, ac proinde omnes veteres hac successione, tanquam argumento evidentissimo, usi sunt ad veram Ecclesiam ostendendam.*

Baronius tom. 1. Annal. Eccles. anno 31. num. 52. *Ex cujusvis hominis, qui rationis est compos, sententia certum exploratumque habetur, illic esse legitimum templum, ipsam, inquam, Catholicam Ecclesiam, apud quam successio Pontificum ab ejus exordio est legitime conservata ac custodita.*

Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 83. ac Canisius in Catech. tract. de præcept. Eccl. cap. 9. statuunt, *Romanam cathedram esse indubitatam Ecclesiæ notam.*

Horantius lib. 6. contra Instit. Calvin. cap. 6. *unam* facit *Ecclesiæ notam certissimam, continuatam Sacerdotum ac Prælatorum, præcipue Romanorum successionem.*

Sanderus lib. 8. de visib. Monarch. capite 50. *successionem* itidem numerat inter Ecclesiæ notas.

Gregorius de Valentia in Anal. lib. 6. cap. 13. *Augustinus hoc firmissimo argumento usus est, Tenet me, inquit, in Ecclesia legitima Sacerdotum successio. Præterea Irenæum & alios Patres, qui hac nota Ecclesiam veram demonstrari voluerunt.* Quinimo tantum tribuunt huic successioni, *ut absque ea nec veram Ecclesiam, nec veros Ecclesiæ Ministros dari* asserant.

Becanus lib. 1. Manualis in princ. *Si constet, Ministros Lutheranæ aut Calvinianæ religionis non esse legitime vocatos ad Ministerium, sicut hactenus suam vocationem probare non potuerunt, sequitur, ab illis neque Evangelium legitime prædicari, neque Sacramenta rite administrari posse, ac proinde ad Ecclesiam Catholicam confugiendum, in qua est constans, legitima & nunquam interrupta Pontificum & Episcoporum successio, quæ alibi non reperitur.*

Nostram sententiam probamus, quia successio illa

1. Non convenit Ecclesiæ *perpetuo ac semper*, quia fuit vera & Apostolica Ecclesia, antequam esset talis successio, scilicet in principio. Ecclesia illa primitiva, in qua Christus & Apostoli docuerunt, fuit flos Ecclesiæ, ea tamen caruit locali & personali ista successione.

2. Non convenit *soli* veræ Ecclesiæ, Synagoga Judaica tempore Christi habebat Sacerdotum successionem; quam ad ipsum Aaronem poterat deducere, nec tamen cum illa successione puritas doctrinæ perpetuo fuit conjuncta. Ecclesia Græca successionem Episcoporum suorum usque ad Apostolorum tempora producit, nec tamen in ea est omnimoda puritas doctrinæ.

3. Nihil quicquam valet, nec ullius est momenti, nisi conjunctam habeat *veram doctrinam*, quia vera Ecclesia non potest esse ea, quæ non habet doctrinam veram & Apostolicam, quæ est quasi anima Ecclesiæ. Jam vero successio *localis & personalis* potest consistere, ut ei non sit conjuncta successio *doctrinalis* Act.20.v.29.30.2.Thess.2.v.4.1.Tim.4.v.1.2.3.2.Petr.2.v.1.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, successionem personalem ac localem nihil valere absque successione doctrinæ. (Utique ergo successio localis ac personalis à doctrinæ successione separata, non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota. (Dicta hujusmodi enumeravimus superius artic.3. de Pontif. Romano cap. 4. membro 1.

2. Quod agnoscunt, à successione ad demonstrandam Ecclesiæ veritatem non posse procedi *affirmative* hoc modo: In illa Ecclesia est successio. Ergo est vera Ecclesia; sed tantum *negative*: In illa Ecclesia non est successio. Ergo non est vera Ecclesia. (Jam vero genuinæ ac propriæ notæ competit, ut & affirmate & negate ex ea concludatur. Ut enim posito proprio ponitur res ipsa cujus est proprium ; ita remoto proprio res ipsa cujus est proprium removetur. Quod si ergo à successione ad veritatem Ecclesiæ non potest concludi affirmate, utique successio non erit propria Ecclesiæ nota. Æque profecto impertinenter *successionem Ecclesiæ notam* dicunt, ac si ego, *bipedem esse hominis notam* dicerem: ac mihi objicienti, *etiam gallus bipes est, responderem, non omne quidem bipes esse hominem, sufficere tamen hanc notam ad ostendendum, nihil, quod non est bipes, esse hominem.* Nonne egregia foret responsio data quæstioni notam claram, ac qua homo cognosci a que reliquis omnibus rebus dignosci possit, postulanti ?)

Bellarm. lib. 4. de Eccl c.8.§. Dico secundo &c. *Dico argumentum à successione legitima asserri à nobis, præcipue ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi non est hæc successio, quod quidem evidens est, ex quo tamen non colligitur necessario, ibi esse Ecclesiam, ubi est successio.*

Pazmannus lib.8. Hodegi cap 13. fatetur, *hanc notam per se non ostendere Ecclesiam, sufficere tamen putat, quod multarum congregationum falsitatem demonstrat, & ab iis Ecclesiam discernit.* Postea addit, *Successionem Episcoporum per se discernere quidem veram Ecclesiam à nonnulla falsa, sed non ab omni erronea congregatione.* (Atqui vera nota non ab aliqua tantum, sed ab omni alia rem notatam discernere debet & potest. (

3. Quod agnoscere coguntur, successionem illam localem & personalem non convenire Ecclesiæ perpetuo ac semper; nec soli veræ Ecclesiæ convenire.

Bellarminus lib.1. de Justif. cap. 9. §.2. statuit, *Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis compositum esse, & ad ejus autoritatem passim provocat*, idq; non immerito. *Extat*, inquit, *Symbolum antiquissimum, quod Apostolicum dicitur, propterea quod Apostoli ipsum condiderint, ut inter omnes constaret, quænam esset totius Christianæ fidei summa.* (Jam vero Ecclesia in Symbolo illo vocatur *Apostolica*, cum tamen nondum in ea localis & personalis successio vigeret, sed Apostoli ipsimet adhuc docerent.)

Idem Bellarminus lib. de Eccles. cap.8. resp. ad 2. object. scribit: *Sacerdotium Aaronicum fuisse temporale & solum durasse usque ad inchoationem Novi Testamenti, deinceps cæpisse Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech à Christo institutum, cujus Sacerdotii cumprimitiæ fuerint Apostoli, ideo non debuisse illos Caiphæ succedere, sed esse principium Novi Sacerdotii.* (Agnoscit igitur, Apostolos localem & personalem successionem non potuisse nec debuisse à Sacerdotibus Vet. Testamenti deducere. Jam vero idem Bellarminus lib.4. de Ecclesia cap.4. §. In omni &c. fatetur, *Ecclesiam Christi non fuisse novam Ecclesiam, sed solum mutationem quandam status Ecclesiæ.* Quod si ergo mutata successione status duntaxat Ecclesiæ externus mutatur, non autem nova Ecclesia constituitur, utique successio nō est vera & essentialis, sed tantum accidentalis Ecclesiæ nota, quia scil. non ad illius essentiam, sed externum duntaxat statum pertinet. Proinde, quemadmodum Apostoli à successione *locali & externa*, qua Caiphas cum suis gloriabatur, *ad successionem doctrinalem & internam* provocarunt, quando doctrinæ suæ consensum cum doctrina Mosis & Prophetarum demonstrarunt: ita quoque hodie in Ecclesiis Evangelicis *à successione locali & personali*, qua Romani Pontifices gloriantur, *ad successionem doctrinalem & internam* merito provocamus, quando doctrinæ nostræ consensum cum Apostolica doctrina demonstramus.)

Huc referri potest illud, quod cum superioribus annis Gregorius XIII. Pontifex Romanus Armeniis Orientalibus Christianis *novum Calendarium*, atque una etiam dominatum suum obtrudere conaretur, illi consilio cum Orientalibus Patriarchis communicato per literas responderunt, *se non existere sine capite, siquidem inde à Constantino Magno & Regis Teridatæ temporibus in hunc usque diem Catholicum semper Archiepiscopum habuerint*; quibus literis nomina sua addiderunt Patriarcha Constantinopolitanus Hieremias, Sylvester Alexandrinus, Joachimus Antiochenus & primæ Justinianæ Archidarum Gabriel. 8. Novemb. Ann. 1582. Indict. 10. (Quamvis vero Ecclesia Græca ad localem & personalem illam successionem provocet, tamen à Pontificiis pro schismatica, imo hæretica habetur.)

Rayhingius in Excub. contra Doct. Meisner. p.16. *Habet Græca Ecclesia quidem seriem, si potestas ordinis spectetur, non diffitemur, sed ejusdem doctrinæ prædicationem cum majoribus communem & ab iis deductam, quæ tamen series maximi ad veram Ecclesiam demonstrandam est momenti, minime habet.*

4. Quod agnoscere coguntur, successionem in Ecclesia Romana aliquoties fuisse interruptam, videl. primo *per diuturnam vacationem*. Secundo, *per Anti-Paparum dissensionem*. Tertio, *per hæreticam à vera fide discessionem*. Quarto, *per illegitimam occupationem*. Singula membra late confirmata sunt ipsorum Pontificiorum scriptorum testimoniis, artic.3. de Pontif. cap. 4. membro 5.

Gregorius de Valentia in Analysi p.295. format talem objectionem. *A tempore Urbani sexti, qui Gregorio undecimo demortuo Ann. 1378. electus fuit in mense Aprili, usque ad præsentem Pontificem, nullus videtur legitime successisse. Nam ut videre est apud Antoninum part.3. Hist. tit.22. cap.2. & in initio Concilii Constantiensis eodem Anno 1378. in mense Julio ex Cardinalibus quidam, quod Pontificis electi mores difficiles non ferrent, Roma discesserunt, & in sequente mense Septembri elegerunt alium Pontificem, qui nominatus est Clemens septimus. Porro Urbanus Romæ manebat, Clemens Avenioni, & uterque suos asseclas habebat. Quod schisma usque ad annum 1417 quo undecimo die mensis Novembris Martinus V. electus est, ita continua successione utriusque Pontificis & Cardinalium ab ipsis creatorum continuatum est, ut non posset satis dignosci, uter illorum esset verus Pontifex. Ann. 1408. accessit, qui dictus Johannes XXIII. quem alii Cardinales, ex utraque factione ad eam rem designati, creærunt, ut refert Turrecremata. Tandem Martinus V. à Cardinalibus multis ex illis dubiis & schismaticis anno, ut dictum est, 1417. creatus est in Concilio Constantiensi. Itaque nec præcedentes Pontifices, nec ipse Martinus V. & consequenter neque alii Pontifices posteriores, qui Martino deinceps successerunt, legitimo modo videntur ab Ecclesia recepti. Accedit etiam quod post Martinum V. tempore Eugenii IV fuit aliud schisma, Amadæus enim quidam in Concilio Basileensi à quibusdam electus est & vocatus Felix. Is postea Nicolao V. cessit, à quo & Cardinalis creatus est. Neque tamen videtur satis compertum, uter istorum habuerit majus jus ad Pontificatum. Atque ita propter hoc etiam schisma Pontifices illi omnes, qui Nicolao usque ad Pontificem præsentem successerunt, videntur dubii.* (In responsione ad hanc objectionem Gregorius de Valentia succumbit. Primo dicit, *Illos Pontifices, qui ab Urbano VI. usque ad Martinum V. electi fuerunt, censeri posse legitime receptos in locum Urbani, cæteros vero fuisse schismaticos.* (Atqui, unde certo & infallibiliter Ecclesiæ constabat, Urbanus ne an Clemens VII. an Martinus V. aut Johannes XXIII. legitime receptus esset ? & cuinam, cum singuli suos haberent asseclas, ac suos quique Cardinales crearent, præ reliquis fuerit obtemperandum ? *Si unus & solus Pontifex in hoc casu aliquid potest statuere*, ut disputat Valentianus p. 297 cur non statuebat tunc Urbanus sextus ? cur non autoritate Apostolica repressit Clementem septimum ? Itemq; cur Martinus V. & Clementem VII. & Johannem XXIII. non abrogavit ? cur non tanquam schismaticos excommunicavit ? cur Ecclesia repræsentativa sive cœtus Cardinalium Urbanū VI. vel Martinum V. ex pectoris sui scrinio definientes non audivit ? Videt hoc Valentianus, ideo secundo loco respondet, *Sive hi, sive illi, durante schismate fuerint legitimi Pontifices, sive nullus eorum, qui in schismate electi sunt, sed tunc Sedes quasi vacaverit, nihil hoc quidem interest, modo constet, certe ipsum Martinum V. in Concilio postea Constantiensi legitimo modo receptum fuisse in locum illius Urbani & antecessorum, adeoque etiam in locum ipsius Petri.* (Atqui si totis 39. annis Ecclesia dubium, id est, nullum Pontificem habuit, utique interrupta fuit Pontificalis successionis series, ex quo sponte sequitur, *successionem illam personalem* non esse individuam Ecclesiæ notam, quin & Ecclesia... visibili illo capite absque sui destructione carere posse.)

Ubinam

Ubinam vero erat successio absque interruptione *viginti sex schismatum* ab Onuphrio in Chronico numeratorum tempore? Vigesimum schisma q *adraginta annos* duravit: & vigesimum sextum ab *Urbano sexto usque ad Concilium Constantiense*, secundum Genebrardum. Vigesimum primum *sex & triginta annos*, secundum Onuphrium *quadraginta*. Alter in alterum censuris sæviebat. *Tota Respubl. Christiana duos tum habebat Pontifices*, dicit idem Genebrardus ad annum Christi 1389. uterque antagonistam suum excommunicabat, uterque Episcopos creabat; Episcopi, Sacerdotes; uterque rescindebat acta sui AntiPapæ. Ubi tū erat successio, & cuinam erat credendū?

Inde Genebrardus Ann 1009. *Turbata hic fuit* (temporibus Stephani VI. Romani, Theodori secundi, Johannis X) *legitima successio, ut olim in Synagoga sub Antiocho, paulò ante Maccabæos.*

Sed ne multis sit opus, proferemus syllogismum, cujus præmissæ ex ipsis Pontificiis, imo major propositio ex ipso Pontificis decreto sit petita.

Si quis Apostolicæ Sedi sine concordi & Canonica electione Cardinalium ejusdem Ecclesiæ, ac deinde sequentium religiosorum Clericorum inthronisatur, non Papa vel Apostolicus, sed apostaticus habeatur, ait Nicolaus II. Pontifex Romanus, c. Si quis. dist. 79.

Jam vero *plerique contra Ecclesiastica Statuta in Pontifices Simoniace electi, ambitiose intrusi & aliquando in tantum vitiati fuerunt, quod rursus ab Ecclesia rejecti, à Sede expulsi, damnatique sunt*, inquit Autor oneris Ecclesiæ cap. 15. §. 35.

Sylvestri III. tempore eò Pontificatus devenerat, ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrina, valeret, tantūmodo dignitatis gradum bonis oppressis & rejectis retineret, quem morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora! inquit Platina in vita Sylvestri III.

Conclusio sponte emergit.

Pontif. in ore & calamo est, *quod sola Sedes Romana manserit sine hæresibus, cum Constantinopolitana, Alexandrina & Antiochena & aliæ Ecclesiæ variis hæresibus fuerint contaminatæ*, ex quo inferunt, *successionem Apostolicam in Sede Romana mansisse, in Sedibus Patriarchalibus defecisse.*

Resp. 1. antecedens argumenti, quod Sedes Romana semper manserit ab hæresibus immunis, falsum esse lib. 1. Conf. gen. demonstratum fuit.

2. Cum Anshelmus Havelburgensis (qui floruit circa annum 1150.) hoc argumentum urgeret, jam olim Nechites Theologus Græcus in Concilio, sub Calo Johanne Constantinopoli celebrato, ipsi in hunc modum respondit: *Concedo Constātinopoli multas hæreses ortas esse, sed ibi vicissim extinctæ sunt, ut tempore Constantini Magni Arii hæresis, Fons fuit Philosophia, quæ Constantinopoli exculta fuit, quaque abusi sunt docti homines. Sic in Chalcedonensi, Constantinopolitana, Ephesina, Antiochena, Alexandrina Ecclesiis damnatæ sunt hæreses, & inhibitum est, ne quis amplius de fide disputare audeat &c. Et fortasse in Romana civitate ideo non surrexerant hæreses, quia non adeo sapientes & subtiles Scripturarum investigatores ibi fuerunt, quemadmodum apud nos. Et sicut hæreticorum, qui apud nos fuerunt, vana sapientia, qua seducti sunt, culpanda est: ita non nimium laudanda est Romana imperitia, qua ipsi nec hoc, nec illud de fide dixerunt, sed alios docentes simplicitate quasi minus docta audierunt. Quod contigisse videtur vel ex crassa tarditate hebetis ingenii, vel ex occupatione ac mole secularis impedimenti.*

Thesis specialis sexta. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἐκθεσις. Si per doctrinam & Ecclesiam antiquam intelligatur doctrina & Ecclesia *Apostolica*, facile concedimus, consanguinitatem cum illa antiqua doctrina, vel quod idem est, doctrinam Apostolicam esse veram & propriam Ecclesiæ notam. Quæ vero sit doctrina Apostolica, non potest certius cognosci, quam ex ipsis Apostolorum scriptis. Sin per doctrinam & Ecclesiam antiquam intelligatur ea, quæ post Apostolorum tempora in Ecclesia viguit, distinguenda sunt Ecclesiæ tempora. Primo Ecclesia erat *pulcre ornata* tempore Apostolorum & Martyrum, ubi ob persecutiones latebat, sed quoad fidei puritatem vere fulgebat. Secundo erat *nonnihil maculata* tempore Patrum ubi à prisca simplicitate paulatim deflectebatur & humanæ opiniones ac traditiones subinde admiscebantur. Tertio erat *prorsus deformata* tempore dominantis Antichristi, sub cujus Tyrannide totum corpus doctrinæ cœlestis misere laceratum & disjectum fuit. Quarto, ultimis hisce temporibus denuo est *reformata & pristino fidei Apostolicæ nitori restituta*. Idem judicium faciendum de Doctoribus Ecclesiæ. Qui enim propinquiores sunt Apostolorum temporibus, purius & sincerius tractant Scripturam, quam qui sequentibus seculis vixerunt.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap 9. §. 1. *Sexta Ecclesiæ nota est conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua*

Sixtus Senēsis lib. 6. Biblioth. annot 104. *Ecclesiasticæ traditionis consensum* inter Ecclesiæ notas recenset.

Rayhingius in Muris civitatis sanctæ *septimam Ecclesiæ notam* statuit *Patrum consensum.*

Nostram sententiam probamus ex eo, quod Patres non sint regula fidei, id quod multis confirmavimus argumentis, lib. 1. part. 2. cap. 13.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, discrimen esse *inter Scripturam sacram* θεόπνευστον, & inter *Patrum scripta*, illamque esse normam & regulam, cui Patrum scripta subjicienda, & ad eam velut normam exigenda.

2. Quod ipsimet Patrum scripta judicio *Ecclesiæ*, id est, Romani Pontificis submittunt.

3. Quod agnoscunt, Patres sæpius errasse.

4. Quod multis etiam præclarissimis veteris Ecclesiæ Doctoribus in specie errores quosdam tribuunt, vel certe autoritatem eorum elevant.

5. Quod agnoscere coguntur, non solùm privatos & peculiares quosdam errores in singulis fere Patribus occurrere, sed etiam multos in uno eodemque puncto simul & conjunctim errare.

6. Quod in expositione Scripturæ à majori parte Patrum quandoque discedunt, & pauciores sequuntur, interdum etiam Patrum expositioni suam præferunt.

7. Quod agnoscunt, Patres in multis capitibus non solum à se invicem, sed etiam à semetipsis dissentire.

8. Quod agnoscunt, in scriptis Patrum esse multa supposititia & adulterina.

9. Quod agnoscunt in genuinis Patrum scriptis multa esse corrupta & depravata.

10. Quod agnoscunt, multos ex Patribus necessariis Scripturæ interpretandæ mediis fuisse destitutos.

11. Quod agnoscunt, quosdam Patres legitimæ interpretationis regulas non semper ac perpetuo observasse, quandoq; etiam fervore disputationis vel studio rhetoricandi in partem alteram nimium deflexisse.

Quæ omnia propriis Adversariorum confessionibus confirmavimus dicto lib. 1. part. 2. cap. 13.

12. Quod ipsimet Pontificii agnoscunt, multa fidei Papalis dogmata assensu Patrum, præsertim eorum, qui Apostolorum temporibus fuere proximi, plane destitui, ut in singulis fere controversiis hactenus ostendimus, ac in sequentibus suo loco ostendemus.

13. Quod ex ipsis Pontificiis Scriptoribus demonstrari potest, Romanam Ecclesiam 1. multas in doctrina & ritibus *novitates* fovere, ac 2. quædam *ex gentilismo*, 3 quædam *ex Judaismo*, 4. quædam *ab hæreticis* mutuatā esse. Singula membra pi ol xe probat Dn. D. Nicolaus Hunnius in tractatu, cujus titulus, Apostasia Romanæ Ecclesiæ. Lubec. Ann. 32. edit.

14. Denique Bellarminus ipse aliquoties ab illorum Patrum qui *primis quingentis post Christum natum seculis* vixerunt, doctrina discedit, ut multis exemplis demonstrari potest, ac in genere scribit,

Lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. §. De ipso. *Cum literalis scripturæ sensus modo sit simplex, modo figuratus, dubium est in multis locis, an sensus verus sit simplex vel figuratus &c. Et hac ex causa in gravissimos errores aliquando nonnulli inciderunt. Exemplo sit Origenes, qui propterea erravit, quod, quæ accipienda erant simpliciter, accepit figurate &c. Alii è contrario lapsi sunt, quod simpliciter & propriè acceperint, quæ erant accipienda figurate, ut Papias & qui eum secuti sunt, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliiq; nonnulli*

Lib. ejusd. cap. 10. resp. ad 9. *Quis neget, multos veterum Patrum habuisse excellenter donum interpretandi & fuisse spirituales? & tamen constat quosdam ex præcipuis eorum non leviter in quibusdam lapsos.*

Lib. 4. de Verbo Dei c. 7. §. Ad hunc &c. *Erraverunt aliqui patrum in quibusdam dogmatibus.*

(Tutius ergo ac rectius ex Apostolorum scriptis, quam ex Patribus judicatur, quæ doctrina vere sit Apostolica.)

Thesis specialis septima. Unio membrorum inter se & cum

cum Pontifice Romano, tanquam capite, non est genuina & infallibis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις 1. Fatemur, Ecclesiam esse unam, cujus unitatis variæ dantur rationes, inter quas eminet *unius doctrinæ & fidei* Ephes. 4. v. 5.

2. Unitas ergo per se non est nota Ecclesiæ, sed oportet eam esse cum fide & doctrina conjunctam.

3. Nec quævis fidei & doctrinæ unitas est vera veræ Ecclesiæ nota, sed unitas *veræ fidei & doctrinæ*, hoc est, doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, ea enim sola est perpetuæ & immotæ veritatis Zachar. 8. v. 19. Joh. 8. v. 31. Eph. 2. v. 20.

4. Quamvis ergo Ecclesia sit una, & vera ejus membra in religione consentient, ex eo tamen non potest inferri, quod ubicunque est unitas & dissensio in religione, ibi statim sit vera & Apostolica Ecclesia, cum duplex sit unitas, alia *carnis*, alia vero *Spiritus*.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 10. §. 1. *Septima Ecclesiæ nota est unio membrorum inter se & cum capite, id est, cum Romano Pontifice.*

Et postea: *Apud veteres semper fuit habita pro nota veræ Ecclesiæ conjunctio cum Romano Pontifice.*

Lib. 3. de Eccles. cap. 5. §. Probatur. *De ratione Ecclesiæ ea, ut sit una, unione membrorum inter se & suo cum capite &c. Nam multiplex unitas invenitur in Ecclesia, Prima est unitas, ratione ejusdem principii, id est, Dei vocantis. Secunda, unitas ratione ejusdem ultimi finis. Tertia, ratione eorundem mediorũ, id est, fidei, Sacramentorum, legum. Quarta, ratione ejusdem Spiritus sancti, à quo, tanquam externo & separato Rectore, universa Ecclesia gubernatur. Quinta, ratione ejusdem capitis, tanquam interni & conjuncti Rectoris. Omnis enim Ecclesia eidem Christo & ejus Vicario tanquam capiti paret. Sexta est à ratione connexionis membrorum inter se & præcipue cum capite, ut est principale membrum. Inter has unitates illæ, quæ faciunt proprie Ecclesiam unam, sunt duæ ultimæ.*

Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglican. part. 3. cap. 6. div. 1. *Inter alias veræ Ecclesiæ notas & signa connumeratur unitas, propter quam Ecclesia una appellatur & in unum collecta &c.*

Hosius Cardinalis in explic. Symb. & Costerus in Enchir. cap. 2. *tertiam* Ecclesiæ *notam* ponunt, quod sit *una*.

Sanderus lib. 8. de visib. Monarch. capite 50 *quintam* Ecclesiæ *notam* statuit *unitatem & consensionem*.

Jesuitæ Posnanienses in Disp. de Eccles. *septimam* Ecclesiæ *notam* faciunt *unitatem*.

Quinimo unionem illam cum Pontifice Romano tanti faciunt Pontificii & ipsi Pontifices, ut non vereantur eos, qui in fidei articulis ab Ecclesia Romana dissident, in ejusdẽ societatem recipere, modo Pontifici Romano sese subjiciant.

Pius Papa V. ad Elisabetham Angliæ Reginam scribebat, *se sacrorum Anglicanorum ritus ac Ceremonias, Calviniana Biblia & communium precationum librum autoritate Apostolica confirmaturum, modo se Angliæ regnum Papæ subjiceret, nec ab Ecclesiæ Romanæ unitate secederet*, uti demonstravit Edoardus Coquus in actione contra Jesuitam Garnetium, cui Andreas Eudæmon Cretensis nihil habuit, quod reponeret præter convitia & conjecturas in Apologia pro Garnetio pag. 24.

Sic Joachimus Abbas Floriacensis, *qui unitatem collectivam SS. Trinitati tribuebat & quaternitatem astruebat, trium personarum & unius communis essentiæ*, excusatur ab Innocentio Papa III. c. Damnamus. de summa Trinit. & fide Cathol. *ideo, quia Monasterium Florentini instituit, & omnia sua scripta Romanæ Ecclesiæ subjecit, eamque tanquam omnium fidelium Magistram agnovit.* Hæc subjectio facit, *ut diversissima sentientes, idem tamen sentiant, ne possint dissentire, quia omnes subjiciunt sensum suum sensui unius ejusdem summi Pastoris ex Cathedra Petri Ecclesiam dirigentis*, ut disputat Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. cap. 10.

Nostram sententiam probamus ex eo,

1. Quod unitas, per se considerata, sine conjuncta veritate fidei & doctrinæ non conveniat *soli* Ecclesiæ. Regno Satanæ Christus tribuit unitatem Matthæi 12. v. 25. Unitas erat inter eos, qui vitulum aureum fabricabãt. Omnes Baalitici Sacerdotes contra Eliam & Micheam conspirabant. Tempore Jeremiæ totus populus contra verum Dei cultum conspirabat. Christus communi consilio Sacerdotum ac Seniorum & totius populi suffragio ad mortem condemnatus est. Contra Paulum tota civitas Ephesiorum insurgebat. De Antichristo prædictum, multos concorditer ipsi adhæsuros. Apoc. 13. v. 16. Mahumetismus, Arianismus, Judaismus & hæreses omnes quandam unitatem obtinent, quippe absque qua non constituerent unum corpus, unam Ecclesiam.

2. Quod unitas fidei & doctrinæ in Ecclesia in hac vita non sit perfecta & numeris omnibus absoluta. Quandoque enim inter veræ Ecclesiæ membra incidunt controversiæ, quibus sancta illius unitas scinditur. Sufficit *fundamentalis unitas*, quæ in confessione principalium articulorum consistit, licet de nonnullis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorundam Scripturæ locorum controversiæ quandoque incidant. Act. 11. v. 2. cap. 15. v. 39. Gal. 2. v. 11. &c.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, non omnem unitatem & pacem esse piam & approbandam, sed eam tantum, quæ cum verbo Dei consentit & veræ fidei unitatem includit.

(Ergo unitas nuda à veræ fidei & doctrinæ unitate sejuncta, non est infallibilis veræ Ecclesiæ nota.)

c. Quæ dignior. in fin. cap. 24. quæst. 1. ex Ambrosio. *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est.*

Thomas lect. in cap. 4. Ephes. *Duplex est unitas, una bona, altera mala; una Spiritus, altera carnis.*

Hugo lib. 3. de claustr. anim. cap. 9. *Pax alia æstimata, scilicet impiorum & hujus mundi; alia simulata, Diaboli & hæreticorum; alia imperata, scilicet ne pugnetur contra hæreticos.*

Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 5. §. Probatur. *Multiplex unitas invenitur in Ecclesia, Prima est unitas ratione ejusdem principii, i. e. Dei vocantis. Secunda, ratione ejusdem ultimi finis. Tertia est ratione eorundem mediorum, i. e. fidei, Sacramentorum, legum, juxta illud Eph 4. Una fides. Quarta, ratione ejusdem Spiritus S. à quo, tanquam externo & separato Rectore, universa Ecclesia gubernatur.* (Ergo ea demum vere una est Ecclesia, quæ hasce quatuor unitatis species includit.)

2. Quod agnoscunt; unitatem non esse Ecclesiæ propriam, sed cum cætibus hæreticis communem. (Ergo non est genuina & propria Ecclesiæ nota.)

Johannes Ferus in Postill. serm. 3. de cœna. *In omnibus gentibus major est nunc concordia, quam inter nos Christianos.*

Glovianus in lib. de schism. in Epist. nuncup. ex Augustini serm. de jejunio. *Pagani colentes multos Deos diversos imo litigantes, atque inter se invicem hostili odio ardescentes, tenent tamen in iis qualemcunque unitatem, cum pariter eant ad eorum templa. Diis ipsis iratis ipsi concordes sunt.*

Gregorius de Valentia in Anal. lib. 6. cap. 4. fol. 37. b. *Qui tribuit fidei unitatem in actuali consensione Ecclesiæ, is ei parũ tribuit.*

Lib. ejusd. 9. *Non agitur de actuali concordia. Nam omnes Sectarii inter se hanc unitatem colunt.*

(*Montanistarum* Ecclesiis Episcopus Romanus per Asiam & Phrygiam pacem inferebat, ex agnitione, h. e. approbatione Prophetiarum Montani, Priscæ & Maximillæ, referente Tertulliano lib. adv. Praxeam cap. 1.

Monotheletæ habebant unionem inter se & cum Honorio, ut constat ex sexta Synodo generali Constantinopolitana act. 13. At num propterea Montanistæ & Monotheletæ fuerunt vera & Catholica Ecclesia?

Ariani cum Liberio Pontifice unionem habebant, teste Athanasio in Epist. ad solitariam vitam agentes pag. 647. & Hieronymo in Catal. Script. Eccles. in cap. Fortunatius. At num propterea fuerunt Ecclesia Catholica?)

3 Quod agnoscunt, unitatem non esse Ecclesiæ perpetuam. Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglican. part. 3. cap. 6. divis. 1. *Utcunque inter Corinthiorum quosdam primitivæ Ecclesiæ temporibus certatum est: utut Petrum Paulus, quod visum est, monuit; inciderit licet inter Barnabam & Paulum de Johanne seu Marco simultas, erant tamen hi Ecclesia Christi.*

Bellarm. lib. 1. de de Conciliis c. 10. §. S. Isidorus &c. *S. Isidorus in præfatione Conciliorum scribit, ante Constantini Magni tempora Ecclesiã Christi in diversas hæreses fuisse divisam, quod propter Imperatorum persecutiones non liceret Episcopis Concilia celebrare.*

Idem lib. 3. de Eccles. cap. 4. resp. ad 2. object. *Ambrosius in Comm. 2. Timoth. 2. accipit Ecclesiam largo modo & magis vulgari, quam proprio, prout videlicet omnes complectitur, qui quovis modo nominantur Christiani. Ad quem modum pagani dicere solent, in cœtu Christianorum esse multas dissentientes opiniones ac sectas.*

Lib. 4. de Eccles. cap. 2. §. Tertio &c. *Ecclesiæ Corinthiorum & Galatorum, ad quas scribebat Apostolus, erant veræ Ecclesiæ. Dicit enim Apostolus,*

Apostolus, se scribere Ecclesiis Dei, quæ sunt Corinthi vel in Galatia, & tamen arguuntur Corinthi, quod docerent, non futuram esse resurrectionem; & Galatæ per totam fere Epistolam reprehenduntur, quod docerent, servandam esse legem Mosis in Evangelio.

Acosta lib. 5. de procur. Indorum salute cap. 16. *In India dissidia, acerbaq; contentiones sunt inter Episcopos & Regulares, cum Indorum certe magno malo.*

Cornelius à Lapide in cap. 15. Actor. v. 39. p. 267. *In primitiva Ecclesia inter Hieronymum & Augustinum, Hieronymum & Ruffinum, Chrysostomum & Epiphanium, Cornelium & Cyprianum dissidia fuere, hinc Hieronymus Apolog. contra Ruffinum dixit, Nonne Apostoli salvis inter se amicitiis dissenserunt?*

Mercurius Gallo-Belgicus tom. 2. libro 10, *Incredibilis, vera tamen fuit, Tragœdia inter Universitatem Parisiensem & Patres Societatis Jesu, hos illa è Gallia expulit.*

Pazmannus lib. 3. Hodegi. *Etiam eruditi Catholici nonnunquam errant, falsum quid scribunt, à cæteris Doctoribus & Ecclesia discrepant, sed ex oblivione, incogitantia vel inscitia peccant, quamvis interea totos se committant Ecclesiæ judicio, neque se ab eo ullo modo divelli patiantur, id quod sufficit ad fidei unitatem* (Idem dicimus de nostrarum Ecclesiarum Doctoribus invicem dissentientibus, modo pro judicio Ecclesiæ Romanæ substituatur judicium Scripturæ & Ecclesiæ illi conformis.)

4. Quod agnoscunt, ad unitatem Ecclesiæ requiri duntaxat unitatem in fundamento doctrinæ, licet diversitas sententiarum esse possit circa fundamentum, sive in quæstionibus fidei fundamentum minime concernentibus. (Talis enim unitas in fundamento est in nostris Ecclesiis, quamvis de quæstionibus circa fundamentum sit dissensus.)

Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 3. d. 3. n. 88. *ad Ecclesiæ unitatem requirit unitatem fidei doctrina uniformem, nec in varias sententias divisam.*

num. 113. d. 4. fatetur, *Scholasticos de ritibus solum & subtilitatibus quibusdam discrepare.* [Quod tamen simpliciter & absolute verum non esse, facile ostendi potest.)

5. Quod agnoscunt, ab unitate non posse duci argumentum affirmativum ad probandam Ecclesiæ veritatem.

Tannerus in Dioptra lib. 2. quæst. 4. cap. 24. pag. 544: Wider diesen Discurs sprechen die Prædicanten / Es könne auch der Gottlosen Gemein und falsche Kirchen eine falsche Einigkeit unter ihnen selbst haben. Sey derhalben die Einigkeit kein rechtes Anzeichen der wahren Kirchen. Antwort. Ob gleich aus der Einigkeit allein nicht alsbald geschlossen werden kan / die jenige sey eine ware Kirche / welche einig ist / so wird hierauß negative gar wol geschlossen / die Kirche ist nicht einig / hat auch keinen Grund oder Fundament der Einigkeit / so kan sie denn die ware Kirche nicht seyn. (Vera, essentialis & adæquata nota est rei notatæ perpetua, ut & *affirmative & negative* ab ea ad rem notatam concludi possit. Jam vero ab unitate non potest *affirmative* concludi ad Ecclesiæ veritatem. Ergo unitas non est essentialis & adæquata Ecclesiæ nota.)

6. Quod agnoscunt Ecclesiæ unitatem sub uno Papa esse tantum *externam*. (Ergo est duntaxat accidentalis, non autem essentialis, propria & perpetua nota.)

Stapletonus Relect. controv. 1. qu. 2. art. 3. p. 13. notab. 1. docet, *multos retinere externam unitatem Ecclesiæ* (sub uno Papa,) *qui internam non item retinent.* Jam vero idem Stapletonus q. 3. art. 6. concl. 7. & 9. pag. 57. *unitatem sub Papa* diserte refert *ad unitatem externam.* Nihilo tamen minus Relect. pag. 10. asserit, *B. Augustinum non unitatem Ecclesiæ externam, sed sanctitatem & internam perfectionem ursisse.*

7. Quod agnoscunt, Pontificem posse errare & in hæresin incidere, ut multis ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 2.

Jam vero cum Papa hæretico nō est spiritualis unio colēda.

Lyranus in cap. 16. Matth. *Quia multi Principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse, Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia vera & confessio fidei & veritatis.*

Nicolaus Cusanus lib. 2. de Concord. Cath. cap. 17. *Cum Papa est hæreticus, tum unusquisq; Laicus tenetur se ab illo separare, & per ipsam separationem dicit illi anathema.*

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. resp. ad 7 arg. *Licet resistere Pontifici invadenti animas vel turbanti Rempublicam, & multo magis, si Ecclesiam destruere niteretur. Licet, inquam, illi resistere non faciendo, quod jubet, & impediendo, ne exequatur voluntatem, non tamen licet eum judicare, vel punire, vel deponere, quod non est nisi superioris.* (Si licet Pontifici resistere, licebit etiam ab ejus unione sese separare.)

8. Quod agnoscunt, Sede vacante, non habere locum unionem cum Pontifice. (Ergo hæc non est nota perpetua.)

Pazmannus lib. 8. Hodegi cap. 1 §. 2. definit Ecclesiam, quod *sit congregatio eorum, qui vera fide & Sacramentorum externorum unitate in unum collecti sunt.* In margine addit, *hanc definitionem omni tempore, etiam Sede vacante, convenire Ecclesiæ ideo non fieri in ea mentionem Pontificis.* (Tacite ergo perstringit Bellarminum, qui hoc loco *unionem cum Romano Pontifice* numerat inter notas Ecclesiæ & lib. 1. de Eccles. cap. 4. definitionem illam iisdem verbis ponit, sed addit, *cœtum illum colligatum esse sub regimine Romani Pontificis.* Hanc definitionem, Sede vacante, non consistere fatetur Pazmannus. Ergo agnoscit, unionem illam cum Pontifice & colligationem sub regimine Pontificis non esse simpliciter necessariam.)

Huc pertinet, quod in Anti-Paparum dissensione non possit locum habere unio cum Romano Pontifice, quia dubius Papa habetur pro non Papa.

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 14. §. Tricesimus septimus *Tempore Johannis XXIII. erant tres Papæ, nec quis erat legitimus Papa, facile constabat.*

In præfat. Controv. de Rom. Pontif. concedit, *gravissima ac plurima ipsorum inter se Romanorum Pontificum schismata Sedem Romanam oppugnasse.*

Glovianus tract. de Schism. p. 181. *Schisma ambiguum orbem Christianum graviter concussit, quando alter Pontifex Romæ alter Avenione creatur, uterque magno Cardinalium; Episcoporum, Sacerdotum, Principum ac populorum assensione Pontificatu defungeretur. Nam cum tres simul Pontifices inaugurati essent, Johannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. tum quidem gravi schismate est Ecclesia Christi dilacerata & in partes dissecta.*

9. Quod agnoscunt, Pontificum decreta sæpe invicem pugnare, ut ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 2.

Itemque, Scholasticos in multis à se invicem dissentire, ut ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 14.

Lombardus lib. 2. sent. dist. 30. lit. E. *Quid sit peccatum originis, de eo sancti Doctores sub obscuritate locuti sunt, atque Scholastici Doctores varie senserunt.* (Quomodo igitur vel unio cum Pontifice tanquam capite, vel unio membrorum inter se invicem, potest esse perpetua & infallibilis Ecclesiæ nota?)

10. Quod inter asseclas Romanæ Ecclesiæ dissensiones esse, negare non possint.

Henricus de Hassia circa Ann. Christi 1410. librum scripsit sub hoc titulo, *Contra insulsas & noxias Monachorum rixas.*

Inter *recentiores Pontificios* variæ de fidei articulis agitantur controversiæ.

Inter *Dominicanos & Franciscanos* acerrimum agitur bellum *de immaculata virginis Θεοτόκου conceptione*, quam asserunt Franciscani, & cum illis Jesuitæ, negant Dominicani. Videatur Historia legationis Hispanicæ ab Antonino de Trejo publici juris facta.

Inter Fr. *Andream Urcianum* Franciscanum, & D. *Jacobum Hackerum* Acad. Friburg: Profess. de causa prædestinationis dissidium fuit acerrimum. Scripserat Hackerus Disputationem de Prædestinatione: Contra illam calamum strinxit Urcianus; unde Hakerus Apologiam edidit Ann. 1618. Friburgi hac cum ἐπιγραφῇ. *Disputationis de prædestinationis causa, falso & ementito autore Daniele Neidingero, vero autem & germano ejus fabro Fr. Andrea Urciano Ordinis Minorum Observantiæ Regularis in urbe Mantuana nuper edita, & ibidem à tredecim diversorum Ordinum Fratribus & Patribus suscepta, in quatuor, ex quibus coaluit, Elementa; mendacia, hæreses, antilogias, sordes sermonis; Analysis, Autore Jacobo Hackero* Dedicationis Hackerianæ hæc sunt verba: *Scriptionem hanc extorsit, vel invito mihi Fr. Andreas Urcianus ex ordine & familia Franciscana, pessimum ex optimo viridario germen. Is famosum libellum (quanquam Punica alterius titulo seu melioris apposito nominis fraude fraudsum) edidit, quo me & existimationem meam ceu efferata belua furiose incessit, impetu invasit. Et quid ai beluam dicam? Quem, nisi obbrutuisset; debuerat à tam atroci facinore, si minus vel gravior ætas, quam sustinet, vel arctior religio, quam profitetur, potuere, terror saltem Legum Imperialium; quæ in eos, qui libellis famosis vel autores, vel promotores, ultore gladio grassantur, cohibere ac reprimere &c.*

Idem Hackerus in præfat. ad Lectorem his coloribus Urcianum depingit: *Unus nuper oggrunnire cœpit ex ordine & familia Franciscanorum, Fr. Andreas Urcianus. Is, quem nobilissima terrarum Italia biennio abhinc in Germaniam nauseabunda evomuit. Hic aliam de eodem argumento disputationem, qua mere puerili ter (tametsi*

vir devexa jam ætate) & insulse opponit, paucos ante menses in urbe Mantua edidit, fartam mendaciis. aspersam hæresibus, fœtam antilogiis, plenam solœcismorum & sordium.

Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus multis locis *Cajetanum* correxit in scriptis publicis. Damnat eum ducentorū errorum, quorum aliquot impios vocat & Antichristianos.

Idem Catharinus non leviter nec semel perstringit Dominicum à Soto, S. Cæs. Majest. Confessionarium. Edidit contra eum Romæ Ann. 1559. publicum scriptum, in eo Sotum inter cætera sic compellat: *Ad omnia, de quibus in tuis hactenus publicatis scriptis reprehendor, mi frater, ita mihi videor plane ac dilucide respondisse, ut facile, nisi mentis oculos amiseris, queas cognoscere, universam Disputationem tuam scatere calumniis evidentibus & erroribus, ut nunc tuum sit honori tuo consulere, non errores erroribus, nec calumniis calumnias addendo, (quandoquidem mendacia alio pacto defendi nequeunt) sed gloriosus ad veritatem respiciendo.*

Johannem Ferum publicis scriptis castigavit *Hieronymus Veronæ Episcopus* Comment. in Epist. ad Hebræos, teste Sixto Senensi lib. 6. annot. 89.

Eundem Ferum *Dominicus à Soto* publicis scriptis perstrinxit, cujus defensionem contra Sotum suscepit *Michael Medina*, teste Sixto Senensi lib. 6. annot. 40. & alibi passim.

Hermannum Bodium in sua Biblioth. *Sixt. Sen.* sæpius haud leviter castigavit lib. 5. annot. 199. 232. 235 243. l. 6. ann. 107. &c.

Erasmo cum *Natali Beda*, *Leio* & aliis in publicis scriptis fuit concertatio.

Ludovicus Vives in lib. 20. de Civit. Dei cap. 20. col. 1235. quendam *Erasmi adversarium* vocat *calumniatorem*.

Romæ insignis & publica orta est controversia super doctrina *Raymundi Lullii*, teste Vasqnez Disp. 133. tom. 2. in 1. Thomæ fol. 137.

Jacobus Almain Parisiensis scripsit librum contra *Cardinalem Cajetanum*, in quo multum detrahit potestati Papæ.

Thomæ de Vio Card. *Cajetani* discrepantias à communi Summistarum sententia deflectentes annotarunt *Duacenses* in Summula Cajetani edita Duaci in 8. Ann. 613.

Johannes à Rada Episcopus Pactensis & olim Professor Salmanticensis *Scotum* contra *Thomam* & Thomistas peculiari libro defendit Colon. in 4. Ann. 1620. edito. Petrus Posnaniensis Provinciæ Polon. Pater & S. Theol. Lect. generalis Venetiis Anno 1629. edidit *Theologiæ speculativæ & practicæ decisiones* ex mente *Scoti* contra Thomistas.

Concilii Tridentini sententiam, *esse vocem Ecclesiæ Catholicæ*, idemque *velut fidei Magistram*, omnes Romano-Catholicos sequi, Bellarminus & alii Jesuitæ passim repetunt.

Atqui 1. *Rex & Regnum Galliæ* huic Concilio universo per Legatum contradixit, ut constat ex Oratione habita in Concilio 4. Septembr. Anno 1562.

2. *Jacobus Naclantus* Fossæ Clodiæ Episcopus, teste Petro Paulo Vergerio in Epist. ad Regem Polon pag. 119. decreto de traditionibus contradixit, qui idcirco Concilio pulsus in 5. sess. cum Bergomensi Episcopo abfuit, ut Acta Binii testantur.

3. *Cornelius Bitontinus Episcopus* decreto de Missa contradixit, qui idem à Concilio explosus est, teste Melchiore Cano lib. 12. Locor. p. 660.

4. *Tres alii Episcopi* in quæstione de confirmatione Decretorum à Papa Romano petenda, reliquis contradixerunt, ut testantur Acta priora Antuerpiæ per Johannem Stelsium excusa sub finem, quod in posterioribus editionibus erasum, ne dissensus patescerent.

5. Jesuitæ *Bannes, Cumel, Suarez* de concursu gratiæ & liberi arbitrii tam acriter disputant, ut alterutros pro hæreticis damnent, utrinque tamen ad Concilium Tridentinum provocant, quod debebat ultimam controversiis manum imponere. Vide Suarez opusc. lib. de auxil. div. gra. cap. 6. 7. 8. 9.

Dominicus Soto Dominicanorum primipilus, statim ab illa Sessione (Concilii Tridentini, in qua de prædestinatione, libero arbitrio & justificatione actum,) *tres de Natura & gratia libros conscripsit, quos hujus doctrinæ voluit esse commentarios, ad expositiones opinionesque suas omnibus proponendas.*

Atque id opus, ubi in lucem emissum, Fr. Andreas Vega Franciscanorum Antesignanus, quindecim quoque libros edidit, qui in sexdecim ejus Decreti capita Commentariorum vicem essent, & secundum ipsius opinionem omnia interpretarentur. Quorum opiniones non modo in omnibus prope articulis valde discrepant, sed & in plerisque manifeste ex diametro pugnant. Quisquis autem opera hæc Ann. 1548. in publicum data volet inspicere, deprehendet, utrumque sæpenumero verbis Concilii sensus alternantes & dubios affingere, ac proinde mirabitur duos hos doctrina & existimatione præ aliis insignes & magnā in Concilio partem sustinentes, unicum Patrum sensum & verum Synodi scopum haudquaquam assecutos. De me ut quod sentio, dicam, equidem ubi paucorum, qui in ea actione locum non contemnendum tenuerunt, scripta evolvo, & quam diversimode ii loquantur & scribant de decretis Synodicis, mecum reputo, apud animū meum satis statuere nequeo, utrum cœtus ille tam celebris in unum sensum consenserit, an vero verborum modo unitatem & consensionem consectati sint. Petrus Suavis lib. 2. Hist. Concil. Trident. p. 245.

Idem Dominicus Soto (cujus in formando de peccato originis & justificatione decreto, præcipuæ erant partes) omnium opinionibus & sententiarū rationibus, quæ in discutiendis iis capitibus allatæ fuerant, diligenter notatis, in publicum (uti dictum) eas dare decreverat, nec non verbis Decreti ad suum sensum pertractis, opus omnia complectens in lucem emiserat, cum inscriptione, de Natura & gratia, eumq; librū Synodo dicaverat, quod esset, uti ipse in Epistola dedicatoria testatur, justus duorum Decretorum ante commemoratorum Commentarius. Hoc in opere, ubi articulus de certitudine gratiæ excutitur, affirmat Soto multu verbu, Synodum declarasse, hominem non posse scire certitudine fidei, quæ dubitationem omnem excludat, se habere gratiam. At Catharinus recens factus Episcopus Minorensis, qui contrariam opinionem propugnaverat, eamque mordicus adhuc tenebat, libellum edidit cum Epistola dedicatoria Synodo quoque inscriptum, cujus scopus erat ostendere, Concilio nunquam propositum eorum opinionem damnare, quia assererent, justificatum posse credere, se habere gratiam tam certo, quam ille certos habet articulos fidei; imo Concilium decrevisse, illud esse credendum, quando Canone 26. damnat eos, qui dicunt, justum non debere sperare & expectare retributionem, cum necesse sit, eum, qui sperare debeat, tanquam justus, non nescire se esse justum. In hac opinionum repugnantia non solum uterque ad Concilium scribens, asseverabat sententiam suam esse Synodi mentem, sed paulo post super eodem argumento Apologias & Antipologias scripsere, criminantes invicem, eum Synodo affingi sensum, quem nunquam somniasset, adductis etiam utrinque opinioni suæ firmandæ Patrum, qui una interfuerunt, testimoniis. Et vero Patrum nonnullis in hujus, aliis in illius favorem testificantibus, in duas prope partes Synodus scindebatur, nisi quod quidam boni Præsules neutris addicti, dicebant, se controversiam non satis intellexisse, assensum tamē Decreto ea forma, qua fuit promulgatum, commodasse, quod inter partes convenisse videretur. Legatus S. Crucis pro Catharino testimonium dicebat, Montanus inter tertios erat. Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trident. p. 262.

Martinus Delrio in Depulsione præfixa operi Disquisit. Magicarum. *Illius Ordinis viri* (cujus est Thomas Malvenda, videl. Dominicani) *se palam adversarios seu impugnatores Societatis* (Jesuitarum) *gerunt vel clanculum ex insidiis arrodunt; & magno nisu per Hispaniam, Italiam & alias orbis partes invidiam Societatis excitare, ac Patrum Societatis sententias atq; scripta per se ac emissarios suos, mendaces Historicos & alios denigrare moliuntur. Quamobrem contendo instituti hujus homines nec ut judices, nec ut testes contra Societatis nostræ homines, vel Societatis scripta ullo modo admittendos, sed pro accusatoribus & adversariis audiendos, habendosque.* (Sic ergo Jesuitæ Dominicanos habent pro adversariis.)

Sed & de variis controversiis in doctrina præfinitionum divinarum, & providentiæ divinæ circa malum Pontificii invicem disceptant, ac sibi mutuo affingunt horrenda paradoxa. Quod enim nonnulli extenuant hanc suam controversiam, non patiuntur alii ingenue profitentes, *inter Thomæ discipulos & assertores scientiæ mediæ non esse quæstionem de voce, neque de modo loquendi, sed de re maximi momenti, & quæ concernit fidei mysteria, imo de re, quæ est fundamentum ad decernendum, quid sentiendum sit de præcipuis quæstionibus Theologicis.* Sic enim Gaspar Ram Professor in Acad. Occensium, cujus etiam sunt verba præcedentia, statum controversiæ explicat in lib. de prænot. divin. Relect. 3. f. 53. & 69. *Censemus nos, prædeterminari à Deo omnia futura, libera, absoluta & conditionata, absque omni læsione creatæ libertatis: Reclamant ipsi,* (Jesuitæ & eorum asseclæ) *quod destruimus & negamus veram libertatem. Profitemur nos, auxilium divinæ gratiæ habere antecedentem efficaciam, qua discernit justos ab impiis, & cor Regis ita esse in manu Dei, ut eisdem omnino concurrentibus conditionibus & circumstantiis, quibus induratus perstitit Judas in damnatione sua, potuerit Christus Dominus eum à perversitate proditionis revocare, si voluisset. Ajunt è converso Adversarii, nullam esse apud DEUM potentiam, qua revocare posset Judam eisdem concurrentibus circumstantiis & positis conditionibus, atq; propterea divinæ gratiæ efficaciam non esse antecedentem prioritate causali.*

salitatis, sed in eventu consistere independenter à divina voluntate. Quid autem alii sentiant de doctrina præfinitionum, quam Thomæ discipuli propugnant, ex sequentibus Jesuitarum judiciis manifestum fieri potest.

Ex præfinitionibus ait Molina de Concord. lib. arb. cum provid. q. 14. artic. 13. Disp. 53. membr. 2. *quales confinguntur, sequeretur, in facultate arbitrii adulti prædestinati non esse positum deflectere à beatitudine &c. quod non dubito, esse errorem in fide.*

Idem. *Sequeretur, circa peccata quæ committent, non habere libertatem contrarietatis &c. periit arbitrii creati libertas, multumq; Dei causa, justitia ac bonitas erga reprobos obtenebrescit ac obscuratur. Quare neque pia, neque ulla ratione est tuta in fide opinio.*

Leonh. Lessius lib. de grat. efficac. c. 3. *Qua ratione potest esse efficacius magisq; proprie autor omnium peccatorum externorum & internorum* (Deus)? *Cum enim directe velit illum actum fieri, & ut fiat, voluntatem intrinsecus moveat, applicet ac prædeterminet, multo verius & efficacius erit autor actus, quam si suaderet tantum aut præciperet. Suasio enim & præceptum solum objective movent, eisq; facile resisti potest: prædeterminatio vero essentiam voluntatis penetrat & intrinsecus in opus format, ita ut à nullo possit ei resisti aut opus impediri, ut autores illius sententiæ crebro docent. Quomodo ergo non est vera illorum hæreticorum hujus temporis blasphemia, Deum esse autorem omnium peccatorum? non permissive tantum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli. Quomodo enim permissive tantum operatur, qui opus illud decrevit & potentiam ad illud movet & determinat? aut qua ratione potest magis proprie aut efficaciter ad bonum impellere, etiam ipsam vocationem in nobis operari?*

Ibid. asserit sequi, *Deum esse injustum, vel certe crudelem, quod puniat ea, quæ absolute fieri voluit. Quis enim Tyrannus hoc unquam fecit?*

Ad responsionem suorum Catholicorum. *Satisfecisse*, inquit, cap. eod. n. 7. *se putant autores diversæ sententiæ, si dixerint, Deum non esse autorem peccati, nec velle peccatum, quia non vult malitiam peccati, nec ejus autor est, etiamsi velit entitatem positivam illius actus cum suis positis circumstantiis. Hæc responsio minus satisfacit. Primo, quia Wicleff & hæretici nostri temporis nunquam dixerunt, Deum velle ipsam malitiam operi annexam,* (id enim nimis est ab omni specie veri alienum) *sed solum velle ipsa opera positiva, quibus malitia annexa, idq; ob bonum finem. Ita enim docet Calvinus.*

Pergit Lessius n. 11. *ex ea sententia sequi, omnia inevitabili quodam fato, non Astrologico, sed Stoico, infinities potentiore evenire.* It. *nullum esse meritum aut demeritum, quia ubi non est potestas agendi aliter, quam agitur, laus & vituperatio locum non habet.*

Tandem concludit num. 14. *Verum esse* (ex illorum sententia) *articulum Wiclefi, omnia de necessitate absoluta evenire.*

In quæstione, *an Esdras post captivitatem Babylonicam libros sacros, incendio absumtos, restituerit*, Pontificii opinionibus variant.

Affirmantem quæstionis partem amplectuntur Stanislaus Hosius Cardinalis in Confess. Petricov. cap. 80.

Albertus Pighius Cardinalis lib. 1. Hierarch. Eccles. cap. 2.

Salmero Jesuita tom. 1. Comm. in N. Testam. Prolegom. 9. Can. 4. p. 92. ubi dicit, *hunc esse communem fere omnium Doctorum consensum.*

Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. sub tit. Esdræ libri duo, & lib. 3. Bibl. p. 152.

Leo de Castro cap. 43. Præfationis in Esaiam.

Hyperaspistes Pistorii in mille & viginti falsis contra D. Mentzerum.

Guilielmus Bailius Jesuit. in Catech. Controv. tract. 1. q. 1.

Contra vero negantem quæstionis partem propugnant Genebrard. lib. 2. Chron. Ann. mundi 3560. & Ann. 3838.

Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. lib. 4 de V. D. cap. 4.

Baronius tom. 2. Annal. Ann. 180. n. 12. & seqq.

Antonius Possevinus in Apparatu sacro tit. Biblia.

Benedict. Pererius in præfat. Comm. in Genes.

Augustin. Torniellus in Annalib. Eccles. V. Testam. Anno mundi 3447. num. 4.

Leonhard. Marius in Proleg. Comm. in Pentat. q. 3. sect. 1.

Cornelius à Lapide in Deuteron. 3. vers. 14.

Joh. Stephanus Menochius in præfat. annot. in Biblia cap. 3.

Jacobus Bonfrerius in Prolegom. in Pentat. fol. 17.

Nicolaus Serarius Proleg. Bibl. cap. 12. p. 71.

Marianus Victorius in scholiis ad Prolog. Galeatū Hieron.

Dissentiunt etiam in quæstione de corruptione textus Hebraici, quem dissensum non nostris, sed Alphonsi Mendozæ Professoris in Academia Salmanticensi verbis exprimemus. Sic vero ille scribit in Controv. Theolog. q. 6. positiva pag. 513. *Quidam contendunt, Codices Hebraicos, quos nunc temporis habemus, vitiatos esse & corruptos, & à veris originalibus distare quamplurimum. Ita referunt Porchetus, Galatinus, Adrianus Finus, Canus, Hermas Letmarius, Jacobus de Valentia, Petrus Antonius Breuther, Figuerola, Lindanus, Titelmannus, Leo Castrensis & multi alii, quorum concors sententia hæc est, quod data opera Hebraicos Codices corruperunt Judæi &c. In hanc tamen ego sententiam nunquam descendam, ut existimem, vitiatos esse unquam Hebraicos Codices, imo censeo, incorruptos & intemeratos servari ab eis temporibus, quibus scripti sunt ad nostra usque tempora. Nec destituta est hæc sententia patronis gravissimis. Eam tuentur Augustinus Eugubinus, Diedo, Cajetanus, Lyranus, Brugensis, Vega, Sixtus &c. & quidam alii nostri temporis doctrina & pietate præstantes viri.*

Hæc certe est dissensio manifesta. Proferamus adhuc aliam.

Adamus Tannerus in præfat. tom. 1. Theolog. Scholast. *Tres quasi classes Scriptorum in Theologiam Scholasticam hodie est reperire, Prima eorum, qui exacte quidem, sed pro usu Studiosorum prolixius rem hanc pertractarunt, uti præter Molinam sunt inprimis Suarez & Vasquez Societatis nostræ magni Theologi, & hoc quidem tempore quasi Theologorum coryphæi & antesignani, qui in singulas partes S. Thomæ plures ac tamen magnos Commentariorum tomos ita scripsere ut tamē in plerisque Scholasticis controversiis non absque singulari, ut existimo divinæ providentiæ nutu, veritatis magis illustrandæ causa inter se perpetuo dissentirent.*

(Si hic dissensus divinæ providentiæ tribuendus, ac veritati illustrandæ inservit, cur nostrorum in una vel altera quæstione minus principali dissensum tantopere exagitant

Et quid multis? Bartholomæus Sanderus in der andern Ursachen/ warumb er sich zur Catholischen Kirchen begeben f. 17 sic scribit: Die Lutherischen sollen beweisen daß sie einig und wir uneinig sind/ so wollen wir alsbald unsere Uneinigkeit verlassen und zu ihrer Einigkeit tretten. So lang sie aber sich selbst untereinander beissen/ fressen/ verbannen und verketzern/ und keine andere Entschuldigung können furwenden/ als die Papisten sind auch nicht einig untereinander/ werden sie wenig damit verfangen und außrichten/ dieweil ein Irrthumb den andern nicht entschuldigen mag. (Addit quidem, non posse probari discordiam Pontificiorum; sed quicquid sit, si vel maxime tantum ex hypothesi Sanderus concedit, in Ecclesia Romana esse dissidia, solutū est Pontificiorum argumentum nobis oppositum, quod sic habet: *In quacunque Ecclesia sunt dissidia, illa non potest esse vera Ecclesia, In Ecclesia Evangelica sunt dissidia. Ergò,*)

II. Quod agnoscunt, quosdam non semper habuisse unionem cum Pontifice Romano, & tamen in unione Catholicæ Ecclesiæ mansisse.

(Ergò unio cum Pontifice non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota. Quemadmodum, si pars carnis ab altera carne discinditur inflicto vulnere, non statim putanda est à toto corpore discissa, cum discindatur & dissiliat tantum os vulneris & neutra pars disjungatur corpore; ita, si una Ecclesia particularis injuste excluditur à schismaticæ ob corruptelas reprehensæ communione, non statim scinditur ab aliis Ecclesiis, sed nihilominus est pars Ecclesiæ Catholicæ.)

Primo, de *Polycrate, Ireneo* & aliis *Orientalis Ecclesiæ Episcopis* notum est ex Eusebio lib. 5. Histor. Eccles. cap. 23. & 24. quod in controversia de ritu celebrandi paschatis à Romana Ecclesia, ejusque Pontifice discrepaverint, ac *Victorem* ob excommunicationem ab ipso factam, tanquam pacis turbatorem acriter reprehenderint.

Cum Victor ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης ἅμα ταῖς ὁμόροις ἐκκλησίαις τὰς παροικίας ἀποτέμνειν, ὡς ἑτεροδοξούσας τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται, *simul omnes totius Asiæ cum vicinis Ecclesiis Diœceses tanquam alterius fidei abscindere conaretur à communi unione*, οὐ πᾶσι τοῖς Ἐπισκόποις ταῦτ' ἠρέσκετο, *non placuit id omnibus Episcopis, &* *quidem scripserunt*, πληκτικώτερον καθαπτομένοι τοῦ Βίκτορος, *vehementius insurgentes in Victorem, in quibus unus fuit Irenæus non suo proprio, sed Gallorum Episcoporum nomine.*

Erasmus in Epist. nuncupat. Irenæi operibus præfixa. *Irenæus Presbyter Lugdunensis ad componendum illud dissidium* (de Paschate) *Romam mittitur, Martyrum literis mirifice commendatus, qui magna libertate Victorem reprehendebat.*

Cornelius Agrippa de vanit. scientiarum cap. 59. *Victor Romanus Pontifex omnes ferme Orientales & Australes Ecclesias à communione amputavit, ea sola de causa, quod in diei paschatis obser-*

ratione morem à Romana consuetudine sequerentur diversum, cui tunc inter cæteros excellentissimos viros restitit Polycrates Asiæ Episcopus, præterea Irenæus Lugdunensis Episcopus, quamvis ipse Romano ritu pascha celebraret, magna tamen libertate Victorem Pontificem objurgare ausus est, quod præter exemplum prædecessorum suorum pacis perturbator abscidisset Ecclesiam, non in fide errantes, sed in solis ritibus quibusdam à Romana Ecclesia dissidentes.

Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 6. *Omnes Ecclesiæ Asiæ à Victore Pontifice excommunicatæ fuerunt.*

Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 19. *Excommunicationem hanc Victor non legitur mutasse.*

(Ergò Ecclesiæ Orientales, earumque Episcopi, præsertim Polycrates & Irenæus non senserunt, unionem cum Ecclesiâ Romana, ejusque capite Pontifice Rom. esse perpetuam & propriam veræ Ecclesiæ notam. Si enim sic statuissent, à Rom. Ecclesia sese in hac controversia de paschate non separassent.)

Secundò, *Cyprianus* Carthaginensis Episcopus non mansit in unione cum Romano Pontifice.

Cyprianus non dubitavit, in quęstione *de iteratione Baptismi*, se opponere definitioni Stephani Romani, atque ejus sententiam acri scripto refutare, *quod scriptum*, Pamelius *optare se* dicit *nunquam editum*, in argumento Epistolæ sexagesimæ quintæ.

Stephanus Romanus Episcopus apud Cyprianum Epist. 74. audit, *tanquam errans & hæreticorum causam contra Ecclesiam Dei asserens, non pauca vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibiipsi contraria, imperite & improvide scribens*; Epist. 75. *propter hæreticos fraternitatem scindens, insuper Cyprianum Pseudo-Christum & Pseudo-Apostolum & dolosum operarium appellans.*

Georgius Cassander in Consult. artic. 7. *Cyprianus, cum Stephanus* (Pont. Rom.) *eum à sua communione repelleret, & Episcopos, ab illo ex Africa Legatos, nec ad sermonem communis colloquii admitteret, & præciperet universæ fraternitati, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur, Cyprianum quoque Pseudo-Christum & dolosum operarium diceret &c. Cyprianus in illo dissidio pacis & unitatis vinculum constantissime retinebat, mente pacificus.*

Severinus Binius tom. 1. annot. in Concil. Carthag. III. p. 203. *Cyprianus cum Concilio aliorum Episcoporum LXXXVII. ex Africa & Numidia congregatorum, Stephano Papæ Romano aliter definienti se opposuit.*

Bellarmin. lib. 3. de Verbo Dei c. 6. §. Tertio seculo. *Cornelius Pontifex Romæ Concilio habito decrevit, non esse baptizandos, qui ab hæreticis baptizati essent, ut refert Euseb. lib. 7. Histor. Eccles. cap. 2. idem postea Stephanus præcepit &c.*

Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 7. §. Tertia ratio. *Cyprianus in Concilio octoginta Episcoporum decrevit, hæreticos esse rebaptizandos, putavit enim, Pontificem perniciosè errasse, & Stephano Papæ serio præcipienti parere noluit, sed verba contumeliosa contra Pontificem protulit, vocans eum superbum, imperitum, cæca & prava mentum.*

(Nihilo tamen minus Gelasius Pontifex c. Sancta. dist. 15. Cyprianum laudat, ac Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 5. §. 1. de eo scribit, *quod semper sit habitus in numero Catholicorum*, adeoque in vera ac Catholica Christi Ecclesia. *Constat*, inquit, *ex Eusebio, Concilium Papam cum nationali Concilio omnium Episcoporum Italiæ statuisse, non debere hæreticos rebaptizari, & eandem sententiam etiam postea approbasse Stephanum Papam & jussisse, ut hæretici non rebaptizarentur. Et simul constat ex eodem Eusebio, Cyprianum contrarium sensisse & mordicus defendisse, id quod etiam ipse fatetur in Epistola ad Pompejanum, ubi arguit Stephanum Papam erroris, & tamen Cyprianus semper habitus est in numero Catholicorum.* Cum ergò Cyprianus secessionem fecerit ab unione cum Romano Pontifice, ac literis Cornelii Pontificis suas literas, Concilio Romano Concilium Africanum, cathedræ cathedram, & Præsidi Pontifici tanquam perniciose erranti seipsum Præsidem opposuerit, utique non statuit, unionem cum Rom. Pontifice esse perpetuam ac propriam Ecclesiæ notam. Nam si hoc sensisset, non Concilio contra Rom. Pontificem congregato, contrarium ipsius decretis definivisset. Existimavit igitur, quod esse possit unitas Catholica præter, imo contra Pontificis unionem. Confer Augustinum lib. 5. contra Donatist. cap. 25. Eusebium lib. 7. cap. 4.)

Costerus in Apol. part. 3. in præf. *Non habet Deum Patrem*, inquit *Cyprianus, qui non habet Ecclesiam matrem.* (Verba illa, quibus Cyprianus in Pontificem tanquam schismaticum invehitur, ea tanquam pro Pontificis unione dicta à Costero proferuntur. Sic enim loquitur Cyprianus in Epist. ad Pomp. *Multa Stephanus contra Ecclesiam Dei asserere conatur. At quomodo habere potest Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem?*)

Exemplum Cypriani etiam alii *Africæ Episcopi* sunt secuti. Sic enim de Africanis Episcopis scribit

Nicolaus Cusanus Concord. Cathol. lib. 1. cap. 20. *Africani Patres in Concilio restiterunt Papæ Cælestino, quod contra Concilium Nicenum venire voluit.*

Salmero tom. 12. tract. 58. p. 489. *A tempore Cypriani Africani Episcopi separari cœperunt ab Ecclesia Romana*, (inter quos tamen *plurimos Martyres extitisse, & in persecutione Vandalica per manus paganorum Martyrii palmas consecutos esse*, fatetur Baronius tom. 5. Ann. 419. num. 93.)

Severinus Binius annot. in Concilio Carthagin. I. *Carthaginensibus Episcopis* (octoginta septem) *Stephanus Papa Romanus pœnam excommunicationis comminatus est.* (Eam tamen excommunicationem Pontificis Romani non pluris fecerunt, quam Cyprianus Præsul Carthaginensis. Quinimo illos *per centum annos Pontificis excommunicationem pertulisse* ex Bonifacii Epistola probant Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 48. Costerus in Enchirid. cap. de Pont. p. 159. Sanderus de visib. Monarch. lib. 7. p. 369.)

Tertio, *Athanasius* non mansit in unione cum Romano Pontifice.

Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 9. §. Quod hæreticus &c. *Liberius Pontifex subscripsit in damnationem Athanasii.*

§. Dicet aliquis &c. *Liberius etsi non expresse, tamen interpretative in hæresin consensit. Nam Athanasium damnari permisit, quem sciebat causa fidei persecutionem pati, & cum Valente & Ursacio communicavit, quos non ignorabat hæreticos esse, etiamsi illi aliud se esse simularent.*

(Si Liberius in damnationem Athanasii consensit, utique Athanasius non mansit in unione cum Romano Pontifice; & tamen Athanasius erat *acerrimus Catholicæ fidei propugnator, pro cujus defensione multas hæreticorum passus est injurias*, quod elogiũ ei tribuit Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. sanctę. tit. Athanas. p. 106.)

Baronius tom. 3. Annal. Ann. 357. n. 43. recitat literas Liberii Pontificis ad Episcopos Orientales, in quibus inter cætera sic loquitur: *Ego Athanasium non defendo, sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius Episcopus decessor meus, verebar, ne forte ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris, literas ad hæcque super nomine ejus, id est, de damnatione ipsius per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis & cum universis Episcopis Orientalibus, seu per universas Provincias pacem & unitatem habere.*

Num. 44. recenset ejusdem Liberii literas ad Ursacium, Valentem atque Germinium, qui cæteris apud Imperatorem præstare videbantur, in quibus sic scribit: *Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit, priusquam ad Comitatum sancti Imperatoris pervenissem, secundum literas Orientalium Episcoporum ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse, sicut testis est omne Presbyterium Ecclesiæ Rom. &c. Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petii, ut literas meas ad clementissimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales Episcopos feci, ut scirent & ipsi una secum Athanasii communione me esse separatum.*

Ergò nec Liberius Rom. Pontifex cum Athanasio, sed cum hæreticis; nec Athanasius cum Liberio Pontifice unionem habuit. Et tamen Athanasius erat *tanquam columna Ecclesiæ adversus omnes hæreticos*, ut de eo pronunciat Possevin. in Apparatu sacro, in verbo, Athanasius.)

Quarto, *Hieronymus* non judicavit, unionem cum Romano Pontifice esse simpliciter necessariam.

c. Legimus dist. 93. ex Hieronymo ad Evagrium. *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Nec altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ & Britanniæ & Africa & Persis & Oriens & India & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Thebis, sive Guarmatiæ, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Sed dices, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas?*

Quinto,

Quinto, *Ambrosius* non judicavit, unionem cum Romano Pontifice esse simpliciter necessarium.

Bellarm. lib. 2 de R. P. c. 16. §. Cur quæso. *Etiam Ambrosius, In omnibus cupio, inquit, sequi Rom. Ecclesiam.* (At non absolute & simpliciter. Cum enim consuetudo Rom. Ecclesiæ de non lavandis pedibus recens baptizatorum Ambrosio objiceretur, respondit lib. 3. de Sacram. c. 1. *Sed tamen nos homines sensum habemus, id quod alibi rectius servatur & nos recte custodimus.* Quod si Ambrosius Ecclesiam Romanam tunc *sanctam & orthodoxam*, non *ut dominam*, sed ut sociam venerabatur, ac liberum statuebat ab ea discedere, quoties illa à veritatis tramite deflectere videbatur, utique non existimavit, unionem cum Romano Pontifice tanquam capita esse absolute necessariam.)

Sexto, *Augustinus* non judicavit, unionem cum Romano Pontifice esse simpliciter necessariam.

Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 89. *Episcopus Apiarius Concilii Africani (cui Augustinus interfuit) decreto Episcopatu suo Sicensi dejectus, ad Episcopum Romanæ Sedis appellat, Pontifex eum absolvendum & restituendum suæ Ecclesiæ judicat, quod factum suum Canone Concilii Niceni muniebatur. Africani ad Patriarchales Sedes Alexandrinam, Constantinopolitanam, Antiochenam, nuncios destinant, qui exemplaria ex illarum armariis Africam deferunt, sed in quibus non erat Canon ille de appellando ad Rom. Pontificem comprehensus.*

Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25. §. Sed contra. *Objicit Illyricus Epistolam Bonifacii II. ad Eulalium Alexandrinum Episcopum, & Epistolam Eulabii Episcopi Carthaginensis ad eundem Bonifacium; ex quibus Epistolis colligitur, post Concilium Carthaginense VI. per annos centum separatos fuisse Carthaginenses Episcopos à communione Romanæ Ecclesiæ, & tunc demum reconciliatos subjiciente se Eulabio Apostolicæ Sedi, & anathematizante antecessores suos.* (Verba Epistolæ sic habent: *Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus cum Collegis suis, instigante Diabolo, superbire, temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacii & Cælestini, contra Romanam Ecclesiam capit*) *Respondeo primum, valde mihi eas Epistolas esse suspectas. Nam inprimis pugnare videntur cum iis, quæ diximus de conjunctione Augustini, Eugenii, Fulgentii & aliorum Africanorum cum Romana Ecclesia.* (At Lindanus d. l. contrarium statuit. *Hanc, inquit, esse genuinam Bonifacii Epistolam & minime supposititiam satis superque arguit, quod ante annos quingentos talis indubitato credebatur, ex qua Gratianus capitulum citat non exiguum, & Antonius Florentinus veterum rerum studiosus pervestigator nobis attestatur hanc rem longe verissimam, quam qui confictam ridet, quid quæso relinquet nobis salvum ex omni antiquitatis Historia, quo res in Ecclesiæ negotiis gestas nostri seculi Academicis probent ac corroborent?* Videt hanc difficultatem Bellarminus, ideo subjungit)

Lib. & cap. iisd. §. ultimo. *Sed si forte Epistolæ istæ veræ sunt, nihil autem affirmo, sine dubio non in eum sensum accipiendæ sunt, quasi omnes Eulabii successores usq; ad Aureliū Carthaginensis Concilii Præsidem à Romanæ Ecclesiæ consuetudine disjuncti fuerint &c. sed id solum significant, Aurelium, primum contra Romanam Ecclesiam superbire cœpisse, deinde ejus exemplo ipsum Eulabium, & forte aliquos alios, cæterum Eulabium cognita veritate, iterum se Romanæ Ecclesiæ obedientiæ subjecisse, id enim solum ex Epistolis illis colligitur.* (Et hoc nobis sufficit, ex eo enim patet, Aurelium, Eulabium & alios statuisse, unionem cum Rom. Pontifice non esse simpliciter & absolute necessariam.

Hardingus in resp. ad provocat. Ivelli annot. 4. sect. 1. *Postquam tota Ecclesia Africana centum annorum spacio in schismate perseverasset, & se à Sedis Apostolicæ obsequio removisset, ab Aurelio Carthaginensi Episcopo seducta.* (At S. Augustinus in hoc schismate hærebat.)

Septimo. In Legenda B. Hilarii legitur, *Cum Leo Papa factus esset Arianus, Conciliumque celebraret, venisse Hilarium in Concilium & durissime certare cœpisse cum Leone, cum hic gloriaretur, se esse Episcopum Sedis Apostolicæ, ille vero diceret, se quoque esse Episcopum & nulla in re Papæ cedere vellet. Tandem miraculo subitæ mortis Leonis certamen esse finitum.* Reform. Papatus num. 31.

Octavo, Græca Ecclesia non statuit simpliciter necessariam esse unionem cum Romano Pontifice.

Glossa in c. Rogamus. caus. 24. q. 1. *Græci non obediunt Papæ.*

Innocentius III. in Concil. Lateran. cap. 4. p. 262. *Postquam Græcorum Ecclesia cum quibusdam compluribus ac fautoribus suis ab obedientia Apostolicæ Sedis se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando Sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tanquam per hoc inquinata lavassent.*

Johannes de Mandevilla lib. 1. cap. 17. *Johannes XXII. Pont. Rom. prolixe scripsit ad Græcos, unicam tantum esse Christi Ecclesiam, cujus sit ipse caput Universale, Christi in terris Vicarius unicus; quem & ipsi agnoscere debeant. Rescriptum vero ab ipsis fuit; Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam explere non valemus, Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.*

Lyranus in 2. Thess. 2. *Jamdiu est, quod Græcia recessit ab obedientia Romanæ Ecclesiæ.*

Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 30. §. ultimo. *Multi comparant Ecclesiam Græcam regno Samariæ, quod separavit se à vero templo, & tandem in captivitatem perpetuam adductum est.*

In præfat. lib. de Rom. Pontif. *Primi, qui Primatum Romanī Pontificis oppugnarunt, videntur fuisse Græci.*

Lib. de Matrim. cap. 15. §. Sentiunt &c. *Græci jamdudum se ab Ecclesia Romana separaverunt.*

Nono, de *Ecclesiis Britanniæ* antiquis Baronius scribit tom 8. Ann. 604. n. 55. & 58. *quod à communione Romanæ Sedis multo tempore fuerint divisæ.* (Quando tamen *eorum mille ducenti contra Northumbros infideles uno die Martyrio decorati regni cœlestis adepti sunt sedem*, ut loquitur Galfridus Monument. Histor. lib. 11. capite 12. & 13.)

Decimo, Domidis Menapius in Catal. testium veritatis Anno 1585. edito. *Neque Syri, Armeni, Georgiani, aliique in Oriente Christiani, ut de Græcis nihil dicam, Romanæ Sedi sese unquam submiserunt: neque ad hodiernum diem Abyssinorum late regnantes populi à Reginæ Candacis Eunucho, quem Philippus docuerat, jam olim Christiani facti, quemadmodum nec Ruteni, nec Moscovitæ, aliique alibi nobis vel cogniti, vel incogniti Christiani Romano Pontifici obediunt.* (Illi omnes reipsa judicant, unionem cum Romano Pontifice non esse simpliciter necessariam.)

Undecimo, Henricus VIII. Angliæ Rex judicavit, unionem cum Romano Pontifice non esse simpliciter necessariam, sic enim de eo scribit Petrus Suavis lib. 1. Hist. Conc. Trident. p. 78. *Henricus Pontificis sententiam conspicatus* (quod matrimonium inter ipsum & Catharinam fuerit legitimum) *dixit, eam parum ad rem facere. Se enim unicum fore regni sui Dominum ac patronum, sicuti Papa unicus est Romæ Episcopus: facturum se, quod olim Ecclesia Orientalis, nempe, Christianam fidem conservaturum abdicato licet Pontificis Imperio, neque permissurum, ut hæresis Lutherana aut alia quævis in regnum suum introducatur, quod quidem re quoque effectum dedit. Edictum enim publicavit, quo se Ecclesiæ per Angliam caput declaravit, capitis etiam pœna iis constituta, qui Pontifici Romano ullam in Anglia potestatem attribuant. Quæstores, qui D. Petri denarios quotannis colligebant, solum vertere jussit. Et hæc omnia in Senatu Ordinum regni, quod Parlamentum vocant, approbanda curavit.*

Duodecimo, Jacobus Uchansky Archiepisc. Gnesnensis, Regni Polonici Primas, *cum summus Pontifex excommunicationis telum ei intentaret, quod animadverteret, eum in consiliis publicis majorem salutis patriæ, quam Sedis Rom. respectum habere, adeo non passus est à proposito se dimoveri, ut Pontif. potius rescripserit, se, si pergeret ei Reip. nomine molestiam exhibere, intentatum fulmen in ipsum retorsurum, quo Responso ictus Pontifex Archiepiscopum missum fecit, ut qui nosset, hoc ei in Polonia facilius factu, quam dictu fuisse.* Autor deliberationis de compesc. Jesuitar. conat. ex Polonico in Latinum sermonē translatæ & in publicum editæ Ann. 609. G. 3.

(Hic Archiepiscopus itidem judicavit, *unionem cum Romano Pontifice non esse simpliciter necessariam*, alias ei non fuisset minatus excommunicationis retorsionem.)

12. Quod disertis verbis fatentur, unionem cum Rom. Pontifice non esse simpliciter ad salutem necessariam.

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 18. §. 7. *Johannes Huß & Hieronymus Pragensis (ut fertur) asseveraverunt, Universalem Ecclesiam non in Roma vel Papa, sed in prædestinatorum universitate consistere, nec non posse salvari Christi fideles, etiam qui non subessent collectioni Romanæ. Ob hujuscemodi doctrinas (quibus forte à Roma tolleretur locus & gens sua) in Concilio Constantiensi, rupto salvo conductu, ambo exusti sunt. An hæc, vel alia eorum dogmata fuerint novæ vanitatis, an Evangelicæ antiquitatis, nescio. Ego non judico quenquam, hoc certum habeo, eos sua sponte tam forti animo supplicium incendii subiisse, ut nemo Philosophorum in sustentanda morte superaverit illos.*

Huc referri potest, quod Ecclesiam definiunt absque mentione unitatis cum Romano Pontifice. (At si unio illa cum Romano

Romano Pontifice esset absolute necessaria, non debuisset in definitione Ecclesiæ prætermitti. Probe hoc vidit Bellarminus, lib.3.de Ecclesi.cap.2. sic scribens: *Nostra sententia est, Ecclesiam illam unam & veram esse cœtum hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Pontificis Romani.* Sed alii in definitione Ecclesiæ hanc unionem cum Rom. Pontifice prætermittunt.)

Catechismus ad Parochos exponens articulum Symboli, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, asserit, *Ecclesiæ vocem usurpari ad significandas congregationes fidelium, qui ad lucem veritatis & Dei notitiam per fidem vocati sunt.*

Antonius Florebellus de autoritate Ecclesiæ. *Ecclesia commode definiri potest, universitas hominum recta fide Christum colens, concordiam servans, terrarum orbe diffusa, successione perpetua.*

Stapletonus in Relect. princip. Controvers. 1. qu. 5. artic. 1. *Ecclesia est societas Christi nomen profitentium in unitate fidei & Sacramentorum collecta atque legitime ordinata.*

Caranza controv. 1 veram Ecclesiam definit eam, *quæ rectam de Deo fidem servans, vera religione Deum verum colit & adorat.*

Sonnius Demonstrat. tract. 8. cap. 1. *Cum dicimus Ecclesiam Christi, intelligimus eos, qui sociati sunt in unum populum verbo Dei ac Sacramentis fidei Christianæ.*

Enchiridion Christ. Instit. in Concilio Provinciali Coloniensi editum Ecclesiam dicit *esse populum in unam professionem fidei & communionem Sacramentorum vocatum.*

Johannes Monlucius Episcopus Valentinus in Instructione Christiana. *Ecclesiam vocamus congregationem & cœtum omnium fidelium, qui sunt sub eodem Deo, sub eadem fide, sub eodem Spiritu.*

Pazmannus lib. 8. Hodegi cap. 1. §. 2. definit Ecclesiam, *quod sit congregatio eorum, qui vera fide & Sacramentorum externorum unitate in unum collecti sunt.*

13. Quod agnoscunt, unionem cum Romanis Pontificibus quandoque fuisse noxiam.

Jac. Aug. Thuanus lib. 1. Histor. Ann. 1505. p. 20. *Haud aliud in causa fuisse dixerim, cur optimus Princeps Ludovicus XII. æque magnitudine animi ac prudentia clarus, & tam multis nominibus meliore utique fortuna dignus tot adversitatibus in vita conflictatus sit, quam quod tam arctam cum Alexandro VI. Papa adfinitatem contraxisset, & impuri Patris,* (Alexandri VI. Papæ) *omnique scelerum genere cooperti filii* (Borgiæ) *crudelitates, libidines, fortunas denique fovisset & amplificasset.*

14. Quod agnoscunt, in Romana Ecclesia sæpius exorta fuisse schismata. (Ea vero unionem capitis & membrorum inter se dissolverunt.)

Stapletonus doctrin. princip. lib. 13. p. 548. concedit, *viginti schismata in Ecclesia Romana exorta*, quorum decimum octavum *annis viginti novem* duraverit.

Onuphrius (de quo Possevin in Apparatu scribit, quod Historiam Ecclesiasticam indefesso labore pervolverit,) plura & magis diuturna numeravit schismata. In vita Benedicti scribit, *unum schisma fuisse quadraginta sex annorum.* In vita Clementis VII. *Clemens à Gallis, Hispanis, Scotis veneratus est. Italia vero, Hungaria, Germania & Anglia Urbani partes secuti sunt. Durabat hoc schisma annis continuis 40. usque ad electionem Martini V. Anno 1417.*

Confer dicta artic. præced. 5. cap. 4. membr. 5.

15. Quod agnoscunt, Concilia & Imperatores quosdam Pontifices deposuisse. (Ergo non judicarunt, unionẽ cum Pontifice Romano esse perpetuam & indivisibilem Ecclesiæ notã.)

Leoni VIII Clerus, populusque Romanus Pontificatum abrogabant. Platina in vita Leonis.

Anastasium Pontificem Romana Ecclesia repudiabat. Alphonsus de Castro advers. hæres. tit. Pontifex.

Ab Ottone primo satis constat bono zelo, sed non secundum scientiam depositum esse Johannem XII. Fuit enim iste Johannes omnium Pontificum fere deterrimus. Atque ideo non mirum, si pius Imperator, qualis fuit Otto I. sed minus peritus rerum Ecclesiasticarum, judicaverit, eum potuisse deponi, præsertim cum multi Doctores idem senserint. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. resp. ad 4. arg. Confer Platinam in vita Johannis XII.

Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia dignitate, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat. Idem lib. 4. de Roman. Pont. cap. 9.

Synodus Constantiensis Johannem XXIII. *Basileensis* Eugenium Pontificalibus honoribus privavit.

Plura hujusmodi exempla ubivis occurrunt.

Coronidis loco etiam hoc notandum. Bellarminus tomis Disputationum suarum hunc præfixit titulum, *Roberti Bellarmini Disputationes de Controversiis Christianæ fidei adversus hujus temporis hæreticos*, ac lib. 2. de Sacram. cap. 13. sub finem sic scribit: *Non est nobis propositum, nisi fidem adversus hæreticos propugnare.*

Jam vero Bellarminus in iisdem tomis aliquoties contra eos disputat, qui Romanæ Ecclesiæ sunt addicti, & quidem partim *directe & explicite* illos nominatim refutando, partim *implicite, indirecte & consequenter*, in illis scil. controversiis, quas contra nos urget, & in quibus quosdam ex Pontificiis scriptoribus habemus ὁμοψήφους. Illi ergo non poterunt eximi è numero hæreticorum. At quomodo Ecclesia Romana cum cœtu hæreticorum potest esse una?

Thesis specialis octava. Sanctitas doctrinæ non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Doctrinæ sive professionis sanctitas æstimanda est ex conformitate cum sancto Dei verbo, sive quod idem est, cum sacris literis. Illa demum doctrina vere sancta est, quæ à *Sancto sanctorum* primam ducens originem sancto Dei verbo in sanctorum Prophetarum & Apostolorum scriptis annotato ad amussim congruit. Quod si vero conformitate illa destituatur, non potest esse vere sancta doctrina.

Antithesis. Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 11. *Octava Ecclesiæ nota est sanctitas doctrinæ. Vera enim Ecclesia non solum est Catholica, Apostolica, una, sed etiam sancta, ut habet Symbolum Constantinopolitanum. Constat enim sanctam dici Ecclesiam, quia professio ejus sancta est.* Hosius Card. in explic. Symb. Costerus in Enchirid. cap. 2. Jesuitę Posnanienses in Disp. de Eccles. *sanctitatem doctrinæ* itidem statuunt Ecclesiæ notam.

Nostram sententiam probamus.

Sanctitas doctrinæ intelligitur vel ratione *externæ duntaxat professionis*, vel ratione *conformitatis cum Scriptura sacra.* Si priore modo, non potest esse vera Ecclesiæ nota, cum etiam hæreticorum doctrina externa professione sit sancta. Si posteriore modo, ipsa doctrina erit potius nota, & sic reditur ad notam à nobis superius assignatam.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, doctrinam Ecclesiæ ad normam Scripturæ esse exigendam. (Ex quo sponte sequitur, de doctrinæ sanctitate, non ex nuda professione externa, sed ex conformitate cum Scripturis judicium faciendum esse.)

Hujusmodi testimonia adduximus lib. 1. part. 1. cap 2.

2. Quod statuunt, puram doctrinam posse in falsa Ecclesia locum habere.

(Ergo doctrinæ puritas ac sanctitas non poterit esse veræ Ecclesiæ nota.)

Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 2. §. Sed dices. *Esse potest pura doctrina ab omni errore in falsa Ecclesia. Nam schismatici puri, ut quondam Luciferani & Donatistæ, integram habent doctrinam, & tamen sunt extra Ecclesiam.*

(Quod si huic assertioni Bellarminianæ veritas constare debet, non potest doctrinæ sanctitas statui propria & individua veræ Ecclesiæ nota, id quod hoc modo probamus. Doctrina ab omni errore pura est etiam sancta. Atqui doctrina ab omni errore pura potest esse in falsa Ecclesia. Ergo sancta doctrina, sive quod idem est, sanctitas doctrinæ potest esse in falsa Ecclesia. Quod autem veræ & falsæ Ecclesiæ commune est, non potest esse genuina & propria veræ Ecclesiæ notæ, interim non negamus, sanctitatem doctrinę recte expositam esse notam Ecclesiæ & cum nostris notis coincidere.)

3. Quod multi de corruptelis doctrinæ in Romana Ecclesia fuere conquesti.

(Ergò hæc nota non competit Ecclesiæ Romanæ.)

Hujusmodi testimonia adduximus lib. 1. part. 1. cap. 4.

4. Quod in doctrina Rom. Ecclesiæ occurrunt quædam minus sancta.

Durandus lib. 4. sent. dist. 33. *Fornicatio simplex de se non est peccatum mortale secundum legem naturalem, exclusa omni lege positiva.*

Illud Martinus de Magistris lib. de Temp. quæst. 2. de Luxuria, sic explicat: *Credere, simplicem fornicationem non esse peccatum mortale, non est hæreticum, quia testimonia sacræ Scripturæ non sunt expressa.*

In Decretal. Gregorii lib. 2. tit. 1. de judiciis, cap. Etsi Clerici &c. *Si Clerici coram Episcopo de criminibus in jure confessi sunt,*

sint, seu legitima probatione convicti, dummodo sint talia crimina, propter quæ suspendi debeant, vel deponi, non immerito suspendendi sunt à suis ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuo removendi. De adulteriis vero & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare.

Emanuel Sa in Aphorism, tit. de debito conjugali 6. *Copula ante benedictionem aut nullum aut leve peccatum est, quin etiam expedit, si multum illa differatur.*

Glossa Can. Maxim dist. 81. *Ex communi Canonistarum opinione pro simplici fornicatione quis deponi non debet, quia pauci sine illo vitio inveniuntur.*

Glossa in Can. Presbyter. dist. 82. *Dicunt, hodie pro fornicatione neminem esse deponendum, nisi in ea perduret, ideo, quod corpora nostra fragiliora sunt hodie, quam olim erant.*

Johannes de la Casa post publice editos Venetiis sub prælo Trajani Nævi versus in commendationem detestandi illius sceleris, propter quod Sodoma igne cœlitus depluto conflagravit, factus est nihilominus Archiepiscopus Beneventanus, & Pontificis à latere Legatus.

Nec id ausus est negare Thomas Hardingus, etsi extenuare voluit, sic scribens in Resp. ad Apol. Anglic. cap. 2. d. 1. *Johannes Casa juvenis imberbis adhuc, priusquam se ad Clerum contulerat, amatoria quædam poemata Italicis numeris ad imitationem Petrarchæ cōposuit, & nefario facinori assentatorio orationis fuco odium magis ademit, quam laudem attribuit.* (At vitio odium adimere, est illud suadere.)

Hypothesis illa, *quod concupiscentia in renatis post Baptismum reliqua intrinsece & sua Natura non sit peccatum*, hosce in Papatu protulit fructus, ut publice disputetur, *fornicationem simplicem non esse peccatum*, uti de Græcis, Martino de Magistris, Durando & aliis Lorinus ipse refert in Act. 15. v. 20.

Cardinalis Toletus lib. 5. Instruct. Sacerd. cap. 13. non veretur scribere, *Si quis desideret habere pollutionem ob finem bonum, ut ob sanitatem, aut ad levandas tentationes carnis, quibus interdum affligitur, non esse peccatum.*

5. Gloriationi de sanctitate doctrinæ in Ecclesia Romana etiam hoc opponendum, quod jam olim varii hæretici venenatæ suæ doctrinæ semina per Italiam cumprimis Romæ sparserint, sibique non paucos junxerint.

1. De *Praxea* sic scribit Baronius Ann. 196. n. 19. ex Tertulliano. *Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romano humo &c. Duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit, Prophetiam expulit, & hæresin intulit. Paracletum fugavit & Patrem crucifixit. Fructificaverant avenæ Praxeanæ hic quoque superseminatæ dormientibus multis in simplicitate doctrinæ, traductæ dehinc, per quem Deus voluit, etiam evulsæ videbantur.* (Hic Praxeas fuit Montanista & Patripassianus.)

2. De *Priscilliano* idem Baronius sic scribit Anno 381. n. 109. *At tum instantius Salvianus & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum urbis ea tempestate Episcopum objecta purgarent: sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, ubi tum ab imperitis magnifice suscepti sparsere perfidiæ semina, maximeque Elusanam plebem sane tum bonam & religionis studentem pravis prædicationibus pervertere, A Burdegala per Delphinum repulsi tamen in agro Euchrociæ aliquantisper morati, infecere nonnullos suis erroribus.* (Hic Priscillianus Gnosticorum & Manichæorum, nec non alias hæreses miscuerat.)

3. De *Manichæis* idem Baronius Anno 440. n. 3 *Ecclesiæ status turbulentissimus habebatur. Sicut enim Orientalis Ecclesia Nestorianorum causa magnopere erat conflictationibus exagitata: ita & Occidentalis Manichæorum jugiter fæcundiori cespite pullulantium, & Pelagianorum rursus insurgentium erat assiduis præliis perturbata. Accidit enim, ut præter hæreticos illos, qui vel palam, vel clanculo in Italia & in ipsa urbe potissimum agerent, ab externis quoque Provinciis à barbaris captis, præsertim vero ex Aphrica pulsa Manichæorum agmina se in urbem intulerint, magno civium detrimento. Sed eo lethalius erat malum, quo occultius ejusmodi eorundemque venenum serpebat: quibus detegendis & in apertum è latebris adducendis atque damnandis haud leviter insudatum fuit S. Leoni summo Pontifici, cujus adversus eos res gestas inferius ordine temporum enarrabimus.*

Anno. 483. n. 15. *Sub barbaris Regibus Roma subjecta omnibus improbis sectis. Romæ domicilia & Synagogas ad profanos ritus habere cōcessum fuit, adeo, ut etiam Samaritani ibi domicilium sibi quærerent.*

Anno 372. *Lege Valentiniani idem, cum innotuissent Manichæi, vetiti sunt conventus agere. Quod igitur simulando summam affectarent sanctitudinem, in calumniam jejunantium Christianorum versa Romæ res est, ut quod ait S. Hieronymus Epist. 22. quem viderent pallentem atque tristem, miserum & Manichæum vocarent. At quomodo, qui lege prohibiti sunt in unum convenire, clandestinos conventus postea egerint, resque maxime abominandas perpetrarint, inferius dicturi sumus.*

Anno. 443. n. 5 *Sed quid obortum & introductum Romæ ex pessima hac Manichæorum Solem adorantium consuetudine? Illud quidem, quod fidelium nonnulli idipsum solicitius factitarent quod eos facere viderent, qui observantissimi esse videbantur extrinsecus Christiani, licet clam essent perfidi Manichæi, nimirum ut plane nescientes sicut illi, & isti Solem adorare quodammodo viderentur: Jam deenim fuit in Christianos ejusmodi irrepere superstitionem, cum alioqui pie sancteque ad Orientem conversi, Deum adorare solerent. Qui igitur signa quib. Manichæi detegi possent, aperuit, idem S. Leo, ne quid commune cum illis esset fidei populo, interdixit: ut ex eo penitus apparerent, qui revera Manichæi essent. Cum ergo & ex majorum præscripto Christiani adorare Numen consuescerent, ad orientem conversi, & idipsum etiam factitare Manichæi solerent Solem colentes interdixit tunc ipse Catholicis ejusmodi ad Orientem Solem usum adorandi, cum ait serm. 7 in Natal. Dom. De talibus institutis illa generatur impietas, ut Sol inchoatione divinæ lucis à quibusdam insipientibus de locis eminentibus adoretur, quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad D. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo & vivo dicata est, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestū superioris areæ ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem splendidissimi orbis se inclinent, quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis Spiritu multum tabescimus & dolemus.*

(Ex his constat, in Ecclesia Romana, ejusdemque circuitu Italia omnis generis hæreticos non paucos asseclas sibi junxisse, ut etiam publicos congressus & Synagogas suæ religionis exercitio patentes possederint.)

6. Denique, si sanctitas doctrinæ esset nota Ecclesiæ, sequeretur, Theologiam naturalem esse veram religionem, & ejus Professores esse veram Ecclesiam. Illa enim nihil falsi, nihil inhonesti, nihil cum recta ratione pugnans docet.

At consequens hoc Pontificii negant.

Argum. Bellarm. Bellarminus duo in nostris Ecclesiis doceri asserit, *quæ cum doctrinæ sanctitate pugnent, cum sint contra omnem rationem:*

1. *Justificationem per solam fidem specialem & ex ea ortam gratiæ certitudinem.*

Resp. Multi ex Pontificiis idem nobiscum docent, ut suo loco ostendemus.

2. *Infantum baptizatorum fidem. Lutherani*, inquit, *habent quasi proprium errorem illum manifestissimum, quod infantes, dum baptizantur, utantur ratione, audiant verbum Dei, credant, diligant, quod in Synodo Witebergensi Ann. 1536. publice defenderant, quod tamen aperte repugnat veritati, ut Augustinus Epist. 57. ad Dardanum scribat, injuriam facere humanis sensibus, qui hoc dicunt. Quomodo enim credibile est, infantem, qui plorat & reluctatur, quantum potest, dum abluitur, intelligere quid agatur?*

Resp. 1. Bellarm. ipse lib. 1. de Sacram. Bapt. cap. 10 rectius nostram exponit sententiam, sic scribens: *Anno Domini 1536. convenerant Lutherani ad Concilium Witebergense, in quo hoc pronunciatum habetur: Licet, inquiunt, non sit imaginandum, quod infantes intelligant, tamen motus eorum ad credendum & diligendum Deum similes sunt motibus fidei & dilectionis. Hanc mitigationem sententiæ Lutheri sequi videntur communiter Lutherani*

2. Si dogma de fide infantum propterea cum doctrinæ sanctitate pugnat, quia sensuum judicio repugnat, etiam transsubstantiationis dogma cum doctrinæ sanctitate pugnabit, quia itidem sensuum & rationis judicio repugnat.

Thesis specialis nona. Efficacia doctrinæ non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Efficacia doctrinæ duplici modo intelligi potest, vel quod multis persuadeat & à multis recipiatur, vel, quod homines ad Deum salutariter convertat. Si efficacia doctrinæ priore sensu accipitur, non est nota Ecclesiæ, quia etiam falsæ doctrinæ multis suadent & à multis recipiuntur. Si posteriore sensu efficacia doctrinæ accipitur, fatemur, in sola Ecclesia vigere illam doctrinam, quæ homines salutariter ad Deum convertit, sed illa efficacia non potest perpetuo æstimari à multitudine eorum, qui doctrinam illam recipiunt.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 12. §. 1. *Nona Ecclesiæ nota est efficacia doctrinæ.*

Becanus lib. 5. Manualis cap. 22. f. 533. itidem provocat ad *efficaciam doctrinæ*.

Nostram sententiam probamus,

1. Hæc nota non competit *soli* veræ Ecclesiæ, quia hæreticæ doctrinæ quandoq; magis sunt efficaces, id est, à pluribus recipiuntur, quàm cœlestis veritas, 1. Reg. 22. v. 22. Act. 5. 36. cap 8. v. 10. 2. Thess. 2. v. 9. & seqq. 2. Tim. 2. v. 13. & 17. Apoc. 13. v. 8.

2. Nec *semper* ei competit, quia Ecclesia quandoque in angustum redigitur, & hæreses longe lateque serpunt. Ergo de efficacia doctrinæ judicandum ex Scriptura, cum non omnis efficacia arguat doctrinæ veritatem & sinceritatem, nisi vim & facultatem salutaris ad Deum conversionis habeat conjunctam.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscunt, paucos quandoque esse veritatis confessores, ac veram Ecclesiam in angustum redigi, quæ testimonia adducta sunt superius in thesi speciali quarta membro 1.

2. Quod agnoscunt, Ecclesiam Israeliticam tempore Vet. Testamenti fuisse in angustum redactam; Itemque Ecclesiam Christianam tempore passionis Christi, tempore decem persecutionum, ac tempore dominantis Arianismi eandem sortem fuisse expertam; quæ dicta adducta sunt superius in hoc ipso articulo cap. 3.

3. Quod agnoscunt, etiam hæreticos falsa sua doctrina multos ad se pertrahere.

Cajetan. in 2. Thess. 2. *Misit illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendaciis, id est, efficaciam erroris intus operantem in pœnam peccati.*

Stapletonus lib. 8. de princ. fid. doctrinæ cap. 2. *Homines falsa facilius amplectuntur, quam vera.*

Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 12. *Proni sunt homines ad descensum ad viam latam & facilem, quam hæretici aperiunt.*

Idem in Orat. habita in Schola Rom. in fine tract. de bonis operibus in particul. §. Habent. *Objiciunt Protestantes, doctrinam suam ideo à Deo esse, quia tot populos, tot Provincias, tot regna tam brevi tempore occupaverit. Si ita liceat philosophari, magis nunc mirabimur Mahumeti Alcoranum in magna orbis parte tam facile obtinuisse.* (Si nobis non licet ab efficacia doctrinæ simpliciter concludere. Ergo nec Bellarmino.)

Baronius tom. 1. Annal. Anno 75. n. 6. memorat, *Philosophos quosdam ætate Apostolorum orbem terrarum obivisse, ut adversus invalescentem Christianismum Ethnicas superstitiones docerent.*

Ribera in cap. 18. Apoc. *Meretrici omnes Reges terræ præstabunt obsequium.*

Becanus lib. de Eccles. q. 3. concl. 11. n. 124. *In V. Test. infiniti prope homines adhærebant falsis Prophetis, & tamen inde non poterat colligi, vel ipsos à Deo missos, vel eorum vaticinia divinitus fuisse inspirata.*

4. Efficaciam doctrinæ ostendit Martyrum constantia. At gloriã Martyrii Confessoribus nostris denegare vix poterunt.

De Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis constantia ex Poggio & aliis suo loco fuit dictum.

Bruxellæ Brabantorum ob doctrinę Reformatæ confessionem exusti sunt duo Monachi Augustiniani *Henricus Voezius & Johannes Eschens* Cal. Quintil. Ann. 1523. De illis Erasmus in Epist. ad Carolum Utenhovium sic scribit lib. 24. Epist. 4. *Quum Bruxellæ primitias immolassent exustis duobus Monachis Augustinensibus, tertio in carcerem reducto & clam interfecto, quum mira constantia mortem oppetiissent, quæ res Judicibus gravem movebat invidiam, sparserunt ridiculam fabulam, unum ex illis apparuisse cuidam Augustinensi, qui nunciaret, animas illorum esse incolumes, quod in extremis resipuissent, videl. jam in ipso incendio, idque factum precibus Virginis Mariæ. Nam & pridie Visitationis exusti sunt, & Nicolaus Carmelita magno studio sacrificium hoc procurarat. Rogatus carnifex, ecquam pœnitentiæ vocem edidissent in rogo, negavit: sed cum ducerentur ad palum, clara voce testati sunt, se mori Christianos: & alligati palo, admoto igne, canere cœperunt Symbolum fidei, mox doxologiam, Te Deum laudamus, donec flamma vocem intercluderet.*

Argum. Advers. *Efficaciam doctrinæ suæ* Pontificii ex eo potissimum demonstrant, *quod gentiles in novo orbe ad Romanam Ecclesiam convertant.* Sed notandum,

1. Quod non tam *doctrinæ efficacia*, quam *armorum violentia* conversionem illam perficiant, quo medio etiam in Evangelicorum ad Romanam Ecclesiam conversione utuntur.

Cornelius Agrippa de vanit. scient cap. 96. *Inquisitores nostri jurisdictionem suam in Pontificum decretis fundatam, crudelissime exercent, unam Romanam Ecclesiam, quæ, ut dicunt, errare non possit, sibi scopum fidei præfigunt, non aliud quærendo expostulantes, quam si credat in Romanam Ecclesiam, quod si quis opinionem suam defendere conetur, respondent, cum hæreticis non argumentis & Scripturis, sed igne & fasciculis decertandum.*

Franciscus de Victoria Relect. 5. *Cum audiamus, apud Indos tot hominum cædes, tot spolia hominum alioqui innoxiorum, deturbatos tot Dominos possessionibus, & ditionibus suis privatos, dubitari merito potest, jure an injuria hæc facta sint; timeo, ne ultra res progressa sit, quam jus fasque permittebat.*

Ludovicus Granatensis conqueritur, *Hispanorum crudelitate eò rem deductam esse, ut apud gentes barbaras adeo Christianum nomen sit exetrabile, ut siquando ad eos Monachi mittuntur, ne illos similiodio detestentur, necesse sit dicere, illos non quidem Christianos, sed Patres esse, qui ad eorum salutem curandam venerint. ea enim crudelitatis immanitate Hispanos erga illos fuisse usos, ut sanctissimum Christiani nomen non pietatis & religionis, sed crudelitatis & immanitatis nomen habitum sit.*

Bartholomæus de las Casas Episcopus Hispanus in tract. Hispali edito apud Sebastianum Trugilium Ann. 1552 sic scribit: *Ex tribus millionibus Indorum, qui in sola Hispaniola sub adventum Christianorum extiterunt, vix viginti superstites manserunt, & in Insulis Luccaios quinque milliones hominum immisericorditer trucidatos fuisse*, asserit.

Idem affirmat, *centies quinquagies centena millia hominum quadraginta annorum spacio extincta esse ab Hispanis in India & novis Insulis, aliquot millia canibus dilaceranda esse objecta, Peruanam & vicinas regiones adeo vastatas esse, ut hominum bis mille myriades paucorum annorum spacio sint deletæ; innumeris tormentorum molitionibus tractum terræ quinquies Hispania majorem vastatum &c.*

Autor Deliberationis de compesc. Jesuitar. conat. ex Polonico in Latinum sermonem translatæ, & in publicum editæ Ann. 609. lit. F. iij. *Quod de barbarorum in utraque India conversione adducitur, illud ex illis locis petitum est, ex quibus aliquis non solum verum dicere, sed etiam secure mentiri possit, in Polonia præsertim & in illa explorationis difficultate, postquam Castilienses & Lusitani nullum extraneum in illas regiones admittunt: ideoque his nil aliud, quam vulgatum illud respondeo, En Rhodus, en saltus. De hæreticorum in his terris conversione rem non prorsus nego, ut de qua oculorum aspectus testetur. Opus tamen ipsum non tam doctrinæ Jesuiticæ extraordinariæ virtuti, quam argumentorum aut eorum & argenteorum ponderi adscribendum censeo, quibus fere utuntur, quorumque perennem copiam eis Ecclesiæ Romanæ favor, aulæque Polonicæ jucundus calor sufficit: inter quæ tamen hic inter nos quandoque vitrea concurrunt, pro quibus alibi in vicinia ferrea substituunt. Quod genus conversionis Paulus Apostolus haud dubie eversionem seu potius corruptionem dixisset.*

Princeps aliquis in Provincia Florida ad Ferdinandum Sotum in Historia Benzonis sic dixisse memoratur: *Si Deus tuus jubet, ut alienas terras latrocinando, urendo, trucidando, nec ullum sceleris genus prætermittendo perambules, tibi mature denunciamus fieri non posse, ut vel ei, vel ipsius legi credamus.*

Josephus Acosta lib. 2. de procur. Indor. salute cap. 4. *Quis non videat, quam implacabile Christiani nominis odium apud barbaros excitetur, quam grave & immedicabile scandalum? tota res ista vergit in obstinatam quandam invidiam & odium fidei, & certam perniciem hominum. Christus, quod non debet, tributum solvit, ne scandalizet; nos nullo modo debitas terras, si spoliemus, vexemus, prædemur, nullumne justum timebimus scandalum? res ipsa satis clamat per se, omnino verum esse, quod scribit Gregorius: Qui fidem asperitatibus propagari volunt, suas, non Dei causas probantur attendere.*

Idem lib. 6 cap. 3. *multos contra suam ipsorum voluntatem baptizatos fuisse*, memorat.

Lipsius lib. 2. de constant. cap. 22. p. 200. *Pauculi Iberi ante annos octoginta in vastas illas & novas terras delati, quæ funera (Deus bone!) ediderunt, quas strages! nec de causis aut jure belli dissero, tantum de eventis. Cerno ingens illud terrarum spacium (quod vidisse magnum sit, non dicam vicisse,) à vicenis tricenisq; militibus pervadi & passim inermes illos greges sterni, ut segetem à falce. Ubi tu es Insularum maxima Cuba? Tu Hayta? Tu Jucaia? quæ olim quingentis aut sexcentis hominum millibus succinctæ alibi vix quindecim ex iis retinuistis insimen. Ostende etiam te paululum tu Peruana, tu Mexicana ora. Heu miram miseramq; faciẽ! Immensus ille tractus & vere alter orbis vastus attritusque apparet, non alter, quam si cœlesti quodam igne deflagrasset.* Cum alia ex illis Lipsii libris deleri jubeat Index magnus Expurgat. Hispan. Bernhardi de Sandoval & Roxas Episcopi & Cardin.

Cardin. Toletani Madriti Anno 1612. editus, hoc intactum reliquit.

(Neve quis putet, hoc ab insanis tantùm militibus factum, probè notandum, quòd)

Arnoldus in actione sua contra Jesuitas probat, *solos Jesuitas tantæ Tyrannidis autores fuisse.*

Mercurius Gallo-Belgicus tom. 2. Hist. lib. 10. *Arnoldus in Synodo Parisiensi omnem Tyrannidem Hispanorum apud Indos solis Jesuitis adscribit.*

(Quomodo verò hæc praxis convenit cum gloriatione Costeri in Enchir. cap. de Ecclesia? *Sequuntur*, inquit, *Catholici eam doctrinæ propagandæ rationem, quam Apostoli primi Ecclesiæ fundatores præmonstrârunt, non inferendo bella, non occupando per vim terras, non mortem minitando. Christus enim non armis, aut humana virtute, sed humilitate & patientia Martyrum Christianos subjici voluit.*)

2. Quod regionis potiùs amplificandæ, quàm religionis propagandæ studium, ac auri potiùs, quàm animarum sitis multos impulerit, ut in remotas illas Insulas sese conferrent.

A costa lib. 3. de procur. Ind. salute capite 18. *Non aliâ ex causa mercatores negotiantur, vel Judices præsident, vel Sacerdotes plerumque evangelizant, quàm spe argenti & auri. Argentum & aurum si ex oculis se subducit, omnium civilis & Sacerdotalis concursus brevi evanescit, & quò caritas non invitavit animarum, auri saltem cupiditas inescavit, & quemadmodum olim incredulitas Judæorum fuit salus gentium, ita nunc Christianorum avaritia Indorum vocatio est facta.*

Hûc referri potest illud Erasmi in annot. Matth. 23. *Fortassis & hoc ad mores nostros pertinet, qui magnum quiddam existimamus, Judæum ad Baptismum pellexisse. Non quòd hoc non sit optandum nobis omnibus, ut omnes Judæi resipiscant, sed quòd quidam ex ea re suæ gloriæ consulunt, nec eâ viâ pelliciunt, quâ oportet, & pellectum non ea docent, quæ sunt veri Christianismi. Nam qui fieri potest, ut alios reddamus Christianos, nisi priùs fuerimus ipsi Christiani? Fit igitur aliquoties, ut pro scelerato Judæo sceleratiorem habeamus Christianum, cujus rei vel Hispaniæ testes esse possunt. Et sunt, qui novo exemplo armis Christianos faciunt, sub religionis ampliandæ prætextu suis operibus, suæque ditioni consulentes. Nihil agitur his rebus, nisi negotium animo pure Christiano suscipitur.*

3. Quòd convertendos non informent sufficienter in fidei Christianæ articulis.

Andreas Vega in opusc. de fide & operibus cap. 3. *Quidam hoc nostro tempore habentes zelum Dei, sed non secundùm scientiam, Indos ad Baptismum venientes indiscriminatim admiserunt nullâ facta inquisitione de vita & moribus, imò nullâ, aut pene nullâ iis traditâ doctrina de vita & moribus necessariò servandis, sed hoc solo contenti, quòd propositis fidei articulis credere se respondeant, velle se baptizari. Revocare eos ab hoc errore debuit Christi dictum. Nolite sanctum dare canibus.*

A costa lib. 4. de procur. Ind. sal. cap. 3. *Accusant nostri Indorum tarditatem ad capienda mysteria fidei, frustra in iis docendis tempus teri, denique post annos jam 40. ab Evangelii ingressu in tam immensa turba vix quenquam esse, qui Symboli duo capita intelligat, quid Christus sit, quid vita æterna, quid Eucharistia, vel crasiè intelligat, pecudes potiùs habendos, quàm homines. Verùm, qui ista jactant, respondeant mihi quâ diligentia isti erudiantur. Recitant illis bis terve in hebdomada Symbolum & preces, idque Hispanico idiomate, jubentur deniq; Hispanica hæc discere, quorum ne syllabam quidem intelligunt & pronuntiant ridiculè. Vulgaris tamen & tritus doctrinæ tradendæ iste est modus. Ubi exquisitiùs res agitur, Sacerdos sermone Indico quædam in Catechismi forma recitat, cùm tamen linguæ Indicæ ipse prorsus est infans. Quòd si peritus sit, quod rarum est, tamen mysteria fidei neq; explanat, neq; verò satis novit. Quis verò unquam Catechistæ rationem auditorum exegit? Deniq;, perinde Indis doctrina traditur, atque cum à mendicis stipis colligendæ causa precationes aut versus aliqui cantillantur, qui illud tantùm spectant, ut dicendo ipsi ad finem usq; perveniant carminis, utrum verò auditores vel attendant, vel delectentur, pecunia jam accepta non admodū curant. Tota igitur catechisandi ratio umbratilis & ludicræ similis.*

Id lib. 5. de procur. Ind. salute cap. 2. *Monstri simile sibi visum scribit, inter tot millia Indorum Christiano nomine donatorum tam esse rarum, qui Christum agnoscat, ut quod Ephesii olim de Spiritu S. responderunt, possent hi de Christo meliùs usurpare. Neque an sit Christus, audivimus.*

4. Quòd vitæ impietate convertendos pervertant potiùs, quàm convertant.

A costa lib. 4. de procur. Indorum salute cap. 4. *Expende omnia subtiliter, invenies tam tenuis & inopis messis apud Indos potissimam causam in eo esse, quòd divinis & occultis quidem, sed justis consiliis antiquis gentibus prædicatores fuerint prædicatione sua digni, cùm nostri tam sint plerique indigni, ut longè plus evertant ac dissipent, quàm ædificent.*

lib. ejusd. cap. 5. *Rectè & prudenter scripsit Polus rerum Indicarum prudens indagator, tribus de causis tam multo tempore tam modicùm promovisse Evangelium. Primum, quòd exempla prava nostrorum hominum fidem prædicationi Evangelicæ derogarint, deinde quòd in cognoscendis, extirpandisq; erroribus, superstitiosisq; opinionibus nullam Prædicatores operam collocarint.*

lib. ejusd. cap. 15. *Præclarè verò ageretur cum rebus Indorum, si Sacerdotum ea saltem modestia esset, ut non solutioris vitæ licentiam quærerent, neque enim laqueos Diaboli effugiunt fœminarum consortium. A Sacerdote usque ad Prophetam omnes avaritiæ student, ait sermo divinus. Quid verò de aleatoribus? Populare est in Sacerdotum domo ludendum. Insomnes noctes sacra peragunt, idq; tam cursim, ut mirum sit, eos pictas chartulas pro sacris paginis non referre. Non invehor equidem, neque maledicendi animo ista depromo, sed cogor vicem nostram dolere, qui fabula & ludibrium vicinis nostris sumus &c.*

lib. 2. cap. 18. *Solent plurimùm Indorum conversionem retardare pessimi exempli mores.*

5. Quòd vestigia Christianismi per Apostolos ad gentes istas olim importati, apud illas fuerint inventa.

Jacobus Faber Stapulensis in præfat. Comment. in Evang. *In primogeniâ Ecclesia, attestantibus non paucis, ac etiam Tertulliano Persæ, Medi, Elamitæ, ignotarum gentium Insulæ in Christum credebant, Christum adorabant.*

Osorius lib. 3. Hist. *Quædam nuper in India inventa sunt antiqua hominum Christianorum millia.*

Xaverius lib. 1. Epist. 1. *Socotorium Insula in circuitu millia passuum fermè centum tota incolitur ab iis Christianis, qui multis abhinc annis Catholicis Sacerdotibus orbati nihil habent præter nomen. Hi Christiani se esse gloriantur & S. Thomam Apostolum sanctè colunt, quòd se oriundos prædicant ab iis, quos ille in hisce locis Christo peperit.*

Gretserus tom. 2. Defens. Bellarmini lib. 3. cap. 4. p. 855. *Nonnullis Indis orientalibus S. Thomam, S. Bartholomæum, & S. Matthæum Evangelicam doctrinam tradidisse, compertum est.*

De *Brachmannis* Indorum Theologis Historici memorant, *quòd gestent terna fila ab humero dextro in sinistrum, credant, Deum, in specie humana latentem, terras lustrasse, ut humanum genus à peste sempiterna redimeret; decem præcepta calleant, dies Dominicos venerentur, precatiuncula hac, Adoro te Deus cum tua gratia & auxilio in æternum, frequenter utantur.*

De *Chinensibus* referunt, *quòd venerentur simulachrum tribus capitibus sese mutuò intuentibus insigne & in eo tres Numinis facies, quas ejusdem mentis & voluntatis esse dicunt. Colunt etiam imaginem fœminæ gestantis puerulum in ulnis suis, quam magni Regis filiam dicunt, cujus in partu & post partum intemerata manserit virginitas.*

De *Brasilianis* idem refert Johann. Lerius in Hist. novi orbis.

De *Peruanis* Hieronymus Benzo libro 3. cap. 20.

De *India Orientali* scribit Stapletonus lib. 1. de autorit. Script. cap. 14. §. 5. *quod Lusitani ibi reliquias Christianorum invenerint.*

6. Quod antequam Lusitani Indiam in suam redegissent potestatem, Græca Ecclesia eò miserit Episcopos, qui Christianos S. Thomæ, ejusque discipulorum operâ propagatos tuerentur.

(Ergò ad *Græcam* primùm, non ad *Romanam* Ecclesiam conversi fuêre.)

Franciscus Xaverius unus ex primis Jesuitarum Patribus lib. 2. Epist. 3. *Non desunt, qui S. Thomam Apostolum in Sinas penetrasse confirment, magnumque eorum numerum ad fidem Christi convertisse. Nam priusquam Lusitani Indiam in suam redegissent ditionem, Græca Ecclesia eò mittebat Episcopos, qui Christianos S. Thomæ, ejusque discipulorum operâ propagatos tuerentur.*

7. Quòd si salutariter ab illis convertuntur, per sola illa media, quibus nos utimur, ad fidem ordinariè perducantur.

Johan. Baptista Montius in literis ad Michaelem Turrensem Ann.

Ann. 1564. ex Bungo urbe Japoniæ datis talia Theologiæ capita convertendis proponi docet, quæ sunt nobis cum Pontificiis communia, nempe, *non esse aliam veram religionem, quàm Christianorum; tres esse personas Sacrosanctæ Trinitatis, non tantùm characteribus internis distinctas, sed etiam beneficiis erga nos homines; Deum nos creâsse, Christum pro nobis incarnatum satisfecisse &c.*

Thesis specialis decima. Sanctitas vitæ non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Sanctitas est vel *interna*, vel *externa*. Interna sanctitas est quidem verè piorum ac fidelium nota, sed non patet hominum conspectui. Externa sanctitas conspectui quidem patet, sed non est infallibilis verè Piorum & Ecclesiæ nota.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 13. §. 1. *Decima Ecclesiæ nota est sanctitas vitæ autorum sive primorum Patrum nostræ religionis. Ecclesia vera non solùm habet doctrinam sanctam & efficacem, sed etiam Doctores sanctos.*

Jesuitæ Posnanienses in Disp. de Eccles. *sextam Ecclesiæ notam* constituunt *sanctitatem.*

Rayhingius in muris Civit. sanctæ *octavum fidei Papisticæ fundamentum* statuit *cultorum sanctitatem.*

Nostram sententiam probamus ex eo, quòd externa sanctitas

1. Non sit veræ Ecclesiæ *propria*, cum hæretici itidem simulent pietatem 1. Timoth. 4. v. 2. 2. Tim. 3. v. 5. ac *transfigurent se in ministros justitiæ* 2. Cor. 11. v. 12. *ambulent in humilitate & religione Angelorum* Coloss. 2. v. 18.

2. Non sit veræ Ecclesiæ *perpetua*, cùm sanctitas Ecclesiæ quandoq; multitudine scandalorum, quandoq; furore persecutionum ita obnubiletur, ut non sit publicè conspicua, quò pertinent querelæ Propheticæ. Es. 52. Jerem. 50. Ezech. 36.

3. Non sit *nota infallibilis*, quia Antichristus cum sua Synagoga externam sanctitatem simulabit. Dan. 11. v. 38. Apocal. 13. v. 11. cap. 17. v. 4.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscunt, ex sanctitate vitæ externa non posse nec debere judicium fieri de doctrinæ & Ecclesiæ veritate, ac vice versâ ex vitæ improbitate non esse judicandum de doctrinæ falsitate.

c. Ego solis dist. 9. ex Augustino. *Alios* (scriptores Ecclesiasticos) *ita lego, ut quantalibet sanctitate polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt &c.* (Ubi Glossa notat, *non esse considerandum quis dicat, sed quid dicatur*, in quam sententiam allegat Thomam 2. 2. q. 70. artic. 3.

Stapletonus in Promt. Cathol. Domin. 7. post Pentec. loco 4. *Hæreticorum fructus, ex quibus cognosci debent, nec sunt aliqua vera, quæ docent, nec sunt semper ipsa opera, quæ faciunt, sive bona, sive mala, (mala enim non semper ex ipsa hæresi, sed aliquando ex persona improbitate proveniunt) sed sunt partim dogmata ipsa hæretica, falsa & impia, quæ singulis hæreticis sunt propria & à singulis architectis propriè inventa, partim etiam quædam mala opera hæreticis propria & ex ipsa hæresis radice pullulantia.*

Tiraquellus lib. 4. de pœnis caus. 51. num. 16. *Ubi agitur de periculo animæ, nihil virorum sanctitas facit, ut est apud Gratianum in hæc verba. Alios ita lego, ut quantalibet sanctitate polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, & ibi Glossa, non esse considerandum quis dicat, sed quid dicatur.*

Acosta lib. 2. de procur. Indorum salute cap. 18. *Illud multum à B. Augustino commendatum in catechizandis rudibus documentum accuratè servetur, ut admoneantur ii, qui fidem suscipere parant, ne religionem nostram ex nostris hominibus metiantur, sed ex ipsius potiùs æquitate & sanctitate.*

Bellarminus in Appendice ad libros de summo Pontifice cap. 21. *Bocatius taxat quidem Clericorum & Monachorum turpitudines, sed ex hoc non sequitur, ut propterea religio & doctrina ipsa videatur esse falsa.* Addit insuper, *hanc impietatem Sacerdotum potiùs argumentum esse veritatis fidei, quæ Romæ colitur, quia nec pagani, nec mali mores possint illam Sedem subvertere.*

(Sic ergò impietas Sacerdotum Bellarmino est argumentum veritatis fidei, adeoque etiam Ecclesiæ, sed hoc loco contrarium pronuntiat, videl. *notam veræ Ecclesiæ esse vitæ sanctitatem.*)

In præfat. lib. de summo Pontifice. *Ne fortè putaremus, ob vitam incorruptam & mores integerrimos summorum Pontificum tamdiu stetisse hanc Sedem, permisit ad extremum Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc Sedem tenerent & regerent &c. Itaque nihil est, quod hæretici tantùm laborent in quorundam Pontificum vitiis conquirendis. Nos enim agnoscimus & fatemur, ea fuisse non pauca: sed tantùm abest, ut iis gloria hujus Sedis obscuretur vel minuatur, ut iisdem potiùs vehementer crescat & amplificetur &c.* (Si Pontificum Romanorum vitiis gloria Apostolicæ Sedis non solùm non obscuratur vel minuitur, sed etiam vehementer crescit & amplificatur, utique vitiis autorum sive primorum Patrum religionis gloria Ecclesiæ non obscuratur, ac proinde sanctitas vitæ non est perpetua & propria Ecclesiæ nota.)

Idem in concion. de purit. Cathol. doctr. Lovanii habita. *Negare non possumus, nec volumus, multos in Ecclesia corruptè & contaminatè vivere. Sed unde probabunt nobis hæretici, malos istos mores, quos in hominibus Ecclesiæ reprehendunt, ex Ecclesiæ doctrina proficisci? an non eosdem malos mores nos ipsi semper reprehendimus? an non Ecclesia usuras, Simonias, concubinatum & alia, quæ nobis objiciunt, semper prohibet, semper punit, semper deplorat, semper detestatur?*

Pazmannus lib. 3. Hodegi in sexto falsorum dogmatum testimonio fatetur, *quòd non ex qualicunque mala hominis vita de ejus fide judicandum sit, sed videndum potiùs, num dogma illud propria virtute, Natura & proprietatibus homines ad peccatum instiget.*

Wegweiser der Ordenspersonen p. 123. Es sol sich auch keiner an dem Catholischen Glauben irren lassen das ärgerliche Leben etlicher Geistlichen/ welches viel Neugläubige fürwenden. Dasselbige beweisen diese Ordenspersonen mit den Sprüchen Christi Matth. 18. 23. Item/ aus diesem Grunde/ weil es den Christen nicht wohl anstehet noch gebühret/ daß sie allein auf die Sünde und Laster der bösen Geistlichen so fleissig Achtung geben/ und ihnen gleichsam daraus eine Speiß und Bett/ sich damit in ihren Irrthumen zu stärcken und aufzuhalten/ machen.

Pag. 127. vermahnen sie die Neugläubigen/ daß sie erst bey den Ihrigen anfangen lassen herfürzubringen/ denn solches erfordere die ordentliche Liebe/ und wann sie ihre Städte/ Märckte/ Dörffer/ Häuser und Clericos wohl gesäubert und spiegelrein gemacht werden haben/ alsdenn kommen sie erst zu andern/ räumen und putzen daselbst auch.

Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 2. adducit & approbat dictum Augustini lib. de fide & operibus. *Perniciosa est audacia, stultaq; præsumptio, se ab Ecclesia separare, ob exempla quorundam malè moratorum, cùm hæc bonorum malorumq; mixtura usque ad ultimam mundi periodum sit duratura.* Postea subjicit Bailius. *Nunquam Moses, Elias, Ieremias, reliquiq; Prophetæ Ecclesiæ valedixerunt, quamvis multa peccata ibi regnare viderent.*

2. Quòd agnoscunt, veram sanctitatem esse internam & invisibilem, quin & multis infirmitatibus tectam. (Proinde non poterit esse externa veræ Ecclesiæ nota.)

Catechismus Romanus part. 1. cap. 10. quæst. 12. *Quomodo Ecclesia Christi inter tot peccatores dicitur sancta? Appellatur sancta, quòd Deo consecrata, dedicataq; sit. Sic enim cætera hujuscemodi, quanquam corporea sint, sancta vocari consueverunt, cùm divino cultui addicta & dedicata sunt, cujus generis sunt in lege veteri vasa, vestes & altaria, in qua primogeniti quoque, qui Deo altissimo dedicabantur, sancti sunt appellati. Nec mirũ cuiquam videri debet, Ecclesiam dici sanctam, tametsi multos peccatores continet. Sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se fide & Baptismate suscepto Christo consecrârunt, quanquam in multis offendunt, & quæ polliciti sunt, non præstant. Quemadmodum etiam, qui artem aliquam profitentur, etsi artis præcepta non servent, nomen tamen artificum retinent. Quare D. Paulus Corinthios sanctificatos & sanctos appellas, in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales & gravioribus etiam nominibus acriter objurgat. Sancta etiam dicenda est, quod veluti corpus cum sancto capite Christo Domino totius sanctitatis fonte conjungitur, à quo Spiritus sancti charismata & divinæ bonitatis divitiæ diffunduntur.*

Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 10. §. Lutherani &c. *Nemo potest certò scire, qui sunt verè justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exteriùs præ se ferunt, cùm certum sit, multos ubique esse hypocritas & falsos fratres.*

lib. & cap. iisd. §. Sed neutra. *Cognitio illa, quâ ex affectis de fidelibus judicatur, non est certa, sed conjecturalis.*

lib. 5. de liber. arbitr. cap. 10. §. Hoc posito &c. *Certum est, ex operibus ipsorum hominum, qui nos docent, non posse cognosci doctrinam, cùm opera interna non videamus, externa autem sint communia utrisque, & propterea comparantur vestimentis ovium, quibus lupi quoque se tegunt. Itaque Dominus, quoniam scie-*

sciebat, non posse discerni doctrinam ex opere, cùm sæpè mali bene doceant, sic monuit. Quæ dicunt, facite; secundùm opera autem illorum nolite facere.

3. Quòd agnoscunt, sanctitatem non esse Ecclesiæ notam, vel certè non infallibilem notam.

Stapletonus de princip. fid. doctrinal. controvers. 1. lib. 1. cap. 19. *Non quæcunque sunt Ecclesiæ bona, statim illius notæ sunt. Ecclesia est sancta, sed per suam sanctitatem non innotescit. Ecclesia est Christiana, sed per Christi nomen non innotescit.*

Maldonatus in cap. 7. Matth. vers. 17. *Objici potest sæpè qui bonam habet fidem, malos fructus facere, id est, malè vivere. Non nego, & qui negant, hæreticos puto. Sed Christus non dicit quid aliquando, sed quid plerumque; neque quid hominum perversitate, sed quid naturâ fidei soleat accidere. Fides autem Naturâ suâ neque mala bonos, neque bona malos generat fructus.*

(Si fides bona quandoq; malos facit fructus, utique ex fructibus bonis non certa & infallibilis, sed conjecturalis tantum veræ fidei cognitio peti potest.)

Et paulò pòst. *Posse eum, qui bonam fidem habet, mala opera habere, non est hujus loci probare, sed & experientia & ipsa de se fides docet &c. Pharisæi & Scribæ certè mali erant, quia mala faciebant, & bona loquebantur, quia quæ dicebant, facienda erant. Objiciet aliquis. Si & bona arbor malos & mala bonos fructus facere potest, quomodo docemur ex fructibus arborem dignoscere? Ego respondeo, Christum hoc loco non certum indicium, sed probabile tantùm signum tradere voluisse, docereque non posse falsos Prophetas, qui simulatione sanctitatis falsam doctrinam probant, diu se ita ovinâ pelle tegere, quin aliquando, qui sub ea latet lupus, appareat.*

(Vera & propria nota debet esse certa, perpetua & infallibilis. Sanctitas vitæ non est certa, perpetua & infallibilis veræ doctrinæ & Ecclesiæ nota, ac vice versâ, improbitas vitæ non est certa, perpetua & infallibilis falsæ doctrinæ & Ecclesiæ nota, Ergò non est vera & propriè nota.)

4. Quòd agnoscunt, etiam hæreticos, cumprimis Antichristum & ejus satellites, simulare ac profiteri sanctitatem.

Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. tit. Ecclesia, de Donatistis testatur, *quòd sanctitatem adeò professi fuerint, ut Ecclesiam esse negarent, ubi malorũ communione boni commacularentur.*

Carolus Sigonius lib. 5. de Repub. Hebræorum c. 11. *Essei erant Judæi moribus, hypocritæ mente, qui, ut Josephus tradit, nuptias respuebant & divitias ac bona sua cum sociis communicabant, vestitum nullum nisi veterem & attritum induebant, non nisi continentes in suam societatem admittebant, deprehensos in peccatis deturbabant, Essæi quasi ὅσιοι, id est sancti vocati.*

Frider. Staphylus in Apol. sua c. 1. p. 19. *Altera observatio, nempe nonnullos vitam præ se ferre bene moratam pulchreq; compositam, quorum tamen falsa & hæretica sint dogmata*, quod ipsum probat exemplo *Picarditarum, Anabaptistarum, Manichæorum & Catharorum.*

Petrus Gregorius Tolosanus lib. 13. de Republ. cap. 1. *Decipiebant seipsos Cathari hæretici, qui haberi volebant aliis sanctiores, despicientes alios, quique propter munditiem Catharos se nominabant, gloriantes de suis meritis.*

Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 9. §. Origenis &c. Origenem facit *hæresiarcham*. Ejus tamen sanctitatem mirificè commendat Vincentius Lyrinensis adv. profanas vocum novitates cap. 23. *In eo*, inquit, *plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem quivis facilè judicaret. Nam si vita facit autoritatem, magna illi industria, magna patientia tolerantia &c. Pro Christo non solùm patre, sed omni quoque facultate privatus tantùm inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis sæpiùs, ut ferunt, affligeretur.*

Costerus in Apolog. part. 3. cap. 8. *Anabaptistæ quid non agunt, ut fidem mutuam & caritatem servent? suos alunt, vestiunt, omnia vitæ necessaria ministrant, communem vitam, &, ut ipsi putant, Apostolicam agunt.*

De Antichristo scribit Acosta lib. de temp. noviss. cap. 20. *Erit in eo composita ad decipiendum sanctitatis simulatio, quæ solet homines parùm cautos externâ specie vehementer allicere. Erit enim vel primus eorum, qui in hypocrisi loquuntur mendacium, habentes speciem quandam pietatis.*

Pererius lib. 14. Comment. in Daniel. *Antichristus futurus erit callidissimus & variis artificiis utetur ad homines decipiendos. Principio eos, qui studebunt pietati & religioni, capiet specie & simulatione sanctitatis, castitatis, abstinentiæ, pietatis.* Et Hippolytus testatur, *Antichristum fore hypocritam.*

Sanctitas Monastica, quam Bellarminus potissimùm urget, est etiam in *Ecclesia Græca*. At negat Bellarminus, Græcam Ecclesiam esse veram Ecclesiam.

Quin imò etiam *Turcæ* habent suos Monachos sanctitatem mirè simulantes. At Turcicam Ecclesiam esse veram, nullus Pontificiorum dixerit.

5. Quòd agnoscunt, notam hanc non perpetuò convenire Ecclesiæ. (Ergò non est genuina & infallibilis nota.

Platina in vita Marcellini. *Maximam Diocletiani persecutionem, quam nostri passi sunt, à Deo immissam refert Eusebius propter depravatos Christianorum mores, maximè verò Ecclesiasticorum, qui inter se certantes Tyrannidem potiùs, quàm Sacerdotium sapere videbantur.*

Costerus in Enchirid. cap. de Eccles. §. Cœtus igitur. *Tametsi Ecclesiæ membra plurima sint mortua & impia, non amittit tamen sanctæ nomen, quamdiu est unus, qui sanctitatem animo colens retinet sanctitatem, quæ tempore passionis Christi in sola sacratissima virgine viguit*, (quæ verba posteriora in Apolog. part. 3. cap. 2. §. Erras, sic explicat. *Non inesse dixi, quia Apostoli alii sancti erant, sed viguisse, nempe quoad externum judicium.* Id verò nobis sufficit, cùm interna sanctitas in oculos non incurrat, ac proinde nota esse non possit. Quomodo verò sanctitas vitæ Ecclesiæ nota perpetua ac universalis esse potest, quando tam parva est, tam parùm cognita, ac in tam paucis personis invenitur?)

6. Quòd docent, fidem veram & Catholicam posse esse ab omnibus bonis operibus separatam, (quomodo ergò ex sanctitate vitæ judicari poterit de veritate doctrinæ & Ecclesiæ?)

Bellarminus lib 1. de Justificat. cap. 15. in ἐπιλόγῳ. *Fides vera à dilectione aliisq; virtutibus separari potest.* (Quod congruit cum dicto Maldonati paulò antè citato. *Posse eum, qui bonam fidem habet, mala opera habere, & experientia & ipsa de se fides docet.*

7. Quòd agnoscunt, vitam sanctam cum corruptelis doctrinæ non posse simul consistere.

Bessæus part. 2. Postill. in vernaculum sermonem translat. à Philippo Kissing in festo Catharinæ fol. 443. Aus böser Lehr muß nothwendig ein böß Leben folgen.

(Jam verò in Papatu doctrinam esse corruptam, suo loco ostenditur. Ergò de vera vitæ sanctitate gloriari nequeunt.)

8. Quod ipsi conqueruntur de invalescente in Ecclesia Romana vitæ impietate & corruptelis omnium Statuum.

(Aut ergò agnoscant, sanctitatem vitæ non esse infallibilem Ecclesiæ notam, aut fateantur, Ecclesiam Romanam non esse veram & Catholicam Ecclesiam.)

Hugo de sancto Victore (qui vixit circa Ann. 1130.) de Clericis sui temporis ejusmodi querelam texit. *Clerici nostris temporibus legem nesciunt, nec discunt, sed vanitates; otio, comessationibus, ebrietatibus student, terrena capiunt, assiduè in plateis, rarò in Ecclesiis, tardi ad investigandam culpam peccatorum, parati ad insequendum vestigia leporum; velociores sunt ad congregandum canes, quàm ad convocandum pauperes; citiùs porrigunt panem canibus, quàm pauperibus; citiùs extendunt manum ad taxillum, quàm ad Missæ librum. Ii sunt, quorum thalamus ornatior, quàm altaria; scyphus pulchrior calice; equus carior, quàm Missale; mappa pulchrior casulâ; camisia delicatior, quàm alba; imò quòd horrendum est dicere & nefarium, femoralia pulchriora, quàm corporalia.*

Hugo Cardinalis (qui vixit circa annum 1264.) Lugduno cum Curia Papali discedens, referente Matthæo Paris in Henrico III. dixit. *Quando huc venimus, tria vel quatuor prostibula invenimus, sed nunc discedentes solum unum relinquemus, verùm ipsum durat ab Orientali porta usque ad Occidentalem.*

Alvarus Pelagius (qui vixit circa Annum 1360.) lib. 2. de planctu Eccl. art. 28. *Enormitatibus se immiscent plerique eorum* (Clericorum) *crapulæ, ebrietati & incontinentiæ (quod est eorum vitiũ commune) intendunt & pleriq; vitio contra naturam.*

Et paulò pòst. *Contra sanctam castitatem, quam Domino promiserunt, sic offendunt continuè, etiam publicè: præterea nefandissima, quæ in occultis perpatrant, quæ nec chartæ reciperent, nec posset calamus exarare.*

Lib. 2. art. 3. *Adolescentibus impudicè abusi sunt. Heu! intra sanctam Ecclesiam multi Religiosi & Clerici in suis latebris & conventiculis: & Laici jam in plerisq; civitatibus, maximè in*

Italia, publicè quodammodo nefandum Gymnasium constituunt & palæstram, in illius flagitii abominatione se exercentes & optimi quique Epheborum in lupanari ponuntur.

Tandem post commemorata nefanda & abominanda scelera subjungit. *In tantum totus mundus, maximè Italia, istius sceleris speciebus obrutus est, quod remedium non superest, nec prædicationum, nec timoris pœnæ temporalis, nisi ignis de cœlo sulphureus intra Dei & correctionem aliorum iterùm super istos sceleratissimos utraque morte dignissimos descendat velociter, & consumat, sicut consumsit & exterminavit pessimos Sodomitas.*

Nicolaus de Clemangis scripsit peculiarem librum *de corrupto Ecclesiæ statu*, qui extat in operibus ipsius p. 144.

Platina in vita Marcellini (qui sedit circa Ann. 296) *Sed quid futurum nostrâ ætate arbitramur, quâ vitia nostra eò crevêre, ut vix apud Deum misericordiæ locum nobis reliquerint? Quanta sit avaritia Sacerdotum, & eorum maximè, qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio cum suiipsius, tum doctrinæ Christianæ, quàm parva religio & simulata potiùs, quàm vera, quàm corrupti mores vel in profanis etiam hominibus (quos seculares vocant) detestandi, non attinet dicere, cùm ipsi apertè & palàm peccent, ac si inde laudem quærerent.*

Idem in vita Formosi (qui sedit circa Annum 890.) *Nescio, quo fato accidisse dicam, ut unà cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit quæ quidem tempora infelicissima esse arbitror, cùm autoritate Platonis tales soleant esse reliqui cives, quales sunt in Republ. Principes.*

Idem in vita Benedicti IV. (qui sedit circa Annum 905.) *Verum est certè, quod Crispus* (Salustius) *ait. Quæ orta sunt, occidunt: quæ aucta, senescunt. Imperium ipsum magnum habuit incrementum: verùm Principum ac populi Romani ignaviâ splendor ille Romani nominis in obscuras tenebras conversus est, tum vel maximè, ubi remissâ exercitatione virtutis, voluptatibus se & thermis ad effœminanda corpora inventis tradidêre. Idem etiam accidisse Pontificali dignitati dicere possumus. Sanctitate enim & doctrina, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, Pontificium decus sine ullis operibus primò quidem auctum est inter tot hostes & obstinatos persecutores Christiani nominis; mox verò, ubi cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi nullo Principe flagitia hominum tum coërcente hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri Sedes occupata est potiùs, quàm possessa.*

Idem in vita Christophori I. (Anno 908.) *Ut autem credam, Berengarium tum imperâsse, facit & Pontificum, qui antè fuêre, brevis vita, quos tanquam monstra quædam è medio brevi Deus sustulit.*

Idem in vita Sergii III. (qui fuit Christophori successor) *Vide quæso, quantum illi degeneraverint à majoribus suis. Illi enim, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes; hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti, posthabito divino cultu, inimicitias non secùs ac sævissimi quidam Tyranni inter sese exercebant, suas voluptates postea securiùs expleturi, cùm nullibi extarent, qui eorum vitia coërcerent.*

Johannes de Erphordia peculiarem tractatum scripsit *de malis moribus & erroribus Christianorum*, qui excusus est Lubecæ Anno 1488.

Petrus Ferrariensis in form. sent. definit. §. Sed ad quemcunque. *Clericorum animus & appetitus est enixus præ cæteris in pecuniis cumulandis, contra honestatem communem & fidem Deo promissam, nec attendentes, nec studentes bonis moribus, nec Scripturis tam divinis, quàm moralibus.*

Johannes de S. Geminiano in Summ. de Exempl. lib. 7. cap. 27. *Prælatorum cœtus factus est niger terrenorum negotiorum solicitudine.* Et mox vocat eos *hypocritas, cupidos & avaros Officiales, avaros Prælatos, deliciis vacantes.*

Et paulò pôst. *Ecclesia tota facta est carnalis, fundata non in sanguine Christi & Apostolorum, sed nepotulorum & consanguineorum, procedentium per successionem sanguinis, quia ferè ubique nepos avunculo, & consanguineus consanguineo succedit in beneficio.*

Keysersberger in den Fasten-Predigten / von den Ameisen fol. 21. Ich spreche zu dem andern / so nim war / ob also gebauet sey worden / wie ich gesagt habe / in unsern Versamlungen und Concilien / die da gewesen seyn / besonder im Concilio zu Costentz / darnach zu Basel / und nim drey Stände für dich / geistlichen Stand / weltlichen / und Ordens-Leute. Bey Geistlichen verstand uns / die weltlichen Priester genant seyn / so wirstu finden / daß von dem höchsten biß auf den mindesten alle Städ verderbet seyn / und nim den Schauffalt / das sol seyn der geistliche Stad / Bischoff / Pabst / Cardinäl / Probst / Dechan etc. der Schauffalt ist voll und sol mit. Betrachte ihn / so findest du ziemliche Hoffart / Ubermuth. Niemand kan uns Ehre gnug anthun / niemand kan uns erfüllen und wir huffen unsere Pfründen / eine Pfründ uff die ander / wie kriegen umb die Aempter / als höher uff hin von einem Ampt zu einem höhern. Was sol ich sagen von Unkeuschheit / wer ist der / der sich nicht sudelt in der Katlachen und in dem Unflat / das sol der Schaufflat seyn. Nim den andern Stad für dich die Ordens-Leute / so sihest du / wie gantz der zerrissen ist. Sie seynd grössere Buben / und als groß als im weltlichen Stad und im geistlichen Stad / sie sind aller Leckerey formen dran / darumb ist das Verslein war / *Quicquam* (quicquid) *agit mundus &c.* Was die Welt thut / so wil der Mönch der ander dran seyn. Zu Rom kam ein Mönch zu einem Cardinal / der Cardinal wolt ihn umbtreiben und sprach: *Quicquam agit mundus &c.* was die Welt anfahet / da wil der Mönch der ander seyn. Der Mönch sprach: Nicht *Pater reverendissimè*, nicht / nicht. Der Cardinal sprach: Warumb nicht? Er antwortet / er wil nicht der ander seyn / er wil allweg der erste seyn. Der Cardinal lachet. Die Ordens-Leut sind die den Stad der Zwölffboten nachgahn und ihren Stad durchzeugen / zu denen sprach der HErr / *Vos estis sal terræ*, Ihr seyd Saltz des Erdreichs. Es sollen Closter-Leute andere Menschen saltzen mit guten Lehren und Exempeln / aber sie seyn gewarlich Saltz / *Superbi, Avari, Luxuriosi.* Die erste drey Buchstaben machen *Sal*, das sind sie / und sind also versaltzen mit den dreyen Stücken / mit Hoffart / mit Geitzigkeit / mit Unkeuschheit / daß man ihnen nicht mehr kan zu Hülffe kommen. Im Concilio zu Basel da ist ein Mann sechs gantzer Jahr allein ob dem Stück gessen (gesessen / wie man könte eine gantze Reformation machen in der Christenheit / und ward dennoch nit daraus etc. wiewol sonst viel Guts da gemacht ward / als grosse Krieg und Blutvergiessen wider die Hussen ward abgestellt / aber aus den Puncten ward nut / waren sechs gantzer Jahr darob gesessen. Deßgleichen in Concilio zu Costentz redt man auch von einer gemeinen Reformation der Christenheit / ob man ihr nicht möchte zu Hülffe kommen / da sie doch nicht so elendiglich zerhudelt und zerrissen wäre / der Weg möcht aber nicht funden werden etc. Der weltliche Stad ist auch verderbt. Man spricht / Sanguis Principum non facit bona farcimina; Fürsten-Blut gibt nicht gute Würste / wenn es wil nicht zusammen sagen. Wann Blut in einem Darm nicht wil bey einander bleiben / so wird nimmermehr gut Wurst da. Die Fürsten seyn wider einander / sie fechten und streiten wider einander / wie wolt man die reformiren etc.

Cajetanus in Summula Verbo, Larvarum usus pag. 403. *Licet Magnates, etiam Ecclesiastici, ad excusandas excusationes in peccatis dicant, se maximè decere, ut larvati incedant, ut possint liberè discurrere incogniti, quod non deceret illos manifestos, nihilominùs non excusantur, tum quia tales non egent &c. hujusmodi recreatione: tum quia non ad recreandum animum, sed ad superfluam agunt delectationem &c. tum quia scandalizantur pusilli ex Prælatis, præsertim Ecclesiasticis larvatis.*

Alphonsus à Castro lib. 1. advers. hæres. p. 61. *Prælatorum multorum unica cura est ut deciment & tondeant & sanguinem ovium sugant, non ut pascant. Isti sunt multi Pastores, qui demoliti sunt vineam Domini, id est, Ecclesiam &c. Isti homines, Episcopi scilicet & Sacerdotes, dormiunt, voluptati inserviunt, nullamque prorsus ovium suarum curam gerunt.*

Marcellus Palingenius lib. 10. Zodiaci vitæ in Capricorno.

Sique rogant, quidnam Romanâ ageretur in urbe?
Cuncti luxuriæ atque gulæ, furtisque, dolisque,
Certatim incumbunt, nosterque est sexus uterque,

Respondent

Johannes Hoffmeisterus Eremitarum D. Augustini per utramque Germaniam Vicarius Generalis tom. 2. Homiliarum homil. Dom. 6. post Trin. p. 179. *An præferenda est justitia nostra Pharisæorum & Scribarum justitiæ? an excellimus eos? excellimus quidem illos non probitate, sed malitiâ. Dura fortasse vobis hæc videntur, & dura quidem sunt, sed non minùs vera. Quomodo hoc? inquis. Dicam, & apertè ac liberè dicam, nec aliquis poterit nobis contradicere. Scribæ & Pharisæi quærebant suam*

suam gloriam ex operibus pietatis; nos autem eandem quærimus ex malitia: illi elargiendo sua, ambiebant gloriam apud homines, nos invadendo aliena videmur nobis Evangelicissimi. Non mo- ror hic eos, qui dicunt, se non rapere, sed recuperare. Illi jejunabant, ut laudem aucuparentur humanam: nos verò ex voracitate & ebrietate etiam magnifica nomina venamur. Illi orando, nos blasphemando laudem quærimus. Vides quantum profecerimus; vides in quo excellimus Scribas & Pharisæos; Et quis hæc negare potest?

Tom. eod. Dom. 8. post Trin. p 206. *Et Catholicos Concionatores invenias, quibus, heu dolor! non est admodùm integra vita.*

Idem Domin. 11. post Trinit. pag. 333. *Nos jactamus autoritatem Ecclesiæ Romanæ & traditiones Patrum, cùm interim malis nostris moribus dehonestemus Ecclesiam, Christi Sponsam, & non traditiones Patrum, sed pessimas corruptorum hominum consuetudines sectemur.*

Legatus Ducis Bavariæ in Orat. in Concil. Trident. habita inter cætera sic loquitur. *In Visitatione nuper habitâ quanta omnis generis flagitia in moribus Cleri comperta sunt, quanta socordia & supina negligentia in quibusdam Proceribus seu Ecclesiarum Prælatis, aurium pudore, ne manifestentur, prohibemur. Ipsa morum turpitudo postulat, ne maneant diutiùs impunita. Atque hæc, si quis vellet sigillatim, prout per sese res ipsa habet, atque explorate constat, enarrare, castis, piisq́; Reverendissimorum Patrum auribus omninò fieret molestum, aliis verò, qui minùs firmati sunt, ingens periculosumq́; offendiculum crearetur.*

Et postea. *Clerus noster gulæ, libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei, hominumque omni genere vitiorum se coopertum, potius palàm agnosci, quàm minimâ aliquâ in re emendatum palàm animadverti.*

In Admonitione Legatorum in prima Sessione illius Concilii proposita universus Sacerdotum ordo, *quicquid in orbe est mali, sibi & suis vitiis tribuit.*

In eod. Concilio Sess. 23. sub Pio IV. septimâ, Orationem habuit Episcopus Aliphiensis, in qua sermonem ingressus de fide & moribus hæreticorum & Catholicorum, dixit, *Sicut melior esset fides Catholicorum, ita multò melioribus esse hæreticos, quàm Catholicos moribus.* Petrus Suavis lib. 8. Histor. Concil. Trident. pag. 853.

Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus in Orat. habitâ in Concil. Trident. Domin. 3. Advent. (quæ extat tomo 3. Concil. pag. 979.) *Quibus turpitudinum monstris, quâ sordium colluvie, quâ peste non sunt fœdati, non corrupti in Ecclesia sancta Dei & populus & Sacerdos? A sanctuario Dei incipite, (in vestro judicio causam repono Patres) si ullus jam pudor, si ulla pudicitia, si ulla superat bene vivendi spes vel ratio, si non libido effrenata & indomita, si non audacia singularis, si non scelus incredibile. Heu! quomodo obscuratam est aurum.*

Et paulò pòst. *Utinam non à religione ad irreligionem; à fide ad infidelitatem; à Christo ad Antichristum; quin à Deo ad Epicurum vel Pythagoram, velut prorsus inanimes declinassent, dicentes in corde impio, & in ore impudico, non est Deus. Neque jamdiu fuit Pastor, qui requireret Patres, non fuit, inquam, qui requireret: quia omnes, quæ sua sunt, quærebant, quæ Jesu Christi, ne unus quidem.*

Idem Cornelius Mussus tom. 1. Concionum in die Circumcisionis pag. 62. *Populus hic meus valdè incircumcisus est & in pluribus superfluus nimis, culpa vestra est, culpa vestra est, ò Sacerdotes. Nisi enim seculares eadem sua vitia in vobis viderent, non ea virtutes arbitrarentur, forsitan & illi ab iis abhorrerent, si vos abhorrere viderent, essent sobrii, continentes, paucis contenti, honesti, bene morati, devoti, si easdem virtutes in vobis, qui estis capita illorum, invenirent. Cæterùm oculus Heli est cæcus, peccata populi Sacerdos non videt, quia eadem sunt & sua.*

Et postea. *Ab doleo vehementissimè, quòd verè dicere possim, non tantùm Clero meo Bitontino, sed Clero totius regni hujus. (satis enim superiùs jampridem animadverti, quo loco sit misera hac in regione Religio) quando natus es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus. Et alibi. Fornicata es cum amatoribus tuis, sicut non est factum ante te, neque post te futurum est. Et illud. Vicisti sorores tuas sceleratiùs agens. Hinc vehementer metuo, ne fortè in hoc Clero locum habeat illa Christi comminatio. Remissius erit Tyro, Sidoni & Sodomæ, quàm tibi.*

Fridericus Staphylus in Apolog. p. 15. *Lutherani nobis objiciunt vitam malam Ecclesiæ, Procerum & Cleri, tanquam ii publicitùs scortationi, crapulæ, avaritiæ, aliisq́; Epicureis voluptatibus perpetuò dediti sint, in præsens id defendendum non suscepi. Dolendum profectò est, priscorum illorum Sacerdotum honestam morum disciplinam & continentiam tot jam scatere pudendis offendiculis & scandalis, iis præsertim locis, ubi Ecclesia oppugnatur. Interim tamen prorsus nihil ambigo, tametsi in bonam Sacerdotum partem ea possint conferri vitia, quæ à Lutheranis adferuntur, nihilominùs hinc inde permultos haberi bene moratos & compositos, probosque & eruditos Prælatos & Sacerdotes &c.*

Henricus Cuyckius Ecclesiæ Rurimundensis Episcopus p. 51. edit. Colon. *Vehementer optarim, redire nobis posse prisca illa tempora, quæ diximus, quando quadripartita erant Ecclesiæ bona & Cleri portio pro cujusque merito distribuebatur. Non esset locus avaritiæ, non beneficiorum accumulationi, obviaretur concubinatui, luxui, aleationi, comessationibus, crapulæ, vitiisque omnibus, quibus intemperantes Clerici obnoxii sunt.*

Johannes Eccius Homil. 2. in festo S. Stephani Prælatos accusat, *quòd minùs rectè officio suo invigilent.*

Joh. Ferus in c. 2. Joh. v. 14. *Nostra religio planè ad quæstum & avaritiam declinavit.*

Et postea. *Quis Sacerdotum ac Religiosorum & Pontificum inexplebilem avaritiam ac imposturas non videt? Apud hos omnia venalia sunt, nedum oves & boves, beneficia scilicet, quæ vocant, & officia, majora & minora, sed etiam columbæ, hoc est, Spiritus sancti dona & spiritualia bona, quæ gratis expendere jussi sunt, utpotè quæ gratis etiam acceperunt.*

Gabriel Barelleta Ordinis Prædicatorum fer. 3. Pentecost. serm. 4. pag. 142. recitat, quâ devotione in Papatu Oratio Dominica proferatur. *Non dicit*, inquit, *Pater noster, cum corde. Practica notabilis. Incipit in mane devotionem Virginis. Pater noster, qui es in cœlis. Præpara equum, ò serve, ut eamus ad villam. Sanctificetur nomen tuum. O Catharina, pone ad focum illam carnem. Panem nostrum quotidianum. Prohibe cattum à farcimine. Et dimitte nobis debita nostra. Da equo bladum. Præterea stans ad Missam totus est occupatus. Sursum corda. Mentiris. Sursum corda, ad rus, ad adulteram, ad usuras.*

Didacus Stella in cap. 11. Lucæ fol. 67. b. *Mundus ita est transmutatus & conversus, ut ii, qui professione sunt Christiani, more vivendi & consuetudinibus Ethnici sint & Gentiles, ita ut omnis aqua, quæ in mari continetur, non satis sit, ut tanta peccata & flagitia mundari possint.*

In cap. 12. Lucæ fol. 97. *Evenit, ut Prælati subditos vexent & opprimant, quia scilicet heluones, profani & vitiis dediti sunt.*

Fol. 96. *Multos nunc invenies in Ecclesia Dei ita arrogantes & superbos, ut non existimes Pastores, sed Tyrannos & Dominos, qui potius mores referunt leonum & Tygridum, quàm Prælatorum.*

In cap. 12. Lucæ fol. 121. *Ita videbis cum Episcopis & Prælatis non pauperes, debiles & claudos, sed Nobiles, Equites, Comites, Marchiones discumbere. In hos enim pauperculos, Ecclesiarum suarum reditus, Christiq́; patrimonium perperam insumunt &c. his omnia, quæ habent, tribuunt, honorificumque existimant &c. si eos pro cognatis habeant, & apud se discumbere faciant.*

Fol. 131. a. *Apud Prælatos est apparatus famulorum, equorum, dapum, conviviorum nimius, sine ordine, sine limitatione, sine mensura: Doctrina verò, sanctorumque sermonum parùm, multâ parsimoniâ & limitatione, adeò ut non paucis in locis sacra concio semel in anno duntaxat populo exhibeatur.*

Ibid. *Non pauci jam Ecclesiam propter Ecclesiam concupiscunt, sed redituum auri & argenti & vestimentorum concurrentium causâ, quare tam pauci modo pii, sanctique Prælati in Ecclesia Dei inveniuntur.*

In cap. 15. Lucæ fol. 136. b. *Utinam Prælati Ecclesiæ oculos ad Christum Jesum optimum Pastorem converterent & inspicerent, quantò majoris pretii sint animæ, quàm omnia mundi bona! Utinam tantam adhiberent curam in animabus suis redimendis, quantam in augendis reditibus ponunt!*

In cap. 17. Lucæ fol. 185. *In multis civitatibus tanta est morum effusio, ut meretrices, & alia vitiorum fomenta in medio permittantur populo habitare &c. ex quo consequi,* ait, *Virginum raptus.*

In idem cap. 17. Lucæ fol. 192. *Quid, obsecro, de illo tempore* (Noë) *dicitur, quod de nostro rectiùs non dicatur &c. Sed quid homines in hac nostra tempestate faciunt? Respice orbem, & vel considera civitates refertissimas usque ad habitantium fastidium, invenies pro artificibus deceptores, fures, homicidas, pro civibus ganeones, lusores, fœneratores, pro magnatibus deliciosos prædones & Tyrannos.*

In cap. 20. Lucæ fol. 242. *An non prædicatorum quidam*

ita vivunt, ac si nullum Deum esse crederent, aut si credant, longè abesse existimant!

Idem in cap.21.Luc.f.255. *Quanti Clerici sequuntur Simonem Magum! Pauci enim sunt beneficiarii, nisi aut prece, aut precio, aut temporali servitio, vel ratione sanguinis, vel amore. Christus in una persona habuit tres substantias, corpus, animam, Deitatem. Isti verò in una subsistentia plures congregant personatus vel Prebendas.*

Lauretus in Sylv. Allegor. in Indice *Prelatorum vitia multiformia* recenset.

Claudius Espenfæus in Epist. ad Titum cap. 1. *Habeat jam Roma pudorem & tam nullius frontis criminum omne genus prostituere desinat.*

Idem in Epist. ad Timoth.1. Digress. 2. pag. 67. *Ubi sub Sole major malorum omnium licentia, clamor, impunitas, ne dicam infamia, impudentia sanè talis ac tanta, ut nemo credat, nisi qui viderit; neget nemo, nisi qui non viderit!*

Mercurius Gallo-Belgicus tomo 2. lib. 10. *Curia Parisiensis Jesuitas insatiabilis avaritiæ & ambitionis accusabat, eos ad summas opes pervenire, conjurationes plusquam Catilinarias exercere, nec seculares, nec religiosos ad societatem suam, sed infames quoscunque & sceleratos admittere, Ordinariis obedientiam subtrahere, multas in utraque politia rebelliones, schismata inducere, magis ad Ecclesiæ destructionem, quàm ædificationem facere, ideoque tam à Curia, quàm à Sorbona esse ejectos.*

Bellarminus tom. 6. Concion. 37. col. 433. *Vita & mores nostri tantùm absunt à vita & moribus primorum illorum Christianorum, ut illi veri, nos depicti Christiani esse videamur.*

Tom. eod. Concion. 43. col. 517. conqueritur, *caritati in Deum & proximum nullum esse locum relictum in cordibus hominum, & hoc non posse Topicis argumentis, sed demonstrationibus evidentissimis convinci.*

Lib. 2. de gemitu columbæ cap. 4. pag. 178. *Scio audiri non rarò blasphemias in Deum & Sanctos, quales nec inter Turcas.*

Ibid. *In quibusdam locis perjuria adeò sunt frequentia & familiaria, ut multi non erubescant, etiam in rebus clarissimis falsa testimonia cum juramento confirmare.*

Ibid. cap. 7. pag. 221. *Istæ sordes* (meretricum) *ista turpitudo, iste deterrimus fœtor in medio Christiani populi longè lateque occupat omnia.*

Ibid. pag 396. *Propter mala exempla Clericorum, scandala patitur populus Christianus; sed etiam populi Turcarum & hæreticorum, apud quos blasphematur nomen Domini & Christi doctrina pessimè audit.*

Guilielmus Estius Orat. 1. fol 6. *Etenim, si unquam aliàs post Christum natum, nunc vel maximè, compluribus locis in Clero disciplina languet, probitas exulat, scientia contemnitur, caritas friget, Canones dormiunt.*

Benedictus Arias Montanus (qui judice Lipsio Centur. 3. Epistol. 50. ad Ludov. Perez, *id spondente vitæ integritate & candore illo liberum illum & candentem locum insidet, beatus inter beatos*) Jesuitarum mores ab omni candore alienos in Comment. de varia libr. Ebraic script. annexa Apparatui sacro his depingit verbis. *Pagnini nos diligentiam imitati, atque pressius eum secuti, eam, quam in prima hujus operis præfatione exposuimus, operam præstabamus; quamq; à nemine hactenùs doctorum & candidorum virorum improbari audivimus, præter unum Erostratum, qui Theologorum suæ ætatis & superioris ferè omnium laboribus obtrectare, atque Pagnino imprimis bellum indicere summæ sibi, ut existimo, laudi fore speravit. Is, quoniam Pagninum vivum habere non potuit, nostrum pro omnibus aliis nomen proscindendum suscepit, nactus fortassis opportunitatem in quorundam animis & consiliis, quia cùm soli sapere & soli bene vivere, Jesumq; propiùs insequi & comitari sibi videantur, atq; id palàm professi jactitent, me qui minimum atq; adeò inutilem Jesu Christi discipulum ago, odio habuerunt gratis. Atq; hi, quòd neminem, qui aliàs bene audiat, palàm improbare audent, aliorum, quos ad eam rem occultè inducere possunt, ingeniis & nominibus abutuntur. Horum autem nos nec artes fallunt, nec gregem prodere, aut cognomen judicare juvat. Utuntur illi quidem magno & inaccessibili mysterio ad suas res agendas, sed quod facilè iis, qui simpliciùs, apertiùsq; agere volunt, pelluceat, quod non post multos annos tandem aperiendum est, virtute illius, qui illuminabit abscondita cordis & occulta tenebrarum, tunc erit laus unicuiq; secundùm opera sua.* (Quid autem boni expectandum ab iis, qui à candore & integritate sunt alieni, superbi, vani & vafri?)

Adamus Contius lib. 6. Polit. cap.11. fol.409. §.3. *Damnabilis est & æternis ignibus vindicanda quorundam Prælatorum ambitiosa segnities, qui mollibus verbis enervant animos, vitiisq; suâ sponte crescentibus spacia concedunt. Ajunt enim illi, alia nunc esse tempora; dissimulanda, quæ vix emendari queant, Canonum rigorem esse relaxandum &c.*

Plures hujusmodi querelas recensuimus superiùs lib.1. part. 1. cap.4. cumprimis verò in artic. de Ecclesia tom. 5 Locor. §. 262. & seqq. Confer tractatum D. Botsacci, quòd Ecclesia Romana non sit sancta, edit. Witteb. Ann. 629.

9. Quòd nostræ Ecclesiæ hominibus externæ sanctitatis studium tribuant. (Aut ergò negent, *externam sanctitatem esse* veram Ecclesiæ notam, aut fateantur, nostram Ecclesiam esse veram Ecclesiam.)

Costerus in Enchir. c.2. de Ecclesia p. 201. *Edunt illi moralia nonnunquam bona, largiuntur eleëmosinas, xenodochia erigunt, moderate eorũ quidã vivunt, à convitiis & juramentis abstinent.*

Maldonatus in c.7. Matth. v.15. *Nihil in eorum ore, nisi Pater noster cœlestis, nisi Christus, nisi fides, juramentum inauditum, nihil in eorum factis, nisi eleemosina, nisi temperantia, nisi modestia.*

Becanus Manual. lib. 5. cap. 22. §.3. nobis hoc testimonium defert, quòd *quidvis potiùs experiundum judicemus, quàm ut perfidi ac perjuri habeamur.*

Fridericus Fornerus Hebronensis Episcopus in præfat. palmæ Triumphalis, Electorem Saxoniæ Serenissimum Joh. Georgium, hoc tempore ditiones suas feliciter gubernantem, vocat *Principem Patriæ amantissimum, justitiaque studiosissimum, verè Israelitam, in quo dolus non est.*

Maximilianus Sandæus in castigatione Laurentii de prodig. Jesuit. liberal. pag.236. *Multi protestantium probitatis nonnihil habent, quandoque civis boni officia exequuntur, moralia quædam opera non mala exercent.*

Hæc referri potest, quòd Calvinianis, quos æquè, si non magis, quàm nos hæreseos accusant, externæ sanctitatis laudem tribuant.

(Aut ergò Calvinianis cœtibus veræ Ecclesiæ notam concedant, aut externam sanctitatem veram Ecclesiæ notam esse negent.)

Florimundus Raimundus Senator Burdigalensis (vel potiùs Recheomus Jesuita sub nomine Raimundi) lib. 7. de hæresib. hujus temporis cap. 10. de Calvino sic scribit: *Sub arido & exili corpusculo semper acri & vivido fuit ingenio, in respondendo promtus, ad aggrediendum audax, magnus jejunator, etiam ab ipsa adolescentia, sive quòd ita valetudini consulere vellet, & hac abstinentiâ hemicranii fumos, quibus affligebatur, dissiparet, sive quòd Spiritu minùs gravato scribere, studiis vacare & memoriam excolere cuperet.*

Item. *Vix repertus est, qui Calvinum æquaverit in perferendis laboribus. Spacio enim annorum 23. quibus in Episcopatus Genevensis possessione mansit, singulis diebus Conciones habebat, binas etiam sæpè diebus Dominicis. Singulis hebdomadis Theologiam publicis prælectionibus explicabat, & singulis diebus Veneris colloquio Pastorum intererat, sive collationi, quam congregationem appellabant. Quod reliquum erat temporis, aut libris scribendis, aut responsis ad literas &c. impendebatur.*

Ibidem dicit: *Calvinum fuisse ingenio admirando, vivo, acuto & promtissimo in imaginationibus suis, in conceptionibus suis excitatissimo, fuisseque virum commendatione dignum, si vitiis separatis potuissent solæ virtutes reservari.*

Panigarola lect. 2. *Calvinus erat vir, vividâ mente, quam utinam bene applicasset! ingenio perspicuo, stylo puro, facundia magnâ pollebat & in lectione multarum rerum versatus erat.*

Argum. Advers.1. *Lutherus erat insignis meribibulus,* Campian. rat. 3. *Lutherus fuit homo contentiosus, pertinax, vehementis ingenii, impatiens, meribibulus, incestuosus,* Bellarmin. lib. 4. de Eccles. cap. 13. & alii passim.

Resp. 1. Superiùs lib. 1. part.1. c. 6. ipsorum Pontificiorum Scriptorum honorifica de Luthero elogia recensuimus.

2. Lutherus ipse in tract. de Miss. privat. sic scribit: *Clarè & disertè testati sumus, ut si non cogerent nos ad articulos palam impios ac blasphemos, nos bonâ ex parte jurisdictionem eorum Episcopalem defensuros, sed reverenter & suppliciter ad eorum pedes prostratos, & in causa publica æquissima petentes, nos ad Satanica sua mendacia cogere volunt. Alio fastu me despiciebant, quòd Indulgentias eorum, bullæ enim erant, difflassem.* (Hæc non arguunt animum pertinacem & fastuosum.)

3. Sub calcem Historiæ Ecclesiasticæ Theodoreti extat Catalogus Cæsarum, Episcoporum, hæreticorum &c. à Pontificiis scriptoribus editus. In eo sub titulo Chrysostomi p. 433. de ipso commemoratur, quòd *fuerit immitis & aspera cujusdam libertatis erga omnes, insultator & iracundus. Item, quod tam liberè in Augustum invehi solitus fuerit, ut maledicus haberetur; quòd severitatis odiosæ fuerit, quòd pertinacia ejus reprehendatur*, sed additur. *Profectò illorum quoque temporum vitia secari atque uri, non levibus medicamentis curari voluere.* (Idem de pertinacia & severitate Luthero objecta respondemus. *Crudelem Medicum intemperans æger facit.* Carolus V. Imperat. dicere fuit solitus, Wären die Pfaffen fromm/ so dürfften sie keines Luthers.)

Argum. 2. *Lutherus, Andreas Musculus, Erasmus, Jacobus Andreæ &c. de corruptelis vitæ & morum in Ecclesiis Evangelicis graviter conqueruntur.* Bellarmin. d. l. Gregorius de Valent. in anal. lib. 1. cap. 5. fol. 27.

Resp. 1. Ex Melchiore Cano lib. 4. Locor. Theologic. cap. ult. §. Secundum. *Plerumque, ait Augustinus, sermo divinus impias turbas Ecclesiæ sic redarguit, tanquam omnes tales sint, & nullus omnino remanserit*, cum quo congruit illud, quòd Caspar Sainctius in Com. Act. Apost. cap. 1. p. 15. scribit. *Ex Scripturæ consuetudine, ubi aliqua à multis fiunt, ab omnibus illa fieri dicuntur, sicut etiam negat ab aliquo fieri, quæ fieri solent ab admodùm paucis*, quam regulam ibidem multis exemplis declarat.

2. Ex Bellarmino lib. 3. de Eccles. cap. 16. § Ad quartum. *Prophetæ & Apostoli sæpè reprehendunt universum populum, quasi nemo sit bonus, cùm tamen permulti sint boni.* Confer Augustinum Epistola 59.

(Idem faciunt præmemorati Ecclesiæ nostræ Doctores.)

3. Ex eodem Bellarmino in conc. de puritate doctrinæ Lovanii habita. *Negare non possumus, nec volumus, multos in Ecclesia corruptè & contaminatè vivere. Sed unde probabunt nobis hæretici, malos istos mores, quos in hominibus Ecclesiæ reprehendunt, ex Ecclesiæ doctrina proficisci? an non eosdem malos mores nos ipsi semper reprehendimus? an non Ecclesia usuras, Simonias, Concubinatum, & alia, quæ nobis objiciunt, semper prohibet, semper punit, semper deplorat, semper detestatur?* (Idem ad crimina nostræ Ecclesiæ hominibus objecta respondemus.)

4. Ex eodem Bellarmino in conc. de lumine fidei, ubi de Catholicorum tù Laicorum, tum Sacerdotum impietate tempore Lutheri passim grassante sic conqueritur: *Erant mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi; Sacramenta, religio, disciplina Ecclesiastica contemnebantur & regnabant omnia genera vitiorum.*

Ibidem. *Sanè ridiculi sumus & plusquam paradoxa dicere videmur. Dicimus & certò asserimus, sacram Eucharistiam fontem ipsum gratiæ & omnium bonorum continere, tamen vix singulis annis & tunc compulsi ad sumendam eam accedimus. Sic etiam clamamus contra hæreticos, Sacrosanctam Eucharistiam verum, verissimum ipsissimumque Christum Deum & hominem continere, interim tamen ita nos gerimus, ut nihil minùs credere videamur. Sacra altaria in plerisque locis sunt plena pulveris, dependent hinc inde telæ aranearum; corporalia, purificatoria, sacra vasa ita multis locis sunt sordida, ut vomitum provocare possint. Sacerdos ipse tam præcipitanter, ita indevotè, ita frigidè sacra illa & Angelis tremenda mysteria peragit, ut clamare omnibus videatur, se neque Christum, neque Angelorum præsentiam agnoscere.* Similes querelæ ex Bernhardo, Keisersbergio, Nicolao de Clemangis & aliis adduci possunt.

5. Idem Bellarminus nobis testimonium perhibet, quòd negemus, *veram fidem posse à bonis operibus esse separatam*, ac doceamus, *sanctificationem cum justificatione esse individuo nexu conjunctam*, lib. 1. de Justif. cap. 3. & 15. lib. 3. cap. 1. lib. 4. cap. 1. 5. & 7. (Jam verò ipsimet Pontificii agnoscunt, tum demum mala opera esse signum falsæ doctrinæ, quando ex ipsa Natura doctrinæ mala illa opera originem trahunt. Stapletonus in Promt. Cath. Dominic. 7. post Pentecost. loco 4. *Hæreticorum fructus, ex quibus cognosci debent &c. sunt mala opera hæreticis propria & ex ipsa hæresis radice pullulantia.* Costerus part. 3. Apolog. cap. 9. §. Ego &c. *In hac causa non loquimur de peccatoribus. Felices nos, si nemo Catholicus transgressor esset legis divinæ! Sed hîc loquimur de peccatis, quæ vi & dictamine religionis committuntur.* Similia occurrunt apud Pazmannum lib. 8. Hodegi cap. 5. §. 6.

6. Similes invectivæ in vitia auditorum etiam apud Pontificios inveniuntur. Vide VVicelium homil. super Epistol. Matthiæ Apostoli fol. 246. Homil. in Dominicam Sexagesimæ &c. Granatensem Concion. tom. 3. pag. 142. tom. 4. pag. 115. tom. 2. pag. 699. Ejusdem præfationem Ducis peccatorum &c. Ejusdem de ratione Concionandi lib. 2. cap. 12. pag. 115.

Argum. 3. *Lutherus fatetur, mundum nunc esse deteriorem, quàm sub Papatu*, Bellarmin. d. l. ubi cumprimis urgent, quòd Erasmus in Epist. ad Vulturium scribit, *neminem ex Evangelica doctrina factum meliorem.*

Resp. 1. Ex Erasmo in lib. de Eccles. concord. *Jam adulterium, crimen, quod apud Ethnicos gladio, apud Judæos lapidatione puniebatur, neutiquam leve est, utcunque nunc* (apud Pontificios) *pro joco ducitur.*

Idem in Epist. ad Spalatinum scribit, *tempore Lutheri publicam morum corruptelam tantam fuisse in Ecclesia Romana, cui nemo non fateretur opus fuisse publico remedio.*

In Epist. ad Parbirium. *Nemo non fatetur vehementi quadam medicinâ opus fuisse Ecclesiæ, nimiùm collapsis moribus.*

2. Ex Cajetano in 1. Corinth. 5. *Non dicit Apostolus. Auditur inter vos, (Corinthios ad Christum conversos, fornicatio, qualis inter gentes non est, sed qualis non nominatur.*

3. Ex Acosta lib. 6. de procur. Indorum salute cap. 12. *Dissimulari de Indis profectò non potest, quàm nobis erubescendum sit, quod à Satanæ ministris superemur, cùm nos ad salutares nostras confessiones persuadendas pigriores simus, quàm illi ad sævas suas cap. 21. Magno Christianis nobis opprobrio est, Ingam Regem barbarum & idolis deditum ab ebrietate subditum sibi populum cohibuisse, nostros verò temulentiæ incrementa rata fecisse.*

4. Epistola, quam Erasmo tribuunt & ad Vulturium *de perversitate nostrorum hominum* scriptam asserunt, in Epistolis, Frobenio ad impressionem traditis, non invenitur. Nullibi certè apparet fictitium illud Vulturii nomen, ipseque adeò genius & stylus Erasmi facilè probat, esse ψευδώνυμον. Monet verò ipse diligenter in Epistola ad amicos scripta Anno 1536. lib. 27. Epist. pag. 1109. *ne statim Erasmi esse credatur, ubicunque nomen ejus præfixum videatur.*

5. De Erasmo scribit Duræus advers. VVitakerum fol. 232. *quod à Luthero ita abhorruerit, ut malle se in mille partes discerpi diceret, quàm illius Sectæ adhærere.*

(Atqui juxta monitum Augustini lib. 3. contra liter. Petiliani cap. 10. *Si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti.*)

Argum. 4. Tilmannus Pontificius & ex eo Förnerus contra concion. Jubil. Norib. referunt, *Maximilianum I. vidisse Cacodæmonem formâ corporeâ Lutheri humeris in Comitiis VVormaciensibus Ann. 1518. insidentem.*

Resp. 1. Ipsimet addunt, *Baronem pincernam à Maximiliano vocatum, ut aspiceret diligentissimè Lutherum, quod & factum, ipsum verò nihil vidisse, nisi Monachum cucullâ indutum.*

2. Non est verisimile, Lutherum Augustæ Vindelicorum, cùm Comitia celebrarentur Anno 1518. spectatum venisse, *quomodo Maximilianus patentibus valvis pranderet?*

3. Literæ Maximiliani ad Leonem Decimum, quæ extant tom. 1. oper. Lutheri fol. 99. & 109. tom. 5. fol. 112. b. contrarium testantur. Confer Matthesium conc. 2. de Luther. f. 14. a.

4. Diabolus *stat in medio filiorum Dei.* Job. 1. vers. 6. *stat ad dextram Sacerdotis, ut aversetur ei.* Zachar. 3. vers. 1. *duxit Christum in pinnaculum templi.* Matth. 4. vers. 5.

5. Maximilianus Primus, in Comitiis Wormaciensibus ad Degenhartum Pfeffingerum Electoris Saxonici Consiliarium dixit; *Significato Electori, ut Monachum illum diligenter nobis custodiat, brevi enim ejus operâ utemur.* At si Cacodæmonem illi insidentem vidisset, tale quid de eo minimè protulisset.

6. VVierus lib. 1. de præstig. Dæmon. cap. 16. ex Melanchthone hujusmodi recitat Historiam. *Lutheri ades accessit Monachus fores vehementer pulsitans, cui cùm famulus aperiret, ac sciscitaretur, quid vellet? num domi esset Lutherus, quærit Monachus. Re cognitâ, Lutherus eum ingredi jubet, quod nullum multo tempore vidisset Monachum. Ingressus hic, habere se quosdam errores Papisticos, ait, quorum nomine libenter cum ipso conferret, proposuitque Syllogismos, quibus haud difficulter à Luthero solutis, alios protulit explicatu minùs faciles. Unde offensus nonnihil Lutherus, in hæc prorupit verba. Multum mihi facessis negotii. Aliud etenim, quod jam agerem, erat, simulque* sur-

surgens loci à Monacho propositi explicationem ostendit, atque in ejusmodi collatione, manus Monachi non esse avium unguibus dissimiles, animadvertens, inquit, Tune is es? ausculta, sententia hæc adversus te pronuntiata est, & *mox locum in Genesi commonstrat. Semen mulieris conteret caput serpentis. Inde subjungit. Nec cunctos tu deglutiēs. Hoc dicto victus Dæmon, indignabundus, secumque murmurans abiit, eliso crepitu non exiguo, cujus suffimen tetri odoris dies aliquot redolebat hypocaustum.* (Diabolus ergò à Luthero potiùs fugit, quàm ut ipsius humeris insideret; ac si vel maximè humeris insedisset, non tamen cor occupasset & implesset.

Thesis specialis undecima. Miracula non sunt genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Distinguendum inter *mirabilia* & *miracula.* Quamvis Diabolus miracula propriè ac specificè dicta edere nequeat, tamen per instantaneam applicationem causarum activarum naturalium, quarum vim & operationem exquisitissimè perspectam habet, multa mirabilia perficere potest, quæ nos pro miraculis habemus, quia illorum causam ignoramus, & quomodo fiant, non videmus.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 14. §. 1. *Decima nota Ecclesiæ est gloria miraculorum.*

Salmeron tract. 23. tom. 6. *Lutheranorum fidem* & *Ecclesiam non esse veram,* primo loco probat ex eo, *quòd careat signis* & *miraculis.*

Idem argumentum urget Gregorius de Valentia part. 1. Analys. pag. 37.

Bozius lib. 5. de signis Ecclesiæ cap. 1. *miracula* inter notas Ecclesiæ recenset.

Costerus in Apolog. part. 3. cap. 9. *Hæc est perpetua nota Ecclesiæ, nullum seculum, nulla ætas hominum miraculis caruit.*

Lipsius Centur. 2. Epist. Miscell. apud Paulum V. Pontificem sic gloriatur. *Non possumus aliâ re, credo, efficaciùs frangere* & *calcare hæresin, quàm hoc miraculorum fulmine, ubi jam non verbis, sed factis disputamus,* & *impudentissimorum etiam oculos atque animos perstringimus istâ rerum majestate.*

Eudæmon contra Abbat. Demonstr. pag. 246. *Ostendat nobis Abbatus, quæ alia in Ecclesia miracula fiunt* &c. *apud nos unos miracula fiunt.*

Nec solùm ex miraculis probant veritatem suæ *Ecclesiæ,* sed etiam veritatem *doctrinæ* in controversis articulis. Nam in certaminibus cum heterodoxis obtinuisse narratur Romanæ Ecclesiæ fides & doctrina, *miraculo ignis,* Baron. Anno 526. num. 57. Anno 583. num. 41. 54. Anno 886. num. 6. Anno 1068. num. 50. 53. *contrectati ferri candentis,* Baronius Anno 949. num. 4. Bzovius Anno 1341. num. 19. *sanati morbi per panem Eucharisticum,* Baronius Anno 1147. num. 18. Inde Gregorius de Valentia in Analysi lib. 1. cap. 17. §. Pertinent &c. sic disserit. *Miracula vel ob eam rem maximè quasi antonomasticè nominari solent signa, quia cumprimis significant atque declarant, eam doctrinam divinitùs probari, atque adeo veram esse, cujus ad confirmationem edantur.*

Nostram sententiam confirmamus ex eo, quòd miracula

1. Non sint veræ Ecclesiæ *propria,* cùm etiam Ethnici & hæretici miracula fecerint.

2. Non conveniant Ecclesiæ *semper* & *perpetuò,* quia donum miraculorum fuit primitivæ Ecclesiæ proprium, progressu verò temporis cessavit.

3. Nihil probent, nisi *veritatem doctrinæ* habeant conjunctam, Deut. 13. v. 1. & seqq. Luc. 16. v. 29. 2. Petr. 1. v. 19. &c.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscunt, quandoque etiam gentiles & hæreticos miracula facere.

(Ergò miracula non sunt Ecclesiæ propria, ac proinde non sunt genuina & infallibilis ejus nota. Sanè hæretici vera & propriè dicta miracula ad errorum suorum confirmationem non edunt, tamen ejusmodi mira edere possunt, quæ externâ specie à veris miraculis distingui nequeunt, quibus sensus spectantium fascinant.)

Gregorius lib. 20. moral. cap. 8. *Nonnunquam hæretici signa quoque ac miracula faciunt.*

Lib. 32. moral. cap. 12. *Tempore Antichristi etiam tortores Sanctorum facturos miracula,* asserit. *In aliis,* inquit, *persecutionibus Tyranni torquebant corpus Sanctorum, sed Sancti multa miracula faciebant, quibus se superiores tortoribus ostendebant: tunc autem qui torquebunt, miracula facient ante oculos Sanctorum, ipsi verò nullum miraculum patrabunt.*

c. Teneamus caus. 1. q. 1. ex Augustino. *Præter unitatem, etiam qui facit miracula, nihil est. In unitate erat populus Israël* & *non faciebat miracula. Præter unitatem erant Magi Pharaonis* & *faciebant similia Mosi. Populus Israël, ut dixi, non faciebat miracula. Qui erant salvandi apud Deum, qui faciebant miracula, an qui non faciebant?*

Glossa in verbo Miracula c. Audivimus ext. de reliq. & venerat. Sanct. *Non continuò quisquis miracula facit, pro Sancto venerandus est.*

Carolus Magnus lib. 3. de Imag. cap. 25. ex Gregorio. *Nolite fratres mei amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia.*

Erasmus in Ecclesiaste pag. 338. *Ne commemorem, quòd miracula quædam edunt* & *Magi* & *Dæmones, qui se transfigurant in Angelos lucis.*

Ludovicus Vives in Comment. lib. 10. Aug. de Civit. Dei cap. 16. *Cùm Centuriarum equitum numerum vellet Rex Tarquinius Priscus ampliare, Actius Navius augur negavit id fieri debere, nisi consultis avibus. Rex, ut artem eluderet, divina, inquit, ex arte, an fieri possit, quod cogito. Cùm ille ex arte, respondisset, posse. Seca, inquit, novaculâ cotem, quâ acuitur. Ille præsente* & *inspectante populo, Regeque hoc fecit. Ita deinceps magno in honore fuit Actius, quamdiu vixit,* & *statua ei eodem loco, quo id contigerat, in Comitio scilicet, posita,* & *cos ibi novaculaque locata, monumentum rei.*

Ibid. *Cùm navis, quâ mater Deûm ex Pessinunte Phrygiæ Romam advehebatur, hæsisset in Tyberi, nec vi virûm boumque moveri posset, Q. Claudia Vestalis, quæ adverso pudicitiæ rumore laborabat, quòd cultus esset studiosior, distinctâ zonâ* & *navi alligatâ, precata Deam, ut si castam se nosset, volens sequeretur, navem duxit, cui postea statua est erecta ante ædem magnæ matris, quæ in basi sua semper stetit, cùm bis fanum illud conflagrârit.*

Septemcastrensis lib. de moribus Turcarum cap. 44. de Turcis memorat, quòd *ipsorum Religiosi plurima miracula faciant tam vivi, quam mortui.*

Anno 1532. *In Babyloniæ regno circa Radubios, quos Polycastos appellant, Provinciæ Lalassiæ ad septimum diem Martii mensis infans ex obscuri planè nominis fœmina, Rachiena nomine, natus est speciosâ quidem formâ, lucentibus contra Naturam oculis ac dentibus. Eâ autem horâ, quâ natus est, non Elementa tantùm, sed omnes cœlorum virtutes commotæ sunt, ac horrenda signa ediderunt. In medio enim noctis apparuit Sol in solito suo splendore, quasi in ipsa die meridie, qui deinde in tenebras adeò versus est, ut in Babylonia per integrum diem minori miraculo non visus sit. Deinde est iterum conspectus cum insolita figura ac diversi generis stellis, hinc inde in cœlo oberrantibus. Supra domum verò, in qua editus est puer, præter alia signa ignis etiam cœlestis de cœlo cadere atque homines consumere visus est. Sequenti verò die factâ Solis eclipsi ac magnâ aëris irati tempestate margaritas de cœlo pluit. Tertio die Draco igneus circa Babyloniam volare conspectus est. Apparuit præterea mons novus, ac reliquos montes altitudine excedens, qui mox in duas partes divisus est, in cujus medio inventa est columna, in qua Græca lingua inscriptum erat. Hora nativitatis venit, ac instat mundi finis. Decimâ tertiâ autem nativitatis horâ vox clamantis in aëre audita est. Parate corda vestra ad excipiendū, ac Beati, qui custodiunt verbum ejus. Postquam autem ad duos menses vixisset infans, instar senis vocem exaltans, se filium DEI esse profitebatur, ac cùm interrogaretur, quid præcedentia signa portenderent? Margaritas de cœlo cadentes esse populum, qui in sua verba juraret, Draconem autem volantem suos adversarios significare, respondit. Curavit omnes morbos, visum restituit cæcis, ad vitam revocavit mortuos verbo suo, ac dum verum se Scripturæ divinæ ac mysteriorum reconditorum interpretem esse, dixisset, per totam Babyloniam contra Patrias leges pro Deo adoratus est ac cultus. Hæc transtulimus ex magni Meysini Rhodiensis Epistola, quam non tantùm ad sui ordinis milites, sed ad omnes Christianæ fidei Principes etiam scripsit, ut præcaverent, ne contra verbum DEI falsis à Prophetis ac Satanæ artibus atque ludibriis humanum genus deciperetur.* VVolfius tom. 2. Lect. memorab. pag. 393.

Sebastianus Francus tom. 2. Chron. & Zuingerus Theatr. pag. 3140. & seqq. *Circa Annum 1516. Balthasar Hubmeyerus Theologus, apud Regenspurgenses, suis concionibus Magistratum ita inflammavit contra Judæos, ut excisâ illorum Synagogâ in area ipsa templum D. Mariæ Formosæ ædificarint. Qua*

Quæ cùm, nescio quæ miracula edidisse diceretur, fama longè lateque per Germaniam sparsa, tantus repentè peregrinorum concursus esse cœpit, ut nec templum nec cœnobium, vix etiã urbs ipsa, ampla alioqui, vereq; regia, tantæ colluvies sufficeret. Auctus inde furor, ut qui Formosæ tantùm Mariæ Ratisbonensis vel obiter meminisset, velut enthusiasmo correptus, posthabitis parentibus, conjugibus, liberis, rectà ad eam dies noctesque irrequieto cursu, obviis in itinere, nec salutatis, nec agnitis contenderet. Neq; verò vel minis vel vinculis coerceri poterat. Instrumenta artis (nam plebejos ferè & opifices hac vesania agebat) quæ mente motis ad manum fuissent, secum abrepta, statuæ anathematis loco offerebant. Vidisses mulierculas trahentes pueros, senes scipionibus innitentes, pueros panis frustum vel pomum donarii loco obtendentes, ægros cum linteaminibus & stragulis adrepentes, cibi, potus, somnique interea immemores, mutos, surdos & apertis cæcos oculis. Templum ingressi non omnes eodem afficiebantur modo, sed qui ad summum gratiæ, ut persuadebant sacrificuli, pervenissent, ubi primùm formosum simulachrum aspexissent, nulla missa voce sideratis similes concidebant, ad se reversi unà cum furore morbis se liberatos profitebantur. Fecit hæc persuasio, ut multi æmulatione quadam superstitionis sub templi ingressum humi sese abjicerent. Insolentiam hanc immodesti cultus cùm Senatus edicto severè coercuisset, seu vindicta Numinis, seu indignatione Dæmonis factum est, ut Enthusiasmus ille, qui per octennium & ampliùs Germanos credulos dementaverat, unà cum miraculis elanguerit. Sunt, qui putent, Judæorum fraude, alii eorum, ad quos ex hac peregrinatione quæstus redundabat amplissimus, arte magica hanc ei loco conciliatam autoritatem, quam simulachri cultus semel delusis superstitione mentibus auxerit & amplîarit. Utut sit, plurimi cordati, vereque Catholici, signa hæc magica potiùs, quàm Divina esse judicarunt.

(Jacobus Gretserus lib. 2. de peregr. cap. 5. p. 214. 215. fatetur, *ea, quæ circa pulchram seu speciosam Mariam Ratisbonensem contigerunt, abusum & sacrilegium fuisse, quod Parochi improbitas fuerit causata.* At non solius Parochi malitiâ istud fuit peractum & commissum, sed insuper solenni approbatione Episcopi, imò etiam Censurâ Papæ indulgentias illuc conferentis commendatum & confirmatum.)

Salmeron tom. 4. pag. 260. *Dæmon, nolentibus claritatem veritatis recipere, falsa miracula adhibere solet ad mendacia confirmanda.*

Claudius Espenſæus in Comm. 2. Timoth. p. 83. *Miracula Deo & Diabolo; Christo & Antichristo communia esse*, scribit.

Stapletonus in Promt. moral. Domin. 24. post Pentecost. loc. 4. p. 627. *Ad majorem fidelium probationem etiam vera miracula non solùm Antichristus ipse, ejusque proximi præcursores, sed quilibet hæretici non secus, quam magi, Deo permittente, operari poterunt.* Hoc ipsum prolixo Augustini loco ex lib. 83. quæstionum qu. 79. petito declarat & subjungit. *Dant signa & prodigia Pseudoprophetæ per operationem Diaboli, permittente Deo, cui (Diabolo) se per superbiam & errorem subdiderunt, vel quia in hac parte Diabolus illis gratificari & in errore magis confirmare ad pœnam peccati permittitur, vel, quia ipso nomine Jesu Christi & Sacramentis ejus, quamvis à transfuga sui Ducis characterem adhuc tenente administrantur, cogitur interdum id præstare Diabolus. Sic & in Historia Ecclesiastica Novatianorum miracula apud Sozom. lib. 8. c. 24. & apud Petrum Damianum Epist. 15. cap. 7. Simoniacos Episcopos miracula in Christi nomine fecisse, legimus. Donatistæ quoque sua miracula jactitabant, quibus sic respondet Augustinus lib. de unit. Eccles. cap. 16. Nemo dicat, hoc ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius &c. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quòd cum dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait. Ecce prædixi vobis &c.*

Jesuitarum Epistola Japonica 2. pag. 105. *Dæmon*, inquit, *sæpè numero Bonziorum rogatu, vel febrim sedat, vel è corporibus migrat.*

Pag. 125. *Simulat quis* (in Japonia) *ex composito se mortuum esse, hunc venefici extractum è sepulchro se ad vitam revocâsse mentiuntur. Interdum etiam Bonzii, adjuvante Dæmone, ægrotos curant.*

Joseph. Acosta Jesuita (*qui exegit quindecim annos in regno Peruano, & duos in Mexicano & Insularibus*, ut ipse scribit ad Philippum secundum Hispan. Regem in Epist. Dedicat. libri de Natura novi orbis) lib. 2. de procur. Indorum salute cap. 18. conqueritur, *quòd tum Hispanorum pessimi mores, tum præstigiatores Indorum saluti obstent. Hi enim, inquit, ut quondam Joannes & Jambres Mosi, Elimas Paulo & Barnabæ, obstinatè resistunt veritati. Quemadmodum in India Brachmanes, in Japonia Bonzios, in nostro Peru Humos cernimus.*

Majolus Episcopus Vultur. tom. 2. Canicularium pag. 122. *Permittit nonnunquam Deus, quanquam occultis, justis tamen de causis, miranda fieri etiam ab iis, qui ipsum minimè colunt, quæ vel ipsi etiam fideles, verique Dei cultores præstare minimè possunt; id quod tamen, ut quis ex eo de fide Christiana malè sentiat, & à recta semita aberret, movere neminem debet.*

Augerius Busbequius Epist. 4. Legation. scribit, *se vidisse Monachum Turcicum manum candenti ferro injecisse, orique inseruisse sine læsione.*

Item. *Cœnobiarcham in lacum extendisse pallium, in eoque sedentem, suaviter fuisse circumvectatum.*

Item. *Eundem unà cum vervece in ferventem & incensum furnum projectum illæsum fuisse depromtum.*

Quin imò, quæcunque probationes à Pontificiis adducuntur, quibus miracula sua divina esse demonstrent, eædem ad *Ethnicorum miracula* accommodari possunt.

Lessius Disp. 1. de Antichristo Demonstrat. 2. pag. 9. sic disserit. *Neque dici potest, illa non fuisse vera miracula virtute divina patrata, sed Dæmonum præstigias vel talia, ut à Dæmone fieri possent, ut hæretici calumniantur. Contrarium enim testatur orbis, qui illos hactenùs multis seculis pro divinis viris ob miracula habuit. Testatur ipsa operum magnitudo & soliditas. Non enim potest Diabolus mortuos excitare, cæcos illuminare, claudis repentè gressum firmum præbere, paralyticos erigere, membra mutila instaurare, qualia Sancti innumeri subitò fecerunt: neque præstigiæ sunt durabiles, sed mox evanescunt. Testatur gentium conversio & morum correctio indè secuta. Testatur simplicitas eorum, qui illa fecerunt, & mores à commercio Dæmonis alienissimi, ut qui plurimos Dæmones expulerint. Denique testantur autores illorum temporum, qui ea vel viderunt, vel ab aliis, qui viderant, acceperunt; quibus hæretici sine ulla ratione contradicunt. Itane omnes fatui erant, ut præstigias Dæmonum pro veris miraculis venerarentur, nec ullus potuerit imposturam deprehendere &c.*

(At iisdem probationibus Ethnici pro suorum miraculorum autoritate asserenda uti potuissent, ut ostendit Dn. D. Hunnius in tractat. quòd Ecclesia Romana non sit Christiana cap. 8. num. 172.)

Bellarminus inter miracula solius veri Dei propria refert *illuminationem cæcorum*, lib. 4. de Eccles. cap. 14. §. Ad primum. Atqui juxta externorum sensuum judicium etiam Ethnici hoc miraculum ediderunt.

Baronius Annal. Eccles. Ann. 71. num. 6. *Cæsar Vespasianus salivâ suâ cæco visum restituit.*

Idem Ann. 139. n. 4. ex antiquo monumento Romæ quondam Æsculapio sacro sequentia descripsit. *Hisce diebus Cajo cuidam cæco oraculum edidit. Veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad levam, & poneret quinque digitos super altare, & elevaret manum, & poneret super proprios oculos. Et rectè vidit populo præsente & congratulante, quòd grandia miracula fierent sub Imperat. nostro Antonino.*

Item. *Valerio Apro militi cæco oraculum reddidit Deus: veniret & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret & tribus diebus uteretur supra oculos. Et vidit, & venit, & gratias egit publicè Deo.*

Zuingerus Theatr. pag. 367. a. *Narrat Eusebius, Serapin, qui Græcis Pluto dicitur, apud Ægyptios Symbola dedisse, quibus Dæmones expellerentur.*

Ibid. pag. 1224. a. *Apollonius Thyanæus dicitur Diabolos abegisse, seu potiùs Diabolum illi paruisse, ut eum velùti antagonistam Christo Opt. Max. opponeret. Tot certè his præstigiis discipulos adeptus est, ut Eusebius octo libros contra Philostratum, Apollonii præconem, coactus fuerit conscribere.*

Ibid. pag. 1524. *Porphyrius è balneo quodam Dæmonem, ab indigenis Causathan nominatum, ejecit.*

Baronius Annal. Eccles. Ann. 139. num. 4. *Sanguinem revomenti Juliano desperato ab omnibus hominibus ex oraculo respondit DEUS: Veniret & ex tribomo caperet nucleos pini, & come-*

& comederet unà cum melle per tres dies. Et convaluit, & veniens publicè gratias egit præsente populo.

Ibidem. *Lucio affecto lateris dolore & desperato ab omnibus hominibus, oraculum reddidit Deus: Veniret & ex tribomo tolleret cinerem & unà cum vino commisceret & poneret supra latus. Et convaluit & publice gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.*

De hæreticis itidem negari nequit, eos miracula, externo aspectu talia. facere.

Tannerus part. 2. Anatom. Demonstr. 9. §. 21. fatetur, *hæreticos patrare miracula humanum captum superantia. Erant,* inquit, *olim complures hæretici, qui saltem speciem miraculorum ostentabant, seu vaticinia rerum occultarum familiaris ope Dæmonis edendo, seu insolitâ ac mirâ rerum conversione ac mutatione, seu occultis præstigiis ac sensuum fascinationibus, ut de primo hæresiarcha, Simone Mago, constat, de Valentiniano ejusq; inprimis discipulo Marco, item de Montano & aliis. Donatistæ miraculis superbientes nihilominus ab Augustino explodebantur,* ait idem lib. 2. Dioptr. q. 4. cap. 28. pag. 619.

Baronius in Annal. Ecclef. Ann. 237. num. 8. meminit cujusdam *Prophetissæ,* quæ miraculis homines deceperat. *Emersit,* inquit, *isthic subito quædam mulier, quæ in extasi constituta, Propheten se proferret, & quasi Spiritu Sancto plena sic ageret. Ita autem principalium Dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus solicitaret ac deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentosa perficiens, & facere se terram moveri, polliceretur, non quòd Dæmoni tanta esset potestas, ut terram movere, aut elementa concutere, jussu valeret, sed quòd nonnunquam Spiritus nequam præsciens & intelligens terræ motum futurum, id se facturum simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis & jactationibus subegerat mentes singulorum, ut sibi obedirent & quocumque præciperet & deduceret, sequerentur: faceret quoque mulierem illam crudâ hyeme nudis pedibus per aspersas nives ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illâ discursione: diceret etiam, se in Judæam & Hierosolymam festinare, fingens, tanquam inde venisset.*

Abrahamus Bzovius Annal. Ecclef. Ann. 1199. §. 35. prolixè describit, quâ fraude quidam *hæretici* in Hispania Ann. 1199. per ficta miracula multos deceperint. *Fuerat,* inquit, *ibi sepultus quidam hæreticus & quidam alius homicida, qui exigente justitiâ vivus fuerat missus in foveam à judicibus civitatis, eò quòd proditione patruum suum interfecerat. Erat ibi præterea quidam fons, quem hæretici sanguine polluerant, ut ipsa aqua versa in sanguinem crederetur. Confluebant è diversis partibus populi, ut aspicerent miracula, quæ fieri videbantur. Veniebant plures, qui erant occultè muneribus corrupti, alii fingentes, se esse cæcos, alii claudos, alii dæmoniacos, alii ægritudinibus vexatos, & haustâ fontis illius aquâ, se mentiebantur recipere sanitatem. Extumulantes etiam ossa hæretici suprà dicti, qui Arnoldus fuerat vocatus & ante annos sedecim in loco sepultus, Martyrem sanctissimum fatebantur. Plures Clericorum simplicitate ducti Laicos in facto sacrilego sedulò adjuvabant: & super fontem domum fortissimam construxerant, parabantq; ossa prædicti proditoris & homicidæ communi consilio elevare. quia hunc quondam fuisse Abbatem sanctissimum fatebantur. Quid plura? quod callidi fecerant, quibusdam detegentes hæretici, deridebant fidem Catholicam, & simili artificio fieri miracula in Ecclesia coram Sanctorum corporibus affirmabant. Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana consilia revelaverant, ut in hæresin laberentur. Pervenit tandem consilii denudatio ad Fratres Prædicatores. qui verbum Dei populis proponentes, hortabantur ab hoc facto nefario pœnitere, instabant fratres minores & Clerici, ne populi vota sacrilega in loco sordido immundis ossibus exhiberent, sed magis accendebantur animi Laicorum ad cultum diabolic. peragendum, ita ut Fratres Prædicatores, & Minores ac Clericos universos, quia erant contrarii suis operibus, hæreticos conclamarent. Gaudebant enim inimici veritatis & publicè asserebant, plus esse sanctitatis & miraculi in luto & in ossibus illis, quàm in omnibus Christi Ecclesiis & in omnibus Sanctorum corporibus, quos Ecclesia Catholica veneratur. Circumvicini autem Episcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam, & ferè nihil proficiebant, quia multorum mentes invaserat Diabolus & filios obedientiæ colligârat. Quidam verò Diaconus, qui fervore fidei succensus hæreticam præ cunctis præcipitiis oderat veritatem, Romà Legionem veniens cœpit civibus manifestè exprobrare, eosque impietatis arguere, adjungens, quòd non daret Dominus pluviam super terram, donec fanum illud destrueretur, quod construxerant, atque ossa, quæ venerabantur, in sterquilinium projicerentur. Siquidem à tempore, quo nefarium cultum inceperant, per decem menses anni non pluerat, ita ut omnia aruissent siccitate. Ibi judex in præsentia omnium interrogavit; Si domum, ait, evertimus, dabit Dominus pluviam super terram? Diaconus plenus fide respondit, dabit, si modo mihi potestatem feceritis destruendi & cadaver exhumandi. Permiserunt illi: is verò dirutos parietes incendit & putentia ossa hæretici inflammavit, & cineres in loca sordida dispersit, & pluviam post octo dies impetravit. Mirum dictum, dum fani reliquiæ arderent, sonus quidam quasi tubæ vehementer perstrepentis auditus est, ut omnes crederent, Diabolum vel invitum illum locum relinquere. Sanè ultus est suam injuriam, nam incendio longiùs pervagante magnam partem civitatis inflammavit & plurimas domos consumsit.*

Baronius Ann. 515. n. 50. ex Cedreno. *Macedonius hæreticus multos à morte sua morbis liberavit. Cumque jam esset in sepulchro condendus, antequam id fieret, sublatâ dextra manu crucis signo sepulchrum obsignavit.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 123. pag. 842. *Nostris temporibus apud nos Christianos fuerunt, qui se Christum esse Regem Sion ac Salvatorem hominum mentiti sunt stultissimè, quibus nec defuerunt sui Prophetæ, nec signa & prodigia, quibus imposuerunt hominibus quibusdam, in fide non radicatis. Inter quæ signa illud censeri potest, quòd apud eos baptizati post calicis cujusdam, ut dicitur, potionem mox cum hominum admiratione Scripturas sacras tenerent meliùs, quàm qui in eis assiduè essent versati, & in alios planè homines essent mutati, mortem pro suæ sectæ defensione intrepidè subeuntes, omnesque suas facultates in commune conferentes. His adeò potenter homines seduxerunt, ut si fieri potuisset, etiam electis imponere potuissent.*

Bellarminus lib. 4. de Ecclef. cap. 14. §. ultimo. *Miraculum* (Pauli Episcopi) *Novatiani* (descriptum à Socrate lib. 7. Histor. Ecclef. cap. 17.) *factum est non in confirmationem fidei Novatianæ, sed Catholici Baptismi.*

(Concedit igitur à Novatiano hæretico verum miraculum esse factum, alia enim quæstio est *de veritate,* alia *de fine* alicujus miraculi. De miraculis, quæ in Romana Ecclesia vel fiunt, vel fieri dicuntur, præsertim apud novos Indos, idem pronuntiare possumus, videlicet, quòd fiant, *non in confirmationem dogmatum Papalium, sed Christianorum illorum dogmatum, quæ adhuc in Ecclesia Romana integra servantur.*)

Martinus Delrius lib. 2. Disquif. Magic. qu. 7. *Solet quidem Deus hanc gratiam* (miracula faciendi) *gratuitò etiam perperam de fide sentientibus largiri, sed in veræ fidei probationem, ut quando dedit Prophetiam Bileamo & Caiphæ. In falsæ fidei confirmationem nec dedisse, nec magis dare Deus posse, quàm potest veritas mentiri.* Ibidem dicit, *Deum posse per infideles miracula operari. Item consequentiam non esse bonam. Fecit miraculum. Ergò fides ejus est vera.*

Maldonatus in cap. 7. Matth. *Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus probant exemplis, etiam per alios, quàm per Catholicos vera miracula fieri; & ex hoc ipso loco, Multi dicent in die illo &c. facilè colligitur, falsos illos Prophetas, de quibus loquitur, vera miracula fecisse, verè prophetâsse, verè Dæmonia ejecisse &c. Nec enim respondet Christus, mentiri eos, sed se eos, quamvis ista fecerint, non nosse, & sententia postulat, ut Christus significet, eos vera miracula facturos, non enim mirum esset, si iis, qui non vera, sed falsa miracula fecissent, responderet, se non nosse eos, valdè autem mirum, ut iis, qui vera fecerunt miracula, ita respondeat. Nec magnum esset, si moneret nos, falsa miracula facientibus ne crederemus, sed magnum & admirabile est omninò, quòd monet, ne falsis Prophetis credamus vera etiam miracula facientibus.*

Idem in cap. 9. Marc. pag. 765. *Potuit is, qui in Christi nomine Dæmonia ejiciebat, neque corpore, neque animo, hoc est, fide, doctrinaque secutus Christum, Dæmones pellere, ut docemur testimonio Christi Matth. 7. & Augustini lib. 4. de consf. Evang. cap. 5. Et Beda & Theophylactus hoc loco sentiunt.*

Benedictus Pererius Disput. 3. in cap. 7. Exodi. *Augustinus in lib. 83. quæstionum qu. 79. disputans super verbis Domini, Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ & dabunt signa magna &c. hunc in modum scribit. Quod autem Dominus dixit, Pseudoprophetas multa signa & prodigia facturos, ita ut fallant etiam, si fieri potest, electos, admonet utiq; ut intelligamus, quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia Sancti fa-*

facere non possunt, nec ideò tamen potioris loci apud Deum esse arbitrandi sunt. Non enim acceptiores Deo, quàm populus Israël, erant Magi Ægyptiorum, quod non posset populus ille facere, quod illi Magi faciebant, quamvis Moses in virtute Dei majora facere potuerit &c. Cùm ergò talia faciunt Magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diverso fine & diverso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia vel beneficia, isti autem publicâ administratione, jussu ejus, cui omnis creatura subjecta est.

Disput. 5. in idem caput 7. Exodi. *Interdum vel schismatici, vel hæretici per nomen Christi, aut per sacra verba, aut per Sacramenta Christiana exigunt aliquid à Dæmonibus, quibus indictum est honori Christi cedere. Quemadmodum nonnunquam mali milites, quos Imperialis disciplina condemnat, signis Imperatoris sui nonnullos possessores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non jubetur, extorquent. Cùm autem malis jubentibus Dæmones voluntate cedunt, ad seducendos homines cedunt, quorum errore lætantur; cùm autem inviti cedunt, in honorem Christi cedere coguntur. Nec mirum est, ad hoc valere sacra Christi signa à malis Christianis adhibita, cùm etiam ab iis, qui nullo modo Christiani erant, usurpata similiter valuerint, propter honorem videlicet excellentissimi Imperatoris. Talis fuit is, de quo Discipuli dixerunt Domino, quòd in nomine ejus Dæmonia ejiceret, cùm tamen eum non sequeretur.*

Costerus in Enchirid. cap. de Ecclesia concedit, *Novatianos olim sua habuisse miracula.*

Schreinerus contra D. Keslerum in Apolog. pag. 161. *Si vel maximè hæretici vera miracula facerent, ipsis tamen credendum non esset.*

2. Quòd agnoscunt, potestate & illusione Dæmonis tam mirabilia fieri posse, ut ea non possint externo aspectu à veris miraculis discerni. (Quomodo igitur miracula esse poterunt notæ veræ Ecclesiæ?)

Thomas 2. sent. dist. 6. sect. 3. *Viget in Diabolo acumen scientiæ, quo novit causas universales universi.*

Sect. 4. *Potest miracula facere secundùm apparentiam. Multi veri effectus possunt fieri arte Dæmonum, qui non possunt fieri per artem hominum, sic apud nos peritus Medicus sanat, quod imperitus sanare non potest.*

Alex. Alensis part. 4. quæst. 53. memb. 4. artic. 3. *In Sacramento apparet caro, interdum humanâ procuratione, interdum operatione Diabolicâ.*

Biel 2. sent. dist. 8. *Dæmones semina rerum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas contemperationes Elementorum latenter spargunt.*

Ibid. *De virgis Magorum Ægyptiorum* dicit, *quòd conversæ sint in serpentes non phantasticè, sed verè, vel collectione seminum, vel aliter.* Et ex Glossa addit. *Permittente Deo, novas rerum species producunt. Permittit autem Deus, in aliquos, propter eorum peccata vel aliam occultam causam, exercere suam potestatem, non tamen injustam.*

Idem in Canon. Missæ lect. 49. *Miracula,* dicit, *fieri hominibus ad imagines confluentibus, nonnunquam operatione Dæmonum ad fallendum inordinatos cultores, Deo permittente, exigente talium infidelitate.*

Johannes Gerson tom. 4. fol. 9. *Multa ponuntur pro miraculis, quæ naturaliter salvari possunt.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 17. §. 14. *Ex quadam pestifera societate, quam homines contrahunt cum malignis Spiritibus, multa causantur in terris, ubi Dæmones potestatem habent & suam influentiam ideò exercere possunt, ut perversos homines sibi coaptent & seducant, qui spernunt veritatem & credunt mendacio. Hinc Apostolus. An ignoratis altitudinem Satanæ, qui transfigurat se in Angelum lucis? habet equidem spiritualem virtutem, eam tamen in malum pervertit.*

Ludovicus Vives in Comment. lib. 10. August. de Civitat. Dei cap. 16. *Dæmones oculis nostris illudunt. Nec mirum est, hæc fieri posse à Dæmonibus, & falli ab eis obtutus nostri aciem, cùm à circulatoribus nobis sic imponatur, ostendaturque, quæ nisi à tali hominum genere agerentur, pro miraculis qui caperent, non deessent, etiam sic facta admirationi sunt, & vix acumen ingens rationem illorum consequitur &c. Quantò magis Dæmones, qui nobis & agilitate præstant & peritiâ rerum naturæ?*

Toletus Comment. in cap. 3. Johan. annotat. 2. *Dæmonas multa facere supra humanas vires, quæ miracula videantur & aliquando sint.*

Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 14. §. Est autem. *Ante approbationem Ecclesiæ non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quòd sit verum miraculum, tamen est tale, ut evidenter faciat rem credibilem. Et quidem, quod non sit evidens, patet, quia tunc fides esset evidens; Quod non sit certum certitudine fidei, patet, quia non constat nobis certitudine, cui non potest subesse falsum, illam non esse illusionem Dæmonis. Dæmon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quæque.*

(Si ante approbationem Ecclesiæ non est certum de ullo miraculo, quòd sit verum miraculum, quomodo miracula possunt esse nota Ecclesiæ? hac ratione miracula simul essent notiora & non notiora Ecclesiâ. Notiora, quia ex miraculis judicandum de veritate Ecclesiæ. Non notiora, quia ex Ecclesiæ approbatione judicandum de miraculis.)

Lib. & cap. iisdem §. Ad quartum &c. *Ad illud, quòd Vespasianus cæcum & claudum curaverit, respondeo, credibile esse, quòd totus ille morbus fuerit à Diabolo, qui insidens in oculo unius & alterius tibia impedierit usum illorum membrorum, idque eo fine, ut videretur sanare, cùm desineret nocere.*

(Atqui hoc externo aspectu dignosci minimè potuit.)

Idem lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 15. §. Erunt &c. disputat, *quòd miracula vera à falsis non possint externo aspectu dignosci, imò quòd occulta sit ratio, quæ sint vera & falsa miracula.*

Acosta lib. 2. de noviss. tempor. cap. 19. *Tempore Antichristi difficile erit discernere vera signa à falsis, ubi multa & magna erunt veris similia.*

Idem lib. ejusdem cap. 18. *In mirabilibus effectibus, quæ fiunt viribus occultis Naturæ, amplior deceptionis locus est, ut viri etiam eruditi falli queant: veras enim res experiuntur, & quas antè Diabolum nunquam operatum sciunt, neque verò tantam illius potentiam comprehendunt, unde, quàm proclive sit labi, quis non videat?*

Benedictus Pererius Disput. 3. in cap. 7. Exod. v. 29. adducit locum ex Thoma part. 1. quæst. 11. artic. 4. *Dæmones non possunt facere miracula propriè dicta; quia miraculum propriè dicitur, quod fit præter ordinem totius Naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum largè, quicquid excedit humanam facultatem & considerationem. Et sic Dæmones possunt facere miracula, faciendo scilicet ea, quæ homines mirentur, eorumque facultatem & cognitionem excedant &c. Sciendum tamen est, quòd, licèt ejusmodi opera Dæmonum, quæ nobis videntur miracula, ad veram miraculi rationem non pertingant, sunt tamen quandoq; res veræ, sicut Magis Pharaonis per virtutem Dæmonum veros serpentes & ranas fecerunt.*

Postquam Pererius hæc ex Thoma adduxit, subjungit n. 30. *Dæmones naturali solertiâ, quæ summa illis est & scientiâ cunctarum rerum naturalium, quam propter peccatum non amiserunt, quin etiam longissimi temporis experientiâ, quâ præpollent, occultas & admirandas rerum facultates & virtutes, ipsarumq; rerum inter se vel sympathiam, vel antipathiam, vel quemadmodum invicem res istæ applicari & componi, ac temperari debeant, optimè noverunt, & vel per seipsos, vel per Magos suos, ministros suos, præstare possunt &c. Præterea extra controversiam est, longè majorem atque perfectiorem esse in Dæmone, quam in ullo sapientum hominum sit aut fuerit unquam, cognitionem artium omnium & doctrinarum, rerumque mirabilium, quæcunque aut occultis virtutibus naturalibus, aut ingeniosis hominum artibus possunt effici. Si homines igitur per artem quampiam possunt verè nonnulla facere, quæ videntur miracula, quantò magis facere similia, aut etiam majora per Magos Dæmon poterit?*

Num. 32. *Cùm mater Deorum ex Pessinunte Phrygiæ navi Romam adveheretur, ita dicitur hæsisse navis in Tyberi, ut non hominum, non boum vi moveri loco posset. Claudia Vestalis, quò suam castitatem probaret, discinxit se, zonamque navi alligans, eam, quò volebat, deduxit. Tarcia quoque Vestalis, quò suam etiam probaret pudicitiam, aquam Tyberi haustam cribro tulit usque ad Capitolium, ut tradit Plinius lib. 28. cap. 2. & Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 16. Hæc duo facta procul dubio vera fuerunt, ea tamen pro miraculis habita sunt. Quanquam existimat S. Thomas in quæstionibus de potentia qu. 6. art. 5, etiam ministerio bonorum Angelorum opera illa fieri potuisse, Deo nimirum sic volente, castitatis virtutem & præstantiam hominibus commendare.*

Disp.11.in c.7.Ex. n.61. *Deus vera miracula facit ad contestandam & comprobandam veritatem. Dæmon ad persuadendam falsitatem similia in speciem veris miraculis operatur.*

Et posteà. *Magorum Ægyptiorum signa facientium exemplo voluit Deus fideles suos admonitos esse & cautos, ne turbarentur aut scandalizarentur signis & prodigiis impiorum hominũ, quasi illa essent miracula & divinæ virtutis testimonia. Hinc enim apertè cognoscitur, multa videri miracula, quæ non sunt, & proprium esse Diaboli, transfigurare se in Angelum lucis, & ad circumveniendos mortales simulare prophetiam & miracula & alia, quæ sunt dona Dei supernaturalia.*

Majolus Episcopus Vultur. tom. 2. Canicul. pag. 123. scribit, *quòd Dæmon, si velit mortui resuscitationem imitari, vivi hominis sensus ita possit ligare, spiraculi vias ita obstruere & palpitationes ac motus adeò occultare, ut vivatne homo, an non, haud facilè dignosci possit. Inde à mortuis eos excitatos fuisse, inconsideratè scribunt Historici, qui tamen verè mortui priùs non fuerunt, sed potiùs passi insultus.*

tom. eod. pag. 261. ex Joviano Pontano memorat, *Sacerdotes quosdam pessimos Magicis artibus elicuisse imbres eo tempore, quo Ferdinandus Neapolitanorum Rex Marcos oppidum ad montes Massicos arcta obsidione presserat & defectu aquarum prope ad deditionem compulerat. Sacerdotes, inquit, asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinêre funestum carmen. Post divina Eucharistia in illius os palatumque injecta, conclamatum asinum funereis cantibus vivum tandem ibidem pro templi foribus humavêre. Hic verò vix perfecto sacro ingens subsecuta tempestas & pluvia, & Rex, qui sola in siti potiundi oppidi spem collocarat, obsidium solvere fuit coactus.*

Dieg. Payva Andradius lib. 2. Defens. fid. Trident. fol. 44. *Augustinus contendit, Ecclesiæ certa atque firma indicia è sacris literis petenda esse, quæ ab omni sunt falsitatis suspicione libera. Nam cùm miracula stupendaque prodigia, quæ sæpè à viris fiunt sanctissimis, Dæmonum opera à perditis etiam & facinorosis fieri posse dicat, futurarum rerum prædictiones non modò piis, sed impiis quoque & flagitiosis hominibus accidere aliquando possint, falsa profectò sunt hæc plerumque, infirma etiam semper, Ecclesiæ veræ indicia.*

Martinus Delrio lib. 1. Disqu. Magic. c. 2. p. 3. fac. a. Magiam Diabolicam sic definit, *Magia est ars seu facultas vi creata, & non supernaturali, quædam mira & insolita efficiens, quorum ratio sensum & communem hominum captum superat. Item. Est facultas seu ars, qua vi pacti cum Dæmonibus initi mira quædam & communem hominum captum superantia efficiuntur.*

(Ergò valet Diabolus talia & tanta per Magos edere, ut illis fraudem subesse mens hominis percipere non possit.)

Tannerus in Dioptra lib. 2. quæst. 4. cap. 28. pag. 619. Christus hat etliche Wunderzeichen/ zu Bestätigung des Glaubens angesehen/ erzehlet Marc. 16. vers. 17. 18. die sonsten an ihnen selbst/auch durch Krafft und Wirckung des Teuffels geschehen könten/ als mit neuen Zungen und Sprachen reden/ die Schlangen unversehrt aufheben/ Gift ohne Schaden trincken/ꝛc.

(Ergò Diabolus talia præstare valet, quæ à veris miraculis externo aspectu dignosci nequeunt.)

Natalis Comes lib. 6. Mythol. cap. 12. p. 612. scribit, *miracula Ethnicorum*, virtute Diabolicâ facta, *adeò illustria fuisse, ut vix quisquam vivat, qui non illorum intuitu in profundum istius erroris barathrum fuisset absorptus*, dum enim de oraculo, per columbas edito, verba facit, inter alia scribit. *Alii duas columbas reipsa locutas fuisse arbitrantur, quod etiam fortasse accidit, cùm potestas esset tenebrarum, ac mali Dæmones & hæc & his multo magis admirabilia agerent, ut depressa tenerent populorum ingenia, ne ad diviniora tollerentur. Nam nemo ferè est eorum, qui vivunt, quin harum rerum miraculis, cum loquerentur statuæ, & volucres, & auguria ventura prædicerent, & animalia multa significarent, in eam religionem antiquorum fuisset irretitus.*

(Incautè ergò scribit Tannerus parte 2. Anatom Aug. Confess. Demonst. 9 §. 146. *non fuisse difficile, falsa Ethnicorum signa & prodigia præ veris rejicere.*)

3. Quòd agnoscunt, Antichristi miracula futura vel vera, vel certè veris simillima. (Quomodo igitur miracula poterunt esse notæ Ecclesiæ?)

Thomas part. 1. q. 114. art. 1. *Etiamsi sint vera Antichristi miracula, ad mendacium tamen pertrahunt credituros.*

lib. 2. sent. dist. 7. sect. 4. *Antichristi signa dicuntur mendacia, qui fient intentione fallendi.*

Ibid. *Quandoque deficiet veritas rei in ejus signis, licet non semper.*

Stapletonus in Prompt. morali Domin. 24. post Pentecost. loc. 4. p. 627. *Deceptio per hæreticos & Antichristum, cujus illi præcursores sunt, tanta erit in hujusmodi signis & portẽtis, ut robustissimi de fide periclitentur, nisi, quòd hic* (Matth. 24. *surgent pseudochristi &c.*) *prædictum est, caverint &c. Signa autem & prodigia, quæ dabunt Pseudoprophetæ, ut majorem electis tentationem inferant, sunt quidem ex parte opera miraculosa, de quibus Apostolus dicit, ipsum Antichristum venturum secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, vel sanè, quia non vera, sed falsa erunt miracula, & potiùs miranda, quàm miracula &c. vel quia, etsi vera sint prodigia, quoad actus supernaturales, non nisi mendacia tamen erunt, quia non nisi mendacio servient.*

Cornelius Jansenius in Conc. Evang. cap. 123. p. 843. *Quòd Antichristi signa & miracula dicuntur mendacia, non sic accipiendum est, quasi omnia illa signa sint efficienda per sensum & phantasmatis ludificationem, ut quod non sit, esse tamen videatur, quædam enim verè efficiet per conjunctionem occultam causarum naturalium, quomodo ignem verè potest è cœlo deducere, & alia multa facere mirabilia, quæ tamen dicuntur signa mendacia, sive quia ad mendacium pertrahunt, dum creduntur fieri virtute divina; sive quia quamvis sint veræ res, non tamen sunt vera signa & miracula, quia id demum verè & propriè miraculum est, quod fit supra naturam & virtute supernaturali, quæ soli Deo competit.*

Blasius de Viega Comment. in Apocal. 13. sect. 11. *Quænam verò hujusmodi miracula* (Antichristi) *sint futura, habemus ex parte significatum à Patribus, & faciet multa signa & prodigia Sophistica & falsa. Cæci respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, Dæmoniaci curabuntur, convertet Solem in tenebras & Lunam in sanguinem apparentem. Leprosos mundabit, paralyticos excitabit, expellet Dæmones, longinqua non aliter, quàm præsentia denuntiabit, mortuos suscitabit, transferet montes ante oculos spectantium, siccis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem è cœlo, convertet diem in tenebras & noctem in diem. Solem circumaget, quò libuerit, & ut semel dicam, omnia terræ marisque elementa vi oblatæ apparitionis coram Spectantibus obtemperare sibi demonstrabit.*

(Sic ergò miracula Antichristi nullum genus miraculorum excludunt, quod ipsum probari potest ex verbis Apostoli 2. Thessal. 2. v. 9. 10. *Adventus Antichristi est secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis.*)

Ibid. sect. 9. num. 2. de efficacia miraculorum Antichristi sic disserit. *Multos Antichristus etiam ex iis, qui sanctitatem colent eo tempore, suæ potentiæ magnitudine & mendacium signorum effectione pervertet atque ad sui obedientiam & venerationem adducet.*

Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 15. §. 1. *Miracula facturum Antichristum, docet Apostolus 2. Thessal. 2. & Dominus in Evangelio Matth. 24. Nec solus Antichristus, sed etiam ministri ejus signa facient, adeò ut B. Gregorius dicat lib. 32. moral. cap. 12. etiam tortores ipsorum sanctorum Martyrum tunc prodigia & signa facturos.*

§. Porrò. *Miracula, quæ operaturus est Antichristus, erunt mendacia signa ratione omnium causarum, finalis, efficientis, materiæ & formæ. Finis enim eorum miraculorum erit, ostendere, Antichristum esse Deum & Messiam, quod erit perniciosissimum mendacium. Chrysostomus in hunc locum* (2. Thessal. 2.) *docet, mendacia vocari miracula ea, quia ad mendacium inducent. Deinde vocantur mendacia signa ab efficiente. Nam causa efficiens principalis erit pater mendacii, hoc est, Diabolus. Erunt etiam mendacia multa ex illis ratione materiæ,* (ergò non omnia, ut asserit lib. 4. de Ecclesia cap. 14. resp. ad 1.) *quia erunt phantastica & præstigiæ quædam. Deniq; erunt quædam ex illis mendacia ratione formæ, licet vera ratione materiæ, quia interdum res veras operabitur, sed quæ non superabunt vires totius naturæ, & ideò non erunt vera miracula formaliter.*

§. Erunt. *Antichristus videbitur excitare mortuos & sanare ægrotos, sed illusiones Dæmonum erunt, non veræ excitationes aut sanitates, propter quod Apoc. 13. dicitur, facturus miracula in conspectu hominum, hoc est, apparentia & deludentia conspectũ hominum, non solida & vera, ut Aretas in eum locum annotavit.*

§. Exempla. *Antichristus se finget mori & resurgere.* (At hoc exter-

externo aspectu dijudicari non poterit, veréne an falsò fiat. Inde addit

Denique &c. *Miracula Antichristi habebunt omnia causas naturales, sed hominibus occultas.* Ergò non poterit fucus dolus illorum miraculorum ab aspectantibus deprehendi.)

Lib. 4. de notis Eccles. cap. 14. §. Ad primum. *Miracula Antichristi erunt mendacia, id est, non vera & solida, sed apparentia, vel mirabilia hominibus, non tamen absolutè miracula, qualia arte Dæmonis fieri possunt. Id patet ex Apocal. 13. ubi pro maximis Antichristi miraculis ponitur, quod faciet ignẽ de cœlo descendere, & ut imago bestiæ loquatur: hæc autem facillima esse Diabolo palam est. At miracula Sanctorum sunt illuminationes cœlorum, curationes claudorum, excitationes mortuorum, quæ non nisi ejus virtute fieri possunt, de quo canimus in Psal. 135. Qui facit mirabilia magna solus.*

(Interim hæc ipsa miracula, quæ à Christo & Sanctis verè & solidè fuerunt edita, simulatoriè & præstigiatoriè edet Antichristus, ut constat ex Blasio de Viegas d. l.)

Pererius lib. 14. Comment. in Daniel. pag. 854. *Duo sunt miraculorum genera, quædam hujusmodi, ut non nisi per omnipotentiam Dei fiant, hujusmodi non faciet Antichristus; alia, quæ fieri possunt potentiâ causarum naturalium operante Dæmone hominibus ignotâ, quæ modo invisibili adhibebuntur & q. miracula æstimabuntur. Hæc signa vera sunt, sicut illa Magorum vera fuisse arbitratur. Augustinus, nihilominus mendacia, quia quæ faciet, se ea facere miraculosè virtute divina, falsò profitebitur.*

Malvenda lib. 7. de Antichrist. cap. 14. scribit, *locum Matth. 24. vers. 24. Exorientur Pseudochristi & Pseudoprophetæ, edentque magna signa & prodigia, ita ut in errorem inducant ipsos etiam, si fieri posset, electos) potissimùm intelligi de Antichristo, ejusque ministris.*

Josephus Acosta (ex libr. Hippolyti de novissimis diebus) lib. 2. de temp. noviss. cap. 19. refert, *Antichristum editurum prodigia, leprosos mundando, paralyticos excitando, expellendo Dæmones, longinqua non aliter quàm præsentia denuntiando, mortuos excitando.*

Et mox. *Transferet montes, ante oculos spectantium siccis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem e cœlo, convertet diem in tenebras & noctem in diem, Solem circumaget quocunque libuerit,* (nec tamen propterea veridicus erit.)

Ibidem dicit, *difficile fore, discernere vera signa à falsis, ubi & multa & magna erunt, & veris ipsis omninò similia.*

Posteà addit. *Ad signorum magnitudinem accedet apta & composita ad decipiendum sanctitatis simulatio, quâ solet homines parum cautos externâ specie vehementer allicere.*

4. Quòd agnoscunt, miracula nec edi, nec necessariò requiri omnibus Ecclesiæ temporibus, (ergò non sunt perpetua Ecclesiæ nota.)

Gregorius Magnus Episcopus Romanus homil. 29. in Evangel. *Nunquid fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

Et posteà: *Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat &c. quæ miracula* (spiritualia) *tantò sunt majora, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa, fratres charissimi, autore Deo, si vultis, vos facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri vita ab hac operantibus non valet. Nam corporalia illa miracula aliquando ostendunt sanctitatem, non autem faciunt. Hæc verò spiritualia, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt, istis autem perfrui nisi boni non possunt &c. Nolite ergo, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia. sed hæc, quæ modo diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tantò securiora sunt, quantò & occulta, & de quibus apud Dominum eò major sit retributio, quò apud homines minor est gloria.*

Idem lib. 27. moralium cap. 11. *Sunt nonnulli, qui cùm miracula Apostolorum opera audiunt, quòd accepto Spiritu sancto mortuos verbo suscitarent, ab obsessis Dæmonia pellerent, umbrâ infirmitates amoverent, ventura queq; prophetando prædicerent, & unigenitum Verbum Dei omnium gentium loquentes linguâ prædicarent, quia has virtutes nunc in Ecclesia non vident, subtractam jam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes pensare, quod scriptum est. Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum adjutoriis indiguit, cùm eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, quamvis & illa per multos, cùm opportunitas exigit, ostendit. Scriptum quippe est, linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Ubi ergò omnes fideles sunt, quæ causa exigit, ut signa monstrentur &c. Paulus egregius prædicator Melitem veniens & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteriâ febribusq; vexatũ orando salvavit, & tamen ægrotanti Timotheo præcepit, dicens: Modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quid est Paule, quòd ægrum infidelem orando ad salutem revocas, & tantum adjutorem Evangelii more Medici per alimenta curas? nisi quòd idcircò fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora perducantur, quatenus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea, quæ admirabiliora sunt invisibilia, credantur. Signo quippe virtutis pater Publii sanandus fuerat, ut mente revivisceret, dum miraculo ad salutem rediret. Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, qui jam totus intus vivebat. Quid ergò mirum si propagatâ fide crebrò miracula non fiunt, quando hæc ipsi quoque Apostoli in quibusdam jam fidelibus non fecerunt? &c.*

Et posteà: *Etsi Dominus virtutum signa nunc per vitam fidelium crebrò non exerit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit.*

Tarasius IV. in act. 4. Concil. Nicen. II. *Quare nostræ imagines nulla hodiernâ die edunt miracula? Respondeo cum Apostolo, miracula non credentibus data sunt, sed incredulis.*

Bernhardus serm. 1. in die Ascension. *Quis nunc Dæmonia ejicit, linguis loquitur &c.*

Thomas 2. quodlib. qu. 4. artic. 1. quærit, *Utrum Christo non facienti visibilia miracula Judæi credere tenerentur? & respondet, quòd sic.*

Discipulus de tempore serm. 12. *Tempore Antichristi boni non facient miracula, & in hoc apparebit eorum constantia.*

Nicolaus de Clemangis Epist. 61. ad Joh. Gersonium p. 175. *Cùm signa propter infideles præcipuè necessaria sint, sicut in primordio recentis Ecclesiæ crebra miracula fiebant, levique nonnunquam ex causa gratiâ gentium ad fidem trahendarum &c. ita in novissimis diebus, in quibus juxta Apostolum discedent plurimi à fide, propter corroborandã fidem perfidorum multitudine in multis titubantem signa quibusdam & prodigia non fore inutilia videntur. Sed novit divinæ Sapientiæ inscrutabilis altitudo, quid & quando ipsam agere conveniat, & quid suæ sit Ecclesiæ, quam minimè deserturæ est, profuturum. Cui nostra cæca ignorantia non debet tempora agendi præfinire, quæ certâ atque infallibili providentiâ congruis universa disponit temporibus &c. Quis enim scit, an propterea tam rara sint in Ecclesia hodie miracula, quæ temporibus extremis Sancti cessatura confirmant, quod tam rari sunt, per quos Dominus tale aliquid debeat operari, qui ad sanctorum suorum rogatum ac petitionem illa facere consuevit?*

Et posteà: *Quid quod circa finem temporum Antichristus & sui sequaces falsa miracula facient Magicis illusionibus, adversusque Deum & sanctos signis ac prodigiis gloriabuntur mendacibus, quibus si etiam fieri posset, in errorem inducerentur electi? Meritò ergò ab electis desinent illâ tempestate vera miracula fieri, quando illis etiam fictis ita reprobi se extollent, ne videlicet indignissimis inimicorum laudibus, proterváque temeritate illibata signorum Christi sinceritas irrisa ac despecta vilesceret, neve fideles tunc futuri de signorum sese efferant potestate, quibus ita cernent impios abundare, imò magis exinde discant sub potenti manu Christi humiliari, atque hujusmodi opera contemnere, quæ pessimis atq; nequissimis videbunt esse communia, quod utique non magni pendi, sed magis contemni debere, sæpe ipsa veritas docet in Evangelio &c. Luc. 10. Matth. 5.*

Et iterum: *Nec idcircò si hæc non fiunt, aut rariùs forsan contingant, Christum suam deseruisse Ecclesiam credi oportere &c.*

Johannes Gerson. in lib. contra Sectam se flagellantium; *Mundus senescens patitur phantasias falsorum miraculorum, non secus ac senex quispiam variis deluditur somniis,* unde concludit, *miracula ut plurimùm hodie esse valde suspecta.*

Idem in lib. de distinct. verarum visionum à falsis. *In hanc quæstionem sciens incidi propter illusiones plurimas, quas nostro tempore cognovi contigisse. Et etiam in hoc senio seculi, in hac hora novissima, in hac præcursione Antichristi mundus tanquam senex delirus phantasias plures & illusiones somniis similes pati habet, &*

multi dicent: Ego sum Christus, & recedentes à veritate conversi ad fabulas seducent multos.

Idem in exposit. passionis Domin. *miracula preterita* (à Christo & Apostolis facta) *tibi sufficere debent, si ea credis. Quòd si ea non credis, neque profectò nunc illis fidem adhiberes, quæ videres & audires, imò ea contemneres, calumniis afficeres & reprobares. Non est certè miraculum ullum, quod firmiùs me faciat in Deum credere, quàm quòd in eum ex gratia sua credo. Satis enim mihi constat, nullum esse adeò magnum miraculum, quin ipsum divina potentia facere possit etiam majus millies.*

Johannes Huss tract. de sang. Christi glorificato. *Dicente B. Isidoro in de summo bono lib. 1. cap. 25. antequam Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia & signa cessabunt, quatenus eam q. abjectiorem persequatur audaciùs. Ob hanc utilitatem cessabunt sub Antichristo miracula & virtutes, ut per hoc sanctorum pateat patientia, & reprobomm, qui scandalizantur, levitas ostendatur, & persequentium audacia ferocior efficiatur. Hæc Isidorus. Et B. Gregor. lib. 24. moral. dicit: Terribili quippe dispositionis occultæ examine, priusquam Leviatan iste in illo damnato homine, quem assumet, appareat, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur.*

Trithemius Abbas in lib. 8. quæstion. ad Imperat. Maximil. qu. 3. concludit, *hodie à veris Christianis nulla miracula quærenda vel expectanda esse.*

Autor oneris Ecclesiæ cap 58. §. 7. *Sicut quondam generatio Judæorum nuncupabatur generatio nequam, sic hodie Christiana gens potest nuncupari generatio mala & adultera, quæ quærit signum, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ, qui fuit signum Ninivitis, ita filius hominis erit signum generationi isti.*

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis adversus Lutherum de capt. Babylon. cap. 10. part. 4. *Promisit Christus, ut discipuli Dæmonia ejicerent, quam promissionem nullum his diebus effectum sortiri, dilucidè cernimus. Nemo enim est, qui nunc corporaliter Dæmonia ejicit, aut morbos sanat, & tamen minimè ambigimus, quin plurimi sint, qui fidem eandem & æquè magnam cum priscis fidelibus habeant, nec tamen inanis illa promissio fuit, quam noluit efficaciam habere perpetuam, sed pro tempore nascentis & adolescentis Ecclesiæ.*

Sylvester Prierias tract. 3. de quæstion. super Evang. cap. 66. quærit, *an Regulus rectè fuerit à Christo taxatus, propterea quòd miracula postularit*, & respondet, *quòd sic. Nam secundum Thomam super Johannem. Ad fidem Christi infideles trahuntur per miracula, quod duci non possunt autoritate, secundum illud 1. Corinth. 14. Signa data sunt infidelibus. Fideles autem ducendi sunt autoritate Scripturæ, cui credere tenentur. Tunc sic. Omnis fidelis nutritus in fideles non credens per autoritatem, sed requirens signa, est reprehensibilis, quod qui non vult trahi modo sibi conveniente est malè dispositus ad bonum.*

In libro. Interim jussu Caroli V. Imperatoris Augustæ edito Ann. 1548. lit. E. Wie denn auch in den andern Sacramenten (den ungeübten Glauben damit zu bestätigen) die innerliche Krafft durch äusserliche und greiffliche Zeichen und Miracul erwiesen ward. Aber jetzund bedarff der alte und bestätigte Glaube der Zeichen nicht/ die man den Schwachen geben muß.

Salmeron tom. 9. tract. 51. pag. 406. *Non voluit Dominus significare, fideles vel illius seculi vel posterioris semper signa & miracula operaturos, sed cum ea peterent; quæ rectè non petuntur, nisi cùm pro Dei gloria illustranda fuerint necessaria. Et ideo in primitiva Ecclesia non singuli & omnes Christiani signa edebant, sed præcipui quidam ad id à Deo electi: ita etiam in posteriori seculo. Quod ergo non fiant modo signa, aut est propter fidei imperfectionem, aut propter necessitatis cessationem, quia videlicet non ita occurrit occasio illustrandæ Dei gloriæ.*

Ibidem. pag. 408. *Modo signa non sunt tam necessaria, ut olim*, id quod multis confirmat.

Didacus Stella in cap. 11. Lucæ v. 29. in illa verba, *Generatio nequam signum quærit. Postquam*, inquit, *Christus doctrinam suam divinam & cœlestem tot miraculis confirmaverat, alia nunc miracula nova quærere, defectus quidam est fidei & res maximè reprehensione digna. Sic tu miraculis jam factis à Christo ab Apostolis, & Sanctis credere debes; & non debes postulare alia signa, sicut isti nequissimi & sceleratissimi Pharisæi &c.*

Et postea: *Fides Evangelica in principio nascentis Ecclesiæ multis miraculis confirmata & stabilita est; jam verò non opus est miraculis. Et qui propter miracula jam facta non credit, multo minus crederet, etiamsi alia nova miracula illi proponerentur. Sed dices, nonne consentaneum esset rationi & conveniens, ut nunc aliqua fierent miracula? &c. Non utique, nam miracula potius nunc damnum nobis adferrent, quàm commodum. Puer, quando ambulare incipit, adjuvatur vehiculo, quod adulto esset impedimentum. Quando aliquod opus fit, necessariæ sunt scalæ & ligna ad ascendendum, postquam verò opus jam est confectum, impedimento sunt transeuntibus. Ita homines nunc, si miracula fierent, in id offenderent & dicerent, fidem nostram non adhuc benè esse confirmatam & probatam quandoquidem & modo necessaria erant miracula, quibus magis approbaretur. Cave igitur, ne signum à Deo quæras &c. Satis sint tibi signa vetera & antiqua, ne quæras modo signa nova.*

Jodocus Lorichius in Thesauro fol. 1361. adducit similitudinem Gregorii homil. 29. in Evang. superiùs adductam, atque ex ea probat, *miracula hodie non esse necessaria.*

Claudius Espensæus in Comment. 2. Timoth. 3. pag. 92. ex Augustino lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Jam cùm nullus sit infidelis, faciendorum miraculorum nulla nunc est necessitas*, quod probat ex dicto Apostolico 1. Corinth. 14. vers. 22. *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.*

Erasmus in Ecclesiaste pag. 93. *Quòd si priscis illis seculis, quibus vel Judaicæ gentis durities, vel Ecclesiæ adhuc lactentis infantia miracula requirebat, Israelitæ suam operam non subtrahebant promissis divinis, & Apostolus, ut dictum est, provocat ad studium Scripturarum, ingenue profitens, quòd Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt, quanto minus hisce temporibus, posteaquam fides Evangelica jam adulta, & ad perfectam ætatem confirmata, nec miracula moratur, nec prodigia, pro oraculis habens Scripturam Canonicam, pro miraculis fidem.*

Pag. 174. *Miracula suum habuêre tempus.*

Marsilius Ficinus Florentinus de reliq. Christian. cap. 10. *Arguendi illi mihi acriter videntur, qui quotidiè tam pertinaciter quàm impudenter nova ad fidem Christi confirmandam miracula exigunt.*

Ibidem. *Quid garrimus increduli? quid ulteriùs procaces efflagitamus? Num quolibet tempore tum singulis nobis, tum posteris, qui similiter quærent, Deus autoritatem suam redimere miraculis cogitur, & tanquam præstigiator aliquis mercenarius in theatrum prodire ad nutum cujusque compellitur?*

Perpinianus orat. 12. pag. 334. *Fides nunc non eget miraculis.*

Gregorius de Valentia Analys. lib. 6. cap. 7. pag. 48. b. *A liis quibusdam accidentibus, tanquam ex notis in suo primordio cognosci Ecclesia potuit, ac etiam debuit, quibus nunc quidem post Evangelii propagationem non perinde est prædita. Erant illis temporibus Ecclesiæ notæ, non modò quædam illius proprietates, quas nunc habet, & tunc etiam habebat (ut quod erat una, Apostolica &c.) sed etiam mira quædam prodigia & signa visibilia, quæ tunc cernebantur in Ecclesia, id est, in cœtu fidelium. Quas notas ipse miraculorum autor, Dei Filius, assignavit atque ostendit hominibus. Nam signa, inquit, eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c. atque etiam descendebat Spiritus Sanctus super eos, qui manuum impositione ab Apostolis confirmabantur: hæc signa non perinde nunc in Ecclesia fiunt.*

Thomas à Jesu Bratiensis Hispanus, in Thesauro divinæ Sapientiæ lib. 4. cap. 5. pag. 143. edit. Antverp. Ann. 613. latè agit de hac quæstione, *quare nunc non ita frequenter miracula fiant?*

Cornelius Mussus in Concion. Domin. Pentecost. pag. 412. *Cessant in nobis signa illa miranda potiùs quàm imitanda, quæ in primitiva Ecclesia passim abundabant, ut sunt, sanare infirmos, suscitare mortuos, ejicere Dæmones, nationes ad fidem convertere &c. Hæc signa facta sunt, ut religio plantaretur, nunc autem eâ plantatâ, non sunt necessaria.*

Jacobus Schopperus conc. 3. in Epistol. Festi D. Stephani pag. 125. *Facultas edendorum signorum seu miraculorum data est à Christo primis Christianismi extructoribus, ut iis doctrina Evangelica & fides in Christum apud incredulos confirmarentur, at postquam satis eæ confirmatæ essent, desierunt illa, neque necessaria ampliùs sunt. Verùm in horum locum spiritualia à nobis signa prodigiaque fieri oportet, quibus cordis nostri fidem testemur, quæ nempe erunt, vita innocens, sancti mores, opera verè bona, caritatis & misericordiæ exercitia. Non minùs enim hinc, quàm ex miraculis glorificabitur Deus & convertentur impii, Matt. 5. 1. Petr. 3.*

Conc. 4. in eandem Epist. pag. 129. *Quanquam concionatores jam externa miracula non ampliùs edunt, neq; enim id nunc necesse est, tamen internis neutiquam destituuntur.*

Idem

Idem Conc. 1. in Evang. Festi D. Matth. pag. 368. *Quia jam per præcedentia signa plus satis confirmata est doctrina Evangelica, non ampliùs in usu sunt miracula, neq; nos iis indigemus, quippe quæ data sunt incredulis, non credentibus, interim tamen eadem & hodiè ab omnibus gnesiis Ecclesiæ & verbi ministris efficiuntur per prædicationem spiritualiter. Nam sanant ii infirmos, dum perterrefactas conscientias consolantur ac confirmant, mundant leprosos, dum pravas opiniones seu hæreses ex infectorum animis, per sanam doctrinam profligant, hosque ad rectitudinem fidei reducunt, mortuos denique suscitant & Dæmonia ejiciunt, dum peccatores graviter lapsos assiduis prædicationibus excitant ad veram pœnitentiam, eosque dein per absolutionis Sacramentum à peccatis omnibus in Christi nomine absolvunt.*

Conc. 3. in idem Festi Evang. pag. 371. *Miraculis principio opus erat propter imbecilliores & doctrinæ novitatem: verùm jam confirmatâ religione nostrâ externis signis non indigemus. In Spiritu autem omnia hæc hodiernâ etiam die eduntur à sinceris verbi prædicatoribus. Non quidem sanant ægrotos corpore, sed tamen animo; non excitant mortuos corpore, sed tamen Spiritu.*

Josephus Acosta lib. 2. de procur. Indor. salute cap. 9. in ἐπιγραφῇ capitis. *Cur miracula in conversione gentium non fiant nunc, ut olim à Christi prædicatoribus.* In contextu inter cætera hæc habentur: *Religio Christiana, ubi humana præsidia prorsus aberant, divinis est fundata miraculis. At nostrorum temporum longè alia est ratio. Nam ii, qui annuntiant Evangelium, sunt antiquitate religionis, multitudine suorum, ingenio, cæterisque copiis ad persuadendum superiores. Deinde quid magnorum signorum confirmatione opus est, ubi potiùs acuta intelligentia desideratur, ad altitudinem doctrinæ nostræ disquirendam? Unum illud huic novo orbi potentissimum & ad fidem efficacissimum, & penè singulare miraculum necessarium est, mores cum fide congruentes. Hoc abundè sufficit. In hoc signorum argumento explicando Chrysostomus mirificè versatur homil. 6. in 1. Corinth. Si enim miracula in initio Evangelicæ prædicationis patrata creduntur, certum est, inquit, doctrinam, cui confirmandæ adhibebantur, divinitùs esse profectam. Sin autem veritati Historiæ jam minùs gentilis credat, at longè omnibus signis majus est, homines illos paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mortalibus exosos, toti orbi persuasisse. Non ergò fides, jam satis firmata, miraculis novis indiget confirmari, quin potiùs utilius esse asserit, signis nunc carere, quoniam majoris meriti sit sine illis credere.*

Ibid. *Mihi aliquoties ista animo repetenti tam perspicua diversitatis in potestate signorum illa occurrere causa solet, quòd priscis temporibus omninò necessaria fuerint, nostris non item.*

Idem lib. 4. de procur. Ind. sal. cap. 17. *Bona opera sunt etiam apud Indos omnium ad persuadendum potentissimum miraculum,* quod ibidem prolixè confirmat.

Bellarmin. lib. 2. de Sacram. Confirmationis cap. 2. §. At inquiunt &c. *Initio Ecclesiæ qui credebant, operabantur miracula, juxta illud Marci ult. Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur, super ægrotos manus imponent & benè habebunt. Nunc cessavit iste effectus fidei, nec tamen est fides otiosa & inanis, quia habet effectum suum principalem, qui est vivificare. Vide Gregorium homilia Evangelii ascensionis.*

(Videatur verò Gregorius in illa homilia, in qua manifestè asserit, in exordio Ecclesiæ necessaria fuisse miracula, hodiè non amplius esse necessaria.)

Idem Bellarmin. lib. 4. de Eccles. cap. 14. §. 1. cùm operosè recenseat, *qualiter omnibus Ecclesiæ seculis fuerint viri sancti dono miraculorum clari,* quò viciniora sunt nostris temporibus secula, tantò pauciora exempla producit. In seculo 15. unicum *Vincentium*; in seculo 16. unicum *Xaverium*, qui per Indias miracula ediderit, allegat, (quod certum est indicium à tempore Apostolorum rarescere cœpisse hoc donum ac sensim defecisse; adeoq; nullum miraculorum dono præditum ipsi innotuisse per Europam, Asiam & Africam: de Indiis & Xaverio res suspecta est, maximeq; dubia, ut postea demõstrabitur.)

Pazmannus lib. ?. Hodegi cap. 9. *duo* constituit *genera signorum*, quibus ad Ecclesiæ cognitionem pervenire possimus. *Quædam,* inquit, *ad tempus illud pertinent, quo noviter ædificata & erecta fuit Ecclesia, quædam verò ad tempus subsequens, quando Ecclesia jam confirmata & dilatata fuit. Ad primum genus* refert *signa & miracula; ad posterius non alio opus esse* ait *testimonio, quàm eo, quòd Dominus Deus promiserit Ecclesiæ, illam in omne tempus & in omnes nationes extendendam, dilatandamque esse, semper Pastores & Antistites habituram & nunquam occultandam.*

(At si miracula tantùm ad initium Ecclesiæ pertinent, cur hodie, dum Ecclesia jampridem in universo terrarum orbe dilatata est, tantopere urgent miracula, ut ea inter notas Ecclesiæ referant?)

Lib. ejusd. cap. 10. scribit, *miracula, postquam jam semel confirmata est vera Ecclesiæ doctrina, non ampliùs expectanda esse & Christum jure reprehendere eos, qui sufficientia viderint prodigia & tamen adhuc nova expectant.*

(Eccur igitur non solùm ipsi hodie miracula jactitant, sed à nobis etiam exigunt, adeò ut absque illis Ecclesiam nostram pro vera agnoscere nolint?)

Simon Schreinerus in Apolog. contra D. Keslerum p. 296. fatetur, *non esse necessarium, ut hoc tempore fides Catholica per miracula confirmetur, quia jam inde à tempore Apostolorum multis miraculis sit confirmata juxta commonefactionem Gregorii & Augustini.*

5. Quòd agnoscunt, veram fidem & miracula non esse perpetuò conjuncta, (quomodo ergò miracula poterunt esse propriæ ac perpetuæ notæ veræ fidei ac veræ Ecclesiæ?)

Toletus in cap. 4. Johan. v. 28. annotat, *ipsam prædicationem & verbum Christi in se ita movisse animos, ut qui non nollent, etiam sine miraculis credere potuerint.*

(Sicut & contrà, ex Historia Evangelica notum est, multos etiam, qui maxima & plurima miracula ipsimet viderant, nihilominus non credidisse.)

Bellarminus lib. 1. de extrema unctione cap. 3. in resp. ad 4. *Miracula non semper necessariò pendent à fide.*

Baronius tom. 3. Annalium Ann. Christi 325. num. 182. postquam ex Gregorio Presbytero & Nicephoro recensuisset miraculosam fidei Nicenæ subscriptionem à Chrysantho & Musonio Episcopis post mortem ipsorum factam, subjungit. *Fides horum omnium sit apud autores, cùm tantæ rei nullum vestigium reperire sit penes Athanasium, Hilarium, & alios, qui nihil planè reliquêre intactum, quo insultantem Arianam hæresin oppugnare potuissent. Sed nec fuit moris, fidem inter fideles velle miraculis probatam reddere, cui suffragarentur firmiores divinæ Scripturæ sermones.*

(Si Scripturæ divinæ sermones miraculis sunt firmiores, utique ex Scriptura divina de miraculis judicandum. Si non fuit olim in Ecclesia moris, fidem inter fideles velle miraculis probatam reddere, cui suffragarentur firmiores divinæ Scripturæ sermones, utique etiam non debent Pontificii à nobis miracula requirere, cùm de fide agatur inter fideles, hoc est, Christianos, qui Scripturæ autoritatem agnoscunt.)

Maldonatus in cap. 7. Matth. quærit, *an ergò nullam ad probandam veram doctrinam argumentum ex miraculis sumi possit?* Respondet autem, *non sequitur omninò nullum, sed non necessarium sumi posse.*

Ibidem. *Probabile fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem sæpe, sine fide rarò fieri solent, nec necessariò demonstrant Ecclesiam, nisi ubi potestas faciendi miracula ordinaria contingit.*

Ribadeneira in vita Ignatii Lojolæ pag. 663. *Miracula non sunt necessariò cum fide conjuncta.*

6. Quòd agnoscunt, miracula sine doctrinæ veritate nihil valere, vel probare.

(Ergò sola & per se non sunt genuina & infallibilis Ecclesiæ nota, sicut de Christi & Apostolorum miraculis in principio Novi Testamenti factis, Theophylactus in cap. 9. Luc. scribit: *Docet Christus, ut is, cui concredita est doctrina, & prædicare, & miracula patrare debeat. Tunc enim prædicatio per miracula confirmatur, miraculæ autem per prædicationem.* Absurda igitur propositio Pontificia. Ubi miracula, ibi vera doctrina, & Ecclesia, cùm signum, videlicet doctrinam, probet ex re signata, hoc est, miraculis.)

Lyranus in gloss. Dan. 14. *Aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis à Sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum temporale, & talia scil. sunt extirpanda à bonis Prælatis, sicut ista miracula extirpata sunt à Daniele.*

Trithemius in respons. ad octo quæstiones Imperat. Maximiliani qu. 3. pag. 24. *Ubi veritas non colitur, si qua fiunt miracula, non Deus, sed Diabolus operatur. Deus enim cùm sit veritas, religiones falsas non instituit, & ideò suis miraculis mendacium nunquam illustravit.*

Ibid. *Quisquis Christianam fidem solam veraciter credit esse veram, omnium infidelium miracula cooperatione Dæmonum non dubitat esse patrata.*

Baracleta ferm. 18. de concept. Mariæ fol. 170. ad argumentum de miraculis, quæ pro astruenda immaculata Virginis conceptione afferuntur, sic respondet. *Hujusmodi miracula fortè sunt arte Dæmonum, ut Dæmones decipiant eos & in hoc errore teneat, ut suscitet discordias inter viros religiosos.*

Johannes Ferus in Comm. Matth. 24. *Non doctrina ex miraculis, sed miracula ex doctrina æstimanda sunt.*

Idem in cap. 14. *Adversus verbum Dei, miraculis divinis confirmatum, nullum signum est admittendum. Tunc autem signis securè credere possumus, si doctrina verbo Dei consentiat.*

Salmeron tom. 9. tract. 50. pag. 403. hæc Joh. Feri verba (uti solet) repetit, suppresso tamen autoris nomine. *Adversus Dei verbum, miraculis confirmatum, nullum signum est admittendum. Tunc autem signis securè credimus, si doctrina verbo Dei consenserit in Christo. Signa ejusmodi doctrinâ destituta, sunt falsa & mendacia, qualia Christus tribuit Pseudoprophetis, & Apostolus Antichristo venturo.*

In Actis Concil. Trident. pag. 140. memoratur, quòd Franciscus Vice-Dominus Ferrariensis Theologus die Dominicâ XXIV. post Pentecost. Anno 1562. concionem habuerit, in qua inter cætera sic peroraverit: *Quid si illi* (Protestantes) *verbis suis addant miracula? quid si strophis & artibus dicendi addant virtutem operandi? &c. Vos videte, ne seducamini. Ecce, inquit Christus, prædixi vobis, quamvis magna, mirabilia, Naturæ & artis vim excedentia, prædicta tamen sunt, ne citò moveamini; signum hoc est proximæ desolationis, imò ipsa est magna desolationis pars.*

Sedulius in Apolog. pro S. Francisco lib. 3. pag. 280. dictum Augustini contra nos torquet. *Miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus.*

(At quæ hæc perversitas exigere ab aliquo miracula, & tamen protestari, quòd fidem ei habere nolit, si vel maximè miracula edat?)

Josephus Acosta lib. 3. de tempor. noviss. cap. 3. *Omnibus miraculis Antichristi, quamvis magna ille præbeat, intrepida opponet Ecclesia fidem Scripturarum, atque hujus veritatis testimonio inexpugnabili omnes illius præstigias, tanquam nebulas, clarissimâ luce disjiciet.*

Item. Paulò post. *Et signa quidem infidelibus data sunt, Scripturæ fidelibus. Idcircò primæva Ecclesia miraculis abundavit, cùm essent infideles vocandi. At ultima Ecclesia, cùm fideles vocati jam sint plus Scripturâ quam miraculis nitetur. Quin etiam audacter dixerim, miracula omnia vana esse & inania, nisi Scripturâ approbentur, hoc est, doctrinam habeant Scripturæ conformem. Scriptura verò ipsa per se firmissimum veritatis argumentum est.*

(Quid clariùs pro nostræ sententiæ confirmatione dici potuisset?)

Maldonatus, postquam in Comment. Matth. 7. ex Scriptura & Patribus demonstrasset, *etiam falsos Prophetas vera miracula facere*, subjungit quæstionem, *An ergò nullum ad probandam veram doctrinam argumentum ex miraculis sumi possit?* cui respondet hoc modo: *Non sequitur, omninò nullum, sed non necessarium sumi posse. Scimus enim, Christum ad confirmandam suam doctrinam potestatem faciendi miracula Apostolis suis tradidisse. Scimus, vi miraculorum totum penè orbem ad fidem fuisse pertractum, quod qui negant, ut disputat Augustinus, majus ipsi miraculum miraculo tollendo faciunt. Incredibilius enim, tot Philosophos, tot sapientes viros tam paucis Apostolis, tam imperitis, tamq; incredibilia humanæ rationi prædicantibus sine ullis miraculis credidisse, quàm illa ipsa miracula, quæ ab ipsis facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur &c.*

Gregorius de Valentia in Analys. lib. 1. c. 7. *Ipsa per se miracula non efficiunt certitudinem infallibilem de veritate doctrinæ.*

Pazmannus lib. 9. Hodegi cap. 16. *Miraculis non evertitur veritas divinitus patefacta.*

Ibid. *Deus otiosa, ludibria & inania miracula non solet facere, sicut præstigiatores, verùm in confirmationem veritatis & cultus divini amplificationem divina miracula consueverunt fieri.*

(Ergò veritas cœlestis & cultus divinus non demum ex miraculis probantur, sed jam antè cognita esse oportet, per miracula autem firmius robur acquirunt, Deut. 13. v. 1.)

Caspar Scioppius in Thaumatolog. cap. 6. pag. 34. *Non difficulter electi charitatem retinentes falsa miracula, veris licet simillima, internoscant, si ea, cum aliis Dei testimoniis collata, diversum testari deprehenderint.*

Ibidem. pag. 35. *Electi falsa miracula hoc argumento cognoscent, quia talia miracula aliis Dei testimoniis* (Scripturam puta) *contradicant.*

Tannerus in Dioptr. lib. 2. qu. 2. cap. 28. pag. 619. *Miracula viribus naturalibus possibilia, nisi alia adsint certiora, per doctrinam probari oportet.*

7. Quòd agnoscunt, in *extraordinaria* tantùm *vocatione* miracula requiri.

(Jam verò Protestantes non gloriantur de extraordinaria missione respectu ordinis publicè recepti. Neque enim excitati fuerunt ad Ecclesiam novam extruendam, sed ad veterem miserè collapsam erigendam, & ad corruptelas doctrinæ removendas.)

Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 14. §. 1. *Miracula sunt necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam.*

§. 3. *Qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus, à quo mittitur, suam autoritatem, alioqui nemo tenetur eum recipere. Omnis autem, qui mittitur ad prædicandum, vel mittitur à Deo per ordinarios Prælatos, vel extraordinariè à solo Deo. Et quidem, qui mittitur per ordinarium Prælatum, debet ostendere testimonium ordinarii Prælati, nimirum literas ejus sigillo munitas: qui verò mittitur à solo Deo, debet ostendere sigillum Dei, quod nihil aliud est, quam miraculum.*

8. Quòd agnoscunt, viros quosdam θεοπνεύστους extraordinariè & immediatè à Deo vocatos non fecisse miracula, quantò igitur minùs à Protestantibus, qui non gloriantur de extraordinaria vocatione, ea postulare poterunt?)

c. Cùm ex injuncto 12. libr. 5. Decret. tit. 7. de hæreticis. *Cùm interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantum asserere, quòd ipse sit missus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus asseveret, sed oportet, quòd adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale.* (Nota disjunctivam, quæ ostendit, miracula non esse simpliciter in missione invisibili necessaria, unde additur) *Johannes Baptista speciale missionis suæ testimonium protulit de Scriptura, dicens, Ego vox clamantis &c.*

Francisc. Toletus in cap. 10. Johannis: *Johannes, cùm tantus esset, non fecit miraculum, Christus autem multa & magna edidit. Certè igitur major est Johanne.*

Suarez tom. 2. qu. 38. Disp. 25. §. 4. fol. 226. multas affert rationes, *cur conveniens fuerit, ut Johannes nulla miracula faceret.*

Maldonatus in cap. 10. Johan. v. 41. *Videtur in hoc verbo duplex argumentum simul implicatum esse. Alterum est, Johannes nullum unquam miraculum fecit, & tamen illi credimus, multò magis huic credere debemus, qui tot miracula fecit.*

Ignatius Loyola primus Jesuiticæ Societatis autor, quamvis *missionem extraordinariam* præ se ferret, (quippe qui discipulos suos voto extraordinario devinxit ut ad quascunque provincias orbis terrarum Pontifex pro tempore existens eos mitteret, sine cunctatione obtemperarent,) nullo tamen miraculo missionem suam extraordinariam confirmavit.

Sanè Bozius de signis lib. 7. pag. 478. de illo memorat, quòd *hominem, qui se suspenderat, precibus ad vitam revocaverit.* Sed Ribadeneira in vita Ignatii lib. 3. cap. 13. introducit eum, tanquam miracula faciendi virtute omninò destitutum, totusque in eo est, ut eis satisfaciat, quibus proclive erat quærere; *Quid causa sit, cur Ignatii sanctitas non sit miraculis demonstrata?* posteà ex Gregorio occurrens; *Probatio sanctitatis*, inquit, *non est miracula facere, sed proximum, ut se, diligere.* Et tandem; *Itaque* (inquit) *Johannes Baptista signum fecit nullum, ut ait Evangelista.*

Salmeron tom. 4. p. 264. *Johannes Baptista, ut & alii multi Prophetæ, signa non edidit.*

(Excipit quidem Bellarminus, primò, *mendacium esse, quòd Centuriatores dicunt, Johannem à Pharisæis & Sacerdotibus ut hæreticum fuisse habitum.* At contrarium testatur Toletus in c. 7. Lucæ: *Pharisæi & Scribæ nullatenus credebant, Johannem à Deo missum esse, sed in hoc consilium Dei contemnebant & interpretabantur, Johannem virtute Dæmonis austeram vitam egisse*; quæ sententia Toleti conformis est verbis Christi Matth. 11. v. 17. & Evangelistæ Luc. 7. v. 30. Secundò, *Johannem fuisse ordinarium Sacerdotem.* At contrarium testatur Cornelius Jansenius Concord. Evang. in cap. 3. Matth. *Johannes in deserto, non in templo prædicabat, exordium novæ legis docuit, & necesse esse, ut homines se ad Evangelii gratiam pararent.*

8. Quod

9. Quòd fatentur, Pontifices Romanos non facere miracula.

(Atqui si credendum esset, quenquam in Romana Ecclesia dono miraculorum esse præditum, utique vel maximè credendum, hunc neminem esse alium, quàm Pontificem Romanum, utpote ex Pontificiorum hypothesi, *Christi Vicarium, fidei Magistrum, Ecclesiæ Sponsum & Monarcham, sanctissimum &c.* Si caput Ecclesiæ non facit miracula, quomodo miracula erunt propria & infallibilis Ecclesiæ nota? Solent aliàs Pontificii *Ecclesiæ nomine* solum *Pontificem* intelligere, ut quando dicunt, *Ecclesiam esse infallibilem*, & tamen in solo Pontifice infallibilitatem constituunt. Nos ergò ordine retrogrado sic progredimur. Miracula non sunt propria & perpetua veri Pontificis adjuncta. E. nec sunt propriæ & perpetuæ veræ Ecclesiæ notæ.)

Bellarminus lib. 3. de Romano Pontif. cap. 21. §. De miraculis. *Pontifices nec vera nec falsa ulla miracula fecerunt, neque hoc seculo, neque superiore, quibus tamen Antichristum maximè regnare dicunt.*

(Contradicit quidem sibi ipsi Bellarminus, quia lib. 5. de Rom. Pont. cap. 9. sic disserit: *Leonem IV. miraculis claruisse, scribit Platina; Leonem IX. Sigebertus & Otto Frisingensis; Gregorium VII. illustrem miraculis fuisse, scribit Lambertus Schaffnaburgensis; Cœlestini V. vitam sanctissimam & miraculis plenam describit Petrus de Alliaco*; nobis interim sufficit, quòd in loco paulò antè citato fateatur, *Pontifices nec vera nec falsa ulla miracula fecisse, neq; hoc seculo, neq; superiore*, hoc est, toto illo tempore, quo Antichristum regnâsse dicimus.)

Lessius Disput. de Antichr. Demonstr. 10. pag. 58. ex hoc ipso capite probare conatur, *Papam non esse Antichristum*, quia *Paparum pauci à mille annis miracula ediderint.*

Sylvestro I. Pontifici multa tribuuntur miracula, sed Baptista Mantuanus de eo sic canit:

Magna quidem memorant alii miracula ab ipso
Edita Sylvestro: sed nullus idoneus autor,
Nec testis productus adhuc, ideoque relinquam
Talia, quæ possunt hominum figmenta videri.
Nostra etenim nugas, deliramentaque damnat
Relligio, nec dat linguis mendacibus aures.

10. Quòd agnoscunt, magnum esse miraculum conversionem tot hominum per verbum sine miraculis factam.

(At hoc miraculo nostræ Ecclesiæ non destituuntur.)

Gerson. tom. 4. fol. 55. *In hoc singulare est miraculum, quòd sine miraculo tàm magnus & talis populus talique modo huic se submiserit credulitati, divites per pauperes, docti per illiteratos homines conversi sunt.*

Josephus Acosta lib. 2. de procuranda Indor. salute cap. 9. *Longè omnibus signis majus est, homines illos paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mortalibus exosos toti orbi persuasisse.*

Maldonatus in cap. 7. Matth. *Incredibilius est tot Philosophos, tot sapientes viros tàm paucis Apostolis, tàm imperitis, tamque incredibilia humanæ rationi prædicantibus sine ullis miraculis credidisse, quàm illa ipsa miracula, quæ ab ipsis facta narrantur.*

11. Quòd agnoscunt, *Legendas Sanctorum* & alios istius generis libros, multis contaminatos esse mendaciis, ut ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 15.

(Jam verò ex Legendis illis miracula Sanctorum, ex miraculis Sanctorum Ecclesiæ suæ veritatem probant.)

Isidorus Clarius Episcop. Fulgin. ad Pium V. scripsit, *multorum miraculorum fieri mentionem, quæ interdum ficta, vel talia, ut de eorum autore meritò dubitaveris.*

Erasmus in Epist. ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum, quæ præfixa Methodo Theologiæ de vitis Sanctorum pag. 9. scribit, *multorum Sanctorum miracula Siculis gerris vaniora & anicularum somnia esse.*

In Censura ante lib. Confess. August. *Quidam sunt, qui fabulis vanis & fictis miraculis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare, ea nonnunquam laudantes, quæ laudatus nec fecit unquam, nec probavit.*

Ludovicus Vives annot. in Augustin. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *In hoc capite* (Augustini) *non dubium, multa sunt addita ab iis, qui omnia magnorum autorum scripta spurcis suis manibus contaminârunt.*

Idem tom. 2. oper. fol. 379. *Est veritati res damnosissima, mendacium specie veritatis tectum. Itaq; fidem verorum miraculorum magnopere elevant ac diminuunt falsa miracula per Dæmones & Dæmonum ministros edita. Quò execrabiliores sunt, nempe Satanæ similes, ii, qui in templis nostrorum Divorum fingunt miracula propter quæstum. Efficiunt enim, ut cùm eorum vanitas est patefacta, de veris miraculis incipiant homines dubitare.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 97. *Alii Divorum construunt Historias, piè nonnihil admentientes; supponunt reliquias, fabricant miracula, fingunt vel plausibiles, vel terribiles fabulas.*

Georgius Cassander in Consult. artic. 21. pag. 141. scribit, *perniciosam confidentiam in Sanctorum intercessionem, ac merita esse confirmatam commentis miraculorum.*

Pag. 143. dicit, *novorum & incognitorum Sanctorum cultum, figmenta Historiarum & imposturas miraculorum mirificè auxisse, quæ figmenta etiam compertorum Sanctorum Historias conspurcàrint.*

Melchior Canus lib. 11. Locor. Theologic. cap. 6. pag. 533. *Dolenter hoc dico potiùs quàm contumeliosè, multò à Laertio severiùs vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas Sanctorum, longeque incorruptiùs & integriùs Suetonium res Cæsarum exposuisse, quàm exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum.*

Pag. 534. *Nostri enim plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solùm pudeat, sed etiam tædeat.* Et paulò pòst addit, *totam eorum narrationem*, (qui scil. fictè & fallaciter Historiam Ecclesiasticam scribunt) *inventam esse aut ad quæstum, aut ad errorem.*

Pag. 537. *Ecclesiæ Christi vehementer incommodant, qui res Divorum præclarè gestas non se putant egregiè exposituros, nisi eas fictis & revelationibus & miraculis adornârint. Quâ in re nec sanctæ Virgini, nec Christo Domino hominum impudentia pepercit: quin quod in aliis Divis factitavit, idem quoque in Christi & matris Historia scribenda faceret & pro humani ingenii levitate multa vana & ridicula comminisceretur.*

Pag. 540. *Negare non possumus, viros alioquin gravissimos, in Divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & accepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse.* (Gregorium Magnum in Dialogis, & Bedam in Historia Anglorum notat.) *Nec ego hic*, inquit, *libri illius autorem excuso, qui Speculum Exemplorum inscribitur, nec Historiæ etiam illius, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpiùs, quàm vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parùm severi ac prudentis.*

Horatius Tursellinus postquam lib. 5. Histor. Lauret. cap. 23. commemorasset, *qualiter velum Damascenum, è quo Alphonsus Sancius vestem sacram in honorem Mariæ Lauretanæ conficere parabat, cùm vesti materia non sufficeret, ad justam mensuram in ædibus Sartoris miraculosè excreverit*, narrationem hac [illegible] concludit pag. 541. *Itaque & ab ipso & ab aliis pro miraculo habitum, nos rem in medio relinquimus.* (Eccur hoc addit, nisi aliquam fraudem latitare suspicatur?)

Baronius in Annal. Eccles. Ann. 98. num. 19. fatetur, *studium iniquitatis fingendi miracula, mox decedentibus Apostolis cœpisse; Johanni Apostolo vix è vivis exemto miracula mendaciter fuisse attributa, quòd virgas in aurum, saxa in gemmas mutàrit &c.*

12. Quòd miracula, quæ in Romana Ecclesia celebrantur, quædam sint *fallacia & mendacia*, fraudibus hominum conficta, quædam *opinione duntaxat talia*, quædam *absurda & pudenda*, quædam *Magica*, quædam *ludicra & puerilia*, pleraque omnia *idololatriæ confirmandæ causâ vel facta vel excogitata*, ut domesticis ipsorummet Pontificiorum Scriptorum testimoniis ostendimus in art. de Ecclesia §. 284.

(Ergò ad ea provocare & ex illis veritatem Ecclesiæ suæ probare minimè poterunt.)

Primò de mendacibus miraculis.

Innocentius III. extr. de præloq. cum cæco fatetur, *in plerisque locis occasione quæstus homines variis figmentis aut falsis documentis deceptos.*

Johannes Hussus scripsit peculiarem librum de fictitiis ejusmodi miraculis, in quo multis argumentis confirmat, *illa esse vana ac nullius momenti*, & tandem concludit his verbis: *Ex quibus patet, quòd mali spiritus per se & per homines malos procurant miracula, ut decipiant Christicolas & seducant. Sic enim nunc maligni spiritus per malignos sacerdotes procurant san-*

 gui-

guinem in hostia. Aliquando in hostia consecrata, ut per quendã Monachum in Bononia, qui postmodum comprehensus & confessus nefas suum in ferrea catasta, in porta civitatis diu nutritus, tanquam avis, in hujusmodi pœnitentia vitam suam miserabiliter terminavit. Aliquando in hostia non consecrata, sicut in Chrudim in Pragensi Diœcesi per quosdam Presbyteros, qui confessi scelus proprium erant carceribus mancipati, quorum unus mortem subiit, alius effractis carceribus fugam cepit. Aliquando præter hostiam, ut in Cracoviensi Diœcesi rubigo in manubrio crystallino derelicta à lamella velut sanguis Christi fuit per multa tempora adorata, & ibidem resina defluens ab imagine crucifixi fuit habita pro sanguine Christi. Aliquando hostia non consecrata est tanquam Sacramentum venerabile pro corpore Christi habita, ut in Bohemia in montibus Cutnis, ubi Scholaris portans hostias ad villam amiserat invitus unam parvam hostiam, quam reperientes, statim magna multitudine congregata hominum, populi adorabant. Sed per viros sapientes & potentes recepta hostia veritas est inventa. In Ungaria etiam in Diœcesi Pozoniensi duodecim Sacerdotes propter subordinationem sanguinis fuerunt, ut audivi à multis Presbyteris, carceribus inclusi. Et sunt multa alia loca, in quibus maligni Spiritus per malignos Presbyteros sanguinem prætensum propter avaritiam ordinarunt, qui per mendacia seducunt populum, ut impleretur verbum Christi Matth. 24. Multi Pseudoprophetæ surgent & seducent multos, & quoniam abundavit iniquitas scil. illorum Sacerdotum, & refrigescet caritas multorum scil. subditorũ &c.

Albertus Cranzius recitatis miraculis, quæ Anno 1384. in Wilsnack contigerunt, in hostiis scil. sanguine conspersis post templi incendium repertis, subjungit: *Multa fertur renovasse Christus Dominus in revelatione corporis sacri sub altaris velamento mirabilia, sed ut fit, vanitate partim populi, partim accedente avaritia Cleri, facta & infecta nuntiantur. Fuere aliquando Doctorum super ea re contradictiones, scripsere nonnulli, quid videretur, sed populus semel incalescens devotione aut superstitione, non facile revocatur, nisi quod clarescente nuper in Sterneberg miraculo cursus prior elanguit, quamvis non omninò interierit.*

Johannes VVünschelburgensis Theologiæ Doctor, (qui vixit circa Annum 1400.) scripsit librum *de signis & miraculis falsis.* In eo recenset aliquot fallacias avarorum Sacerdotum, ut *de imagine Christi sudante, de rubigine in manubrio crystallino pro sanguine Christi Cracoviæ adorato, de resina ex lignea imagine defluente, & eodem modo pro Christi sanguine habita; de Sacerdote Bohemico, qui suo sanguine ad decipiendum populum tinxit hostiam. De ementito sanguine Christi in Welsnach, oppido Saxoniæ,* cujus causâ illum librum scripsit.

Ex Nicolao Palladio Dano Selneccerus part. 4. Exam. pag. 537. citat hanc Historiam: *Quidam Monachi ante aliquot annos non erant contenti mortua figura Christi pendentis in cruce, sed scribebant ad quendam mirabilem artificem, ut faceret eis vivum crucifixum, qui respondit. Si vivum fecero, fortassis à novo interficietis. Tandem precibus & muneribus adductus fecit crucifixum q. vivum, caput in cruce mobile, oculos & labia mobilia. Hanc imaginem Christi crucifixi in templo suo super januã chori collocaverunt, & illa magnam hominũ multitudinem longo tempore deceperunt. Quoties enim magna hominum turba conflueret ad videndam & adorandam statuam, quidam Monachus à tergo stans traxit funiculum, quo avertebat caput idoli q. nollet illos respicere & exaudire, unde fiebat magna animorum consternatio. Statim clamavit Monachus, inquiens, date, offerte opulenter nobis miseris fratribus; Tunc rursus convertet ad vos placidum vultum. Tunc cœperunt homines offerre munera ad aram. Interea Monachus traxit alium funiculum, quo convertit caput imaginis ad populum, ac si donis se placari significasset. Tandem idolum proditum est & Monasterium destructum.*

Johannes Valentinus Dominicanus, circa Ann. 1264. *imposturis suis magnam Bononiæ famam adeptus Magistratum & populum ita sibi devinxit, ut non secus, ac si è cœlo descendisset, eũ colerent; beatos se putantes, si vel oram vestis ejus tetigissent; quia ejus sodales ex condicto jurabant, eum octodecim mortuos suscitasse, potuisse item omnes morbos curare & Dæmones expellere, quibus artibus emunxit in commodum sui cœnobii viginti millia pondo argenti, unius anni spacio, priusquam ejus impostura detegeretur, quæ antea ita imposuerat, ut Guido Bonatus celebris Mathematicus in suspicionem hæreseos inductus fuerit, quia ab initio subolfecerat agyrtæ technas.* Vide Vignier. Eccl. Hist. Ann. 1264.

Dn. D. Nic. Hunnius, Theologus præclarissimè de Ecclesia Christi meritus, in tract. quòd Ecclesia Romana non sit Christiana, cap. 4. n. 29. recitat monumentum fraudis Monachalis, quod *in cathedrali templo Lubecæ* ejusq; *summo altari* hodieq; conspicitur, *ubi Mariæ simulachrum disco mobili seu rotabili impositum a tergo sic trahi potest, & quod res ipsa manifestè arguit, ab avaris Sacerdotibus quondam tractum fuit, ut supplicantes modò aversaretur, modò eosdem, sed liberalitatem spondentes gratiosè respiceret, addito gratiæ signo cymbali tinnitu.*

Ejusdem simulachri meminit, & aliud fraudis exemplum adjicit L. Johannes Mullerus in seiner nothwendigen Vermahnung/ wegen der irrigen Lehre des Pabstthums p. 74. In meinem Vaterland Breßlau in S. Dorothea Kirche/ stehet ein steinern Marien-Bild/ welches vorzeiten offt geweinet hat/ daß ihm die Thränen aus den Augen geflossen. Als man aber die Münche heraus geschaffet/ und selbige Kirche besehen/ hat man gefunden/ wie das Häupt in diesem steinern Marien-Bild ausgehölet/ und mit Wasser gefüllet worden sey / wenn nun ein kleines Fischlein in solches Wasser gesetzet wurde/ und sich bewegte/ drungen die Thränen dem Bilde zu den Augen heraus. In der Domkirchen zu Lübeck am hohen Altar stehet ein Marien-Bild/ welches sich beweget/ und bald den Rücken/ bald das Angesicht gewendet hat denen die dafür beteten/ bißweilen auch einen hellen Klang von sich gegeben/ welches man signum gratiæ, ein Gnaden-Zeichen genennet hat. Hinter dem Altar aber siehet man Instrumenta mit Fleiß zubereitet/ daß man solch Bildniß ziehen und wenden kan/ wie man wil.

Plura hujus generis vide apud Binderum in Theolog. Scholast. cap. 9. pag. 213 & seqq. Foxum in Martyrolog. pag. 1188. AntiMachiavellum lib. 2. de relig. theorem. 2. pag. 256.

Tannerus in Dioptr. lib. 2. qu. 4. cap. 28. pag. 621. cùm ipsi multiplex miraculorum abusus, fraus & dolus, sub Papatu frequens, objiceretur, respondet, *si propter abusum res qualibet abjicienda foret, quævis sancta, etiam Scripturam sacram & Apostolorum miracula projicienda esse.*

(At hæc est generalis Confessio incertitudinis, à qua ne unum quidem miraculum totius Papatus liberari potest. Nec obstat Tanneri exceptio, quòd *nihil non trahi possit in abusum, etiam sancta Biblia.* Sic enim contra Pontificios concludimus: Qui confitetur talem miraculorum abusum, per quem de fraude constat, nullo autem medio aut ratione quisquam certus fieri potest, in quonam miraculo fraus latitet, in quo non, ab illo omnia miracula trahuntur in perpetuum & invincibile dubium, è quo nullus hominum sese explicare potest. Atqui abusus miraculorum, quem Pontificii fatentur, est talis. Ergò in Ecclesia Romana omnia miracula trahuntur in perpetuum & invincibile dubium, ex quo nullus hominum sese explicare potest. Confer Dn. D. Hunnium in dict. tract. quòd Ecclesia Rom. non sit Christiana cap. 8. n. 169. & seqq.)

Secundò, de miraculis opinione duntaxat talibus.

Trithenius q. 3. ad D. Maximilianum I. p. 25. 26. *Erat homo quidam custos porcorum, qui schedulam porcorum bacillo inclu-ferat nomen Divi Blasii continentem, cui tantùm fidei detulit, ut baculo in medio gregis terræ affixo lupum ab accessu prohibitum, crederet omnem. Hac stulta confidentia, per longam experientiam tandem roborata, ibat homo securus quocunque volebat, dimittens sine periculo in nemore porcos, cùm luporum jam nullus haberet accessum. Contigit pertransire videntem absente Pastore, qui cernens Dæmonem custodiam habere gregis, dixit ad eum: Quid miser hic agis? Qui respondit, istos custodio porcos. At ille. Quis tibi curam porcorum commisit? Iterum respondit, stulta confidentia Pastoris. Nam schedulam quandam bacillo inclusam magnæ putat esse virtutis, qua Blasii cujusdam meritis lupi arceantur à porcis, suam peccavit in legem & nostras sequitur vanitates. Verùm quia invocatus non comparet, ego, ne homo confidentiam suam amitteret, porcos ejus custodio, & me pro Blasio libens suppono. Ita, inquit, mortales variis conjurationibus nos molestent, ut, nisi velimus æstimationem nostri & honorem apud eos perdere omnem, necesse sit, eorum invocationibus stultis plerumque occurramus. Hujus similitudine facti Dæmones misericordes, infideles decipiunt & miracula, quæ orantes à Deo postulant, malignorum spirituum suppositiones sæpiùs assequuntur. In his enim, quæ Dei vel cultum respiciunt, vel honorem, libenter se Dæmones ingerunt, & qui manifestos honores assequi nequeunt, occultis nimiùm delectantur.*

Horatius Tursellinus postquam lib. 5. Histor. Lauretan. c. 24. recensuisset, qualiter *cùm custos sacelli Mariani armillas ima-*

imagini pueri Jesu, abs muliere quapiam datas, furcillâ ad hoc paratâ obtulisset de erectis dextræ digitis suspendere, alteram (præteritis pueri Jesu digitis) manum quàm aptissimè occupasse, subjungit pag. 543. *Mira res, ut erat custodi visa, tamen poterat esse fortuita.*

Tertiò, de miraculis pudendis & absurdis.

De S. Sereno Abbate, refert ex Cassiano Fr. Johannes Nider Ordin. Prædicat. S. Theolog. Professor & hæreticæ pestis Inquisitor in Malleo maleficar. pag. 744. *Hic,* inquit, *pro interna cordis atq; animæ castitate, nocturnis diuturnisque precibus, jejuniis quoq; ac vigiliis infatigabiliter insistens, cunctos æstus carnalis concupiscentiæ tandem per divinam gratiam in se extinxisse percepit; deinde majori zelo castitatis succensus, privatis usus remediis, à Deo petiit, ut interioris hominis castitas in corpus redundaret,* Dei dono: *Postremò autem adveniens ad eum Angelus in visione nocturna, ejusq; velut aperiens uterum, quandam ignitam carnis strumã de ejus visceribus evellens atq; projiciens, suisq; omnia, ut fuerant locis, intestina restituens, Ecce, inquit, incentiva carnis tuæ abscissa sunt & obtinuisse te noveris hodierna die propè tuam corporis puritatem, juxta votum, quo id poposcisti, ut ne ipso quidem naturali motu, qui etiam in parvulis atq; lactantibus excitatur, ulteriùs pulsêris &c.*

Pag. 745. *In vitis Patrum illorum, quos S. Heraclides, vir religiosissimus, collegit, in libro suo, quem Paradisum nominat, meminit cujusdam S. Patris & Monachi, quem Heliam vocat, hic misericordiâ motus trecentas fœminas in Monasterium collegit & regere cœpit. Transacto autem biennio jam 35. annos habens vitæ, tentatus à carne in eremum fugit, ubi biduo jejunus, orans ad Deum ait: Domine Deus, aut occide me, aut libera me ab hac tentatione. Vesperi igitur somnus ei irrepsit, tres Angelos sibi ad se venientes vidit, quibus quærentibus, cur à Monasterio Virginum fugisset? nec ille præ verecundia respondere auderet, dixerunt Angeli, si liberaberis, num redieris, curam fœminarum gerendo? respondit ille. Quàm libens! Tunc illi juramentum ab Helia recipientes, quod exegerant, eum eunucharunt. Nam unus manus, alter pedes tenens, tertius novaculâ testes ejus visus est abscindere, non quòd ita verè esset, sed quia ita esse videbatur, quærentibusq; an ne remedium sentiret? respondet ille, se plurimùm exoneratum. Unde quinta die ad lugentes fœminas rediit, & per 40. annos, quibus supervixit, illis servivit, nec pristinæ tentationis deinceps scintillam sensit.* Hæc Niderus.

(Sic ergò Angelis tribuunt hoc officium, quòd Monachos ad libidinem pronos ἐνοχλίζειν.)

Legenda *de Beatrice*, cujus vices in Monasterio sustinuit B. Maria Virgo cùm *interim ipsa per annos 15. scortationi indulgeret*, extat apud Paratum serm. 32. in annuntiat. B. Virginis Z. 3. Item in libro von der Ertzbrüderschafft des Rosenkrantzes unser L. Frauen/ edito Augustæ Ann. 1627.

Legenda *de Abbatissa prægnante*, quam B. Virgo Maria ab infamia laboravit, *& puerperæ officium circa eam administravit*, extat apud Vincentium de Burgundia in Speculo Historiali lib. 6. cap. 87.

Quartò, de miraculis Magicis.

De Magdalena à Cruce Nonna Lusitaniæ, quæ longo tempore à Pontifice, Imperatore & Regibus, miraculis clara fuit habita, sic scribit Zuingerus Theatr. pag. 1334. b. & seqq. ex Cassiodoro Reinio. *Magdalena Crutzia sive de la Cruz Hispana, Corduba, primaria Bæticæ urbe, in prima pueritia parentibus obscuris, incertum pietatis an paupertatis causâ in Cœnobium D. Claræ detrusa, quod illa post ex collata stipe de fundamento novum extruxit) Dæmonis cujusdam sub Æthiopis specie sese offerentis miris blanditiis, quibus ea ætas potissimùm capitur, inescata, familiariter illo uti cœpit, severa tamen interminatione interposita, ne quisquam mortalium hoc resciscèret. Illa interim cùm Dæmonem in Colloquium singulis penè diebus admitteret, supra ætatem sapere & indolis causa omnibus admirationi cœpit esse, incredibili sanctitatis opinione, quam morum elegantia, vitaque austeritas effingebant. Vix dum duodecimum ætatis annum attigerat, cùm malus ille genius Magdalenæ in solidum possidendæ ansam captans, phaleratis verbis conjugii mentionem injicit, faciléq; adeò ex ejus, quam jam degustaverat, sanctimoniæ successu, simplici & ambitiosæ puellæ persuasit. Dantur manus, fiunt sponsalia, concumbitur denique. Dotis loco Magdalena sui corporis usumfructum, colloquendo, conversando, concumbendo pollicetur. Æthiops vicissim contra dotem splendidissimam offert, effecturum se, ut Magdalena per 30. & amplius annos eâ sanctimoniæ autoritate per universam Hispaniam frueretur, quâ omnes, qui eo laudis genere fuêre unquam celebres, vel æquaret, vel etiam superaret. Neque verò mendax ille Spiritus hac in parte falsus videri voluit, ut universa scil. Hispaniæ per hanc suam Sponsam imponeret. Quandocunque furtivis voluptatibus fruerentur, Sponsi famulus (nam majestatis causâ famulum quoque veterator ille Æthiops sibi adjunxerat) tanquam Sosia quidam suppostitius foris in templo & Cœnobio Magdalenæ larvâ assumtâ, illius vultum, gestus, incessum, cantando, orando, comedendo exactè imitabatur. Si quando verò secessus illius voluptuarii pertæsa hera in publicum prodiret, ne quid interea temporis otiosè periret, per orbem terrarum vagando, quæcunq; digna memoratu acciderant, Magdalenæ renuntiabat. Sic de Francisci I. Gallorum Regis captivitate, sic de Romanæ urbis direptione certior facta, divinitùs hæc sibi ab Angelo revelata dictitans, in Principum virorum dignationem summam pervenit, & Abbatissæ dignitatem ultrò cedentibus tantæ sanctimoniæ reliquis Monialibus meruit, maximâ totius Ordinis Seraphici lætitia, qui ad se quoque, tanquam ad præceptores & institutores, partem gloriæ hujus pertinere putabant. Miraculis interea clarebat plurimis, sed inanibus atque ludicris. In solenni pompa Festorum dierum ad tres & amplius cubitos in sublime efferebatur, sæpè etiam imaginem Jesu recens nati manibus gestans, imbre lacrymarum profuso, comam ad talos usq; repente enatâ producebat, quæ sensim evanesceret. Quotiescunque Monachæ statis diebus communione sacra uterentur, sacrificulo ex dinumeratis priùs diligenter mystici panis orbiculis unus semper deerat, quem Magdaleno ministerio Angelorum acceptum, se in ore habere palam ostendebat. Interdum quoque paries ad spectandam hostiam dividebatur. Hinc tanta ei sanctitatis fama accrevit, ut Pontifices, Imperatores, Reges per literas sese ejus precibus commendarent atque adeò Caroli V. uxor Philippum filium iis fasciis, quas Magdalena suis precibus consecrasset, primùm excipi curavit & involvi. Exactis annis ad minus 30. in hoc Diabolico conjugio, tandem sub annum salutis 1546. Dei Opt. Max. benignitate nullo suo merito ad seipsam Magdalena redire & Dæmonem detestari cœpit. Ægerrimè autem ferente Æthiope hanc apostasiam & multis modis illam vexante, Visitatoribus Ordinis, quos vocant, præter omnem expectationem scelus ingenuè aperit, peccatum fatetur, auxilium implorat, carceri includitur. Neq; tamen interea Dæmon loco excedere, sed matutinis precibus cum summo Monacharum stupore & terrore sub larva Magdalenæ interesse; sæpè etiam alia obire munia. Monachæ larvatam Abbatissam, (quam per 12. annos pertulerant) abhorrentes, multis vix tandem precibus impetrarunt, ut cognitâ ex integro causâ Magdalena cœnobio excluderetur, ut sic demum præstigiæ cessarent. Neque verò alia graviore pœna ob seriam resipiscentiam & ingenuam confessionem in eam animadversum est Pauli III. Papæ indulgentia, quàm ut quæ ficta & Dæmoniaca sanctimonia plurimorum superstitionem auxerat, eadẽ vera & Christiana pœnitentia divinæ misericordiæ fontes nulli peccatori clausos esse, memorabili ostenderet exemplo.*

Quintò, de miraculis ludicris & puerilibus.

Martinus Polonus ad Annum quadringentesimum. *Donatus Epiri Episcopus virtutibus insignis est habitus, qui ingentem Draconem expuens in ore ejus necavit, quem octo boum juga ad locum incendii vix trahere potuerunt, ne aërẽ putredo ejus corrumperet.*

Idem post annos quadraginta quatuor, *Leonem I. Episcopum Romanum narrat, magnam in carne tentationem sensisse, postquam manum in Festo Paschæ mulieri osculandam præbuisset, amputasse igitur eam manum, eoq; non potuisse Missam celebrare, quod cùm plebs gravior ferret, propiorque esset tumultuanti, commisisse Leonem se B. Virgini, hanc autem apparuisse visibiliter manum deferentem & restituentem.*

In Legenda Aurea cap. 153. *Abbas quidam ab Abbatissa Coloniæ impetravit corpus unius ex undecim mille virginibus, pollicitus inclusurum in capsa aurea. Neglexit tamen. Itaque anno vertente, cum cantarentur matutinæ, astantibus, videntibus, mirantibus omnibus, id ejus Virginis corpus surgit è capsa lignea, descendit ab altari, tum coram eo inclinata, penetratoque Choro rediit Coloniam ad suas.*

Luitprandus lib. 1. cap. 8. *Quantæ autoritatis, quantæque religionis fuerit Papa Formosus* (à Sergio III. pessimè tractatus) *hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad B. Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quadam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audivi.*

De Thoma Aquinate sic scribit Bernhardus de Parentinis in Lilio Missæ. *Hic Doctor egregius ad preces omnium Magistrorum in Parisiis super Expositione Missæ scripsit, quod verum esse videbatur, & postquam scripsit, libellum suum præsentavit crucifixo in altari, rogans ferventissimè, quòd si vera de eo scripserit, ipse sibi ostendere dignaretur, & tunc Crucifixus respondit: Bene de me scripsisti Thoma.*

Hûc referri potest illud, quòd miracula à Pontificiis jactitata plurimùm differant ab Apostolicis miraculis.

Ubi namque leguntur Apostoli prædicando fecisse, quod sanctulos suos fecisse, Pontificii gloriantur, *ut pisces sonorè laudarent Deum,* (apud Sedulium in Apolog. pro lib. Conform. S. Francisci lib. 3 cap 15. pag. 160.) *aut præcipiendo coëgisse, ut mulus adoraret hostiam,* (apud Bozium de sign. Ecclesiæ libr. 14. cap. 3. p. 134.) *aut vidisse spicæ aliquod miraculum stramineum,* (Eudæmon-Johan. Apolog. pro Garnetto Jesuit.) *aut domum per multa milliaria in aëre volitantem,* (Tursellinus Jesuit. in Histor. de domo Lauretan. B. Virginis,) *aut apes sacellum cum ostio, altari, fenestris, tintinnabulis, construentes,* (Bozius d. l.) *aut muscas per excommunicationem interfectas,* (Autor vitæ S. Bernhardi lib. 1. cap. 11. pag. 268.) *aut bufonem versum in caponem,* (Sedulius d. l pag. 268.) *vel Dæmonem recentis stercoris fœtore pulsum,* (apud Cosmum Philiarch. tom. 1. de offic. Sacerdot. libr. 3. cap. 11. pag. 437.)

Confer Thomam Mortonum in Dissertat. contra Bellarminum tractat. de officio Princ. Christian. cap. 3. sect. 24. p. 133. ubi ex Scriptoribus Pontificiis ejusmodi ludicra miracula recenset.

Martinus Eisengrin in libello, cujus inscriptio, Unsere liebe Frau zu alten Oetingen / recenset de Petro Canisio Jes. quòd *ejecturus Dæmonium primò Litaniam Lauretanam recitans Mariæ cariosam statuam puellæ cervici imposuerit; hinc Dæmonem multis conquestum exclamasse: O rancida meretrix, quàm duriter me calcas! Tandem ipsam Mariam apparuisse cum duobus Angelis, & recitatis quinque Pater noster & totidem Ave Maria Dæmonem emigrasse.*

Ex Jesuita Turriano recitat Hasenmüllerus in Historia Jesuitica, quòd *Ignatius Loyola Romæ mulierem à Dæmone obsessam liberaverit hoc Virgilii versu:*

Speluncam Dido Dux & Trojanus eandem.

(At hic modus Dæmones expellendi nec Christo, nec Apostolis fuit usitatus.)

Apud Copum Dial. 1. pag. 18. Jesuitæ jactitant, *se aquâ benedictâ mures ex* novis Indiis *abegisse & fœminas steriles effecisse gravidas.*

13. Quòd ipsimet Pontificii excusant defectum miraculorum per Europam, (quâ excusatione opus minimè foret, si crederent, donum illud extra Indias vigere.)

Martinus Becanus lib. de Antichristo reformato cap. 9. th. 15. tom. 2. opuscul. p g 191. *Cur in Japonia fiant plura miracula, quàm in Europa, causa in promtu est. In Japonia fides Christi nunc primum prædicatur, & ideò pro ejus confirmatione opus est miraculis. In Europa pridem prædicata & recepta est, nec indiget nova confirmatione. At dicet aliquis, Si Jesuitæ facerent hic miracula, sicut in Japonia faciunt, Lutherani & Calvinistæ crederent illis. Ego è contrario dico, ideò Jesuitas hic non facere miracula, sicut in Japonia faciunt, quia Lutherani & Calvinistæ non volunt illis credere. Dicebant olim Pharisæi Christo. Quanta audimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. An fuissent illi credituri, si fecisset? nullo modo: Ideò ait Scriptura. Et non poterat ibi virtutem ullam facere propter incredulitatem eorum.*

(Ubi Christus cognitus est, illic miracula deficiunt. Per Europam & cæteras orbis partes, quousque patet Ecclesia Romana, Christus est cognitus. Ergò per Europam & cæteras orbis partes, quousque patet Ecclesia Romana, miracula deficiunt. Opponimus autem exceptioni Becani;

1. quòd ipsi Scriptores Pontificii memorent, quosdam hæreticos sub Papatu miraculis fuisse confutatos. Bzovius in Annal. Eccles. Ann 1 99. num. 43. *Berengarianam hæresin in Germania repullulantem miraculis repressam fuisse,* scribit. Idem Ann. 1204. n. 23. seq. *Sanctum Dominicum,* dicit, *vicisse Albigenses igne confessionem utriusque partis probante.* Idem Anno 1232. num. 6. narrat, *Petrum Veronensem Catharorum Episcopum superasse miraculo nubis sereno cœlo auditores obducentis.* Idem Anno 1233. num. 11. memorat, quòd *hæreticus quidam effossus & crematus, à Dæmonibus laceratus, & sic error illius patefactus fuerit.* At si Berengarianorum, Albigensium, Catharorum &c. incredulitas non obstitit, quò minus miracula coram ipsis fierent, cur Lutheranorum incredulitas obstat?

2. quòd hæc exceptio tùm demum locum haberet, si evidenter constaret, Jesuitas in Japonia & Indiis miracula facere.

3. quòd nec in illis locis, ubi nullus Lutheranus, ullum faciant miraculum. Confer Dn. D. Hunnium in tract. quod Ecclesia Romana non sit Christiana cap. 7. num. 6.

16. Quòd fidem suis miraculis ipsimet derogant.

Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. c. 14. Est autem &c. sic disserit: *Ex miraculis demonstratur Ecclesia, non quoad evidentiam vel certitudinem rei, sed quoad evidentiam & certitudinem credulitatis. Cujus rei ratio est, quia ante approbationem Ecclesiæ non est evidens aut certum, certitudine fidei de ullo miraculo, quòd sit verum miraculum: tamen est tale, ut evidenter faciat rem credibilem. Et quidem, quòd non sit evidens, patet, quia tunc fides esset evidens. Quòd non sit certum certitudine fidei, patet, quia non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem Dæmonis &c.*

Greg de Valentia lib. 1. Analys. c. 7. p. 7. *Sed unde, dicet aliquis,*
intelligi potest, ejusmodi miracula & divinitus facta esse, & etiā
fuisse facta ad confirmationem Christianæ doctrinæ? Ego verò ad
hujus argumenti conclusionem, quæ est, doctrinā Christi dignissi-
mam esse fide, primùm non necesse esse puto, ut ista duo simul evi-
denter constent. Nam si sic constarent, evidenti etiam consequen-
tiâ rationis nobis esset nota Christianæ doctrinæ veritas. Et tamen
illam solâ fide, in qua non est evidentia, tenemus. Ut igitur pro-
pter miraculum etiam prudenter animum inducamus ad assen-
tiendum Christianæ doctrinæ, satis erit, si aliâ quadam, sed tamen
magnâ illâ quoque certitudine, quam moralem nominant, nobis
constet, ea divinitùs esse facta, & simul ad eam rem facta fuisse,
ut Christi doctrina confirmaretur.

Ibid. pag. 8. *Quòd sumebamus, miracula hæc ad eam rem di-*
vinitùs facta per Christum fuisse, ut Christiana confirmaretur
doctrina. id verò si non evidenter, (quis enim præsertim circa lu-
men fidei, ut ad fidem ipsam persuadendam jam loquimur, cogno-
vit penitùs atque vidit sensum & consilium Domini?) at ita cer-
tè compertum est, ut non nisi imprudenter ac temerè in dubium
revocari possit.

(Atqui hæc moralis certitudo cum dubitatione potest esse conjuncta, ut constat exeo, quòd moralem certitudinem in quæstione de certitudine gratiæ Pontificii concedunt, quam tamen cum dubitatione conjunctam esse asserunt.)

Argum. Advers. Pontificii passim provocant *ad miracula,*
quæ *Jesuitæ in novo orbe faciunt, & ex iis doctrinæ & Ecclesiæ*
Papalis veritatem probare satagunt. Bellarminus lib. 4. de Ec-
cles. cap. 14. Bartscius Dominicâ III. Advent. pag. 247. Ozo-
rius tom. 4. Concion. in conc. de obitu Xaverii.

Resp. 1. Si vel maximè quædam vera & divina miracula apud
Indos ac novi orbis populos à Jesuitis fierent, nondum tamen
evictum foret, omnia & singula doctrinæ capita, quæ in Eccle-
sia Romana proponuntur, esse certæ & immotæ veritatis, siqui-
dem de miraculis illis idem dici posset, quod de *Novatianorum*
miraculis Bellarminus d. l. asserit, fieri scilicet illa *ad confirma-*
tionem illius, quod in doctrina ipsorum adhuc est sanum atque
integrum, ut infideles eò citius convertantur ad fidem Christi,
nequaquam verò *ad confirmationem eorum, quæ in doctrina*
Romanæ Ecclesiæ sunt corrupta ac depravata.

(Constat, Judæos illos ac Samaritanos, quod Rex Assyrio-
rum abductis decem tribubus in terris suis reliquit, non ha-
buisse puram religionem & cultum veri Dei, nihilo tamen mi-
nùs Deus misit leones in Assyrios & alias exoticas gentes in Sa-
mariam introductas, pepercit verò indigenis, anne ad confir-
mationem impii cultus? minimè verò, sed ad confirmationem
legis Judaicæ in lege comprehensæ.)

2. Dubiam fidem miraculorum istorum faciunt ipsimet Pontificii Scriptores.

Franciscus de Victoria Professor Regius in Academia Sal-
manticensi in Hispania relect. 5. propos. 5. *Non satis mihi li-*
quet an barbaris Indis fides Christiana ita à nobis proposita fue-
rit & annuntiata, ut teneantur credere sub novo peccato. Nam
miracula & signa nulla audio, nec exempla vitæ adeò religiosa, i-
mò contrà multa scandala & multas impietates, unde videtur,
quod religio Christiana non sit iis satis commodè & piè prædica-
ta, ut illi teneantur acquiescere.

Josephus Acosta lib. 2. de procurand. Indor. salute cap. 8. *Non*

Non solùm signorum vis nostris temporibus deest, verùm etiam pro iis scelera ubique fervent.

Cap. 9. *Multi quærunt & admirantur, quid sit, quòd nostra ætate in prædicatione Evangelii apud novas gentes miraculorum illa vis non cernatur, quam Christus suis promisit, quæque ad confirmanda superhumana dogmata singulariter efficax est.*

Et post pauca conqueritur, *Augustinum, Justum & Mellitum apud Anglos olim magna edidisse miracula. Sed hæc,* inquit, *tempora sunt deserta* (à miraculis) *quibus tanta portio innotuit, ut cum ea Anglia si universa conferatur, vix domus exigua ad ingentem urbem futura sit.*

Deinde inquirit in causas, ob quas in primitiva Ecclesia Romanis & Græcis fuerit opus miraculis, quia, inquit, *hi florebant ætate & sapientia hujus seculi, Apostoli verò erant imperiti & ignobiles. Deficientibus ergò humanis præsidiis fuisse opus miraculis.*

Postea subjungit causam, quare apud Indos non fiant miracula. *Quia,* inquit, *Indi sunt ratione, cultu, autoritate & omnibus rebus inferiores; prædicantes verò Jesuitæ antiquitate religionis, multitudine, ingenio, elegantiâ cæterisque copiis ad persuadendum superiores.*

Tandem concludit, *mores cum fide congruentes esse Indis efficacissimum & penè singulare miraculum necessarium &c.*

Lib. 6. de Indorum salute cap. 4. *Quæ est prædicatio nostra? quæ fiducia? signa quidem non edimus &c.*

Lib. ejusdem cap. 12. *Nos prodigia, quibus Evangelicas voces confirmemus, nulla producimus.*

Lib. ejusd. cap. 17. *Neq; verò opus est. Bonis operibus ita lucere coram hominibus, ut videntes glorificent Patrem, qui in cœlis est, id est, omnium ad persuadendum miraculum potentissimum.*

3. Jesuitæ ipsi conqueruntur, se dono linguarum destitutos esse, atque ex eo remoras non mediocres in conversione Indorum sibi objici.

(At si dono miraculorum instructi essent, donum linguarum cumprimis divinitùs eis daretur, quippe quod ad conversionem Indorum vel maximè necessarium, quemadmodum Apostoli ad ignotas gentes Evangelii prædicandi causâ ablegati dono illo divinitùs instruebantur, Act. 2. v. 4.)

Nicolaus Pimenta Jesuita Provincialis Indiæ Orientalis Visitator in Epist. ad Claudium Aquav. pag. 14. *Nostra Societatis Pater Franciscus Corsi sic scribit ad suos; Totus,* inquit, *sum in Persico idiomate addiscendo.*

Pag. 80. *Quod autem ad conversionem attinet, vitio meo, utpote idiomatis ignaro,* (inquit Pater Ferenandes) *parum effectum est.*

Acosta lib. 1. de Indor. salute procur. cap. 2. *Ferunt olim septuaginta linguis confusum fuisse genus mortalium, at Indi septingentis & eo amplius inter se discrepant linguis.*

Lib. 4. cap. 8. *Quæ ex re prædicando verbo Dei impedimenta nobis gravia fiunt.*

Cap. 9. *Non igitur immeritò nostræ Societatis fundator Ignatius Indicæ linguæ lectiones publicas præcepit. Sunt autem perquam necessaria ista præsidia, ut facultas paretur verbi Divini in gentibus annuntiandi.*

Xaverius lib. 3. Epist. 5. *Si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut brevi eam addiscamus, tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam, nam nunc quidem inter eos, tanquam mutæ statuæ, versamur, multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos scilicet obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari in præsentia, in linguæ hujus percipiendis Elementis repuerascimus.*

4. Miracula, quæ à suis edita gloriantur, non sunt Apostolicis miraculis similia, nec ipsi Apostolorum vestigiis insistunt.

Horatius Tursellinus, ex quo Xaverii miracula Bellarminus d. l. recitat, lib. 2. cap. 3. addit, quòd Xaverius *in India* vulgò cœptus sit appellari *Apostolus,* sicut etiam antea *in Lusitania, idemq; postea cognomen à Xaverio q. quodam capite ad ejus socios manâsse.*

(Atqui ab hac appellatione sibi temperare debuisset)

Lib. 5. cap. 16. refert, *cùm corpus Xaverii Goam delatum esset, magnam candelam accensam esse in ulnæ longitudine, quæ viginti duos dies totidemque noctes continuè ardens, non tamen fuerit consumta.*

Nicolaus Pimenta in Epist. ad Claudium pag. 17. *Nave eversâ in flumine turbido aliis nostrûm (eramus numero duodecim) natandi periti periculum evasère, ego in fundum prolabor, nescio quomodo emergo, & capite super undas elato, video me à famulo Paulo ad ripam trahi.*

Pag. 77. *Nos febri correptos Deus sanitati restituit nullo remedio humano fretos, præter stibii potionem & venæ incisionem.*

Pag. 6. *Infidelis quidam calumniator Catechumenum recèns conversum irridens, latere in caput adacto humi statim prosternitur, percussor nullus offendi potuit, itaque non dubitatum est divinam fuisse vindictam.*

Pag. 119. *Alium maledicum calumniatorem vitæ Patris Heriquez, qui à Xaverio missus erat, Deus hoc probro castigavit, ut quoties eloqui vellet, magna linguæ parte ex ore exerta ita præpediretur, ut intelligi non posset.*

5. Xaverius, de cujus miraculis tantopere gloriantur, de hisce miraculis à se editis magis mutus est, quàm piscis. De rebus Indicis Epistolas familiares quinquaginta exaravit, sed de sanatis à se *cæcis, claudis, surdis, mutis &c.* nihil habet.

Lib. 2. de reb. Ind Epist. 3. *Naturæ miraculum* recitat, *de capro lacte suos parvulos hædos alente,* non prætermissurus miracula gratiæ, si quæ divinâ virtute edidisset.

(Excipiunt quidem, *hoc argumentum esse modestiæ.* Atqui Dei gloria in miraculis divinâ virtute editis elucens, exemplo Apostolorum Act. 14. v. 27. cap. 15. v. 4. & potuisset & debuisset absque ulla immodestiæ suspicione prædicari. Johannes Ferus in cap. 14. Act. *Apostoli exponunt Spiritus sancti virtutem, ut à multis pro collata in gentes gratia gratiæ dicerentur Deo & mutua fide confirmarentur. De his gloriandum, si Dei gloria promoveatur, ut proximus adjuvetur, non enim seipsos commendant, sed Dei opera, ut Christus præcepit Dæmoniaco. Vade & annuntia, quanta fecit tibi Dominus.*)

6. De Ignatio, Jesuiticæ Societatis autore, referunt Maffæus lib. 2. de vita Ignatii cap. 5. & Ribadeneira lib. 2. cap. 12. quòd *comitatus duobus sociis Petro Fabro & Jacobo Lainez non procul à Roma in templo quodam Deum invocaverit, & in ecstasi Deus ipsi visus sit, qui filium suum Jesum Ignatio & sociis commendârit, Jesum autem promisisse, se ipsorum tutorem fore & addidisse. Ego vobis Romæ propitius ero.* (Sed Catechismus Jesuiticus lib. 1. cap. 8. aliquot argumentis hanc Historiam falsitatis arguit. 1. quia Maffeus addit, *hanc fuisse causam, cur Ignatius Societati suæ à Pontifice confirmatæ nomen Jesuitarum dederit, cùm tamen jam antè in libello supplice Paulo III. Pontifici oblato eo usus fuerit.* Ita enim in illo libello loquuntur incluso Bullæ Anno 1540. *Quicunque in Societate nostra, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo militare &c.* 2. quia Jacobus Lainez, post Ignatium Generalis, illud non revelavit Congordano Agenti aut Versori Advocato suo, cùm propter hoc ambitiosum nomen à Parlamento Parisiensi accusarentur. 3. quia Jesuita Montaignes cap. 66. de la verité defendue dicit, *à Pontifice illud nomen Societati inditum.* La Font. cap. 35. idem tribuit Pontifici, sed hujus visionis Ignatianæ neuter ipsorum mentionem facit. Posset & hoc addi 4. quòd Ribadeneira in vita Lojolæ testatur lib. 1. cap. 13. pag. 82. & lib. 2. cap. 1. pag. 105. *habuisse Lojolam vehementes & cœlestes illustrationes, speciosasq; mentis imagines à Diabolo,* quodque Martinus DelRio Jesuita lib. 2. Disq. Magic. lib. 2. q. 26. n. 3. testatur, *Dæmonem in forma fictitii & oculati monstri frequenter Ignatium accessisse, ita ut præsens lætitiam illi afferret; absens eum contristaret.* Hæc enim nos admonent, ut de revelationum Ignatio factarum veritate meritò dubitemus.)

7. Denique in actione coram Parlamento Parisiensi Pasquier à Jesuitis exquisivit, *quænam miracula ab Ignatio Societatis autore sint gesta?* sed Jacobus Lainez Ignatii socius & Successor Generalis nullum protulit, cùm tamen de Ignatii miraculis & visionibus Maffeus & Ribadeneira multa tradant.

Thesis specialis duodecima. Lumen Propheticum non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Non est quæstio de *dono Prophetiæ* hominibus θεοπνεύστοις Prophetis, Evangelistis & Apostolis divinitùs concesso, sed de lumine prophetico posterioribus Ecclesiæ temporibus quibusdã dato, an illud sit propria & infallibilis Ecclesiæ nota.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 15. §. 1. *Duodecima Ecclesiæ nota est lumen Propheticum. Sicut enim Christus Marci ultimò promittit Ecclesiæ donum miraculorum, ita Joel cap. 2. exponente Petro Act. 2. promittit donum prophetiæ, quod certè maximum.*

Nostram sententiam probamus,

1. Prophetiæ donum non est *Ecclesiæ Proprium,* Deut. 13. v. 1. Num. 24. v. 16. 1. Reg. 13. v. 18. Jerem. 23. v. 25. Ergo non est genuina Ecclesiæ nota.)

2. Ex unius Prophetico dono instructi vaticinio non est pronuntiandum, quòd totus ille cœtus, in quo vivit, sit vera Ecclesia. Daniel in consessu Belsazeris & Procerum ejus futura prædicit Dan. 5. v. 28. nec tamen ille cœtus erat Ecclesia. Caiphas Pontifex in Synedrio Hierosolymitano prophetat Joh. 11. v. 51. nec tamen ille cœtus erat vera Ecclesia.

3. Difficilimè cognosci potest, quæ prædictiones sint *divinæ*, cùm Dæmones etiam subtilitate naturæ, experientiâ temporum & revelatione superiorum potestatum pollentes quædam futura præscire & prædicere possint.

4. Etiam *falsi doctores* de prophetiæ dono gloriantur, Matth. 7. v. 22.

5. Prophetiæ donum non est *Ecclesiæ perpetuum*, Joel. 2. v. 28. Act. 2. v. 17.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscunt, *miracula non esse genuinam & infallibilem Ecclesiæ notam*, cujusmodi dicta in thesi proximè præcedente adduximus. Nam miraculorum & luminis Prophetici hac in parte est ratio.

Maldonatus in cap. 7. Matth. *Prophetare, quod est futura prædicere, est quoddam miraculum.*

2. Quòd agnoscunt, etiam *Ethnicos, hæreticos* ac *homines impios* dono prophetiæ quandoque instructos fuisse. (Ergò donum prophetiæ non est propria Ecclesiæ nota.)

Gregorius lib. 7. moralium cap. 1. *Aliquando non dignis, sed reprobis dona Spiritus sancti conferuntur, sicut Saulo data est prophetia & Bileamo, unde etiam multi in fine seculi dicturi sunt, Domine, nonne virtutes in nomine tuo fecimus! quibus dicturus est, Nescio vos, unde sitis, Matth. 7. v. 13. Luc. 13. v. 25.* (Loquitur Gregorius de *donis ministrantibus*, non de donis *sanctificantibus*. Prophetiæ verò donum est ex genere piorum donorum.)

Idem lib. 2. Dial. cap. 21. de prophetiæ Spiritu sic differit: *Sicut scriptum est, ubi vult, spirat, ita sciendum est, quia & quando vult, spirat.*

c. Multa caus. 1. q. 1. ex Augustino. *Aliud est Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud prophetia, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, ut in Saule; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt.*

(Loquitur de operatione Spiritus S. gratiosa & salvifica.)

Thomas 2. 2. q. 172. art. 6. probat, *etiam falsos Prophetas interdum vera prædicere, aliquando ex Dæmonum revelatione, aliquando ex divina inspiratione*, quod confirmat exemplo *Bileami & Sibyllarum*, atque ex Augustino lib. 12. de Genesi ad literam cap. 19.

Bonaventura lib. 3. sent. dist. 9. q. 6. *Non debet homo omni Spiritui credere, sed probare, qua ex Deo sint. Qui enim citò credit in talibus, levis est corde, & fortasse etiam inflatus corde, dum ad tales visiones & apparitiones se idoneum esse existimat, unde tales visiones potius sunt formidandæ, quàm desiderandæ.*

In Breviario Romano infra hebdomadam passionis feria 6. lect. 3. dicitur, *Caiphæ Exemplo nos doceri, etiam homines malos prophetiæ Spiritu futura prædicere.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 17. §. 16. *Multa etiam Dæmones possunt scire vi naturæ, hoc est, ex naturali influentia seu impressione. Naturâ enim hominibus sunt superiores & intellectu perspicaciores, quocirca aliquando etiam veritatem respondent, aut per falsos suos Prophetas futura revelant. Nam licet justi Prophetæ ex Spiritu sancto nunquam falsum, tamen falsi Prophetæ ex Spiritu maligno interdum vera prognosticant. Sic Sibylla de Christi mysteriis, de futuris eventibus, aliisve occultis vera nonnulla promulgârunt, tametsi aliàs earum dicta frequenter velut deliramenta esse judicentur.*

Ederus in Oecon. Bibl. lib. 2. in Deut. 13. *Si prædixerit quis signum & portentum, & evenerit, quod locutus est, non audies verba prophetiæ illius, & ratio est, quia falsam doctrinam profert, & Dominus Deus vester vos tentat. Etsi ergò evenerit, quod falsi Prophetæ prædixerunt, tamen non esse sequendos, Scriptura ipsa copiosè docet.*

Ibid. *Etsi vera prædixerint, inquit Vincentius Lyrinensis, non tamen sequitur, eorum doctrinam esse amplectandam, maximè si expresso Dei verbo repugnat, ut ex ejusdem autoritate discimus, Deut. 18.*

Petrus Gregorius Tolosanus lib. 3. de Republic. cap. 33. *Permisit Deus, imò jussit multa prædici per idolorum sacrificulos & oracula eorum verissima, non secus quàm per asinam Bileami annuntiari voluit ad probationem eorum, quibus prædixit Deus, ne falsos Prophetas sequerentur, sed necarent.*

Ibid. *Deus aliquando permisit inter gentiles & abhorrentes à lege Dei vates vera quadam præscire & prædicere futura.*

Bellarminus d. l. §. 2. scribit, *Ethnicos & hæreticos non habuisse vera vaticinia, nisi fortè fierent in testimonium veræ fidei, ut fuerunt*, inquit, *vaticinia Sibyllarum & Balaam.*

(Ergo non simpliciter & absolutè negat, eos vera vaticinia habuisse.)

Idem lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 10. §. Secundò &c. *Matth. 7. Dominus ait, multos dicturos in die judicii. Nonne in nomino tuo prophetavimus? &c. qui tamen audient, Nescio vos. Denique & Balaam ariolus multa de Christo verè prophetavit Num. 22. & 23. & Caiphas, vir alioqui perditissimus, cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, Johan. 11.*

(Neque tamen cœtus, Caiphæ Pontifici adhærens, fuit vera Ecclesia.)

Pererius Disp. 11. in cap. 11. Exodi. *Sinit nonnunquam Deus Pseudoprophetas nonnulla prædicere, quæ eveniant.*

Maldonatus in cap. 7. Matth. *Balaam falsus alioqui & infidelis Propheta vera prædixit. Et ex Matthæo facilè colligitur, falsos Prophetas verè prophetâsse, & vera prædicendo non suam, sed populi Dei fidem confirmâsse.*

Gretserus in Comment. de duobus nummis pag. 34. *Num verum sit, quod vulgus refert, Hussum anserem de Luthero cygno vaticinium edidisse; Item, num verò congruat, quod ferunt, Hussum ipso supplicii die dixisse orthodoxis, post centum annos responsurum debitis Deo & mihi, accuratiùs non disquiram. Novi enim, quàm proclive sit, apud hæreticos præsertim, oracula fingere & ficta imperitæ multitudini divendere, quasi hæreticus non sit hæreticus, si quis hæreticus, sive Dei sive Dæmonis instinctu aliquid de illo prædicat aut præsentiat.*

Hieronymum Savanarolam Ferrariensem Dominicanum tanquam hæreticum combusserunt. At Philippus Cominæus in vita Caroli VIII. cap. 25. & 52. de eo refert, quod à Carolo IX. Galliarum Rege in Italiam missus, Florentiæ cum viderit sanctis moribus plurimùm commendatum, quodque venturum in Italiam Carolum, quicquid contrà scriberetur, perpetuò asseveraret, cujus conatui nihil resistere, nihil opponi posset. Item: *Quantacunq; moles eidem in Galliam remeanti objicerentur, frustra fore: perfracturum illum, & gloriam inde reportaturum, quippe quem in aditu habuerat Deum Opt. Max. in reditu ducem & protectorem experturum. Denique de Caroli morte, ni Ecclesiam reformaret pro munere sibi à Deo imposito, latam in cœlo sententiam disertè pronuntiabat, cujus executio miseri Principis reditum mox consecuta sit.*

Guicciardinus libr. 3. testatur, *ipsum à majori populi parte Prophetam habitum, quia quo tempore Italia in profundo otio esse videbatur, in concionibus sæpiùs prædixerat, Italiam ab externis copiis invisum iri, cum tanta trepidatione, ut non consilia, non mœnia, non arma ulla eas arcere, aut repellere possent.* (Hæc & alia plura prædixit Savanarola, unde Johannes Picus Mirandulanus Comes eum *Prophetam* appellavit, & adversus Papam Apologiam pro ipso scripsit.)

3. Quòd agnoscunt, prophetias extra & præter verbum prolatas juxta regulam verbi esse examinandas, & sine verbo nihil valere, (quomodo igitur lumen Propheticum erit veræ doctrinæ & Ecclesiæ nota?)

Gerson in tract. de probat. Spirit. *In revelationibus adsint oportet Moses & Elias, hoc est, testimonia legis & Prophetarum, alioqui suspecta erunt.*

Plura hujus generis adduximus lib. 1. part 2. cap. 16. membr. 1.

4. Quòd agnoscunt, donum Prophetiæ non esse Ecclesiæ perpetuum.

(Ergò non est propria, perpetua & infallibilis Ecclesiæ nota. Sanè Costerus part. 3. Apolog cap. 10. §. Quare &c. super verba Joel. 2. & Act. 2. *Filii vestri prophetabunt &c.* sic disserit: *Hoc prophetiæ donum nullo seculo defuit Ecclesiæ.* Sed contrarium docet.)

Ribera in Comment. Joel. 2. *In illo solo tempore, quod Petrus indicavit, intelligendum esse hunc prophetiæ locum, docent Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Oecumenius & alii viri doctissimi, qui omninò de hoc tempore interpretantur, nec unquam alterius temporis meminère. Sed quid ego sanctos Patres commemoro, cùm & Judæi nonnulli ad tempora Messiæ referant, & ex Actibus Apostolorum intelligamus, impletam esse hanc prophetiam*

tiam post Domini ascensionem? Quidam enim prophetabant, ut Agabus & filiæ Philippi & nonnulli ex Corinthiis, erant etiam in Antiochena Ecclesia Prophetæ, etiam Johannes Apocalypsin vidit, & Petrus & Paulus etiam visiones.

Claudius Espensæus Comment. in 1. Tim. lib. 1. Digress. cap. 2. *Prophetæ nunc dicuntur Scripturarum Interpretes & explanatores, ut docet Ambrosius, quamvis inter fidei primordia ad commemoranda ejus rudimenta fuerint Prophetæ etiam prophetantes, quales fuerunt Agabus & quatuor filiæ Philippi virgines.*

Royardus homil. 2. Domin. post Epiphan. *Nunc verò non Propheticâ pronuntiatione, sed admonitione opus est, & instructione prudenti, ne seducantur fideles à falsis Prophetis.*

5. Quòd agnoscunt, veras prophetias à falsis difficillimè dignosci, (ex quo sequitur, hanc notam non esse illustrem & conspicuam.)

Ederus Oeconom. Bibl. lib. 2. lit. D. *Docet Chrysostomus, judicium esse difficilimum, quo falsus Propheta à vero dignoscitur, tùm quòd Prophetarum dicta de futuris plerumque sunt concepta, nec ante tempus exactum cognosci possit, an quis mentiatur; tùm quòd falsi Prophetæ vera prædicunt.*

Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 14. §. Jam apud &c. *Etsi Ethnici habuerint plurima oracula Apollinis, tamen illa vel per ambages respondebant, quando scil. Apollo non sciebat reverà, quid esset futurum; vel ea prædicebant, quæ Dæmones ipsi facturi erant; vel ea, quæ cœpta erant fieri, ignorantibus nuntiabant tanquam futura; vel demum ea prædicebant, quæ naturales habent causas nobis ignotas, illis autem notas ob majorem naturæ subtilitatem, ut Patres docent.*

(Cùm ergò scire sit, rem per causas cognoscerem, quomodo prophetia poterit esse Ecclesiæ nota, quandoquidem veras prophetiarum causas minimè tenemus?)

6. Quòd agnoscere coguntur, in prophetiis ejusmodi fraudes Satanicas sæpiùs deprehensas. (Quomodo igitur donum prophetiæ erit certa & perspicua Ecclesiæ nota?)

Exempla commemoravimus in thesi præcedente, quibus alia possunt conjungi.

Abrahamus Bzovius in Annal. Eccles. Ann. 1201. n. 10. hanc recenset Historiam. *In VVestphalia vivebat quædam inclusa, Gertrudis nomine, fœmina sancta & religiosa, & propter revelationes Dei, quibus illustrabatur, notissima. Hæc multo tempore, quia minùs circumspecta fuit, pro Angelo lucis Angelum tenebrarum suscepit. Solebat enim Diabolus, phantasticâ circumfusus claritate, per quandam cellulæ fenestram ad illam intrare, futura prædicere, & de interrogatis instruere. Ad eam si aliquis venisset, volens cognoscere statum alicujus amici sui defuncti sive alicujus alterius rei certitudinem, illa inducias usque ad crastinum diem petebat, Angelum suum consulebat, à quo sæpiùs decepta falsa pro veris respondebat.*

Johannes Aventinus libr. 4. Annal. Bojorum pag. 249. *Anna Laminita Augustæ multos annos cibo & potu omni se abstinere, cœlitùs, Spirituq; duntaxat vivere, ementita est, insuper colloquia superum, nocturnos Deorum congressus finxit, qui sibi quædam divinitùs revelarent, quæ non solùm stolidum vulgus, indocta plebecula, sed etiam sanctuli illi nostri Magistri credidêre. Novi Theologiæ Professores (ut ipsi putant) omnium præstantissimos, qui illius beluæ amicitiam ultrò affectârunt, eamq; pro Dea coluerunt, & ejus testimonio in rerum divinarum disputationibus, scriptisq; libris utuntur. Quid de socordia Episcoporum, Sacerdotum impietate commemorem? hi veneficam meretriculam quotidiè sacris aris, Christianæq; cœnæ convivam, quasi sovis nuntiam adhibere. Et lupa tecta ovinâ pelle tamdiu (stultis ad eam pecudibus undiq; confluentibus & sanctitatem ejus venerantibus, haud tutò seque illi committentibus) in ovile Dei grassata est & diutiùs scortum vilissimum orbi Christiano (ea est diligentia Pastorum) imposuisset, nisi impientissimum prostibulum vocatum Monachium à Chunegunda, sanctissimâ fœminâ, matre Principum Bojariæ, sorore Cæsaris Maximiliani, in conclavi seclusum, deprehensum atq; admonitum foret, ut de cætero mentiri, populumq; fallere desineret. At scortillum egregium Augustam reversum pertinaciùs suos mores (ita sunt ingenia malorum) tutatur, cœpitq; sanctissimam fœminam Bojorum primariam mendacii arguere. Quamobrem Chunegunda omnem rem fratri Imperatori literis prodit. Hujus igitur jussu Laminita illa sanctissima nectare & ambrosiâ tot annos pasta finibus Imperii eliminatur, ad Suitones cum ingentibus opibus, quas religione peperit, concessit, militiq; robustissimo ob divitias in manum venit: nunc ob scelera submersam esse prædicant. Taceo, quod stupra, quod incestus, sub prætextu religionis in illius domo commissa fuerint.*

Circa applicationem hujus notæ observandum

1. Quòd quidam ex ipsis Pontificiis *Brigittæ* & alias ejusmodi *revelationes* in dubium vocent, ut ostendimus libr. 1. part. 2. cap. 16.

2. Quòd *Gregorius Thaumaturgus*, ad quem Bellarminus provocat, pertineat *ad Græcam*; *Antonius & Johannes Abbas*, ad quos itidem provocat, pertineant *ad Ægyptiacam Ecclesiam*

3. Quòd Bellarminus non potuerit aliquos proferre, qui *hoc postremo seculo* prophetiæ dono instructi fuerint, aliàs illos non præteriisset, cùm in capite proximè præcedente de Xaverii miraculis gloriatus fuerit.

4. Quòd vaticinia *à Luthero* & *de Luthero* edita proferri possint, ut ostendimus tract. de Eccles. §. 291.

Thesis specialis decima tertia. Confessio Adversariorum non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Explic. 1. Fatemur, tantam esse vim veritatis, ut ipsi etiam Adversarii interdum, vel inscii, vel inviti eidem debitum ferant testimonium.

2. Fatemur insuper, testimonium ab hostibus veritati datum magni omninò esse ponderis, cùm non ex præconcepto affectu, sed ex ipsa veritatis vi elicitum meritò judicetur.

3. Interim tamen *Confessionem Adversariorum* Scripturæ suffragio destitutam pro *genuina & infallibili Ecclesiæ nota* agnoscere nondum possumus.

Antithesis. Bellarminus libro 4. de Ecclesia cap. 16. *Decima tertia Ecclesiæ nota est Confessio Adversariorum. Tanta enim vis veritatis, ut etiam Adversarios cogat interdum sibi testimonium dare, Deut. 32.*

Similia occurrunt apud Gregor. de Valent. in Annal. pag. 38.

Nostram sententiam probamus. Nota isthæc

1. Non est *perpetua*. Interdum quidem contingit veritati ab ipsis hostibus testimonium dari, sed illud non est universale ac perpetuum; quandoque enim adversarii sunt ita pervicaces & obstinati, ut manifestæ veritati testimonium dare nolint. Candoris est, in praxin deducere illud Hieronymi Epistol. 65. ad Pammachiam & Oceanum. *Nec bonis adversariorum, si honestum quid habuerunt, detrahendum est, nec amicorum laudanda sunt vitia, & unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est.* Sed hic candor utplurimùm ab adversariis cœlestis veritatis exulat, ex quo tamen vel Ecclesiæ vel doctrinæ veritati nihil decedit.

2. Non est *notior*. Quomodo enim testimonium illius erit certum & infallibile, qui & veræ doctrinæ & Ecclesiæ naturam non perspexit, vel si eam perspexit, tamen doctrinam illam amplecti & Ecclesiæ illi sese associare voluit?

3. Non est *essentialis*. Si vel maximè Ecclesia destituatur confessione adversariorum, tamen est & manet vera Ecclesia, Joh. 5. v. 34.

4. Non est *propria*. Ut enim in quibusdam orthodoxi ab hæreticis laudantur, ita vicissim in quibusdam gentiles & hæretici ab orthodoxis non repudiantur.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quòd in gentilibus quædam approbent, cùm tamen gentilismum non approbent.

c. Qui de mensa dist. 37. ex Hieronymo. *Si quando cogimur literarum secularium recordari & aliqua ex his discere, quæ olim omisimus, non nostræ est voluntatis, sed (ut ita dicam) gravissimæ necessitatis, ut probemus ea, quæ à sanctis Prophetis ante secula multa prædicta sunt, tàm Græcorum quàm Latinorum & aliorum gentilium literis contineri.*

Acosta lib. 6. de procur. Indor. salute cap. 14. *Dissimulari profectò non potest, quam nobis erubescendum sit, quòd à Satanæ ministris, Indis, superemur cùm nos ad salutares confessiones persuadendas pigriores sumus, quàm Ethnici ad sævas carnificinas suas. Lubenter interdum à Sacerdotibus suis expiandi adulterii aut alterius sceleris causâ durissimo saxo ad scapulas tundi fortiter, interdum à juvenibus diu virgis cædi, non rarò si sceleris magnitudo acerbius aliquid postulare videretur, in excelsam atque omni solatii genere destitutam rupem secedere, & longum ibi ævum ferarum more traducere sustinent.*

Nicolaus Pimenta in Epist. de India Orient. pag. 110. *Nulla inter Indos istos furta aut latrocinia, & idcircò, dum foras procedunt, ostia non occludunt. Nos certè admirati sumus, cum in ascen-*

ascensu montium patulas villas offenderemus, nec ullum tamen in illis hominem esse deprehenderemus.

2. Quòd in hæreticis quædam approbent, cùm tamen hæresin non approbent.

Maldonatus in cap. 8. Matth. *Non citaremus Autorem imperfecti operis, quod Chrysostomo falso attribuitur, cùm sit heretici Ariani, nisi & autoritas & eruditio & subtilitas interpretandi illi autoritatem tribuisset, quo consilio Tertullianum & alios, quos hæreticos scimus, sæpè citamus.*

Waldenses habent pro hæreticis, sed quàm honorifico illos ornent elogio demonstratum est in præfatione lib. 1. Confess. Catholicæ generalis.

Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem pro hæreticis habent, in illis tamen quædam laudant.

Æneas Sylvius in Histor. Bohem. cap 36. de illis memorat, quòd *ambo constanti animo necem pertulerint & quasi ad epulas invitati ad incendium properârint, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium; ubi ardere cœperint, hymnum cecinisse, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuerit. Nemo* (inquit) *Philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam illi incendium. Poggius Florentinus ætatis nostræ nobilis Scriptor, de morte Hieronymi Pragensis elegantem scripsit Epistolam.*

Ea verò Poggii Oratoris Florentini ad Leonhardum de condemnatione Hieronymi Pragensis Epistola in Fasciculo rerum expetendarum recitatur, in qua inter alia Poggius sic scribit: *Mirum est vidisse, quâ facundiâ, quibus argumentis, quo vultu, quâ fiduciâ Hieronymus Pragensis responderat Adversariis in Concilio Constantiensi. Primò asseruit, debere causam suam agere, priusquam responderet maledictis Adversariorum. Sed cùm hæc ei conditio denegaretur, tum, quænam, inquit, est hæc iniquitas, ut cùm 304. diebus, quibus in durissimis vinculis, sordibus, squalore, inopiâ, obtrectatores meos semper audiveritis, me unam horam audire nolitis? Cùm singulis respondere se parabat, incredibile dictu est, quibus se tueretur argumentis. Nihil unquam protulit indignum viro bono. Vitam suam ac studia exposuit officiorum plenam & virtutum. Expectabant omnes, ut se purgaret & erratorum veniam postularet, at ille nihilominus in laudem Johannis Hussi descendit, quem virum sanctum appellat, & tali supplicio indignum, se quoq; paratum esse constanti animo pro eadem causa quodvis adire supplicium. O virum dignum hominum memoriâ sempiternâ!* (Addit Poggius *Non laudo si quid adversus instituta Ecclesiæ sentiebat.*) *Cùm venisset ad locum mortis, vestimentis sese exuit. Flammâ adhibitâ canere cœpit hymnum, quem fumus & ignis vix interrupit. Cùm lictor post tergum ejus lignum, ne id videret, injicere vellet, huc, inquit, accede, & in conspectu accende ignem. Si enim illum effugere voluissem, nunquam ad hunc locum, cùm fugiendi facultas erat, accessissem: Hoc modo vir præter fidem egregiùs consumtus est. Vidi ego hunc exitũ, singulos actus perspexi.*

Episcopus Nazareus hæreticorum Inquisitor & Conradus Archiepiscopus Pragensis Hussi Inspector testimonium dixerunt, *Hussum non fuisse hæreticum*, ac Sigismundus Imperator se propter ejus injustissimam cædem Bohemis purgavit.

Nicolaus de Buldesdorff circa Annum 1433. condemnatus fuit à Concilio Basileënsi, eò quòd *aliquot articulos Curiæ Romanæ reprobaret, & affirmaret, Concilium Constantiense iniquè damnasse Johannem Hussum.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 18. §. 7. *Johannes Huss & Hieronymus Pragensis, ut fertur, asseverarunt, universalem Ecclesiam non in Roma, vel Papa, sed in prædestinatorum universitate consistere, nec non posse salvari Christi fideles etiam, qui non subessent collectioni Romanæ. Ob hujusmodi doctrinas, quibus fortè à Roma tolleretur locus & gens sua, in Concilio Constantiensi rupto salvo conductu ambo exusti sunt. An hæc vel alia eorum dogmata fuerint novæ vanitatis, an Evangelicæ antiquitatis, nescio: Ego non judico quenquam, hoc certum habeo, eos suâ sponte tam forti animo supplicium incendii subiisse, ut nemo Philosophorum in sustentanda* (sustinenda) *morte superaverit illos.*

Circa applicationem hujus notæ observandum,

1. Quòd multi ex Pontificiis B. Luthero honorificum dederint testimonium, ut ostendimus lib. 1. part. 1. cap. 6.

2. Quòd doctrinæ nostrarum Ecclesiarum elogium veritatis tribuerint, ut ostendimus lib. 1. part. 1. cap. 8. *in genere*; *in specie* verò idem probamus in singulis Confessionis nostræ articulis per totum librum secundum.

3. Quòd in Indice Expurgatorio ex Scriptoribus deleri jubeantur, quæcunq; honestam nostrorum mentionem faciunt, quomodo igitur à nobis postulare audent, ut testificationes adversariorum proferamus?

Index Expurg. à Junio editus p. 162. *Deleatur nomen Lutheri cum sua autoritate.*

Pag. 180. *In Johanne Funccio hæc verba, post pii Doctoris Lutheri mortem, deleantur.*

Pag. 96. & 123. *Deleantur illa verba, operis laboriosissimi atque utilissimi Historiæ Magdeburgicæ.*

Pag. 126. *Quia Leobaldus in annotationibus passim citat Melanchthonem, ejus citatio passim delenda est.*

Pag. 162. *Deleatur laudatio Sleidani de fidelitate.*

Index Expurgatorius Cardin. Toletani Anno 601. edit. fol. 148. *Johannes Fridericus Princeps Christianissimus, hæ duæ voces deleantur.*

Fol. 93. *De Friderico Saxonum Duce deleantur illa verba, Illustrissimus, sapientissimusque.*

Fol. 148. *Christophorus præclarus Dux Würtenbergensis. Deleatur verbum præclarus.*

Fol. 142. *Melanchthon vir nulli nec Italorum, nec Gallorum secundus, magnum Germaniæ decus, expungantur.*

Fol. 61. *Melanchthonis & hujusmodi hæreticorum nomina expungantur.*

Fol. 93. *D. Lutherus. Deleatur prima litera D.*

Index Expurgatorius Concil. Trident. annexus lib. 2. fol. 30. *Epitheta honorifica, & omnia in laudem hæreticorum deleantur.*

4. Quòd moderatiores Pontificii honestum de nostræ fidei hominibus quandoque ferant testimonium.

Sotus Defens. pag. 258. b. *Agnoscimus exemplis diligentiaq; Lutheri & suorum, Deum nos paternè admonere, eorumque vigilantia nostram excitare & condemnare socordiam.*

Georgius Cassander in consultatione egregium de Protestantibus fert testimonium, & in libro de officio pii viri vocat eos *vera Ecclesiæ membra*, quo nomine ipsi succenset Bellarminus lib. de Laicis cap. 19.

Secretarius Papæ Pauli IV. (Petrus Paulus Vergerius adhuc Pontificius) in actione, an restaurandum sit Concilium, edit. Pforzheim Anno 59. statuit, *nihil periculosius vel perniciosius fieri, quàm si Protestantium Legati inter Episcopos in Concilio permittantur, quæ voluerint loqui*, additâ hâc ratione fol. 14. quòd *inter ipsos sint multi solidè docti & diu versati atque exercitati in ipsis Bibliorum fontibus & in veteribus Scriptoribus, norint etiam linguas Græcam & Hebræam.* Contra verò de Episcopis Pontificiis dicit, quòd sint *ferè literarum rudes, voluptati autem ac deliciis dediti.*

Huc referri potest, quòd Calvinianis, qui æquè ac nos à Romana Ecclesia exclusi, honorificum deferant elogium.

Stapletonus in Præfat. ad Antidota Evangelica & Apostolica tom. 3. operum de Calvino. *Sanè præter accuratam Catholicorum dogmatum, vel refutationem, vel reprehensionem (quo nomine suis mirabiliter placet,) ubi ea aut refutandi, aut reprehendendi locus non est, ita in reliquis, quoad literam, interpres est diligens, ita moralis, ita elegans & suavis est, ut hæc varia esca proposita, & veluti in aureo poculo propinato veneno, etiam ab ipsis Orthodoxis avidè interdum legatur, qui in dictione pura doctrinam vix cavent impuram, quos etiam aliquando exoptare audivi, ut resectis, quæ contra Ecclesiam & fidem disputantur, castratus prodiret, sic enim commentarios ejus perutiles fore.*

Nicolaus Serarius prolegom. Biblic. cap. 18. quæst. 1. *Novæ Bibliorum editioni Anno 1543. Tiguri publicatæ, quam Leo Juda inchoaverat & moriens, ut opus persequeretur, Collegis in fidem religiosè adactis transcripserat, ultimam manum imposuit Bibliander, Conradi Pelicani & Petri Cholini Thugiensis, Græcæ linguæ Peritissimi, opera adjutus: quam translationem in sua editione biennio post ad veterem adjecit Robertus Stephanus, suppressâ eorum, qui in ea laborarunt, mentione; & Hispani Theologi diù pòst recognitam per Gulielmum Rovillium Lugduni excudendam curaverunt. Quod eò commemorandum duxi, ut versionis tanti apud nos & Hispanos ipsos factæ origo cognosceretur, & insigne documentum extaret, quid utilitatis ex Adversariorum libris & industria, si remotis odiis charitatem & æquitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit.*

Augustinus Villavincentius Hispanus lib. 2. de rat. stud. Theolog. cap. 1. *Poterit Candidatus Theologiæ annotationes, quæ vulgò Vatabli dicuntur, in sacrarum suarum Musarum conclave adhibere, quarum præsidio si usus fuerit, incredibili facilitate cun-*

cuncta, quæ abstrusa, ardua aut difficilia in sacris Bibliis ignorati sermonis Hebraici causa occurrerint, intelliget & assequetur. Affirmant enim quamplurimi viri eruditi constanti sententia, neminem majorem, vel eruditione, vel fide, magisq; perspicua expositione sacros libros Vet. Testam. interpretatum esse, quam Franciscus ille Vatablus doctissimus Professor Regius Ebraicarum literarum Parisinus interpretatus est.

Confer ea, quæ superius thesi speciali decima sunt allata.

5. Bellarminus demonstraturus, tantam esse vim veritatis, ut cogat Adversarios sibi testimonium dare, addit particulam *interdum*. Agnoscit ergò ipse, Confessionem Adversariorum non esse perpetuam & individuam Ecclesiæ notam.

6. Bellarminus in ἐξετασίᾳ hujus notæ sic disserit §. 1. *Nunquam inveniuntur Catholici laudasse doctrinam aut vitam ullorum hæreticorum.*

(Subsumo ex eodem Bellarmino lib. 1. de Christo cap. 9. *Tertullianus est manifestus hæreticus.* lib. 4. de Pont. Rom. cap. 8. resp. ad 6. *Tertullianus erat Montanista.* lib. de beat. Sanct. cap. 1. §. 2. *Primus ex hæreticis, qui asseruit, animas omnes, quantumvis sanctorum hominum, usq; ad ultimum diem judicii servari in quibusdam additis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe, fuit Tertullianus.* lib. ejusd. cap. 5. §. ultimò. *Tertullianus fuit hæresiarcha.*

Similia occurrunt lib. de Confirmat. c. 1. § At nullus. lib. 3. de Eucharist. c. 6. §. Ac de Tertulliano. lib. 1. de Indulg. cap. 3. §. Illud quoque.)

Atqui Tertulliano quidam Romano-Catholici honorificum deferunt elogium. Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. tit. Tertullianus. *Tertulliani scripta B. Cyprianus tanti fecit, ut nullum diem sine illorum lectione præterire permitteret, illud crebrò inculcans Notario suo, Da mihi Magistrum, Tertullianum scilicet significans.*

Gulielmus Lindanus lib. 3. Panopl. capit. 23. vocat eum *nobilem autorem.*

Jacobus Reyhingius in muris Civit. sanctæ fundam. 2. 3. 10. & 12. vocat eum *Scriptorem ac Doctorem vetustissimum, doctissimum, peritissimum, gravissimum, acutissimum.*

Bellarminus ex Patrib. Latinis suam sententiam confirmaturus, in prima acie passim eum collocat.

Pari ratione de Origine sic scribit Bellarminus lib. 4. de Eccles. c. 9. hæres. 3. *Origenis hæresis fuit, perdidisse Adamum imaginem DEI, ad quam creatus fuerat.*

Lib. 1. de Purgat. c. 5 §. Respondent. *Origenis hæresis docet, pœnas gehennæ non esse æternas.*

Lib. ejusd. cap. 8. §. Septimum est &c. *In Prato Spirituali narratur revelatio, qua Origenes visus est in gehenna ignis cum Ario & Nestorio.*

Salmero tom. 13. lib. 1. Prooem. in Epist. Pauli p. 1. Disp. 19. adducit Canonem 11. Quintæ Synodi Universalis. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedoniũ, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, & Originem cum impiis eorum scriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati sunt & anathematizati à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia &c. anathema sit.*

Nihilo tamen minus honorificum Origeni deferunt elogium. Gilbertus Genebrardus & Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothec. tit. Origenes, pag. 282. ex Didymo Alexand. eum vocant *secundum post Apostolos Ecclesiarum Magistrum.* Genebrardus eum insuper vocat *magnum ac vetustum Scripturarum Interpretem*; Sixtus Senensis, ex Hieronymo *sacrorum omnium Expositorum victorem.*

Erasmus in annotat. 2. Cor. 11. p. 384. *Theologorum sine controversia Principem.* In annot. Galat. 2. p. 399. *In Scripturarum enarratione unum Originem decem orthodoxis opposuerim, exceptis aliquot dogmatibus fidei.*

Antonius Possevinus in Apparatu tit. Origenes, de eo sic scribit: *Origenes à Severo is censetur, qui, in qua parte probatur, neminem post Apostolos habuit æqualem.*

Gulielmus Lindanus lib. 3. Panopl. c. 24. §. Origenes &c. eum vocat *illustre Ecclesiæ Alexandrinæ lumen.* lib. ejusdem c. 26. §. Adhæc &c. repetit encomium à Didymo ipsi datum, quod tamen Hieroymo tribuit, *Origenem fuisse alterum Ecclesiarum post Apostolos Magistrum.*

Bellarminus ex Patribus suam sententiam confirmaturus, æque eum ac Ambrosium, Augustinum & alios adducit.

De Eusebio Cæsariensi Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 9. §. Ad Irenæum &c. sic judicat, *Eusebius est manifestus hæreticus.*

Lib. de Laicis cap. 20. §. At contra &c. *Ecclesia tolerat libros veterum hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Eusebii, Pelagii.*

Interim quidam honorifico eum ornant elogio. Ludovicus Vives in lib. 18. August. de Civ. Dei c. 18. *Vir fuit immensa lectione & proinde summa eruditione.*

Bellarm. de Script. Eccles. p. 105. *Mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.*

Thesis specialis decima quarta. Infelix exitus Adversariorum non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Infelicitas exitus vitæ æstimatur, vel *ex aspectu externo* duntaxat, vel *ex vita antegressa.* Si non solum ex aspectu externo, sed etiam ex antegressa vitæ impietate infelicitas æstimetur, fatemur, & persecutores & hæresiarchas justo Dei judicio horribiliter utplurimum perire, ac Deum suá judicia etiam in hac vita contra illos sæpius ostendere. Si verò ex nudo aspectu externo infelicitas mortis æstimetur, negari nequit, etiam sanctissimos Dei Martyres judicio mundi miserabilem sortiri exitum; proinde ex mortis qualitate absolutè & simpliciter certi quippiam de ejusdem infelicitate concludi nequit, sed respicienda est *doctrina*, quam antea professus est, qui miserè videtur perire, & *vita*, quam antea egit.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 17. *Decima quarta Ecclesiæ nota est infelix exitus seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant.*

Gregorius de Valentia part. 1. Analys. pag. 41. *Mitto quod non minus horribiles multorum Sectariorum exitus fuerunt, qui doctrinam Ecclesiæ Romanæ his temporibus oppugnarunt, quam eorum, qui olim hostiliter eandem insectati sunt, ut nominatim ab Erasmo Albero est literis proditum, quod ipsum profecto argumento minimè levi est, non magis istorum doctrinam, quam veterum illorum Ecclesiæ hostium esse revera Christianam.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ratione aspectus externi & judicii humani etiam sanctissimi Martyres miserabilem sortiti videntur exitum. Ergò hæc nota non est Ecclesiæ propria.

2. Quidam persecutores & hæresiarchæ pacatè ex hac vita decessisse leguntur. Ergò hæc nota non est Ecclesiæ perpetua.

3. Quandoque eorum, qui in visibilis Ecclesiæ gremio ac consortio vivunt, propter antegressam vitæ impietatem exitus sunt Tragici ac funesti, ex quibus non potest colligi, quod Ecclesia, cui ratione externæ societatis conjuncti fuerunt, non sit vera Ecclesia.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod negare non possunt, quosdam Pontifices Romanos Tragicum habuisse exitum.

Zosimus I. (qui sedit circa Ann. 419.) *Episcopatus sui die vicesimo subita morte correptus obiit.*

In Appendice cap. Secundum. dist. 19. de Anastasio II. (qui sedit circa Ann. 496.) sic legitur: *Quia illicitè & non Canonicè, sed contra Decreta Prædecessorum & Successorum suorum hæc rescripta dedit, ut probat Felix & Gelasius, qui Acatium ante Anastasium excommunicaverunt, & Ormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acatium postea damnavit, ideò ab Ecclesia Romana repudiatur, & à Deo percussus legitur.*

Johannes de Turrecremata lib. de pot. Eccles. *Bene legitur, Anastasium divino nutu percussum interiisse.*

Sylvester II. (qui sedit circa Ann. 898.) *cùm in Basilica S. Crucis Romæ in Hierusalē Missificasset, à Diabolo ex pacto extinctus est.*

Christoph. I. (qui sedit circa An. 902.) *in carcere miserè vitam finiit.*

Johannes X. (qui sedit circa Ann. 913.) *cervicali in os injecto, in carcere suffocatus est.*

Joh. XIII. (qui sedit circa An. 965.) *in adulterio confossus periit.*

Bonifacius VII. (qui sedit circa Ann. 974.) *suorum scelerum conscientia excruciatus, subitanea morte perit.*

Hadr. IV. (qui sedit circa An. 1154.) *excōmunicationem Imperatori denunciat, ipse à Deo maledictus, cum aquā è fonte haurire vellet, musca in os ejus involans gutturi adhæsit, qua miserè suffocatus est.*

Nicolaus III. (qui sedit circa An. 1277.) *subito mortuus est.*

Paulus II. (qui sedit circa An. 1464.) *moritur media nocte nemine præsente, cùm latus eadem die fuisset in Consistorio, & duos pepones pridie antè mortem absumsisset.*

Alexander VI. (qui sedit circa Ann. 1492.) *veneno periit incautius propinato, quod alteri parari jusserat.* Sed quid multis? proverbio celebrari notum, quod *venenum sit mors Pontificum.*

Videantur Platina, Johannes Stella, Balæus, Naucierus, Sabellicus & alii, qui de vitis Pontificum scripserunt.

Johannes Sarisberiensis in Policratico lib. 6. cap. 24. scribit, *se putare, Pontifices tam brevi vivere, & tam repente mori, ne totam Ecclesiam corrumperent.*

Huc referri possunt Tragici quorundam Clericorum Papalium obitus.

Circa Annum Christi 1230. scripsit quidam librum, titulo, *Bonum Universale, de proprietatibus apum*: in quo vehementissimè invehitur in eos, qui plura beneficia habent aut detinent, ac refert multa tristia exempla subitaneæ mortis talium Sacerdotum. Memorabile cumprimis est, quod refert, *quendam magnum Canonicum dixisse, cum audisset socium suum vesperi benè valuisse, & manè inventum, mortuum? Quid multu? secundum usum & consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, ut videtur.*

(Ex eo manifestum est, tunc fuisse adeo frequentia exempla repentinæ mortis Canonicorum & Sacrificulorum, ut diceretur hoc esse secundum consuetudinem Ecclesiæ mori.)

2. Quod multa exempla afferri possunt eorum, qui nostram doctrinam & Ecclesiam oppugnarunt, vel ab ea defecerunt, ac Tragicè postmodum perierunt.

Exempla hujusmodi magno numero adduximus in tract. de Ecclesia §. 298. utpote Emseri, Cancellarii Trevirensis, Doctoris Craus, Thomæ Blaveri, Felicis Comitis Werdenbergii, Hofmanni, Monachi cujusdam Dominicani, Eccii, Piggii, Johannis Minerii, Guarlaci Doctoris Lovaniensis, Munerii Prætoris Lutetiani, Alphonsi Diazii, Bartholomæi Masco Consulis Hoxariensis, Johannis à Weza Constantiensis Episcopi, Francisci Spiræ, Crescentii Pontificis in Tridentino Concilio Legati, Monachi cujusdam Monasteriensis, Henrici Smithæi, Jacobi Latomi, Episcopi Labacensis, Oliverii Galliæ Cancellarii, Joachimi à Neuhausen Bohemiæ Cancellarii, Rabi, Caspari Francken, Valentini Pacæi, Stephani Agricolæ, Johannis Jesuitæ &c. quibus alia superaddi possunt.

Ponchetus Archiepiscopus Turonensis primus Regi Galliæ autor fuit, quæsitores instituendi, qui pios cremarent. Sed is *febri ardentissima ita ustus fuit, ut exteriora membra illi putrescerent, nec calor iste membris articulatim dissectis sedari potuerit, qui tandem ustorem combussit.*

Wolffgangus Schuch Prediger zu S. Pild in Lothringen ist Anno 1525. zu Nancey verbrand worden / weil er gelehret hatte / allein der Glaube rechtfertige / und ohn alle Werck und Verdienst mache er Freunde Gottes. Aber bald hernach ist der Antonier Herr / welcher der oberste Geistliche Richter wider den frommen Wolffgangum gewesen / des gehenden Todes gestorben / und sein Gesell ein Abt und Weyhbischoff zu Metz ist durch das Freudenschiessen / daß man zu Nancey hielte / der Hertzogin in Dennenmarck / als sie daselbst einzog / durch unversehen Schrecken des Braßlens vom Geschütz umbkommen / Wolfferamus in Centur. 5. testim. de fide sola. lit. A a 1. fac. b.

Ambrosius Moibanus in lib. de mandato Christi Anno 1536. edito refert, quod *Prælatus quidam, cum per omnem suam vitam ex mera pertinacia Evangelio fuisset adversatus, idque verum esse Evangelium negasset, quia nimirum nulla ederet miracula, morbo correptus, atque eo ad mortem usque laborans, dixerit: O mi Deus omnipotens remitte mihi, quod tam pervicaciter Evangelium tuum, quod hodiè prædicatur, contemserim, illudque nullam miracula faciendi vim habere protervè affirmaverim. Heu quam illud modo in agone meo verissimum est, & alias in vita deprehendi, quod semper Deus mihi aliisque mei similibus Prælatis idem conantibus aperte restiterit, osque nostrum ita inhibuerit, ut ne illud quidem aperire contra Evangelii sui prædicatores potuerimus. Illi profectò prædicatione sua omnem Missam, omne Purgatorium nostrum funditus subverterunt, quod ego cum omnibus aliis Papistis nunquam potui obtinere. Peto itaque veniam, & imploro misericordiam Dei, ne mihi imputare incredulitatem meam velit. Atque ita Prælatus iste haud multo post obdormivit.* Wolff. tom. 2. p. 4. 17.

Anno 1548. Iohannes Hoffmeister Ordinis Augustini, *cum iter faceret Augustam Vindelicorum versus, eo animo, ut quantum in se esset, dispiceret de libri interim matura divulgatione, qui jam in fabrica Pontificia cudebatur, ecce derepente eo insaniæ delabitur, ut Guntzbergæ furoris ejus edomandi causa catenis constringeretur. Sed & horribiliter ejulando se in æternum à facie Dei projectum, & Diabolo mancipatum esse clamabat. Ubi vero de misericordia Dei magna, de pœnitentia agenda monebatur à circumstantibus, ajebat miser ille, hæc se nihil amplius attinere, ut qui hactenus apertam veritatem dictis & factis acerrimè oppugnaverit, & conscientiam suam obstinata mente sauciaverit. Ita vociferans & de salute sua desperans, extinctus est in eodem diversorio, quo paulo ante Cæsareus Cancellarius D. Navis quoque miserabili fato defungebatur, ut & Trevirensis quidam Episcopus.* Spangenbergius de lib. Interim.

Anno 1557. *pridie ejus diei, quo Christus in cruce passus est, Forchemii, quæ civitas est Episcopatus Bambergensis Diœcesis, Sacerdos quidam decrepitæ ætatis qui baculis innitens difficulter se movebat, à duobus Diaconis in suggestum deductus verba Divi Pauli ex prioris Epistolæ ad Corinthios undecimo de Cœna Domini enarrabat, atque errores Papisticos & Missæ idololatriam defendens inter alia proclamabat: Paule, Paule, si tua doctrina veritati consentanea est, u-susque Sacramenti sub una specie impius, precor, ut arreptum me Diabolus hinc auferat. Hinc ad populum conversus vociferabatur, Si Papæ doctrina vera non est, Satanæ esse mancipium, meamque ipsi animam oppignorare haud quaquam verebor. Has & plures ejus blasphemias non sine stupore & trepidatione auditores percepere. Nec mora, tantus in templo strepitus & fragor auditus est, ut omnia inter se collidi, ruinamque minitari viderentur, tum vir proceræ staturæ atro colore formidabilis in templo apparuit, ante quem venti vehementis flamina per totum templum resonantia ferebantur. Is impium Sacerdotem arreptum secum abstulit, nec ulli quorsum ille adductus sit, in hodiernum usque diem constat. Eo abducto, denuo apparuit vir iste procerus, & rectà in Sacrarium pergens Episcopi fratrem de Rugenstein unum ex omnibus petit. Is qua potuit vi spectro se opposuit, strictoque gladio ejus incursum avertere conatus est, sed spectrum læsurus seipsum vulneravit. Tandem non sine magna difficultate templo se proripuit, ingensque populi fugientis trepidatio exorta est. Eadem hora ingentes ante mœnia civitatis visæ sunt copiæ, eaque rerum erat facies, ac si omnia ab hostibus occupata tenerentur, tum buccinatores è turribus hostium equitumque præsentiam significantes terrorem ingeminabant. Nec vel Episcopo, vel aliis, ubi tuto delitescerent, in tota civitate ullus se offerebat angulus. Deinde in subsequenti die Dominica terrore hoc omnium adhuc oculis animisvè obversante, cum Sacrificuli in consecranda Baptismatis aqua essent occupati, & inter alias ineptias Baptisterium circumirent, tantus denuo fragor in templo excitatus eos terruit, ut relictis sacris trepidi omnes inde profugerint.* Iobus Fincelius in Prodig. Wolfius tom. 2. pag. 707. Wolfferamus in Centur. 5. testimon. de sola fide. lit. R. 1. fac. b.

Hasenmüllerus in Histor. Iesuit. pag. 427. refert, *se audivisse ex Jesuita Turriano, Ignatii Lojolæ comitem assiduum usque ad aram Missæ fuisse Dæmonem, à quo etiam sæpe ita fuerit agitatus, ut in magna copia frigidissimum mortis sudorem effuderit, & postquam cum tremore obierit, mortuum nigerrimo vultu conspectum esse. Cum anno 1554. corpus ejus ad templum ab Alexandro Farnesio extructum transferre vellent Jesuitæ, ossa cadaveris ejus non sunt inventa, fingentibus ipsis, ea per Angelos forsan esse translata, quales Angeli fuerint, ipsi viderint. Nihil dicam, quam felices sortiantur exitus ipsi Jesuitæ, qui quomodo moriantur, vel ubi sepeliantur, vix vicina domus novit, ad quos ægrotantes novitios & extraneos non admittunt, nam mira forsan viderent & audirent.*

Argum. Advers. *Lutherus postquam vesperi lætus ac sanus opiparam cœnam sumsisset, ac facetiis suis ad risum omnes provocasset, repentina morte sublatus est.* Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 17. *Lutherus benè potus & cibis distentus absque ullo pietatis signo cubitum secedens apud inferos pernoctavit.* Ghilhelmus Bellæus Iesuit. in Concept. Theol. Sabbat. post cineres pag 102.

Resp. 1. Surius in Comment. rerum in orbe gestarum pag. 474. recitat Lutheri precationem, quam paulo ante obitum ad Deum effudit: *Rogo te, mi Domine JESU CHRISTE, suscipe animulam meam. Etiamsi avellar ex hac vita, licet corpus mihi jam sit deponendum, certo tamen scio, me tecum permansurum esse in sempiternum, neque posse me è tuis manibus à quoquam avelli.*

(Congruit hoc cum iis, quæ Philippus Melanchthon in vita Lutheri de ipso memorat: *Cum jam è vivis discessurus esset, gratias immortales DEO agens, quod Filium suum CHRISTUM ei patefecisset. Vidi,* inquit, *Filium tuum, & veritatem omnem amavi tanquam animam meam.*)

2. Iacobus Augustus Thuanus Parlam. Parisiensis Assessor libr. 2. Histor. Ann. 46. pag. 120. Lutheri obitum sic describit: *Sub id tempus Martinus Lutherus turbarum contra Pontificiam autoritatem concitatarum autor, natus annos 63, in patria Islebia,*

bia, quod est Mansfeldicæ ditionis oppidum, moritur 12. Calend. Martias, illuc Wittebergâ, ubi docebat, à Mansfeldiis Comitibus vocatus & arbiter electus, ut dissidium, quod inter ipsos de finibus & hæreditate erat, componeret. Post cœnam proximè ante noctem, quâ decessit, cùm rogaretur, num in illa sempiterna vita simus alter alterum agnituri, ita esse ajebat, & Scripturæ testimoniis confirmabat.

(Congruit hoc cum eo, quòd Sleidanus lib. 16. Comment. sub finem de Lutheri obitu memorat, & addit. *Hæc verba Lutheri fuisse inter alios sermones, quos post cœnam de rebus gravissimis ad religionem pertinentibus sit locutus, tandem sentientem morbum ingravescere & astantes ad pietatem adhortatum, precatum esse, & sic animam Deo reddidisse.*

3. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 14. §. Respondebimus. *Stultum est credere potiùs absentibus, quàm iis, qui interfuerunt.*

(Jam verò fabulam de Luthero, postquàm facetiis omnes ad risum provocâsset, subitò mortuo ex Cochlæo, & hoste Lutheri & aurito teste Bellarminus repetit, cùm Justus Jonas, Michael Cœlius & Johannes Aurifaber testes αὐτόπται longè aliter Lutheri obitum describant, & coram Deo ac in conspectu Christi testentur, quòd *sanctâ fide & conscientiâ obitus Historiam referant.* Confer Sleidanum lib. 16. Commentar. pag. 488.)

4. Cornelius à Lapide non contentus calumniâ de repentina morte, etiam ἀπχμείαν Luthero affricare non erubescit. Sed huic immani calumniæ responsum fuit in Appendice libri primi generalis membro 2. in calumn. specialibus §. 4.

Thesis specialis decima quinta. Felicitas temporalis non est genuina & infallibilis Ecclesiæ nota.

Ἔκθεσις. Non negamus, pietatem habere promissiones præsentis & futuræ vitæ, sed felicitatem temporalem, à vera pietate sejunctam, veræ Ecclesiæ notam esse negamus.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 18. §. 1. *Decima quinta Ecclesiæ nota est felicitas temporalis, divinitùs iis collata, qui Ecclesiam defenderunt. Nunquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæserunt, quin facilimè de hostibus triumpharent.*

Pistorius in Hodeg. cap. 4. p. 95. *Vera Ecclesia non tantùm crucem & contemtum, sed etiam suo tempore magnam gloriam, pacem & felicitatem apud Dynastas & populos inveniet.*

Gregorius de Valentia part. 1. Analys. pag. 41. *Neque committere possum, quin hoc etiam loco Sectarios interrogem, qui tandem fiat, quod res Ecclesiæ Catholicæ Romanæ tam habeant in omni genere faustum progressum, sibi ipsi, quod jactitare solent, velut alii quidam Apostoli, doctrinæ sanæ propugnatores sunt, Ecclesia verò Romana non secus atque Judæorum olim Synagoga à doctrina vera, sinceraq; religione descivit?*

Composit. Pacis cap. 3. quæst. 17. n. 13. *Antè observatum fuit & temporis præsentis bello Germanico decennali magis confirmatum. Quotiescunque Catholici cum Novatoribus prælio certârunt, victores illos fuisse, nunquam victos. Id Belgæ sciunt, Helvetii Catholici gloriantur, Tillius gloriosus & alii experti sunt. Civitates per vim occupare, arces ac pagos vastare, insidiis ac dolo adversarios suos cædere quandoque potuerunt Protestantes, sed Marte aperto nunquam. Hæc nimirum Dei providentia est, hoc auxilium Ecclesiæ suæ promissum ac testimonium.* Rationem subjungit hancce, quia *Sanctorum in cœlo apud Deum opem Sectarii non habent, cùm eam nec postulent, imò rejiciant ac refellant.*

Nostram sententiam probamus ex eo,

1. Quòd Ecclesia in hac vita sæpiùs cruci subjiciatur. Psal. 129. v. 1. & 2. Johan. 16. v. 20. & 33. Act. 14. v. 22. 2. Timoth. 3. v. 12. Apoc. 12. v. 13. & 15. Ergò hæc nota non est Ecclesiæ *perpetua.*

2. Quòd Ecclesia malignantium, adeoque veræ Ecclesiæ hostes, felicitate temporali exultent. Job. 21. v. 7. 8. 9. 13. Psalm. 73. v. 5. 12. Jerem. 12. v. 1. 2. Ergò hæc nota non est Ecclesiæ *propria.*

3. De Antichristo prædictum Daniel. 11. v. 36. *Et dirigetur* sive prosperabitur. Ergò temporalis felicitas Antichristianæ potiùs quàm veræ Ecclesiæ nota.

4. Cùm populus Israeliticus à Babyloniis vinceretur, inque captivitatem abduceretur, dicebant Moabitæ & Edomitæ Ezech. 25. v. 8. *Ecce sicut omnes gentes domus Juda*, hoc est, Deus non magis curat populum Judaicum, quàm gentes alias. Si essent populus Dei, victoriam ab hostibus reportarent, nec in bello superarentur. Ergò est Edomiticum ac Esauiticum argumentum ex felicitate temporali de veritate Ecclesiæ pronuntiare.

5. Quandoque populis illis, in quorum medio pii habitant & regioni, quæ veræ Ecclesiæ dat hospitium, adversa accidunt, quibus etiam vera veræ Ecclesiæ membra involvuntur. Cùm Abrahamus in terra Canaan veram Dei agnitionem incolas doceret, & Ecclesias plantare inciperet, *fames* ibidem fuit exorta Genes. 12. v. 10. Elia concionante oritur *annonæ caritas*, non autem Prophetæ, sed impii Regis & Baaliticæ cohortis culpâ 1. Reg. 17. & seqq.

6. Turca in Alcorano de veritate religionis suæ gloriationes victoriis à Christianis reportatis confirmat. Est ergò Turcicum argumentum ex felicitate temporali Ecclesiæ veritatem probare velle.

7. Christus Ecclesiæ caput per *passiones intravit in gloriam*, Luc. 24. v. 26. quare cùm Ecclesia sit corpus Christi mysticum, huic capiti suo eam per tribulationes & persecutiones conformari oportet Rom. 8. v. 29.

8. Israëlitæ argumento à felicitate temporali ducto idololatriam suam propugnabant Jerem. 44. v. 16. Ethnici eodem argumentorum genere contra Christianos utebantur &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quòd agnoscunt, veram Ecclesiam & vera ejus membra in hac vita cruci esse subjecta.

(Quomodo igitur felicitas temporalis poterit esse propria Ecclesiæ nota?)

c. Si Ecclesia caus. 23. quæst. 3. ex Augustino. *Si Ecclesia vera est, ipsa est, quæ persecutionem patitur, non quæ facit. Quæratur ab Apostolo, quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancilla?*

Hugo de Prato serm. 91. *Tyrannorum persecutio debet nos in fide Christi stabilire.*

Otto Frisingensis lib. 8. cap. 3. *Sed quærendum est, quare Dominus civitatem suam tam immaniter tribulari permittat, cur ejus hosti tantam malefaciendi efficaciam tribuat? At non est mirum, si Dominus Ecclesiam suam de nihilo suscitatam & ad summum fastigium in terra exaltatam ante ultimæ tribulationis bravium, ne longo dissoluta otio in amore sui conditoris torpeat, excitatam gravissimâ priùs exerceat palæstrâ.*

Johannes Ferus in cap. 7. Actor. *Quot adversa contigerunt Jacobo, qui tamen omnibus hominibus gratior erat! Is fame laborans subsidium petere cogitur ex Ægypto.*

Baronius ad annum Christi 130. tomo 2. Annal. Eccles. pag. 90. *Mirabile dictu, vidimus, sæpiùsque lustravimus Priscillæ cœmeterium haud pridem inventum atque refossum via Salaria, tertio ab urbe lapide; quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ ejus amplitudine, multiiq; atq; diversis ejusdem viis, quàm subterraneam civitatem quippe quod ipsius ingressu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias frequentes habeat, easdemq; diversas, quæ rursum in diversos viculos dividantur & angiportus: rursus, ut in civitatibus statis locis, velut fora quædam, ampliora sunt spacia ad conventus sacros agendos, eademq; Sanctorum imaginibus exornata, nec desunt, licet nunc ad lumen excipiendum desuper obstructa foramina. Obstupuit urbs, cùm in suburbiis abditas se novit habere civitates, Christianorum tempore persecutionis olim colonias, modo autem sepulchris tantùm refertas &c.*

(Talis olim fuit Christianorum in primitiva Ecclesia felicitas, habitare in cavernis & cryptis arenariis, ac ad gladium cervices quotidie præparare.)

Idem Anno Christi 756. num. 6. *Vidisti Lector ex usu pristino ab exordio nascentis Ecclesiæ, Deo ita disponente, suâ inenarrabili providentia, Romanam Ecclesiam persecutionibus semper crescere & vexationibus dilatari consuevisse.*

Illephonsus Giron Ordin. Prædicat. Hispan. in Promtuar. Concion. festival. in Festo B. Sebastiani conc. 2. p. 440. *Fortitudo Ecclesiæ altiora fundamenta habet, quam terrena ædificia. Temporalis namq; fortitudo in vita & viribus Ducum & militum sita est: at verò fortitudo Ecclesiæ in morte & sanguine Christi, Apostolorum & Martyrum stabilita est.*

Similia occurrunt in vigil. Epiphan. conc. unic. p. 367.

Claudius Espensæus in 2. Tim. pag. 103. scribit, *crucem esse Ecclesiæ notam.*

Pag. 100. *Prædixit Christus labores, Pseudochristi prospera.*

Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 2. §. Quarta nota. *Ecclesia in principio & fine malignas passa est angustias, at in medio florentissima fuit, & omnia prædicta sunt.*

Lib. ejusd. cap. 6. §. Jam verò. *Constat Ecclesiam ex persecutionibus crevisse. Ut enim aquæ diluvii palatia Regum obruebant, atq; dejiciebant; arcam verò Noe semper magis ac magis attollebant: ita persecutiones regna temporalia facilè destruunt, Christi regnum, quod est Ecclesia, non modò non destruunt, sed etiam illustrant. Itaq; Justinus in Triphone dicit, persecutionem id esse Ecclesiæ, quod est vineis putatio. Ut enim vineæ putatione ad ubertatem provocantur, ita quoq; Ecclesia persecutionibus crescit. Et Tertullianus cap. ult. Apolog. sanguinem Martyrum eleganter semen Christianorum vocat, quod explicâsse videtur Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo, cùm ait: Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

Michael Ghislerius in Cantic. Cant. cap. 3. v. 7. Exposit. 3. Ecclesiam sic alloquitur: *Lectulus crucis, quem Salomon sibi construxit, dum vitam in terris degeret, tibi paratus est, quandoquidem te manent tribulationes angustiæ & persecutiones dignum sanè per istiusmodi ærumnas in sortem Sanctorum admitti.*

Gregorius de Valentia in Anal. fidei lib. 1. cap. 3. f. 3. agnoscit, *Ecclesiam primitivam ferro, cædibus, flammis obnoxiam fuisse, ac Christianos olim dictos Sarmentitios,* (quod ad palum deligati sarmentisque suppositis passim comburerentur.

Bened. Pererius Disp. 5. in Exod. c. 3. *Rubus ardens est figura Ecclesiæ, inquit Hieronymus, quæ flammis persecutionum vexata, non consumitur, sed viret magis & splendescit.*

Idem lib. 2. in Dan. *Interdum Deus sinit barbaros crudeles dominari populo suo, quò gravissima eorum peccata puniat. Sic per Regem Assyriorum, quem Esaias vocat virgam Dei, Deus punivit decem tribus Israel, per Regem Nebucadnezar, quem per Ezechielem Dominus vocat servũ suum Deus castigabat duas tribus Judæ.*

Maldonatus in cap. 2. Matth. *Tempore Mosis Ægyptus per annos quadraginta erat schola filiorum Dei, qui adolescere non possunt, nisi vexentur.*

Ribera in Com. Hebr. 11. *Oportet, ut credatur, Deum esse remuneratorem omnium fidelium præstantiori ratione, quàm quâ in hac vita eos remunerat, qui sæpè etiam sine remuneratione Sancti ex hac vita discedunt, ut Abel à fratre interfectus.*

Lorinus in cap. 14. Act. v. 21. *Quò quis justior, eo tribulationibus locupletior.* (Atqui Ecclesia vera est justa, ergò tribulationibus locuples.

Bellarminus in Com. Ps. 34. col. 225. *Hoc est proprium membrorum Christi, dum adversa patiuntur, non cum adversariis contendere, sed ad cor suum redire, & Deum humiliter deprecari.*

Idem de gemitu columbæ cap. 4. p. 170. ostendit, *Ecclesiam veram semper subjacere tribulationi.*

Pag. 177. conqueritur, *Ecclesiã Catholicam pati persecutionem.*

Nicolaus Crassius in Antiparænesi ad Baronium Patavii An. 606. edita, *Scimus Josiam Regem Deo charissimum fuisse, qui tamen miserè periit in eo calamitosissimo prælio, quod intempestivè commisit cum Nechaone Ægyptio Rege, qui arma non inferebat ipsi, sed Assyriis. Ex nostris etiam Ludovicus Rex, cujus egregia pietas omnium vocibus celebratur, Christianæ religionis propagandæ studio bis adversâ fortunâ cum Saracenis congressus fuit. Nam primo prælio fusus fugatusque est & insuper captus; altero pestilentiæ vi magnam exercitus partem & vitam amisit.*

Et postea: *Plerumq; iis, quos Deus acceptissimos habet, & præcipuo quodam benevolentiæ genere complectitur, res ex voto minimè succedunt, imò adversa infestaq; videntur omnia, ut ex iis, quæ hominibus in hac vita evenire solent, qualiacunque sint, constare nullo modo possit, actiones ab iis susceptæ justæne an iniquæ sint.*

D. Feucht part. 1. Postill. Dom. Jubilate p. 597. 600. 603. 605. 615. docet, *omnes Catholicos Christianos tribulationibus in hoc mundo divexari.*

Guilielmus Bailius Jesuit. in Catechismo controversiarum tract. 1. q. 1. *Ecclesia absque ulla Scriptura in lege naturæ per annos circiter mille quadringentos floruit, & sanctos ac illustres viros Abelem, Abrahamum, Jacobum, Noe & similes produxit.*

(Atqui si Ecclesia florere potuit in *Abele* à Caino occiso, in *Noacho* diluvii fluctib. agitato, in *Abrahamo* exulante & *Jacobo* peregrinante, utique ad verum Ecclesiæ splendorem non erit necessaria prosperitas externa profitentium in ea fidem.)

2. Quòd agnoscunt, ex felicitate temporali non posse argumentum divinæ gratiæ vel veræ religionis infallibile depromi. (Quomodo igitur felicitas temporalis poterit esse propria Ecclesiæ nota, cum à nota propria ad rem notatam certum & infallibile petatur argumentum?)

Hugo de S. Victore in cap. 9. Eccles. *In Ecclesia nescit homo aut amorem aut odium, quia beneficia temporalia indifferenter eveniunt bonis & malis.*

Erasmus in annotat. Act. 11. *Cùm creverint opes Ecclesiæ, gratulandum est felicitati, si modo verè sita est in hoc felicitas, si felicitati respondet pietas.*

Johannes Aventinus in Annal. *Christus & Legati ejus omnes non sua morte defuncti sunt. Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, in hoc mundo persecutionem perpeti necesse est &c. Christus & comites ejus, quod veritatem docebant, crudelissimè interemti sunt, pars in crucem acti, pars submersi, pars combusti. Alii ad bestias, hi ad metalla & latomitas, illi ad Insulas condemnati sunt. Et nos, velut pecus ignavum, ab eventu facta notanda putamus, successuque rerum cuncta metimur, ceu verò temeraria consilia plerumque felicitas non excipiat, aut non sæpè prava magis quàm bona prosperè eveniant?*

Anglo-Rhemenses in annot. Matth. 5. *Facit Deus Solem suum oriri super justos & injustos, unde facilè perspicimus, hominum aut nationum prosperos successus nullum signum aut testimonium esse verioris aut purioris religionis.*

Stapletonus in Orat. Acad. contra Politicos p. 17. *Achaz Rex Judæ videns se à Syris devictum, cùm id peccatis suis imputare deberet & ad Dei auxilium confugere, politicè agere maluit, dicens: Dii Regum Syriæ opitulantur suis, quos ego placabo hostiis & aderunt mihi. Sic istePoliticus Deum suum & regionem suam utilitate metiebatur.*

Bellarminus lib. 3 de Antichristo cap. 21. §. Et hoc &c. *Ab eo tempore, quo per vos Papa Antichristus esse cœpit, non modò non crevit ejus imperium, sed semper magis ac magis decrevit. Leonis Magni tempore, id est, annis centum quinquaginta, antequam Antichristus vestrâ sententiâ nasceretur, PapaRomanus pluribus gentibus præsidebat, quàm sese Romani imperii fines extenderent &c. At postea Antichristo, ut vos vultis, regnante, paulatim amisit Romana Sedes Africam penè totam, Asiæ maximam partem, Græciam universam. Nostris verò temporibus, quibus vos Antichristum maximè furere vociferamini, tam prosperè illi omnia successerunt, ut magnam Germaniæ partem amiserit, Sueciam, Gothiam, Norvegiam, Daniam universam, bonam Angliæ, Galliæ, Helvetiæ, Poloniæ, Bohemiæ & Pannoniæ partem. Itaque si prosperè agere nota est Antichristi, non Papa, qui tot provinciis exutus est, sed Lutherus, qui prædicatione carnalis libertatis tot populos seduxit & tam prosperè egit, ut ex privato Monacho totius Germaniæ Propheta & quasi Papa quidam evaserit, Antichristus meritò dici potest.* (Si nec prospera nec adversa fortuna Antichristum ostendunt, utique nec prospera nec adversa fortuna veram religionem & Ecclesiam demonstrant.)

Idem in Ps. 36. col. 239. *Irascor,* ait, *super impiorum prosperitate, dum cogito pacem & reliqua bona, quæ possident.*

3. Quòd agnoscunt, argumentum à felicitate temporali ductum fuisse ab Ethnicis olim Christianis objectum. (Si ex felicitate temporali gentiles probare non possunt, religionem Ethnicam esse veram, utique etiam Pontificii ex eodem principio probare nequeunt, Papalem Ecclesiam esse veram.)

Stapletonus in promt. morali Dom. xix. post Pentec. p. 492. *Maximianus Imp. & Christianæ religionis hostis acerrimus, cùm milites suos Christianos magno ab aspersione sanguinis immolatitii cursu se longè proripere cerneret, ut eos ad sceleris societatem revocaret, his inter cætera verbis usus est apud Surium in vita Incdæ & Domnæ tom. 6. p. 1001. Quò abitis ô homines, Deos nostros negantes? Non videtis victorias & trophæa? Non videtis bona plurima, quæ bonis adjiciuntur? & quemadmodum quæ sunt, rectè quidem se habent & sunt in tuto, alia vero accedunt quotidie, & quorum non eramus prius Domini, in eis nunc dominatum obtinemus. Non gloriam, quæ augetur? non imperium, quod dilatatur? non civitates, quæ partim quidem sunt tributariæ, & jam captæ, partim vero sunt jam capiendæ? Non gentium Reges, qui sunt reputati pro mancipiis? non omnia, quæ eveniunt nobis ex sententia? Cujusnam ergo hæc contingunt providentiâ? Vobis persuadeant temporum temperationes, moderatæ pluviæ, fructuum fertilitates, imò vero universum tempus fructum producens & spectantia omnia ad abundantiam: Hæc ille Ethnicus & impius Imperator Christianos in summa rerum ad tempus affluentia persequens.*

Jose-

Josephus Acosta lib. I. de temp. noviss. cap. 14. *Bella, quamvis ex quo homines esse cœperint, nulla non ætas viderit, tamen post tempora Christiana maximè orbem terrarum infestarunt, ut coactus sit Augustinus calumniis respondere eorum, qui istas calamitates legi Christianæ tribuebant & revera regnorum conturbationes hæreseon furori successerunt, cùm tamen nihil acciderit, quod non fuerit prædictum.*

4. Quòd agnoscunt, Catholicos quandoque infelici; hæreticos contra felici prælio dimicâsse, (quomodo ergò felicitas temporalis erit certa & infallibilis nota verè Catholicæ religionis.)

Hermannus Contractus in Chronico. *Dominus Papa habitâ post Pascha Synodo contra Nortmannos (ut proposuerant) exercitum movit, cumque illi pacem petentes, subjectionem servitiumque promitterent, & quæ prius injustè sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaq; retinere se velle dicerent, idque Papa abnegans vi & injuria raptas res sancti Petri reposceret, eosque perperam persuasos cedere loco juberet, illi quia numero longè præstabant, q. rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potiùs bello obviam ituros, armisq; acquisitam patriam defensuros vel morte occubituros denuntiant. Sicq; 14. Calend. Julii validâ pugna confligentes prima acie à Teutonicis penè victi sunt, sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citiùs terga vertentibus, Teutonicis maxima ex parte, sed non inultè occumbentibus, occulto Dei judicio, sive quia tantum Sacerdotem spiritualis potiùs, quàm pro caducis rebus carnalis pugna decebat, sive quòd nefarios homines quàm multos ad se ob impunitatem scelerum, vel quæstum avarum confluentes contra itidem se suosq; expugnandos secum ducebat, sive divina justitia alias, quas ipsa novit ob causas nostros plectente, tandem nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseq; Dominus Papa ab eis in quodam castello obsessus, cùm expugnata jam jamq; munitione necessitate coactus communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis Beneventum cum honore reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.*

Æneas Sylvius in Historia Bohemica prolixè commemorat, quàm infelici successu Romano-Catholici contra Hussitas in Bohemia pugnaverint. Causam turpis fugæ, quàm Romano-Catholicis exprobrat, inquirens, inter cætera sic scribit cap. 48. Pedem omnes referunt, *seu proditio in exercitu fidelium* (Papali) *fuerit, quod plurimi putavêre, sive inanis sua sponte mentes hominum pavor invaserat, totis castris trepidatum est, & priusquam hostis ullus in conspectu daretur, fœdissima fuga cœpta. Miratur Julianus* (Cardinalis) *unde hic timor, quæ ratio tantùm exercitum fugere suaderet,* (erant enim Bohemis numero incomparabiliter superiores) *ambire Duces, hortari, arma expedirent, aciem instituerent, forti animo hostem expectarent: non de regni gloria aut agrorum possessione certari, de vita, de religione, de Christi honore, de animarum salute bellum geri. Turpe Germanis esse, quorum nobilitatem virtutemque totus orbis celebraret, ex prælio fugere, mori satiùs, quam viso nondum hosti cedere.* Sed quicquid Julianus ante oculos ponat, quicquid exprobret, nihil obtinet, *eò quòd pudorem metus vicerat. Ablata sunt raptim signa, & tanquam nullus esset in exercitu ductor, tumultuosè quisque non expectato imperio, non salutato comite, multi etiam projectis armis, non aliter quàm si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugam maturavêre. Quibus & Cardinalis invitus se comitem dedit. Hostis paulo ex metu alieno factus audax adfuit, impedimentisque omnibus & ingenti præda potitus est.*

Extat hujus Zischæ Epitaphium tumulo ejus in urbe Tabor, quam construxerat, inscriptum, quod recitatur in Paralipom. Abbatis Urspergensis & sic habet: *Johannes Zischa, nulli Imperatorum, Ducumvè rei militaris peritiâ inferior, superbiæ simul & avaritiæ Clericorum severus ultor, patriæq; acerrimus propugnator hic jaceo. Quod Appius Claudius cæcus benè consulendo & M. Furius Camillus strenuè agendo suis Romanis præbuêre, hoc ipsum Bohemis meis præstiti, fortuna belli nunquam defui, neque illa mihi: omnem opportunitatem rerum benè gerendarum, etiam cæcus, prævidi, signis collatis undecies victor semper depugnavi.* (Nota) *Visus mihi sum miserorum & esurientium justissimam causam adversus delicatos, pingues & saginatos Sacerdotes egregiè egisse, & ob hoc Dei auxilium sensisse. Nisi illorum invidia obstaret, inter illustres viros numerari procul dubio meruissem. Tamen ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam insalutato Papa, invitoque.*

Secretarius Pauli Quarti Act. 2. an Decreta Concilii Tridentini armis imperanda pag. 72. *Eugenius IV. contra Bohemos utpote schismaticos pugnaturus cruciatam indixit, sed infaustè atq; infeliciter. Nam in illo bello periere ferè omnes cruce signati, schismatici verò victores evaserunt.*

Jacobus Augustus Thuanus lib. 27. Histor. pag. 559. edit. in folio, miraculosam Waldensium victoriam, à Trinitensibus reportatam, describit. *Desiderati,* inquit, *tantum è Waldensibus duo, ex Trinitensibus magnus & incertus numerus &c. Tot verò præcedentibus præliis ac velitationibus ex Convallensibus tantùm quatuordecim occisos memorant, remq; miraculo propiorem etiam ab hostibus habitam, ut palàm in castris Sabaudi jactaretur, jam manifestum esse, bellum, quod adversus Waldenses gereretur, contra Dei voluntatem susceptum, & quidem Sebastiano Virgilio ad prælium cum atrocibus minis vadenti ab hospita prædictum scribunt, eo die re experturum, Sabaudiæ an Waldensium causa esset justior. Nam si Sabaudi justior esset, ejus quoq; fore victoriam. Cùm igitur vulneratus ac propè exanimis in diversorium referretur, tunc eandem hospitam inclamasse, VValdensium potiorem causam esse &c. quippe qui cum exiguo numero contra tam potentem exercitum superiores extitissent.*

(Inde idem Thuanus lib. 59. Histor scribit. *Anceps belli alea & incertus victoriæ exitus, qui plerumq; non ad justiorem causam inclinat.*)

Petrus Suavis lib. 5. Hist. Concil. Trident. p. 521. *Cùm Dux Sabaudiæ annum integrum & suprà suppliciorum acerbitate VValdenses in Convallibus Montis Cenesii degentes ad officium reducere tentâsset, dein vim à se propulsantes, immissis in eos armatis cohortibus, instigante & pecunia sublevante Rom. Pontifice, bello adortus esset, licet res velitationibus magis propter montium asperitatem, quàm justo prælio gereretur, totis viribus tandem certatum est pugnâ, quâ Ducis exercitus, qui septem hominum millib9 constabat, fusus ac profligatus, quatuordecim tantū à Convallensibus desiderati. Et quamvis laborantibus suis novas identidem copias in subsidium submitteret, tamē cùm suos passim debellari cerneret, neq; alium belli ejus fructum, quàm ut rustici ac vicani rebellantes armis assuescerent, regio omnis vastaretur & immanes sumtus fierent, decrevit tandē in gratiā eos accipere.*

Spondanus in Epit. Baron. ad Annum Christi 659. p. 631. *Nequaquam semper in unoquoq; bello victoria justitiam consequitur, sed occulto Dei judicio declinat interdum ad eum, qui causam malam fovet.*

Adamus Conzen Jesuita de pace German. lib. 1. cap. 24. p. 340 *Anno 1557. victo ad S. Quintinum Francisco Rege Galliarum Calviniani insolescentes & Regis adverso prælio elati aliquid aggrediendum rati.*

Argument. Advers. 1. *Deus volens sententiam suam contra Concilium Basileense ostendere, tam terribili peste Basileam tunc affligebat, ut major pars eorum Patrum, qui ibi erant, extincti, vel secedere coacti sint.* Bellarm. lib. 3. de Ecclesia cap. 15.

Resp. Si sic liceret concludere.

1. Contra Jubilæos posset quis eodem argumento insurgere. Sic enim scribit Platina in vita Clementis. *Clemens VI. constituit, ut quinquagesimo quoq; anno jubilæus celebraretur. Illo tempore tanta pestis per totam Italiam pervagata est, ut vix decimus quisq; ex millesimo superfuerit, nec id mirum, cùm ob jubilæum contagione hominum & multitudine undiq; Romam commigrantium omnia miscerentur.*

2. Contra Monachatum posses quis eodem argumento insurgere. Nam *Anno 1240. quo Carmelitæ fratres in Angliam primò venerunt, hominum & animalium lues; ac totis mensibus tribus siccitas, reliquis sequentibus densi & continui imbres extiterunt, quos summa rerum omnium penuria subsecuta est. Belluæ marinæ in littore Anglico in se visæ sunt pugnare.* Balæus Cent. 4. cap. 1. in Appendice.

Inde *quidam Laicus Jodanem Generalem Prædicatori Ordinis Magistrum primum post Dominicum, interrogavit, quid causæ sit, quod post adventum Prædicatorum & Minorum nulla amplius fuerit bona tempestas, nec terra produxerit fructus tanta copia, ut antea? Sed ei respondit Magister. Hoc justo Dei judicio fit. Postquam enim nos venimus in mundum, docuimus mundum fugere peccata, & cognoscere, quæ antea non cognoscebant; sed ab illis nolunt cavere, unde sunt illis graviora, quod peccatum scienter commissum gravius est. Propter peccata verò hominum Deus immittit sterilitatem, juxta Prophetam: Posuit terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Et dico*

 vobis,

vobis, nisi corrigatis vos, ex quo scitis, quid facere debeatis, gravius puniet vos. Ille etenim, qui non mentitur, dicit in Evangelio: Servus sciens voluntatem Domini & non faciens, plagis vapulabit multis. Refert Antoninus tit. 23. cap. 9. §. 5.

(At cur non idem responsum Pontificii hodiè à nobis recipiunt, quando subinde nobis objiciunt *bella, cædes, lites, discordiam, famem, caritatem annonæ, tempestates, pestilentias &c. quibus Deus post Evangelii revelationem ingratum mundum igne & ferro illud persequentem punit?*)

2. Falsitatem nostræ religionis probare cupiunt *ex infelici exitu belli Germanici*, quod *Fridericus Elect.* cum *Carolo V.* gessit. Bellarmin. d. l. Cutsemius in Sax. Cathol. pag. 146.

Resp 1. Thuanus aliquot errores Protestantium, contra militarem artem admissos, recenset.

Primus fuit imperium plurium. *Hispanicum æstum facilè retundere potuisset virtus Germanica, ut periti militiæ judicarunt; sed lentè admodùm in eorum castris omnia gerebantur, dissentientibus semper ferè Ducibus & plurium æquato imperio universi segnes, & quid agendum esset, incerti erant, quod opportunum maximè Cæsari accidit &c.* Thuan. lib. 2. p. 37. *Inde alter error extitit, nempe procrastinatio, quâ rerum dies, ut loquitur Tacitus, verbis terentes, media consilia periculosè agitabant, & cùm à prudentioribus crederentur victoriam in manu habere, passi sunt auxiliares copias è Belgio cùm hostilibus conjungi & in castris ad Ingolstadium tempus displodendis colubrinis insumserunt inani potiùs terriculamento, quàm nocumento hostium,* Thuan. lib. 2. p. 39. *Accessit tertium erratum, quòd nimias copias haberent, ita ut diu tranquillata manere illa multitudo non posset,* Thuanus libr. 2. pag. 46. *unde conspicatus copias eas Carolus; Citò eis, inquit, deerit consilium & pecunia & concordia.* Chytræus in orat. funebr. Caroli V. p. 190. His Thuanus lib. 4. p. 85. accenset alios adhuc errores politicos, qui ibidem videri possunt. Si Theologicum prosperi eventus impedimentum inquirendum esset, non parùm etiam videntur peccâsse *fiducia confœderationis.* Accessit etiam *proditio*, ob quam *ipso Christo se beatiorem* Elector Sax. dicere solebat, *quòd Salvator unum saltem proditorem secum accumbentem habuerit; se verò plurimos suæ mensæ secum assidentes habuisse.* Wolff. tomo 2. memorab. p. 515. Warem. ab Ehrenb lib. 1. de fœder. c. 2. n. 163.

2. Deus sæpè permittit, ut etiam veræ religionis assertores succumbant, ut palàm fiat, religionem etiam absque armis dinitùs conservari posse, ac DEUM velle, ut nonnunquam cruce & calamitate prematur Ecclesia, à qua suo tempore liberatur. Et hujus suæ crucis omen quoddam Electorem ex alvo materna secum attulisse memorat Bucholzerus ad Annum 1503. *nascenti scilicet visam fuisse in dorso crucem, aureo colore fulgentem, quod ubi conspexit, à matronis aulicis accersitus, Sacerdos, vir pius & admodùm senex; Hic puer, inquit, crucem gestabit toti orbi conspicuam, cujus indicium tam manifestum in ipsius ortu se exerit.*

3. Sinisteritatem judicii de Saxonis causâ & religione redarguit prodigiosum illud fulmen, quo Misenæ templum cathedrale 5. Calend. Junii ictum est horâ 5. pomeridianâ, & turres, tectumque ac campanæ incendio consumtæ sunt, cùm ante meridiem circiter septimam in eadem basilica *Te Deum laudamus* & ingratas suas gratias ob Electorem pridie captum cecinissent Canonici & Sacrificuli. Prodigiosum autem hoc fulmen fuit, quia nec aliud antecessit, nec aliud secutum fuit. Fabricius annal. urb. Misen. p. 97. Wolffius tom. 2. memorab. p. 516.

4. Pacatiorem illud bellum habuit exitum, quàm Papa speraverat, unde Mendoza coram Cæsaris Legato conquestus est, *accidisse Pontifici id, quod est apud Esaiam. Cùm expectâssem, ut ederet uvas, edidit labruscas.* Sleidanus lib. 20 pag. 568. Nam Anno 1555. inita est Pacificatio religionis, regnante adhuc invictissimo Cæsare Carolo V. & vices ipsius gerente Ferdinando Romanorum Rege.

5. Cùm Carolus V. abdicato Imperiali Magistratu, ejus administrationem fratri Ferdinando commisisset, in Hispaniam concessit, & in regia sua juxta monasterium quoddam vitam transegit: ibi eum omnes res suas gestas in mappis depingi curâsse ajunt, quas in monasterio parietibus circuitus affigi fecit: in eumque circuitum sæpè ac si exspatiaretur, se deportari jussit & ibidem præ mappis sedit, secumque ipse recoluit. Et ubi devenit ad eas, in quibus Schmalcaldense bellum & captivitas Electoris depicta erant, ingemiscens & suspirans dixit: *Hunc si reliquissem, qualis fuerat, mansissem & ego.* Thomas Stybarus in Histor. narrat. de vita Joh. Friderici. Merkelius in relat. de obsid. Magd. VVolffius tom. 2. lection. memorab. p. 516. (Jesuita Schererus infelicitatem fatetur, sed aliam ejus causam affert in Triumph. pag. 101. sic scribens. Daß Käyser Carol nach dem Sieg wider Sachsen und Hessen wenig Fürgang gehabt/ ist nicht darumb geschehen/ daß etwan Ihre Majest. an den Rebellen und Widerspenstigen in Deutschland sich vergriffen hätte / sondern daß er des von GOtt aus dem Himmel verliehenen wunderbahrlichen Siegs nicht gnungsam wahrgenommen/ und wider seine und des Römischen Reichs Rebellen mit allzugrosser Gütigkeit und Barmhertzigkeit/ sowol als König Achab gegen Benhadad den Syrer/ sich versündiget/ denn da Ihre Maj. die victoriam prosequiret/ und den Religion-Frieden nicht wieder angerichtet/ würde es jetzunder viel besser in Deutschland mit der Cathol. Religion stehen. Sic ergò Imperatorem laudatissimum comparat impio Achabo, Principes pientissimos, Saxonem & Hessum, Ethnico Regi Benhadad; ac peccat contra c. allegant. caus. 26. quæst. 7. ex Chrysostomo. *Melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem.*

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

QVERELAS, CALVMNIAS ET OPINIONES absurdas, atque erroneas adversariorum complectens.

I. Querelæ.

1. Conqueruntur, *per calumniam dissensiones sibi tribui.* Forerus in Bell. Ubiquist. pag. 285. *Concordia fidei inter membra Catholicæ Ecclesiæ semper fuit, hodieque est plusquam adamantina, nulloque erit violabilis ævo.*

Resp. Imò verò occurrit apud ipsos

1. *Discordia Pontificum Romanorum*, quando simul plures regnârunt & quisque sibi primatum arrogavit. Numerantur ab Historicis ultra viginti schismata Romanorum Pontificum. Confer ea, quæ in articulo 3. cap. 4. allata.

2. *Discordia Conciliorum.* Nam durante schismate, iisdem temporibus contraria Concilia dissidentes Pontifices habuerunt, ubi decreta decretis bellum intulerunt.

3. *Discordia Ordinum.* Nam Dominicani & Franciscani mutuis armis longo tempore decertârunt. Nec ignotum Jesuitarum & Dominicanorum dissidium, quod non dissimulat Delrio in Apolog. libris 6. Magic. Inquisit. præmissa, ubi contra Thomam Malvendam se defendit & conqueritur *graviter, à Dominicanis libros Jesuitarum traduci, & ut eorum lectio prohibeatur, suaderi.*

4. *Discordia Doctorum.*

1. *Ante Lombardum*, ut constat ex 2. sent. dist. 30. lit. E. inde toties repetit. *Quibusdam videtur quòd sic; alii putant aliter &c.*

2. *Scholasticorum post Lombardum.* qui in Thomistas, Scotistas, Occamistas &c. divisi, variis modis sese oppugnant.

3. *Recentiorum Theologorum* post restaurationem Evangelii, quarum dissensionum exempla ubivis in hoc tractatu occurrunt.

Ambrosius Catharinus multis in locis castigavit Cajetanum; Barclajus Bellarminum; Hermannum Bodium Sixtus Senensis in sua Bibliotheca; Johannem Ferum Hieronymus Veronæ Episcopus in Comment Epist. ad Hebræos (teste Sixto Senensi lib. 6. Bibl. annot. 89.) uti etiam Dominicus à Soto; Feri patrocinium contra Sotum suscepit Michael Medina (teste Sixto Senensi lib. 6. Bibl. annot. 40.) Henricus Cuyckius Episcopus Ruremundensis Georgium Eleutherium Epistolâ parænetica Colon. Anno 602. edita, oppugnavit, quòd concubinatum permitteret. Theologorum Venetorum scripta contra Pontificem & Cardinales edita in manibus hominum versantur. Confer ea, quæ dicta articulo præced. 5. cap. 4. thesi speciali 7.

Inde non immeritò Antonius de Trejo, Episcopus Carthaginensis, Legatus Reg. Hispan. ad Pontif. pro impetranda definitione controversiæ de immac. Virg. concept. pag. 113. Papam sic alloquitur. *Nonne & derisuros hereticos timendum est, dum viderint, inter nosmetipsos non constare, quid credendum aut tenendum sit, quibusdam, imò ferè omnibus affirmantibus, paucnlis admodùm negantibus, post tot tantosque disceptationis annos, quibus utrinq; plus satis congressum est & sævitũ. Qualiter nostras actiones & intestinas interpretabuntur heretici discordias? Qualiter nostras nobis obvertent conciones?*

Si

Si Ecclesiasticam illis prædicamus concordiam, nonne nostram nobis objicient discordiam? Si pacem & unitatem commendamus, nonne lites nostras & dissensiones nobis opponent? Si cultum Virginis inculcamus, circa eum apud nostros dubitari nonne dicent?

2. Conqueruntur, *per calumniam sibi tribui, quòd statuant, Ecclesiam posse novos fidei articulos condere.*

Resp. 1. In Bulla Papæ Leonis X. art. 26. inter hæreses recensetur contraria assertio Lutheri, dicentis, *quòd certum sit, in manu Ecclesiæ aut Papæ non esse, statuere articulos fidei.*

2. In Appendice artic. de Script. ostendimus, quòd quidam tribuant Ecclesiæ potestatem *canonizandi librum, qui suâ Naturâ non est Canonicus,* ut librum Pastoris &c.

3. Res ipsa docet, multos in Papatu doceri fidei articulos, qui nullum in Scripturis habeant fundamentum.

II. *Calumniæ.* 1. In *genere.*

1. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 2. *Confessionem nostram in articulo de Ecclesia dicit esse conflatam ex hæresi Pelagianorum, Novatianorum ac Donatistarum.*

Lib. ejusd. cap. 9 *Confessionistas,* hoc est, socios Augustanæ Confessionis conjungit *cum Donatistis & Novatianis, qui negant, in visibili Ecclesia esse peccatores.*

Resp. 1. Liberat nos ab hac calumnia August. Confessio, cujus verba artic. 8. sic habent. *Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio Sanctorum & verè credentium, tamen cùm in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur. Damnant Donatistas & similes, qui negabant, licére uti ministerio malorum in Ecclesia.*

2. Liberat nos ab ea Bellarminus ipse lib. 3. de Eccles. cap. 13. *Protestantes,* (inquiens) *cùm docent, Ecclesiam non posse deficere, dicunt, intelligi id debere de Ecclesia invisibili.* (Ita quoque, cùm dicimus, *Ecclesiam esse congregationem Sanctorum,* intelligendum id est de Ecclesia invisibili.)

3. Pontificii potiùs Donatistarum errori affines sunt, quia docent, *in sola Sede Romana Ecclesiam permanere stabilem.*

Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 8. §. Si ergò. *Omnes Sedes Apostolicæ, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana defecerunt, sola Sedes Petri immobilis permansit, nec possit deficere.*

2. Idem lib. 3. de Eccl. cap. 2. & cap. 8. resp. ad arg. 8. nobis tribuit, quòd *duas Ecclesias fingamus.*

Resp. Rectiùs de nostra sententia disserit ipse Bellarminus lib. ejusd. cap. 10. rat. 4. *Lutherani signa visibilia quædam & externa Ecclesiæ statuunt, nimirùm prædicationem verbi Dei & Sacramentorum administrationem, & constanter docent, ubicunque hæc signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Quia tamen solos justos & pios ad Ecclesiam veram pertinere statuunt, & nemo potest certo scire, qui sunt vere justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exteriùs præ se ferunt, cùm certum sit, multos ubique esse hypocritas & falsos fratres, idcircò nostri concludunt, eos facere Ecclesiam invisibilem.*

(Hæc facilè possunt ad bonum sensum reduci, modò conclusio ex præmissis fiat non *simpliciter,* sed *secundum quid,* Ecclesiam scil. dici *invisibilem,* propter fidem & reliqua dona interna, quæ oculis humanis perspici nequeunt, interim tamen Ecclesiam esse & dici visibilem, propter prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum. quæ in oculos & aures exteriùs incurrunt. Definimus enim Ecclesiam, *quòd sit cœtus hominum, doctrinam divinam profitentium, & Sacramentis divinitùs institutis utentium, in quo cœtu sunt Sancti, id est, verè credentes & electi, qui sunt vera & viva Ecclesiæ membra, quibus in hac vita mixti sunt non Sancti, sed tamen in doctrina consentientes, qui ad externam duntaxat Ecclesiæ societatem pertinent.* Non ergò fingimus duas Ecclesias, sed unam eandemque Ecclesiam visibilem & invisibilem esse dicimus.)

3. Idem lib. ejusd. cap. 11. §. 1. scribit, *Lutheranos initiò Ecclesiam invisibilem fecisse, deinde tamen, cùm viderent absurda, quæ inde sequebantur, secreto consilio statuisse, ut Ecclesia visibilis diceretur. Itaq; cœpisse omnes docere, Ecclesiam esse visibilem, sed sic tamen, ut nomine visibilis, re autem invisibilis esset.*

Resp. Constans isthæc fuit, est & erit nostrorum assertio, Ecclesiam κυρίως sic dictam, quæ est verè credentium & piorum, esse invisibilem.

4. Idem lib. ejusd. cap. 2. propterea cum *Novatianis & Donatistis* nos conjungit, quòd *quemadmodum illi non excludebant ab Ecclesia omnes peccatores, sed tantùm eos, qui idololatriam commiserant, sic & nos pari modo non excludamus omnes peccatores, sed tantùm eos, qui non verè credunt, cùm statuamus, nullum crimen imputari credentibus.*

Resp. Liberat nos ab hac calumnia ipse Bellarmin. lib. 1. de Justif. cap. 3. *Dissentimus à Lutheranis, quòd ipsi fidem, quam dicunt solam justificare, docent, nunquam posse esse solam.* Agnoscit igitur cum vera fide pœnitentiam & studium bonorum operum à nobis indiviso & perpetuo nexu conjungi.

5. Idem lib. ejusd. de Eccl. c. 13. in princ. *Notandum est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolutè Ecclesiam non posse deficere, nam Calvinus & cæteri hæretici id concedunt, sed dicunt, intelligi debere de Ecclesia invisibili. Hic ergo non est quæstionis status.* (Quotquot ergo ex Pontificiis scriptoribus nobis hanc opinionem tribuunt, quòd statuamus, *Ecclesiam absolutè loquendo deficere posse,* pervertunt quæstionis statum & crimen calumniæ incurrunt.

6. Idem lib. 4. de Eccl. c. 2. dissensum nobis tribuit in quæst. de notis Ecclesiæ, quando sic scribit; *Lutherus in libro de Conciliis & Ecclesia in ultima parte libri proponit has septem notas. Primò, veram & incorruptam prædicationem Evangelii. Secundò, legitimam administrationem Baptismi. Tertiò, legitimũ usum Eucharistiæ. Quartò, legitimum usum clavium. Quintò, legitimã electionem ministrorum, qui doceant, & Sacramenta ministrent. Sextò, orationem publicam & Psalmodiam & Catechismum, sed linguâ, quæ intelligatur ab omnibus. Septimò, mysterium crucis, id est, tribulationes intus & extra. Cæteri vero solent duas tantùm proponere, quæ complectuntur primas quinq; notas Lutheri, hoc est, prædicationem sinceram verbi Dei & sincerum usum Sacramentorum. Ita docet August. Confessio & Apologia ejusdem. Item Brentius. Centuriatores his duabus addunt alias duas, quæ possunt reduci ad quintam & septimam Lutheri, hoc est, constantiam in confessione fidei, sive perseverantiam & obedientiam erga ministros verbi, quatenùs ipsum verbum annuntiant.*

Jesuitæ Posnanienses de Eccles. thes. 11. *Protestantes alii Ecclesiæ symbola duo assignant, alii tria, tertiam alii tesseram addunt, alii denique his minimè contenti, quintam adhibent.*

Herman. Hugo Jesuita pro consult. Lessii cap. 4. *Quis in hoc Euripo* (diversarum de Ecclesiæ notis sententiarum Lutheri, Centuriatorum, Illyrici, Strigelii &c.) *non fluctuet? quis in tanta jactatione teneat veræ Ecclesiæ portum?*

Resp. 1. Non est tam hostilis inter Protestantes hac in quæstione dissensus, qui non possit conciliari. Fatetur enim Bellarminus ipse, *duas illas notas, quas nostri communiter assignant, videlicet veram verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem complecti primas 5. notas Lutheri.*

2. Lutherus ipse in eodem loco fatetur, *notas illas non esse unius generis, nec omnes eodem modo esse necessarias, primam tantùm simpliciter esse necessariam, reliquas verò omnes præter primam abesse posse.*

3. Pontificii longè magis dissentiunt in assignandis veræ Ecclesiæ notis, ut ostendimus in hoc ipso artic. c. 4. thes. general. 2.

7. Huntlæus tom. 1. controv. 2. c. 7. n. 1. videtur nobis tribuere opinionem illam absurdam, *quòd Ecclesia, ut est vera & Spiritus sancti discipula, errare possit.* Sic enim scribit: *Nihil absurdius dici potest, quàm veram Ecclesiam Christi* (quod procul dubio reduplicativè intelligit) *in fide errare, & tamen nihil est, quod pertinaciùs defendant Sectarii hujus temporis ferè omnes.* Idem repetit n. 11. At constanter docemus. Ecclesiam veram Catholicam, ut vera est, & quatenus vocem Spiritus S. sequitur, non errare in fide, multò minùs in ipso fidei fundamento. Proinde si hæc opinio nobis tribuitur, fit illud per calumniam.)

8. Calumniantur, *nostram Ecclesiam esse hæreticam, cùm à Luthero denominetur Lutherana.*

Resp. Lutherus ipse monuit, ne à se, tanquam primo autore, Lutherana denominaretur. Sic enim scripsit tom. 2. Jen. fol. 62. *Sunt, qui se Lutheranos esse gaudent. Non sic ô fatue, non sic. Oro, ut meum nomen taceatur, & nemo Lutheranus, sed Christianus appelletur. Quid est Lutherus? doctrina non est mea, neq; ego pro vobis crucifixus sum. D. Paulus 1. Cor. 3. nolebat pati, ut Christiani dicerentur à Paulo, sed à Christo. Unde igitur mihi fœtido vermium sacco accideret, ut filii Christi à meo vilissimo nomine denominarentur? absit, ô amice! Deleamus Schismatica nomina & nominetur Christus, cujus doctrinam habemus. Papistæ meritò habent nomen Schismaticum, quia non sunt contenti Christi doctrinâ, sed nominari etiam volunt Papistæ. Sint ergò Papæ, qui ipsorum Magister est: ego nec sum, nec volo esse alicujus Magister. Ego cum Ecclesia habeo unam Christi doctrinam, qui omnium nostrûm Magister est.* (A ministerio autem Lutheri, quo doctrinam Christianam à fermento Papistico repurgavit, Ecclesias

Lutheranos appellari nullam hæreseos probationem includit, quâ de re idem Lutherus sic scribit tom. 2. Jen. Germ. de sumtione Sacramenti sub utraque specie part. 2. fol. 29. §. 4. *Verùm, quòd non debeas (ita tibi salus animæ & corporis tui cordi sit) dicere. Ego sum Lutheranus aut Papista, quia nullus horum, à quibus sic fit denominatio, pro te mortuus, aut tuus Magister est, sed unus Christus: ideoq; te profiteri debes Christianum. Sed cùm tibi persuades, Lutheri doctrinam esse Evangelicam, Papæ autem non esse Evangelicam, tunc non oportet te Lutherum prorsus repudiare, aliàs repudias unà doctrinam ejus, quam tamen agnoscis & fateris esse Christi doctrinam. Sed ita te oportet dicere. Lutherus sit vel nefarius, vel sanctus, parùm mea refert, doctrina autem non est ipsius, sed Christi. Vides enim hoc agere Tyrannos, non ut Lutherum tantùm è medio tollant, sed doctrinam volunt esse extirpatam & propter doctrinam te adoriuntur & interrogant, an sis Lutheranus. Hic certè oportet te non arundineis verbis, sed firmiter & liberè Christum confiteri, sive illum Lutherus, sive Nicolaus, sive Georgius prædicavit. Personam horum mitte, sed doctrinam profitere. Ita scribit Paulus 2. Tim. 1. Noli erubescere testimonium Dei nostri, neque me vinctum ejus. Si hic Timotheo satis fuisset, ut Evangelium confiteretur, non præcepisset ei Paulus, ne ipsum puderet Pauli, non quidem quoad personam, sed ut propter Evangelium vincti. Si ergò Timotheus dixisset, Ego non assentior Paulo, nec Petro, sed Christo, non ignarus, quòd Petrus & Paulus Christum docerent, hoc ipso Christum abnegâsset, quia Christus de illis, qui eum prædicant, inquit Luc. 10. v. 16. Qui vos suscipit, me suscipit; qui vos spernit, me spernit. Cur hoc? quia ut nuntios ejus, qui verbum ejus afferunt, tractant, perinde est, ac si ipse & verbum ejus tractetur.)*

9. Calumniantur, *Ecclesiæ nostræ Doctores & socios omnes esse indoctos.*

Index Expurgatorius p. 87. 100. 112. 183. 188. 190. & alibi passim titulum *doctissimi* vel *Doctoris* deleri jubet, quando is tribuitur Luthero, Melanchthon, Münstero, Pellicano, Artopœo &c.

Jesuita Armandus in Epist. ad Chamier. p. 8. *Nihil acuminis, nihil ingenii, nihil solertiæ in Codicibus nostrorum reperiri*, scribit. Ejusmodi inscitiam & ignorantiam nostris objiciunt Bellarm. l. 1. de Christ. c. 9. l. 5. de grat. & lib. arb. c. 9. Gretserus in Luthero Academ. Suppetiis, Lixivio &c. Serarius de Lutheri Magistro. Scribanius Amphit. lib. 2. cap. 9. & 13. in laude Canisii.

Resp. 1. Quidam ex sanioribus Pontificiis eruditionis laudem nostris minimè derogant, ut ostendimus superiùs in hoc ipso articulo 5. cap. 4. thes. special. 13.

2. Ruditatem suorum Episcoporum multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt Claud. Espensæus Comment. in Epist. ad Titum fol. 486. 487. & l. 2. Digress. in 2. Tim. f. 176. & in Conc. Bellov. fol. 918. 919. &c. Alphons. à Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 4. *quosdam Romanos Pontifices ἀγραμμάτους fuisse*, fatetur.

Honor. III. c. fin. de ætat. & qual. præfic. de Calinens. Episc. memorat, *quòd nec Grammaticam, nec Donatum didicerit.*

Petrus Suavis l. 2. Hist. Conc. Trid. memorat, *quòd ob rancedinem Marcinari D. Marci Episc. nulla concio ad sess. 7. haberi potuerit, etsi LX. Episcopis & XXX. Theologis quatuor horarum spacium ad præmeditandum datum esset.* Vide plura hujus generis apud Georgium Wicelium in Epist. festi Matthiæ Apostoli.

10. Objiciunt nobis *effrenes mores quorundam in Academiis Studiosorum.*

Resp. Bellarmin. tom. 6. oper. Conc. 16. col. 172. eandem de suis Academicis texit querelam. *De choreis, saltationibus & aliis illecebris effrenis juventutis nihil est, quod dicamus. Quis enim ignorat, multos esse, qui Lovanium veniunt, ut Doctores fiant in jure, & fiunt Doctores in choreis & in gladio? Quàm multi sunt, qui, cùm ad parentes suos redeunt, si quæratur ab eis, quid Lovanii didicistis? responsuri sunt, si verum dicere velint. Didicimus vagari totas noctes per plateas: didicimus stricto gladio bellum gerere cum lapidibus: didicimus multa & varia genera chorearum. Didicimus uno haustu bibere medium poculum: didicimus pecunias nostras, quæ unum mensem duraturæ erant, unâ horâ consumere. Præclara profectò sapientia &c.*

2. Negant *nos esse Christianos.* Bellarm. lib. de Cler. c. 1. §. Unum & simplicem &c. *Hæc est unitas, hæc simplicitas populi Christiani, ut unius sint omnes fidei, idem dicant, idem sentiant omnes, nec sint in eis schismata. Quâ simplicitate cùm omninò careant Lutherani, quippe quibus tot penè sunt sectæ, quot civitates; tot Symbola, quot capita, viderint ipsi, quâ benè Christianus populus dici possint.* (Atqui in quo cœtu adhuc administratur Baptismus, & doctrina de Christo ex V. & N. Testam. prædicatur, illi sunt Christiani. In nostra Ecclesia administratur Baptismus &c. Ergò.)

2. *In specie Lutherum* calumniantur.

1. Quòd *notas, Ecclesiæ in Symbolo Constantinopolitano assignatas, repudiaverit.*

Bellarm. l. 4. de Eccl. c. 2. §. 2. *Notandum est, Lutherum valdè cavisse, ne ullam notam reciperet earum, quæ sunt in Symbolo Constantinopolit. cùm tamen omnia vetera Consilia per eas notas, maximè per Apostolicam Ecclesiam, se discerni vellent ab omnibus Sectis.*

Resp. 1. Lutherus omnes illas notas recipit, quia pura verbi prædicatio facit, ut Ecclesia sit *una*, sit *sancta*, sit *Catholica*, sit *Apostolica*, quæ sunt quatuor illa Ecclesiæ adjuncta, quorum fit mentio in Symbolo Constantinop. Est enim Ecclesia *una* propter fidem unam; *sancta*, propter sermonem Christi sanctum; *Catholica*, propter Catholicam de Christo doctrinam; *Apostolica*, propter doctrinam Evangelii Apostolicam, quæ ab Apostolis in Novo Testamento primùm vivâ voce prædicata est, postmodùm in Scripturas redacta, in Ecclesia usque ad finem mundi conservatur.

2. Lutherus in artic. Smalcald. artic. 12. dicit. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Ergò non exclusit notas à Symbolo Constantinopolitano assignatas.

3. Si Bellarm. hoc vult, *expressam harum notarum mentionem fieri debuisse*, seipsum accusat, cùm præter nomen Catholicum ne ipse quidem in suis notis expressam earum mentioné faciat.

2. Pazmannus Jesuita lib. 8. Hodegi cap. 13. Lutherum accusat, *quòd in Symbolo Apostolico malâ fide loco Catholicæ Ecclesiæ posuerit Christianam.*

Laurentius Forerus Jes. in 7. charact. Lutherum propterea vocat *Symboli Apostolici falsatorem.*

Resp. 1. Lutherus ab hac voce non abhorruit, uti ipsum criminantur, sed eam rectè exposuit tom. 3. fol. 182. tom. 8. fol. 482. In artic. Smalcald. artic. 12. dicit, *pueros orare, Credo sanctam Catholicam Ecclesiam.*

2. Vocem *Catholicæ* ab ipsis Apostolis Symbolo insertam esse, meritò dubitatur, cùm Pacianus Barcillonæ Episcopus Epist. 1. ad Sempronianum scribat, *sub Apostolis neminem fuisse vocatum Catholicum*, cumque Patres Symbolum Apostolicum citantes hanc vocem non legant. Maximus in homil. de Symb. Irenæus l. 1. c. 2. l. 3. c. 4. Tertullianus de præscript. & de veland. virgin. Chrysostomus in duabus homiliis. Augustinus l. 4. de Symbol. Ruffinus in expos. Symboli, ubi inter cætera dicit, *diversis in Ecclesiis aliqua in his verbis inveniri adjecta.*

3. Idem Pacianus d. l. monet. *ex Actis Apostolicis constare, quod discipuli & Confessores Christi temporibus Apostolorum appellati fuerint Christiani*, & addit, *Ergo, qui Catholicus est, idem justi est obediens, & qui obediens est, idem est Christianus, atque ita Catholicus Christianus est.*

4. Canisius in Catechesi reddidit, eine allgemeine Christliche Kirche.

5. Agenda Moguntina sub Archiepisc. Sebastiano Ann. 1551. eademque longè antiquior Ann. 1513. in recitatione Symboli eodem modo vertit. Ich glaube eine heilige Christliche Kirche. Basileæ Ann. 1512. ante cœptam reformationem excusus est libellus, cujus subscriptio sic habet: Manuale de ministrandis Sacramentis, celebrandisque Missis providi viri Adæ Petri de Langendorff, Civis Basileensis, arte & industria elaboratum finit feliciter Ann. Dom. 1512. In eo lit. l. ij. fac. 2. recitantur verba Latina tertii articuli in Symbolo Apostolico. *Credis & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, & vitam æternam post mortem:* Eorundemq; talis versio Germanica subjicitur. Glaubest du auch in den heiligen Geist/ die heiligen Christlichen Kirchen/ Gemeinsamkeit der Heiligen/ Ablaß der Sünden/ Uhrstend des Leibes/ und nach diesem Leben das ewige Leben.

6. Pultanus in stricturis in Casaubonum pag. 906. sic scribit. *Negat Bellarminus Regem* (Angliæ) *Catholicum esse, si- quod pariter usurpat nomen Christianum.*

(Ergò Bellarmino Catholicum & Christianum sunt ἰσοδυναμοῦντα.)

7. Lutherus tom. 6. Jen. Germ. f. 583. (al. edit. 546.) in explicatione trium Symbolorum, Apostolici, Nicæni & Athanasiani, rationem versionis suæ exponit. Catholica kan man nicht wohl besser deutschen/ denn Christlich/ wie bißher geschehen/ das ist/ wo Christen sind in aller Welt/ dawider tobet der Pabst/ und will seinen Hof allein die Christliche Kirche geheissen haben/ rc.

8. Johannes de Vesalia. *In Symbolo fidei circa illum articulum,*

lem, sanctam Ecclesiam, ego non pono Catholicam, neque Hieronymus ponit. Confer quæ dicta superiùs in hoc articulo cap.4. thesi speciali 1. membro 6.

3. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Anglo-Rhemenses annot. in 1. Tim.3. sect.9.& in annot. Rom. 10. sect. 41. *in Ecclesiam credendum esse* docent.

Contrà 1. c. Prima igitur dist. 4. de consecrat. ex Augustino ad Neophytos. *Quod interrogavimus. Credis sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, non eo modo interrogavimus, ut quomodo in Deum creditur, sic & in Ecclesiam sanctam Catholicam, quæ propterea sancta & Catholica est, quia rectè credit in Deum. Non ergò diximus ut in Ecclesiam, quasi in Deum crederetis, sed intelligite, nos dicere ac dixisse, ut in Ecclesia sancta Catholica conversantes in Deum crederetis, crederetis etiam resurrectionem carnis, quæ futura est.*

In edit. Gregor. ad hoc cap. sic annotatur. *Credis sanctam. Legebatur in sanctam, inducta particula in, ex aliquot vetustis & Ivone, atque ita legendum sæpe docet Augustinus.*

2. Ludovicus Vives ad locum Augustini lib. 18. de Civ. Dei cap. 54. (*Nos, qui sumus, vocamurque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus*) in margine sic annotat. *In Christum, non in Petrum credunt Christiani.* Et in Comment. adducit locum Apostolicum 1. Cor. 3. *Quis est enim Paulus? quis Apollo? ministri, per quos credidistis.*

3. Gregor. de Valent. tom. 3. col. 362. docet, *fidem respicere divinam revelationem, ut objectum formale, cui innitamur.*

Ibidem, dictum Exod. 14. *Crediderunt Deo & Mosi*, rectè sic explicat, *huic mediante verbo & signis; illi vero immediatè ob infallibilem veritatem, cui fides primo incumbit.*

4. Maldero de virtutibus & vitiis Theol. pag. 85. col. 1. *Non placet, quòd quidam statuunt, nos posse dicere; Credimus in Ecclesiam, sicut dicimus, Credo in Deum.*

(Conformia hæc sunt dictis Veterum. August. tract. 29. in Johann. *Credimus Paulo, non credimus in Paulum. Credimus Petro, non credimus in Petrum.*

Paschasius lib. 1. de Spiritu sancto. *Credimus Ecclesiam quasi regenerationis matrem, non credimus in Ecclesiam quasi regenerationis autorem. Recede ergò ab hac persuasione blasphemiæ. Non enim licet nec in Angelum credere.*)

2. Quando *Ecclesiam errare posse* negant, Ecclesiæ nomine solum *Romanum Pontificem* intelligunt. Per Ecclesiam enim non omnes fideles, sed tantùm Pastores, neque hos omnes, sed duntaxat Episcopos in Concilio congregatos intelligunt, nec tamen istis infallibilitatem tribuunt per se, sed quatenùs sequuntur Pontificis instructionem, ut sic *Ecclesiam non posse errare*, apud illos idem sit, quòd *Pontificem non posse errare.*

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 1. *In Disputatione de verbo Dei jam ostendimus, judicem controversiarum non esse Scripturam, nec seculares Principes, nec privatos homines, quamvis probos & doctos, sed Ecclesiasticos Prælatos. In Disputatione vero de Conciliis demonstrandum erit, habere quidem Concilia tam generalia, quàm particularia judicium de controversiis religionis, sed illud judicium tum demum esse firmum & ratum, cum accesserit summi Pontificis confirmatio, proinde ultimum judicium summi Pontificis esse.*

Gregorius de Valent. lib. 3. Comment. in Thom. Disp. 1. q. 1. p. 1. §. 6. col. 29. *Ponimus, Ecclesiam esse cœtum omnium fidelium. Hos non omnes autoritate esse pares, sed esse in Ecclesia pecuiarem potestatem, sive autoritatem divinitùs institutam, quâ fideles tum doctrinâ, tum præceptis informentur. Hanc autoritatem plenè in Romano Pontifice, Christi Vicario & sancti Petri successore, residere, qui scilicet de fidei & morum controversiis, ad universalem Ecclesiam pertinentibus, vel per se, vel unà cum generali Concilio sufficienter constituat. Et denique ejus autoritatis usum adeò Spiritui sancto curæ esse, ut in iis, quæ ad fidem & mores fidelium constituendos pertinent, nullus error contingat. Jam igitur, cùm dicimus, propositionem Ecclesiæ esse conditionem necessariam ad assensum fidei, nomine Ecclesiæ intelligimus ejus caput, id est, Romanum Pontificem per se, vel unà cum Concilio ex prædicta autoritate propositiones fidei fidelibus declarantem.*

Contrà Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 17. circa fin. *Una persona non potest dici Ecclesia, cùm Ecclesia sit populus & regnum Dei.*

3. Bellarmin. lib. 3. de Eccles. cap. 16. negat, *primos parentes fuisse Ecclesiam, cùm fuerint duo tantùm homines.* Statuit verò, *fuisse eos initium Ecclesiæ tam materiale, quàm formale.*

Contrà 1. Matth. 18. v. 20. dicit Christus: *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio ipsorum.* Jam verò ubi Christus gratiosâ suâ præsentiâ hominibus adest, ibi est Ecclesia.

2. Paulus Rom. 16. v. 5. 1. Cor. 16. v. 19. in Epist. ad Philem. v. 2. *unius domus familiam* vocat Ecclesiam. Jam verò duo homines maritus & uxor constituunt familiam. Ergò etiam Ecclesiam.

3. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 17. citat Alexandrum Alensem p. 3. qu. ult. & Johannem de Turrecremata lib. 1. de Eccles. cap. 30. quòd statuant, *in passione Domini non mansisse veram fidem, nisi in sanctissima virgine Maria*, idque significari tradunt *unâ illâ candelâ, quæ sola accensa servatur in triduo ante Pascha in officio nocturno.* (Si sola fides tempore passionis Dominicæ servata est in Maria, utique etiam sola Ecclesia. Tertullian. in exhort. ad cast. *Ubi tres sunt, Ecclesia est, licet Laici fuerint.*)

4. Pontificii *lupanaria publica* tolerantes ac toleranda esse docentes, respondent, *inter duo mala minus eligendum esse, ideoque tolerari fornicationes in lupanaribus, ne violentur honestæ matronæ.* Pazmannus lib. 3. Hodegi in cap. doctr. Lutheri.

Resp. 1. Ex Rom. 3. v. 8. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

2. Ex Augustino de mendacio contra Conf. cap. 9. *Si hanc peccatis aperimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant, lato limite, imò nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis, infinito spatio cuncta intrabunt & regnabunt peccata.*

3. Ex Tertulliano, qui lib. de anim. lupanaria dicit esse *coram Deo execrabilia.*

4. Ex Justiniano, qui in Authentic. tit. de Honoribus, *meretrices* vult *prorsus eliminatas è civitatibus.* Confer Append. in artic. de matrim.

5. Bellarminus lib. 4. de Eccles. c. 2. *Ecclesia simpliciter est notior & prior Scripturâ, cùm Ecclesia fuerit ante Scripturam, & hæc illi à Deo data sit, & ipsa eam aliis tradat & explicet.*

Resp. 1. Ludit Bellarminus in vocabulo *Scripturæ*, quasi solos literarum apices & non potiùs scriptum Dei verbum, quod idem est cum verbo Dei prædicato, hac appellatione intelligamus. Illud verò est Ecclesiâ antiquius, quia Ecclesia ex verbo Dei genita est.

2. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. scribit, *sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis libris continentur, nihil esse notius.* (Ergò nec Ecclesia notior Scripturis)

6. Ibidem. *Esse potest pura doctrina ab omni errore in falsa Ecclesia.*

Resp. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 12. scribit, *solam Ecclesiam habere doctrinam immaculatam.*

(Si in sola Ecclesia est doctrina immaculata, quomodo doctrina ab omni errore pura & libera potest esse in falsâ Ecclesia? Pura doctrina est veræ Ecclesiæ forma, thesaurus proprius, imò illius quasi anima, quomodo ergò potest locum habere in Ecclesia falsa?)

7. Becanus in tract. de Eccles. qu. 1. concl. 4. pag. 59. *Prædictum in Scripturis, Ecclesiam nunquam constringendam ad unam aliquam partem aut nationem.*

Contrà Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 7. *Si una sola Provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clarè ostenderetur, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo.*

8. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 14. *Miracula fiunt vel ad confirmandam fidem, vel ad illustrandam alicujus Sancti gloriam, ita ut ostendant, eum hominem verè esse sanctum.*

Contrà c. Audivimus ext. de reliqu. & venerat. Sanctor. *Non continuò eum, qui miracula facit, venerari debemus pro sancto.*

c. Teneamus 1. qu. 1. *Fiunt miracula quandoque etiam per malos.*

Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 10. §. Secundò quæri. *Dubitari non potest, quin gratia gratis data à gratia gratum faciente separari possint. Posse enim esse sine caritate donum linguarum, Prophetiam, sapientiam, scientiam & fidem, testatur Apostolus 1 Cor. 13. Constat autem caritatem, vel ipsam gratiam gratum facientem esse, vel ejus comitem individuam. Ad hæc Matth. 7. Dominus ait, multos dicturos in die judicii. Nonne in nomine tuo prophetavimus, & virtutes multas fecimus? qui tamen audient,*

dient, nescio vos. Et discedite à me omnes operarii iniquitatis. Deniq; & Balaam ariolus multa de Christo verè prophetavit Num. 22. & 23. & Caiphas vir alioqui perditissimus, cùm esset Pontifex illius anni, prophetavit Joh. 11. Negandum tamen non est, ut plurimùm gratias gratis datas cum gratia gratum faciente conjungi, quia, ut Gregorius docet Homil. 17. in Ezechiel. ejusmodi donis servos suos Deus donat exteriùs, ut appareat, quid sint apud Deum interiùs.

9. Liber Interimisticus Ecclesiis Germaniæ & Ordinibus Imperii pro norma doctrinæ à Carolo V. & Statibus Pontificiis fuit obtrusus Sed eundem publicis scriptis quidam ex ipsis Pontificiis insectati sunt, *in Italia* quidem Generalis Ordinis Dominicanorum, *in Gallia* verò Robertus Abrincensis Episcopus, referente Osiandro Centur. 16. pag. 497.

10. c. Nulli dist. 19. *Hæreticus est, qui transgreditur præcepta Sedis Apostolicæ.*

Glossa in d. c. nulli in verbo prostratus. *Hinc videtur, quòd omnis, qui non obedit Statutis Romanæ Sedis sit hæreticus.*

Et paulò pòst. *Qui dicit, Romanam Ecclesiam non esse caput, nec posse condere Canones, ille est hæreticus.*

Nicolaus Papa c. Omnes dist. 22. *Qui Romanæ Ecclesiæ privilegium auferre conatur, hic procul dubio delabitur in hæresin.*

Confer c. Ad abolendam de hæreticis, ubi Lucius Papa eandem hæreseos definitionem proponit.

(At hæc definitio hæretici est falsa. Regula enim veritatis prima & unica in rebus fidei est *verbum Dei* in Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensum.

11. Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 1. §. ultimo, ex libro Judith cap. 6. v. 21. probare conatur, *Ecclesiæ vocem significare locum, in quo fideles congregentur.*

Lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 4. §. Secundò probatur, ex 1. Cor. 11. v. 18. probare nititur, *Christianos Apostolorum tempore habuisse templa à privatis domibus distincta, eademque Ecclesias fuisse appellata.*

Contrà. Gerson de potest. Eccles. cons. 13. *Non sumitur Ecclesia pro templo materiali, quod ædificare meliùs potest latomus, quàm Theologus, sed consideratur Ecclesia, ut est instituta à Christo super petram fidei.* (Cum quo congruit illud Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Esai. orat. 4. *Cùm Ecclesiam dicimus, non circuitui murorum vim hujus dictionis accommodamus, sed piorum potiùs in ea multitudinem sanctissimam significamus.*)

Isidorus Pelusiota l. 2. Epist. 246. p. 210. hanc Ecclesiæ significationem ex professo refellit. *Discat*, inquit, *Eusebius*, (qui vocem Ecclesiæ pro loco sacro usurpavit l. 3. de vita Constant. cap. 47.) *Pelusiotarum Antistes, quid sit Ecclesia. Est enim absurdissimum & perquam grave ipsum, ne hoc quidem cognitum habentem in hac opinione versari, ut Episcopum se esse existimet. Nam quòd Sanctorum cœtus ex recta fide atq; optimâ vivendi ratione collectus Ecclesia sit, inter eos constat, qui sapientiam degustârunt.*

Quin imò Bellarminus ipse lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. §. Ratio ex Patribus antiquissima astruit, *Christianos primos non habuisse ulla templa.*

12. Idem Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 1. scribit, *populum Vet. Testam. propriè dici Synagogam, id est, congregationem; populum Nov. Testam. nunquam dici Synagogam, sed semper Ecclesiam, id est, evocationem, Congregari enim, inquit, est commune homini cum bestiis, at evocari proprium est hominum.*

Contra. Jac. 2 v. 2. Hebr. 10. v. 5. Matth. 23. v. 37. Patres Concilii Trid. conventum suum vocant *congregationem* Sess. 9. & 10.

Bellarmin. l. 1. de Pont. Rom. cap. 10. probat, *nihil discriminis esse inter Petrum & petram* Matth. 16. v. 18. *quia Christus Syriacè locutus sit, in Syriaco autem utrobique haberi vocem* כאפא.

(At si Christus verba illa Syriacè protulit, utique etiam integram sententiam. Jam verò ibi pro Ecclesia habetur vox עדתא quæ descendit ab Hebr. עדה quod Bellarminus ipse dicit significare *Synagogam*. Ergò Christus Ecclesiam suam vocavit Synagogam.)

Pii veteres non dubitârunt, Ecclesiam Christianam vocare *Synagogam*. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 6. *Hi, qui adoptionem acceperunt, sunt Ecclesia, hæc enim est Synagoga Dei, quam Deus, id est, Filius ipse per semetipsum collegit.*

13. Becanus lib. 1. Manual. c. 3. §. 12. p. 58. scribit, *Ecclesiam dici sanctam, quia nemo in eam ingrediatur, nisi per Baptismum ablutus & sanctificatus.* Atqui latro in cruce conversus, factus est membrum Ecclesiæ, neque tamen Baptismum aquæ suscepit. Distinguat ergò Becanus inter ordinem & extraordinarios necessitatis casus; & agnoscat, quòd etiam per prædicatum, auditum & fide receptum Dei verbum homines adulti convertantur, & conversi fiant Ecclesiæ membra. Locus 1. Cor. 6. v. 11. assertionem Becani minimè confirmat, quia Paulus nec verbis, nec sensu ibi docet, Ecclesiam Christi ideò esse sanctam, quia nemo illam ingrediatur, nisi per Baptismum ablutus & sanctificatus.

14. Gretserus Jesuita, quando ipsi objicitur. *S. Scripturæ divinitatem olim fuisse miraculis probatam*, respondet, Defens. 1. Controvers. Bellarm. tract. de cognoscend. Script. cap. 4. pag. 1882. *Unde scis, miracula illa esse vera? an inde præcisè, quia scripta sunt? at hoc prorsus est futile. Quid? si quis neget Scripturam illam? quid consilii capias?*

(At hac ratione ipsius Christi miracula dubia redduntur.)

Gregorius de Valent. lib. 1. Analys. cap. 7. pag. 8. fac. 2. de Christi miraculis sic scribit. *Non est credibile, Christum in miraculis usum ope Diabolorum.*

Idem tom. 3. Disput. 1. qu. 1. punct. 4. pag. 98. eandem sententiam his verbis repetit. *Neq; malignorum Spirituum præstigiis atque operâ credibile est, adjutum eum* (Christum) *fuisse, cui tantum, tamque apertum fuit cum illis nequam Spiritibus bellum &c.* (At hac ratione denuò Christi miracula in dubium vocantur.)

15. Bellarminus lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 29. §. Respondeo ad quartum &c. *In Vet. Testam. tantùm promissiones temporales fuerunt, & in Novo spirituales & æternæ.*

Catech. Trident. in Expos. Symb. p. 111. *populum V. T. Synagogam dici, quòd terrena & caduca tantùm bona spectaret.*

(At pugnat hæc assertio cum manifestis Scripturæ dictis, quæ testantur, legem promisisse obedientibus vitam æternam. Levit. 18. v. 5. Ezech. 20. v. 11. ac Evangelicas promissiones de bonis cœlestibus etiam Patribus Vet. Test. factas fuisse, Act. 10. v. 43. cap. 26. v. 22. cap. 28. v. 23. Rom. 1. v. 2. Gal. 3. v. 8. &c. unde ipse Bellarminus lib. 4. de justif. cap. 3. §. Quod attinet &c. scribit, *legem & Prophetas polliceri expressè bona temporalia, figuratè autem regnum cœlorum.*)

16. Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglicanæ cap. 7. divis. 3. *Scire oportet, hæresis nomen Apostolorum temporibus non adeò fuisse infame, ut ex Act. 5. judicare licet, nisi si quid addatur, unde pro vitio debere censeri, possit intelligi, ut 1. Corinth. 11. & Galat. 5. Hoc ergò vocabulum medii generis erat tunc temporis, poteratque vel in meliorem, vel in pejorem partem accipi. Tertullianus in meliorem partem illud usurpat, cùm de Christianis hominibus locutus sectam eos appellat, quâ voce Latinâ vertitur Græca illa hæresis.*

Lorinus in Comment. 2. Petr. 2. v. 1. *Admonui in Comment. Actor. 24. v. 14. ex usu Ecclesiastico malè sonare hæresin, licet interdum apud Scriptores nostros usum habeat bonum.*

Guilielmus Estius ad eundem loc. *Hæresis, quamvis usu totius Ecclesiæ jam olim in malam partem accipiatur, tamen apud prophanos autores, atque etiam in Scriptura sacra vocabulum medium est, significans opinionem, quam quis sibi delegerit seu veram, seu falsam.*

Contrà. Hæreseos vox phrasi Biblicâ semper in malam partem accipitur. Actor. 5. v. 17. cap. 15. v. 5. 1. Corinth. 11. v. 19. Gal. 5. v. 20. Quæ in contrarium afferuntur Actor. 24. v. 5. & 14. cap. 26. v. 5. cap. 28. v. 22. ad ea in Commentario Epistolæ Petrinæ posterioris cap. 2. v. 1. respondimus. Apud Patres itidem semper in malam partem accipitur. Confer Tertullian. lib. de præscript. advers. hæres. cap. 6. & 37. Hieronymum in cap. 5. Gal. & in cap. 3. ad Titum. Leonem Epist. 10. ad Flavianum. Bedam in Comment. 2. Petr. 1.

Finis Libri Secundi.

CONFES-

CONFESSIONIS CATHOLICÆ,

In qua

DOCTRINA CATHOLICA

ET EVANGELICA, QUAM ECCLESIÆ AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTÆ PROFITENTUR, EX ROMANO-CATHOLICORUM SCRIPTORUM SUFFRAGIIS CONFIRMATUR,

AUTHORE

JOHANNE GERHARDO, D.

LIBRI II. SPECIALIS PARS SECUNDA, CONTINENS ARTICULOS,

VI. de CLERICIS,
VII. de MONACHIS,
VIII. de LAICIS,
IX. de PURGATORIO,
X. de BEATITUDINE ET CULTU SANCTORUM,
XI. de SACRAMENTIS,
XII. de BAPTISMO,
XIII. de CONFIRMATIONE,
XIV. de SACRAMENTO EUCHARISTIÆ,
XV. de MISSA.

Illustrissimis & Celsissimis Principibus ac Dominis,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Duci, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravenspurg, Domino in Ravenstein &c.

HEROI GLORIOSISSIMO,

Principi ac Domino suo clementissimo,

Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum Iesum in Spiritu Sancto.

ILlustrissime ac Celsissime Princeps, Domine clementissime, ante sexennium, & quod excurrit, Dillingæ in publicam lucem prodiit scriptum, sub hoc titulo: *Pacis compositio inter Principes & Ordines Imperii Romani Catholicos, atq; Augustanæ Confessioni adhærentes, in Comitiis Augustæ Anno 1555. edita, quam Jure-Consulti quidam Catholici ex publicis Comitiorum actis & decretis adversus complurium Acatholicorum scriptorum commenta quæstionibus illustrarunt.* Autores hujus scripti vel unicum, vel certè præcipuum hunc sibi videntur præfixum habere scopum, ut demonstrent, beneficio Pacificationis Passaviensis Ecclesias nostras non amplius gaudere, sed eadem excidisse, vel certè Pacificationem illam ita coarctent & restringant, ut oppido paucis ejus potiundæ ac fruendæ detur copia. Reverâ igitur hoc agunt, ut, sublato Pacificationis hujus Palladio, facultates & corpora omnium nostrûm extremo periculo objiciantur, ac pœnæ in hæreticos jure Pontificio ac Cæsareo constitutæ, nobis irrogentur. Experimentum hujus rei certissimum ex eo capi potest, quod in capite undecimo quæst. 82. n. 102. & seqq. frivolis quibusdam ratiunculis evincere conantur, *nullos, aut vix ullos hodie existere, qui Confessioni Augustanæ adhæreant.* Cum enim Pacificationis Passaviensis beneficium, ut clara litera testatur, non nisi Romano-Catholicis ex una, & Augustanæ Confessioni addictis Statibus ex parte altera sit datum, ex hac hypothesi Dillingensium immotè sequitur, nullos, aut vix ullos hodiè, præter Romano-Catholicos in Imperio Romano existere, qui, ut beneficio Pacificationis Passaviensis fruantur, digni censeri debeant. Ecquis ergò dubitet, Jesuitas, quorum consilio & suggestione, si non etiam calamo & scriptione, farrago hæc, quoad Theologica, congesta est, jure meritoque in Decreto Parlamenti Parisiensis Anno 1594. *publicæ tranquillitatis perturbatores* appellatos? Ecquis inficias eit, verissimè à viro quodam Nobilissimo C. V. D. T. pronunciatum esse, *ignea illa ingenia ab Ignatio Loyola Ordinis sui autore, olim milite, eos hausisse Spiritus, ut non sint prius conquietura, antequam Imperium Romanum bellorum flammis accensum, in pulverem ac cinerem redigatur, ac novus Phœnix Hispanicæ Monarchiæ ex eo prodeat.* Eccui amplius obscurum, quin Præses Parlamenti Parisiensis Jacobus Augustus Thuanus in Elegia, quæ incipit, *Hesperia fuscis gens emissaria ab oris &c.* verissimè cecinerit:

Atq; utinam nunquam tibi crus Dux Lojola Secta
Icisset levâ missa sagita manu!
Nempe tua à bello cunctorum fonte malorum
Secta sata est, bellum hinc nunc & adulta serit.

Expendamus verò ad rationis trutinam argumentorum pondera, quibus infamem hanc thesin, *nullos, aut vix ullos hodiè existere, qui Augustanæ Confessioni adhæreant*, statuminare laborant.

Tria in universum assertioni suæ substernunt fulcra, quibus subrutis tota structura ruinam patietur. Primum deducunt *ex aliorum fidei articulorum introductione.* Alterum, *ex Augustanæ Confessionis variatione.* Tertium, *ex novorum errorum defensione.*

Primum argumentum hoc schemate formatum, introducunt: *Qui Confessioni Augustanæ adhærent, non debent alios fidei substantiales articulos adversus Ecclesiam Romanam docere, præter eos, qui in Confessione expressi sunt. Constat autem, Lutheranos, & antequam Confessionem suam ederent, & postea plures fidei substantiales articulos docuisse & adhuc docere, qui in Augustana Confessione explicati non sunt. Ergò non adhærent Augustanæ Confessioni.* Majorem hujus argumenti morbo ambiguitatis laborare dicimus, *aliorum enim fidei articulorum* nomine vel intelliguntur ejusmodi dogmata, quæ pro fidei articulis à Lutheranis habentur, ac contra Papatum propugnantur, cùm tamen non sint in Augustana Confessione totidem verbis proposita, verbi gratiâ, Scripturam esse perspicuam, esse perfectam, esse unicam omnium controversiarum normam &c. vel intelliguntur ejusmodi dogmata, quæ sunt articulis fidei in Augustana Confessione contraria, per quæ in doctrina Papali damnatur, quod Augustana Confessio in ea approbat, aut vice versâ, per quæ in doctrina Papali approbatur, quod Augustana Confessio in ea damnat. Si aliorum fidei articulorum nomencla-

menclaturam in priore significatione Dillingenses usurparent, multis eos obrueremus absurdis. Neque enim Cæsarea Majestas à Protestantibus hoc requisivit, ut omnes & singulos fidei articulos, tum temporis cum Romana Ecclesia controversos, in Confessione sua proponerent: neq; Protestantes in conscribenda & exhibenda Confessione sua hoc sibi propositum habuerunt; neq; unquam professi sunt, à se hoc esse præstitum; sed hoc duntaxat fuit à Cæsare requisitum, & à Protestantibus præstitum, summam doctrinæ, quam in Ecclesiis suarum ditionum propagari curent, brevissimo scripto comprehendere, unde ipsa ἐπιγραφὴ augustæ illius Augustanæ Confessionis sic informata, *Articuli fidei præcipui*; Epilogus verò sic incipit: *Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat: tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facilè judicari possunt*; & his verbis finitur: *Hos articulos suprascriptos voluimus exhibere juxta edictum Cæsar. Majest. in quibus Confessio nostra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus, latiorem informationem, Deo volente, juxta Scripturas exhibere*; quæ verba Solis radiis scripta manifestissimè testatum reddunt, Protestantibus hoc duntaxat animi fuisse, summam doctrinæ in Ecclesiis suarum ditionum publicè sonantis tradere, non autem omnes in universum articulos cum Papali Ecclesia controversos scrupulosè recensere. Vident hoc Dillingenses, unde non in priore, sed in posteriore potius significatione *aliorum fidei articulorum* nomenclaturam accipere videntur, videlicet pro ejusmodi dogmatibus, quæ articulis fidei in Augustana Confessione propositis, sunt contraria. Præterquam enim, quod in tertio demum argumento *de novis fidei articulis* præter & extra Augustanam Confessionem in Ecclesias nostras introductis agere incipiunt, patescit idipsum ex Minoris confirmatione, in qua magno quidem, sed frustraneo conatu sibi demonstrandum sumunt, in cæteris libris Ecclesiæ nostræ Symbolicis à nobis in doctrina Papali damnari ea, quæ ab Augustana Confessione in eadem approbantur; & ac vice versâ in libris illis Symbolicis ea in doctrina Papali approbari, quæ ab Augustana Confessione in eadem damnentur, quod inde sequitur, dogmata Augustanæ Confessioni contraria in libris nostris Symbolicis & in Ecclesiis nostris propagari ac propugnari. Hoc si evicerint Dillingenses, haud inviti fatebimur simul evictum, Lutheranos Augustanæ Confessioni non amplius adhærere. Videamus igitur, quid tanto dignum ferant hi promissores hiatu, ac quomodo intentatum contradictionis ἔγκλημα probent. Provocant ad articulos Schmalcaldicos, qui in Formula Concordiæ inter Symbolicos Ecclesiarum nostrarum libros referuntur, & ex illis quatuor dogmata in medium producunt, quæ doctrinæ, in Augustana Confessione comprehensæ, diametraliter adversentur. *Anno Christi 1535. inquiunt, ex mandato Principum Protestantium Schmalcaldiæ convenerunt Prædicantes, ubi Lutherus articulos scripsit in Concilio Tridentino, si opus fuerit, proponendos, iisq; non minorem fidem, quam Augustanæ Confessioni habendam esse testatur Lucas Osiander in Historia Ecclesiastica Ann. 1537 Cent. 16. lib. 2. c. 37. & ipsemet Concordiæ liber ad finem Præfationis. Enumeremus itaq; aliquos articulos. Part. 2 art. 1. ita habetur; Quod missa in Papatu sit maxima & horrenda abominatio, simpliciter & hostiliter è diametro pugnans contra articulum de Redemtione, quæ tamen præ omnibus aliis Pontificiis idololatriis summa & speciosissima fuit. Sed in Augustana Confessione hæc proposita sunt Carolo V. Imperatori, quæ dicto articulo Schmalcaldico adversantur. Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant Retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ Ceremoniæ ferè omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum.* Hactenus Dillingenses hoc modo concludentes: *Quicunq; dogma aliquod damnant, quod ab Augustana Confessione approbatur illi non amplius Augustanæ Confessioni adhærent. Lutherani in articulis Schmalcaldensibus Missam damnant; quæ tamen in Augustana Confessione approbatur. Ergò Lutherani non amplius Augustanæ Confessioni adhærent.* Mirum verò, Dillingenses tam oculatos esse, ut videant, quod nec Imperator Carolus V. nec Rex Ferdinandus, Heroës Augustissimi, nec reliqui Status Imperii Romano-Catholici tempore Pacificationis Passaviensis viderunt! Illi enim Lutheranos pro γνησίοις Augustanæ Confessionis sociis habuerunt, pacis politicæ fœdus cum ipsis inierunt, nec propter articulos Schmalcaldicos jam tum in publicum editos, ullius ab Augustana Confessione secessionis ipsos reos peregerunt. Mirum omninò, Dillingenses oculis esse tam lynceis ac perspicacibus, ut videant, quod 42. Theologorum lumina & Numina, quorum nomina articulis Schmalcaldicis sunt subjecta, videre minimè potuerunt! Illis enim nunquam in mentem venit, per hanc subscriptionem approbare ullum dogma, quod Augustanæ Confessioni adversetur. Sic namq; in subscriptione loquuntur: *De mandato Illustrissimorum Principum, & Ordinum ac Civitatum Evangelii doctrinam profitentium relegimus articulos Confessionis exhibitæ Imperatori, in Conventu Augustano, & Dei beneficio omnes Concionatores, qui in hoc Smalcaldensi Conventu interfuerunt, consentientes profitentur, se juxta articulos Confessionis & Apologiæ sentire & docere in suis Ecclesiis.* Mirum, inquam, Dillingenses tanto valere acumine, ut intelligant, quod tres Electores, viginti Principes, viginti & duo Comites, tres Barones, triginta quinque Rerumpublicarum Senatores, ac tot Electorum, tot Principum, tot Comitum, tot Baronum Consiliarii & Theologi, tot Rerumpubl. Syndici, intelligere minimè potuerunt, videl. articulos Schmalcaldicos, cui una cum Formula Concordiæ subscripserunt, cum Aug. Confessione pugnare. Sic enim in præfatione τοῦ ἰουλικοῦ loquuntur: *Nunquam nobis in mentem venit hoc nostro scripto vel novum aliquod & falsum doctrinæ genus introducere, integumentis commendare, confirmare, vel in minimis etiam à Confessione illa Anno 1530. Augustæ exhibita, discedere &c. Quâ etiam de causa Confessionem illam tum exhibitam nostræ, quæ his subjicietur, declarationi sive libro Concordiæ inserere voluimus, ut omnes intelligant, quod in nostris ditionibus, Ecclesiis & Scholis nullam aliam doctrinam ferri constituerimus, quam quæ Augustæ Anno 1530. ab Electoribus, Principibus & Imperii Ordinibus recepta fuit. Hanc Confessionem etiam, Deo nos benè juvante, usq; ad ultimos Spiritus piè ex hac vita ad cœlestem patriam migraturi tenebimus, excelso & intrepido animo, puraq; conscientia comparituri coram tribunali Jesu Christi.* Et postea. *Nos certè hoc Concordiæ negotio nequaquam nova comminisci, aut à veritate doctrinæ cœlestis, quam majores nostri pietatis nomine celeberrimi & agnoverunt & professi sunt, ullo modo discedere voluimus. Eam autem doctrinam intelligimus, quæ ex Propheticis & Apostolicis scriptis extructa, in tribus veteribus Symbolis, Augustana Confessione Anno 1530. Imperatori Carolo V. excellentis memoriæ exhibita: deinde Apologia, quæ huic conjuncta fuit, Schmalcaldicis articulis, utroq; demiq; Catechismo excellentis viri D. Lutheri comprehensa est. Quare etiam nos ne latum quidem unguem à rebus ipsis & phrasibus, quæ in illa habentur, discedere, sed juvante nos Domini Spiritu, summa concordia constanter in hoc pio consensu perseveraturos esse decrevimus, controversias omnes ad hanc veram normâ & declarationem purioris doctrinæ examinaturi.* Eant nunc Dillingenses, tot heroës majore nescio audacia, an impudentia mendacii accusent, Augustanam Confessionem & articulos Schmalcaldicos hostiliter inter se committant, ac ἀποστασίας ab Augustana Confessione Ecclesias nostras porro accusent. *At*, inquiunt, *Missa in Augustana Confessione approbatur, in Smalcaldicis articulis damnatur.* Breviter respondeo, scrupulus hic est, non scopulus, apparens contradictio, non vera ἐναντίωσις. Evolvatur ambiguitas vocabuli *Missæ*, & res tota erit expedita. Per Missam Augustana Confessio non intelligit Missaticum sacrificium, sed totam Liturgiam sacram & Ecclesiasticam, quæ continet pias preces, benedictionem, exhortationem, recitationem orationis Dominicæ, ac verborum Institutionis Eucharistiæ, Symbolorum sacrorum dispensationem, gratiarum actionem, quæ publica Sacramenti Eucharistici administratio vocabulo in primitiva Ecclesia jam olim recepto, Missa fuit appellata, à formula illa, quâ Catechumeni, qui publicis Conventibus usq; ad finem concionis interesse permittebantur, cum ad Liturgiam seu Eucharistiæ administrationem perventum esset, voce Diaconi exire jubebantur, prolatis hisce verbis: *Catechumeni exeunto. Ite, Missa est.* In hac significatione Missæ vocem ab Augustana Confessione accipi, luculentè apparet ex verbis immediate sequentibus, quæ sic habent: *Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione. Cum autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, servatur apud nos una communis Missa singulis feriis atq; aliis etiam diebus, si qui Sacramento velint uti, ubi porrigitur Sacramentum his, qui petunt.* Schmalcaldici vero articuli Missæ nomine intelligunt Missaticum sacrificium propitiatorium, sive incruentam oblationem pro vivis & mortuis, cujus in Aug. Conf. nec vola, nec vestigium apparet, imò, quæ ab August. Conf. æquè, ac à Schmalcaldicis articulis damnatur. Sic enim loquuntur Confessores: *Accessit opinio, quæ auxit privatas Missas in infinitum, videl. quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod Missa sit opus, tollens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato &c. De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant à Scripturis sanctis & lædant gloriam passionis Christi.*

Acceda-

Accedamus verò ad alterum exemplum, quo Dillingenses probare nituntur in Augustana Confessione & Schmalcaldicis articulis contradictoria dogmata contineri. *In eadem*, inquiunt, *part. 2. art. Schmalcald. art. 4. de Papatu inter alia hæc habentur: Sancta Christiana seu Catholica Ecclesia consistere absq; isto capite* (Pontif. Rom.) *optimè potest, & constitisset certè rectiùs, ac meliùs cũ ea ageretur, nisi Diabolus illud caput in medium projecisset & exaltâsset. Et certum est, Papam nullius usus esse in Ecclesia, quia nullum Ecclesiasticum officium exercet, & necesse est Ecclesiam permanere & consistere sine Papa.* Et infra. *Hæc doctrina præclarè ostendit, Papam esse ipsum verum Antichristum, qui supra Christum, sese extulit & evexit, quandoquidem Christianos non vult esse salvos sine sua potestate, quæ tamen nihil est, & à Deo nec ordinata, nec mandata est. Hunc articulum de Papatu non tantùm Confessionistæ non expresserunt, sed contraria ei dixerunt, ut, quando ad Concilium à Rom. Pontifice congregandum, appellârunt in præfat. ad Carolum V. quando in fine articulorum fidei dixerunt, in ea doctrina seu Confessione tuâ nihil interesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenùs ex Scripturis nota est. Et art. 7. abusuum de potest. Eccl. Tantùm petunt Confessionistæ, ut Episcopi injusta onera remittant, quæ nova sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ recepta. Fortasse initio quædam Constitutiones factæ habuerunt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt, apparet etiam, quasdam errore receptas esse. Quare Pontificiæ clementiæ esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ unitatem. Nonne talibus verbis Rom. Pontificis potestatem in Ecclesiam Catholicam coram Cæsare profitebantur?* Sed nec hic quidpiam occurrit, quod veram & realem contradictionem involvat. Schmalcaldici articuli Papam vocant Antichristum, hoc non pugnat cum Augustana Confessione, cùm etiam ante exhibitam Confessionem Lutherus non semel in publicis scriptis Papam Antichristum salutârit tom. 1. Germ. Jen. fol. 58. 178. 351. 414. 517. tom. 2. fol. 60. 133. &c. Et ut cætera omnia sicco pede præteream, ann. 1521. articulos viginti sex congessit, in quibus *Dominus noster Jesus Christus & Papa Romanus dissideant*. Huic doctrinæ Lutheri tantùm abest, ut Confessio quidpiam contrarium proposuerit, ut eandem potiùs haud obscurè confirmet. Quamvis enim totidem literis & syllabis Rom. Pont. in Conf. Aug. non vocetur Antichristus, tamen notæ à Spiritu S. ad descriptionem Antichristi in sacris literis adhibitæ, ab Augustana Conf. Pontifici Romano tribuuntur, videl. *quòd traditionibus, superstitionibus & constitutionibus suis lædat gloriam Christi, abneget justitiam fidei, traditiones suas præferat mandatis Dei, misceat potestatem gladii & Spiritus, quòd conatus fuerit contra omne jus transferre regna mundi & Imperatoribus Imperium adimere; quòd novos cultus instituat, conjugio hominibus interdicat, discrimen ciborum sub opinione meriti Ecclesiæ obtrudat*, quæ omnia Antichristo in Scripturis tribui in Solis mensa positum. Quin imò Apologia Confessionis art. de Eccles. p. 194. exertis verbis asserit, *de regno Pontificis Danielem cap. 11. fuisse vaticinatum*, quo in loco de Antichristi regno Prophetam loqui in propatulo est. Et paulò pòst Apologia sic loquitur p. 241. *Propria est hæc lex de perpetuo cœlibatu hujus novæ Pontificiæ dominationis, neq; id abs re. Daniel enim tribuit hanc notam regno Antichristi, videlicet contemtum mulierum.* Item p. 262. *Ad hæc accessit horribilis profanatio Missarum, & alii multi impii cultus in templis. Hæc est desolatio, quam Daniel describit. Ita hæret in regno Pontificio cultus Baaliticus, hoc est, abusus Missæ, quam applicant, ut per eam mereantur injustis remissionem culpæ & pœnæ. Et videtur hic Baaliticus cultus unà cum regno Pontificio duraturus esse, donec Christus veniet ad judicandum, & gloriâ adventus sui perdet regnum Antichristi.* Num potuissent Confessores clariùs mentem suam de regno Papali, quòd sit regnum Antichristi, exponere? Pontificem non esse Ecclesiæ caput, nec potestatem ejus esse à Deo mandatam vel ordinatam, asserunt articuli Schmalcaldici. Assertioni isti minimè adversatur, quòd Confessores in præfat. Confessionis *ad Concilium à Papa congregandum* appellant. Neque enim Pontifici hanc Concilii convocandi potestatem jure competere asserunt, sed à Cæsarea Majestate Pontifici de facto hoc permitti, ut Concilium convocet, neque enim ex sua mente ibi loquuntur, sed Cæsareæ Majestatis verba μιμητικῶς recitant. Quando in fine articulorum fidei dicunt, *in doctrina seu Confessione suâ nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenùs ex Scriptoribus nota est*, eo ipso minimè negant, Papam Romanum esse Antichristum, cùm ab Apostolo edocti sint, *Antichristum sessurum in templo Dei*, 2. Thess. 2. v. 4. hoc est, dominium in Ecclesiam sibi arrogaturum, nec tribuunt ei Monarchicam aliquam in Ecclesiam universam potestatem, quippe quam in Ecclesia Romana, Apostolicis temporibus vicina, minimè obtinuit; nec volunt de confessione sua judicium fieri debere ex doctrina & praxi hodiernæ Ecclesiæ Romanæ, sed antiquæ & primævæ illius, quæ Christi & Apostolorum temporibus vicina fuit, unde disertè addunt, *quatenùs ex Scriptoribus nota est.* Dillingenses hîc legunt, *quatenùs ex Scripturis nota est*, quæ lectio, nisi sit sphalma quoddam Typographicum, adhuc clariùs nostram confirmat responsionem. Quando *Pontificiæ clementiæ esse* dicunt, *constitutiones quasdam mitigare*, itidem non tribuunt Pontifici summam & ἀνυπεύθυνον in Ecclesia potestatem, sed eidem potiùs derogant, dum tyrannidem & inclementiam ei propterea objiciunt, quòd pro constitutiunculis humanis libertatem Ecclesiæ labefactantibus, tanquam pro aris & focis, imò magis pro focis, quàm pro aris pugnet, nec ullam moderationem vel mitigationem infirmorum habitâ ratione adhibeat. Loquuntur etiam Confessores ex hypothesi, si vel maximè potestas quædam jurisdictionis introducendi ejuscemodi constitutiones in Ecclesiam Pontifici competeret, quam Romano-Catholici ei tribuunt, tamen clementiam in mitigandis illis constitutionibus adhibere deberet, neque cum Scribis & Pharisæis *onera gravia & importabilia alligare & in humeros hominum ea imponere, atque interim ne digito quidem ea movere*, Matth. 23. v. 4. Reliqua duo exempla, quibus in Augustana Confessione & articulis Schmalcaldicis contradictoria contineri probare satagunt, facilem habent explicationem. *Augustana Confessio*, inquiunt, *concedit dari, liberum arbitrium, sic enim loquitur artic. 18. De libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & diligendas res rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus, cùm per verbum Spiritus Sanctus concipitur. Ad quæ verba Caroli Cæsaris & Catholicorum Principum responsio talis fuit. In Art. 18. confitentur liberi arbitrii virtutem, quòd habeat libertatem ad efficiendam justitiam civilem, sed non habeat vim sine Spiritu S. efficiendæ justitiæ Dei, quæ Confessio acceptatur & approbatur. Contrà verò in part. 3. artic. Schmalcald. artic. 1. damnatur dogma Catholicorum Doctorum, hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum & malum. Jam antè enim docuerat Lutherus de libero arbitrio assert. artic. 36. tom. 1. VVitteb. fol. 117. col. 2. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. Infelix liberum arbitrium. Justus in bono opere peccat mortaliter. Et similia plura postea subjungit. Idemque Lutherus in libro, quem contra Erasmum scripsit, de servo arbitrio, contendit, hominem propter scientiam & voluntatem Dei tam bonum, quàm malum agere ex absoluta necessitate. Inter alia eod. tom. 1. fol. 469. col. 1. ait: In rebus, quæ pertinent ad salutem, vel damnationem non habet homo liberum arbitrium, sed captivus, subjectus & servus est vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanæ.* Sed & hæc apparens contradictio distinctionis fœdere conciliari potest. Augustana Confessio concedit dari liberum arbitrium, videlicet in rebus naturalibus, politicis & œconomicis, in rebus humanæ rationi subjectis & ad inferiorem sphæram pertinentibus, in regenda externa disciplina & cavendis peccatis atrocioribus externis, sicut disertè additur, *humana voluntas habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas.* Articuli Schmalcald. negant, dari liberum arbitrium, videlicet in rebus spiritualibus, in rebus supra humanæ rationis captum & vires hominis naturales positis, in interiori conversione & cordis mutatione efficienda, in rebus ad superiorem sphæram pertinentibus, sicut disertè additur in loco ex Luthero adducto. *In rebus, quæ pertinent ad salutem vel damnationem, non habet homo liberum arbitrium.* Sic ergò, quod verissimè à Rabinis pronuntiatum, *nullam inveniri in Scripturis objectionem, ubi non sit medicamentum in latere ejus*, etiam ad Augustanam Confessionem suo modo applicari potest. Quo sensu *justus in bono opere* dicatur *mortaliter peccare*, & quid de libro Lutheri *de servo arbitrio* statuendum sit, alibi explicatur, hîc evidens ex Luthero adducemus testimonium, quòd in rebus externis & politicis humanæ voluntati libertatem minimè denegaverit. Sic enim scribit tom. 4. Jen. Germ. fol. 345. *Habet homo ex propriis viribus liberam voluntatem faciendi opera externa, vel omittendi, impellitur enim minis legis, potest ergò politicè bonus esse ex viribus propriis, divinitùs ei concessis, quam Paulus justitiam carnis appellavit.*

Ultimum, quod Dillingenſes afferunt contradictionis exemplum eſt dogma de transſubſtantiatione. *In parte 3.* inquiunt, *artic. Schmalcald. art. 6. ita ſubnectitur: De transſubſtantiatione ſubtilitatem Sophiſticam nihil curamus, quâ fingunt, panem & vinum relinquere & amittere naturalem ſuam ſubſtantiam, & tantùm formam & colorem panis, & non verum panem remanere. Optimè enim cum Sacra Scriptura congruit, quòd panis adſit & maneat, ſicut Paulus ipſe nominat. Panis, quem frangimus. Et, ita edat de pane. Sed oppoſitam huic & planè Catholicam doctrinam de Sacroſancta Euchariſtia expreſſerunt coram Cæſare Carolo articulo* 10. *Confeſſionis.* Transſubſtantiationem in articulis Schmalcaldicis improbari concedimus, eandem verò in Auguſtana Confeſſione approbari negamus, imò pernegamus. Nec poteſt contrarium probari vel ex voce *ſpeciei* articulo 10. Confeſſionis uſurpata, vel ex *approbatione hujus articuli* à Carolo Cæſare & Principibus facta. Voce enim *ſpeciei* Confeſſores deſignant viſibilia & in externum oculorum ſenſum incurrentia Symbola, ac proinde ſpeciem non ſubſtantiâ vacuam, ſed ſolidam & cum ſpeciei veritate conjunctam, in qua ſignificatione hæc vocula uſurpatur non ſolùm à Patribus, (Ambroſius de iis, qui myſteriis initiantur cap. 9. Theodoret. Dial. 2. ubi τὴν φύσιν καὶ τὸ εἶδος conjungit) ſed etiam in ipſa Scriptura Luc. 3. v. 22. ac in eadem ſignificatione Confeſſionem nomen ſpeciei accipere patet ex Confeſſionis Apologia, in qua dicitur, *corpus & ſanguinem Chriſti exhiberi cum his rebus, quæ videntur.* Approbatio hujus articuli non fuit abſolutè & ſimpliciter facta, ſed reſpectu doctrinæ de vera, reali & ſubſtantiali corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentia. Pontificii enim in ſua Confutatione hortati ſunt noſtros, *ut transſubſtantiationem crederent*, quod ſuperfluum fuiſſet, ſi in verbis Confeſſionis eam contineri judicâſſent: ac Cochlæus accuſat Philippum, *quòd in Apologia dicat, panem mutari, & tamen neget transſubſtantiationem.* Quæ de Auguſtanæ Confeſſionis variatione & novi articuli de omnipræſentia Chriſti hominis introductione Dillingenſes ſubjungunt, ad ea in *Pupilla Saxonica*, *ejuſdemque Apologia* ſolidè & fundamentaliter eſt reſponſum, ideò actum agere ſupervacaneum judicamus. Poſſemus autem ἀντίπτης loco Pontificiis hoc opponere, *Concilii Tridentini autoritate ſublatâ, omnium aliorum Conciliorum decreta & totam fidem Chriſtianam in dubium revocari poſſe, ac ab infallibilitate hujus Concilii omnium dogmatum firmitatem pendere* Bellarminus audaciſſimo ore aſſerit lib. 1. de Sacram. cap. 25. §. ultimo. Itemque, *Omnes Catholicos ſua ingenia atque judicia ſponte ei ſubmittere*, lib. 3. de Juſtificat. cap. 3. *omnes libenter ei obedire*, lib. 4. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap. 15. *illud, ut Magiſtram, in omnibus ſequi* lib. 1. de Juſtificat. cap. 12. *ejus vocem Eccleſiæ Catholicæ vocem ſalutare*, lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. *qui ei non obediunt, inter Catholicos non numerari*, lib. 4. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati &c. Res tamen ipſa oſtendit, & in hoc Confeſſionis Catholicæ opuſculo ſexcentis exemplis demonſtratur, multos Romano-Catholicos tum ante, tum poſt Concilium Tridentinum in ſcriptis ſuis propugnare ejuſmodi dogmata, quæ in Concilio Tridentino damnantur, & viciſſim ejuſmodi dogmata repudiare, quæ in Concilio Tridentino propugnantur. Num propterea concedent, ſe Pacificationis Paſſavienſis beneficio excidiſſe? non arbitror. Deſinant ergò nobis hoc objicere, quòd in ſe nolint admittere; ac quo jure contra ſenosmet uti nolunt, eo nec ipſi contra nos utantur.

Tuæ verò Illuſtriſſimæ Celſitudini, Princeps Illuſtriſſime, Domine clementiſſime, hanc ſecundam libri ſecundi ſpecialis Confeſſionis Catholicæ partem humiliter conſecrare, ac nomini tuo celſiſſimo inſcribere volui, imò debui, tum, ut nomine Academiæ hujus noſtræ (cujus Patronum & Evergetam benigniſſimum Illuſtr. Veſt. Celſit. agit, & in qua per annos viginti publicè doceo) Illuſtriſſimæ Veſtræ Celſit. ſubjectiſſimas gratias agerem, quòd non ita pridem unà cum fratre conjunctiſſimo, Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Principe ac Domino, Domino JOHANNE PHILIPPO Saxoniæ, *Juliæ*, *Cliviæ* ac Montium Duce &c. Domino meo clementiſſimo, Baronatum Rembdenſem & prædium Apoldenſe fundationi Academiæ aſſignare, ac proventus utriuſque annuos unà cum dominio & jure proprietatis eidem benigniſſimè conferre haud fuerit dedignata, quod ſingulare & inſigne beneficium grata poſteritas ad decretorium uſque ſeculi hujus diem æternis celebrabit laudum præconiis, ac ſummus rerum arbiter temporalibus & æternis remunerabitur præmiis: tum ut Illuſtriſſimæ Veſtræ Celſit. de felicitate, quæ Dei munere in hac vita ipſi obtigit, ac de præclaris animi & corporis dotibus, quas divina benignitas largâ manu in eam contulit, gratularer, ac virtutes, quibus pollet heroicis & eximiis, aliorum notitiæ magis magiſque inſinuarem. Parentem Illuſtriſſ. Veſt. Celſit. ſortita eſt Sereniſſimum, Illuſtriſſimum ac Celſiſſimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, Saxoniæ Ducem, Landgravium Thuringiæ, Marchionem Miſniæ, Electoratus Saxonici per annos aliquot Adminiſtratorem eminentiſſimum, quem ſi quis veræ pietatis, antiquæ Saxonicæ virtutis & fidei, adeoque boni & laudati Principis exemplar, dum viveret, fuiſſe dixerit, nihil quidquam, quod non omnium rectè ſentientium ſuffragio munitum ſit, in medium protulerit. Præclarus & eximius Theologus D. Polycarpus Lyſerus, teſtis ἀντίπτης, in Epiſt. Dedicat. Harmoniæ Evangelicæ Chemnicianæ præfixa, ejuſmodi de eo fert elogium: *Vel ipſe livor*, inquit, *negare non poteſt, quòd per Celſit. T. fidem & induſtriam, jam expurgatum eſt rurſum, quidquid* ἑτεροδιδασκαλίας *per fraudulentas machinationes malorum quorundam hominum in Eccleſiam Chriſti, in hiſce regionibus invehi cœptum fuerat: quòd item, Te Duce, redux facta ſit vera pietas cum puriore animorum pabulo, ex ſacris Iſraelis fontibus irrigato: quòd præterea per Te ſolicitè curatum ſit, ut loca Judicii occuparent viri non tantùm Juſtitiæ & Doctrinæ, ſed etiam pietatis & veræ religionis laude celebres: quòd denique per Te omnes Scholæ inferiores & ſuperiores jam refloreſcant, literarum, humanitatis & pietatis ſtudia paſſim magno cum juventutis fructu vigeant: ſicque ſtudioſè caveatur, ne imminens barbaries totam terram occupet & peſſundet. Quid multis opus? Es, Tu Princeps optime, Princeps piiſſime, tam ſubditis tuis, quàm exteris, qui ad umbram tuam confugiunt, & ſub ea animarum pabulum quærunt, arbor generoſa & fructuoſa, quæ hoc omnibus præſtare cupit, ut & animo & corpori & fortunis ipſorum bene eſſe poſſit.* Hæc ille. Rarum profectò & illuſtre elogium, cujus æquè ac nominis & ſtemmatis paterni genuinus hæres es, Princeps Illuſtriſſime, cùm paternis veſtigiis preſsè inſiſtas, ſinceræ religioni ex toto corde addictus, pietatis non in labiis natæ, ſed in cordis intimo ſeſſitantis ſtudio totus conſecratus, ac virtutibus Principum decentibus, ac tam paci, quàm bello convenientibus abundantiſſimè conſtipatus. Candorem apertum amas, hypocriſin ac fraudes deteſtaris. Juſtitiæ es amator, iniquitatis oſor: à ſubditis amari potiùs quæris, quàm timeri. Literatos quosvis & inter illos cumprimis Eccleſiæ Doctores parentis nunquam ſatis laudati, nunquam ſatis laudandi, exemplo ſingulari favore & clementiâ complecteris, inter quos cùm & ego, infima licet, obtineam ſubſellia, perſuaſi mihi, fore, ut Illuſtriſſ. Veſt. Celſit. hanc chartacei muneris oblationem ex ſubjectiſſimè grato animo profectam, ſereniore fronte ſuſcipiat, & quâ clementiâ me complexa fuit hactenùs, etiam inpoſterum complecti benigniſſimè pergat. Meo qualicunque loco non deſinam, beneficia & toti Academiæ, & mihi ejuſdem qualicunque membro præſtita, grato ore & corde deprædicare, ac pro temporali & æterna Illuſtriſſimæ Veſtræ Celſit. ſalute ſeriis & calidis votis Deum per omne adhuc reliquum vitæ tempus ſolicitare. Dabam Jenæ Cal. Februarii Ann. 1636.

Illuſtr. Veſtram Celſ.

ſubjectiſſimè colens

JOHAN. GERHARD, D.

AD LE-

AD AUTOREM
Votiva Acclamatio.

Papa revelatus, proprio & gladio jugulatus.

CHriſti ante adventum peccati hominem, *Antichriſtum,*
Eſſe revelandum, Pagina ſacra docet.
Chriſti adventus erit propè, cùm ſatis *AntiChriſtum,*
Eſſe revelatum, ſecla dieſque probent.
Huſſius è primis, & *Keiſersbergius* olim
Monſtrum illud mundi proſtituêre plagis.
Succeſſit, Domino, *Megalander*, dante, *Lutherus,*
Succeſſit ſtellis Solis imago vagis.
Dogmata ſubvertit forti is Papalia zelo,
Fraudes detexit totus & omnigenas.
Vis complementum? cedunt hæc puncta *Gerhardo,*
Per quem poſt mortem, credo, *Lutherus*, ovat.
Namque Ille errores Papalis dogmatis omnes
Diluit, & fecit cuique patere dolos.
Quodq; novum eſt, mentem Doctorum & verba retorſit;
Sic proprio intereunt Hæretici gladio.
En! *Confeſſio* adeſt, *Confeſſio Magna*, refertis
E Papiſtarum quæ cumulata Libris.
Viderunt ſimilem non ſecula cuncta laborem,
Nec ſtragem paſſus Papa fuit ſimilem.
Hoc erat in Fatis, quod cœperat *Huſſius* olim,
Quodque *Lutherus* opus cœperat æthereum;
Quodque alii dubio cœperunt Marte, *Gerhardi*
Surgeret huic Marte ac Arte ſuprema manus.
Hoc erat in Fatis, tenebris ut denique pulſis,
Fulgeret Verbi lux, Fideique decus.

Euge *Gerharde!* doces veluti, ſic perge docere;
Atque auge veræ Religionis opes!
Euge *Gerharde!* vigès veluti, ſic perge vigere,
Et *Chriſto*, Domino vive vigeque Tuo!
Et vives, ſi vita ullis eſt addita Libris,
Hi Tecum vivent ſecula mille Libri.

I.

JOHANNES GERHARDUS.
ἀναγρ. omiſſis aſpirat.
Das, non erras. Vige!

SEnſum divini *das* Verbi, & pandis abyſſos,
Imas Scripturæ, Magne *Gerharde*, ſacræ.
Succum divini *das* Verbi, & dogmata promis,
Non erras, dio Flamine jutus agis.
Mente animoque *vige!* Verbi dare perge Juventæ,
Et ſenſum & ſuccum; mente animoque *vige!*

II.

JOHANNES GERHARDUS.
omiſſis aſpirat.
Anne rigore ſudas?

ANne rigore pio *ſudas*, Divine *Gerharde?*
Næ ſudas; Tua ſic enthea Scripta docent.
Perge rigore pio ſudare, *Gerharde*; rigorem
Ecce! beat dio Jova rigore pium.

Obſervantiæ & Gratulationis ergò f.
M. Johannes Zeiſoldus, in Inclyta Salana Phyſ. Profeſſor Publ.
Cal. Octobr. 1635.

ARTICULUS VI.

DE CLERICIS.

CAPUT I.

DE VOCATIONE MINISTRORUM ECCLESIÆ.

THesis. Electio & vocatio Miniſtrorum jure divino ad univerſam ſpectat Eccleſiam, nec poteſt legitimè fieri ſine populi conſenſu & ſuffragio.

Ἐκθεσις 1. Non referimus vocationem Miniſtrorum *ad Regalia Magiſtratus politici*, poteſtati ejus politicæ in ſolidum eam vendicantes.

2. Nec *promiſcuæ multitudini*, excluſo Miniſterio & Magiſtratu, eam vendicamus.

3. Sed *ad Deum* jus ſummum & αὐτεξουσίως vocandi Miniſtros non ſolùm in immediata, ſed etiam in mediata vocatione pertinere dicimus; *ad Eccleſiam* verò jus delegatum idoneos verbi Miniſtros conſtituendi referimus.

4. Cùm in Eccleſia ſint tres diſtincti Status ſive ordines; Eccleſiaſticus, politicus & œconomicus; ſive *Presbyterium, Magiſtratus & populus*, ex quibus omnibus, velut ex membris, Eccleſia conſiſtit, ideò nullus Status ab hoc opere eſt ſimpliciter excludendus, ſed ſingulis ſuæ partes, ſuaque officia in mediata vocatione Miniſtrorum ſunt relinquenda.

5. Eo tamen modo vocatio Miniſtrorum à tota Eccleſia & omnibus tribus Statibus peragenda, ut ſervetur debitus ordo & vitetur confuſio, 1. Cor. 14. v. 33.

6. Hic ordo rectiſſimè obſervatur, ſi negotium electionis & vocationis Miniſtrorum à certis & præcipuis Eccleſiæ membris, nomine & conſenſu totius Eccleſiæ, tractetur.

7. *Presbyterio* competit examen, ordinatio & inauguratio; *Magiſtratui Chriſtiano* nominatio, præſentatio, confirmatio; *populo* conſenſus, ſuffragium, approbatio, vel etiam pro ratione circumſtantiarum, poſtulatio.

Antitheſis. Concilium Tridentinum de Sacram. Ordinis cap. 4. *Docet ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum & cæterorum ordinum nec populi, nec cujvis ſecularis poteſtatis & Magiſtratus conſenſum ſive vocationem, ſive autoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio.*

Bellarminus lib. de Clericis cap. 2. §. ultimo. *Doctores Catholici ſummâ conſenſione docent, jus Epiſcopos ordinandi ac vocandi ad plebem nullo modo pertinere poſſe, jus autem eligendi fuiſſe aliquando & aliquo modo penes populum, ſed Pontificum conceſſione vel conniventia, non lege divina.*

Lib. ejuſd. cap. 7. propoſ. 5. *Jus eligendi Eccleſiæ Paſtores & Miniſtros non convenit populo jure divino, ſed ſi quid aliquando populus hac in re potuit, id totum habuit ex conniventia vel conceſſione Pontificum.*

Cornelius à Lapide in cap. 1. Rom. ſuper verba κλητὸς Ἀπόστολος, *Ordinare ſacra & ſacros Præſules non eſt Magiſtratus, nec vocare Laicorum.*

Noſtram ſententiam probamus
1. Ex *Scripturis & rationibus ex ea deductis.*
2. Ex *praxi Apoſtolica.*
3. Ex *praxi Eccleſiæ primitivæ.*

Ad primam claſſem pertinent hæc fundamenta.

1. *Ex traditione clavium.* Cuicunque claves regni cœlorum ab ipſo Chriſto ſunt traditæ, penes eum eſt jus vocandi Miniſtros Eccleſiæ, quia *per claves* intelligitur poteſtas Eccleſiaſtica, cujus pars eſt jus vocandi & conſtituendi Eccleſiæ Miniſtros. Atqui toti Eccleſiæ traditæ ſunt à Chriſto claves regni cœlorum Matth. 16. v. 19. unde Eccleſia dicitur *Chriſti uxor* Pſal. 45. v. 10. *Sponſa* Joh. 3. v. 29. *materfamilias* Pſal. 68. v. 13. ac Matth. 18. v. 18. Eccleſiæ tribuitur poteſtas excommunicandi præfractos peccatores. Ergò penes Eccleſiam eſt jus vocandi Miniſtros Eccleſiæ.

2. *Ex probatione Doctorum.* Cujus eſt diſcernere Doctores à ſeductoribus, probare ſanam doctrinam, vocem Chriſti ἀγχινόως, à Pſeudopaſtorum voce diſtinguere, alienum non ſequi, ſed ab eo fugere, anathematizare eos, qui aliud Evangelium prædicant, præter id, quod ab Apoſtolis prædicatum eſt; ejus eſt, ſuo modo atque ordine vocare Miniſtros Eccleſiæ. Si enim auditores debent *cavere à Pſeudoprophetis*, utique etiam debito ordine & modo cavere debent, ne Eccleſiaſtico Miniſterio præficiantur falſi Doctores, ac modis omnibus in id incumbere, ut veri ac pii Doctores ad hoc officium vocentur. Sed ovibus Chriſti ſive auditoribus vi divini præcepti priora omnia incumbunt, Matth. 7. v. 15. Joh. 5. v. 39. cap. 10. v. 27. Gal. 1. v. 9. 1. Theſſ. 5. v. 19. 20. 21. 1. Joh. 4. v. 1. 2. Johan. v. 10. 11. Ergò nec poſterius illis denegandum.

3. *Ex appellatione Miniſtrorum.* Cujus miniſtri ſunt & dicuntur Paſtores, illi quoque competit jus & poteſtas vocandi Paſtores. Sed ſunt & dicuntur *Miniſtri Eccleſiæ*, 1. Cor. 3. v. 21. 22. 2. Cor. 1. v. 24. 1. Petr. 5. v. 2. 3. Ergò Eccleſiæ competit jus & poteſtas vocandi Paſtores.

4. *Ex utilitate auditorum.* Quod omnes tangit, omnium conſenſu & ſuffragiis peragi debet. Sed Miniſtros idoneos & orthodoxos conſtitui, tangit omnes Eccleſiæ ordines. Ergò etiam omnium conſenſu & ſuffragiis id peragi debet. Eò reſpicit Apoſtolus, quando requirit, ut Epiſcopus eligendus *habeat bonum teſtimonium ab extraneis*, 1. Timoth. 3. v. 7. Si ab extraneis debet habere bonum teſtimonium, quantò magis ab Eccleſia, cui præficiendus eſt.

Ad secundam argumentorum classem pertinet *praxis Apostolica*, quæ tale suppeditat fundamentum. Quam vocandi Ministros rationem observârunt Apostoli, ea meritò adhuc in Ecclesia observatur. Sed Apostoli eo modo vocârunt Ministros, ut accederet etiam Ecclesiæ consensus. Act. 1. v. 23. cap. 6. v. 3. 5. & 6. cap. 14. v. 23. cap. 15. v. 22. 1. Cor. 16. v. 3. 2. Corinth. 8. v. 19. 1. Timoth. 3. v. 7. cap. 4. v. 14. cap. 5. v. 22.

Tertiam classem argumentorum exhibet *praxis Ecclesiæ primitivæ*, quam demonstrant *Conciliorum decreta, Patrum dicta & probata legitimæ vocationis exempla.* Quæ omnia sunt exposita tom. 6. Loc. tract. de Ministro §. 94. & seqq.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Canon Apostolicus XXXVI. *Episcopus non debet ordinationes facere in civitatibus & villis, quæ illi nullo jure sunt subjectæ, præter eorum conscientiam, qui civitates & villas detinent.* (Pontificii plerique Canones Apostolorum habent pro genuinis, ut ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 6. Bellarminus passim ad illos provocat lib. 4. de Eccles. cap. 8. lib. de Clericis cap. 1. lib. 1. de Missa cap. 16. & 19. lib. de Matrim. cap. 26. lib. 2. de bonis operibus in part. c. 14. Ergò autoritatem hujus Canonis non poterunt repudiare.)

2. Pontificum quorundam Epistolæ & Statuta. Leo I. Epist. 95. *Qui præfuturus est omnibus, eligatur ab omnibus.*

Hadrianus Papa in Epist. ad Carolum Magnum. *Plebs & Clerus Ecclesiæ illius simul consistens elegerunt sibi Episcopum.*

Et posteà. *Qualis à Clero & plebe, cunctoque populo electus Canonicè fuerit, si nihil sit, quod sacro obsistat ordini, solitâ traditione ordinamus.*

Leo IV. Papa in Synodo Romana, seculo nono instituta, *de Episcopis tam à populo, quàm à Clericis eligendis* statuit. Vide Luitprandum Diaconum in vitis Pontificum.

Nicolaus I. Papa, *Sancimus*, inquit, *ut Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Ducis, Cleri & populi per Epistolam Apostolicæ Sedis Præsulis acceperis consecrandi licentiam.* Vide Guilhelmum Bibliothecarium Lateranensem in Appendice ad Damasum in vita hujus Nicolai.

Hadrianus III. Papa determinavit, *electionem pertinere simul ad Spirituales & Laicos.* Vide Platinam in ipsius vita.

Idem statuit Paschalis II. Papa, teste Aventino lib. 6. Annal.

Idem statuit Papa Calixtus, de quo legatur Crantzius.

Eugenius III. mandavit, *ut in electione & translatione alicujus Episcopi ex una Diœcesi in aliam necessariò requiratur electio & consensus simul Cleri & plebis.* Vide ejus Bullam in Historia Ottonis Frisingensis lib. 2. de gestis Friderici cap. 8.

3. Quædam Conciliorum decreta, Pontificum Romanorum rescripta & Patrum dicta in Jus Canonicum relata.

c. In nomine dist. 23. ex Nicolao Papa. *Decernimus atque statuimus, ut, obeunte hujus Romanæ Universalis Ecclesiæ Pontifice, inprimis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat, nimirùm præcaventes, ne venalitatis morbus aliquâ occasione subrepat. Et ideo religiosissimi viri præduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus verò atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum Patrum regulis sive gestis, etiam illa B. Leonis prædecessoris nostri sententia recolatur. Nulla, inquit, ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sint electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.*

c. Nullus dist. 24. ex Concilio Carthagin. III. *Nullus ordinetur Clericus, nisi probatus fuerit vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.*

c. Quando dist. ead. ex Concilio Nannetensi. *Ante ordinationem Episcopus debet eligere à latere suo Sacerdotes & alios prudentes viros, gnaros divinæ legis, exercitatos in Ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, diligenter investigent &c. aliàs autem, sine Clericorum videlicet Concilio & populi testimonio, nullum Episcopus ordinare præsumat.*

c. Episcopus dist. ead. ex Concilio Carthaginensi IV. *Episcopus sine civium assensu & testimonio non ordinet Clericos.* (In edit. Gregoriana sic habetur: *Episcopus sine Concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat.*)

c. Nulla ratio dist. 62. ex Leone Papa. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.*

c. Quia dist. 63. ex Gregorio Episcopo Romano, lib. 4. Epist. 15. ad Johannem Episcopum primæ Justinianæ Illyricæ. *Quia suscepta fratrum atque Coëpiscoporum relatio ad locum vos Sacerdotii totius Concilii unito consensu & Serenissimi Principis voluntate declarat accersiri, gratias Salvatori nostro magnâ cum exultatione retulimus &c. nos quoque in persona fraternitatis tuæ per omnia consentimus.*

c. Quantò dist. ead. ex Gregorio lib. 2. Epist. 30. ad Johannem SubDiaconum. *Quia multi illic* (Genuæ) *Mediolanensium coacti barbaricâ feritate consistunt, eorum te voluntates oportet convocatis eis in commune perscrutari. Et si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, siquidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntatem atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum à propriis Episcopis, sicut Antiquitatis mos exigit, cum nostræ autoritatis assensu &c. facias consecrari.*

c. Plebs Dioterensis dist. ead. ex Papa Gelasio ad Philippum & Geruntinum Episcopos. *Plebs Dioterensis datâ nobis petitione deflevit, diu se sine Rectoris proprii gubernatione dispergi, ac sicut asseritur, is, qui jam à vobis probatus dicitur, à paucis & tenuibus putatur electus, cùm ad vos pertineat universos assiduâ admonitione compellere, ut omnes in unum, quem dignum Sacerdotio viderint, & sine aliqua reprehensione consentiant. Et ideò fratres charissimi, diversos ex omnibus sæpe dicti loci parochiis Presbyteros, Diaconos & universam turbam vos oportet sæpiùs convocare, quatenùs non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem, vobis admonentibus, sibi quærant solâ divinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas à constitutis possit revocare rescriptis.*

c. Nosse dist. ead. ex Stephano Papa ad Romanum Archiepiscopum Ravennatensem. *Nosse tuam fraternitatem volumus, ad nostras aures fore perventum, Imolensem Episcopum ab hac luce migrâsse, in cujus successoris electione populi divisionem provenisse audivimus. Quod, quia sæpè contingere solet, (quærentibus singulis quæ sua sunt, non quæ Christi Jesu) non adeo miramur. Veruntamen in hoc tuam plurimùm oportet adhiberi solicitudinem, ut convocato Clero & populo talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obvient Canones. Sacerdotum quippe est electio & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus.*

c. Episcopos dist. ead. ex Nicolao Papa ad Johannem Ravennatensem Archiepiscopum. *Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Cleri & populi.*

c. Literas dist. ead. ex Pelagio Papa ad Julianum Episcopum Grumentinum. *Literas caritatis tuæ suscepimus, quibus significas, Latinum Diaconum tuum ad Episcopatum Ecclesiæ Marcellianensis à Clero & omnibus, qui illic conveniunt, postulari. Sed nunc & hoc dicimus, ut si eum omnes eligunt & vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce.*

c. Reatina dist. ead. ex Leone IV. ad Lotharium & Ludovicum Augustos. *Reatina Ecclesia, quæ per tot temporum spacia pastoralibus curis destituta consistit, dignum est, ut brachio amplitudinis vestræ sublevetur, ac gubernationis regimine protegatur. Unde salutationis alloquio præmisso vestram mansuetudinem deprecamur, quatenùs Colono humili Diacono eandem Ecclesiam ad regendum concedere dignemini, ut, vestrâ licentiâ acceptâ, ibidem eum, Deo adjuvante, consecrare valeamus Episcopum. Sin autem in prædicta Ecclesia nolueritis ut præficiatur Episcopus, Tusculanam Ecclesiam, quæ viduata extitit, illi vestra Serenitas dignetur concedere &c.*

c. Lectis dist. ead. ex Stephano Papa ad Guidonem Comitem. *Lectis Sagacitatis vestræ apicibus, qui defuncto Ecclesiæ Reatinæ antistite Clerum & plebem ejusdem Ecclesiæ elegisse sibi futurum Antistitem, nobisque consecrandum vestro studio directum, esse, ne ipsa Ecclesia diu sine proprio constet Pastore, fatebantur, nos de obitu prioris dolentes nunc ipsum electum unanimitate & Canonicâ ipsius Ecclesiæ electione, ut mandastis, tam citissimè ordinare omisimus, quod Imperialem nobis, ut mos est, absolutionis minimè detulit Epistolam. Pro qua scilicet re ambiguum est nobis, ideo voluntati vestræ in hoc parére distulimus, ne Augustalis animus durissimè hoc quocunque modo perciperet. Sed scientes, Ecclesiam Dei sine proprio diu Pastore non debere consistere, gloriæ vestræ mandamus, quoniam aliter nos agere non debuimus, ut vestrâ solertiâ, Imperiali, ut prisca consuetudo dictat,*

perce-

percepta licentia, & nobis, quemadmodũ vos scire credimus, Imperatoria directa Epistola tunc voluntati vestræ de hoc parebimus, eundemque electum, Domino adjuvante, consecrabimus.

c. Metropolitano dist. ead. ex Leone Papa ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum. *Metropolitano defuncto, cùm in loco ejus alius fuerit surrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem metropolim convenire debent, ut omnium Clericorum atque civium voluntate discussa ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel Diaconis optimus ordinetur.*

c. Hadrianus dist. ead. ex Historia Ecclesiastica. *Hadrianus Papa cum universa Synodo Romana tradidit Carolo Imperatori jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam Sedem &c. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, & ut nisi à Rege laudetur & investiatur, Episcopus à nemine consecretur. & quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit.*

(Rubrica hujus Canonis est. *Imperator jus habet eligendi Pontificem.* Inde de hoc Adriano scribit Sigebertus in Chronic. anno Domini 773. p. 56. quòd *Carolo Magno Pontificem eligendi & Apostolicam Sedem ordinandi jus ac potestatem concesserit*, id est, recognoverit, hoc esse jus Principis, & suo loco improbaverit ac rejecerit, quicquid alii contra moliantur. Baronius tom. 9. Ann. 774. n. 13. & tom. 10. Ann. 964. n. 5. Canonem hunc repudiat & Sigebertum mendacii accusat. Sed ab hoc crimine eum absolvunt Walthramus Episcopus Numburgensis in lib. de investitura Episcoporum; Nicolaus Vignerius Barrensis in Burgundiorum Chronico anno 772. Theodoricus de Niem, qui tempore Johannis XXIII. invenit Florentiæ in quodam antiquissimo libro de investit. Principum ea omnia, quæ habentur in c. In Synodo dist. 63. quod capitulum repetit ea, quæ in c. Adrianus dicuntur. Item Martinus Polonus in Chronico, Johannes Semeca in gloss. dist. 63. Leopoldus de Babenburg, in libr. de zelo veterum Princip. German. cap. 8. &c.)

Illud jus Leo VIII. Pontifex Imperatori Ottoni confirmavit, ut patet ex c. In Synodo dist. ead. qui sic habet: *In Synodo congregata Romæ in Ecclesia sancti Salvatoris. Ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ Sedis Antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum Patriciatus dignitatem, ac ordinationem Apostolicæ Sedis & investituram Episcoporum concessit, ego quoque Leo Episcopus servus servorum Dei cum toto Clero ac Romano populo constituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam autoritatem concedimus atque largimur Domino Ottoni primo Regi Teutonicorum, ejusque successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi successorem atq; summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos & Episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant & consecrationem unde debent, exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archiepiscopis concessit, & ut nemo deinceps cujuscunq; dignitatis vel religiositatis eligendi, vel Patricium, vel Pontificem summæ Sedis Apostolicæ, aut quemcunq; Episcopum ordinandi habeat facultatem absq; consensu ipsius Imperatoris &c. Quòd si à Clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto Rege laudetur & investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc regulam & Apostolicam autoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus, & nisi resipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel ultimis suppliciis affici.*

(Otto ipse in Diplomate suo apud Baronium tom. 10. Ann. 962. n. 8. requirit, *ut omnis Clerus & universa populi Romani nobilitas &c. Sacramento se obliget, quatenus futura Pontificum electio Canonicè fiat, & ut ille, qui &c. eligitur, nemini consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia nostrorum Missorum vel filii nostri, seu universæ generalitatis faciat promissionem &c. qualem Dominus & venerandus spiritualis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.*)

c. Cùm longè dist. ead. ex Concilio Toletano XII. *Cùm longè lateque diffuso tractu terrarum commeantium impeditur celeritas nuntiorum, quò aut non queat Regis auribus decedentis Præsulis transitus innotesci, aut de successore morientis Episcopi libera Principis electio præstolari, nascitur sæpe & nostro ordini de relatione talium difficultas & regiæ potestati, dum consultum nostrum pro subrogandis Pontificibus sustinet numerosa necessitas. Unde placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ atq; Galliciæ, ut salvo privilegio uniuscujusq; provinciæ licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscunq; Regalis potestas elegerit & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis & in præcedentium Sedibus præficere Præsules & decedentibus Episcopis eligere successores.*

c. Cleri dist. ead. ex Cælestino Papa ad Episcopos Galliæ. *Cleri, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur.*

c. Vota dist. ead. ex Leone I. ad Episcopos Viennensis Provinciæ. *Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus Sacerdotum expectantur.*

Et infrà. *Per pacem & quietem Sacerdotes, qui præfuturi sunt, postulentur, teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis.*

Addit ibidem Gratianus. *Principibus verò atq; Imperatoribus electiones Romanorum Pontificum atq; aliorum Episcoporum referendas usus & constitutio tradidit pro schismaticorum atque hæreticorum dissensionibus, quibus nonnunquam Ecclesia Dei periclitabatur &c. Repræsentabatur igitur electio Pontificum Catholicorum Principibus, ut eorum autoritate roboratá, nullus hæreticorum vel schismaticorum auderet contraire, & ut ipsi Principes tanquam devotissimi filii in eum consentirent, quem sibi in patrem eligi viderent, ut ei in omnibus suffragatores existerent.*

c. Quia sancta dist. ead. ex Stephano Papa. *Quia sancta Romana Ecclesia, cui autore Deo præsidemus, a pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperiali notitia Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui scandala fieri vetent, volumus, ut cùm instituendus est Pontifex, convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur præsente Senatu & populo, qui ordinandus est, & sic ab omnibus electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur &c.*

c. Sacrorum dist. ead. recitatur Constitutio Caroli Magni & Ludovici Pii Impp. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundùm statuta Canonum de propria Diœcesi &c. eligantur.*

c. Si fortè dist. ead. ex Leone ad Anastasium Thessalonic. Episcopum. *Si forte, quod nec reprehensibile, nec irreligiosum judicamus, vota eligentium in duas se diviserint partes, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis, tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit.*

c. De persona dist. 65. ex eodem. *De persona consecrandi Episcopi & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, scire te faciat &c.*

c. Si fortè dist. ead. ex Concilio Sardic. *Si fortè in Provincia contigerit, unum tantùm remanere Episcopum, superstes Episcopus convocet Episcopos vicinæ Provinciæ, & cum eis ordinet comprovinciales sibi Episcopos. Quod si facere neglexerit, populi conveniant Episcopos Provinciæ vicinæ & illi priùs commoneant Episcopum, qui in eadem Provincia commoratur, & ostendant, quòd populi petant sibi Episcopum Rectorem & doceant justum esse, ut veniat ipse & cum eis ordinet Episcopum.*

c. Reliqui dist. 67. ex Anacleto ad Episcopos Italiæ. *Sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita ut cives & alii Sacerdotes assensum præbeant. Similiter & Diaconi ordinentur. Cæterorum autem graduum distributioni veracium testimonium, cum Episcopi scilicet approbatione, sufficere potest.*

c. Licet caus. 8. qu. 1. ex Origene. *Licet Dominus de constituendo Principe præcepisset & Dominus elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præsentia populi, ut sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium & hoc attestante populo,* (in edit. Gregoriana vitiosè legitur, *astante populo*) *ne qua postmodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione Sacerdotis, dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.*

c. Sic vive caus. 16. qu. 1. ex Hieronymo ad Rusticum Monachum. *Quòd si populus vel Episcopus te in Clerum elegerit, age ea, quæ Clerici sunt.*

(Ex hisce Conciliorum Decretis, & Pontificum Romanorum Rescriptis, in ipsum Jus Canonicum relatis, satis perspi-

cuè apparet, ad vocationem Ministrorum Ecclesiæ requisita olim fuisse ac requiri etiam debere *populi votum, suffragium, testimonium, approbationem, voluntatem & consensum*, quin etiam *postulationem, petitionem & electionem* pro ratione circumstantiarum ipsi quandoque fuisse datam, Magistrui itidem *electionem, concessionem, arbitrium, confirmationem & investituram*. Adduntur etiam gravissimæ rationes, ne plebs invitum Episcopum contemnat, neve dissensiones in Ecclesia excitentur. Item, populus est pars Ecclesiæ, quæ de qualitatibus eligendorum, eorumque vita & moribus testimonium dare potest.)

Ad hosce Canones in Decreto Gratiani dist. 63. citatos adhuc Ann. 1059. in Concilio Lateranensi Nicolaus Pontifex II. provocat, sanciens c. In nomine dist. 23. ut *in Romani quoque Pontificis electione præter Cardinales etiam reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat. Et si pura & gratuita electio in urbe Roma fieri non possit, Cardinales Episcopi cum religiosis Clericis, Catholicisque Laicis, licet paucis, potestatis jus obtineant eligendi Pontificem, ubi congruere viderint.*

Nec negare poterunt Pontificii, Jus eligendi Romanum Pontificem & ordinandi ApostolicamSedem in Romana Synodo à Papa & 154. Episcopis, Carolo Magno & ejus successoribus confirmatum esse. Neque hoc solum, sed ut Archiepiscopi quoque & Episcopi per singulas provincias ante consecrationem investituram ab ipso & ejus successoribus acciperent. Historia Lombardica cap. 176.

Quod itidem sancitur in Gratiani Decreto c. Hadrianus & instauratur à Leone Pont. VIII. pro Imperatore Othone ibid. cap. seq. in Synodo, ubi notari potest Bellarmini inconstantia, concedentis lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. ad 6. lib. de Clericis cap. 9. §. Quartus modus, lib. 1. de translat. Imper. cap. 13. §. Multa sunt, *hos Canones, ut revera sunt, esse Hadriani & Leonis*, sed in Recognit. lib. de translat. Imperii idipsum *negantis*, cùm se aliter expedire non possit, quem tamen vel illud satis refellit, quòd Pius V. & Gregorius XIII. Pontiff. in suis Indicibus Expurgatoriis nihil secus meminerint, adeoque post examen diligens Canones hos ratihabuerint. Confer D. Arnisæum de translat. Imperii cap. 7. num. 19.

4. Quòd agnoscunt, claves toti Ecclesiæ esse traditas. (Cui enim claves regni cœlorum à Christo traditæ sunt, penes eum est jus vocandi Ministros Ecclesiæ, ut superius ostendimus.)

c. Quodcunque caus. 24. quæst. 1. ex Augustino. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia &c. Si autem in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.*

Joh. Ferus in cap. 16. Matth. *Ecclesia habet claves, ut Domina ac Sponsa; Petrus, non ut Dominus, sed ut minister.*

Ann. 612. editum est scriptum anonymum, cujus autor fuit Pontificius, sub hoc titulo. *Varia tam Facultatis Theologicæ & Curiæ Parisiensis, quàm aliorum Theologorum & Jurisconsultorum opuscula.* In eo sub titulo de Ecclesiastic. & politic. potest. num. 1. sic habetur. *Vulgare atq; indubitatæ fidei axioma est, Deum & Naturam priùs atque immediatiùs ad totum suppositum, quàm ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere, eamq; ob causam facultatem videndi, exempli gratiâ, toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum & ministrum hominis exerceretur. Nam oculus per & propter hominem existit. Hoc infallibili Schola Parisiensis munita firmamento congruenter ad mentem omnium antiquorum Ecclesiæ Doctorum perpetuò constanterq; docuit, Christum fundando Ecclesiam priùs, immediatiùs atque essentialiùs claves sive jurisdictionem toti contulisse Ecclesiæ, ut per unum ministerialiter exercerentur, quandoquidem tota jurisdictio Ecclesiastica primariò, propriè & essentialiter Ecclesiæ competit, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm, sicut facultas videndi oculo.*

5. Quòd agnoscunt, à vocatione Ministrorum Magistratum Christianum & populum olim non fuisse exclusos, (quæ consuetudo cùm congruat Apostolicæ Ecclesiæ praxi, meritò pro regula habetur.)

In Statutis Ecclesiasticis Caroli Magni ab Ansegiso Abbate circa Ann. 827. collectis lib. 1. Imp. sic loquitur. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scil. Episcopi per electionem Clericorum & populi &c. eligantur.*

Cap. 84. Rhegino ad annum octingentesimum sexagesimum nonum, *VVilibertum à plebe electum, à Luitperto Moguntiæ Archiepiscopo ordinatum fuisse in Coloniensem Archiepiscopum* testatur.

Sigebertus Gemblacensis Monachus in Chronic. circa annum 1111. scripto. *Mense Junio Anno 1084. Cometa apparuit, radios dirigens Austriam versus, multis conjicientibus hoc signo portendi futuram Regis expeditionem versus Italiam. Igitur Henricus V. Rex Romam vadit propter sedandam discordiam, quæ erat inter regnum & Sacerdotium, quæ cœpta à Papa Gregorio VII. qui & Hildebrandus nominatus est, & exagitata à successoribus ejus Victore & Urbano, & præ omnibus à Paschale II. magno scandalo erat toti mundo. Rex autem nolens uti autoritate & consuetudine & authoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo Magno, qui post de Regibus Francorum imperavit Romanis, jamq; per trecentos & eò ampliùs annos imperaverant sub 63 Apostolicis, dabat licitè Episcopatus & Abbatias per annulum & per virgam. Contra hanc majorum autoritatem censebant Papa Synodi judicio, non posse nec debere dari per virgam, vel per annulum Episcopatum, aut aliquam Ecclesiasticam jurisdictionem à Laicali manu. Et quicunq; ita Episcopatum aut aliam Ecclesiastici juris investituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipuè causam Rex Romam tendebat, & si qui Longobardorum quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. In reconciliatione autem, quæ facta est inter Imperatorem & Papam (nam ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat) die Paschæ Henrico in Imperatorem jam coronato, post lectum Evangelium tradidit ei Papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium Principum privilegium de investitura Episcopatuum vel Abbatiarum tam per annulum, quàm per virgam, scil. ut regni ejus Episcopis vel Abbatibus liberè præter violentiam & simoniam electis investituram virgæ & annuli conferat, post investitionem verò Canonicè consecrationem accipiat ab Episcopo, ad quem pertinuerit &c. Facti autem postea pœnitens Papa Paschalis II. eo prætextu, quòd necessitate coactus promisisset, rescidit id factum in Rom. Synodo & tandem suis fulminibus effecit, ut Henricus desertus ab omnibus jus illud vel invitus suis successoribus resignare fuerit coactus.*

Ann. 1497. Romæ Pontific. agenda typis excusa est, in qua Episcopus in ordinatione Episcopi populum hisce jubetur verbis alloqui. *Quomodo, dilectissimi fratres, Rectori navis & navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel timoris: ita communis eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit: nec frustrà à Patribus reminiscimur institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia de actu & conversatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis. Et necesse est, ut faciliùs quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuit ordinando. Fratrum nostrorum & Presbyterorum N. conversatio, quantum mihi videtur probata & Deo placita est, & digna, ut arbitror, Ecclesiastici honoris augmento, ne unum fortasse vel paucos aut decipiat assensio, aut fallat affectio, sententia expetenda est multorum. Itaque quid de eorum moribus aut actibus noveritis, quid de meritis consentiatis, Deo teste consulimus. Debet hanc fidem charitas vestra habere, quam secundùm præceptum Evangelii & Deo exhibere debetis & proximo, ut his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quàm affectione aliquâ tribuatis &c.*

Platina in vita Gregorii I. *Gregorius patriâ Romanus, patre Gordiano, viro Senatorio, uno omnium consensu invitus etiam Pontifex creatur. Is autem, cùm Principis consensus requireretur, nuntios cum literis miserat, qui Mauricium* (Imperat.) *obsecrarent, ne pateretur, electionem Cleri & populi Romani eâ in re valere. Interceptæ sunt literæ à Præfecto urbis ac discerptæ, scriptaque aliæ, quibus rogabatur, ut quem populus ac Clerus in Pontificem legisset, eundem Imperator & confirmaret.*

Petrus Ferrariensis JCtus, in forma libelli, quo agitur ex substitut. in verbo ex suo corpore. *Scire debes tu ignare, quòd Imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem scilicet & spiritualem, adeò, quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per universum orbem. Et ampliùs eligebant Papam, ut habetur in c. Hadrianus dist. 63. cum ca. sequ. & notatur per Innocentium in ca. 2. Extra de majorit. & obed.*

Aventinus in Annal. Bojor. *Adfuêre Romæ centum quinquagintatres Episcopi, quos Hadrianus Pontifex Romanus convocaverat.*

rat. Patrum consultum perpetuum, quod in libris Pontificalibus refertur, factum est, inque verba Caroli juratum. Nullum posthac fore neq; Romanum, neq; aliorum templorum Antistitem, nisi quem Carolus successoresque ejus sciverint & jusserint. Refragantes hujusmodi Patrum decreto diris devoti sunt, & nisi resipuerint, adjecta proscriptio. Defuncto igitur Præsule quopiam, Sacerdotes lituum cum annulo ad aulam mittebant, cui ea Princeps solenni ritu tradebat, is ejusdem fani Rector designatus erat. Ita observatum esse sine controversia ad Henrici quarti imperium legimus. Clarissimi quique ac amplissimi viri advenæ etiam ultrò aulam frequentabant, spe dignitatis augendæ & adipiscend Sacerdotii illecti absque stipendio in omnibus Principi dicto audientes erant, quemadmodum nostro ævo Romæ fieri solet. Sub Henrico quarto & Gregorio septimo cum maximo Reip. Christianæ detrimento de hoc aucupio armis, non citra sanguinem, decertari cœptum. Imperatores veterem morem à tot sanctissimis Pontificibus traditum comprobatumq; mordicus retinere; maximi Pontifices jam pares opibus Cæsareis in se trahere conabantur, nec ampliùs ferre parem, nedum superiorem, ditati ab Imperatoribus nostris & ad id fastigii perducti, poterant.

Walramus Episcopus Naumburgensis in lib. de investitura Episcoporum ex Historiis prolixè probat, quòd *Episcopi Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ &c. ex antiqua institutione per Reges introierint, ac quòd inthronizationes seu investituræ Episcoporum jure pertineant ad Reges & Principes, sub quorum dominio Episcopatus sunt.*

Chronicon Lubecense Hermanni Bonni. *Fridericus Imp. Duci Henrico Leoni indulsit atq; permisit, ut Collegiorum Aldenburgi, Raschenburgi, ac Megaloburgi veluti Superintendens esset, horumq; Collegiorum Episcopi omnes per ipsum constituerentur, ac se Dominum horum beneficiorum ac munerum agnoscerent. Ex quo facilè apparet, prophanos Principes illo tempore Episcopos constituisse, imperâsse, ac regalium nomine juramentum ab eis egisse, accepisseque.*

Carolus Sigonius lib. 4. de regno Italiæ. *Itaq; universo Procerum consentiente Conventu (qui Episcopis 154. Abbatibusq; plurimis constabat) decretum, ut Carolus per singulas Provincias Archiepiscopos & Episcopos institueret, ita ut nisi ab eo laudarentur & instituerentur, à nemine sacrarentur, & ut Pontificem eligeret, Sedemque Apostolicam ordinaret.* (Hæc congruunt c. Hadrianus & c. In Synodo dist. 63.)

Jacobus Pamelius in annot. ad Epist. 68. Cypriani num. 16. docet, *non solùm in Africa, sed in Galliis etiam, Hispania, Romæ & ubiq; consuetudinem illam receptam fuisse, ut in Ministrorum electione suum haberet populus suffragium.* Verba sic habent: *Non negamus veterem electionis Episcoporum ritum, quo plebe præsente, imò & suffragiis plebis eligi solent. Nam in Africa illum observatum constat ex electione Eradii successoris Augustini, de quo extat Epistola ejus 120. In Græcia ætate Chrysostomi ex libro 3. de Sacerdotio. In Hispaniis ex hoc Cypriani loco & Isidoro lib. de officiis. In Galliis ex Epistola Cælestini 2. Papæ, Romæ ex iis, quæ supra diximus Epistola ad Antonianum. Et perdurâsse eam consuetudinem ad Gregorium I. usque, ex ejus Epistolis, imo & ad tempora usque Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum, ex 1. libro Capitulorum eorundem satis constat.*

Didacus Covarruvias tom. 1. variar. resolut. pag. 2. in relectione c. Malæ Fidei possess. ext. de Jure patronatus, asserit, *Reges Hispaniarum jam inde à Concilio Toletano XII. celebrato Ann. 658.* (in quo decretum, ut Rex ad Episcopalem dignitatem promovendos eligeret, quos Toletanus Antistes præviâ morum examinatione institueret) *absq; ulla controversia jus & quasi possessionem habere nominandi & eligendi Episcopos, adeò ut nisi à Rege nominatus, nemo possit his dignitatibus insigniri.*

Addit ibidem Covarruvias notabilem rationem, quòd *scilicet maximè Regis intersit, nosse ac diligere, qui Ecclesias intra suam Provinciam sint administraturi.*

Idem confirmat Bartholomæus Cassanæus in Catalog. gloriæ mundi part. 5. consid. 24. num. 294.

Baronius Ann. 528. num. 12. concedit, quòd *seculo sexto decreverint Imperatores, quid facto opus esset circa electionem Episcopi.*

Ann. 813. n. 21. 22. memorat, quòd *tempore Caroli Magni, adhuc nono seculo, Imperatorum consensu Episcopi fuerint electi.*

Ann. 1122 v. 7. refert, quòd Callistus 2. Papa Imperatori Henrico IV. Jus aliquod circa electionem Episcoporum de novo cesserit. Verba concessionis sic habent: *Ego Callistus servus servorum Dei, dilecto filio suo, Henrico, Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia, ut, si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio saniori parti assensum & auxilium præbeas.*

Claudius Espensæus in 1. ad Timoth. lib. 3. Digress. cap. 21. fol. 257. *Successorum substitutio severè admodum vetita vel multis certè limitibus est circumscripta, populi nimirum, Cleri & Coepiscoporum, ut qui successorem etiam ab antecessore non nominatum deligere suffecissent.*

Ibid. fol. 258. *Agellius Sisinnium Presbyterum eruditum & facundum sibi subrogavit. Id plebi reprehendenti & Marcianum potius hominem religiosum subrogandum fuisse ratæ gratificaturus, hunc quoque, priore posthabito, Episcopum ordinavit.*

Ibid. fol. 259. *Petrus Princeps Apostolus adjutores quidem Linum & Cletum sibi ascivit, successorem autem Clementem instituit, non dubium, quia quo Judam Matthiæ modo & ordine subrogavit, quoque Diaconos in mensarum opus & ministerium induxit Actor. 1. & 6.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis, postquam dixerat, *formam legitimæ & ad Ministerium electionis describi in electione Matthiæ*, subjungit Conc. 2. in Epist. festi D. Matthiæ pag. 360. *Ita & hodiè meritò debebant eligi Episcopi & Sacerdotes concionatorii. Primò, vacante loco, conveniendum esset Magistratui, Sacerdotibus & populo, ac consultandum, cuinam potissimum Ecclesiastica functio committi apertiùs posset &c.*

Conc. 3. p. 362. *Olim Ecclesiæ Ministri electi sunt communibus Ecclesiæ suffragiis, atque ita hodiè quoq; meritò eligi debebant.*

Conc. 5. p. 364. *Hic postularet jam & locus & opportunitas, ut ostenderemus inde,* (ex Matthiæ Exemplo) *quoniam pacto & hodiè, imo semper, eligendi essent Ecclesiæ Ministri, præsertim Episcopi & Pastores. Verùm, quia frustraneus omninò (propter multos irreptos hujus ævi abusus) labor noster futurus esset, supersedebimus eo in præsentia.*

Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q. 4. adducit & approbat dictum Cypriani in Epist. 52. ad Antonianum de Cornelio Papa. *Factus est antea Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tum adfuit, suffragio & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum Collegio &c.*

Quin imò ipsos Pontifices Romanos Imperatores Christiani autoritate suâ olim confirmârunt, vel infirmârunt.

Ex c. Hadrianus dist. 63. constat, *jus eligendi Pontificem Imperatori in perpetuum fuisse confirmatum ab Hadriano I.* circa Annum 774. uti etiam à Leone III. circa Annum 796. c. In Synodo dist. ead.

Inde etiam molestè tulerunt Imperatoris Legati, quod ipsis insalutatis Hadrianus II. circa Annum 870. fuerit electus c. Cùm Hadrianus dist. ead. *Cùm Hadrianus secundus ad Rom. Pontificatum ab Ecclesia Dei genitricis Dominæ nostræ, quæ dicitur ad præsepe, traheretur ad Lateranense Patriarchium, certatim à Clero & Proceribus & plebe deportatus est: Quod audientes missi Ludovici Imperatoris molestè tulerunt, indignati scilicet, quòd, dum præsentes essent, non fuerunt invitati, nec optatæ à se futuri Præsulis electioni interesse meruerunt. Qui acceptâ ratione, quòd non causâ contemtus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit, (ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum expectandi mos per hujusmodi fomitem inolesceret) omnem indignationem medullitùs sedaverunt, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.*

Platina in Pelagio secundo. *Nihil à Clero in intelligendo Pontifice actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbâsset.*

Idem in Severino. *Ab Isaacio totius Italiæ Exarcho in Pontificatu confirmatur. Vana tunc enim habebatur Cleri ac populi electio, nisi id Imperatores aut eorum Exarchi confirmâssent.*

Idem in Benedicto secundo observat, hunc confirmandi morem postea sublatum fuisse ab Imperatore. *Ad hunc*, inquit, *Constantinus Imperator hominis sanctitate permotus, sanctionem misit, ut deinceps, quem Clerus, populus, exercitusq; Romanus in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi Vicarium esse omnes crederent, nullâ aut Constantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi expectatâ autoritate, ut anteà fieri consueverat.*

Urspergensis Anno 827. *Gregorius, Presbyter tituli S. Marci, Papa centesimus primus electus est. Sed ante non est ordinatus,*

tus, quàm Imperatoris Legatus Romam veniens, electionem populi, qualis esset, examinavit.

Sabellicus Enneadis 8. lib. 5. *Miserat Gregorium Pelagius Byzantium, ut se apud Principem purgaret, ne sibi noxæ daretur, quòd sine illius assensu passus esset, se Pontificem renuntiari. Enimverò irrita erat tunc Pontificis declaratio, nisi eam Imperator suo probasset assensu.*

Blondus Decadis 2. lib. 2. *Stephanus quartus Romam ab Imperatore reversus, brevi obiit, eiq; successit Paschalis primus, qui, quòd à Clero, populoq; Romano absq; Imperatoris autoritate, præter observatam diu ante consuetudinem, electus esset, ad illum scribens suam innocentiam à Cleri populique violentia purgavit.*

Krantzius Metropoleos lib. 2. cap. 29. *Neque mireris, Lector, ab Imperatore constitutum Episcopum. Ferebant hoc illa tempora, quando etiam summorum Pontificum constituendorum, destituendorumque habebant arbitrium, quod temporum necessitas ferebat.*

Onuphrius de creat. Pontif. & Cardinal. in vita Agath. I. *Pontifices Romani diu Imperatores Constantinopolitanos pacificè tulerunt, etiamsi absque eorum confirmatione & nisi solutâ priùs pro confirmatione pecuniâ Pontifices ordinari non poterant. Tandem* (inquit) *Agatho I. Papa Anno Domini IↃC LXXIX. hoc privilegium ab Imperatore obtinuit, ut hac pessima consuetudine sublatâ Pontifex electus non sine Imperatoris assensu consecraretur, quem ille gratis dare teneretur.*

Baronius Ann. 419. n. 8. memorat, quòd *olim Clerus Romanus, populo petente, Senatu consentiente, Romanum Pontificem elegerit.*

Ann. 590. docet. *in electione Pontificis nihil licuisse Clero sine consensu Magistratus*, & Ann. 686. n. 3. *sine consensu Exarchorum.*

Ann. 885 n. 2 fatetur, *electioni Pontificis Senatum Romanum interfuisse.*

6. Concordata Galliæ.

Anno 1517. inter Leonem X. & Franciscum I. Galliæ Regem *Concordata*, ut vocant, instituta sunt, quæ integra recensuit & notis illustravit Petrus Rebuffus. In illis omne jus eligendi aut postulandi Prælatos Canonicis in tota Gallia ademtum est, ita ut *nominatio personæ idoneæ* intra sex menses à tempore vocationis Romano Pontifici ad providendum facienda nunc soli Regi absolutè competat. *Rex Franciæ* (inquit Leo) *pro tempore existens, unum gravem Magistrum intra sex menses à die vocationis Ecclesiarum earundem computandos nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus nominare possit &c.* Vide Concordata illa in tit. de Regia ad Prælaturas nominatione facienda & ibi Rebuffum.

Franciscus Duarenus lib. 5. de sacris Eccles. Ministris cap. 11. *Concordata illa* nomine Leoninæ Constitutionis allegat & addit, *Leonem obtinuisse, ut Decretum illud Regiâ autoritate subnixum supremum Parlamentum Parisiense reciperet.*

Sola Italia electionem suorum Episcoporum Papæ concedit, nec ea quidem tota; sed nec Veneti, nec Germani, nec Hispani, nec Galli, nec Poloni, nec Hungari. Videatur Covarruvias tom. 1. variar. resolut. part. 2. in releċt. cap. Malæ fidei ext. de jure patron.

7. Quædam hypotheses ab Adversariis concessæ.

1. Bellarminus libr. 4. de Ecclesia capite 8. §. Respondet Brentius &c. fatetur. *electionem Episcopi variè variis temporibus fuisse celebratam & aliquando populum simul cum Clero Episcopum elegisse.*

Lib. de Clericis cap. 7. resp. ad 5. argumentum fatetur, *ex concessione Apostolorum fuisse olim populo attributum, ut eligerent Stephanum & reliquos Diaconos.*

Resp. ad 8. argumentum fatetur, *jam tum tempore Niceni Concilii cœpisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur.*

Resp. ad 9. argumentum sic scribit: *Non negamus, quin populus aliquando Episcopos elegerit, sicut nunc in plerisque locis per Pontificis autoritatem Episcopi à Regibus eliguntur.*

§. Tandem &c. fatetur, *obtinuisse in primitiva Ecclesia consuetudinem, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet.*

Lib. ejusdem cap. 9. §. Tertius modus &c. inter *quinque modos*, quibus olim eligi consueverunt Episcopi, numerat secundo loco eum, *ut Episcopum eligerent Episcopi omnes ejusdem provinciæ, vel major eorum pars, postulato tamen testimonio & consensu Cleri & populi ejus loci, cui Episcopus dabatur &c.* tertio loco modum recenset eum, quòd *elegerit Clerus & populus civitatis, quem modum usitatum fuisse* dicit *tempore Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Leonis, Gregorii &c.* & quarto loco recenset eum, quod *Imperatores & Reges vel soli, vel cum Clero & populo Episcopum elegerint*, & addit, *Justinianum Seniorem post recuperatam Italiam noluisse quenquam creari Pontificem Romanum sine sua approbatione, idque servatum esse usque ad Constantinum quartum, qui juri suorum prædecessorum* (observa vocem juris) *in hac parte cesserit.*

(Ex illis omnibus sic colligimus. Quicunque modus eligendi Ecclesiæ Ministros conformis est exemplo Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ, ille est omnium optimus & meritò ab hodierna Ecclesia observatur. Ad modus eligendi Ecclesiæ Ministros iste, quo populus simul cum Clero Episcopum eligit, est conformis Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ. Ergò. Cumprimis verò urgemus, quod Bellarminus scribit, *Constantinum IV. juri suorum prædecessorum in creatione Pontificis Romani cessisse*, ex quo colligimus hoc modo. Quicunque juri suorum prædecessorum in aliqua re cedit, illius prædecessores jus aliquod in ea re obtinuerunt. Atqui Constantinus quartus in creatione Pontificis, quòd ea sine approbatione Imperatoris non debeat esse rata, juri suorum prædecessorum cessit. Ergò prædecessores Constantini jus aliquod in creatione Pontificis obtinuerunt & per conseq. non ex nuda consuetudine, conniventia & concessione, sed ex jure descendit, quòd Pontifices Romani sine approbatione Imperatorum creari non potuerint.)

Idem Bellarm. tr. de officio Principis Christiani l. 1. p. 68. docet, Reges & Principes in Scripturis vocari *Pastores. Princeps*, inquit, *non solùm caput in corpore, sed etiam quasi Pastor inter oves, si enim loquitur Deus in Psal. 77. Elegit David servum suum & sustulit de gregibus ovium, pascere Jacob servum suum & Israel hæreditatem suam, & pavit eos in innocentia cordis sui. Ubi Dominus dicit, se exercuisse Davidem in arte pastoritia ovium irrationalium, & deinde eum transtulisse ad officium pascendi populos ratione præditos. Nec solùm Davidem Regem Hebræorum, sed, quod magis mirandum est, Cyrum ipsum Regem Persarum apud Esaiam vocat Pastorem suum. Dico Cyro, Pastor meus es. Denique, ut alia prætermittam, apud Ezechielem conqueritur Deus de Pastoribus Israel, id est, de Regibus, qui, cùm essent ipsi deterrimi, populum ad exitium perduxerunt, & tandem subjicit. Et suscitabo super eos, oves scil. gregis mei, Pastorem unum, servum meum David, ipse pascet eos & ipse erit in Pastorem.*

(Atqui si Principes sunt Pastores, utique etiam de salutaribus pascuis populo sibi commisso debent prospicere.)

2. Salmeron tract. 41. in Comment. Actor. 14. p. 270. *Græca vox χειροτονήσαντες invenitur hoc loco tantum & 2. Corinth. 8. ubi verbum χειροτονηθεὶς legitur in fonte Græco, hoc est, per majorem partem suffragiorum electus. Quemadmodum igitur Apostoli Diaconorum septem electionem & nominationem fidelibus obtulerunt, quos ipsi orationibus & impositione manuum ad Diaconatum promoverunt, ita hic Paulus & Barnabas dederunt credentibus facultatem, ut nominarent ac eligerent in sua quaque civitate Episcopum, quem ipsi postea orationibus & jejuniis & manuum impositione consecrabant.* (Si ad διακονίαν in collectis ad fratres egenos perferendis occupatam χειροτονία & suffragium Ecclesiæ fuit adhibitum, multò magis ad διακονίαν in ministerio verbi & publico docendi munere occupatam χειροτονία & suffragium Ecclesiæ adhiberi debet.

3. Pazmannus libr. 3. Hodegi in cap. de vocatione Lutheri concedit, *Regibus quibusdam permissum esse ab Ecclesia, ne Pastor ab Ecclesiasticis personis ordinatus officio suo interea fungi posset, donec ipse quoque Rex ordinationi illi consenserit.* (At hoc Papisticum vocandi morem, quo jus illud solis Episcopis tribuitur, in solidum evertit.)

Ibid. probat, *vocationem Ministrorum Ecclesiæ cum Magistratus & populi consensu fieri debere, ac in Nicena Synodo decretum esse* scribit, *ut in loca defunctorum succedant, modò digni appareant & populus eligat.*

4. Utimur etiam contra Pontificios hoc argumento, ex propria ipsorum hypothesi petito. Bellarminus lib. de Clericis cap. 7. §. Tertiò &c. ex comparatione auditorum cum ovibus colligit, *ad ipsos non pertinere vocationem Pastorum. Jure divino* scripto, inquit, *Episcopi sunt Pastores populi; populi sunt oves. Johan. ult. Actor. 20. 1. Petr. 5. Ratio autem naturalis apertissimè do-*

dicet, ovibus non convenire, ut pascant & regant, sed regantur atque pascantur. At eligere Pastores, ad gubernationem & regimen pertinere, certissimum est: non igitur convenit populo, Pastores eligere. At longè firmiùs ex alia comparatione contrarium colligere possumus hoc modo; Episcopus in Jure Canonico dicitur Ecclesiæ suæ Sponsus.

Pontifex Romanus totius Ecclesiæ Catholicæ Sponsus appellatur. c. Ubi periculum de Electione in 6. c. Quoniam de Immunit. ibidem, quod approbat etiam Bellarminus lib. 2. de Roman. Pont. cap. 31. nomine XIII. Ex eo sic colligimus. Non solùm ll. humanæ, sed etiam divinæ electionem Sponsi tribuunt Sponsæ, ac prohibent, ne alicui invitæ Sponsus assignetur.

Bellarminus lib. de Matrim. cap. 18. §. Sed ut hujus &c. *Ad matrimonii Sacramentum nihil aliud requiritur essentialiter, nisi consensus signo expressus inter legitimas personas.*

Cap. 19. §. Tertiò patet &c. *Illorum necessariò consensus requiritur, qui matrimonii formam pronuntiant. At formam pronuntiant ipsi, qui contrahunt: ipsorum igitur consensus necessariò requiritur. Deinde, conjugium est summus amicitiæ gradus secundùm Philosophum, repugnat igitur naturæ conjugii, ut contrahatur inter invitos.*

Cap. eod. §. Prima &c. format ejusmodi propositionem. *Solo consensu parentum matrimonium inter filios celebrari non potest*, (sed requiritur consensus contrahentium) quam probat, tum exemplo Scripturæ divinæ; *Nam in Genesi cap. 24. cùm pater & frater Rebeccæ de matrimonio ejus cum Procuratore Abrahæ, qui eam in uxorem filio Abrahæ petebat, tractâssent, dixerunt. Vocemus puellam & inquiramus ejus voluntatem:* tum ex Jure Canonico c. Sufficiat 27. q. 2. c. Ubi non est caus. 30. q. 2. c. Tuas dudum de Sponsa duorum & c. Unico de despons. impub. in 6. Cùm ergò *Episcopus sit Ecclesiæ Sponsus*, juxta Jus Canonicum & Canonistas, utiq; etiam in Ecclesia idem observari debet, ne scil. illi invitæ obtrudatur Episcopus, sed ut expressus ejus consensus accedat, aliàs absque Sponsæ, id est, Ecclesiæ consensu matrimonium spirituale inter Sponsum, id est, Episcopum & Sponsam, id est, Ecclesiam contrahetur.

5. Thomas Passius Canonicus Valentinus in Concilio Tridentino asseruit, *ex sacrorum Canonum lectione manifestò constare in Episcoporum electione & Presbyterorum ac Diaconorum deputatione summos & infimos è populo fuisse præsentes & suffragium tulisse, aut saltem præbuisse assensum, hoc tamen de Papæ concessione tacita vel expressa. Idq; tum fuisse concessum, quia populus & primores pietati addicti, rerum spiritualium studio atque amore detinebantur, adeoq; hoc ipso plus obsequii & reverentiæ præstabant Clero, promtioresq; ad ipsum oblationibus & donationibus cumulandum reddebantur: At postquam devotio refrixit, seculares Ecclesiæ inhiare & omni ope niti, ut ii in sacris Ordinibus constituantur, qui ipsorum voluntati morem gerere velint. Itaq; meritò ademtum ipsis privilegium, quo fruebantur, & ipsos ab ordinationibus & electionibus prorsus exclusos.* Petrus Suavis lib. 7 Hist. Conc. Trident. p. 690. (Agnoscit ergò Passius in primitiva Ecclesia populum jus suffragii in Episcoporum electione habuisse, idque progressu temporis esse mutatum. Quòd autem ex *Papæ duntaxat concessione* illud habuerit, gratis dicitur.)

Idem Passius dixit, *corrigendum esse Pontificale, expungendosq; eos locos, qui ejusce rei mentionem faciant, quibus non obliteratis heretici semper in rem suam abusuri sunt, ut probent, necessarium esse populi interventum. Atque uno è multis citato in Presbyterorum ordinatione Episcopus Ordinator ait. Non frustrà à Patribus institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia necesse est, ut faciliùs quis ei obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando.* Idem Petrus Suavis lib. 7. Hist. Concil. Trid. p. 690.

6. Ne ipsum quidem Tridentinum Concilium ademit Laicis coëlectionem suorum Episcoporum, sed tantùm negavit sess. 23. cap. 4. Can. 7. *Ordines Episcopis vel Presbyteris collatos sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione esse irritas*, quod suo modo concedi potest, cùm aliud sit *Ordo* (seu habilitatio ad docendum & administranda Sacramenta, sine delegatione ad certam Ecclesiam) quem Laici non conferunt; aliud verò *curatum officium* seu designatio loci, in quo Ordo hic & nunc exerendus, qui sine Laicorum ejus loci coëlectione ab Episcopis nequaquam debet aut potest assignari. Ordinem verò sine curato officio Episcopis & ab Episcopis in Papatu conferri, in propatulo est.

Argumentum Pontificiorum. Bellarminus lib. de Clericis cap. 7. *ex missione Christi* Joh. 20. v. 21. deducit *electionem Ministrorum sine populi suffragio*.

Resp. Idem Bellarminus de hoc eodem dicto sic scribit lib. 3. de pœnit. cap. 18. §. 3. *Verba illa, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, non ita accipienda, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quo à Christo ipso fiebant, alioqui enim Actor. 2. Apostoli non debuissent baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine Baptismo peccata remisit Magdalenæ & Paralytico; nec debuissent Actor. 8. per impositionem manuum Spiritum sanctum dare, quia Christus non manus imponendo, sed insufflando Spiritum sanctum dedit Joh. 20. Igitur misit Christus Apostolos, sicut ipse missus fuerat à Patre, quia potestatem eis dedit ligandi & solvendi, ut ipse à Patre acceperat, quæ est Chrysostomi expositio, sed tamen accepit ipse Filius & proinde talem ac tantam, ut posset etiam sine Sacramentis justificare: Dedit autem eam Apostolis, ut ministris ac servis, ac per hoc longè minorem, & Sacramentis aliisque mediis à se institutis alligatam. Misit etiam Christus Apostolos, ut ipse à Patre missus fuerat, videlicet ad reconciliandos homines Deo, ad Evangelium prædicandum, ad Ecclesiam propagandam, quæ est expositio Cyrilli. Deniq; misit Christus Apostolos, ut ipse à Patre missus fuerat, quia misit eos, non ad delicias, sed ad crucem, licet vehementer eos amaret: quemadmodum ipse à Patre infinito amore diligebatur, & tamen ad passionem & mortem, non ad mundi gaudia mittebatur, quæ est explicatio Gregorii Homil. 26. in Evang.*

(Ut ergò Bellarminus ipse monet, comparatio inter missionem Christi & Apostolorum non est extendenda ultra illud tertium, in quo instituitur, aliàs possem evincere, Episcopos non esse mittendos à Papa, cùm Christus non sit à Papa, sed immediatè à Patre cœlesti missus.)

CAPUT II.

DE SEPTEM ORDINIBUS CLERICORUM.

THESIS. Septem Ordines Clericorum Scripturæ sacræ & primitivæ Ecclesiæ sunt ignoti.

Ecthesis 1. Non negamus, inter Ecclesiæ Ministros, æquè in N. ac in V. Testamento, esse certos *gradus*. In V. Testamento erat *summus Sacerdos*, erant *Sacerdotes inferiores*, erant *Levitæ* illorum ministeriis deputati, Numeri 3. v. 1. In N. Testam. Christus *Ecclesiæ dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores*, Ephes. 4. v. 11. *Episcoporum & Diaconorum* fit distincta mentio 1. Tim. 3. v. 2. & 8. Tit. 1. v. 7.

2. Diversitas illa graduum dependet quidem *à jure divino*, tum *ratione generis*, quatenus necessarium est ad εὐταξίαν & tranquillitatem in Ecclesia esse aliquos distinctos gradus; tum *ratione donorum*, quatenus Deus ipsâ donorum varietate & diversitate declarat, velle se, ut distincti inter Ministros gradus constituantur; tum *ratione quorundam graduum in specie*, quatenus Prophetarum & Apostolorum munus à reliquis gradibus ipsemet distinxit, iisque prætulit, interim tamen absolutè & generaliter de omnibus Ecclesiastici ministerii gradibus dici nequit, quòd eorum institutio & distinctio ab institutione divina dependeant, siquidem gradus illi non sunt certo numero vel à Deo præscripti, vel ab Apostolis usurpati, sed Ecclesiæ libertas est relicta, pro ratione circumstantiarum, temporis scil. & amplitudinis, in quovis cœtu plures vel pauciores gradus inter Ministros instituendi.

Antithesis. Bellarminus lib. de Clericis cap. 11. §. Sequitur, *Catholici passim asserunt septenarium numerum Ordinum.*

Et postea §. Porrò. *Propriè illi dicuntur Ordines, qui certo ritu sacro & solenni conferuntur ab Episcopo, & ad certum ministerium sacrificio divino exhibendum referuntur. Quâ ratione septem duntaxat Ordines numerantur, videl. Sacerdos, Diaconus, Sub-Diaconus, Acolutus, Lector, Exorcista, Ostiarius.*

Hosce Ordines dividunt *in Majores & Minores*. Minores dicunt esse quatuor, *Ostiaratum, Lectoratum, Exorcistatum & Acolutatum*. Majores tres, *Sub-Diaconatum, Diaconatum & Presbyteriatum*. Sacerdotum sive Presbyterorum Ordinem eo modo subdividunt, ut quosdam statuant *majores*, dictos *Episcopos*, quosdam verò *minores* sive *simplices Sacerdotes*. Ordo Episcoporum vicissim dividitur *in Patriarchas*, *Ar-*

Archiepiscopos, Metropolitanos & Episcopos. Quibus omnibus præsidet *Romanus Pontifex*, cujus Electores & perpetui Consiliarii sunt *Cardinales*. Confer Catechismum Romanum cap. de sacris Ordinibus.

De officiis singulorum istorum Ordinum Bellarmin. d. l. cap. 13. § 2. & seq. ex Lombardo lib. 4. sent. dist. 24. sic disserit, *Ostiariorum officium est, aperire & claudere fores Ecclesiæ & curam templi habere, unde in ordinatione Episcopus porrigit illis claves, dicens: Accipe potestatem aperiendi Ecclesiam & sacrarium, & claudendi infidelibus. Lectorum officium est, legere ex pulpito in Ecclesia, quicquid legendum ex utroque Testamento. In illorum ordinatione Episcopus porrigit librum, quem vocant Lectionarium, dicens: Accipe potestatem & esto verbi Dei relator. Exorcistarum officium est exorcismos Ecclesiæ legere super energumenos & eo modo preparare illos, ut sacrificii divini participes fiant. In illorum ordinatione Episcopus tradit eis librum Exorcismorum, dicens: Accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive Catechumenos. Acoluthorum officium est, cum cereo accenso sequi Diaconum ad locum Evangelii, & urceolos atq; ampullas ad sacrificium præparare ac Sub-Diacono porrigere; item præparare luminaria. In illorum ordinatione Episcopus illis porrigit candelabrum cum cereo & urceolis, dicens: Accipe ceroferarium cum cereo, & scias, te ad accendendum lumina mancipatum in nomine Domini. Et accipe urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistia & Sanguinis Christi Sacramentum. Sub-Diaconorum officium est ministrare Diacono in sacrificio. In illorum ordinatione Episcopus tradit eis calicem vacuum cum patina; item librum Epistolarum, dicens: Accipe librum Epistolarum & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. Diaconorum officium est Sacerdoti sacrificanti assistere ac ministrare, & populo Eucharistiam distribuere, tempore sacrificii Evangelium legere, baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Eucharistiam deferre ac præbere Laicis, ac breviter omnia facere, quæ Episcopi & Presbyteri faciunt, exceptâ consecratione corporis Domini & ordinatione Clericorum & aliis officiis, quæ requirunt potestatem ordinis. In illorum ordinatione Episcopus tradens eis librum* Evangeliorum, *dicit: Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis. Item, Accipe Spiritum sanctum ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus. Presbyterorum est, consecrare corpus & sanguinem Christi, offerre sacrificium pro vivis & mortuis, orationes dicere & dona Dei benedicere. In illorum ordinatione Episcopus reflectit stolam ab humero sinistro in dextrum in modum crucis, dicens: Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave & onus ejus leve. Deinde dat vestem Sacerdotalem & consecrat manus, dicens: Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem & nostram benedictionem. Postea porrigit calicem cum vino & aqua & patinam cum hostia superimposita, dicens: Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasq; celebrandi. Denique imponit ambas manus super caput cujuslibet ordinandi ad Sacerdotium, dicens: Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt.*

Compendium Theologicæ veritatis lib. 6. cap. 36. ex Lombardo lib. 4. sent. dist. 24. statuit, *Christum suo exemplo omnium illorum ordinum officia in semetipso exhibuisse*, ex quo colligit Fabius Incarnatus in Scrutin. Sacerdot. part. 1. tract. 2. cap. de Ordine p. 111. *ad institutionem ipsius Christi originem septem ordinum revocandam esse. Ostiariorum* (inquit) *officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes ejecit de templo. Ipse enim Ostiarium significans dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Ostiarius ergo institutus est, quando Christus dixit: Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales, & quando ementes ac vendentes ejecit è templo. Lectorum officium implevit Christus, cùm in medio Seniorum librum Esaiæ aperiens, distincte ad intelligendum legit. Spiritus Domini super me. Institutus ergo est Ordo Lectoratus, quando Christus librum Prophetæ aperuit & completâ lectione ministro dedit. Exorcistarum officio usus est Dominus, quando salivâ suâ tetigit aures & linguam surdi & muti, dicens: Ephata, quod est adaperire. Hoc etiam officio usus est Christus, cùm Dæmoniacos multos sanavit. Institutus ergo est Exorcistatus, quando Christus tetigit aures muti & surdi, & quando de Maria Magdalena septem Dæmonia ejecit. Acoluthorum officium Dominus se habere testatur, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Institutus ergò est Acoluthatus, quando Christus dixit: Ego sum lux mundi. Sub-Diaconorum officio Christus usus est, & ordinem eorum instituit, quando linteo se præcinxit & mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit & linteo tersit. Diaconorum officio Christus usus est & ordinem eorum instituit, quando post cœnam Sacramentum carnis & sanguinis discipulis dispensavit, & quando Apostolos dormientes ad orationem excitavit, dicens: Vigilate & orate. Presbyterorum officio Christus usus est & ordinem eorum instituit, cùm seipsum in ara crucis obtulit idem Sacerdos & hostia, & quando post cœnam panem & vinum in corpus & sanguinem suum convertit.*

In hac Ordinum enumeratione desideramus

1. Quòd *ad numerum septenarium* illos præcisè restringunt, cùm tamen Ecclesiastici scriptores modò plures, modò pauciores numerent ordines.

2. Quòd originem eorum ad institutionem Christi referunt, cùm tamen ex Evangelistarum & Apostolorum scriptis illud probare nequeant.

3. Quòd quævis in Ecclesia ministeria in peculiares Ordines transformant. Fores enim claudere ac aperire, cereos accendere ac circumferre, vasa sacra custodire, mundare, ad usus divinos præparare, mensam Domini vestire, Pastori ad ministrandum astare, aquam ad Baptismum, panem & vinum ad Eucharistiæ administrationem afferre &c. non constituunt peculiares & distinctos Ordines Ecclesiasticos: sed sunt ministeria eo modo comparata, ut ab uno eodemque homine facilè præstari possint.

4. Quòd perpetuam illorum Ordinum in Ecclesia necessitatem urgent, cùm tamen ex libero Ecclesiæ instituto pro ratione circumstantiarum quandoq; pluribus, quandoque paucioribus ministeria, quæ Ordinibus illis hodiè distinctè assignantur, conjunctim fuerint olim demandata.

5. Quòd titulos sine re usurpant. *Exorcistæ* enim ordinantur, qui dono expellendi Dæmonas non sunt instructi. *Lectores & Cantores* dicuntur, qui in Ecclesia non legunt. *Sacerdotes & Episcopi* dicuntur, qui à docendi ac prædicandi munere, quod inter Ecclesiastica ministeria primarium est, toto vitæ tempore abstinent.

6. Quòd nomen & dignitatem Sacramenti Ordinibus illis tribuunt, cùm requisita Sacramenti propria in illis monstrare nequeant.

7. Quòd præcipuum ac principale Sacerdotum munus, ad quod reliquorum ordinum officia respectum habeant, statuunt, *offerre sacrificium Missaticum pro vivis ac mortuis*, cùm tamen Christus in N. Testamento Ecclesiæ Ministros non constituerit Missifices, sed Evangelii præcones & *mysteriorum divinorum dispensatores* 1. Cor. 4. v. 1.

Nostræ sententiæ suffragatur

1. Quòd agnoscunt, septenarium Ordinum numerum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ fuisse ignotum.

Anacletus Epist. 3. tom. 1. Concil. fol. 104. *Ampliùs quàm isti duo Ordines* (Episcop. & Presbyt.) *Sacerdotum, nec à Deo nobis collati sunt, nec Apostoli docuerunt.*

Johannes III. Pontifex Romanus in Epistola ad Galliæ & Germaniæ Episcopos (tom. 2. Concil.) *Hi duo tantùm Ordines, nempe Episcopi & Presbyteri, in Scriptura leguntur, nec amplius ad Pastorale officium aliquod patet ostium, per quod Pastor intret &c. Cùm etiam egregius Prædicator dicat, Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est: prædicta duo fundamenta* (Presbyterii & Episcopatus) *in Ecclesia tantummodò posita inveniantur, quicquid amplius in his positum invenitur, stare nullatenùs poterit &c.*

c. Nullus dist. 60. ex Urbano Papa. *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum, hos siquidem solos* (nota exclusivam) *primitiva legitur habuisse Ecclesia.*

(Idem repetitur cap. A multis 9. lib. 1. Decretalium tit. 14. de ætate & qualitate &c. *Urbanus Papa dixit. Sacros Ordines Diaconatum dicimus & Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse.*

Gratianus in Procem. dist. 21. *Majorum & minorum Sacerdotum discretio in Novo Testamento ab ipso Christo sumsit exordium, qui duodecim Apostolos, tanquam majores Sacerdotes, & septuaginta duos discipulos, quasi minores Sacerdotes, instituit.*

Pe-

Petrum verò quasi in summum Sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus & pro omnibus claves regni cœlorum præbuit &c. Hanc eandem formam Apostoli secuti in singulis civitatibus Episcopos & Presbyteros ordinaverunt, Levitas autem ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit B. Stephanus. Sub-Diaconos & Acolythos precedente tempore Ecclesia sibi constituit. (Ergò eorum Ordo non trahit originem ab Apostolis.)

Lombardus 4. sentent. dist. 24. lit. I. *Cùm omnes illi Ordines spirituales sint & sacri, excellenter tamen Canones duos tantùm sacros Ordines appellari censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus Presbyteros & Episcopos habuerunt. Levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit B. Stephanus; Sub-Diaconos verò & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.*

Cajus Pontifex Romanus circa Annum Christi 284. constituit, *ut omnes Ordines in Ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri mereretur, primò fiat Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus; deinde Sub-Diaconus. Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinetur.* tom. 1. Concil. Venet. pag. 431. Martinus Polonus in Chronic. p. 181. (Ergò ex institutione Pontif. Rom. Ordinum distinctio descendit.

Bartholomæus Caranza in Summa Conciliorum fol. 15. *Quæ in summa tractat Anacletus in tertia Epistola, sunt ista. Primum à Domino constitutos esse hos duos Ordines Episcoporum & Sacerdotum. Et ampliùs, quàm isti duo nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt, ex quo colligitur, Ordines aut gradus notos in Ecclesia non à Domino ordinatos, nec Apostolis.*

Fol. 31. asserit, *Cajum Papam constituisse, ut omnes Ordines in Ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri mereretur, primò fiat Ostiarius, Lector, Exorcista &c. exinde tandem Episcopus.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 14. *Constat, sacros Ordines propriè dici Diaconatum & Presbyteratum, ut quos solos primitivam Ecclesiam in usu habuisse legatur, id quod testatur Urbanus Papa & annotavit Chrysostomus & Ambrosius in Epistolam Pauli ad Timotheum priorem.*

Ibid. *Ad minores Ordines quod attinet, qui olim quinque se ordine consequentes memorare consueverunt, hi sanè præsente tempestate, neglectâ omni disciplinâ & politiâ Ecclesiasticâ prorsus confusi sunt, & eorum officia propemodum cessarunt.*

Stapletonus in Promtuario Catholico p. 199. fatetur, *Paulum 1. Corinth. 12. v. 28. & Ephes. v. 11. hierarchiam Ecclesiasticam descripsisse.* (At ibi non enumerantur septem isti Ordines.)

Baronius Ann. 44. num. 77. fatetur, *in novi instrumenti divinis Scripturis non nisi de Episcopis, Presbyteris ac Diaconis ab Apostolis ordinatis mentionem haberi.*

Bellarminus lib. de Clericis cap. 12. §. 3. non audet institutionem & originem illorum Ordinum ad Christum & Apostolos revocare, sed ex *Clemente & Ignatio* probat. *originem illorum Ordinum rem longè antiquiorem esse, quàm Calvinus existimet.* (Atqui Ignatii Epistolis multa peregrina sunt admixta, ac libri Constitutionum Clementis sunt suppostitii, ut ostendimus superiùs lib. 1. part. 2. cap. 7. & 13.)

Becanus in Disput. de vocat. Ministrorum thes. 34. fatetur, *trium duntaxat Ordinum, Episcoporum scil. Presbyterorum & Diaconorum apertam in scriptis apostolicis fieri mentionem.*

2. Quòd agnoscunt, ex Judaismi & gentilismi imitatione Ordines illos in Ecclesiam Christianam introductos esse.

Gratianus in Procœm. dist. 21. *Ministri sacrorum Canonum & Decretorum Pontificum sunt summi Pontifices & infra Præsules ac reliqui Sacerdotes, quorum institutio in Veteri Testamento est inchoata & in Novo pleniùs consummata. Summi enim Pontifices & minores Sacerdotes à Deo sunt instituti per Mosen, qui ex præcepto Domini Aaron in summum Pontificem, filios verò ejus unxit in minores Sacerdotes. Posteà verò David, cùm ministeria domus Domini ampliaret, Janitores & Cantores instituit. Porrò Salomon quendam modum exorcizandi invenit, quo Dæmones adjurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati Exorcistæ vocati sunt &c. Hæc omnia in Novo Testamento Ecclesia imitata habet janitores suos, quos Ostiarios appellamus. Pro Cantoribus Lectores & simul Cantores instituit. Exorcistas autem nomine antiquo & officio permanente recepit. Pro filiis verò Aaron omnes infra summum Pontificem Sacerdotium administrantes sunt consecrati. Inter eos quædam discretio servata est, ut alii appellentur simpliciter Sacerdotes, alii Archipresbyteri, alii Chorepiscopi, alii Episcopi, alii Archiepiscopi seu Metropolitæ, alii Primates, alii Patriarchæ, alii summi Pontifices. Horum discretio à gentilibus maximè introducta est, qui suos Flamines, alios simpliciter Flamines, alios Archi-Flamines, alios Proto-Flamines appellabant.*

c. Urbes dist. 80. ex Lucio Papa. *Urbes & loca, quibus Primates præsidere debent, non à modernis, sed etiam multis ante adventum Christi sunt statuta temporibus, quarum Primates etiam gentiles pro majoribus etiam negotiis appellabant. In ipsis verò urbibus post Christi adventum Apostoli & successores eorum Patriarchas vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia &c. referenda.*

c. In illis dist. ead. ex Clemente Papa ad Jacobum Apostolum. *In illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum atque primi legis Doctores erant, Episcoporum primates poni vel Patriarchas B. Petrus præcepit, qui reliquorum Episcoporum causas & majora, quoties necesse foret, negotia in fide agitarent. In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archi-Flamines, quos tamen minores tenebant, quàm memoratos Primates Archiepiscopos institui præcepit.*

c. Provinciæ dist. 99. ex Anacleto Papa ad Episcopos Italiæ. *Provinciæ multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt maximâ ex parte & postea ab Apostolis & B. Clemente prædecessore nostro ipsa divisio est renovata. Et in capite Provinciarum (ubi dudum primates legis seculi erant ac prima judiciaria potestas ad quos, qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatoris vel Regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel injustitiis suis, ipsosque appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat, ipsis quoque in civitatibus vel locis nostros Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licèt diversa sint nomina, leges divinæ & Ecclesiasticæ poni & esse jusserunt, ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, & ipsi Primatum nomine fruerentur, & non alii. Reliquæ verò Metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant, (licèt majores Comitibus essent) haberent Metropolitanos suos, qui prædictis justè obedirent Primatibus, sicut & in legibus seculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur.*

Lombardus lib 4. sent. dist. 24. lit. C. *Ostiarii iidem & janitores sunt, qui in V. T. electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus.*

Lit. D. *Ordo Lectorum formam & initium à Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur; Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.*

Lit. E. *Exorcistarum ordo à Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi invenit, quo Dæmones adjurati ex obsessis corporibus expellebantur.*

Lit. F. *Hujus* (Acoluthorum) *officii formam illi gerebant in V. Testamento, qui lucernas candelabri componebant & accendebant igne cœlesti ad illuminandas tenebras Aquilonares.*

Lit. G. *Sub-Diaconi apud Hebræos Nathinæi vocabantur, hoc est, in humilitate Domino servientes.*

Lit. H. *Diaconorum Ordo in Novo Testamento à tribu Levi nomen accepit, dicuntur enim & Levitæ.*

Et postea. *Quod huic ordini à Mose statutum est, hoc etiam in N. Testamento repræsentatur, cùm Diacono super lævum humerum stola ponitur & casula in diebus jejunii complicatur.*

Lit. I. *Ordo Presbyterorum à filiis Aaron sumsit exordium. Summos enim Pontifices & minores Sacerdotes instituit Deus per Mosen, qui ex præcepto Dei Aaron in summum Pontificem, filios verò ejus unxit in minores Sacerdotes.*

Johannes Beleth in explicatione divinorum officiorum cap. 13. asserit, *Personarum Ecclesiasticarum à veteri consuetudine tam Ethnicorum, quàm Judæorum ad Præsentis Ecclesiæ cultum factam esse translationem, cùm secundùm ordinem, tùm secundum dignitatem.*

Polydorus Virgil. lib. 4. de rer Invent. cap. 7. p. 327. *Romani Pontifices, Hebræorum secuti institutum, primi omnium sacris quibusdam initiare cœperunt Ostiarios sive Janitores, Lectores, Exorcisatores, Acoluthos, Sub-Diaconos, Diaconos, hoc est, Levitas, quo numero septem ipsi Apostoli delegerant Presbyteros & Episcopos, quò sic per gradus ad Sacerdotium unusquisque promoveretur.*

Idem lib. ejusd. cap. 12. *Jam inde ab initio, cùm ubique ferè gentium Flamines Sacerdotes præessent & illis alii, qui Archi-Flamines, id est, primarii Sacerdotes nuncupati sunt, ad quos sacro-*

rum

omnium ratio referebatur, placuit, autore Apostolo Petro, sicut D. Clemens in sua Christianæ religionis compendiario libello perhibet, ut similiter in singulis gentium, quæ religionem in posterum complecterentur, urbibus in locum Flaminum Episcopi substituerentur, & in qualibet Provincia Archi-Flaminis vice unus Archiepiscopus constitueretur, cui reliqui illius religionis Episcopi subessent, id quod nos in Historia nostra Anglica ostendimus, in Britannia, quæ nunc Anglia est, auctore Divo Gregorio, esse factum. Innocentius quoque, ut in decretis Canonicis est, hinc nostrorum Sacerdotum & Episcoporum differentiam introductam affirmat.

Durandus lib. 2. Rational. cap. 1. §. 1. & seq. *Christianorum personæ Ecclesiasticæ de aliis duabus sectis sumptæ sunt, Hebræa scil. & gentili. In ritu templorum erant apud gentiles Archi-Flamines, Proto-Flamines & Sacerdotes.*

§. 21. 22. *Omnes infra summum Pontificem Sacerdotium administrantes consecrati sunt: inter quos quædam discretio est exorta, ut alii appellentur simpliciter Sacerdotes, alii Archipresbyteri, alii Episcopi, alii Archiepiscopi seu Metropolitani, alii Primates, alii Patriarchæ, alii summi Pontifices, ut præmissum est. Quæ discretio maxime à Gentilibus introducta est, qui suos Flamines, alios simpliciter Flamines, alios Archi-Flamines, alios Proto-Flamines, id est, Primates appellabant.*

Idem lib. ejusd. cap. 2. §. 2. cap. 6. §. 4. cap. 7. §. 1. cap. 8. §. 1. cap. 9. §. 12. docet, *Ordinem Ostiariorum, Lectorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Diaconorum, Sub-Diaconorum & Sacerdotum ex Levitico Sacerdotio esse deductum.*

Stapletonus Relect. Controv. 2. q. 3. artic. 3. pag. 201. primùm quidem negat, *quod jurisdictio Episcoporum & Archi-Episcoporum ad imitationem Ethnicorum fuerit divisa: Dico,* inquit, *non ex imitatione Gentilitia factos esse Episcopos & Archiepiscopos, sed loca tantùm Episcoporum & Archiepiscoporum fuisse designata. Jurisdictio enim major vel minor loco accommodanda est,* mox tamen ex hypothesi eam defendit. *Etiamsi* inquit, *ad imitationem Gentilium gradus isti fuissent distincti, peccatum propterea non fuisset. Non enim Ecclesia hac in parte Gentiles imitatur, sed potiùs præposteram Gentilium imitationem corrigit, & ad debitum cultum reducit. Divinæ enim religioni conservandæ & propagandæ ista graduum distinctio subservit, quam Diabolus (ut multa alia) ad impiæ superstitionis usum convertit, divinos affectans honores.*

Bellarminus lib. de Clericis cap 14. §. Quod autem jurisdictio &c. *Episcopi id sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in V. T. id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes, ut etiam id Diaconi nostri, quod illorum Levitæ, ut docent Damasus in Epist. 3. de Chorepiscopis. Hieronymus in Epistola ad Evagrium 85. Leo Epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ 88. Concilium Hispalense II. Can. 7. & alii permulti gravissimi autores. Et sanè nulla ratio permittit, ut distinctior fuerit Hierarchia in V. T. quàm in N. cùm illud umbræ, istud imagini comparetur ab Apostolo ad Hebr. 10.*

3. Quòd agnoscunt, Patres modò plures, modò pauciores Ordines quàm septem numerare.

Bellarminus lib. de Clericis cap 11. §. Communiter &c. *Communiter dicuntur Ordines illi omnes, qui quomodocunque dedicantur divinis obsequiis etiamsi non referantur ad sacrificium, & hoc modo etiam Monachi, Virgines & viduæ Deo sacratæ, nec non laborantes in sepeliendis defunctis, Ordines aliquando dicuntur à Patribus, nam de Ordinatione Monachi scribit Dionysius cap. 6. Eccles. Hierarch. De Ordine verò laborantium in sepeliendis mortuis Epiphanius in Compendiaria doctrina, habebatur enim actio quædam religiosa sepultura mortuorum. De Ordine vero Diaconissarum Virginum aut viduarum, quæ serviebant Ecclesiæ in instructione mulierum, quæ baptizandæ erant, idem Epiphanius ibidem.*

Cap. eodem §. Ad locum &c. scribit, *Clementem nusquam voluisse omnes Ordines numerare, sed datâ occasione modò unum, modò alium Ordinem nominasse, eundem autem Clementem plures Ordines agnovisse, perspicuum esse ex Can. 15. ubi dicit; Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum &c.* (Atqui non sufficit demonstrare, quòd Clemens plures agnoverit, sed demonstrandum erat quod septem Ordines agnoverit, non plures nec pauciores.)

Cap. eod. §. Ad testimonium &c. *Ambrosius in Comm. c. 4. ad Ephes. solùm quinque Ordinum mentionem fecit, quia volebat de Ordinibus explicare verba illa Pauli; Alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores; & quia Paulus solùm quinque nomina posuit, idcircò conatus est etiam ipse quinq; Ordines numerare. Itaque per Apostolos intellexit Episcopos; per Prophetas, Presbyteros; per Evangelistas, Diaconos; per Pastores, Lectores; per Doctores, vel ut ipse legit, Magistros, Exorcistas* (Atqui demonstrandum erat, Ambrosium reliquorum duorum Ordinum alibi mentionem facere, ut numero septenario sua constet integritas.)

4. Quòd ipsimet de Ordinibus illis suis non consentiunt.

Primò; Dissentiunt de numero Ordinum.

Fabius Incarnatus in Scrutinio Sacerdotali part. 1. tract. 2. cap. de Sacramento Ordinis. *Secundùm Magistrum 4. sent. dist. 24. sunt septem Ordines, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acoluthatus, Sub Diaconatus, Diaconatus & Presbyteratus. Et dicuntur septem propter septiformem gratiam Spiritus Sancti. Canonistæ tamen tenent, quòd sint novem secundùm novem Hierarchias, scilicet prima tonsura & Ordo Episcopalis, c. Cùm contingat de ætat. & qualit. ordinand. & in cap. 1. de Ordin. ab Episc. qui renunt. Secundùm Thomam in 4. sent. dist. 24. Si propriè accipiamus Ordines, in quantum sunt Sacramenta, sunt septem, quatuor scil. minores & tres sacri. Si verò largo modo sumamus, addetur minoribus prima tonsura sive Psalmistatus, ut quidam dicunt, sacris verò addetur Episcopatus c. Cleros dist. 21. c. Psalmista dist. 23. Tamen communior opinio est, quòd prima tonsura & Episcopatus non sint Ordines, quia corona seu tonsura est quoddam signum distinctivum Ministrorum Ecclesiæ à plebe communi. Item, dignitas Episcopalis non est Ordo, ut tenetur communiter à Doctoribus, super qua notandum, quòd secundùm Thomam duplex dicitur Ordo. Uno modo secundùm quod est officium respectu ad corpus Christi verum, scil. ad consecrationem hostiæ, & illo modo Episcopatus non est Ordo, quia Episcopus non habet potestatem superiorem Sacerdote, quantum ad consecrationem corporis Christi. Alio modo dicitur secundùm quod est officium respectu quarundam actionum sacrarum, super quas habet disponere præ cæteris Sacerdotibus, & sic dicitur impropriè Ordo ratione jurisdictionis, sed tamen non est Sacramentum, sed quoddam Sacramentale.*

Martinus Navarrus in Manuali capite 22. num. 28. docet, *Canonistas constituere novem Ordines.*

Illis *decimum* addit Titelmannus de Sacram. lib. 1. cap. 3. *Ordinem Cantorum.*

Alii octo tantùm agnoscunt propriè dictos, quatuor nempe minores, *Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum & Acoluthorum*; & tres majores, *Sub-Diaconorum, Diaconorum & Presbyterorum*, quibus addunt *octavum, Episcoporum.*

Alii ab his dissident, negantes *Episcoporum Ordinem alium esse à Sacerdotio.* Josephus Angles in 4. sent.

(Bellarminus lib. de Clericis cap 11. hasce Canonistarum & Scholasticorum dissensiones sic conciliat, *quòd Canonistæ considerent Ordines, ut Hierarchiam constituunt, quo modo Episcopus à Presbytero, & Cantor à Lectore discernatur, ac proinde novem Ordines constituantur; Scholastici verò eosdem considerent, ut se habent ad sacrificium, quo modo nec Episcopus à Presbytero nec Cantor à Lectore distinguatur, ac proinde septem duntaxat Ordines constituantur.* At Bellarminus hac ratione sibi ipsi contradicit. Si enim Ordines inferiores non sunt Hierarchiæ, ut in illo ipso capite §. Ad locum &c. Bellarminus asserit, quomodo dici potest, quòd Canonistæ in numero Ordinum novenario considerent eos, ut Hierarchiam constituunt? Exponat etiam nobis modum, quo se habeat ad Sacrificium Ostiarius, Lector & Exorcista. Num quia Ostiarius fores aperit, ut Sacrificulus intrare & Missam celebrare possit? & quia Lector hoc officium eidem præstat, ut tempore sacrificii à canendo & legendo sileat? & Exorcista, ut energumenos ante Missæ celebrationem ex templo ejiciat? Exponat denique causam, quare ex respectu ad sacrificium septem Ordines numerandi sint? Cùm enim distincta sint Ordinum singulorum officia, utique etiam sine ullo ad sacrificium respectu ratione distinctorum officiorum enumerandi erunt, ac proinde, cum officium Episcopi ab officio Presbyteri sit distinctum, stabit thesis Canonistarum, quòd dignitas Episcopalis sit Ordo à Presbyteratu distinctus.)

Secundò; Dissentiunt de autore distinctionis Clericorum in septem Ordines.

Platina in vita Caji autorem hujus distinctionis facit Cajum, qui sedit Ann. 284. *Cajus*, inquit, *Ordines in Ecclesia distin-*

stinxit, quibus tanquam gradibus quibusdam ad Episcopatum ascenderetur. Hi erant *Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Sub-Diaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.*

Eodem ferè modo Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. cap. 7. *Romani Pontifices primi omnium sacris quibusdam initiare cœperunt Ostiarios sive Janitores, Lectores, Exorcisatores, Acoluthos, Sub-Diaconos, Diaconos, hoc est, Levitas, quo numero septem ipsi Apostoli delegerant Presbyteros & Episcopos, quò sic per gradus ad Sacerdotium unusquisq; promoveretur. Quos quidem Ordines Cajus Romanus Pontifex, qui ex Diocletiani Imperatoris genere ortus erat, primus distinxit, quibus tanquam quibusdam gradibus ad Episcopatum ascenderetur. Non nemo id Pontifici Iginio, qui diu ante Cajum sedit, assignat, cum quo me consentire minùs pœnitet: nam sic fieri potuit, ut quod Iginius inchoaverat, Cajus ritè perfecerit.*

Quamvis idem lib. 5. cap. 4. pag. 397. *Sylvester primus gradus in Ordinibus Sacerdotalibus constituit:* & Platina idem efferat de Domino Papa in illius vita: *Clerum diversis Ordinibus distinxit.* Sedit autem ille circa Annum 676.

Tertiò, dissentiunt in quæstione, an omnes hi septem Ordines sint Sacramenta, ut in artic. de Sacramento Ordinis videbimus.

CAPUT III.

DE EPISCOPORUM ET PRESBYTERORUM discrimine.

THESIS. Episcopi quoad potestatem jurisdictionis Presbyteris jure divino non sunt superiores.

Ἔκθεσις 1. Non tollimus Ordinem inter Ministros Ecclesiæ, sed libenter concedimus, *quoad potestatem Ordinis* esse discrimen inter Episcopos ac Presbyteros, & respectu illius Episcopos esse Presbyteris superiores.

2. Sed *quoad potestatem jurisdictionis jure divino* quandam inter Episcopos & Presbyteros inæqualitatem minimè agnoscimus.

3. Non est quæstio, an Episcopi Presbyteris *de facto*, ut loquuntur, sint superiores, sed *de jure*; nec quæstio est *de jure humano & positivo*, sed *de jure divino*. Negamus, Episcopos supra Presbyteros jure divino præeminentiam habere.

4. Alia quæstio est, an εὐταξίας & alendæ concordiæ causâ inter Episcopos & Presbyteros sit aliquis Ordo introducendus, quod concedimus; alia verò quæstio est, an Episcopi jure divino majorem habeant potestatem, quàm Presbyteri, quod negamus.

5. Non negamus, inæqualitatem inter Episcopos & Presbyteros ante aliquot secula in Ecclesiam introductam esse. Hieronymus, cùm docet, *eam inæqualitatem invaluisse apud Alexandrinos temporibus Heraclæ & Dionysii*, disertè docet antiquissimam esse. Nam ii vixerunt circa Annum centesimum quadragesimum & quod excurrit, & tamen sic designatur Ecclesia, quæ omnium postrema eam innovationem admiserit, quam propterea conjicere licet factam aut nondum elapso, aut vix elapso primo seculo. Utut verò antiqua sit illa inæqualitas, tamen non descendit ex *jure divino*, sed ex *Ecclesiastica consuetudine.*

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosq; Presbyteris superiores esse.*

Can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit.*

Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæreses cap. 11. *Lutherani eo, quòd ad Episcopatus dignitatem pervenire non poterant, ne in aliquo Episcopis minores esse viderentur, Episcopos curârunt reliquis omnibus Sacertotibus pares efficere.*

Franciscus Turrianus lib. 2. Defens. advers. Sadeëlem p. 194. *Paulus ad Timotheum scribens, adversus Episcopum, inquit, accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Constat autem necesse esse, ut judex major sit iis, quos judicat. Si verbum Dei est, quòd hic scribit Paulus, igitur verbum Dei negat, qui Episcopum & Presbyterum pares facit.*

Bellarminus lib. de Clericis c. 14. §. Nos igitur &c. demonstrare nititur. Primò, *Jure divino majorem esse Episcopum Presbytero, quod attinet ad Ordinis potestatem.* Secundò, *majorem esse etiam quantum ad jurisdictionem.* Tertiò, *Episcopos in veteri Ecclesia non fuisse in cœtu Presbyterorum quasi Consules in Senatu, sed quasi Reges & Principes in cœtu Consiliariorum.*

Cap. eod. §. At Ecclesia &c. *Ecclesia Catholica docet, jure divino Episcopatum Presbyterio majorem esse, tum Ordinis potestate, tum etiam jurisdictione.*

Nostram sententiam probamus.

1. Act. 20. v. 17. Paulus Apostolus vocat ad se *Presbyteros* Ecclesiæ Ephesinæ, eos scil *qui in sermone ac doctrina laborabant*, ut colligitur ex v. 28. & 30. Jam verò illi ipsi Presbyteri vocantur *Episcopi* v. 28. Ergò in Ecclesia Apostolica iidem fuêre Presbyteri & Episcopi.

2. Paulus in ἐπιγραφῇ Epistolæ ad Philippenses *Episcoporum & Diaconorum* appellationibus omnes Ecclesiæ illius Ministros complectitur, Philipp. 1. v. 1. Atqui, si Episcopi à Presbyteris fuissent distincti, Apostolus eos haudquaquam præteriisset, sed ἐπιγραφὴν hoc modo formâsset, cum Episcopo, Presbyteris & Diaconis.

3. Ex iisdem locis Act. 20. v. 28. Phil. 1. v. 1. colligitur, plures tunc temporis *in una civitate* fuisse Episcopos. Jam verò de Episcopis, prout hodiè definiuntur, illud verum esse nequit, cùm in una civitate unus duntaxat sit & esse debeat Episcopus.

4. Paulus Ordines Ecclesiasticos ex professo recensens 2. Cor. 12. v. 28. Ephes. 4. v. 11. distinctam Episcoporum non facit mentionem, sed ipsorum nomen & officium *Pastorum ac Doctorum* nomine exprimit. Ergò Episcoporum officium & Ordo tunc temporis à Presbyterorum officio & Ordine non fuêre distincta.

5. Paulus 1. Timoth. 3. v. 1. vocabulo ἐπισκοπῆς officium docendi in Ecclesia, ac proinde etiam *Presbyterorum* officium in genere complectitur, v. 2. subjungit virtutes *in Episcopo*, hoc est, quovis Ecclesiæ Pastore sive Doctore requisitas. v. 8. *Diaconos Episcopis* adjungit. At si Episcopi tunc temporis à Presbyteris fuêre distincti, cur peculiarem & distinctam Presbyterorum non facit mentionem? Si Episcopi tunc fuêre distincti à Presbyteris, consequens fuerit, in solis Episcopis & Diaconis requiri, ut sint *unius uxoris mariti, sobrii, prudentes &c.* non autem in Presbyteris.

6. Ex 1. Timoth. 4. v. 14. colligitur, in ordinatione Ministrorum *Presbyteros* etiam *manus imposuisse*, ac proinde ab ordinandi potestate eos non fuisse jure quodam divino simpliciter exclusos. Atqui superiorem illam jurisdictionis potestatem jure divino Episcopis competentem Pontificii in eo vel maximè ponunt, quòd Episcopus possit ordinare Ministros, Presbyteri verò minimè.

7. Ex Tit. 1. v. 5. manifestum est, eosdem dici & fuisse *Episcopos*, qui dicebantur & erant *Presbyteri*, aliàs nulla in textu Apostolico foret connexio, quam tamen particula αἰτιολογικὴ γὰρ disertè exponit. Quæ enim hæc foret συνάφεια? Illi constituendi sunt *Presbyteri, qui sunt sine crimine unius uxoris viri &c.* quia *Episcopum*, cujus officium, potestas & jurisdictio differt à Presbytero, oportet esse *sine crimine unius uxoris virum?*

8. Petrus omnium consensu fuit Episcopus. At is sese vocat *Presbyterum* 1. Petr. 5. vers. 1. ac Presbyteros vocat *Episcopos* vers. 2.

9. Johannes etiam Epist. 2. v. 1. & 3. v. 1. vocat se *Presbyterum*, idem tamen fuit Episcopus. Ergò iidem tunc fuêre Episcopi, qui & Presbyteri.

Nostræ sententiæ suffragantur.

1. Quidam Canones Juris Pontificii.

c. Cleros dist. 21. ex Isidoro lib. 7. Etymol. cap. 12. *Presbyter Græcè, Latinè Senior interpretatur, non modò pro ætate vel decrepitâ senectute, sed etiam propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, Presbyteri nominantur; unde & apud Veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, & non ætatis.*

c. Nullus dist. 60. (ex Urbano Papa) *Sacros Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia*, quæ verba repetuntur c. A multis 9. Extra de ætat. & qual. & Ord. præfic.

(Utique ergò Episcopatus sub Presbyteratu continetur.)

c. Quoniam dist. 69. ex VII. Synodo. *Lectores manus impositione licentia est unicuiq; Abbati in proprio monasterio solummodò faciendi, si duntaxat Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum.*

(Ergò facultas ordinandi Presbyteris permittitur.)

c. Legimus dist 93. (ex Hieronymo ad Evagrium Epist. 85.) *Apostolus perspicuè docet, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos &c. Quæris autoritatem? Audi testimonium. Paulus & Timotheus servi Christi Jesu omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Vis & aliud exemplum? In actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur, eundem esse Episcopum ac Presbyterum. Propter hoc reliqui te in Creta, ut quæ deerant, corrigeres & constitueres Presbyteros per civitates, sicut & ego mandavi. Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habeat fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per Prophetiam per impositionem manuum Presbyterii. Sed & Petrus in prima Epistola. Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter & testis passionum Christi & futuræ gloriæ, quæ revelanda est, particeps, regite gregem Christi & inspicite non ex necessitate, sed voluntariè juxta Deum. Quod quidem Græcè significantius dicitur,* Ἐπισκοποῦντες, *id est, Superintendentes, unde & nomen Episcopi tractum est. Parva tibi videntur tantorum virorum testimonia. Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Jesus plurimum amavit, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. Presbyter electæ Dominæ & filiis ejus, quos ego in veritate diligo. Quòd autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint & Archi-Diaconum vocent. Quid enim facit exceptâ Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? &c.*

Et postea. *Presbyter & Episcopus, aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Unde & ad Titum & ad Timotheum de Ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omninò reticetur, quia in Episcopo & Presbyter continetur.*

c. Olim dist. 95. (ex Hieronymo in cap. 1. Epist. ad Titum.) *Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret & schismatum semina tollerentur.*

Et paulò post. *Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispensationis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores & in commune debere Ecclesiam regere.*

c. Ecce dist. ead. (ex Hieronymo ad Rusticum Narbonensem Episcopum.) *Ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur, secundùm quod scriptum est ad Episcopum. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii. Et alibi ad majores natu* (Presbyteros.) *Qui vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Hûc referri potest, quod habetur in Instit. Juris Canon. lib. 1. tit. 21. de Sacerdotibus, § Presbyterum. *Presbyterum & Episcopum sunt, qui eundem olim extitisse affirment, & aliud ætatis, aliud dignitatis fuisse nomen. Sed cùm multi in singulis Ecclesiis Presbyteri constituti essent in remedium schismatis, factum esse, ut per illos unus eligeretur, qui cæteris esset præponendus: electum autem Episcopi retinuisse nomen, eligentes Presbyterorum.*

2. Scholastici.

Lombardus lib. 4. sent. dist. 24. lit. I. *Apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud est nomen dignitatis, non ætatis.*

Et posteà. *Cùm omnes Ordines spirituales sint & sacri, excellenter tamen Canones duos tantùm sacros Ordines appellare censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis Apostoli præceptum habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus Episcopos & Presbyteros ordinaverunt.* (Ergò Episcopatus sub Presbyteratu continetur.)

3. Glossæ Bibliorum publicè in Romana Ecclesia receptæ.

Glossa ordin. in c. 20. Act. super verba. *Posuit Episcopos. Dictum est suprà, Presbyteros Ephesi Miletum vocatos, quos nunc Episcopos, id est, Superinspectores vocat. Non enim una civitas plures inspectores habuit, sed eosdem Presbyteros nomine Episcoporum significat.*

Ibid. ex Hieronymo. *Sicut Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores & in commune debere Ecclesiam regere.*

Ead. Gloss. ordin. in cap. 1. Tit. *Hic apertè ostendit, Presbyterorum nomine Episcopos suprà fuisse designatos.*

Glossa interlin. in cap. 1. Tit. *Ut constituas per civitates Presbyteros, id est, Episcopos.*

3. Cardinales Romanæ Ecclesiæ.

Hugo Cardinalis in cap. 1. Epist. ad Titum docet, *eosdem olim fuisse Presbyteros & Episcopos.*

Cardinalis Arelatensis, referente Ænea Sylvio lib. 1. de gest. Concil. Basil. idem docuit.

Nicolaus Cusanus Cardinalis libr. 2. de Concord. Cathol. cap. 13. *Quod Diœceses sunt distinctæ & unus Episcopus super Presbyteros, est de jure positivo.*

Ibid. *Non potestate, sed executione potestatis distingui Presbyteros ab Episcopis, idque solo Ecclesiastico jure.*

Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus in cap. 1. Epist. ad Tit. itidem ostendit, *eosdem olim fuisse Presbyteros & Episcopos.*

4. Alii scriptores Pontificii, tum ante, tum post Lutherum.

Lyranus in cap. 3. prioris ad Timotheum. *Dicunt alii, quòd per Episcopatum intelligit Sacerdotium, quod est etiam officium intendendi saluti populi sibi commissi, quod immediatè post agit de statu Diaconi, ut patet in litera, & non est verisimile, quod scribendo de Statu Episcopi statim transiret ad Statum Diaconi, Sacerdotio prætermisso.*

Idem in cap. 1. Epist. ad Tit. *Sciendum, quòd Apostolus sub nomine Presbyterorum intelligit etiam Episcopos, & è converso sub nomine Episcoporum intelligit Presbyteros, sicut dictum fuit plenius suprà 1. Timoth. 3.*

Marsilius Patavinus in Defensore pacis part 2. cap. 15. *Debet vos non latere, quòd hæc nomina Presbyter & Episcopus in primitiva Ecclesia fuerunt synonyma, quamvis à diversis proprietatibus eidem imposita fuerint. Nam Presbyter ab ætate nomen impositum est quasi Senior, Episcopus verò à dignitate seu cura super alios, quasi Superintendens. Unde Hieronym. in Epistola quadam ad Evandrum Presbyterum, quæ intitulari solet, qualiter Presbyter & Episcopus differant, inquit sic: Presbyter & Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Unde ad Titum & ad Timotheum de Ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omninò reticetur, quia in Episcopo Presbyter continetur. Hoc etiam manifestè apparet per Apostolum ad Philippenses primò, cùm dixit: Omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus. Ecce, quòd Sacerdotes non aliter nominavit, quam Episcopos. Certum enim est, quòd Episcopi plures in unica civitate non aliter erant, nisi quia plures Sacerdotes. Idem rursum palàm per eundem ad Titum primò, cùm dixit: Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi. Si quis est sine crimine. Et immediatè subjungens constituendorum Presbyterorum qualitatem ait. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Ecce, quòd constituendum Presbyterum non nisi Episcopum vocavit. Idem Actuum 20. loquens ad unius Ecclesiæ Sacerdotes, Ephesi videlicet, inquit. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ecce, quòd in Ecclesia unius municipii, videlicet Ephesi, plures allocutus est Apostolus tanquam Episcopos, quod non fuit nisi propter Sacerdotum pluralitatem, qui omnes Episcopi dicebantur, propter hoc, quòd Superintendentes esse debebant populo, quamvis hoc nomen in posteriori Ecclesia sibi solùm retinuerit, qui primus Sacerdotum ejusdem civitatis aut loci per reliquos Sacerdotes & populum instituebatur. Vocabat autem Apostolus eos magis Episcopos, quàm Presbyteros, ut ad eorum memorias reduceret curam & solicitudinem, quam habere debent reliquorum fidelium. Seipsum Presbyterum vocabat.*

non Episcopum, propter humilitatem, ut apparet ex præinducta serie prima ad Timotheum quarto, cùm dixit: Noli negligere gratiam &c. Sic etiam Petrus atq; Johannes se vocârunt Seniores, id est, Presbyteros, quoniam nomen hoc ab ætate impositum fuit. Unde primæ Petri quinto. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro Consenior & testis Christi passionum. Et 2. Johannis primo. Senior electa Dominæ & natis ejus. Et rursum ejusdem 3. primò. Senior Cajo carissimo. Verùm ubi communis litera Canonis habet Senior aut Consenior, B. Hieronymus in Epistola prædicta ubique habet Presbyter aut Compresbyter, quoniam his nominibus tanquam Synonymis utebantur Apostoli. Post hæc autem Apostolorum tempora numero Sacerdotum notabiliter aucto, ad scandalum & schisma evitandum elegerunt Sacerdotes unum ex ipsis, qui alios dirigeret & ordinaret, quantum ad Ecclesiasticum officium & servitium exercendum & oblata distribuendum, ac reliqua disponendum convenientiori modo, ne istud quolibet pro quolibet faciente iconomia & servitium templorum turbaretur, propter affectionum diversitates. Hic siquidem electus ad alios Sacerdotes regulandos ex posteriorum consuetudine retinuit sibi soli nomen Episcopi quasi Superintendentis, eò quod non solùm fideli populo Superintendens erat, propter quod omnes Sacerdotes in Ecclesia primitiva dicebantur Episcopi, verùm etiam, quia superintendebat reliquis Com-Presbyteris suis, propter quod talis Antiochiæ sibi soli nomen Episcopi retinuit, cæteris sibi postmodùm simplex nomen retinentibus Sacerdotis. Verùm jam dicta electio seu institutio per hominem sic electo, nihil amplioris meriti essentialis seu Sacerdotalis autoritatis, aut prius dictæ potestatis tribuit, sed solùm ordinationis iconomicæ in domo Dei seu templo potestatem quandam alios Sacerdotes, Diaconos & Officiales reliquos ordinandi & regulandi &c. Sic quoque Diaconi ex ipsis Archi-Diaconum eligunt, cui meritum essentiale seu sacrum Ordinem Diaconatu ampliorem talis electio minimè tribuit, sed solùm qualem quandam, ut diximus, humanam potestatem ordinandi seu regulandi Diaconos reliquos.

Et postea. *Fuit autem hæc apertè sententia B. Hieronymi Epistola supradicta, in qua postquam ex multis Apostolorum prædictorum autoritatibus demonstraverat, eundem esse penitus in essentiali dignitate à Christo data Presbyterum & Episcopum in Ecclesia primitiva, seu Apostolorum tempore, reddens causam dictorum, inquit. Quòd autem unus electus est, qui cæteris proponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Hereidam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum de se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, id est, Præceptorem seu Capitaneum secundùm modernum usum, non quidem secundùm quod Imperator modum Monarcha dicit usu moderno, aut eligant Diaconi de se, quem industrium noverint & Archi-Diaconum vocent, quid enim facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faceret? quantum sc. ad actus essentialis autoritatis. Non enim intellexit ibi Hieronymus per ordinationem potestatem conferendi seu collationem sacrorum Ordinum, quoniam præter hanc multa faciunt & faciebant etiam suis temporibus Episcopi, quæ non faciunt Sacerdotes, quanquam ad omnia Sacramenta conferenda divinâ potestate sic possit Sacerdos quilibet, sicut Episcopus, sed intellexit ibi per Ordinationem potestatem iconomicam, de qua diximus prius, ab homine vel hominibus sibi datam immediatè, quod etiam confirmo ratione cum ejusdem Hieronymi autoritate. Ratione quidem, quoniam jam multi fuerunt electi Episcopi à tota plebe, sicut B. Clemens, B. Gregorius, B. Nicolaus, & reliqui multi Sanctorum; quibus constat per plebem, aut etiam sibi Com-Presbyteros majorem sacrum Ordinem non fuisse collatum, aut intrinsecum characterem aliquem, sed solam potestatem ordinandi Ecclesiæ ritum atque personas regulandi, quantum ad exercitium divini cultus in templo seu domo Dei, propter quod etiam tales electi ad alios Sacerdotes dirigendum in templo & populum instruendum in his, quæ sunt fidei, vocati Episcopi ab antiquis legumlatoribus, ut à Justiniano & Romano populo, tunc vocabantur iconomi reverendi, quorum etiam supremus vocatus est iconomus reverendissimus ab eisdem. Et ideò secundùm veritatem & intentionem Hieronymi non aliud est Episcopus, quàm Archi-Presbyter. Quòd autem non altera sit essentialis dignitas Episcopi, quàm Sacerdotis, neq; invicem Episcoporum seu Sacerdotum amplior, expressit etiam Hieronymus Epistolâ prædictâ, cùm dixit &c. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopolis, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Rachanis, ejusdem sunt meriti, ejusdem sunt Sacerdotii &c.*

Johannes Parisiensis Dominicanus Doctor Sorbonicus in libr. de potestate Papæ à Sorbona approbata cap. 3. statuit, *Presbyteros non esse inferiores Pontificibus, quod ad essentialem Ministerii dignitatem attinet. Quantùm*, inquit, *ad dignitatem essentialem, quæ est potestas hierarchizandi populum, Presbyteri sunt æquales Episcopis, imò & ipsis Pontificibus.*

Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 8. art. 2. pag. 893. *Marsilius Patavinus dicebat, nec Presbyterum ab Episcopo, nec Episcopum à Presbytero differre. Bernhardus Lutzemburg. Richardus Armachanus cap. 5. in 11. librum de qq. Armeniorum docere conatur, in primitiva Ecclesia inter Episcopos & simplices Sacerdotes nullam fuisse distinctionem.*

Johannes Antonius Delphinus lib. 2. de Eccles. docet, *ex Hieronymi sententia initio nascentis Ecclesiæ omnes Presbyteros fuisse Episcopos &c. deinde autem ad schismata evitanda cœpisse aliquos solùm Presbyteros ordinari Episcopos, & hoc modo ex Ecclesiæ consuetudine factum esse, ut Episcopi majores Presbyteris essent.*

(Addit quidem Delphinus, *omnes Presbyteros olim fuisse Episcopos, non quòd idem sit Episcopatus & Presbyteratus, sed quòd utraque dignitas omnibus Sacerdotibus daretur.* Sed hoc refellit Bellarminus lib. de Clericis cap. 15. *Hieronymus*, inquit, *tueri conatur Presbyterorum dignitatem, qualis erat suo tempore adversus insolentiam Diaconorum, ut patet ex Epistola ad Evagrium. Inde autem demonstrare nititur, dignitatem Presbyterorum esse maximam, quòd eadem sit cum Episcopali. Nihil autem hoc ad probandum afferret, si solùm doceret, primos Presbyteros ideò fuisse Episcopis pares, quòd haberent etiam Episcopalem potestatem, nec essent simplices Presbyteri.*)

Erasmus in annot. 1. Timoth. 4. pag. 472. *Antiquitus inter Episcopum & Presbyterum nihil intererat, sed propter schismata à multis delectus est Episcopus, & quotquot Presbyteri, totidem erant Episcopi.*

Idem in annotat. 1. Petri 5. pag. 533. *Presbyteros vocat Episcopos, nondum enim increverat turba Sacerdotum, sed quot erant Presbyteri, totidem erant Episcopi.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 14. *An Episcopatus inter Ordines Ecclesiasticos ponendus sit, inter Theologos & Canonistas non convenit, convenit autem inter omnes, in Apostolorum ætate inter Episcopos & Presbyteros nullum discrimen fuisse, sed postmodùm schismatis evitandi causâ Episcopum Presbyteris fuisse præpositum, cui χειροθεσία, hoc est, ordinandi potestas concessa est, sine qua ordinandi distinctione pax, vel politica, vel Ecclesiastica retineri vix posset.*

Stapletonus in Promt. Cathol. Dom. Pass. pag. 121. fatetur, *Paulum Ordinationem accepisse à Presbyterio, non seorsim ab Episcopo*, Actor. 13. v. 2. (Ergò etiam Presbyteri ordinare possunt.)

5. Suffragatur & hoc sententiæ nostræ, quòd Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ consensum nobis largiuntur.

Alphonsus de Castro lib. 6. advers. hæreses, tit. Episcopus, fatetur, *Hieronymum in ea fuisse opinione, ut crederet, Episcopum & Presbyterum ejusdem esse Ordinis & autoritatis.*

Ibidem citat dictum Bedæ. *Primis Ecclesiæ temporibus, ut Apostolica Scriptura testatur, utrique Presbyteri, utrique vocabantur Episcopi, quorum unum scientiæ autoritatem, alterum industriam curæ Pastoralis significat.*

Michael Medina libr. 1. de sacrorum hominum origine & continentia cap. 5. (teste ipsomet Bellarmino lib. de Clericis cap. 15. §. Michael Medina &c.) affirmat, *Hieronymum in hac quæstione idem omninò cum Aërianis sensisse, neque solùm Hieronymum in ea sententia fuisse, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum.* Verba Medinæ sic habent: *Atque ita senserunt isti viri alioqui sanctissimi & sacrarum Scripturarum consultissimi, quorum tamen sententiam prius in Aërio, deinde in Waldensibus, postremò in Wiclefo damnavit Ecclesia.*

Et postea. *Ergò in Hieronymo & Græcis illis Patribus olim propter eorum honorem & reverentiam hæc sententia aut dissimulabatur, aut tolerabatur in illis: contrà in hæreticis, quòd in aliis quoque multis ab Ecclesia declinarent, tanquam hæretica semper est damnata.* (Quamvis verò Bellarminus d. l. hanc Medinæ sententiam appellet *valde inconsideratam*, & subjungat.

Quâ fronte sanctos Patres adversus hæreticos afferemus, si eam sententiam ab Ecclesia damnatam dixerimus, quam omnes ferè Patres tam Græci, quàm Latini docuerunt: illius tamen, licèt inimici, judicium pluris facimus, quàm hujus Sophisticationem, præsertim cùm non solus Medina, sed & alii idem statuant. Sic ergò Medina horum antiquissimorum & celebratissimorum Patrum suffragium nobis largitur.)

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 324. *Hieronymi sententiam de paritate Episcopi & Presbyteri ab Augustino inter damnatos Aerii errores numeratam esse,* dicit.

(Quanquam verò hoc falsum sit, cum inter Aërii dogmata, non hæreses, Augustinus numeret, prout legerat in Epiphanio hæres. 75. & in Anacephal. nec quicquid de hæreticis refertur, id hæresis sit; Hieronymi tamen illam sententiam fuisse, quòd Sixtus Senensis nobis dat, acceptamus. Aerius erat totus Arianus, in quo nullum ei fuit cum Hieronymo commercium. Pari ratione Bellarminus lib. de Clericis cap. 15. ad 6. dicit, *quosdam Hieronymi sententiam piè interpretari fuisse conatos*, sed ipse *Thomæ Aquinatis & Johannis Antonii Delphini* interpretationes refutat.

Jam antè quoque Thomas Waldensis Hieronymi sententiam pervertere conatus erat, verùm Sixtus Senensis loco proximè citato inquit. *Quia dicta Hieronymi palàm arguunt, eum Sacerdotes Episcopis facere pares, idcircò Alphonsus Castrensis libro adversus hæreses sexto non veretur fateri, Hieronymum hac in parte erràsse.* Adducit ibid. Senensis *Ambrosii, Chrysostomi, Sedulii, Anshelmi* in hanc rem testimonia, *Episcopis Presbyteros exæquantia,* saltem quòd Chrysostomus Homil. 11. in cap. 3. prioris ad Timoth. *ordinandi potestate Episcopum facit superiorem,* idq; *non de jure divino,* ut fingit Bellarminus lib. de Clericis cap. 15. resp. 1. ad instant. Medinæ, cùm nullum juris divini in illo testimonio conspiciatur vestigium, sed *usus consuetudinis, temporis, sequentis* vocabula ubique usurpantur.)

Idem Bellarmin lib. 1. de Rom. Pont. cap. 8. §. antepenultimo. *Videtur Hieronymus in ea fuisse sententia, ut existimaret, Episcopos, si de jurisdictione agatur, esse quidem Presbyteris majores, sed jure Ecclesiastico, non divino.* (Quam sententiam satis audacter pronuntiat *esse falsam.*)

Idem libr. de Clericis cap. 15. §. Deinde quantum &c. sic scribit. *S. Hieronymus, etsi jure divino non agnoscere videtur discrimen inter jurisdictionem Episcopi & Presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitimè, imò & necessariò ad schismata vitanda ab Apostolis introductum, vult enim in ipsis Ecclesiæ primordiis, cùm adhuc viverent Apostoli, in toto orbe ab ipsis Apostolis Ecclesias tunc regentibus jurisdictionem Ecclesiasticam ad Episcopos delatam.*

(Sufficit nobis, quòd concedit Bellarminus, Hieronymum non agnoscere, jure divino esse discrimen inter jurisdictionem Episcopi & Presbyteri. Constitutio illa, quâ Presbyteris Episcopi præficiuntur, si vel maximè ab ipsis Apostolis originem duceret, esset duntaxat pars *ἐυταξίας* Ecclesiasticæ, nequaquam verò collatio potestatis jure divino majoris.)

De hoc Hieronymo Ludovicus Vives in præfat. librorum Augustini de Civ. Dei hoc fert elogium, quòd *ut Græci & Hebrai sermonis peritiâ, ita & cognitione sacrarum Scripturarum omnes nostræ religionis Scriptores longè antecellat.*

Idem Bellarminus lib. & cap. iisdem §. Denique &c. sic scribit. *Anshelmus & Sedulius in Comm. cap. 1. Epist. ad Tit. ad verbum Hieronymi sententiam retulerunt.*

(Quòd si ergò Hieronymi suffragium nobis largitur, Anshelmi & Sedulii consensum nobis denegare nequit.)

6. Quòd etiam quorundam Romano-Catholicorum suffragium nobis largiuntur.

Claudius Espensæus lib. 1. Digress. in 1. Timoth. cap. 1. fatetur, *Canonistas in c. Legimus dist. 93. & alios ex Pontificiis nobiscum statuere, Presbyteros jure divino Episcopis esse pares.*

Benedictus Justinianus Disp. 1. cap. 7. de Apostolatu fol. 30. *Libenter hunc errorem,* (quòd nihil intersit inter Episcopum & Presbyterum) *posteriores hæretici sunt amplexi, nec puduit nonnullos Catholicos, hujus impietatis suspicione viros etiam sanctissimos infamare.* (In margine citatur Michael Medina lib. 10. de sacror. hominum contin. cap. 5.) *Quin etiam ausi sunt aliqui affirmare* (Armacanus lib. 11. quæstion. Armen. cap. 5.) *ex Scripturis nullum posse deprehendi discrimen inter Episcopos & simplices Sacerdotes, atque idcircò alii* (Anton. de Rosellis lib de Mon.) *colligunt, præcepto solummodo Ecclesiastico distingui.*

7. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Alphons. Salmero disp. 8. in 1. Petr. 5. tom. 16. p. 98. *Docet Hieronymus in Epistola ad Evagrium & ex cap. 20. Actor. ostenditur, Paulum Apostolum eos, quos ante vocaverat ad se majores natu, hoc est, Presbyteros, mox appellare Episcopos, cùm ait: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et quem Paulus in Epistola ad Timotheum vocat Episcopum 1. Timoth. 3. in illa ad Titum cap. 1. vocat Presbyterum, & paulò post eodem loco vocat Episcopum, quem dixerat Presbyterum.*

Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 8. § Quantum &c. *Mirum non est 1. Timoth. 4. Episcoporum cœtum vocari Presbyterium, nomen enim Presbyteri commune olim erat Presbyteris & Episcopis, ut patet ex Epistola Irenæi ad Victorem, quæ est apud Eusebium, ubi Irenæus vocat Presbyteros Romanos Pontifices, Victorem, Anicetum, Pium, Telesphorum & Xystum.*

Lib. de Clericis cap. 15. §. Facilior. *Chrysostomus & multi alii docent, Apostolorum tempore nomina illa, Episcopus & Presbyter, communia fuisse omnibus Sacerdotibus, tam majoribus, quos nunc Episcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus. licet res ipsæ & potestates distinctæ essent.*

Lib. de Sacram. Ordin. cap. 6. §. 3. *Paulus 1. Tim. 3. Philip. Tit. 1. quando conjungit Diaconos cum Episcopis, intelligit nomine Presbyterorum etiam Episcopos, ut Chrysostomus in Comment. docet.*

Leonhard. Lessius Conf. 9. rat. 2. *Presbyterium 1. Tim. 4. v. 14.* interpretatur *cœtum Episcoporum.*

Stapletonus Relect. Controv. 2. q. 3. art. 3. pag. 195. *Episcopus, Presbyter & Doctor promiscuè in Scriptura dicuntur.*

(At si nomen Presbyteri commune olim fuit Presbyteris & Episcopis, utique etiam iidem fuère Episcopi & Presbyteri. Nam Synonyma Grammatica habent quidem diversa nomina, sed easdem res denotant. Proinde additio illa Bellarminiana, quòd res & potestates distinctæ fuerint, non congruit præcedentibus. Si enim distinctæ fuissent jurisdictionis potestates inter Episcopos & Presbyteros, & quidem jure divino, utique ipsa etiam nomina fuissent distincta: & vicissim, quia nomina fuère communia, ideò etiam officia fuère communia. Sic Synodus & Concilium, Janitor & Ostiarius sunt communia nomina. Ergò etiam rerum communionem secum important. Rectè ergò Azorius part. 2. lib. 3. Instit moral. cap. 16. *Apostolorum temporibus passim Presbyteri, qui in civitatibus constituebantur, simul etiam erant Episcopi.*)

Secundò Bellarminus lib. de Clericis cap. 14. §. Quod ad primum &c. demonstraturus, *jure divino majorem esse Episcopum Presbytero, quod attinet ad Ordinis potestatem,* non affert, nec afferre potest jus divinum, sed tantùm Ecclesiæ consuetudinem, *quòd solus Episcopus ordinare possit Presbyteros, & eo modo Patres Ecclesiæ generare.* At hoc descendit ex constitutione Ecclesiastica, non ex institutione juris divini.

Tertiò. Pontificii Presbyteris tribuunt potestatem conficiendi, ut loquuntur, corpus Domini.

Concludimus ergò hoc modo. *Potestas ordinandi,* præcisè sumta, minor est, quàm *potestas consecrandi corpus & sanguinem Christi,* quippe quâ nulla major aut excellentior homini conferri potest. Ergo absurdum est, Presbytero dare *majus,* facultatem scilicet administrandi Sacramenta, & tamen longè *viliora,* ordinandi, tonsurandi, basilicas dedicandi, chrisma conficiendi &c. officia eidem denegare.

Quartò. Baronius tom. 10. Annal. Ann. 861. num. 44. ex Photio Constantinopolitano memorat, *morem olim fuisse, ut Diaconi immediatè in Episcopos, omisso Ordine Presbyteriali, consecrarentur.* (Nimirum, quia judicabant, Episcopum & Presbyterum contineri sub uno gradu & in essentialibus Officiis penitùs esse æqualem.

Quintò. Jesuita Laymannus Theol. moralis lib. 5. pag. 316. cum Durando, Paludano & Vasquez *Episcopatum* non numerat *ut ordinem distinctum à Presbyteratu,* quippe quem intrinsecè includit, ideoque unum perfectum cum eo Ordinem efficit.

Sextò. Baronius Ann. 58. n. 11. sic differit. *Cùm, quod ad Sacerdotium spectat, par esset Apostolorum, eorundemq; Episcoporum ac Presbyterorum ordinatio, pariterq; iidem cum illis in Concilio*

tilio considerent: cumque communicatio nominum inter eos videretur esse communis, dum Episcopi Presbyteri, atque hi Episcopi dicerentur, factum est, (quod ait Hieronymus) ut eo perseverante Ordine, ante oborta schismata, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernarentur. Postea verò illud evenisse subdit, consuetudine potiùs, quàm dispositione Dominicâ, in administrandis rebus Ecclesiasticis *Presbyteros fuisse subjectos Episcopis, quibus solis cessisset illarum cura præcipua, nec Presbyteri ampliùs ad communem consessum, in quo de his, quæ ad gubernationem Ecclesiæ pertinerent, ageretur, essent admissi. sed illi soli, qui ex Collegio Presbyterorum in Episcopos essent assumti: sicq; factum est, ut qui in nonnullis æquales Episcopis viderentur, posteà illis in omnibus subjecti essent.* (Ergò non ex jure divino, sed consuetudine Ecclesiastica superioritas Episcoporum descendit.)

8. Dissensiones Adversariorum veritati oppositæ ferunt suffragium.

Primò. Alphonsus de Castro lib. 6. adverſ. hæreses, verbo Episcopus. *Sunt aliqui sentientes, Episcopatum differre à Sacerdotio, quemadmodum Sacerdotium à Diaconatu, ita videlicet, ut alius character imprimatur in Episcopi Ordinatione ab illo, qui impressus fuerat, cùm fuit ordinatus Sacerdos. Alii rursum docent, nec alium imprimi characterem, nec alium esse Ordinem Episcopi & Sacerdotis, sed dicunt, esse ejusdem Ordinis diversos gradus, ita ut intra eundem Ordinem duo sint gradus, unus altero ex sua primæva institutione superior &c. Hanc rem aliis discutiendam relinquo.*

Et posteà. *Ostendamus, Episcopos solos esse Apostolorum successores, Sacerdotes verò & reliquos Clericos esse successores discipulorum. Addidi de reliquis Clericis, quia video aliquos putantes, solos Sacerdotes subrogatos esse in locum Discipulorum, quod non ita se habere, convincitur ex eo, quòd Philippus Diaconus è numero Discipulorum fuit, & Stephanus & alii Diaconi. Omissis igitur his recentioribus, quibus non tanta fides debetur, primus omnium testimonium pro nobis dicat Beda &c.*

Secundò. In Concilio Tridentino clausula illa, *quòd de jure divino* Episcopi Presbyteris sint superiores, non fuit adjecta, sed in genere dictum sess. 23. cap. 4. Can. 7. *Episcopos Presbyteris superiores esse.*

Thomas Wilsonus de gubernat. Ecclesf. cap. 12. & 16. tribuit quidem *Episcopis superioritatem* præ reliquis Presbyteris, sed *de jure divino eam descendere* neutiquam asserit.

Hodierni verò Scriptores Pontificii summis viribus propugnant *de jure divino illam superioritatem descendere.*

Argum. Adverſ. 1. *Solus Episcopus potest ordinare & eo modo generare Patres Ecclesiæ, Presbyteri autem ordinare non possunt, sed solùm baptizare, & eo modo Ecclesiæ filios generare, quod probatur ex quibusdam Patribus.* Bellarminus lib. de Clericis cap. 14.

Resp. Idem Bellarminus in cap. seq. 5. §. Deinde quantum &c. sic scribit: *Etsi Hieronymus non videtur agnoscere, jure divino esse discrimen inter jurisdictionem Episcopi & Presbyteri, agnoscit tamen hoc ipsum discrimen ab Apostolis introductum &c.* (At si Hieronymus agnoscere potuit, ab Apostolis discrimen Episcoporum & Presbyterorum profectum esse, ut tamen non agnosceret à jure divino illud esse, utique inter hæc duo non est necessaria connexio, *esse ab Apostolis introductum* & *esse ex jure divino*, ac proinde ex Ecclesiæ consuetudine longè minùs Dominica institutio ac jus divinum probari potest.)

Argum. 2. *In V. Testamento erat unus summus Sacerdos & qui ei succedebant. Erant præterea minores Sacerdotes, omnes videlicet filii Aaronis, & qui ab illis descendebant, ac denique erant Levitæ cæteri, qui à Levi originem ducebant, sed non per Aaronem. At Episcopi idem sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in V. Testamento; id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes, ut etiam id Diaconi nostri, quod illorum Levitæ.* Alphonsus de Castro d. l. Bellarminus d. l.

Resp. 1. Bellarminus in cap. sequente 15. §. Deinde quantum &c. fatetur, *Hieronymum statuere, quod Episcopi non sint Presbyteris jure divino superiores.* Atqui idem Hieronymus allatâ comparatione utitur. ergò ex illa comparatione inferri nequit, Episcopos esse Presbyteris jure divino superiores, (nimirum quia Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradus in V. Testamento divinam habent institutionem, sed N. Testamenti Hierarchia Ecclesiastica ab Ecclesiæ consuetudine originem trahit.)

2. Idem Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. §. Quartò probatur &c. & alibi passim soli Romano Pontifici tribuit supremam illam jurisdictionem, quæ in V. Testamento fuit penes summum Sacerdotem, eandemque probat ex prærogativis Pontificum in V. Testamento, lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12. §. Sextò, lib. ejusd. cap. 29. resp. ad 4. argum. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 16. §. 2.

(Quomodo igitur h. l. asserere potest, *omnes Episcopos succedere summo Sacerdoti V. Testamenti?* Si constare sibi vellet, asserendum ipsi foret, solum Roman. Pontificem succedere V. Testam. Pontifici; Episcopos autem ac Presbyteros succedere minoribus Sacerdotibus; Diaconos Levitis.)

Argum. 3. *Patres docent, Episcopos succedere Apostolis, Presbyteros autem septuaginta discipulis. Sed Apostolos jure divino majores fuisse septuaginta discipulis colligitur, tum ex distincta & diversa institutione, tum ex Matthiæ in Apostolatum electione.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Marsilius Patavinus in Defensore pacis part. 2. cap. 28. *Dicendum, quòd juxta sententiam Apostoli, & ea, quæ de Sanctis inducta sunt cap. 15. hujus, convenientiùs figuratur per 72.* (discipulos) *Diaconorum Ordo, quàm Sacerdotum. Vel potest dici convenienter, quòd non propter hoc sequitur, Episcoporum Ordinem essentialem dignitatem ampliorem habere Presbytero. Unde illa missio, quâ Christus eos misit in mundum, signavit electionem sive institutionem humanam, quâ unus eorum cæteris præferetur in Ecclesiastica iconomia. Non enim contulit eis Christus, cùm dixit; Euntes ergò, docete omnes gentes, dignitatem essentialem, sed priùs tradiderat. Et esto, quod simili tempore utramque tradidisset, dico, quòd illa missio non addidit intrinsecam perfectionem, quàm priùs non habuisset, cùm Sacerdotium per Spiritum sanctum receperunt. Fuit autem de Apostolis super reliquos futuros Sacerdotes facta per Christum hæc institutio secundaria, quoniam nulla tunc erat multitudo fidelium, per quam posset hujusmodi electio celebrari. Nec si fuisset, adhuc æquè convenienter fieri potuisset per aliquam multitudinem, sicut per Christum, unde Apostoli etiam post Christi passionem & resurrectionem ad electionem in dividendis Provinciis se reduxerunt, Gal. 2. Et ideo esto, quòd figura fuisset, qualem dixit Beda de Statu Sacerdotii. dico, quòd intrinsecam dignitatem sive perfectionem, aut characterem à Deo immediatè non habet ampliorem Episcopus, quàm Sacerdos.*

2. Claudius Espenkæus Comment. in 1. Tim. 1. ab init. *Sic differt Apostolus ab Episcopo, quòd ille immediatè à Christo vocatur, certò habet Spiritum sanctum, ubique & omnibus Ecclesiis docet, juxta illud Pauli &c. Hic, scilicet Episcopus, per homines vocatur, certo loco præest, Spiritum sanctum non continuò, nec necessariò habet, dictatam ab Apostolis doctrinam accipere debet, non etiam novum doctrinæ genus invehere; quo etiam modo in populo Israël Prophetæ Sacerdotibus antecellebant.*

(Nimirùm successerunt quidem in vicem Apostolorum Episcopi, sed non in id, quod formaliter Apostolos faciebat, Galat. 1. v. 1. 2. Cor. 12. v. 11. 12. verùm in id, quod cum Presbyteris commune habebant, adeoque de jure divino nihil quicquam Presbyteris superiores sunt.)

3. Bellarminus lib. de Cleric. cap. 15. resp. ad 11. object. sic scribit: *Episcopi & Presbyteri variis modis à Patribus comparantur. Aliquando dicunt, Episcopum tenere locum Dei, Presbyteros locum Christi, Diaconum locum Apostolorum. Clemens lib. 2. Constit. cap. 30. & Ignatius in Epist. ad Trallianos. Aliquando Episcopo dant locum Christi, Presbyteris locum Apostolorum, Diaconis locum 70. discipulorum. Ita Clemens loco citato & Ignatius ad Smyrnenses. Aliquando Episcopo dant locum Apostolorum, Presbyteris locum 70. discipulorum &c.*

(Quomodo igitur *omnes Patres constanter docent, Episcopos succedere Apostolis, Presbyteros 70. discipulis?* quomodo ex arbitraria & incerta comparatione deduci potest, *jure divino Episcopos esse Presbyteris superiores?* ex Scripturis illud jus demonstrandum foret.)

Quin imò Bellarminus ipse aliam instituit comparationem lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 25. §. Dicuntur. *Sicut Christo in terris vivente primi sub Christo erant Apostoli duodecim, deinde 72. discipuli; ita nunc primi sub Rom. Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri, inde Diaconi.*

4. Idem Bellarminus lib. de Clericis cap. 14. §. Secundò probatur &c. inter eos, qui statuunt, Episcopos succedere Apostolis, Presbyteros LXX. Discipulis, refert *Hieronymum in Epistola ad Marcellam.* Atqui, fatente eodem Bellarmino, *Hiero-*

Hieronymus statuit, Episcopos non esse jure divino Presbyteris superiores. Ergò ex ista comparatione non potest illud evidenter probari.

Argum. 4. *Matth. 24. v. 45. inquit Christus. Quis putas, fidelis & prudens est servus, quem constituit Dominus super familiam suam? Hæc verba Hilarius & cæteri Patres in hunc locum de Episcopis dicta esse volunt, ex quo intelligimus, ipso Domino instituente, Episcoporum propriam esse curam & gubernationem Ecclesiæ.* Bellarm. d. l.

Resp. Barradius tom. 3. Comment. in Concord. Evang. lib. 10. cap. 10. per hunc servum in genere significari statuit omnes Ecclesiæ Doctores. *Significat,* inquit, *servus Pastores Ecclesiæ ac Doctores, qui Christianis conservis suis divini verbi præbent alimoniam hoc sensu. Quisnam est fidelis servus & Pastor, qui Domini sui oves fideliter pascit & prudenter, quiq; famulis Domini prælatus divini verbi alimentum illis vigilanter præstat? Beatus ille servus, beatus Pastor & Doctor, quem cùm Dominus venerit, invenerit sic facientem, hoc est, divini verbi cibum fideliter, prudenter ac vigilanter ministrantem, nam magno illum præmio afficiet.*

Eadem est aliorum Interpretum Pontificiorum sententia.

Tirinus in h. l. *Hæc addit Christus maximè propter Apostolos, aliosq; Superiores in Ecclesia vel in Republ. inquit S. Hilarius. Et in genere vult omnes admonitos, etiam qui ante illum diem è vivis excedent.*

Argum. 5. 1. *Tim. 5. v. 19. Apostolus ita scribit. Adversus Presbyterum noli accusationem accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus, ubi videmus, Episcopum Apostolorum tempore judicem Presbyterorum, ac proinde verum Principem & superiorem fuisse.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Marsilius Patavinus d. l. *Dico, quòd secundam institutionem non essentialem acceperat ab Apostolo super Presbyteros alios in illa Provincia, cujus siquidem Apostoli voluntas & institutio electioni æquivalebat propter defectum & insufficientiam sive ruditatem multitudinis fidelium.*

2. Ex *usu Ecclesiæ* ab ipsis etiam Apostolis introducto nondum inferri potest, *jure divino* quoad potestatem jurisdictionis Episcopos Presbyteris esse majores, ut ex ipso Bellarmino ostendimus superiùs.

CAPUT IV.

DE CONJUGIO MINISTRORUM ECCLESIÆ.

THESIS I. Cœlibatus non est jure divino sacris Ordinibus annexus, ut in illis constituti non possint matrimonium contrahere.

Ekthesis 1. Nequaquam dicimus, omnes, qui in Ministerio constituti sunt vel constitui expetunt, *uxoratos esse debere*, sed illis, qui peculiari continentiæ dono instructi sunt, extra conjugium vivere facilè concedimus.

2. Sed hoc volumus, quòd Ministris Ecclesiæ conjugio non sit interdicendum.

3. Neque hic distinguimus, an ante Ordinationem, an verò post Ordinationem uxores ducere velint, sed utrumque ipsis licitum esse dicimus.

4. Concedimus decorum, fortassis etiam utile Ecclesiæ fore, si officia Ecclesiastica cœlibibus castis committantur, sed propterea conjugatos ab iis excludendos esse negamus.

Antithesis. Concil. Trident. sess. 8. Can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ vel voto, & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis (etsi eam voverint) habere donum, anathema sit, cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari.*

Claudius Espensæus lib. 1. de Continent. cap. 12. fol. 696. *exempla Sacerdotum ob conjugium combustorum* recenset.

Bellarminus lib. de Clericis cap. 20. §. Contra hos &c. *Votum continentiæ annexum est Ordinibus sacris, ita ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea ductis uti liceat post Ordinationem, positivo quidem jure, sed antiquissimo & æquissimo, quod nullo modo expediat, ut hoc tempore relaxetur.*

Lib. 1. de Sacrament. cap. 5. §. Sed debuit &c. *Sacerdotum conjugium est illegitimum & solo nomine conjugium, re autem ipsâ sacrilega impudicitia.*

Anglo-Rhemenses in 1. Corinth. 7. sect. 8. *Conjugium Ministrorum est pessimum genus incontinentiæ & fornicationis.*

Quin imò docent, Sacerdotem graviùs peccare uxorem ducendo, quàm scortando. Costerus (secutus Albertum Pighium Cardinalem) in Enchirid. cap. de cœlibatu Sacerdotum prop. 9. *Sacerdos, si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, graviùs tamen peccat, si matrimonium contrahat.*

Jacobus Gretserus in Hist. Ordinis Jesuitici p. 115. *Has & alias ob causas verissimè scripsit Costerus noster, Sacerdotem, si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, graviùs tamen peccare, si matrimonium contrahat. Quia etiamsi Sacerdos nuptias celebret: nuptiæ tamen nullæ sunt, neque uxor illa legitima sit uxor, sed scortum manet, cùm Sacerdos ad matrimonium contractum sit inhabilis.*

Nostram sententiam probamus,

1. Maritus *unius uxoris* in Episcopum eligi potest, ac virtutes, quas Apostolus in Episcopo requirit, etiam in illo locum habere possunt, qui est unius uxoris maritus, 1. Timoth. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. Ergo conjugium non ita pugnat cum Ministerio Ecclesiastico, ut in una eademque persona conjungi nequeant. Nullus, qui peccatum per se committit, est ἀνέγκλητος, inculpatus. At omnis, qui est unius uxoris vir, est ἀνέγκλητος. Ergò nullus, qui est unius uxotis vir, peccatum committit, scilicet eo ipso, quod est uniut uxoris maritus. Et hoc non modo verum est in quovis alio, verum etiam in Episcopo ex Apostoli testimonio. Nullus enim Episcopus peccans est inculpatus, culpari quippe meretur eo ipso, quòd peccat. At verò omnis Episcopus, qui est unius uxoris maritus, est inculpatus ex eo, quòd est unius uxoris maritus. Ergò nullus Episcopus, qui est unius uxoris maritus, eo ipso, quòd est unius uxoris maritus, peccat, ac proinde *Episcopum unius uxoris maritum esse* non est peccatum.

2. Conjugium *in omnibus est honorabile*, Hebr. 13. v. 4. Ergò non est certo hominum generi ad id idoneo, idemque legitimè expetenti prohibitum. Torus conjugalis coram Deo est *immaculatus*. Ergò Sacerdotes non possunt nec debent ab eo tanquam immundo prohiberi.

3. Paulo Apostolo licitum fuit *sororem mulierem circumducere*, id est, matrimonium contrahere, 1. Cor. 9. v. 5. Ergò conjugium Ministris Ecclesiæ non est lege quadam interdictum.

4. Conjugium Deus omni hominum generi liberum reliquit, 1. Cor. 7. v. 25 28. & 36. ac prohibitio matrimonii vocatur *doctrina Dæmoniorum*, 1. Tim. 4. vers. 3. Ergo conjugium non est Ecclesiæ Ministris prohibendum.

5. Jus divinum & naturale non potest tolli lege humanâ. Conjugium est *de jure divino*, Gen. 1. v. 28. ac *de jure Naturæ*, ut patet ex appetitu propagationis omnibus insito. Ergò.

6. Qui non sunt continentiæ dono præditi, illis præcepit Apostolus, ut conjugium ineant, 1. Cor. 7. v. 2. & 9. Jam verò multi ex Ordine Sacerdotum non sunt præditi dono continentiæ. Ergò.

7. Continentiæ donum est singulare & non omnibus commune, Matth. 19. v. 11. 1. Cor. 7. v. 7. Ergò non potest nec debet indifferenter omnibus Clericis cœlibatus imponi.

8. Coactus Clericorum cœlibatus parit prodigiosas libidines, mundum concubinis & Ecclesiam scandalis replet.

9. In quocunque statu vixerunt ac Deo placuerunt Patriarchæ, Prophetæ & Sacerdotes V. Testamenti, ille nihil derogat sanctitati Ministerii Ecclesiastici. In Statu conjugali vixerunt ac Deo placuerunt Patriarchæ, Prophetæ ac Sacerdotes Vet. Testamenti, quia Adam, Seth, Enos, Enoch, qui cum Deo ambulavit, Noah vir justus & perfectus, Sem, Abraham pater credentium, Isaac, Jacob, Joseph, Aaron & cuncti Sacerdotes V. Testamenti, multi etiam ex Prophetis, Moses, Samuel, Ezechiel &c. in conjugio vixerunt. Ergò.

10. Christus in N. Testamento statum conjugalem suâ præsentiâ & munere amplissimo, adeoque primo suo miraculo honoravit, Joh. 2. v. 1. Ergò nemo sub specie majoris sanctitatis ab eo arcendus.

11. Lex cœlibatus Sacerdotalis à gentilium superstitione originem traxit, & ex Ethnicismo in Ecclesiam introducta est.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quidam Canones Apostolorum. (Eos enim pleriq; Pontificii

tificii pro genuinis habent, ut ostendimus superius lib. 1. part. 2. cap. 6. Ergò eorum autoritatem subterfugere nequeunt.)

Canon 6. (al. 5.) Apostolorum à Clemente Episcopo Romano editus sic habet: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam religionis obtentu abjiciat; si verò rejecerit, excommunicetur, sed si perseveraverit, dejiciatur.*

(Ad hunc Canonem Zonaras sic annotat: *Meminit Canon hic Apostolicus, etiam Episcoporum habentium uxores, quia tunc etiam Episcopis non prohibebatur legitima cum uxoribus copula. Nam Synodus in Trullo, quæ sexta dicitur, hoc prohibuit duodecimo Canone.* Et paulò antè. *Loquitur de iis Canon, qui sunt in sacris. Si prætextu pietatis, qui in sacris est, uxorem suam dimittat, separetur à communione, videlicet, donec in animum inducat eam resumere; quòd si perseveraverit non resumere, etiam excommunicator. Videtur enim id pertinere ad calumniam conjugii, quasi impuritatem coitus induceret.* Eodem modo Balsamo; *Ante sextam Synodum, quæ fuit in Trullo Palatii, licebat Episcopis habere uxores, etiam post dignitatem Episcopalem, quemadmodum & qui post matrimonium ordinantur Sacerdotes & Diaconi.* Apud Matthæum Monachum tom. 1. Juris Græco-Romani lib. 8. in responsis matrimonialibus c. de Clericis uxores suas prætextu religionis ejicientibus, hic Canon Apostolicus recitatur & additur. ἔοικε γὰρ τὸν γάμον διαβάλλειν ὡς ἀκάθαρτον, ἢ τὸ νομίμως μίγνυσθαι. *Quippe matrimonium criminari videtur, quasi coitus legitimus quædam sit impuritas.*)

Canon 40. Apostolorum. *Episcopis de privatis suis rebus per Testamentum disponendi* potestatem facit, *propterea quòd aliquando evenit, ut uxorem habeant aut filios, aut propinquos aut servos.*

Hûc pertinet illud ejusdem Clementis, quem Petri discipulum & in Sede Romana successorem esse volunt.

Lib. 2. Constitut. Apostol. cap. 2. *Talem oportet esse Episcopum, qui sit unius uxoris vir, quæ quidem semel nupserit &c. Sic enim probetur, cum Ordinationem capiens in Episcopatus loco collocatur, si uxorem honestam habeat vel habuerit, (ἐγγάμω) si filios religiosè educatos & in disciplina Domini institutos produxerit.*

Lib. 6. Constit. cap. 17. *Episcopum & Presbyterum ac Diaconum dicimus unius uxoris debere constitui, sive vivant eorum uxores, sive decesserint.*

Ibid. *Si ante nuptias ad Clerum venerunt, concedimus eis, ut uxores ducere possint, siquidem hoc expetent, ne, si peccaverint, pœnâ afficiantur.*

2. Quidam Canones Juris Pontificii.

c. Lege Imperatorum dist. 10. ex Nicolao Papa. *Beatus Gregorius scribens ad Theoctistam Patritiam inter cætera. Si, inquit, religionis causa conjugia debere dissolvi dicantur, sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit.*

(Ergò Clerici obtextu religionis non separentur à conjugibus.)

c. His igitur dist. 23. ex Isidoro. *Clerici castimoniam inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur.*

c. Deinde dist. 26. Innocentius Papa in Epistola ad Ruffum Eusebium, cæterosque Macedoniæ Episcopos primùm citat verba Pauli, qui dicit: *Unius uxoris virum oportere fieri Sacerdotem.* Deinde subjicit hæc verba. *Uxorem ducere, crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergò (præfata venia dixerim) erit autor in culpa, qui ut crimina committerentur, in Paradiso præcepit, cùm ipse eos benedixit. Si verò non est crimen, (quia quod Deus instituit, nefas sit crimen appellare, & Salomon addidit. Etenim à Deo præparatur viro uxor) quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod autore Deo legitur consummatum?*

c. Qui sine dist. ead. ex Ambrosio. *Qui sine crimine est unius uxoris vir, tenetur ad legem Sacerdotii suscipiendi.*

c. Quidam dist. 27. ex Augustino. *Quidam nubentes post votum, asserunt adulteros esse. Ego autem dico, quòd graviter peccant, qui tales dividunt.*

(Ergò etiam post votum, in susceptione Ordinis emissum, contractum matrimonium est ratum.)

c. Priusquam dist. 28. ex Gregorio. *Priusquam ad nos Scriptura vestra discurrisset, Johannem Diaconum, qui ab altera parte electus est, parvulam habere filiam quorundam relatione cognovimus. Unde, si rationem voluissent attendere, nec illi eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumtione audet ad Episcopatum accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam filia teste convincitur non habere?*

(Ergò in Diaconatu uxores habuerunt & liberos genuerunt. *Parvitas filiæ,* inquit Glossa, *fuit argumentum, quòd non diu fuerit continens.*)

c. Diaconi dist. ead. ex Synodo Ancyrana. *Diaconi quicunque, cùm ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt,* ἐμαρτύραντο *dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere, hi, si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerunt & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à Ministerio cessare debebunt.* Recitat hunc Canonem 10. Concil. Ancyrani Binius tom. 1. Concil. fol. 229.

(Ergò protestatio jus conjugii integrum Clericis servavit, ac licebat eo tempore post susceptam Ordinationem uxorem ducere, nisi quis recepisset, se mansurum cœlibem quæ obligatio *ex voto,* non *ex lege Ecclesiastica* oriebatur, uti nobiscum ex hoc Canone concludit Vasquez in 3. Thom. Disput. 249. cap. 2. num. 9.)

c. De Syracusanæ dist. ead. ex Pelagio Papa. *De Syracusanæ urbis Antistite optaveramus in ipso initio gloriæ vestræ desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis temporibus ordinationem differre Sacerdotii coegisset, ob hoc, quòd vel personæ qualitas &c. vel superstes uxor aut filii, per quos Ecclesiastica solet periclitari substantia, nostros animos diutiùs ab ejus Ordinatione suspenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno distulimus, opinantes, quòd in melius Syracusanorum provenire posset electio. Sed quia in voluntatis suæ proposito irrevocabiliter persliterunt & nullus est alius in eadem repertus Ecclesia, nisi longioribus adhuc temporum differretur spaciis, ne paulo amplius insanirent &c. inter hujusmodi ambiguitates illud consultiùs judicavimus faciendum, ut congrua providentia causam, propter quam principalis constitutio habentem filios & uxorem ad Episcopatus Ordinem promoveri prohibet, salva dispositione consilii muniremus. Quare re summo studio ab eodem Syracusanæ urbis Episcopo, priusquam à nobis contingeret ordinari, hujusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur, quantula esset, præsentis temporis habita rerum descriptione substantiam, & nihil unquam per se aut per filios & uxorem, sive quamlibet propinquam aut domesticam vel extraneam fortè personam de rebus usurparet Ecclesiæ & universa sui Episcopatus quæsita tempore Ecclesiæ suæ dominio sociaret, nihil ultra id, quod scriptum est, filiis suis vel heredibus relicturus.*

(In hoc Canone notandum. 1. Quòd lex cœlibatus Sacerdotalis non ex jure divino vel Apostolicâ constitutione, sed ex Principali constitutione originem ducat. 2. Quòd ejus causa præcipua sit ea, ne Ecclesiæ periclitetur substantia. 3. Quòd contra hanc constitutionem habens uxorem & liberos in Episcopum ordinatus fuerit. 4. Quòd non fuerit ab eo requisitum, ut ab usu conjugii inposterùm penitùs abstineret.)

c. Si quis docuerit dist. ead. citatur Canon Apostolicus VI. *Si quis docuerit, Sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit.*

c. Si quis discernit dist. eadem ex Concilio Gangrensi. *Si quis discernit Presbyterum conjugatum tanquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, anathema sit.*

(Alphonsus de Castro lib. 13. advers. hæres. verbo Sacerdotium hæres. 4. postquam citâsset hunc Canonem, subjungit. *Ex hoc decreto apertissimè constat, non esse lege divina necessarium cœlibatum ad sacrorum Ordinum susceptionem. Constat etiam ex eodem Concilii Gangrensis Canone, quòd licuerit Presbytero conjugato* λειτουργεῖν, *cùm tamen præcipua causa indicti cœlibatus sit, quòd sacra tractari, nisi à puris, non oporteat.* Bellarminus excipit, *intelligi eum, qui habuit uxorem.* Sed in Græco est γεγαμηκότα, quod significat eum, qui uxorem habet, 1. Corinth. 7. v. 10. Balsamon ad hunc Canonem sic annotat. Ὁ παρὼν κανὼν ἀναθεματίζει τοὺς μὴ ἀδιακρίτως μεταλαμβάνοντας ἀπὸ ἱερέων ἐχόντων γυναῖκας. *Præsens Canon eos anathematizat, qui non indistinctè communicant sacris Sacerdotum, qui habent uxores.* Andradius lib. 10. Orthodox. Explic. *Concilium Gangrense contra Eustachium, qui nuptias*

damnabat, coactum, anathemate eos percellit, qui Presbyterorum uxores habentium oblationes detrectassent.)

c. Ante triennium dist. 31. ex Gregorio. *Ante triennium omnium Ecclesiarum Sub-Diaconi Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ suis uxoribus nullatenùs miscerentur, quod mihi durum atque incompetens videtur: ut qui usum continentiæ non invenit, neque castitatem promisit, compellatur à sua uxore separari, ac per hoc, quod absit, in deterius cadat.* (Videmus ergo omnes Siciliæ Sub-Diacones habuisse uxores, videmus earum usum fuisse interdictum durè & incompetenter.)

c. Omninò dist. eadem ex Leone IX. contra Epistolam Nicetæ. *Omninò confitemur, non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, Sub-Diacono propriam uxorem causâ religionis abjicere à cura sua, scilicet, ut ei victum & vestitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, B. Paulo Apostolo dicente. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut frater Domini & Cephas? Vide insipiens, quia non dixit, nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet, ut de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale conjugium.*

(In hoc Canone notandum, quòd locus Apostolicus 1. Corinth. 9. accipitur *de conjugibus Petri & Pauli*, cujus contrarium statuunt recentiores Pontificii. Quia ergò Paulus expressè dicit, *se habere potestatem circumducendi conjugem.* Ergò cœlibatus non est necessario quodam vinculo Ministerio Ecclesiastico conjunctus. An Apostoli ab usu conjugali abstinuerint, in medio relinquimus, ac si vel maximè illud concedatur, tamen ex peculiari illo conjugalis continentiæ in Apostolis exemplo tam non posset generalis regula inferri, quòd omnibus Ecclesiæ Ministris à conjugii usu penitùs abstinendum sit, quàm ex Mariæ & Josephi exemplo.)

c. Nicena dist. ead. ex Historia Tripartita lib. 2. cap. 14. *Nicena Synodus corrigere volens hominum vitam in Ecclesiis commorantium, posuit leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Sub-Diaconi cum conjugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius Confessor, contradixit, honorabiles confessus nuptias & castitatem esse dicens cum propria conjuge concubitum, suasitque Concilio, ne talem poneret legem, gravem esse asserens causam, quæ in ipsis aut eorum conjugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit, Synodusque laudavit sententiam ejus, & nihil hac ex parte sancivit, sed hoc in uniuscujusq; voluntate, non in necessitate dimisit.*

(Opponendus est hic Canon Bellarmino, qui d. l. Historiam de Paphnutio elevare conatur, 1. Quia *autores antiquiores, qui de Concilio Niceno scripserunt, hujus Historiæ non meminerunt. 2. Epiphanius & Hieronymus de Ecclesia Græca testantur contrarium. 3. Socrates & Sozomenus non fuêre Catholici. 4. & aliàs multa mentiuntur.* Sed has rationes refellit Vasquez. tom. 4. part. 3. Disp. 267. c. 4. & Historiam de Paphnutio defendit. Negari certè nequit, Historiæ hujus mentionem fieri non solùm apud Socratem lib 1. Hist. Eccles. cap. 12. edit. Græc. Sozomenum lib. 1. Hist. cap. 22. Gelasium Cyzicenum lib. 2. Actorum Concil. Niceni cap. 33. Nicephorum lib. 8. cap. 19. sed etiam apud Antoninum part. 1. Hist. cap. 3. Descripsit eandem Petrus Crabbe tom. 1. Concil. in Actis Concil. Niceni, ac veritatem ejus admittunt Medina, Espensæus, Cromerus, Vasquez, d. l. Ad argumentum de mendaciis Socratis respondet Medina. *Si qui semel aut iterum in Historia mentitur, semper est mentiri credendus, universa sive prophana, sive Eccesiastica jam periit Historia. Quotus enim quisque autor mendacia non scribit? Aut nunquam mentiti sunt Herodotus, Thucydides, Pausanias, Dionysius, Livius, Salustius, Josephus, Suetonius, Eusebius, Theodoretus, Evagrius & reliqui, quibus tamen vel in prophana, vel in Judaica, vel in Ecclesiastica Historia fides adhibetur? Ergò nunquam illis, quoniam à multis in gravissimis quoque rebus mendacii arguuntur, fidem præstemus.*

Ad argumentum, quòd *Socrates fuerit Novatianus*, respondet Espensæus. *Quasi verò non simul esse potuerint & viri non boni & Historici non mali.* Respondet Vasquez, *Licet Novatianus fuerit, non perinde sequitur, hac in re mentitum fuisse, quum error Novatianorum de alia omninò diversa re fuerit.*

Ad argumentum Possevini & Pisani, quòd *Paphnutius fuerit Meletianus*, respondet Baronius Ann. 25. *geminum fuisse iisdem temporibus Meletium, unum, qui Synodo Nicenæ interfuit, strenuum Arianorum oppugnatorem. alterum, cujus meminit Epiphanius hæres. 68. eumque vocat anachoretam, cum illum Sozomenus lib. 1. cap. 10. Episcopis annumeret.* Vasquez respondet, *Meletium & qui ipsum sequebantur, nihil contra fidem Catholicam docuisse.* (Adde, quòd non tam Paphnutii, quàm Concilii, sententiam Paphnutii approbantis, autoritate nitamur.) Neve Socratis & Sozomeni fidem Jesuitæ ampliùs elevent, notandum, quòd Gelasius Cyzic. in Actis Niceni Concilii non ita pridem Parisiis editis cap. 3. p. 170. de Concilio Niceno scribat, *quòd de hac quæstione tacuerit & eorum reliquerit arbitrio, qui velint ex mutuo consensu à propriis conjugibus abstinere, nec, ut quidam Episcopi urgebant, novam hac de re legem ferre voluerit.* Ibid. *Surgens in medio Episcoporum conventu divinus Paphnutius, magnâ voce dixit. Nolite gravare jugum Ecclesiasticorum. Nam honorabiles, inquit, sunt nuptiæ apud omnes, & torus immaculatus. Nolite lædere Ecclesiam* τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀκριβείας, *nimio severi juris excessu. Non enim omnes, ait, ferre posse, vitâ illud institutum, quod omnibus affectibus vacat. Nemo, ut opinor, in castitate servabitur, si mariti singuli suis priventur uxoribus. Virorum cum suis uxoribus consuetudinem ego præclaram continentiam esse dico.)*

c. Quoniam dist. ead. ex Synodo sexta Occumenica. *Quoniam in Romani Ordine Canonis cognovimus traditum, eos, qui ordinati sunt Diaconi vel Presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem tempore opportuno. Quicunque ergò diligens inventus fuerit in Sub-Diaconali Ordinatione, aut Diaconali, aut Sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem ascendere gradum pro uxoris suæ cohabitatione, nec etiam tempore Ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant à legalis uxoris familiaritate. Item, oportet eos, qui altari ministrant, in tempore oblationis Sanctorum continentes esse in omnibus, ut à Deo possint consequi, quæ suppliciter postulant. Si quis igitur præsumserit, contra Apostolicos Canones, aliquos Presbyterorum & Diaconorum privare à contactu & à communione legalis uxoris suæ deponatur. Similiter & Presbyter aut Diaconus, qui religionis causâ uxorem suam expellit, excommunicetur; si verò in hoc permanserit, deponatur.*

(Observa 1. antiquari Romanæ Ecclesiæ Canonem. 2. confirmari conjugia ante Ordinationem contracta. 3. hanc validitatem designari peculiariter quoad torum. 4. prohiberi ne exigatur in ordinando votum continentiæ 5. Hanc Synodum sextam confirmari à Papa Hadriano c. Sextam. dist. 16. Michael Medina lib. 2. de continent. cap. 24. *Enimverò Adrianus Pontifex eis temporibus proximus non veretur eos, Patres Tullenses, & allegare & vocare.)*

c. Aliter dist. ead. ex Stephano Papa. *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi atque Sub-Diaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Sub-Diacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.*

(Ergò lex cœlibatus non ex divino jure, sed ex traditione Ecclesiastica originem trahit, ac traditio illa aliter se habet in Orientali, aliter verò in Occidentali Ecclesia. Glossator dicit, *matrimonio copulari, esse idem, quod matrimonio uti.* Et sancita videtur postulare consuetudo Græcorum, sed quid in altero membro intelligetur per τὸ *conjugium sortiri?* Inde ibidem addit. *Multi ex hac litera dixerunt, quòd Orientales possint contrahere in Ordinibus sacris.)*

c Placuit dist 32. ex Concilio Carthagin. V. Can. 3. *Placuit, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Sub-Diaconos secundùm priora constituta etiam abstinere ab uxoribus, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio: cæteros verò Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.*

(Hic Canon tom. 1. Conciliorum sic habet. *Præterea, cùm de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit, Episcopos & Presbyteros, & Diaconos secundùm propria statuta etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio.* Pro *secundùm propria statuta* est in Græco κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, *in propriis terminis,* quod

quod Gratianus mutavit *in priora statuta.* Rectiùs Balsamon interpretatur, *omni tempore vicis suæ,* quando tractant sacra. *Canon,* inquit, *septuagesimus* (legendum vigesimus octavus) *præsentis Synodi convincit, Latinos malè de hac re sentire. Dicit enim: Placuit, ut Presbyteri & Diaconi & Episcopi propriis terminis etiam à suis uxoribus abstineant, ut ex hoc ostendatur, & Presbyteros, & Diaconos, & Episcopos cum mulieribus vixisse, nec prohibuit eis Synodus cum ipsis consuetudinem, nisi in propriis terminis, id est, in præstitutis uniuscujusque vicis diebus.* Consentit Zonaras. *Hæc Synodus legitimum conjugium interdixit Presbyteris & Diaconis, contradicens iis, qui permittunt consecratis jam contracta matrimonia. Sed dici potest, hæc non dicere simpliciter, sed tempore officii, reliquique sacri Ministerii hos velle abstinere suis conjugibus, quod sanctum à D. Paulo priùs generaliter definitum.* Ante Balsamonem & Zonaram Concilium Trullense Can. 13. Canonem illum Carthaginensem sic exponit. *Scimus, eos, qui Carthaginem convenerunt, curam gerentes* σεμνότητος *honestatis Ministrorum dixisse, HypoDiaconis sacra mysteria contrectantibus, Diaconis & Presbyteris* κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους *in propriis terminis etiam uxoribus abstinendum esse, gnaris, cuique rei suum tempus esse, maximeque jejunio & orationi. Oportet enim eos, qui altari assident, quo tempore sacra aggrediuntur, continentes esse in omnibus.)*

c. Legant dist. 37. ex Hieronymo. *Legant Episcopi atque Presbyteri, qui filios suos secularibus literis erudiunt, & faciunt illos Comœdias legere, & Mimorum turpia scripta cantare de Ecclesiasticis forsan sumtibus eruditos &c. Heli Sacerdos ipse sanctus fuit, sed quia filios suos non erudivit in omni disciplina & correctione, supinus cecidit & mortuus est.*

(Ergò Presbyteri olim habuerunt liberos.)

c. Osius dist. 56. ex Damaso Papa. *Osius Papa fuit filius Stephani SubDiaconi. Bonifacius Papa fuit filius Jucundi Presbyteri. Felix Papa filius Felicis Presbyteri de titulo fasciolæ. Agapitus Papa filius Gordiani Presbyteri. Theodorus Papa filius Theodori Episcopi de civitate Hierosolyma. Silverius Papa filius Silverii Episcopi Romæ. Deusdedit Papa filius Jucundi Presbyteri. Felix etiam tertius natione Romanus ex Patre Felice Presbytero fuit. Item Gelasius natione Afer ex Patre Episcopo Valerio natus est. Item Agapitus natione Romanus ex Patre Gordiano Presbytero originem duxit. Complures etiam alii inveniuntur, qui de Sacerdotibus nati Apostolicæ Sedi præfuerunt.*

(Quamvis verò hic Canon inter paleas numeretur, tamen Platina in vitis Pontificum idem testatur. *Johannes undecimus,* inquit, *patriâ Romanus, patre Sergio Pontifice. Johannes decimus sextus patriâ Romanus, patre Leone Presbytero. Hadrianus secundus patriâ Romanus, patre Valaro Episcopo. Deusdedit patriâ Romanus patre Stephano SubDiacono. Iohannes decimus quartus Narniensis Episcopus patriâ Romanus, patre Iohanne Episcopo.* Liberatus Breviarii cap. 22. *Romana civitas Sylverium Subdiaconum Hormisdæ quondam Papæ filium elegit ordinandũ.)*

c. Apostolica dist. ead. ex Alexandro II. Pontifice. *Apostolicâ autoritate præcipimus vobis, ut si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, Canonicamque ejus electionem probaveritis, fulti nostrâ autoritate consecretis. Nam pro eo, quòd filius Sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conveniant, non rejicimus, sed suffragantibus meritis connivendo eum recipimus.*

c. Cenomanensem dist. ead. ex Urbano II. Papa. *Cenomanensem electum, pro eo, quòd filius Sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conveniunt, non rejicimus, sed suffragantibus meritis patienter suscipimus, non tamen, ut hoc pro regula inposterùm assumatur, sed ad tempus Ecclesiæ periculo consulitur.*

(At liberi illi Presbyterorum non fuêre ex scortatione, sed ex legitimo Conjugio suscepti. Ergò Presbyteris non fuit simpliciter prohibitum matrimonium. Excipiunt, *hos Canones de matrimonio ante Ordinem susceptum contracto esse accipiendos.* Sed contrarium potest colligi ex c. Quidam nubentes, dist. 27. c. Diaconi, c. de Syracusanæ dist. 28. c. Omnino dist. 31.)

c. Volumus dist. 81. prohibetur Sacerdotibus, *ne cum mulieribus conversentur, exceptâ matre, sorore vel uxore, quæ castè regenda est,* (quod verbum *castè* Glossator ita sic exponit: *Concubitus enim cum propria uxore castitas esse dicitur.)*

c. Episcopus caus. 12. qu. 1. ex Concilio Antiocheno. Si Episcopus convertat res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientia Diaconorumque, pertractat, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occultè res lædantur Ecclesiæ, Synodo Provinciæ pœnas ille persolvat.

c. Sint manifestæ caus. & quæst. iisd. ex Canonibus Apostolorum. *Sint manifesta res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias & manifestæ Dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit & quibus voluerit derelinquere &c. Fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut cognatos, aut servos.*

c. Placuit caus. 33. qu. 2. ex Concilio Toletano. *Placuit, ut si quorumcunque Clericorum uxores peccaverint, ne fortè potestatem peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc potestatem præter necem custodiendi ac ligandi in domo sua, ad jejunia salutaria, non mortifera eas cogentes, ita ut invicem sibi Clerici pauperes auxilium ferant, si servitia fortè non habeant (cum uxoribus autem ipsis, quæ peccaverint, non cibum sumant, nisi fortè ad timorem Dei actâ pœnitentiâ revertantur.* (Ergò Episcopi tunc habuerunt uxores.)

c. Cùm olim in Decretalibus Gregorii lib. 3. tit. 3. de Clericis conjugat. *Cùm olim ad nostram audientiam pervenisset, quòd Canonici Anglorienses Cantorem Tricaricensem sibi elegerant in Pastorem &c. licet tibi de forma electionis Canonicæ ac idoneitate personæ in aliis constitisset, movet te tamen, quòd cùm pater ejus Græcus fuerit & juxta ritum Græcorum uxorem duxerit, in minoribus Ordinibus constitutus, Cantorem ipsum ex uxore legitima in Sacerdotio suscepisset. Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto, mandamus, quatenus nisi pro eo, quòd inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet, si aliud Canonicum non obsistat, ad confirmationem & consecrationem ejusdem sine dubitatione procedas.*

3. Gratianus & Glossator Juris Canonici.

Gratianus ad c. De Syracusanæ dist. 28. *Ecce, hac autoritate electus in Episcopatum non prohibetur habere uxorem & liberos. Eligi autem ad Episcopatum non debet, nisi aut Sacerdos, aut Diaconus, Sub-Diaconus verò non nisi necessitate cogente. Sive ergò Presbyter, sive Diaconus, sive Sub-Diaconus fuerit, apparet, quòd in præfatis Ordinibus constituti licitè matrimonio uti possunt. Quia ergò autoritate Gregorii, qui relictam Diaconi marito tradidit, puniendus est. Item in Neo-Cæsariensis Concilio Presbyter ducens uxorem, non Diaconus, jubetur deponi; Item in Ancyrana Synodo Diaconi, qui in Ordinatione sua dicunt, se velle habere uxores, si postea venerint ad nuptias, non prohibentur à Ministerio, patet, quòd nec Diaconi, nec Sub-Diaconi sint prohibendi à conjugio. Sed quod de electione objicitur, verum quidem est in Episcopatum non eligendum, nisi in sacris Ordinibus constitutum, sed ipsum uxorem habere & filios, non repugnat præmissis autoritatibus de continentia Clericorum. In Laicali enim habitu vel in minoribus constitutus potuit habere uxorem & filios; & si postea ex consensu uxoris continentiam professus SubDiaconatum, vel Diaconatum, vel Presbyterii gradum adeptus fuerat, attamen uxori & filiis ipsum necessaria subministrare oportebat. Illud autem Gregorii duobus modis solvitur, vel quia Ecclesia illa, cui Diaconus ille ministraverat, nondum continentiæ votum susceperat in Diaconis & reliquis Ministris, vel quia, sicut de electo in Episcopum antea scriptum est, ante Sub-Diaconatum memoratus Diaconus eam in uxorem duxerat. Illud autem Neo-Cæsariensis & Ancyrana Synodi vel ex tempore, vel ex loco intelligitur. Ex tempore, quia nondum erat introducta continentia Ministrorum altaris. Ex loco, quia utraque Synodus Orientalis est, & Orientalis Ecclesia non suscipit generale votum castitatis, hoc tamen diligenti observatione custodit, ut post adeptum Sacerdotium, defunctâ priore uxore, cum qua Sacerdos factus fuerat, si alteram duxerit, deponatur.*

(Ex eo manifestum est, legem Sacerdotalis cœlibatus nec ex jure divino, nec ex præcepto Apostolico, sed à libera Ecclesiæ consuetudine descendere.)

Idem in princ. dist. 30. *Illud autem, quod in Canone Apostolorum & in Gangrensi Concilio & in sexta Synodo legitur, ex causa consideratur & ex tempore. Causa fuit hæresis Manichæorum, qui conjugium detestabantur &c. in princ. dist. 31. Tempus quoque, quia nondum erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.*

(Auctores editionis Gregorianæ hæc verba Gratiani restringunt ad *solos Sub-Diaconos.* Sed Gratianus loquitur generaliter *de quibusvis Sacerdotibus,* sicut etiam dist. 28. in genere *de Ministris altaris* dixerat, quòd eorum continentia

tem-

tempore Neo-Cæsariensis & Ancyranæ Synodi nondum fuerit introducta.

Idem ad c. Quoniam dist. ead. *Hoc autem ex loco intelligendum est. Orientalis enim Ecclesia, cui sexta Synodus vivendi regulam præscripsit, votum castitatis in Ministris altaris non suscepit.*

Idem ad c. Cenomanensem dist. 56. *Cùm ex Sacerdotibus nati in summos Pontifices legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis conjugiis nati, quæ Sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant, & in Orientali Ecclesia usque hodie eis licere probantur.* (*Ante prohibitionem*, inquit. Ergò non semper prohibitio fuit. *Ubique licita erant*, inquit. Ergò non solùm in Orientali, sed etiam in Occidentali Ecclesia.) At hæc verba Gratiani autores editionis Gregorianæ sic annotant: *Hic ostendit apertè Gratianus, se in ea fuisse opinione, aliquando in Latina Ecclesia Presbyteris etiam licuisse uti conjugio, quod in Ecclesia Græcorum & olim & nunc permissum est.*

Idem ad c. Sors caus. 26. qu. 2. *Antequam Evangelium claresceret, multa permittebantur, quæ tempore perfectioris disciplinæ penitùs sunt eliminata. Copula namque Sacerdotalis vel consanguineorum nec legali, nec Evangelicâ vel Apostolicâ autoritate prohibetur, Ecclesiastica tamen lege penitùs interdicitur.*

Idem ad c. Cùm igitur caus. 35. qu. 1. *Sicut Apostolus quædam consulendo addidit, quæ Evangelicis præceptis non inveniebantur definita, nec tamen ideò tanquam temeraria vel superflua ab aliis Apostolis sunt repudiata, sic & Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia Ministrorum &c. nullatenùs respuenda est, sed diligenti veneratione suscipienda.*

Glossa ad c. De Syracusanæ dist. 28. *Non repellitur quis* (quò minùs in Episcopatum eligatur) *propter uxorem vel filios, cùm hoc permittat Apostolus. Et est arg. ad hoc 12. qu. 2. Episcopus, qui filios, & Extra de testam. c. 1. dum tamen longa continentia præcesserit.*

Ibidem. *Concludit Gratianus ex supradictis ab illo c. assumi usque hùc, quòd sive sit Sub-Diaconus, sive Diaconus, sive Presbyter, licitè potest uti matrimonio contracto.*

Eadem Glossa in c. Ante triennium dist. 31. *Olim promovebantur Sub-Diaconi non promissa continentia, & licitè utebantur uxoribus & beneficiis.*

Eadem Glossa in c. Presbyterorum dist. 56. ad verb. Presbyterorum. *De legitimis filiis non est dubium, quin licitè promoveantur, sed illegitimi non.*

Eadem Glossa c. Cùm in præterito dist. 84. *Dicunt, quòd ista capitula facta fuerunt ante tempus Gregorii, qui introduxit continentiam Ministris dist. 31. ante triennium, id est, Sub-Diaconibus. Presbyteris verò & Diaconibus Siricius introduxit. Imò dicunt, quòd olim Sacerdotes poterant contrahere ante Siricium, unde & Moses contraxit.*

Ibid. ad verb. Antiquitas. *A tempore Siricii vocat antiquitatem 82. dist. plurimos.*

4. Canonistæ.

Panormitanus Abbas, cujus magna fuit in Concilio Basileensi autoritas, in c. Licet de Elect. fatetur *ex Scripturis probari non posse, quòd cœlibatus Sacerdotibus sit necessarius.*

Ibid. *Si clarè constat de matrimonio Papæ* (ante susceptum Papatum inito) *tunc aut uxor inducetur ad continentiam, aut, si noluerit, reddat debitum, & nihilominùs stet in Papatu; quia non repugnat substantiæ Papatus seu Clericatus. Nam & Petrus habebat uxorem, cùm promoveretur in Papam; continentia autem processit ex constitutione Ecclesiæ. Unde videmus, quòd Presbyteri Græci sine peccato contrahunt matrimonium.*

Idem in c. Cùm olim de Cleric. conjugat. *Nunquid hodiè ab Ecclesia possit statui, ut Clericus matrimonium contrahat, quæritur? (credo, quòd sic (inquit) & hoc indubitatum est apud me, respectu eorum, qui non sunt obligati ex voto, vel tacito, vel expresso, & hoc probo ratione. Continentia enim non est in Clericis secularibus de substantia Ordinis, sicut dixit Innocentius, nec est de jure divino, quia aliàs Græci peccarent, nec excusaret eos consuetudo, quia illa non valet contra legem divinam. Et non solùm credo potestatem inesse Ecclesiæ hoc condendi, sed credo pro bono ac salute animarum, quòd esset salubre statutum, ut volentes continere & magis mereri relinqueretur voluntati eorum; non valentes autem continere, possent contrahere, quia, experientia docente, contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ, cùm hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas &c. unde deberet Ecclesia facere, sicut bonus Medicus, ut si medicina experientia docente potiùs officit, quàm prosit, eam tollat.*

De hoc Abbate Panormitano hæc recitat Sanctesius lib. 1. cap. 3. *Plus jam audet, quod scilicet posset vel Papa, vel Concilium statuto permittere Clericis, matrimonio ante sacros Ordines uti, ut Græcis, idq; se indubitanter putare, respectu posterorum, qui nondum sunt effecti Clerici, & sic nec ad continentiam obligati. Quin imo salubre reputat consilium, si nolentes ex toto continere facultatem, quæ toleretur in Græcis, haberent: experientia docente, plus mali, quàm boni ex ea lege resultavisse. Sic enim præ carnis rebellione continere non valentes, non se immiscerent tam gravibus peccatis, ubi cum sua cuiq; uxore rem habere peccatum non esset. Faceret igitur Ecclesia boni Medici instar, medicinam, quæ obsit magis, quàm prosit, tollentis, cum lex laqueum magis tollere debeat, quàm injicere. Et hæc super ordinandis in futurum. At vero majus dubium in jam ordinatis. Veritas tamen ei videtur, quod possit Papa cum eis dispensare, cum id Clericorum votum sit de jure positivo.*

Præpositus in c. Rursus, Qui Clerici vel voventes &c. apertè fatetur, (*cœlibatum in sacro Ordine non esse voti, nec taciti, nec expressi, nec ex jure divino, sed tantùm ex confirmatione Ecclesiæ, ideoque etiam ab Ecclesia permutari posse.*

Stephanus Aufrerius in tit. de Presbyteris conjugatis. *Tempore primitivæ Ecclesiæ licebat Presbyteris & sic constitutis uxorem ducere, c. Quoniam & c. Aliter dist. 31. dummodo die celebrationis abstinerent à conjugibus, postea in occidentali Ecclesia venit prohibitio, ut constituti in sacris Ordinibus deberent abstinere. c. Aliter dist. ead. Concludit itaque, quod præceptum illud det materiam illaqueandi plures animas propter fragilitatem nostram, ideo credit, quod sicut Ecclesia induxit hoc præceptum continentiæ, quod quoque revocabit.*

Franciscus Zabarel. in c. Rursus. Qui Clerici vel voventes &c. dicit, *præceptum de cœlibatu materiam plures animas illaqueandi & ideo Ecclesiam, sicut induxit votum continentiæ, sic etiam vicissim revocare posse.*

5. Pontifices Romani, (quos vel primo loco adducere oportuerat, ad illorum enim judicium omnia tandem in Ecclesia Romana revocantur.)

Clemens Romanus Episcopus lib. 2. Constit. Apostolicarum cap. 2. & lib. 6. Constit. cap. 17. (Verba adducta sunt superiùs membro 1.)

Idem Clemens apud Eusebium lib. 3. Histor. cap. 30. *Anne & Apostolos improbabunt? Petrus enim ac Philippus & uxores habuerunt & filias etiam nuptum dederunt &c. Ajunt, B. Petrum, cum vidisset uxorem suam duci ad passionem, gavisum esse electionis gratia ac regressionis ad propriam domum, & exclamasse ad eam, cum duceretur, ac proprio nomine compellantem dixisse. O conjux memento Domini.*

Gregorius Magnus ad Theoctistam Patritiam & ex eo Nicolaus Papa c. Lege Imperatorum dist. 10.

Innocentius c. Deinde dist. 26.

Pelagius c. De Syracusanæ dist. 28.

Leo IX. c. Omninò dist. 31.

Stephanus c. Aliter dist. ead.

Damasus c. Osius dist. 56.

Alexander II. c. Apostolica dist. ead.

Urbanus II. c. Cenomanensem dist. ead.

Gregorius in Decretalibus lib. 3. tit. 3. de Clericis conjugatis. (Verba istorum Canonum adducta sunt superiùs memb. 2.)

Ex Innocentii I. Epist. 22. apparet, adeò non fuisse primam uxorem Clericis prohibitam, *ut ne secunda quidem officeret, in Macedonia saltem.* Nam hunc morem necesse habuit Innocentius corrigere. (Macedoniæ videtur & *Mauritania* consensisse, quantum conjicere est ex Leonis I. Epist. 85.)

Idem Leo I. Epist. 87. *Is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum esse constituerit.*

Et postea. *Ut virginem uxorem accipiat & alterius torum nesciat conjugis, quæ futura est uxor Pontificis.*

Gregorius Magnus l. 1. Epist. 42. *Sub-Diaconis permittit, ut liberè utantur suis uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant.*

Gregorius III. qui Anno Christi 729. vel ut alii volunt, 731. ad Papatum evectus est, Sacerdotibus in Bavaria conjugium permisit, quia in Epistola ad Sacerdotes Bavariæ inter cætera sic

sic scribit. *Nemo scorta aut concubinam alat, quisque aut castè vivat, aut uxorem ducat, quam deserere fas non esto.* Aventinus lib. 3. Annal. pag. 214.

De Ænea Sylvio (postea in Pontificatum evecto & *Pio II.* nominato) referunt Platina in vit. Pontif. p. 295. & Sabellicus lib. 6. Ennead. 10. pag. 502. quòd crebris sermonibus usurpârit hocce dictum, *Sacerdotibus magna ratione ademtum esse conjugium, sed majori restituendum.* Eandem quoque sententiam protulit in lib. 2. de Concilio. *Fortassis*, inquit, *non esset pejus, Sacerdotes quamplures uxorari, quia multi salvarentur in Sacerdotio conjugato, qui in sterili Presbyteratu damnantur.*

Idem, referente Cassandro, scribit. *Fuerunt ex nostris Pontificibus aliqui in matrimonio.*

Johannes Hoffmeisterus contra Aug. Confess. art. de Conjugio Sacerdotum huic Æneæ Sylvii dicto assensum suum commodavit. *Rectè haud dubiè*, inquit, *Pium Papam dixisse credimus, fuisse causas, cur adimeretur Sacerdotibus conjugium, sed multò majores esse causas, cur reddi debeat.*)

De Paulo II. memorat Stanislaus Orichonius Ruthenus in libro de lege cœlibatus, & ex eo Balæus, *quòd cum quædam poemata Romæ in se ac filiam scripta legisset, illachrymatus sit, & ob acerbitatem legis cœlibatus cum amicis expostulaverit, quòd is, qui non solùm Ecclesiæ, verùm etiam continentiæ antistes esse deberet, filiam in ore atq; oculis civitatis cum summo probro versari videret, quæ etsi erat eximia pulchritudine, scortatione tamen ab se ortam dolebat existimari, cum legem Dei sciret esse, qua huic in matrimonio nasci licebat, nisi eidem cœlibatus obstitisset. Itaque consilium ipsum cœpisse de restituendo Sacerdotum matrimonio ferunt, quod ille tamen morte præventus exequi non potuit.*

Lisleus Caroli IX. Galliarum Regis Legatus ad Papam Pium IV. tempore Concilii Tridentini literis ad Regem datis 6. Novemb. Ann. 1569. *Agere*, inquit, *cœpi cum Papa, præcipuè super articulo de communione sub utraque specie, quod illi, meo judicio, non fuit ingratum; dixit autem mihi, semper existimasse, hunc articulum, itemque conjugium Sacerdotum esse juris positivi & posse mutationem admittere, eamque ob causam in novissimo conclavi suspectum se fuisse tanquam Lutheranum.*

Ad Decreta Pontificum non immeritò etiam hoc refertur, quòd in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Can. 14. tale factum decretum. *Qui secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, illi, si in fornicationes lapsi fuerint, graviùs puniantur, cùm legitimo matrimonio uti possint.* (Ex quo intelligitur, adhuc circa Annum 1200. in quibusdam regionibus copulam conjugalem Sacerdotibus usitatá fuisse.)

6. Cardinales & Episcopi.

Reginhardus & alii Longobardorum Episcopi circa Annum 774. contra Adriani Pontificis decretum *permiserunt Sacerdotibus & Monachis, ut uxores ducerent*, ut patet ex Epistola Adriani ad Carolum.

Huldericus Episcopus Augustanus (vir doctus, genere nobilis, pietatis zelo, & ut scribunt, etiam miraculis celebris) circa Annum 861. Nicolao I. Pontifici Romano Cœlibatum Sacerdotum introducere satagenti restitit, sic ad eum scribens. *Nicolao Domino & Patri pervigili S. Romanæ Ecclesiæ Provisori Huldericus Augustensis, solo nomine Episcopus, amorem ut filius, timorem ut servus.*

Cum tua, ô Pater & Domine, decreta super Clericorum continentiam nuper mihi transmissa à discretione invenirem aliena, timor quidem turbavit me cum tristitia. Timor quidẽ propter hoc, quod dicitur, Pastoris sententiã sive justam, sive injustã timendam esse. Timebam enim infirmis Scripturæ auditoribus, qui vel justæ vix obediunt sententiæ, ut injustã conculcantes liberè, onerosã, imò importabili Pastoris prævaricatione præcepto se obligarent. Tristitia verò vel cõpassio, dum dubitabam, quâ ratione membra cavere possent, capite suo tam gravi morbo laborante. Quid enim gravius, quid totius Ecclesiæ compassione dignius, quam te summæ Sedis Pontificem, ad quem totius Ecclesiæ spectat examen, à sancta discretione vel minimùm exorbitare? Non parùm quippe ab hoc deviasti, dum Clericos, quos ob continentiam conjugii monere debebas, ad hanc imperiosâ quadam violentia cogi volebas. Nunquid enim meritò communi omnium sapientum judicio hæc est violentia, cùm contra Evangelicam institutionem ac sancti Spiritus dictationem ad privata aliquis decreta cogitur exequenda? Cùm ergò plurima Veteris ac Novi Testamenti suppetant exempla, sanctam, ut nosti, discretionem docentia, tuæ rogo ne grave sit paternitati, vel pauca ex pluribus huic paginæ interseri. Dominus quidem in veteri lege Sacerdoti conjugium constituit, quod illi postmodùm interdixisse non legitur. Sed in Evangelio loquitur, Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, sed non omnes hoc verbum capiunt. Qui potest capere, capiat. Quapropter Apostolus ait, de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quod etiam juxta prædictum Domini, non omnes hoc consilium capere posse consideras, sed multos ejusdem Consilii assentatores hominibus non Deo pro falsa specie continentiæ placere volentes, graviora vides committere, Patrum scil. uxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexu non abhorrere, ne morbi hujus aspersione ad usque pestilentiam convalescente, nimiùm Status labefactetur Ecclesiæ totius, propter fornicationem, dixit, unusquisque suam uxorem habeat. Quod specialiter ad Laicos pertinere, iidem mentiuntur hypocritæ, qui licet in quovis sanctissimo Ordine constituti; alienis revera uxoribus non dubitant abuti. Et quod flendo cernimus omnes, in supradictis sæviunt sceleribus. Hi nimirum Scripturam non rectè intellexerunt, cujus mammillam, quia duriùs pressêre, sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud Apostolicum, unusquisq; suam habeat uxorem, nullum excipit verè, nisi Professorem continentiæ, vel eum, qui de continuanda in Domino virginitate præfixit. Quod nihilominus tuam, Pater venerande, condecet strenuitatem, ut omnem, qui tibi manu vel ore votum faciens continentiæ, postea voluerit apostatare, ut ad votum exequendum ex debito constringas, aut ab omni Ordine Canonica autoritate deponas, & hoc ut viriliter implere sufficias, me omnesque mei Ordinis viros adjutores, habebis non pigros. Verùm ut hujus voti nescios omninò scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem ad Timotheum; Oportet, inquam, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum. Quam ne quis sententiam ad solam Ecclesiam verteret, subjunxit. Qui autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Similiter, inquit, Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint & suis domibus. Hanc autem uxorem à Sacerdote benedicendam esse, sancti Sylvestri Papæ decretis scio te sufficienter docuisse. His & hujusmodi sanctis Scripturæ sententiis Regulæ Clericorum scriptor non immeritò concordans ait. Clericus sit pudicus, aut certè unius matrimonii vinculo fœderatus. Ex quibus omnibus veraciter colligitur, quòd Episcopus & Diaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis dividuntur. Si verò unam sub obtentu religionis abjiciunt, utrumque scil. Episcopum & Diaconum sine graduum differentia hic Canonica damnat sententia. Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si verò rejecerit, excommunicetur, & si perseveraverit, dejiciatur. Sanctus quoque Augustinus sanctæ discretionis non inscius. Nullum, inquit, tam grave facinus est, quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Legimus præterea in secundo Tripartitæ Historiæ libro, quod cum Synodus Nicena hæc eadem vellet sancire decreta, ut videlicet Episcopi, Presbyteri, Diaconi post consecrationem à propriis uxoribus vel omninò abstinerent, vel gradum deponerent, surgens in medio Paphnutius ex illis Martyribus, quos Maximus Imperator oculis eorum dextris evulsis & sinistris suris incisis damnavit, contradixit, honorabiles confessus nuptias ac castitatem esse dicens connubium cum propria uxore, persuasitque Concilio, ne talem poneret legem, gravem asserens esse causam, quæ aut ipsis, aut eorum conjugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum expers, exposuit, Synodusque ejus sententiam laudavit, & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non in necessitate dimisit. Sunt verò aliqui, qui sanctum Gregorium suæ sectæ sumunt adjutorium, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim quòd periculosum hujus hæresis decretum à S. Gregorio factum condigno pœnitentiæ fructu postmodùm ab eo sit purgatum. Quippe cum die quadam in vivarium suum propter pisces misisset, & allata inde aliquot centena (plus quàm sex millia habet [illegible], sed videtur error esse in numero) infantum submersorum capita fuissent, intimâ mox ductus pœnitentiâ ingemuit, & factum à se de abstinentia violentum decretum tantæ cædis causam confessus, condigno illud, ut dixi, pœnitentiæ fructu purgavit, suoque decreto prorsus damnato Apostolicum illud laudavit consilium. Melius est nubere, quàm uri, addens ex sua parte, Melius est nubere, quàm mortis occasionem præbere, quem forsitan res eventum, si illi mecum legissent, non tam temerè, credo, judicarent, Dominicum saltem timentes præceptum; Nolite judicare & non judicabimini. Inde Paulus dicit, Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat aut cadit. Stabit

bit

bit autem, potens est enim Dominus statuere illum. Cesset ergò Sanctitas tua cogere, quod tantùm deberet admonere, ne privato, quod absit, præcepto tam Veteri, quàm Novo contrarius inveniaris Testamento. Nam, ut ait sanctus Augustinus ad Donatum, solum est, quod in tua justitia pertimescimus, ne non pro lenitatis Christianæ consideratione, sed pro immanitate facinorum censeas coercendum, quod te per ipsum Christum, ne facias, obsecramus. Sic enim peccata compescenda sunt, ut supersint, quos peccâsse pœniteat. Illud & Augustini volumus te recordari, quod ait: Nihil fiat nocendi cupiditate, omnia consulendi caritate; & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Idem de eodem. In timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicunque non habetis temporalia, habere non cupiatis; quicunque habetis, in eis non præsumatis. Dico autem non, si ista habetis, damnamini, sed si in istis præsumatis, damnamini, si propter talia magni vobis videamini, si generis humani conditionem communem propter excellentem unitatem obliviscamini. Quod nimirùm poculum discretionis ex illo fonte Apostolicæ hauseritis prædicationis: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem: alligatus es uxori, noli quærere solutionem, ubi & subditur. Qui habent uxores, tanquam non habentes, & qui utantur mundo, tanquam non utantur. Idem dicit de vidua, cui vult, nubat, tantùm in Domino. Nubere autem in Domino est, nihil in contrahendo connubio, quod Dominus prohibeat, attentare. Jeremias quoque ait: Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quod Hieronymus exponens, Potest, inquit, & hoc illis Virginibus convenire, quæ jactant pudicitiam suam impudenti vultu, præferunt castitatem, cùm aliud habeat conscientia, & nesciunt illam Apostoli definitionem de virgine, ut sit sancta corpore & Spiritu. Quid prodest corporis pudicitia, animo constuprato, si cæteras virtutes, quas Propheticus sermo describit, non habuerit? quas quidem, quia te aliquatenus habere videmus, & quia discretionem, licet in hac re neglectam, in aliis tamen vitæ constitutionibus eam honestè conservatam non ignoramus, hujus intentionis pravitatem citò correcturum non desperamus. Et ideò non quantâ possumus gravitate istam, licet gravissimam, negligentiam corripimus & judicamus. Quanquam enim secundum vocabula, quæ usus obtinuit, sit Episcopus Presbytero major, tamen Augustinus Hieronymo minor est, & à minori quolibet non est refugienda vel dedignanda correptio, præsertim cùm is, qui corripitur, & contra veritatem & pro hominibus niti invenitur. Neque enim, ut ait sanctus Augustinus ad Bonifacium, quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum virorum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habeat divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Quid autem magis contrarium veritati potest inveniri, quàm hoc, cùm ipsa veritas de continentia loquens, non unius hominis, sed omnium planè, excepto numero Professorum continentiæ, dicat, Qui potest capere, capiat. Quòd isti, unde nescitur, instigati dicant. Qui non potest capere, feriatur anathemate? Quid verò per homines fieri potest stolidiùs? Quid divinæ maledictioni obligatiùs, quàm cùm aliqui, vel Episcopi videlicet, vel Archi-Diaconi, ita præcipites sint in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum (proh dolor!) turpissimos amplexus sciant abhorrere, quòd casta Clericorum conjugia sibi dicant fœtere & ab eis non veræ justitiæ compassione Clericos, ut conservos, moneant continere, sed ut servos jubeant ac cogant abstinere? Ad cujus imperii, ne dicam consilii, tam fatuam, tam turpem addunt suggestionem, ut dicant. Honestius est pluribus occultè implicari, quàm apertè in hominum vultu & conscientia cum una ligari. Quod profectò non dicerent, si ex illo & in illo essent, qui dicit: Væ vobis Pharisæis, qui omnia facitis propter homines. Et per Psalmistam. Quia hominibus placent, confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos. Hi sunt homines, qui priùs deberent nobis persuadere, ut in conspectu ejus, cui omnia nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quàm in conspectu hominum mundi esse. Licet ergò meritò suæ pravitatis nullius consilium mereantur pietatis, nos tamen memores humanitatis divinæ, eis consilium autoritatis nunquam à pietate vacantis per viscera ministramus caritatis. Dicimus nempe, ejice primùm hypocrita trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut ejicias festucam de oculo fratris tui. Illud quoque rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de meretrice. Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat, quasi diceret. Si lex jubet, si Moses jubet, jubeo & ego, sed competentes legis Ministros exigo. Attenditis, quid auditis: attendite quæso & quid estis: quia, si teipsum, ut ait Scriptura, perspexeris, nulli unquam detraxeris. Significatum est nobis etiam de quibusdam eorum, qui tantâ apud se intumescant elatione, ut gregem Domini, pro quo boni Pastores animas non dubitant ministrare, isti verberibus absque ratione præsumant laniare, quorum sententiam S. Gregorius deplorans ait. Quid fiet de ovibus, quando Pastores lupi fiunt? Sed quis vincitur, nisi qui sævit? Qui verò persecutorem judicabit, nisi qui dorsum suum ad flagella patienter ministravit? Operæ precium est autem, ut audiatur, quo fructu tantum Ecclesia Dei scandalum, tantum Clerus despectum, & ab ipsis Episcopis, & ab eorum infidelibus patiatur. Nec enim eos infideles dicere dubitaverim, de quibus Apostolus Paulus dicit ad Timotheum. Quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere. Hic est autem si diligenter inspiciatur, totius errorum manipulus zizaniæ, totius Conventus infamia, ut dum Clerici licita unius mulieris consortia Pharisaico divinia, ut dum Clerici licita unius mulieris consortia Pharisaico devitant, quod absit furere, relinquere coguntur, fornicatores & adulteri & aliarum pravitatum turpissimi Ministri cum ipsis efficiantur. Qui hanc in Ecclesia Dei hæresin, sicut cæci Duces cæcorum machinantur, ut videlicet illud impleatur, quod Psaltes eis, ut pote eorum præscius erroris, taliter imprecatur. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Quia ergò nemo, qui te, ô Apostolice, novit, ignorat, quòd si tu per tui Decreti sententiam tantam futuram esse pestilentiam solidæ discretionis claritate perspexisses, nunquam quorumlibet tam pravis suggestionibus consensisses; debitæ tibi subjectionis fidelitate consulimus, ut vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia Dei propulsionem evigiles, & quæ nosti, discretionis disciplina, Pharisaicam ab ovili Dei expelles doctrinam, ne scilicet unica Domini Sunamitis adulterinis diutiùs usa maritis, gentem sanctam, regale Sacerdotium per irrecuperabile à suo Sponso, Christo videlicet, avellat divortium, dum nemo sine castimonia non tantùm in virginali flore, sed etiam in conjugali habita conjunctione, visurus sit Dominum nostrum, qui cum Deo Patre & Spiritu S. vivit & regnat per omnia secula seculorum, Amen. Extat hæc Epistola in Orthodoxographis Patrum pag. 481.

(Excipit Bellarminus lib. de Clericis cap. 22. Epistolam illam videri confictam, cum Udalricus creatus sit Episcopus Anno 924. ut Hermannus Contractus & Abbas Urspergensis docent, vel Anno 903. ut in Chronico Augustanæ Ecclesiæ scriptum, Nicolaus autem Papa I. obierit Anno 867. ut Onuphrius annotavit. Ergò Episcopus Udalricus non potuit scribere ad Papam Nicolaum I. Nec possunt duo statui Udalrici Episcopi Augustani, cum hujus assertionis nullum in Historiis extet vestigium. Falsum etiam est, quod autor illius Epistolæ asserit, Gregorium ademisse Sacerdotibus uxores. magis falsum, quòd decretum hujusmodi resciderit, falsissimum, quod in piscina Gregorii sex millia capita infantum sint inventa, cum in operibus Gregorii & aliorum Historiis nulla fiat istius rei mentio.

Resp. 1. Epistola illa Udalrici ante mota hac de re certamina publici juris facta est ex Bibliotheca Hollandiæ.

2. Hedio part. 3. lib. 8. Histor. Eccles. cap. 12. & ipse Æneas Sylvius, postea Pontifex Pius II. in sua Germania pag. 1053. ejus mentionem faciunt. Verba Æneæ Sylvii sic habent: Transivimus per Kemptam, Memmingam & Augustam, ubi S. Ulricus, qui Papam propter concubinas Sacerdotum reprehenderat, residebat, qui vixerat circa annum Domini 900. Confer ejusdem Æneæ Sylvii Apolog. ad Mayerum.

3. Idem Hedio d. l. duos Udalricos in Catalogo Episcoporum Augustanorum ponit, & Compilatio Chronologica Ann. 978. expressè testatur, quod duo fuerint Udalrici, ejusdem nominis & paris sanctitatis Episcopi Augustani, fieri igitur potest, ut de Episcopo Udalrico, Ann. 924. creato, Hermannus Contractus & Abbas Urspergensis loquantur, salvâ hujus Epistolæ veritate.

4. Vixisse temporibus Nicolai Papæ quendam Udalricum Augustanum Episcopum, constat ex Jacobo de Voragine in Historia Lombardica cap. 102. Udalricus, inquit, ex nobili Alemannorum genere ortus (in præfat. Orthodox. dicitur, quòd fuerit Comes Dillingensis) in Monasterio S. Galli enutritur, ubi dum habitum vellet accipere, ab inclusa prohibetur dicente sibi, quòd futurus esset Episcopus in Augusta. Item. Post multa miracula anno Domini 900. ætatis suæ 83. Ordinationis 50. migravit ad Dominum. Quare cùm Udalricus iste anno 850.

850. jam tum fuerit Episcopus, Nicolai Pontificis tum creationem, tum supremum diem videre potuit, ac porrò 33. annis superstes fuit.

5. Onuphrius itidem in Fastis Pontific. Ann. 858. immediatè sub Nicolai Pontificatu Udalrici Augustani Episcopi mentionem facit.

6. Nec potest falsitatis argui assertio, *quòd Gregorius Sacerdotibus conjuges ademerit*, nisi Bellarminus seipsum falsitatis arguere velit, superiùs enim cap. 19. inter Pontifices, qui Sacerdotum conjugia prohibuerunt, numerat Gregorium lib. 1. Epist. 42. & lib. 3. Epist. 34. idem statuentem. Nec decretum illud Gregorii ad solam Siciliam pertinuit, sed peculiariter ad Siculos directum fuit, quia ibi minùs observabatur, interim Romæ & alibi non fuisse legem cœlibatus Sacerdotibus impositam, ex eo minimè colligi potest.

7. Bertholdus Constantiensis Presbyter, qui vixit circa Annum 1100. in Appendice Hermanni Contracti de Synodo Romana sub Gregorio VII. Pontifice, habitâ Anno Christi 1070. sic scribit: *In hac Synodo Papa Presbyteros deinceps in fornicationem lapsos absque spe recuperationis deposuit. Et scriptum, quod dicitur Sanct. Udalrici, ad Papam Nicolaum de nuptiis Presbyterorum & capitulum Paphnutii de eadem re, imò omnia, sacris Canonibus adversa, damnavit.* Consequens igitur foret, jam tum Bertholdi ætate, qui sub Henrico IV. Gregorii contemporaneo floruit, Epistolam illam fuisse confictam. Ivellus Sarisbur. Episcopus tom. 2. oper. contra Hardingum pag. 172. de hac Udalrici Epistola sic scribit: *Ego tamen eandem Epistolam in membrana perscriptam vidi, vetere Scripturâ, luculentâ fide, nomen Volusiani Carthaginensis præferentem.*

8. Ne videatur incredibile, in uno Gregorii vivario aliquot centena infantum crania inventa esse, notandum, quòd Patrum nostrorum memoriâ simile quid acciderit, quando *in Comitatu Mansfeldensi in oppido* Gerbstadt *in piscina prope Monasterium inventa fuere trecentorum submersorum infantum crania.* Lutherus in Comment. cap. 4. Genes. pag. 54. cùm hujus Epistolæ Udalricianæ mentionem fecisset, subjungit: *Simile exemplum nostrâ ætate accidit. Cùm Moniales in Austria vico Closter Neumburg propter turpem vitam cogerentur mutare locum, & Monasterium Franciscanis habitandum concessum esset, atque illi pro sua commoditate ædificia quædam mutarent, inventæ sunt in fundamentis novis duodecim ollæ, quarum singulæ cadaver infantis habebant. Hujusmodi infinita aliàs passim acciderunt. Romæ quoque proter copiam puerorum expositorum erecta sunt Monasteria, quorum Pontifex Pater dicitur, & antecedunt eum proximi in processionibus publicis. Taceo infinita alia, quæ animus dicere reformidat.* Confer Hospinian. lib. 3. de Origine & progressu festorum Christianorum.)

Johannes Aventinus lib. 5. Annal. Bojor. p. 569. de Gregorio VII. qui sedit circa ann. 1073. quique conjugio Sacerdotibus interdixit, inter cætera sic scribit: *Hugo, Flamen Romanus, cum literis in Germaniam mittitur. Is, ubi eo venit, voluntate Cæsaris & Sigefridi Moguntini Pontificis in Vangionum urbe Quinquagenalibus Concilium cogit. Interfuêre omnes Episcopi Galliæ, Germaniæ, præter Saxonas. Lectæ sunt frequenti Senatu Epistolæ Flaminum primorum populi Romani: in quibus Hildebrandum ambitus & perjurii accersunt, eundem pleraque avarè, superbè facere conqueruntur, hocque rejecto, alium Pastorem postulant. Fit Patrum consultum hujusmodi. Hildebrandus, qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro adversus Imperatoris Romani rerum Domini à Deo constituti voluntatem, contra morem majorum, contra leges, contra auspicia, Pontificatum maximum, quem pridem ambivit & judicio convictus perpetuò abjuravit, invasit. Monachus desertor est, novis dogmatibus sacrosanctam Philosophiam adulterat, divinas literas falsò interpretando suæ causæ servire cogit, concordiam Collegii scindit, sacra profana, divina humana commiscet & utrumque juxta polluit. Diabolis, hoc est, acerbissimorum hominum spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem accommodat & credit. Testis, judex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab uxoribus separat; scorta pudicis conjugibus, stupra, incestus, adulteria casto præfert connubio, populares adversus Sacerdotes, vulgum adversus Episcopos concitat &c. Hasce ob causas sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus, populusque Christianus illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oves lupo committendas censent.* Huicque decreto non solum Germaniæ, Galliæque, sed Italiæ quoque Episcopi, conventu Ticini acto, subscripsêre, juraruntque, se nunquam Pontificem Maximum isthoc nomine recepturos.

Theodorus Balsamon Patriarcha & Archiepiscopus Antiochenus, (qui floruit circa annum 1185.) in Canon. Apostol. V. *Ante sextam Synodum, quæ fuit in Trullo, licebat Episcopis habere uxores, etiam post Episcopalem dignitatem, quemadmodum qui post matrimonium ordinantur Sacerdotes.*

Idem ad Can. 48. Trullensem. *Sancti quidem Apostoli in quinto Canone definientes; Episcopus, Presbyter vel Diaconus suam uxorem ne ejiciat, pietatis prætextu, concesserunt Episcopis post Ordinationem habere proprias uxores. Præsentis autem Synodi sancti Patres in duodecimo quidem Canone definierunt, quæcunque illic definita sunt. Nunc autem jubet eum, qui electus est Episcopus, ab ea, quam habet, uxore communi consensu separari.*

Durandus Episcopus Mimatensis, Autor Speculi Juris, vulgò Speculator dictus, in libro de modo celebrandi Concilii, (quem circa annum 1300. jussu Clementis V. Viennæ Concilium habituri conscripsit) part. 2. tit. 46. *Videtur utile, ut in Concilio matrimonium Sacerdotibus concedatur, cùm planè frustrà & incassum hactenùs sint ad castitatem coacti, cumque Græci Sacerdotes jus matrimonii habeant, idque etiam Apostolorum tempore in usu fuerit.*

Æneas Sylvius (postea Pius II. qui sedit circa ann. 1458.) lib. 2. de Concil. Basil refert, quòd cùm in Concilio Basileensi deliberaretur de eligendo Amadæo Sabaudiæ Duce in Pontificem Romanum, & obstare illi videretur, *quòd uxorem habuisset*, quidam Patrum in hæc verba proruperit: *Id autem, quod de uxore dicitur, nihili pendo, cùm non solùm, qui uxorem habuit, sed uxorem adhuc habens, queat assumi. Cur enim disputant Doctores, an uxoratus electus in Papam uxori solvère debitum teneatur, nisi quoniam etiam conjugatus recipi possit, fueruntque, ut scitis, etiam in matrimonio Pontifices? Nec Petrus Apostolorum Princeps uxore caruit. Quid ista modo objicimus? fortasse non est pejus Sacerdotes quamplures uxorari, quoniam multi salvarentur in Sacerdotio conjugato, qui in sterili Presbyteratu damnantur.*

Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Summa part. 3. tit. 1. cap. 21. *Episcopatus ex Natura sua non habet opponi ad matrimonium.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis Epist. 2. ad Bohem. de commun. sub una specie. *Consequenter in Novo Testamento visum est, post aliquot tempora* (ergò non statim ab Apostolorum temporibus, sed post aliquot demùm secula) *irrationale fore, quòd in sacris Ordinibus existentes contraherent, quod si facerent, separandos esse, qui tamen ante tanquam conjuncti à Deo separari non potuissent.*

Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus tom. 1. opusc. tract. 27. *Licuit in Ecclesia orientali matrimonium contrahere.*

Ib. *Nec ratione, nec autoritate probatur, quòd absolutè loquendo Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quin potiùs ratio ad oppositum ducit, quoniam nec Ordo, in quantum Ordo; nec Ordo sacer, in quantum sacer, est impeditivus matrimonii.*

Et postea concludit, *Sacerdotium non dirimere contractum matrimonii, sive ante, sive post, seclusis omnibus legibus Ecclesiasticis, stando tantùm in his, quæ à Christo & Apostolis habemus.* (At his nos unicè innitimur, nec illis sapientiores esse cupimus. Adducit ex Cajetano Gregorius de Valent. tom. 4. Disp. 9. qu. 5. punct. 5.)

Ambrosius Catharinus contra errores Cajetani errore 103. inter Cajetani errores etiam hunc recenset. *Papa potest dispensare cum Sacerdote occidentalis Ecclesiæ, ut uxorem ducat nullâ existente causâ publicæ utilitatis.*

Claudius Espensæus lib. 1. de continent. cap. 13. *Romanos Pontifices, Siricium inprimis & Innocentium, quibuscum Jovinianum execror.*

Et postea. *Proinde non intelligo, idque dictum summa cum reverentia, ut cætera, volo, quò sensu conjugii, præsertim ante Ordines sacros contracti, usum Cleri sui sanctimonia indignum & carnis esse immunditiem, in qua Deo placeri non possit, vocare non dubitarint. Nam Paulina, quæ allegant, vel immundis nihil esse mundum, vel, qui in carne sunt, Deo placere non possunt, non minùs ad Laicos, quàm ad Cleros pertinent, & prior locus se de infidelibus explicat,*

& posterior contra connubium alibi honorabile & impollutum vocatum facere non potest.

Andreas Dudithius QuinquEcclesiensis Episcopus excusationem ad Maximilianum II. Imper. edidit, in qua rationes affert, *cur Episcopatu & aliis honoribus abdicatis uxorem duxerit.* Huic Apologiæ adjunxit libellum, in quo demonstrat, *matrimonium omni hominum Ordini, sine exceptione, divina lege permissum esse.* Inter alia sic loquitur pag. 54. *Jure Naturæ in humana vita matrimonium receptum, cùm autem jure Naturæ communiter omnes homines uti possint, quid est, cur ejus usura certo hominum generi interdicatur?* Postea addit. *Neque tamen ii sumus, qui necessario omnibus utendum hoc jure naturali censeamus, sed qui contendamus, neminem ab eo arcendum. Est enim Naturæ jus duplex. Unum, quo utendum sit omnibus, alterum, à quo nemo prohibendus, cujus generis est matrimonium.*

Sub finem addit. *Nullo unquam tempore in vita tranquilliorem & pacatiorem animum habui; postquam ex illo impuri cœlibatus cœno DEI beneficio emergere me sensi, abjectis impiis illis cogitationibus, purgatâ jam conscientiâ meâ, magna lætitia efferor, quod translatum me video in sanctorum hominum numerum ex infelicium cœtu, qui libidinibus & vitæ sordibus cõtaminati in summa impietate consenescunt, quorum animos cùm perpetuò voluptates & impuræ cogitationes nunc in hanc, nunc in illam partem quasi fluctus quidam impellant, eò tandem deferuntur, ut malint aliorum uxoribus insidiari, virgines, viduas, omnis generis mulieres, ne quid deteriùs dicam, ad stuprum solicitare, scorta alere, eaque frequenter novis succedentibus permutare, quàm suam uxorem, ut Paulus præcipit, ad vitandam fornicationem habere.*

7. Scholastici.

Multi ex Scholasticis statuunt, *necessitatem cœlibatus sacris Ordinibus annexi non esse ex jure divino, sed tantùm humano.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 34. & 37. Thomas 2. 2. qu. 88. art. 11. Durandus lib. 4. sent. dist. 37. qu. 1. (Quod ex parte nostræ sententiæ suffragatur. Si enim cœlibatus non est jure divino sacris Ordinibus annexus, utique non potest esse *hæresis* & quidem *antiqua*, quod tamen asserit Bellarminus lib. de notis Ecclesiæ cap. 9. ubi dicit, *esse Vigilantii hæresin, Sacerdotes posse esse maritatos, cùm contrarium non extet in Scripturis.*)

Thomas in Summa, quæ incipit, Commiserationes cap 165. *Si Acolythus in secreta confessione ad discretum Sacerdotem veniat & se nullo modo posse continere dicat, non multùm peccat Sacerdos dando ei consilium, ut cum aliqua occultè matrimonium contrahat & occultè Episcopi sui oculos fallat. Si verò postea sacros Ordines à Prælatis cogatur accedere, credimus, minus esse periculum uxore uti, quàm cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.*

Johannes Scotus 4. sentent. dist. 36. quæst. 1. *Si votum continentiæ est annexum Ordini sacro solùm ex præcepto Ecclesiæ, sequitur, quòd non simpliciter illegitimat ad contrahendum.*

Wendelinus Stambachius Supplemento Bielis q. 2. dist. 24. *A voto continentiæ, quod faciunt ordinandi, possunt, accedente dispensatione Papali, liberari. Imò sicut Ecclesia statuit, quòd sic fieri debeat, ita posset ipsum tollere & retractare.*

(Ergò cœlibatus non est jure divino sacris Ordinibus annexus.)

8. Imperatores, Reges, Principes, ac eorum Legati.

Rodericus Toletanus memorat, *Vitissam Regem Hispaniæ circa annum 707. Sacerdotibus permisisse matrimonium, rejectis Constitutionibus Pontificiis.*

Constitutio Caroli Magni *de Sacerdotibus, qui plures uxores habuerint, Sacerdotio privandis, eò quòd sint deteriores cæteris Christianis*, extat lib. 7. Capitulor. cap. 93. pag. 1062. (Ex plurium verò uxorum prohibitione rectè arguitur, ipsos unam jure habuisse.)

Lib. ejusd. cap. 384. *Clerici castimoniam inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur.*

Sub tempus Concilii Basileensis anno circiter 1430. quosdam reformationis articulos Imperator Sigismundus instituit, (qui postea Argentinæ excusi sunt anno 1520.) in quibus inter cætera etiam hoc habetur. *Plus mali, quam boni ex Calixti decreto in Ecclesia secutum est. Melius & animæ tutius est, ut juxta ritum Ecclesiæ orientalis Clericis licentia concedatur honesta matrimonia contrahendi.*

Ferdinandus I. Imperator, Henricus II. & Carolus IX. Galliarum Reges in Concilio Tridentino per suos Legatos strenuè laborârunt, *ut matrimonii ineundi libertatem Sacerdotibus impetrarent.*

Alberti Ducis Bavariæ Legatus in eod. Concilio liberè pronuntiavit, *requiri, ut more primitivæ Ecclesiæ docti mariti & ad docendum instructi admittantur ad sacros Ordines, præsertim verò ad prædicandum & amplificandum populo verbum DEI. Legis enim divinæ cùm non sit, ut oporteat hominem Sacerdotem esse cœlibem, siquidem constet veterum monumentis atque Historiis, maritos sacris Ordinibus initiatos esse & non modo ad Sacerdotii dignitatem, sed etiam ad sublimitatem Episcopi pervenire.* Videatur liber nominum Patrum Concilii Tridentini & Orationum à Legatis habitarum.

Finito Concilio Trident. Imperator *Ferdinandus* ad Pontificem dedit literas, in quibus inter alia sic scripsit: *Ad conservandas reliquias religionis in Imperio & extirpandas hæreses magnum momentum allaturum, si concedatur, ut ii Sacerdotes, qui, quòd uxores duxissent, segreges facti sunt, reconciliari possint, uxoribus retentis: utque inposterùm in tanta Sacerdotum cœlibum penuria admittantur ad Sacerdotium conjugati probatæ vitæ & existimationis. Id se tum suo, tum Ducis Bavariæ generi sui nomine petere, persuasum rem dignam pietate ipsius & sibi gratissimam facturum.*

Dux Bavariæ ejusdem argumenti literas ad Pontificem exaravit, in quibus rogabat sanctitatem ejus, *ut saltem ad aliquod tempus per eam liceat Sacerdotes conjugatos, retentis suis uxoribus, Ecclesiæ reconciliari, etiam eos, qui mariti sunt, ad sacra ministranda ordinari.*

Hisce literis adjunctum erat Commentariolum quoddam, sive memorialis libellus à Theologis Catholicæ religionis in Germania conscriptus hisce ferè verbis: *Negari non posse, sacram utriusque Testamenti Scripturam uxores Sacerdotibus permittere. Nam Apostolos (paucis fortè exceptis) uxoratos fuisse; nec reperiri, quòd Christus post eorum vocationem mandârit, ut se ab uxoribus separarent. In Ecclesia primitiva tam Orientali, quàm Occidentali matrimonia Sacerdotum fuisse libera & licita usque ad Papam Calixtum, nec jura civilia Clericorum conjugia improbare. Id quidem nemini dubium, Cœlibatum in Clero meliorem esse, magisque optabilem: sed propter Naturæ fragilitatem & servandæ continentiæ difficultatem paucos reperiri, qui stimulos carnis non sentiant. Hinc esse, quod Eusebius narrat de Dionysio Corinthio, cum admonuisse Quintum Pinytum Episcopum, ut infirmitatis multorum rationem haberet, nec onus cœlibatus tanquam necessarium fratribus imponeret. Et Paphnutium in Concilio Niceno dicentem, castitatem esse cum propria uxore concubitum, persuasisse Concilio, ne talem de cœlibatu legem sisceret. Et sextam Synodum Constantinopolitanam non prohibuisse uxorum consortium, nisi quo tempore offerendum ipsis erat sacrificium. Quòd si Ecclesia unquam causa fuit permittendi Clericis conjugium, hoc seculo esse. Ex quinquaginta Sacerdotibus vix unum reperiri, qui non sit scortator notorius. Neq; Sacerdotes tantùm matrimonium expetere, sed etiam seculares, ne illam vitæ turpitudinem in Clericis videant, imò ob hanc causam Ecclesiarum Patronos beneficia sua non nisi conjugatis conferre. Magnam esse inopiam Ministrorum ob solum matrimonium vetitum. Ecclesiam aliàs hanc ipsam ob causam severitatem Canonum relaxâsse; Pontificem confirmâsse in Episcopum Cæsaraugustanum quendam uxorem & liberos habentem, & bigamum promovisse ad Diaconatum, & propter Episcopi defectum Sacramentum etiam Confirmationis Presbyteris simplicibus commisisse. Quare multis Catholicis & ante hæc tempora visum esse, & adhuc meliùs videri, cum lege de continentia dispensare, matrimonio in libertate relicto, quàm eâ retentâ fenestram immundissimo cœlibatui aperire. Præsertim cùm teneat Cardinalis Panormitanus, cœlibatum non esse de substantia Ordinis, neq; de jure divino: imò pro bono & salute animarum fore, matrimonium concedere: nec deesse eam in rem exempla veteris Ecclesiæ in Concilio Ancyrano & Adami, Eupsychiiq; Cæsariensis Presbyterorum, satis liquere, Papam, quoad Sacerdotales Seculares dispensare posse: quod nonnulli etiam extendunt ad Regulares. Videri perquam absurdum, non admittere Cleros uxoratos & tolerare fornicarios: utrosq; verò amovere, esse* Mi-

Ministris velle cavere. Quòd si omnino voto castitatis astringendi sunt, non alios, quàm provectæ ætatis Ordini sacro adscribendos. Nec esse justam causam cœlibatus mordicus retinendi conservationem bonorum Ecclesiasticorum, cum haud æquum sit, conservandis bonis temporalibus tantam animarum jacturam facere, præterquam quod eorum indemnitati alia ratione provideri queat. Hæc, si fierent, haud dubiè brevi explosum iri ex Ecclesia concubinatum, & sublatum illud scandalum, quod hactenus multos offendit. Petrus Suavis lib. 8. Concil. Trident. pag. 961.

Maximilianus II. Imperator in Rescripto de conjugio Sacerdotum ad Pium IV. Pontif. inter cætera sic loquitur: *Licet planè persuasum habeamus, Sanct. V. post reditum Nuntii sui Reverendi Episcopi Vintimelliensis absq; ulteriore dilatione, eum, quem optamus, finem impositurum esse negotio Presbyterorum conjugatorum responsionis ea in re pro præsentis temporis statu ineundæ, de quo jamdudum cum Sanctitate vestra Serenissimus & Potentissimus quondam Princeps Dominus Ferdinandus Electus Rom. Imper præclarissimæ memoriæ Dominus ac genitor noster observandissimus tractare cœpit & nos quoq; post obitum Majestatis suæ accuratè egimus: quia tamen res ejus est momenti, ut omnem moram excludat propter multas & gravissimas causas, quas Sanctitas Vestra jam anteà sæpiùs intellexit, & nunc rursus tam à præfato Episcopo Vintimilliensi, cum quo satis copiosè hac de re locuti sumus, quàm Oratore nostro Magnifico, fideli & dilecto Prospero Comite ab Archo, intelligere poterit, non dubitavimus, Sanctitatem Vestram de ejuscemodi negotio per præsentes literas nostras, atque etiam per jam dictum Oratorem nostrum denuò officiosè interpellare. Itaque Sanctitatem Vestram summo studio rogamus, ut hujusmodi filialem interpellationem ac petitionem nostram (de conjugio Sacerdotibus concedendo) ex integerrimo animo ac propensissimo ad promovendam Ecclesiæ Catholicæ unitatem & quietem studio ac Zelo profectam, non mòdo in meliorem partem accipiat, verùm etiam absque ulteriore cunctatione paternè atque benevolè admittat &c.*

(Integra Epistola extat apud Melchiorem Goldastum tom. 2. Constit. Imperial. pag. 380. qui ibidem subjicit, *quasdam Cæsareæ Majestatis Considerationes super matrimonio Sacerdotum Patribus Concilii Tridentini transmissas*, quarum summam recensuit Petrus Suavis loco priùs citato. Subjicit autem Goldastus iisdem. *Has Considerationes neque caput, neque pedes habentes ita reperi, quas à Maximiliano Cæsare ad Pontificem missas esse autor est Thuanus*, lib. 36. *In Andr. Duditii Episcopi Quinqueecclesiensis opusculis notavi easdem ipsissimis verbis ab Alberto Bavariæ Duce ad Cardinalem quendam missas fuisse, per manus porrò cæteris Cardinalibus communicandas.* Ergò Considerationes illæ ex Petro Suavis recensitæ probatæ fuerunt tum à *Ferdinando I. & Maximiliano II.* Imperatoribus, tum ab Alberto Bavariæ Duce.)

Inter postulata quinque, quæ Legatus Regis Poloniæ sui Regis, Regnique nomine Paulo IV. exhibuit ann. 1556. tertium fuit *de Sacerdotum conjugio.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trident. pag. 466.

9. Historici, qui introductionem legis de cœlibatu Sacerdotum descripserunt, ac Poetæ.

Circa annum 950. quidam in Anglia *Sacerdotum connubia* strenuè propugnarunt, quibus Dunstanus Episcopus, opitulante Odgaro Principe, sese opposuit, referente Polydoro Virgilio lib. 6. Hist. Anglicæ.

Anno millesimo quinquagesimo nono etiam *Mediolani* in media Italia nondum cœlibatus obtinuerat, ac Petrum Damianum necesse fuit eò proficisci Nicolai II. Pontificis nomine, cujus Legationis Historiam ab ipso Baronius descripsit tom. 11. *Erat*, inquit, *inter Clerum & populum propter duas hæreses, Simonitarum videlicet & Nicolaitarum satis turbulenta seditio. Nicolaitæ autem dicuntur Clerici, qui contra castitatis Ecclesiasticæ regulam fœminis adnisćentur, qui planè tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercii copulas ineunt: tunc Nicolaitæ jure vocantur, cùm hanc lethiferam pestem velut ex autoritate defendunt. Vitium quippe in hæresin vertitur, cùm perversi dogmatis assertione firmatur. Perfecit igitur, ut ejus urbis Archiepiscopus sponderet non iri ampliùs toleratum Presbyteros conjugatos. Verba sponsionis hæc erant. Nicolaitarum quoque hæresin nihilominus condemnamus, & non modò Presbyteros, sed & Diaconos & Sub-Diaconos ab uxorum vel concubinarum fœdo consortio nostris studiis, in quantum possibilitas nobis fuerit, arcendos esse promittimus.* Exegit etiam à Clericis jusjurandum. *Anathematizo generaliter omnes hæreses, extollentes se adversus sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, specialiter verò Simoniacam.*

Et posteà, *Deinde Nicolaitarum æquè abominabilem hæresin, quæ impudenter latrat, sacri altaris Ministros debere vel posse licenter uti conjugibus, quomodo & Laicos. Unde, quia his diebus hæ duæ hæreses, scilicet Simoniacorum & Nicolaitarum graviùs Ecclesiam Dei vexant & impugnant: Simoniacos omnes & Nicolaitas cum dogmatum autoribus Sectatoribusque suis æterno anathemate dignos esse pronuncio.*

Anno septuagesimo tertio supra millesimum Gregorius VII. eandem, quam ita vocabat, *hæresin Nicolaitarum*, id est, Sacerdotum conjugia magno impetu impugnabat, sed *Sacerdotes magno animo resistebant.*

Mutius lib. 15. Histor. *Sacerdotes omnes uno consensu respondebant, se sua omnia subjicere judicio Ecclesiæ, nec ab ea unquam dissensuros, modo non aperte contra Domini institutionem faciat. Conjugium, cui essent divinâ constitutione fideque data obstricti deserere aut abjurare non posse, nec minùs post fidem datam sacerdotio, se ministerio altaris abdicare posse. Et multa pro conjugio adversus coactum cœlibatum adducebant, & quò quisque vir melior aut Sacerdos sanctior, hoc pluribus vehementiùs repugnabat.*

Lambertus Schaffnaburgensis in Chronic. anno 1074. pag. 201. edit. Francofurt. anno 1566. refert, *Cùm Gregorius VII. Hildebrandus priùs dictus, legem promulgaret, ut Presbyteri uxores suas legitimas, quas habebant, aut dimitterent, aut sacerdotio se abdicarent, quòd adversus hoc decretum protinùs vehementer infremuerit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait, non omnes capiunt verbum hoc, & Apostoli, qui se non continet, nubat, meliùs est enim nubere, quam uri, violentâ exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum Naturæ cursum negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret, quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quàm conjugium deserere, & tamen visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset.* (Quæ verba Lamberti Schaffneburgensis sine ulla variatione repetit Nauclerus tomo 2. generat. 36. fol. 160.)

Cumque Præsul Moguntinus in Synodo Moguntina postulatum Romani Pontificis de deserendo vel conjugio, vel Sacerdotio repeteret, Sacerdotes unanimi voce ex verbo Dei protulerunt illustria dicta confirmantia Sacerdotum conjugia, deinde exempla Ecclesiæ Christi, tertiò. rationes plurimas & consuetudinem veterem ac diuturnam.

Cum anno sequente 1075. alia Synodus Moguntiæ cogeretur, in qua denuò Præsul Pontifici Romano morem gerens conjugio Sacerdotibus interdicere vellet, Clerici manibus totiusque corporis commotione adeò in eum debacchati sunt, ut ægrè Synodo excederet vivus.

(Hujus rei etiam mentio fit in Augustana Confessione in artic. abusuum in cap. de Conjugio Sacerdotum. *In Germania* (inquiunt Confessores) *primùm ante annos quadringentos Sacerdotes vi coacti sunt ad Cœlibatum, qui quidem adeo adversati sunt, ut Archi-Episcopus Moguntinus publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re pene ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit.*

Cumque in Comitiis Augustæ coram universis Imperii Ordinibus Cæsari legeretur ista Protestantium Confessio, & ad hunc textum deveniretur, Ferdinandus Romanorum Rex interrogavit Archiepiscopum Moguntinum, *de facti illius veritate*, respondit ille: *Ita, verum est.*

Sigebertus Gemblacensis, cùm in Historia anni 1074. interdicti, quo Gregorius VII. Sacerdotibus matrimonium prohibuit, meminisset, subjicit. *Uxoratos Sacerdotes à divino officio removit & Laicis Missam eorum audire interdixit, novo exemplo, &, ut multis visum est, inconsiderato præjudicio contra sanctorum Patrum sententiam*, ibidemque *multa incommoda* recenset ex illo decreto orta. *Continentiam*, inquit, *paucis tenentibus aliquibus, eam modò causâ quæstus ac jactantiæ simulantibus, multis incontinentiam perjurio ac multiplicitori adulterio cumulantibus, ad hoc hac oportunitate Laicis insurgentibus contra sacros Ordines, & se ab omni Ecclesiastica subjectione eximentibus, Laici*

sacra mysteria temerant & de his disputant, infantes baptizant, & ut in uno cætera perpendas, Laici corpus Domini Presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcaverunt & sanguinem Domini voluntariè effuderunt. Ex Sigeberto eadem descripsit Vincentius lib. 26. cap. 45.

Johannes Aventinus lib. 5. Annal. Bojorum pag. 346. in Historia Gregorii Hildebrandi dicti, anno 1080. sic scribit: *Sacerdotes illo tempore uxores publicè sicut cæteri Christiani habebant, filios procreabant sicut in instrumentis donationum, quæ illi templis, Mystis, Monachis fecêre, ubi hæ nominatim cum conjugibus testes citantur & honesto vocabulo Presbyterissæ vocantur, invenio.*

Ibid. Postquam recitâsset edicta Gregorii VII. contra conjugium Sacerdotum, subjungit. *Gravissima itaq; Seditio* (ex interdicto Sacerdotum conjugio) *gregem Christi perculit, nec unquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ adversus Pontifices, populus adversus Sacerdotes, prophani adversus initiatores sævire, omnia divina & humana permisceri cœperunt. Viri, mulierculæ, ut quisq; maximè avarus, ambitiosus, aut invidus erat, bella, lites, odia amabat: levi admodum suspiciuncula excitata, Sacerdoti suo resistendi, bona templi diripiendi ansam præripiebant, populares, Sacerdotulos, qui uxores habebant, floccifaciebant, religionem polluebant, sacra temerabant, lustricâ aquâ passim expiabantur, decimas igni concremabant, sacrosanctam hostiam (horresco referens) à mystis, qui conjuges habebant, consecratam in lutum abjiciebant, pedibusque conculcabant. Tales enim non esse Sacerdotes, neq; sacrificare Hildebrandus docebat. Hincque, occasione abrepta, multi falsi Prophetæ nebulas offundunt, fabulis, miraculis, quæ exempla vocantur, à veritate plebem Christi avertunt, sacras literas interpretando suo negotio servire cogunt. Porrò paucissimis Veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatis jactantiam, quæstus ergò simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria, passim & impunè committunt.*

Pag. 349. Anathematis, quo Gregorium VII. interdicti hujus autorem Germaniæ & Galliarum Episcopi percusserunt, causas recitans, inter cætera eos sic scripsisse memorat. *Novis dogmatibus sacrosanctam Philosophiam* (Theologiam) *adulterat, divinas literas falsò interpretando suæ causæ servire cogit, concordiam Collegii scindit, sacra prophana, divina humana commiscet, utrumque juxta polluit. Diabolis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat, & credit. Testis, judex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab uxoribus separat, scorta pudicis conjugibus, stupra, incestus, adulteria casto præfert connubio, populares adversus Sacerdotes, vulgum adversus Episcopos concitat.*

Pag. 355. de eodem Gregorio. *Sacerdotibus quoque connubiis interdicit, vetat populum sacrificiis eorum interesse, aut illos pro Sacerdotibus ducere. Gratissima hæc fuerunt scortatoribus, quibus pro una uxore sexcentas mulierculas inire licet. Sed isthæc omnia plerisque Episcopis, aliis eruditis, simplicibus, apertis atq; bonis, præter conjuratos, qui suæ causæ serviebant, Pontificis novum dogma, pestifera hæresis, quæ unquam conturbâsset regnum* (Christianum,) *visa est. Quamobrem Italiæ, Germaniæ, Galliæ Pontifices, quinquagenalibus Moguntiaci septimo Calendas Julii apud Brixinam Bojariæ (ut ait Otto Fruxinensis Episcopus) urbem conveniunt, Hildebrandum contra pietatem Christianam verbis factis facere, agere decernunt, eundem ambitus, hæreseos, impietatis, sacrilegii condemnant, hujuscemodique decretum tum factum est &c.*

Lites nutrit, inter conjuges divortia facit. Suavis homo Sacerdotes, qui uxores habebant legitimas, sacrificos esse pernegat, interim tamen scortatores, adulteros, incestuosos aris admovet. Quicquid usquam pacis Christianæ fuit, labefactavit. Nos ergò, autore Deo Optimo Maximo, eundem Pontificem Maximum amovendum decernimus.

Huldericus Mutius lib. 15. Historiæ Germanicæ de zelo, quem Germani & Galli tunc temporis exerebant, sic scribit: *Sacerdotes non uxoratos observabant, deprehensos scortatione sententiis ex Bibliis & Pontificum constitutionibus confutabant & accusabant palam coram populo. Conferre jubebant scortatorem, meretricis Satanæque membrum, & maritum castè viventem, & liberos juxta institutionem Dei educantem. Breviter, erat magna illo tempore in Ecclesia occidentali turbatio. Cœlo miscebatur terra. Atque hæc discordia fecit, ut multi orientali Ecclesiæ accesserint.*

Nauclerus tom. 2. memorat, cùm Gregorius VII. cœlibatum obtrudere conaretur Sacerdotibus Germaniæ, *quòd Constantiensis Episcopus se opposuerit;* Hirsfeldense Chronicon annotat, *quòd Clerus Germanus infremuerit, clamitans, Hildebrandum hominem planè hæreticum & vesani dogmatis esse, qui oblitus sermonis Domini, violentâ actione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum cursum negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret.*

In Concilio Wormaciensi circa annum 1076. & Brixino circa annum 1080. *Episcopi Germaniæ, Italiæ & Galliæ Hildebrandum solio dejiciendum decreverunt,* inter alias hæc causa allata, *quòd Sacerdotes legitimè conjugatos Sacrificos negârit, scortatores autem & adulteros aris admoverit.*

Balæus & Polydorus Virgilius testantur, *conjugia Sacerdotum in Britannia usque ad annum 1100. retenta fuisse.*

Circa annum enim 975. in Synodo Wintoniensi *Sacerdotes Anglicani ex verbo Dei & exemplis primitivæ Ecclesiæ demonstrarunt, licitum esse Sacerdotibus conjugium.*

Henricus Huntington lib. 5. & Rogerus Cestrensis lib. 7. referunt, quòd anno 1102. *Anshelmus Cantuariensis Episcopus sub Paschali secundo Concilium Londini celebraverit, in quo prohibuerit uxores Sacerdotibus, antea illic non prohibitas. Id verò* inquiunt, *quibusdam mundissimum visum est, quibusdam periculosum, ne dum munditias majores appeterent, in immunditias horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent &c.*

Sequenti anno rumores & querimoniæ ad Anshelmi aures pervenerunt, quòd ex *damnato Sacerdotum conjugio scelus horrendum, nempe Sodomiticum passim per Angliam regnaret,* quod convocatâ aliâ Synodo pœnis, sed justo levioribus subjecit.

Ivellus Sarisbur. Episcopus tom. 2. Operum fol. 396. adducit locum ex Anshelmi Dialogo Inquisit. prima, inter Præceptorem & discipulum, qui sic habet: *Desideramus certificari tuâ solutione super vulgari in toto orbe quæstione, quæ ab omnibus pæne quotidie ventilatur & adhuc his indiscussa celatur. An liceat Presbyteris post acceptum Ordinem uxores ducere.* Ex quo colligit, Anshelmi ætate, quæ mille admodum annos à Christo erat, de hac re quæsitum, nec etiam tum fuisse judicatum. Hardingus quidem negat *extare ejusmodi Dialogum Anshelm,* sed Ivellus ipsi respondet. *Ut tu Dialogum illum nunquam videris, ego vidi tamen, & si quis tuorum sit, qui, ut melius animo suo satisfaciat, videre expectat, eum ego voti compotem reddere possum. Multi libri ab Anshelmo scripti nondum unquam sub prælum venerunt. Abbas Trithemius de script. Ecclesiæ post longum librorum illius catalogum, ad extremum: Alia plura, inquit, scripsisse dicitur, quæ ad meam notitiam non venerunt &c.*

De Celso Armachano Archi-Episcopo & totius Hyberniæ Primate circa annum 1220. refert Balæus, *quòd more in Hybernia recepto in ipso Archi-Episcopatu uxorem & liberos habuerit.*

Anno 1128. cùm in Synodo Londinensi Johannes Cremensis Cardin. Legatus Pontificius, indignis verbis in Sacerdotes uxoratos fuisset invectus, opposuerunt Sacerdotes, *verbum Dei, Ecclesiæ veteris observationem, nec non conscientiæ rationem.* Sed paulò post Sacerdotes eum cum scorto deprehensum palam traduxerunt.

Circa annum 1129. in Concilio Londinensi Henricus Angliæ Rex *permisit Sacerdotibus conjuges suas retinere, frustra contradicentibus Archi-Episcopis, Episcopis & Abbatibus in Concilio congregatis, qui potiùs fornicationes, quam conjugalem cohabitationem tolerabant.* Matthæus Parisiensis lib. 5. Chronicorum.

Georgius Princeps Anhaldinus ex Chronicis Bohemorum, qui circa annum 930. Christiani facti fuerant, hæc verba transscribit: *Anno Domini 1196. Petrus Cardinalis in Bohemiam veniens, dum Scholasticos voluit ordinare, à Sacerdotibus & Prælatis propè occisus fuit, ideò quòd Sacerdotes jubebat uxores à se dimittere.*

Circa annum 1200. in Dania quidam persuadere voluerunt populo, *ut Sacerdotibus conjugia decerneret,* referente Saxone Grammatico lib. 15. Daniæ.

Balæus 4. Cent. cap. 1. ex Saxone Grammatico annotat, quòd seculo decimo tertio *Rex Daniæ Pontificales decimas extra- tus Sacerdotibus conjugia decreverit, & illorum sacra sibi, exploso Pontificis ministerio, sufficere prædicârit.*

Vin-

Vincentius lib. 13. cap. 25. *Phileas de civitate Thmui, nobili genere & non parvis opibus, suscepto Episcopatu (in Ægypto,) uxorem habuit & liberos.*

In Papam Calixtum Sacerdotibus conjugio interdicentem circa annum 1120. hi conscripti sunt rythmi:

O bone Calixte mundus totus perodit te,
Quondam Presbyteri poterant uxoribus uti,
Hoc destruxisti, postquam tu Papa fuisti.
Ergò tuum meritò nomen habent odio.

Item: *Prisciani regula penitùs cassatur,*
Sacerdos per hic & hæc olim declinabatur,
Sed per hic solummodò nunc articulatur,
Cùm per nostrum Præsulem hæc amoveatur.
Zacharias habuit prolem & uxorem,
Per virum, quem genuit, adeptus honorem,
Baptizavit etiam nostrum Salvatorem,
Pereat, qui tenet novum hunc errorem.
Paulus ad cœlos rapitur superiores,
Ubi multas didicit res secretiores,
Ad nos tandem rediens, instruensque mores,
Suas (inquit) *habeant quilibet uxores.*
Propter hæc & alia dogmata Doctorum
Reor esse meliùs & magis decorum,
Quisque suam habeat & non proximorum,
Ne incurrat odium vel iram eorum &c.

Gebolibum, vel Gerbilionem, *Bonifacius in Germaniam veniens, reperit Episcopum Moguntinum in conjugio viventem, Geraldi itidem Episcopi Moguntini filium*, teste Aventino lib. 3. Annal. Bojorum pag. 171.

Paschasium Curiæ Rhetorum Episcopum circa Annum 760. Caspar Hedio lib. 8. Histor. Eccles. scribit, *habuisse legitimam uxorem, cujus adeò ipsum non puduerit, ut voluerit nomen ipsius in principio quorundam diplomatum addi & exprimi, & quidem honesto titulo, quòd esset antistita seu Episcopa Curiensis.*

De *Canonicis Augustanis* Caspar Bruschius refert, *quòd ducentis post Nicolaum I. Pontif. annis usque ad Gregorium VII. in conjugio vixerint.*

De *Monachis Cœnobii Fuldensis* memorat idem Bruschius lib. 2. de Monast. Germ. quòd *sub Abbate Hadamario matrimonia contraxerint.*

De Ottone Episcopo Constantiensi memorat Udalricus Mutius lib. 15. Hist. Germ. quòd *infensos habuerit scortatores, patrocinatus autem fuerit conjugio Sacerdotum.*

Antoninus part. 2. Hist. cap. 3. ad Historiam Paphnutii in Concilio Niceno legi continentiæ resistentis sic annotat: *Occidentales, si contraxissent, ante susceptionem Ordinis sacri, non poterant uti tali matrimonio: & hoc à tempore Innocentii & Siricii, qui continentiam, quantum ad hoc indixerunt Diaconibus. Antea poterant Occidentales, sicut & Orientales, uti jam contracto, ante Ordinationem in Sacris.*

Polydorus Virgilius lib. 5. de rer. inventorib. cap. 4. postquam ex Epistolis Pauli & Patrum dictis conjugium Sacerdotum probâsset, tandem subjicit: *Hunc Apostolicum contrahendi matrimonii ritum diu servatum constat, at postea res astricta est &c. Occidentalibus paulatim est conjugium abrogatum. Siricius enim primus* (nota, *Sacerdotibus & Diaconis, ut ait Gratianus dist. 82. conjugio interdixit, qui circiter annum salutis humanæ 387. sedere cœpit.*

Ibid. *Ita aliis denique super aliis promulgatis legibus non ante Pontificatum Gregorii VII. qui anno salutis 1074. est Pontifex creatus, conjugium adimi occidentalibus Sacerdotibus potuit, quod verissimum esse testatur Leo IX. qui paulo ante istum Gregorium Sedem tenuit Apostolicam.*

Lib. ejusd. cap. 5. *Illud dixerim, tantùm abfuisse, ut ista coacta castitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus Ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impresserit, attulerit, quàm Sacerdotum libidinis labes, proinde forsan tam ex Reipubl. Christianæ, quàm ex Ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii Sacerdotibus restitueretur, quòd illi sine infamia sanctè potiùs colerent, quàm spurcissimè ejusmodi Naturæ vitio turpificarent.*

Idem lib. 6. Historiæ Anglicæ. *Osualdus Floriacensis Monachus creatur Vigorniensis Episcopus, ac deinde Eboracensis Archiepiscopus, cui in Vigorniensem Episcopum Dunstanus successit. Tantum Princeps tribuit istorum Præsulum doctrinæ ac vitæ sanctitati, quam illi præ se ferebant, quemadmodum Monachi tale quid interdum miro artificio facere sciunt, ut partim eorum rogatu adductus, partim commotus, quod Principes Sacerdotes adhuc suas retinerent uxores, contrà atque Patres paulo ante decrevissent, bene multis fatigaverit precibus Johannem decimum tertium Romanum Pontificem, quo bonis de causis, quas Monachi ex usu suo investigarant vellet concedere, ut ipsis liceret Apostolicâ autoritate ejicere ex Vintoniensi & Vigorniensi Collegio Presbyteros, quos seculares vocant Canonicos, atque in eorum locum suos inducere Monachos, quod & impetravit.*

(Hic Johannes XIII. Pontificatum iniit anno 965. Ergò illo adhuc tempore Principes Sacerdotes in Anglia suas retinebant uxores.)

Johannes Baptista Mantuanus lib. 1. Fastorum de Hilario Pictaviensi sic canit:

Integritas vitæ, legum prudentia, cultus
Cœlituum, tutela inopum, diadema, pedumque
Pictaviense tibi, dum nil mortalia curas,
Dum vivis tibi sorte tuâ contentus, ab omni
Ambitione procul, populo applaudente tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta toro. Non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas &c.
Propterea leges, quæ sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent. Prudentia Patrum
Non satis advertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid valeat Natura pati, Cervicibus ajunt
Hoc insuave jugum nostris imponere Christus
Noluit, istud onus, quod adhuc quam plurima monstra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutiùs esse volunt, quà lex divina sinebat
Ipse viâ, veterumque sequi vestigia Patrum,
Quorum vita fuit melior cum conjuge, quàm nunc
Nostra sit exclusis thalamis & conjugis usu.

(Idem de Hilario testatur Fortunatus in ejus vita.)

Idem Baptista Mantuanus de Gregorio Nazianzeno:

Præsule Patre satus, nam tunc id jura sinebant
Pastorale pedum gessit post funera patris.

In præfatione præfixa operibus Gregorii Nysseni editionis Parisiensis hæc habentur: *Ipse Gregorius libro, quem de Virginitate scriptum reliquit, videtur apertiùs innuere se conjugem, non cœlibem fuisse.* (Confer ipsum Gregorium Nyssenum lib. de Virginit. cap. 3. cui tale præfixum argumentum. *Commemoratio difficultatum ac molestiarum, quæ à nuptiis existunt, quâ in re demonstratur idem is, qui Orationem hanc conscripsit, cœlebs non fuisse.* & Nicephorum lib. 11. cap. 19.)

Rolvvinckius in Fasciculo temporum ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum quartum. *Gerhardus I. Episcopus Laudunensis vir sanctus habuit primò uxorem, quam dimittens & iteratò admittens genuit ex ea virum sanctum Latronem, qui ei in Episcopatu successit.*

Idem ad annum quadringentesimum sexagesimum quartum. *Germana Dativa Leontia filia sancti Germani Episcopi.*

In Polonia regno Sacerdotes usque ad annum Christi 1219. uxores habuisse ex Annalibus, in quibus Archi-Episcoporum & Episcoporum Polonorum vitæ descriptæ sunt, demonstrari posse asserit Andreas Dudithius Imperat. Maximiliani II. in Poloniam Legatus in demonstr. pro conjug. Clericorum p. 60.

Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatinus lib. 2. de Rep. Eccles. cap. 10. n. 73. observavit ex Novella 3. Leonis, *quod tempore Leonis VI. Imperatoris circa annum Christi CM. Sacerdotes biennio post assumtum Sacerdotium uxores ducere consueverint, quam consuetudinem Leo ibi immutat.*

Sed nec *in occidentali Ecclesia* statutum hoc, quod humanum est, adeoque ab acceptatione vim acquirit, universaliter fuit acceptatum, verùm semper ab aliquibus Episcopis *verbo & facto* ei fuit contradictum, ut Claudius Espensæus l. 1. de contin. c. 12. & Marcus Antonius de Dominis d. l. n. 42. demonstrant.

Restitit ei circa ann. Christi 480. *Salvianus Presbyter Massiliensis* Episcoporum sui temporis Magister apud Espensæum ex Gennadio, Joviano, Pontano & Trithemio; restiterunt *Angli* circa ann. 900. apud Polyd. Virg. lib. 6. Hist. Angl. restiterunt *Dani & Gothi* apud Sax. Gramm. lib 15. restiterunt à tempore Gregorii VII. subsequentibus seculis *Germani omnes*, apud Espensæum d. l.

Caspar Bruschius in Chronic. *Altmannus patriâ Saxo, aut ferè VVestphalus, extra honestum conjugium illegitimè natus* (ut

(ut pervetus Chronicon habet) constitutus Episcopus Pataviensis anno 1065. in luxuriantem Clerum gravis & acerrimus erat animadversor, quem idcirco universaliter reformare & in meliorem (ut sibi videbatur) statum redigere volebat. Cumque tanto labori onerique imparem se esse videret, Romam scribit, consilium Pontificis Gregorii VII. expetit. Is rescribens fulmina sua in conjugatum Clerum sine discrimine omnem conjicit, Altmanno plenariam potestatem confert ejiciendi ex Ecclesiis Sacerdotes uxoratos omnes & substituendi cœlibes. Hac autoritate fultus Altmannus Clerum omnem suum convocat, literas Pontificias in ipso Pataviensis Ecclesiæ gremio publicè prælegi jubet, & mandato simul Pontificio & consilio suo proposito, viros consecratos ab uxorum consuetudine abstinere præcipit. Clerus Altmanno antea infensus & nunc hujus etiam novæ rei indignitate magis motus, audacter respondit, nec posse, nec velle etiam se conjugale hoc vitæ genus divinitùs non permissum solummodo, sed insuper etiam mandatum commutare, hanc se vitæ rationem sacris literis congruam, ab antiquis Patribus, quasi per manus accepisse & eandem à nullo Episcopo hactenus oppugnatam, aut prohibitam esse, in hac divina ordinatione natos se, in eadem etiam permansuros esse quoad viverent. Altmannus propositionem suam intelligens parùm fuisse gratam, nec se satis tutum esse in hac rerum perturbatione, primo furori aliquantum cedendum esse ratus concionem dimisit. Paulò post ipso nimirum sancti Stephani die in festo solenni ministeriales suos accersiverat, & invitarat omnes, aliosque vicinos viros nobiles plurimos, quibus conjugii Sacerdotalis prohibitio, ut res nova, non ingrata aut injucunda erat, non videntibus excæcatis ac insulsissimis hominibus, quantum mali aut turbarum ex ea re enasci aut exoriri aliquando posset. Horum præsentia fretus & præsidiis stipatus Altmannus (habito priùs solenni sacro) iterum in concionem venit, ascendit suggestum & ibi velut in theatro magna voce Pontificium diploma totum fulminibus plenum secundario recitat, gravissima simul interminatione Canonicis ac Presbyteris omnibus juxta Canonum decreta ac instituta simpliciter omne conjugium prohibens, & de facto excommunicans omnes, qui huic ordinationi vel medium ostenderent digitum vel opponere se conarentur. Ibi universus Clerus majore furore succensus tanto tumultu in Altmannum consurgit, ut nisi ministerialium suorum & eorum Procerum (quorum autoritatem & præsidia profore sibi dudum existimarat) ope & auxilio defensus mox fugam quoque è templo arripuisset, vita comite è S. Stephano non fuisset abire permissus. Postquam autem in tutum locum se recepisset, ne nunc quidem quiescens, sed officiosus ac diligens Pontifici decreti executor esse volens, (securus Dei mandatorum, aut illius etiam veteris dicti, non facienda mala, ut proveniant bona) quod universaliter hactenùs facere & exequi non potuerat, moderatiori jam consilio particulariter aggreditur, proscribit nunc hunc, nunc illum, donec paulatim & per gradus universum uxoratum Clerum tota urbe ejiceret, assumtis in eorundem locum aliis, qui cœlibem vitam, etsi eandem impurissimam, ore magis, quàm corde, verbisque prolixius, quàm facto, hypocrisi tantùm quadam profiterentur. Clerus è Patavia expulsus, ad Imperatorem Henricum IV. opem ejus implorans confugit, cum jam tum etiam cum Pontificibus acerrimum erat certamen de Pontificum electione, ac de Episcopatuum collatione & investitura, quam Cæsar ex antiquo more ad se pertinere, Pontifices verò nusquam non novitati studentes & Imperatorum potentiam, autoritatemque carpere non erubescentes sibi deberi affirmabant. Imperator conjugium Sacerdotum ut ordinationem à sacris Scripturis non alienam approbans, hypocritico cœlibatui anteferens, exulantem Clerum Pataviensem defendendum suscipit, ac Ecclesiasticis muneribus præficit, contumaces sacrificulos ejicit, Altmannum verò Pontificiam autoritatem nusquam non allegantem ac mordicus defensantem proscribit. Fecerat idem in aliis etiam Episcopatibus, ubi simili Tyrannide conjugium Sacerdotibus ereptum ac prohibitum fuerat, unde Romanus Pontifex Gregorius VII. antea Hildebrandus dictus, iterum in Henricum Imperatorem exarsit, quem Romam citatum denuo, quòd non illico compareret, non solùm excommunicavit, sed Episcopis insuper Germaniæ suas partes adversus Cæsarem foventibus alterius Regis eligendi negotium dedit &c.

In vetustissimis Ecclesiæ metropolitanæ Curiensis monumentis de Episcopi ejus loci uxore legimus, quæ in quarundam literarum fronte hoc titulo indicatur. *Ego N. Antistita & Episcopa Curiensis &c.* Ita etiam de Severo Archi-Episcopo Ravennate memoriæ proditum est, *quod is ordinaverit & Testamento piè caverit, se, uxorem suam atque filiam uno in sepulchro tumulari.* Wolffius tom. 1. Lect. memorab. Ann. 1398. pag. 724.

Hieronymus Gebwilerus Pontificius superioris seculi scriptor annotavit, *tempore Henricorum circa annum Domini 1080. in Galliis & Germania circa 24. Episcopatus fuisse, in quorum Diœcesi à superioribus Ordinibus ad infimum Clericum usque fuerint conjugati.*

Ad hocce Historicorum suffragium referri potest, quòd Pontificii Scriptores de origine introductæ in Ecclesiam legis cœlibatus Sacerdotalis non consentiunt.

Polydorus Virgilius lib. 5. de Rer. inventoribus cap. 4. pag. 400. originem refert *ad Concilium Nicenum*, ibidemque inter cætera sic scribit: *Hunc Apostolicum matrimonii contrahendi ritum servatum constat. At postea res adstricta est, ea quidem ratione, ut Sacerdotibus & Diaconis liceret virginem habere uxorem, quæ si prior Naturæ concessisset, nequaquam fas esset viro alteram ducere.*

Pag. 401. *Siricius primus Sacerdotibus & Diaconis, ut ait Gratianus dist. 82. conjugio interdicit, qui circiter annum salutis humanæ 387. sedere cœpit. Pelagius II. deinde statuit, ut Sub-Diaconi, vel uxores à sese separarent, vel illis contenti Sacerdotiorum possessione cederent: & cum neutrum admisissent, jussit, ut omnino uxores, exemplo post homines natos importunissimo, ab se ablegarent.* (Sed legem cœlibatus Sacerdotalis à Concilio Niceno introductam esse negatur c. Nicena dist. 31.)

Alii originem hujus legis referunt *ad Concilium Neo-Cæsariense & Ancyranum*, c. De Syracusanæ dist. 28. Baronius Ann. 314. n. 88. 91. Caranza in Summ. Concil. pag. 34. & pag. 40.

Quidam *ad Elberinum & Arelatense*. Baronius Ann. 58. n. 26. Ann. 305. n. 49. aut *Romanum*, Baronius Ann. 324. n. 129. Ann. 325. n. 150. 151. Tannerus in Dioptra lib. 2. cap. 19. p. 466. (Sic ergò non inveniunt, ubi pedem figant.)

10. Theologi & Jurisconsulti.

Nicetas Pictoratus Græcus Monachus Constantinopolitanus circa annum 1053. scripsit *defensionem pro nuptiis Sacerdotum*, referente Sigeberto Gemblacensi in Chronico. *Quis est ille*, inquit, *qui tradidit prohibere & abscindere nuptias Sacerdotum? quis ex Doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem?*

Wilhelmus Whyte, aliàs Albus, ex Cantia, Presbyter eruditus circa annum 1400. docuit, *Cœlibatum (Sacerdotum coactum) esse merum Diaboli inventum, Antichristi captivitatem & à libertate Christiana defectionem ad Sodomismum.*

Circa idem tempus floruit Johannes Antonius primùm Præpositus S. Ambrosii, Episcopus Alexandrinus & auditor causarum sacri Palatii, demùm etiam Cardinalis. Is de Sacerdotum conjugio tit. *Qui Clerici vel voventes matrimonia contrahere possunt*, sic scribit. *Tempore primitivæ Ecclesiæ licebat Presbyteris & sic constitutis in sacris, uxorem habere, dummodò die celebrationis abstinerent à conjugibus: postea in occidentali Ecclesia venit prohibitio, ut constituti in sacris deberent continere.* Posteà subjungit, *quòd hoc præceptum det materiam illaqueandi plures animas*, & ideò credit, *quod sicut Ecclesia induxit hoc præceptum continentiæ, quod quandoque revocabit: & erit conveniens dicto Apostoli revocatio, qui dixit. De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do &c.*

Fridericus de Lanciron Sigismundi Imperatoris Consiliarius in libro de reformatione Ordinis Ecclesiastici & Politici, quem jussu Imper. circa annum 1434. edidit. *Episcopi per nefas compilant pecunias, & Diaconos cum suis concubinis ferunt iniquissimos ab anathemate suo rarò absolutos, ita ut metuendum sit & Sacerdotes & subditos iram Dei graviter incursuros & simul infernum petituros atque occupaturos. Ut autem istiusmodi caveatur, satius est vivere more Orientalium & Hispanorum, ubi Sacerdotes habent uxores. Cœlibatum enim non præcepit Christus Sacerdotibus. Illorum enim, qui Calixti mandatum custodiebant, certum est mihi, plures magis peccasse cœlibes vivendo, quàm boni quid egisse. Hujus mali remedium est, cuique Sacerdoti dare conjugem virginem. Melius committere peccata quotidiana, quàm mortalia, si tamen conjugatos adeo peccare credendum sit. Verùm, si quisquam Dei gratiâ præstare mallet continentiam, & integra puritate gauderet, non foret cogendus ille.*

Jodo-

Jodocus Clichtovæus lib. de continent. Sacerdot. cap 4. *Hoc decretum* (cœlibatus Sacerdotalis) *à Siricio Papa primùm editum fuit, nec ab orientali Ecclesia unquam receptum.*

Erasmus in Annot. ad cap. 19. Matth. *Scortari licet, uxorem ducere non licet. Si profitentur concubinam, sunt Catholici Sacerdotes; sin uxorem dici malint, in ignem conjiciuntur.*

In Annotat. 1. Cor. 7. p. 321. *Ætate Pauli cùm inter innumeros Ethnicos perpauci essent Christiani, fortassè commodiùs erat abstinere à matrimonio, nunc mutatis rebus haud scio, an magis expediat sanctum connubium & immaculatum torum sanctè pureq; colere etiam Sacerdotes, si qui non continent, quando horum tam ingens ubique copia.*

In Annot. Philipp. 4. pag. 439. statuit, *Paulum Apostolum habuisse conjugem.* Sic enim ad verba σύζυγε γνήσιε annotat. *Quidam hoc referunt ad uxorem Pauli. Nam Græca possunt & fœminino genere accipi. Sunt autem magni autores apud Græcos, qui putant, Paulum habuisse uxorem & consentaneum est, mulieres commendari mulieribus. Porrò, quod ait γνήσιε, pulcrè quadrat in eam, quæ & ipsa Christum unà complecteretur &c.* tum multa in hanc sententiam profert ex Clemente, Ignatio, Chrysostomo &c.

In Annot. 1. Timoth. 3. pag. 469. *Si quis perpendat horum temporum statum quotam portionem hominum Monachorum greges occupent, quotam Sacerdotum & Canonicorum Collegia, deinde perpendat, quàm pauci è tanto numero verè servent vitæ castimoniam, in quæ libidinum genera quàm innumeri devergant, quanto cum probro complures palam incesti sint & impudici fortassis judicabit magis expedire, ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat publici matrimonii, quod absque malâ famâ purè sanctèq; colant potiùs, quàm infeliciter ac turpiter libidinentur, sed etiam atq; etiam vereor, ne censu Ecclesiastici castrent hodie Clericos veriùs, quàm pietas, dum metuimus, ne quod tenemus, intercipiatur, aut certè nihil accedat.*

Idem in Declamat. de laudibus matrimonii *utile esse* statuit, *si Sacerdotibus jus matrimonii concedatur.*

Idem in Apolog. contra Paris. testatur, *se vidisse Venetiis apud Græcos Sacerdotem post susceptum Ordinem uxorem ducere.*

Latomus in scripto contra Bucerum statuit, *expedire hoc tempore magis Ecclesiæ, postquam ita refrixit prisca religio, ut à veterum pietate ac disciplina prorsus recessisse videatur, si conjugium iis, qui continere non possunt, autoritate publica permittatur, quàm impuris cœlibatus exigatur, juxta illud Pauli, propter stupra vitanda habet quisque uxorem suam.* (referente Johanne Rivio in Orat. de Abusib. Ecclesiasticis ad Urbanum.)

Wilhelmus Lindanus in Panopl. *Certè & hodie licet castos atq; vitæ integræ maritos ad Sacerdotium assumere, quod meo quidem judicio rectiùs sanctiusq; fortè fuerit per aliquot Germaniarum Provincias, quàm impurissimos aliquot preficere, aut etiam diutiùs tolerare nebulones apostatas & sacrilegos Pastores, quod factum ab aureo illo Paphnutii responso minimè foret alienum, neque à vero remedio fortè abhorriturum videri posset.*

Georgius Wicelius in Compend. de semitis antiquis. *Nec hoc omne punctum de Clerogamia largiremur libro* (August. Confess.) *nisi ferè idem traderet Ecclesia. Dicitur autem Ecclesia tradere, quod vetustissimi vel scripserunt, vel fecerunt Ecclesiæ Patres, Doctores, ac viri in sancto fidei Christianæ negotio illustrissimi. Nisi, inquam, conjugium Presbyteris divinitùs concederetur in Ecclesia, nec reclamarent Scripturæ sanctæ, nec veteris Ecclesiæ indubitata praxis, nec publica honestas. Et horrendum auditu est, quòd Apostolus Paulus Dæmoniacum seu Diabolicum esse scribit, si quis doceat adversus conjugium. Longè magis Dæmoniacum sit oportet, propter conjugium in Christianos sævitiam exercere & innocentes interficere. Liber rectè asserit, cùm ait: Constitutionem istam humanam, quâ prohibetur conjugium Presbyteris ac distrahitur contractum, pugnare cum jure naturali, cum jure divino, cum Evangelio, cum veterum Synodorum Constitutionibus, cum exemplis veteris Ecclesiæ, imò cum exemplis etiam Rom. Ecclesiæ, quæ erat circa 500. annos. Quæ exempla Spiritu parùm sancto Hildebrandus notabiliter actus ex Ecclesia Romana sustulit. Verùm capita quædam tantùm attingemus de Clerogamia, cùm possemus verbosissimè hanc tractare materiam, de qua tamen extant libri mei tres ἀνέκδοτοι hactenus, quibus nostrâ quidem sententiâ nemo cordatus obsistere ad minimum vel cupiat, tantùm abest, ut qui valeat.*

1. *Scriptum est, Sacerdos virginem ducat uxorem. Quæ vetus lex moralis est, habens adhuc vigorem; non Ceremonialis, hoc est, abrogata.*

2. *Novo Testamento illucescente per Johannem Baptistam, erat hujus Pater Zacharias Sacerdos Domini, habens Elisabetham uxorem.*

3. *Recenset Paulus Apostolus in regula, quam ad Timotheum præscripsit Presbyteris Novi Testamenti, ut sint unius uxoris viri.*

4. *Eandem regulam ingeminat ad Titum.*

5. *Ipsos Apostolos uxores habuisse proprias, D. Ignatius & Clemens Apostolicus idoneus testis est.*

(Wicelio nondum fuit notum Baronii commentum Ann. Christi LVII. pag. 518. *Epistolæ Ignatii nomen Pauli à posterioribus Clericis Græcis clam insertum esse, cùm in exemplaribus Vaticanis, Sfortianis & aliis antiquioribus nomen Pauli non reperiatur.*)

6. *In primitiva Christi Ecclesia tam Orientis, quàm Occidentis duravit Clerogamia improhibita.*

7. *Et perduravit improhibita, quia Apostolica, usque ad tempus prohibitionis primariæ, per Siricium & Calixtum II. factæ. Post secundariæ prohibitiones secutæ sunt per Concilium Carthaginense, per Gregorium & Innocentium, maximè per sanctissimum Hildeprandum. Sed hanc prohibitionem, quia neque Apostolica, neq; Universalis extitit, Oriens non recepit. Decreta verò Canonica, quæ conjugio favent, illud tantùm postulant, ut uxor virgo ducatur ante Ordinationem Sacerdotalem.*

8. *Panormitanus scribit. Matrimonium de jure divino non impedit susceptionem sacrorum Ordinum. Idem Panormitanus Jurisperitus ait. Lex cœlibatus non est de necessitate salutis. Et continentia in Clericis salutaribus non est de Substantia Ordinis, nec de jure divino &c. adeoq; contendit, ut sit liberum, quia contrarius effectus cœlibatum sequitur, id est,* Das Verbot ist übel gerathen.

Rursus idem. Etiam post votum solenne posse contrahere &c. Equidem vix unquam alium uno quasi habitu plures Canonistas citâsse audivi, quàm Hieronymum Mosserum D. consentientes omnes in libertate conjugii Sacerdotalis concedenda, idque in Commentariolo suo de Clerogamia. Hunc virum ego Canonistarum facilè principem dixero.

9. *Canon Apostolicus habet. Ne Episcopus aut Presbyter religionis obtentu uxores suas à cura sua expellant. Idem ferè Concilium Gangrense, cujus verba sunt c. 4. Quicunque discernit à Presbytero conjugato, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.*

10. *Canon & Concilium Anchiritanum sic concludit. Si Diaconi in ipsa Ordinatione protestati fuerint, se uxores habere velle, nec posse continere, hi, si postea venissent ad nuptias sive matrimonium, in Ministerio manebunt.*

11. *Uxores Presbyteros suas post acceptos Ordines servâsse, testis est Historia Tripartita lib. 9. cap. 38.*

12. *Notissimum est de Paphnutio Confessore Christi consulente Clerogamiæ apud Eusebium & in Decretis.*

13. *Dionysius Corinthiorum Episcopus admonuit Pinytum Synepiscopum, ne onus cœlibatus tanquam necessarium fratribus imponeret, sed infirmitatis multorum rationem potiùs haberet. Vide Eusebium.*

14 *Pius secundus Pontifex Romanus, dictus antè Æneas Sylvius, dixit, fuisse causas graves, cur Presbyteris ademtum esset conjugium, sed existere graviores, cur redderetur.*

15. *Fatetur Petrus à Soto in Apologia adversus Ducem Würtebergensem. Matrimonium, inquiens, quantum est ex jure divino, omnibus ex æquo Laicis & Clericis liberum esse; usum verò ejusdem non ex jure divino, sed ex consuetudine & consensu Ecclesiæ Romanæ Clericis interdictum esse. Hæc ille. Ergò vicimus, quid enim est interdictum esse, nisi prohibitum esse; ut prodatur voce suâ sorex, 1. Timoth. 4. Pergit Sotus. Quare non sit mirum, si vel alicubi, vel aliquando, aut usurpatum aut permissum fuerit, certè concedens ille Magister noster, Ecclesiam Romanam posse in futurum hanc constitutionem humanam videlicet cœlibatus aut mutare, aut parùm laxare.*

Fatetur item Martinus Peresius Episcopus, conjugium Præsulari ac Sacerdotali muneri minimè repugnare. Atque hoc postea exemplis Apostolorum & Apostolicorum disertè probat. Præterea idem Martinus Peresius sic de incontinentibus loquitur. Si sine delectu aliquo admitti debent hujusmodi homines ad Sacerdotium, necessarium mihi videtur, ut lex ista cœlibatus pro hujus-

modi hominibus (incontinentibus) *in futurum relaxaretur, ut evitarentur tot scandala & peccata, & ne blasphemetur sancti Sacerdotis nomen. Item. Et Augustini tempore fuisse Sacerdotes uxoratos in Aphrica: cui Peresius subdit, aut rarissimos, aut non multos.*

Summa. Deprehenditur hic & ubiq;, conjugium Clericale primis Ecclesiæ temporibus passim extitisse quidem, sed per Papas & sua Concilia postea abrogatum fuisse, & legem cœlibatus promulgatam ob dignitatem Clericalem.

Verùm Soto & Peresio adjunctum damus Thomam Aquinatem suum. Is in Summa, quæ incipit, Commiserationes Domini cap. 165. Posthac dicendum, inquit. Si Acolythus in secreta confessione ad discretum Sacerdotem veniat, & se nullo modo continere posse dicat, non multùm peccat Sacerdos, dando ei consilium, ut cum aliqua occultè matrimonium contrahat & occultè sui Episcopi oculos fallat. Minus credimus peccatum esse, beneficium cum occulto conjugio retinere, quàm fornicariam contra divinam prohibitionem habere. Si verò postea ad sacros Ordines à suis Prælatis cogatur agere, credimus, minus peccatum esse uxore uti, quàm cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.

16. *Nicephorus affirmat, etiam Synesium Episcopum factum protestatum esse, se uxorem, quam sibi Deus & ipsæ leges, ipsaq; sacra Theophili manus dederat, prorsus non deserturum, neque cum illa veluti mœchum clandestinam consuetudinem habiturum. Alterum enim minimè pium, alterum minimè legitimum esse. Videatur idem Nicephorus de Clerogamia veraciter attestans lib. 12. cap. 34.*

17. *Isidorus lib. Officiorum de Clericis dicit, Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant Clerici, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Hac Isidorus. Vociferantur quidam ex Misogamis, nuspiam reperiri Sacerdotes post Ordinem contraxisse matrimonium. Legant ergò isti Socratem lib. 5. cap. 22.*

18. *In Rubrica, inquit, se credere, quòd Ecclesia tale præceptum (cœlibatus) sit aliquando revocatura, juxta illud Apostoli: De virginibus præceptum non habeo.*

19. *Cypriani dictum vulgatissimum est de puellis votariis, Satius esse, ut nubant, quàm in ignem deliciis suis cadant &c. cui consonat Basilius Magnus. De virginitate ejusmodi exponit D. Ambrosius Episcopus, dicens: Ubi necessitas imponitur castitati, ibi libidini autoritas datur. Itaque nec casta est, quæ metu cogitur. Hæc Ambrosius.*

20. *Numerantur plus 20. exempla Presbyterorum olim maritorum, & legitur in c. Volumus dist. 81. Sacerdotibus prohiberi, ne cum mulieribus conversentur, exceptâ matre, sorore vel uxore, quæ castè, ait, regenda est, quod verbum castè glossator ibi sic exponit, Concubitus enim cum propria uxore castitas esse dicitur.*

21. *Extat super Clerogamia Epistola D. Ulrici, sive alterius cujusdam viri, Deum timentis, unde apparet, Presbyteros in Germania uxoratos fuisse. Id quod novimus (vel extra hanc Epistolam) verissimum esse ex tot Historiis etiam in Gallia, Anglia &c.*

22. *Constat de conventu citatorum conjugatorum reclamantium Episcopo Moguntino ante 400. annos, quando per tyrannidem miseri Sacrifices adacti sunt contra fas jusque ad cœlibatum, aut potiùs concubinatum, Deo scilicet placentem super vitulum novellum cornua producentem & ungulas. Videatur Historia Lamberti Hirsfeldensis.*

23. *Accedunt leges civiles & novissima authenticorum jura, ubi inter alia legitur, Clericos non alios ordinandos, nisi castè viventes, aut uxorem legitimam ac ipsam unam ac primam habentes.*

24. *Speculator in tractatibus de modo congregandi Concilii pensandum putat, an non expediret ac provideri posset, quòd in Ecclesia occidentali, quantum ad votum continentiæ attinet, servaretur consuetudo Orientalis, cùm temporibus Apostolorum eadem servaretur.*

25. *Objicitur de bonis Ecclesiarum dissipandis, quasi non major cura requiratur circa animas servandas. Et eò cæcitatis rapiuntur Romulidæ quidam, ut censeant votarios minùs peccare fornicando, quàm nubendo. Hinc est, quòd graviùs plectuntur mariti, quàm concubinarii. Vides ludibrium merum factum esse legem divinam & huic longè præferri constitutionem humanam.*

26. *Objicitur Babylonismus futurus, si omnes Sacerdotes maritescant. Respondemus, quis cogit omnes contrahere, aut quis cogit unum etiam contrahere? Quo impulsore contrahat matrimonium chori pondus, ut quidam loquuntur? in quorum grege tamen nonnulli extra reprehensionis notam conversantur. Quid illis cum hac libertate? nisi velint opulentiores de sua substantia ac bonis honestè quæsitis in posterum victitare, nec Ecclesiam gravare, quæ Ministros suos alit, operarios videlicet mercede sua dignos. Alii, si malint, suo proventu contenti vivant & gastrimargiæ non semper studeant; si tamen per potestatem sublimiorem posthac licebit regulares foro magis, quàm choro adhærere. De utilibus Ecclesiæ Presbyteris & veris ovium Dominicarum Pastoribus loquimur, quos irreprehensibiles vivere præcepit Christus Dominus & postulat Ecclesia. Peresius & multi opinantur, si pauci essent boni Presbyteri magis quàm multi malique, fore rem in optimo statu. Atqui horum paucitas temporibus Apostolicis non effecit, quò minus sanctus Paulus Clerogamiam sanciret in Ecclesia Christi, ut excluderet impudicitiam vel à paucis talibus.*

Dicimus licére, non oportere, sed concubinatu prohibito coget res ipsa vel ad honestum conjugium, vel ad sanctum cœlibatum. Quod inter hæc duo incidit, vetitum est, nempe scortationis scelus, aut adulterii, aut cynœdiæ, pæderastiæ, quorum scelerum est repleta terra. Et talibus debetur duplex honor, debetur census, debetur immunitas ac libertas. Tales digni sunt, qui soli administrent Ecclesiæ Sacramenta, quibus honorandis aperiantur hominum prætereuntium capita. Horum os manusq; rebus sordidissimis apta atque assueta admoventur tremendis mysteriis, & adeò, ut sempiterna salus populi, qui dicitur Catholicus, sola pendeat ab impurissimis ac fœdissimis scortatoribus. Hi conficiunt Sacramenta, hi solvendi ligandiq; potestatem habent, hi soli psallant Deo, quem adversarium habent & inimicum. Horum dignitas venerabilis scilicet tanti fit, ut in horum Ordinem certatim irruant adolescentes, otio, censu ac honore pellecti tantum, cùm metu Dei & formidine gehennæ procul hinc fugere conveniat, propter eandem turpitudinem vitæ, in quam prudentes incidunt, præ quorum sordida dignitate casti Presbyteri propter honestum conjugium arceantur, à Thysiasterio, à Baptisterio, à cathedris, à pulpitis, dent, à sacris muneribus, muniisq; repelluntur omnibus, indigni habiti, qui intueantur lucem, cùm illi coram Deo & Ecclesia sint sacris mysteriis tractandis magis idonei propter conscientiam bonam, fiduciamq; erga Deum, rectamq; & honestam conversationem.

O Præsules, quæ est ista, precor, tam crassa ac illaudata supinitas, quæ est ista tam perversa perversitas ac cæcitas cæcitatum, tantam ubiq; fœditatem in Clero quotidie sacrificante patienter ferre posse, contemto Christo & oppressâ conscientiâ, & ne semel quidem ad reformationem ac correctionem totius status animum adjicere! Videat Dominus & requirat, Amen.

Cæterùm his subjungere visum est quasdam considerationes, quas paucis antè annis apud semet eructavit Orthodoxus quidam tempore Caroli V. Imperatoris super Clerogamia.

Nemo nescit, meliùs esse, si Ecclesia habeat Presbyteros agamos, hoc est, absq; connubio. Verùm contra in confesso est meliùs, si Ecclesia habeat Presbyteros castè uxorios, quàm turpiter concubinarios. Manifestissimum equidem est, cubile immaculatum Cleri nullâ, vel Veteris, vel Novi Testamenti Scripturâ vetitam esse. E contrà verò reperias, isthuc in utroque Testamento concessum esse. Quòd si quis hîc neget, Vetus ad nos eâ in causa pertinere, negari certè non poterit, Epistolas Pauli ad Christianos scriptas esse. Est item irrefutabile, Clerogamiam seu immaculatum Cleri cubile in Constitutionibus Ecclesiasticis juris positivi esse, ita ut Ecclesiæ, si tale communis utilitas suaserit, concedere liceat, quod concessit ipse Dominus Ecclesiæ ad regulam duntaxat Apostolicam à Paulo præscriptam. Nam hîc ego irreligiosos istos ac temerarios nuptiatores quosdam de schismate, quive tàm divinam, quàm humanã legem suâ libidine quâdam transcendunt, accusandos magis, quàm excusandos esse arbitror.

Mores veteris Ecclesiæ laudo, qui, si iidem essent hodie in Clero, quis censeret, opus esse remedio? Quid prohibiturus erat Siricius, Innocentius, Calixtus & Hildeprandus, si hanc hoc tempore Ecclesiæ faciem aspexissent? Quòd si quis ad exempla provocet, longè cognitissimum est. Historias Ecclesiasticas exemplis ejusmodi refertas esse. Sed ante Ordinem inquis? Rectissimè. Probaturus igitur eras causam Clerogamiæ, si quis hodie quoq; ante Ordinem honestè ductâ virgine recipiatur in Ordinem? Scripturam Apostolicam, jus positivum, exempla Ecclesiastica & honesta ipsam publicam, quisq; ingenuè confitetur, is huic considerationi non reclamabit unquam. Nisi fortè primis tempori-

poribus fuerit licitum, quod nostris illicitum judicari debeat, quando videlicet Cleri nefanda turpitudo eò crevit, ut sacra etiam ipsa deturpet, atque abominationem adducat extremam.

Verùm, ut fulcra illa hujus negotii transeamus, ratio omninò habenda est tempestatis hujus periculosissimæ. Quâ de causa Carolus V. Imp. Rom. neq; impiè, neq; imprudenter indulsit eum articulum interim, dum Concilium erit, idq; pacis ergò in gratiam reducendorum schismaticorum. Cui indulto Romanorum Pontifex meritò suffragaretur, si illi cordi maximè esset Germaniæ perturbatæ tranquillatio, sique prius haberet necessitatem, quàm severitatem in consilium adhibere. Necessitatem allego, quæ propè nulli legi est obnoxia, humanam intelligi volui. Et lex prohibitionis humana planè est, si non inhumana. Factiosi vix reduci poterunt per indulgentiam isthuc, quid usu veniret hoc per Pontificem ablato? Quis sanctorum redibit ad Ecclesiam cum tanta conscientiæ famæq; suæ læsione? imò tanto cum periculo castimoniæ nisi fortè tolerari semper debeat ab uxoribus ad meretrices discessio.

Non defuturi erant Ecclesiæ plurimi Pastores, non minùs pietate, quàm eruditione præstantes, si ageretur cum illis mitiùs hac quidem parte. Ubi, quæso, erunt Pastores idonei tot curandis populis, si ob torum rem neque impiam, neque inhonestam depellas præsentes, qui tamen ex orthodoxis sunt? Aliam certè causam multi non obtendunt, quàm hanc causam, videlicet se redire posse, nisi ita sæviretur in conjunctionem legitimam, nisiq; ipsis per eam disjunctionem aperiretur janua ad scortationes promiscuas. Neque enim aberit, quin alienas mulierculas sint recepturi, maximè ad usum domesticum, qui abjicere conjuges coacti sunt.

Pars Lutheri usque adeò firma est adhuc, ut ab illis metus Ecclesiasticis ingens immineat. Et Principes, qui etiam Cæsareani videri volunt, in ea factione pertinaciter obdurant. Illi certè longiùs resilient ab hoc religionis proposito, si Catholici usque adeò nihil de consuetudine sua non bona remittant, habebuntq; refragandi causam, quandoquidem quod Cæsar relaxat, Papæ legatio restringit.

Poculum benedictionis concessit quidem Pontifex sua in Bulla, sed plebs non dignabitur accipere Sacramenta Dominica de manu Presbyteri, qui conjugem concubinâ mutavit. Ais, hoc quoque esse vetitum. Respondeo, vetitum quidem, sed tamen semper toleratum, adeoque censu & honore (præ altero) passim adauctum.

Cæterùm Misogami Philogamis perpetuò solent in aures ingerere Scripturæ loca de carne crucifigenda atq; mortificanda, quasi post disciplinam Ecclesiæ jampridem collapsam, & in ipsa iniquitatis abundantia (de qua Dominus in Evangelio) eâ ratione naturâ succulenta juvenum Sacerdotum corpora exsiccari queant in totum, inq; Angelismum quendam transformari. Est mundo notissima Theologorũ talium crucifixio atq; mortificatio. Sunt in confesso horum jejunationes, aquæ potiones, humi dormitiones, genii defraudationes, totiusq; vitæ incommoditates, quo medicamine scilicet efficitur, ut suis in corporibus stigmata portent, non qualia Paulus, Lucas, Chrysostomus & Franciscus, sed qualia dicere nolo. Profectò brevibus Gyaris dignum facinus, ac nescio quanta cruce, aliis onus importabile imponere, quod tute ne digito quidem minimo contrectes. Præstaret, Eunuchos quosdam tales Terentianos non tam mentâ, quàm linguâ castrari.

Legitur de Ratholdo Præsule Argentinensi, qui matricidam ad pœnitentiam publicam adigens ex mandato Pontificio primùm prohibuit ab ingressu templi, unius anni spatio: attamen foris orare licuit. Deinde anno revoluto licuit quidem ingredi, sed non nisi inter Catechumenos consistere, nec de Eucharistia participare. Præterea totis septem annis oportuit pœnitentem illum neque carnem edere, neque vinum bibere, imò verò jejunare per tres hebdomadum dies ad vesperam usque. Ibi additur, à propria tamen uxore non separetur, ne in fornicationem corruat, & hanc pœnitentiam mitigandam esse, si bene agere cœperit. Hæc ex Historiis intelligis prudens Lector, quantam semper rationem infirmitatis humanæ veteres nostri habuerint in eo etiam homine, qui tot ignominiarum, afflictionum ac incommodorum veluti flagris cædebatur, ut putare possis, illi nec libuisse unquam conjugem tangere.

Quid igitur credas honoratis, saginatis, lascivis, luxui deditis Clericis, qui totum vitæ suæ tempus deterunt in otio, quod D. Bernhardus appellat Diaboli cervical? Verùm istiusmodi aliis amplificanda tempestiviùs reliquero. Reliquum ergò fuerit, ut his ac hujusmodi aliis penitissimè consideratis prohibitionis rigor piè leniatur, & liceat ἀκωλύτως uti Sacramento matrimonii eos, qui circa præter q; hoc passionibus (quas Apostolus ita vocat) perpetuis & iisdem criminaliter peccaminosis torrentur, eo etiam tempore, quo vel student literis, vel operantur sacris. Poterat ergò quamprimùm obtineri à Romanorum Pontifice, ut horum temporum necessitate consideratâ super isto articulo dispenset, usque ad futurum Concilium, alioquin omnis opera frustrà consumitur in revocandis schismaticis, quorum pars maxima in Concilio quidem sese subjiciet. Tam altè radices egit factiosum dogma in Germanorum animis.

Equidem confitemur, continentiam in Clero veram maximum esse ornamentum Ecclesiæ, præterea confitemur, Occidentem hujus continentiæ Clericalis exempla olim habuisse, tùm plurima, tùm insignia. Sed quia status modernus, ut appellant, veteri omninò non respondet & tempora distinguere jubemur, mutari dura constitutio voti posset, ita ut in casu necessitatis saltem quoquo modo conjugatis, doctrinâ vitæque honestate insuper commendatis ad sacros Ordines aditus pateat, quandoquidem hæc ipsa constitutio juris positivi est. Per hanc sanè dispensationem bene prospiceretur populis Christianis tàm exemplo, quàm doctrina, & tolleretur omnis ista querela de turpitudine publici concubinatus, omnisq; generis impuritatis. Eâ in re nihil observiretur Sectis, sed Ecclesiæ, præterquam quòd infinita præcaverentur scandala, quorum nullus erit ubique finis, quamdiu laqueo vocationis hujus infelix Clerus contra conscientiam, non contra voluntatem tantùm suam ligabitur.

Georgius Cassander in Consult. de August. Confessione artic. 23 pag. 986. Operum. *Non levibus de causis olim adducti fuerunt Proceres Ecclesiastici, ut ad præcipua Ecclesiæ ministeria, hoc est, verbi & Sacramentorum non nisi castos & cœlibes admitterent, quarum prima fuit, ut Ministri Ecclesiæ castè pudiceque in Ecclesia serviant, ut sancta sanctè contrectent atq; dispensent; altera, ut avaritiæ causa præcideretur, quam rei familiaris procuratio & liberorum cura adferre solet. Tertia, ut à cura rei familiaris liberi expeditiùs & attentiùs res divinas administrent &c. Contrà tamen fatendum est, graviter à posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem multis in laqueum verterunt, dum juvenes nondum sibi cognitos & exploratos, temerè ad Ministerium Ecclesiasticum admiserunt, & cùm illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potiùs impuros quosvis concubitus dissimularunt & quodammodo probârunt, quàm ut permittendo Constitutionis illius humanæ gratiam illis facerent, qui eam sine offensione divinæ legis observare non poterant. Adde etiam, quòd ætas adhuc rerum imperita, sed temporum & conditionum vitæ mutatio hanc observationem penè impossibilem fecerit. Quare nimis rigidâ & intempestiva hujus constitutionis exactione gravissima & abominanda in Ecclesia scandala extitisse videmus. Nam causæ illæ, quibus Majores ad constitutionem hanc faciendam inductos esse diximus, non solùm hodiè cessârunt, sed etiam in contrarium sunt conversa. Nam primùm videmus, hoc decreto usque adeò castitatem & continentiam in Clero non confirmari, ut per illud omne libidinis & flagitii genus fenestra aperta esse videatur. Item, usque adeo non refrenatam in Clero avaritiam, ut etiam frena magis laxata esse videantur, tùm res in plerisque Sacerdotibus ita comparatæ sunt, ut conjugum piarum consortio non modò ad functiones Ecclesiasticas obeundas non impediantur, sed etiam ad earum procurationem adjuventur ab eis, quemadmodum de patre suo Gregorio & matre Nonia Gregorius Nazianzenus testatur. Sunt & contrà plerique cœlibes, qui usque adeò cœlibatu suo ad ea, quæ Dei sunt, expeditiùs curanda non incitentur, sed etiam contrà curis hujus seculi supra reliquos homines immergantur & obruantur. Ad ea igitur incommoda & scandala evitanda & tollenda optimum quidem & præstantissimum remedium esset, si prisca Cleri disciplina, quæ, quo tempore hæc Constitutio primum inducta est, obtinebat, restituatur, hoc est, ut nemo in Sacerdotem ordinetur, qui nisi à pueritia in Ecclesia institutus & Cleri numero adscriptus per gradus Ministeriorum ætatem ut minimùm 30. annorum attigisset, ac totum illud tempus castè continenterque traduxisset, aut si maritum aliquem in Sacerdotem cooptari contigisset, is eâ esset ætate atque morum gravitate, ut mutuo uxoris consensu ab ejus commercio abstinere posset, deinde, ut in Sacerdotio constitutus ab omni prorsus cohabitatione & familiaritate mulierum abstineret, sine quibus conditionibus impossi-*

possibilem esse castitatis observationem judicabant. Notum enim est illud Bernhardi: Cum fœmina habitare & fœminam non tangere, majus esse, quàm mortuos suscitare. Sed verè dictum est à Gersone, in primo rigore Ecclesiasticæ disciplinæ multa severo rigore statuta sunt, quæ modo defluentibus in pejora moribus non modo inutilem, sed impossibilem haberent executionem. Quòd si itaq; de hac disciplina restituenda desperetur, præsertim in Pastoribus Ecclesiarum, quos in media hominum turba vivere, & ut nunc se res habet, rem quoque familiarem curare necesse est, restat primùm, ut imposterùm ordinandis hoc statutum relaxetur, & more veteris Ecclesiæ & huc usq; orientalium Ecclesiarum honesti quoq; mariti ad Ecclesiæ Ministerium admittantur & extra tempus Ministerii familiaritate quoq; suarum conjugum uti permittantur, juxta Canonem sextæ Synodi generalis (Trullanæ Can. 13.) quo decernitur, nullo modo legitimas Diaconorum & Presbyterorum nuptias esse dissolvendas, nec ante Ordinationem ad profitendam castitatem esse compellendos. Sunt igitur hujus Constitutionis relaxandæ graves causæ. Primùm, quòd ea manifestè multorum malorum & incommodorum, præsertim, qui vagam & effrenem libidinem sequuntur, occasionem præbeat. Malorum enim non propriæ modo causæ, sed occasiones quoque nonnunquam tollendæ sunt, quâ ratione Paulus conjuges non diu à mutuo congressu separare voluit, ne à Satana tententur, & juniores viduas nubere præcepit, & liberis dare operam, ne criminandi occasionem adversario præbeant. Prudenter itaque observavit & monuit Panormitanus, experientiâ docente contrarium prorsus effectum secutum ex lege illa continentiæ, cùm hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum illorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas. Unde debere Ecclesiam facere, sicut bonus Medicus, ut, si medicina, experientiâ docente, magis obsit, quàm prosit, eam tollat. Altera ratio sumitur ex temporum commutatione. Nam quo tempore hæc Sacerdotum continentia indicebatur, longe alia ratio erat disciplinæ Cleri, ut jam exposuimus. Tertiam causam & quidem præcipuam affert præsens Ecclesiæ Status & idoneorum Ministrorum inopia. Plerique enim homines docti & pii ad continentiæ observationem astringere se nolunt, cùm & infirmitatis suæ rationem habeant & exemplis turpitudinum & scelerum, quæ prætextu cœlibatus passim in oculos & aures incurrunt, moveantur, quo fit, ut paucissimi adolescentes bonâ indole præditi ad Theologiæ studium se adjungant, aut à piis parentibus ad hoc studium applicentur, sed ii ferè tantùm, qui opima beneficia, vitæ luxum & splendorem, ac carnis licentiam & vagam effrenemq; libidinem animo præsumunt, præter nonnullos, qui imprudenter & nondum sibi satis noti in laqueum inducuntur. Sed de maritis ad Ecclesiæ Ministerium eligendis non tantoperè quidem reluctantur, cum ea res exemplum habeat priscæ Ecclesiæ, & ab oriental. omnibus Ecclesiis huc usq; servetur. Gravior autem quæstio de iis, qui post Sacerdotium uxores duxerunt, an eis in Ministerio permanendi & uxoris opportuno tempore familiaritate utendi facultas permitti possit, quæ res omni prorsus exemplo vetustatis careat. Sed hæc ratio non satis concludit. Non est factum, ergò fieri non licuit. Cogunt enim novas aliquando invenire medicinas novorum experimenta morborum. Sunt autem causæ non leves, cur hodie iis quoque, qui jam ordinati, non libidine, sed conscientiâ ducti uxores duxerunt & Ecclesiis utiles esse possunt, gratia hujus legis fieri debeat, & imposterùm quoque, si magna Ecclesiæ utilitas invitet, aliquibus idem concedi posset.

Primùm, quòd conjugium inire post Ordinationem nullo divino jure, solo Ecclesiæ Statuto prohibeatur, & in veteris Canonibus tale conjugium non dirimitur, sed leviore censura punitur. Nam in Concilio Neocæsariensi cap. 1. Sacerdos uxorem ducens deponitur ab Ordine, id est, ut exponit Glossa, ab officio & non beneficio, ubi & illud additur, magis puniri Sacerdotem, qui fornicetur, quàm qui publicè contrahit. Idem statuitur Can. 6. Concilii generalis. In Constitutionibus verò Leonis irrita fit constitutio, quæ Diaconos & Sacerdotes post Ordinationem contrahentes à Clericali habitu ad prophanam vitam redegi vult, statuit verò, ut ab eo tantùm Ordine, quem ante nuptias tenuerunt, recedant, nec habitu Cleri, nec legitimo Ecclesiæ Ministerio priventur. Cùm igitur hæc matrimonii contractio post Ordinationem solo statuto prohibeatur & exempla prisca extent, quæ testentur, hujusmodi Statuta non tam anxiè observata fuisse, quin ob Ecclesiæ necessitatem aliquando relaxata fuerint, quis non concedat, in extrema hac Ecclesiæ necessitate hoc idem hodie fieri posse? Exempla non observatorum Ecclesiæ statutorum etiam apud Veteres hujusmodi sunt. Nam primùm Epiphanius ait, in quibusdam locis suâ ætate Presbyteros & Diaconos liberos gignere, quamvis id fiat contra Ecclesiasticos Canones, idque fieri propter inopiam Ministrorum.

Item, jamdudum Ecclesia cohabitationem Sacerdotum cum fœminis tolerat, quod haud secus atq; ipsum conjugium Ecclesiæ statutis prohibetur, quin non solùm contra Ecclesiæ statuta, sed etiam contra Statuta Apostolica in Ecclesia aliquando aliquid exigente id insigni utilitate admissum legimus, ut neophytos ordinatos, quod constat de Fabiano, Cypriano, Nicolao, Nectario, Ambrosio, Severo, Tarasio. Item, Tertullianus testatur, apud Psychicos, quo nomine Catholicos appellat, etiam digamos adversus præceptum Apostoli Ecclesiis præsidere. Nil igitur absurdi fiet, si in tanta Ecclesiæ necessitate hujus Ecclesiastici Statuti, etiamsi Apostolicum esset, moderatio & relaxatio fiat &c.

Et postea. Cur autem etiam in Ordinatis conjugium hodie admitti possit, hæc ratio est, quòd ex hujusmodi conjugio, non modò nulla offensio populi, sed magna etiam utilitas sit expectanda. Nam eò res jam redit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio fœminarum abstineat, populus vero ita affectus est, ut Sacerdotis fornicatoris seu concubinarii ministerium vel prorsus condemnet, vel leviùs æstimet, maritum verò Sacerdotem æquiùs ferat, ut cùm populo quoque jam notum sit, honorabile esse in omnibus conjugium, adulteros autem & fornicatores à Deo judicandos. Accedit & hoc, quòd nisi hujusmodi conjugium tolleretur, vix idonei Ecclesiæ Ministri imposterum quoq; inveniri poterunt. Quare si unquam tempus fuit, antiquæ alicujus consuetudinis immutandæ, certè hæc tempora hujusquamvis prisci moris immutationem aliquam efflagitare videntur, cùm optimi quique & religiosissimi Sacerdotes infirmitatem suam agnoscentes & perpetuæ scortationis fœditatem exhorrescentes, si publicè non audent, certè privatim conjugium ineunt, & populus hodiè, ut diximus, eo animo comparatus est, ut maritum, quàm scortatorem Sacerdotem faciliùs patiatur. Cùm igitur hoc tempore eò necessitatis res propemodum redacta sit, ut aut conjugatus, aut concubinarius Sacerdos sit admittendus, quis non videt, etiamsi quid in hoc conjugio sit incommodi, minoris mali ratione potius esse eligendum? Nam quòd Ambrosii, Basilii & multorum Antistitum exempla adferuntur, qui ope divina adjuti extra conjugium feliciter Ecclesias administrarunt, hi certè non modo à conjugio, sed ab omni mulierum congressu sibi temperârunt, quod si hodie quoque ab Episcopis & Presbyteris observetur, nemo hujusmodi cœlibatum in quæstionem vocet, quin potiùs summis laudibus evehat. Quare omnino consultum videtur, ut qui hujusmodi castum cœlibatum ultrò præstant, laudentur & honorentur, qui autem hunc summum castitatis gradum conscendere nequeunt, in secundo & proximo gradu casti conjugii consistere permittantur, neque enim hoc eò pertinet, ut heroicus ille ad summum castitatis gradum contendendi conatus & impetus retardetur, sed ut humilium & infirmorum imbecillitati consulatur.

Alphonsus Virvesius Philipp. 19. de cœlib. Sacerd. suadet, ut quivis Sacerdos, si omnibus, quæ Christiana prudentia fert, serio ac fidei ardore tentatis viderit, se non posse continere summi Pontificis indulgentiâ saluti suæ per matrimonium prospiciat.

Joh. Hoffmeisterus (quem Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. hoc tit. Ordinis Augustinian. bene meritum Provincialem vocat) in judicio de hoc Aug. Conf. articulo in Harmon. Fabric. f. 377. sic scribit: Multa hic congerunt Adversarii, quæ verissima esse non imus inficias. Quid igitur pronuntiemus? Articulus hic, sicut & proximus, de quo jam disputavimus, ad jus positivum pertinet, id quod neminem negare putamus. Expectanda itaque & in hoc negotio fuerat sententia Ecclesiæ. Rectè haud dubiè Pium Papam dixisse credimus, fuisse causas, cur adimeretur Sacerdotibus conjugium, sed multò majores esse causas, cur reddi debeat. Hæc igitur Pontificis sententia ponderanda est.

Jodocus Clichtovæus lib. de Contin. cap. 6. & Claudius Espensæus lib. de Continent. cap. 9. fol. 690. fatentur, nullam extare legem, quæ Ordinatos prohibeat à matrimonio contrahendo ante Papam Siricium circa Ann. Christi 400. ac si quæ Sanctorum autoritates sonent, quòd temporibus Apostolicis continentia à Sacerdotibus observata sit, loqui de continentia ultrò, & ex pio custodientium affectu servatâ & non lege in omnes tunc latâ, qualis eo tempore nulla fuerit, quod ipsum concedit etiam Georgius Cassander in Consult. art. 23.

(Post-

(Post hæc tempora interdictum fuisse Presbyteris ordinatis, ne uxores ducerent, idque à Romanis Episcopis, & postea etiam à Græcis, non negamus, sed quòd *Ecclesiæ Universalis aut Oecumenici Concilii* statuto Sacerdotibus prohibitum fuerit, ne post Ordinationem uxores ducerent, id verò negamus.)

Claudius Espensæus lib. de Contin. cap. 11. pag. 116. 117. *Quid stolidius vel legi divinæ obligatius, quàm si Episcopi vel Archi-Diaconi sic in libidinem præcipites, ut nec adulteria, nec incestus, nec turpes marium amplexus horreant, casta Clericorum conjugia sibi fœtere, nec veræ justitiæ compassione eos ut conservos continere rogent, aut moneant, sed ut servos cogant & jubeant? addentes huic imperio, non consilio, suggestionem adhuc turpiorem, magisque fatuam, honestius pluribus occultè implicari, quàm apertè in hominum vultu & conscientia cum una ligari &c. Hic est autem totius eorum vesaniæ manipulus & insaniæ conventus, ut Clerici licita unius mulieris consortia relinquere coacti fornicatores, adulteri & turpes aliarum pravitatum ministri cum eis efficiantur.*

Lib. ejusd. cap. 9. *Sed cùm diversi de hoc* (de usu conjugii ante Ordinationem contracti) *diversa scripserint, & Ministrorum tam diu in utraque Ecclesia meritorum ab uxoribus propriis ante sacram Ordinationem ductis, abstinentiam ab Apostolis indictam, Græcorum quidam, ut Epiphanius sentire videatur: alii, ut Socrates, è contrario liberam relictam; major est quovis scriptore Græco vel Latino Gangrensis particularis quidem, sed antiquitate reverendæ, vel Nicenæ, vel Sextæ, utriusque Oecumenicæ Synodi autoritas. Quarum media Ministris antea conjugatis, conjugii usum non abstulit; prima postremaque etiam confirmavit. Romana denique Ecclesia, licèt diversum morem secuta, suum tamen Græcis non tantùm permisit, sed etiam legitimum esse toties declaravit: nihil utique tale commissuri tot tantique Patres, si continentiam Sacerdotalem Apostolici esse credidissent, ut exempli, ita & mandati: Epiphanio certè adeoq; superioribus Conciliis, nedum Patribus anterior Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, contra quosdam tunc impiè verbis licet speciosis continentes, ducit inter cætera argumentum ab Apostolico conjugio, & contra Adversariorum exceptionem, quâ Ministros, statim atque creati forent, continere excipiebant, addit. Jam verò unius quoque uxoris virum utique* (*Paulus*) *admittit, seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laicus, utens matrimonio circa reprehensionem, utens etiamnum, inquit, nodum qui usus sit.*

Andreas Fricius lib. 4. de Republ. emend. cap. 20. *matrimonii contrahendi libertatem Sacerdotibus restituendam* omnibus modis suadet. *Atque id,* inquit, *multò honestius atque Ecclesiis salubrius fuerit, quàm scortationes Presbyterorum ferre, doceréq; Sacerdotem mitiùs peccare fornicando aut adulterando, quàm matrimonium contrahendo.*

Lib. 2. de Eccles. f. 546. *De matrimonio Presbyterorum, quòd ego scripsi, idem ante me scripserunt Papæ, Cardinales, Episcopi, Abbates, Monachi, Theologi, Jurisperiti, quorum verba citavimus, nec scio, quis à nobis discrepet præter Piggianos & quosdam similes.*

Idem in Apolog. *Innocentii quarti, Johannis Antonii Cardinalis, Abbatis Panormitani, Alfonsi Virvesii, Thomæ Aquinatis, Baptistæ Mantuani, Salviani Episcopi Massiliensis ac Polydori Virgilii* verba formalia recenset, quibus *liberam ducendarum conjugum potestatem Sacerdotibus concedendam* judicàrunt.

Franciscus Duarenus de sacr. Eccles. Minist. p. 171. fatetur, *Veterem Ecclesiam & antiquos Canones non summovisse conjugatos à Sacerdotio.* Item, *legem novam de cœlibatu Sacerdotum videri θεομαχεῖν, nec receptam ab orientali Ecclesia fuisse.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 9. q. 5. punct. 5. §. 2. *Ex Catholicis Scriptoribus quidam putant, legem de cœlibatu à Siricio primùm fuisse sancitam, qui sedit circa Annum 390. neque illam vel antè, vel etiam post Siricium fuisse in Græca Ecclesia receptam. Ita nominatim asseruit Clitovæus de contin. cap. 4.*

Martinus Peresius de Traditionibus part. 3. *Multis piis viris & doctis visum est, attentâ hominum fragilitate & dissolutione multorum Ecclesiasticorum hoc tempore, in quo maximè languet Ecclesiastica disciplina, sacram cœlibatus legem debere relaxari, ut evitarentur multa scandala & fornicationes, quæ quotidie videmus in Ecclesia accidere, putantes hæc aliter evitari non posse, nisi adhibito concupiscentiæ remedio, scilicet matrimonio.*

Johannes Gillotius in vita Hilarii Pictaviensis Episcopi non ausus est negare, ipsum fuisse conjugatum. *Uxoratum*, inquit, *fuisse Hilarium & unius filiæ patrem, non imus inficias.*

Et postea. *Quòd si ita sit, ab hoc quidem munere non alienum tunc putabatur: imò sæpius eligebantur in Episcopatum conjugati, quàm virgines, quia isti non tam idonei curæ Pastorali, quàm illi judicarentur, ut scribit Hieronymus libro primo adversus Jovinianum.*

(Johannes Jacobus Grynæus in vita Hilarii. *Extat adhuc Pictavii Gallorum cella, quàm vocant Hilarii &c. Est præterea in urbe eâ magnificentissimè extructum templum ad D. Hilarium &c. Nec defuerunt quidam ex D. Hilarii Collegio Sodales sive Canonici, quos vocant, qui dicerent, licére ipsis honorabile conjugium contrahere, ex instituto Hilarii, qui legem de cœlibatu suis minimè scripsisset, ut mihi narravit Vir Clarissimus Casparus Hervagius, Juris U. Doct. consultissimus & amicus meus singularis.*)

Vasquez part. 3. Disp. 267. cap. 3. 4. & 5. probat, *nullos Sacerdotes teneri jure divino, ut ab usu conjugii ante Ordines contracti abstineant, nec Græcos ad id teneri jure positivo: & Patres Concilii Gangrensis, quòd paulò post Concilium Nicenum celebratum fuit, existimâsse licitum esse uti conjugio contracto ante Ordines. Refutatque Turrianum conantem eludere Canonem illius Concilii & Pontificum etiam autoritate idem evincit.*

(Quamvis autem distinguat inter *matrimonium ante Ordines contractum & post contrahendum*; illudque secundum *non existimet esse licitum*, saltem jure positivo: notandum tamen, quæcunque afferunt ex Scripturis argumenta pro lege cœlibatus Ecclesiasticorum, si sint alicujus momenti, æquè pugnare contra Sacerdotes conjugatos ante Ordines, ac contra eos, qui postea contrahunt, quia præsertim agitur de usu matrimonii, quem, cùm Vasquez agnoscat liberum fuisse relictum conjugatis Sacerdotibus à Concilio Niceno, satis refellit alios Pontificios, qui volunt omnibus fuisse necessitatem impositam abstinendi ab uxoribus suis, cùm admitterentur ad sacros Ordines.)

Ibidem etiam ostendit Vasquez, *Canonem tertium Concilii Niceni*, quem Pontificii passim urgent, *non agere de uxoribus.* Verba ejus hæc sunt: *Vetuit omninò magna Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono &c. συνείσακτον γυναῖκα ἔχειν, subintroductam habere mulierem, nisi sanè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ omnem suspicionem effugiunt; quæ nullatenus uxorum prohibitionem attingunt, hæ enim sunt domesticæ & familiares. Patres tantùm vetant, ne extraneæ & quæ suspicione non carent, introducantur.*

II. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quòd agnoscere coguntur, coactionem Sacerdotum ad cœlibatum fructus afferre pessimos.

Præterquam enim, quòd dignissimos quosque ab Ecclesiastico officio deterret, bipatentes fores nefariis libidinibus aperit.

De priore incommodo conquerentem modò audivimus Georgium Cassandrum.

Cui querelæ addendum illud Erasmi in vita Thomæ Mori, ubi sic scribit: *Thomas Morus ad pietatem totum animum appulit, vigiliis, jejuniis, precationibus Sacerdotium meditans. Neque quidquam obstabat, quo minùs sese huic vitæ generi addiceret, nisi quòd uxoris desiderium non possit excutere, maluit itaque esse maritus castus, quàm Sacerdos impurus.*

De posteriore incommodo plurimæ ubivis occurrunt querelæ.

c. Quidam. dist. 81. *Quidam Clerici legitimum non habentes conjugium extranearum mulierum vel ancillarum suarum, quæ interdicta sunt, consortia appetunt.*

Glossa in c. Lator. caus. 2. q. 7. *Fornicatio simplex* (in Sacerdote) *non est digna depositione*; cujus rei causam affert alia Glossa his verbis, *quia pauci sine illo vitio inveniuntur.* Gloss. in c. Maximian. dist. 81.

Sigebertus Gemblacensis in Chronico (circa annum 1111. scripto) *Gregorius Papa celebratâ Synodo Simoniacos anathematizavit, uxoratos Sacerdotes à divino officio removit, & Laicis Missam eorum audire interdixit &c. Porrò continentiam paucis tenentibus aliquibus eam modo causam quæstus ac jactantiæ simulantibus, multis incontinentiam perjurio aut multipli-*

tiplicíori adulterio cumulantibus, ad hoc hac opportunitate Laicis insurgentibus contra sacros Ordines & se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus, Laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro oleo sacro & chrismate utentes in extremo vitæ viaticum Dominicum & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ à Presbyteris conjugatis accipere parvipendunt, decimas Presbyteris deputatas igni cremant, & ut in uno cætera perpendas, Laici corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum, sæpe pedibus conculcaverunt & sanguinem Domini voluntariè effuderunt & multa alia contra jus & fas in Ecclesia gesta sunt, & hac occasione multi Pseudo-Magistri exurgentes in Ecclesia prophanis novitatibus plebem ab Ecclesiastica *disciplina avertunt.*

Alanus Chartierus Caroli VII. Francorum Regis Secretarius in opere, cui titulum fecit Aulicus (circa Ann. 1450.) *Fuit olim factum novum Statutum in Ecclesia Latina, quod discidit Ordinem sancti matrimonii à dignitate Sacerdotali, sub prætextu puritatis & castitatis sine sordicie; nunc viget statutum ad concubinatum contrarium, & ipsos Clericos attraxit ad exercitia mundana, atque ea flagitia, quæ carni adlubescunt &c. Atque hoc primum Statutum segregavit olim Ecclesiam Græcam à Latina, & inde enormis avaritia Sacerdotum fecit, ut discederent populi Bohemiæ ab Ecclesia Romana. Quid dico Bohemiæ? imò verò penè totius orbis Christiani. Nam homines Ecclesiastici suâ culpâ ita profanarunt, & se & Ordinem suum, quòd jam planè & à magnis & à parvis in toto mundo habeantur despicatui, suntq; corda omnium abalienata ab obedientia Ecclesiæ per pravitatem Ministrorum ipsius. Quia, ut jam dictum est, illi ipsi Ministri dereliquerunt conjugium, cæterùm hujus loco assumsere sibi illegitimas, vagas ac dissolutas libidines. Nolo longiùs extendere hunc sermonem, quia tantum hæ valent Constitutiones, quantum inde percipitur voluptatis. Quid autem Constitutio, ne Sacerdotes sint uxorati, affert aliud, quàm subvertere & evitare legitimam generationem, ut ea convertatur in adulterium, & honesta cohabitatio cum una duntaxat Sponsa abeat in multiplicationem effrenis libidinis? Si dicerem hic totum id, quod in animo est, ampliùs dicerem, quòd pinguedo bonorum temporalium permixta cum dolore invidiæ & calor ambitionis atque libidinis jam facerent suum apparatum, ut conjiciant flammam in Ecclesiam. Sed hoc argumentum nimis est gravis ac profundæ investigationis & diffinitio ambigua satis hoc comprobat.*

Alvarus Pelagius in lib. de planctu Ecclesiæ artic. 27. (circa Annum 1350.) *Sacerdotes sæpè cum Parochianis mulieribus, quas ad Confessionem admittunt, scelestissimè fornicantur, in quo casu statuit Ecclesia Romana pœnitentiam aliquot annorum. Nimis incontinenter vivunt Presbyteri, & utinam nunquam continentiam promisissent maximè Hispani, in quibus provinciis in paulo majori numero sunt filii Laicorum, quam Clericorum! Et quid sceleratius est, quàm quòd per plurimos annos de latere concubinæ quâlibet die surgunt, vel non præmissâ Confessione, vel hypocritali cum proposito redeundi, & procedunt ad altare ad terrificam hostiam consecrandam, panem pollutum, quantum in eis est, Domino cordibus & labiis scelestis offerentes?*

Item, *quòd immiscent se spectaculis & pompis mulierum & conviviis publicis, & vitæ inhonestæ &c. sunt vagi oculis, effrenes linguâ, petulantiâ & gestu fluido laborantes, inverecundi sunt & obscœni, virgines & viduas, aliasque muliercul as frequentantes.*

Thomas Netter Waldenus in Fasciculo Zizaniorum (circa Annum 1382.) *Magnates quidam dicebant, quòd lex continentiæ adjuncta Sacerdotio in totam Ecclesiam Sodomiam induxit. Delicata cibaria* (inquiunt) *virorum Ecclesiasticorum quærunt naturalem purgationem vel pejorem. Votum continentiæ Moniales cogit ad horribilia peccata: ut sunt interfectiones abortivorum, destructio naturæ per medicinas, mutuæ libidines & alia non dicenda.*

Idem repetitur in libro Parlamento Londinensi Anno 1395. oblato.

In libro, cui titulus de *vita & honestate Clericorum*, circa Annum 1460. scripto, & postea Basileæ Anno 1555. cum aliis quibusdam edito *Sed heu, nunc sunt tot & tanti fornicatores, Sacerdotes concubinarii, quòd pauci sint Domini aut Prælati, qui tales evitant in divinis, imò publicè permittunt tales sedere cum suis concubinis & filiis & filiabus. Unde prælati se cum eis damnant, si eos compescere possunt & nolunt, vel pecuniam ob hoc ab eis suscipiunt, & qui etiam tales scienter permittunt pro se celebrare, vel cogunt, vel conducunt eos, ut promoveantur.*

In libro, cui titulus de Miseria Curatorum, impresso Augustæ per Anton. Sorg. Ann. 1489. *Quisquis curam Pastoralem portat, novem Diabolos sine intermissione se lacerare sciat. Primus est ipse Collator. Secundus, custos Ecclesiæ. Tertius est coqua, tua Domina, per quam habes tot tentationes, quot in capite geris capillos. Audi, quis fortior, sanctior, sapientior Samsone, Davide, Salomone? Si fortitudo, sanctitas & sapientia Samsonem, Davidem & Salomonem à concubitu mulieris præservare non potuit, quis Curatores ab eodem veneno liberabit? O quàm rarum est, si Curator uxorem non habens, sed semper urens, se non coinquinat? Ab hoc tempore, quo Clericos ab uxoribus Sanctitas Apostolica sequestravit, nullus unquam, quamvis sanctus & continens, sine suspicione fuit. Quapropter cum fiducia loquor, nisi Ecclesia inantea uxores habere toleret, cum scortis omnes ad unum domesticam curam portare oportebit. O quantum dedecus! Inde populus incidet damnationis periculum, unde deberet sumere bene vivendi exemplum, dum unusquisq; Sacerdotum in sua legitima contentus erat. Nunc verò Sacerdos, quia propriam non habet, fœminis indifferenter utitur. De illis verò, quod malum est, provolat: de istis, quomodo luxuriant, etiam puer canit &c.*

Johannes Aventinus lib. 5. Annal. cùm decretum Hildebrandi de removendis ab officio Sacerdotibus uxoratis adduxisset, subjungit. *Porrò paucissimis Veneris bellum indicentibus, quibusdam castitatem jactantiæ, quæstus ergò simulantibus maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria passim & impunè committunt &c. Et tu vigilantissime Gregori, quidnam faceres, si te fortuna ad nostra tempora servâsset, & nunc demùm natus esses, quando amare, potare, stupra, incestus committere, vim puellis inferre, virgines vitiare, alienas permolere uxores, adeò, ut cauda salax sacrificulorum in proverbium vel vulgò protritum abierit, munus Sacerdotale censetur.*

Autor libelli, cujus titulus Opus Tripartitum, (Concilio Lateranensi conjuncti) lib. 3. cap. 7. *Tanta immunditia luxuriæ notoria est in multis partibus mundi, non solùm in Clericis, sed etiam in Sacerdotibus, imò, quod horribile est audire, in Prælatis majoribus.*

Robertus Holcot in librum Sapient. lect. 18. *Sacerdotes hodierni sunt Dæmones incubi per luxuriam, & Sacerdotes Priapi vel Beelphegor & Angeli abyssi.*

Polydorus Virgilius in Histor. Angl. *Anno Domini 1125. Johannes Cremensis tituli S. Chrysogoni Cardinalis Presbyter ab Honorio II. Papa missus fuit in Angliam à latere legatus. Hic in Synodo Westmonasteriensi eodem anno damnavit in Clero non solùm conjugia, sed & omnem fœminarum usum. Quòd cùm gravissimè Sacerdotes tangeret, & jam antè oderant fuissent, Cardinalem illum esse fœdissimum scortatorem, ita caperunt eum observare, ut nocte insequenti cum meretrice famosa in lecto concumbentem ruptis clausuris invenerint. Quo ille probro affectus Romam confusus rediit & Sacerdotes ad suas mulieres.*

Idem Polydorus Virgilius lib. 5. de rer. invent. cap. 4. *Illud dixerim, tantùm abfuisse, ut ista coacta castitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus Ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impresserit, inusserit, attulerit, quàm Sacerdotum libidinis labes.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 21. §. 6. *In Alemannia me herclè pauci sunt Curati* (Sacerdotes,) *qui non fœtore concubinatus marcescunt.*

In eod. cap. *Ecclesiæ provisores in carne vitam meretricalem habent.*

Cap. 23. *Sacerdotes frequenter fornicationibus coinquinantur: maximè Curati sordescunt in concubinatu adeò manifestò, quòd nullâ tergiversatione celari possit.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiquis. *Demo abjurationem legitimi connubii, quæ causa fuit inenarrandæ turpitudinis, & abusus plures, & opiniones Scholasticorum quorundam de cœlibatu annexo Ordini, de charactere ficto, deque similibus aliis, non inveniet vir pius, quòd in hoc venerabili Ordine ita authorato, & per Ecclesiam utramque ita roborato, bono jure culpet.*

Ibid. *Dicimus, licere non oportere* (*esse conjugatum.*) *Sed concubinatu prohibito coget res ipsa vel ad honestum matrimonium.*

nium, vel ad sanctum cœlibatum. Quod inter hæc duo incidit, vetitum est, nempe scortationis scelus, aut adulterii, aut cynædiæ, pæderastiæ, quorum scelerum est repleta terra. Et talibus debetur duplex honor, debetur census, debetur immunitas ac libertas. Tales digni sunt, qui soli administrent Ecclesiæ Sacramenta, quibus honorandis aperiantur hominum prætereuntium capita. Horum et manusq; rebus sordidissimis apta atq; assueta admoventur tremendis mysteriis, & adeo, ut sempiterna salus populi, qui dicitur Catholicus, sola pendeat ab impurissimis ac fœdissimis scortatoribus. Hi conficiunt Sacramenta, hi solvendi ligandiq; potestatem habent, hi soli psallunt Deo, quem adversariū habent & inimicum.

Idem in cap. Abusus negligentiæ &c. *Non minor est Christiani nominis ignominia, nec crimen minus, quod exemplo Heliogabali ac instinctu Diaboli, Episcopi & Magistratus tolerant, imò ædificant ac protegunt spurcissimos fornices fœdissimæ Veneri consecratarum mulierc ularum &c. Verùm ejusdem est impietatis concubinatus Sacerdotum & lupanar publicum, nec est utrobiq; dissimilis religio, nisi quòd hæc apparet venerabilior, altera sordidior. Hunc statum repetit cœlibatus, illum discursum invenit otium, neutrum torus immaculatus. At jam pudere nos cœpit hujus politissimi, & destrui cœperunt Heliogabalica multis in locis. Ephoros nondum pudet Cleropornia, nec forsan aliud perinde decet Collegia hieratica. Ponat Augusta Majestas super cor suum, ut utramq; impunitatem, hoc est, ut quod malum est, de populo Christiano auferat, magnum mentis opus, quod prædicabit posteritas, quæ laus Homero judicatur non ultima.*

Henricus VIII. Angliæ Rex Cucculligerorum cœnobia & Sacrificorum Collegia per venerabiles legum Doctores Thomam Leum, Ricardum Laytonum, Thomam Bedillum Archi-Diaconum Cornubiensem, Thomam Barthelетum Notarium publicum & alios visitari in suo regno curavit, ante extremam eorum dissolutionem, quæ fiebat Anno à Christi nativitate 1543. in quibus tanto numero reperti sunt scortatores, cinædi, ganeones, pedicones, puerarii, pæderastæ, Sodomitæ, Ganymedes, votarii tamen ac cœlibes omnes, ut in unoquoq; eorum credideris novam adesse Gomorrham. Liber eorum vocatur Breviarium compertorum in Monasteriis, Conventibus, Collegiis ex Regestis Anglicis circa Ann. 1538. in quo inter alia recensetur. Quòd in Monasterio Bellensi, quod alio nomine Batel vocatur, Licestriensis Diœcesis, hi fuerint Sodomitæ in ipsa visitatione reperti, Johannes Abbas, Sicardus Salchust. Thomas Cuthbert, Guilhelmus Marche, Johannes Hattinge, Gregorius Champion, Clemens Westfelde, Johannes Gosse, Thomas Crambroke, Thomas Basyll, Johannes Hamfelde, Johannes Hietom, Clemens Grigge, Ricardus Tovye, & Johannes Austyn. Incontinentes, Thomas Lyver cum una maritata & alia soluta, Thomas Crambroke cum eisdem ac pluribus.

In Ecclesia Christi Cantuariæ inter Monachos etiam Benedictinos hi quoq; reperiebantur Sodomitæ, Ricardus Godmerscham, Guilhelmus Lichefelde, Christophorus Lamys, Johannes Goldmyston, Nicolaus Clement, Guilhelmus Canuston, Johannes Ambrose, Thomas Farlegh & Thomas Morton. Incontinentes Christophorus Lamys prædictus cum tribus conjugatis & Nicolaus Clement cum una soluta.

In Monasterio S. Augustini Anglorum Apostoli ejusdem urbis & Ordinis incontinentes isti inveniebantur. Johannes Abbas cum unâ tantùm, Johannes Langdon cum duabus, Johannes Langort cum unâ, Ricardus Compton cum unâ, Guilhelmus Reynesforth cum unâ, Guilhelm. Godmedston cum duabus, David Frances cum una, Robertus Saltvvode cum una, Laurentius Goldston cum unâ, Guilhelmus Mylton cum una, Johannes Schrevvesberi cum una & Thomas Bathan Sodomita.

In Bathoniensi Monasterio inter alios plures Ricardus Lyncombe septem meretrices habebat, quatuor solutas & tres conjugatas, eratque Sodomita, Guilhelmus Beunshon undecim scorta quoque habebat præter Sodomismi varium genus.

In Monkenfarlegensi Cœnobio Sarisburiensis Diœcesis Ludovicus Prior novem habuit meretrices & Conventus adhuc plures.

Ricardus Prior de Mayden Bradley quinque meretrices & sex spurios habuit.

Guilhelmus Abbas Bristollensis quatuor meretrices habuit, tres solutas & unam conjugatam. Thomas Abbas Abindonensis præter sororem naturalem, ex qua duas procreavit soboles, tres alias meretrices habuit, & hic pater multorum Sodomitarum fuit.

In Cœnobio de Schulbrede Licestriensis Diœcesis Georgius Walden Prior septem meretrices habuit, Johannes Standney septem, Nicolaus Duke quinque, Henricus Selvvode duos, præter reliquos & reliquas. Johannes Blanke Prior de Permondsey viginti meretrices habuit.

Ut ad Sacrificulorum Collegia veniamus, in Castro Windesora Henricus Uvodvvarde Succentor plures meretrices habuit, Nicolaus Vuhyden quatuor, Georgius Uhitethorne quinque, Nicolaus Spoke quinque, Robertus Huve quinque, Simon Todde unam, Nicolaus VValker duas, Guilhelmus VVase unam, Robertus Dauyson sex, Petrus Bough multas & alii alias.

In Ecclesia cathedrali Licestriæ Johannes Champion Prabendarius de VValtam duas meretrices habuit, Guilhelmus Grosse maritatam unam, Thomas Parcker duas solutas, Ricardus Busselde solutam unam, de qua suscitavit sobolem; Bartholomæus Cokisley solutam unam, Robertus Hunt plures, Thomas Gosse duas conjugatas, Johannes Hylle tredecim meretrices, Robertus More plures, Rogerus Bacham plures, Johannes Bedfelde plures & alii alias, inter quos etiam prædict. Rogerus Barham & Johannes Champion *reperti sunt Sodomitæ.*

Barlette olim in Galliis Prædicator in Sermon. fol. 261. col. 2. *O quot luxuriæ! ô quot Sodomiæ! ô quot fornicationes! Clamant latrinæ, latibula, ubi sunt pueri suffocati. Utinam haberemus aures apertas & audiremus voces puerorum in latrinis suffocatorum & in fluminibus! Ad omnes Diabolos talis modus faciendi. Taceo de adulteriis, stupris & incestibus peccatis etiam contra naturam. O naturæ destructores, ô bestiis deteriores.*

Anshelmus Archiepiscopus Cantuariensis primus ferè, cum id frustrà aliquoties tentatum fuisset à Britwaldo, Odone, Dunstano, conjugiis interdixit Anglorum Sacerdotibus, quod ait Henricus Huntingd. *quibusdam mundissimum visum, quibusdam periculosissimum, ne dum munditias viribus majores appeterent, in immunditias horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent.* Horum præsagium proximus statim annus confirmavit, qui nova decreta Anshelmo expressit *ad compescendas Sodomiticas libidines,* quæ in locum legitimi conjugii successerant, ut refert Balæus Cent. 8. & 9. *multa monstra libidinum ab Henrico VIII. in perfossis Monasteriis inventa & detecta enarrat.*

Barbatia in c. At si Clerici de judic. refert, *Quòd rustici quidam experientiâ ducti nolebant Parochum admittere, nisi concubinam haberet, quòd à cœlibe timerent uxoribus suis. Nullum enim unquam Clericum de frigiditate conquerentem se audivisse* narrat Johannes Andreæ ad Speculatorem tit. de Sponsal. §. 1.

Cùm quædam Concilia, referente Aventino Clericis concessissent *matrum & sororum cohabitationes,* ut de quibus nulla esse posset suspicio, postea compertum fuit, *cœlibatum Sacerdotum tam castum esse, ut nec matres, nec sorores inire dubitaverint,* ut testatur Speculator in tit. de Test. §. Proponitur.

De multitudine concubinarum testantur Nevizanus lib. 1. Sylv. nupt. num. 128. Joh. Faber Instit. de jure person. §. penult. inquiens. *Si verum est, quòd filii Episcoporum usque ad Sub-Diaconum sunt servi Ecclesiæ, Deus bone, quot essent hodie servi?*

Hieronymus Cardanus in lib. de Dæmonibus. *Franciscus Mirandula se agnovisse scribit, Sacerdotem Benedictum Bernam, ætatis annorum septuaginta quinque, qui annis plus quàm quadraginta cum Dæmone familiari sub forma fœminæ associato concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeò, ut astantes, qui nihil videbant, eum pro fatuo haberent. Vocavit autem illam Hermelinam, quasi mulier esset. Alium quoque Pinnetum, ait, nomine novi, qui ad octoginta & ampliùs annos pervenerat cum Dæmone alio, qui muliebri formâ videbatur, vocabatq; eam Florinæ nomine, plus quadraginta annis Venereas voluptates exercuisse.*

Georgius Cassander in Consult. art. 23. *Videmus hoc decreto* (de cœlibatu Sacerdotali) *usque adeò castitatem & continentiam in Clero non confirmari, ut per illud ad omne libidinis & flagitii genus fenestra aperta esse videatur.*

Et postea. *Eò res jam rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio fœminarum abstineat, populus verò ita affectus est, ut Sacerdotis fornicatoris seu concubinarii ministerium, vel prorsus condemnet, vel leviùs æstimet, maritum verò Sacerdotem æquiùs ferat.*

Legatus Alberti Ducis Bavariæ in Concil. Trident. publicè dixit, quòd *Sacerdotes pleriq, omnes Concubinarii sint*, quòd *Clerus propter nimis liberam atq, notoriam libidinem infamis nunc sit.* Verba sic habent: *Clerus noster gulæ, libidinibusq, indulget, ac quasi velint in contemtum Dei hominumq, omni genere vitiorum se coopertum potiùs palàm agnosci, quàm minimâ aliquâ in re emendatum animadverti, ut cætera Cleri vitia, quæ cum populo habet communia, taceantur, at certè libido illa nimis libera atque notoria, propter quàm is nunc potissimum infamis habetur, à plebe irritatoque populo alienissima esse judicatur.*

Et postea. *In proxima Visitatione per Bavariam facta tàm frequens Concubinatus repertus fuit, ut vix inter centum tres vel quatuor inventi sint, qui aut manifesti concubinarii non fuerint, aut clandestinè matrimonia non contraxerint, aut uxores palam non duxerint.* (Extat hæc Oratio inter opuscula Andreæ Dudithii.)

Petrus Suavis lib. 6. Histor. Concil. Trident. pag. 616. *Augustinus Paumgartner Ducis Bojariæ Orator in sua ad Patres Concilii habitâ Oratione inter cætera retulit, hæresibus recipiendis occasionem dedisse impuram Cleri vitam & immania flagitia, quibus commemorandis supersedendum censeat, ne castis auribus pariat offensionem &c. Clerum propter libidinem ubiq, esse infamem, Magistratum politicum nullum tolerare civem Concubinarium, Concubinatum verò in Clero adeò esse frequentem, ut in centum Sacerdotibus vix tres quatuorve reperiantur, quos ea labes non attigerit, aut qui non clam aut palàm matrimonium contraxerint. Inde fieri, ut in Germania Catholici castum matrimonium cœlibatui contaminato anteferant &c.*

Alphonsus Virvesius Episcopus Canariensis virulentiæ dictorum in Philippum Melanchthonem & universos Protestantes plurimùm quidem in suis, ita dictis Philippicis, indulget, interim cùm ad ea, quæ Augustana Confessio artic. 1. abusuum *de Sacerdotum vagis libidinibus* objicit, devenisset, ingenuè scribit Philipp. 19. *Hæc & alia id genus multa, utinam non tàm verè, quàm petulanter objicerentur ab Adversariis!* (In Harm. Fabr. fol. 382.)

Baronius Ann. 1049. num. 10. memorat, *Petrum Damiani ad Pontificem Leonem IX. scripsisse librum, quem Gomorrhæum inscripserit, eoque quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur Ecclesia, ut decuit, quàm potuit, honestè insinuarit.*

Num. 11. subjicit literas Leonis ad Damianum, in quibus inter cætera sic loquitur: *Clerici, de quorum vita spurcissima flebiliter pariterque rationabiliter tua prudentia disputavit, verè & omninò verè ad funiculum hæreditatis ejus non pertinent.*

Num. 15. de hoc libro addit. *Etsi visus sit Gomorrhæus ille à Leone laudari, tamen quòd absq, verborum obscœnitate obscœnitates illæ tantæ pertractari haud adeò potuerint, quin legentium aures castas offenderent, ut reverà offendunt, Alexander Papa secundus callidâ arte illum ab eo surripuit, suoq, inclusit scrinio.*

(Ex eo facilè colligi potest, quantæ obscœnitates in Clero invaluerint, cùm absq, obscœnitate illæ legi non potuerint.)

Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 8. artic. 6. pag. 954. adducit & approbat dictum Petri Ravennatis in sermone, quem habuit in Synodo Caminensi. *Videmus in plurimis Clericis, quòd teneant ita publicè concubinas sicut uxores, & publicè nutriunt filios &c. O quot miseri Clerici in Italia, in Francia, in Hispania & cæteris regionibus velociùs sagittâ currunt ad Tartareas oras propter incontinentiam &c. Gratias ingentes ago Deo meo, quia non permisit me Clericalem vitam ducere &c. Malui potiùs in matrimonio vivere cum paucis reditibus, quàm amplissimos beneficiorum reditus possidere & incontinenter vivere.*

12. Suffragantur etiam nostræ sententiæ quædam hypotheses Adversariorum.

Primò agnoscunt, appetitum generandi per naturam esse omnibus hominibus insitum, adeoque *conjugium esse juris naturalis.* (Ex quo sponte sequitur, Sacerdotes per Constitutiones humanas non esse à conjugio arcendos.)

Pererius lib. 8. de Commun. rer. naturalium princip. cap. 16. pag. 480. *Appetitus generandi, qui cuilibet homini est naturaliter insitus & penitùs infixus, acerrimus & incitatissimus est, quique post labefactatam primi hominis scelere integritatem naturæ multò vehementior & effrenatior existit.*)

Gregor. de Valent. tom. 4. Operum Theol. in Thom. p. 2236. negat, *consensum parentum in nuptiis filiorum esse de necessitate, propterea, quia pertineat ad facultatem generandi naturalem, quæ solius filii sit, non patris, eaq, propter filium posse sine consensu Patris validè de ea disponere* asserit, id, quod probat ex Thoma 2. 2. q. 104. art. 5. & tandem addit, *quòd pater non possit filium privare vitâ aut prohibere, quò minùs utatur aliquâ facultate naturali, ut, exempli gratiâ, ne unquam rideat aut comedat.*

(Si parens non potest nec debet impedire, quò minùs filius utatur facultate generandi, utpote naturali, adeoque à matrimonio abstineat, etiam Pontifex non poterit prohibere, quò minùs Clerici utantur facultate generandi, utpote naturali, & conjugium contrahant.

Secundò, agnoscere coguntur, *Prophetas in Veteri & Apostolos in Novo Testamento* habuisse uxores.

(Cùm ergò illi nihilominùs Deo placuerint, & officio Ecclesiastico laudabiliter functi fuerint, utique conjugium non debet prohibere Sacerdotibus.

Index Expurgator. Hispan. p. 169. & Index Expurgat. Belgic. pag. 27. *Prophetas omnes uxores habuisse, ex Indice Chrysostomi deleatur.*

(Sed cur ex Indice expungunt, cùm textus extet disertus apud Chrysostomum Homil. 56. in Matth. *Prophetæ omnes & domos & uxores habebant, sicut Esaias & Ezechiel & eximius ille Moses, & nihil hinc virtuti eorum fuit impedimento?*)

Ambrosius Catharinus in Comment. Phil. 4. v. 2. scribit, *in Brigittæ Revelationibus haberi, Paulum fuisse conjugatum,* (quo nomine Catharinum perstringit Tirinus Jesuita in Com. 1. Corinth. 9. v. 5.)

Bellarminus lib. de Clericis cap. 20. § Ad locum. *Clemens Alexandrinus locum Apostolicum 1. Cor. 9. Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas, exposuit de uxoribus Apostolorum.*

§. prox. præced. *Non est omninò certum, qui ex Apostolis uxorem habuerint, & qui non habuerint &c. Ignatius in Epistola ad Philadelphienses dicit, Petrum & Paulum & reliquos Apostolos fuisse conjugatos; excepto Johanne &c. Clemens quoque Alexandrinus lib. 3. Stromat. aliquos Apostolorum & nominatim Paulum uxorem habuisse asserit.*

(Baronii figmentum, quòd *Epistolæ Ignatii nomen Pauli à posterioribus Græcis Clericis clam insertum sit*, Bellarmino non fuit probatum.)

Tertiò, statuunt unanimi ferè suffragio, *Conjugium esse Sacramentum.*

(Jam verò, qui ad Sacramentum aliquod recipiendum idoneus est, atque id suscipere desiderat, non debet ab eo arceri. Ergò nec Sacerdotes à matrimonio sunt arcendi. Item. Sacramenta sibi invicem non repugnant. Matrimonium & Ordo ex hypothesi Pontificiorum sunt Sacramenta. Ergò sibi invicem non repugnant, sed in uno eodemque subjecto convenire possunt. In omni Sacramento propriè dicto confertur gratia, quia *Sacramenta instituta sunt ad sanctificandum*, inquit Bellarminus libro 1. de Sacram. in gen. cap. 9. § Præterea. Cur ergò gratiâ hujus Sacramenti Sacerdotes privant?)

Quartò, Bellarm. lib. de Clericis cap. 21. §. Adde etiam &c. sic scribit: *Melius est, carere perfectione virginitatis, quàm incidere in flagitia fornicationum.*

(Ergò illis, qui continentiæ dono præditi non sunt, sed periculo fornicationis propter ustiones obnoxii, non est imponenda lex de virginitate, sed permittendum conjugium. Jam verò multi ex Sacerdotibus continentiæ dono non sunt præditi, ut testatur experientia.)

Quintò, agnoscunt, legem cœlibatus Sacerdotum à gentilibus originem trahere: (meritò igitur abrogari debet.)

Siricius Epist. 4. in Prohibitione conjugii provocat ad gentilium consuetudinem. *Tollatur*, inquit, *hoc opprobrium, quod potest etiam jure gentilitas accusare.*

Alexander ab Alexandr. lib. 4 Genial. dier. cap. 17. *de Sacerdotibus Cybeles* literis prodidit, *quòd terra Samiæ testâ castrare se fuerint soliti.*

Sextò, Bellarminus de Clericis cap. 18 §. Probatur primò &c. sic scribit: *Si licuit jure divino Sacerdotibus habere uxores, quas ante Ordinationem duxerant & eis uti more maritorum, cur, quæso, non licuisset etiam post Ordinationem ducere?*

(Jam verò ex Historia veteris Ecclesiæ & ex ipsomet quorundam Adversariorum suffragio probari potest, prius olim fuisse licitum. Alphonsus de Castro lib. 13. advers. hæreses, verbo Sacerdotium, hæres. 4. *In primitiva Ecclesia, qui uxorem*

rem duxerat, promovebatur ad Sacerdotium. Ergò & posterius illicitum non erit. Bellarminus ipse lib. de Clericis cap. 19. §. Epiphanius &c. adducit verba Epiphanii hæresi 59. quæ est Catharorum. *At dices mihi, quibusdam in locis adhuc liberos gignere Presbyteros & Diaconos & Hypo-Diaconos. At hoc non est juxta Canonem*, scilicet Ecclesiasticum, ut patet ex præcedentibus, *sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.*)

Quid quod idem Bellarm. lib. ejusd. de Clericis cap. 21. resp. ad 5. Canonem. Aliter dist. 31. sic scribit; *Hoc ipsum, videlicet quòd Sacerdotes post Ordinationem suam matrimonio ante Ordinationem contracto utuntur, etsi Romana Ecclesia non probat & abusum esse judicat, tamen permittit Græcis: & si errorem alium non haberent, facile pax componeretur.*

(At si Ecclesia Romana hoc permittit, quomodo Siricius illos vocat *præceptores vitiorum & laxare frena luxuriæ*, qui Sacerdotibus usum conjugii concedunt? Item, si Ecclesia Romana hoc permittit Græcis, cur non solùm non permittit, sed etiam prohibet Latinis & in eis damnat? Si in Græcis est tantùm abusus, cur in Latinis censetur facinus remotione ab officio, imò morte dignum? Item, si Romana Ecclesia judicat legitimum post Ordinationem uxoribus uti, quod Espensæus lib. 1. de Contin. cap. 12. fatetur, cur non legitimum judicat, post Ordinationem uxorem ducere? quantum enim differunt, *uxore ante Ordinationem ductâ uti*, & *uxorem post Ordinationem ducere*?)

Septimò, idem Bellarminus lib. de Monachis cap. 38. §. Dices rursum &c. scribit, *Conjugium per se & ex natura rei non repugnat Ordini sacro, sed ex solo decreto Ecclesiæ.*

(Ergò non peccant contra legem aliquam divinam, qui conjugium contrahunt in Ordine sacro constituti.)

Octavò, Gregorius de Valentia lib. 1. de Cœlibatu cap. 2. ex Concilii Ancyrani Can. 10. ostendit, *licuisse aliquando Diaconis ex dispensatione matrimonium contrahere post Ordinationē.*

(Hinc rectè infertur, quòd etiam post Ordinationem liberos genuerint, nam *connubia sunt propter filios*, inquit Augustinus quæst. V. & N. Testam. quæst. 49.)

Idem Greg. de Valentia d. l. refert, *Gregorium Pontif. Sub-Diaconis Siciliæ concessisse uti uxoribus ante Ordinationem ductis*, quod recenset Bellarm. lib. de Cleric. cap. 18. §. Non esse.

(Si ergò licuit Sacerdotibus habere uxores, quas ante Ordinationem duxerant, & eis uti more maritorum, cur, quæso, non liceat etiam post Ordinationem uxores ducere, ut modò audivimus concludentem Bellarminum lib. de Clericis eod. cap. 18.)

Nonò, Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt. (Ex quo principio August. Confessio art. 5. de conjug. Sacerd. deducit, rigorem legis de cœlibatu Sacerdotum esse relaxandum.)

c. Fraternitatis dist. 34. ex Pelagio Papa. *Quamvis multa sint, quæ in hujusmodi casibus observari Canonicæ jubeat sublimitatis autoritas: tamen, quia defectus nostrorum temporum, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram, & ætas istius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ut ad Diaconatum possit provehi, temporum, ut dictum est, condescentes defectui concessisse nos noveris.*

Appendix c. Requiritis caus. 1. quæst. 7. *Nisi rigor disciplinæ quandoque relaxetur ex dispensatione misericordiæ. Multorum enim crimina sunt damnabilia, quæ tamen Ecclesia tolerat pro tempore, pro persona, intuitu pietatis, vel necessitatis, sive utilitatis & pro eventu rei.*

c. Presbyter dist. 82. ex Concilio Gangrensi. *Presbyter, si fornicationem fecerit, quanquam secundum Canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta autoritatem B. Sylvestri, si in vitio non perduraverit, si suâ sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis pœniteat &c.* in quem locum Glossator sic commentatur: *Dicunt hodie pro fornicatione neminem deponendum, nisi in ea perduret, & ideò, quia hodiè fragiliora sunt corpora nostra, quàm erant.*

Idem Glossator in c. Qui admisit, caus. 15. quæst. 6. *Minùs punitur aliquis propter fornicationem, quàm propter aliud crimen, quia pauci sine illo crimine inveniuntur.*

(At si in relaxanda fornicationis pœna tam liberales sunt, cur ad legem cœlibatus relaxandam tàm sunt difficiles ac morosi? Fornicatio prohibetur *lege divina*, conjugium Sacerdotum duntaxat *humanâ*. Rigidiores ergò sunt in legibus humanis, quàm divinis.)

Decimò. Contarenus lib. 4. de Sacrament. de Sub-Diaconis sic disserit: *Huic (Ordini) priscis temporibus non erat annexum votum continentiæ. Visum posterioribus fuit, cum tangat vasa sacra Sub-Diaconus, pertinere etiam ad hunc Ordinem munditiam castitatis.*

(Hodiè verò Sub-Diaconis, utpote in majoribus Ordinibus constitutis, matrimonio communiter interdicitur.)

Undecimò, Polydorus Virgilius lib. 5. de rer. inventoribus cap. 4. *Moses omnibus æquè conjugium concessit, ipsis etiam Sacerdotibus, ne naturali mulierum conjunctione privati, ad minùs licita temerè prolaberentur.*

(Atqui eadem causa locum habet in Sacerdotibus N. Testamenti. Ergò propter eandem etiam N. Testamenti Sacerdotibus conjugium concedendum.)

Duodecimò. Bellarminus lib. de Clericis cap. 18. §. Non esse autem &c. scribit, *Romanam Ecclesiam Græcis permisisse Sacerdotibus usum uxorum, quas ante Ordinationem duxerant & Gregorium Magnum idem Sub-Diaconis concessisse.*

(Quicquid sit de conficta illa permissione Romanæ Ecclesiæ, Græca Ecclesia ab Apostolorum temporibus in hunc usque diem Sacerdotibus usum conjugii permittit, ut agnoscit Glossa in c. Cenomanensem dist. 56. Gratianus ad c. Sors 26. quæst. 2. Espensæus de Contin. lib. 1. cap 9. fol. 690. oper. Ergò Romana Ecclesia idem Ecclesiis Germanorum permittere debet.)

Decimò tertiò. In vetustiori Ecclesiâ *contrahentes etiam post solenne votum non privati fuerunt Clericali habitu, sed ab officio ad tempus suspensi, nonnunquam etiam semoti retentis uxoribus.* Leo Imper. Constit. 2. & 79. Canon. Apostol. 25. Concil. Rom. sub Sylvestro cap. 19. Vasquez in 3. Thom. Disput. 249. cap. 4. num. 34. Claudius Espensæus de Continent. lib. 1. cap. 10.

(At hodiernis moribus & temporibus ejusmodi conjugia dissolvuntur.)

Decimò quartò. Andreas Fabricius in Judicio de 23. artic. August. Confess. ab initio in Harm. p. 360. negat, *in dubium vocari, an liceat maritos & difficultatibus matrimonii implicatos ad Sacerdotium assumere.*

Cassander in Consult. art. 23. fol. 988. oper. scribit, *de hoc neminem reluctari, cùm ea res exemplum habeat priscæ Ecclesiæ & ab orientalibus omnibus Ecclesiis huc usque servetur.*

(Atqui, si licet uxoratos ad officia Ecclesiastica provehere, utique conjugium non pugnat cum officiis Ecclesiasticis. Nec potest dari ratio, cur uxoratis ad officia Ecclesiastica pateat aditus, & constitutis in officiis Ecclesiasticis non pateat aditus ad conjugium?)

Decimò quintò. Vasquez in 3. Thom. Disput. 249. cap. 4. num. 34. *Conjugia post Ordinationem contracta, nec legis, nec voti naturâ censet fieri posse irrita, quia matrimonii valor de jure divino, istorum autem obligatio solùm de jure humano tenet.*

(Errant igitur Pontificii, quando matrimonia post Ordinationem contracta vi legis Ecclesiasticæ censent esse irrita.)

3. Possumus etiam Bellarminum ex ipso Bellarmino oppugnare. Quæcunque enim argumenta profert lib. 5. de Rom. Pont. cap. 9. quibus probat, *non repugnare, Pontificem esse simul Principem spiritualem & temporalem alicujus provinciæ*, ea omnia pro Sacerdotum conjugio urgeri possunt.

Primò, producit exempla *Melchisedeci, Noahi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Mosis, Heli & Maccabæorum, qui fuerunt simul Principes & summi Pontifices.* At illi ipsi, atque adeò omnes summi Pontifices V. Testamenti Deo simul ministrârunt, & liberos ex conjugio susceperunt, id quod longè certius, quàm quod Bellarminus de illis asserit, cùm Noe, Abraham, Isaac, Jacob non rexerint, nisi amplas familias.

Secundò, affert quatuor rationes, quas totidem verbis contrà Bellarminum retorquere possumus.

Prima ratio. Sacerdotium & conjugium non sunt contraria, sed utrumque bonum, utrumque à Deo, utrumque laudabile & unum alteri servit. Ergò non pugnant inter se, sed simul in eodem possunt esse subjecto.

Secunda. Magis diversa sunt pax & bellum, quàm conju-

 gium

gium & Sacerdotium. At unus & idem Rex præest Senatui & exercitui, togatis & armatis. Ergò multò magis unus poterit simul esse maritus & Sacerdos, præesse simul domui & Ecclesiæ.

Tertia. Potest Pontifex universam Ecclesiam regere & longè lateque patentes regiones politico imperio premere & Christianis Principibus leges dare. Ergò multò faciliùs poterit Sacerdos parvam Ecclesiæ manum pascere & simul familiæ suæ præesse.

Quarta. Qui duxerunt uxores ex Episcopis, pii ac boni; & quæ nupserunt iis uxores, piæ fuerunt, ut de Patriarchis, Prophetis & Apostolis nihil dicatur. Ergò licitum est, quod illi fecerunt.

Denique, nisi facultas ducendi uxores reddatur Sacerdotibus, nullus erit finis scortationum, adulteriorum & libidinum, quibus referendis nec Dantes, nec Bocatius, nec Petrarcha sufficiet.

Notandum & illud, quòd idem Bellarm. lib. de Clericis cap. 19. §. Contra hos errores &c. sic scribat: *Probandum nobis est, votum continentiæ annexum esse Ordinibus sacris, ita ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea ductis uti liceat post Ordinationem, positivo quidem jure, sed antiquissimo & æquissimo, & quod nullo modo expediat, ut hoc tempore relaxetur.*

(Non negat, legem cœlibatus relaxari posse, sed negat *expedire, ut relaxetur.* Nec in universum negat expedire, ut relaxetur, sed tantùm *hoc tempore.* Ergò cœlibatus non est jure divino sacris Ordinibus annexus, quod tamen multi Pontificii asserunt, sed posset Pontifex legem hanc relaxare. Quod autem expediat, ut relaxetur, patet ex illis, quæ dicta sunt membro II. præcedente.)

4. Sed & dissensiones Pontificiorum nostram ex parte confirmant sententiam.

Primò, *cœlibatum jure divino mandatum & sacris Ordinibus annexum esse* docent Johannes Major in 4. sent. dist. 24. qu. 2. in princ. ubi scribit, *majorem partem Theologorum Parisiensium in hanc sententiam inclinare*, Clichtovæus lib. de Continent. Sacerd. cap. 4.

Franciscus Turrianus lib. de Synodis. *Cùm tamen eadem sit lex continentiæ omnibus sacri Ordinis hominibus à DEO sancita.*

Et postea. *Est enim hæc divina & Apostolica traditio, non quidem* ἄγραφος, *ut plerique falsò putant, quanquam ne sic quidem minoris esset autoritatis, sed quò certior clariorq; res esset,* ἔγγραφος *scripta, scil. in Evangelio & Epistolis Pauli.* Idem repetit lib. 2. de dogm. charact.

Hùc referri potest, quòd Michael Medina lib. 1. de Contin. cap. 47. suscipit probandum, *Evangelico Sacerdotio ex natura ipsa Sacerdotii repugnare conjugium.* Distinguit tamen *contrarietatem*, aliam *formalem*, quæ fit ab ipsis rerum formis & essentiis, ut albi & nigri, frigoris & caloris, sicci & humidi: aliam *virtualem*, quæ à pugnantibus mutuò dissidentibusque effectis, quomodo duæ formæ essentiales in eodem loco & subjecto repugnare dicuntur. Ipse autem disputat cap. 49. *repugnantiam conjugii & Sacerdotii non esse quidem formalem*; interim tamen addit cap. 50. *esse virtualem. Quòd si,* inquit, *matrimonium & Ordo sacer formali repugnantiâ, quæ ab essentiis desumitur, secum mutuò non pugnant, restat, ut virtuali, quæ ab effectuum contrarietate descendit, judicentur contraria, quoniam scilicet Ordinis sacri functionibus cum matrimonii & nuptiarum usu nullo pacto conveniat.*

Item Medina libr. 2. de Contin. cap. 7. *Ego, ut conjugia ante sacros Ordines assumta, eorumque usum jure divino cum iisdem sacris Ordinibus pugnare non crediderim: ita conjugiorum post Sacerdotium, Diaconatum, Sub-Diaconatum contractorum usum divinæ prorsus existimo Institutioni contrarium.*

Alfonsus Virvesius contra Confess. August. artic. de Conjugio Sacerdotum. *Conjugium res est inferior Sacerdotio, ita ut à toto genere, quod ajunt, Conjugium Ordo profanus, Sacerdotium verò sacer habeatur. Ab Ordine ergò imo atq; profano licet ascendere ad sacrum & sublimem, quis verò non videat, è converso haud æquè decentem esse regressum?*

Sed & Costerus in Enchirid. ad object. 11. *Matrimonium non est divino jure prohibitum Sacerdotibus. Ergò sine vitio licebit eis uxores ducere*; respondet, *negandum esse hujus argumenti antecedens.*

Contrarium docent plurimi ex Scholasticis & recentioribus Pontificiis, videlicet *non ex jure divino, sed ex solo Ecclesiæ decreto votum continentiæ sacris Ordinibus annexum esse.* Ita docent,

Lombardus lib. 4. sent. dist. 34. & 37.

Thomas 2. 2. quæst. 88. artic. 11. *Usus conjugalis interdicitur Sacerdotibus tantùm jure humano.*

Durandus lib. 4. sent. dist. 37. q. 1.

Cajetanus Cardinalis in Opuscul. tom. 1. tract. 27. *Nullâ ratione probari potest, Ordinem solutis omnibus, legibus & stando tantùm his, quæ à Christo & Apostolis habemus, esse impeditivum matrimonii.*

Ibid. *Quòd Sacerdotium impedit matrimonium contrahendum, intelligendum est de congruo, quoniam nec ratione, nec autoritate probatur, quòd, absolutè loquendo, Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quoniam nec Ordo, in quantum Ordo; nec Ordo, in quantum sacer, est impeditivus matrimonii.*

Dominicus Sotus lib. 7. de just. & jure q. 6. art. 2. ut & q. 5. art. 3.

Albertus Piggius controv. 5.

Petrus à Soto in Confutat. Würteb. Confess. & in Instit. Sacerd. lect. 5. de matrimon.

Georgius Cassander in Consult. artic. 23. p. 989. *Nec audiendus est novus quidam in Italia dogmatistes* (in margine notatur Franciscus Turrianus sive Torrensis) *qui unus, contra omnium veterum & recentiorum Ecclesiasticorum Scriptorum sententiam, Cœlibatum Ordini sacro* οὐσιωδῶς, *hoc est, substantialiter, & lege divinâ adjunctum esse contendit, nec esse in potestate Pontificis, nec Ecclesiæ, ut conjugii usum Sacerdotibus permittant, non magis quàm furandi aut latrocinandi, atq; eo modo universam Ecclesiam, tàm orientalem quàm occidentalem, violati juris divini accusat; illam, quòd conjugium in Sacerdotibus hactenus observarit; hanc, quòd eam rectè facere judicarit.*

Claudius Espensæus lib. 1. de continent. Sacerdot. cap. 3.

Johannes Caspar Rulandus in locis tit. 16.

Alphonsus à Castro lib. 13. advers. hæreses, verbo Sacerdotium hæresi 4. *Non ideò insimus Lutherum & ejus sequaces hæreseos notâ, quod nos credamus, ex divina institutione esse necessarium cœlibatum ad sacrorum Ordinum susceptionem, quoniam in primordiis Ecclesiæ conjugatos legimus fuisse Sacerdotes. Nam conjugium non obest ex institutione divina Sacerdotio.*

Bellarm. lib. de Cler. c. 18. *Non jure divino, sed humano duntaxat, prohibitum est conjugium Sacerdotibus, & proinde in hoc dispensari potest. Primò, non est de jure divino, ut conjugati, si ordinentur, ab uxoribus suis abstineant. Igitur neq; est de jure divino, ut Sacerdotes non ducant uxores. Nam matrimonium non pugnat cum Ordinibus ratione essentiæ suæ, sed ratione officii seu exercitii conjugalis &c. Non esse autem jure divino prohibitum, ne Sacerdotes utantur uxoribus, quas duxerant ante ordinem &c. probatur apertissimè ex eo, quòd Ecclesia Romana multis jam seculis permisit Græcis Sacerdotibus usum uxorum, quas ante ordinationem duxerant, ut patet ex c. Cum olim de Clericis conjugatis. Secundò probatur, quia in tota Scriptura nullum tale extat præceptum. Nam in Testamento V. Sacerdotibus licitum erat uxores ducere, in Novo autem nihil hac de re Dominus locutus est. Tertiò probatur ex Concilio Ancyrano cap. 10. ubi dicitur, posse Diaconos cum licentia Episcopi uxores ducere, etiam post susceptum Diaconatum. Ergò non est de jure divino, nec enim Episcopi in jure divino dispensant. Estq; hoc Concilium antiquissimum & confirmatum à Leone Papa dist. 20. Can. de libellis. Accedat postremò, quòd Concilia & Patres in sequenti capite producendi passim testantur, hanc legem esse Ecclesiasticam, quod etiam legimus in Concil. Trid. sess. 24. Can. 9.*

Similia occurrunt lib. de Sacram. matrim. cap. 21.

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 9. q. 5. punct. 5. §. Sed his argumentis, lib. de Cœlib. cap. 2.

Costerus in Enchirid. cap. 15.

Quidam mediam quasi viam ingressi certis utuntur distinctionibus, vel certè ἐπαμφοτερίζειν.

Almain. 4. sent. dist. 37. *Quantum ad Diaconatum & Subdiaconatum, est solùm ex statuto Ecclesiæ; quia aliquando in talibus ordinibus contrahebant: & illi ordines non erant sacri: illi sacri vocabantur, quibus annexa erat castitas. Sed de Presbyteratu, utrum dirimat contractum & contrahendum ex solo statuto Ecclesiæ vel Christi, dicit Doctor, quòd secundum non videtur probabile. Ratio, in primitiva Ecclesia Sacerdotes erant uxorati, & hoc verum est: sed uxorati erant, antequam ordinarentur; & licuit uxorato ordinari & suscipere sacros ordines: sed utrum*

utrum aliquando licuerit Presbytero contrahere, est difficultas. Et videtur, quòd non, imò apud Græcos, in quibus Sacerdotes sunt uxorati, & quod plus est, mortuo Sacerdote, uxor non potest ampliùs cum secundo contrahere. Ideo non est undiquaque certum, an sit ex statuto Ecclesiæ vel Christi, quòd Sacerdos non possit contrahere. Multi Doctores tenent, quod est ex statuto Christi. Sanctus Thomas & Doctor in materia de Voto dicunt, quod est solùm ex Statuto Ecclesiæ. Et videtur multum probabile, quòd est solùm ex Statuto Ecclesiæ, quòd Presbyter in sacris non potest contrahere.

Secundò, Bellarminus lib. de Clericis cap. 18. & 19. statuit. *Cœlibatum jure quidem humano, sed tamen Apostolico sacris Ordinibus annexum esse.*

Gregorius de Valentia lib. de Cœlib. cap. 3. *Lege planè Apostolicâ hoc esse factum.*

Contrarium probatur ex Gratiano c. Sors caus. 26. qu. 2. *Copula Sacerdotalis nec legali, nec Evangelicâ, nec Apostolicâ autoritate prohibetur.*

c. Cùm igitur caus. 35. q. 1. *Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia Ministrorum.*

Cusanus Cardinalis Epist. 2. *Consequenter in N. Testamento visum est post aliquot tempora irrationale fore, quod in sacris Ordinibus existentes contraherent.*

Cajetanus Cardinalis tom. 1. opuscul. tract. 27. *Diu licuit in Ecclesia Orientali contrahere post ordinationem.*

Alphonsus à Castro lib. 13. adversus hæreses, verbo Sacerdotium hæresi 4. *In primitiva Ecclesia observatum est, ut qui uxorem duxerat, promoveretur ad Sacerdotium, non tamen requirebatur ab eo, qui promovendus erat, ut priùs uxorem duxisset.*

Et postea: *Hæc consuetudo, juxta quam matrimonio alligatus promovebatur ad Sacerdotium, invaluit usque ad tempora Concilii Niceni, in quo, ut fertur, generali decreto statutum est, ne aliquis uxorem habens consecretur Sacerdos. Quod statutum, cùm ab aliquibus minimè, ut decebat, observaretur, Siricius Papa, qui parùm post prædictum Concilium Nicenum Ecclesiæ Universali præfuit, de hac re illos acerbissimè reprehendit. Decretum Concilii Niceni cùm non inveniatur, ideo hic non est insertum. Multa enim illius Concilii decreta, teste Isidoro, per incuriam aut fortè Arianorum malitiam deperdita sunt.*

Claudius Espenſæus in Comment. Tit. 1. *Multis annorum Centuriis post Apostolos Ecclesia primitiva defectu cœlibum Sacerdotes habuit maritos.*

Franciscus Cotterus in Enchirid. tractat. de Cœlib. *Antiquissimis Ecclesiæ temporibus viventibus adhuc Apostolis & post Apostolos aliquot adhuc annos admissi adhuc ad sacros Ordines fuerunt viri conjugati, non quidem promiscuè, sed electi, qui unicam tantùm duxissent uxorem, eamq; virginem.*

Quin imò contrarium probari potest ex ipso Bellarmino. Is namque in cap. 21. resp. ad ult. ad c. Cùm igitur caus. 35. q. 1. respondet, *sensum ejus esse eum, quod Ecclesia imposuerit Clericis continentiam præcepto servandam, quæ alioqui solùm erat consilium perfectionis.* Quærimus ex Bellarmino, quid per *Ecclesiam* h. l. intelligat? Certè *Apostolos* intelligere nequit, quia Gratianus disertè dicit, *Ecclesiam post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidisse.* Fateri igitur cogitur, Apostolorum tempore cœlibatum fuisse in libertate adhuc positum, sed à sequentis temporis Ecclesiâ præcepto Clericis fuisse impositum.

Tertiò, Melch. Canus lib. 3. Loc. Th. c. 96. scribit, *Professionem monasticam, cœlibatum sacerdotalem extra ditione habemus.*

Contrà verò Bellarminus lib. de Clericis cap. 19. multa adducit *Scripturæ dicta*, ex quibus probare conatur, Sacerdotes oportere esse cœlibes.

Quartò, de Jodoc. Clichtovæo sic scribit Bellarm. lib. de Clericis c. 18. §. 2. *Clichtovæus lib. de continentia Sacerdotum, duo dicit, quæ nescio, an inter se bene cohæreant. Unum est, de jure divino esse, ut qui est sacris Ordinibus initiatus, non possit uxorem ducere, neque in hoc ullam dispensationem cadere posse. Alterum est, eos, qui uxores duxerunt, non posse sacris Ordinibus initiari, nisi deinceps continere velint, esse præceptum Ecclesiæ, & à Siricio Papa primum editum, neque unquam ab Ecclesia orientali receptum fuisse. Itaque licuisse in tota Ecclesia Sacerdotibus uti uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, usque ad tempora Siricii; in Ecclesia autem orientali & nunc licere & semper licuisse.*

Quintò, idem Bellarminus lib. de Clericis cap. 19. §. Ex hac &c. sic scribit: *Errant Clichtovæus & alii, qui putant, legem continentiæ impositam Clericis primùm à Siricio. Nam Clemens, Origenes, Eusebius, Epiphanius & aliquæ Concilia citata antiquiora sunt Siricio.*

At Clichtovæo consentit Glossa Juris Canonici c. Cùm in præterito dist. 84. in verbo, Antiquitas. *A tempore Siricii vocat antiquitatem.*

Sextò, Bened. Justinianus Disp. 3. de Paulo Apost. cap. 3. f. 56. sic disserit: *De Pauli continentia non modò non hæreticis cum Catholicis, sed nec inter ipsos quidem Catholicos convenit. Etenim Clemens Alexandr. lib. 3. Strom paulo ante medium asserit, fuisse connubio astrictum, & eum secuti sunt Eusebius lib. 3. Histor. cap. 24. alias 30. Nicephorus lib. 2. cap. 44. Hist & recentiores quidam* (Cajetanus & Catharinus in cap. 4. Epist. Philip.) *qui falsò affirmant, id in sanctæ Brigittæ Revelationibus haberi, cùm potius ex illis contrarium deprehendatur.*

Septimò. Costerus quando disputat, *Sacerdotem graviùs peccare, si uxorem ducat, quam si scortetur, causam arcessit à Voto.* in Enchirid. cap. 15. prop. 9. Bellarmin. etiam disputat lib. de Clericis cap. 18. *Votum optimâ ratione esse ordinibus sacris annexum.*

Contrà verò Scholastici disputant, Almainus libr. 4. sent. dist. 37. *Ponitur opinio, quæ semper mihi visa est probabilior, quòd Presbyter non possit contrahere, hoc non est, quia vovet solenniter: quia si vovet, hoc est interpretativè solùm: sed hoc ideo est, quia Ecclesia illegitimat.*

Petrus Aquilanus ibid. *Dico ergo, quòd non est propter votum continentiæ annexam Ordini sacro, sed est ex hoc, quia Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam ad matrimonium contrahendum.*

Petrus de Palude ibid. *Non ratione voti annexi, sed statuti Ecclesiæ.*

Octavò, quidam putant, legem cœlibatus esse prorsus indispensabilem.

Michael Medina lib. 5. cap. 97. quosdam indicat, qui existimarint, *Ecclesiasticam potestatem hac in parte nihil quicquam posse.*

Quidam verò distinguunt *inter orientalem & occidentalem Ecclesiam.*

Andradius lib. 10. Orthodox. Explic. *Satis puto ex veteribus Conciliis constare, non eundem fuisse Orientis & Occidentis morem. Nam cùm nulla extet à primis illis Universalibus Synodis eâ de re lex lata, divinoque præcepto Sacerdotibus uxorum usus non sit prohibitus, licuit sanè provincialibus Synodis varias ac diversas leges condere, ex quibus regionum mores atque instituta luculentissimè aucupari licebit. Quæ si evolvas, perspicuum sanè fiet, Ecclesiæ occidentali familiarem atque sacrosanctum fuisse Sacerdotum Diaconorumque cœlibatum, Ecclesiam verò orientalem suis Sacerdotibus uxorum usum permisisse.*

Quidam concedunt, Pontificem in casibus particularibus posse dispensare.

Alphonsus Virvesius Philip. 19. *Quem legitimus scrupulus angit & excruciat, si omnibus, quæ prudentia fert, seriò ac fidei ardore tentatis, viderit se non posse continere, confidenter ego illi auderem consulere, ut non propriâ autoritate, quæ potius esset temeritas, sed summi Pontificis indulgentiâ saluti suæ per matrimonium prospiceret.*

Martinus Peresius de tradit. part. 3. *Videor mihi, si quæstio sit de præsentibus Sacerdotibus, qui jam cœlibatus votum emiserunt, non universaliter legem cœlibatus relaxari. Nam multi sunt inter eos, qui maturâ deliberatione voto se adstrinxerunt, & nonnulli, qui non magnâ cum difficultate votum possunt adimplere: & qui hodie fragilis est, crastina die per Dei gratiam fortis redditur & ad implendum promissum potens. Et esto, quòd sine difficultate non possit, quid tum? &c. Quòd si non advertcrunt, nec matura deliberatione se astrinxerunt, videat Romanus Pontifex, qui circa hac solet dispensare, quid agendum sit de particularibus. Cæterùm legem manere oportet intactam, pro iis qui jam cœlibatui se adstrinxerunt.*

Quidam legem ipsam cœlibatus à Pontifice posse tolli judicarunt, quin imò utile esse eandem abrogari.

Sic Æneas Sylvius, postea Papa Pius II. lib. 2. Comment. de gestis Concilii Basileensis. *Fortasse non esset pejus, Sacerdotes quam plures uxorari, quoniam multi salvarentur in Sacerdotio conjugato, qui sterili in Presbyteratu damnantur.*

Et apud Platinam. *Sacerdotibus magnâ ratione sublatas nuptias, majora restituendas videri.*

Plura hujus generis adduximus superius.

Nonò, in Concilio Tridentino de matrimonio Clericorum variârunt Patrum sententiæ. *Una pars dicebat, utcunque inter Ecclesiam orientalem & occidentalem non conveniret, quòd hæc ad Sacerdotium & sacros Ordines non nisi cœlibes admitteret, illa etiam conjugatos; nullam tamen unquam Ecclesiam concessisse, ut Sacerdotes uxores ducerent; atq; hoc per traditionem Apostolicam, non ratione voti, aut ullâ constitutione Ecclesiastica obtinuisse. Atq; adeo pro hæreticis omninò condemnandos eos omnes, qui dicerent, licere Sacerdotibus conjugia inire, sine ulla restrictione ad Occidentales & absq; mentione aut voti aut legis Ecclesiasticæ. Et hi non concedebant, posse ob quamcunq; causam dispensari cum Sacerdotibus de matrimonio.*

Altera pars asserebat, duobus hominum generibus matrimonio interdictum & duas diversas ob causas. Secularibus Clericis propter ordinem sacrum, legemq; Ecclesiasticam; Regularibus propter votum solenne. Prohibitionem matrimonii ob constitutionem Ecclesiæ à Pontifice Rom. auferri posse, & tametsi ea fixa maneat, Pontificem dispensare de ea posse. Citabant exempla eorum, quibuscum dispensatum fuerat, & usum antiquitatis, ut si Sacerdos uxorem duxisset, non dirimeretur matrimonium, sed ille à Ministerio tantùm removeretur, quod usq; ad tempus Innocentii II. constanter observatum. Is enim primus omnium Pontificum constituit, ut id matrimonium pro nullo haberetur &c. Petrus Suavis lib. 7. Hist. Concil. Trid. p. 792.

Exceptiones Adversariorum. 1. Quando conjugium Sacerdotum probamus ex verbis Apostoli 1. Timoth. 3. v. 2. *Oportet Episcopum unius uxoris esse maritum*, excipiunt primò, *sensum esse, quòd Episcopus debeat esse unius Ecclesiæ Pastor.*

Sed 1. Salmeron in Comment. illius loci docet, *hanc explicationem non esse solidam, nec ad mentem Apostoli. Solent*, inquit, *detorquere disputantes contra eos, qui plures Ecclesias cathedrales, aut plura beneficia curam animarum habentia ambiunt. Verùm hoc minimè solidum est, & verbis Apostoli minùs congruit: hoc enim mysticum est & bonum sensum habet: sed non est ad mentem Apostoli.*

2. Benedictus Justinianus ibid. *Aliena prorsus censeri debet eorum interpretatio, quàm meritò Hieronymus & Theophylactus confutant.*

(Verba Hieronymi in Epist. ad Oceanum sic habent: *Quidam coactè interpretantur uxores pro Ecclesiis, viros pro Episcopis debere accipi. Et hoc in Nicena quoq; Synodo à Patribus esse decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur.* Theophylacti verba in Comment. h. l. hæc sunt: *Pleriq; etiam, inconsideratiùs tamen, affirmant, de Ecclesia hæc dixisse Apostolum, tanquam enixè prohibeat, ab Ecclesia esse ad Ecclesiam transeundum, quod adulterium esse dictitavit.*)

Secundò excipiunt, *unius uxoris virum intelligi, qui unam uxorem habuerit, non habeat*, cujus expositionis autorem laudant Hieronymum lib. 1. adv. Jovinian. Tirinus Jes. in h. l. Atqui agnoscunt ipsimet Pontificii Interpretes, ea quæ de mulieribus v. 11. subjungit Apostolus, de *uxoribus Episcoporum & Diaconorum* esse accipienda.

1. Cajetanus in h. l. *Mulieres, pro uxores, procul dubio Episcoporum & Diaconorum.*

2. Guilliaudus ibid. *Sermonis tenor declarat, Paulum loqui de uxoribus Episcoporum & Diaconorum. Siquidem Paulus hic non instituit universum populum, sed Episcopum cum sua familia & clientela, quam vult totam esse illibatam.*

3. Emanuel Sa ibid. *uxores, scilicet Episcoporum & Diaconorum.*

4. Salmero ibid. *Præstantior videtur interpretatio D. Thomæ, & Petri Lombardi & Glossæ interlinearis, qui hæc de uxoribus Episcoporum & Diaconorum accipiunt.*

5. Benedictus Justinianus ibid. *Eorum mihi sententia ad mentem Pauli pronior videtur, qui de Episcoporum & Diaconorum uxoribus explicant: nec enim dubito, ut Græci Codices apertè docent, mulieres quarto casu dixisse Paulum, quasi pendeat à superiori participio, habentes.*

6. Franciscus Turrianus in annot. in 2. cap. 1. Constit. Clementis. *Idem requirit ab eorum uxoribus. De uxoribus enim eorum loquitur Paulus, cùm ibidem, postquam dixit, de Sacerdotibus & Diaconis, subjungit, mulieres similiter pudicas, sobrias, ut ex hoc loco Apostolicæ doctrinæ tanquã interprete intelligi potest.*

7. Cornelius à Lapide h. l. *Optimè Thomas, Lombardus, Hesselius & alii accipiunt de uxoribus Diaconorum, quas post ordinationem retinebant Diaconi æquè, ut Episcopi, sed earum usu abstinebant, unde pro mulieres Græcè est* γυναῖκας, *quòd tàm uxores, ut vertit Vatablus & Erasmus, quàm mulieres significat.*

8. Estius in h. l. *Probabilius est, ut de uxoribus Episcoporum & Diaconorum hæc pars accipiatur. Cum enim eos uxoratos admittat, putavit etiam de uxoribus præcipiendum, quales esse debeant, quemadmodum & de filiis præcepit. Nam sicut arcendus est ab Episcopatu, qui propter filios malè audit: ita & qui propter uxorem, si vel impudica sit, vel obtrectatrix, vel vinosa, vel non probæ fidei. Sic exponunt post glossam interlin. Petrus Lombardus, Aquinas, Cajetanus, aliique neoterici.*

(Ergò ὃ εἶναι δεῖ κοινῶ ex præcedentibus repetendum, ut sit sensus: *Oportet Episcopum esse unius uxoris maritum.* Quid enim possunt nocere, quæ olim fuêre, non autem amplius sunt uxores? quis legitimam dicat exceptionem adversus eligendum in Episcopum, fuisse olim illi uxorem fidei haud satis probæ? Inde Leo Epist. 95. fuisse aut esse conjugit. *Dicente Apostolo*, inquit, *ut inter alias electionis Regulas is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligatur servanda conditio.* Et c. Postremò. dist. 26. citatur dictum Ambrosii: *Qui sine crimine unius uxoris est vir, tenetur ad legem Sacerdotii suscipiendi.* Non intelligi eum, qui unam tantùm uxorem *habuerit*, sed qui unam tantum *habeat*, patet tum ex voce, quæ in præsenti effertur δεῖ εἶναι, οὐ ἦν ἂν; tùm ex re, 1. quia habuisse plures uxores successivè non facit ἀνεπίληπτον & ἀνέγκλητον nisi Montanismus valeat. 2. vir non dicitur habere uxorem, quæ est mortua Rom. 7. v. 2. & 3. Johan. 4. v. 17. & 18. 3. Etiam graviora crimina, si quis ob ea doleat & se emendet, hominem à Sacerdotio non arcent. Sic c. Fraternitatis tuæ dist. 34. *permittitur Diaconus fieri, qui post mortem uxoris de ancilla habuerit filios.* Cornel. à Lapide in 1. Tim. 3. testatur, *etiam scortatores & adulteros, si se emendent, non repelli à Sacerdotio.* Quis verò non statuat, multò tolerabiliores esse *digamos*, h. e. qui successivè duas habuerunt uxores, qui rectius dicuntur deuterogami, scortatoribus & adulteris!)

Tertiò excipiunt, *intelligendos esse eos, qui à suis abstinebant uxoribus.*

Resp. 1. Salmero *tantum probabile hoc esse fatetur*, cùm non possit evidenti aliquo argumento probari. *Credibile tamen est*, inquit, *& valde probabile, eos, qui è conjugio promovebantur ad Sacerdotium, nullam prorsus cum uxoribus commixtionem habuisse.* Claud. Espens. libr. 1. de continent. cap. 8. *Unde indubia isthæc certitudo, quod Apostoli conjuges à toro rejecerint.*

(At quâ ratione hoc sit credibile, cùm nec Christus nec Apostoli tale quid instituerint, inde etiam quidam concedunt, *temporibus Apostolorum licitum fuisse Sacerdotibus matrimonium, postea verò lege Ecclesiasticâ ipsis prohibitum*, ut superiùs vidimus, id quod nostræ sententiæ confirmandæ sufficit.)

2. Hac ratione Apostoli suis mandatis directè contrarium fecissent, 1. Cor. 7. v. 5. *Ne fraudate alter alterum, nisi si quid ex consensu ad tempus.*

Quartò excipiunt, *in prima illa Ecclesiæ infantia Apostolos coactos fuisse, ut in Episcopos vel Sacerdotes viros quosdam uxoratos prudentes & sapientes eligerent, quod hominum virginum ad Ecclesiæ gubernationem aptorum numerus non sufficeret.* Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 24.

Resp. 1. Fingitur hoc absque fundamento. Christus paucos extra conjugium viventes ad Apostolatum elegit, neque tamen ad id cogi potuit. Cùm enim omnium hominum corda in manu sua haberet, facilè, si voluisset, duodecim cœlibum animos, ut sese sequerentur, permovisset. Potius igitur hac electione Tyrannidem prævisam prævenire voluit, simulque ostendere, non minus sacrorum munerum capaces esse conjugatos, quam cœlibes.

2. Relinquitur interim, quòd Apostoli ad Episcopatum homines in conjugio versantes admiserint, ac proinde per Canones Apostolicos conjugium & Episcopatum in uno subjecto posse consistere.

Quintò excipiunt, *ab Apostolo non prohiberi polygamiam, qualis apud Judæos vigebat, quia plures simul uxores ducendi* con-

consuetudo tum non amplius locum habuerit, sed publicis imperii legibus jam tum fuerit prohibita.

Resp. 1. Quæ hæc consequentia. Polygamia simultanea fuit legibus Imperatoriis prohibita. Ergò ab Apostolo non fuit prohibita? Ebrietas, adulterium, homicidium &c. itidem legibus civilib. prohibita, & tamen eadem Apostolus prohibet.

2. Scalig. in notis ad Nov. Testam. *Judæi eo tempore, ut ex Josepho discimus, aut plures uxores ducebant, aut uni concubinas superinducebant, ut hodie Judæi sub Turcico Imperio viventes. Paganos vero concubinas superinduxisse, si coner probare, abutar otio meo. Eas etiam postquam Christo nomen dederant, non dimittebant, adeò ut vetustissimi Canones Græci à Tilio editi non admittant Christianismum hominem ad Diaconatum, qui concubinam domi aleret. Paulus ergò rejicit hominem à munere Ecclesiastico, qui duas uxores haberet, ut Judæi neophyti, aut qui uxorem & concubinam, ex paganismo Christum profitentes.*

3. Bellarminus ipse fatetur de Cleric. cap. 23. §. Altera ratio &c. ut & Cornelius à Lapide in 1. Tim. 3. *leges istas civiles, quas allegare potuit, esse Apostolicis temporibus posteriores*, & res ipsa demonstrat esse latas à Juliano Apostata l. 1. ff. de his qui notantur infamiâ. Ann. Christi 363. Diocletiano & Maximiano l. Neminem. C. de incest. nupt. Anno circiter 300. Valeriano & Gallieno l. Eum qui ad leg. Juliam de Adult. Anno Christi 260.

4. Baronius anno 58. concedit, *polygamiam adhuc tempore Christi apud Judæos usitatam fuisse.*

5. Si verum est, quod Bellarminus dicit lib. 2. de Concil. cap. 8. ad 4. *In Concilio Neo-Cæsariensi vetitos esse Presbyteros, ne secundarum nuptiarum conviviis interessent, quando quis duas simul uxores duxisset, atque hoc à Glossa in c. De his qui 31. qu. 1. rectè animadversum esse*, utique seculo post Christum natum quarto etiam inter Christianos quosdam polygamos fuisse apparet, id quod Espensæus Comment. in 1. Timoth. 3. fol. 46. fatetur.

Excipiunt sextò, *locum hunc Apostolicum esse parallelum alteri, 1. Timoth. 5. v. 9. ubi unius mariti uxor non possit intelligi, quæ duos simul maritos habuerit, cùm hoc nunquam fuerit licitum, sed quæ tota vita unius tantùm mariti conjux fuerit.* Tirinus in h. l.

Resp. 1. Nulla est consequentia. Non fuit unquam licitum, ut fœmina duorum simul maritorum esset conjux. Ergò non fuit factum, nec ab Apostolo prohiberi necessarium.

2. Fœminas pluribus maritis mistas tanquam consuetudinem Romanæ gentis insectantur. Seneca de benef. c. 16. Cœlius apud Cicer. l. 8. Epist. famil. 7. Juvenalis lib. 2. Satyrâ 6.

Excipiunt septimò, *solum Theodoretum sic interpretari, quòd Episcopus non debeat duas κατ᾽ ἔυτι habere uxores.* Bellarm. de Clericis cap. 23.

Resp. Imò verò etiam Chrysostomus, etiam Theophylactus ex sua mente sic interpretantur. Claudius Espensæus in 1. Tim. 3. fol. 46. *Ne putes, commentum hoc Græcanicum esse. sic quoque disserit Hieronymus, sed juxta vulgi, quod ait, proverbium, Malo nodo malum quærens cuneum. Ex Judæis*, inquit, *in Epist. ad Oceanum, erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquiis congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Mosis familiare populo, in multis uxoribus liberos spargere, cujus etiam licentiæ Sacerdotibus patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam sibi Ecclesiæ vindicent Sacerdotes, ne bina pariter & trina sortiantur conjugia, & ut singulas uno tempore uxores habeant.* Idem Espensæus, *Postea insectatur suum quendam complicem, hominem valde literatum, quod senserit, toleratam esse in Christianis Laicis ab Apostolo polygamiam simultaneam, tantùm id, quod in aliis ferebat Apostolus, Sacerdotibus interdixisse &c.* Posteà addit. *Ultimam hanc expositionem probare videtur, quisquis Hieronymi nomine de septem gradibus Ecclesiæ scripsit. Observat, inquiens, omnia Episcopus, si unius mulieris vir est, id est, suâ tantum carne contentus, alieni corporis illecebras non requirat.* Ubi notandum, Bellarminus de Script. Eccles. Epistolam hanc sub Hieronymi nomine *de septem gradibus Ecclesiæ* scriptam non rejicere, quin & Gregorium de Valentia eam pro *communione sub una specie* citare lib. de legitimo usu Eucharist. cap. 8. fol. 495.

Exceptio 2. Quando ex 1. Tim. 4. v. 2. urgemus, *prohibitionem matrimonii esse doctrinam Dæmoniorum*, primò excipit Bellarminus de Clericis cap. 20. *Ecclesiam non simpliciter prohibere Clericis matrimonium, sed sub conditione, si velint esse Sacerdotes.* Verùm Vasquez tom. 4. in p. 3. Disp. 249. c. 6. agnoscit, hanc responsionem esse insufficientem. *Cùm hanc*, inquit, *conditionem postulare sit deinde prohibere ordinato id, quod ei antea liberum erat, non videtur omnino hoc modo argumento satisfieri.* Certè ipsi Canones disertè vocant *prohibitionem & interdictum.* c. Cenomanensem dist. 56. *Conjugia Sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant.* c. Sors non est caus. 26. qu. 2. *Copula Sacerdotalis vel consanguineorum nec legali nec Evangelica vel Apostolica autoritate prohibetur, Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* Hardingus in Confutatione Apolog. Anglicanæ cap. 8. *Legat, qui volet, Epistolam Siricii ad Himerium, Epistolam Innocentii secundam ad Victricium, tertiam ad Exuperium: & cùm satis hos locos expenderit; Papas hos Sanctos eadem ratione ministris Ecclesiæ matrimonii usum interdixisse intelliget, qua Mosaicæ legis Sacerdotibus, cùm redirent vices operandi sacris, intra sua cujusquam limina pedem inferre vetitum erat.*

Secundò excipiunt, *notari eos, qui conjugium absolutè damnant ac primis Ecclesiæ temporibus vixerunt, Saturninum, Marcionistas, Encratitas, Manichæos &c. qui nuptias tanquam à Dæmone inventas damnaverunt.* Tirinus Jes. in h. l.

Resp. 1. Lyranus disertè addit, *Apostolum loqui potissimè de iis, qui circa tempora Antichristi falsis doctrinis seducent.*

2. Justinianus in paraphr. *Denuntiat fore, ut in sequentibus ac penè postremis temporibus veniant &c.*

3. Bellarminus fatetur, *per verba, in novissimis temporibus, significari totam ultimam ætatem à Christo usque ad judicium.*

(Quotquot ergò prohibent matrimonium, quocunque demum tempore vivant, ab Apostolo perstringuntur.)

Tertiò, *Apostolum loqui de absoluta & simplici prohibitione conjugii absque ulla exceptione in omne tempus & in omne genus personarum.*

Resp. Pontificii concedunt, his verbis etiam perstringi *Manichæos, Encratitas &c.* At hi *in auditoribus suis* conjugium tolerabant, *in electis* tantum prohibebant.

(Adde quòd Apostolus conjungat *prohibitionem ciborum & conjugii.* Quis verò unquam fuit inventus hæreticus, qui omnes cibos in omne tempus omnibus Christianis prohibuerit.)

Exceptio 3. Quando urgemus locum Apostolicum 1. Cor. 9. v. 5. *An non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi &c.* excipiunt Bellarmin. d. l. Salmero, Justinianus, Tirinus Jesuitæ in 1. Cor. 9. *Apostolum non loqui de uxoribus, sed de piis fœminis, quæ sequebantur Apostolos & eis ministrabant.* Verum c. Omninò dist. 31. ex Leone IX. Pontif. Rom. dictum illud accipit *de uxoribus Apostolorum.* Idem statuunt Laurentius Valla & Vatablus.

Confer Append. hujus articuli memb. 3. §. 6 p. 203.

Exceptio 4. Quando urgemus locum Apostolicum 1. Corinth. 7. v. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam*, & ex eo demonstramus, *Sacerdotes propter periculum fornicationis non esse à conjugio arcendos*, 1. excipiunt Bellarminus de Clericis cap. 21. Salmeron in Comm. Alphonsus de Castro adversus hæreses de Sacerdotio hæres. 4. Staplet. in Antid. illius loci, Jac. Tirinus Jes. in Comm. 1. Cor. 7. *Apostolum loqui de conjugatis, qui cum in paganismo uxores duxissent post conversionem ad fidem dubitabant, an uxoribus uti deberent.*

Contrarium statuit Thomas in Comment. illius loci, ubi super verba, *propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam*, sic annotat. *Apostolus primò instruit eos, qui non sunt matrimonio juncti, utrum scil. debeant matrimonium contrahere. Circa hoc duo manifestat. Primum quid est per se bonum, deinde quid sit necessarium. Primum ostendit in illis verbis. Bonum est mulierem non tangere; alterum in sequentibus, propter fornicationem &c. Considerandum est, quòd in detestatione fornicationis, contra quam Apostolus scripserat, quidam non habentes Zelum secundum scientiam in tantum procedebant, quòd etiam matrimonium condemnabant, quia hoc Corinthiis fidelibus durum videbatur, super hoc ad Apostolum scripserunt. Apostolus respondet. De quibus autem scripsistis mihi &c. Respondeo, primò quantum ad matrimonium, Bonum est mulierem non tangere, sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc, docet secundo, quod est necessarium. Unusquisque propter fornicationem habeat uxorem suam. Deinde v. 33. His autem qui in matrimonio juncti*

cti sunt &c. Suprà posuit Apostolus documenta de contractu matrimonii, his autem verbis v.33. instituit eos, qui matrimonium contraxerunt. Lyranus in h. l. *Apostolus instruit his verbis Corinthios de matrimonio contrahendo,* (id quod manifestissimum ex v.9. *Si se non continent, γαμησάτωσαν.* Præterea si idem sit *uxorem habeat, & uxore utatur,* quare addit, *uxori vir debitam benevolentiam reddat?*) Eodem ferè modo textum exponit Bened. Arias Montanus, quando ad v.2. sic annotat. *Bonum & optandum est cumprimis fœminam non tangere, sed si tangenda est mulier, à scortatione omnino abstinendum, sed conjugia ineunda legitima eaque summa fide, puritate ac simplicitate sunt colenda.*

2. Hosius, Clingius, Daventria, Bunderius &c. excipiunt, *Apostoli verba intelligenda de illis, qui non sunt vinculis votorum ligati.*

Resp. Multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt, *Sacerdotio non esse contrarium conjugium si demas votum,* ut ostendimus in præcedentibus. Sejuagant ergò ipsi, neque cogant vovere eum, qui noluerit. Sed hoc ab illis vix expectandum, qui non solùm voto ligatis matrimonio interdicunt, sed etiam vovere cogunt eos, qui sacris Ordinibus initiari cupiunt. (Apostoli consilium talem habet rationem additam, quæ est generalis, & ipsos quoq; Sacerdotes complectitur. *Propter fornicationem habeat unusquisq; uxorem suam.* Si se non continent, matrimoniũ contrahant. Melius est matrimoniũ contrahere, quàm uri.)

Exceptio 5. Quando urgemus locum Apostolicum Hebr. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus &c.* atque ex eo concludimus, *neminem in Ecclesia ab eo arcendum esse,* excipiunt, *Apostolum non indicando, sed imperando hæc dixisse.* Turrianus lib. 5. de Epist. Pontif. cap. 19. *Honorabile,* inquit, *connubium scil. sit, & torus immaculatus, hoc est, præcipio, ut unusquisque suum matrimonium honoret, & nullus cubile uxoris suæ violet commiscendo corpus suum cum aliena.* Ita quoque Emanuel Sa in h. l. Vasquez & alii.

Resp. 1. Salmeron Disput. 23. in Epist. ad Hebr. alternativè loquitur: *Vel exhortatur, ut pudicè, &, quà decet, honestate conjuges matrimonium colant, aut ne indignis lascivijs profanent: aut matrimonium extollit tanquam scortationis remedium. Et certè Deus matrimonium benedixit, ac inter duos sanxit, ut vitandos esse promiscuos concubitus doceret. Et vult esse honorabile, ne quis dicat malum suapte Natura & damnabile, ut Manichæi.*

2. Cornelius à Lapide quamvis præferat expositionem, quæ subintelligit verbum *sit*, eam tamen, quæ subintelligit verbum *est*, non repudiat. *Catholici,* inquit, *dupliciter hunc locum explicant. Primo assertivè, ut intelligatur verbum* est &c.

3. Estius in h. l. etsi repudiet hanc expositionem, tamen fateri cogitur, *nonnullos ex orthodoxis eam amplecti, ac plerosque Interpretes verbum est in sua translatione exprimere,* Erasmum scil. Hentenium & alios.

4. Cajetanus monet, *in textu Græco non legi, fornicatores enim & adulteros judicabit,* sed, *fornicatores autem & adulteros judicabit Deus.* Estius monet, *non solùm in Græco, sed etiam in Syriaco sic legi.*

(At hæc lectio ferre non potest imperandi modum, ut cuivis textum rectè expendenti liquet.)

Exceptio 6. Quando urgemus, *coactionem ad cœlibatum occasionem imò causam efficacem dare nefariis libidinibus,* excipit Bellarminus lib. de Clericis cap. 21. resp. ad 5. arg. *non tot concubinarios & impuros esse inter Ecclesiasticos, quot hæretici dicunt.* Sed repetantur publicæ querelæ paulò ante, membro 11. adductæ, & manifestum erit, quid de hac exceptione sit statuendum.

Exceptio 7. Quando urgemus *exemplum Apostolorum,* quòd teste Ignatio Epist. ad Philadelph. Clemente Alexand. lib. 3. Stromat. Basilio de abdic. seculi &c. *multi ex illis fuerint conjugati,* excipiunt, *Apostolos omnia reliquisse & in omnibus uxores.*

Resp. 1. demus ex hypothesi, *Apostolos omnia reliquisse & in omnibus uxores,* nondum tamen evictum, quòd ex imperio Christi aut ex necessitate ministerii omnia reliquerint. Apostoli etiam possessionem bonorum reliquerunt, nec ipsi tamen Pontificii inde concludunt, vel concludere possunt, *necessariò renuntiasse bonis temporalibus.* Episcopis enim libertatem relinquunt temporalia possidendi.

2. Confirmant suam exceptionem ex dicto Christi Matth. 19. v. 29. *Quisquis dimiserit uxorem &c.*

Sed resp. ex Maldonato in illum locum. *Non vult Christus matrimonium dissolvi, sed vult se uxori præferri, & si uxor virum impediat, quò minùs Christum sequatur, uxorem relinqui.*

(Si ex omnium derelictione inferri posset etiam uxorum desertio, Apostolos nec vestes, nec quidquam necessariorum sibi reliquum fecisse concludi posset.)

Argum. Adversar. 1. Leo Papa serm. 8. de jejun. ex verbis Christi Luc. 21. v. 34. *Videte ne corda vestra graventur curis hujus vitæ &c.* colligit, *Ecclesiæ ministros debere à conjugio abstinere,* Mich. Medina, Clichtovæus & alii, qui statuunt, cœlibatum jure divino sacris Ordinibus esse annexum.

Resp. 1. ex Bellarmino lib. de Clericis cap. 18. *Proferunt quidam* (ex Catholicis) *dictum illud Christi, quod ad Sacerdotes præcipuè spectare testatur Leo serm. 8. de jejunio decimi mensis. Sed in hoc apertè falluntur, qui hoc argumentum adducunt. Nam Leo in isto loco ad omnes fideles Christi præceptum pertinere dicit, sed ad nos præcipuè, quibus dies Domini jam est vicinior. Deinde, cùm Paulus 1. Tim. 3. jubet Episcopum eligi, qui domui suæ bene præsit, & filios habeat subditos in omni castitate, nec tamen contraria Christo doceat, certè non jubet Christus ulli, ne habeat curam uxoris & liberorum, sed ne gravetur nimiâ solicitudine.*

2. Ex Gregorio de Valentia lib. de Cœlibatu cap. 2. p. 858. *Christus illis verbis non prohibet omnes curas, sed nimias curas & solicitudines, quæ avocant & avertunt à necessaria cura salutis spiritualis, & probatur, quia omnibus fidelibus sanctum hoc esse voluit. Et 1. Tim. 5. v. 8. Episcopis imponitur moderata cura rerum secularium. Domui suæ prospicientes.*

3. Didacus Stella in Comment. h. l. dictum Christi ad omnes Christianos applicat. *Cave ergo tu,* inquit, *qui homo rationalis & Christianus es, ne tali vitio deditus, usum rationis, per quam à brutis distingueris, amittas, & legem Dei transgrediens prævaricator sis divini præcepti.*

4. Cornelius Jansenius cap. 124. Concord. Evang. eodem modo ad omnes applicat. *Postquam Dominus, quæ de adventu suo cognoscere conveniebat, prædixisset, commodè etiam jam subjungit, quomodo ad illum adventum propter ejus incertitudinem nos parare & gerere debeamus. Quæcunque enim hic dicuntur Apostolis dicta, in ipsis etiam nobis dicta sunt: unde postea dicit Dominus. Quod autem vobis dico, omnibus dico.*

5. Christus non dixit: Cavete omninò à curis hujus mundi, sed, *Cavete, ne corda vestra graventur curis hujus mundi.* Cornel. Jansenius d. l. *Adjecit Dominus & curis hujus vitæ, non quidem omnem vitæ hujus curam prohibens, sed ne sinamus illis cor nostrum gravari, quod fit, cum sunt immodicæ, cumq; nimio studio temporalibus rebus parandis quis est deditus, cùm hæc obiter & perfunctoriè curanda essent & inprimis quærendum regnum Dei.* Dionysius Carthusianus in h. l. *Videte quoque ne corda vestra graventur curis hujus vitæ, hoc est, solicitudinibus circa carnalia & terrena, pro quorum adeptione & conservatione non est immoderata & anxia solicitudo habenda, quæ est diffidentiæ filia, sed in Deo tanquam in piissimo ac providissimo patre sperandum est.*

(Ergò non potest ex hoc loco inferri Sacerdotibus conjugio interdictum esse.)

Argum. 2. Proferunt quidam (ex Romano-Catholicis) ex Deut. 33. v. 9. *benedictionem Mosis,* in qua dicitur *Levitis,* id est, ut ipsi exponunt, *Sacerdotibus Christianis. Qui dixerunt patri suo & matri, nescio vos & filios ignoraverunt.*

Resp. 1. Bellarminus d. l. *Istud divinum vaticinium, non præceptum esse. Sive enim lege divinâ, sed humanâ fiat, ut Sacerdotes uxoribus careant, impletur vaticinium Mosis.*

(Hæc responsio rectè opponitur illis, qui statuunt, *Cœlibatum jure divino esse sacris Ordinibus annexum.* Sed quia nihilominus lege humanâ conjugium Sacerdotibus prohiberi posse præsupponit, addenda est alia.)

2. Glossa Ordinar. ad locum illum sic annotat. *Debemus & temporaliter his, cum quibus viciniùs conjungimur, plus prodesse. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed si cursum mentis præpedit ignorare, ut affectus mentis viscera replens, sed à spirituali proposito non avertat.*

3. Lyranus ibid. *Hoc non solùm intelligitur de Mose, sed etiam de aliis filiis Levi, qui ad præceptum Mosis interfecerunt propinquos suos propter culpam ex adoratione vituli,* Exod. 32.

4. Eandem expositionem sequitur Cornelius à Lapide in eundem locum. *Levitæ,* inquit, *in punitione idololatrarum, parta adorantium vitulum aureum, Exod. 32. v. 28. non sunt miseri*

ti amicorum & cognatorum ac fratrum & filiorum suorum, sed occiderunt eos æque ac alios, perinde ac si eos non novissent, imò non vidissent vel aspexissent, ut habent Hebræa.

5. Jacobus Bonfrerius ad h.l. sic annotat. *Nota, alludi hîc ad Historiam illam & Levitarum facinus, quod refertur Exodi 32. ubi Moses zelo & indignatione æstuans ob adoratum à populo vitulum aureum, volensque illustre punitionis exemplum statuere, dixit, si quis est Domini, jungatur mihi, cui mox dicuntur adhæsisse omnes filii Levi, quibus Moses imperavit, ut omnia castra à porta ad portam percurrerent, omnesque obvios trucidarent, nullis, ne amicis quidem, fratribus aut filiis parcendo: quod cùm perfecissent, dixit Moses, eos manus consecrasse Deo, illosque hoc facinore promeritos fuisse benedictionem, hoc est, ut ipsis sacrorum cura & ministerium demandaretur. Ait igitur hic Moses. Aaronem hunc ac Levitas cæteros dixisse, hoc est, ad eum modum se gessisse, ac si dicerent patri & matri suæ, nescio vos: similiter & fratribus ac filiis, propterea quod promiscuè ac nullo delectu parentes, filios, fratres occiderint.* Eodem modo explicat Leonhardus Marius in Comm. illius loci.

(Nihil ergò *de Cœlibatu* multò minus *de lege Cœlibatus* in hoc loco continetur, aliàs sequeretur, etiam Vet. Testam. Sacerdotes à conjugio abstinere debuisse, cùm *de Levitis* propriè & *in sensu literali* hîc agatur; sequeretur insuper, Sacerdotes non solùm filios, sed etiam patrem & matrem. Itemque fratres debere nescire, imò eosdem occidere.)

Argum. 3. *Paulus in Epist. ad Tit. cap. 1. v. 8. inquit: Oportet Episcopum esse sobrium, continentem. Ubi pro eo, quod in Latina versione habetur sobrium in Græco est* σώφρονα, *quod significat castum. Quia verò castitas etiam conjugatis communis est, ideo Apostolus addit etiam continentem, videlicet ab uxoris amplexibus.* Bellarminus libr. de Cler. cap. 19.

Resp. 1. Fatetur Bellarminus d.l. σώφρονα esse ambiguum & posse significare *sobrium, prudentem, castum*; fatetur & hoc, *in vulgata versione illud* σώφρονα *reddi per sobrium.* (Ergò si vulgatam versionem sequi velimus, nervus Bellarminiani argumenti est incisus, concludit enim per ἐγκράτεια *virginalem castitatem* esse intelligendam, propterea quod per σώφρονα *castitas* intelligatur.) Jam verò non licet Bellarmino vel ulli Pontificio à vulgata versione quovis prætextu discedere propter anathema Concilii Tridentini sess. 4.

2. Erasmus in annot. monet per σώφρονα *intelligi sobrium & sanæ mentis, qui nullis sit temulentus cupiditatibus.* (Ergò non restringitur ad solam castitatem.) Idem fatentur Salmero & Justinianus in h.l. Verba Salmeronis sic habent: *Græca vox habet* σώφρονα, *unde* σωφροσύνη, *apud Aristotelem in Ethicis temperantia est, una ex quatuor virtutibus primariis, moderans inordinatos & inhonestos appetitus facultatis concupiscentis, id est, cibi, potus & Veneris & modum illis præfigens.* Justiniani hæc sunt: *Aristoteles temperantiam* σωφροσύνην *appellat, quasi mentis prudentiam & sanitatem servet, ut ibidem asserit Aristoteles, secutus Socratis sententiam apud Platonem: quanquam eà voce existimat Augustinus etiam fortitudinem & modestiam significari, ut ea virtus omnes contumaces repugnantesque rationi cupiditates coerceat atque cohibeat, quæ plurimùm prudentiæ obsunt.*

(Aristoteles lib. 2. Nicomach. cap. 7. σωφροσύνην dicit esse περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας [illegible] μετριότητα.)

3. Claudius Espensæus in Comment. ad cap. 1. Tit. fol. 485. oper. de objectione ex hoc loco Apostolico petitâ sic judicat: *Hinc quidam recentiores Clericalis continentiæ jus divinum urgent, sed ut videre est, præter mentem veterum hujus loci Interpretum, Græcorum & Latinorum.*

4. Benedictus Justinianus & Estius ἐγκράτειαν *de continentia affectuum interpretantur.*

5. Fatetur Bellarminus *castitatem etiam conjugatis communem esse,* 1. Tim. 2. v. 15. ergò etiam ἐγκράτεια ipsis communis est, quia castitas absque ἐγκρατείᾳ non potest locum habere. Sir. 26. v. 20. Gal. 5. v. 23. 2. Petr. 1. v. 6.

(Aristoteles 2. Nicomach. cap. 4. idem statuit subjectum τοῦ ἐγκρατοῦς καὶ τοῦ σώφρονος, εἰς ταὐτὸ, inquit, τὸν ἀκρατῆ καὶ ἀκόλαστον τίθεμεν καὶ ἐγκρατῆ καὶ σώφρονα. *Ad idem ponimus intemperantem, dissolutumque, & abstinentem, continentemque.* Et posteà. οὐ γὰρ εἰσὶ περὶ ταὐτά, ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως εἰσὶν *circa eadem sunt, sed non eodem modo,* nimirum περὶ τὰς ἡδονάς, quas expressit initio capitis. Id sic declarat 2. magnorum Ethicorum cap 6. ἔστι δὲ σώφρων ὁ μὴ ἔχων ἐπιθυμίας φαύλας, τόν τε λόγον ὀρθὸν τὸν περὶ τούτων. ὁ δὲ ἐγκρατὴς ὁ ἐπιθυμίας ἔχων φαύλας, τὸν δὲ λόγον τὸν περὶ τούτων ὀρθόν. *Temperans, qui neque affectus pravos habet, & habet rationem rectam circa eadem: continens habet quidem affectus pravos, sed circa eadem rationem rectam.* Sic ergò Philosopho ἐγκρατὴς est, qui concupiscentias malas cohibet, at uti conjuge legitima non pertinet ad concupiscentias malas. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat. cap. 5. Τί δέ; οὐχὶ καὶ οἱ παλαιοὶ δίκαιοι εὐχαριστοῦντες τῆς κτίσεως μετελάμβανον; οἱ δὲ καὶ ἐπαιδοποιήσαντο γάμῳ ἐγκρατῶς. *Quid verò? non etiam justi veteres creaturam cum gratiarum actione percipiebant. Aliqui autem etiam liberos susceperunt, cùm continenter versati essent in matrimonio.* Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 7. *Discite etiam, qui ad Baptismi gratiam tenditis, velut quidam fidei candidati, continentiæ disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem præter uxorem.)*

Hùc referri potest, quod Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. Gal. 5. v. 23. scribit, ἐγκράτεια *continentia, juxta Aristotelem, complexio est virtutum, quâ quis vitiorum illecebras & tentationes cohibet ac refrænat.* (Atqui hæc definitio ἐγκρατείας etiam piis conjugibus competit.)

6. Si Apostolus inter requisita Episcopi poneret cœlibatum, utique cœlibatus jure divino esset sacris Ordinibus annexus, tum quia quæ Apostoli ex mandato Dei præceperunt, ea etiam sunt juris divini Matth. 28. v. 20. Rom. 15. v. 18. 2. Corinth. 5. v. 20. tum quia reliqua, quæ in Episcopo h.l. requiri docet Apostolus, jure divino in eo requiruntur. Jam verò negat Bellarminus cap. præced. *Cœlibatum jure divino esse sacris Ordinibus annexum.*

7. Si Bellarminus obvertere velit, *nihil aliud ex eo colligi, quàm quòd jure Apostolico (non autem divino) cœlibatus sit sacris Ordinibus annexus,* opponimus illi capitula quædam Juris Canonici, quæ contrarium testantur. c. Sors caus. 2[illegible]. quæst. 2. *Copula Sacerdotalis nec legali nec Evangelicâ, nec Apostolica autoritate* (nota) *prohibetur, Ecclesiastica tamen lege penitùs interdicitur.* c. Cùm igitur caus. 35. qu. 1. *Ecclesia post Apostolicâ instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.* c. Cenomanensem dist. 56. *Legitima conjugia Sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant.*

8. Quin imò paulò ante membro ultimo, dissensione secundâ ex ipso Bellarmino ostendimus, quòd concedere cogatur, *tempore Apostolorum cœlibatum fuisse in libertate adhuc positum, sed à sequentis temporis Ecclesia demum per præceptum Clericis fuisse impositum,* quomodo igitur ex verbis Apostoli necessitatem cœlibatus Sacerdotalis evincere poterit?

9. Bellarminus in cap. prox. præced. probaturus, *cœlibatum non esse jure divino sacris Ordinibus annexum,* sic progreditur: *Paulus 1. Tim. 3. jubet eligi Episcopum, qui domui suæ bene præsit, & filios habeat subditos in omni castitate. Jam verò Apostolus non præcipit contraria Christo. Ergo Christus nemini, proinde etiam nec Episcopis præcipit, ut nullam planè uxoris & liberorum curam habeant.* Eodem modo nos concludere possumus contra Bellarminum. *Paulus jubet Episcopum eligi, qui domui suæ benè præsit, & filios habeat subditos in omni castitate.* Jam verò Apostolus non præcipit contraria sibi ipsi. Ergo non præcipit Episcopis, ut nullam uxoris & liberorum curam habeant, & per consequens, quando jubet Episcopum debere esse ἐγκρατῆ, non requirit ab ipso cœlibatum.

Argum. 4. *2. Tim. 2. v. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Hic Apostolus Episcopo præcipit, ut strenuè militet Deo; deinde dicit, non posse eum Deo militare, si se implicaverit negotiis secularibus, qualia certè esse nuptias nemo negare potest.* Bellarminus d.l. Torrensis &c.

Resp. 1. Bellarminus lib. 5. de R. P. cap. ult. §. Quintò objicitur &c. sic scribit: *ut bene monuit Chrysostomus, dicuntur hæc à Paulo, tam Episcopo, quàm aliis hominibus, omnes enim Laici etiam Reges milites Christi esse debent.* Idem statuunt Cornelius & Estius in h.l.

(Quòd si ergo hæc verba conjugii prohibitionem continerent, omnibus Christianis conjugio interdictum foret. Vide autem disputatoris hujus vertiginem. Ut jure conjugii Episcopos spoliet sensum hujus Scripturæ *ad solos Episcopos* restringit. Sed cum eandem Scripturam Protestantes Pontif. Episc. objiciunt, quos in judiciis politicis & negotiis secularibus totos demersos vident, responsum ejusmodi à Bellarm accipiunt. *Dicuntur hæc à Paulo tam Episc. quàm aliis hominibus.)*

2. Idem Bellarminus ibidem addit, per πραγματείας τοῦ βίου *nihil aliud intelligi quàm curam victus & proinde negotiationes & mercimonia.*

(At

(At conjugium non est ex ordine solicitudinum victus, nec cogitur Sacerdos propter familiam negotiari, contentus stipendio, ut Johannes militibus præcipit, Luc. 3. v. 14. quod benevolentia auditorum eò liberaliùs suppeditabat, quò minus curis domesticis vacare potest.)

3. Idem Bellarminus ibid. sic scribit: *Notandum est, non haberi in Græco, nec in omnibus Codicibus Latinis illud Deo, sed generaliter οὐδεὶς στρατευόμενος, nemo militans.*

(Loquitur ergò Apostolus de milite propriè dicto, non de Clerico spirituali milite, quod agnoscit etiam Estius in Comment. illius loci.)

4. Idem Bellarminus lib. 5. de Romano Pontif. cap. 9. & 10. disputat, *non repugnare Pontificem simul esse Principem spiritualem & temporalem jurisdictionem habere.*

(Atqui temporalis jurisdictio est negotium magis seculare quam conjugium, quod Pontificii statuunt esse *sanctum Sacramentum.* Et quid est omninò secularium negotiorum, à quo abstineant Episcopi? an non illi in aulis Regum perpetui? an non judicia exercent? an non integras provincias regunt? imò an non bella quandoque gerunt?)

5. Idem Bellarminus lib. de Sacram. matrim. cap. 2. & 32. conjugii essentiam collocat *in ratione Sacramenti*, & propterea judici Laico ejus cognitionem subtrahit, *quia sit res spiritualis. Ipsos etiam actus conjugales* seu commixtionem corporum *ad magnum mysterium & significationem unionis Christi & Ecclesiæ*, refert Innocentius III. in c. Debitum de Bigamis.

(Quomodo igitur conjugium erit *res secularis*, à qua Episcopus penitus arcendus?)

6. Cornelius à Lapide in Comment. h. l. sic scribit: *Apostolus non loquitur hic omnibus Christianis & secularibus, hi enim necessariò & ex officio debent tractare negotia secularia, sed Timotheo Episcopo, & consequenter omnibus Episcopis eorumque asseclis, puta Pastoribus, Sacerdotibus, Clericis. Hi enim toti sacrificiis & orationibus templique ministeriis ac verbo Dei insistere debent, ideoque abstinere à negotiis secularibus. Ita Chrysostomus, Ambrosius & alii. Horum typus fuerunt Levitæ Vet. Testam. qui in divisione terræ sanctæ, nullam ejus partem æque, ut aliæ tribus acceperant, ne terrenis & secularibus negotiis implicarentur, sed ut toti vacare possent Deo & templo.*

(Jam verò Levitis non fuit interdictum conjugio. Ergo conjugium non pertinet ad illa terrena & secularia negotia, quæ Clericis prohibentur.)

7. Benedictus Justinianus ad h. l. sic annotat. *Ambrosius secularia negotia intelligit ea, quæ avaritiæ serviunt.* Salmero in h. l. *Videtur notare Apostolus quosdam sui seculi Episcopos & Doctores, qui suis commodis serviebant & secularibus negotiis hujus mundi per superbiam vel avaritiam vel carnem se implicabant, & occupationibus sui muneris non vacabant.*

(Ergo immoderata duntaxat secularium negotiorum cura Episcopo interdicitur.)

8. Quinimo Justinianus d. l. Episcopis curam aliquam secularium negotiorum vendicat. *Abutuntur*, inquit, *Pauli testimonio plerique hoc nostro seculo, & adversus Ecclesiasticos vociferantur; quod illos videant forensibus negotiis & concertationibus distentos, & augendæ rei familiari plus æquo fortasse deditos: qui si omnem rerum humanarum curam & solicitudinem Clericis adimant, iniquè planè faciunt: sin autem nimiam curam & solicitudinem, quâ cætera Ecclesiastica munera obruantur modestè reprehendant, non sunt aspernandi.*

(Ergo etiam simplex & absoluta conjugii prohibitio non posset ex hoc loco probari, si vel maximè inter negotia secularia referendum esse concederetur.)

9. Georgius Drascovitius Episcopus Quinqueecclesiensis, Imperatoris Ferdinandi ad Concilium Tridentinum Legatus, cùm in Concilio Tridentino Johannes Baptista Bernhardis Episcopus Adjacensis, ex hoc loco evincere conaretur, *Episcopos à secularium munerum administratione abstinere debere*, respondit: *Errare toto cælo, qui credat præceptum D. Pauli Ecclesiasticos tantum respicere, & non omnes Christi fideles, qui Christo nomen dederunt. Divum enim Paulum ita argumentari, sicut qui militiam exercet mundanam, non est addictus iis artibus, quibus vita sustinetur, quia pugnant cum militis officio: ita qui militant Christo, hoc est, Christianos omnes abstinere debere ab iis exercitiis, quæ cum Christiana professione pugnant, nempe solis peccatis, illud verò quod absque peccato fieri potest, cuique esse licitum.* Petrus Suavis lib. 6. Histor. Concil. Trident. pag. 572.

10. Thomas Aquinas, Erasmus, Espensæus & Justinianus in Comment. h. l. agnoscunt, vi verbi ἐμπλέκεται *prohiberi duntaxat solicitam in secularia negotia immersionem.* Potest autem conjugium absque ejusmodi implicatione in negotia secularia consistere, si scil. juxta ejusdem Apostoli monitum 1. Cor. 7. v. 29. *ii, qui habent uxores, sint tanquam non habentes.*

11. Accommodando hoc requisitum ad Papistas ipsos, ingenuè fatetur Claudius Espensæus Digress. 2. in cap. 1. ad Tit. sub finem, *juxta hoc postulatum nullos habiturum Galliam Episcopos vel Presbyteros, cum secularibus negotiis toti sint immersi.*

Argum. 5. *Apostolus 1. Cor. 7. v. 5. jubet conjugatos vacare ex consensu ad tempus ab opere nuptiarum, ut orationi insistere possint. Ergo præcipit Episcopis, ut perpetuò à nuptiarum opere vacent, cùm quotidie orationi insistere debeant.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Claudius Espensæus ad hoc & reliqua dicta omnia, quæ ex Scripturis adducuntur, respondet lib. 1. de continent. cap. 13. *Dicta ista omnia in summo rigore sumpta nihil amplius quam decentiam Virginitatis in Sacerdotibus, nullo modo autem positam iis legem approbare, quanquam pro modestia sua addat, se illa tentare solùm velle, non impellere.*

2. Ad argumentum ex h. l. Apostolico in specie deductum sic respondet fol. 687. oper. *Multa viro sancto (Hieronymo) in favorem virginitatis exciderunt coacta & violenta, quale est illud ad Eustochium argumentum ab eo positum, quod non uno modo solvi posset. Cum sine intermissione orare jubeamur & qui conjugii debitum solvit, orare non possit, orare desinimus, ut conjugio serviamus &c.*

3. Alexander Carerius Scriptor Pontificius lib. 3. de sponsal. & matrim. cap. 3. f. 142. *Non eâ ratione, quia semper orandum est, ut putat Hieronymus contra Jovinianum l. 1. cap. 19. sacris Ordinibus continentiæ votum annexum est, siquidem habitu, non actu semper orandum est, quod conjugati quoque efficere valent.*

4. Pontificii unanimi ferè consensu statuunt, conjugium esse Sacramentum & rem sacram: (quomodo ergo precibus & rei sacræ erit contrarium?)

5. Concedunt Pontificii, ab actu conjugali ad conjugium non valere consequentiam Bellarminus de Cleric. cap. 18. §. Probatur. *Rationes, quas Clichtovæus pro se adducit, omnes sumuntur à puritate munerum Sacerdotalium, cui certè non repugnat uxorem ducere, vel duxisse, sed ei cohabitare.*

(Jam verò Apostolus in citato dicto *de actu conjugali*, non *de ipso conjugio* disputat. Neque enim propter preces & jejunia dissolvit conjugium, sed actum tantùm ad tempus differt, quo exacto iterum eos convenire jubet. Hoc ergo tantùm sequitur, Sacerdotes ab usu sive actu conjugii ad tempus abstinere debere, non autem ab ipso conjugio.)

6. Lorinus in 1. Petr. 3. v. 8. *Sermo videtur esse (1. Cor. 7. v. 5.) de publicis jejuniis & orationibus, & quando ingruit gravior communis calamitas aut necessitas.* Estius in Comm. illius loci, *Paulus ibi non loquitur de quacunque oratione, sed de oratione ad quam fideles publicè conveniebant, velut Dominicis ac solennibus diebus. Nam id erat orationi vacare. Non enim dicit Apostolus, ut oretis, sed ut vacetis orationi, ut observat & urget Theophylactus.* (Hoc præceptum vel consilium Apostoli implere possunt etiam illi, qui in conjugio vivunt, sive sint Sacerdotes, sive auditores.)

7. Falsum est, quod Bellarminus asserit, *Apostolum jubere, ut conjugati ab usu conjugii ex consensu abstineant.* Neque enim Apostolus *jubet*, sed tantùm *permittit*. Bened. Justinianus in paraphrasi. *Nisi fortè communi consensu ad aliquod certum tempus ab usu conjugii abstinendum censeatis, dum jejunio ac precibus vacetis.* Et in explanatione. *Non putat esse tutum sæpiùs aut diutiùs ab usu conjugii abstinere, quocirca id moderatè permittendum ratus, addit, nisi fortè ex consensu.*

(Non potest igitur ex hoc loco Apostolico præceptum cœlibatus deduci, sed duntaxat permissio & consilium.)

8. Salmero in h. l. *Non videtur esse sermo de privatis jejuniis & precibus quotidianis: sed de publicis & solenniter susceptis: ut cum ingruit aliqua calamitas, ex qua apparet judicium iræ Dei adversus nos, vel quando aliquid agendũ, quod magni sit momenti.*

(Ergo usus conjugii non opponitur precibus ordinariis in quotidiano pietatis exercitio, sed extraordinariis & solennibus, quæ nec Laicis nec Clericis sunt perpetuæ.)

9. Posset quis eodem modo argumentari. *Laici debent interdum jejunare. Ergo Presbyteri semper debent jejunare.* Inter *aliquando & semper* nulla dari potest proportio. Quamvis ergo

go verisimile sit, plus exigi à Presbytero quam Laico, videlicet ut sæpiùs vacet jejunio & orationi, tamen importunum est ab intervallis Laici perpetuitatem imponere Presbytero.

Argum. 6. Matth. 19. v. 29. *Qui reliquerit domum vel fratres &c. aut uxorem, centuplum accipiet.* Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non oderit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.* Ex his locis Lorichius cœlibatum Sacerdotum probat.

Resp. 1. Cornelius Jansenius in cap. 100. Harmon. in cap. 19. Matth. sic commentatur. *Occurrit hic quæstio, quomodo inter ea, quæ rectè propter Christum relinquuntur, etiam uxor numeretur, cum non liceat homini uxorem dimittere propter desiderium perfectioris vitæ, de quali dimissione tamen Petrus dixit, Ecce nos reliquimus omnia? Dicendum est, quod quamvis Petrus locutus fuerit de dimissione omnium propter desiderium perfectioris vitæ, Dominus tamen suam doctrinam extendit non tantùm ad eos, qui ad instar Apostolorum sua vel suos relinquunt propter perfectionem assequendam, sed etiam ad eos, qui relinquunt propter vitam spiritualem conservandam & gratiam Christi, quam conservare non possent, nisi suorum derelictione. Nam dupliciter contingit hominem relinquere sua vel suos. Aut propter melioris vitæ frugem & perfectionis desiderium, & sic non licet dimittere uxorem nisi consentientem, imò nec parentes aut filios, si nostrâ indigent curâ. Aut propter ipsam vitam spiritualem conservandam, hoc est, ut à gratia Christi habita non excidamus, & sic quemadmodum domus & agri sunt relinquendi, dum persecutor fidei ea eripit, & parentes & filii sunt relinquendi, dum impedimentum præbent fidei & vitæ Christianæ, ita & uxor. Quemadmodum enim dixit Dominus: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, non hoc dixit, ut nos ipsos interimamus, sed ut ipsi etiam animæ nostræ fidem, quæ in illum est, & amorem præponamus: ita & nunc dicens. Qui reliquerit uxorem, non hoc dixit, ut nuptias penitùs dividat, sed ut ipsi quoque conjugi præponamus & ipsum & Evangelium & regnum Dei.* Eodem modo exponunt Cajetanus, Salmero, Barradius, Franciscus Lucas & alii.

(Ergo loquitur Christus *de casu necessitatis in persecutione*, quando propter confessionem Evangelii uxor relinquenda.)

2. Barradius tom. 3. Concord. Evang. lib. 3. cap. 17. de loco Luc. 14. *Quæstio exoritur, quonam modo habendi sint odio parentes, uxor, filii, cognati, siquidem lege divinâ eos diligere jubemur? Respondetur, verba Domini esse hyperbolica. Neque enim vult parentes & cognatos ex animo prosequendos esse odio, sed si fidei nostræ vel Deo debitæ obedientiæ obsistant, non audiendos.* Eodem modo etiam reliqui Interpretes exponunt.

(Ergo Christus non loquitur de *odio positivo*, sed de *posthabitione* parentum, uxoris & cognatorum, si pietati & obedientiæ Deo debitæ obsistant. Quod præceptum cùm sit generale, tam non potest ex eo cœlibatus Sacerdotum probari, quàm Christianis omnibus conjugium prohiberi.)

Argum. 7. *In Vet. Testam. continentia ab uxoribus inprimis requisita fuit ab iis, qui Deo propinquaturi, vel rem sacram tractaturi erant. Exod. 12. præcipitur, ut comesturi Agnum Paschalem renes suos accingerent. Exod. 19. cum Deus legem promulgaturus esset, jubebantur per triduum ab uxoribus abstinere. Exod. 28. præcipit Deus, ut Aaron & filii ejus, cùm ingrederentur tabernaculum, fœminalibus lineis à renibus usque ad femora tecti essent. 1. Reg. 21. noluit Abimelech Sacerdos dare Davidi panes propositionis comedendos, nisi priùs intellexisset, eum ab uxore aliquandiu continuisse. Ex 1. Paral. 24. & Luc. 1. colligitur, Sacerdotes Vet. Testam. per vices suas ministrare solitos & toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, à domo & uxore abfuisse. Hæc Veteres ad cœlibatum Clericorum accommodant.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Thomas p. 1. qu. 1. art. 10. dicit: *Solus sensus literalis est argumentativus.* Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei c. 3. § Sed quanquam. *Convenit inter nos & adversarios ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia.*

(Jam verò omnia illa, quæ in hoc argumento proferuntur, sunt allegorica.)

2. Bellarminus lib. de Clericis cap. 18. negat, *cœlibatum jure divino sacris Ordinibus annexum esse.*

(At si quid efficerent hæc argumenta, obtinerent, jure divino Sacerdotibus matrimonium esse prohibitum.)

3. Bellarminus ibidem disputat, *ab actu conjugali ad conjugium non valere consequentiam.*

(Ergo etiam à remotione actus conjugalis & quidem temporaria non valet consequentia ad prohibitionem conjugii perpetuam. Jam vero omnia illa exempla agunt de abstinentia ab actu conjugali ad tempus.)

4. Bellarminus de Clericis cap. 19. rectè statuit, *castitatem esse piis conjugibus cum virginibus communem.*

(Jam verò allegoriæ adductæ nihil aliud probant, quàm *Sacerdotes debere esse castos ac carnis concupiscentias mortificare.* Galat. 5. v. 24. quod etiam in conjugio fieri potest & debet.)

5. Quod in specie attinet *cincturam renum*, à comedentibus agnum paschalem requisitam Exod. 12. ejus causam Moses ipse exprimit, quòd *debebant comedere festinantes, tanquam parati ad exitum.* Lyranus in cap. 12. Exod. *Ista tria, quæ hîc exprimuntur, designant, quòd debebant esse parati ad exeundum de Ægypto.* Pererius Disp. 7. in cap. 12. Exodi: *Totus iste habitus & paratus corporalis Hebræorum in edendo agno paschali, significabat eos ad iter festinanter faciendum promtissimos esse debere. Accingere renes est hominis parati ad iter properè expediteque perficiendum, nam laxæ ac defluentes vestes festinationem itineris faciendi præpediunt.* Hoc confirmat ex 2. Reg. 4. Jerem. 1. 1. Reg. 18. 2. Reg. 9. Cornelius à Lapide ibid. *Omnia hæc, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, & tenentes baculos in manibus, festinationem indicant, suntque viatorum ad iter longum & laboriosum accinctorum.* Postea subjicit allegoriam. *Symbolicè Philo. Qui tendunt*, inquit, *ad culmen virtutum, sint accincti lumbis, id est, expediti ad Deo ministrandum & in virtutum exercitio laborandum &c. Tropologicè S. Gregorius homil. 22. in Evang. Qui vult Phase Christianum comedere, accingat renes, hoc est, voluptates edomet, carnem à luxuria restringat &c.*

(Atqui voluptates edomare, carnem à luxuria restringere, expeditum esse ad Deo ministrandum omnibus verè piis, non autem solis Clericis, incumbit, sicut etiam ad manducationem agni Paschalis omnes Israelitæ admittebantur. Inde etiam Nodinus ad omnes *Eucharistiam*, quæ in locum agni Paschalis successit, sumentes allegoriam applicat. *Qui Sacramentum*, inquit, *sumere vult, renes accingat, id est, luxuriam domet & concupiscentiam refrenet, exigit enim hoc Sacramentum, ut mundi simus corpore & anima.*)

6. Causam, propter quam Deus præceperit, ut Aaron & filii ejus, cum ingrederentur tabernaculum, *fœminalibus lineis à renibus usque ad fœmora tecti essent*, Exod. 28. Deus ipse in lege expressit, *ut operiant*, inquit, *carnem turpitudinis suæ.* Lyranus in h. l. *Quia aliter modò indebito accederent & irreverenter.* Cornelius à Lapide in h. l. *Causam affert Hieronymus, scil. reverentiam & decentiam Sacerdotalem, ne si Sacerdotem labi in labore mactandi & offerendi victimas contigisset, passa tunica linea, nuditas ejus videretur. Simili de causa jussit Deus, ne Sacerdos per gradus ad altare descenderet, Exod. 20. v. 26.* Subjicit quidem Bedæ allegoriam de *Sacerdotum castitate.* Sed cum illa castitate minimè pugnat conjugium, aliàs etiam Vet. Testam. Sacerdotes oportuisset esse cœlibes.)

7. Si *ex vicibus Sacerdotalibus* in Vet. Testam. cœlibatus Sacerdotum Nov. Testam. probari posset, consequens foret, Sacerdotes Nov. Testam. non solùm ab uxoribus, sed etiam à domibus perpetuò debere abstinere. Fatetur enim Salmero in c. 1. Luc. quòd *in hebdomada ministerii non solùm ab uxorum complexu, verùm etiam ab ipso domorum suarum abstinuerint ingressu.* Quid quod ante distributas illas ἐφημερίαι annis ferè quingentis ministraverant Levitici Sacerdotes sine secubatione, quodque summi Sacerdotis nulla fuerit ἐφημερία.

Argum. 8. *Conjugium vehementer impedit munia Ecclesiastica. Ergo æquum fuit, ut Sacerdotibus conjugia prohiberentur.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Baptista Mantuanus lib. 1. Fastor. de Hilario Pictaviensi Episcopo sic canit:

> *Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor*
> *Legitimo conjuncta toro.*

2. Georgius Cassander in consult. art. 23. pag. 987. sic disserit: *Rerum plerisque Sacerdotibus ita comparatæ sunt, ut conjugum piarum consortio non modò ad functiones Ecclesiasticas non impediantur, sed etiam ad earum procurationem adjuventur ab eis, quemadmodum de patre suo Gregorio & matre sua Nonna Gregorius Nazianzenus testatur. Sunt & contra cœlibes, qui usque adeo cœlibatu suo ad ea, quæ Dei sunt, expeditiùs curanda non incitentur, sed etiam contra curis hujus seculi supra reliquos homines immergantur & obruantur.*

3. Bel

3. Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 9. & 10. disputat, *quòd regimen Politicum non sit impedimento Ecclesiasticæ vocationi, sed quod unus idemque possit simul esse Ecclesiasticus & Politicus Princeps.*

(Si gubernatio totius civitatis imo regionis potest conjungi Ecclesiasticæ functioni, multo magis unius familiæ cura.)

4. Bellarminus h. l. argumentum istud suum sic concludit: *Propter honorem Sacerdotii necessariam esse continentiam.*

(At si propter honorem Sacerdotii necessaria est continentia, hoc est, cœlibatus. Item, si conjugium per se, omninò ac semper impediret munia Ecclesiastica, utique *jure divino* non solum in Nov. sed etiam in Vet. Testam. cœlibatus esset sacris Ordinibus annexus.) Posterius Bellarminus non concedit. Ergo nec prius asserere poterit.

5. Pontificii statuunt, *Conjugium esse Sacramentum.* (At num Sacramentum aliquod officiis Ecclesiasticis potest esse impedimento?)

6. Si *amor uxoris & liberorum non potest cum cura Pastorali consistere*, ut hoc loco Bellarminus asserit, utique etiam à Pastorali officio arcendus foret is, qui liberos habet ex demortua conjuge susceptos. Atqui talem ad officium Episcopi admissum olim fuisse non potest negatum ire Bellarminus, cùm locum Apostolicum 1. Tim. 3. v. 2. *Oportet Episcopum unius uxoris esse maritum*, ipsemet exponat de uxoribus, quas ante ordinationem Episcopi & Diaconi accipiunt, lib. de Cler. cap. 20. resp. ad 2. arg. Ergo prius asserere non debet.

Argum. 9. 1. Tim. 3. v. 4. *De Episcopo dicit Apostolus, quòd oporteat esse domui suæ bene præpositum, habentem filios subditos cum omni castitate. Hæc castitas*, inquit Hieronymus Torrensis, *non ad filios tantum, ut alius fortasse videri possit, pertinet, ut scil. quamdiu in potestate patris sunt, continentes sint & dicantur: sed ad ipsos etiam Episcopos & Presbyteros, ita ut illa omnis castitas, quam Apostolus dicit, horum quoq; continentiam à suis uxoribus significet.*

Resp. 1. *Μετὰ πάσης σεμνότητος cum omni castitate* ipsimet Pontificii Interpretes referunt ad filios Episcoporum, id quod postulat series textus. Thomas in h. l. *Inter alia, quæ requiruntur in filiis Episcoporum, quos habuerunt, antequam essent Episcopi, requiritur, quod sint casti, ideo subditur, cum castitate.* Bened. Justinianus in h. l. *Liberosque contineat in officio, adeo ut subsint, quibus debent, educatoribus & pædagogis: omnem denique virtutem, morumque honestatem complectantur.*

2. Concedimus, Episcopos ipsos debere esse σεμνούς, ut est in Græco. Atqui hæc σεμνότης etiam in conjugatis locum habere potest. Gagnæus in h. l. *σεμνότητος, quod Græcis significat castitatem, sanctimoniam, severitatem & gravitatem, morumque honestatem ac verecundiam, qualis esse in virginibus ac juvenibus bene institutis solet.* (In v. 11. conjuges Diaconorum jubet esse, σεμνὰς ergò σεμνότης in conjugatis locum habere potest.)

Argum. 10. Concilii Niceni canon 3. sic habet: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero est, licere συνείσακτον subintroductam habere mulierem: nisi fortè aut matrem aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.* Ex eo Bellarminus sic colligit: *Nulla uxoris fit mentio, quæ tamen primo loco poni debebat, si cum ea habitare liceret. Item, cur prohibetur Clericis cohabitatio mulierum, si uxorati esse possunt? nonne uxores ancillas habere possunt in eadem domo?*

Resp. 1. Patres Niceni ex Paphnutio audiverunt, σωφροσύνην εἶναι τῆς νομίμου γυναικὸς συνέλευσιν, ac ejus sententiam secuti non improbarunt usum legitimæ conjugis, quomodo ergo cohabitationem interdixissent?

2. Balsamon in Epist. Basilii ad Gregorium sic annotavit: *Eas autem introductitias appellavit tertius dictæ Synodi canon, quæ introducuntur in ædes sacratorum hominum, qui uxores non duxerunt & cum eis cohabitant.*

(Illæ ergo per συνεισάκτους intelliguntur, quæ in Concilio Vestmonasteriensi vocantur *Focariæ*, non autem uxores legitimæ.)

3. Inde Possevinus hunc Canonem urgere noluit. *Neque vero*, inquit, *litem fecero meam, utrum mulieres, quæ in Canone Niceno συνείσακτοι, à vetere Interprete subintroductæ, ab aliis extraneæ dicuntur, ut & Ancyrana Synodus vocat, sive has, sive alias συγχωρηθεῖσαι, pro Sacerdotum uxoribus accipiendæ sint, nec ne?*

4. Disertè dicunt Niceni: *Nulli omnino, qui in Clero est, licere subintroductam mulierem habere.* Inde sic colligimus: Nulla legitima uxor interdicitur omnibus omnino Clericorum gradibus. Sed συνείσακτος interdicitur omnibus omnino Ordinibus. Ergo συνείσακτος non est legitima uxor. Major est manifesta, quia, ipsis etiam Pontificiis fatentibus, *uxor legitima prohibetur duntaxat Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, minoribus autem permittitur Ordinibus.*

(Justinianus Novella 123. Τοῖς δὲ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ ὑποδιακόνοις, καὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἐν κλήρῳ τεταγμένοις μὴ ἔχουσι γαμετὰς κατὰ τοὺς θείους κανόνας ἀπαγορεύομεν καὶ ἡμεῖς κατὰ τὴν τῶν ἁγίων κανόνων δύναμιν γυναῖκα τινα ἐν τῷ ἰδίῳ οἴκῳ ἐπείσακτον ἔχειν, *Presbyteris, Diaconis & Sub-Diaconis, omnibusque aliis in Clericatus Ordine constitutis, non habentibus uxores, juxta divinos Canones prohibemus & nos, vigore sanctorum Canonum, habere quamcunque mulierem domi introductitiam.*)

Thesis 2. Non sunt excludendi à Ministerio, qui defunctâ priore conjuge nuptias iterant.

Ἔνστασις & ἀνάλυσις. Pontificii locum Apostolicum 1. Timoth. 3. v. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris maritum*, sic accipiunt, quòd *excludantur à Ministerio illi, qui, priore conjuge demortuâ, nuptias iterarunt*, quos vocant *digamos*. Sed notandum, quòd verè ac propriè is demum sit *digamus*, qui κατὰ τὸ αὐτὸ *simul ac semel* duas habet uxores, qualem digamiam hoc loco Apostolus improbat. Qui verò successivè duas habet uxores, hoc est, qui demortuâ uxore priore aliam ducit, non est propriè *digamus*.

1. Cum nuptiæ iteratæ nuspiam in Novo Testamento prohibitæ legantur.

2. Cum aliud sit δευτερογαμεῖν, aliud διγαμεῖν.

3. Cum is, qui secundam uxorem ducit, non possit maritus uxoris demortuæ dici, quippe à cujus lege per mortem est solutus, 1. Cor. 7. v. 39.

4. Cum vera & propriè dicta digamia conjugio sit opposita. At digamia successiva non est conjugio opposita, cùm definitio conjugii illi competat. Pontificii contrà statuunt, *duas esse digamiæ species*. Prima, *Quando quis simul habet duas uxores.* Secundò, *Quando quis successivè duas uxores ducit, & priore conjuge demortuâ, nuptias iterat.* Illam *omnibus Christianis* statuunt prohibitam, hanc specialiter *Clericis* interdictam existimant, ita ut prohibitum sit, sacris Ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerunt.

Benedictus Justinianus in Comment. 1. Timoth. 3. scribit: *Secundas nuptias tum dignitati, tum sanctitati Sacerdotii repugnare, eo quod parum pudici animi sit judicium.*

Renatus Benedictus in Panoplia ad locum Apostolicum 1. Tim. 3. scribit: *Tantum abest, quod Apostolus præcipiat omnes Ecclesiasticos habere uxores, ut etiam doceat, non esse admittendum aliquem ad Ecclesiasticum ministerium, qui plures habuerit uxores.*

Bellarminus lib. de Cler. cap. 23. §. Tertiò. *Catholica Ecclesia semper verba illa B. Pauli, Oportet Episcopum esse unius uxoris maritum, ita intelligenda esse docuit, ut prohibitum sit sacris Ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerunt.*

Quin imo eo usque progreditur, ut cap. 24. statuat, *bigamiam illam successivam magis prohiberi in deligendo Episcopo quàm concubinatum & adulteria.*

Cumprimis vero contra Ministrorum Ecclesiæ δευτερογαμίαν graviter detonat Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglicanæ part. 2. cap. 8. sic scribens: *Videmus impuram sanctorum Evangelicorum nostrorum διγαμίαν cùm à Chrysostomo, tum à Paulo condemnatam, quorum multi Sacerdotes, & ut ipsi ajunt, Episcopi cùm sint, aut saltem sacram illam sedem occupare audeant, pristinis mortuis uxoribus, ut castitati consulant, novis scortis animos oblectant. Honestiore eas nomine appellarem, si peccatum eo facto effugere me posse putarem. Nam quæcunque sit illa fœmina, quæ tam execrabili conjugii copula se alliget, quo tandem modo, vel proba esse videbitur, vel ullam animæ salutis curam aut rationem habere. De mulierculis autem imperitis & misellis nebulonum istorum, vel molestissimâ assiduitate victis, vel astutia deceptis, eas, ut non tolerandas, ita miserandas censeo.*

Cæterùm confictam illam *bigamiam successivam* iterum in tres species subdividunt. Sic enim disserit Bellarminus loco proximè citato in resp. ad 7. object. *Tres sunt species bigamiæ, ut Interpretes Juris Canonici docent in tit. de Digamis. Prima est digamia vera & propria, quæ ex duobus veris matrimoniis oritur. Contingit autem tribus modis. Primò, ex parte viri tantùm, cum vir habuit duas veras uxores. Secundò, ex parte uxo-*

ris

rá tantùm, cùm uxor habuit duos maritos. Tertiò, ex parte utriusque, cùm viduus viduam ducit. Secunda eſt digamia interpretativa, hoc eſt, quæ verè ex Natura rei non eſt digamia, ſed juris interpretatione habetur ac reputatur digamia. Contingit autem hæc digamia, quotiescunque aliquis ducit ſecundam uxorem aut uxor ſecundum virum de facto non de jure, ſive primum conjugium de jure, ſive de facto tantùm fuerit. Tertia ſpecies eſt digamia metaphorica, quæ conſurgit ex duplici conjugio, quorum alterum non verum, ſed metaphoricum fuerit. Sic enim Concilium Ancyranum can. 19. inter digamos haberi jubet eos, qui poſt votum continentiæ ad matrimonium tranſierunt, ſiquidem votum continentiæ genus eſt matrimonii animæ cum Deo licet metaphoricum. Ad ſucceſſivam & interpretativam illam digamiam referunt etiam illud, *quando quis ducit fornicariam vel alio modo corruptam.* Omnes has digamiæ ſpecies in Epiſcopo eligendo prohibitas eſſe ſtatuunt. Nos *veram*, hoc eſt, ſimultaneam *digamiam* omnibus Chriſtianis; *fictam*, hoc eſt, ſucceſſivam digamiam nulli Chriſtiano, proinde etiam nec Miniſtris Eccleſiæ prohibitam eſſe dicimus.

Noſtram ſententiam probamus.

1. Iteratæ nuptiæ poſt obitum conjugis aut ſunt *per ſe piæ* & legitimæ, aut *per ſe turpes* & inhoneſtæ. Si prius, perperam prohibentur Eccleſiæ Miniſtris. Si poſterius, nulli Chriſtianorum concedendæ. Jam vero nuptiæ poſt obitum prioris conjugis *in Domino* iteratæ ſunt per ſe piæ & legitimæ Rom. 7. v. 2. 3. 1. Cor. 7. v. 39. 1. Tim. 5. v. 14.

2. Idem Apoſtolus & ἀγάμοις & viduis in genere præſcribit, *ſi ſe non continent*, matrimonium ipſis ineundum eſſe, cùm *melius ſit nubere quam uri*. Jam verò eadem repetendi matrimonii cauſa in perſonis Eccleſiaſticis quandoque locum habet. Ergo matrimonii repetitione non eſt illis interdicendum. Quibuscunque periculum ſcortationis imminet, illis permittendum eſt conjugii remedium. At viduis Clericis periculum ſcortationis imminet. Ergo illis permittendum conjugii remedium. Utraque præmiſſarum colligi poteſt ex 1. Cor. 7. v. 9.

3. Apoſtolus jubet eligere Epiſcopum eum, qui ſit *ſine crimine* 1. Timoth. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. Jam verò iteratæ nuptiæ non ſunt crimen aliquod, ſed digamia vera ſive ſimultanea eſt ejusmodi crimen. Ergo non illas, ſed hanc ab Epiſcopo eligendo Apoſtolus excludit.

4. Si Epiſcopus deberet eſſe monogamus, aut ratio hujus rei eſſet *moralis*, videlicet ob majorem continentiam, vel certè *ſpiritualis* ſive myſtica, videlicet ob ſignificationem conjugii unius Chriſti cum una Eccleſia. At neutrum dici poteſt. Nam ſi ratio eſſet moralis, multò magis requireretur in Epiſcopo, ne eſſet adulter aut concubinarius, quàm ne eſſet digamus, & tamen videmus, adulteros & concubinarios non repelli à Sacerdotio, digamos autem repelli. Si verò ratio ſit myſtica, multa ſequentur abſurda. Nam primò cæteræ dotes Epiſcoporum, quæ à Paulo enumerantur, omnes ſunt morales, ut ſobrietas, hoſpitalitas &c. Secundò, ſi ideo Epiſcopus debet eſſe monogamus, quia ejus conjugium ſignificat matrimonium Chriſti cum Eccleſia, igitur etiam Laici debebant eſſe monogami, quia eorum quoque conjugium ſignificat Chriſti conjugium. Tertiò, ſi eſt illa ratio, igitur Epiſcopus debebit ducere virginem, & eam ſemper virginem conſervare, ita enim Chriſtus fecit. Quartò, debebit Epiſcopus priorem uxorem repudiare & poſteriori adhærere. Chriſtus enim Synagogâ repudiatâ adhæſit Eccleſiæ. Quintò, debebit idem Epiſcopus neceſſariò uxorem ducere, eaque ne ad punctum quidem temporis carere, Chriſtus enim Eccleſia Sponſa ſua nunquam caret.

5. Eadem eſt ſententia verborum Apoſtolicorum. *Epiſcopus ſit unius uxoris maritus* 1. Tim. 3. v. 2. quæ eſt dicti 1. Cor. 7. v. 2. *Unusquisque habeat uxorem & unaquæq; habeat maritum ſuum.* At in dicto illo Apoſtolico 1. Cor. 7. v. 2. non prohibentur nuptiæ iteratæ, ſed adulteria & digamia ſimultanea. Ergo etiam in verbis 1. Tim. 3. v. 2. non prohibentur nuptiæ iteratæ, ſed adulteria & digamia ſimultanea. Chryſoſt. homil. 10. in 1. Tim. 3. *Non hoc veluti ſanciens dicit, q. non liceat absq; uxore Epiſcopum fieri, ſed ejus rei modum conſtituens. Judæis quippe licitum erat, etiam ſecundo matrimonio jungi, & duas itidem habere ſimul uxores.* Confer Theodoretum in eund. loc. Qui unam habet uxorem, is eſt unius viri uxor. At qui ſecundam duxit uxorem, is unam habet uxorem. Nam manifeſtum eſt, quòd duas uxores non habeat, quam enim habuit uxorem, eam jam non habet, quemadmodum fœmina illa Samaritana Joh. 4. v. 17. quæ quinque viros habuerat, rectè dicebat, *ſe virum non habere.* Ergo qui ſecundam duxit uxorem, *eſt unius uxoris maritus*, & per conſequ. ſi cætera adſint, Epiſcopus eligi poteſt.

6. Paulus 1. Corinth. 7. v. 8. ſeipſum inter viduos ponit, interim tamen 1. Corinth. 9. v. 5. aſſerit, *ſe poteſtatem habere circumducendi uxorem ſicut Cephas & reliqui Apoſtoli.* Ergo nequaquam judicavit, Epiſcopo prohibitas eſſe iteratas nuptias. Antecedens probatur ex Ignatio Epiſt. ad Philadelph. & Clemente lib. 3. Stromat.

7. Potuiſſet Apoſtolus apertè dicere, Epiſcopum debere eſſe monogamum, ſi per verba *unius uxoris virum* monogamiam deſignare voluiſſet. Cum vero non dixerit, Epiſcopum debere eſſe monogamum, ſed *unius uxoris virum*, cogere voluit lectores, ut intelligerent ea verba non de *ſingularitate nuptiarum*, quod ſonat nomen monogamiæ, ſed de *ſingularitate mulieris*, quod ſignificat illud *unius uxoris viri*, accipienda eſſe. Non igitur interdicit Epiſcopo Apoſtolus ſecundis nuptiis, ſed aliarum mulierum commercio præter legitimæ uxoris conſortium.

8. Deuterogamiæ in Sacerdotibus prohibitio ex Gentilium ſuperſtitione originem trahit.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur.

1. Quod agnoſcunt, non eſſe prohibitum Chriſtianis, iterare nuptias poſt prioris conjugis obitum.

(Atqui ſi iteratæ nuptiæ ſunt per ſe piæ & legitimæ, nec jure divino nec Apoſtolico Eccleſiæ miniſtris ſunt prohibitæ, nec lege aliquâ Eccleſiaſticâ illis prohiberi debent.)

c. Aperiant cauſ. 31. q. 1. ex Hieronymo: *Non damno digamos, imo nec trigamos, &, ſi dici poteſt, octogamos. Ego nunc voce proclamo liberâ, non damnari in Eccleſia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto & ſexto & ultra, quomodo & ſecundo marito rectè nubere.*

c. Deus cauſ. & quæſt. iisd. ex Auguſtino: *Deus maſculum & fœminam propagandi generis cauſa nuptiali caſtitate conjunxit & ſecundas nuptias, quæ in utroque Teſtamento permittuntur, licitas eſſe monſtravit.*

c. Quod ſi cauſ. & quæſt. iisd. ex eodem: *Quòd ſi dormierit vir ejus. Non dicit primus, vel ſecundus, vel quartus. Nec nobis definiendum eſt, quod non definit Apoſtolus, unde nec ullas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam inferre numeroſitatis. Dominus autem ſeptemviram non damnavit, nec dicit, in reſurrectione non poſſe eſſe, ſed tantùm neque nubent, neque nubentur, unde nec contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, ut quoties voluerint, nubant, nec ex corde meo quaslibet nuptias condemnare. Quod dicitur univira, hoc & omni vidua. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.*

2. Quædam hypotheſes Adverſariorum.

Primò, Gloſſa in c. Lector diſt. 34. ad verbum Fiat &c. ſic annotat. *Innocentius dicit, quòd non liceat diſpenſare cum bigamo, ut extr. de Bigamis. Lucius tamen diſpenſavit cum Panormitano Archiepiſcopo, qui fuit bigamus.*

(Atqui ſi Papa poteſt diſpenſare cùm bigamo, ergo bigamia ſucceſſiva non pugnat cum Miniſterio Eccleſiaſtico.)

Secundò, de prima hujus conſtitutionis, (quòd digami ab Eccleſiaſticis officiis prohibendi) in Eccleſia origine invicem non conſentiunt.

Quidam, *Tertullianum* illius aliquam mentionem feciſſe, dicunt. Baron. An. 58. num. 28.

Alii referunt *ad Concilium Nicenum* Ann. 325. celebratum. Baronius Ann. 325. num. 158.

Polydorus Vergilius lib. 4. de rer. invent. cap. 6. pag. 334. *Siricium* illius autorem facit circa Annum 385. quod veriſimile facit decretum iſtius Siricii c. Quicunque diſt. 77.

Tertiò, agnoſcunt, prohibitionem digamiæ illius interpretativæ (quâ Sacerdotes prohibentur eſſe viduarum mariti, ac defunctâ priore uxore aliam ducere) deſcendere *ex lege Levitica*, Lev. 21. v. 13. 14.

(Ea verò cum in N. T. ſit abrogata, fatente ipſomet Pontifice in Jure Can. c. Gloria 71. cauſ. 12. q. 2. c. Sextam. 29. de conſecr. diſt. 3. ideò ipſa quoque prohibitio meritò judicatur ceſſare.)

Gregor. de Valent. lib. 8. Analyſ. c. 3. p. 92. *Cum Innocentius I.* (conſtituit) *qui viduas acceperunt uxores, Sacerdotes fieri non debere, præceptum vocat divinâ lege Moſaicâ ſubnixum, minimè ille quidem vult, legem Moſaicam nunc etiam vim obligandi habere, ſed ſignificat, legem Eccleſiaſtic. quæ bigamis Sacerdotio interdicit, exemplum & q. fundamentum in illa lege antiqua habere.*

Baronius Anno 58. num. 28. *Cum prohiberet lex divina, Sacerdotes denuo nubere, vetaretque summum Pontificem ducere in uxorem viduam, vel ab aliis repudiatam, vel meretricem, sed tantummodo virginem permitteret, instituturus Apostolus in Ecclesia Sacerdotes, cùm constaret ea ratione, quam diximus non facilè reperiri virgines Christianos, ætate ad Sacerdotii munus suscipiendum idoneos ex viduis eos assumi debere præcepit, qui unius tantùm fuissent uxoris viri. Nec passus est, eos, qui assumendi essent in Ecclesiam Sacerdotes, esse bigamos, cùm sciret, in legali Sacerdotio fuisse monogamos.*

Polyd. Vergilius lib. 4. de rer. invent. cap. 8. pag. 333. *Digamus ne ad officium Sacerdotis admitteretur, Siricius decrevit. Id ex Mosis legibus esse dixerim, qui ut mancos procul à Sacerdotio esse voluit, sic ea ratione jussisse videtur, ut Pontifex virginem tantùm duceret uxorem, quo ab eo digamiam excluderet.*

Quartò agnoscunt, *apud hæreticos* bigamos fuisse ab Officiis Ecclesiasticis exclusos (ac proinde ab hæreticis hanc prohibitionem bigamiæ successivæ descendere.)

Baronius Ann. 58. num. 30. allegans Canonem Niceni Concilii prohibentem bigamos ab Ecclesiæ ministerio ad Arianorum consuetudinem provocat, sic scribens: *At licet exciderit, sicut & alii nonnulli, Canon ille Niceni Concilii, quidni tamen id in Ecclesia Catholica servandum esse Patres statuissent, quandoquidem & Ariani idipsum præstarent, ut nullo pacto bigamum quempiam ordinarent? quod satis apertè Epiphanius demonstrat, dum agens adversus Ebionæos de Josepho Comite narrat, quod cùm Ariani eum rapere vellent, ut ordinarent, se bigamum esse testatus, imminens periculum evitavit.*

(*Novatiani* digamos & qui ad secundas nuptias transiissent, non recipiebant, Nicephor. lib. 12. cap. 34. sed à sacris mysteriis arcebant. Theodoret. lib. de fab. hæret. de Nov.)

Quintò agnoscunt, prohibitionem deuterogamiæ in Sacerdotibus *ex gentilismo* originem trahere.

Polydorus Vergilius lib. 4. de rer. invent. c. 8. p. 335. ex Diodoro differens de digamorum rejectione à Sacerdotio, ut ejus notaret originem, sic scribit: *Digamia jam inde ab initio apud priscos quoq; impedimento esse consuevit Sacerdotium petere volentibus, quod testatur Servius enarrans illud 4. Æneid.*

Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

Ubi ait, culpæ, propter antiquum ritum, quo repellebantur à Sacerdotio bis nuptæ.

Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 12. *Dialem conjuge defunctâ Flaminio abire oportebat, quia sine conjuge esse aut iterum conjugio copulari non decebat, namque bis nupti Sacerdotio pelluntur: quod ab Ægyptiis æque servatum est, ut semel tantùm Sacerdoti nubere fas sit, cùm reliqui pro voluntate & facultatibus plures capiant.*

Baronius Anno Christi 44. num. 88. inter ea, quibus Ecclesiæ Romanæ cum Ethnicismo convenit, etiam digamorum prohibitione à Sacerdotio numerat. *Bigamiam*, inquit, *in Sacerdotio pudicitiæ fuisse vetitam, autor est Livius.*

Idem Anno Christi 58. num. 29. *Et quidni*, inquit, *hæc præstaret Ecclesia Christi, cum & gentiles in falsa religione pæne eadem consueverint observare? de quibus Hieronymus: Flamen, inquit, unius uxoris ad Sacerdotium admittitur; Flaminica quoque unius mariti uxor eligitur, ad tauri Ægyptii sacra semel maritus assumitur. Hæc ipsa eademque prorsus Tertullianus ante ipsum.*

Bellarminus lib. de Cler. c. 24. §. 2. *Etiam apud gentiles Pontifices non poterant esse bigami, teste Tertulliano lib. 1. ad uxorem & Servio in lib. 4. Æneidos, ubi dicit; Antiquum fuisse apud Ethnicos ritum, quo repellebantur à Sacerdotio bis nuptæ.*

Sextò, idem Bellarminus lib. de matrimon. cap. 9. §. Sed hæc &c. sic disserit: *Fuit quidem antiquus error Montani, Tertulliani & Novatianorum secundas nuptias esse illicitas. Catholici vero & verbo, & facto docent, secundas nuptias, imo etiam tertias & quartas & alias deinceps esse licitas & vera matrimonia, atq; adeo Sacramenta, quod manifestè colligitur ex Apostolo Rom. 6. 1. Corinth. 7. 1. Tim. 5.*

Ex eo sic inferimus. Iteratæ nuptiæ post prioris conjugis obitum, aut sunt per se piæ & legitimæ, aut per se turpes & illicitæ. Si prius, perperam prohibentur Ecclesiæ Ministris. Si posterius, nulli Christianorum erunt concedendæ. Constat verò ex Scripturis, & concedunt Pontificii, nuptias post obitum prioris conjugis in Domino iteratas esse per se pias & legitimas. Ergo perperam prohibentur Ecclesiæ Ministris.)

Septimò, idem lib. & cap. iisd. in resp. ad 6. object. sic disserit: *Fortasse eo tempore propter hominum paucitatem dispensabant Apostoli cum illis, qui ante Baptismum uxorem unam vel plures habuerant, modo non habuissent plures post Baptismum.*

(At si Apostoli cum illis, qui plures uxores successivè habuerunt, dispensarunt, utique iteratæ nuptiæ non pugnant per se cum Ministerio.)

Argum. Advers. 1. *Apostolus 1. Tim. 3. v. 2. requirit, ut Episcopus sit unius uxoris maritus. Ergo prohibetur Episcopo bigamia successiva.* Bellarminus de Cleric. cap. 23.

Resp. 1. Ex ipso Bellarmino de Cleric. cap. 23. §. penult. *Theodoretus per unius uxoris virum intelligit eum, qui duas aut plures simul uxores non habet, ita enim exponit in Comment. 1. Timoth. 3.* lib. ejusd. cap. 20. resp. ad 2. argum. Bellarmin. sic disserit: *Non solum Chrysostomus & alii Patres in h. l. docent, Paulum non tulisse legem, ut Episcopi habeant uxores, sed solùm, ut non habeant vel habuerint plures quàm unam, sed etiam Martinus Lutherus in propositionibus de digamia contendit, ista verba, unius uxoris virum, accipienda esse negativè, non positivè, ut non teneatur Episcopus habere unam, sed teneatur non habere plures fœminas una cum uxore.*

(Stante hac expositione dictum Apostolicum nostræ non adversatur sententiæ.

2. Lib. eodem cap. 24. resp. ad 5. object. concedit Bellarminus, *monogamum usitatè accipi pro eo, qui habet unam uxorem, sive ea prima fuerit, sive secunda*, ex quo sequi asserit, *ut idem omnino sit monogamus, quod unius uxoris vir.*

(Atqui si idem omninò est monogamus, quod *unius uxoris vir*, & vicissim, *monogamus est, qui habet unam uxorem, sive ea prima sit, sive secunda*, utique non poterit ex verbis Apostoli, *Episcopum oportet esse unius uxoris virum*, probari, *quòd Episcopus, priore uxore defuncta non possit iterare nuptias*, siquidem est & manet unius uxoris vir, si simul & eodem tempore unam habeat uxorem, sive ea prima sit, sive secunda.)

3. Regerunt quidem, *Paulum eo sensu requirere, ut Episcopus sit unius uxoris maritus, quo viduam eligendam unius mariti uxorem fuisse requirit 1. Timoth. 5. v. 9. At improbabile est, ipsum viduæ, quæ eodem tempore plures maritos habuerit, electionem prohibere voluisse, cùm id nunquam in usu fuerit: proinde nec hic eum ab Episcopatu excludere voluisse, qui unà plures uxores simul habuerit, sed qui successivè plures habuerit.*

Resp. Fieri omnino potuit inter Judæos & gentes, quorum quotidie magnus numerus ad Christianismum convertebatur, ut una uxor eodem tempore plures maritos habuerit. Nam uxor extra adulterii causam repudiata, vivo marito nubere poterat alteri, & ab hoc secundo repudiata, tertio, utroq; adhuc vivente, sicque plures haberet maritos. Id inter Judæos erat usitatum, ut constat. Inter gentiles nihil erat usitatius. Juvenalis lib. 2. Satyr. 6. earum meminit, quæ octo maritos per quinque autumnos faciebant.

Sic, inquit, *fient octo mariti,*
Quinque per autumnos.

Cœlius in Epistol. Ciceronis lib. 8. Epist. famil. Epist. 7. ait: *Soror Triarii divortium sine causa, quo die vir è provincia venerat, fecit: nuptura est decimo Bruto.* Seneca lib. de benef. cap. 16. in hanc consuetudinem invehitur. *Nunquid*, inquit, *jam ullo repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ non Consulum numero, sed maritorum, annos suos computant & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii.* Tertullianus in Apol. cap. 6. dicebat: *At nunc in fœminis repudium jam & votum est, quasi fructus matrimonii.*

(Si mulier repudiata vel repudians cum alio, ut fieri solebat, matrimonium contrahebat, ex jure, primi uxor erat: ex facto vero & civiliter, secundi; sicque una uxor duos, tres, aut quatuor viros maritos habere poterat.)

Argum. 2. *Nuptiæ secundæ sunt signum incontinentiæ, unde in Concilio Neo-Cæsariensi can. 7. prohibentur Sacerdotes interesse nuptiis bigamorum.* Bellarminus d. lib. cap. 24. §. 2.

Resp. 1. ex ipso Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 8. resp. ad 4. *Concilium Neo-Cæsariense loquitur de eo, qui duas simul uxores habet, ut rectè exponit Glossa c. De his, qui frequenter caus. 31. q. 1.*

2. Etsi monogamia perfectior sit continentia, non tamen propterea sequitur, deuterogamiam esse Presbyterio indignam. Nam *ejus, qui perpetuum coluit cœlibatum*, id est, virginis, ne Pontificii quidem negant, *perfectiorem esse continentiam,*

tiam, quàm monogami, & tamen monogamum non arcent à sacris Ordinibus. Falsum ergò est, si perfectior sit continentia monogami, quàm deuterogami, propterea deuterogamum non esse admittendum ad Ordines sacros.

3. Balsamo ad Canonem Neo-Cæsariensem, sic annotat. *Laicus, qui digamus est effectus, non finitur, nisi anno præterito esse divinorum Sacramentorum particeps. Dicit ergo Canon, quod, quoniam hæc pœna à Sacerdote digamo inducitur, non debet cum eo in nuptiis convivium inire.*

(De illis digamis loquitur Concilium, quibus pœna imposita. At pœna nulla nisi peccati. Ergo de illa digamia loquitur, quæ est peccatum. At successiva digamia non est peccatum. Ergo Concilium non loquitur de digamia successiva.)

Argum. 3. *Clericos ideo oportet à secundis nuptiis esse liberos, ut possint hortari ad continentiam.* Bellarminus d. l. cap. 24. §. Respondeo rationem &c.

Resp. 1. Ex eadem argumenti forma posset inferri, *Clericos debere esse conjugatos.* Clerici debent conjuges hortari ad amorem uxorum. Ergo ipsos etiam uxoratos esse oportet.

2. Posset eâdem argumenti formâ inferri, *Clericos debere Magistratui civili subjici.* Clerici debent hortari populos, ut subjiciantur Magistratui civili. Ergo etiam ipsos oportet esse Magistratui civili subjectos. Consequentias has Pontificii non admittunt. Ergo nec priore uti debent.

Argum. 4. *Clericorum conjugium debet significare unius Christi cum una Ecclesia conjunctionem, quæ perfectio significationis non requiritur in Laicorum conjugio.* Bellarminus d. l. cap. 24. §. Altera causa & §. Ad secundum.

Resp. 1. Bellarminus ibidem mox subjungit. §. Ad tertium. *In solo spirituali conjugio Christi cum Ecclesia virginitatem & fœcunditatem conjuncta inveniri, nec posse simul utrumque in conjugio humano repræsentari, excepto solo Josephi & Mariæ conjugio.*

(Quorsum igitur in conjugio Clericorum talis significatio & repræsentatio requiritur, qualis in nullo conjugio humano locum habet?)

2. Ibidem. § Ad quintum, etiam hoc addit: *Non requiritur, ut Episcopus semper ac necessariò uxorem habeat, sed cùm Christus & virgo & maritus sit, si Episcopus uxorem non habeat, repræsentabit Christum virginem; si uxorem habeat, Christi conjugium significabit.*

(Atqui ex concessione Bellarmini *monogamus est, qui unam habet uxorem, sive ea prima sit, sive secunda.* Ergò spirituale & mysticum Christi conjugium significari etiam potest per iteratas Episcopi nuptias. Præterea, si Episcopus necessariò debet repræsentare aut Christum virginem, aut spirituale Christi cum Ecclesia conjugium, consequens fuerit, Episcopum viduum debere ad secunda vota transire, ut per conjugium suum repræsentet Christi conjugium, cum Christum virginem non ampliùs repræsentare possit.)

3. Quam ineptum est, quòd Clericorum conjugium volunt perfectè significare spirituale Christi conjugium, & tamen nolunt ullum esse Clericorum conjugium? Alibi vocant Clericorum conjugia *sacrilegia, & quibusvis scortationibus pejora*, hìc verò illis Christi conjugium perfectè significari volunt.

4. Si digamia successiva obstat, quò minùs per conjugiũ digami significetur, Christum esse unũ unius Ecclesiæ Sponsum, consequens fuerit, successionem Pontificum in Vet. Testam. obstitisse, quò minus unus Vet. Testam. Pontifex unum Nov. Testam. Pontificem Christum significaret. Sed hoc consequens Pontificii non admittunt. Ergo.

Argum. 5. *Ecclesia ubique & semper hoc observavit, ut bigamos excluderet ab ordinatione.* Bellarminus dict. loc. cap. 23. §. Ultimò.

Resp. 1. *Ecclesiam* nominant, sed Ecclesiæ nomine *Pontificem* intelligunt. Thomas de Aquino disputans de quæstione, *An pius, doctus & idoneus, sed bigamus & quidem non propriè sed canonicè, hoc est, per fictionem juris unica vidua olim ducta, in Sacerdotem aut Episcopum electus promoveri possit*, postquam super 4. sent. dist. 27. qu. 3. art. 1. pro affirmativa validis rationibus dictisque Scripturæ disseruerat, tandem contrarium concludit, hac sola ratione, *quòd Papa in Decretalibus contrarium dixerit ac præceperit*, cujus Decreti aliquas rationes assignat, sed futiles, à Canonistis assignatas.

2. Bellarminus d. l. §. Tertia ratio &c. docet, verba Tertulliani lib. de monog. cap. 12. quòd *apud Catholicos quidam ex digamia præsederint*, sic accipienda esse, quòd *vel ex dispensatione illud sit factum, vel de iis, qui alteram uxorem habuerunt ante Baptismum, vel vitio & abusu id factum esse.*

(Sed quicquid sit, manet interim illud, nec *ubique*, nec *semper* in Catholica Ecclesia id fuisse observatum, ut deuterogami à Ministerio excluderentur. *Quòd enim illi, qui duas uxores habuerunt sive ante Baptismum, sive post Baptismum, digami censendi sint*, dicit, *esse sententiam ab universa Ecclesia tandem receptam.* Verba sic habent cap. 24. §. Ad Hieronym. *Controversia fuit inter veteres Patres, an, qui unam uxorem habuit ante Baptismum, eaque mortua alteram duxit post Baptismum, bigamus censendus esset, nec ne? Nam Hieronymus in Epistola ad Oceanum contendit, ejusmodi hominem non esse bigamum, cui sententiæ multum favet Canon 17. Apostolorum &c. Contra verò Ambrosius, Innocentius & Augustinus contendebant, omnino habendum digamum, qui duas uxores habuit, sive ante Baptismum, sive post Baptismum &c. Atque hæc sententia tandem prævaluit & ab universa Ecclesia recepta est.*

3. Idem Bellarminus cap. 24. §. Contra, concedit, *propter hominum paucitatem fortasse dispensasse Apostolos cum illis, qui ante Baptismum uxorem unam vel plures habuerant, modo non habuissent plures post Baptismum.*

(Cum verò tales juxta ipsius Bellarmini hypothesin fuerint *digami*, consequens est, non fuisse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, digamos successivos, hoc est, deuterogamos arcere ab ordinatione.)

CAPUT V.

DE EXEMTIONE CLERICORUM.

THESIS. Personæ Ecclesiasticæ à potestate civilis Magistratus non sunt absolutè & simpliciter exemtæ, sed certo modo eidem subjectæ.

Ἔκθεσις. Libertas sive immunitas Clericorum spectatur vel *in personis*, vel *in bonis eorum*. Personarum immunitas consideratur *respectu negotiorum sive causarum*, quæ sunt vel *Ecclesiastica*, vel *Politica*. Illæ sunt, quæ ad conscientiam pertinent, & non nisi ex verbo Dei legitimè definiri possunt. Suntque ejusmodi controversiæ de fide & de disciplina Ecclesiæ. Hæ verò, quæ ad res civiles & œconomicas pertinent, & ex legibus Magistratus Politici in judicio civili decidi possunt & solent. Bonorum Clericalium immunitas consideratur *vel in tributis*, quæ solvuntur ex agris, prædiis, aliisve possessionibus, immobilibus ac mobilibus, *vel in vectigalibus*, quæ penduntur pro mercibus exportandis & importandis, sive *ordinariè*, quæ jussu legem semper numerari solent; sive *extraordinariè*, quæ tantùm ad præsentem aliquam necessitatem exiguntur & postea desinunt. Hisce præsuppositis sic progredimur.

1. Non quæritur hoc loco *de officio Ecclesiastico*, quod consistit in prædicatione verbi, administratione Sacramentorum, conservatione disciplinæ Ecclesiasticæ &c. an illius ratione personæ Ecclesiasticæ Magistratui in actibus spiritualibus ad Ecclesiasticam potestatem internam pertinentibus sint subjecti, ita ut Magistratus possit illis præscribere aliam docendi, errores & peccata arguendi, Sacramenta administrandi formam, quàm quæ in verbo divinitùs ipsis est præscripta, quod nemo nostrum asserit.

2. Ministri Ecclesiæ *ratione suarum personarum* Magistratui civili sunt subjectæ ac propter illud obedientiæ vinculum incurrunt pœnas in legibus definitas, si easdem transgrediantur.

3. Distinguendum tamen inter *delicta Clericorum.* Etenim si *in suo officio* delinquant, tum cognitio & pœna illius delicti, utpote Ecclesiastici, non pertinet ad solum Magistratum Christianum, sed ad totam Ecclesiam, vel ad illos, qui publico Ecclesiæ nomine hoc officio funguntur, ad Senatum scil. Ecclesiasticum. Sed si committant delicta *civilem societatem* turbantia, eaque vel *capitalia* vel *non capitalia*, tum cognitio & pœna illius delicti pertinet ad Magistratum civilem.

4. Distinguendum etiam inter Magistratum civilem *summum & inferiores.* Non enim sequitur, Clerici in temporalibus subjecti sunt Magistratui, ergo cuivis etiam inferiori Magistratui sunt subjecti, ita ut Consul oppidanus ac Prætor paganus potestatem habeat Ecclesiæ Ministrum in jus vocandi, vel etiam in vincula conjiciendi. In Ecclesiis reformatis quamvis per Pacificationem Passaviensem jurisdictio Episcopalis in Principes Evangelicos sit translata, tamen rectè & compe-

tenter illi faciunt, quòd non immediatè nec per Consiliarios Politici regiminis eandem exercent, sed præfecerunt Pastoribus Superintendentes & instituerunt Consistoria Ecclesiastica, in quibus & Ecclesiasticæ & Politicæ personæ præsident, quibus in Clericos certa determinatione, ordine ac modo jurisdictio est attributa.

5. Distinguendum inter *actiones personales ac reales*, posteriorum ratione idem cum reliquis civibus forum obtinent, non autem ratione priorum.

6. Distinguendum inter *onera personalia & realia*. Personalia Ministris Ecclesiæ non sunt imponenda, ne officii administrationi & otio ad ejus administrationem necessario quidquam decedat.

7. Onera realia quod attinet, distinguendum inter *bona*, quæ Ecclesiastici possident. Vel enim sunt *sacra & Ecclesiæ consecrata*, vel non sunt sacra, sed ab ipsis per *emtiones, hereditates, jura connubiorum aliavè media acquisita*. De his posterioribus si sunt tributaria, Magistratui solvendum, quod debetur. Quod si verò Ecclesiæ Ministri non possideant bona aliqua propria, sed tantùm ex bonis sacris sive Ecclesiasticis vivant, ad tributa solvenda cogi nequeunt.

8. Circa bona sacra & Ecclesiastica distinguendum inter ea, quæ à Magistratu vel subditis ab omni vectigalium & tributorum onere priùs soluta atque libera Ecclesiæ sunt consecrata & inter ea, quæ non sunt libera, sed pensiones annuas Magistratui semper hactenus solverunt. Priora meritò utuntur hac libertate, nec imponuntur illis onera tributorum. Posteriora per ipsam consecrationem non fiunt à tributis libera, nisi accedat Magistratus consensus.

9. In ipsis etiam Ecclesiasticis bonis planè liberis distinguendum inter tributa *ordinaria & extraordinaria*. Ab ordinariis quidem tributis illa bona sunt libera interim si Ecclesiæ ac Reipubl. salus extraordinariæ contributionis necessitatem requirat, si captivi redimendi, si hosti potentissimo pro religione ac libertate conservanda tributum persolvendum, tunc ex illis etiam bonis tributum exigi potest, nimirum si Ecclesiastici non ea tantùm obtineant quæ ad necessitatem & ordinis dignitatem faciunt, sed etiam ea, quæ ad abundantiam. Non tamen debet esse ficta, sed vera necessitas, Reipub. salutem concernens.

10. Distinguendum inter *immunitatem* & exemtionem Clericorum *generalem, totalem & indeterminatam*, quæ sit *juris divini*, qualem tam *personarum* quàm *rerum* ratione Pontificii Clericis tribuunt; & inter *immunitatem* & exemtionem Clericorum *specialem, partialem & limitatam*, quæ est *juris humani*, ex piorum Principum beneficio ac privilegio in Ordinem Ecclesiasticum descendens, quâ certis quibusdam in casibus respectu personarum vel rerum à publicis oneribus ac subditorum officiis eximuntur. Priorem tantum, non autem posteriorem impugnamus.

Antithesis c. Nullus caus. 11. qu. 1. *Nullus Episcopus neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis judicem sive civilem, sive militarem producatur vel exhibeatur. Magistratus enim, qui hoc jubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.*

Bonifacius VIII. in c. Quanquam de Censibus & ibi Doctores. *Jure divino & humano Clerici & eorum bona libera sunt à seculari potestate.*

Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 9. *Cum à jure tam divino quàm humano potestas nulla Laicis in Ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes & singulas constitutiones &c.*

Concilium Tridentin. sess. 25. cap. 20. *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione & sanctionibus Canonicis est instituta.* Inde statuunt, *Clericos in rebellione contra Principes seculares non posse committere crimen læsæ majestatis.*

Emanuel à Saa in Aphorismis Confessorum, in voce Clericus, edit. Antverp. Ann. 1599. *Rebellio Clerici in Regem non est crimen læsæ majestatis, quòd Regi non sit subditus.* Quam esse *communem opinionem* testantur Cardin. Alex. in c. Inprimis §. de person. col. 5. vers. Non obest opin. 2. qu. 3. Gomez. in §. rursus num. 24. Instit. de actionibus.

De hac Clericorum exemtione latè & ex professo disputat Soarius in Defens. fid. Cathol. advers. Anglic. Sect. errores lib. 4. toto, in quo statuit, *Clericos omni jure, divino & humano, à potestate Principum secularium esse exemtos, non solum in spiritualibus & Ecclesiasticis causis* cap. 2. *sed etiam in rebus & causis temporalibus* cap. 3. *Summum Pontificem omni jure divino & humano ab omni jurisdictione secularium Principum esse exemtum* cap. 4. *adeò, ut non possit se judicio humano submittere* cap. 7. *Clericos omnes sub Pontifice existentes à jurisdictione temporalium Principum jure divino esse exemtos* cap. 8. *in causis civilibus* cap. 14. *in causis criminalibus* cap. 15. *privilegium illud fori includere exemtionem à legibus civilibus* cap. 16. *à tributis & oneribus* cap. 17. *tam personalibus* cap. 22. *quàm realibus* cap. 25.

Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. *Ex Catholicis nonnulli censent, jure divino liberos esse Clericos & eorum bona à potestate Principum secularium. Ita docet Glossa & nonnulli ex Canonistis in c. Si Imperator dist. 96. & in c. Quanquam de Censibus in 6. & ex Theologis Johan. Driedonius lib. 1. de libert. Christian. cap. 9.* Suam verò sententiam includit quinque Propositionibus 1. *In causis Ecclesiasticis liberi sunt Clerici jure divino à potestate Principum secularium.*

2. *Non sunt exemti Clerici ab obligatione legum civilium, quæ non repugnant sacris Canonibus vel officio Clericali.*

3. *Non possunt Clerici à judice seculari judicari, etiamsi leges civiles non servent.*

4. *Bona Clericorum tam Ecclesiastica quàm secularia libera sunt, ac meritò esse debent à tributis Principum secularium.*

5. *Exceptio Clericorum in rebus Politicis, tum quoad personas, tum quoad bona, introducta est jure humano pariter & divino.*

In eodem cap. §. Respondeo. *Respectu Clericorum Principes non sunt superiores potestates.*

Becanus in resp. ad aphoris. Calvin. p. 74. *Exemtio Clericorum non solùm jure Canonico & Civili, sed communi consensu Principum, Regum, Imperatorum ac totius orbis Christiani stabilita & confirmata est.*

Pag 75. *Sunt autem tribus modis exemti Clerici à potestate Principum secularium: 1. Quoad personas suas, quia si delinquant contra leges civiles aut Ecclesiasticas, non possunt puniri à Magistratu civili, sed tantùm ab Ecclesiastico. 2. Quoad bona temporalia, sive Ecclesiastica, sive hereditaria, quia illa libera sunt à tributis & oneribus civilibus. 3. Quoad causas seu controversias tam civiles, quàm Ecclesiasticas, quia illæ non trahuntur ad tribunal seculare. Hæc triplex exemtio partim divini, partim humani juris est.*

Idem part. 2. Theol. Scholast. tract. 3. cap. 6. qu. 11. pag. 329. *Clerici non sunt subjecti Principibus secularibus, cùm ab eis puniri non possint, ergo id, quod legibus Principum secularium præcipitur, non tenentur præstare ratione obedientiæ & subjectionis, sed ut toti Reipubl. sint conformes.*

Et posteà: *Etiamsi Clerici teneantur servare leges civiles, non tamen incurrunt pœnas legibus illis statutas, nec possunt puniri à Magistratu seculari, etiamsi leges non observent, quia Clerici sunt exemti à jurisdictione seculari.*

Nostram sententiam probamus,

1. *A generali obedientiæ mandato.* Ubicunque homines jubentur Magistratui obedire, ibi in genere omnes absque ulla limitatione vel determinatione ad obedientiam præstandam astringuntur. Matth. 22. v. 1. Marc. 12. v. 13. Christus ad Pharisæos, qui ad Clerum pertinebant, dicit: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita.* Tit 3 v. 1. *Admone illos, Principibus & potestatibus subditos esse, & dicto obedire.* 1. Petr. 2. v. 13. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ, sive Regi tanquam præcellenti, sive præfectis ab eo missis, quia sic est Dei voluntas.*

2. *A Sacerdotum in Vet. Testam. exemplo.* Sacerdotes Vet. Testam. fuerunt potestati Magistratus Politici subjecti, ut constat exemplo illorum Regum ac Ducum qui in Sacerdotes exercuerunt Politicam jurisdictionem. *Moses* præficitur Aaroni *in Deum*. Exod. 4. v. 15. & in peccatum prolapsum eundem corrigit. Exod. 32. v. 21. *Levitæ* non solùm Aaroni, sed etiam *Mosi*, qui erat Princeps civilis totius populi, fuerunt subjecti. *David* ex Regali unctione Sacerdotibus & Prophetis præfuit in causis seculi. *Salomon* propter crimen læsæ majestatis Abiatharem Pontificem non tantum Sacerdotio exuit, sed & morte mulctavit, quamvis gratiam ipsi fecerit propter merita, quibus parentem sibi devincierat. 1. Reg. 2. v. 26. *Levitæ* juxta mandatum Regis Ezechiæ instituunt reformationem. 2. Paral. 29. vers. 15. Confer 1. Paral. 23. vers. 27. 2. Paral. 17. v. 8. cap. 24. v. 6. cap. 29. v. 30. cap. 34. &c.

3. *A Christi in N. Test. exemplo.* Christus tum in *personalibus*, tum

tum in *realibus* obedientiam præſtitit civili Magiſtratui. Prius probatur ex Joh. 19. v. 11. ubi ad Pilatum dicit: *Non haberes poteſtatem ſuper me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Poſterius probatur ex Matth. 17. v. 27. ubi pro ſe & Petro cenſum ſolvit, ne ſcandalum præberet.

4. *A Pauli Apoſtoli facto.* Is Actor. 25. v. 10. à Synedrio Hieroſolymitano appellat ad Cæſarem. *Ad tribunal,* inquit, *Cæſaris ſto, ubi me oportet judicari.* A quo & coram quo ſe oportere judicari aſſerit, illum agnoſcit judicem competentem ac legitimum. Item, Ad cujus tribunal appellat, ejus poteſtati ſeſe ſubjicit.

5. *Ex variis rationibus,* quarum prima petitur *ex Clericorum conditione ac ſtatu.* Clerici ſunt cives & partes Reipubl. in qua vivunt. Ergo ſubjecti eſſe debent civili Magiſtratui. Quicunque enim ſunt cives ac partes Reipubl. illi, niſi ſint cum imperio, ſubjecti eſſe debent civili Magiſtratui.

Secunda, *ab incommodo.* Plenaria ac totalis illa exemtio Clericorum, non ſolùm Reipubl. eſt noxia, quia Clerici unius duntaxat Pontificis imperium agnoſcentes facilè contra Magiſtratum inſurgerent, ſed etiam juſtitiæ minùs conformis ac animum peccandi Clericis addit.

Tertia, *à caritatis præſcripto.* Lex caritatis non patitur, ut cum Clerici agros, fundos & bona plurima poſſideant, tributis & oneribus contra Magiſtratus voluntatem ſeſe ſubtrahant & univerſam molem tributorum propter ſalutem Reipubl. Magiſtratui perſolvendorum in alios cives rejiciant, hac enim ratione *aliis* omnibus *eſt anguſtia*, *ipſis* vero ſolis *relaxatio*, 2. Corinth. 8. v. 13.

Quarta, *ex immunitatis, illius variatione.* Lex divina eſt immutabilis apud eos cumprimis, qui rectè eam intelligunt. Sed immunitas Eccleſiaſtica tam rerum quam bonorum, poſtquam Clericis fuit conceſſa, tot ac tam varias diverſis temporibus ſubiit mutationes, ut nec ipſi Canoniſtæ de ea certas regulas poſſint tradere. Ergo non deſcendit à jure divino.

Noſtræ ſententiæ ſuffragantur,

1. Quotquot agnoſcunt, *Pontifici Romano non competere ſummum dominium temporale in Imperatores, Reges & Principes, nec convenire Eccleſiaſticis perſonis juriſdictionem Politicam,* quorum teſtimonia adduximus ſuperius artic. 3. de Pontif. Rom. cap. 8.

(Si enim Pontifici non competit ſummum dominium in temporalibus, ergo non potuit Clericos è poteſtate ſecularis Magiſtratus eximere. Si perſonis Eccleſiaſticis non competit temporalis juriſdictio, ergo non poſſunt in cauſis civilibus Clericorum eſſe judices.)

2. Imperatores, Reges & Principes.

Imperatores Clericos Politicis legibus ſubjecerunt, ut conſtat ex Codice, ex Authenticis Juſtiniani & ex Capitularibus Conſtitutionibus Caroli.

Archiepiſcopos, Epiſcopos, Clericos & Monachos in Imperio Romano degentes fuiſſe Imperio Romano ſubjectos, conſtat ex t. t. C. de Epiſc & Clericis.

l. Decernimus 26. c. de Epiſc. & Cleric. *Decernimus, ut poſthac neque Monachi, neque quicunque alii cujuscunque ſtatus atque fortunæ in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem & ſanctorum Martyrum reliquias illicitè inferre conentur &c. ideo patientiam & modeſtiam ſuam, quam leges Naturæ & publica diſciplina & ipſorum Monachorum nomen expoſcit, ſtudioſè unusquisque tam Monachus quàm cujuslibet alterius profeſſionis retineat & perpetuo obſervare procuret.*

l. Cùm Clericis 25. C. eod. *Marcianus ſtatuit, ut in cauſa criminali Clericus coram Præſide conveniatur. Cum Clericis,* inquit, *in judicium vocatis pareat Epiſcopalis audientia, volentibus tamen actoribus (non aliter) ſi actor diſceptationem ſanctiſſimi Archi-Epiſcopi noluerit experiri eminentiſſimæ tuæ Sedis examen, contra Catholicos ſub viro reverendiſſimo Archi-Epiſcopo hujus urbis Clericos conſtitutos, vel contra reverendiſſimum Oeconomum tam de ſuis, quàm de Eccleſiaſticis negotiis ſibimet noverit expetendum, qui in nullo alio foro, vel apud quenquam alterum judicem eoſdem Clericos litibus irretire & civilibus vel criminalibus negotiis tentet innectere.*

(Licuit igitur actori apud Præſidem Clericos poſtulare & hos judicio Præſidis ſeſe ſiſtere & illius judicio ac ſententiæ ſtare debuiſſe oportuit.)

l. Omnes 10. C. de legibus & conſtitut. Principum. *Omnes ſecundum leges vivant, etiamſi ad divinam domum pertineant.*

Juſtinianus Novell. 42. cap. 1. § 2. *Univerſum Patriarchalem, Pontificalem ac Monachicum cœtum ſuæ politiæ eſſe,* dicit.

Novella 123. cap. 8. *Sed neque pro qualibet pecuniaria cauſa, vel criminali Epiſcopum ad judicem civilem aut militarem invitum producere aut exhibere citra Imperialem juſſionem permittimus.*

(Hæc verba poſteriora *citra Imperialem juſſionem.* Item verbum *invitus*, quia ſupremam poteſtatem Imperatori reſervant, Gratianus omiſit c. Nullus 11. qu. 1.)

Huc referri debent l. Addictos 6. l. Si quis ex conſenſu 7. & t. t. Cod. de Epiſc. audient. Novell. 3. in princ. Novell. 6. c. 8. & in epil. Novell. 9. Nov. 86. c. 1. Novell. 133. in princ. & c. 6. prooem. edict. Juſtiniani ad Archi-Epiſcopos & Patriarchas ſcriptorum, ex quibus conſtat, Juſtinianum, licet Epiſcopis *audientiam* conceſſerit, tamen *cognitionem & appellationem ſupremam* ſibi reſervaſſe.

Imperator Valentinianus in Epiſt. ad Epiſcop. Aſiæ, quam refert Theodoretus lib. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 7. ſcribit. *Probos Epiſcopos non ſolùm Dei, ſed etiam Regum legibus obtemperare.*

Carolus Galliæ Rex, Caroli Magni ex Ludovico filio nepos, in Epiſtola ad Adrianum Pontificem Romanum, quæ extat in Catalogo teſtium veritatis f. 942. inter cætera ſic loquitur: *Reges Francorum ex Regio genere nati non Epiſcoporum Vice Domini hactenus ſumus computati. Et ut Leo ac Rom. Synodus ſcripſit, Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcepit præeſſe, jus diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis juxta Divalia conſtituta permiſerunt, non autem Epiſcoporum villici extiterunt. Et ſanctus Auguſtinus dicit: Per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones, non autem per Epiſcopale imperium villici ſiunt actoresque Epiſcoporum. Et Dominus: Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo reddi præcipit, qui etiam cenſum Regi reddidit. Et Apoſtolus voluit ſerviri Regibus, voluit honorari & non conculcari Reges. Regem, inquit, honorificate. Et iterum, Omnis, inquiens, anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Reddite ergo omnibus debita. Et paulò ſuperius; Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Et ſi revolveritis regeſta deceſſorum ac prædeceſſorum veſtrorum, talia mandata, ſicut habentur in literis ex nomine veſtro nobis directis per Actardum Epiſcopum, deceſſores noſtros à deceſſoribus veſtris accepiſſe nullatenus invenietis. Unde pauca de pluribus vobis ſcribere neceſſarium duximus. Sanctus Gregorius merito vitæ & ſapientiæ doctrina Apoſtolicæ Sedis Pontifex, & toti orbi colendus ac imitandus Francorum Regibus Theodorico & Theoberto prædeceſſoribus noſtris de præjudicio cujusdam Epiſcopi non ita, ut vos nobis ſcripſiſtis pro eo, qui pro meritis ſuis legaliter ac regulariter juſtè depoſitus eſt, ſcripſit hoc modo: Frater & Coepiſcopus noſter Urſicinus Taurinæ civitatis Antiſtes in parochiis ſuis, quæ intra regni veſtri ſunt terminos conſtituta, grave omninò dicitur præjudicium ſuſtinere, adeo ut contra Eccleſiaſticam obſervantiam, contraque Sacerdotalem gravitatem, & contra ſacrorum Canonum definita, nullo ejus exigente crimine, alter illic nunc meruerit ordinari. Et quia parum viſum eſt, ſi in licitis non jungerentur illicita, etiam res Eccleſiæ ſuæ, ut fertur, ablatæ ſunt. Quòd ſi ita ſe veritas habet, quoniam nimis intolerabile eſt, ut virtute opprimeretur, cui culpa non nocuit, præmiſſo paternæ ſalutationis alloquio petimus, ut, quod excellentia veſtra amore Eccleſiaſticæ reverentiæ & æquitatis contemplatione ſponte poteſt impendere, noſtræ ſtudeat benigniùs interceſſione concedere, & juſtitiam illi, ſicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus cuſtodiri atque patefacta veritate, quod illicitè actum eſt, corrigi. Pro utilitate ergò animæ veſtræ hæc apud vos noſtra exhortatio locum inveniat &c. Sed & ad Romanum Exarchum minoris dignitatis, quàm ſimus Dei gratia Regiæ poteſtatis de quodam Epiſcopo ſcripſit hoc modo: Pervenit ad nos, Blandum Ortonenſis civitatis Epiſcopum longo jam tempore in civitate Ravennati à veſtra excellentia retineri, & fit, ut & Eccleſia ſine rectore, & populus q. ſine paſtore grex ſit, & ibidem infantes pro peccatis abſq; Baptiſmate moriantur. Et rurſus. Quia non credimus, quod eum excellentia veſtra, niſi ex aliqua probabilis exceſſꝰ cauſa tenuerit, oportet, ut habita Synodo palam fiat, ſi quod in eum crimen intenditur, & ſi talis in eo culpa reperitur, quæ ad uſq; degradationem Sacerdotii deducatur, aliam ordinationē neceſſe eſt inquiramus, ne Eccleſia Dei in his, ſine*

quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta maneat. Sin autem excellentia vestra aliter se habere, quàm de eo, quod dicitur esse, perspexerit, eum ad Ecclesiam suam reverti concedat, ut officium suum in commissis sibi animabus administret. Quibus mandatis B. Gregorii prædecessoris vestri de his, qui nec dum judicio Synodali legaliter ac regulariter pro criminibus suis fuêre depositi, collatis cum scriptis ex nomine vestro nobis directis ex eo, qui legaliter ac regulariter pro suis excessibus judicio Synodali habetur depositus, ut eum nostrâ fretum potentiâ Romam mittamus; quæ potiùs sequenda sint, judicate. Nos autem autoritatem vestram judicaturam potiùs credimus, ut ea sequamur, quæ decessores & prædecessores vestri secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum rescripserunt, quàm illa, quæ scriptor sæpedictæ Epistolæ ex nomine vestro nobis directæ confinxit.

Confer Baronium tom. 10. Ann. 891. num. 93. & 94.

Cum Bonifacius VIII. in Galliam sibi jus quæreret, Philippus Pulcher Conventu indicto Parisiis Episcopos interrogavit, *à quo suarum Ecclesiarum prædia ac proventus accepissent?* quibus respondentibus, *Regio jure se isthæc tenere & tueri*, subjecit Rex: *Ergo Bonifacius injuria vos & omne Francorum regnum sibi subjicere laborat.*

In Gravaminibus Germanicæ Nationis Anno 1523. in Comitiis Norinbergensibus ab omnibus tam Papisticis quam Lutheranis Imperii Principibus, Adriani Pontificis Legato exhibitis, inter cætera & hæc continentur: *Quicunque Ecclesiasticos recipit Ordines majores seu minores, per hoc omnium pœnarum Magistratuum secularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit. Neque hoc ita ordinati temerè præsumunt, quòd ab Ecclesiasticis summæ conditionis Statibus in peccandi licentia hac manu teneantur. Sæpe numero enim compertum est, quòd cum ita consecratis præsertim Sacerdotibus per jura Canonica legitimæ uxores sint interdictæ, dehinc pudicitiam matronarum, virginum, Laicorum scil. uxorum, filiarum, sororumque attentant ac noctu interdiuque solicitant. Uxores ac filias maritis patribusque detinent & remorantur, minantes interim gladio, aquâ, ignivé ulturos repetitas uxores. Mirum, quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falsa cudendo numismata, ac mille scelerum formis interim contra divina humanaque jura omnia, non sine magno etiam aliorum offendiculo, liberrimè ac impunè quotidie committant. Et ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatem aliquatenus interdictum est Archi-Episcopis & Episcopis, ne malefactores hos publicè criminali judicio reos agere possint, nisi priùs degradatos, id quod tantis sumtibus tantaq; pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissimè uncti illi malefactores merita plectatur pœna &c. Quapropter necessitas, æquitasque ipsa sibi postulant, ut Ecclesiast. personarum prædicta præsumta privilegia abrogentur, aboleantur, è medioque tollantur, ac illarum gratia finaliter sanciatur, caveatur ac statuatur, quòd ordinati in majoribus vel minoribus constituti unà cum personis Laicis æqua habeant jura, æquos judices, paresque pœnas, ita quòd Ecclesiastici ultra Laicos in paribus delictis nullam prætendere possint prærogativam, immunitatemvé, sed ut quisque delinquentium Ecclesiastic. sub quo deliquit judice, ob commissum suum maleficium secundum delicti qualitatem ac mensuram non secus atque alii malefactores pœna à jure communi Imperii imposita delicto commensurataque plecti, puniri & affici possit atque debeat. Id quod verè Ecclesiasticis, hoc est, probis & eruditis viris dubio procul impendio magis arridebit, tantum abest, ut per hoc lædi jus eorum putent. Hac re namque fiet, ut titulo tantùm Ecclesiastici, alioquin improbi nebulones, ad obedientiam majoribus debitam, & ad bene honesteque vivendum compellantur. Adhæc seditiones simultatesque inter eos atque Laicos præcaveantur & evitentur. Denique & hoc ipso Laici ad observandum colendumque integra vita Ecclesiasticos eò magis invitabuntur, permovebunturque.*

3. Quidam Episcopi Romani.

Leo Primus.

Gregorius Magnus.

Leo IV. Imperatoribus sese subjecerunt, eisque obedientiam se debere agnoverunt, ut ostendimus superiùs artic. 3. de Pont. cap. 8. memb. 1.

4. Bernhardus, qui in mediis Papatus tenebris vixit.

Epist. 42. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita. Si omnis, & vestra. Qui vos excepit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Nolite illorum acquiescere consiliis, qui cùm sint Christiani, Christi tamen vel sequi facta, vel obsequi dictis opprobrio ducunt.*

Et paulò pòst: *Christus aliter jussit & gessit. Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quod hic ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor Cæsaris non cunctatus est Cæsari censum reddere. Exemplum enim dedit vobis* (Clericis, quia scribit ad Archi-Episcop. Senon.) *ut & vos ita faciatis.*

Epist. 170. *Etiamsi totus terrarum orbis adversus me conjuraret, ut aliquid molirer adversus Regiam majestatem, ego tamen Deum timerem & ordinatum ab ipso Regem offendere timere non auderem. Nec enim ignoro, ubi legerim. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

5. Quædam capitula juris Canonici, Gratianus & Glossator.

Imperatores olim habuisse potestatem coercendi Pontifices & Clericos ex jure Canonico, probat Jacobus Britanniæ Rex in Præfat. Monitor. ad Reges Christianos.

c. Si tributum caus. 11. qu. 1. ex Ambrosio: *Si tributum petit Imperator, non ei negamus. Agri Ecclesiæ solvant tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum. Tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego.*

c. Magnum quidem caus. & quæst. iisd. ex eodem: *Magnum quidem est & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse solvendam. Si enim censum Filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui putas non esse solvendum?*

Hisce subjicit Gratianus: *Item Apostolus: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Item, Petrus Apostolus generaliter omnibus scribit: Estote subditi dominis vestris, sive Regi q præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

c. Te quidem caus. & quæst. iisdem ex Epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini, ubi Petrus in ordinatione ad Clementem dixisse memoratur: *Summo studio te niti oportet, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias.*

c. Sicut caus. & quæst. iisdem ex eadem: *Impietatis crimen tibi est, ô Clemens, neglectis verbi Dei studiis solicitudines seculares suscipere.*

Subjicit Gratianus: *Ex his omnibus datur intelligi, quòd in civili causa Clericus ante civilem judicem conveniendus est. Sicut enim Ecclesiasticarum legum Ecclesiasticus judex est administrator, ita & civilium non nisi civilis debet esse executor.*

Idem Gratianus c. Item cùm Balaam caus. 2. quæst. 7. *Duæ sunt personæ, quibus mundus iste regitur, Regalis videlicet & Sacerdotalis. Sicut Reges præsunt in causis seculi, ita Sacerdotes in causis Dei. Regum est corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum spiritualem inferre vindictam. David ergo etsi ex regali unctione Sacerdotibus & Prophetis præerat in causis seculi, tamen suberat in causis Dei.*

Idem Gratianus in Append. c. Si in morte caus. 23. quæst. 8. *Notandum est, quosdam Episcopos Levitica tantum portione esse contentos, qui sicut in Dei sorte tantum numerantur, sic ipsum Deum solummodò in hereditatem accipiunt, dicentes: Dominus pars hereditatis meæ: His nihil est commune cum Principibus seculi, quia temporalia penitùs abjiciunt, ne eorum occasione legibus Impp. obnoxii teneantur &c. Porro alii sunt, qui non contenti decimis & primitiis prædia, villas & castella & civitates possident, ex quibus Cæsari debent tributa, nisi Imperiali benignitate immunitatem ab hujusmodi promeruerint, quibus à Domino dicitur: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo; quibus idem Apostolus: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.*

Glossa in c. Principes caus. 23. quæst. 5. ad verba, *Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent &c. Laici* (Principes) *habent jurisdictionem multipliciter intra Ecclesiam. Quandoque in personis ipsis dum sunt incorrigibiles (ut 32. dist. eos qui.) Item quandoque propter ambitionem alicujus (ut dist. 79. si qui pecunia.) Item cùm fidem volunt subvertere (ut dist. 8. quo jure & dist. 17. Nec licuit.) Item cùm falsarius est Clericus (ut Extra. de crim. fals. ad fals.) Item cùm & schisma faciunt Clerici, & cùm contemnunt excommunicationem (ut 1. c. qu. de liguribus.) Item & ubicunque Ecclesiastica potestas deficit, ut hic. Item & cùm tributum petunt ab Ecclesia (ut 1. c. q. 8. convenio.)*

Glossa in margine ad c. 2. Extra de majoritate & obedient. *Qua-*

Quæritur, quis exemit Clericum de jurisdictione Imperatoris? Dicit Laurentius, quòd Papa de consensu Principis.

6. Praxis superiorum temporum.

Constantius in exilium misit Liberium Episcopum Romanum.

Justinianus Sylverium; Otto I. Johannem XII. deposuit, & in ejus locum Leonem VIII. substituit.

Henricus III. deposuit Gregorium VI. & Clementem II. ordinari jussit.

Inde Bellarminus lib. 2. de Roman. Pont. cap. 29. scribit: *Ab Ottone I. satis constat bono zelo, sed non secundùm scientiam depositum esse Johannem XII. Fuit enim Johannes iste omnium Pontificum ferè deterrimus, atque ideò non mirum, si pius Imperator, qualis fuit Otto I. sed minùs peritus rerum Ecclesiasticarum judicaverit, eum potuisse deponi, præsertim cùm multi Doctores idem senserint.*

(Agnoscit ergò Bellarminus, Imperatores id fecisse consentientibus atque approbantibus præcipuis illorum temporum Doctoribus.

Ex Binii tomo 1. Concil. constat.

1. Episcopos Archimandritas novendecim Imperatori supplicasse, *ut per eum fides eorum firmaretur, professosq; esse, sese divinissimi Imperatoris in Concilio constituendo intentionem sequi.* pag. 91.

2. *Episcopos Europæ sacras ejus literas relegisse, quibus præcepit.* pag. 152.

3. *Secundæ Styriæ Episcopos in eo, quod dignatus erat piis ejus syllabis indicare illis &c. sine dilatione ejus sanctioni obedivisse.* pag. 157.

4. *Mesopotamiæ alios septem ejus consilio obedientes sententiam suam declarasse.* pag. 158.

5. *Nec minùs sese obedientes præstitisse duodecim Phœniciæ Episcopos, quia cor Regis, sic enim ajebant, in manu Dei, & cor Dei in manu Regis.* pag. 159.

6. *Isauriæ provinciæ alios sedecim in iis, quæ Imperator illis præcepit, legibusque, quas pro rebus divinis Sacerdotibus imposuit, se subjectos agnovisse, nutuique illius inservivisse.* p. 160.

7. *Episcopos Antiochiæ, Pisidiæ, Seleuciæ, Pandespoleos, Adrianopoleos, Metropoleos, Theodosiopoleos, Philomeli Sozopoleos, Malinopoleos, Limenopoleos, sanctioni ejus zelo divino completæ, & subjectis per disciplinam, quæ ad salutem pertinent providenti, paruisse.* pag. 161.

8. *Epiphanium Pergensem unà cum aliis tredecim reverendis Episcopis Pamphiliæ, prout divinis syllabis ejus pietas præcepit, quid sentirent de Timotheo Episcopo, cujus causa omnis de judicio & probatione Imperatoris sanctorum Patrum integritate penderet, obtemperasse.* pag. 164.

9. *Provinciæ Lyciæ Episcopos viginti in Marena Metropoli congregatos, quibus Imperator, ut ajunt, per syllabas sacras clamare visus est, sicut Moses, Qui est Domini, veniat ad me, precatos esse, ut nulli alii subjiciantur, utq; is inimicos Ecclesiæ nullo modo sineret, tanquam coram eo prostratos supplicasse.* pag. 165.

10. *Hellespontica regionis octodecim simul congregatos jussionibus ejus velociter paruisse.* ibid.

11. *Quinque Episcopos Armeniæ secundæ agnoscentes Deum præbuisse illi super omnes homines sine prohibitione potestatem, seque, qui pro abjectione sua nihil in terris sunt, in ejus receptos curas, jussos esse sententiam suam illi significare.* pag. 169.

12. *Alios jubenti & præcipienti obedientes fuisse.* pag. 170.

Hæc exempla adducit, & Bellarmino opponit Thomas Mortonus in Dissertatione contra tractatum Bellarmini de officio Principis cap. 6. sect. 37. pag. 293.

Apud eund. Binium tom. 1. Concil. p. 518. *Cyrillus Alexandrinus Theodosium, tanquam supremum humanæ gloriæ culmen & longè maximo discrimine cæteris omnibus antecellens agnoscit, in quo divinæ celsitudinis symbolum omni terreno fastigio sublimius extat, cuiusq; majestatis nutibus nemo non ad justam vivendi rationem provocetur.*

Apud eundem pag. 756. *Ephesini Concilii Episcopi ducenti Theodosium literis pluribus obnixè rogant. Supplicamus, inquiunt, oramus, & ante majestatis vestræ vestigia provolvimur.*

Et postea. *Per piissimos Episcopos Legatos nostros porrectis manibus pietatis vestræ genua complectimur, enixè precantes &c.*

Cives Veneti in Parænesi ad Baronium, remittunt eum ad tom. 7. Annal. Ann. 556. num. 6. ubi Pelagii Epistola ad Narsetem citatur, in qua Roman. Pontifex inter cætera sic loquitur: *Dato operam, ut talia (qualia fecerant Episcopi quidam schismatici) fieri ultra non liceat, sed etiam, quod vobis facilimum esse non dubito, hi, qui talia præsumserunt, ad piissimum Principem sub digna custodia dirigantur. Recolere enim debet Celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit in tempore illo, quo Istriam & Venetias Tyranno Totila possidente Francis etiam cuncta vastantibus non antè tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum Principem exinde retulissetis, & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognovissetis, & inter ubique ferventes hostes Ravennam tamen & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat, providentiâ culminis vestri deducti sint. De Liguribus atq; Veneticis & Istriis Episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra ratione & potestate reprimere, & dimittis eos in contemtum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari?*

Idem Baronius Anno 940. num. 2. ex Osberto in vita Dunstani cap. 13. & 14. *Quamprimùm Edmundus Angliæ Rex regni fastigium est consecutus, Archiepiscopum Dunstanum ad se accersi jubet, ejus prudentiæ atque fidei gubernacula demandans. Dunstanus Regi quasi præcellenti secundùm Apostoli præceptum obediendum esse perpendens, Regem adiit, & salvâ in omnibus reverentiâ Ordinis sui ejus imperio se subjecit.*

Johannes Aventinus lib. 5. Annal. *Sanctissimi Patres, quemadmodum Christus Dominus & Deus noster, Comites & legati ejus fecerunt, & alios docuerunt, Cæsares in terris à Deo secundos, ante omnes mortales primos à supremo Numine datos, divinitùs constitutos, ab immortali Deo electos & (ut illi vocant) coronatos venerabantur, dominosq; suos vocare solebant. Eisdem tributum, censum, non denegabant, pro eorum salute quotidie comprecabantur. Imperata detrectantes tanquam cœlesti provinciæ resistentes videri contra Christianam pietatem fecisse decernebant. Grande nomen esse Imperatoris, à Deoq; tradi prædicabant. Reipubl. turbellis, nedum armis, ut milites Christi, se non immiscebant, paupertate & modestiâ cum cæteris Christianis decertabant, quò quisque submissiùs se gereret, hoc majorem esse sentiebat. Ensem ancipitem, gladium duplicem Christianæ civitati datum asservandum, vivificandumque, non occidendum esse putabant, eundemque spiritualem appellabant, qui est sermo Dei, vita & lux hominum, & mortuos ad vitam revocat, ex hominibus Deos, ex mortalibus æternos facit, tantùm abfuit, ut illi vel Regum quempiam, vel impium, vel Arianum, regno pellere, eidem sacrificiis interdicere, populum Sacramento solvere tentarent, atq; regna evertere, sanguine humano se polluere, pro Principatu cum Christianis decertare, sibi permitterent. Principes vicissim hos, sicut parentes animorum communes, amabant. Gregorius VII. qui & Hildebrandus, fretus armis Nordomannorum, qui tùm per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur, confisus etiam opibus Machtyldæ mulieris præpotentis & discordiâ Germanorum primus (nota) contra morem majorum, contemtâ Imperatoris autoritate, Pontificatum maximum occupavit. Utramq; personam sibi impositam esse à Christo, se quodcunque, ut liberet, ligare, solvere posse, jactitare, utramq; personam agitare, occidentem asserere, omnem potestatem in se transferre, neminem parem, nedum superiorem ferre, justa aliorum diminuere, cæteris jus atque honorem præripere, cuncta in se transferre, Cæsares, Reges augustos, ut precariò regnantes, floccifacere &c.*

Antonius Arnoldus in Orat. contra Jesuitas apud Franciscum Junium sub finem operum p. 1550. refert, *Archiepiscopos & Episcopos in regno Galliæ juramentum fidelitatis Regi præstare.*

7. Scholastici & recentiores Theologi.

Palatius lib. 4. sent. dist. 25. Disp. 3.

Salonius 2. 2. q. 67. art. 1. controv. 1. & Bannez ibid.

Albertus Piggius lib. 5. Eccles. Hierarch. 7.

Cornelius Jansenius cap. 69. Harmon.

Henricus Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 24. docent, *nullam adduci posse legem divinam, quæ Clericos è civili potestate exemptos esse firmiter probet.*

Petrus de Cugneriis impugnavit Ecclesiasticam immunitatem circa Annum Christi 1329. ut constat ex Petro Bertrando in libro adversus eum scripto.

Marsilius de Padua & Johannes de Janduno circa An. 1350. eò abierunt, ut statuerent, *ipsum etiam Christum non fuisse liberum à tributis solvendis, & quod fecit Matth. 17. cùm tributum*

butum solvit, id fecisse non voluntate sed necessitate, referente Johanne de Turrecremata lib. 4. Summæ de Eccles. part. 2. cap. 37. ubi addit, *sententiam Paduani à Johanne XXII. ut hæreticam fuisse damnatam.*

(Fatemur tamen, illos nimiùm declinasse ad alterum extremum, si vera sunt, quæ Turrecremata de illis memorat.

Richardus, Archiepiscopus Cantuariensis in Epist. Petri Blesensis Epist. 75. ad Richardum Vinctoniensem, Gautridum Eliensem & Johannem Norwicensem Episcopos de omnimoda illa Clericorum, etiam in criminalibus, exemtione, sic scribit: *Clerici vel Episcopi occisores Romam mittuntur, euntesque in deliciis cum plenitudine Apostolicæ gratiæ & majore delinquendi audaciâ revertuntur. Talium vindictam excessuum Dominus Rex* (Angliæ) *sibi vendicat, sed nos eam damnabiliter nobis reservamus, atque ob liberam præsentis immunitatis materiam in fauces nostas Laicorum gladios provocamus. Ignominiosum est, quòd pro capra vel ovicula gravior, pro Sacerdote occiso pœna remissior irrogatur. Sed his & durioribus digni sumus, qui jurisdictionem alienam & nobis omninò indebitam ambitione temeraria usurpamus. Nam in corpore Decretorum & in Epistola ad Romanos hæc verba legisse meminimus. Sunt quædam enormia flagitia, quæ potiùs per mundi judices, quàm per Rectores & judices Ecclesiasticos vindicantur, sicut est, cùm quis interfecit Pontificem, Apostolicum Presbyterum sive Diaconum, hujus criminis reos Reges & Principes mundi damnant. Omnis equidem justitia ideò exercetur, ut debitâ quiete gaudeant innocentes & malignantium temeritas refrenetur, veruntamen in hac jurisdictione maledicta, quam ambitiosè & superbè præsumimus, Deum offendimus & Dominum Regem, viamque Clericis malignandi tutissimam aperimus.*

Tandem sic concludit: *Reddentes igitur Deo, quæ sunt Dei, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, juxta petitionem Domini Regis & tantorum vindictam excessuum relinquamus.*

Nicolaus Kuls Sacerdos Rostochiensis (circa Annum 1511.) in lib. cui titulus de triplici funiculo, docet, *spirituales debere dare censum & subesse Magistratibus.*

Erasmus in cap. 17. Matth. *Videtur Hieronymus hoc loco id arrogantiæ tribuere, quòd Ecclesiastici gravantur tributum pendere Principibus, cùm hodie summa pietas habeatur, pro immunitate Clericorum modis omnibus digladiari.*

(Hunc locum Erasmi adducit & inter erronea recenset Jodoc. Coccius tom. 2. Thesauri lib. 8. art. 8.)

Claudius Espenæus lib. 2. Digression. in 1. Tim. pag. 275. *Gregorius Pontifex, cui nomen erat Hildebrandus, exemplo suo novo regnum & Sacerdotium scindens primus Sacerdotalem lancem contra Imperii diadema elevans se suoq; exemplò alios contra Principes excommunicatos gladio accinxit, belloque quasi hæreditario insurrexit, ut juxta Prophetam Mich. 2. dentibus mordentes pacem prædicarent. Utinam Petrum in feriendo imitati, Petrum in recondendo gladio imitarentur!*

Ibid. *Apostolus docet, credentes omnes mundi potestatibus debere esse subjectos. Sed turbulenti quidam motâ inter regnum & Sacerdotium controversiâ mirum est, quot quantasque turbas dederint! tot ante hanc Camarinam annorum Centuriis Chrysostomus nihil tale unquam futurum suspicans ex Apostolo, omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta sit; Omnis, inquit, sive Apostolus, sive Propheta, sive Evangelista, sive Episcopus, subjectus sit. Sequuntur Chrysostomum Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus & Græci omnes. Idem Gregorius Magnus ingenuè agnoscebat. Nam Epist. 42. inquit, Imperatoribus concessum esse Sacerdotibus dominari. Et Bernhardus ad Archiepisc. Senonens. idem colligit. Si omnis anima, inquit, tum & vestra. Quis vos excepit ab universitate? Si quis tentat excipere, tentat decipere.*

Idem in Comment. Epist. ad Tit. c. 3. Digress. 10. exemtionem Clericorum tribuit *fastuosis ac seditiosis Spiritibus, qui dominationes contemnunt.*

Medina in c. de restit. quæst. 15. tale format argumentum: *Lex Evangelica Baptismus & Ordo Clericorum non liberant jure divino à debitis antea contractis, ut à debito servitutis, à debito pecuniario, à debito conjugali. Ergò nec à debito subjectionis & obedientiæ civilis. Jam verò Clerici ante Clericatum subjecti erant potestati & jurisdictioni Principum secularium. Ergò non sunt liberi jure divino ab eadem potestate post Clericatum.*

Ibid. *Non repugnat rationi, ut homines addicti obsequio Dei & spiritualibus functionibus, subsint in rebus temporalibus ac civilibus Magistratui seculari. Nam sicut Princeps secularis, ut Christianus & in rebus spiritualibus, est ovis & filius Sacerdotum: ita è contrario Sacerdotes, ut cives & in rebus temporalibus dici possunt oves & quasi filii Principum secularium.*

Item. *Quia unum est tantùm corpus Ecclesia, continens Clericos & Laicos, & Ecclesiæ caput est summus Pontifex, ideò subsunt omnes eidem summo Pontifici, tùm Clerici, tùm Laici. Igitur eodem modo, quoniam una est civitas, continens Laicos & Clericos, & civitatis caput est Princeps secularis, ideò subjecti esse debent omnes tam Laici, quàm Clerici in iis, qui pertinent ad bonum regimen civitatis.*

Rogerius Widrigtonus in Apolog. pro jure Princip. contra Bellarm. *veritati magis consonum esse*, dicit, *Clericos jure divino non esse à potestate seculari exemtos.*

Leonhardus Lessius de justit. & jure lib. 2. cap. 33. dub. 4. *Neque ex sacris literis, neque ex traditione, neque ex naturali ratione, neq; ex Patrum testimonio talis exemtio probari potest.*

Nodinus in cap. 4. Exodi f. 214. *Christiani omnes in civilibus subjiciuntur potestatibus secularibus etiam Clerici omnis conditionis*, ubi hoc ex Patribus & ipsorum Pontificum Decretis & ex Historia Ecclesiastica probat.

8. Jurisconsulti & Historici.

Ferrariensis in forma libr. 8. Confess. gloss. 7. verbo plenam & omnimodam num. 3. ex Innocentio scribit: *Naturaliter & à principio mundi omnes Clericos fuisse sub jurisdictione & potestate Imperatorum, dulcedine autem & benignitate Imperatorum dimissos sub potestatem Papæ, quod beneficium ii, ut ingrati, malè agnoscant.*

Idem in form. lib. quo agitur ex substit. gloss. 9. num. 4. & seqq. optat *Imperatorem, qui Clericis jurisdictionem concessam adimat, & dicant omnes: Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.*

Similia occurrunt in form. resp. rei convent. gloss. 7. n. 13. & seqq.

Anno 1287. in Curia Parisiensi judicatum est per arestam contra Petrum Archiepiscopum Rhemorum, *Sacerdotes ac cæteros sacri Ordinis homines, in negotiis suis temporariis non esse liberos à tributis ac collationibus Principibus solvendis.* Jacobus Mejer in Chronic. Flandr.

Gregorius Haymburgensis (circa Annum 1434.) in Confutatione Primatus Papæ inter cætera sic disserit: *Christus non solùm verbo, sed etiam exemplo seculari potestati sese subjectum exhibuit, per illud innuens, cunctos fideles, tam Clerum, quàm Laicos, subesse debere realiter & personaliter judicio coactivo Principum hujus seculi. Dixit enim Matth. 22. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Gloss. interlin. id est, pecuniam & tributum. Super quo Chrysostomus. Tu, inquit, cùm audieris, Redde quæ sunt Cæsaris &c. scito dictum in omnibus, quæ pietati concordant. Et B. Ambrosius in Epist. contra Valentinianum, quæ intitulatur, ad plebem. Solve, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Tributum Cæsaris est, non negetur. Et rursus, Matth. 17. Christus jussit solvi didrachma, pro se & pro Petro. Super quo Origenes; Filius, inquit, Dei, qui nullum opus fecit servile, quasi habens formam servi, quam propter hominem suscepit, tributum dedit. Unde patet, si Christus suos Vicarios & Petri Successores, qui se præferunt cunctis mortalibus, voluisset habere exemtos, pro se & Petro didrachma non solvisset &c. Consequens est videre, qui in hac materia Christus commiserit suis Apostolis. Pute nihil aliud, nisi quod verbo & exemplo docuerit. Ait enim Apostolus ad Tit. 3. Admone illos, quibus prædicas, subditos esse potestatibus & Principibus, non dicit, Episcopis. Ubi B. Ambrosius, Admone: quasi diceret, Etsi habes tu Imperium spirituale de spiritualibus, tamen admone, illos subditos esse Regibus & Principibus, quia Christiana religio neminem privat suo jure.*

Et postea. *Apostolus ad Rom. 13. hæc habet, quibus nihil in hac materia manifestius. Omnis anima* (hoc est, homo,) *potestatibus sublimioribus subdita sit &c. Ecce Apostolus neminem excipit, neque Petrum, neque suos Successores. Petrus hoc idem sensit in 2. cap. primæ Canonicæ: Subditi estote omni humanæ creaturæ.*

Quibus omnibus comparatis, & adjunctis Patrum expositionibus, clarissimè patet, quid Christus tradiderit Apostolis potestatis, & quid Apostoli suis Successoribus. Certè nihil aliud in Scripturis sacris reperiri clarè poterit, nisi quòd sint subjecti Regibus & Principibus, non quòd dominetur.

Johannes Barclaius hoc argumentum contra Bellarminum ex

ex professo tractavit in lib. de postetate Papæ. In eo cap. 34. urget hoc argumentum. *Lex divina neminem privat suo jure & dominio. Privaret autem, si per eam jus temporale, quod Principes, antequam fierent Christiani, in Clericos habebant, invitis auferretur.*

Idem sub titulo Vindiciarum Apologiam contra Bellarmini refutationem in publicum edidit. Utrumque scriptum habetur volum. 2. Monarch. S. R. Imperii Melch. Goldasti Haiminsfeldii.

Johan. Major Scotus in Histor. Scotorum libr. 3. cap. 15. *De jure divino est, ut Clericus sit à Laico judicandus.*

Confer artic. 3. de Pont. Rom. cap. 8 ubi plura hujus generis testimonia ex Theologis & Jurisconsultis adduximus.

9. Quædam hypotheses Adversariorum, præsertim Bellarmini.

Primò Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. prop. 2. concedit, *Clericos non esse exemtos ab obligatione legum civilium.*

(Jam verò potestas νομοθετικὴ est pars civilis potestatis & jurisdictionis Magistratui concessæ. Ergò etiam Clerici non sunt exemti à potestate civilis Magistratus. Cui enim Magistratus potest leges præscribere, ille etiam Magistratui eo respectu est subjectus.)

Secundò, idem Bellarminus libro, capite & propositione iisdem. §. Probatur &c. sic scribit: *Clerici, præterquam quòd Clerici sunt, sunt etiam cives & partes Reipubl. Politicæ. Igitur, ut tales, vivere debent legibus civilibus. Non sunt autem aliæ, ut nunc ponimus, nisi quæ a Politico Magistratu sunt latæ, igitur illas Clerici servare debent, alioqui magna perturbatio & confusio in Republ. orir etur, si Clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus & humanis.*

(Si Clerici sunt cives & partes quædam Reipublicæ Politicæ, utique etiam oportet eos obedire Magistratui civili, quia *non decet, ut membra à capite discrepent ac contraria gerant,* ait Victor c. Celebritatem de consecrat. dist. 3. *ac turpis omnis pars toti suo non congruens.* c. Quæ contra dist. 8. *Omne membrum debet esse subjectum suo capiti,* ait ipse Bellarminus lib. de Monachis cap. 19. § Ultimò. Clerici sunt membra Reipubl. Ergò etiam subjecti esse debent capiti Reipublicæ, civili scil. Magistratui.)

Tertiò, idem Bellarminus libro & cap. iisdem propos. 5. §. His igitur. *Constat id nunc esse in Ecclesia Clericos, quod erant Levitæ in V. Testam.*

(Jam verò Levitæ ac Sacerdotes V. Testam. fuerunt potestati Magistratus secularis subjecti, ut manifestum est exemplis illorum Regum ac Ducum, qui in Sacerdotes jurisdictionem Politicam exercuerunt, unde Bellarminus ipse lib. de Clericis cap. 30. §. Sed adhæc &c. concedit, *Levitas in V. Testam. Mosi fuisse subjectos.* Ergò etiam N. Testam. Sacerdotes Magistratui subjecti esse debent.

Quartò, idem lib. eodem cap. 30. §. 2. *Constat non solùm ex Codice & Authenticis, sed multo magis ex Nomocanone Photii, non paucas leges Justiniani de rebus planè Ecclesiasticis & spiritualibus disponere.*

(Ergò Imperatores Christiani non fuère à causis Ecclesiasticis planè exclusi, nec ab illis excludi debent.)

Quintò, lib. & cap. iisd. §. Ad alteram &c. scribit: *Cœtum Clericorum & cœtum Laicorum materialiter unam civitatem facere, quia unam urbem inhabitant, & sub ejusdem Principis protectione vivunt.*

(Ergò etiam debitam obedientiam illi Principi præstent, quia protectionis beneficium aliquam omninò subjectionem requirit. *Absurdum est, si Clerici in favorabilibus pro membris Reipubl. se venditare velint, in iis autem, quæ ad conservandam Rempubl. contribui debent, extraneorum locum subire velint,* inquit Sebast. Medic. tract. de legibus & statutis part. 4. q. 6. n. 5.)

Sextò, idem Bellarminus lib. & cap iisd. §. Quartò objiciunt: *Non contradicimus Chrysostomo in cap. 13. Rom. sic commentanti: Hæc dicuntur non tantùm Laicis, sed etiam Clericis & Monachis, & ipsis etiam Apostolis & Evangelistis. Quamvis enim judicem proprium Clericorum & Monachorum solum Pontificem esse dicamus, tamen fatemur, Reges non solùm Laicorum, sed etiam Clericorum & Monachorum Reges esse &c. quibus debetur ab omnibus honor &c. debetur etiam obedientia, cùm eorum leges non sunt contrariæ sacris Canonibus.*

(Atqui si obtinere debet Chrysostomi sententia, si Reges etiam Clericorum Reges sunt, si Regibus etiam à Clericis debetur obedientia, utique Clerici non sunt à potestate Magistratus civilis exemti.)

Septimò, idem lib. contra Barclaium cap. 35. ad autoritatem Caroli V. qui teste Surio in Comment. Ann. 1542. Hermannum Coloniensem Archiepiscopum ad tribunal suum evocaverat, respondet: *Distinguendum esse Principatum ab Archiepiscopatu, ac Hermannum à Cæsare in jus vocatum, quatenus erat Princeps Imperii, mansisse autem sub jurisdictione Papæ, quatenus erat Archiepiscopus.*

(At si propter diversos respectus una atque eadem persona ad diversa pertinet fora, & omnis Principatus Imperii subjacet legibus ac jurisdictioni Imperii. Ergò ex eadem causa, quòd seculare ac terrenum Principatum Clerici obtinent, ejus ratione seculari ac terreno imperio sunt & manent subjecti.)

Octavò, idem lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 28. §. Adde &c. concedit, *Gregorium Imperatorem agnoscere & vocare suum Dominum.* Item, *tempore Gregorii Imperatorem dominium temporale in urbem Romam obtinuisse.*

(Ergò melioribus Ecclesiæ temporibus dominium temporale fuit penes Imperatorem & Magistratum Politicum.)

Nono, fatentur, *Sacerdotes V. T. fuisse Regibus & Magistratui Politico subjectos,* ut ostendimus superiùs art. 3. cap. 8.

(Ergò agnoscunt, etiam N. Testam. Sacerdotes Magistratui Politico debere esse subjectos.)

10. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quòd insignium JCtorum Pontificiorum suffragium nobis largiuntur.

Bellarminus lib. de Clericis cap. 30. §. 1. sic disserit: *Didacus Covarruvias in lib. Practicarum quæst. cap. 31. & Johannes Medina in C. de Restitut. q. 15. qui liberiùs aliis autoribus locuti sunt, objiciunt primò, nullam extare legem divinam, quâ Clerici eximantur à jurisdictione Principum secularium.*

§. Secundò &c. *Secundò objiciunt, leges multas Justiniani ex Codice & Authenticis, ex quibus cognosci potest, olim Clericos Imperatoris jurisdictioni fuisse subjectos.*

§. Tertiò &c. *Tertiò objiciunt exemplum Apostoli Pauli, qui, cùm esset Præsul Ecclesiasticus, non timuit appellare Cæsarem, atq; ab eo judicari se debere liberè confiteri, Act. 25.*

§. Quartò &c. *Quartò objiciunt testimonia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Scribit enim B. Petrus in Epist. 1. cap. 2. Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum &c. & B. Paulus in Epist. Rom. 13. c. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit, in quem locum scribit S. Johannes Chrysostomus, hæc dici non tantum Laicis, sed etiam Clericis & Monachis, & ipsis etiam Apostolis & Evangelistis.*

§. Præter hæc &c. *Medina ait, in lege Naturæ primogenitos omnes fuisse Sacerdotes, nec tamen exemtos à majorum suorum potestate. Jam in lege scripta Levitas, quibus nunc succedunt Clerici, non solùm Aaroni Pontifici subjectos fuisse, sed etiam Mosi, qui Princeps erat civilis totius populi Judæorum. In lege quoque Evangelica Christum ipsum, qui caput erat omnium Sacerdotum, Pilato subjectum fuisse, juxta illud: Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper, Johan. 18. Denique ita ratiocinatur Medina. Lex Evangelica, Baptismus, Ordo Clericalis non liberant à jure divino, à debitis antea contractis, ut à debito servitutis, à debito pecuniario, à debito conjugali. Ergò nec à debito subjectionis & obedientiæ civilis, sed Clerici ante Clericatum subjecti erant potestati & jurisdictioni Principum & Magistratuum secularium, non igitur liberi sunt jure divino ab eadem potestate & jurisdictione post Clericatum.*

§. Ultima &c. *Ultima objectio Medinæ illa est, quòd non repugnet rationi, ut homines addicti obsequio Dei & spiritualibus functionibus subsint in rebus temporalibus & civilibus Regi vel Magistratui seculari, ex quo sequitur, ut si exemti sint, id factum sit concessione Principum, non jure divino &c. Nam sicut Princeps secularis, ut Christianus & in rebus spiritualibus, est ovis & filius Sacerdotum: ita è contrario Sacerdotes, ut cives & in rebus temporalibus videntur posse dici oves & quasi filii Principum secularium. Item, quia una est tantùm Ecclesia, continens Clericos & Laicos, & Ecclesiæ caput est summus Pontifex, ideò subsunt omnes eidem summo Pontifici tùm Clerici, tùm Laici: igitur eodem modo, quoniam una est civitas continens Laicos & Clericos, & civitatis caput est Princeps secularis, ideò subjecti debent esse tàm Clerici quàm Laici Principi seculari in iis, quæ pertinent ad bonum regimen civitatis.*

(Hisce

(Hisce Covarruviæ & Medinæ argumentis Bellarminus respondere conatur, sed quid præstiterit, alibi fuit excussum, hoc loco sufficit, quòd Covarruviæ & Medinæ suffragium nobis largiri cogatur.

11. Suffragantur etiam nostræ sententiæ dissensiones Pontificiorum.

Franciscus de Victoria lib. de potest. Eccles. relect. 1. q. ult.

Dominus à Soto in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2.

Johannes Medina in Codic. de restit. q. 51. &

Didacus Covarruvias Hispanus in libr. practic. quæstion. cap. 31. & lib. 1. variarum resolutionum cap. 17. num. 2. statuunt, *Clericos in Ecclesiasticis quidem & spiritualibus jure divino esse à potestate seculari liberos; in aliis verò non nisi jure humano*, (referente ipsomet Bellarmino lib. de Cleric. cap. 28. & cap. 30. ubi prædictos autores *præ reliquis liberius locutos esse* asserit.)

Illis ex Theologis addendi ii, quos superiùs adduximus; ex Jurisconsultis Molinæus in addit. ad Consilia Alexandr. lib. 1. Alciatus in c. Cùm non ab homine de judic. &c.

At hæc quorundam Pontificiorum opinio diversa est ab opinione illorum, qui statuunt, *exemtionem illam esse juris divini*, inde ipsimet Pontificii divortia sententiarum in Romana Ecclesia de hac quæstione occurrere agnoscunt.

Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. tres producit sententias. Primam dicit *esse hæreticorum, qui contendunt, omnes Clericos jure subjectos esse debere potestati seculari, tùm in solvendis tributis, tùm in judiciis & causis tàm Ecclesiasticis quàm Politicis.* Secundam tribuit *quibusdam Catholicis, qui censent, jure divino liberos esse Clericos & eorum bona à potestate Principum secularium.* (Illam tribuit Glossæ, quibusdam ex Canonistis & ex Theologis Johanni Driedonio.) Tertiam, *quæ est quasi intermedia*, dicit esse *aliorum Catholicorum, qui existimant, liberos esse Clericos partim jure divino, partim jure humano, hoc est, in causis Ecclesiasticis & spiritualibus jure divino, in aliis verò jure humano.* Illum tribuit Francisco Victoriæ, Dominico à Soto, Johanni Medinæ, & ex Canonistis Didaco Covarruviæ.

(Quod ad primam attinet sententiam, quam nobis tribuit, patere potest ex ἐκθέσει nostræ sententiæ superiùs tradita, nos nequaquam absolutam Clericorum subjectionem in causis tam Ecclesiasticis quàm Politicis statuere, sed certis uti distinctionibus.)

Soarius in Defens. fid. Cathol. advers. Anglic. Sect. errores lib. 4. cap. 8. in princ. expressè dicit: *In hoc puncto sunt duæ opiniones contrariæ, & valde communes. Prima absolutè negat, hanc immunitatem esse de jure divino, quam tenent multi Doctores Catholici.*

(Salmeron hanc contrarietatem sic conciliat, quòd *qui affirmant, hanc exemtionem esse juris divini & humani, per jus divinum intelligant canonicum; per jus humanum, civile.* Sed hanc conciliationem Bellarminus & Soarius ex professo refellunt.)

Sed & de primo hujus exemtionis *autore* non consentiunt.

Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. §. Tertiò. *Cajum Papam* nominat, qui sedit Ann. 284. *Marcellinum* circa Ann. 300. & *Gregorium I.* circa Annum 600. hisce anteriores non invenit.

Baronius particularia quædam privilegia *ab Imperatoribus, Honorio* Ann. 401. num. 15. *Theodosio* Ann. 431. num. 3. *Marciano* Ann. 454 num. 13. Clericorum Ordini concessa producit, quæ testantur, *Clericos tunc temporis jurisdictioni Magistratus Politici adhuc fuisse subjectos*: & tamen circumferuntur Decreta Pontificum, quibus Clerici exemti jactantur, utpote *Anteri*, qui sedit Ann. 238. c. Facta caus. 9. q. 3. & *Symmachi* circa Annum 500. c. aliorum hominum caus. & quæst. iisdem.

Quicquid sit de exemtionis hujus origine, certum tamen est, *tempore Gregorii Magni hanc exemtionem nondum fuisse plenè obtentam.* Baron. Ann. 593. num. 14. Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 28. §. Adde.

Exceptiones Pontificiorum ad nostra argumenta.

1. Exceptio. Quando ab exemplis Regum V. T. Davidis, Salomonis & aliorum argumentamur, excipiunt, *factum Salomonis narrari, non probari.* Bellarm. contra Barclaium cap. 15. Eandem exceptionem opponunt exemplis Imperatorum Christianorum, qui Pontifices Romanos deposuerunt: *Hæc quidem facta sunt ab Imperatoribus, sed quo jure, ipsi viderint*, scribit Bellarminus lib. 2. de Roman. Pont. cap. 29. resp. ad 4. Atqui eandem exceptionem opponere possumus omnibus exemplis, quæ Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. pro stabilienda Clericorum exemtione adducit.

2. Exceptio. Quando urgemus exemplum Christi didrachmum pro se & Petro solventis Matth. 17. excipiunt, *locum illum non esse intelligendum de tributo, quod Cæsari solvebatur, sed de tributo, quod imposuerat Deus filiis Israel in usum templi.* Baronius tom. 1. Annalium Ann. 33. num. 31. Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. §. Objicit.

Atqui 1. sententiam illam refellit Jansenius in cap. 69. Harmon. pag. 521. *Patet*, inquit, *didrachma hæc non exigi secundùm legem Exod. 30. sed secundùm præceptum Romanorum, quibus Judæi jam erant facti tributarii. Quærit enim Dominus, a quibus Reges terræ acciperent tributum vel censum, quo manifestè significatur, didrachma hæc exacta fuisse pro tributo & censu Romanis debito. Nam & Matthæus utitur dictione Romana κῆνσον, hoc est, census &c.*

2. Idem cum Jansenio statuit Barradius libr. 10. Harmon. cap. 32. p. 717. *Non recipitur Hilarii sententia. Etenim hoc tributum, quod à Christo petebatur, non Deo, sed Romanorum Imperatori vel Herodi solvebatur, ut ex illis verbis Christi colligitur: Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum?*

Et postea. *Probabilius puto, tributum illud non à Sacerdotibus in templi sumtus, sed à Publicanis in impensas Imperatoris Tiberii vel tetrarchæ Herodis fuisse exactum.*

Paulò ante solvit argumentum Bellarmini: *Numisma tributi, Imperatoribus dari soliti, fuit denarius, non didrachmum Matth. 22. Ergò hoc loco non potest intelligi tale tributum.* Respondet Barradius, *denarium numisma census appellari, quòd pars esset tributi, duo enim denarii solvebantur. Vel dici potest tributum à Romanis indictum fuisse denarium, numisma census ob id dictum; tributum verò Herodis, qui civitati Capernaum imperabat, fuisse didrachmum.*

3. Salmeron tom. 6. tract. 37. pag. 238. idem statuit, & præter argumenta jam allata etiam hæc urget: *Si in usus tabernaculi colligeretur hoc didrachmum, non in Capernaum, sed in templo Hierosolymitano acciperetur, nec pro duobus Christo & Petro, sed pro omnibus & singulis Apostolis, qui excederent annum vigesimum &c.*

3. Exceptio. Quando urgemus locum Apostolicum, *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita*, Rom. 13. v. 1. excipit Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. arg. 3. *Apostolum non restringere sermonem suum ad potestatem secularem, sed de omni potestate loqui, tam spirituali, quam seculari, ita ut ex hac sententia deduci nequeat, Papam subditum esse Regi aut Regem Papæ.*

Resp. 1. Pererius & Toletus in h. l. sic scribunt: *Augustinus, Chrysostomus & omnes ferè Veteres intellexerunt, Paulum hic loqui de potestate tantùm seculari*, quod ipse contextus disputationis & verborum Apostoli series per se indicat.)

2. Salmeron in h. l. sic commentatur: *Patres veteres, & præsertim Augustinus Epist. 59. ad Macedonium & Chrysostomus præsenti loco, hunc locum de potestate seculari tantùm interpretantur, quod & ipse contextus subindicat, cùm ait, non sine causa gladium portat.*

3. Nec Patres solùm, sed etiam Scholastici & recentiores Scriptores ita exponunt.

Lombardus in h. l. *Omnis ergò anima subdita sit, ut etiam voluntate serviat homo potestatibus secularibus, bonis vel malis, scilicet Regibus, Principibus, Tribunis, Centurionibus & aliis hujusmodi.*

Et statim. *Sit ergò omnis anima subjecta potestatibus sublimioribus, id est, in hoc, quod sublimes sunt, id est, in mundanis.*

Quam expositionem confirmant omnes, qui causam reddunt, quare Paulus in hunc sermonem devenerit, nempe, quòd non deessent, qui ægrè ferrent, Christianos subjici Magistratibus.

Thomas in h. l. *Considerandum est, quòd quidam fideles in primitiva Ecclesia dicebant, terrenis potestatibus se subjici non debere, propter libertatem, quam consecuti erant à Christo.*

Et postea: *Et hoc est, quod hic Apostolus dicit, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Salmeron in h. l. putat sugillari hæresin Gaulonitarum, negantium *censum & obedientiam deberi Cæsari, profanis vè ullis Principibus propter libertatem legis à Deo susceptæ, cui soli se subjectos asserebant.*

Idem

Idem notat, *multùm negotium habuisse olim Apostolos, ut persuaderent plebi, ut se sub Magistratus & Principis imperio continerent, cùm ob alias causas, tum quia Judæi imitarentur Judam Galilæum & Theudam, homines seditiosos.*

4. Quin imò Paulum hîc tantùm agere de potestate Politica, ac proinde etiam Ecclesiasticas personas Magistratui Politico esse subjectas, ostendit Primò, *Disputationis occasio*. Pererius in Comment. Rom. 13. Disp. 1. eam his verbis explicat, *fuisse nonnullos primis illis Ecclesiæ Catholicæ temporibus, qui falsò arbitrantes & docentes exemtos esse homines Christianos secularibus & civilibus legibus, & liberos ab obedientia & subjectione Magistratuum & Principum secularium, quòd Dominus dixisset Joh. 8. Si Filius nos liberavit, verè liberi estis, & rursus de tributis loquens, ait Matth. 17. Filii sunt liberi, hanc paucorum hominum falsam sententiam & doctrinam Christianorum universam gentem reddidisse Ethnicis omnibus invisam & exosam & maledictis atq; conviciis obnoxiam: quin etiam Chrysostomo autore sparsum rumorem percrebuisse, Apostolos ipsos & Prædicatores Evangelii esse novatores, atq; ad evertendas ll. civiles omnia dicere & facere. Ut itaq; hoc scandalum auferrent, tùm in concionibus, tùm in Epistolis suis valdè laborabant in docendo & persuadendo, homines Christianos, propter fidem & religionem à Christo susceptam, non esse immunes ac liberos à præstando obedientiam & tributa Regibus & Principibus.* (Jam verò Ethnici æquè in Ecclesiasticos atque in Laicos Christianos autoritatem sibi jure vendicabant. Apostoli igitur argumentum utrumque ordinem necessitate subjectionis pariter devincit.)

Secundò, *Propositio. Non est potestas nisi à Deo.* Hanc propositionem Cajetanus in Comm. sic explicat: *Licèt sententia hæc solitaria vera sit universalissimè accepta, ad propositum tamen Pauli non est, nisi arctata ad potestatem, de qua est sermo, hoc est ad præcellentiam, nempe Principum secularium.* (Idem probat occasio disputationis.)

Tertiò, *Conclusio*. De ea Salmeron in Rom. 13. §. Ad hunc locum &c. *Ad hunc Pauli locum*, inquit, *& Expositorum sensum prædictum dicendum est, quòd potestas Ethnici Principatus nondum Ecclesiæ incorporata subditos habet omnes, quia ad eam Rempubl. cui præsident, tanquam membra pertinent, sive Ethnici, sive Christiani; sive Clerici, sive Episcopi, sive Apostoli: & hoc ex jure Naturæ, ut modò Turcarum Principes supra Christianos & Principes, qui suo loco resident.*

Ibid. *Omnis anima &c. Id est, ac si diceret sanctus Paulus. Non turbentur Principes, Reges aut Imperatores, neque sæviant in Christiani nominis Professores, quia nihil innovavit præceptor meus Christus, quo lædat eorum potestatem, cœlestia prædicans, terrena contemnens, nec eripit mortalia, quia regna dat cœlestia.*

5. Ac ne quid veritati confirmandæ desit, age Bellarminum, opponamus Bellarmino lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. argum. 3. scribit: *Apostolum non restringere sermonem ad potestatem secularem, sed de omni potestate loqui tàm spirituali, quàm seculari, ita ut ex hac sententia deduci nequeat, Papam subditum esse Regi, aut Regem Papæ.*

Contrà verò in tract. de officio Princ. Christiani p. 36. scribit: *Bernhardus Epist. 183. sic loquitur ad Imp. Conradum. Legi,* (inquit) *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: quam tamen sententiam cupio vos & omnibus modis moneo custodire in exhibenda reverentia summæ & Apostolicæ Sedi & B. Petri Vicario, sicut ipsa vobis vultis ab universo servari Imperio.*

(Propositio Apostoli aut *generaliter* accipienda de quavis potestate sublimiori, aut *specialiter* de potestate seculari. Si *generaliter*, & tamen Regem Papæ subjectum esse non probat, tum falsum est, doceri in ea eminentiam potestatis Pontificiæ super potestatem Regiam. Si *specialiter*, tùm Papa subjicitur Imperatori, quia verba sunt diserta. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subjecta.*)

6. Regerit idem Bellarmin. contra Barclai. cap. 3. *Generalem doctrinam initio positam applicari postea civili Magistratui, ideoq; esse sententias quasdam generales, quasdam particulares.*

Resp. imò verò quæ ponuntur post prima verba non continent applicationem generis ad speciem, sed causæ expositionem.

Thomas in h. l. *Primò ponit documentum, secundò rationem assignat, ibi. Non enim est potestas. Et postea. Cùm dicit, Qui autem resistunt, ostendit hujusmodi subjectionem non solùm esse honestam, sed etiam necessariam. Et primò proponit, quòd intendit, secundò probat propositum, ibi. Nam Princeps. Rursus. Dicit ergò, dictum est, quòd, qui resistunt potestati, sibi damnationem acquirunt. Nam Principes, qui hîc dicuntur potestates, non sunt timori.*

Cajetanus in h. l. ad verba: *Nam Principes. Occurrit tacitæ objectioni. Quâ ratione tu dicis, Anima potestatibus præcellentibus subjiciatur, ingerendo nobis timorem secularium potestatum, cùm lex Evangelica sit lex amoris & Christianis solus Deus timendus sit? Huic, inquam, objectioni obviat Paulus dicendo in substantia, quòd Principes seculares non sunt ad timorem bonis, sed malis, ac per hoc non sunt timendi veris Christianis.*

4. Exceptio. Quando urgemus exemplum Pauli ad Cæsarem provocantis, atque eo ipso illum superiorem agnoscentis Actor. 25. v. 10. excipit Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 29. resp. ad 2. *Discrimen esse inter Principes Christianos & Ethnicos. Nam quo tempore Principes erant Ethnici, non erat Pontifex illorum judex, sed è contrario illis subjectus erat in civilibus omnibus causis, non minùs, quàm cæteri homines. Meritò itaque Paulus Cæsarem appellavit, eumq; judicem agnovit. At cùm Principes Christiani facti sunt, continuò se, tanquam oves & membra, capiti subjecerunt Præsidi Hierarchiæ Ecclesiasticæ.*

Resp. ex ipso Bellarmino, qui ibidem subjungit: *Lex Christiana neminem privat suo jure.*

(Ergò etiam Imperator & Principes per suam ad fidem Christi conversionem nullam jurisdictionis aut potestatis suæ partem admiserunt. Vidit hoc Bellarminus, ideò lib. contra Barclaium de potestate Papæ cap. 34. addit limitationem: *Lex Christiana neminem privat suo jure ac dominio, nisi quis suâ culpâ privari mereatur.* At quam culpam committunt Principes, quando relicto Ethnicismo ad Christianismum convertuntur?)

Argumenta Bellarmini, quibus lib. de Cleric. cap. 28. propos. 5. suam probat sententiam.

Arg. 1. *Josephus exemit Sacerdotes Ægyptiorum Gen. 47. & Artaxerxes exemit Sacerdotes Israeliticos, Esdr. 7. Jam verò non decet Ecclesiam Dei minùs liberam esse tempore Principum Christianorum, quàm fuit tempore Pharaonis.*

Resp. 1. ex ipso Bellarmino de Cleric. cap. 7. ad argument. 7. *Exempla Scripturarum non faciunt rem esse de jure divino, sed præcepta Dei sunt, quæ hoc faciunt.*

2. Sed & quando nos urgemus exempla Regum ac Ducum Vet. Testam. quibus Levitæ ac Sacerdotes fuêre subjecti, respondet Bellarminus lib. contra Barclaium cap. 15. *factum Salomonis narrari, non probari.*

3. Quando urgemus exempla Christianorum Imperatorum, qui Pontifices Romanos deposuerunt, respondet Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. ad 4. *Hæc quidem facta sunt ab Imperatoribus, sed quo jure, ipsi viderint.*

(Præsupponit ergò, ab exemplis non probari posse jus divinum, nisi præstò sit divinum mandatum.)

Argum. 2. *Numer. 3. Deus aliquoties repetit, Levitas propriè suos esse ac in eodem loco dono dari jubet omnes Levitas Aaroni & filiis ejus, hoc est, summo Sacerdoti & Successoribus ejus. Voluit ergò eos soli Pontifici subjectos ac per hoc à jurisdictione Principum secularium eos liberavit. Constat autem id nunc in Ecclesia esse Clericos, quod in V. T. erant Levitæ.*

Resp. 1. ex Bellarmino lib. de Clericis cap. 6. §. 3. *Differentiam esse Novi ac Veteris Testamenti. In V. Testam. Sacerdotes carnali successione propagabantur, in Novo autem spirituali electione assumuntur. Illi uxores & liberos habebant, nostri autem cœlibes esse debent.*

(Si est differentia inter Sacerdotes V. & N. Testam. utique non potest ab illorum statu ad horum qualitates argumentum duci.)

2. Bellarminus lib. de Clericis cap. 30. §. Sed ad hæc &c. concedit, *Levitas in V. Testam. fuisse subjectos Mosi.*

(Atqui Moses in populo Israelitico *functus fuit officio Regis* Deut. 33. v. 5. Ergò etiam Clerici in N. T. subjecti sint Magistratui Politico.)

3. Senatus Venetus in Apolog. conqueritur, *Clericos Papales tertiam ferè partem bonorum temporalium ad se pertraxisse.*

(At Levitæ in V. T. nec agros, nec fundos possidebant, sed ex oblationibus filiorum Israel sese sustentabant, ideò à tributis & oneribus meritò fuerunt liberi. Hîc ergò dispar ratio.)

4. Si à Levitis V. Testam. ad Sacerdotes N. Test. argumentari licet, poteramus contra Bellarminum sic concludere: *Sacerdotibus V. Testaments licuit in conjugio vivere. Ergò idem licet ministris Ecclesiæ in N. Testamento.*

(Sed hanc consequentiam Bellarminus non admittet.)

Argum. 3. *Matth. 17. dicit Christus: Liberi sunt filii. Certum autem est, Clericos omnes propriè ad familiam Christi, qui est Filius Regis Regum, pertinere.*

Resp. 1. Si ex hoc loco pro exemtione Clericorũ duci potest argumentum, tunc Clerici *jure divino* erunt exemti. At hoc consequens negant plerique Scholastici, ut videre est apud Lessium de justitia & jure lib. 2. cap. 33. dub. 4. ubi etiam ipse huic Scholasticorum sententiæ suffragatur.

2. Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. propos. 4. scribit: *Hilarii expositionem verissimam sibi videri, quod agatur hoc loco de tributo in usum templi Israelitis imposito.*

(At si hanc expositionem amplectamur, argumentum erit à quæstione alienum.)

Idem Bellarminus d. l. sic disserit: *Christum propterea non fuisse ullius tributi debitorem, quia erat Filius Dei, cujus ministri sunt omnes Reges & Principes terræ, neq; debent ministri Regis à filio Regis tributum petere. Præterea tributa solvuntur Regibus ratione hujus vitæ corporalis timoribus & periculis obnoxiæ. At Christus non solùm secundùm animam, sed etiam secundùm corpus liber erat, nec redemtionem, sed solam resurrectionem corporis expectabat, neque periculis aut injuriis obnoxius erat, neque ullius Regis defensione indigebat.*

(At harum rationum nulla in Clericis locum habet, ut res ipsa manifestum facit, unde etiam Bellarminus lib. de Clericis cap. 3. §. Ad primum &c. scribit: *Christum Matth. 17. de se ipso tantùm loqui.* Quòd si Bellarminus propterea Clericos à subjectione erga Magistratum Politicum eximere velit, quòd *sint filii Regis & pertineant ad familiam Christi*, omnes omninò pii exemti erunt, quia omnes sunt filii Regis & ad Christi familiam pertinent.)

4. Jansenius in cap. 69. Harmon p. 522. & Salmeron tom. 6. tractat. 37. pag. 240. sic scribunt: *Christus de se loquitur in numero plurali. Quod ergo de pluribus dicit, illud tantùm locum habet in Christo, habiturum etiam in pluribus, si plures essent filii naturales.* Concludunt igitur, *Christum*, quando dicit, *filios supremi Regis liberos esse, loqui de filiis naturalibus*, & addunt evidentem rationem: *Si Christus loquitur de his, qui quovis modo sunt filii Dei, omnes homines asseruisset liberos, cum omnes aliquo modo, saltem ratione creationis, sint filii Dei.*

5. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. sic annotat. *Filii Regum cum sua familia liberi sunt à tributo pendendo, quantò magis ego, qui Regis Regum naturalis sum filius, cum mea familia, meisq; Apostolis immunis ero ab omni tributo? Ita S. Augustinus libr. 1. qq. Evang. cap. 23. Non tamen hinc sequitur ut volunt nonnulli Canonistæ, Clericos omnes, eò, quòd sint adoptivi filii Dei, jure divino liberos esse ab omni tributo. Nam pari jure omnes, etiam justi, imò omnes Christiani, exempti essent, ut volunt Anabaptistæ, quod repugnat Apostolo Rom. 13. v. 7. Et illa adoptio est hereditatis & ordinis cœlestis, non terreni. Rectè tamen & appositè ad hoc Christi dictum, Principes seculares exemerunt Ecclesiasticos à tributis, eò quod peculiariter sint quasi de familia Christi, ut vult Hieronymus & Theologi passim.*

(Acceptamus, quod dat Tirinus, Christum de se loqui, ac Canonistas minus rectè ex hoc loco inferre, quòd Clerici jure divino sint ab omni tributo liberi. Exemtionem Clericorum à Principibus secularibus factam quatenus approbemus, ex iis quæ superiùs tradita cognosci potest.)

Argum. 4. *Potestas Ecclesiastica eo modo ad secularem se habet, quo se habet in homine Spiritus ad carnem. Spiritus autem ita se habet ad carnem, ut, quamvis non impediat ejus actiones, cùm bene se habent, eam tamen regat & moderetur, & aliquando cohibeat, aliquando excitet, prout ad finem suum expedire judicat. Contra verò caro nullum habet imperium in Spiritum, neque eum ulla in re dirigere, vel judicare, vel coercere potest. Sic ergo potestas Ecclesiastica, quæ spiritualis est, ac per hoc naturaliter seculari superior, secularem potestatem, cùm cùm opus est, dirigere, judicare & coercere potest, ipsam verò à seculari dirigi, vel judicari, vel coerceri, nullâ ratione permittitur*, lib. de Clericis cap. 29. §. Alterum.

Resp. 1. ex Epistola Nicolai I. Pont. c. Cùm ad verum, dist. 69. *Christus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit propria.*

Ergò civilis potestas non pendet insolidum & essentialiter ab Ecclesiastica.)

2. Ex Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 19. ad arg. 2. §. Respondeo aliud &c. *Aliud est judicium de corpore Ecclesiæ, quam de corporibus naturalibus.*

(Ergò à corpore naturali ad mysticum non valet consequentia.)

3. Ex eodem Bellarmino lib. 5. de Pontif. cap. 6. §. Ita prorsus & §. Ad hæc. *Sublatâ Ecclesiasticâ potestate politica adhuc manet, & inveniuntur hæ potestates quandoque separatæ, ut tempore Apostolorum.*

(Ergò non est talis subordinatio inter potestatem Ecclesiasticam & politicam, qualis inter Spiritum & corpus, quia corpus sine Spiritu se movere nequit, ac potestas politica sine Ecclesiastica munia sua obire potest.)

Argum. 5. *Clerici ad obsequium solius Dei sunt consecrati. Jam verò lumen rationis ostendit, in ea, quæ sunt Deo consecrata, nullum jus habere posse seculi Principes.*

Resp. 1. Thomas lect. 1. in cap. 13. Rom. *Dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus subjacere.*

(Clerici *ratione officii* sunt Deo consecrati, interim *ratione personæ* manent partes Reipubl. & possident bona terrena, quo respectu terrenis Principibus subjecti manent.)

2. Bellarminus de Clericis cap 28. §. Posterior &c. sic disserit: *Tributa solvuntur Regibus ratione vitæ hujus corporalis, timoribus & periculis obnoxiæ, ut docet Thomas 2. 2. q. 104. art. 6. ad 1. & ideò justi etiam homines, licèt secundum animam liberi sint à servitute peccati, tamen ratione corporis, cujus redemtionem adhuc expectant Rom. 8. subjecti sunt tributis & potestati civili.*

(Quod Bellarminus *de justis hominibus* Deo consecratis *in genere* pronuntiat, idem *de Clericis in specie* dici potest. Fruuntur & ipsi vitâ hac corporali, fruuntur protectione & aliis beneficiis Magistratus. Ergò à subjectione & tributis jure divino non sunt liberi.)

Argum 6. *Sacerdotes vocantur Patres & Pastores. At natura docet, ut filii parentibus obediant, & eadem naturâ duce oves à Pastoribus reguntur & gubernantur.* Bellarminus lib. de Cleric. cap. 29 §. Tertiò.

Resp. 1. Bellarminus lib. de Rom. Pont. cap. 28. §. 3. agnoscit, quòd *Gregorius Episcopus Romanus sese servum Imperatoris dixerit, & mandata ejus acceperit.*

(Jam verò natura docet, ut servi obediant Dominis.)

2. Idem Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 15. §. Deinde &c. adducit locum Esa. 44. *Qui dico Cyro, Pastor meus es tu*, & addit, *quo loco amplissimum regnum Cyro prædicitur.* §. seq. adducit dictum Homeri lib. 2. Iliados, ubi *Regem Agamemnonem frequenter vocat* ποιμένα λαῶν, id est, *Pastorem populorum.* ibid ex Matth. 2. & Mich. 5. probat, quòd ποιμαίνειν *pascere sit regere & dominari.*

(Ergò etiam Reges & Magistratus politici sunt Pastores.)

3. Lib. de Laicis cap. 3. §. 1. sic scribit: *Principes vocantur Dii, quia locum Dei tenent.*

(At qui Dei locum tenent in Republ. Christiana, illis etiam omnes Reipubl. Christianæ cives obedientiam præstare tenentur.

CAPUT VI.

DE OFFICIO CLERICORUM.

THESIS I. Episcopi debent ipsimet docere populum fidei suæ commissum, non conductitiis Presbyteris ac Vicariis uti.

Exeges. Non est quæstio, an quis senio vel ægritudine diuturnâ impeditus possit *Subsidiarium* in docendi munere petere, sed an eligendi sint ad Ministerium, qui non sunt instructi donis dicendi? Item, an æquum sit, Episcopos neglecto docendi munere politica negotia tractare?

Antithesis. Praxis in Papatu ostendit, Episcopos & Prælatos politicis negotiis occupatos à docendi munere abstinere. Cùm Wilhelmus ab Honstein in Episcopum Argentinensem eligeretur, Keisersbergius pro Concione dixit: *In centum annis, neque visum, neque auditum est, quod aliquis Episcoporum spiritualia exercuerit. Non animas, sed bursas visitaverunt, & hoc quidem omni anno.*

Con-

Concilium Tridentinum, postquam definivisset, *omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium*, subjungit. *Si verò contigerit, Episcopos & alios Prælatos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum.*

(Sub hoc legitimo impedimento administrationem regiminis politici & curam secularium negotiorum complectuntur, quam in aliorum humeros rejicere & proprium Episcopi munus curare æquius erat.)

Duarenus lib. 1. de sacris Eccles. Minist. cap. 4. *Plerique Episcopi nostro tempore à religione & sacris, quam quivis satrapæ & Principes prophani, longè alieniores, nec eis aliud curæ est, quàm ut ditionem & possessiones suas quo jure, quâve injuriâ tueantur & augeant.*

Bellarminus lib. 1. de Pont. Rom. cap. 15. §. ultimo. *Tametsi plerique Pontifices non concionantur, tamen alios multos actus Pastorales exercent, dum ligant, solvunt, dispensant, controversias judicant, Episcopos creant, & quod per se concionando non faciunt, per alios faciunt.*

Lib. 3. de Pont. Rom. cap. 24. §. Adde. *Pontifices non tenentur per se concionari & Sacramenta ministrare, si justa aliqua de causa impediantur, sed satis est, si curent per alios ista omnia præstari.*

Ex hoc Episcopalis officii neglectu sequitur raritas concionum in Papatu. In quibusdam locis, præsertim in Italia, non nisi tempore Quadragesimali conciones habentur.

Didacus Stella in cap. 14. Luc. fol. 151. testatur, *sacram concionem non paucis in locis semel tantùm in anno ad populum haberi.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæres. fol. 60. conqueritur, *rusticis Hispaniæ multis in locis verbum Dei non prædicari.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ab expressis mandatis Apostolis* & eorum in Ministerio successoribus *datis*, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15.

2. *Ex appellationibus & encomiis* à Spiritu S. ipsis attributis. Vocantur enim διδάσκαλοι, *Doctores*, 1. Corinth. 12. v. 28. Ephes. 4. v. 11. *Pastores*, Esa. 63. v. 11. Eph. 4. v. 11. *Angeli Domini*, Malach. 2. v. 7. Apocal. 1. v. 20. *Legati Dei*, 2. Cor. 5. v. 20. ἐργάται, *Operarii*, Matth. 9. v. 38. 2. Tim. 2. v. 15. quæ appellationes omnes ipsos monent, ut pascant & doceant, Act. 20. v. 28. *ac in verbo laborent*, 1. Tim 5. v. 18.

3. *Ex regula Apostolica*, quæ requirit, ut Episcopi sint διδακτικοί, 1. Timoth. 3. v. 2. Tit. 1. v. 9.

4. *Ex fine instituti Ministerii.* Eo enim cumprimis fine Ministerium Deus instituit & adhuc conservat, ut verbum prædicetur, ac per prædicationem verbi Ecclesia ex genere humano colligatur, Ephes. 4. v. 11.

5. *A distinctione Ministerii Ecclesiastici & regiminis politici.* Ministorum est, *gladio Spiritus*, verbo scilicet Dei, uti, Ephes. 6. v. 17. 2. Cor. 10. v. 4. Gladius corporalis Magistratui politico est traditus, Rom. 13. v. 4.

6. *A praxi Christi, Apostolorum & Episcoporum* in primitiva Ecclesia, qui non affectârunt, nec administrârunt regimen aliquod politicum, sed in prædicatione verbi occupati fuêre, Matth. 4. v. 17. Act. 6. v. 2.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quidam Canones Juris Pontificii.

c. Audire dist. 25. ex Clementis Epist. *Audire Episcopum attentiùs oportet, & ab ipso suscipere doctrinam fidei.*

c. Qui Ecclesiasticis dist. 36. (ex Epist. 1. Sozimi.) *Sacrarum literarum oportet Episcopum habere peritiam, unde in V. Testamento inter cætera ornamenta Pontifex Rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio & veritas, quia in pectore Pontificis manifesta debet esse cognitio veritatis, hinc etiam vectes, quibus arca portabatur, jugiter annulis erant inserti, ut cùm arca esset portanda, nulla esset vel fieret mora de intromittendis vectibus, quia prædicatores, per quos Ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quærant discere, cùm ex officio alios debent docere.*

c. Si quis dist. ead. (ex Hieronymo, vel potiùs Origene Homil. 6. in cap. 8. Levit.) *Si quis vult Pontifex esse non tam vocabulo, quam merito, imitetur Mosen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de iis? quòd non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergò Moses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? ut aut Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera, ut aut à Deo discat legendo Scripturas divinas, & sæpiùs meditando; aut populum doceat, sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet.*

c. Ignorantia dist. 38 (ex Concilio Toletano quarto cap. 24.) *Ignorantia, mater cunctorum errorum, maximè Sacerdotibus Dei evitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonentur Scripturas, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum; Attende lectioni, & exhortationi & doctrinæ, & semper permane in his. Sciant ergò Sacerdotes sanctas Scripturas & Canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tàm fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ.*

(Idem dictum citat & approbat Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 6. art. 30. pag. 756.)

c. Omnes dist. ead. (ex septima Synodo) *Definimus, omnem, qui ad Episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse, ut ex hoc etiam omnis Clerus, qui sub eo fuerit, ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à Metropolitano, si in promtu habeat legem scrutabiliter & non transitoriè tam sacros Canones & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum & omnem divinam Scripturam, atque secundùm mandata Dei conversari & docere populum sibi commissum. Substantia enim summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitùs tradita, id est, vera divinarum Scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quòd si quis disceptaverit, & ita libenter facere & docere minimè spoponderit, nullatenùs consecretur. Ait enim Propheticè Deus. Tu scientiam repulisti & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

c. Sit Rector dist. 43. (ex Gregorio part. 2. Pastor. cap. 4. ac lib. 1. Epist. 24.) *Paulus ait ad Titum, ut potens sis in doctrina sana exhortari, & eos, qui contradicunt, redarguere. Hinc per Malachiam dicitur. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Hinc per Esaiam Dominus monet, dicens: Clama, ne cesses &c. Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scil. declamando gradiatur. Sacerdos ergò, si prædicationis est nescius, quam tibi clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim, quòd in Actibus Apostolorum legitur. Super Pastores primos in linguarum specie Spiritus S. insedit, quia nimirum quos repleverit, de se protinùs loquentes facit. Hinc Mosi præcipitur in Exodo, ut tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet prædicationis voces habeat, ne superni inspectoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est, ut audiantur sonitus, quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sono incedit.*

c. Ephesiis dist. eadem (ex Gregorio lib. 1. Epist. 33.) *Ephesiis Paulus dicit. Mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrûm. Non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annuntiare noluisset, quia cum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo Pastor occidit.*

c. Dispensatio dist. ead. (ex Nicolao Primo Pont. ad Michaelem Imper.) *Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta. Væ, si non sparserimus, væ, si tacuerimus, quòd cùm electionis vas formidet & clamet, quantò magis cuilibet exiguo metuendum est? Proinde, sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus siluisse, quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cùm debeant parêre, despiciunt.*

Gratianus in Procem. dist. 86. *Doctorem Episcopum oportet esse, ne inferiorum culpa in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi nescit vel negligit.*

Idem in Appendice c. Quando dist. ead. *In doctrina sacræ Scripturæ autoritatem debent Episcopi præferre, non secularium literarum peritiam ostentare.*

c. Episcopus dist 88. (ex Concilio Carthaginensi.) *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.*

c. Diaconi dist. 93. *Diaconi, qui quasi oculi videntur esse Episcopi, custodiant Episcopum prædicantem.*

c. Sicut vir cauſ. 7. q. 1. (ex Evariſt. 1. Epiſt. 2.) *Epiſcopum oportet opportunè & importunè, atque ſine intermiſſione Eccleſiam docere, eamq́ prudenter regere & amare, ut à vitiis ſe abſtineat, & ſalutem conſequi poſſit æternam, & illa cum tanta reverentia ejus doctrinam ſuſcipere debet, eumq́ amare & diligere, ut Legatum Dei & præconem veritatis.*

c. Præcipimus cauſ. 21. q. 2. (ex Innocentio II.) *Præcipimus, ne conductitiis Presbyteris Eccleſia committatur, ſed unaquaque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem.*

2. Quidam Pontifices Romani & verbis & factis.

In Epiſtola Clementis Petrus (quem volunt primum Pontificem fuiſſe) ad eum dixiſſe fertur. *Tu ad hoc ſolùm vacato, ut opportunè & ſine intermiſſione doceas verbum Dei, per quod ſalutem conſequi poſſint.*

Marcus Papa ad Athanaſium & alios Epiſcopos in Ægypto. (in operibus Athan.) *Væ erit nobis, qui hujus miniſterii onus ſuſceptum habemus, ſi veritatem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quem Apoſtoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus.*

Et poſtea. *Quid in ipſius Chriſti dicturi ſumus examine, ſi ſermonum ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cùm de omiſſis animabus & de officio ſuſcepto rationem juſtus judex Chriſtus Deus diſtrictam egerit?*

Damaſus Papa Epiſt. 4. *Illi Epiſcopi, qui talia ſibi præſumunt, videntur mihi ſimiles eſſe meretricibus, quæ ſtatim, ut pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citiùs libidinem explere valeant: ſic & iſti infantes ſuos, id eſt, populos ſibi commiſſos aliis educandos tradunt, ut ipſi ſuas libidines expleant, id eſt, ut pro libitu ſuo ſecularibus curis inhient, & quod cuique viſum fuerit, liberiùs agant.*

Gregorius Epiſcopus Rom. in 1. Regum 1. *Hæc miniſterii Paſtoralis ſunt, ut doctrinâ veritatis inſtituat, bonis moribus exornet, piâ ſemper cuſtodiâ* (ſuper) *fideles vigilet, à malo eos declinare faciat.*

Idem in Cantic. Canticor. *In ſancta Eccleſia Prædicatores boni Scripturam divinam in corde & ore portant, quam fidelibus quaſi tectum expandentes prædicant, ut dum Eccleſia prædicatione cœleſti inſtruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur.*

Homil. 22. in Ezechiel. *Qui Sacerdotes ſunt, qui templum Dei cuſtodiunt, niſi hi, qui orando, prædicando, ſpiritualibus actibus vigilando, ſanctam Eccleſiam à malignorum Spirituum immiſſionibus, à pravorum ſuaſionibus, ab hæreticorum erroribus defendunt?*

(Quod autem Gregorius verbis docuit, illud ipſum opere implevit, nec prædicandi officium Apoſtolicæ Sedis culmine indignum cenſuit. Quin imò ab hoc officio ceſſantes redarguit, ſic enim conqueritur.)

Homil. 17. in Evang. *Ad exteriora negotia delapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Miniſterium prædicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram, ut video, Epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus.*

Dicta Sozimi in c. Qui Eccleſiaſticis diſt. 36.
Gregorii in c. Sit Rector diſt. 43. & c. Epheſiis diſt. ead.
Nicolai I. in c. Diſpenſatio diſt. ead.
Evariſti in c. Sicut vir cauſ. 7. q. 1. &
Innocentii II. in c. Præcipimus cauſ. 21. q. 2. jam ante ſunt adducta.

Præclarè omninò Symmachus Papa in Synodo Romana VI. facto ſilentio, inter cætera dixit: *Væ erit nobis, qui hujus Miniſterii onus ſuſceptum habemus, ſi veritatem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam Apoſtoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, ſi ſilentio veritatem oppreſſerimus, qui erogare nummulariis jubemur, id eſt, Chriſtianos populos docere. Quid in ipſius Chriſti futuro dicturi ſumus examine, ſi ſermonum ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cùm de commiſſis nobis animabus & de officio ſuſcepto rationem juſtus judex Chriſtus Deus noſter diſtrictam exegerit? ideò nos oportet nociva ſemper reſecare, &, auxiliante Domino, profutura erigere. Unde objurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, conſulendo prodeſſe quibus poſſumus, feſtinemus. Lingua noſtra bonis fomentum ſit, pravis aculeus, timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides hortando ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur, ut, quia Doctores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus.*

Claudius Eſpenſæus in 1. Timoth. libr. 2. Digreſſ. cap. 2. *Leò I. Papa, Gregorius Magnus, Innocentius Secundus & alii ſanctiſſimi Antiſtites officium docendi ac prædicandi ſibi proprium atque neceſſarium judicârunt. Leo ſanè adeò hujus ſe ſervitutis debitorem agnovit, ut ſibi liberum negaret tacere, aut fidelibus populis ſermonis officium ſubtrahere.*

3. Concilia.

Petrus Creſpetius in Summa fidei Cathol. & diſcipl. Eccleſiaſt. verbo Prædicatio tit. *Prædicatio diebus feſtivis Epiſcopis atque cæteris injungitur;* Conciliorum Canones, Reſcripta Pontificum & dicta Patrum plurima in hanc rem adducit. Inter alia hæc habet. Concilium Conſtantinopolitanum III. generale 6. Can. 9. *Oportet, ait, eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia ex divina Scriptura colligentes intelligentias & judicia veritatis &c.*

Concilium Valentinum Galliæ III. Can. 22. prohibet, *ne ſtipendia Eccleſiaſtica dentur his, qui prædicationi, ut debent, non inſiſtunt.*

Nicolaus I. Epiſtola ad Michaëlem Imperat. *Epiſcopis diſpenſatio cœleſtis ſeminis injuncta eſt, væ ſi non ſparſerint, væ ſi tacuerint, ſicut vas electionis formidat & clamat.*

Synodus Arelatenſis ſub Carolo Magno. *De Baptiſmo & myſterio ſanctæ fidei unusquisque Archiepiſcopus ſuos Suffraganeos diligenter, ſtudioſeq́ admoneat, quatenùs per ſtudium ſacræ lectionis imbuti, & de myſterio ſanctæ fidei & de Sacramento Baptiſmatis unusquisque illorum in propria Parochia perfectè ſtudioſeq́ Presbyteros & univerſum populum docere & inſtruere non negligat, quia ignorantia mater cunctorum eſt errorum.*

4. Imperatores & Status Imperii.

l. Addictos C. de Epiſc. audient. Arcadius & Honorius Impp. ſic loquuntur: *Ad Epiſcoporum culpam redundabit, ſi quid fortè in ea parte religionis, in qua ipſi populos Chriſtianæ religionis doctrinæ inſinuatione moderantur, ex iis, quæ fieri hac lege prohibuimus, à Monachis perpetratum eſſe cognoverint, nec vindicaverint.*

Wolffgangus Aytinger Clericus Auguſtanus & Sebaſtianus Brant in Additionibus ad Revelationes Methodii Anno 1498. editis. *Voluit pius ac juſtiſſimus Imperator Sigismundus in Concilio Baſileenſi, ut Eccleſia mandaret per ſanctos Canones, ut omnes & ſinguli Epiſcopi & Paſtores Eccleſiarum perſonaliter circa ſuas Eccleſias reſiderent, ut haberent reſpectum ad gregem ſibi commiſſum, imitantes doctrinam Chriſti Evangelicam, & qui etiam informarent populum ejus commiſſum in vita & bona doctrina. Quare Apoſtolus 1. Timoth. 3. Epiſcopum vocat Doctorem. Etſi Epiſcopi noſtri non prædicarent & docerent populum Chriſtianum, velut ipſi fecerunt in primitiva Eccleſia, ſaltem quòd ſuos veros proprios Paſtores Eccleſiarum Parochialium ad perſonales reſidentias compellerent &c.*

In Gravaminibus Germanicæ nationis Ann. 1523. in Comitiis Norinbergenſibus Legato Adriani Pontificis oblatis Ordines Imperii tàm Lutherani, quàm Papiſtici ſic loquuntur Gravam. 21. *Verùm graviùs inde oritur Germanis onus, quòd cùm beneficia hæc & Parochiales Eccleſias ipſi propriâ perſonâ neque poſſidere, neque gubernare poſſunt, quod tamen Paſtoris officium inprimis ſibi poſtularet, nimirùm ut ſubditis Parochialibus & integritate ac innocentiâ morum egregium de ſe præberent exemplum, ut oves ſuas, tanquam oves Chriſti, doctrinâ ſolidâ, ſincerâ, ac ex puris Evangelii fontibus hauſtâ, quantum ad ſalutem animarum ovium pertineret, ipſimet Paſtores paſcerent, eorum neutrum per Paſtores illos ſubdititios curatur &c.*

5. Bernhardus lib. 1. de conſid. ad Eugenium. *Paſtorem te populo huic certè aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus ſedem tenes, te neges hæredem. Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris. Absque his tamen credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatum. Si amas me, paſce oves meas. In his ſucceſſiſti non Petro, ſed Conſtantino. Conſulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potiùs incito, quorum te ſcio debitorem. Etſi purpuratus, etſi deauratus incedens, non eſt tamen, quòd horreas operam, curamve Paſtoralem. Paſtoralis hæres, non eſt, quòd erubeſcas Evangelium; Quanquam ſi volens evangelizes, inter Apoſtolos quidem etiam gloria eſt tibi. Evangelizare paſcere eſt. Fac opus Evangeliſtæ, & Pa-*

& Pastoris opus implevisti. Dracones, inquis, me mones pascere & scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro.

6. Thomas de Aquino in 1. Tim. 3. *Proprium est Pastoris officium docere.*

Idem part. 1.2. quæst. 102. art. 3. *per illud, quòd pectusculum & armus dexter ex hostiis pacificis debebatur Sacerdoti, significatum fuisse* asserit, *necessariam esse Ministris sapientiam ad docendum & fortitudinem ad ferendos auditorum defectus.*

7. Episcopi, Theologi & alii scriptores recentiores.

Agobardus Lugdunensis Episcopus circa Annum 833. (cujus opera Lutetiæ Parisiorum Ann. 605. operâ & studio Papirii Massoni JCti edita sunt) pag. 207. sic scribit: *Quicunque prædicationis officium & locum regiminis suscepit & negligit, quærens consolationem in divitiis, in ornamentis metallicis, in venationibus, aucupiis & piscationibus, &, quod pejus est, in comessationibus & ebrietatibus & sonis Musicis, iste talis non est adjutor Dei, sed est destructor operis Dei, ac per hoc adjutor Antichristi. Et licet in oculis humanis Sacerdos esse videatur, in oculis tamen Dei non est, quia veniente Domino ad judicium dividetur, & pars ejus cum infidelibus ponetur.*

Helmoldus Presbyter in Chronic. Sclavorum memorat, quòd tempore Ludovici I. Imper. *Archiepiscopus Hamburgensis Unni omnes Insulas Danorum penetraverit Evangelizans verbum Dei.*

(Ergò tum temporis Episcopi nondum judicabant personâ suâ indignum docendi munus.)

Johannes Sarisburiensis Episcopus Carnotensis in nug. Curial. *Alii quidem sine Evangelio de Evangelio vivunt, & bene si vivunt tantùm, ut non etiam luxurientur. Hos vix mercenarios dixerim, qui non laborant, ut manducent, sed sine labore non manducare, quod necessitatis est, sed otiari & luxuriari desiderant.*

Ibid. *Si quis, Apostolus inquit, Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, sed nescio, quo pacto res in contrarium versa est, ut cùm omnes ferè desiderent episcopari, cùm, quod appetunt, adepti fuerint, otio marcent, aut, quod turpius est, in vanitatis operibus occupentur.*

Rupertus Lincolniensis Episcopus inter cætera sic loquitur: *Cùm principale opus Christi, propter quod ipse venit in mundum, sit animarum vivificatio; & Satanæ opus proprium & maximè ab eo inventum, utpote homicidæ ab initio, sit animarum occisio & mortificatio, ipsi Pastores personam Jesu Christi induti verbum Dei non annuntiantes, etsi non superadderent malitias alias, sunt Antichristi & Satanas transfiguratus in Angelum lucis, fures & latrones, mactatores ovium & perditores, facientes domum orationis speluncam latronum.*

Petrus Cantor Parisiensis in libro, cui titulum fecit, Verbum abbreviatum, vehementer accusat Sacerdotes, quòd *verbi Dei prædicationem omiserint, ac canes muti facti sint.*

Nicolaus Lyranus cap. 13. Matth. *Omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias &c. quia sicut paterfamilias habet pascere filios pane corporali, sic iste parvulos fideles pane spirituali. Ex quo patet, quòd Episcopi, qui successores sunt Apostolorum, debent habere notitiam utriusque Testamenti, in cujus signum portant mitram in capite cum duplici cornu.*

Nicolaus Orem in concione coram Papa & Cardinalibus habitâ Ann. 1364. *Sunt aliqui, qui nec labiis Deum honorant, qui non solùm non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant, canes muti non valentes latrare, canes impudicissimi, nescientes saturitatem. Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt &c.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 20. §. 1. *Quilibet Episcopus debet habere sententiam N. & V. Testamenti, ac juris communis, cùm sit cognitor animarum ac judex Clericorum. Non enim decet Episcopos indigere doctrinâ, qui aliorum debent esse Doctores.*

§. 2. *In Episcopis exquisita doctrina requiritur, ut docendo & prædicando aliis præesse ac prodesse possint. Heus! quis Episcoporum hodie prædicat, aut de animabus sibi commissis curat?*

Albertus Crantzius lib. 2. Metropol. cap. 27. *Nostra feliciora videntur tempora, (comparata priscis temporibus, cùm non vocabantur ad Præsulatū, nisi religione & sanctimoniâ præstantes, ut non modo præesse, sed etiam prodesse possent,) ubi Pontifices Evangelizandi ministerium relegârunt in Sacerdotes. Ipsi Superintendentes (sic enim sonat Episcopi nomen) meliora sibi desumunt in decimis, primitiis & oblationibus, equis, armaturis, evectionibus magnificis intenti, curam gregis abjecerunt. Sed hæc in aurem legenda, ne offendantur Magnates, & dicamur os in cœlum ponere, dum, quæ supra nos sunt, carpere contendimus.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæres. cap. 7. *Patres voco Episcopos, Pontifices ac alios quoscunq; Præsules & Magistros aut Doctores, qui nos fidem edocentes spiritualiter generant. Ad istos Patres spectat docere plebem, è quibus aliqui, nempe Præsules, ex officio id facere tenentur, alii à caritate, ut id faciant, impelluntur, velut reliqui Doctores ac Magistri.*

Lib. ejusd. cap. 13. *Quòd populus careat prædicatione verbi Dei, culpa est Prælatorum, ad quos ex officio spectat docere populum. His enim dicitur. Prædicate Evangelium omni creaturæ, his præcipitur, ut oves verbo doctrinæ pascant. Petro siquidem dictum est, Pasce oves meas. Et idem Petrus omnibus Prælatis ait; Pascite, qui in vobis est, gregem. Quis autem verior animæ pastus, quàm verbum Dei, quod animam non solùm nutrit, verùm etiam impinguat? Et ideo non sine causa Jeremias plorat, dicens: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Ad Prælatos etiam spectat illuminare populum, qui in tenebris ignorantiæ jacet. Quod autem aliud lumen ab eis adhiberi potest, nisi prædicatio verbi Dei? Lucerna, inquit Psaltes, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et iterùm. Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis. Si ergò ab aliquo lumen, quo dirigitur, subtrahas, nonne in tenebris ambulans offendit sæpissimè? Non ergò mirum, si subtractâ verbi Dei prædicatione à populo, populus erret.*

Sebastianus Canonicus Erphordiensis Theologiæ Doctor & Concionator summi templi dixit, *habere Canonicos, qui pro ipsis orent & canant, horas & Missas frequentent, modo etiam habeant, qui pro ipsis in infernum præcipitentur.*

(Idem de Episcopis per Vicarios docendi officium administrantibus dici potest, unde quidam dixisse memoratur. *Qui per alium munere prædicandi sibi commisso defungitur, habebit salutem vicariam, sed pœnam personariam; ibit ille in gehennam per se, in Paradisum per alium.*)

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis contra Lutherum artic. 32. *Fuerunt ante hæc tempora sanctissimi Patres, qui singulis Dominicis ad populum homilias declamitârunt, extant enim ad hunc diem eorum conciones. Quòd si in recentioribus culpa fuerit &c. non ea culmini Apostolico meretur imputari, sed iis, qui negligunt munus hoc obire, tam sibi, quàm suis apprimò frugiferum.*

Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 2. & sess. 24. Reformat. Decret. statuit, *prædicationem esse præcipuum munus Episcoporum.*

(Ergò non patiantur ab hac præcipua muneris sui parte se impediri. Addit quidem Concilium, *Episcopos docendi munere fungi debere, nisi legitimè impediantur.* Sed si praxin respiciamus, deprehendemus Pontificem & Episcopos levissimis ac turpissimis de causis ab hoc docendi munere se impediri fuisse passos, videlicet vel *per ignaviam*, ut Benedictus IX. qui fuit *homo ignavus & nullius pretii*, ut est apud Onuphrium in ipsius vita; vel *per venationem & aucupia*, ut Leo decimus apud Massonium in ipsius vita; vel *per pompas & spectacula*, ut Paulus II. *qui ob apparatum spectari se voluit à peregrinis, & ad exemplum veterum Romanorum ludos magnificentissimos instituit*, ut est apud Platinam in ipsius vita; vel *per columnarum, obeliscorum & statuarum erectionem*, ut Paulus Quintus apud Bzov. de Pont. cap. 40. vel *per artes Magicas*, ut Sylvester Secundus apud Platinam in ipsius vita; vel *per immensas exactiones*, ut Gregorius Nonus apud Matthæum Parisiensem pag. 350. vel *per bella*, ut Bonifacius VIII. & Julius II. apud Platinam, Massonium &c. vel *per cædes*, ut Alexander VI. apud Massonium; vel *per adulteria*, ut Benedictus VIII. apud Onuphrium &c.)

Erasmus in Annotat. 1. Timoth. 3. *Episcopus appositus sit ad docendum. Id enim sensit Paulus, atque id est præcipuum Episcopi munus. Cæterùm docere populum, hortari, consolari, monere, redarguere, proxima, maximèque splendida est Episcoporum functio, quam nunc multi libenter cedunt aliis, quamlibet sordidis, ubi receptum est, ut Episcopi ditionem prophanam gerant, saltem deberent in præcipuis festis concionantes ad populum ornare munus Evangelicæ prædicationis.*

Idem in Epistol. Apologetica de interdicto usu carnium ad Episcopum Basileensem. *Magnam admirationem conciliat sibi pectus divinis literis refertum, lingua non minus sancta, quàm diserta, depromens ex opulento penuario vetera & nova. His rebus potissimùm & paratur & defenditur Episcoporum autoritas, multoque rectius ac tutius, quàm his verbis: Ordinamus, decernimus, statuimus, praecipimus, volumus ac mandamus.*

Catechismus Tridentinus de Bapt. *Quibus* (Episcopis & Sacerdotibus) *datum est, ut jure suo, non extraordinariâ aliquâ potestate hoc munus exerceant, quamvis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi Ministerium Sacerdotibus relinquere soliti sint.*

(Quasi verò hodiè diligentiores & frequentiores sint Episcopi in docendo, quàm baptizando?)

Claudius Espensæus in 2. Timoth. libr. 2. Digress. cap. 2. *Leo I. liberum sibi esse negavit tacere, aut fidelibus populis sermonis officium subtrahere. Absque tintinnabulis, inquit Gregorius, nec Sancta ingredi Pontifici licebat, nec Antistitis nomen possidere. Audiatur, ait Dominus Mosi, sonitus, quando ingreditur & sonitu praedicationis incedat. Gregorius Primus, Innocentius Secundus & tales alii Romae Episcopi iidem & Ecclesiastae fuerunt.*

Ib. *Apostolus vult Episcopum esse* διδακτικὸν, *de quo loco Chrysostomus & Oecumenius, Hoc, inquiunt, adjecit Apostolus, quod est Episcopo proprium, aptum esse ad docendum. Et Hieronymus: Si quis, inquit, plebem sibi subjectam non instruit, nec Apostolus, nec Propheta, nec Episcopus, nec Pastor est appellandus. Canon Apostolicus 58. Episcopus non docens, deponatur. Has claves docendi & Sacramenta administrandi omnes Sacerdotes in B. Petro accepisse magna libertate docet Ambrosius. Origenes: Si quis vult esse Pontifex, non tam vocabulo, quàm merito, non discedens de tabernaculo Domini, id est, meditandis Scripturis populum doceat.*

Ibid. *Cavendum est, ne illud impleatur, Parvuli petierunt panem & non erant, qui frangerent iis, Jerem. 4. Quotusquisq; Praelatorum majorum minorumvè, populum suum docere videtur? An illi ipsi Decreti hujus* (in Concilio Tridentino) *autores unquam docuerunt, quorum exemplo alii ad munera sua facienda excitarentur? Certè ex nostratibus Episcopis, qui Tridenti & Bononiae pars aliquota fuerant, ubi praedicandi munus Praelatis tanquam praecipuum officium impositum est,* (sess. 24. cap. 4.) *nemo per se, quod quidem audiverim, docet. Ludimusne in re seria? an potiùs hac decretorum specie reformationem poscentibus illudimus? Novi ex istis, qui ad istam docendi servitutem, generosi scilicet, se teneri praefractè negant. Res nobis est cum iis, quibus nulli magis Concilia, Patres, Ecclesiam clamitant, & tamen functionem suam maximè sibi propriam & necessariam doctrinam abjiciunt. Hos possim quaestionibus tanquam tormentis vexare. Sed obtundis, inquiunt, tametsi intelligimus. Neque obtinebis, ut Episcopi, quos Theologastris & fraterculis libenter concessimus, cathedras rursus conscendamus, vicariâ diligentiâ contenti erimus &c.* (ad quod ibidem respondet.)

Adducit inter caetera dictum Hilarii: *Ecclesiae Episcopus officii necessitate hoc praedicationis ministerium debeo*, ut & Ambrosii: *Effugere non possimus docendi officium, quod nobis imposuit Sacerdotii necessitudo.*

Tandem concludit. *Tunc, in primitiva scil. Ecclesia, adeò portenti instar habitum fuisset, si quis pro Episcopo sese habuisset, qui non etiam re ipsâ verum & proprium hoc Episcopi munus exhibuisset, quod hodie plusquam monstri loco haberetur, si quis exhiberet.*

Idem in 1. Tim. lib. 1. Digress. cap. 9. *Episcopi non minùs hodie, quàm antea praedicare tenentur, quibus non minùs nunc, quàm tunc in consecratione praedicandi officium imponitur.*

Chronicon Lubecense Hermanni Bonni. *Anno 1100. Collegium Aldenburgi extructum est atq; fundatum, & Episcopi ipsi concionandi munere tunc fungentes Vandalos ad Christianismum perduxerunt.*

Johannes Ferus in cap. 16. Matthaei. *Olim portenti instar habitum fuit, si pro Episcopo haberetur, qui non etiam re ipsâ verum & proprium Episcopi munus exhibuisset, quod hodie plusquam monstri loco habeatur, si quis exhibeat.*

Salmeron Disp. 13. in 1. Tim. 4. *Mitra quae capiti Episcopi supponitur geminata, duorum Testamentorum scientiam, quae tradere debet, denotat.*

Bellarminus lib. 2. de gemitu columbae cap. 2. pag. 194. & seqq. prolixè probat, *Episcoporum officium esse praedicare, ac verbum Dei docere*, partim ex verbis Christi. Johan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; partim ex exemplo Apostolorum, qui proprium suum munus declaraverunt, cùm dixerunt, Act. 6. *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus*; partim ex testimonio Gregorii lib. 2. Epist. 39. scribentis, *Episcopi est, de praedicationis ministerio semper cogitare*; partim ex exemplo veterum Episcoporum, *Cypriani, Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosii, Cyrilli, Augustini, Maximi, Leonis, Gregorii*; partim ex Concilio Tridentino, quod sess. 5. & 24. disertis verbis dicit, *praedicationis munus praecipuum esse inter Episcopalia munera.*

Ibid. pag. 197. Episcopos conquerentes introducit. *Non dedimus operam sacris literis, sed jurisprudentiae, neque in praedicatione versati sumus.*

Tom. 7. In Admonit. ad Episc. Theanens. nepotem suum requirit, ut Episcopi per se praedicent. Verba sic habent pag. 10. *Pastor nec nomen Pastoris meretur, si non personaliter intendat gregi suo &c. Neq; enim quilibet ovium Dominus, sed ille tantùm, qui pascit oves suas, vocatur Pastor, juxta verbum Domini ad Petrum, Pasce oves meas.*

Ibid. pag. 11. *Tenetur Episcopus ad curam animarum, mediantibus his actibus personalibus, scilicet doctrinâ, ministratione Sacramentorum, visitatione &c. Episcopo dicitur, Vade, praedica populo Dei. Et in Ordinatione non dicitur, Mitte ad praedicandum.*

Ibid. pag. 22. *Imò Concilii Tridentini verba sunt sess. 5. 24. Quia praedicatio est praecipuum munus Episcopi, statuit & decrevit S. Synodus, omnes Episcopos & Praelatos Ecclesiae teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad praedicandum: quia & dixit Dominus Petro, Pasce oves meas, non dixit, Cura, ut alii pascant.*

(Haec omnia Bellarminus, quibus dum Patruus nepotem monet, Patrem suum, videlicet Papam, non leviter perstringit, cui in fervore disputationis ejusmodi patrocinium praestat libr. 3. de Roman. Pontif. cap. 24. §. Adde. *Non tenentur Pontifices per se concionari & sacra administrare, satis est, si curent per alios ista praestari.* ac lib. 1. de Pontif. Roman. cap. 15. §. Deinde. *Quod concionando non faciant per se, faciunt per alios.*)

Baronius tom. 3. Annalium Anno Christi 325. num. 198. *Alexander Episcopus Alexandrinus, cùm fidei regulam Nicaea traditam sartam tectam & in omnibus cuperet custoditam, praecavens in futurum, illud in ea Ecclesia statuit esse servandum, ne scil. ibi, quantumlibet amplissimâ civitate, populum fidelem alius quispiam, licèt Presbyter, sed ipse tantùm doceret Episcopus, de quo quidem instituto sic tradit* Sozomenus lib. 7. c. 19. *Apud Alexandrinos verò solus civitatis Episcopus docet: ajunt tamen, hanc consuetudinem non priùs inolevisse, quàm ex quo Arius Presbyter de doctrina disserens insolitam introduceret.*

Ludovicus Granatensis tom. 2. Oper. fol. 1412. col. 2. taxat hunc morem, *quod Praelati aliis docendi munus committunt.*

Maldonatus Summ. q. 10. art 3. 5. 6. *Notârunt Hieronymus in cap. 4. Eph. & Augustinus Epist. 57. Propterea Paulum non distinxisse Pastores & Doctores, quia omnis Pastor debet docere, & nomen Pastoris significat actionem personalem, sicut nomen Medici. Itaque, sicut nemo potest per alium curare, ita nemo potest suas oves per alium pascere. Nec quicquam valet responsio communis: Satis esse per Vicarium laborare, quia secundum eandem regulam satis esset manducare per Vicarium, quia scriptum est: Qui non laborat, non manducet. De divino jure multa sunt testimonia in sacris literis, ut: Excubate in custodia tabernaculi. Nemo autem potest excubare, nisi praesens. Christus etiam describit nobis Pastorem notis suis inter alias, ut oves suas cognoscat, & illae audiant vocem. At nec ille eas cognoscere, nisi praesens, nec illae, nisi praesentem, audire possunt.*

Johannes Goropius Becanus tom. 2. Oper. *Petaso Mercurii ipsis imposito Cardinales & Episcopi monentur, ut aliis hominibus omnibus sese praestent Mercurios, nec petaso dignos esse, nisi reverà Mercurii dotes in omni vita prae se ferant. Quid verò facit Mercurius? Interpres est divinae voluntatis, & eorum, quae Jupiter imperat, celerrimus & fidissimus nuntius. Videte ergò Episcopi, videte Cardinales, ut semper & ubique sitis Mercurii, hoc est, & opere & verbo fidi Interpretes divinae voluntatis.*

Idem Goropius *Sacerdotes canes nominari dicit ab Esaia, quia Deus eos accuset, quod non solùm non doceant & latrent contra*

tra ignorantes, sed ne ipsi quidem videant & sciant veritatem. Tum etiam tantum abesse, ut gregem pascentem contra lupos custodiant, ut ipsimet perpetuò prædis inhient avaritiâ nunquam satiandâ. Non habere itaque eos quæ in bono cane laudanda sunt, sed ea, quæ in hoc animali vituperanda sunt, voracitatem scilicet & impudentiam & pro vigilia altum soporem. Wolff. præfat. tom. 1. Lect. memorab.)

Michael Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 3. v. 8. Expos. 2. *Prælati, cumprimis ii, qui lectulum Salomonis, Ecclesiam Romanam, ambiunt Pontifices sancti, gladiis verbi Dei armati sint, operæ pretium est, ut doceant sanam doctrinam, idcirco congruentissimè dicuntur omnes tenentes gladios, additurve, & ad bella doctissimi; quia haud satis est, verbi Dei cognitione armatum esse Prælatum, eodemque Dei verbo & gladio uti, sed & expertem eundem oportet esse in bellis, ut efficaciter illo uti queat.*

Idem in Cantic. 4. v. 1. exposit. 1. *Prælati, qui colli munus in Ecclesia exercent, ad hoc inprimis in altum à Domino provecti sunt, ut per ipsos prædicationis opus exhiberet fidelium plebi, quam insuper eâdem prædicatione postmodùm enutrirent.*

Renatus Benedictus Andegavus Theologus Parisiensis edidit Ann. 1565. *Stromata in universum Organum Biblicum, seu Panopliam adversus omnes nunc vigentes hæreses,* quod opus Lutetiæ, Venetiis & Coloniæ fuit editum. Dedicavit librum Cardinalibus Carolo Borbonio & Carolo Lotharingio, quos dum alloquitur, hæc interserit. *Parochos, Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Patriarchas, ipsum B. Petri Successorem, vulgò Papam honoris causâ nominatum, rogatos humillimè velim, ut diligentiùs, quàm adhuc cum summo Christianæ rei detrimento fecerunt, in hoc, ad quod vocati sunt, si omnia interturbata & confusa citò videre & damnari perpetuò nolunt, incumbant. Quid enim, quæso, cogitant infelicissimi mercenarii & fures, qui nullo præstando Ecclesiæ Christi officio tot beneficiorum per miserrimam Sacerdotiorum polygamiam proventus corradunt, deglubunt & luxuriosè absumunt, degluttiunt vel avarè recondunt?*

Rursus. *Nec profectò satis aut utile esse puto per emendicatos Prædicatores, tacentibus semper & mutis Pastoribus, verbum Dei prædicari. An non enim pluris fieret sermo divinus, si ab Episcopo gravitate, autoritate & facultatibus prædito annuntiaretur, quàm cum per timidum aliquem Fratrem mendicantem prece, & pretio sæpiùs, emendicatum aut quemvis alium exiguum Concionatorculum proponitur?*

Cornelius à Lapide in cap. 2. Malach. super verba. *Labia Sacerdotis custodient scientiam. Sacerdotis est cognoscere legem, eamque alios docere, juxta illud Ecclesiastici de Aarone cap. 45. v. 11. Et dedit illi in præceptis suis potestatem docere Jacob testimonia, id est, leges tuas, hæ enim sunt testimonia voluntatis divinæ, quid sc. à nobis fieri vel non fieri velit Deus, & in lege sua lucem dare Israel. Sic S. Paulus ad Titum 1. ab eo exegit, ut sit potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere, ait S. Hieronymus. Quocirca S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. Biblia, quæ continent legem Dei, vocat librum Sacerdotalem, quasi Sacerdotibus proprium, & ab ipsis assiduè legendum &c. Chrysostomus Homil. de eo, qui incidit in latrones. Meminerit, ait, Sacerdos, se speculatorem esse cunctorum, ut ovibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis undas exhibeat, exterminet ab ovibus lupos, ab agnis nocivas bestias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat, sua vita universos provocet exemplo.*

Adamus Conzen in caput 1. Epist. ad Roman. q. 3. scribit, *functionis Apostolicæ partem primariam maximeq; necessariam esse prædicationem.*

(Quòd si ergò Pontifex vult esse Petri Apostoli successor, agnoscat, functionis suæ partem primariam maximeque necessariam esse prædicationem.)

8. Sed & hoc nostræ suffragatur sententiæ, quòd agnoscunt, scientiam Scripturarum in Episcopo requiri.

(Ea enim non requiritur alio fine, quàm ut Episcopus ad subeundum docendi munus sit instructus.)

c. Qui Episcopus dist. 23. *Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur &c. si docibilis &c. si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus &c.*

c. Si in Laicis dist. 38. ex Leone. *Si in Laicis videtur intolerabilis inscitia, quantò magis in his, qui præsunt, nec excusatione est digna, nec veniâ.*

c. Cùm ex injuncto 12. lib. 5. Decret. tit. 7. de hæreticis. *Scientia est valdè necessaria Sacerdotibus ad doctrinam, quia juxta verbum Propheticum, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ejus.*

Toletus in Instruct. Sacerdot. lib. 1. cap. ult. §. Episcopus. *Episcopus est, cui dictum est 1. Petri 1. Parati reddere rationem omni poscenti, de ea, quæ vobis est, fide. Unde perfectam utriusque Testamenti debet habere cognitionem, & perfectam mysteriorum fidei intelligentiam, ut sciat etiam aliis veritatem fidei exponere, & aliorum contra veritatem fallacias expellere, hæresesque expugnare. Verè enim Doctor in Ecclesia cathedra sedens, cui ex officio sacras exponere populo Scripturas competit.*

Thesis II. Episcopi non debent bella gerere.

Ekthesis 1. Non est quæstio, an personæ Ecclesiasticæ Concionatoris castrensis officio fungi possint.

2. Neque quæstio est, an de justitia belli consilium dare possint.

3. Sed, an ipsimet vel Duces, vel ut milites bellis præesse, vel interesse debeant.

Antithesis. Praxis in Papatu testatur, Episcopos, quandoque etiam summos Pontifices bella gessisse.

Hostiensis Canonista, cùm multis probâsset, *Episcopis non competere, ut bellum gerant,* tandem addit. *Dicant leges, statuant Canones, clament homines quantum volunt, tamen nostri Clerici volunt esse militares. Et sanè usque à temporibus Adriani Papæ, qui Carolum Magnum vocavit in Italiam, Episcopi & Cardinales nunquam ab armis destiterunt.*

Marcellus Palingenius de Pontificibus Romanis sic canit:

Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ.

Julius II. Pont. Roman. tot bella gessit, *ut intra septennium ducenties millia hominum in illis fuerint interemta.* Causæ recusati Concil. Trident. pag. 227.

Idem, cùm aliquando exercitum adversus hostem educeret, eundemque in ponte Tiberino præcederet, claves in Tiberim projecit, additis hisce verbis:

Cùm Petri nihil efficiant ad prælia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Arnold. Ferron. in Annal. Gall.

Inde Ulricus Huttenus tale in Julium II. Epigramma scripsit:

Ille sui longo Successor in ordine Petri
More novo tantas res agit & studio.
Nam, neque pro populis orat, paciq; relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet.
Verùm bella movet, gerit arma & sanguine gaudet,
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit; occidit ille,
At malus hic multis intulit exitium.
Dira venenato soboles latro prodite partu,
Hac Christum, hac sequeris conditione Petrum?

Hodie baculus Aaronis & gladius Nimrodi unâ manu reguntur, & unâ parte Clerici, alterâ parte belli Duces salutari cupiunt, altero pugno Codicem, altero ensem gestant, Bernhard. Zieritz. de Princ. inter ipsor. dignit. Prærogat.

Nostram sententiam probamus:

1. *Ex Christi & Apostolorum interdicto,* Matth. 26. v. 52. 2. Cor. 10. v. 4. 1. Tim. 3. v. 3. 2. Tim. 2. v. 3. & 4.

2. *Ex Christi & Apostolorum exemplo.* Illi enim corporalibus armis adversus hostes suos nunquam leguntur usi, Johann. 18. v. 36.

3. *A Ministrorum Ecclesiæ officio,* quod est verbum prædicare, Sacramenta administrare, pro populo orare, disciplinam Ecclesiasticam tueri &c. qui hasce muneris sui partes diligenter obeunt, illis ad pugnandum nihil quicquam temporis erit relictum.

4. *Ex infelici bellorum Episcopalium exitu.* Inde Lutherus in libr. de bello contra Turcam tomo 2. Witteberg. fol. 525. tom. 4. Jenens. fol. 534. scribit: Wenn Käyser Carls Panier oder eines Fürsten zu Felde ist / da lauff ein jeglicher frisch und frölich unter sein Panier / da er unter geschworen ist. Ist aber ein Bischoffs / Cardinals oder Pabsts Panier da / so lauffe davon / und sprich: Ich kenne des Müntze nicht / wenn es ein Betbuch wäre / oder die H. Schrifft in der Kirchen geprediget / wolte ich auch zulauffen.

Nostræ sententiæ suffragantur.

1. Canon 28. Apostolicus (quem Pontificii habent pro legitimo)

gitimo) *Episcopum aut Presbyterum percutientem fideles delinquentes aut infideles inique agentes dejici ab officio præcipimus.*

2. Pontifices Romani & Jus Canonicum.

c. Si quis dist. 37. ex Hieronymo. *Si quis vult Pontifex esse non tam vocabulo, quàm merito, imitetur Moysen, imitetur & Aaronem. Quid enim dicitur de eis? quod non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergò Moses indesinenter in tabernaculo Domini &c. Est & aliud opus, quod fecit Moses; ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? orat, & donec orat, vincit populus. Si relaxaverit & dimiserit manus, populus ejus vincitur & fugatur. Oret ergò Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles Amalecitas, qui sunt Dæmones impugnantes eos, qui volunt piè vivere in Christo.*

c. Clericum dist. 50. ex Nicolao Papa. *Cum discreti sint milites seculi à militibus Ecclesiæ, non convenit militibus Ecclesiæ militare seculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire.*

c. Non licet dist. 86. ex Concilio Agathensi. *Non licet Episcopo manibus suis aliquem cædere, hoc enim alienum debet esse à Sacerdote.*

c. Nimiùm caus. 23. quæst. 8. Johannes Papa Angelbergæ Imperatrici excusans, Johannem Episcopum removeri de militia, dicit: *Nimiùm certè veretur & jure formidat contra professionem sui Ordinis secularem militiam exercere, terram defendere, de prælis tractare, de armis terrenæ potestatis est.*

c. Cùm à Judæis caus. & quæst. iisd. ex Innocentio Papa. *Cùm à Judæis Dominus caperetur, & Petrus cujusdam inobedientis aurem abscinderet, ferire prohibuit, & forma omnium Sacerdotum (quorum prior erat) etiam pro seipso capi arma carnalia prohibuit.*

c. Non pila caus. & quæst. iisd. ex Ambrosio. *Non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites. (Coactus repugnare non novi, sed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma, adversus milites. Talia enim sunt mu[n]nimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere, fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo. Servus Christi non custodiâ temporali, sed Domini providentiâ perire consuevit.*

c. Quicunque Clericus caus. & quæst. iisd. ex Concilio Triburiensi. *Quicunque Clericus aut in bello, aut in rixa, aut in gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat judicis, sepulturâ tamen non privetur.*

c. Clerici caus. & quæst. iisd. ex Concilio Toletano. *Clerici, qui in quacunque factione arma volentes sumserint, reperti, amisso Ordinis sui gradu in Monasterio perenniter tradantur.*

c. Quicunque ex Clero caus. & quæst. iisd. ex Concilio Meldensi. *Quicunque ex Clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeant, quod si contemserint, tanquam sacrorum Canonum contemtores & Ecclesiasticæ autoritatis prophanatores proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo & seculo militare.*

c. Reprehensibile caus. & quæst. iisd. ex Nicolao Papa ad Carolum Imperat. *Reprehensibile valdè constat esse, quod subintulisti dicendo majorem partem omnium Episcoporum die noctuq; cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, & ob id Episcopi impediantur venire, cùm militum Christi sit Christo servire, milites verò seculi serviant seculo, secundùm quod scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Quòd si seculi milites militiæ student, quid ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus?*

c. Si in morte caus. & quæst. iisd. ex Gregorio Papa. *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Ducem haberet. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.*

c. Convenior caus. & quæst. iisd. ex Ambrosio. *Coactus repugnare non novi, dolere potero, flere potero, gemere potero. Adversus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma mea sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere.*

c. Clerici ext. de vit. & honest. Cleric. *Clerici arma portantes & usurarii excommunicentur.*

c. In audientia ext. de sentent. excommunic. *In audientia nostra talis fuit ex parte tua proposita consultatio: Utrum Clerici, qui arma militaria (relicto habitu Clericali) gestare nullatenùs erubescunt, si eis fuerit injuria corporalis illata, vel se à captione redemerint, illâ Clericorum debeant immunitate gaudere, quâ pro temeraria manuum injectione, facta in Clericum, excommunicatus quis ipso jure notatur. Ad hæc tibi breviter respondemus, quòd cùm frustra Ecclesiæ imploret auxilium, qui committit in ipsam, & lex secularium Principum huic responso satis efficax adferat argumentum, quâ manifestè cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injuriarum agere, si in veste meretricali fuerit deprehensa, hujusmodi Clerici, si à Prælatis suis tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent.*

Zacharias Papa ad Episcopos Gallicanos venationibus deditos, & in militiam proficisci solitos, sic scribit: *Sacerdoti, qui Pastor est, arma non ferre, nedum quenquam bello occidere licet.*

Gratianus in proœmio caus. 23. quæst. 8. *De Episcopis verò vel quibuslibet Clericis, quòd nec sua autoritate, nec autoritate Pontificis arma arripere valeant, facile probatur. Cùm enim Petrus, qui primus Apostolorum à Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, ut Magistrum à Judæorum injuria defensaret, audivit. Converte gladium tuum in vaginam. Omnis enim, qui gladium acceperit, gladio peribit, ac si apertè ei diceretur, hactenùs tibi tuisque prædecessoribus inimicos Dei gladio corporali licuit persequi, deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id est, tibi hactenùs concessum, in vaginam converte, & tamen spiritualem gladium, quod est verbum Dei, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim præter illum, vel autoritatem ejus, qui legitima potestate utitur, qui, ut ait Apostolus, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet. Omnis, inquam, qui præter autoritatem hujusmodi gladium acceperit, gladio peribit. Item Ambrosius: Arma Episcopi lachrymæ sunt & orationes. Item illud Apostoli: Non vosmetipsos defendentes charissimi, quamvis omnibus generaliter dicatur, specialiter tamen Prælatis dictum intelligitur.*

3. Concilia & Episcopi.

Synodus & Ecclesia Leodiensis (cujus scriptum extat in 2. tom. Concil. pag. 108. ad Paschalem II. Papam circa Annum Dom. 1100.) *Quis Pontificum*, inquit, *Romanorum suis decretis unquam authorizavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti?*

Et iterum. *Cur pro malis Regibus orari debere Apostolus dicit? Scilicet, ut tranquillam vitam agamus. Esset Apostolicum, imitari Apostolum; esset Propheticum, imitari Prophetam. Sed peccatis nostris merentibus Apostolicus, qui etiam jam orare deberet pro quovis peccatore, ut tranquillam & quietam vitam agamus, agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus.*

Bonifacii Germanorum Apostoli extat tale decretum, quòd nomine Pontificis Zachariæ, cujus Legatum in Germania egit, in quadam Synodo proposuit. *Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum & hostem pergere omninò prohibemus, nisi illis tantummodò, qui propter divinum ministerium, ad Missarum scilicet solennia implenda & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt, id est, ut unum, vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit.*

Crespetius in Summa fidei Cathol. & Discipl. Eccles. in verbo Arma. *Concilium Francum celebratum sub Carolomanno Principe, præsidente Legato Sedis Apostolicæ Bonifacio, Moguntinensi Archiepiscopo. Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere omninò prohibemus, nisi illis tantummodò, qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solennia adimplenda & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt, id est, ut unum vel duos Episcopos cum Capellanis suis Princeps secum habeat. Idem antè statuerat scribens ad eundem Bonifacium Zacharias I. Epist. 8. & 9. Idem & Carolus Magnus in Constitutionibus suis. Idem omninò & Concilium Metense cap. 3. sub Arnulpho, & Concilium Biterrense Canone 14. Idem quoq; Concilium Moguntinense I. sub Carolo Magno Can. 17. ubi arma non Clericis, sed tantùm Laicis licitè conceduntur.*

tur. Et ampliùs iterum easdem confirmat Constitutiones *Concilium Meldense cap. 37. Quicunque (ait) ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum Canonum contemtores & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul DEO & seculo militare. Hac iterum renovat Concilium Moguntinense IV. cap. 74. Nec quisquam tot decreta impunè æstimet prævaricari.*

4. Bernhardus Epist. 221. *Pugnabimus pro matre* (Ecclesia) *armis, quibus licet, non scutis & gladiis, sed precibus, fletibusque ad Deum.*

5. Scholastici.

Thomas 2. 2. quæst. 40. artic. 2. *Duas affert rationes, propter quas non conveniat Clericis arma tractare, primò, quia exercitia bellica repugnant illis officiis, quibus Episcopi & Clerici deputantur, multùm enim impediunt à contemplatione divinorum & laude Dei & oratione pro populo. Deinde Clerici ordinantur ad ministerium altaris, in quo repræsentatur passio Christi, ideo non convenit eis occidere, sed magis paratos esse ad sanguinem fundendum.*

Biel 4. sent. dist. 15. q. 4. *Sacerdotes propria manu arripere arma non debent.*

Petrus de Aliaco Card. Camerac. in lib. de reform. Eccles. *Tollatur monstrosus ille abusus, quo quidam Prælatorum, armis spiritualibus depositis, arma corporalia assumunt, in campis pugnantes, sicut Principes seculares, & sæpe cum oppressione pauperum & crudeli effusione sanguinis, cùm David ab ædificatione templi, quia vir sanguinum erat, fuerit prohibitus.*

6. Dynastæ politici.

Ansegisus Abbas in Opere *decreta Caroli Magni & ejus filii* complectente, memorat, *quòd Carolus de voluntate ac consensu totius sui regni statuerit, ne Sacerdotibus in bellum pugnandi causa ire liceret, sed tantùm docendi & procurandæ religionis gratia.*

Carolomannus Francorum Dux anno Christi 702. edictum edidit, in quo inter alia sic statuit: *Nemo sacris initiatus, divinoque ministerio mancipatus, arma omninò ferat, aut in bellum, aut in hostem pergat. Unus aut ad summum duo Episcopi delecti suffragio cum suis Sacerdotibus Principem comitentur ad bella sacrificandi, comprecandique causa.* Aventin. lib. 2. Annal.

Richardus Angliæ Rex, cùm Philippum Bellovacensem Episcopum, qui contra exercitum ejus militem duxerat, acie captum detineret, eumque tanquam filium suum Pontifex dimitti juberet, Romam misit arma, quæ Episcopus in acie gestârat, addens hæc verba: *Vide, Beatissime Pater, num hæc sit tunica filii tui?* unde Papa erubuit, ut gratuitam ejus liberationem non postularet ulteriùs. Helinsh. in Chronico Rich. I.

Matthæus Paris in Chronic. Ann. 1196. paulò pleniùs hanc Historiam recenset. *Cum Johannes*, inquit, *Regis Angliæ frater cum Marchadeo Principe agrum Beluacensem infestaret, Philippus urbis hujus Episcopus plus armis, quàm divinis intentus studiis, armata cohorte stipatus, intrepidè prædatoribus occurrit. Sed cæso milite capitur, & Anglorum Regi traditus, carceri mancipatur. Sæpius enim cum suis damna eidem Regi intulerat. Mox Canonici Beluacenses ad Rom. Pontificem sui Præsulis calamitatem deferunt. Is datis ad Regem literis, ut benignè suos fratres & filios tractaret, hortatur. Rex confestim Præsulis arma & loricas per eundem tabellarium ad Papam deferri curavit, ut cognosceret, num filiorum Pontificis essent tunicæ, nec ne? At Papa subridens respondit: Verè nec fratris, nec filii tunicæ sunt, sed potius filiorum Martis: Præsulemque cum suis militibus Angli Regis reliquit arbitrio.*

Albertus Rex Polonorum, cum Creslaus Curo Zuanzius Episcopus Uladislaviensis multa apud eum dissereret *de revocanda expeditione in Turcam*, reprehendit ipsum, *jubens Episcopum suarum partium meminisse, quæ in sacris faciendis consistant, non in gerendo bello.* Cromerus lib. 21. Hist. Polon.

7. Varii Scriptores Ecclesiastici & politici.

Petrus Damianus in Epist. ad Firm. Episc. circa ann. 1070. *Nunquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum feritate est perpessus? num Ambrosius bellum Arianis, se suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Nunquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum?*

Hildegardis circa ann. 1180. vaticinium edidit, in quo inter cætera Laicos de Clericis conquerentes introducit his verbis: *Nolumus illorum diutiùs imperio parere, quòd agrorum pratorumque multitudine stabilitum, promontoriis ac cæteris mundanis operibus, quæ seculari nostræ potestati divinitus alioqui cesserunt, fulcitum est. Nunquid rasum hoc genus hominum cum suis stolis & casulis equitum multitudine ac insigniorum nos superare deceret? Anne simul hominem equitis ac Sacerdotis munus obire convenit? quin auferamus illis, quæ non justis rationibus, sed per summum nefas & injuriam possident.*

Nicolaus de Bibrach (qui floruit Erphordiæ circa annum 1290.) de Episcopis sui temporis inter cætera sic canit, Christum alloquens:

Missam non cantat, castrensia mœnia plantat,
Militis arma gerit, quæ sunt sua, non tua quærit:
Armiger in castris non curat, quid sit in astris.

Marsilius Patavinus in Defens. pacis circa annum 1324. *Clericos, præsertim Sacerdotes aut Episcopos, arma sumere, vel per se sumi jubere, grande nefas & quasi monstrum civile fuisset visum priscis temporibus. Unde Ambrosius. Dolere potero, flere potero, adversus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma mea sunt: talia enim munimenta sunt Sacerdotis; aliter nec debeo, nec possum resistere.*

Scriptor quidam anonymus in Commentar. super Apocal. ann. 1390. concinnato & à B. Luthero anno 1528. edito pag. 13. *Cruciatam Papæ à summo Pontifice indictam contra Clementem Anti-Papam & ab aliis Episcopis executam damnat fides Catholica, cum tam sit horrendum, Sacerdotes vacare hominum occisioni, quàm quod milites terreni usurpent dispensare Domini mensæ Sacramenta.*

Similia passim in illo scripto occurrunt.

Dionysius Carthusianus (qui floruit circa annum 1471.) de vita Canonicorum artic. 5. *Ministris Ecclesiæ, Clericis seu Canonicis convenit, atque injungitur divino cultui insudare, orationi, contemplationi ac laudibus Creatoris vacare, & Omnipotentem tam sibi ipsis, quàm proximis, quorum sustentantur stipendiis, exhibere propitium & placatum. Cum ergo ab actibus istis maximè impediant exercitia bellica, in quibus est inquietudo & solicitudo cordis præcipua, hinc bellare interdicitur iis, sic & negotiatio. Hinc quoque non debent arma portare, ne occasionem aut incitamentum habeant præliandi, & ne ostendant se ad pugnam paratos, & ne alios scandalizent.*

Johannes Baptista Mantuanus lib. 1. Sylvar.

Roma, quid insanis toties, quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quo vesana ruis? studioque armaris inani,
Jam senio lassas debilitante manus?

Et paulò pòst:

Sic furis, ut spumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineus quoties dente minatur aper.
Sic fremis, ut frendens, cum ferrea vincula mandit,
Cerberus, & Stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella vocas, in pignora patres,
Et scelus omne audes & paris omne nefas.
Fas & jura negas, homines & Numina fallis,
Nec Jovis imperium, nec Phlegetonta times.

Tilemannus Spangenbergius, Johannis Spangenbergii Theologi pater, qui circiter annum 1499. diem clausit extremum, aliquando in præsentia quorundam Canonicorum dixit: *Spirituales & Ecclesiæ Ministri docere populum quidem deberent, sed inverso ordine bella gerunt, & ad arma adhortantur*, (erat enim quædam tunc inter Duces Brunsuicenses & Episcopum Hildesheimensem discordia) *id quod aliis prohibere eos deceret, facere ipsi non erubescunt. Ubi animas curare deberent, non animas tantùm, sed & corpora trucidant.* Sie sollen seyn Seelsorger / so sind sie Leib- und Seelwürger.

Johannes Aventinus lib. 3. Annal. *Quo pacto victoriam sperare ausis eo bello, quo Sacerdos simul & manus cruore accæde polluit, & sacrosanctam hostiam impuris manibus, sceleratiore mente contrectat?*

Erasmus in cap. 3. Luc. pag. 127. *Nunc belligerantur Episcopi, nec aliud ferè quàm belligerantur. Ambrosius libro de viduis palàm declarat, quibus armis velit esse instructos Sacerdotes & purè Christianos. Arma, inquit, Ecclesiæ fides est, arma*

Eccleſiæ oratio eſt, quæ Adverſarium vincit. Atque inibi. Eccleſia autem non armis ſecularibus vincit adverſarias poteſtates, ſed armis ſpiritualibus, quæ ſunt fortia Deo.

Idem ad quæſtionem Hedibiæ primam ab Hieronymo ſolutam tomo 4. pag. 70. ſic annotat: *Longè alium triumphum Chriſtianorum facit, quàm nunc vulgo quærunt. Vidimus enim triumphos aliquot Julii II. multum ab hac forma diſcrepantes, ac ſignificat, Apoſtolicos viros ſanguine vincere oportere, non armis, & Chriſtianam religionem optimè defendi ſanguine.*

Johannes Ferus in cap. 19. Johan. pag. 469. *Quos juſtiùs milites illi, qui Chriſtum crucifigunt, & tamen veſtimenta ejus pro viribus ſibi uſurpare ſtudent, deſignant, quàm impios illos Pontifices, qui veriùs milites, quàm Pontifices ſunt? Nam, omiſſis ſacris libris ſcrutandis, interpretandis, exponendis, omiſſis orationibus & operibus pietatis, omiſſa denique animarum cura, nihil aliud agunt, quam quod pro tuenda opulentia & ſuperfluentiſſima rerum poſſeſſione belligerantur, fundunt ſanguinem, omniaque cædibus & bellis miſcent. Tunc verò Eccleſias & beneficia, quæ verbi prædicatoribus debentur, inter ſe partiuntur, ut jam non unicuique pars una, ſed duo, tria, decem &c. beneficia contingant &c.*

Guilielmus Neubrigenſis lib. 5. rerum Anglic. cap. 22. memorat, *quia reditus ampliſſimi Epiſcopis & Canonicis deputati, inde factum, ut multi Clericorum luxu & laſcivia diffluerent, libentiùs præliantes, quàm prædicantes,* quos lib. 2. cap. 16. *paleas ſacri Ordinis* nominat.

Autor Oneris Eccleſiæ cap. 20. §. 5. *Quidam Epiſcopi promtiùs indicunt bellum, quàm manſuetum flagellum, qui ad pacem firmiter tenendam mutuum inter ſe conſilium & auxilium impendere, & diſcordantes ad concordiam inducere tenentur. Imo etiam bella inter ſeculares Principes exorta omni conatu ſedare debent. Sed ipſi Epiſcopi potius procurant bella ſuſcitare, vel in quantum præ timore licet, per ſe gerere, quàm bono zelo intercipere. Novi Epiſcopos duos, quorum alter adhuc in humanis eſt, qui velut Duces & Capitanei exercitus cappis, rochetis, librisque poſtergatis, gladium ſuper brachium ſuum & arma ſumſerunt, metati ſunt caſtra, in campis digladiati usque ad hoſtium pugnam. Quos pro debito officio potiſſimùm orare decuerat, ut populus Chriſtianus à ſanguinis effuſione, ab hoſtibusque malignis liberaretur &c. Quæ belligerandi opera ipſis Epiſcopis cedunt in damnationem ac in Eccleſiarum, Chriſtianorumq; ſcandalum & perniciem.*

Idem cap. 40. §. 6. *Brigitta forſitan in Spiritu prævidit horrendas in Chriſtianum ſanguinem cædes, quibus tempore nuper tranſacto crudelis Paſtor Julius II. occaſionem præſtitit, & ſuam curam Paſtoralem in factiones fixit. At quis ſatis dimetiri poteſt, quanta ſanguinis innocentis effuſio & perditionis labes proceſſerit ex ejusdem Julii, pluriumque aliorum Pontificum factionibus?*

Guicciardinus Hiſtoricus Italus lib. 9. Hiſtor. *Omnes mirabantur, nemo erat, qui non vehementer improbaret, ſummum Pontificem* (Julium II.) *Chriſti in terris vices gerentem, ſenem atque ægrotum, in deliciis voluptatibusque nutritum, ipſummet in bello à ſeipſo contra Chriſtianos excitato, atque adeò in ipſis caſtris ad obſcuri oppidi obſidionem ſtare; ubi, velut copiarum Imperator laboribus, periculisque aditis, nihil præter ornatum, nomenque Pontificis retineret.*

Idem de eodem Julio II. *Magnâ laude dignus, ſi ſecularis princeps talia auſus eſſet, aut quam bello in rebus temporalibus conabatur, Eccleſiam in ſpiritualibus pacis artibus exaltare maluiſſet; deſideratus tamen* (poſt mortem) *ab iis, qui, veris rerum nominibus amiſſis, confuſaque illarum diſtinctione, Pontifices in eo plus laudandos judicant, quod armis & ſanguine Chriſtiano Sedis Apoſtolicæ dominatum extendunt, quàm ſi bonis vitæ exemplis corruptorum morum correctioni incumbentes, ſaluti animarum proſpicerent, quarum causâ à Chriſto Domino ſe Vicarios in terra conſtitutos gloriantur.*

Claudius Eſpenſæus in 1. Timoth. Digreſſ. lib. 2. cap. 6. pag. 273. *Tales quidem fuerunt in utroque Dei populo Sacerdotum inermium & pacificorum erga ſeculi Dominos fideles & infideles, mites & barbaros victoriæ non minùs glorioſæ, quàm incruentæ; quibus non contenta poſteritas veteris gentilis ritu togas in ſaga mutavit, poſtquam exlex ſemel neceſſitas Clero ad prælia non tantùm animum, ſed & manum etiam exercuit; factum eſt, ut cùm tempore omnia deterente eundem ludum exercerent, ſimul atque receptum eſt, ut profanas cum ſacris miniſteriis ditiones & tenerent & gererent: nec tantùm contra barbaros & incredulos, ſed ejusdem quoque nunc ſanguinis, nunc patriæ aut certè fidei Principes, Domini noſtri Dei pacis quidam minùs pacifici Vicarii bella indicerent & gererent, exemplo, inquit,* (Gregorium VII. innuens) *ſcandalis infinitis gravido & nullâ Scripturarum aut Canonum autoritate probato.*

Budæus in lib. 5. de aſſe. *An ejus temporis in mentem non venit, cùm D. Petrus, Paulusque & eorum ſequaces Eccleſiæ architecti non armorum ſplendentium fiduciâ infecti ad prælia graſſabantur, ſed innocentia freti, cætera inermes, ad caſtra Chriſti tuenda in tumultu flagrantiſſimæ charitatis claſſico ciebatur?* Videantur ſequentia &c.

Petrus Gregorius Tholoſanus lib. 11. de Republ. cap. 1. n. 14. *Inprimis injuſtum haberetur, ſi Clerici, quibus militia ſecularis interdicta eſt, militare cogantur, & ita à cultu divino abſtrahantur.*

8. Infelix bellorum Epiſcopalium exitus.

(Cùm enim Bellarminus lib. 4. de Eccleſia cap. 18. *felicitatem temporalem* ſtatuat *veræ Eccleſiæ notam*, utique etiam infelicem exitum bellorum Epiſcopalium cogetur agnoſcere pro nota, quòd bella ejusmodi ſint illicita.)

Anno 772. Epiſcopus Moguntinus XV. Gerholdus nomine, in gratiam Regum Galliæ Pipini & Carolomanni propriâ ſponte contra Saxones, Thuringiam armatâ manu occupantes, cum copiis ſuis profectus eſt, immemor officii ſui & ovilis ſibi commiſſi, ſed dignam inde tulit pœnam. Nam in prælio à quodam ex Proceribus Saxonicis miſerè enſe perfoſſus eſt. Hinc verſus loco Epitaphii:

Enſe Gerholdus obit Præſul, qui dimicat enſe.
Perplacet ergo chorum, non adiiſſe forum.

Biſchoff Gerhold focht mit dem Schwert/
Durchs Schwert kam er auch ab der Erd/
Drum ihm viel nützer gweſen wär/
Er wär gen Chor gangn/ denn ins Heer.

(Bruſchius de Epiſc. Mogunt.)

Jacobus Majer in Chron. Flandriæ. *Si ſapuiſſent Ungari, Anno 1444. Legatum Eugenii Pontificis ad gladium Spiritus remiſiſſent, quod eſt verbum Dei. Rarò res bellica cedit feliciter, cùm ſe illi intermiſcent Epiſcopi, qui non jubentur bellum gerere, ſed prædicare verbum Dei. Interfectus enim & ille Julianus Legatus, juſto Dei judicio, pœnas luiſſe videtur.*

De eadem pugna ſic ſcribit Philippus Lonicerus in Hiſtor. Turcic. *Certatum eſt in pugna Varnenſi totos dies noctesque tres diu fortunâ ancipite, ſed tanto animarum ardore utrinque, tantoque impetu, ut cæſorum ſanguine campi ſtagnarint. Victoria tandem ad Chriſtianos inclinare viſa eſt ob primos Turcarum ordines diſturbatos atque in fugam dilapſos, confuſeque palantes & Imperatorem ipſum trepidantem ac deſperabundo ſimilem. Tunc Antiſtites, quos in templis ac Scholis, quàm in acie conſpici ſatius fuerat ac decentius, ex ſtatione ſua hoſtem fugientem inconſulto perſecuti, aditu ad nudatos ordines patefacto, victoriam & vitam Regis, totiusque exercitus ac regni Pannonici, imo Europæ ſalutem hoſtibus prodiderunt.*

Johannes de Columna in Mari Hiſtoriarum. *Leonis Pontificis exercitus diſpenſante Domino in conſpectu ſuo caſus eſt. Non enim fuit ſui officii, ut armatâ manu perſonaliter ad bellum procederet, cùm primo Paſtori Petro dictum ſit; Mitte gladium tuum in vaginam tuam.*

Antoninus tit. 16. part. 2. cap. 4. §. 3. *Ab Henrico Imperatore Lo hujus nominis IX. poſtulavit, ut Normanni, qui tunc magnam partem Apuliæ occupatam tenebant, nec in aliquo Romanæ Eccleſiæ reſpondebant, depellerentur de Sedibus ſuis. Cui annuens Imperator miſit exercitus ſuos Romam ad Papam, qui cum eis perſonaliter procedens contra Normannos bello conflixit, ſed victus eſt exercitus iſte, & Papa captus.*

Tit. 16. part. 2. cap. 1. & 19. de eodem Leone. *Hoc non ſui erat officii, ut armatâ manu perſonaliter ad bellum procederet, cùm primo Paſtori Petro dictum fuerit: Mitte gladium tuum in vaginam, ideoque diſpenſante Domino exercitus ejus in conſpectu ſuo caſus eſt.*

Idem. *Lucius II. Pontif. Rom. Cæleſtino Secundo ſuffectus Romanorum novum Magiſtratum, quem ſub Innocentio inſtituerat, demoliri & extirpare conatus eſt. Nam, cùm Innocentius Conſulum electionem ferre nullo modo vellet, elegerunt Romani priſco*

more

more Patricium nomine Jordanem. Is regalia urbis cùm intra muros, tum extra poposcit, atque illud jus nomine officii sui ad se pertinere, quod Pontifex (abrogatis Patriciis) per Carolum Magnum occupaverat, jubetque, ut Pontifex juxta exemplum Pontificum majorum suorum primitiis, decimis & oblationibus viveret. Lucius exagitatus in hunc modum à Romanis supplex per Legatos Conradum in Italiam vocat, Conradus autem impeditus venire non poterat. Lucius aliâ viâ rem aggrediendum ratus expectat, donec semel in Capitolio unà essent congregati Senatores omnes cum Patricio, ut consultarent de rebus suis. Tunc, collecto milite, Pontifex Capitolium invadit, ut Senatum illum vel perderet omninò, vel si minùs, expelleret tamen. Fama per urbem volat de Pontificis conamine. Concurrunt cives ad arma, fit pugna atrox. Lucius militia immixtus ad Capitolium lapidibus ita est confusus, ut brevi post istos ictus morte sit consumtus.

Archiepiscopus Eboracensis *totum exercitum perdidit, quem ex Monachis, Sacerdotibus & rusticis contra Scotos educebat.* Aventin. in exhort. de bello contra Turcam suscip.

De Philippo Bellovacensium Episcopo dictum fuit superiùs membr. 6.

Julius II. Pontifex Rom. cùm contra fidem Imperatori Maximiliano coram Ordinibus Imperii Augustæ sanctissimè datam, percusso cum Venetis fœdere, exercitum suum adversus Cæsarem educeret, urbe egressus Petri clavem in Tiberim projecit, dicens: *Quia clavis sancti Petri non ampliùs valet, valeat gladius sancti Pauli.* Sed hanc Pontificis perfidiam Deus non dimisit impunitam. Cum enim Rex Gallorum Ludovicus Cæsari ex formula fœderis opem ferens Pontificem Venetorum præsidio elatum, omnesque pacis conditiones respuentem persequeretur, prælio ipso die Paschatis prope Ravennam commisso tantâ eum clade affecit, ut pacem, quam antea recusaverat, ultrò expeteret, experireturque, Pontifici non gladio corporali, sed spirituali pugnandum esse. Urspergensis Paralipom. Schardius de perfidia Pontificum &c. Inde in Julium hi versus scripti:

Ille sui longo Successor in ordine Petri
More novo tantas res agit & studio.
Nam neque pro populis orat, pacique relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidemque docet.
Verum bella movet, gerit arma & sanguine gaudet,
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit ille,
At malus hic multis intulit exitium.
Dira venenato soboles, latro, prodite partu,
Hac Christum, hac sequeris conditione Petrum?

In eundem Pontificem etiam ejusmodi Epigramma scriptum:

Dum contra Gallos bellum Papa Julius esset
Gesturus, sicut fama vetusta docet.
Ingentes Martis turmas contraxit, & urbem
Egressus, sævas edidit ore minas;
Iratusque sacras claves in flumina jecit
Tybridis, hic urbi pons ubi jungit aquas.
Inde manu strictum vagina diripit ensem,
Exclamansque truci talia voce refert.
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
Quandoquidem clavis nil juvat ista Petri.

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 20. §. 5. *Quando Josephus & Azarias Sacerdotes pro acquirenda propria gloria irent pugnare adversus gentes, quibus obviam veniebat Gorgias in pugnam, ipsi fugati sunt, siquidem in illa die ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium, ut in Maccabæo habetur. Atqui multoties is, qui dicit: Pax vobis, non columba, sed corvus reputatur, præsertim illi, qui principatu seculari judicium sanguinis, quod regalia nuncupant, obtinere prætendunt, & Principes seculares se esse gaudent, hi frequenter labem irregularitatis incurrunt nescii.*

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES *erroneas atque absurdas Adversariorum complectent.*

I. *Querelæ.*

1. Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 5. cap. 3. *per calumniam Pontificiis tribui* conqueritur, *quòd concubinæ pro precio, à Presbyteris soluto Episcopis, haberi possint. Quòd concubinas,* inquit, *mercede à nobis Sacerdotibus nostris locari ais, falsum est & insigne convitium.*

Resp. 1. Nicolaus de Clemangis (qui claruit Anno 1417. temporibus Sigismundi & Concilii Constantiensis) de corrupto Ecclesiæ statu c. 15. sic scribit: *Jam illud obsecro, quale est, quòd plerisque in Diœcesibus Rectores Parochiarum ex certo & conducto cum suis Prælatis pretio passim & publicè concubinas tenent?*

Cap. 20. *Quid enim de Capellanis & Canonicis longum me trahere sermonem necesse est? cum uno verbo dicere liceat, similes Episcoporum pro suo modo Canonicos esse.*

Et post: *Adhuc autem ebrios, incontinentissimos, utpote, qui passim & inverecunde prolem ex meretrice susceptam & scorta vice conjugum domi teneant.* (Edita sunt ejus opera Lugduni Batavorum 613.) cum quo congruit illud Hermanni Ried, qui fuit Clemangi paulò posterior, in lib. de vita & honestate Clericorum. *Quot publicos videmus fornicarios! imo, quod pejus est, tales & hujusmodi sic vivere permittuntur publicè ab eorum Prælatis, solùm quod omni anno porrigant certam quotam pecuniarum Officialibus eorum. Quid fœdius posset audiri, taceo nunc videri? Neque hoc celari potest, cùm publicum sit & omnibus constet.*

2. Proceres Germaniæ in gravaminibus disertè idem testantur, quæ gravamina Legato Pontificio Anno 1523. in Comitiis Norinbergensibus sunt exhibita. In illis enim inter cætera conqueruntur, *quòd Episcopi & eorum Officiales non solùm passi sint, Sacerdotes habere concubinas numerato pretio, sed quoque coegerint illos, qui castè absque concubinis vivere desiderarent, idem pretium Episcopo solvere, ut ita liberum ipsis fuerit, aut castè vivere, aut concubinas alere.*

3. Sleidanus lib. 4. Histor. testatur, *Campegium Cardinalem ad Legatos Argentinenses dixisse, scire se, Episcoporum hunc esse morem, ut, acceptâ pecuniâ, scortationem suis permittant.*

4. Claudius Espensæus Episcopus in Comment. Tit. 1. Digress. 2. fol. 479. *Turpissimum est, quòd Officiales permittunt, Clericos cum concubinis, meretricibus & pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt, accepto ab iis, atque adeo alicubi à continentibus, certo quotannis censu. Nam habeant, ajunt, si velint.*

Idem lib. 2. de Continentia cap. 7. in princ. *Permittuntur alicubi sub annuo censu Clerici atque Laici cum suis concubinis cohabitare; quod utinam & falsò & immeritò extaret inter Gravamina Germaniæ §. 75. & 91. adeoque etiam continentes (si credere dignum est) ad omnem censum persolvendum coguntur, quo soluto eis liceat vel continentibus, vel incontinentibus esse. O rem execrandam!* cum quo congruit illud Erasmi in cap. 19. Matth. *Scortari licet, uxorem ducere non licet. Si profitentur* (Sacerdotes) *concubinam, sunt Catholici Sacerdotes; si uxorem, in ignem conjiciuntur.*

5. Cornelius Agrippa lib. de vanit. scient. cap. 64. *Sic ego illos aliquando supputantes audivi. Habet ille duo beneficia & tres meretrices, solvat, & censum à Sacerdotibus pro concubinatu quotannis extorquent, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa eorum concubinaria exactio sive lenocinium, cùm dicunt, habet aut non habet, aureum solvat, & habeat, si velit.*

6. Henricus Cuyckius Ruremundensis Episcopus Epist. 3. parænet. p. 85. *Ecclesiasticos Præsules illud non parùm movere debet, quòd ex hoc tam salutaris & necessariæ disciplinæ (quâ concubinatus prohibetur) neglectu ipsi quoque apud Concubinarios & alios in eam trahantur suspicionem, tanquam si vel nullum, vel levissimum hoc reputent peccatum, cui nullam adhibent curationem.*

In ead. Epist. graviter perstringit illos Pontificios, quibus persuasum, *melius esse, sordidos & concubinarios in Ecclesiis tolerari Pastores, quàm ut nulli sint.*

7. Schultingus de discipl. Ecclesiast. p. 239. probat *ex Concilio Basileensi, quòd pubici concubinarii inter Clericos fuerint,*

8. Johannes Ivellus Episcopus Sarisbur. tom. 2. Antapolog. contra Hardingum. *Ita in Glossa vestra scribunt. Videtur, quod crimen meretricii Ecclesia sub dissimulatione transire debeat. Nam & Mareschallus Papæ de facto tributum exigit à meretricibus. Quod Cornelium Agrippam primum convitii istius autorem extitisse ais, falsum est. Siquidem vestra ipsorum Glossa, jam proximè ad testimonium dicendum à me citata, idipsum affirmat, à Johanne Andrea* (Glossatore) *acceptum, Canonista insigni, qui ante annos ducentos, paulo minùs quàm Agrippa*

natus

natus est, floruit. (mortuus Ann. 1348.) *Deinde apud Nicolaum de Clemangis, qui, imperante Sigismundo vixit, in libro, quem de corrupto Ecclesiæ statu inscripsit, unum privatim caput est, cui argumentum, De exactionibus pro concubinis tolerandis.*

2. Conqueruntur, *per calumniam sibi tribui, quòd Ecclesiastica officia committam indignis & indoctis.*

Resp. 1. Nicolaus de Orem. in Orat. coram Urbano V. & Cardinalibus habita Anno 1364. *Non adhibentur viri idonei Sacerdotiis, præsertim locupletioribus, sed quos plerunque vel favor, vel familia, vel natales commendant. delicati, lepidi & comtis capillis nitidi; ludis, amoribus, palæstris, orbibus saltatoriis assueti, nec rarò qui manicati & talcaribus amicti sicas vibrare & sclopetis fulminare; interdum etiam qui galeati, cataphractique turmas equitum ducere, in aciem irruere, & manum cum hoste conserere didicerunt.*

2. Autor Oneris Ecclesiæ cap. 21. §. 3. sic scribit: *Modernis temporibus pauci Sacerdotes, Canonicè & absque ambitione eliguntur, quin plures Prælati, aliique beneficiati per Reges & Principes illegitimè constituuntur, imo vel ambitiosè simoniaceque intruduntur & per Pontifices confirmantur contra privilegia Ecclesiarum & Concordata Germanica, contraque omnem justitiam. Porro Pontifices suos cæcos, tributarios, stipendiarios, & stabularios frequenter animarum curæ ac dignitatibus præficiunt.*

Cap. 23. §. 2. *Principes tum Ecclesiastici, tum seculares frequenter suscipiunt, & ad beneficia sui juris patronatus præsentare solent suos vel amicorum suorum necessarios, & eos, qui nihil Sacerdotio dignum, sed animas ad venandum crudeles & ad convivandum cupidos habent. Rursus beneficia Ecclesiastica non sincera electione, sed muneribus, precibus, favoribus ac personarum acceptionibus frequenter conferuntur &c. Episcopi quoque non considerant habilitatem promovendorum, sed ipsi amore temporalium, vel negligentia spiritualium tales indignos beneficiatos admittunt, absque omni delectu & debita examinatione instituunt, in magnam indignationem omnipotentis Dei, cui districtam ob hoc reddent rationem, quoniam contra Canonum dispositionem hujusmodi indignos, ignarosque promovent: qui magis rustica ministeria, mercantias, piscationes, aliave servilia opera & secularia negotia, quàm Ecclesiastica officia, exercere callent.*

3. Apud Nicolaum de Clemangis lib. de corrupt. Eccles. statu, prolixa extat querela, *quòd beneficia indignis committantur.* cap. 16. scribit: *Ex illo fonte profluit illa copiosa vilium atque indignissimorum Presbyterorum multitudo. Ut enim ex suis Ordinibus majora lucra percipiant, omnes, quotquot advenerint, nullo aut parvo admodum discrimine ad eos, quos petierint, titulos admittunt, nisi fortè, si qui adeo egestate premuntur, ut solvendo non sint, nulla de vita anteacta percunctatio est, nulla de eorum moribus quæstio.*

4. In Gravaminibus Germanicæ nationis dicunt Proceres artic. 7. *Ecclesiarum regimina minùs dignis committuntur, qui ad mulos magis, quàm ad homines pascendos & regendos essent idonei.*

5. Cardinales delecti ad reformationem Ecclesiæ in Consilio suo ad Paulum III. *Primus abusus in hac parte est Ordinatio Clericorum, ac præsertim Presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim quicunque sunt imperitissimi, sunt vilissimo genere nati, sunt malis moribus ornati, sunt adolescentes, admittantur ad Ordines sacros, & maximè ad Presbyteratum. Alius abusus maximi ponderis est in collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, maximè curatorum & præ omnibus Episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi & Ecclesiæ.*

6. Pontificale Romanum Venetiis Anno 1572. impressum pag. 3. ab Ordinandis mediocrem eruditionem requirit. *Literatura* (inquit) *in Sub-Diaconatu & Diaconatu mediocris sufficit, ut saltem sciat bene & expeditè legere, & competenter cantare, det operam Grammaticalibus. In Sacerdote autem promovendo sufficiens literatura requiritur. Sciat Grammaticam, præsertim si sit secularis, quia illis cura animarum committi solet, quæ sine literis exerceri non potest.*

7. Gregor. de Valentia in Annal. de Ecclesia pag. 22. conqueritur, *quod haud raro Pontificii Ordines suos iis conferant, qui nec eruditionis, nec pietatis insignibus ornati, sed homines ventri plerumque & mundo dediti.*

8. Legati Sedis Apostolicæ ad Patres Tridentinos conquesti sunt, *indignis Sacerdotia conferri, & illis, qui nihil à Laicis, præterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt.*

9. Cens. Colon. Dial. 9. pag. 304. *Adolescentes, quibus non suppetit comparandorum librorum facultas, à paucissimis juvantur, etiamsi ingenio polleant, & Ecclesiam aliquando ab exitialibus hæresibus vindicare possint. Pauperum aut exigua, aut nulla cura est. Si qua præbenda per mortem alicujus vocaverit, ea statim ad nobilium filios, qui subinde vel ad venandas feras, vel ad ferenda arma, quàm ad literas sunt aptiores, transfertur.*

II. *Calumnia.*

1. Bellarminus lib. de Clericis cap. 14. §. 1. *Fuit antiqua hæresis Aerii, teste Epiphanio hæres. 75. & Augustino de hæres. cap. 53. nihil interesse inter Episcopum & Presbyterum, quam hæresin nostris temporibus sequuntur Lutherani.*

Resp. 1. Bellarminus lib. ejusdem cap. 11. in princip. sic scribit: *Chemnitius docet, tres tantùm esse veros Ordines; Episcoporum, quos ipsi Pastores libentiùs vocant; Presbyterorum, quos Seniores vel Doctores, vel Ministros verbi appellant; & Diaconorum.*

(Atqui, si Episcoporum Ordinem à Presbyteris distinguimus, utique inter Episcopum & Presbyterum aliquid interesse dicimus. Augustinus d. l. sic scribit: *Dicebat Aerius, Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni.* Audis, quòd nullam planè differentiam concesserit. Nos, etsi differentiam *potestatis* ex *jure divino* non agnoscimus, non tamen omnem differentiam negamus, sed eam, quæ *ordinis gratia* humanitùs est instituta, admittimus.)

2. Gregorius de Valentia tom. 4. Disput. 9. q. 1. punct. 2. sic scribit: *Omnes Protestantes admittunt tres saltem Ministrorum gradus, nempe Episcoporum, quos vocant Superintendentes, ut habeant curam Ecclesiasticæ disciplinæ; Presbyterorum, quos vocant Ministros verbi & Sacramentorum; ac Diaconorum, qui Superintendentibus & Pastoribus navent operam in administratione Sacramentorum & officiis aliis.*

(Ergo non tollimus omne discrimen inter Episcopos & Presbyteros.)

3. Michael Medina lib. 1. de sacrorum homin. orig. & continent. cap. 5. scribit, *non solum Hieronymum, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum hac in parte idem cum Aerianis sensisse.*

(Ergo hoc nomine hæreseos non fuit damnatus Aerius, sed quia *totus fuit Arianus*, ut Epiphanius d. l. de eo scribit.)

2. Alphonsus de Castro adversus hæres. de Sacerdotio hæresi 4. *Ex verbis Apostoli 1. Tim. 3. Episcopum oportet esse unius uxoris maritum, colligunt Lutherani, non solùm licitum, sed & necessarium esse, ut Episcopus & Sacerdos unam habeat uxorem.* Posteà addit: *Paulus in illis verbis non exigit matrimonium in eo, qui ad Episcopatum assumendus est.*

Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. cap. 9. *Vigilantius docuit, Ecclesiasticos debere esse uxoratos. Idem docent nunc Sectarii Lutherani.*

Bailius Jesuita in Catech. controvers. tract. 2. q. 24. *Adversarii nostri ex Tit. 1. & 1. Timoth. 3. inferunt, unum ex necessariis Episcopi requisitis esse, habere uxorem. Respondeo, non esse conditionem in Episcopo aut Sacerdote necessariam, aliàs nec S. Paulus, nec S. Johannes Evangelista Episcopi vel Sacerdotes fuissent, cùm cœlibes fuerint.*

Resp. 1. Bellarminus ipse lib. de Clericis cap. 19. inter Vigilantii hæresin & nostram sententiam distinguit. *Duo,* inquit, *refutandi sunt errores. Unus Græcorum, alter Lutheranorum. Prior est, oportere Clericos, antequam sacros Ordines suscipiant, uxores ducere, quem errorem constat expressè Vigilantium docuisse. Posterior error longè gravior est, non solùm licere ante Ordinationem, sed etiam post Ordinationem uxorem ducere, quod docuit Wiclefus, quem secuti sunt Lutherani.*

(Si Vigilantius docuit, *oportere Clericos uxores ducere,* quomodo illius error tribui potest Lutheranis, docentibus, licere Clericis uxores ducere, cùm aliud sit *conjugii libertas,* aliud *necessitas?*)

2. Costerus in Enchir. cap. 15. *Ex Hieronymo constat, Vigilantium hæreticum docuisse, non esse Diaconos ab Episcopis ordinandos, nisi priùs uxores duxissent.*

Sed de Protestantibus sic scribit Gregorius de Valentia lib.

lib. de Cœlibatu controverſ. 4. Diſput. 9. q. 5. punct. 5. *Volunt Proteſtantes, liberum eſſe uxores ducere, nec quenquam lege continendi aſtrictum eſſe debere.*

Idem tom. 4. Diſp. 9. q. 5. punct. 5. ſect. 3. Proteſtantium doctrinam deſcribit ſub his verbis, *matrimonium omnibus debere eſſe liberum, ac proinde Sacerdotibus; illisque licere matrimonium inire.*

(Quantum ergo diſcrimen eſt inter conjugii *neceſſitatem* & conjugii *libertatem*, tantum quoque diſcrimen eſt inter Vigilantii & noſtram doctrinam.)

3. Inter hæreſin Vigilantii & Papiſtarum mediam tenemus viam. Vigilantius urgebat *neceſſitatem conjugii* in Sacerdotibus, non admittendo ad Ordinationem, niſi uxoratos; Pontificii urgent *neceſſitatem cœlibatus* in Sacerdotibus, non admittendo ad Ordinationem, niſi cœlibes, & perpetuo cœlibatui ſolenni voto ſe adſtringentes. Nos cum Apoſtolo cœlibatus & conjugii libertatem propugnamus, cum *unusquisque proprium donum habeat ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*, 1. Corinth. 7. v. 7. Veritatis autem hoc proprium, quòd inter duos errores contrarios mediam teneat viam.

Maldonatus in cap. 27. Matth. v. 38. *Sic plerumque accidere videmus, quemadmodum Tertullianus ait, ut inter duos contrarios hæreticos Eccleſia crucifigatur. Docebant Ebionitæ, Chriſtum ſolum fuiſſe Deum, hominis verò ſolam ſpeciem habuiſſe.* (Hic videtur aliquid omiſſum, videlicet; Docebant Ebionitæ, Chriſtum ſolum fuiſſe hominem. Manichæi, Chriſtum ſolum fuiſſe Deum, hominis verò ſolam ſpem habuiſſe, nam Ebionitæ negârunt Chriſti Divinitatem) *Eccleſia in medio eſt, & utrumque conjungit, Chriſtum & verum Deum & verum hominem eſſe docens. Docebant Sabelliani, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non unam ſolùm Naturam, ſed unam etiam eſſe Perſonam; docebant Ariani, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, non tres tantum perſonas, ſed tres etiam eſſe Naturas; in medio Eccleſia eſt, unam Naturam, tres perſonas eſſe docens. Docebant Neſtoriani, in Chriſto non duas tantùm Naturas, ſed perſonas etiam eſſe duas; docebant Eutychiani, & unam eſſe perſonam & Naturam unam, in medio Eccleſia eſt, quæ unam perſonam, duas Naturas eſſe docet.*

(Subjungimus. Vigilantius docebat, Sacerdotes debere eſſe uxoratos; Pontificii docent, debere eſſe cœlibes. Eccleſia in medio eſt, quæ ſtatuit, Miniſtris Eccleſiæ conjugium debere eſſe liberum.)

3. Stapletonus in Relect. princip. fidei doctrinal. controv. 1. de Eccleſ. q. 5. artic. 2. ſecutus Cochlæi fidem refert, *Carolſtadium primum ex Sacerdotibus poſt reformationem à Luthero inchoatam duxiſſe uxorem, & quidem Anno* 1525. Cochlæus addit, *Lutheranos pro illo conjugio novam confinxiſſe Miſſam, quam & in lucem edere non fuerunt veriti, cujus Collecta fuerit iſthæc: Deus, qui B. Andream Carolſtadium eâ gratiâ donare dignatus es, ut primus, nullâ habitâ Papiſtici juris ratione, uxorem auſus fuerit ducere, da, quæſumus, ut omnes Sacerdotes, recepta ſana mente, ejus veſtigia ſequentes, ejectis Concubinis aut eisdem ductis ad legitimum conſortium tori convertantur &c.* Addit, Sequentia Miſſæ ſic habuiſſe: *Deus in virtute tua Andreas Carolſtadius gaudet & lætatur thalamo copulatus.* Ac tandem ex infelici Carolſtadii ſucceſſu colligit, *Sacerdotum conjugia divinitùs improbari.* Similia occurrunt apud Jodocum Coccium tom. 2. Theſauri lib. 8. artic. 6. pag. 937. Petrum Cottonum Jeſuitam, Regis Galliæ Confeſſionarium lib. 3. Inſtitut. cap. 17. pag. 515.

(Atqui non Carolſtadius, ſed Bartholomæus Bernhardi, Præpoſitus Kembergenſis, vir pius & eruditus, primus ex Sacerdotibus uxorem duxit, ac facti ſui rationem in ſcripto Apologetico reddidit, quod extat tom. 2. Oper. Lat. Jen. ac citatur à Nevizano in Sylva nuptiali impreſſa Venetiis Anno 70. fol. 81. cujus Bernhardi familia in illo oppido & ampla & felix evaſit.)

4. Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. *ſententiam Marſilii Paduani* cum noſtra conjungit, & in unam claſſem cum ea refert, cùm tamen noſtra confeſſio ab illius opinione toto cœlo diſtet.

De hoc enim Marſilio ſcribit Johannes de Turrecremata lib. 4. Summæ de Eccleſia part. 2. cap. 37. ipſum ſtatuiſſe, *Chriſtum non fuiſſe liberum à tributis ſolvendis; & quod fecit Matth. 17. cùm tributum ſolveret, id non feciſſe voluntate, ſed neceſſitate.*

(Id verò nemo noſtrûm unquam ſtatuit. Facilè autem apparet, quo conſilio noſtram ſententiam Bellarminus cum hac Paduani opinione conjungat, quia ſtatim ſubjicit, *Paduani ſententiam à Johanne XXII. ut hæreticam fuiſſe damnatam.*)

5. Noſtros *Eccleſiæ Miniſtros* negant eſſe *veros Paſtores, cùm non ſint ordinati ab Epiſcopo.*

Reſp. 1. Oſtendimus ſuperiùs cap. 3. ex ipſorum Pontificiorum ſcriptorum ſuffragio, *Epiſcopos jure divino non eſſe Presbyteris ſuperiores.*

2. Alphonſus de Caſtro lib. 6. adverſ. hæreſ. & Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. pag. 547. agnoſcunt, *Epiſcopum ratione quidem jurisdictionis majorem eſſe Presbyteris, Ordinis tamen Sacramento hos ab illo nihil differre.*

(Poterunt ergo etiam Presbyteri ordinare, cùm & olim, *abſente Epiſcopo, Presbyter ejus vicem præſtare potuerit.* Ambroſ. in cap. 4. Epheſ. Auguſt. in libr. qq. ex utroque Teſtamento q. 101.)

3. Jus Canonicum concedit, *ut in caſu neceſſitatis paganus baptizet.* c. 23. de conſecrat diſt. 4. *ut in caſu neceſſitatis confiteatur quis Laico & ab eo abſolvatur* c. 39. cauſ. 1. q. 1. & cap. 8. lib. 1. Decretal. tit. 16. Gloſſa, Neceſſaria. *Si qui Clerici à Pſeudo-Epiſcopis ordinati, illorum Ordinatio habetur rata* cap. 40. cauſ. 1. q. 1. Gloſſa, Si qui.

(Si igitur in tot caſibus Laici poſſunt ſubire Clericorum vices, & à Pſeudo-Epiſcopis ordinati tolerantur, cur etiam Lutheranorum Ordinatio non ſit rata & toleranda, qui coacti ſævitiâ Epiſcoporum Canonicam politiam diſſolverunt, ut loquitur Apologia Auguſt. Confeſſionis?)

4. Ipſimet Epiſcopi in Papatu rarò ordinant, ſed *Suffraganeis* ſuis illud committunt, qui nullam poteſtatem Epiſcopalem habent, ſed ad ſummum ſunt Presbyteri.

5. Stapletonus in Promtuar. Cathol. Domin. paſſionis §. 5. pag. 121. agnoſcit, *Paulum & Barnabam à nullo Epiſcoporum, ſed à Presbyterio Antiocheno eſſe ordinatos, cum ſegregarentur à Spiritu Sancto,* Actor. 13. *Paulus,* inquit, *etſi de cœlo à Chriſto vocatus, &, ut ipſemet ſcribit, neque ab homine, neque per hominem, ſed per Chriſtum: tamen, ne ſeipſum videretur glorificare, ab Eccleſia Ordinationem accepit per impoſitionem manuum Presbyterii.*

6. Franciſcus de Victoria relect. 1. de poteſt. Eccleſ. ſect. 3. quæſt. 2. *Ordinis poteſtas non ſolùm intelligitur poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, ſed etiam diſponendi & idoneos reddendi homines ad Euchariſtiam, imo omnia gerendi, quæ aliquo modo ordinantur ad Euchariſtiam, ut eſt conſecrandi Presbyteros & alios Ordines conferendi.*

(At hæc *poteſtas Ordinis* etiam eſt in Presbyteris. Tolet. in Inſtruct. Sacerdot. lib. 1. cap. 3 *Poteſtas Ordinis eſt in omni Sacerdote, nec ab eo auferri poteſt.* Ergo etiam Presbyter poteſt Ordines conferre.)

7. Si noſtri Eccleſiæ Miniſtri non ſunt *veri Paſtores*, cur non *repabtizant* ab eis baptizatos, cur non denuo *conjugibus benedicunt*, quos illi copulârunt, cur uxores eorum vocant *concubinas?*

8. Bellarminus lib. 3. de Eccleſ. cap. 10. reſp. ad 1. ex Dridone docet, *externum Baptiſmum non eſſe ſimpliciter neceſſarium, ut quis ſit membrum Eccleſiæ*, ac proinde eum, qui non eſt baptizatus, quandoque per aliam, quàm Baptiſmi portam ingredi in Eccleſiam.

(At num impoſitio manuum magis neceſſaria ad Presbyterium, quàm Baptiſmus ad Chriſtianiſmum?)

9. Idem lib. & cap. iisdem. §. Ad ſecundum. *Ad hoc, ut Epiſcopi locum Chriſti teneant, & ut non poſſint nos decipere in iis, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, non requiritur nec fides, nec character ordinis, nec legitima electio, ſed ſolùm, ut habeantur pro talibus ab Eccleſia. Cùm enim ſint Epiſcopi propter Eccleſiam non contra. Deus aſſiſtit illis, qui pro talibus habentur, ne errent in Eccleſia docenda. Itaque ſunt illi veri Epiſcopi & Paſtores, non abſolutè, ſed quoad illa tria, quæ diximus.*

(Atqui electio complectitur & includit Ordinationem. Si electio non requiritur abſolutè. Ergo nec Ordinatio.)

10. Filucius Jeſuita de Caſibus conſcientiæ part. 1. tract. 9. cap. 5. ſtatuit. *Presbyterum poſſe Sacramentum Confirmationis & Ordines majores conferre, Papa jubente.*

Si, Papa jubente, poſſunt Presbyteri Sacramentum Ordinationis conferre, cur non etiam in caſu neceſſitatis, etiamſi non accedat Papæ mandatum.)

11. Ibi-

11. Ibidem docet, *communem esse Pontificiorum sententiam, quòd Episcopus consecratus, etiamsi sit simoniacus, hæreticus, excommunicatus &c. possit ordinare.*

(At quis talis Episcopi Ordinationem præferre velit ei, quæ fit à legitimo Ecclesiæ Ministro, publico totius Ecclesiæ nomine? Res eò redit, Lutherus & ipsius successores ad eandem successionem provocare possunt, ad quam provocant in Papatu Episcopi. Diversitas doctrinæ non tollit *personalem successionem*, ut ostendit exemplum *Pharisæorum & Scribarum*, qui dicuntur *sedere in cathedra Mosis*, Matth. 23. v. 2. cùm tamen non docerent eadem cum Mose. Confer D. Hutterum in Locis pag. 540. D. Meisner. in Depulf. Excub. Papist. pag. 217. D. Grauerum in Prophet. Micheam pag. 38. 39.)

6. Nostros Ecclesiæ Ministros negant esse *veros Episcopos, cum sint ordinati ab hæreticis.*

Resp. 1. c. Sicut semel dist. 68. ex Gregorio lib. 2. Epist. 32. ad Johannem Episcopum Ravennatensem. *Quòd dicitis, ut, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est. Absit autem à fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita, qui consecratus est semel, in eodem iterum Ordine non debet consecrari.*

(Si Ordinatio non debet repeti, ergo Ordinatus ab hæretico non debet iterum ordinari, sicut baptizatus ab hæretico non debet iterum baptizari.)

2. c. Sacramenta caus. 1. q. 1. ex Augustino. *Sacramenta, quæ non mutastis, sicut habetis, approbantur à nobis, ne fortè cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis mysteriis, quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam. Neque Saul depravaverat unctionem, quam acceperat, cui unctioni David pius sæpius exhibuit tantum honorem.*

c. Sicut ficti caus. & quæst. iisd. ex eod. *Sicut ficti veraciter non ficte recipiunt, nec eorum Baptisma reprobatur: sic & illa, quæ schismatici & hæretici non aliter habent, nec aliter agunt, quàm vera Ecclesia, dum ad nos veniunt, non emendamus, sed potiùs approbamus.*

(Jam verò Ordo ex hypothesi Pontificiorum est Sacramentum.)

3. c. Si quis caus. & quæst. iisd. ex Leone. *Si quis hæretica communionis contagione se maculaverit, hoc in magno beneficio habeat, si, ademtâ sibi omni spe promotionis, in quo invenitur, Ordine permaneat.* Subjicit Gratianus. *Ecce, si Clericus vel Ordinatione, vel quolibet Sacramento hæreticis communicat, cessans à promotione vix in suo Ordine perseverat.*

(Similia occurrunt apud Augustinum lib. 2. contr. Epist. Parmen. cap. 13. *Si quando*, inquit, *ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, etsi visum est, opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra &c.*)

4. Azorius lib. 8. Institut. cap. 19. *In Episcopo hæretico manet potestas conferendi Ordines, quia facit nomine, institutione & autoritate Christi, ideoque ab hæreticis Episcopis ordinati & ad Ecclesiam redeuntes, non iterum ordinantur.*

5. Laymannus Jesuita lib. 5. Theol. moralis pag. 329. asserit, *hæreticum, nominatim excommunicatum, imo & degradatum, valide Ordines conferre posse*, & hanc assertionem probat testimoniis *Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, Durandi & Paludani.*

6. Nostros Episcopos negant *esse veros Episcopos, cùm non sint ordinati à tribus Episcopis.*

Resp. 1. Petrus de Palude lib. de potest. Apostol. sic scribit: *In Ecclesia unus Episcopus sufficit ad alium consecrandum; nec est, nisi propter solennitatem ab Ecclesia inventum, ut tres concurrant.*

2. Johan. Major in 4. sent. dist. 24. q. 3. *Quis ordinavit Petrum? Non dabunt tres Ordinatores. Dico ego, esse constitutionem humanam, quòd Episcopus ordinetur à tribus. Paulus enim non quæsivit duos pro Ordinatione Titi & Timothei.*

7. Accusant nos, quod *extraordinariam vocationem ad reformandas Ecclesiæ corruptelas Luthero tribuamus.*

Resp. vel accipitur hæc phrasis *de immediata vocatione*, quâ Prophetæ & Apostoli ἀμέσως sunt vocati; vel extraordinarium hic significat aliquid *peculiare, eximium & reliquis Ministris mediatè vocatis non commune donum*, sed vocationem mediatam concomitans in certo individuo. Priori modo in Luthero nihil fuit extraordinarium, quia vocatio ejus ratione essentiæ est mediata. Hujus autem mediatæ vocationis dona & effecta quædam fuerunt *communia* cum aliis Ecclesiæ Ministris, quædam vero *singularia*, atque ita extraordinaria, utpote donum singulare interpretandi Scripturas, doctrinam à corruptelis Pontificiis repurgandi, translatio Bibliorum accuratissima, revelatio Antichristi, heroicus ac intrepidus animus contra minas totius ferè mundi veritatem asserendi, cui etiam eventus felix, id est, reformatio Ecclesiæ in multis locis per Dei gratiam respondit. Confer Dn. D. Henricum Höpfnerum in Saxon. Evang. pag. 142. & Locum de Minist. Eccles. §. 118. & seqq.

8. Salmero Disput. 10. in 1. Corinth. super verba cap. 7. *Propter fornicationes suam quisque uxorem habeat*, sic scribit: *Addunt præterea illi nebulones* (Lutherani,) *hic præcipere Apostolum, ut unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum. Ecce, ajunt, nullus excipitur.*

Atqui 1. injuriam nobis fieri sonorâ voce testamur. Exceptos esse ab hac regula Apostolica eos, qui peculiari continentiæ dono sunt instructi, nemo nostrûm negat. Hoc vero dicimus, regulam illam Apostolicam etiam complecti *Sacerdotes*, qui continere nequeunt.

2. Vidit hoc Johannes Arboreus, qui lib. 5. Theosophiæ cap. 7. argumentum nostrum ex loco Apostolico 1. Corinth. 7. v. 9. petitum sic informat: *Dicit Paulus, qui se non continet, nubat: melius est enim nubere, quàm uri. Ergo, si Sacerdos non possit continere, non peccat ducendo uxorem.*

3. Salmeron ipse rectiùs mentem nostram exprimit, ibidem de nobis sic scribens: *Ex quo loco inferunt, etiam Monachos & Clericos in sacris constitutos, & altaris ministerio addictos & Sanctimoniales, quæ se per vota castitati addixerunt, hanc facultatem habere matrimonii contrahendi, quia ubi viget ratio legis & finis legislatoris, ipsa quoque legis vigere debet dispositio: Si quis enim continere se non valeat, inquiunt, cur illis hæc facultas denegabitur?*

(Ergo de illis tantum loquimur, qui se continere non possunt, qui uruntur, qui præsentissimo fornicationis periculo sunt expositi.)

9. Bellarminus inter mendacia refert, quòd in *articulo 23. Confess. August. dicitur, in Germania ante annos quadringentos primum esse legem cœlibatus impositam Clericis.* Postquam enim libro de Clericis cap. 19. *pro lege Cœlibatus Sacerdotalis* aliquot Concilia, interque ea quædam in Germania habita, videlicet *Aquisgranense* Can. 6. *Wormaciense* Can. 9. *Moguntinum* c. 10. citâsset, subjungit statim, *Ex his apparet, mendacium esse apertissimum, quòd Philippus dicit in ipsa Confessione Augustana artic. 23. cui tot Principes subscripserunt, in Germania ante annos 600. primum esse legem Cœlibatus impositam Clericis. Nam Concilia citata sunt in Germania ante annos 700. celebrata, aut etiam ampliùs.*

Resp. 1. Verba Confessionis formalia sic habent: *In Germania primùm ante annos quadringentos Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum.* Respexit ergo Philippus *non legem latam*, quam sciebat altiùs repetendam à *Siricio*, sed *secundum eam legem uxores ablatas*, eâ vi, eaque tyrannide, quâ Gregorium VII. usum fuisse supra ex Sigeberto Gemblacensi, Lamberto Schaffneburgensi & Johanne Aventino retulimus, à cujus Gregorii temporibus ad scriptam Confessionem nondum anni quingenti numerantur.

2. Confessio non dicit, quod Bellarminus eam dicere fingit, *à Gregorio VII. primas leges in Germania de Cœlibatu Sacerdotum latas esse, aut ante annos quadringentos, sive jam quingentos annos primum interdixisse Sacerdotibus Germanis conjugio sanctiones Pontificias.* Neque enim loquitur Confessio de lege in Germania vel lata, vel togata, sed observata & in effectum perducta, quando Germaniæ Sacerdotes, qui antea libertatem suam à Deo & Apostolis & Conciliis vetustioribus & Orthodoxa antiquitate concessam strenuè defenderant, vi & iniquitate Pontificum coacti sunt iniquis sanctionibus parere. Verba Confessionis sic habent: *Constat, in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos, & in Germania primùm ante annos quadringentos Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum, quem quidem adeo aversati sunt, ut Archi-Episcopus Moguntinus publicaturus edictum Romani Pontificis, eâ de re penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciviliter, ut non solùm in posterùm conjugia prohiberentur, sed etiam præsentia contra omnia jura divina & humana, contra ipsos etiam Canones factos non solùm à Pontificibus, sed à laudatissimis Syno-*

Synodis, distraherentur. Verba Germanicæ Confessionis adhuc clariora sunt: Es sind auch in Deutschland erst vor vierhundert Jahren die Priester zum Gelübde der Keuschheit vom Ehestand mit Gewalt abgedrungen. De facto ergo Confessores loquuntur, ac dicunt, fuisse olim conjugatos usque abhinc annos quadringentos, tum primùm vi depulsos Sacerdotes Germanos à conjugio & nolentes coactos ad Cœlibatum, quibus scilicet antea nunquam imponi & obtrudi potuerit jugum illud, quicquid etiam Pontifex Romanus sæpiùs vel in Synodo, vel extra Synodum tentaverit, quod verissimum esse testantur Historici superiùs citati.

3. Nimirum Gregorius VII. sive Hildebrandus, licet cœlum terræ miscere, & ipsum Acheronta commovere conaretur, non tamen potuit vel frangere, vel flectere animos Germanorum Sacerdotum, ut paterentur sibi eripi conjugii libertatem. Successor ipsius Urbanus animositati eorum retundendæ itidem impar fuit, nec potuit in universum Germanis Sacerdotibus conjugia eripere, licet & ipse circa annum 1092. Sacerdotum conjugia damnaret, ac vestigia Hildebrandi strenuè legeret. Tandem Henricus V. Imper. Paschalis furiis in patrem instigatus in prohibitionem conjugii Sacerdotalis Papis assensit, (quid enim illis non concederet, quibus nec parricidium negaverat?) & in Comitiis Northusianis politico etiam decreto sub titulo *hæresis Nicolaitarum* legitima Sacerdotum conjugia damnavit.

4. Concilia illa, quæ Bellarminus adducit, ostendunt quidem, etiam ante undecimum seculum Pontifices Romanos aliquoties tentâsse Germanis persuadere cœlibatus Sacerdotalis jugum, & persuasisse etiam nonnullis Conciliis, quorum tamen decreta, utpote illegitima, divinis Scripturis & vetustioribus Conciliis contraria abrogata statim fuêre ipso usu & moribus Sacerdotum & concessione Episcoporum Germanorum, qui ante tempora Hildebrandina quenquam ob conjugium Sacerdotio removisse non leguntur. Quòd autem observata fuerint ante undecimi seculi finem decreta ista in Germania, id Concilia illa nec affirmant, nec affirmare possunt.

5. Canones allegatos istorum Conciliorum suspectos facit *Epistola Udalrici Episcopi Augustani* superiùs adducta, qui nono vixit seculo, eo ipso scil. quo omnia illa, quæ adducuntur, habita sunt Concilia, quem ignorâsse, quæ suo seculo in Germania gesta sint, quæ recepta in nobilissimis Germaniæ Conciliis, quæ in Ecclesiis Germanicis credita, nemini facilè fit verisimile. Ipsum quoque Aquisgranense Concilium eodem seculo habitum conjugia Sacerdotibus concedit. Can. 9. *Quod verò unius virginalis matrimonii sint, qui eliguntur in Ordinem Pontificatus & in veteri lege mandatum est, & plenius scribit Apostolus, dicens, unius uxoris virum. Sacerdotem quærit Ecclesia, aut de monogamia ordinatum* (monogamum sive in monogamia ordinatum, sicut cùm additur) *aut de virginitate sanctum* (id est, in virginitate sanctum) & Can. 100. *Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur.* tom. 3. Concil. p. 333. edit. Colon.

6. Ergo Canon nonus Concilii Wormaciensis *(Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Sub-Diaconi abstineant se à conjugibus & non generent filios. Quid si hoc decretum violaverint, honore Clericatus pellantur)* si ex Historia & moribus ejus seculi res æstimanda, explicari debet non simpliciter de omnibus Clericis, sed restrictè de iis, *qui cùm ordinarentur, voto cœlibatus sese obstrinxerunt.* Habitum fuit illud Concilium Anno 868. Scripserat autem Ulricus ex praxi Germaniæ, paucis ante illud Concilium annis, *pellendos esse ab honore Clericatus, qui post promissum voto cœlibatum matrimoniis fuerant conjuncti,* cùm tamen cæteris, qui cœlibatum non voverant, nollet eripi libertatem conjugii. Nec mirum videri debet in Canone hoc Wormaciensi quædam à Romanorum dogmatum amatoribus expuncta, cùm Canon 10. Moguntini Concilii, sub Carolo Magno habiti, citetur his verbis: *Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant,* cùm tamen addendum sit & additum olim fuerit, *aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur,* ut à nostris observatum (unde etiam Bellarminus hunc Canonem Moguntinum non adducit.) Legitur enim ille Canon cum hoc additamento apud Isidorum lib. 2. de offic. cap. 2. citatur cum eodem additamento à Carolo Magno in Cap. lib. 3. c. 348. nec non à Gratiano c. His igitur dist. 23. ab ipso denique Surio producitur cum isto additamento in Concilio Aquisgranensi Canon. 100. Quid quod ipse Surius testatur, *in Canonibus Wormaciensibus discrepare exemplaria impressa à MStis.* De Canonibus *Concilii Moguntini* sub Arnolpho habiti & *Concilii Aquisgranensis* alibi agitur. Breviter, *Moguntinum Concilium,* Niceni Concilii vestigiis insistens, extranearum duntaxat συνεισάκτων fœminarum consortio Clericis interdicit, non legitimis conjugibus; *Aquisgranense* Sub-Diaconis abstinentiam ab uxoribus indicit, non in perpetuum, sed *ad tempus,* ne circa ea tempora, cum interdiu ministeria in altari obituri sunt, rei uxoriæ dent operam. Confer Dn. Kleinium p. m. in Orat. Jubil. criminationibus Bellarm. oppositâ.

11. Idem Bellarminus mendaciis annumerat, quod in Apolog. Augustanæ Confessionis dicitur, legem de Cœlibatu Clericorum in nullo Concilio reperiri. Postquam enim d. l. de Clericis cap. 19. §. Probatur secundò &c. *aliquot Concilia* pro stabilienda cœlibatus Sacerdotalis lege adduxerat, subjungit. §. Ex his &c. *Mendacium est, quòd in Apologia* (Philippus) *dicit, legem de cœlibatu Clericorum in nullo Concilio reperiri, sed à solo Romano Pontifice contra Synodorum sententiam inductam esse.*

Resp. Verba Apologiæ sic habent: *Dissentit lex Pontificia à Canonibus Conciliorum. Nam veteres Canones non prohibent conjugium, nec contracta conjugia dissolvunt, etsi hos, qui in Ministerio contraxerunt, removent ab administratione. Sed novi Canones, qui non sunt in Synodis constituti, sed privato consilio Pontificum facti, & prohibent matrimonia contrahere & contracta dissolvunt.* Hæc Apologia verissimè. Quamvis enim in quibusdam Conciliis, non tantùm particularibus, sed etiam generalibus, nonnihil sancitum fuerit de cœlibatu, & quidem, ut ne contraheretur post Ordinationem, nullus tamen antiquus Canon proferri potest, quòd matrimonium etiam post Ordinationem contractum, sit rescindendum, quòd Gregorius VII. primùm facere fuit ausus.

12. Andreas Fabricius Leodius in Harm. Confess. Aug. de abusu 7. negat in eo rectè constitui discrimen potestatis Politicæ & Ecclesiasticæ, quòd illa circa res æternas & spirituales occupetur, hæc circa corporales & temporales. *Fatemur quidem,* inquit, *per Ministerium verbi & Sacramentorum divina isthæc munera, quamdiu peregrinamur à Domino, inchoata haberi posse, sed tamen æterna non esse dicenda, nisi ad felicitatem deventum fuerit, in qua amitti non possunt.*

Resp. Christus *vitam æternam* omni credenti adscribit Joh. 3. vers. 16. & 36. cap. 5. vers. 24. &c. uti etiam Johan. 1. Epist. 5. vers. 11. nec tamen ad securitatem carnalem isthac promissione abutendum. Quamvis enim credentes in hac vita habeant *vitam æternam, æternam beatitudinem, æternas promissiones, æternum Evangelium, æternum Spiritum Sanctum cum æterno Patre & Filio,* non tamen habent *immutabiliter,* ut à fide deficere & à fide deficientes æterna ista bona amittere non possint, quem Anabaptisticum & Calvinianum errorem rejicit August. Confess. artic. 12. unde in hac militante Ecclesia ipsis quotidie contra carnis, mundi & Satanæ tentationes atque illecebras pugnandum.

13. Idem Fabricius ibidem nobis tribuit, quòd *ad pueros & mulierculas jus Sacerdotii transferamus, adeoque potestatem Ecclesiasticam cum civili confundamus.*

Resp. Calumniam hanc refellit non solùm publica Ecclesiarum nostrarum doctrina, sed etiam praxis manifesta.

14. Accusant nos, *quòd jus vocandi Ecclesiæ Ministros soli Magistratui tribuamus.* Hagerus in Collat. August. Confess. & Concil. Tridentin. artic. 14. ubi *praxin in Ecclesiis nostris hanc esse* dicit, *ut Magistratus secularis Ministrum constituat.* Sed hanc calumniam publica Ecclesiarum nostrarum Confessio & quotidiana praxis manifestè refellunt. Ex articulis Schmalcaldicis in Formul. Concord. pag. 353. manifestum, *toti Ecclesiæ & Statibus omnibus, tam Ecclesiasticis, quàm Politicis vocationem Ministrorum adscriptam & vindicatam esse,* cui Episcopalis *impositio manuum,* seu Ordinatio ad hoc officium accedat, sine qua Ordinatione nulli publicè docere, aut Sacramenta administrare licitum.

15. *Nomen Superintendentis in nostris Ecclesiis usitatum cavillantur esse novum.* Harding. in Confut. Apolog. Anglic. part. 6. cap. 3.

Resp. 1. In Jure Canonico nomen Græcum *Episcopi* per

Latinum *Superintendentis* exponitur c. Cleros dist. 21. *Episcopatus vocabulum inde ductum, quòd ille, qui efficitur Episcopus, superintendat, scil. curam gerens subditorum.* c. Qui Episcopatum caus. 8. q. 1. ex Augustino lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. Ἐπισκοπεῖν *Græcum est, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit. Ergo Episcopos, si velimus, Latinè Superintendentes possumus dicere*; ubi Glossa monet, *idem apud Anshelmum legi.* (puta in cap. 1. Phil.)

Eadem Glossa in c. Fratrem dist. 86. monet, *eum vacuum Episcopi nomen tenere, qui Superintendens non est.*

(Huc referri potest, quòd Episcopus Ambrosio lib. 1. de dignit. Sacerdotali cap 6. *Superinspector*; Hieronymo Epist. 85. *Superintendens* dicitur; quodque Bernhardus lib. 2. de consid. ad Eugenium ipsum sic alloquitur: *Blanditur cathedra? Specula est, indeque Superintendentis, sonante tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium.*)

2. Thom. 2. 2. q. 184. art. 6. Episcopi dicuntur ex eo, quòd superintendunt.

3. Expositio Romani Ordinis apud Cassandrum in Liturgicis cap. 27. fol. 60. *Tunc, quando Episcopi juxta interpretationem nominis sui superintendebant populo Dei, non despecta est mensa Domini.*

4. Claudio Espensæo Comment. in 1. Timoth. 3. fol. 38. 39. Guilielmo Estio Comment. Hebr. 12. v 15. & Johanni Lorino in Act. 20. vers. 17. *Vocabula Episcopi & Superintendentis sunt synonyma.*

16. Daventria in Harm. Fabricii ad artic. de conjugio Sacerdotum, & Bellarminus lib. de Cler. cap. 19. calumniantur, *doceri à nobis homines, ut secundum Naturam vivant*, propterea quod *Clericis conjugium esse licitum doceamus.*

Resp. 1. Distinguendum inter *Naturam puram à Deo creatam & per peccatum corruptam.* Quando conjugium Clericis permissum esse docemus, juxta Naturam à Deo institutam omnibus hominibus licere vivere docemus, cum nec divina, nec humana lex quempiam ab hac licentia exceperit.

2. Nec tamen docemus, ut *homines juxta Naturam vivant*, hoc est, non tanquam necessarium hoc ab omnibus requirimus, nec ad conjugium quenquam cogimus; sed laudamus eos, qui continentiæ dono instructi ob relationem in finem supernaturalem etiam à licitis naturalibus, ac proinde etiam à conjugio abstinent.

17. Guilielmus Bailius in Catech. Controv. tr. 1. q. 1. cum *Acephalis hæreticis* nos conjungit, propterea quod *superiores nullos dicamus agnoscendos, quales sint Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, de quibus Euthymius in Panoplia.*

Resp. 1. Acephali fuerunt *Eutychiani*. h. e. unam tantùm in Christo agnoverunt Naturam, à qua hæresi sumus alienissimi.

2. Sanderus lib. 7. de visibili Eccles. Monarch. docet, *Acephalos non ita appellatos, quòd certo autore suæ Sectæ carerent, cum autor Sectæ eorum fuerit Severus Episcopus Antiochenus, sed sic dicti sunt, ait Nicephorus lib. 18. Eccles. Histor. cap. 45. quòd sub Episcopis non fuerint, proinde Episcopis & Sacerdotibus apud eos defunctis neque Baptismus juxta solennem & receptum Ecclesiæ morem apud eos administratus, nene oblatio aut res divina facta, Ministeriumve Ecclesiasticum, sicuti moris est, celebratum est.* Si hæc Nicephori ratio vera, manifestum est, nobis injuriam fieri, cum non careamus Ordine Ecclesiastico, nec destituamur veris Episcopis, vel publicâ verbi divini prædicatione & Sacramentorum administratione.

3. Baronius ann. 535. n. 74. aliam rationem affert, *quia multa capita habuerunt, & in varias sectas divisi sunt.* At nos tuemur fidei unitatem Propheticis & Apostolicis scriptis conformem.

4. Quomodo potest Acephalis Cardinalium rejectio adscribi, cùm eorum in Ecclesia Græca, in qua vixerunt Acephali, ne nomen quidem auditum fuerit?

5. Nec tale quid apud Euthymium in Panoplia occurrit.

18. Idem Bailius tract. 2. q. 21. de nobis sic scribit: *Adversarii nostri nullam inter Clerum & populum distinctionem admittunt, dicentes, quòd omnes Christiani à S. Petro in 1. Epist. cap. 2. generatio electa, Sacerdotium Regium, gens sancta, populusque acquisitionis vocentur, adeoque quòd omnes æqualiter sint Sacerdotes & Clerus.*

Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 2. cap. 5. *Si non omnes promiscuè tam viros, quàm fœminas ad Sacerdotium admittitis, cur non Sodales aliquot vestros, qui licere id publicè prædicârunt, ad palinodiam cogitis? cur novorum Evangelistarum libros, qui ita scripserunt, comprobatis?*

Resp. Confessio Augustana & praxis Ecclesiarum nostrarum testantur contrarium.

Bellarminus lib. de Clericis cap. 7. fatetur, *Lutheranos minimè negare, quod ad rem attinet, ministerium verbi & Sacramentorum non ex æquo ad omnes pertinere, & habere ipsos quoque suos quosdam Ministros & Pastores.*

Lib. ejusd. cap. 11. scribit: *Calvinum & Chemnitium docere, tres tantùm esse veros Ordines in distinctione Clericorum sive Ministrorum Ecclesiæ.*

Plura hac de re afferemus, quando paulò post Lutherum à calumniis vindicabimus.

19. Idem tract. ejusd. q. 23. *Reformati nostri inter se nullam Ecclesiasticam superioritatem agnoscunt, sed omnes ut galli gallinacei in sterquilinio & mures in stramine contra omnem Monarchicum Ordinem æquales habentur.*

Resp. Sententiam nostram satis perspicuè declaravimus superius cap. 2. & 3. in ἐκθέσει.

II. In specie Lutherum accusant,

1. *Quòd potestatem docendi fecerit omnibus Christianis communem*, tom. 2. Lat. in lib. de Instit. Ministerii, in lib. de captiv. Babylon. in lib. de Missa privata.

Alphonsus à Castro lib. 13. advers. hæreses, verbo Sacerdotium. *Unus ex perniciosis & execrandis erroribus Lutheri est, quo docet, omnes Christianos esse Sacerdotes & omnes Christianos habere æqualem potestatem, nullâ status aut sexus discretione facta.*

Resp. 1. Non loquitur de publico Ministerio, sed de generali Novi Testamenti Sacerdotio omnibus Christianis communi. Sic enim seipsum satis perspicuè explicat tom. 2. Jen. Lat. fol. 553. in lib. de Instit. Minist. ad Pragens. *Hæc communio juris, inquit, cogit, ut unus aut quotquot placuerint communitati, eligantur vel acceptentur, qui vice & nomine omnium, qui idem juris habent, exequantur officia ista publicè, ne turpis sit confusio in populo Dei & Babylon quadam fiat in Ecclesia, sed omnia secundum ordinem fiant, ut Apostolus docuit. Aliud enim est jus publicè exequi, aliud jure in necessitate uti. Publicè exequi non licet, nisi consensu universitatis seu Ecclesiæ; in necessitate utatur, quicunque voluerit.*

Ibidem fol. 550. disputat contra Pontificiorum hypothesin *de Sacerdotio per rasuram, uncturam atque indelebilem characterem, quasi illius vi præcisè conferatur homini potestas consecrandi.*

Contra vero docet, *respiciendum esse ad verbi Ministerium*, & instantiæ loco Pontificiis opponit, *quòd etiam Baptismum & verbum vitæ mulier ministret, quæ tamen nec rasa, nec uncta sit.*

In Postill. Domin. Paschal. prox. Johan. 20. *Omnes docendi & Sacramenta administrandi potestatem habemus, sed nemo sibi hoc temerè, ut exerceat, assumere debet, nisi qui ab Ecclesia ad hoc destinatus fuerit.*

Similia occurrunt in Commentar. Psal. 82. tom. 5. Jenens. German. fol. 157. ac in Commentar. 1. Petr. Epist. tom. 2. Jenens. German. fol. 338. a. &c.

2. Hanc fuisse Lutheri mentem agnoscit ipsemet Alphonsus de Castro d. l. *Etsi, inquit, Lutherus omnes Christianos dicat esse Sacerdotes, docet tamen nemini licere illâ potestate uti, nisi per consensum communitatis, quia, ut ille ait, quod est omnium communiter, nullus singulariter potest usurpare, nisi vocetur. Potestas ergo hæc juxta Lutheri sententiam primò ad communitatem ipsam derivata fuit, deinde ab ipsa communitate in eum, qui Sacerdotio fungeretur.*

3. In libro de Missa privata tomo 6. Jen. German. fol. 99. (quem locum Adversarii itidem nobis opponunt) Lutherus loquitur *de persona in Ecclesiastico officio constituta, quòd ab ejus, quicunque tandem sit, dignitate vel indignitate & omnino qualitate non pendeat Sacramentum.*

4. Ne quidem in casu necessitatis *Eucharistiam administrandi* potestatem Laico concedit. In Colloq. mensal. de Sacram. altar. pag. 163. ad quæstionem, Ob ein Haußvater im Fall der Noth möge seinem Hauß-Gesinde des HErrn Nachtmal reichen? Respondet, Mit nichten nicht/ etc.

5. Lutherus nihil aliud docere voluit, quàm quod etiam apud Hieronymum extat adversus Lucifer. tom. 2. pag. 135. *Quivis Laicus, cùm baptizatur, Sacerdotium accipit Laici, id est, Baptismum, scriptum enim est, Reges nos & Sacerdotes Deo Patri suo fecit.*

6. Nec desunt Doctores Pontificii, (apud Navarrum Vol. 3. tom.

tom. 1. de Conf. conc. 4. num. 4. pag. 103.) *qui infanti unius diei, modò sit baptizatus, characterem cujuslibet Ordinis sacri inprimi tenent. Hoc docuit Guil. de monte Landuno, communiter receptus ibi à Cardinali & aliis, & à Bonifacio. Et Thomas part. 3. quæst. 63. artic. 16. ad 1. Per omnia Sacramenta, inquit, fit homo particeps Sacerdotii Christi, utpotè participans aliquem effectum ejus.* Hæc Navarrus.

2. Nicolaus Serarius, Thomas Henrici & alii accusant Lutherum, *quòd Doctoralem dignitatem tanquam novam vocationis speciem excogitaverit.*

Resp. Non provocat ad Doctoratum, *tanquam ad novam vocationem*, sed *tanquam ad solennem & publicam præcedentis vocationis confirmationem*, tom. 1. Jenens. fol. 54. & 359. tom. 4. Lat. in Epist. ad Galat. fol. 8. tom. 5. fol. 157. Confer tractat. de Ministerio Ecclesi. in Locis §. 138.

3. Etiam hoc nomine Lutherum perstringunt, quòd docuerit, *etiam fœminas ad Ministerium Ecclesiasticum eligi debere.*

Alphonsus de Castro lib. 10. adversus hæreses, verbo, Mulier. *Est quædam hæresis, asserens, Mulieres justè posse ad Sacerdotium promoveri. Hujus hæreseos autores sunt Pepuziani &c. Hunc errorem ante mille & trecentos annos sepultum Lutherus suscitare conatus est &c.*

Resp. 1. De electione aut vocatione mulierum ad Ministerium nihil habet Lutherus, sed *præstare tantùm* dicit, *ut in defectu virorum etiam fœminæ doceant verbum Dei, quàm ut illud prorsus taceatur.* Vide tom. 2. Jenens. Germ. fol. 14. b. & 316. a. quo pacto etiamnum privata juventutis informatio in pietate, consolatio ægrotorum, correptio delinquentium mulieribus permittitur.

2. *Mulieres in Ecclesia tacere* ex Apostolo aliquoties Lutherus jubet. Vide lib. de abus. Miss. & Commentar. in poster. Petri.

3. Emanuel Sa in Aphor. Confession. in verbo, Fœmina, docet, *posse fœminam publicè prædicare ex licentia Papæ*, n. 1.

(Si ex licentia Papæ potest fœmina docere, utique etiam in casu necessitatis, tempore obsidionis, pestis &c.)

4. Cosmas Magalianus Jesuita in Præfatione Operis Hierarchici sive Commentar. in Epistol. ad Timotheum & Titum sect. 8. scribit, *propterea Paulum tanto studio de instructione sacrorum Ministrorum & Hierarchica disciplina in his Epistolis egisse, qui prævidit, fore hæreticos, ut Lutherum & Illyricum, qui dicerent, sacram Ministrorum Ecclesiæ Ordinationem ad profanos Principes & Laicos pertinere Magistratus.*

Resp. 1. Nemo nostrûm docet, *Ordinationem* pertinere ad Principes profanos & Laicos Magistratus, sed ad personas Ecclesiasticas eam unicè pertinere dicimus.

2. *Vocationem* tribuimus Christiano Magistratui, sed non soli, verùm etiam reliquis Ecclesiæ Statibus, sive Ordinibus, videlicet Ministerio Ecclesiastico & populo Christiano, cujus sententiæ nostræ ἴδιον & confirmationem superiùs cap. 1. proposuimus.

III. *Opiniones absurdæ, falsæ & erroneæ.*

1. Bellarminus lib. de Clericis cap. 1. §. Eodem modo. *Habemus verbum Dei, in quo Episcopi & Presbyteri, cæterique Ordines Ecclesiastici Clerici nominantur.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Disput. 9. quæst. 5. punct. 2. col. 2099. *Vocabulum Clericorum Ministris Ecclesiasticis rectè tributum esse, nos probamus ex ipsa Scriptura.* Adducunt locum Propheticum Jerem. 12. vers. 13. *Cleri eorum non proderunt eis.*

Resp. 1. Vox κλῆρος tredecies in Novo Testamento occurrit, sed nuspiam in eo, quem Adversarii volunt, sensu usurpatur.

2. Erasmus in annot. 1. Petr. 5. pag. 533. *Cleros vocat Apostolus non Diaconos aut Presbyteros, sed gregem, qui cuique sorte contigit gubernandus.* (Quam interpretationem probat ex v. 2. ubi Clerus vocatur ποίμνιον τοῦ Θεοῦ.)

3. In loco Prophetico verba Hebræa נחלו לא יעלו Arias Montanus sic reddidit: *Ægrotaverunt & nihil profecerunt.* Vatablus: *Hæreditatem acceperunt & non proderit eis.* Hebræa propriè sic habent: *Possederunt, nec utilitatem acceperunt.* Nulla ergo hîc fit mentio Clericorum.

(Interim, si quis *Cleri & Clerici* significationem inde derivare velit, *quòd Pastores ab initio sorte electi, & quasi à populo separati fuerint*, ac ita Clerici Laicis opponantur, non multum de verbis, in re consentientes, litigabimus. Sic Apostoli de Juda dicebant, *quòd acceperat τὸν κλῆρον, sortem*, id est, partem *Ministerii hujus.*

c. Clericos dist. 21. ex Augustino. *Cleros & Clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum*)

2. Stapletonus in Promt. Catholic. Domin. 7. post Trinit. loco 1. *Oves & simplicem populum fugere jubet Christus Pseudo-Prophetas, non inquirere.*

Et rursum: *Quid sit Pastoris officium, non oves ipsæ & vulgus fidelium, sed alii Pastores & tota Pastorum communitas, vel maximè caput Pastorum Christi in his terris Vicarius judicare & cognoscere debent.*

Idem de princip. fid. dogmat. Controv. 4. lib. 8. cap. 9. *Non quomodo probet, sed quid dicat Ecclesia, advertendum nobis est.*

Ibid. cap. 5. *Ordinarius Ecclesiæ Pastor audiendus est, non judicandus.*

Bellarminus lib. de Cleric. cap. 28. §. Tertiò. *Absurdum est, ut ovis quocunque modo Pastorem suum judicare præsumat.*

Lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 3. §. 3. *Non est ovium judicare, an Pastor erret, nec ne?*

c. Oves 9. caus. 6. q. 1. *Oves Pastorem suum non reprehendant, plebs Episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat, quia non est discipulus super Magistrum, nec servus supra Dominum: Episcopi autem à Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit.*

Atqui hæ assertiones pugnant 1. cum præceptis Christi & Apostolorum Matth. 7. v. 15. Johan. 5. v. 39. cap. 10. v. 27. Roman. 16. v. 17. Galat. 1. v. 9. 1. Thessal. 5. v. 19. 20. & 21. 1. Johan. 4. v. 1. 2. Johan. v. 10. & 11. &c.

2. Cum aliis Juris Pontificii Canonibus. c. Si Papa dist. 40. *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehendetur, inutilis & remissus in operibus suis &c. innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus, hujus culpas isthic redarguere præsumat mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.*

(Ergo à contrario sensu tunc judicari potest.)

c. Oves, quæ &c. caus. 2. q. 7. *Oves, quæ Pastori suo commissæ sunt, eum nec rprehendere, nisi à recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenùs accusare possunt.*

(Ergo à contrario sensu, si à fide recta exorbitaverit, possunt eum reprehendere.)

3. Cum confessione Bellarmini lib. de Clericis cap. 7. *Populus debet discernere verum Prophetam à falso.*

(Ergo etiam de Propheta debet judicare.)

Itemque Melchioris Cani, qui lib. 12. Locorum Theolog. c. 4. §. Quæ sunt &c. sic disserit: *Indoctorum est ista consuetudo, eaque Saracenorum, Paganorum, hæreticorum, ut cæca & temeraria Secta sua dogmata sine judicio amplectantur, & quæ disquisitione egent maximè, hæc sine ulla disquisitione recipiant. Non erudiuntur isti, crede mihi, sed astringuntur; nec viâ & ratione docentur, sed quasi veneficiis & incantationibus in insaniam agitantur.*

3. Idem Bellarminus lib. de Clericis cap. 7. *Populus debet quidem discernere verum Prophetam à falso, sed non aliâ regulâ, quàm diligenter attendendo, an is, qui prædicat, dicat contraria illis, quæ dicebantur à prædecessoribus, vel iis, quæ dicuntur ab aliis ordinariis Pastoribus, præsertim ab Apostolica Sede & Ecclesia principali.*

(Atqui hæc regula est irregularis & fallax. Si enim discipuli Christi de ipsius doctrina juxta hanc regulam judicâssent, hæreseos eam condemnâssent, quia prædecessores ejus proximi contraria docuerant. Beroënses Act. 17. v. 11. non juxta hanc Bellarmini regulam, sed juxta *Scripturæ Canonem* de doctrina Apostolorum judicant.)

4. Idem Bellarminus d. l. *Cùm Pastor ordinarius & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet omninò populus Pastorem suum potiùs sequi, quàm illum alterum, qui non est Pastor, etiamsi fortè contingeret, ut Pastor erraret.*

(Hoc vero nihil aliud est, quàm jubere, ut oves etiam ad noxia pascua ducentem sequantur Pastorem, ut Christiani tenebras præferant luci, errores veritati, humanas constitutiones divinæ autoritati.

5. Papa Calixtus tom. 1. Concil. Epist. 2. per *uxorem* in 1. Timoth. 3. v. 2. intelligit *Ecclesiam, ut prohibitum intelligatur, ne Episcopus plures, quàm unam, regat Ecclesias.*

(Atqui Apostolus notanter loquitur de tali *uxore*, ex qua *liberos* susceperit Episcopus, quos ipsos quales esse oporteat,

ibidem addit, unde Salmeron in Commentar. illius loci sic scribit: *Solent quidam hunc locum iis objicere, qui plures cathedrales Ecclesias habent, aut qui plura beneficia curam animarum habentia ambiunt. Hoc quidem mysticum est, & bonum sensum habet, sed minime solidum, nec ad mentem Apostoli.* Confer dicta superiùs artic. prox. cap. 4. thes. 1. Except. Adversar. 1.)

6. Bellarminus lib. de Cleric. cap. 20. statuit, *Apostolum 1. Corinth. 9. v. 5. non loqui de uxoribus, sed de piis fœminis, quæ sequebantur Apostolos, & eis ministrabant.*

Idem statuunt Salmero, Bened. Justinianus, Tirinus Jesuita &c.)

(Absurda est hæc interpretatio, quia parum honorificum fuisset Apostolis conjugatis, ac ministerio eorum aliquid labis aspersisset, si proprias uxores deseruissent & fœminas alias tanquam discipulas secum circumduxissent, inde non solùm Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, Tertullianus in Exhortat. ad castitatem cap. 8. sed etiam Leó IX. contra Epistolam Nicetæ c. Omninò dist. 31. de uxoribus Apostolorum hunc locum rectiùs accipit, & Andreas Dudithius QuinquEcclesiensis Episcopus in Demonstrat. pro conjugio Clericorum pag. 56. multis idipsum demonstrat. *Quid aliud*, inquit, *per sororem mulierem intelligi potest? an alia quævis fœmina? cur ergo addidit vocem mulierem? Nugatio enim esset & ad excludendum virum satis erat sororem nominâsse. Græcus contextus habet ἀδελφὴν γυναῖκα. Primum illud idem valere satis apparet, quàm si dixisset πιστὴν, id est, fidelem seu Christianam. Ita enim fratres & sorores Apostoli & tota illa antiquitas vocare solebat eos, qui eundem Deum Patrem colerent, inque ejus Filium JEsum Christum crederent, quare novum videri non debet, neque inusitatum, quòd uxorem sororis quoque vocabulo cohonestârit. Jam illud alterum omnino uxorem significare certum est, γυνὴ enim eam vim habet, ut & mulierem simpliciter, & uxorem plerunque denotet, quod ne apud Latinos quidem autores infrequens est, ut mulieris nomine uxor significetur &c. Supra cap. 7. cum de uxoribus Apostolus loquitur non alio, quàm hoc quoque loco, nimirum γυναικὸς vocabulo utitur, & 1. Timoth. 3. Episcopum vult esse μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, & proximè superiore capite, cùm inquit: Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit, ἡ δὲ γυνὴ, inquit. Eam autem mulierem quis neget Adami uxorem fuisse? Ita ad Tit. 1. cùm Presbyteros ordinari præcepit, si quis sine crimine est, unius uxoris vir, inquit, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. Interpres eo loco, ut supra quoque 1. Corinth. 7. & alibi acutiùs vidit, nam quemadmodum & hic facto opus fuerat, ibi γυναικὸς uxoris vertit. Adde, quòd nisi illæ uxores fuissent, suspicio oriri potuit, scorta ab Apostolis circumduci, quod summo studio illos cavisse verisimile est, ne per ipsorum latus Evangelii, quod docebant, autoritas convitiis & criminationibus vulneraretur. Decebat autem Apostolorum domum & familiam atque universam societatem non crimine solùm, verùm etiam omni criminis suspicione vacare &c.* Ad significandum sexum suffecisset solum verbum ἀδελφὴν, ut omittitur γυναικὸς verbum passim, veluti 1. Timoth. 5. v. 2. Tit. 2. v. 3. Philem. v. 1. Roman. 16. v. 15. Deinde piarum mulierum ministeria & honestam conversationem neque aversatus, neque aspernatus est Paulus, qui & in Lydiæ domum divertit, & sibi ministrari passus est, Actor. 16. v. 14. Confer Rom. 16. v. 1. 2. 3. 6. 12. 13. 15. Actor. 18. v. 2. & 18. 1. Corinth. 16. v. 19. 2. Tim. 4. v. 19. Urgemus insuper verbum περιάγειν, quod significat autoritatem ejus, qui circumducit in eum vel eam, qui, vel quæ circumducitur. Urgemus etiam circumstantias textus. Nam his mulieribus, quæ sumtum Apostolis faciebant, Ecclesiæ sublevabantur, ergo illarum circumductio non gravâsset Ecclesias. Præterea Apostolus de potestate sibi ac Barnabæ mulierem secum circumducendi concessa loquitur. At si Adversariorum interpretatio locum haberet, non tam de Apostolorum, quàm de mulierum eos spontè sequentium potestate agendum fuisset.)

7. Bellarminus de Clericis cap. 30. resp. ad 2. arg. *Quotquot Episcopi sanctissimi hactenus fuerunt, omnes continentes fuerunt.*

(Atqui 1. hac ratione vel negandum foret, Patriarchas, Prophetas & Apostolos fuisse Episcopos, vel eos in conjugio vixisse. Utrumque Scripturis adversatur. 2. Quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt, *in primitiva Ecclesia Episcopos quosdam fuisse conjugatos*, ut superiùs ostendimus.)

8. Idem Bellarminus d. l. resp. ad 4. arg. *Apostoli, qui uxores habuerunt, postquam vocati a Christo fuerunt, officio conjugali renuntiârunt, ut satis colligitur ex Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, statim enim Dominus, quid sit relinquere omnia, adjicit: Omnis, qui reliquerit Patrem, aut matrem, aut uxorem.*

(Contra Jansenius in Conc. Evang. c. 100. *Quamvis Petrus locutus fuerit de dimissione omnium propter desiderium perfectioris vitæ, Dominus tamen suam doctrinam extendit non tantùm ad eos, qui instar Apostolorum sua vel suos relinquunt propter perfectionem assequendam, sed etiam ad eos, qui relinquunt propter conservandam vitam spiritualem & gratiam Christi, quam conservare non possent, nisi suorum derelictione &c. Quemadmodum enim dixit Dominus, qui perdiderit animam suam, inveniet eam, non hoc dixit, ut nos ipsos interimamus, sed ut ipsi etiam animæ nostræ fidem, quæ in illum est, & amorem præponamus: ita & nunc dicens, qui reliquerit uxorem, non hoc dixit, ut nuptias penitùs dividat, sed ut ipsi quoque conjugi præponamus & ipsum & Evangelium & regnum Dei.* Confer ea, quæ dicta superiùs cap. 4. thes. 1. in except. Advers.)

9. *Siricius Pontifex Epist. 4. & Innocentius Pontifex Epist. 3. ideo se à conjugio Sacerdotes arcere dicunt, ut munditia & pudicitiæ puritate securi possint orare, baptizare & sacrificium offerre. Si enim* (inquiunt) *contaminatus quis est carnali concupiscentiâ* (h. e. conjugali consortio,) *quo pudore, quâ mente sacrificare audebit? quâ conscientiâ, quo merito exaudiri se credit? cum scriptum sit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.* Accommodant etiam ad conjugium Sacerdotum dictum Apostolicum. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, atque illos, qui conjugia Sacerdotum defendunt, vocant *libidinum sectatores, vitiorumque præceptores*, tom. 1. Concil. fol. 422. c. Decernimus dist. 28. c. Impudicitia. c. Tenere dist. 31. c. Proposuisti dist. 82.

(Bellarminus de matrim. cap. 5. Siricium & Innocentium hoc modo defendit, *quòd non de conjugio in genere, sed de conjugio Sacerdotum in specie loquantur.* Sed manifestum est, quòd conjugium Sacerdotum prohibendum esse probent hisce argumentis, quia *Sacerdotes debent esse sancti & mundi*; quia, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt &c.* Hoc subterfugium Bellarmini refellit Vasquez tract. de matrim. Disp. 2. cap. 8. Aliam ibidem exceptionem affert Vasquez, *quod non tam perfectè possint Deo placere, qui conjugio utuntur, ut ad Sacerdotalia munera apti sint.* Sed nec hoc congruit verbis Apostoli. Loquitur enim de illis, *qui secundum carnem vivunt*, & planè non possunt Deo placere.)

10. Monachi Burdegalenses in abjurat. art. 53 redeuntibus ad Ecclesiam Romanam hanc præscribunt Confessionem. *Specialiter abhorreo commentitium matrimonium Presbyterorum, qui unà sibi tribuunt nomen Ministrorum divini Evangelii, & unà serviunt mundo per mulierem.*

(Volunt igitur, *Ministros uxoratos non posse servire Deo, cùm duobus Dominis tantopere contrariis nemo servire possit.* Quia verò idem matrimonium in conjugatis Presbyteris & aliis Christianis, sequetur etiam reliquos conjuges per mulierem servire mundo.) Huic Monachorum Burdegalensium assertioni affine est illud Copi Dial. 1. pag. 159. *Græcos solos in hac impudicitiæ Schola*, (in asserendo Sacerdotum conjugio) *Magistros sequuntur.*

11. Campegius, Piggius, Eccius, Hosius & alii pronuntiant, *graviùs peccare Sacerdotem, si uxorem ducat, quàm si scortetur, vel domui concubinam alat.* Cujus pronuntiati aliquot rationes proferunt. Verba Hosii sic habent Confessionis cap. 56. *Reprehenditur à Philippo Pighius, qui non verè magis, quàm piè scriptum reliquit, minus peccare Sacerdotem, qui ex infirmitate carnis in fornicationem sit prolapsus, quàm qui nuptias contraxit. Turpis illi videtur hæc oratio: contrà Catholicis honestissima.*

(At Pighius non solùm infirmum, sed etiam socordem describit, sic enim loquitur)

Controv. 15. *Sed esto, non faciunt obligati voto omnes, quod possunt & debent, ut habeant continentiæ gratiam, & proinde non solum tentantur, sed etiam uruntur eorum pleriq; Quid igitur? An nubere his minus malum erit? His, inquam, an saltem minus malum, minusq; damnabile erit nubere, quàm uri? Tu vide, quis pejor servus est? an qui gravatus servitio & fortassis negligentiùs aut incautiùs agens cadit sub onere? an qui jugum in totum projicit? Quis pejor discipulus? an qui ex præscipto edi-*

edifcit, non quidem universum, quod fortè potuisset, nisi crapulæ & somno indulsisset securiùs, tamen partem : an qui scholam prorsus deserit?

Hisce longè audacior Costerus, qui in Enchirid. cap. de Cœlibatu Sacerdotum prop. 9. hæc habet: *Sacerdos, si fornicetur, aut domi concubinam alat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, graviùs tamen peccat, si contrahat matrimonium.* Quod ipsum quibusdam ratiunculis evincere laborat. *Vide,* inquit, *gravitatem delicti commissi. Sacerdotes, si uxorem ducant: Primò, voto solenni castitatis injuriam faciunt. Secundò, Ecclesiam graviùs vulnerant, cum qua tanquam Sponsi copulati sunt. Tertiò, inverecundiùs scortantur cum ea, quam pro sua haberi volunt. Quarto, obstinata præfractaque voluntate in peccato perseverant. Quinto, hæresi vitiatum intellectum habent, quod arbitrentur esse nuptias, quæ non sunt nuptiæ, sed pejora omnibus adulteriis sacrilegia.*

Andreas Fricius in Epistola nuncupatoria præfixa lib. 2. de Eccles. memorat, *quosdam scripsisse, minùs peccare Presbyterum, qui cum centum diversis personis scortarentur, quàm qui cum una quapiam contrahat.*

Campegius Cardinalis idemque Pontificis à latere Legatus, referente Sleidano, lib. 4. Comment. dixit: *Quòd Sacerdotes fiant mariti, multo esse gravius peccatum, quàm si plurimas domi meretrices alant.*

Bavaricus articulus quinquagesimus nonus apud Bullingerum in Institutione sic habet: *An non Sacerdos, qui uxorem nomine & opinione contra votum susceptum sibi conjungit, graviter peccet? & an non tale matrimonium sit geminata scortatio & incestus, & juxta leges gladio puniendum sit?*

Matthias Aquensis adversus præcipuos Buceri errores. *Ego quidem mihi videor videre, quod ille, qui post hujusmodi continentiæ votum Domino Deo factum adducit & devovet potestatem corporis sui cuivis mulieri, inæqualiter magis contemnat omnipotentem Deum atq; per deliberato animo factam obligationem in hujuscemodi perfidia perseverandi, magis quoq; offendat, quàm ille, qui post æquale votum humanâ fragilitate deviaret cum centum diversis personis, ita tamen, quod cum nulla illarũ se vellet devovere juxta formam contractus matrimonialis conjugii.*

Cornelius à Lapide in 1. Corinth. 7. eandem vocem repetit. *Voto castitatis constrictis eamque professis æque ut maritis satius est uri & fornicari, quàm secundò nubere. Nuptiæ enim hæ permanens sacrilegium sunt vel adulterium, quod pejus est fornicatione vel sacrilegio transeunte.*

Armandus Jesuita in Epistola 1. ad Chamierum p. 33. scribit: *Verba illa Piggii, Hosii, Eccii, Costeri &c. (quod Sacerdos ducens uxorem gravius peccet, quàm si scortetur, vel domi concubinam alat) doctrinæ Christi, Apostolorum, omnibus Conciliis & Patribus maximè consentanea esse.*

Hùc referri potest, quòd Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 8. art. 6. pag. 937. inter errores numerat, quod Petrus Bursius (referente Petro Blesensi) circa annum 1150. docuit, *Sacerdotes & Monachos debere potius uxores ducere, quàm scortari.*

(Contrà. Glossa in c. Presbyter dist. 28. *Magis punitur Sacerdos, qui fornicatur, quàm qui legitimè contrahit, & hoc ideo, quia facit contra sacrum Ordinem & etiam contra legem, & ideo minus peccat ducendo uxorem, quia credit, hoc sibi licere.* Fatentur plerique ex Adversariis, *cœlibatum Sacerdotum esse tantum juris humani,* prohibitionem scortationis esse juris divini. Quòd si ergo graviùs peccare docent Sacerdotes matrimonium contrahentes, quàm scortantes, jus humanum divino manifestè præfertur.)

12. Bellarminus lib. de Clericis c. 19. *Conjugium Sacerdotum non est conjugium, sed sacrilegium.*

(Nec tamen jure divino Sacerdotes ad Cœlibatum astringuntur.)

13. Idem in lib. de Clericis cap. 24. sic scribit: *Prohiberi quidem in Episcopo concubinatum & adulteria, sed tamen magis prohiberi bigamiam, quàm ista, in deligendo Episcopo.*

Ibidem. *Etiamsi longè turpior sit concubinatus, quàm digamia, tamen digamia ex Natura sua est signum incontinentiæ magis diuturnæ, firmiusque adhærentis.*

(Cùm secundæ nuptiæ suâ Naturâ sint eædem, sive Clerici, sive Laici eas contrahant, consequens fuerit, secundas nuptias continere suspicionem incontinentiæ magis diuturnæ firmiusque inhærentis, quàm concubinatum, à quibuscunque tandem contrahantur, ex quo promtè inferri posset, honestati ac bonis moribus easdem repugnare.

14. Mensio Popius Curothalassius lib. 5. Cyclopædion refert, *dixisse quendam Monachum, majus esse peccatum, si Sacerdos ducat uxorem, quàm si cum brutis animantibus libidinem exerceat.*

15. Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 15. scribit, *quod Episcopus sit solumodo Pastor suæ Diœceseos, & quod inferiores Ministri aut Doctores non sint propriè Pastores.*

(Contrarium patet ex 1. Petr. 5. v. 2. *Presbyteros, qui in vobis sunt, obsecro &c. Pascite gregem, qui in vobis est.)*

16. Idem lib. 1. de Pont. Rom. cap. 9. resp. ad 4. *Gubernatio Ecclesiæ facilior est, quàm gubernatio Reipublicæ.*

(Contrarium colligi potest ex 2. Corinth. 2. v. 15. *Ad hæc quis idoneus?* cap. 11. v. 28. *instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum.)*

17. Anglo-Rhemenses in annot. Actor. 13. statuunt, *quòd Paulus fuerit consecratus, ordinatus & emissus per homines.*

(Contrarium ipse testatur Galat. 1. v. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem &c.*

18. Ribera in Comment. Hebr. 7. n. 2. *Solus Christus perfectus Sacerdos. Pontifices autem Romani, qui succedunt, non aliud Sacerdotium habent, aut aliud sacrificium offerunt.*

(Contrà Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 25. §. Quod autem. *Nullus Catholicus affirmat, Sacerdotes, qui sunt in Ecclesia, Christo succedere.)*

19. Simeon Dunelmensis lib. 2. Chronic. *Anno Domini* 1099. *Urbanus Papa in Concilio Romæ hanc sententiam protulit contra Principes illos, qui Prælatorum investituras darent. Nimis execrabile videtur, ut manus, quæ Deum cuncta creantem suo signaculo creent, in hanc ignominiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscœnis contractibus inquinantur.*

20. Quidam Clerici Papales se vocant *Canonicos seculares & irregulares,* appositum in opposito proferentes. *Canonicum irregularem* vocant, qui non ampliùs vivit sub regulis Ecclesiasticis, neque ministeria exercet Ecclesiastica, Presbyterialia, Diaconalia, Sub-Diaconalia, sed solâ sessione in choro, dum divina officia peraguntur, contentus est, & ornamenti potiùs externi, quàm officii gratiâ Ecclesiam frequentat ad distributiones lucrandas quotidianas, cæterum à vita Clericali & Canonica alienissimus. Ita enim eum describit Marcus Antonius de Dominis lib. 2. de Republ. Eccles. cap. 9. Sed talem Canonicum secularem ac irregularem Albertus Cranzius vocat *monstrum sine exemplo, regularem sine regula, Canonicum sine Canone.*

Georgius Cassander in Consult. artic. 25. *Manent adhuc vestigia communis & Canonicæ vitæ, sed in ædificiis ac nominibus tantum. Alii absurdo & monstroso nomine dicuntur Canonici seculares, hoc est, regulares irregulares.*

Azorius lib. 10. Institut. moral. cap. 11. *Distributiones quotidianæ seu fructus dantur Canonicis, ratione cantus in choro, non ratione solius præsentiæ.*

21. c. Qui semel dist. 50. ex Martino Papa. *Qui semel post suam Ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci.*

Contrà c. Quia aliquanti dist. 82. ex Papa Siricio. *Quia aliquanti, de quibus loquimur, ignorantiâ se lapsos esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non denegandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo dejecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere.*

c. Presbyter dist. eadem ex Concilio Hibernensi. *Presbyter, si fornicationem fecerit, quanquam secundum Canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta autoritatem B. Papæ Sylvestri, si in vitio non perduraverit, sed suâ sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis pœniteat &c. Expleto septimo anni circulo, si sui confratres, apud quos pœnituit, ejus condignam pœnitentiam collaudaverint, Episcopus in pristinum honorem juxta Papæ Calixti autoritatem eum revocare poterit.*

22. c. Presbyter dist. 82. *Presbyter, si fornicationem fecerit, quanquam secundum Canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta autoritatem B. Sylvestri, si in vitio non perduraverit, si sua sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat &c.* ubi Glossa sic annotat: *Dicunt hodie pro fornicatione neminem deponendum, nisi in ea perduret.*

Glossa in c. Maximianus dist. 81. *Communiter dicitur, quod*

pro simplici fornicatione quis deponi non debet, quandoquidem pauci sine illo vitio inveniuntur.

Eadem Glossa in c. Nullus dist. 32. *Hic Canon* (quòd Missa Presbyteri concubinam habentis non sit audienda) *quandoque fuit latæ sententiæ, sed hodie non est, ideo licet notoria sit fornicatio, tamen non est propter eam abstinendum ab officiis Presbyterorum.*

23. Canonistæ statuunt, *adhuc in Novo Testamento decimas jure divino personis Ecclesiasticis deberi.*

c. Non est in potestate, & c. Prohibemus lib. 3. Decretal. tit. 30. de Decimis. c. Parochianos ibid. *Cùm decimæ non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutæ, quasi debitum exigi possunt.*

Contrà 1. Non omnes Canonistis assurgunt in hac quæstione.

Alphonsus de Castro lib. 5. adversus hæres. verbo, Decimæ. *Etsi ab omnibus receptum sit, aliquid debere Sacerdotibus offerri, & hoc non solùm jure divino, verùm etiam lege Naturæ, tamen utrum id, quod debetur, sit juxta veram decimæ taxationem computandum, de hoc est controversia inter Doctores, Canonistis dicentibus, etiam illam Decimæ taxationem esse jure divino adhuc Sacerdotibus debitam: Theologis verò dicentibus, talem Decimæ taxationem fuisse veteris legis Ceremoniam, atque ideo fuisse per mortem Christi abrogatam. Quapropter dicunt, aliquid deberi Sacerdotibus de jure divino & naturali, quod autem tale quid sit sumendum juxta veræ Decimæ taxationem, illud dicunt esse nunc in lege Evangelica ex solo jure humano.*

2. Tempore Tertulliani ignota erat hæc Constitutio de Decimis, quia Ecclesiæ Ministri uniuscujusque arbitrio relinquebant, quid & quantum vellet offerre, *ne redemta pretio religio videretur*, ut loquitur Tertullianus apud Baronium Ann. 57. num. 77.

3. *Ab Ethnicis* jus Decimarum in Ecclesiam Romanam profluxisse testatur Baronius Ann. 57. n. 74. *Quod ad decimas pertinet, etsi jure divino in lege veteri primitùs imperatæ noscuntur: tamen, sicut ante legem scriptam eas Abraham de pugna quinq. Regum victor persolvit magno Sacerdoti Melchisedech: ita etiam & gentiles quodam religionis impulsu, sæpe in bello de manubiis novisse Decimas & reddidisse, Scriptorum veterum monumenta testantur. Id à Posthumio factum, obtentâ belli Latini victoriâ, nec non ab aliis Romanorum Ducibus Romanarum rerum Historici tradiderunt. Habes & de Decimis illud apud Plautum. Ut Decimas Herculi solveret &c.* Postquam multa in hanc sententiam ex scriptoribus Ethnicis adduxisset, concludit. *At verò non immorabor diutiùs in singulis exemplis recensendis. Constat quidem apud omnes ferè gentes, velut quodam Naturæ jussu exigente, Decimas Numini devotas ac redditas.*

Idem anno 44. n. 88. *Offerre & vovere Decimas apud Gentiles etiam, sicut Judæos, observatum invenies apud Dionysium.*

4. Idem Baronius Ann. 57. n. 75. *ex Judaismo* Decimarum necessitatem deducit. *In necessarium*, inquit, *usum Levitarum Decimæ offerebantur in templo, secundum illud Numerorum. Nihil aliud possidebunt, Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi. Quæ sunt igitur ad necessarium usum Sacerdotum, jus Naturæ inprimis præstanda monet, lex Dei præcipit, ac Christus denique jubet esse servanda &c.*

Num. 76. *Si igitur talia tantaque antiquæ legis Sacerdotio debebantur, quanto majora essent tribuenda Christianæ legis Sacerdotio; quod antonomasticè Regale appellatum, tantò est illo excellentius atque sublimius, quantò umbrâ veritas, & typo opus magnificentissimè absolutum.*

Bellarminus lib. de Clericis cap. 25. §. Quod autem &c. debitum Decimarum itidem ex ll. Ceremonialib. V.T. deducit. *Quod*, inquit, *de jure divino sit, probatur ex utroque Testamento, & primùm ex Levit. ultimo, Num. 18. Malach. 3. & alibi. Deus jussit Decimas Levitis dari &c.*

§. Altero modo &c. *Cùm sacri Canones dicunt, jure divino deberi Decimas, intelligi possunt, ut sit sensus: Deum imposuisse Decimas Christianis non verbo, sed exemplo. Nam dum eas Judæis imposuit, simul ostendit, quid etiam Christianos facere par esset, quomodo quidam Patres dicunt, quadragesimam indictam esse à Domino, quia nimirum exemplo nos docuit jejunare Quadragesimam.*

(Ibidem tamen Bellarminus addit, *Licet præcepta Levitica non obligent Christianos, ut judicialia erant, obligant tamen quatenus moralia, id est, quòd pars aliqua fructuum sit Sacerdotibus danda*; quam distinctionem libenter concedimus, sed ea repugnat Decimarum necessitati in Veteri Testamento præscriptæ.)

Polydorus Vergilius lib. 6. de Rerum Invent. cap. 4. pag. 549. *Moses, imo Deus ipse, cujus jussu ille cuncta gesserat, autor fuit, ut primitiæ & Decimæ Levitis ac Sacerdotibus offerrentur. Hanc legem, utpote Apostolica & Evangelica autoritate corroboratam, Origenes super Numeros servari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium probat.*

24. Pontificii à Sacerdotio communiter arcent omnes eos, qui *secundo matrimonio* juncti fuerunt, etsi post uxorum obitum cœlibes vivant, non autem arcent eos, qui concubinas habuerunt. Hujus Decreti occasione Glossa Juris Canonici in cap. Quia circa, ext. de Bigamis. hoc protulit. *Nota, quod plures habens concubinas irregularitatem non incurrit. Nota mirabile, quod cum eo, qui peccat, dispensatur*, (nempe cum scortatore;) *cum illo autem, qui non peccat*, (id est, cum bigamo successivo) *non dispensatur. Nota mirabile, quod plus juris hic habet luxuria, quam castitas.*

Clericus uxoratus deponitur, c. Erubescent 11. dist. 32.

Fornicarius aut concubinarius non item, c. Hi, qui altario 52. c. Presbyteros dist. 50.

Gregorius de Valentia lib. 5. de Idololatr. cap. 10. §. Docuit Tatianus &c. negare non potest, *hoc doceri in Ecclesia Romana*, neque abnuit, *docuisse Tatianos, non minùs Deo displicere conjugium, quàm scortationem*, tantùm sic conatur hoc excusare, *non spectari ea in re conjugium, sed sacrilegium, quod scortatione sit gravius.*

(Atqui fictum illud sacrilegium ex eo ducit originem, quòd conjugium sanctitati Clericali nocumentum afferre judicatur.)

25. Baronius ad Annum 57. num. 31. probare conatur, *longe præstare Christi Sacerdotes Regibus atque Principibus*: ac præeminentia in Ecclesia minimè contentus, docet, *non solum Sacerdotem, sed minimum quoque Diaconum in mensa non tantum Domini, verùm etiam communi Imperatoribus ac Regibus præferendum esse*, allegans ex Severi vita Martini c. 23. quòd *Martino à Maximo Imperatore mensâ excepto in medio ferè convivio, ut moris est, pateram Regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo potiùs dari jubet, expectans atque ambiens, ut ab illius dextra poculum sumeret. Sed Martinus, ut bibit, pateram suo Presbytero tradidit, nullum scil. existimans digniorem, qui post se biberet; nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos, qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod etiam*, (inquit Baronius) *si Diaconum absque Presbytero habuisset, fecisset.*

26. Petrus Ravennas ext. de immunitate Ecclesiarum. *Quamvis tactus & oscula sint præludia incontinentiæ in Laicis, secus tamen est in Clericis, nam Clericus præsumitur ista facere pro caritate & bono zelo.*

Glossa in c. Absit caus. 11. q. 3. *Si ergo Clericus amplectitur mulierem, interpretabitur, quòd causâ benedicendi eam hoc faciat*, ubi in margine annotatur. *Clericus amplectens mulierem præsumitur bene agere.*

27. Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 25. *Exorcistarum Ordinem* probat ex eo, quòd *ut veteres Judæi certas ad Diabolos ex hominum corporibus ejiciendos formulas habuerunt, & eo munere fungentes Exorcistæ appellabantur, ut liquet Actor. 19. ita etiam Deus Apostolis & Discipulis Energumenos ab immundis spiritibus liberandi potestatem dederit, Matthæi ac Lucæ cap. 10.*

Resp. 1. Judæorum Exorcismi inveteratæ erant superstitiones & imposturæ damnabiles, prorsusque Diabolicam Magiam spirabant, tantum abest, ut divinitùs fuerint institutæ, eorumque formulæ à Deo in lege præscriptæ.

Joseph. lib. 8. Antiquit. cap. 2. *Vidi*, inquit, *ex popularibus meis quendam Eleazarum in præsentia Vespasiani &c. multos arreptitios curantem. Modus verò curationis erat hic. Admoto naribus Dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ, ad cujus olfactum per nasum extrahebatur Dæmonium.* Tales Exorcistæ erant Scevæ filii, quorum Lucas meminit Actor. 19. nimirum meri præstigiatores, turpe lucrum sectantes, suisque Exorcismis negotiantes.

Justinus Martyr in Dial. adversi. Tryphon. pag. 243. edit. Commelin. Tryphoni Judæo objiciebat, *quod Judæorum Exorci-*

cistæ arte quâdam, veluti gentes, in adjurationibus uterentur, & thymiamata ac vincula adhiberent.

2. Potestas liberandi Energumenos Apostolis data fuit *donum speciale & extraordinarium*, quo non probatur, Christum instituisse peculiarem Exorcistarum Ordinem, qui in Ecclesia debeat esse perpetuus, aut præscripsisse certas Exorcismorum formulas.

3. In primitiva Ecclesia Apostolicæ vicina non tantùm Presbyteri, sed etiam Laici quandoque hoc dono erant præditi, eoque secundùm Spiritus S. instinctum utebantur. Tertullianus lib. de corona militis cap. 11. testatur, *suo tempore quosdam Christianos milites Diabolos per Exorcismos fugandi dono præditos fuisse.*

Lib. de Idololatr. cap. 6. *Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, fumantes aras despuet & exsufflabit, quibus ipse prospexit? Quâ constantiâ exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat? &c. Si excluserit Dæmonium, non sibi placeat de fide, non enim inimicum exclusit. Facile debuit de eo impetrare, quem quotidie pascit*, (scilicet suis suffitibus. Loquitur enim de illis, qui suffitum idolis sacrificandum vendebant.)

4. Thuanus lib. 13?. prolixè commemorat, *Monachos Capuccinos & alios in Martha Brosseria Salmurii, Andegavi, Aureliæ & tandem Parisiis exorcismis suis liberanda frustrà desudâsse.*

Inter alia remedia huic miseræ applicata Clerus Aurelianensis suffitum quendam ex libro Hieron. Mengi, *Flagellum Dæmonum* dicto, adhibebat, qui sic habebat: *Recipe*, inquiunt, *Galbani, Sulphuris, Asæ fœtidæ, Aristolochiæ, Hypericonis, Rutæ, scrup. iij. Et omnia simul conjurata ac benedicta sequenti benedictione, projice in ignem, & vexatum, velit, nolit, diu fac super ignem suffumigari.* Huic addunt benedictionem horribilem contra spiritus malignos. In hoc flagello Dæmonum (qui liber cum aliis extat in Malleo maleficarum) *aqua, terra, aër, ignis, omniaque ex quatuor Elementis mixta, ipse infernus* peculiares suas conjurationes habent; *varia olea* Dæmoniacis bibenda præscribuntur, *jus cula quoque & potiones* conjuratione suâ ac magnâ Hebræorum, Græcorumque vocabulorum congerie signatæ. Habetur ibidem descriptio *certarum chartarum peculiaribus characteribus* propriâ benedictione benedictis signatarum &c.

Ann. 1608. Coloniæ, sumtibus Lazari Zezneri, editus est liber Exorcismorum, cujus titulus sic habet: *Thesaurus Exorcismorum & conjurationum terribilium cum practica probatissimorum autorum.* Cui verò persuadebunt ejusmodi Exorcismorum formulas à Christo vel Apostolis fuisse institutas, vel usurpatas?

(Concludimus igitur verbis Origenis tract. 35. in Matth. *Quæret aliquis, si convenit vel Dæmones adjurare? Et, qui respicit ad multos, qui talia facere ausi sunt, dicet non sine ratione fieri hoc. Qui autem aspicit Jesum imperantem Dæmonibus, sed etiam potestatem dantem Discipulis super omnia Dæmonia, & ut infirmitates sanarent, dicet, quoniam non est secundùm potestatem datam a Salvatore adjurare Dæmonia. Judaicum est enim.*)

28. Idem Bailius d. l. q. 26. *Ab initio Ecclesiæ Sacerdotes & Monachi coronati & tonsi fuerunt &c. Quidam dicunt, quod Sacerdotes figuram sphæricam in capite gerant, in perfectionis ac regni spiritualis signum, gens sancta, Sacerdotium sanctum. Quicquid sit, mos tondendi Ecclesiasticos ab ipso ortu Ecclesiæ ex traditione Apostolica profectus est, ut doctus Baronius 1. Annal. tomo n. 122. & seqq. annotat, de anno Servatoris 58. agens, ubi eum multorum veterum testimonio comprobat.*

Resp. 1. Absurdum est dicere, *Monachos ab initio Ecclesiæ fuisse rasos*, cùm ab initio Ecclesiæ non extiterint Monachi.

2. Provocat Bailius ad Isidorum, qui lib. 2. de Officiis hanc consuetudinem à Paulo deducat, *qui, ad Judæos Nazaræos alliciendos, capillos suos templo dedicabat, eosq; igne holocaustorum pacificorum comburi curabat.* Act. 21. Sed Bellarm. lib. de Monachis cap. 40. hanc rationem sibi minimè probari dicit, siquidem *Nazaræi tum solùm tondebantur, quando desinebant esse Nazaræi, insigneque eorum erat longa cæsaries.*

(Si hoc argumentum valeret. Paulus Nazaræus capillos sibi comburendos radi fecit. Ergò etiam Sacerdotes & Monachi coronandi & radendi, eâdem ratione Sacerdotes & Monachi circumcidi possent, Paulus enim Timotheum circumcidit.)

3. Omnibus Christianis competit, quòd sit *gens sancta, Sacerdotium sanctum &c.* quodque *passionem Christi perpetuò in mente circumferre debeant.* Sequeretur ergò omnes esse radendos.

4. Bailius ex Epist. 147. Augustini adducit, *quòd olim in honoris signum, quando aliquid à Sacerdote petebatur, per coronam suam adjurabatur.* Sed Lorinus in cap. 18. Actor. v. 18. postquam multis de hac obsecrationis formula disseruisset, tandem concludit. *Cùm solis Episcopis, qui Sacerdotum nomine aliquando intelligantur, videatur tribui dicta coronæ nomenclatura, fortasse per coronam intelligitur augustus ille capitis amictus, quem dicunt mitram, proprius Episcoporum.*

5. Bellarminus lib. de Monachis cap. 40. fateri cogitur, *inter veteres Sacerdotes & Monachos non fuisse rasos, ut hodie fieri solet*, allegans ad eam rem Optatum Milevitanum lib. 2. contra Parmen. *Docete, uti vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus, cùm è contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Huic, ut & Hieronymi dictis idem innuentibus nihil quod respondeat habet, *quàm ejusmodi Ceremonias pro temporum & locorum diversitate variari posse.*

(Cur igitur eas nobis tanquam necessarias obtrudunt?)

6. Rasura Sacerdotum ab Ethnicis potiùs originem duxit. Polyd. Vergil. lib. 4. de rer. invent. cap. 8. pag. 333. *Herodotus in Euterpe, & Plinius scribunt, Sacerdotes Ægyptios consuevisse derasis capitibus mœrere & in luctu esse ex morte Apis, qui in Ægypto Numinis vice colebatur, ac demùm totum corpus eradere, ut ne quid eis inter Deorum cultum aut pediculi, aliarumve sordium crearetur. Meminit & Apulejus libro asini sui aurei 2. de hujusmodi Sacerdotibus derasis. Hinc igitur opinor fluxit ritus Nazaræorum, & ab iis nostrorum Sacerdotum, qui jubentur caput radere & comam nutrire prohibentur.*

Cælius Rhodiginus lib. 18. cap. 35. *Macas memoriæ proditum est, summa capitis curiosiùs deradere, relictis in meditullio capillis, quos succrescentes circumtondent eâdem curâ. Possent videri Sacerdotes nostri ritum inde mutuati, nisi quòd capitis corona ex Romanæ Ecclesiæ institutione regnum præfert, quod in Christo expectatur.*

Baronius Anno 58. n. 127. negat quidem, *Christianos morem illum desumsisse ab Ethnicis*, convictus tamen vi veritatis *argumento ab Ethnicis petito*, ibidem & n. 128. coronam Clericalem defendit.

7. Eadem rasura *à Nazaræis Judæorum* originem trahit. Baronius Anno 58. n. 122. *Quòd Nazaræi, qui cæteris sanctiores haberentur, religionis ergo in templo capita radenda offerrent, Apostolicâ traditione in Ecclesiam derivatum traditur, ut qui à communi hominum vita recedentes, exquisitius vivendi genus affectarentur, ac per omnia sese divino cultui manciparent, deberent eorum capita radi. Id Isidorus his verbis testatur. Tonsuræ Ecclesiasticæ usus à Nazaræis, ni fallor, exortus est, qui priùs crine servato, denuò post vitæ magnam continentiam, devotione completâ, caput radebant & capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur, scilicet, ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergò exempli usus ab Apostolis introductus est, ut, qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrarentur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine præciso innoventur.*

Polyd. Vergil. lib. 4. de Rerum Invent. cap. 8. pag. 332. *Ego dixerim, à Nazaræis, quorum Secta apud Judæos celebris erat, initium hujus rei ortum, quod illi priùs servato pilo, denuò post magnam vitæ continentiam caput abraderent, capillosque in ignem sacrificii injicerent, ut eo modo suæ pietatis perfectionem Domino consecrarent &c.*

Similia occurrunt apud Durandum libr. 2. Rational. cap. 1. §. 31.

8. Objectioni, à Sacerdotibus Judaicis, quos radere non licebat, petitæ, idem Bellarmin. d. l. respondet: *Solùm propter viciniam idololatrarum prohibebantur Sacerdotes Judæorum radi, quæ fortassè causa erat, cur Optati, Hieronymi & Ambrosii tempore Christiani Sacerdotes non raderentur, sed tonderentur &c.* At hæc responsio evertit Baronii sententiam traductionem rituum gentilium in Christianismum commendantis. *Multa quidem*, inquit tomo 1. Ann 58. sect. 77. *ex superstitione gentilitia in Christianam religionem laudabiliter esse translata, pluribus exemplis superiùs, Patrumq; autoritate sunt demonstrata.*

Item. *Quid unquam mirum, si inolitas apud Gentes consuetudi-*

tudines, à quibus eos, quamvis Christiani effecti essent, penitus posse divelli impossibile videretur, easdem in veri Dei cultum transferri, sanctissimi Episcopi concesserunt? Sacerdotes Idolorum apud Babylonios caput ac barbam rasam habebant, Baruch.6. v.20. Illud juxta Baronii regulam novorum Christianorum usui applicari conveniebat, per Bellarmini Canonem non licebat. Sed quamobrem non æquè ac *baculi, annuli, mitræ* usus, qui, ut inquit Baronius tom. 1. Ann.44. n.48. communis fuit Christianis Episcopis & Orientalibus aliquibus Sacerdotibus, quorum meminit Philostratus?

29. Quidam Pontificii secuti fidem Abdiæ Babylonii, statuunt, *Christum ideò ad nuptias venisse Joh.2. v.2. ut Johannem desponsatum, licèt virginem, abduceret.* Sed Salmero tom.6.tract. 6. hoc commentum refellit. *Neq; dicendum,* inquit, *quòd* (nuptias) *quas præsentiâ suâ honoravit, eas suasu destruxerit.*

30. In Papatu usitatum, *titulares Episcopos* creare. *Si quid hac dere dubitas,* (inquit Ivellus ad Hardingum tom.2. Oper. pag. 544.) *facilè quærendo invenias, Augustinum de Roma quendam Concilio Basileensi Archiepiscopi Nazarethi in Judæa nomen tulisse, qui tamen Nazarethum nunquam oculis usurpaverat: Petro item Paludensi Franciscano Regulari non ita pridem impositum nomen esse Patriarchæ Hierosolymitani, at is nunquam Hierosolymam viderat.*

Ceremonial. lib. 1. sect. 3. *Consueverunt antiqui ponere Patriarchas quatuor Ecclesiarum principalium inter Episcopos Cardinales mixtim. Nostro tempore ponuntur immediatè post Cardinales, sunt enim quodammodò titulares.*

Hunc morem creandi titulares Episcopos meritò repudiat & irridet Claudius Espensæus in argum. Epist. ad Tit. *Maximis,* inquit, *in rebus ab usu, in seriis lusu, ac etiam risu nullo præesse dicuntur Provinciæ quidam, quæ vel nulla prorsus extat, vel geri certè, obtinerique omninò nequeat.*

31. Veros & legitimos Ministros errare non posse Pontificii docent.

Sic enim Smiglecius in Disp. de Vocat. Ministr. p.3. *Quorsum enim tot clamores excitantur de Missa, de utraque specie, de Imaginibus, de Sanctorum invocatione, de Purgatorio & aliis fidei nostræ articulis? Statuatur semel, an qui hæc docent, sint veri Christiani & Ecclesiæ Ministri, nec ne? & simul statuetur, doctrinam eorum esse veram vel falsam. Veri enim Ecclesiæ Ministri falsam doctrinam docere non possunt.*

(At contrariam testatur non solùm *Scriptura,* sed ipsa etiam *experientia.* Quid enim an nullus unquam in Papatu Episcopus in hæresin lapsus? an omnes in Ordinatione accipiunt prærogativam Apostolicam, privilegium non errandi?

32. Usitatissimum est in Papatu, Ecclesiæ Doctores appellare *Ecclesiarum Rectores & gubernatores.* Atqui Ministrorum Ecclesiæ est fugere Principatum & ministrare. Quod quidam dicuntur ἱεράρχαι, *ad sacra* refertur, non *ac populum.* Gubernat enim sacra, non gubernat populum, & illa gubernat, si est verus ἱεράρχης secundum verbi divini præscriptum, ut scil. sit minister populi, est ἱεράρχης, non λαοάρχης. *Omnia vestra sunt,* inquit Apostolus 1.Cor.3. v.22. *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* v.23. *Vos autem Christi. Non dominamur fidei vestræ,* inquit 2.Corinth. 1. v. 24. Presbyteris Petrus præscribit, μὴ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, 1. Epist. 5. v.3.

33. In Jure Canonico definitur certus annorum vitæ numerus in iis, qui ad Ministerium ordinandi.

c. Si quis dist. 78. ex Bonifacio Papa. *Si quis triginta ætatis suæ annos non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valdè dignus sit.*

c. Nemo dist. ead. *Nemo Presbyter consecretur, qui minor triginta annis sit: nemo Diaconus fiat, qui minor viginti quinque annis sit: nemo Lectoribus annumeretur, qui minor octodecim annis fuerit.*

c. Presbyter dist. ead. *Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ, sed observet usque ad præfinitum tempus. Dominus enim noster Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est & tunc prædicavit.* Confer c. Cùm in cunctis ext. de electione & electi potestate.

(Atqui de ætate eligendorum ad Ministerium non potest generalis quædam regula tradi, nec annorum numerus præcisè definiri, cùm statutum de anno 30. priùs expectando, antequam sacris Ministeriis quis adhibeatur, Numer. 4. v. 3. sit *Leviticum,* ideoque ratione speciei in Novo Testamento nos nequaquam obliget; cùm Christus & Johannes Baptista exemplo suo Luc.3. v.23. noluerint certam regulam præscribere, & certum annorum numerum in eligendis ad Ministerium præscribere; cùm Apostolus in forma, juxta quam eligendi sunt Episcopi & Diaconi 1.Timoth.3. Tit.1. nullam certæ ætatis mentionem faciat?)

ARTICULUS VII.

DE MONACHIS,

CAPUT I.

DE ORIGINE MONASTICES.

THESIS. Monastice, qualis in Papatu viget, est inventum humanum, non institutum divinum.

Ἔκθεσις 1. Non est quæstio de statu vitæ Monasticæ, qualis fuit *in tertio & quarto* post Christum natum *seculo,* sed *de statu hodierno,* qualis est sub Papatu. Non improbamus absolutè & simpliciter institutum priscorum illorum Monachorum, Pauli Thebæi, Antonii, Hilarionis &c. qui vel peculiaris ad hoc vitæ genus vocationis conscientiâ, vel grassantium persecutionum metu, vel rerum divinarum in secessu commodiùs meditandarum studio è turba ac tumultu sese abduxerunt, & vel in asceteriis, vel in eremo sese præpararunt ad ministeria Ecclesiæ præstanda. Secessus enim iste finem habuit culturam studiorum: Cultura verò respexit opus sacrum in Ecclesia DEI obediendum pro demenso donationis Christi. Quòd si quidam ex illis veteribus in solitudine perpetuò hæserunt, soli contemplationi dediti, & noluerunt adsisci in numerum Ministrorum Ecclesiæ, cùm tamen ad Ministerium essent idonei & ad illud vocarentur, plus zeli quàm scientiæ habuerunt. Qui ad Ecclesiæ munia se prorsus ineptos senserunt, ac in isto vitæ instituto sine superstitionis, aut vanæ & impiæ persuasionis crimine permanserunt, itidem à nobis minimè damnantur. Neque tamen Monachatus tum temporis tam corruptus fuit, quàm posterioribus seculis, & hoc ipso tempore sub Papatu.

2. Neque quæstio est, an Monasteria, si sint Collegia libera & scholæ pietatis, honestatis ac disciplinarum Ecclesiæ necessariarum & utilium, sint conservanda, sed an Monastice, qualis hodie in Papatu viget, nitatur divinâ institutione, ac sit approbanda?

Antithesis. Petrus à S. Audomaro circa Ann. 1582. edidit librum sub titulo, *Illustrationes Religionis Monasticæ;* in quo inter alia scribit, *leges seu Constitutiones Monachorum divinas potiùs, quàm humanas esse dicendas.*

Cardinalis Hosius in Confessione Petricoviensi de Ceremoniis pag. 289. *Apostolos Monachorum Ordinem instituisse* asserit.

Copus Angl. Dial. 2. pag. 194. *Christus Dux & signifer vitæ Monasticæ.*

Ibid. pag. 284. *Elias & Elisæus Duces instituti Benedictini.*

Bellarmin. lib. de Monachis cap.5. §. Nos ergò. *Dicimus, primam vitam religiosam adeò esse antiquam, ut quædam ejus adumbratio fuerit in lege Naturæ ante diluvium; major quædam expressio in lege Mosis; perfectio autem tempore Apostolorum.*

Nostram sententiam probamus:

1. Nec Christus, nec Apostoli Monasticum vitæ genus instituisse leguntur. Mentio fit in scriptis Apostolicis Pastorum, Doctorum, & aliorum, Spiritus S. donis ornatorum, Statuum atque Ordinum, sed de Monachis altum silentium.

2. In primitiva Ecclesia omnes fuerunt aut *Doctores,* aut *auditores,* Galat.6. v. 6. Hebr. 13. v.7. At Monachi nec docent, nec audiunt, sed peculiarem cœtum constituunt.

3. Apostolus prohibet quenquam otiosè vivere. 2. Thess.3. v.10. *Si quis non vult operari, nec manducet;* prohibet etiam, ne quis *deserat congregationem* Hebr. 10. v.25. Contra utrumque præceptum pugnat hodiernus Monastices status.

4. Monachi ab Augustino se vocant *Augustinianos;* à Benedicto *Benedictinos;* à Francisco *Franciscanos &c.* Hoc non solùm pugnat cum loco Apostolico 1. Corinth. 1. v.12. Sed etiam ostendit Monasticum vitæ genus non habere institutionem Christi vel Apostolorum.

5. Patres testantur, Paulum Thebæum & Antonium primos fuisse Monachorum Patres. Hieronymus in vita Pauli. Ruffinus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 8. Sozomenus lib.1. Hist. Eccl. cap. 13. Cassianus Collat. 16. cap.5.

Nostræ sententiæ suffragatur:

1. Quòd quidam agnoscunt, Ordines Monachorum temporibus Christi & Apostolorum fuisse ignotos. c. Ad

c. Ad Mensam 24. caus. 11. quæst. 3. (ex Chrysostomo Homil. 25. in cap. 11. ad Hebræos) *Neque vestigium tunc Monachi erat*, (cùm Paulus scriberet: *Si quis, qui frater nominatur*) *sed omnia ad seculares loquebatur tunc Paulus.*

Anshelmus Cantuariensis dicit, *unam solam veram religionem esse sub uno supremo Abbate Christo, reliquas religiones esse factitias.*

Thomas 2. 2. q. 187. art. 3. *Fratres Apostolus 1. Thessal. 4. vocat omnes Christianos, nondum enim erant tunc temporis religiones institutæ.*

Idem quod lib. 7. art. 17. ad 4. fatetur, *temporibus Apostolorum non fuisse aliquos Religiosos determinatos.*

Ek de Repkaw Glossator juris Saxonici (circa Ann. 1150.) lib. 2. art. 24. Fürwar/wie wol wuste das GOtt/daß er nicht sprach in der Schöpffung der Frauen Evæ/Es ist nicht gut/daß kein Münch noch Nonne sey/sondern er saget/ Es ist nicht gut/ daß der Mann allein sey ꝛc.

Otto Frisingensis lib. 4. cap. 5. *Monachatum in Ecclesia cœpisse Anno 260.* asserit, *ac Paulum Thebæum Decii persecutionem fugientem, ac in deserto latitare cupientem necessitatem vertisse in voluntatem.*

Petrus Cantor Parisiensis in libro circa Ann. 1190. scripto, cui titulum fecit, *Verbum abbreviatum*, cap. 69. affirmat, *monasticam vitam esse erectam ex fœnoribus & usuris avarorum, ex mendaciis deceptionum & deceptionibus mendaciorum Prædicatorum mercenariorum.*

Wilhelmus de S. amore Magister Parisiensis & Canonicus Bellovacensis circa Ann. 1250. scripsit librum, *Invectivum in Ordines tam Fratrum Prædicatorum, quàm Minorum*, conatus ostendere per Scripturas, *Ecclesiam tales Ordines non debuisse admittere.*

Vincentius in Speculo Historiali lib. 17. cap. 54. *Hujus vitæ autor Paulus, illustrator Antonius fuit.*

Anshelmus Havelbergensis Episc. ante 400. annos sic scripsit: *Quare tot novitates in Ecclesia Dei sunt? quare tot Ordines in ea sunt? quis memorare queat tot Ordines Clericorum? quis non miretur tot genera Monachorum? quis denique non scandalizet, & inter tot diversas religionum discrepantium formas tædioso non afficiatur scandalo? imò quis non contemnat Christianam religionem tot varietatibus subjectam? tot adinventionibus immutatam? tot novis legibus & consuetudinibus agitatam? tot regulis ac moribus Monachorum fermè annuatim fluctuantem?*

Historia Lombardica in Legenda Pauli Eremitæ testatur, *Paulum illum primum fuisse Eremitam, à quo Monachatus originem duxerit.* Vixit autem iste Paulus circa Ann. Christi 257.

Mendicantes Monachi circa Annum 1370. magna habuerunt certamina cum Reichardo Archiepiscopo Armachensi Primate Hyberniæ, qui, editis plurimis scriptis, Monachos Mendicantes acriter oppugnavit, affirmans, *eos non à Deo, sed à Diabolo originem habere, excitatosque esse.* Catal. test. verit. pag. 919.

Johannes Trevisa Cornubiensis Sacerdos circa Ann. 1397. scripsit: *Legimus, Christum Apostolos & Presbyteros instituisse, at Monachos aut Medicantes fratres fecisse nunquam invenimus.* Balæus Cent. 7. cap. 18.

In Concilio Basileensi cùm Julianus Pontificis Legatus affirmaret, *se præter quatuor illos articulos, in quibus à Romana Ecclesia Bohemi dissentirent, etiam alia de re illis accepisse, quòd nimirùm religiones Mendicantium inventum Diabolicum esse prædicarent*, ibi tum assurgens Procopius ductor exercitus Thaboritarum, *neque hoc falsum est*, inquit. *Nam, si nec Moses, nec ante eum Patriarcha, neq; post eum Propheta, neq; in nova lege Christus, neq; Apostoli instituêre Mendicantes, quis non intelligit, Diaboli tenebrarumq; opus esse?* Quæ Procopii vox ingenti auditorum cachinno excepta fuit. Respondit autem illi Cardinalis S. Angeli, *non solum his credendum, quæ sint in N. aut V. Testamenti libris comprehensa, sed Ecclesiæ etiam institutiones de N. Testamento censendas esse, & quicquid statuerit aut approbârit, non minùs indubitatæ fidei esse oportere, quàm alia, quæ in N. Testamenti libris sint scripta.* Urspergens. Paralipom. Mutius lib. 27. fol. 317.

Cardinalis Arelatensis, ut refert Æneas Sylvius, de gestis Concil. Basil. dixit: *Ordines Monachorum non esse à Christo institutos.*

De hoc Ænea Sylvio, postea Pontifice Pio Secundo refert Platina in ejus vita, non procul à fine, quòd inter cæteras sententias, quibus proverbialiter utebatur, etiam hanc reliquerit, *omnem sectam humanâ firmatam autoritate ratione carere.*

Idem de Orig. Bohem. cap. 35. *rectè Waldenses docuisse* testatur, *Mendicantium religionem malorum Dæmonum esse inventionem.* Quod confirmat etiam Balæus Cent. 3. cap. 17. in Appendice.

Jacobus Wimpffelingus Presbyter Ecclesiæ Spirensis circa Ann. Christi 1490. publico scripto negavit, *Augustinum vel Monachum fuisse, vel Fratrem Mendicantem. Scribitur quidem à Posidonio in ipsius vita* cap. 5. *Monasterium ingressus, non tamen novam aliquam condidit regulam, quàm hodiè Augustiniani prætendunt, sed cum servis Dei vivere cœpit secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam.*

Johannes Baptista Mantuanus in vita Blasii:

> *Tum plerique Patres sancti cùm tale viderent*
> *Excidium, fugêre urbes & more ferarum*
> *Per deserta vagi cæcis latuêre cavernis.*
> *Ista ego crediderim per noxia tempora Paulum*
> *Niligenam Sole ardentem, qui primus eremum*
> *Incoluit, liquisse urbes, patriosq; penates,*
> *Et didicisse togas textis componere palmis.*

Autor Oneris Ecclesiæ c. 22. in Procœm. *Etsi omnes quondam Christiani propter humilitatis subitionem & Christianæ religionis observantiam vocabantur religiosi &c. illi tamen hodiè, qui approbatas religiones professi sunt, specialiter ac propriè religiosi censentur, & ad regulariter vivendum astricti sunt. Equidem post primariam Ecclesiæ institutionem ordinatus est status religiosorum, præsertim mendicantium, ad sublevamen Curatorum, qui circa temporalium administrationem & secularium occupationem impediti in actibus spiritualibus auxilio indigent religiosorum. Qui ad inducendum vitæ contemplativæ perfectionem & ad observandum in specie primævum Dei institutum, quo omnia sunt communia, inceperunt in Statu Ecclesiæ quarto. Mendicantes verò, qui quasi perfectiores, nec in specie, nec in communi propria possident, inceperunt in initio Status sexti, ad sustentandum scil. Ecclesiam, quæ in Statu quinto ruinam minabatur.*

§. 1. Etsi in Clero primitivæ Ecclesiæ non fuerint religiones institutæ, tamen postquam in Ecclesia succrevit superbia, avaritia, luxuria, quæ acriter offendunt Deum, contra eadem crimina pro remedio utendum fuit obedientiâ, paupertate & continentiâ.

Polydorus Vergilius lib. 7. de Rerum Invent. cap. 1. ab initio scribit: *Monachorum novum ac varium ritum eo tempore, cùm à majoribus degeneratum, ab eorum disciplina & vitæ sanctimonia longè discessum esset, à Romanis Pontificibus & ubique gentium Antistibus institutum esse, ut Sacerdotalis Ordinis sic labentis gradum revocarent.*

Ibidem. *Alii Antonio, alii cuidam Paulo Thebæo initium hujus rei assignant. Sed Antonio hujus rei initium jure optimo referri debet, qui etsi non ante omnes primus fuit, primus tamen Monachorum dogma instituit.*

(Mortuus autem est Antonius Anno Christi 361. Ergò primis tribus sæculis ignota fuit vita monastica in Ecclesia.)

Lib. ejusd. cap. 2. scribit: *Benedictum Nursinum Italum in fine quarti sæculi primùm in Italia Monachos in unum Cœnobium contraxisse, & vitam tribus munitam votis exemplo Basilii (primi ejus in Oriente autoris) instituisse.*

(Natus est autem Benedictus Anno Christi 522.)

Albert. Crantzius Canon. Hamburg. in Hist. *Quando erit finis multiplicandarum religionum in uno magno Ecclesiæ Monasterio sub Abbate Christo! Si enim regulam per Evangelia digestam strenuè observaremus, nihil esset opus illis repertitiis & novis religionibus. Sed sistendus est stylus, quia, si exaudierint, multi consurgent in prælium paratiores contendere, quàm animum ad observantiam legis divinæ intendere.*

Erasmus in præfat. milit. Christ. pag. 31. *Cur sic arctamus Christi professionem, quam ille latissimè voluit patere? Si magnificis vocabulis commovemur, quæso te, quid aliud est civitas, quàm magnum Monasterium? Monachi Abbati suo parent aut Præpositis, cives Episcopo suo ac Pastoribus suis obsequuntur, quos ipse Christus præfecit, non hominum autoritas. Illi vivunt in otio & aliena liberalitate saginantur, in commune possidentes, quod citra sudorem illis obvenit, (nihil enim interim dicam de vitiosis.) Isti, quod suâ pepererunt industriâ, pro suis quisque facultatibus impertiunt egentibus. Jam verò, quod ad castitatis votum attinet,*

non

non ausim explicare, quantulum intersit inter cœlibatum & castum matrimonium. Postremo non admodùm desiderabimus in eo tria illa vota ab hominibus inventa, qui primum illud unicum votum, quod in Baptismo non homini, sed Christo nuncupavimus, sincerè puriterq; servaverint.

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 56. de Religione. *Omnes illæ Religionum leges nullo alio fundamento incumbunt, quàm suorum instituentium placitis, nec aliam insuper certitudinis regulam habent, nisi ipsam credulitatem.*

Idem cap. 62. *Sunt adhuc in Ecclesia diversarum sectarum populi, Monachi & Fratres Anachoretæ, quibus vetus lex omninò caruit. Caruit enim Ecclesia eo tempore, quo fuit optima, nec tot Ceremoniarum ritibus implicita.*

Johannes à Daventria in Harm. Confess. August. pag. 510. fatetur, *non constare, an tempore Augustini Monasticum votum præstiterint, nec ne?*

Salmeron tom. 13 Disp. 8. in Epist. Pauli, *virginitatem & vitæ Monasticæ rationem non nisi ex traditione pendere* asserit.

Melchior Canus lib. 3. Locor. Theol. cap. 96. *Professionem Monasticam ex traditione habemus.*

Bellarminus lib. de Monachis cap. 5. §. Nunc quod &c. *Vita Eremetica ab Antonio introducta est. Antonius verè Princeps Eremitarum fuit, quippe, qui nec ab alio didicit & ipse docuit omnes.*

§. Veniamus &c. *Athanasius docet, ante Antonium non fuisse Eremitas. Floruit autem Antonius initio quarti seculi.*

Lib. & cap. iisdem §. Denique &c. adducit verba Hieronymi ad Eustochium de servanda virginitate. *Hujus vitæ autor Paulus, illustrator Antonius.* Quod additur, *Principem ejus fuisse Johannem Baptistam*, illud faciliùs dicitur, quàm probatur, quia inter varios Religiosorum Ordines nullus datur, cui cibus nullus, præter locustas & mel sylvestre; vestitus nullus, nisi de pilis Camelorum.

Benedictus Pererius Disp. 31. in cap. 14. Johan. pag. 414. *Professionem vitæ Monasticæ* refert inter ea, *quæ Apostoli extra Scripturas Ecclesiæ tradiderunt, & de quibus in sacris literis nihil est expressè traditum.*

Laymannus Jesuita in procem. Justæ Defens. in Synopsi errorum, calumniarum &c. tit. 7. n. 7. *Stetit Ecclesia Christi in Occidente ampliùs 300. annis, priusquam in ea visus sit Monachus.*

2. Quòd Pontifices religiones illas confirmârunt, vel etiam reprobârunt, ac novas institui prohibuerunt.

(Si à Christo & Apostolis instituti essent Monachorum Ordines, nec opus habuissent Pontificis confirmatione, nec debuisset ille Ordines aliquos reprobare, nec novos prohibere. Neque enim Ordinem Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum ullus Episcopus Romanus legitur approbâsse, nec potest aliquis eorum aliquem tollere.)

In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato Anno 1216. tale factum est decretum Can. 13. (quod citatur in Jure Canonico c. Ne nimia ext. de religiosis domibus ex Concilio generali.) *Ne nimia religiosorum diversitas gravem in Ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat, sed quicunque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat.*

(At post illud decretum multi novi Ordines, & inter hos etiam Jesuiticus est introductus.)

Anno Domini 1244 *die Lunæ ante festum omnium Sanctorum venerunt ad Synodum Episcopi Roffensis quidam novæ religionis speciem præ se ferentes, fratres scil. dicti Cruciferi, dicti sic, quia cruces in baculis efferebant. Requirebant autem habitationem à potentibus, ostendentes inauditum sibi à Domino Papa privilegium concessum, videlicet, quòd nulli liceat ordinem eorum reprehendere, vel ipsos exprobrare, vel ipsis imperare. Concessa etiam fuit ipsis potestas in tales sententiam excommunicationis inferre, admirantibus, imò obstupentibus viris sapientibus & discretis, super tot novis Ordinibus quotidiè sine fine orientibus & emergentibus, quod spreta Beatissimi Benedicti pleni Spiritu omnium Sanctorum & magnifici Augustini disciplina contra Statutum Concilii sub gloriosæ memoriæ Domino Papa Innocentio III. celebrati, viri literati ad inauditos ac noviter inventos Ordines subitò convolarent. In quo Concilio post Ordines Prædicatorum & Minorum initiatos & autorisatos irrefragabiliter sancitum & statutum fuit, assensum fratribus Cardinalibus cum tota sacri Concilii Universitate præbentibus, ne extunc ampliùs novi Ordines adinvenirentur, vel adinventi admitterentur, ne scil. autentici ac jam recepti Ordines vilescerent spreti & similiter damnificati.*

Gregorius Decimus in Concilio Lugdunensi celebrato An. 1274. aliquot Monachorum Ordines sustulit. Verba Decreti sic habent: *Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetavit. Sed quia non solùm importuna petentium inhiatio illarum postmodùm multiplicationem extorsit, verùm etiam aliquorum præsumtuosa temeritas diversorum Ordinum, præcipuè mendicantium, quorum nondum approbationis meruêre principium, effrenatam quasi multitudinem adinvenit, repetitâ constitutione districtiùs inhibentes, ne aliquis de cætero novum Ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat, cunctas affatim religiones & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, & quatenùs processerant, revocamus.*

(Extat hoc Decretum in sexto Decretalium titulo de Religiosis dombus. Concilium, ad quod Gregorius provocat, Lateranense fuit sub Innocentio III. cujus Canonem 13. modò adduximus.)

Meminit hujus Canonis etiam Johannes XXII. in Extravag. sancta Romana, de Religiosis domibus. *Sacris Canonibus est interdictum, ne aliquis novum Ordinem aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat, sed quicunque ad Religionem venire voluerit, ingrediatur unam de Religionibus approbatis.*

Clem. V. *Templariorum* Ordinem abrogavit, teste Gaguino.

Pius V. *Humiliatorum* Ordinem reprobavit.

In Consilio Delectorum Cardinalium de emendanda Ecclesia, jussu Pauli III. conscripto Ann. 1538. *Conventuales Ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen, ut alicui fiat injuria, sed prohibendo, ne novos possint admittere.*

3. Quòd agnoscunt, Monachorum institutum à Gentilibus acceptum esse.

Durandus lib. 2. Rational. cap. 1. §. 1. *Christianorum personæ tam seculares, quàm Ecclesiasticæ de aliis duabus Sectis sumtæ sunt, Hebræâ videlicet & Gentili.*

§. 5. *Apud Gentiles erant quoque virorum & mulierum religiosi conventus.*

Polydorus Vergilius lib. 7. de Rerum Invent. cap. 6. pag. 594. *Cornelius Tacitus Sodales Sacerdotes Romulum initâ cum Tacito Societate fecisse scribit, unde Titii Sodales. Et Tranquillus Sodales Augustales vocat; sicut apud Julium Capitolinum Antonianos Sodales legimus. Augustinus ait, Sodales quasi edales, quòd simul essent. Plinius item scribit: Romulum instituisse Arvalium Collegium, seq; duodecimum appellari voluisse fratrem, ut alibi est demonstratum. Durâsse autem istiusmodi Sodalitates, testatur vetustum marmor apud Tybur, in quo inscriptum est Sodales Hadrianales. Hinc igitur non dubitanter dixerim, nostros Pontifices, qui semper studuêre, Romanos inprimis ab hujusmodi vanis Judiciis ac Sodalitatibus, ad pudicum ritum, certamq; vivendi formulam trahere, sanctiore instituto induxisse homines ad hasce Societates coëundas, quæ hodiè ubiq; gentium frequentes vigent optimis vitæ ac Religionis institutis.*

Idem lib. 4. de Rer. Invent. cap. 13. p. 363. *Hinc perspicuè intelligitur, Apostolos primum, ac deinde nostros Pontifices exemplo Vestalium Virginum induxisse fœminarum religionem in Ecclesiam Dei, ut uterque sexus Domino in castitate serviret.*

(Quòd de Apostolis dicit, illos introduxisse Statum Monasticum, id falsum esse constat ex præcedentibus.)

Bebelius de Sacerd. Rom. p. 180. *Virgines Vestales fuerunt Sacerdotes Vestæ, quales hodiè Moniales sunt.*

4. Quòd agoscunt, *ab Essenis* (Judæorum Sectariis) hoc vitæ institutum promanâsse.

Polydorus Vergilius lib. 7. de Rerum Invent. cap. 1. p. 560. *Ego, quando in re ambigua liberum est unicuiq; conjectare, crediderim, institutum Monasticæ vitæ ab Essæis sive Essenis, ita appellat Plinius, quorum Secta apud Judæos admodum celebris habita est, ad posteros manâsse, quoniam illi ferè per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos Monachi ex præscripto legis agere solent. Et ut legentibus id perspicuè pateat, non otiosum erit, hic Philonis verba subjicere, quæ Eusebius lib. 8. Evang. præpar. repetit, ita scribens: Palæstinam maxima gens Judæorum habitat, inter quos, qui dicuntur Essæi, comperiuntur plures nume-*

numero, quàm quatuor millia. Essæi dicti quasi sancti Græcè, quoniam Dei cultores præcipuè sunt, non animalia sacrificantes, sed mentes suas virtute munitas offerendas DEO putantes &c. Confer Baronium Anno 64. num. 5. ubi ex Solino Essenorum vitam & mores describit.

Prateolus in Elencho hæres. lib. 5. hæresi 15. *Esseni sunt, qui Monachorum vitam exercent, escas deliciosas non sumentes, nec studium in vestimentis gerentes, nec possidentes aliquid: lectioni autem & bonis operibus insistentes, in locis separatis habitant.*

5. Quòd *ab hæreticis* Monachos quædam mutuatos agnoscunt.

Baronius Ann. 361. n. 55. *Eustachium quendam* sive Eutactum hæreticum sic describit: *Vituperabat ipse palliatus birro utentes, hortabaturq; idem Eutactus fœminas sub continentiæ prætextu mutare habitum, induereq; virilem vestem, capillos amputare, atq; relinquere viros suos, nec non filios religionis obtentu, parentibusq; similiter ingratos esse, nec rependere illis vicem, præferendum his omnibus dicens divinum cultum.*

Num. 53. ex Epiphanio de Eutacti Sodalibus hæc recenset: *Decipiunt simpliciores homines, habitu solitariè degentium renuntiationem quandam jactantes.*

Anno 260. n. 70. de Apostolicis refert, quòd *se vocaverint Apotacticos à renuntiatione, eò quòd bonorum possessionibus renuntiârint.*

Jacobus Hackh Jesuita contra Tossanum quæst. 2. cap. 41. pag. 584. Die Messalianer haben fürgeben/daß es keinem Münche geziemet wolle mit Handarbeit umbzugehen.

Idem confirmat Baronius An. 444. n. 10 mentionem faciens *Epistolæ Cyrilli scriptæ adversus Anthropomorphitas & Messalianos, qui nequaquam manibus laborandum esse* dicebant, *sed semper orandum.* (Hanc ignaviam Monachi nostri suam fecerunt.)

6. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quòd non consentiant, quo tempore cœperit Monachatus in Ecclesia.

1. Quidam censent, cœpisse *statim post tempora Apostolorum*, Beierl. concion. select. 37. pag. 698.

2. Alii fundationem tribuunt *Pio I.* qui sedit circa Annum 740. Polydorus Vergil lib. 4. de Rerum Invent. cap. 13. p. 361.

3. Quidam *Basilio*, qui vixit Ann. 383. inventum adscribunt. Polydor. Vergil. lib. 7. cap. 2. pag. 565.

4. Quidam *Antonium* circa Annum 360. primum Monachatus autorem faciunt. Baron. Ann. 328. num. 5. & seqq. Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 5. §. Nunc quod attinet &c.

5. Nonnulli putant, *Benedictum Nursinum* fundâsse Monasticam vitam in Occidente, *Basilium* in Oriente circa Annum 216. & 380. Polyd. Vergil. lib. 7. cap. 2. pag. 565.

6. Baronius *Romæ* prima monasteria Ann. 328. condita memorat Ann. 328. n. 21. quorum fundatorem laudat *Athanasium.* Idem Ann. 340. n. 7.

Argum. Adversar. 1. *Enos Patriarcha Genes. 4. instituit peculiarem cultum & perfectionem supra religionem vulgi.* Bellarminus lib. 1. de Monach. cap. 5. quod probat ex verbis: *Tunc cœptum est invocari nomen Domini.*

Resp. 1. Azorius lib. 11. Instit. Moral. cap. 23. fol. 986. negat, hoc esse solidum fundamentum. *Quidam Catholicorum,* inquit, *censent, religiosæ vitæ formulam in Enos adumbratum fuisse &c. quamvis mihi simplicior ejus loci (cœptum est invocari nomen Domini) sensus esse videatur. Cùm cæteri homines à vero Dei cultu defecissent per majores accepto, hic primùs adhibito studio & diligentiâ avitam pietatem revocavit.*

2. Cajetanus in cap. 4. Genes. putat, *Enos primum fuisse, qui sub nomine tetragrammato Jehovah Deum adoraverit,* teste Pererio in Genes. fol. 350.

3. Cornelius à Lapide d. l. sic exponit. *Enos autor fuit, ut passim homines ritè Deum colerent, unde Hebræa habent; Tunc cœptum est, scilicet publicè & per cœtus, autore Enos, invocari nomen Domini. Tempore ergò Enos videntur cœtus hominum instituti, & in Ecclesia congregari cœpisse ad publicas preces, ad publicas conciones & catecheses, ad publicum Dei cultum per sacrificia, aliosque ritus & Ceremonias.*

4. Eodem modo, videlicet de Enosi *Ministerio Ecclesiastico,* non de *Statu religioso* exponit Pererius in d. l. ac rectè monet, pro [illegible], *iste,* in Hebræo legi אז *Tunc. Pro illo pronomine iste* (inquit) *quod habet tam Græca, quàm Latina translatio, denotans personam Enos, quasi primus ipse fuerit, qui cœperit invocare nomen Dei tam Hebraicè, quàm Chaldaicè est adverbium temporis, significans, tempore illius Enos cœptum esse invocare nomen Dei.*

5. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. sic commentatur: *Enos cœpit invocare nomen Domini, scilicet publicè, per cœtus & Ecclesias. Cùm enim crescente numero hominum, cresceret etiam oblivio & contemptus Dei, videtur Enos, autore & monitore Adamo, publicos piorum conventus cogere cœpisse, partim ad augendam, stabiliendam & propagandam religionem, partim ad preces & conciones publicas, & cultum Dei per sacrificia, aliosq; ritus & Ceremonias inducendum.*

(Fallitur ergò Bellarminus, quando ex h. l. colligit, *Enos instituisse peculiarem aliquem cultum & sublimiorem, quàm esset religio vulgi.*)

Argum. 2. Num. 6. v. 3. habemus *vota Nazaræorum, qui seipsos Domino consecrârunt.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Pontificii statuunt tria essentialia Monasticæ religionis vota, *obedientiam, paupertatem & continentiam.* Atqui nullum ex his votis in Nazaræis invenitur; non *continentiæ,* quia in conjugio vixerunt & liberos genuerunt; non *paupertatis,* quia possessiones habuerunt; non *obedientiæ,* quia nec Abbati, nec Priori paruerunt.

2. Pontificii Monachos distinguunt in *Eremitas* & *Cœnobitas.* Atqui Nazaræi nec Eremitæ, nec Cœnobitæ fuerunt, sed vixerunt apud se, & domi suæ in medio populi.

Argum. 3. Jerem. 35. v. 2. *Rechabitæ Monachorum figuram gesserunt, quos cùm pater sive avus vetuisset domos ædificare, agros serere, vineas plantare, vinum bibere, vitamque jussisse durissimam quasi extra mundum agere, omnia diligentissimè observârunt.* Bellarm. d. l.

Resp. De his Rechabitis dicetur inferiùs cap. 4. thesi 2. pag. 318.

Argum. 4. *Monastice originem accepit ab Elia & Johanne Baptista.* Bellarm. d. l.

Resp. in genere 1. Polydorus Vergil. lib. 7. de Rerum Invent, cap. 1. sic scribit: *Quidam altiùs repetentes, Eliam & Johannem Baptistam ejus rei autores faciunt. Sed ut is plusquam Propheta, ita ille plusquam Monachus censeri debet. Antonio hujus rei initium jure optimo acceptum referri debet.*

2. Azorius lib. 11. Instit. cap. 23. f. 987. ostendit, argumentum ab Elia & Johanne Baptista acceptum non esse satis firmum. *Nos,* inquit, *contra eos nunc non conamur ostendere, religiosæ vitæ formam omni ex parte perfectam, qualis nunc est, in Elia, Elisæo, Johanne Baptista ac primis Apostolorum discipulis præcessisse, sed tantùm magnâ ex parte fuisse adumbratam.*

3. Idem fatetur Bellarminus lib. de Monachis cap. 5. videl. *adumbratam tantùm in illis fuisse Monasticen.*

(At nuda adumbratio nihil probat.)

In specie de Johanne Baptista notandum.

1. Baronius Ann. 31. num. 11. ex verbis Christi Luc. 7. v. 33. evincere conatur, *Johannem nec panem unquam edisse, nec vinum bibisse.* Sed ex Matth. 11. v. 8. colligitur, per *modum hyperboles* hæc esse dicta, ut hac phrasi eximia Johannis abstinentia exprimatur.

Lyranus in cap. 11. Matth. *Venit Johannes nec edens, nec bibens, id est, in abstinentia maxima vivens. Ille enim, qui parum comedit, dicitur non comedere, secundùm communem modum loquendi; sicut, qui malè videt, dicitur non videns.*

Dionysius Carthusianus in cap. 7. Luc. *Hoc loco per panem & vinum consueta ac delicata hominum fercula, poculaq; significantur.*

Toletus ibid. *Cibis ac potibus communibus se abstinens.*

Tirinus in cap. 3. Matth. *Adeò alienus erat locustarum cibus à lautioribus, imò & vulgaribus Judæorum mensis, ut Johannes absque cibo victitare diceretur, Matth. 11. v. 18.*

2. Inter varios Religiosorum Ordines nullus datur, cui cibus nullus præter *locustas & mel sylvestre;* vestitus nullus, nisi *de pilis camelorum.* Ergò Johannem non possunt statuere Monasticæ vitæ autorem.

3. Maldonatus in cap. 3. Matth. disputat: *Johannem Baptistam ideò vestitu singulari & monstroso usum, ac in deserto prorsus solitario habitasse, quia de ipso scriptum sit: Vox clamantis in deserto, quia legem in deserto olim promulgatam in deserto mori oportuerit, quia Messiam videri oportuerit.*

(At hæ causæ sunt Johanni propriæ & peculiares. Ergò Monachi ex κακοζηλίᾳ ejus exemplum imitantur.

Arg. 5. *Christus Matth. 16. v. 24. invitat Religiosos ad crucis vexillum. Si quis vult,* inquit, *post me venire, abneget seipsum, tollat crucem suam & sequatur me.* Bailius Jes. in Catech. controv. tract. 2. q. 23.

Resp.

Resp. 1. Glossa ordinaria ad locum illum sic annotat: *Postquam mysterium suæ passionis & resurrectionis ostendit, hortatur omnes ad imitandum passionis exemplum.*

(Ergò non agit de solis Religiosis, sed de omnibus Christianis. Antequam Christus hæc verba apud Marcum pronuntiavit, *turbam cum Apostolis ad se vocavit*, ut ea ad omnes pertinere ostenderet, iisque enuntiatis rationem hujus præcepti necessitatem inferentem subjunxit, dicens: *Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam meâ causâ, inveniet eam.*)

2. Didacus Stella in cap. 9. Luc. v. 23. hanc regulam *omnibus statibus ac conditionibus* applicans, reprehendit *conjugatas, quæ omittentes curam domus suæ & obsequium, quod viris suis debent & obedientiam, quæ crux earum est, hanc crucem prætermittunt, & suscipiunt Monialium crucem, & induunt vestes inclusarum, Ecclesias & sacella visitant, stationes percurrunt; quibus omnibus maritorum sævitiam & feritatem in se convertunt & inflammant, unde rixæ & discordiæ ingentes oriuntur.*

3. Jacobus Tirinus in h. l. Matth. 16. v. 24. sic commentatur: *Si quis vult post me venire, id est, me imitari, meus discipulus, meus sectator fieri & civis regni cœlorum; liberum id cuique, sed salvari volenti necessarium, sive princeps sit, sive plebejus; doctus, idiota; vir, fœmina; senex, juvenis; oportet, abneget seipsum, non amet, non diligat seipsum.*

(Ergò Christi præceptum est generale, omnibus salvandis datum.)

Argum. 6. Act. 4. v. 32. *Primi Christiani vitam cœnobiticam instituerunt, ubi omnia essent communia, ex quo religiones cœpisse quidam veterum testantur.* Bellarminus d. l. Sexto probatur. Basilius in Catech. tract. 2. q. 23.

Resp. 1. Pontificii à Monachis requirunt *continentiam virginalem.* Atqui inter illos, qui bona sua in commune contulerunt, erant etiam conjuges.

2. Pontificii à Monachis requirunt *obedientiam Abbati præstandam.* At primi illi Christiani nullos habuerunt Abbates vel Archimandritas, sed Apostolos tantùm sibi præpositos, in quorum locum Ministri Ecclesiæ successerunt.

3. Pontificii non permittunt Monachis *familias* singulorum *privatas*; at primis illis Christianis propriæ & privatæ familiæ fuerunt.

4. Pontificii à Monachis requirunt *votum* peculiare & perpetuum. At primi illi Christiani votum tale nullum habuerunt.

5. Pontificii Monachos suos distinguunt *in varios Ordines.* At primi illi Christiani non fuere in Ordines distincti, sed fuit omnium vita eadem.

4. *Communio illa bonorum* inter Christianos Hierosolymitanos non proficiscebatur *ex professionis necessitate, sed ex voluntatis caritate*, Act. 5. v. 4. licebat enim illis & sua retinere & Christianis esse. At Monachis non licet bona privata cum statu Monastico retinere. Cajetanus in Comment. ad cap. 5. Act. *Hinc clarè apparet, quòd non voti necessitate Christiani omnes omnia tunc habebant communia, sed libera perfectione caritatis. Expressè siquidem duo dicuntur Ananiæ, quæ non fuissent vera, si Christiani omnes voto obligati fuissent ad communitatẽ rerum. Primùm enim dicitur. Ager manens tibi manebat, hoc est, antequam venderetur, tuus erat. Deinde etiam postquam venditus est, in tua erat potestate illius pretium. Constat siquidem, quod neutrum horum fuisset verum, si obligatus fuisset voto.*

(Augustinus, ad quem provocant, lib. 17. de Civ. Dei cap. 4. utitur nomine *voti* in significatione laxiori, ut exemplum Apostolorum ad verba Hannæ 1. Sam. 2. v. 8. *dans votum voventi*, quæ tamen nec in textu Hebræo, nec in Latina versione habentur, accommodare possit. Eadem responsione utitur Bellarminus ipse ad locum Augustini in Ps. 75. sibi objectum lib. de Monachis cap. 20. §. Secunda objectio &c. *Accipit*, inquit, *Augustinus eo loco nomen voti largo & communi modo, ut non solum comprehendat vota propriè dicta, sed etiam quamlibet aliam promissionem.* Nec ullum in Historia Actorum Apostolicorum occurrit voti vestigium.)

CAPUT II.

DE MONASTICES STATU.

THESIS. Monachatus non est status perfectionis.

Extens. 1. Si Monasteria sint *libera Collegia & Scholæ pietatis, honestatis ac disciplinarum Ecclesiæ necessariarum & utilium*, quibus instituantur adolescentes, quorum operâ Ecclesia in obeundis sacris ministeriis uti queat, omninò conservanda sunt.

2. Addimus etiam, probatæ vitæ homines senio confectos atque inprimis de Ecclesia bene meritos & emeritos, masculos & fœminas, item alios, qui *corpore & spiritu casti* in illis vivere & utiliter manibus vel mente ibi operari constituerunt, in iis alendos esse.

3. Sed qualis hodie est professio Monachorum, quâ obligant se sive adolescentes sive virgines *ad perpetuam castitatem, perpetuam paupertatem & obedientiam ad certam regulam sub opinione cultus & meriti remissionis peccatorum & justitiæ coram Deo, imò cum persuasione esse hunc statum perfectionis, in quo viventes tàm perfecti sint, ut sibi & aliis gratiam Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam mereri possint*, illam non tantùm divinâ institutione destitui, sed etiam impiam esse dicimus. In articulis Schmalcaldicis hæc extant art. 3. part. 1. *Collegia Canonicorum & Cœnobia olim optimâ intentione majorum fundamenta ad educandos viros doctos & castas ac modestas fœminas, debebant rursum converti in talem usum, ut Pastores, Concionatores & alii Ecclesiarum Ministri haberi possent; item alii idonei ad Politicam administrationem, sive ad Rempubl. in civitatibus & regionibus ac piè educatæ virgines ad œconomiam & liberorum educationem. Hunc usum si non retineant, consultum est, ut vasta deserantur, aut diruantur potiùs, quàm ut idololatricis cultibus & figmentis hominum propagata præferantur Christianæ vitæ & à Deo mandatis officiis & vocationibus. Hæc enim omnia pugnant cum primo principali articulo de redemtione facta per Christum Jesum. Quid quòd sicut alia hominum somnia non sunt præcepta, non necessaria, non utilia, sed periculosa, & causam præbent vano labori, molestiis periculosis & cultui infrugifero, quem Prophetæ appellant Aven, hoc est, dolorem & laborem.*

Antithesis. Thomas 2. 2. q. 184. aliquot articuli, confirmare nititur, *quòd Religiosi sint in statu perfectionis.*

Antoninus part. 3. tit. 16. cap. 10. §. 1. & seqq. *In vita religiosa est triplex bonum. Utilitatis, secundum illud, Ecce quàm bonum; Jucunditatis, Et quàm jucundum; Honestatis, habitare fratres in unum. It. Homo in religione vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, remuneratur copiosiùs. Vivit puriùs, propter paupertatem, quia religiosus nihil habet ut proprium in particulari, etsi in communi. Cadit rariùs, quia in religione evitantur vitiosæ occasiones, conversationes & assuefactiones. Surgit velociùs, quia tria faciunt ad resurgendum, lectio frequens, exhortatio fervens, exemplatio urgens. Incedit cautiùs, quia religio est sapientiæ schola, quæ sapientia per tria acquiri potest, à Deo, per devotam orationem, à proximo, per mutuam instructionem, à seipso, per multam experimentationem. Quiescit securiùs, quia religiosus non molestatur à tribus periculis, regimine status secularis, amore parentali, occupatione mundiali. Irroratur frequentiùs, id est, rore cœlestis gratiæ. Tria enim sunt, quibus tota vita insistit præcipuè, unde irroratur frequentiùs spirituali consolatione; humilitas in intellectu, puritas in affectu, veritas in effectu. Purgatur citiùs per tres modos, per exercitia spiritualia, corporalia & temporalia. Moritur confidentiùs. Tria enim sunt, quæ inducunt religioso confidentiam magnam in morte, bonorum multiplicitas, malorum paucitas, impedimentorum raritas. Remuneratur copiosiùs, quia opus religiosi cæteris paribus est perfectius triplici ratione, donationis, multiplicationis & confirmationis.*

Bernhardinus in Rosario serm. 27. p. 2. *Religiosus in qualibet minima operatione suâ etiam dormiendo, comedendo & quiescendo magis meretur, quàm secularis & in maximis bonis operibus, etiamsi totum mundum pro amore Dei pauperibus erogaret.*

Albericus à Rosate in verbo Eremita. *Solitudo competit jam perfectis, qui aliorum regimine non indigent, unde perfectio Monastice colligitur.*

Johannes à Daventria in Harmonia Andreæ Fabricii astruit, *Monachos rectè dici esse in statu perfectionis, ipsumque Monachatum, quia illa omnia (ab ipso recensita,) quæ ad perfectionem faciunt, & multò plura complectitur, non abs re statum perfectionis appellari.*

Cochlæus, *quia ejusmodi professio* (Monastices) *est sanctissimum quoddam sacrificium, quo homo se totum offert Deo, meritò dici statum perfectionis* asseverat.

Bellarminus lib. de Monachis cap. 2. §. 1. *Religio status est hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendentium.*

Idem

Idem in Præfat. lib. de Monachis. *In cucullis Monachorum medullam veræ religionis & sanctæ vitæ quærendam esse.*

Ozorius tom. 4. concion. de Sanctis in conc. habita in obitu Patris Ignatii p. 166. loquens de Jesuitica Societate vocat eam *institutum virorum plane perfectorum, qui solam Christi gloriam quærunt.*

Balthasar Hagerus Jesuita in Coll. Aug. Conf. & Conc. Trid. art. 16. §. 4. *Deserendam esse Politiam, si perfectionem Evangelicam sectari voluerimus.*

Lorinus in Psal. 147. p. 934. *Nos, qui ad sanctius vocati vitæ institutum sumus, possumus & debemus sed ea, qua par est, grati animi modestia agnoscere dignitatem & privilegium nostrum, quod non simus sicut cæteri hominem, quodque non fecerit Deus taliter omni nationi.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Perfectio absoluta* in hac vita non datur; *perfectio limitate & comparate sumta*, consistit in fide & caritate, Col. 3. v. 14. quæ omnibus vere piis est communis. Lutherus in lib. de vot. Monast. *Perfectio Christiana est esse animosæ fide contemtorem mortis, vitæ, gloriæ & totius mundi, & fervente caritate omnium servum.*

2. Omnes vere pii ad statum perfectionis tendere debent. Matth. 5. v. 47. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* 1. Cor. 12. v. 31. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ephes. 4. v. 13. *donec crescamus in virum perfectum.* Coloss. 1. v. 28. *Corripientes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Si vel maxime concedatur, *objectum Monachatus adæquatum esse divinas laudes, studium pietatis tum in se tum in aliis promovendæ*; (quanquam Monastica in idea tantum talis sit, non ut existit hodie in suis subjectis,) tamen hoc objectum non potest dici statui Monastico ita proprium, ut non competat etiam reliquis Statibus, sed ea tantum hic intercedit diversitatis ratio, quod Monastice dicitur circa hoc objectum versari *immediate & semper*, reliqui status, qua *Christiani* sunt, itidem *immediate & semper*, qua autem diversi status sunt, *mediantibus aliis actionibus*, quæ quidem omnes in hoc objectum feruntur, sed fines tamen propiores habēt, uti administrationē justitiæ distributivę seu commutativæ, seu vindicativæ, educationē liberorum &c.

3. Christus & Apostoli perfectæ vitæ statum & exemplum omnibus exhibuerunt; Matth. 11. v. 28. *Discite ex me.* 1. Cor. 11. v. 1. *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Sed nec Christus nec Apostoli in claustra se abdiderunt, vel votis obstrinxerunt, vel autores vitæ Monasticæ fuerunt.

4. *Perfecti* vocantur, qui non fuere Monachi. Gen. 6. v. 9. c. 17. v. 1. Phil. 3. v. 15 Coloss. 2. v. 10. Hebr. 5. v. 13 2. Tim. 3. v. ult.

5. Si ex regulis Monachorum perfectio haberi posset, lex Dei, doctrina Christi, Prophetarum & Apostolorum non esset perfecta.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt Monachatum non esse statum perfectionis.

Gregorius Magnus homil. 9. in Ezech. *Sæpe enim dum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit Spiritus, non adjuvat locus. Loth in Sodomis sanctus extitit, in monte peccavit. Quod autem loca mentem non muniant, etiam humani generis primus testatur parens, quia in Paradiso cecidit. Nam si locus salvare potuisset, Satan de cælo non caderet.*

c. Non loca. dist. 40. ex eodem Gregorio: *Non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona ei conjungunt, aut mala disjungunt.*

c. Multi. dist. ead. ex Chrysostomo: *Non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat.*

c. Illud autem. dist. ead. ex Ambrosio: *Illud autem animadverte, quod extra Paradisum vir factus est, intra Paradisum mulier, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam comparat sibi; denique extra Paradisum, hoc est, in inferiori loco vir factus melior invenitur, & illa, quæ in meliori loco, hoc est in Paradiso facta est, inferior invenitur.*

c. Quælibet dist. ead. ex Gregorio: *Qualibet occulta loca sine gratia animam salvare non possunt, quod aliquando in ipsis quoque conspicimus erratis electorum. Nam Loth in ipsa perversa civitate fuit justus, in monte peccavit &c. Quid Paradiso jucundius? quid cælo securius? & tamen homo ex Paradiso, & Angelus de cælo peccando cecidit.*

Bernhardus ad Guilhelm. Abbat. *Regnum Dei intra vos est, hoc est, non exterius in vestimentis aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis, unde Apostolus, Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*

(Si loca non sanctificant hominem, Ergo nec Monasteria nec status Monasticus, ac proinde Monastice non est status perfectionis.)

Thomas 2. 2. q. 186 art. 5. fatetur, *perfectionem religionis maxime consistere in imitatione Christi*, quod probat ex Matth. 19. *Si vis perfectus esse, sequere me.*

(At Monachi non semper imitantur Christum in vita & moribus; in quo vero eum imitantur, illud commune habent cum omnibus vere piis.)

Idem negat, *Perfectionem consistere in mendicitate, vigiliis & consiliorum observatione*, cum Paulus dicat Col. 3. v. 14. *caritatem esse vinculum perfectionis*, ac 1. Tim. 1. v. 5. *finem præcepti* statuat *esse caritatem. Secundum caritatem* (inquit 2. 2. q. 184. art. 1.) *simpliciter attenditur perfectio Christianæ vitæ.*

(At caritas non semper major in Monachis, quam in aliis.)

Allegat etiam ex Collationibus Patrum dictum Mosis Abbatis, *Jejunia, vigiliæ, non sunt perfectio, sed perfectionis instrumenta, quia in ipsis nō cōsistit disciplinæ illi⁹ finis, sed per illa pervenitur ad finē.*

Petrus Cluniacensis Abbas lib. 6. Epistol. 17. *Sicut Pharisæi jactabant se coram hominibus de justitia sua, ita nonnulli Monachorum, arbitrantes in religioso habitu & non potius in humilitate & caritate esse perfectionem justitiæ, & æternam salutem, justificant seipsos coram hominibus.*

Johannes Gerson in Proposit. advers. concl. Matthæi Grabi part. 1. *Religio Christiana non requirit ad perfectionem sui observationem tam in præceptis quam in consiliis, ut superaddatur alia religio, quales dicuntur observationes institutæ per sanctos Basilium & Augustinum, & quales vocat Anshelmus religiones factitias.*

Et postea: *Religio Christiana est proprie vera & ἀντονομαστικῶς dicenda religio, quā Christus observavit perfectissimo & summo modo.*

Ib. prop. 3. *Religio Christiana potest absque voto obligante ad Consilia perfecte, imo perfectissime observari Patet de Christo, qui non legitur vovisse Consilia, qui fuit tamen suæ legis perfectissimus observator &c. Patet insuper de Apostolis & discipulis & Christianis in primitiva Ecclesia, quorum multi erant uxorati multi possessiones habuerunt.*

Ib. *Constat quod Apostoli & eorum discipuli non erāt de religionibus Basilii & Augustini, quæ nondum fuerant institutæ, vel per Ecclesiam approbatæ, nec talibus regulis subdebantur. Religiones hujusmodi factitiæ satis improprie & abusive & forsan arroganter dictæ sunt status perfectionis.*

(Hanc Gersonis conclusionem *tredecim Doctores* probasse dicuntur.)

Idem de imitat. Christi & contemtu vanitat. mundi libr. 1. c. 17. *Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum & integra mortificatio passionum verum faciunt religiosum.*

(Quidam tamen hos libros *Kempisio* tribuunt.)

Nicolaus de Clemangis lib. de corrupt. Eccl. statu c. 22. p. 20. *Venio nunc ad Mendicantes, qui ex professione arctissimæ paupertatis veros se Christi discipulos, verosque imitatores esse jactant atque gloriantur, quippe qui considerantes, ut ipsi ajunt, illud Evangelicum, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & sequere me; & item illud: Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus: omnium possessionum suarum rerumque temporalium spreta sarcina onereque gravissimo, qui eruditi præterea in divinis literis, quibus pene soli hodie insudant, pabulum verbi Dei, quo populi reficiantur, assidua prædicatione ministrant &c. Sed licet ab iis quærere si hunc gradum summæ perfectionis, Christoque propinquissimæ, attigerunt, quid est, quod suis eam verbis ita magnificant? quod insolenter adeo inde se jactant? quod universis propterea vana gloriatione scripserunt, imo quod alios omnes sui status comparatione ab omni perfectione evacuant. Decebat enim, ut alieno ore & non proprio suo illa æthereа & Angelica in terris perfectio laudaretur, si modo solidam laudem, non vanam, suspectam, odiosam cupiebant. Nonne hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam arbitrentur se perfectos? imo vero, quo justiores fuerint, eo magis in humilitate de se sentientes, longe se à justitia abesse existiment. Nam dum de eo, quod habere se præsumunt, inaniter super se efferuntur, & id ipsum, quod habebant (si quid tamen virtutis habebant) evanescit.*

Johannes Tauler. conc. 74. f. 184. Der Orden macht mich nicht selig noch heilig. Mein Kappen / noch mein Platen / noch mein Kloster / noch meine H. Gesellschafft / das alles machet mich noch nicht heilig / es muß ein heilig / ledig / unbesessen Grund seyn / sol ich heilig werden / daß ich viel spreche HErr / HErr / viel bete / viel lese / viel schöne Wort mache / viel verstehe / gut scheine Nein / nein / es gehet nit also zu / es gehört anders dazu. Betreugest du dich / der Schade sey dein und nit mein / mit ewren Weltlichen Hertzen und Gemüete / und eitel Eitelkeit in geistlichem Schein.

Idem

Idem in præcedent. conc. 59. fol. 148. Der Beruff zum Reich Gottes (in Klöstern) ist viel höher als der gemeine Ruff zu den Geboten 2c. Nun ist diese weise sehr verkehret in dem meisten Theil / daß die da geistlich scheinen / haben weltliche Hertzen. Wisset / daß mancher Mensch mitten in der Welt ist und hat der Mann Weib und Kind / und die Fraw Mann und Kind / und sitzet etlicher Mensch und machet seine Schuch / und ist seine Meinung zu Gott sich und seine Kinder zuernehren / und etliche arme Menschen aus einem Dorff gehen misten / und ihr Brodt mit grosser Arbeit gewinnend / und denen mag also geschehen / daß sie hundertmal baß gefahren / so sie folgen einfältiglich ihrem Ruffe / denn die geistlichen Menschen / die auff ihren Ruff nicht acht hand / die stehend in der Furcht Gottes in Demütigkeit und in Armut / und volgē ihrem Ruf einfältiglichen.

(Huc pertinet, quod Apologia Aug. Conf. cap. de votis Monast. ex Vitis Patrum part. 2. §. CXXI. adducit hanc Historiam, quod *Antonio* (quē *magnum* vocarunt, de quo dubitari nequit, si unquam alium, ipsum perfecte regulas Monasticas servasse;) *sedenti & de perfectione sua glorianti vox facta sit, Antoni nondum pervenisti ad mensuram coriarii, qui est in Alexandria. Quem cum Antonius de perfectione ejus rogasset, respondet ille: Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse, unde ex cubili mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico; quod omnis civitas à minori usq, ad majorem ingrediuntur regnum Dei propter justitias suas. Ego autem solus propter peccata mea pœnam hæredito sempiternam, quod verbum, antequam quiescam, sero ex cordis mei recenseo veritate. Quod audiens B. Antonius, respondit: In veritate, fili, bonus aurifex sedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es. Ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumsi mensuram.*

Ib. in vita Paphnutii f. 10. *Paphnutius Monachus, cum ex Deo rogasset, quis virtute similis esset ei, responsum accepit: esse Symphoniacum in proximo vico fidibus victum quærentem, qui antea latro fuerit.* Similia de Monacho Pachomio & aliis ibid. recensentur.

Autor oneris Ecclesiæ c. 13. §. 10. *Deus gratiose condescendit humanæ fragilitati, ut etiam qui volunt in seculo vivere, possint in statu salutis esse, ducendo uxorem, gaudendo, emendo, hoc mundo utendo, sed sint quasi uxorem non habentes, non gaudentes, non possidentes bona propria, sed tanquam aliena à Deo accommodata, quibus frui debent juxta Dei beneplacitum. Profecto, quod clementissimus Deus ab homine exigit, facillimum est, nihil enim est agilius fide & dulcius amore, quem omnipotens à nobis exquirit, ut Deum scilic t & proximum diligamus, proprium nostri amorem posthabendo ac malas affectiones in nobis occidendo.*

Cajetanus Cardinalis in c. 6. Marci v. 8. scribit: *Ab universa doctrina Evangelica discrepat, mandare de cibo, potu, vestibus, barba, capillis & hujusmodi rebus.* Cajetanum propterea acerrimis verbis insectatus est Ambrosius Compsæ Episcopus, tanquam *docentem falsa & hæreticorum dogmatibus consentanea*, teste Sixto Senensi lib. 6. annot. 28.

Idem Cajetanus in c. 19. Matth. *Attende prudens Lector, quod nullum votum à JESU præscribitur volenti vitæ perfectionem assequi, quia non in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis affectio.*

Polydorus Vergilius lib. 8. de rer. invent. c. 1. *Quotidie à novis hominibus novæ introducuntur religiones inter se, tam vestitu, quam ratione vitæ minime convenientes, perinde q. vitia animi, cujus ductu ad bona seu mala nos applicemus, necesse est, tantummodo extrinsecus per ejusmodi studium possint penitus evelli.*

cap. 3. de Carthusianis loquens, adjungit: *Mulieribus ad eorum etiam templa aditus interdictus, ne aliquid videant, per quod ad libidinem rapiantur. Bella sane provisio, si affectiones animi possint claustris compesci, & caro solitudine & otio domari, id quod Hieronymus valde laborando (ut ipse testatur) efficere vix potuit.*

Erasmus in Præf. Enchir. de milit. Christiano: *In affectibus est Christi perfectio, non in vitæ genere; in animis est, non in palliis & cibis.*

Idem in annot. Matth. 24. pag. 75. *Audimus Monachos passim clamantes: Ecce hic est Christus, nec hos tamen inter se consentire. Observantes dicunt, apud Coletas & Conventuales non est Christus, sed hic est. Rursus Benedictini clamant: Hic est Christus, non apud Mendicantes. Tot undique voces perstrepunt clamantium, Hic est Christus Sed quid ait ipse Christus? Nolite credere, nusquam non est Christus, ubi sunt affectus Christo digni. Vult ille communis esse omnium, qui Sol est mundi, non dignatur circumscribi loco, non includi titulis humanis aut cultu Ceremoniisve.*

In annotat. 1. Cor. 3. pag. 310. *Si D. Paulus ita stomachatur adversus Corinthios, quod ab iis mutuarentur cognomina, à quibus Baptismum acceperant, & Christi mysteriis primum initiati erant, quid diceret de nostræ tempestatis factionibus, quā mille cognomentis, mille cultibus, Ceremoniis, regulis inter sese dissident, qui vocantur Religiosi, quibus ex rebus quantum concordiæ Christianæ nascatur inter hos, non licet commemorare.*

Georgius Cassander in consult. art. 25. de Monachatu pag. 1007. *In hoc vitæ genere, si rectè ex mente institutorum observetur, nil est, quod vel iniquissimus huic Monasticæ vitæ reprehendat, sed potius quod miretur, & laudet, tantummodo removenda est falsa opinio & præpostera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in solo Christi merito collocanda est, quam falsam opinionem & præposteram fiduciam ab omni externorum operum & Ceremoniarum observatione abesse oportet. Quid autem, quod eruditiores & saniores Monachi de hisce Monasticis exercitiis idipsum sentiant & publicis scriptis profiteantur? Ita enim quidam Concionator celebris Franciscani instituti* (Conradus Clingius in Locis Comm. cap. 118.) *hac nostrâ ætate scriptum reliquit: Hoc, inquit, cavendum est, ne ponatur justitia, id est, salus in hujusmodi observationibus, id est, ne quis putet, se promereri justitiam & remissionem peccatorum & gratiam hujusmodi servandis ritibus, nam justificationem & gratiam impetrare fit per fidem in Christum. Igitur Monachus, servata sua regula, si sentiat se propterea justitiam coram Deo consequi, is errat juxta illud Christi Matth. 15. Frustra me colunt mandatis hominum. Sic sentiendum est de omnibus Traditionibus, Ceremoniis & institutis Ecclesiæ. Igitur sola sinistra intentio hic deponenda est, non Traditio, neque Ordo, neque Ceremonia.* (In margine notatur, Vide Lutherum in Postill Epist. de Circumcisione.)

Idem alio loco. *Vita, inquit, Monastica non quærit aliam justitiam, quæ salvet præter unicam Christi justitiam, qui sanguine suo nos lavit & justos ac filios regni fecit. Igitur illa justitia carnis est sub justitia fidei seu Christi & infinitum distant. Non enim illi, sed priori Christi justitiæ tribuimus justificationem & salutem &c.*

Johannes Ferus in c. 12. Johan. v. 7. *Nemo in homine, in sanctitate status, vel officii vel habitus confidat Si Judam Apostolatus sanctum non fecit, nec te sanctum faciet status, vestis aut officium sanctum: imo nisi sanctitatem habueris & à Deo quæsieris, fieri potest, ut ex officio magis impius evadas.*

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. de Monachis. c. 2. §. Tertius gradus, sic disserit: *Status Episcoporum est status perfectionis adeptæ. Status Religiosorum & Monachorum est status perfectionis acquirendæ. Hi non tenentur esse perfecti, sed tantum aspirare ad perfectionem. Versantur enim in exercitatione virtutis & remotione impedimentorum. At Episcopi deberent esse perfecti, id est, ad eum gradum caritatis pervenisse, ad quem Religiosi per sua vota & exercitia tendunt.* Sequitur hac in parte Thomam, qui 2. 2. q. 184. art. 4. itidem statuit, *Episcopos esse in statu perfectionis.*

(Si status Episcoporum est status perfectionis adeptæ; Ergo perfectio non consistit in paupertate & obedientia Monastica, quia Episcopi beneficiis amplissimis fruuntur, & regulam obedientiæ aliis præscribunt. *Instrumenta aptissima atq, utilissima ad perfectionem acquirendam sunt paupertas, continentia & obedientia, quippe per quas virtutes omnia impedimenta divini amoris removentur*, scribit Bellarminus d. l. §. Nota tertio. At Episcopi non vovent paupertatem, nec obedientiam, teste eodem lib. de Cleric. c. 38. §. Secunda ratio &c. quomodo ergo sunt in statu perfectionis acquisitæ. Vicissim, si status Episcoporum est status *perfectionis acquisitæ*, status Religiosorum tantum *perfectionis acquirendæ*, unde est, quod pii veteres inviti Episcopatum susceperunt? Bellarm. d. l. c. 6. §. Secundo. *Chrysostomus & Basilius vehementer fugerunt Episcopatum, ut perpetuo in Monasterio viverent. Hieronymus invitus creatus est Presbyter, & Monachus tantum esse decreverat. Gregorius mirabiliter deplorat statum suum, quod, cum elegisset perpetuo in Monasterio vivere, tamen compulsus fuit Pontificatum suscipere.* At quomodo hæc concilianda? Monachus juxta illorum hypotheses potest præstare opera supererogationis & meretur gloriæ cœlestis ampliorem gradum quam Episcopus, & tamen statum inferiorem perfectionis in hac vita obtinet?)

Secundo, idem Bellarm. d. l. §. 2. scribit, *veram perfectionem in caritate consistere.*

(At caritas non est Monachorum propria, sed omnibus vere piis communis. Quod si ergo perfectio in caritate consistit, utique omnibus vere piis communis est.

Tertio,

Tertio, Augustana Conf. in vernacula editione, quæ prototypon est, art. 16. dicit, *se damnare eos, qui docent, Christianam perfectionem hanc esse, domum, possessiones, uxorem, liberos, corporaliter deserere, seque dictis rebus* (nempe Magistratu, judicandi officiis, dictatura pœnarum capitalium, justa belligeratione, emtione, venditione, proprietaria possessione, matrimonio &c.) *eximere, cum tamen vera perfectio Christiana consistat in vero timore Dei, vera in Deum fide.*

Imperator, Principes & Theologi Romano-Catholici hunc articulum in Confut. omnino comprobarunt, *ut conformem non juri solum civili, sed & Canonico, Evangelio, sacræ Scripturæ, atque adeo toti fidei analogiæ*, neque quicquam exceperunt pro Monachici status, præ Politico præstantia.

(Illos ergo conscientes habemus in eo, quod status Monachicus nequaquam jure divinæ institutionis Politico præferendus sit, ac proinde nō erit peculiaris status perfectionis.)

Quarto, Gradus illi dilectionis divinæ hominibus in hac vita possibiles, v. g. *tantum diligere Deum, quantum potest creatura mortalis, quæ à se removit omnia amoris divini impedimenta, & totam se Dei obsequio consecravit:* vel *ita diligere, ut nihil æque aut magis, quam Deum diligamus*, ex quibus Pontificii illum quidem *Episcopis* tanquam jam actu obtentum, *Monachis* vero non tanquam jam acquisitum, sed acquirendum tribuunt, (Thomas 2. 2. q. 185. art. 1. Hieronymus Platus Lib. 7. de relig. c. 38. Bellarminus Lib. de Monachis cap. 2. Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 6. q. 3. dub. 1. n. 24.) non Monachis solum, sed omnibus omnino hominibus in quovis statu, quovis tempore præcepti sunt lege illa regia, ut vocat Apostolus, Deut. 6. v. 5. Neq; hi solū gradus in hac mortalitate possibiles, ut Pontificii interpretantur, sed illa dilectionis intentio præcipitur, quā ex conditione primæ nostræ creationis in Adamo habuimus.

(Ex eo sic inferimus. Quod ab omnibus omnino hominibus requiritur, illud non potest dici solis Monachis in statu perfectionis acquirendæ constitutis præceptum. At omnes dilectionis divinæ gradus ab omnibus omnino hominibus requiruntur. Ergo.)

Si excipiant, *non esse quæstionem, quid Deus ab omnibus requirat, sed quid quilibet præstare possit, jam vero solis Monachis suppetere media illius perfectionis.*

Resp. ut omnibus datum est Evangelicæ perfectionis *præceptum*, ita quoq; omnibus Christianis in quocunque vitæ genere viventibus suppetere perfectionis *media*, quod confirmant definitiones perfectionis à Jesuitis & Pontificiis traditæ.

Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 6. q. 3. dub. 1. n. 9. & seqq. ex Thoma 2. 2. q. 184. art. 2. *Perfectionem Evangelicam potissimum & formaliter in caritate ponit, principaliter ea, qua Deus diligitur, secundario ea, qua proximus.*

(Atqui media Deum & proximum diligendi Christianis in quovis vitæ statu suppetunt.)

Greg. de Valentia Lib. de div. grat. part. 4. cap. 1. sub fin. *summum Christianæ perfectionis gradum in eo* ponit, *ut vitentur peccata mortalia; venialia vitari non posse nec perfectioni obesse.*

Idem repetit Lib. de statu & voto relig. cap. 3. resp. 2. ubi exponens sensum præcepti illius Regii, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* id, *quod facimus*, inquit, *cum vitamus omnia peccata mortalia.*

(Atqui media vitandi peccata mortalia divina gratia suppetunt Christianis in quovis vitæ statu.)

In specie de statu Ecclesiastico constat Pontificios statuere, quod *Monachi sint in statu perfectionis acquirendæ, Episcopi in statu perfectionis acquisitæ.* Proinde Status Ecclesiasticus duplici nomine vita contemplativa præstantior: tum quia contemplationi actionem conjungit, tum quia vita activa per se præstantior est contemplativa & majorem etiam fructum tam in agente, quam in aliis producit, unde Granatensis conc. 2. in festo Matth. *Monachos contemplativos inter infima Ecclesiæ membra numerandos censet.*

In statu Politico, conjugali & quovis alio præsupponimus requiri de jure divino, ut intentione *non implicita & indirecta, sed explicita & directa* in Dei amorem & gloriam feratur 1. Corinth. 10. v. 31. Coloss. 3. v. 17. Item oportere omnium præceptorum executionem fieri *cum intentione Deum & proximum diligendi*, Rom. 13. v. 9. Galat. 5. v. 14. At talis dilectio in quovis vitæ statu locum habet. Quod de facto hoc non semper habet locum, id non status imperfectione, sed abutentium vitio fit. Quales igitur jure divino hi status sunt, non minus perfectam Dei dilectionem includunt quam Monasticus, ac vi suæ institutionis non minus ad perfectionem ducunt, quam regulæ Monachorum.

Confer Dn. D. Hülsemann. in Disp. 13. contra Hagerum.

Quinto, fatentur, *perfectionem ipsam esse etiam in aliis, qui vota Monastica non ediderunt, nec sectantur; neque matrimonium, Rempublicam &c. obesse habitui, sed actui caritatis.* (Thom. 2. 2. q. 184. art. 3. Bellarminus in judicio de Form. Concord. p. 306.) etsi tales secundum ipsorum opinionem *non sint in statu perfectionis.*

Bellarminus de Monach. cap. 2. sub fin. *Fieri potest, ut aliquis sit perfectus, & tamen non sit in statu perfectionis, quemadmodum è contrario non raro accidit, ut multi tam Episcopi quam Religiosi sint in statu perfectionis & non sint perfecti.*

Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 6. q. 3. dub. 1. num. 19. ex Thoma 2. 2. q. 184. art. 4. *Sic in statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc, quod habet actum dilectionis perfectæ, sed ex hoc, quod obligat se perpetuo cum aliqua solennitate ad ea, quæ sunt perfectionis.*

Sexto fatentur, exercitia illa Monastica, v. g. *severiorem corporis habitum, jejunia, vigilias, flagellationes* non facere per se ad perfectionem.

Tannerus d. l. ex Thoma 2. 2. q. 188. artic. 6. ad 3. scribit: *Non esse potiorem religionem ex hoc, quod habet arctiores observantias, seu quod durior & asperior sit, sed cæteris paribus ex hoc, quod ex majori discretione sunt ejus observantiæ ordinatæ ad finem religionis.*

Et post Cajetani adjectum suffragium dub. 2. n. 36. *Adde*, inquit, *ipsa etiam efficaciora castitatis tuendæ media esse, tum assiduam studiorum tractationem juxta illud Eccles. 12. v. 12. Frequens meditatio carnis afflictio est: tum frequentem ac pium Sacramentorum usum, præcipue SS. Eucharistiæ &c.*

Et paulo post num. 38. *Ergo etiam religio non tanto est perfectior, quanto majorem habet paupertatem, sed quanto ejus paupertas est magis proportionata fini, nempe perfectioni caritatis.* Ex quo procul dubio factum, ut Lojola in Epist. ad socios de obed. virtute §. 3. inter Regulas Societatis etiam hanc esse voluerit: *Ab aliis Religiosis Ordinibus facilius patiamur nos superari jejuniis, vigiliis, & cætera victus cultusque asperitate &c. Verâ ac perfecta obedientia, abdicatione voluntatis atque judicii maxime velim, fratres carissimi, esse conspicuos, quicunque in hac Societate Deo Domino nostro deserviunt &c.*

(Sic ergo inter nos & Monachos non controvertitur, *An vota ipsorum propius ducant ad perfectionem, quam quævis alia pietatis officia in quovis vitæ genere*, quod ipsi non audent asserere, sed *an non ista vota propius adducant ad illum statum perfectionis, quem ipsi Ceremoniis voventium commenti*, qui status cum non sit ipsa perfectio, sed irrevocabilis obligatio ad sectandam perfectionem, non poterit ex eo inferri ad perfectionem ipsam vota Monastica plus conducere, quam quævis alia à Deo instituta pietatis exercitia, qualia sunt, regere subditos, liberos in timore Domini educare, vivere ex manuali opificio &c.)

Septimo, Salmeron in Epist. Pauli tom. 13. Disp. 9. pag. 36. scribit: *Majoribus periculis animæ obnoxios esse Laicos, quam Monachos; secularem vitam similem esse mari, in quo Laici magna tempestate navigant, religiosi contra in portum recepti tranquille vivunt.*

(Laici ergo erunt in statu perfectiori, cum major virtus sit, quæ circa magis ardua versatur.)

3. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quod agnoscere coguntur, Monachatum hodiernum plurimum defecisse ab institutis veterum.

(Quomodo ergo Monachatus hodiernus pro statu perfectionis venditari potest?)

Ostendit hoc mutua collatio Monachorum & Monasteriorum hodiernorum cum veteribus.

Primo, veterum Monasteria erant *extra urbes* in locis solitariis & incultis.

(Antonius apud Sozomenum Libr. 1. cap. 11. dicebat, *ita eremum Monachis, ut piscibus aquas convenire.*)

c. Juxta. caus. 16. q. 1. ex Alexandro I. *Juxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilii Monachis (quamvis religiosis) ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus, vicos, castella, civitates peragrare prohibemus.*

c. Si cupis. caus. & quæst. iisd. ex Hieronymo: *Si cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?*

c. Placuit. caus. & quæst. iisd. ex Eugenio Papa: *Placuit communi nostro Concilio, ut nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat. Neque pœnitentiam dare, neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum*

mum visitare, neq; mortuum sepelire, neq; ad Ecclesiam secularem transire, neq; aliis qualibuscunq; negotiis sese implicare. Sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaq; solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autē vivit. Agnoscat nomē suū. Μόνος enim Græce, Latine est unus: ἄχος Græce, Latine est tristitia & dolor sive mētis ægritudo, unde dicitur Monachus, id est, unus tristis. Sedeat ergo tristis & officio suo vacet.

Erasmus in notis ad verba Hieronymi in Epist. ad Rusticum. (*Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?*) sic annot. *Hinc Monachi vocabulum, quasi dicas unum aut singularem.*

Sylvester Prierias in verbo Religio 7. *Dico, quod Monachus Græce, Latine singularis, id est, separatus à conversatione secularium.*

Idem dicit, *Monachum à solitudine nomen accipere.*

Bellarminus de Monach. cap. 6. *Olim tam Eremitæ quam Cœnobitæ fere omnes extra urbes procul à reliquis hominibus habitabant.*

(At hodierni Monachi non solum in urbibus, sed etiam in Principum aulis frequentes conspiciuntur.)

Nicolaus Gallus Narbonensis Carmelita Magister generalis (circa Annum 1160.) sub titulo Igneæ sagittæ, vehementem & aculeatum librum scripsit, in quo deformatum sui Ordinis statum piis lachrymis deplorat, inter cætera scribens cap. 5. *Dicite, quæ & qualis est ista religio nova in civitatibus adinventa? per plateas de mane usq; ad vesperam discurrentes à pædagogo compulsi vestro, qui rugiendo circuit, quærens, quem devoret, & sic in vobis prophetia, In circuitu impii ambulant, ad vestræ confusionis cumulum veraciter est impleta. Est enim causa discursuum vestrorum præcipua ut visitetis non pupillos, sed puellas, non viduas in tribulatione consistentes sed fatuas juvenculas, Beghinas Moniales ac Dominas, ubi Alter in alterius jactantes lumina vultus, verba, quæ bonos mores corrumpunt, alternatim emittitis cordium allectiva &c. Non est hæc religio munda & immaculata apud Deum, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc seculo utiq; custodiri. Heu me fratres carissimi, dum luto seculi estis involuti, cur vos creditis minime maculari?*

Polydorus Vergilius in Histor. Anglica. *Dum Monachi divinis duntaxat rebus vacantes hominum cœtum fugiebant ac solitudines, unde sibi nomen vendicant, quærebant, tum profecto Monasticæ vitæ institutum rite servabant. Contra ubi omissa solitudine celebritatem colere, ubi divitias recipere libuit, incredibile dictu est, quantum à majoribus suis degeneraverint.*

Erasmus in Method. Theol p. 139. *Ipsis mundi visceribus immixti Monachos se vocant & regium luxum affectantes mendicitatem prætexunt.*

pag. 189. *Non aliter sunt extra mundum, quam renes extra corpus animantis.*

Secundo, veteres Monachi labores manuum suarum manducabant (testibus Hieronymo Epist. 4. ad Rusticum & in vita Hilarionis, Augustino lib. de oper. Monach. cap. 23. Sozomeno libr. 3. cap. 14. Socrate lib. 4. cap. 28. Isidoro Pelusiota lib. 1. Epist. 49. In Historia Tripartita libr. 8. cap. 1. celebratur apophthegma Apollonii, quod *Monachus, qui non manibus aliquid operetur & laboret, sit similis latroni & prædoni.* Ibid. de Serapione Abbate in Monasterio quodam Ægypti commemoratur, quod *decem millibus Monachorum præfectus singulis operi devotis diebus eos operari catervatim curabat, eosdemq; ex mercede operarū suarum pascebat, quodq; supererat ex mercedibus. (supererat autem frugalissimis viris multo maxima pars, innumerabilibus egenis in eleemosynas erogabat.)*

c. De præsentium, dist. 16. q. 1. ex Pelagio Papa, *Illic* (apud Monachos) *quies, oratio, labor manuum.*

c. Nunquam, de consecrat. dist. 5. ex Hieronymo ad Rusticum: *Facito aliquid operis, ut semper te Diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli, habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus metere debebant carnalia, cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jactata fuerint semina vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ &c. Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absq; opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem.*

Galfridus Britannus & Cardinalis, qui scripsit circa Annum Christi 1150. novem libros Britannicæ Historiæ, lib. 8. cap. 4. inter cætera hæc refert: Cum Augustinus, Gregorii Magni Pontificis Romani Legatus, in Britanniam veniret, *erat in civitate Bangor quadam nobilissima Ecclesia, in qua tantus fertur fuisse numerus Monachorum, ut cum in septem portiones esset cum præpositis sibi Prioribus Monasterium divisum, nulla harum portio minus, quam trecentos Monachos haberet, qui omnes labore manuū suarū vivebant.*

Alphonsus de Castro libr. 9. advers. hæreses, verbo Labor, hæresi 1. *Omnes sancti viri, qui modum aliquem vivendi in Monasterio instituerunt, Monachis suis præceperunt, ut manibus laborantes otium animæ inimicum vitarent. Nam de Monachis Ægyptiis loquens B. Hieronymus in Epistola ad Rusticum Monachum, ita ait: Ægyptiorum Monasteria hunc habent morem, ut nullum absq; labore & opere suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus & instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divaricet pedes suos. Hæc Hieronymus. Hoc ipsum B. Basilius docet Monachos, qui in regula Monachorum cap. 67. inducit Monachos talem proponentes illi quæstionem, sic dicens: Si ergo neq; solicitudinem habere oportet de necessariis usibus ad vitam, & aliud præceptum est Domini, dicentis: Operamini non cibum, qui perit, nonne superfluum est manibus operari? cui quæstioni respondens Basilius, ait: Ipse Dominus in Evangelio præceptum suum explicavit &c. Cum ergo hæc ita nobis, vel in Evangelio Dominus, vel Apostolus tradat, manifestum est quidem, quod pro nobis ipsis quidem soliciti esse non debemus, neq; laborare, propter mandatum autem Domini & propter necessitatem proximorum soliciti esse debemus, & operari attentius, & maxime, quia Dominus in seipsum recipit ea, quæ in servos ejus fecerimus, & regnum cœlorum pro hujusmodi promittit obsequiis. Hucusq; Basilius &c. B. Benedictus in regula sua ait: Otiositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum &c. A pascha usque ad Calendas Octobris mane exeuntes à prima usque ad horam pene quartam laborent, quod necessarium fuerit, ab hora autem quarta usque ad horam sextam q. lectioni vacent. Et aliquibus interjectis subdit. Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges legendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere hi Monachi sunt, si labore manuum suarum vivant, sicut & Patres nostri & Apostoli &c. S. Franciscus in Testamento suo dicit: Et ego manibus meis laboravi, & volo laborare, & omnes alii fratres firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, addiscant, non propter cupiditatem lucri, sed propter bonum exemplum & ad repellendam otiositatem.*

Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 42. §. Ad argumentum tertium &c. fatetur, *antiquos Monachos partim propter necessitatem, partim ob fugiendam desidiam poscente id regula Ordinis* (nota, poscente id regula Ordinis) *manibus laborasse.*

Tannerus part. 2. Anat. August. Confess. Demonstr. 8. §. 26. 28. *Monachorum veterum instituta ex Augustino sic describit: Nemo quicquam possidet propriū, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem simul tradunt eis, quos Decanos vocant &c.*

Item: *Sane quicquid necessario victui redundat, non redundat plurimum ex operibus manuum & epularum restrictione, tanta cura egentibus distribuitur &c.*

(At hodierni Monachi otiosi vivunt, & ex pauperum sudoribus delicate pascuntur, id quod jam olim cordatiores in illis reprehenderunt.)

Desiderius Longobardus tempore Alexandri IV. circa Annum 1256. damnavit Statum eorum, *qui relictis omnibus sponte sua paupertatem professi sunt, & mendicitate sua aliis oneri esse voluerunt,* & docuit in libro ea de re edito, *debere eos de manuum suarum labore vivere.*

Durandus Mimatensis Episcopus de modo celebrandi Concil general. part. 2. tit. 53. (circa Annum 1300) ostendit, *Monachos cogendos esse ad laborem manuum, dicitq; in Ægypto eum morem fuisse, ut nullum plane Monachum reciperent, qui aliquam artem non posset, aut alioqui manibus laborare nollet.*

Circa Annum 1460. excusus est liber, sub titulo, Defensorium Ecclesiæ, seu Speculi Hierarchiæ Ecclesiasticæ fasciculus, suppresso autoris nomine. In eo multis tum sacrarum literarū tum Patrum testimoniis confirmatur, *pauperibus Monachis omnino laborandum esse, ut de opere manuum suarum vivant.* Citat inter alia Francisci regulam c. 5. qui affirmat, eam *esse sanctissimam paupertatem, si suis manibus Monachi operentur ac inde vivant.* Item veterum Ægyptiorum Patrum sententiam, qui soliti sunt dicere, *Monachū operantē ab uno Dæmone vexari, otiosū ab innumeris.*

Polydorus Vergilius l. 8. de rerum invent. c. 3. *Haud scio, qua ratione isti Monachi debeant in mendicando semper hærere, quando satis constat, Christum non mendicasse & Apostolos non expectasse ab aliis victum otiosos, scribente Apostolo ad Corinthios & laboramus operantes propriis manibus, ac primos Monachos in Ægypto, teste Chrysostomo, exercuisse se manibus laborando. Item Divus Franciscus, cujus Secta longe frequentissima est, voluit, suos Monachos victum*

victum quærere manuum laboribus, ac non prius ad mendicandum aggredi, quam laboris precium esset negatum. Igitur hinc videre licet, omnes æque debere Apostoli institutum sequi.

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. de mendicis: *Jam vero hæc valida mendicitatis lues non inter prophanos modo & extremæ fecis vilissimos nebulones hospitatur, sed etiam in religionem, in Monachorum & Sacerdotum usq; ordinem conscendit. Hinc illæ Fratrum, Monachorum, cæterorumq; quæstuariorum sectæ natæ sunt &c. è quorum numero sunt, qui indulgentias & dispensationes pollicentes eleemosynarum prætextu venantur divitias, atque provincias peragrantes ab incautis rusticis ac credulis mulierculis superstitiose attonitis ovem, agnum, hædum, vitulum, porcum, pernas, vinum, oleum, butyrum, triticum, legumina, lac, caseos, ova, gallinas, lanam, linum, etiam pecuniam corradentes, universam regionem deprædantur, ac onusti opimis spoliis domum redeunt, ubi à suis magno omnium applausu excipiuntur, collaudanturque, quod simplici plebi, piisque mulierculis tam religiose imposuerunt, putantq; per hujusmodi mendicitatis artes, insignesq; fraudum versutias sese Deo atq; sanctis sanctissima offerre sacrificia, quoties ad istum modum onusti præda magno populi dispendio ac Reipubl. detrimento sui famulitii satellites saginent otiosos, ipsa misericordiæ opera, quorum prætextu tanta donaria illis conferuntur, penitus posthabentes, negligentes & contemnentes &c. Scripserunt contra istos quondam Episcopus Richardus Armachanus, & Malleolus Præpositus Tigurinus, & Johannes Episcopus Carnotiensis & plerique alii commeminerunt, quorum scripta tolerabiliora forent, si non adeo religiosam hanc mendicitatem, sed illius abusum duntaxat damnassent.*

Ludovicus Vives in lib. 7. Augustini de Civit. Dei cap. 26. *Quod si nunc videret Augustinus ditissima & amplissima Sodalititia ab iis poscere stipem, quibus deceret potius sua impertiri, quibus redundant & affluunt? cum interea qui dedit, arrodat siccum & cibarium panem, oleribus mensam instruens, & fictilibus vasis aqua duntaxat plenis, liberis circumseptus, pro quibus noctes & dies solicitus operi intentus agit, qui accepit, opulens mendicus candido & siligineo pane, perdicibus capisque, generoso vino ac leni se obruat.*

Claudius Espenlæus Episc. in Comm. 1. Tim. Digress. lib. 3. c. 12. *Nec scio, qua ratione isti Monachi, qui vulgo Mendicantes vocantur, qui solum precarium quæstum faciunt, unde sese sustinent, debeant semper in medicando hærere, quando satis constat, Apostolos non otiosos expectasse ab aliis victum. Monachi in Ægypto, teste Chrysostomo, exercuerunt se manibus operando.*

(Ex quo facile judicari potest, quid statuendum de eo, quod Bellarminus lib. de Monachis c. 42. evincere conatur, Monachos non teneri ad laborem manuum. *Non magis*, inquit, *tenentur manibus operari, quam seculares.*

(At si priscos Monachos imitari velint, necesse est, ut manibus operentur.)

Tertio, Monasteria olim fuere *Scholæ pietatis, seminaria Ecclesiæ, officinæ literarum* (teste Basilio in asceticis c. 15. Chrysostomo lib. 3. adv. vituper. vitæ Monasticæ, Hieron. in Epist. ad Rusticum, Ambrosio serm. 89. Ruffino lib. 2. c. 9. Posidonio in vita Augustini & ipsa illorum temporum Historia. Nullæ enim tunc temporis erant Academiæ, sed omnis literas docendi discendiq; labor in Monachorum claustra transferebatur, ut ostendit Henricus Petrejus in tram. de Monast. fol. 17.

c. De præsentium. caus. 16. q. 1. ex Epist. Pelagii Papæ ad Antoninam Patritiam & Deciam, *Faciat Deus, ut tales sint hi, qui vel à nobis in isto habitu nutriuntur, vel in Monasteriis crescunt, ut provecta ætate & vita probata non ad litigiorum officia, sed ad Sacerdotium valeant promoveri.*

c. Monach. caus. & quæst. iisd. ex Siricio: *Monachos quoq;, quos morum gravitas & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari & optamus & volumus.*

c. Sic vive. caus. & q. eisd. ex Hieronymo: *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis. Multo tempore disce, quæ postmodum doceas, & inter bonos semper sectare meliores. Quod si populus vel Episcopus te in Clerum elegerit, age ea, quæ Clerici sunt.*

A. Zonara tom. 3. & Paulo Diacono lib. 23. rer. Roman. *Plato Præceptor Monasterii Saccidionis* appellatur.

Apud Wesselum Goswinus sic scribit: *Erat ea tempestate Advvert in Frisia non tam Monasterium, quam Academia. Horum mihi testes essent, si superessent, Rudolphus Agricola, Wesselus Groningensis, Guilielmus Fridericus Pastor, Johannes Ostendorpius, Rodolphus Langius, Paulus Pelantinus, Alexander Hegius, Johannes Canter, Lambertus Frylingus, Onno ab Evvsuma Eques auratus, Arnoldus Hildesimensis & alii, qui totas hebdomadas, ne dicam menses in Advvert diversari soliti sunt, ut vel audirent vel discerent, unde doctiores & meliores quotidie efficerentur.*

Trithemius in Chronic. Hirsaug. *His temporibus* (nimirum circa Annum 840.) *& diu post, erat hæc consuetudo Monachorum Benedictinorum celeberrima, ut Scholæ in singulis pene cœnobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed Monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi, qui non solum in divinis Scripturis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poesi & cæteris omnibus secularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dignoscitur, quanquam vitio scriptorum, qui à primæva institutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam provinciam in suo Cœnobio Monachorum Abbas minime haberet, de aliquo alio Monasterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum enim dedecus judicabant, dociles animos Monachorum negligere, quos ut moribus & literis bene instituere possent, nullis parcebant impensis. Sic namq; doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus multo tempore in Cœnobio S. Vincentii Metensi Monachorum præceptor, quanquam de alio Monasterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulensi, Albinus Monachus Anglicus in Fulda. Milo S. Amandi in Corbeja, atque alii complures in aliis Monasteriis docendi ad tempus tenuerant officium.*

Idem de Dithmaro Abbate VI. Monasterii Hirsaugiensis sic scribit: *Magna multitudo Monachorum sub ejus regimine in hoc Monasterio claruit; quorum aliqui sanctitate vitæ valde insignes fuerunt, plures autem propter scientiam & doctrinam Scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diversis quoque Benedictinorum Ordinis per Germaniam Monasteriis Monachi ad scientiam Scripturarum hauriendam Hirsaugiam mittebantur, quia talis consuetudo eo tempore in Ordine nostro servabatur, ut Monachi pro pleniore eruditione consequenda, si qui viderentur idonei, ad diversa Monasteria instruendi mitterentur. In omnibus enim nostri Ordinis Cœnobiis in Germania & Gallia maxime, Monachorum Scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quosque & ingenio præstantes in primitivis literarum scientiis erudirent, & postea, qui habiles inventi fuissent, ad altiora transmitterent. In famosioribus autem Cœnobiis, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctissimi, & non solum in divinis, sed etiam in secularibus literis eruditi, ad quos mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunque vero inter eos majoris eruditionis famam in Ordine acquisiverat, etiam plures ad se missos discipulos ad erudiendum Monachos habebat. Inter Monasteria autem hunc ordinem studiorum habentia hoc tempore præcipua fuerunt, Monasterium Fuldense, Hirsfeldense, Mediolanense, Rhemense, Stabulense, S. Galli Hirsaugiense, S. Dionysii Parisiense, Altisiodorense, VVeissenburgense, Augiense, Prumiense, S. Maximi Trevirense, Turonense; in quibus erant Monachi & multi & valde Studiosi, è quorum Collegio in singulis Cœnobiis unus cæteris in scientia Scripturarum excellentior Scholasticus ponebatur. Abbates autem, qui Monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diversa Monasteria ex suis quosdam mittebant instituendos. Utinam tale studium hodie in nostris haberetur Monasteriis! quam multa bona fierent, & infinita mala prohiberentur! sed non omnibus inest amor scientiæ Scripturarum, propterea noster Ordo sacratissimus quasi sine honore jacet sepultus.*

Idem Trithemius Lib. 1. cap. 6. de viris illustr. memorat, *in Cœnobiis Benedictinis alios juniorum fratrum in Grammatica, alios in Orthographia, in Rhetorica nonnullos vel Dialectica, & quosdam in Musica, Arithmetica & arte Computistica, alios in Philosophia fuisse institutos, & postea ad Scripturarum communicationem deductos.*

In Chronico Lubecensi Hermanni Bonni. *Anno 1100. Collegium Aldenburgi extructum est atque fundatum, & Episcopi ipsi concionandi munere tunc fungentes, Vandalos ad Christianismum perduxerunt. Ne autem in eam rem deinceps alii quoque deessent, sed ut populus doceretur, optimus Princeps Gotscalcus nonnulla Monasteria atque Collegia exstruxit, fundavitque ad profectum & utilitatem universæ ditionis & ad Christiani nominis inter Vandalos propagationem. Ex quo facile conjicere quis potest, qua opinione primum ducti boni Principes & in quem finem Collegia & campestria Monasteria ædificanda curaverint, nimirum quod idonei homines ad literas & ad sacra studia colenda pararentur, informarenturq;, qui, ubi opus esset, & ipsi postea populo in ministerio verbi præesse possent, quemadmodum & Historia de Corveja Monasterio in VVestphalia sito perhibeut,*

bent, inde quosdam ad Rugienses translatos pro abolenda idololatria ac informando Christianismo per prædicationem Evangelii, quod factum est hoc tempore Friderici II. Cæsaris.

De Sturmio, primo Fuldensi Abbate, Bruschius refert, quod videns Germaniam à literis & pietate alienam, variisq; & bellis & seditionibus turbatam, indolem vero Germanorum præclaram, si quem nacta esset Magistrum ejus ducendæ formandæq; callidum, Scholas aliquot morum & pietatis constituere meditatus sit, ac primo Hersfeldense Cœnobium inchoarit, mox Fuldense condiderit, in quo 400. habuerit disciplinarum & professionum monumentis occupatos. Et addit, Carolum M. volentem & literis & pietati consultum, ne tot & tanta ingenia non alerentur, plurima huic Cœnobio contulisse.

Idem de Henrico Rodolpho à Weze Abbate Waldsassensi refert, quod memor primæ Monasteriorum omnium originis colligendæ Scholæ in usum totius circumjacentis provinciæ imprimis fuerit studiosus.

Henricus Mutius in Chron. fol. 160. de Conrado, Fridrici Barbarossæ fratre, sic refert: Collegium Sacerdotum in Nevvenburg, juxta Heidelbergam, mutavit in Monasterium Monialium, & annuos reditus auxit. In oppido enim voluit doceri & institui pueros, aliaq; habebat virorum Monasteria, in quibus instituebantur pueri ingenui. Hoc autem voluit esse Scholam puellarum ingenuarum, ubi in pudicitia ad timorem Domini, & sanctam maritorum post nuptias obedientiam puellæ instituebantur.

Idem de Carolo Magno. Non alio proposito Carolus Magnus tot fundavit Monasteria, nisi ut juventus bene in illis instituta utilis esset exemplo & doctrina hominibus.

Johannes Aventinus lib. 3. Annal. Bojor. testis est, in Monasterio Heimerani Saltzburgi Monachos literas & bonas artes interpretatos esse.

Balæus Cent. 14. cap. 26. testatur, quod Maidulphus Scotus Philosophus Malmesburiense Cœnobium An. Christi 685. condiderit, inq; eo scholam tam Græcæ quam Latinæ linguæ aperuerit & artes prælegerit.

Ivo in Constantino testis est, in Monasterio à Papa Stephano II. Romæ intra Modiceum ædificari cœpto & à se absoluto Paulum I. Græcos collocasse, & locum ipsum ad sanctos Martyres in Schola Græcorum nominari præcepisse.

Paulus Langius in Chron. Citicens. pag. 763. Floruit illa ætate sapientiæ in Cœnobiis studium. Proinde Reges & Principes, cæteriq; Nobiles ad discendum Dei timorem cum literis liberos suos Monachis intra claustra tradiderunt instituendos. Quorum pleriq; manentes sub regula disciplinæ magisterio creverunt in viros sanctissimos.

Georgius Cassander in Consult. artic. 25. pag. 1007. (al. p. 287.) Cœtus Monachorum initio ex illiteratis tantum fere constabat, mox cum & literatis hominibus hoc genus vitæ allubesceret, cœperunt in Monasteriis studia, non solum rerum divinarum, sed etiam liberalium artium exerceri, sic ut ibi adolescentes in liberalibus artibus & potissimum pietatis studiis imbuerentur, ac tandem ex iis Ecclesiæ Ministri & Pastores assumerentur. Ita de Gelasio II. legimus in lib. Pontifical. eum in Monasterio Cassinensi institutum fuisse, viris ad omnia peritissimis, quorum in eo Monasterio non parva copia inerat, ad liberales artes addiscendum adjunctum. Et Severus in vita Martini testatur, ex ejus Monasterio Episcopos & Sacerdotes ascitos fuisse, & Pelagius Pontifex optat, ut qui in Monasteriis nutriuntur, tales sint, ut provecta ætate & vita probata ad Sacerdotium valeant promoveri.

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. Sic visita, sic superintende Præsul, ut impetres à Monachis, quæ tam illis profutura videbuntur, quam toti Ecclesiæ, quæ solet sæpenumero è Monasteriis mutuum accipere Doctores Evangelii & olim inde accepit perdoctos Episcopos, qui de cathedris ipsi suis prædicarunt verbum Dei vivi, cui cedit humanum verbum, humanum votum, omneq; istud institutū.

Claudius Espensæus in Comm. 1. Tim. Digress. lib. 3 cap. 12. Erant olim Cœnobia Collegia & ἀσκητήρια, hoc est, exercitationes, in quibus orationi lectio, lectioni succedebat oratio, ut est apud Hieronymum, ac proinde Episcoporum seminaria.

Harmonia Augustan. Confess. Fabricii pag. 508. Monasteria fuisse olim Scholas literarum non negatur; nec tamen ignoratur, ea fuisse primum Scholas virtutum & disciplinæ, quibus literæ postmodum accesserint.

Maldonatus in Comment. Matth. 3. v. 3. Oportebat Johannem, antequam ad populum docendum accederet, ut ipse sese in solitudine, velut in Monasterio, doceret. Notum enim est illud apud Augustinum proverbium: Qui non est bonus Monachus, non erit bonus Clericus.

Johannes Mariana Jesuita in lib. de morbis Societatis cap. 6. Benedictinorum Monasteria Scholas publicas fuisse ex Trithemii Chronicis constat.

(At hodierni Monachi psallendi officio occupantur, ad Ministeria raro aspirant, literas plerunque nesciunt.)

Statuto Bonifacii VIII. (qui sedit Anno 1294. Monachi jubentur à sectanda scientia artium & studiis abstinere, nisi peculiari indultu ipsis permittatur. Sixt. lib. 3 Decretal. tit. 24. Ne Clerici. cap. 2. Ut periculosa. A Physica & legum studio prohibuit eos Alexander III. qui vixit Anno 1160. libr. 3. Decretal. tit. 50. Ne Clerici &c. cap. 3. Non magnopere. A Musica artificiali Johannes XXII. circa Annnum 1361. Extravag. comm. lib. 3. tit. 1. de vita & honest. Clericor. cap. 1. Docta &c.

Claudius Espensæus d. l. Vindicavimus Monachismum veterem ab imperitiæ nota, quem utinam potius sequatur recentior! Vix nunc centesimum quodq; Cœnobium literatorum invenies, hodierno tempore malunt hæc eversa penitus, quam ad originem reversa.

Ibid. Duo olim Monachismum gloriosum reddiderunt, vitæ meritum & eruditio Scripturarum. Verum Monachomastyx, Monacho imperitiorem, proverbialiter dixit, utinam hoc in loco vanus & mentitus!

Ibid. circa finem capitis: Hos enim, qui ventri obedientes sunt, animalium loco numeremus an hominum? imo quosdam ne animalium quidem, sed mortuorum. Vivit enim, qui se utitur & multis usui est, qui vero latitant & torpent, sic in cellulæ sunt, quomodo in conditivo. Otium enim sine literis mors est & vivi hominis sepultura.

Quarto, veterum Monasteria erant Collegia libera absque vinculis votorum, (ut constat ex Athanasio Epist. ad Dracontium sub fin. Chrysostomo contra vituper. vitæ Monast. lib. 3. Augustino de morib. Ecclesiæ Catholicæ cap. 33. Sozomeno lib. 3. Hist. Eccles. cap. 16. Sponte in Monasteria venerunt & proprio arbitrio ex illis recesserunt.)

Polydorus Vergilius lib. 7. de rer. inventorib. cap. 1. Tempore Hilarionis & Basilii nullo adhuc certo vivendi ritu Monachi utebantur, sed id temporis vitæ genus simplex ac liberum erat, & istis Ceremoniis minime obstrictum, quas hodie Monachi observant &c. nullum votorum vinculum, integrū unicuiq; foret manere, aut proficisci, quò terrarum vellet, vel si quem hujusmodi instituti sui pœnituisset, etiam potestas esset ad pristinam redeundi vitam, non absq; tamen inconstantiæ nota. Quod si deinceps per novas hominum leges inviolatum permanere licuisset, longe sanctissimos omni tempore Monachos habuissemus.

Bruschius refert de nobilissimo Monasterio Ordinis Benedictini, quod vocatur Reichenaw, circa An. 724. quod plurimis Principum, Comitum & Nobilium liberis ibi bene institutis liberum fuerit inde ingredi, & vel uxores ducere, vel aulas Principum, vel militiam sequi.

Idem memorat circa Annum Domini 950. plures Monachos Cœnobii Fuldensis sub Abbate Hadamaro matrimonia iniisse.

Balæus 2. Cent. 12. tradit, circa seculum decimum adhuc in Germania fuisse Cœnobia Monialium Nobilium, unde exire & honeste nubere potuerint, excepta Abbatissa.

Idem scribit, Monachos & Canonicos Huldrici Augustensis potuisse uxores ducere usq; ad Hildebrandi tempora, (qui circa Annum 1070. vixit.)

Erasmus in vita Hieronymi: Hieronymus, ut se totum sacris literis & studiis dedicaret, de secessu cogitavit. Pensitatis igitur omnibus ac circumspectis, Monachi placuit institutum, quod, ne quis erret, id temporis longe diversum erat ab hoc, quod hodie videmus Ceremoniis obstrictum, imo quibus maxime libertas erat cordi, hi Monachi professionem suscipiebant. Primum enim res manebat integra, manebat commigrandi, remigrandiq; quo vellet, potestas, manebat dulcissimum ac liberrimum otium ad studium, ad jejunia, psalmos, vigilias aut suapte sponte incitabantur aut exemplis invitabantur, non cogebantur hominum constitutiunculis. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuiq; arbitrio sumtus, non qui prodigiosa novitate faceret insignem & digito notandum, sed qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula. Denique si quem forte instituti sui pœnitentia cœpisset, tota demum pœna erat inconstantiæ nota. Cujus rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam, legat institutionem Monachi ad Rusticum, & item ad Paulinum, legat in Epistola, cujus initium, Audi filia, descriptum triplex apud Ægyptios Monachorum genus. Quin inter alia præstabat & hæc commoda illud vitæ genus. Hujus prætextu honestius licebat ab affinium & cognatorum vinculis temet excutere, gravi nimirum onere ei, cui nihil dulcius otio studiorum, à publicis functionibus, à muniis & officiis Imperialis aulæ prorsus habebantur excusati. Postremo minus patebant Episcoporum quorundam jamtum insolescentium Tyrannidi. Jam hic titulus nec à functione Clericatus quicquam remorabatur, & ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud erat quicquam

tunc

tunc Monachi professio, quam priscæ liberæque ac purè Christianæ vitæ meditatio. Hæc obiter admonenda duxi, ne qui mos est plerisq;, Hieronymum sui instituti faciant autorem ii, ad quos ille nihil attinet. (Inde Polydorus Vergil. lib.7 .de rer. invent. c.3. dicit, *multos esse, qui Hieronymi titulū sibi vendicent, qui tamen longe ab ejus vita absint.*)

Idem Erasmus in Antidot. Epist. Hieronym. ad Rusticum sic scribit hac ipsa de re: *Ad Rusticum*, inquit, *sicut etiam in Epistolis, quas ad Heliodorum suum scripsit D. Hieronymus, nihil eorum præcipit, quæ his temporibus à Monachis exiguntur, permittit enim possessionem rei familiaris, permittit vitam agere cum matre, cum sorore, deniq; cum quibuslibet viris aut mulieribus, modo fugiat suspectam ac periculosam consuetudinem. Hortatur, non exigit, ut si malit peregre vivere in contubernio multorum, Patris alicujus arbitrio vivat potius quam solus suo. De Monasterio certo, de figura, aut colore, aut materia vestis, nulla usquam mentio. Tantum ejusmodi vestitum vult esse, ut nec sordibus hypocrisin, nec nitore fastum præ se ferat. De tribus votis illis, quæ vocant solennia, ne verbum quidem ullum. Laudat in Rustico eloquentiæ studium, quodque literarum gratia procul semotas adierit regiones. Meminisse autem debemus, ad quod palam liquet ex hujus scriptis, ætate Hieronymi nondum fuisse hoc Monachorum genus, cujusmodi nostra tempestate videmus, quos omnes utinam tam pios haberet mundus, quam habet multos; & ita sanctimonia cæteris antecellentes, ut ornatu differunt. Nam illis temporibus Monachi nihil aliud erant, quam vitâ severiori mundi contemptum profitentes, nihilominus Episcopo suo parebant, sicut cæteri. Porro Monachis olim non fuisse interdictam rerum suarum possessionem, vel Augustinus testis est in Lib. de hæresibus ad Quod vult Deum, cujus hæc sunt verba: Apostolici, qui se isto nomine arrogantissime vocaverunt, eò quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus & res proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia & Monachos & Clericos plurimos. Item in regula suorum Clericorum prohibet, ne sit notabilis illorum habitus, nec vestibus affectent placere, sed moribus, hoc est, si meliores velint videri cæteris, non id agant novo colore aut forma vestis, sed probitate vitæ.* Non igitur mirum, si nihil de his meminerit Hieronymus, *quæ nondum erant instituta.*

Idem Erasmus in lib. Epist. 22. *Augustinus dicit, nusquam rectius vivi, quam in Monasteriis, nusquam periculosius errari, & tamen loquitur de his, qui nullis astricti votis, duntaxat perpetuis, simul vivebant. Quid nunc diceret, si videret multa Monasteria, quæ nihil differunt à publicis lupanaribus?*

Inde Alphonsus de Castro lib. 14. advers. hæres. verbo, *Votum*, sic scribit: *Erasmus Roterodamus pertinacissime negat in plerisque suis operibus, præsertim in vita Hieronymi, quam idem scripsit, tempore Hieronymi Monachos se voto astrinxisse.* Sed & Posidonius in vita Augustini c.5 *nullam votorum* facit mentionem, *tantum Augustinum suum Monasterium instituisse scribit secundum regulam Apostolorum, & constituisse, ut omnia essent communia & distribueretur unicuique, prout cuique opus erat.*

Johannes à Daventria in Harm. Frabricii, *non satis constare*, ait, *an tunc, tempore Augustini, voverint, nec ne?*

(At hodierni Monachi votorum laqueos nectunt, conjugium abjurant, & huic vitæ generi perpetuo sese mancipant.)

c. â nobis. ext. de Apostatis & reiterantibus Baptisma, ex Honorio III. ad Archiepisc. Turonens. *A nobis expetiit tua fraternitas edoceri, quid de apostatis sit agendum, cum in custodia detinentur, qui minis vel blanditiis nullatenus possunt induci, ut abjectum habitum reassumant. Ad quod tibi breviter respondemus, quod tales, si volueris, poteris sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec à suæ præsumtionis nequitia resipiscant.*

Franciscus à Romano Pontifice obtinuit, *ne cuiquam Monasteria sui Ordinis ingredienti inde exire liceret.* Lib. Conformit. Franc.

Inde Erasmus in vita Hieronymi: *Dolendum esse dicit, huc deniq; collapsam Christianorum pietatem, ut virginum integritas ferreis claustris & repagulis murorum sit extorquenda, cum ea demum accepta sit religio Christo, non quæ vi extundatur, sed quæ ultro à volentibus offeratur.*

Quinto, veteres ad hoc vitæ genus *persecutionibus* impellebantur. (Sozomenus lib. 1. Histor. Eccles. c. 13. *Memorant alii, persecutionum procellas, quibus religio Christiana variis jactabatur temporibus, homines ad hoc vitæ genus suscipiendum impulisse.* Testantur idipsum Hieronymus in vita Pauli, Cassiodorus in Tripart. lib. 1. c. 11. Nicephorus lib. 8. Histor. Eccles. c. 39.)

Otto Frisingensis lib. 4. Hist. c. 5. dicit, *Paulum Thebæum Decii persecutionem fugientem ac in desertis latitare cupientem, necessitatem vertisse in voluntatem.*

Johannes Baptista Mantuanus in vita Blasii lib. I.

Tum plerique Patres sancti, cum tale viderent
Excidium, fugere urbes & more ferarum
Per deserta vagi cæcis latuere cavernis.
Ista ego crediderim per noxia tempora Paulum
Niligenam sole ardentem qui primus eremum
Incoluit, liquisse urbes, patriosque penates.

Baronius Anno 253. n. 108. agnoscit, *Ordini Eremitico occasionem dedisse crebras persecutiones, ubi magna extitit multitudo eorum, qui in solitudine & montibus vagi, errantesq; fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestiis fuerunt extincti.*

(At hodierni Monachi statum perfectionis ex hoc vitæ genere fabricant.)

Sexto, olim prohibitum fuit, ne filii parentes senio, vel morbo confectos prætextu ingressus in Monasterium desererent.

c. Si qui. dist. 30. ex Conc. Gangrensi: *Si qui filii parentes maxime fideles deseruerint occasione Dei cultus hoc justum esse judicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sint.*

(At hodie liberi etiam invitis parentibus ad Monasteria vocantur, ut ostendunt exempla ab Hasenmullero in Historia Ordinis Jesuit. c. 5. annotata.)

Septimo, primi Monachi pauperibus bona sua distribuebãt, neq; quidquam ex illis Monasteriis inferebant. (Hieronymus in Epist. ad Heliodorum Monachum. *Non licet tibi quidquam habere de rebus tuis.* Cassianus lib. 4. institut. Monach. c. 4. *Ne usibus quidem Cœnobiis profuturas suscipere ab eo pecunias acquiescunt.*)

(At hodie non facile recipiuntur, nisi secum aliquid Monasterio inferant.)

Octavo, antiqui Monachi erant Laici, à prædicandi & docendi officio remoti, (Hieronymus in Epist. ad Ripar. & Desiderium: *Monachus non docentis sed plãgentis habet officium.* Idem ad Heliodor. Epist. 1. *Alia est causa Monachi, alia Clerici, Clerici oves pascunt, ego pascor.* Epist. 76. ad Aurelium. *Ex his, qui in Monasterio permanent, non nisi probatiores atq; meliores in Clerum assumere solemus.* Ib. *Aliquando etiam bonus Monachus, vix bonum Clericum facit.* In Concilio Chalcedonensi can. 4. decretum, *ut Monachi Ecclesiasticum officium attingerent.*)

Leo I. Epist. 61. ad Theod. statuit, *ut præter Domini Sacerdotes nullus auderet prædicare, sive Monachus ille esset, sive Laicus.*

Gregorius lib. 4. Epist. 1. *Nemo potest Ecclesiasticis officiis deservire, & in Monastica regula ordinate persistere.*

c. Placuit. caus. 16. q. 1. ex Synodo Nicena. *Monachum per omnia singulariter agere oportet, quamobrem firmiter & indissolubiliter omnes præcipimus, ut aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem, ut justum est.*

c. Nemo potest. caus. & quæst. iisdem citatur dictum Gregorii modo adductum.

c. Monachus. caus. & quæst. iisdem citatur dictum Hieronymi ad Riparium.

c. Alia. caus. & quæst. iisd. citatur dictum ejusdem ad Heliodorum, ubi Glossa annotat. *Ego pascor Sacramentis ipsorum.*

c. De Monachis. caus. & quæst. iisd. Gratianus sic concludit: *Si ergo sicut Innocentius definivit, Monachis à suo proposito discedere non licet, & sicut Gregorius testatur, in Monastica regula devote persistere, & Ecclesiasticis obsequiis simul deservire non possunt, patet quod parœcianis Ecclesiis Monachi præfici non possint.*

c. Placuit. caus. & quæst. iisd. ex Eugenio Papa: *Nullus Monachorum debet pœnitentiam dare vel baptizare, vel infirmum visitare, vel mortuum sepelire, vel ad Ecclesiam secularem transire.*

c. Interdicimus. caus. & quæst. iisd. ex Calixto Papa: *Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, infirmos visitare & unctiones facere, & Missas publicas cantare.*

Laymannus Jesuita in Justa Defens. refut. c. 4. p. 203. multis probat: *Monachorum officium non esse publice docere.* Inter alia hæc adducit: *In V. Synodo Constantinop. statutum, & refertur in c. Hoc nequaquam 45. caus. 7. q. 1. Monachorum vita subjectionis habet verbum & disciplinatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. S. Hieronym. de instit. Monachi ad Paulinum cap. 13. Si cupis esse, quod diceris Monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum? Et ad Riparium Presbyterum adversus Vigilantium. Monachus non docentis, sed plangentis habet officium &c. S. quoq; Bernhardus serm. 64. in Cant. Scimus Monachi officium esse, non docere, sed lugere. Et mox. Certum est, quod publice prædicare, nec Monacho, nec Novitio expedit, nec non misso licet. Et S. Gregorius I. ad*

Johannem Ravennat. Episcopum. Nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monastica regula ordinate persistere &c.

(At hodierni Monachi prædicant, Sacramenta administrant, pœnitentias imponunt &c.)

Nono, antiqui Monachi à rerum secularium tractatione abstinebant, ideo enim seculo huic renunciaverant, *ut liberius Deo servire possent.* (Hieronym. Epist. ad Rustic. Synod. Moguntina can. 12.)

(At hodierni Monachi secularia negotia tractant, consiliis Principum intersunt, quandoq; etiam præsunt, quod jam olim in illis reprehensum.)

Bernhardus homil. super Missus est. *Qui antea in oppido suo, vel vico vix cogniti fuerunt, modo circumeuntes provincias, Curias frequentantes, Regū notitias & Principū familiaritates assecuti sunt.*

Hugo lib. 2. de claustr. anim. cap. 16. *Quintus abusus est Monachus Curialis. Qui enim secularium hominum consortium diligunt, qui se consiliis Principum libenter ingerunt, qui secretorum conscii sunt & internuncii, Curiales possunt vocari, ordo autem Curiæ & ordo claustri diversus est valde.*

Matthæus Paris in Hist. Anglic. in Henrico III. *Facti sunt eo tempore Prædicatores & Minores Regum consiliarii & nuncii speciales, ut sicut quondam mollibus induti in domibus Regum erant, ita tunc qui vilibus vestiebantur, in domibus, cæteris & palatiis essent Principū.*

Decimo, olim prohibitum erat vesti Monasticæ spiritualem aliquam efficaciam tribuere.

c. Si quis virorum dist. 30. ex Concilio Gangrensi. *Si quis virorum putaverit sancto proposito, id est, continentiæ convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo justitiam habiturus & reprehendat vel judicet alios, qui cum reverentia birris utuntur vel alia veste communi, quæ in usu est, anathema esto.*

Erasmus in vita Hieronymi dicit: *Vestitum hominum qui illius tempore austerius vivebant, simplicem fuisse, neq; tamen præscriptum, sed suo cuiq; arbitrio sumtum.*

(Hieronym. ipse de custod. virg. Eustochio scribens, dicebat: *Vestis nec sit munda, nec sordida & nulla diversitate notabilis, ne ad te obviam prætereuntium turba subsistat & digito monstreris.*

Et postea: *Sunt, quæ ciliciis vestiuntur & cucullis fabrefactis, ut ad infaniam redeant, imitantur noctuas & bubones: sed ne tantum videar disputare de fœminis, viros quoq; fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apostolum crines; hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes. Hæc omnia arguēnta sunt Diaboli.*

Auguft. in Regula Monachorū: *Ne sit notabilis habitus vester.*)

At hodie in Investitura Monachatus dicunt: *Benedicat Dominus huic vesti, ut sit firma armatura contra impetus Satanæ, & ut tegere possit peccata tua coram facie Dei.*

Inde Albertus Carporum Princeps, Christophorus Longolius, Baldus JCtus & alii *in cuculla Monastica* sepeliri voluerunt.

Johannes Rivius lib. 1. de superstit. *Quid commentum illud de veste Franciscana? qua in veste qui mortuus, vel elatus fuisset, nihil in eum Dæmoni esse juris? quia Franciscani merita sua operaq; bona, quæ toto fiunt Ordine, una cum veste communicassent: Hinc majorum liberalitas erga Monachos; hinc Legata Cœnobiorum.*

Panormitanus super 3. Decretal. de sepulturis: *Qui post mortem induuntur certo habitu, utilitatem habent quoad devotionem.*

Tres Pontifices in Regula S. Francisci *de Monachorum habitu* interpretanda anxie laborarunt, nec tamen controversiam ita deciderunt, quin *colorum & materiarum varietas* remanserit. Papa Nicolaus III. Sexti Decretalium lib. 5. tit. 11. c. 3. Exiit, & Clemens V. Clementin. lib. 5. tit. 11. c. 1. Exivi de Paradiso &c. Constitutiones hac de re fecerunt, non tamen fratrum dissidium cessavit, ut Johannes XXII. amplam Extravagantē edere necesse habuerit, in Extrav. Johannis XXII. tit. 4. c. 1. Quorundam &c. quæ sic habet: *Nec ob hoc* (nempe declarationes Nicolai & Clementis Prædecessorum nostrorum) *in quibusdam Fratribus antedicti Ordinis volentibus plus sapere, quam oportet sapere, novarum adinventiones ambiguitatum cessavere plurimæ: vel non omnino non vetustarum explicatio quæstionum, tam videlicet super longitudine & latitudine, quam grossitie & subtilitate, forma & figura vestimentorum ipsorum: quinimo adeo hujusmodi quæstiones & adinventiones propria excrevere licentia, ut ex eisdem Fratribus aliqui habitus propterea curtos, strictos, insuetos & squalidos, novitate plenos, ac dissidii non ignaros &c. assumerent.*

(Si Monachi ejusdem Ordinis de habitu inter se litigant, quid de diversorum Ordinum sibi invicem adversantium dissidiis cogitandum erit?)

Undecimo, olim Monachi non habebant certam vivendi regulam præter Evangeliorum Codicem.

(Antonius enim discipulis petentibus *regulam piæ & religiosæ vitæ* præscribi, *novum Testamentum* obtulit. Nec ulla proferri potest antiquior Monasticæ professionis regula quam Basilii, quæ tamen non videtur esse ipsius, cum character dictionis non conveniat, nec Nazianzenus, qui Basilii scripta diligenter recenset, ejus meminerit.)

At hodierni Monachi *certam & præscriptam ab eo, quem Ordinis sui autorem habent,* sectantur *regulam.*

Duodecimo, olim Moniales *ante quadragesimum ætatis annum* Monachalis professionis velum assumere non poterant.

c. Sanctimoniales. caus. 20. quæst. 1. ex Concilio Carthaginensi III. *Sanctimoniales ante quadragesimum annum non velentur.*

(At hodie juvenculas ad emittendum Cœlibatus votum admittunt, imo illiciunt.)

Decimo tertio. olim prohibitum erat, ne prætextu religionis coma amputaretur.

c. Quæcunque. dist. 30. ex Concilio Gangrensi: *Quæcunq; mulier religioni judicans convenire comam sibi amputaverit, quam DEUS ad velamen ejus & ad memoriam subjectionis illi dedit, tanquam resolvens jus subjectionis, anathema sit.*

(At hodie contrarium obtinet.)

Suffragatur etiam illud nostræ sententiæ,

4. Quod multorum publicæ querelæ testentur, statum Monasticum à prima origine plurimum degenerasse, ac multis modis corruptum esse,) quomodo igitur status Monasticus hodiernus pro *statu perfectionis* haberi poterit?)

Secretò quidam Monachus in D. Augustini Cœnobio apud Cantuarienses tam aculeatum & vehemens carmen contra Monachorum sui temporis, hoc est, circa Annum 960. *avaritiam, luxuriam incredibilem & nefandas libidines* edidit, ut stigmata vulnerum majora nulla vel aspides & serpentes, quantumvis sibilantes, reliquissent.

Ivo Carnotensis in Epist. ad Gualter. Episcopum Meld. (circa Annum 1060.) *Tam ex verbis Turonensium Monachorum, quam ex literis Dominæ Adelheidis venerabilis Comitissæ audivi, turpissimam famam de Monasterio sanctæ Faræ, quod jam non locus Monialium, sed prostibulum dicendum est mulierum Dæmonialum, corpora sua ad turpes usus omni generi hominum prostituentium.*

Lambertus Schaffnaburgensis in Chronic. (circa Ann. 1078) *Postera die cum ad eligendum Fuldensem Abbatem Rex cum Principibus assedisset, grandis erat inter Abbates & Monachos, qui ex diversis locis frequentes confluxerant, concertatio. Tanquam solenniter indicto agone singuli pro virili portione currentes alius aureos montes, alius ingentia beneficia ex agro Fuldensi, alius solito impensiora in Rempubl. servitia promittebant. Nec prorsus in promittendo modum aut modestiam ullam servabant. Et ô mores, ô tempora! ô abominationem desolationis stantem in loco, ubi non debet, & mammonam nostris temporibus publice sedentem in templo Dei & extollentem se supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur! Abbates & Monachi ita ambitionis Spiritu præcipites rapiebantur, ut eos à cupiditate sua non pudor nominis Christiani, non habitus arctioris propositi, nō ipsum deniq; deterreret recens exemplum Babebergensis Episcopi, quem pridie viderant non aliam ob causam & Episcopatu privatum & communione, quam quod ad sacrum ordinem illicita largitione aditum sibi affectasset.*

Honorius Augustodunensis in Dial. de prædest. & lib. arbitr. (circa Ann. 1120.) *Contemplare Monachorum conciliabula & videbis in eis bestiæ tabernaculum. Per fictam professionem Deum irritantes iram ejus provocant, normam regularem vita & moribus calcant, per habitum seculū fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negotiis impliciti sunt, in servitio Dei desides existunt, pleriq; illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sorde computrescunt &c. Aspice habitacula Monialium, & in illis cernes bestiæ præparatum thalamum. hæ à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimas ad cumulum suæ damnationis asciscunt, vel se operiri festinant, quo magis frena luxuriæ laxare queant, omnibus fornicarus pejus prosternūtur, & ut insatiabilis charybdis nunquā stercore immunditiæ replentur. Hæ animas juvenum illaqueant & gaudent, si plures illaqueant, & hæc vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in scelere.*

Bernhardus in Apolog. ad Guilielmum Abbat. (circa Ann. 1140.) *Miror, unde inter Monachos tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisterniis, & equitaturis & construendis ædificiis inolescere potuit! quatenus ubi hæc studiosius, voluptuosius atq; effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia; sobrietas, austeritas creditur; silentium tristitia reputatur. E contra remissio*

missio discretio dicitur; effusio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, jucunditas; mollities vestimentorum & equorum fastus, honesta; lectorum superfluus cultus, munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, caritas appellatur.

Ibid. *O quantum distamus ab his, qui in Antonii diebus extitere, Monachis! Nobis convenientibus nihil de Scripturis, nihil de salute animarum agitur, sed nugæ & risus & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumq; prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse pisces. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis prima non impediant novissima, nec satietas impediat appetitum. Palatum quippe, dum novellis seducitur condimentis, ad succos extraneos velut adhuc jejunum avide renovatur. Venter quidem, dum nescit, oneratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, ut Natura paravit, fastidimus epulas, dum aliæ aliis multifarie permiscentur & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula provocatur saporibus; transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (ut cætera taceam) sola ova versentur & vexentur? quanto studio evertantur, liquentur, durentur, diminuantur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farta, nunc mixtim, nunc sigillatim apponantur? Ut quid autem hæc omnia, nisi ut soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minus aspectus, quam gustus delectetur, & cum jam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec quem sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quam reficitur. Jam vero de aquæ potu quid dicam, quanto ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Videas uno in prandio ter vel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diversis vinis magis odoratis, quam potatis, nec tam haustis quam attactis sagaci probatione & celeri cognitione unum tandem è pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud, quod nonnulla Monasteria ex more observare dicuntur, in magnis videl. festis vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulveribus in Conventu bibere? Nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi? Ego vero ad nihil illud valere video, nisi ut vel amplius bibatur vel delectabilius &c.*

Ibid. *Mentiar, si non vidi Abbatem sexaginta equos & amplius in suo ducere comitatu. Dicas, si videas eos transeuntes, non Patres esse Monasteriorum, sed Dominos castellorum; non rectores animarum, sed Principes Provinciarum &c.*

Fridericus Imperator (circa Ann. 1152.) dicere fuit solitus:

Vise Monasterium, si vis cognoscere luxum.

Ebertus Abbas Benedictinus S. Florini Diœcesis Trevirensis (circa Annum 1160.) in Epistola ad Coloniensem Episcopum: *Vidi claustra virginum, quorum alia rectius viscarium, id est, aucupium Satanæ appellaverim, & ecce ignis alienus cuncta vastaverat, lilia castitatis aruerant & deplorandus universo orbi animarum interitus ubiq; apparuit. Circumspexi & sustinui, qui simul mecum contristaretur super omnibus malis his, & vix unum de mille reperi, qui dignus haberetur inscriptione Thau. Utinam Deus Phineam nobis suscitet, qui enormitates & contaminationes tabernaculorum Domini districti judicii pugione confodiat!*

Gualo Britannus Aulæ Regiæ Oxonii alumnus, Mathematices Professor publicus, à Johanne Sarisburiensi in Polycratico copiose laudatus (qui floruit Anno 1170.) in Monasticæ professionis sacrificulos scripsit Invectivas, in quibus eorum *petulantias, pompas, philargyrias & imposturas* reprehendit, Balæus Cent. 3. c. 15.

Petrus Blesensis in Epist. ad Officialem cujusdam Episcopi (circa Ann. 1180.) *Munera Romæ omnia pervertunt & omnia Monachis licere permittunt, imo omnes carnis illecebras, quas annua redimunt pensione. Cantantur eorum turpitudines in tentoriis Geth & in compitis Ascalonis. Sic factus est Princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.*

Hildegardis in Prophetia (circa Annum 1180.) Spiritu prophetico mores Mendicantium Monachorum his depingit verbis: *In diebus illis exsurget gens insensata, pomposa, cupida, perfida & dolosa, quæ peccata populi comedet, Ordinem quorundam timentium devotariorum sub simulata Mendicantium specie tenentes, seq; cæteris ficta devotione, inflata scientia ac prætensa sanctitate præferentes, sine rubore ac Dei timore ambulantes, multa nova mala adinvenientes, fortes & validi. Sapientibus & fidelibus Christi ordo iste male dicetur. A laboribus cessabunt & otio vacabunt, assumentes potius ordinem adulantium, quam mendicantium. Studebunt insuper omnes nimium, qualiter Doctoribus veritatis perverse resistant, & eosdem cum potentibus interficiant, & potentes seducant & decipiant propter necessitatem vitæ & delectationem mundi. Diabolus namq; in eis quatuor vitia radicabit, videlicet adulationem, invidiam, hypocrisin & detractionem.*

Et paulo post: *Tollent res furtivas & male acquisitas, & dicent, date nobis & nos orabimus pro vobis, sic ut aliorum vitia curiosius tegant, & suorum penitus obliviscantur. Heu etiam tollent res miseras à raptoribus, prædonibus, spoliatoribus, furibus, latronib. sacrilegis, usurariis, fœneratoribus, adulteris, hæreticis, schismaticis, Apostatis.* Vocat etiam eos *malarum sectarum inventores, conspiratores, seditiosos, mundi raptores, seductores fœminarum, seminatores discordiarum, subversores veritatis, patres hæreticæ pravitatis & Pseudo-Apostolos.*

Gualterus Mapes, Henrici II. Anglorum Regis Clericus (circa Ann. 1197.) de Monachis sic cecinit:

Est nullum Monacho majus Dæmonium,
Nihil avarius, nil magis varium,
Cui si quid datur, est possessor omnium,
Si quidquam petitur, nil habet proprium.
Si prandet, competit, ut loqui nesciat,
Ne lingua dentium opus impediat,
Si bibit, expedit, ut sedens hauriat,
Ne pes sub pondere ventris deficiat.
Die devotius adorat dolia,
Nocte cum bipede laborat bestia,
Tali discrimine, tali molestia,
Meretur vir Dei regna cœlestia.

Petrus Cluniacensis Abbas libro 2. Epist. ad Petrum Lugdunensem Archiepiscopum p. 716. (circa Annum 1200. al. 1180.) sic scribit: *Hoc plane fere de universis provinciæ tibi à DEO commissæ Monachis ac Monasteriis loquor, qui se dicunt Monachos esse & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. Quid enim illi sibi de Monacho præter nomen & habitum vendicant? Ubi enim in eis vel est, vel apparet, Monachi humilitas? ubi charitas? ubi illa, quæ beatos facit, paupertas? Dicunt hujusmodi homines se Monachos, hoc est, singulares & unicos in mundo esse, cum turbis & tumultibus hominum corde & opere misceantur.*

Idem Libro 6. Epist. 17. *Nostri Cluniacensis Ordinis Monachi progressu temporis strictum suum vivendi genus prorsus abjecerunt. Fratres spreto Deo, abjecto pudore, totum, ut dicitur, annum nulla præter sextam, excepta feria, in absumendis carnibus continuant: nec hoc saltem occulte, sed palam & publice facientes peccatum suum juxta Prophetam q. Sodoma prædicant. Discurrunt de locis ad loca, & ut milvii aut vultures, ubi vel fumum coquinarum viderint, vel nidorem assæ vel ustæ carnis naribus hauserint, celeriter advolant &c. Faba, caseus, ova, ipsi etiam pisces jam in nauseam versi sunt. Solæ ollæ Ægyptiorum placent. Assus aut elixus porcus, juvenca pinguis, cirogrillus & lepus, anser ex anserum grege electus, gallina & prorsus omne quadrupes, aut volatile domesticum sanctorum Monachorum mensas operiunt. Sed viluerunt jam & ista. Assiduitas multa fastidium ingessit. Ad regales & peregrinas delitias transitus factus est. Satur Monachus jam non nisi caprea, cervo, apro vel urso agresti vesci potest. Lustranda sunt nemora, venatoribus opus est, aucupum arte fasiani, perdices, turtures capiendi sunt, ne servus Dei fame pereat.*

Inveniuntur in Bibliothecis quidam rhythmi titulo Planctus Bernhardi Westerodi, circa Annum Christi 1230. scripti, in quibus *Monachos dicit, mũdo ipso mundaniores & vanitate ipsa vaniores esse; nec pietatis, sed opũ & delitiarũ gratia Monasteria intrare.*

Urspergensis (Conradus de Lichtenavv) in Chronico (circa Annum 1240.) de gestis circa tempora Philippi Imperatoris: *Qui in monte fortitudinis posuerunt, utpote claustrales & vitas quascunque religiosas agere se ficte demonstrantes, alienati sunt à vulva sanctæ matris Ecclesiæ, qua concepti sanctum Baptismum perceperunt. Erraverunt ab utero, quo monitis salutaribus calefieri debuerunt, & nutriri; & nunc tantum locuti sunt falsa.*

Autor Opusculi Tripartiti, quod secundo tomo Conciliorum annexum est, in Concilio Lateranensi sub Innocentio IV. celebrato circa Annum 1243. dicebat: *Totus fere mundus obloquitur & scandalizatur, de tanta multitudine religiosorum pauperum, qui introierunt in mundum, qui jam non religiosi, sed trutannii vocantur, quod cedit in maximam vilipensionem religionis sacræ.*

Wilhel-

Wilhelmus de S. Amore, Magister Parisiensis & Canonicus Belovacensis (circa Annum 1250.) oppugnavit omnes *Monachos*, præsertim vero *Mendicantes* acerrime, tum statum eorum penitus damnans, tum accusans eos, quod *perturbent Ecclesias, dum invitis ordinariis Pastoribus concionentur & audiant confessiones & simpliciter Pastoris officio fungantur.* Probavit signis 39. *Mendicantes esse Pseudo-Apostolos.* Aperte docuit, *statum Mendicantium Monachorum esse reprobum, nec posse aliquem in eo salvari.*

Circa Annum 1255. Mendicantes habuerunt certamen cum *Academia Parisiensi*, quæ contra illos scriptum edidit hoc titulo: *De periculis Ecclesiæ, quæ ei gravissima á Monachis imminent*, in quo illos ea Schola penitus damnat, & probat *esse Pseudoprophetas in vestimentis ovium venientes.*

Sub Gregorio X. (circa Annum 1271.) floruit Nicolaus Gallus in Occitania natus Carmelitarum VII. Prior generalis; autor libri, cujus titulus, *Ignea saggitta*, in quo Monachorum suæ ætatis, Mendicantium præsertim, mores describit, quod *licet ab ortu recentes in eam depravationem venerant, ut in suis Conventibus studiorum, exercitiorumve Christianorum nulla jam mentio fieret, voluptati & turpitudini incumberetur. Hos dum ab eremis in urbes transeunt, ita degenerasse, ut præsentes & futuros seducant &c.*

Arnoldus de villanova in Colloq. cum Friderico Rege Siciliæ (circa Annum 1280.) Fridericum Regem sic loquentem introducit: *Regulares in tantum alienati sunt à via Dei, quod in comparatione ipsorum justificantur non solum Clerici seculares, sed etiam Laici. Tanta enim est eorum malitia, tamq; notoria, quod jam nullus hominum status potest eos tolerare, imo nos timemus, quod una die populus insurget contra eos. Quia cum per habitum asperitatis & abjectionis prætendant exterius humiliter mansuetudinem pœnitentium, temporalium contemtum & plenitudinem earum virtutum, quæ perfectis viris conveniunt, tamen experimur, quod in eis ut plurimum non est species, neq; decor alicujus virtutis Evangelicæ. Quia pro humilitate ubiq; ascendit eorum superbia, ut sunt præsumtuosi, irreverentes & importune sese ingerentes etiam ad secreta nostra. Et non possumus aliquod consilium facere, vel aliquam legationem ordinare, quin ipsi se immisceant & ingeniose procurent, & sine fronte alicujus erubescentis commissiones legationum & negotiorum secularium. Pro mansuetudine furor est illis, secundum similitudinem serpentis, & viperinis motibus* (morsibus) *insaniunt, si reprehendantur, vel denegetur eis petitum. Pro actibus pœnitentiæ vacant splendidissimis epulis, pro contemtu temporalium ambiunt & ardentissime quærunt laudes populi, honores seculi, prælationes Ecclesiarum, tam in alienis Collegiis, quam in propriis, occupationes negotiorum secularium, pecuniarum extorsiones absq; ullo Spiritu pietatis. Nam experti sumus, quod aliquando prætextu Eleemosynæ expetebant condemnationes delinquentium factas in nostra Curia, quas, & legata, vel quæcunq; assignata eis titulo pietatis, obstinatius per autoritatem Curiæ secularis obtinere satagunt, quam Clerici Seculares aut Laici. In depositis sunt infideles, in accommodatis ingrati, in promissis fallaces, in persuasionibus dolosi & fraudulenti, in narrationibus studiose mendaces. Et quanto præsidentium sunt majores inter eos, tanto subtiliores sunt fabricatores mendacii, tam in mutuam detractionem ipsorum adinvicem, quam aliorum. Et experimur, quod odium conceptum adversus aliquem immobiliter fixum tenent & ut Dæmones acuunt, & interdum, ut scorpiones. In sermonibus Ecclesiasticis experimur quotidie, quod sunt pestilentes; quia in toto sermone ipsorum, utplurimum non faciunt nisi vel adulari aut detrahere, vel diffamare, aut philosophari, ita quod turbati & infecti recedimus à sermone &c. Videmus, quod Prælatis ordinariis Ecclesiæ, ut sunt Episcopi & Archiepiscopi, nec sunt reverentes, nec obedientes, prout convenit viris perfectæ sanctitatis & Evangelicis: imò, quod deterius est, videtur nobis, quod pro nihilo habeant Ecclesiam Romanam, quia nulli appellationi ad eam factæ deferunt, imo etiam proprios Collegas appellantes ad eam in favore Evangelii extinguunt & occidunt crudelius omni fera. Unde cum nullo timore Dei compescantur vel refrenentur, aperte nobis insinuant, quod id, quod de Deo docet Evangelium, habeant pro nihilo; immunditia vero canis adeo manifesta est, quod publice dicitur, quæ sit concubina singulorum Præsidum, & quantam infectionem seminent & relinquant ubiq; in domibus, quas frequentant, manifestum est.*

Et postea: *Rursum dicebatur, quod eorum apostasia perrumpat in tam libidinosam vesaniam, quod in aliquibus provinciis multi ex eis dogmatizabant Spiritum libertatis utriusque sexus, & eorum lectores alicubi asserebant, quod in virili commercio carnis nunquam peccatum committebatur &c.*

Sub Nicolao IV. Pontifice (circa Annum 1288.) renovata fuit in Gallia contra Mendicantes Cleri querimonia, astipulante *Parisiensi Academia*, Sorbonaque ipsa, quæ ut Godefredus de Fontibus refert in Quotlibet per Ambianensem Episcopum conclusit: *Tres esse veritatis species, verum vitæ, doctrinæ, ac justitiæ*, ostenditque per multas autoritates Theologiæ, Canonum & Legum & evidentibus factis, *Fratres Mendicantes non habere veritatem vitæ, quia de hypocrisi ipsa arguuntur manifeste: nec veritatem doctrinæ, quia corde fel gererent & ore dulcia prædicarent: nec veritatem justitiæ, quia aliorum sibi officia usurparent.*

De Benedicto Pontifice Rom. refert Autor Appendicis ad Martini Poloni Historiam additæ, quod *Anno 1333. fecerit multas reformationes circa statum Monachorum nigrorum.* Et addit, *Huic Benedicto maxime insitum cordi fuit, Clericos & Religiosorum Ordinum professores & status reformare, & uti dicatur verius, infirmare. Paucos enim vel nullos bonos credibat, & omnes à via mandatorum Domini & consiliorum semita declinasse dicebat.*

Alvarus Pelagius (circa Annum 1360.) libro 2. de planctu Ecclesiæ artic. 23. *Habent* (Monachi) *suas regulares observantias, quas carnalibus suis operibus calcant, militantes magis carni quam Christo.*

Lib. ejusd. art. 24. *Monachos*, dicit, *ut plurimum esse conspiratores, otiosos, gloriosos, avaros, luxuriosos, invidos. Hodie*, inquit, *remoti sunt Monachi à vita Apostolorum. Plangat eos Ecclesia, & dicat: Ubi sunt mei antiqui Monachi, qui post Apostolos Ecclesiam fundaverunt, & vitam sanctam primitivæ Ecclesiæ retinuerunt, qui circumibant in melotis & pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in speluncis & cavernis terræ, quibus dignus non erat mundus? Mortui deberent esse mundo, hodie vivunt in mundo & mortui sunt DEO, quia in deliciis vivunt.*

Ibid. inter vulgaria Monachorum scelera hæc ponit, quod *incautam familiaritatem habeant cum mulieribus, quas sibi commatres faciunt, quodq; incaute cum Monialibus conversentur.*

Idem lib. ejusd. art. 28. *Contra sanctam castitatem, quam Domino promiserunt, sic offendunt continue etiam publice per ea nefandissima, quæ in occultis perpetrant, quod nec chartæ reciperent, nec posset calamus exarare.*

Dixerat paulo ante. *Non sunt in exemplum bonum Laicis, sicut deberent, imo potius in contrarium, quod communiter pejores sunt Clerici, quam Laici.*

Johannes Wiclephus Anglus, (qui floruit circa Annum 1360.) in lib. de hypocrisi sic scribit: *Tanta erat hac ætate morum corruptio & peccandi licentia, ut Sacerdotes ac Monachi præter violatas virorum conjuges & Moniales, virgines quasdam, concubitum eis denegantes, occiderent.*

Item: *Fœminis persuadebant eorum plures, multo levius esse peccatum cum illis coire, quam cum Laicis, præter eorum Sodomiam, quæ omnem mensuram excessit; interim sese jactitantes, eas se absolvere posse, & pro earum peccatis responsuros esse semper, in maximis sceleribus eas nutriebant. Spoliatis etiam heredibus veris suos nothos & spurios mirum in modum ditabant. Mulierum complexiones & secreta ex libris disquirebant, docentes, cum illis concumbere in absentiis maritorum, maxime esse contra varias ægritudines salubre.*

Item: *Mendicantium Ordinum Fratres exauditis confessionibus, dum viri nobiles essent in bellis occupati, negotiatores in negotiis, mercatores in mercibus, ac rustici in agris, illorum uxoribus abutebantur, neq; à juvenibus in Cœnobiis abstinebant. Sub cappis, cucullis & vestibus suis juvenculas traducebant, aliquando etiam capitibus earum rasis &c. Prælati eorum nonnas & viduas occupabant; carnem sic omnes voti obliti nutriebant in desideriis.*

Brigitta in Revelat. (circa Ann. 1380.) Fratres istos *gentem pomposam, vanam, superbam* vocavit, & *eos totos ex hypocrisi conflatos fore* prædixit.

Lib. 4. cap. 33. *Nunc abusionem continet nimis gravem in eo, quod portæ indifferenter Clericis & Laicis, quibus placet sororibus introitum dare, etiam in ipsis noctibus sunt apertæ. Et ideo talia loca similiora sunt lupanaribus, quam sanctis claustris.*

Ibid. paulo ante. *Abbates frequentius in castellis suis & ubicunq; ipsis placet, intra urbem & extra commorantur. Ideo dolorosum est nunc visitare Monasteria. Paucissimi enim nunc Monachi in Choro viventur horarum tempore & aliquoties nulli. Ubi etiam parum legitur, & quandoq; nihil cantatur, de quorũ mala fama boni molestantur, & mali de eorum mala conversatione graviter pejorantur &c. Multa etiam habitacula Monachorum sunt in urbe, & quilibet habet domum per se, quorum alia amicis advenientibus proprios filios amplexantur cum gaudio dicentes: Ecce filius meus.*

(Autor Oneris Ecclesiæ cap. 22. ex eodem citat ejusmodi dictum: *De Monachorum infamia boni molestantur, mali pejorantur, eorum mala conversatione: regulæ eorum mutatæ sunt in detestabiles abusiones*)

Catha

Catharina Senensis (circa Annum 1380.) referente eodem autore d.l. *Religiosi collati sunt in religione velut Angeli, sed quamplurimi sunt Dæmonibus deteriores.*

Eadem Catharina Senensis Monachis sui temporis ejusmodi elogium tribuit: *In modernis Religiosis sui amore affectis, sub ovina cuculla lupum agentibus, Dei charitas friget.*

Petrus de Pateshul Augustinianus in scripto quodam Anno 1390. edito, dicit: *Monachos sui Ordinis esse spurios, reprobos, cauteriatos, errones, fabulatores, garrulos, inutiles consiliarios, malignos discursores, Sodomæ cives, optimi Testamenti contemtores, præsentium & futurorum seductores.*

Volquinus Abbas (qui floruit circa initium seculi decimi quarti) in homilia super Evangelium de zizan. (edita Basileæ Ann. 1555.) *Quid est res monstrosa? Monstrum est unum corpus, plurima capita; vel unum caput, plurima corpora habens. Siquidem Monachus es, id est, unius custos, ab unitate censeris, id est, ab unius custodia, ab una lege, ab una professione, tanquam unum corpus bene ordinatum sub uno capite. Sed alia est facies negotiantis in foro, alia declamantis in palatio &c. alia degentis in palatio, alia conversantis in Monasterio. Ecce quatuor facies istæ non Elephantorum, sed Draconum. Quid igitur? Monachus es & causidicus, negotiator & Curialis? Ergo unum corpus quatuor facies habens, monstrum te monstras.*

Et postea: *Habent Monasteria monstrum suum Monachum negotiatorem. O vere ridendum & deforme monstrum Monachum negotiatorem? Quæ enim communicatio religioni & negotiationi! Quæ convenientia claustro & foro? Etymologia hujus nominis claustrum hodie mutata est. Olim sane claustrum dicebatur à claudendo, hodie potius à claudicando dicitur. Dudum quippe à claudendo proprie dicebatur, quoniam viri claustrales non solum corpore, sed & corde intus manentes omnes sensus suos ab appetitu seculari & omni concupiscentia temporali strenue clauserunt, hodie vero rectius à claudicando dicuntur, quoniam viri claustrales rebus temporalibus inhiant & sic quasi in utramque partem claudicant, dum servire Deo volunt & Mammonæ, religioni & ambitioni, polo simul & foro.*

Johannes Petrus Ferrariensis JCtus in forma libelli, in qua agitur ex substitut. §. Sub corpore, (circa Annum 1400.) *Imperatores statuunt, quod bona ingredientium Monasteria applicentur ipsis Monasteriis, propter quod privilegium multiplicata & fundata sunt Monasteria olim instituta per universum orbem causa devotionis, licet hodie causa rapinæ & avaritiæ in tantum, quod destruxerunt hodie mundum & annihilaverunt statum Imperii & omniũ Laicorum. Possunt ergo dici merito talia loca, facta vel fienda, retia contexta ad capienda Laicorũ bona. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes, Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

Matthæus Paris in Histor. Anglica in Henrico III, pag. 396. (circa Annum 1400. scripta) de Gallis memorat, quod *Prædicatores & Minores girovagos & hypocritas, Cistercienses habendi cupidissimos & avarissimos, nigros Monachos gulosos & superciliosos esse dixerint.*

Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis in Tractat. de reformatione Ecclesiæ fol. 15. Concilio Constantiensi oblato (circa Annum 1415.) *Videtur*, inquit, *quod tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum & ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sæpe ad singularitatem & superbiam ad vanam excellentiam unius super alium. Et maxime videtur necessarium, quod diminuerentur Ordines Medicantium, quia tot sunt & in numero Conventuum & in numero suppositorum, quod eorum status est onerosus hominibus, damnosus leprosariis & hospitalibus ac aliis vere pauperibus & miserabilibus indigentib. quibus competit jus & verus titulus medicandi, ipsis quoque curatis Parochialibus, & si bene consideretur, etiam præjudiciabilis omnibus Ecclesiæ statibus & specialiter hujusmodi religiosis intolerabilis & eorum religiosæ professioni contrarium, & maxime in multiplicatione Magistrorum bullatorum & sæpe indignorum, ipsis religionib. onerosorum. Item providendum esset de correctione Quæstuariorum Prædicantium sive Religiosorum, sive secularium, qui suis mendaciis & immunditiis maculant Ecclesiam, & eam irridendam reddunt, & officium prædicationis maxime honorandum jam contemtibile efficiunt. Unde prædicatio, quæ propter sui reverentiam ad Prælatos pertinet, non esset tot & talibus vilib. Quæstuariis & Mendicantib. permittenda. Item cum in Chalcedonensi Concilio statutum sit, ut habetur 16. q. 1. c. Qui veri. quod Monachi tantummodo intenti sint jejuniis & orationibus in locis ubi renunciaverunt seculo, remanentes, nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis propria Monasteria deserendo insistant, providendum esset, ne ipsi etiam occasione studii claustra relinquerent, vel saltem moderandum, quod solum ratione studii Theologiæ, cum nimis multi seculares hodie studeant in litium facultate, ipsa quoque Theologia in statu secularium paucos habeat sectatores propter abusum Romanæ Curiæ, quæ Theologos contemsit, nec non in omni Ecclesiastico gradu lucrativarum scientiarum studia præposuit, cum tamen primitivi Theologi Ecclesiam ædificaverint, quam aliqui blaterones destruxerunt, & nunc eam ad extremam ruinam deducere videntur, adeo ut tam horrendum quorundam proverbium sit, ad hunc statum venisse Ecclesiam, ut non sit digna regi nisi per reprobos.*

Ibid. *Item circa claustra Monialium, quæ jam proh dolor ultra quam dicere audeam, dehonestata sunt, esset correctio adhibenda. Et inter alias provisiones videretur expediens, quod nulla religio mulierum sustineretur, nisi haberent tales reditus, unde possent sustentari sufficienter in suis domibus reclusæ sine mendicitate & discursu. Et quod de earum Ecclesiis sive quorumcunque religiosorum Monasteriis, vel prioritatibus seu domibus, vel specialiter in moribus discretis, vel in rebus temporaliter desolatis fieret applicatio ad alia claustra, in quibus religio servaretur, ut per talem religiosarum domorum unionem superflua numerositas religionum restringeretur, ut residua paucitas bonorum & devotorum commodius sustentaretur.*

Ibid. *Diligenti reformatione opus esse* dicit, propterea *quod Religiosi & Monachi plus sint Officiales fisci, quam Christi.*

D. Henricus Tobenius Friderici Archiepiscopi Magdæburgensis Consiliarius ac Legatus in Concilio Basileensi, in Alphabetaria sua sylva conquestus est, *quam periculosæ sint abusiones in Monasteriis etiam Monachorum, quos tam callide deceperit Satan, ut suis propriis traditionibus & adinventionibus prævaricentur Dei mandata, quodque moderni Clerici plus contemnant quam honorent Deum.*

Æneas Sylvius, postea Pius II. Pont. Rom. de Monachis sic canit:

> *Non audet stygius Pluto tentare, quod audet*
> *Effrenũ Monachus, plenaque fraudis anus.*
> *Hoc solum Monachus nimirum Dæmone distat,*
> *Quod quicquid vafer hic suggerit, ille facit.*
> *At si juncta dolis anus adjuvet & colat astu,*
> *Audebunt Erebi depopulare domum.*

Crusius part. 3. lib. 4. f. 209.

Nicolaus de Clemangis in libr. de corrupto Ecclesiæ statu (circa annum 1416) cap. 21. pag. 19. *De Monachis & Monasteriis late patet ad loquendum materia, nisi jam me dudum tæderet in tot, tantarumque abominationum enumeratione demorari. Ne tamen sicco, ut ajunt, pede intacti abeant, paululum aliquid dicere necesse est. Quid autem commendabile de ipsis dicere possumus, qui quanto magis inter cæteros Ecclesiæ filios ex votis suæ religionis perfecti esse debebant, tanto magis abstracti à cura secularium, quibus abrenunciaverunt, in sola cælestium contemplatione suspensi, & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi & à claustrorum septis rarius egredientes in publicum, tanto ab his omnibus rebus licet eos videre magis alienos, magis videlicet tenaces, magis avaros, magis seculari rei (versis retrorsũ animis) immixtos, magis insuper lubricos, indisciplinatos, dissolutos, inquietos, magis per loca publica & inhonesta, si modo frena laxentur, discursantes, ita ut nisi illis æque & odiosum sit, quemadmodum cella & claustrum, lectio & oratio, regula & religio? Quocirca Monachi quidem sunt exteriori habitu & vita, sed operibus, sed interna conscientiæ spurcitia, à perfectione, quam habitus ille demonstrat, longissime disjuncti. Fallit autem illos nimium sua opinio. Nam quanto sua professione rejecta terrenis magis adipiscendis inhiant, tanto pauciora habent, tantoque dotes & reditus ipsorum magis semper in nihilum fluunt &c.*

Et postea. *Quamdiu sobrie, juste, caste, innocenter vivendo secundum regulæ suæ instituta regnum cælorum & non hæc temporalia quærere studuerunt, tamdiu eis omnia illa satis superq; fuerunt adjecta &c. Ubi vero à vitæ innocentia & à quærendo regno DEI per nefaria opera destiterunt, recte ab eis illa abducta sunt, quæ veris justitiæ cultoribus, regnique quæsitoribus fuerant promissa.*

Capite 22. pagina 20. *Videtur hæc parabola* CHRISTI (de Pharisæo & Publicano) *contra hos quæstuarios verbi* DEI *adulatores* (Monachos Mendicantes) *congruentissime inducta, quia sicut Synagoga suos Pharisæos habuit, adversus quos in Evangelio accerrime Christus semper invehit: ita nimirum hi novi & subintroducti Apostoli Ecclesiæ Pharisæi censendi sunt, quibus omnia à Christo de Pharisæis dicta & forte alia plurima, nescio an deteriora, conveniunt, de quorum sacrilega impietate, quia non multa breviandi studium dicere concedit, paucas Christi saltem sententias per quas ab eorum insidiosa versutia nos cavere admonet, audiamus. Ait itaq; de eis Salvator ipsorum fontem patefaciens nequitiæ. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Et rursum. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi*

rapa-

rapaces. An non lupi rapaces sunt, velamina ovium gestantes, qui omnia, quæ hujus mundi sunt, verbo suo se deseruisse asseverant, facto autem ipso temporalia incredibili ardore concupiscentiæ, insidiis, fraudibus, atque mendaciis undique exquirunt? An non lupi rapaces sunt ovicularum vellere amicti, qui vitæ austeritatem, castitatem, humilitatem, sanctam simplicitatem exteriori specie simulant, intus vero exquisitissimis delitiis & variarum copia voluptatũ ultra omnem mundanorum luxuriam exuperant? An non lupi rapaces sunt sub ovili imagine latitantes, qui more Sacerdotum Belis in suis penetralibus oblata devorant, mero se ac lautis epulis cum non suis uxoribus, dicet sæpe cum suis parvulis avide sitientes, cunctaque libidinibus, quarum torrentur ardore, polluentes? An non lupi rapaces sunt, foris ovem mentientes, qui ea, quæ facienda sunt, dicunt & non faciunt, & cum aliis prædicaverint, sua ipsa prædicatione reprobi efficiuntur? An non lupi rapaces sunt, ovium similitudinem falso prætendentes, qui cum Angeli lucis primo aspectu appareant, non Satanæ tamen, ut Pauli verba sunt, non Christo Domino, sed suo ventri serviunt & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium? Sed audi adhuc, quid de illis ad propositum Salvator dicat: Væ vobis, ô Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod deforis est, calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia! Quid de eis verius dici potest, quid aptius, quid lucidius, quam quod cœlesti ore dictum audis? Sed & Paulus gentium doctor prænoscens in Spiritu talium circa extrema tempora subversorum ingressum, & Ecclesiam per eos multa tandem vulnera sensuram, ad Timotheum suum scribens, illos summo studio declinandos hortatur. Nam postquam dixerat, Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, & multa, quæ his adduit, ab his seductoribus non abhorrentia; tandem, quod eis est proprium, subtexuit, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Rursus quoque idem Apostolus ad eundem suum discipulum loquens; Spiritus, inquit, manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam; quæ nemo ambigere debet de his novis Pharisæis esse scripta. Multa quoque alia de istorum Pseudoprophetarum aperta iniquitate, qua domum Dei perfodiunt & polluunt, sacra in pluribus locis Scriptura commemorat, quæ satis eorum perfidiam, quantum ad nostram pertinet brevitatem, detegere videtur, de qua, si cui libeat noscere, Cyrillum videat, & illic mira de illis inveniet, ad fidelium instructionem longe ante, quam orirentur, Spiritu S. revelante prædicta, quanquam nec aliquot alii Scriptores etiam defuerunt, qui de his subdolis illusoribus multa valde utilia & præclara post eorum introitum ad Ecclesiæ præmunitionem & præmonitionem prodiderunt.

Idem cap.23. pag.22. *Restant nunc solæ Moniales, ut nostram narrationem, quemadmodum polliciti sumus, à summo capite usque ad extrema vestigia, nullo prætermisso gradu, deducamus. De his autem plura dicere, (etsi plura, quæ dici possent, suppetebant) verecundia prohibet, ne non de cœtu Virginum Deo dicatarum, sed magis de lupanaribus, de dolis & procacia meretricum, de stupris & incestuosis operibus pudendum sermonem prolixe trahamus. Nam quid obsecro aliud sunt hoc tempore puellarum Monasteria, nisi quædam non dico Dei sanctuaria, sed Veneris execranda prostibula, sed lascivorum & impudicorum juvenum ad libidines explendas receptacula, ut idem hodie sit puellam velare, quod est publice ad scortandum exponere?*

Theodoricus à Niem Episcopus Verdensis Lib. 6. c.36. (circa Annum 1418.) ex Gregorio XII. scribit: *ita Monasteria per Germaniam à recto tramite discessisse, ut omnis inde timor Dei abscesserit, & libido, & corruptio carnis aliaque multa mala, excessus & vitia, quæ pudor est effari, per singula succreverint.*

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis (circa Annum 1420.) in tractatu, cujus titulus: *Declaratio defectuum Eccles. Claustra Monialium sunt prostibula meretricum.*

Idem p.2. serm. in Conc. Rem. *Utinam nulla sint Monasteria mulierum, quæ facta sunt prostibula meretricum! & prohibeat adhuc deteriora Deus.*

Vincentius Ferrarius de Valentia Ordinis Prædicatorum, in Opusculo de fine mundi (circa Annum 1455. *Istæ duæ regulæ* (Dominici & Francisci) *quantum ad observantiam, modo deficiunt, & jam sunt plures quam quinquaginta anni, quod in istis regulis Fratres non tenent viam, nec semitam, id est, Vota & Ceremonias, imo ipsi sunt pejores, quam cæteri Christiani, in superbia, luxuria, avaritia, gula, invidia, ira, acedia & Simonia, ita quod ipsi sunt exemplar totius malæ vitæ, & facti sunt via perditionis, qui debebant esse via reparationis hominum mundanorum. Unde statua, id est, Ecclesia descendit de ære ad tibias ferreas.*

Antoninus Episcopus Florentinus (circa Annum 1459.) tit.15. part.2. cap.23. §.1. *Sed omnes religiones supradictæ ita hodie relaxatæ sunt & tepefactæ, ut apte dici possit illud Hieronymi: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Et, quod ait Bernhardus contra Cluniacenses Monachos: Tanta intemperantia in cibis, in potationibus, in vestimentis, in lectisterniis, in equitaturis & construendis ædificiis inter Monachos inolescere potuit? &c. Qui in principio, cum Ordo cœpit Monasticus, ad tantum gradum credidisset Monachorum inertiam devenire? O quantum distamus ab his, qui diebus Antonii extiterunt, Monachis? siquidem illi, cum se per tempus invicem ex caritate reviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerunque totum jejunis ventribus, non mentibus transigerent. Et hic erat rectus Ordo, quantum digniori parti prius serviebatur. Hæc summa discretio, cum amplius sumebat is, qui major erat. Nobis autem convenientibus in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare, nihil de Scripturis agitur, nihil de salute animarum, sed nugæ & risus & verba proferuntur in ventum &c. Sic Macarius vixit? sic Antonius docuit? sic Basilius instituit? sic Patres in Ægypto conversati sunt? sic sancti Oddo, Majolus, Odilo, Hugo (quos sui Ordinis Principes & Præceptores habere gloriantur Cluniacenses) aut tenuerunt, aut teneri censuerunt?*

Idem part.3. Histor. tit.23. cap.4. §.13. pag.198. *Cum semel Bononiam veniens* (Dominicus) *invenisset cellulas fratrum aliquantulum in ædificio sublevatas plus quam prius erant, vocavit Procuratorem & cum lachrymis ei dixit: Quam cito vultis palatia erigere? non decet pauperes religiosos eleemosynis viventes sumtuosa ædificia habere. Quid diceret pater sanctus, si nunc attenderet ad Ecclesiam & domos & cellas fratrum ampliatas, testudinatas, in cœlũ elevatas, in sculpturis & picturis curiosissime ornatas, in pavimẽtis aureis & purpureis copiosas, super cathedrales Ecclesias, in vestib. Fratrũ in lectis eorum pompas Dominorum extantes, nec ab esu carnium abstinentes, cum sani & robusti, nec jejunia non solum ordinis, sed nec Ecclesiæ servantes, non solum in communi, sed in singulari possessiones & reditus habentes, non ex dispensatione, sed dissipatione Prælatorum, non studiis vacantes, sed visitationibus & frequentationibus Monasteriorum.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis (circa Ann. 1464.) Exercitation. Lib.7. *Vix fallacia eorum, qui sub habitu Christi apparent, potest sciri, ob suam varietatem. Nam alius quidem sub hac veste, alius sub capitio, alius sub hoc religionis signo, alius sub alio, Christo se militare asserit, licet pene omnes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærunt, omnes enim student avaritiæ, à maximo usque ad minimum.*

Johannes Antonius Campanus Episcopus Aretinus Lib. 4. Epist.12. (circa Annum 1476.) *Quisquis Monachus, idem & Diabolus est. Omnia tentat, ubique pungit, ubique insidiatur, denique mejere ubi nequit, ibi cacat. Et cum malus esse desinit, fit pessimus. Monacho contaminatius nihil est. Pro veste pecem induit, non cucullum. Illinit sese, implicat, conglutinat, insectatur, nec unquam abit, nisi cum litura.*

Hermann. Rhied de Reen (circa Ann. 1480. in Tract. de vita & honest. Clericorum c.8. de diversitate religionum & religiosorum institutis sic scribit: *Teterrimum chaos ortum est in Ecclesia hodierna per nostros Pharisæos, inter quos non modica est diversitas in fide & aliis jam dictis. Sed unus nititur melior esse alio, sanctior, approbatior. Minores Fratres se sanctitate præferunt & justitia; Prædicatores scientia & doctrina; Augustinenses, Carmelitæ, Antonitæ, Benedictinenses, Bernhardite & omnes alii sibi mutuò contrariantur, obloquuntur, & sæpius alii alios persequuntur, in quibus fera animarum diversitas, non vera unitas invenitur.*

Rodericus Zamorensis Pauli. 2. Pont. familiaris Castri S. Angeli Castellanus & Referendarius in Speculo vitæ Lib.2. c.29. (circa Annum 1480.) sic scribit: *Circa prædicta tamen, quæ de sanctitate vitæ solitariæ dicta sunt, dicam quod animum pulsat. Alta est enim ratio illius antiqui temporis, alia moderni. Si enim viros solitarios consideramus, illos videlicet, qui in primitiva Ecclesia floruerunt, verissimum puto, illos fuisse perfectioris & sanctioris vitæ cæteris socialem vitam agentibus. Eo enim tempore non arctabantur fideles tot Canonum, decretorum præceptis, censuris aut pœnis. Nec*

erant tunc, ut ita dixerim, tot laquei legum seu constitutionum, excommunicationum sive censurarum, à quibus vix fideles etiam diligentissimi & timorati respirare & præcavere possunt, non tot jejunia indicta, non vigiliæ, non silentia, non diurna pariter & nocturna divina officia dietim ex præcepto dicenda, non deniq; tot festa colenda, non tam crebra confessio & corporis Christi communicatio, non tot obedientiarum præstationes, sicut modo fideles arctantur, aut potius involvuntur, ita ut rectè de Prælatis Ecclesiæ dici possit illud Christi, Qui alligant onera importabilia &c. Cum igitur ea omnia non solum facere, sed & scire difficile sit & fere impossibile, non solum anachoretis & in eremo vitam agentibus, qui hominum conversationes fugiunt, & omnium rerum necessariarum penuriam habent. sed etiam his, qui urbes incolunt; ideo putamus, sine offensione veritatis probabiliter dici posse, modernis temporibus vitam eremiticam non posse reperiri illius perfectionis & sanctimoniæ, sicut priscis illis temporibus, quinimo periculosam admodū fore & difficulter cuncta Ecclesiæ statuta observare posse.

Platina lib.2. de vero bono (circa Ann.1481.) *Cernere licet ætate nostra multitudinem propè infinitam eorum, qui Christi paupertatem & vitam imitaturos se voto & Sacramento polliciti sunt. Ex his certè paucos invenias veræ paupertatis amatores; & si diligenter eorum manus observaveris, profectò videbis eos sub hoc paupertatis nomine magnas sibi quotidie parare divitias. Crebro adeunt morientium hæreditates, fundos, villas, jumenta ad augendas opes magno pretio emunt & conducunt. In petendo effusi, in erogando v. parcissimi sunt. Quod si beneficium aliquod paulo opulentius vacaverit, quanta ambitione & cupiditate petant tum ipse qui nosti avaræ Babylonis consuetudinem, non ignoras, quiq; hujus, qui rerum potitur, rapacitatem & habendi sitim etiam in quavis re minima quotidie vides.*

Joh. Trithemius Abbas Spanheimensis scripsit librum de lugubri statu & ruina Ordinis Monastici (circa Ann. 1495.) In eo inter cætera sic loquitur: *O Abbates Abbates, qui omnium malorum in Cœnobiis vestris occasio, qui vanitatib. dediti Monachos delinquentes non statim corripitis, quam duram damnationis sententiam accipietis! Vobis, credite mihi, vobis imputabitur Monachorum vestrorum damnatio, qui rectores eorum positi mores instituere neglexistis. Væ vobis, melius esset, si Abbates nunquam fuissetis. Vos avaritiæ & libidini vacantes opus Domini negligitis, curam animarum despicitis, de observantia semita nihil cogitatis Qui vitia Monachorum debetis corrigere, vitia committitis & ne arguantur vestra, dissimulatis aliena &c.*

Et postea: *Pudet me dicere, quid facere Abbates multi non verentur, qui voluptatibus carnis non tam submersi, quam furiosi nihil honestatis Monasticæ custodiunt, nihil turpitudinis mundanæ obmittunt, omnia sibi licere existimant, qui non quid deceat, sed quid libeat, explorant. Ecce ille Monasticam abhorrens quietem vagis discursibus in mundo quærit solatium, iste decreti regularis impatiens pomposus procedit in publicum; alter disciplinam honestatis vituperans, tota die levibus personis conviva ebriosus assidet; hic mansuetudinem sanctorum contemnens se litigantium causis immiscet; ad tabulam ludens alius ad tympanum stolidus saltat. Quid non Abbates præsumunt ambitiosi? quid voluptatis transeunt intentatum? Cœnanti famulorum curvantur genua, transeunti Ecclesiarum sternuntur tapetia, progredientem in publicum servorum ingens sequitur copia. Invenies (non mentior) Abbatem inter eos etiam, qui reformationis nomine gloriantur, cujus tanta sit ambitio, ut Episcopo non velit dici inferior, qui ad mensam cum tanto apparatu residet, ut cuilibet Principi copia vasorum, cibi, potusve varietas ac ministrantium multitudo possit sufficere. Denique si præcedenti per civitatem te huic dederis obviam, tanta famulorum multitudine vallatum cernes, ut non Abbatem, sed Archiepiscopum transire putares*

Idem. *Ordinis nostri sacratissimi Patris Benedicti observantia Anno 1265. in omnibus pene Monasteriis Germanicæ nationis usq; adeo defecerat, ut pristinæ institutionis vestigium nullum in moribus cerneretur. Omnia corrupta erant, omnia collapsa. Monachi simul cum Abbatibus in præcipitium vitiorum corruerant. Nemo hanc Ordinis nostri deformationem curabat, nemo condoluisse visus est, non Rex, non Papa, non Principes, non deniq; Præsul ullus de Monachorum deformatione quippiam cogitavit. Tam enim publicæ fuerunt transgressiones Monachorum, ut licitæ putarentur.*

Idem. *Abbates nihil minus quam regulam curant; nihil studiosius sectantur, quam libidinem, avaritiam, voluptatem, superbiam & mundi vanitatem &c. In Cœnobiis quid aliud quam quædam scaturgo omnium vitiorum conspicitur, nulla obedientia, nulla paupertas, nulla castitas; homines corrupti, Monachi perversi, doli artifices, fraudis autores, iniquitatis ministri, sceleris amici.*

Johannes Jovianus Pontanus de bello Neapol. (circa Ann. 1490.) *Valentiæ in Hispania citeriore ædes quædam sacra Vestalium que Monasteria ita quidem patent amatoribus, ut instar lupanariorum sint.*

Idem. *Quod quidem execrationis genus maximè Sacerdotes attingit, quæ Deo virginitatem cum voverint, pollutis tamen votis rituq; Sacerdotali pejuranter atque inceste contaminato gravidæ factæ, ne scelus pateat, execrabiliori conantur scelere idipsum prohibere ac corrigere, dum aut medicaminibus adhibitis abortionem procurant, aut partum statim exanimant, terraq; aut cloacis clam infodiunt.*

Johannes Picus Mirandulanus (circa Annum 1500.) in Orat. ad Leonem X. *Virginibus dicata septa in plerisq; urbibus in meretricios fornices & obscœna latibula fuisse conversa* testatur.

Wernerus Rolwinck in Fasciculo temporum in Historia Anni 1464. (circa Annum 1500.) sic scribit: *Reformatio magna plurimorum Monasteriorum fit in diversis mundi partibus. Et nota, quod hujusmodi reformationes factæ sunt, sed pene nulla remansit, quin solito more per successum temporis ad pristinum relaberetur languorem.*

Volcuinus (vel ut alii, Volquinus, qui circa initium seculi decimi quinti floruit,) in homilia super Evang. de interseminata zizania sic scribit: *Quid est res monstrosa? Monstrum est unum corpus, plurima capita; vel unum caput, plurima corpora habens. Siquidem Monachus es, id est, unius custos, ab unitate censeris, id est, ab unius custodia, ab una lege, ab una professione, tanquam unum corpus bene ordinatum, sub uno capite. Sed alia est facies negotiantis in foro, alia declamantis in palatio, alia degentis in palatio, alia conversantis in Monasterio. Ecce quatuor facies istæ, non Elephantorum, sed Draconum. Quid igitur? Monachus es & causidicus, negotiator & Curialis? Ergo unum corpus quatuor facies habens, monstrum te monstras.*

Et paulo post: *O vere ridendum & deforme monstrum, Monachum negotiatorem! Olim claustrum dicebatur à claudendo, hodie potius à claudicando dicitur. Claustrales enim in utramque partem claudicant, dum servire Deo volunt & Mammonæ, religioni & ambitioni, polo simul & foro.*

Johannes Bapt. Mantuan. lib.3. calamit. (circa Ann. 1500.)

Hi quoque qui nomen de religione superbum
Usurpant, quanquam sanctis à Patribus ortos
Se jactent, ovium molli sub vellere fraudes
Mente Lycaonias servant & crimine sordent.
Quod speciem virtutis habens scelus omne colorat.

Laurentius Agricola Monachos hoc insectatur carmine:

Qui velit immundum in mundo cognoscere mundum,
Exploret rasos, Vestales atque cucullos.
Bis tres immensis abigunt clamoribus horas,
Quod superest, ventri, temporis omne datur.
Si quæras, quid agant? stertunt, potantque, cacantque,
Ventris in his munus vertitur omne tribus.

Anno 1505. edita est Venetiis Antiminorica contra Johannem Perinum, Doctorem Parisiensem Franciscanum, à Reverendo S. Theologiæ Doctore clarissimo M. Petro de Cruce Hispano Portugallico p.31. scribente: *Ad regulæ enim Francisci observantiam strictissimam requiritur ardens focus Spiritus sancti, ex quo proveniret decem præceptorum Decalogi observantia, septem capitalium peccatorum cum suis ramis declinatio, quatuordecim operum misericordiæ adimpletio, quinq; sensuum exteriorum refrenatio, & quinq; interiorum in bonis applicatio, appetitus sensitivi rebellionis sedatio, atq; rationi obeditio, triū votorū regulæ mētalis, cū exhibitione operis, nō verbalis observātia &c. sed observātia eorū signa efficacia nō sunt tunica vilis, chorda grossa, zoculi sive soleæ pedum &c. verum ardens Dei & proximi caritas, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, cujusmodi sunt, non detrahere de Prælatis & Ordinis suis Fratribus, nec eos in desperationem mittere, de suis locis expellendo, locaq; illa subintrādo. Cōtraria verò si in vobis experientia cognoscuntur, minimè in charitate Dei esse cēsebimini: & per cōsequēs non de strictâ observātiâ, & sic nō distincti ab aliis per verū nomē observātiæ, nec per mortuos suscitare, nec cœcos illuminare, febresq; curare &c. Sed tantū per apparentē justitiā & hominem exteriorem honestum, quod etiam malis convenire potest, quod quanto sit deterius Publicanis, patet Hieronymi sententia, cum dicit, simulata sanctitas duplex est iniquitas.*

pag.35. *Patres vestri à vera obedientia Prælatorum Ordinis discesserunt.*

pag.39. *In Insulis da Madera sub Rege Portugalliæ nostris diebus XIII. de vestra Secta, peccato superstitionis graviter peccaverunt, quando caput XII. illorum finxit, se Christum, & post suam mortem resuscitandum.*

Jacobus Wimphelingus (circa Annum 1510.) *Credibile est, multos Comites olim filios suos tradidisse in Monasterium vel statum Eccle-*

Ecclesiasticum, ne paternæ hæreditatis cohæredes essent, & filii reliqui seculares exaltarentur, & familiæ propagarentur, (qui finis plurimum differt à primævo vitæ Monasticæ instituto.) *Quod si genitores Deo Universali provisori confisi essent & filios suos frugaliter vivere instituissent, hodie forsan ipsorum progenies subsisterent, nec essent prorsus extinctæ.*

Idem. Hermannus in Chronico, quod Flores temporum inscribitur, de Cœnobio Eresfheim sic scribit: *Proh dolor tanta moderno tempore in eodem cœnobio facta est mutatio non dextræ Excelsi, sed potius sinistræ Diaboli maledicti, in tantum quod potius possit dici prostibulum lasciviæ carnalis, quam Monasterium continentiæ regularis. Hæc Hermannus. Quid si hodie superstes esset? De similibus forsan locis pro fœmineo sexu destinatis, in quibus choreæ, stupra, adulteria (sacris etiam noctibus) in multorum scandalum atq; ruinam exerceri, adulteros sibiq; junctos feudis Ecclesiasticis & secularibus pro Venere præmiari, publica vox & fama est, procul dubio flebilius lamentaretur.*

Idem. *Falluntur nostræ ætatis militares & Ordinis equestris viri, existimantes Cœnobia esse filiorum suorum Xenodochia, tanquam sui majores sibi illa fundarint &c. Taceo de Collegiis pro fœmineo sexu* (*quem Gregorius devotum appellat*) *institutis. Utinam sexus ille Deo dicatus, qui de Christi patrimonio delicate pascitur, seipsum non aliquando de stupro & adulterio, proliq; partu suspectum redderet atq; infamem! Utinam non herbis, non quarundam incisione venarum, non luridis potionibus, non lotionibus pedum exquisitis vel abortum procuraret, vel fœtum præfocaret!*

Giraldus Cambrensis in Spec. lib. 2. cap. 3 refert, *Monachos Vintonienses graviter fuisse conquestos, quod ex tredecim ferculis, quæ singulis prandiis & cœnis apponebantur, tria illis demta essent;* & addit. *Monachos vix sedecim ferculis fuisse contentos.*

Petrus Berthorius libr. 29. moral. c. 1. *Christus ab illis, qui sunt in terra Israel, id est, religione, per diversa vitia prosequitur* (persecutionem patitur) *& fugatur; & tamen ab illis, qui sunt in Ægypto, id est, mundo, per devotionem colitur.*

Marcellus Palingenius in Leone libro 10. Zodiaci:

> *Sed tua præcipue non intret limina quisquam*
> *Frater vel Monachus, vel quavis lege Sacerdos.*
> *Hos fuge, pestis enim nulla his immanior. Hi sunt*
> *Fex hominem, fons stultitiæ, sentina malorum,*
> *Agnorum sub pelle lupi, mercede colentes*
> *Non pietate Deum falsa sub imagine recti.*
> *Decipiunt stolidos ac religionis in umbra*
> *Mille actus vetitos & mille piacula condunt.*
> *Raptores, mœchi ac puerorum corruptores,*
> *Luxuriæ atque gulæ famuli. Cœlestia vendunt*
> *Heu quas non nugas, quæ non miracula fingunt,*
> *Ut vulgus fallant, optataque præmia carpant &c.*
> *Hos impostores igitur vulpesque dolosas*
> *Pelle procul, quantumque licet, tua janua vitet.*

Idem lib. 9. Zodiaci:

> *Proh pudor! hos tolerare potest Ecclesia porcos,*
> *Duntaxat ventri, Veneri, somnoque vacantes.*

Ibid.

> *Mystæ, vafrique cuculli,*
> *Quos castos decet esse, palam cum pellicibus vel*
> *Furtim cum pueris, matronis, virginibusque*
> *Nocte dieque cubant.*

Onus Ecclesiæ c. 13. §. 6. *Quos omnes* (Monachos hypocritas) *Apostolus futuros esse præscivit, scribens: Spiritus autem manifeste dicit, quod in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & habentium cauteriatam, id est, adustam & corruptam conscientiam. Illos etiam Christus increpat, dum ait: Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram hypocritæ, bene prophetavit de vobis Esaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me, sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

§. 7. *Quartus status est designatus in Ecclesia Thiatyre, & per mulierem Jezabel, quæ est hypocrisis, ac etiam per equum pallidum propter congregationem hypocritarum, qui ob vanam gloriam in Ecclesia abundant, se in jejuniis & afflictionibus exercent, ut macilenti pallescant, sanctique coram hominibus videantur, ideo mercedem suam perceperunt.*

c. 22. §. 2. *Tales olim fuerunt religiosi, in quibus spirabat dulcedo Spiritus sancti divinią; amoris; qui quidem amoris calor hodie extinctus est, & faces jacent dispersæ, ex se non calorem, nec splendorem, sed fumum cupiditatis & impuritatis dantes, ut hodie religionis navicula defectu religiosorum in procellis periculose fluctuet &c.*

§. 3. *In modernis Religiosis sui amore affectis sub ovina cucullа lupum agentibus Dei caritas friget. Pleriq; enim fractis jejuniis & omissis orationibus neglectisq;, omissis votis, Monasteria sua deserunt & mundanis negotiis se involvunt, contra ordinationem regulæ, contra dispositionem juris scripti, & contra præcepta sacrorum Conciliorum &c. De perversis Religiosis in Brigitta dicitur: Qui sunt in Monasteriis, vadunt in mundum pro superbia & cupiditate, habentes propriam voluntatem, facientes corporis sui delectamenta: Et infra. Est religiosus habitu & professione Monachus, sed moribus Apostata; dignitate Sacerdos, sed servus peccati; peregrinus fama, sed intentione girovagus; Hierosolymitanus opinione, sed magis Babylonicus. Et infra. Monachi raro Monasticam ducunt vitam, de quorum infamia boni molestantur, mali pejorantur, ex eorum mala conversatione, Regulæ eorum mutatæ sunt in detestabiles abusiones & minime tenentur, plus gaudent de proprietate execrabili, quam de sancta paupertate. In summa, quanto magis Monachi, pro suo voto, præ aliis à vitiis alieni esse debent, tanto plus versis retrorsum eorum animis vitiosi existunt, mundano tumultu occupati, incontinentes, dissoluti, inquietati, per loca suspecta discurrentes, ubique evagantes, ut nil ipsis æque odiosum sit, quemadmodum cella & claustrum, regula & religio.*

§. 4. *Multi falsi religiosi utriusq; sexus fornicantur à Deo suo, accumulant temporalia beneficia etiam curata sibiipsis incorporando. Inde elati, pomposi, Simoniaci, raro Canonice sibi eligunt Prælatos.*

§. 5. *Mendicantes his temporibus circa professiones suas multum deficiunt. Nempe quemadmodum olim Synagoga, tanquam religione eximios, habuit Pharisæos, adversus quos Christus in Evangelio sæpius & acriter invehit: ita nimirum hodie Ecclesia censetur habere Fratres Mendicantes, quibus ferme omnia à Christo de Pharisæis dicta conveniunt, potissime sequentia: Attendite & cavete à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis: Et rursum. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Mendicantes quidam vellere oviculárum amicti, ceu lupi fraudes, insidias ac rapinas sub hypocrisi committunt, vitæ austeritatem & humilem simplicitatem simulant specie exteriori, intus vero exquisitis delitiis exuberant, ventri serviunt, suavibus verbis dulcia dona ex hominibus sugunt, peculiare commodum frequenter quærentes, ut de eis illud verificetur Salvatoris eloquium: Væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Item similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic & vos quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & impietate. Unde Ubertinus existimat, corruptionem eorundem Ordinum Mendicantium spectare ad ultima feculenta sexti status, quando Spiritus S. C. penitus illudetur & despicietur. Idem quoq; ait, quod illi Mendicantes perversi designantur per locustas de puteo abyssi exeuntes, quia ipsi sunt scurriles, leves, volatiles, carnales rodentes sacras literas virides, paganicæ Philosophiæ sequaces, q. equi currentes, sic illi in vanam disputationem. Vincentius de Fratribus Mendicantibus inquit, quod nec viam, nec vota, nec Ceremonias observant. Imo pejores quam cæteri sunt Christiani, malum exemplum præbentes & contra suam regulam nimium exorbitantes. Ecce religiosi, qui olim in observantia regulari erant via salvationis, nunc sunt via perditionis.*

§. 6 *Proinde Altissimus apud Catharinam Senensem inquit: Religiosi collocati sunt in religione velut Angeli, sed quamplurimi sunt Dæmonibus deteriores. Electi sunt ad annunciandum verbum Dei in doctrina pariter & vita. Ipsi autem conciones suas potius ad auditorum ostentationem, quam ad Dei laudem vel proximi salutem cum facundia mundana componere student. In pluribus demią; iniquis modo deprehenduntur excessibus ibidem enumeratis, ubi sequitur: Religiosi facti sunt arma Diaboli, corrumpentes religionem intus in se & Fratribus ac extra circa seculares, propria possidere nituntur, aliaq; plura inconvenientia committunt ibi expressa, & præsenti tempore obviantia religionibus &c.*

§. 12. *De moribus Monialium perversis non audeo, imo pudeo, quæ suspicor, dicere, ne meis verbis quempiam virginum Deo dicatarum cœtum reddam suspectum, attamen pro completione hujus capituli, istum quoq; gradum paucis attingere conor. Sunt namq; nonnulla Monialium Monasteria, è quibus professas juxta regulæ tenorem nunquam exire, vel quenquam introire decet, adeo propatula, ut ipsa loca Veneris prostibulo sint similiora, quam Dei sacrario: hinc procacitas, stuprum, incestus mulierum sacratarum, hinc quoque verenda scandala & offendicula oriuntur quamplurima, quæ singula jam recensere nolo.*

Gravamina nationis Germanicæ Anno 1523. in Comitiis

tiis Norinb. Legato pontificis oblata grav. 8. *Nec minus & in hoc à Religiosis gravantur prophani, maxime pauperes, quibus res est angusta domi, nempe quod mendicitas Ordinum Mendicantium nihil in rure neq; in urbe sinit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur, quas quidem pervagationes contra Ordinis eorum statuta neque etiam ad necessitatem, per avaritiam insatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit, ut cum in oppidulo aliquando non admodum celebri, sed exiguo duo, tria, aut eò amplius illorum sint conventicula, in quæ omne, quicquid eleemosynæ undiq; disquiri potest, confertur, dum tamen interim morbo aut senio confecti incolæ, qui per ætatem ex laboribus & sudoribus suis una cum uxore & liberis honeste vixerant, egeant, ac fame & inedia perire necesse habeant.*

Polydorus Vergilius in Histor. Anglica. *Atq; ita per idem tempus Monachi in alia alibi Sacerdotum Collegia venerunt, ac deinde velut jure suo ubiq; gentium opes immodicas sibi comparare cœperunt, quod posteris damno fuit. Dum enim Monachi divinis duntaxat rebus vacantes hominum cœtum fugiebant, ac solitudines, unde sibi nomen vendicant, quærebant, tum profecto Monasticæ vitæ institutum rite servabant: contra ubi omissa solitudine celebritatem colere, ubi divitias recipere libuit, incredibile dictu est, quantum à majoribus suis degeneraverint, quippe quos etiam invitos humanarum simul rerum curam suscipere oportuit, quæ bonam hominis partem semper occupat*

Idem lib. 6. de rer. Invent. *Monachi & Sacerdotes hoc tempore à majorum viis aberrantes, velut jure suo, immodicas opes comparare, malis artibus honores ambire & Tyrannidem exercere cœperunt.*

Lib. 7. de rer. Invent. cap. 7. memorat, *quomodo à Syriæ Deæ Sacerdotibus* (Ethnicis) *usq; ad nos hujusce fraudis labes pervaserit, dum nunc vigeat omnis generis fraudulentorum hominum secta.* (intelligit autem Monachos Mendicantes) *qui simul industriæ, simul laboris fugientes, quo plus sanctitatis præ se ferant, eò intrinsecus dissolutiores sint, ipsosq; Deæ Sacerdotes graviter æmulentur, quippe qui per insidiosam pietatem tanquam Divorum omnium ministratores dolis apprime instructi, hic pro templi ædificatione, alter pro vestimentis coemendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro redemtione captivorum, nonnulli pro educandis expositítiis, circumeuntes castella, pagos, villas, à credulo rustico blandule poscant & cupidissime accipiant ovem, lanam, agnum, hædum; ab illo gallinam & ova; ab alio porcellum vel pernas; ab alio caseum & linum; ab alio superstitiose attonito tritici sextarium aut cadum vini vel olei lecythum. Ad hæc aut Sanctorum reliquias, vel Apostolicas tabellas, seu quorundam Antistitum chirographa vetustate assiduoque usu partim ob ærata e pixide depromunt, illaq; magna cum veneratione offerentibus osculanda porrigũt, promittentes pro datis munusculis vitam cunctis cœlestem &c.*

Et postea: *Ubi domum perveniunt, à suis magno plausu accipiuntur, perinde ut si terra marisq; fortiter superatis periculis spolia ampla atq; bono modo reportarent. Ac veteratores isti ex omni hominum colluvie congregati per hunc modum totum Christianorum orbem tam impune quam impudenter populantur, inter quos sunt Antoniani ante pectus T. literam pictam habentes, qui D. Antonii nomine suo tempore porcos recipiunt, qui vicatim ipsi D. Antonio nutriuntur, quod id animal cum bene multis aliis in ejus tutela sit. Atque ita Dii nostri per hominum fraudes etiam nunc edunt, bibunt, amiciuntur. Sed arte & industria insigniores sunt illi, quos Ital: Caretanos à Careto Umbriæ oppido appellant, qui huic tam maleficæ rei studio duntaxat addicti, pro honesta arte habent summa cum protervitate mendicare.*

(Clemens VI. Papa istum Antonii porcum inposterum nutrire prohibuit, Bzovius Anno 1351. n. 16.)

Idem Polydorus lib. 7. de invent. rer. cap. 5. *Quam conducibile esset, hasce hominum feces tanquam membra Christianæ Reipubl. agnata conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus cultus divini nitorem & moribus diutius conspurcarent!*

Joh. Gailerus Keisersbergius Concionator Argentinensis, qui circa Ann. 1511. claruit, mirum in modum Monachis infensus erat, & qui inter eos nigræ camisiæ Ordinem assumserant, appellare solebat *Diabolos*, qui vero album induerant cucullum, hos *Diaboli matrem esse* dicebat, & qui medii tandem coloris erant & cinericia toga incedebant, istos *progeniem illorum superiorum ac sobolem* esse asserebat, hoc ipso unumquemque monens, ne filios suos huic vitæ mancipet. Sic enim loquitur in Concione diei S. Annæ Dominic. VIII. post Pentecost. *Si videris hujusmodi Monachum, memento, ut signo sanctæ crucis te signes; & si niger quidem fuerit ipsissimus est Diabolus; sin albus, mater ejus est; si griseus, de utroque participat.*

Et post pauca: *Clancularios & occulte se insinuantes Monachos fuge, & procul arce; Nam loculos tuos excutere vel vitium uxori tuæ inferre cogitant, alioqui ne aspectu quidem suo te dignantur.*

Item, *Si ædes tuas mundas habere volueris, à Monachis, Sacrificulis & columbis tibi caveas.*

In concionibus solitus fuit hanc quæstionem proponere: *Qui sunt illi homines, qui incedunt rasi, sicut moriones; tecta facie, sicut infames; & sune cincti, sicut fures?* & postea sibiipsi respondere: *Sunt Monachi Franciscani.*

Paulus Langius Monachus in Chronico Citicensi circa Annum 1520. *Non etenim tunc Ordines tot in Ecclesia Claustralium erant, sed duo tantum Canonicorum, videlicet sancti Augustini & nostri divi Benedicti in Ecclesia Christi radiabant. Necdum Carthusiensium, non Cisterciensium, non Præmonstratensium, non Johannitarum, multo minus Ordines Mendicantium, qui novissimi emersere, (quos Ordo noster septingentis à suo exordio antecessit annis;) qui quidem ab initio per annos trecentos veniá Domini magnum protulerunt & adhuc proferunt fructum. Attamen illorum ob nimiam multitudinem & præcipue quorundam assiduam in gentes commixtionem, remissam & voluptuariam conversationem, Monachi vocabulum non in parvum devenit contemtum, per circumforaneos inquam (ut quidam ait) quos Nrdo noster habet & rotundos, qui religionis sub specie aucupantur victum sine labore, & sudore, paupertatem rerumq; contemtum aliis prædicantes, qui est eis quæstus uberrimus & lautissimus victus: & quia Apostolicum contra dogma plus quam expedit, negotiis se implicant secularibus, exiit dicterium de girovagis ejusmodi, actibus moribusq; eorundem satis consonum: Quidquid agit mundus, Monachus vult esse secundus. Ita disperguntur lapides sanctuarii in capite omnium platearum.*

Et postea: *In mundo hæc & similia patimur à seculi nostra tempestate hominibus, quoniam à sanctorum deviamus Patrum semitis, à primo fervore tepescimus, nec conversatione sancta, rigida vel vita, aut certe salutari populum DEI ædificantes doctrina, ad amorem nostrum deducimus. Obscuratum est, inquit Propheta, aurum, mutatus est color optimus. Et ideo non mirum, si nunc è Monasteriis, ut olim, non eliguntur Episcopi, quia illis priscis (ut dictum est) probatissimis & sanctissimis Monachis nec conversatione, nec doctrina pares sumus.*

Johannes Aventinus in Annal. *Sacratæ fœminæ excusso pudicitiæ jugo castitati bellum indixere. Nisi me pietas Christiana cohiberet, flagitiosiores prostibulis dicerem, licet in uno modestiam servant, quod cum virgines nõ sunt appellari erubescunt, & Dominas se vocant.*

Idem. *Ut quisq; maxime à cæteris victu, vestitu, moribus, institutis, religione, cantu, preculis discreparit, ita maxime religiosus putatur. Sunt qui carnem fugitant, pisces optimos, vina nobilissima, Testamenta aliena & faciunt & intercipiunt. Funibus alii cinguntur, is cæruleus, hic ater, ille candidus est, pars discolores sunt; videas quosdam intus laneos, foris lineos esse. Alius est Francisci, alius Augustini, alius Dominici, alius Carmeli, quasi verò (Divi Pauli utor sententia) isti, non CHRISTUS pro nobis mortem obiisset! Illi omnes scelera comedunt, crimina bibunt mortalium, virtutes & benefacta venditant sua, hamatasq; preculas, visataq; murmura cauponantur; tumultum carminumq; (ut est apud Prophetam) & precularum murmura nundinantur. Neq; per hosce vel manibus licet esse pacatis, pro quorum cadaveribus contendunt, & quotidie in publicis concionibus cum Sacerdotibus popularibus convitiis rixantur; nullum terminum aviditati suæ ponunt, nec unquam aut mendicando, aut accipiendo satiantur, vel stipem è flamma, ut ajunt, petunt: invicem in templo Dei, æde sacra mordent sese, invicem casceriosq; se scortatoresq; nuncupant.*

Udalricus ab Hutten Eques in libro ad Carolum Imperatorem circa Annum 1531. *De iis vero, qui Fratres vocantur, quid statuemus? Quid enim aliud quam quod ego censeo, abolendum omne Monachorum genus? Quod, ignorari non debet, si fiat, quam sit utile, quamque fructuosum Reipubl. Christianæ futurum. Primum enim coactis tot sectis, tot conciliatis invicem diversitatibus, ablata vivendi dissimilitudine, intestina simultas cessabit, pravæ æmulationis causa non erit, neq; invidiæ materia suppetet. Omnes in Christo unum erimus. Stabit publica concordia, ac inter nos omnes conjungemur, ut exterius differamus ab aliis &c. Deinde quod optandum inprimis est, tot hypocritæ desinent simplici plebi fucum facere, pauperum sudorem ac sanguinem emendicare, omnes exhaurire, se implere, sub falsa religionis specie fraudare & decipere. An non vides, quot magni nebulones, quot callidi veteratores sub Monachali cucullo magna nonunquam flagitia patrant? & quod multi nunc insidiosi accipitres columbinam simplicitatem simulant? multi rapaces lupi agninam præferunt innocentiam, quorum tamen si qui meliores sunt, sua quædam & nova superstitiose sequuntur, impie ab iis, quæ Christus instituit, prævaricantur.*

Erasmus in Præfat. Enchir. mil. Christ. pag. 31. *Olim prima Monasticæ vitæ origo secessus erat ab idololatrarum sævitia, mox hos sequentium Monachorum instituta nihil aliud erant, quã revocãenta*

ad Christum. Principum aulæ titulo magis quam vita quondam erant Christiana. Episcopos mox ambitionis & avaritiæ morbus corripuit. Vulgus item à primitiva illa caritate refrixit. Hinc secessum captavit Benedictus & post hunc Bernhardus, deinde alii atq; alii. Conspiratum est à paucis non in aliud quam in purum & simplicem Christianismum Deinde temporis progressu paulatim cum opibus accreverunt Ceremoniæ, refrixit germana pietas ac simplicitas. Et cum videamus passim Monasteria ad mores plusquam profanos degenerasse, tamen novis constitutionibus oneratur mundus, quasi non & ei paulo post eodem sint prolapsuri! Olim, ut dixi, secessus erat vita Monachorum; nunc ii vocantur Monachi, qui toti in meditullio negotiorum mundanorum versantur, plane Tyrannidē quandam in rebus humanis exercentes; & tamen ii ob cultum, ob titulum, nescio quem, tantum sibi arrogant sanctimoniæ, ut cæteros præ se non habeant pro Christianis.

Idem de rat. veræ Theol. *Quidam ex eorum Ordinibus, qui ipsis mundi visceribus immixti, Monachos se vocant, Regum luxum, fastum & Tyrannidem affectantes, mendicitatem prætexunt.*

Idem in resp. de Cœlibat. *Cœlibes ubiq; terrarum multi sunt, pudice viventium immane quanta paucitas!*

In Epist. Lib. 12. *Mundus oneratus est constitutionibus humanis, oneratus est opinionibus & dogmatibus Scholasticis, Tyrannide Fratrum Mendicantium, qui cum sint satellites Sedis Romanæ, tamen eò potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Rom. Pontif. atq; ipsis adeo Regibus sint formidabiles. His, cum pro ipsis facit, Pontifex plus quam Deus est; in his, quæ faciunt adversus eorum commodum, non plus valet quam somnium. Non damno omnes, sed plurimi sunt hujus generis, qui ob quæstum ac Tyrannidem data opera illaqueant conscientias hominum, ac perfricta fronte jam cœperant omisso Christo nihil prædicare nisi sua nova & subinde impudentiora dogmata.*

Lib. 22. pag. 856. *Monachis, quis nescit, deberi plurimum honoris? Sed da verè Monachos, non deerit honos. Verum ubi sunt isti, aut quid habent præter vestem & rasuram? obsecro te vir pietatis amator, ambula per tuæ regionis Monasteria, & vide, quantulum illic inventurus sis veræ Christianæq; pietatis, quantulum sacræ eruditionis, quantulum vigoris spiritualis? Apud nos vero Tyrannidem etiam mirificam obtinent. Perspiciunt, quas ob causas (ut etiam Pontifex & omnia membra) sint invisi, nec tamen ea corrigunt, sed improbitate, violentia & conspiratione contendunt vincere. Nec quicquam illos pudet inscitiæ, vanitatis, calumniæ, malitiæ &c. Augustinus dicit, nusquam rectius vivi quam in Monasteriis, nusquam periculosius errari; & tamen loquitur de his, qui nullis astricti votis, duntaxat perpetuis, simul vivebant. Quid nunc diceret, si videret multa Monasteria, quæ nihil differunt à publicis lupanaribus? quid de Monachorum multis Collegiis, in quibus nil minus reperias, quam castitatem? Et in his, qui commendantur observantiæ nomine, Deum immortalem, quam rari sunt, in quibus animadvertas sinceritatem Christiani pectoris? Et tamen ædificamus nova quotidie Monasteria.*

Idem in Chiliad. b. fol. 540. *Sunt, atque utinam non tam passim obvii sint, quos si quis è barba, sylva, pallore, cucullo, inflexis cervicibus, angulo, supercilio, vultusq; truculentia velit æstimare, Serapiones ac Paulos esse dicat: sin explices, meros invenies balatrones, heluones, planos, ganeones imo prædones ac Tyrannos, sed alia via & haud scio an hoc pestilentiore, quo tectiore,*

Cardinalis Theatinus, postea Papa Paulus IV. & alii in Consilio de emendanda Republ. Paulo III. dato, quod extat Concilior. tom. 3. p. 819. *Alius abusus corrigendus est in Ordinibus Religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus, exemploq; plurimum noceant. Conventuales Ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo, ne novos possint admittere. Sic enim sine ullius injuria cito delerentur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc vero putamus, optimum fore, si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum Monasteriis repellerentur.*

Et postea: *Abusus alius turbat Christianum populum in Monialibus, quæ sunt sub cura Fratrum Conventualium, ubi in plerisq; Monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo omnium scandalo. Auferat ergo Sanctitas vestra omnem eam curam à Conventualibus, eāq; det aut Ordinariis, aut aliis, prout melius videbitur.*

Ibid. *Alius abusus est in Quæstuariis sancti Spiritus, sancti Antonii, aliisq; hujus generis, qui decipiunt rusticos & simplices, eosq; innumeris superstitionibus implicant. Tollendos hos Quæstuarios censemus.*

Georgius Buchananus ad Antonium pag. 49.

Diceris Antoni porcos pavisse subulcus
Vivus adhuc, Monachos lumine cassus alis.
Par stupor ingenii est, ventrisq; abdomen utrisq;
Sorde pari gaudent, ingluvieq; pari.

Nec minus hoc mutum pecus est, brutumq; suillo,
Nec minus insipidum, nec minus illepidum.
Cætera conveniunt, sed non levis error in uno est,
Debuit & Monachis glans cibus esse tuis.

Jodocus Clichtovæus Carnotensis Canonicus Neoportuensis in sermone habito in Capitulo generali Ordinis Cluniacensis: *Ubi quæso nunc stupra, adulteria & fornicationes vehementius grassantur, quam inter deformatos Monachos, qui patrimonium pauperum sanguine Jesu Christi comparatum in crapulam, ludos inconcessos, otium & nefandam libidinem gula & otio enutritam profundunt, dissipant, distrahunt!*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. in cap. de vit. Monast. *Sunt adhuc in Ecclesia diversarum Sectarum Monachi & Fratres & Anachoretæ, quibus vetus lex omnino caruit &c. Ex hoc mari exiliunt tot insolentissima mendicabula, tot cucullata monstra, quorum vanitates & errores, si mihi forent calamo explicandi, eos non caperent omnes pelles Madian.*

Stephanus Doletus Gallus de Monachis sic canit:

Cucullatorum habet
Grex id subinde in ore, se esse mortuum
Mundo: tamen edit eximie pecus, bibit
Non pessime, stertit sepultum crapula,
Operam Veneri dat & voluptatum assecla
Est omnium Idne est mortuum esse mundo? Aliter
Interpretare, Mortui sunt hercule
Mundo cucullati quod iners terræ sint onus
Ad rem utiles nullam, nisi ad scelus & vitium.

Ludovicus Vives in annot. ad lib. 7. de Civ. Dei cap. 26. *Quid si nunc viderent Augustinus & Cicero ditissima & amplissima Sodalitia ab illis poscere stipē, quibus deceret potius sua impartiri, quibus redundant & affluunt? cum interea qui dedit, arrodat siccum & cibarium panem, oleribus mensam instruens & fictilibus vasis aquæ duntaxat plenis, liberis circumseptus, pro quibus noctes & dies solicitus operi intentus agit: qui accepit, opulentus mendicus candido & siligineo pane, perdicibus capisq;, generoso vino ac leni se obruat.*

Georgius Cassander in Consult. art. 25. p. 1008. *Quam longe Monachatus hodie à prima sua origine degeneraverit, & quantis abusibus contaminatus, & deformatus sit, satis per se est manifestum. Nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est, & accrescentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvæ Ceremoniarum successerunt, in quibus veræ pietatis operibus pene neglectis, summa totius religionis constituta est, quarum Ceremoniarum inanis observatio usque adeo veram apud plerosq; Monachos religionem imminuit & obscuravit, ut nusquam fere licentior & profanior vita, quam in nonnullis Monasteriis reperiatur, ita ut mirum non sit, si (cujusmodi nunc fere est Monastica vita) multorum odio & reprehensioni exponatur. Non dubito tamen, in illis ipsis cœtibus nonnullos esse pios viros, qui & hanc Monasticæ vitæ deformationem deplorant, & quantum in ipsis est, hoc genus vitæ ad suam originem revocare contendunt. Restat igitur hoc tantum, ut abusus, qui in res omnes præclaras, ita hoc salubre institutum Monasticum invaserunt, Episcoporum & Principum cura, quam optima ratione fieri poterit, pro conditione horum temporum corrigantur.*

Et paulo ante: *Si Monachatus in ea forma perstitisset, quæ describitur ab Athanasio & Patribus, nunquam tam graves reprehensiones incurrisset.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiquis: *Nec ego nunc de nimia Monasteriorum multitudine sentio (quando Monasticen defendo) qua videlicet degravari civitates compertum est & obrui, nec horum hominum dominatu non premi, ut nihil durius addam de horum hypocrisi ac doctrinis hominum suo instituto inservientibus, quorum autoritate veram pietatem labefactarunt, maxime recentem Theologiam, quam dicunt Scholasticam, (si tamen sanctum Theologiæ vocabulum hæc meretur) in Ecclesiam introducentes, & hanc omnibus ingenii viribus provehentes &c.*

Et postea: *Itaq; æquum judico, ut quæ Monasteria supersunt & tolerantur, eò adigantur, ut posthac deserta barbarie sua, & abnegata matæologia ac gastrologia tota antiquæ Theologiæ (quæ sola hoc nomine semper digna est) sese totos addicant, dedantq;, & concionentur ad populum, morem Ecclesiasticum sequantur, non Monasticum, ut progressu temporis dedoceant superstitiones, quas in animas gentium inseverunt tanto studio, ac si verbum Dei esset, cum sit verbum nescio cujus, vix etiam hominis. Qualia initio fuerint Monasteria, nos non fugit: hodierna dissimilitudo tanta est, ut ægre possis cognoscere affinitatis etiam vestigium. Basilius Magnus apud Græcos Princeps extitit Monastices, & habebat instituti laudatores eximios, Chrysostomum, Nyssenum,*

Nyssenum, nec hos solos. Talis erat Benedictus apud Latinos, autor piæ sodalitatis; approbator Gregorius & ante utrumque quantis studiis patrocinatus est rei Monasticæ Hieronymus ipse, Augustinus & Ambrosius? Quorum omnium sententias de isto vitæ genere, ut vituperare nolim, ita judicarim non temere contemnenda, quæ viri illi, qui sanctimoniam cum eruditione insigni copularant, usque adeo commendarunt orbi Christiano. At ubi est Monastice his seculis, quæ conferri queat cum Basiliana & Benedictina? de re loquor, non de umbra. Deum immortalem quanta diversitas eluceret, vel Tiresiæ aut Hipsiæ cæcis, si antithesin visum sit ejus rei facere! tam quod ad vitam, quam quod ad doctrinam attinet. Doctrina sana erat & Apostolicæ similis, vita Christi Evangelio digna. Hodie scatent pleraque impurissimæ doctrinæ sententia, vita doctrina etiam ipsa impurior. Nihil videas Monasticum præter rasuram atque vestem distinctam, quæ materia est tanti odii, quo istud hominum genus prosequitur omnis populus, uterque sexus usque ad pueros ipsos &c.

Ibid. *Profecto si modo vera fateamur, plurimi nobiles suam carnem & sanguinem ad hunc statum, vel blanditiis induxerunt, vel austeris interminationibus compulerunt, alendi ventris gratia, utque eo pacto elocarentur absq; multis impendiis, & ipsi hac cura levarentur, in alios liberos futuri profusiores. Et decantatũ vulgo est, desperatio Monachum, Monachamq; facit. At quæ desperatio, nisi quotidiani victus? ut diffidentiæ cujusdam sit facere aut fieri Monachum & Monacham.*

Et postea: *Multa Nonnarum claustra, quid obsecro aliud sunt, quam pornoboscia specialia? Et huc commeant sui Ordinis & regulæ Patres & Fratres. Et ea tamen nefaria atque conscelerata multa tolerant Præsules, hujus sanctimoniæ non nescii, si non comparticipes, ludentes nimirum ludum Udonis Saxonici. Exempla haud obscura* κἀὶ οὐκ ἐν ἀποκρύφοις, *ut præstaret, aliquot harum salaciores inde eximi, veterum more, & copulari, ad ærumnas vitæ humanæ perferendas, quam delitiis claustralibus, ut intereant, sinere. Quis est tam vecors, ut credat, per hanc Monasticen iram flagellantis Dei posse placari, & non exulcerari magis? Nullum igitur consilium tempestivius dari à quoquam potest, nisi ut inspectione severa corrigantur Monasteria, & si quæ deprehendantur prorsus incorrigibilia, sensim extinguantur potius, quam hominum turpe otium frustra sustentetur tot censibus, proventibus & pinguibus locupletum eleēmosynis, quemadmodum seculis superioribus usu venit, præsertim puellarum, quarum patrocinium ex Epistola ad Timotheum non facile possis petere, nisi velis sexagenarias, spontaneas pudicas, Deum timentes diligere.*

Johannes Hoffmeisterus in Harmonia Augustanæ Confession. pag. 529. ingenue fatetur, *Monachos merces suas plus satis laudasse, multos incautos in nassam illexisse, superstitionibus & hypocrisi operam dedisse, à prima ipsorum institutione plurimum declinasse, votum paupertatis, castitatis, obedientiæ vix nominetenus retinuisse.*

Claudius Espensæus Digress. in 1. Tim. Lib. 3. cap. 12. de Monachis dicit, quod *vitam degant, qualis non hominum, sed animalium, imo ne animalium quidem, sed mortuorum æstimanda est.*

Becelinus scriptor Pontificius, referente ex eo Johanne Rivio Lib. de abusibus Ecclesiast. p. 133. *Magna pars Monachorum Ceremoniis nititur plus quam observatione præceptorum Dei, & has aliis magno venditant, promittentes, quæ non habent ipsi. Reputentur cuculli salvandis animabus venditi. Reputetur Epicureismus Monasteriorum principalium, in quibus multo promtius Voluptiæ ac Libentinæ Deabus, quam Christo Deo serviatur.*

Jacobus Mejer in Chronico Flandriæ: *Rosala uxor Principis multa bona assignavit Cœnobio Blandinensi pro salute animæ filiæ suæ. Quod si non filiæ profuit, certo tamen in salutem ventribus Monachorum cessit.*

Jacobus Schopperus in Chorographia de Campegio Cardinali refert, quod in Comitiis Augustanis Anno 1530. dixerit: *Ominabar ego, & sæpius cogitavi, tam immensam Monachorum multitudinem tandem magnum Ecclesiæ malum daturam.*

(Idem de Campegio memorat Cœlestinus tom. 3. Histor. Augustan. Confess. p. 37.)

Martinus Peresius de Traditionibus part. 3. pag. 244. *Monachi jejunare se putant, quando cibos in tanta quantitate sumunt, ut vel Miloni olim pro tribus diebus possint sufficere.*

Lorichius in Instit. Cathol. pag. 111. *Olim Monachi vanam gloriam vitarunt, hodie gloriam hujus seculi imprimis aucupantur. Olim Monachus habens obulum, obulo indignus reputabatur, olim Monasteria erant ab æstibus hujus mundi refugia; qui hodie vanitatem mundi fugere conantur, inque Monasteria confugiunt, ex imbre in flumina sese dediderunt. Bona siquidem pars Monachorum hodie magis bestias, quam beatos sectatur, magis fere æqualiculorum, quam animarum suarum satagunt. Nemo hodie magis avaritiæ, ambitioni, pigritiei, luxui & cæteris vitiis deditus est, atque Monachorum vulgus. Nullum spectaculum invenias, in quo non Monachos spectatores videre liceat, nihil in foro & litigiis frequentius est Monachis. Nullus secularium Ordo negotiis secularibus magis studet, quam Monachorum vulgus, adeo Anachoritæ hodie in ardeliones & circumforaneos negotiatores abiêre omnes.*

Johannes Hoffmeisterus in Lucam p. 844. *Negare non possumus in illarũ (Abbatiarum) multis plures Mercurio & Pluto sacrificasse, quam Christo Servatori nostro. Meritas ergo dederunt pœnas.*

Melchior Canus Lib. 5. Locor. Theol. cap. 5. circa fin. *Tam multæ sunt religiones in hoc seculo à Pontificibus confirmatæ, ut qui eas omnes tenere voluerit tanquam Ecclesiæ vel necessarias vel utiles, hic imprudẽtiæ, ne dicã stultitiæ, jure optimo summis rationibus arguatur.*

(At si Monastice esset status perfectionis, de multitudine religionum nemo jure posset vel deberet conqueri.)

De *hypocrisi Monachorum* conqueruntur Cajetanus in summa, verbo, Clericorum peccata, Hieronymus Oleaster in c. 29. Esa. v. 13. Bellarminus Lib. de gemitu columbæ p. 220.

Jesuitæ in Placida Disceptatione pag. 7. *De Ordinibus, hoc est, de Monasteriorum incolis, eorumque vitiis nimium alii scripserunt: plena sunt archiva: pleni Visitationum commentarii. In Monasteriis multitudo fuit malorum, raritas bonorum. Pharisæi domum orationis verterunt in speluncam latronum.*

Pag. 11. *In Monasterio vetus regula laudatur, novis moribus vivitur, pronæ in casum animæ pendent. Sunt ibi ulcera, vulnera, putredines.*

Pag. 13. *Sunt Fratres & Prælati, qui pœnitentia deleverunt talia peccata, quæ Societas Iesu missione vel ejectione puniret. Vidi Visitationes Monasteriorum facile centenorum. Sunt acta in fideli custodia.*

Pag. 14. *Ordines antiqui disciplinam laxarunt, nec in illis primus Spiritus & integræ Regulæ observantia viget: & hæc est ratio, cur pauci in illos Ordines adscribi cupiant.*

Pag 16. *Quis hodie in Germania servat Regulam S. Benedicti?*

Pag. 22. *Fundatum est Monasterium S. Benedicti. Multæ in illo Regulæ jam non servantur. Ordines aliqui antiqui ista nõ servant. Non modo igitur possunt ad recuperanda Monasteria non admitti, sed nisi se reformari patiantur, possunt etiam à suis, quæ possident, expelli.*

P. 25. *Omnium testimonio constat, disciplinam in Monasteriis multis adeo elanguisse, ut non modo pigri ventres, sed etiam animi perniciosi attulerint damna. Loquuntur Episcopi & Visitatores, neq; persuaderi potest hominibus cũcta subtili curiositate rimantibus, esse omnibus Monasteriis eam disciplinam, ut non etiam gravia tolerentur peccata.*

(Similia occurrunt p. 16. 17. 18. 22. 58. &c. quæ an dolor de intercepta spe Monasteriorum suæ Societati assignandorum, an veritas eis extorserit, ipsi viderint.)

Arg. Adv. 1. Oseæ 2. v. 14. *Ducam eum in solitudinem & loquar ad cor ejus.*

Resp. 1. Ribadeneira lib. 1 de tribul. c. 8. *Solitudo ista tribulatio est, quia quicunque affluunt voluptatibus & prosperitate, ac multitudine amicorum, familiarium & consanguineorum gaudent, ii facillime deseruntur, quando fortuna mutata fuerit, verum in hac solitudine Deus ad cor nobis loquitur.*

2. Secessus in solitudinem alius *perpetuus*, alius *temporarius*. Granatensis de vita Christi p. 481. *Salvator noster admirabili sua providentia ita secessit ad orandum, ut non deposuerit interim curam suorum, sed surgens post orationem visitat discipulos, excitat eos & ad similem orationem invitat, fungens simul munere tam activæ quam contemplativæ vitæ. Bene monet Gregorius. Ita debemus vacare orationi, ne obliviscamur proximi; at ita debemus proximo inservire, ne omittamus studium orationis.*

Arg. 2. *Per tria vota Monastica paupertatis, continentiæ & obedientiæ removentur omnia impedimenta divini amoris, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum ac superbia vitæ*, 1. Joh. 2. v. 16. Bellarm. de Monach. c. 2. §. Nota tertio.

Resp. Guilielmus Estius in Comment. 1. Joh. 2. p. 855. fatetur, *adversus tres illas concupiscentiæ species*, à Bellarmino recensitas, *tria remedia à Christo Domino omnibus fidelibus esse proposita, jejunium, eleemosynam & orationem Matth. 6. & apud Paulum sobrietatem, justitiam & pietatem, Tit. 2.*

(Chrysostomus homil. de lapsu primi hominis, cum introduxisset Christum his tribus concupiscentiæ speciebus à Satana in deserto tentatum Matth. 4. opponit *concupiscentiæ carnis*, jejunium; *concupiscentiæ oculorum*, contemtum mundi; *superbiæ vitæ*, confidentiam in Deum. Atqui si hæc remedia omnibus communia, non erunt solis Monachis propria, ac proinde Monastice non erit status perfectionis.)

CAPUT III.

De Consiliis Evangelicis.

THESIS. Nec Christus nec Apostoli præscripserunt in Evangelio nova consilia perfectionis.

Ἔκθεσις. 1. Si consilia definirent *opera indifferentia*, quæ pro ratione circumstantiarum bona vel mala, ac permitterent ea cujusque arbitrio, non negaremus dari quædam consilia.

2. Si doctrina de externis exercitiis hoc modo traderetur, quod per se non sint cultus vel merita, multo minus supra præcepta, seu perfectio quædam, sed pro diversitate donorum suscipiantur, ut liberius & expeditius iis, quæ ad veram pietatem pertinent, vacari possit, utcunque tolerari posset. Sed Pontificii intra terminos illos non consistunt, sed pugnant pro perfectione & supererogatione meritorũ in talibus operibus. Statuunt, illos, qui observant consilia Evangelica, plura acquirere merita, quam quæ sibi ipsis sint necessaria, ideo aliis ad peccatorum remissionem & vitæ æternæ meritum ea applicari posse. Vide Doct. Chemnic. part. 2. Locor. de discrim. præcept. & consil. cap. 1. p. 280.

3. Per *Consilium* Apostolus 1 Cor. 7. v. 25. non intelligit tale consilium perfectionis, quod sit supra Dei præcepta, & cujus observatione supererogationis opus præstetur, ac meritum quoddam aliis erogandum colligatur, sed in casu dubio quid sequendum & eligendum sit, præscribit. In Græco enim habetur vox γνώμη quæ *sententiam* proprie significat.

4. *Absolutam perfectionem* nulli hominum in hac vita obtingere, statuimus, sed tantum in futura, in qua Deus futurus est omnia in omnibus 1. Cor. 15. v. 28. In hac vita posse alios alios esse perfectiores vel potius & magis proprie plus minusve imperfectos, ratione scilicet fidei & diversorum profectuum in amore Dei & proximi, quibus duobus capitibus continetur, quicquid perfectionis alicui tribui potest, concedimus.

Antithesis Thomas 2. 2. q. 108. artic. 4. *Præceptum importat necessitatem, consilium optionem. Præcepta novæ legis dantur de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis; consilia sunt de illis, per quæ melius & expeditius homo finem consequi potest. Homo constitutus est inter bona spiritualia & res hujus mundi. Præcepti est, ne in rebus hujus mundi ultimum finem constituat; Consilii est ut totaliter ea bona abdicet. Bona autem hujus mundi, quæ pertinent ad usum vitæ humanæ, consistunt in tribus; scil. in divitiis exteriorum bonorum, in deliciis carnis, in honoribus. Divitiæ abdicantur per paupertatem, delitiæ carnis per castitatem, superbia vitæ per obedientiæ servitutem.*

Bellarminus lib. de Monachis cap. 7. §. 2. *Consilium est opus bonum à Christo nobis non imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum. Differt à præcepto ex parte materiæ, ex parte subjecti, ex parte formæ & ex parte finis. Ex parte materiæ, quia materia præcepti est facilior, consilii difficilior; materia præcepti bona est, consilii melior & perfectior. Ex parte subjecti, quod præceptum commune sit omnium, consilium non item. Ex parte formæ, quod præceptum vi sua obliget, consilium in arbitrio hominis sit positum. Ex parte finis, quod præceptum observatum habet præmium, non observatum habet pœnam; consilium autem si non servetur, nullam habet pœnam, & si servetur, majus habet præmium.* (Eadem repetit Hieronymus Platus lib. 2. de bono status religiosi cap. 10.)

Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 8. §. Ultimo, disputat, *multa esse consilia Evangelica, sed præcipue tria, continentiam, obedientiam & paupertatem.*

Salmeron tom. 7. in cap. 10. Lucæ p. 97. *Opera quædam necessaria sunt ad salutem, quædam vero consilii & perfectionis sunt, ad quæ præstanda nemo obligatur. Erogat ergo, qui sibi credita talenta distribuit; supererogat, qui amplius, quam accepit, impendit, qui præceptis Christi adjungit Ecclesiæ mandata, & illa pro tempore & loco & personarum ratione constituit, quomodo melius serventur divina & Evangelica decreta, præscriptisq; à Domino adjungit consilia &c.*

Nostram sententiam probamus,

I. Ἀνασκευαστικῶς ex eo, quod opinio de consiliis, prout à Pontificiis explicatur, sit multis modis erronea:

1. Præsupponit, in observatione legis justitiam coram Deo & meritum vitæ æternæ quærendum, contra dictum Gal. 3. v. 21.

2. Legi divinæ non solum satisfieri posse, sed etiam plura præstantiora ac sublimiora opera à nobis præstari posse, quam quæ in lege requiruntur, contra dicta Deuteronom. 6. v. 5. Matth. 22. v. 37.

3. Posse in hac vita ad plenam perfectionem aspirari, contra dictum Phil. 3. v. 12.

4. Perfectionem potius quærendam esse in traditionibus hominum, quã in præceptis Dei, contra dictum Matth. 15. v. 9.

5. Posse hominem plura acquirere merita, quam sibi ad salutem necessaria sunt, & illa quæ supersunt, aliis erogari & applicari posse contra dictum Psal. 32. v. 6.

6. Opera non præcepta esse præstantiora, quam quæ in lege requiruntur, contra dictum Psal. 19. v. 8.

7. Illa, quæ de fugienda privata vindicta, de dilectione inimicorum, de cavendis temerariis judiciis &c. in concione Christi montana Matth. 5. 6. & 7. traduntur, libere observari vel violari posse, contra dictum Matt. 5. v. 19.

8. Posse nos ipsos non solum pro nostris, sed etiam pro aliorum peccatis satisfacere, contra dictum 1. Joh. 1. v. 7.

2. Κατασκευαστικῶς sic progredimur.

1. Deus jubet se diligi *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus.* Ergo nihil superest non debitum quod erogetur.

2. In operibus bonis semper aliquid deest. Ergo nunquam perfecte implemus legem, multo minus opera supererogationis præstamus.

3. Christus Luc. 17. v. 10. omnem supererogationis opinionem exludit. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus quæ debuimus facere, fecimus.*

4. Obligati sumus per præceptum ad summum caritatis gradum Joh. 13. v. 34. cap. 15. v. 13. 1. Joh. 3. v. 16. Ergo nullus remanet locus consiliis & operibus supererogationis.

5. Jubet Deus nihil addi præceptis Deut. 4. 2. Ergo consilia non debent addi.

6. Ita sumus Deo obligati, ut non possimus unquam facere, quantum debemus, cum omnia nostra, utpote ab ipso nobis data, sint ei debita. Ergo nunquam supererogamus, ἅπαντα, ἅπερ ποιῶμεν, ὀφείλομεν ποιοῦντες πληροῦμεν inquit Chrysostomus homil. 7. in Epist. ad Roman.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, legem Dei in hujus vitæ infirmitate non posse à nobis perfecte impleri. (Si enim præcepta non possumus perfecte implere, quanto minus per consiliorum observationem poterimus aliquid supererogare.) Dicta illa adducentur inferius in art. de Justificatione cap. 7. th. 3.

2. Quod agnoscunt, bonis operibus renatorum aliquam imperfectionem & immunditiem adhærere. (Si enim bona opera juxta præscriptum legis facta, non sunt perfecta & pura, utique non poterimus per consiliorum observationem aliquid supererogare.) Dicta illa adducentur in eodem art. de Justificatione cap. 8. thesi 7.

3. Quod agnoscunt, nos non tantum posse Deo reddere, quantum debemus. (Ergo non possumus aliquid indebiti operis supererogare.)

Bernhardus serm. de verb. origen. *Etsi proximo forte videtur quis reddere plus quam debet, Deo tamen nunquã totũ reddit, quod debet.*

Idem serm. de tripl. custod. col. 356. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Sed hoc, inquies, propter humilitatem monuit esse dicendum. Plane propter humilitatem, sed nunquid contra veritatem?*

Idem in tract. de pass. Dom. cap. 30. col. 1635. *Quid poteris largitori tuo digne rependere? Dedit te tibi, quando te creavit ut esses, reddidit te tibi, cum recreavit, ut bene esses. Dedit in viaticum tibi, ne deficias in via, corpus & sanguinem suum, se verum Deum & hominem verum. Et tu, quid rependes? si pro eo, quod dedit te tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere, quid demq; pro eo rependes, quod se tibi dedit? Certe si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? repende tamen quantum potes, rependere te totum illi, qui se totum tibi & dedit & reddidit.*

4. Quod Thomas, Anshelmus & Gerson in usitata doctrina illorum temporum de consiliis quædam mitigarunt.

Thomas ex Collationibus Patrum citat dictum: *Jejunia, vigiliæ, paupertas &c. non sunt perfectio, sed perfectionis instrumenta, quia in ipsis non consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.*

Idem 2. 2. q. 184. art. 3. docet, *perfectionem principaliter consistere in præceptis, & in caritate, secundario autem & dispositive tantum in consiliis.*

Anshelmus dicit, *unam solam esse veram religionem sub uno supremo Abbate Christo, reliquas religiones, vocat, factitias, utpote ab hominib⁹ institutas, ut remotis impedimẽtis veræ religioni vacari possit.*

Gerson

Gerson agnoscit, *falsum esse, quod præcepta legis ordinata sint ad virtutes sub certa mensura & gradu; & quod supra est, sub consilio esse.* Statuit autem *consilia versari circa res, quæ sunt instrumenta promoventia, disponentia & manuducentia, ut brevius & facilius acquiratur perfectio.*

5. Quod agnoscunt, quædam esse præcepta, quæ pro consiliis venditantur.

Nicolaus VI. Lib. 5. Decretal. tit. 12. cap. 3. fatetur, quod *Franciscus in sua regula quædam consilia Evangelii sub verbo exhortationis, quædam sub prohibitione & verbo præcepti præposuerit.*

Thomas de Aquino 1. 2. q. 108. art. 4. *Consilium esse,* dicit, *quod Christus de diligendis inimicis loquitur, si ipsum actum diligendi intelligamus.* (At hoc revera est præceptum.)

Alvarus Pelagius de planctu Eccles. Lib. 2. art. 88. *patientiam & humilitatem* inter consilia Evangelica numerat. (Atqui ea continentur sub præceptis.)

Henricus de Heuta (al. Henricus de Jota, qui floruit circa Annum 1371. ac à Gersone maximopere laudatur) Viennæ docuit, *ea quæ pro consiliis Evangelicis venditantur, esse præcepta.*

Edita sunt à D. Luthero quædam commentaria in Apocalypsin (circa Annum 1390. scripta, ut ex c. 13. & principio 20. c. apparet) quæ ex Livonicis & Polonicis finibus sibi missa testatur. Illorum autor inter errores Papæ & Prælatorum etiam hunc recenset, quod *ex mandatis Dei consilia faciant.*

Argum. Adversf. 1. Præcipuum pro stabiliendis consiliis Evangelicis fundamentum Scholastici olim petierunt *ex concione Christi* Matth. 5. *ubi perfectiora opera à Christo præscribi videntur, quam quæ à Mose in lege fuere requisita.*

Alphonsus de Castro Lib. 3. adversf. hæreses verbo Bellum, hæresi 1. *Illa Salvatoris sententia, Ne resistite malo, non pertinet ad præceptorum numerum, sed est inter consilia connumeranda. Quod autem ita sit, ex immediate sequentibus facile censeri potest, quoniam quæ immediate sequuntur, nullo modo ad præceptorum numerum spectare videntur, sed ad consilia, ut sunt illa, Et , qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei pallium &c. Et quicunque angariaverit te mille passus, vade cum illo & alia duo. Quæ duo nullus nisi mentis inops contendet esse præcepta, sed solum consilia viris perfectis data.*

Jacobus Tirinus Jesuit. in Comment. Matth. 5. v. 39. *Privatis personis suadet, non tamen imperat Christus & etiam Paulus, ut quando caritas proximi, conversio infidelium, Dei gloria vel prudentia id exiget, v. g. tempore publicæ persecutionis, qualis erat pene continua in primitiva Ecclesia , non propellamus violente illatam injuriam, sed potius repetitam patienter feramus, quam maleficiis certemus, aut de vindicta cogitemus.*

Sed totum hoc argumentum prolixe refellit Bellarm. Lib. 4. de Justif. cap. 3. docens, *Christum eo in loco non tradere nova consilia perfectionis, sed corruptelas Pharisaicas, quibus legem depravabant, removere & veram legis sententiam explicare. Depravabant,* inquit, §. Quod attinet &c. *Scribæ & Pharisæi præcepta gravissima de homicidio & adulterio , docentes in ejusmodi præceptis actum externum solum esse prohibitum, non autem internum, nisi signis exterioribus proderetur, in quo errore fuit Iosephus Lib. 12. antiquit. c. 13. & David Kimchi in comm. Psal. 66. v. 17. Adversus ejusmodi corruptelas declarat Dominus, legem, non occides, non solum manum, sed etiam linguam & animum cohibere; & legem, non mœchaberis, extendi usque ad concupiscentiam in mente conceptam. Pharisæi repudiabant legem de repudio, quod enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitum dimiserat, ipsi ut rem absolute justam proponebant. Dominus autem docuit, non licere uxorem dimittere, nisi causa fornicationis, & legem de libello repudii penitus abrogavit. Pharisæi docebant, non esse pejerandum, tamen frequentare juramenta, etiam levi de causa, nullum peccatum esse docebant. Contra Dominus jubet, non esse jurandum omnino, scilicet nisi subsit jurandi necessitas. Corrumpebant Pharisæi legem illam talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Nam cum non animadverterent, eam legem constitutam fuisse ad justitiam conservandam, non ad appetitum vindictæ saturandum, docebant licitum esse vindictam appetere. Dominus igitur monet, non esse appetendam vindictam, nec malum pro malo reddendum, sed potius paratum esse debere hominem probum , si opus sit , percutienti maxillam unam, præbere etiam alteram. Denique pervertebant Pharisæi primarium dilectionis præceptum. Quoniam enim lex jusserat, ut hostes suos occiderent, non odii causa, sed Zelo justitiæ, qua justa bella etiam interdum à piis Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant, diligendos esse amicos, odio habendos inimicos. Dominus ergo gravissime admonet, diligendos esse inimicos, benefaciendum his, qui nos oderunt, orandum pro persequentibus & calumniantibus.* Lib. ejusd. cap. 4. §. penultimo. *Quæ videntur in Evangelio esse gravissima de dilectione inimicorum & de concupiscentia cohibenda, inveniuntur in lege vetere.* §. Ultimo. *Itaque non ait Dominus: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam legis & Prophetarum, sed plus quam Scribarum & Pharisæorum, ut videlicet significaret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis , quam tollere de medio corruptelas Scribarum & Pharisæorum.* Hæc omnia Bellarminus rectissime.

Idem agnoscunt Gloss. Ordinar. in c. 5. Matth. Salmeron in Comment. & Emmanuel à Saa in notis ad illum locum.

Arg. 2. Bellarminus lib. de Monachis c. 9. seqq. alia producit dicta pro stabiliendis consiliis Evangelicis, quorum primum est Esa. 56. v. 4. *Non dicat Eunuchus, ego lignum aridum &c.* Idem urget Alphonsus de Castro lib. 3. adversf. hæreses verbo Beatitudo, hæresi 7. Tirinus Jes. in h. l.

Resp. 1. Pontificii statuunt, *consilia illa perfectionis in N. demum T. à Christo & Apostolis esse promulgata.* At dictum Propheticum agit de Eunuchis V. Test.

2. Gloss. Ordin. & Lyranus agnoscunt, *dictum illud accipi posse de Eunuchis, qui tales sunt, vel ex utero matris nati, vel ab hominib. facti;* (quod Bellarm. frustra negat) quamvis addant, *ad illos, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, ex parte referri posse,* (quod sano sensu non negamus.) Lyrani verba hæc sunt: *Eunuchus, id est, impotens ad generandum.* Et postea: *Veritas asseritur, videl. quod Eunuchus & gentilis veniens ad fidem, tantum bonum consequetur gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro, cæteris tamen paribus, quantum recipiet Judæus natione & dotatus multa prole.* Ibid. *Iste error primus procedit ex defectu generis & prolis. Quia defectus prolis in lege erat vituperabilis, aliqui simplices prole carentes, quamvis essent de populo Israel, æstimabant se deficere à præmio justorum, eò quod non multiplicaverant populum.*

3. Sainctius in Comm. illius loci sic scribit: *In Eunucho non solum spado, sed etiam gentilis populus intelligitur, qui sterilis fuit bonorum operum, quæ fœtus quidam sunt & soboles animi bene constituti. Neque magis fœcundus fuit ad utilem fœtum & vitalem prolem, quam aridus ramus ad fundendos fructus. Eadem metaphora usus est Propheta cap. 54. ubi gentilitas sterilis dicitur, Lætare sterilis, quæ non paris. Est autem allusum ad præceptum, quod legitur Deut. 23. ubi neq; alienigenæ, neq; Eunuchi intrare permittuntur in Ecclesiam. Quæ lex, ut apparet, non solum Judæis, sed etiam gentib. videtur esse non ignota. Quare non solum Deus hic cum gentibus loquitur, sed cum illis etiam, qui cum nati essent parentibus Judæis, propter naturalem illam deformitatē arcebantur à templo. Ac si dicat Deus, neminem quantumcunque lege repulsum antiqua à templi sive ingressu sive ministeriis, excludendum esse in Ecclesia nova, quam novis legibus & consiliis in novissimo seculo constituet Deus.*

4. Subjungit quidem Sainctius, *allegorice hæc à plerisq; Patribus accommodari ad illos Eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Sed Bellarm. lib. 3. de V. Dei cap. 3. docet, *Ex solo sensu literali firma & efficacia peti argumenta.*

5. Forerus & Montanus agnoscunt, *consolationem h. l. proponi Eunuchis ad prolem generandam inutilibus, qui indigni judicabantur, ut templo servirent, ac eo numero habebantur, quo mortui, aut qui nunquam lucem aspexissent. Quare arcebantur ab omni publico ministerio tam sacro quam profano, neq; referebantur in censum, aut familias, quia inepti judicabantur Israelitico generi propagando.*

6. Cornel. à Lapide in Comm. itidem agnoscit, *Prophetam ad literam loqui de Eunuchis naturalibus & castratis.*

7. Wicelius in Demog. Expl. Epist. Domin. Innoc. Infant. p. 58. Es lest sich der Abt Theon genant / in seinen Collationibus, so im Buch Cassiani stehen / öffentlich hören / daß die Eunuchi oder die Verschnittene / davon Esaias am 56. cap. redet / die heiligen Eheleute des alten Testaments seyn / welche Gottes Gebot gehalten / zu grossen Namen kommen sind. Wicelio suffragatur Oleaster *de sterilibus* locum Esaiæ interpretatus.

Arg. 3. Sap. 3. v. 13 *Felix sterilis & incoinquinata &c.*

Resp. 1. ostendimus superius lib. 2. art. 1. c. 1. th. 6. quosdam ex ipsis Pontificiis librum Sapientiæ pro *Apocrypho* habere.

2. *Consilia perfectionis* in N. demum T. promulgata creduntur. Ergo non debent probari ex dictis, quæ etiam V. T. statui conveniunt. Jac. Tirinus in Comm. h. l. scribit, *laudes & consiliū cœlibatus etiam in V. T. nota fuisse.* Sed reliqui Pontificii unanimi consensu statuunt consilium cœlibatus primum in V. Test. à Christo fuisse promulgatum.

3. Lyranus in h. l. sic annot. *Felix sterilis, quia licet sit in matrimonio, non tamen habet filias in ejus ignominiam cedentes. Et incoinquinata, quia si esset sterilis & adultera, non esset felix, sed misera. Habebit fructum à Deo pro sua continentia conjugali melius, quam si filios*

 hies-

bi essent filii. Et spado, h. e. impotens generare, qui tamen est sanctæ vitæ, ideo subditur, Qui non operatus est quantum ad peccatum operis, nec cogitavit adversus Deum, quantum ad peccatum cordis, dabitur enim illi fidei donū, h. e. donū gloriæ, quod datur pro fide formata caritate.

4. Glossa Ordin. in h. l. Felix est sterilis & incoinquinata, id est, casta & continens anima, quæ scil. nec hæresi, nec idololatria polluitur. Habebit fructum æternæ beatitudinis.

Arg. 4. Matth. 13. v. 8. Regnum cœlorum comparatur terræ bonæ, cujus pars una reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum, alia tricesimum, quod quidam Patres applicant ad conjugium, viduitatem & virginitatem.

Resp. 1. Bellarm. lib. 3. de V. D. cap. 3. recte scribit, Ex solo sensu literali duci firma argumenta. Jam v. Maldonatus in cap. 13. Matth. literaliter explicat de fructibus Evangelii spiritualibus, qui alias in Scripturis exponuntur.

2. Gregorius (Pont. Rom.) hom. 17 in Ezech. Fructus terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, concepit; sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecte protulerit; centum v. affert, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit.

3. Jansenius in cap. 51. Conc. Evang. agnoscit, Patres in hac expositione convenire. Hieronymus (inquit) centuplum fructum virginibus, sexagecuplum viduis, trigecuplum conjugatis tribuit. Augustinus v. centesimum Martyribus, sexagesimum virginibus, trigesimum conjugatis aptat. Theophylactus centesimum tribuit Anachoretis, sexagesimum cœnobitis, trigesimum conjugatis & Laicis. Jac. Tirinus in Comm. Luc. 8. v. 5. Per eos, qui proferunt fructū trigesimū, sexagesimū, centesimum, secundū Theophylactū & Euthymium intelliguntur incipientes, proficientes & perfecti; secundum Hieronym. & Athanasium conjugati, vidui, virgines; secundum Cyprianum & Augustinum conjuges, virgines Martyres. (Potuissent addere alias aliorum veterum expositiones allegoricas. Autor Operis imperf. hom. 31. in Matth. Qui abstinent se à divitiis malis, & secundum vires suas faciunt bona, est fructus eorum trigesimus. Si omnia sua contemnant, & accedant ad serviendum Deo, habent sexagesimum: Si a. & infirmitas corporis eis contigerit, & fideliter sustinuerint, habent centesimum. Nam & Job inquit, ante tentationem trigesimum habuit in facultatibus suis juste vivendo: post damna substantiæ & filiorum sexagesimum: post plagam a corporis centesimum fecit. Theophylactus in cap. 13. Matth. Alius centum, forte is, qui perfecte renunciavit possessionibus & summum in vita Monastica gradum obtinet. Alius sexaginta, forte qui Monachus in commune vivit, sed & practicus. Alius triginta, qui honestum matrimonium elegit. Anshelmus ibid. Tres Ordines Ecclesiæ hic designantur, scil. conjugati & continentes in activa vita & contemplativa. Debet autem esse principalis divisio justi. alii contemplativi, alii activi. Activi vero subdividuntur, alii conjugati, alii continentes. Tricenarius & sexagenarius fructus activis datur, centenarius vero contemplativis: quorum omnium rationes in sequentibus exponere nititur. August. ipse dubius est l. de virginit. c. 44. sic disserens: Quicquid significet fœcunditatis illa diversitas, viderint, qui hæc melius, quam nos intelligunt: sive virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem conjugalis, sive centena fertilitas Martyrio potius imputetur, sexagena continentiæ, & tricena connubio: sive virginitas accedente Martyrio centenum fructum impleat, sola v. in sexageno sit, conjugati a. tricenum ferentes ad sexagenum perveniant, si Martyres fuerint: sive, quod probabilius mihi videtur, intelligendum est plura esse, quam ut in tres differentias distribui possint.)

4. Maldonat. in Comm. h. l. agnoscit, Christo tantum propositum fuisse, ut doceret, omne semen, quod in bonam terram cadit adeo multiplicari, ut quod minimum ferret fructum, trigesimum ferret, quantum non nisi optima & bene culta terra ferre solet; quod maximum, centesimum; quod mediocrem, sexagesimum. Simplicissimā hanc parabolici hujus sermonis expositionē amplectitur etiā Euthymius. Per centumplū, inquit, significat perfectā virtutis fructificationem: per sexagecuplum, mediam, & per trigecuplum, minorem.

5. Jansenius ibid. addit: Apud Lucam nulla graduum fit mentio, sed cum in parabola centeni fructus fecerit mentionem, hic tantum dicit, & fructum afferunt in patientia.

6. Franciscus Lucat Brugensis in h. l. sic annotat: Sunt hic numeri certi pro incertis, quibus significatur, non æquali omnes mensura fructum ferre, sed in triplici esse differentia, quartum istud fructuosorum auditorum genus, ut sterilium auditorum triplex modo fuit varietas: alios enim eorum copiosissimum ex audito verbo fructū ferre, veluti si spica centū grana ferat ex uno; alios copiosum sane, ut si sexaginta ex uno, alios mendiocrem, ut si triginta. Hi sunt tres gradus profectus spiritualis hi sunt tres ordines hominum DEO digne ambulantium, ut Paulus loquitur 1. Thess. 2. v. 12. veluti si dicas, incipientiū, proficientium, perfectorum, vel potius bonorum, meliorum & optimorū.

7. Ludovicus de Ponte lib. 2. in Cant. Cantic. exhortat. 2. col. 291. Quidam ferunt fructum trigesimum alii sexagesimum, alii centesimum in diversis statibus & gradibus virtutis ac perfectionis mirè fulgentem.

(In virtutis ergo gradibus diversitas quærēda, nō in statib⁹.)

Argum. 5. Matth. 19. v. 12. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

Resp. 1. Lucas Brugensis in Comment. h. l. agnoscit, Paulum 1. Cor. 7. hæc verba Domini explicare, quando dicit: Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Item, ut sine impedimento Deo adhæreatis, v. 32. 34. 35. (Ergo finis spontanei cœlibatus in personis idoneis continentiæ dono præditis describitur, videlicet ut sine impedimento Deo servire & regnum ejus propagare possint.) Et addit Brugensis: In hoc consistit ratio & vis perfectionis hujus virtutis. Nec enim per se Deo placet, quod quis sibi neget naturalem nuptiarum usum, nisi referatur ad Dei cultum & regnum cœlorum. (Cœlibatus ergo per se consideratus, si non referatur ad hunc finem non est meritum regni cœlorum, vel ampliorum in cœlo præmiorum.)

2. Præterea, Consilium à Pontificiis definitur, quod habeat peculiarem aureolam in regno cœlorum, ac præmium aliquod accidentale essentiali beatitudine omnibus communi majus. Jam vero Christus hic simpliciter dicit: Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Nomine autem regni cœlorum intelligi beatitudinem omnibus electis communem, patet ex Matth. 5. v. 3. 10. & cap. 8. v. 11. &c.

3. Jac. Tirinus in Comm. Hæc castratio fit vel voto vel saltem firmo proposito, quo quis impotentiam saltem moralem sibi indicit ad actum Venereum. (Ergo ex hac castratione non statim potest inferri votum, sed fieri illa potest per firmum propositum.)

Argum. 6. Matth. 19. v. 21. Vende quæ habes & da pauperibus & sequere me; & habebis thesaurum in cœlo.

Resp. 1. Wilhelmus de S. Amore, Magister Parisiensis & Canonicus Belovacensis, circa Ann. 1250. docuit, mandatam ibi esse paupertatem habitualem, non actualem, id est, flagitare Christum à nobis, non ut jam omnia abjiciamus, quæ habemus, sed ut cum confessio nominis divini & gloria Christi postulaverit, tum propter eum omnia deserere paratissimus, sicut & cum odium patris, matris & propriæ animæ in Sectatoribus suis Christus requirit, non jubet simpliciter, ut non honorent patrem, multo minus, ut eum odio habeant, sed ut re ita postulante omnia propter Christum negligere parati sint. Bellarminus de Monach. cap. 9. §. Quarta expositio. Guilielmus de S. Amore dixit, verba ista Domini debere intelligi secundum præparationem animi & verum præceptū continere, sicut illa Matth. 5. Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei & alteram, quod præceptum est, sed intelligitur in animi præparatione

2. Thomas 2. 2. q. 189. art. 1. ex Hieronymo: Mentitur adolescens. si enim hoc, quod positum est in mandatis, Diliges proximum tuū sicut teipsum, opere complesset. quomodo postea audiens, vade, vende quæ habes, tristis recessit? (Christus ergo non præscribit ipsi consilium perfectionis, cujus impletione aliquid supra obedientiā in lege mandatam erogare possit, sed speciali hoc mandato, ut propter Deū facultates suas relinquat, pauperibus eas eroget, & Apostolorum exempla secutus in scholam Christi se conferat, ipsum convincere cogitat, quod falso perfectam legis impletionem sibi arroget.)

3. Joh Ferus in h. l. Sicut Medicus, si primam medicinam frustra se adhibuisse perspexerit, fortiorem apponit: sic Christus hic facit. Ægrotabat adolescens, & quidem periculose, adhibuerat Christus medicinam ei morbo congruentem, præceptorū sc. memoriam, quæ facile præsumtionē tollere possunt, sed frustra in hoc juvene adhibita sunt, nunc igitur adhibet efficaciorem, qui convictus etsi non verbis, tamen opere declaravit, se necdum præcepta implesse. (Ergo scopus Christi est convincere juvenem, quod præcepta non servaverit, sed de eorum observatione falso gloriatus fuerit.)

4. Bellarm. lib. de Monach. cap. 7. §. 2. consilium perfectionis sic describit, quod sit opus bonum a Christo non imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum. Item, quod sit in hominis arbitrio positum, non autem vi sua obliget. (Ergo juvenis hic non peccasset consilium illud perfectionis posthabendo. At gravissime peccavit verbis Christi nō obtēperando, ut colligitur ex eo, quod Christus post illius discessum dixit: Quam difficulter intrabit dives in regnum cœlorum! non dixit, aureolam non obtinebit, majorem gloriam non consequetur. Ergo non fuit hoc consilium, sed præceptum, videlicet speciale, Idipsū ex verbis

bis præcedentibus manifestum: *Unum tibi deest*, inquit Christus. At quod deest, ex præcepto implendum est.)

5. Idem Bellarminus in ἐξηγήσει hujus argumenti §. Sextum argumentum, dicit, *per sequelam Christi in hoc dicto accipiendam esse imitationem Christi.*

(At illa non est consilii, sed præcepti, ac omnibus vere piis necessaria, 1. Cor. 11. v. 1. Eph. 5. v. 1. 1. Petr. 2. v. 21.)

6. Idem Bellarm. ibidem fatetur, *agi hic de obedientia, quæ necessario debetur Deo.*

(Cur ergo inter perfectionis consilia, quæ in hominis arbitrio posita sunt, eam refert? Regerit quidem, *deduci ex hoc loco consilium religiosæ obedientiæ, cum sit alia sequela Christi omnibus Christianis communis, alia, quæ solis illis consulitur, qui volunt esse perfecti.* Sed hac ratione petit principium, de eo enim quæritur, an præter generalem illam sequelam detur *specialis* in consiliis Evangelicis posita?)

7. Pontificii *venditionem omnium* dicunt esse adminiculum perfectionis. Sed Christus illam præcepit ei, qui se credebat omnia mandata observasse, ex quo constat, non præcipi ut gradum ad perfectionem, sed ut ipsum perfectionis culmen.

8. Pontificii consilium sic describunt, quod *ei promittatur majus præmium in cœlo.* At Christus hic non permittit juveni majus premium, sed simpliciter dicit, *& habebis thesaurum in cœlo*, qua phrasi spes vitæ æternæ omnibus fidelibus proponitur, Matth. 6. v. 20.

9. Bellarminus de Monach. c. 2. §. ult. Gregorius de Valentia de Statu & votis Religios. c. 2. §. Neque obstat &c. Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disput. 6. q. 3. dub. 1. n. 20. *votum* constituunt *essentialem perfectionis partem*, cujus etiam respectu dicatur status perfectionis. Atqui in hoc dicto Christi nulla fit mentio *voti.*

10. *Venditio omnium* eorumque inter pauperes distributio nulli hominum generi minus, quam Monachis competit. Quis enim Monachorum vendit sua & dat pauperibus? nunquid partem hæreditatis Monasterio addicere jã ante fundos & agros habenti significat *omnia vendere & inter pauperes distribuere?* Quis renunciat proprietariæ possessioni, quam Rom. Pontifices tot bullis Monachis confirmarunt? c. Exivi. in Clementin. de Verb. signif. Eodem tit. tot. in Extravag. Joh. 22. imprimis cap. 3. & 5.

11. Maldonatus in Comm. Matth. 19. v. 20 fatetur, *Hilarium, Autorem imperfecti operis, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Bedam & nonnullos Græcos existimare, hunc adolescentem, cum dixit, se omnia mandata à juventute servasse, fuisse mentitum.*

(Utique ergo Christus non ostendit ei novum perfectionis consilium, sed speciali hoc mandato de falsitate gloriationis ipsum convincere voluit.)

12. Barradius, Stapletonus & Estius in h. l. itidem agnoscunt, *juvenem hunc fuisse avarum & pecuniarum atrociter cupidum*, ut eum vocat Chrysostomus, *ac proinde falso gloriatum fuisse, quod mandata Dei omnia servavit à juventute sua.* Quin & Estius in faciem contradicit Jesuitæ Contzen asserenti, *relictionem opum non fuisse juveni ad salutem necessariam.* Contra Estius ait in c. 19. Matth. *fuisse ideo (quia juvenis cor apponebat) absolute ei ad salutem necessariam. Proinde verbis illis, unum tibi deest, significari deessentiam ad salutem, non ad perfectionem.* Barradius vero, eque ac Maldonatus Hieronymi, Augustini, Basilii, Ambrosii, Clementis Alexandrini, Origenis, Chrysostomi & Theophyl. sententiam refellit.

13. Urget Bellarminus, *Marc. 10. dici, quod Dominus intuitus hunc juvenem, dilexerit eum, credibile igitur esse, eum vera dixisse, non autem mentitum, quia Dominus non diligit mendaces.*

Resp. Stapletonus in Antidot. Evangel. ad caput Matth. 13. sic annotat: *Quod vere sicut dixit mandata servaverat, ex eo probabile fit,* (nota, probabile fit,) *quod Christus, his auditis, intuens eum, dilexit eum: neq; enim dilexisset mentientem, vel ex arrogantia aliter præsumentem, quam par erat. Magis tamen adhuc probabile est, quod vere mandata non servaverat, quia morbo avaritiæ adhuc laborabat, sicuti subsequens ejus tristitia, audito Christi responso, manifestum facit, unde Augustinus Epist. 89. hunc locum tractans, ait, Puto, quod arrogantius quam verius se servasse responderit: & D. Basilius eum plane avaritiæ morbo insigniter laborasse censet. Christus nihilominus intuens in eum, dilexit eum tanquam adhuc proficiendi avidum, & majoris perfectionis cupidum nec plane mentitum, quia sic servaverat, sicut vulgus Judæorũ servãda putaverat, nemini quidẽ nocendo, nõ tamẽ proximis liberaliter serviendo, aut amorem divitiarum deponendo.*

14. Regerit Bellarminus. *Si esset præceptum, ergo caritatis. At non caritatis, quia caritas non requirit ut demus omnia nostris proximis, & nobis nihil servemus.*

Resp. fuit præceptum *obedientiæ*, & quidem *speciale*, quo Christus manifestum facere voluit, falsam esse hujus juvenis gloriationem. An non ipsi Jesuitæ novitiis suis specialia quædam præcepta proponunt, *quæ in virtute sanctæ obedientiæ*, ut loquuntur, implere debeant? Opus ipsum præceptum fuit opus caritatis, quia Christum ut verum Deum super omnia diligere, requirit, ut præceptis ejus nos obedientes præbeamus.

Arg. 7. 1. Cor. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere: Bonum est homini sic esse: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem &c.*

Resp. 1. Thomas in h. l. sic commentatur: *Apostolus primo instruit, eos, qui non sunt matrimonio juncti, utrum scil. debeant matrimonii contrahere. Circa hoc, dico, manifestat, primũ quid sit per se bonum, deinde quid sit necessarium. Primum ostendit in illis verbis: Bonum est mulierem non tangere; alterum in sequentibus, propter fornicationem autem habeat unusquisq; uxorem suam. Considerandum est, quod in detestatione fornicationis, contra quam Apostolus scripserat, quidam non habentes zelum secundum scientiam, in tantum procedebant, quod etiam matrimonium condemnabant, quia hoc Corinthiis fidelibus durum videbatur, super hoc ad Apostolum scripserunt. Apostolus respondet, De quibus autem scripsistis mihi &c. Respondeo primo quantum ad matrimonium: Bonum est mulierem non tangere, sed quia ad hoc bonum non sunt omnes idonei Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc: docet secundo, quid est necessarium, Unusquisq; propter fornicationem habeat uxorem suam. Deinde v. 3. His autem qui matrimonio uncti sunt. Supra posuit Apostolus documenta de contractu matrimonii, his verbis autem instituit eos, qui matrimonium contraxerunt, tum quantum ad eos, qui sunt unius cultus v. 24. tum etiam ad eos, qui sunt in dispari cultu v. 12.*

(Ergo Apostolus non præscribit consilium aliquod perfectionis, per cujus impletionem homo plus prester, quam in lege mandatum, sed pro conditione & diversitate personarum, ac pro ratione temporum dicit, se dare consilium, ut quisque eligat, quod juxta mensuram doni à Deo sibi collati ad cursum pietatis & conscientiæ tranquillitatem utile esse viderit.)

2. Cajetanus in h. l. *Ecce consilium, seu ut Græcus textus sonat, sententia, bonum esse servare virginitatem propter præsentem necessitatem vitandam, multæ enim sunt præsentis vitæ necessitates consequentes conjugium, ad quas evitandas bonum est servare virginitatem. Tribulationem tamen carnis (pro carne) habebunt hujusmodi, h. e. tribulationes, quas parit carnale connubium, habebunt conjuges. Sunt autem manifesta incommoda multa, quæ nascuntur in hujusmodi carnali commercio, uti in muliere dolores partus, in viro autem curæ multæ.* (Ergo consilium Apostolicum respicit commoditates hujus vitæ, quib. præstat cœlibatus conjugio.)

3. Erasmus ad h. l. sic annot. p. 320. *Apostolus non dicit simpliciter, bonum sic manere ut ego sum, sed bonum est ob urgentem necessitatem. Proinde, non quod pro tempore, proq; re præsenti bonum est, id protinus simpliciter bonum est. Ætate Pauli, cũ inter innumeros Ethnicos perpauci essent Christiani, fortasse commodius erat abstinere à matrimonio, nunc mutatis rebus haud scio, an magis expediat sanctum conjugium & immaculatum thorum sancte pureque colere etiam Sacerdotes, si qui non continent, quando horum tam ingens ubique numerus est.*

Et postea. *Unusquisq; suam uxorem habeat* ἐχέτω, *quod verbum apud Græcos plane imperativi est modi, verum non est, quod id nos commoveat, nec est cur interpretetur, habere liceat, cum id dicatur iis, qui se non possunt à consuetudine mulierum cohibere, non omnibus. Atq; his sane, qui sibi permissuri essent scortationem aut fœdius aliquod libidinis genus, imperat, ut potius ducant uxorem.*

pag. 323. *Ambrosius per præsentem necessitatem intelligit præsentem illorum temporum statum. Oportet enim hujusmodi consilia pro temporum ratione moderari.*

(Ergo Apostolus non simpliciter cœlibatum præfert conjugio tanquam consilium perfectionis, sed respectu status illorum temporum.)

4. Pro ratione diversarum *personarum* & *circumstantiarum* Apostolus ibidem quibusdam non cœlibatum, sed conjugium consulit. At Pontificii nunquam concedent, *matrimonium esse consilium Evangelicum.* Si velint urgere vocem γνώμην in v. 25. opponimus, eandem usurpari de Eleemosynis Hierosolymam mittendis 2. Corinth. 8. v. 10. At Eleemosynarum necessariarum erogationem Pontificii non referunt inter *consilia perfectionis.* Consilium Evangelicum apud Pontificios tandem desinit

nit in *votum*. Sed de voto continentiæ nihil apud Paulum. Consilio Evangelico ex hypothesi Pontificiorum promittitur majus præmium in cœlo. Sed tale præmium τοῖς ἀγάμοις Paulus ibi non promittit.

Arg. 8. *Paulus 1. Cor. 9. ostendit, se plus fecisse, quam præceptum sibi erat, & propterea singularem gloriam apud Deum meruisse, cum maluerit gratis Evangelicum prædicare, & sic facere opus supererogationis, quam ex Evangelico vivere.*

Resp. 1. Pontificii statuunt, tria esse præcipua perfectionis consilia, *paupertatem, obedientiam & cœlibatum.*

(At de nullo horum in dicto Apostolico agitur.)

2. Glossa Ordin. ad h. l. sic annot. *Ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Quia si acciperet Apostolus, Pseudo-Apostoli jam libere acciperent, & sic in prædicatione durarent, & ita impedimentum fieret Evangelio.*

3. Lyranus ibid. *Forsan & hi* (Pseudo-Apostoli) *avari erant, vel se licentiam peccandi emisse* (Corinthii) *putarent, vel libertatem arguendi Apostolus imminueret.*

Ib. *Ut non abutar potestate aperiendo viam falsis Apostolis, & præcludendo viam Corinthiis, si sumtus acciperem. quia tunc Apostoli falsi audacius sumtus acciperent, & frequentius prædicarent immiscendo veris falsa, quod est abuti prædicatione Evangelica.*

(Ergo Apostolus potestate accipiendi stipendium ab auditoribus uti noluit, non ut *opus aliquod supererogationis* faceret, quo coram Deo gloriari, & singulare aliquod præmium in vita æterna promereri posset, sed ne quod offendiculum daret profectui Evangelii: & ut Pseudo-Apostolorum gloriationem excluderet.)

4. De hoc Apostoli facto sic judicat Thomas in Comm. *Hoc autem faciebat secundum glossam, ne Evangelium putaretur venale. Et hæc, ut non abutar potestate mea, id est, mihi commissa in Evangelio prædicando, quod esset, si acciperem indistincte: quia perderem autoritatem libere arguendi.*

Cajetanus ibid. *Non significatur, quod accipere sumtus esset abuti potestate evangelizantis, (cum Dominus non ordinaverit abusum aliquem,) sed significatur excellens cautela abstinentis se totaliter ab hujusmodi potestatis usu, ne forte utendo incideret in aliquem abusum propter aliquam circumstantiam extrinsecam.*

5. Eodem modo recentiores Jesuitæ. Salmero in. l. *Unde subdit, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Fuisset enim illud abuti potestate, si sumtus exegisset & in ea re suam Evangelio autoritatem ademisset.*

Benedictus Justinianus in Paraphrasi. *Nempe ita, ut Evangelicæ prædicationis munere defungar, ut nullo sumtu stet iis, qui mihi aures dederint, & ipse interea Evangelici Ministerii autoritate ac potestate abuti nullo modo videar.*

Idem in Commentario. *Quocirca recte dixit, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Quis autem dicat, nulla cum necessitate præcepti compulsum hunc potestatis abusum vitasse?*

(Quamvis igitur Paulus illud, quod hac in re fecit, non teneretur facere *ex præcepto communi*, quo obligantur omnes, qui Evangelium prædicant, tamen tenebatur illud facere *ex peculiari vocatione*, id est, ex circumstantiis locorum & temporum, tenebatur enim non solum evangelizare, sed etiam omnia profectus sperandi obstacula amoliri, ac nihil eorum prætermittere, quæ Evangelii profectum poterant promovere. Inde expresse dicit Apostolus, *se abusurum facultate sua*, si ratione circumstantiarum habita noluisset ab illo jure recedere, quo de Evangelio licebat vivere. Diserte etiam dicit: *Non usi sumus jure isto, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio.*)

6. Regerit Bellarminus, *metuisse Apostolum, ne avariores quidam alere nollent Concionatores, & sic ab Evangelio retardarentur. Hunc metum potuisse esse communem cæteris Apostolis, qui tamen sumtus à populo caperent. Itaque peccatum non fuisse sumtus accipere, etiamsi sequeretur aliqua retardatio Evangelii, quandoquidem hæc nasceretur non à culpa Apostolorum, sed auditorum.*

Resp. ex Justiniano in h. l. *Sponte sua Paulus juri Apostolico cessit, nulla necessitate præcepti compulsus, ut Evangelica doctrinæ cursus ne leviter quidem retardaretur, quod procul dubio facturi erant cæteri Apostoli, si apud eas nationes, quas erudiendas susceperant, id metuendum fuisset.*

(Ergo non est verisimile, reliquos Apostolos cum retardatione Evangelii sumtus ab auditoribus accepisse. Nec Paulus exemplo reliquorum Apostolorum adducto probare voluit, quid sibi agendum fuerit *positis circumstantiis*, sed quid licuerit *posito tantum generali præcepto.*)

Arg. 9. *Apoc. 14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt & sequuntur Agnum, quocunque ierit.*

Resp. 1. Glossa Ordinaria in h. l. ex Augustino sic annotat: *Virgines hoc loco non solum corpore castos intelligamus, sed maxime omnem Ecclesiam, quæ fidem puram tenet, sicut dicit Apostolus: Desponsavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. id est, nulla adulterina hæreticorum commixtione pollutam, nec in male blandis & mortiferis hujus mundi voluptatibus usque ad exitum vitæ suæ colligatam.*

2. Wicelius in Demogoriis fol. 57. in explic. Epist. die Innoc. infantum, fatetur, *hunc locum agere de virginitate non corporis, sed mentis.* Und ob die Lehrer, Hieronymus, Ambros. und Augustinus &c. diesen Ort allein auff die leibliche Jungfrauschafft deuten wollen / so heitten sie sich hiermit aus dem Himmelreich geschlossen / weil ihrer keiner eine Jungfrau gewesen ist. Der geistliche Vatter Tuitiensis arbeitet sich hart an diesem Ort der Offenbarung / aber dahin führet er seine Rede / daß diß von der eusserlichen Jungfrauschafft nicht allein zuverstehen sey / deutet es aber auff die geistliche Jungfrauschafft.

3. Bellarminus per calumniam Pontificiis tribui conqueritur, quod *conjugium vocent pollutionem*, sic enim scribit lib. de Monachis c. 6. *Calvinus dicit, nos pollutionem vocare conjugium, quod Deus instituit. Mendacium est, nos enim, quod Deus instituit, vocamus Sacramentum & magnum Sacramentum cum Paulo, non pollutionem.*

(Atqui, si per *virgines* hoc loco intelliguntur cœlibes, sequitur, omnes illos, qui in conjugio vivunt, *esse cum mulieribus inquinatos.* Ita enim postulat lex oppositionis. Argumentum hoc ex ipsis visceribus textus petitum permovit Autorem Commentariorum in Apocalypsin, qui sub Ambrosii nomine leguntur, ut negaret, hunc locum de solis cœlibibus accipi posse. *Ista*, inquit, *centum quadraginta quatuor millia electos, qui in cœlesti gloria cum Domino lætantur, significant.* Et postea. *Hic magna obscuritas est; dicit quippe centum quadraginta quatuor millia non fuisse coinquinatos cum mulieribus, virginesq; esse, & ideo Canticum novum cantare, quod nemo potest discere, nisi illi soli. Scimus autem, quosdam ex Apostolis atq; Martyribus uxores habuisse. Nunquid ii, qui virginitatem corporis servare studuerunt, laudes Deo decantant, & isti in laudibus Dei muti existunt? maxime, cum sciamus, ex utroq; sexu parvi meriti homines virginitatem corporis usq; ad mortem servasse, sicut sunt infantes & pueri, quos ætas virginitatem amittere non permittit. Videmus etiam quosdam aliquibus peccatis obnoxios virginitatem corporis usque ad mortem servasse, quos credimus per ignem purgatorium esse purgandos, ut in justorum numero quandoque adscribi mereantur. Nunquid istos tales Apostolis & Martyribus, quos uxores habuisse Scriptura non tacet, præferre audebimus, ut illud Canticum suavissimum Deo offerant, à quo Petrus, ejusq; similes alieni excidant?* Postea. *Si superficiem lectionis diligenter attendimus, invenimus non de solis virginibus, sed de omnibus sanctis animabus hæc dicta esse.*)

4. In Ecclesia Romana legitur hæc pericope *in festo Innocentium puerorum* ab Herode interfectorum, cum illi, qui Agnum sequuntur, *primitiæ Dei & Agni* dicantur.

5. Blasius de Viegas, ut & Tirinus in Comment. h. l. ex professo refellunt Hieronymum, qui lib. 1. adv. Jovin. existimat, *hæc centum quadraginta quatuor millia virginum esse illa eadem, quorum facta est mentio c. 7. Apoc. ubi dictum est, convertendos fore ex Judæis centum quadraginta quatuor millia signatorum, adeoque hæc centum quadraginta quatuor millia virginum ex solis Judæis colligenda esse.*

(At quo jure hanc Hieronymi expositionem repudiant, eodem & quidem longe majori jure repudiare possumus eam, qua ad corporalem virginitatem cum contumelia conjugii locus hic refertur.

6. Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 1. in Epist. festi Innocentum p. 185. *In Ecclesia vere credentium invisibili supra editum montem Sion stat Agnus ille Dei, qui mundi tollit peccata, nempe Jesus Christus, ipsius unicum caput. In hac omnes credentes vere nomen habent Agni, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis, h. e. ore suo palàm confitentur, Jesũ esse Servatorẽ, & corde credunt, ipsum resuscitatum esse à Patre & resurrexisse à mortuis &c. In hac qui sunt credentes nõ sunt coinquinati cũ mulieribus, sed sunt virgines sequentes Agnum quocunque ierit &c. h. e. veri credentes non serviunt carnalib. concupiscentiis, non adducunt se mundanis voluptatibus &c.*

Conc. 2. pagina 187. *Quarta non verorum Christianorum est, non esse coinquinatum cum mulieribus, esse virginem. Sed quid hinc intelli-*

intelligendum venit? aliud nihil, quam in nullas hæreses Iesum solventes labi, in hujus confessione constanter & progredi & perdurare usq; ad finem. Quicunque igitur professioni Christianæ satisfacere volet, cogitet, se desponsum esse Christo, studeat huic virginem exhibere castam, maneat in confessione & humanitatis & divinitatis ejus.

Conc.3. pag.189. *Est hæc generalis descriptio totius cœtus vere credentium, seu totius spiritualis Ecclesiæ, vel omnium vere sanctorum, aut omnium gnesiorum & vivorum Christi membrorum &c. Hi cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines sunt, h.e. non sequuntur carnis desideria & opera, sed summâ curâ ab his abstinent.*

Conc.4.pag.191. *Ratio, qua moti Patres præsenti festo* (Innocentum) *lectionem hanc* (ex Apoc.14.) *accommodarunt, ea esse videtur, quod in ipsa mentio fiat numerosæ multitudinis Sanctorum stantium juxta Agnum & habentium nomen ejus & Patris scriptum in frontibus suis, & quod hi à nonnullis Innocentes illi fuisse putentur, cum præsertim additum sit, eos non fuisse coinquinatos cum mulieribus, sed emtos è terra & factos primitias Deo & ipsi Agno. Quanquam vero opinio ejusmodi non prorsus inepta est, fuerunt enim utique innocentes immaculati & primitiæ Deo, tamen augustior & uberior est Scriptura sacra & Apocalypsis præcipue, quam ut ad quosdam solum referatur ac referri debeat. Quare persuasũ habebitis, lectionẽ hodiernam generalẽ esse, & de omnibus in universũ electis intelligendam &c. hi non sunt coinquinati cum mulieribus, i.e. sectantur castimoniam.*

Conc.5.p.196. *Non sunt cum mulieribus coinquinati, h.e. non indulgent peccatis & concupiscentiis carnalibus, sed carnem & vitia hujus crucifigunt.*

Argum.10. *Denique, consilia quædam nova perfectionis à Christo in Evangelio esse data* quidam probare cupiunt ex verbis Christi Iohan.13 v.34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos.*

Resp.1. ex Maldonato in h.l. *Duobus modis hoc accipi potest. Altero, ut hoc mandatum cum eodem aut simili dilectionis mandato, quod antea erat, conferatur; altero, ut non cum illo, sed cum cæteris mandatis comparetur, quæ discipulis Christus multa tradiderit. Si cum simili dilectionis mandato, quod ante erat, conferatur, novum dicitur, non quod novum sit, neque quod novo proponatur modo, sed quod cum illud sæpe discipulis commendasset, iterum commendet, quemadmodum si novum esset; quemadmodum si nunquam audivissent. Itaque novitas non tam ad mandatum ipsum, quam ad studium, quo illud Christus commendat, & quo Discipuli excipere debeant, referenda est. Sic ergo dictum est, mandatum novum do vobis, quemadmodum vulgo diceremus, mandatum de novo do vobis, ut diligatis invicem, & facunam novam confessionem aut communionem, id est, quemadmodum si antea nunquam confessus esses, si nunquam antea Eucharistiam accepisses. Si vero ad cætera mandata, quæ Discipulis Christus tradiderat, conferatur, novum Hebræa phrasi dicitur, non quia novum, sed quia præstantissimum. Solent enim Iudæi, quod in quoque genere præstantissimum est, novum appellare &c. Itaque verus sensus est. Multa, dum vobiscum versatus sum, mandata, multa documenta dedi, dabo nunc unum, quod est instar omnium, ut diligatis invicem, aut quod magis videtur consilio Christi convenire, novum mandatum vocat, i.e. Discipulorum suorum proprium, cum cætera cum omnibus communicasset, sicut v.35. declarat, in hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis invicem.*

2. Ex Cornel.Jansenio c.133.Harmon. *Præceptum dilectionis dicitur novum, quod cum jam moribus hominum esset antiquatũ, & Iudæi illud nimis imperfecte intelligerent, Christus novus Magister illud renovavit, inculcavit & absolvit, non tantum docendo, sed etiam ipso opere perfectissime adimplendo & suis per communicationem sui Spiritus donando, ut & illud ipsi præstare perfecte valeant. Et rursum, quia pro variis legis Mosaicæ præscriptis & Constitutionibus, quæ hoc mandato antiquantur, unice ac singulariter hoc mandatum Christus exigit.*

3. Ex Pererio Disput.42. in cap.13. Johan. *Præceptum dilectionis non est novum simpliciter & omnino, quia fuerat etiam in lege veteri & ab initio mundi. Novum autem erat, quia renovatum à Christo fuerat, novo modo declaratum, novoque & admirabili exemplo suo confirmatum.*

4. Ex Barradio tom.4.Concord.Evang.Lib.3.cap.20. *Appellatur mandatum novum, quia hactenus Christus illud non tradiderat Apostolis, hoc sensu, Mandatum nunc do vobis, quod ad hoc usq; tempus nondum dedi, sed in hunc extremum discessum reservavi. Nunc primo hoc mandatum vobis trado, ideoque novum appello.*

5. Tirinus Jesuita in h.l. in persona Christi sic loquitur: *Voco hoc mandatum novum, quia novo modo per me expositum & prædicatum. Ita S. Chrysostomus & Augustinus.*

6. Joh.Stephanus Menochius Jes.ad h.l. sic annotat: *Præceptum dilectionis novum appellatur, quia licet secundum substantiam vetus sit, tamen est novum secundum modum, quo nunc traditur discipulis, quibus dicitur: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Ego autem amavi vos nullis meritis vestris præcedentibus, imo cum inimici essetis. Amavi vos, non meam utilitatem, sed vestram salutem quærens. Amavi usque ad sanguinis effusionẽ. Amavi ita, ut nihil tam abjectum ac laboriosum esset, quod subire recusaverim vestra causa. Hoc ergo & vos debetis præstare fratribus vestris.*

(Hoc omnibus fidelibus præceptum, non autem quibusdam tantum consilii loco propositum.)

Arg.11. *Ex consiliis perfectionis* oriuntur opera *supererogationis*, pro quibus stabiliendis afferunt locum Luc.10.v.35. *Quodcunque supererogaveris, omne reddam tibi.*

Resp.1. Ipsimet Pontificii, præsertim Maldonatus, passim docent, *in parabolis non esse singula verba scrupulose urgenda, sed scopum principalem respiciendum.*

2. Toletus in Comm. verba illa sic exponit: *Si majores expensas feceris ultra hos denarios, & de tuis aliquid insumseris &c.*

(Ergo verbum illud apud Lucam significat, ultra id, quod accepimus, de nostro aliquid impendere. Si applicetur hoc homini erga Deum, opus supererogationis erit expensa ab homine facta pro Deo supra id, quod à Deo accepit. Unde sequetur, cum Paulus quærit 1.Cor.4.v.7. *Quid habes, quod non acceperis?* respondere posse hominem, *habeo opera mea supererogationis ad honorem Dei facta ex propriis meis bonis supra id, quod ab illo accepi*, quod vehementer absurdum.)

3. Estius in Annot.aureis ad h.l. diserte fatetur, *in hoc loco non fundari opera supererogationis.*

CAPUT IV.

De votis Monasticis.

Thesis Generalis. Vota Monastica, quæ hodie in Papatu vigent, non sunt approbanda.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de Statu Veteris Testamenti, in quo *vota*, juxta regulam verbi divini facta, fuerunt pars cultus divini.

2. Neque quæstio est, an vota in N.T. certa ratione & certis conditionibus facta admitti possint. Distinguendum enim inter *vota Ceremonialia* & *moralia*. *Ceremonialia* ad Vetus Testamentum unice pertinent, eaque cum Sacerdotio Levitico in N. Testamento defecerunt. *Moralia* præstantur de iis, quæ etiam sine voto juxta Decalogi præscriptum Deo debentur, qualia sunt *vota fidei, invocationis, dilectionis, obedientiæ*, ad quæ homines ideo sese voto obligabant, ut inconstantia humanæ voluntatis hoc veluti vinculo arctius constringeretur.

3. Neque quæstio est *de votis, quæ in Baptismo ab omnibus fidelibus Deo fiunt*, de quibus Glossa in Psal.75. super illud, *Vovete & reddite*, sic loquitur: *Omnes in Baptismo vovemus abrenunciare Diabolo & pompis ejus & fidem servare.*

4. Neque quæstio est, an vota omnia sint *simpliciter improbanda*. Concedimus enim, vota etiam inter Christianos in N. Testamento locum habere, ac minime improbanda esse, modo *verbo Dei sint congrua, spiritualia & ab omni superstitione ac sinistro usu aliena.*

5. Sed unice quæstio est *de votis Monasticis*, prout hodie in Papatu vigent, per quæ Monachi ac Moniales *paupertatem, obedientiam & continentiam* Deo vovent.

Antithesis. Bellarminus Lib.de Monachis cap.13.§.1. & 3. *Dissentimus ab Adversariis in eo, quod docent, vota Monachorum impia, irrita & omnino solvenda esse, propterea quod fiant cum opinione cultus & tamen de iis rebus sint, quas Deus nuspiam præcepit.*

Nostram sententiam probamus,

1. Nullum in Scripturis mandatum habetur de triplici illo votorum Monasticorum genere. De Christo dictum, *Hunc audite* Matth.17.v.5. & ipse de se testatur, quod sit *lux mundi, quam qui sequatur, non ambulet in tenebris* Joh.8.v.12. ac quod sit *via* Joh.14.v.6. De Apostolis dicitur, quod *omne consilium Dei auditoribus suis annunciaverint* Act.20.v.27. At de votis Monasticis nihil quicquã vel Christus, vel Apostoli præceperunt.

2. Nullum in Scripturis extat exemplum, quod aliquis piorum hæc tria voverit.

3. Vota illa Monastica non solum sunt ἄγραφα, sed etiam ἀντίγραφα, & quidem multis modis. Nam primo, obsequium & cultum piorum oportet esse *spontaneum* ac *voluntarium* Psal.54.v.8. Psal.110.v.3. 2.Cor.9.v.7. Sed Monachi & Moniales quandoque à parentibus ad vovendum coguntur, & post voti emissionem dolent utplurimum, quod se laqueis illis induerint. Secundo, Apostolus in rebus mediis & indif-

& indifferentibus noluit alicui *laqueum injicere* 1. Corinth. 7. v. 35. ac *libertatem piorum captivare* v. 23. Gal. 5. v. 1. Sed votarii sibiipsi laqueos injiciunt. Tertio, Apostoli docent, legem divinam esse perfectam sanctæ vitæ regulam. Sed votarii in regula sui Ordinis majorem statuunt perfectionem. Quarto, votorum Monasticorum falsæ sunt hypotheses, scil. *Evangelium proponere nova consilia, legem à renatis perfecte impleri posse, dari opera quædam supererogationis, Sanctos non solum sibi, sed etiam aliis præmia mereri posse, virginitatem esse donum omnibus commune, modo petant & annitantur, esse quædam peccata sua Natura venialia, pro peccatis nos posse Deo satisfacere, paupertatem sine necessitate susceptam esse cultum Deo gratum &c.* Quinto, Apostolus *mysteriorum cognitionem ac ipsum Martyrium absque caritate nihil prodesse* asserit 1. Cor. 13. v. 2. & 3. Sed Monachi contra caritatem peccant, quando aliis in vita communi donis suis non serviunt, ac aliorum bonis otiose fruuntur. Sexto, Vota Monastica adversantur fidei, tum quia non fiunt ex fide, utpote destituta verbo; tum quia Monachi perpetuo dubitant, an hæc ipsorum opera Deo placeant, tum quia ea opinione vovent, ut pro peccatis suis per hæc opera satisfaciant, ac sibi & aliis regnum cœlorum mereantur. Denique, ut vota sint legitima, requiritur, ut 1. ratione voventis fiant à persona libera, quæ sui sit juris & mentis, atque plenarii usus rationis compos. 2. Ratione formæ fiant libere, sponte & consulto. 3. Ratione objecti fiant Deo. 4. Ratione finis fiant in Dei honorem & proximi commodum, non secundum humanæ imaginationis, zelive scientiam, & dictamen, sed secundum præscriptum verbi divini. At vota Monastica omnium causarum respectu à tramite verbi divini aberrant. *Respectu causæ efficientis*, quia vota Monastica sæpe ab illis præstantur, qui & ratione ætatis sui omnino nondum sunt compotes; & ratione subjectionis sub patria potestate adhuc constituti, cōtra mandatum divinum Num. 30. v. 6. Item, præstantur ab illis, qui se non satis explorarunt, aut per ætatem judiciique imbecillitatem explorare possunt. *Ratione materiæ*, quia vovent ea, quæ servare non possunt, ut perpetuam continentiam, cujus dono ut plurimum sunt destituti; vel quæ manifeste sunt impia & verbo Dei contraria, qualia sunt multa, quæ cæcam obedientiam sequuntur, ut homicidia magnatum, proditiones regnorum &c. Filii jubentur ingredi Monasteria contra parentum voluntatem, nec ad colloquium illos admittere permittuntur. *Ratione formæ*, quia persuasione perfectionis imbecillioris ætatis & sexus homines votorum Monasticorum vinculis constringuntur, & temeraria etiam vota strictissime reddenda urgentur. *Ratione objecti*, vota Monastica non soli Deo, sed Mariæ & Sanctis fiunt. *Ratione causæ finalis*, quia per vota illa pro peccatis satisfacere & vitam æternam mereri cupiunt.

4. In specie de tribus illis votis Monasticis agendo;

1. *Votum paupertatis* Monasticum est *ridiculum*. Quis enim non rideat paupertatem nullius rei indigam? At talis est Monachorum paupertas, imo non paupertas, sed sub fucato abrenunciationis facultatum nomine possessio copiosissimarum divitiarum, quibus sine cura & labore pauperculis istis ad satietatem & voluptatem uti frui licitum.

2. *Votum continentiæ* est *temerarium*. Continentia enim virginalis non est arbitraria & in cujusvis potestate posita, sed donum Dei singulare, quod, Christo ipsomet teste, *non omnes capiunt*. Donatam igitur esse prius oportet, quam voto promissam Continentiam, nec post votum demum præpostere expectandam. Habeas necesse est, unde præstes, quod promittis, aut promittendo nimis es temerarius, votumque facis, experientia teste, tot stupris, cōcubinatibus, infanticidiis & Sodomiticis pollutionibus turpissime contaminatum.

3. *Votum obedientiæ* est *stolidum*. Obedientia enim illa, quam Monachus suo Abbati promittit in omnibus, ludicris etiam & nihili rebus præstandis, cœcum ei vovet obsequium, de quo nec divinum mandatum, nec promissum, nec exemplum in Scripturis extat. *Cæcam* autem hujusmodi *obedientiam* vovere, quæ nullam obtemperandi recognoscit rationem, præter solam imperantis voluntatem, est alienæ libidini sese mancipare & libertatem divinitus concessam sponte abjicere, quo servitii voto nihil potest esse stolidius, nihil homine Christiano indignius, *qui caro precio redemtus non debet fieri hominum servus* 1. Cor. 7. v. 23.

4. *Frustraneum* insuper est *votum Monasticum*, quia ἐθελοθρησκείαι ab hominibus inventæ animo Deum colendi voventur, de quibus ipse jamdudum suam per Esaiam & Christum protulit sententiam Es. 29. v. 13. Matth. 15. v. 9. *Frustra me colunt docentes mandata hominum.* Nunquam Deo placuit, quod ipse nunquam requisivit.

5. Denique, votum Monasticum etiam est *blasphemum & impium*, cum à voventibus statuatur pro peccatis *satisfactorium*, gratiæ & vitæ æternæ *meritorium*, imo *alterum Baptisma*, id quod in Christi satisfactionem & meritum est injurium & blasphemum. Votum Monasticum liberos ab obedientia & ope parentibus debita absolvit, quod *impium*. Votum Monasticum homines extra vocationis suæ terminos à labore rapit ad otia, officia caritatis mutua tollit, & in honoratissimos Ordines Magistratus & matrimonii divinitus institutos multis modis est injurium.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Querelæ de corrupto Monastices hodiernæ statu, quas longo ordine recensuimus superius cap. 2. memb. 3.

2. Qui vota illa Monastica non admodum probant.

Johannes Gochius Presbyter Mechliniensis (qui floruit seculo decimo quinto) vota, *tanquam ad pietatem inutilia & cum libertate Christiana pugnantia*, prorsus damnavit.

Erasmus in Enchir. milit. Christ. p. 31. *Non admodum desiderabimus tria illa vota ab hominibus reperta, in iis, qui primum illud & unicum votum, quod in Baptismo non homini, sed Christo nuncupavimus, sincere puriterque servaverint.*

Philippus Theophrastus Paracelsus Romano-Catholicus fuit, interim de votis sic scripsit: *Quicunque vota faciunt, fundamenta ponunt Anti-Christo. Oportet enim Anti-Christum initium sortiri à votis.*

Georgius Wicelius in Compend. de semitis antiquis: *Vota objiciuntur, quibus quid vanius esse possit, siquidem juris divini ea neque sunt, neque à quoquam servantur? Vovent, non ut ea servent, sed ut per hunc prætextum Monasterium ingressi sine labore ac solicitudine vivant, & vivant in otio ac securitate, & saginentur ut plurimum ad stuprum usque.*

Lorich. Instit. Cathol. p. 104. *Nostratium vota Simoniaca, sacrilega, superstitiosa, hypocritica, coacta, violenta, non satis matura & deliberata, probare qui ausit, eum pietatis Catholicæ hostem & Anti-Christi præcursorem esse libere profiteor.*

3. Quod agnoscunt, vota illa Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ fuisse ignota.

Polydorus Vergilius Lib. 7. de Rerum Invent. cap. 2. dicit, *Basilium primum introduxisse vota Monastica.*

(Atqui in regula illa, quæ *Basilii* nomine circumfertur, nulla votorum fit mentio; nec in regula *Tabennesoitarum*, quam *Paulo Thebæo & Antonio Angelus præscripsisse* dicitur, apud Sozom. Lib. 3. Histor. c. 14. Niceph. Lib. 9. Hist. c. 14. quicquā de votis extat. Ac si vel maxime Basilii ætate mos vovendi Monasticem cæpisset, tamen relinqueretur, Ecclesiæ Apostolorum temporibus vicinæ vota illa Monastica fuisse ignota.)

Erasmus in vita Hieronymi. *Votorum tunc nulla vincula.*

In Epistol. Lib. 22. *Augustinus loquitur de his, qui nullis astricti votis, duntaxat perpetuis, simul vivebant.*

Johannes à Daventria in Harm. August. Confess. fol. 210. scribit, *non constare, an tempore Augustini Monasticum votum præstiterint, qui Monasteria ingressi fuerunt.*

4. Quod agnoscunt, fiduciam gratiæ divinæ & remissionis peccatorum non esse in vota illa Monastica collocandam, (quod tamen Monachi hodierni faciunt.

Georgius Cassander in Consult. artic. 25. *In hoc vitæ genere, si recte ex mente institutorum observetur, nihil est, quod vel iniquissimus huic Monasticæ vitæ reprehendat, sed potius, quod miretur & laudet, tantummodo removenda est falsa opinio & præpostera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in solo Christi merito collocanda est, quam falsam opinionem & præposteram fiduciam ab omni externorum operum & Ceremoniarum observatione abesse oportet. Quid autem, quod eruditiores & saniores Monachi de hisce Monasticis exercitiis idipsum sentiant, & publicis scriptis profiteantur? Ita enim quidam Concionator celebris Franciscani instituti* (in margine notatur Conradus Clingius in Loc. comm. c. 118.) *hac nostra ætate scriptum reliquit, Hoc, inquit, cavendum est, ne ponatur justitia, id est, salus in hujusmodi observationibus, i. e. ne quis putet, se promereri justitiam & remissionem peccatorum & gratiam hujusmodi servandis. Nam justificationem & gratiam impetrare fit per fidem in Christum. Igitur Monachus servata sua regula, si sentiat, se propterea justitiam*

tiam coram Deo consequi, is errat, juxta illud Christi Matth.15. Frustra me colunt mandatis hominum. Sic sentiendum est de omnibus traditionibus, Ceremoniis & institutis Ecclesiæ. Igitur sola sinistra intentio hic deponenda est, non traditio, neq; Ordo, neq; Ceremonia. Idem alio loco. Vita, inquit, Monastica non quærit aliam justitiam, quæ salvet, præter unicam Christi justitiam, qui sanguine suo nos lavit, ac justos & filios regni fecit. Igitur illa justitia carnis est sub justitia fidei seu Christi, & infinitum distant. Non enim illi sed priori justitia Christi tribuimus justificationem & salutem; ad retentionem justificantionis valet ista justitia &c. (Confer dicta superius c.2. memb.1.)

5. Comprobant etiam nostram sententiam quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Thomas 2.2.q.8.art.8. sic scribit: *Nullus potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est in sua potestate.*

(Atqui præterquam quod paulo post thesi 4. ostendemus, non esse in potestate cujusvis, ut caste extra matrimonium vivat, urgemus etiam illud, quod liberi sint in potestate parentum, subditi in potestate Magistratus, ac partem nostri parentes, partem amici & cognati, partem Respublica & Magistratus sibi vendicent, absq; illorum igitur consensu votum Monasticum, per quod Monachi ac Moniales à potestate parentem & Magistratus eximuntur, præstari nequit. Inde procul dubio Carolus Magnus, referente Ansegiso Abbate, in Decretis Caroli & filii ejus statuit, *quod nemo debeat profiteri Monachatum, nisi petita à Rege venia.*

Secundo, Thomas ibidem art.10. sic scribit: *Minus est, votum commutare, quam dispensare. Utrumque tamen in Ecclesiæ potestate consistit.*

(At si votum Monasticum esset cultus Dei & ex lege divina introductum, tum non liceret Pontifici in eo dispensare. Neq; enim licet cuiquam homini vel legem Dei abrogare, vel cultum à Deo institutum mutare.

Tertio, idem Thomas 2.2.q.88.art.10. *Potest, inquit, contingere, quod in aliquo casu votum sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum. Et ideo necesse est, quod determinetur in tali casu, votum esse servandum.*

(Atqui in illis, qui continere non possunt, votum cœlibatus est inutile, imo majoris boni impeditivum. Ergo.)

6. Denique pugnant hæc invicem, quod Adversarii *paupertatem* spontaneam & *virginitatem* referunt inter *consilia Evangelica*, & tamen votis ad ea sese obstringunt. Si enim consilia sunt ac proinde libere eligi vel posthaberi possunt, non debebant se votis ad ea obstringere.

(Neque est, quod regerant *ea, quæ prius fuere libertatis, per promissionem votorum fieri necessitatis.* Illud enim ipsum in quæstione est, an recte faciant, quod ad res sua Natura liberas votis se obstringant, qua de re Lutherus in lib. de votis Monasticis sic scribit: *Est libertas Christiana seu Evangelica, libertas conscientiæ, qua solvitur conscientia ab operibus, non ut nulla fiant, sed ut in nulla confidat. Contra hanc libertatem Evangelicam nulli licet aliquid docere vel vovere, est enim ea libertas divini juris, quam Deus sanxit, quam nec revocabit, nec adversus eam quicquam acceptare potest, neq; homini licet eam violare ullo vel minimo statuto. Est autem libertas illa non solum illa in Spiritu & conscientia regnans, qua nullis operibus aut accusamur, aut defendimur, sed etiam ea, qua sublata sunt universa hominum mandata, & quicquid in externis Ceremoniis servari potest, ut sunt omnes cibi, omnes vestes, omnes personæ, omnes gestus, omnia loca, omnia vasa, omnes dies, ut ea liceat observare, non observare, quamdiu, ubi, quomodo, quando, quoties placuerit, aut res obtulerit. At vovendi institutum mere humanum est. Libera sunt divinitus, quæ tu necessaria facis humanitus. Et putas, Deum plus acceptare quod tu erras, quam quod ipse ordinavit? Ipse non potest ferre, ut fiat peccatum in usu vestium, cibi, potus, dierum, quia noluit ibi peccari posse, & tamen tu ibi peccatum asseris fieri. Ita noluit cœlibatum necessarium fieri, sed sanxit liberum esse, & noluit peccatum fieri, si quis nupserit, quando voluerit, & tu perpetuum facis voto tuo ac necessarium sub lege. Non minus certe peccatum est, violare libertatem divinitus statutam, quam in quodvis aliud Dei præceptum peccare, nec tibi licet eam libertatem auferre, nec licet peccatum statuere, ubi Deus peccatum esse noluit.*)

Thesis specialis I. Votum paupertatis Monasticum, prout hodie in Papatu viget, non est approbandum.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de paupertate Spiritus* ac proposito in casu necessitatis propter Christum omnia deserendi, quod ab omnib. Christianis requiritur.

2. Neq; quæstio est de desertione facultatū *tēpore persecutionis.*

3. Sed est quæstio *de Monastica paupertate*, qua sine necessitate facultates deseruntur opinione singularis cultus ac meriti.

4. *Voluntaria paupertas* vel sic dicitur, ut ipsam indigentiam sibi ipse quis imponat, vel ut aliunde impositam alacri animo toleret. Illam repudiamus, hanc commendamus.

Antithesis. Alphonsus de Castro lib.10. adv. hæreses, verbo Mendicitas. *Concilium Viennense, quod celebratum est sub Clemente V. decernit modum vivendi Fratrum Minorum per mendicitatem, non solum esse licitum, verum etiam meritorium.*

Bellarminus lib. de Monachis c.20. §.2. *Paupertas voluntaria recte suscipitur, ac Deo vovetur.*

Maldonatus in c.5. Matth. *Hic est primus Evangelicæ perfectionis gradus vendere omnia & dare pauperibus.*

Cæterum paupertatem aliam dicunt esse *proprietatis*, aliam *communitatis*. *Proprietatis* paupertas ea est, quæ quemque privat rerum domino. *Communitatis* vero, quæ non singulos tantum, sed etiam omnes, adeo ut non tantum nihil habeant suum Monachi, sed ne eorum quidem Ordo. Inde distinguunt paupertatem *in altam, altiorem, altissimam*, his enim nominibus distinguuntur in Extravagante Johannis XXII. quæ incipit, Quia quorundam. *Altam paupertatem* esse dicunt, *habere pauca propria propter Deum; altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi; altissimam, quæ nihil habeat in hoc mundo, nec in proprio, nec in commune.* Hinc Monachorum alii ita professi sunt paupertatem, *ut in communi* tamen liceat esse divitibus. Tales sunt *Benedictini, Cluniacenses, Cistercienses, Carthusiani &c.* Alii non tantum *in communi* divites esse possunt, sed etiam *peculii proprii* nonnihil habere, eorum scil. quæ pertinent ad victum cultumq; corporis, ut *Carmelitæ & Augustiniani.* Deniq; & in proprio & in communi nihil esse suum maluerunt, ne ea quidem vestimenta, quibus carnem tegunt, cujusmodi *Franciscani* fuerunt omnes suis initiis, non omnes tamen hodie, sed *Minimi, Capucini, Recollecti &c.*

Nostram sententiam probamus:

1. Christus nusquam docuit, paupertatem esse vovendam, nec suo illam commendavit exemplo, *loculos enim habuit*, & in illis pecuniam ad res emendas necessariam. Joh.12.v.6. ca.13. v.29.

2. Nec Apostoli eam vel docuerunt, vel exemplo commendarunt. Sed cum in Scholam Christi sese conferrent & pro ratione vocationis bona sua relinquerent, eorum tamen dominium retinuerunt. Matth.9.v.10. cap.17. v.27. Johan.19. v.27. cap.21. v.3.

3. Abrahamo *patri omnium fidelium* dicitur Genes.17. v.1. *Esto perfectus*, nec tamen facultates suas deseruit.

4. Apostolus Corinthios ad liberalitatem exhortans non suadet, ut omnia sua vendant & pauperibus donent, sed ut dent *ex æqualitate, non ut aliis sit relaxatio, ipsis vero afflictio*, 2.Cor. 8.v.13.

5. Qui vovent paupertatem, sibiipsis auferunt proximo egenti benefaciendi facultatem Eph.4.v.28. cum tamen *beatius sit dare, quam accipere*, Act.20.v.35. ac Christus inde suos protestatur se dilecturum ab alienis, Matth.25. v.35.

6. Divitiæ ex benedictione Dei descendunt ac sunt adjumenta virtutum, si recte collocentur. Ergo non temere & sine necessitate abjiciendæ. *Si affluunt divitiæ, nolite cor apponere*, inquit Psaltes Ps.62. v.11. non dicit, abjicite eas.

7. Mendicitas, si honestis & legitimis mediis fieri potest, potius fugienda, quam eligenda. Deut.15. v.4. Ps.37. v.25. Psal. 109. v.10. Prov.30. v.8. ubi Rex sapiens deprecatur paupertatem, addito argumento gravissimo à periculis, quibus illa est obnoxia; quisquis ergo seipsum sponte paupertati objicit, manifesto animæ periculo seipsum exponit ac Deum tentat. Inde etiam *labor manuum*, tanquam mendicitatis φυλακτικὸν commendatur Genes.3. v.19. Ps.148. v.2. Ephes.4. v.28. 1. Thess.4. v.11. 2. Thess.3. v.10.

8. Qui paupertatem Monasticam vovent, aut sunt *divites*, aut *pauperes*. Si divites, tum bona sua non dant pauperibus, sed potius mercantur sibi suis divitiis perpetuam alimentationem, ut de rebus ad vitam sustentandam necessariis non amplius coganturesse soliciti. Si vero pauperes sunt, magis adhuc Deo & hominibus illudunt, quia loco paupertatis sortiuntur necessaria, quandoque etiam superflua. Hieronymus ad Nepotian. *Nonnulli sunt ditiores Monachi, quam fuerant seculares & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace*

Diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.

9. Paulus testatur, se & abundare & penuriam pati posse Phil. 3. v.12. Ergo perfectionem non collocavit in paupertate.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Monachos Mendicantes plurimi jam olim insectati sunt, ut ostendimus superius c.2. membro 2. §.2. ac membro 3.

Wilhelmus de S. Amore Magister Parisiensis circa Ann. 1250. publico scripto hypocriticam Monachorum paupertatem reprehendit, ac docuit, Evangelium nec præcipere, nec consulere, ut sine vocatione & necessitate facultates, quæ Dei benedictione obtigerunt, abjiciantur.

Johannes XXII Pont. Rom. qui sedit circa Ann. 1322. contra Monachos Mendicantes asseruit hosce articulos: quod Christus nunquam præceperit vel consuluerit Christianis, ut sua bona desererent; sed ut non essent solliciti de suis rebus, aut amarent eas: jussisse affectu deserere rem familiarem & non facto ipso, (extra casum necessitatis & confessionis:) quod cum perfectione Christiana non pugnet possessio bonorum stabilium aut mobilium: quod Apostoli nunquam voverint votum paupertatis seu deserendi sua &c.

Desiderius Longobardus circa Annum. 1280. sententiam Wilhelmi ab Alexandro IV. Pont. damnatam ex Scriptura defendit.

De utroq; sic scribit Alphonsus de Castro lib.12. adv. hæreses, verbo Paupertas, hæresi 3. Desiderius Longobardus tempore Alexandri Papæ, hujus nominis IV. docuit, non esse licitum omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionem intret, quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit, qui de labore manuum suarum vivere possit. Eodem tempore fuit alius Guilielmus de S. Amore, qui tractatum quendam scripsit contra Monachos Mendicantes, præsertim contra Minores & Prædicatores, in quo libro hoc persuadere conatus est paupertatem videlicet habitualem esse licitam, non autem actualem, hoc est, licitam, esse animi promtitudinem ad relinquendam omnia pro Christo, cum necessitas urgeret: hac tamen necessitate seclusa illicitam esse dicit paupertatem, per quam aliquis renunciat omnibus, quæ possidet, ut liberius Deo servire liceat. Et licet diversa sint istorum duorum verba inter eos, tamen de eadem re conveniunt, quoniam ambo damnant paupertatem, secundum quam aliquis omnia pro Christo relinquit.

Waldenses (alias Pauperes de Lugduno) à cive quodam Lugdunensi Waldo sic cognominati, circa Ann. 1320. reprehenderunt simulatam Monachorum paupertatem; & quia facultates eorum partim inter pauperes dispersæ, partim à persecutoribus direptæ, dixerunt, se vere esse pauperes juxta doctrinam Evangelicam.

Richardus Radulphi Armachanensis in Hybernia Primas & Archiepiscopus, Juris & Theologiæ peritissimus, Cancellarius Oxoniensis, adv. Mendicantium religionem circa Ann. 1357. librum edidit, & Innocentio VI. Pontifici Romano dedicavit, in quo testimoniis sacræ Scripturæ confirmat, religionem mendicantem propter Christum susceptam veluti culturam falsorum Deorum adversam esse pietati & veritati Christianæ, Christum ejusq; comites non solum non mendicasse stipem ostiatim, victumque mendicando quæsivisse, sed prohibuisse etiam nec cuiquam Christianorum licere sua sponte profiteri mendicitatem. Esse etiam mendicitatem non tantum contra jus divinum, sed etiam contra jus Naturæ & contra jus positivum. Addidit, turpe esse, Christianis hominibus sponte sua mendicare cum Dominus id vetet Deut.15. his verbis: Omnino mendicus & indigens non erit inter vos. Wiclefus in Trialogo. Waldenus in Fasciculo Zizaniorum Wiclefi.

Richardus Killingtonus Anglus ex Oxoniensium Theologorum numero Doctor & Londini ad D. Pauli Decanus, circa idem tempus contra Fraterculorum mendicitatem Richardi Armachani partes fuit tutatus. Balæus Centur.4. c.96.

Gerhardus Ridder circa Ann. 1360. scripsit librum quendam sub titulo Lacrymæ Ecclesiæ. In eo disputat acriter contra Mendicantes Monachos. Dicit, eorum vitæ genus non esse perfectionem Christianam, quia sit contra charitatem, ex alieno, cum laborare possis, vivere; dicit, eos esse hypocritas, libidinosos, aliisq; multis sceleribus contaminatos.

Bartholomæus Florarius circa Ann. 1420. corruptos Cleri mores perstringens & ad Fratres Mendicantes tandem conversus, sic loquitur: Mendicitas spontanea ab Apostolo prohibetur, à Salomone abhorretur, ab Augustino & aliis expositoribus reprobatur. Unde odium eorum affatim occurrit certe non modicum, ut habet Nicolaus Brigamus.

Extat liber seculo decimo quinto, ut apparet, scriptus sub titulo, Defensorium Ecclesiæ, seu Speculi Hierarchiæ Ecclesiasticæ fælicivus. Ejus autor disputat, mendicitatem nullo modo esse opus perfectionis, imo nec pium quidem, sed sacris & prophanis legibus prohibitū. Quare pauperibus Monachis omnino laborandū esse, ut de opere manuū suarū vivāt. Prolixe id, multisq; testimoniis tū sacrarū literarū tū Patrū confirmat. Citat ipsius Francisci regulā c.5. qui affirmat, eam esse sanctissimam paupertatem, si suis manibus Monachi operentur, atque inde vivant. Citat Petrum reprehendentem matrem Clementis, quod mendicabat. Item, Antonium Eremitam damnantem mendicitatem. Item, veterum Ægyptiorum Patrum sententiam, qui dicere sunt soliti, Monachum operantem ab uno Dæmone vexari, otiosum ab innumeris.

Antoninus, qui vitam usque ad Ann. 1459. produxit, Summæ Theolog. part.4. tit.12. c.4. secutus Magistrum aliquem doctissimum Ordinis Prædicatorum, recte distinguit, inter paupertatem affectus, per quam paratos esse oportet propter Christum relinquere, quæcunq; possidemus, si una cum Christo retinere nequeant, & aliam affectus exterioris facientem ad perfectionem non essentialiter, quandoquidem, ait, perfectior ille est simpliciter, qui habet majorem caritatem, non qui habet majorem paupertatem, sed solum instrumentaliter, quatenus removet, quę caritatem impediunt vel minuunt.

Philippus Norrys, natione Hybernus, officio sacrificus, Dublinensis Ecclesiæ Decanus, circa Ann. 1449. taxabat procaces atq; impudentes arrogantias, quas in Mendicantium Monachorum sectis sub magno religionis obtentu videbat, unde in quotidiana lectura & suggestu pro concionibus per apertas Bibliorum Scripturas nominabat eos Anti-Christos, lupos, latrones, proditores, vulpes, fures, porcos vorantes, canes insatiabiles, hypocritas, hæreticos, Mahumeti discipulos, nebulones pessimos, atq; ipso Satana pejores. Addidit ex prædecessore Richardo Armachano, damnabile fore Christianis & divino Dei præcepto tanquam è diametro repugnans, cum fortes sint, ac pro corporis debilitate non indigeant mendicare.

(Inde Bellarminus lib. de Monachis c.45. §.1. agnoscit, voto paupertatis Monasticæ multos jam olim contradixisse. Oppugnarunt, inquit, acerrime Ordines Mendicantium, Primo, Guilielmus de S. Amore apud Antoninum p.4. tit.11. c.7. §.5 Summ. Theolog. Secundo. Desiderius Longobardus, apud B. Thomam in opusc.19 Tertio, Gyraldus de Abbatis villa apud Bonavent. initio Apologiæ pauperum. Quarto, Johannes Wiclef apud Waldensem lib.4. artic.2. doctrinalis fidei. Quinto, Richardus Episcopus Armacanus serm.4.)

Johannes Aventinus lib. 4. Annal. de Mendicantibus sic scribit: Circumeunt domos more canicularum, ut vulgo dici solet, mendicans religio, juxta vulgo protritum dictum: Sacrificulus cum fano, ara cum æditituo cuncta venalia sunt. Ceu vero à summo rerum Imperatore lege atq; perpetuo edicto non sancitum sit, Non sit mendicus, non sit meretrix in Israel. Aut Paulus fulmen eloquentiæ Christianæ non intonet, Beatius est dare, quam accipere. Et si cœlitum quispiam aliter docuerit, execratus esto.

2. Quod agnoscunt, Monachos paupertatem professos omnibus abundare, ac proinde Deo & hominibus illudere.

Alvarus Pelagius, qui pro expropriatione Minorum (Franciscanorum) contra reliquos Monachos in communi bona possidentes, lib.2. de planctu Ecclesiæ ab articulo 55. usque ad 68. prolixe disputavit, inter cætera sic differit: Non possunt, inquit art.61. hodie dicere Prælati Ecclesiarum & Monasteriorum bona habentium in commum, Aurum & argentum non est nobis.

Idem art.63. probat hoc modo: 1. Quicquid convenit aliquibus in communi, convenit eis simpliciter. Et ideo si aliqui sunt non pauperes in communi, sunt non pauperes simpliciter. 2. Paupertas secundum omnes consistit in aliqua abdicatione rerum. Ille autem, qui dimittit res temporales in proprio & retinet in communi, non abdicat ipsas res, sed tantum modum aliquem habendi eas, cum easdem alio modo possideat 3. Idem non potest esse dives simpliciter, & pauper simpliciter; sed dives in communi est dives simpliciter, cum sit simpliciter habens, quia communitas de tali ratione non diminuit, ut patet in politicis communitatibus.

Erasmus in Methodo Theol. p.139. Ipsis mundi visceribus immixti Monachos se vocant, & regium luxum affectantes mendicitatem prætexunt.

Ludovicus Vives in lib.7. August. de Civit. Dei c.26. Quid si nunc videret Augustinus ditissima Sodalitia ab iis poscere stipem, quibus deceret potius sua impertiri, quibus redundant & affluunt, cum interea,

interea, qui dedit, arrodat siccum & cibarium panem, oleribus mensam instruens, & fictilibus vasis aquæ duntaxat plenis, liberis circumseptus, pro quibus noctes & dies solicitus operi intentus agit; qui accepit, opulens mendicus candido & siligineo pane, perdicibus, capisq́; generoso vino ac leni se obruat.

(Confer adducta superius c.2. membro 3. ex Bernhardo & aliis de luxu Monachorum.)

3. Quod agnoscunt, Mendicantes Reipublicæ, ac cumprimis veris pauperibus esse onerosos.

Johannes Gerson in lib. de reformatione Ecclesiæ scribit, *Ordinem Mendicantium esse onerosum hominibus, damnosum leprosariis & hospitalibus & aliis vere pauperibus.*

Gravamina nationis Germanicæ in Comitiis Norinberg. Ann. 1523. Legato Pontificis oblata grav.7. *Est & aliud Indulgentiis vendendis addictum hominum genus, quos Stationarios vulgo vocant. Hi rusticorum plerunque abutuntur simplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaq́; peragrant castella & oppidula, prædicantes Sancti cujuspiam, Valentini puta, Huperti, Cornelii, Anastasii ve sanctimoniam, ac quantum ad rem familiarem addat, si quotannis hunc vel illum munusculo aliquo, quod eis, Stationariis scilicet, in commodum cedat, demulceas. Inscribentesq́; dehinc simplices sub Sancti alicujus numen ac tutelam, promittentesq́;, ut hoc aut altero morborum genere vacaturus sit, qui eis annuum censum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata sunt, ut simplices illi ad vivum usque exsugantur. Nam primum hoc negotium à sancto Antonio cæptum, in innumera morborum genera dehinc assuevit diduci, ita ut vix supersit morbus nunc aliquis, cui Stationarii non & peculiarem Sanctum, tanquam tabernæ vel negotiationi præposuerint. Processit eo usq́; ejus mali serpigo, ut pauperum ac simplicium illorum Quæstuarii ac Stationarii Prædicatores sanguinem vorent & medullam, dumq́; illi una cum liberis suis necessariis spoliantur, in delitiis & luxu plusquam Sibaritico degunt Stationarii.*

Grav. 8. *Nec minus & in hoc à religiosis gravantur prophani, maxime pauperes, quibus res est angusta domi, nempe, quod mendicitas Ordinum Mendicantium nihil in rure, neque in urbe sinit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur. Quas quidem pervagationes contra Ordinis eorum Statuta, neq́; etiam ad necessitatem per avaritiam insatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit ut cum in oppidulo aliquando non admodum celebri, sed perexiguo, duo tria, aut eò amplius illorum sint conventicula, in quæ omne, quicquid eleemosynæ undique disquiri potest confertur, dum tamē interim morbo aut senio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & sudoribus suis una cum uxoribus & liberis honeste vixerant, egeant, ac fame & media perire necesse habeant.*

4. Quod agnoscunt, perfectionem non consistere in Monastica illa paupertate.

Thomas 2.2. q.184. art.7. *Abrenunciatio propriarum facultatum dupliciter consideratur, Uno modo, ut est in actu. Sic in ea non consistit essentialiter perfectio, & nihil prohibet, statum perfectionis esse sine abrenunciatione propriorum. Alio modo secundum præparationem animi, ut nimirum homo sit paratus si opus fuerit, omnia dimittere vel distribuere; & hoc pertinet directe ad perfectionem, ut ex Augustino patet.*

(At hanc posteriorem perfectionem omnibus omnino Christianis & necessariam & communem esse dicimus.)

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc.3. in Epist. festi Convers. Pauli pag.279. *Tunc relinquere omnia debemus, quando nos à Christo avocare volunt, aut quando salutis nostræ cursum impediunt. Alioqui minime relinquendi sunt parentes, conjuges, liberi cognati, affines; minime quoque rejiciendæ sunt opes aut possessiones.* Hoc colligit ex verbis Domini Matthæi 10. *Qui amaverit patrem aut matrem supra me, non est me dignus; &, qui amaverit filium aut filiam supra me, non est me dignus &c.*

Ibid. conc.4. pag.281. *Non simpliciter jubet Dominus, ut abjiciamus nostra, sed vult, ne animum iis addicamus aut fidamus, tum etiā, ut si gloria ipsius postulet, libenter ea pro se & ipsius verbo deseramus. Non autem satis est, sic possessionibus solis renunciare, sed requiritur etiam, ut renunciemus parentibus, cognatis, amicis, imo & nobismetipsis, omnibus nostris affectibus, vitiis, concupiscentiis, & quicquid cursum nostrum remorari ullo modo queat. Summa, ut animos habeamus ab omnibus creaturis prorsus abdicatos & in uno omnium creatore requiescentes.*

5. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. de Laicis cap.16. §. Secunda causa &c. disputat, *tribulationem & persecutionem non expetendam, sed tolerandam esse, unde jubeamur orare: Ne nos inducas in tentationem.*

(At paupertas extrema non in infimo tribulationis & tentationis gradu ponitur, Prov.30.v.8. Ergo non est expetenda, sed toleranda.)

Secundo, Maldonatus in cap.6. Matthæi v.33. sic scribit: *Non videtur dicendum fuisse. Quærite primum regnum Dei, sed tantum, quærite regnum Dei. Non enim significat illa secundo loco quærenda, cum paulo ante omninò quæri prohibuerit. Scio quosdam aliter respondere Ego autem ita respondeo, Christum non omnino vetuisse cætera quærere, sed ita quærere, ut eorum solicitudo à regno Dei quærendo nos avertat, ita quærere, ut illis servire videamur. Nō enim possumus duobus Dominis servire. Quærere autem secundo loco, id est, propter regnum Dei non vetuit, sed docuit. Nam in oratione Dominica postquam præcepit dicere, Adveniat regnum tuum; præcipit etiam, ut diceremus; Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

(Si Christus præcepit necessaria quærere, utique præcepit ea non temere & sine necessitate abjicere.)

Tertio, Titelmannus in cap.7. Ecclesiastis, super verba, *Bona est sapientia cum hereditate &c.* sic commentatur: *Notandum quantum ad principium hujus sententiæ, ubi dicitur: Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus Solem, posse illud dupliciter accipi, Primo, ut significetur, Sapientia cum divitiis utilior esse, magisq; prodesse videntibus Solem, id est, hominibus super terram viventibus, quam sola sapientia. Alter autem sensus hic est, Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest hominibus, quam solæ divitiæ sine sapientia. Qui sensus, licet non ita prima facie sese offerat, magis tamen videtur esse conveniens sententiæ & veritate certior.*

(Quamvis Titelmannus posteriorem expositionem præferat, priorem tamen non repudiat, quæ est Hieronymi, ac literæ magis congruit.)

Lorinus ibid. *Simplicior sensus est, præstare sapientem simul esse, divitemq́;, quam duntaxat sapientem, hic enim potest quidem docere, quod bonum est, ait Hieronymus, sed interdum nō potest præstare, quod petitur Sic exponit Albinus quoque & alii, vel certe comparatio est habentis cum divitiis sapientiam cum illo, qui solas habeat divitias, ut Titelmanno placet, quem citat cum laude, sequiturq́; Bellarminus.*

(Lorinus ergo priorem expositionem, quæ est Hieronymi, dicit simpliciorem. Adde, quod eadem congruat vulgatæ versioni, quæ in Concilio Tridentino pronunciata est authentica.)

Hieronymum sequitur Lyranus ibid. *Utilior est sapientia cum divitiis, quam sine divitiis. Hoc est intelligendum cæteris paribus, sapiens enim habens pecunias, potest ex eis exercere opera pietatis & liberalitatis, quod ita non posset carens divitiis.*

Dionysius Carthusianus ibid. *Utilior est sapientia cum divitiis, quam sine eis. Nam bonum creatum additum bono creato efficit ipsum majus.*

(Ex illis sic colligimus: Nulla arbitraria, quæ impediunt majus bonum, sunt vovenda. Sed paupertas est res arbitraria, quæ impedit majus bonum. Ergo non est vovenda. Minor patet, quia opponitur humanæ vitæ conditioni meliori.)

Argum. Adversf.1. *Christus dicit Matthæi 5. Beati pauperes Spiritu, quoniam illorum est regnum cælorum.*

Resp.1. Leo Episcopus Rom. in serm. de eo, quod scriptum est, videns turbas. *Cum dicit pauperes Spiritu, ostendit eis regnum cælorum, quos humilitas commendat animorum magis, quam indigentia facultatum.*

Et postea. *Omni generi atque ordini hominum datur in hac virtute consortium, quia possunt esse proposito pares & impares censu: nec interest, quantum sint in facultate terrena dissimiles, qui in spiritualibus bonis inveniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri expetit, sed cælestibus bonis ditescere concupiscit.*

(Ergo Christus non loquitur de *paupertate corporali*, sed de *paupertate Spiritus*, hoc est, de paupere & humili Spiritu. Pauperibus illis, de quibus Christus loquitur, apud Lucam opponuntur ejusmodi *divites*, quibus Christus *væ* denunciat. Atqui divitibus proprie sic dictis Christus non imprecatur illud væ, alias nemini Christiano liceret esse diviti.)

2. Jansenius in cap.38. Concord. *triplices pauperes Spiritu* denotari statuit, *Primo quidem, qui propter Christum omnia sua reliquerunt, quales erant Apostoli, & de his præcipue Dominum locutum* esse asserit. *Secundo, qui incidentem paupertatem propter Deum patienti animo suscipiunt, divitiis eam præferentes spe regni cælorum. Tertio, qui parato sunt animo abjiciendi facultates, ubi pietatis ratio exigeret.*

(At Monastica paupertas ad nullum horum pauperum genus

nus referri potest. Referunt quidem eam ad primum genus, sed Apostoli habuerunt speciale mandatum omnia propter Christum & prædicationem Evangeli deserendi, quo Monachi destituuntur.)

3. Maldonatus in h.l. sic commentatur: *Pauperes Spiritu major pars autorum humiles interpretatur, Hilarius Can. 4. Chrysostomus Homil in Matth. 15. Autor imperfecti operis Homil. 9. Ambrosius lib. 5. in Lucam, Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in monte, Gregorius Nyssenus lib. de beatitud. Epiphanius hæresi 66. Leo in Homil. de omnibus Sanctis, Gregorius lib. 36. in Jobum c. 20. Itaq; quamvis facultatibus divites, modo humiles sint, pauperes Spiritu vocari putant.*

Barradius tom. 2. Conc. Evang. lib. 7. c. 1. p. 406. addit *Hieronymum* in h. l. *Theodoretum* in c. 12. Rom. *Theophylactum* & *Euthymium* ibid.

(At si hæc expositio majorem Patrum partem habet autorem, merito ea acceptatur, cum Pontificii ipsimet doceant, *majorem Patrum partem in expositione Scripturæ sequendam.* Præterea, si omnes illi Patres, quos Maldonatus recenset, per *pauperes Spiritu* intelligunt humiles, qua veritatis specie Bellarminus Ambrosium, Nyssenum, Leonem, pro sua expositione adducit?)

4. Erasmus in illum locum sit commentatur: *Video Theologorum vulgus id interpretari de tenuitate facultatum, cum potius referendum sit ad animi celsitudinem ac ferocitatem, siquidem Græci μεγαλαυχεῖν dicunt, elato esse animo ac præferoci, cujusmodi fere sunt Principes, aut qui regnum ambiunt. Atq; hic ferme malorum omnium fons. Ad hunc sensum facit & id, quod annectitur, Quoniam ipsorum regnum cœlorum. Porro pauperes Spiritu dixit, quod divitum familiaris sit ferocitas. Certe D. Augustinus palam in hanc sententiam interpretatur Commentariorum, quos in hunc Domini sermonem edidit libro 1. ac rursum enarrans Ps. 73. Neque dissentit Hieronymus, ita scribens: Adjunxit Spiritu, ut humilitatem intelligeres, non penuriam. Itidem interpretatur & Chrysostomus Homil. in Matth. 15.*

5. Johannes Ferus in h. l. *Non simpliciter dicit Christus, Beati pauperes. Sunt enim quos fortunæ adversitas, imo ipsa necessitas pauperes facit. Non de iis loquitur, quia paupertas Evangelica non in rebus externis, sed in affectu est. Sunt alii, qui divitiis voluntarie abrenunciant, nec tamen hoc sufficit ad hanc beatitudinem consequendum, alioqui & Socrates, aliiq; Philosophi beati essent. Non magnum est sua relinquere, sed laboriosum est seipsum relinquere, unde dicit: Pauperes Spiritu. Qui autem sint pauperes Spiritu, agnosces ex his, qui corpore pauperes sunt. Pauperes corpore sunt, qui non habent, quod ad vitæ necessitatem pertinet, nec quicquam in quod possent confidere, sciunt alienam beneficentiam sibi necessariam, agnoscunt se mendicos, humiliant se coram iis, qui sublevare possent eorum inopiam. Eodem modo pauper Spiritu est, qui miseriam suam agnoscit & peccata, videt se Dei judicio obnoxium, & ob id timet. Deinde videt, nihil esse in seipso, nec in aliqua creatura, quo per se liberari possit à judicio Dei, proinde nec in se, nec in quacunque creatura sperat, verum ad omnis boni fontem currit, à solo Deo pendet, hunc invocat, huic detegit miseriam suam qui dives est in omnes, qui invocant illum. In Summa, paupertas illa profundissima est humilitas &c. vel ut David ait, Spiritus concussus, contritus, humiliatus, abjectus, nihil sibi tribuens, sed omnia in Deum referens, cujus omnia sunt &c.*

(Ab hac spirituali paupertate longe absunt Monachi, fiduciam collocantes in temeraria facultatem desertione, quod ea sit satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ.)

6. Toletus in c. 6. Luc. *Pauperes Spiritu sunt, qui affectum non habent in his terrenis divitiis & in honoribus positum, nihilq; eorum desiderant, Dei voluntatem quærunt, ac eam præponunt omnibus, ipsamq; sequuntur, quæ paupertas in divitiis esse potest.*

7. Per *divites* pauperibus oppositos non intelligunt simpliciter eos, qui divitiis abundant, sed qui divitiis congerendis inhiant. Ergo etiam pauperes intelliguntur non simpliciter, qui actu tales, sed qui affectu tales. Dionys. Carthus. in cap. 6. Luc. *Loquitur de divitibus suas divitias immoderate amantibus, eisq; abutentibus, qui eis delicate se nutriunt, & consolationes habent carnales, ideo spiritualem consolationem gustare indigni sunt.*

Cajetanus ibid. *Divitibus, hoc est, affectis ad divitias, qui serviunt divitiis.*

Didacus Stella ibid. *Primum væ facit contra cupiditatem divitum, quod opponitur paupertati & virtuti temperantiæ.*

Toletus ibid. *Divitibus, id est, qui divitiis congerendis inhiatis, in eoq; studio præcipue vestrum affectum collocatis.*

8. Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses, verbo Paupertas, hæresi 2. postquam Guilielmum quendam Antuerpiensem hæreseos reum egisset, propterea quod docuerit, *omnia peccata consumi sola paupertate*, subjungit: *Et certe, si de paupertate Spiritus loqueretur, non moveremus arma contra ea, quoniam hæc paupertas Spiritus, quæ est, omnium rerum terrenarum cōtemtus, cum habeat secum tanquam illi annexam caritatem, non patitur peccatum mortale secum, quemadmodum nec caritas. Ideo Christus ait: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matth. 5.*

9. Estius in annot. aureis ad h. l. sic commentatur: *Quidam pauperes Spiritu solos eos interpretantur, qui propositum paupertatis voto firmaverunt, sed non recte. Virtutes enim eas hic Christus commendat, quas ab omnibus exigit Christianis, ut sunt, esse mitem, pacificum, mundum corde &c. Deinde nec Abraham, nec David, nec B. Maria, nec Christus ipse fuissent hoc modo pauperes Spiritu, quia paupertatem hanc non noverunt.*

(Argumenta isthæc Estii probant, posse esse aliquem pauperem Spiritu, etiamsi non voveat paupertatem, quod nobis sufficit.)

Arg. 2. Matth. 10. v. 9. *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam in zonis vestris, v. 10. Non peram in via, neque calceamenta, neq; virgam, dignus enim est operarius cibo suo. Hic Monasticam paupertatem commendari existimant* Alphonsus de Castro, Roffensis, Clichtovæus &c.

Resp. 1. Ipsimet fatentur, hoc loco proponi *præceptum. Ecce pecuniam interdictam!* inquit Alphonsus.

(Ergo non agitur de voto quodam Monastico, quod arbitrarium.)

2. Salmero tom. 4. tract. 14. p. 2. *Non solum his verbis instituit præconem Evangelicum per diversa loca ratione Evangelii peregrinantem, sed etiam in civitate manentem.*

(Ergo præceptum hoc datur Evangelii præconibus, quibus etiam divitias Pontificii permittunt, non Monachis, quorum munus ordinarium hodie non est prædicatio.)

3. Didacus Stella in cap. 9. Lucæ sic commentatur: *In eo, quod dicit, Neq; duas tunicas habeatis, superfluitatem prohibet, non necessarium vestimentum. Nam Christus duplicem habuit vestem, quia præter tunicam inconsutilem, super quam missa est sors, habuit alia vestimenta, quæ fuerunt divisa. Sic Divus Hieronymus ad Hedibiam ait, quod quicquid corpori nostri sufficere potest & humanæ succurrere imbecillitati, hoc unica appellanda est tunica, & quicquid in præsentibus alimentis est necessarium, hoc unius diei victus appellatur. Ita necessarium juxta imbecillitatem uniuscujusq; vocatur unum, superfluum vero duplex.*

(Ergo Christus non agit de renunciatione Dominii, nec prohibet absolute tunicam, sed duplicem, nec prohibet absolute habere aurum, sed in zonis, proinde non prohibet necessaria in viam secum assumere, sed tantum superflua.)

4. Johannes de Turrecremata in qq. Evang. feria 2. in ramis Palmarum q. 2. *Non prohibuit portare aurum & argentum, sive loculos, nisi quādo misit ad Judæos: quando autē ad alios misit, & quando jam exosi fuerunt hominibus, dedit autoritatem portandi loculos.*

In c. 10. Matth. *Christus secundum congruentiam loci ac temporis convenientia dedit præcepta. In Legatione igitur Apostolorum, quæ facta est ante passionem, præcepit, ne quid tollerent in via.*

Johannes Arboreus lib. 1. Theosophiæ c. 31. *Alia fuerunt prohibita Apostolis uno tempore, quæ postea eis licuerit, nec illa prohibitio erat absoluta & sempiterna, sed temporanea ad aliquod certum tempus astricta.*

(Ergo præceptum hoc fuit *speciale*, ac itineri illi, quod tunc ex speciali mandato ad Judæos suscipiebatur, peculiare, quod ipsum etiam patet ex eo, quod Christus ipse *habuerit loculos*, Joh. 12. v. 6. c. 13. v. 29. quodq; in posteriori missione ad gentes Christus permiserit Apostolis habere & *crumenam & peram*, Lucæ 22. v. 36.)

5. Inde Franciscus Lucas in cap. 10. Matth. sic scribit: *Ad hanc profectionem præcise voluit Apostolos suos accingi Christus absq; omni pecunia, viatico & sarcinis: id quod docemur ex verbis ejus in ultima Cœna, ubi de præterita missione loquens ait: Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nūquid aliquid defuit vobis. Quod autem non præcise & juxta literam hoc semper præcepit Apostolis suis, præter hoc, quod eadem illa secundum Lucam verba non obscure indicent, manifestum ex eo est, quod neque Apostoli hoc semper observarunt, qui & loculos habuerunt & mulieres & sorores, à quibus alerentur, ac curarentur, circumduxerunt. Relata igitur hæc de impedimentis præcepta ad perpetuum Apostolorum officium, ut referenda etiam sunt, intelligenda sunt vetare studiosam de his rebus necessariis prospectionem, qua vel impediri possit Evangelii prædicatio, vel minui Ministerii Evangelici autoritas, vel non tale exemplum contem-*

contemtionis rerum terrenarum præberi, quale præberi congruum est à præconibus regni cælorum. Atque hoc est, quod veteres Patres volunt, quando hæc tanquam perpetua præcepta interpretantur. Nam & huc respicit Christus, Apostolos suos hac vice omnino nudos de industria abs se emittens, ut non modo nullis impedimentis retardentur, quos vult totos vacantes delegatæ functioni intra paucos dies Iudæam lustrare, & statim ad se reverti: sed etiam quadam divinæ providentiæ, curam gerentis fidelium verbi præconum, quasi degustatione, ad futuram illam in universum orbem terrarum legationẽ præparentur.

(Hoc modo expositum illud præceptum ad omnes Evangelii præcones pertinet, non ad solos Monachos.)

6. Jacobus Tirinus Jesuita in cap.10. Matth. v.10. *Hæc ad literam hac sola vice suis præcepit Christus, ut patet ex Luc.22. v.35. Misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, Pro aliis vicibus tantum prohibet id, quod per hæc significabatur, puta curam minus necessariam corporis, maxime quæ offendiculo aliis esset, vel ipsis impedimento. Patet, quia neque Christus, neque Apostoli alias hæc ad literam observarunt, cum constet & loculos habuisse & mulieres sorores, à quibus necessaria curarentur, circumduxisse, Luc.8. v.3. Iohan.13. v.29. 1. Thess.2. v.9. 2. Tim.4. v.13. 1. Corinth.9. v.5.*

(Aut ergo in sensu literali hæc ad Monachos accommodantur, aut in sensu morali. Non in priore, quia nec quidem Christus, nec Apostoli in sensu literali hæc observarunt. Ergo in posteriore, atqui in hoc sensu morali ad omnes vere pios pertinent.)

Argum.3. *Matth.19. dicit Christus ad divitem. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes &c.*

Resp. De hoc dicto egimus superius cap.3. arg.6.

Argum.4. *Christus non habuit, ubi caput reclinaret, Matth.8. v.20. & vixit ex eleemosynis, Luc.8. v.2. mulieres enim quædam ei ministrarunt de facultatibus suis, & in ipsum quadrat illud Psalmi 40. v.18. Ego autem mendicus sum & pauper, & Ps.109. v.15. quia persecutus est hominem inopem & mendicum.* Hoc exemplum Christi pro stabilienda Monastica paupertate urgent Clichtovæus, Roffensis, Bunderius &c.

Resp.1. Johannes Gerson in propos.3. advers. conclusion. Matth. Grabon. *Christus non legitur vovisse consilia, qui tamen fuit legis suæ perfectissimus observator.*

(Ergo ex Christi exemplo votum paupertatis probari nequit.)

2. Johannes XXII. (aliis XXIII.) in Extravag. Johann. XXII. de verbor. signif. Quia quorundam &c. definit, *Christum neq; expropriationem omnis juris in cujuscunque rei proprietate & in ejus usu in se servasse, nec eam imposuisse Apostolis, neq; sub voto ab ipsis fuisse receptam.* Eorum autem doctrinam, qui contrarium asserunt, pronunciat *esse pestiferam, erroneam & damnatam.*

Platina in vita Johannis XXIII. *Iohannes vigesimus tertius edictum habuit, quo affirmabat, eos hæreticos esse pertinaces, qui affirmabant, Christum nihil habuisse, quod sane non multum cum Scriptura convenit, quæ in multis ac diversis locis testatur, Christum & Discipulos nihil proprii habuisse. Edictus enim Christi erat: Qui non vendiderit omnia &c. Iohannes multos de Ordine Minorum damnatos exurebat, quod illam Christi religiosam paupertatem imitari voluerint.*

Bellarminus Lib.4. de Rom. Pontif. cap.14. §. Tricesimus quintus &c. *Nicolaus definit, Christum docuisse meritoriam paupertatem, abjecto omni dominio tam in communi, quam in particulari, in rerum omnium abdicatione consistere. Papa Iohannes XXII. hanc sententiam aperte hæreticam esse judicabat. Iohannes de Turrecremata hos duos in omnibus reconciliare nititur, sed nisi profecto vehementer fallor, in omnibus conciliari nequeunt.*

3. Discipulus de Tempore serm.23. pag.127. *Christus non mendicavit tempore prædicationis suæ, quod probatur ex eo, quod nunquam legitur mendicasse, & valet consequentia, quia in sacra Scriptura tenet locus ab autoritate negative.*

4. Alphonsus de Castro Lib.10. adv. hæreses, verbo Mendicitas. *Quamvis de ipso Christo non sic legatur aut credatur, quod ipse aliquando mendicaverit, quia mulieres aliquæ probæ, quæ illius doctrinam audiebant & suscipiebant, illi de facultatibus suis citra illius mendicitatem ministrabant, non tamen inde sequitur, mendicitatem non esse licitam ad vitæ sustentationem.*

(Sufficit, quod fateatur, Christum non mendicasse. Ad vitæ sustentationem licitam esse mendicitatem ei, qui alia non habet vitæ sustentandæ adminicula, nemo nostrûm negat.)

5. Cajetanus in Matth. c.5. negat, *Christum aliquando mendicasse*, quẽ ideo acriter incessit Ambrosius Compsæ Episcopus, teste Sixto Senensi Lib.6. annot.18. ubi Senensis dicit, *hunc errorem olim in Gulielmo de S. Amore voce Ecclesiæ damnatum esse.*

6. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap.29. *Erat error Vadiani, qui docuit, Ecclesiasticos non posse possidere ullas divitias, quia talis fuit vita Christi.*

(Si exemplo Christi probari nequit, *Ecclesiasticos debere esse pauperes*, utique etiam ex eodem exemplo Christi probari nequit, Monachos debere esse pauperes.)

7. Benedictus Justinianus Disput.1. de Apostolatu cap.5. fol.14. *De ratione paupertatis Christi non modo Theologi digladiantur*, (in margine citat Thomam, Bonaventuram, Turrecrematam, Sotum, Bellarm. Lib.4. de Summ. Pont. c.14.) *sed & ipsi etiã Romani Pontifices non satis inter se convenire nonnullis visi sunt.*

Ibid. fol.15. *Utrum ea fuerit Christi & Apostolorum paupertas, ut aliquando stipem emendicarit, inter Theologos disseritur, aliis affirmantibus, aliis negantibus.*

Argum.5. Luc.14. v.33. *Qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus Discipulus.* Hunc locum pro *Monastica paupertate* urgent Hieronymus Platus de bono status religiosi Lib.2. cap.20. Bailius in Catech. Controv. tract.2. q.23. Sonnius in Decal. tract.12. &c.

Resp.1. Dionysius Carthusianus in h.l. sic commentatur: *Qui non renunciaverit omnibus, id est, qui caute non habuerit se, abjiciendo cupiditatum & carnalitatum affectus & cætera, quæ profectum virtutum impediunt.*

2. Gorrianus ibid. *Differt secundum Glossam renunciare omnibus & relinquere omnia, quia renunciare omnibus convenit eis, qui licite mundanis utuntur: relinquere vero omnia perfectorum est.*

3. Emanuel Sa ibid. *Renunciat, scilicet relinquens saltem affectu.* Et in Scholiis: *Paucorum est relinquere omnia, id est, curas mundi postponere: cunctorum autem fidelium renunciare omnibus, id est, sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen non teneatur in mundo.*

(Hanc expositionem confirmat ratio manifesta, quia alias soli Monachi essent Christi Discipuli.)

4. Bellarminus Lib.3. de bonis operibus in particulari c.11. respondens iis, qui ex hoc loco evincere cupiunt, *Christianis divitias non esse licitas. Præceptum hoc Dominicum in præparatione animi servandum est semper: re autem ipsa, cum articulus necessitatis advenerit, ut aut Christo, aut operibus renunciandum sit. Sic enim, inquit, docent Augustinus in Epistola quinta ad Marcellinum, & Beda in hunc locum, & colligitur hæc explicatio ex eodem loco Evangelii, ubi Dominus dicit: Qui non odit patrem & matrem & filios & uxorem. Et tamen constat, parentes & filios & conjuges nec aversandos, nec deserendos esse, nisi quando causa fidei & honoris Dei tale aliquid postulat.*

5. Severinus Binius annot.1. in Epistolam Urbani Decretalem tom.1. Concil. *Quod, inquit, Christus Lucæ decimo quarto, non posse esse Discipulum suum, nisi qui renunciaverit omnibus, quæ possidet, ita intelligendum, sicut id, quod sequitur: Si quis venit ad me, & non odit patrem &c. Si rerum possessio animum à Dei cultu avocet, mala est, eoque casu plane deserenda: si vero ministris alimenta prabendo eundem Dei cultum promoveat, utilissime sane Ecclesiæ temporalium bonorum dominium ac possessionem sibi retinet ac usurpat.*

6. Alphonsus de Castro Lib.12. advers. hæreses, verbo Paupertas. *Christus illis verbis solum prohibuit affectum rerum temporalium, non autem proprietatem. Ille enim visus est Christo omnibus renunciasse, qui quamvis divitias habeat, paratus est omnes perdere, antequam Deum propter illas offendat. Et si quis contenderit, illa verba esse intelligenda de renunciatione quantum ad opus & non de renunciatione in affectu, dicit, tunc, quo pacto intelligendum erit illud, quod apud eundem Lucam habetur. Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multa plura in hoc tempore. Ecce qualiter præcipit relinquere domum, quoniam eodem modo jubet illam relinqui, quo modo jubet relinqui parentes & fratres & uxores & filios. At hæc omnia non ita vult à nobis relinqui, ut illis careamus, sed ne in illis cor nostrum taliter figamus, quod illarum rerum amor nos ab amore Dei separet. Nam, qui parentes habet, non potest illos relinquere sic, ut illis careat, nisi parentes moriantur, quoniam quocunque se vertat, dum vivunt, parentes erunt illius. Parentes autem interficere est impium. Non ergo sic præcipitur parentes relinquere, ut parentes sui esse desinant, & per consequens, nec sic etiam præcipitur domum aut aliam possessionem relinquere, ut sua esse desinat, sed sic præcipitur, ut similia relinquat, ne videlicet illarum rerum affectus nos quoquo pacto ad Dei amorem aut omnino frigidos, aut tepidos efficiat. Sic ergo eas possidere oportet, ut fiat juxta Prophetæ consilium, dicentis: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

7. Glossa Ordinaria in illum locum inter renunciare &

relinquere distinguens, ait: *Renunciare convenit omnibus, qui ita licite utuntur omnibus mundanis, quæ possident, ut tamen mente tendant ad cætera.*

Thesis specialis II. Votum obedientiæ Monasticum, prout hodie in Papatu viget, non est approbandum.

Ἔκθεσις. Non est quæstio *de obedientia Episcopis & Præpositis* ab auditoribus; *Magistratui* à subditis ac civibus; *parentibus ac præceptoribus* à filiis & discipulis debita, ac in quarto præcepto mandata, sed de *obedientia Monastica*, ad quam Abbatibus, Archimandritis & Superioribus præstandam, velut ad consilium perfectionis voto sese obstringunt.

Docendi ergo causa distingui potest inter *obedientiam absolutam, illimitatam, indefinitam* ex parte una; & *obedientiam limitatam ac definitam* ex parte altera.

Illa, quæ nullis legibus aut conditionibus coërcetur, sed solius præcipientis arbitrium sequitur, soli divinæ autoritati competit. Quæ vero creaturæ debetur obedientia, ea est restricta, limitata ac definita.

Antithesis. Bellarminus Lib. de Monachis cap. 21. *Obedientia religiosa recte Deo vovetur.*

Cæterum *obedientiam illam religiosam* volunt debere esse ita comparatam, ut in Superioris autoritate unice acquiescat, ejusque voluntatem ἀνεξετάστως καὶ ἀδιακρίτως exequendam sibi proponat, quam proinde Jesuitæ vocant *cæcam* apud Maffæum in vita Ignatii Lib. 3. cap. 7. & Ribadeneiram Lib. 5. capite 4. quia *scilicet oculos novitii ac discipuli claudat, ut non magis in eo, quod præcipitur, disquirat, quam cæcus in itinere per quod ducitur.* Sic enim eam Ignatius apud Ribadeneiram declarat: *Quemadmodum in hominum vita duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ, altera pervulgata & communis, quæ divinis præceptis servandis continetur: altera illorum tantum, qui Christi consilia toto pectore complectuntur, quæ vita Religiosorum est: sic in ipsa Religione duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum & omnibus absolutum numeris, in quo vis obedientiæ elucet, hominisque religiosi virtus maxime apparet. Imperfecta obedientia male oculata est, perfecta sapienter cæca. Illa judicium suum de imperatis rebus sibi servat; hæc judicium proprium non habet. Illa in alteram partem propendet; hæc in neutram potius movetur. Illa mandatis paret, judicio repugnante; hæc judicium judicio, voluntatem Superiorum suorum subjicit voluntati.*

Et postea: *Hæc obedientia rectissima est & omnibus expleta numeris, maximeque excellens, qua velut captivamus intellectum in obsequium obedientiæ, & id rectum credimus, quodcunque sit à Superioribus nostris præscriptum, neque rationes præscripti exquirimus, aut sequimur, sed obedientiam avide arripimus, nulla alia de causa, nisi quia obedientia est.*

Et iterum. *Ita me instituam, quasi corpus mortuum, quod neque voluntatem, neque sensum habet; secundo, non aliter quam parvulam quandam statuam, quam quoquoversum velis, haud repugnantem vertas: tertio, talem me fingam atque præstabo, qualis baculus in manu senis est, ut me ad arbitrium suum utatur, ibique ponat, ubi eum adjuvare maxime possim. Sic ego paratus ad omnia sim, ad quæ mea me religio uti velit, nihilque recusem, quod sit imperatum.* Declarat etiam rem exemplo. *Si summus Pontifex imperaret, ut ostio Tyberino scapham vel navigium quodcunque primum invenisset, clavo, malo, velis, cæterisque armamentis spoliatum conscenderet, & ita absque ullo commeatu, mare trajiceret, se id non solum æquo, sed etiam libenti animo facturum.* Cum autem quidam summus vir hunc illius animum admirans Ignatio diceret, *quæ isthæc esset prudentia?* respondit Ignatius, *Prudentia, Domine, non tam est parentis, quam imperantis.* Atque hanc appellant *perfectam sui abrenunciationem*, per quam ei, cujus sunt obediendi partes, nullas esse volunt judicandi. Apud Nicolaum Godignum Lib. 2. rerum Abissinarum cap. 4. Johannes Nonius Baretus *cogitabat, alteri voluntatem suam regendam committere, & ab ejus nutu ita pendere totus, ut ne minima quidem in re sui esset juris.* Confer ea, quæ dicentur in Appendice hujus articuli part. 3. num. 21.

Nostram sententiam probamus,

1. Christus nuspiam obedientiam erga regulam *Francisci, Dominici, Bernhardi* aut alterius cujusdam vitæ Monasticæ autoris præcepit vel consuluit.

2. Apostoli mandato Christi obsecuti docuerunt homines *servare ea, quæ Christus præcepit*, Matth. 28. v. 20. In eorum numero non sunt regulæ Monasticæ.

3. Obedientia illa, ad quam Monachi voto se obstringunt, pugnat cum libertate Christiana, ac proinde etiam cum dictis Apostolicis, 1. Corinth. 7. v. 23. Gal. 5. v. 1.

4. Obedientia in verbo Dei præscripta, sive sit *legalis*, sive *Evangelica*, non est *consilii*, sed *præcepti*, Luc. 10. v. 16. Hebr. 13. v. 17. Si obedientia Monastica non est præcepti, Status Monasticus non habebit autorem Christum.

5. Rom. 14. v. 5. *Unusquisque in animo suo plene certus esto*, id est, quicquid in rebus illis adiaphoris & arbitrariis agamus, non debet fieri repugnante conscientia. At qui ex cœca illa obedientia Monastica aliquid facit, non potest esse in animo suo certus, cum nullæ partes *judicandi*, sed tantum *parendi* ipsi sint relictæ.

6. Apostolus præcipit 1. Thess. 5. v. 21. ut pii *omnia probent, &, quod bonum est, teneant.* Cum illa δοκιμασίᾳ pugnat cœca & ἀδιάκριτος obedientia, quæ nullas judicandi partes homini relinquit.

7. Obedientia illa quandoque versatur *in rebus ludicris, ineptis, præposteris*, quandoque etiam *impiis*.

Apud Cassianum de Instit. renunc. Libro 4. cap. 24. Johannes Abbas laudibus effertur, *quod lignum excisum in terram defixum quotidie bis, jubente seniore, rigaret, & quod ampullam olei, quo in eremo recte carere non poterat, projiceret per fenestram*, ibid. c. 25. *Et quod saxum maximum movere jussus illud sudans aggressus esset, non reputans illud, moveri non posse à pluribus hominibus simul*, ibid. cap. 27.

Celebratur etiam apud eundem Cassianum Lib. 4. c. 27. Abbatis Mutii obedientia, *qui parvulum filium in profluentem projicere non recusavit ex præcepto seniorum.* Illius item, *qui jussu Abbatis in clibanum ardentem insiluit.*

Refero huc insignem locum B. Lutheri tom. 6. Jenens. fol. 28. fac. b. Der (Münche) Gehorsam was ist es anders/ denn eine rechte Heucheley und Lügen? denn sie geloben nicht mehr/ weder einer Person/ als Abt und Prior/ gehorsam zu seyn/ dazu nicht weiter denn ihre Regel inne helt / ausser ihrer Regel geloben sie nichts/ und sind auch ihrem eignen Abt und Prior nichts mehr schuldig. Mit solchem falschen erlogenen Gehorsam ziehen sie sich aus dem gemeinen Christlichen Gehorsam / davon S. Petrus 1. Epist. 4. lehret/ Ihr Jungen seyd den Eltesten unterthan / allesammt seyd untereinander unterthan. Aber die Münche haben sich außgedrehet / Erstlich/ aus dem Gehorsam der Eltern/ Darnach der weltlichen Obrigkeit/ Item/ aus dem Gehorsam gegen den unschlachtigen Herrn / und aus dem Dienst/ und Gehorsam/ so ein Nachbar dem andern/ den Krancken/ Armen/ Wittwen/ Wäysen/ verlassenen Nechsten schuldig ist. Kommen hernach mit einem Stücklein eines unnötigen Gehorsams gegen seinem Prior / und wollen damit höher denn Gottes Gebot eine Vollkommenheit beweisen / und andern ihren übrigen Gehorsam mittheilen und verkäuffen. Conf. tom. 4. Witteb. fol. 456. fac. a. tom. 2. Jen. fol. 38. tom. 5. Jen. fol. 374.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Qui agnoscunt, Monasticen esse inventum humanum, non institutum divinum, quorum dicta superius in capite 1. sunt adducta.

2. Qui vota Monastica non admodum probant, quorum dicta citata sunt in hoc ipso capite thesi 1. membr. 2.

3. In specie huc pertinent quædã hypotheses Adversariorũ.

1. Erasmus in Enchirid. milit. Christ. p. 31. sic scribit: *Monachi ob cultum, ob titulum, nescio quem, tantum arrogant sanctimoniæ sibi, ut cæteros præ se non habeant pro Christianis. Cur sic arctamus Christi professionem, quam ille latissime voluit patere? Si magnificis vocabulis commovemur, quæso te, quid aliud est civitas, quam magnum Monasterium? Monachi Abbati suo parent aut Præpositis; cives Episcopo aut Pastoribus suis obsequuntur, quos ipse Christus præfecit, non hominum autoritas.*

(Ergo obedientia auditorum erga Pastores, utpote divinitus mandata, longe præstantior est, quam obedientia Monachorum erga Abbates humanitus instituta.)

2. Alphonsus à Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 7. *Paulus quidem jussit captivare intellectum nostrum sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominum.*

(Congruit hoc cum dicto Apostolico 1. Cor. 7. v. 23. *Precio emti estis, ne igitur estote servi hominum.*)

3. Benedictus Justinianus de quæstione, An Apostoli voto obedientiæ sese obstrinxerint, sic disserit Disp. 1. c. 4. de Apostolatu f. 16. *Ego malim ingenue fateri, nullo me idoneo vel argumento, vel testimonio ex Evangelio petito Apostolorum obedientiam confirmare posse, quam pravis ac perversis interpretationibus perquirendis otio atque diligentia & ingenio abuti.*

Argum. Adversar. 1. Jerem. 35. vers. 18. *Laudantur & remunerantur*

vantur à Deo filii Jonadab, qui ut obedirent patri suo, non bibebant vinum, non serebant agros, non habebant domos, sed habitabant perpetuo in tentoriis. Ergo hæc obedientia filiorum Jonadab fuit Deo grata. Omne autem, quod Deo gratum, vove i etiam potest. Bellarmin.

Resp. 1. Fatetur ipse Bellarminus, quæstionem hic esse de obedientia non quavis, sed *Religiosa*, id est, Monastica, quam Monachi præstant Abbatibus.

(Atqui obedientia filiorum Jonadab non fuit Religiosa sive Monastica, sed filialis, fundamentum habens in quarto præcepto.)

2. Religiosa Monachorum obedientia juxta hypothesin Bellarmini semper conjuncta est cum *voto continentiæ perpetuæ & paupertatis voluntariæ.*

Pighius controv. 14. *Tres præcipue partes complectitur professio Monastica, continentiam perpetuam, paupertatem voluntariam & obedientiam, quæ Seniori exhibeatur secundum regulam propter Deũ.* Inde etiam Bellarminus tria illa vota vocat *substantialia*.

(Atqui obedientia illa filiorum Jonadab non fuit conjuncta cum continentia perpetua & paupertate voluntaria. Ergo non fuit Religiosa sive Monastica.)

3. Christophorus à Castro in h. l. Jeremiæ n. 8. sic commentatur: *Firmum fuit hoc argumentum ab exemplo Rechabitarum ductum adversus eos, qui legem Domini non observabant: quanto firmius & efficacius erit adversus non observantes legem Evangelicam.*

(Ergo exemplum Rechabitarum non est propositum solis Monachis; sed omnibus N. T. Christianis ad observandam legem Evangelicam obligatis.)

4. Pontificii Monachos suos distinguunt in *Eremitas & Cœnobitas.* Atqui Rechabitæ illi nec Eremitæ, nec Cœnobitæ fuerunt. Non illud, quia non dicuntur habitasse in eremo. Non hoc, quia familias habuerunt ac genus suum propagarunt.

5. Pontificii Monachis suis concedunt, ut domos ædificent, agros serant, vineas plantent, vinum bibant. Sed ab his omnibus Rechabitæ abstinuerunt, & in hac ipsa abstinentia Monachorum figuram gessisse dicuntur.

Argum. 2. Matth. 16. v. 24. *Qui vult venire post me, abneget seipsum. Hæc abnegatio sui est obedientia Monastica.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Cornelius Jansenius ad h. l. sic annotat: *Quasi dicat* (Christus,) *Multi sunt, qui pedibus me magis sequuntur, quam imitatione. Et alii alia de causa me sequuntur. Sed quisquis volet esse verus sectator meus, huic necesse est, ante omnia abneget seipsum. Dicit in genere: Si quis, hoc est, quisquis vult: ut intelligamus, ad omnes istud pertinere, nec quenquam nisi hac ratione posse esse illius sectatorem.*

Franciscus Lucas Brugensis in h. l. *Si quis quisquis, sit Princeps, sit plebejus sit senex sit juvenis, sit vir sit fœmina: vult post me venire, me sequi, non pedibus, sed imitatione, discipulus verusq, sectator meus esse & fieri civis regni cœlorum, quod à me prædicatur & promittitur.*

Didacus Stella in cap. 9. Lucæ. *Optime, postquam locutus est Dominus de sua passione, agit de sequela ejus & negatione sui ipsius & crucis labore uniuscujusq, nostrûm, ut doceat atque insinuet, quod non sufficit, eum fuisse mortuum pro nobis, & quod sanguinem suum effuderit, sed quod etiam opus est, nos eum sequi, illum imitantes & nos ipsos abnegantes, frenantes & cohibentes appetitum sensitivum, & tollentes crucem pœnitentiæ & laborũ. Ne vane & insane aliquis existimaret, solam Christi passionem sufficere & mortem ipsius ad nos salvandos, absque eo, quod nos nihil faceremus. Optime quidem Christus mundi Salvator, cum suæ passionis mentionem fecit, & ejus, quod pro nobis præstitit, statim agit de eo, quod nos præstare debemus, si volumus frui fructu & meritis suæ passionis sanctissimæ.*

(Similia occurrunt apud Thomam & Gorranum in hunc locum. Ergo Christus agit de omnibus vere piis, & ab illis omnibus abnegationem sui non tanquam rem consilii, sed tanquam rem præcepti requirit.)

2. Seipsum abnegare non est cœcam obedientiam vovere, sed longe aliud.

Thomas in h. l. *Gregorius in Homiliis. Quod nisi quis à semetipso deficiat ad eum qui super ipsum est, non appropinquat.*

Et postea. *Aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per Naturam conditi. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus & abnegamus, cum vitamus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, ad quod per novitatem vocamur. Gregorius super Ezechielem: Semetipsum etiam abnegat, quicunque mutatur ad meliora, & incipit esse, quod non erat, & desinit esse, quod erat.*

Gorranus in h. l. *Abneget seipsum, id est, proprium sensum, propriam voluntatem.*

Dionysius Carthusianus in h. l. *Abneget semetipsum, id est, propriam voluntatem relinquat, Deo obediat, concupiscentias vincat, hoc est secundum Apostolum deponere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia.*

Didacus Stella in cap. 9. Luc. *Qui Christum sequi debet, necesse est, ut Christum diligat & quod eum propter seipsum diligat, seipsum abnegans: nam aliter nec Christum, sed bona ipsius sequitur. Abneget itaque semetipsum. Non tantum sua, aut suos, sed semetipsum, hoc est, propriam arbitrii sui voluntatem.*

Et postea. *Quapropter recte seipsum abnegasse dicitur, quicunq, arbitrii sui libertatem sibi adimit, statuens deinceps nihil pro sua voluntate velle gerere, sed in omnibus dicere cum Christo: Non mea voluntas, sed tua fiat, sicut in cœlo & in terra. In cœlo enim non fit nisi Dei voluntas. In omnibus voluntatem Dei observa: non vero tuam propriam sensualem & appetitivam. Et hoc est seipsum abnegare. Da Deo voluntatem tuam. Hæc est, quam Deo reddere debes abnegando teipsũ.*

Cornelius Jansenius in h. l. *Est autem abnegare seipsum valedicere propriis affectibus & desideriis, ac apud se statuere, nolle deinceps illa sequi, quæ amor proprius suggerit: sed ea, quæ divinæ sunt voluntatis, qualiacunque sint illa & quantacunque sint, carni & nostræ humanæ voluntati inimica. Quæ sane abnegatio res est carni difficilima. Caro enim desiderat hujus mundi honores & voluptates, longam & ab omni incommodo liberam vitam in hoc mundo. Hæc ergò abnegatio exigit, ut ne in his humanis desideriis carni acquiescere statuamus. Rursum amor sui ipsius, etiam in bonis, quæ quis facit, operibus, se frequenter magis spectat, ac suum bonum quærit potius, quam ut Dei voluntatem adimpleat. Et abnegatio sui ipsius requirit, ut in omnibus Deum potius, quam nos spectemus, nec tam quid nobis bonum, quam quid illi gratum sit, consideremus.*

Franciscus Lucas Brugensis in h. l. *Semetipsum autem quando abnegare jubetur Discipulus Christi, non id, quod est ex creatione, intelligitur abnegare, sed id, quod est aut esse potest sua voluntate. Nam quia voluntas inter facultates animæ humanæ principatum gerit, totumq, adeo hominem gubernat aut regit, idcirco abnegare seipsum sive animam suam dicitur, qui abnegat voluntatem suam. Suam autem non quamcunque jubetur abnegare, nec enim hominem agat, qui voluntate non utatur: sed ita suam, ita propriam, ut non consonet voluntati Dei; proprium omne velle, quod à Dei lege aut certe voluntate discrepet.*

Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. h. l. *Abneget seipsum id est, habeat se quasi qui (stulto mundi judicio) omnino non norit, id est non diligat semetipsum: vel, ut habet Lucas cap. 14. v. 26. Qui oderit animam suam, id est, judicium, voluntatemq, suam propriam, quæ & quatenus non consonant voluntati divinæ.*

(Ergo seipsum abnegare est voluntatem suam divinæ subjicere, quod ab omnibus vere piis requiritur.)

Argum. 3. Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit.* Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris. Ergo bonum est ac Deo gratum, ut Monachi Præposito suo obediant.*

Resp. 1. Utrobiq; agitur de obedientia, quæ debetur legitimis Pastoribus ab omnibus fidelibus, testibus ipsismet Pontificiis Interpretibus.

(Atqui hæc obedientia non est *consilii*, ut Monastica, sed *præcepti*.)

2. Benedictus Justinianus in cap. 13. Hebr. *Videtur Apostolus universim accipere pro Magistratu, Duce, Rectore populi. Et more suo multa dicit de Magistratus ac Ducis necessitate.*

(Atqui obedientia Pastoribus Ecclesiæ & Magistratui præstanda non est cœca obedientia, qualis Monastica, sed certis limitibus restricta.)

Thesis specialis III. Votum cœlibatus Monasticum, prout hodie in Papatu viget, non est approbandum.

Ἔκθεσις 1. Non est quæstio, an *cœlibatus purus & castus* in personis ad eum idoneis approbandus sit, quod libenter concedimus.

2. Neque quæstio est, an quis *firmo animi propositio* cœlibatum eligere possit, quod itidem concedimus.

3. Sed quæstio est de *voto solenni cœlibatus*, prout in Papatu hodie viget.

4. Neque quæstio est, an quis continentiam promittere possit Ecclesiæ tanquam πάρεργον accedens ad aliud, quod viduas in ordinem Diaconissarum electas fecisse, quidam Interpretes statuunt 1. Timoth. 5. v. 11. Sed, an quis continentiam promittere debeat quasi αὐτὸ τὸ ἔργον ipsissimum per se objectũ promissi. Prius faciebant istæ viduæ, nam ob ministerium Ec-

clesiæ præstandum promittebant viduitatem: posterius faciūt Monachi, quia dicunt; Monachismum in hoc voto consistere.

5. Dicimus, neminem sub juramento & execratione debere castitatem vovere *absolute*. Quod enim absolute non est in alicujus potestate, non potest absolute vovere, etiam supposito divino auxilio, quia nullam habet absolutam promissionem, quod Deus bonum naturale & temporale, quale est continentia, ipsi velit dare, etiamsi vovens intendat in relatione *ad bonum spirituale* eo uti, quia ad hoc aliis mediis æque facile potest provenire.

Antithesis. Bellarminus lib. de Monachis cap. 22. §. 2 *Votum continentiæ Scripturæ testimoniis, Conciliorum & totius Ecclesiæ consensu, Pontificum & Imperatorum decretis ac legibus, Patrum Græcorum & Latinorum traditione, ac naturali etiam ratione confirmari potest.*

Lib. ejusd. cap. 31. §. ultimo. *Continentia absolute peti potest & infallibiliter conceditur, si non sit aliunde defectus in oratione.*

Lib. ejusd. cap. 32 §. Sed quid &c. *Etiamsi non posset aliter morbus curari, quam voti violatione, melior est virtus continentiæ, quam prolixitas vitæ corporalis.*

Lib. de matrimon. cap. 21. *Votum continentiæ est licitum, sanctum & Deo gratissimum.*

Costerus in Enchiridio cap. 19. propos. 7. *Nemini prorsus homini, qui castitatem suam Deo offerre deliberat, impossibile est castam vitam servare, nedum Sacerdotibus & Clericis, qui per sacros ordines ad continentiam obligantur.*

Nostram sententiam probamus ex eo, quod votum cœlibatus sit 1. ἄγραφον. 2. ἀντίγραφον.

Esse ἄγραφον demonstramus ex eo, quod 1 nullum *mandatum*, 2. nullum probatum *exemplum*, 3. nullum *promissum* de voto cœlibatus ex Scripturis afferri potest, quomodo igitur erit *ex fide*, quæ verbum Dei unice respicit? In Vet. Testamento expresso Dei verbo traditum ac declaratum erat, quidnam voveri sibi Deus vellet, Lev. 7. & 27. Num. 6. 15. & 30. sed nullus ex Veteri Testamento produci potest locus, in quo Deus expresso verbo testatus fuerit, sibi placere votum perpetui cœlibatus. In Novo Testamento de cœlibatu dicit Apostolus 1. Cor. 7. v. 25. *Consilium do, tanquam misericordiam consecutus à Domino. v. 37. Qui statuit firmus in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, se servare virginem suam, benefacit*, sed nulli vel præcipit, vel consulit, ut virginitatem voveat. Christus Matth. 19. v. 12. finit Eunuchos esse, *qui se castrant propter regnum cœlorum*, sed non præcipit, ut sint; permittit, absque conjugio manere eum, qui potest, sed addit, *non omnes hoc verbum capere*, ideoque nemini hic imponit necessitatem. Paulus commendat virginitatis tranquillitatem, dicit, *bonum esse* virginibus & viduis, *si sic permanserint, propter præsentem necessitatem*, non reticet conjuges *in carne afflictionem habituros*, sed addit, *ex dono Dei* contingere, ut quis simul & cœlebs & castus esse possit.

2. Ἀντίγραφον insuper esse dicimus votum cœlibatus, prout hodie in Papatu viget, 1. *Ratione causæ efficientis*. 2. Ratione *materiæ*. 3. Ratione *formæ*. 4. Ratione *finis*. 5. Ratione *objecti*. 6. Ratione *adjuncti*. 7. Ratione *effectus*.

1. Ad *causæ efficientis* vitium referimus sequentia capita,

1. Quod vota cœlibatus suscipiunt, vel etiam exigunt à personis in ætate adhuc immatura constitutis, ac proinde judicii maturitate destitutis, qua de re in thesi proxime sequente dicetur.

2. Quod suscipiant vota cœlibatus à liberis sub potestate parentum adhuc constitutis, qua de re itidem agetur inferius thesi 5.

3. Quod votum solenne perpetuæ continentiæ suscipiant à conjugatis, ac matrimonialis congressus abjurationem ab illis exigant, qua de re itidem agetur inferius in thesi 6.

4. Quod vota solennia perpetuæ continentiæ suscipiant à personis desponsatis, ac matrimonium etiam ratum, non tamen consummatum, propter ingressum in religionem dissolvant, qua de re itidem agetur inferius in thesi 7.

5. Quod verborum lenociniis ac blanditiis incautos, ac rerum imperitos inescent, ut judicio nondum maturo, ac viribus nondum satis exploratis cœlibatum voveant, atque hac ratione tædio vitæ & querelis perpetuis semetipsos exponant.

6. Quod votum continentiæ recipiant ab iis, qui parentum autoritate & imperio in Monasteria detruduntur, etiamsi ipsi ab hoc vitæ genere abhorreant. Utrumque demonstrabitur in Appendice membro 1. §. 2. & 4.

7. Quod votum perpetuæ continentiæ exigunt indistincte ab illis, qui in majoribus Ordinibus constituti, de quibus tamen nondum constat, an dono continentiæ sint instructi, imo experientia clamat, plerosq; eorum dono illo destitutos esse, qua de re egimus in articulo praeced. de Clericis cap. 4.

8. Quod votum continentiæ suscipiant atq; exigant ab illis qui in otio, omnium rerum abundantia ac saturitate panis vivunt, quales esse Monachos & Moniales testatur experientia.

2. *Ratione materiæ* Papale cœlibatus votum est ἀντίγραφον, quia in personis continentiæ dono non instructis est ex numero ἀδυνάτων.

Quod enim donum continentiæ extra conjugium caste vivendi non sit ita commune, ut quicunque cœlibatum elegerit, modo velit ac petat, possit illud habere, sed sit donum speciale, probatur,

1. Ex dicto Christi Matth. 19. v. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Qui potest capere, capiat.* Ubi Christ⁹ *affirmative & negative* suam de dono continentiæ exponit sententiam. Negative dicit, *non omnes capiunt verbum hoc*. Affirmative postea subjicit, quinam sint ejus capaces, illi sc. *quibus datum est*. Nec dicit: Qui vult capere, capiat, sed, *qui potest capere, capiat*, nimirum, quia non est datum omnibus. (Metaphora in verbo χωρεῖν ducta est à loco, qui arctior, quam ut omnia capiat. Marc. 2. v. 2. Joh. 21. v. ult.)

2. Ex Paulo 1. Cor. 7. ibi enim v. 1. Apostolus dicit, *Bonum quidem esse homini, mulierem non tangere*, sed mox subjicit v. 2. *propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam & uxor virum suum.* Ostendit igitur, non omnibus esse bonum à conjugio abstinere, sed quibusdam necessarium esse conjugii remedium ad vitandam fornicationem, illis sc. qui dono continentiæ destituti sunt. v. 5. de conjugibus dicit: *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi & jejunio, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Sicut Apostolus conjugibus consulit, ut conjugali consuetudine utantur, ne tentet eos Satanas διὰ τὴν ἀκρασίαν; ita quoque propter eandem causam illis, qui in cœlibatu vivunt, consulendum, ut conjugium ineant, videl. ne tentet eos Satanas propter incontinentiam. At si donum continentiæ ita commune esset, ut omnibus, qui illud petunt atq; expetunt, daretur, non opus fuisset hoc consilio Apostolico. v. 7. inquit Apostolus: *Volo omnes esse sicut ego sum*, sed immediate subjicit, *Verumtamen unusquisque ἴδιον χάρισμα habet ex Deo, alius sic, alius vero sic.* Optare quidem se ostendit, ut omnes in cœlibatu curent, quæ sunt Domini, & indivulse Domino adhæreant, sed quo minus indistincte quibusvis hoc consilium præscribat, ex eo prohiberi, quod donum hoc caste in cœlibatu vivendi non sit commune, sed ἴδιον, v. 8. *Non nuptis ac viduis bonum esse* dicit, *si sic permaneant*, sed statim addit v. 9. *Quod si non continent se, nubant, melius est enim nubere, quam uri.* Ergo inter virgines ac viduas sunt, quæ si vel maxime velint ac nitantur, tamen non continent, i. e. non sunt instructæ dono continentiæ, ac illis non præscribit Apostolus, ut petant sibi donum illud dari, atque interim illas ustiones & flammas interiores tolerent, sed ut nubant. v. 17. generalem addit regulam: *Unicuique sicut divisit Deus, unumquemq; sicut vocavit Deus, ita ambulet.* Ergo quidam vocantur ad cœlibatum, quibus sc. donum continentiæ Deus dedit, quidam ad conjugium, sc. qui uruntur & fornicationis periculum sibi imminere sentiunt. Quilibet ergo suum donum ac suam vocationem exploret. v. 25. *De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do.* v. 35. *hoc dico ad utilitatem vestram, non ut laqueum vobis injiciam.* v. 36. *quod vult, faciat non peccat, nubat.* At huic moderationi Apostolicæ minus convenit laqueis votorum ad cœlibatum illos constringere, de quibus certum non est, an peculiari illo continentiæ dono sint instructi. v. 37. ostendit, posse incidere tempus & casum ejusmodi, ut parens non amplius habeat liberam voluntatis potestatem de filia elocanda vel non elocanda, sed quandoq; oportere sic fieri, ut scil. matrimonio jungatur διὰ τὸ ἀσχημονεῖν.

3. Ex dicto 1. Tim. 5. v. 9. ibi enim diserte annotat Apostolus, experientiam sui temporis refutasse persuasionem illam, quod donum continentiæ extra conjugium ab omnibus peti & impetrari possit, unde junioribus viduis præscribit conjugium. *Volo*, inquit, *juniores viduas nubere.* At si continentiæ donum esset ita commune, ut à quibusvis illud petentibus ac desiderantibus obtineri posset, Apostolus, junioribus viduis à Sata-

Satanæ propter incontinentiam tentatis non conjugium, sed preces, jejunia & alia pietatis exercitia præscripsisset.

3. *Ratione formæ.* Papale cœlibatus votum est ἀντίγαθον, quia pugnat cum libertate Christiana. D. Apostolus negat, *se præceptum Domini de virginibus* dono continentiæ instructis *habere* 1. Cor. 7. v. 25. neque cuiquam vult *laqueum injicere* v. 35. Sed vota Papalia vere sunt laquei conscientiarum, quia penitus auferunt potestatem ineundi matrimonii, cum tamen Deus ipse per Apostolum noluerit cuiquam hic injicere aliquam necessitatem. Paulus dicit, *si se non continent, nubant.* Sed votarii in Papatu jurant, etiamsi sentiant, se non posse continere, tamen in perpetuum nolle matrimonium contrahere. Paulus dicit, *melius est nubere, quam uri.* Sed votarii contra asserunt, etiamsi postea ustiones sentiam, tamen melius mihi erit propter votum à nuptiis abstinere. Paulus dicit, *si virgo nupserit, non peccat.* Sed votarii illi dicunt, imo gravissimi peccati loco mihi inposterum reputabitur, si nuptias contraham, quia solenniter & cum obligatione ad æternam damnationem conjugium abjuro.

4. *Ratione finis.* Votum Papale cœlibatus est ἀντίγαθον, quia in eligendo hoc vitæ genere non respiciunt fines à Christo & Paulo assignatos, Matth. 19. v. 12. 1. Cor. 7. v. 32. & 34. sed, *ut pro suis & aliorum peccatis hac ratione satisfaciant, ac vitam æternam sibi & aliis promereantur*, ut in Appendice membro 2. §. 3. demonstrabitur. Sed hoc fine & hac intentione cœlibatum vovere est gloriam Christo & sanctissimo ipsius merito unice debitam blaspheme sibi ipsi arrogare.

5. *Ratione objecti.* Votum cœlibatus est ἀντίγαθον, dum non solum Deo, sed etiam *Sanctis* eum voveri posse disputant, qua de re inferius in artic. de beatitudine Sanctorum agetur.

6. *Ratione adjuncti.* Hoc improbamus in voto cœlibatus Papali, quod votarios suos collocant in eum vitæ statum, in quo est iners otium, abundantia, saturitas panis, ex quibus radicibus qui fructus oriri soleant, in propatulo est, Ezech. 16. v. 49.

7. *Ratione effecti.* Vitiosum est illud votum, quia per illud absolutam à matrimonio abstinendi necessitatem introduci statuunt, ita, ut quicunque etiam casus inciderit, sive ustionis malum, sive fornicationis periculum votarios illos premat, tamen ad conjugii remedium aspirare inposterum nulla ratione possint, ex quo porro sequitur, quod pollutiones & scortationes in votariis illis leviora peccata esse pronunciant, quam si conjugium contrahere velint, quod incestum ac sacrilegium quovis adulterio gravius in talibus personis esse asserunt.

Confer D. Lutherum tomo 8. Jenens. fol. 382.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, continentiæ virginalis donum non esse omnibus commune, sed illis, quibus peculiariter à Deo datum, proprium.

Gregorius part. 3. Curæ Pastoralis cap. 30. *Veritas de hac integritate dicit: Non omnes capiunt verbum hoc, quod eo innotuit summum esse, quo denegavit omnium.*

In cap. proxime præcedente scribit, *cœlibes esse à Pastoribus admonendos, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant.*

c. Integritas. caus. 32. q. 2. ex Ambrosio. *Integritas corporis expetenda à vobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quam præcepti.*

Bernhardus in serm. de convers. ad Cleric. cap. 29. col. 427. *Utinam, qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, ac cœlibatui nomina dare vereantur! Sumtuosa siquidem turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri, & salvari in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri sublimitate & deterius vivere & districtius judicari. Multi enim, non quidem omnes, sed tamen multi (certum est, nec latere possunt præ multitudine, nec præ impudentia quærunt;) multi utique libertatem in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali & in omne deinceps flagitium effluentes.*

Thomas de Aquino in 1. Cor. 7. *Apostolus respondet primo quantum ad matrimonium, Bonum est mulierem non tangere, sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc; docet secundo, quod est necessarium. Unusquisque propter fornicationem habeat uxorem suam.*

Lombardus 2. sent. dist. 20. *Infirmitas prona ad ruinam turpitudinis excipitur honestate nuptiali, & quod sanis est officium, ægrotis est remedium.*

Idem in 1. Cor. 7. super verba: *Velim omnes homines esse, ut ipse sum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo &c. Quemadmodum ad benevolum & solicitum Magistrum pertinet, omnes tales, si fieri posset, volebat esse sicut seipsum.*

Lyranus in Annot. ad 1. Cor. 7. *Apostolus instituit his verbis Corinthios de matrimonio contrahendo. Aliqui zelum habentes, sed non secundum scientiam, in detestationem fornicationis etiam matrimonium contemnebant, & aliqui faciebant hoc est hypocrisi, ut magis eis tanquam sanctioribus crederetur, hoc autem videbatur durum Corinthiis fidelibus, ideo super hoc scripserunt Apostolo, ad quod hic respondens ostendit primo, quid sit necessitatis; Bonum est homini, hoc est, perfectum, mulierem non tangere, sed simpliciter continere. Licet autem majoris perfectionis sit, concupiscentiam superare totaliter per continentiam, tamen hæc perfectio non potest in omnibus esse, sed in paucioribus propter pronitatem ad sequendum concupiscentiam, unde dicit Salvator: Non omnes capiunt verbū hoc.*

Ibid. super verba: *Velim omnes homines esse &c. Assignat rationem, quare de matrimonio concesso dixit, secundum indulgentiam: quia scilicet quilibet non est tantæ virtutis, quod possit continere.*

Et post. *Quod si se non continent, id est, si donum continendi non acceperint à Deo.*

Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontif. teste Cælio Secundo, *Collegia quædam Brigittinarum & Claranarum Monialium* dissolvit, jubens eas exire, *ne amplius urerentur, neve sub religioso habitu meretricem celarent.*

(Judicavit igitur, continentiæ donum non posse ab omnibus per preces & conatus impetrari.)

Cajetanus in 1. Cor. 7. super verba: *Velim omnes homines &c. Quamvis ego vellem omnes homines esse inconjugatos, tamen scio, non esse commune tantum donum omnibus: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius autem sic; puta unus habet donum castitatis conjugalis, alius castitatis virgineæ, alius castitatis vidualis.*

Salmeron in Comm. 1. Cor. 7. super verba: *Velim omnes homines esse, ut ipse sum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo &c. Vellet igitur Apostolus omnes cœlibes esse, si fieri posset, sed quia non poterant ob hominum vitium & defectum, conjugium suadet.*

Cornelius Jansenius in cap. 19. Matth. super verba: *Qui potest capere, capiat. Cum dicitur, qui potest capere, capiat, non de absoluta potentia est sermo, sed ea, quam propinquam dicere solemus, qua scil. ea dicimur posse, ad quæ perficienda adsunt necessariæ vires; qualem potentiam ad continendum se jam habere is considere potest, qui se sic sentit affectum, ut speret, se à divino Spiritu ad eam commoveri. Huic consulitur, ut quia potest capere, capiat. Qui autem non sic se affectum sentit, huic, quia necdum capere potest, non consulitur, ut se ad capiendum ingerat.*

(Ergo non est omnibus datum continere. Neque omnes possunt illud precibus obtinere & conservare, qui optant, sed, qui sentiunt se divinitus ad cœlibatum vocari.)

Bened. Justinianus in 1. Cor. 7. verba Apostoli. *Bonum est homini mulierem non tangere &c.* sic παραφράζει. *Sic primum censeo, commodum sane ac perhonorificum fore*, (nota fore, non esse,) *si quis ea sit animi constantia, corporis integritate*, (nota hypothesin) *ut omni prorsus abjecta conjugis consuetudine, castimoniam sibi perpetuo, ac virginitatem, uxore consentiente, colendam ducat: ut vel hinc appareat, eos mortalium felicissimos esse censendos, qui à nuptiis & venereis voluptatibus penitus abstinent. Verū ut humanæ imbecillitatis vestriq; periculi conscius, ne quis impuro scelere contaminetur, autor sum vobis, ut suā quisq; uxorē, & propriū quæq; fœmina virum ad honestum conjugii usum sancte retineat, & oportuno tempore adhibeat.*

(Atqui, si abstinentia à re uxoria esset in cujusque eam exoptantis arbitrio posita, non opus fuisset Apostolum in suo consilio humanæ imbecillitatis rationē habere, sed simpliciter ad consilium illud perfectionis homines hortaretur.)

Alphonsus Virvesius Philipp. 19. in Harm. Fabric. suadet, *ut Monachi implendis votis suis impares ea rescindi curent*, & saluti suæ per matrimonium consulant. *Quem*, inquit, *legitimus scrupulus angit & excruciat, si omnibus, quæ prudentia fert, serio ac fidei ardore tentatis, viderit, se non posse continere, confidenter ego illi auderem consulere, ut non propria autoritate, quæ potius temeritas esset, sed summi Pontificis indulgentia, saluti suæ per matrimonium prospiceret.*

2. Quod de coacti ac votivi cœlibatus nefariis fructibus conqueruntur.

(Illi enim nefarii fructus evidenter testantur, continentiæ virginalis donum non esse omnibus commune, qui ad illud voto se obstringunt.)

Quere-

Querelas illas recensuimus superius in art. 6. de Clericis c.4. membro 11. & in hoc ipso articulo 7. de Monachis capite 2. membr 3.

3. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, in Jure Canonico statuitur, quod ad ea, quæ non sunt in nostra potestate, nemo debeat seipsum astringere, ac si vel maxime astringat, tamen esse votum stolidum, Deo minime gratum, nec obligatorium.

c. Si publicis. cauf. 22. q. 4. ex Concilio Toletano. *Tolerabilius est stultæ promissionis vota rejicere, quam per inutilem promissorum custodiam exhorrendam criminum implere mensuram.*

c. In malis. cauf. & quæst. iisd. ex Isidoro. *Quod incaute vovisti, ne facias.*

c. Si aliquid cauf. & quæst. iisd. ex Beda. *Si aliquod forte incautius nos jurare contigerit, quod observatum in pejorem vergat exitum, libere illud salubri consilio mutandum noverimus.*

c. Unusquisq; cauf. & quæst. iisd. ex Ambrosio. *Non semper promissa solvenda sunt omnia, ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam.*

c. Diffinitio. cauf. & quæst. iisd. ex Concilio Elibertino. *Diffinitio incauta laudabiliter solvenda est, nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio.*

(Jam vero votum continentiæ virginalis non est in omnium potestate, ut Christi & Apostoli dicta Matth. 19. 1. Cor. 7. atq; ipsa experientia testantur.)

Secundo Bellarm. lib. de Monachis. c. 31. §. Illud autem &c. concedit, *non omnes habere potentiam proximam continendi.*

(Ergo etiam non debent ad eam voto obstringi. Addit quidem, *remotam potentiam omnes habere, ut possint precibus hoc donum impetrare,* sed distinguendum est inter dona omnibus fidelibus *communia* & certis personis *propria.*)

Tertio, idem Bellarminus d. l. c. 34. resp. ad 19. scribit: *Donum continentiæ, quo fit, ut reipsa aliquis contineat, non datur, nisi iis, quibus Deus dandum judicaverit.* (Ergo non debet nec potest quis ad virginalē continentiam voto se obstringere, cum certus esse nequeat, an & quādiu hoc donū Deus ipsi velit dare?)

Quarto. Nevizanus in Sylva nuptiali lib. 1. n. 112. sic scribit: *Isti Magistri novitiorum, qui sunt tam seduli ad instigādum adolescentes, imo pueros, ut Frater Thomas Illyricus de potestate Papæ charta 162. intrare religionem, prævideant, quale scandalum eveniat religioni & Reipublicæ ob tales apostatas. Non enim afferunt honorem Spiritui sancto, qui, ubi voluerit, spirat, & non egebit horum instigatorum auxilio, nec tot suasionibus.*

(Atqui, si donum continentiæ virginalis omnibus, qui illud petunt & expetunt, daretur, non esset prohibendum, adolescentes instigare ad vovendum cœlibatum.)

Quinto, Salmeron. in 2. Cor. 7. super verba: *Capite nos. Capere hoc loco non significat intelligere, sed capacem esse, in quo sensu accepit Dominus Matth. 19. Qui potest capere capiat.*

Maldonatus in Matth. 19. v. 11. *Quod Christus dicit: Non omnes capiunt verbum hoc, ita fere omnes exponunt, tanquam si sensus esset, non omnes, quod dicitis, præstare possunt, id est, uxore carere, quia non omnes castitatis donum habent, sed quibus datum est, quemadmodum D. Paulus 2. Cor. 6. v. 13. jubet dilatari Corinthios, ut majorum Dei donorum capaces sint. Itaq; non capere hoc loco significat non esse capacem tantæ virtutis, ut sine uxore vivere quis possit. Hunc sensum Origenes tract. 7. in Matth. Gregorius Nazianzenus Orat. in hæc verba, & Ambrosius in exhortatione ad virgines secuti sunt.*

Subjungit quidem Maldonatus, *Quantum ad me, interpretationem hanc ut sequar, adduci non possum.* Interim nobis sufficit, quod fateatur, *ita fere omnes veteres hunc locum exponere,* quorum interpretationem communem rectius sequimur, utpote textui conformem, quam Jesuitæ singularitatem.)

Eodemmodo etiam exponit Jansenius in Comment. ad illum locum. *Verbum, inquit, capere non accipitur pro intelligere sicut nec postea, cum dicitur: Qui potest capere, capiat.*

Ib. *Verbum χωρεῖν significat capere, quemadmodum vas in se aliquid capere dicitur.*

Barradius ibid. *significat capere instar loci vel vasis.*

(Stante hac expositione, a qua, utpote communi, temere discedendum non est, inevitabiliter sequitur, donum continētiæ virginalis non esse omnibus, qui illud expetunt, commune, sed certis personis proprium. Probe hoc videt Maldonatus, ideo expositionem illam deserit, & capere exponit pro *intelligunt, quantum bonū sit cœlibatus.* At præterquam, quod Ethnicorum libri encomiis cœlibatus pleni sunt, Apostoli, cum quibus Christus ibi loquitur, expresse significant, sibi magis placere cœlibatum, dicunt enim v. 10. *Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quibus Christus ita respondet, ut neget, *verbi illius omnes esse capaces.*)

Sexto, Pererius lib. 8. Physic. c. 16. p. 491. sic disserit: *Appetitus generandi cuilibet homini naturaliter insitus & penitus infixus acerrimus & incitatissimus est, idque post labefactatam primi hominis scelere integritatem Naturæ nostræ, multo etiam vehementior & effrenatior existit.*

(Ergo donum continentiæ est donum supernaturale, ab appetitu generandi omnibus per Naturam insito certas personas extraordinarie liberans, non autem omnibus, qui illud petunt & expetunt commune.)

Septimo, Caspar Sanctius in c. 56. Esai. n. 9. sic commentatur: *Admirabantur olim gentes, cum viderent, tam caste atq; alacriter abstinere Christianos non solum ab impuro, damnatoq; concubitu, sed etiam à conjugali atq; legitimo, quod esse supra Naturæ modum dicebat Augustinus, nondum expertus, quid fortitudinis haberet à Domini præsidio imbecilla caro & ad libidinem prona.*

(Ergo donum continentiæ est supra Naturæ modum ac vires, proinde peculiare & extraordinarium.)

Octavo, Gelasius in Epist. ad Episc. Lucan. *Nos talibus nullum laqueum debemus injicere, sed solum adhortationes præmii sempiterni pœnasq; proponere divini judicii.*

(At nullus laqueus fortior est, quam votum continentiæ, quo conjugium penitus abjuratur. Bellarminus quidem lib. de Monachis c. 23. excipit, *Gelasium loqui de iis, quæ non voverunt, reliquas enim, quæ jam voverunt, non posse sine peccato nubere.* At Gelasius diserte loquitur de iis, *quæ Deo promissam pudicitiam custodire tenebantur.*)

Nono, Bellarminus lib. de Monachis c. 30. §. 2. concedit, *ab Apostolo 1. Cor. 7. ad nuptias vocari eos, qui incontinenter vivunt, ita ut flagitiis sese polluant:*

(At si ad nuptias ab Apostolo vocantur, qui in libidinem consentiunt, quique calore ita labefactantur, ut flagitia committant, certe multi ex Monachis & Monialibus ad conjugium erunt admittendi. Quotus enim quisq; Monachorum est, ac quotacunq; Monalium votivarum, quibus ardor libidinis non ita dominatur, ut quandoq; in actum externum consentiant & corpus suum polluant? Addidit quidem Bellarminus, *hoc ipsum sive consilium, sive permissionem, sive remedium non dari ab Apostolo his, qui voverunt continentiam, sed solum hominibus solutis & liberis.* Sed de eo ipso quæritur, an sit voluntati divinæ conforme, quosdam sibi hunc voti laqueum injicere, per quem remedio ustionum divinitus instituto sese privent?)

Decimo, idem Bellarminus d. l. c. 29. §. 10. scribit, *laqueum appellari ab Apostolo 1. Cor. 7. v. 35. necessitatem, quæ detinet invitum, non autem quamlibet necessitatem. Proinde vota esse laqueos illis, qui temere voverunt, vel, qui coacti sunt ab aliis vovere, cum ipsi nihil tale cuperent.*

(At si per votum cœlibatus laqueus illis injicitur, qui temere vovent, vel, qui coacti ab aliis vovent, negari non potest, in Papatu multis modis contra hanc prohibitionem Apostolicam peccari, ut constat ex illis, quæ pro confirmatione nostræ sententiæ superius sunt allata.)

Undecimo, Alphonsus de Castro lib. 6. adversus hæreses, verbo Eunuchus, sic disserit: *Novi ego hominem, à quo membrum virile ob urgentem infirmitatem fuerat abscissum, qui tamen, ut ipse postea fatebatur, vehementem carnis pruritum patiebatur, & sæpe dolebat, se non posse exequi, quod caro concupiscebat. Quid ergo illi proderat castratum fuisse? Certe parum proderat animæ suæ saluti, cum libidinis ardor carnem ureret, & prava voluntas intra secreta animæ adhuc latitaret.*

(Atqui plurimi eorum, qui votum cœlibatus fecerunt, vehementem carnis pruritum patiuntur, & sæpe dolent, se non posse exequi, quod caro concupiscit. Quid ergo illis prodest, votum cœlibatus emisisse? Certe parum prodest animæ eorum saluti, cum libidinis ardor carnem urat, & prava voluntas intra secreta animæ adhuc latitet.)

Duodecimo. Quidam Pontificii, de quibus Malderus Antuerp. Episc. Comm. de Inst. & Relig. tract. 10. dub. 2. c. 5. disputant, *non licere homini sese voto astringere ad omne omnino præceptum implendum & peccatum vitandum.* Rationem reddunt, *quia hoc est quodammodo impossibile, non solum intelligentes id de venialibus, quæ vocant, peccatis, sed etiam negant consultum esse, ut quis voveat, se nunquam peccaturum mortaliter, imo simpliciter id esse dissuadendum, quia difficile admodum est observatu.*

(Inte-

(Interim tamen docent Pontificii, hominem posse legem implere, & necessarium statuunt à peccato mortali abstinere. Cur ergo hic non usurpant illud, quod perpetuo in quæstione de cœlibatus ipsis in ore, *Petenti dabitur?* cur non hac fiducia vovent ea, quæ sunt præcepti? An, qui vovet, se in perpetuo cœlibatu victurum, non vovet se perpetuo à libidinis peccato abstenturum? Ergo etiam à mortali peccato, quod tamen vovere consultum esse negant. Objicienti, *Davidem jurasse, se observaturū judicia justitiæ Dei*, respondent, *ejusmodi juramēta & vota non esse imitanda*. Rationem afferunt ex Ambrosio. *Noli usurpare exemplum Sacramenti, qui implendi Sacramenti non habes potestatem.* Cur ergo de sua potestate in rebus difficilibus & non necessariis magis præsumunt, ad quæ non tenentur, quam in iis, ad quæ tenentur. Cur non confugiunt ad illud, *Petite & dabitur vobis?*)

Decimo tertio, Bellarminus lib. de Monachis cap. 32. §. Ex quo &c. sic scribit: *Vota non possunt præscribere contra legem divinam.* Jam vero lex divina ac voluntas Dei hæc est, ut qui non sunt continentiæ dono instructi, matrimonium contrahant, 1. Cor. 7. v. 9.

Decimo quarto, idem Bellarm. lib. de Clericis c. 21. §. Adde etiam &c. sic scribit: *Melius est, carere perfectione virginitatis, quā incidere in flagitia scortationum.* Ergo illis, qui continentiæ dono præditi non sunt, sed periculo fornicationis propter ustiones sunt obnoxii, non est imponendum perpetui cœlibatus jugum, sed conjugium concedendum. Jam vero multi ex Monachis dono continentiæ præditi non sunt, ut testatur experientia. *Non admittimus*, inquit Bellarminus lib. & cap. iisd. resp. ad 5. argum. *tot esse concubinarios & impuros inter Ecclesiasticos, quot hæretici dicunt, qui omnes alios ex se metientes, nullos putant esse castos. Certe plurimi sunt, qui quotidie celebrant, & de quibus nulla mala suspicio auditur.* Non negat, inter Ecclesiasticos (ac Monachos) esse quosdam Concubinarios & impuros, nec asserit, omnes esse castos, sed negat tot esse concubinarios & impuros, quot hæretici dicunt, & asserit, plurimos esse, de quibus nulla mala suspicio auditur. lib. de Matrimonio ca. 17. resp. ad 2. object. scribit: *Sæpe accidit, ut vir, qui uxorem ob adulterium dimisit, sit etiam ipse adulter, si non opere, tamen voluntate. Coram Deo autem & in rei veritate, Qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo, Matth. 5.* Atqui, si adulterium voluntate æstimandum, pauci inter Monachos erunt casti.

Exceptiones Adversariorum.

Ad argumentum nostrum ex Apostolo petitum, *quod melius sit nubere, quam uri* 1. Cor. 7. v. 9. excipiunt, *Paulum tentatum fuisse stimulis carnis nec tamen uxorem duxisse*, 2. Cor. 12. v. 7. Bellar. d. l. Estius, Tirinus, Cornelius à Lapide in 1. Cor. 7.

Resp. 1. Benedictus Justinianus in Comm. 1 Cor. 7. *Irenæum, Gregorium, Hieronymum cum Theophylacto, Chrysostomo, Augustino, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, Primasio; quin & Hieronymum cum Hieronymo in expositione hujus loci committit, eosq; qui Paulum de stimulis libidinum loqui putant, reprehendit, quod temere locuti sint, idque parum cordate scripserint, quod vix ulli docto Theologo probare possent.*

2. Sequitur hac in parte Erasmum, qui in annot. ad h. l. sic disserit p. 389. *Nonnulli stimulum hunc interpretantur motus & affectus libidinis, quod demiror ulli docto Theologo placere Divus Hieronymus in Commentariis, quos edidit in Epistolam ad Galatas, refert, quosdam sensisse stimulum hunc fuisse corporis adversam valetudinem, quod Paulus crebro capitis dolore solitus sit affictari. Thomas Aquinas, haud scio quem secutus, ait, eum iliaco morbo fuisse obnoxium. At mihi vero proximum videtur, quod ait Ambrosius, insectationem malorum hominum, quæ illi negotium facessebat assidue, vocari stimulum.*

3. Cajetanus Cardinalis in Comm. h. l. ex verbis sequentibus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, infert, eruditum lectorē *perpendere posse, quod sudes data Pauli carni, Angelus Satan, sub hoc genere contineatur. Nisi enim sub infirmitatis genere cōtineretur, nō attulisset De⁹ pro ratione, nā potētia mea in infirmitate perficitur.*

4. Salmero Disput. 13. in 2. Corinth. quamvis primo loco adducat expositionem *de motu carnis ad libidinem & Venerea urgentem*, tamen alias etiam aliorum expositiones subjungit, utpote, quod Hieronymus in c. 4. Galat. Augustinus in Psal. 130. Chrysostomus Homil. 6. de laudibus Pauli, & Thomas lect. 3. tom. 16. accipiant hunc *σκόλοπα de corporis morbo.* Adducit etiam locum Nicetæ in Gregorii Nazianzeni Orat. 30. *Renum infirmitatem Apostolus significat, atque articulorum debilitatem sive podagram. Sic enim locum illum Pauli de corporis infirmitate & non de fomitis concupiscentiæ veteres quidam intellexerunt.* Postea addit: *B. Vincentius insignis familiæ Dominicanæ suo tempore Prædicator, arbitratus est fuisse dolorem stomachi.*

(Ergo expositio de motibus carnis ad libidinem non gaudet unanimi Patrum consensu.)

Quinimo ipse Salmero, postquam adduxisset locum ex Chrysostomo in 5. Homil. ex 10. à Cardinali Sirleto editis, *quod colaphizatio sit humiliatio, quæ fit ab inimicis, vel per carceres, vel per abductionem ad supplicium, vel per judicium, vel per famem, vel per quamcunque aliam rem*, subjicit, *Præstare hic sensus cæteris videtur, quia Apostolus usus est voce illa σκόλοψ, quomodo LXX. Interpp. Num. 23. &c.*

5. Estius in Comm. itidem fatetur, *Patres quosdam de corporis morbo hunc locum accipere, ac Fabrum & Erasmum interpretationem de incentivo libidinis longissime rejicere.*

Argum Advers. 1. *Jephtha filiam suam perpetuæ virginitati devovit*, Jud. 11. v. 39.

Resp. 1. Pontificii votum cœlibatus referunt *ad consilia Evangelica* à Christo in Novo demum Testamento præscripta, quomodo igitur ex V. Testamento illud probari poterit?

Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. Exo. 15. *Miriam sororem Mosis non mansisse virginem Bonfrerius demonstrat ex eo, quod illo tempore virginitatis studium & rarum esset & laudi non daretur.* Confer Causaubō. ad Apparatum Ann. Exerc. 1. c. 22. & seqq.

2. Thomas. 2. 2. quæst. 88. art. 12. de Jephtha sic scribit: *In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo impius.*

(Ergo exemplum ipsius non est ad imitationem proponendum.)

3. Bellarminus lib. de Matrim. c. 17. resp. ad 14. object. diserte scribit, *perpetuum cœlibatum non fuisse in veteri lege usitatum.* (Unde etiam in propria hujus doctrinæ sede nullum ex V. T. pro voto cœlibatus producit testimonium.)

4. Torniellus in Annal. ann. mundi 2849. n. 3 *Cum Jephta revertenti de prælio occurrisset ante omnes unigenita filia sua, ingemuit, recolens votum quod voverat; nihilominus indulto deprecanti duorum mensium spacio postea eandem Domino immolavit.*

(Si Jephta filiam immolavit, utique perpetuæ virginitati eam non consecravit.)

5. Nicolaus Serarius in Jud c. 11. q. 16. nubem testium ex Patribus & Rabbinis adducit, qui contendunt, *Jephtæ filiam esse mactatam*, cui sententiæ etiam ipse assurgit.

6. Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. Judic. 11. *Non possum comprobare sententiam quorundam Rabinorum & nostri seculi hæreticorum, quos secutus est Lyranus & Mariana, qui dicunt, non occisam, sed metaphorice immolatam fuisse*, (Iephtæ filiam) *id est, virginitatem toto vitæ tempore ad instar Nazaræa servare jussam. Timent enim, inquit Genebrardus, illi Rabini, ne si realem hic mactationem admittant, typum dent Christianis Filii Dei à Patre cœlesti in monte Calvariæ sacrificati, qualis olim ejusdem typus erat Isaac in monte Moria ab Abrahamo immolandus, si nei subtractus non fuisset &c. Et hæc de reali filiæ immolatione est sententia veterum Judæorum, Chaldæi paraphrastæ, Josephi lib. 5. ant. ca. 9. Tertulliani lib. 3. contra Marcion. Ambrosii lib. 3. de Virgin. Augustini q. 49. in Judic. Hieronym. in c. 7. Jerem. Nazianzeni Orat. 20. Epiphanii hæres. 55. Chrysostomi Homil. de Jephtha, Theodoreti q. 19. Severi Sulpicii lib. 1. Isidori cap. 7. Procopii in h. l. S. Thomæ 2. 2. q. 84. art. 2. Cajetani ibid. & fere omnium Christianorum.*

Arg. 2. Maccab 3. v. 19. *mentio fit reclusarum Virginum in templo*, ex quo Baronius in Apparatu probat *votum B. Mariæ virginis, ejusq; in templo educationem.*

Resp. 1. *Libros Maccabæorum* esse *Apocryphos* fatentur quidam ex ipsis Pontificiis.

2. Nulla ibi fit mentio templi, sed tantum dicuntur *reclusæ.*

3. Nec dicuntur reclusæ ob votum aliquod virginitatis, sed ratione pudicitiæ virginalis.

Thomas in illum locum. *Conclusæ erant, alias scilicet, quia tunc virgines arctius custodiebantur.*

Lyranus ibid. *Id est, domibus parentum non exibant ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis.*

4. Bellarminus lib. de matrimon. c. 17. resp. ad 14. object. docet, *perpetuum cœlibatum non fuisse in veteri lege usitatum.*

5. Glossa Ordin. in illum locum sic commentatur: *Virgines, quæ conclusæ erant, de domibus parentum non exibant ratione*

tione verecundiæ & pudicitiæ virginalis, tamen in illa turbatione præter morem solitum exibant.

6. Tirinus Jesuita in Comm. 2. Maccab. 3. sic scribit: *Virgines hæ alias conclusæ erant, & domi parentum latere solebant, ut Gorionides & Lyranus exponunt: vel certe, quæ intra templi claustra concludebantur, ut alibi dixi Exodi* 38. v. 8. ibi vero sic commentatur: *Erant devotæ mulieres divini cultus studiosiores, quæ certatim ac turmatim, fere ad modum cohortium militarium, ex singulis tribubus per vices ad tabernaculum confluere quotidie solebant, partim orandi & jejunia celebrandi, aliaque pia opera exercendi causa, partim legis audiendæ & exequendæ gratia: vel etiam, ut manuali opere nendo, texendo, acu pingendo, lavando, verrendo juvarent opifices & ministros tabernaculi &c.* (Ergo non fuerunt perpetuo cœlibatus voto obstrictæ.)

Argum. 3. *Razias multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo, corpusque & animam tradere contentus fuit pro perseverantia,* 2. Maccab. 14. v. 38. Lyranus in Comment.

Resp. 1. Ostendimus superius Lib. 2. artic. 1. cap. 1. thes. 8. quosdam ex ipsis Pontificiis *libros Maccabæorum* habere pro Apocryphis.

2. Reperimus & illud, quod votum cœlibatus pertineat ad *consilia Evangelica in Novo demum Testamento promulgata*, ex hypothesi Adversariorum.

3. Ostendimus itidem superius Lib. 2. art. 1. cap. 2. thesi 5. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, quod vulgata Latina versio non sit authentica.

(Jam vero in textu Græco istius loci non fit mentio voti cœlibatus, sed ἀμιξίας, per quam separatio à gentilibus ac sinceritatis propositum in religione Israelitica persistendi intelligitur, proinde Razias ex constantia in religione Judaica cum vitæ periculo conjuncta, non autem ex voto cœlibatus honorificum illud nomen sortitus dicitur.)

4. Inde Jacobus Tirinus Jesuita ad locum illum sic commentatur: *Perpetuò continentiæ propositum tenuit in Judaismo, id est, in vera Dei religione constanter sese continuit purum integrumque ab omnibus gentilium impuritatibus.*

Argum. 4. Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Si loqueretur Dominus de his, qui sine ullo voto cœlibes essent, non vocaret eos Eunuchos, nec diceret, qui se castraverunt, sed, qui se quotidie castrant.* Bellarm. de Monach. cap. 23.

Resp. De hoc dicto egimus superius in hoc ipso articulo cap. 3. arg. 5. hic addimus illud:

1. Christus hoc ipso loco docet, donum continentiæ extra conjugium non esse ita comparatum, ut, quisquis cœlibatum elegerit ac voverit, modo velit & petat, possit illud habere, sed quod sit *donum speciale*. Cum enim Apostoli dicerent: *Si negotium hominis cum uxore ita comparatum est*, videlicet, ut vinculum matrimonii, excepta unica adulterii causa, sit penitus indissolubile, *non expedit nubere*; diserte Christus respondet, *non omnes hoc verbum capere, sed quibus datum est.* Ex eo nascitur tale argumentum: Eunuchismus, de quo loquitur Christus, non est omnium. Verba enim sunt diserta. *Non omnes capiunt verbum hoc.* Atqui Eunuchismus Pontificiorum votivus est omnium. *Quicunque enim conantur, tam caste vivere possunt, quam si essent Eunuchi*, ex sententia Maldonati in h. l. Ergo Christus non loquitur de Eunuchismo votivo.

2. Ipsimet Pontificii Interpretes agnoscunt, cap. 7. prioris ad Corinth. expositionem horum verborum Christi continere. In eo vero illud ἐγκράτεια ἑαυτῆς sic exponitur v. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis & hoc judicavit in corde suo.* (Ergo de firmo cœlibatus proposito, non autem de voto cœlibatus proprie ac specialiter sic dicto Christus loquitur.)

3. Lyranus in cap. 16. Lucæ monet, *quod similitudines non semper currant quatuor pedibus, imo si tenerent in omnibus, non jam essent similitudines, sed identitas.*

(Hi, qui ad commodiorem regni cœlestis propagationem ex dono & vocatione Dei à conjugio abstinent, *non quoad facultatem aut potestatem*, sed *quoad actum & exercitium* Eunuchi dicuntur, propterea quod se Eunuchorum instar gerentes, à conjugio & cubili sponte sua & libere, non autem necessitate & coactione quadam abstinent, ex quo non potest colligi aliquod votum.)

4. 1. Cor. 7. v. 35. Apostolus prohibet, ne quis vel sibi ipsi, vel aliis in cœlibatu eligendo laqueum imponat.

(Jam vero Bellarminus Lib. de Monachis cap. 29. §. 10. agnoscit, *laqueum appellari ab Apostolo necessitatem, quæ detinet invitum, ac vota esse laqueos illis, qui temere voverunt, vel, qui coacti sunt ab aliis vovere, cum ipsi nihil tale cuperent.* Atqui plurimi omnino in Papatu sunt, qui temere, viribus suis nondum satis exploratis, ab aliis vel persuasi, vel coacti cœlibatum vovent, unde inviti postmodum hac necessitate abstinendi à matrimonio detinentur, & sic votum ipsis fit laqueus.)

5. Idem Bellarminus Lib. de Matrim. c. 17. resp. ad 14. agnoscit, *cœlibatum perpetuum non fuisse in veteri lege usitatum.*

(Atqui, si *per Eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, intelligendi essent cœlibes votarii, consequens fuerit, multos, antequam Christus personis ad cœlibatum idoneis liberum eum reliquisset, vovisse castitatem. Talia vero cœlibum votariorum exempla nec in V. T. nec in Historia Evangelica occurrunt.)

6. Sequeretur ex hac expositione, multos Martyres & sanctas Virgines, imo ipsos Apostolos, qui sine cœlibatus voto extra conjugium manserunt, non contineri in numero eorum, *qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Qui vovent cœlibatum, seipsos castrant, sed non vice versa, omnes, qui seipsos castrant, vovent virginitatem, possunt enim sine voto seipsos castrare. Proinde necesse non est, Christum loqui *de votiva continentia.*

7. Sequeretur & hoc, omnes illos, qui cœlibatus votum emiserunt, *seipsos castrasse propter regnum cœlorum.* Sed Erasmus in annot. 1. Tim. 3. pag. 469. conqueritur, & experientia luculente testatur, *census Ecclesiasticos hodie multos Clericos & Monachos verius castrare, quam pietatem.*

Argum. 5. *Beata Virgo emisit votum continentiæ, quia ab Angelo audiens, se concepturam ac parituram, respondet: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. v. 35. Bellarminus de Monachis cap. 22. Canisius in Mariali & omnes passim.

Resp. 1. Bellarminus Lib. de Matrim. c. 17. resp. ad 14. object. docet, *perpetuum cœlibatum non fuisse usitatum in lege veteri.*

(Jam vero, cum hæc verba Maria proferret, durabat adhuc status legis veteris. Ecquis igitur sibi persuaderi patietur, B. Mariam sine certo ac expresso Dei verbo, sine mandato, sine promisso, sine exemplo, propria & privata intentione tale votum fecisse.)

Quinimo ἀτεκνία in Vet. Testamento judicabatur probrosa. Thomas part. 3. q. 28. art. 4. *Tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres, quã viros, quia secundũ carnis originẽ cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur.*

Baronius in Apparatu n. 47. *Vigebat tunc & apud Judæos consuetudo, cum filiæ ipsorum adultæ essent, eas nuptui tradere: vertebaturque ignominiæ, si quis aliter faceret, & postquam adulta esset, expectaret, ut esset superadulta.*

(Ecquis ergo credat, parentes Mariæ non optasse sobolem ex hac filia, & quidem, ut nonnulli tradunt, unigenita? absque vero parentum consensu votum virginitatis se non posse emittere, Mariæ probe constabat ex Num. 30.)

2. Si Maria votum cœlibatus emisit, ac nihilominus *Josepho desponsata*, atque ab eo in domum ducta fuit, consequens fuerit, virginibus votariis itidem licitum esse, maritis se desponderi ac ab illis in domum duci. Consequens Pontificii non admittunt. Ergo.

3. c. Genuit. caus. 27. q. 2. ex Hieronymo. *Josephus penè licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat.*

c. Inventa. caus. & quæst. iisd. ex Origene. *Joseph, licet eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat.*

c. Cum initiatur. caus. & quæst. iisd. ex Ambrosio. *Cum initiatur conjugium, conjugii nomen asciscitur, non cum puella viri admixtione cognoscitur.*

c. Qui desponsatam. caus. & quæst. iisd. ex Gregorio. *Divinæ legis mos est, Sponsas appellare conjuges, unde in Evangelio dicitur: Accipe Mariam conjugem tuam.*

(Ex eo sic concludimus. Quæ se patitur alteri desponderi, ut fiat ejus uxor, ea non emisit votum virginitatis, alias γάμον ἄγαμον contrahendo, Deo & hominibus illudere videri posset. Sed Maria passa fuit se Josepho desponderi. Ergo. Votum faciendum earum rerum, quæ sunt in nostra potestate, consentientibus ipsis Pontificiis. At qui matrimonium contrahit, *non habet in potestate suum corpus*, 1. Cor. 7. v. 4. Ergo votum virginitatis irritum reddit, qui vel quæ matrimonium contrahit.)

4. c. Priusquam. caus. 27. q. 2. ex Chrysostomo. *Non dixit, priusquam*

priusquam in Sponsi domum adduceretur, sed priusquam convenirent. Hunc enim morem servabat antiquitas, ut Sponsæ in Sponsorum domibus habitarent. Ut autem generi Loth apud socerum leguntur habitare cum Sponsis nondum sibi copulatis lege conjugii, sic & Maria habitabat cum Sponso.

(Quod si ergò Maria jam antè fuit in domo Josephi, cum inveniretur gravida à Spiritu sancto, consequens est, quod voce συνελθεῖν Matth. 1. vers. 18. non significetur deductio in domum, sed conjugalis congressus, quem adhuc sperabat Josephus, cum Maria ex Spiritu sancto in utero habens inveniretur, ac per consequens, cum ad Angelum jam antè dixisset, *virum non cognosco*. Atque in hac significatione usus conjugalis verbum συνελθεῖν usurpatur 1. Cor. 7 v. 5. Quod si Josephus consummationem conjugii adhuc speravit, cum Maria jamdum esset desponsata, ac jamdum esset gravida, ut colligitur ex verbis Evangelistæ Matth. 1. v. 18. falsum est, quod dicit Thomas part. 3. q. 28. art. 4. *Josepho conscio & consentiente, imò simul vovente, Mariam votum perpetuæ virginitatis emisisse.*)

Quinimò Suarez tom. 2. in part. 3. Thom. q. 29. s. 1. p. 74. scribit, *etiam Mariam in radice & in causa habuisse hunc consensum* (in consuetudinem conjugalem) *consentiendo in matrimonium, quod de se ad talem copulam ordinatur, & ita videtur loqui Cajetanus & Augustinus.*

(Convenit hoc cum Historia Evangelica, quæ testatur, *Mariam Josepho fuisse desponsatam, ut suo tempore convenirent* Matth. 1. v. 18. id est, conjugali consuetudine fruerentur, quod futurum etiam omninò fuerat, nisi interventu nuncii Angelici, & decreto summi illius incarnationis mysterii impeditum & prohibitum id fuisset. At talis consensus in matrimonium & consuetudinem conjugalem directè pugnat cum voto cœlibatus.)

5. Bellarm. h. l. §. Addo tamen &c. statuit, *Mariam habuisse explicitam voluntatem semper continendi, in qua voluntate propriè virginitas consistit.*

(At si Maria ante desponsationem semper continendi explicitam voluntatem habuit, quo fine Josepho sese desponderi passa fuit? absurdum est, *Sponsam* facere eam, quæ *conjux* esse nequit. Ergò, quia se desponderi passa fuit, *explicitam voluntatem semper continendi* non habuit. Certè virginibus illis, quæ cœlibatum perpetuum voverunt, ex Pontificiorum hypothesi *etiam velle nubere damnabile est*, ut probare cupiunt ex dicto Apostolico 1. Tim. 5. v. 11. *Nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*)

6. Opinio de voto virginitatis à Maria emisso originem ducit ex *Protevangelio Jacobi*. At Gelasius in c. Sancta Roman. dist. 15. sub titulo libri de nativitate Salvatoris, & de S. Maria & de obstetrice Salvatoris *inter Apocrypha* illud protevangelium rejicit. Ac Baronius in Apparat. Annal. n. 38. testimonia ex illo *Pseudevangelio Jacobi* adducta repudiat.

7. Lombardus 4. sent. dist. 38. §. 2. ex Augustino ostendit, *votum hoc ante desponsationem corde tantum & non ore à Maria factum fuisse*. Verba sic habent: *Sanè credi potest, non solum Mariam, sed etiam Joseph apud se disposuisse, virginitatem servare velle, nisi Deus aliter juberet, eosq; sic consensisse in conjugalem societatem, ut uterq; de altero, revelante Spiritu sancto, intelligeret, quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret: sed illam voluntatem verbis non expresserant, postea verò expresserunt & in virginitate permanserunt.* In quem locum Durandus sic commentatur: *Uno modo dicendum, quod ante matrimonium B. Virgo habuit propositum servandi virginitatem, sed non vovit, sed subjecit se divinæ dispositioni de contrahendo matrimonio, habens quidem virginitatem in proposito tanquam sibi acceptissimam, non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima, scil. nisi Deus aliter ordinaret: & sic non fecit contra votum, cum votum non emisisset; quod emisit post contractum matrimonii, certificata, quod Joseph simili proposito volebat permanere.* Idem habetur in c. Beata Maria. caus. 27. q. 2. ex Augustino; qui Canon paulo post adducetur. Jam verò Pontificii docent, *ad solenne votum continentiæ non sufficere intentionem cordis, sed etiam requiri professionem oris. Ad votum solenne* (inquiunt Canonistæ & Scholastici) *requiritur voluntatis intentio, rationis deliberatio, cordis promissio, oris expressio, promissionis testificatio seu confirmatio Deo facta, interposita obtestatione nominis divini & addita sive explicite, sive implicite execratione, si non servetur.* Ergò Maria non emisit solenne votum continentiæ. Inde Johannes de Turrecremata in c. Beata Maria, caus 27. q. 2. sic commentatur: *Votum B. Mariæ Virginis non fuit solenne, sed simplex in corde expressum; nec absolutum sed sub conditione,*

8. Ne ipsi quidem Pontificii in opinione de voto Mariæ consentiunt. Quidam enim *ante*, quidam *post desponsationem*, illud emissum esse statuunt, qua de re sic disserit Bellarm. d. l. *Quamvis Thomas non admittat votum absolutum virginitatis in B. Virgine ante desponsationem, Scotus tamen admittit 4. sent. dist. 30. quæst. 2. & ante Scotum Albertus M. in libro de laudibus Virginis, & ante Albertum S. Patres docent, B. virginem vovisse ante desponsationem.*

(Verba Thomæ, ad quæ Bellarminus digitum intendit, sic habent part. 3. quæst. 28. art. 4. *Quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres, quam viros &c. mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Josepho, absolutè virginitatem vovisse, sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio: postmodum verò accepto Sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.*)

In Jure Canonico c. Beata Maria. caus. 27. q. 2. ex Augugino dicitur, *quod post natum filium demum votum illud emiserit. B. Maria proposuit, se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum virginitatis non expressit ore, subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter illi revelaret. Committens igitur virginitatem suam divinæ dispositioni, consentit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroq; obediendo, postea verò, cum filium genuit, quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterq; in virginitate permansit.*

Glossa Ordinaria in c. 1. Luc. *Secundum quod dicunt Doctores Catholici, B. Virgo, antequam desponsaretur Josepho, habuit observantiam castitatis virginalis in desiderio, non tamen sic vovit expresse, sed cum postea, Deo ordinante, esset ei desponsata, quia erat in simili proposito, simul emiserunt votum.*

Atqui Alphonsus de Castro lib. 10. adversus hæreses, titulo Virgo Maria, sic disserit; *Dicitur in Matthæo, quod antequam convenirent,* (Josephus & Maria) *inventa est in utero habens, quia etsi post quam inventa est, nunquam convenerint, tamen fortè Joseph voluisset coire cum ea, nisi prius ab Angelo fuisset admonitus de admirabili Virginis impregnatione.*

(Hæc voluntas non congruit cum voto virginitatis simul cum Maria emisso.)

9. Bellarm. d. l. peculiarem quandam revelationem divinam ponit, *qua edocta fuerit B. Virgo, Josephum nunquam debitum conjugale expetiturum.*

(Ergò, si vel maximè Maria votum virginitatis emisisset, illud tribuendum esset peculiari divinæ *revelationi & inspirationi*, non autem exemplum imitationis propositum omnibus illis, qui volunt continere, cum tamen sentiant, se dono illo peculiari destitui.)

Quo etiam pertinet illud, quod idem Bellarminus lib. de Clericis cap. 24. §. Ad tertium &c. sic scribit: *Christi Sponsa Ecclesia duo privilegia habet, nam & virgo est, & simul fœcundissima est & quotidiè filios parit per lavacrum regenerationis. Duo autem illa privilegia simul nullum conjugium humanum repræsentare potest, illo excepto, quod fuit inter B. Virginem & S. Josephum.* Ergò, si vel maximè concederetur, B. Mariam emisisse votum continentiæ, tamen foret hoc singulare & extraordinarium exemplum, aliis ad imitationem minimè propositum. Ut enim conjugium ejus virginale cum Josepho fuit singulare & extraordinarium: ita quoque votum ejus singulare & extraordinarium fuisset.

10. *Atqui*, inquiunt, *Maria Angelo conceptionem nuncianti, respondet, virum non cognosco. Significat ergò, impedimentum se habere, quo minus filium concipere & parere posset. Non potest autem esse aliud, quam votum virginitatis jam emissum. Nisi enim tale impedimentum significaretur, potuisset statim ab Angelo responderi, etsi nunc non cognoscis, tamen paulò post cognosces.*

Resp. Imò verò ejusmodi responsum fuisset absurdum, tum quia nunciabatur *conceptio miraculosa* à viri consortio prorsus aliena; cujus contrarium Angelus respondisset, si dixisset, *paulò post cognosces & sic paries*: tum quia nunciabatur *conceptio* non aliquando futura; ut cum Zachariæ nunciabatur Joh. conceptio, sed *jamdum præsens*, ut patet tum ex ipsis verbis Angeli ex cap. 7. Es. v. 14. desumtis, *Ecce Virgo prægnans pariet filium*, tum ex communi Theologorum sententia, quod eo ipso momento Maria conceperit, quo verbis Angeli fidem habuit. Christophorus à Castro in Histor. Virginis cap. 5. *Confestim, ô stupendum miraculum! Dei Patris adfuit omnipotentia & Spiritus sancti efficax operatio supervenit.*

11. Ex eo, *quod in verbis Mariæ, Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? non significatur actus præsens*, non potest statim inferri, *significari impedimentum, videlicet, votum nunquam cognoscendi virum.* Datur enim tertium, videlicet, B. Virginem, postquam ex verbis Angeli clarissimis intellexerat, se futuram Messiæ matrem, quem noverat ex Prophetia Esaiæ nasciturum ex virgine, quæsivisse ex Angelo *modum rei*, hoc est, qua ratione in se futurum esset, quod non esset futurum opera viri.

Salmero in h. l. *Alio modo fortasse non minus probabili dici posset, Mariam virginem sacrarum literarum bene peritam & scientem intellexisse, matrem Messiæ futuram virginem, ac propterea quæsivisse ab Angelo modum, quo, salva Virginitate, mater fieri posset.*

(Est hæc sententia Ambrosii in cap. 1. Luc. Theophylacti, Titi Bostrensis & Zachariæ Chrysopolitani ibid. Ac probe notandum, Bellarminum ipsum hanc expositionem amplecti in Recognitione lib. de Monachis §. At inquies &c. *B. Maria*, inquit, *non timuit suæ virginitati, sed cupivit discere modum, quo futurum erat, ut Virgo pareret, ac si dicere voluisset, quoniam virum non cognosco, sine dubio non pariam filium naturali ordine & modo; sed si paritura sum, certè virgo paritura sum, quomodo autem res tam nova & insolita fiet? Atq; hæc videtur esse sententia Ambrosii, qui dicit, Beatam Mariam credidisse, se virginem parituram, sed interrogasse de modo, quo id futurum esset. Et quadrat huic expositioni responsio Angeli dicentis, Spiritus sanctus superveniet in te, id est, virgo paries, quia Spiritus sancti, non viri alicujus operâ paries.* At hanc si sequamur sententiam, in fumum abit Pontificium argumentum, quod pro astruendo B. Virginis voto ex verbis ejus deducunt. Si enim B. Maria ex verbis Angeli intellexit, se parituram virginem, cum virum non cognosceret, ac tantùm voluit discere modum, quo futurum sit, ut virgo pareret, utique non respicit his verbis ad votum aliquod virginitatis.)

Argument. 6. *Actor. 21. v. 9. de Philippo Evangelista commemoratur, quod fuerint ipsi quatuor filiæ virgines. Illas non ad tempus aliquod virgines credere debemus, sed perpetuo & ex electione, refert enim id Lucas tanquam aliquod magnum, quod videlicet uni homini essent quatuor filiæ virgines. At quid magni est habere quatuor filias virgines, quæ, ubi maturæ fuerint, nupturæ sint?* Bellarminus de Monachis cap. 10.

Resp. 1. Bellarminus eo modo citat Scripturam, quo eadem allegatur Matth. 4. v. 6. Addit Lucas, quod Philippo fuerint *quatuor filiæ virgines prophetantes*, id est, Prophetiæ dono instructæ. Ergò non hoc tanquam singulare commemorat, quod virgines fuerint, sed quod fuerint virgines *prophetantes.*

Glossa Interlin. h. l. *Virgines prophetantes juxta illud Joël. 2. Prophetabunt filii & filiæ vestræ.*

Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. *Prophetantes, id est, divinas laudes celebrantes. Sed alii Prophetides propriè dictas vocant, virginitatis enim præmium est sapientia & Prophetia.*

(Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. c. 30. *duas harum nuptui datas* scribit. c. 31. addit; *duas in virginitate consenuisse.* Ergò verba Lucæ non possunt accipi de voto virginitatis.)

2. Pontificii ipsimet distinguunt inter *propositum virginitatis & solenne ejusdem votum.* Ergò ex proposito virginitatis non potest solenne ejusdem votum inferri.

3. Salmeron in Comment. h. l. tom. 12. pag. 341. Eusebium taxat, *quod Philippum Apostolum cum Philippo Diacono confundat*; (& tamen Bellarminus ex Eusebio patrocinium suæ sententiæ quærere conatur.)

Argum. 7. *1. Cor. 7. v. 37. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, benè facit. Ergò Apostolus probat cœlibatus votum.*

Resp. 1. Repetimus illud, quod ex ipsorum Pontificiorum concessione aliud sit *propositum virginitatis*, aliud verò *solenne ejusdem votum. Propositum continentiæ sæpè licet sine ulla culpa mutare*, inquit Bellarm. lib. de Monach. cap. 24. §. 2. sed votum est absolutum & omnem ineundi matrimonii potestatem excludit. Jam verò Apostolus tantùm de proposito virginitatis loquitur.

Glossa Interlin. *In corde suo, hoc est, in proposito.*

Jacob. Tirinus in h. l. *Qui firmum ac stabile habet animi propositum, nec obloquiis aliorum dimovetur à sua sententia.*

2. Apostolus non loquitur de virgine ipsa, sed de parente virginis. Jam verò, etiam ex hypothesi Pontificiorum, *parentes non possunt votum emittere pro filiis vel filiabus suis*, sed requiritur ad votum liber consensus voventis. Bellarminus lib. de Monachis c. 29. *Vota sunt laquei illis, qui coacti sunt ab aliis vovere, cum ipsi nihil tale cuperent.*

Argum. 8. *1. Tim. 5. v. 11. Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint contra Christum, nubere volunt. v. 12. habentes damnationem, quia primam fidem fecerunt irritam. Hic per primam fidem nihil aliud intelligi potest, quam votum continentiæ.* Bellarm. lib. de Monachis c. 24.

Resp. 1. Pontificii votum definiunt, *quod sit solennis promissio propositi supererogantis, seu de bono meliori, quod sit magis meritorium.*

(Jam verò viduis illis tribui nequit, quod viduitatem elegerint sub opinione cujusdam operis supererogationis ac boni magis meritorii, alebantur enim Ecclesiæ facultatibus 1. Tim. 5. vers. 16. quas alii piorum *labores manuum suarum manducantes* conferebant Eph. 4. v. 28. At *beatius est dare, quam accipere* Act. 20. v. 35.)

2. Bellarm. ibidem, §. Sed quocunque &c. *per fidem primam* intelligit *fidem voti, cui respondeat, tanquam secunda, fides matrimonii ineundi.*

(At præterquam, quod assertio de fide voti est mera petitio principii, cum in scriptis Apostolicis nullum voti inveniatur vestigium, notandum insuper illud, quod viduæ illæ jam antè marito demortuo fidem matrimonialem dederint, ideò, si de fide voti Apostolus loqueretur, eam potius appellasset *fidem secundam*, & fidem novi matrimonii *fidem tertiam.* Ergò per primam fidem non intelligit *votum cœlibatus*, sed fidem Christianismi in Baptismo Deo datam, quam præcedere votum, seu fidem voti, negari nulla veritatis specie potest. Nimirum non potest fides ulla dici prima, nisi quam secuta fuerit alia. Fidem autem continentiæ alia nulla ponitur secuta, sed hæc manifestè secuta est fidem Christianam. Si velint dicere, appellari *πρώτην πίστιν ἀντονομαστικῶς*, respondemus, hoc non potuisse fieri de ea promissione, quæ nunquam inveniatur fides appellata. Bellarminus ipse fatetur, fidem nusquam significare votum. *Etsi*, inquit, *fides nusquam significet votum, tamen multis locis significat promissionem.* §. Sed hæc &c.)

3. Repetimus denuo, quod ipsimet Pontificii inter *simplex propositum* & promissum *continentiæ*, ac *solenne ejusdem votum* distinguant.

(Concedimus, viduas illas in Collegium Ecclesiasticum receptas habuisse propositum, quin & *promissionem expressam* vel *tacitam* in viduitate permanendi, ac ministerio suo pauperibus, ægrotis, exulibus &c. diligenter inserviendi, sed ex eo inferri nequit, eas voto solenni, cum abjuratione conjugii in perpetuũ, sub conditione æternæ damnationis sese astrinxisse.

4. Jacobus Tirinus Jesuita ad hunc locum sic annotat: *Votum hoc initio Ecclesiæ non dirimebat matrimonium, sed hoc posterioribus demum seculis paulatim inductum ab Ecclesia, ac tandem sub Innocentio Secundo circa Annum Domini 1139. in Concilio Lateranensi pro tota Ecclesia, tanquam impedimentum dirimens, decretum ac sancitum est.*

(Ergo tale votum, quale hodiè in Papatu viget, non traditur in textu Apostolico.)

Argument. 9. quo probare cupiunt, *omnes posse à Deo continentiæ donum impetrare, si velint & annitantur. Etsi*, inquiunt, *particularis promissio desit, sufficere tamen promissionem generalem, Luc. 11. v. 9. Petite & accipietis. Joh 14 v. 13. Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Alioquin enim, si requireretur particularis promissio, nec fides, nec spes, nec dilectio, nec continentia conjugalis, nec alia virtus peti posset, nusquam enim extant promissiones horum donorum in particulari.* Bellarm. de Monach. c. 31.

Resp. 1. Maldonatus in capit. 7. Matth. sic annotat: *Major quæstio est, quomodo sententia vera sit, cum experientia quotidiana doceat, multa nos, quæ petimus, non accipere. Docuimus supra affirmantes promissiones nunquam esse simpliciter & sine exceptione intelligendas, ad eam regulam hic locus explicandus est.* (Docuerat autem ad capitis 6. vers. 12.) *Ut semel dicam, hoc inter negantes & affirmantes promissiones aut conditiones differt, quod negantes absolutè & sine alia superaddita conditione: affirmantes nunquam absolutè, sed cum exceptione, nisi quid aliud impediat, intelliguntur.*

(Ergò promissiones donorum, quæ non sunt absolutè ad salutem necessaria, inter quæ etiam est donum continentiæ virginalis, cum conditione sunt intelligendæ. Nimirum distinguendum inter dona Dei necessaria & *ἀδιάφορα.* Illa sunt, quorum privatio opponitur gratiæ in Christo directè; hæc vero, quæ etsi sint effecta gratiæ, tamen in neutram op-

positio

positionis partem efficiunt gratiæ. Prioris generis sunt fides, spes, caritas, patientia, humilitas &c. posterioris generis, Prophetiæ, linguæ, miracula &c. Donum continentiæ virginalis pertinet ad posteriorem classem, ideò non omnes precibus suis illud impetrare possunt.)

2. Cornelius Jansenius in cap. 43. Concord. Evang. itidem generalem promissionem limitat. *Generalis illa sententia, Omnis, qui petit, accipit, sic primum est accipienda, omnis, qui petit recta & rectè, vel, qui petit, quæ oportet & quomodo oportet. Præter hæc verò in orante requiritur, ut non sit in eo legitimum impedimentū, quo se indignum faciat exauditione apud Deum.*

(Atqui manifesta est Dei voluntas, *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.*)

Thesis specialis quarta. Votum continentiæ in junioribus non est probandum.

Ἔκθεσις. Non est quæstio de proposito continentiæ, sed de solenni ejusdem voto.

Antithesis. Pontificii juris Interpretes in masculis Annum 14. in fœmellis Annum 12. ad præstandum continentiæ votum sufficere censent, c. ad nostram. ext. de regularibus. c. Significatum, c. Cum virum. tit. eod. c. Puella. caus. 20. quæst. 2. Concilium Trullanum Can. 40. & Concilium Triburiense Can. 24. permittunt professionem etiam ante annum duodecimum.

Concilium Tridentinum sessione 25. Can. 15. statuit, *professionem non debere fieri ante annum decimum sextum.*

Bellarm. de Monachis c. 35. §. 3. & 7, duas de ætate voventium format propositiones. Prior hæc est, *quod ad vota suscipienda continentiæ, obedientiæ & paupertatis requiratur quidem ea ætas, in qua sit usus liberi arbitrii, sed ubi is adfuerit, in quacunq; ætate licet talia vota nuncupare.* Posterior sic habet, *quod ad professionem publicam expetenda sit ea ætas, quam leges Ecclesiæ præscribunt, quæ pro temporum & locorum diversitate extiterint variæ.*

Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. c. 55. *Si ad annum discretionis, nimirum septennium, puer suscepit ordines, & tunc erat voti capax, nec contradixit voto continentiæ, Ordo tenet.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex dicto Apostolico* 1. Timoth. 5. v. 9. *Vidua eligatur non minor sexaginta annis.* v. 11. *Adolescentiores autem viduas rejice.* v. 14. *Volo juniores viduas nubere, ne occasionem calumniandi dent adversario.* Apostolus exemplo viduarum juniorum, quæ in Collegium Ecclesiasticum receptæ à fide Christianâ deficiebant, ut absq; exprobratione Judæis vel gentilibus maritis nubere possent, permotus, ætatem 60. annorum definit, quam attingere vidua debuit, antequam in illud Collegium viduarum reciperetur propter periculum scilicet lapsus, cui juniores sunt subjectæ, quas proinde ad conjugium ablegandas esse censet. Eadem verò est ratio virginum juniorum hac in parte, quæ viduarum. Annus ergò decimus quartus vel eo adhuc minor, non est legitimum ætatis tempus, quo *votum solenne cœlibatus* exigi vel suscipi possit, tunc enim nondum constare potest, an adsit continentiæ donum, sed expectari debet annus professionis, quem ipsa Scriptura determinat.

2. *Ex gravissimo periculo*, cui juniores, cœlibatum cum abjuratione conjugii voventes, se exponunt. Non tantùm exemplum istarum viduarum, de quibus 1. Timoth. 5. vers. 11. agitur, sed etiam quotidiana experientia clamat, quosdam in primo quidem juvenilis ætatis flore cœlibatus amore & admiratione ita duci, ut deliberato etiam proposito eum suscipere non dubitent, qui tamen postea incontinentia ita tentantur, ac ustionum flammis ita æstuant, ut nullo conatu, nulla lucta, nec remediis aliis eas extinguere possint. Ergò gravissimo periculo se exponunt, qui in juvenili & immatura ætate adhuc constituti ita se cœlibatui devovent, ut æternæ damnationis reos se constituant, si quocunque etiam casu incidente conjugium postea contrahant.

3. *A consequente absurdo.* Si licet votum continentiæ nuncupare in quacunque ætate, modò adsit usus liberi arbitrii, consequens fuerit, etiam impuberes posse continentiam vovere. At consequens est absurdum, cum juxta communem Doctorū sententiam *impuberes in judicio jurare non possint.* Ergò multò minus Deo continentiam vovere possunt.

4. Apostolus 1. Corinth. 7. v. 35. cœlibatum nemini vult debere fieri *laqueum.* At si juniores viribus nondum satis exploratis cœlibatum voveant, verè ipsis fit laqueus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Pontifices & Concilia à Pontificibus approbata negant, in quacunque ætate licere votum continentiæ suscipere, in qua sit usus liberi arbitrii, sed certos annos definiunt.

Concilium Romanum sub Sylvestro Can. 10. prohibet *velari Sanctimoniales ante annum 72.* (ubi annis ab Apostolo definitis 12. adduntur.) Additur etiam Constitutionis ratio, *quia post eam ætatem nullum est periculum, ne earum pudicitia violetur.*

Marcellus Papa, circa Annum Christi 304. statuit, *ut Monachi ante professionem annis quindecim probentur.* Compend. Concil. fol. 37.

Leo I. *consecrationi Monialium constituit annum 40.* (quod facit etiam Concilium Cæsar-Augustanum cap. ult.)

c. Sanctimoniales. caus. 20. quæst. 1. ex Concilio Carthaginensi III. *Sanctimoniales ante annum quadragesimum non velentur.*

(Concilium Agathense Can. 13. *Sanctimoniales, quantumlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.*)

Leo I. constituit *annum ætatis 25.* (quod facit etiam Concilium Africanum quartum c. Placuit, caus. & quæst. iisd. *Placuit, ut ante 25. annos nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.*)

Decretum illud Leonis citatur c. Virgines, caus. & quæst. iisdem. *Virgines non velentur ante 25. annos, nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis*; (quasi verò per veli impositionem periclitanti pudicitiæ subveniri possit, cujus contrarium testantur exempla.)

Gelasius I. in Epist. ad Episcop. Lucan. c. 14. & 15. itidem decrevit, *ne ante annum ætatis 25. virginibus sacrum velamen imponeretur, nisi languore correptis, viduis autem velamen imponi vetuit, ne laqueus eis injiceretur.*

Gregor. lib. 1. Epist. 48. *ante annum 18. vetat fieri votum.*

(Cum quo consentit c. de his, dist. 2. ex Concilio Toletano; & c. Quia. caus. 20. q. 1. *Etiam pueros in iisdem Monasteriis ante annorum 18. tempora suscipi prohibemus.*)

Lib. 3. Epist. 11. vetat, *Sanctimonialem velari ante annum 60.* (quod Gregorii dictum citatur c. Juvenculas, caus. & quæst. iisdem. *Juvenculas fieri Abbatissas vehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus vita atq; mores hoc exegerint, velari permittat.* Rubrica illius Canonis sic habet: *Ante sexagesimum ætatis suæ annum virgines non consecrentur.*)

2. Quod quidam vota juniorum improbant.

Ansegisus Abbas in Opere Decreta Caroli Magni & ejus filii complectente, (circa Annum 880.) docet, *quod pueri ac puellæ non debeant ante maturam ætatem intrudi in Monasteria*, maturam autem ætatem facit annorum 25.

Durandus (circa Ann. 1300.) parte 2. de modo celebrandi Concilii tit. 13. dicit, *utile videri constitui, ut nec juvenes, nec virgines ante annum 25. consecrentur.*

Johannes Ferus in c. 19. Matth. p. 96. *Nemo cogi debet ad virginitatem. Non enim omnes capiunt verbum hoc, ut videas, quam non cautè ac circumspectè agant, qui filios, etiamnum infantes, Monasteriis includunt, aut filios vixdum natos ad Ecclesiastica provehunt beneficia, cum nesciant, quales futuri sint, imò ne Deum quidem orant, ut detur eis Spiritus continentiæ. Ex quo quanta mala oriantur, quis non videat? sicq; plerunque parentes & se & filios perdunt propter temporalia.*

Georgius Cassander in Consult. art. 23. *Fatendum est, graviter à posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem cœlibatus multis in laqueum verterunt, dum juvenes nondum sibi cognitos & exploratos temerè ad Ecclesiasticum Ministerium admiserunt, & cùm illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, impuros potius concubitus dissimularunt.*

(Eadem est ratio professionis Monasticæ à juvenibus nondum sibi cognitis & exploratis factæ.)

3. Quædam hypotheses Adversariorum nostræ suffragantur sententiæ.

Primò, Leo Episcopus Romanus Epist. 95. sic scribit: *Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atq; habitum susceperint, si postea nubant, prævaricantur.*

(Ergò à contrario sensu, si parentum imperio coactæ professæ sunt, nubendo non prævaricantur. Ratio est, quia defuit plenarius consensus. Atqui eadem est ratio istarum virginum, quæ ætate adhuc immatura blanditiis aliorum illectæ cœlibatum vovent, nondum sibi satis cognitæ & exploratæ.)

Secundò, Præpositus (Canonista) in c. cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonium, quam cognoverat per adulterium, scribit, *non esse de facili inducendam pœnitentiam perpetuæ continentiæ, nisi ei, qui jam transierit dies suos, in quem non facilè cadat præsumtio fornicationis.*

(Eadem est ratio eorum, qui vovent cœlibatum. Ergò nec illi ad hoc votum admittendi, antequam transierint dies suos.)

Tertiò, juxta Decreta Pontificum *liberi sunt à nexu voti, qui infra annum probationis, quem ipsi constituerunt, cœlibatum voverunt.*

(Ergò multò magis liberi erunt à nexu voti, qui infra annum 60. ab Apostolo præscriptum 1. Tim. 5. v. 9. votum temerè emiserunt.

Quartò, Bellarm. lib. de Monachis cap. 34. §. Nolebat &c. concedit, *viduas infra annum 60. constitutas excludi ab Apostolo à numero earum, quas Ecclesia alebat, quia turpius erat, aliquam earum viduarum, quæ ab Episcopo alebantur & regebantur, labi quam aliam, ideò eas valdè probatas esse volebat, & quibus nullum periculum incontinentiæ timeretur.*

(Si turpius erat labi aliquam viduarum, quæ ab Ecclesia alebantur, turpe etiam erat labi aliquam, quæ viduitatem erat professa. Quod si ergò juniores arcentur à Collegio illarum viduarum propter periculum lapsus, utique propter eandem causam à voto continentiæ erunt arcendæ, periculum enim lapsus utrobique idem. Præterea, si ex constitutione Apostoli juniores viduæ ac virgines arcendæ à Collegio earum fœminarum, quæ Ecclesiæ sumtibus aluntur & ab Episcopo reguntur, nullæ 60. annis inferiores in Monasterium recipiendæ, nec solenne continentiæ votum ab illis suscipiendum, quia omnes Moniales ab Ecclesia aluntur & ab Episcopo reguntur.

Quintò, Bellarminus magnis viribus ex loco illo Apostolico 1. Tim. 5. v. 9. *votum continentiæ* astruere laborat lib. de Monachis c. 24.

(At, si dispar est ratio inter illas viduas Ecclesiæ sumtibus sustentatas, & inter Moniales votivas, subruitur penitus fundamentum argumenti, quod ex loco illo Apostolico Bellarminus nectit.)

Sextò, idem Bellarm. lib. ejusd. cap. 35. §. At, inquit &c. sic scribit: *Verbis illis, Volo juniores viduas nubere, opponendum esse illud 1. Cor. 7. Volo omnes esse sicut meipsum, id est, continentes. Cùm enim istæ voluntates contrariæ sint, oportet dicere, neutrum afferre præceptum, & absolutè quidem Apostolum cupivisse, ut omnes continerent, tamen, quia nonnullæ bonum propositum deseruerant, cœpisse optare, ut juniores, quæ non viderentur perseveraturæ, potius nuberent, quam voverent.*

(Si Apostolus ideò cœpit optare, ut juniores viduæ, quæ non viderentur perseveraturæ, potius nuberent, quam voverent, quia nonnullæ bonum propositum deseruerant, utique judicavit, junioribus viduis non esse votum cœlibatus imponendum, vel ab aliis suscipiendum, sed conjugii libertatem relinquendam.)

Septimò, *Impuberes non possunt jurare in judicio, nec possunt seipsos ex contractu obligare, nec possunt facere actum aliquem ultimæ voluntatis*, juxta communem Doctorum sententiam. Ergò nec per votum cœlibatus se huic vitæ generi mancipare possunt.

Arg. Bellarm. 1. *Thren. 3. Bonum est homini, si portaverit jugum ab adolescentia.*

Resp. 1. Bellarm. ipse lib. de Matrim. c. 17. resp. ad 14. scribit, *perpetuum cœlibatum non fuisse in veteri lege usitatum.*

(Quomodo ergò pro voto juniorum ex V. T. testimonium adducere potest?)

2. Christophorus à Castro lib 5. Comment. in Jerem. p. 458. sic commentatur: *Ad consolationem eorum, qui in tribulationibus despondent animum, hæc dicit: Oportet enim subjici sub potenti manu Dei, ut eripiat nos in tempore tribulationis, non illi resistere.*

Et postea. *Chaldæus paraphrastes, Hugo, Dionysius & Isidorus intelligunt jugum legis ac mandatorum, Ruperto & Lyræ videtur congruentius significari tolerantiam rerum adversarum Dei decreto & voluntate venientium.*

(At cœlibatus Monasticus non est præcepti, sed consilii, nec pertinet ad tribulationes divinitus immissas, sed sponte susceptas.)

3. Cornelius à Lapide in illum locum. *Jugum scil. legis & mandatorum divinorum, unde Chaldæus vertit, Bonum est viro, si docuerit animam suam, ut portet jugum præceptorum Domini à juventute sua &c. Aptius & germanius, jugum scil. adversitatum, quas Deus nobis imponit. Utilissimum enim est, si ab adolescentia sua cum Jeremia quis assueverit adversitati, humiliationi, jugo disciplinæ & correptionis Domini &c. Tertio, alii Beth pro Caph accipiunt, & pro in adolescentia vertunt instar adolescentiæ, sicut adolescentes, q. d. Bonum est ferre jugum Domini instar adolescentum & juvenum vegetorum & animosorum, qui solent esse laborum & malorum patientissimi. Verùm secundus sensus est genuinus.* (Atqui ex genuino illo sensu votum cœlibatus non poterit deduci.)

4. Jacobus Tirinus Jesuita ad illum locum sic annotat: *Bonum est viro, cùm jugum adversitatum & afflictionum à Deo immissarum sic patienter portaverit ab adolescentia sua, hoc enim domatur fervor ætatis illius, arcentur illecebræ peccatorum, roboratur animus & innumeris præmiis occasiones subministrantur.*

Argum. 2. *Christus Matth. 19. dicit: Sinite parvulos ad me venire &c.*

Resp. 1. Bellarm. lib. de Baptismo cap. 8. probat ex hoc dicto, *infantes per Baptismum Christo offerendos esse*, ac refellit exceptionem Anabaptistarum, *quod Evangelia loquantur non de infantibus, sed de pueris, qui jam habent usum rationis. Lucas*, inquit, *habet* βρέφη, *quod significat infantes, & ibidem addit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse.*

Idem statuit Franciscus Lucas Brugensis, qui ad h. l. sic annotat: *Puellos, qui per ætatem nondum ipsi poterant sive pedibus, sive affectibus venire, ad se venire reputat, quando à parentibus aut amicis fide duce ipsi offeruntur.*

(At, si hæc Bellarmini argumentatio ac responsio est solida, non potest hunc locum applicare ad eos, qui rationis ac liberi arbitrii usum habentes vovent continentiam.)

2. Idem Bellarm. lib. de Monachis c. 14. §. Potest &c. statuit, *votum ex libera voluntate proficisci debere.*

(At pueri nondum possunt libera voluntate vovere.)

3. Desumsit hoc Bellarminus ex Thoma 2. 2. q. 88. art. 1. *Votum est conceptio boni propositi cum animi deliberatione firmata.*

(Atqui parvuli firmatam illam animi deliberationem nondum possunt habere.)

4. Dictum Christi *generale* est & omnes omninò Christianorum liberos complectitur, quod offerri & afferri ipsi debeant per preces, per Baptismum, per informationem & disciplinâ. Sed ne ipsi quidem Pontificii volunt de dono continentiæ generale aliquod præceptum extare.)

Thesis specialis quinta. Non licet filiis, invitis parentibus, religionem, ut vocant, sive vitam Monasticam vovere.

Antithesis. c. Si in qualibet 1. caus. 20. q. 2. *Parentibus sanè filios suos religioni tradere non amplius, quam usq; ad quartum decimum eorum ætatis annum licentia poterit esse: postea verò, an cum voluntate parentum, an si suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.*

Inde Pontificii perpetuò in ore & calamo habent illud Hieronymi in Epist. ad Heliodorum. *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus ubera, quib. te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcato perge patre siccisq; oculis ad vexillum crucis evola, solum pietatis genus est, hac in re esse crudelem.*

Stapletonus in Promtuario Morali Domin. 1. post Epiph. p. 154. §. 5. *Puer Jesus volens aliquid extra ordinem facere, & singulare Deo obsequium præstare supra communem & vulgarem pietatem, volens Patris sui cœlestis imperio parere & aliquod divinitatis suæ specimen dare, inscius parentibus hoc facit, disertè docens, in iis, quæ singulariter ad divinum obsequium spectant, parentum consensum neq; obsecrandum, neq; expectandum esse, nullam denique carnalium parentum aut amicorum in eo negotio curam aut rationem habendam, etiamsi tales alioqui sint, quos nihil sancto proposito obfuturos constet.*

Postea subjicit pag. 155. *Hujus heroicæ pietatis tot ferè exempla sunt, quot boni Sacerdotes & Monachi carnales & mundanos parentes habuerunt.*

Bellarminus lib. de Monachis cap. 36. §. 2. *Licet filiis, invitis parentibus, ad religionem transire, duabus servatis conditionibus, Una est, ut ad annos pubertatis pervenerint, porrò, pubertas in viris est anno 14. in fœminis anno 12. Altera conditio, ut parentes non sint in tali necessitate constituti, ut sine filiorum auxilio vivere non possint.*

Johannes Gastius in Memorabilibus. *Mentiar, nisi Cardinalis Sedunensis in convivio multis audientibus nominatim commemoravit vicum, personas, & Monasterium, in quo vivum adolescentem defoderant Dominicani, quod pater eques filium eò pertractum minis reposceret.*

Hasenmüllerus in Hist. Jesuit. c. 7. exempla commemorat eorum, qui, *invitis parentibus*, Monasterium ingressi sunt.

Nostram

Noſtram ſententiam probamus,

1. *Ex præcepto divino* de *honorandis parentibus*, Ex. 20. v. 12. Epheſ. 6. v. 1. At, qui contra voluntatem parentum cœlibatui ac vitæ Monaſticæ ſeſe devovent, non honorant parentes, nec debitam obedientiam illis præſtant.

2. *Ex ſpeciali lege* de voto filiæ, Num. 30. v. 4. Cui competit votum filiæ infringere, abſque ejus conſenſu & voluntate filia non poteſt cœlibatum vovere. At patri juxta illam legem jure patriæ poteſtatis competit votum filiæ infringere. Ergò.

3. *Ex regula Apoſtolica*, 1. Tim. 5. v. 4. *Mutuam vicem reddere parentibus eſt bonum & acceptum coram Deo.* At qui Monaſticam obedientiam vovent abſque conſenſu, imò contra voluntatem parentū, illi ἀντιπελάργησιν & ἀπόδοσιν τῶν θρεπτηρίων ſusque deque habent. Neque enim vel conſilio, vel re ipſos adjuvant, in morbis curam eorum non gerunt, mœrentes non conſolantur, adeoque pro educationis beneficio nullam ipſis gratiam rependunt.

4. *Ex præſcripto Apoſtoli*, 1. Cor. 7. v. 37. ubi patri tribuitur *conſilium* & deliberatio de ſervanda filiæ virginitate. At ſi liberi, invitis parentibus, cœlibatum vovere poſſent, nulla amplius relicta foret hac de re parentibus deliberatio.

5. *Ex paritatis ratione.* Liberi in poteſtate patria conſtituti non poſſunt, invitis parentibus, matrimonium contrahere, ut in articulo de matrimonio demonſtratur. Ergò nec poſſunt perpetuo cœlibatui iisdem inſciis & invitis ſe aſtringere. Ratio connexionis eſt, quia Apoſtolus poteſtatem elocandi vel non elocandi filiam parentibus tribuit. *Filiusfamilias ſine patris autoritate nec Reipublicæ quicquam poteſt polliceri*, l. Si quis ff. de pollicit. Ergò nec poteſt ſe & ſua ſine voluntate patris Monaſterio tradere. *Filiifamilias ex mutuo abſq; parentum conſenſu non tenentur*, l. Filiusfamilias. C. de fidejuſſoribus. & ibi Dd. Ergò nec ex voto.

Confer B. Lutherum tom. 4. Witeberg. fol. 456. fac. 2. tom. 2. Jen. fol. 38. tomo 5. Jenenſi fol. 374. & 375.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. c. Si qui. diſt. 30. ex Concilio Gangrenſi. *Si qui filii parentes maximè fideles deſeruerint, occaſione Dei cultus hoc juſtum eſſe judicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipſum in eis venerentur, quod fideles ſunt, anathema ſit.*

(Bellarminus regerit, *hoc ſtatui contra eos, qui parentes deſeruut, nec eorum curam gerunt, etiamſi maximè indigeant.* At quotusquisque indigentiæ paternæ in vovendo rationem habet? Oppoſita eſt Synodus Gangrenſis Euſtathio, qui Monaſticæ profeſſionis prætextu liberos à parentum complexu & cura illis impendenda abſtrahebat. Idem adhuc hodiè faciunt votorum contra parentum conſenſum emiſſorum patroni.)

2. Durandus Epiſcopus Mimatenſis de modo celebrandi Concilii part. 3. tit. 16. docet *prohibendum, ne quisquam invitis parentibus ad Monaſteria convolet, quod & in Gangrenſi Concilio ſtatutum eſſe* affirmat.

3 Quædam hypotheſes ab Adverſariis conceſſæ.

Primò, Anſegiſus in Decretis Caroli Magni & filii ejus memorat, Carolum ſtatuiſſe, *quod nemo debeat profiteri Monachatū, niſi petita à Rege veniâ.*

(Ergò multò magis requiritur, ut nemo liberorum Monachatum profiteatur, niſi petita à parentibus venia, quia parentes majorem poteſtatem habent in liberos, quam Magiſtratus in ſubditos.)

Secundò, Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. *Non poteſt* (inquit) *quispiam alteri ſubjectus ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubjicitur, ſine ſui ſuperioris conſenſu.*

(At filiifamilias parentibus ſunt ſubjecti. Ergò abſque illorum conſenſu non poſſunt ſe per votum obligare.)

Tertiò, multi ex Pontificiis agnoſcunt, *liberos non poſſe nec debere matrimonium contrahere invitis parentibus*, ut in articulo de matrimonio c. 3. demonſtrabitur.

(Ergò etiam agnoſcant, liberos non poſſe vovere Monaſticen invitis parentibus. Ratio eſt, quia Apoſtolus poteſtatem elocandi ac non elocandi filiam parentibus tribuit 1. Cor. 7. verſ. 38.

Quartò, Pontificii ſtatuunt, *uxorem non poſſe vovere perpetuam continentiam ſine conſenſu viri.* Bellarm. lib. de Monachis c. 37. §. Secundo probatur &c.

(Ergò etiam agnoſcant, liberos non poſſe ſtatui Monaſtico ſe mancipare ſine conſenſu parentum. Ratio eſt, quia ut maritus in uxorem habet *jus maritale*, ſic parentes in liberos habent *jus poteſtatis patriæ.*)

Quintò, Pontificii concedunt, *ſervum non poſſe ingredi religionem ſine conſenſu Domini.* Bellarm. de Monachis cap. 36. reſp. ad 2. argum.

(Ergò etiam agnoſcant, liberos non poſſe religionem ingredi abſque conſenſu parentum. Excipit quidem Bellarminus, *rationem eſſe diſparem, cum uxor non habeat poteſtatem ſui corporis, ſed vir*, 1. Corinth. 7. v. 4. *ac ſervus non habeat perſonæ ſuæ poteſtatem; filii autem, quoad perſonam ſuam, ſint liberi poſt annos pubertatis.* Sed in quæſtione de conſenſu parentum in nuptiis filiorum contrarium demonſtratur.)

Sextò, Catechiſmus Tridentinus in explicatione quarti præcepti ſic loquitur: *Parentes honoramus, cum noſtras rationes ad eorum arbitrium voluntatemq; conferimus, conſilia eorum non modo exquirimus, verùm etiam ſequimur.*

(At, qui abſq; parentum conſenſu vovent, non exquirunt, nec ſequuntur conſilia parentum. Ergo nec honorant parentes, & per conſequens peccant contra quartum præceptum.)

Septimò, Granatenſis de Commun. part. 4. cap. 9. hæc habet: *Sic devotioni vacandum eſt, ut quæ ſunt officii, non negligas, ut, qui filios habet, educet eos, eisq; proſpiciat, nec omnia in templis extruendis conſumat. Hoc voluntatis eſt, illud neceſſitatis; hoc conſilii, illud præcepti. Hoc eſt fundamentum vitæ, ne opera juſtitiæ propter ea, quæ ſunt gratiæ, omittamus. Sic Scriptura, melior eſt obedientia, quam victima. Illud officium vocat, ad quod obligati ſumus, hoc victimam, quicquid ex devotione & voluntate proficiſcitur. Sed homines plerunq; in contrariam ſententiam præcipites ſunt, ut, quæ ipſi excogitarunt, quæq; proprio animi motu aſſumunt, magis curent, quam quæ illis ſunt impoſita.*

(Idem obverti poteſt liberis contra parentum conſenſum Monaſterium ingredientibus, videl. quod ſic vacent devotioni, ut quæ ſunt officii, negligant.)

Octavò, *votum cœlibatus & ſtatus Monaſticus*, fatentibus Pontificiis, *eſt res conſilii, non præcepti; obedientia erga parentes eſt res præcepti, non conſilii.*

(Ergo; quod Chriſtus Phariſæis propter traditiones humanitus excogitatas præceptum de honorandis parentibus irritum facientibus obvertit Matth. 15. v. 3. Marc. 7. v. 9. idem etiam Pontificiis ob vitæ Monaſticæ regulas & cœlibatus votum præceptum de parentibus honorandis poſthabendum eſſe docentibus jure meritoq; obverti poteſt.)

Nonò, Bellarminus cap. 36. §. Probatur, d. l. fatetur, *Scripturas diſertè hoc non docere, quod poſſint filii invitis parentibus religionem ingredi.*

(Ergo hoc non poteſt fieri, niſi trepidante ac titubante conſcientia. Addit quidem, eſſe hoc Scripturis valdè conforme, ſed dicta, quæ affert, ſunt à propoſita quæſtione prorſus aliena, ac pleraque eorum petita ſunt ex V. Teſt. in quo vota Monaſtica nondum habuiſſe locum, ipſimet Pontificii fatentur.)

Decimò, idem Bellarminus lib. & c. iisd. §. 3. & 5. Theophylactus &c. fatetur, *parentibus obediendum eſſe in omnibus, quæ non impediunt pietatem.*

(At non impeditur pietas, ſi vel maximè quis non profiteatur Monaſticen invitis parentibus, quia, ut rectè monet Eraſmus in præfat. milit. Chriſt. p. 22. *In affectibus eſt Chriſtianiſmi perfectio; non in vitæ genere; in animis eſt, non palliis, non cibis*)

Undecimò, idem Bellarm. d. l. concedit, *Baſilium illos filios, qui ob minorem ætatem adhuc ſubſunt in omnibus patriæ poteſtati, ad Monaſticen admitti nolle.*

(At Pontificii juxta Decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 25. Can. 15. hodie votum recipiunt anno ætatis decimo ſexto; in quo filii adhuc ſubſunt patriæ poteſtati. *Minores* dicuntur à Jurisconſultis, qui annum decimum quintum non excedunt.)

Theſis ſpecialis ſexta. Votum perpetuæ continentiæ in conjugatis probari nequit.

Ἔκθεσις 1. Diſtinguendum eſt inter *continentiam ad tempus & votum perpetuæ continentiæ.* Concedimus, poſſe conjuges ad tempus ex mutuo conſenſu abſtinere, ſed negamus ipſis ſuadendum, vel conſulendum, vel præcipiendum, ut votum perpetuæ continentiæ temerè emittant.

2. Diſtinguendum eſt inter *perpetuam continentiam & votum ſolenne perpetuæ continentiæ.*

Ac 3. inter *exemplum* quoddam *ſpeciale* expreſſo Dei verbo approbatum, & *regulam generalem.* Concedimus; exemplum perpetuæ continentiæ proponi in B. Maria & Joſepho; quibus Deus donum continentiæ ex ſpeciali gratia dedit in ipſo conjugali vinculo, ſed negamus, certo aliquo voto eos ſe obſtrinxiſſe,

xisse, vel regulam aliquam generalem ad imitationem in hoc exemplo cæteris conjugibus proponi.

Antithesis. Pontificii concedunt quidem, *uxorem sine consensu viri non posse vovere perpetuam continentiam*; & vice versâ: *virum sine consensu uxoris itidem non posse tale votum emittere, cùm neuter habeat corporis sui potestatem*, 1. Cor. 7. v. 5. interim tamen acriter contendunt, *conjuges ex mutuo consensu id facere posse*.

Bellarm. lib. de Monachis cap. 37. §. 2. *Impudentissimus error est, quod non liceat conjugatis ex consensu mutuo suscipere vota perpetuæ continentiæ.*

Lib. de Matrimonio cap. 14. §. 3. & 4. *Sententia Theologorum* (Scholasticorum) *& totius Ecclesiæ* (Pontificum Romanorum, ut ultima docet analysis) *est, posse matrimonium consummatum inter fideles solvi, quoad thorum & cohabitationem, ex consensu propter majorem atq; altiorem statum acquirendum, ut si uterque conjugum continentiam perpetuam voveat & ad religionem transeat.*

Cornelius à Lapide in Comm. 1. Corinth. 7. v. 6. *Si cesset causa, scilicet periculum incontinentiæ, uti cessat in iis, qui eam generosè frenant & domant, permittit Apostolus, ut conjuges se semper contineant.*

Ibidem adducit continentiæ illius *tredecim exempla*, ac inter ea ultimo loco duorum conjugum Arvernensium, de quibus narrat Gregorius Turonensis lib. de gloria Confess. c. 32. *quod cum uxor obiisset, maritus elevatis in cœlum manibus dixerit; Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam. At illa subridens ait: Sile, sile vir Dei, quia non est necesse prodere nostrum secretum. Paulò post mortuus est maritus, alioq; loco sepultus. Et ecce manè facto, inventa sunt pariter esse sepulchra, quæ usque hodiè sic perdurant; idcircò nunc incolæ duos amantes vocitant & summo venerantur honore.* Addit deinde Cornelius: *Hodiè quoq; exempla non desunt.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex verbis Apostoli*, 1. Cor. 7. v. 5. *Nolite fraudare vos invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi, & iterum revertemini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Sicut non permittit Apostolus conjugibus, *ut se invicem defraudent*, hoc est, corporis potestatem sibi invicem subtrahant, & à congressu matrimoniali abstineant, nisi *ex mutuo consensu*, ita quoque non concedit illud fieri, *nisi ad tempus.* Idipsum probat ratio ab Apostolo addita, *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Ergò, qui conjuges propter votum continentiæ in perpetuum separant, contra præceptum Apostoli debito conjugali eos fraudant & Satanæ tentationibus eosdem exponunt.

2. *Ex indissolubili conjugii vinculo*, Matth. 19. v. 6. 1 Cor. 7. v. 10. Sicut impium est suam carnem dividere, ita & conjuges divellere. At per votum continentiæ perpetuæ separantur conjuges & solvitur quodammodo ipsum matrimonii vinculum. Maritus & uxor ex institutione conjugii sunt *una caro*, Gen. 2. v. 24. Matthæi 19. v. 5. Ephes. 5. v. 31. At quomodo manent una caro, si voto solenni alter vel uterque se obstringit, quod velint à se invicem in Monasteria diversa discedere, ab usu conjugii penitus per omnem vitam abstinere, officia ex lege conjugii debita sibi invicem non amplius præstare?

3. *Ex consequente periculo.* Quamvis conjuges sibi persuadeant, in præsenti tempore continentiæ dono se probè instructos esse, tamen non possunt esse certi, quod perpetuo per omnem vitam ab ustionibus futuri sint liberi. Nequaquam ergò debent Deum tentare, discedendo à remedio contra ustiones divinitus sibi dato, ac conjugii, ad quod à Deo vocati sunt, usum solenniter abjurando, alias gravissimis & periculosissimis Diaboli tentationibus temerè se exponunt. 1. Corinth. 7. v. 17. *Unumquemq; sicut vocavit Deus, ita ambulet.* v. 27. *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, donum continentiæ non esse in potestate eorum omnium, qui illud petunt atque expetunt.

(Ex eo enim rectè inferri potest, quod conjuges non debeant voto perpetuæ continentiæ se obstringere, cum non possint esse certi, an donum illud divinitus ipsis per omnem vitam sit obventurum?)

Dicta illa enumerata sunt superius thesi 4.

2. Quod quidam non obscurè votum perpetuæ continentiæ in conjugatis improbant.

Didacus Stella in cap. 9. Luc. *Dominus Luc. 9. sic præcipit: Tolle crucem tuam. At multæ conjugatæ omittentes curam domus suæ, obsequium, quod viris suis debent, quæ est cura ipsorum, abjiciunt & suscipiunt Monialium crucem.*

3. Quod concedunt, votum continentiæ non posse tollere vinculum conjugii, sed tantùm cohabitationem *quoad thorum conjugalem* excludere.

(Jam verò Jus Canonicum conjugibus continentiam professis interdicit, *ne vel vir uxorem, vel uxor virum repetat*, c. Veniens, c. Constitutus, & c. Dudum. de convers. conjug. At hoc ipsum est separare conjuges non solùm *quoad thorum*, sed etiam *quoad vinculum*. Quomodo enim non tolleretur vinculum conjugale in illis, qui animo nunquam revertendi invicem χωρίζονται? quomodo non separant conjuges, qui eos post emissum continentiæ votum ad conjugalem εὔνοιαν reverti prohibent & revertentes puniunt? Inde quidam non verentur dicere, *conjugium per votum continentiæ dissolvi*, ut Angelus in Authent. de Episc. & Cleric. §. Si verò. Baldus post glossam in Authentic. Sed hodiè C. de adulteriis. Ac Lombardus 4. sent. dist. 31. §. 2. scribit: *Corporaliter possunt separari conjuges causa fornicationis, vel ex communi consensu causa religionis.*)

4. Quod Pontificii concedunt, *πρὸς διαίρεσιν in textu Apostolico 1. Cor. 7. v. 5. nisi ex mutuo consensu, esse limitationem generalem, quæ adhuc hodiè habeat locum.*

(Ex eo enim sic colligimus: Sicut non permittit Apostolus conjugibus, ut corporis potestatem sibi subtrahant & à congressu matrimoniali abstineant, *nisi ex muto consensu*, ita quoque non permittit illud fieri, *nisi ad tempus*. Quod si ergò prior limitatio adhuc hodie locum habet, ut Pontificii concedunt, utiq; etiam posterior, & per consequens votum perpetuæ continentiæ in conjugibus Apostolo non probatur.)

5. Quod Bellarminus lib. de Monachis c. 38. §. 3. & seqq. probare nititur, *matrimonium ratum etiam quoad vinculum solvi per religionis professionem.*

(Jam verò matrimonium *ratum* non differt *à consummato, essentiali* aliqua differentia, cum copula carnalis ad usum, non ad οὐσίαν matrimonii pertineat. Ergò etiam matrimonium consummatum *quoad vinculum* solvitur per religionis professionem. Sed hoc consequens absurdum esse statuunt ipsimet Pontificii. Proinde etiam antecedens, ex quo illud sequitur, asserere non debent. Bellarminus hac difficultate pressus, non potuit aliter elabi, quam per petitionem principii. *Quod* (inquit §. Dices &c) *Deus dirimat matrimonia rata, & non dirimat etiam consummata per vocationem ad religionem, scimus ex Ecclesiæ declaratione.*)

6. Quod dictum Apostolicum 1. Cor. 7. v. 2. accipiunt de personis maritatis.

Salmeron in 1. Cor. 7. super verba, *propter fornicationem habeat unusquisq; uxorem suam: Agitur de viris & fœminis, quæ jam matrimonio conjunctæ erant, tantùm præcipitur, ut propter fornicationis periculum vitandum unusquisq; vir uxore sua utatur, & unaquæq; uxor viro suo. Habere enim in Scripturis significat re habita beneuti, ut, Omni habenti dabitur.*

Bellarminus lib. de Clericis cap. 21. §. Argumentum secundum. *Apostolus in hoc loco 1. Cor. 7. v. 2. loquitur de conjugatis, qui cum in paganismo uxores duxissent, post conversionem ad fidem dubitabant, an uxoribus uti deberent.*

(Falsa quidem est hæc hypothesis, ut suo loco ostenditur, Apostolus enim loquitur *de non conjugatis*, ut v. 1. & tota series contextus ostendit, interim eam contra Pontificios urgere possumus hoc modo: Verbum ἐχέτω non est permittentis, sed *præcipientis*, ut patet ex v. 9. 11. 12. 13. 18. 20. 24. Ergò, si periculum fornicationis conjugibus imminet, præceptum eis est, ut remedio divinitus instituto utantur; sicut ἀγάμοις præceptum est, ut, si non possunt continere, matrimonium ineant.)

7. Alphonsus de Castro lib. 2. advers. hæreses, verbo Adam, hær. 3. contra Armenos demonstraturus, *Adamum & Evam, si permansissent in justitia, nihilominus per copulam conjugalem humanam speciem propagaturos*, inter cætera etiam utitur hoc argumento: *Adam ante lapsum de se & aliis conjugibus dixit: Relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una.* At (inquit) *nusquam vir & uxor fiunt una caro, nisi per coitum, per quem fit seminum mixtio ad unum hominis corpus generandum.* Postea probat, *verba illa ad omnes conjuges referenda, cum Christus ex illis Pharisæos temeraria divortia concedentes refellat, cumq; Adam nec patrem, nec matrem in terra*

terris habuerit. Probat & hoc, *Adam & Evam ante copulam non fuiſſe unam carnem. Nam*, inquit, *formata ex ejus latere Eva ſtatim in hæc verba prorupit Adam, propter hoc relinquet homo &c. & erunt duo in carne una.* Non dixit, *ſunt duo in carne una. Quod ſi nulla alia re eſſet opus, ut una caro efficerentur, dicturus erat. Et ſunt duo in carne una. Cum ergo dixit, erunt duo in carne una, ſignificavit, aliquam aliam rem eſſe neceſſariam, nempe coitum, ut caro una dicantur vir & uxor, etiam poſt primam conjunctionem animorum verbis expreſſam, per quam ſolam conjuges fiunt.*

(Ex hac hypotheſi ſic concludimus. Conjuges ex divina inſtitutione *ſunt una caro*, id eſt, interprete Alphonſo, *per copulam conjugalem ſibi invicem conjuncti*. Atqui votum continentiæ perpetuæ in conjugibus tollit conjugalem illam copulam & perpetuum impedimentum ei injicit. Ergo votum continentiæ perpetuæ in conjugibus cum divina inſtitutione pugnat, niſi ſcilicet peculiari aliqua vocatione divina conjuges ad perpetuam continentiam vocentur.)

Argum. Bellarm. *Multis Sanctorum exemplis votum perpetuæ continentiæ in conjugibus confirmari poteſt.*

Reſp. 1. Ad exempla illa reſpondemus iiſdem verbis, quibus Bellarminus de Monachis cap. 38. §. 7. reſpondet ad exempla illorum conjugum, qui *citra alterius conſenſum* continentiam voverunt: *Facta illa Sanctorum eſſe admiranda, non imitanda. Credendum enim eſſe, peculiari Spiritus ſancti admonitu id factum eſſe præter communem ordinem & regulam.*

2. De conjugio Joſephi & Mariæ Bellarminus ſic ſcribit lib. de Clericis cap. 24. §. Ad tertium. *Chriſti Sponſa Eccleſia duo privilegia habet, nam & virgo eſt, & ſimul fœcundiſſima mater. Duo autem iſta privilegia ſimul nullum conjugium humanum repræſentare poteſt, excepto illo, quod fuit inter B. Virginem & S. Joſephum* Ergo exemplum hoc eſt plane ſingulare.

3. Caſſianus, ex quo quædam iſtorum exemplorum ſunt deſumta, poſtquam collat. 14. cap. 7. narraſſet, *Laicum quendam parentum vi & imperio compulſum, uxorem duxiſſe & eam ut ſororem habuiſſe*, ſubjungit, *multa rectè ab aliis geſta, magnam aliis imitantibus attuliſſe perniciem*,

Theſis ſpecialis ſeptima. Per vota ſolennia non ſolvitur matrimonium ratum.

Ἔκθεσις 1. Diſtinguunt Pontificii inter *votum ſimplex & ſolenne*. Simplex votum appellant *promiſſionem cœlibatus perpetui factam Deo privatim libera voluntate excellentioris alicujus boni gratia*. Solenne votum appellant *promiſſionem caſtitatis factam in conſpectu Eccleſiæ, cui ſe vovens poſt magnam deliberationem & diuturnam probationē ſpontè ſubjicit, ut ipſi Deo, & hoc ipſo ſtatum vitæ mutat, aſcendens ab imperfecto ad perfectum.* Votum ſimplex ſtatuunt, *impedire matrimonium contrahendum, ſed non diſſolvere matrimonium poſt votum contractum*. Votum ſolenne judicant *non tantum impedire matrimonium contrahendum, ſed etiam diſſolvere matrimonium poſt ipſum votum celebratum.* Quod votum ſimplex non dirimat matrimonium poſt votum contractum, libenter acceptamus; quod idem votum non impediat matrimonium contrahendum, in articulo de conjugio oſtendemus.

2. Diſtinguunt etiam inter *matrimonium ratum & conſummatum*; ac inter ſolutionem matrimonii *quoad thorum & quoad vinculum*. Per votum ſolenne matrimonium ratum ſolvi ſtatuunt *quoad vinculum*; ſed matrimonium conſummatum per idem votum non quoad vinculum, ſed *quoad thorum duntaxat* ſolvi ſtatuunt. Quod votum ſolenne non ſolvat *matrimonium conſummatum quoad vinculum*, concedimus, ſed quod votum ſolenne ſolvat *matrimonium ratum quoad vinculum*; *matrimonium conſummatum quoad thorum*, illud utrumque negamus. Poſterius in theſi præcedente oſtendimus, prius in hac theſi demonſtrandum reſtat,

3. Neque hic diſtinguimus inter votum *præcedens vel ſubſequens matrimonium*, ſed generaliter dicimus, votum ſive *ſimplex* ſit, ſive *ſolenne*, non dirimere matrimonium; ſive matrimonium illud ſit *ratum tantum*, ſive *ſimul ratum & conſummatum*; ſive votum *præcedat matrimonium*, ſive illud *ſequatur*.

Antitheſis. Bellarminus lib. de Monachis cap. 34. reſp. ad 19. *Convenit inter Theologos, matrimonium poſt votum ſolenne contractum eſſe nullum.*

lib. ejuſdem cap. 38. *Matrimonium ratum ſolvitur per Monaſticam profeſſionem, non autem matrimonium conſummatum.* Id habemus c. Ex publico. & c. Ex parte tua, & c. Verum. de convers. conjug. & cauſ. 27. quæſt. 2. Can. Deſponſatam. aliiſque mult. Canonibus ibidem, quibus acceſſit definitio Concilii Tridentini ſeſſ. 24. Can. 6. ubi dicitur: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non conſummatum per ſolennem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema eſto.*

Idem lib. de Matrimonio cap. 21. propoſ. 3. *Votum ſolenne dirimit matrimonium poſt votum celebratum.*

Toletus lib. 4. Inſtruct. Sacerd. capite 16. *Vovens continentiam & poſtea uxorem ducens, quamvis mortaliter peccet, non tenetur eam ſervare.*

Noſtram ſententiam probamus,

1. Scriptura nuſpiam dicit, per votum cœlibatus ſolenne diſſolvi matrimonium ratum.

2. Chriſtus expreſsè definit Matth. 19. v. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Jam vero conjugium eorum, qui, poſtquam votum continentiæ emiſerunt, dono illo ſe deſtitutos animadvertentes, remedium conjugii divinitus illis, qui uruntur, propoſitum arripuerunt, & juxta leges matrimoniales fidem conjugalem ſibi invicem dederunt, eſt divina conjunctio. Ergo non debet nec poteſt humana autoritate ſeparari.

Obligatio, quæ oritur ex voto continentiæ ſolenni, non eſt *juris divini, ſed humani*. Probatur ex eo, quia *Romani Epiſcopi commutant & reſcindunt ejuſmodi vota*, ut ſuo loco multis exemplis demonſtrabimus, articulo decimo nono, capite 4. theſi prima. *In jure autem divino Epiſcopi nō diſpenſant*, ſcribit Bellarminus lib. de Clericis capite 18. §. ultimo. Quod ſi ergo obligatio, quæ oritur ex voto ejuſmodi, non eſt juris divini, ſed humani, utique potiori obligationi, quæ ex jure divino pariter & naturali oritur, quale eſt matrimonium, non poteſt obeſſe. Sed & ſi vel maxime detur, obligationem ex voto continentiæ tenere *de jure divino*, nondum tamen ſequitur, quod matrimonia poſt votum contracta ſint nulla. Ratio eſt, quod, etſi utraque obligatio teneret vi juris divini, obligatio tamen matrimonialis fortior eſt, quia pro objecto habet rem naturali & divina lege ſancitam, qualis Monachatus non eſt. Neque hic ſpectatur, quæ obligatio *tempore prior*, ſed quæ *Natura validior* ſit. Producant Adverſarii tam efficax edictum de obligatione voti Monaſtici, quale hoc eſt de fide matrimonii. Matthæi 19. v. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

3. Paulus hanc Chriſti deciſionem repetit 1. Corinth. 7. v. 10. *Iis, qui matrimonio conjuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus. Uxor à viro non diſcedat, & vir uxorem non dimittat.* Ergo, qui poſt votum continentiæ nuptias celebrarunt, non debent à ſe invicem diſcedere,

4. Donum continentiæ eſt ſpeciale, de quo nullum extat mandatum, quod voveri debeat; nulla promiſſio, quod omnes illud deſiderantes & expetentes precibus à DEO impetrare poſſint, quin potius illis, qui continere nequeunt & uſtiones ſentiunt, conjugii remedium divinitus eſt præſcriptum. Ergo votum continentiæ nec eſt impedimentum prohibens matrimonium contrahendum, nec dirimens contractum.

5. *Qui dimiſerit uxorem, facit eam mœchari*, Matth. 5. v. 32. Viri poſt matrimonium ratum ingredientes religionem, dimittunt uxores; & vice verſa, uxores dimittunt viros. Ergo fornicationis periculo ſe exponunt.

Noſtræ ſententiæ ſuffragantur,

1. Quidam Canones Juris Pontificii conjugia poſt votum contracta diſſolvi prohibentes.

c. Quidam diſt. 27. ex Auguſtino. *Quidam nubentes poſt votum aſſerunt, adulteros eſſe. Ego autem dico vobis, quòd graviter peccant, qui tales dividunt.*

c. Sunt, qui. cauſ. 27. quæſt. 2. ex Gregorio. *Sunt, qui dicunt, religionis gratia conjugia debere diſſolvi. Verum ſciendum eſt, ſi hoc lex humana conceſſit, lex tamen divina prohibuit. Per ſe enim veritas dicit: Quos DEUS conjunxit, homo non ſeparet; qui etiam ait: Non licet dimittere uxorem, excepta cauſa fornicationis, quis ergo hujus latori legis contradicat?*

c. Nuptiarum. cauſ. ead. quæſt. 1. ex Auguſtino. *Qui dicunt, talium (qui continentiam voverunt) nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acutè ac diligenter conſiderare quid dicant. Fallit quippe eos ſimilitudo veritatis. Quia enim Chriſti conjugium dicuntur eligere, quæ Chriſtiana ſanctitate nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si, viro ſuo*

viro quæ alteri nubit, adultera est, sicut Dominus ipse in Evangelio definivit, vivit autem Christus, cui mors ultra non dominatur, quæ ergo conjugium ejus elegit, si homini nubat, adultera est. Qui hoc dicunt, acutè moventur quidem, sed parum attendunt, hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas! Cum enim laudabiliter etiam vivente viro, ex ejus consensu continentiam fœmina Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debebat, ne ipse Christus, quod sentire nefas est, adulterium faciat, cui vivente viro nubit. Deinde, cum primæ nuptiæ melioris meriti, quam secundæ, absit, ut sanctarum viduarum sit iste sensus, ut Christus eis videatur quasi secundus maritus, ipsum enim habebant etiam antea, quando viris suis fideliter subditæ serviebant, non carnaliter, sed spiritualiter virum, cui Ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjunx est, quæ fidei, spei & caritatis integritate non solum in virginibus sacris, sed etiam in conjugatis fidelibus & viduis tota virgo est &c. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant, lapsarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut à maritis separentur uxores, & cum volunt illas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cum suis uxoribus vivis alteras ducunt. Quapropter non possum quidem dicere, à proposito meliori lapsas, si nupserint, fœminas adulteria esse, non conjugia, sed planè non dubitaverim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis esse pejores.

Huc referri potest illud Gratiani post c. Diaconus dist. 27. *Si Diaconus à Ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licitè potest uti. Nam etsi in Ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in Sacramento conjugii, quòd nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium.*

2. Quidam recentiores Pontificii itidem statuentes, connubia post votum contracta non debere solvi.

Polydorus Vergilius lib. 7. de Invent. cap. 2. *Divus Augustinus Basilio æqualis permultis rationibus probavit, connubia post votum contracta non debere dirimi, ut in Decreto 27. q. 1. c. Nuptiarum extat.*

Claudius Espensæus lib. 1. de continent. cap. 10. & lib. 6. de continent. cap. 4. *conjuges post matrimonium contractum separandos esse* negat *invita alterutra parte*, unde Bellarminus d. l. cap. 38. §. 1. scribit, *Claudium Espensæum in eandem propendere sententiam, quam Chemnitius & Centuriatores tuentur.*

Confer Erasmum in 1. Corinth. 7. ubi, fatente Bellarmino, d. l. docet, *quòd matrimonium sive sit ratum & consummatum, sive sit ratum tantum, non possit solvi per Monasticam professionem.*

3. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, *Matrimonium consummatum non solvitur quoad vinculum per ingressum in religionem*, ut docent Pontificii. Jam vero matrimonium *ratum* coram Deo æquè firmum & indissolubile est, quàm *consummatum*, quia copula carnalis non pertinet ad essentiam matrimonii, sed duntaxat ad ejus usum, unde in Jure Canonico approbatur regula juris civilis, quod *consensus faciat nuptias, non concubitus*, c. Sufficit. caus. 17. quæst. 2. c. Ubi non est. caus. 30. quæst. 2. c. Tuas dudum. ext. de Sponsa duorum. Ergo matrimonium ratum non solvitur per ingressum in religionem,

Secundo, Matrimonium *post votum simplex* contractum non redditur irritum, ut docent Pontificii.

Lombard. 4. sent. dist. 38. lit. A. *matrimonium post votum simplex contractum ideo non dirimi* asserit, *quia simplex votum probari non potest, cum occultè factum sit.*

Ergo nec matrimonium *post votum solenne* contractum debet reddi irritum. Ratio consequentiæ est, quia votum solenne à simplici non distinguitur *essentialiter*, sed tantum *accidentaliter*; nec *coram Deo*, sed tantum *coram Ecclesia*.

c. Unic. de voto & voti redemt. in 6. Pontifex sic loquitur: *Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, matrimonii vero vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso & in statu innocentiæ instituente, unionem & indissolubilitatem accepit.*

c. Rursus in Decretal. Gregorii lib. 4. tit 6. *Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt, ex Cælestino III. Pontif. Simplex votum apud Deum non minus obligat, quàm solenne.*

Johannes Scotus in 4. sent. dist. 38. quæst. 1. *Alia ratio est, quòd vovens solenniter mittit in possessionem illum, cui vovetur solenniter: vovens autem privatè, non; sed quasi promittit. Sed hæc ratio valet minus, quàm secunda, quia omnia, quæ intrinseca sunt voto, ut votum respicit actum voluntatis, per quem obligat se vovendo & transfert dominium suum in alterum, omnia, inquam ista sunt æqualia hinc inde. Igitur non magis datio hic, quàm ibi; nec promissio ibi, quàm hic.*

Cajetanus Cardinalis in Thomam 2. 2. q. 88. art. 7. *Ejusdem speciei est transgressio voti solennis & simplicis: & differunt solum secundum grave & minus grave.*

(Ergo, si votum simplex non dissolvit matrimonium ratum, utique etiam solenne illud dissolvere minimè debet.)

Tertio, Bellarminus lib. de Matrim. cap. 5. resp. ad 6. argum. sic scribit: *De copula conjugali sunt duæ opiniones Catholicorum: Quidam enim docent, copulam illam neque Sacramentum, neque partem Sacramenti esse, sed actum solum sive officium matrimonii, proinde quid accidentarium esse respectu matrimonii. Alii volunt, copulam conjugalem esse partem quandam Sacramenti, non quidem essentialem, sed integralem, & ideo ante copulam appellari ratum, sed non consummatum. Omnes tamen in eo conveniunt, quòd copula non sit pars essentialis, & propterea Sacramentum matrimonii totum ac plenum, quantum ad partes essentiales, inveniatur in contractu per verba de præsenti.*

(At si omnes in eo conveniunt, quod copula non sit pars essentialis matrimonii, utique coram Deo eadem erit ratio matrimonii rati & consummati. Jam vero matrimonium consummatum non solvitur quoad vinculum per ingressum in religionem. Ergo nec matrimonium ratum solvitur per ingressum in religionem.)

4. Quod Bellarminus de Monachis cap. 38. fatetur, *pro nostra sententia præsto esse gravissima argumenta. Nam Matth. 19. & 1. Corinth. 7. matrimonium insolubile esse pronunciatur. Quod autem hoc de rato dicatur, patet primò, quia matrimonium ratum non differt à consummato ulla essentiali differentia. Copula enim carnalis actus quidam est conjugii, non essentia conjugii. Secundò, matrimonium ratum est verum Sacramentum, significans Christi & Ecclesiæ unionem inseparabilem. Ergò est indissolubile. Tertio, per matrimonium ratum dat vir uxori potestatem corporis sui. Ergo non potest invita uxore continentiam Deo vovere.*

(Ad hæc argumenta firmissima & Solis radiis scripta non potest Bellarminus aliter respondere, quàm *quod ex Ecclesiæ declaratione sciamus, Deum dirimere rata & non consummata per vocationem ad religionem.* At hæc responsio continet manifestam *principii petitionem*. De eo enim quæritur, an Romana Ecclesia rectè ita pronunciet? Quid quod Bellarminus in cursu disputationis §. ultimo fatetur, *hoc fundamentum Nicolai Pontificis non esse solidum, quòd Deus solvat matrimonium, cum aliquem vocat ad religionem.*)

5. Suffragatur nobis & vim veritatis ostendit etiam illud, quod Bellarminus lib. de Monachis cap. 38. §. Probatur, demonstraturus, *matrimonium consummatum non solvi per Monasticam professionem*, affert dicta Scripturæ, *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxor à viro non discedat. Qui dimiserit uxorem, facit eam mœchari &c.* Sed cum contra nos probare deberet, *matrimonium ratum solvi per Monasticam professionem*, ne unicum quidem Scripturæ locum adducat, sed duntaxat testimonia *Ecclesiæ*, id est, Romanorum Pontificum & Concilii Tridentini.

(Illa vero non possunt firmum & immotũ fidei fundamentum præbere, vel conscientiam Christiani tranquillam reddere.)

Bellarminus lib. de Matrimonio cap. 21. §. Sed hoc &c. addit *particulam dubitandi, fortasse ex Apostolica traditione hoc descendere, quod votum solenne sit impedimentum dirimens matrimonium contractum.* (Sed illud *fortaße*, non sufficit ad conscientiam tranquillandam & divinam conjugum conjunctionem dissolvendam.)

6. Croquetius Catechesi 125. agnoscit infirmitatem eorum, quæ ex veteribus in hanc sententiam à Pontificiis afferuntur. *Adferuntur*, inquit, *quædam probationes, quibus tamen adversus hæreticos non videretur multum inesse præsidii, si Ecclesiæ sententia nobis deesset, nam præter sententias Pontificum vix quicquam est in antiquitate.*

Adducunt quædam exempla ex Simeone Metaphraste, Alexii scilicet, Euphrasiæ, Cæciliæ &c. in quibus etiam illud, *in nuptiis Canæ Galilææ Johannem Evangelistam fuisse Sponsum & per Christum à nuptiis revocatum*. Sed hoc non tantum refutat Croquetius, sed etiam Baronius ann. 31. & 30. *Sunt hæc omnia*, inquit, *commentitia, ac nuper excogitata, cum penes antiquos Patres nulla prorsus mentio de his habeatur.*

7. Vasquez in 3. Thom. Disput. 249. cap. 4. num. 31. ad 38. refutat omnia argumenta, quæ Paludanus, Prierias & alii pro

pro irritando ob votum matrimonio ex Jure divino & Conciliorum statutis producere solent dicens: *Ex his Canonibus id probari non posse.* Ipse verò ex Conciliis *Romano* sub Sylvestro, *Neo-Cæsariensi, Aurelianensi, Toletano* & Canone Apoc. 25. probat, *Matrimonia post votum contracta à veteribus non fuisse habita pro irritis, quia sic contrahentibus sola suspensionis aut depositionis pœna dicta sit, non separationis, quæ dicenda fuisset, si tale matrimonium per se nullum foret. Et sic docuisse Scotum, Cajetanum & omnem Scholam JCtorum* fatetur Bellarminus, eandemque sententiam vocat *probabilem*; quam totis viribus tuentur Espensæus lib. 5. de contin. cap. 5. & 9. Marcus Antonius de Dominis lib. 2. de Republ. cap. 11. num. 8. & seqq. & plures alii apud Azorium tomo 2. Instit. lib. 12. cap. 6. q. 3. sent. 3. Tannerum tom 4. in Thom. Disp. 8. quæst. 4. dub. 3. n. 34. & tom. 3. Disp. 5. q. 4. dub. 4.

8. Dissensiones Pontificiorum ostendunt, quantum fidei ipsis hic tribuendum.

Bellarminus lib de Monachis cap. 34. *Utrum post solenne votum nullum sit matrimonium jure divino & jure naturali, an solum jure Ecclesiastico, quæstio est. Nam Albertus, Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus in 4. sent, dist. 38. & Dominicus à Soto lib. 7. de Justit. & jure quæst. 2. artic. 5. volunt, jure divino ac naturali matrimonium nullum esse, si post votum solenne contrahatur. At Scotus & Paludanus in 4. dist. 38. & Cajetanus in 2. 2. quæst. 88. artic. 7. & omnis Schola Jureconsultorum (Canonistarum) ut refert Panormitanus in c. rursus, Qui Clerici vel voventes &c. asserunt, solo jure Ecclesiastico matrimonium irritum esse, quod post votum solenne contrahitur. Utraque sententia probabilis est, nec est nostræ considerationis hoc in loco quæstionem illam definire.*

Idem lib. de Matrimonio cap 21. propos. 3. *Multi, iiq; gravissimi Theologi, Thomas, Bonaventura, Albertus, Richardus, Durandus, Dominicus à Soto & alii contendunt, votum solenne jure divino ac naturali dirimere matrimonium. Quorum hæc est potissima ratio, quia votum solenne non est simplex promissio Deo facta, ut est votum, quod dicitur simplex, sed est traditio de præsenti sui ipsius in perpetuum Christi obsequium, & ea traditio à Christo per Ministros suos accepta ac probata est. Quare differt votum solenne à simplici, ut conjugium de præsenti contractum, à sponsalibus de futuro. Sed jure divino ac naturali nemo potest alteri dare, quod suum non est, & si dederit, irrita est donatio. Igitur jure naturali & divino irritum est conjugium post votum solenne. Et quidem, si ex Scripturis, aut evidenti aliqua ratione demonstrari posset, votum solenne differre à simplici, quod in illo sit donatio de præsenti, in isto vero promissio tantum de futuro, non oporteret aliam rationem quærere. Tamen, quia principium illud multi negant, ut Scotus, Paludanus, Cajetanus & omnes Juris Canonici Interpp. & contra potius existimant, solo Ecclesiæ decreto factum esse, ut votum solenne dirimat matrimonium, ideò probandum superest, Ecclesiam potuisse hoc impedimentum matrimonii constituere.*

(Circa hanc dissensionem notandum, 1. Quod non sit de quæstione parvi momenti, sed de re longe maxima. Id enim quæritur, an *Deus ipse* in verbo matrimonia post votum solenne contracta judicet irrita, an vero tantum *Ecclesiæ*, hoc est, ut ultima analysis docet, Pontificis Romani decreto talia matrimonia sint irrita? Si prius, nullo Ecclesiæ decreto matrimoniorum illorum firmitas stabiliri potest. c. Sunt quidam. caus. 25. q. 1. *Si Pontifex id, quod docuerunt Prophetæ & Apostoli, destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Atqui demonstrabitur inferius in articulo de matrimonio cap. 4. thesi 1. per Papalem dispensationem Monachorum & Monialium matrimonia sæpè fuisse confirmata. Item, matrimonia illa semper & perpetuò in Ecclesia judicari debuissent irrita, quia jus divinum ac naturale est perpetuum & immutabile. Cur ergo Bellarminus lib. de Monachis cap. 34. ad Augustini & Hieronymi dicta respondet, *Decretum Ecclesiasticum, quo inhabiles fiunt ad matrimonium, qui votum habent solenne, ad eorum notitiam non pervenisse?* Si posterius, in arbitrio Ecclesiæ, id est, Pontificis relictum erit, talia matrimonia facere rata.

2. Cùm ergo tanti momenti ac ponderis sit hæc quæstio, debuisset Bellarminus diserte & expresse alterutri parte se conjungere, quod tamen neutiquam facit, sed ἐπαμφοτερίζων utramque quæstionis partem statuit esse probabilem. Et quamvis in loco posterius citato in posteriorem sententiam magis inclinare videatur, tamen mentem suam planè & perspicuè non exponit.

3. In jure Canonico habetur expressa decisio Pontificis, quam Bellarminus non debuisset prætermittere, multo minus in dubio hanc quæstionem relinquere. Sic enim scribit Bonifacius VIII. ad Bitecensem Episcopum c. Unic. de vot. & voti redempt. in 6. *Nos attendentes, quòd voti solennitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa, matrimonii verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso & in statu innocentiæ instituente, unionem & indissolubilitatem accepit; præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuit per susceptionem sacri Ordinis, aut per confessionem expressam vel tacitam factam alicui de regionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota, etsi quandoq; impediant matrimonium contrahendum, & quantò manifestius sunt emissa; tantò propter plurium scandalum & exemplum durior pœnitentia transgressoribus debeatur, non tamen rescindere possent matrimonia post contracta.* At si ex sola Ecclesiæ constitutione matrimonii solennitas est inventa; utique etiam ex solo Ecclesiæ decreto dependet; quod votum solenne continentiæ matrimonium post illud contractum irritum reddat, quod non faciat votum simplex.

4. Distinctio illa, quod votum simplex sit *promissio tantum de futuro*, votum solenne, *donatio de præsenti*, caret omni fundamento Scripturæ. Quando enim promissio perpetuæ continentiæ libera voluntate fit Deo, excellentioris boni gratia, quam promissionem vocant *votum simplex*, tum non tantum est promissio *de futuro*, sed etiam donatio *de præsenti*, quia talis persona ex hypothesi Pontificiorum tradit se in Sponsam Christo & spirituale matrimonium cum eo contrahit. Quamvis ergo non accedant solennitates ab Ecclesia inventæ, ipsi tamen substantiæ voti nihil decedit, sed per illud efficax obligatio inducitur, cum solennitates sint duntaxat externum aliquod accidens, substantiam rei non mutantes nec variantes. Vidit hoc Bellarminus, ideò hypotheticè loquitur: *Si ex Scripturis aut evidenti aliqua ratione demonstrari posset, votum solenne differre à simplici, quod in illo sit donatio de præsenti, in isto vero promissio tantum de futuro, non oportet aliam rationem quærere.* Atqui Bellarminus postea quærit aliam rationem, videl. *Ecclesiæ decretum.* Ergo agnoscit distinctionem illam nec ex Scripturis, nec evidenti aliqua ratione demonstrari posse.)

9. Sed & hoc nobis suffragatur, quòd veteris Ecclesiæ suffragium nobis largiuntur.

Maldonatus in Summa q. 12. artic. 5. *Quicquid senserint multi antiqui autores, an sit verum matrimonium contractum ab iis, qui votum solenne castitatis fecerunt, tamen nunc certum est, matrimonium illud non esse verum.*

(*Nunc*, inquit, *certum est*, videl. propter decretum Pontificis; etiamsi antiqui autores aliter senserint.)

Bellarminus lib. de Monachis cap. 34. ad dictum Augustini in ipsum Jus Canonicum relatum, cap. Quidam. dist. 27. *quòd graviter peccent, qui nubentes post votum dirimunt*; non potuit aliter respondere, quam *quod notitia juris illius Ecclesiastici ad Augustinum non pervenerit.*

(Utinam verò notitia illius Juris Ecclesiastici nunquam ad Ecclesiam pervenisset, cum Juri divino & naturali adversetur!)

10. Denique in artic. de Matrimonio cap. 4. thes. 1. ex ipsorum Pontificiorum hypothesibus demonstrabimus, *votum solenne non impedire matrimonium contrahendum.* (Ergo multo minus dirimet contractum. Quod enim non est *impedimentum matrimonii contrahendi*, illud multo minus potest esse *impedimentum dissolvens jam contractum*, ut constat.)

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ABsurdas & Erroneas Adversariorum complectens.

I. Querelæ.

1. Conqueruntur, falso sibi tribui, quod statuant, *vitam Monasticam mereri justificationem & remissionem peccatorum, æquiparari Baptismo, & applicatam aliis eos salvare.* Schopp. in Apol. p. 31.

Resp. sequetur memb. 2. de calum. §. 1.

2. Conqueruntur, falso sibi tribui, quod Confessio Augustana dicit; *Puellas & adolescentes, priusquam judicare possunt, persuaderi ad vovendum, & interdum cogi, cùm in Concilio Tridentino statuatur, professionem non debere fieri ante annum 16.*

Resp. 1. Azorius tom. 1. Instit. moral. lib. 11. cap. 16. q. 9. scribit: *Impuberes simplex religionis votum tantum facere posse, & ante Concilium Tridentinum jure antiquo post. 14. annum expletum juvenes religiosorum instituta potuisse solenni voto profiteri, postea verò 16. annum completum ab eodem Concilio requisitum ad professionem emittendam.*

2. Lutherus tom. 2. Jen. Germ. f. 358. recenset Historiam de virgine Florentina ab Oberweimar, quæ *undecimo ætatis suæ anno* in Monasterium fuerit intrusa, sed cum anno 14. experiretur imbecillitatem virium suarum & dimissionem ab Abbatissa peteret, carceri detenta & duriter tractata fuit, ex quo tandem eam Deus mirabiliter liberavit.

3. Lorichius Instit. Cath. p. 79. b. *Filios & filias in Monasterium detrudi invitos ob divitias vel augendas, vel conservandas* testatur.

4. D. Balduinus in Anti-Pazmanno p. 519. sic scribit: *Ipse vidi ante annos fere viginti duos Ingolstadii puellam ad Monasterium deductam.*

ctam vix 12. annorum, quæ multis cum lachrymis querebatur, matrem in agone à Jesuitis persuasam, ut filiolam istam, licet invitam, Monasticæ manciparet. Jesuitis interim bona filiolæ hereditaria ad se rapientibus, idque tutor puellæ, qui tum aderat in diversorio, etiam fatebatur.

3. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui in Corpore Doctrinæ Philippi, quod perfectionem collocent in deserendis officiis civilibus.

Resp. 1. Ex dicto Christi, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, conantur probare, perfectionem consistere in desertione facultatum & sic etiam civilium officiorum.

2. Antoninus part. 4. tit. 12. cap. 3. artic. 1. Dicit &c. discipulatum Christi propriè & strictè intellectum, prout importat statum perfectionis & observantiam consiliorum requirere scribit, ut Discipuli Christi omnibus renuncient affectu & effectu, ut nihil habeant proprium in particulari.

3 Bellarminus lib. de Monachis capite 7. Monasticen consilium perfectionis nominat à Christo non imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum.

4. Conqueruntur, per Calumniam sibi tribui, quòd verborum lenociniis ac blanditiis incautos ac rerum imperitos inescent, ut judicio nondum maturo ac viribus nondum satis exploratis cœlibatum voveant.

Resp. Nevizanus in Sylv. nup. lib. 11. num. 112. sic scribit: Isti Magistri novitiorum, qui sunt tam seduli ad instigandum adolescentes, imò pueros, ut Frater Thomas Illyricus de potest. Papæ chart. 162. intrare religionem, prævideant, quale scandalum eveniat religioni & Reipublicæ ob tales apostatas. Non enim afferunt honorem Spiritui sancto, qui, ubi voluerit, spirat, & non egebit horum instigatorum auxilio, nec tot suasionibus. Confer. Historiam Jesuiticam Eliæ Hasenmülleri.

II. Calumniæ, 1. in genere.

1. Bellarminus lib. de Monachis capite 6. mendaciis nostrorum accenset, quòd Monasteria olim fuerint Scholæ sacrarum literarum & aliarum disciplinarum. Falsum est, inquit, quòd Confessio dicit artic. 4. abusuum, quòd olim Monasteria fuerant Scholæ literarum & aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur inde Pastores & Episcopi. Nam Basilius in Constitutionibus Monasticis, Cassianus de institutis Cœnobiorum, Hieronymus in Epistola ad Rusticum & in alia ad Paulinum de institutione Monachi, Augustinus lib. 1. de moribus Eccles. cap. 31. aliiq; veteres dum describunt instituta Monasteriorum, meminerunt orationis, jejuniorum, Psalmodiæ, continentiæ, obedientiæ, paupertatis, de Scholis literarum & Dialectica, aliarumque disciplinarum ne verbum quidem.

(Contrarium non solum ex Patribus, sed etiam ex ipsis Pontificiis Scriptoribus ostendimus superius cap. 2. memb. 2. §. 3. Augustini, Hieronymi, Basilii, &c. tempore Monasteria fuisse officinas pietatis, precũ & bonarũ literarũ, in quibus, rejecta seculi cura, doctrinæ, inprimis sacræ, vacabant, divinæ Scripturæ voluminibus operam dantes, & cum sufficienter instructi essent divina dispensatione ad imbuendos populos fuisse vocatos, colligitur ex Ruffino lib. 2. Hist. Eccles. cap. 9. Ex aliis etiam Monasteriis probatiores & magis idonei ad officia Ecclesiastica promoti sunt, quorum aliquos recenset Athanasius in Epist. ad Dracont. ut Agathonem, Aristonem, Ammonium, Serapionem &c. Sozomenus lib. 6. Hist. Eccles. cap. 4. 31. 33. & 34. nominat Lazarum quendam Leonem Capadociæ Monachum, Prapidium, Vitum, Eulogium, qui omnes ex Monasteriis prodierunt, tanquam ex Scholis, ad Ecclesiastica munera vocati, Augustinus ipse Epist. 81. ad Monachos Capraria hortatur Monachos ad Ecclesiastica munia suscipienda. Si quam operam, inquit, vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiendi desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis.

Posidonius in vita Augustini. Innotescente & clarescente Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentia & paupertate profunda ex Monasterio, quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesiæ atque unitas & cœpit primò & postea consecuta est.

Bruschius in lib. de Monast. Germ. de Johanne Wenckio Abbate Heilbronnensi scribens: Sciebat vir optimus, inquit, Monasteria non otiosis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitæ studiosis initio condita ac tantâ Principum liberalitate erecta & donata esse.)

2. Bellarminus ibidem mendacium vocat, quod Catholici (Romanenses) dicantur asserere, vota Monastica æquiparari, imò præferri Baptismo, mereri justificationem & peccatorum remissionem, & applicatam aliis eos salvare.

Resp. 1. Thomas 2. 2. quæst. 89. sic scribit: Legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam consequantur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.

Item. Religiosus tantum facit donum Dei in sua professione, quòd consequitur indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum à pœna & à culpa.

Bonaventura in 4. Diæta cap. 21. Obedientia (Monastica) est Schola Salvatoris & nobile genus Martyrii, palma triumphalis & Schola Paradisi.

Item. Est avis ad cœlum transiens, clavis cœlum aperiens, avis ad cœlum ascendens.

2. Cum Papa Gelasius velum virginibus non nisi in Epiphania, in Sabbato Paschæ, in festis Apostolorum imponendum statuat, nisi forsan, sicut de Baptismo dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de hoc seculo exeant, quis dubitet, Papam illam velii impositionem ipsi Baptismo æquare, & de eo ita loqui, ac si virgo absque eo jacturam salutis patiatur. Cumque professio Monastices à Pontificiis communi suffragio statuatur perfectionis status, quis dubitet, quin ei plus tribuant, quam Baptismo!

3. De regula Franciscanorum scribitur lib. 1. Conformit. tract. 9. f. 106. Regula ipsa Fratrum Minorum eam servantes ad gaudia ducit æterna.

Et postea. Cum præfata hæc sanæ regulæ Minorum serventur & habeantur alia multa, meritò servantibus datur vita æterna.

Et iterum. In hujus signum Prælatus recipiens ad professionem voto emisso de observatione dicit profitenti: Et ego, si hæc observaveris, promitto tibi vitam æternam.

Lib. eod. Conformit. fol. 101. regula Francisci vocatur liber vitæ, spes salutis, medulla Evangelii, clavis Paradisi, status perfectionis, pactum æterni fœderis.

4. In investitura Monachatus dicunt: Benedicat Dominus huic vesti, ut sit firma armatura contra impetus Satanæ, & ut tegere possit peccata tua coram facie Dei.

5. In forma absolutionis Monasticæ dicitur confitenti: Rigor religionis, meritum ordinis, cedat tibi in remissionem peccatorum.

6. Johannes à Daventria in Harmon. Augustanæ Confessionis fol. 514. defendit, vitam Monasticam mereri remissionem peccatorum & justificationem & amplius etiam; & hoc dogma Evangelicæ doctrinæ nihil adversari, imò sacris literis undiquaque consonum esse. Si hæc, inquit, docuerunt Monachi, vota paria esse Baptismo, te hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum & justificationem coram Deo, imò non tantum mereri justitiam coram Deo, sed amplius etiam, certe nihil falsi docuerunt.

7. Refutatores Augustanæ Confessionis in ipsis Comitiis Augustanis in articulo 6. abusuum, sacris literis expressum scribunt, Monasticam vitam debita obedientia custoditam mereri vitam æternam.

Item. Monastici contendunt propius secundum Evangelium vivere, ut mereantur vitam æternam.

8. Petrus à Soto contra Confess. Wirtenberg. cap. de votis Monasticis, Virginitatem & cœlibatum esse satisfactionem peccatorum maximam & meritum vitæ æternæ scribit, quod congruit cum assertione Thomæ opusc. 18. cap. 11. per istiusmodi votum hominem perfectè Deo satisfacere, imò satisfactionem transcendere.

9. Georgius Wicelius in Compendio de semitis antiquis. Paucissimos reperias, qui non ob hæc monachizent, videlicet, ut per hujus status divinitatem consequantur remissionem peccatorum suorum, ut inde velint justificari, ac pro justis & sanctis videri, qui ve salutem omnem in hoc vitæ genere collocent, & se pro perfectis ducant & cæteris hominibus meliores; & persuadeant sibi, vota sua paria esse votis Baptismi, & opera supererogationis istius allegorica sese in Cœnobiis facere, & his adeò abundare, ut aliis communicare possint, (quod non fecerunt prudentes Virgines apud Matthæum, quarum hæc vox est, ne non sufficiat nobis & vobis) nec ullibi religiosiores Christianos, præterquam in Monasteriis vivere, & nisi essent Monasteria, orbem jampridem periisse, ibi enim iratum Numen per merita sua placari. Qui ejusmodi fecerunt, forsan ante hæc tempora in Europa extiterunt, jam non ita desipiunt, nimirum oculatiores redditi, ut penè vereantur, ne licentiæ suæ causa è Monasteriis profligentur &c.

10. Johannes de Promiard. in sua gemma in cap. Religio cert. 7. num. 17. Paupertas cum continentia religiosam personam justificant coram Deo.

Ibidem. In Baptismo omnes Deo obligamur, in religione meliores iterum Deo obligantur non tantum Baptismo & generalibus præceptis, sed tribus aliis circulis, obedientia, continentia & paupertate.

11. Bernhardinus in Rosario parte 2. serm. 27. pag. 220. Religiosus, quando recordatur se fecisse professionem, & hoc est contentus, & de novo eam faceret, si non fecisset, qualibet vice consequitur indulgentiam plenariam omnium peccatorum.

Et paulo ante. Dico secundum sententiam D. Thomæ, quod religiosus tantum facit donum Deo in sua professione, quod consequitur indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum à pœna & à culpa. Ideo in vitis S. Patrum dicitur, quod professio religionis habet vim Baptismi.

Idem. Eadem gratia descendit super eum, qui habitum religionis assumit, & super eum, qui baptizatur.

12. Albertus Piggius controv. 14. de votis Monasticis. Monastice assumitur à profitentibus, quia creditur valere ad satisfaciendum pro peccatis, utque per eam impetremus divinam gratiam & misericordiam.

13. Antoninus p. 3. tit. 16. cap. 3. §. 3. ex Thoma. Rationabiliter dici potest, quod per ingressum religionis consequitur quis remissionem omnium peccatorum, sicut per assumtionem crucis. Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Dan. 4. Peccata tua eleemosynis redime; multò magis in satisfactione pro peccatis suis sufficit, quod aliquis totaliter se divinis obsequiis mancipet per religionis ingressum, quod excedit omne genus satisfactionis.

Ibid. In vitis Patrum legitur, quod eandem gratiam consequantur religionem intrantes, quam baptizati.

Et in fine cap. Ad hoc etiam facit, quod dicitur in Authenticis, de Monachis scilicet, quod Monachatus omnem maculam abstergit.

14. Hieronymus Platus lib. 1. de bono status religiosi pag. 91. Esse primum religionis fructum plenam atque integram remissionem ac condonationem omnium omnino criminum & peccatorum, quæ in seculari vita quocunque modo commissa.

15. Bellarminus ipse d. l. statim subjungit, opera religionis, id est, Monasticæ esse meritoria vitæ æternæ, Religiosos posse alios participes facere suorum bonorum operum: Sicut in Baptismo remittuntur perfectè omnia peccata quoad culpam & pœnam: ita in professione religionis remitti omnem pœnam temporalem, pro qua alioqui esset satisfaciendum; B. Antonium in visione audivisse sanctos Angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quando monasticam vitam suscepit.

Ex Thoma addit, rectè credi per Monasticam professionem satisfieri pro omnibus peccatis, & esse hanc professionem alterum Baptisma.

(Quomodo igitur mendaciter hæc dogmata Pontif. tribuerentur?)

6. Idem

6. Idem Bellarminus d. l. ex Bernhardo scribit, *laborem Monasticum esse genus Martyrii.*

(Jam vero *merita Martyrum communicari possunt pœnitentibus,* docente Bellarmino, lib. 1. de Indulg. cap. 3. Ergò etiam labores Monastici aliis poterunt communicari. Martyrium ex ipsorum hypothesi est genus Baptismi. Ergò etiã professio Monastices est genus Baptismi.)

17. Ludovicus de Ponte lib. 7. in Cantic. Canticorum cap. 4. v. 2. Exhort. 5. §. 1. tom. 2. pag. 168. *Sed aptius nunc lavacrum vocabimus ipsam professionem Monasticam & trium votorum emissionem, quæ quasi secundus Baptismus à Patribus nominatur, dum etiam omnem culpam & pœnam contritis remittit, & munditiam ac quasi innocentiam Baptismalem restituit.*

18. Denique non dicit August. Conf. *scripsisse Monachos, quòd vita Monastica alios, quibus fuerit applicata, salvaverit. Sic enim loquitur: Imò affinxerunt absurdiora. Dixerunt, se aliis mutuari sua opera. Et Apolog. Vendunt merita & applicant pro aliis hoc prætextu, quòd observent præcepta & consilia, quare reipsa sentiunt sibi superesse merita.* At hoc nec Bellarminus negaverit in ipsa accusatione sic scribens: *Dicimus, posse Religiosos facere alios homines participes suorum Bonorum operum.*

19. Inde B. Lutherus tom. 6. Jen. oper. Germ. fol. 22. sic differit: Hie werden sie vielleicht schreyen und nein darzu sagen / daß sie nicht haben der Möncherey Werck dem Leiden und Blut Christi vergleichet. Aber ich wil sie es redlich mit ihren eignen Worten und Wercken überzeugen / und sol mir nicht feilen / und nicht allein das / sondern ich wil beweisen / daß sie die Möncherey höher / denn Christus Leiden und Blut gehalten haben / und damit den lieben Christum gantz und gar vertilget und begraben. Solches thue ich kürtzlich also: Wer die Möncherey der H. Tauffe Christi vergleichet / der vergleichet sie gewißlich dem Leiden und Blut Christi. Ist das nicht wahr? denn wer in Christo getauffet wird / der wird durch sein Leiden und Blut getaufft. Oder daß ichs deutlicher sage: Durch die Tauffe wird er in dem Blut Christi gebadet und gereiniget von den Sünden etc. Daß aber die Mönche die Tauffe Christi ihrer Möncherey vergleichet haben / das können sie nicht leugnen / denn sie habens durch und durch in der Welt so gelehret und gebraucht / und mir ward auch also Glück gewünscht / da ich die Profession gethan hatte / vom Prior / Convent und Beichtvater / daß ich nu were als ein unschuldig Kind / das jetzt rein aus der Tauffe käme.

Et postea fol. 23. fac. b. Hie hilfft kein leugnen / denn ihre Bücher sind verhanden / die solches lehren. So leben wir auch noch die wir es erfahren haben und wissen. Und wer hette immermehr wollen ein Mönch werden / wo sie solche süsse prächtige Verheissungen und Tauffe nicht hetten fürgewand und damit die Leute an sich gelocket? Ist doch alle ihre Lehre gewesen / daß alle andere Lebenstände weltlich und fährlich heissen müsten / und allein ihre Möncherey geistlich / so gar / daß auch weltliche Priester (die doch geistlich heissen solten) ihren Stand verliessen / und in die Möncherey lieffen / dazu auch die Mönche selbst aus einem Orden in den andern / der noch heiliger seyn solte / lauffen.

3. Idem Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 9. artic. antepenult. Protestantibus *hæresin Lampetianorum* seu Lamperianorum tribuit, propterea quod doceant, *vota esse libera.*

Resp. Hoc vero Lampetianos non docuisse, sed proprium illorum hac in parte errorem fuisse, omnia vota in totum ac simpliciter negare & damnare, constat ex Alphonso de Castro lib. 14. adversus hæreses Tit. Vota. *Lampetiani* (inquit) *vota omnia oppugnabant, dicentes, illa Christianis non prodesse, quia videntur Christianis necessitatem quandam & coactionem inferre.* Sed de Protestantibus testatur ipse Bellarminus lib. de Monachis cap. 15. quod *concedant, vota de rebus quibusdam fieri posse, si ad bonos fines fiant.*

4. Accusant nos, *quòd, vota in Novo Testamento simpliciter prohibita esse, statuamus.*

Zacharias Boverius Demonstrationum tomo 2. Symbolo 1. cap. 4. *Lutherus, Calvinus ac eorum sectatores eadem impietate votum, quod inter potissimos ac internos religionis actus collocari solet, resecant.*

Et postea. *Hominem nullo apud Deum voto astringi posse oblatrant.*

Resp. Bellarminus lib. de Monachis cap. 15. sic scribit: *Lutherus de votis docet, vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi de rebus præceptis, proinde unum esse commune votum fidelium promissionem illam quam facimus in Baptismo. Secundum, vota de rebus à DEO non præceptis posse fieri, si non ad colendum Deum aut satisfaciendum pro peccatis, sed ad negotia hujus vitæ expeditius peragenda; aut ad alios bonos fines fiant. Nec dissimilia* (inquit Bellarminus) *docent Confessio Augustana articulo vigesimo septimo, & Confessio VVirtenbergensis cap. de votis Monasticis.*

(De votis igitur sic docemus: Si quis ea, quæ ex mandato legis divinæ debentur, interposita peculiari obligatione cum obtestatione nominis divini Deo promittat, non peccat, nec quicquam Deo adversum suscipit, modo non fiat opinione satisfactionis pro peccatis ac meriti vitæ æternæ, nec ea persuasione, quasi sit præstantior Dei cultus, si fiat ex voto, quam si ex obedientia propter mandatum Dei fiat, sed eo tantum fine atque intentione, ut inconstantia humanæ voluntatis arctius constringatur. Talis promissio atque obligatio fit ab omnibus Christianis in Baptismo. Præter hoc generale votum, si quis Christianus ad peccata cautius vitanda, ad veterem hominem arctius constringendum, ad vocationis officia diligentius expedienda, adeoque ad gloriam Dei & hominum salutem eo melius promovendam ex Spiritu discretionis votum aliquod speciale suscipiat, non peccaverit, modo id fiat absque superstitione & absque opinione necessitatis, cultus, meriti, satisfactionis &c. modo etiam id, quod vovet, non pugnet cum voluntate in verbo revelata, nec excedat vires divinitus concessas, nec oppositum sit Christianæ libertati, Galat. 5. v. 1. Coloss. 2. v. 20. nec cum scandalo infirmorum sit conjunctum, denique modo talia vota temere cum nominis divini abusu non multiplicentur.)

5. Guilielmus Bailius in Catech. Controv. q. 1. *hæresin Circumcellionum* nobis tribuit, *propterea, quòd religiosis liberum permittamus uxores ducere.*

Resp. 1. Circumcellionum hæresin sic describit Augustinus lib. de hæresibus cap. 69. *Circumcelliones genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maxime præcipitiorum, aquarum & ignium seipsos necare consueverunt; & istum furorem alios, quos potuerint, utriusque sexus seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes.*

(Non ergo matrimonium, sed mortem violentam suadebant illis, qui aures eis præbebant.)

2. Illis, qui dono continentiæ destituti votum perpetui cœlibatus temere emiserunt; Apostolus ipse matrimonii libertatem permittit, *quando melius esse nubere, quàm uri* asserit, 1. Cor. 7. v. 9.

6. Idem d. l. conjungit nos propter Monasticen repudiatam *cum Lucio Episcopo Ariano, qui bestiarum proprium esse dicebat in desertis locis vivere & eremos erigere.*

Resp. 1. Nullus adducitur autor, qui de Lucio hoc asserat.

2. Constat, Lucium illum Episcopum Arianum fuisse *immanem Ecclesiæ persecutorem*, qui post Tyrannides & lanienas fidelium in urbe perpetratas, cum alia non amplius inveniret furoris sui objecta, instar famelici lupi deserta pervagatus fuit, ut ibi reliquias eorum, qui recte de Christo sentiebant, aboleret, non quidem, quia deserta incolebant, sed quia ejus perfidiæ subscribere renuebant.

Ruffinus lib. 2. Hist. Eccles. cap. 3. & 4. *Inde post fugas civium & exilia, post cædes & tormenta, flammasque, quibus innumeros confecerat, ad Monasteria furoris sui arma convertit, vastat eremum & bella quiescentibus indicit.*

Eandem crudelitatem in extirpandis Waldensium reliquiis imitati sunt Pontificii, ut constat ex Jacobo Augusto Thuano & aliis.

3. Vixit Lucius circa annum Christi 372. quo tempore coacti potius, quam volentes in eremum secedebant Orthodoxi, quibus cum bestiis ad tempus securior fuit habitatio, quam hominibus Arianismi œstro percitis. Tempore eo vitam Eremitarum necessitas inchoavit, quam assuetudine postea electio confirmavit.

4. Si qui tunc vitæ Eremiticæ se addicebant, longè dissimiles erant iis, qui nomen hoc tempore usurpant, & rem non habent.

7. Odiosissime exagitant, quod Monasteria complura fuerint eversa.

Resp. 1. Nequaquam probamus tumultuosam & temerariam Monasteriorum eversionem, ut constare potest ex iis, quæ superius pag. 1. in [illegible] sunt dicta. In articulis Schmalcald. art. 3. partic. 2. nostri suam his verbis exponunt sententiam, *Collegia Canonicorum & Cœnobia olim optima intentione majorum fundata; ad educandos viros doctos & castas ac modestas fœminas, debebant rursum converti in talem usum, ut Pastores, Concionatores & alii Ecclesiarum Ministri haberi possent, Item alii idonei ad Politicam administrationem, sive ad Rempubl. in civitatibus & regionibus, ac piè educatæ virgines ad Oeconomiam & liberorum educationem. Hunc usum si non retineant, consultum est, ut vasta deserantur aut diruantur potius, quàm ut idololatricis cultibus & figmentis hominum propagata præferantur Christianæ vitæ & à Deo mandatis officiis & vocationibus.*

(Ergo non absolute & simpliciter eorum eversio approbatur.)

2. Delecti Cardinales in Consilio Paulo III. dato tom. 3. Concil. p. 822. *Alius abusus corrigendus est in Ordinibus Religiosorum; quod adeo multi deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus, exemploque plurimum noceant. Conventuales Ordines abolendos esse putamus omnes.* In tractatu, qui inscribitur, Opus Tripartitum, Lateranensi Concilio annexo, lib. 3. cap. 3. tom. 2. Concil. pag. 1000. sic habetur: *Totus ferè mundus obloquitur & scandalizatur de tanta multitudine Religiosorum Pauperum, qui introierunt in mundum.*

3. Ivellus in Defens. Apolog. Anglic. tom. 2. pag. 392. Thomæ Hardingo Pontificio idem objicienti sic respondet: *Qui nostra memoria Monasteria in Anglia primi everterint; duo erant, qui in amicitia vestra summum obtinebant locum; Wolsæus Cardinalis & Fischerus Roffensis Episcopus, quorum neutri deerat ad factum summus autor, siquidem auspiciis Papæ gesta ab utroque res est.* Et postea: *Patres vestri carissimi & Catholici Wolsæus ac Polus Cardinales, Fischerus Episcopus, aliique Monasteria partim oppresserunt ipsi, partim de opprimendis assenserunt.*

8. Maldonatus in cap. 19. Matth. v. 11. sic scribit: *Apud Calvinistas & Lutheranos non solum non omnes, sed nemo prorsus habet donum continentiæ; certè non apparet. Hactenus enim Lutheranum & Calvinistam perpetuam servasse virginitatem monstrum inauditum est.*

Resp. Exempla contrarium testantur.

2. in specie.

1. Bellarminus lib. de Monach. cap. 6. taxat Lutherum, quod in lib. de Votis Monast. asserat, *Ecclesiam primitivam & N. T. in totum ignorasse cujusvis rei vovendæ usum.*

Resp. Comprobat hoc res ipsa, cum nullus in N. T. legatur votum solenne emisisse. De Mariæ exemplo, ex quo Bellarminus contrarium evincere conatur, suo loco fuit actum.

2. Idem Bellarminus d. l. inter *mendacia Melanchthonis* recenset, *quòd tempore Augustini Monasteria fuerint libera Collegia, non astricta ullis votis.* Nam in capitis initio præfatur, *se relaturum breviter quædam manifesta mendacia, vel absurdissimas sententias trium præcipuorum hujus temporis hæresiarcharum Lutheri, Melanchthonis, Calvini, quas in disputationibus suis protulerint contra Monasticen, quandoquidem horum mendaciorum refutatio plus valeat ad nos confundendos,*

quam

quam multa subtilissima argumenta. Ad hanc classem refert assertionem Augustanæ Confessionis, quod *Monasteria, Augustini tempore, fuerint libera Collegia. Contra*, inquit Bellarminus, *Augustinus in Psal. 75. ait: Nemo positus in Monasterio Frater dicat, recedo. Neque enim soli, qui sunt in Monasterio, perventuri sunt ad regnum cœlorum, & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei. Sed illi non voverunt, tu verò vovisti. Et in Psal. 99. de Apostatis ait: Dum non perseveraverit implere, quod vovit, desertor fit tam sancti propositi & reus voti non redditi.*

Resp. 1. Monasteria olim fuisse Collegia libera, non astricta ullis votis, ostendimus superius capite 2. membro 2. §. 4.

2. Augustinus in loco allegato longè alia vota Monachis tribuit, quam quæ adimit iis Augustana Confessio, ut proinde hîc nulla sit dissensio. Augustinus loquitur *de communi voto Monachorum omnium*, quo se Deo & Ecclesiæ vovent, spondentes, se in Monasteriis & asceteriis, id est, Collegiis suis daturos operam, ut ad sacri ministerii partes obeundas idonei reddantur, nec ab eo instituto se unquam esse discessuros. Confessio autem nostra *de particularibus illis votis* loquitur, quæ hoc tempore à Monachis exiguntur, & præsertim *de voto perpetui cœlibatus*, quem tamen utplurimum, sed sine obligatione necessitatis, observatum fuisse à Monachis commoditate vitæ cœlibis adductis, non negamus. Votum illud, de quo Augustinus agit, non adimit Monachis Augustana Confessio. Hæc autem vota, quæ Augustan. Confess. Monachis adimit, tempore Augustini nondum fuere usitata.

3. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Boulducus ex Henocho *Monachum* facit, imo *Archimandritam*. Bellarminus etiam lib. de Monachis cap. 5. *exemplo Enochi* probare cupit, *quandam adumbrationem vitæ Monasticæ in lege Naturæ ante diluvium præcessisse.*

2. Idem Bellarminus d. l. sic scribit: *Habemus in Vet. Test. Heliam, Helisæum ac filios Prophetarum sine uxoribus in hoc mundo vixisse.*

(Sed textus disertè affirmat, quod *filii Prophetarum* fuerint mariti 2. Reg. 4. v. 1. quod ipsum etiam *de Henocho* constat Gen. 5. v. 21.)

3. Antoninus duos Monachorum Ordines, *Franciscanum sc. ac Dominicanum*, probat ex Zachar. 11. v. 7. ubi sic legitur: *Assumsi mihi duas virgas, unam vocavi decus; & is est Ordo Seraphicus Franciscanorum; alteram funiculum, qui est Ordo Dominicanorum.*

4. Bellarminus de Monach. cap. 19. negat, *promissionem Deo in Baptismo factam esse votum.*

Atqui 1. convenit huic promissioni definitio voti, quam tradit Lombardus lib. 4. sent dist. 38. §. 1. *Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his, quæ Dei sunt, propriè fieri debet.*

2. Bernhardus de modo benè vivendi serm. 62. *Communia vota sunt ea, quæ in Baptismo promisimus, scil. ut non peccaremus, & ut Diabolo & operibus ejus abrenunciaremus.*

3. Glossa interlinearis in Psal. 75. *Vovete & reddite &c. quodlibet opus bonum vovendum* esse dicit.)

(Jam vero in Baptismo cum Jacobo Patriarcha Genes. 28. v. 20. promittimus Dominum futurum nobis in Deum.)

4. Lombardus d. l. §. 2. sic distinguit: *Sciendum est, quod votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud, quod in Baptismo omnes faciunt, cum spondent renunciare Diabolo & pompis ejus. Singulare, ut cum aliquis sponte promittit servare virginitatem.*

5. Thomas 2. 2. q. 88. art. 2. *Sub voto baptizatorum cadit abrenunciare pompis Diaboli & fidem Christi servare, quia voluntariè fit, licet sit de necessitate salutis.*

6. Sylvester Prierias in verb. *Votum*, dicit, *esse votum quoddam commune, quod est de necessitate ad salutem, ut in Baptismo. Esse enim circumstantiam aggravantem, quia in eodem genere pecati plus peccat fidelis, quam infidelis.* Idem statuunt Alphonsus de Castro lib. 1 de leg. pœnal. cap. 10. Dominicus à Soto lib. 7. de Just. & Jure q. 1. art. 3. Viguerius Inst. cap. 5. §. 5. v. 14.

7. Clingius lib. 3. Locorum cap. 39. *In Baptismate, quanquam vovetur castitas, paupertas & obedientia, idque in pluribus locis doceat Scriptura, quatenus omnes homines illa servare tenentur, hoc tamen fit quodam generali modo.*

(1. Petr. 4. v. 21. Baptismus vocatur ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως, quod includit promissionem Deo factam.)

8. Bellarminus ipse d. l. statuit, *votum de re præcepta cum intentione se obligandi, etiamsi res illa præcepta non esset, fieri posse.*

(Cur ergo negat, votum in Baptismo fieri posse? Becanus de vot. q. 4. §. 7. *Certum est, laudabiliter aliquid posse voveri Deo, ad quod præcepto naturali & positivo obstringimur, & per tale votum induci novum vinculum. Nam sicut creditor potest pluribus titulis idem exigere à debitore: ita debitor potest pluribus titulis se ad idem obstringere.* Interim tamen addimus, *nomen voti*, quando tribuitur promissioni in Baptismo factæ, accipi in significatione laxiore.)

5. Bellarminus de Monachis cap. 30. §. Quinto idem. *Apostolus tenebatur magnis & diuturnis stimulis carnis & tamen uxorem non ducebat. Ergo tentari non est uri.*

Resp. 1. Erasmus in annot. illius loci non injuria miratur *ineptam illam expositionem, qua per σκόλοπα intelliguntur motus libidinis, ulli Theologo placere.*

(Si enim tales ustiones Apostolus sensisset, secutus consilium, quod aliis præscripsit, uxorem duxisset.)

2. Bellarminus ipse non multum tribuit huic expositioni, statim enim addit: *Quia hic locus non omninò convincit, cùm variis modis exponatur à Patribus, sunt alia duo magis perspicua.*

Confer dicta superius art. proxime præced. cap. 4. thesi. 4.

6. Idem lib. de Monachis cap. 16 disputat: *omne quod fit ex voto, etiamsi alioqui non sit præceptum à Deo, tamen esse vere & propriè cultum Dei.*

Resp. Generalem illam assertionem etiam ipsi Canonistæ & Scholastici improbant, qui vota *stolida & & impossibilia* rejiciunt. Ac si omne, quod fit ex voto, etiamsi non sit præceptum, est vere & propriè cultus Dei, ergo verbum Dei non amplius erit norma ac regula cultus divini, sed propria ac privata cujusque intentio.

7. Gretserus in Virgidem p. 156. *Sanguis Christi expiavit & abluit peccata nostra, at non sine instrumentorum interventu, in quibus & professionis religiosæ externa indicia, cilicium, vestitus Monasticus, tonsura &c.*

Refert Gretserus cucullum Monasticum & tonsuram inter causas ablutionis peccatorum organicas, cum tota Scriptura testetur, ex parte nostra nullum aliud esse organon ληπτικὸν beneficiorum Christi, quam fidem.)

8. Azorius tom. 1. Inst. lib. 11. cap. 16. q. 5. improbat quidem illa vota, *ut superstitiosa, si muliercula vovet de non edendo in Sabbato ob honorem Deiparæ, vel si quis vovet de non edendis capitibus animalium ob cultum & honorem Iohannis Baptistæ, vel de non edendis carnibus igni assis ob venerationem S. Laurentii;* interim tamen approbat illa vota, *si fœmina voveret se in die Sabbati ab omni opere servili cessaturam ob Deiparæ cultum; aut si votum faceret de non edendis carnibus ob cultum S. Iohannis aut Laurentii.*

(Atqui æque superstitiosa ac stolida sunt hæc vota, ut priora; partim, quia *opera servilia in Sabbato* requirere posset casus necessitatis, quem votum nullum impedire potest; partim, quia ob nullius Sancti cultum aliquid vovendum, cum ipse cultus Sanctorum religiosus sit illicitus.)

9. Jodocus Lorichius in Thesaur. Theol. nov. Vocab. Votum; *Etsi vota facta implere sit juris divini: tamen eveniente aliquo impedimento ad implendum votum, Papa declarat votum tunc non obligare, ideoque non tollit jus divinum, sed explicat.*

(Atqui nulli homini licet dispensare contra jus divinum, & ubi Deus explicationem non addit, pro nostro arbitrio non sunt explicanda Dei præcepta. Nullum enim impedimentum esse potest, quod obsequium nostrum divinis mandatis debitum vel tollere vel suspendere possit.)

10. Bonifacius I. Papa circa Annum Christi 720. permisit etiam *Monialibus concionari. Tecla* quoque ad fluvium Mogum Kittingi & *Lieba* in Bischoffsheim concionatæ sunt, autore Hedione lib. 6. cap. 21. quin eo usque progressa fuit audacia, ut quædam *Abbatissæ* etiam manus imponere, ordinare Sacerdotes & velare virgines præsumerent, referente Hospiniano de orig. Monach. cap. 28. fol. 151.

At hoc pugnat cum regula Apostolica 1. Cor. 14 v. 33. 1. Tim. 2. v. 12. ideo Carolus Magnus in suis Constitutionibus Episcopos graviter monet, ne hoc fieri permittant.

Alphonsus de Castro lib. 2 adv. hæreses verbo Absolutio hæres. 2. *Si Lutherus adhuc contendat, verba illa, quæ solis suis discipulis Christus dixit, ad omnes Christianos esse referenda &c. oporteret concedere, mulieres posse prædicare, quia Apostolis dicitur: Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ. Et tamen Paulus dicit, se non permittere mulierem prædicare.*

11. Praxis testatur, in Papatu quotannis institui *novos Monachorum Ordines.* Quinimo Bellarminus disputat lib. de Monachis cap. 3. *Necessarium esse, ut semper novi Ordines exorerantur, cum omnis Ordo initio ferveat & multos homines ad pietatem excitet, paulatim autem postea fervorem illum remittat, Deus subinde novos Ordines excitando, quasi perpetuo fervore in Ecclesia sua, nunc per hos, nunc per illos conservat.*

At pugnat hoc cum jure Canonico. c. Ne nimia 9. in Decretalib. Gregorii lib. 3 tit. 36. de religiosis domibus. Verba capituli sic habent: *Ne nimia religionis diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat, sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de adprobatis adsumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam & institutionem accipiat de adprobatis.*

c. Sancta Romana unic. Extravagant. comm. tit. 7. de relig. domib. *Sacris Canonibus est constitutum, ne aliquis novum Ordinem aut religionem inveniat, vel habitum novæ religionis assumat, sed quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus approbatis.*

12. Praxis testatur, *Monachos urbes & pagos, imo omnes mundi angulos perreptare.*

Pugnat hoc cum jure Canonico. c. Si cupis, caus. 16. q. 1. *Si cupis esse quod diceris, Monachus, hoc est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?*

c. Juxta, caus. & quæst. iisd. *Juxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilii Monachis (quamvis religiosis) ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus, vicos, castella, civitates peragrare prohibemus & à populorum prædicatione omnino cessare censemus, nisi fortè quis de sua anima salute solicitus, ut eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit.*

13. Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 14. §. Quod ad primum. *Apud Græcos non est idem nomen pro voto & oratione, tamen sunt duo affinia nomina. Nam εὐχὴ significat votum, προσευχὴ orationem.*

(Atqui εὐχὴ etiam usurpatur de oratione Jac. 5. v. 15. εὐχὴ τῆς πίστεως, ac εὔχομαι pro oratione Act. 26. v. 29. εὐξαίμην ἂν τῷ Θεῷ. Bellarminus d. l. recte monet, *votum Hebræis dici* נֶדֶר *orationem* תְּפִלָּה. Jam vero Septuaginta Interpretes utrumque eodem nomine εὐχῆς reddiderunt. Prius quidem Gen. 28. v. 20. Psal. 22. v. 26. Nah. 1. v. 15. Posterius Job. 16. v. 17. Prov. 15. v. 8. Quod ergo Gregorius Nyssenus homil. 2. in Orat. Dom. dicit, *εὐχὴν esse promissionem alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicatur & sacris destinetur: προσευχὴν autem petitionem bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur*; non est accipiendum in sensu opposito, nec de differentia perpetua, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Græci distinguunt inter εὐχὰς ἁπλῶς & ἐμπορικὰς, quas Persius emaces

cesvocat, Sat. 2. *quòd per vota Diis quasi precium exauditionis rependatur*. Casaub. ad illum Persii locum. Usus hujus observationis, quod *εὐχὴ non semper usurpetur pro voto*, occurrit in loco Eusebii lib. 13. præparat. Evangel. cap. 7. ex quo Jesuitæ probare contendunt, *jam olim vota Sanctis nuncupare moris fuisse*. Verba Eusebii hæc sunt: ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι. Atqui Eusebio de votis, quæ Sanctis fiunt, nihil in mentem venit, sed *ad Sanctorum monumenta preces recitari solitas fuisse* memorat.)

14. Thomas Quodlib. 3. art. 16. posita quæstione, *Utrum Religiosus, si videat patrem esse in necessitate, etiam absque Prælati sui licentia possit claustrum exire ad subveniendum patri*, paulò post concludit: *Postquam aliquis est jam in Religione professus, est mortuus mundo. Unde per spiritualem mortem deobligatur à cura impendenda parentibus, sicut etiam deobligaretur per mortem corporalem: & ideo non peccat, nec contra præceptum Dei agit, si in claustro remaneat sub præcepto prælati sui parentum ministratione prætermissa.*

Confer Historiam Jesuitarum ab Hasenmüllero scriptam, in qua doctrinæ hujus Thomisticæ exempla adducuntur.

(Illis ἀνθρώποις directè adversatur præceptum *de honorandis parentibus* divinitus promulgatum, quod propter *humanas traditiones* illi faciunt irritum Matth. 15. v. 6. Marc. 7. v. 13.)

15. Alphonsus à Castro lib. 1. advers. hæreses cap. 9. *Non possum non stomachari in eos* (Monachos) *qui, ut suum institutum laudent, non verentur coram populo jactare & dicere, eum, qui semel habitum illius Ordinis susceperit, non posse in fide errare aut deficere. Nonne hoc aperta est blasphemia, cum per hoc magis tribuere videatur habitui, quo induitur, quàm fidei aut gratiæ Dei? Estne forte potentior pannus ille quàm gratia Dei aut fides? absit tanta dementia. At nec fides, nec gratia in Baptismo suscepta sic hominem servat, quin in hæresin labi possit. Qui fit ergo, ut habitus servet? Quod si hoc ad professionem quis referre velit, & non ad habitum, ut professio, quam de illo instituto emisit, hanc vim habere dicatur, quis non videt in Baptismo omnes profiteri Christianismum? nec tamen illa, quam tunc emisimus, professio immunes nos ab hæresi reddit. Nec tamen ullus erit adeò impudens, ut neget, illustriorem multò esse atque efficaciorem professionem illam, quàm quævis alia postmodum facta. Abeant ergo & illas nænias Poëtis cantandas relinquant, & populo meliora prædicent. Deum testor, non mentior, nam me præsente quidam in concione publica ad populum prædicans in die, quo agitur solennitas sancti, qui Ordinem instituerat, dixit, fraternitatem suam ac societatem laudibus extollere volens, eum, qui habitum illius Ordinis semel induerit, non posse esse hæreticum. Et ab aliis pluribus accepi, se eadem verba audivisse ab hominibus ejusdem Ordinis, cum de eadem re sermo populo fieret. Ego quidem cum audirem, abominatus sum hominis audaciam atque impudentiam, execratus autem Prælati patientiam, qui illa audiens tolerasset, minimeque punisset. Ob quam causam suspicio mihi non parva orta est, ut crederem, ex ejus mente verba prolata.*

Nihilo tamen minus post Alphonsum de Castro Henricus Sedulius lib. 2. Apolog. cap. 9. pag. 110. sic scripsit: *Omnes salvantur, qui moriuntur in Ordine & sub Regula Francisci. Hinc quidam Frater ductus ad infernum nullum Fratrem nostri Ordinis ibi invenit.*

16. Johannes Viguerius Granatensis Dominicanus in Institut. Theolog. pag. 381. *Holocaustum erat sacrificium, quod offerebatur Deo, specialiter ad reverentiam majestatis ipsius & ad amorem bonitatis ejus & totum comburebatur. Ideò dicitur holocaustum quasi totum haustum & incensum. Et significabat sacrificium Christi, qui totum se obtulit Deo Patri pro nobis. Huic sacrificio succedit in nova lege professio religionis approbata, quæ potest dici holocaustum, quia totus homo offert seipsum Deo nihil sibi reservans.*

17. Inter alia argumenta, quibus *sanctitatem Ecclesiæ Romanæ* confirmare & ad consortium Ecclesiæ Papalis homines pellicere satagunt, non postremum est illud, quod de *Monachorum suorum sanctitate* gloriantur.

Resp. 1. Septemcastrensis de moribus & religione Turcarum cap. 14. tom. 3. Histor. Sarac. *de religiosis Turcarum* testatur, quod *in maximis hyemis frigoribus nudato toto corpore incedant, solum coperientes virilia, similiter in caloribus æstatis; quod probationes suæ patientiæ ostendant in variis stigmatibus combustionum & cicatricibus incisionum corporum suorum; quòd cibos vel paucos vel nullos sumant; quòd in crastinum nihil retineant; quod perpetuum silentium teneant & hominum conversationem fugiant.*

(Illi ergo Monachorum Pontificiorum sanctitatem vel adæquant, vel etiam superant.)

2. Vera sanctitas æstimanda non ex ἐθελοθρησκείας, sed ex conformitate cum lege Dei.

18. Concilium Trident. sess. 24. can. 6. decernit, *matrimonium ratum, non consummatum, per solennem religionis professionem alterius conjugium dirimi & contrarium sentientes anathemate ferit*. Bellarmin. lib. 2. de Monachis cap. 38. addit, *alterum conjugem repugnantem posse cogi, ut faciat, quod tenetur facere, h. e. ut liberam dimittat partem, quæ solenniter vovit*. At hoc affine est Priscillianistarum erroribus, qui referente Augustino de hæres. cap. 70. *conjuges, quibus hoc malum poterant persuadere, disjungebant, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris.*

19. Bruno instituti Carthusiani primus autor, ideò animum applicuit ad istud Monachismi genus, quia existimavit, *nullam esse spem salutis iis, qui urbes incolerent, in populi frequentia. Profectò*, inquiebat, *non est locus salutis, nisi mundum relinquamus. Si in viridi hoc factum est, quid fiet in arido?* apud Hospinianum de orig. Monach. lib. 5. c. 7.

(At hac ratione Monasticæ professio omnibus salvandis foret necessaria.)

20. Monachi ex Ordine Minorum, *Recollecti & Capucini nudis pedibus ambulantes singulare aliquod meritum in eo quærunt.*

(At hoc conforme hæreticis, quos *Nudipedales* vocat Augustinus de hæres. cap. 68. qui *nudis pedibus semper ambulabant*, malè intelligentes quædam Scripturæ dicta, in quibus *de solvendis calceamentis* agitur. Ad illos meritò accommodari posset illud Hieronymi tom. 1. ad Eustoch. de custod. virgin. *Viros fuge, quos videris catenatos, quibus fœmineæ contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes.*

20. Henricus Sedulius Antwerpiensis Franciscanus Apol. pro Francisc. Alcor. pag. 244. *Ungues Francisci tentationes propellunt; sputo puellam illuminavit; lotura pedum & manuum animalia morti proxima vivificavit.*

(Superstitiosa hæc sunt & fide minime digna.)

21. Ignatius Loyola in Epist. de virtute obed. quæ extat in fine regularum Societatis: *Obedientia*, inquit sect. 9. *comprehendit non solum executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat, sed etiam judicium, ut quæcunque superior mandat ac sentit, eadem inferiori & recta & vera esse videantur, quatenus ut dixi, vi sua potest voluntas intelligentiam flectere.*

Et postea sect. 12. *Perit exequendi studium & celeritas, cum ambigitur, expediatne facere, quod jubemur? Perit celebris illa obedientiæ cæca simplicitas, cum apud nos in quæstionem vocamus, rectène præcipiatur an secus; atque etiam fortasse damnamus Superiorem, quòd ea mandet, quæ nobis non ita jucunda sunt; perit humilitas, quoniam etsi ex altera parte paremus, ex altera tamen nosmetipsos superiori præferimus; perit in rebus arduis fortitudo; perit denique, ut summatim complectar, virtutis hujus omnis vis & dignitas, succedunt enim in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliaque vitia non sane levia, quibus obedientiæ precium ac meritum prorsus extinguitur.*

Ibid. sect. 18. *Postrema subjiciendi judicii ratio est, cum facilior, tutiorque, tum etiam apud sanctos Patres in more posita, ut statuatis vobiscum ipsi, quicquid superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse & voluntatem: atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo, assensuque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quæcunque superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupida sine ulla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham, filium Isaac immolare jussus.*

(Immanis hæc est κακοζηλία, quæ nulli probari debet.)

22. Bellarmin. lib. de Monach. cap. 34. *Etiam post votum simplex aliquo modo majus malum est nubere, quam fornicari, quia qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum servandum, non qui fornicatur.*

(At quomodo, qui post votum fornicatur ad votum perpetuæ continentiæ violatum servandum habilis erit? Contra dicebat Epiphanius hæresi 61. *Melius est lapsum à cursu palam sibi sumere uxorem secundum legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum & obligatione opus habentem, & non quotidie occulte jaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur. Sic novit Ecclesia prædicare.*)

23. Monachi *Religiosorum* nomen sibi solis arrogant. Contra fatentur Scholastici *usu Ecclesiæ Christianis omnibus Deum colentibus hoc nomen competere*. Altensteig in Lexico in V. Religiosus ex Biele. Gregor. de Valentia lib. de statu & votis Religiosorum cap. 1.

24. c. Monachum 3. caus. 20. q. 1. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum & omnes ad seculum interdicimus egressus.* c. Quicunque 4. caus. & quæst. iisd. *Quicunque à parentibus propriis in Monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum.* c. Quem progenitores 6. caus. & quæst. iisd. *Quem progenitores ad Monasterium tradiderunt, & in Ecclesia cœpit canere & legere, nec uxorem ducere, nec Monasterium deserere poterit.* At in Concilio Toletano II. Ann. 531. hoc fuit reprobatum & taliter à parentibus oblato, ubi ad annos discretionis pervenerit, libera electio concessa, permanendi in Monasterio, vel ab eo discedendi. c. De iis 5. dist. 28. ex Concilio Toletano, quod decretum confirmavit Cœlestinus III. circa Ann. 1190. c. Cum simus 14. lib. 3. Decretal. tit. 31. *Si dictus puer (qui à patre in Monasterium erat adductus) ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit, eum dimittere &c.* Confer Baronium Anno 531. num. 12.

ARTICULUS VIII.

DE LAICIS.

CAPUT I.

De officio Magistratus in negotio religionis.

THesis. Magistratus Christianus ac pius non potest, nec debet à cura sacrorum, & judicio de controversiis religionis excludi.

Exthesis. 1. Non cupimus introductam Καισαροπαπίαν, nec omnem omnino potestatem Ecclesiasticam Magistratui vendicamus, vel ad eorum Regalia referendam esse statuimus, ut Ecclesiastici Ministerii potestate ac dignitate oppressis omnia ad nutū & voluntatē suam conformare possit, sed certos constituendos esse limites asserimus, ne Ecclesiastici ac Politici ordinis munia confundantur, sed utriq; debitæ partes relinquantur.

2. Magistratus non debet sibi potestatem quandam αὐτοκρατορικὴν in Ecclesia arrogare, nec ea, quæ sunt Ministerii propria sibi vendicare. Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes f. 650. allegat Epistolam Hosii, in qua hæc extant: *Ne tu, Imperator, misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit, & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo. Neque ergò fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum Imperator habes potestatem.* Et postea f. 654. inquit Athanasius ipse: *Si illud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? sin contra ista minis Cæsaris constantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis, quando judicium Ecclesiæ autoritatem suam ab Imperatore accepit?*

3. Quousque verò Magistratus potestas in Ecclesiasticis se extendat, latè expositum fuit in tractat. de Magistratu §. 180. & seqq. Quando judicium de religione Magistratui Politico, ut omnibus aliis Christianis asseritur, *privatū* illud intelligitur, & quidem *non absolutum*, sed secundum normam Scripturæ *limitatum*. Sane debet Magistratus de controversiis fidei judicare, interim non suo nitatur arbitrio, sed in consilium adhibeat Ministeriū Ecclesiasticum, convocet Concilia, in illis viros pios & eruditos de controversis fidei articulis differentes audiat, veritatem ex Scripturis monstratam amplectatur ac propaget, pertinaciter errantes coërceat &c. Ita quoque debet Magistratus pios & idoneos Ecclesiæ Ministros constituere, interim non debet judicium Ecclesiastici Ministerii de personis eligendis prætermittere, nec invitæ Ecclesiæ Ministros obtrudere.

Antithesis. Pontificii à cura sacrorum & religionis Magistratum penitùs excludunt, vel si dicis causa admittunt, executorem eorum, quæ à Clero statuta sunt, duntaxat faciunt.

c. Decernimus tit. 1. Decretal. de Judiciis cap. 2. *Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant.*

c. Satis evidenter. dist. 96. *Illicitum est, eum, qui non sit de ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

c. Si Imperator. dist. ead. *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.*

c. Non placuit. caus. 16. q. 7. *Non placuit Laicum statuendi in Ecclesia* (præter Papam Romanum) *habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi.*

Cum Carolus V. Imp. de dissidiis religionis solicitus Colloquia & Conventus institueret, Concilium promitteret ac pacem Ecclesiæ reddere laboraret, graviter hoc nomine à Paulo III. Pont. R. fuit reprehensus, ac institutum ipsius comparatum *facto Usæ arcæ ruinam minanti manum admoventis; seditioni Core, Dathan & Abiran adversus Mosen & Aaronem; temeritati Usiæ incensum in altari adolentis.* Videatur integra Epistola Pontificis Anno 44. die 24. Aug. ad Imperatorem hoc nomine scripta apud Wolffium tom. 2. Lect. memorab. p. 539.

Censura Coloniensis art. 12. *Illud est certum, alienum esse à Principe Rempubl. administrante definire dubia circa fidem, sed hoc relegandum ad solos Sacerdotes; deinde hoc tantum esse officium Magistratus, quoad religionis negotium, ut in eos, quos Pontifices pœna percellendos putant, animadvertat, imo etiamsi Magistratus animadvertat quosdam errores & abusus in rebus Ecclesiasticis irrepsisse, non tamen licet illi reformationem instituere, sed Sacerdotes benignè admoneantur; quod si admonitionibus nihil proficitur, summus est aliquis in Ecclesia Præsul, ei deferendum est id negotii.*

Petrus à Soto in assert. Cathol. *Si Princeps conatur definire dubia de religione, tū meritò audit: Vade post me Satan, scandalū mihi es.*

Bellarminus lib. de Laicis cap. 17. *Brentius, Philippus & alii nimis multum tribuunt Magistratibus, quia Reges esse volunt non solum custodes & defensores religionis, sed etiam judices & Magistros. Dicunt enim, ad eos, ut ad præcipua Ecclesiæ membra, pertinere, judicare controversias fidei, præsidere Conciliis generalibus, constituere Ministros & Pastores.* Ipse contra statuit, *ad Magistratum pertinere non judicium de religione, sed duntaxat religionis defensionem. Tenentur,* inquit cap. 18. §. 3. *Christiani Principes, non permittere suis subditis libertatem credendi, sed dare operam, ut ea fides servetur, quam Episcopi Catholici & præcipuè summus Pontifex docet esse tenendam.*

(Sic ergo Bellarminus ex Magistratu facit mancipium Episcoporum & Romani Pontificis, adimit enim ipsi judicium de doctrina Episcoporum & Pontificis, ac requirit, ut ea, quæ Pontifex statuit, absque omni discussione & judicio recipiat, qua ratione ex Pontifice facit *Angelum* vel Apostolum ab omni erroris periculo immunem; ex Christiano Magistratu facit *oves brutas*, quæ absque judicio sequuntur Pastores, etiam ad noxia & venenata pascua ducentes.)

Idem Bellarmin. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 7. *Ad Principes seculares Ecclesiæ cura & regimen non pertinet.*

Stapletonus in Relect. Controv. 2. q. 5. art. 1. pag. 253. *Princeps Laicus non potest judicare de fide aut ferre leges de externo cultu, de disciplina, de Politia & regiminis forma.*

Baronius, Principes, qui res Ecclesiasticas attingunt, ubique maledictis incessit, ausus etiam Reges veteres Francorum eam ob causam comparare *latronib. in sylvis*, Anno Domini 855. Principum fideles Consiliarios, qui jura suorum Regum adversus Curiam Romanam defendunt, locis innumeris teterrimæ damnat *hæreseos*, neque aliud occurrit frequentius in posterioribus tomis, quàm *hæreseos Politicorum* dirissima detestatio.

Nostram sententiam (quòd Magistratus Christianus ac pius non debeat ab omni religiònis & sacrorum cura excludi) probamus,

1. ex mandatis divinis. Magistratui divinitus commissa est custodia legis divinæ, ad quam pertinet non solum *posterior Decalogi tabula* de officiis proximo præstandis, verum etiam *prior* de cultu divino, ejusque publico exercitio, Deut. 17. v. 18. Jos. 1. v. 7. 2. Reg. 11. v. 12. 2. Paral. 23. v. 11. Ergo etiam religionis & cura sacrorum ad ipsum spectat. Huic præcepto de custodia legis divinæ conjungenda sunt reliqua ejusdem generis præcepta Psal. 2. v. 10. 11. & 12. Psal. 24. v. 7. Esai. 26. v. 2. 1. Tim. 2. v. 1. & 2.

2. ex divinis prædictionibus & promissionibus. Psal. 22. v. 30. Psal. 47. v. 10. Psal. 68. v. 23. Psal. 72. v. 10 Esai. 49. v. 23. cap. 60. v. 10. & 16.

3. ex appellationibus & encomiis Magistratui attributis. Vocantur *Elohim Dii* Eod. 21. v. 6. Ps. 82. v. 2. Ergo ut *Dei Vicarios* se gerant & gloriam Dei promoveant, diligentem religionis & Ecclesiæ curam agendo. Dicuntur *Pastores* Es. 44. v. 28. Jerem. 49. v. 19. Ergo curent, ut subditi ad pascua salutaris ac salutiferæ doctrinæ deducantur. Vocantur *Patres* 1. Sam. 12. v. 15. Ergo de subditorū in vera religione institutione sint soliciti. Si n. ad officiū Christianorum parentū pertinet cura religionis in familia & domo sua instituenda, utique etiam ad Magistratum, qui est *Pater Patriæ*, pertinet, in regno suo religionem promovere. Vocantur *scuta terræ* Psal. 47. v. 10. ergo pertinet ad eorum officium, Ecclesiæ defensionem suscipere, & à persecutorum violentia eandem sua autoritate ac potestate tueri.

4. ex probatis Regum ac Magistratuum exemplis, videl. *Mosis* Exod. 20. Lev. 8. & 10. Num. 3. Deut. 33. v. 5. *Josephi* Ps. 105. v. 21. *Josuæ* in ipsius libro cap. 5. 8. 24. &c. *Saulis* 1. Sam. 28. v. 9. *Davidis* 2. Sam. 6. v. 12. cap. 8. v. 11. 1. Paral. 13. v. 2. cap. 16. v. 4. cap. 22. v. 2. cap. 23. v. 4. *Salomonis* 1. Reg. 2. v. 27. cap. 6. v. 1. cap. 8. &c. 1. Paralip. 6. *Asæ* Regis Judæ 1. Reg. 15. v. 12. (2. Paral. 14. v. 3.) 1. Reg. 15. v. 15. (2. Paral. 14. v. 4.) 1. Paral. 15. v. 8. *Josaphati* 2. Paralip. 17. v. 6. & 7. cap. 19. v. 4. & 8. *Joas* 2. Reg. 12. v. 4. 2. Paralip. 24. v. 4. *Ezechiæ* 2. Reg. 18. v. 4. 2. Paralip. 29. v. 3. 5. 10. & 25. cap. 30. cap. 31. *Josiæ* 2. Reg. 23. 2. Paralip. 34. & 35. *Nabuchodonosoris* Dan. 3. v. 96. quibus in N. Testam. annumerandi *Constantinus Magnus, Theodosius*, & alii.

5. ex rationibus. Quibus commendata est Reipubl. salus, illis etiam commendata intelliguntur ea, absque quibus Resp. salva consistere nequit. Sed Magistratui commendata est Reipubl. salus. Ergo etiam ea, absque quibus Respubl. salva consistere nequit. Inter ea vero eminet religionis & sacrorum cura, cum religio sit *societatis humanæ fundamentum, Magistratus propugnaculum, legum & honestæ disciplinæ vinculum.* Præterea, cui cura & tutela Reipubl. est commissa, is avertere debet ea, quæ Rempublicam possunt ac solent evertere. At Magistratui cura & tutela Reipublicæ est commissa. Ergo avertere debet ea, quæ Rempublicam solent evertere; inter quæ cum falsa religio & cultus idololatricus, locum facilè principem obtineant, ideo de eorum abolitione Magistratum pium ac Christianum maximè oportet esse solicitum. Ulterius; Maximum Reipubl. momentum ac fulcrum consistit in honestis legibus. Atqui religio est bonarum legum fons & origo. Ergo si Magistratus salvam velit esse Rempublicam, de religione ipsum oportet esse solicitum. Denique qui Magistratui religionis curam incumbere negant, pessimè Ecclesiæ saluti consulunt. Quid enim? si Pastor degeneret in lupum, an Christianus Magistratus non habebit potestatem

statem eum coërcendi? si Episcopi fiant in officio negligentes, nec præsint Ecclesiæ juxta præscriptum verbi, num Magistratus non habebit potestatem eos corrigendi? hac ratione periclitabitur Ecclesiæ salus.

Quod Magistratui *judicium de religione* non sit omninò denegandum, probamus hac ratione, 1. Quod omnibus Ecclesiæ membris, non solùm relictum est liberum, sed etiam mandatum, ab eo Magistratus non est excludendus, quia Magistratus est præcipuum Ecclesiæ membrum & caput Reipubl. in qua est Ecclesia. Atqui judicium de religione & fidei articulis *omnibus Ecclesiæ membris* non solùm relictum est liberum, sed etiam est mandatum, Matth. 7. v, 15. 1. Cor. 10. v. 15. cap. 11. v. 13. 1. Thess. 5. v. 21. 1. Joh. 4. v. 1. cui congruit exemplum Beroensium Act. 17. v. 11.

2. Deut. 17. v. 18. *Rex in volumine legis omnibus vitæ suæ diebus legere* jubetur, *ut discat timere Dominum.* Atqui finis hujus lectionis est, ut veritatem doctrinæ cœlestis cognoscat, & contrarios errores fugiat.

3. In eodem capite v. 12. *Synedrio Sacerdotum* adjungitur *judex Politicus*, eidemq; una cum Sacerdotibus judicium & definitiva sententia committitur.

4. Christiano Magistratui reddenda erit aliquando ratio non solùm de se, sed etiam de subditis fidei suæ commissis, ipsi igitur curæ esse debet, ut vera religio apud subditos floreat ac propagetur. At veritatem religionis non potest cognoscere, & inter verum ac falsos cultus discernere, nisi ex Scripturis.

5. Quemlibet in negotio religionis oportet esse certum ac πληροφορηθέντα. At πληροφορία illa non potest niti aliorum effatis, sed cuilibet incumbit, ut ipse ex verbo Dei de controversiis cognoscat ac judicet.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Pontifices Romani & Jus Canonicum à Pontificibus confirmatum.

Leo Epist. 7. laudat Imperatorem, *quod non solùm Regiam, sed etiam Sacerdotalem animam ostenderet, quia nimirum præter Imperiales curas piissimam curam religionis haberet.*

Epist. 9. quæ est ad Theodosium Augustum. *Pro integritate fidei Catholicæ Christianissimum Principem convenit esse solicitum.*

Idem Epist. 12. *Quantum rebus humanis consulere providentia divina dignetur, solicitudo clementiæ vestræ Spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in Catholica Ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum, quoniam fides, quæ non nisi una est, in nullo potest esse sui dissimilis.*

(Hoc ipsum Cyprianus Epist. 61. quæ est ad Stephanum Romanum, dicebat ad *Episcopos pertinere.*)

Idem Epist. 75. quæ est ad Leonem Augustum. *Debes Imperator incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.*

Gregorius Epist. 62. ad Mauritium. *Ad hoc potestas Dominorum meorum pietati cælitus data est super omnes homines, ut, qui bona appetunt, adjuventur, ut cælorum via largius pateat, ut terrestre regnum cælesti regno famuletur.*

Bonifacius I. Papa ab Honorio Aug. petit, *ut in urbe Roma nunquam quis per ambitum ordinetur*, rationemque subdit, *quia Imperator, Deo favente, in humanis rebus divinæ cultor religionis præsideat*, subindeq; precatur, *ut is in perpetuum status Universalis Ecclesiæ consulat.* Epist. 1. apud Binium tom. 1. Concil. p. 623.

Hormisda I. Papa Epist. 5. Anastasio Imper. gratulatur, *quod curam principalis acuminis non tantùm in administrandæ Reipubl. exerceret officio, sed meliorib. eam nobilitaret institutis per curã redintegrandæ unitatis.* Hortatur etiam eundem ad curam religionis suscipiendam. *Assume*, inquit, *fidei curam, & sicut alter Ezechias exsurge. Ille simulachra contrivit, tu dura infidelium corda confringe. Ille memoriam serpentis ænei sustulit, tu virus præsentis effunde,* (Acatii hæretici superbiam compesce) apud Binium p. 318.

Hormisda Papa in Ep. ad Epiph. Constant. tom. 2. Conc. *Hinc supernæ misericordiæ documentum perdocetur, quando mundani Principes causas fidei cum Reipubl. ordinatione conjungunt, & Ecclesiarum Præsules, quod ad dispensationem sui pertinet officii, memores exsequuntur.*

Plura hujus generis ex Pontificibus, Conciliis & Patribus adducit Antonius de Trejo Episcopus Carthagin. in Legatione ad Paulum V. p. 61. & seqq.

c. Imperatores. dist. 9. ex Augustino: *A temporibus Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur; & qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonosor, cum servus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, ut simulachrum adoraretur. sed ejus impiæ constitutioni, qui obedire noluerunt, piè fideliterq; fecerunt. Idem tamen Rex divino correctus miraculo piam & laudabilem pro veritate constituit legem, ut quicunque diceret blasphemiam in Deum Sidrach, Misach & Abednego, cum domo sua penitus interiret.*

c. Ubinam. dist. 96. ex Nicolao I. Papa ad Michaelem Imp. *Ubinam legistis, Imperatores, Antecessores vestros, Synodalib. Conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum, quæ Universalis est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verum etiam ad Laicos & omnes omninò pertinet Christianos.*

c. Boni. dist. eadem ex Marcello Papa: *Boni Principis est ac religiosi, Ecclesias contritas atq; conscissas restaurare, novasq; ædificare, & Sacerdotes honorare ac tueri.*

c. Si Ecclesia caus. 23. q. 4. *Quomodo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra justa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atq; plectendo? Aliter enim servit, quia homo est; aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter. Quia verò etiam Rex est, servit, leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo.*

c. Principes caus. 23. q. 5. ex Isidoro: *Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpè per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipsamq; disciplinam, quam utilitas Ecclesiæ exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiatur. Cognoscant Principes seculi, se Deo reddituros esse rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam tradidit.*

c. Administratores. caus. & quæst. iisd. ex Johanne VIII. Papa: *Administratores secularium dignitatum ad Ecclesiarum tuitionem constituti esse debent.*

(Illa defensio veræ Ecclesiæ præsupponit cognitionem veræ doctrinæ & veræ Ecclesiæ, ne falsos cultus & falsam Ecclesiam defendant ac propagent)

2. Imperatores, Reges ac Principes.

Constantinus Magnus, referente Eusebio lib. 4. de vita Constant. c. 24. ad Episcopos dixit: *Ego Episcopus extra Ecclesiam, vos intra Ecclesiam à Deo constituti.*

Laicis Principibus hodie omnis Ecclesiasticæ, etiam in Ecclesiæ commodum cedentis, legis potestas ademta est, juxta cap. Benè quidem. dist. 96. c. Laicis. c. Non placuit. c. Si quis Principum. c. Per Laicos. caus. 16. q. 7. & c. Sed diversum olim obtinuisse ostendunt *leges Imperatoriæ de rebus Ecclesiæ* Nov. 7. Nov. 55. Nov. 67. n. 120.

De privilegiis locorum sacrorum tot. tit. C. de sacros. Eccles. & tot. tit de his, qui ad Eccles. &c.

De personarum Ecclesiasticarum officio, creatione, immunitate, numero tot tit. C. de Episc. & Cleric. cum tit. seq. Nov. 3. Nov. 16. Nov. 123.

De Ceremoniis tot. tit. ne sacr. Bapt. iteretur, tot. tit. de stat. & imag. tot. tit. C. nem. lic. sign. Salv. Nov. 58. & seqq.

De diebus festis l. ult. C. de feriis.

De fide Catholica tot. tit. C. de summ. Trinit.

De hæreticis tot. tit. C. de hæret. & Manich. t. t. C. de Apost. t. t. C. de Jud. & seqq. Nov. 146.

De regulis Ecclesiasticis Nov. 131. c. 1. & seqq.

De matrimoniis t. t. C. de spons. t. t. C. de Nupt. Nov. 12.

Theodosius & Valentin. Impp. in l. 3. princ. C. de summ. Trinit. definiunt, *decere Impp. ut subditos de religione commonefaciant & instruant.*

Marcianus l. 4. C. eod. dicit, quod *Sacerdotes Chalcedone congregati per sua præcepta statuerint de fide Christiana.*

Hæ leges obligant in conscientia & sunt certo modo spirituales.

Bellarm. lib. de Laicis c. 11. initio: *Lex civilis non minus obligat in conscientia, quam lex divina, etsi minus firma sit hæc, quam illa.*

Ib. §. Respondeo licet. *Licet lex Politica dicatur temporalis ratione objecti, quia versatur circa temporalia & externa, tamen in se*

est res spiritualis. (E. multò magis illa est spiritualis, quæ objecti loco habet aliquid Ecclesiasticum & spirituale.)

Baronius tom. 7. Anno 538. n.34. adducit sententiam Justiniani Imp. in Oratione ad Mennam: *Semper studio fuit, atque etiam nunc est, rectam & irreprehensibilem Christianorum fidem statumq́, sanctissimæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perturbationū expertem usquequaq́ custodiri. Hæc nobis prima & antiquissima cura est, per quam & nobis in præsenti seculo Imperium à Deo traditum esse & conservari credimus & Reipubl. nostræ inimicos subdi &c.*

Idem Justinianus l. 6. princ. C. eod. *studens imitari Christi Salvatoris nostri συγκατάβασιν festinat, errantes etiam docere, quæ sit Christianorum fides, & id agit, ut hæreticorum vaniloquia & mendacia dissipet & omnibus insinuet, quid sentiat sancta Dei Catholica Ecclesia, ut arguat insaniam eorum, qui cum hæreticis sentiunt.*

Idem Nov. 3. in fin. *Non minor nobis cura est horum, quæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, quam ipsius animæ.*

Inde Glossa decreti dist. 84. dicit, quod *amplius 800. à nativitate Christi annis Imperatores leges de rebus Ecclesiasticis tulerint, quodq́, eis Ecclesia obediverit.*

Theodosius & Valentinianus Impp. in Nov. 3. de Judæis, Samaritanis, hæreticis & paganis in princ. ita loquuntur: *Inter cæteras solicitudines, quas amor publicus pervigili cogitatione nobis indixit, præcipuam Imperatoriæ Majestatis curam esse perspicimus, veræ religionis indaginem, cujus si cultum tenere potuerimus, iter prosperitatis humanis aperiemus inceptis.*

Iidem Impp. in prooem. l. 3. C. de summ. Trinit. & fide Cathol. *Decere arbitramur nostrum Imperium subditos nostros de religione commonefacere. Ita enim & pleniorem acquiri Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi benignitatem possibile esse existimamus, si quando & nos pro viribus ipsi placere studuerimus, & nostros subditos ad eam rem instituerimus.*

Leonis Imperatoris homilias edidit non ita pridem Gretserus, *eò pluris æstimandas* (inquit) *quo pauciora in hoc genere monumenta ab Imperatoribus profecta extent.*

Hispanorum Historiæ Regem commemorant Reccaredum Wisigothum, qui miseratione divina factus orthodoxus de Ariano veram fidem in regno suo circa Annum Christi 589. curavit recipiendam. Ipse igitur *Synodum cogere, ipse interesse, ipse tridui jejunium Episcopis indicere, ipse confessionem scribere & firmandam Synodo exhibere.*

Hunc Reccaredum Gregorius I. collaudat, quod *per ejus excellentiam cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæresis in fidei rectæ soliditatem translata sit.*

Anno 813. tempore Caroli Magni & Leonis III. habita fuit Synodus Cabilonensis in Gallia, cujus Canones ab Episcopis & Abbatibus Imperatori Carolo ad correctionem vel confirmationem oblati fuerunt. Sic enim habet Concilii illius præfatio: *Auxiliante Domino nostro Jesu Christo, & imperante Serenissimo atq́ inclyto Augusto Carolo, convenimus Episcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunensis in urbem Cabilonensem, & de quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem Domino Imperatori præsentanda & ad ejus sacratissimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudenti examine ea, quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur, sicubi minus egimus, illius sapientiâ suppleatur.*

Neque verò hoc ab officio suo alienum Carolus Magnus judicavit, quia jam antè Anno 789. ejusmodi edictum publicè promulgaverat:

Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, ego Carolus gratia Dei, ejusq́ misericordia donante, Rex & rector regni Francorū & devotus Ecclesiæ defensor, humilisq́ adjutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis Ordinibus seu secularis potentiæ dignitatibus in Christo Domino Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans pacifico mentis intuitu unà cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris, abundantem in nos nostrumq́ populum Christi Regis clementiam, & quam necessarium est, non solùm toto corde & ore ejus pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus, quatenus qui regno nostro tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumq́ regnum in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, ô Pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis ejus & clarissima mundi luminaria, ut vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oves bonorum exemplorum seu adhortationum humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis, ne lupus insidians aliquem Canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones Universalium Conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideò magno devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, imò compellendi, ut firma fide & rationabili perseverantia inter paternas sanctiones se contineant. In quo opere & studio sciat certissimè Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis autoritate una vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua capitula ex Canonicis institutionibus, quæ magis necessaria videbantur, subjunximus, ne aliquis quæso hujus pietatis admonitionem esse præsumtionem judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, secta coarctare studeamus, sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regum libris, quomodo sanctus Josias regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum verum Dei studuit revocare, non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sunt quæq́ sanctorum semper exempla sequenda, & quousq́ poterimus, ad studium bonæ vitæ in laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi congregare necesse est. Quapropter, ut prædiximus, aliqua capitula notare jussimus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcunque vobis alia necessaria esse sciatis; nec aliquid quod vestræ sanctitati & populo Dei utile videatur, omisisse, ut pio studio admoneatis, quatenus & vestra solertia, & subjectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

Et paulò post inter regulas etiam hæc recensetur, *ut fides Catholica ab omnibus Episcopis & Presbyteris legatur diligenter, & omni populo prædicetur, quia hoc primum præceptum est Dei omnipotentis in lege &c.*

Tandem decretum sic concluditur: *Sed & vestrûm, videre est, dilectissimi & venerabiles Pastores & Rectores Ecclesiarum Dei, ut Presbyteros mittatis per parochias vestras ad regendum & ad prædicandum per Ecclesias vestras populum Deo servientem, ut rectè & honestè prædicent, & non sinatis nova vel non Canonica aliquos ex suo sensu & non secundum Scripturas sacras fingere & prædicare populo, sed & vosmetipsi utilia, honesta, & recta, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliosque instruite, ut hæc eadem prædicent. Primò omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant, Patrem, Filium & Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternū, invisibilem, qui creavit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Et unam esse Deitatem majestatem & substantiam in tribus personis Patris & Filii & Spiritus sancti. Item prædicandum est, quomodo Dei Filius incarnatus sit de Spiritu sancto ex Maria semper virgine pro salute & reparatione generis humani passus, sepultus, & tertia die resurrexerit & ascenderit in cœlos, & quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare omnes homines secundum merita propria; & quomodo impii propter scelera sua cum Diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo & sanctis Angelis suis in vitam æternā. Item, diligenter prædicandum est, resurrectionem mortuorum esse, ut sciant & credant, in iisdem corporibus præmia meritorum accepturos. Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum Diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositas, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideò hæc eadem, quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibete, intelligentes quàm sit terribile illud, quod dixit: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Sed omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de charitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum; & ut debitoribus suis secundum Orationem Dominicam sua debita dimittant, scientes certissimè, quod qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Et hoc ideò diligentius injungimus caritati vestræ, quia scimus temporibus novissimis Pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Evangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideò, dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & divina donante gratia verbum Dei crescat, currat & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & salutem animarum nostrarum, & laudem & gloriam nominis Dei nostri Jesu Christi. Pax prædicantibus, gratia obedientibus gloria Domino nostro Jesu Christo, Amen. Anno Dominicæ incarnationis 789. indictione 12. Anno 21. regni nostri, actum est hujus legationis edictum Aquis in palatio publico. Data est hæc charta die decima Calend. Aprilis.* Melchior Goldast. tom. 1. Constit. Imperial. p. 6.

Ansegisus Abbas Lobiensis, postea Senonensis Archiepiscopus, circa Annum Christi 827. Statuta Ecclesiastica Caroli Magni & Ludovici Pii peculiari libro complexus est, inter quæ hæc numerantur, quod *in templis tantùm Canonici libri, hoc est, sacræ literæ legi debeant*, lib. 1. cap. 19. quod *reditus Ecclesiastici inter*

pauperes

pauperes & Sacerdotes dividi debeant. lib. 1. cap. 8. *ne Clerici præsumant à quoquam accipere ejusmodi donationem, qua in magnum damnum liberorum aut aliorum heredum cadere possit*. lib. 1. c. 83. *Episcopi sive per se sive per Vicarios pabulum verbi divini sedulo populo annuncient, & ipsi Clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant, superstitiones, quas quibusdam in locis in exequiis mortuorũ nonnulli faciunt, eradicent*. lib. 1. cap. 103. *ut Laici ad minimum ter in anno communicent*. lib. 2. cap. 38. quod *Sacerdotes non debeant ordinari, nisi prius rectè examinati fuerint, quod excommunicatio temerè & sine gravi causa fieri non debeat, quod omnis Simoniacus ingressus sit cavendus, quod Episcopi secundum Canones à populo & Clero suo sine ullo respectu personarum, habita tantum meriti vitæ & doni sapientiæ ratione eligi debeant, ut exemplo & doctrina populum instruere possint, quod nemo debeat profiteri Monachatum, nisi petita à Rege venia; quod pueri ac puellæ non debeant ante maturam ætatem intrudi in Monasteria, vocat autem maturam ætatem annorum viginti quinq; quod Sacerdotes paterno affectu plebem & auditores regere debeant. Ad cantum & Psalmodiam ac Liturgiam Romanam Monachos solùm obligavit, alios Sacerdotes minimè; quæ festa in Ecclesia celebrari debeant, præscripsit, luxum sacrificorum & omnem eorum licentiam vehementer coercuit. Præcepit, ut Monachi & Sacerdotes literis sedulò operam darent, emendatè & rectè scriberent, in omnibus contubernius Monachorum & Episcoporum ædibus pueros docerent. Opes Ecclesiasticas in templis locupletioribus in tres divisit partes, duas egenis, tertiam Sacerdotibus attribuit. In ædibus augustioribus donaria æqua lance inter egenos & Sacerdotes bipartitus est.*

In Præfatione primi libri istorum Statutorum ab Ansegiso collectorum Carolus Magnus sic loquitur: *Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptuosam putet vel judicet, quâ nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studeamus, sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regulorum libris, quomodo sanctus Josias regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sint ubiq; Sanctorum semper exempla exequenda & quoscunque poterimus ad studium bonæ vitæ in laudem & gloriam Domini nostri J. C. congregare necesse est.*

Adgarum Angliæ Regem, qui circa Annum Christi 959. habenas regni suscepit, celebrant Historiæ Anglicanæ, non solùm, *ut Principem pium*, sed etiam *de conservanda pietate solicitum*. Hic Rex in Oratione quadam ad Ecclesiarum & Monasteriorum Patres hæc verba inter cætera habuit: *Sed & meæ solicitudinis est, Ecclesiarum Ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum & necessaria procurare & quieti eorum consulere, de quorum omnium moribus spectat ad nos examen*, refert Albertus Riewalensis in Epistola ad Illustrem Normannorum Ducem, postmodum Regem; & Gulielmus Richanger in Chronico.

(Jesuita Personius magna temeritate pronomen *nos* mutavit in *vos*, sed omnes antiquæ membranæ habent nos, ut Robertum Cottonem sibi ostendisse, refert Isaacus Casaubonus in Præfation. ad Annal. Baronii.)

Extat etiam Synodus Provincialis, Regis ejusdem jussu coacta, quam Dunstanus Episcopus describens Adgarum in Proœmio dilaudat, *ut Regali officio eâ in re functum, velut Pastorem Pastorum.*

Elector Trevirensis in electione Caroli V. Anno 1519. dixit: *Statum Reipubl. desiderare talem Imperatorem, qui præter alia constituat & emendet Ecclesiæ statum, quod & Moguntinus Elector admonuit.*

Carolus V. in Comitiis Augustæ Ann. 1548. celebratis, exhibuit Statibus Ecclesiasticis *Formulam Reformationis* 22. capitibus constantem, quæ etiam ab iisdem probata & recepta est. Extat illa apud Melch. Goldastum tom. 2. Constit. Imperial. pag. 326.

Ann. 1555. die Augusti 14. *Ferdinandus Romanorum Rex Catechismum evulgavit, mandato suo à Theologis quibusdam piis doctisq; concinnatũ, ac simul Magistratib. edixit, ne paterentur Ludimagistros publicè aut privatim alium aliquem auditoribus suis prælegere, quod, ab eo genere librorum corrupta juventute, religio maximum iis regionibus acceperit detrimentum. At Romæ ea res haud pronis auribus accepta, ut Princeps secularis librorum componendorum aut autoritate sua muniendorum in re religionis & in eo præsertim genere potestatem sibi sumat, neq; aut Pontificis approbationem requirat, aut Episcoporũ ejus provinciæ nomine emittat, id verò piaculo affine putabatur, quasi secularis id cognitionis esset, quam populus religionem tenere, quamq; aversari debeat.* Petrus Suavis lib. 5. Historiæ Concil. Trident. pag. 4,2.

De eodem Ferdinando Imperatore sic memorant Pontificii Scriptores in Præfat. operum Georgii Cassandri edit. Colon. Ann. 1577. *Quanta pietate Ferdinandus Imp. præstiterit, omnes ejus actiones ostendunt. Semper enim eum in id toto pectore, tum publicè per Comitia & Conventus, tùm privatim per suos incubuisse constat, ut latius cotidie serpentes religionis controversiæ, quoad licuit extinguerentur. Quamobrem cum videret, eas Concilio Trid. in Germania, quam pro summi Magistratus munere regebat, non potuisse sopiri, quod absentes haud facilè parere decretis eorum soleant, quos adversari sibi putent, experiri constituit, num doctorum & prudentium hominum consiliis, eorumq; scriptis, num aliquibus mutuis Colloquiis utilis aliqua earum componendarum ratio possit inveniri. Si hoc brevi consequi non daretur, hactenus saltem studium hac in re suum utile futurum arbitratus est, qua per utramq; Pannoniam & Boemiam, cæterasq; suas Provincias hereditarias de controversis illis articulis doctrinæ formula promulgaretur atq; reciperetur. Qualem autem ejus Christianæ fidei methodum confici vellet, ipse Epistolâ, quæ subjicitur, præscripsit, per eam Protestantibus concedens, quantum salva Catholicæ religionis autoritate necessario permittendum publicæ tranquillitatis in Republ. tuendæ causa, visum est, causas gravioris ab Ecclesia defectionis sic ipse tolleret. Itaq; tantopere expetendam totius Ecclesiæ pacem, si reliqui Principes simile quippiam in suis ditionibus instituerent, procurari posse demonstraret.*

Ferrerius, Regis Galliæ Orator, in Concilio Tridentino Orationem habuit, in qua inter cætera dixit: *Reges Christianos* (Galliæ Reges) *ad exemplum Constantini, Justiniani, & aliorum Imperatorum multas leges Ecclesiasticas condidisse, quæ non solùm Pontificibus non displicuerint, sed & ab ipsis etiam harum aliquot suis decretis insertæ sint, digniq; sanctorum nomine judicati Carolus Magnus & Ludovicus IX. præcipui earum autores. Episcopos Ecclesiam Gallicanam iis legibus administrasse, non solùm post tempora Pragmaticæ, aut Concordati, verum quadringentis & amplius annis ante librum Decretalium. Atq; has leges à posterioribus Regibus vindicatas & restitutas, postquam successu temporum iis derogatum fuisset, Decretalibus in earum locum substitutis. Regem jam administrationis compotem factum, eas leges in observationem revocaturum & una libertatem Ecclesiæ Gallicanæ.* Petrus Suavis lib. 8. Histor. Concil. Trid. p. 898.

Idem Ferrerius in Apologia hujus suæ Orationis scripsit: *Se quidem dixisse, Carolum Magnum & Ludovicum IX. leges Ecclesiasticas sanxisse, quibus Gallia administrabatur, non autem Regi animum nunc esse, novas condendi. Quod si etiam ita locutus esset, eum sermonem esse consentaneum sacris literis, legibus Romanorum civilibus, eiq; quod scriptum est ab autoribus Ecclesiasticis Græcis & Latinis ante librum Decretorum.* Pett. Suavis p. 903.

3. Scriptores Ecclesiastici & Politici.

Angelomus Monachus Laxoviensis in Cant. Cantic. ad Lotharium Imperatorem c. 1. edit. Colon. Ann. 1535. p. 50. hortatur Lotharium ad diligentem Scripturæ lectionem, *ut sanctã Ecclesiam non tantùm armorum suffragio in procinctu bellorum constitutus, sed etiam contra malignos Spiritus ancilibus Evangeliorum munitus, gladiis divinarum Scripturarum accinctus, spiculis sententiarum armatus defendere possit.*

Georg. Cassander in Consult. art. 16. p. 958. *Restat quæstio de officio & potestate civilis Magistratus in rebus Ecclesiasticis, in qua utrinq; modus exceditur, aliis parum, aliis nimium potestati civili tribuentibus, cum alii ab omni procuratione rerum Ecclesiasticarum Principes & Magistratus removeant, alii totum Ecclesiasticam administrationem Principũ & Magistratus civilis potestat. subjiciant. Illud autẽ in hac quæstione extra controversiã esse debet, non minorem esse nec inferiorẽ potestatem Imperatoris & Regum seu Principum Christianorũ in Republ. Christiana, quã olim priscorum Regum in Republ. Israelitica, quorum quod munus in divina lege conservanda & cultu divino promovendo fuerit, satis ex divinis literis est manifestum. Nam ipsis Deuteronomii lectio ipsa lege divina commendatur, non modò, ut eo lecto ipsi vitam suam privatim rectè pieq; instituant, sed ut leges divinas sanctas & inviolatas conservent, id certè piorum Regum, qui in divinis literis commendantur, exempla apertè declarant, qui comperta ex divina lege voluntate Domini Sacerdotibus & Levitis mandarunt, ut Dei cultum in templis ad præscriptum divinæ legis instaurarent, & ab omnibus sordib. emundarent, ordinem Sacerdotum & Levitarum confusum & dissipatum composuerunt, officium quemq; suum exequi jusserunt. Sacerdotes, Levitas & Principes per universum regnum suum miserunt, qui allato secum libro legis populum ex ejus præscripto instituerent, quorum piorum Regum præclara instituta pii Reges Christiani sedulo imitati sunt, ut Constantinus, Theodosius, Justinianus, Carolus &c. quorum diligentia & vigilantia in constituendis rebus Ecclesiæ,*

tùm in Historiis Ecclesiasticis, tùm in saluberrimis legibus, quas de rebus Ecclesiasticis tulerunt, satis apparet. Itaq; eorum Imperatorum & Principum officium jam olim habitum est, turbatis Ecclesiæ rebus Concilia Antistitum Ecclesiæ & doctorum in divinis literis virorum convocare, quæ ad constituendam Ecclesiæ pacem pertinent, diligenter inquirere, officii sui Ecclesiasticos quoq; viros in tollendis falsis cultibus & sincera doctrina propaganda commonefacere, atq; ad id perficiendum operam quoq; suam adjungere, Ecclesiæ disciplinam legibus communire, transgressores divinarum & Ecclesiasticarum traditionum & turbatores Ecclesiæ pacis coercere. De hoc Principum officio & Historiæ Ecclesiasticæ & Ecclesiasticorum Scriptorum libri pleni sunt. Augustinus de correct. Donatist. Cum nondum Reges Domino servirent, temporibus Apostolorum, & non utiq; tunc potuerunt impietatis legibus prohiberi. Postea verò cœpit impleri, quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. Quis mente sobrius Regibus dicat? Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Dei vestri. Leo Papa ad Leonem Augustum: Debes incunctanter animadvertere, Regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; & Justinianus in Novell. Constit. 124. Si leges, inquit, civiles, quarum potestatem fidei nostræ Deus pro suo erga homines amore concredidit, firmas ac stabiles conservari ad subditorum securitatem studemus, quantò plus studii debemus circa sacrarum regularum & divinarum legum observationem reponere, quæ salute animarum nostrarum definitæ & constitutæ sunt. Gregorius I. Reccaredum Regem Gothorum collaudat, quod per ejus excellentiam cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæresis in fidei rectæ soliditatem translata sit: Et Isidorus: Cognoscant Principes seculi &c. (Verba citata sunt superius ex c. Principes caus. 23. q. 5.)

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiquis non longè à princip. *Alibi diximus de Regibus ex professo Christo deditis, quantum illi olim Ecclesiam juverint, nisi quis forsan ignoret Constantinum utrumq;, Theodosium, Valentinum, Arcadium, Marcianum, Carolum Pipini filium, aliosq; qui verè flagranti amore Dei supremi Regis Regum coronam sceptrumque suum religioni Christianæ posthabuerunt, non minus de domo Dei soliciti, quam multi Principes Sacerdotum.*

Et postea: *Monarchas adhortor in Domino, ut ipsi causam veteris Ecclesiæ defendendam suscipiant adversus bestias, ventresq; pigros, qui Deo non placent & cunctis hominibus adversantur.*

Petrus Gregorius Tholosanus lib. 8. de Republ. c. 2. p. 528. *Reges ipsos*, scribit, *Pastores esse non tantùm corporum subditorũ, sed etiam per consequentiam animarum, pro quarum salute non minus, quam pro corporum incolumitate laborare debeant & auxilium Ecclesiæ contra hæreticos & contemtores præbere.*

Antonius de Trejo Regis Hisp. Legatus in Orat. 2. ad Pontificem Paulum V. referente Waddingo in Hist. illius Legationis p. 82. *Quantum Dominus Ecclesiæ suæ, ut de Theodosio Aug. Leo advertit, in fide hujus Principis præpararit, his etiam literis, quas ad Tuam Beat. misit, evidenter ostenditur, ut illi non solùm regium, sed etiam Sacerdotalem animum inesse tibi gaudendum sit, siquidem præter regias & publicas curas piissimam solicitudinem Christianæ religionis habet, ne scilicet in populo Dei aut schismata, aut hæreses, aut ulla scandala convalescant.* Vide ibidem plura in hanc sententiam.

4. Quædam hypotheses Pontificiorum.

Bellarm. lib. de Laicis c. 18. disputat, *ad Magistratum pertinere defensionem religionis.*

(At cui custodia & defensio religionis est commissa, ad illum quoque spectat religionis & sacrorum cura, nisi velimus ipsum facere mancipium alienæ libidinis. Si Magistratus à judicio de controversiis religionis penitus excluditur, facilè contingere potest, ut falsitatem pro veritate defendat.)

5. Quod quidam agnoscunt, convocationem Conciliorum pertinere ad Magistratum. (Illa enim convocatio Conciliorum est pars illius potestatis, quam Magistratui in Ecclesiasticis tribuimus.) Dicta ejusmodi allata sunt in art. 4. de Conciliis cap. 1.

6. Quod quidam agnoscunt, Magistratum Christianum non posse nec debere à vocatione Ministrorum Ecclesiæ excludi. (Nam illud jus vocandi Ministros Ecclesiæ est pars potestatis, quam Magistratui in Ecclesiasticis tribuimus.) Dicta ejusmodi allata sunt in articulo 6. de Clericis c. 1.

7. Quod fatentur, Christianis non solùm permissum, sed etiam mandatum esse, ut ex Scriptura sacra de doctrina Pastorum judicent. (Quod si enim singulis Christianis hoc permissum & mandatum, utique Magistratui hoc non potest nec debet denegari.)

c. Nolite. caus. 11. q. 3. *Sicut Sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet, sic Laicus debitor est, ut veritatem, quam audivit à Sacerdotibus, probatam quidem in Scripturis* (nota) *defendat fiducialiter.*

Thomas Aquinas in Comm. 1. Cor. 10. super verba: *Vos judicate, quod loquor. Apostolus quod dicturus erat, supponit eorũ judicio.*

Idem in 1. Thess. 5. super verba: *Omnia probate. Primùm monet, ut spirituales suos Pastores colant & eorum ordinationib. pareant, sed subjungit, ut omnia examinent, & ad extremum addit: Adjuro vos ut hæc Epistola legatur omnibus sanctis fratribus.*

Cajetanus in c. 17. Act. *Susceperunt verba Apostoli hæsitando, an verum esset, sed promtos se exhibuerunt examinando, an conforme esset Scripturis, & post examen crediderunt.*

Benedictus Arias Montanus in eund. loc. *Libentes examinabant doctrinã Apostolorum & animo veri cognoscendi cupido conferebant, ut probarent, utrum Apostolica dicta cum Scripturis convenirent, & postquam omnia explorassent, sequitur in textu, crediderunt.*

Joh. Ferus in eund. locum super verba, *Scrutantes &c. Non oscitantem, sed diligentem requirit lectorem, hinc Psalmographus, Beati scrutantes testimonia ejus. Et Sapiens. Si effoderis velut propter argentum. Scrutatio duplex; Curiosa, quando vel inutilia, vel incomprehensibilia scrutantur; & alia necessaria, de qua hoc loco. Scrutantur enim Christum, nec temerè credunt, sed omnia probantes. Nos juxta Apostoli dictum debemus omnia probare, sed quod bonum est retinere.*

Claudius Espensæus in Comment. ad Tit. ad finem tract. de lectione librorum suspectorum: *Trapezitis comparati sunt Scripturarum studiosi, scientes, quod bonum est, retinere; à malo abstinere. Et sic suadet Hieronymus. Estote probati nummularii. Si quis nummus sit adulterinus & figuram Cæsaris non habeat, nec signatus sit moneta publica, reprobetur.*

Didacus Stella in c. 12. Luc. *Super cathedram Mosis sedent &c. id est, quatenus docent, quæ Moses in cathedra docuit, audiendi sunt, alioqui cavete.* Plura hujus generis adduximus superius art. 1. c. 2. thesi 7. membro 5.

Arg. Advers. 1. *Principes & Magistratus seculares vendicantes sibi cognitionem de religionis doctrina fiunt similes Usiæ, qui adolendo thymiama iram Domini contra se succendit & lepra percussus est 2. Reg. 15. v. 5.*

Resp. ex Cassandro in Consult. art. 16. p. 959. *Usiæ exemplum huic Principum officio nihil detrahit. Neq; enim id agitur, ut Principes ipsi & Magistratus propria Sacerdotum officia, quæ sunt prædicandi, Sacramenta administrandi, invadant, sed ut eos in officio suo contineant, & ad illud exequendum non solùm autores illis, sed & auxiliatores sint.*

(Distinguendum igitur inter temerariam alienæ vocationis usurpationem, & legitimam partium officii sibi demandati administrationem.)

2. *Principes collocantur in ovium numero.*

Resp. ex Cassandro d. l. *Nihil ad rem pertinet, quod in ovium numerum Principes quoq; collocentur, qui se totos Pastorum curæ committere debeant. Nam in divinis literis Reges non oves modò, sed nutritii etiam Ecclesiæ appellantur, qui ut ipsi nec oves pascere, nec de pabulo de se judicare debent, tamen ovibus de idoneis Pastoribus prospicere, & ut illis idoneum pabulum suppetat, providere tenentur.*

CAPUT II.

De abolitione librorum hæreticorum.

THesis. Libri hæreticorum non sunt simpliciter abolendi ac prohibendi.

Ἔκθεσις. 1. Quidam libri hæretici sunt, Primò, *Magici*. Secundò, *famosi*. Tertiò, *notoriè blasphemi*. Quartò, *variis erroribus conspersi*. Magici libri sunt comburendi Act. 19. v. 19. Famosi prohibendi; Imperatorum Constitutiones in eorum autores capital. supplicio animadvertunt, l. unic. C. de lib. famos. Ord. Imp. Caroli V. c. 110. Notoriè blasphemi itidem abolendi. Lectio librorum variis erroribus conspersorum non est cuivis, inprimis illis, qui veræ fidei fundamenta nondum sufficienter cognoverunt, concedenda, sed propterea non sunt simpliciter abolendi, verum eruditis eorum lectio committenda.

2. Quidam sic progrediuntur. Libri hæreticorum dicuntur *vel omnes sine discrimine*, quicunque ab ipsis scripti sunt, sive de religione, sive de aliis, ut Grammatici, Poetici, Logici, Historici, aut alterius generis; vel *certi*, in quibus hæresin sparserunt.

3. Hæresis alia *directè* pugnat cum fundamento, alia per *indirectum*; Item hæresis alia conjuncta *cum blasphemia*, alia verò minus.

4. Interdictum aliud *simplex & absolutum*, pertinens ad omnes subditos, omniaq; tempora & loca; aliud *limitatum & conditionatum*

ditionatum, concernens certas personas, nempe rudes & imperitos. Item *certa tempora*, in quibus sine offendiculo aut periculo contrarium fieri non possit; Denique loca *publica aut privata*.

5. Modus prohibitionis fit, vel *verbo & mandato*, vel *facto sive combustione*. Prohibitio, quæ fit interdicto apud rudiores, jure fit de libris hæresi quadam, præsertim contra fundamentum fidei infectis, apud doctiores non item, nisi in causa scandali; quæ verò fit combustione, si per vim eripiat peritis libros, eorumque expendendorum & judicandorum facultatem, approbari non potest.

6. Aliud est *libros hæreticos* esse abolendos & igni concremandos; aliud *libros hæreticorum* esse abolendos & igni concremandos, neq; enim omnes hæreticorum libri sunt hæretici.

7. Diligenti inspectione & inquisitione opus est, ut sciatur, qui libri sint hæretici, cum facilimus hac in re sit erroris lapsus. Notabile occurrit exemplum apud Sleidanum lib. 7. Comment. pag. 179. §. Dum hoc agitur. *Cùm Protestantes Germaniæ Ordines Legatos in Italiam ad Cæsarem Carolum V. mitterent, Protestationis suæ contra Decretum Spirense insinuandæ gratia, dabat Landgravius Michaeli Cadeno libellum eleganter adornatum, qui doctrinæ Christianæ summam paucis complectebatur, ut Cæsari daret. Is per occasionem, cùm ad sacrum iret Cæsar, porrigit Cæsari, Cæsar vicissim Episcopo cuidam Hispano, ut quid esset rei, cognosceret; hic fortè in illum locum incidit, ubi Christus monet Apostolos, ne principatum affectent, hoc enim ipsorum non esse professionis, & gentium Reges usurpare sibi talem potestatem. Sed ille cum obiter legisset, percunctanti Cæsari sic referebat, quasi Magistratui Christiano jus gladii tolleret libellus, & gentibus duntaxat alienis à religione Christiana permitteret. Ex hujus igitur Episcopi judicio libellus iste flammis absumendus fuisset. Sed quid futurum esset ipsi Novi Testam. Codici, si idem ille Episcopus in locum illum, ubi idipsum docetur, incidisset? an non & ille Episcopi sententia flammis adjudicandus fuisset?*

Antithesis. Bellarminus lib. de Laicis cap. 20. *Libri Patrum etiamsi hæreses mixtas habeant, tamen permittuntur ab Ecclesia Romana, quia prosunt propter antiquitatem. Protestantium autem libri licet bona multa mixta habeant, tamen penitus sunt abolendi ac prohibendi, quia veritas non est legenda in libris hæreticorum, nam Laicis, ut ibi est, nocet, non prodest.*

(At num magis nocebit veritas in recentioribus, quam falsitas in antiquis?)

Ibid. § Postmodum. *Concilium Tridentinum Indicem librorum hæreticorum fieri jussit, ut omnes scirent, qui libri cavendi & exurendi essent.*

Compos. Pacis c. 11. q. 83. n. 143. *Mirum est, tales Lutheri libros in urbibus Imperialibus aliisq; passim S. Rom. Imperii Provinciis, typis publicis excudi, publicè proponi ac venundari, multorum manibus & oculis evolvi, cum Sedis Apostolicæ, nostræ Catholicæ fidei, sacri item Imperii & Germanicæ nationis dedecore.*

Descripto Principum & Statuum Imperii publico, quod exponit causas recusati Concilii Tridentini, Dillingenses in eodem libro sic judicant: *Tales libros plenos mendaciis, calumniis, ac conviciis adversus Sedem Apostolicam, Cardinales & Catholicos universos in Rom. Imperio non esse tolerandos, sed Imperatoria autoritate proscribendos, indubitato asserimus.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex mandatis Apostolicis.* 1. Thess. 5. v. 20. *Omnia probate* 1. Joh. 4. v. 1. *Probate Spiritus.*

2. *Ex lectionis illius commodis.* In hæreticorum libris talia traduntur, ex quibus ipsæ hæreses refelluntur. Utile etiam est propter Historicam relationem scire, quid quovis seculo actum.

3. *Ex comparatis.* Quis Patrum fuit ab omnibus erroribus communis? In libris Ethnicorum & Judæorum continentur multa à fide Christiana aliena, nec tamen eos abolemus.

Nostræ sententiæ suffragantur quædam hypotheses Adversariorum.

1. Thomas 4. sentent. dist. 13. *Ecclesia utitur hæreticis ad probationem doctrinæ suæ.*

(Ergo libri eorum non sunt simpliciter abolendi.)

Bellarminus lib. de Laicis capit. 20. §. 24. adducit locum aliquem ex Socrate lib. 6. Hist. Eccles. cap. 15. Theophilus Alexandrinus cum argueretur, quod Origenem legeret, respondit, se legere eum, ut quod bonum est, exciperet, & quod malum est, respueret. *Si quid reperio in illis bonum,* inquit, *illud decerpo; sin spinosum quidquam, hoc, utpote aculeis pungens, missum facio.* (At qui Origenem inter hæreticos Bellarmin. numerat, ut suo loco demonstratum.)

2. Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. sanctæ annot. 266. p. 543. *Nec à Romanis Pontificibus nec ab ulla unquam Synodo fuit omninò prorsusq; prohibitum, ne hæreticorum scripta legerentur, sed ne sine majorum concessione legerentur, maximè verò ab ineruditis, qui facilè eorum lectione falli possent; & ab eruditis etiam, quos nulla hujusmodi lectionis urgeret necessitas. Nam & Carthaginensis quarta Synodus can. 17. concedit Episcopis eruditione & fide conspicuis lectionem hæreticorum voluminum, quo facilius possint illorum insidias cognoscere & validius confutare.*

Bellarm. lib. de Laic. c. 20. §. Ultimo. *Semper concessum fuit & modò etiam conceditur Episcopis & aliis multis lectio librorum hæreticorum.*

(Si libri hæreticorum à quibusdam sunt legendi, ergò non simpliciter abolendi.)

3. Concedunt, gentilium libros posse legi in Ecclesia.

Alphonsus de Castro lib. 1. advers. hæreses c. 12. *Gentilium libri non omninò deserantur, quoniam in multis nos docere possunt, quorum cognitio est admodum necessaria ad sacrorum librorum intelligentiam. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana c. 40. de omnium Philosophorum doctrina sic ait: Sicut enim Ægyptii non solùm idola habebant & onera gravia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa & ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculo vendicavit, non autoritate propria, sed præcepto DEI, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non benè utebantur: sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, gravesq; sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisq; nostrûm duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari atq; devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent, deq; ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam q. metallis divinæ providentiæ, quæ ubiq; infusa est, eruerunt, & quo perversè atque injuriosè ad obsequia Dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoq; illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atq; habere licebit in usum convertenda Christianum. Hucusq; Augustinus. Possunt etiam prodesse illorum doctrinæ ad ipsos gentiles expugnandos, ut cum adversus eos pugnamus, suo ipsorum gladio eos jugulemus, ut David occidisse Goliath, sacra testatur Historia. His namq; armis Justinus Martyr adversus gentes pugnat in Apologetico, quem de eadem re fecit. Ideo Damascenus lib. 4. de Fide Orthodox. c. 18. ait: Si autem ab his, qui foris sunt, decerpere quippiam utile valuerimus, non aspernabile est. Efficiamur probati trapezitæ, legitimum & purum aurum acervantes, adulteratum autem refutantes. Sumamus sermones optimos, Deos autem ridiculos & fabulas alienas canibus projiciamus. Nam plurimum ex ipsis contra seipsos fortitudinem habere valebimus. Hæc Damascenus.*

Duarenus lib. 4. de sacris Eccl. minist. c. 2. *De libris Ethnicorum* (à Sacerdote legendis) *pulchrè loquitur Beda, cujus verba hic subjicimus. Turbat acumen legentium & deficere cogit, qui eos à legendis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos, in quibus si qua inventa sunt utilia, quasi sua sumere licet, alioqui Moses & Daniel sapientia & literis Ægyptiorumq; Chaldæorumque non paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones simul & delitias horrebant. Nec etiam ipse Magister gentium aliquot versus Poetarum suis vel Scripturis vel dictis indidisset c. Turbat, 37. distinct.*

Gretserus lib. 1. de jure & more prohibendi libros noxios c. 5. *Gentilium libros ideo tolerari*, dicit, *quia non est periculum, ne quis jam lectione librorum gentilium in errores eorundem incurrat, nimis namq; manifesti sunt, utut hac tanta luce nemini imponere queant.*

Eandem rationem tradit Bellarminus lib. de Laicis capit. 20. §. 19. quia *libri gentilium non nocent, cum sint errores mortui, nulli enim nunc sunt, qui non rideant dogmata gentilium; nec unquam audimus Christianos depravatos libris gentilium deficere ad gentilismum.*

(At si libri gentilium non sunt simpliciter prohibendi, Ergò nec hæreticorum libri, cum illi longius à veritate cœlesti discedant, quam hi.

Confirmatur hoc argumentum ex illis, quæ habet Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trident. pag. 551. *Circa annum 400. Concilium Carthaginense interdixit Episcopis gentilium librorum lectione, hæreticorum libros legendi potestate facta, quod Decretum extat inter Canones à Gratiano consarcinatos &c. Hæreticorum libri,*

 qui

qui doctrinam complectebantur damnatam, à Conciliis, sæpè ab ipsis Imperatoribus civilis disciplinæ causâ legi vetabantur. Ad hunc modum Constantinus libros Arii, Arcadius Eunomiorum & Manichæorum, Theodosius Nestorii, Marcianus Eutychianorum, & in Hispania Ricaredus Rex Arianorum scripta prohibuit. Conciliis atq; Episcopis visum satis ostendere, quorum librorum damnabilis aut apocrypha esset doctrina, quod factum à Gelasio anno 404. neq; ulterius pergere, sed cujusq; conscientiæ liberum relinquere, libros eos vitare, an boni cujusquam causâ legere velit. Post annum verò 800. Romani Pontifices multis partibus civilis regiminis sibi arrogatis & librorum lectionem prohibuerunt, & libros flammis mandari imperarunt, quorum autores ipsi damnaverant, ad hoc tamen usq; seculum non nisi paucissimi reperiuntur libri in eum modum prohibiti. Universalis certè prohibitio sub pœna excommunicationis, nulla alia sententia præcedente, ne quis libros legeret hæreticam doctrinam continentes aut hæreseos suspectos, nondũ inoleverat. Martinus V. Papa diplomate suo omnes hæreticorum Sectas Wiclefistas & Hussitas inprimis, sacrorum communione interdixit, sed de iis nullam facit mentionem, qui libros eorum evolvebant, licet multorum manibus tererentur. At Leo X. Luthero damnato libros simul ejus omnes sub pœna excommunicationis legi vetuit. Et secuti eum Pontifices hæreticis omnibus diplomate eo damnatis atq; excommunicatis, quod vocant in Cœna, eodem diris devovent etiam illos, qui in libris eorum versantur.

Ratio diversitatis, quam Bellarm. & Gretzerus inter libros gentilium & hæreticorum adducunt, ratione hujus quæstionis nulla est, quia libri gentilium non solùm manifestos errores continent, sed etiam quædam impura, bonis moribus noxia. Jam verò Gretzerus lib. 1. c. 26. §. Quæ lex & c. ipsemet docet, *libros impuros rectè aboleri.* Præterea non omninò nullum seductionis periculum ex lectione librorum gentilium metuendum esse, docet exemplum Origenis, quem *illustre Alexandrinæ Ecclesiæ lumen* Lindanus vocat lib. 3. Panopl. c. 24. De eo enim scribit Bellarm. lib. de Script. Eccles. n. 226. quod *deceptus Platonis Philosophia,* quam utique ex lectione librorum ejus hauserat, *in multos errores inciderit*; ac Gretzerus ipse lib. 1. c. 30. de eo memorat, quod *non paucos errores ex Ethnicorum scriptis hauserit.* Quod vero addit, *id non lectionis, sed hominis lectione & magnitudine ingenii sui abutentis vitium fuisse,* illud æque de lectione librorum hæreticorum dici potest.

Huc referri potest, quod etiam Thalmudicos Judæorum libros tolerant, imò per typographiam promovent, ut ostendunt libri Rabinorum & Thalmudici Venetiis excusi. (De illis enim fatetur ipsemet Gretzerus lib. 1. de jure & more prohib. lib. noxios c. 16. in principio, quod *non solum contumelias & blasphemias in Christum multas & execrabiles, verum etiam sanctiones & præcepta plurima contra ipsam, quam Judæi profitentur, legem Mosis, & contra omne jus gentium atq; omnia Naturæ decreta contineant.*)

In Indice librorum damnatæ lectionis hæc à Pio IV. sancita leguntur: *Thalmud Hebræorum ejusq; Glossæ, Annotationes, Interpretationes & Expositiones omnes, si tamen prodierint sine nomine Thalmud, & sine injuriis & calumniis in Christianam religionem, tolerabuntur.*

Joh. Reuchlinus in libro, qui Speculum oculare vocatur, totis viribus evincere conatur, *libros Thalmudicos Judæorum non esse abolendos & exurendos allatis plurimis argumentis.*

Pet. Galatinus lib. 1. de arc. Cath. verit. c. 16. defensionem Thalmudicorum voluminum suscepit, affirmavitque: *Thalmudica opera in Latinum verti debere & publicè in Scholis Christianorum explicari.*

(Hæc omnia ipse Gretzerus adducit & addit lib. 2. cap. 12. *Hoc Galatini opus jussu Leonis X. Cardinalium, & Maximiliani Imperatoris conscriptũ est, & quidem consilio defendendi sententiam Reuchlini, adeoq; liber ille à Leone X. est admissus & approbatus, vetitusque damnari.*)

Excipit quidem Bellarm. lib. de Laicis c. 20. §. 20. *libros Judæorũ esse melioris conditionis quam hæreticorũ, cum illi sint aperti hostes Christianorum, nec fallant sub nomine Christiano, ut hæretici faciunt, itaq; etiam simplicissimi norint discernere dogmata Judæorum à Christianis dogmatibus, discernere autem hæreses non possint nisi homines valdè docti.* Sed interim manet illud, libros Judæorum etsi non æquali gradu, itidem tamen esse *malos & noxios*; Libri autem mali & noxii juxta Gretzeri hypothesin sunt prohibendi.

4. Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quod hæreticorum nomine Pontificii appellant omnes, qui doctrinæ Romanæ Ecclesiæ quoquo modo contradicunt.

(Sic ergò prohibitione librorum hæreticorum id agunt, ne errores ipsorum cum veritate cœlesti pugnantes à Christianis agnoscantur & caveantur, qui finis prohibitionis pugnat cum δοκιμασίᾳ doctrinarum omnibus Christianis licita, imò mandata.)

Gerardus Busdragus Episcopus Argolicensis in Epistola ad Cardinalem quendam Anno 1558. scripta, postquam *effusionem sanguinis Lutherani sibi minimè probari* ostendisset, subjungit: *Ab hac crudelitate & laniena frustranea abstinendũ esse planè censeo. Sed tutior esset via, ut Lutheranorũ libri omnes comburerentur, quia in eo tota res sita est, ne Catholici sentiant & intelligant, quæ sit eorum doctrina, nam quamprimum eam percipiunt, assentiuntur.*

5. Francisc. Cheregatus Legatus Pontificius in Comit. Noriberg. An. 1523. in Replicatione Statibus Imperii data. *Quoad impressores & venditores seu alios divulgatores Lutheranorum librorum & aliorum, qui sectam suam sustinent ac fovent, replicatur; quod nullo pacto placet data responsio, quod curabunt Illustrissimæ dominationes vestræ providere, quantum possibile erit, ne tales libri imprimantur vel vendantur &c. Sed dico, in hoc, prout in aliis totaliter debere exequi Sedis Apostolicæ & Imperialis Celsitudinis sententiam, id est, quod libri impressi & imprimendi comburantur, imprimentes verò & vendentes seu alias divulgantes dictos libros juxta easdem sententias puniantur. Et in hoc maximè peto debere adverti. Nam in hoc stat tota vis, pro ista perniciosa secta opprimenda, ne tales libri amplius inveniantur. Nam ex illorum lectione omnia hæc mala profecta sunt.*

(Ex quo apparet, ne ipsos quidem Status Pontificios in abolitionem librorum Lutheranorum simpliciter consensisse.)

6. Becanus tract. 1. tom. poster. part. 2. Theol. Schol. fol. 231. & lib. 5. Manual. c. 12. f. 461. *Hæreticorum errores aliunde quam ex eorum libris integre ac certò cognosci non possunt.*

(Ergò libri illorum non sunt simpliciter abolendi & concremandi.)

7. Cumprimis verò totam hanc controversiam diligenter exposuit Joh. Huss. Nam in par. 1. oper. illius f. 102. extat ejusdem Tractatus de libris hæreticorum legendis, in quo inter alia sic loquitur: *Libri hæreticorum sunt legendi, non comburendi, dum in ipsis veritas continetur. Probatur autoritatibus sanctorum, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Bedæ, Theodori, Liberati, Cyrilli, Gelasii Papæ, Canonibus & ratione. Augustinus contra Petilianum, ponitur 1. q. 1. Dominus declaravit, dicit &c. Si Apostolus nescio cujus alienigenæ testimonium (Cretenses malæ bestiæ) quia verum comperit, etiam ipse attestatus est, cur nos apud quemcunq; invenerimus, quod Christi est & verum est, (etiamsi ille apud quem invenitur, perversus & fallax est,) non discernimus propter vitiũ, quod homo habet veritatem, quam non suam, sed Christi habet? Hæc Augustinus. Idem de unico Baptismo, ponitur de consecr. dist. 4. Si non Sanctificatur, dicit: Multi quippe irruunt in preces, non solùm ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere, utuntur eis arbitrantes, quod bonæ sint, nec tamen in eis, quod perversum est, evacuat, quæ recta sunt, sed ab eis potius evacuatur. Hæc Augustinus, ubi dicit Glossa, quod utilia non vitiantur per inutilia.*

Idem in libro de Baptismo, ponitur 1. q. 1. in fine & c. Dominus declaravit. Nam & ipsi gentiles, si quid divinum & rectũ in doctrinis suis habere potuerunt, non improbaverunt nostri sancti, quamvis illi per suas superstitiones & idololatriam & superbiam, cæterosq; perditos mores detestandi essent, & nisi corrigerentur, divino judicio puniendi. Ubi glossa dicit: Propter personæ detestationem non reprobari dicta illius.

Idem in libro contra Manichæos, ponitur dist. 37. Si quid veri de Deo Sibylla vel Orpheus, aliive gentium vates aut Philosophi prædixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem redarguendam, non tamen ad istorum autoritatem complectendam, in quibus, ut ait Beda in libro Regum, si qua inventa sunt utilia, quasi sua sumere licet, alioqui Moses & Daniel sapientia & literis Ægyptiorum, Chaldæorumq; non paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones & delitias horrebant, nec etiam ipse Magister gentium aliquot versus Poetarum suis Scripturis indidisset.

Hinc Ambros. ait super Lucam, ponitur dist. 37. Legimus aliqua, ne negligamus; legimus, ne ignoremus; legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus. Similiter Hieronymus super Epistolam ad Titum, prout hæc omnia leguntur & notantur 37. dist. per totum.

Augustin in lib. de vera religione &c. Utamur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut Catholicam disciplinam adversus eorũ insidias asserentes vigilantiores & cautiores simus. Hæc Aug.

Hieronym. in Epist. ad Pammach. & Oceanum. Nec bonis adversariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum est, nec amicorum laudanda sunt vitia, & unumquodq; non personarum, sed rerum pondere judicandum est. Infra. Quod autem opponunt, congregasse libros Origenis super cunctos homines; Utinam omnium Tractatorũ

haberem

haberem volumina, ut tarditatem ingenii eruditionis diligentia compensarem! Congregavi libros ejus fateor, & ideo errores non sequor. Et infra. Apostolus præcipit, Omnia legentes, quæ bona sunt retinentes. Lactantius in libris suis & maximè in Epistolis suis ad Demetrianum, Spiritus sancti omninò negat substantiam, & errore Judaico dicit eum ad Patrem referri vel ad Filium & ad sanctificationem utriusq; personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum ejus libros, quibus contra gentes scripsit fortissimè, quia superior sententia detestanda est? Hæc Hieronymus.

Idem ad Paulum in Epistola, cur non scripsit in Danielem, dicit: Illud dignationem tuam monere volo, ne me putes in modum rustici blateronis cuncta Origenis reprobare, quæ scripsit, quod in me criminentur, sed tantum prava dogmata repudiare. Scio enim æquali maledicto & eos subjacere, qui bona mala judicant, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Aut quæ tanta pertinacia sit, alicujus laudare doctrinam, ut sequar blasphemiam!

Idem in Epist. ad Tranquilinum. Origenem sic legendum arbitror, ut bona eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Item: Qui nimium ducuntur in ejus amorem vel odium, mihi videntur illi maledicto Prophetico subjacere, Væ illis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum &c.

Sancti, Theodorus, Liberatus & Cyrillus in quatuor Conciliis generalibus, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi, quæ sanctus Gregorius sicut quatuor sancti Evangelii libros dicit dist. 15. venerari. Dicunt præfati sancti, Theodorus, Liberatus & Cyrillus. Oportet enim culpantibus nos illa dicere, quia non omnia, quæcunq; dicunt hæretici, fugere & refutare decet. Multa enim confitentur, sicut & nos confitemur, velut Ariani quando dicunt, Patrem, quia creator est omnium & Dominus, nunquid propter hoc fugere consequens est hujusmodi confessiones? Sic in Nestorio, licet duas Naturas, diversitatem signans carnis & verbi, altera enim Verbi Natura, altera carnis est, sed tamen nequaquam unitatem confitetur nobiscum. Nos autem unientes hæc unum Christum, unum Filium, eundem Deum confitemur. Et infra dicit B. Theodorus: Respice itaq;, quomodo Sabellius fugiens Arium Judæus est factus, quomodo autem Arius fugiens Sabellium paganus effectus est. Ille siquidem uniprincipium, hic multiprincipium allegavit. Est autem media & verè regalis via, & ab hoc & ab illo abstinere. Ait enim: Non declinabis ad dextram neq; ad sinistram, via regali perge. Regalis autem via est, ut non Sabellii continuatio vel etiã confusio suscipiatur, neq; Arii divisio, sed credantur tres quidem subsistentiæ sive personæ: non autem una Trinitatis subsistentia secundum Sabellium, & una substantia seu Natura confiteatur & non tres Naturæ secundum Arium. Hæc S. Theodorus.

Gelasius Papa in de vinculo anathematis sic loquitur: Quid enim, quia in libris sanctis, quos utiq; veneramur & sequimur, quoniam quorundam illic & prophanitates efferuntur & scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda sint aut sequenda, quia in illis sanctis libris & venerabilibus continentur? Sanctus Petrus primus Apostolorum sic æstimans N. Test. gratiam prædicandam, ut à legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Judæos gentilesq; egisse. Nunquid ideo aut illa ejus sequenda sunt, quæ meritò & Co-Apostolus ejus facta redarguit & postea consequenter ipse vitavit, pariterq; assumenda sunt cum his, quæ, utpote primus Apostolus, salubria prædicavit? Nunquidnam aut ejus recta doctrina cum his, quæ humanitus accesserant, repudianda est? aut adhuc illa imbecillis justitia cum perfecta ejus suscipienda est doctrina? Nunquidnam ideo veritas refutanda est libri, ubi pravitas inserta refutatur? aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur? Ait Apostolus: Omnia probate, quæ bona sunt, tenete. Scimus, Apostolum etiam de paganorum libris aliquid posuisse, nunquid ideò etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum illis sunt prolata. Ipse Apostolus ait, multos prædicatores aliter atq; aliter Christum prædicare, ubi tamen licet quocunq; modo Christus prædicatur, oportet admitti, tamen non ideo illum morem, quo non rectè prædicatum est, admonet imitari. Malos operarios ipse conqueritur, quorum alia refutanda, alia docet esse sectanda. Hæc & hujusmodi exempla nos docent, & testimonia divina confirmant, non omnia pessimè à quocunq; dicta vel ubicunque scripta indifferenter accipere, sed retentis bonis, quæ noceant, refutare. Hæc Papa Gelasius, ubi supra.

Gelasius Papa in can. dist. 15. Sancta Romana, commendans Ruffinum de ipsius scriptis sic loquitur: Sed quoniam Beatissimus Hieronymus eum in aliquibus de libertate arbitrii notavit, illa sentimus, quæ Beatum prædictum Hieronymum sentire cognoscimus, & non solum hæc dicimus de Ruffino, sed etiam de universis, quos idem vir sanctus zelo Dei & fidei religione reprehendit. Origenis opuscula, quæ vir Beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Hæc Gelasius Papa.

Ad prædicta servit illa juris regula: Utile per inutile non vitiatur, super quo Johannes Andreæ in Novella, & Dynus & consequenter alii Legistæ & Canonistæ dicunt: Quandocunq; neutrum est alterius causa, & separari potest, tunc non vitiatur utile per inutile. Ubi Joh. Andreas ibidem ponit secundum jura, probando, quod utile non vitiatur per inutile. Cùm ergo nulla falsitas sit per se causa veritatis, sicut nec è contra; & sit ab ipsa separata, sequitur, quod nulla veritas potest vitiari per falsitatem quomodolibet refutanda. Item Hostiensis & post eum Joh. Andreas extra. de hæreticis cap. Fraternitatis, dicit: Quamvis scripta hæreticorum autorizabilia non sint, si quid tamen boni reperiatur in eis, potest induci & allegari, non tanquam autoritas, sed tanquam ratio naturalis. Imò necessaria est notitia legis abrogatæ dist. 8. Moses. Item Innocentius III. argumentatur ex lege Theodosiana abrogata, ut Extra. de judiciis, parag. non igitur. Item ibidem Innocentius, Hostiensis & post eos Joh. Andr. dicunt: Licet dicta cujusquam ratione personæ, nisi alias falsa probentur, redargui non possunt de falso. Item, Fridericus Imperator fuit in Concilio Lugdunensi per Innocentium Quartum condemnatus, ut in cap. ad Apostolica, de sentent. & re judicata lib. 6. & tamen ipsius leges, quas pro honore sanctæ Dei Ecclesiæ & hæreticorum exterminatione, quatenus statutis Canonicis non obsistunt, per Bonifacium VIII. approbatæ & acceptæ per Ecclesiam, ut in cap. Ut inquisitionis. de hæreticis lib. 6.

Item 32. dist. S. Cyprianus & cum eo 80. Episcopi, ex eo quod Baptisma hæreticorum lavacrum Diaboli appellat, per S. Stephanum, Cornelium, Leonem & per Augustinum in libro de Baptismate redarguitur & reprobatur, & tamen in libris suis tenetur & acceptatur. Ergo à simili, si quis aliquid erronei posuit, & alia multa vera & sancta scripsit, debet in illis pro utilitate legentium acceptari. Item dist. 37. c. 1. Carthaginense Concilium dicit: Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem legat pro necessitate aut tempore, & quare? Certè ut errores eorum legendo detestetur, & utilia, quæ in eis invenerit, ad usum sacræ prædicationis devotus convertat.

Item. Si hæreticorum Baptisma benè ipsum suscipienti non obest, quod dat Spiritus S. per hæreticum, ergo nec veritas suscepta ab hæretico obest fideli Christiano, cum omnis veritas sit à Deo, dicente B. Ambrosio super Lucam. Veritas, à quocunq; dicatur, semper à Spiritu sancto est.

Item. Libri hæreticorum valent ad excitandum spirituales, ut verum aperiant; ad pungendum carnales, ut verum quærant, ut dicit Augustinus in de vera religione, & ad evitandum & repudiandum errorem, quem ponunt. Quomodo enim sancti Augustinus, Hieronymus & sancti cæteri, imò & Synodi scivissent impugnare, convincere & condemnare hæreses, nisi eas prius in scriptis hæreticorum legissent & legi Dei fore contrarias cognovissent. Nam opposita juxta se posita magis elucescunt. Et iterum: Per oppositum cognoscitur omne bonum, igitur libri hæreticorum à fidelibus sunt legendi.

Item. Multos antiquos Canones receptos à primitiva Ecclesia practisatos longo tempore, similiter Decretales Epistolas cum multis Conciliis per nova jura & Concilia, puta generale Lateranense, Lugdunense ac Viennense Ecclesia correxit, expressè revocavit & cassavit, & habet pro infertis, ut patet in titulis, de Electione & de rebus Ecclesiæ non alienandis. de immunitate Ecclesiarum, de sepulturis, cum consimilibus & præsertim 63. dist. per totum, & tamen illi Canones revocati & cassati, Decretales abrogatæ & Concilia cassata leguntur, exponuntur & docentur per Dd. & non delentur, nec comburuntur. Igitur à pari, libri quorumcumq; hominum multas veritates & utiles Ecclesiæ continentes, quamvis in ipsis aliqua contineatur falsitas vel hæresis, possunt legi licitè & haberi. Sic enim naturales Philosophi & præsertim Aristoteles, qui creatorem mundi in libro de cœlo & mundo reprobat, & Averroës ejus Commentator, qui negat Trinitatem in divinis, allegantur in veritatibus & tenentur, & ipsorum libri in Universitatibus Studiorum generalium leguntur, exponuntur & terentur. Item, liber Sententiarum Magistri Petri in multis reprobatur, & tamen non comburitur, sed præ omnibus aliis libris in generalibus Studiis practizatur. Item, Lex vetus, quoad Ceremonialia per novam legem Christi est sepulta, ut dicit Augustinus, ut si quis teneret circumcisionem more Judæorum, foret hæreticus, & tamen ista lex, quoad ista Ceremonialia, non est comburenda. Hæc omnia Johannes Hussus.

8. Gretserus lib. 1. de jure & more prohibendi libros noxios cap. 21. & 22. vocat *scelus inauditum, scelus pessimum, facinus rogo dignum, audaciam impudentissimam, facinus inexpiabile, flammis expiandum, temeritatem plusquam Diabolicam, sacrilegium &c.* quod Lutherus Bullam Pontificis & Decretales Papales Witebergæ combussit.

(*Quod quisq; juris in alium statuit, illud etiam in se admittat necesse est*) Ergò si facinus impium, quod Lutherus Bullam Pontificis & Decretales Papales combussit, multò magis impium

facinus

facinus censendum, quod Pontificii Biblia à Protestantibus versa aut edita flammis absumunt, & tamen hoc facinus Gretserus commendat in Præf. d. lib. sic scribens: §. Idem. *Qui Biblia Zuingliana & Lutherana flammis tradit, is non magis aliquo crimine se obstringit, quàm Ephesii, qui libros curiosarum artium Vulcano corrigendos & excudendos, vel potius extrudendos tradiderunt.*)

9. Azorius tom. 1. Moral. lib. 8. cap. 16. §. De Tertulliano &c. testatur, *tunc temporis* (quo vixit Hieronymus) *nondum fuisse receptum, ut Catholici à legendis hæreticorum libris in universum arcerentur.*

(Idipsum confirmari potest ex Hieronymo, qui Epist. 65. ad Pammachium & Oceanum scribit, *se semper dogmatibus Origenis contradicere, venenata esse illius dogmata, aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia, se nunquam Origenis hæresin defendisse, vel pravum ejus dogma laudasse*; interim tamen Epist. 76. ad Tranquillinum de ejus scriptis sic judicat: *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quo modo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarem, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores, Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusq; contraria, juxta Apostolum dicentem, Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Et postea: *Nec propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum pravitatem, si quos Commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt &c.*)

10. Suffragantur etiam nostræ sententiæ dissensiones Pontificiorum.

1. Libros gentilium quidam Pontificii tolerandos & legendos, non autem flammis absumendos censent, ut vidimus superius membro 3.

Contra in c. Episcopus dist. 37. *Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem perlegat pro necessitate & tempore.*

Gretzerus lib. 1. de jure & more prohibendi libros noxios cap. 5. §. Canone &c. adducit Canonem ex Gratiano dist. ead. *Legimus de B. Hieronymo, quod, cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo fuerit correptus,* (correctus,) *eò quod vir Christianus paganorū commentis intenderet.* Additur in illo Canone. *Hinc etiam filius ille prodigus reprehenditur, qui de siliquis, quas porci manducabant, ventrem suum implere cupiebat. Hinc etiam Origenes ciniphes & ranas, quib. Ægyptii sunt percussi, vanam Dialecticorum garrulitatem & Sophistica argumenta intelligit.*

Idem Gretzerus d. l. §. At quot &c. ex Johanne Diacono lib. 3. de vita S. Gregorii c. 33. & Ivone memorat, *Gregorium Magnum omnes omninò Pontifices à lectione librorum gentiliū in[illegible]isse.*

2. Libros Thalmudicos posse, imò etiam debere tolerari & legi, statuunt quidam Pontificii, imò & Pontifices, ut vidimus superius membro 3.

Contra verò quidam Pontifices illos flāmis adjudicarunt. Sixtus Senens. lib. 2. Biblioth. in lit. T. *Cum libri Thalmudici contineant non solùm blasphemias multas & execrabiles adversus Christum Deum nostrum, verum etiam sanctiones & præcepta plurima contra ipsam, quam profitentur, Mosis legem, & contra omne jus gentium, atq; omnem Naturæ legem, quam ipsi, utpote homines, servare tenentur, visum est summis Pontificibus, ut tam nefariæ doctrinæ lectio atq; usus omnibus Judæis, qui sub ditione Christianorum vivunt, interdiceretur, & omnes libri Thalmudici toto Christianorum orbe ignibus traderentur, quod etiam sæpe factum esse, nonnulli fide digni scriptores testantur, inter quos Bernhardus Lutzenburgius in Catalogo hæreticorum lib. 2. refert, Gregorium Pontificem ejus nominis nonum, Anno Domini 1230. omnia Thalmudica volumina flammis adjudicasse, atq; itidem iterum fecisse Innocentium Papam ejus nominis quartum, Anno salutis nostræ 1243. Rursus cùm eadem volumina à Judæis instaurata fuissent, & auxilio artis impressoriæ in infinitum penè numerum propagata, Julius Papa tertius, novo edicto promulgato, inquiri jussit, & Anno 1553. cum festa tabernaculorum à Judæis Septembri mense celebrarentur, per omnes Italiæ urbes exuri. Paulus Papa IV. una cum Sacros. Rom. Inquisitionis Senatu Ann. 1559. rursus idem fieri jussit, & Thalmudicos libros inter scripta ab Ecclesia Catholica damnata connumerari voluit.*

Clemens VIII. An. 1582. itidem Thalmud simpliciter vetuit, expressè statuens, *at hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, aliiq; nefarii Hebræorum libri omninò damnati & prohibiti maneant & censeantur.*

Arg. Advers. Imperator l. Damnato. cap. de hæreticis. & l. Quicunque eod. *mandat comburi libros hæreticorum.*

Resp. Hussus d. l. *Leges illæ contrariantur sacris Canonibus & Sanctorum dictis & scriptis rationabilibus, ideò in hac parte non sunt recipiendæ, cum dicat Imperator, quod sacræ leges non dedignantur sacros Canones imitari, ut in Authent. Ut Clerici apud Episcopos proprios conveniantur, §. Si verò, col. 6. & de Monachis in fine col. 1. Et ponuntur hæc verba Extra. l. de judiciis. in cap. Clerici. & de secundis nuptiis cap. ultimo. Nam sacri Canones non tantum in Ecclesiasticis, sed etiam in civilibus sunt recipiendi, cùm alibi dicat Imperator, quod per omnia velit sequi sacras regulas, & sacræ regulæ pro legib. valere debent, & quicquid constituit Catholica & Apostolica Ecclesia, in Authentica. Quomodo oportet Episcopos & cæteros Clericos ad ordines perduci, paragr. 1. collat. 1. Unde legibus Imperatorum non in omnib. Ecclesiasticis controversiis utendū est, præsertim cum inveniantur Evangelicæ ac Canonicæ sanctioni obviare. Nec Imperiali judicio possunt Ecclesiastica jura dissolvi, prout hæc notantur & leguntur dist. 10. c. Lege Imperatorū. Et Extra. de Constitutionib. in c. Ecclesia S. Mariæ cum suis Concordantiis. Et conclusivè, ubicunq; vertitur periculum animæ, vel tractantur legibus contrariis, per Canones derogatur, ut patet 96. dist. Duo sunt, &c. Si Imperator. cum suis Concordantiis. Idem potest responderi ad leges prædictas Imperatoris. Sicut ad detestationem Baptismi hæreticorum per Cyprianum S. Martyrem habitam, videl. quod Imperator ex nimis magna detestatione hæreticorum admixta ignorantia, præcepit libros ipsorum comburere, qui tamen valerent in veritatibus ad servandum & in falsitatibus ad evitandum. Quomodo enim sancti, Augustinus, Hieronymus & alii, imò etiam Synodi scivissent & scirent impugnare, discutiendo convincere & condemnare hæreses, nisi eas cognoscerent, sacræ Scripturæ fore contrarias? Opposita enim juxta se posita magis elucescunt, cum contrariorum eadem sit disciplina. Et de S. Cypriano Magister sententiarum lib. 4. dist. 6. dicit, quod B. Augustinus dicit, ipsum Cyprianum ex ignorantia dixisse de Baptismo hæreticorum, quod esset lavacrum Diaboli. Nam dicit, Martyrem gloriosum Cyprianum, qui apud hæreticos vel schismaticos datum Baptismum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta ejus merita usq; ad triumphum Martyrii secuta sunt, ut à caritatis, qua excellebat, luce obumbratio illa fugaretur, & si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur. Nec nos, qui Baptismi veritatem & hæreticorum iniquitatem cognoscimus, ideò Cypriano meliores sumus, sicut nec Petro, quia judaizare gentes non cognovimus* (cogimus.)

APPENDIX HUJUS ARTICULI, QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ABSURDAS *& erroneas Adversariorum complectens.*

I. Conqueruntur Adversarii,

1. *Per injuriam & calumniam sibi tribui contemtum Magistratus politici.*

Resp. 1. In Concilio Romano act. 2. cap. 16. cautum est, *ne quis Clericus, Diaconus aut Presbyter propter causam suam quamlibet intret in Curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur & immolatio simulachrorum est.* Et additur. *Si quis Clericorum in Curiam introiret, anathema suscipiet, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam.* Bartholomæus Caranza in Summ. Concil. pag. 53.

2. Johannes à Daventria in Harmon. Augustanæ Confession. fol. 515. *Monastica publicis mundi officiis præfertur, & in Monachatu puro perfectio major est, quam in Magistratu etiam purissimo.*

3. Quod de officio Magistratus sub Papatu à magnis etiam viris interdum dubitatum sit, vel unicum illud exemplum docet, quod Fridericus Sapiens Elector Saxoniæ, lecto Lutheri libro de Magistratu politico, præ lætitia exultās, levatis ad cœlum manibus Deo gratias egisse legitur, *quod ex sacris literis jam demū cognitum atq; exploratum teneret, se in ejusmodi Ordine constitutum esse, qui Deum autorem habeat, & in quo bonā conscientia versari, Deoq; placere possit.* Extat illud Scriptum tom. 2. oper. Germ.

4. Pontifici Romano tribuunt *supremam in Imperatorem, Reges ac Principes potestatem, & quidem talem, qua ex solio ipsos dejicere possit, si placitis ejus obsequi nolint.*

Fridericus II. Imperator dixit: *Revera felicitas Imperialis Papali semper impugnatur invidia*

5. Episcopos & omnes Clericos potestati Magistratus politici eximunt, unde Jesuitæ ne illis quidem Principibus *juramentum fidelitatis* præstare volunt, in quorum ditione vivunt, eorumve defensione fruuntur.

6. Docent, *Magistratum esse ejusmodi statum, in quo quis difficulter salvari queat*, ideò persuadent Principibus, ut relicto officio suo, ad quod divinitus vocati sunt, Monasterium religionis causa ingrediantur.

7. Ecclesiasticæ personæ, Sacerdotes, Monachi, Moniales in Papatu sibi solis, nomen *Spiritualium*, der Geistlichen / arrogant, reliquos verò Christianos omnes, ac ipsos etiam Magistratus nominant *mundanos*, die Weltlichen / cum tamen omnes illi, qui Spiritu Dei aguntur, sint spirituales, si & rem ipsam & phrasin Scripturæ spectare velimus, Rom. 8. v. 14. 1. Cor. 2. v. 15. Gal. 6. v. 1.

8. Magi-

8. Magistratum à cura religionis & judicio de controversiis fidei penitus rejiciunt.

9. In judiciis Canones Pontificios præferunt Imperatoriis legibus, supplicia in Clericos facinorosos ob capitalia supplicia ac delicta civilia exerceri posse negant.

10. Legatur Cardinalis Baronii Dissertatio, qua ipsum Carolum V. cum filio & nepote, duobus Philippis, Hispaniarum Regibus, Pontificiæ Sedis propugnatoribus acerrimis, ob, nescio, quæ Siciliæ jura præter Pontificis placitum usurpata, non secus ac *viles quosdam orbis terrarum prædones & Ecclesiæ perduelles & perduellibus deteriores* contumeliosè tractat. Conferatur judicium Cardinalis Ascanii Columnæ de eadem Baroniana Disputatione, & Philippi III. Hispaniarum Regis Edictum contra tractatum Cardinalis Baronii de Monarchia Siciliæ.

Cumprimis verò Pontifices Romani multis & variis modis Imperatorum & Imperii Rom. majestatem imminuunt.

1. Postulant ab Imperatoribus juramentum fidelitatis. Nam Clemens V. Imperatori Henrico IV. vehementer exprobrat, quod non agnoscat juramentum fidelitatis à se præstitum. Sic enim ille Clement. lib. 2. tit. 9. de jurejurando c. unico Romani &c. *Cum ipsi Reges ejusdemq; Ecclesiæ* (Romanæ) *specialissimi filii sibi juramento fidelitatis & alias multipliciter essent astricti, ipsius Ecclesiæ debeant esse promtissimi defensores; dictis autem literis in notitiam dicti Henrici ad Imperium jam promoti sic deductis, idem Henricus ab iisdem Cardinalibus requisitus, ut super contentis in illis suum propositum responderet, q. molestè tulisset, quod de juramento fidelitatis hujusmodi per eum præstito in dictis literis mentio haberetur, non familiariter, nec secretè, ut tractandæ pacis qualitas exigebat, sed multis tabellionibus accersitis & requisitis ab eo, quod de responsionibus suis conficerent instrumenta publica, inter cætera publicè (præsente multitudine hominum copiosâ) respondit, se non fore cuiquam ad juramentum fidelitatis adstrictum, & quod nunquam fecerit juramentum, propter quod foret ad juramentum fidelitatis alicui obligatus, & quod ipse nesciebat, quod antecessores sui Romani Imperatores unquam juramentum hujusmodi præstitissent, simulans se immemorem juramentorum, quæ nobis ante coronationem suam præstiterat, & post coronationem etiam innovarat &c.* Extat etiam formula juramenti ab Ottone I. Imperatore Pontifici præstiti c. Tibi Domino. dist. 63. *Tibi Domino Johanni Papæ, ego Rex Otto promittere & jurare facio per Patrem & Filium & per Spiritum S. & per lignum hoc vivificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod si, permittente Deo, Romam venero, sanctam Rom. Ecclesiam & te Rectorem ipsius exaltabo secundũ posse meum: & nunquam vitam, aut membra & ipsum honorem, quem habes, meâ voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut meâ exhortatione perdes; & in Romana urbe nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio: & quicquid de terra sancti Petri ad nostrã potestatem pervenerit, tibi reddam: & cuicunq; regnum Italicum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tui sit, ad defendendam terram sancti Petri secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.*

2. Prohibent praxin Juris Cæsarei, mandantes Episcopis & secularibus Judicibus, *ut in controversiis civilibus non secundum leges Cæsareas, sed secundum Decretorum Papalium statuta procedatur.*

Gregorius IX. 3. Decretal. tit. 26. de Testamentis, cap. Filius noster &c. *Et quidem leges seculi hoc habent, ut heres ad solvendum cogatur, si autor ejus rem legaverit alienam. Sed quia lege Dei, non autem lege hujus seculi vivimus, valdè mihi videtur injustum, ut res tibi legatæ, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, quia aliena restituere debuisti &c.*

Alexander III. d. l. cap. Relatum est &c. ad Judices Vercellenses scribit: *Mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis.*

3. Papa Honorius III. per totum regnum Galliæ studium juris civilis prohibuit. Sic enim præcepit lib. 5. Decret. tit. 33. de privil. & excess. cap. Super specula &c. *Firmiter interdicimus & districtius inhibemus, ne Parisiis, vel civitatibus, seu locis aliis vicinis quisquam docere vel audire jus civile præsumat. Et qui contra fecerit, non solùm à causarum patrociniis interim excludatur, verùm etiam per Episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur.*

4. Pontifices se atque Clericos universos subducunt potestati Cæsareæ, ut constat ex dictis superius art. 6. c. 5.

5. Papa postulat προκαθεδρίαν supra Imperatores & Reges, tanquam se inferiores.

Innocent. III. lib. 1. Decret. tit. 33. de major. & obœd. cap. Solitæ (quod in ἐπιγραφῇ dicitur multum allegabile.) *Nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, utrumq; magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, h. e. Universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, i. e. duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus. i. e. spiritualibus, major est: quæ verò carnalibus, minor; ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hæc autem, si prudenter attenderet Imperatoria Celsitudo, non faceret aut permitteret, Constantinopolitanum Patriarcham, magnum quidem & honorabile Ecclesiæ membrum, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cum alii Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis (sicut debent) reverenter assurgant, & eis juxta se venerabilem sedem assignent.*

Gelasius Papa c. Duo sunt, dist. 96. *Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationib. adæquari. Si Regem fulgori compares, & Principem diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas, Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotũ, & osculatâ eorum dextra &c.*

6. Papa irrita pronunciat Imperatoris decreta. Clemens V. lib. 2. Clement. tit. 11. de sent. & re judic. c. Pastoralis &c. *Nos tam ex Superioritate, quam ad Imperium non est dubium nos habere, quàm ex potestate, in qua* (vacante Imperio) *Imperatori succedimus, & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum & Dominus dominantium nobis licet immeritis in persona B. Petri concessit, sententias & processus omnes prædictos* (Imperatoris) *& quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum, de fratrum nostrorum consilio declaramus, fuisse & esse omnino irritos & inanes, nullumq; debere aut debuisse sortiri effectum, seu nocumentum, vel notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attulisse, ipsosq; nihilominus, quatenus processerunt de facto, & quicquid ex eis secutum est, vel ob eos, vel imposterum sequi posset, in irritum revocamus.*

7. Papa Imperatores deponit & subditos à juramento fidelitatis absolvit, c. Ad Apostolicæ, lib. 2. Decretal. in Sexto tit. 14. de sent. & re judic. *Nos super præmissis & quamplurimis aliis ejus* (Friderici II.) *nefandis excessibus, cum fratribus nostris & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti, (cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisq; in B. Petri persona sit dictum: Quodcunq; ligaveris super terram, ligatũ erit in cœlis;) memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis, omniq; honore & dignitate reddidit tam indignum, quique propter suos iniquitates adeò, ne regnet vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino ostendimus, denunciamus, & nihilominus sententiando privamus, omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuo absolventes, autoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquã Imperatori vel Regi pareat & intendat: decernendo quoslibet qui ei deinceps velut Imperatori vel Regi consilium vel auxilium præstiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere &c.*

8. Papa Imperatores servilibus destinat officiis, ut ostendimus superius in Appendice art. 3. c. 1. n. 3. Confer Dn. D. Hunnium in Innoc. Lutheran. §. 608. & seqq. ubi singula membra adducit & confirmat. Jure igitur ac meritò scribit Lutherus tom. 2. in resp. ad Ambros. Catharin. f. 150. *Jam vehementer piget, pudetque, imò miseret me, quoties cogito, quot & quanta ludibria sibi ab Imperatorib. Principibus, universaque natione Germaniæ Papa sibi fecerit. Deus bone! quanta libidine & fiducia in eis lusit? non secus eos ducens ac tractans, quam irrationabilia bruta; quibus tantùm ad cædes, dolos, rapinas, & quicquid Satan suggerere potuit, Papisticarum artium abuteretur S. Petrus Papatum graphicè depinxit 2. Epist. 2. dominationes spernunt. Tantùm abest, ut dominationem agnoscat Papa, ut summos Principes ægrè ad oscula pedum admittat: dein Monachum & Sacrificulum stipite rudiorem & lenone sceleratiorem super universos mundi Proceres cævet, propter characterem illum indelebilẽ. Ita cogũtur dominationes contemtæ honorare idola, à quibus honorari debuerant; Ignavissimũ hoc animalium genus vix porcis alendis idoneũ.*

2. Martinus Becanus contra Christianum Batavum negat, *Romano-Catholicos docere, & in tribus Conciliis* (Lateranensi sub Julio II. & Leone X. celebrato, Constantiensi & Tridentino) *decretum esse, hæreticis non esse fidem servandam.*

Resp. egimus hac de re lib. 1. par. 2. cap. 18. sect. 1. thes. 3.

II. Calumniæ. I. In genere.

1. Salmero tom. 6. tract. 23. in c. 2. Matth. inter cæteras notas ex quibus nostram fidem non esse verum, evincere conatur, etiam hanc tertio loco recenset, *quod obedientiam Principibus secularibus & Imperatoribus derogemus.*

Resp. 1. Bellarminus in Oratione Satyrica tom. 4. præfixa

nos accusat, *quod personas, fidem & religionem inaudita adulatione Principibus subjiciamus.*

(Qua igitur veritatis specie Salmero nos accusat, quod debitam obedientiam illis derogemus?)

2. Quam reverentiam & obedientiam Papa cum suis Clericis Imperatori, Regibus & Principibus exhibeat, res ipsa loquitur, & quædam ejus rei testimonia adducta sunt in præcedentibus.

3. *Ann. 1531. Protestantes mense Februario ad Reges & Principes dedere literas, in quibus conqueruntur, se variis Adversariorum calumniis prægravari. Inter eas maximè capitalem esse, quod Magistratus damnent ac legum dignitatem enervent, quod à veritate longissimè abesse ipsorum doctrina evincat, quæ, ut in Augustanis Comitiis testatum fecerint, Magistratibus honorem deferat & dignitatem legum tueatur magis, quàm superiori ætate sit factum, quæ Magistratus informet, suam conditionem ac vitæ genus esse Deo pergratum, & populum moneat, Magistratui honorem & obsequium deberi propter Dei ipsius mandatum, qui contemtum potestatis ordinariæ à se institutæ impunem non dimittat.* Petrus Suavis lib. 1. Histor. Concil. Trident. p. 66.

4. Quando Magistratus contra Dei verbum quidquam præcipit, sequimur regulam Apostolicam Act. 5. v. 29. *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus;* & Christi Matth. 22. v. 21. *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & Dei, quæ sunt Deo;* in reliquis, quæ non pugnant cum Dei verbo, licet dura sint, quæ imperantur, obedientiam tamen præstandam esse dicimus. Rom. 13. v. 1. & seqq. Confer Lutherum in scripto, Wieder den Meuchler zu Dreßden/ tomo 1. Jen. Germ. p. 303.

2. Valerianus Magnus in Judicio de Acatholicorum credendi regula p. 55. scribit, Spiritum privatum docuisse Lutheranos rebellionem. *Præsumta, inquit, per totam Germaniam Spiritus S. unctio docuit, neutiquam parendum Ferdinando II. Rom. Imperatori, cui meritò redditur suspectus ille Spiritus, adeò ut emigrare cogatur cum suis unctis.*

Resp. 1. Confundit Monachus Lutheranos cum *Anabaptistis.* Confessio Augustana ab intentato hoc crimine nos purgat.

2. Valeriano est rebellare, si quis dogmata Papalia à Magistratu per vim obtrusa nolit recipere.

II. In specie.

1. Bellarm. lib. de Laicis c. 2. scribit: *Anabaptistas erroris de civili Magistratu occasionem sumsisse ex verbis Lutheri in lib. de captivit. Babylon. c. de Baptismo.*

D. Laurentius Förerus im Uberschlag contra Pupillam Saxon. cap. 2. p. 66. Luther hat geschrieben/unter den Christen soll und kan keine Obrigkeit seyn / sondern ein jeglicher ist zugleich dem andern unterthan. Item: Was kan da für Obrigkeit seyn/ da sie alle gleich sind/und einerley Recht/Macht/Gut und Ehre haben? Item: Da einer begehret des andern Oberster zu seyn/ das seyn nicht rechte Christen/ weil es die Art und Natur nicht leidet/ Obersten haben/da kein Oberster seyn will und kan.

Thomas Hardingus in Confut. Apol. Angl. part. 3. cap. 4. producit locum ex Luthero. *Inter Christianos nullus neq; potest, neque debet esse Magistratus &c.*

Resp. 1. Si Bellarminus per *occasionem* hoc intelligit, quod Anabaptistæ ex verbis Lutheri minus rectè intellectis & in peregrinum sensum detortis hæreseos suæ ἀφορμὴν desumserint, non Lutherum, sed Anabaptistas accusat, ea enim ratione etiam ipsa Scriptura occasionem erroris hæreticis suppeditare potest. Sin oblique Lutherum pungit, quod per doctrinam *de libertate Christiana* efficacem erroris causam ipsis dederit, insigni eum afficit injuria, cui calumniæ opponimus judicium *Friderici Sapientis Saxoniæ Electoris,* de quo paulò ante fuit dictum.

2. Quinimò Bellarmino opponimus ipsummet Bellarminum lib. 3. de Laicis cap. 2. circa finem sic scribentem: *Potestatem politicam apud nos esse illicitam, est opinio Anabaptistarum; quam non solùm Catholici omnes execrantur, sed & Lutherus in Saxonica Visitatione, Philippus Melanchthon & Calvinus acerrimè oppugnant.*

3. Quo sensu Paulus dicit, *in Christo non esse servum, nec liberum,* Galat. 3. v. 28. Col. 3. v. 11. eodem Lutherus asserit, inter *Christianos* nullum esse Magistratum.

2. Lutherum accusant, quod bellum contra Turcas geri improbaverit.

Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæres. verbo Bellum, hæresi 2. *Lutherus dicit, non licere Christianis bellare in Turcas, quoniam est repugnare voluntati Dei visitanti & corrigenti iniquitates nostras per illos. Itaq; Lutherus non ab omni bello arcet Christianos, sed à bello in Turcas gerendo, quæ in re videtur mihi durior hæc sententia, quàm Manichæorum. Si enim Christiano licet adversus Christianum pugnare, qui fit, ut adversus Turcam non liceat?*

Et postea: *Quid ergò contra tot testimonia verborum & exemplorum Lutherus præsumit docere, non licere Christianis bellum Turcis inferre? Certè ut conjicere valeo ex ejus vita & operibus mundo notis, hac sententia se inimicum esse Christi, & Diaboli ministrum declaravit, quoniam hæc docens visus est, velle nomen Christianum funditus delere, quoniam nisi Christiani Turcis huc usq; restitissent, jam actum esset de re Christiana.*

Bellarminus dicti libri cap. 16. itidem Luthero tribuit, *quod inter alia paradoxa etiam hoc protulerit, non licere Christianis contra Turcas bellum gerere, in art. 34. in Bulla Leonis damnato.*

Cornelius à Lapide in Canonibus Comm. in Prophetas majores præmissis can. 36. *Lutherus docuit, Turcæ non esse resistendum, eò quod Dei voluntate ad nos veniat, ad nos castigandum, sicut, inquit, virgæ patris filius resistere non debet, qua in re turpiter errat.*

Laurentius Förerus d. l. Lutherus schreibet tom. 1. Epistolar. zu Jena gedruckt Anno 1556. am 126. Blat/ Er könne aus der Schrifft nicht defendiren und gutheissen/daß man wider den Türcken Krieg führe/wenn es schon geschehe *studio veræ pietatis.* Idem habet Pazmannus lib. 8. Hodeg. &c.

Resp. 1. Bellarminus d. l. sic scribit: *Lutherus non negat, bellum contra Turcas esse licitum, quia putet in genere, omne bellum esse illicitum,* (sed *præposterum* contra Turcas belligerandi *modum* improbat.)

2. Lutherus in lib. de Visitat. Saxonic. disertis verbis scribit: *Clamant aliqui Prædicatores temerariè, non resistendum esse Turcæ. Hic sermo seditiosus est, qui neq; ferri, neq; permitti debet; tenentur igitur potestates resistere Turcis, qui non solum cupiunt Provincias devastare, uxores ac liberos violare & interficere, verùm etiam jura Provinciæ, cultum Dei, omnemq; ordinationem bonam abrogare ac tollere, idcirco debent Principes ob id præcipuè belligerare.* Hæc Bellarminus ipse citat ex Luthero.

3. Lutherus mentem suam satis perspicuè exposuit. Tom. 4. Jen. Germ. fol. 472. peculiari sermone *de bello Turcico* prolixè egit, de quo ad Wenceslaum Linkum scribit. *Ego edo sermonem bellicum exhortandi contra Turcas exercitus gratia.*

(Ubi tantum abest, ut bellum Turcicum improbet, ut potius Christianos milites ad pugnam contra hunc communem hostem multis argumentis hortetur.)

4. Sed & libellum peculiarem *de bello Turcico* scripsit tom. 4. Jen. Germ. fol. 431. in quo argumentum hoc, *an & quomodo contra Turcas præliandum sit?* accuratè tractat, in cujus libelli initio respondet illis, qui ex sua assertione contra Bullam Leonis ipsum bellum Turcicum simpliciter improbasse calumniabantur. Summa responsionis hæc est: Se improbare primò, *quod bellum gererent Principes ex instinctu Papæ subsidia quærentes ex Missis sine vera pœnitentia. Secundò, quod ipse Pontifex & Episcopi interesse volebant bello, qui si Christum imitari & veri Episcopi officium facere vellent, non armis, sed precibus pugnare deberent. Tertiò, quod Pontifices non seriò de bello agebant, sed hoc utebantur colore, quoties Germaniam vellent pecunia exhaurire.* Nimirum Christiani in Papatu voluerunt ex hoc fundamento bellum contra Turcas gerere, *quod sit infidelis, qui non habeat veram religionem, ac ducat vitam bestialem.* Hoc fundamentum belligerandi contra Turcas Lutherus ostendit *esse ruinosum.* In Papatu enim itidem dominari idololatriam & falsas doctrinas, illas prius abrogandas esse, antequam contra Turcam bellum geratur, Christianos etiam in vita esse multis modis reprehensibiles, proinde emendatione opus esse, antequam bello contra Turcas se accingant. Confer assert. artic. damnat. tom. 1. Jen. Germ. fol. 429. tom. 7. Witteberg. fol. 131. ubi inter cætera sic scribit: Nun habe ich diesen Artickel nicht also gesetzt/ daß wider den Türcken nicht zu streiten sey/ wie der heilige Ketzermacher der Pabst mir albier auffleget / sondern wir solten zuvor uns bessern / und einen gnädigen GOtt machen/ nicht einhin plumpen/ auffs Pabsts Ablaß verlassen/wie er bißher die Christen verführet hat/ und noch verführet. Denn was unter einem ungnädigen GOtt fur streiten sey/ auch wider die verdienten Feinde/ weisen uns wohl die Historien des alten Testaments/sonderlich Jos. 7. und Judic. 18. und vielmehr 2c.

5. Pontificii potius bellum contra Turcam gerere dissuadent & contra nos, quos hæreticos vocant, Magnates instigant. Sic enim scribit Antonius Possevinus de Nuc. scriptis pag. 275. *Quod*

Quòd autem ad conterendos Turcas Reges non conveniunt, peccatis nostris adscribendum reor &c. Huc accedit, quòd hæretici ita Christianismum perturbant, ut solicitos nos magis esse oporteat de religione Catholica adversus eos tuenda, quam de infidelibus profligandis.

6. Pontificiis etiam meritò objicimus, quod quidam Canones juris Pontificii bellum *simpliciter* improbare videantur, & verbo Dei & aliis Canonibus hac in re adversantes, ut in membro tertio videbimus.

7. Quo modo ergo Erasmus excusat Cyprianum, qui lib. 2. Epist. 2. bella simpliciter improbare videtur, eo modo etiam Lutherus excusari potest. Sic autem Erasmus Cyprianum excusat. *Videtur nullum facere discrimen inter homicidium & bellum, nisi quòd hic publicè occidantur plures; verum hoc intelligendum de bello injusto, cujusmodi sunt pleraque, & haud scio, an omnia, ut nunc quidem geruntur,* Confer Sleidan. lib. 14. Commentariorum Ann. 1542.

8. Lutherum non solum dissuasisse bellum contra Turcas, sed etiam cum Turca conspirasse, probant ex eo, quòd in Colloquiis mensalibus refertur, Luthero aliquando nunciatum, der Türckische Käyser sol zu einem Gesandten mit Namen Schmaltz Bürgern zu Hagenaw/ gesagt haben/ Er wolte/ daß Luther noch jünger were/ denn er solte einen gnädigen Herren an ihm wissen. Sed malitiose omittunt, quod ibidem additur, Lutherum subjecisse, Behüte mich Gott für diesen gnädigen Herrn.

9. Objiciunt etiam illud, Lutherum verbis disertis fassum, er habe längst wol gewust/ er müsse auch noch Türckisch werden. Christliche Luther/pag. 8.

Resp. Verba Lutheri hæc sunt in Tractatu, Ob Kriegsleute auch in einem seeligen Stande seyn können/tom. 6. Witeb. fol. 622. tom. 3. Jen. fol. 330. Hie wil ichs lassen bleiben/ denn ich auch vom Türckischen Krieg wolte etwas gesagt haben/ weil er uns so nahe kommen war/ und mir etzliche meine Wort fürwerffen/ daß ich wider die Türcken zu kriegen hette widerrathen/ denn ich längst wol gewust habe/ ich müste noch Türckisch werden/ und mich nichts hilfft/ daß ich so deutlich davon geschrieben habe.

(Non ergo loquitur ex sua sententia, sed μιμητικῶς exprimit, cujus rei ab adversariis falso accusetur.)

3. Petrus Cutsemius in Saxon. Catholica p. 16. scribit, *ex reformatione Lutheri secuta esse, Nobilium, Rusticorum, Principum & subditorum dissidia, bella, odia, insidias, inimicitias, suspiciones &c.*

Bellarmin. in Apol. cap. 13. §. Sed hi &c. pag. 167. *Nam quis Lutheri temporibus autor fuit tot millibus rusticorum, ut adversus Principes arma sumerent? nonne Ministri reformatæ vel deformatæ potius religionis?*

Cornelius à Lapide in Comm. 1. Pet. 2. v. 13. *Lutherus sua rebellione & hæresi per suos discipulos centum millia rusticorum armavit contra Principes, bellumque rusticanum excitavit, quod tantas Germaniæ clades edidit.*

Gregorius Schererus in Triumpho veritatis edit. Ingolstad. Anno 88. pag. 44. & seqq. ac Thomas Hardingus in Confutatione Apolog. Anglic. part. 3. cap. 4. idem Luthero objiciunt.

Resp. Lutherus seditionem illam rusticorum Ann. 1525. cæptam gravissimè improbavit. Nam ante publicationem *postulatorum duodecim à rusticis divulgatorum* scriptum edidit, quo subditos *à seditione ad obedientiam* revocavit. Lutherus tom. 3. Jen. Germ. fol. 108. Sleidan. lib. 5. Comm. p. 124. Titulus scripti est, Ermahnung zum Friede auff die 12. Artickel der Bawerschafft in Schwaben. Vide loc. de Eccles. 1219. Post edita verò à rusticis postulata idem Lutherus ad illos rusticorum articulos sine mora respondit, tomo 3. Jen. fol. 113. & seqq. Sleidan. lib. 5. & hortatus est amanter, *ut ab armis recederent.* Paulò post aliud scriptum emisit, cujus summa est, *ipsos Principes Catholicos & præsertim Ecclesiasticos esse causam hujus seditionis, quia Evangelii sinceram doctrinam impedituri subditos oneribus intolerabilibus premant,* eosque Principes ad Pœnitentiam hortatur. Sleidan. lib. 5. pag. 134. Postea in lucem emisit Epistolam *ad Principes & rusticos simul,* & utrosque hortatus est ad controversiam placidè dirimendam. Sleidan. lib. 5. pag. 137. Denique alio evulgato scripto instigavit Magistratus, *ut velut ad commune incendium restinguendum accurrerent,* tomo 3. Jen. Germ. fol. 122. 123. wider die räuberische und mörderische Bawren. Sleidan. pag. 130. Cumque illum libellum multi, ut nimis acrem, reprehenderent, Lutherus se defendit tom. 3. Jen. Germ. fol. 141. ubi nullis exhibendam esse docuit misericordiam, nisi iis, qui admoniti deditionem fecerint.

Bellarminus lib. de Laicis cap. 2. *Potestatem politicam esse apud Christianos illicitam, est opinio Anabaptistarum, quam non solum Catholici omnes execrantur, sed etiam Lutherus in Visitatione Saxonica & Philippus Melanchthon acerrime oppugnant.*

(Ergo Lutherus non favit seditiosis Anabaptistarum cohortibus, sed Bellarminus per calumniam hoc Luthero contra conscientiam tribuit.)

Confer D. Osiandrum im Bericht vom Faßnacht-Triumph Tubingæ edito pag. 26.

4. Jodocus Coccius tomo 1. Thesauri lib. 7. art. 1. p. 781. Luthero tribuit, *quòd Magistratui obedientiam denegandam esse docuerit, propterea quòd in lib. de seculari potestate scribat: Inter Christianos nulla potest esse superioritas, Princeps est caro ferina in cœlo, id est, rara avis. Sunt enim Principes apparitores, lictores & carnifices Dei.*

Resp. Lutherus pluribus quam centum locis inculcat, *Magistratui obedientiam præstandam esse, nisi aliquid contra Deum præcipiat.* Quando *inter Christianos superioritatem esse* negat, loquitur de Christianis, qua talibus ac de regno Christi spirituali, in quo ratione spiritualium & cœlestium bonorum omnes coram Deo sunt æquales.

Quam reverenter Lutherus de Magistratu politico senserit, patet ex tom. 6. Jen. pag. 8. Wolan/ wenn ein Danck umb die verfluchte schändliche Welt zuverdienen were/ und ich sonst nichts gutes gelehret und gethan hette/ denn daß ich das weltliche Regiment und Obrigkeit so erleuchtet und gezieret habe/ so solten sie doch des einigen Stücks halben mir dancken und günstig seyn/ weil sie allesampt/ auch meine ärgste Feinde wol wissen/ daß solcher Verstand von weltlicher Obrigkeit unter dem Pabsthumb nicht allein unter der Banck gelegen/ sondern auch noch unter allen stinckenden lausichten Pfaffen und München und Bellerfüssen sich hat müssen drücken und treten lassen.

Idem tom. 2. Jen. Germ. f. 347. in Comment. 1. Petr. 2. Gott hat die Obrigkeit umb der Ungläubigen willen verordnet/ daß auch die Christenleut die Gewalt des Schwerts führen mögen/ und schuldig sind/ daß sie dem Nechsten damit dienen und die Bösen zwingen/ auff daß die Frommen mit frieden für ihnen bleiben kunten. Vide ibi plura.

5. Alphonsus de Castro lib. 8. adversus hæreses, verbo Injuria. *Lutheri sententia est, non licere Christianis petere coram judice injuriæ reparationem*: Atqui contrarium vel centies in Lutheri scriptis occurrit, in locis scilicet omnibus, in quibus Magistratus officium confirmat; Quòd si enim non liceret coram judice injuriæ reparationem petere; utique etiam non liceret Magistratus auxilium implorare. Hoc autem intendit; quod non sit privatæ vindictæ cupiditati locus dandus, nec reparatio injuriæ ex animo vindictæ cupido quærenda.

6. Bartholomæus Sunderus in causis, cur ad Rom. Eccles. se contulerit motiv. ultim. f. 66. scribit, *Lutherum docuisse*, die weltliche Potentaten haben sich umbs Geistliche nicht zu bekümmern/ ex quo colligit, *Concilii indictionem juxta Lutheri sententiam non competere Rom. Imperatori.*

Resp. Contrarium docet Lutherus in lib. de Conciliis & Ecclesia tom. 7. Jen. Germ. f. 224. Hoc verò est, quod urget, *Magistratum in causa fidei non debere conscientiis dominari, nec subditos ad religionem cogere.*

7. Lutherum etiam hoc nomine gravissimè taxant, quòd *Georgium Saxoniæ Ducem durissimè tractaverit, nec Carolo Imperatori pepercerit.* Gretserus in Honorario ad D. Polyc. Lyserum misso, Ungersdorffius in Gratulatione &c.

Resp. 1. Dux Georgius erat *Ecclesiæ persecutor*, quem propterea durius Lutherus tractavit, ut animum ipsius frangeret.

2. Nulla comparatio inter *Lutheri dicta & Paparum quorundam facta.* Gregorius VII. Imperatorem Henricum IV. *in asperrima hyeme cum uxore & filio parvulo in laceris vestibus, pedibus nudis extra portas jejunum à mane usque ad vesperam, veniam petentem triduum integrum in suspenso reliquit.* Nauclerus gener. 36. Ursperg. Platina.

3. Baronius commemorat gravissima & acerbissima dicteria ex veteris Ecclesiæ Doctoribus, quibus Imperatores Ethnicos vel Arianos fuere prosecuti, quæ tamen tanquam laudabilia, utpote ex amore & zelo religionis profecta allegat. In Maximum Imperatorem Eusebius; *Ex scelestissimi Maximi Imperatoris mandato uno die undequadraginta Martyres capitis pœna mulctantur.*

Baronius ad ann. 309. n. 21. *Magnentium Athanasius nefandum, perditumque Diabolum, incantatorem perfidum, perjurum atque monstrum appellavit.*

Baron. ann. 350. n. 5. *In Constantinum Athanasius scribit, Quid hic, quod Antichristi est, omisit? aut quid ille, ubi venerit, plus committere poterit? aut quomodo ille in adventu suo non reperit sibi expeditam viam ad dolos ab isto præparatam?*

Baron ann. 355. n. 12. Et mox n. 14. *Gravia sunt illa & plusquam gravia, sed tamen istiusmodi, quæ congruunt in eum, qui Antichristi imaginem induerit?* ubi Baronius in margine annotat: *Constantius Antichristi speciem gerit.* Item, *typus Antichristi. Idem Athanasius: Quis, cum ista fiant, & cum impietas impudentiam sibi vendicet, ausit jam inde Constantium hominem Christianum appellare, ac non potius Antichristi imaginem esse? Quid enim ex notis Antichristi huic deest, aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristus & vicissim Antichristus Constantius habeatur? Nonne in magna Ecclesiâ in Cæsareo victimas contra Christum & blasphemias veluti ex præcepto ejus Ariani & Ethnici fecere? nonne visio Danielis istiusmodi notis Antichristum significat? nimirum quòd bellum gesturus cum sanctis sit, & quòd invalesceret contra eos &c.*

Baron. ad Ann. 356. n. 54. ubi in Margine annotat. *Justa in Constantium invectiva. Hilarius in eundem his agit verbis: At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Postquam omnia contulisti arma adversus fidem Occidentis, & exercitus tuos convertisti in oves Christi, refugere nihil sub Nerone licuit.*

Baron. Ann. 355. n. 31. *Idem hæc in ipsum dirigit. Quicquid apud te præter fidem unam est, perfidia, non fides est. Occidentalibus mentiebaris: O tu scelestè, quod ludibrium de Ecclesia facis?*

Baron. Ann. 357. n. 81. cujus approbatio in margine additur, *Hilarii Invectiva in inconstantiam Constantii Imperatoris.* Item, *Redarguit levitatem Constantii, Episcopus quidam, Lucifer nomine; multa in eundem acerba dixit,* quæ extant apud Baronium ann. 356. n. 70. in quibus etiam hæc leguntur: *Melius est in omnia ævo Deum habere amatorem, quam tecum Iudas Scharioth Iudæorum imitatore puniri. Indignè fert Arii vermis, Si tandem oculos serpentis morsibus confossos cordis tui aperias, stolidissime Imperator. Recordare Constanti de scelerum tuorum memoria recenti &c.* Baronius hic addit. *Luciferi in Imperatorem dicendi libertas*, Item, *Justa invectiva Luciferi in Constantium.* Invectivas Maris Episcopi, Christianorum Antiochenorum, Gregorii Nazianzeni & Hieronymi *in Iulianum* recenset & approbat Baronius Ann. 362. n. 39. 83. 84. 295. ann. 363. n. 77. & 68. In *Eudoxiam Imperatricem* invectivam Chrysostomi recitat ann. 404. n. 6. In *Iustinianum Imperatorem & Theodoram Imperatricem*, Itemque *Bellisarium, illiusque conjugem* invectivas Procopii & Evagrii refert ann. 565. n. 8. In *Constantinum Copronymum* Theophanis & aliorum ann. 767. n. 26. ann. 741. n. 2. ann. 766. n. 8. ann. 767. n. 11. In *Leonem Isaurum* ejusdē Theophanis invectivam recenset ann. 732. n. 2. Ad has invectivas &

dicteria acerbissima si comparentur ea, quæ Lutherus durius contra quosdam Magistratus veræ religionis persecutores protulit, manifestè apparebit, priora illa hisce posterioribus esse duriora.

4. Baronius ipse quosdam Impp. acerbissimis prosequitur dicteriis, quæ tamen quia ex amore & zelo religionis in eos projiciuntur, non esse injuriosa æstimantur.

In Justinianum Ann. 551. n. 2. *Iustinianus Imp. publicè appendi jussit edictum, quod nec rogante per suos Vigilio revocare voluit, imò & præter minas vim quoque adhibuit; suis mandans satellitibus, nimium oblitus sui, furore percitus, mente dimotus, correptus maligno Spiritu, agitatus à Satana, ut in ipsum Vigilium Apostolicæ Sedis Episcopum manus injiciant.*

In Mauritium Ann. 595. n. 25. *Vidisti Lector, quanta petulantia literis insultaverit Mauritius Imp. in S. Gregorium! sed dedit postea pœnam temeritatis satis amplâ & confertâ mensurâ, cæteris factus exemplum &c.*

In Heraclium Imperat. Ann. 635. n. 1. *Factus ipse Catholicæ desertor Ecclesiæ & transfuga adversus Catholicos pro hæreticis bella parans ac renovans, Dei in se suosq; irâ convertit, fuitq; à Deo infelix penitus destitutus, cum hæreticis ipse miser inhæsit, dumq; oppugnaturus pietatem paravit ille Concilia malignantium, Deus in Rom. Imperium barbaros, Arabes ac Saracenos extitavit, quibus & favit quantumlibet impiis, in delendis sæpissimè ejusdem Imperatoris Heraclii exercitibus, cum tamen nec tot cladibus singulis annis exagitatus è lethali somno excitatus, evigilans ipse resipuerit.*

Ann. 638. n. 10. *Vidisti Græcorum odium in Rom. Ecclesiam & Heraclii Imperatoris hæretici in eam animum infensum & avarum, ut non erubuerit Rom. Imperator Christianus ex sacrilegio Magistratuum captare lucrum, factus ipse particeps sacræ prædæ, qui adversus ejusmodi expilatores grassatoresque insurgere debuerat ultor. Nunquam hactenus adversus Rom. Ecclesiam sub Christianis Principibus quid ejusmodi præsumtum fuisse legitur.*

Ann. 639. n. 1. *Heraclius Imperator semel Deo adversus, animo induratus & (quod de Achab dicit divina Scriptura) venundatus, ut faceret malû, tandem promulgavit edictum ad suam stabiliendâ hæresin.*

In Justinianum juniorem Ann. 692. n. 52. *Dum perditionem parat Ecclesiæ Imp. proditionem à suis ipse perpessus est.*

Ann. 693. n. 8. *Hac impia & alia in Rom. Ecclesiæ Pontificem ausus infelix Augustus haud levi supplicio luit, sed Imperii jactura atque narium obtruncatione persolvit.*

In Constantinum Copronymum Ann. 741. n. 4. *Heu quale monstrû in suum damnum peperit Oriens!* Ann. 757. n. 4. *Impius Constantinus, perfidus homo.* n. 5. *Orientalis Ecclesia laboravit vexata Tyrannide scelerati Copronymi.* Ann. 761. n. 15. *Impius Imperator.* n. 16. *doctus à maligno Spiritu.* Ann. 771. n. 3. *Si quis ex sectis, quibus communicavit, ejus nomina addiscere velit, ex iis, quæ superius dicta sunt, Iudæum ipsum jure vocabit; Nestorianum & Manichæum, præter nomina Iconomachi, Copronymi & Caballini, quorum primum ex secta, secundum ex stercore, quo infans conspersit sacrosanctum lavacrum, tertium mutuatus è stercore caballorum, quo tale monstrum ipsi etiam Naturæ adversum dicitur delectatum.*

In Henricum III. Ann. 1072. n. 6 *Cum de perpetratis sceleribus reprehensores haberet Romanos Pontifices &c. Factus est infami studio Abbatiarum atque Episcopatuum pessimus nundinator.* Ann. 1106. n. 24. *Imperator omnium nequissimus.*

In Fridericum Ann. 1160. n. 35. *Omnium malorum autor, superbissimus Imperator.* Ann. 1167. n. 15. *nec ab insania desistit novus Pharao.*

In Theodoram Imperatricem An. 536. n. 41. *Vnde malorum omnium in mundum fluxit origo, ex eodem fonte Diabolus modò tot damna in Ecclesiam derivavit, eosdemque aliquando obstructes reserans aquæductus per malam fœminam, utpote qui sciret, potentiore nullo uti posse ad Ecclesiam demoliendam ariete, adhibens ad hoc ipsum impiam sæpè dictam Theodoram Augustam Severi discipulam, cujus arte, fraude, doloque fœminæ ingenio comparatis omnes leges in hæreticos latæ pressæ faucibus strangulantur, ut sileant, cum & loquaces hæreses reviviscunt, atque hæretici majore audacia, spreta etiam Imperatoria Majestate clamantes insurgunt.*

In Regem Theodosium Ann. 526. n. 25. *Vidisti, quinam autor fuerit redigendi sub servitutem Rom. Ecclesiam, ut electioni vel nominationi Romani Pontificis immiscerent se Reges, non nisi sævus, barbarus, dirus Tyrannus & impius Arianus, quem Deus absque dilatione, dissimulatione ve, qua frequentius uti solet cum peccatoribus, repentina immissa cœlitus vindicta prostravit, & post acceleratum dirum exitium ad inferos perpetuo relegavit. Talem qui æmulantur Principem, expectent pari cum eo sententia judicari.*

In Witizam Hispaniarum Regem An. 701. n. 11. & 12. prolixè invehitur, nominans illum *Hostem justitiæ, servum peccati, omnibus scatentem vitiis, maximè verò vitiis, qui ut ex Luca Tundensi refert, probrosus & flagitiosus multa nefanda & horribilia flagitia per Hispaniam seminaverit.* Collegit hæc ex Baronio Dn. D. Hunnius in Innocentia Lutheranorum cap. 10. p. 366.

5. Ecquid verò videtur de illa comparatione, qua Pontificii quidam Scriptores Reges & Principes canibus atque asinis conferunt? Becanus in Controv. Anglic. p. 146. edit. recogn. *Per canes intelliguntur Reges & Imperatores. Igitur hi canes, quamdiu fidi & excitati sunt, Pastori* (Pontifici Rom.) *ad manum esse debent, at si languidi & otiosi, à Pastore submovendi & ab officio repellendi.*

Casp. Schoppius in Eccl. sacro cap. postr. Pontifices *agasonibus*, Reges vero *asinis* comparat, *qui cum tintinnabulis cæteros antecedunt.*

6. Lutherus rationem suæ severitatis in scriptis contra Magnates exponit in duabus Epistolis, una ad Nicol. Sturmium, altera ad amicum quendam tom. 2. Jen. Germ. f. 142. pertractato themate: *Qui facit officium, non dicit convicium.*

7. Sleidanus itidem causas commemorat, quare Lutherus severius & contra Henricû Regem Angliæ & in Ducem Saxoniæ Georgium & Henricum Brunswicensem scripserit, nempe, *quia ille lenibus Lutheri literis, ita ex Christierni Daniæ Regis monitu molliter scriptis, compellatus inconstantiam in dogmatibus & levitatem Luthero objecit; iste veritatem oppugnare non destitit, licet purgaret se Lutherus, quod nihil malevolentiâ, sed omnia solo veritatis studio scripsisset; hic denique invectivarum initium fecit, ideoque eis, ut responderet Lutherus, ad defensionem veritatis & suæ existimationis tuitionem pertinere duxit.* Sleidan. lib. 6. Comm. p. 134. lib. 12. p. 315. lib. 13. p. 347. Edit. Francof.

8. Cum Erasmus Regi Danorum Christierno diceret, *medicinâ quidem opus fuisse Ecclesiæ nimium collapsis moribus, sed pharmacum parum dextrè adhibitum morbi vim exacerbasse, potius quam expulisse,* respondit Rex: *Lenibus pharmacis nihil agi, sed illud esse remediorum efficacium, ut primû corpus omne concutiatur & postea sanitas succedat;* cui sapientissimo judicio nequicquam derogare potest Erasmus lib. 14. Epist. Ann. 1521. scribens, *quasi pientissimus Rex hæc ludens protulerit.*

8. Lorinus & Cornelius à Lapide in Comm. 2. Petr. 2. v. 10. tribuunt Luthero *contemtum Magistratus*, propterea quod dixerit, *rara avis prudens Princeps probus; quod Turcam decies prudentiorem & probiorê Principibus nostris esse dixerit, quod Reges appellaverit capitis sui lendes.*

Resp. aliud est vitia Magistratuum taxare, aliud ipsum officium Magistratus & Ordinem à Deo institutum improbare.

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. c. Nisi bella, caus. 23. q. 1. ex Gregorio. *Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent, nunquâ, ut opinor, Iudaicarum Historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacê docere, legendi in Ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi. Quò enim eis bellorum proficeret ista descriptio, quibus dicitur à Iesu, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & quibus per Apostolum jubetur & dicitur, Non vindicantes vosmetipsos, sed magis injuriam accipite, & magis fraudem patimini! unde denique sciens Apostolus nulla jam nobis ultra bella esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina contra spirituales adversarios desudanda, velut Magister militiæ præceptum dat militibus Christi dicens, Induite vos armaturam Dei &c.*

Item c. Contrarium, dist. 5. de pœnit. ex Leone Papa. *Non est liber à laqueis Diaboli, qui se mundanæ militiæ voluerit implicare.*

Cornel. Agrippa in lib. de vanit. scient. de scientia artis militaris differens, posteaquam illam multis injuriis lacessivit hæc subjungit: *Atq; nihilominus laudavit eâ divinus Plato, ipseq; Augustinus & Bernhardus Catholici in Ecclesia Doctores hanc alicubi probaverunt, & Pontificia decreta illam non improbant, licet Christus & Apostoli longe aliter sentiant. Tandem vel repugnante Christo, non infimum in Ecclesia gradum obtinuit.*

Contra in caus. 23. q. 1. & 2. multi habentur Canones, qui militiam approbant.

2. Henricus Blyssemius in tract. de Eccles. p. 37. *De religionis & fidei controversiis ac negotiis cognoscere, judicare, ac discernere non ad seculares Dominos vel Laicos homines, sed ad Episcopos & Ecclesiasticos Prælatos spectat, ac homines Laici vel seculares non propriis, sed alienis Episcoporum ac Prælatorum suorum oculis videre debent.* Quam esse communem *Romano-Catholicorum doctrinam* agnoscit Conr. Vetterus in Post-Colloq. Ratisbon. p. 87.

Matth. Meierhoferus in Speculo Prædicantium p. 381. sic differit: *Manet igitur firmum fixum, quòd non quilibet ad legendas Scripturas sit astrictus. At, inquit Prædicans, Magistratum politicum ideo non oportet legere Scripturas, ut pro se & suis subditis rationem reddere possit. Respondeo* (inquit,) *Quando Magistratus politicus Scripturas legit, idê accidit illi, quod Eunucho Æthiopico, ut eas non intelligat, ideoque Magistratus politicus rationem fidei suæ ex Scripturis reddere nequit. Quòd si vel maximè non legat Scripturas, interim tamen observet ea, quæ sancta Catholica Ecclesia credere præcipit, tum potest dicere. Hoc docet Ecclesia Catholica, quæ est fundamentum & columna veritatis, quæ magistra mihi divinitus constituta. Vera igitur esse oportet, quæ credenda præcipit. Hæc ratio fidei satis est sufficiens.*

(Contra, mandatum Christi de scrutandis Scripturis Joh. 5. v. 39. est generale ad omnes, ac proinde etiam ad Magistratum pertinens.)

3. Toletus lib. 5. Instruct. Sacerdot. cap. 56. *Cum in judicio probatur aliquis esse nocens, quem judex in privata suæ persona innocentem esse novit, quamvis sint in hac quæstione variæ opiniones, tamen communior & verior est, quòd judex licitè possit damnare innocentem.*

Maldonatus in Summa q. 7. art. 3. *Non peccat judex, si aliquem damnat secundum legem, licet ipse sciat, eum esse innocentem.*

(Contra. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque est Domino abominatio*, Proverb. 17. v. 15.

4. Leonh. Lessius Jesuit. lib. 2. de justit. & jure cap. 9. dubit. 14. *Valde probabile est, ob salutem Reipubl posse me mihi præscindere nares, aures, & labia, sicut fecit Zopyrus.*

Contra. Nemo est Dominus suorum membrorum, sed quilibet tantum custos ac rector sui corporis. Salus autem Reipubl. aliis mediis conservari potest.

5. Idem d. l. dubit. 8. *Etiam Clericis & Monachis hoc concessum, sicut & Laicis,* (nimirum defensio sui) *idque contra Superiores, ut Monacho contra Abbatem, filio contra parentem, servo contra Dominum, vasallo contra Principem, & in quocunque officio quis sit occupatus.*

(Atqui 1. filio contra parentem hoc non est facile côncedendum. Etsi enim parens Tyrannicè invadens filium, officium patris non facit, nondum tamen pater esse desinit, quia vinculum illud naturale inter patrem & filium nullo casu rumpitur, ideò filius semper honorare debet parentem, etiam duriorem & planè Tyrannicum, qui honor non consistit tantum in verbo, sed etiam *in patientia*, Sirac. 3. v. 9. Durissima ergo quævis, ne quidem morte excepta perferre potius debet filius, quam

quam mortem inferre ei, à quo naturaliter vitam suam habet, unde David manus in socerum suum Saulem inferre noluit, 1. Sam. 24. & 26. 2. Defensio etiam contra Principem non semper locum habet, Cum enim certum sit, ex interitu ejus magnum secuturum esse Reip. damnum, seditionem, bellum civile, aut simile quid, præstat etiam mortem injustam pati, quàm defensione sui tot turbis occasionem præbere. Ideò Apostolus *Magistratui resisti* prohibet, Rom. 13. v. 2. D. Balduinus de Casib. consc. lib. 4. cap. 1. cas. 14.

6. Cajetanus in 2.2. quæst. 95. artic. 8. ad 3. & qui eum sequuntur, statuunt, *licere occidere eum, qui falsis testibus fictisq; criminationibus coram judice vitæ meæ insidias struit, quia parũ referat, sive quis suo vel alieno gladio aliquem invadat. Calumniator autẽ ille invadit innocentẽ gladio judicis.*

At hæc sententia non caret periculo. Quia hominis animus Natura pronus est ad suspiciones de calumniis, quæ tamen sæpe nullæ sunt, & accusationem illam vel legitima defensione, vel testimonio opposito, vel aliis modis effugere potes. Si vero non nisi morte accusatoris te à calumnia liberum fore putares, multis cædibus daretur occasio, quæ licet in foro hujus seculi non puniantur, in foro tamẽ conscientiæ semper manet scrupulus, an legitima fuerit defensio, cum calumniatori alia via occurrere potuisses. Satius ergo & hic est, injuriam pati, quam alteri inferre. D. Balduin. d. l.

7. Pontificii *montem pietatis* vocant cumulatum æris acervum, qui sublevandis per mutuum pauperum miseriis destinatur, ea tamen lege, ut mutuarius quisque exiguam pecuniam in singulos menses conferat, non quidem, ut ajunt, *ratione mutui, sed velut stipendium ministrorum, qui ad servanda excutiendaq; pignora, habendasq; rationes dati & accepti deputantur.* Ita enim describit Sotus lib. 6. de justit. & jure quæst. 1. art. 6. Inventum ejus referunt ad Pium II. & approbatur Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi. Huic monti certas constituunt regulas, inter quas secunda est, *ut mutuarius (licet pauper) det monti idonea pignora, quæ transacto tempore statuto ad solutionem mutui statim vendantur, si mutuarius non solvat, ut ex precio pignoris solvatur monti pecunia debita & reliquum Domino pignoris restituatur.* Azorius part. 3. Instit. moral. lib. 5. cap. 8.

Atqui scriptura circa pignorum acceptionem duo requirit 1. Ne terminum solutionis mutuario nimis angustum statuamus, Exod. 22. v. 25. Sir. 29. v. 11. 2. Ne proximi pignus ad nos rapiamus, præsertim si sint pignora pauperum, ut vestes & utensilia domestica, quibus ne uno quidem die carere possunt, aut instrumenta artium suarum, quibus pro se & suis victum quærunt, aut etiam reditus annui, aut quod loco salarii datur, unde ipsi cum suis vivunt. Talia ne quidem oppignorare licet, nedum ut ea, dum solutio statuto tempore non sequitur, pauperibus eripi fas sit. Exod. 22. v. 26. 27. Ezech. 18. v. 7. Contractum ergò illum, quo pignora post statutum tempus & deficiente solutione veniunt in possessionem mutuantis, habere debemus pro usurario & illicito. D. Balduinus lib. 4. de Casib. conscient. cap. 3. cas. 5.

Inter Opuscula Cajetani Cardinalis unum habemus tom. 2. tract. 6. de monte pietatis cap. 9. in quo asserit, *esse multiplicem usuram & injustitiam in capitulis montis pietatis.*

Dominicus à Soto de justit. & jure quæst. 1. artic. 6. *Arbitror*, inquit, *ejusmodi rationem montis neutiquam ab usura sordibus elui posse.*

8. *Lupanaria* in civitatibus populosioribus, etiam Romæ in ipso Pontificis conspectu, tolerantur, ac Pontifex *annuum censum* à meretricibus exigit.

Contra 1. Scortatio & adulteria pugnant contra legem Dei. Ergò non sine impietate tolerantur.

2. Deus expressa lege censum ejusmodi prohibuit. Deut. 23. v. 18 ad quem locum Jac. Tirinus Jesuita sic annotat: *Non erit meretrix, nec scortator, puta publici, seu autoritate publica constituti, aut permissi, quæstus gratia corpora sua vulgantes.*

3. Justinianus Imperator meretrices vult prorsus *eliminatas è civitatibus.* In Authent. tit. de honoribus.

4. Per lupanaria libido incenditur, multique ad hoc peccatum alliciuntur. Ambrosius in Ps. 119. citans verba Proverb. 6. v. 27. *Quis potest fovere carbones in sinu suo, ut non ardeat?* subjungit. *Quis existimet meretrices foveri posse in civitate, ut juvenes non scortentur?*

Tertullianus lupanaria coram Deo dicit *esse execrabilia.*

Augustinus vocat *latibula fœditatis & turpia loca*, lib. 14. de Civ. Dei cap. 18. & lib. 18. c. 21. Confer Append. articuli de Matrim. membr. 1.

9. Alexander IV. Pont. Rom. ejusmodi decretum edidit lib. 5. Decretalium cap. 2. tit. 2. in Sexto. *Inhibemus quoque, ne cuiquam Laicæ personæ liceat publicè vel privatim de fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Becanus part. 2. Theol. Scholast. tom poster. tractat. 1. c. 15. q. 7. f. 230. & l. 1. Manualis c. 11. confirmare nititur hoc decretum ex eo, *quòd Laici plerunq; sint indocti, ac proinde præsumantur minus idonei ad disputationem de fidei dogmatibus.* Addit etiam, *probabilius esse, ad decreti hujus observationem etiam doctos Laicos astringi.* Sed pugnat hæc doctrina 1. cum mandatis divinis Matth. 7. v. 15. Joh. 5. v. 9 &c. 2. cum experientia, quæ testatur, quosdam ex Laicis fidei suæ rationem posse reddere. 3. cum exemplis. 4. cum praxi etiam in Papatu recepta. Subjungit enim Becanus ex Gregor. de Valent. *in Germania & aliis regionibus, in quibus Catholici & hæretici conjunctim vivunt, hoc decretum Papale per contrariam consuetudinem esse abrogatum.* Mirum verò publicum & Universale decretum Pontificis per contrariam consuetudinẽ posse abrogari? Adde, quod ratio decreti, quã Becanus affert, sit generalis, ac in German. æquè valeat ac in aliis locis.

10. Costerus Enchir. f. 32. *Veteres Patres omnes communi consensu disputationem cum proprii nominis hæretico dissuadent.*

Becanus prælud. 1. Manual. n 6. *Pertinaces hæretici non facilè admittendi ad disputationem de fide & religione.*

Atqui 1. Christus cum Saducæis disputationem instituit Matt. 22. Stephanus cum Libertinis, Cyrenis &c. Act. 6. v. 9. 2. Apostolus tradit hanc regulam, quod Episcopus debeat hæreticos ἐλέγχειν 2. Tim. ... Tit. 1. v. 9. 3. In Concil. Niceno orthodoxi cum Arianis disputationes instituerunt. Sozom. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 18. Athanasius cum Ario disputationem habuit. Ruffin. lib. 1. cap. 5. 4. Per hujusmodi disputationes hæreticorum opinio penitus exploratur, errores eorum in lucem producuntur, efficacius convincuntur, infirmi in fide confirmantur, seducti in viam reducuntur.

11. Pontificii *Laicos*, quos ita vocant, à judicio de religionis controversiis prorsus excludunt, eosque *Prælatis suis* simpliciter, absque exploratione credere jubent. Staplet. lib. 1. princ. doctr. c. 5. *Expendendum, non quid, sed à quo dicatur.* Card. Hosius lib. de commun. sub utraque specie. *Sufficit, si quis dicat sic à Pastore meo didici, eos, qui sunt mei loci & ordinis, non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas manet.* Cornelius Mussus Episc. Bitontinus in Epist. Rom. p. 606. edit. Venetæ. *Si dubium tibi sit, dicatne secundum Deum vel non, ne sis solicitus, Prælato crede, illius culpa erit, si peccabis.*

Resp. Turrianus Jesuita in Epist. præfixa lib. Gregorii de Valent. contra Ubiquet. *Athanasius*, inquit, *scribens ad Eustachium contra eos, qui jubent credere, quæ ipsi dicunt, & non perspicere, deceat, an non deceat, istorum hæresin ait cunctos errores renovare, & cunctas superare, & supra universas ortum malorum prodidisse. Iubent inquit, ipsi accipere simpliciter, quæ dicuntur, ut nemo exquirat, quid in eis decens aut indecens sit: & fidem vocat hæc hæresis assensionem perniciosam, non consideratam nec excussam in iis, quæ consistere non possunt, nec probari. Credam nulla ratione? Non expendam quid utile, vel decens, vel Deo amicum, vel Naturæ conveniens, vel cum veritate concordans?*

(Ergo hæc hæresis Pontificiorum idem docentium est omnium perniciosissima. Conf. dicta superius in Appendice lib 1. Conf general.)

12. Pontificii plerique, præsertim Jesuitæ, docent, *Magistratum secularem non esse immediatè à Deo institutum, sed ab hominibus, quos Natura docuit, oportere, ut in communitate sint superiores & inferiores, imperantes & obedientes &c.* Sanderus lib. 5. de Clave David. cap. 1. Bellarm. in Resp. ad Apolog. Reg. Angliæ. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 7. §. Præterea lib. de Laicis cap. 6. Suarez lib. 3. Defens. fid. Cathol. cap. 2. & seqq. Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 5. q. 5. dub. 1. Mariana de Rege lib. 1. cap. 1. *hoc*, dicunt, *esse omnium Theologorum axioma, esse hanc antiquam, receptam, veram ac necessariam sententiam*, Suarez d. l. cap 2. n. 2. & 10. Tannerus d. l. n. 3. & 43. Contra vero Victoria Relect. de potest. civili n. 8. contrarium dicit *esse Theologorum omnium doctrina consonum*; quæ assertio confodinis Scripturæ dictis Prov. 8. v. 15. 16. Dan. 2 v. 37. c. 5. v. 18. 28. 37. 44. Sap. 6. v. 4. 5. c. 17. v. 14 & seq. Conc. Paris. (circa Ann. Christi 560.) l. 2. c. 5. *Nemo Regum à progenitorib. regnũ sibi administrari, sed à Deo veraciter atq; humiliter credere debet dari, qui dicit: Meum est consilium &c. per me Reges regnant.* Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pont. c. 17. ex voce *Vicarii* probare conatur, *potestatem Papalem non ab hominibus, sed à Christo ipso esse acceptam.* Atqui etiam Magistratus dicuntur ὑπηρέται *vicarii regni Dei* Sap. 6. v. 5. imò *Dii & filii excelsi*, Psal. 82. v. 6. Exod. 22. v. 8. Ergo etiam potestas Magistratus politici non ab hominibus, sed à Christo ipso est accepta.

(Distinguere debebant inter potestatem, quæ concessa est Principibus à Deo sine medio; & modos eam potestatem acquirendi, qui sunt humani. Matthiæ Apostoli vocatio procul dubio immediatè erat à Deo, sors tamen interveniebat perinde ut in electione Saulis.)

13. Gregorius de Valent. tom. 3. Disp. 5. q. 21 punct. 2 pag. 1554. Azorius tom. 1. Moral. lib. 5. cap. 17. asserunt, *usuram non esse prorsus illicitam.* Contra verò Alfonsus de Castro lib. adv. hæreses tit. Usura, hoc numerat inter hæreses. *Guido Carmelita*, inquit, *in sua summa de hæresibus dicit, Græcos sentire, non esse peccatum, dare aliquid ad usuram. Et certè miror, quod homines in sacris literis versati, & qui illis aliquam fidem præbent, in tam apertam hæresin lapsi sint, contra quam tot, tamque manifesta sint sacræ Scripturæ testimonia.*

14. Stanislaus Orichovius in Chimæra, fol. 97. *Tantum Sacerdos præstat Regi, quantum homo præstat bestiæ. Quantum Deus præstat Sacerdoti, tantum Sacerdos præstat Regi. Qui Regem anteponit Sacerdoti, anteponit creatorem creaturæ.*

(At hæ comparationes in sanctam Dei ordinationem, videl. in Magistratum politicum sunt injuriæ. Confer Ivellum tom 2. oper. p. 315.)

(Hæc in sanctissimam Dei ordinationem sunt injuria.)

15. In quæstione, an pertinacia omnino requiratur ad hæresin, adversis sententiis Pontificii invicem pugnant. Melchior Canus lib. 12. Locorum cap. 7. *Sunt autores nobiles, qui existiment, omnem propositionem hæresin esse, quæ fidei veritati repugnet, quamvis ab ignorante sine ulla pertinacia defendatur. Primò, Si enim propositio falsa est, à quocunque dicatur, semper erit falsa. Ergò, si est propositio hæretica, à quocunq; illa asseratur, semper erit hæretica. Secundò, Veritas Catholica non pendet ab asserente, ut veritas Catholica sit. Iam sive Iudæus, sive Paganus, sive Christianus, Deum esse unum & trinum affirmet, illa certè assertio Catholica est. Ergo neque contraria falsitas ex eo, à quo asseritur, sibi aut nomen, aut rationem vindicat, sed absolutè & per se est hæretica, quoniam absolutè & per se cum Catholica veritate pugnat. Tertio, Theologi rogati, an propositio aliqua hæretica sit, an non, simpliciter respondent, aut esse, aut non esse, nulla ejus, qui asseruit, habita ratione. Nova autem res esset, & inaudita, si Theologi propositiones eas, quarum notæ quæruntur, designare nollent, nisi illis ante asserentium ingenium, conditio, doctrina & culpa innotescerent. Atque hinc colligunt*, inquit, *omnem propositionem, quæ modo est hæretica, semper hæreticam fuisse, nec Ecclesiam definitione sua eam hæreticam facere, sed id, quod reipsa erat, ignoratum tamen & occultum declarare. Hanc sententiã tenuit Occam & Cardinalis Turrecremata & Adrianus & Alphonsus Castro Zamorensis.*

Contra vero Toletus Cardinalis in Instruct. Sacerd. lib. 4. cap. 3. §. In summa &c. statuit, *pertinaciam ita necessariã esse in hæresi, ut quamvis quis teneat contra ipsos articulos, aut contra Scripturam, si ignorabat esse contra Ecclesiam vel Scripturam, non sit hæreticus.*

Azorius etiam tom. 1. l. 8. moral cap. 9. duo ad hæresin requiri dicit, *errorem contra fidem & pertinaciam.*

ARTICULUS IX.

DE PURGATORIO.

Thesis. Purgatorium dari non est fidei articulus.

Ἔκθεσις 1. Status quæstionis hic est. Num animæ piorum post suum è corporibus discessum ob adhærentes peccati sordes & debitum luendæ pœnæ prius flammis cujusdam ignis in loco subterraneo, inferno proximo, expurgandæ sint, antequam in regnum cœlorum assumantur?

2. Et an *dogma* hoc sit *fidei* articulus omnibus Christianis scitu ac creditu ad salutem necessarius? Pontificii utrumque affirmant, nos utrumque negamus.

3. Purgatorii nomine Pontificii intelligunt tum *purgationis medium*, videlicet ignem illum, quo animas piorum à corporibus separatas ustulari arbitrantur; tum *locum purgationis*, quem inferno vicinum ac contiguum statuunt. Nos utrumque negamus.

Antithesis. Concil. Trident. in Decreto de Purgatorio primâ die sessionis nonæ & ultimæ sub Pio IV. Pontif. die 3. Decemb. Ann. 1563. publicato. *Cum Catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris literis & antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, & novissime in hac œcumenica Synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri & ubique prædicari diligenter studeant &c.*

Idem Concil. sess. 6. Can. 30. *Si qui post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regnum cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

Canisius in opere Catechetico loc. de pœnit. Sacram. q. 9. p. 304 *Adversus Aerianos Ecclesia, fida Scripturæ Interpres, usque docuit, ignem esse quendam purgatorium seu emendatorium, ut Augustinus appellat, eoq́; pœnas peccatorũ, quas his pœnitentia perfectè non diluit, defunctis in Christo fidelibus luendas & expiandas esse.*

Bellarm. lib. 1. de Purgat. c. 1. §. 3. *Purgatorium est locus quidam, in quo, tanquam in carcere, post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita non fuerunt plenè purgatæ, ut nimirum sic in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum.*

Lib. ejusdem. cap. 15. *Qui tale purgatorium negat, in gehenna sempiterno incendio cruciandus erit.*

Bartholomæus Fumus in Aurea armilla pag. 692. *Purgatorium negare est mortale peccatum, quia contra divinam justitiam, erroneum & à fide alienum est.*

Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis artic. 53. *Pœnam purgatorii tantam esse* dicit, *ut mallet viventium quilibet, si pœnas expurgatorias per experientiam nosceret, omnibus pœnis, quæ habentur in mundo, sine remedio cruciari usq; ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam usque in præsens sigillatim perpessi sunt, quam uno die in inferno aut purgatorio affligi majori pœna, quæ ibi habetur.*

Nostram sententiam probamus,

I. Purgatorium destituitur Scripturæ suffragio. Ergo non est articulus fidei.

II. Purgatorium insuper pugnat cum Scriptura, videlicet,

1. Cum illis Scripturæ dictis, quæ omnes omnino homines in duas duntaxat distinguunt classes, *credentes* scilicet & *incredulos, & bonos & malos, oves & hædos.* Matthæi 7. vers. 13. 14. 17. 18. 24. & 26. cap. 8. v. 11. & 12. c. 13. v. 24. 25. 38. & 48. c. 25. v. 32. 33. 34. 41. & 46. Marci 16. v. 16. Luc. 16. v. 8. 22. 25. Johan. 3. v. 6. 18. 20. 21. 36. c. 5. v. 29. c. 15. v. 2. Actor. 26. v. 18. Roman. 2. v. 6. 7. & 8. c. 6. v. 20. & 22. c. 8. v. 5. & 13. Galat. 6. v. 8. Purgatorium enim nititur hac hypothesi, *quòd tria dentur hominum genera, perfectè scilicet boni, perfectè mali, & intermedii, utrisque optimis scilicet ac pessimis, interjecti.* Illis *cœlum beatorum*, istis *infernum damnatorum*, hisce *purgatorium post mortem* esse præparatum.

2. Cum illis dictis, quæ docent, solum hujus vitæ tempus esse tempus laborandi, currendi, certandi, hoc est, resipiscendi, credendi, piè operandi, & per consequens gratiam Dei, peccatorum remissionem, pœnarum relaxationem & vitam æternam assequendi; post mortem vero nullum amplius superesse tempus resipiscendi, credendi & benè operandi, hoc est, cœlestia illa beneficia acquirendi. Eccles. 9. v. 4. 5. & 10. c. 11. v. 3. c. 12. v. 5. Matthæi 25. v. 10. Johan. 9. v. 4. 1. Corinth. 7. v. 29. c. 9. v. 24. Ephes. 5. v. 16. Galat. 6. v. 8. & 10. 2. Timoth. 4. v. 7. Hebr. 12. v. 1. Apoc. 2. v. 5. Si enim in hac duntaxat vita datur tempus resipiscendi, benè operandi, ac ἑπομένως peccatorum remissionem & pœnarum condonationem impetrandi, frustra in purgatorio culpæ venialis expiatio, & pœnæ pro peccato mortali debitæ, inque temporalem mutatæ, persolutio & relaxatio speratur.

3. Cum illis dictis, quæ de purgatione peccatorum loquuntur. Scriptura duplicis purgationis mentionem facit, una est *purgatio externa & Levitica*, facta ad emundationem carnis; altera verò *interna & spiritualis*, facta ad emundationem cordis. Illa tribuitur Ceremoniis Leviticis. Levit. 12. v. 8. c. 13. v. 6. c. 14. v. 9. hæc verò tribuitur Christo, ut *causæ efficienti* Esai. 43. v. 25. Joh. 13. v. 8. Hebr. 1. v. 3. sanguini Christi, *ut causæ meritoriæ* Heb. 9. v. 13. & 14. 1. Joh. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 6. c. 7. v. 14. verbo Evangelii & Sacramento Baptismi, *ut causæ instrumentali ex parte Dei* Malach 3. v. 3. Joh. 15. v. 3. Ephes. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. ac fidei salvificæ, *ut causæ instrumentali ex parte nostri* Actor. 15. v. 9. Cor. 6. v. 11. Utraque purgatio tantum in hac vita locum habet; tertiæ alicujus purgationis post hanc vitam expectandæ nulla uspiam in tota Scriptura fit mentio.

4. Cum illis Scripturæ dictis, in quibus præcepta, promissa & exempla εὐθανασίας proponuntur, quæ non tantum nullam futuri cujusdam cruciatus ac tormenti formidinem piis in Christum credentibus incutiunt, sed etiam spei fiduciæ & exultationis materiam ipsorum animis ingerunt. Job. 19. v. 25. Ps. 30. v. 6. Ps. 27. v. 13. Ps. 116. v. 7. & 9. Luc. 2. v. 29. Actor. 7. v. 59. 2. Cor. 5. v. 1. 2. & 8. Philip. 1. v. 23. 1. Thess. 4. v. 13. 2. Tim. 1. v. 12. c. 4. v. 6. 7. & 8. 1. Petr. 4. v. 19. Apoc. 2. v. 10. Quod si enim piis vere in Christum credentibus post mortem metuendæ essent purgatorii flammæ, ab inferni igne sola duratione differentes, non possent ad lætam εὐθανασίαν divinitus animari, nec possent in pace, quiete, fiducia ac desiderio cœlestis beatitudinis discedere. Consequens hoc repugnat præceptis, promissis & exemplis εὐθανασίας in Scriptura propositis, ubi cumprimis evidens est exemplum conversi latronis, cui Christus Luc. 23. v. 43. ejusmodi dat promissionem: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

5. Cum illis Scripturæ dictis, quæ testantur, omnes vere in Christum credentes statim à morte felices ac beatos esse, ac animas ipsorum quamprimum corporis nexu solvuntur, è vestigio & immediatè in ipso solutionis momento sine ulla intercapedine aut intervallo in Paradisum transferri, ut testantur exempla *Henochi*, Genes. 5. v. 24. Sirac. 44. v. 16. c. 49. v. 16. Hebr. 11. v. 5. *Eliæ* 2. Regum 2. v. 11. *Lazari* Lucæ 16. v. 22. & 25. *Stephani* Actor. 7. v. 59. *& omnium piorum* Sap. 3. v. 1. & 3. c. 4. v. 1. Eccles. 12. v. 7. Esai. 57. v. 2. Johan. 3. v. 18. & 36. c. 5. v. 24. c. 12. v. 26. c. 17. v. 24. 2. Corinth. 5. v. 1. & 8. Philipp. 1. v. 23. Hebr. 4. v. 3. Apoc. 7. v. 14. 15. & 16. cap. 14. v. 13. Hæc ἀδιάστατος καὶ ἀμεσίδιστος animarum in cœlum translatio purgatorii somnio directè adversatur.

6. Cum illis Scripturæ dictis, quæ duo duntaxat ψυχοδοχεῖα sive animarum post mortem receptacula enumerant, tertium verò locum intermedium prorsus ignorant 1. Samuel. 25. v. 29. Matth. 3. v. 12. c. 7. v. 13. c. 8. v. 11. c. 25. v. 46. Marc. 16. v. 16. Luc. 16. v. 22. Joh. 3. v. 36.

7. Cum illis Scripturæ dictis, quæ peccatorum remissionem, gratiam Dei & salutem consequendam ad hanc vitam eo modo restringunt, ut ministerio verbi & Sacramentorum, itemque potestate clavis solventis, intercedente fide cujusque propria in his terris beneficia illa obtinenda esse asserant, post mortem vero nullum tempus ea consequendi superesse innuant, Psalm. 39. v. 14. Psalm. 95. v. 8. Matth. 9. v. 6. cap. 16. v. 19. cap. 18. v. 18. 2. Corinth. 6. v. 2. Quod si enim in hac duntaxat vita peccatorum remissio & salus per fidem ministerio verbi & Sacramentorum accensam obtinetur vel amittitur, frustra quædam pro peccatis satisfactio in purgatorio statuitur. Huc referri possunt dicta, quæ testantur, ea, quæ in hac vita egemus bona, in judicium adduci, non autem quæ vel ipsi in purgatorio sumus passi, vel alii pro nobis satisfactionis loco fecerunt Matth. 25. v. 35. 1. Cor. 3. v. 8. 2. Cor. 5. v. 10. Gal. 6. v. 5. & 7. Apoc. 14. v. 13. Item, quæ pœnas temporales non nisi hujus

vitæ

vitæ termino circumscribunt, & quæ post mortem irrogantur, æternas fore docent 2. Corinth. 4. v. 18. Apoc. 10. v. 7. &c.

8. cum illis dictis, quæ negant suffragiis vivorum mortuos post hanc vitam juvari posse Psal. 49. v. 8. 9. & 10. Eccles. 9. v. 4. Matth. 5. v. 25. cap. 25. v. 28. & 9. Marc. 3. v. 31. Quod si enim mortui non possunt juvari suffragiis vivorum, frustra animabus in Purgatorio sudantibus spes veniæ & salutis à vivorum meritis expectandæ proponitur.

9. cum illis dictis, quæ conditionem degentium in inferno, cujus sinus aliquis est Purgatorium, describunt, Psal. 6. v. 6. Ps. 49. v. 15. Eccles. 9. v. 11. Luc. 16. v. 26.

III. Purgatorium pugnat *cum fidei analogia*; quia labefactat

1. *articulum de Dei misericordia*, quæ in Scripturis nobis sic describitur, quod sit sincera, seria & perfecta, ita ut per ac propter eam vere pœnitentibus remittatur nō solū *culpa*, sed etiam *pœna* Matth. 18. v. 27. Quod si enim Deus ex gratuita misericordia propter perfectam Christi satisfactionem peccatorum debita verè pœnitentibus & in Christum credentibus plenè ac perfecte remittit, utique nec satisfactionem ab illis exigit, nec pœnam quandam ipsis infligit.

2. *articulum de Dei justitia*, quæ non permittit, ut remissa culpa adhuc irrogetur pœna. Jam verò credentibus in Christum culpa perfectè remittitur. Ergo nihil pœnæ ipsis persolvendum restat. Item, si animæ in Purgatorii pœnis tolerandis divinæ justitiæ satisfacere possunt, quidni damnati in igne infernali per multas annorum myriadas excarnificati tandem poterunt divinæ justitiæ satisfacere & ex inferno liberari.

3. *articulum de Christi merito*. Christus sanctissima & perfectissima sua obedientia ac passione acerbissima, non tantum pro *originali*, sed etiam pro *actualibus peccatis* nostris plenissimè satisfecit ac pœnas peccatorum nostrorum in se recipiendo, pro pœnis temporalibus & æternis propter peccata nobis debitis plenissimam satisfactionem Deo præstitit Esai. 53. v. 4. 5. 6. Johan. 1. v. 29. Gal. 3. v. 15. 1. Pet. 2. v. 24. &c. Pro quo igitur in Purgatorio nobis satisfaciendum? cur animæ piorum vera fide Christi satisfactionem amplectentium in Purgatorium ablegantur? cur satisfactio exigitur pro eo, quod Christus jam antè persolvit?

4. *articulum de Evangelio*. Propria enim Evangelii doctrina est, offerre credentibus peccatorum gratuitam condonationem, non autem pœnæ æternæ in temporariam commutationem. At si Evangelium nostram satisfactionem vel satispassionem exigeret, ac commutationem tantum, non autem translationem pœnæ factam esse doceret, non amplius foret annunciatio gratiæ & misericordiæ, sed potius pœnæ in hac vita vel in Purgatorio sustinenda.

5. *articulum de salutari fructu pœnitentiæ*. Fructus veræ ac salutaris pœnitentiæ est peccatorum remissio Psal. 32. v. 5. Jerem. 36. v. 3. Sapient. 12. v. 19. Marc. 1. v. 4. Luc. 24. v. 47. Act. 3. v. 16. c. 5. v. 31. Atqui ubi peccatorum remissio, ibi non amplius est necessaria pro peccatorum pœnis satisfactio, vel in hac vita, vel in Purgatorio præstanda.

6. *articulum de peccatorum remissione*. Deus per Filium suum reconciliatus in justificatione eo modo peccata credentib. ita remittit, ut eorum *non recordetur amplius* Psal. 25. v. 7. Jerem. 31. v. 31. Ezechiel. 18. v. 22. *ut projiciat eum post tergum* Esai. 38. v. 17. *demergat in profundum maris* Mich. 7. v. 19. *deleat instar nubis* Esai. 44. v. 22. *non imputet, sed tegat* Psal. 32. v. 1. *ut tàm longè ea removeat, quam longè distat Oriens ab Occidente* Psal. 103. v. 12. At si Deus post remissionem peccata adhuc punit, utique eadem imputat; si pœnas pro illis adhuc exigit, utique ad calculos revocat; si vindicat, eorum recordatur; si examinat, post tergum non projecit; si ad judicium vocat, tecta non habet &c. Item, Deus condonat peccata ex mera gratia, inde peccatorum *remissio*, non persolutio appellatur. Atqui hæc gratuita peccatorum remissio cum satisfactione propria, vel in hac vita, vel in Purgatorio præstanda nunquam conciliari poterit. Quod enim per propria merita & proprias satisfactiones obtinetur, illud non potest dici gratis dari, & vice versa.

7. *articulum de justificationis fructu & hominum justificatorum statu*. Fructus justificationis est *pax* conscientiæ Rom. 5. v. 1. & 2. *nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo* Rom. 8. v. 1. sed illi *spe salvi facti sunt*, v. 24. *nec quisquam est, qui eos accuset vel condemnet*, v. 33. & 34. cum certi sint de gratia & favore Dei v. 38. ac *vitam æternam habeant* Johan. 3. v. 36. qua *spe etiam gaudent* Rom. 12. v. 12. *cum fiducia ad thronum gratiæ accedunt* Hebr. 4. v. 16. & *Deo sine timore serviunt* Luc. 1. v. 74. unde in pace beatam ex hac vita ἀναλύειν & emigrationem ad Dominum expectant Luc. 2. v. 29. 2. Cor. 5. v. 8. At si fide justificati, nondum tamen plenè purgati, scirent, descendendum sibi esse in Purgatorium quendam ignem, cujus flammæ sola duratione ab infernalibus distant, inque eo per multas annorum decadas desudandum esse, quomodo in conscientia pacem haberent? quomodo nihil damnationis sibi metuendum esse statuerent? quomodo sine timore Deo servirent?

8. *articulum de extremo judicio*. In extremo judicio nullus ablegabitur in ignem Purgatorium, sed pii evehentur in cœlum, impii detrudentur in infernum. Ergo nec hoc tempore est aliquis Purgatorius ignis, quia causæ justificationis & salutis, Dei scil. misericordia, Christi meritum, verbum Evangelii & vera in Christum fides sunt ejusdem & æqualis virtutis tam ante judicium, quam in ipso judicio; ac si justitiæ divinæ non repugnat, eos, quos dies novissimus vivos deprehendet, sine Purgatorii ignis interventu in Paradisum transferri, utique etiam eidem non adversabitur, eos, qui ante judicium in Domino moriuntur, à Purgatorii flammis immunes ac liberos in cœlum emigrare.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quod quidam agnoscunt, Purgatorium non gaudere Scripturæ suffragio. (Jam vero nullum dogma potest vel debet pro fidei articulo haberi, nisi ex Scripturis possit probari, ut ex quorundam Pontificiorum confessione superius lib. 1. part. 1. cap. 1. ostendimus.)

Sanè Rayhingius adhuc Pontificius in Enchir. Cathol. contra D. Höe p. 870. negat, *posse proferri aliquem ex Scriptoribus Pontificiis, qui confessus fuerit, Purgatorium destitui Scripturæ suffragio*.

Synodus Tridentina sess. 25. dicit: *Ecclesiam ex sacris literis docere, quod sit Purgatorium*. Sed præsto sunt confessiones aliquot Scriptorum Pontificiorum.

Johan. Fischerus Episcopus Roffensis contra Lutherum art. 18. *Tametsi ex Scripturis non possit probari Purgatorium, veritas ejus nihilominus cunctis Christianis est credenda*. (Ne quis excipat, hæc *hypotheticè* tantum dici, *vides cum sequatur; igitur, quantum conveniat, ut hujus veritatis credendæ ratio, probatioque non desit in Scripturis*, notandum, quòd)

Idem art. 37. scribit; *Quanquam fortassis unam aliquam Scripturam, quæ protervientem adigat, ut velit nolit confiteatur Purgatorium, in promtu non sit adducere, potest esse nihilominus illic aliqua, tametsi diligentissimos inquisitores hactenus illa latuerit*. Inde etiam

Idem d. art. 18. sic disserit: *Contemplantes igitur, aliquando Purgatorium incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim, partim ex revelationibus, partim ex Scripturis creditum fuisse, atq; ita tandem generatim ejus fidem ab orthodoxa Ecclesia fuisse receptissimam, facilimè rationem aliquarum Indulgentiarum intelligimus*, (Atqui dogma aliquamdiu in Ecclesia incognitum & sero ab Ecclesia universa receptum, non potest esse dogma in Scripturis revelatum, vel ad fidem Catholicam pertinere, vel fundamentalem fidei articulum constituere. Idem tamen Fischerus sibi contradicens art. 37. col. 718 scribit; *Non est credibile, Purgatorium non posse ex Scriptura sacra probari, cum sit ea res Christianis omnibus usq; adeo scitu necessaria*.

Petrus à Soto in assertione Catholica fol. 83. *Non est, cur mirari debeamus*, (quod nec Prophetica nec Apostolica scripta aliquid certi & perspicui de Purgatorio tradiderint,) *cum certum sit, multa sine Scripturis esse tradita*, fol. 85 *Nec eorum, qui hoc* (Purgatorium) *negant, argumenta efficacia sunt, sumta ex eo maximè, quod in Scriptura nihil perspicuè de eo traditur, cum jam constet, multa non scripta fuisse eorum, quæ credenda sunt, sed Ecclesiastica autoritas satis est*.

Idem in Instructione Sacerdotum lect. 1. de Purgat. præfatur, *minus apertas, minus efficaces esse & minus probatas autoritates Scripturæ, quæ à Doctoribus asseruntur, illis itaq; non esse utendum ad probandum Purgatorium*.

Ludovicus Nogarola in libello de Apostolicis institut. tradit. 32. & Martinus Peresius libr. de tradition. fol. 159. agnoscunt, *orationem pro defunctis non esse ex Scriptura, sed ex traditione*. (Jam vero in oratione pro defunctis primum ac præcipuum fundamentum Purgatorii quæritur, ut patet ex Becano libr. 1. Manual. cap. 8.)

Tannerus in Compend. relationis Colloquii Ratisbon. part. 2. cap. 6. p. 37. *Fateantur ipsi quæso, si lubet, multa fide infallibili & divina credenda esse, quæ in Scriptura sola non continentur, nec ex ea sola evidenter deducuntur, & tunc nihil cum illis magnopere contendemus. Fateantur, inquam, Purgatorium &c.*

Huc referri potest, primo, quod Suarez tom. 4. in p. 3. Disp. 45. sect. 1. agnoscit, *infirma esse, quæ pro astruendo Purgatorio ex Scripturis afferuntur.*

(Atqui pro fundamentalibus fidei articulis astruendis non infirma, sed firma & evidentia ex Scripturis afferri debent argumenta.)

Secundò, quòd Perionius in Topic. Theolog *unicum duntaxat locum* 2. Maccab. 12. *pro purgatorio stabiliendo extare*, asserit, *qui apertè doceat, preces & sacrificia prodesse defunctis.* Item, quod Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 3. §. Ad septimum &c. concedit, *omnia V. Test. loca, excepto unico 2. Maccab. 12. solum probabiliter suadere, quòd sit ejusmodi Purgatorium.* Schioppius Bellarmini hyperaspistes in Apologetic. c. 55. fol. 77. sic scribit: *Notandum, Bellarminum multa Scripturarum loca adduxisse, ideo quod quidam* (nota quidam tantum) *ex sanctis Patribus ea de Purgatorio interpretati fuerunt, tametsi non nesciret, aliter etiam ea accipi posse & solere.*

(Atqui ostendimus superius lib. 2. art. 1. cap. 1. sect. 2. thesi 8. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, *librum secundum Maccabæorum non esse in Canone.*)

Tertio, quod Petrus à Soto in assert. Cathol. fol. 84. scribit: *Illis Scripturæ dictis* (quæ pro Purgatorio afferuntur) *fatemur non apertè Purgatorium probari, sed quod ex certa fidei regula credimus, id autoritatibus illis advertimus indicari.*

(Atqui fundamentales fidei articuli non tantum in Scripturis indicantur, sed apertè proponuntur.)

Quarto, quod idem Petrus à Soto d. l. fol. 83. scribit: *Quare non citatis locum, ubi contrarium docetur* (videlicet non esse Purgatorium) *sed tantum negativè argumentamini, quia nec Christus, nec Paulus dixit?*

Clingius lib. 4. Loc. Theolog. cap. 50. p. 456. *Nusquam legitur in Scripturis, Injusta & insalubris cogitatio est orare pro defunctis. Ostendant hoc clarè scriptum adversarii. Ergò sanctum & salubre est Deum pro defunctis orare.*

Idem ibid. *Scriptura Catholicè intellecta virtualiter probat Purgatorium, etsi hoc apertè non exprimit.*

Jesuitæ in Colloquio Durlacensi Ann. 615. habendo, à nostris postularunt, ut *αὐτολεξεὶ ac in terminis terminantibus ostenderent, Purgatorium non esse.*

(In dogmaticis non tantum affirmativè, *Hoc scriptum est, ergò credendum est*; sed etiam negativè; *Hoc non est scriptum, ergò non est credendum*, argumentari possumus, ut suo loco fuit demonstratum. Ergo non opus est, ut negativa nostra, quod non sit Purgatorium, in specie & κατὰ ῥητὸν ex Scripturis probetur, sed sufficit generalis illa negatio, quod nullum Scripturæ dictum pro astruendo Purgatorio proferri possit.)

Quinto, quod Conradus Klingius lib. 4. Locor. Comm. cap. 50. p. 456. scribit: *Scriptura Catholicè* (juxta mentem Romani Pontificis) *intellecta virtualiter probat Purgatorium, etsi hoc apertè non exprimat.*

(Observa tria 1. quod Scriptura apertè non probet Purgatorium. 2. sed tantum virtualiter. 3. & quidem tum demum, si Catholicè intelligitur, hoc est, *juxta mentem Ecclesiæ Catholicæ in Tridentino Concilio declaratam*, ut exponit Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 1. ac ut ultima analysis docet, *juxta mentem Romani Pontificis intellecta.*

Sexto, quod Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 52. p. 314. Purgatorium appellat *rem, quæ liquidius ex Patrum testimoniis, quàm ex Scripturarum sententiis, etsi certis, non tamen omnibus adeò manifestis, queat definiri.*

(Atqui articulos fidei ex claris & perspicuis Scripturæ dictis liquidissimè oportet demonstrari.)

Septimò, quòd Jesuita Cottonius ex ipso Cacodæmone sciscitari non dubitarit, *è quo totius N. Test. loco Purgatorium commodissimè fulciri ac stabiliri possit?* referente Jacobo Augusto Thuano Histor. lib. 132. ad Annum 1604. Daniele Tileno part. 2. Disputat. 65. §. 34. & Andrea Riveto in refutat. Catechism. controv. Jesuitæ Bailii tract. 2. q. 43. quam inscribit Catholicum orthodoxum.

(Atqui si claris ac perspicuis Scripturæ dictis Purgatorium probari posset, haudquaquam opus foret talia ex Cacodæmone quærere.)

Octavo, quod Franciscus Sonnius Demonstrat. tract. 4. cap. 3. interroganti discipulo, *an loci ex Matth. 5. Luc. 12. 1. Cor. 3.* (qui solent in disertissimis numerari) *revera demonstrent esse locum & ignem, quibus probet & puniat Deus animas justorum post hanc vitam* respondet: *per se quidem non demonstrant: non enim loquuntur claro sermone de statu animarum post hanc vitam, & aliam apud nonnullos Patres recipiunt interpretationem.*

Nono, quod *nomen Purgatorii* in sensu Pontificio acceptum in Scripturis inveniri non posse fatentur.

Bellarminus Disputationem de Purgatorio exorsurus lib. 1. de Purg. cap. 1. §. 1. sic scribit: *Tria in Scripturis inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum & purgatoria dici possunt, Primò, Christus ipse, de quo dicitur Hebr. 1. purgationem peccatorum faciens. Johan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Secundò, tribulationes hujus vitæ, de quibus Malach. 3. Ipse sedebit q. ignis conflans & q. herba fullonum, & purgabit filios Levi. Johan. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit, ut fructum plus afferat. Vocatur tertio Purgatorium locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ.*

(Sed pro hac tertia Purgatorii significatione asserenda nullum affert Scripturæ testimonium, neque afferre etiam potuit, quia Scriptura nullam purgationis peccatorum post hanc vitam expectandæ mentionem facit. Quamvis vero quædam in Scripturis extent *secundum rem*, licet *secundum literam & vocem* in eis non habeantur, ac proinde à prætermissione nominis ad negationem rei non liceat absolutè & simpliciter concludere, tamen cum *& nomen & res ipsa* Purgatorii Pontificii à Scripturis exulet, ut ex confessione quorundam Pontificiorum ostendimus, ideò meritò hāc nominis prætermissionē contra ipsos urgemus.)

Denique, quod dicta Scripturæ, quæ à quibusdam Pontificiis pro stabiliendo Purgatorio afferuntur, ab aliis Pontificiis longè aliter applicantur, ut inferius apparebit.

2. Quod quidam agnoscunt, Purgatorium destitui Ecclesiæ primitivæ ac Græcæ Orientalis Ecclesiæ suffragio. (Atqui nullum est fidei dogma, pro quo stabiliendo non possint adduci quædam manifesta Ecclesiæ primitivæ testimonia, cum ex utraque parte & nostra & Pontificiorum concedatur, in primitiva Ecclesia traducem veritatis ab Apostolis propagatæ fuisse adhuc conservatum. Græcæ Ecclesiæ consensum ideo producimus, tum quia Græci nobiscum docent, nec in Scripturis nec in primitivæ Ecclesiæ Doctoribus Purgatorium inveniri, tum quia ex eo manifestum est, Purgatorium non esse dogma à tota Ecclesia Christiana hodierna receptum, tum quia ex eo colligi potest, Purgatorium olim non fuisse pro fidei articulo habitum. Adrianus I. Pontif. Rom. cum Græcis, qui Purgatorium non crediderunt, communionem habuit, & ad Synodum Nicenam II. Legatos misit, & in Decreto de colendis imaginibus cum ipsis consensit. At communionem illis haud dubiam denegasset, si Purgatorii dogma à Græcis non receptum pro fidei articulo habuisset.)

Nili Archiepiscopi Thessalonicensis liber contra Purgatorium ex ipsa Pontificia Bibliotheca prodiit. In eo ostendit Nilus, *ignem hunc temporalem à V. Concilio condemnatum fuisse; quemadmodum adhuc hodie Ecclesia Græca, Russica, Abyssina & Armeniæ Purgatorium rejiciunt.* Idem Nilus docet, *nullum Græcorum Patrum id credidisse.* Et revera *in Concilio VIII. Ferrariæ ac Florentiæ habito* Græcis nulli ex suis Doctoribus pro hoc igne objiciebantur. Postea demum aliqua veterum Græcorum testimonia, partim recenter excogitata, partim malè accepta, partim malè intellecta produxerunt. Sic Nilus objectioni ex Theodoreto petitæ Græcorum nomine his verbis Latinis respondet lib. 1. de Purgat. *Quæ dictis B. Theodoretum sensisse, virum sapientem, & divinum & magnum eloquentia laudem consecutum, si quidem etiam apud nos ita se habere deprehenderentur, haberent utique aliquam rationem, & nonnulla fortassis defensione egerent. Nunc verò cum in multis illis, quæ apud nos extant scriptis, nihil tale unquam dixisse comperiatur, ne verbo quidem ad illa opus esse censemus.*

Thomas in Opusculo contra errores Græcorum hoc nomine Græcos perstringit, *quòd non credant Purgatorium.*

De Irenæo Lugdunensi Episcopo (qui Græcè scripsit) Erasmus judicat, *eum ita loqui, ut qui nullum Purgatorium sciverit,* (quod deleri jussum in Indice Expurgat. Belgico p. 172.)

Joh. Fischerus Episc. Roffensis in confut. Lutheri art. 18. p. 496. *Multa sunt, de quib. in primitiva Ecclesia nulla quæstio facta fuerat, quæ tamen posteriorum diligentia subortis disputationib. jam evaserunt perspicua. Nemo jam dubitat orthodoxus, an Purgatorium sit, de quo tamen apud priscos illos nulla vel quàm rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis in hunc usq. diem non est creditum, Purgatorium esse. Legat, qui velit, Græcorum veterum Commentarios, & nullum, quantum opinor, aut quam rarissimum de Purgatorio sermonem inveniet.*

Sed neq; Latini simul omnes, at sensim, hujus rei veritatem conceperunt &c. Neq; tum necessaria fuit primitivæ Ecclesiæ Purgatorii fides, atq; nunc est, ex qua pendet omnis Indulgentiarum existimatio. His enim, si nullum fuerit Purgatorium, nihil indigebimus.

Pap. 497. *Contemplantes igitur aliquandiu Purgatorium incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim, partim ex revelationibus, partim ex Scripturis fuisse creditum, atq; ita tandem generatim ejus fidem ab orthodoxa Ecclesia fuisse receptissimam, facilimè rationem aliquam Indulgentiarum colligimus. Cum itaq; Purgatorium tam serò cognitum ac receptum Ecclesiæ fuerit universæ, quis jam de Indulgentiis mirari potest, quod in principio nascentis Ecclesiæ nullus fuerat earum usus?*

Ibid. dicit, *non absq; maxima Spiritus sancti dispensatione factum esse, quod post tot annorum curricula Purgatorii fides ab orthodoxis generatim sit recepta.*

(Sanè idem Roffensis postea artic. 37. col. 725. verba illa, quod *Græcis ad hunc usq; diem non sit creditum Purgatorium esse*, de vulgo *Græcorum* intelligi vult, *non de Patribus Ecclesiæ Græcanicæ, quos putat favisse Purgatorio.* Sed quis credat, aliam fidem fuisse Patrum vel Doctorum, aliam vulgi vel auditorum? Accedit, quod idem Roffensis ipsos etiam Patres Græcos quoad doctrinam de Purgatorio errasse, nimirum illud non recipiendo, expresse scribit libro 1. de unica Magdalena col. 1409. *Græcos,* inquit, *nihilominus in cunctis, quæ rectè dixerint, libenter amplectimur & veneramur, tùm ob eorum antiquitatem & vicinitatem ad Apostolorum tempora; tùm ob eximiam eruditionem & eloquentiam singularem; tùm etiam ob linguæ necessitatem, ob quam in pluribus ad eos recurrere necesse est, verùm ita, ut liberum fuerit ab eis dissentire, ubi ipsi ab Ecclesiæ communi sententia dissenserint. Neq; enim cuiquam ambiguum esse potest, eos aberrasse, cùm in aliis multis, tùm de Purgatoriis ignibus, de pane fermentato & de Spiritus sancti processione, quos errores constat à Latinis autoribus fuisse deprehensos, partim suâ diligentiâ, partim sacri Spiritus illustratione.)*

Polydorus Vergilius lib. 8. de rerum invent. cap. 1. adducit verba hujus Fischeri Roffensis Episcopi: *Quamdiu nulla fuerat de Purgatorio cura, nemo quæsivit indulgentias, nam ex illo pendet omnis Indulgentiarum existimatio. Si tollas Purgatorium, quorsum Indulgentiis opus erit? Cœperunt igitur Indulgentiæ, postquam ad Purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatum est.)*

Alphonsus à Castro lib. 12. adversus hæreses tit. Purgatorium f. 258. *Unus ex notissimis errorib. Græcorum & Armenorum est, quo docent, nullum esse Purgatorium locum, quo animæ ab hac luce migrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant, antequã in æterna tabernacula recipi mereantur.*

Fol. 319. *Dicit Lutherus, nihil prodesse defunctis orationes, sacrificia, eleemosynas, quæ à vivis pro illis fiunt. Nec tamen hujus erroris primus autor est Lutherus, quoniam ante eum fuere Waldenses & Albigenses, qui hunc tutati sunt errorem. Et ante istos eundem errorem docuerunt Græci & Armeni, qui, ut alias diximus, negarunt omninò Purgatorium, quapropter juxta eorum sententiam oporteret orationes pro defunctis esse inutiles.*

Idem lib. 8. in tit. de Indulgentiis. *Usq; in hodiernum diem Purgatorium non est à Græcis creditum.*

(Non distinguit Alph. à Castro inter *Græcos veteres & recentiores*, ut faciunt Salmeron in 1. Cor. 15. Disp. 25. & Staplet. part. 2. promt. Cathol. p. 284. sed in genere eum tribuit Græcis, noverat enim à Roffensi etiam *veteribus Græcis* eum fuisse attributum, quinimò contextus ostendit, Alphonsum loqui de Græcis veteribus, sic enim habent verba: *Multa sunt posterioribus nota, quæ vetusti illi Scriptores, prorsus ignoraverunt. Nam de transsubstantiatione panis in corpus Christi rara est in antiquis Scriptoribus mentio, de processione Spiritus sancti à Filio multò rarior, de Purgatorio ferè nulla potissimum apud Græcos Scriptores, qua de causa usq; in hodiernum diem Purgatorium non est à Græcis creditum.)*

Armilla aurea in voce Purgatorium p. 692. tradit, *negare Purgatorium esse errorem Græcorum.*

Prateolus cap. 7. Elenchi p. 203. scribit: *Græci docent, nullũ esse Purgatorium locum, in quo animæ ab hac luce migrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur.*

Et paulò post: *Cumq; tollant Purgatorium, dicunt, etiam nihil prodesse defunctis orationes, sacrificia, eleemosynas & hujusmodi pia opera, quæ à vivis pro illis fiunt.*

Synodus Græcorum & Apologia de Purgatorio Concilio Basileensi exhibita. *Ignem,* ait Synodus, *Purgatorium esse, pœnamque per ignem temporalem finem habiturã, à Doctoribus nostris prorsus nihil accepimus, neq; Ecclesiam Orientalem (sicut & alias dictum est) ita sentire compertum habemus.*

In tota Apologia respondent Græci ad loca ex *Maccabæis, Evangelio Matthæi, Basilio Magno, Epiphanio, Johanne Damasceno, Dionysio, Gregorio Nysseno; ex Augustino, Ambrosio, Gregorio Magno & aliis Latinis* de Purgatorio allegata, & contra ex verbo Dei & Ecclesiæ Græcæ Doctoribus copiosè & firmiter probant, *nullum planè Purgatorium ignem post hanc vitam esse posse.*

(Edita est hæc Apologia cum tractatu Nili de Primatu Papæ.)

Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annot. 259. p. 538. *Marcus Ephesi Episcopus, in Apologia, quam pro Græcis Purgatorium rejicientibus in Concilio Basileæ obtulit, examinans verba Chrysostomi homil. 9. in 1. Cor. salvus erit quasi per ignem, asseverat, nihil unquam aut verbis expressisse aut cogitasse de Purgatorio.*

Sigismundus ab Herberstein in lib. de rebus Moscoviticis: *Purgatorium Græci & Rutheni negant, sed dicunt, unumquemq; secundum opera sua post mortem locum designatum habere, ubi diem judicii extremi expectaret, pios quidem cum Angelis placidis in lucidis & amœnissimis Ælisii viridiferis campis recumbere; impiis autem in obscuris, cæcis, nigrisq; ac caligine obductis voraginibus cum Angelis terribilibus destinatam esse mansionem ad expectandam judicii diem; unde illæ animæ, quæ in locis amœnissimis & splendidis cum Angelis placidis benignisq; collocatæ sunt, gratiam Dei sibi affuturam cognoscunt, assidueq; judicium extremum fieri petunt. Aliæ contra condemnationem sibi imminere, in caliginosis voraginibus sitæ pœnas terribiles præsagiunt, idq; eò maximè allegant, quod animæ post mortem in cœlum statim non ascendant, nec in infernum. Quibus enim illud verbum à Christo in novissimo die diceretur: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum cœlorum &c. cum jam omnes antea in cœlo sint; & contra, Ite maledicti in ignem æternum, cum jam olim in inferno condemnati fuerint?*

Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 7. art. 5. pag. 846. *Græci ac Moscovitæ, etsi funebre sacrum pro defunctis faciunt, tamen Purgatorium negant. Guido & cæteri, qui de Græcorum ac Ruthenorum erroribus scribunt.*

Bellarm. lib. 1. de Purgat. capit. 1. non invenit antiquius Concilium, quod Purgatorii meminerit, quam *tertium Carthaginense* celebratum Anno 397. *Bracarense I.* celebratum An. 563. *Cabilonense* Anno 662. habitum: nullum enim ex Patribus *in primis tribus seculis* producit. In seculo *quarto & quinto* putat se quædam invenisse in *Athanasio, Nazianzeno* & aliis nonnullis, quæ non Purgatorium asserant, sed quæ ostendant aliqua vestigia *precum* (quæ tamen potius sunt vota & desideria mentis erga rem præteritam aut præsentem, non futuram, quam preces unicè respiciunt) pro *mortuis*, unde postmodum se Purgatorium per consequentiam probaturum sperat.

Idem Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 2. §. 6 sic scribit: *Idem* (videlicet, quod negaverint Purgatorium) *tribuitur Armenis & Græcis à Guidone Carmelita in Summo de hæreticis. Et quanquam Græci in Concilio Ferrariensi sess. 1. affirmabant, se non negare Purgatorium, sed ignem tantùm, & existimare, Purgatorium esse locum tenebricosum & laborum plenum, tamen credibile est, Græcos de hac hæresi saltem suspectos fuisse. Nam B. Thomas in opusculo contra Græcos refellit etiam hunc errorem, & probat, Purgatorium esse, & in Concilio Florentino sess. ultimâ damnatus est idem error, cum tamen in eo Concilio solum damnati sint errores Græcorum, aut certè de quibus Græci suspecti erant.*

Lib. ejusdem c. 15. §. Ad secundum &c. *Quod de Græcis jactatur, quod Purgatorium negent de particularibus hominibus intelligendum est.*

3. Quod agnoscunt, Purgatorio in Ecclesia à multis fuisse omni tempore contradictum, (quorum sententiam veritati magis conformem esse ex illis, quæ pro nostra sententia superius sunt adducta, perspicuum est. Nec obstat, quod Romana Ecclesia pro hæreticis illos damnavit, hoc enim *facti* est, non *juris.*)

Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses verbo Purgatorium hæres. 1. *Unus ex notissimis erroribus Græcorum & Armenorum est, quo docent, nullum esse purgatorium locum, in quo animæ ab hac luce migrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant antequam in æterna tabernacula recipi mereantur. Græcos & Armenos imitati hac in parte sunt Waldenses &c.*

Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 2. §. 2. seqq. *Disertè Purgatorium negaverunt Waldenses, ut Guido Carmelita in Summa de hæreticis, & B. Antoninus part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 2. Summæ Theo-*

logiæ referunt. Idem docuerunt Apostolici apud Bernhardum serm. 66. in Cantic. Et fortè Waldenses proles sunt Apostolicorum, nam in erroribus, qui eis tribuuntur, conveniunt & tempore sunt vicini. Nam *Waldensium secta exorta est circa annum Domini 1160. juxta Trithemii Chronicum vel 1170. juxta Guidonem in sua Summa capit. 1. & Raynerium, qui floruit ante annos 300. cujus testimonium vide in fine libri Claudii contra Waldenses. Apostolici autem sunt paulo antiquiores. Nam exorti sunt tempore B. Bernhardi, qui obiit Anno 1153. Vocari autem voluisse Apostolicos etiam ipsos Waldenses, quod Apostolorū paupertatem sectarentur, manifestum est ex Historia ipsorum apud Æmilium lib. 6. de gestis Francorum & Abbatem Urspergensem in Chronico Anni 1212. Idem cum Waldensibus docuerunt eodem tempore Henricus & Petrus Bruis, contra quos scribit B. Bernhardus Epist. 240. & Petrus Cluniacensis in Epist. ad omnes Episcopos. Idem postea docuerunt Albigenses, qui tamen non solùm purgatorium, sed etiam infernum tollebant, teste B. Antonino 4 part. tit. 11 c. 7. §. 5. Idem tribuit Wiclefistis & Hussitis Bernhardus Lutzenbergensis in præfatione libri sui de purgatorio, sed fortasse falsò, cum nihil tale eis tribuat Concilium Constantiense, nec Thomas Waldensis. Æneas autem Sylvius, qui inter errores Hussitarum hunc etiam numerat libro de origine Boemorum capit. 35. videtur confundere Hussitas cum Waldensibus. Idem tribuitur Armenis & Græcis à Guidone Carmelita in Summa de hæreticis.*

4. Quod fatentur, purgatorium esse dogma Ethnicum, Judaicum & Turcicum.

(Bellarminus quidem ex eo ipso probat purgatorium, *quod nitatur communi opinione omnium gentium*, lib. 1. de Purgat. cap. 11. §. Tertia ratio &c. Sed communis illa opinio excæcatorum Judæorum, blasphemorum Mahumetanorum & idololatricorum gentilium est potius argumentum erroris, quam falsitatis. Nam *lumen Naturæ* extra & præter verbum novos fidei articulos excogitans corrigendum est *ex lumine gratiæ*, quod in verbo revelato nobis proponitur.)

Primò, quod sit dogma Ethnicum, agnoscunt.

Bellarm. lib. 1. de Purgat. c. 11. §. Tertia ratio, sic scribens: *Purgatorium confitentur gentiles tam Philosophi, quam Poëtæ, ut patet ex Platone, Cicerone, Virgilio & Claudiano.*

(Versus Virgilii lib. 6. Æneidos sic habent:

Ergò exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.)

Ingolstadienses Jesuitæ in Disput. de Purgat. dicunt, *extare purgatorium apud Homerum, Virgilium & Aristotelem.*

Salmero tom. 14. Disp. 25. p. 226. addit *Senecam & Pliniū.*

Augustini assertionem lib. 21. de Civit. Dei c. 13. (*quod Platonici nullam post hanc vitam agnoverint pœnam, nisi purgatorium*) Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 2. §. Quanquam &c eo modo corrigit, ut statuat, *Platonem non minus, quam Romanam Ecclesiam tria hominum genera, qui post mortem ad judicium evocantur, statuisse Unum eorum, qui piè justeq; vixerunt, quos statim ad Insulas beatorum transmitti asserit. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, quos ad tempus pœnis exerceri inquit, donec scelus eluatur. Tertium eorum, qui peccata incurabilia commiserunt, quos in tartarū in æternum puniendos dejici dicit, quorum supplicia ipsis quidem nihil prosint, sed aliis tamen prosint ad exemplum.*

Xaverius lib. 4. Epist. Indic. 1. *Bonzii (qui sunt Sacerdotes Ethnici apud Indos) dicunt, eos, qui fortè ad inferos relegati sunt, è mediis flammis vindicaturos, præsertim verò, si Bonzii deprecatores accesserint.*

Petrus Thyræus Append. 2. ad lib. de Spirit apparit. cap. 5. Beierlinck select. concion. 28. pag. 524. itidem *ex Ethnicorum consensu* probant purgatorium, utentes hoc argumento: *In quibus omnes gentes consentiunt, à naturali lumine illa proficisci necesse est. Neq; enim potest esse aliud principium, quod omnes omninò instituat, nisi lumen & ratio naturalis, quæ in omnibus est. Jam verò omnes gentes atque populi in assertione purgatorii consentiunt, etiam illæ quæ divinitus instituta non sunt &c.* Ergò. Verba Beierlinck sic habent: *De gentilibus certò constat, agnovisse eos olim præmia & supplicia post mortem non modo, sed & opitulationem & subsidia. Hinc illa Poëtarum commenta de Lethæo flumine, quo purgari animas existimabant, & non alia de causa prope delubra olim tumulatos constat, quod orationum & sacrificiorum, quæ in illis offerebantur, participes se fore sperarent. Imo, Herodoto testante, domesticos parietes velut cœmiteria faciebant, defunctos circa illos tumulantes, ne unquam memoria illorum intercideret. Ideò etiam Lycurgus, magnus ille legislator, voluit mortuos cum ramis olivarum tumulari, ut doceret, erga eosdem exhibendam esse misericordiam, cujus oliva erat Symbolum. Homerus Ulyssem, Ovidius Orpheum, alii alios ab inferis rediisse comminiscuntur. Plato in Phædone atq; Gorgia tria hominum genera evocari ad judicium sentit, Unum eorum, qui justè & piè vixerunt, quos dicit transmitti ad Insulas beatorum. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, & hos asserit exerceri pœnis, donec eluerint scelus. Tertium illorum, qui peccata commiserunt incurabilia, eosque in tartarum semper puniendos dejici. Quorum quidem supplicia, quamvis illis nihil proficiant, aliis tamen prosunt ad exemplum. Consentit Virgilius lib. 6. Æneid. qui postquam scripsisset, in hac vita non omne malum expiari & necesse penitus esse, Multa diu concreta malis inolescere miris; subjicit,*

Ergò exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt.

Ludovicus de la Cerda in 6. Æneid. p. 676. a. p. 684. b. pag. 695. a. *doctrinam Platonis & gentilium de purgatorio ac locis animarum* Pontificiæ conformem agnoscit.

Confer Natalem Comitem lib. 3. Mytholog. cap. 9. p. 274. cap. 20. p. 286.

Atque ut eò magis de conformitate doctrinæ Pontificiæ atque Ethnicæ constare possit, confer *pratum illud florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degunt animæ visioni divinæ nondum idoneæ*, quod describit Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 7. cum descriptione *camporum Elysiorum* apud Virgilium lib. 6. Æneid.

Devenere locos lætos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Purpureo Solemq; suum sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris &c.

Quomodo *anniversaria* sacra pro defunctis, Item *septendialia* in Romana Ecclesia recepta ex gentilium ritibus originem traxerint, latè exponit Polydorus Vergilius lib. 6. de Rerum invent. c. 9. & 10.

Secundò, quod sit dogma Judaicum, agnoscit

Bellarm. lib. 1. de Purgator. c. 11. *Purgatorium confitentur Hebræi, ut patet ex 2. Maccab. 12. Nam saltem fides adhibenda est ei libro, quæ adhibetur Livio. Præterea Josephus filius Gorionis in lib. de bell. Judaic. c. 19. indicat, Judæos consuevisse orare pro mortuis, non tamen pro illis, qui se interimunt.*

Bailius Jes. in Catech. controv. tractat. 2. q. 44. Purgatorium confirmat ex Judaicis Scriptoribus. *Judæi, inquit, librum habent in suis Synagogis nomine Mazor, à D. Genebrardo p. m. & Paulo Fagio in latinam linguam translato, ubi modus pro mortuis officiandi, ejusq; sepeliendi clarè describitur. Inter alias ceremonias etiam hac utuntur Apostrophe O Patres seculi Hebrone dormientes aperite portas horti Edenis: O Angeli loci hujus custodes aperite ipsi quoq; ostium. Tu quoque Domine exaudi preces nostras, & fac misericordiam animæ huic mundum hunc relinquenti, ut ad quietis suæ locum abeat.*

(Prudentiores hac in parte fuere Inquisitores Hispani, qui ex tomo 4. Bibliothecæ Patrum jusserunt expungi librum, cui titulus est, *Extremum lugentium officium*, ex libro precationum Hebraicarum, qui inscribitur Mahzor sanctæ Synagogæ Romanæ. Videatur Index Expurgatorius Cardinalis Quirogæ in Expurg. Biblioth. Patrum fol. 19.

Hebræi in libro Rosch Haschana cap. 1. tradunt, *illos, qui nec perfectè boni, nec extremè impii sunt, in inferno expiare residuas sordes post mortem per duodecim menses, posse liberari, postea eos etiam juvari precibus, quæ recitantur singulis Sabbatis, & huic rei destinata est certa quædam orationis formula, in libro Thepilloth quam Kadisch appellant, eamque quilibet filius, non autem filia, quotidie pro defunctis parentibus per undecim menses à morte recitare tenetur.*

Tertiò, quod sit dogma Turcicum, agnoscit

Bellarm. d. l. sic scribens: *Mahumetani Purgatorium in Alcorano disertè confitentur.*

Salmeron tom. 14. p. 225. *Purgatorium etiam impurus Mahomet testatur.*

Belonius lib. 3. Observat. cap. 30. *Mahumetani defunctorum corpora catervatim adeunt certis quibusdam diebus, ac pro ipsorum salute orant.*

5. Quod agnoscunt, Christum pro culpa & pœna satisfecisse.

(Quod si enim Christus plenissimè pro omnibus peccatis nostris tam *venialibus*, quam *mortalibus*; ac pro omnibus peccatorum

torum nostrorum *pœnis* tam *temporalibus*, quàm *æternis* satisfecit, utique nihil restat, pro quo nobis adhuc vel in hac vita, vel in purgatorio satisfaciendum sit.)

c. Filius Dei. dist. 4. de consecrat. ex Augustino. *Filius Dei carnem peccati suscepit, & pœnam sine culpa, ut in carne peccati & culpa solveretur & pœna.*

Thomas p. 3. q. 49. art. 3. ad quæstionem, *an per passionem Christi liberati simus à pœna peccati*, affirmate respondet, atque addit, *liberationem factam esse dupliciter, 1. Directè, in quantum passio Christi fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccatis humani generis, exhibita autem satisfactione tolli reatum pœnæ. 2. Indirectè, in quantum passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.*

Bellarminus lib. 1. de Indulgent. cap. 4. resp. ad 6. object. *Quidam Lovanienses tenuerunt, solius Christi satisfactionibus remissam pœnam temporalem.*

lib. 2. de Indulgent. cap. 10. §. Ac primum &c. *Christus satisfecit Deo Patri plenissimè pro reatu culpæ & pœnæ temporalis & æternæ omnium peccatorum.* (Pro quo igitur nobis satisfaciendum erit?) Plura hac de re dicemus art. 16. cap. 5. th. 2.

6. Quod agnoscunt, piis in hac vita perfectè remitti peccata.

(Plenaria peccati remissio & *culpæ* & *pœnæ* remissionem complectitur. Quod si ergo in hac vita peccatum perfectè remittitur, utique nihil pœnarum in purgatorio adhuc persolvendum piis restat.)

c. Impudicas. caus. 27. quæst. 1. ex Concilio Triburiensi pœnitentia vocatur *purificatorius ignis pœnitudinis, quo peccata decoquuntur.*

(Nimirum hoc est verum purgatorium, quo virtute sanguinis Christi per fidem peccata in hac vita purgantur, ne eorum pœnæ in futura vita nos maneant.)

Lombardus lib. 3. sentent. dist. 19. lit. A. *Si rectè fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli solvimur, hoc est, à peccatis, & ita à Diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat. Morte quippe sua uno verissimo sacrificio quicquid culparum erat, unde nos Diabolus ad luenda supplicia detinebat, Christus extinxit.*

Thomas part. 1. 2. q. 87. art. 7. *Omnis pœna, quæ merè & propriè est pœna, est propter aliquam culpam.*

Idem part. 3. quæst. 86. artic. 3. ex Augustino. *Deus omnia peccata remittit simul & perfectè.*

Benedictus Pererius in Genesin cap. 9. num. 153. pag. 541. *Si pœna propriè sumatur, necessariò respondet peccato, nec sine eo potest esse, siquidem per pœnam compensatur ac reficitur æqualitas justitiæ per peccatum violatæ.*

Bellarminus lib. 1. de pœnitent. cap. 7. §. Adhæc &c. *Culpa est causa pœnæ, cum ex culpa nascatur obligatio ad pœnam.*

lib. de Laicis, cap. 11. §. Sexto probatur &c. *Culpa & pœna relativa sunt; & B. Augustinus dicit lib. 1. Retract. cap. 9. Omnis pœna, si justa est, pœna peccati est.*

(Ubi ergo plenaria & perfecta remissio culpæ locum habet, ibi omnis pœna propriè dicta est sublata; quinimo culpæ remissio nihil aliud est, quàm pœnæ relaxatio & condonatio. Sed quid opus est, per consequentias ex hypothesibus adversariorũ deductas hoc confirmatum dare, cum ipsimet hoc fateantur?)

Toletus Cardin. lib. 6. Inst. cap. 22. pag. 526. *Peccatum non integrè remittitur, nisi cum & pœna aufertur.*

Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 4. §. 4. *Perfecta peccati remissio complectitur remissionem culpæ & pœnæ.*

lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 20. §. 6. *Tunc peccatum perfectè remissum censetur, cum non solum culpa, sed etiam omnis pœna fuerit remissa.*

(Aut ergo perfecta peccati in hac vita remissio, aut purgatorium post hanc vitam erit negandum. Utraque simul stare non possunt.)

Schoppius in Apolog. cap. 57. f. 82. *in regeneratione propter Christi sanguinem omnem culpam & pœnam etiam temporalem* remitti asserit.

(Ergo omnes regenerati, qua tales, ab omni pœna etiam temporali sunt immunes, & per consequ. non veniunt in purgatorium.)

Huc referri etiam potest, quod peccatorum remissionem definiunt per totalem eorum deletionem & extinctionem.

(At si peccata in remissione penitus delentur & extinguuntur, utique nihil pœnæ propriè sic dictæ pro illis persolvendum restat.)

Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 13. §. Quartum caput &c. *Scripturà comparat mundationem justificationis rebus verè & propriè mundis. Psal. 50. Lavabis me & super nivem dealbabor. Esai. 1. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur. At certè cum radius Solaris dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat tenebrarum, sed cœlum verè serenum appareat.*

Idem lib. 2. de Justificat. cap. 2. §. Quod si &c. *Homo per justitiam sibi à Sole justitiæ donatam atque infusam desinit esse injustus, delente videlicet lumine gratiæ tenebras peccatorum, & incipit esse justus, succedente nimirum tenebris peccatorum ipsa justitiæ luce.*

lib. ejusd. cap. 13. §. 3. *Remissio peccati est ipsius iniquitatis & maculæ in animo residentis per infusionẽ gratiæ & justitiæ, mundatio.*

(Quod si ergo in piis Deo in hac vita reconciliatis & justificatis peccatum penitus deletur, quod in illis remanet adhuc in purgatorio mundandum, abluendum, expurgandum? Sic igitur concludimus: Qui in purgatorium à Pontificiis ablegantur, aut sunt Deo reconciliati & justificati, aut non sunt Deo reconciliati & justificati. Posterius dici nequit, quia qui Deo reconciliati non sunt, non moriuntur in statu gratiæ, sed in infernum præcipitantur. Si prius, nihil in illis expurgandum restat, cum per infusam gratiæ lucem omnes peccatorum tenebræ penitus sint discusse ac fugatæ.

7. Quod agnoscunt, homines non posse pro peccatis suis satisfacere.

(Ergo nec pro pœnis peccatorum satisfacere possunt, quia ut remissio peccati est relaxatio pœnæ, ita satisfactio pro pœna peccati est satisfactio pro ipso peccato. Negata autem satisfactione propria pro peccatis & peccatorum pœnis tolli purgatorium, agnoscit ipse Bellarminus sic scribens lib. 1. de Purgator. cap. 2. *Fundamentum omnium Lutheranorum est, quia tollunt satisfactionem &c. Isto enim fundamento posito, necessariò sequitur, nullum esse purgatorium.*)

Bernhardus serm. 38. in Cant. *Peccata tua maxima sunt & nimirum multa. Nequaquam pro tot ac tantis, nec si te excories, sufficis satisfacere.*

Idem in tract. de pass. Domini cap. 30. col. 1635. *Quid poteris largitori tuo dignè rependere? Dedit te tibi, quando te creavit, ut esses; reddidit te tibi, cum recreavit, ut bene esses; dedit in viaticum tibi, ne deficias in via, corpus & sanguinem suum, se verum Deum & hominem verum. Et tu quid rependes si pro eo, quod dedit te tibi, quando creavit te, vicem nequis rependere, quid denique pro eo rependes, quòd se tibi dedit? Certè si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei?*

Plura hujus generis adducentur in articulo de pœnitentia.

8. Quod agnoscunt, animas piorum post mortem rectà in cœlum ferri.

(Ex quo spõte sequitur, eos nõ detrudi prius in purgatoriũ.)

Clemens Romanus lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 47. in orat. ad Deum loquens de piorum animabus à corpore separatis. *Omnium animæ apud te vivunt, & justorum Spiritus in manu tua sunt, quos non attingit tormentum: Omnes enim sanctificati sub manu tua sunt.*

Anastasius ejus nominis primus, Episcopus Romanus Epist. 2. *Indecens est de illis tædio afflictionis addici, quos credendum est ad veram moriendo vitam pervenire.*

Johannes IX. alias IIX. dictus tom. 3. Conciliorum part. 2. fol. 953. Epistol. 144. ad quosdam Episcopos sic scribit: *Quia fraternitas vestra modesta interrogatione sciscitans quæsivit, utrũ hi, qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ & pro statu Christianæ religionis ac Reipubl. in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea re casuri sunt, indulgentiam possint consequi delictorum? audenter Christi Dei nostri pietate respondemus, quoniam illi, qui cum pietate Catholicæ religionis in bello cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet, contra paganos atque infideles dimicantes, eo quòd Dominus per Prophetam dignatus est dicere: Peccator quacunque hora conversus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius, & venerabilis ille latro in una confessionis voce de cruce meruit Paradisum.*

Nota 1. Indulgentiam esse remissionem pecatorum & obtineri à Deo ex opere operantis sine ulla ullius thesauri applicatione. 2. Requiem vitæ æternæ statim à morte suscipere piè defunctos. 3. Deum illa ipsa conversionis hora oblivisci peccatorum. Ergo non datur Purgatorium, in quo delictorum memoria viget, donec extremus quadrans sit persolutus.)

Innocentius IV. in Decretalib. Gregorii lib. 3. tit. 42. cap. 4. Metensi Episcopo de Judæo in mortis articulo ad Christum converso scribit: *Si talis continuò decessisset, ad patriam* (nempe antequam baptizari ab aliquo legitimè potuisset) *protinus evolasset propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.*

Tho-

Thomas in 2. Corinth. 5. *Pro certo habemus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis, id est, corpus dissolvatur, id est, corrumpatur per mortẽ, habemus statim non in spe, sed in re meliorem domum seu ædificationem, domũ non factam, id est, gloriam cœlestem.*

Peltanus de Purgat. cap. 11. pag. 380. dictum Apostoli 2. Cor. 5. v. 1. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvitur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis,* exponit *de continua & immediata occupatione cœli post mortem, si non vulgares justi, sed perfecti justi intelligantur.*

(At si illi vi præsentis dicti continuò post mortem ingrediuntur cœlum, cur non idem de aliis quoque justis erit dicendum, cum omnes ratione justitiæ inhærentis imperfectè, ratione justitiæ Christi per fidem imputatæ sint perfectè justi?)

Benedictus Justinianus in Comment. Philipp. 1. scribit, *quod non verè pro lucro sit habenda mors, nisi statim justorum animi, omnique prorsus labe peccati expiati ad immortalem Dei conspectum evehantur.*

Bellarminus lib. 1. de Beatitud. Sanct. c. 3. test. 6. cum allegasset dictum Apostoli, *Cupio dissolvi & esse cum Christo,* subjicit: *At si animæ servantur in aliquo loco extra cœlum, frustra hoc desiderabat Paulus, Christus enim in cœlis est.*

Förnerus im außgezogenem Goliaths-Schwert artic. 12. cap. 6. pag. 614. Wir Catholische bekennen eben das/daß alle/die *in fide formata*, in wahrer Lieb/ und werckreichen Glauben abdrucken/das ewige Leben alsbald nach ihrem Todt haben.

Jam vero omnes verè credentes ac pii *fide formata*, hoc est, viva & per caritatem efficaci præditi sunt. Ergo nulli verè credentes & pii veniunt in purgatorium.)

9. Quod agnoscunt, duo tantum dari animarum post hanc vitam receptacula.

(Ergo non datur tertius locus, videl. purgatorium.)

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus in Epistola ad Hadubrandum. *Nusquam omnes boni* (defuncti,) *nisi in cœlo: nusquam omnes mali, nisi in inferno.*

Bernhardus in sentent. moralibus cap. 9. *Tria sunt loca, Cœlum, terra, infernus, & habent singuli habitatores suos; cœlum solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos.*

Huc pertinet, quod omnes Pontificii communi suffragio docent, *in extremo judicio purgatorium habiturum finem, ac duo tantum fore receptacula æterna, videlicet cœlum & infernum.*

(Quod si enim post extremum judicium nullus erit purgatorius ignis, utique etiam ante illud non erit. Ratio connexionis potest dari duplex, Prior à *justitia Dei*, quæ non permittit, ut multa hominum millia paulo ante novissimum diem defunctorum citissimè ex purgatorio dimittantur, ac multa millia hominum, quos dies novissimus deprehendet vivos, in purgatorium non demittantur, cum iisdem peccatis fuerint polluti, quibus illi, qui ex pypothesi Pontificia per centum ac plures annos in purgatorio desudarunt. Posterior *ex vi & efficacia meriti Christi.* Si enim Christi meritum in piis paulo ante novissimum diem defunctis, vel etiam à die novissimo deprehensis adhuc vivis tantæ est efficaciæ, ut vi illius meriti vel non descendant in purgatorium, vel citissimè ex eo liberentur, utique eandem vim obtinebit in illis, qui diu ante novissimum diem in vera fide Christi meritum amplectente moriuntur, cum unius ejusdemque perpetuo sit efficaciæ, Actor. 4. vers. 12. capite 10. vers. 43. cap. 13. vers. 38. cap. 15. vers. 11. Hebr. 13. v. 8. Apo. 13. v. 8.)

Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 12. resp. ad 5. *In extremo judicio, de quo agitur Matth. 25. rectè duo tantum fiunt ordines, quia tunc purgatorium finem accipiet, ac deinceps duo tantum loca remanebunt, Paradisus & Gehenna.*

10. Quod agnoscunt, conversum latronem absque purgatorii interventu statim in Paradisum fuisse translatum.

(Certe si quis alius purgatione aliqua post mortem ante Paradisi ingressum indigeret, hic latro vel maximè ea indigere videbatur, nullius enim boni operis, nedum plenariæ satisfactionis pro peccatis à se præstitæ sibi conscius erat. Atqui Christus non ablegavit eum in purgatorium, ut per illud sordes peccati prius expurgarentur, sed rectà in Paradisum ipsum introduxit. Nec ullæ hic intervenerunt *vigiliæ*, nullæ *Missæ*, nulla *septendialia, trigesimalia, anniversaria*, sed fides gratuitæ Christi promissioni adhærens in Paradisum cœlestem ipsum transtulit.)

Clemens Romanus lib. 5. Constitut. cap. 16. *Christus concessa illi rerum præteritarum oblivione in Paradisum eum introduxit, ad fruendum mysticorum bonorum suavitate.*

Petrus Michaël in Catech. Colon. Ann. 89. impresso pag. 180. format quæstionem. *Num animæ piorum à corporibus separatæ statim cœlestium illorum bonorum participes reddantur, num vero diem extremum prius expectare cogantur?* Respondet autem hoc modo: *Beatitudinis statim à morte participes redduntur, ut colligitur ex latronis conversi exemplo, cui Christus illo ipso statim die Paradisum promittit.*

Suarez in Thomam p. 3. tom. 2. q. 46. art. 11. *Augustinus hunc sanctum latronem Martyrem facit, tantumque apud Deum valuit, inquit Cyprianus, quòd confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Christo crucifixus.*

(Jam vero *docet Catholica Ecclesia Martyres absque ullo per ignem transitu ad æternam vitam pervenire*, ut scribit Salmeron in Comment. 1. Cor. 3. Disp. 6. §. 3.)

Barradius tom. 4. Concord. Evang. lib. 7. cap. 15. p. 354. *Remunerat Dominus latronis confessionem, Paradisum pollicetur, & eadem, qua pollicetur, die donat. Non in multos, ait, annos aut menses, aut dies differam præmium confessionis hujus. Hodie hac ipsa die Paradisum tibi donabo. Hodie mecum eris in Paradiso, qui mecum es in cruce; socius crucis, socius eris Paradisi.*

Förnerus im außgezogenem Goliaths-Schwert artic. 11. cap. 10. p. 619. Etliche/so vollkommen im Leben ihre Schulden zuvil abgezahlt und sich des Fegfeuers wenigst nicht zu besorgen/scheiden mit vollkomner Buß von hinnen/und kommen alsbald/wie dem Schecher begegnet/ohne fernern Auffschub zu Christo/welcher durch ein so fürtrefflich Bekäntnis Christi des HErrn/wie auch wegen erlittener Qual und Pein vollkömlich gebüsset und den heiligen Märtyrern fast ähnlich abgedrücket. Darumb von GOtt wirdig geachtet worden/Christi des gecreutzigten Sohns Gottes holdseelige liebliche Stimme am Holtze des Creutzes anzuhören/*Hodie mecum eris in Paradiso.*

Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 12. resp ad 6. concedit, *latronem non venisse in purgatorium*, respõdet enim, *mortem illam durissimam patientissimo animo toleratam, & confessionem tam admirandam eo tempore, quo Christum Apostoli ipsi negabant, potuisse justè in plenam satisfactionem reputari.* Item, *privilegia paucorum non facere legem.*

Præterea, quibus argumentis Bellarminus lib. 1. de Beatit. Sanctor. cap. 3. circa 4. testimonium refellit expositionem eorum, qui dicunt, *latroni promissum fuisse Paradisum, sed dandum post resurrectionẽ, dixisse autem Christum, hodie mecum eris in Paradiso, propter rei futuræ certitudinem, quomodo Prophetæ sæpè exprimunt res futuras per tempus præsens, aut præteritum*; iisdem etiam refellere possumus expositionem eorum, qui putant, *animam latronis prius deductam in purgatorium*, postea demum *emigrasse in* cœlum. *Non oportet* (inquit) *recurrere ad figuras & relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur; tum etiam, quia ista non sunt verba Prophetica, ut oportuerit ea velari obscuritate, sed continent simplicem promissionem, & proinde simpliciter intelligenda sunt.*

Becanus in Append. Disp. de Purgat. Calvin. p. 109. verborum Christi, *Hodie mecum eris in Paradiso*, hanc affert paraphrasin. *Non differam istud beneficium, quod à me petis, in futurum tempus, sed jam tibi omnia peccata condono & promitto, quod hoc ipso die futurus sis mecum in statu beatitudinis.*

11. Quod agnoscunt, in hac duntaxat vita locum esse pœnitentiæ, post hanc vitam nec satisfactioni, nec redemtioni locum dari.

(Ergo etiam non datur purgatorium in quo pro *peccatis venialibus & pœnis temporalibus* satisfaciendum.)

Siricius Episcopus Romanus purgatorium seu purificatorium ignẽ posuit in contritione cordis & pœnitentia, quæ in hac vita jussu Ecclesiæ fiat. tom. 1. Concil fol. 530. Epist. 1. scribit ad Himerium Tarraconensem: *Si apostatæ resipiscentes fortè aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quamdiu vivunt, agenda pœnitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda.*

ibid. *Impudicas Monachas detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumq; Conventib. eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.*

Leo I. Epist. 91. tom. 1. Concil. f. 953. *Si quis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunq; interceptus obstaculo à munere Indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat,*

niat, temporalem vitam humana conditione finierit, quòd manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est, nos eorum, qui sic obierint, merita actusq́; discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quòd quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat: multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.

(Negat Leo cassum munere Indulgentiæ præsentis post temporalem vitam aliam consequi posse.

Gregorius lib. 8. moralium c. 8. *Dum tempus vitæ præsentis abscinditur, ad operationem promerendæ veniæ ulterius non reditur.*

Ibid. *Exutam carne animam nequaquam jam visus hominis, id est, misericordia Redemtoris aspicit, quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat.*

ibid. *Quem nequaquam modò misericordia eripit, sola post præsens seculum justitia addicit.*

Bernardus serm. ad Cler. cap. 5. *Post mortem pœnitentia agi non poterit. Sanè ubi nulla fuerit actio, nec satisfactio quidem ulla poterit inveniri.*

c. Quibus peccata. caus. 13 q. 2. *Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adjuvari non possunt.*

c. In præsenti. caus. & quæst. iisd. ex Hieron. *In præsenti seculo scimus sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari. Dum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam sed unumquemq́; onus suum portare.*

(Glossa quidem dicit, *hoc esse accipiendum de impœnitentibus*, sicut etiam in rubrica capituli dicitur, *post mortẽ orationes viventium mortuis damnatis non prosunt.* Sed locus Gal. 6. v. 5. quem Hieronymus tractat, non loquitur de solis damnatis, sed de omnibus hominibus, ut totus contextus docet.)

Glossa Ordin. in 1. Joh. 5. *Peccatum, quod in hac vita non corrigitur, frustra post mortem ejus venia postulatur.*

Discipulus de temp. serm. 103. meminit cujusdam filii, qui mortui parentis promissis noluit satisfacere: *Cum enim Sacrificuli parentem in agone mortis constitutum blandimentis & promissionibus liberandi e purgatorio, eò usq́; adegissent, ut multa post mortem Monachis & Sacrificulis eroganda præcepisset, eoque mortuo Monachi promissa urgerent, filius respondit, ex inferno nullæ deprecationes, nulla etiam opera vel merita damnatum hominem liberare possunt. Qui verò in cœlis vitam beatam degit, is nullis porrò precibus vel meritis indiget. Cum ergò preces vestræ patri meo defuncto nihil commodare possint, nihil etiam de bonis meis elargiar.*

Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæres. verbo Baptismus, hæres. 3. *Post mortem non est tempus nec benè, nec malè operandi. Vita hæc nobis à Deo conceditur, in qua laboremus, qua finita juxta id, quod quisq́; in vita gesserit, præmiabitur. Sic n. Sapiens ait: Ad quamcunq́; partem lignum ceciderit, sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi manebit. Ligni nomine hominem designavit, qui tunc cadit, cum moritur Cadit a. ad Austrum, qui ventus est calidus & humidus, cum homo in gratia decedit. Illo n. vento flante, aqua, per quam gratia designatur, descendit. Rursum ille ad Aquilonem cadere dicitur, qui in peccato moritur, quod per Aquilonem meritò præfiguratur, quoniam ventus ille frigidus est & pluvias dissipat. Et idem expressius iterum ait: Viventes n. sciunt, se esse morituros: mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum; amor quoque & odium & invidia simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo & in opere, quod sub Sole geritur. Si ergo non habent ultra mercedem, nec partem in opere, quod sub Sole geritur, qualiter mortuo poterit prodesse Baptismus, qui confertur vivo in demortui locum submissos*(Idem de suffragiis vivorum pro defunctis in purgatorio dici potest.)

12. Quod agnoscunt, qualis unusquisque in morte corporali à Christo invenitur, talem quoque ab eodem judicatum iri.

(Ergo à quibus peccatis non est liberatus ac mundatus in morte, ea secum afferet ad judicium, & per consequens non datur purgatorium, in quo eadem abluantur.)

Gregorius lib. 4. Dial. cap. 39. *In Evangelio dicit Dominus, Ambulate, dum lucem habetis. Per Prophetam quoque ait, tempore accepto exaudivi te, in die salutis adjuvi te. Quod Paulus Apostolus exponens dicit, Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Salomon quoque ait: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quò tu properas. David quoque ait, quoniam in seculum misericordia ejus. Ex quibus nimirum sententiis constat, quia qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur.*

lib. 8. moralium cap. 8. *Cum humani casus tempore sive sanctus, sive malignus Spiritus egredientem animam claustris carnis acceperit, in æternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis ultra ad remedium ereptionis ascendat.*

Idem Homil. Dominic. II. post Pentecost. Luc. 16. *Nec injusti ergò ad beatorum sortem transeunt,* (post mortem) *quia damnatione perpetua constringuntur, nec justi ad reprobos transire possunt, quia electi jam per justitiam judicii eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur.*

Thomas in Comment. 1. Tim. 6. lect. 2. *Qualis inveneris in illa* (hora mortis,) *talis inveneris tunc* (in die judicii Universalis.)

Bellarminus de quatuor novissimis Conc. 1. de morte, §. Ut igitur &c. scribit, *hominem moribundum pro comperto habere, post duas horas vel in æternis gaudiis, vel in æternis suppliciis se futurum.* (Hac ipsa assertione purgatorii supplicia & universa pro mortuis suffragia tolluntur.) Addit quidem ibidem, *illos, qui in purgatorio degunt, inter beatos ac felices numerari.* Sed quis inter beatos ac felices adeoq; in gaudiis æternis degentes numeret illos, qui atrocissimis suppliciis, sola duratione ab inferni suppliciis distantibus, in purgatorio torquentur?

Bellarm. lib. 2. de purgat. cap. 17. §. 1. Pœnas purgatorii dicit esse *atrocissimas & cum illis nullas hujus vitæ pœnas esse comparandas.*

Gregorius de Valent. tom. 4. Disput. 11. q. 1. punct. 3. §. Quarta &c. dicit, *eas esse ita graves & acerbas, ut longè superent omnes pœnas, quæ tolerari possent in hac vita.*

Ibid. §. Puniuntur &c. *Animas in purgatorio puniri per illum ignem ad eum modum, quo animæ damnatorum cruciantur ab igne in inferno.*

13. Quod statuunt, per Indulgentias Papales obtingere homini plenariam relaxationem à pœnis peccatorum, pro quibus vel in hac vita, vel in purgatorio erat satisfaciendum.

(Atqui si per Indulgentias liberantur homines ab omni reatu pœnæ coram Deo, cur post acceptas & magno ære redemtas Indulgentias adhuc in purgatorium relegantur?

In Antidotario animæ dicuntur à Johanne XXII. Pontif. Rom. concessa *decem millia dierum Indulgentiæ, orationem, Salva sancta facies nostri Redemtoris &c. devotè coram Veronicæ linteo recitantibus.*

In Horis B. Mariæ Virginis ad usum Sarisbur. paulo minus quàm *annorum undecies mille millium indulgentia pro recitatione certarum precularum offertur.*

Bellarmin. lib. 1. de Indulgent. cap. 7. propos. 4. *Indulgentiæ liberant homines à reatu pœnæ, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.*

Et postea. *Et populi, qui suscipiunt Indulgentias, & Pontifices, qui eas tribuunt, ejus sententiæ se esse testantur, ut Indulgentiæ potissimum prosint ad pœnam purgatorii expiandum.*

Ibid. *Per injunctas pœnitentias satisfit Deo, ac per hoc Indulgentiæ, quæ ab ejusmodi pœnitentiis absolvunt, expiant pœnæ temporalis reatum, etiam coram Deo.*

14. Quod statuunt, Papæ jurisdictionem esse illimitatam & extendere se in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio æstuantibus Indulgentias per modum absolutionis communicare possit.

(Quod si enim Pontifex talem absolutam ac liberam potestatem habet animas è purgatorio liberandi, profectò admodum durum, avarum ac Tyrannicum esse oportet sanctissimum illum Patrem, quod miseras animas ex flagrante illo purgatorii igne, qui sola duratione ab infernali distare dicitur, non statim liberat, sed propter pecunias sibi in Jubilæo numerandas in eo torqueri & ustulari sinit.)

Godscalcus Holem Domin. II. post Pascha serm. 2.

Bonaventura lib. 4. sentent. dist. 20. q. 5. talem *illimitatam jurisdictionem* in purgatorium se extendentem, qualẽ jam descripsimus, Pontific. tribuunt, unde etiam Theodoricus Morung, Canonicus Herbipolensis, Bambergensis & Eychstetensis Ann. 189. *pro hæretico declaratus est*, quod hoc concedere noluerit. Vide Appendic. Fasciculi temporum à Johanne Pistorio editum Francofurt. Ann. 1584.

Angelus de Clavisio in Summa. *Animæ existentes in purgatorio sunt de jurisdictione Papæ, & Papa, si vellet, posset totum purgatorium evacuere.*

Francisc. Middens. in Elucidat. Cathol. verit. *Pontifex omnes è purgatorio liberare posset.*

Idipsum etiam quosdam ex Jesuitis statuere, apparet ex Disputatione Anno 1600. de Indulgentiis Ingolstad. habita, quam

Petrus

Petrus Stevartius in Censura vocat *elegantem, doctam & orthodoxæ veritati consentaneam*, in cujus thesi 52. sic disseritur: *Etsi probabilis est sententia, restrictam esse Episcoporum potestatem, ad concedendas defunctis Indulgentias, æquè tamen probabilis, si non probabilior est eorum, qui id negant. Credibile enim est, Pontificem summa sua potestate utentem, tot tantasq; Indulgentias largiri defunctis posse, ut evacuato purgatorio omnes animæ ad cœlum subvolent.*

Idem statuit Michael Medina Disp. 7. c. 34. & Disp. 8. c. 41. de Indulgentiis.

15. Quòd statuũt, in purgatorio nõ esse amplius merito locũ. (Ergò nec *satisfactioni* in purgatorio locus erit, cum eadem sint requisita *meriti ac satisfactionis*, & omnis satisfactio sit meritoria.)

Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses, verbo Purgatoriũ hæresi 2. *Hujus hæresis autor est Lutherus, docens animas in purgatorio adhuc mereri aut demereri. Hanc Lutheri insanam hæresin apertissime damnat Sapiens, qui in Ecclesiaste cap. 6. sic ait: Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Non enim dicit illa apud inferos absolutè non esse, quoniam sancti Patres tunc temporis apud inferos erant, in quibus tamen erat ratio & sapientia: sed ideo dicit, hæc apud inferos non esse, quia per illa jam juvari non possunt, ut mereri valeant.*

Idem probat ex aliis Scripturæ dictis Eccl. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Joh. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 2. *Animæ in purgatorio non possunt mereri.* Id quod multis Scripturæ dictis ibidem probat, & inter cætera urget locum Eccles. 9. *Quodcunq; potest agere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas. Non possumus*, inquit, *dicere, in alia vita nihil agi, aut sciri, cum Luc. 16. de epulone legamus, eum & vidiss. Lazarum in sinu Abrahæ; & primum per se, deinde pro fratribus opem Abrahæ implorasse, quare loquitur Salomon de opere meritorio, ut exponit Hieronymus.*

(Excipit quidem Bellarminus ad argumentum nostrum (In purgatorio non est locus merito. Ergo neq; satisfactioni) lib. 1. de Purgat. c. 14. resp ad 5. *quod plura requirantur ad meritum, quã ad satisfactionem, videl. libertas & status viæ.* Sed respondemus, omne opus *satisfactorium* esse etiam opus *meritorium*, ut constat ex obedientia Christi, quæ non solum est satisfactoria, sed etiam meritoria. Quocunq; enim opere Deo verè satisfit, eodẽ etiam meritũ aliquod, videl. liberatio à malo & donatio boni acquiritur. Unde Concil. Trid. sess. 6. Can. 32. hæc duo cõjungit, *quod renatorũ operibus nihil desit, quò minus legi divinæ plenè satisfecisse & vitam æternã verè promeruisse censeantur.* Diversitas loci non mutat ipsum boni operis effectum. Si opera & passiones hujus vitæ sunt non solum satisfactoriæ, sed etiam meritoriæ, utique etiam passiones in purgatorio tales erunt. Et vicissim, si passiones in purgatorio non sunt meritoriæ, ergo nec satisfactoriæ.)

16. Quod concedunt, animas in purgatorio non posse peccare, proinde nec pœnitentiam agere. Bellarm. lib. 1. de Purgator. c. 14. & lib. 2. de Purg. c. 2. in epigr.

(Ergo nec remissio culpæ venialis, nec satisfactio pro pœna locum habere possunt post hanc vitam.

Prius probamus hoc modo: Ejus est à culpa resurgere, cujus est in culpam incidere. Sed post hanc vitam non possunt animæ committere peccata venialia. Ergo &c. Præterea peccata omnia remittuntur per pœnitentiam. Sed post hanc vitam non datur locus pœnitentiæ. Ergo nec remissioni. Denique in hac vita sicut potest homo justus ex hypothesi Pontificiorum *mereri gratiæ argumentum*, ita etiam *remissionem venialium offensarum.* At post hanc vitam nullum datur meritum. Ergo nec remissio venialium offensarum.

Posterius probamus hoc modo: Pœna est propter culpam. Ergo remota culpa removetur pœna, & per conseq. satisfactio pro pœna post remissionem culpæ in hac vita non potest habere locum in purgatorio. Scholastici variè respondent.

Bellarminus, repudiatis aliorum sententiis, amplectitur opinionem Thomæ lib. 4. sent. dist. 21. q. 1. art. 2. *quod dimittantur in purgatorio culpæ veniales per actum dilectionis & patientiæ.* Excipit igitur, *axioma illud, quod ejus sit à culpa resurgere, cujus est in culpam incidere, habere duntaxat locum in peccatis mortalibus, posse enim animã in purgatorio liberari à veniali, quia habet media convenientia, i. e. actum dilectionis peccato contrarium; quod post hanc vitam non detur locus pœnitentiæ, id accipiendum esse tantum de peccatis mortalibus; animas purgatorii non esse omninò in via, nec omninò in termino, & ideò posse aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remissionem; pœnam pendere à culpa in fieri, non in esse.* Sed hæc omnia meras petitiones principii continent. Quod si n. peccatum mortale & veniale communi genere Logico participant, utique utrumque est vere & propriè dictum peccatum, ac proinde si in purgatorio nõ potest obtingere remissio peccati *mortalis*, ergò nec *venialis*; ac si in purgatorio non datur locus pœnitentiæ, ergò nec ullius peccati sive mortalis, sive venialis remissio ibi contingit, cum absque pœnitentia remissio peccati speranda non sit. Quod Bellarmin. regerit, *acceptationem pœnæ à Deo inflictæ esse virtualem quandam pœnitentiam & peccati remissoriam, cum procedat ex caritate*, id sine ullo Scripturæ suffragio asseritur, ac proinde eadẽ facilitate rejicitur, qua asseritur. Eodem loco habenda illa axiomata, *quod animæ purgatorii nec sint omninò in via, nec in termino*, quasi verò inter viam & terminum sit aliquid intermedium; & *quòd pœna pendeat à culpa in fieri, non in esse*; quasi verò non sit perpetua relatio inter culpam & pœnam, ut culpæ reatu abolito pœna propriè dicta meritò etiam abolita censeatur.)

17. Quòd purgatorii dogma laboret perpetuis contradictionibus. (Illæ enim contradictiones magnum falsitatis argumentum exhibent, cum verum vero semper consonet, falsum verò & cum veritate & secum ipso pugnet.)

Dissentiunt enim Pontificii & contradictoria proferunt.

1. *In nomine purgatorii.*

Purgatorium in lingua Germanica communiter vocant das Fegfewer/ ac communis est opinio, *instrumentum illud, quo animæ post hanc vitam à sordibus peccati expurgantur, esse ignem & quidem Elementarem.*

At si res ita habet, cur Johan. Fischerus Episc. Roffensis & alii pro stabiliendo purgatorio adducunt locum Psalm. 66. v. 11. *Transivimus per aquam & ignem?*

Cur Peltanus de Purg. c. 7. p. 317. ad purgatorium applicat locum Jobi 24. v. 19. *A nimio calore transeunt ad aquas nivium?* (quem Paludanus lib. 4. sent. dist 21. tantum de pœnis damnatorum agere agnoscit.)

Cur Gregorius lib. 4. Dialogor. c. 40. & 55. refert, *animam Paschasii & cujusdam alterius in balneis quibusdam purgatas?*

Eccur approbant revelationem descriptã à Beda lib. 5. Hist. c. 13. *Devenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad levam nobis sita, unum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore nivium omnia perflante atque verrente non minus intolerabile præferebat. Utrumque autem erat animabus hominum plenum quæ vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu jactari.*

Confer Bellarm. lib. 2. de gemitu columbæ c. 9. ubi hanc Historiam non dubitat esse verissimam, cum sit consentanea Scripturæ dicenti Job. 24. v. 19. *Ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium.*

Ibid. Bellarm. aliam refert visionem de quadam Christiana, *quæ post mortem ab Angelis in Paradisum delata, & à Deo optione accepta æternum apud eum manendi, an in terras redeundi, ut gravissimas pœnas perferret pro liberandis animabus purgatorii, elegit conditionem patiendi ea lege, ut multis meritis aucta rediret ad Deum. Illa verò postea ingrediebatur in ardentes clibanos, cruciabatur, horrendos edebat clamores, & tandem egrediebatur illæsa. Sub aquis Mosæ hyberno tempore, cum rigerent omnia gelu, sex & amplius diebus perdurabat, imo sub ipsa rota molatrina, ubi horrendum in modum circumacta membris omnibus manebat incolumis.* His ita recitatis exclamit Bellarminus: *Ecce habemus testes fideles, marem & fœminam, qui viderunt purgatorii acerbissima supplicia, ut plane inexcusabiles sint, qui ista non crederent!*

Cur Petrus Damianus in Epistola de miraculis sui temporis describit visionem *de purgatione animæ S. Severini in quodam flumine?*

Cur Bonaventura lib. 4. sent. dist. 20. disputat, *non solum ignem, sed etiam aquam, imo umbram esse in purgatorio, & ea quasdam animas purgari?*

Cur in aurea Legenda memoratur, *Theobaldum Episcopum animam in frusto quodam glaciei ante pedes jacentis cruciatam animadvertisse, & eam se alloquentem audivisse?*

Cur ibidem in vita Conradi & Udalrici memoratur, *alios in avibus, quæ in aquarum vortice crebro immergebantur, animas duas conclusas esse intellexisse & eas Missis liberasse?*

Cur

Cur in Speculo exemplorum dist. 3. exemplo 3. refertur, *Presbyterum quendam vidisse in ecstasi animam quandam pauperculam in stillicidio domus novem annos ventis, pluviis & algoribus vexatam?*

Cur Dionysius Carthusianus in Dial. de judic. anim. post hanc vitam art. 24. ex visionibus Tundali militis & Monachi Anglicani credidit in purgatorio infinitas tormentorum species? *Hi*, inquit, *ad ignem torrebantur, hi in sartagine frigebantur, hos ignei ungues usque ad ossa & solutionem compagum radendo sulcabant, alios balnea confecta ex pice & sulphure, ære & plumbo resolutis, calore cum fœtore excoquebant horrendo, alios vermes monstrosi cum dentibus venenosis rodebant. Item, post hæc venimus in alium tormentorum locum, videlicet ad tenebrosissimam ac profundissimam vallem, in qua erat teterrimus fluvius nebulam ineffabilis fœtoris exhalans, rogus quoque usq; ad cœlum succensus. Tanta etiam immanitas frigoris, sævientibus procellis nivis & grandinis, ut putarem, me nihil pœnalius illo conspexisse algore. Tanta fuit ibi multitudo animarum, ut solent alvearia apũ multitudine abundare. animabus illis fuit hoc generale supplicium, quòd nunc in amnem fœtidum, nunc inde erumpentes ignibus immergebantur.*

2. In *probandi principio*, ex quo purgatorii dogma stabiliendum, & quidem multis modis.

Primò quidam agnoscunt, purgatorium non posse ex Scriptura probari, vel certè non extare de eo evidentia, expressa & perspicua in Scripturis testimonia, quorum verba adduximus superiùs membro 1.

Sed reliqui Scriptores Pontificii magno conatu varia Scripturæ testimonia conquirunt, ac Synodus Tridentina sess. 25. *Ecclesiam sacris literis edoctam purgatorium statuere* asserit.

Viguerius in Inst. cap. 16. §. 4. v. 28. *Purgatorium esse, firmiter credendũ est, quam hoc sacræ literæ pluribus locis manifestant.*

Peltanus cap. 6. de purgatorio p. 239. *Purgatorium non est novum & vanum Monachorum commentum, ut novis illis Magistris, vanisq; Sectarum Ducibus vanissimè nugari libet, sed verissimum & indubitatissimum sacratissimæ fidei nostræ decretum; non ex Universalis Ecclesiæ definitione solenniq; ac constanti ejusdem professione, nec non unanimi sanctorum Patrum doctrina solùm manifestum, sed in ipsa quoq; divina ac Canonica Scriptura non uno in loco expressè traditum. Asserimus, hoc fidei dogma non quovis modo in sacris literis traditum extare, sed expressè. Siquidem non omnia, quæ in Ecclesia Dei creduntur, prædicantur, eâdem luce & evidentiâ in Scripturis traduntur, vel explicantur: sed alia majori, alia minori.*

P. 241. dicit, *hoc dogma in iis traditum esse clarè & evidenter.*

Martinus Eisengrein in der dritten Leichpredigt fol. 38. b. Wenn ich dir das Fegfeur nicht beweise aus heiliger Schrifft/ so wil ich verlohren haben.

Secundò, quidam fatentur, *unicum duntaxat locum*, nempe 2. Macc. 12. in V. Test. *extare, qui apertè doceat purgatoriũ*, quorum dicta itidem superiùs membro primo §. 2. adduximus.

Alii contrà, non unum duntaxat, sed *multa illustria testimonia V. T. pro purgatorio stabiliendo adduci posse*, asserunt.

Fevardentius in sua Theomachia ex singulis libris Biblicis purgatorium demonstrare conatus est.

Tertiò, quidam pro astruendo purgatorio pauca tantùm, quidam verò multa Scipturarum testimonia proferunt.

Sylvester Delaval Capucinus justarum magnitudinum Ecclesiæ Romanæ lib. 4. cap. 13. gloriatur, *se quadraginta locos Scripturæ enumerare posse, quà claros, quà obscuros, idq; absque ulla hyperbole & Deo teste, quanquam ex tanto numero sex tantùm in medium proferat.*

Lancellottus in hæretico Quare pag. 400. non nisi *tria testimonia* allegat, videl. 2. Maccab. 12. Matth. 12. 1. Cor. 3.

Peltanus cap. 6. de purgatorio p. 281. *tria tantùm* pro illustribus & evidentibus testimoniis habet, videl. Matth. 12. 1. Cor. 3. Phil. 2.

Becanus lib. 1. Manualis cap. 8. p. 147. *quatuor loca* adducit, videl. Matth. 12. Lucæ 23. 1. Cor. 3. & 1. Cor. 15.

(Id verò ideò ab ipsis factum videtur, quia reliqua Scripturæ testimonia, quæ ab aliis magno numero allegantur, pro inefficacibus ad probandum habuerunt.)

Gregorius de Valent. in lib. de purgat. itidem *quatuor duntaxat testimonia* Scripturæ pro astruendo purgatorio adducit, videl. 2. Macc. 12. 1. Cor. 3. Matthæi 12. & 1. Joh. 5.

Quartò, quidam fatentur, primitivæ Eclesiæ Doctoribus ignotum fuisse purgatorium, quorum dicta citavimus superiùs membro 2.

Sed plerique Scriptores Pontificii ex omnibus ferè Patribus Græcis & Latinis per singula secula pro astruendo purgatorio testimonia anxiè conquirunt.

Bellarminus lib. 1. de purgatorio capiti 10. talem proposuit ὑπογραφήν. *Asseritur purgatorium testimoniis Patrum Græcorum & Latinorum.* Ubi ex Græcis Patribus producit *Clementem, Dionysium, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ephremum, Cyrillum, Eusebium, Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum, Theopylactum, & Damascenum*; ex Latinis *Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Paulinum Nolanum, Augustinum, Gregorium, Isidorum & Bernhardum.*

Wilhelmus Lindanus lib. 4. panopl. cap. 53. p. 314. *Veteres Patres concorditer uno ore statuunt purgatorium.*

Clingius lib. 4. Locor. Comm. cap. 59. pag. 453. *Sunt præterea hujus opinionis, quòd sit purgatoriũ vetustissimi Doctores, tum Græci, tum Latini, scil. Origenes, Chrysostomus, Dionysius, Hieronymus, Gregorius, Augustinus & Ambrosius.*

Quintò, quidam agnoscunt, purgatorium destitui veterum *Patrum Græcorum* suffragio, quorum dicta itidem adduximus superiùs membro 2.

Alii verò ad illorum etiam consensum provocant.

Salmeron disp. 25. in 1. Cor. 15. *omnes veteres Græcos Patres & agnovisse purgatorium, & scriptis suis luculentissimè prodidisse* asserit.

Peltanus cap. 9. de purgatorio p. 334. *Græcos, Græcisq; cognatos plurimos* allegat, *Dionysium Areopagitam, Abdiam Babylonium, Origenem, Athanasium, Eusebium Alexandrinum, Basilium, Chrysostomum, Damascenum, Theophylactum, Epiphanium, Eusebium Emissenum, Gregorium Nissenum, Ephrem, Cyrillum Hierosolymitanum, Theodoretum Cyri Episcopum, Germanum Episcopum Constantinopolitanum, Leontium Episcopum Neapoleos & Nicolaum Cabasilam.* Addit insuper causam, *cur ampliori numero Patres Græcos produxerit*, nempè, *quò impudentem quorundam Sectariorum vanitatem patefaceret. Nam cùm tot sint*, inquit pag. 341. *qui purgatorium prædicent, mentiri tamen audent, universam Græciam, omnesque ejusdem Scriptores, solo Chrysostomo excepto, purgatorium ignorare.*

Bellarminus lib. de purgatorio cap. 15. *Dicam, Ecclesiam Græcam nunquam dubitâsse de purgatorio, ut apparet ex Patribus citatis. Nam quòd Petrus Martyr dicit, in eo concilio,* (Florentino) *Patres diu restitisse, mendacium est, siquidem in prima sessione & rursum in ultima affirmant, se perpetuò purgatorium credidisse & orationem pro defunctis, sed solùm ambigere de qualitate pœnæ, an sit videlicet ignis, an aliquid aliud. Quod ergò de Græcis jactatur, quòd purgatorium negent, de particularibus hominibus intelligendum est.*

Quidam mediam viam eligunt, & Græcos cum Latinis in doctrina de purgatorio partim consentire, partim non consentire asserunt.

Maldonatus tom. 2. Disputat. de Sacramentis pag. 143. *Græci, ut colligitur ex concilio Florentino in proœmio, nunquam omninò negarunt purgatorium, sed tantùm dissentiebant à Latinis tribus de rebus. Prima, quòd purgatorium non existimarent esse ignem. Secunda, quòd non putarent, locum esse distinctum ab eo, in quo sunt damnati. Tertia, quòd existimarent, purgatorium futurum esse post resurrectionem, ut animæ simul cum corporibus purgarentur.*

Jodocus Ravenstein in Apolog. cap. 20. fol. 368. *Audi publicam Græcanicarum Ecclesiarum de purgatorio in Concilio Florentino ab Episcopis Græcis factam professionem. Ipsi, inquiunt, purgatorium non ignem, sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censemus, in quo quidem existentes animæ lumine divino privantur, donec adjuvante Ecclesiâ expientur ac liberentur. Sic ergò sentimus de purgatorio. Annon hic ingenuè & disertè profitentur Græci, post hanc vitam esse quasdam purgatorias pœnas, ac proinde purgatorium quendam locum, in quo pœnæ illæ luantur & exolvantur? quas pœnas & quem locum Catholici appellatione purgatorii intelligunt. Verum an hæ purgatoriæ pœnæ per ignem verum materialem inferantur, an per alium modum spiritualem DEO cognitum, id Græci negant, se certum habere.*

Gretserus in Disputat. de anim. recept. thes. 19. *Purgatorium duplices habet hostes hoc tempore, hæreticos & Græcos, quiq; Græcis addicti. Hæretici penitùs id inficiantur. Idem ex Græcis*

nonnulli faciunt, ut apparet ex Gennadio. Alii ex illis agnoscunt quidem expurgationem aliquam post mortem, si quis non omnis maculæ purus hinc decedat, sed non igne, nec per ignem. Nos, inquiunt Græci in Concilio Florentino, purgatorium non ignem, sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censemus, in quo quidem existentes animæ lumine divino priventur, donec, coadjuvante Ecclesiâ, expientur ac liberentur. Idem ferè habetur in Apologia Latinis à Græcorum conventu oblata.

(Cùm ergò ipsimet Pontificii de Græcorum sententia tam dissimiliter loquantur, quomodo possunt eos pro testibus consentientibus allegare? Quomodo etiam Græci cum Latinis in dogmate de purgatorio consentiunt, cùm omissis aliis dissensionibus Græci statuant, purgatorium futurum *post resurrectionem*, ut animæ simul cum corporibus puniantur; Pontificii vero non nisi animarum *ante resurrectionem* purgationem credant, & post factam resurrectionem ignem purgatorium extinctum iri statuant?)

Sextò, quidam purgatorium probant ex dicto Zachariæ 9. *Eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Salmeron Disput. 26. in 1. Cor. 15.

Bellarminus lib. 1. de purgatorio capite 3. loc. 9.

Alii verò illud probant ex Ps. 66. *Transivimus per aquam & ignem &c.* quin & ipse Bellarminus d. l. hoc dictum producit loc. 5.

(At hæc dicta non possunt simul ad purgatorium applicari. Si enim in purgatorio non est aqua, quomodo de animabus in purgatorio dici potest, quòd *per aquam & ignem* transeant?

Septimò, quæ Scripturæ dicta à quibusdam Pontificiis ad purgatorii ignem succendendum & alendum adhibentur, ea ab aliis de purgatorio agere negantur, ut ex sequentibus manifestum fiet.

Locum Apostolicum 1. Cor. 3. in quo præcipuum purgatorii fundamentum statuunt, Martinus Eisengrein conc. 4. funebri f. 57. habet *pro maximè claro & perspicuo*, sed Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 5. dicit, *eum esse unum ex difficilioribus totius Scripturæ locis.*

Quinimò unus idemque scriptor unum eundemque Scripturæ locum pro purgatorio asserendo alicubi adducit, quod tamen alibi ex eo probari posse negat.

Bellarminus lib. 1. de purgatorio cap. 14. *ex loco Hebr. 10. insigne argumentum pro purgatorio haberi* asserit.

Sed idem Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 17. resp. ad 5. argum. statuit, *Apostolum loqui non de quocunque peccato, sed de eo, qui peccat in spiritum sanctum, id est, qui voluntariè oppugnat cognitam & exploratam veritatem.*

(Quæ hypothesis *insigne illud argumentum*, quod pro purgatorio ex hoc loco peti posse Bellarminus vigilans somniavit, penitùs evertit. Nam peccantibus in Spiritum sanctum nulla in purgatorio medicina expectanda.)

Sic Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 3. de loco Zach. 9. scribit. *Etsi hunc locum passim pro liberatione Patrum ex limbo adducunt, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio,* quam expositionem duobus probat argumentis.

Sed idem Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 11. *limbum* ex hoc dicto Prophetico fulcire conatur, cùm tamen *limbus ac purgatorium* sint distincti sinus inferni.

Octavò, quando ex Patribus purgatorium confirmare cupiunt, talia producunt dicta, quæ desumta sunt ex illis Patribus & illis Patrum libris, quos alibi ipsimet repudiant, ut constare potest ex illis, Patrum libris, quos alibi ipsimet repudiant, ut constare potest ex illis, quæ dicta sunt, lib. 1. part. 2. cap. 13.

3. In assignanda præparati purgatorii *causâ*.

Quidam statuunt, purgatorium esse præparatum propter peccata venialia, ut ab illis animæ abluantur & purgentur.

Alii verò hoc ipsum negant. Alexander Alensis negat, *ullum peccatum veniale quoad offensam in purgatorio remitti*, ut patet ex Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 87. art. 1. dub. 2. *cùm omnia peccata venialia animæ in fine vitæ remittantur, si sit in Dei gratia.*

Maldonatus hanc dissensionem non negat. Sic enim scribit tom. 2. Disputat. de Sacrament. p. 174. *Non credo verum esse, quod dicunt aliqui, purgatorium esse factum à Deo propter peccata venialia. Nam cùm Theologi doceant, quolibet bono affectu & qualibet affectione caritatis remitti peccatum veniale, quid opus fuisset ad remittenda peccata venialia facere purgatorium?*

4. In doctrina *de receptione purgatorii* in Ecclesiam.

Joh. Fischer. art. 18. contra Luther. col. 496. statuit, *articulum de purgatorio in N. T. serò cognitum & receptũ fuisse ab Ecclesia.*

Verba ejus adducta sunt superiùs membro 2.

Sed hanc sententiam alii ex professo refellunt.

Maldonatus tom. 2. Disputat. de Sacram. p. 195. *Videntur mihi esse reprehendendi, qui dicunt, Indulgentias natas esse atq; crevisse cum opinione de purgatorio. Nam purgatorium semper creditum est, etiam inter Judæos: Indulgentiæ verò apud illos non fuerunt, nisi impropriè.*

p. 144. *Ecclesia Catholica de purgatorio nunquam dubitavit.*

Rutlandus in Loc. Comm. tit. 12. pag. 501. *Liquet, etiam ante Maccabæorum tempora fidem purgatorii fuisse receptam.*

p. 314. *Ecclesia Catholica semper credidit purgatorium à temporibus Apostolorum.*

p. 351. *Ex quibus colligitur, & purgatorium ab Ecclesia semper creditum fuisse, & à temporibus Apostolorum semper in ea pro defunctis orationes fusas & sacrificia oblata esse.*

Possevinus in Refutat. resp. Chytræi p. 288. *In universa Dei Ecclesia hoc de purgatorio dogma semper fuit certissimum.*

Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 15. *Non invenimus initium hujus dogmatis, sed omnes veteres Græci & Latini ab ipso tempore Apostolorum constanter docuerunt, purgatorium esse.*

Fevardentius lib. 11. Theomachiæ cap. 5. n. 6. *Purgatorii doctrina non est indifferens, sed in Scripturis expressa, ac idcircò semper ad doctrinam Christianæ fidei pertinuit.*

5. In *objecto*, sive personis in purgatorium relegandis.

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 1. scribit. *Multi Patres, Origenes, Ambrosius, Hilarius Hieronymus, Rupertus, statuunt, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quàm malos, uno Christo excepto, adeò ut ipsaquoq; Maria per ignem illum purgatorium transeat.* Hanc sententiam acceptam ut sonat, Bellarminus dicit *continere errorem*, sic tamen Patres, uno Origine excepto, excusat, *quod Hilarius & Hieronymus loquantur de igne divini judicii, Lactantius, Ambrosius & Rupertus per ignem intelligant verum ignẽ purgatorii, per quẽ tamen dicãt sanctos sine ulla læsione trãsire, ita ut transeant per purgatorium materialiter nõ formaliter,* cui sententiæ conformem esse dicit visionẽ B. Fursæi, quam describit Beda lib. 3. Histor. cap. 19. *Ille enim vidit in via ad cælum maximos ignes, per quos necessariò transeundum erat, sed vidit simul eos, qui nihil haberent combustibile, hoc est, nullum culpæ aut pœnæ reatum, illæsos transire, alios verò magis minusve exuri, prout plus minusve materiæ combustibilis afferebant.* In epicrisi de hac sententia ferenda Bellarminus totus dubius est, neque enim audet eam *pro vera asserere*, nec tamen ut *errorem improbare.*

Franciscus Middensis in Elucid. Verit. Cathol. in annot. disertis verbis eam confirmat. *Claret*, inquit, *quòd omnes post hujus seculi vitam transire habeant per illum ignem.* Addit tamen, *quòd bonis non fiat ex hac re aliqua injuria, cùm absq; læsione per illum transeant & sine retardatione mercedem accipiant.*

Maldonatus tom. 2. Disput. de Sacramentis p. 159. *Respondeo, non debere mirum videri, si quis dicat, etiam bonos probandos esse purgatorio, ita ut D. Paulus semper accipiat ignem pro igne purgatorii, quo probantur boni & mali. Certè omnes antiqui autores ita senserunt.*

p. 147. *Omnium antiquorum opinio fuit, tam bonos, quàm malos transire per purgatorium.*

(Et sanè, si Pontificii per *ignem* in loco Apostolico 1. Cor. 3. v. 13. intelligere velint ignem purgatorium, statuere cogentur, tam eos, qui super fundamentum ædificârunt *aurum, argentum & lapides preciosos*; quàm eos, qui *fœnum & stipulas* superædificârunt, hoc est, tam bonos, quàm malos in illum ignem descendere.)

Plerique tamen contrà statuunt, *tantum eos venire in purgatorium qui cum macula peccatorum venialium & debito pœnarum temporalium decedant.* Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 2. Schoppius Comment. de Indulgentiis cap. 45. fol. 34.

Hùc referri potest, quòd Rayhingius in Manuali p. 566. statuit, *ignem in die judicii Christum judicem antecessurum fore purgatorium ignem.*

Sed præterquam, quòd Ps. 96. v. 3. ignis ille dicitur *devoraturus inimicos*, refellit hanc expositionem Suarez Disp. 45. sect. 1. num. 24. *Recolere necesse est*, inquit, *duplicem ignem futurum in ultimo & Universali judicio, unum post peractum judicium ad mundum innovandum, qui propriè dicitur ignis conflagrationis, & de hoc non potest hic locus Pauli 1. Corint. 3. intelligi, quia ille nec declarabit, nec purgabit opera justorum, jam enim erunt declarata, & digna merces, vel pœna eis erit retributa, alium*

dium ante judicium, qui judicem precedet, & de hoc potest apparentius hic locus intelligi, quoad aliqua verba, illa precipue, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Sed tamen sequentia non possunt aptari, quia juxta veriorem sententiam hic etiam ignis supponet factam resurrectionem hominum, & consequenter supponet omnes justos jam plene purgatos, unde nullo modo per illum salvabuntur, nec illorum opera igne illo comburentur. Imo licet daremus, ignem illum futurum ante resurrectionem, ideoque posse illud munus exercere circa aliquos justos, quos tunc viventes in carne mortali & nondum plenè purgatos reperiet, nihilominus non poterit hoc munus exercere circa omnes justos, qui fœnũ & stipulã superædificârunt, cùm tamẽ Paulus universè loquatur.

6. In quæstione de *ministro* seu tortore ac carnifice purgatorii.

Archangelus Rubeus in opere Sacramentorum dist. 21. *Pœnam purgatorii animabus infligi, potest intelligi tripliciter: vel ministerio bonorum Angelorum, & sic negatur: nam non decet bonos Angelos, qui in vita auxilio fuerunt animabus, ut liberarentur ab hujusmodi pœnis, in purgatorio postea eas infligere, & animas torquere: vel ministerio malorum Angelorum, & sic pariter negatur, nam non decet eum, qui de aliquo justè triumphavit, postea puniri per ipsum. Sed animæ, quæ sunt in purgatorio, justitiæ adhærendo, malos Angelos vicerunt: ergo non est conveniens, quod postea puniantur ministerio eorum. Vel denique solâ justitia divina ignem purgatorium sicut instrumentum applicante ad punitionem earum, & sic conceditur. Nam cùm animæ in purgatorio puniantur & non puniantur ministerio Angelorum, nec Dæmonum, consequitur, ut solâ justitia divina applicante ignem, ipsæ vere puniantur.*

(Mirum acumen, Angelos bonos non decere, illam punitionem & tamen DEUM non dedecere! Et ut magis mireris, Angelos bonos non decere illam punitionem, quia piis in hac vita fuêre auxilio. Num ergò Deum decet illa punitio, quia piis in hac vita non fuit auxilio?)

Salmero tom. 14. pag. 232. *Non desunt quidam ex nostris, qui asserunt, Dæmones assistere his, qui purgantur, partim ut pœnis illorum satientur, partim quia ipsis impellentibus quædam peccata admiserunt, à quibus ibi expiantur, & ideo ut victores illis insultant. Quam tamen sententiam alii forsan melioribus rationibus respuunt, ut minus probabilem.*

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 13. §. 1. *An in ipso purgatorio animæ torqueantur à Dæmonibus, res est omnino incerta. Nam quòd non torqueantur à Dæmonibus, nec ab Angelis, sed à solo igne, docent Scholastici, ut Thomas lib. 4. sent. dist. 20. art. 5. & rationem reddunt, quia omnes animæ purgatorii in ultimo conflictu Diabolum superârunt, ideo non decet divinam justitiam ut sinat eas ab hoste devicto vexari. Deinde hîc in terris etiam perfectos viros Dæmones vexant, quia sperant, se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas purgatorii sciunt in gratia confirmatas non posse cadere, & vexationem illis necessariò profuturam ad celeriorem purgationem; non igitur credibile est, Dæmonum operâ animas illas cruciari. Ex altera parte, quòd à Dæmonibus torqueantur animæ purgatorii, docent multæ revelationes, ut illa B. Fursei apud Bedam lib. 3. Histor. cap. 19. & apud Dionysium Carthusianum lib. de quatuor novissimis, & lib. 1. vitæ Bernhardi cap. 10. Thomas Morus contra Lutherum scribens in eandem inclinat sententiam, quòd scilicet Dæmones puniant animas in purgatorio. Maneat igitur & hoc,* inquit Bellarminus, *inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur.*

Quatuor autem in universum opiniones de hac quæstione apud Pontificios inveniuntur.

Quidam ex relatione Diaboli putant, *animas sui duntaxat exsilii vi, & ignis vehementia affligi.* Specul. Exempl. dist. 4. exemplo 44. & dist. 6. exemplo 89.

Quidam *ignem flatu omnipotentis excitari & accendi* statuunt. Ita sentit Legenda aurea Hist. 158.

Bonaventura lib. 4. sent. dist. 40. §. 29. *animas ab Angelo bono in purgatorium duci ac educi* asserit.

Alii ex revelationibus probare conantur, *animas purgatorii à Dæmonibus torqueri.* Et sanè, si purgatorium est *sinus quidam inferni,* si locum Matth. 5. v. 25. *ne judex tradat te ministro* ad purgatorium accommodare velimus, si Diabolum *divinæ justitiæ executorem* agnoscimus, eccur torquendi partes alteri quàm Diabolo assignare velimus? Hoc ipsum tamen, videlicet quòd *animæ purgatorii torqueantur à Dæmonibus* à quibusdam negatur, videlicet à Viguerio in Institut. cap. 16. §. 4. pag. 506. Maldonato tomo 2. Disput. de Sacramentis pag. 171. Lorichio in voce Purgatorium n. 9. Vischero lib. 7. Syst. Theol. cap. 2.

7. In quæstione de animab. *tempore descensus Christi ad inferos* in purgatorio æstuantibus.

Quidam statuunt, *quòd per Christi descensum nihil penitùs ablatum aut imminutum fuerit pœnæ illis animabus, sed quòd Christus inde solum quasdam extraxerit, eas scilicet, quæ alioqui secundùm legem communem extrahebantur, quia omnem prorsus pœnam, ad quam divinâ sententia destinatæ fuerint, exolverint.* Thomas part. 3. quæst. 52. art. 8. in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 2. q. 4. Durand. dist. ead. q. 4. Richardus art. 3. q. 2. Abulensis in parad. 5. cap. 118. &c.

Alii contrà statuunt, *descendente ad purgatorium Christo ereptas esse aut omnes, aut quamplurimas animas, quæ illo carcere præpediebantur, reliquis verò longè mitigatas & imminutas fuisse pœnas.* Bonavent. 3. sentent. dist. 22. Biel. q. un. art. 2. dub. 3. Marsilius q. 13. art. 2. dub. 3. Alphonsus Mendoza in Controv. Theol. q. 6. Schol. p. 485.

Bellarminus dubius est. Sic enim scribit lib. 4. de Christi cap. 16. dub. 4. §. De animabus &c. *De animabus purgatorii majus dubium est (quàm de animabus infantium, qui discesserunt cum peccato originali, an in descensu Christi ad inferos sint liberatæ.) Nam colligi videtur ex illo Eccles. 24. Illuminabo omnes sperantes in Domino, beatificas tunc fuisse omnes pias animas. Præterea Augustinus Epist. 99. ad Evod. & lib. 12. de Genes. cap. 33. apertè dicit, à Christo aliquos solutos doloribus inferni, & explicat, se non loqui de animabus sanctis, quæ erant in sinu Abrahæ, nec de animabus impiis, quas absurdissimũ existimabat fuisse Christo ad inferos descendente cõversas, igitur restat, ut loquatur de animab9, quæ adhuc luebant purgatorias pœnas. Item Gregorius lib. 13. moralium cap. 20. dicit, omnes electos liberatos. At B. Thomas q. 52. art. 8. docet, animas purgatorii non esse liberatas simpliciter ex descensu Christi ad inferos; nec enim Christus aliquid contulit illis, nisi quod meruerat passione suâ, passio autem Christi non habet effectum temporalem, sed æternum. Semper enim est æquè efficax. Non ergo tunc liberâsset Christus nisi illos, qui habuerunt talẽ dispositionem, qualem habent, qui nunc liberantur. Addit tamen B. Thomas duobus modis potuisse tunc accidere, ut aliqui liberarentur. Primò, si expleverant tempus purgationis suæ. Secundò, si ex devotione peculiari ad Christi passionem id meruerant in hac vita, ut tunc liberarentur, cum Christus in eum locum descenderet. Et hoc modo debet exponi S. Augustinus, qui dicit, eos liberatos, quos noverat Dominus liberandos. Ad locum Ecclesiastici & Gregorii posset dici, Christum liberâsse omnes electos, cum descendit ad inferos, sed non simul. Nam quosdam statim liberavit, alios postea, finitâ nimirùm purgatione, sed tamen omnibus id præstitit, ut non manerent in limbo expectantes beatitudinem. Quanquam non esset error, si quis diceret, multos alios, aut etiam omnes tunc liberatos ex purgatorio ex gratia speciali, quia Dominus non est alligatus Sacramentis aut meritis nostris.*

8. In quæstione *de medio purgationis.*

Primò, medium purgationis communiter dicunt esse *ignem,* unde Germanicè vocant, das Fegfeuer.

Thomas Morus contra Lutherum scribens acriter contendit, *in purgatorio non esse aquam,* idque probare contendit ex Zach. 9. *Eduxisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.*

Sed quidam etiam aliis modis ac mediis purgationem fieri & factam esse asserunt, ut ostendimus superiùs contrad. 1. de nomine purgatorii.

In Concilio Florentino Græci contenderunt, *non esse ignem in purgatorio.*

Paludanus 4. sent. dist. 21. *Tertia conclusio est quoad instrumentum, quo purgantur, qui secundùm legem communem est ignis & idem ille ignis specie, qui torquet damnatos &c. Utrum autem præter pœnam ignis ibi patiantur aliam, sicut damnati, de quibus dicitur in Job. Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium, incertum est: tamen dicitur in Psalmo. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ubi autem purgantur in hoc mundo lege speciali, non semper igne, sed vel glacie, vel aliter, quomodo Deo placet, purgantur, sed omnis pœna eorum ignis vocatur, quòd est afflictiva & cum hoc purgativa.*

Martinus Eisengrein non tantùm *æstus,* sed etiam *frigoris* mentionem facit concion. funebr. 2. f. 37. Mercke/ daß ein Ort vorhanden sey/ an welchem die Seelen der jenigen/ so wol in der Liebe/ aber mit läßlichen Sünden beladen/ oder sonst in unvollkomener Buß aus dieser Welt verscheiden/ mit unaußsprechlicher Marter/ mit Feuer/ Hitze und Kälte/ mit Schwebel und Pech/ mit grausamer gewaltiger Pein gestraft uñ gefegt werden/ so lang uñ viel/ biß der göttlichen Gerechtigkeit genung

geschicht/ und sie von allen ihren Sünden gereiniget unverhindert eingehen mögen in das Reich der Himmel.

Peltanus dubius est in cap. 6. de purgat. pag 239. sic scribens: *Purgatorii appellatione censemus illud unum & solum, in quo & per quod Deus Optimus Maximus animas quasdam, justas quidem illas, Christiq; gratiâ perfusas, nondum tamen omninò puras post hanc vitam expiat, cœlestiq; regno capessendo idoneas reddit, sive id ignis sit, ut communiter creditur, sive aqua, sive aliud quodcunque Elementum, aut ex Elementis concretum, de hoc enim nullam hic quæstionem habere volumus.*

Bellarminus itidem cespitat libr. 2. cap. 6. *Certum est*, inquit, *in purgatorio, sicut etiam in inferno, esse pœnam ignis, sive iste ignis accipiatur propriè, sive metaphoricè; & sive significet pœnam sensus, sive damni.*

It. *Theologi ferè omnes docent, eodem loco esse & eodem igne torqueri damnatos & animas purgatorii.*

Secundò, *de qualitate ignis purgatorii* dissentiunt.

Albertus 4. sent. dist. 20. *Ego dico, quòd non arbitrer quenquam scire, qualis sit ignis ille, nisi cui Deus revelaverit.*

Antonius part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. *ignem purgatorii eundem esse* dicit *cum infernali ac gehennali*, unde ad purgatorium accommodat dictum Christi Matthæi 10. *Timete eum, qui animam & corpus potest perdere in gehenna.*

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 10. *Certum est, in purgatorio, sicut etiam in inferno, esse pœnam ignis, sive iste ignis accipiatur propriè, sive metaphoricè; & sive significet pœnam sensus sive damni, ut quidem volunt.*

Lib. ejusd. cap. 11. *Communis sententia Theologorum est, verum & proprium esse ignem & ejusdem speciei cum nostro Elementari, quæ sententia non est quidem de fide, tamen est probabilissima.*

Contrà verò Benedictus Justinianus in Comm. 1. Cor. 3. *Mihi persuadeo, nullo modo eos audiendos esse, qui adeò putant certâ fide credendum esse, ignem illum* (purgatorii) *fore corporeum, ut eum, qui secus sentiat, impietatis ac perfidiæ reum esse non dubitant.* (Utique ergò quidam Pontificiorum sic statuunt.) *Nam sacræ literæ ignem quidem nominant, sed eâdem ratione addunt etiam vermem, quem cùm metaphoricè explicent, cur non eâdem ratione liceat ignem illum interpretari? cùm non rarò eædem sacræ literæ, Augustino explanatore, ignem pro vexatione, molestiâ & cruciatu usurpent.*

Rayhingius in Manual. Cathol. cont. D. Hoë p. 961. *non esse articulum fidei, quòd in purgatorio sit verus ignis, sed tantùm sententiam probabilem.*

Pazmannus in Hodeg. itidem nihil certi ponit, sed vel *de reali igne*, vel de alio *quodam tormento* accipiendum putat.

Tertiò, ex hypothesi illa, quòd ignis purgatorii sit ejusdem speciei cum nostro Elementari, oritur magna difficultas, quomodo *ignis corporeus Elementaris* urat *animas incorporeas?*

Bellarminus d. l. cap. 11. respondet, *non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream? Sed licèt non sciamus, quomodo id fiat, posse tamen fieri, ut constat ex quodam simili. Videmus autem animam incorpoream uniri copori humano, & ei vitam dare & cum illo simul gaudere & pati, cùm tamen modus hujus unionis sit planè ineffabilis. Quis capiat, quomodo Spiritus sit forma corporis, cùm inter corpus & Spiritum nulla sit proportio? Sicut ergò potuit uniri Spiritus carni, ut illi vitam communicaret, ita potest uniri Spiritus igni, ut ab ille pœnam trahat, licet modus utriusque sit planè incognitus.*

(At dispar est ratio inter animam ἐνσώματον corpori unitam & ἀσώματον extra corpus separatim subsistentem. Anima ἐνσώματος ignis corporei flammis afficitur non *immediatè*, sed *mediatè*, ratione corporis, cui arctissimè est unita; sed animam ἀσώματον corporeo quodam igne immediatè torqueri posse, nondum est demonstratum. Ecquis enim non rideat illud, quod in Speculo Exemplorum dist. 3. exempl. 3. commemoratur, *Presbyterũ quendam vidisse animas verubꝰ affixas ad ignẽ fuisse assatas & tortores adipẽ distillantem iterum eas refudisse?*)

9. In quæstione *de statu animarum* in purgatorio.

Primò, quidam statuunt, animas in purgatorio adhuc posse mereri.

Thomas 4. sent. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad 4. disputat, *post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu præmii essentialis, sed tantùm respectu accidentalis.*

Idem confirmant quidam tali argumento, *Animæ in purgatorio habent omnia necessaria ad meritum. Nam habent gratiam, fidem spem, caritatem & liberum arbitrium saltem quoad exercitium, cur igitur non merentur?*

Deinde, *beati mereri possunt, ut patet de Christo, qui semper fuit beatus, & tamen merebatur. Ergò multò magis animæ purgatorii mereri poterunt.*

Antisiodorensis in Summa lib. 4. refert quorundam sententiam, quòd statuerint, *animas in purgatorio posse mereri vel demereri.*

Sed contrarium statuit Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 2. videlicet, *in purgatorio non ampliùs locum esse meritis.* De Thoma respondet, *quòd sententiam suam mutaverit.*

Secundò, quidam statuunt, animas in purgatorio non orare pro nobis.

Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. *Quomodo autem orarent pro nobis animæ destitutæ speculo illo, in quo nostras intueantur miserias, quomodo orarent pro nobis destitutæ beatificâ Dei visione?*

Sed Nicolaus de Orbellis in 4. sent. dist. 45. quæst. 4. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 15. §. Quod autem &c. Osorius tom. 3. concion. pag. 721. affirmant. *Non est*, inquit Bellarminus d. l. *incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare & impetrare, quandoquidem animæ Paschasii & Severini miracula operabantur, etiamsi degerent in purgatorio, ut patet ex Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 40.* Probat etiam id ipsum ex eo, quòd dives in inferno orabat *pro fratribus suis*, Luc. 16.

(Sed qualis intercessio, talis etiam probatio. Dives ille pro fratribus intercedens nihil impetrat. Metuendum igitur, ne & animæ in purgatorio pro nobis orantes frustrà intercedant, unde Bellarm. ipse huic intercessioni parum tribuens subjungit, §. Præterea &c.)

Quanquam hæc vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinariè petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinariè cognoscere, quid agamus in particulari, sed solùm in genere sciunt, nos in multis periculis versari, sicut nos in genere scimus, eas valdè torqueri. Nam nec rebus nostris intersunt, nec in Deo orationes nostras vident, nec est verisimile, eis revelari ordinariè quid agamus vel petamus.

(Sed huic discursui Bellarmini contradicit Legenda aurea Hist. 158. ubi traditur, *animam animæ nuntiare & revelare, quæ in mundo aguntur, & quæ pro singulis vota fiunt.*

In Specul. exempl. dist. 3. exempl. 123. *Anima cujusdam in purgatorio subsultabat subitò, & cùm ab animabus vicinis interrogaretur quamobrem id faceret, respondit, illâ ipsâ hora sibi natum posthumum, qui in prima sua Missa ipsum ex purgatorio esset liberaturus.*

Quinimò Emanuel à Saa in aphorismis p. 302. expressè asserit, *posse orari animas, quæ sunt in purgatorio.*)

Alphonsus Mendoza in Controv. Theol. q. 6. Scholast. p. 485. de hac quæstione sic disserit: *Alterum, quod in quæstionem nonnulli vertunt, est. Animæne purgatorii, quæ nostris juvantur suffragiis, rependunt vicem nobis, orando ac impetrando à Deo nobis gratiam. Nolo in hac parte judicium meum interponere, quod feci in præcedenti. Producam pro utraque parte Doctores secum pugnantes, cui libuerit, eorum litem componat, aut ad quos voluerit, transeat. Richardus in 4. dist. 45. art. 7. q. 3. ad 3. Gabriel. super Canon. lect. 56. circa finem. Johan. de Medina Cod. de pœnitentia, Tractatu de oratione, in quæstione speciali, & quidam alii affirmantem partem defendunt. In adversum militant S. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 5. q. 2. & in 2. 2. q. 83. art. 4. ad 3. & art. 9. ad 2. & artic. 11. ad 3. & Alexander Alensis 4. p. q. 92. membr. 1. art. 3. Abulensis super Matthæũ tom. 3. q. 93. & super cap. 6. q. 87. Antoninus 4. p. tit. 5. cap. 8. §. 2. Sylvester, verbo Oratio §. 3. Navarrus sunt per c. Quando & c. Quocirca Victoria Relectione de Magia num. 17. sentit, non esse adeò constantem & religiosam consuetudinem quorundam hominum & præsertim fœminarum, quæ in suis casib. ac miseriis implorant animarum purgatorii opem atq; favorem. Meam ego sententiam nunc suspendens id solùm dixero, sanctum ac utile esse, invocare & implorare opem illarum animarum. Nam sive quamdiu sint in purgatorio, orare pro nobis valeant aut non valeant, certè cùm inde exeant, unde exituras certum est; & ad regnum perveniant, in quod perventuræ sunt; non est dubium, quòd tunc preces fundant & orent Deum pro iis, qui seipsos eis commendaverant, & eas suffragiis ac precibus juverant.*

Tertiò, quidam negant, animas in purgatorio esse de salute sua certas, quidam verò illud affirmant.

Salmero tomo 14. p. 231. *Quidam Catholici sentiunt, aliquos defunctos salutis ignoratione puniri, & illo vehementissimo dolore, qui inde exsurgit, affligi.*

Bellarminus lib. 2. de purgatorio capite 4. *Quidam Catholici docent, animas purgatorii non esse certas de salute. Existimant*

mant enim, inter purgatorii pœnas esse unam maximam, incertitudinem salutis. Ita videtur sentire Dionysius Carthusianus ob quasdam visiones, quas ipse refert lib. de quatuor noviss. art. 47. Idem docet Michael Bajus lib. 2. de merit. cap. 8. Idem videtur deduci ex sententia Gersonis lect. 1. de vit. spirit. & Johann. Roffensis cont. art. 32. Lutheri. At communis Theologorũ sententia est, omnes animas, quæ in purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis. Ita enim definivit Leo X. in Bulla sua contra Lutherum. art. 28.

Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses verbo Purgatorium, hæresi 3. inter *hæreses* recenset illam opinionem, quæ negat, *animas in purgatorio esse de salute securas.*

Illam tamen certitudinem Bellarminus dicit esse *mediam inter eam, quæ est beatorum in vita æterna, & piorum in hac vita,* quam vocant *conjecturalem.*

(Verùm enim verò, si animæ in purgatorio sunt certæ de sua salute, cur Ecclesia Romana pro eis hac præcationis formâ orat. *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum? Absurdum esse videtur,* scribit Michael Bayus d. l. *apud justum judicem pro eo pœnam deprecari, quæ scitur illi justo Dei judicio non posse irrogari.* Bellarminus anxiè quærit varias responsiones, sed nec lectori, nec sibi ipsi satisfacit. Præterea, *poenæ purgatorii solâ duratione differunt à poenis damnatorum in inferno* ex hypothesi Pontificiorum. *Atqui poena damnatorum essentialiter includit desperationem salutis,* docente Bellarm. lib. 4. de Christo cap. 8. quomodo igitur animæ in purgatorio possunt esse certæ de salute?)

10. In quæstione *de loco purgatorii.*

Primò, Thomas 4. sent. dist. 21. *De loco purgatorii non invenitur aliquid determinatum in Scripturis, nec ad hoc possunt rationes efficaces induci.*

Raynerius in Pantheol. tom. 2. p. 572. *De loco purgatorii ubi sit, non invenitur aliquid expressè determinatum in Scriptura.*

Maldonatus tom. 2. Disp. de Sacram. pag. 171. *Ubi sit purgatorium, Ecclesia nihil definivit, quia ex sacris literis nihil certi colligitur.*

Peltanus de purgat. cap. 6. *Etsi ostendi possit, communem purgatorii locum subterraneum, tartareisq; ergastulis finitimum esse, hoc tamen non est de fide.*

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 6. *De eo* (loco purgatorii) *Ecclesia nihil definivit. Sunt autem multæ opiniones.*

Prima, quorundam, qui putant, animas ibi purgari, ubi peccaverunt, h. e. variis in locis. Et quidem, quòd variis in locis animæ purgentur, satis probabiliter colligitur ex Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 40. & 55. qui refert, animam Paschasii, & cujusdam alterius in balneis fuisse purgatas; nec non ex Epistola Petri Damiani de miraculis sui temporis, ubi describit visionem de purgatione animæ S. Severini in quodam flumine. At quòd omnes ibi puniantur, ubi peccaverunt, non est probabile. Nam contingit aliquem in multis locis peccâsse, nec est verisimile, in omnibus illis purgandum.

Secunda opinio, loca animarũ nõ esse corporalia. Ita Augustinus lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 33. sed retractavit lib. 2. retract. cap. 24.

Tertia, loca poenalia animarum esse hunc mundum, in quo animæ manent in corpore tanquam in carcere. Hanc refert & refellit Irenæus in fine libri 5.

Quarta, infernum & purgatoriũ animæ nihil aliud esse, quàm conscientiã accusantem & punientẽ peccata. Ita Philo & Origenes.

Quinta est, infernum & proinde purgatorium, sunt enim loca vicina, fore in valle Josaphat. Ita refert Chrysostomus, sensisse veteres aliquos, Homil. de præmiis beatorum tomo 3. Similem sententiam refert Gregorius lib. 4. Dial. cap. 42.

Sexta, infernum esse statum animæ extra corpus. Ita refert Theophyl. in c. 16. Luc.

Septima est, locum poenalem animarum non esse terram, sed aërem istum caliginosum, ubi Dæmones versantur. Ita Gregorius Nyssenus in lib. de anim. & resurr. ac Chrysostomus Homil. de Lazaro [sic: *drambeat*] *& Autor imperf. operis in Matth. Homil. 53. cui sententiæ favet Historia S. Fursæi apud Bedam lib. 3. Hist. Angl. cap. 19. illo enim defuncto, cùm ab Angelis in coelum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes supra aërem, qui servabantur, ut Angelus dicebat, ad mundi conflagrationem, & interim examinabantur ibi opera hominum.*

Octava, est communis Scholasticorum, purgatorium esse intra terræ viscera inferno ipsi vicinum.

In Legendis & Speculis exemplorum memoratur, *quòd animæ aliæ relegatæ fuerint in vepres, aliæ in montes, aliæ in convalles, aliæ in puteos, aliæ sub umbras arborum, aliæ in aërẽ, aliæ sub stillicidia, aliæ in glaciem, aliæ in flumina, aliæ in antrum Patricii.*

Rationem diversæ illius circumgyrationis exponit Bonaventura lib. 4. sent. dist. 4. §. 34. *Diversis diversa loca sunt concessa, vel propter eorum celeriorem liberationem, ut aliis possint suam indigentiam revelare, sicut docet exemplum de Paschasio; vel propter nostrãm instructionem, ut aliquando recogitemus, magnam post hanc vitam pœnam infligi peccatoribus; vel propter cujusdam sancti impetrationem, sicut legimus, quod Patritius impetravit cuidam, quòd puniretur in quodam loco in terra.*

Albertus 4. sent. dist. 20. sic distinguit, *quòd purgatorii locus alius est ex ordine divinæ justitiæ, determinantis receptaculum animæ puniendæ, alius verò ex dispensatione.*

Paludanus lib. 4. dist. 21. *Secunda conclusio est de purgatorio quoad locum, qui est duplex: unus secundùm specialem dispositionem; & hic non est determinatus: sed vel ubi peccaverunt, vel alibi ubi apparent in assumtis corporibus, secundùm quod expedit vel vivis ad ædificationem, vel ipsis mortuis ad suffragiorum petitionem. Alius locus est secundùm legem communem: & iste creditur esse in inferno circa centrum terræ, superior tamen inferno damnatorum.*

Majolus in dieb. canicul. Colloq. 2. p. 61. *Thomas cum Bonaventura dicit, quòd particularia purgatorii loca in superficie terræ specialiter Deus ordinavit.*

Martinus Becanus de purgat. Calvin. cap. 3. p. 32. inter ea, *quæ de purgatorio apud Catholicos certa sunt,* etiam hoc numerat, *quòd sit in loco subterraneo.*

Alberti sententiam sequitur Fevardentius lib. 11. Theomach. Calvin. cap. 9. pag. 17. ubi itidem *geminum* statuit *purgatorii locum,* unum vocat *ordinarium,* qui sit *subterraneus inferno proximus;* alterum *extraordinarium,* qui sit *varius, in igne, in aëre, in aquis, in terra, in balneis, in glacie, in umbris arborum, prout supremo judici Deo placuerit.*

Idem statuit Viguerius in Institut. Theol. cap. 16. §. 4. v. 32.

Rutlandus in Loc. Commun. tit. 12. pag. 335.

Peltanus cap. 4. de purgatorio p. 222.

Vischerus lib. 7. System. Theol. cap. 5. fol. 417.

Gretserus in Disput. de anim. recept. thes. 47. & seqq.

Secundò, *de situ generalis & ordinarii purgatorii* non omni ex parte inter omnes convenit, quâ de re sic scribit Chemnitius part. 3. Exam. Concil. Trident. pag. 77. *Quidam locum illum purgatorii volunt esse super infernum secundùm altitudinem. Quidam apud infernum secundùm longitudinem. Alii circa infernum juxta circulum, sicut quando pomum scinditur, domunculæ seminum in circulo distinctæ apparent, hac enim similitudine utuntur. Ingolstadienses infernum, purgatorium, circulum infantum non baptizatorum & limbum Patrum ita distinguunt, ut ignis tartareus infernè in terræ meditullio exæstuans torqueat damnatos, deinde supernè exudans in secundo circulo purget fideles; postea forsan fumus ejus in tertio circulo infestet infantes, postremò ejus calore & forsan luce limbus Patrum in quarto circulo calefiat & illustretur, sicut fit in vaporariis.*

Peltanus de purgatorio cap. 3. p. 203. edit. Colon. Ann. 1576. *Quia Scripturæ de harum stationum situ, earundemq; inter se ordine nihil certi pronunciant, & quia rursum Ecclesia & Concilia altum hic silent, & quia tandem sanctorum dicta &c. non unam interpretationem recipiunt, fit, ut recentiores Scriptores diversa hac de re statuant ac scribant. Quidam enim quatuor hæc loca supra se invicem collocant, alii juxta se invicem. Nonnulli puerorũ limbum & Abrahæ sinum ad latera: infernum autem & purgatorium in uno communi terræ hiatu ponunt, ita tamen, ut infimam illius partem & quasi sentinam occupent Dæmones cum cæteris damnatis, Superiorem verò ubi plus lucis & minus ardoris est, fideles à peccatorum reliquiis, quibus obstricti tenentur, nondum satis repurgati. Alii tandem pro numero classium & ordinum constituunt quatuor specus subterraneas, quasi quatuor eccentricos orbes, non solum intercapedine, sed loci quoq; qualitate & capacitate inter se distinctas.*

Tertiò disputant, an præter *cœlum & purgatorium* sit aliquis alius locus post hanc vitam pro animabus justis.

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 7. dicit, *hic subesse difficultatem satis magnam, quia ex una parte omnes Theologi docent, non esse alia receptacula præter quatuor enumerata, quæ sunt limbus Patrum, limbus infantũ, purgatorium & infernus. Et Concilium Florentinũ sess. ult. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox in coelũ recipi. Ex altera parte narrat Beda lib. 5. Hist. cap. 13. visionẽ valdè probabilẽ, cui ipse fidẽ adhibere non dubitavit, in qua ostensũ fuit cuidã animæ, quæ ad corpus postea rediit, præter infernũ, purgatoriũ & regn. coel. quoddã quasi pratũ florentissimũ, lucidissimũ, odoratũ, amœnũ, in quo degebãt animæ, quæ nihil patiebantur,*

ſed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant divinæ viſioni beatificæ, cui revelationi multas alias conformes adducit Dionyſius Carthuſianus in Dial. de judic. particul. art. 31. & Ludovicus Bloſius in Monili Spirit. cap. 13. Videtur mihi dicendum, (ſubjungit Bellarminus) *non eſſe improbabile, talem aliquem locum reperiri, cæterùm ejusmodi locum ad purgatorium pertinere. Etſi enim ibi nulla ſit pœna ſenſus, tamen eſt pœna damni. Pœna autem non convenit, niſi animæ, quæ nondum plenè eſt purgata. Itaq; erit locus ille mitiſſimum purgatorium, & quaſi carcer quidam Senatorius ac honorarius.*

De eodē loco diſſerit Lorichius in voce Purgatorium. n. 10.

(Atqui, ſi omnis locus poſt hanc vitam, in quo eſt pœna damni, pertinet ad purgatorium, etiam *limbus Patrum* & *limbus infantum* ad purgatoriū pertinebunt, *infernus & purgatoriū.*)

11. In quæſtione *de tempore purgatorii.*

Primò, Salmero tom. 14. Diſp. 25. pag. 220. refert, quosdā aſſerere, *quòd ante Chriſti mortem quidem fuerit purgatorium, quia nondum fuerat conſummata iniquitas, nec finem acceperat peccatum, verùm poſt Chriſti mortem ſublatum eſſe de medio.* Quibus opponit locum 1. Cor. 3. & *Eccleſiæ confeſſionem.*

Secundò, Dominicus à Soto lib. 4. ſent. diſt. 19. q. 3. art. 2. diſputat, *tempus purgationis non durare ultra decem annos.* Rationem addit hanc, *quia ſi hic in terris aliquibus pœnis brevi tempore liberari poſſumus ab omni pœna, quare non multò citiùs in purgatorio, cum illæ pœnæ ſunt pœnæ in infinitum graviores & intenſiores iſtis? Præterea hic ſunt prolixæ pœnæ, quia non poſſunt eſſe multùm intenſæ, nam ſubjectum deſtruerent. At poſt hanc vitam poſſunt eſſe intenſiſſimæ, quia ſubjectum eſt incorruptibile. Ergo credibile eſt, Deum illas animas ad gloriam anhelantes breviſſimo tempore per intenſiſſimas pœnas purgare.*

Sed Diſcipulus de tempore ſerm. 156. tempus pœnarum purgatorii multò longius eſſe affirmat. *Quæritur* (inquit) *quamdiu quis in purgatorio puniendus ſit ſecundum juſtitiam Dei pro ſolutione unius pœnæ peccati mortalis? Reſpondetur ſatis probabiliter, quod quis tot annis deberet puniri pro ſatisfactione unius peccati mortalis, quot ſunt dies in ſeptem annis. Et ratio eſt, quia in præſenti ſecundum veram juſtitiam debet ſeptennis pœnitentia injungi pro uno peccato mortali. Unde dicitur in Decret. 22. quæſt. 2. Hoc ſanctum. Pœnitentia peccati mortalis ſunt ſeptem anni. Sed in purgatorio datur tibi annus pro die una, quia Dominus dicit per Prophetam illis, qui hic tempore gratiæ & miſericordiæ pœnitent, ut habetur Ezech. 4. v. 6. Diem pro anno dedi tibi. Diem ſcil. in præſenti tempore gratiæ & miſericordiæ pro anno ſcil. in futuro, ubi erit tempus juſtitiæ. Similiter poteſt probari hoc in filiis Iſraël, qui per 40. annos fuerunt in deſerto propter peccata ſuæ retardati, antequam intraverunt terram promiſſionis, qui ſi non peccâſſent, in 40. diebus intrâſſent, & ſic pro qualibet die datus eſt eis annus. Ex dictis patet, quòd aliquæ animæ per longum tempus punientur graviter in purgatorio. Nam in uno anno ſunt 365. dies, in ſeptem annis ſunt 2555. dies. Modo per tot annos ſecundum meram juſtitiam deberet quis addere in purgatorio pro uno peccato mortali. Hoc non attendunt luxurioſi, qui pro uno actu tot annis puniendi ſunt.*

Raynerus in Pantheologia tom. 2. p. 579. *Illa pœna, de qua homo ſe poſſet expedire in ſpacio unius diei, durabit in purgatorio per ſpacium unius anni, unde Ezech. 4. v. 6. Fili hominis diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.*

Maldonatus tom. 2. Diſp. de Sacram. p. 174. *Qui dicunt, unicuique peccato mortali in purgatorio reſpondere pœnam ſeptem annorum, magis vulgariter loquuntur, quam Theologicè, ducti populari opinione eorum, qui putant, etiam in hac vita, in veteri Eccleſia pro unoquoque peccato mortali datam fuiſſe pœnitentiam ſeptem annorum, quòd ſupra refutavimus in quæſtion. de pœnitent. publicis. Imò verò non videtur eſſe veroſimile, pœnas tam graves, quam D. Auguſtinus dicit, eſſe valde diuturnas. Itaq; libenter aſſentior iis, qui putant, neminem in purgatorio eſſe fortaſſe decem annos. Nam ſi pœnam temporalem, in quam pœna æterna commutatur, tam lenibus & brevibus pœnitentiis in vita perſolvimus, quis credat, eſſe tam longas illas acerbiſſimas purgatorii pœnas?*

Alii rem in medio relinquunt ac nihil definiunt.

Bellarminus poſtquam lib. 2. de purgat. cap. 9. Dominici à Soto opinionem repudiâſſet, eidemque oppoſuiſſet, viſiones Sanctorum, quæ teſtantur, *quaſdam animas usque ad diem judicii in purgatorio manſuras;*

Item, *Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, quæ anniverſaria ſacra celebrat pro defunctis etiamſi conſtet, eos ante centum vel ducentos annos eſſe mortuos,* tandem concludit, *rem eſſe incertiſſimam, nec niſi temerè definiri poſſe.*

(At hac ratione omnes illæ indulgentiariæ annorum & dierū computationes erunt ludus & jocus, imò dolus turpiſſimus.)

Becanus tom. 2. opuſc. 10. cap. 3. pag. 2. ſcribit, *aliquos in purgatorio manere tantum paucis horis, alios certis diebus, nonnullos aliquot annis.*

Antoninus part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 6. *Unicuique tempus purgationis ad illud, in quo peccavit, dimenſum eſt.*

Tertiò, communiter ſtatuunt, purgatorium in extremo judicio finem ſuum habiturum; Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 12. reſp. ad 5. Maldonatus tomo 2. Diſput. de Sacram. p. 169. Stapletonus part. 2. Promt. Cathol. pag. 377. Schoppius in Apologia cap. 58. f. 82. Lorichius in voce Purgatorium n. 8. Balduinus Junius in Manuali Theologico lib. 21. c. 1. dogm. 14.

Sed Veteres, quorum autoritatem in hac controverſia Pontificii nobis opponunt (Origenes, Ambroſius, Lactantius &c.) *ultra finem ſeculi* extendunt quorundam purgationem. Nec poteſt dari evidens ratio, cur in fine ſeculi purgatorium ſit extinguendum, cum tamen multi paulò ante noviſſimum diem mortui reatu peccatorum venialium & debito pœnarum temporalium pro peccatis ſuis perſolvendarum adhuc teneantur obſtricti.

Sed & Pontifices Romani *in multa annorum millia*, & ſic ultra finem ſeculi Indulgentias ſuas protendunt.

12. *De gravitate pœnarum* in purgatorio.

Primò, communiter aſſerunt, *pœnas purgatorii eſſe majores pœnis hujus vitæ*, Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. q. 2. concluſ. 1. p. 151. Fevardentius lib. 11. Theomachiæ Calviniſt. cap. 22. n. 5. Viguerius in inſtitut. Theol. cap. 16. §. 4. v. 32. Coſterus in Enchiridio cap. 16. p. 494. Rutlandus in Loc. Cōm. tit. 12. p. 336.

Inde Antoninus part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. refert, *aliquando ægrotum mutâſſe ſuum morbum pœnâ purgatorii, at mox morbū eundem licet acerbiſſimum repetiviſſe.*

Diſcipulus de temp. ſerm. 60. dicit. *Si cui breviſſimus dies in purgatorio tranſigendus eſſet, malet is centum annos in acutiſſimis ſpinis incedere pede nudo, nihil quam atrum panem vorare, nihil quam fel aceto mixtum potare, lapidemque pro pulvinari habere.*

Dubitant tamen ac diſceptant, quomodo pœnæ purgatorii majores ſint hujus vitæ pœnis.

Thomas 4. ſent. diſt. 20. q. 1. art. 2. docet, *pœnam damni in purgatorio eſſe maximam pœnarum, tam quæ in purgatorio, quam quæ in hac vita reperiri poſſint. Et minimam pœnam vel ſcintillam purgatorii eſſe majorem maximâ pœnâ hujus vitæ.*

Idem ſtatuunt Sebaſtianus Viſcherus in Syſtem. Theol. lib. 7. cap. 2. f. 416. Balduinus Junius in Manuali Theologico lib. 21. cap. 2. dogm. 13. ArchAngelus Rubeus in Opere Sacramentorum diſt. 21. Gregorius de Valent. lib. de purgat. &c. Theodorus Peltanus de purgat. cap. 12. ubi contrariæ ſententiæ argumenta refellit.

Sed Bonaventura in 4. ſent. diſt. 20. art. 1. q. 2. ſtatuit, *pœnam damni in purgatorio non eſſe majorem omni pœnâ ſive purgatorii, ſive hujus vitæ; ac purgatorii pœnas eſſe majores pœnis hujus vitæ ſolum in hoc ſenſu, quia maxima pœna purgatorii eſt major, quam ſit maxima pœna hujus vitæ, licet aliqua pœna purgatorii reperiatur minor aliquâ pœna hujus vitæ.*

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 14. magis probat ſententiam Bonaventuræ, quàm Thomæ. Idem placet Stapletono part. 2. Promt. Cathol. p. 286. Lorichio in voce Purgatorium, num. 9.

Secundò, Bellarminus d. l. ſcribit, *de eo adhuc ſupereſſe quæſtionem, an pœnæ purgatorii ſemper crucient æquè graviter ab initio usque ad finem purgationis, an verò paulatim minuantur, donec finem accipiant, interim probabilius eſſe, quòd pœnæ paulatim remittantur.* (Illud tamen non niſi ex revelatione quadam factâ Malachiæ probat.)

Tertiò, Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 10. de pœna purgatorii dicit, *eſſe quædam certa & quædam dubia. 1. Certum eſſe pœnam purgatorii non eſſe deſperationem & metum gehennæ. 2. Certum eſſe, quòd in purgatorio detur pœna damni, quam vocant carentiam divinæ viſionis.*

Sed idem Bellarminus lib. 4. de pœnit. c. 1. §. Quòd ſi probatum &c. ſic diſſerit: *Tria complectitur pœna gehennæ, pœnam damni, pœnam ſenſus, & utriusque pœnæ æternitatem, quorum* pri-

primum respondet aversioni à Deo; secundum, conversioni inordinatæ ad creaturas; tertium, inimicitiæ cum sempiterno & infinito Rege. Ex his autem tribus malis, quæ sunt in gehennâ, à primo & tertio liberantur continuò, qui ad amicitiam Dei & ejus gratiam redeunt: solum autem (nota exclusivam) *remanet malum illud secundum debitum, videlicet pœnæ sensus ad tempus luendæ.*

15. *De apparitione animarum* in purgatorio existentium.

Primò, quidam negant, *ullas animas defunctorum apparere viventibus*, & asserunt, *apparitiones illas esse Dæmonum, fingentium, se esse animas de purgatorio exeuntes & suffragia postulantes*, ut referunt Becanus lib.1. Manual. cap. 8. quæst. 2. conclus. 4. & Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 8.

Alii verò *apparitiones animarum* acriter propugnant, ut Peltanus cap. 4. de purgatorio pag. 226.

Secundò, quidam ex sectatoribus Thomæ generatim docent, *animas à corporibus separatas non habere vim movendi se localiter, ac proinde vel ab Angelo, si bonæ sunt; vel à Dæmonibus, si malæ sunt, ad diversa loca deportari.*

Alii verò tradunt, *animam rationalem extra corpus posse se movere localiter, licet in corpore non possit.* Becanus lib. 1 Manual. cap. 8. q. 2. pag. 153. Peltanus cap. 2. de purgat. p. 196.

Tertiò, in utramque partem disputant de hac quæstione. *Num anima separata à corpore possit naturali suâ virtute res corporeas movere, januas aperire, commovere scamma, excitare strepitum, turbare dormientes?*

Negativam tenet Thomas part. 1. quæst. 110. artic. 3. ad 3. & quæst. 117. artic. 4. quâ negativa *suspectas reddi omnes apparitiones & terrores, qui putantur ab animabus fieri*, ait Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. quæst. 2. §. 18.

Affirmativa placet plerisque aliis Pontificiis, qua tamen *infirmum reddi argumentum, quo plerique putant, se efficaciter probâsse, Angelos in rerum Natura existere*, scribit iterum Becanus d. l. qui propterea rem in dubio relinquit, & tandem ita concludit §. 7. *Eligat lector, quam velit, partem.*

14. De *liberatione animarum* ex purgatorio.

Primò, *animas sanctorum defunctorum cum Christo regnantes orare pro animabus in purgatorio laborantibus, ut eo citius ex eo liberentur*, negat Dominicus à Soto lib. 4. sent. dist. 45. quæst. 3. artic. 2.

Contrarium statuunt Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 15. Viguerius in Institut. Theolog. cap. 16. §. 4. v. 33. pag. 507.

Secundò, *ex purgatorio animas liberari posse, ex inferno non posse*, communis ferè omnium est sententia.

Sed in Missæ sacrificio pro defunctis hoc modo orant: *Domine libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus ne cadant in obscurum.*

(In quibus verbis dextrè explicandis plurimum laborant Bellarminus & Salmero, nec tamen sibi ipsis satisfaciunt.)

Damascenus in orat. pro mortuis dicit, *Orationibus Teclæ liberatam de inferno animam cujusdam Falconillæ fœminæ paganæ, & orationibus Gregorii Papæ animam Trajani Imperatoris*, quam Historiam defendit Andradius Payva, ut & Salmero tom. 14. Disp. 27. pag. 236.

Bellarminus lib. 2. de purgatorio capite 8. dubius est. *Si hæc* (Damasceni) *Historia defendi debeatur, oportet dicere, Trajanum non fuisse absolutè damnatum ad inferos, sed solum punitum in inferno secundùm præsentia ejus demerita & suspensam sententiam propter prævisas Gregorii preces & præterea non immediatè ex inferno in cœlum transiisse, sed prius corpori unitum & tunc baptizatum & poenitentiam in hac vita egisse. Ista enim*, inquit, *est communis solutio Thomæ, Durandi, Richardi & aliorum 4. sent. dist. 45.*

Sed quia hoc statuere perquam durum, ideo Bellarminus, tandem propendet in Cani & aliorum sententiam, quæ hanc Historiam rejicit ut confictam, qua ratione apertis tibiis contradicit Andradio, Alphonso Salmeroni, Ciaconio & aliis Pontificiis.

Tertiò, inter remedia, quibus animæ in purgatorio æstuantes juventur, referunt *Indulgentias Pontificis.* Sed quomodo illæ animabus defunctorũ applicentur, de eo non conveniunt.

Quidam existimant, *Papæ jurisdictionem extendere se in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio per modum absolutionis eas communicare possit.* Illorum dicta citata sunt superiùs membro 14.

Quidam verò statuunt, *jurisdictionem Papæ non extendere se in purgatorium*, ideoque *Indulgentias defunctis concedi non per modum absolutionis, sed per modum suffragii.* Bellarminus lib. 1. de indulgent. cap. 14. & lib. 2. de purgatorio cap. 16. Fornerus de Jubilæo pag. 207.

Ex illo porrò sequitur, quòd quidam statuunt, *Papam, si vellet, posse totum purgatorium evacuare.* (dicta citata sunt superiùs membro 14.

Sed Antoninus part. 8. tit. 22. cap. 5. §. 6. dubius est. *Dubitandum est*, inquit, *si Papa Romanus omnes animas ex purgatorio liberare, & ad salutem æternam promovere velit, num istam misericordiæ munificentiam Deus suo esset approbaturus judicio ac calculo?*

Quartò, si quæratur, ubi modus ille *suffragii*, per quem indulgentiæ Papales defunctis prosunt, sit fundatus? quidam recurrunt *ad Scripturas malè detortas*, quidam *ad Patres*, quidam ad *Romanæ Ecclesiæ autoritatem.*

Quintò, dissentiunt etiam *de suffragiis particularibus.*

Cajetanus tom. 1. Opusculor. tract. 16. quæst. 5. docet, *omnes quidem animas juvari posse, & juvari etiam communibus suffragiis. At particularibus, quæ pro illis fiunt, non juvari nisi illas, quæ particulariter meruerunt, ut sibi talia prodessent.* Dicit autem, *eas peculiariter mereri, quæ hisce in terris habuerunt specialem devotionem ad claves Ecclesiæ, & solliciti fuerunt pro animabus aliorum.*

Sed Præpositivus Presbyter Leodiensis in Compend. Theolog. & alii, quos citat Thomas in 4. sent. dist. 45. quæst. 2. artic. 4. dicunt, *suffragia, quæ fiunt pro uno, non ei solum prodesse, verùm etiam omnibus aliis, nec minùs omnibus aliis, quàm illi, sicut lucerna accensa pro Domino æqualiter illuminat servos, qui in eo loco sunt; & sicut lectio pro uno prodest omnibus cum illo existentibus, quia vox una omnibus communicatur.*

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 18. *sententiam communem* dicit *esse in medio*, quòd *nimirum suffragia particularia omni & soli illi prosint in ratione satisfactionis, pro quo fiunt.* Probationis loco addit, quòd *applicatio ejusmodi bonorum pendeat ex intentione applicantis, ac proinde non debere comparari ista suffragia lumini lucernæ, sed potiùs pecuniæ, quæ ab uno pro altero solvitur.*

Sextò, discrepant invicem, *an suffragia præstita ab iis, qui sunt in peccato mortali, prosint defunctis?* Quidam affirmantem, quidam negantem amplectuntur sententiam.

Septimò, communiter negant, *poenitentiam locum habere post hanc vitam.*

Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 1. §. Ad quartum. *Post hanc vitam non est poenitentia, saltem fructuosa.*

Gregorius de Valent. de purgat. cap. 1. p. 272. *Illud peculiariter Kemnitii mendaciũ observandum est, quod inter cætera, quæ ad statum hujus quæstionis pertinere dicit, ponit etiam, utrum in altera vita post mortem sit locus reconciliationis cum Deo, quando eam aliquis in hac vita non obtinuit? quod ita iste dicit, quasi sententia Catholicorum sit, posse etiam animas in purgatorio reconciliari cum Deo per gratiam, licet ex hac vita absq; ejusmodi reconciliatione decesserint. Quod nunquam ulli Catholici somniârunt.*

Sed Conradus Clingius lib. 4. Locor. Comm. cap. 49. pag. 453. ex hac ipsa hypothesi purgatorium probare conatur. *Si post hanc vitam*, inquit, *nulla poenitentia esset, nullaq; remissio peccatorum, haberemus de salute penè desperare, cum quotidie graviter peccemus & commensuratam poenitentiam non agamus. Et Deus hic præterit condignam castigationem. Quare credamus Ecclesiæ &c.* (dari scil. purgatorium & pœnitentiam ac remissionem peccatorum post hanc vitam.)

Quin imò Bellarm. ipse lib. 1. de purgat. cap. 14. §. Est ergò, non planè inficiatur, *dari in purgatorio poenitentiam*, quia *patientiam & caritatem animarum purgandarum* appellat *poenitentiam virtualem.*

Ibid. scribit; *Post hanc quidem vitam non esse poenitentiam de mortalibus, tamen in animabus purgatorii bene esse posse displicentiam peccati, eamq; ex caritate & proinde utilem.*

(At quid aliud est displicentia peccati utilis, quàm vera pœnitentia?)

Peltanus cap. 11. de purgat. pag. 388. docet; *Quòd credentes post vitæ hujus cursum transferantur in salubrem eorum scelerum detestationem, de quibus in præsenti vita nulla præcesserat poenitentia, nulla emendatio, nullus interni doloris sensus.*

(Hoc re ipsâ nihil aliud est dicere, quàm quòd animæ in purgatorio pœniteant de illis peccatis, de quibus in hoc seculo non egerunt pœnitentiam.)

Exceptiones Adversariorum.

Illustris locus contra purgatorium extat Apoc. 14. v.13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo; profectò dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.*

Contra eum excipiunt tripliciter. *1. Non significari à morte uniuscujusq́, sed ab extremo judicio.* Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 8. Costerus in Enchirid. cap. 16.

Resp. 1. Ex Ribera in h. l. *Aretas ita verba ordinat, ut Spiritus eos, qui tunc vivent & certabunt, consoletur, at semper beati sunt, qui in Domino moriuntur. A modo igitur significat à tempore mortis, ut exponunt Augustinus, Haymo, Beda ex Psal. 126. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.*

(Potuisset addere non solùm Andream Cæsariensem, & Ambrosium, sed etiam Richardum de S. Victore, qui sic exponit, *à modo, id est, ab ipsa morte.*)

2. Ex Blasio Viega in h. l. *Sanctus David sic cecinit Ps. 4. In pace dormiam & requiescam. Et sanctus Simeon Luc. 2. Nunc dimittis servum tuum in pace. De Lazaro quoq; legimus. Amicus meus Lazarus dormit. Et de B. Stephano Act. 7. obdormivit in Domino &c. Ergò amodo, seu deinceps est à tempore mortis, ut communis docet expositio.*

3. Ex Peltano cap. 11. de purgat. pag. 393. Græcum textum sic interpretante: *Beati nunc vel hoc tempore, quo videlicet Christus mortuus est & resurrexit, qui in Domino moriuntur. Sanè dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.*

4. Ex Gregorio de Valentia, locum illum de Ecclesia triumphante ante resurrectionem exponente lib. de purgat. cap. 8 p. 285. *Voluit Dominus illis verbis significare, hoc ipso tempore, quo Ecclesia nunc in terris militat, habere etiam in regno coelesti suum locum Ecclesiam aliquam triumphantem, ubi beati requiescant, neque expectari ipsum tempus extremi judicii & resurrectionis corporum, ut piorum animæ recipiantur in beatitudinem.*

5. Bellarminus ipse explicationi suæ non multùm confidit, addit enim. *Itaq; si id minus alicui probetur, respondere possumus cum Richardo de S. Victore & Haymone &c.*

6. Jacobus Tirinus Jesuita ad illum locum. *Amodò, id est, ex nunc, jam, non expectando diem extremi judicii, vel generalis resurrectionis.*

Exceptio 2. *Loqui S. Johannem de viris perfectis, ac præsertim de sanctis Martyribus, eos enim in illo loco cōsolari voluit, qui simpliciter moriuntur in Domino, neq; aliquid purgandum secum ferunt, nam qui discedunt cum peccatis venialibus, non simpliciter moriuntur in Domino.*

Resp. 1. Ex Viega in h. l. §. 2. n. 1. *Quidam recentiores in Commentariis hujus loci existimant, hic sermonem esse de Martyribus, & idem esse in Domino & propter Dominum mori. Verùm verior videtur communis sententia, quæ hunc locum non ad Martyres tantum refert, sed ad sanctos universos. Eam enim tradunt Bedá, Andreas Cæsariensis, Primasius, Pannonius, Joachimus Abbas, Ansbertus, Haymo & Richardus de S. Victore. Sic etiam eam intellexit Bernhardus Epist. 98. Non putemus, inquit, solos Martyres esse dilectos, cùm recolamus dictum. Beati in Domino morientes, non solùm pro Domino Martyres, sed in Domino confessores beati.*

2. Ex Ribera in h. l. *Idem est esse in Domino, quod vivâ fide in Christo manere, Joh 15. Ita etiam in Domino moriuntur, qui cum moriuntur, viva Christi membra sunt. Est enim hic sensus ad id, quod Apostolus agit aptissimus, quoniam priorem illum* (de Martyribus) *complectitur & ad omnes pertinet, qui sine Martyrio in summa sanctitate moriebantur.*

3. Lorinus in cap. 7. Act. super verba. *Obdormivit in Domino. In Domino mori intelligi possit de omnibus justis.*

Et postea. *Hæc expositio retinenda est, quam Ecclesia agnoscit, proponens in Officio defunctorum illa verba de omnibus justis, cui expositioni noster Vega favet, & ex utroque Testamento collegit noster Sa,* (uterque Jesuita) *ex quibus intelligi potest, quòd mori in Domino vel in Christo, significet, esse vel contineri intra ejus corpus ut viva membra Christi. Et hic sensus congruit proposito Johannis, quia etsi multi Martyres sunt tempore Antichristi, alii tamen pauci sine Martyrio morituri, quibus tamen omnibus convenit, requiescere à laboribus.*

4. Falsum est, Richardum de S. Victore & Haymonem de solis perfectis vel Martyribus hunc locum exponere. Ille sic habet, *id est, in confessionem Domini.* Hic disertè. *Hæc vox tam ad ipsum Johannem pertinet, quàm ad omnes fideles, qui remunerationem sempiternam expectant.*

Et postea. *Quod superiùs dicit, Beati, qui in Domino moriuntur, omnibus electis congruit.*

5. Jacobus Tirinus ad h. l. *Qui in Domino, id est, in fide, caritate, gratia, amicitia Dei, atque ita quasi filii in sinu patris moriuntur, non solo Martyrio, ut vult S. Ambrosius, Ansbertus, Haymo & A. cæsar, sed etiam quocunque alio mortis genere, ut Beda, Primasius, Richardus & alii exponunt.*

Exceptio 3. *Sensum esse, ut requiescant à laboribus hujus vitæ.* Remenses in h. l.

Requies est dulcissima, carere verme conscientiæ, tales sunt, qui sunt in purgatorio, Salmero in 1. Cor. 15. Disp. 26.

Requiescunt à laboribus suis, nempe quos in hac vita exantlârunt, mortificando proprias passiones, observando divina præcepta & persecutiones tolerando. Tirinus in h. l.

Resp. Communis est Pontificiorum hypothesis, *ignem purgatorii solâ duratione ab infernali igne differre.*

(Quomodo igitur beatitudo & requies à laboribus sudantibus in purgatorio tribui poterit?)

Ribera in h. l. *Beatum esse, est perfectā beatitudinem percipere.*

Viega in h. l. *Apostolus Hebr. 4. gloriam cœlestem Sabbatismum appellat, quia est ingressus in requiem Domini, de quo David Ps. 14. Quis requiescit in tabernaculo tuo sancto? & Ps. 114. Convertere anima mea in requiem tuam.*

(Ergo requies illa cœlestem beatitudinem includit. Si tantum de laboribus hujus vitæ sermo esset, mortui in Domino à laboribus ad labores, non à laboribus ad requiem transirent.)

2. Contra purgatorium urgemus etiam locum Eccles 9. v. 6. *Mortui non habent ultra mercedem, nec partem in hoc seculo in opere, quod sub Sole geritur;* & ex eo probamus, *mortuos non posse juvari vivorum suffragiis.*

Excipit Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 15. *sermonem esse de bonis hujus vitæ, quod mortui non sciant, quid agatur de rebus, quas hic reliquerunt.*

Resp. Latina versio, quæ per Concil. Trident. Pontificiis est authentica, notanter dicit, *quod non habeant partem in hoc seculo in opere, quod sub Sole geritur.* Ergò non est communicatio operum & suffragiorum inter viventes & defunctos.

3. Contra purgatorium urgemus etiam hoc argumentum. *Si animæ in purgatorio æstuantes per temporarii cujusdam ignis pœnam divinæ justitiæ pro peccatis satisfacere possunt, utique justitiæ divinæ congruit, ut animæ damnatorum, quæ in inferno torquentur, per pœnas diuturniores & graviores divinæ justitiæ satisfaciant, & ex inferno tandem liberentur. Consequens Scripturis est adversum. Ergò & antecedens.*

Excipiunt Pontificii, *esse rationem disparem. Constitutos enim in inferno esse extra statum gratiæ, illos igitur satisfacere non posse, hos verò posse.*

Resp. Bellarminus & alii Pontificii ex Matth. 5. & Luc. 12. docent, *ab animabus in purgatorio sudantibus tam severe ac rigidè integri ac universi debiti persolutionem exigi, ut non pateat illis ex purgatorii carcere exitus, nisi ultimum quadrantem persolverint.* At ubi tam rigidè ac severè integri debiti solutio exigitur, ibi non dominatur *indulgens gratia,* sed *puniens justitia.*

4. Contra argumentum ex promissione Christi converso latroni facta Lucæ 23. v. 43. petitum.

Quidam excipiunt, *verba sic distinguenda esse, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

Atqui 1. pugnat hoc contra omnium Græcorum, Latinorumque exemplarium distinctionem.

2. Maldonatus in Matth. 27. v. 44. hanc responsionem habet *pro insipida ac enervi.*

3. Bellar. lib. 1. de beat. sanct. c. 3. eam irridet. *Hæc expositio,* inquit, *est prorsus ridicula. Quorsum enim Dominus diceret, Amen dico tibi hodie? Nonne videbat latro Dominum loqui illâ die? Præterea quis non videt, per illud adverbium, hodie, responderi ad illud adverbium, Quando? Vera ergò expositio est Theophylacti, Ambrosii, Bedæ, & aliorum, qui per paradisum intelligunt regnum cœlorum.* Confer dicta superius membro 10.

Argum. advers. I. ex V. Testamento.

1. Genes. 3. v. ult. *Deus collocavit ante Paradisum Cherubim & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Per illum præfiguratum est purgatorium.* Pererius lib. 6. in Genes. §. 202. Gregor. de Valent. tom. 1. in Thom. Disput. 6. punct. 1. col. 1528. Panigarolla lect. 12. Vigor. serm. 2. de purgatorio. Fevardentius in Theomach. &c.

Resp. 1. Glossa ordinaria in h. l. sic commentatur: *Flammeus gladius sunt tribulationes & dolores & labores hujus vitæ, quibus nos exercemur, vel sententia justæ damnationis, quæ homini est data.*

2. Hu-

2. Hugo de S. Victore in h. l. *Gladius flammeus pœnæ temporales, quæ versatiles sunt, quoniam tempora volubilia sunt.*

Et postea. *Flammeus gladius tribulationes & labores & dolores hujus vitæ, quibus nos exercemur. Vel sententia justæ damnationis, quæ homini data est, quâ ita damnatus est, ut Christi passione redimi possit.*

(Allegoria de igne purgatorio non convenit textui, siquidem flammeus ille gladius erat positus ad custodiendam viam ligni vitæ, sive ut Dionysius Carthusianus loquitur, *ad hoc, ut iter ad Paradisum faceret omni homini inaccessibile.* Inde in Historia Scholastica dicitur, *ministerio Angelorum positum fuisse ignem, qui intercluderet Paradisi ingressum.* At purgatorium fingitur constitutum, ut præparet homines ad ingressum cœlestis gloriæ.)

3. Augustinus Steuchus in cap. 3. Genes. fol. 88. *Describitur gladius absolutus, quòd videl. tum esset nitidus, rutilans, scintillans; tum anceps. Quibus potius ab ipsa Theologia, quàm à nobis declaratis patet figmenta esse, meraq; animi arbitria, gladium esse vel Zonam torridam; vel ignem aliquem materialem.*

4. Dionys. Carthus. in h. l. *Et collocavit Deus ante Paradisum Cherubim & flammeum gladium, i.e. Ecclesiam suam munivit Angelorum custodiâ ac plenitudine sapientiæ salutaris, rigore quoq; justitiæ, ad custodiendam viam ligni vitæ, i.e. ingressum & aditum ad Ecclesiasticam unitatem & Christi communionem, ad quas iniqui redire non valent, nisi per pœnitentiam veram.*

(Quòd si ergò allegoria placet, cur non has potiùs, quàm illam de igne purgatorio amplectuntur?)

5. Cornelius à Lapide in h. l. citatis variis expositionibus, inter quas & ea est, quæ textum Mosaicum *de igne undiq; Paradisum ambiente* accipit, subjungit: *Dico, hæc omnia propriè, ut sonant, accipienda esse, quòd angeli ex ordine Cherubim positi sint ante Paradisum, ut ejus aditu prohiberent, tum Adam & homines, tum etiam Dæmones &c. Videntur hi Cherubim fuisse humanâ formâ induti, nam habent & vibrant flammeum gladium, & in omnes partes versatilem, ut eo feriant eos, qui Paradisum ingredi volent.*

6. Jacobus Tirinus ad h. l. sic annotat: *Flammeo gladio, id est, tam splendente & acuto, ut vibratus flammas & fulmina vomere videatur: & versatili, hoc est, apto facilimè verti in omnem partem, utpote ancipite. Sed hæc de gladio non materiali, sed metaphorico accipienda sunt, nempe de potentiâ & viribus Angelicis.*

7. Si urgere velint *Ambrosium & Rupertum per hunc flammeum gladium intelligere ignem purgatorii.*

Resp. ex Thoma & aliis lib. 2. artic. 1. cap. 3. thes. 4. citatis, *Theologiam Symbolicam non esse argumentativam.*

Urgemus & illud, quòd Cornelins à Lapide d. l. subjungit. *Ambrosius, Origenes, Lactantius, Basilius, Rupertus, ex hoc loco putant, ante cœlum positum esse ignem, quem omnes animæ etiam S. Petri & Pauli post mortem transire debeant, ut eo examinentur, & si impuræ reperiantur, ut per eum purgentur.*

(At huic igni non convenit descriptio purgatorii Papistici.)

Argum. 2. Genes. 15. v. 17. *Cum Sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans & lampas ignis transiens inter divisiones illas. Per illum clibanum fumantem, ignemq; transientem præfiguratum est purgatorium.* Fevardentius lib. 11. Theomachiæ cap. 10. n. 16.

Resp. 1. Glossa Ordin. in cap. 15. Genes. *Non nunc primò ignis visus est, cùm fœdus inter Deum & Abraham pangeretur: Lex quoq; per Mosen interventu ignis promulgata est. Cùm enim lex in medio ignis lata proponat piis præmia, transgressoribus statuat pœnas, meritò accessit ignis, ut portenderet impiis conflagrationem, piis illuminationem præberet.*

(Atqui nec illuminatio piorum, nec conflagratio impiorum ad ignem purgatorium referri potest.)

2. Pererius in allegorica hujus loci explicatione nullam purgatorii facit mentionem. *Significabat*, inquit in cap. 15. Genes. Disp. 5. n. 67. *clibanus fumans durissimam servitutem Hebræorum in Ægypto. Solet enim Scriptura eam appellare fornacem ferream. Significabat item gravissimum laborem eorum in coquendis lateribus, Exod. 1. & 5. Lampas transiens inter partes animalium divisas repræsentabat Deum fœdus cum Abrahamo pangentem, juxta priscum morem ineuntium & firmantium pacta. Vel significabat præsentiam Dei certam ferentis opem & liberationem afflictis.*

3. Cornelius à Lapide in h. l. *Allegoricè hæc facula transiens significabat gloriam Dei fidei & gratiæ à Judæis transituram ad gentes. Ita Rupertus. Anagogicè hæc facula significat diem judicii & ignem conflagrationis mundi, qui dirimet electos & reprobos. Ita Augustinus lib. 16. Civ. cap. 24.*

Argum. 3. Genes. 24. v. 63. *Isaac egressus in agrum, ut oraret. Ergò pro salute matris ex purgatorio liberandæ oravit.* Fevardentius lib. 11. Theomach. cap 10. n. 18.

Resp. 1. Cagetanus statuit, *Isaacum ad confabulandum cum operariis processisse.*

2. Pagninus vocem שוח ex Rabbi David explicat per *deambulare.*

3. Pererius fusissimè hunc locum enarrans, nullam facit *purgatorii* mentionem. *Prima*, inquit, *sententia hæc est. Isaac egressus est in agrum animi gratiâ ad loquendum, sive confabulandum: hanc fert translatio Aquilæ & Symmachi. Secunda, ad loquendum cum agricolis & operariis suis de operibus rusticis & agrestibus, hæc est Cajetani. Tertia, ad exercendum se aliquo corporalis exercitii genere vel deambulando, vel currendo, vel saltando, vel jactu ponderum. Hanc memorat & improbat S. Augustinus. Quarta, ad orandum Deum. Sic paraphrasis Chaldaica & S. Hieronymus. Quinta, ad abalienandum se vel à curis domesticis, vel per contemplationem à sensibus. Hanc innuit Ambrosius. Sexta, ad meditandas res naturales, præsertim vero motus & virtutes siderum ut putant Hebræi, quos Lyranus & Tostatus sequitur. Septima, ad studiose & delectabiliter cogitandum & meditandū, ut placet S. Augustino. Octava, ad loquendum submissâ voce, secumque sermocinandum, ut aliquid meditabundi ac mirabundi solent. Sic Vatablus. Nona, ad res admodùm graves & serias cum animo suo reputandas ac pervolutandas, ut eas postea condignè eloqui & agere posset. Sic Hamerus. Posset his addi decimâ quorundam Interpretum, ad commemorandum, quæ eo die deliberaverat, dixerat, audiverat, egerat.*

4. Franciscus Georgius sect. 3. Problem. 169. *Cur Isaac suscepturus uxorem suam Rebeccam oravit? Nonne id fieri debuit in negotio tam arduo, quam est indissolubile vinculum matrimonii? Primò enim orandum est, ut occurrat illa, quam Deus è cœlo tradidit. Secundo, ut vir & uxor in illa æterna cohabitatione pacificè vivant. Tertio, ut filii generentur grati Deo, in ædificationem familiæ & in parentum consolationem. An orando disposuit se Isaac, ut susciperet gratiam Spiritus sancti, quam videbat fulgere in Rebecca?*

5. Jacobus Tirinus ad illum locum. *Chaldæus ad orandum; Græcus, ad se exercendum, scil. spirituali exercitio orationis, agendo & colloquendo cum Deo de rebus tum naturalibus & terrenis, tum supernaturalibus, cœlestibus & divinis. Ita S. Ambrosius, Augustinus, Hebræi, Lyranus & Tostatus.*

Argum 4. Genes. 47 v. 29. & cap. 50. v. 25. *Patriarchæ desiderabant sepeliri in terra promissionis, ut essent participes precum & sacrificiorum, quæ ibi offerebantur.* Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 3. Peltanus de Purgator. cap. 8. p. 315.

Resp. 1. Patriarchæ ex hypothesi Pontificiorum non devenerunt *in purgatorium*, sed in *limbum*.

2. Petrus Comestor Autor Historicæ Ecclesiasticæ in Genes. 47. *Cura fuit Sanctis sepeliri in terra, quâ sciebant Christum resurrecturum, ut cum eo resurgerent.*

3. Lyranus in cap. 47. Genes. sic commentatur: *Non solùm propter illos* (Abrahamum & Isaacum) *desiderabat Jacob ibi sepeliri, sed principaliter propter redemptionem generis humani ibi fiendam per Christum, quia in illa terra natus est & conversatus, mortuus & sepultus, & ibidem resurrexit, & inde ad cœlum ascendit, de quibus Jacob habuit fidem & notitiam aliquam, & forsan videbat in Spiritu, quòd cum Christo resurgente resurgerent multi sancti jam defuncti Matth. 27. & sperabat cum eo resurgere.* Idem repetit in cap. 50. Genes.

4. Pererius in cap. 47. Genes. n. 21. & in cap. 50. Genes. n. 180. varias causas hujus desiderii Patriarchalis recenset, *suffragiorum autem pro defunctis* ex purgatorio liberandis hoc loco non meminit. Verba sic habent: *Principiò cupiebant illi corpora sua esse in ea terra, quam posteros suos sciebant possessuros, & longissimo tempore habitaturos, in qua sola omnium terrarum orbis verus Deus, quem ipsi coluerant, publicâ & sincerâ religione coleretur. Deinde, ut eorum sepulchra omnibus posteris essent fidei & pietatis, quam ipsi erga Deum habuerant & professi fuerant, clarissima monumenta, & ad easdem virtutes majorum suorum amplectendas & profitendas acerrima incitamenta. Ad hæc, ut essent divinarum promissionum, quas Deus ipsis & posteritati eorum dederat, testimonia: aspicientes enim horum Patriarcharum sepulchra in terra Canaan, quam possidebant, Judæi liquido cernebant, quàm abundè & cumulate promissa Dei Patriarchis data de possessione*

terræ

terra Canaan tradenda eorum posteris in ipsis essent completa. Nec illud non flagrantissimã ejus rei cupiditatem in animis eorum excitabat, quod Prophetico Spiritu divinitùs impleti noverant, in ea terra Messiam nasciturũ. Accedebat & ille stimulus (si verũ est, quod refert Tostatus) illos celebres Patriarchas non latuisse, resurgente Christo Domino post triduũ sua mortis ad vitam immortalem, unà quoq; multos de sanctis viris ibi sepultis cum eo resurrecturos, de quo numero se futuros esse sperabant. Quid plura? ad hanc terram Deus Abraham avocaverat, posthabito natali solo, omniq; cognatione suâ derelictâ: hanc terrã ex omnibus mundi partibus delegerat, quam daret possidendam populo suo, quem ut filium primogenitũ diligebat, hanc deniq; postea magnis sæpè laudibus commendaverat. In cap. 47. ex Oleastro aliam recenset causam. *Placet mihi*, inquit, *quod super hoc loco adnotavit Oleaster, quod propriis ejus verbis hic ponam. Dulcis est*, inquit, *adeò patriæ amor, ut non solum vivi eam desideremus, verum etiam mortui non nisi in ea quodammodo requiescere nos putemus. Quod si altius rem hanc cogitatione repetas, hinc cognosces, quanti sit solatii, animam esse in justorum & beatorum societate, cum eis mortuis secundum corpus sociari tantopere ab his viris desideretur.*

5. Tirinus Jesuita ad Genes. 47. v. 30. sic annotat. *Petes, Quare adeo horrebant Patriarchæ sepeliri in Ægypto? Respondet Rupertus, ut filiorum suorum animos ab Ægypti delitiis & vitiis alienos redderent, certamq; ipsis postliminio in Chanaan itidem reditus spem facerent. Secundò, ut in terra sancta tot aliis sanctorum corporibus jungerentur, & maxime Christo in Chanaan nasciturо & morituro, cum quo se quoque resurrecturos forte prævidebant aut sperabant. Tertio, ut posteri parentum suorum ossa, sanctasq; exuvias apud se, & quasi in sinu suo haberent, tanquam perpetua monumenta & stimulos virtutum parentũ. Ita S. Augustinus Tostatus & alii* (De participatione sacrificiorũ verbum nullũ.)

Argum. 5. 1. Sam. 2. v. 6. *Dominus deducit ad inferos & reducit. De inferno autem damnatorum non datur reductio. Ergo intelligitur purgatorium.* Rutlandus in Locis Comm. tit. 12. p. 300. Peltanus cap. 7. de purgat. p. 309.

Resp. 1. Gloss. ord. in h. l. accipit *de redemtione ex inferno per Christum nobis parta, & per fidem applicata. Deducit ad inferos Judæos obstinatos, dimittendo eos deduci; & reducit gentiles, ab Idololatria, per quam digni erant inferni pœnâ, revocando.*

2. Lyranus in Comment. accipit de liberatione ex morbis lethalibus. *In Hebræo habetur* (inquit) *ad fossam, id est, sepulchrum; & reducit, quia aliquando contingit, quod aliqui, de quorum sepultura jam tractatur, ad vitam reservantur, sicut de Ezechia habetur.*

3. Cajetanus in Comment. de liberatione ex carcere accipit. *Ex eo*, inquit, *quòd in Hebræo verbo præteriti temporis dicit, & fecit ascendere, cogor nomine foveæ nec infernum, nec sepulchrum, sed carcerem intelligere. A principio namq; mundi usq; ad tempus Hannæ nullus ascenderat ex inferno, nullus surrexerat à mortuis, sed multos liberos & innocentes fecerat Deus descendere in carcerem, & vinctos multos fecerat inde ascendere.*

4. Gregorius lib. 2. expos. in 1. Regum exponit *de liberatione ex terroribus inferni in hac vita*, quæ expositio est textui & aliis Scripturæ locis maximè conformis. *Ut mortificet* (inquit) *Deus, ducit ad inferos; & ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere; & quoq; ab inferis reducere, est territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere.*

5. Huic expositioni conforme est, quod Sanctius in h. l. statuit, per infernum hic denotari non locum infernalem, sed *statum miserum & abjectum.*

6. Hugo Cardin. in h. l. *Sensus est, Dominus deducit Pheninnam ad inferos, id est, ad summam afflictionem; & reducit ab inferis Annam dans liberos. Quod autem nomine inferni intelligatur gravis afflictio, habemus Ecclesiastici ultimo.*

7. Bulengerus contra Plessæum lib. 3. de Euch. c. 6. hunc locũ accenset iis, quos negat *satis firmos esse ad probandum purgatorium.* Bellarm. eum prorsus omisit.

8. Dionysius Carthusianus in h. l. *Reducit mortuos suscitando, vel eos, qui lethaliter infirmantur, curando. Tales enim erant quasi in via ad inferos.*

9. Emanuel Sa in h. l. *Ad inferos, id est, sepulchrum. Repetitio præcedentium.*

10. Jacobus Tirinus in h. l. *Inferi vel propriè sumuntur; vel pro extrema miseria & calamitate, quæ morti vel inferis opinione vulgi comparari solet.*

Argum. 6. 1. Sam. 25. v. 29. *Anima Davidis ligata in fasciculo viventium, i. e. purgatorio.* Fevardent. lib. 11. Theom. cap. 13. n. 6.

Resp. 1. Galatinus lib. 6. de arcan. Cath. verit. cap. 9. Pagninus in voce צרור non de *purgatorio*, sed *de limbo* exponunt.

2. Lyra in h. l. sic commentatur. *Anima tua à Deo protegetur contra omnes insidias malorum. Dicunt hic aliqui, quod loquatur metaphoricè, quoniam sicut ramusculi alibi transplantandi vel inserendi in fasciculo ligantur &c. sic justi in præsenti vita conservantur in humore gratiæ, ut transplantentur in terra viventium per adeptionem gloriæ.*

3. Sanctius ad h. l. *Custodiri in fasciculo viventium nihil aliud significat, quam inter viventes numerari & à morte eximi, quæ hominem a viventium fasciculo dissolvit. Sensus ergo est, quod Deus Davidem ab omni vi atq; hostili machinatione præstiturus sit incolumem.* Eodem modo explicat Tirin.

Argum. 7. 1. Sam. 31. v. ult. *incolæ Gabes, Gilead & David cum suis planxerunt & jejunaverunt septem diebus super Saul & super Jonathan & super populum Dei, quod corruissent gladio.* Confer 2. Samuel. 1. v. 18. 1. Paral. 10. v. 12. *Ergo simul obsecrarunt Deum pro animabus eorum ex purgatorio liberandis.* Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 3. Costerus in Enchirid cap. 16. Propos. 7. Viguerius in Instit. cap. 6. §. 4. v. 28. Sanctius in Comment. illius loci.

Resp. 1. ex Bellarmino lib. 2. de purgat. cap. 6. resp. ad 3. *Cum inter filios Saulis esset etiam Jonathan justus, non erant descensuri ad eundem locum Saul & Jonathan.*

(At si hoc jejunium ad animas eorum juvandas susceptum fuisset, utique in uno eodemque loco & statu, videlicet *in purgatorio* ipsos constitutos fuisse oportuisset.)

2. Idem Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 11. §. 1. *animam Jacobi Patriarchæ in limbum, non in purgatorium* collocat, de quo Genes. 50. v. 3. & 10. dicitur, *quod filii ejus & Ægyptii septem diebus ipsum planxerint & septuaginta diebus defleverint.*

(At si ex jejunio septem dierum à civibus Gileaditicis post mortem Saulis ac Jonathanis suscepto colligi posset, animas eorum in purgatorium descendisse, utique ex planctu totidem dierum & fletu 70. dierum post Jacobi mortem à filiis Israel & Ægyptiis suscepto colligi posset, ipsius animam in purgatorium fuisse delatam.)

3. Hugo Cardinalis in h. l. super verba, *jejunaverunt septem diebus. Ecclesiastici 22. Luctus mortui septem dies, fatui autem & impii omnes dies vitæ illorum.*

4. Peltanus cap. 8. de purgat. pag. 329. scribit *non esse orandum pro iis, qui scientes volentesq; mortem sibi consciverint.*

(Talis verò fuit Saul, de quo Scriptura dicit, *quod mortuus fuerit in peccatis suis* 1 Paral. 11. v. 13. adeoque in infernum detrusus fuerit Joh. 8. v. 25. Ergò David non oravit pro ipso, nec Gileaditæ pro ejus liberatione ex purgatorio jejunârunt.)

5. Lyranus in Comm. dicit, *Gileaditas jejunâsse in signum tristitiæ pro morte Saul & filiorum ejus.*

6. Tostatus in h. l. quæst. 19. sic commentatur: *Fecerunt hoc viri Jabes ad impendendum honorem & compassionem funeri Saulis, & hoc specialius egerunt, quam omnes Israelitæ, primo, quia exposuerunt se morti, eundo in urbem Bethsan pro cadaveribus horum. Secundo, quia afflixerunt se diebus septem jejunio propter mortem Saulis, hoc autem fuit in signum gratitudinis. Nam Saul liberaverat viros Jabes à morte, quando Naas Rex Ammon oppugnabat eos, petieruntq; ab illo inducias septem dierum, ut si non esset, qui liberaret eos in diebus illis, traderent se Regi Ammon ad hoc, quòd erueret oculos eorum dextros. Saul autem ante finem horum dierum triumphavit magnifice de Ammonitis, & liberavit viros Jabes, ideò in memoriam illorum septem dierum jejunaverunt septem diebus pro Saule & filiis ejus.*

7. Emanuel Sa in h. l. *Jejunaverunt, scil. in signum mœstitiæ.*

Argum. 8. Ps. 6. v. 1. Ps. 38. v. 1. orat David. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Per furorem, qua brevis est animæ passio, pœna purgatorii; & per iram, quæ diu insidet, inferorum tormenta designantur.* Bellarmin. lib. 1. de purgat. cap. 3. Schoppius in Comment. de Indulgent. cap. 45. fol. 34. Fevardent. lib. 11. Theomach. cap. 16. n. 1.

Resp. 1. Non consentiunt in applicatione hujus dicti ad purgatorium Fevardentius *furorem* exponit de purgatorio; *iram* de inferno. Sed Bellarminus & Schoppius contrà, *furorem* de inferno & *iram* de purgatorio interpretantur.

2. Lyranus, Cajetanus, Eugubinus, Folengius, Genebrardus & Jansenius in Psalm. 6. *iram ac furorem* pro verbis unam eandemque rem significantibus accipiunt, sensu eo, quod David

vid precetur, ne Dominus ipsum puniat secundùm rigorem justitiæ, sed magis secundùm dulcorem suæ misericordiæ.

Arias Montanus in elucid. hujus Psalmi Antuerp. 1569. excusa. *Græcis una est res, quam duobus etiam vocabulis Græcanicus Codex exprimit.*

Lombardus in Ps. 6. *Accipitur hic ira & furor pro eodem, id est, pro judicii die, quo malis videbitur Deus irasci.*

Lorinus ibid. *Quòd Græci etiam & Latini non pauci, non tantùm Augustinus, rem eandem diversis exponi dicunt verbis, mihi magis placet.*

Bellarminus ibid. *Porrò, ira & furor pro eodem hoc loco accipiuntur, sicut etiam argui & corripi, est enim, ut aliàs annotavimus, familiare Prophetis idipsum bis repetere explicandi vel inculcandi gratiâ.*

Idem in Psal. 38. *Vide, quæ diximus ad initium Psalmi sexti, ubi ostendimus, nihil interesse hoc loco inter furorem & iram: & inter arguere & corripere.* (Stante hac hypothesi, non potest purgatorium ex h. l. probari.)

3. Repugnat etiam hæc explicatio hypothesibus Papistarum. Psaltes enim æquè deprecatur *furorem ac iram.* Per furorem igitur non possunt intelligi pœnæ purgatorii, quippe quas ex hypothesi Pontificorum Deus non potest condonare salvâ suâ justitiâ.

4. Gregorius Magnus in Psal. 6. *Hic me potiùs argue, dum tempus est misericordiæ, corripe: dum dies salutis est, exerce. Quisquis in hac vita flagellis atteritur, in mansuetudine corripitur, quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur, quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur.*

Ibid. *Sicut major est furor, quàm ira, ita arguere majus est, quàm corripere.*

(Quomodo igitur per furorem purgatorii; per iram inferni pœnæ intelligi poterunt?)

5. Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 13. resp. ad 8. *Post hanc vitam non erit locus, ubi flagitiosi convertantur & mores suos corrigant.*

(Ergò post hanc vitam non ampliùs locum habebit castigatio illa paterna ad correctionem & emendationem, de qua Psaltes loquitur.)

6. Idem Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 3. dicit, *hæc verba variè exponi posse.*

(Ergò ad fulciendum purgatorium parùm roboris habebunt, quia dogmata fidei ex claris & perspicuis Scripturæ dictis probari oportet.)

Argum. 9. Psal. 39. v. 12. *Si reprehensionibus pro iniquitate castigas quempiam, liquescere facies, ut tineam, desiderium ejus. Hoc fit in purgatorio.*

Resp. 1. Nec Lyranus, nec Cajetanus, nec Eugubinus, nec Folengius, nec Genebrardus, nec Jansenius, nec Bellarminus, nec Tirinus in Comment. h. l. ullam purgatorii mentionem faciunt, sed de *castigatione in hac vita* locum exponunt.

2. Origenes solus ex veteribus ad purgatorium hunc locum accommodat, sed ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 13. Pontificios Origenis autoritatem repudiare.

3. Origenis purgatorium *bonos & malos*, adeoque omnes homines suscipit, quod Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 1. numerat inter *errores.*

Argum. 10. Psal. 49. v. 16. *Deus redimet animam de manu inferi.* Fevardent. lib. 11. Theom. cap. 16. n. 3. Eisengrein in der dritten Leichpredigt/ fol. 39.

Resp. 1. Pagninus in voce שְׁאוֹל *de manu inferni, aut potiùs sepulchri, quia scil. non consumetur consumto corpore, sed jungetur superioribus.*

2. Bellarminus in Comm. h. l. *Videtur hoc loco prædicere redemtionem, quæ est in Christo Jesu, & descensum ejusdem, Christi ad inferos: tunc enim persoluto precio sanguinis redemit de manu inferi animas justorum, cùm descendens ad inferos accepit eas & ad se assumsit. Sic veteres Patres, Basilius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus & Euthymius.*

3. Aignanus in h. l. *Significatur etiam inferni nomine locus inferior, ad quem ante Christum omnes quantumcunq; justi descendebant, licèt diversimodè: de quo inferno sanctos Patres redemit, cùm illos secum extraxit, ibidem dimittendo reprobos.*

4. Franciscus de Puteo in Catena. *De manu inferi, id est, de potestate Diaboli, qui ante adventum Christi animas detinebat, vel secundùm Cassiodorum, sive hoc Dominus Christus de se dicat, sive à parte membrorum suorum, ut assolet, loquatur, commodum est. Ipse enim descendens nedum animã suam ab inferno liberavit, sed simul & illorũ, qui adventũ ejus constanti animo crediderunt.*

(Hi omnes locum Davidicum exponunt de *limbo Patrum.* Atqui limbus Patrum est à purgatorio distinctus.)

Dionysius Carthus. in h. l. *Veruntamen redimet Deus animam meam de manu inferi, id est, de causa ac merito cadendi in pœnas inferni, id est, de peccato mortali & de servituti Diaboli, cùm acceperit me, i. e. cùm gratiosè & misericorditer egerit mecum vitia ignoscendo & gratiam infundendo. Vel redimet de manu inferi, i. e. de omni potestate Diaboli ac pœnis inferni, cùm acceperit me ad immortalitatem ac impassibilẽ statum, videl. in die judicii.*

6. Cornel. Jansenius in h. l. *Cùm Deus me aut quemcunq; virtutis studentem ex hoc mundo susceperit, animam meam de potestate inferni liberabit, nec sinet ab inferno rapi ac detineri cruciandam æternis cruciatibus.*

7. Lorinus in h. l. *Deus, cùm ex hoc mundo me evocaverit, non sinet animam meam in damnatorum descendere locum, sed in beatorum domicilium deducet &c.*

Argum. 11. Ps. 66. v. 12. *Transivimus per aquam & ignem, & eduxisti nos in refrigerium. Ergò datur purgatorium.* Fischerus Roffensis Episcopus art. 37. contra Lutherum. Bellarminus lib. 1. de purgat. capite 2. Lorichius in voce Purgatorium, n. 3. Vigor. in probatione Purgatorii n. 2.

Resp. 1 Glossa ordinar. accipit de Martyriis Confessorum.

Lyranus in Comm. hunc loc. accommodat *ad servitutem Ægyptiacam Israelitarum.*

Cajetanus & Genebrardus *ad tribulationes, quas tum in Ægypto, tum in deserto ante ingressum in terram Canaan populus Israeliticus sustinuit.*

Blasius de Viega in cap. 10. Apoc. pag. 418. approbat expositionem Bernhardi. *Transivit per ignem & aquam, quem non tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt.*

Ribera in Comm. Zach. 13. n. 17. Genebrardus in h. l. Emanuel Sa in h. l. Hector Pintus in Comm. Es. 43. Cornel. Jansen. in h. l. sequuntur simplicissimam & textui accommodatissimam interpretationem, quâ per *ignem & aquam* metaphoricâ loquendi consuetudine *omnis generis adversitates* intelliguntur, quib. David & omnes pii in hac vita fuêre subjecti.

Aignanus in h. l. *Hic per ignem significatur adversitas, sed per aquam prosperitas secundùm Glossam.*

2. Estius in Comm. 1. Cor. 3. agnoscit, *ex hoc loco minùs commodè probari purgatorium.*

3. Bellarminus sequitur Origenem & Ambrosium, qui *ad ignem purgatorium* hunc locum accommodant.

(At quâ fronte illorum autoritatem nobis in hac quæstione opponit, quorum sententiam, quòd sc. *omnes tam boni, quàm mali post hanc vitam igne illo purgari debeant,* inter *errores* recenset lib. 2. de purgat. cap. 1.?)

Quinimò idem Bellarmin. in Comm. Ps. 66. exponit *de variis calamitatibus hujus vitæ. Per ignem intelliguntur atrocia supplicia, flagella, vulnera, cædes, combustio; per aquam supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, fames.*

4. Johannes Fischerus Episc. Roffensis hunc locum deserit sic scribens art. 37. *Quod alii sic nugantur,* (purgatorium scil. ex hoc loco eliciendo) *ego non probo.*

Et postea addit. *Hunc locum in persona omnium sanctorum intelligi posse.*

5. Bellarminus concedit *locum hunc posse habere varios sensus.*

(At dogma fidei controversum non potest certò probari per dictum varii & consequenter incerti sensus.)

6. Si in purgatorio est *aqua & ignis* juxta hujus loci hypothesin, quomodo dictum Propheticum *de lacu, in quo non est aqua,* ad purgatorium accommodari poterit?

Arg. 12. Ps. 86. v. 13. *Confitebor tibi Domine* Deus *meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.* v. 14. *Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiore.*

Fevardentius in Theomach. hunc locum accommodat ad purgatorium, quod vocari putat *infernum inferiorem vel ratione limbi patrum, vel respectu istius terrarum orbis.*

Resp. 1. Dionysius Carthus. in h. l. *ad limbum* applicat. *Ex inferno inferiori, i. e. ex limbo inferni infra terram existente. Ex hoc inferno eruit Deus animam Christi tertia die.* Dionysium sequitur Tyrinus.

2. Lorinus in h. l. sic commentatur; *Augustinus hoc loco explanat solum infernum inferiorem de loco damnatorum, vel illo,*

in quem

in quem Christus descendit, qui erat limbus justorum, non autem de purgatorio, quod eidem autori, atque Cassiodoro & Brunoni Carthusiano Fevardentius tribuit, qui nihil aliud, quàm Augustinus docent. Nec ullum legi, qui probet hoc testimonio purgatorium.

(Sic ergò Lorinus Fevardentium sublestæ accusat fidei.)

3. Bellarminus in h.l. *Hoc est beneficium, pro quo gratias agit: quia videl. ex magna misericordia sua Deus, non ex meritis ipsius hominis supplicantis, eruerit animam ejus de inferno inferiore, id est, justificaverit eum à peccatis, ob quæ ad infernum inferiorem descensurus erat, nisi per gratiam liberaretur. Et verè jam magna misericordia Dei est ea, quâ nos ex injustis justos facit, quàm magna est pœna gehennæ perpetua, à qua liberamur, & quàm magna est felicitas sempiterna, ad quam jus accipimus & aditum apertum habemus.*

Idem Bellarminus lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 16. resp. ad 3. testim. *Remissa sunt Mariæ peccata, non in quæ inciderat, sed in quæ incidisset, nisi gratiâ Dei per Christi merita præventa fuisset. Neq; est hic modus loquendi à Scripturis divinis, vel ab Augustini disputationibus alienus. Certè in Ps. 85. dicit Propheta. Eruisti animam meam de inferno inferiori &c. Nec tamen in infernum inferiorem Propheta ceciderat, sed quia periculum erat, ne id fieret & gratiâ Dei periculum illud evaserat, ideò gratias agit, ac dicit. Eruisti.*

4. Emanuel Sa in h.l. *Ex inferno inferiore. Quasi dicat, de morte æterna.*

5. Lyranus *liberatum Davidem* docet *ab eo inferno, ad quem erat mittendus sive ob peccatum Betsabeæ, sive, quod mavult, ob cædem Sacerdotum Nob, cujus etsi non causa, at saltem occasio erat.*

Argum. 13. Ps. 107. v. 14. *Reduxit eos de tenebris & umbra mortis, h.e. ex purgatorio.* Eisengrein in der 3. Leichpredigt fol. 40.

Resp. 1. Lyranus interpretatur *de mortis periculo.*

2. Cajetanus in hunc Psalmum *de malis carceris.*

3. Lorinus in h.l. *Eduxit eos de carcere, vinculis, & quæ his connexa sæpiùs est, inopia, penuriaq; victus & aliarum rerum necessariarum, Hæc vita nihil aliud est, nisi ergastulum, carcer, custodia, vinculum, sepulchrum animæ &c.*

Argum. 14. Eccles. 4. v. 14. *De carcere interdum quis egreditur ad regnum, id est, de purgatorio ad cœlum.* Clingius libr. 4. Locor. Comm. cap. 49. p. 452.

Resp. 1. Lyranus in h.l. sic commentatur: *Potestas temporalis aliquando subitò & casu aliter venit ex magna miseria, sicut patet de Joseph, qui eductus de carcere, statim factus fuit* Princeps *Ægypti & secundus à Rege.*

2. Dionysius Carthusianus *Josephi exemplo* hunc locum illustrat, *purgatorium* in eo non quærit.

3. Pineda in Comm. h.l. eandem expositionem amplectitur.

4. Qui allegorias sectantur, referunt *ad Christum ex carcere sepulchri ad regnum Patris exaltatum.* Hugo Cardin. in h.l.

Argum. 15. Esai 4. v. 3. *Abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem lavabit in Spiritu judicii & Spiritu ardoris. Per filias Sion intelliguntur animæ; per sordes & sanguinem peccata, peccatisq; debitæ pœnæ, à quibus lavantur animæ in purgatorio.* Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 3. Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæres. in voce Purgatorium, pag. 249. Fevardentius, Thyræus, Costerus, Vigor, Peltanus & alii.

Resp. 1. Glossa ordin. *In Spiritu judicii, scil. tribulationis & passionis, quibus purgantur electi, unde vasa figuli probat fornax. Unde Johannes. Ego vos baptizo in aqua: ipse in spiritu sancto & igne. Spiritu ardoris, qui datur in Baptismo, ubi discretio: ex tunc enim apparet, quibus pœna sit prædestinata, quibus corona.*

2. Glossa Interlin. *Laverit, per pœnitentiam, unde Lavamini, mundi estote: in Spiritu judicii, leviora: & Spiritu ardoris, graviora. Ardoris, ferventis caritatis, quâ sanguinem fudit.*

3. Hugo Cardinal. *exponit de Spiritu S.*

4. Lyranus in Comment. sic exponit: *Abluet sordem filiarum Sion, id est, Ecclesiam Spiritu judicii, quia Christus per viam justitiæ pro nobis satisfecit, & Spiritu ardoris, quia hoc ex maxima caritate fecit.*

5. Bellarminus fatetur, *Patres in expositione hujus loci variare, Augustinum ad purgatorium eum applicare.*

(Atqui Augustinus non ad purgatorium, sed ad ignem extremi judicii hunc locum applicat. Jam verò purgatorium ex hypothesi Pontificiorum in die judicii extinguetur.)

6. Propheta non loquitur de peccatis *venialibus*, sed *mortalibus*, quæ *sanguinum* nomine juxta usitatam Scripturæ phrasin denotat.

(Jam verò ex hypothesi Pontificiorum *venialia tantùm, non autem mortalia peccata in purgatorio abluuntur.*)

7. Cornelius à Lapide in h. l. genuinum sensum dicit hunc esse. *Spiritus sanctus est Spiritus judicii, quia facit primò, ut nostra videamus, judicemus & damnemus peccata. Secundo, quia judicat, id est, discernit fidelem ab infideli, pium ab impio. Tertiò, quia mentem illuminat per fidem, tribuens remissionem peccatorũ faciensque ut pia, sancta, cœlestia judicemus, id est, æstimemus, discernamus & amplectamur præ vanis, fœdis & terrestribus opibus & voluptatibus. Idem dicitur Spiritus ardoris, vel ut Vatablus vertit, incendii, id est, caritatis tum divinæ, tum nostræ, nobisq; infusæ, quâ nos ipse accendit, carnisq; vitia & carcinomata adurit, unde de hoc Spiritu ait Johannes Baptista. Qui post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.*

8. Ribera in Comment. Malach. 3. p. 797. eandem expositionem amplectitur. *Christus* (inquit) *ignis Spiritus sui calefaciet animas suorum & expurgabit, ut ignis metalla. De hoc dictum est Esai 4. Si abluerit Dominus sordes &c.*

9. Sanchez & Sanctius accipiunt *de captivitate Babylonica Israëlitarum.*

10. Suarez tom. 4. Disp. 45. sect. 5. scribit, *sensum Prophetæ literalem alium esse,* (quàm de purgatorio) *& se hunc locum omittere.* Eadem est sententia Estii in Comment. 1. Cor. 3.

11. Franc. Toletus in cap. 3. Luc. *Hoc utrumq; Baptisma* (Christi scil. *in Spiritu sancto & igne,* de quo Baptista loquebatur) *prædixit Esaias cap. quarto. Si abluerit, inquit, Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus in Spiritu judicii & Spiritu ardoris. Lavat Dominus sordes filiarum Sion Baptismo in Spiritu sancto: sordes etiam sunt peccata pœnitentium, quæ sunt ut sordes, quæ non sunt multùm affixa corpori: Sanguinem verò, id est, peccatores inhærere volentes peccatis, quæ sunt ut sanguis, habens colorem quasi inseparabilem, purgat & lavat de medio Herusalem Spiritu judicii separando de medio justorum, & Spiritu ardoris seu combustionis, mittendo in caminum ignis æterni.*

(Atqui neuter Baptismus ad purgatorium pertinet.)

12. Emanuel Sa in cap. 4. Esai. etsi vidit, atque adeò admonuit, *transferri hunc locum ab Augustino ad Purgatorium,* tamen longè aliter exposuit. *Sanguinem, id est, homicidia, quæ per reliqua peccata intelliguntur; judicii scil. puniendo, vel in ipsis, vel in Christo, per cujus passionem justificamur, adjunctâ tamen etiam nostrâ cooperatione: ardoris, id est, caritatis & divinæ & nostræ.*

(At purgatorius ignis non habet adjunctam nostram cooperationem, nec est ignis caritatis divinæ vel nostræ.)

13. Jacobus Tirinus in h. l. *Expiatio sordium & scelerum à Judæis accummulatorum fiet in Spiritu judicii & ardoris, id est, per justam & severam punitionem, puta incendium urbis & templi, quo incendio à scoria sua expurgati sunt Judæi.*

Argum. 16. Esai 9. v. 18. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus & involvetur uti fumus. Ergò datur purgatorium.* Bellarminus lib. 1. de Purg. cap. 3. Schoppius in Apologet. cap. 57. f. 81.

Resp. 1. Lyranus in Comment. sic exponit: *Impietas populi provocat iram Dei contra se quasi ignem ardentem, qui consumit vepres, id est, populum omnem.*

2. Hector Pintus in Comm. sic scribit: *Sensus est, impietas hostium Israëlis accensa est, & non populum aliquem pium & Deo devotum, sed vepres & spinas, id est, Israëlitas sceleratos devorabit. Comparat enim Propheta Israëlem vepribus & spinis.*

3. Hugo Cardinalis in h.l. *Impii succendentur igne æterno pro impietate sua. Vepres & spinam, id est, ipsos duros & asperos peccatores vorabit ignis gehennæ, quos priùs voraverat ignis culpæ.*

4. Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 1. §. ultimò. *Purgatoriũ pro iis tantùm est, qui cum venialibus culpis moriuntur.*

(Atqui talia non sunt ea, quæ ignis iste devorabit. *Succensa est impietas ut vepres & spinæ,* quibus nominibus venialiter peccantes nunquam nominantur. Unde Cornelius à Lapide & Sanctius agnoscunt, *Prophetam loqui de summa instar ignis grassante impietate, & futura ejus ultione rigorosa.* Eodem modo exponit Tirinus in Comment. *Impietas in toto Israël succensa est, latissimè grassatur, ubique dominatur quasi ignis, qui in sylvam immissus primò devorat veprem & spinam, ignobiles frutices, sed mox ad arbores quoq; & nobiliores plantas proserpit.*)

5. Propheta dicit, *succensa est quasi ignis impietas.* (At purgatorius ignis ex hypothesi Bellarmini est verus & corporeus ignis.)

6. Propheta dicit v. 21. *In hoc toto non est aversus furor ejus.* Pontificii verò docent, *per pœnas purgatorii Deo satisfieri, ut furor ejus avertatur.*

Argum

Et postea: *Per fluvium igneum denotatur pœna infernalis trahens peccatores ad infernum. Egrediebatur à facie ejus, quia tollitur impius, ne videat faciem Dei.*

2. Pererius ibid. *Deinceps in eadem visione ipsi præmonstratum est futurum Messiæ regnum, præsertim autem ipse una cum populo sancto suo, deletis omnibus aliis regnis, post mundi renovationem sempiterno & felicissimo ævo regnaturus est. Sed quia id præibit generale hominum judicium, expressis aliquot maxime notabilibus ejus circumstantiis ejusmodi judicium describitur.*

Et postea. *Quarta circumstantia. Fluvius igneus rapidusq́ egrediebatur à facie ejus. Sic exprimitur sententia illius ultimi & generalis judicii, ipsius judicis ore prolata, & ab omnibus, qui coram aderunt, exaudita & percepta, quæ instar rapidissimi fluminis improbos demerget, absorbebit, & ad tartarum deturbabit, ita ut non possint illi coram judice consistere. Illud autem, rapidus & igneus, indicat sententiam illam judicii, quam celerrime & efficacissime à Dæmonum turba improbis & in tartarum delatis executioni mandandam.*

3. Cornelius à Lapide ad h. l. sic commentatur: *Quasi ex igneo fonte Deo fluvius igneus emanat, qui significat sententiam ejus, utpote summi judicis efficacissimam & celerrimam, inquit S. Hieronymus. Hic ergo fluvius est gladius anceps, utrinq́ acutus & scindens, quem de ore Christi judicis procedere vidit Johannes Apocal. 1. v. 16. de quo & Mosi dixit Deus Deuter. 32. v. 21. Si acuero, ut fulgur, gladium meum, & arripuerit judicium manus mea &c. Alii per hunc fluvium igneum accipiunt ignem conflagrationis mundi, de quo Psal. 96. v. 3. &c. Verum hic judicium non Christi, sed Dei Patris pro Christo contra Antichristum describitur. Prior ergo sensus est genuinus. Symbolice S. Dionysius de cœlesti Hierarch. cap. ult. has rotas, currus & flumen adaptat Angelis Dei.*

4. Jacobus Tirinus in h. l. *Fluvius igneus rapidusq́, à facie & ore judicis quasi ex igneo fonte egrediens, sententia est, quam pronunciat, instar ignis efficacissima simul & celerrima, inquit S. Hieronymus: quam Apoc. 1. v. 16. gladium vocat ancipitem.*

Arg. 18. Mich. 7. v. 8. *Ne lateris inimica mea super me. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec ipse causam meam judicet, & faciat judicium meum.* Hunc locum *ad purgatorium* accommodat Bellarminus lib. 1. de Purg. c. 3. Fevardent. lib. 11. Theomachiæ c. 22. Panigarolla lect. 12. Schoppius in Apologet. c. 58. Peltanus c. 7. de Purgat. p. 317. &c.

Resp. 1 Lyranus, Glossa interlinearis & Hugo Cardinalis accipiunt *ut consolationem*, quam pii Israelitæ in captivitate Babylonica vera fide amplecti debeant. Lyranus sic annotat: *Ne lateris tu Babylon de captivitate Juda, quia cecidi in manibus tuis: consurgam per Cyrum liberanda: hæc enim non possunt intelligi de captivitate decem tribuum, quæ non redüt. Cum sedero id est, postquam fuero in tribulatione captivitatis, Dominus lux mea est, afferens mihi lætitiam. Iram Domini, id est, ab eo inflictam mihi portabo patienter, donec causam contra Babylonem judicet.*

2. Benedictus Arias late hunc locum explicat, *purgatorii* vero non meminit.

3. Ribera in Comment. h. l. *Loquitur in persona populi Propheta, id est, in persona Jerusalem, quæ Babylonem inimicam suam, à qua vastata est, exultare prohibet, eò quod sit iterum post captivitatem ædificanda & habitanda.* In sensu allegorico applicat ad *Christi ex mortuis resuscitationem.*

4. Schoppius ipse ait in Apologetico fol. 82. *Hic sensus* (de purgatorio) *est allegoricus, ac proinde argumentum non est firmum.*

5. Cornelius à Lapide in h. l. *Sensus est, Ne lateris in mei excidio, ô inimica mea, ô æmula Idumæa. Licet enim ceciderim, tamen post 70. annos rursus Deus per Cyrum me exiget & restaurabit: tunc consurgã, cũ sedero in tenebris, puta in tenebricoso carcere Babylonio &c.*

6. Jacobus Tirinus ad h. l. *Ne lateris, ô Idumæa, ô æmula, ô inimica jampridem mea, super casu & excidio meo, inquit Jerosolyma. Consurgam enim iterum, expletis 70. annis, quibus sedebo in tenebris calamitatum & afflictionum. Dominus enim Lux mea est, i. e. illuminabit me, restituet me pristinæ lætitiæ, libertati, felicitati & gloriæ.*

Arg. 19. Zach. 9. v. 11. *Tu quoq́, in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Nomine vinctorum intelliguntur illi, qui erãt in purgatorio.* Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 3. Salmero in 1. Cor. 15. Disp. 26. Costerus in Enchir. c. 16. pag. 492. Schoppius in Comment. de Indulg. c. 45. fol. 34. Petrus Thyræus in Append. 2. libri de apparit. Spirituum. Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q. 23.

Resp. 1. Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 11. ex hoc loco *limbum Patrum* fulcire conatur. Grodicius conc. 2. in festo paschatos itidem *de limbo* accipit. Idem faciunt Thomas p. 3. q. 52. art. 1. Ribera in c. 9. Zach. p. 722. Barradius tom. 3. Conc. Evang. lib. 4. c. 5. Viguerius in Institut. c. 16. §. 4. v. 30. Cornelius à Lapide in Comm. Zach. 9. Jacobus Tirinus ibid.

Becanus in Dispur. de Purgat. Clavinist. p. 25. dubius est, an *ad limbum* Patrum, an *ad purgatorium* referri debeat, tom. 3. opusc. 10. c. 2. n. 7. p. 578. sic scribens: *Catholici aut limbum Patrum antiquorum, aut certe nostrum purgatorium intelligi putant.*

(Conveniant ergo prius, an de *limbo Patrum*, an de *purgatorio* hunc locum intelligere velint, cum enim sint hęc duo receptacula distincta, ideo non possunt simul de utrisque accipi.)

2. Salmero in 1. Cor. 15 Disp. 26. §. Vocatur. *Per lacum, in quo non est aqua, significatur locus, in quo non est consolatio.*

(At Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 4. §. Tertio, quia. *Animæ in purgatorio habent admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem propter certam spem salutis.* Quemadmodum ergo Bailius & alii, qui negant, hunc locum *de limbo Patrum* agere, pro sua sententia tale formant argumentum. *Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua. In limbo est aqua consolationis. Ergo non agit de limbo:* ita contra eos, qui de purgatorio hunc locum accipiunt, eodem argumento uti possumus. *Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua. In purgatorio est aqua consolationis. Ergo non agit de purgatorio.*)

3. Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 8. disputat, *animas ex purgatorio ad nos in terris adhuc viventes proficisci posse.*

(Ergo non sunt vinctæ in purgatorio. Jam vero Propheta loquitur *de vinctis.*)

4. Si purgatorium est *lacus sine aqua*, cur ad illud applicant dictum Psal. 66. v. 12. *Transivimus per aquam & ignem?*

5. Ribera in Comment. h. l. p. 725. sic scribit: *Pergit Christi potentiam nobis ob oculos ponere. Tu quoq́, in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Non est, ut jam diximus, omnis carcer lacus, sed subterraneus & obscurus, quo illi conjici solent, qui morte damnantur. Jerem. 38. Hoc ergo ait, tantam esse vim sanguinis Christi & illius beatæ passionis, ut non solum eos, qui carcere, id est, communibus peccatis tenentur, sed eos etiam, qui sunt in lacu, & in profundum peccatorum venerunt, & desperata salutis sunt, possit emittere de lacu & de umbra mortis efferre in lucem filiorum Dei.*

6. Eodem modo Glossa interlin. interpretatur, *Tu vero, ô Christe fili, in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos, hoc est, sanguine passionis tuæ eos, qui tenebantur vincti in carceribus inferni, in quo non est ulla refrigerans misericordia, quam dives quærebat, liberasti tua misericordia.*

7. Arias Montanus in c. 9. Zachar. refert scopum Zachariæ *ad liberationem populi Israelitici ab omni sua captivitate, inprimis quoq́, à servitute legis moralis, quam Israelitarum conditionem cisternam sine aquis vocatam existimat.*

Excipiunt, *fideles non posse dici ex inferno redemtos, cum in infernum non descenderint.*

Resp. Redimere dicitur etiam is, qui alium à captivitate præservat, ut ex Psalmis Davidicis constat. Bernhardus serm. 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc è captivitate defendens. Et hac ratione fuit æque utriq́ redemtio, solvens illum & servans istum.* Confer dicta superius in resp. ad 12. arg. membr. 3.

Arg. 20. Zachar. 13. v. 8. *Ducam tertiam partem per ignem & uram eos, sicut uritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum. Hoc dictum loquitur de igne, quo purgantur peccatrices animæ, postquam è corporibus excesserint.* Fevardent. lib. 11. Theomachiæ cap. 22. num. 6.

Resp. 1. Glossa interlin. ex Hieronymo sic exponit: *Ne ista tertia pars sit delicata & secura, per ignem tribulationis probatur.*

2. Ribera in c. 13. Zach. p. 753. profert sensum: *Populum hunc Christianum, quem mihi reliqui, variis tentationibus & à laboribus exercebo & probabo, ut fiat quasi aurum purissimum.*

3. Cornelius à Lapide in Comment. h. l. p. 316. *Ducam tertiam partem per ignem, id est, fideles probabo & purgabo igne persecutionum & tribulationum, ut purificentur instar argenti, perfectiores vero eodem excoquam, ut solidentur, perficiantur, & splendeant instar auri.* Sap. 3. v. 5. Prover. 17. v. 3. Jobi 23. v. 10. Eccles. 2. v. 4. &c.

4. De igne afflictionum etiam accipit Tirinus in Comm.

Arg. 21. Malach. 3. v. 2. *Ipse erit quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, id est, animas credentium in purgatorio.* Alphonsus de Castro lib. 12. advers. hæreses, verbo Purgatorium, hæresi 1. Bellarminus lib. 1. de Purgat. c. 3. Viguerius in

in Institut.c.16.§.4.v.28. Canisius in opere Catechet. q.9. de Pœnit.p.309. Costerus in Enchirid.c.16.p.494. &c.

Resp.1. Lyranus in Comm. sic exponit: *Ipse quasi ignis conflans ad probationem electorum, & purgabit filios Levi, id est, Apostolos, quorum aliqui fuerunt de tribu Levi, & omnes fuerunt novæ legis Episcopi.*

Ibid. *Hic consequenter ponitur effectus utriusq; adventus, tamen in quodam generali & primo primi, secundo secundi, ibi Et accedam. Effectus autem primi fuit vocatio aliquorum ad fidem, quos in primitiva Ecclesia probavit quasi aurum in fornace per tribulationes in Judæa, ut patet in Actibus Apostolorum in pluribus locis, & postea per Tyrannos in omnibus partibus orbis.*

2. Hugo Cardinalis in Comm. *Purgabit filios Levi igne passionis, vel Spiritus sancti.*

3. Arias Montanus in Commentar. *Evangelio describendo varia & illustria nomina ex effectu in sacris literis imposita sunt, ex iis unum est ignis, alterum herba fullonum. Utraque autem res Natura sua impuritati adversatur, atque elegantiæ & rerum nitori, puritatiq; conducit.*

4. Ribera in Comment. p.797. *Ego Theodoreto assentior, qui de expiatione cordium per Spiritum sanctum datum à Christo Prophetam loqui arbitratur. Christus igitur igne Spiritus sui calefaciet animas suorum, & expurgabit ut ignis metalla, de quo dictum est Matth. 3. Baptizabit in Spiritu & igne. Luc.12. Ignem veni mittere. Es. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.*

Eodem modo exponit Tirinus, videlicet *de igne doctrinæ, Sacramentorum, virtutum & gratiarum à Christo submittendarum.* Item, *de igne tribulationis & afflictionis, quo Martyres electi excoquuntur.*

5. Propheta *non de pœna mortuorum, sed viventium in hoc dicto agit*, fatente Bellarmino.

(Ad purgatorium *est pœna mortuorum, non viventium*, eod. docente. Ergo hic locus Propheticus non agit de purgatorio.)

6. Franciscus Toletus in c.3. Luc. exponit Prophetæ verba de ultimo Christi ad judicium adventu. *Hoc ipsum*, inquit, *fecit Propheta Malachias, qui de ipsomet Johanne prædixit: utrumq; enim adventum conjunxit. Statim, inquit, veniet ad templū suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum! ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & colabit filios Levi. Hæc ille. Posteriora enim verba de posteriori adventu rectè interpretatus est Augustinus libri vicesimi de Civitate Dei capite vicesimo quinto.*

7. Bellarmin. ipse lib.1. de Purg.c.1.§.1. *Tria in Scripturis inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum. Primo, Christus ipse, Secundo, tribulationes hujus vitæ de quibus ad literam videtur intelligendus Malachias capite tertio.* Et post recitatum hunc locum subjungit, *Nam ut rectè exponit B. Hieronymus, hic agitur de tribulatione, quæ præcedet diem judicii ad purganda peccata fidelium.*

8. Dionysius Cathus. in h.l. *Ipse enim quasi ignis conflans, id est, acute rigoroseq; alloquens, docens & increpans peccatores, præsertim Sacerdotes, Pharisæos, & Scribas, imo & suos prælectos discipulos pro causa & tempore, quorum & vitia quasi ignis absumsit. Et quasi herba fullonum. Nam sicut per herbam hujusmodi fullones mundant, splendidasq; efficiunt vestes: sic Christus sua prædicatione, vita & gratia multorum corda purgavit. Et sedebit conflans, i. e. peccata consumens & audientium corda inflammans, secundum quod ait in Evangelio, Ignem veni mittere in terram. Et emundans animas discipulorum suorum q. argentum, quod igne purgatur. Et purgabit filios Levi, i. e. Sacerdotes & templi ministros, quorum aliqui, quamvis pauci, ante passionem per Christum correcti fuerunt, quamvis tempore passionis rursum pene omnes seducti fuerint per Principes Sacerdotum, & Scribas ac Pharisæos incredulos: post passionem vero multa etiam turba Sacerdotum credidit in eum secundum Lucam in Actibus. Aliqui quoque discipulorum Christi & Apostolorum ex tribu Levi fuisse leguntur, Et colabit eos quasi aurum & quasi argentum, id est, quemadmodum argentum & aurum in fornace à commixitione immundi purgantur: sic Christus per tribulationes diversas & graves suos ab immunditia culpæ mundabit.*

9. Gerardus Vossius ad sermonem parænetìcum Ephremi de secundo Adventu Domini sic annotavit: *Verba sunt Prophetæ Malachiæ, cap. tertio, quibus extremi judicii dies denunciatur.* Estius hunc locum Propheticum refert inter eos, de quibus in 4. sent. dist.47. & Comment. in 1.Cor.3. scribit, quod cum Bellarmino, Lensæo, Vico, aliisque istos ad purgatorium trahentibus non conveniat, nemini mirandum esse, quia nec ipsi inter se per omnia consentiant.

Arg.22. Mal.4.v.1. *Ecce dies veniet succensa q. caminus. & erunt omnes superbi & omnes sapientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus. Ergo datur purgatorium.* Favard. lib. 11. Theom. c.23.n.2.

Resp.1. Lyranus & Ribera Comment. p.802. non de purgatorio, sed *de die postremi judicii* exponunt.

2. Propheta agit de *peccatis mortalibus & gravioribus*, quia meminit superborum & impiorum. At ex hypothesi Pontificiorum tantum venialia peccata in purgatorio abluuntur.

3. Cornelius à Lapide in h.l. *Dies hic est dies judicii extremi, hujus enim solius præcursor erit Elias. Ita Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius & alii, uno excepto Aria, qui per diem accipit diem, quo Christus & Christianismus orbi illuxit.*

4. Tirinus in h.l. *Succenso igne non tantum metaphorico iræ & ultionis divinæ, sed etiam physico & proprie dicto, puta igne conflagrationis mundi, qui præibit judicium, & igne infernali, qui instar lictoris assistet judici.* (De igne purgatorii verbum nullum.)

Arg.23. Tob.4.v.18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue. Ergo oblationes vult fieri pro defunctis.* Bellarminus lib.1. de Purgatorio c.3. Viguerius in Institut. c.16. §.4. v.28 Costerus in Enchirid. c.16.p.499. Tirinus in Comment. h.l. & reliqui fere omnes.

Resp.1. Hugo Cardinalis in h.l. sic scribit: *Nota, quod non præcepit fieri parentalia, quæ probibita sunt, sed ritum aliquem nobis ignotum innuit, vel forte ad consolationem parentum post sepulturam jubet fieri convivia, quod est opus misericordiæ.*

2. Tobias dicit, *panes esse fundendos*, ut habet Græcus textus, *super sepulchrum justorum.* At justi sine venialibus peccatis & sine reatu pœnæ temporalis ex hoc seculo discedentes, non veniunt in purgatorium, ac proinde non indigent orationibus vivorum, ex Pontificiorum hypothesi.

3. Bellarminus de hoc & similibus locis scribit lib.1. de Purgat.c.3. *quod probabiliter solum suadeant purgatorium.*

(Ergo de firma probatione ex hoc loco petenda desperat.)

4. Librum Tobiæ Apocryphum esse, agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis, ut ostendimus lib.2.art.1.c.1.sect.2.thes.4.

5. Tirinus in h.l. agnoscit, *consuetudinem apponendi epulas ipsi sepulchro &c. jure merito ab Ambrosio è templis & cœmiteriis sublatam esse, cujus exemplum S. Augustinus & reliqui Prælati secuti fuerunt ejusmodi epulas domi instituti & esculenta pauperibus ibidem erogari.* (Ex consuetudine abrogata invalidum ducitur purgatorii fundamentum.)

Arg.24. Sirac.7.v.37. *Mortuo non probibeas gratiam, ubi per gratiam intelliguntur preces, jejunia, eleemosynæ & cætera pietatis exercitia, quæ Deo pro defunctorum animabus nuncupantur.* Canis. in opere Catech.q.9. de pœnit.p.308. Costerus in Enchir.c.16.p.499. Peltanus c.7. de Purgat.p.313. Tirinus in illum loc.

Resp.1. Theologi Lovaniens. hunc loc. exponunt *de honore sepulturæ* & lacrymis super defunctum, quando in Concordantiis marginalibus nos remittunt ad locum Rom.12.vers.15. ubi Paulus nos vult *flere cum flentibus.*

(Συμπάθειαν ergo Siracides à nobis requirit cum lugentibus adhuc viventibus, non satisfactionem pro iis, qui in purgatorio laborant.)

2. Glossa ordin. in h.l. sic commentatur: *Ad eleemosynam pertinet sepultura mortuorum, multo magis ergo consolatio vivorum. Unde Paulus docet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Probatio dilectionis exhibitio est operis.*

3. Librum Siracidis non esse in Canone, agnoscunt quidam ex Pontificiis, ut ostendimus lib 2.art.1.c.1.sect.2.th.7.

Arg 25. 2.Maccab.12.v.45. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Ergo datur purgatorium.* Bellarminus lib.1. de Purg.c.3. Canisius in opere Catech.pag.303. Perionius libr.2. Topic. Theol. f.138 & omnes reliqui.

Resp.1. Quidam ex ipsis Pontificibus & Pontificiis fatentur, *librum hunc non esse in Canone*, ut ostendimus lib.2.art.1.c.1. sect.2.thesi 8.

(Atqui ex libro Apocrypho non potest dogma fidei firmiter probari, si destituatur Canonicæ Scripturæ fundamentis.)

2. Sanctes Pagninus testatur, *se clausulam illam de sacrificio pro defunctis non reperisse in autographo.*

(Nec

(Nec extat 1. Maccab. 5. ubi eadem habetur narratio, nec in Josepho Gorionide Hebraice scripto, nec apud Josephum Græcum.)

3. Illi, pro quibus Judas voluit sacrificium offerri, mortui erant *in peccato mortali*, acceperant enim ἱερώματα idolis Jamniensium consecrata, Deut. 7. v. 25. cap. 13. v. 17. Jos. 7. v. 25. cap. 22. v. 20. 2. Maccab. 12. v. 40. 41. & 42. Ergo hoc exemplum non est accommodatum ad stabiliendum purgatorium Pontificium, quia negant *pro iis, qui in peccato mortali decedunt, sacrificium esse offerendum.* Ne ipsi quidem Pontificii sacrificium Missæ pro illis offerrent, quos in flagranti crimine mortuos viderent. Gregorius de Valent. Lib. de Purgat. cap. 3. pag. 274. *Velle ita orare pro defunctis, ut in extremo judicio peccata ipsis mortalia remittantur, quibus in vita remissa non fuerunt, atque adeo, ut propter illa tunc non damnentur, minime est sancta & salubris cogitatio, siquidem perperam id fieret, utpote contra legem Dei ordinariam.* Excipit quidem Bellarminus, *peccatum illorum mortuorum fuisse veniale.* Atqui peccatum veniale ipse definit, *quod fiat vel subreptione, vel parvitate materiæ*, Lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 3. Jam vero hic neque subreptio fuit, nec parvitas materiæ. Ergo nec veniale peccatum.

4. Juxta Bellarmini sententiam Judas existimavit, *interfectos illos cum pietate mortuos, ac optimam ipsis gratiam fuisse repositam.*

(At, quibus post mortem optima reposita est gratia, illi non torquentur flammis purgatorii, sed ad cœlestem felicitatem & gloriam perveniunt. Quæ enim hæc foret gratia, quodve præmium, torqueri in purgatorii flammis eodem igni, quo damnati in inferno cruciantur, à beatifica Dei visione esse remotum, & à Dæmonibus horribiliter excarnificari?)

5. Juxta Pontificiorum hypothesin *illi, qui pro peccato suo temporali pœna à Deo afficiuntur, pro eadem culpa non puniuntur post hanc vitam in purgatorio.*

(Jam vero milites illi temporali pœna ob peccatum suum à Deo puniti erant. v. 42. Ergo non fuit alia pœna temporali in purgatorio ipsis opus.)

2. Ex Novo Testamento.

Argumentum 1. Matth. 3. vers. 11. *Qui post me venturus est, ipse vos baptizabit Spiritu & igne, ubi per baptizationem in igne significatur ignis purgatorius.* Bellarminus Lib. 1. de Purgat. cap. 6. Peltanus cap. 6. de Purgat. p. 293. Schoppius in Comment. de Indulgent. c. 46. f. 36. &c.

Resp. 1. Pontificii statuunt, *etiam tempore Vet. Testamenti fuisse purgatorium.*

(At si per *Baptismum ignis* hoc loco intelligitur purgatoriū, sequetur, ante Christi adventum non fuisse purgatorium.)

2. Pontificii statuunt, *perfecte justos non venire in purgatorium.*

(At si per *Baptismum ignis* hic intelligitur purgatorium, sequetur, Apostolos præcipue flammis purgatorii fuisse subjectos, quia illa Baptistæ verba à Christo præcipue ad Apostolos accommodantur, Act. 1. v. 5.)

3. Pontificii statuunt, *purgatorium esse supplicium, non beneficium; esse pœnam, non promissionem gratiosam.*

(Atqui *Baptismus* ille *ignis* vocatur gratiosa promissio & beneficium Hierosolymis ab Apostolis expectandum, Actor. 1. v. 4.)

4. Thomas part. 3. Summ. q. 66. art. 3. non meminit purgatorii, *sed Spiritus Sancti, tribulationis & judicii.*

Alphonsus de Castro hær. 2. de Bapt. tantum meminit *Spiritus & judicii.*

Archangelus Rubeus in 4. sent. dist. 3. tantum *tribulationis, judicii & linguarum ignearum.*

5. Dionysius Carthus. in h. l. *Baptizabit igni, id est, baptizando caritatem in vobis accendet.*

Cajetanus in h. l. *Duplex est sensus: Alter significans solenne principium ablutionis totius humani generis celebratum in die Pentecostes, quando advenit Spiritus Sanctus in specie ignis. Alter significans Baptismum tribulationis.*

Erasmus in h. l. *Primum, ut referatur ad Spiritum Sanctum specie linguarum ignearum die Pentecostes missum in discipulos. Dein, ut pertineat ad ignem afflictionum & crucis. Tertio, per ignem intelligi potest vigor Evangelicæ gratiæ, qui intus datur.*

Joh. Ferus in h. l. *Sensus est, Spiritu vos transformabit, & igni rapiet ad cœlestia.*

Sic ergo Cajetanus, Erasmus, Johannes Ferus in Comm. h. l. secuti Lyranum docent, Baptistam loqui *de visibili effusione Spiritus Sancti* sub specie linguarum ignearum die Pentecostes futura Actor. 2. v. 3.

(Eò enim verba Baptistæ accommodat Christus ipse Actor. 1. v. 5. & Petrus Actor. 11. v. 16.)

6. Maldonatus in h. l. sic commentatur: *Sunt, qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur. Sed dubium non est, quin per ignem Spiritus Sanctus significetur. Conjunctio enim Et hic non est conjunctiva, sed explicativa. Addita autem est explicatio, ut non qualiscunque Spiritus Sancti communicatio, sed illa illustrissima, quæ die Pentecostes specie ignis facta est, significetur.*

7. Ribera in cap. 2. Joëlis v. 54. sic scribit: *Hieronymus ad Hedibiam q. 9. ait: Verbum effusionis significat gratiæ largitatem, & idipsum sonat, quod Dominus repromisit, Vos autem baptizamini Spiritu Sancto. In tantum enim Spiritu Sancto baptizati sunt, ut repleretur tota domus, in qua erant sedentes. In quibus hoc merito adnotabimus, Hieronymum exponere, baptizari Spiritu Sancto pro repleri & quasi immergi in Spiritum Sanctum. Ex quo intelligimus illud Matth. 3. Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, fortior me est &c. ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.*

8. Cornelius Jansenius in cap. 13. Concord. Evang. pag. 112. *Per ignem hic intelligitur ipse Spiritus Sanctus, de quo & Salvator, Ignem veni mittere in terram. Ignis enim recte dicitur propter vim & efficaciam ipsius. Totum namque hominem immutat, sordes peccatorum exurit, tenebras fugat, & ad virtutis opera & promovendum Dei gloriam ardentes prorsus homines reddit & invictos. Dicitur quidem in Scripturis Spiritus sanctus etiam frequenter aqua &c. hoc autem loco potius ignis dictus est, tum propter oppositionem ad aquam, in qua erat Iohanis Baptismus, & ad significandum Spiritus efficaciam; tum quod Spiritus, in quo Christus baptizaturus erat, in igne erat apparituris in die Pentecostes.*

9. Lucas Brugensis in cap. 3. Matth. *Et igni; qui est ignis, seu igni similis, purgans & inflammans. Quasi diceret, Effundet in vos aliunde, sive per se, sive per ea, quæ instituet Sacramenta Spiritum Sanctum: cujus non erit otiosa in vobis mansio, verum adeo efficax, ut instar ignis sordes vestrorum consumat peccatorum, animarum discellat tenebras, caritate, qua virtutem, Deique gloriam prosequamini, ea accendat, quam afflictionum acerbitas superare nequeat, denique totos in se transformet ac sursum rapiat.*

10. Bellarminus ipse dubius est Lib. 1. de Bapt. cap. 3. scribens: *ignem, de quo Iohannes loquitur, vel de linguis igneis, vel de igne purgatorii, vel de igne judicii, vel de igne tribulationis intelligi.*

Ibid. *Quod additur de igne Matth. 3. & Luc. 3. non significat ignem aliquem Elementarem, ut stulte putant Iacobitæ, sed ignem aliquem cœlestem & divinum, nam ideo conjungitur cum Spiritu S.*

(Atqui ignis purgatorii non est cœlestis, nec Spiritus S.)

11. Archangelus Rubeus in opere Sacramentorum. dist. 21. de hoc loco Matth. 3. *Baptizabit vos Spiritu Sancto & igne*, sic scribit: *Postrema expositio est Hieronymi, ut per ignem intelligatur Spiritus Sanctus, qui super discipulos in linguis igneis apparuit, Act. 2. quæ literalis & propria illorum verborum existit.*

(*Atqui ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta*, docente nos Bellarmino Lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.)

12. Salmero tom. 4. tract. 6. p. 57. *Quod dicitur, in Spiritu Sancto & igni, intellige vel in Spiritu Sancto in forma ignis conspecto Actor. 1. &c. vel sane ignis est tribulatio ipsa, quam minime valet inferre, nisi qui vires conferre potest ad vincendum &c.*

Et postea: *De Sacramento ergo Baptismatis illud est intelligendum, quod Spiritum Sanctum confert, qui ut aqua prius lavat externas immunditias, hoc est, peccata manifesta; deinde ut ignis internas eximit maculas, quatenus perturbationes animi ad malum solicitantes vel restinguit ac mitigat, vel Spiritui subjicit, pulverem vero peccatorum levium tollit ut aqua, & paleas vanitatis ut ignis comburit, hominemque firmat ac roborat. Qua ratione ignis, quod accipit, non relinquit nisi purum: ideo metalla cum sustinent, maxime aurum, cujus pondus igne non minuitur: in quo aperte Spiritus Sancti proprietates repræsentantur atque delineantur.*

Et paulo ante: *Ipse vos Spiritu transformabit & igni rapiet ad cœlestia. Spiritus ergo sanctus peccata delet, & ut ignis animas purificat, ac perficit. Est autem ille ignis caritatis, quo hominum corda incenduntur, quem Christus venit mittere in terram. Accenditur porro his tribulationibus & ærumnis, quasi fomentis quibusdam: nam & Spiritus Sanctus in specie ignis descendit. Per tribulationes autem baptizatur homo ad perfectionem &c. Est ergo Baptismus ignis, Baptismus Spiritus S. per gratiæ & caritatis infusionem. Est & Baptismus ignis per absolutam purgationem, velut per fornacem tentationum, quibus fides nostra redditur auro rutilantior ipso.*

13. Barradius in Conc. Evang. ad h. l. *Paucis hæc verba sic expono: Opponit Iohannes aquæ ignem. Dixerat, Ego baptizo vos in aqua. De Christo autem, Ipse, inquit, baptizabit vos Spiritu Sancto*

& igni: quasi dicat, Ego aqua frigida, & nihil efficacitatis ad remittenda peccata habente vos abluo: ac Christus Spiritus Sancti flammis, ardente aqua, plurimumque efficacitatis habente vos baptizabit. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igni ejusdem Spiritus, id est, baptizabit vos Spiritu Sancto, qui ignis est; vel igne Spiritus Sancti, quo animi vestri ab omni vitiorum rubigine ac sorde purgabuntur, lucem recipient novam & ad præclara opera inflammabuntur. Nam in Baptismo Christi Spiritus Sanctus semper operatur.

14. Didacus Stella in cap. 2. Luc. *Cæterum id, quod ait Iohannes, Christum baptizaturum in Spiritu S. & igne, intelligendum est, quod baptizavit per suos discipulos, nam in Evangelio Iohannis scriptum est, quod Iesus non baptizabat, sed discipuli ejus. Observa autem quod Baptismus Christi sit in aqua & Spiritu S. (ut ipse dixit Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu) noluit tamen Iohannes dicere in Spiritu S. & aqua, sed in Spiritu S. & igne, quia intendebat assignare differentiam sui Baptismi, qui fiebat in aqua, à Baptismate Christi, & excellentiam Baptismi Christi: idcirco non nominavit Elementum aquæ, in quo fiebat. Unde ignem non sumit pro igne materiali, sed pro igne intelligit Spiritum Sanctum, qui mentem inflammat, sicque conjunctio &, tenetur expositive.*

15. Franciscus Toletus in cap. 3. Lucæ. *Quidam recentiores hunc ignem interpretantur tribulationes & afflictiones, eas maxime, quas in Ecclesia primitiva suos fideles pati Christus permisit, quasi eos in igne baptizans.* Postea suam explicans sententiam omnibus expositionibus illam præfert, *quæ diem postremi judicii, atque adeo ignem æternum dicit. Quasi diceret, Christi est baptizare Spiritu Sancto, & baptizare etiam igni. Baptizabit Spiritu Sancto in hoc seculo eos, qui in ipsum crediderint, quos vitæ anteactæ male pœnituerit: malos autem & incredulos, qui suis voluerint inhærere vitiis, baptizabit igne gehennæ in altero seculo. Quibus verbis duos Christi adventus & duo ejus officia indicat Iohannes, Redemtor enim est & judex; & Redemtoris officium in priori adventu, judicis vero in posteriori exercebit. In illo baptizabit Spiritu Sancto venientes ad se, eumque recipientes: in posteriori male operantes æterno puniet igne: Hæc ille in Commentario.* In annotatione autem ait, *hanc expositionem sibi omnium accommodatissimam visam esse tum multitudine gravium Doctorum, qui in ea sunt; tum propter contextum antecedentium verborum & sequentium. Antecedentium quidem, quia Iohannes paulo ante hujus ignis meminerat, Arbor, inquit, non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Loquitur enim de præsenti, quasi jamjam veniat is, qui excisurus est & in ignem missurus. Sequentium vero, quia statim dicit, paleas comburet igni inextinguibili. Cum hæc sint conjuncta & consequentia, ad eundem profecto ignem referenda esse videntur, & amphibologia cavenda est in verbis, quantum fieri potest.*

16. Jacobus Tirinus in Comm. h. l. *Baptizabit vos in Spiritu Sancto, id est, donis Spiritus Sancti, quibus animas interius emundabit à peccatis, & spiritualibus ac cœlestibus gratiis replebit, illis quasi igni vos purificans, illuminans, inflammans & ad cœlestia rapiens. Neque enim hic sermo est de igne materiali &c. sed de igne metaphorico, id est, de gratia, & donis Spiritus Sancti, inquit S. Hieronymus, Euthymius & alii Patres.*

(Atqui ignis purgatorii juxta Pōtificios est ignis materialis.)

17. Denique ante hos omnes Alphonsus de Castro Lib. 5. advers. hæres. verbo Baptismus, hæresi 1. *Hæc expositio de Baptismo ignis pro tempore futuro satis apparet, esse literæ germana, per id, quod immediate subjungit, Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ex quibus verbis apparet, illum locutum fuisse de igne futuri judicii. Lyranus ideo dictum putat in Spiritu Sancto & igne, quia in primitiva Ecclesia Spiritus Sanctus descendebat in figura ignis. Mihi, ut ingenue loquar, magis arridet prior expositio.*

Argum. 2. Matth. 5. v. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Ergo dantur quædam pœnæ post hanc vitam minores gehenna ignis, & per consequens purgatorium.* Bellarminus Lib. 1. de Purgat. cap. 8. Maldonatus tom. 2. Disp. de Sacram. p. 144. Pistorius in Hodeget. c. 12. p. 547. &c.

Resp. 1. Thomas in Catena adducit dictum Augustini contra Faustum. *Pene omnia, quæ monuit vel præcepit Dominus, ubi adjungebat: Ego autem dico vobis, inveniuntur & in illis veteribus libris: sed quod non intelligebant homicidium, nisi peremtionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputatum.*

(Atqui homicidium non puniri æterna morte, absurdum.)

2. Suarez tom. 4. in Thomam Disp. 45. pag. 557. scribit, *hunc locum non spectare ad controversiam de purgatorio, cum valde probabile sit, omnia illa membra judicii, Concilii, gehennæ, significare æternam damnationem, & pœnam majorem & minorem pro qualitate delictorum.*

3. Barradius tom. 2. Conc. Evang. Lib. 7. cap. 17. pag. 449. late ostendit, *per vocabula judicii, Concilii & gehennæ notari æternam damnationem, simulque certos damnationis gradus secundum consuetudinem politiæ Iudaicæ. Dominus,* inquit, *idem supplicium, quod in lege homicidæ propositum erat, ei proponit, qui fratri irascitur. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio, id est, afficietur mortis supplicio. Ita enim Exod. 21. præcipitur. Iudicium autem pro condemnatione sumitur. Addit, Ego autem dico vobis, omnis, qui irascitur fratri, reus erit judicio h. e. eodem mortis, sed æternæ, supplicio, divina damnabitur sententia. Ergo de ira mortifera sermo est, qualis ea est, qua quis ad homicidium tendit, qua necē, vel grave alicui damnum, vel vindictā cupit inferre.* (Quæ explicatio tollit fundamentum purgatorii, quod in hoc loco quærunt. Sicut per *iram, gestus hostiles & convitia* intelliguntur *peccata vere mortalia,* gradibus tantum differentia; sic per *judiciū, Concilium, gehennam,* intelliguntur *supplicia vere æterna,* gradibus tamen diversa; non autem ullo horum vocabulorum pœna temporalis in purgatorio significatur.)

4. Maldonatus in h. l. sic commentatur: *Per judicium & Concilium gradus pœnæ distinguuntur, non genus. Nam in utroq; capitalem, sed in judicio leviorem, in Concilio graviorem Iudices pœnam constituebant, quemadmodum graviores ad Concilium, quam ad Iudicium causæ deferebantur. Sic etiam Christus & eum, qui irascitur; & eum, qui fratrem suum levem, & eum, qui stultum appellat, eadem inferni pœna, non eadem pœnæ gravitate dignum docet.*

5. Jacobus Tirinus in h. l. *Hac gradatione & supplicii aggravatione designat Christus gravitatem peccati iræ, quæ in appetitum gravioris vindictæ vel in contumeliosa verba prorumpit, etsi desit actuale homicidium. Utitur autem ad id declarandum metaphora, Iudæis familiari & nota, triplicis generis supplicii sontibus apud illos infligi solitis: Nam in ordinario tribunali politico, quod septemviris vel decemviris, subinde & viginti triumviris constabat & misphat, id est, judicium vocabatur, vel dine nephaschoth, id est, judicia animarum; infligebatur homicidis vel mutilatoribus pœna ordinaria, quæ fere erat talionis, juxta præscriptum legis. At in extraordinario sacro tribunali, quod Sanedrim vocabant, & constabat 72. Iudicibus, eratque supremum, maximumque Concilium, ut causæ graviores eventilabantur, ita & pœnæ longe acerbiores decernebantur. Sed omnem mensuram pœnarum humanarum excedunt infernalia tormenta. Quæ si subire cogatur, qui solis contumeliosis verbis in proximum suum injurius est, quanta supplicia manebunt homicidam, qui ex ira vel odio sanguinem actu profundit?* (De purgatorio hic verbum nullum.)

Arg. 3. Matth. 5. v. 25. *Non exibis inde, donec solveris novissimum quadrantem. Per novissimum quadrantem intelliguntur minutissima peccata, pro quibus in purgatorio solvendum, priusquam ex eo quis liberetur.* Bellarm. Lib. 1. de Purgat. c. 7. Eccius in Enchir. p. 217. Coster. in Echir. c. 16. Prop. 5. p. 494. Salmer. tom. 5. tr. 37. Tirin. in h. l. & alii complures Scriptores Pontificii.

Resp. 1. Glossa interlin. in h. l. *Et mittaris in carcerem, i. e. in tenebras exteriores. Non exibis inde, donec solvas, i. e. nunquam, sicut ibi, donec ponam inimicos.*

2. Thomas in Catena in Lucam ex Beda. *In carcerem, i. e. infernum, ubi quia semper solvet pœnas patiendo, sed nunquam persolvendo, veniam consequi non poterit, nunquam exinde exibit, sed cum terribilissimo serpente Diabolo perpetuas pœnas luet.*

3. Carthus. in Luc. 12. *Donec reddas novissimum quadrantem, i. e. pro minimis culpis debitas tuleris pœnas, quod nunquam implebitur, quia nunquam plenarie illud debitum persolvetur, eò quod pœna æterna debeatur peccato mortali directe, sed venialibus peccatis non debetur pœna æterna, in quantum sunt venalia, sed ratione adjuncti, i. e. peccati mortalis sibi annexi. Denique quod ait, donec, quamvis frequenter accipiatur inclusive, hic accipitur exclusive, sicut cum dicitur, iste non recessit à suo errore, donec obiit. Sic quoque sumitur in Scripturis, cum dicitur, Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Et, non cognovit eam, scilicet Ioseph, Christiferam Virginem, donec peperit.*

4. Idem Carthusianus in cap. 5. Matth. art. 10. *In carcerem, hoc est, lacum inferni, donec reddas novissimum quadrantem, h. e. pro minima culpa satisfacias, hoc est, nunquam redimeris, quia in inferno nulla est satisfactio.*

5. Lyranus in h. l. *Non exibis, donec &c. id est, nunquam exibis, quia in inferno nunquam est possibilis redditio.*

6. Mal-

6. Maldonatus in h.l. Hic est verus sensus, id enim postulat consequentia sententiæ, ut adversarius appelletur is, qui habet aliquid adversum nos. Adversarius igitur noster ille, quem læsimus, quem Raca aut stultum appellavimus, qui actionem apud Deum contra nos habet. Via, hujus vitæ tempus; Iudex, Christus, qui dicturus est; Quod uni ex minimis his fecistis, mihi fecistis. Minister, Diabolus, qui in torquendis damnandis Deo ministerium præbet. Carcer, infernus; quadrans, minima culpa. Erat enim quadrans minimus nummus duo continens minuta. Itaque ad ultimum quadrantem solvere, pro summo jure puniri, proverbio dicebatur. Poterit aliquis dubitare, quomodo frater à nobis læsus sit nos judici traditurus, cum & ipse sit judicandus? Hæc ratio movit Augustinum, quo minus hanc interpretationem sequeretur. Sed non debuit, meo judicio, movere. Loquitur enim Christus accommodate ad hominum morem & forensem consuetudinem, ubi qui injuriam accipit, adversarium coram judice sistit, non quod nos affectus injuria frater apud Christum sit accusaturus. Tradet enim nos judici, quia ejus causa tradetur; tradet non ipse, sed pro illo Diabolus, qui etiam condonatam nobis à fratre refricabit injuriam. Quod autem dicit, nos inde non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat, ut ait Augustinus, exituros postea, sed nunquam exituros, quia qui in inferno sunt, cum semper debitas pœnas solvant, quia pro quolibet peccato mortali infinitas pœnas debent, nunquam persolvunt. Et hoc sensu vox hæc donec sumitur Psal.109. regnabis, donec ponam inimicos. 1.Cor.15. donec subjiciam omnia. Matth.1. Non cognovit, donec peperit.

Didacus Stella in cap.12. Luc. p.99. Mittet te in carcerem, id est, in infernum. Non exibis inde, donec solveris &c. Non intelligas, quod aliquando exiet, quia particula donec in sacris literis temporis æternitatem significat. Si dixeris, donec solvat &c. quod postquam solverit, exibit, non errabis. Sed ita quoque significat nunquam, quia ad finem infiniti nunquam pervenitur, & particula donec in sacris literis æternitatem significat.

8. Toletus in cap.12. Lucæ annot.90. Docet Christus, reconciliationem esse faciendam, priusquam ad judicis tribunal vocemur, ubi negotium exacto justitiæ rigore agetur, at ante tribunalis tempus magnæ misericordiæ locus est. Item applicatur dictum ei, qui ante tribunal Dei comparebit sine pœnitentia, peccatique remissione in hoc seculo facta, mittetur profecto in carcerem inferni, quousque satisfaciat debito, non quod aliquando satisfaciat, id enim nunquam fiet, nec eripietur in æternum. sed id solum dicitur, quod non aliter liberabitur. Et iste sensus est germanus & accommodatus parabolæ.

Ibid. Notat Hieronymus particulam donec Matth.1. v.ult. non significare, B. Virginem postea virum cognovisse, sed id solum, eam ante partum cognitam non fuisse. Sic in præsenti vox donec accipi potest, non quod solvat debitum ac postea exeat, sed id solum, quod non aliter exibit.

Et postea: Conformis est huic locus ille Matth.18. Ille enim debitor, qui debebat decem millia talenta, nec habebat unde redderet, quia conservi non est misertus, missus dicitur in carcerem, quousque redderet universum debitum, non significatur hic, quod reddiderit & postea sit egressus, nam dictum est, non habuisse unde redderet, sed tantum significatur, non aliter egressurum.

9. Cornelius Jansen. in Conc. Evang. cap.40. p.180. Non potest ex hoc loco recte urgere quis probationem purgatorii. Sicut nec ex parabola, de conservo, qui noluit parvum debitum denariorum remittere, cum ipse à Domino suo impetrasset remissionem decem talentorum, qui etiam reclusus dicitur in carcerem, donec redderet universum debitum.

Ibid. Secundum scopum parabolæ vox donec non significat debitum aliquando persolvendum, & tunc debitorem liberandum, sed locutione parabolæ conveniente significatur, extremum jus requirendum esse &c. ut qui in via cum adversario suo, quem injuste offenderat, in gratiam redire neglexerit, & vult Dei judicium experiri, Deus eum judicabit summo jure, nec unquam debitum solvet. Ergo æternum persolvet supplicium.

10. Barrad. tom.2. Conc. Ev. Lib.7. c.17. p.451. Hæc etiam verba ad reconciliationis festinationem & dissolvendas lites pertinent. Adversarius vocatur is hoc loco, qui habet aliquid adversum nos, eò quod aliquam illi offensionem intulerimus, Græce dicitur ἀντίδικ@, i.e. adversarius, litigator, actor, sive accusator. Læsisti, inquit Dominus, fratrem, habet adversus te aliquam querelam, læsus ducit te ad judicem, vel ducere parat. Quamdiu cum eo in via es, quâ ad judicem tendis, cito redi in gratiam, & quod debes, restitue. Nam si hoc non facias, forsan adversarius tradet te judici, judex ministri opera in carcerem te conjiciet. Ex carcere autem non dimitteris, donec, quod adversario debes, solvas ad ultimum usque quadrantem. Hæc incommoda festina tollit reconciliatio. Satius est in via solvere, antequam ad judicem ducaris, quam solvere ex carcere. In hanc sententiam recte exponit Euthymius. Item: Ipse & Chrysostomus proprie, non parabolice, interpretantur Iudicem, carcerem, adversarium. Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem, hoc est, ibi solves omnia peccata tua usque ad minimum. Nullum relinquetur impunitum; nec tamen unquam liberaberis.

(Hi omnes docent, Christum non de purgatorio, sed de inferno loqui, ac liberationem ex carcere penitus negari.)

11. Cajetanus & Erasmus Chrysostomi interpretationem amplectuntur, quod Dominus voluerit terrere diffidentes comminatione humani periculi, ut sic per judicem intelligatur homo, per tortorem itidem homo, per carcerem materialis carcer hujus vitæ, per quadrantem verus nummus aureus.

12. Eodem abit Johannes Ferus in Commentar. Multi, inquit, multa scripserunt, quis sit adversarius ille, nec tamen quæ scripserunt, satis videntur concordare literæ. Omissis igitur omnibus id vult Christus. In externis rebus nonnunquam satius est, etiam iniquis conditionibus cum adversario componere, quam lites & contentiones sequi.

(Stante hac explicatione, purgatorius ignis nullum in hoc loco invenit fomentum.)

13. Pontificii fatentur, eos, qui non moriuntur in caritate, in infernum, non autem in purgatorium descendere.

(Jam vero Christus loquitur de illis, qui nec cum Deo per fidem, nec cum fratre in hac vita per caritatem reconciliantur, sed manent ἄσπονδοι & irreconciliabiles usque ad finem vitæ, Ergo loquitur de illis, qui in infernum descendunt.)

14. Rayhingius adhuc Pontificius in Manuali Cathol. pag.949. fatetur, aliquo duntaxat modo purgatorium ex hoc loco probari posse. Et addit: Dixi, aliquo modo. Neque enim inficias imus, locum hunc à Patribus diversimode fuisse expositum, ac proinde non omnino certum, infallibile & necessarium argumentum pro purgatorio ex eo desumi posse.

15. Ibidem Rayhingius quatuor tantum Patres adducit, qui hunc locum ad purgatorium retulerint, videlicet Tertullianum, Cyprianum, Bernhardum, Eusebium Emissenum.

(At hi quatuor nondum faciunt Universalem Patrum consensum, quem alias à nobis requirunt. Adde, quod Tertullianus Lib. de anima cap.35. per inferos non intelligat purgatorium, sed infernum, ut patet ex contextu. Cyprianus Epist.52. itidem non loquitur de purgatorio, sed de receptione excommunicatorum. Bernhardus serm. de obitu Humberti non explicat hunc locum Matth.5. sed loquitur de eo verbis hujus parabolæ. Eusebii Emisseni Homiliæ de Epiphan. sunt adulterinæ.)

16. Bellarminus illis quatuor Patribus addit Origenem, Ambrosium & Hieronymum. Sed & hi testes causam ejus parum juvant. Origenes Homil.35. in Luc. etiam Diabolos & damnatos ex inferni carcere aliquando liberandos statuit.

Ambrosius in cap.12. Luc. purgationem illam in fine seculi demum futuram & ab omnibus sustinendam esse existimavit.

Hieronymus in cap.5. Matth. ex isto carcere non patere exitum, recte judicavit.

Inde Suarez tom.4. in Thom. Disput.45. §.1. pag.557. scribit: Citantur Ambrosius in cap.12. Luc. Hieronymus in c.5. Matth. & Athanasius quæst.26. cum tamen fere nihil aliud dicant, quam minima etiam peccata puniri à Deo, & neminem inde exire, donec solvat; an vero aliquis solvat post hanc vitam, non declarant.

Ac Maldonatus in cap.15. Matth. alios Patres opponit. Hunc debitorem, inquit, nunquam esse liberandum, quia nunquam debitum solvat, docent Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus.

17. Idem Bellarminus urget scopum parabolæ; quod similitudo non sumatur ab homicida aut adultero, aut hujusmodi sceleratis, sed à debitore, qui propter debitum pecuniarium in carcerem conjicitur, donec solverit. Solent autem tales homines ordinarie post aliquod tempus egredi.

Resp. ex Toleto in Luc.12, annot.89. Docet Christus, reconciliationem esse faciendam, priusquam ad judicis tribunal vocamur, ubi negotium exacto justitiæ rigore agetur. At ante tribunalis tempus magnæ misericordiæ locus est. Si autem expectamus judicii tempus, detrudemur in carcerem damnationis, à quo nemo liberabitur, sed propter impœnitentiam erit ei æternus carcer, æterna damnatio.

Annot.90. Huic loco conformis est ille Matth.18 ubi describitur debitor, qui debebat decem talenta, nec habebat, unde redderet universum debitum. Non significatur hic, quod reddiderit, & postea sit egressus, nam dictum est, non habuisse unde redderet, sed tantum significatur non aliter, nisi soluto debito egressurum. Ita in præsenti loco dictum est, donec solvas &c. quod quia sine pœnitentia in hac vita ad

tribunal Dei comparebit, mittetur profectò in carcerē inferni, quousque satisfaciat debito, non quod aliquando satisfaciet, id enim nunquam fiet, sed id solum dicitur, quod non aliter liberabitur, quod est, non eripietur in æternum.

18. Quinimò Bellarmino opponimus ipsum Bellarminum lib. 1. de Bon. operibus cap. 6. in expositione Dominicæ orationis sic scribentem: *Peccata dicuntur debita, tum quia omnis, qui peccat, injuriam facit Deo, ac per hoc debitor est satisfactionis: tum quia omnis, qui peccat, legem Dei prævaricatur.*

(Atqui utraque ratio propria est peccatis gravissimis, adeoq; illis, quæ *mortalia* Pontificii solent appellare, imo illis propria est eximio quodam jure, cum, docente Bellarmino, *peccatum veniale non sit proprie contra legem, sed præter legem.* Quod si ergo debiti nomine omnis generis peccata in Scripturis exprimuntur, utiq; non potest debitor parabolicus opponi aliis peccatoribus.)

19. Autor Oneris Ecclesiæ cap. 30. §. 5. *Adversarius noster est sermo Dei, quem injuste lædimus, ejus violando doctrinas, ideo quasi justam habet causam trahendi nos ad Deum Principem. Vel adversarius est Spiritus, qui adversatur carnalibus concupiscentiis. Cum itaque in via præsentis vitæ pergimus ad videndum placatam Dei faciem, tunc danda est opera, ut liberemur ab hujusmodi adversario, quod fiet, si carnem Spiritui subjicimus, atq; sermoni divino paremus. Alioquin, si talem adversarium nostrum contemnimus, tunc in examine districti judicii condemnabimur, & Deus justus judex tradet nos exactori, id est, Diabolo, qui executor est divinæ justitiæ, is pro reatu nostro detrudet nos in gehennam, unde non exibimus, donec pro minimis peccatis puniti fuerimus.*

(Ergo non de purgatorio, sed de gehenna hic agitur.)

20. Stapletonus in Antidoto in Matth. 5. jubet Calvinum advertere *paucissimos hodie esse, qui hunc locum eo modo exponant,* (ut ad purgatorium applicetur.)

Neque vero ipse in eo vindicando laborat, ut alias solet. Gregorius de Valentia prorsus omisit. (Magno disputationis compendio adversus eos, à quibus vel inprimis urgetur instar solidissimæ demonstrationis.) Idem Stapletonus locum hunc accenset *paulo levioribus, quibus Patres usi sint paulo alienius. Et veteres Patres,* inquit, *hunc locum ad purgatorium accommodasse, non quod in eo vel solo, vel potissimum purgatorium fabricarent aut fundarent, sed quod ad dogma fidei receptissimum comprobandum hanc Scripturam afferrent, tametsi vel obscurior esset, quam vel sola certam fidem faceret, vel etiam alium sensum verum habere poterat, sicut multas alias Scripturas in hoc ipso dogmate aliisq; certæ fidei dogmatibus Patres adferre solent.*

Argum. 4. Matth. 12. v. 31. *Quicunq; dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neq; in futuro. Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro seculo per orationes & suffragia Ecclesiæ, & per conseq. datur purgatorium.* Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap 4. Barrad. tom. 2. Conc. Evang. lib. 8. cap. 17. pag. 557. Gregor. de Valent. lib. de Purg. cap. 3. p. 278 Maldonatus tom. 2. de Sacramentis pag. 150 Tirinus in h. l. & alii complures.

Resp. 1. Dionys. Carthusianus in h. l. *verba illa, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro,* exponit ex Marc. 3. v. 29. *non habet remissionem.*

2. Johannes Ferus in h. l. *Minus dicendo plus significat. Vult enim, quod non solum in futuro, sed etiam hic punitur tale peccatum.* (Sensus ergo est, *Qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur,* id est, citra ullam remissionem punietur tum in hoc, tum in futuro seculo.)

3. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 13. resp. ad 2. *Nemo Catholicorum docet, culpas lethales remitti in purgatorio.*

Lib. 1. de Purgat. cap. 1. §. ultimo. *Purgatorium pro iis tantum est, qui cum venialibus culpis moriuntur, & qui decedunt cum reatu pœnæ culpis jam remissis.*

(Falsum ergo est, quod hoc loco §. Tertio &c. scribit, *peccata gravissima, quale est verbum contra Filium hominis dictum, in alio seculo remitti, quia ibi eorum remissio completur.*)

4. Idem Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 4. resp. ad 7. fatetur, *ex verbis Christi hoc non sequi secundum regulas Dialecticorum, quod ex illis probare nititur,* (cum ex negatione juxta regulas Logicas non statim sequatur affirmatio;) *sequi autem secundum regulas prudentiæ,* cum quo congruit illud Maldonati tom. 2. de Sacramentis pag. 151. *Etsi inter Dialecticos, qui omnia revocare volunt ad suas leges, forma argumentationis non sit legitima, tamen inter homines prudentes optima argumentatio est.* Itemq; illud Peltani in lib. de Purgat. *Etsi concedi queat, ejusmodi collectionem non esse absolute vel ratione formæ necessariam, est tamen necessaria ratione materiæ, vel ex recepto loquendi intelligendiq; munere;* ac Salmeronis tom. 8. tract. 16. *Etsi non sit collectio formalis, ratione tamen materiæ & communis phrasis loquendi optime colligitur.*

(Quasi vero ea, quæ sequuntur ex Dialecticorum regulis, non sequantur ex regulis prudentiæ & vice versa. Quinimo statuere, quod aliquid legitime concludatur, & tamen non congruat regulis Dialecticæ consequentiæ, idem est, ac si quis diceret, se additionem numerorum facere, non quidem ex regulis Arithmeticis, sed Geometricis.)

5. Quando dicimus, *esse in verbis Christi exaggerationem Rhetoricam absolutam negationem includentem,* regerit Maldonatus in h. l. *ineptam esse exaggerationem, ubi alteri parti nihil respondet, ut si in futuro nihil remitteretur, sicut ineptum est dicere, Non ducam uxorem, neque in hoc seculo, neque in futuro, cum non nisi in hoc seculo uxores ducantur.*

Sed resp. ex ipso Maldonato in Matt. 19. v. 24. super verba, *Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem ingredi in regnum cælorum,* sic commentante: *Hæc oratio hominibus absurda esse videtur, qui non intelligunt, quo absurdior videtur, eò veriorem oportere esse orationem. Ex hoc enim absurdo, facilius esse, camelum animal transire per foramen acus, significare voluit alterum absurdum, Impossibile esse divitem ingredi in regnum cælorum. Erat autem hæc proverbialis locutio, cum aliquid significabatur impossibile, dicebatur, Facilius introire camelum per foramen acus. Est autem hyperbole & exaggeratio, qualis in hujusmodi proverbiis esse solet.*

6. Quando verba Christi apud Matthæum, *non remittetur neque in hoc, neque in futuro seculo,* exponimus ex verbis Christi apud Marcum, *non remittetur in æternum,* regerit Bellarminus d. l. *non debere exponi Matthæum per Marcum, sed potius Marcum per Matthæum, cum constet, Matthæum copiosius scripsisse, & Marcum fecisse quasi compendium ex Matthæo.*

Sed resp. Maldonatus in h. l. concedit, *Marcum esse Matthæi interpretem, quod tamen Bellarminus negabat.*

Respond. etiam ex Gregorio de Valentia lib. de indissolub. vincul. matrimon. cap. 4. §. Tertio *Marcus hoc in loco, ubi de divortio agitur, tanquam Matthæi interpres est adhibendus.*

(Si ergo Valentiano licuit Matthæum exponere per Marcum, quidni idem nobis liceat, cum Matthæus loquatur figurate per Rhetoricam exaggerationē, Marcus vero proprie?)

7. Cornel. Jansenius in Conc. Evang. super h. l. adducit verba Chrysostomi. *Universorum hominum alii hic & in futuro pœnas dabunt, ut Sodomitæ; alii tantum in hac vita præsente, ut incestuosus Corinthius; alii tantum in futuro, ut dives epulo, alii nec in futuro nec in præsente, ut Prophetæ & Apostoli.*

(Quibus verbis Chrysostomus nullam pœnam in futuro agnoscit, nisi damnatorum, id est, æternam.)

8. Provocant ad Augustinum lib. 21. de Civitate Dei cap. 24. purgatorium ex hoc loco deducentium. Sed Ludovicus Vives in Commentar. illius loci testatur, quod duodecim illi versus, in quibus peccata etiam in futuro seculo remitti dicuntur, in multis antiquis Codd. Brugensibus & Coloniensibus non inveniantur, ac verisimile sit, eos margini primum adscriptos, postea in textum irrepsisse. Verba sic habent: *In antiquis libris Brugensi & Coloniensi non leguntur isti decem, aut duodecim, qui sequuntur versus, sic enim scribitur: Nam pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio: sed pro iis, quorum in Christo generatorum nec usque adeo vita in corpore male gesta est &c. Reliqua non habentur: ac neque in exemplaribus Friburgi excusis: & tamen stylus non abhorret ab Augustiniano. Forsan aut desunt in aliis Codicibus, aut ex aliquo alio Augustini opere huc sunt adscripta, ceu scholium primum, deinde contextui orationis admista.*

9. Pontificiorum hypothesis est, *peccata in purgatorio puniri.* Cum hac hypothesi non congruit probatio ex hoc dicto Christi. Si enim concludunt: *Remittuntur aliqua peccata in futuro seculo, Ergo est purgatorium.* Atqui remissio peccatorum non est punitio, sed opponitur punitioni, cum *misericordiam facere & punire iniquitates* sibi invicem opponantur Exo. 20. v. 5. Rectius ergo contrario modo posset colligi. *Peccata remittuntur in futuro seculo. Ergo non est purgatorium.* Dicuntur autem peccata remitti in futuro seculo, quia tunc eorum remissio publice manifestabitur. Sicut *dies judicii* Rom. 8. v. 23. vocatur *dies redemtionis ac adoptionis nostræ,* quia tum plene redemtio ac adoptio manifestabitur: ita eodem sensu potest dici *dies remissionis peccatorum.* 2. Tim. 1. v. 16. *Præstet Dominus misericordiam Onesiphori familiæ die illo.*

10. Suarez

10. Suarez tom. 4. in 3. p. Disput. 45. fatetur, *hoc dictum Christi à Chrysostomo Homil. 24. in Matth. & Græcis Patribus longe aliter quam de purgatorio exponi.*

(Jam vero ipsimet Pontificii requirunt unanimem Patrum consensum.

11. Gregorius de Valentia lib. de Purgator. c. 3. p. 279. scribit, *in altera vita non esse locum nisi justitiæ in retribuendo, videlicet pœnam vel præmium pro meritis, aut de meritis hujus vitæ.*

(Jam vero remissio culpæ nō est actus *justitiæ distributivæ*, quia per illam nec pœna nec prēmiū distribuitur, sed est actus *divinæ misericordiæ* condonantis peccatum. Ergo remissio culpæ in futuro seculo non habet locum, & per conseq. ex verbis Christi probari nequit, *peccata quædam remitti in futuro seculo, quæ in hoc seculo non fuere remissa.*)

12. Si ex verbis Christi probari posset, quædam peccata remitti in futuro seculo, & per conseq. dari purgatorium, sequeretur, in purgatorio gravissima quædam peccata remitti. Ratio connexionis est, quia Christus loquitur de blasphemia in Filium & in Spiritum S. quæ sunt peccata longe gravissima ac mortalia. Consequens Pontificii non concedunt, sed venialia tantum & leviora peccata in altero seculo remitti docent. Ergo nec antecedens statuere debent.)

13. Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses, verbum Peccatum. hæresi 6. *Richardus de S. Victore illa Christi verba dicit esse intelligenda non de remissione culpæ, sed pœnæ. Nam dicit, mitius fore agendum cum eo, qui peccaverit in Filium, quam cum eo, qui peccaverit in Spiritum sanctum, quoniam is, qui peccaverit in Filium, habet excusationem, eò quod egit per ignorantiam, & ita dignus est venia, qua videl. aliquid de pœna peccato debita illi remittatur. Qui autem peccavit in Spiritum sanctum, nullam habet excusationem, eò quod egit ex pura malitia, & ita non est dignus venia, qua videlicet illi remittatur aliquid de pœna peccato debita. Itaq; hanc dicit differentiam esse inter eum, qui peccat in Patrem aut Filium, & eum, qui peccat in Spiritum sanctum, quod is, qui peccat in Patrem aut Filium, peccat ex infirmitate, aut ex ignorantia, & ideo dignus est, ut aliquid ei remittatur de pœna debita, pœniteat, vel non pœniteat. Is autem, qui peccat in Spiritum sanctum, peccat ex pura malitia, quapropter nihil prorsus remittetur illi de pœna peccato debita, eò quod nullam habeat excusationem, cum peccaverit ex pura malitia &c.*

Arg. 5. Matth. 12. v. 36. *Dico vobis de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii. Ergo dantur quædam peccata parva & irremissa, de quibus etiam sancti, qui sæpe otiosa verba loquuntur, rationē reddere tenentur. Hoc autē nō fiet in extremo judicio, quia ante illud plenam remissionem sancti consequuntur. Fiet igitur in purgatorio.* Salmero tomo 14. Disput. 26. p. 228. Bunderius in Compend. tit. 28. art. 11.

Resp. 1. Johannes Ferus, Franciscus Lucas & Maldonatus in h. l. per *diem judicii* intelligunt *Universale judicium* in die novissimo instituendum, in quo impii non tantum de externis factis, sed etiam de otiosis verbis rationem reddere tenebuntur.

Salmero sibi contrarius tomo 8. tract. 19. p. 127. *Si quæras, quomodo verbi otiosi, id est, ratione carentis, possit reddi ratio, dicendum est, quia de eo homines examinabuntur & ratio exigetur, quam qui reddere non poterit, condemnationem accipiet juxta illud Apostoli, Unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo.*

3. Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 8. c. 17. p. 558. exponens hæc verba Christi, nullam plane *purgatorii* mentionem facit, Tirinus itidem nihil de purgatorio.

4. Cornelius Jansenius in c. 49. Conc. Evang. disjunctive loquitur. *Dicendum vel intelligendum hunc locum de particulari uniuscujusq; judicio, quod excipitur in morte, vel si ad novissimum judicii generalis diem istud referatur, intelligendum malos & damnatos puniendos in æternum etiam pro venialibus peccatis quæ commiserunt.*

5. Emanuel Sa eod. modo. *In die judicii, scil. particularis in morte vel Universalis.*

(Ergo nondum est certum, intelligi judicium particulare in morte, ac proinde ex hoc loco non potest certum argumentum colligi pro astruendo purgatorio.)

Arg. 6. Luc. 12. v. 47. *Servus, qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

v. 48. *Qui autem non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Hunc locum pro astruendo purgatorio adducit Franc. Polygranus in assertionibus cap. de suffragiis defunctorum & Purgatorio. *Id, inquit, de futuro dici palam est. Modo parum vapulare referri nequit, nisi ad pœnam temporariam; æterna quippe vapulatio pauca dici non debet.*

Resp. 1. Gorranus in h. l. sic commentatur: *Inter omnes pœnas mitissima omnium pœna est eorum, qui præter originale nullum addiderunt: major postea eorum, qui ex ignorantia peccaverunt: postea eorum, qui ex infirmitate tamen scienter: postea eorum, qui ex malitia. Ecce quattuor gradus damnatorum.*

2. Dionys. Carthusianus in h. l. *Plagis vapulabit paucis, id est, minoribus subjacebit pœnis, nihilominus æternaliter punietur, si in mortali peccato discessit.*

3. Didacus Stella in h. l. *Ait hic Dominus, quod ignorans vapulabit plagis paucis, nihilominus perpetuo damnabitur, si in mortali decesserit. Ex his etiam patet, quod non omnes æquali pœna punientur in inferno, sed unusquisque juxta quantitatem demeritorum.*

Arg. 7. Luc 16. v. 9 *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Ergo homines post mortem juvantur precibus sanctorum, & per conseq. datur purgatorium.* Bellarminus lib. 1. de Purg. cap. 8. Lorichius in voce Purgatorium, num. 3. Scioppius in Comment. de Indulgent. c. 46. fol. 36. &c.

Resp. Didacus Stella in annot. h. l. p. 162. sic scribit: *Quomodo, inquiens, me beatitudinis hospitio accipere possit pauper, qui criminibus dum vixit, coinquinatus fuit, postea vero moriens in infernum detrusus est? Respondeo, pauper quidem te non recipiet, sed eleemosyna ipsa, ut Eccles. 29. Claude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit te.*

Ibid. *In litera rigore, si hæc verba (Facite vobis amicos &c.) perpendantur, nihil aliud Christus nobis hic innuere voluit, nisi ut bona nostra pauperibus impartiamur, ut cum à vita excesserimus, in æternis habitaculis recipiamur.*

2. Maldonatus in hunc loc. p. 320. *Penes pauperes non est potestas admittendi nos in cœlum, ideo autem nos dicuntur recipere, quia propter illas sanctas eleemosynas recipimur, ut non tam ipsi, quam opera erga eos nostra sint, quæ nos proprie reciperent.*

Ita quoq; Cajetanus. *Ut merita divinæ amicitiæ per eleemosynas comparata recipiant vos in æterna tabernacula.*

Tirinus eodem modo. *Ut recipiant vos ipsi, quos hic nutristis pauperes, si nempe prius ipsi in cœlum abierint, recipiant, inquam, precibus suis & bonorum operum communicatione. Quod si forte sint impii pauperes, recipient vos in cœlum ii, quorum est recipere, scilicet Angeli.*

(Ergo de beatitudine & cœlo, non autem de purgatorio hîc agitur.)

3. Salmero in hunc loc. tom. 7. tract. 29. *Difficilis admodum & perobscura visa est olim Patribus hæc parabola, ut patet ex veteribus, præsertim ex B. Hieronymo, qui peculiari Epistola ad Damasum Papam illam pertractat ac edisserit: Idem etiam visum est quibusdam nostri seculi Scriptoribus, quorum quidam* (Cajetanum intelligit) *ausus est dicere, hujus parabolæ applicationem non solum difficilem, sed etiam impossibilem esse. Et postea super hæc verba, ut cum defeceritis &c. Obscura profecto hæc est conclusio, ut possit apte accommodari parabolæ.*

(Atqui ex locis obscuris & parabolicis non possunt probari fidei dogmata, nisi ex clarioribus Scripturæ locis applicatio & explicatio probetur.)

Multi, qui ex professo hanc parabolam tractarunt & exposuerunt, nullam purgatorii faciunt mentionem. Thomas, Dionysius Carthusianus, Gorranus, Cajetanus, Sa in Lucam, Royardus Domin. IX. post Pentecost. Barradius Comm. in Concord. tom. 3. lib. 4. c. 2. Salmero d. l. &c.

4. Si de purgatorio Christus loqueretur, consequens foret, etiam Apostolos in purgatorium venisse, quia v. 1. ad μαθητὰς hanc parabolam dixisse legitur. At consequens illud Pontificii non concedunt.

5. Bellarminus fatetur, *deficere hic esse idem quod mori.* Quod si ergo statim, *quando deficimus*, hoc est, morimur, pauperes, quos eleemosynis nobis amicos fecimus, *in æterna tabernacula* nos recipiunt, utique non descendimus in purgatorium.

6. Barradius tom. 3. Conc. Evang. lib. 4. c. 3. pag. 246. locum hunc non accomodat ad purgatorium, sed sensum sic exprimit: *Dives faciat ex mammona amicos pauperes, justos homines, Angelos, Deum. Omnes hos amicos sibi parare ex mammona potest. Etenim amici sunt divitum eleemosynas largientium pauperes, qui eorum beneficentia fruuntur; justi homines, qui suavissimo exempli odore recreantur; Angeli, qui eleemosynas Deo offerunt; deniq; Deus ipse Opt. Maxim. qui misericordia in pauperes mirum in modum oblectatur. O amicos omni pecuniarum profusione expetendos! Siquidem cum deficiunt in morte pecuniæ, quumque ipsa vita deficit, hi non deficiunt amici. Tunc procedunt obviam, & in æterna tabernacula argento auroq; fulgentia, æternaq; in convivia divites recipiunt misericordes.*

7. Eodem fere modo Salmero d. l. *Quanquam solius Dei sit distribuere regnum & cælestes mansiones: tamen & illud distribuere posse dicuntur pauperes, quia cum potissimum eleemosynæ propter Christum conferuntur, sive Iudæis, sive gentilibus, sive fidelibus, illi dicuntur facere quod Christus maxime faciet.*

At Cornelius Jansenius in hunc loc. *Dicuntur illi recepturi suos benefactores simpliciter quidem, quia propter illos Christus eorum benefactores recepturus est, qui imputat sibi factũ, quod illis impeditur.*

Argument. 8. Luc. 16. vers. 23. *Dives epulo videns Abrahamum à longe & Lazarum in sinu ejus, orat, ut Lazarus in auxilium sibi mittatur & linguam refrigeret. Ergo dives fuit in purgatorio.* Jacobus Faber Stapulensis in h. l. Fevardentius lib. 2. Theomachiæ ca. 2. n. 2. & seqq.

Resp. 1. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio c. 8. sic scribit: *Catholici fere omnes epulonem in gehenna esse dicunt, proinde Petrus Martyr in vanum pugnat.*

2. Barradius tomo 3. Concord. Evangel. lib. 4. c. 5. & seqq. *ex statu divitis* in hac vita & post hanc vitam probat, *ipsum fuisse in gehenna.*

3. Si dives fuit in purgatorio, & tamen non impetrat subsidium ab Abrahamo, consequens fuerit, animas in purgatorio æstuantes nullum à sanctis vel viventib. vel defunctis impetrare subsidium. Consequens Pontificii non admittunt.

4. Abrahamus diserte dicit, *chasma magnum firmatum est inter nos & vos, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* v. 26. At juxta hypothesin Pontificiorum ex purgatorio patet transitus in cœlum.

5. Dives epulo petit *guttulam aquæ*, id est, consolationis. At juxta hypothesin Pontificiorum animæ in purgatorio habent quandam consolationem, *cum de salute sint certæ ac transeant per aquam & ignem.*

6. Tirinus in h. l. addit, *voluisse Christum integra damnati divitis supplicia, quæ post resumtum corpus habiturus erat, ob oculos ponere.*

(At in resumtione corporum sive resurrectione evacuabitur purgatorium.)

Argum 9. Luc. 23. v. 42. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Latro non ita dixisset, nisi putasset, Christum posse ipsi post hanc vitam peccata remittere. Alioqui dixisset, memento mei, antequam moriamur ambo in cruce.* Bellarmin. lib. 1. de Purgat. ca. 8. Becanus lib. 1 Manual. c. 8. n. 58. Maldonatus tom. 2. de Sacramentis p. 152. &c.

Resp. Ostendimus superius §. 10. multos ex ipsis Pontificiis agnoscere, latronem conversum non descendisse in purgatorium, sed recta subvolasse in cœlum.

1. Barradius tom. 4. Conc. Evang. lib. 7. c. 15. p. 353. *Latro*, inquit, *profitetur regnum Christi, hoc est, confitetur, Dominum Messiam esse ad Iudæos missum Regem, & in regnum hoc introduci postulat. Deniq; confitetur animæ immortalitatem, siquidem petit post mortem in regnum Messiæ duci.*

(Si petit post mortem & quidem eo ipso momento, quo Christus venturus erat in regnum suum, in regnum Messiæ duci, nullum utique vel credidit, vel metuit purgatorium.)

2. Jacobus Tirinus ad h. l. sic annotat: *S. Cyprianus & Augustinus latronem hunc vocant Martyrem & Baptismo sanguinis ablutum. Martyrem, inquam, ob liberam Christi confessionem, & mortis pro ea (saltem ex præparatione animi) constantem tolerantiam.*

(At Martyrum animæ non veniunt in purgatorium, sed in cœlum.)

3. Latro non levium & venialium, sed gravissimorum ac mortalium peccatorum remissionem à Christo petebat. At in purgatorio ex hypothesi Pontificiorum non *mortalia, sed venialia peccata* remittuntur.

Arg. 10. Act. 2. v. 24. *Deus suscitavit Christum solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum à morte. Ergo Christus ex illis inferorum locis, ad quæ descendit, solvit quasdam animas ex doloribus & cruciatibus, in quibus antea detinebantur.* Bellarminus lib. 1. de Purgat. c. 8. Fevardentius lib. 12. Theomach. c. 8. n. 1. Costerus in Enchirid. c. 16. p. 493. & alii.

Resp. 1. Benedictus Arias Montanus in Comment. sic exponit: *Solutis doloribus inferni, hoc est, vinculis sepulchri, quibus constringuntur mortui, scil. legibus corruptionis, de quibus scriptum est: Cinis es & in pulverem converteris. Hujus corruptionis legibus caro Christi fuit soluta, utpote sanctissima & aliena secundum seipsam ab omni corruptione carnis.*

2. Johannes Ferus in h. l. sic commentatur: *Christus solvit dolores mortis & inferni, sed solis piis. Mortem quidem solvit, ne gustare oporteat &c.*

3. Cajetanus h. l. *Dolores mortis soluti sunt in pœnalitates animæ separatæ. Et dicit pluraliter, doloribus mortis, eò quod plures pœnalitates sufferebat anima Christi separata à corpore. Ipsum enim esse separatum à corpore pœnalitas quædam est animæ, locus quoq; inferni nonnulla pœnalitas erat: & utrumque mortem consecutum fuerat.* Quam sententiam repetit in notis in Thomam part. 3. q. 12. art. 4.

4. Lorinus Jesuita in h. l. *Solvit Deus (non enim de Christo, sed de Deo intelligendus locus, ὁ Θεὸς ἀνέστησε λύσας) dolores inferni, quãdo suscitavit Christum, qui dolores passus est in passione & morte propter gravitatem lethiferos & aptos deducere in infernum.*

5. Andradius lib. 2. Defens. Trident. *Cum de Christi resurrectione dissereat, multis atq; apertissimis Davidis testimoniis confirmat, ita pro humano genere mortem Christum obiisse, ut morte obrui & delitescere inter mortuos diu non posset. Videtur autem mihi, per dolores inferni sive mortis, mortem doloris atque miseriarum plenam, Hebræorum dicendi more, significari.*

6. Johannes Hoffmeisterus in h. l. *Qui sunt hi dolores? in Psalmo legimus, Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni venerunt super me. Per dolores mortis & inferni intelliguntur omnium gravissimæ passiones & dolores, quos omnes Christus pro nobis passus est, & à quibus omnibus liberatus est.*

7. Ribera in Comment. Oseæ 13. n. 23. p. 173. *in Græco est, solutis doloribus θανάτου mortis. Ita legit Chrysostomus. Suscitavit, inquit, illum Deus solvens & irritans dolores mortis, hoc est, quod per tot dolores mors effecerat, ut scilicet anima separaretur à corpore.*

8. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. *Solvit Deus hos dolores, hos funes, tam quibus constrictus fuerat in cruce, quam quibus constringendus videbatur in inferno ad morem aliorum morientium, discutiẽs illos ac dispellens, & ne constringeretur, impediens, inquit S. Augustinus Epist. 99. & fere Basilius ac Theodoretus in Ps. 17. Suarez parte 3. q. 52. Disp. 43. sect. 1. & Cornelius à Lapide.*

(Hæc expositio nullum purgatorio suppeditat fomentum.)

9. Si Christus solvit dolores animarum purgatorii, tum piis non est amplius metuendum purgatorium. Ut enim recte inferro, quia Christus solvit dolores inferni, ideo infernus piis nõ amplius metuendus: ita quoque de purgatorio idem recte inferre possumus. At hanc illationem sive hoc consequens Pontificii non concedunt. Ergo nec antecedens statuere debent.

Arg. 11. Rom. 12. v. 13. *Orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes. Pro voce Græca χρείαις legendum est μνείαις, ut sit sensus, Communicantes memoriis sanctorum, hoc est, preces & eleemosynas Deo offerte pro animabus è purgatorio liberandis.* Salmero tom. 14. Disp. 25. p. 217. Turrianus lib. 4. pro Epist. c. 14.

Resp. 1. Vulgata versio in Tridentino Concilio Pontificiis facta est authentica. Ea vero non legit memoriis, sed *necessitatibus.*

2. Dominicus à Soto in h. l. *Lectionem nostram (usibus sanctorum communicantes) fere Patres in universum sequuntur.*

Benedictus Justinianus in h. l. *Quanquam alteram illam lectionem non penitus improbo, vulgatam tamen retinendam censeo, cui magis cohæret, quod mox subditur: Hospitalitatem sectantes, Itemq; Benedicite persequentibus vos, & quæ sequuntur.*

Toletus in h. l. *Nostra tamen lectio communis est & legitima.*

Benedictus Arias Montanus & Sanctes Pagninus non legunt μνείαις, sed χρείαις, quo modo etiam Syrus expressit.

4. Glossa interlinearis, Lyranus & Benedictus Justinianus Jesuita exponunt *de sanctis in hac vita constitutis*, quod ipsis in egestate constitutis ex Christiana caritate subvenire, & hac ratione necessitatibus eorum communicare debeamus. Verba Lyrani sic habent: *Instruit Apostolus de communicatione beneficii, & primo ad simul commorantes dicens; Necessitatibus sanctorum communicantes; secundo, ad peregrinos transeuntes, Hospitalitatem sectantes.*

Franciscus Toletus in h. l. eodem fere modo. *Quia caritas proximum amplectitur, & propter tribulationes ac persecutiones tunc temporis contra Christianos factas multi eorum subsidio temporali egebant, multis necessitatibus oppressi, idcirco adjungit Paulus, quod beneplacens & perfectum etiam in hac parte est. Sensus igitur est: Dixi vos hoc adverso tempore Domino debere servire, vosq; ejus servos profiteri: quod quia arduum erat, spe, patientia, oratione vos communivi: at non vobis solis consulere debetis, sed aliis etiam, qui propter tribulationes & persecutiones necessitatibus & indigentiis corporalibus premuntur. Communicate ergo Christianorum necessitatibus, id est, eas reputate vestras ac communes vobis cum illis: & quomodo vestris subveniretis, subvenite & illis, auxilium opemq; impendendo, quo modo poteritis.*

Franc. Lucas Brugensis in h. l. *Utrumq; legendi modum* (necessi-

cessitatibus & memoriis) *ut ædificationi utilem admittit* (Origenes,) *sed hunc, necessitatibus sanctorum communicantes*, *non obscure præfert. Usibus, vertit, sanctorum communicantes: deinde adjungit, Memini, in Latinis exemplaribus magis haberi, memoriis sanctorum communicantes: Verum nos nec consuetudinem turbamus, nec veritati præjudicamus, maxime cum utrumque conveniat ædificationi.*

5. Erasmus ad h.l. sic annotat: *Videtur hoc agere Paulus, ut non solum præsentes præsentibus impertirent caritate mutua, sed absentium quoq; memores essent, juxta id, quod Paulus à Petro monitus facit in Epistola ad Galatas, ut pauperum memor colligeret donatitiam pecuniam.*

(Ergo, si vel maxime legitur *μνείαις*, nondum tamen accensum erit purgatorium.)

Arg. 12. 1. Cor. 3. v. 14. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Per ignem h.l intelligitur pœna aliqua purgatoria & temporalis, ad quam post mortem adjudicantur, qui in judicio particulari inveniuntur ædificasse lignum, fœnum aut stipulam.* Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 5. Gregor. de Valent. lib. de Purgat. c. 3. p. 274. & reliqui fere omnes.

Suarez tom. 4. in p. 3. D. 45. sect. 1. n. 14. vocat *præcipuum & celebrem locum.*

Resp. 1. Bellarminus d.l. fatetur, *hunc locum esse ex difficilioribus*, & adducit dictum Augustini lib. de fid. & operibus. c. 15. ubi vocat *sententiam plane ad intelligendum difficilem.*

Salmero agnoscit, *quod omnes Patres hunc loc. perplexum & impeditum esse dixerint.* (At loca Scripturæ, ex quibus præcipue & principaliter fidei articuli probandi sunt, debent esse clari & perspicui.)

Idem Bellarmin. lib. 3. de Verb. Dei c. 3. *Ex solo sensu literali firma in fidei articulis argumenta deduci posse* docet. (At locus hic totus est metaphoricus, fatente Peltano c. 6. de Purgat. p. 243. *Unum, inquit, hic certum est, nempe totum hunc locum, imo vero totum caput, unde locus petitus est, metaphoris abundare*, ac Bened. Justinianus in h.l. scribit, *nemini dubium esse posse, totum locum esse metaphoricum, sumtamq; metaphoram ab ædificiis &c.*)

3. Pauci ex veteribus hunc loc. exponunt *de purgatorio*; & qui de purgatorio eum exponunt, alibi nostram expositionem sequuntur, ut Augustin. lib. 21. de C. D. c. 26. Gregor. lib. 4. Dial. c. 39. ubi per diem & ignem intelligunt *diem tribulationis & ignẽ tentationis.* Verba Gregorii sic habent: *Quãvis hoc Pauli dictum 1. Cor. 3. de igne tribulationis in hac vita nobis adhibito intelligi possit, tamẽ si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiet &c.* Chrysostom. & Græci Patres accipiunt *de igne infernali.* (At Pontificii requirunt unanimem Patrum consensum.) Augustinus d. l. inquit, Forsitan verum est. (Ergo non habuit pro fidei articulo.)

4. Thomas, Dionysius Carthus. Lyran. & Cajetanus per architectos in textu Apostolico intelligunt *Ecclesiæ Doctores*, quã expositionem Bellarm. §. Utraque. vocat *bonam & magis literalem, quam eam, qua intelliguntur omnes Christiani.* (At si per architectos intelliguntur soli Ecclesiæ Doctores, non poterit ex hoc loco purgatorium demonstrari, alias sequeretur, solos Ecclesiæ Doctores venire in purgatorium.)

Idem Bellarm. d.l. §. Sexta sententia. *per stipulas & fœnum* intelligit *doctrinam Prædicatorum curiosam, inutilem, supervacaneã.* (At non omnes Christiani sunt Prædicatores, proinde nec superædificant stipulas, vel doctrinam curiosam. Ergo non omnem per istum ignem stipulas absumtem transeunt, sed soli Prædicatores, & per cõseq. ignis ille nõ est ignis purgatorii, qui ex hypothesi Pontificiorum est omnibus Statibus communis.)

5. De tali igne loquitur Apostolus, per quem omnib. transeundum, ut ostendunt ipsa verba, quia non solum *stipulas & fœnum*, sed etiam *aurum & gemmas* illo igne probari dicit. Jam vero non omnes in purgatorium descẽdunt. Bellarminus lib. 1. de Purg. c. 5. §. Deniq; &c. *Omnes transire per ignem purgatorii, & salvari per ignem, est aperte falsum.* lib. 2. de Purg. c. 1. inter *errores* refert hanc sententiam, *quod omnes omnino homines tam boni, quam mali, uno Christo excepto, post hanc vitam purgari debeant.*

2. Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 5. vocem *ignis* in v. 13. primum exponit *de igne proprie sic dicto qui in die judicii omnia consumet*; secundo *figurate de igne severi judicii divini*; postremo in v. 15. iterum *proprie de vero igne purgatorii.*

Turrianus lib. 4. pro Epist. Decretalibus contra Magdæb. c. 13. exponit *de duplici igne proprie sic dicto*, videl. *de infernali*, per quem judex peccata mortalia in æternum; ac *de igne purgatorii*, per quem venialia peccata temporaliter sit puniturus.

Suarez d.l. Disp. 45. sect. 1. ubique exponit *de igne proprie sic dicto, qui vel in die judicii præcedet judicem, & omnia absumet; vel de purgatorio, post cujusque hominis mortem illis, qui purgatione indigent, divinitus parato.*

Benedictus Justinianus non solum in paraphrasi illud, *Salvus quasi per ignem*, interpretatur, *Ipse tamen igne illo expiatus salutem consequitur, nempe de quo ante dictum , Ignis probabit*, quod interpretatus est, *quale omnino sit, ignis purgatorii experimento patefiet*: Sed etiam in notis quasi incommodam homonymiam sugillavit, *Sunt*, inquit, *qui ignis nomine hoc loco intelligunt divini judicii severitatem*, Et postea. *Verum hac admissa sententia necesse est fateri, paucissimis verbis Apostolum admodum ambigue ignis nomen usurpasse, nam paulo post de igne purgatorio absq; dubio loquitur. Itaq; malim accipere de igne purgatorio. Nam quemadmodum de humana docendi ratione metaphorice loquutus est, comparans eam materiæ, quæ vel resistat igni, vel ab eo comburatur, ita perstans in metaphora de igne purgatorio loquitur, quasi eam materiam exploret, de quo paulo post.*

Cajetanus & Lyranus, itemque Dionysius Carthusianus & Benedictus Arias Montanus in Comm. h.l. per *ignem* nuspiam intelligunt *ignem proprie sic dictum*, sed *figuratum*, videl. severum & justum judicium divinum, ex quo tamen pœna venialium peccatorum temporalis sequatur. Verba Cajetani sic habent: *Apte rigorosum Dei examen nominatur ignis metaphorice, quoniam quemadmodum ignis supremum obtinet in examinando locum: ita judicium divinum cunctas operis conditiones quantumcunq; minimas scrutatur, librat ac discutit, & dicendo & exequendo.*

In quam sententiam etiam Bellarminus tandem abit, *triplici ratione* hanc interpretationem vocabuli *ignis* confirmans. *Cum dicit Apostolus*, inquit, lib. 1. de Purg. c. 5. *uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit, non potest loqui de vero & materiali igne, quia opera non possunt examinari tali igne sed operari.*

(At quæ potest esse interpretationis hujus certitudo, cum in ignis voce explicanda tot modis varient? Præterea, quo sensu accipit Apostolus vocem *ignis* in v. 13. eodem etiam accipit eam in v. 15. ut ostendit indivulsa connexio. Ergo in v. 15. non loquitur de igne proprie dicto, & per consequens non loquitur de purgatorio, quod continet ignem proprie dictum, juxta Bellarmini hypothesin. Sic igitur concludimus. Qui ignis uniuscujusq; opus probabit, per illum ignem salvi fient Doctores stipulas superædificantes, ut patet ex contextu. At non ignis purgatorii, sed *ignis judicii divini est, qui uniuscujusq; opus probabit*, exponente Bellarmino. Ergo non per ignem purgatorium, sed per ignem divini iudicii salvi fiunt Doctores stipulas superædificantes.)

7. Ignis, de quo Paulus loquitur, tam bona, quam mala opera revelat. At ignis purgatorius bona opera non revelat, sed mala duntaxat, à quibus purgantur animæ, ut Salmero in h. l. concedit. Ignis vero extremæ diei utraq; revelat. Ergo Paulus non loquitur de igne purgatorii.

(Lutherus tom. 5. Jen. Germ. fol. 166. in Palinodia circa Purgatorium urget hoc argumentum: Quale est illud, quod igne debet probari, *aurum, argentum, lapides pretiosi, lignum, fœnum, stipulæ*, talem etiam oportet esse ignẽ, quo hæc omnia probari debent, cum apud Apostolum sit continuata metaphora, sive allegoria. Atqui agnoscunt Pontificii voces *fœni, stipularum, ligni, auri, argenti* metaphorice sumi. Ergo etiam agnoscant vocem ignis metaphorice accipi, ac proinde non posse materialem, corporeum & sensibilem purgatorii ignem hac voce intelligi,

8. Guilielmus Estius in Comm. h.l. & in 4. sent dist. 47. quãquam concedat, *per consequentiam trahi hæc verba ad purgatorium, genuinũ tamen sensum esse de igne conflagrationis futuro in die illo Domini magno*, cujus interpretationis B. Augustinum, Gregorium, Chrysostomum, Theodoretum, autores laudat.

9. Franciscus Turrianus d. l. sequitur expositionem Chrysostomi Homil. 9. in 1. Corint. Nazianzeni Orat. 39. Athanasii quæst. 131. Anastasii Niceni q. 60. Clementis Alexandrini lib. 5. Stromat. Hieronymi in c. 1. Jerem. in c. 1. Nahum, in c. 1. Zachar. Paulini in Epist. 29. ad Aprum, quod Apostolus loquatur etiam de *illis, qui damnantur*, quodque *per stipulas intelligat peccata mortalia.* Verba Turriani sic habent: *Aurum, argentum, lapides pretiosos significare hæc varias species virtutum ac bonorum operum, quia nemo dubitat, non opus est per Scripturas probare. Quod vero lignum, fœnum, stipula, varia malorum genera significant, quæ sunt opera combustibilia, id est, digna gehenna ignis æterni, ex mediis locis Scripturæ sanctæ licet intelligere, ut Esaias primo de idolorum cultu loquens*

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

Blank pages (970-979) added to correct page numbering.

quens: Fortitudo, inquit illorum ut stipula stuppæ: fortitudinem vocat idola, quibus Israelitæ confidebant, & in quibus spem victoriæ collocabant: illorum itaque idololatriam dicit esse stipulam: significans, arsuros esse igne æterno propter illud peccatum, Sic B. Cyrillus in Commentario Prophetæ hujus interpretatus est: quo in loco ait significare lignum τὸ καταφλεκτόν, id est inflammabile fœnum vero & stipulam τὸ ἀκατάσβεστον, id est, non posse cohiberi flammam & extingui; quod in Evangelio dicitur ἄσβεστον, id est, inextinguibile. Rursus D. Basilius in Comment. ejusdem Prophetæ in eodē loco stipulā ait significare vitam inflammabilē & incendio dignā. Nemo autē non intelligit, qui talem faciunt vitam, id est, incendio dignam, esse peccata mortalia. Hæc ille.

(At hæc expositio evertit fundamentum purgatorii, quod in hoc loco Apostolico quæritur.)

10. Bellarminus d.l. provocat ad *Origenem, quod* locum Apostolicum de purgatorio apertissime exponat. Sed resp. ex Suarez d.l.v.7. *Animadvertendum est, licet hæc loca Origenis expositionem hanc confirment, non tamen veritatem purgatorii, quia ille omnē ignem futuræ vitæ purgatorium facit.* Provocat ibidem Bellarminus ad *Oecumenium & Theodoretum.* Sed resp. ex Gregorio de Valentia lib. de Purgatorio cap. 3. *Oecumenius & Theodoretus hunc locū exposuerunt de purgante igne conflagrationis divini judicii.*

11. Ipsimet Pontificii in expositione hujus loci sibi non constant, sed variis modis dissentiunt. Per *architectos* Cajetanus & Bellarminus intelligunt solos Doctores & Evangelii Prædicatores. Alii intelligunt *auditores*. Fevardentius lib. 12. Theomach. cap. 4. n. 2. *utrosque*. Per *aurum & argentum* Stapletonus & Eisengrein intelligunt *opera bona*, *per stipulas & fœnum peccata venialia.* Sed Bellarminus & Peltanus *per aurum & argentum* intelligunt *doctrinam utilem & salutarem docentium*; *per lignum & stipulas* doctrinam non quidem *hæreticam, vel malam*, sed tamen *curiosam, inutilem, supervacaneam.* Valentianus & Fevardentius *per aurum & argentum* intelligunt tum *veram doctrinam Pastorum*, tum *virtutes Pastorum & auditorum*; *per lignum, fœnum, stipulas, peccata levia & temporales pœnas judicio Dei reservatas.* Per diem Bellarminus, Peltanus, Justinianus &c. negant significari *præsentem vitam.* Sed Thomas in Comment. h.l. contrarium habet. *Dies Domini dicitur, quando voluntas Domini completur de hominibus, qui per ejus justitiam præmiabuntur, vel damnabuntur. Unde secundum triplex Dei judicium triplex potest intelligi dies Domini. Erit enim quoddam judicium generale omnium: & secundum hoc dies Domini dicitur novissimus dies judicii. Aliud autem est particulare judicium, quod fit de unoquoq; in morte ipsius: & secundum hoc dies Domini potest intelligi dies mortis. Sic ergo dies Domini declarabit, quia in morte uniuscujusq; ejus merita patent. Tertium autem est judicium in hac vita: in quantum Deus per tribulationes hujus vitæ interdum homines probat. Dies ergo Domini declarabit, quia in tempore tribulationis affectus hominis probatur.* Per *diem Domini* Cajetanus, Fevardentius, Peltanus, Pistorius, Costerus intelligunt *judicium particulare*; Bellarm. *universale & ultimum*; Gregorius de Valent. ac Tirinus *diem mortis & ultimi judicii simul.* Verbum *revelabitur* Bellarminus refert *ad diem.* Valentianus *ad opera.* Per *ignem probantem uniuscujusq; opus* Valentianus intelligit *ignem purgatorii*, per quem non transeunt superædificantes aurum & argentum. Sed Bellarminus hanc expositionem refellit, & *ignem universalis judicii* intelligit, per quem omnes transeant, quicquid superædificent. Verbum ζημιωθήσεται, *detrimentum patietur*, Valentianus *de persona operante, non de opere* intelligit. Bellarminus contra *non de operante, sed de opere ipso* accipit. Verba Apostoli, *uniuscujusq; opus ignis probabit*, de purgatorio exponit Valentianus. Sed Peltanus & Bellarm. statuunt, ea non loqui de purgatio, sed tantum ultima verba, *salvus erit quasi per ignem*, eò accommodant. Per particulam *quasi* in verbis Apostoli, *salvus erit quasi per ignem*; similitudinem aliquam notari Bellarminus concedit, sed Valentianus illud negat, & potius notari putat per emphasin quandam ipsam rei proprietatem & veritatem.

(Cum igitur ipsimet Pontificii in expositione hujus loci tot modis invicem dissentiant, non poterunt apodicticum argumentum pro purgatorio astruendo ex illo formare.)

12. Quinimo Bellarminus à seipso in explicatione h.l. dissentit, nam lib. 1. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 9. scribit, *quod Apostolus significet per aurum argentum & lapides preciosos opera perfecta laudabilia, quæ in judicio Dei examinata nihil nisi mercedem promerentur, per lignum vero stipulas & fœnum opera inutilia & reprehensione digna, sed venialia, quæ detrimentum quidem afferant, & purgatione indigeant, non tamen à salute excidere faciant.* Sed lib. 1. de Purgatorio cap. 5. opinionem illam rejicit & aliquot argumentis probat, *per aurum & argentum non opera bona, sed doctrinam utilem & salutarem; per stipulas vero doctrinam curiosam & inutilem denotari.*

13. Merito igitur Erasmus in annot. h.l. p. 352. censet, hunc locum non esse de purgatorio accipiendum. *Nec admodum ad rem pertinet* (inquit,) *huc purgatorii mentionem admiscere, quandoquidem diem posuit pro perspicua operis inspectione. Nam nocte & quæ bella sunt, displicent, & quæ fœda, placent, diei certiora sunt judicia. Deinde ignem posuit pro exacta exploratione. Neque vero sum nescius locum hunc ab Augustino & veteribus, Thoma præcipue, torqueri ad varios sensus, quos omnes excutere non est hujus instituti. Mihi ut simplicissimus maxime placet, si accipiamus de doctrina Apostolorum Paulo succedentium. Ille bonum posuerat fundamentum, videant, inquit cæteri quid superstruant. Si digna Christo, durabit opus, etiam in luce conspectum. Sin Judaismum adjunxerint, fallent quidem ad tempus, cæterum patefiet illorum impostura, simul atque vero judicio perpendi cæperit. Atque hos secutus tantum opera infert, cogeturq; destructo, quod ædificatum est, aliud superstruere, id quod evenit in Romanis* (Corinthiis) *& Galatis, quos Paulus iterum parturit Christo. Atque hanc sententiam sequitur D. Ambrosius, nequis somnium meum esse suspicetur.*

Argum. 13. 1. Corinth. 15. v. 29. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui omnino non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? ubi Apostolus loquitur de Baptismo lachrymarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo, ut sit sensus: Quid facient qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 6. Stapletonus in Antidot. p. 807. Salmero in hunc loc. Becanus in Manuali lib. 1. c. 8. p. 147. Thyræus, Turrianus, Peltanus, Tirinus &c.

Resp. 1. Bellarminus agnoscit, diversimode hunc locum à veteribus exponi, & adducit *sex diversas illius loci explicationes.* Salmero tom. 14. Disputat. 24. in 1. Corinth. *Locus hic sane perdifficilis quibusdam videtur, & variæ ac diversæ Patrum intelligentiæ satis indicant, non adeo perspicuum esse, ad quem morem & ritum alludat Apostolus, etsi scopus obscurus non sit.* Suarez part. 3. quæst. 56. Disputat. 50. sect. 1. Cornelius à Lapide & Benedictus Justinianus in Comment. 1. Cor. 15. itidem varias ac diversas Patrum expositiones recensent.

(Atqui ex loco obscuro & variis Patrum expositionibus subjecto non potest certum & immotum purgatorii fundamentum peti, cum ipsimet Pontificii *unanimem Patrum consensum* requirant, cumque Patres illi omnes Baptismum non *metaphorice*, sed *proprie* sumtum in verbis Apostoli intelligant.)

2. Glossa ordinaria aliquot expositiones affert, *de suffragiis & purgatorio* nihil habet. *Baptizantur*, inquit, *pro mortuis, id est, pro peccatis delendis, vel pro se mortuis faciendis ad similitudinem mortis Christi. Quid facient, cum non sint vitam habituri? Vel fuerunt quidam imperiti qui baptizabantur pro his, qui de hac vita sine Baptismo discesserant, putantes illis prodesse, unde ait: Quid facient, id est, quid illis proderit, qui resurrecturi non sunt?*

3. Lyranus in hunc loc. textum dupliciter exponi posse dicit: *Uno modo dicunt aliqui expositores, quod Baptismus receptus ab aliquo vivente valeret mortuo, & sic faciebant plures se baptizari, semel pro se, & alias pro amicis suis defunctis. Et secundum hoc dicit Apostolus. Alioquin id est, si resurrectio non erit, quid facient, qui baptizantur? &c. quasi dicat, nihil proficiet eis. Sed quia non videtur probabile, quod Apostolus in sua probatione procedat ex aliquorum errore, quia non esset probatio simpliciter, sed tantum ad illos errantes, ducendo illos ad illud, quod habebant pro inconvenienti, ideo aliter exponitur, quod dicitur hic, Pro mortuis, id est, pro peccatis mortalibus, quæ sunt opera mortua, pro quibus abluendis recipitur Baptismus, qui tamen non proficeret, si non esset resurrectio. Ad hoc enim recipitur, ut à peccatis mundatus sit vita beata dignus.* (De suffragiis & purgatorio nihil addit.(

4. Cajetanus Jentaculo. 2. q. 3. de hoc loco sic disserit: *Opotet sensum horum verborum sumere ex facto, ex quo argumentum sumit Apostolus. Nescio autem melius hoc factum interpretari, quam ex doctrina ejusdem Apostoli qui ad Coloss 2. & 3. docet, eos, qui baptizantur, baptizari in persona mortuorum, & non solum mortuorum, sed etiam resurgentium cum Christo &c. Ritus Baptismi habet, ut qui baptizantur, mergantur sub aqua, & per hoc repræsentent duas mortes, scil. propriam mortem moralem, & mortem Christi corporalem. Repræsentant enim se mortuos vitæ veteri, sicut Christus mortuus est vitæ hujus mundi, Mersio enim repræ-*

repræsentat sepulturam Christi mortui, ponens hominem, qui baptizatur, sub aqua, sicut corpus Christi positum est sub terra. Repræsentat quoque, hominem illum ita recedere à præterita vita, ut sit illi mortuus & sepultus. Similiter surgendo ex aqua repræsentatur duplex resurrectio, & Christi corporalis, & hominis spiritualis, ita quod ex hoc, quod homo surgens ex aqua repræsentat Christum à mortuis resurgentem, repræsentat quoque, seipsum resurgere in novam vitam spiritualem, nunc quidem quantum ad animam secundum rem; in futurum autem etiam quantum ad corpus in spe. Hoc est factum, ex quo arguit Apostolus, dicens: Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, id est, in persona mortuorum, si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis? hoc est, personam illorum agunt, qui sic baptizantur pro mortuis, sicut in repræsentationibus quidam agunt fortes, quidam modestos, quidam mortuos, quidam claudos, quidam cæcos &c. & hi dicuntur operari pro cæcis, pro claudis, qui agunt personas illorum. Ex tali itaque Baptismi ritu, quo, qui baptizantur, personam mortuorum agunt ad similitudinem Christi mortui, & consequenter personam resurgentium ad similitudinem Christi resurgentis, argumentum sumpsisse Apostolum intelligendum est, tum quia secundum hunc sensum invenitur argumentum efficax; vanum siquidem esset tale factum repræsentativum mortis & resurrectionis, si mortui non resurgunt, tum quia exponitur litera sumendo argumentum à facto juxta verba Apostoli; tum quia servatur proprietas sermonis, & nulla intervenit æquivocatio; tum quia consonat aliis documentis Apostoli; tum quia nihil incerti aut novi in Ecclesia Christi per hanc expositionem ponitur.

5. Claudius Guillandus locum sic exponit: *Baptizantur pro mortuis Martyres, qui patiuntur & affliguntur pro fide & articulo resurrectionis mortuorum.*

6. Cornelius à Lapide in Commentar. *omnium simplicissimam & planissimam interpretationem* vocat *eam, quam Chrysostomus profert. Ut quid proprie Baptismum suscipiunt omnes fideles pro spe resurrectionis ex mortuis, vel pro statu mortuorũ, ut in eo illis post mortem sit bene? Si mortui non resurgunt, utique frustra hoc faciunt.*

7. Maldonatus in c.12. Luc. v.50. confert hunc locum Apostolicum cum verbis Christi, *Baptismo habeo baptizari. Mortem,* inquit, *& passionem suam Baptismum appellare dubium non est, & omnes Interpp. confitentur. Simile illud est apud Paulum 1. Cor. 15. v.29. Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? id est, qui pro resurrectione mortuorum defendenda moriuntur.* Hanc interpretationem ex professo confirmat in Disput. de Baptismo tom. 1. pag. 75. *Proprius,* inquit, *sensus videtur esse, ut Baptismus non accipiatur pro Baptismo aquæ, sed pro Baptismo sanguinis, & argumentetur D. Paulus, Frustra, si non est resurrectio mortuorum, in hac vita subimus pericula. Hoc est enim baptizari, juxta illud, Potestisne baptizari &c. Hunc sensum esse constat, tum ex præcedentibus, dixerat enim paulo ante, Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, nimirum, quia illi, qui non credunt resurrectionem mortuorum, indulgent genio, quantum possunt: Christiani vero propter fidem resurrectionis obimus multa pericula: tum ex sequentibus, quia statim addidit: Ut quid & nos periclitamur omni hora? Illa dictio Et, sine dubitatione res similes conjungit. Ergo etiam significat, se baptizari pro mortuis, cum periclitatur. Ergo, quod nunc vocat periclitari, dixerat paulo ante, baptizari pro mortuis, id est, ad defendendam mortuorum resurrectionem.*

8. Benedictus Justinianus, postquam recitasset nonnullorum scientiam, *quasi Paulus agat de solicitudine illa, qua animæ piorum suffragiis juvantur,* addit, *Nomen Baptismi valde improprie usurpatur, ut fateri omnino necesse sit, hanc explicationem prorsus esse coactam & violentam.* Cum ad illam intepretationem accedit, quasi Baptismus ibi *de afflictione corporum* intelligendus sit, titubanter admodum eam acceptat. Addit enim, *contra hanc explicationem objici posse, errare eos, qui pro falso atque impio dogmate, quale putarunt esse resurrectionẽ mortuorum, non pauca patiuntur incommoda.* (Recte nos hoc objicimus Pontificiis, errare ipsos ex sententia Justiniani hujus, quod pro falso atque impio dogmate de purgatorio & animabus ex cruciatibus ejus liberandis afflictiones corporis patiuntur.) Mox addit Justinianus: *Non satis idonee hoc argumento mortuorum resurrectio probatur, possunt enim mortuorum animæ purgatorii pœnis levari, etiamsi nulla futura sit resurrectio.* Hæc Justinianus, & tamen communem errorem sequens, interpretationem de metaphorico Baptismo retinet.

9. Thomas in h.l. *Ut per hoc, quod dicit, mortuis, intelligantur opera peccati, quæ sunt mortua, quia carent vita gratiæ, & ducunt ad mortem. Et secundum hoc plana est litera. Quid scilicet facient illi, qui baptizantur pro mortuis, id est, pro peccatis abluendis, si non sint vitam gratiæ habituri?* Eandem expositionem amplectitur Contarenus Cardinal.

(Bellarminus & Salmero hanc interpretationem refellunt: nobis sufficit, Thomam hic non vidisse purgatorium.)

10. Gagneus Doctor Sorbonæ, Prædicator ac Eleemosynarius Regis in cap. 15. Actor. *Mihi quoque videtur alius esse sensus, ut Baptismus pro afflictione & supplicio sumatur, sicut Christus filiis Zebedæi dicit &c. Hoc modo ergo sensus esset, quid facient, qui baptizantur, hoc est, affliguntur pro mortuis, vel pro spe mortuorum, atque ad vitam non interituram resurgendi, vel pro mortuis, id est, pro asserta mortuorum resurrectione, pro qua morti se exponere non dubitarunt Martyres.*

(Accipit quidem baptizari pro affligi, interim purgatoriũ non elicit ex hoc loco vel ex hac baptizandi significatione.)

11. Cardinalis Baronius tom. 1. Annal. ann. 57. sect. 165. & 166. hujus loci mentionem faciens, videtur in eorum opinionẽ inclinare, qui crediderunt, *Apostolum loqui de quibusdam hæreticis, contra quos resurrectionem ex ipsorum Ceremoniis, licet à se non probatis, defendat, ut Epiphanius, Chrysostomus & Tertullianus.*

Argum. 14. Phil. 2. v. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & inferorum. Per* καταχθονίους *intelliguntur animæ in purgatorio. Qui enim in gehenna sunt, non flectunt Christo genua.* Roffensis Episcopus art. 17. col. 719. Eccius in Enchir. loc. de Purgat. pag. 219. Canisius in opere Catech. q. 9. de pœnit. p. 309. Peltanus, Fevardentius, Thyræus, Stotanus & alii.

Resp. 1. Thomas de Aquino lect. 3. in c. 2. Phil. Per τοὺς καταχθονίους intelligit *Dæmonas. Omnis creatura,* inquit, *rationalis, sive Angeli, sive homines, sive Dæmones, subjicientur Christo.* Ad objectionem, *quod Dæmones non adorent Christum, nec genua ei flectant,* Thomas ibidem sic respondet: *Duplex est subjectio, una voluntaria, altera involuntaria. Omnes Angeli sancti Christo subjiciuntur, sed voluntarie. Dæmones & damnati non sic, verum involuntarie.*

2. Lyranus in h.l. *Omne genu flectatur, id est, omnes exhibeant reverentiam, Angeli, homines & Dæmones.* Eodem modo exponunt Haymo, Lombardus in illum locum, Suarez tom. 3. in 3. Disp. 43. & Benedictus Justinianus, ac Jacobus Tirinus in cap. 2. Philipp.

3. Bellarminus ipse non multum tribuit huic purgatorii fulcro. *Per illud infernorum,* inquit Lib. 1. de Purgat. cap. 4. *non improbabiliter accipiuntur Dæmones.*

4. Idem Bellarminus Lib 2. de Purgat. cap. 6. & eum secutus Pazmannus in Hodeg. Peltanus de Purgat. cap. 6. fatentur, *incertum esse, an infernus sit in centro terræ, an vero in eo loco, ubi peccarunt animæ.*

(Quomodo ergo ex vocabulo καταχθονίων purgatorium evidenter probare poterunt?)

5. Schoppius in Apologet. cap. 60. f. 85. scribit, *argumentum hoc esse parum efficax ad asserendum purgatorium.*

6. Non utuntur sufficiente enumeratione. Constituunt enim etiam *puerorum limbum* infra terram, cujus tamen hic nullam habent rationem.

Argum. 15. 2. Tim. 1. v. 16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit. v. 18. Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in die illa.* Ex hoc loco Fevardentius in Theomach. *Purgatorium* colligit. *Tradidit,* inquit, *Paulus hoc loco formam orandi pro salute mortuorum. Onesiphorum enim fuisse defunctum, patet ex eo, quod Paulus suo nomine salutem dicere jubet Onesiphori domui, hoc est, uxori viduæ ac liberis, nam si non fuisset mortuus, illum fuisset nominatim salutaturus. Precatur insuper non illi soli, sed universæ domui ac familiæ, in qua erant patres, avi, abavi, atavi, mater, avia & alii plures, qui pro certo jamdudum obierant.*

Resp. 1. Benedictus Justinianus in Comment. statuit, hunc Onesiphorum fuisse post Timotheum Episcopum Ephesinum, utique ergo eum adhuc in vivis esse oportuit. *Hunc,* inquit, *fuisse Ephesinum, ejusque deinde urbis Episcopum perhibent, quanquam Dorotheus Coroniæ illi Episcopatum adscribit.*

2. Justiniano suffragatur Salmero. *Iste autem,* inquit, *erat Ephesinus, & fuit postea ejusdem civitatis Episcopus, quanquam Dorotheus illum fuisse Episcopum Coroniæ tradat.*

(At qui tum, cum hæc scriberet Apostolus, Ecclesiæ Ephesinæ Episcopus erat Timotheus 1. Timoth. 1. v. 3. c. 3. v. 15. inde Salmero in hunc loc. super verba, *Quanta Ephesi mihi ministravit, tu melius nosti,* sic commentatur: *Significat, illum Ecclesiæ Ephesinæ, vel sanctis Ephesinis multa suppeditasse. Ut tu,* inquit, *qui Episcopus ejus civitatis es, melius, quam ego, novisti.* Quomodo

ergo

ergo potuit Onesiphorus esse mortuus, cum Paulus hæc scriberet, si post Timotheum fuit Ephesinus Episcopus?)

3. Posset quis ex eodem principio concludere, Paulum orasse pro animabus defunctorum ex inferno liberandis, quia Onesiphori majores fuerant *Ethnici*. At consequens hoc Pontificii non admittunt.

4. Verba illa, *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in die illa*, ipsimet Pontificii Interpretes referunt ad diem Universalis judicii, in quo purgatorium ex ipsorum hypothesi penitus extinguetur. Salmero in hunc loc. *In die illa, scilicet judicii postremi.* Benedictus Justinianus in hunc loc. *Quod addit, in illa die, refertur, ut explicat Chrysostomus, ad diem extremi judicii.* Cajetanus in hunc loc. *Orat pro æterna retributione in die judicii.* Sequuntur hac in parte Thomam in h.l. sic commentantem: *In illa die, in qua scil. Dominus judicabit omnes.*

Argument. 16. 1. Petr. 3. v. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, Spiritus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca. Hic agit Apostolus de quorundam animabus peccatricibus ab hoc mundo profectis, & in altero seculo detentis carcere & pœnis, quas Christus visitavit, iis evangelizavit, ipsasq; ex carcere liberavit.* Turrianus lib. 4. pro Epist. Pont. contra Magdæb. cap. 14. pag. 465. Feuardentius lib. 12. Theomachiæ c. 9. num. 1. & 2. Tirinus in 1. Petr. 3.

Resp. 1. Bellarminus lib. 4. de Christo c. 13. Salmero in illum loc. per φυλακῇ intelligunt *limbum Patrum*, non purgatorium.

2. Mendoza in controvers. Theol. quæst. 1. pag. 73. nec limbum, nec purgatorium, sed ipsum *infernum* intelligit, sic scribens: *Non de descensu ad limbum Patrum aut purgatorium loquitur, sed de descensu ad tartara, ubi scilicet detinebantur illi, qui increduli fuerant in diebus Noa.*

3. Lorinus in hunc loc. sic commentatur: *Improbabile est, illas animas tamdiu* (à temporibus usque Noæ) *in purgatorio fuisse. Est item incertum, an Christus tunc aliquas animas eduxerit de purgatorio.*

4. Salmero in Comment. h. l. cum dixisset, *quosdam ex Catholicis de purgatorii carcere verba Petri interpretari* subjungit: *Sed excluso hoc sensu &c.*

5. Bellarminus d. l. scribit, *hunc locum Petrinum semper obscurissimum fuisse habitum*, ac Salmero ibid. scribit: *Obscuritatem hujus loci significant enarratores ejus tam veteres Patres, quam recentiores in varias sententias divisi.*

(Atqui ex loco obscurissimo & variis interpretationibus exposito non potest controversum fidei dogma probari.)

6. Benedictus Arias Montanus in h. l. sic annotat: *Quid alii commententur, nostri instituti non est judicare, quid ipsa lectio velit, insinuare satis fuerit. In quo Spiritu, nempe eo Spiritu, qui cum Patre æternus fuit à mundi initio secundum divinitatem, in quo prædicabat illis, videlicet Noa & iis, qui in arca inclusi ceu in carcere fuerunt, cum dictum est: Egredere ex arca.*

7. Jacobus Payva Andradius lib. 2. Defens. fidei Trident. *Diligenter animadverti volo à curioso lectore duo: alterum verbum, erant, in Græcis Codicibus minime haberi, sed solum legi iis, qui in carcere, participium vero οὖσι, id est, existentibus, quod est subintelligendũ, magis ad præsens tempus refertur, quam ad præteritum imperfectum: οὖσιν, id est, existentibus, qui jam sunt in carcere, non erant tantum.* Hinc infert, *Christum, qui jamdudum in Spiritu advenerat, prædicasse Spiritibus illis, qui jam in inferno pœnas suæ incredulitatis meritas luunt, quod justis Noa arcã ædificantis admonitionibus credere noluerint.* (Sequitur hac in parte Bedam, qui eandem expositionem amplectitur.)

8. Denique Thomas part. 3. q. 52. art. 2. ad 3. de hoc loco Apostolico sic judicat: *Augustinus melius exponit in Epist. ad Evodium, ut referatur non ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem divinitatis ejus, quam exercuit à principio mundi, ut sit sensus, quod hi, qui in carne erant conclusi viventes, hoc est, in corpore mortali, (quod est quidam quasi carcer animæ) Spiritu suæ divinitatis veniens prædicavit per internas inspirationes, & etiam exteriores admonitiones per ora justorum. His, inquam, prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, Noë scil. prædicanti, quando expectabant Dei patientiam per quam differebatur pœna diluvii, unde subdit, in diebus Noa, cum fabricaretur arca.*

Argum. 17. Hebr. 10. v. 25. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis non relinquitur hostia pro peccato. Ex hoc loco*, inquit Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 14. resp. ad 2. *habetur argumentum insigne pro purgatorio. Nam statim additur adversativa particula, sed terribilis expectatio judicii & ignis æmulatio, quæ consumtura est adversarios. Si enim iste ignis significaret solum ignem gehennæ, sequeretur, omnes, qui peccant post Baptismum, necessario damnandos, vel certe Paulum inepte loqui.* Similia de hoc dicto Hebr. 10. occurrunt apud Stapletonum part. 2. Promt. Cathol. pag. 282.

Resp. 1. Ignis purgatorii non *consumit*, sed purgat, ac animæ in purgatorio æstuantes *non expectant terribile judicium*, sed potius lætam ex illo igne liberationem, ut nos docent Pontificii. Qua ergo veritatis specie ad purgatorium hic locus accommodari potest?

2. Bellarminus ipse lib. 1. de Verb. Dei cap. 17. resp. ad 5. argum. docet, *Apostolum non loqui de quocunque peccatore, sed de eo, qui peccat in Spiritum sanctum, hoc est, qui voluntarie oppugnat cognitam & exploratam veritatem.*

3. Eadem est sententia Gregorii de Valentia, Vasquez, Riberæ & Jacobi Tirini.

4. Cornelius à Lapide in Comment. Hebr. 6. eã probat triplici argumento, *Primo, quia Apostolus vers. seq. vocat terram maledictam, quæ rore cœlestis gratiæ & fidei recepto profert tamen spinas apostasiæ, ideoq; reproba est & igni comburenda. Apostatæ enim fere omnes pœnitentia expiari non possunt, sed obdurati & reprob. sunt, ideoq; in gehennam relegantur. Secundo, quia pœnitentia non Baptismum, sed pœnitentiam significat eorum, qui in peccatum prolapsi sunt post illuminationem. Tertio, quia cap. 10. v. 26. omnino similiter loquitur de his Apostatis, quod eorum apostasia nullo sacrificio pro peccato, nulla pœnitentia expiari possit.*

Idem in cap. 10. Hebr. itidem aliquot argumentis probat, *Apostolum non de quibusvis peccantibus, sed de apostatis à Christo & Ecclesia loqui, ac pœnam illam ignis post extremum judicium demum ipsis irrogandam.*

(Stante hac hypothesi, in fumum abeunt, quæ pro accendendo igne purgatorio ex hoc loco eliciuntur.)

5. Apostolus loquitur de tali igni, *qui devoraturus sit adversarios.* Atqui ignis purgatorii non ipsos peccatos, sed tantum peccata devorare fingitur.

Argum. 18. 1. Johan. 5. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabit ei vitam peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. Quare cum Peccatum ad mortem est peccatum finalis desperationis, oretur, non vult D. Johannes, ut pro eo, qui in eo peccato è vita decessit, certe hoc ipso significat, pro iis, qui aliis peccatis admissis ex hac vita discedunt, utiliter & bona cum spe orari posse, ut scil. ab ejusmodi peccatis, si quid illis præterea expiandũ in illis superest, penitus exsolvantur, posito quidem, quod in gratia alioqui decesserint.* Roffensis artic. 37. col. 719. Gregorius de Valent. lib. de Purgator. cap. 3. p. 279. Canisius in opere Catech. q. 9. de pœnit. p. 308. Viguerius c. 16. Inst. Theol. §. 4. v. 28. &c. Peltanus, Slotan9, Salmero & alii.

Resp. 1. Lyranus in h. l. sic commentatur: *Est peccatum ad mortem, scil. finalis impœnitentia, qua quis in mortali peccato moritur. Non pro illo dico, ut roget quis, quia non est orandum pro damnatis. Et si, ipso vivente, sciretur, quod esset de præscitis, similiter non esset pro eo orandum, ut pœnam æternam evaderet, prout dicunt aliqui. Posset tamen orari pro eo, ut minus peccaret, & per conseq. minus puniretur in inferno. Sed quia hoc nescitur, quod quilibet peccator, quamdiu vivit, potest redire ad gratiam, ideo pro omnibus peccatoribus adhuc viventibus est orandum.*

(Ergo Apostolus loquitur de precibus pro viventibus, non pro defunctis effundendis.)

2. Erasmus ad h. l. sic annotat pag. 618. *Locus hic in speciem adimere videtur spem veniæ relapsis in culpam gravem. Neque me clã est, quibus rationibus sese hinc explicent Theologi. Sed mihi videtur & alius exitus aperiri posse. Venialia delicta, sine quibus nõ vivitur, quotidiana precatione delentur: Remitte nobis debita nostra, quemadmodum interpretatur & Augustinus. Cæterum atrocia flagitia non sanantur eodem modo, sed olim ejiciebantur è contubernio Ecclesiæ, tradebanturq; Satanæ, nec recipiebantur, nisi jejunio, lachrymis, multisq; remediis deleta culpa.*

(Juxta hanc expositionem nec suffragiis pro defunctis, nec purgatorio robur aliquod ex hoc loco quæri potest.)

3. Cajetanus Jentac. 8. q. 3. agnoscit. *Apostolum loqui de precibus, quæ pro viventibus funduntur, non pro defunctis.*

4. Bartholomæus Petrus in Supplem. Comment. Guilielmi Estii 1. Joh. 5. v. 16. *Per peccatum ad mortem intelligitur quodvis peccatum mortale, cujus non agitur pœnitentia, quamdiu & quatenus tale est. Ita non quodvis mortale intelligitur, nec tamen illud solum, cui est conjuncta finalis impœnitentia, sed omne illud, cui conjuncta est impœ-*

impœnitentia etiam temporalis, seu in cujus effectu quispiam hæret &c. Peccatum non ad mortem dicitur ab Apostolo, quod est mortale quidem, sed agitur ejus pœnitentia. Non autem prohibet Apostolus hoc loco fideles pro fratribus orare, quos sciant teneri peccato ad mortem, sed ad id non audet hortari quemlibet Christianum, ut scil. pro tali oret impetrandi fiduciâ, de qua locutus est v. 14.

(Hæc omnia ostendunt, de precibus pro viventib. Apostolo sermonem esse.)

5. Lorinus in h.l. sic commentatur: *Probabile arbitror, sermonem hic esse tantum de peccatis vivorum, & non de statu jam mortuorum cum mortali peccato.*

(Atqui hoc non esse probabile, sed certum, constat ex verbis ipsius Johannis, Qui viderit ἁμαρτάνοντα &c.

6. Jacobus Tirinus in Comment. h.l. *Qui scit, fratrem suum peccare, dummodo peccatum non sit ad mortem, id est, dummodo non inducat certo, certitudine morali, æternam mortem, eò quod sit quasi insanabile, seu incorrigibile, petat pari fiduciâ spiritualem vitam gratiæ reddi tali fratri, & dabitur ei.*

(Atqui vita gratiæ spiritualis post mortem fratri non redditur. Ergo non loquitur Johannes de precibus pro defunctis.)

Argum. 19. Apoc. 5. v. 3. & 13. mentio fit *creaturarum sub terra, per quas non possunt alii intelligi, quam qui sunt in purgatorio, quia damnati non dant benedictionem Deo, ac Patres non amplius erant in limbo, cum Johannes hæc scriberet*, Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 8. Salmero tom. 14. Disp. 25. p. 222. Costerus c. 16. p. 493. Canisius in opere Catech. q. 9. de Pœnit. p. 309. &c.

Resp. 1. Bellarminus ipse non multum tribuit huic purgatorii fulcro, sic enim scribit d.l. *Utuntur nostri hoc loco, sed tamen non videtur multum urgere.*

2. Ibid. subjũgit. *Probabile est per eos, qui sunt infra terrã, Patres, qui erãt in limbo, intelligi. Et si enim, quãdo Johannes hæc scripsit, Patres exierãt è limbo, nã tamẽ exierãt eo tẽpore, de quo loquitur. Loquitur enim de tẽpore, quod præcessit Christi mortẽ, ideo enim subjũgitur, Vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librũ. Christ⁹ enim morte sua aperuit mysteria libri usq; ad illam diem clausa. Similiter quod affertur ex hoc eodem ca. 5. Apoc. ubi dicuntur creaturæ, quæ sunt in cœlo & in terra, & quæ subtus terram dedisse laudem Deo, non convincit. Nam possunt hic per creaturas intelligi res inanimæ, ut ignis, grando &c. quæ in Psalmo 148. ad Deum laudandum invitantur, præsertim cum Johannes addat etiam ea, quæ sunt in mari.* (Quam expositionem frustra insectatur Fevardentius lib. 12. Theomachiæ cap. 10. n. 1. cum conformis sit locis Scripturæ parallelis Exo. 20. v. 4. Psal. 19. v. 1. &c.)

3. Idem Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 6. fatetur *ab Ecclesia Romana nondum esse definitum, ubi sit purgatorium, an super, vel subtus terram*; ac Maldonatus dicit tomo 2. Disp. de Sacram. p. 171. *de purgatorii loco nihil certi colligi posse ex Scripturis.*

(Quomodo igitur per creaturas *subtus terram* existentes infallibiliter intelligi possunt animæ in purgatorio?)

4. Lyranus in Comm. h.l. per creaturas subtus terram intelligit *Dæmonas*. *Nemo*, inquit, *poterat aperire in cœlo, quantum ad Angelos; neq; in terra, quantum ad homines; neq; subtus terram, quantum ad Dæmonas in quibus remanserunt naturalia integra.*

(Fevardentius d. l. hanc expositionem insectatur, sed approbat eam Blasius de Viega in c. 5. Apoc. sect. 2. p. 238. sic scribens: *Flentem Johannem, quod nullus neq; in terra, neq; in cœlo, neq; subtus terram, id est, neq; Angelus, neq; homo, neq; Dæmon, librum illum, quem viderat, posset respicere, nedum aperire, unus è viginti quatuor Senioribus animavit.*

Jacob. Tirinus in Comm. agnoscit, *Gregorium & Rupertum per eos, qui sunt subtus terram, intelligere Dæmones ac damnatos*, & addit: *Coguntur enim omnes extorta confessione, vel saltem concessione, tã Christum, quam Deum pro Domino suo agnoscere ac revereri.*)

5. Idem Lyran. ibid. *Omnes creaturæ & irrationales & vita carentes dicuntur laudare Christum, in quantum sunt materia & occasio laudandi ipsum, quia intellectuales creaturæ per eas ascendunt ad cognoscendum Deum, & per conseq. ad ipsum laudandum & glorificandum.*

6. Pererius in c. 5. Apoc. *Dicuntur Dæmones laudare Deum, non quia id faciant, saltem voluntarie: sed tum, quia agnoscunt, Deum esse dignissimum laudari, & honorari ab omnibus: tum etiam, quia sæpe coguntur Dei laudes coram hominibus confiteri & prædicare.*

7. Per creaturas *subtus terram* Ambrosius & Theodoretus intelligunt *mortuos*. Huic expositioni obvertunt Pontificii, quod mortui negantur *Deum laudare* Psal. 6. v. 6.

Resp. Ipsimet Pontificii Interpretes agnoscunt, non negari absolute confessionem in infernis, sed tantum κατά τι. Lorinus in Ps. 6. *Non est ex mortuis ullus, qui apud viventes agat memoriam tui, non in inferno, sepulchrove, qui celebrare apud mortales nomen tuum possit.*

Cornelius Jansenius ibid. *Non est inter mortuos quispiam, qui memoriam tui agat apud viventes. Quis existens in inferno aut sepulchro inter mortuos sanctissimum nomen tuum celebrare poterit apud mortales.*

Arg. 20. Apoc. 6. v. 9. *Sub altari vidit Johannes animas Martyrum, clamantes vindictam contra interfectores suos.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 6. dicit, *Ecclesiam Romanam nondum definivisse, ubi sit purgatorium.* At si hic locus de purgatorio ageret, sciretur purgatorii locus.

2. Idem Bellarminus lib. ejusd. c. 1. §. Hæc sententia &c. negat, *Martyres venire in purgatorium.* At hic locus agit de Martyribus.

3. Pontificii dicunt, *animas in purgatorio torqueri igne, qui sola duratione ab infernali distat.* At hæ animæ nihil de tormentis conqueruntur.

4. Blasius de Viega in c. 4. Apoc. comm. 4. sect. 8. sic disserit: *Bernh. serm. 4. in festo omn. Sanctor. existimavit, hoc altare esse humanitatem Christi, dicitque, animas Martyrum esse modo sub altari, quia solum vident Christi humanitatem, post diem vero judicii supra altare collocandas, id est, visione beatifica fruituras, cum corpora recipient. Sed hac Bernhardi expositione prætermissa, & aliis nonnullis, arbitramur, per altare hoc intelligenda esse ipsa loca, ubi corpora Martyrũ sepulta jacent, eò vel maxime, quod super Matyrũ reliquias altaria extrui consueverunt, sub quibus altaribus animæ Martyrum clamare dicuntur, quia ex iis ipsis locis eorum sanguis clamat ad cœlum.* Postea subjungit ex Gregorio lib. 2. moral. c. 6. *Magnus earum clamor magnum est desiderium tum resurrectionis, tum judicii.* (Nihil hic de Purgatorio audimus.)

5. Jacobus Tirinus ad h.l. sic annotat: *Animæ interfectorũ, id est, Martyrum &c. optant & subinde orant Deum, ut finem aliquando faciat tantis fratrum suorum miseriis, Tyrannosq; inhibeat, compescat, puniat, & ad tartara cogat. Orant autem subtus altare, quod est in cœlo, id est, ex secreto penetrali cœlesti, puta ex loco felicitatis & gloriæ, seu ex choro Martyribus destinato in cœlo.* (De purgatorio nullum verbum.

Arg. 21. Apoc. 15. v. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum, mixtum igni, & eos, qui vicerunt bestiam & imaginem ejus & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Mosis servi Dei & canticum Agni. Mare illud adumbravit Baptismum. Admixtio ignis non tantum denotat afflictiones temporales, sed ipsum unà ignem purgatorium.* Fevardentius lib. 12. Theomachiæ c. 10. n. 5. & seqq.

Resp. 1. ex Bellarmino lib. 3. de Verbo Dei c. 3. *Ex solo sensu literali petuntur firma argumenta.*

2. Glossa interlinearis ad h.l. sic annotat: *Mare vitreum, quia in eo baptizatis datur Spiritus sanctus.* Eodem modo exponit Lyranus ibid.

3. Blasius de Viega in Comm. Apoc. p. 746. sic scribit: *Cernis in mari Baptismum, in vitro fidem, quæ in Baptismo suscipitur; in igne vel Spiritum sanctum, vel tribulationem accipiendam esse, in quo igne vitrum fidei conficitur & solidatur, atq; adeo merito mare vitreum mistum igne fidem Baptismi persecutionibus probatam adumbrare, supra quod mare victores Anti-Christi securi stant, habentes cytharas & cantantes canticum Mosis, quoniam fidem in Baptismo susceptam Anti-Christi terroribus superatis retinuerunt.*

4. Ribera in h.l. n. 2. *Mare vitreum vocat multitudinem hominum, qui Anti-Christum sequentur. Dicitur mare, quia semper fervent & tumescunt variis cupiditatibus, quasi fluctibus quibusdam, qui fluctus in lutum tandem desinunt, id est, in turpissima peccata. Vitreum dicitur, quia quantumvis impii scelera sua contegant, etiam eorum cogitationes Deo manifestissimæ sunt, ac si lucido quodam vitro tantum tegerentur. Hoc mare mistum igne vidit, quoniam & igne, qui judicem Christum præcedet, flagrabunt, & prius æstu atq; igne affligentur. Apoc. 16. Et datum est æstu homines affligere.* (Sive ergo de victoribus Anti-Christi, sive de asseclis & membris Anti-Christi locum exponere velint, neutri ex hypothesi Pontificiorum in purgatorium veniunt.)

5. Jacobus Tirinus ad hunc loc. *Mare vitreum, crystallinum, pellucidum est cœlum empyreum, mistum igne, id est, coruscum splendore divinæ præsentiæ & fervens ardore caritatis Sanctorum.* (In cœlo autem esse purgatorium nemo dixerit.

3. *Patres* magno numero citat pro astruendo purgatorio

Origenem, Nyssenum, Nazianzenum, Theodoretum, Oecumenium, ex Græcis; Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Eusebium Emissenum, Gregorium, ex Latinis.

Resp. 1. *Origenis* autoritatem ipsimet passim repudiant. Gretserus lib. 2. de jure & more prohibendi libros noxios cap. 10. *Fuit Origenes olim in veteribus Synodis damnatus, & Gelasius Pontifex Tertullianum & Origenem, etsi Patres valde antiquos, lege lata manibus orthodoxorum excussit.* Quinimo in hoc ipso purgationis dogmate erroris ipsum accusant. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 1. *Origenes sine ulla excusatione aut commoda explicatione tenuit purgari debere tam bonos, quam malos, uno Christo excepto, post hanc vitam.* Confer Sixtum Senensem lib. 5. Bibl. annot. 131.

2. De *Nysseno* Græci in sua Apolog. sic scribunt: *Superest B. Gregorius Nyssenus Ecclesiæ Præsul, qui magis, quam alii, quæ pro vobis faciunt, dicere videtur. Atqui satius erat illius autoritatem prætertire, nullaq; ratione nos cogere, eorum, quæ dixit, defensionem aperte in medium proferre. Dicendum tamen nobis est salva, quoad ejus fieri potest, Patris illius existimatione. Cum quæstio de pœna æterna nondum agitata discussaq; esset, videtur etiam is ejus fuisse sententiæ, quæ restitutionem peccatorum statuit, & infert supplicii finem: nihil aliud supplicium illud esse statuens, quam purgationem quandam & fornacem, attractionemque ad Deum per dolorem & labores, tanquam futura tandem perfecta instauratione omnium, etiam Dæmonum ipsorum, ut sit, inquit, Deus omnia in omnibus, juxta dictum Apostoli.*

3. De *Theodoreto*, quem citat Thomas in Catena, Græci dicta Apologia sic scribunt: *Quæ dicitis B. Theodoretum dixisse virum & sapientem & divinum & magnam eloquentiæ laudem consecutum, siquidem etiam apud nos ita se habere deprehenduntur, haberent utique aliquam rationem, & nonnulla fortassis defensione egerent. Nunc vero, cum in multis illius, quæ apud nos extant, scriptis, nihil tale unquam dixisse comperiatur, ne verbis quidem ad illa opus esse censemus.*

4. *Ambrosium, Hilarium, Hieronymum, Lactantium, Rupertum* Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 1. numerat inter eos, *qui statuerunt, omnes animas ignis divini passuras examen, etsi non omnes cruciatum. Primus, inquit, error fuit, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto. Hæc sententia solet tribui Alcuino: sed videtur non esse ejus solum, sed multorum Patrum.* Postea illorum nomina subjicit.

(At si in hoc ipso purgationis dogmate erroris rei peraguntur, quomodo testes veritatis poterunt statui?)

5. Turrianus præfat. Græca in Διαταγὰς Clementis, locum *Nazianzeni*, quem pro purgatorio ex orat. in sancta lumina Bellarm. adducit, *fraudis Origenisticæ suspectum quibusdam visum fuisse* memorat. Προστίθησιν ὁ αὐτὸς Ἀμμώνιος, ὅτι φασί τινες καὶ τὸν λόγον τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Ναζιανζηνοῦ εἰς τὰ θεοφάνεια ἀπὸ τῶν αὐτῶν διαφθαρῆναι. *Addit idem Ammonius, quosdam dicere, orationem Gregorii Nazianzeni in Θεοφάνεια ab iisdem corruptam esse*, & recitat hunc ipsum locum de Baptismo ignis subjiciens, δοκεῖ γὰρ ἐνταῦθα κατὰ τὸν Ὠριγένην τελευταῖον βάπτισμα καθαρτικὸν ἁμαρτιῶν τιθέναι τὴν κόλασιν. *Videtur enim juxta Origenem, constituere punitionem esse quoddam postremum Baptisma purgatorium peccatorum.* Adde, quod Nicetas in orat. Nazianz. in sancta lumina recte moneat, *Nazianzenum de igne inferni loqui. Quod si vos non flectimus* (ait Novatianis) *pro vobis, utpote incurabili morbo correptis, lachrymas effundemus. Igni enim sempiterno baptisabimini, qui terrenam & crassam materiam tanquam fœnum comedit, ut Esaiæ verbis utar, hoc est, crassis & obscœnis voluptatibus servientes exurit, atque homines peccato leves & aridos ita excruciat, ut tamen non absumat.*

(Hanc expositionem probant antecedentia & consequentia apud Nazianzenum. Neque enim in prima persona loquitur, quasi hunc ignem expectet, ut quidam ex Pontificiis hunc locum allegant, sed tertia persona utens, hæreticis Novatianis minatur. Atqui, si Novatianis impœnitentibus purgatorium post hanc vitam promitteret, origenici erroris accusandus foret. Ipsum vero de impœnitentibus agere, ex his verbis liquet. *Atque hi quidem, ait, nostra si velint, atque adeo Christi via; sin minus, sua insistant, in altero ævo igne fortasse baptizabuntur &c.* Illisne purgatorium promitteret, qui Christi via rejecta suam sequerentur ac in hæresi persisterent?)

Confer dicta superius lib. 1. part. 2. cap. 13. n. 4.

6. Ipsimet Pontificii non amplectuntur omnia, quæ Patres de purgatorio tradunt. Alphonsus Mendoza in controv. q. 6. p. 477. adducit quosdam Patres, qui statuerunt, *damnatorum etiam pœnas per suffragia viventium mitigari posse*, quam tamen sententiam ut falsam repudiat p. 481.

Gregorius de Valent. lib. de Purgat. cap. 5. p. 281. *Neq; etiam illud obstat purgatorio, quod quidam ex Patribus post Origenem arbitrati sunt, saltem fidelium damnatorum pœnas non fore perpetuas. Neq; etiam id, quod aliqui ex Patribus, ut Ambrosius serm. 20. in Psal. 118. & Hieronymus in cap. 46. in Ezech. putasse videntur, omnes in universum justos, quantumvis aurum tantum & lapides preciosos super fundamentum ædificarint, transituros per illum purgatorii ignē. Etenim istiusmodi opiniones omnes per se alioqui falsæ sunt, neq; misceri debent cum quæstione ipsa de purgatorio, sicut fecit fraudulenter Kēnicius. Satis nobis est, quod ex illis etiā Patribus habemus ipsam verā purgatorii assertionem, nempe futurum, ut illi, qui supra fundamentum ædificaverint lignum, fœnum & stipulas, salvi non fiant, nisi per illum ignem. Hoc igitur ab Origene etiam & ab illis aliis Patribus accipimus, non autem illas falsas opiniones, abhorrentes à sententia communi Ecclesiæ atque aliorum Patrum.*

(Quod si ergo Pontificii non existimant, in omnibus se teneri ad assensum præbendum Patrum dictis: utique nec nos ad eorum expositiones atq; opiniones absolute & simpliciter astringere debent.)

7. Ex illis Patrum scriptis testimonia pro purgatorio sæpius afferunt, quæ alii ex ipsis Pontificiis repudiant & supposititia esse agnoscunt. Primum ex Patribus testimonium Bellarminus lib. 1 de Purgator. cap. 10. producit *ex Constitutionibus Clementis.* Sed eas *inter scripta Apocrypha ab omnibus numerari* tradit Baronius tom. 2. ad annum 102. & fatetur ipse Bellarminus l. de script. Ecclesiast. p. 59. & lib. 2. de Rom. pont. cap. 2. Sic idem Bellarminus lib. 1. de Purg. c. 10. Campianus rat. 5. & Anglo-Rhemenses in c. 17. Act. v. 34. adducunt testimonium *Dionysii Areopagitæ* de Hierarch. Eccl. Sed librum hunc non esse genuinum Dionysii illius Areopagitæ, cujus in Actis Apostolicis fit mentio, & cujus nomen præ se fert, fœtum, sed scriptum supposititium testantur Sixtus Senensis lib. 6. annot. 229. Cajetanus & Erasmus in cap. 17. Act. Sic idem Bellarminus d. l. purgatorium probat ex Homil. 3. de Epiphania *Eusebii Emisseni.* Sed Homilias illas supposititias esse, docent Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. tit. Eusebius; ac Baronius ad annum 441. Sic idem Bellarminus purgatorium probat ex libro *Damasceni* de illis, qui in fide migrarunt. Sed hunc librum non esse Damasceni asserit, ac proinde testimonium ex eo adductum rejicit idem Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 8. Plura hujus generis occurrent in iis, quæ lib. 1. part. 2. cap. 13. adduximus.

8. Talia Patrum dicta pro astruendo purgatorio afferunt, quæ de alio igne, quam purgatorii Pontificii igne agunt. Sic pro purgatorio Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 10. locum adducit Ambrosii serm. 20. in Psal. 118. Sed Bellarminus ipse de eo sic scribit lib. 2. de Purg. cap. 1. §. Adde. *Ambrosius in Psal. 118. serm. 20. Omnes oportet transire per ignem & flammas; per ignem non intelligit ignem purgatorii, sed ignem divini judicii, quo modo loquitur Apostolus 1. Cor. 3, cum ait: Uniuscujusq; opus, quale sit, ignis probabit.* Idem Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 10. pro purgatorio adducit locum Ambrosii in Psal. 36. Sed Sixtus Senensis l. 5. annot. 171. de eo sic scribit: *Ambrosius in Comm. Psal. 36. consentire videtur cum Origene, qui dicit, omnes homines, Christo excepto, probandos esse, & aliquo modo urendos igne conflagrationis divini judicii.* Idem Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 6. adducit Origenem, Hilarium, Basilium, Hieronymum & Lactantium. Sed Sixtus Senensis d. l. de illis sic scribit: *Origenes dixit, omnes homines, excepto Christo, aliquo modo urendos esse igne conflagrationis divini judicii. Et Hilarius una cum Ambrosio Origenem secutus est. Eodem pertinere videntur, quæ Basilius annotavit &c. Ad eandem opinionem apparet allusisse Hieronymum, & longe ante Hieronymum quoque Lactantium.* De Lactantio idem fatetur Suarez part. 3. Thom. quæst. 59. artic. 6. Disput. 57. sect. 1. § 3. *Lactantius, inquit, loquitur de iis, qui in resurrectione sunt igni tradendi.*

9. Adduximus superius confessionem quorundam Pontificiorum, quod apud Patres antiquissimos, Græcos præsertim nulla purgatorii mentio fiat.

(Quomodo igitur ad unanimem Patrum consensum provocare possunt?)

10. Interdum adducunt talia Patrum dicta, quæ alii fatentur esse corrupta. Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 6. adducit dictum Theodoreti in scholiis 1. Corinth. 3. *Hunc ignem purgatorium credimus.* Sed Sixtus Senensis lib. 6. annot. 258. verba illa *nec in Græcis, nec in Latinis Theodoreti Commentariis extare* asserit.

Idem

Idem Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 11. in loco Gregorii agnoscit quoddam mendum Scriptorum. *Gregorius* (inquit) *vocat ignem incorporeum, Hoc est mendum Scriptorum, qui incorporeum posuerunt pro corporeo,* Sed ei contradicit Pineda in cap. 20. Jobi v. 26. *Sic quidem* inquit, *docti aliqui sentiunt, ut Cardinalis Bellarminus. Ego vero suspicor, Gregorium dixisse incorporeum, ut ex antecedentibus non obscure colligitur. Opponit enim ignem illum igni nostro, quem corporeum esse dixerat, non quod omnis materiæ expertem senserit, sed quod materiali fomento non indigebat &c.*

11. Plerosque Patrum nullum omnino agnovisse purgatorium, quale Pontificii agnoscunt, probamus hoc modo: Suarez tom. 2. in Thom. p. 3. q. 59. artic. 6. sect. 1. §. Veruntamen &c. sic disserit: *Qui opinantur, animas hominum non judicari in morte, nec præmium, nec pœnam recipere, sed reservari abditis locis usque ad judicium Universale, consequenter dicunt, eas non purgari, donec facta est generalis resurrectio & judicium, ex quo satis consequenter dicere potuerunt, purgandos esse homines igne conflagrationis.* Subsumo. Plerique Patres hoc opinati sunt, ut probavimus l. 1. part. 2. cap. 13. n. 5. § 6. ex Sixto Senensi lib. 6. Biblioth. annotat. 345. Stapletono lib. 1. de autorit. Script. cap. 5. §. 2. Vasquez tom. 1. in Thomam Disput. 19. cap. 1. num 1. Conclusio sponte emergit. Ergo pleriq; Patres statuunt, animas non purgari, donec facta est generalis resurrectio.

12. Pontificii *unanimem Patrum consensum* ad fidei dogmata stabilienda, & infallibilem Scripturæ expositionem requirunt. (Sed non possunt pro purgatorio consentientes Patrum sententiæ & expositiones proferri.)

IV. Rationes,

Primò, *ab orationibus pro defunctis. Si est traditio Apostolica, orandum esse pro defunctis, quis non advertat, continuo inde sequi, animas quorundam post hanc vitam esse in pœnis temporalibus, & per conseq. dari purgatorium? Nam non oratur pro illis, qui sunt in cælo, nec pro illis, qui sunt in inferno.* Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 9. 10 & 15. Canis. in opere Catech. q. 9. de pœnit. pag. 303. Costerus in Enchir. cap. 16. pag. 497. & alii complures.

Resp. 1. Innocentius III. c. cum Marthæ. §. ult. ext. de celebrat. Missarum sic loquitur: *Nonnulli antiquiores crediderunt, beatorum gloriam semper usq; ad extremum Dei judicium augeri posse, indeq; colligebant, licere ad Deum preces fundere pro gloriæ illius sanctorum incremento.*

Alphonsus Mendoza in controvers. Theol. q. 6. p. 480. *Quidam dixerunt, preces viventiũ prodesse mortuis ad augmentum gloriæ.*

(Ergo ex precibus pro defunctis non statim probatur purgatorium. In Liturgia Chrysostomi etiam oratur pro sanctis defunctis. *Offerimus tibi hunc rationalem cultum pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis:* quam *orandi pro Apostolis & Martyribus formam in Ecclesia Rom. merito per consuetudinem exolevisse,* scribit Mendoza in controv. Theol. q. 6. Schol. p. 492. Epiphanius hæresi 75. testatur, *quod oraverint pro justis & peccatoribus,* ubi nomine peccatorum intelligit manifeste impios, ut seipsum declarat. Damascenus in sermone de defunctis probat aliquot exemplis, *etiam pro damnatis recte orari.* Quod si Pontificii nolunt obligari his veterũ dictis & exemplis, nec nos illis astringere possunt; ac si etiam pro sanctis & manifeste impiis olim orarunt, utiq; ex precibus pro defunctis non statim probari potest purgatorium.)

2. Ludovicus Nogarola de Apostol. instit. tradit. 32. *orationes pro defunctis* fatetur, *non tam ex Scriptura esse, quam ex traditione,* quod confirmari potest ex Caroli Magni lib. 2. de Imag. cap. 31. ubi *orationem pro defunctis* vocat *Ecclesiasticam constitutionem.* Idem dicit: *Secundum Ecclesiasticum usum poscimus veniam nostris.* Quin & ex Epiphanio hæresi 75. contra Ætianos, & qui eo antiquior est, Tertulliano lib. de coron. milit. cap. 4.

(Atqui ostendimus superius, lib. 1. parte 1. cap. 1. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, quod articuli fidei *ex Scriptura* probari debeant.)

3. Vincentius in Speculo lib. 25. cap. 89. sic habet: *Presbyter die obitus sui trigesimo apparuit amico suo, preces, jejunia & eleemosynas vivorum nihil prodesse mortuis, asserens, quod Dei judicia sint immutabilia.*

(Quod si preces defunctis nihil prosunt, utique ex illis non potest probari purgatorium.)

4. Agnoscunt ipsimet Pontificii, *plurimis ex veteribus fuisse persuasum, animas detineri in locis quibusdam expectantes diem judicii ultimi, id est, divinam de seipsis sententiam, destitutas adhuc beatifica visione Dei,* ut ostendimus lib. 1. part. 2. cap. 13. membro 5. §. 6. Hæc etiã fuit ipsis causa orandi pro mortuis, non purgatoriũ. Nam in purgatorio tormenta sunt præsentia, à quibus postulantur animæ liberari: deinde non expectatur ultimi judicii dies, imo nulla alia sententia, sed duntaxat præstitutum tempus, quo exacto, nulla nova interveniente cognitione evolatur in cœlos.

(Atqui sententiam illam veterum Pontificii agnoscunt esse erroneam. Eccur igitur orationes pro defunctis eidem superstructas nobis objiciunt?)

5. Alphonsus de Castro responsurus ad argumentum, quod Ecclesia pro defunctis sic oret: *A porta inferi erue Domine animas eorum.* Item. *Domine Jesu, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus. At si animæ essent de sua salute securæ, supervacaneum esset, orare pro illis, ut eruantur ab inferis, ad quos etiam, si pro illis Ecclesia non oraret, jam descendere non possunt.* Ad hoc, inquam, argumentum responsurus, inter cætera sic scribit: *Dicimus, non semper dubitari de illis, quæ petuntur, an ita futura sint, ut petuntur. Nam sæpissime petuntur illa, quæ certo sciuntur eventura, ut petuntur, & hujus rei plurima sunt testimonia. Ecclesiasticus siquidem Deum orans, sic ait: Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Nullus tamen sanæ mentis dicet, Ecclesiasticum dubitasse de fidelitate Prophetarum Dei, aut dubitasse, quod Deus daturus esset mercedem his, qui sustinent illum, quod tamen ille petit. Paulus certus erat se non separandum à caritate Dei, certus etiam erat, coronam justitiæ à justo judice Deo paratam sibi esse, orabat tamen Deum, ut illam assequi mereretur.*

(Ergo quamvis pii veteres certi fuerint, in fide Christi defunctos esse cœlestis gaudii participes factos, orare tamen poterant, ut Deus eos cœlestis gaudii participes faceret.)

6. Georgius Cassander in consultat. cap. de iterat. Missarum pag. 1003. postquam de precibus pro defunctis mentionem fecisset, subjungit: *Omnibus certe animis hoc perpetuo insitum fuit, ut Spiritus eorum, qui Christi Sacramento initiati in confessione nominis ejus cum aliqua pœnitentiæ significatione ex hac vita excesserunt, Dei clementiæ commendarent, & eis remissionem peccatorum, quietem æternam & consortium electorum precarentur. Et quamvis de statu illo animarum, quibus hæc prodessent, non satis constaret, nec inter omnes conveniret, omnes tamen hoc officium, ut testimonium caritatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum, & futura resurrectione Deo gratum, & Ecclesiæ utile esse judicarunt.* Ibidem adducit & probat verba Urbani Regii in lib. de form. caute loquẽdi: *Hæc erat olim & nunc est in Ecclesia memoria defunctorum, quæ evidens testimonium est caritatis & fidei de gloriosa carnis resurrectione, & cum sit fidei fructus, quæ per caritatem operatur, nemo eum rejiciat, nisi Epicuræus & Sadducæus.*

(Ergo preces piorum veterum pro defunctis non fuerunt *satisfactiones* pro peccatis defunctorum, nec *redemtiones* animarum ex purgatorio, sed publicæ *celebrationes & obsignationes* divinarum promissionum, *consolationes* lugentium, *declarationes* piorum affectuum erga defunctos &c. quo modo Dionysius in Hierarch. Eccles. part. 2. cap. 7. veterum consuetudinem interpretatur, ὁ ἱεράρχης, inquit, πρῶτον λέγει τὴν πρὸς Θεὸν εὐχαριστήριον εὐχὴν, *Pontifex primum precem gratiarum actoriam proferebat: deinde* οἱ λειτουργοὶ *ministri promissiones de resurrectione recitabant, & postea ministrorum primus dimittebat Catechumenos, sanctosq; defunctos, & nuper mortuum pari laudatione prosequebatur & hortabatur, ut & sibiipsis beatam in Christo consummationem precarentur: Denique* ὁ ἱεράρχης *precem sacratissimam super defuncto peragebat, & post orationem ipse Pontifex eum, qui obdormiverat, salutabat, & qui post illum astabant reliqui omnes, formulis illis usi, Vale & salve: æternum salve.* Cujus rei etiam luculentum testimonium esse potest illud Augustini lib. 9. Confess. cap. 13. orantis pro matre sua defuncta, *Credo,* inquit, *quod jam feceris, quæ rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine.* Ambrosius in orat. de obitu Valentin. Imperat. pollicetur, se pro Imperatoribus oraturum, *Nulla dies,* inquit, *vos silentio præteribit: nulla nox non donatos aliqua precum mearum contexione transcurret.* At num Valentinianum purgatorii pœnis obnoxium putabat? minime vero, dicit enim paulo ante: *Credamus, quia ascendit è deserto, id est, ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes, ubi cum fratre conjunctus, æternæ vitæ fruitur voluptate.* In orat. de obitu Theodosii inquit: *Manet ergo in lumine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur.* Nihilo tamen minus pro iis orat. *Da,* inquit, *requiem perfectam servo tuo Theodosio, requiem illam, quam præparasti sanctis tuis.* In orat. funebri pro Satyro fratre suo

tre suo de ipso dicit: *Intravit ergo in regnum cœlorum, quia credidit Dei verbo.* Item. *De istius beatitudine nequaquam utique dubitare debemus.* Nihilomninus his dictis pro eo orat: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam: tibi hostiam meam offero, cape serenus & propitius fraternum munus &c.)*

7. Salmero tom. 14. Disp. 25. p. 220. §. Secunda &c. sic disserit: *Minus solida consequentia est, Pro aliquo oratur. Ergo est in purgatorio, quia sæpe preces pro eo fiunt pro eo, qui punitur in gehenna, quandoquidem animarū status & conditio incerta nobis relinquitur.*

Idem Disp. 26. p. 235. *Audivi virum quendam nostri ordinis, atque instituti religione, atq; doctrinâ insignem novam quandam rationem excogitasse, qua hæc* (verba orationis in sacrificio Missæ, *libera animas fidelium de pœnis inferni) plane elucidari possent. Docebat enim his verbis, Ecclesiam certam quandam precandi rationem complecti, qua videl. nihil novi à Deo petamus, sed ea tantum, quæ jam actu facit Deus, & quæ semper faciet, & quæ aliter efficere non potest, etiamsi maxime velit, tamen ut illud faciat, serio rogamus &c. Sic oramus in petitione Dominica, sanctificetur nomen tuum, & sit nomen tuum benedictum ex hoc nunc & usq; in seculum, quod tamen nunquam non sanctificatur, & in æternum laudatur &c. Huic similem dicit esse gratulatoriam illam Ecclesiæ precationem, qua petimus, ut Spiritus defunctorum liberi sint ab ore leonis rugientis, ab absorptione tartari, à præcipitio in obscurū lacū, atq; ab horrendo casu in profundū, cum tamen sciamus, ab illis omnibus eos per Dei gratiam esse liberos.*

(Si preces veterum pro defunctis sunt Euchristicæ ac gratulatoriæ, quibus pie defunctis de eo, quod jamdum acceperunt, gratulati sunt, utique ex illis purgatorium probari minime potest.)

8. Stapletonus part. 2. Promt. Cathol. pag. 285. hoc habet: *Recentiores isti Græci schismatici hujusmodi locum* (purgatorii) *agnoscere nolunt, pro defunctis tamen fidelibus nihil minus orant.*

(Ergo preces pro defunctis nō statim inferunt purgatoriū.)

9. Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 2. §. 1. adducit locum Innocentii III. c. Apostolicam, ext. de Presbyt. non baptizato, ut probet, *fideles ante diem judicii visione Dei frui.*

(Atqui idem Innocentius pro eodem Presbytero, *quem cœlestis patriæ gaudium adeptum esse* asserit, *preces & oblationes* fieri ibidem jubet. Quod si ergo Bellarminus Innocentii autoritate stare velit, agnoscere cogitur, ex precibus pro defunctis non posse probari purgatorium.)

10. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 5. §. Verum istæ &c. Orationem illam, quæ in sacrificio Missæ recitatur, *Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu &c.* explicat de liberatione à rigore extremi judicii. *Ecclesia,* inquit, *orans, ne in judicio extremo animæ illæ cadant in obscurum, neve absorbeantur à tartaro, non orat pro re, quam accepit, sed quam acceptura est.*

(Atqui eodem modo ad orationes veterum pro defunctis respondere possumus, quod scilicet beatam corporum resurrectionem & liberationem à rigore extremi judicii, non liberationem ex purgatorio respiciant. In Liturgia enim Basilii & Ambrosii & Canone Missæ rogatur Dominus, *ut velit meminisse fidelium mortuorum in somno pacis dormientium, & ipsis in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis indulgere.* At si corpora pie defunctorum spectentur, tenebris sunt operta, Psalm. 88. v. 13. Psalm. 143. v. 3. itaque ut è terra oblivionis excitarentur, atque ita secundo Christi adventu consummaretur redemtio, & cum adventu illo conjuncta venirent *tempora refrigerii in die restitutionis omnium,* Act. 3. v. 20. solicite his precibus exoptare voluerunt.)

11. Alphonsus de Castro lib. 12. advers. hæres. fol. 264. sic disserit: *Sæpissime petuntur illa, quæ certo sciuntur eventura, ut petuntur: & hujus rei plurima sunt testimonia. Ecclesiasticus siquidem Deum orans, sic ait, Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Nullus tamen sanæ mentis dicet, Ecclesiasticum dubitasse de fidelitate Prophetarum Dei, aut dubitasse, quod Deus daturus esset mercedem his, qui sustinent illum, quod tamen ille petit. Paulus certus erat, se non separandum à caritate Dei. certus etiam erat, coronam justitiæ à justo judice paratam sibi esse, orabat tamen Deum, ut illam assequi mereretur. Et si cui prædestinatio sua fuisset nota, orare nihilominus deberet Deum pro suæ prædestinationis impletione, ut juxta Petri Apostoli sententiam, per bona opera certam faceret suam vocationem. Sic etiam Ecclesia, quamvis certò sciat, animas existentes in purgatorio non fore ad inferos damnandas, pro illarum tamen liberatione orare non desinit.* Cum quo congruit illud Bellarmini l. 2. de Purgator. cap. 5. §. Duæ igitur &c. *Ecclesia orat pro animabus, quæ in purgatorio degunt, ne damnentur ad pœnas gehennæ sempiternas, non quidem, quòd certum non sit, eas non damnandas ad eas pœnas, sed quia vult Deus, nos orare etiam pro iis rebus, quas certo accepturi sumus.*

(Pari ratione non frustra oratur pro resurrectione gloriosa piè mortuorum, licet credamus & sciamus, illos certo ad vitā resurrecturos, ac proinde ex precibus pro defunctis non statim sequitur purgatorium.)

12. Idem Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 9. §. ultimo. *Liturgiam Chrysostomi,* in qua oratur *pro Apostolis & Martyribus,* sic explicat: *Offerri pro sanctis & Martyribus, non ut remittantur eis peccata, sed ut gratiæ agantur, unde nominat sacrificium gratiarum actionis ac habet pro oblatione non propitiatoriâ, sed Eucharisticâ.*

(Eodem modo preces veterum pro defunctis explicare possumus, quod non fuerint *satisfactoriæ,* vel *propitiatoriæ* pro defunctorum peccatis expiandis, iisdemq; ex purgatorio liberandis, sed Eucharisticæ & gratulatoriæ.)

13. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 18. §. 3. testis est, Orationem illam, quæ in antiquis Missalibus in die S. Leonis dicebatur, *Annue, quæso, Domine, ut animæ B. Leonis hæc prosit oblatio;* etiā hodie, quamvis paululum immutatam, in secreta Oratione in eodem festo à Sacerdote in Rom. Ecclesia dici, & ad argumentum ex ea petitum respondet §. 16. *fortasse peti gloriam corporis, quā habebunt sancti in die resurrectionis.* Stante hac responsiõe, ex precibus pro defunctis nō potest probari purgatoriū.

14. Peltanus de Purgat. cap. 9. pag. 341. adducit orationem Clementis Romani lib. 6. Constitut. Apostol. quæ sic habet: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non mortuorum, sed vivorum Deus, respice super hunc servum tuum, quem recepisti in alteram vitam, & condona ei, si quid volens vel invitus deliquit, & Angelos placatos constitue ei, & colloca eum in sinum Patriarcharum ac Prophetarum & Apostolorum, & omnium, qui tibi à seculo placuerunt.*

(Ergo veteres orarunt etiam pro illis, quos in alteram vitam, adeoq; in statum æternæ felicitatis & gloriæ jamdum translatos crediderunt.)

15. Denique Pontificii non consentiunt in quæstione de oratione pro mortuis. Plerique enim statuunt, eam ex traditione ἀγράφῳ descendere. Sed Tyskivicius in Theol. Antilogica eam deducere conatur ex Thren. 2. v. 19. *Leva ad eum* (Deum) *manus tuas pro anima parvulorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.* Sed resp. Jeremiam ibi de vivis agere, non de mortuis. Cornelius à Lapide in h. l. *Leva manus, hoc est, ora &c. pro anima, id est, propter animam, propter vitam, qua privati sunt parvuli, qui paulatim fame consumti sunt, hoc enim est Hebræum* נֶפֶשׁ *ut eorum intuitu tui misereścat. Quare minus recte hæc aliqui referūt ad preces pro animabus existentibus in purgatorio, quod hinc probare contendunt, cum alia clara argumenta suppetant.*

Ratio 2. *à reliquiis peccati originalis. Reliquiæ peccati originalis semper hærent in renatis, quamdiu vivunt,* juxta Protestantium hypothesin. *At in cœlestem Hierosolymam nihil intrabit coinquinatum* Apoc. 21. v. 27. *Ergo animæ à peccati originalis reliquiis in purgatorio expurgandæ.* Becanus tom. 2. opusc. 10. cap. 1. lib. 1. Manual. cap. 8. n. 49. Peltanus de Purg. cap. 10. p. 356. &c.

Resp. 1. *Infantes statim post Baptismum decedentes & Martyres,* ex hypothesi Pontificiorum, non veniunt in purgatorium. At illi non minus, quam reliqui homines peccati originalis fomitem ac reliquias adhuc circumgestant.

2. Inde Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 9. §. Alter error &c. sic disserit: *Fomes* (peccati) *tollitur quidem in morte, sed non propter fomitem nos purgatorium statuimus, alioqui etiam pueri baptizati morientes deberent purgatorias pœnas pati, cum Baptismus eis non abstulerit fomitem. At Augustinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 16. diserte docet, ejusmodi pueros nullas pati purgatorias pœnas.*

(Si infantes baptizati fomitem habent, & tamen in purgatorium non veniunt. Ergo ex fomite non potest probari purgatorium.)

3. Salmero tract. 14. Disput. 26. pag. 228. disputat, *per infirmitates & dolores mortis, quos quisq; fidelis patienter in fide & caritate tolerat, purgari animam à reliquiis peccati.* Cū quo consentit illud Costeri in Enchirid. art. 16. p. 492. *Negandum non est, afflictiones quandoq; & dolores tū infirmitatis, tū mortis, vel pœnam omnem tollere, vel saltem imminuere pro peccatorum qualitate & pœnitentia morientium.*

(Ergo propter reliquias peccati originalis non est opus introducere purgatorium.)

Ratio 3. *à reliquiis peccatorum venialium. Fieri potest, ut homo cum solis venialibus peccatis ex hac vita decedat, à quibus post hanc vitam*

vitam ante ingressum in regnum cœlorum purgandus. Ergo datur purgatorium. Bellarminus Lib.1. de Purgat.c.11. Becanus Lib.1. Manual.c.8.n.45. Stapleton, part.2. Promt. Cathol p.278.&c.

Resp.1. Repetimus dictum Salmeronis, *quod per infirmitates & dolores mortis, quas quisque fidelis patienter in fide & caritate tolerat, anima purgetur à reliquiis peccati.*

(Ergo, ut propter originalis peccati reliquias non opus est introducere purgatorium, ita quoque ex peccatorum actualium reliquiis illud probari nequit. Addit quidem Salmero, *non esse prorsus certum, an quisque fidelis in totum purgetur, ut Lazarus; an ex parte, ut reliqui omnes, qui hinc decedunt, ac verosimilius & probabilius esse, non semper, nec necessario omnes peccati reliquias in morte exolvi.* Sed quilibet videt, ipsum petere principium. Quando enim idipsum probare debet, subjungit, *quoniam si omnia expurgaret mors, frustra esset purgatorium, frustra essent orationes & oblationes vivorum pro defunctis &c.* Hûc referri potest, quod Bellarminus Lib.2. de Purgator.cap.9.§. Credibile &c. concedit, *reliquas propensiones ad malum tolli per primum actum contrarium animæ separatæ, quem statim à separatione elicit;* quodq; Petrus à Soto in assertione fidei Catholicæ fol.80. statuit, *purgari multos à levioribus peccatis ipso mortis cruciatu.*)

2. *Martyres*, ex hypothesi Pontificiorum, non veniunt in purgatorium. At fieri potest, ut ipsi quoque cum reliquiis peccatorum venialium moriantur.

3. Pontificii statuunt, *pœnitentiam virtualem sufficere ad remissionem peccatorum venialium.*

Balduinus Junius in Manuali Theologico Lib.18. cap.3. dogm.8. *Non tantum per pœnitentiam explicitam & formalem, sed etiam per virtualem remittuntur peccata. De pœnitentia formali & explicita, etiamsi non omnino perfecta esset contritio, non dubitatur. De pœnitentia virtuali probatur. Nam illam appellamus affectum aliquem hominis in Deum, vel in res divinas talem, ut si peccatum illud veniale in mentem veniret, futurum esset, ut homini displiceret, doleretque se commisisse. Peccata autem venialia cum non avertant simpliciter à Deo, tanquam ab ultimo fine, sed solum sint impedimento, quo minus ferventi motu caritatis animus feratur in Deum, satis ille bonus motus videtur ad illorum reconciliandam remissionem.*

Emanuel à Sa in Aphorismis pag.330. Harphius Lib.2. myst. Theol. cap.2. p.127. *peccatum veniale per solam displicentiam remitti* asserunt.

(Jam vero nullus vere pius & fidelis moritur, qui non habeat virtualem illam pœnitentiam. Ergo nullus vere pius & fidelis propter peccata venialia descendit in purgatorium.)

4. Peltanus de Purgat.cap.6.pag.276. sic disserit: *Quidam persuasum habent, aliud nihil esse ab hoc genere peccati* (venialis) *absolvi, quam pœnam, quæ juste illi debebatur, integre perpeti. Credunt enim peccatū hoc nulla prorsus malitia aut macula animam inficere, sed ad quendam tantum temporalis pœnæ reatum eandem obstringere. Quod si ita se res habeat, utiq; purgatorio nihil erit opus, pro culpa & macula peccatorum venialium eluenda, cum talis nulla detur.*

Pag.277. *Ex hac doctrina sequitur, nullam omnino noxam venialem, ut noxa est, ad purgatorium ignem deportari, siquidem omnis talis in ipso instanti mortis tollitur. Nam ut primum anima à corpore sejuncta est, statim in seipsam reflexa omnium venialium odium, quæ commiserat, concipit. Cum ejusmodi autem odio vel detestatione gratiâ informata peccatum consistere nequit, ne in hac quidem vita, ubi actus sunt remissiores, nedum in alia, ubi post depositam carnis sarcinam multo sunt acriores. Hæc sententia nihil habet incommodi.*

Pag.278. recitat opinionem Thomæ *de peccatorum venialium expiatione*, & addit: *Hæc sententia cum proxime exposita, in plerisque satis convenit. Agnoscit enim perinde ac proxima nullum peccatum, ut culpa est, ad purgatorium deferri, tum noxæ hujus abolitionem non solum cessationem ab opere deposcere, sed aliqualem quoque peccati detestationem: tum hanc venialis peccati relaxationem ex gratia meritisque præcedentibus provenire. Quare non multum retulerit, hancne an illam amplectare.*

(At si nullum peccatum veniale ut culpa est, ad purgatorium defertur, utique ad venialium peccatorum culpam expiandam nullo opus erit purgatorio.)

5. Inde Maldonatus tomo 2. Disput. de Sacramentis pag. 174. sic scribit: *Non credo, verum esse, quod dicunt aliqui, purgatorium esse factum à Deo propter peccata venialia. Nam cum Theologi doceant, quolibet bono affectu & qualibet actione caritatis remitti peccatum veniale, quid opus fuisset ad remittenda peccata venialia facere purgatorium?*

Ratio 4. *à debito pœnarum temporalium post culpam mortalem remissam. Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur semper cum peccato tota pœna temporalis, ac potest fieri, & sæpe fit, ut in tota vita aliquis non satisfecerit plene pro temporali illa pœna. Ergo necessario statui debet purgatorium.* Bellarminus Lib.1. de Purgatorio cap.11. Becanus Lib.1. Manual, cap.8. n.32. Gregorius de Valent. cap.4. de Purgat. n.279. &c.

Resp.1. Bellarminus Lib.1. de Purgatorio cap.12. resp. ad 6. object. disputat, *mortem latronis conversi durissimam potuisse juste in plenam satisfactionem reputari.*

(Ergo etiam infirmitates & dolores, quos pii in morte sustinent, poterunt in plenam satisfactionem pro pœnis temporalibus reputari.)

2. *Infantes baptizati*, ex hypothesi Pontificiorum, *non veniunt in purgatorium.* Iidem tamen multis calamitatibus post remissam culpam sunt subjecti. Ergo ex illis calamitatibus, quibus fideles adulti post impetratam peccatorum remissionem subjecti sunt, colligi nequit, quod sint obstricti ad debitū luendæ pœnæ temporalis vel in hac vita, vel in purgatorio.

3. In articulo de pœnitentia ex quorundam Pontificiorum suffragiis ostendemus, *nec pro culpa, nec pro pœna à nobis Deo satisfieri posse.*

(Falsa igitur est hypothesis, quo argumentū hocce nititur.)

Ratio 5. *ex consequente incommodo. Opinio, quæ tollit purgatorium, non solum falsa est, sed etiam perniciosa, siquidem homines socordes facit in peccatis cavendis & bonis operibus faciendis.* Bellarminus Lib.1. de Purgat. cap.11. &c.

Resp.1. Per inversionem. Opinio de purgatorio alit potius peccandi licentiam, quia tradit ex flammis illis per aliorum suffragia, quæ ditiores facili negotio sibi comparare possunt, liberationem obtingere.

Albertus Magnus de offic. Missæ, tractatu 3. cap.16. *Tot possunt fieri suffragia pro uno aliquo, quod statim in momento liberatur. Et ideo in hoc solo casu melior est conditio divitis, quam pauperis, quia habet, unde suffragia fiant pro ipso.*

2. Pontificii damnant errorem Novatianorum docentium, *Christianis semel lapsis reditum non patere ad gratiam.* (Atqui pro stabiliendo isto errore eodem modo quis argumentari posset, quod opinio, quæ tollat assertionem Novatianorum, homines socordes faciat in peccatis cavendis.)

3. Roffensis art.18. contra Lutherum scribit, *in primitiva Ecclesia purgatorium non fuisse notum.* Verba sic habent: *Neq; tam necessaria fuit sive purgatorii, sive Indulgentiarum fides in primitiva Ecclesia, atque nunc est. Nam tunc usque adeo caritas ardebat, ut paratissimi fuissent singuli pro Christo mortem oppetere. Rara fuerunt crimina, & ea, quæ contigerunt, magna fuerant Canonum severitate vindicata.*

(At in primitiva Ecclesia vel maxime viguit pietas.)

4. Doctrina de Purgatorio desiderium moriendi in cordibus piorum extinguit, & vivificam consolationem ipsis adimit. Non diffitetur id omnino Bellarminus Lib.1. de Purgat, cap.15. §. Ad illud ex Paulo &c. sic scribens: *Ad illud ex Paulo 1.Thess.4. dico, Paulum in eo loco solum voluisse dicere, non esse mortuos immoderate deflendos, quomodo Ethnici faciebant. Ad hoc autem propositum non solum non proderat, sed etiam oberat mentio purgatorii. Dicere enim, animas propinquorum gravissime torqueri in purgatorio, non est afferre materiam consolationis, sed majoris luctus. Paulus autem consolari volebat eos, ut patet, & ideo meminit resurrectionis & gloriæ, & concludit. Itaque consolamini invicem in verbis istis.*

5. Bellarminus Lib.1. de Indulgentiis cap.14. §. Quarto requiritur &c. sic disserit: *Cajetanus tract.16.q.5. de Indulgentiis, ad hoc, ut Indulgentiæ prosint defunctis, requiri docet, ut defunctus sit non solum in statu gratiæ, & in purgatorii locis degat, sed etiam ut, dum viveret, fuerit devotus clavium Ecclesiæ, mortuosque suffragiis juvare studuerit, & pro suis peccatis satisfacere non neglexerit &c. Sed hæc Cajetani sententia, ut est utilis & pia, quia excitat viventes ad bona opera, ita videtur minus vera & ab omnibus passim refellitur.*

(Si sententia quædam utilis & pia, excitans ad bona opera, est minus vera & ab omnibus passim refellitur, utique ex eo, quod doctrina de purgatorio homines excitat ad bona opera, non potest inferri, quod hæc doctrina sit vera.)

6. Doctrina de pœnis inferni æternis maxime reprimit studium peccandi. Scribanus Instit. Politico-Christianæ cap. 27. p.392. *Quem non omnino fatuum non moveat futurorum cogitatio? præmia & pœnæ æternitati commensuranda quid non possunt? Quis prudens, beata æternitate proposita, ob unius prope momenti gaudium è voluptate & vindicta, æternùm excidere illa volet? quis propo-*

proposita felici gaudiorum, dignitatum, voluptatum æternitate & voluptatica humana hilaritudine hanc illi præferat? peritura fors hodie, fors hoc hora, quis æternis sapiens anteponat? quis rapidissimi temporis celeritatem, quam citissimi per volamus verius, quam percurrimus, nullo ævo moritura gloria, opibus, voluptatibus præponat? aut quis illam deligat, has destituat prudens? Scire à quolibet delicto graviore æternitatem pendere, felicem, infelicem, nullo ævo ponendam, ipsiq; adeo Deo commensurandam? & scelere se aliquem contaminare, quod beatitate excludat æterna, pœnas adducat æternas, maxime in tam dubia vita & morte, à qua momentum nullum liberum quis credat? & quis cui spondeat horam post scelus alteram? &c.

Ratio 6. *ab exemplis eorum, qui in hanc vitam revocati.* Salmero tom. 14. Disp. 25. tale nectit argumentum. *Constat ex Evangelio & Actis Apostolicis, multos fuisse ad vitam revocatos, ut puellam filiam Archisynagogi, adolescentem filium viduæ & Lazarum à Christo, Dorcada à Petro, Eutychen autem puerum à B. Paulo. Isti autem mortui ab inferno non sunt revocati, quia ab illo loco nullus evadit: nec etiam sunt à beatitudine jam adepta excitati, quia tunc resurrectio non esset beneficium, quod à cœlesti gloria dejiceret. Dicendum ergo est, locum medium Purgatorii fuisse, in quo post mortem ad tempus manserunt, donec redirent ad vivos post resurrectionem.* Idem argumentum urget Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q. 43.

Resp. 1. Lorinus in c. 20. v. 10. quæstionem, *ubi fuerint animæ revocatorum in hanc vitam* vocat *otiosam*. Ergo non tenemur ad eam respondere. Verba Lorini sic habent: *Excitat Abulensis curiosam sane quæstionem de puero, quem suscitavit Elias, & altero, quem Elisæus, unde eorum animæ adductæ seu reductæ fuerint?*

2. Peltanus de Purgatorio c. 10. sic scribit: *Non desunt, qui ex ea ipsa mortuorum suscitatione novum huic veritati firmamentum adjungi posse existiment. Verum hæc argumentatio non est necessaria: siquidem supra, cum de animarum receptaculis ageremus ex instituto, ostensum est, ex omnibus & singulis sedibus aliquos remeasse. Credibile sit tamen, majorem partem ex purgatorio prodiisse, & in hoc sensu argumentum admitti potest.*

3. De Dorcade sic scribit Lorinus in Comment. Act. 9. *Non dubito, quin opera ipsa plena essent coram Deo suo, quibus illa erat plena, ut non tantum bona, sed bene quoque fierent, & responderent personæ & gratiæ illius.*

(Ergo Dorcas illa non descendit in purgatorium, nec ex eo fuit revocata.)

7. Bellarminus lib. 2. de Purgatorio c. 8. statuit, ex cœlo & inferno quosdam ad vitam revocatos fuisse. *Quod ex cœlo,* inquit, *aut inferno damnatorum aliqui revocari possint ad vitam, videretur incredibile, nisi extarent exempla, quæ negari non possunt. Nã Gregorius lib. 1. Dial. cap. 9. scribit, à sancto Fortunato excitatum fuisse Marcellum quendam virum sanctum, qui ab Angelis in optimum locum ductus fuerat, & cap. 12. scribit, à S. Severo excitatum quendam virum pessimum, qui à Dæmonibus in infernum deducebatur. Egesippus scribit lib. 3. c. 2. B. Petrum excitasse affinem quendam Cæsaris Ethnicum à morte. Nec dubitari potest, quin Apostoli aliquos Ethnicos excitarint. Maximus serm. 2. de S. Agnete dicit, quod excitarit filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Et Evodius lib. 1. de miracul. S. Stephani dicit, parvulum mortuum ante Baptismum ad reliquias S. Stephani excitatum.* Hæc omnia Bellarminus, qui postea suam addens ἐπίκρισιν, subjungit: *Si aliqui sancti viri redierunt ad corpus, non fuerunt beati, sed Deus prævidens eorum excitationem, distulit eorum beatificationem, & interim detinuit eos in optimo aliquo loco.* (Atqui optimus ille locus non est purgatorium.) *De damnatis similiter dico, eos, qui sunt excitati, cum mererentur pœnas æternas, non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, & punitos interim secundum præsentem injustitiam.*

5. Blasius Viegas in c. 11. Apoc. Comm. 5. sect. disputat, *opinionem illam, quæ Paradisum terrestrem jam non existere, sed aquis diluvii obrutum & plane dissipatum periisse, atq; adeo Enoch & Eliam in eo non esse statuit, esse probabilem, & divinis literis consentaneam. Locum vero, ubi jam est Enoch, esse amœnissimum, sed nobis incognitum.*

(Quod si ergo alio responso destituti Lazarum ac Thabitham in amœno illo loco detentos fuisse diceremus, donec in hanc vitam revocarentur, quid possent nobis curiosi isti disputatores opponere?)

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

QUERELAS, CALUMNIAS, ET OPINIONES ABSURDAS & erroneas Adversariorum complectens.

I. Querelæ.

1. Pistorius in Hodeg. cap. 12. p. 545. *Infernale mendacium esse scribit, si quis ex Platonica Philosophia dicat Ecclesiam purgatorium didicisse.*

Resp. Bellarminus l. 1. de Purgat. c. 11. inter cætera purgatorii fundamenta recenset *communem opinionem omnium gentium*, ac nominatim meminit *Platonis*. Quinimo, ut Platonem magis suũ faciat, Augustinum corrigit l. 21. de Civ. Dei c. 13. scribentem, *Platonicos nullas pœnas, nisi purgatorias, agnoscere post mortem.* Hoc Augustini pronunciatum Bellarmino non probatur, ideoque contendit, *Platonem non minus, quam Pontificios tria hominum genera agnovisse, qui ad judicium evocentur post mortem.* Sic enim scribit lib. 1. de Purgat. c. 2. *Quanquam in ipsius Platonis operibus aliud legimus; nam in Phædone & in Gorgia tria facit hominum genera eorum, qui ad judicium evocantur post mortem, Unum eorum, qui pie justeq; vixerunt, & hos statim ad Insulas beatorum transmitti dicit. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, & hos asserit ad tempus exerceri pœnis, donec scelus eluatur. Tertium eorum, qui peccata incurabilia commiserunt, & hos dicit in tartarum dejici in æternum puniendos, quorum supplicia ipsis quidem nihil prosint, sed aliis tamen prosint ad exemplum.*

2. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, *quod pecuniæ aucupandæ causa purgatorium tam acriter propugnent.*

Resp. 1. Johannes Fisch rus a c. 37. col. 725. captationem illam lucri non omnino diffitetur. *Esto,* inquit, *Pontifex ex credito purgatorio lucrum ingens assequatur. At qui pro liberandis animabus bona fide contribuunt, tã sibi quã animabus illis tanto lucrãtur cumulatius, quanto spirituales divitiæ transitoriis præponderant magis.*

2. Salmero inter salutares purgatorii fines & effectus numerat *amplificationem cultus Dei ex legatis, quæ pro Ecclesia sacellis instituantur.* tom. 14. Disp. 25.

3. Wolfgangus Eisinger Canonicus Augustanus dixit, *decipi & frustrari primos fundatores, dataq; eleemosynas, ut pro illis preces fiant, quo ex purgatorio liberentur celerius, imq; devorari, cum non unquam post acceptam pecuniam promerendæ ipsorum salutis quisquam sit memor, ita ut nisi Dei misericordia interveniat, certe quantum ad preces & intercessiones illorum ipsis in sempiterno exitio sit commorandum.*

II. Calumniæ.

1. Bellarminus lib. 4. de Eccles. c. 9. §. Aeriani &c. conjungit nos cum hæreticis *Aerianis, propterea quod negemus, orandum esse pro defunctis.* ac lib. 1. de Purgatorio c. 2. scribit, *primus omnium, qui aliquid sensit contra purgatorium, videtur fuisse Aerius, qui teste Epiphanio, hæresi 75. & Augustino, hæresi 53. docuit non esse pro defunctis orandum. Hanc enim sequitur, aut non egere precibus, aut non posse juvari, quorum utrumque purgatorio repugnat.*

Resp. 1. ex Alphonso de Castro adv. hæres. tit. Cibus, & tit. Nuptiæ, ex Philastrio. *Tatianorum hæresi adhæsit Aerius, dicens: Non licere vesci carnibus Item. Aerius in eo errore fuit, ut neminem ad communionem admitteret, nisi continentes.*

(Ergo ob errores in dogmaticis Aerius hæreseos fuit damnatus, sicut Epiphanius d. l. memorat, Aerium fuisse Arianum in totum.)

2. Nec Theodoretus, nec Historia Ecclesiastica Aerianorum tanquam hæreticorũ meminit, etsi ante Socratem, Sozomenum, Evagrium vixerit Aerius, quæ tamen eadem Historia Eccles. *Eustathianos* contemporaneos sæpe commemorat hæreticos. Epiphanius quidem hæresi 75. scribit, *Aerium docuisse, mortuis vivorum preces non prodesse,* sed eam sententiam in Aerio ab Ecclesia antiqua, tanquam hæresin damnatam esse non dicit, eamque non ex ullo Scripturæ loco, quod fieri omnino oportebat, si res eo modo sese haberet, sed tantum ex traditione à Patribus accepta refutat. August. de hæresibus c. 53. non affirmative, sed dubitanter asserit, Aerium id docuisse. *Fertur,* inquit, *docuisse.*

3. Jodocus Ravenstein in confutat. Confess. Antuerp. probare vult, *quod Purgatorium in Apologia Augustanæ Confessionis approbatum sit,* quo fine adducit cap. 20. fol. 116. hæc verba, & quidem majusculis literis descripta ex articulo de Missa: *Sa mus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quam non prohibemus, Cum igitur pro mortuis nihil à Deo rite postulare possimus, si jam in æterna requie & pace constituti sint, manifeste constat, eos, pro quibus orationes rite fiunt, adhuc retineri in loco aliquo, donec plena peccatorum remissione obtenta ad quietem æternam admittantur.* Hic lector aliud cogitare non potest, quam Apologiæ esse omnia illa verba, cum ejus nomine à Ravensteinio citentur, & propterea majusculis literis exprimantur. Sed manifesta fraus est, cum hæc tantum sint Apologiæ verba

verba pag. 274. *Scimus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quam non prohibemus.* Confer Dn. D. Meisnerum de Purgatorio cap. 9. pag. 865. ubi plenius de hac fraude lectorem monet. Cæterum, quando Apologia dicit, *nos non prohibere orationes pro defunctis,* tum non intelligit oblationem pro defunctis, qua liberentur ex loco tormentorum, sed stylo veteris Ecclesiæ *vota,* quibus defunctis optamus requiem, de ipsorum beatitudine bene sperantes, & nos ad similem exitum cohortantes. Origenes Lib. 3. in Job. *In fide morientium devote memoriam agimus tam illorum refrigerium gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.*

4. Fevardentius Lib. 11. Theomach. c. 6. n. 16. *Nulli Protestantes utuntur religiosis Ceremoniis in funere suorũ, nec majorẽ curam impendunt iis, quam si maleficorũ corpora forẽt, quæ raperentur ad gemonias, vel brutorum cadavera, quæ in sterquilinia & loca congestitia traherentur.* (Manifesta praxis contrarium testatur.)

5. Flavianus Monachus in Lib. de Purgatorio cap. 24. referente Bleffkeno in suo Refrigerio cap. 9. fol. 71. *Lutherani & Zuingliani suos mortuos, ut asinos aut mortuos equos abjiciunt, eò quod neq; animæ immortalitatem, neq; carnis resurrectionẽ credant.*

(Contrarium testantur Symbolici Ecclesiarum nostrarum libri.)

6. Peltanus de Purgat. cap. 11. pag. 379. *Illi ipsi quoque, qui sectis addicti purgatorium negant, non diffitentur, ante Christum passum tria aut quatuor ejusmodi domicilia extitisse, nimirum infernum, Abrahæ sinum, puerorum limbum & cœlum empyræum, quamvis istuc ad illud usque tempus omnibus hominibus occlusum fuerit.*

(At duo tantum animarum receptacula, tum ante, tum post Christi passionem statuimus, cœlum scil. & infernum.)

7. Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri Lib. 10. art. 5. pag. 1094. *Lutherani, quia cuilibet ad solam fidem regnum cœlorum promittunt, negant, fidelibus hoc judicium esse metuendum. Hinc illi Augustæ Vindelicorum judicii extremi effigiem imprimentes disertis verbis apposuerunt, quemlibet in illa die secundum fidem remunerandum fore. Lindanus Dial. 1. Dubitantii ait, se hujusmodi effigiem in Suevia vidisse.*

Resp. 1. Norma judicii erit Christi verbum Johan. 12. v. 48. Hebr. 4. v. 12. quod complectitur legem & Evangelium.

2. Pii non ex lege, sed ex Evangelio judicabuntur, & in judicio absolventur, quin & in possessionem æternæ hæreditatis vocabuntur. Impii ex lege judicabuntur, & quia in Christum, qui est legis impletio, non crediderunt, damnabuntur.

3. Opera in judicio producentur, tanquam externa interioris fidei in piis, & interioris incredulitatis in impiis testimonia.

4. Augustinus ante nos docuit in enarr. Psal. 100. *formidandum esse malis judicium propter pœnam, amandum bonis propter coronam.*

II. In specie.

1. Bellarminus Lib. 4. de Verbo Dei, capite 4. & lib. 1. de Purgat. c. 2. Luthero objicit *inconstantiam, quod primum purgatorium plane Catholice admiserit in Disputatione Lipsiensi; deinde admiserit quidem, sed multis admistis erroribus, qui reperiantur inter articulos à Leone damnatos, tandem vero simpliciter sustulerit in lib. de abroganda Missa privata.* Idem objicit Gregorius de Valent. cap. 2. de Purgat. p. 273.

Resp. 1. Lutherus in præfatione tomi 1. Lat. priora sua scripta non solum *cum judicio,* sed etiam *cum commiseratione* legenda esse admonet, siquidem erroribus Papisticis tum fuerit altè adhuc immersus. In assert. art. 37. dicit, *se credere purgatorium non ut rem certam, sed ut probabilem, sicut credat, Thomam Aquinatem esse sanctum,* quod non credidit fide infallibili ac certa. Tandem in publico scripto Germanico Ann. 1530. edito, purgatorium oppugnavit. tom. 5. Jen. German. fol. 161. (Revocatio errorum non est signum inconstantiæ culpabilis, sed profectus in veritatis agnitione laudabilis, qua de re sic scribit Lutherus tom. 2. in libro contra Regem Angliæ fol. 521. *Si hoc est sibi non constare in dogmatibus, ut Rex Thomisticus definit, si quis aliter sentiat cognita veritate & errore revocato, quam antea senserat, obsecro, quis vel sapientissimorum, vel sanctissimorum virorum sibi unquam constitit? Damnabimus Epistolas Pauli universas, quod ille post conversionem penitus stercora vocat, quæ antea in Judaismo sibi lucra fuerant. Damnemus & Augustinum, qui singulari libro multa retractavit, & longe contraria primis docuit. Quin juxta hujus Regis sapientiam inæstimabilem peccatores desinant pœnitere, & sententiam in melius mutare, ne Rex Angliæ iratus libro edito damnet eos inconstantiæ & dissensionis propriæ.*)

2. Lutherus in enarrat. Evang. die Epiphan. ex Matth. 2. Ann. 21. edita, jamdum de Purgatorio sic scripsit: *Etiamsi non credas purgatorium, haudquaquam ob id es hæreticus, quod de eo nihil Scriptura testetur, ac multo satius est, ut quæ Scriptura non habet, non credas, quam ut fidem neges iis, quæ Scriptura præscribit. Sane hic irascatur Pontifex. & Pontifices omnes, qui articulum fidei fecerunt, esse purgatorium, quo certe rationibus suis mire consuluerunt, at tanto majora damna dederunt animabus, quas magnis turbis in gehennam hoc suo commento abduxerunt, dum de purgatorio persuasas fecerunt operibus suis confidere, ut inde liberarentur.*

(Ergo etiam primis annis Lutherus non habuit purgatorium pro fidei articulo.)

Tom. 4. Latin. pag. 368. *Purgatorium à me assertum jactant Papistæ & Antilogistæ. Et adhuc adsero, sed illud, quod in Psalmo frequentatur, ubi Sancti laudant Deum, quod ab inferno inferiori de tenebris & umbra mortis, de manu inferi, de periculis inferni, de finibus & portis mortis liberati sunt &c. Hoc purgatorium non est fictum; sed res ipsa & nimium serium his, qui cum Prophetis & sanctis omnibus in schola Christi discunt hanc duram lectionem. Deducit ad inferos & reducit, mortificat & vivificat.*

3. Wilhelmus Lindanus Lib. 4. panopl. c. 53. p. 313. scribit: *Lutherus purgatorium in mortem usque & credidit & docuit.*

(Contrarium testatur Bellarm. ipse Lib. 1. de Purgat. c. 2.)

4. Gretserus Lib. 3. de funere Christiano cap. 7. pag. 179. sic scribit: *Dic Luthere, estne tibi infernus, damnatorum sedes merum somnium & figmentum humanum? Ita profecto sentis, & quidem apertius, quam necesse sit. Qua de causa? quia Petrus & Paulus clare affirmant, Dæmones versari in aere.*

(Sed Gretserus ita profecto calumniatur, & quidem apertius, quam ut negari possit. *Locum inferni in centro terræ præcise statuendum esse* negavit, non autem infernum ipsum negavit.)

5. Pistorius in Hodeget. cap. 12. p. 497. 536. Luthero tribuit, *quod neget animæ immortalitatem, quod statuat, animas in spirituale quoddam sepulchrum recondi, quod asserat, animas absque omni sensu & intellectu mortuas manere usque ad diem novissimum, quod nondum sit infernus, nec Diabolus in inferno &c.*

Idem ἔγκλημα *de animæ mortalitate* Luthero intentant Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri Lib. 1. art. 2. pag. 16. & Pazmannus Lib. 3. Hodegi, idque probare conantur ex assertione art. 22. à Leone. Pontif. damnati tom. 2. Jen. Lat. fol. 307. *Permitto, condat Papa articulos suos fidelibus, quales sunt, essentiam Dei nec generare, nec generari, animam esse formam substantialem corporis humani, animam esse immortalem.*

Resp. 1. Lutherus vel centies in suis scriptis docet & inculcat, *animam esse immortalem.*

2. Gretserus & alii Jesuitæ Luthero tribuunt errorem de *ψυχοπαννυχία.* Ergo non negavit animæ immortalitatem. Aliud enim est *dormire,* aliud *non existere.*

3. Quæ in assertione articuli 22. habentur, non eo fine scripsit, ac si articulos illos improbaret, *& in Romano sterquilinio demum natos* arbitraretur, quam Lutheri mentem fuisse Pazmannus nugatur, sed taxat Lutherus audaciam Pontificis, quod hos articulos, tanquam à se conditos proponere ausit, ejusdem autoritatis cum illis, quos ibi addit, nimirum *panem & vinum in Eucharistia transsubstantiari, Papam esse Imperatorem mundi & Regem cœli & Deum terrenum,* & plura hujusmodi portenta in sterquilinio Decretorum, quæ nullum in verbo Dei habent fundamentum, sed Papali autoritate credenda Ecclesiæ proponuntur.

4. Hanc esse Lutheri mentem, manifeste constat ex Germanica eorundem articulorum per Bullam Pontif. damnatorum assertione, cujus verba sic habent tom. 7. Witteb. fol. 127. Es ist nemlich zu Rom fürwar meisterlich beschlossen der H. Artickel/ daß die Seele des Menschen unsterblich sey / denn es war vergessen in dem gemeinen Glauben/da wir alle sagen: Ich gläube ein ewiges Leben. Item, es ist auch beschlossen durch Hülffe Aristotelis / daß die Seele sey eine wesentliche Form des Leibes/ und derselben seiner Artickel vielmehr / die auffs allerziemlichste wohl anstehen den Päbstlichen Kirchen/auff daß sie Menschen-Träume und Teuffels-Lehre behalten / dieweil sie Christi Lehre und den Glauben mit Füssen tritt. Ex quibus verbis manifestum, quod irrideat Romanum Pontificem, qui novos fidei articulos in suis Conciliis promittat, & cum ad rem ventum, proferat vel eos, qui jam ante in Scripturis & Symbolo Apostolico satis firmati, qualis est *de immortalitate animæ,* quam non ita pridem Concilium Lateranense sub Leone X. definierat, vel eos, qui ex *Scholis Philosophorum* petiti & ad salutis doctrinam nihil quidquam pertinent, qualis est *de essentiali*

forma corporis, vel etiam falsos, Anti-Christianos & impios, quales sunt *de purgatorio, de transsubstantiatione, de sacrificio Missæ, de potestate Papæ, de ciborum delectu &c.*

5. De Johanne Husso sic scribit Fevardentius lib. 12. Theomachiæ c. 38. n. 1. *Ego probabo, illum fidem purgatorii non tantum tenuisse, verum & Missas frequenter pro defunctis celebrasse.*

Contra Clingius lib. 4. Locorum communium cap. 49. pa. 453. refert Hussum inter eos, *qui negarunt Purgatorium & orationes pro defunctis. Sic*, inquit, *Huss in Bohemia dogmatizavit, in favorem Nobilium, quatenus ablata Ecclesiastica bona licite servare possent.*

6. Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 1. art. 2. p. 16. inter eos, qui negant animæ immortalitatem, refert etiam Bretium, propterea quod in c. Lucæ scribat: *Etsi nulla inter nos sit publica professio, quod anima simul cum corpore intereat, & quod non sit mortuorum resurrectio: tamen impurissima & vanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat, quod non sentiunt, esse vitam post hanc. Nonnullis etiam tales voces tam ebriis inter pocula, quam sobriis in familiaribus colloquiis excidunt.* Idem repetit lib. 10. artic. 9. pag. 1155. Atqui D. Brentius hos Epicuræos sermones & vitam quorundam Epicuræam gravissime taxat. Nec in Papatu, credo, desunt ejusmodi Epicuræi, quibus ex ipsis Pontificibus quosdam favisse, alibi demonstratum fuit.

7. Idem tom. 2. lib. 10. art. 7. inter errores numerat, quod Brentius in Lucam scribit: *Cœlum omnia comprehendit, & in hoc cœlo etiam sunt inferi cum Satana & Angelis ejus. Ubi Satan, ibi inferi sunt. Caro Christi est cœlum, inferi Angeli, Dæmones ubique sunt absque locorum spaciis.*

Resp. Contra calumnias illas Brentius publico scripto sese purgavit. Quoniam *cœlum Dei* nihil aliud significat, quam potens imperium vel manifestationem gloriæ & majestatis divinæ, inde Brentius quadruplex cœlum vel regnum Dei constituit, 1. *potentiæ*, quod est universalis mundi gubernatio, per quam Dei potentia manifestatur. 2. *gratiæ*, notans collectionē fidelium in hoc mundo & gubernationem Ecclesiæ militantis, cui speciali sua gratia adest. 3. *gloriæ*, significans gloriosam Dei præsentiam apud electos; & 4. *iræ vel justitiæ*, quo nihil aliud intelligit quam iratam & vindicatricem ejus præsentiam in inferno apud damnatos Spiritus & homines.

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio c. 11. *Tertia ratio* (pro purgatorio asserendo) *sumitur à communi opinione omnium gentium. Idem enim confitentur Hebræi, Mahumetani, gentiles, iiq; tam Philosophi, quam Poëtæ.*

(Atqui absurdum est, articulos fidei ex occæcatis Judæis, blasphemis Mahumetanis, & idololatricis gentilibus probare. Inde Gretserus in Disputat. de recept. animarum thesi 32. negat hoc argumento Catholicorum quenquam usum. *Quis* (inquit) *fundamentum ipsius assertionis de purgatorio posuit in gentilium & infidelium autoritate? An non Catholici ex Scriptura purgatorium demonstrant, in eaq; totius hujus causæ arcem & præsidium ponunt adjunctis Conciliis & Doctoribus Ecclesiæ nutritiis? Neque argumento deducto ab infidelium sensu alium ob finem utuntur, quam ut ostendant adeo purgatorium à ratione non abhorrere, ut ipsi etiam religionis nostræ hostes & osores illud saltem secundum generalem quandam rationem agnoverint & monumentis suis descripserint.*

Resp. Contrarium patet ex adductis Bellarmini verbis, qui fundamentum aliquod & argumentum pro purgatorio petit *ex communi opinione gentium.*)

2. Bellarminus lib. 2. de Purgat. c. 8. Peltanus c. 5. de Purgat. p. 223. tradunt, *animas ex omnibus receptaculis, præterquam ex limbo puerorum egredi posse & egressas esse.*

Contra Maldonatus tom. 2. de Sacramentis p. 173. *Non arbitror esse credibile, ex cœlo & ex inferno ullas animas redire, sed ex solo purgatorio, aut ex aliquo alio loco medio, ex quo venisse creduntur & omnes illæ animæ, quæ in Scriptura dicuntur exsuscitatæ fuisse.*

3. Lombardus 4. sent. dist. 45. lit. D. *Si tantum suffragiis consequitur pauper, quantum dives, quid contulerunt diviti illa specialiter pro eo facta? &c. Potest dici, illa plura subsidia contulisse diviti celeriorem absolutionem, non pleniorem.* Cui conforme est illud Aberti Magni de officio Missæ tract. 3. cap. 16. *Tot possunt fieri suffragia pro uno aliquo, quod statim in momento liberatur. Et ideo in hoc casu melior est conditio divitis, quam pauperis, quia habet, unde suffragia fiant pro ipso, unde Proverb. 13. dicitur: Redemtio viri divitiæ ejus.*

4. Raynerius in Pantheologia tom. 1. p. 175. *Quando quis pie & humiliter ex desiderii adimpletione non cum præsumtione, nec cum dubitatione petit ab aliquo, ut post ejus mortem sibi appareat, non peccat. Cujus ratio est, quia cum omnes homines Natura scire desiderent, requirere adimpletionem desiderii naturalis, non est peccatum.*

(Hac ratione liceret etiam petere, ut Deus revelet diem & horam judicii, numerum salvandorum &c. Rectius nos instruit Apostolus 1. Joh. 5. v. 14. *Quando petimus secundum voluntatem Dei, audit nos.*)

5. Dictum Es. 8. v. 19. *Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem pro vivis ad mortuos?* Fevardentius lib. 11. Theomach. ca. 18 n. 4. corrupit, hoc modo legens: *Nunquid populus à Deo suo requiret visionem pro vivis & mortuis?* ut hinc colligat, *preces olim pro vivis & mortuis conceptas esse.*

6. Mos gestandarum *facularum in processionibus exequialibus*, in Papatu receptus, *ab Ethnicis* originem traxit. Polydorus Vergilius lib. 6. de rer. inventoribus c. 10. p. 523. *Ad honorem Regum & nobilium cum faculis procedebat populus. Virgilius de Pallante. Lucet via longo Ordine flammarum & late discriminat agros. Unde haud dubie ortum est, ut apud nos illud idem in cujusvis funere servetur.*

7. Dionysius Carthusianus, eumq; secutus Barradius in cap. 12. Johannis statuunt, *Lazarum ex mortuis à Christo suscitatum, de statu animæ post hanc vitam multa hominibus enarrasse, sicq; accedente Suada flexanima eos ad fidem allexisse.* At hoc commentum ne quidem ad Salmeronis est palatum.

8. *Animam Trajani Imper. Ethnici precibus Gregorii I. ex inferno fuisse liberatam*, asserit Damascenus in sermone de defunctis. Pontificii de hac Historia differentes, mire invicem variant, ut patet ex illis, quæ occurrunt apud Gregorium de Valentia tom. 4. Disp. 11. q. 1. punct. 2. Bellarminum lib. 2 de Purgat. c. 8. Salmeronem 1 Cor. 15. Disput 26. & 27. Azorium tom. 1. Moralium lib. 9, c. 31. Melchiorem Canum lib. 11. Locor. ca. 2. Dominicum à Soto in 4. sent. dix. 45. n. 2. Alphonsum Diaconum in Apologia pro hac Historia &c. Alii dicunt, *quod hujusmodi Historia de Trajano merito habeatur suspecta imo plane ficta, quodq; sermo ille de defunctis non debeat censeri genuinus Damasceni fœtus.* Alii dicunt, *sermonem illum esse quidem genuinum Damasceni fœtum, secutum tamen illum esse opinionem, quæ tum vulgo ferebatur.* Alii Historiam recipiunt, sed negant, *Trajanum fuisse ad inferos damnatum* dicunt enim, *illum certo quodam loco ad tempus detentum, & B. Gregorii precibus ad vitam revocatum, & per veram cordis pœnitentiam salutem adeptum.* Alii dicunt, *potuisse singulari quodam privilegio per divinam potentiam fieri, ut Trajanus ex ipso inferno transferretur ad cœlum, si nimirum ob S. Gregorii preces à Deo prævisas non fuisset destinatus ad infernum in perpetuum sed solum ad tempus.* Alii dicunt, *Gregorium peccasse mortaliter orando pro Trajano, ac Gregorium propter hoc peccatum punitum fuisse perpetuo dolore stomachi & pedum* Hisce alii respondent, *Gregorium non peccasse orando, sed meruisse potius, quia licet ordinarie non liceat orare pro damnatis, tamen liceat ex peculiari instinctu divino.*

ARTICULUS X.

DE BEATITUDINE ET CULTU SANCTORUM.

CAPUT I.

De Canonizatione Sanctorum.

THesis. Canonizatio Sanctorum, quæ autoritate Romani Pontificis peragitur, Scripturæ sacræ conformis non est, proinde etiam approbari minime potest.

Ἔκθεσις. Libenter concedimus, 1. *memoriam* sanctorum in Ecclesia esse conservandam Hebr. 13. v. 7. 2. De gloriosa ipsorum vita & morte pro re nata in Ecclesia conciones institui posse, Eccl. 44. v. 15. 3. *Historias ipsorum* scriptis mandari posse exemplo Siracidis in fine libri, Lucæ in Actis, & Apostolorum in Epistolis. 4. *Fidem, caritatem, patientiam, constantiam & virtutes* sanctorum ad imitationem Ecclesiæ proponi posse, pro cujusque tamen pii statu & vocatione. 5. Sanctos esse *honorandos ac laudandos*, quod donis Dei feliciter usi fuerint, quod Deo in generatione sua servierint, quod talenta sibi concredita in Ecclesiæ usum converterint, Actor. 13. v. 37. Galat. 1. v. 24. 6. In sanctis proponi *exempla virtutum*, ipsosque esse quasi *lucernas quasdam* à Deo accensas, ut aliis præluceant, Philipp. 2. vers. 15. 7. Esse *communionem Ecclesiæ militantis & triumphantis*. 8. Veros san-

sanctos & Christi Martyres à Diaboli Martyribus esse distinguendos.

De his omnibus inter nos & Pontificios non est quæstio, sed de canonizatione Sanctorum, qua Pontifex quosdam Sanctos publico decreto Ecclesiæ invocandos proponit.

Antithesis. Antoninus parte 5. Summæ tit.12.c.8. *Per canonizationem sancti proponuntur à Papa, ut exemplar fidei & vitæ sanctæ ab omnibus adorandi, & in necessitatibus invocandi.*

Beierlinck concion. select. 49. p. 879. *Canonizatio sanctorum est publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate & gloria alicujus hominis hac vita defuncti, cui annectitur judicium, quo eidem decernuntur honores, qui debentur aliis sanctis ejusdem Ordinis, puta Martyribus, Confessoribus &c.*

Bellarminus lib.1. de beatitud. Sanctor. c.7. §.2. Primo explicat, quid sit *sanctorum canonizatio*, quam *nihil aliud esse* dicit, *quam publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti, & simul judicium ac sententiam, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant.* Secundo, §.3. enumerat *honores, qui debentur sanctis canonizatis*, quos septenario numero complectitur. Primum enim, *qui canonizantur, inscribuntur in catalogum sanctorum, hoc est, statuitur ac jubetur, ut ab omnibus publice habeantur ac dicantur sancti.* Secundo, *invocantur in publicis Ecclesiæ precibus.* Tertio, *templa & aræ in eorum memoriam Deo dicantur.* Quarto, *sacrificia tam Eucharistiæ, quam laudum & precum, quod vulgo Officium sive Horæ Canonicæ nuncupatur, in honorem eorum Deo publice offeruntur.* Quinto, *dies festi in eorum memoriam celebrantur.* Sexto, *pinguntur eorum imagines addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in cœlo.* Septimo, *eorum reliquiæ pretiosis thecis includuntur & publice honorantur.* (Jesuita Cottonus lib.1. Instit. Cathol. cap.26. pag.140. addit octavum, *quod peregrini ad eorum memoriam celebrandam itare possint, locum, in quo sepulti sint, invisere, Deo vota ibidem persolvere & alia pietatis officia obire, quæ sanctis in Ecclesia tribuuntur.*) Hisce ita præmissis tertio Bellarminus probare conatur, *utile esse sanctos canonizari.*

In c.8. quærit, *cujus sit sanctos canonizare?* ubi concludit, *ad summum Pontificem hoc unice pertinere, cum ad eum spectet proponere toti Ecclesiæ, quid sit credendum & quid sit agendum in iis, quæ sunt religionis.*

In c.9. quærit, *Sitne infallibile judicium ejus, qui canonizat sanctos*, ubi probare conatur, *Ecclesiam, id est, Pontificem, ut seipsum in* ἐπιγραφῇ capitis explicat, *non errare in sanctorum canonizatione.*

(Ex illa hypothesi, *quod Pontifex in canonizatione sanctorum errare non possit*, profluxit etiam illud Joh. Fischeri Episcopi Roffensis contra Lutherum art.37. §. Et sicut. *Hæreticus est habendus, qui Thomam Aquinatem sanctum esse pertinaciter negaverit*, nimirum, quia est à Papa canonizatus.)

In c.10. proponit quæstionem, *An liceat sanctos nondum canonizatos colere?* ad quam respondet per distinctionem, *licere privato cultu, non autem publico eos honorare.* Vocat autem publicum cultum, non eum, qui coram aliis exhibetur, sed *qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesia institutus, exhibetur.*

Nostram sententiam probamus,

Primo, canonizationem sanctorum, qualis modo descripta est, improbandam esse, patet ex eo, 1. Quia talis honor, qualis per canonizationem ipsis defertur, videlicet quod in publicis Ecclesiæ precib. religiose invocari, templa & aræ ipsis dedicari, reliquiæ eorum religioso cultu honorari debeant, ipsis minime competit, ut in seqq. probabitur. 2. Quia de tali canonizatione sanctorum nullum ex Scripturis proferri potest *mandatum*, nullum probatum *exemplum*. 3. Quia talis canonizatio ignota fuit Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ. 4. Quia ejusmodi canonizatio injuria est in reliquos sanctos, cur enim aliqui & non omnes canonizantur? 5. Quia talis canonizatio nititur falsis hypothesibus, videl. *sanctos esse religiose colendos & invocandos; cultum sanctorum esse utilem ad beneficia eorum impetranda; exempla sanctorum esse generalem normam rectæ vitæ; omnes veteres sine ulla dubitatione sanctos religiose coluisse, & colendos asseruisse; ex miraculis de alicujus sanctitate infallibile judicium fieri posse &c.*

Secundo, canonizationem sanctorum non pertinere ad Romanum Pontificem, probamus ex eo, 1. Quod Scriptura sacra hoc privilegium nuspiam tribuit Romano Pontifici. 2. Quia soli Christo unico Novi Test. summo Sacerdoti, non autem Papæ Romano, competit sanctorum canonizatio. Christus canonizat veros sanctos *per æternã prædestinationem & in librum vitæ scriptionem* Ephes.1.v.4. Luc.10.v.20. Apocal.17.v.8. *per vocationem ad Ecclesiæ consortium* 1.Cor.1.v.2. 2.Tim.1.v.9. *per meriti sui applicationem, per regenerationem, renovationem, illuminationem, sanctificationem* 1.Cor.6.v.11. Ephes.4.v.24. Tit.3.v.5. *per gloriosam prædicationem in Scriptura*, quæ est verus & unicus Canon sanctitatis ac sanctorum Psal.19.v.5. Gal.6.v.16 *per glorificationem in cœlo* Roman.8.v.30. 3. Quia Pontifex Romanus in hac canonizatione potest errare, cum non sit καρδιογνώστης, qui veram & internam cordis sanctitatem conspicere, eamque ab externa & hypocritica dignoscere possit, 1. Sam. 16.v.7. 2.Tim.2.v.21. 4. Quia Pontifices ipsi quandoque non sunt sancti. 5. Quia assertio illa, quod ad Pontificem pertineat canonizatio sanctorum, nititur falsis hypothesibus, videlicet *ad Pontificem spectare, ut præscribat toti Ecclesiæ, quid sit credendum & agendum in iis, quæ sunt religionis; Pontificis esse, & quidem solius, declarare, qui sint ab universa Ecclesia pro hæreticis habendi; cultum sanctorum ex consuetudine Ecclesiæ introductum vim habere ex approbatione tacita vel expressa Romani Pontificis; judicium Pontificis esse judicium totius Ecclesiæ; Pontificem non posse errare, sed ejus judicium esse infallibile; nullum unquam in canonizatione sanctorum deprehensum fuisse Pontificis errorem.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam canonizationem illam sanctorum, præsertim novorum, improbant.

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in lib. de reformat. Eccles. Ann.1415. *prohibendum esse* censet, *ne tot novi sancti canonizentur.*

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in tract. de probatione Spirituum part.1. oper. fol.103. *Claræ memoriæ Magister Henricus de Massia comprimendam esse tot hominum canonizationem scripsit.*

Georgius Cassander in Consult. art.21. p.971. *Est & hic error haud infrequens, quod veteribus & compertis sanctis propemodum neglectis novos & incognitos vulgus hominum ardentius & impensius colat, de quorum sanctitate obscurius constat, & nonnulli per revelationes tantum innotuerunt.*

Bessarion Cardinalis, cum videret, quam temere & parum rite Nicolaus V. Pontif. Romanus Edmundum in Anglia, Vincentium in Hispania, & alios canonizaret, dicebat: *Novi hi sancti de veteribus mihi dubium movent.*

2. Quod quidam agnoscunt, canonizationem illam sanctorum non habere in Scripturis mandatum vel probatum exemplum.

(Ex quo sequitur, eam probari minime posse, cum præter & extra verbum non sint instituendi novi cultus in Ecclesia, lib.1. part.1. cap.1.)

Bellarminus lib.1. de beat. sanct. c.8. in fin. *Respondeo, sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia Universali; non tam lege aliqua, quam consuetudine. Sed sicut consuetudines aliæ vim habent legis ex tacito consensu Principis, & sine eo nullam vim habent: ita sancti alicujus cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita vel expressa Romani Pontificis.*

(Jam vero, quod ex sola consuetudine descendit, non nititur divino aliquo mandato.)

3. Quod quidam agnoscunt, canonizationem illam sanctorum ignotam fuisse primitivæ Ecclesiæ Apostolis vicinæ.

(Ergo non potest pro dogmate vere Catholico Ecclesiæ obtrudi.)

Bellarminus d.l. §. Dives. *Primus Pontifex, ni forte fallor, qui sanctos legitur canonizasse, videtur fuisse Leo Papa III. teste Ludgero in Epistola de miraculis sancti Suiberti c.9. in 2. tom. Surii.*

(At hic Leo III. vixit tempore Caroli Magni circa annum Christi 800. Costerus eum ponit Anno 786.)

Jesuita Cotonus lib.1. Instit Cathol. c.28. p.143. *Quæ nunc fit multo exactior & accuratior cœlitum canonizatio, initium habuit circa Annum à Christo Domino octingentesimum, cum supplicante Carolo Magno, idq; etiam religiose postulante Hidebaldo Archiepiscopo Coloniensi, Papa Leo III. magnis augustisq; Ceremoniis ad Divorum sanctimoniam aggregavit B. Suibertum Verdæ primum Episcopum.*

Huc referri potest etiam illud, quod agnoscunt, canonizationem sanctorum olim non pertinuisse ad solum Rom. Pontificem, (ad quem tamen hodie unice à Pontificiis refertur, ac proinde etiam hac in parte canonizatio sanctorum, qualis hodie usitata est, primitivæ Ecclesiæ suffragio destituitur.)

Bellarminus lib.1. de Beat. sanct. c.8. §.1. *Duobus modis potest aliquis canonizari, Uno modo particulariter, ita ut solum in una provincia aut Diœcesi habeatur sanctus & colatur pro sancto; alio modo gene-*

generaliter, ita ut in tota Ecclesia habeatur pro sancto, nec ulli liceat de ejus sanctitate dubitare. Primo modo potuit olim quilibet Episcopus canonizare. Sed quod olim licuit, modo non licet, quia Alexander III. & Innocentius III. videntes abusus, qui oriebantur circa sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro sancto coli inciperet sine Romani Pontificis approbatione, ut patet c.1. & 2. de reliquiis & sanctorum veneratione. Secundo modo canonizare ad summum Pontificem unice pertinet, ut habetur c. Audivimus. & c. Cum ex eo. de reliq. & venerat. sanct. & c. Venerabili de testib. & attestationibus.

4. Quod quidam agnoscunt, Canonizationem sanctorum ab Ethnicorum ritibus originem duxisse.

Polydorus Vergilius lib. 6. de Rer. invent, c.8. p.513. Ut mortales bene meriti inter Deos referantur, mos adeo est vetus, ut pene nihil sit eo vetustius: quando antiquitas statim ab initio suos Reges ac alios, cum ob accepta beneficia, tum ob virtutes Deos facere consuevit, prout in primo hujus operis volumine sparsim diximus. Sed ante omnes Romani id multis Ceremoniis factitabant, quod supra lib.3. memoravimus. Hujus rei rationem nostri Pontifices secuti non dubitanter videri possunt. Nam quod Felix & Gregorius annua sacra facienda ad memoriam Martyrum instituerunt, illud plane nihil fuit, nisi eos Martyres decernere esse sanctos & inter Deos referre. Verum postremo, ut ne unusquisq; arbitratu suo hunc vel illum pro Divo haberet, coleretve, Alexander III. statuit ut nulli mortalium divinus honor in terris haberetur publice, nisi illi, qui prius ex edicto Apostolico in Divorum esset catalogum adscriptus.

Huc referri potest, quod de illa canonizatione Pontificii Scriptores iisdem phrasibus cum Ethnicis utuntur.

Qui apud Ethnicos referebantur in Catalogum Deorum, eos dicebant inter Divos referri. Aaron. Ann.316. n.4.

At eodem modo de suorum Sanctorum canonizatione Pontificii scriptores loquuntur.

Baronius Anno 142. n.1. Anno 178, n.3. Faustinam, ait, inter Divos relatam.

Anno 337. n.20. Constantinum inter Divos relatum.

Polyd. Vergilius lib.7 c.4. p.581. Dominicum in Divorum Ordinem adscriptum. Plura exempla videri possunt apud eundem lib.5. c.1. p.383. lib.6. c.8. p.513. 514. Baronium Anno 253. n.3. in Zuingeri Theatr. p.1418. a.

5. Quod quidam agnoscunt, Pontificem in canonizatione Sanctorum errare posse.

(At si judicium Pontificis in canonizatione Sanctorum non est infallibile, canonizatio illa merito improbatur. Melchior Canus lib.5. Loc. Theol. p.172. Si Ecclesia in hoc errat, non erit absurdum, Divorum cultum omnem ab Ecclesia explodere.

Quod autem Pontifex in canonizatione sanctorum errare possit, probavimus ex ipsis Pontificiorum, Bellarmini cumprimis, hypothesibus lib.1. part.2. c.2. n.4. §.1.

Aventinus lib.4. Annal. Referam, quod ego comperi, quod hisce auribus audivi, Ludovicum quartum Monachi & sacratæ Virgines Bojariæ, in quos is beneficus fuit, Deũ faciũt, cœloq; locant: unde eum ad inferos deturbant Romani Flamines, quod eorũ superbiæ obviam ierit.

7. Quod agnoscunt, ex miraculis non posse evidens & immotum argumentum sanctitatis sumi.

(At si hoc fundamentum est incertum, incerta quoque erit Papæ canonizatio, quia sancti non canonizantur ordinarie à Pontifice, nisi claruerint magnis & certis miraculis, ut scribit Bellarminus lib. 1. de Beat. sanct. c.9. §. Tertio &c.)

Glossa in verbo Miracula c. Audivimus. ext. de reliq. & venerat. sanctorum. Non continuo eum, qui miracula facit, venerari debemus pro Sancto, cum secundum c. Teneamus. caus. 1. q.1. fiant miracula quandoque etiam per malos.

Bellarminus lib.1. de grat. & lib. arbitr. c.10. §. Secundo. Dubitari non potest, quin gratiæ gratis datæ à gratia gratum faciente separari possint. Posse enim esse sine caritate donum linguarum, Prophetiam, sapientiam, scientiam & fidem, testatur Apostolus 1. Corinth.13. Constat autem, caritatem vel ipsam gratiam gratum facientem esse, vel ejus comitem individuum. Adhæc Matth. 7. Dominus ait: multos dicturos in die judicii, Nonne in nomine tuo prophetavimus & virtutes multas fecimus? qui tamen audient, Nescio vos. Et, Discedite à me omnes operarii iniquitatis. Deniq; & Balaam ariolus multa de Christo vere prophetavit Nũ. 22. & 23. & Caiphas vir alioqui perditissimus, cum esset Pontifex illius anni, prophetavit Joh. 11. Negandum tamen non est, utplurimum (ergo non semper) gratias gratis datas cum gratia gratum faciente conjungi.

Maldonatus in c.9. Marci p.765. Potuit is, qui in Christi nomine Dæmonia ejiciebat neque corpore, neque animo, id est, fide doctrinaque secutus Christum, Dæmones pellere, ut docemur testimonio Christi Matthæi 7.

7. Quod agnoscunt, quandoque canonizari eos, qui revera non sunt sancti, ac quem unus Pontificum in Canonem cœlitum recepit, alium inde excludere fuisse conatum.

(Utique ergo judicium Pontificis in canonizatione Sanctorum non est infallibile, ac canonizatio illa Sanctorum non præbet certum fidei & invocationis fundamentum.)

Exempla adduximus lib.1. part.2. c.2. n.4. §.1.

Thomas Beket Cantuariensis Archiepiscopus (circa finem seculi duodecimi) primus Regi Angliæ Henrico II. juramentum fidelitatis præstiterat, pollicitus, se pro viribus defensurum ejus vitam, dignitatem, potentiam & totius regni publicam utilitatem. Verum postea cœpit de hoc facto pœnitentiam agere, à Papa absolutionem petere, & acerrime talia juramenta, tanquam impia, prorsus damnare. Quare Rex homini perjuro iratus privavit eum omnibus suis rebus ac in exilium pepulit; ac postquam coram Curia Romana inter Regem & Archiepiscopum diu fuisset litigatum, & Thomas Beketus à Pontifice in integrum restitutus, quiescere nondum posset, nec illos: quos prius, quod Regi contra se faverant, excommunicaverat, absolvere vellet, jussu Regis interfectus est, sed à Pontifice in numerum Divorum relatus. Memorat autem Cæsarius libro Dialogorum octavo c. 69. Quadragesimo octavo post mortem hujus Thomæ Beketi die disputatum esse Parisiis inter Magistros, an damnatus vel salvatus esset: ac Rogerum quendam Normannum dixisse, eum fuisse dignum morte, propterea quod contumax fuisset erga Regem, Dei ministrum. Verum alios dixisse, eum merito inter Martyres referri, quia pro Clero mortem obiisset.

(Balæus multos præclaros viros recenset, qui contra ipsum Beketum scripserint, aut alioqui ejus causam improbaverint, Regemq; defenderint, ut Iohannem Oxenforde, Gilbertum Folior, Johannem Pictaviensem Episcopum & alios; sed & Petrum Blesensem ejus arrogantiam improbare solitum fuisse, testatur.)

Guilielmus Neubrigiensis illorum temporum æqualis lib. 2. c.16. de hoc Thoma Beketo sic scribit: Hanc ejus ferociam (qua jussus coram Rege causam dicere, illo ipso die, quo se judicio sistere debebat, jusserat solenniter officium de B. Stephano, scil. Sederunt Principes, & adversum me loquebantur, & iniqui persecuti sunt me; coram se in celebratione sacrificii decantari,) laudandam nequaquam censuerim. Et postea. Zelo justitiæ fervidus erat, utrum autem secundum scientiam, novit Deus. Vide integram hujus Beketi Historiam apud Neubrigiensem.

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap.98. Multi quorum opiniones ut hæreticæ habentur, ipsi tamen censentur in Canone Sanctorum.

Panigarolus lect.9. part.2. De canonisatis nunquam dicimus, hic vere est salvus seu beatus.

8. Quod agnoscunt, quandoq; canonizari eos, qui nunquam in rerum Natura extiterunt.

(Utique ergo in illorum canonizatione erratum fuit quia Sanctum esse præsupponit esse.)

Georgius Cassander in Consult. art.21. p.971. Nonnulli Sancti per revelationes tantum innotuerunt, atq; adeo de quibusdam, an unquam in rerum Natura fuerint, merito dubitatur, quorum cultum figmenta Historiarum & impostura miraculorum mirifice auxerunt, quæ figmenta etiam compertorum sanctorum Historias conspurcarunt, quos quisque pro suo affectu commentus est.

Bessarion Cardinalis, referente Bodino in Methodo Historica c.4. cum inter divos inepta quadam ἀποθεώσει Romæ quamplurimos referri videret, quorum vitam improbarat, se valde dubitare dixit, utrũ vera essent, quæ ab antiquis essent prodita?

Confer ea, quæ de Christophoro, Georgio, Catharina, Anna & Margareta adducta sunt lib.1. part.2. c.15. n.3.

9. Quod quidam agnoscunt, Sanctos non esse religiose invocandos.

(Sanctorum canonizatio hunc sibi propositum habet scopum ac finem, ut Sancti in Ecclesia religiose invocentur. Sublata igitur religiosa sanctorum invocatione, tollitur quoque sanctorum canonizatio.)

Quod autem quidam ex Pontificiis agnoscant, Sanctos non esse religiose invocandos, in c. proxime sequente ostendetur.

10. Quod agnoscere coguntur, Pontifices ipsos quandoque non esse sanctos.

(Quomodo igitur alios possunt canonizatione sua in numerum sanctorum infallibiliter referre?)

Boni-

Bonifacius VIII. Ludovicum Franciæ Regem canonizavit, de quo Pontifice publico dicebatur veriverbio: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus fuit ut canis.*

Confer ea, quæ de Pontificum quorundam impietate dicta Lib. 1. p. 2. cap. 2. n. 9.

11. Quod agnoscere coguntur, consuetudinem Ecclesiæ non esse certum ac firmum argumentum, ut aliquis pro vere sancto habeatur & invocetur.

(Ex quo iterum sequitur, canonizationem illam esse lubricam & incertam, cum ex consuetudine Ecclesiæ sanctorum cultus fuerit introductus, quem tanquam finem & scopum canonizatio sibi habet propositum, fatente Bellarmino Lib. 1. de Beat. sanctor. cap. 8. sub finem.)

Bellarminus Lib. 1. de Beat. sanct. cap. 7. §. ultimo: *Scribit Sulpitius, quod cum populus quidam coleret, nescio quem, hominem mortuum pro Martyre, & B. Martino suspecta esset illa religio, quod nihil certi à majoribus de sancto illo accepisset, tandem oranti Martino apparuit anima ejus, qui colebatur, & confessa est, se animam damnatam esse cujusdam latronis, qui pro suis sceleribus extremi supplicii pœnas dabat. Idem accidit tempore Alexandri III. ut patet ex c. Audivimus, ext. de reliq. & venerat. sanct. ubi reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum pro Martyre venerabantur.*

(Excipit quidem Bellarminus, *judicio Ecclesiæ, id est, Pontificis Romani veros sanctos à falsis discerni.* Sed cum Pontifex aliorum relatione de vita & miraculis alicujus sancti in canonizatione nitatur, arcanos vero cordium recessus introspicere, & de vera sanctitate judicare nequeat, ideo canonizatio ipsius est ac manet incerta. Sic enim scribit ipse Bellarminus Lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 12. *In quæstionibus facti, adeoque in iis, in quibus ab hominum aliorum testificatione Pontifex pendere necesse habet, ipsum errare posse concedimus.*)

CAPUT II.

De religiosa Sanctorum invocatione.

THesis. Sancti non sunt religiose invocandi.

Ἔκθεσις. Non est quæstio 1. an *honorandi* sint sancti. Honorandos enim esse concedimus, sed *religiose invocandos* esse negamus.

Clemens Alexandrinus Lib. 7. σεμν. τίμιον ἅπαν τὸ ὑπερέχον ἡγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν καὶ τιμητέον. *Honorabile existimatur, quicquid est præstantius & pro dignitate honorandum.*

Augustan. Confess. art. 21. *De cultu sanctorum docent* (Ecclesiæ nostræ,) *quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem, ut Cæsar potest imitari exemplum Davidis in bello gerendo ad pellendos Turcas à patria, nam uterque Rex est.* Apologia idipsum latius declarat his verbis: *Confessio nostra probat honores sanctorum. Nam hic triplex honor probandus est, Primus est gratiarum actio. Debemus enim Deo gratias agere, quod ostenderit exempla misericordiæ, quod significarit, se velle salvare homines, quod dederit Doctores aut alia dona Ecclesiæ. Et hæc dona, ut sunt maxima, ita amplificanda sunt, & laudandi ipsi sancti, quod his donis fideliter sint usi, sicut Christus laudat fideles negotiatores. Secundus cultus est confirmatio fidei nostræ, cum videmus Petro condonari negationem, erigimur & nos, ut magis credamus, quod vere gratia exuberet supra peccatum. Tertius honos est imitatio primum fidei, deinde cæterarum virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet.*

Chrysostomus tom. 5. in Martyres sermone 1. p. 778. τιμὴ μάρτυρος μίμησις μάρτυρος.

Leo Serm. 1. de Martyribus pag. 219. *Solemnitates Martyrum exhortationes sunt Martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

2. Neque quæstio est, an sancti *in genere* pro nobis *intercedant*; sed an propter generalem illam intercessionem religiose à nobis invocandi sint?

Apol. Aug. Confess. in cap. de Invocat. sanct. *Largimur, quod Angeli orent pro nobis &c. De sanctis etiam concedimus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in cœlis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus extet in Scripturis, præter illud somnium sumtum ex libro Maccabæorum posteriore. Porro, ut maxime pro Ecclesia orent sancti, tamen non sequitur, quod sint invocandi.*

In articulis Schmalcald. part. 3. de Invocat. sanct. pag. 310. *Etsi Angeli in cœlo pro nobis orent &c. & sancti in terris, & fortasse etiam in cœlis, tamen inde non sequitur, Angelos & sanctos à nobis esse invocandos, adorandos, jejuniis, feriis, Missis, oblationibus, templorum, altarium, cultuum fundationibus & aliis modis honorandos, ut patronos & intercessores, & unicuique eorum certa auxilia esse tribuenda, ut Papistæ docent & faciunt. Hoc enim idololatricum est, & hic honos soli Deo tribuendus est. Potes quidem, ut Christianus & sanctus, in terris pro me orare, non in una tantum, sed in omni necessitate, propterea autem non debeo te adorare, invocare, ferias, jejunia, oblationes, Missas in tui honorem & cultum celebrare, & fidem ac salutem meam tibi mancipare, cum aliis modis te honorare, diligere & tibi gratias agere in Christo possim.*

3. Neque hoc in quæstione est, an Angelicam, quam ita vocant, salutationem recitare liceat? qua de re Brentius in c. 1. Luc. sic disserit: *Si absit superstitio & impia opinio, non solum licebit, verum etiam valde utile est, hanc Mariam salutandi formulam sæpe recensere &c. Quia Angelus ornat Mariam in salutatione sua magnis laudibus, commemoremus salutationem non ad superstitionem, sed ad pietatem. Primum enim, cum recitamus, Mariam gratia plenam & benedictam inter mulieres, cogitemus, hæc verba significare, Mariam præ omnibus electam, ut sit mater benedicti seminis Abrahæ, veri Messiæ, & excitemur ad gratiarum actionem, quod, quæ Dominus tot retro seculis de mittendo Messia in orbem terrarum promisit, ea per Mariam Virginem impleverit. Deinde confirmemus fidem nostram non solum hoc nomine, quod ex hac salutatione certificamur, Christum jamdudum in hunc mundum natum, nec alium expectandum esse; sed etiam hoc non ine, quod etsi Maria mulier fuerit in hoc seculo contemta & abjecta, elegit tamen Deus ipsam in matrem Christi Filii sui. Cum igitur sit tantæ clementiæ, quod respiciat humilia, fiduciam concipiamus, Deum nos etiam in humilitate nostra respecturum & servaturum.*

4. Neque quæstio est *de nuda sanctorum nominatione*, cum simplex alicujus nominatio non statim sit religiosa ejus invocatio, sed invocare est in auxilium aliquem vocare.

5. Neque quæstio est *de nuda sanctorum prædicatione*, libenter enim concedimus, memoriam sanctorum de Christi Ecclesia bene meritorum reverenter esse conservandam, dona, labores, Martyria &c. sanctorum esse prædicanda, sanctos ipsos laudandos, quod donis suis fideliter usi fuerint, doctrinam, quam prædicarunt & quidam eorum sanguine suo obsignarunt, esse propagandam, sed ex eo nondum sequitur, sanctos esse religiose invocandos.

6. Neque quæstio est *de nuda sanctorum compellatione*, qua sancti moneantur & invitentur, ut pro Ecclesia in terris adhuc militante orent, quo modo à piis in his terris adhuc viventibus, vel coram, vel per literas petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, preces suas nostris conjungant, iisdemque salutem Deo fideliter commendent. Quamvis enim hanc defunctorum sanctorum compellationem non simpliciter probemus, cum illi non amplius ut sancti in terris adhuc viventes rebus nostris intersint, nec de tali defunctorum sanctorum compellatione *præceptum*, vel *promissio*, vel *probatum exemplum* in Scripturis extet, cumque periculum subsit, ne ex tali compellatione absentium ad religiosam eorundem invocationem fiat progressus; tamen ex confessione & praxi Pontificiorum constat, quod tali sanctorum compellatione non sunt contenti, sed religiose & suppliciter eosdem invocent, cultum adorationis ipsis tribuant, ad eorum non tantum intercessionem, sed etiam merita, opem & auxilium confugiant, spem & fiduciam cordis in ipsos collocent &c.

7. Neque quæstio est *de reverentia humana ac civili*, quam exhibemus alicui ratione particularis eminentiæ & dominii, quo cultu Principes & Magistratus, parentes & præceptores colimus: neque quæstio est *de cultu Christiano*, quem spiritualibus in Christo fratribus exhibemus, *fraterna caritate* alii ad alios *amandos & honorandos* propensi, Rom. 12. v. 10. *excipientes in Domino cum omni gaudio tales & in honore habentes.* Phil. 2. v. 29. quam reverentiam tam *civilem*, quam *Christianam* sanctis nobiscum in hac vita versantibus, itemque Angelis nobis apparentibus exhibere debemus, honorem tanquam excellentissimis creaturis ipsis deferentes. Sed tota quæstio est *de cultu religioso*, quem soli Deo deberi dicimus, quia religio nos vero & soli Deo adstringit. Item, *de cultu subjectionis ratione dominii*, quem itidem negamus Angelis deferendum esse, quia Angeli non sunt Domini nostri. Deferimus autem, ac deferendũ illis esse dicimus, *honorẽ moralis reverentiæ*, qui debetur personis excellentibus, ratione virtutis, status vel alterius alicujus dignitatis, sine ulla servitute honorantis, vel dominio honorati.

8. Docendi causa quidam sic progrediuntur: Cultus civilis dupliciter intelligi potest, vel *formaliter*, vel *causaliter*.

Cultus

Cultus civilis *formaliter* is est, qui in se revera civilis est & distinctus, imo separatur à religioso. Cultus civilis *causaliter*, qui quicunque tandem in seipso sit, est tamen à causis mere civilibus. Potest enim cultus civilis *formaliter* esse à causis supernaturalibus. Sic cultus, quem Christiani Regibus exhibent, civilis est *formaliter*, cum tamen Christiani Regibus suis obtemperent, non *tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Quando ergo cultum sanctorum dicimus esse *civilem*, intelligimus civilem *formaliter*, ut à cultu religioso eum distinguamus, quamvis non sit civilis *causaliter*, sed ob dignitatem supernaturalem illis exhibeatur.

9. Denique non est quæstio *de cœlesti sanctorum gloria & beatitudine*, an sancti pie in Domino defuncti cœlesti beatitudine & gloria cum Christo in cœlis perfruantur, quod libenter concedimus, sed de *religiosa invocatione* unice inter nos & Pontificios quæstio est.

Antithesis. Pontificii docent 1. Sanctos esse *suppliciter invocandos*.

Concil. Trident. sess. 25. p. 290. *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis & cæteris docendi munus curamq́; sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum &c. de sanctorum invocatione fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare.*

Vitus Miletus refut. 600. error. ab Heßhusio annotat. p. 495. *sanctorum invocationem nihil aliud esse* dicit, quam *ipsissimā unius & solius Dei invocationem & adorationem*.

Bellarminus lib. 1. de Beat. sanct. cap. 19. *Sancti sive Angeli, sive homines pie atque utiliter à viventibus invocantur.*

2. Sanctos esse *adorandos*, & quidem *proprie, religiose & divine*. Concilium Tridentinum d. l. *impie sentire*, ait, *illos, qui stultum esse statuunt, sanctis in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare.*

(Jam vero mente alicui supplicare est proprie, religiose & divine adorare.)

In Psalterio Mariæ illa ipsa adoratio, qua David Deum omnipotentem coluit, Virgini Deiparæ tribuitur. Lessii dissertatio *de sanctis adorandis* extat lib. 2. de Justit. & jure cap. 38. Suarez tom. 2. Comment. in Thom. quæst. 37. Disput. 21. sect. 1. *Adoratio, quæ Virgini debetur, eiq́; ab Ecclesia tribuitur, cultum religiosum continet.*

Inde etiam honorem, quem sanctis tribuunt, vocant *divinum & religiosum*. Hieronymus Vida in hymno magnæ Virginis. *Nos quoque divinos, ut cuiq́; est copia honores*
Largimur: tibi centum aræ, tibi maxima centum
Thure calent delubra.
Et D. Laurentii. *Romana propago*
Centum aras, centum magnis penetralia templis
Eriget, & tumulo divinum imponet honorem.

Maldonatus in cap. 5. Matth. *Impius & imperitus Lutheranorum & Calvinistarum error est, nullum nisi Deo religionis honorem tribuentium.*

3. *Sanctorum meritis* confidunt & propter illa se exaudiendos sperant.

Lombardus 4. sent. dist. 45. lit. G. *Intercedunt ad Deum pro nobis sancti, & merito, dum illorum merita nobis suffragantur; & affectu, dum vota nostra cupiunt impleri, quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo, ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur.*

Bellarmin. lib. 1. de Beat. sanct. cap. 20. *Sancti ex meritis præcedentibus impetrare possunt, & sibi & aliis id, quod orando petunt.*

4. A sanctis non solum intercessionem, sed etiam *opem & auxilium* petunt.

Concilium Trident. sess. 25. *Bonum atq́; utile est, sanctos suppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus Redemtor ac Salvator est, ad illorum orationes, opem auxiliumq́; confugere.*

Jodocus Coccius tom. 1. lib. 3. artic. 4. adducit & approbat illud Ludolphi Saxonis Carthusiani ad D. Virginem. *Deprecor bonitatem tuam immensam, ut tu, summum meum solatium, dirigas vitam meam, meq́; tuas virtutes & exempla pro posse imitari facias, & gratiam tuam mihi semper adesse concedas.*

5. Sanctos *in particulari* cognoscere statuunt, quæ in terris geruntur.

Jodoc. Cocc. Thesauri tom. 1. l. 5. art. 8. scribit, *Sanctos in cœlo triumphantes & divini Spiritus lumine collustratos nulla locorū intercapedine impediri, quo min⁹ absētia agnoscāt & nostra vota percipiāt.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. sanct. cap. 20. resp. ad arg. 3. *Non est verum, quod assumitur, sanctos ignorare, quid ab illis petamus. Nam etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscant absentia, & quæ solo cordis affectu interdum proferuntur, tamen certum est, eos cognoscere.*

Costerus in Enchir. p. 388. *Dubium nullum est, sanctos in cœlis cognoscere, quæ in terris gerimus.*

6. Sanctos *in terris* nobis *præsentes* adesse statuunt.

Casparus Franck in scripto, quo exponit causas suæ ἀποστασίας, *omnipræsentiam sanctorum* probare conatur ex Apoc. 14. v. 4. *Sequuntur Agnum, quocunque ierit.*

Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 964. *Sancti non sunt à nobis absentes, quia sequuntur Agnum, quocunque ierit.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. sanct. cap. 20. resp. ad 6. adducit & probat dictum Basilii: *Revereatur Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his Patrum sanctos Spiritus, nullus enim horum est, qui non ubique omnia videat.*

7. Sanctos *tanta potentia* instructos esse statuunt, ut ex omnib. periculis & adversis eripere possint eos, à quib. invocātur.

Bellarm. conc. 4. de Beatitud. cœlesti p. 411. *Proinde non modo potentes, sed plane omnipotentes esse illos, quis jure inficiari potest?*

Henricus Sedulius in Apologetico fol. 240. *Jure sancti vocantur omnipotentes.*

Costerus in Enchir. pag. 356. *Clare dicit Christus, eandem potestatem accepturos à Deo statim à morte sanctos in cœlo, quam ipse accepit à Patre suo in Psal 2. promissam.*

Idem in Meditat. in Hymnum, Ave maris stella p. 61. *Ut mater Regis nihil non potest in universo Filii regno: ita tu mater Dei omnia potes in cœlo & in terra.*

8. Sanctos statuunt esse *datores beneficiorum corporalium & spiritualium*. Petunt enim ab illis *peccatorum remissionem, reconciliationem cum Deo, gratiæ & donorum per gratiam largitionem, mentium illuminationem, Scripturæ intelligentiam, defensionem ab inimicis, liberationem à potestate Satanæ, præsentiam & auxilium in hora mortis, salutem & vitam æternam*, ut ex Psalterio Mariæ, Rosariis, Cursibus horariis, Hortulo animæ, Antiphonis, Collectis, Antidotariis, Breviariis &c. evidenter demonstrari potest.

9. Sanctos statuunt esse *præsides ac gubernatores rerum humanarum*, cumprimis Ecclesiæ in terris militantis.

Costerus in Enchir. pag. 394. *Constat ex Scripturis, sanctos in cœlo regnantes cum Christo hæc terrena curare & administrare.*

pag. 411. *Sanctos ideo in summam dignitatem esse evectos, ut sint curatores hominum, Regum patroni & Principes super omnem terrā.*

pag. 413. dicit, *sanctis pro diversitate meritorum diversa vel loca commendata, vel dona ad fidelium Christi.morum auxilium esse data.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. sanct. cap. 18. §. Nos autem &c. *Nos facile ostendemus &c. à Spiritibus beatorum hominum regi & gubernari fideles viventes.*

Ibid. §. Quarto &c. asserit, *Spiritus beatorum sustentare Ecclesiam, & cum Christo præsidere toti mundo, & Ecclesiam regere & gubernare.*

10. Docent, in sanctos defunctos *spem ac fiduciam cordis collocari debere.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. sanct. cap. 20. resp. ad 1. *Non potest sanctos invocare, ut sanctos & amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, hoc est, non credit esse sanctos, nec in eis sperat, ut in patronis, nec eos ut tales diligit.*

Hosius in Confess. fid. cap. 58. fol. 265. *Quid si in illos (sanctos) quoque recte credi docet Paulus? verba sunt illius ad Philemonem: Fidem, quam habes in Domino Jesu & in omnes sanctos.*

Anglo-Rhemenses in cap. 10. Roman. sect. 4. *quod credere debeamus in sanctos, & quod de iis verum sit, quod Apostolus ait, Quomodo invocare possunt eum, in quem non crediderunt.*

Hieronymus Vida in hymno D. Andreæ. *Illa Deum te post unum veneratur, & omnem*
In te spem locat.

Cornelius à Lapide in Comm. Epist. ad Philemon. v. 4. *Fidem, quam habemus in Dominum Jesum, eandem habemus etiam in omnes sanctos.*

Nostram sententiam demonstramus hoc Syllogismo:

Quicquid nec *Dei*, nec *Christi*, nec *sanctorum*, nec *ipsius religiosæ invocationis* conditio permittit, illud in Ecclesia approbari minime debet. Sanctos invocari nec *Dei*, nec *Christi*, nec *sanctorum*, nec *religiosæ invocationis* conditio permittit. Ergo religiosa sanctorum invocatio approbari minime debet.

1. Quod *Dei* conditio non permittat sanctos invocari, probamus

bamus hoc modo: Quod uni & soli vero Deo competit, illud sanctis non potest, nec debet deferri Esa.42.v.8. cap.48.v.11. Cultus religiosæ invocationis uni & soli vero Deo competit Deuter.6.v.13.Psal.50.v.15.Esa.55.v.6.Matth.4.v.10.Apocal. 14.v.7. Ergo cultus religiosæ invocationis sanctis non potest, nec debet deferri.

2. Quod *Christi* conditio non permittat, ut sanctos religiose invocemus, probamus hoc modo: Omnis vera & Deo grata invocatio in solius Christi, utpote unici Mediatoris & Intercessoris nostri nomine fieri debet Johan. 14. v.13. & 14. cap.16. v.23. Invocatio sanctorum non fit in nomine solius Christi. Ergo non est vera & Deo grata invocatio.

3. Quod ipsorummet sanctorum conditio non permittat, ut ipsos religiose invocemus, probamus hoc modo: Primo, ille solus est religiose invocandus, qui est *omniscius* & *καρδιογνώστης* Psalm.38.v.10. Matth.6.v.6. Sancti non sunt omniscii & *καρδιογνῶσται* 1.Regum 8.v.39. 2.Paralip.6. v.30. 2.Regum 2.v.9.cap.22.v.10.Job 14.v.21.Eccles.9.v.5. Esa.63.v.16. Apocal.6.v.12. Ergo non sunt religiose invocandi. Secundo, ille solus est religiose invocandus, qui est *omnipræsens* Deuter. 4.v.7. Psalm.91.v.15. Psal.145.v.18. Esa.55.v.6. Sancti non sunt omnipræsentes 2.Corinth.5.v.1.& 8.&c. Ergo non sunt religiose invocandi. Tertio, ille solus invocandus, qui est *omnipotens* Exodi 15.v.2.Psal.18.v.2.4.& 49.Psal.62.v.6.7.& 12.Psal.115.v.3. Psal.146.v.2. Sancti non sunt omnipotentes Genes.17.v.1.cap.18.v.14.Psal.50.v.15.Psal.91.v.14.Proverb. 18.v.10.Matth.19.v.26.Roman.10.v.12.& 13. Ergo non sunt religiose invocandi. Quarto, ille solus est religiose invocandus, qui est *dator beneficiorum* spiritualium & cœlestium Psal. 121.v.2. Psal.146.v.6.Jacob.1.v.5.&c. Sancti non sunt datores beneficiorum spiritualium & cœlestium Genes.15. v.1. Psal. 84.v.12. Psal.121.v.2. Jerem.2.v.13. Jacob.1.v.17. &c. Ergo sancti non sunt religiose invocandi. Quinto, ille solus est religiose invocandus, qui est *præses & gubernator rerum humanarum*, inprimis vero Ecclesiæ in terris adhuc militantis Psal.55. v.23.Psal.57.v.2.3.& 4. 1.Petr.5.v.7. Sancti non sunt præsides & gubernatores rerum humanarum Jos.2.v.11. Psal.8.v.1. Psal.33.v.13. & 15. Actor.17.v.25.&c. 2.Regum 22.v.10. Eccles.9.v.5.Esa.63.v.6. Ergo non sunt religiose invocandi. Sexto, ille solus est religiose invocandus, in quem *fiducia & spes cordis* collocanda Matth.21.v.22.Marc.11.v.24. Roman.10.v. 14.Jacob.1.v.5.Hebr.11.v.6. In sanctos non est fiducia & spes cordis collocanda Psal.118.v.8. Psal.146.v.3. Esa.31.v.1. Jerem.17.v.5. Ergo sancti non sunt religiose invocandi. Septimo, quem honorem sancti ductum verbi cœlestis secuti nequaquam recipiunt, sed eundem potius repudiant, is non est sanctis deferendus. Honorem religiosæ invocationis sancti ductum verbi cœlestis secuti repudiant Actor.10. v.25. cap. 14.v.15. Apocal.19.v.9. cap.22.v.8. Ergo honor religiosæ invocationis non est sanctis deferendus. Octavo, quem honorem *beatis Angelis* deferre non debemus, is etiam sanctis non est tribuendus. Honorem religiosæ invocationis sanctis Angelis deferre non debemus Coloss.2.v.18. Apocal.19.v.9. cap. 22.v.8. Ergo honorem religiosæ invocationis etiam sanctis non debemus deferre. Nono, nulla creatura est religioso adorationis cultu honoranda, nisi hypostatice Deo sit unita Rom.1.v.25.Galat.4.v.8. Sancti sunt creaturæ. Ergo.

4. Quod veræ & Deo gratæ invocationis conditio non permittat sanctos invocari, probamus hoc modo, Primo, Vera & Deo grata invocatio debet habere mandatum Dei in Scripturis propositum, cum sit præcipua pars cultus Deo debiti, cujus unica norma ac regula est Dei verbum, cumque invocatio Deo grata debeat proficisci ex fide. Invocatio sanctorum non habet Dei mandatum. Ergo. Secundo, Vera & Deo grata invocatio debet habere promissionem exauditionis in Scripturis expressam, alias non potest fieri ex fide. Invocatio sanctorum non habet promissionem exauditionis. Ergo. Tertio, Vera & Deo grata invocatio debet habere probata piorum exempla 2.Corinth.4.v.13.Ephes.2.v.18. Invocatio sanctorum destituitur probatis exemplis. Ergo. Quarto, Vera & Deo grata invocatio congruere debet cum forma invocationis in Scriptura sacra, & quidem in Oratione Dominica præscripta Matth.6.v.9.Luc.11.v.1.& 2. Invocatio sanctorum cum illa forma non congruit Matth.6. v.13. Ergo. Quinto, Vera & Deo grata invocatio semper est certa de eo, quem invocat ac invocare etiam debet Marc.11. v.23. Joh.4. v.22. Jac.1. v.6. Sanctorum invocatio non est certa de eo, quem invocat, cum quidam invocentur, de quibus dubitetur, an sancti fuerint, imo an unquam fuerint. Ergo. Sexto, Vera & Deo grata invocatio caret omni superstitione & Ethnica imitatione, cum per eam Ecclesia Christiana à cœtibus gentilium distinguatur. Invocatio sanctorum non caret superstitione & Ethnica imitatione, ut patet ex collatione utriusque cultus. Ergo. Septimo, Vera & Deo grata invocatio est Ecclesiæ tam V. quam N.T. communis. Ut enim una fides, unus Dominus, ita quoque una religiosa invocatio Eph.4. v. 2. Invocatio sanctorum non fuit in V.T. usitata. Ergo.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam abusus, qui per invocationem sanctorum, in Ecclesiam introducti, reprehenderunt & arguerunt, ac sanctos non esse religiose invocandos docuerunt.

Carolus Magnus Lib.1.de Imag.cap.9.(circa Annum 800.) *In eo igitur, quod Iohannes in Apocalypsi ab Angelo cohibetur, ne se adoret, dicente eodem Angelo, Vide, ne feceris, conservus tuus sum; & Pastor Ecclesiæ Petrus blande Centurionis adorationem vitaverit, dicens: Surge frater, & ego homo sum, sicut & tu; & vas electionis Paulus cum Barnaba Lycaonum adorationem valida reluctatione spreverit, procul dubio omni creatura adoratio, quæ solum Deum decet, qui solus adorandus, solus colendus, impendenda esse vetatur, salva tantummodo salutationis gratia, per quam humilitas demonstratur.*

Lib. 2. cap. 20. *religiosum cultum vocat singularem unius Dei cultum, qui convellatur aliarum rerum cultu religioso.*

Lib. ejusd. cap.25. post adducta exempla *Petri* Cornelium, *Angeli* Johannem, *Pauli & Barnabæ* Lycaones à sui adoratione prohibentium, tandem concluditur, *Angeli sive homines minime adorandi sunt, salva adoratione, qua caritatis & salutationis officio exhibetur.*

Qualis autem cultus debeatur sanctis, docetur Lib. 4. cap. 23. *Adoratur Deus, sed non osculatur; venerantur sancti, qui è seculo cum triumphis meritorum migraverunt, sed nec adorari debent cultu divino, nec osculari.*

Synodus Parisiensis, habita sub Ludovico Pio & Lothario Caroli filio & nepote, ut probaret, *Imagines religiose coli & adorari non debere*, ipsos quoque sanctos mortuos & Angelos vetat adorari, adductis autoritatibus Lactantii de falsa religione Lib.2. *Nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi solius artificis, parentisque nostri nomen.* Et ex Fulgentio. *Ipse Deus sibi soli præcipiens tantummodo serviendum, seque jubens à fidelibus adorandum prorsus interdixit, ne quis audeat creaturam adorare, creaturaq; servire.* Et ex Ambrosio. *Ad Deum promerendum, quem nihil utique latet, omnium enim merita novit, suffragatione non est opus, sed mente devota.* Postea c.6. subjicit Synodus. *Si enim, sicut præmissa sanctorũ Patrum documenta declarant, sancti Angeli & sancti viri non sunt colendi, nec adorandi, hoc enim & ipsi refugiunt; sed sola caritate, non autem servitute* (religiosa) *honorandi, nec sanctis Martyribus templa sacra & sacrificia, sed soli Deo constituenda, præsertim cum honorandi sint propter imitationem, non adorandi propter religionem; qua ratione antiqua autoritate adoratio, incensum, luminaria & cætera, quæ in Epistola Græcorum adnumerantur, eis adhibenda sunt.* Vide Synodi illius capitula à Melchiore Heimensfeldio Goldasto cum Synodi Francofurtensis libro & aliis Imperialibus Decretis congesta & Anno 608. edita.

Claudius Taurinensis Episcopus in Chron. Saxon. ad Abbatem quendam dixisse memoratur (circa Ann.815.) *An id capitulum tuum mordet, quod eum protulisses illud Ieremiæ, quo se Dominus affirmat, neque Noa, neque Danielis, neque Iobi precibus, ut aliter agat, adduci posse, mox ego dixerim, hoc ipso sanctis tuis omnia suffragia, preces, intercessionesque derogari.*

De eodem Claudio Taurinensi scribit Coccius tom. 1. Thesauri Lib.5.art.6. *quod invocationem sanctorum impugnarit.*

De Petro Brusio memorat Guido Lib. de hæres. quod circa Annum 1130. *contra sanctorum invocationem disputarit.*

Henricus Tholosanus Monachus circa An.1141. *damnavit sanctorum invocationem*, referente Genebrardo, Coccio d.l.

Henricus de Hassia vel Langenstein (qui circa Annum 1371. in Gymnasio Viennensi docuit) in lectura super Genesin dicit, *esse timendum errorem & formidandam superstitionem in eo, quod narratur, aliquos sanctos suam memoriam colentibus, aliqua bona aut corporalia, aut etiam spiritualia impetrasse.* Pro exemplo affert, *quod sancta Barbara remissionem peccatorum omnium suis cultoribus in extrema eorum hora impetraverit.*

Johannes Wiclevus cap.3. Trialogi (circa Annum 1396.)

Multi probabiliter existimant, quod foret expeditius, Christum singulariter inter homines adorare, quia ipse est Mediator & Intercessor optimus. Stultus ergo foret, qui alium Intercessorem inquireret, Christus est semper vivens apud Patrem ad interpellandum pro nobis & paratissimus illabi in mentem cujuslibet viatoris, qui ipsum dilexerit, unde non oportet ad captandum ejus colloquium sanctos alios mediare, cum sit benignior & pronior ad juvandum, quam aliquis eorum.

Cap. 30. Stultitia videtur fontem omnino paratiorem relinquere, & ad rivum turbidum & remotum accedere.

Joh. Taulerus Ecclesiastes Argentinens. in concione supra, Simile est regnum cœlorum Patrifamilias &c. Ja es sind geistliche Menschen/die ohne Trost nicht wollen seyn/denn ehe sie leuterlich und warlich ohne Trost wollen seyn / und ledig und loß funden werden/so nehmen sie ehe für sich himmlische Creaturen/ als die Heiligen un̄ die Engel/und besitzen die in ihnē selber mit einer geistlichen Lust/und setzen die für sie zu einem Trost. Als dieser Heilige ist mir lieb vor andern Heiligen / oder der Engel vor andern Engeln / und wer ihnen denn diesen Vngelas umbstösset/ daß es nicht sol seyn/so haben sie darinn wenig Friedes/sie haben wol darinnen Vnfriede. Vnd das ist denn zumal unrecht / und ist dir gegen Gott ein groß Hindernis / du soltest ledig stehen aller Creaturen im Himmelreich und auff Erdreich / und auff niemand ruwen noch bleiben / denn bloß lauter auff Gott allein. Wenn du das thetest/warlich und leuterlich/ so weren alle Heiligen warlich von dir geehret und gewirdiget/denn die lieben Heiligen allezeit gesencket werden einmütiglich in den göttlichen vätterlichen Abgrund der heiligen Dreyfaltigkeit.

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis part. 3. de directione cordis, consid. 16. varias superstitiones in cultu sanctorum eo tempore receptas taxat, utpote, quod gallus pro pueris, gallina pro puellis S. Christophoro vel Johanni Baptistæ offeratur, quod ad S. Hubertum pro morsu canis rabidi vota fiant, quod S. Antonius creditur plus virtutis habere in curando sacrum ignem, quam alii sancti, quod in hac Ecclesia dedicata Beatissimæ Virgini ipsius virtus statuatur potentior, quam in alia ad faciendum miracula, & succurrendum invocantibus se, & hoc præsertim ratione talis vel talis imaginationis suæ, vel ratione solitæ peregrinationis illic continuatæ, & sic de similibus absq; numero.

Nicolaus Kuis Sacerdos Rostochiensis, Magister & Baccalaureus formatus Theologiæ circa Annum 1511. scripsit prolixum librum, impressum lingua Saxonica, titulo de triplici funiculo. Est autem expositio Symboli, Decalogi & orationis Dominicæ. In ea inter cætera disputat, sanctos non esse religiose invocandos.

Johannes Syringus Theologiæ Doctor & Summi templi Magdæburgensis Concionator (qui eodem tempore floruit) invocationem sanctorum improbavit. Er hat pflegē das Volck zu vermahnen/daß sie nicht recht daran thuen / daß sie einen Heiligen hie/den andern dort vor einen Gott anbeten / welche doch ohne den rechten GOtt/Schöffer alles das / so in Himmel und auff Erden lebet und schwebet / nicht ein Augenblick ihr Leben erhalten können/und sollen andern helffen?

Erasmus Roterodamus in Colloquio, quod inscripsit Naufragium, introducit quendam interrogantem alterum, an imminente mortis periculo imploraverit alicujus Divi præsidium? respondet ille, ne id quidem. Quamobrem autem inquit? quia spatiosum est cœlum. Si cui Divorum commendavero salutem meam, puta Petro, quia fortassis prius audiat, quod adest ostio, priusquam ille conveniat Deum, priusquam exponat causam, ego jam periero.

Ibid. in Colloq. Peregrinatio religionis ergo, Epistolam nomine B. Virginis ad Glauco Plutum scriptam habet, in qua inter cætera eam sic loquentem introducit: Quod Lutherum secutus strenue suades, supervacaneum esse invocare Divos, à me quidem isto nomine bonam, magnamq; iniusti gratiam scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturq; in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neq; quicquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget petenti, ego vicissim mammam ipsi sitienti. Et nonnunquam ea petunt à virgine, quæ verecundus juvenis vix auderet petere à lena, quæq; me pudet literis committere Interim negotiator lucri causa navigaturus in Hispaniam committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo Deo sacra abjecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi impius miles & ad lanienam conductus, Beata Virgo, da prædam opimam. Occlamat aleator. Fave Diva, pars lucri tibi decidetur. Et si parum faveat alea, me convitiis lacerant, maleq; precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat, quæ quæstui turpi semet exponit, Da proventum uberem. Si quid negem, ilico reclamat, Ergone sis mater misericordiæ? Aliorum vota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta Maria, da mihi formosum & divitem Sponsum. Clamat nupta, da mihi bellos catulos. Clamat gravida, da mihi facilem partum. Clamat anus, da mihi diu vivere sine tussi sitiq;. Clamat senex delirus, da repubescere. Clamat Philosophus, da nodos insolubiles nectere. Clamat Sacerdos, da Sacerdotium opimum. Clamat Episcopus, serva meam Ecclesiam. Clamat nauta, da prosperos cursus. Clamat Præfectus, ostende mihi Filium tuum, antequam moriar. Clamat aulicus, da vere confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus da tempestivam pluviam. Clamat rustica, serva gregem & armentum incolume. Si quid renuo, ilico sum crudelis. Si relego ad Filium, audio, vult ille quicquid tu vis. Itane ego sola, & mulier, & virgo, dabo operam navigantibus, belligerantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, Regibus & agricolis? Atqui, quod dixi, minimum est præ his, quæ patior &c.

Idem ad verba Augustini lib. 1. contra Maximin. Arian. cap. 11. Si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei &c. in margine sic annotat: Hoc nunc fit quibuslibet Divis, (quibus verbis cultum sanctorum in Papatu receptum, tanquam Augustini doctrinæ contrarium taxat.)

Ludovicus Vives in Comment. lib. 8. de Civit. Dei cap. 27. Multi Christiani in re bona plerunque peccant, quod Divos Divasq; non aliter venerantur, quam Deum. Nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, & id, quod gentiles putabant de Diis suis. Impia est opinio Vigilantii, qui omni honore Martyres privabat; stulta Eunomii, qui ne cogeretur adorare mortuum, templa Martyrum non ingrediebatur. Venerandi sunt Martyres, non adorandi, ut Deus, quemadmodum Hieronymus in Vigilantium disserit.

Georgius Cassander in Consult. artic. 21. p. 963. Honor sanctorum in eo potissimum consistere videtur, cum nos adhuc terrenæ conversationis contagione polluti, beatissimos illos Spiritus jā ab exilio ad Christi regnum translatos, tanquam digniores conservos & laborū & certaminum, quæ pro Christo susceperunt, amplissima præmia consecutos, omni honore & veneratione prosequimur, eorum memoriam honorifice celebramus, eorum res præclare pro Christo ex Dei gratia gestas magnifice prædicamus, quanquam omnis hic honor ad Deum potissimum referatur, de quo honoris genere loquitur Cyrill. lib. 6. contra Julian. Sanctos, inquit, Martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus, laudamus eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt; & fidei sinceritatem servarunt. De cultu vero sanctorum, & quid inter sanctorum & Dei cultum intersit, pulchre disserit Augustinus lib. 22. contra Faustum. Colimus, inquit, Martyres, eo cultu dilectionis, quo & in hac vita coluntur homines sancti Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus, sed tantò illos devotius, quantò securius post incerta omnia superata, quantò & fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usq; peregrinantes, at illo cultu (qui Græce λατρεία dicitur, Latine vero uno verbo dici non potest, cum sit quædam propria divinitati debita servitus,) nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.

pag. 966. Deum oramus eo cultu religionis, quo illum omnis boni fontem & largitorem esse profitemur, sanctos vero homines tum hic peregrinantes, tum una cum Christo regnantes, oramus eo officio caritatis & honoris, quo eos Deo gratos esse, eorumq; preces apud Deum efficaces esse ad impetrandum pro aliis, quod eorum saluti expediat, cognoscimus, quod discrimen manifeste apparet in publica illa prece, quæ Litania dicitur, in qua prece Deus ut nostri misereatur, sancti vero & beati Spiritus, ut Deum pro nobis orent, interpellantur.

(Atqui in Papatu hodie sancti non tantum ut intercessores compellantur modo eo, quo sancti in terris adhuc viventes compellantur, sed ut largitores beneficiorum corporalium ac spiritualium religiose invocantur.)

pag. 970. Fatendum est, & multos & magnos errores prætextu intercessionis & meriti (sanctorum) in vulgi animos & mores invasisse, quibus etiam quorundam doctorum virorum inconsiderata scripta & dicta occasionem & fomentum suppeditarunt, quos imprimis & quidem summa diligentia correctos oportuit, ut ex quibus contrarii errores totius Ecclesiæ consuetudinem damnantes originem duxerunt; quare nisi remotis causis ea, quæ ex causis efficiuntur, non facile removentur. Primus itaq; error est, quod impii homines & in peccatis perseverantes, ac nullam vitæ emendationem meditantes sanctorum intercessioni ac meritis temere confidunt, nec ipsi pœnitentia ducti preces suas ad Deum adjungunt, quem errorem non in uno loco Chrysostomus graviter reprehendit &c. Hæc autem falsa & perniciosa

niciosa opinio, quantum in vulgus invaluerit, nimis compertum est, existimarunt enim homines improbi & sceleribus suis perdurantes, sola sanctorum, quos sibi patronos delegerunt, & frigidis, ne dicam prophanis, Ceremoniis coluerunt, intercessione & patrocinio veniam sibi & gratiam apud Deum esse paratam, quæ perniciosa opinio, quantum etiam fieri potuit, commentis miraculorum confirmabatur. Alter error est, quod homines etiam non mali certos sibi sanctos, tanquam patronos & tutores delegerunt, in eorum meritis atque intercessione plus, quam in Christi merito fiduciam posuerunt, atque adeo unico illo advocationis Christi officio obscurato sanctos, atque inprimis Virginem Matrem in illius locum substituerunt. Imo non defuerunt viri etiam celebres, (in margine notatur Gabriel Biel in Canon. lect. 8.) qui assererent, id quod Hesteræ Assuerus promisit, se petenti dimidium regni daturum, in Maria completum esse, in quam Deus regni sui, quod judicio & misericordia constat, dimidium, hoc est, misericordiam transtulerit, altera regni parte sibi retenta. Hinc illi tituli passim Virgini tributi, Regina cœli, Regina & mater misericordiæ, vita, spes nostra, lux Ecclesiæ, advocata & mediatrix. Quæ etsi commodam interpretationem admittant, ea tamen non semper omnibus præsertim rudibus & imperitis occurrit. Quid, quod totum Psalterium sublato ubique Domini nomine, in Domina nomen commutatum legitur? Quin & eo ventum est, ut etiam Christus jam in cœlo regnans matri subjiciatur, quomodo in nonnullis Ecclesiis canitur. Ora matrem & jube Filio. Item. O felix puerpera, Nostra pians scelera, Iure matris Impera Redemtori. Sed his opponi debent, quæ à sanioribus scriptoribus etiam Scholasticis pie traduntur &c. Tertio, nonnunquam error accidit in meritis sanctorum, quibus nonnulli sanctificandi & redimendi vim tribuere videntur, quod soli Christo Deo & homini proprium est, de cujus plenitudine omnes accepimus, & cujus vibice sanati sumus. Quod si in veteribus aliquid hujusmodi legatur, id ad exempla & preces referendum est, & ad eam communicationem meritorum, quæ per seipsa non sanctificant, sed sanctificationis beneficium ex unico Christi merito & fide in ipsum impetrant, alioqui religiosissime scripsit Leo Pontifex, Quis est, inquit, qui tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo? aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu Domini mors pretiosa sit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt sancti non dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Est & hic error haud infrequens, quod veteribus & compertis sanctis propemodum neglectis novos & incognitos vulgus hominum ardentius & impensius colat, de quorum sanctitate obscurius constat &c. Huc etiam referri potest quod vulgi imperitia divinos honores sanctis attribuit, ut cum templa, aræ, sacrificia, Sacerdotia, vota, festi dies, non tantum memoriæ, ut veteres loquebantur, sed honori & cultui sanctorum consecrata putantur, quem errorem Augustinus subinde refellit.

Idem in libro de officio pii viri. Non diffiteor, postremis hisce temporibus unà cum ignorantia, avaritia & ambitione superstitiosos quoq; nonnullos cultus & ritus in Ecclesiam irrepsisse, ita ut vitiū ipsis rebus inhereat, ipsorumq; observatio fidei integritati officiat. (Ubi digitum intendit ad superstitiosum cultum sanctorum.)

Georgius Wicelius in Compend. de semitis antiquis. Cultum sanctorum præter Canonicam Scripturam introduxit in Ecclesiam turpis lucri cupiditas, & terque quaterque maledicta superstitio uno Deo non contenta.

Idem. Rursum inquit Liber, (Aug. Conf.) Invocatio est honos, qui tantum Deo omnipotenti præstandus est, videlicet Patri æterno, & Filio ejus ac Servatori nostro Iesu Christo, & Spiritui Sancto, ac proposuit nobis Deus Filium suum Iesum Christum Mediatorem & Pontificem interpellantem pro nobis. Propter hunc solum testatur, preces nostras audiri & accipi, juxta illud: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Item. Unus est Mediator Dei & hominum. Ergo invocantes Deum offerant suas preces per Filium Dei, sicut in fine precum in Ecclesia dici solet, per Iesum Christum &c. Hæc de Invocatione docere necesse est; sicut alias copiosius de Invocatione nostri scripserunt. Econtra vero taxanda, & ex Ecclesia prorsus ejicienda est consuetudo invocandi sanctos homines, qui ex hac vita decesserunt, quia hic mos gloriam soli Deo debitam transfert ad homines, tribuit mortuis omnipotentiam, quod sancti aspiciant hominum corda; tribuit item mortuis officium Mediatoris Christi, & haud dubie obscurat gloriam Christi. Ideo totum morem invocandi sanctos homines, qui ex hac vita decesserunt, damnamus & fugiendum esse censemus. Sed illud prodest, recitare veras Historias piorum, quia exempla utiliter docent, si recte proponantur.

Idem. Non commemorabo, quod ubique cantent (Clerici) ex libris choralibus inemendatis, nec mendis librariorum tantum vitiatis, sed errore etiam multo scatentibus, præsertim si numerentur Missalia, Breviaria, Antiphonalia, Sequentionalia, Hymnaria & id genus alia de Sanctis per annum, quibus interdum mutatur gloria immortalis Dei in personam mortalis hominis. Unde criminantur Sacrilegi, quasi uno soloq; vivo Deo nō contenti nobis ipsis Deos, Deasq; fecerimus, & tales honoremus adorabūdi, & horū deosculemur statuas, confugiētes in necessitatibus sub tuū præsidium &c. sub tuā protectionē &c. ad te suspiramus, invocantes pro Domino Dominam, juxta Pseudo-Psalterium, injuriâ Virgini matri facta, quod excogitavit & evulgavit in figura Angeli ipse Diabolus, altum dormientibus Episcopis & negligentibus Prælatis. De hoc Ecclesiæ carcinomate pestifero alias. Neque tamen super Sion tacebitur, donec sordibus ac excrementis delirorum quorundam Monachorum indoctissimorum & stolidissimorum homuncionum tandem expurgetur.

Idem. Quibus autoribus tuebere cantum universum de Virgine matre, deque Divis per omnem annum? Quid hujusmodi legistis apud veteres cani, atque observari universaliter? Confer purpuram juxta purpuram, & vide, quid prisci in Ecclesia Dei cecinerint, & quid hisce nuperis seculis novelli. Clamabis, dissimilia esse, & quod vetus est, Christum sapere. Eheu degeneravit bona ex parte ut cantus, ita fere omnis λατρεία. Ubi putabas laudari Deum, laudantur homines. Quam fermentatam laudem quis Theologorum asseret? Olim solus Deus invocabatur cantibus, precibus, laudibus; nunc invocatur quidem, at non solus. Additur ei jam socia mater, jam Divorum multitudo, ac si nunc abbreviata esset manus Domini, & inciperet esse alius, quàm erat à principio, forsitan infirmior ad adjuvandum progressu longissimi temporis factus, ut ei coadjutoribus opus sit? Quo magis demiror frigus istud inusitatum semi-Christianorum, in quibus non solum refrixit dilectio Dei, sed propemodum extincta est cognitio Dei, aversi videlicet existentes à Christo, ad Mariam, atque à Filii cultu degenerantes ad cultum matris, adeo ut putent, summum esse scelus dicere Orationem Dominicam, nisi statim addant salutationem Angelicam, perinde ac si illa citra hanc non valeat cassam nucem. Ex talium, non ovium, sed hircorum grege prodeunt nobis, qui non dubitant (adeo sunt in reprobum sensum traditi) puritati Ecclesiæ veteris cantionem istam, nauticam magis, quam Evangelicam: Salve Regina &c. vendicare, & cum accusare impietatem debeant, excusant, tantisque ornant laudibus hanc cantiunculam, quantis nemo unquam Christum Opt. Max. evexit; imo ab Erebi faucibus caliginosissimis revocatam superstitionem. Volui compluribus ante annis hoc chori putre vulnus medicari, pro Catholicorum, ut dicitur, honore conservando. Sed quò attentius curavi, hoc majorem operam lusi, præsertim, ubi incidissem in libellum Iohannis Henini Dominicastri cujusdam, super aspasmum istum: Iesu bone, quò an potest extare uspiam libellus falsior, audacior, furiosior? O tempora, ô credulitatem majorum! Perdat te infelix Henno cum tua ista futilissima, insulsissima, alienissima expositione. Christus Rex Opt. Maxim. cui gloriam eripis, & alteri tribuis, calcet hunc basiliscum, qui contrivit ipse caput serpentis. Monarcha etiam Ecclesiasticus, ut confido in Domino, ubi aliquando fuerit expergefactus, tale probrum & ejus generis alia Cantica inexcusabilia non solum abrogabit ac mutescere jubebit, verum obstupebit etiam ad impietatem speciepietatis artificialiter obtectam. Nullum canticum hodie tritius, nec quid celebrius, nec decantatius per templa, per vicos & plateas. Hac melodia percepta leniuntur superstitiosorum aures, & statim loculos aperit ad Sirenes hasce; cum vix aliud in toto Sacerdotum choro sit alienius à Scripturis sanctis, & quod cum Evangelio Christi atque doctrina Apostolica perditius pugnet. Si foret in terris Chrysostomus, rideret utique; si Epiphanius, stomacharetur in suos Collyridianos; salvo tamen honore matris Domini nostri, quam honoramus honorē debito, & adversum honoratores istos contumeliosos jure Ecclesiæ veteris defensitamus. Litania clamat, ora, non adjuva, quod non potest; Filius solus potest. Perbellum vero commentum incacat Henno in sancta Sanctorum. Scriptum est, inquit; Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium; id est, non sufficit unus advocatus vel Mediator humano generi in cœlo; cum tot periculosas causas habeat coram Deo. Faciamus ei adjutorium, id est, beatam Virginem. Ejusdem ambrosiæ nectarisque, Angelum salutasse Virginem Latine, id est, Ave, id est, sine væ, quod à multiplici miseria liberemur per Reginam misericordiæ. Quasi Hebræam Hebraice non salutarit Schalom, more Iudæorum omnium, aut non potius, quemadmodum Græcè descripsit Lucas χαῖρε; quam salutandi voculam seu vocabulum olim Psittaci quoque calluerunt; inde Salve generaliter dicimus; quod Henno sic interpretatur: Salve à væ, ac si vellemus dicere: O Maria, quæ es sine væ, salva nos à væ. Talem absurditatem;

nedum impietatem in Christianam mentem cadere posse, quis credidisset? Nec minus tamen Marisstellani quidam hoc oraculum tanti faciunt, ut ad asylum istuc pœnitentes mittant suos, quoties satisfactionis loco eis injungunt aliquot Pater, aliquot Ave, & aliquot Salve. Nomen Dei, quod Hebræi appellant Schem hamephoras, à nullo unquam Rabino expositum est accuratius, quam hoc Canticum Compostellanum, omni trishagio Dei, omniq; doxologia Dei celebratius, augustius, divinius. O quantum cæca noctis habent mortalium pectora!

Potuisset Wicelius etiam hanc absurditatem notare in Salutatione illa Angelica toties à Pontificiis iterata.

Maldonatus in Luc. 1. v. 29. verba Angeli sic explicat: *Jubet Angelus Mariam* χαίρειν *gaudere, letari, non timere, bono animo esse, hoc est enim* שלום *ut ostendat, se bonum, non malum Angelum esse, & non inimicum, sed amicum venire; non triste, sed lætum nunciū afferre. Sic enim Hebræi loqui solent, quoties volunt ab eis, quos salutant, timorem removere,* ut Genes. 43. v. 23. Judic. 6. v. 23. & 18. v. 20. At quam absurdum est, recitantem Rosarium sic compellere B. Virginem, *Pax tibi sit ne timeto, sis bono animo, affero tibi lætum nuncium, bonus sum Angelus, non inimicus &c.*

Philippus Aureolus Theophrastus Bombast ab Hohenheim dictus Paracelsus fuit Catholicus Romanus, sed tamen *sanctorum invocationem* repudiavit, & causas exposuit libro quinto de origine morborum invisibilium.

Sebastianus Elector Moguntinus Anno 1549. tertia à Paschate hebdomada Provincialem Synodum habuit, in qua de fidei dogmatibus Decreta 48. & de reformatione 56. edidit. In doctrinæ capitibus à Concilio Tridentino definitis ejus Synodi decretis insistendum putavit: in cæteris receptam Scholasticorum opinionē secutus, à locis inter eos controversis abstinuit &c. In illis observatu dignum caput 45. quo asseritur, *Cælites esse quidem honorandos, sed civili & dilectionis cultu, non secus atque viros sanctos in hac vita suo merito colimus, nisi quod sanctis beatitudinem adeptis cultum magis religiosum tribuimus, utpote in statu magis tranquillo constitutis.* Petrus Suavis lib. 3. Hist. Conc. Trid. p. 344.

Andreas Fricius Modrevius lib. 4. de Republ. emend. cap. 13. *Ista, si accuratius expendas non abs re mireris, Eccium prius dixisse, Patres in limbo pro suis orasse, deinde ex sententia Esaiæ pronunciare, Abrahamum nescivisse nos, Israelem ignorasse nos. Quomodo enim pro eo aliquis orat, quem nesciat, quem ignoret? Quæ affert postea* (Eccius) *de propensione populi veteris in idololatriam, & de suspicionibus novi, si quid audivissent de Divis precibus vocandis, ut vera sint, tamen non satis explicant quæstionem. Quid enim? si quis non facta mentionis de invocandis Divis illas præterea afferat causas, quæ vulgo narrantur, ut quod illi nesciunt nos, ignorant nos, quemadmodum ex Esaia diximus; quod unus sit Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, qui pro nobis interpellet; quod idem sit veritas & via, extra quam non sit alia, qua perveniatur ad Patrem? Hæc an non sunt speciosiora illis, quæ ab Eccio dicuntur? Quod si vere Eccius dicit, non esse præceptam in sacris literis invocationem sanctorum, nec veteri, nec novo populo, an non inde consequens est, non esse illam ipsam invocationem necessariam, quæ præcepta non sit? Certe, quæ audivit Filius Dei à Patre suo, ea dicit se omnia annunciasse nobis. Quæ igitur non annunciavit, ea nec à Patre audivit. Qua igitur lege imponetur populo Dei necessitas ejus rei, quæ nec à Patre cælesti audita est, nec ulla cælesti pollicitatione ornata? hæc enim consequentia sunt eorum, quæ sumta sunt ab Eccio, ut illis concessis & hæc concedi necesse sit. Vetant passim divina oracula, nos hæsitare in precibus, eadem requirunt à nobis in iisdem fidei constantiam. At fides est ex verbo Dei. Porro, verbo Dei jubemur, Deum invocare in Christi nomine, quo intercessore nobis accessus pateat ad Patrem, quo advocato adire possimus thronum gratiæ. Hæc clara sunt, hæc verbis & exemplis Prophetarum & Apostolorum contestata. De Divis autem alius quid simile? Quod Eccius addit, de auxiliis & miraculis sanctorum, non est ejusmodi, ut inde debeat aliquod dogma statui in Ecclesia, in qua, qui loquitur, loqui debet, ut Petrus inquit, eloquia Dei, divina oracula, extra quæ Propheta Deorum ignotorum cultum suadens, etiamsi signa & portenta prædicat, quæ eveniant, jubetur tamen occidi Deuter. 13. Surrecturos autem tales Christus olim prædixit, atque ut ab illis caveremus, admonuit &c. Nota sunt & illa, Satanam solere se transformare in Angelum lucis, & Spiritus probandos esse, num sint ex Deo. Unde vero certius argumentum Spirituum capere possumus, quam ex eloquiis Dei?*

2. Quod quidam agnoscunt, invocationem sanctorum non esse simpliciter necessariam, nec satis tutam.

Concil. Trid. sess. 25. c. 2. *publice docendum* injungit, *bonum atq; utile esse, sanctos invocare;* (nulla necessitatis mentione facta.)

Georgius Dux Saxoniæ, cum in agone mortis constitutus esset, & Monachi certatim ipsum exhortarentur, alius, *ut Mariam,* alius, *ut Angelos,* alius, *ut diversos sanctos auxiliatores, & inprimis tutelarem suum Divum Jacobum invocaret,* tandem Nobilis quidam Duci huic familiaris accessit, eumque sic compellavit: *Celsitudo vestra in politicis negotiis semper usa fuit hoc proverbio: Rectà sine ambagibus progredi, est in certamine via maxime compendiaria.* Gerade zu/ machet gute Renner. *Quare igitur in hac via periculosissima & hoc ultimo agone Celsitudo Vestra tam varias ambages sectatur, & non potius invocatione sua rectà per Christum ad Deum ipsum, qui certo juvare & vult & potest, accedit? Atque in hac Filii Dei invocatione Dux Celsissimus etiam viam clausit.* Sarcerius & ex eo D. Chemnicius part. 3. Conc. Trid. p. 614.

Erasmus Roterodamus lib. 22. Epistol. *Antehac non parum erat superstitionis in colendis Divis, nunc multum adjungent, quo longius absint à Lutherano dogmate. At qui modus hic erat adhibendus, non excessus. Docendus erat populus, Divos venerandos quidem, non adorandos latria, quæ dicitur, perfectius esse, tollere sursum animos ad Christum sine imaginibus corporeis, quam per imagines; perfectius esse à Christo petere, quicquid impetrare volumus; tutius esse, Christum nobis imitandum proponere, quam quemvis Divorum; Divos religiosissime coli benefactorum imitatione.*

Georgius Cassander in Consult. artic. 21. pag. 966. *Apud antiquos discrimen hoc reperias, quod oratio, quâ Deum invocamus, simpliciter ad salutem est necessaria, sine qua orationes omnes & interpellationes sanctorum inanes sunt, quæ preces quibus Deum invocamus efficaces esse possunt, etiamsi nulla hujusmodi sanctorum interpellatio accedat.*

Et postea. *Non igitur hæc, quæ de interpellatione sanctorum dicuntur, eo pertinent, ut simpliciter horum interpellatio ad salutem necessaria putetur.* (*Notum enim est illud Chrysostomi Homil. de profectu Evang. Non opus tibi patronis apud Deum, sed licet solus sic, patronoq; careas, omnino tamen voti compos eris,*) *sed ut ne temere universam Christi Ecclesiam damnemus, quæ hujusmodi interpellationem tam regnantiū, quā peregrinantium sanctorū utilem esse judicarit.*

Idem Cassander, cum aliquando in colloquium de invoca-
tione sanctorum cum quibusdam venisset, tandem post mul-
tas velitiones respondit, *Ego in precibus meis non soleo sanctos in-
vocare, sed invocationem dirigo ad ipsum Deum, idq; in nomine Chri-
sti, hoc enim tutius esse existimo.*

Becelinus, referente Johanne Rivio, de abusibus Eccles.
pag. 131. *De Divorum intercessione Ecclesiastici ponant modum do-
gmati suo, & non faciant articulum Symboli ex pia persuasione.*

Laurentius Arturus in Apol. contra Tossanum cap. 3. *Nulla
necessitate compellimur invocare sanctos, orare possumus Christum
absque illis.*

Johannes Hoffmeisterus, postquam in Locis Communib.
multas sententias veterum de invocatione sanctorum coa-
cervasset, tandem concludit illa sententia, quæ extat in libris
de Visitatione infirmorum, qui tribuuntur Augustino lib. 2.
cap. 2. *Tutius & jucundius loquor ad meum Jesum, quam ad aliquē
sanctorum Spirituum Dei. Plus debet mihi Christus, quam alicui cæ-
lestium Spirituum.*

Salmero Disput. 8. in 1. Tim 2. pag 468. scribit, *Christum
esse solum Mediatorem, qui per se & semper exauditur, sanctos autem
non semper exaudiri.*

(Si Christus semper exauditur, sancti non semper exaudiun-
(Si Christus semper exauditur, sancti non semper exaudiuntur, tutius est, Christo Mediatore, quā sanctis Mediatorib. uti.)

Suarez tom. 2. Comment. in Thomam Disp. 23. quæst. 37.
sect. 3. quærit, *An non major sit fiducia, majorq; Dei gloria, si imme-
diate ad Deum accederemus?* respondet, vero, *interdum hoc facere
bonum esse ac expediens, tamen quod aliquando per Virginem Mariam
accedamus, esse ei placitum per se conveniens.*

(Agnoscit igitur, invocationem Mariæ & sanctorum non
esse semper, ac proinde etiam non simpliciter necessariam.)

3. Quod quidam agnoscunt, soli Deo cultum religiosæ in-
vocationis deberi.

(Ex eo enim sequitur, sanctos nō esse religiose invocandos.)

Carolus Magnus lib. 2. de Imaginibus cap. 5. dicit ex Am-
brosio. *Non adorandum quicquam præter Deum legimus.*

lib. 2. cap. 25. *Omnium rerum adoratione inhibita, salva adora-
tione, qua nos mutuo salutantes adoramus,* seu ut paulo post in eo-
dem cap. loquitur, *salva adoratione, quæ caritatis & salutationis
officio exhibetur, solius Dei adoratio instituitur.*

Alexander Alensis quæst. 92. memb. 1. art. 4. cum disputat,
*quis sit orandus? Solum Deum simpliciter esse orandum, tanquam
à quo*

à quo finaliter est omne bonum, definit, *sanctos vero se magis tenere ex parte orantium, quasi coadjuvantes, quam illius, qui oratur.*

(Citat & approbat hoc dictum Alensis Georgius Cassander in Consult. art. 21. pag. 965.)

Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis Lib. 4. Ration. div. offic. cap. 30. n. 2. *Ad latriam pertinent templa & altaria, Sacerdotia, sacrificia, festivitates, Ceremoniæ & hujusmodi, quæ soli Deo sunt exhibenda, juxta illud, Dominum tuum adorabis & illi soli servies, id est, soli Deo servitutem adorationis impendes, non enim sanctis & Angelis ad honorem Dei, sed potius Deo ad honorem sanctorum & Angelorum dedicantur templa, & altaria consecrantur, & sacrificia offeruntur; nec ipsis adorationis servitus, sed soli Deo impenditur, ne si secus fiat, non θεοσεβείας cultus exhibeatur, sed idololatriæ crimen incurratur, serviendo creaturæ, tanquam creatori.*

(Citat & approbat hoc dictum Durandi Georgius Cassander l. d. pag. 972. & addit, *Hæc Rationale divinorum officiorum non prorsus sine ratione loquitur.* Opponit etiam hoc dictum abusui isti, quod vulgi imperitia in Papatu divinos honores sanctis attribuit.)

Prateolus in Elencho hæretic. agnoscit, *Angelicos propterea hæreticis annumeratos, quod Angelorum cultui inclinati essent, hoc est, Angelos adorarent.*

Jacobus Faber Stapulensis in præfat. Comment. in quatuor Evangelia. *Utinam credendi forma à primæva illa peteretur Ecclesia, quæ tot Martyres Christo consecravit, quæ nullam regulam præter Evangelium novit, quæ nullum denique scopum præter Christum habuit, & nulli cultum præterquam uni trinoque Deo impendit. Sane, si ad hunc morẽ viveremus, floreret nunc, ut & tunc floruit, æternũ Christi Evangelium. Omnino ex Christo pendebant, & nos quoque omnino ex eodẽ penderemus. Tota fides eorũ, tota fiducia, totus amor ad ipsum colligebatur, & hæc etiam in nobis ad eundem colligerentur.*

Idem in cap. 14. Johan. pag. 218. *Non sancti sunt, qui faciunt vera miracula, sed ipse (Christus) est, qui facit mirabilia magna solus. Non ergo sanctis cultus propter miracula debetur, sed autori miraculorum, qui solus est Deus &c. Quæcunque Sancti Spiritu Christi petierunt à Patre in nomine illius, ipse Dominus per eos effecit. Hoc, inquit, faciam, non ut ipsos divinis prosequamur honoribus, etsi sint servi Dei honore digni, sed ut glorificetur Pater in Filio. Etsi enim magnates terreni Regis honorandi sint, citra tamen læsæ majestatis offensam eos regio honore prosequi non possumus, cultus autem est honor Regi æterno debitus.*

Erasmus in annot. Matth. 4. monet, *in his verbis emphaticis & singularibus, Iehovam Dominum tuum adorabis, contineri exclusivam, Solum.*

Georgius Cassander d. l. pag. 971. *Error est, quod vulgi imperitia divinos honores sanctis attribuit, ut cum templa, aræ, sacrificia, Sacerdotia, vota, festi dies, non tantum memoriæ, ut veteres loquebantur, sed honori & cultui sanctorum consecrata putantur, quem errorem Augustinus subinde refellit. Nos, inquit Lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. Martyribus non templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum Spiritus vivunt, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, quibus sacrificium Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro sacrificium immolamus. Idem alibi Lib. 8. cap. ult. Nec tamen iisdem Martyribus templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quando non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei,*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 15. monet, *in verbis Christi, Dominum Deum tuum adorabis, ipsique soli servies, in priore etiam parte subintelligi debere exclusivam Solum, alioqui tentatori προσκύνησιν seu adorationem deposcenti minus aperte Christus respondisset.*

Maldonatus in Comm. c. 4. Matth. v. 10. pag. 91. *Cum Deus jubet adorare se, sibique servire, vetat alios adorare Deos & servire illis. Itaque idem est, Dominum Deum tuum adorabis & illi servies, ac si dixisset: Dominum Deum tuum solum adorabis, illique soli servies.*

Huc referendum primo, quod Bellarm. Lib. 1. de Christo c. 8. §. Deniq; *divinitatem Christi* probat ex eo, *quod Ecclesia in toto terrarum orbe ipsum colat templis, aris, invocationibus, festis diebus.*

(Præsupponere igitur cogitur, religiosæ adorationis cultum nemini, nisi soli Deo competere.)

Secundo, idem Lib. 1. de Beat. sanct. capite 17. §. sic concludit: *Non licet à sanctis petere, ut nobis tanquam autores divinorum beneficiorum gratiam vel gloriam concedant, quia Psal. 83. dicitur: Gratiam & Gloriam dabit Dominus.*

(Eodem modo concludere possumus: Sanctos non licet religiose invocare, quia Psal. 50. dicitur: *Invoca me in die tribulationis.*)

Tertio, idem Lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 14. §. Ad tertium &c. & alii Pontificii agnoscunt, *sacrificium esse cultum soli Deo debitum.*

(Jam vero invocatio est species sacrificii, videlicet sacrificium internum ac spirituale. Quod si ergo actus sacrificii corporalis & externi soli Deo debetur, utique etiam actus sacrificii spiritualis & interni.)

Quarto, quidam agnoscunt, *orationem in essentiali sui definitione includere relationem directam ad Deum.*

(Utique ergo soli Deo, non sanctis debetur religiosa invocatio.)

Bernhardus in Cant. serm. 50. *Orantem hominem cum Deo loqui quis dubitet?*

Altensteig in Dictionario, in verbo *Orare. Oratio dupliciter potest accipi, Uno modo, pro desiderio obtinendi aliquid à Deo, quo desiderans ordinetur in ipsum: & sic oratio est quidam ascensus animæ intellectivæ ad Deum. Alio modo, orare idem est, quod prædictum desiderium loquendo Deo proponere, non per modum indicativum, sed supplicativum.*

4. Quod quidam agnoscunt, solum Christum esse Mediatorem nostrum, in cujus nomine Deum invocare debeamus; sanctos autem non esse Dei & hominum Mediatores.

(Ex quo promte inferri potest, eos non esse religiose invocandos, quia quisquis religioso adorationis cultu invocandus, is aut est Deus tantum, aut θεάνθρωπος Dei & hominum Mediator. Aliud adorationis objectum nullibi in Scriptura nobis proponitur.)

Clemens Romanus Episcopus Lib. 2. Const. Apostol. cap. 28. *Non enim ad Deum omnipotentẽ accedere licet, nisi per Christum.*

Carolus Magnus Lib. 4. de Imag. cap. 2. scribit: *Neque mortales homines, neque æthereas potestates aliter adorare Deum, quam per Christum Dominum.*

Anshelmus in Lib. Medit. *Quem alium dirigam pro me intercessorem tibi, nescio, nisi hunc, qui est pro peccatis nostris propitiatio, qui sedet ad dextram tuam?*

Georgius Wicelius Demagor. fol. 156. super verba: *Ave Maria, gratia plena.* Christus ist voll Gnaden für uns alle / oder uns allen seine Gnade mitzutheilen: Die Heiligen aber sind erfüllet mit Gnaden / ein jeglicher für sich selbst / also / daß sie dieselbe keinem andern mittheilen können.

Jacobus Faber Stapulensis in cap. 14. Joh. n. 108. *Omnis fides stulta & inanis est præter eam, quæ Filii Dei est, & qui alterius fide atque fiducia incedit, extra viam, veritatem & vitam incedit: & si extra viam incedit, errat; si extra veritatem, fallitur; si extra vitam, tendit in mortem. Virgo Maria, quæ est beatarũ beatissima, est admodum sancta, omnes Angeli admodum sancti, & omnes Martyres sub altari Dei exuvias immortalitatis expectantes admodum sancti: sed neque singuli, neque omnes simul via sunt, etsi sunt in termino viæ. Quod si liceret, eos interroga, an per ipsos eundum sit ad totius sanctitudinis patrem, dicerent profecto: Nos non sumus via, veritas & vita; nos non sumus via, etsi non erravimus; non veritas, etsi non seducti sumus; non vita, etsi vivimus; non per nos incessimus; non ex nobis pependimus; nos non respeximus. Incedite ergo non per nos, sed per viam, qua incessimus. In Deum credite & in Christum.*

Dicta ejusmodi plura adduximus libro 2. art. 2. cap. 4. th. 2.

5. Quod quidam agnoscũt, sanctos non esse omniscios, nec καρδιογνώστας, nec in particulari scire, quę in his terris gerãtur.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, cum preces quandoque cordis gemitibus absolvantur. Eo modo concludit ipse Bellarminus contra invocationem animarum in purgatorio Lib. 2. de Purgat. cap. 15. *Quanquam,* inquit, *animæ in purgatorio pro nobis orent, tamen superfluum videtur, ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos in multis periculis versari.* Aut omnia omnium hominum corda sancti defuncti norunt; aut quorundam tantum. Si non omnium, cur omnibus invocandi proponuntur? Et quis nostrûm distinguere poterit, quorum corda ipsis sint nota? quomodo ergo invocatio sanctorum non erit incerta ac lubrica?

c. Qui divina. caus. 13. quæst. 2. in Append. *De mortuis etiam quæritur, utrum sciant ea, quæ hic à vivis geruntur? Esaias ex persona populi afflicti ait: Abraham pater noster nos nescivit. Augustinus quoque in libro de agenda cura pro mortuis illud idem testatur.*

c. Fatendum est. caus. & quæst. iisdem ex Augustino. *Fatendũ est, nescire quidem mortuos, quid hic agatur, dum hic agitur, postea*

vero audire ab eis, qui hic ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicantur, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod nunc quenquam illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt.

Hildebertus Turonensis Episcopus circa Annum 1120. defendit sententiam Augustini asserentis, *quod animæ sanctorum ignorent quid in hac vita agatur*, atq; inde conclusit, *otiosas esse Litanias quibus oramus, ut pro nobis orent sancti, cum nec sciant, quid agatur apud nos.*

Scotus lib. 4 sent. dist. 4.5. q. 4 art. 2. *Non necesse est ex ratione beatitudinis, quod beatus videat orationes nostras, neq; regulariter sive universaliter in Verbo, quia non est aliquid, quasi necessaria sequela beatitudinis, neq; quod revelentur, quia neq; talis revelatio necessario sequitur beatitudinem, tamen quia congruum est, beatum esse coadjutorem Dei in procurando salutem electi eo modo, quo istud sibi potest competere, & ad istud requiritur, revelari sibi orationes nostras specialiter, ideo probabile est, quod Deus revelet beatis sibi vel Deo in nomine ejus factas.*

(Agnoscit Scotus, *revelationem precum nostrarum* non necessario sequi ex ratione beatitudinis, sed tantum *congruum & probabile esse, quod preces nostræ ipsis revelentur.* At illa congruentia & probabilitas non potest præbere immotum fiduciæ fulcrum in nostris precibus.)

Thomas p. 1. q. 89. art. 4. *Animæ separatæ cognoscunt aliqua singularia, sed non omnia: per species influentes non cognoscunt, nisi solum singularia, ad quæ quodammodo determinantur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem, vel per divinam ordinationem, quia omne, quod recipitur, in eo recipitur per modum recipientis.*

art 9. *Animæ separatæ secundum cognitionem naturalem nesciunt, quæ hic in terris agantur. Animæ mortuorum secundum ordinationem divinam, & secundum modum essendi segregatæ sunt à conversatione viventium & conjunctæ conversationi spiritualium substantiarum, ideo quæ apud nos aguntur, ignorant. Hanc rationem assignat Gregorius lib. 12. moral. Item Augustinus lib. de cura pro mortuis. Animæ mortuorum rebus viventium non intersunt. Gregorius tamen subdit de animabus sanctis, quia omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia aliquid, quod sit foris, ignorent. Augustin. autem dicit expresse, quod mortui sancti nesciunt, quid agant vivi, ut habetur in Glossa super illud Esai. 64. Abraham nescivit nos, quod confirmat per hoc, quod à matre sua non visitabatur, nec in tristitiis consolabatur, sicut quando vivebat; & per hoc, quod promisit Josiæ Regi, quod prius moreretur, ne videret mala superventura. Sed Augustinus hoc dubitando dicit, Gregorius assertive. Sed, inquit Thomas, quia sanctorum animæ sunt perfectissime justitiæ divinæ conjunctæ, nec tristantur, nec rebus viventium se ingerunt, nisi secundum quod justitiæ divinæ exigit dispositio.*

Durandus lib. 4. sent. dist. 49. q. 3. asserit, *hoc fieri non posse, ut omnia sancti videant in Deo, quia sententia hæc non est concors Scripturæ sacræ, quæ habetur Matth. 22. ubi dicitur de die judicii, De die autem illa nemo scit, neq; Angeli. Et si Angeli beati nesciunt de die judicii, eadem ratione multa alia sunt, quæ nesciunt, licet videant divinam essentiam. Nec concordat dictis sanctorum, qui dicunt, revelationes fieri sanctis Angelis & beatis animabus. Frustra autem eis fierent revelationes, si omnia scirent.*

Ibid. *Non potest plus beatus videndo divinam essentiã in cognitionem illorum venire, quæ dependent ex libertate arbitrii divini, quam viator cognoscendo hominem cognoscere ea, quæ dependent ex arbitrio hominis. At homo cognoscendo Naturam alterius hominis quantumcunque perfecte, ex hoc tamen non cognoscet ea, quæ dependent ex libero arbitrio ejus, sicut habetur 1. Cor. 2. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ergo fortiori ratione beatus videns divinam essentiam, non propter hoc scit ea, quæ dependent ex libero arbitrio divino?*

Ibid. ad quæstionem, *utrum sancti cognoscant orationes nostras*, respondet, *videri quod non, quia sunt perfectiores in caritate, quam essent, dum viveret. Sed quo quis est perfectior, hoc magis subvenit proximo in necessitatibus. Si igitur sancti cognoscerent defectus nostros, quos in oratione exprimimus, magis subvenirent quam amici viventes, sed hoc non experimur. Ergo sancti orationes nostras non cognoscunt.*

Occam lib. 4. sent. q. 14. *Creatura non habet in Deo esse relucens, nec repræsentativum in essentia, sicut in speculo, sicut aliqui imaginantur falso, id quod probat exemplo Angelorum, qui multa ignorant, & nihilominus Deum vident.*

Cajetanus in art. 5. q. 8. in 2. 2. Thom. *Certa ratione nescimus, an sancti nostra vota cognoscant, quamvis pie hoc credamus.*

Georgius Cassander in Consult. art. 21. p. 965. *Non est necesse, ut dum hoc modo sancti interpellantur, iis cordium inspectio, quæ soli Deo propria est, attribuatur, cum sciamus ex divinis literis, etiam Spiritibus in corporibus inclusis hoc divinitus concessum, ut absentium facta & cogitata cognoscerent, quod de Elisæo & Giezi ejus servo manifestum est.*

(At si sanctis non competit cordium inspectio, utiq; non possunt religiose invocari, cum religiosa invocatio gemitibus cordis quandoq; perficiatur. Quod Prophetæ absentia & futura viderunt, est particulare & extraordinariũ, ex quo universalis & ordinaria sanctorũ invocatio probari minime poterit.)

Lorinus in Epist. Petri c. 1. v. 12. scribit, *Angelos ignorare nonnulla, quæ discere possint ab Evangelii ministris.*

Bellarm. lib. 1. de Christo c. 8. arg. 4. *divinitatem Filii* probat *ex sapientia, quia scil. in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, ac quia novit omnia.*

Lib. ejusd. c. 13. class. 6. *divinitatem Spiritus sancti* probat ex eo; *quia prædicit futura, & scrutatur corda, quod solius Dei est.*

(Atqui, si omniscientia & *καρδιογνωσία* quocunque modo sanctis tribuatur, omne pondus & momentum argumentis hisce decedit.)

Idem Bellarm. lib. de Beat. sanct. c. 20. ipsemet fluctuat de speciali illa occultorum notitia, quam sanctis tribuit, dicit enim, *sanctos nosse cogitationes illas cordium, quæ à Deo ipsis manifestantur, sive beatifica visione, sive nova revelatione.*

(At modum illum notitiæ per novam revelationem paulo prius ipse labefactavit. *Si indigerent*, inquit, *sancti nova revelatione, Ecclesia non diceret ita audacter omnibus sanctis, Orate pro nobis, sed peteret aliquando à Deo, ut eis revelaret preces nostras, nec posset tam facile ratio reddi, cur sancti nunc invocarentur, & ante adventum Christi non invocarentur.*)

In eod. cap. resp. ad 3. §. Respondeo &c. sic disserit: *Cum certum sit ex tot Patrum testimoniis, & ex tot miraculis à Deo ostensis eos, qui invocant sanctos, exaudiri, & impetrare quod petunt, certe non frustra invocantur sancti, etiamsi demus eos non audire, neq; cognoscere nostras preces, nam aliquis alius eorum vice fungitur.*

(At quis ille alius, num Angeli, num Christus, num Deus? Ubique scopuli.)

Ibid. in resp. ad arg. 3. §. Dices, sic scribit: *Sancti possunt ad nos venire, quando volunt, non tamen propterea sciunt omnia nostra.*

Pineda in c. 3. Ecclesiastæ f. 378. *Indicat Augustinus in libro de cura pro mortuis, etiam matrem suam jam vita feliciori potitam non interesse rebus suis, sed verum esse, quod Psal. 26. dicitur: Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, ex quo sic colligit: Si parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidve patiamur? Utitur præterea illo Es. 64. v. 16. Abraham nos nescit, & Israel non cognovit nos, ex quo sic rursum colligit: Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, quomodo mortui vivorum rebus atq; actibus cognoscendis adjuvandisq; miscentur? Tandem addit cap. 15. Mortuos audire ab eis, qui hinc moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicari vel ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt.*

(Hæc Pineda non solum recitat, sed etiam in Augustino non oppugnat.)

Huc referri potest, quod Pontificii *de modo*, quo sancti preces nostras, atq; ea quæ in terris geruntur, cognoscunt, diversas fovent opiniones.

Primo enim, quidam dicunt, *sanctos ea cognoscere ex relatione Angelorum, qui nunc ad cœlos ascendunt, nunc inde ad nos descendunt.*

Secundo, alii dicunt *sanctorum animas sicut etiam Angelos, mira quadam celeritate Naturæ quodammodo esse ubique, & per se audire preces supplicantium.*

Tertio, alii dicunt, *sanctos videre in Deo omnia à principio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, & proinde etiam orationes nostras ad se directas.*

Quarto, alii deniq; dicunt, *sanctos non videre in Verbo orationes nostras à principio suæ beatitudinis, sed solum tunc revelari eis à Deo orationes nostras, quando eas fundimus.*

In applicatione horum modorum invicem non consentiunt. Quidam enim omnes illos modos conjungunt, ut Becanus in Append. Disput. de Purg. p. 88. Costerus in Enchirid. p. 388. &c. quidam unum duntaxat vel duos ex his modis amplectuntur, reliquos vero repudiant, ut Bellarminus d. l.

Quid, quod modi illi revera sibi invicem opponantur. Si enim sancti omnia sciunt *ex beatifica Dei visione*, utique non est opus *nova revelatione*, & vice versa.

Item,

Item, si sancti ex *Angelorum relatione* ea, quæ in terris geruntur, intelligunt, non erit opus, *à Deo* preces nostras *ipsis revelari*, quando eas fundimus.

Denique, si sancti *mira quadam celeritate Naturæ* quodammodo sunt ubique & per se audiunt preces supplicantium, nec *Angelorum relatione*, nec *nova relatione* eam ad rem opus erit.

Cæterum, ut manifestius fiat, Pontificios in modis hisce cognitionis sanctis attributis non consentire, singulos ordine perlustrabimus.

Primum cognitionis modum *per relationem Angelorum* Bellarminus ipse repudiat, d.l. sic scribens: *Nec Angeli, nec beatæ animæ, etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus.*

Secundum cognitionis modum *per celeritatem Naturæ* itidem Bellarminus repudiat, d.l. sic scribens: *Hæc ratio non est sufficiens, quia ad cognoscendas preces, quæ eodem tempore fiunt, in diversissimis locis non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum Spiritibus convenire credimus.*

Præterea, sancti defuncti V. Test. eandem cum Angelis æqualitatem obtinuerunt, & tamen non cognoverunt rerum mundanarum statum in particulari, quia nondum fuere perfecte beati, sed in limbo adhuc hæserunt. Jam vero *ad perfectam beatitudinem pertinet scire, quæ ad se pertinent, & præcipue, quæ faciunt ad honorem & gloriam*, ut loquitur Bellarminus.

Tertium cognitionis modum *per speculum divinæ visionis* jam olim labefactavit Occamus Lib. 4. sent. q. 13. cujus verba paulo ante sunt citata. Quin & ante Occamum de hoc speculo sic scripsit Thomas parte 1. quæst. 12. artic. 8. *Videns speculum, non est necessarium, quod omnia in speculo videat, nisi speculum visu comprehendat. Nam ille intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, qui causam totaliter comprehendit.*

Jam vero *nullus intellectus creatus totaliter Deum comprehendit*, ut Thomas ibidem addit.

(Ex quo immote sequitur, sanctos in speculo divinæ visionis non videre omnia in particulari.)

Idem Thomas p. 1. quæst. 13. art. 17. & ex eo Becanus p. 1. Theol. Schol. cap. 9. q. 13. sic scribit: *Beati progressu temporis multa vident, quæ non viderunt à principio beatitudinis.*

(Ergo ex visione Dei beatifica non oritur absoluta omniũ cognitio, cui assertioni repugnat hypothesis eorum, qui speculum propugnant. Gregorius Lib. 12. moral. c. 13. *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientẽ omnia sciũt?*)

Idem Thomas p. 1. q. 57. art. 5. de Angelis agens dicit, quod *vident Verbum & res in Verbo, quodque ea cognoscant mysteria gratiæ non quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare, & officiis eorum congruit.*

Josephus Angles in Florib. Theol. in 4. sentent. part. 2. q. de beatit. diffic. 3. concl. 3. *Non omnes beati vident in Verbo omnia singularia cunctarum specierum seu formarum. Nam quilibet beatus tunc comprehenderet Deum, cum cognosceret & omnes creaturas à Deo producibiles, & ita cognosceret Deum perfectissime per notitiam infinitæ claritatis, quod implicat contradictionem.*

Bellarmin. ipse d. l. non audet modum cognoscendi per speculum, tanquam prorsus certum & indubitatum defendere, ideo vocat duntaxat *probabilem*, & *conjungit alium cognitionis modum per divinam scil. revelationem.* Diserte insuper addit, *sanctos non omnino omnia videre, sed ea tantum, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent.*

Becanus part. 1. Theol. Scholast. cap. 9. q. 11. de speculo illo sic disserit: *Certum est, beatos divinam essentiam videntes, non videre omnia libera decreta & consilia Dei. q. 13. n. 24. Augustinus docet, tribus modis beatos cognoscere, quæ circa nos fiunt, Primo, ex relatione hominum, qui ex hac vita ad illos veniunt. Secundo, ex relatione Angelorum. Tertio, ex peculiari Dei revelatione. Hos tres modos tradit Augustinus. Et certe, si putasset esse alium, nempe videndi creaturas in Deo, tanquam in objecto cognito, non utique dissimulasset.*

(Ergo tempore Augustini modus ille cognitionis per speculum in Ecclesia adhuc fuit ignotus.)

Quartum cognitionis modum *per novam revelationem* labefactat ipse Bellarminus, quando d. l. tale argumentum format: *Si sancti ad sciendum ea, quæ in terris geruntur, indigent nova revelatione, cur Ecclesia Romana tam audacter dicit de omnibus sanctis: Orate pro nobis; nec petit aliquando, ut Deus illis revelet preces nostras?* Ad hoc argumentum nihil respondet.

Quinimo Gregorius Episcopus Romanus Lib. 12. Moralium cap. 13. & Lib. 4. Dialog. cap. 33. hunc modum cognitionis *per novam revelationem* prorsus rejicit, quia amplectitur sententiam de cognitione *per visionem beatificam, quæ huic revelationi adversatur*, ut Bellarmin. ipse agnoscit.

Costerus in Enchir. p. 389. sic disserit: *Longe aliter viventibus absentia revelantur atq; sanctis, qui æterna gloria fruuntur. Illis enim nota fiũt occulta inspiratione, his autẽ divinæ essentiæ contemplatione.*

(Atqui, si sancti ea, quæ in terris geruntur, non fiunt nota ratione ea, qua viventibus revelantur absentia, utique etiam non potest comparatio institui inter revelationem factam viventibus & faciendam defunctis. Contrarium statuit Bellarminus d. l. sic scribens: *Si multi sanctorum in his terris donũ à Deo habuerunt, quo cognoscerent cogitationes hominũ, & facta etiam occultissima, multo magis credendũ est, sanctos in cœlo hoc dono pollere.*)

Idem Costerus d. l. p. 386. revelationem illam etiam *ad Patres in limbo* extendit, sic concludens: *Si Patres in limbo ante Christi adventum nosse poterant, quæ fiebant in terra, utique sancti, qui nunc astant Deo, ac potiori gloria fruuntur, eadem non ignorabunt. Sed verum prius, quia Abraham in limbo noverat, epulonem recepisse bona in hac vita, Lazarum vero mala, Luc. 16.*

(Contrarium statuit Bellarminus d. l. sic scribens: *Patribus in limbo non fuit ordinarie revelatum, quid hic agebatur, quia non erant perfecte beati &c. Præterea, quia sancti in limbo non ita gerebant curam rerum nostrarum, nec erant Præpositi Ecclesiæ, ut sancti in cœlo sunt.*)

Omnia ergo hic sunt dubia & incerta, unde Alphonsus Virvesius Phil. 16. scribit: *Quantum cognitionis rerum, quod apud nos geruntur, accipiant singuli Spiritus, sive Angeli, sive humani, non est nostrum ad amussim pronunciare.*

6. Quod quidam agnoscunt, sanctos non esse *omnipræsentes*.

(Ex quo iterum sequitur, eos non esse invocandos, quia ad religiosam invocationem omnipræsentia ejus, qui invocatur, requiritur.)

Thomas p. 1. q. 108. art. 8. *Homines sancti etiam post hanc vitam sunt ejusdem Naturæ nobiscum, unde secundum legem communem non intersunt rebus viventium. Ex quãdam tamen speciali dispensatione aliquibus sanctis id interdum conceditur; teste Augustino de cura pro mortuis.*

Idem part. 1. q. 52. art. 2. probat, quod *Angelus non sit ubique, nec omnibus in locis, sed in uno loco tantum.* (Idem judicium de beatis sanctis.)

Anglo-Rhemenses in Annot. Luc. 16. *Si dives epulo Abrahamum tam longe distantem alloquitur & auditur, absurdum non erit, sanctos invocare per spacium cœli & terræ à nobis distinctos.*

Bellarminus Lib. 1. de Beat. Sanctor. capite 20. resp. ad 3. arg. *Ad cognoscendas preces, quæ eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum Spiritibus convenire credimus.*

Et postea: *Sancti possunt ad nos venire, quando volunt: tamen non propterea assidue intersunt rebus nostris more humano.*

In resp. ad 6. arg. disputat, *sanctos non esse absentes, quoad exauditionem, licet loco absentes videantur.*

(Atqui, si non sunt præsentes *quoad locum*, utique nec præsentes sunt *quoad exauditionem*.)

Huc pertinet Primo, quod ex *omnipræsentia divinitatem Filii & Spiritus S.* probant; (Utique ergo agnoscunt, omnipræsentiam esse attributum solius Dei proprium.)

Bellarminus Lib. 1. de Christo cap. 8. §. Alius locus &c. *divinitatem Christi* ex eo probat, quod Matth. 18. v. 20. promittit, *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, ac soli Deo hoc elogium competere asserit, quod cœlum & terram implere dicitur,* Jerem. 23. v. 24.

Lib. ejusd. cap. 13. *divinitatem Spiritus S.* ex eo astruit, quod *orbem terræ replere* dicitur Sap. 1. v. 7.

(At nisi omnipræsentia esset attributum solius Dei proprium, nulla vis concludendi inesset his argumentis pro asserenda Filii & Spiritus Sancti Deitate.)

Secundo, quod negant, *Christum secundum humanam Naturam esse omnipræsentem.*

(At si Christus secundum humanam Naturam ipsi τῷ Λόγῳ personaliter unitam & ad dextram Dei collocatam non est omnipræsens, longe minus sancti ad æternam felicitatem & gloriam evecti erunt omnipræsentes.)

Bellarm. Lib. 3. de Christo c. 11. 12. & 13. ex professo sub nomine *Ubiquitatis* cõtra omnipræsentiã Christi hominis disputat,

cap.11. Omnipræsentiam, quam Christo homini nostræ Ecclesiæ tribuunt, inter cætera oppugnat ex illis Scripturæ dictis, quæ testantur, *Deum esse ubiq;, ut hoc modo illum discernant ab omnibus creaturis.*

(At si omnipræsentia etiam sanctis competit, non potest communicatio omnipræsentiæ Christo homini facta ex illis Scripturæ dictis impugnari, cum quilibet videat, humanam Christi Naturam, utpote τῷ Λόγῳ personaliter unitam & ad dextram Dei evectā, eo magis præsentem esse, quā sanctos.)

Ibid. proponit ejusmodi discursum. *Si humana Christi Natura per accidens ratione unionis cum Deo est ubique, sensu eo, quod revera quidem sit ubique, tamen hoc habeat non ex Natura sua, sed per gratiam Dei, quæ est accidens respectu ipsius essentiæ humanæ, tunc argumentum Patrum pro Spiritu sancto plane concidit. Nam Ariani dicent: Spiritum sanctum esse quidem ubique, sed per accidens, & ideo non esse Deum verum, sed creaturam. Cum ergo Patres recte probarint ex ubiquitate Spiritum sanctum esse Deum, manifeste sequitur, soli Deo convenire, vere esse ubique, nec id esse per gratiam communicatum ulli creaturæ.*

(At hoc ipsum longe fortius sanctorum omnipræsentiæ obverti potest.)

Tertio, quod ipsimet Pontificii nondum inter se conveniant. Recensent enim varios modos, quibus fiat, ut sancti in cœlis nostrarum precum fiant conscii; Modo ad eorum in terris præsentiam confugiunt, modo Angelorum & animarum ex terris adventantium relationi hoc adscribunt, modo in speculo beatificæ visionis omnia ipsos videre cont n un .

(Atqui, si ex dono beatitudinis & gloriæ sancti in terris ubique præsentes adsunt, nulla opus erit Angelorum vel animarum relatione, nulla divina revelatione, & vice versa.)

7. Quod quidam agnoscunt, sanctos non esse *omnipotentes*, nec *largitores beneficiorum* spiritualium & corporalium.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, qui enim religiose invocandus, illum oportet esse omnipotentem.)

Georgius Cassander in Consult. art. 21. pag. 964. *Sanctos Dei non ut largitores bonorum, sed ut condeprecatores & impetratores appellamus.*

pag. 965. *Quomodo in eo gloriæ Dei quicquam detrahitur, cum ille solus fons & largitor omnis boni agnoscitur, neq; aliud sanctis tribuitur, quā ut precibus suis ab ipso fonte & largitore omnis boni ea, quæ nobis ad præsentem vitam utilia & ad futuram salutaria, impetrent?*

Censura Colon. pag. 108. & 129. docet, *illam invocationem, ut bona nobis donentur, ut à malis custodiamur & liberemur, contra ut gratiā in hac vita & gloriā in futura vita accipiamus, soli Deo deberi.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. Sanct. c. 17. *Non licet à sanctis petere, ut nobis tanquam autores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam, aliaq; ad beatitudinem media concedant.* Probat hoc 1. ex *Scriptura. Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Psal. 120. Levavi oculos meos ad montes, unde veniat auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. 2. Ex usu Ecclesiæ. Nam in orationibus, quæ leguntur in Missa, vel Officio in celebritatibus sanctorum, nihil unquam aliud petimus, quam ut eorum precibus à Deo nobis beneficia concredantur. 3. Ex ratione. Nam ea, quibus indigemus, superant vires creaturæ, ac proinde etiam sanctorum. Ergo nihil debemus à sanctis petere, nisi ut à Deo impetrent, quæ nobis sint utilia.*

Et postea §. Itaque &c. *Sanctos invocamus ad hoc solum ut faciant id, quod nos facimus, quia melius & efficacius ipsi facere possunt, quam nos, melius illi & nos simul, quam nos soli.*

Item §. Atque hinc &c. *Nihil à sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur, & per Christum gratiam & gloriam consequamur.*

Huc pertinet, quod Christo secundum humanam Naturam *omnipotentiam* denegant.

(At si Christo secundum humanam Naturam τῷ Λόγῳ personaliter unitam & ad dextram Dei evectam non competit omnipotentia, multo minus sanctis ea competet, cum nec personaliter Deo uniti sint, nec ad dextram Dei collocati.)

Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 16. resp. ad 3. arg. *Potentia collata Christi humanitati non est absolute omnipotentia.*

8. Quod quidam agnoscunt, sanctos non esse *præsides ac gubernatores rerum humanarum*, cumprimis Ecclesiæ in his terris militantis;

(Ex quo denuo sequitur, eos nō esse religiose invocandos.)

Thomas p. 1. q. 108. art. 8. *Homines sancti etiam post hanc vitam sunt ejusdem Naturæ nobiscum, unde secundum legem communem non administrant humana, sicut Angeli, qui sunt medii inter Deum & nos, nec rebus vivorum intersunt, ex quadam tamen speciali dispensatione aliquibus sanctis id interdum conceditur.*

(Nota 1. ex speciali dispensatione, 2. aliquibus sanctis, 3. interdum id conceditur.)

Alphonsus Virvesius Philipp. 16. p. 338. sub fin. art. de Inv. Sanct. *Jam, quod variis Divis variæ tribuantur procurationes, velut sortitiones Provinciarum &c. quæ ultimo & maximo hujus articuli paragrapho Philippus enumerat, non de sapientium errore, quod nobis opprobrat, sed de vulgi simplicitate & quorundam verbo D. i abutentium ad quæstum procedunt iniquitate. Quæ omnia etsi Pontificum & Sacerdotum socordia, interdum & collusione hactenus creverint, nunc Christi Jesu favore primum deinde verbi Dei sarculo indies, quæ impia sunt, aut vana succiduntur, quæ vero præter impietatem retinere possunt, aut purgantur, aut excoluntur, aut diriguntur, idq; citra tumultus & schismata, quæ sunt maxime vitanda inter fideles, quamdiu salva pietate vitare possumus; quibus vitandis atque sedandis nos utcunque pro nostra virili parte laboramus.*

Huc pertinet primo, quod Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 9. §. Alterum opus &c. *divinitatem Christi ex eo probat, quod omnia conservet & gubernet, juxta dicta: Omnia in ipso constāt, & portat omnia verbo virtutis suæ.*

Item quod lib. ejusd. cap. 13. §. Sexto &c. *divinitatem Spiritus sancti* probat ex eo: *quod Ecclesiam, quæ est regnum Christi, ut Dominus absolutus, gubernet.*

(At si etiam sanctis competeret præsidere rebus humanis, præesse Ecclesiæ, omnia in terris gubernare, labefactaretur hujus argumenti fundamentum.)

Secundo, quod Pontificii magno conatu disputant, *Christo secundum humanam Naturam non competere infinitam potentiam & Universale cœli terraq; dominium.*

(At si humanæ Christi Naturæ τῷ Λόγῳ personaliter unitæ, & ad dextram Dei collocatæ, divinum illud dominium non competit, quanto minus sanctis tribui poterit, *quod toti mundo præsint & universam Ecclesiam gubernent*, quod est opus infinitæ potentiæ.)

Tertio, quod quidam sanctis denegent *omnipræsentiam*, ut paulo ante ostendimus.

(Jam verò gubernare res humanas, cumprimis Ecclesiam, requirit omnipræsentiam.)

9. Quod quidam agnoscunt, in sanctos non esse *fiduciam cordis* collocandam.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, quia fiducia est religiosæ invocationis fundamentum Rom. 10. v. 14.)

Bernhardus serm. 15. in Ps. 91. *Cor Sponsæ non est in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens, Minus vigilanter id observarunt Corinthii, cum secederent, dicentes, Ego sum Cephæ. Quoniam, inquit, in me speravit, liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, non in Angelo sed in me, inquit, speravit, liberabo eum, nihil b. ni nisi ex me expectans. Custodia non modo ex me, verum etiam per me fiat, necesse est.*

c. Aliud. dist. 4. de consecrat. *Si fuerit justus minister, computo eum cum Paulo, cum Petro, cum istis computo justos ministros. Quia vero justi ministri gloriam suam non quærunt, (ministri enim sunt) pro Ducibus haberi nolunt, spem in se poni exhorrescunt. Ergo computo cum Paulo justum ministrum. Quid enim dicit Paulus? Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.*

(Ut autem in hac vita ministri spem & fiduciam in se collocari nolunt, ita quoq; sancti in cœlis eodē modo sunt affecti.)

Thomas Aquinas in Johan. 14. *In hoc, quod dicit, & in me credite, contestatur se verum esse Deum. Nam si homini alicui creaturæ credere liceat, in nullum tamen, nisi in Deum credere debemus.*

Johannes Taulerus in conc. super Evangelium, Simile est regnum cœlorum patrifamilias &c. Ja es sind etliche geistliche Menschen/ die ohne Trost nicht wollen seyn/ denn ehe sie lauterlich und warlich ohne Trost wollen seyn/ und ledig und blos funden werden/ so nehmen sie ehe für sich himlische Creaturen / als die Heiligen und die Engel / und besitzen die in ihnen selber mit einer geistlichen Lust / und setzen die für sich zu einem Trost/ als dieser Heilige ist mir lieb vor andern Heiligen/ oder der Engel vor andern Engeln/ und wer ihnen dann diesen Ungelas umbstöst daß es nicht sol seyn/ so haben sie darinnen wenig Friedens/ sie haben wol darinnen Unfriede / und das ist denn zumal unrecht/ und ist dir gegen GOtt ein gros Hinderniß. Du solst ledig und auff stehen aller Creaturen im Himmelreich und auff Erden/ und auff niemand ruhen noch bleiben/ dann blos lauter auff Gott allein. Wenn

Wenn du das thetest/warlich und lauterlich so weren alle Heiligen warlich und vollkommentlich von dir geehret und gewürdiget. Denn die lieben Heiligen allzeit gesencket werden einmütiglich in den göttlichen vätterlichen Abgrund der heiligen Dreyfaltigkeit.

Georgius Cassander in Consult. art. 21. p. 970. *Primus error est, quod impii homines & in peccatis perseverantes, ac nullam vitæ emendationem meditantes, sanctorum intercessioni ac meritis temere confidunt, nec ipsi pœnitentia ducti preces suas ad Deum adjungunt &c. Hæc autem falsa & perniciosa opinio, quantum in vulgus invaluerit, nimis compertum est, existimarunt enim homines improbi & in sceleribus suis perdurantes, sola sanctorum (quos sibi patronos delegerunt, & frigidis ne dicam prophanis, Ceremoniis coluerunt) intercessione & patrocinio veniam sibi & gratiam apud Deum esse paratam, quæ perniciosa opinio, quantum etiam fieri potuit, commentis miraculorum confirmabatur. Alter error est, quod homines etiam non mali certos sibi sanctos, tanquam patronos & tutores, delegerunt, in eorum meritis atq; intercessione plusquam in Christi merito fiduciam posuerunt, atque adeo unico illo advocationis Christi officio obscurato sanctos, atque inprimis Virginem matrem in illius locum substituerunt.*

Ingolstadienses in Apocal. contra Disputationem D. Herbrandi de Invocatione &c. ad argumentum, *Pontificii invocant sanctos. Ergo in eos credunt*; respondent hoc modo: *esse Sophisticationem à non distributo ad distributum, eo quod invocatio latius pateat, quam actus credendi in aliquem.*

(Hoc ergo volunt dicere, se quidem sanctos invocare, non tamen in eos credere.)

Laurent. Arturus in Apol. contra Tossanum cap. 4. *Sanctos ut ea ratione non invocamus, ita quoque in eosdem non credimus.*

Bellarminus Lib. 1. de Beat. Sanctorum cap. 17. §. Atque hinc. *Nihil à sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur, & per Christum gratiam & gloriam consequamur.*

(Excluduntur ergo sanctorum merita, & consequenter fiducia in sanctos collocari prohibetur.)

Costerus in Enchirid. p. 407. concedit, *in sanctos non esse credendum ac sperandum*, unde probare conatur, *posse etiam eum invocari, in quem non credimus.* (Contra expressum dictum Apostoli Rom. 10. v. 14.)

Forerus in Manuali Lutheranorum fol. 7 *Falsissimum est, istos Scriptores unquam docuisse, nos credere, aut credere debere in Virginem ac sanctos mortuos.*

Huc pertinet, quod Bellarminus Lib. 1. de Christo c. 5. §. 1. *divinitatem Christi* ex eo probat, *quod in ipsum credamus. Beati,* inquit, *erunt, qui in Messia confidunt. Ergo Messias est verus Deus. Nam in Scripturis passim in solo vero Deo confidendum esse dicitur, ut Ierem. 17. Maledictus, qui confidit in homine. Et infra. Benedictus vir, qui confidit in Domino.*

Lib. ejusd. c. 6. §. Quintum testimonium. *Augustinus Lib. 1. de Trinit. c. 12. ex Iohan. 14 Creditis in Deum & in me credite, deducit, Christum esse illum verum Deum, quem Iudæi colebant. Nam si non est ipse verus Deus, non potest sibi arrogare fidem, quæ soli Deo debetur.*

(Congruit hoc cum aliis veterum dictis. Gregor. Nazianz. orat. 37. οὐ ταυτόν ἐςι πιςεύειν εἰς τὶ, καὶ περὶ αὐτοῦ πιςεύειν· τὸ μὲν γάρ ἐςι θεότητος, τὸ δὲ παντὸς πράγματος. Ruffinus in Symbolum. *Hac præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & divina separantur ab humanis. Itaq; ubi de divinitate fides ordinatur, in Deum Patrem dicitur, & in Iesum Christum Filium, & in Spiritum S. in cæteris vero, ubi nō de divinitate, sed de creaturis ac mysteriis sermo est, præpositio in non additur.* At huic argumento robur omne denegatur, si in sanctos fiduciam collocari posse statuitur.)

10. Quod quidam agnoscunt, *Angelos* non esse religiose invocandos.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos defunctos non esse religiose invocandos. Eccius in Enchirid. cap. 15. *Quæ est ratio de Angelis, eadem est de sanctis, qui in cœlis ipsis sunt æquales.*)

Bellarminus Lib. 1. de Beat. Sanctorum cap. 14. §. Secundo dico &c. *Ante Christi adventum Angeli se ab hominibus adorari patiebantur, at posteaquam Deus homo factus est, & omnes Angeli hominem in Christo adorare cœperunt, noluerunt ipsi ab hominibus adorari, & præcipue ab Apostolis, aliisque summis viris.*

(Si Angeli nolunt adorari. Ergo nec nos illos debemus adorare. Subjungit quidem Bellarminus, *nec tamen sequitur, nos male facere, si Angelos adoremus. Nam & nos recte illos adoramus, & ipsi recte adorari recusant. Itaque Iohannes ipse, cum cap. 19. semel audivisset, Vide, ne feceris, tamen cap. 22. iterum voluit eundem Angelum adorare, intelligebat enim, & se recte facere adorando, & Angelum recte facere recusando.* Sed quilibet videt, hæc secum invicem pugnare. Si enim Johannes recte fecit Angelum adorando, minus recte fecit Angelus adorationem illam prohibendo. Quorsum namque prohiberetur Johannes à cultu Deo grato & accepto? Nec dicis tantum causa, vel ex modestia & reverentia erga Christi humanitatem Angelus adorationem sui prohibet, sed maxime serio & ex subjectione erga Deum, quia addit prohibitionis suæ argumenta, *Vide, ne feceris, conservus tuus sum, Deum adora.* Immotum ergo hoc est argumentū. Si Angeli nolunt adorari, ab eorum adoratione merito abstinemus. Aut enim hæc ipsorum voluntas, qua adorationē sui repudiant, divinæ est conformis, aut ab ea discrepans. Posterius dici nequit, Bellarminus enim dicit, *ipsos recte facere, dum recusant adorari.* Manet ergo prius, ex quo consequens est, divinæ voluntati conformem se præstare eum, qui Angelos non adorat.)

Lib. ejusd. c. 20. resp. ad 3. locum scribit, *Apostolum Coloss. 2. damnare hæresin Simonis Magi, qui Platonicos secutus docuit, quosdam Angelos adorandos esse quasi minores Deos, qui & mundum fabricarunt, & per Prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum, qui invisibilis est, nisi per hos Angelos.*

(Concedit Bellarminus, *damnari ab Apostolo illam Angelorum venerationem, quæ est Deo propria.* Atqui honor religiosæ invocationis est Deo proprius. Ergo. Concedit etiam Bellarminus, *eos, quos Apostolus ibi damnat, non coluisse Angelos loco Dei summi, sed velut minores quosdam Deos, per quos summus Deus sit placandus.* Atqui idem faciunt Pontificii, quia Angelos & sanctos invocant, ut Mediatores & Intercessores. Ergo ad ipsos quoque Apostolica præmonitio certa ratione pertinet. Hæretici illi, contra quos Apostolus ibi agit, non plane repudiaverunt Christum, alias non amplius fuissent Christiani, sed voluerunt Christo Mediatori alios adjungere Mediatores, sanctos scil. Angelos. Atqui idem faciunt Pontificii. Ergo & hos Apostolus eadem ratione perstringere merito censetur.)

Ibid. § Hieronymus &c. Bellarminus sic disserit: *Concilium Laodicenum Can. 35. non damnat quamlibet venerationem Angelorum, sed eam, quæ Deo propria est.*

(At nec nos damnamus quamlibet venerationem Angelorum, sed eam, quæ Deo unice debetur. Jam vero religiosa veneratio debetur soli Deo. Ergo.)

Concedit ibid. Bellarminus, *hunc Canonem oppositum esse Simonianis, qui dicebant: Deum apprehendi non posse, sed per Angelos esse placandum.*

(Jam vero Pontificii itidem docent, ad Deum & Christum per Angelos & Sanctos, ut Mediatores & Intercessores, nobis parandum esse aditum. Ex eadem Synodo Laodicena constat, & repetitur à Theodoreto in Comm. Col. 2. *Simonianos aras & oratoria in honorem Angelorum exstruxisse.* At Pontificii itidem in honorem Angelorum & sanctorum aras ac templa extruunt.)

11. Quod quidam agnoscunt, invocationem sanctorum nullum habere in Scripturis sacris Dei mandatum,

(Ex quo iterum sequitur, eos non esse adorandos, quia cultus mandato divino destitutus est ἐθελοθρησκεία divinitus prohibita. Quo pertinent omnia, quæ pro astruenda Scripturæ sacræ in fidei & cultus doctrina perfectione adduximus Lib. 1. part. 1. cap. 1.)

Deputati Pontificiorum in Comitiis Augustanis fatebantur, *de invocatione sanctorum nullum in sacris literis exstare præceptum.* Chytræus in Hist. Aug. Confess. p. 254.

Concilium Trid. sess. 25. c. 2. pro astruenda sanctorum invocatione non provocat ad Scripturam, sed *ad Catholicæ atq; Apostolicæ Ecclesiæ usum à primævis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorum Patrum consensionem & Conciliorum decreta.*

Eccius in Enchir. cap. 15. sub. fin. p. 106. *Explicite non est præcepta sanctorum invocatio in sacris literis. Non in V. T. ubi populus alioquin propensus erat in idololatriam, & Patres in limbo erant nondum beati. Esa. 64. Abraham nescivit nos, Israel ignoravit nos. Sub Evangelio etiam non fuit præceptum, ne conversi gentiles crederent, se iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more sanctos, non ut patronos, sed ut Deos adorassent, sicut Laoniæ Paulo & Barnabæ sacrificare volebant. Porro, si Apostoli & Evangelistæ docuissent sanctos venerandos, arrogantiæ fuisset eis datum, ac si post mortem gloriam illam quæsivissent. Noluit ergo Spiritus Sanctus expressis Scripturis docere venerationem sanctorum, sed eiusmodi firmatos in fide docuit per miracula & sanctorum auxilia, fusis ad eos precibus, illos esse venerandos.*

(Obser-

(Observandum vero, quod quamvis Eccius addat particulam, *explicite*, tamen stantibus rationibus ab ipso adductis sequi, quod nec implicite sanctorum invocatio in sacris literis contineatur, unde Andreas Fricius lib. 4. de Republ. emend. c.13. de hoc discursu Eccii sic disserit: *Si vere Eccius dicit, non esse praeceptam in sacris literis invocationem sanctorum, nec veteri, nec novo populo, an non inde consequens est, non esse illam ipsam invocationem necessariam, quae praecepta non sit? Certe quae audivit Filius Dei a Patre suo ea dicit, se omnia nobis annunciasse. Quae igitur non annunciavit, ea nec a Patre audivit. Qua igitur lege imponetur populo Dei necessitas ejus rei, quae nec a Patre coelesti audita est, nec a Filio suo annunciata, nec ulla coelesti pollicitatione ornata? Haec enim consequentia sunt eorum, quae sumta sunt ab Eccio, ut illis concessis, & haec concedi sit necesse. Vetant passim divina oracula, nos haesitare in precibus. Eadem requirunt a nobis in iisdem fidei constantiam. At fides est ex verbo Dei. Porro, verbo Dei jubemur Deum invocare in Christi nomine, quo intercessore nobis accessus pateat ad Patrem, quo advocato adire possimus ad thronum gratiae. Haec clara sunt, haec verbis & exemplis Apostolorum & Prophetarum contestata. De Divis autem aliis quid simile?*)

Censura Coloniens. Dialog. 6. pag. 230. *Quid igitur, Monhemi, D. Hieronymus cum aliis Doctoribus docet aliud, quam ea, quae longa consuetudine per traditionem* (quale est sanctorum invocatio) *in Ecclesiis observata sunt, similiter cum iis, quae scripta sunt sine tergiversatione amplectenda esse?*

Melchior Canus lib. 3. Locor. Theol. cap. 96. *Auxilium Martyrum esse implorandum, ex traditione habemus.*

Canisius in Catech. fol. 230. *Sanctorum invocationem non constare ex Scripturis*, fatetur.

Georg. Gotthardus Canon. Patav. in Apolog. adv. Heerbr. p. 49. *Haec etiam veritas* (de invocatione sanctorum) *et si in sacris literis, ut pleraq; sacra nostrae fidei dogmata expressis verbis non contineatur, manifeste tamen inde colligitur.* (Mediante scil. traditione, ut patebit ex his, quae ex Salmerone adducentur.)

Salmero Disp. 7. in 1. Timoth. 2. tom. 15. pag. 459. *Cum ante Christi adventum introitus non pateret in coelum, omnes pii & fideles in limbo detinebantur, nec erant perfecti in sanctitate, nec beati, ideo pauca hujus veritatis invenimus testimonia*, (imo vero nulla, si rationi illi, quod Patres in limbo fuerint, veritas inest.) *Evangelia quoq; vitam & passionem Christi describunt, ejusq; dicta & gesta. Et quia eo tempore nondum erant beati, nihil de hac re habetur expressum sicut nec invenitur in Epistolis Pauli, vel Canonicis, vel Catholicis Apostolorum, quae ob alias speciales materias fuerunt conscriptae, in reliquis vero mittunt nos ad traditionem in qua est thesaurus totius doctrinae N.T. In Apocalypsi vero, ubi erat locus scribendi futuros successus Ecclesiae per modum Prophetiae, & praesertim status gloriae jam inchoatus, expresse habetur.*

Disp. 8. pag. 473. *Ad aliud vero, quod non in Novo Testam. expressum, dicendum est, quod abunde id expressum fuit, si non scripto, saltem traditione vivae vocis & consuetudine, quae vim legis habet, &c. Et durum esset id Judaeis praecipere, & occasio daretur gentibus putandi sibi exhibitos multos Deos pro multitudine Deorum, quos relinquebant, & hoc quantum ad Scripturas. Nam quantum ad verbo & ore traditam doctrinam, non est dubium, quin Ecclesiis Apostoli eam tradiderint.*

(Si haec Salmeronis ratio est vera, nec expresse, nec implicite; nec in Evangelistis, nec in Epistolis, nec in Apocalypsi sanctorum invocatio continetur.)

Georgius Cassander in Consult. art. 21. pag. 964. *Dicunt* (Protestantes in Apolog. Aug. Confess.) *ab invocatione sanctorum se deterreri, quod nullum habeat exemplum, nec mandatum in divinis literis &c. Ad quod ita breviter respondendum putamus, ut nullum mandatum, neque exemplum extet, quo id fieri jubeatur: ita nullum interdictum legitur, quo id fieri prohibeatur.*

Johannes Faber in tract. Vom rechten Weg lit. B. ij. fatetur, *esse Patrum traditionem, non Dei Patris in Scripturis institutionem, quod sanctos invocamus.*

In Comitiis Augustanis, cum in Colloquio Delectorum Eccius pro confirmatione doctrinae de invocatione sanctorū dictum Genes. 48. de nepotibus Jacob allegaret, *Invocetur super pueros istos, Ephraim & Manasse, nomen meum*; ac Philippus illud explicaret de adoptione, qua Jacob pronunciet nepotes suos fore heredes promissae terrae Canaan &c. Brentius interjecit haec verba, *nullum in tota Scriptura extare testimonium de invocatione sanctorum*; ibi Cochlaeus dixit: *in V. T. ideo nondum fuisse in usu invocationem sanctorum, quod sancti adhuc in limbo Patrum requievissent.* Audiens hoc Johannes Fridericus Electoris Saxoniae filius, conversus ad Eccium inquit: *En habes solutionem ad dictum ex Genesi a te citatum. Profer plura, tu ais, ille negat.* Ita uterque Eccius & Cochlaeus risui fuit expositus.

Suarez in part. 3. Thomae tom. 2. Disp. 4. 2. sect. 1. dub. 3. concedit, *tempore V. T. non potuisse regulariter preces ad sanctos fundi, & directe, quia cum non viderent Deum, non poterant orationes hominum supplicantium agnoscere: postulare autem, ut Deus eas manifestaret illis, fuisset petere singulare privilegium, & quasi miraculum praeterordinarium. Ideo*, ait, *legi quidem in V. T. quod Angeli & homines vivi a fidelibus invocati sint*, ubi vero hoc legitur?) *quod autem aliquis directe oraverit sanctos defunctos, ut se adjuvarent, vel pro se orarent, nusquam legi.*

Bened. Pererius Disp. 31. in cap. 14. Joh. p. 414. invocationem sanctorum numerat *inter illa dogmata, quae Apostoli extra Scripturam Ecclesiae tradiderunt, & de quibus in sacris literis expresse nihil traditum.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 8. §. ultimo. *Sancti coeperunt in Ecclesia coli non tam lege aliqua, quam consuetudine.*

Petrus Cottonus lib. 1. Instit. Cathol. cap. 16. p. 91. ad argum. *quod nullum sit in divinis oraculis edictum, quo a beatis coelitibus opem & praesidium exposcere jubeamur*, respondet hoc modo: *Nullum quidem praeceptum Ecclesiae voce atq; imperio fuit hactenus significatum, nisi quatenus eidem obsecundare omnes debemus & praecipienti parere, quod qui recusant, Ethnicis & publicanis sociantur.*

Ergo habet invocationem sanctorum pro praecepto Ecclesiae extra Scripturam.

Adamus Tannerus in Compend. relat. Colloquii part. 2. c. 6. p. 37. *Fateantur quaeso, si lubet, multa fide infallibili & divina credenda esse, quae in Scriptura sola non contineantur, nec ex ea sola evidenter deducantur, & tum nihil cum illis amplius magnopere contendemus. Fateantur, inquam, invocationem sanctorum &c.*

(Scopus Tanneri est, demonstrare traditionum necessitatem. Proinde verba ejus non possunt, nec debent accipi *in sensu diviso*, quod tū *ex Scriptura*, tum *ex traditionibus* invocatio sanctorū probari possit, sed accipienda sunt *in sensu conjuncto*, quod ex Scriptura & traditionibus, non autem ex Scriptura, seclusis traditionibus, eadem probari possit.)

12. Quod quidam agnoscunt, invocationem sanctorum non fuisse in V. T. vel mandatam, vel usitatam.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, quia vera & Deo grata invocatio est Ecclesiae tam Veteris, quam Novi Testamenti communis. Ut *una* est *Ecclesia, unus Dominus, una fides*, ita quoque *una invocatio* Eph. 4. v. 2. Atque, ut in V. Test. Deus testatur, *se gloriam suam nolle alteri dare* Esai. 42. v. 8. ita quoq; in N. T. eodem zelo est affectus.

Eccius in Enchir. cap. 15. *In V. Testamento non fuit praecepta sanctorum invocatio, quia populus Judaicus alioqui erat propensus ad idololatriam, & quia Patres erant in limbo nondum beati.*

Salmero Disp. 8. in 1. Tim. 2. tom. 15. pag. 473. *Dicendum est, ideo non fuisse morem in Veteri Testamento adeundi sanctos intercessores, quia nondum erant beati & glorificati, ut modo sunt &c. Erat etiam periculum idololatriae.*

Bellarminus lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 19. §. 2. *Ante Christi adventum, sancti, qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuit consuetum in V. Test. ut diceretur: Sancte Abraham, ora pro me, sed solum orabant homines ejus temporis Deum, & allegabant merita sanctorū, qui jā obierant, ut illis eorū orationes adjuvarentur.*

lib. ejusd. cap. 20. §. Atque ex his &c. *Si indigerent sancti nova revelatione, non posset reddi ratio tam facile, cur sancti nunc invocentur, & ante adventum Christi non invocarentur.*

Suarez in part. 3. Thom. q. 52. Disput. 42. sect. 1. p. 524. *In V. Testamento, quod aliquis directe invocaverit sanctos defunctos, ut pro se orarent, nunquam legimus.*

Becanus in Append. Disput. de Purgator. Calvinist. pag. 65. *In V. T. nunquam legimus, quod aliquis viventium directe invocaverit sanctos in limbo existentes, quia ordinarie nihil cognoverant ex peculiari Dei revelatione.*

Gregor. de Valent. in Apolog. contra Disputationem D. Herbrandi de multipl. Papatus idolomania f. 39. concedit, *sanctos defunctos in V. T. nō fuisse invocatos, utpote in limbo adhuc existētes.*

13. Quòd quidam agnoscunt, invocationem sanctorum destitui probatis exemplis.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, quia ut pii habent *eundem Spiritum fidei* 2. Cor. 4 v. 13, ita

ita quoque habent eundem Spiritum precum, quia Spiritus fidei est etiam *Spiritus precum* Zach.12.v.10. unde *in uno Spiritu Deum invocare* dicuntur Eph.2.v.18.

Petermannus Eterlin autor vetustissimi Chronici Helvetici circa Annum 1507. *Inter memorabilia multa alia, quædam Scriptura in Chronicis illis Helvetiorum antiquis habetur manu annotata dicens: Mirũ esse, non quemquam beatorum sanctorum per vitam suã invocasse aliũ aliquem sanctum, præter unum Deum suum Creatorem & Servatorem, & tamen nos ejus vecordiæ & pertinaciæ esse improbos, ut Deum nostrum derelinquentes eos Divos subinde imploremus.*

Georgius Cassander in Consult. art.21. pag.964. *Ut nullum mandatum neq; exemplum extat, quo id fieri jubeatur (ut sanctos invocemus,) ita nullum interdictum legitur, quo id fieri prohibeatur.*

Salmero Disp.8. in 1.Tim.2. p.472. ad argumentum nostrum, *quod invocatio destituatur probatis exemplis*, excipit, *etiam Abelem non habuisse ullum exemplum sacrificandi agnos & adipes eorum, qui tamen sacrificando fide placuit Deo, ut docet Apostolus.*

(Concedit ergo, invocationem sanctorum destitui probatis exemplis.

14. Quod quidam agnoscunt, invocationem sanctorum destitui unanimi primitivæ Ecclesiæ, temporibus Apostolorum vicinæ, suffragio.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, cum alias Pontificii *ex perpetuo Ecclesiæ consensu* dogmata sua probare annitantur.)

Durandus Meldensis Episcopus (quem Bellarm. Lib. de script. Eccles. Anno 1320. vocat *insignem Theologum*) in Ration. div. officior. Lib.4. cap.38. fatetur, *quod Ecclesia post tempus B. Sylvestri sanctorum Confessorum memoriam venerari cœperit, atque hanc rationem esse ait, cur de plerisque Confessoribus in Canone Missæ non fiat mentio, utpote, qui ante Sylvestri tempora fuerit compositus. Veneratio autem postea demum cœperit.* (Vixit autem Sylvester tertio post Christum natum seculo.)

Jacobus Faber Stapulensis præfat. in Evang. *Utinam credendi forma à primitiva peteretur Ecclesia, quæ tot Martyres Christo consecravit, quæ nullum scopum præter Christum habuit, quæ nulli cultum, præterquam uni trinoque Deo, impendit.*

Eccius in Enchirid. cap.15. *Non hoc licuit in primordio Ecclesiæ in N. Testamento, ne gentiles recens conversi se iterum ad idololatriam induci paterentur.*

Erasmus Roterodamus in Colloq. *Quin & hi, qui sacras literas interpretantur è suggestu, quas nemo sine Spiritus afflatu vel intelligere recte, vel docere potest utiliter, malunt invocare Virginis matris auxilium, quam ipsum Christum, aut Christi Spiritum. Et in hæreseos suspicionem vocatur, qui mutire audet adversus hanc consuetudinem, quam vocant, laudabilem. Atqui laudabilior erat veterum consuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, qui Spiritum Christi identidem invocant, Virginis auxilium nusquam implorant.*

Wilhelmus Lindanus in Tabulis analyt. p. 225. in prima acie collocat *Cyprianum.*

(At is tertio post natum Christum seculo vixit, ac Bellarminus eum prætermittit, tacite agnoscens, in genuinis ejus scriptis nullum invocationis sanctorum extare vestigium.)

Martin. Peresius part.3. de Traditionib. consid.7. itidem agnoscit, *ante Cypriani ætatem nullum extare hujus traditionis vestigium. A tempore Cornelii*, dicit, *intercessiones sanctorum scriptis fuisse commendatas, & à tempore Basilii invocationes*; addit etiam causam, *quod hoc factum sit modestia & humilitate Apostolica, ne de se magna præsumerent, & quasi Deos facerent, quodque essent toti intenti prædicationi & divulgationi Evangelii & aliarum rerum, quæ magis ad substantiam salutis attinebant.*

Perronius Cardinalis Lib. 5. Replique contra Jacobum Angliæ Regem cap.19. pag.109. fatetur, *quod Patres, qui primis trecentis post Christum natũ annis vixerunt & scripserunt, tantũ intercessionis, nõ autem invocationis sanctorum mentionem faciant, nec in scriptis illorum consuetudinem invocandi sanctos inveniri posse.*

Censura Coloniens. p.209. fatetur, *cultum hunc in Ecclesia non esse antiquiorem mille ducentis annis.*

(Agnoscit ergo, tres annorum Centurias à nato Christo effluxisse, antequam cultus sanctorũ in Ecclesia innotesceret.)

15. Quod quidam agnoscunt, invocationem sanctorum ad superstitionem & imitationem gentilium accedere.

(Ex quo iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, quia vera & Deo grata invocatio debet carere omni superstitione & Ethnica imitatione, cum per invocationem Ecclesia Christiana à cœtibus gentilium distinguatur.)

Superstitiosam esse sanctorum invocationem ex hypothesibus Pontificiis probamus hoc modo:

Thomas 2.2.q.82. art.1. definit superstitionem, *quod sit vitium religioni contrarium, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.*

(Jam vero invocatio sanctorum exhibet cultum divinum illis, quibus is non debetur, ac Deum colit eo modo, quem ipse non præscripsit. Ergo est superstitiosa.)

Bonaventura Lib.4. sent. dist.13. in explic. textus, superstitionem definit, *quod sit sententia contra fidem ratione adinventionis, quodque dicatur superstitio quasi superflua institutio.*

(At religiosa sanctorum invocatio non est ex fide, sed humano arbitrio inventa, & superfluè, quia præter verbum, instituta. Utique ergo est superstitio.)

Johan. Gerson Cancell. Paris. part.3. de direct. cordis, consid.16. *varias superstitiones in cultu sanctorum suo tempore receptas* enumerat ac taxat. (Verba adducta sunt superius membro 1.)

Georgius Cassander in Consult. art.21. inter errores numerat, *quod nonnulli certos sibi Divos pro patronis eligunt, quod Virgini matri Filium subjiciant &c.* (Verba eadem adducta sunt superius membro 1.)

Erasmus in Ecclesiaste p.302. *Mirum, unde mos inoleverit, quo nunc plerique perorato exordio salutant Beatissimam Christi matrem, idque majore religione, quam invocant Christum aut illius Spiritum, appellantes eam omnis gratiæ fontem.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiquis. *Recentiores istæ cantiones sileant in Ecclesia, quæ sæpe plus Divis, quam Deo ipsi tribuunt, aut certe Divos Deo æquiparant, hoc est, creaturam creatori similem faciunt, idololatriæ speciem quandam post se trahentes.*

Polyd. Vergilius Lib.6. de Rer. invent. c.13. *Quia Sacerdotes populum non docent, & vulgo ex suo usu facere putantur, idcirco eò insaniæ deventum est, ut hæc pars pietatis parum differat ab impietate.*

Ludovicus Vives in Comm. Lib.8. August. de Civ. Dei c. 27. *Multi Christiani in re bona plerunque peccant, quod Divos Divasque non aliter venerantur, quam Deum.*

Bodinus in Meth. Histor. cap.5. p.100. *Antonius à plerisque in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe majore metu colitur, quam Deus immortalis.*

(At hæc omnia superstitiosa esse, negari nulla veritatis specie potest.)

Ad imitationem Ethnicam accedere sanctorum invocationem probamus, tum ex Pontificiorum confessione, tum ex ipsa cultus collatione.

Augustinus Lib.1. contra Maximin. Arian. cap.11. graviter scribit, esse Ethnicam idololatriam, si Sanctis templa extruantur. *Si templum*, inquit, *alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni debetur Deo*, quod Paulus Rom.1.v.25. gentilibus tribuit.)

Ad hunc Augustini locum Erasmus in margine sic annotat: *Hoc nunc fit quibuslibet Divis.*

Cornel. Agrippa Lib. de vanit. scient. *Gentilium more Sanctis ipsis officia distribuunt, & hunc cum Neptuno aquarum periculis subvenire, illum cum Iove fulmen incutere, aut cum Vulcano ignem; alium messes curare cum Cerere, alium præesse vitibus cum Baccho. Et habent mulierculæ suas Divas, à quibus seu à Lucina aut Venere petant, & quæ cum Iunone iratos placant vel vindicant maritos. Nullum morbi genus est, quod inter Divos non habeat suum Medicum.*

Ludovicus Vives in comm. Lib.8. de Civ. Dei cap.27. *Non video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, & id, quod gentiles statuebant de Diis suis.*

Vulgatus est in Papatu versiculus Johannis Baptistæ Mantuani. *Ut Martem Latii, sic nos te Dive Georgi.*

Salmeron in comm. 1. Timoth.2. disp.7. p.464. scribit, *gentiles in eo non peccasse, quod diversos beneficiorum autores colerent & invocarent, sed quod honorem non meritum exhibebant illis, qui non erant Dii nec Natura nec participatione.*

(Ex parte igitur invocationem sanctorum cum invocatione gentilium cognationem habere agnoscit.)

Baronius Anno 60. n.16. existimat, *quoties Deus in Prophetis reprehendit gentilem & idololatricum cultum militiæ cœli, notari cultum Ethnicum Angelorum.*

(Ethnici vero colebant Angelos *ut minores Deos seu Divos & Mediatores*, per quos Deus placaretur, qua de re sic scribit Bellarminus Lib. 1. de beatitud. Sanctorum cap. 10. §. Ad tertium

tertium locum. *Ad tertium locum, qui est ex Epistola Coloss. dico, ibi Apostolum damnare hæresin Simonis Magi, qui Platonicos secutus docuit quosdam Angelos adorandos quasi minores Deos, qui & mundum fabricarunt & per Prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum, qui invisibilis est, nisi per hos Angelos.* Ergo si vel maxime *ratione prioris membri* est discrimen in cultu Angelorum Ethnico & Papali, tamen *ratione membri posterioris* est exacta convenientia.)

Idem Baronius Ann. 44. n. 87. verbis Theodoreti confitetur, *Sanctorum cultum religiosum successisse cultui Divorū apud Ethnicos recepto. Suos*, inquit, *mortuos Dominus noster in templa pro Diis vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria vanosq; reddidit, suis autem Martyribus honorem illum dedit. Pro Pandiis & Diasiis & Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberiq; patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliisq; sanctis Martyribus solennitates populari epulo peraguntur. Ea quippe licentia, qua Deorum delubra in Ecclesias Christianorum sunt laudabiliter commutata, alii quoque ritus gentilium à nobis benedictionibus expiati, divino cultui sunt consecrati.*

Atque hæc est vera ratio, quod Ethnici cultum sanctorum in Ecclesia Christiana invalescentem Deorum suorum cultui gemellum intellexerunt, qua de re Baronius sic disserit anno 389. n. 82. *Illud magna consideratione dignum tanto honore prosequi solitos antiquos Christianos cultum sanctorum Martyrum, ut gentiles existimaverint, eosdem ab illis haberi Deos, cum tamen religio Christiana non nisi unū Deum consueverit adorare. Vides, quæ lateant sub stercore gemmæ & quas nobis referent gentilium blasphemiæ veritates!*

Idipsum manifestius probat collatio cultus divini, qui sanctis in Papatu exhibetur cum gentilium idololatria.

Primo, *ratione objecti.* Sicut Ethnici viros celebres & benemeritos referebant in numerum Divorum; ita Pontificii per suam canonizationem referunt defunctos in catalogum Sanctorum ab omnibus invocandorum.

Sicut Ethnici præter unum summum Deum plurimos colebant Mediatores, per quos ad illum sibi parabant accessum: ita Pontificii per Angelos & sanctos defunctos tanquam Mediatores intercessionis ad Deum in precibus sibi accedendum esse statuunt, unde eos, ut Dei amicos & proximos, invocant, ut preces & vota sua ad Deum & Christum per intercessionem deferant.

Sicut Ethnici diversas provincias diversis assignabant patronis à diversis Diastris diversa petebant beneficia, contra diversos morbos diversis supplicabant Diis, diversis vitæ statibus diversos præficiebant opitulatores:

(August. lib. 4. de Civ. Dei c. 22. *Dicebat Varro, ita utilem esse cognitionem Deorum, si sciatur, quam quisq; Deus vim aut potestatem habeat cujusq; rei. Ex eo enim poterimus scire, quem cujusq; rei causa Deum advocare, atq; invocare debeamus, ne faciamus, ut Mimi solent, & à Libero aquam optemus, à Lymphis vinum.*)

Ita Pontificii alios sanctos aliis præficiunt nationibus ac provinciis; alios aliis urbibus; alios aliis templis & sacellis; alios aliis vitæ generibus; alios aliis morbis curandis; alios aliis beneficiis conferendis; alios aliis avertendis.

Sicut Ethnici suos Divos Divasque à diversis locis, in quib. colebantur, & à diversis beneficiis, quæ ab ipsis petebant, diversis appellationibus denominabant: ita quoque Pontificiis B. Virgo alias est Maria miraculosa, alias Maria populi, alias Maria Lauretana, alias Maria Oetingensis.

Ribera in comm. Oseæ. 2. n. 66. *Baal à locis diversis, ubi templis erectis colebatur, diversa nomina habebat: Sicut apud Christianos (si modo in vanis licet exemplis uti religiosis) Beatissima Virgo nunc Lauretana invocatur, nunc à Monte serato; nunc ab Amne lupi, aut à Rupe Gallica cognomen accipit. Ut Behelphegor Num. 25. dicitur, quod coleretur in monte Phegor, cujus meminit Scriptura Num. 23. & ac Accaronitis Beelzebub vocatur 4. Reg. 1. an muscis, quæ ad multitudinem Sacrificiorum ad volabant.*

Secundo, *ratione modi*, quem in cultu adhibent.

Ethnici Deastros suos colebant per battologias Matth. 6. v. 7. & 8. Idem faciunt Pontificii per sua *Rosaria.*

Ethnici Divis suis extruebant altaria & templa, instituebant illis festa, nuncupabant vota, dedicabant imagines, accendebant lampades, perficiebant Flamines, honorabant suffitu & odoramentis. Idem in honorem Sanctorum à Pontificiis fieri, praxis testatur.

Gentiles *tabulas votivas* in templis in honorem Divorum suspendebant. Idem fit in Papatu.

Polydorus Virgilius lib. 5. de rer. Invent. c. 1. p. 384. *Quod tabellas in templis affigimus, quib. miracula inscripta sunt, ut ea ad posteros testatiora sint, hoc ex Græcis est, apud quos teste Strabone lib. Geogr. 8. mos fuit in tēplo ejus Dei, qui auxiliatus esset, & præsertim Æsculapii, quod Epidauri insigne erat, tabellas appendere, in quibus morbi sanati erant inscripti.*

Fatetur ipse Bellarminus lib. 1. de beat sanct. c. 20, resp. ad 5. Quod enim &c. templa Deorum gentilium conversa fuisse in templa Martyrum. *Quod templa*, inquit, *idolorum olim conversa sint in basilicas Martyrum & aliorum sanctorum, certum est ex Theodoreto lib. 8. de Martyrib. Et adhuc Romæ videtur templum omnium Deorum conversum in templum omnium Sanctorum, & templum Castoris & Pollucis in templum Cosmæ & Damiani. Et Gregorius lib. 2. Dialog. c. 8. scribit à S. Benedicto conversum fuisse fanum Apollinis in oratorium Sancti Martini:* (inde progressu temporis factum, ut honores, quos olim gentiles Diis suis detulerunt, etiam Martyrib. & Sanctis in Ecclesia oblati fuerint, quod ut præcaveretur, templa & festa Deorum gentilium non debebant converti in templa & festa Martyrum, sed hic honor soli Deo relinquendus erat, quod agnoscere quodammodo videtur ipse Bellarminus lib. ejusd. cap. 12. §. Tertia species &c. sic scribens: *Omnes fere actus exteriores communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio, & quæ ad illud referuntur, templis, altaribus & Sacerdotibus. Voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi.*)

16. Quod quidam agnoscunt, coli pro sanctis eos, de quibus certum non est, an unquam in rerum Natura extiterint, vel si extiterunt, an verè sancti fuerint, ac Legendas sanctorum esse multis fabulis contaminatas; (ex eo enim iterum sequitur, sanctos non esse religiose invocandos, quia vera & Deo grata invocatio debet esse certa de eo, quem invocat ac invocare etiam debet Joh. 4. vers. 22. Jac. 1. vers. 6. unde *Christum violare* dicitur, qui *Sanctum non Sanctum*, vel *non Sanctum Sanctum esse crediderit.*

c. Si quis. caus. 11. q. 3. ex Hieronymo. *Si quis hominem, qui Sanctus non est, Sanctum esse crediderit, & Dei eum junxerit societati, Christum violat; cujus corporis omnes membra sumus.*)

c. Audivimus ext. de reliq. & sanctor. venerat. Alexander III. reprehendit quosdam, qui *hominem in ebrietate occisum pro Martyre venerabantur.*

Henricus de Hassia circa Annum 1371. *Sanctorum Legendas* in lecturis super Genesin prolixe insectatur & affirmat, *multa ibi pueriliter & inepte, multa etiam fabulose & falso scripta esse.*

Johannes Franciscus Picus Comes Mirandulanus in Orat. ad Leonem X. in Conc. Lateranensi habita, admonet, *veras Historias ab Apocryphis nugis segregandas esse* (eo ipso innuens, sanctorum Historias esse nugis Apocryphis contaminatas.)

Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 971. *Est & error haud infrequens, quod veterib. & compertis Sanctis propemodum neglectis novos & incognitos vulgus hominum ardentius & impensius colat, de quorum sanctitate obscurius constat, & nonnulli per revelationes tantum innotuerunt, atq; adeo de quibusdam, an unquam in rerum Natura fuerint, merito dubitatur, quorum cultum figmenta Historiarum & imposturæ miraculorum mirifice auxerunt, quæ figmenta etiam compertorum sanctorum Historias conspurcarunt, quos quisq; pro suo affectu commentus est.*

Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. c. 7. §. Quinto &c. *Scribit Sulpitius, quod cum populus quidam coleret nescio quem hominem mortuum pro Martyre & B. Martino suspecta esset illa religio, quod nihil certi à majoribus de Sancto illo accepisset, tandem oranti Martino apparuit anima ejus, qui ibi colebantur, & confessa est, se esse animam damnatam cujusdam latronis, qui pro suis sceleribus extremi supplicii pœnas luerat. Idem accidit tempore Alexandri III. ut patet ex c. Audivimus ext de reliquiis & sanctorum veneratione, ubi reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum pro Martyre venerabantur.*

(Existimat quidem Bellarminus, *huic incommodo & periculo obviam iri posse per canonizationem Pontificis.* Sed ea cum nitatur aliorum relatione, cumq; Pontifex non possit arcana cordium introspicere, non potest pro certo & infallibili sanctitatis testimonio haberi.) Inde

Vasquez lib. 1. de adorat. disp. 5. c. 3. n. 166. sic scribit: *Aliqui Catholici probant, non esse certum secundum fidem, Sanctos, quos colimus, esse colendos, quia non est ex fide, eos esse Sanctos.* (Sic ergo Sanctos sine fide, imo contra fidem colunt.

Con-

Confer quæ diximus lib.1.p.2.cap.15.& in cap.præced.n.7. ubi ex ipsorum Pontificiorum confessione ostendimus, quasdam *Sanctorum Historias* esse fictitias & figmentis hominum contaminatas.)

(At si Apocryphæ & incertæ sunt quorundam, qui pro Sanctis habentur & coluntur, Historiæ, utique Sanctorum invocatio lubrico & incerto nititur fundamento.

Excipit Bellarminus lib.1.de sanct.beat.c.20.*sanctorum quidem quorundam Historias Apocryphas esse & incertas, non tamen propter sanctos ipsos nunquam fuisse, cum plerique Apostoli inter sanctos numerentur, & tamen eorum Historiæ sint incertæ.*

Atqui distinguendum inter aliquas Historiæ partes incertas, & inter Historiam totam atq; integram Apocrypham.)

17.Quod agnoscunt, invocationem Angelorum (cui gemella est invocatio sanctorum) ab Ethnicis originem duxisse.

c.Quidam.a.39.caus.24.q.3.*Angelici vocati, quia Angelos colūt.*

Baronius Anno 60.n.15.& seq.inquirens *in religionem Angelorum* à Paulo Col.2.v.18.reprehensam, dicit, *Judæos quosdam conversos coluisse astra, quæ putabant esse Angelos.*

n.17.ex Theodoreto refert, *exortam hæresin, quæ diceret, Deum universorum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.*

(Quod hæretici illi *de Angelis*, idem Romanæ Ecclesiæ propugnatores asserunt *de sanctis.*)

n.20.dicit: *Theodoretum perstringere hæreticos, qui Angelos colendos esse jactarent.*

Item, *Concilium Laodicenum perstringere hæreticos, qui Angelos colendos esse docerent, quiq; in regione Asiæ oratoria erexissent sancto Michaeli Archangelo.*

Hinc v.petiisse Pontificios cultum religiosum Angelorum, haud obscure testatur ibidem, quando Theodoretum hæreticos Angelorum cultores perstringentem hisce notat: *Sic ergo errore semel lapsus, in alium graviorem impegit, ut diceret, canonem trigesimum quintum Concilii Laodiceni de his hæreticis esse intelligendum, qui Angelos colendos esse docerent, quique in eadem regione Asiæ oratoria erexissent sancto Michaeli Arch-Angelo, incaute nimis, quæ à Catholicis essent antiquitus instituta, hæreticis, quorum nulla esset memoria, tribuens.*

n.21. *Cæterum Angelos venerari, non hæreticorum, sed Catholicæ Ecclesiæ mos fuit, quæ præsertim in honorem S. Michaelis Arch-Angeli, quem patronum novit & protectorem ob insigna ejus ope accepta beneficia, memorias erigere, illumque precari, sic & cæteros, ut apud Deum intercederent, consuevit.*

18.Quod in hoc dogmate de invocatione sanctorum sibi invicem variis modis contradicant.

Primo, pro astruendo hoc dogmate multa ex Scripturis sacris afferunt testimonia, ut paulo post apparebit, & tamen quidam fatentur, *invocationem sanctorum nullum habere in Scripturis mandatum,* ut vidimus superius membr. 11.

Secundo, pro astruenda sanctorum invocatione afferunt non solum ex N.sed etiam ex V.T.quædam dicta, ut apparebit ex sequentibus.

Salmeron disp.7.in 1.Tim.2.ex verbis Matth.27.v.47. *Heliam vocat iste,* colligit, *fuisse tum temporis consuetum afflictis hominibus ad sanctos confugere, at Judæos hoc dixisse, qui id ex lege noverant & intellexerunt postulasse auxilium ab Helia.*

Quidam tamen fatentur, *invocationem sanctorum non fuisse in V.T.mandatam vel usitatam,* ut vidimus superius membro. 12.

Tertio, in oppido Pertho Scotiæ Frater Spense affirmavit in sermone suo, *quod precationes ad Sanctos factæ adeo essent necessariæ, quod absq; illis nulla esset spes salvationis hominis.* Ex Registro Scotiæ Foxus p.1267.

Salmeron.tom.15.p.466. *Non tantum concessum est, ut oremus sanctos, sed etiam ad id faciendum nos lege aliquando tenemur. Sacerdotes, qui ad divinum officium persolvendum arctantur, sæpe sanctos invocare coguntur, Laici v. tenentur assistere officiis Sacerdotum &c. Cogimur dies festos sanctorum cum Ecclesia celebrare. Ergo & sanctos invocare cum Ecclesia eos invocante.*

Johannes à Daventria art.21.in Aug. Conf. *Nos dicimus, quod necessario invocamus sanctos, ut nostras apud Deum necessitates sublevent.*

Sed contra quidam fatentur, *invocationem sanctorum non esse simpliciter necessariam,* ut vidimus superius membro 2.

Quarto, Bellarminus lib.2.de Missa c.8.propos.2.§. Secundo probatur &c.sic scribit: *Bonum est à Deo petere, tum ut sanctos pro nobis orare faciat, tum ut illos pro nobis orantes exaudiat, quæ duo in Missa petuntur.*

Item §. Ad aliam partem &c. *Possumus à Sanctis petere, ut pro nobis orent, & à Deo petere, ut illos ad orandum impellat, & orantes exaudiat.*

(At hac ratione Deus ipse constituitur Mediator inter nos & sanctos, cum tamen invocatio sanctorum ideo sit excogitata, ut sancti sint Mediatores inter Deum & nos homines. Præterea si possumus orare Deum, ut sanctos ad orandum pro nobis impellat, utique ipsimet ad Deum accessum habemus absque sanctorum Mediatione.

Quinto, invocatio sanctorum præsupponit, quod sancti etiam occultos cordis nostri gemitus, quib. preces quandoque peraguntur, cognoscunt. At qua ratione illos cognoscant, de eo sententiis plurimum variant, ut vidimus superius membro.5.

Inde Bellarminus lib.1.de beat.sanct.cap.20.sic scribit: *Etsi dubitatio esse possit, quemadmodum sancti cognoscant absentia & quæ solo cordis affectu interdum proferuntur, tamen certum est, eos cognoscere.*

Sexto, Bellarminus d.l.resp.ad 3.sic scribit: *Sancti possunt ad nos venire, quando volunt, non tamen sciunt omnia nostra.*

Contra Gregor. lib.12. moral. c.13. *Quod intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris sit aliquid, quod ignorent.*

Bellarmin. ipse hunc modum cognitionis vocat *probabilem.*

Septimo, Georg.Cassander in consult. art.21.p.964. *Sancti non sunt à nobis absentes, quia sequuntur Agnum quocunque ierit.*

Contra Bellarminus lib.1.de beat.sanctor. ca.20.resp.ad 3. *Sancti possunt ad nos venire quando volunt, tamen non propterea assidue intersunt rebus nostris more humano.*

Octavo, Bellarminus ibid.resp.ad 6.arg. sic scribit: *Sancti non sunt absentes quoad exauditionem, licet loco absentes videantur.*

(Atqui si sancti sunt præsentes *quoad auditionem*, utique etiam sunt præsentes *quoad locum*, in quo preces funduntur. Et vice versa, si non sunt præsentes *quoad locum*, utique etiam non sunt præsentes *quoad exauditionem.*

Nono, Bellarminus lib.1.de beat.sanct.c.17. *Non licet à Sanctis petere, ut tanquam autores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaq; ad beatitudinem media concedant.*

Alphonsus de Castro, lib.13.adv.hæreses, verbo Sancti. *Ecclesia à Spiritu Sancto edocta in Litaniis seu rogationibus, quas celebrat, alio modo orat Deum, & alio modo orat sanctos. Nam Deum orans, sic ait: Pater de cœlis Deus miserere nobis, Fili redemter mundi Deus, miserere nobis. Cum autem aliquem sanctorum orat, non dicit illi, miserere nobis, sed ait: Ora pro nobis. Itaq; Ecclesia orans à Deo petit misericordiam, à sanctis autem intercessionem.*

Lorichius Inst. Cath. p.97.b. *Abusus est locutionis, quod aliqui sanctos vocant auxiliatores.*

Contra Concilium Tridentinum sess.9. non solum, *ad intercessionem,* sed etiam *ad opem & auxilium sanctorum* confugiendum esse docet.

Decimo, Bellarminus d.l. *Nihil à sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur, & per Christum gratiam & gloriam consequamur.*

Contra Lombardus 4.sent.dist.45.§.7. *Oramus sanctos, ut eorum merita nobis suffragentur.*

Biel lect.30.in Can.Miss. *Confugimus ad sanctorum auxilia, ut salvemur eorum meritis & votis.*

Undecimo, quidam *in sanctos credendum esse* concedunt, quorum dicta superius in Antithesi sunt adducta; quidam vero in sanctos credendum esse negant, quorum dicta à superius membro 9.sunt adducta.

Duodecimo, Censura Coloniensis f.228 *Nunquam vel fando auditum, sanctos esse adorandos.*

Contra in Psalterio Mariæ dicitur Psal. 21. *Adorent te Mariam familiæ gentium.* Psalm.96. *Adorate eam Cives Curiæ Paradisi.* Lessii dissertatio *de adorandis sanctis.* extat lib. 2. de Justitia & Jure cap.38.

Suarez tom.2.Comment.in Thom.q.37. disp.22. sect.1. *Adoratio, quæ Virgini debetur, eiq; ab Ecclesia tribuitur, cultum religiosum continet.*

Decimò tertiò, Jesuita quidam Padebornensis, contra quē scripsit Dn. Affelmannus ex Act.27.v.23.evincere conatur, *Apostolum servisse Angelo, eundem juxta Patriarchæ Jacobi exemplum invocando, ut in angustiis auxilio suo ei præsto esset.*

Contra Bellarm.lib.1.de invoc.sanct.cap.12.§.13. *Scriptores sacri vocem λατρεία nunquam usurpant, nisi pro cultu solius Dei, ut pa-*

ut patet ex toto N.T. Jam vero in Græco hic est, ᾧ καὶ λατρεύω. inde Joh. Ferus, Hoffmeisterus, Lorinus, Stapletonus non *ad Angelum*, sed *ad Deum* relativum ᾧ referunt.)

Decimo quarto, Costerus in Enchirid. c. 14. sic differit: *Cum sancti in cœlis summa gloria à Deo afficiantur, consortes quodammodo divinæ Naturæ 2. Petr. 1. similes Deo, quem clare vident Apoc. 3. Christi coheredes, merito à viventibus omnem honorem accipere merentur & debent, qui alicui creaturæ in hoc mundo sine reprehensione defertur. Proinde quicquid exhibetur Principibus, parentibus, aut quibusvis hominibus, quicquid etiam Angelis, id merito deferri potest ac debet sanctis cum Christo viventibus.* Atqui reliqui hisce finib. non contenti, cultum religiosum ac divinum Sanctis tribuendum esse, statuunt. Jam vero nulli creaturæ in hoc mundo, nullis Principibus nullis parentibus, nullis hominibus debetur honor religiosus.

Præterea Bellarminus de beat. sanctorum c. 12. distinguit *tres excellentias, ac cuilibet proprium honorem* assignat. At si Costeri consequentia legitima est, tum relationes tam accurate à Bellarm. distinctæ confundentur.

Si Bellarmini distinctio manet salva, tum falsum erit, sanctis deberi honorem civilem, ac proinde falsum, deberi Sanctis omnem honorem, qui debetur creaturis in hoc mundo.

Decimo quinto, quando opponimus Pontificiis religiosum Angelorum & sanctorum cultum propugnantibus dictum Theodoreti in Comm. Coloss. 2. v. 18. diversimode respondēt.

Bellarminus lib. 1. de beatit. Sanctorum c. 20. dicit, *eos, qui hæc oratoria, quorum Theodoretus meminit, ædificarunt, fuisse hæreticos Simonianos, qui quosdam Angelos quasi minores Deos & qui mundum fabricassent, adorarent*, conaturq; evadere, fingens *ejusmodi oratoria ab hæreticis extructa S. Michaeli dedicata fuisse*, quæ omnia Theodoreti scopi diserte repugnant.

Unde Cardinalis Baronius non potuit hoc Collegæ sui commentum approbare, sed maluit Theodoreto succensere, ipsumq; accusare, quod haud feliciter assecutus sit verborum Pauli sensum, cum in hujus Epist. Coloss. commentariis dicit, *hæc à Paulo esse scripta, quod tum grassarentur hæretici, qui Angelos colendos esse, jactarent. Sic ergo errore semel lapsus in graviorem impegit, ut diceret canonem 35. Concilii Laodiceni de his hæreticis esse intelligendum, qui Angelos colendos esse dicerent, quiq; in eadem regione Asiæ Oratoria erexissent S. Michaeli Archangelo, incaute nimis, quæ à Catholicis essent ante instituta, hæreticis, quorum nulla esset memoria, tribuens,*

Hæc omnia Baronius tom. 1. ann. 60. n. 20.

Audimus ergo linguas duorum Cardinalium Jesuiticorum contrarias.

Unus ait: *Nulla erat ejusmodi hæreticorum memoria.*

Alter: *Fuerunt tales nimirum Simon ejusq; discipuli, quorum Irenæus, Tertullianus ac Epiphanius meminerunt.*

Unus inquit: *Catholici instituerunt hæc Oratoria, non hæretici, ut incaute nimis ait Theodoretus.*

Alter: *Ab hæreticis fuerant extructa, vel ut bonos Angelos sacrificiis adorarent, vel ut malos colerent.*

Decimo sexto, Georgius Cassander in hymnum Vigil. Pentecostes, *Rex Sanctorum* &c. dicit, *interpellationes Sanctorum sic exponendas esse, ut quando dicitur: Omnes sancti orate pro me, perinde valeat, ac si dicatur: Utinam omnes sancti orent pro me! quam velim ut omnes sancti orent pro me! atque adeo sit pii cujusdam desiderii redundantia,* ut ipse loquitur.

Sed in hac moderatione reliqui non acquiescunt, verum invocationem sanctis vendicare laborant.

Unde etiam Index Expurgatorius Hisp. p. 13. nigrum theta his Cassandri verbis apponit. *Deleatur*, inquit, *admonitio illa, de extenuatione invocationis sanctorum.*

Decimo septimo, Cajetanus in 3. Thomæ q. 25. art. 3. Suarez ibid. tom. 2. disp. 1. sect. 2. Vasquez de adorat. lib. 1. n. 196. Tannerus Theol. Schol. tom. 3. disp. 5. q. 2. dub. 2. num. 57. *cultum B. Virginis à virtute religionis procedere* asserunt, imo *ipsam Virginem* ajunt *adorari cum ipso Deo cultu perfectæ latriæ, qui formaliter quidem & terminative non tendat in B. Virginem, sed quatenus Virgo est quasi objectum divinæ adorationis, & concipitur, ut eximia quadam imago Dei, vel ut habet peculiarem quendam contactum cum Filio Dei.*

At alii Pontificii simpliciter in eo subsistunt, quod *solus Deus latria, Sancti dulia, Maria hyperdulia sit colenda.*

Decimo octavo Quidam Pontificii *invocationem* ab *adoratione* ita distinguunt ut illam soli creatori, hanc vero Deo & creaturis tribuant, unde plerique dicunt, *sanctos non esse invocandos, sed adorandos.* Hinc Lessius lib. 2. de just. & jure c. 38. dub. 10. differit *de sanctis adorandis.*

Quidam contra *adorationem soli creatori, invocationem vero & creatori & creaturis tribuunt.*

Hinc Colonienf. in Cens. p. 228. *Nunquam vel fando auditum, sanctos esse adorandos.*

Lojolitæ Paderborn. in Coll. inter Catholicum & Neo-Evangelicum: *Nostri non docent, sanctos esse Deos, vel tanquam Deos esse adorandos. Nam aliud est* anruffen *ut patronum & coadjutorem apud Deum; aliud adorare* anbeten *ut Deum creatorem & Salvatorem.*

Et postea. *Solus Deus adorandus est, Sancti autem sunt invocandi, ut patroni & intercessores apud Deum.*

Quidam statuunt, *non solum Deum, sed & sanctos esse invocandos & adorandos.*

Hinc Pistorius in hodeg. p. 280. Es stehet in gantzer heiliger Schrifft nirgend / daß man GOtt allein anbeten oder anruffen soll.

Censura Coloniensis pag. 229. *duplicem adorationem* statuit, quarum una soli Deo, altera etiam creaturis competat. *Sacra Scriptura* (inquiunt) *geminam adorationem insinuat, nempe eam quæ soli Deo impendenda est, de qua Deut. 6. Psalm. 69. Matth. 4. Joh. 4. & alia, quæ creaturis impertitur, sicut Jacob Esau adorasse dicitur. Gen. 31. & Abigail Davidem 1. Reg. 26.* ad quam posteriorem speciem referunt invocationem sanctorum.

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad argumentum nostrum, *Solus Deus religiose est invocandus. Ergo non sancti;* excipiunt, *distinguendum esse inter* λατρείαν ac δουλείαν; *illam soli Deo competere, hanc vero etiam sanctis tribui.*

Gregorius de Valent lib. de idolol. cap. 1. vocat nos *simplices Theologos,* quod *discrimen duliæ, hyperduliæ & latriæ non capiamus, nec admittamus.*

Resp. 1. ex Laurentio Valla & Ludovico Vive in Comm. lib. 10. Aug. de C. D. c. 1. *quod hæc vocabula non solum in profanis Scriptoribus, sed etiam in ipsis Scripturis sacris indifferenter usurpentur.*

Valla, inquit Vives, *docet* λατρείαν *&* δουλείαν *idem esse, & utrumque significare servitutem, quod ex Suida ostendit, qui & ait,* λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *hoc est, servitutem esse mercenariam. Nam apud Xenophontem in Cyripædia loquitur Pater,* ἐγὼ μὲν ὦ Κῦρε κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην, *hoc est, Ego vero Cyre, vel anima redemerim, ne unquam hæc serviret. Tum uxor,* ἑαυτῆς ψυχῆς ἂν πρίαιτο, ὥστε μὴ δουλεύειν. *Anima sua emerit, ne serviat. Quin & in sacris literis* λατρεύειν *de servitute dicitur, ut in Levitico c. 23. v. 7.* πᾶν ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε. *Omne opus servile non facietis. Et iterum c. 18. v. 21. de semine tuo non dabis* λατρεύειν ἄρχοντι *servire Principi. Et in Job mendica* λάτρις *dicitur.* (quib. addi potest locus Deut. 28. v. 47. & 48. *Quia non servisti domino, servies hostibus tuis.*)

2. Ex Bellarmino, qui lib. de beatitud. sanct. c. 14. §. 6. fatetur, *secundum usum Prophanorum scriptorum idem esse duliam & latriam.* §. 3. *duliam non esse plus quam latriam, cum secundum Prophanos autores idem significent.* lib. ejusdem cap. 12. §. 13. fatetur, quod *Schola Theologorum, hoc est, Scholastici excogitaverint illam distinctionem* δουλείας ac λατρείας (Ergo non invenerunt eam in sacris literis.)

3. Ex Martino Peresio de tradit. p. 3. consid. 7. ubi scribit, *non multum sibi probari nomen duliæ pro cultu sanctorum sumtum, cum dulia proprie significet servitutem, & nos non simus servi sanctorum, sed conservi.* Verba sic habent: *Quanquam nescio, an proprie dulia hujusmodi officium debuisset appellari, cum veneratio illa, quæ communiter sanctis debetur, minime in signum servitutis exhibeatur, omnes enim servi Dei sumus, quanquam meritis & sanctitate multum dispares, id quod significabat Angelus ille, cui se Johannes Apostolus prostrabat, dicens: Vide ne feceris, conservus tuus ego sum, & fratrum tuorum.*

(Addere potuisset ex Ambrosio lib. 3. de SS. c. 12. *Qui servit, adorat.*)

4. Ex Georgio Wicelio in Compend. de semit. antiq. *Cultum alium in terris nescimus, præter eum, quem soli Deo debemus, & neque dulias neque hyperdulias Christiani scimus, eo saltem sensu, quo tradiderunt non Ecclesiastici sed Scholastici, qui erant non contenti prima illa atq; originali, puraque Theologia.*

5. Ex Azorio tom. 1. moral. lib. 9. cap. 5. quod *vocabula illa latria & dulia prima sua significatione idem significent.* (At

(At quæ prima sua significatione idem significant, non possunt duas distinctas cultus species facere.)

Ibid. scribit Azorius. *Latrias nomen apud Græcos late, & patet, & significat quemlibet servitutis cultum, quem servus domino suo defert &c. δουλεία quoque à Græcis fuse & late sumitur, significatq; honorem & cultum, quem præstat domino servus.*

6. Latriam Pontificii sic describunt ut nullus unquam idololatriæ convinci possit.

Gregor. de Valent. lib. 1. de idolol. c. 1. *eum solum vult esse idololatram, qui creaturam divino cultu sic prosequitur, ut eo, quantum in se est, velit illi opinionem conciliare talem, qualis revera in solam Dei majestatem competit.*

(Secundum hanc definitionem nunquam sciri poterit, an homo sit idololatra cum idololatria tantum in intentione consistat.)

Bellarm, lib. 1. de beat, sanct. c. 11. & ex eo Cottonus in Epistola ad Chamierum p. 108. contendunt, *latriam esse quandam summam voluntatis prostrationem & inclinationem cum apprehensione Dei, ut primi principii & ultimi finis, atq; adeo summi boni.*

(Atqui si id tantum est latria, cum aliquid pro primo principio & ultimo fine agnoscitur, nullus gentilium fuerit idololatra, nisi in Jovis adoratione: reliquos enim ipso inferiores fatebantur; nec Christus recte respondisset Satanæ ab eo, ut adoraretur, postulanti, dicendo: *Dominum Deum tuum adorabis, illiq; soli servies*, quasi Diabolus ab eo cultum latriæ petiisset. Non enim ab eo postulabat, ut ipsum pro primo principio & ultimo fine haberet, sed tantum ut in terram se prosternendo ipsum adoraret, ipsi omnia mundi regna non tanquam supremus Dominus, sed ut inferior & subalternus promittens, dicit enim Luc. 4. v. 8. *Hæc gloria mihi tradita est &c.*

7. Suarez in Comment. Thom. part. 3. tom. 2. q. 37. disp. 21. art. 4. p. 206. & Tannerus disp. 4. in 2. 2. Thomæ th. 4. p. 676. & th. 42. p. 677. Mariæ & sanctis non solum *dulian*, sed etiam *latriam*, quam vocant, *secundariam* deferunt.

2. Ad argumentum, quod *solus Christus sit noster Mediator & Intercessor, in cujus nomine Deum religiose invocare debeamus, sanctis vero non competere hunc honorem Mediatori Christo proprium*, excipiunt, *sanctos non esse immediatos nostros apud Deum intercessores, sed quicquid à Deo nobis impetrant, per Christum impetrare.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. demonstrabimus in Appendice, quod sanctos non solum invocent, ut *intercessores*, sed etiam ut *auxiliatores & largitores* divinorum beneficiorum.

2. Quod majorem in sanctorum, quam in ipsius Christi intercessione fiduciam collocent.

3. Quod negent, hac orandi formula utendum esse, *Christe ora pro nobis*.

4. Quod sanctos Christo in opere Mediationis adjungant, (utiq; ergo sanctorum invocatio in honorem Christi Mediatoris est injuria.)

3. Ad argumentum nostrum, quod *invocatio sanctorum derogat gloriæ Dei*, excipiunt, quod *liceat jurare per creaturas absque ulla gloriæ divinæ diminutione, proinde etiam sanctos invocare licitum esse.*

Resp. 1. Innocentius 3. c. Etsi Christus. de jurament. ex Hieronymo censet, *Christum prohibuisse juramentum per creaturas, ne transferretur ad creaturas honorificentia creatoris.*

2. In Jure Canonico caus. 22. q. 1. ex Concilio Carthaginensi IV. adducitur talis canon: *Si quis juraverit per creaturas, acerrime castigetur, & juxta id, quod Synodus judicavit, pœniteat.*

(Hoc conforme est juri divino Esai. 19. v. 18. c. 65. v. 16. Jerem. 4. v. 2. c. 5. v. 7. Sophon. 11. v. 5.)

4. Ad locum Es. 63. v. 16. *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit, & Israel ignorat nos*, excipit Salmeron in priorem ad Timoth. disp. 8. *sensum esse, cum olim Abraham & Israel, consuevissent nobis suis precib. opitulari & pro nobis intercedere, nunc videntur esse nostri ipsorum obliti, & nos pro suis non agnoscere.*

Tirinus in Comm. illius loci. *Abraham nescivit nos, hoc est, non curat nos, sed spernit & abjicit nos, offensus est nobis, quia nos te offendimus.*

Resp. 1. ipsimet Pontificii statuunt, *animas Patriarcharum & aliorum sanctorum, utpote in limbo Patrum constitutas, beatifica Dei visione in V. T. adhuc caruisse*, quomodo igitur specialem eorum, quæ superstites in terris concernunt, notitiam habere, ac pro illis intercedere potuissent?)

Principium ergo petit Salmeronis expositio.

2. Lyranus in h. l. sic commentatur. *Abraham nescit nos, quod ab eo non habemus animam.* (quod desumsit ex Procopio in h. l.: *Neque enim Abraham pater est noster, quamvis generationis minister, sed tu, qui de nihilo producens Spirituum omnium pater es, & animarum ad imaginem tuam factarum.*

Cum eâ expositione non congruit Salmeronis expositio.)

5. Ad locum Coloss. 2. v. 18. excipiunt Bellarm. lib. 1. de beat. sanct. c. 20. Costerus in Enchirid. Tirinus in h. l. *Paulum damnare hæresin Simonis Magi, qui Platonicos secutus docuit, quosdam Angelos adorandos q. minores Deos, qui & mundum frabricarunt, & per Prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum, nisi per hos Angelos.*

Resp. 1. falsum est tale quid traditum à Simone Mago, ut docet Baronius tom. 1. ad annum sexagesimum, §. 17. Nec quisquam veterum id ei impingit. Quo factum, ut Baronius verba maluerit de Cerintho interpretari quem ait *extulisse Angelos supra Christum.* Sed ne hunc quidem dixit quisquam docuisse Angelos adorandos, aut eis sacrificandum.

2. Sive Simon Magus, sive Cerinthus, sive alius quispiam ita docuerit, concedimus, illam hæresin damnari. Sed ex eo inferri nequit, nullam aliam præter Simonis hæresin damnari; Paulus enim in genere Angelorum θρησκείαν damnat. Si quandam Angelorum θρησκείαν commendare vel permittere voluisset, non simpliciter eam damnasset.

Theodoretus in h. l. *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant; dicentes, fuisse legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoq;, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usq; diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria sancti Michaelis*

Inde Baronius negat, Theodoretum feliciter assecutum Pauli sensum, cum dixit, *scripsisse adversus quosdam hinc grassantes hæreticos, qui Angelos colendos assererent &c.*

3. Benedictus Justinianus disputat, *Simonianos nullam docuisse Angelorum θρησκείαν.*

6. Ad locum Apoc. 19. v. 10. excipiunt, *Angelum prohibuisse se adorari ob reverentiam Christi. Nam ante adventum Christi Angelos se adorari permisisse, at postquam Deus homo factus est, hominem in Christo adorare cepisse, neq; voluisse ab hominib. adorari præcipue Apostolis, aliisque summis viris.*

At 1. hac ratione evertunt argumentum, quod pro religiosa sanctorum invocatione ducunt ex Angelorum adoratione. ὁ λόγος n. carnem, quam semel assumsit, nunquam deposuit, nec deponet.

2. Falsum est, Angelos permisisse se adorari ante adventum Christi religiosæ adorationis cultu. Origenes lib. 4. *contra Celsum Angelos cœlestes nemo eorum, qui serviunt legi Mosaicæ, adorat.*

3. Pontificii non conveniunt in suis exceptionibus. Quidam statuunt, *Johannem nescivisse eum, quem adorare voluit, esse Angelum, ipsiq; cultum latriæ exhibuisse.*

Guil. Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 45. *Ad illud, quod Angelus adorationem ac honorem sibi à Johanne exhibitum repudiarit, respondet Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. quod Angelus cultum hunc repudiarit, quia erat latria soli Deo debita &c. S. Joh. putabat, Angelum tanta cum majestate sibi apparentem esse Filium Dei, quia ab initio apparitionis suæ c. 1. Angelus sic fuerat locutus: Ego sum primus & ultimus. Ego sum α & ω. Recte igitur hunc honorem repudiabat Angelus &c.* Alii contra statuunt, *Johannem scivisse, quod fuerit Angelus.*

Lorinus in Comm. Act. 10. v. 25. *Nullo pacto existimo, Johannem ignorasse, Angelum fuisse, quem hoc ipso nomine etiam exprimit, & Angelo, quamvis Deum repræsentaret, non deberi latriam, ne non tam ad Deum, quam ad creaturam videatur ejusmodi adoratio referri. Accedit,* inquit, *quod semel admonitus non iterum id contendisset, nisi ex quadam tantum urbanitate prohibitum se credidisset.* Similia occurrunt apud Blasium Viegas in c. 19. & 22. Apoc.

(At verba Angeli pro urbana quadam recusatione accipi nequeunt, sed pro necessaria prohibitione sunt intelligenda, ut ostendit mandatum: *Deum adora*; & verba illa concisa: *Vide ne feceris.*)

4. Bellarminus lib. 1. de beat. sanct. c. 14. pro astruendo religioso Angelorum cultu ex hoc ipso loco argumentum depromit, *Si Johannes*, inquit, *putavit esse Angelum, & tamen adoravit, cur nos reprehendimur, quod facimus, quod Johannes fecit? Num melius Johanne norunt Calvinistæ, sintne Angeli adorandi?*

Resp. in eo, quod Johannes ob splendorem majestasticum apparentis & magnitudinem revelationum Angelum adorare voluit, humani aliquid patitur, quod corrigit Angelus, gravissimas prohibitionis rationes adducens.

5. Jacobus Tirinus Jes. ad h. l. sic annotat: *Angelus insigni modestia & civilitate recusat honorari à Johanne, dicens, Ego conservus, h. e. Ego non sum te superior dignitate. Cur ergo me adores? tu enim, sicut ego, es Propheta, es Apostolus, es Evangelista, es prædicator verbi Dei, es continuus Martyr, assiduos pro Christo labores & dolores sustinens, ideoq; par, imo superior es Angelis, non Natura, sed dignitate & merito, eriq; brevi etiam præmio & gloria superior in cœlis.*

Resp. Christus docet, beatos fore in cœlis ἰσαγγέλους, non autem Angelis præmio, dignitate, merito & gloria superiores. Nec recusasset Angelus cultum adorationis ex modestia & civilitate, si fuisset ipsi conveniens ex debito & veritate.

7. Ad argumentum, quod *Christus rogatus à discipulis, ut doceret ipsos modum precandi, præscripserit formam, Pater noster, qui es in cœlis* Matth. 6. v. 9. excipiunt, *orationem Dominicam ad solum Patrem referri, & tamen licere invocari Filium & Spiritum S.*

Resp. Maldonatus ad illum locum sic annotat: *Magis probo aliorum sententiam, qui totam hic Trinitatem Patrem à nobis vocari dicunt.*

(Adde, quod sit dispar ratio *Filii & Spiritus Sancti* quam *Sanctorum*, cum Filius & Spiritus S. sint unius cum Patre essentiæ, quod nec de Angelis, nec de sanctis dici potest.)

Argumenta Adversariorum.

1. *Compellamus viventes, eosque adoramus, ut pro nobis orent.* 1. Reg. 18. 2. Reg. 2. *Ergo etiam licet sanctos defunctos compellare & adorare, ut pro nobis orent.*

Eccius in Enchir. p. 149. hoc argumentum vocat *Achillem Catholicum.*

Bellarm. lib. 1. de beat. sanct. c. 19. *Hoc argumentum adversarii nunquam solvere poterunt.*

Resp. 1. ex Joh. Altensteig in Lex. Theol. Schol. p. 23. in voce Adoratio. *Adorare quandoq; accipitur large pro qualibet veneratione, qua aliquid veneratur* (veneramur.)

2. Ex Costero in Enchir. c. 14. p. 347. *Adorationis vox duob. modis accipitur, Uno, ut soli Deo conveniat; altero ut etiam creaturis. Et posteriori quidem modo significat externum aliquem cultum aut venerationem, ut adoratio sit externum honorem exhibere caput aperire, genu flectere, in terram se abjicere, qui honor olim Regib. habebatur, & nunc quoq; parentib. vel præceptorib. offensis filii & discipuli supplices fiunt.* p. 398. hunc honorem vocat *humanum, venerationem externam à latria distinctam.*

(Hoc posteriore modo sancti in his terris viventes dicuntur in Scripturis adorari. Pontificii vero sanctos defunctos *religioso cultu* invocant.)

3. Magnum ergo inter *compellationem viventium & religiosam invocationem defunctorum sanctorum* est discrimen. Compellatio viventium non procedit *ex religioso adorationis cultu*, sed *ex fraterno affectu*. Ergo non est religiosa adoratio. Sancti viventes norunt nostras necessitates, sed sancti defuncti in specie eas non norunt. Compellatio viventium in Scripturis habet mandatum & exemplum. Utroque destituitur religiosa sanctorum defunctorum invocatio.

4. Pontificii concedunt, *religiosam sanctorum invocationem non fuisse in V. T. usitatam,* (& tamen compellatio viventium in V. T. usitata fuit, ergo ex hac illa non sequitur.)

Arg. 2. *Sancti cum Christo regnantes orant pro nobis. Ergo sunt à nobis invocandi.*

Resp. 1. Bellarminus concedit, sanctos Patriarchas, in limbo adhuc constitutos, pro Ecclesia orasse. Sic enim scribit lib. 2. de purg. c. 15. §. Et quanquam. *Tempore V. T. orabant sancti defuncti pro vivis.* lib. 1. de beatit. sanct. c. 18. §. 1. *Moses & Samuel jam mortui poterant & solebant orare pro populo Judæorum.* Eos tamen à viventibus invocatos fuisse negat. Sic enim scribit lib. 1. de beat. sanct. c. 19. §. 2. *Non fuit consuetum in V. T. ut diceretur, Sancte Abraham ora pro me.*

Idem statuit Becanus lib. de Invoc. sanct. p. 41. sic scribens: *Non sequitur, Sancti in limbo orabant pro viventibus in particulari. Ergo viventes poterant eos invocare, quia ad invocationem sanctorum præter cognitionem personæ & particularis ipsius necessitatis, requiritur alia quoq; cognitio qua intelligant preces nostras, quas ad ipsos fundimus.*

2. Bellarminus lib. 2. de purg. c. 15. §. Quod autem &c. statuit, *animas in purgatorio pro viventibus orare*; & tamen *easdem invocandas esse* negat d. l. §. Præterea &c. *Quanquam*, inquit, *hæc vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinariè petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinariè cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt nos in multis periculis versari. Nam nec reb. nostris intersunt, nec orationes nostras in Deo vident, nec est verisimile eis revelari ordinarie, quid agamus vel petamus.*

Ergo ex oratione sanctorum, quam pro nobis fundunt, firmiter probari nequit, religiosæ adorationis cultum ipsis à nobis esse deferendum.)

Arg. 3. Gen. 48. v. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Hic aperte S. Jacobus Angelum invocavit. Ergo etiam sanctos invocare licet.* Coccius in Thesauro tom. 1. lib. 4. art. 4. Bellarm. lib. 1. de beat. sanct. cap. 19. Rayhing. in Ench. Cathol. p. 487.

Idem est, inquit Lorichius in Fortalito fidei, *ac si dixisset, Angele Dei, benedic pueris istis.* Marquardus Leo in Catech. p. 166. Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q. 45. &c.

Resp. 1. Pererius in Comm. Gen. 32. fatetur, *complures veterum Patrum in hoc & similibus locis per Angelum intellxisse Christum. Theodoretus*, inquit, *id probare conatur, quia Ex. 3. in textu Angelus dicit, se esse Deum, tum quia nomen suum declarant dicit, Sum qui sum. quod in solum Deum convenit. Et hujus sententiæ fuerunt, Justinus, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus*

(Potuisset etiam addere Athanasium serm. 4. contra Arianos multis id confirmantem. Item Cyrillum libr. 3. Thesauri c. 1. Procopium in c. 48. Genes. quorum duo priores vocant eos *hæreticos*, qui *de Angelo creato* contendunt hunc locum esse intelligendum.

Idem fatentur Cornelius à Lapide & Leonh. Marius in h. l. quamvis ipsi pro astruenda Ἀγγελολατρείᾳ contra sentiant.

2. Ribera in Comm. Hebr. 7. v. 81. sic scribit: *Zach. 1. Angelus clamabat, Domine exercituum misereberis Jerusalem; in quo Angelo Christum significari, docent veteres Patres Hieronymus, Ambrosius, Origenes.*

3. Blasius de Viega in Comm. Apoc. 8. p. 343. *De manu Angeli, hoc est, Christi. Nec recte quidam è recentiorib. dicunt Christum, nunquam absolute dici Angelum.*

4. Salmeron disp. 17. in 1. Cor. 10. *Credendum est, fuisse Christum illum Angelum, qui præibat Israelitas, & Mosi primo visum, qui Ex 3. & sæpe Jehova vocatur. Hic quoq; Princeps militiæ Josuam alloquens vocatur Jehovah. Dicit postea Jehovah Josue.*

(Quod si in his locis nomine *Angeli* Christum increatum illum Angelum intelligendum esse ex circumstantiis cujusque loci colligunt, agnoscant etiam hoc loco Angeli nomine Christum intelligendum esse, quod patet tum *ex præfixi notificativi adjectione*, tam *ex Angeli hujus descriptione, & operis divini attributione*, tum *ex cultus divini exhibitione*, tum *ex aliorum Scripturæ locorum collatione.*

5. Theologi Lovanienses in editione Bibliorum Latinorum ponunt ad marginem hujus loci. *Vide Concordantiam supra c. 31. v. 29. c. 32. v. 2.*

(Jam vero luctator ille erat ipse Dei Filius, ut constat tum *ex nomine*, vocatur enim הָאֵל *Deus ille fortis*, tum *ex opere*, quia Angelus ille revocat Patriarcham ex Mesopotamia in regionem Patrum suorum Gen. 31. v. 13. id quod ipse Jehovah se facturum promittit Gen. 28. v. 15. idem Angelus salutem animæ Jacobo confert, quam ex conspectu creati Angeli Patriarcha obtinere non potuisset Gen. 48. v. 16. tum deniq; *ex cultu*, quia Jacobus huic Angelo votum facit, Gen. 31. v. 13. ac ab eodem benedictionem sibi obtingere petit)

6. Tertullianus vel Novatianus de Trinit. c. 15. & Cyrillus lib. 3. Thes. ab *hæreticis* expositionem illam profectam tradunt, qua per Angelum in benedictione Jacobi Gen. 48. creatus Angelus intelligitur.

(Ergo Pontificii expositionem illam amplectentes à Patribus secessionem faciunt, & ad hæreticos sese aggregant.)

Arg. 4. Gen. 48. v. 16. *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoq; Patrum meorum Abraham & Isaac. Ergo Jacob invocavit & invocare voluit nomina patrum suorum super nepotes.*

Alphonsus de Castro lib. 13. contra hæres. cap. de sanctis. *Observandum, quod Jacob præcipit invocari super filios Joseph nomina Patrum jam defunctorum, quoniam etsi mortui sint corpore & mundo, tamen vivunt coram Deo.* Hieronymus Oleaster. in h. l.

Eccius in Enchirid. cap. de invoc. sanctor.

Salmeron disp. 7. in 1. Tim. 2.

Bellarm. de Invoc. sanctorum c. 20. §. Ad primum &c.

Gregor. de Valent. lib. 3. de idololatr. c. 7. &c.

Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 48.

Resp.

Resp.1. Multi ex ipsis Pontificiis fatentur, *invocationem sanctorum non fuisse usitatã in V.T. cum Patres adhuc fuerint in limbo à beatifica Dei visione exclusi*, ut ostendimus superius membro 12. Quomodo ergo Jacob, in his verbis religiosum invocationis cultum & sibi & patribus suis deposcere dici potest?

2. Lyranus in h.l. *Hoc dicitur, quia vocati sunt filii adoptivi Jacob, & facti sunt capita duarum tribuum, sicut alii filii Jacob.* Eodem modo accipit Hugo Cardinalis.

3. Vatablus Prof. Paris. in h.l. dicit, *vitium esse in vulgata versione. Ita namque reddi debuisse, Vocetur in eis nomen meum, hoc est, posthac vocentur filii mei & filii majorum meorum, quæ fuit nota adoptionis, qua Jacob hosce suos ex Josepho nepotes in filios adoptabat, sicut dicitur vocari nomen mariti super uxorem Es. 4. v. 1. quia uxor à capite, cui subest, nomen mutuatur.*

4. Hanc phraseos istius significationem agnoscunt non solum Hugo & Lyranus in h.l. sed etiam quidam ex recentioribus Pontificiis. Antonius Fonseca super annot. Cajet. ad h.l. *Est ea phrasis Hebræis peculiaris, ut dicant, vocari nomen alicujus super aliquẽ, pro, vocare aliquẽ alicujus nomine, ut constat Es. 4. Dan. 9.* Ribera in Comm. Amos 9. v. 12. n. 42. *Nomen Dei invocatum est super aliquem populum, quando populus Dei nomen habet, hoc est, populus peculium Dei appellatur, ut Esaiæ 4. virorum nomen, & Gen. 48. Invocetur nomen.*

Jesuita Sa in cap. 48. Gen. v. 16. *Invocetur nomen meum &c. q. d. dicantur filii mei, Abraham & Isaac.* Mariana ibid. *Invocetur super eos nomen meum, hoc est, dicantur filii mei, vocentur filii Abrahæ.* Lorinus in cap. 2. Jacobi v. 7. Christophorus à Castro in Comm. Amos 9. v. 12. eodem modo phrasin illam exponunt. Hector Pintus in cap. 4. Esai. *In voce invocetur, est Hebraismus, & mos Hebræis loquendi familiaris, ut nomen viri invocetur, quando volunt dicere, fœminã nomen appellari per nomen viri.* Eodem modo Jacobus Bonfrerius, Leonhardus Marius Cornelius à Lapide in Comment. Gen. 48. hæc ipsa Jacobi verba explicant.

5. Pagninus & Benedictus Arias Montanus hunc locum sic reddiderunt: *Vocetur in eis nomen meum.* Idem Arias in Apparatu in idiotism. ling. Hebr. *Tantum invocetur nomen tuum super nos Esaiæ. 4. id est, dicamur uxores tuæ.*

6. Estius ad h.l. sic annotat, *Quidam ut Oleaster, hinc statuunt invocationem sanctorum. Sed non necessum est huc recurrere.* Et postea. *Quod hic dicitur, Invocetur nomen meum &c. secundum phrasin Hebraicam, sensus est, ut Ephraim & Manasses tanquam ex Jacob geniti nomine ejus gaudeant æque atque alii filii. Ita edictum est Jer. 14. Nomen sanctum tuum invocatum est super nos, id est, vocamur populus tuus.*

(Potuisset addere Esai. 48. v. 1. cap. 4. v. 1. c. 63. v. 19. Deut. 28. v. 10. Jer. 15. v. 16. c. 25. v. 29. c. 32. v. 24. c. 34. v. 15. c. 44. v. 9.)

7. Cornelius à Lapide in Prophetas majores Can. 30. ex hoc idiotismo Hebræo peculiarem Canonem format.

Argum. 5. Exodi 32. v. 13. *Recordare Domine Abraham, Isaac & Israel servorum tuorum, ubi allegat Moses in precibus suis merita sanctorum Patriarcharum, ut illis orationem suam juvaret.* Bellarminus lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 19. &c.

Resp. 1. Fatetur ipse Bellarminus d. l. *non posse ex hac orationis formula colligi, quod pii Veteris Testamenti directe invocaverint sanctos defunctos, ut intercessores & Mediatores apud Deum.*

2. Idem d. l. sic scribit: *Mosen, Jeremiam & alios, cum orabant Deum, dicere fuisse solitos, Deus, qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te.*

(Jam vero meritum & misericordia sibi invicem opponuntur, ut agnoscit ipse Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 12. sic scribens: *Meritum ex justitia opponitur gratiæ.* Ergo non potest ex h.l. probari, quod Moses merita sanctorum allegaverit.)

3. Ex ipsis Patriarcharum & sanctorum V.T. verbis colligitur, quod Deum fœderis & promissionum, præsertim de Messia, commonere voluerint. Ex. 32. v. 13. *Recordare Abrahami, Isaaci, Israelis, quibus jurasti per te ac promisisti &c.* 2. Reg. 8. v. 25. *Serva Davidi servo tuo patri meo, id quod eloquutus fueras.* Dan. 3. v. 12. *Ne amoveas misericordiam tuam à nobis, propterea quod Abrahamo dilecto à te, & Isaaco servo tuo & Israeli sancto tuo eloquutus es &c.* ad quæ verba Lyranus in Comm. sic annotat: *Et ideo non potest frustrari tua promissio.* Confer Deut. 9. v. 27. 2. Chron. 21. v. 7. Esai. 37. v. 35. rationem verò à merito etiam Abrahami sumtam ipsimet sancti refellunt Deut. 9. v. 4. cap. 10. v. 14. Ezech. 16. v. 3. & 6. Hos. 9. v. 10.

4. Marcus Antonius de Dominis lib. 7. de Republ. Eccl. cap. 12. n. 11. ex 1. Reg. 11. v. 12. 32. 34. cap. 15. v. 4. 2. Reg. 8. v. 19. cap. 19. v. 34. c. 20. v. 6. docet, *Deum non solam propter fœdus, sed etiam propter favorem, quem David pie vivendo sibi conciliaverat, in pœnis temporalibus pepercisse ejus posteris, sed quod propter exigentiam & proportionem operum ad præmium ullus unquam sanctorum merita sua Deo obtulerit, aut Deus dictus sit hæc respexisse* negamus.

Argum. 6. Job. 5. v. 1. *Voca, si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere, ubi nomine sanctorum intelliguntur Angeli, & significatur, tunc fuisse consuetudinem invocandi patrocinium sanctorum Angelorum.* Jodocus Coccius d. l. Alphonsus de Castro lib. 13. advers. hæres. verbo Sancti. Jacobus Tirinus in Commentario illius loci. Bellarminus d. l. & alii passim.

Resp. 1. Repetimus denuo, quod fateantur, *sanctorum invocationem non fuisse usitatam in V.T.* (Quomodo igitur ea ex hoc loco stabiliri potest?)

2. Benedictus Arias Montanus locum sic reddidit: *Ad quem de sanctis respicies vel obtueberis?*

(Ergo קרא hic non significat invocare, sed nominare, recensere. Ac quod vulgata versio habet in imperativo, id Hebraica veritas effert per *interrogationem.*)

3. Olympiodorus in Catena, quam edidit, Latinamq; fecit Paulus Comitolus Jesuita, *Quid*, inquit, *præter dignitatem loqueris? idq; homo cum sis, usque eo enim est homo inferior Deo, ut non solum nec videre illum, nec comprehendere queas, sed etiam, ut nec à te millies inclamatus sit responsurus. Quid loquor Deum, quandoquidem nec ejus Angeli nostrum possunt aspectum incurrere?*

(Nimirum verba illa Eliphazi non sunt affirmativa, quæ ponunt sanctorum invocationem, sed negativa. *Voca, si quis est, qui tibi respondeat*, id est, nullus tibi respondebit, qui sensus causæ Pontificiæ plus obest, quam prodest.)

4. Bellarminus ipse fatetur, *quod hæc verba non videantur convincere, cum non sint ipsius scriptoris libri, sed Eliphazi amici Jobi.*

(Jam vero Jobus in cap. seq. 6. v. 25. in Eliphazi verbis quædam reprehendit.)

5. Idem Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 12. dictum Jobi ex Hebræo sic reddit: *Voca nunc, si est respondens tibi, & ad aliquem de sanctis respice.* Debebat vertere, *Voca nunc, num sit respondens tibi, & ad quem de sanctis respicies?* hoc est, ad nullum. Id enim interrogationes important, vel ipso Bellarmino attestante d. l. in resp. ad loc. Mich. 5. *Dico*, inquit, *optime cohærere sequentia cum præcedentibus*, (scilicet Mich. 5. v. 2.) *si præcedentia legantur cum interrogatione, ut legit Matthæus, qui propterea vertit negative, nequaquam minima es, quia legerat, parvula es?*

(Eodem modo, scilicet cum interrogatione vim negandi habente, vertit Chaldæus Paraphrastes.)

6. Mercerus & Vatablus Professores Parisienses sic exponunt: *Voca Angelorum aliquem, & eum inclama, an vero eorum vel minimus tibi respondebit, te suo sermone & alloquio dignabitur? nullum sane reperies. Vides, quantum à Deo distes, cum ne Angeli quidem Deo longe inferiores te allocuturi sint, si ad eos clames, ob distantiam, quæ est inter te & illos.* Et addit Mercerus. *Quod quidam nostrorum Thomas Aquinas, & Lyranus hunc locum ad sanctorum mortuorum invocationem, quam veteres ne agnoverunt quidem, referunt, quasi hortetur Eliphaz Jobum, ut in hac afflictione sese ad sanctos convertat, ut ei opem ferant, merum delirium est, cum nemo non videat hic ironiam esse, & quoquo modo intelligas, eò applicari non posse.*

(Ex subjecta antithesi verus sensus elucescit. Nullus potest nominari sanctus, qui absque graviore aliqua culpa ita fuerit punitus, ut tu jam puniris.)

7. Eccius fatetur in Enchirid. pag. 145. *per sanctos hic non intelligi Angelos, sed homines.*

(Ergo directe hic non agitur de patrocinio Angelorum, quod tamen vult Bellarminus. Si ad invocationem sanctorum defunctorum directe referre velint, urgemus hypothesin concessam, *quod in Veteri Testamento illa non fuerit usitata.*)

8. Estius ad hunc locum sic annotat: *Circumspice, an aliquis sanctus & justus ita à Deo flagelletur, sicut tu, & cum neminem inveneris, intellige, ex his plagis, te non esse justum, quod manifestissimum esse dicit ex præcedentibus & consequentibus.*

Argument. 7. Job. 33. v. 23. *Si fuerit Angelus loquens pro eo, unus de millibus miserebitur ejus, & dicet, libera eum. Ergo Angelorum invocatio tunc fuit usitata. Si autem Angeli invocari possunt, utique etiam sancti defuncti.* Bellarminus d. l. Tirinus in Comment. illius loci.

Resp.1.Gregorius Magnus lib.24.Moralium cap.2.Glossa ordinaria, Berno Augiensis, qui vixit seculo undecimo,& Hugo Cardinalis in h.l. *de Christo magni consilii Angelo* verba illa intelligunt.

2.Arias Montanus & Pineda notarunt, *in Hebræo non esse, Angelus loquens pro eo*, quasi Angelus pro nobis loqui & orare dicatur, sed עַל *super eum.*

(Non ergo agitur de Angelo pro homine orante, sed de Legato seu Ministro Dei, voluntatem ejus interpretante, ut sit sensus: Si habuerit homo afflictus Prophetam aut Ministrum verbi, divinæ voluntatis Interpretem, seu qui ipsum à peccatis retrahat & in viam reducat, nunc Deum miserturum esse. In Hebræo est מליץ quod non significat *Mediatorem*, sed *Interpretem*: nec dicitur hic Angelus *Interpres apud Deum* sed apud *ipsum hominem*. Pro, *annunciet hominis æquitatem*], in Hebræo est, ad annunciandam homini rectitudinem suam. Pro, *inveni*, in quo ei propitiet, in Hebræo est, inveni propitiationem.)

3.Hanc expositionem recitat etiam Pineda in Jobum tom. 2.fol.747.nec improbat, tantum *nihil cogere*, ait, *quo minus de Angelorum invocatione accipiatur.*

(At cogit illud, quod ibi non agatur de Angelorum invocatione.)

4.Si vel maxime Pontificiorum expositionem admitteremus, nihil tamen aliud, quam intercessio Angelorum ex hoc loco probari posset, generalem vero intercessionem Angelorum ac beatorum in cœlis non negamus.

5.Tirinus talem tradit hujus loci paraphrasin: *Si, dum Deus peccatorem morbo juste punit, inveniatur ex infinitis Angelorum vel piorum hominum myriadibus, vel unus, qui intuitu æquitatis seu bonorum aliquorum operum præteritorum vel præsentium, vel novi emendandæ vitæ propositi, & seriæ pœnitentiæ istius hominis peccatoris loquatur, & intercedat pro eo apud DEUM, continuo miserebitur ejus.*

Postea subjungit, *quem locum nota pro invocatione & intercessione sanctorum.*

(Atqui ex intercessione sanctorum non statim inferri potest religiosa eorum invocatio, ut superius ostendimus.)

Argument.8.Jobi 42.v.8. *Ite ad servum meum Job. En mandatum invocandi sanctos. Et orabit pro vobis, En exemplum. Et ego suscipiam faciem ejus, & non imputetur vobis stultitia. En promissio.* Bellarminus lib.1.de Beatitud.Sanctor.cap.20.

Resp.1.Nec Cajetanus, nec Pineda doctissimi commentatores Pontificii hunc locum de invocatione sanctorum intelligunt.

2. Quæstio est *de sanctis defunctis*. Locus adductus agit *de sanctis viventibus.*

(Ostendimus autem paulo ante à compellatione sanctorum viventium non posse procedi ad religiosam defunctorum sanctorum invocationem.)

Argum.9.Psal.139.v.17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Amicos Dei vocat sanctos, qui Deum sincero quodam amore diligunt. Qui ergo à David honorati esse perhibentur, non est dignum, ut à nobis sine ullo honore relinquantur.* Eccius in Enchir. Alphonsus de Castro contra hæreses lib.13. verbo Sancti.

Resp.1.Non est quæstio, an sancti sint *honorandi*, sed an sint *religiose invocandi.*

2.Pagninus & Arias Montanus reddiderunt: *Et mihi quam preciosæ fuerunt cogitationes tuæ!*

(רֵעַךְ hoc loco pro מחשב poni, patet ex toto contextu, ex v.2.ex Commentariis R.Aben Ezræ & R.D.Kimchi &c.)

3.Alphonsus ipse nihil aliud ex hoc loco probat, *quam sanctos esse honorandos*, quod nemo nostrûm negat. *Sanctos*, inquit, *esse honorandos, aperte docet Propheta Regius, dicens: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Amicos Dei vocat Apostolos & reliquos sanctos, qui Deum sincero quodam amore diligunt. Nam ipsemet Christus promisit illis, ut post hanc transactam vitam in suam reciperet amicitiam, dicens: Jam non dicam vos servos, sed amicos. Qui ergo à David honorati esse perhibentur, non est dignum, ut à nobis sine ullo honore relinquantur.*

(Hæc omnia concedimus. Ergo non feriunt quæstionis scopum.)

4. Jac. Tirinus in h.l. ejusmodi tradit paraphrasin. *Omnia quidem, ô Deus, etiam minima nosti, curas & honoras: sed tamen peculiari adhuc scientia, quam approbativam vocant, & singulari amore, cura & honore prosequeris amicos tuos, nam eorum principatum, i.e. dignitatem, excellentiam, potentiam valde roborasti.* (Hæc expositio nihil minus probat, quam invocationem sanctorum.)

Argum.10.Jerem.15.v.1. *Dixit Dominus ad me: Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima ad populum istum. Ergo Moses & Samuel solebant orare pro populo Judæorum.* Bellarminus lib.1.de Beat.Sanctor.Salmero Disput.7.in 1.Tim.2.&c.

Resp.1.Pontificii statuunt, Mosen & Samuelem, cum Jeremias hæc proferret, fuisse *in limbo*, destitutos beatifica Dei visione, Ergo speciali rerum, quæ in terris geruntur, notitia fuere destituti.

2.Ex eo, quod sancti defuncti *in genere* pro nobis orant, inferri nequit, eos religiose à nobis invocandos esse, ut ostendimus superius arg. 2.

3.Nec Mosen, nec Samuelem Israelitæ in Veteri Testamento invocarunt, fatentibus Pontificiis. Ergo ex hoc dicto sanctorum invocatio probari nequit.

4.Si ex hac conditionali propositione, *Si steterint Moses & Samuel coram facie mea*, inferri potest, Mosen & Samuelem pro populo Judæorum orasse, ex eadem inferri poterit, Mosen & Samuelem coram Dei facie in cœlis stetisse, ac faciem ejus vidisse. At consequens Pontificii non concedunt. Ergo nec antecedens ponere debent. Nimirum, ut ex aliis propositionibus conditionalibus, quæ apud eundem Prophetam extant cap.2.v.22.cap.13.v.23.cap.22.v.24.cap.33.v.20.25.cap.51.v.51.non potest absoluta propositio inferri, ita nec ex hac conditionali.

(Concedimus sane, hypothesin illam fuisse aliquando possibilem & in re positam, interim Pontificiorum opinionem improbamus, quia hanc intercedendi consuetudinem ad tempus existentiæ in limbo aut cœlo restringunt cum manifesta principii petitione.)

5.Gregorius lib.9.Moral.cap.9. Glossa interlin. & Thomas referunt ad intercessionem Mosis & Samuelis *in hac vita.*

6.Sixtus Senensis lib.8 Biblioth.in solut.object.in libr. Daniel.pag.649.de loco Ezechielis cap.14.v.14.huic loco Jeremiæ parallelo sic scribit: *Loquitur juxta hypothesin, ut Hieronymus exponit, id est, si tales tantiq; fuerunt in hac vita peccatrice, non liberabunt filios aut filias.*

Eodem modo exponit Pererius in Comment.Gen.6. *Loci Ezechielis*, inquit, *hic est sensus: Usque eò sum Judæis offensus, ut si Noah, cæteroqui vir mihi gratissimus, haberet filium in isto populo, mihiq; supplicaret, non essem eum exauditurus.*

(De viventium igitur precibus, non de mortuorum statu utrobiq; Scriptura loquitur.)

7.Estius in annot.h.l. *Quia constat, hos duos sanctissimos Prophetas id in vita fecisse, ideo scilicet eos peculiariter nominat.*

Christophorus à Castro in h.l. rationem suppositionis itidem *de præterito tempore* interpretatur. *Tam insignes viri*, inquit, *in tali causa nihil impetrassent &c.* qua in parte sequitur Theodoretum, Hieronymum in h.l. Chrysostomum in serm. *Ne desperemus, si in opere tardi sumus.*

Argum.11.Luc.1.v.28. *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Hac Angelica salutatione in Papatu quotidie utuntur loco invocationis.

Resp. Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc.1. in Evang.festi annunc.Mariæ p.398.sic disserit: *Salutatio Angelica non est invocatio seu oratio, sed encomium Mariæ, atque adeo & verum Evangelium. Ergo non pro invocatione seu oratione usurpari debet, sed pro encomio & Evangelio. Encomium est, quia Maria in ea laudatur, nempe gratia plena, à Domino possessa, præ cunctis mulieribus benedicta & felix, Evangeliũ vero est, quia in ea annunciatur nobis benedictum illud semen mulieris & Abrahæ, quod nimirum in illo omnes benedictionem, gratiam & salutem per fidem consecuturi simus &c. Quatenus salutatio encomium Mariæ est, ad nullum præterquam solam Mariam transferemus sicq; id fiet, ut primo omnium incarnationis Dominicæ meminerimus, mox autem Virgini congratulemur ob tantam omnino gratiam, optemusq; eam ab omnibus agnosci Messiæ matrem, tandem vero ea moti & nobis Domini gratiam, præsentiam ac benedictionem precemur. Quatenus vero Evangelium est salutatio, confirmabimus inde fidem nostram, quod nimirum Deus verax fit in promissis, quod nos suas creaturas non deserat, quod nostri misereatur, quod omnes nos cupiat salvos, quod sic nos diligat, ut Filium suum unigenitũ nostras infirmitates & miserias assumere fecerit. Ibi tu erũpemus in laudes, in gratiarum actiones, in precationes. Quovis autem tempore hujusmodi salutatione uti possumus quemadmodum & precationis Dominicæ, Symboli & Decalogi usus liber est. Verum ut ordo servetur in omnibus, præsertim & mane & vesperi ea nobis est utendũ. Mane quidẽ, quod fructus ille ventris Mariæ Jesus, Sol verus justitiæ ab alto vene-*

venerit, illuxeritque. Vesperi autem, quod idem in ultimâ mundi ætate & in ipsis tenebris incredulitatis ac ignorantiæ & conceptus & natus sit. Confer ea, quæ superius ex Wicelio adducta.

Arg. 12. Lucæ 16. v. 27. *Dives epulo orat pro fratribus suis. Quod si iste maledictus caritate destitutus, solicitus fuit orare pro vivis, quanto magis sancti ob amorem Dei salutemque fratrum, quos amant caritate prorsus cœlesti*, quæ sunt verba Ludovici Richeomi de sanctis cap. 10. Eodem modo concludit Bellarminus d. l.

Resp. 1. Maldonatus hanc partem diserte refert ad parabolam. *Neq; enim cum Abrahamo, neq; cum Lazaro locutum fuisse, sed fictum esse in modum parabolæ sermonem.* Verba sic habent: *Quod autem dives ille cum Abraham locutus fuerit, eumq; rogaverit, ut Lazarum ad se mitteret, qui gutta aquæ linguam suam refrigeraret, parabola est Historiæ adjuncta, nec enim, qui in inferno sunt, sanctos rogare solent.* Ibidem dicit: *id quod de quinq; fratribus dicitur, non Historiam, sed parabolam esse, adeoq; nullam relinqui quæstionem, quomodo hic damnatus viventium curam habuerit, eorumq; salutem procurarit. Non enim quærendum est, inquit, quo animo dives hæc petierit, qui vere non petiit, sed quo animo Christus id eum fecisse finxerit. Id paulo supra declaravimus, ut auditores doceret, non esse expectandum ut à mortuis doceamur, cum Mosen & Prophetas habeamus.*

(Si ergo parabola est, dives epulo vere non oravit pro fratribus, quia parabola fingit gesta, non narrat. Salmero tom. 7. tract. 1. *Differt parabola ab Historia, nam est narratio rei gestæ, parabola vero rei fictæ & compositæ.*

Ibidem Maldonatus repudiat, quod Euthymius & Leontius ex traditione Hebræorum divitem illum vocant *Nimeusin. Si tam facile, inquit, conjecturis vellem credere quam credere nonnulli solent, Regem potius aliquem, ac fortassis, Herodem aut certe Regulum, quales multi tunc erant, fuisse dicerem & ex habitu probarem, quam quod Euthymius ex Hebræorum traditionibus, aut potius fabulis dicit, fuisse divitem quendam sub id tempus, cui Nimeusi nomen esset. Minuunt fidem opinionis mali autores Hebræi.*

Arg. 13. 2. Petri 1. v. 15. *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis, id est, Dabo operam, ut post obitum meum vestri sim memor, Deum videl. oraturus pro vobis, ut horum, quæ scribo, memoriam habeatis. In quibus Petri verbis egregiam invocationis sanctorum probationem contineri* statuunt Costerus in Enchir. cap. 14. Salmero Disp. 21. in 1. Cor. 13. Suarez tom. 2. in Thom. q. 37. Disp. 23. sect. 2. Cottonus lib. 11. Instit. c. 15. Jodocus Coccius lib. 5. Thesaur. art. 5. Ludovicus Richeomus de sanctis c. 10. Petrus de Bollo de authentica probatione Christiani sacrificii. Bailius in Catech. controv. tr. 2. q. 48. Tirinus in Comm. h. l.

Resp. 1. Ex intercessione sanctorum, quam *in genere* pro nobis faciunt, non posse religiosam eorum invocationem probari, ostendimus superius.

2. Estius ad h. l. sic annotat. p. 784. *Observanda hic & laudanda solicitudo B. Petri, qua satagit, ut etiam se mortuo recta doctrina maneat apud fideles & ad posteros transmittatur, quæ eadem & Pauli solicitudo fuit ita scribentis 2. Tim. 2. Quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere scilicet nobis demortuis.* Et paulo ante. *Non congruebat, ut diceret Petrus, dabo operam curabo, σπουδάσω, cum illud sancti faciant absq; cura & solicitudine.*

3. Bellarminus ipse fatetur lib. 1. de Beat. Sanct. c. 18. *hoc argumentum non esse evidens, sed tantum probabile.*

4. Glossa ordin. in h. l. *Dum vivo, dabo operam, ut vos frequenter, sc. quoties instabunt Pseudoprophetæ & volent vos abstrahere, habeatis hæc in memoria post obitum meum.*

5. Thomas Aquinas in h. l. *Quia brevi sum discessurus, dabo operam, nimirum interim dum vivo, vos commonendo, non solum semel, sed etiam frequenter, id est, continenter & diligenter habere memoriam horum.*

Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus in Comm. *Dabo operam, nimirum interim dum vivo, vos commonendo non solum semel, sed etiam frequenter habere horum memoriam.*

6. Cajetanus eod. modo. *Dabo operam, id est, ordinabo, dum sum in via, ut hos habeatis post mortem meam libros, qui vobis hæc in memoriam revocent, ut horum memoriam habeatis, id est, doctrinam memoratam impleatis.*

(Emanuel â Saa Jes. in h. l. *Dabo operam, quasi dicat, ut post obitum meum possitis horum frequenter meminisse.*

8. Gagnæus vertit hoc modo: *Dabo operam, ut postquam egressus ex hoc tabernaculo fuero, perpetuam eorum, de quibus vos commonefeci, memoriam teneatis, ut sic τὸ ἔχειν referatur non ad Petrum, sed ad eos, ad quos scribebat.* Eodem modo vertit Erasmus.

9. Benedictus Arias Montanus sic vertit: *Studebo autem & singulatim, habere vos post meum exitum horum memoriam facere.*

(Ex hac versione nihil pro invocatione sanctorum elici potest. Neq; possumus meliorem ipso Petro interpretem habere, qui in præcedentib. sic loquitur: *Non negligam vos de istis semper commonefacere, quamvis peritos & stabilitos in præsente veritate. Justum enim duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo, expergefacere vos per submonitionem.* Ex his quilibet intelligit, Petrum nihil aliud velle, quam quod daturus sit operam, eos diligenter expergefaciendo, quamdiu est in hoc tabernaculo, ne post obitum suum doctrinæ suæ obliviscantur.)

10. Joh. Baptista Folengius in Comm. h. l. *Curabo, dum vita suppetet, tam crebro, tamq; tenaciter atq; alte vestræ in solo animæ figere, quæ scribo & moneo, quod post meum ab humanis excessum eorum omnium meminisse, tum inter vos comminisci, conferreque poteritis, simul ac ore vos, ut soleo, admonere mihi munus integrum futurum sit.*

11 Lorinus in h. l. *Magis communis expositorum sententia est, significare Petrum, se quia brevi sibi ex hac vita discedendum sit, curare velle, ut hoc Epistolarum & monitorum in iis tam salutarium relinquat monumentum, ne illis unquam excidat de memoria.*

(Qui ergo hunc loc. exponunt de intercessione post mortem, sine causa introducunt enallagen personarum. Petrus loquitur *de memoria sanctorum fidelium*, ad quos scribit, ipsi vero *de Petri recordatione* hoc exponunt. Committunt etiam *fallaciam compositionis ac divisionis*, dividendo ea, quæ in textu Apostolico sunt conjuncta. Ex verbo enim ἔχειν dependent sequentia, μνήμην ποιεῖσθαι, ac discedunt â scopo Apostolico.)

Arg. 14. Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis & pax ab eo, qui est & qui erat & qui venturus est, & â septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, & â Jesu Christo, qui est testis fidelis &c. ubi Johannes pro fidelibus in Asia petit bonum spirituale, nempe pacem & gratiam, non solum à Deo & Christo, sed etiam ab Angelis. Ergo invocat Angelos & per conseq. licet invocare sanctos.* Becanus de Invocat. Sanct. p. 88. Cudsemius in desperata Calvini causa p. 132. Blas. de Viegas in Comm. h. l. Rayhing. in Enchir. Cathol. p. 487. Pazmannus lib. 13. Hodegi c. 4. Tirinus in h. l.

Resp. 1. Pontificii hactenus enumerati nondum consentiunt, quinam *per septem Spiritus* intelligendi sint. Quidam enim ut Becanus, Rayhingius &c. intelligunt *Angelos*, quidam vero, ut Cudsemius, Pazmannus &c. *animas hominum defunctorum.*

Tirinus in h. l. *Arch-Angelos vocant Gabriel Vasquez, Serarius & quidam alii: Seraphinos Galatinus, Fontana, Salmero, Pererius: primogenitos Angelorum Principes Clemens Alexandrinus.*

2. Thomas longe rectius intelligit *de septem donis Spiritus sancti*, quam expositionem probat ex Apoc. 4. v. 5. c. 5. v. 6.

(Potest etiam probari ex Sap. 7. v. 22. c. 9. v. 4.

3. Alcasar Jesuita in Comm. h. l. p. 183. recte scribit. *Bona Theologia non fert, ut gratia & pax Evangelica ab Angelis postuletur,* (multo minus ab animabus sanctorum;) unde ipse *de Spiritu Sancto* interpretatur.

(Scriptura enim nunquam præponit Angelos Christo, multo minus inter Patrem & Filium medios collocat.)

Idem Alcasar secutus Rupertum, per hos septem Spiritus accipit *septem Dei virtutes sive attributa, quib. constat integra divinæ providentiæ perfectio: puta sapientiam, fortitudinem, beneficentiam, justitiam, patientiam, communicationem & severitatem.*

4. Blasius de Viegas in h. l. fatetur, *de Spiritu S. à donis denominato* hunc locum exponi ab Areta, Primasio, Beda, Haymone, Ruperto, Ansberto, Lyrano & Thoma. Alcasar dicit, *hujus expositionis patronos esse Ambrosium, Primasium, Haymonem, Bedam, Ansbertum, Rupertum, Thomam, Idacium, Clarum.*

Arg. 15. Apoc. 5. v. 8. *Viginti quatuor Seniores in cœlo coram Dei throno procidentes habent phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, id est, intercessiones pro infirmorum stabilitate.* Bellarm. lib. 1. de Beat. Sanct. c. 18. Tirin. in h. l.

Resp. 1. Sanctos cum Christo in cœlo triumphantes *in genere* pro Ecclesia orare, ex hoc loco probabiliter colligi potest. Sed ex eo nondum inferri potest, illos specialem omnium rerum notitiam habere, & religiose à nobis invocandos esse. Ex priore enim non sequi posterius, ostendimus superius membr. 2.

2. Lyranus per 24. Seniores *sanctos per universum mundum diffusos* intelligit.

3. Alcasar itidem non de sanctis in cœlo, *sed de viris Apostolicis & Doctoribus in militante Ecclesia* exponit.

4. Eodem abit Blasius de Viegas in Comment. h. l. *Ex omnibus, inquit, expositionibus illa est germanior, per phialas corda sancto-*

 rum

rum intelligere; per aureas, corda caritate fulgentia; per odoramenta, orationes sanctorum, quæ sunt eò ferventiores, quò illi magis laboribus premuntur, & in ignem tribulationis tanquam aromata injiciuntur, aut si mavis, quo ipsi magis se per carnis macerationem & afflictionem premunt, per quam ita pravæ animi appetitiones tunduntur, ut in sensum minimum seu tenuissimum pulverem redigantur.

(Potuisset hujus expositionis testes adducere Irenæum, Augustinum, Bedam, Primasium &c. Ergo, cum hic locus non agat *de sanctis* in cœlo triumphantibus, sed *in terra militantibus*, est à quæstione alienus.)

5. Salmero Disput.7. in 1. Timoth.2. tom.15. pag. 485. alternative loquitur, *Vel isti sancti sunt beati, & sic habemus, quod pro nobis orant, vel sunt viatores, quia sancti jam beati à sanctitate excidere nequeunt, & pro seipsis orare non indigent, & sic beati, id est, seniores eas Deo præsentant.*

Argum.16. Apocal.6. v.9. *Animæ sanctorum sub altari clamant. Vindica sanguinem nostrum. Si animæ sanctorum Martyrum petunt vindictam de interfectoribus suis, ergo multo magis misericordiam petunt pro fratribus suis.* Bellarminus d.loc. Salmero d.l. &c.

Resp.1. Thomas in cap.6. Apocal. *Per altare figuratur Christus. Sub hoc altari, scilicet Christo, sunt animæ, non solum in statu viæ, dum scil. in hisce terris versantur, sed etiam in statu patriæ* (utique in cœlo,) *sicut sub eo, à quo subteguntur, sunt sub umbraculo contra omne malum.*

2. Ribera in Commentar. h.l. sic disserit: *Quæritur, quomodo mortui vindictam petant de interfectoribus suis, quos vivi ut proximos suos amabant? Absit autem, ut sancti sint in vita feliciori crudeles. Quæstio facile solvitur, si dicamus, corpora eorum conspersa cruore ultionem de interfectoribus suis petere, quemadmodum Genes.4. Sanguis Abel dicitur clamare ad Deum contra Cain interfectorem.*

3. Blasius de Viega in hunc loc. *Clamor hic est clamor sanguinis corporum occisorum. Nec te moveat, quod non corpora, sed animæ dicuntur, quia hoc loco animæ pro hominibus ipsis sumuntur, ut sæpe alias.*

Similia occurrunt apud Cornelium à Lapide in h.l.

4. Gregorius Lib.2. Moral. cap.6. animas illas pro se, non pro aliis clamasse asserit: *Magnum animarum clamor, inquit, magnum est desiderium, tum resurrectionis, tum judicii. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat, & tanto majorem vocem exprimit, quanto se in rei desiderium penitus fundit.*

5. Eodem etiam modo Bernhardus serm. in festo omnium Sanctorum preces illas constituit in solo desiderio judicii extremi & resurrectionis. *Dicunt*, inquit, *vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est: non tanquam vindictæ cupidi, nec de propriæ ultionis zelo, sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem judicii differendam esse non dubitant.*

(Eodem modo exponunt Haymo & Ambrosius Ansbertus. Ergo pro seipsis orant illæ animæ, & de suis rebus agunt, non dicunt: *Quare non liberas fratres nostros à manibus persecutorum in terra? sed: Quare non vindicas nostrum sanguinem?*)

6. Lyranus sic exponit: *Ille clamor non est aliud, quam manifestatio nequitiæ Tyrannorum coram Deo merito puniendæ, & innocentiæ Martyrum præmiandæ, sicut dixit Dominus ipse Cain Genes.4. Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra, hoc est, ejus innocentia declarat tuam nequitiam puniendam in mortis ejus vindictam.*

(Ex hac interpretatione non potest specialis intercessio sanctorum deduci.)

In Glossa ordin. Lugdun. Augustinus citatur in eandem sententiam.

7. Bellarminus Lib.3. de Verbo Dei cap.3. *ex sensibus mysticis in fidei articulis non posse firma argumenta peti*, asserit. (At recitatur ibi mystica visio.)

Argum.17. Apocal.8. v.3. *Angelus stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa, ut daret orationibus sanctorum. Ergo Angeli preces nostras Deo offerunt, ac proinde etiam religiose à nobis invocari possunt. Si Angeli, ergo & sancti defuncti.* Alphonsus de Castro d.l. Bellarminus Lib.1. de Beatit. Sanctor. cap.16. Bailius in Catech. controvers. tract.2. q.46. &c. Tirinus in h.l.

Resp.1. Glossa interlin. Thomas, Hugo Cardinalis, Anshelmus, Dionysius Carthusianus *per Angelum* intelligunt *ipsum Christum*. (qua in parte sequuntur Primasium, Ambrosium, Ansbertum, Haymonem & Rupertum.) Thomæ sive Aquinatis, sive Anglici verba sic habent; *Angelus, scil. Christus, qui dicitur Angelus, quia missus à Patre in mundum ad annunciandum ea, quæ sunt salutis, hominibus.*

Et postea: *Repræsentat orationes justorum Deo Patri. Ipse enim est Mediator noster, per quem habemus accessum ad Patrem, & per quem orationes justorum exaudiuntur.*

2. Blasius de Viegas in cap.8. Apocal. sect.3. pag.343. *De manu Angeli, id est, Christi. Nec recte quidam è recentioribus dicunt, Christum nunquam Angelum absolute dici, satis est ex consequentibus, Christum esse, colligere.* Ibidem scribit Viegas. *Reliqui omnes Interpretes, esse Christum Dominum, confitentur, quia nulli alii, quam Christo accommodari potest, universæ Ecclesiæ incensa, hoc est, orationes in thuribulo aureo tanta majestatis specie Patri offerre.*

3. Claudius Espensæus in Append. Comment. in Epist. Timoth. tr. de Christo Mediatore cap.9. statuit, *per Christum & unicum & solum Mediatorem Dei & hominum oblationes & preces nostras esse exaudibiles.*

(Quod si ergo per solum Christum preces nostras sunt exaudibiles, utique etiam per ipsum solum & unicum Mediatorem eædem Deo offeruntur.)

4. Estius in cap.2. prioris Epist. Petrinæ v.5. sic commentatur: *Per Christum offerimus spirituales hostias, in quantum ille, tanquam Mediator & Sacerdos noster eas, velut à nobis susceptas, offert Deo Patri, suaque intercessione eas commendat. Hebr.13. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo. Apoc.8. Data sunt illi, Angelo, incensa multa, ut daret orationibus sanctorum omnium super altare aureum: Per quem Angelum Christus significatur.*

Et postea: *Offert Christus orationes nostras ac cætera bona opera Deo Patri, quia per suum meritum grata ei facit & accepta.*

Arg.18. *Sanctorum invocatio nititur visionibus ac revelationibus.*

Resp. Quid de visionibus ac revelationibus judicandum sit, ostendimus ex ipsis Pontificiis Lib.1. part.2. cap.16.

Georgius Tyskivicius Jesuit. in Theologia Antilogica Lutheranorum invocationem sanctorum probare satagit ex 2. Maccab.15. v.14. sed præterquam, quod Gregorius Magnus Episcopus Rom. & Pontificii saniores agnoscunt, librum secundum Maccabæorum esse extra Canonem, notandum, quod Glossa Bibliorum in Ecclesia Rom. recepta hanc visionem ad Christum referat. *Per Hieremiam Prophetam*, inquit, *significatur Dominus noster Iesus Christus, qui Luc.7. dicitur Propheta magnus, & ipse dat Iudæ gladium aureum, h.e. Prælato vel Doctori sacrã Scripturam, quæ secundũ Apostolum Eph.6. dicitur gladius &c.*

Argum.19. *Sanctorum invocatio confirmatur miraculis.*

Resp.1. Quid *de miraculis* judicandum sit, ostendimus Lib. 2. art.5. de Ecclesia, capite 4. th.11.

2. Hic repetimus illud Andreæ Fricii Lib.4. de Republ. emend. cap.13. *Quod Eccius addit de auxiliis & miraculis sanctorum, non est ejusmodi, ut inde debeat aliquod dogma statui in Ecclesia Dei, in qua qui loquitur, loqui debet, ut Petrus inquit, eloquia Dei. divina oracula, extra quæ Propheta Deorum ignotorum cultum suadens, etiamsi signa & portenta prædicat, quæ eveniant, jubetur tamen occidi. Surrecturos autem tales, qui signa & prodigia daturi essent, ut etiam electi, si fieri posset, in errorem inducant, Christus olim prædixit, atque ut ab illis caveremus, admonuit. Nota sunt & illa, Satanam solere se transformare in Angelum lucis, & Spiritus probandos esse, num ex Deo sint. Unde vero certius argumentum Spirituum capere possumus, quam ex eloquiis Dei?*

3. Exempla ejusmodi miraculorum quamplurima proferuntur *ex Gregorio Turonensi*, (illum vero Baronius Ann.109. *nimiæ simplicitatis* arguit,) ex Gregor. Magno, (illum vero Canus Lib.11. Locor. c.6. numerat inter eos Scriptores, *qui indulserunt ingeniorum suorum voluptati, imo & vulgo.*)

4. Erasmus in Ecclesiaste p.336. *Illud non est recentis exempli, Divos cõfictis miraculis affectibus imperitæ multitudinis commẽdare.*

Argum.20. *Honor matris redundat in Filium, honor sanctorum in Deum.*

Resp. Ex Bonaventura Lib.3. sent. dist.3. n.18. *Non sequitur, quod omnis honor, qui attribuitur Filio, attribuendus sit matri, quia sic non esset Filium honorare, sed potius Filio contumeliam facere, cum honorem sibi soli debitum quis alii attribueret.*

Idem: *Etiamsi mater sit habenda in reverentia, multo major tamen est habenda erga Filium, ex quo est illi omnis honor & gloria, qui est omnium Redemtor & Salvator, qui omnibus aperuit januam, & unus pro omnibus mortuus est. Idem cavendum docet, ne dum matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur, & sic in illo mater provocetur, in quo magis vult Filium extolli & honorari, quam seipsam, utpote creatorem creatura.*

(Quam-

(*Quamvis* vero, inquit Cassander in Consult.art.21.p.971. *hæc de originali peccato loquantur, à quo solum Christum, non etiam Virginem matrem excipi vult, tamen etiam ad intempestivos illos Virginis honores, quibus non solum Filio æquatur, sed etiam antefertur, accommodari possunt.*)

Argum.21. *Sanctorum invocatio confirmari potest testimoniis Patrum.*

Resp.1. Ostendimus superius in confirmatione nostræ sententiæ memb.14. quosdam ex ipsis Pontificiis fateri, *quod invocatio sanctorum destituatur unanimi primitivæ Ecclesiæ temporibus Apostolorum vicinæ suffragio.*

2. Quædam Patrum testimonia petita sunt ex libris ψευδεπιγράφοις, ut constat ex illis, quæ Lib.1. Confess. general. part.2. cap.12. membr.12. sunt allata.

3. Qua ratione Bellarminus Lib. de Imaginib. sanctorum c.23.§.13. respondet ad preces Ecclesiæ sibi objectas, in quibus crucem compellant, & ab ea spiritualia beneficia petunt,

(*O crux ave spes unica,*
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam &c.)

eadem ratione ad plurima Patrum dicta, quæ pro stabilienda sanctorum invocatione afferuntur, respondere possumus.

Respondet autem hoc modo: *Vel ibi accipitur crux pro ipso crucifixo, vel illa est prosopopæia Rhetorica. Significamus autem hac prosopopæia, nos desiderare fructum crucis, id est, salvari per meritum Christi, qui in cruce passus est.* Pari modo & nos dicimus, quosdam ex veteribus per prosopopæiam Oratoribus usitatam, ac per Apostrophen Rhetoricam sanctos ut præsentes compellare, ex quo tamen inferri nequeat, quod religiose, suppliciter ac fiducialiter eos invocarint.

4. Veritatem hujus responsionis in dictis Basilii, Nazianzeni & aliorum quorundam locum habere agnoscit Bellarminus ipse sic scribens de Beatit. Sanctor. cap.19 §.44. *Porro Brentius c.24. Confess. VVirtenberg. omnia conatur eludere per figuram prosopopæiæ. Dicit enim, Patres in Concionibus invocare esse solitos nomina mortuorum, ac si viverent, sicut interdum inter declamandum alloquimur cælum vel terram, vel homines mortuos, quos tamen certo scimus, non audire. At hoc figmentum inprimis, si ullum haberet locum, solum haberet in testimoniis Basilii & Nazianzeni, & quorundam aliorum, qui inter concionandū sanctos invocarunt &c.*

(Expendantur ea, quæ occurrūt apud Dionys. in Hierarch. Eccl. cap.3. Abdiam in vita Andreæ Nazianz. orat.1. in Julian. Hieronymum in Epitaphio Paulæ &c. & liquido apparebit, omnino in illis dictis ad prosopopæias & Apostrophos esse confugiendum.)

Hisce in genere de sanctorum invocatione præmissis, specialia fundamenta porro erunt expendenda.

1. Quod *sancti sciant in particulari, quæ in terris geruntur*, ac proinde invocari possint, probant ex eo, 1. Quod *sancti dicuntur* ἰσάγγελοι *Luc.20. v.36. jam vero Angeli sciunt hominis conversionem* Luc.15. vers.10. Pazmannus in Hodeg. Lib.13. cap.3.

Resp.1. Sancti cœlites non per omnia, sed *secundum quid* Angelis erunt æquales.

Thomas in cap.22. Matth. *Erunt similes Angelis, quia immunes erunt à passionibus.*

Item: *Qui habent animum elevatum à passionibus, similes sunt Angelis, passiones autem, quæ magis efficiunt homines bestiales, sunt passiones Venereorum.*

Alfonsus de Castro Lib.3. adv. hæreses, verbo Beatitudo, hæresi 1. *Hæc autoritas, ut ingenue fatear, solum æquat homines Angelis in hoc, quod nullum matrimonii usum habebunt, sicut nec Angeli, non tamen facit pares quantum ad facialem Dei visionem.*

Franciscus Lucas Brugensis in hunc loc. Matth.22. v.20. *Quemadmodum cœlestes Angeli vivunt absque nuptiis & omni nuptiarum usu: sic vivent homines justi ex morte redivivi, non ducent uxores viri, neque nubent, aut nuptui dabuntur mulieres, & qui hac in vita matrimonio juncti fuerint, in illa matrimonium non agnoscent, ubi affectus nuptialis appetitusve carnalis copulæ nullus erit, nec ullus matrimonii usus &c.*

Maldonatus in cap.22. Matth. ad verba, *Erunt Angelis similes. Dominus non comparat beatos Angelis omnibus in rebus, sed in ea tantum, qua de agebatur, quod nuptias inituri non essent, ut Hieronymus annotavit, quia nimirum immortales erunt, ideoque opus illis non erit nuptiis, quæ non nisi ad propagandum & perpetuandum mortale genus hominum instituta sunt.*

Barradius tom.3. lib.8. cap.15. pag.502. *Erunt similes & æquales Angelis, quod attinet ad nuptias. Quemadmodum inter Angelos non sunt nuptiæ, sic non erunt inter homines isangelos.*

2. *Etiam in Vet. Test. sancti defuncti fuerunt* ἰσάγγελοι. *Et tamen non noverunt in particulari ea, quæ in terris gerebantur*, ut fatentur Pontificii.

3. Præterea dicuntur hæc de sanctis *post resurrectionem.* At Pontificii invocant sanctos etiam *ante resurrectionem.*

2. Eandem rerum terrenarum scientiam in sanctis Nihusius probare conatur exemplo *Eliæ Prophetæ, cujus literæ ad Regem Israelitarum Ioramum missæ* 2. Paral.21. v.12. *quas post ascensum Eliæ in cœlum ad eum missas esse* statuit, atque hoc argumentum *pro nodo Gordio* habet, quem nullus Lutheranorum hactenus solvere valuerit, de cultu sanct. c.1. class.2. arg.1.

Tirinus *has literas, novennio post Eliæ translationem exacto, ex Paradiso ad Ioramum missas* statuit, 2. Paral.21. v.10.

Resp.1. Torniellus in Annalibus Anno mundi 3146. num. 2. sic scribit: *Volens Dominus adhuc gravius affligere Ioramum, ne ullam posset impœnitentiæ suæ prætendere excusationem, palam præmonuit eum per literas eidem allatas nomine Eliæ Prophetæ, quas oportet vel non ab Elia Propheta Thesbite, qui jam multis annis antea, videlicet primo anno Ioram Regis Israel translatus fuerat, sed ab alio quodam ejusdem nominis Propheta fuisse acceptas, ut sentit Cajetanus super 2 Paralip.21. vel potius, ut arbitror, ab ipso Elia Thesbite, tanquam à magnæ autoritatis viro, de cujus sanctitate & in futuris prænunciandis veritate, nullus remanebat ambigendi locus, ab incognita regione fuisse transmissas, aut ante ejus raptum Elisæo seu alicui alii relictas simul cum mandato, ut postea tali tempore Regi Ioramo præsentari omnino deberent.*

(Posteriorem sententiam ex nostris amplectuntur Lutherus tom.4. Jenens. Latin. in Chronol. pag.706. Mentzerus in Apolog. primæ Disputat. Anti-Pistor. pag.272. edit. Marpurg. Anno 602. Balduinus contra Pazmannum Lib.13. cap.3. ubi collationis gratia adducunt, quod *simili modo legamus vaticinia Esaiæ de futuro regno Cyri* cap.44. v.45. *& viri Dei de regno Iosiæ* 1. Reg.13. v.2.

2. Sanctius in 4. Reg. cap.2. n.25. de tempore, quo hæ literæ scriptæ, dubitanter loquitur. *Licet*, inquit, *multi de tempore, quo scriptæ sunt hæ atque datæ literæ, dubitarint, tamen non est improbabile, in Paradiso scripsisse literas, easque Angelorum ministerio ad regias manus esse translatas. Ita putat Malvenda Lib.9. cap.2. & quidam ex Hebræorum Magistris, ut dicitur aperte in Seder Olam cap.17. ubi Elias septennio, postquam esset translatus, misisse traditur è cœlo literas ad Ioram. Sed de tempore nihil hic definio, tantum dico, id mihi videri non improbabile.*

3. De *Helia* statuit Bellarminus, *ipsum aliquando rediturum in terras ad expugnandum Anti-Christum* Lib.3. de Rom. Pontif. cap.6. *ac eum adhuc esse mortalem.*

Ibid. *Ex Scripturis constat, eum vivum, corpore & anima in cœlum esse subvectum.*

(At quæstio hic est *de sanctis defunctis*, quorum animæ à corporibus separatæ in cœlo vivunt. Hactenus ergo argumentum est à quæstione alienum, ac exemplum illius, qui corpore & anima in cœlum sublatus, vivit, ac singulari privilegio gaudet, non potest applicari reliquis defunctis secundum corpus mortuis.)

4. Adamus Conzenius in qq. Procem. in quatuor Evangel. q.5. §.8. secutus præceptorem suum Nicolaum Serarium capite 8. q.14. Proleg. Bibl. recensens libros sacros amissos, de hac Epistola Eliæ alternative loquitur: *Decimus octavus*, inquit, *liber amissus est Epistola Eliæ Prophetæ, quam vel ante mortem, ut in Concentu suo Hugo Brigthonus, vel post mortem ad Regem Israelis misit*, 2. Paral.21.

(Ergo non præcise statuit, post mortem esse missam.)

2. Quod *sancti sint in terris præsentes*, probant ex Apocal. 14. v.4. *Sequuntur Agnum, quocunque ierit.*

Resp.1. Pontificii negant Christi hominis sive Agni omnipræsentiam.

(Quomodo igitur ex omnipræsentia Agni sive hominis Christi inferre possunt omnipræsentiam sanctorum?

2. Pontificii statuunt, Apoc.14. agi de illis, *qui votum virginitatis fecerunt*, Bellarminus Lib.2. de Monach. cap.9. Tirinus in Comment. h.l.

(Ergo Virginum duntaxat omnipræsentia & invocatio ex hoc loco probari posset, non autem *in genere* omnium sanctorum defunctorum.)

3. Gregorius Episcopus Romanus hanc sequelam intelligit *de imitatione & communicatione sanctorum cum Christo*, quod scilicet in hac vita præeuntis Agni ductum in fide & moribus sequantur; & eodem cœlestis beatitudinis consortio cum ipso perfruantur.

Tirinus in h.l. *Tanquam individui comites Agni, & ab eo summe instar amicorũ, imo instar Sponsarum, dilecti sequuntur eum, quocunq; ierit, nec ab ejus latere unquã divellũtur*, (videl. in Paradiso.)

3. Quod sancti sint *præsides ac gubernatores rerum humanarum*, cumprimis Ecclesiæ, probant,

1. Ex Psal.45.v.17. *Constitues eos Principes super omnem terram. Ergo sancti in cœlis cum Christo regnantes, hæc terrena curant & administrant.* Argumentum est Costeri in Enchiridio, & Hieremiæ Drexelii in Trismegisto Lib.2.c.1.p.525. operum.

Resp.1. Lombardus & Aygnanus interpretantur *de Apostolis, quod principatum super terram, i.e. autoritatem administrandæ Ecclesiæ acceperint, dum essent in terris.*

2. Bellarminus in Psal.45. eodem modo: *Qui nati sunt tibi filii, id est, inquit Apostoli & discipuli Christi, qui tantæ excellentiæ erunt, ut orbi leges dare possint, ideo constitues eos super omnem terram. Vere enim Apostoli primi Eclesiæ filii toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis Monarcha facere potuit.*

3. Lorichius in h.l. *Hinc intelligitur perpetua successio Pontificũ & Prælatorum legitime electorũ, ordinatorumq; in Ecclesia Dei. Deinde principatũ ac regimen Ecclesiæ nõ pertinere ad Laicũ Magistratum.*

4. Eodem modo exponũt Cornelius Jansenius & Tirinus.

(Fuerunt ergo Apostoli, dum viverent, *Principes in Ecclesia*, quam optimo modo administrabant: sunt etiam post mortem, quia eorum doctrina eadem autoritate perseverat, & æque auditur hodie in Ecclesiæ administratione, *Hoc Petrus dixit, hoc Paulus, hoc Iohannes &c.* ac olim. Sed quid hoc ad terrenorum dominatum?)

2. Ex Psal.149.v.5. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum. Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Cotonus Jesuita.

Resp.1. Aygnanus & Bellarminus referunt *ad diem postremi judicii*, & ad id, quod Christus Apostolis pollicitus est Matth. 19.v.29. *sessuros scil. eos secum in duodecim sedibus, & judicaturos duodecim tribus Israel.*

2. Cornelius Jansenius in h.l. sic commentatur: *In sensu mystico oportet intelligere gladium Spiritus, quod est verbum Dei, & potentiam resecandi putrida membra à puris: deinde & potestatem judiciariam & vindicativam, qua in novissimo judicii die cum Christo sancti hunc mundum judicabunt.*

3. Lorinus in Comment. monet, *plerosque Interpretes sequi Augustinum, qui gladios ancipites interpretatur verbum Dei in ore fidelium.*

4. Tirinus ad illum locum sic annotat: *Gladii ancipites in manibus eorum, qui serviant vindictæ de impiis sumendæ, ut fecit Moses, Iosue, Iudices, David, Iosias, Maccabæi &c. Allegorice jurisdictio Ecclesiæ & potestas puniendi quosvis rebelles; Anagogice potestas judiciaria Christi & sanctorum in extremo judicio.*

3. Ex Matth.24.v.46. *Beatus servus ille, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem. v.47. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Ergo Spiritus beatorum sedent in throno Christi, id est, cum illo præsident toti mundo, & Ecclesiam regunt ac gubernant.* Bellarminus Lib.1. de Beat. Sanctor. cap.18.

Resp.1. Bellarminus Lib.3. de Verb. Dei cap.3. docet, *ex solo sensu literali peti posse firma argumenta.*

(Jam vero proponitur ibi *parabola* metaphorice explicãda.)

2. Toletus in cap.12. Luc. p.798. *His verbis Christus significat excellentiam præmii & beatitudinis, quæ in perfecta Dei visione consistit, ideo dicitur, super omnia bona.*

3. Maldonatus in Matth.25.v.31. *Non est in specie, sed in genere accommodandum ad rem significatam. Nec enim sensus est fore, ut in cœlo homines, aut civitatibus, aut ulli omnino officio præficiantur, sed hoc tantum, fore ut pro suis meritis præmia alii majora accipiant, alii minora; sed ex consuetudine, aut Christus, aut Evangelista non verba, sed sensum Christi exprimens, dixit: Esto super decẽ civitates, quia de Rege loquebatur, quorũ est cõsuetudo bene meritos viros gubernandis præficere civitatibus, significat præmia majora meritis fore.*

4. Emanuel à Sa in Schol. Matth.24. *Super omnia bona, hoc est, conregnabit cum Christo, inquit Origenes, cui omnia Pater tradidit.*

5. Barradius Lib.10. Conc. Evang. cap.12. p.642. *Quod Dominus omnes res suas, omnia bona fidei, prudentiæ & vigilantiæ illius servi dicitur traditurus, eo præmio & dignitate æternum præmium & dignitas adumbratur, quæ bonus Pastor ac Doctor in gloria à Deo donabitur.*

6. Cornelius Jansenius in Conc. Evang. cap.87. pag.640. *Parabolice significat Dominus, eos qui hic præfecti familiæ Christianæ fide optima munus suum obeunt, ab ipso, cum ad judicandum redierit, præficiendos omnibus suis bonis, quod fiet, cum cœlestium suorum bonorum eos participes faciet.*

(Per bona igitur Domini vitæ æternæ præmia intelligũtur.)

7. Idem judicium est de verbis Luc.19.v.17. *Euge serve bone, eris potestatem habens super decem civitates. Item alii v.18. Eris super quinque civitates.*

Lyranus in c.19. Lucæ: *Gaudebis de felicitate omnium, qui per tuam doctrinam, vel exemplum vitæ tuæ conversi sunt ad bonum.*

(Sicut *distributio minarum* παραβολικῶς accipienda, ita quoque *distributio civitatum.* Theophylactus in h.l. *Significat, multiplicata præmia recipi.*

Tirinus in h.l. *Decem vel quinque urbium gubernatio designat consortium ejusdem cum Christo regni, gloriæ & gaudii, sed majoris, minorisve pro meritis cujusque.*

4. Ex Apoc.2.v.26. *Qui vicerit &c. dabo illi potestatem super gentes: v.27. & reget eas in virga ferrea. Significatur, quod Spiritus Sanctorum post mortem regant Ecclesiam.* Bellarminus dicto loco. Rayhingius in Manual. Catholico pag.502. Tirinus in hunc loc. &c.

Resp.1. Lyranus in Commentario sic explicat: *Dabo illi potestatem super gentes in finali judicio, in quo perfecti judicabunt cum Christo, & sic habent potestatem super gentes judicandos. Et reget illas virga ferrea, inflexibili justitia, & tanquam vas figuli confringetur, quod tunc peccatores in infernum detrudentur.*

(Ergo sermo est de potestate, quam accipient electi in die judicii v.25. & 27.

2. Alcasar in Apoc.2.v.27. not.7. fatetur, *communem explicationem hujus dicti esse, quod sanctis in judicio extremo certo modo promittatur, quod cum Christo gentes, id est, infideles & impios sint judicaturi. De qua potestate Christi* dicitur Psal.2.v.9. *de sanctorum potestate* Psal.149.v.6. Sap.3.v.8. Matth.19.v.28. 1. Cor.6. v.1. & 3. Pro hac expositione Jacobus Tirinus adducit Victorinum, Aretam, Lyranum, Riberam, Cornel. à Lapide &c.

3. Alcasar ibidem meminit alterius explicationis, eamque approbat, qua quidam hoc dictum exponunt *de potestate, quam Christus accepit à Patre* Psalm.2.v.9. *eamque dedit concionatoribus verbi, tanquam suis ministris, qua convertant gentes, & sub jugum infidelibus propter carnis concupiscentiam grave redigant.*

(Hac ratione dictum hoc non pertinebit ad sanctos cum Christo in cœlo regnantes, sed ad concionatores in terra prædicantes.)

Ibidem dicit: *Evangelica perfectio sub durissimi imperii & virgæ ferreæ specie adumbratur, quia jubet frenare cupiditates, mortificare carnem jejuniis & ciliciis, pro Christo mori &c.*

4. Huic expositioni confirmandæ inservit, quod Bellarminus *de virga pastorali h.l. sermonem esse* dicit.

(At sancti defuncti nullam officii pastoralis partem amplius administrant, non prædicant verbum, non administrant Sacramenta, non habent curam ægrotorum.)

5. Blasius de Viegas in Comm. p.172. prolixe hunc locum explicat, sed potestatis illius, quam Bellarminus defunctis sanctis tribuit, nullam facit mentionem. *Beda*, inquit, *Primasius, Ansbertus & alii dicunt, consequi Ecclesiam istam promissionem per ipsum Christum, cui dictum est Ps.2. Dabo tibi gentes hereditatem &c. quæ expositio nobis placet.*

(Potuisset Blasius etiam addere *Haymonem*, qui eodem modo exponit.)

Et postea: *Duo sunt sensus literales hujus loci, Unus ut promittatur Ecclesiæ universæ ea in rebus temporalibus felicitas, quod gentes multas sibi subjiciat, imperium in subditos secure exerceat, tantáque sit potentia, ut rebelles facile possit coercere, hæreticorum impetus comprimere, denique adversariorum vires frangere, nullius denique potentiam formidare. Alter, quem etiam plerique afferunt, ut iis, qui viceerint, h.e. Iezabeli, ejusque sectatoribus, videl. tum pravis hominibus, tum hæreticis sese strenue & animose opposuerint, promittatur fore, ut ob eorum probitatem, adversusque Iezabelem animi magnitudinem in alto dignitatis gradu collocentur, prælatique aliorum efficiantur, itaque ad eum locum evehantur, ex quo alios virga ferrea, h. e. inflexi*

flexili & æquissima regant, legumque sanctitate devinciant, rebelles autem ac petulantes imperio compescant, & disciplinæ severitate in officio contineant.

(Neutra expositio probat id, ad quod probandum Bellarminus hunc locum adducit.)

6. Præmium hoc, quod spiritualibus victoribus promittitur, oportet esse *Universale*, quo omnes potiantur, qui ad finem usque perseverant, ut colligitur ex reliquis promissionis membris, *Victori dabo edere de arbore vitæ; victor non lædetur à morte secunda; victori dabo edere ex manna illo abscondito &c.* At procuratio illa terrenorum non potest esse omnibus sanctis communis, nam eos saltem excipi oportet, qui erunt ad consummationem seculi.

7. Cornelius à Lapide ad h.l. sic annotat: *Richardus, Anshelmus, Thomas de Aquino ex hoc loco colligunt, gubernandi curam non nisi ei, qui vicerit, id est, viro probo, æquo, forti, magnanimo, invicto, qui nullis cedat molestiis, murmurationibus, minis, periculis, committendam esse. Rursum hinc colligunt, quod qui vincit in seipso vitia, hic facile eadem vincet & extirpabit in alio, ut si vincas in te superbiam, facile eandem vinces in alio, quo fit, ut reipsa tales vincentes sæpe gentes sua mortificatione & sanctitate convertant ad Christum & sui imitationem.*

(Hæc explicatio non inservit Bellarmini hypothesi.)

5. Ex Apoc.3.v.12. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei.* Ergo sancti defuncti sustentant Ecclesiam. Bellar.d.l.

Resp.1. Richardus de S.Victore in cap.2. Apoc. *Faciam eum columnam in templo Dei mei, id est, efficiam, ut instar columnæ sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, & præterea alios sustentet verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.*

(Hoc pertinet ad sanctos *in terris* adhuc viventes.)

2. Lyranus in h.l. *Faciam illum columnam, h.e. fortem & potentem in fide, non solum per se, sed & pro aliis confortandis & confirmandis. Secundum hunc modum Petrus, Iohannes & Iacobus columnæ dicuntur Gal.2. In templo Dei mei, id est, in Ecclesia militante, ut patet ex sequentibus. Subjicitur enim, & foras non egredietur, scil. per apostasian, quod in hac vita fieri potest.*

3. Jacobus Tirinus Jesuita ad hunc locum sic annotat: *Faciam illum in templo cœlesti columnam, id est, tropheum victoriæ ex hostibus partæ, ut fuerunt in templo Dei mei terreno Boos & Iachin, de quibus 3. Regum 7.v.15. & 21. quæ erant trophæa victoriarum Davidis, q.d. Extollam illum supra alios, & victoriis ac trophæis celebrem gloriosum ac famosum reddam tota æternitate.* Eodem modo exponit Blasius de Viegas.

4. Alcalar in Comment.h.l. *quindecim autores* allegat, qui sic interpretentur, *quod Christus Episcopo Philadelphiæ, de quo v.8. dicit: Habes virtutem modicam &c. & aliis hujus generis, qui in officio docendi modica virtute utuntur, promittat, quod velit ex illis facere firmas columnas in Ecclesia, quæ possint onera officii sui firmiter portare, quo sensu Iacobus, Cephas & Iohannes videbantur columnæ* Gal.2.v.9. Hanc expositionem Alcasar approbat.

6. Petrus de Bollo in authentica probatione sacrificii Christiani argumentum ducit ex Luc.16.v.9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Item cap.6. *Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, confertam & coagitatam & superfluentem dabunt in sinu vestro. Quomodo,* inquit, *remetietur gratum munus eleemosynæ divitis impensæ pauperi, qui statim, eo accepto, moritur, nec pinguioris fortunæ experitur favorem, nisi orationis & precum favore? ubi fœnerabuntur locupletes illos misericordiæ concessæ fructus, præsertim, si Lazari instar pro foribus divitis avari suscepta eleemosyna illico commoriantur? Creditum illud æs vere solvitur in futura vita, & remetietur merces & gratia illa in cœlis, ubi cœlestes adepti thesauros suis suffragiis & precibus nobis opitulantur, adeo, ut ingenti cum fœnore caduca & terrestria ista beneficia pusilla videbuntur tantæ gratiæ precio.*

Resp.1. Præsupponit ille Petrus in hoc suo argumento, *perire fructum eleemosynæ, si non accipiatur ab iis, in quo eleemosyna est collata.* Sed contrarium docent ipsi Pontificii ex verbis Christi Lucæ 6.v.35.

Toletus in illum locum. *Benefacite etiam iis, à quibus nulla referenda gratia expectatur.*

Et paulo post annotat. *Diligite inimicos, non ut vos diligant; sicut, Benefacite hominibus, ac mutuo date, non ut similibus vos beneficiis prosequantur.*

2. Illud, *Dabitur vobis*, Luc.6.v.38, non referendum ad eos, qui acceperint, sed ad Deum, qui dare præcepit & obsequentibus huic mandato præmia promisit.

Toletus in h.l. *Promissio fit dantibus. Qui enim misericordes & benefici erga alios sunt propter Deum, his Deus misericordem ac beneficũ sese exhibet: sic enim Deus homines diligit, ac mutuo seipsos diligere cupit, ut omnibus, qui aliis ipsius gratia beneficia impéndunt, ipse rependat, tantaque promissione ad dandum invicem excitet & alliciat.*

Et paulo post ad illud, *Mensuram dabunt. Hæc mensura plena & perfecta est, talẽ Deus certissime reddet, nã perfectissima mercede cumulabit non judicantes, non condemnantes, dimittentes & dantes.*

4. Quod *in sanctos spes & fiducia cordis collocari possit*, probant 1. Ex Johan.5.v.44. ubi Judæi dicuntur *in Mose sperasse.*

Resp.1. Pontificii docent, sanctos eo tempore, quo Christus hæc protulit, fuisse *in limbo* constitutos, à beatifica Dei visione remotos. Ergo in eos tunc nõ potuit cordis fiducia collocari.

2. Cajetanus & Toletus in Commentario h.l. per Mosen, statuunt, intelligendam esse *doctrinam Mosaicam*, id est, per Mosen populo Israelitico promulgatam. *Sperabant ergo Iudæi in Mosen*, non quod in personam Mosis defuncti spem & fiduciam collocarent, sed quod sperarent, se per ipsius doctrinam salutem consecuturos, si vel maxime non crederent in Jesum Nazarenum, nec eum pro Messia agnoscerent.

3. Maldonatus in hunc loc. sic commentatur: *An hoc reprehendendo dicat, quod in Mose spem haberent, non abs re potest dubitari. Leontius quidem valde probabiliter existimat, esse reprehensionem; debuisse enim Mosi quidem credere, sperare autem non in illo, sed in Deo debuisse, contra vero illi faciebant, Mosi non credebant, & in illo sperabant. Quemadmodum ergo eos antea reprehendens dixit: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; ita nunc dicit de Mose, in quo vos speratis, ut Euthymius observavit, unde colligitur, Mosen hoc loco Scripturam Mosis appellari, in qua dicuntur spem suam positam habuisse, quia existimabant, se Ceremoniarum & legalium mandatorum observatione vitam æternam consecuturos.*

2. Philem, v.4. *Gratias ago Deo meo semper, memoriam tui faciens in orationibus meis.* v.5. *Audiens caritatem tuam & fidem, quam habes in Dominum Iesum & ad omnes sanctos. Ergo etiam in sanctos haberi debet fides.* Bellarminus d.l.

Resp.1. Benedictus Justinianus Jesuita in hunc locum sic commentatur pag.595. *Qui hoc loco de cultu & veneratione sanctorum contra hæreticos disserunt, plane ludunt extra chorum. De iis enim sanctis loquitur, quorum viscera, ait, nõ multo post per Philemonem requievisse, intelligens beneficentiam & liberalitatẽ in fideles, qui propter fidem & Sacramenta non semel à Paulo sancti appellantur.*

2. Dionysius Carthusianus in Commentar. docet, *fidem referendam ad Christum, caritatem ad sanctos.*

Eandem trajectionem, qua fidei objectum *Christus*, caritatis objectum *sancti* constituendi sunt, in textu agnoscunt Cajetanus, Benedictus Arias Montanus, Jacobus Tirinus & Estius in h.l. (quam probant vis phraseos, scopus Apostolicus, parallelia Ephes.1.v.15. Col.1.v.4. & suffragia Patrum, Chrysostomi, Theodoreti, Primasii, Sedulii &c.)

3. Israelitæ dicuntur *credidisse Deo & Mosi* Exodi 19. illud Alfonsus de Castro Lib.2. advers. hæreses, verbo Adam, hæresi 6. ex Hieronymo sic explicat: *Una atque eadem credulitas in Mosen refertur & in Deum, ut populus, qui credebat in Dominum, æque credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solum in Mose, sed in omnibus sanctis ejus est, ut quicunque credidit Deo, aliter fidem ejus recipere non queat, nisi credat & in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio & fides, quæ in ministros ejus odio & infidelitate tenuatur. Quod autem dico, tale est. Credit quispiam in conditorem Deum, non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis ejus, vera esse, quæ scripta sunt: Adam à Deo plasmatum, Evam ex costa illius & latere fabricatam &c. Hæc & cætera, quæ de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit.*

(Hoc sensu libenter admittimus, fidem etiam ad sanctos referri, sed ex eo invocatio sanctorum non potest stabiliri.)

4. Ludovicus Vives ad locum August. Lib.18. de Civ. Dei c.54. (*Nos qui sumus, vocamurq́; Christiani, nõ in Petrum credimus, sed in quẽ credidit Petrus*) in margine sic annotat: *In Christum, nõ in Petrũ credũt Christiani.* Et in Cõm. adducit locũ Apost. 1. Cor. 3.v.5. *Quis est enim Paulus, quis Apollo? ministri, per quos credidistis.*

5. Quod sancti in specie pro nobis orent, probant

1. Ex Jerem.15.v.1. Sed de hoc dicto egimus superius.

2. Ex 2.Maccab. c. ult. Sed librum illum esse *Apocryphum* multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt, ut suo loco ostendimus.

3. Ex

3. Ex Luc. 16. v. 27. ubi *dives epulo orat pro fratribus.*

Resp. 1. Hac ratione sequeretur etiam damnatos in inferno in specie pro cognatis in his terris adhuc viventibus orare, quod Pontificii non concedent.

2. Sequeretur, sanctos pro nobis orantes nihil impetrare, cum dives epulo quoque nihil impetraverit.

3. Partem illam *parabolæ*, quæ colloquium cum Abrahamo recitat, Historiam esse negant Jansenius Concord, capite 97. Maldonatus in Comment. h. l. Estius in 4. sent. dist. ult. §. monet, *non solum in qq. Athanasii q. 21. sed quibusdam etiam Missalibus Papistarum legi hæc Lucæ verba sub titulo Parabolæ.*

(In parabolis vero scopus principalis tantum respiciendus, ut suo loco monuimus.)

4. Jacobus Tirinus in Comment h. l. movet objectionem, *Damnati ex summa obstinatione in malo execrantur omne bonum, nec cuiquam bene volunt, quomodo ergo hic dives fratribus consultum optat? respondet autem, non fratribus, nisi per accidens, sed sibi tantum consultum voluit, nam peccata fratrum, (utpote quibus ipse suo exemplo & consilio, forsan & præcepto causam dederat,) sibi imputanda sciebat, & pœna illorum pœnam suam augendam, inquit S. Gregorius & Lyranus.*

(Ergo hic dives non tã de fratribus, quã de se fuit solicitus.) Vide dicta superius.

4. Ex *communione*, quæ est inter *militantem & triumphantem Ecclesiam*, quo accommodant locum Apostolicum Hebr. 12. v. 23. *Accessistis ad Ecclesiam primogenitorum, qui in cœlis conscripti.*

Resp. 1. Ex communione illa probatur tantum generalis intercessio, alias sequeretur, sanctos in his terris viventes pro omnibus fratrum suorum necessitatibus in spem orare.

2. Estius in Comm. refellit eos, qui *per conscriptos in cœlis beatos* intelligi jubent, *quia de beatis mox peculiare membrum in eodem textu sequatur, Et ad Spiritus justorum perfectorum.*

(Scriptura *per conscriptos in cœlis* solet intelligere electos in carne versantes Luc. 10. v. 20. Phil. 3. v. 3. Apoc. 13. v. 8. c. 20. v. 15. c. 21. v. 27.)

3. Benedictus Justinianus, Estius, Cornelius sic exponunt, *quod ad beatos in cœlo Spiritus accesserimus per spem, qua aspiramus ad eandem gloriam*, Rom. 8. v. 24, *accedimus etiam per caritatem, quo illi nos & illos diligant*, sed an caritas illa in hoc tertio consistat, ut in spem pro nobis orent, nec ex hoc, nec ex aliis locis probari potest.

6. Quod *merita sanctorum defunctorum Deo in precibus fuerint proposita, & propter illa exauditio fuerit petita*, probant.

1. Ex Exod. 32. v. 13. Sed de hoc dicto egimus superius.

2. Ex Ps. 132. v. 1. *Memento, Domine, David & mansuetudinis ejus.*

Resp. 1. Pagninus & Bened. Arias verterunt *& afflictionis ejus.*

2. Thomas Aquinas & Saa intelligunt *de afflictione sub Saule.*

3. Lorinus ad h. l. annot. *Agathium Guidacerium in sensu literali hoc exponere de afflictione, quam ex contumeliis Michol uxoris patiebatur, cum arcam Domini asportaret* 2. Samuel, 6. v. 21. quem sensum Lorinus & Estius in hunc locum verum esse agnoscunt.

3. Ex Psalmi ejusdem v. 10. *propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.*

Resp. 1. Lorinus testatur, *Augustinum, Prosperum, Cassiodorum, Haymonem, Hugonem, non de meritis Davidis, sed de promissionibus Davidi factis hunc locum accipere.*

2. Toletus & Estius per Davidem intelligunt *Christum*, ob cujus merita Salomonis benedictio petatur, maxime & conservatio Ecclesiæ.

7. Quod *Angeli sint religiose adorandi*, (ac proinde etiam sancti, qui sunt ἰσάγγελοι,) probare conantur ex Actor. 27. v. 23. *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum, ᾧ καὶ λατρεύω.* Jesuitæ Paderbornienses in Colloquio de Invocatione Sanctor. & Purgat. Salmero tract. 57. in Acta. *Docuit Paulus suo exemplo, in periculis invocandos esse Dei sanctos*, quod ex hoc loco Act. 27. colligit.

Resp. 1. Communis est hypothesis Pontificiorum, *λατρείαν tribui soli vero Deo*, Ergo non potest hic intelligi Angelus creatus, & proinde relativum ᾧ non pertinet ad Angelum, sed ad Deum.

2. Maximilianus Sandæus in Castigat. conscient. cauteriatæ contra Laurentium p. 182. *Vox latria in Novo Testamento nunquam aliter sumitur, nisi ad significandum cultum Dei proprium.* Desumsit hoc, ut pleraq; alia, ex Bellarm. lib. de Beat. Sanct. c. 12. §. 13. *Scriptores sacri vocem λατρεία nunquam usurpant, nisi pro cultu solius Dei, ut patet ex N. Test.*

(Atqui, si vox λατρεία nuspiam in Novo Testamento aliter usurpatur, quam pro cultu solius Dei, utique etiam Act. 27. v. 23. ita usurpatur.)

3. Lorinus ad illum locum sic annotat: *Dei, cujus sum ego, ut intelligant gentiles, à quo sit in tempestate auxilium, non à seipsis, non à falsis Diis, quos colerent, sed à vero Deo, qui cum in gratiam supplicii* (supplicis) *sui cunctos præsenti mortis eriperet periculo, cognoscere possent, se, non ut merentem supplicium Romam duci.*

Et postea. *Cajetanus observat, profiteri Apostolum, se Dei esse secundum esse, sicut & secundum operari, cum addit: Et cui deservio. Alii, cujus sum Apostolus ac minister, & cui servio in Evangelio, sive prædicatione. Et cui deservio, λατρεύω cultu etiam religioso ac proprio Dei, cui cultui ex usu Ecclesiæ verbum istud adaptatur.*

(Atqui, ad quem refertur προσδιορισμὸς prior, cujus sum, ad illum etiam referendus προσδιορισμὸς posterior, cui servio: προσδιορισμὸς prior, cujus sum, non nisi ad verum Deum pertinet. Ergo etiam posterior.)

4. Gulielmus Estius in annot. aureis ad difficiliora Scripturæ loca in c. 27. Actor. p. 1061. *Illud, cujus sum ego & cui deservio, non ad Angelum referendum, sed ad Deum, ut sensus sit: Astitit mihi Angelus Dei, cujus Dei sum ego, videlicet cultor & cui deservio, id est, quem colo. Nam Græce est λατρεύω.*

5. Congruunt hæc cum Glossa interlin. quæ sic habet, *cujus ego sum, scilicet Apostolus*; &, *cui deservio, scil. in Evangelio*; & cum Lyrano, qui in hunc loc. sic commentatur: *cujus sum ego Apostolus & minister.*

6. Eadem repetit Cornelius à Lapide in Comment. h. l. *Cujus sum ego, minister, cultor & Apostolus. Dicit hoc, ne gentiles, qui erant in navi, suo Deo, aut Diis, hoc oraculum aut miraculum tribuerent. Et cui deservio, λατρεύω, id est, quem latria colo.*

APPENDIX HUJUS CAPITIS.

DE INVOCATIONE SANCTORUM QUERELAS, Calumnias & assertiones erroneas Adversariorum complectens.

I. Querela.

I. Bellarminus in præfat. lib. de Ecclesia triumph. *Lutherum mendacii accusat*, quod in Postill. ad Evang. Dominicæ Annunciat. scribat, *Papistas Virginem Mariam Deum constituere.*

Idem Bellarminus in Apologia ad Regem Angliæ p. 125. *At prudentes, inquit, & bene instituti Catholici neque Divam, neq; Deam vocant, neq; ab ea petunt, ut Filio dominetur, neq; dicunt, eam ad oscula & complexum Sacerdotum descendere.*

Jodocus Coccius tom. 1. thesauri libro 8. de signis Ecclesiæ art. 12. p. 1126. *Mentitur Lutherus, Papistas Virginem Mariam Deum constituere.*

Mariana in Tricen. Julian. p. 107. *Quantum possum, clarissima voce pronuncio, sive Mariam, sive Dianam Deam credas, utrumq; nefas, utrumq; impium, utrumq; abominandum, utrumq; sacrilegum.*

Schreinerus contra D. Keslerum negat, *Mariam à Pontificiis vocari vel haberi Deam.*

Resp. 1. In Psalterio Mariæ, cujus autorem volunt esse *Bonaventuram*, Maria sæpe vocatur *Domina*, & ab ea petuntur, quæ Regius Psaltes à solo vero Deo petiit, ac petenda esse docuit. fol. 8. Psal. 15. *Conserva me Domina, quoniam in te speravi.* fol. 12. Psal. 30. *In te Domina speravi, non confundar in æternum.* fol. 17. Ps. 50. *Miserere mei Domina, quæ mater misericordiæ nuncuparis, & secundum viscera misericordiarum tuarum munda me ab iniquitatibus meis.* fol. 32. Psal. 109. *Dixit Dominus Dominæ meæ, sede à dextris meis.*

(Neque possunt autoritatem Psalterii hujus subterfugere. Confirmatum enim est à *Sixto IV. & Innocentio VIII.* Romanis Pontificibus, nec uno tantum in loco, sed in diversis Galliæ, Italiæ & Germaniæ provinciis impressum, *Venetiis, Parisiis, Heidelbergæ, Francofurti, & Lipsiæ*, ut & *Tegernseæ in Bavaria* Anno 1572. in forma 16. Anno 1600. *Parisiis* cum approbatione Sorbonistarum est recusum apud Nicolaum de Fosse ad insigne vasis aurei, ac ad normam ipsius publicæ preces conformatæ, necdum ab ullo Pontificum in catalogum prohibitorum librorum hoc nostro seculo fuit relatum, non ita pridem *Ingolstadiensium* censura & commendatione est recusum. Quid quod *Bonaventura* Psalterii hujus autor à Papa Sixto IV. Anno 1482. est canonizatus?)

2. Antoninus part. 4. Sum. tit. 15. c. 44. describit *coronationem Mariæ*, in qua descriptione eam expresse vocat *Deam*, ac *τρισάγιον Angelicum eidem ab Angelis decantatum esse* asserit, & addit, *in ipsum Dei thronum evectam esse.*

3. Leo X. ad Recanatenses lib. 8. Epistola 17. apud Bembum. *Apportari, quæ celerrime jubeatis* (illud lignum Lauretam) *ut quæ*

ut quæ jam cœpta sunt fieri, non intermittantur, ne nemini nos, tam etiam Deam ipsam (Mariam Lauretanam) *inani lignorum inutilium donatione lusisse videamini.*

4. Ambrosius Catharinus in Concil. Tridentin. sess. 2. Mariam vocavit *Dei sociam. Fidelissima,* dicebat, *ejus socia.*

5. Horatius Tursellinus in Epist. dedicat. Hist. Lauret. *Matrem suam præpotens ille Deus divinæ majestatis, potestatisq; Sociam, quatenus licuit, ascivit.*

Item: *Huic olim cœlestium mortaliumq; principatum detulit, ad hujus arbitrium, quoad hominum tutela postulat, terras, mare, cœlum, Naturamq; totam moderatur, hac annuente, & per hanc divinos thesauros mortalibus & cœlestia dona largitur.*

6. Lipsius in Virgine Aspricolli cap. 30.

Magni magna Dei parens,
De qua sacra profantur,
Hanc fore quæ serpentis
Contereret caput improbi,
Fecisti ô Dea. Postremò:
Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis sexus & ætas.

(Quod approbant Archiepiscopus Mechliniensis & Cameracensis Legendarum Lipsii approbatores.)

7. Rubertus Turnerus orat. 5. p. 64. *Beata Maria assumta est ut Dea.*

8. In doxologiis eam Deo conjungunt, quandoque etiam Christo præponunt. Sic enim Bellarminus, Gregorius de Valentia & alii libros suos finiunt. *Laus Deo & B. Virgini, Item Jesu Christo.*

9. Suarez tom. 2. Comm. in Thom. q. 37. Disput. 22. sect. 2. ad B. Virginem applicat dictum Apostolicum Philipp. 2. *Quia humiliavit se, propterea exaltavit eam Deus, & dedit ei nomen, quod est supra omne nomen.*

10. Osorius tom. 3. conc. 2. in festo Josephi pag. 124. *Omnia, quæ Dei sunt, Mariæ sunt, quia mater & Sponsa Dei est.*

tom. ejusdem p. 139. 404. *Mariam throno Dei majorem esse,* asserit.

tom. ejusd. concion. 3. Concept. §. Nunc igitur. ad Mariam accommodat dictum *Proverb. 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum.*

Blasius de Viegas in cap. 12. Apoc. Comm. sect. 4. num. 4. *Ecclesia B. Virgini accommodat locum illum Prov. 8. v. 29. Dominus possedit me initio viarum suarum, ab æterno ordinata sum &c.*

(At ex hoc loco vera Christi Deitas probatur.)

11. Idem Osorius tom. 5. Domin. 5. Epiphan. *Cui B. Mariam comparabimus? non Evæ, non Saræ, nec Rachel, nec Hesteræ, nec Lunæ, nec Soli. Cui igitur? plane Deo omnia bona continenti.*

12. Bellarm. lib. 3. de Cult. Sanctor. cap. 9. §. ult. *Sancti in cœlo degentes, sunt Dii quidam per participationem.*

Costerus in Enchir. pag. 390. dicit, *eos esse divinitate repletos.*

(Si sancti sunt Dii per participationem, quibus competit tantum δουλεία, multò magis Maria erit *Dea per participationem,* cum competat illi ὑπερδουλεία.)

13. Statuunt *eam Christi Filii sui in opere Redemtionis adjutricem,* ut ostendimus superius in Appendice articuli de Christo membr. 3.

(At opus redemtionis est mere divinum opus.)

2. Idem Bellarminus ibidem *mendacium* vocat, quod Lutherus d. l. scribat, *Papistas omnipotentiam in cœlo & terra Mariæ tribuere.*

Resp. 1. In Antidotario animæ Mariam sic compellant: *Scio, quia potes omnia, quæ vis, ipsa misericordia & veniæ &c. vitam æternam mihi tribuas.*

In Cantico Mosis Exod. 15. ad Mariam accommodato dicunt, *Domina nostra omnipotens.*

2. Blasius de Viega in Commentar. super Apocalyps. pag. 543. *Maria est per excellentiam Domina & Princeps omnium creaturarum, constituta super omnem creaturam, ut egregie expendit Arnoldus Carnotensis tract. de laudibus Virgin. & refertur tom. 6. Biblioth. sanct. Patrum. Maria, inquit, lingua Syriaca Domina dicitur, Christus Dominus, Maria Domina; licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis Deus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam, & quicunque Jesu curvat genu, matri quoque pronus supplicat, & Filii gloriam cum matre non tam communem judico, quam eandem.*

3. Brigitta (à Bonifacio IX. & Martino V. canonizata) lib. 4. cap. 74. *Maria potest omnia, quæ vult.*

4. Gabriel Baraleta Ordin. Prædicat. Sabbato post Invocavit, serm. 18. fol. 42. *Invenisti gratiã apud Deum. Quã gratiam? Dei & hominum: audaciã cujus dominatur in cœlo, in purgatorio, in mundo, in inferno: Unde Bernhardus, data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra; ut omnia, quæcunque volueris, valeas impetrare.*

Suarez tom. 2. Commentar. in Thomam Disput. 23. sect. 2. pag. 209. adducit & probat dictum Gregorii Nicomediensis, qui in Oratione sua Virginem Deiparam vocat *omnipotentem;* Et Anshelmi, qui in lib. de laudibus Virginis capite 12. scribit: *Te sic Deus exaltavit, ut omnia secum possibilia esse donaverit.* Item. *Tu velis & nequaquam fieri non poterit;* Ac Petri Damiani serm. 1. de Nativitate Mariæ. *Data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra, & nihil tibi impossibile est.*

6. Just. Lipsius de Diva Virgine Hallensi lib. 1. cap. 36. p. 29. *Beata Maria habet parem vim & potestatem cum Deo.*

7. Costerus in meditat. Super Hymnum, *Ave maris stella,* p. 61. *Ut mater Regis nihil non potest in universo Filii regno, ita tu mater Dei omnia potes in cœlo & in terra.*

8. Maximilianus de Bouchorne in Epistola dedicat. præfixa Historiæ de Legatione Philippi Hispaniarum Regis ad Pont. Rom. Mariam vocat *cœli terræque Imperatricem,* ibidemque *Dei & Mariæ majestatem* conjungit.

9. Sanctos statuunt esse *omnipotentes.*

(Ergo multo magis Mariã omnibus Sanctis excellentiorẽ.)

Costerus in Enchir. cap. 22. propos. 4. p. 359. scribit, *Sanctis datam autoritatem impios cogendi, cohibendi & puniendi, & pios ex ipsorum manibus eripiendi: propterea quod sancti statim à morte accepturi sint eandem potestatem, quam Christus accepit à patre suo in Psalm. 2. promissam.*

(At hoc non est finitæ potestatis, sed infinitæ, nec competit creaturæ, sed soli Deo Christo secundum humanam Naturam τῷ λόγῳ personaliter unitam.)

10. *Im Zinß- und Dienstbüchlein zu Augspurg gedruckt Anno 1627. durch Andream Aperger im 1. Cap. Welcher derohalben diesem hochlöblichem Exempel begehrt nachzufolgen und sich der mächtigsten Himmels Königin für einen Sclaven zu profitiren und zu dienen/ der muß vor allen dingen die grosse Macht/ Gewalt und Glori/ so diese Königin ewig hat und geneust/ betrachten/ deren nicht allein alle Creaturen und Geschöpff/ sondern der Schöpffer selbst unterworffen. Es ist unterworffen die Helle sampt selbiger gantzen Macht; das Fegfewer/ daß sie tröstet die armen Seelen; die Erd und alle Königreiche/ die Kirchen/ fur welche sie streitet/ das Meer/ die Lufft/ der Himmel/ die Heiligen/ die Engel/ ja mit einem Wort rc. Der HErr selbst/ daher du nicht eine/ sondern viel tausend Ursachen hast/ dich ihr auch vor die wenigste Sclavin und Leibeigne zu profitiren/ zu verbinden und zu untergeben.*

11. Lipomanus in margine libri sui œstro percitus, & vix jam suus exclamat, *Ecce quam potentissima est sancta Dei genitrix, & quomodo nullus salvus fieri possit nisi per eam!*

12. Denique ne quid impietati desit, Bernhardinus serm. 2. de coronat. Mariæ dicit, *Mariam lege successionis esse mundi Dominam, quia cum Christus moriens in cruce nullum haberet in terris, qui de jure ei succederet, ei mater ejus secundum omnia jura successit, ac per hoc principatum omnium acquisivit. Successionem autem hanc nusquam legimus revocatam.* Ibidem dicit, *quod Christus nunquam testatus sit de Monarchia universi, eò quod sine matris præjudicio nequaquam poterat fieri. Insuper noverat, quod potest mater irritare Filii Testamentum, si in sui præjudicium sit confectum. Item potest accusare, ut inofficiosum. Unde concludit, nullam gratiam venire de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ.*

3. Idem Bellarminus ibidem *mendacii* accenset, quod Lutherus d. l. scribit, *Papistas plus favoris & gratiæ à Maria expectare, quam ab ipso Christo.*

Resp. 1. in Psalterio ad Mariam accommodato, (quod Cardinalis Pazmannus lib. 3. hodegi cap. 1. *Bonaventuræ* tribuit, ac publica Pontificum autoritate confirmatum aliquoties recusum est) sic orant, Psalm. 71. *Deus judicium tuum da Regi, & misericordiam tuam Reginæ matri.* Psalm. 93. *Deus ultionum Dominus; sed tu mater misericordiæ ad miserandum inflectis eum.*

2. Bartholomæus de Pisis in libro Conformitatum Francisci memorat, *Fratrem Leonem hujusmodi visionem habuisse: Scalas duas à terra ad cœlum usque protensas videbat, alteram rubram, alteram candidam. In rubræ cacumine Christus, in candidæ Maria stabat. Simul ac hoc Franciscus vidit, Fratres suos adhortatus est, ut audacter in rubra scala ad Deum ascenderent. Hoc*

cum conarentur, alter hic, alter illic de ea decidit. Ægre hoc ferebat Franciscus, & Christum interrogabat, quomodo istud fiat? Christus ostendit ei suum latus & manus, quæ ita sanguine fluebant, ac si recenter transfixa essent, inquiens: Hoc mihi Fratres tui fecerunt. Franciscus cum hoc audiret, Fratribus suis acclamavit, & ne animum desponderent, monuit, jussitque ut in altera candida scala ascenderent. Illi hoc facientes continuo à virgine Maria sine omni labore in regnum cœlorum suscepti sunt.

Idem commemoratur in Mariali part. 9. serm. 2. assimilatione 2. pag. 492.

3. Bernhard. de Busto in Mariali, Alexandro VI. Pont. Rom. dedicato, lib. 1. cap. 2. *Salomon dicit: Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam confugiet justus & exaltabitur. Nobis autem dicendum est, Turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam confugiet peccator & salvabitur.* Ibid. *Sæpe, quos justitia Filii damnat, matris misericordia liberat, unde à foro justitiæ Dei ad forum misericordiæ matris appellandum esse docet.*

Anshelmus lib. de excell. Virg. cap. 6. *Velocior nonnunquam est salus memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Jesu.*

4. Idem Bernhard. de Busto part. 3. Marialis serm. 3. lit. V. p. 161. *Licet ad Mariam appellare, si quis à Dei justitia se gravari sentiat, quod significatum fuit Esth. 5. Imperatrix Esther figuravit Imperatricem cœlorum, cum qua Deus regnum suum divisit. Cum enim Deus habeat justitiam & misericordiam, justitiam sibi in hoc mundo exercendam retinuit, & misericordiam matri concessit.*

In Mariali lib. 2. part. 1. cap. 24. dictum Apostolicum de Christo Rom. 8. refertur ad Mariam Virginem. *Si Maria pro nobis, quis contra nos? si ipsa justificat, quis condemnabit?*

5. In Legend. mirac. B. Virginis exempl. 42. sic legitur: *Theophylus quidam Nobilis abjurarat Deum, Baptistam, Christum & Mariam. Cum facti ipsum pœniteret, veniam à Christo nullam impetrare potuit, quam tamen à Maria facile impetravit.* Simile exemplum extat in Legend. p. 1. p. 213. *de imagine infantis Christi, qui ad nullam misericordiam flecti poterat, sed cum B. Virgo ipsum multis precibus obtestaretur, ut peccatoris misereretur, imago Infantis respondisse fertur, se propter tam seriam intercessionem matris peccatori fore propitium.*

Confer Dn. Lælium contra Sartorium p. 215.

6. Magister Joh. Herold. Discipulus de tempore dictus in serm. denuo Mogunt. Ann. 612. recusis, & Friderico Fornero Hebronensi Episcopo inscriptis, p. 916. *Peccatores fiducialius ad matrem misericordiæ confugiunt,* (quam ad Christum.) *Siquidem Filius ejus non solum est misericors, sed etiam justus in omnibus operibus suis.*

Idem serm. 164. fol. 637. refert, *Diabolum de Maria jam olim fuisse conquestum, Illa est, quæ maxima damna nobis infert. Quos enim Filius per justitiam perdit, mater per misericordiam & indulgentiam adducit.*

7. Robertus Holcot in lib. Sapient. lect. 36. *Si quis à Filio, qui ad dextram Patris sedet, terreatur, quia judex est, matrem adeat, quia medicina est & misericors.*

8. Antoninus part. 4. summæ tit. 15. de Maria. *Christus non solum advocatus est, verum etiam Judex. Cum itaque justus ante eum vix sit securus, quomodo peccator ad eum tanquam advocatum accederet? ideò providit nobis Deus de advocata, quæ mitis est & suavis, in qua nihil invenitur asperum.*

9. Gabriel in lect. 10. in Canon. *Fidelis planè & præpotens Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus sed divinam in eo verentur homines majestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod sit mutata substantia, sed affectio Deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur & judicium, quia etsi ex his, quæ passus est, didicerit compassionem, ut misericors fieret, habet tamen & judiciariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est, quid-ni vereatur accedere peccator ad Deum, quemadmodum fluit cera à facie Dei? Opus est ergò Mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria.*

Idem lect. 80. in Canon. *Confugimus primò ad B. Virginem cœlorum Reginam, cui Rex Regum Pater cœlestis dimidium regni sui dedit: quod significatum est in Esther Regina, quæ cum ad placandum Regem Assuerum accessisset, dixit ei Rex, etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi. Sic Pater cœlestis, cum habeat justitiam & misericordiam, tanquam potiora regni sui bona, justitia sibi retenta, misericordiam matri Virgini concessit.*

10. Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 970. *Error est, quod homines etiam non mali certos sibi Sanctos, tanquam patronos & tutores delegerunt, in eorum meritis atque intercessione plusquam in Christi merito fiduciam posuerunt, atque adeo unico illo advocationis Christi officio obscurato, Sanctos, atque inprimis Virginem Mariam in illius locum substituerunt. Imò non defuerunt viri etiam celebres* (in margine notatur Gabriel Biel lect. 80. in canon.) *qui assererent, id, quod Hesteræ Assuerus promisit, se petenti dimidium regni daturum, in Maria completum esse, in quam Deus regni sui, quod judicio & misericordia constat, dimidium, hoc est, misericordiam transtulerit, altera regni parte sibi retenta.*

(Quod ex Biele etiam repetit Johannes David in Pancarpio Mariano p. 207. edit. Antverp. Anno 607.)

Postea addit Cassander: *Eandem sententiam ab insigni quodam Theologo publicè aliquando pro Concione Lutetiæ Parisiorum proponi audivi.*

11. Claudius Espenſæus in Comm. 2. Tim. 3. *Multi sunt, qui non minus fidunt ac tribuunt Divis quam Deo, quia hunc quam illos minus placabilem putant & exorabilem.*

12. Censura Coloniensis p. 208. adducit & approbat dictum Bernhardi serm. de B. Virgine, qui incipit: *Signum magnum. Fidelis planè & potens Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, sed divinam in eo homines reverentur majestatem, opus ergo est Mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria.*

13. Vincentius Brunius Jesuita in Meditationib. de præcipuis mysteriis vitæ & passionis Christi part. 1. medit. 1. p. 13. *Si Maria est gratiâ plena & apud Deum est gratiæ inventrix, omnes quotquot inopes & cupidi gratiæ sumus, eam adeamus. Deus enim, ut honoraret matrem, in eam effudit plenitudinem gratiæ, ut nos intelligeremus, si qua spes, si quid boni, si quæ salus in nobis sit, id totum à Maria tanquam Mediatrice redundare.*

14. Johannes Osorius tom. 4. p. 33. *Multa petuntur à Deo, nec obtinentur; & petuntur à Maria, & obtinentur.*

15. Suarez tom. 2. Comment. in Thom. disp. 23. q. 37. sect. 3. *Optima sunt verba illa Germani Constantinopolitani in serm. de Zona Virginis: Quæso ut in adventu Filii tui, cum assistemus omnes judicandi, tu, ut maternam habens fiduciam & maximam potentiam, valida illa manu tua ab æterno igne nos eripias.*

(Statuit igitur, Mariam esse Mediatricem apud Christum nobis iratum.)

16. Blasius de Viega in Apocal. p. 543. laudat illud Gersonis, *Deum dedisse dimidium regni sui Mariæ Virgini, potestate Domini remanente, cessisse quodammodo misericordiam Dei matri Sponsæque regnanti. Itaque Virginem divisum habere cum Deo imperium.*

17. Barradius tom. 1. Commentar. in Concord. Evang. lib. 6. cap. 12. p. 302. *In cœlo Astrologi inter leonem & libram Virginis signum interponunt. Nos inter Leonem de tribu Juda, hoc est, Christum in hora mortis judicem & libram illam judicii terribilem, qua omnes cogitationes nostræ, opera ac verba examinantur, non Virginis signum, sed Virginem judicis matrem multis precibus advocatam interponamus.* Ibid. *Mariam,* dicit, *esse arcam in cœlos translatam, super quam misericordia DEI tanquam propitiatorium sit collocata.*

18. In Thesauro Præconiorum Deiparæ Virg. Parisiis ex Officina Michaëlis Fæzandat, Ann. 1539. cum privilegio denuò excuso, cap. 52. *Velocior est nonnunquam salus nominato nomine Mariæ, quam invocato nomine Domini Jesu unici Filii sui.*

4. Idem Bellarminus ibidem *mendacium esse* exclamat, quod *Philippus in locis communibus scribit, non differre ab Ethnicis moribus invocationem sanctorum & cultum statuarum.* Sed veritatem hujus assertionis comprobavimus superius membro 15.

5. Idem Bellarminus lib. 1. de beatit. sanct. cap. 16. *mendacium* vocat, quod Philippus in Locis scribit, *Pontificios tribuere sanctis divinitatem.*

Resp. 1. ex Bellarmino lib. 3. de cult. sanctor. cap. 9. §. ult. *Sancti in cœlo degentes sunt Dii quidam per participationem.*

2. Ex Bodino in Methodo Historiæ cap. 5. p. 100. *D. Antonius à plerisque in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè majore metu colitur, quam Deus immortalis.*

3. Ex Costero in Enchirid. p. 390. *Sancti sunt repleti divinitate.*

4. Bembus in Historia Veneta lib. 4. p. 90. scribit, *S. Franciscum in Deorum numerum receptum.*

5. Sanctos suos appellant *Divos*. Polyd. Virgil. lib. 6. de rer. invent. cap. 8. pag. 513. *Numina.* Zuing. Theatr. 1397. b. dicunt *eos referri inter Divos, quia canonizantur.* Baron. anno 178. n. 3. anno 337. n. 20. Polyd. Vergil. lib. 7. cap. 4. pag. 581.

6. Hiero-

6. Hieronymus Vida Episcopus Albanus hymno *Divis cœlitib.* post invocatam Virginem & Angelos. *Tum vos caduci corporis, Ceu nos onusti pondere. Quondam mares aut Virgines, Nunc Dii beati cœlites.*

Serarius Jesuita sic loquitur: *Rinaldus Antistes beatis additus agminibus Deorum.*

Sannazarius Elegia ad D. Jacobum Picenum. *Pectoribus nostris non leve Numen eris.*

Hymno ad D. Nazarium. *Datur ecce amicum cernere Numen.*

6. Idem Bellarminus ibidem, *mendacium* vocat, quod *Philippus in Locis scribit, Pontificios sanctis tribuere vim cognoscendi mentium cogitationes.*

Respond. ex ipso Bellarmino, qui lib. 1. de beat. sanctor. cap. 20. resp ad 3. argum. sic scribit: *Non est verum, sanctos ignorare, quid ab illis petamus. Nam etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscant absentia, & quæ solo cordis affectu interdum proferuntur, tamen certum est, eos cognoscere.*

7. Idem Bellarminus ibidem *pro mendacio habendum esse* scribit, quod *Papistæ dicantur rogare Virginem, ut Filium suum jubeat facere quod petimus.*

Copus Dial. 3 pag. 340. *Interim à bonis istis viris quæro, cur non nominant illas Ecclesias, quæ Virginem matrem tam impudenter appellant? Cur, inquam, non nominant?*

Hayus Disputationum lib. 2. cap. 6. *impudentissimè hoc nobis imponis. Nullus enim nostrûm est, qui hoc carmen unquam cecinit.*

Resp. 1. praxis docet contrarium. Sic enim canunt in suis Ecclesiis, ut habetur in Hist. secundum Chorum Augustens. de commem. Mariæ. *Gaude matrona cælica, Exultando magnifica Deum Salvatorem, Qui te fecit singularem. Tu ancillam JEsu Christi, Te vocare voluisti, sed, ut docet lex divina, Tu ipsius es Domina. Nam jus habet & ratio, Matrem præesse Filio. Ergo ora suppliciter: Et præcipe sublimiter, Ut nos in mundi vespera, Ad regna ducat suprema.*

2. Inde Gregorius Cassander in consult. art. 21. p. 970. sic scribit: *Quin & eò ventum est, ut Christus jam in cœlo regnans matri subjiciatur, quomodo in nonnullis Ecclesiis canitur, Ora matrem & jube Filio. Item, O felix puerpera, Nostra pians scelera, Jure matris impera Redemtori*: extant hæ preces in Missa ad usum Ecclesiæ Tullensis, in prosa; Mariæ præconio.

3. Discip. de temp. in serm. quadrag. & de sanctis pag. 263. *Virgo Maria potestatem habet super Filium suum J. C. propter maternæ autoritatis imperium, quod nulla alioqui creatura habuit.*

4. Costerus in medit. super Hymnum, Ave maris stella p. 59. *In merita sanguinis Filii sui plus juris habet mater, quia sanguinem dedit, quam alia qualibet creatura.*

Et postea: *Æquum est, ut materna quoque apud Filium tua valeat autoritas. Alii vero omnes precantur ut servi; tu, ut mater autoritatem habens exaudiris pro tua reverentia.* p. 67. *Rogamus matrem, ut pro materna sua in Filium autoritate efficiat, ne Filius nostras repudiet preces.*

5. Duræus in lib. adv. Witackerum f. 352. *Ex Ritualibus canitur. Jube Filio felix puerpera Nostra pians scelera, Jure matris impera Redemptori.*

6. Bellarminus d. l. statim subjungit: *Si Josuæ 10. dicitur, obediente Deo voci hominis, cur non posset aliquo modo dici, Filium Dei obedire matri aliquid petenti?*

7. Pazmannus lib. 13. hodegi illud sic excusat, quod *efficacia orationis B. Mariæ per hyperbolen nominetur præceptum, sicut adimpletio petitionis nominetur obedientia*, Jos. 10. v. 14. &c.

(Excusatio frivola est, ut docet ipsa collatio, cum Jos. 10. verbum Hebræum non *obedientiam*, sed *exauditionem* significet, interim ex ea colligere possumus, quod fateri cogatur, hunc hymnum in Papatu decantari, alias enim nulla opus esset excusatione.)

8. In Missali ad usum Ecclesiæ Tullensis sic habetur: *O felix puerpera, Nostra pians scelera, Jure matris impera Redemptori.* In prosa, cujus initium, *Mariæ præconio*, in officio de B. Maria.

9. Jacobus de Voragine Archiepiscopus Januensis in sermonib. de B. Virgine, (quos *Mariales* vocat, qui Moguntiæ à Rudolpho quodam Cluthio Theologiæ Baccalaureo Ord. Prædic. cum gratia & privilegio S. Cæs. Majest. Ann. 616. editi sunt, quique in dedicatione ad Comitem ab Hohenzollern *argenteæ tubæ* encomio insigniuntur;) per singulas Alphabeti literas B. Virginem dillaudat. In sermone, qui est 17. sub litera A. cujus titulus, *Augusta & Imperatrix cœli est Maria, ratione propinquitatis, dignitatis potestatis & autoritatis*, non solum utitur similitudine Bielis *de dimidio regni conjugi Estheri ab Ahasvero data, ad paritatem Mariæ cum Deo probandam*, sed etiam ad *superioritatem autoritatis demonstrandam*, quod sit,

1. *Augusta & Imperatrix cœli, ratione propinquitatis ad Christum* sic probat: *Quia*, inquit, *est mater Imperatoris cœlestis, ideo super ipsum maternæ autoritatis imperium habet, & potest sibi* (ei) *tanquam mater filio imperare.*

(Ita quoque Discipulus de tempore serm. 34. de sanctis p. 263. concludit.)

2. Quod *sit Augusta & Imperatrix cœli ratione dignitatis*, probat ex dicto Psal. 45. *Astitit Regina à dextris tuis. Quomodo igitur thronus Bethsabe collocatus est ad dextram Salomonis 3. Reg. 2. ita thronum Mariæ, dicit esse ad dextram Christi, quantum ad locum, quantum ad habitum, quantum ad obsequium famulorum.*

3. Inquit: *Dicitur Augusta & Imperatrix cœli ratione Imperii & potestatis; ipsa enim tanquam Domina & Augusta Angelos in ministerium emittit, & eis secreta palatii committit, Dæmones vero tanquam proditores e cœlesti palatio expellit. Quod Angelis imperet*, probat ex eo, *quia si Josua jussit Solem stare, quomodo non omnia sidera ad nutum gloriosæ Imperatricis decurrunt? Si Cherubim & Seraphim de fonte bibentes, inferioribus Angelis quædam arcana revelant, quanto magis gloriosa Virgo de occultis Filii amplexus ejus degustata, mysteria Angelis copiosius effundit? Quod Dæmones expellat*, probat dicto quodam Fulberti: *Maria mater misericordiæ materna dignitate facta est, & erga Superos imperiosa per caritatem, & super inferos per districtionem, ubique imperiosa, ubiq; magnifica, cui certe proprium est, & Angelos sanctos in ministerium mittere, & ad beneplacitum suorum inferiorum pacta cassare.*

4. Quod *sit Augusta & Imperatrix cœli ratione autoritatis*, probat, *quia ab omni gravamine ad ipsam appellare licet.* Id probat per species, *utpote si quis gravetur à Diabolo, licet ad ipsam appellare &c. Si quis gravetur à Tyranno, licet ad eam appellare &c. Si quis gravetur à corpore proprio, licet ad eam appellare &c. Si quis sentit se gravari à justitia Dei, licet ad eam appellare*, quod ut probet, utitur argumento sumto *à divisione regni justitiæ, quod Deus retinuit; & misericordiæ, quod Mariæ cessit*, quale quid Cassandrum ex Biele allegasse vidimus, & addit: *Ideò si quis sentit se gravari à foro justitiæ, appellet ad forum misericordiæ matris Dei, Hebr. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiã inveniamus in auxilio oportuno*; quod majoris evidentiæ causa denuo repetit: *Si quis igitur gravatur à throno Dominicæ justitiæ, appellet ad thronum misericordiæ Dominæ & Augustæ.*

Idem Archiepiscopus Januensis serm. 2. in Sabb. quartæ hebd. in Quadrag. repetit illud *de appellatione à gravamine justitiæ divinæ ad misericordiam matris instituenda* & addit: *Legi in vita Dominici, quod cum Christus contra mundum multum iratus esset, Virgo ei dixerit: Bone fili, non debes cum eis agere secundum justitiam tuam, sed secundum misericordiam tuam: & sic ille sententiam revocavit*, quod ipsum repetit serm. V. in ass. Virginis.

(Sub nomine Anshelmi lib. de excell. Virginis cap. 7. legimus tale responsum ad quæstionem: *Quare Christus in cœlum profectus sanctam Virginem in terris reliquerit? Fortassis*, inquit, *Domine, ne tuæ cœlesti Curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi Domino suo, an ipsi Dominæ suæ. Nam ut in partes suo occursu divideretur, ut pars tibi, pars illi obsequeretur, non deceret æstimo, præsertim cum tota sit tua, totaque per te eadem cœlestis Curia sit tua. Præcedere Virginem volebas, quatenus ei locũ immortalitatis in regno tuo præparares, ac sic comitatus tota Curia tua festivius ei occurreres, eamque sublimius, sicut decebat tuam matrem, exaltares.*)

10. Maximil. Sandæus in orat. de patrocinio Deiparæ p. 459. adducit & approbat dictum Petri Damiani: *Maria accedit ad altare reconciliationis non solum rogans, sed imperans, Domina non ancilla.*

11. Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 2. cap. 18. *Si quis nil nisi cœlum & cœlestia spirans, & Bernhardi similis matris Christi dignitatem & honorem alte secum in animo volutans, & cogitationis æstu quodam absorptus, quasi ludum ad eam aliquem & leporem adhibens spiritualem, meminisse eam, matrem se esse, atque ea re jus sibi quoddam esse imperii in filium, ac denique suavissimum in modum exigat, ut jure suo utatur, hoccine aut impie*

dicitur, aut impudenter? An non ille potius summè & impius pariter est & impudens, qui id reprehendat?

12. Mariale Bernhardini de Bustis Ord. Seraphici à Sixto IV. approbatum & confirmatum Ann. 1481. editum Hagenoæ Ann. 1513. part. 9. serm. 2. de coronatione Virg. Mariæ f. 485. *Cum B. Virgo sit mater Dei & Deus filius ejus, & omnis filius sit naturaliter inferior matre, & subditus ejus, & mater prælata & superior filio, sequitur, quod ipsa benedicta Virgo sit, superior Deo, & Deus ipse sit subditus ejus ratione humanitatis ab eo assumtæ.*

(Cui merito opponitur illud Augustini tract. 8. in Joh. quod Christus non agnoscat viscera humana operaturus facta divina.)

13. Gabriel Barleta Ordin. Prædicat. serm. 18. f. 43. *B. Maria importunè petit, unde Ecclesia, Monstra & esse matrem. Et in Sequentiis, Ora Patrem, jube natum & insinua illi, quæsis & nihil tibi denegat.*

14. Rutilius Bezonius Episcopus Lauretanus in scripto de anno S. Jubilæi Clementi VIII. P. M. dedicato p. 683. Mariam sic alloquitur: *Quomodo illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? accedis enim ad illud aureum reconciliationis humanæ altare non solum rogans, sed etiam imperans; Domina, non ancilla.*

15. Labata Jesuita tom. 1 p. 552. *Hic jam dicere possemus, dignitate sua matrem Christi Christum ipsum aliquo modo etiam superare, & imperium ejus imperio Christi majus esse, quia Christus rebus omnibus imperat creatis, at Maria Christo ipsi, nam erat subditus illis.*

16. Dionysius Patavius in orat. p. 19. *Mihi quippe non ad divinæ tantum majestatis fastigium evolasse Virginis nostræ dignitas videtur, sed etiam, quod bona vestra cum venia dicere liceat, divinum prætergressa Numen altius quodammodo constitisse &c. Nonne matrem cum dicimus, statim aliquem esse filium cognoscimus, quo sit illa superior, quem se illi subjicere ac parere deceat?*

8. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, *quod sanctos invocent ut opitulatores, cum eos invocent tantum ut intercessores.*

Bellarm. de beat. Sanct. cap. 17. *Non licet à sanctis petere, ut nobis tanquam autores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaq; ad beatitudinem media concedant &c.*

Rayhing. in Ench. Cathol. p. 470.

Resp. 1. Concilium Tridentinum statuit, *fiducialiter invocandos esse Sanctos, supplici mente confugiendo ad eorum opem & auxilium*, ibidemque expresse distinguit inter orationes sive *intercessionem & opem atque auxilium* Sanctorum.

(Quod si posterius esset ἐξηγητικὸν prioris, tunc clarius explicaretur per obscurius.)

Agnoscit hoc Lessius lib. 2. de jure & justit. cap. 37. dub. 6. ubi dicit, *Concilium distinctè loqui, quod sancti invocandi sint non solum ut intercessores, sed etiam ut auxiliatores.*

2. In Psalterio Mariæ omnis generis beneficia corporalia & spiritualia ab ea petunt, *Domina*, inquiunt, *sana infirmitatem meam. Libera me ab inimicis &c.*

3. Discipulus de tempore serm. 163. dicit, *Mariam datam esse nobis à Deo in adjutorium.*

4. Gabriel Biel lect. 32. in Canon. *Sancti sunt dispensatores quorumlibet beneficiorum, tum corporalium, tum spiritualium.*

5. Censura Coloniensis p. 21. *Sanctos non solum invocandos, sed etiam manus auxiliatrices ab illis expectandas esse, asserit.*

6. Costerus in Meditat. in Hymnum, *Ave maris stella &c.* Virginem hoc modo alloquitur: *Solve Domina nostra vincula reis, solve precibus, solve meritis, solve autoritate, solve imperio. Externa omnia vincula solo nutu & voluntate removere potes. Passiones, quæ in peccatorum pœnas nobis relictæ sunt, tu meritis tuis diminuis; peccata vero ipsa ut nobis dimittantur, precibus & meritis impetras.*

Idem in Enchirid. c. 14. p. 400. *Sanctos rogandos esse docet, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut ipsi nobis opitulentur.*

7. Bellarminus lib. 1. de beat. Sanct. cap. 17 §. 2. *Jubemur oculos levare ad montes, hoc est, ad sanctos, & ab eis auxilium expectare.*

8. Caspar Satzgerus Fratrum minorum per Germaniam Provincialis de Sanctorum invocatione indagine 8. *Sanctos cum Christo regnantes in patria licitè & meritoriè posse à nobis in via consistentibus implorari, ad duo beneficia in communi nobis impendenda, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut nobis sive visibiliter sive invisibiliter adjutorium impendant.*

9. Praxis in Breviariis, Rosariis, Cursibus, Horariis, Antidotariis, Antiphonis, Collectis &c. ostendit, quod à Maria & Sanctis petant *peccatorum remissionem, cum Deo reconciliationem, gratiæ & donorum per gratiam largitionem, mentium illuminationem, Scripturæ intelligentiam, ab inimicis defensionem, à potestate Satanæ liberationem, præsentiam & auxilium in hora mortis &c.*

10. In Historia Lombard. cap. 138. *Cosmas & Damianus cuidam supplicanti præsentes apparent, putridum crus usque ad coxam resecant, cujusdam Æthiopis pridie humati lumbum abscindunt & mutilo hominum inserunt, ita ut sanus quidem, sed dextro crure candidus, sinistro niger deprehendatur & certitudo Historiæ aliquot millibus oculatorum testium comprobatur.*

(Hæc certè non exprimunt adjumentum per solam ad Deum intercessionem.)

Jacob. de Voragine in Mariali sub lit. A. titul. *Adjutrix*, expositurus, *qualiter Maria adjuvet*, inter cætera sic scribit: *Maria adjuvat in morte, ab insidiis protegendo, ideò subditur, Tu nos ab hoste protege. Adjuvat post mortem animas in suis manibus suscipiendo, & eas in cœlum deducendo, ideo subditur, In hora mortis suscipe.*

Venetiis in frontispiciis templorum BB. Marci & Johannis publicè legitur: *Ablue cuncta rea mentis mala sancte Mathæ. Quo sine fine manes, perduc nos Dive Johannes.*

11. Ann. 1628. editus est liber Germanicus Neoburgi apud Laurentium Danhenser, cui titulus Geistlicher Ehrenpreiß/ in quo p. 21. hæc leguntur verba:

Thue ô sie (Mariam) ehren und verehren/
Daß sie dich von Sündenlast
Wolle freyen und verzeihen
Was du übersehen hast.

Simul etiam sexta vice repetuntur sequentia:

ô Maria, ave pia.
Sey gegrüst zu Tausendmahl/
Du hast geben uns das Leben/
Und erlöst von Adamsfall.

12. Si Sanctos pro nudis intercessoribus habent, à quovis sancto quidvis petere possent, quia ad intercedendum & in intercessione nihil aliud requiritur, quam ut gratus sit intercessor ei, apud quem intercedendum est. Sed Pontificii pro diversitate periculorum & desideriorum ad diversorum sanctorum templa & aras confugiunt. Ad curam oculorum invocant Otiliam; contra Odontalgiam Appolloniam, contra Epilepsiam Valentinum, adversus pestem Sebastianum.

13. Superioribus annis Richardus Stanihurstus Archiducis Alberti Sacellanus edidit cum Privilegio libellum precum quotidianarum, qui Hebdomada Mariana inscribitur, in quo post enumerationem titulorum sexcentorum nonaginta quatuor, quibus Mariam compellat, & quæ omnia singulatim secundum literas alphabethi distinguit, tandem etiam speciatim omnia ac singula ejus membra singulatim adorat atque invocat, *caput, oculos, aures, nares, labia, linguam, fauces, pectus, finum, ulnas, manus, maxillas, mammas, ubera, cor, ventrem, uterum, umbilicum, viscera, claustrum virginei pudoris, genua, pedes, sanguines, ex quibus Christus carnem suscepit, corpus, animam*, ac denique mulierem totam atque integram. p. 34. eam sic compellat, *unica spes desperantium, oppressorum auxilium, & ad te recurrentium præsentaneum sublevamen, omnium denique Christianorum firmum præsidium, me maximum peccatorem, ne averseris obsecro.* p. 184. *Prabe manum laborantibus, opem fer eis, qui agitantur tempestatibus, seda bellorum fluctus &c. habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam potentiam superet multitudo peccatorum:* p. 190 *peccatorum meorum sarcinam discute, idque quod menti meæ tenebras offundit ac terrenam crassitiem dissipa, tentationes comprime, pieq; ac sancte vitam meam guberna, atq; ad cœlestem beatitudinem fac, te duce, perveniamus.* p. 192. *Eripe nos, ô Virgo, à quacunq; necessitate ingruente, & à cunctis tentationibus Diaboli, nosq; à futuro inextinguibili igne & tenebris exterioribus libera &c.*

9. Laurentius Arturus de Invocat. Sanctorum th. 132. increpat Melanchthonem contumeliose eum vocans *Grammaticum*, quia dixerit, quod *singulis sanctis singulæ procurationes sint commissæ, ita ut Anna det divitias, Sebastianus curet pestem &c.*

Resp. 1. praxis hoc manifestè comprobat.

2. Gabriel Biel lect. 32. in Canon. Missæ: *Ut autem Sanctorum invocatio discreta à nobis fiat, & pulchra varietate amicitia crescat, consideranda est varietas donorum, etiam in sanctis, tam in via, quam in patria*

in patria discretorum. Verum enim est in sanctis illud Virgilianum, Non omnia possumus omnes, & addit: *Non enim omnia omnibus data sunt, sed diversi diversa receperunt, ut, quod scribit Gerson de oratione & valore ejus num. 77. lit. T ad aliquem sanctorum te convertas pro necessitatibus quibuslibet sublevandis, vel pro impetranda speciali quadam gratia, qua sanctus vel sancta privilegiatum quoddam donum recepisse memoratur. Divisiones enim gratiarum sunt, sicut tradit Apostolus. Quod verum est nedum de viatoribus, sed etiam de beatis, sub quo respectu canit Ecclesia de quolibet sanctorum, Non est inventus similis illi.*

Ibid. Gerson à Biele citatus sic scribit: lit. O. *Concluditur, Sanctos diversos diversas gratias & privilegia sive dona varia à Domino consecutos, & quantum ad seipsos, & quantum ad necessitates vel defectus viatorum sublevandos, seu dona varia & beneficia impetranda. Et hoc etiam quoad personas, tempora, loca, poterit similiter æstimari: ut quod quidam dati sunt patroni certæ provinciæ: quidam certis personis: quidam certis beneficiis impetrandis.*

3. Andreas Fabricius in Harm. Confess. August. art. 21. *Hic agnoscunt singulæ Christianorum regiones peculiares suos Patronos, Italia Petrum & Paulum, Græcia Andream.*

4. Salmeron disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. p. 462. *Sancti non opitulantur omnibus æqualiter. Nam sunt aliqui, qui in quibusdam necessitatibus peculiariter opem ferunt, & alii etiam, quibus in hac vita ob accepta beneficia particulari ratione auxiliandi tenebantur. Hinc Hispani peculiariter colunt B. Jacobum, Sebastianum Lusitani, Romani Petrum & Paulum, Florentini Johannem Baptistam, Veneti Marcum, Senenses B. Virginem, Galli Dionysium, Germani Barbaram, Angli Georgium & Thomam Cantuariensem, Parisienses Genevesam Virginem, Mediolanenses Ambrosium, Siculi Agatham & Luciam, Neapolitani Januarium, denique quodlibet religiosum institutum suum peculiare caput pie veneratur, ut Dominicum, Franciscum, Augustinum, Hieronymum, Benedictum & Carmelitæ Heliam, Bernhardum Bernhardite.* p. 465. *Hæc multiformis munerum distributio partim à Deo inspirata, partim revelata est per Angelos, partim piis conjecturis deprehensa, & præcipuè in illis rebus succurrunt, quas ipsi experti sunt. Ita invocamus Petrum in vinculis, Paulum in conversione, utrumque in periculo maris, Joh. Baptistam in nativitate, Evangelistam in colenda virginitate, Sebastianum & Rochum in peste depellenda, Antonium in igne abarcendo, & rebus amissis inveniendis & similibus aliis plerisq;.*

5. Bellarminus lib. de beat. sanct. cap. 20. resp. ad 9. *Dico Deum posse, si voluerit, per quemlibet sanctum omnia concedere, & sine sanctis etiam multa vel omnia dare, interdum tamen velle unius intercessione miraculum aliquod operari, aliud verò intercessione alterius operari. Quis autem novit consilium Dei, aut quis dicere potest, Cur ita facis?*

6. Georg. Cassander in Consult. art. 21. *hunc errorem certos sibi sanctos tanquam patronos & tutores deligendi*, ingenuè fatetur *errorem esse, quanquam ab hominibus alioqui non malis usurpetur.*

7. Arturus ipse d. l. th. 133. affirmat, quod *Sancti habeant peculiares curas sibi à Deo commissas, quidam sanandi unum affectum, quidam alium, ut sane* (inquit) *habere experimur.*

8. Costerus in Enchirid. p. 473. dicit, *Sanctis pro diversitate meritorum diversa vel loca commendata, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium esse data.*

9. Pistorius in hodeg. cap. 6. *Varias Sanctorum virtutes, quibus ille pesti, hic dolori dentium, alius aliis medetur morbis, confert variis herbis, quibus distinctæ vires à Deo insitæ.*

10. Heribertus Rosvveydus Jesuita in tractatu Anno 1607. Antverp. apud Moretum edito promittit, *se emissurum in lucem tomos 16. de Vitis Sanctorum cum duobus tomis illustrationum in Vitas Sanctorum, quorum prior futurus sit Annotationum, posterior Indicum, in quo hosce esse Indices* promittit.

VI. Index locorum, *ubi coluntur Sancti tanquam patroni.*

VII. Index nominum Sanctorum *pro curationibus certorum morborum.*

VIII. Index eorum Sanctorum, *qui sunt patroni certorum opificiorum.*

11. Beierlinck conc. select. 23. pag. 445. *Offendere non debet male fundatam Adversariorum protervitam, ut insana temeritatis aut inscitiæ veniamus arguendi, quod uni Divo hanc necessitatem, alteri aliam commendemus &c.*

12. D. *Maria* ceu Diva tutelaris præest *Constantinopoli*, Baronius Anno 330. n. 4. *urbi Gandensi*, Bzovius Anno 1340. n. 11. *Antverpiæ*, Beierlinck conc. select. 20. pag. 376. *Petrus & Paulus Romæ*, Baron. Anno 534. n. 70. *Thomas Aquinas Neapoli*, Bzovius Ann. 1322. n. 33. & seq. *Eligius & Nordbertus Antverpiæ*, Beierl. conc. select. 23. pag. 447. *Rumoldus Mechliniæ*, Idem conc. 24. pag. 457. *Johannes Baptista Longobardis*. Jacob. de Voragine Legend. 80. lit. G.

13. Morbis diversis Sancti diversi medentur; *Pesti, Rochus*; Zuing. Theatr. pag. 369. b. & *Remigius*, Baron. ann. 363. n. 27. seq. *febri, Petronius*; Bzovius anno 1307. n. 12. *Cancro, Martinus*; Zuing. pag. 1404. b. *Nicolaus, ulceribus*; ibid. *morbis gutturis, Blasius*; Mantuanus apud Hospin. de festis, pag. 43. a. *Leonhardus* subvenit *captivis*; Petrus de Natalib. & Surius apud Hospin. de festis pag. 144. b. *Sabinus belligerantibus*; Zuing. Theat. pag. 1347. b. *Augustinus fratribus sui ordinis*; Bzovius anno 1326. n. 17. Petrus de Natalibus apud Hospinianum de festis pag. 36. b.

14. Denique Gregor. de Valent. lib. 2. de Idololatr. cap. 3. pag. 23. §. Jam ut variis &c. rem ipsam (quod Pontificii *diversis Sanctis diversorum beneficiorum elargitiones & diversarum Provinciarum tutelas assignent*,) negare non potest, ideo quærit aliquod subterfugium: *Ethnici*, inquit, *vel ob id idololatræ fuerunt, quod officiorum provincias alias aliis adscribebant, ut Diis, qui supremam rerum providentiam inter se divisam haberent.*

(At restrictio illa, *ut Diis*, non convenit menti saniorum Ethnicorum, quippe qui unicum totius universi rectorem & Dominum agnoverunt, ut constat ex Platone, Seneca, Cicerone, aliis; unde variis illis Divis operas divinæ providentiæ non ut *Diis summis*, sed tanquam *minoribus*, & ad supremum Numen intercessoribus distribuerunt, ut agnoscit Ludovicus de la Cerda in Virgil. lib. 3. Æneid. pag. 269. a. 308. b. 331. b. 36. a.)

10. Conqueruntur falso sibi tribui, quod *sanctis divinum honorem deferant.*

Costerus in Enchir. pag. 396. *Sancti in cœlis meritò à viventibus omnem honorem accipere merentur & debent, qui alicui creaturæ in hoc mundo sine reprehensione defertur. Excipio divinum honorem, utpote de quo Deus sic loquitur, gloriam meam alteri non dabo.*

Resp. 1. Marsilius in 3. sent. q. 8. art. 1. fatetur, *cultum Sanctorum pertinere ad virtutem religionis, qua Deus honoratur*, quam sententiam Vasquetz & Suarez vocant *probabilem*, quamvis cum Thoma aliter statuant.

2. Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 972. *Huc etiam referri potest, quod vulgi imperitia divinos honores sanctis attribuit, ut cum templa, aræ, sacrificia, sacerdotia, vota, festi dies non tantum memoriæ, ut veteres loquebantur, sed honori & cultui Sanctorum consecrata putantur.*

(Ne quis verò putet, imperitum duntaxat vulgus ex errore sanctis divinum honorem tribuere, notanda sunt sequentia.)

3. Vasquez tom. 1. in Thom. p. 3. dist. 97. c. 1. ad finem, Suarez ibidem D. 52. sect. 3. Lessius lib. 2. de justit. & jure cap. 36. ad finem, cultum sanctis exhibendum non solum vocant *sacrum*, sed etiam *religiosum.*

4. Sanctos vocant *Deos per participationem*, ut paulò ante ostendimus membr. 6. utique ergo etiam sanctis divinum honorem tribuunt.

5. Vitus Miletus in discuss. sexc. errorum p. 495. sic scribit: *Sanctorum invocatio nihil aliud est, quam ipsissima unius & solius Dei invocatio & adoratio*; (utique ergo divinus honor per invocationem sanctis tribuitur.)

6. In Psalterio Mariæ illa ipsa adoratio, qua David Deum omnipotentem coluit, Virgini Deiparæ tribuitur: *Adorent*, inquiunt, *te Mariam familiæ gentium*, Psalm. 21. *Adorate eam cives Curiæ Paradisi*, Psalm. 96.

(Atqui adoratio illa, qua Deus colitur, est honor divinus.)

7. Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 12. hanc dicit, *esse communem Catholicorum sententiam, quod adoratio, quæ debetur sanctis, sit media quadam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiæ plusquam humanæ & minus quam divinæ, cujus adorationis actus exteriores ferè omnes communes esse dicit cum adoratione mere divina.*

(Ergo juxta communem Catholicorum sententiam Sancti non coluntur *honore quodam humano & cultu externo*, cum enim Bellarminus diserte distinguit *à cultu Sanctorum*, sed *plusquam humano ac religioso*, proinde etiam *divino*. Quamvis enim Bellarminus hunc cultum statuat esse medium inter divi-

divinum & humanum; ut ſit *divino inferior, humano autem ſuperior*, tamen Scriptura nullum hic novit medium, ſed ut duæ tantum ſunt Decalogi tabulæ, quarum prior nos informat *de cultu divino*, poſterior *de honore humano*, ita quoque duplicem duntaxat adorationem novit, *propriam, religioſam ac divinam*, quæ ſoli Deo debetur, & ad primam Decalogi tabulam reducitur; ac *impropriam, humanam & externam*, quæ creaturis deferri poteſt, & ad ſecundam Decalogi tabulam reducitur.)

8. Denique quotidiana praxis teſtatur, quod ſanctos non ſolum religioſe invocent, eorumque auxilium implorent, ſed etiam ipſis voveant, per illos jurent, templa & altaria illis erigant, ſe, ſuas animas, corpora & omnia bona Sanctorum tutelæ & patrocinio fideliter commendent, feſta illis celebrent, jejuniis, Miſſis, peregrinationibus, candelis accenſis, donariis oblatis, ſtatuis exornatis, ſuffitu thuris, vigiliis eos colant, quæ omnia oſtendunt, divinos honores ſanctis ab ipſis tribui.

2. Calumniæ, 1. generales.

1. Andradius in defenſ. Conc. Trid. ſcribit, *nos cum Cajanis & Eunomianis docere nefariam contemtionem & ſacrilegam deſpicientiam Sanctorum, quorum Spiritus apud Deum vivunt.*

2. Poſſevinus in refut. reſp. Chytr. p.274. ſcribit, *nobis non ſapere articulum Symboli Apoſtolici de communione Sanctorum, ac proinde invocationi eorum nihil tribuere. Vos* (Lutherani, inquit,) *quibus articulus Symboli de communione Sanctorum non ſapit. Neque enim quid hoc ſit, poteſt in animos ab ipſa communione Eccleſiæ abſciſſos cadere, mirandum non eſt, ſi animum avertiſtis ab invocatione Sanctorum, à quibus avertiſtis & fidem.*

3. Hadrianus Jungius in Synopſi novi Evang. pag. 352. ſcribit: *Evangelicos dogmata Manichæa, Helvidiana, Joviniana, Vigilantiana peſtifera ſpargere & deteſtabilia adverſus Virginem Deiparam, adverſus ſanctos Angelos, adverſus ſanctos Patriarchas, & alios Vet. Teſtam. ſanctos, adverſus Johannem Baptiſtam, adverſus Apoſtolos & Evangeliſtas, adverſus ſanctos Eccleſiæ ſanctæ Epiſcopos atque doctores, denique adverſus ſanctos omnes.*

4. Salmeron diſp.7. in 1. Tim.2. tom.15. p.456. vocat nos *Hagiomaſtigas, qui more Gigantum cœlicolis bellum indixerimus.*

5. Lorichius in Fortalitio hæreſi. 1. de ſanctis Dei. *Sanctos Dei non eſſe peculiari honore colendos, docent omnes hodierni hæretici.*

6. Bellarminus in præfat. lib. de Eccleſ. triumph. *Imitantur Lutherani majores ſuos Julianum, Vigilantium, & quotquot tanquam nefaria bella contra ſanctos geſſerunt, eos omni honore ſpoliantes.*

7. Ibid. *Proteſtantes evomunt in omnes cœlites horribiles blaſphemias.*

8. Lib.1. de beatit. ſanct. cap.13. §. Epiphanius. *Hæretici hodie nullum honorem S. Mariæ deferunt.*

(Sed ab his calumniis omnibus ac ſingulis liberat nos,

1. Auguſt. Confeſſ. art.21. & Apologia Conf. quæ teſtantur, *nos non negare, ſanctos eſſe honorandos, ſed religioſe invocandos; nec omnem, ſed religioſum duntaxat invocationis cultum ſanctis à nobis denegari.*

2. Quinimò liberat nos ab hac accuſatione Georgius Caſſander in conſult. art. 21. ſic ſcribens: *Proteſtantes triplicem honorem Sanctorum probant, quorum primus eſt gratiarum actio, quod eos Deus ſanctis gratiis cumulavit; ſecundus ex eorum exemplis fidei confirmatio, tertius imitatio fidei & virtutum, earumque honorifica commemoratio.*

3. Pererius, qui in cap. 35. Geneſ. ſic commentatur: *Duabus rebus memoriam mortuorum quodammodo immortalem facere poſſumus, primò magnifica in condendo ſepulchra, veruntamen memoria mortuorum perpetuatur maxime ingenii operibus, cum ſcriptis diſertiſſimis eorum virtutes & facta celebrantur.* (At neutrum honoris genus ſanctis denegamus.

Lutherus lect. in tertis Joh. Evang. *Si ritè docere plebem velimus, ſic exempla Sanctorum prædicari oportebit, ut in iis Deus magnificetur, nos verò invitemur ad ſimilem Dei gratiam; opera eorum ſic prædicari convenit, ut obedientia, qua ſancti ſuæ vocationi inſervierunt, & mandatis ſibi operibus ſtuduerunt, nobis commendetur.*

Ergo nec Lutherus, nec Lutherani honore debito ſanctos defraudant.)

9. Bellarmin. lib. de beat. ſanct. cap. 16. vitio nobis vertit, quod *ſanctos cum Chriſto regnantes* dicamus *mortuos.*

Salmeron tom.4. p.669. *Quod Centuriatores ſanctos, qui in Dei manu ſunt, imo in throno & ante thronum Dei, mortuos appellant, non niſi ex maledicendi libidine, qua valent, profectum eſt. Non enim pro mortuis ſunt habendi, qui cum Chriſto in cœlis feliciſſima fruuntur vita.*

Piſtorius in mille & viginti falſis, *Lutheranos cum Sadducæis non credere animarum immortalitatem* aſſerit, *propterea quod ſanctos cum Chriſto in cœlis viventes vocent mortuos.*

Reſp. non ideo *vocamus* mortuos, quaſi corpore & anima ipſos interiiſſe ſtatuamus, ſed reſpectu iſtorum Sanctorum, qui in corpore adhuc in his terris vivunt, eos dicimus mortuos. Id vero toties faciunt ipſimet Pontificii, quoties in ſcriptis ſuis adducunt dicta Rom. 14. v.8. 1. Theſſ. 4. v.10. Apoc.14. v.13. ac quoties recitant Symbolum Apoſtolicum, in quo Chriſtus vocatur *judex vivorum & mortuorum.* Confer ea, quæ ſequentur parte. 3. hujus Appendicis §.19.

10. Idem Bellarminus lib.4. de notis Eccleſ. cap.9. art.28. Calvino (& Proteſtantibus aliis in eo cum Calvino contra Pontificios conſentientibus) tribuit *hæreſin Manichæam,* quod ſcripſerit, *Abrahamum fuiſſe aliquando idololatram.*

Reſp. 1. Idem ſcripſit Genebrardus, idque *non opinione privata,* ſed, ut Pererius lib.2. in Geneſin n.119. inquit, *autoritate Hebræorum id aſſirmantium,* ex ſententia duorum nobilium Rabinorum.

2. In eadem ſententia fuit Andreas Maſius in Comment. ſuper Joſuam.

3. Idem ſcripſit Wilhelmus Lindanus, Calvini adverſarius acerrimus lib.1. Panopl. cap.11. idque ex Suida & Auguſtino lib.10. de Civ. Dei cap. ult. probavit. Verba ſic habent: *Ille credentium omnium pater Chaldæus, cum eſſet idololatra, Mitræ Perſiæ atque Veſtæ cultor ex paganiſmo & veri Dei ignorantia liberatus, atque ex idololatria ad veram vivi Dei latriam eſt converſus.* Et paulo poſt: *Quod ſi cuipiam inſolens atque paradoxum videatur, quod Abrahamum Patriarcham ex paganiſmo ad veram Dei cognitionem cultumque dixerim converſum, ut ſi Græco hominis Græci diligentiſſimi probatiſſimique teſtimonio, Suidam dico in ſuo Abrahamo, non eſt contentus, certe non poteſt nobiſcum non ſentire, Latini autoris teſtimonio locupletiſſime inſtructus. D. namque Auguſtinus lib. 10. de C.D. cap. ult. in hunc modum ſcribit: Abraham, inquit, ut promiſſionem de ſemine illo, quod omnibus gentibus ſalutem pareret, acciperet, juſſus eſt de terra ſua & cognatione ſua & domo patris ſui diſcedere. Tunc ipſe primitus à Chaldæorum ſuperſtitionibus liberatus, unum verum Deum ſequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credidit.*

4. *Qualis potuit eſſe Abrahæ & Nachoris educatio apud patrem ſuum Thare idolis ſervientem, &, ut plurimi tradunt, ſimulachrorum artificem?* verba ſunt Coſmæ Magalliani in locum Joſ. 24. *Dixit Joſue toti populo, Sic dicit Jehovah Deus Iſraëlis, ultra flumen habitabant patres veſtri olim Thara pater Abraham & pater Nachoris, colebantque Deos alienos, ſed aſſumpſi patrem veſtrum Abrahamum.* Inde etiam Laban Gen.31. ſic jurat: *Dii Abraham & Dii Nachor judicent inter nos, Dii patris eorum.* Etſi vero nonnulli vertant, *Deus Abraham,* tamen apparet, Labanum idololatram juraſſe aliter, quam per *Deum verum.* Deinde dicuntur Dii prius nominati fuiſſe *Dii patris eorum,* hoc eſt, Thare. At Deus Abrahami non fuit Deus Thare.

(Idem ſtatuunt Philo lib. de Abrah. Cyrillus Alexandr. ſerm. paſchali. 4.)

5. Auguſtin. Torniellus in Annalibus Ann. mundi 2086. num.1. *Anno vitæ Abrami quadrageſimo octavo putat Genebrardus lib.1. ſuæ Chronologiæ ipſum Abrahamum ab idolorum cultu ad veri Dei latriam eſſe converſum, idque probat autoritate Rabinorum & præcipue R. Joanan & R. Hanina. Sane ipſum Abraham aliquando ſerviſſe Diis alienis, opinio fuit etiam Philonis, ſiquidem in lib. de Abraham aliquantò poſt principium cum docuiſſet, quod Chaldæi olim in ſiderali ſcientia admodum exercitati, omnia ſtellarum motibus tribuentes, credebant ab ipſis diſpenſari mundi potentias &c. ac propterea tanquam inviſibilia atque intelligibilia non percipientes, venerabantur illas res viſibiles &c. alioco ſubjungit Philo: Huic innutritus dogmati, & per longum tempus Chaldaico imbutus delirio Abraham tanquam poſt altum ſomnum aperto mentis oculo, ubi puram lucem pro denſis tenebris cœpit intueri, ejus ſplendorem ſecutus animadvertit, quod prius non viderat, mundo præeſſe*

mundo quendam aurigam, gubernatoremque, qui non modò in univerſum operis ſui ſaluti provideat, ſed etiam curator, tutorque ſit partium ejus, quæ divina cura digne ſunt &c. Hactenus Philo, ex cujus verbis manifeſtè apparet, ipſum putaſſe, Abrahamum aliquando cum cæteris Chaldæis fuiſſe idololatram. Et idem ſentit Andreas Maſius in Joſue exponens illa verba, quæ habentur cap. ultimo v. 2. Trans flumen habitaverunt Patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, ſervieruntque Diis alienis, ubi diſputans Maſius adverſus oppoſitam tenentes ſententiam, ſupponit primo, totam hanc Joſuæ narrationem in explicanda Dei benignitate verſari, quam ille in Iſraëlis genus contulit, & hoc ſolum agi, ut conſtet, gratuito ipſos à Deo adoptatos eſſe pro populo, neque gratis ſolum, verum etiam cum hoſtes eſſent, & eos honores, cultusque, quos ipſi tanquam ſuo parenti & effectori debebant, adhiberent ad Deos alienos. Nominatim autem poni Thare & duos filios ejus, Abraham & Nachor, quia ex his univerſum genus Iſraeliticum propagatum fuit, paternum ſc. ab Abrahamo, maternum verò à Nachor, per Rebeccam, Liam & Rachelem. Deinde ſtatim ſubinfert, Neque enim inquit, eos audire poſſum, qui magno conatu Abrahamum ab hoc turpiſſimo ſcelere vindicare neſcio quibus argutiis ſtudent, quaſi vero non tantò illuſtrior ſit Dei gratia, quâ illum eſt complexus, quantò ipſe fuit ſceleratior, minusque tanto dignus favore? Sic Maſius, qui etiam idem confirmare proſequitur, dicens: Ideò pro admirabili beneficio non ſemel in Scriptura commemorari, quod Deus Abrahamum de Ur Chaldæorum eduxerit, hoc eſt, de patria ſua & de idololatrarum conſortio extraxerit.

Hæc omnia Torniellus, qui ejusmodi tandem ſubjungit ἐπίκρισιν: *Et certè citata ipſius Joſue verba nobis admodum clara eſſe videntur, tametſi Pererius in fine tomi 2. in Geneſ. ea aliter exponere nitatur. Quare licet hæc opinio magis firma eſſe videatur, quia tamen etiam oppoſita, cujus ſub anno mundi 2052. n. 1. meminimus, probabilis eſt, idcircò utramque ſuis locis commemorare viſum eſt, ut unusquisque, quam magis probandam judicaverit, ſibi deligere valeat.*

Manifeſtum igitur eſt, Torniellum in eam magis propendere ſententiam, quæ ſtatuit, *Abrahamum aliquando fuiſſe idololatram*, unde etiam anno mundi 2052. num. 2. oſtendit quomodo ad argumenta in contrarium adducta reſponderi poſſit.

6. Maximil. Sandæus in Caſtigatione Cauteriat. Conſc. adv. Laurentium p. 374. & 375. *Abraham fuit idololatra, non eſt propoſitio hæretica; & non negavit Bellarminus, poſſe Catholicum probabiliter opinari Abrahamum aliquando idololatriæ ſuperſtitione pollutum fuiſſe, ut cum Rabinis Johanan & Hania exiſtimavit Genebrardus in Chronico, & Andreas Maſius Joſ. 24. idemque exiſtimavit Philo libro, qui inſcribitur Abraham, & favet nonnihil Nyſſenus in orat. de S. Baſilio.*

11. Feuardentius Calvinum & noſtros hoc nomine perſtringit, quod *Joſephum Mariæ ſponſum Beatam Virginem adulterii ſuſpectam habuiſſe, ſtatuant.*

Reſp. 1. Cajetanus in cap. 1. Matth *ſignificatur tanta juſtitia Joſeph, (ut juſtitia eſt nomen veræ rectitudinis animi,) ut duo vellet, ſcilicet & conſulere ſibi, ne cohabitaret adulteræ, & conſulere conjugi, ne vituperaret eam.*

2. Cornelius Janſenius in cap. 7. Concord. *Oſtendit ipſum ob adulterii ſuſpicionem jam divortium meditatum fuiſſe, quem Deus fluctuare ſecum, ac de Virginis pudicitia dubitare permiſit.*

3. Lucas Brugenſis Matth. 1. *Cum comperiſſet, uxorem eſſe prægnantem, cui ſe non noverat eſſe commixtum, & ob hoc, quamvis nihil aliud quàm adulteram credebat, nolebat tamen conſanguineam ſuam, honeſtis parentibus & ſui amantibus ortam, in exemplum ſtatuere ignominiæ familiaris.* Et poſtea. *Hæc eo cogitante, hac de dimittenda ob compertum, quòd exiſtimabat, adulterium uxore.*

4. Barradius in Concord. Evang. tom. 1. lib. 8. cap. 6. *Eſt ergo ſenſus germanus, Ne timeas accipere conjugem, quod ſit adultera, quia gravidam cernis: Etenim graviditas non ab homine, ſed à Spiritus Sancti opera eſt. At quid timebat Joſeph, ſi virginem acciperet? Reſpondeo; timebat adulterium, vel ut Chryſoſtomus reſpondet, timebat, ne Deum offenderet, ſi cum ea copularetur habitatione, quam adulteram ſuſpicabatur.* Et poſtea. *Lubentiſſime huic ſententiæ ſubſcriberem* (quæ ſtatuit, Joſephum ſe indignum tantæ talis virginis conſortio exiſtimaſſe) *ſi cum Evangeliſtæ verbis rectè cohæreret. At ex illis ſi rectâ expendantur trutina, apparet, Joſephum ante Angeli apparitionem planè ignoraſſe D. Virginem divinitus ex Spiritu Sancto concepiſſe. Ea enim ab Angelo cauſa redditur, cur dimittenda non ſit.*

5. Salmeron fatetur, *hanc expoſitionem eſſe communiorem, & quam primâ facie textus Evangelii videatur porrigere.*

12. Bellarminus lib. 1. de beat. ſanct. cap. 11. & alii nobis tribuunt, quòd *renovemus antiquam hæreſin Euſtathii de non colendis ſanctis apud Socratem lib. 2. cap. 33. Eunomii & Vigilantii apud Hieronymum. Claudii Taurinenſis apud Jonam Aurelianenſem: Wiclefi apud Thomam Waldenſem tom. 3. de Sacramentalibus tit. 13.*

Reſp. 1. *Euſtathio* tum Socrates tum Auguſtinus, tum Concilium Gangrenſe multa imputant in conſuetudine Eccleſiæ mutata, ut *nuptiarum prohibitionem, abſtinentiam à cibis, peregrinarum veſtium uſum & ſimilia*, ſed de *cultu ſanctorum* nihil habent. Prateolus in Elencho hunc ei articulum imputans nullum laudat autorem.

2. *Eunomium* Hieron. in lib. contra Vigilantium autorem taxat eorum, qui *reliquias Martyrum riderent*. At non ſequitur, ſi reliquiæ Martyrum non ſunt ridendæ, quòd religioſè ſint colendæ. Quòd ſi ſive *Eunomius* ſive *Vigilantius* intra hos terminos ſeſe continuiſſent, damnaſſentque duntaxat illorum amentiam, qui honorem ſanctis debitum convertebant in idololatriam, tum illi ſanè Hieronymum adverſarium non habuiſſent. Si autem eò proceſſerunt, ut *reliquias ſanctorum velut immundas nullo planè honore afficiendas, quin & contemnendos ſanctos* docuerint, meritò damnati fuere.

Hieronymus ipſe, qui tamen Vigilantium acriter perſtringit, ſanctorum adorationem improbat in Epiſtola ad Riperium Presbyterum adverſus Vigilantium ſic ſcribens: *Nos non dico Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem & Lunam, non Angelos, non Arch-Angelos, non Cherubin, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præſenti ſeculo & in futuro, colimus & adoramus, ne ſerviamus creaturæ potius, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula.*

(Ergo aliud quid in Vigilantio refellit, quàm ſanctorum adorationem, imo eam tanquam injurioſam Vigilantii calumniam à ſe depellit.)

Nihil jam dicemus de eo, quod Eraſmus in arg. lib. Hieron. adv. Vigilant. ſic ſcribit: *In hunc ita conviciis debacchatur Hieronymus, ut pluſculum in eo modeſtiæ cogar deſiderare. Utinam argumentis duntaxat egiſſet, & à conviciis temperaſſet!*

3. *Jonas Aurelianenſis* fatetur, *Claudio Taurinenſi* occaſionem datam ex ſuperſtitioſa & pernicioſa imaginum adoratione, quæ in plebe invaluerat.

13. Bellarminus in judicio de lib. Concord. mend. 10. perſtringit verba ad finem Aug. Conf. art. texta. *Hæc ferè ſumma eſt doctrinæ apud nos, in qua ſanè poteſt nihil ineſſe, quod diſcrepet à Scripturis, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana, quatenus ex Scriptorib. nota eſt. Quale hic*, exclamat Bellarminus, *& quàm impudens mendacium eſt hujus Confeſſionis? In eo ipſo articulo affirmat, in nulla parte doctrinæ ſe diſſentire à Scriptis vel Eccleſia Catholica, vel Eccleſia Romana, in quo articulo ſanctorum invocationem oppugnat, quam & Scriptura & Eccleſia Catholica, & Eccleſia Rom. apertiſſimè docuerunt.*

Eandem communicationem in Apologia ſua pro judicio de lib. Concord. repetit.

Reſp. imo verò hæc Auguſtanæ Confeſſionis aſſertio eſt veriſſima. Quod n. attinet invocationem ſanctorum, ex ſuperius dictis repetendum,

1. Quod quidam ipſorum Pontificiorum fateantur, dogma de invocatione ſanctorum deſtitui Scripturæ ſuffragio.

2. Ut & Eccleſiæ vetuſtioris Apoſtolorum temporibus vicinæ conſenſu.

3. Quod ipſum confirmant dicta clariſſima quæ ex Patrum ſcriptis pro noſtræ ſententiæ confirmatione adducuntur, præſertim ex Epiphanio hæreſi 79. Origene lib. 8. contra Celſum, Auguſt. lib. 2. contra Parmen. cap. 8. ex Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis apud Euſebium lib. 4. Eccleſ. Hiſt. c. 14. &c.

4. Quod Romana Eccleſia antiquitus non docuerit ſanctorum invocationem, docent nos Cenſores Colonienſes, quando p. 209. concedunt, *cultum hunc non eſſe in Eccleſia antiquiorem mille ducentis annis.*

Idem docent vetuſtiſſimæ Collectæ in antiquis officiis, in quibus non more Pontificio ad ſanctos preces diriguntur, ut ipſi nos *protegant, liberent, ſalvent ſuis meritis adjuvent*, ſed unus Deus, ut ipſe ad ſanctorum exempla propoſita vitam moresque noſtros conformet, invocatur, ut cum v. g.

 in

in die Convers. Pauli petunt. *Da Deus, ut cujus hodie conversionem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. &c.*

In Comment. Joh. Bapt. *ut familia tua per viam salutis incedat, & B. Johannis præcursoris hortamenta sectando ad eum, quem prædixit, secura perveniat.*

In Commem. S. Bartholom. *Da Ecclesiæ tuæ amare, quod credidit, prædicare, quod docuit.* Confer Cassandr. de Collect. Eccles.

14. Pontificii nobis tribuunt, quod negemus *distinctos Angelorum ordines, & distincta illorum ordinum officia, propterea quod Dionysii libros de Hierarch. cælesti supposititios esse statuamus.*

Resp. 1. agnoscimus Ordinem aliquem inter sanctos Angelos à Creatore stabilitum: quis verò sit iste ordo, & qui sint Angelorum ordines temere definire non præsumimus, secuti hac in re modestiam piorum veterum Iren. lib. 2. cap. 54. Cyrilli Hierosolymitani Catech. 11. Gregorii Nazianzeni orat. de Theol. p. 77. Augustini ad Orosium contra Priscillianistas cap. 11. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 58. &c.

2. Becanus Jesuita de officiis Angelorum cap. 1. sect. 8. *incerta esse* agnoscit, quæ de diversis Angelorum ordinibus eorumque officiis tanto conatu disputantur. Verba sic habent: *Nulla ergo, inquies, erit distinctio Hierarchiarum? Aliquam esse lubens concedo, sed quænam illa sit, incertum est.* ibid. sect. 11. *Jam de serie ordinum & dispositione nihil certi haberi potest, ne quidem ex D. Dionysio. Nam qui illum legerunt, aut apertè ab ejus doctrina recedunt, ut & Gregorius & Bernardus: aut de sententia ipsius contendunt, ut D. Thomas & alii.* sect. 12. *Porro quomodo distinguantur inter se ordines, multò minus potest affirmari* sect. 13. *de distinctione ex nominum diversitate petita, quod Seraphim ardeant caritate &c.* sic pronunciat: *Hæc doctrina partim dubia est, partim obscura. Dubium est, an singula officia hoc modo rectè sint explicata. Sanè Divus Bernhardus libenter fatetur, rem esse in opinione positam. Jam illud, quod de thronis asseritur, vix intelligi potest. Quid est enim, Deum habitare in quibusdam Angelis tanquam in throno?* Et postquam aliquas veterum sententias citasset, ibidem subjungit: *Audio verba, sensum non intelligo. Nec intellexisse videtur Cyrillus Catech. 11. De quæstione, an omnes conveniant specie, qui in eodem sunt ordine; differant specie, qui in diversis sunt ordinibus?)* respondet, ibid. sect. 16. *Nihil hic certum, omnia sunt ambigua.*

3. Quidam Pontificii distinguunt Angelos in *Ministrantes & Assistentes* ex Dan. 7. Sed illos data opera refutarunt Sanctius & Cornelius à Lapide in illum locum.

4. Eccius in Postill. German. part. 3. homil. 5. in festo Michaelis f. 237. *Non prodest populo recensere, Gregorium diversè locasse & permutasse quintum & septimum, quia omnes sancti, demto Bernhardo, malunt sequi in hoc Dionysium, ut qui illa hauserit ex traditione Apostolica potissimum sancti Pauli, qui ipse fuerit unus de præcipuis, de quibus dixit Paulus 1 Cor. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos.*

(Agnoscit ergo, Gregorium & Bernhardum in hac ordinum Angelicorum distinctione non convenire.)

15. Hagerus Jesuita in Collat. Aug. Conf. & Concil. Trident. p. 205. scribit, *plerosque factionis Evangelicæ sequi abominandum hunc errorem, quod electorum animæ ante novissimum judicium non fruantur æterna beatitudine seu cælesti gaudio.*

(Atqui ne unicum quidem ex nostris in specie nominat, qui tale quid docuerit.)

16. Idem Hagerus ex Andrea Fabricio repetit, *Confessionistas cum sæpe Petri & Pauli in Confessione sua meminerint, nunquam tamen eos dignatos esse appellare sanctos.*

Resp. 1. in articulo 28. bis Petri mentio fit, & totidem titulis *Sanctus* appellatur.

2. In editione Confessionis vernacula, quæ est prototypon, artic. 4. Paulus vocatur *sanctus*, uti etiam art. 24. bis, art. 26. semel, art. 27. semel, art. 28. octies hoc elogio honoratur.

3. In ead. Confess. art. 22. mox ab initio Hieronymus vocatur *sanctus*, art. 23. sub fin. *S. Cyprianus* art. 27. ab initio *S. Augustinus* & art. 28. idem sic appellatur.

2. Speciales.

1. Bellarminus lib. 1. de beat. sanctor. cap. 1. §. Eundem errorem &c. Friderici Staphyli calumniam repetit, *quod Lutherus in prælectionib. super Genesin statuerit, animas omnes sanctorum usque ad ultimum judicii diem servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe.*

Vasquez tom. 1. in Thom. disp. 19. cap. 1. n. 1. eundem *Psychopannychitarum errorem Luthero affricare* laborat.

Gretserus lib. 3. de funere Christiano cap. 7. p. 178. sic scribit: *Quid Novatores, eorumque antesignanus Lutherus? Mira, prorsus mira & fermè inaudita. Animas mittunt in regionem gliriium, ut ibi dormiant, vel etiam usque ad novissimum diem stertant.*

Pistorius in hodeget. cap. 12. p. 497. Luthero tribuit, quod *statuat, animam in sepulchrum spirituale deponi, & absque sensu & intellectu usque ad diem novissimum manere mortuam.*

Similia occurrunt apud Jodocum Coccium tom. 2. Thesauri lib. 10. art. 8.

Resp. 1. Rectius *Johannes* 22. Pont. Rom. in numerum *Psychopannychitarum* refertur, ut constare potest ex iis, quæ dicta sunt lib. 1. part. 2. cap. 2. n. 2. §. de Johanne 22.

2. Lutherus in Comm. cap. 25. Gen. p. 321. nihil certi hac de re ponit. *Apparet*, inquit, *animas dormire & requiescere, sed nihil assero.*

3. Distinguit inter somnum & quietem *hujus ac futuræ vitæ. Homo*, inquit, *defatigatus diurno labore sub noctem intrat in cubiculum suum, tanquam in pace, ut ibi dormiat, & eâ nocte fruitur quiete, neque quidquam scit de ullo malo sive incendii sive cædis. Anima autem non sic dormit, sed vigilat & patitur visiones, & loquelas Angelorum & Dei. Ideo somnus in futura profundior est, quam in hac vita, & tamen omnino coram Deo vivit.* Et paulo post. *Anima post mortem intrat cubiculum suum ad pacem, & dormiens non sentit somnum suum, & tamen Deus servat vigilantem animam, sed quomodo? nescimus. Sufficit similitudo somni corporalis, & quod Deus affirmat, esse somnum, quietem & pacem.*

(Lutherus igitur *ad totum hominem* somnum illum refert, ut ipsa interim anima non dormiat, sed vigilet & patiatur visiones & loquelas Angelorum & Dei, ac *dormire* Luthero in hac quæstione est quiescere à laborib. præsentis vitæ, vigilare autem in manu Dei, quia animæ actionib. alterius seculi, visione Dei, colloquio Angelorum, laudib. nominis divini, perceptione gaudii æterni semper sunt occupatæ. Verba igitur Lutheri hoc volunt, mortuos usque ad diem judicii suo modo dormire, & animas defunctorum non eodem modo sese habere, quo se habent corporib. unitæ, & habebunt post extremum judicium, nihilque eorum scire & meminisse, quæ hic geruntur, & quo quidem modo hic scire aut meminisse solent.

4. In eod. Comm. scribit: *Nos certi sumus, Salvatorem nostrum J. C. sedere ad dextram Dei Patris, & expectare nos decedentes ex hac vita. Quandocunque igitur excedimus è vivis, ad Episcopum animarum nostrarum egredimur, qui recipit nos in manus suas. Is noster Abraham est, cujus complexu fruimur. Is vivit, imo regnat perpetuo.*

5. Ibid. fol. 325. de hoc argumento disputans, sic concludit: *Quando emigramus ex hac vita, rapimur in Christi sinum.* Et paulo ante fol. 321. *Verborum Christi ad latronem hæc est sententia: Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, in sinu meo. Ubi ego sum, similiter tu eris. Ibi cælum & Paradisus idem sunt, nisi quod adhuc apud sanctos quies & pax est, non regnum*, nempe plenarium, quod erit postquam animæ corpus iterum fuerit unitum.)

6. In Revocatione de Purgatorio tom. 5. Jen. Germ. fol. 164. cum disputasset ex verbis Apoc. 14. *in Domino mortuos statim à morte beatos esse*, ac sibi ipsi per prolepsin objecisset Pontificiorum commentum, *beatas esse talium animas in spe, non in re, hæc*, inquit, *est futilis ipsorum glossa, quam probare nequeunt, & quæ textui minime, quadrat.*

2. Idem Bellarm. in præfat. lib. de Eccles. triumph. conviitiis annumerat, quod Lutherus in serm. de natali B. Virginis scribit, *nos omnes æquè sanctos ac justos esse, atque est ipsa Virgo Maria.*

Eodem nomine Lutherum perstringit Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 3. art. 1.

Resp. ex ipso Bellarmino lib. 1. de Justificat. cap. 1. & cap. 16. *Cum dicunt Protestantes, omnes sanctos æquè justos esse coram Deo, loquuntur de justitia imputativa*, (quæ in remissione peccatorum consistit, qua omnes sancti in hac vita indigent, Ps. 32. v. 6.)

Hoc docent ipsa Lutheri verba, quæ sic habent: *Tam B. Mariæ ad gratiam aspirandum fuit per Christi sanguinem, quàm nobis.*

(Non ergo loquitur Lutherus de justitia & sanctitate inhærente, nec negat B. Virginis prærogativam.)

3. Salmero tom. 6. tract. 6. verba Lutheri in Comm. cap. 4. Epist. Galat. *) Paulus, ut apparet, q. per contumeliam Virginem Filii Dei matrem, mulierem tantum appellat,) maledicentiæ accusat.*

Atqui 1. verba sunt opponentis, non ipsius Lutheri.

2. Luthe-

2. Lutherus statim subjicit responsionem.

3. Ea ratione ipse Salmero erit malediens, qui dicto loco his verbis utitur: *Veluti contemtim videtur locutus de matre.*

5. Opiniones erroneæ & absurdæ.

1. Salmero Disp. 10. in Epist. Rom. tom.13. p 304. *Neminem dum vivit, audemus vocare sanctum, nisi cum pervenerit ad gloriæ æternæ portum, ac sanctæ & inculpatæ vitæ certa & clara reliquerit testimonia.*

(Contra Scriptura verè credentes vocat *sanctos*, etiam in hac vita Ps.4.v.4. Psal.16.v.3. Act.26.v.18. 1 Cor.6. v.11.&c. Confer Lutherum tom.1. Jenens. Germ. p. 435. & tom.5. p. 303. Quid, quod ipsimet Pontificii suum Pontificem non solum sanctum, sed etiam *sanctissimum* vocant. Benedictus Justinianus in Comm. ad Philem.v. 5. *Pii in terris viventes propter fidem & Sacramenta non semel à Paulo sancti appellantur.*)

2. Emanuel à Saa in Aphorismis p. 302. *Possunt orari etiam animæ, quæ sunt in purgatorio.*

(Contra Bellarminus lib. 2. de purgat. cap.15. *Superfluum videtur ab animabus in purgatorio ordinariè petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos multis periculis versari, sicut nos in genere scimus, eas valde torqueri. Nam nec rebus nostris intersunt, nec in Deo orationes nostras vident, nec verisimile eis revelari ordinariè quid agamus vel petamus.*)

3. Censura Colon. Dial.6.p.200. *Orationem Dominicam sanctis fundimus non tam ipsos tunc alloquentes, quam Deum, ad quem ipsorum manibus eam cupimus deferri, tanquam qui cum gratiores Deo sint, facile, quod cupimus, impetrabunt.*

Bellarminus lib. de beat.Sanct. cap.16. *Fideles dirigunt orationem Dominicam ad Deum, illud autem faciunt coram Imaginibus Sanctorum, sperantes per auxilium Sanctorum suam orationem melius & facilius ad Deum perventuram.*

(At quæ hæc ambages? Deus preces nostras revelat sanctis, quippe qui eas vident *in speculo divinæ essentiæ* juxta hypothesin Bellarmini. Et tamen *preces nostræ per auxilium Sanctorum melius & felicius ad Deum perveniunt?*)

4. Suarez tom.2.Comment.disp.23.q.37.sect.3. *Angelicam salutationem aliis Sanctis recitamus, ut eam pro nobis Virgini repræsentent.*

(At hac ratione Sancti constituuntur Mediatores apud Mariam. Jacob. Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 1. in Evang. festi annunc. Mariæ. *Quatenus salutatio illa est encomium Mariæ, ad nullum neque ad Deum, neque ad Sanctos eam transferemus præterquam ad solam Mariam.*

5. Benedictus Magister Sorbonistarum in Disp. cum Francisco Rebezies affirmavit, quod *non opus habeamus nunc refugere ad Christum Jesum, ut ipsum habeamus intercessorem, sed solum ad Deum.*

Ex Crispin. lib.6. Fox. p.921.

6. Lindanus in scripto cui titulum fecit, Concordia discors; p.143. disputat, *esse injuriam, contumeliam & irreligiosam blasphemiam, qua Christus Dominus Deus noster irreverentia summa in Sanctorum ordinum redigatur, quando ita invocetur, Advocate noster ora pro nobis Deum.*

Salmero disp. 7. in 1. Tim.2. tom.15. p.459. *Orare Deum est actus latriæ, ideo non dicitur, Christe ora pro nobis, quia Christus est nomen suppositi.*

Disp.8.p.476. *Christo non est dicendum, Intercede pro me, quemadmodum Sacramentarii nostro seculo ausi sunt dicere, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, ora pro me. Et, Salve Rex misericordiæ, vita, dulcedo, spes nostra. Et ora pro nobis sancte Dei genite, quæ in re isti nebulones impudenter Christo tribuunt, quod Ecclesia à tot retro seculis B. Deiparæ tribuit. Quod autem non liceat ita invocare Christum, docet inprimis Ecclesiæ consuetudo, quæ in sacris Litaniis idem petit à Christo, quod à Patre & Spiritu S. nempe misericordiam, cum ait, Kyrie eleison, Christe eleison. Item petit audiri atq; exaudire & suscipere nostram deprecationem, perinde à Christo atque à Patre & Spiritu Sancto. Tertio, quia oratur & exoratur Pater in nomine Christi, & Pater cum Filio præstat omnia, quæ petuntur. Quartò, dum Christus in terris degebat, nullus eum, ut pro se oraret, rogavit, sed omnes pedibus & genibus ejus provoluti opem & misericordiam supplices implorabant.*

(Atqui ex eo, quod Christus ut unus verus cum Patre & Spiritu Sancto Deus invocari debet, inferri non potest, quod non sit invocandus ut noster Mediator & Intercessor. Joh.14. v.16. c.17.v.20. Rom.8.v.34. Hebr.9. v.24. 1. Joh.2.v.2.

Idem Azorius lib.9.institut. cap.10. fol.754. sic differit: *Sunt, qui censeant, nequaquam esse dicendum Christum in cœlis pro nobis orare, nam orare est actus alicujus suppliciter sese Deo subjicientis:* Verum rectè ibidem ex Scripturis ostendit, *Christum pro nobis orare*, & falsos negantium conceptus de Christo orante perstringit.

7. Idem Salmeron d.l. p.467. scribit: *Orationem illam, quæ fit per Sanctos, meliorem esse, quam est ea, quæ fit per solum Christum,*

1. *Quia secum continet duplicem actum, quando enim fundo orationem ad Sanctum, etiam Sanctus orat pro me.*

2. *Majus est in se & in Sanctis Deum honorificare quam Deum tantum in seipso.*

3. *Quia Ecclesia, quæ Spiritum Christi habet, frequentissime per Sanctos recurrit ad Deum, rarius per se ad Deum accedit.*

4. *Precatio Dei per invocationem Sanctorum arguit majorem humilitatem.*

(Sic ergo majoris meriti & efficaciæ statuitur oratio, quæ fit per Sanctos *sine verbo*, quam quæ fit ex fide in Christi nomine *prælucente verbo.*)

8. Anglo Rhemenses in cap.15.Luc.sect.2. *Cordis nostri interior pœnitentia aperta est Angelis & aliis cœlestibus Spiritibus.*

Laurent. Arturus de invocat Sanctor. cap.7. th.5. *Cognoscunt Angeli intimos animorum sensus, adeoque reconditas & penitus abstrusas cogitationes.*

(Contra 1. Reg.8. v.39. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.*)

9. Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Perbellum commentum incacat Henno in Sancta Sanctorum. Scriptum est, inquit, Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium, id est, non sufficit unus advocatus vel Mediator humano generi in cœlo, cum tot & periculosas causas habeat coram Deo, faciamus ei adjutorium, id est, B. Virginem.*

10. Bellarminus lib. 3. de cult. sanct. cap. 16. Anglo-Rhemenses in cap.1. Act. *ex traditione verissimum esse censent,* quod *corpus B. Mariæ in cœlum sit assumtum.*

(Sed huic traditioni quidam ex ipsis Pontificiis fidem derogant, ut ostendimus superius lib.1.part. 2. cap.5. Confer sequentis capitis Appendicem membr. 3.)

11. Costerus in Enchir. p.388. *Non est dubium, quin divina revelatione cognoscant Sancti, quæ ad ipsorum gloriam promovendam à nobis aguntur.*

(Quæ verò hæc sunt ambages? Qui in terris vivunt, Sanctos defunctos invocant, ut apud Deum pro ipsis intercedant. Has preces Sancti per se non audiunt, sed Deus eas ipsis revelat, postea demum Sancti intercedunt, ut Deus preces illas ad se directas clementer audiat. At qualis erit Mediator, is, cui ab eo, apud quem Mediatorem agere debet, prius indicandum, quod ab illo ut Mediator fuerit compellatus?)

12. Bellarminus lib 1. de beat.Sanct.cap.20. resp. ad 3. *Cum certum sit ex Patrum testimoniis & miraculis à Deo ostensis, eos, qui invocant Sanctos, exaudiri & impetrare, quod petunt, ideò non frustra invocantur Sancti, etiamsi demus, eos non audire neque cognoscere preces nostras. Nam aliquis alius eorum vice fungitur, sicut non frustra supplicat Regi, qui certe scit Regem non lecturum supplicationem, sed aliquem alium ex aula ejus, & nihilominus ita se impetraturum quod petit, ac si Rex legisset supplicationem.*

(Ecquis verò ille alius, qui Sanctorum vice fungitur? Sanctos Pontificii vocant *Mediatores ad Mediatorem Christum.* Quod si alius vice Sanctorum fungitur, qui preces nostras illis revelet, tunc aliis Mediatoribus ad hos Mediatores opus erit. Si per eum, qui Sanctorum vice fungitur,

Bellarminus intelligit Deum ipsum, *à quo ea, quæ in terris geruntur, Sanctis revelari*, paulo post scribit, consequens fuerit, Deum esse Mediatorem, imo ministrum Sanctorum. Qui enim alterius vice fungitur, is est Mediator, imò minister ejus. Idem ex adducta similitudine probatur. Si enim sancti conferuntur Regi, qui non legit supplicationes; Deus illi, qui supplicationes Regi inscriptas legit, utique sancti constituuntur Domini, Deus autem ipsorum vicem tenens, vel Cancellarius, vel Secretarius, vel Silentiarius constituitur.)

3. Carolus Stengelius Monachus Benedictinus in lib. de Historia & officio B. Josephi, edit. Monach. Ann.616. p.262. *Reliqui sancti, etiam Angeli & Seraphini, deprecatoriè postulant à Christo Domino tanquam servi. Joseph autem autoritativè quodammodo, tanquam Pater illius, cui sane sicut Christus ipse, in terris tanquam patri ad nutum obsecundavit, ita in cœlis acceptæ beneficentiæ*

non immemor ad nutum eidem, tanquam Patri affectu filiali, quem ab infantia concepit ac perpetuò conservavit, in cœlo obedit.

(Hac ratione confunduntur 1. *status exinanitionis*, ad quem pertinet subjectio Christi erga parentes, & *status exaltationis*, ad quem illa obedientia neutiquam referri potest. 2. *Officium Christi* & *opera ad officium spectantia*, in quibus locum habet illud Joh. 2. v. 4. *Quid mihi & tibi mulier*, ac obedientia in vita œconomica.)

14. In quibusdam templis extant tales picturæ, in quibus Maria *pallio* misericordiæ suæ tegit, quos Christus *Iridi insidens* tetrico vultu intuetur, jacula in eos projicit, & damnationi adjudicare constituit.

Extat etiam in templis talis pictura. Infimo loco stat peccator facie ad B. Virginem versa, hac illam compellans precatione:

Te rogo Virga pia, nunc me defende Maria.

Ex uno latere B. Maria denudatis uberibus Christum Filium sic alloquitur:

Hæc quia suxisti, Fili, veniam precor isti,

digito monstrans peccatorem. Ex altero latere conspicitur Christus, vulnera Patri cœlesti monstrans his verbis:

Vulnera cerne Pater, quod jam rogitat pia mater.

In sublimi constitutus Pater cœlestis respondet:

Quæque petita dabo, Fili, tibi nulla negabo.

Autor horum versiculorum vocatur à quibusdam M. Mengartus.

15. Monachus quidam Franciscanus Benedictus Lugduni excudi curavit librum hoc titulo, *Summa peccatorum*; eumque Virgini Deiparæ dedicavit, ad ipsam Epistolam scribens & affirmans *defunctos ad nos posse scribere, & nos vicissim ad illos.*

16. Salmero tom. 15. pag. 464. sic concludit: *Christum licet invocare. Ergò etiam sanctos licet invocare.*

(Quidni etiam sic concludit: Christus est verus cum Patre & Spiritu sancto Deus. Ergò etiam sancti sunt unus verus cum Patre & Spiritu sancto Deus. Christus est unus Mediator Dei & hominum. Ergò etiam sancti sunt unicus ille Mediator.)

17. Gregorius de Valentia contra Heerbr. de Idololatr. Pap. cap. 6. *Ideo frequentius Mariam invocamus, quàm* DEUM *Patrem, quòd reverenter ad divinæ majestatis thronum accedere velimus, tanquam ab ipsa Dei matre introducti.*

Salmero d. l. *Christus dedit nobis sanctos, ut si fortè ejus majestate & autoritate terreremur, sanctorum saltem hominum, qui peccatores, sicut nos, extiterunt, & mala nostra experti sunt, patrocinium postularemus.*

(At hac ratione fiducia, quâ per Christum Mediatorem ad thronum gratiæ accedere debemus, vel ex toto, vel ex parte ad sanctos transfertur, ac major laus clementiæ, bonitatis ac misericordiæ tribuitur sanctis, quàm Mediatori Christo, qui seipsum pro nobis in mortem tradidit, quòque nullus *majorem caritatem habet* Joh. 15. v. 13.)

18. Carolus Scribanius Jes. Antuerp. Regens, cui anagrammatismo mutatum apponit nomen Clarus Bonarscius, in Amphitheatro honoris lib. 3. cap. 8. pag. 356. introducit quendam inter *Christum* & *Mariam* in medio positum, sic loquentem:

Hæreo lac inter meditans, interque cruorem,
Inter delitias uberis & lateris.
Et dico, (si fortè oculos super ubera tendo,)
Diva parens mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico, (si deinde oculos in vulnera verto)
O Jesu lateris gaudia malo tui.
Rem scio. Prensabo, si fas erit, ubera dextrâ,
Lævâ prensabo vulnera, si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine Nati,
Non possem antidoto nobiliore frui.
Vulnera restituent turpem ulceribus mendicum,
Testa cui saniem radere sola potest.
Ubera reficient Ismaëlem sitientem,
Quem Sara non patitur, quem neque nutrit Agar.
Illa mihi ad pestem procul & procul expungendam,
Ista mihi ad longas evalitura febres.
Ira vomit flammas, fumatque libidinis Ætna?
Suffocare queo sanguine, lacte queo.
Livor inexpletâ rubigine sævit in artus?
Detergere queo lacte, cruore queo.
Vanus honos me perpetuâ prurigine tentat?
Exsaturare queo sanguine, lacte queo.
Ergò Parens & Nate, meis advertite votis,
Lac peto, depereo sanguinem. utrumque volo.
O sitio tamen, ô vocem situs intercludit
Nate, cruore sitim comprime, lacte parens.
Dic matri: Meus hic frater sitit, optima mater,
Vis de fonte tuo promere, deque meo?
Dic nato. Tuus hic frater ô mellee fili,
Captivus monstrat vincula, lytron habes.
Ergo Redemtorem monstra te jure vocari,
Nobilior reliquis si tibi sanguis inest.
Tuque parens monstra matrem te jure vocari,
Ubera si reliquis divitiora geris.
O quando lactabor ab ubere, vulnere pascar!
Delitiisque fruar mammæ, lateris que tuis!

Sequitur Scribanius hac in parte Jacobum de Voragine Archiepiscopum in serm. de B. Virgine, quos Mariale vocat serm. 2. sub lit. A. sic disserentem: *Securum accessum, ô homo, habes apud Deum, ubi mater ante Filium, Filius ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius ostendit Patri latus & vulnera.*

Hanc Caroli Scribanii impietatem Jesuitæ Germani adeò non correxerunt, ut Adamus Conzen in Jubilo Jubilorum, & Maximilianus Sandæus in orat. de patrocinio Deiparæ pag. 342. velut *insignem pietatem* publicè dilaudent.

Huc pertinet, quod Johannes Wolfius Cent. 16. p. 823. *in Italia*; & Wilhelmus Tregelingus lib. contra Jesuitam Johannem Davidem scripto pag. 317. *Pictaviis in Gallia, in Monasterio Minoritarum* referunt *conspici picturam Crucifixi, cujus lateri transfixo hæc adscripta sunt verba: Hinc sanguine pascor. Ad latus autem sinistrum Maria collocatur mammis nudis, & appositis iisdem verbis: Hinc ubere lactor. A dextris autem Crucifixi stat Monachus quidam Minorita, cujus ori addita sunt hæc verba: Quo me vertam, nescio.*

(At hac ratione fiducia & spes invocantium inter *lac Mariæ* & *sanguinem Christi* dividitur; hac ratione homo, Deo; creatura, creatori æquali instituta proportione comparatur; hac ratione Maria in societatem redemtionis, liberationis, auxilii & salvationis à solo Christo expectandæ adsciscitur.)

19. Nihusius de Invocatione Sanctor. cap. 2. q. 2. arg. 2. asserit, *sanctos defunctos adhuc vivere, quoad corpora, & nequaquam esse mortuos. Et hoc suum effatum* vocat *oraculum divinum & claram in profundo mysterio lucem. Item, altiorem de somno & vigilia Philosophiam, quàm est Aristotelis aut aliorum.*

(Hoc commentum excogitavit ad stabiliendam sanctorum invocationem, subjungit enim: *Quoniam itaque sanctis in suis corporibus adhuc vivunt, certatim nos illuc agglomeremur, & adoremus amorosissimè.* Atqui 1. Scriptura sanctos hac vita defunctos vocat, qua corpora, *mortuos* Esai. 26. v. 19. Apoc. 14. v. 13. in cap. 5. Genes. de sanctis Patriarchis octies repetitur, quod *mortui sint.* Idem dicitur de Abrahamo Genes. 25. v. 8. de Isaaco cap. 31. v. 29. de Jacobo cap. 49 v. 32. de Josepho cap. 50. v. 26. Aut ergo *secundum animam*, aut *secundum corpus* dicuntur mortui. Non secundùm animam, ut utrinque conceditur. Ergo secundum corpus. 2. Scriptura testatur, *per peccatum mortem in omnes homines transivisse* Rom. 5. v. 14. 15. quæ certè non est imaginaria, sed vera & realis mors. 3. Ubi corruptio & putrefactio, ibi vera mors. At corpora defunctorum etiam sanctorum corrumpuntur & putrescunt. Ergo. 4. Vera resurrectio præsupponit veram mortem. Sanctorum resurrectio est vera resurrectio. Ergo. 5. Reliqui Pontificii non dubitant sanctos defunctos appellare verè *mortuos*, unde Nihusius ipse suam sententiam vocat *novam & antea inauditam.* Thomas part. 3. quæst. 50. art. 4. *Christum verè mortuum fuisse, est fidei articulus.* Ibid. ex Concilio Ephesino Can. 13. verbis Cyrilli anathema dicit omnibus illis, *qui non confitentur Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & quod mortem gustavit carne.*)

20. Franciscus Labata Societat. Jes. in App. Conc. tit. de Maria. propos. 4. *Quot millia fuerunt, sunt & erunt, qui jam in gehennam damnati fuissent, vel damnandi forent, nisi Mater Dei pro illis intervenisset.*

(Inde consequens est, Deum in æterno suo consilio decrevisse, multa millia hominum non solo interventu Filii, sed Dei-

Deiparæ quoque Virginis salva facere, atque sic ad immutabilem electionis certitudinem intercessionem quoque Mariæ concurrisse. Ut enim opus salvationis Deus exequitur, ita se executurum ab æterno decrevit. Atqui juxta Labatam interventu B. Virginis Deus multa millia salvat, alioqui damnanda. Non igitur soli Christo, sed S. Virgini, ut causæ proximæ, ut Mediatrici immediatæ salutem debent.)

21. Sotus lib. 8. de Justit. quæst. 2. art. 3. Covartuvias de pactis 1. part. §. 7. n. 9. v. 10. Menochius de arbitrar. lib. 2. cont. 4. cas. 375. n. 15. &c. statuunt, *juramentum per intemeratam Mariæ Virginitatem esse blasphemiam & juramentum nefandum.*

Contra Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 32. Operis moralis. *Neutrum sensum efficit id juramentum, sed in testem adducitur ea veritas divina Virginitatis Deiparæ, sicut quando juratur per Deum, unde nec id juramentum est blasphemum, nec nefandum, nec est culpa aliqua id reverenter jurare.*

22. Salmero in 1. Timoth. Disput. 7. specialem sanctorum intercessionem & invocationem probat ex Psal. 32. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus tempore oportuno. Loquitur David*, inquit, *de remissione injustitiæ & peccati. At de sanctis, qui mundi sunt à peccatis, non potest intelligi, quod pro sua injustitia remittenda orent, sed pro aliena. Et non tantum omnis sanctus vivens, sed etiam jam defunctus in tempore oportuno, idque est, non tantum dum viverent, sed etiam post mortem, dum in gloria constiterint eis nostra iniquitates, & votum, quo eorum intercessiones expetimus.*

Atqui plerique omnes Interpretes de sanctis in terra adhuc viventibus hoc dictum exponunt, quam expositionem probat totus contextus. *Non solere sanctos, in his terris pro sua injustitia remittenda orare*, dogma est planè Pelagianum.

Dionysius Carthusianus in h. l. *Pro hac re, id est, pro remissione peccati orabit ad te omnis sanctus, id est omnis viator, quantumcunque perfectus.*

23. Cottonus in Apologet. pro matre Dei cap. 18. illud Missalis: *Jure matris impera Redemtori*, defendit hoc modo. *Lucæ 2. dicitur Christus subditus fuisse parentibus. Si subditus, ergo jussionibus obnoxius. Nam imperare & subjici relata sunt. Et Marci 10. ac Luc. 20. negat Christus, se venisse, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret potius.*

(At hac ratione *status exinanitionis* cum *statu exaltationis* turpissimè confunditur. Christus non solum Mariæ, sed etiam Josepho fuit subditus. Ergone etiam sic orabunt: *Sancte Joseph, jure Patris impera?* Præterea in medio exinanitionis statu Christus ita fuit Mariæ subditus, ut tamen in rebus regni cœlestis ostenderit nihil illi juris esse. Luc. 2. v. 49. Johan. 2. v. 4. Matth. 12. v. 47. quanto minus ad dextram Dei sedens, Mariæ mandatis obnoxius erit, *cum omne genu cœlestium*, in quibus etiam Maria, *ipsi flectatur*, Phil 2. v. 10.)

Excipit Cottonus, *Christum Luc. 12. v. 37. loquentem de vita futura, eadem uti phrasi, Transiens ministrabit illis.* At hac ratione quilibet sanctus sic invocari posset, ut Christo imperet. Ministerium illud allegoricè explicandum.

Maldonatus in illum locum. *Qua ratione hoc sit ad Christum accommodandum, non est nimis ingeniosè quærendum. Nihil enim aliud significatur, quàm illum nobiscum gloriam, quam habet, communicaturum.*

Et paulò post. *Non quod ipse nobis ministraturus sit, in eo enim non est parabola ad rem, de qua agitur, accommodanda.* Postea eo sensu dicit ad Christum applicandum, *quod nobis in cælo insitatum & incredibilem honorem gloriamq; sit exhibiturus, & pares nos sibi quodammodo facturus.*

24. Fevardentius lib. 10. Theomachiæ cap. 29. & Altenstaig in Lex. Theol. Auream distinguunt ab Aureola. *Auream* definiunt *gaudium de Deo omnibus beatis commune. Aureolam verò quandam specialis ac spiritualis honoris & gloriæ coronam, qua quidam donabuntur in cælis, eò quòd aliquibus ante cæteros heroicis virtutibus floruerint.* Altenstaig addit, *coronam illam futuram Doctoribus in ore; Virginibus in illa parte corporis; Martyribus in cicatricibus.* Fevardentius hoc confirmat tribus parabolis: *Per thesaurum absconditum in agro aureolam Virginum; per margaritas, quas venditis aliis omnibus bonis sibi homo comparat, Martyrum; per sagenam missam in mare & ex omni piscium genere congregantem, Doctorum. Secundò, per allegoriam ex Veteri Testamento: Per arcam fœderis, Virginum; per coronulam super altare suffixus, Martyrum; per panes propositionis Doctorum. Tertiò, ab exemplis primò Virginum, Pauli, qui sibi superesse coronam justitiæ testabatur, & Johannis utriusque, qui nunc in cælo glorificantur, & aliorum, qui sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Secundò, *Martyrum, quorum in cujuslibet festivitate Ecclesia Romana canit, Corona aurea super caput ejus.* Tertiò, *Doctorum, qui fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12. Matth. 5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

(Nos libenter concedimus, varios fore gloriæ cœlestis gradus, sed commentum illud de aureolis repudiamus, cum non nisi ex parabolis, & quidem violentè detortis probetur. Ipsimet Pontificii Interpp. agnoscunt, parabolarum *de thesauro abscondito & margarita* esse unum eundemque scopum. Cajetanus in h. l. *In prioribus parabolis regnum cælorum tractatum est ex parte, quâ vim habet effectivam, tanquam semen seu fermentum: modò in his duabus tractatur ex parte, quâ vim habet finis, quâ est desiderabilis, & propterea assimilatur thesauro & margaritis.* Cornelius Jansenius ad h. l. *Præcedentibus duabus parabolis ultimis declarata est vis Evangelicæ doctrinæ, at duabus jam sequentibus ejusdem precium significatur & quanto studio meritò eam quisque sibi parare debeat, indicatur.* Maldonatus ad h. l. *Hæc parabola, de margarita, eandem prorsus atque præcedens significationem habet, sola differt materiâ.* Similia occurrunt apud Franciscum Lucam, Barradium & Salmeronem. Per *sagenæ parabolam.* Interpretes omnes idem significari docent, quod Christus per parabolam zizaniorum jam antè docuerat, *in Ecclesia semper fore malos bonis permixtos ad seculi usque consummationem. Per coronam justitiæ*, quam Paulus *sibi repositam* dicit, Lombardus *vitam æternam*; Benedictus Justinianus *sempiternæ felicitatis mercedem* intelligit.)

25. Thomas in 2. Tim. 4. aureolas hasce ex aliis Scripturæ dictis probare conatur, sed quæ itidem sunt ab hoc scopo aliena. *Aureola una*, inquit, *debetur Martyribus, supra cap. 2. Nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Alia debetur Virginibus, Sap. 4. In perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Tertia est Doctorum, Prov. 4. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclita proteget te.* Sed idem ipse Thomas ad dictum Apostolicum 2. Tim. 2. *Nemo coronatur*, sic annotat: *Est autem tripliciter aliquis miles Christi, Primò in quantum pugnat contra peccata; secundò, est aliquis miles Christi in pugnando contra errores; tertiò, est militia Martyrum contra Tyrannos.*

(At si non Martyres tantum, sed etiam alii fideles sunt Christi milites, quomodo peculiaris aureola Martyrum ex hoc loco probari potest? Dictum Sap. 4. Robertus Holcoth secutus integrum contextum, interpretatur de *castitate conjugali.* Prov. 4. itidem non agitur peculiariter *de Doctoribus*, sed in genere de illis, qui cœlestem sapientiam acquirunt. Cornelius Jansenius ad illum locum sic annotat: *Metaphoricè significatur, per sapientiam homines fieri gratos admodum & honoratos ab aliis, veluti si corona regali essent insigniti. Item, per eandem frequenter perveniri ad summos honores. Præterea per eandem homines verè Reges fieri ac vitiorum Dominos, consecuturos proinde tandem immortalem gloriæ coronam apud Deum.*)

26. Barradius tom. 2. Harm. Evang. lib. 7. cap. 8. §. Potuisset &c. *divino instinctu ab Interprete Latino vocem Græcam redditam esse per AVE, non per GAUDE*, annotat. *Quo verbo*, inquit, *Ecclesia piè indicare voluit, Virginem sanctissimam ipsum nomen Evæ, ac proinde quas in mundum invexit calamitates, in æternam felicitatem transmutasse. Sic enim in vulgato hymno canit:*

Sumens illud AVE,
Fundans nos in pace,
Mutans EVÆ nomen.

Nam EVA & AVE iisdem literis, sed transmutatis scribuntur.

Resp. 1. Si Latinus Interpres divino instinctu hoc loco verbum illud adhibuit, quonam respexisse censendus est, quando Judæ salutationem reddidit, *Ave Rabbi* Matth. 26. v. 49. & militum, *Ave Rex Judæorum*? Marc. 15. v. 18.

2. Anagrammatismus non potest immutare Naturam vocum, quam hoc loco esse diversam, vel pueri Grammaticorum norunt, quibus *Eva* dicitur nomen proprium, *Ave* verò verbum.

3. Evæ nomen non est symbolum *calamitatum*, quas in mundum invexit, sed *vitæ*, quia est *mater omnium viventium*, Gen. 3. v. 20. Ejusdem symbolum etiam est vocula *Ave*, quippe quæ juxta Scaligerum in notis ad Varronem & sub finem lib. de emend. temp. originem habet à punico illo חוה id est, *Vive*, pro quo Daniel. 2. v. 4. in salutatione dicitur חי *Vive.*

27. De Rosariis Mariæ in Papatu usitatissimis sic scribit Polydorus Vergilius lib. 5. de Rerum invent. cap. 9. p. 434.

Cate-

Cæterum, ut rationem cum Deo habere possemus, quoties ipsam Dominicam precem cum Angelica salutatione recitaremus, est modus orandi postremo inventus, per calculos, ut ita dicam, ligneos, quos vulgus modo preculas, modo Paternostros appellat. Ii numero quinquaginta quinque ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli masculi affigantur filo, sunt enim perforati, & quot hi sunt, toties Dominicam precem; quot illi, toties Angelicam salutationem ter numerum ineundo recitent, terque Symbolum brevius inferant. Et id Divæ Mariæ Virginis Psalterium nuncupant. Ejus rei autor fertur Petrus Eremita, homo Gallus, civis Ambianensis, qui abhinc annos 430. hoc est, circiter annum salutis humanæ 1110. sanctitate floruit, egitque cum Urbano Romano Pontifice, ut bellum Asiaticum à nostris sumtum fuerit, quo Hierosolyma recepta sunt. Hodie tantus honor ejusmodi calculis accessit, ut non modò ex ligno, succino & corallio, sed & auro, argentoque fiant, sintque mulieribus instar ornamenti, & hypocritis præcipue fucosæ bonitatis instrumenti.

28. Jesuitæ Ignatium Lojolam Societatis suæ *conditorem & parentem*, (ut eum vocat Johannes Petrus Mapheus in Epist. ad Aquavivam præfixa vitæ Ignatii,) in numerum sanctorum referri à Pontifice Romano, multis tandem precibus impetrarunt, sicque ipsi fuere Ignatii patroni apud Papam. Eundem verò Ignatium hodie invocant ut suum patronum, unde tale Epigramma natum:

Quem sanctum sibi patronum turba impia quærit,
Ut meritis facilem pandat ad astra viam.
Illum cultor iners sanctorum ut scriberet albo,
Terrestrem pretiis ambiit ante Deum.
Mutuò sic scalpunt asini, nunc sanctule tandem
Reddes cultori, mutuò gratus, opem.

Itemque illud alterum:

Mortali vitâ defunctos credidit olim
Vivis patronos stulta superstitio.
At vice nunc versa sanctorum ut sede fruantur,
Vivorum precibus Papa dat & pretio.
Scilicet artibus his Ignatius æthera scandit,
Quem celebrat sanctum secta nefanda novum

29. Tursellinus apud Possevinum Bibl. select. lib. 17. hosce de Christo & Francisco consarcinavit versiculos:

Exue Franciscum tunica, laceroque cucullo,
Qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.
Francisci exuviis (si qua licet) indue Christum,
Jam Franciscus erit, qui modo Christus erat.

(Hac ratione inter Christum & Franciscum nullum aliud discrimen agnoscunt, præter illud, quod à colore & forma vestis ducitur.)

30. Bellarminus de Sanct. Beat. cap. 20. ad 2. *Tertio modo Mediator dicitur, qui orat creditorem, ut debitum remittat, & hoc modo ait, sanctos dici Mediatores nostros apud Deum, quia hoc sensu etiam Moses dicitur sequester & Mediator inter Deum & Israëlitas, Deut. 5. v. 5.*

(Atqui verba illa non loquuntur de oratione aut intercessione Mosis pro delictis populi, sed de mediatione promulgatæ legis, quia nempe Israelitæ timuerint Deum oretenus audire, ideò se factum esse internuncium, Exod. 20. v. 19. Hebr. 12. v. 19. Atque de hoc officio verba illa interpretantur Cornelius à Lapide, Bonfrerius & Leonhardus Marius in Comment. Deuter. 5. v. 5. Estius in cap. 3. Galat. vers. 18. *Moses sequestrum & Mediatorem quoad legislationem inter Dominum & filios Israel se vocat, ac multis deinde verbis declarat Deut. 5. ad quem locum hic Paulum respexisse, valdè verisimile est.*)

31. Jacobus de Voragine Archiepiscopus Januensis in sermonibus de B. Maria Virgine, quos Marrale vocat, sermone 1. in lit. R. & serm. 5. de assumt. Virginis, vocat eam *Reginam cœli, cui quamdiu invocationis placentas libemus, saturemur pane cœlesti; eos autem, qui eam non honorant, habere penuriam gratiæ & gloriæ, consumi fame consolationis divinæ & gladio tentationis Diabolicæ* ex Jerem. 44. (quæ est ipsissima Collyridianorum hæresis placentas Mariæ offerentium apud Epiphan. hæres. 79.)

32. Jesuitæ laudi & sanctitati sibi ducunt, quod *talis aut sorte quapiam alia singulis mensibus de tutelari sancto sortiuntur*, ut Ribadeneira in vita Borgiæ lib. 1. c. 2. & lib. 4. cap. 4. ac Lorinus in Act. 1. v. 26. gloriantur. Verba Lorini sic habent: *Huc revocare possumus pium ac laudabile institutum, quod Societas nostra renovavit, sortiendi singulis mensibus tutelarem sanctum. Usos Hispanos religiosâ istâ Ceremoniâ testis est Ribadeneira in vita Borgiæ, & ab hoc in Societatem invectum.*

33. Ritum *accendendi cereos* in honorem Sanctorum ab Ethnicis & Judæis in Ecclesiam Christianam dimanasse, testis est Baronius Annal. Eccles. Ann. 58. n. 70. & seqq. & quidem tanto cum impetu hæc superstitio Ethnica Ecclesiam inundavit, ut Polydorus Vergilius testetur lib. 5. de Rerum inventorib. cap. 7. pag. 425. *Apud nos nullo magis honore, quàm cereis candelis decorantur extrinsecus Cælicolæ.*

34. Ritum *suspendendi in templis anathemata & tabellas votivas* ab Ethnicis in Ecclesiam dimanasse, testis est idem Polydorus Vergilius lib. 5. de Rerum inventorib. cap. 1. pag. 384. sic disserens: *Quod vero tabellas in templis affigimus, quibus miracula inscripta sunt, ut ea ad posteros testatoria sint, hoc ex Græcis est, apud quos, teste Strabone, lib. Geograph. 8. mos fuit in templo ejus Dei, qui auxiliatus esset, & præsertim Æsculapii, quod Epidauri insigne erat, tabellas appendere, in quibus morbi erant perscripti.*

35 Ritum *suspendendi imagines cereas læsarum, post sanatarum corporis, partium* ab Ethnicismo originem trahere, testatur idem d. l. pag. 382. *Consimiliter*, inquit, *ritus offerendi cereas imagines ab iisdem est profectus. Cum enim Pelasgi, teste Dionysio Halicarnassæo, sedibus pulsi Dodonam pervenissent, ibi accepto responso, quo admoniti sunt, ut Siculorum continentem terram quærerent, in Latium demum post multos errores venientes, in lacu Cutiliensi enatantem deprehenderunt Insulam, quam Cotiliam nominaverunt. Hoc igitur quasi omine suscepto, has sibi prædictas esse sedes didicerunt, pulsisque inde Siciliensibus incolis, regionem ipsi tenuerunt, decima prædæ secundum responsum Apollinis consecrata, erectoque Diti sacello & Saturno arâ; illum humanis capitibus hunc virorum victimis placare se existimabant, propter oraculum, in quo erat. Post hæc ferunt Herculem cum Geryonis pecore per Italiam redeuntem, suasisse illorum posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, offerentes Diti non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem formata, quasi parva ora, ut pars pro toto foret, & Saturni aras non mactatis viris, sed accensis cereis excolentes, quia Φῶς non solum virum, sed etiam lumen significat, inde ergo valuit consuetudo, ut Saturnalibus & cerei missitarentur, & sigilla, id est, oscilla arte fictili fingerentur, ac venalia exponerentur, quæ homines pro se ac suis piacula Diti & Saturno offerrent. Hæc quodammodo nostra vaticinabantur sacra: nam sic & nos eadem ex cera sigillaria, hoc est, imagunculas templis offerimus & oscilla; quoties enim aliqua pars corporis læsa fuerit, utputa manus, pes, mammilla, statim vota facimus Deo & ejus Divis, quibus mox recuperata sanitate illam manum, illum pedem, illam mammillam ex cera formatam offerimus. Quæ consuetudo sic increbuit hactenus, ut istiusmodi sigillaria ab hominibus ad reliqua animalia transierint: sane sic pro bove, sic pro equo, sic pro ove oscilla templis ponimus. In qua re quispiam scrupulosè verecundus fortassis dicet, se plane nescire, an nos priscorum religionem potius, vel superstitionem æmulemur, cum talia Christianæ Ecclesiæ Rectores etiamnum admittant, quando antore Catone de re rustica, sic Romanorum moris fuit, pro bobus, ut valerent, vota facere, cujus rei modum valdè me hercule ridiculum ille ibidem ponit.*

36. Ritum *parentationum anniversariarum* in honorem Sanctorum instituendarum ex Ethnicismo profluxisse, testis est idem Polydorus Vergilius lib. 6. de Rerum inventorib. cap. 9. pag. 519. *Jampridem increbuerat mos hic apud veteres parentandi ad sepulchrum, quod indicat M. Tullius in prima Philippica dicens: ut cujus sepulchrum nusquam extet, ubi parentetur & publicè supplicetur. Et in oratione pro Flacco, Litemus igitur, inquit, Lentulo, parentemus Cethego. Sic fiebant annua parentalia, id est, sacrificium quotannis ad honorem mortuorum, id quod etiam Macrobius & Cato tradunt, ita scribentes: Laurentiam annuæ parentationis honore dignatam. Erant enim parentalia justa & convivia, quæ à funere & ad sepulchrum parentum cognatorumque concelebrabantur à filiis ac consanguineis, quorum autor Æneas fuisse fertur, qui eo pacto Anchisem parentem primus omnium honoravit, supplicationibus coluit, atque ejus memoriam consecravit, veluti Virgilius lib. Æneidos 5. describit. Sic nos illud ipsum institutum pro salute mortuorum servamus.*

37. Idem Polydorus Vergilius postquam lib. 6. de Rerum inventorib. cap. 11. pag. 532. ritum *supplicationum* apud gentiles usitatum prolixè descripsisset, subjungit: *Hanc & nos ritum pariter servamus, sed haud scio, an tam rectè, quàm bellè illud fiat. Vereor, inquam, vereor, ne in iis rebus Diis potius gentium, quàm Christo gratum faciamus, nam illi suos cultores in supplicis, ut Salustius perhibet, magnificos esse volunt, hic vero nihil magis, quàm illud horret, qui inquit: Tu autem, cum oraveris, introito in cubiculum tuum,*

tuum, & clauso ostio ora. Et quid igitur fiet nobis, *si contra praeceptum venerimus? imò fiat quidvis, nos tamen venimus contra. Cujus rei ut magis pudeat, unum ex sexcentis Ethnicorum exemplum valde mehercule memorandum ponam. Athenienses enim, ut Plato de suo Alcibiade secundo prodit, solebant quotannis multo sumtuosissimas sacrorum pompas celebrare, ac magno facere sacrificia apparatu. Contra Lacedæmonii ea omnia perparcè, ut qui plus hærerent in precibus. Quapropter, quoties res ulla inter eos erat, populus Atheniensium semper longè existebat inferior; qui tantæ calamitatis causam scire aventes Jovem Ammonem per Prophetam consuluêre. Propheta ad ea respondit, id accidere, quod Deus pluris Lacedæmoniorum castas preces, quàm Atheniensium magnifica faceret sacra. Nostram igitur Ethnicorum æmulationem in supplicationum ritu fas tandem aliquando esset moderari, id quod maturè fieret, si procul à publicis supplicationibus omne ludicrorum genus, ac quicquid contra pietatis cultum est, de medio removeretur.*

CAP. III.

De Reliquiis Sanctorum.

THESIS. Reliquiæ sanctorum non sunt religioso cultu venerandæ.

Ἔκθεσις. 1. *Reliquiarum* nomine Pontificiis veniunt *ossa & vestimenta sanctorum.* Item *sanguis & sepulchra Martyrum.* Item *clavi, gladii & reliqua instrumenta carnificum,* quibus sancti Martyres sunt excarnificati & è medio sublati.

Stapletonus part 1. Promt. Cath. p. 292. *Ad reliquias alicujus sancti pertinet non solum qualibet sui corporis particula, sed etiam vestis ipsa, aut aliquid aliud quo usus fuerat.*

Costerus part. 1. concion. p. 634. etiam *terram sepulchris impositam* reliquiis annumerat.

Bellarminus lib. 2. de Imag. Sanctor. cap. 26. ex parte hûc refert *crucem,* in quam Christus fuit actus. *Crux,* inquit, *illa vera, in qua Dominus pependit, propter contactum sacri corporis & sanguinis inter preciosissimas reliquias habenda est, nec solum ipsa integra, sed etiam particulæ ejus.*

2. Quando contra λειψανολατρείαν disputamus, non hoc volumus, *corpora vel ossa sanctorum esse contemtim habenda, irreverenter tractanda, in sterquilinium projicienda,* nec approbamus intemperiem eorum, qui ossa sanctorum, Irenæi, Hilarii, Martini effossa cremârunt & pulverem in profluentem projecerunt, si vera sunt, quæ Surius in Hist. Ann. 1562. & ex eo Bellarminus lib. 2. de reliq. & imag. cap. 1. referunt.

3. Nemo nostrûm dicit, veras sanctorum reliquias esse *irreverenter tractandas,* vel *igni comburendas,* sed si reliquiæ illæ pertinent ad *membra corporis,* honestæ sepulturæ, non religiosæ culturæ; sin ad habitus externos & *falsæ* fuerint, non superstitiosæ admirationi, sed oblivioni & occultationi tradendas esse dicimus. Sin *veræ* fuerint, eas asservandas admittimus, non ut *superstitionis fomenta,* sed ut *piæ memoriæ monumenta.*

4. Non omnem *honorem sanctorum reliquiis delatum* improbamus, sed eum tantum, qui verbo Dei repugnat, ac in creatura, quod Deo proprium est, quærit.

5. *Religionis* vox accipitur pro virtute morali, quæ nos ad Deum ducit, & ad eum solum quasi religat. Hujus autem virtutis duo sunt actus, vel ea ad duo actionum genera in nobis & per nos perducit, unum *proprium ac immediatum,* alterum *remotum & mediatum.* Priores actiones à Scholasticis vocantur *elicitæ,* id est, immediatè ex ea virtute prodeuntes: alteræ dicuntur à religione *imperatæ,* sed ab actibus reliquarum virtutum propriis executioni mandatæ. *Priore* sensu religio solum respicit Deum; *posteriore* respicit proximum, Jac. 1. v. 27. Jesuitæ cultum reliquiarum vocant *religiosum,* non sensu *posteriore,* quia eodem sensu honor parentibus à liberis, Magistratui à subditis debitus religiosus appellari potest, quod religio eũ præcipiat: sed *priore* sensu, ut doctrina & praxis ostendit.

6. Non negamus, Deum aliquando ad corporum Martyrum contactum *miracula edidisse,* ut doctrinæ, ob quam sanguinem suum effuderant, testimonium redderet, sicque fideles ad constantiam ac Martyrium in persecutionibus animaret. Sed ex illis miraculis nondum probatur religiosus reliquiarum cultus.

7. Hoc verò est, quod negamus, *corpora vel ossa sanctorum,* more Papistico, esse *religioso illo cultu,* qui in Papatu viget, *veneranda.*

Antithesis. Pontificii *theoreticè & practicè* docent,

1. *Reliquias sanctorum esse venerandas, & populo religiosæ venerationis causa monstrandas.*

Thomas p. 3. q. 25. art. 4. Antoninus p. 3. tit. 12. cap. 10. §. 5. Johannes de Turrecremata in festo invent. sanctæ Crucis q. 3. *Reliquiæ crucis, clavorum, lanceæ, vestium Christi & imago crucifixi sunt latria veneranda.*

Johannes de Turrecremata d. l. *Reliquiæ sanctorum venerandæ sunt eadem veneratione, qua & ipsi.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri libro 5. art. 16. *Sanctorum reliquias religiosè servandas & colendas esse,* asserit.

Pontifex per *suam canonizationem* sanctos invocandos & reliquias eorum religiosè venerandas decernit, ext. de reliquiis & venerat. sanctor.

Concilium Tridentinum in Decret. de Reliq. sanctor. statuit, *corpora sanctorum à fidelibus esse veneranda, cum per ea multa beneficia à Deo hominibus præstentur.*

Stapletonus in Promt. Cathol. part. 1. pag. 292. *Pia ac Deo grata est illa devotio, qua non tantum Deum ipsum, sed & sanctos ejus, nec tantum personas sanctas ipsas, sed & quicquid ipsorum est, atque ad eos pertinet, cum fide & pietate ordinata complectimur, veneramur, atque ad beneficia consequenda assumimus.*

Ibid. *Eodem sane cultu, eadem veneratione reliquias relativè consideratas prosequimur, qua ipsos sanctos.*

2. *Esse colendas, honorandas, adorandas, osculandas, ut sacra pignora patronorum.*

Bellarminus lib. 2 de Reliq. & imag. cap. 1. *Reliquiarum sanctarum cultum primus reprehendere cæpit Eunomius.*

Lib. ejusdem cap. 2. *Nos reliquias honoramus & osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum.*

Antoninus part. 3. tit. 12. cap. 9. *Sanctorum reliquiæ sunt honorandæ, seu veneratione prosequendæ, quia sancti sunt intercessores nostri.*

3. *Coram illis genua flectenda & procidendum esse.* Docet hoc praxis.

4. *Peregrinationes ad eorum loca instituendas esse.*

Concilium Tridentinum sess. 25. peregrinationes illas *pias & religiosas esse* docet.

Stapletonus in Promt. Cathol. Domin. II. Adv. *Sanctorum defunctorum monumenta, memorias, reliquias visitare, ad ea peregrinari pium ac laudabile in Ecclesia Christi semper existimatũ est.*

Et postea. *Veteres Christiani ad loca sanctorum peregrinari, sanctorum monumenta piè ac religiosè visitare soliti sunt, ut hoc genus pietatis, nec recens aliqua superstitio, nec inanis devotio, sed & antiquissimus & gravissimus Dei cultus meritò censeri debeat.*

5. *Cultum reliquiarum ad gratiam, peccatorum indulgentiam & opem impetrandam aliquid facere.*

Concilium Trident. sess. 9. de Reliq. Sanct. statuit, *singularem & meritorium esse cultum, si populus opis impetrandæ causa ostentatas illas reliquias tangat, aut osculetur, aut spectet.* Ibidem damnantur affirmantes, *eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari.*

Costerus part. 1. concion. 3. post Pentecost. *Reliquias sanctorum honores, nec dubites de auxilio eorum & defensione tui adversus Dæmonem, qui timet illorum magnam virtutem.*

Petrus Cuslemius in Saxon. Catholica pag. 25. *Ea Catholicorum semper fuit de sacris reliquiis mens & sensus, quod cum earum translatione loci prosperitas & benedictio quædam transmigret. Experti norunt hoc Colonienses, quid quantumque sibi profuerint sancti tres Reges Mediolano ad se delati Anno 1164.*

Delrius part. 3. lib. 6. sect. 3. quæst. 4. de Disquis. Magic. differens *de remediis supernaturalibus contra Dæmones & maleficia,* Octavo remedio meminit *reliquiarum, quas tanquam cœlestem quendam thesaurum & fontes salutiferos, ex quibus plura ad nos beneficia manent, religiosè venerandas suadet, ob singularem virtutem & efficaciam, quam habeant.*

6. Coram illis *patrocinium sanctorum* utiliter implorari.

Stapletonus in Promt. Cathol. part. 1. pag. 292. *Idem beneficium, eandem virtutem mediantibus reliquiis assequimur, quàm per ipsos sanctos.*

Gregorius de Valent. in Apol. contra Heerbrand f. 57. *Reliquias custodiri,* dicit, *ut coram ipsis patrocinium sanctorum singulari devotione imploretur.*

7. *Tactum earum* aliquo modo sanctificare.

Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 30. § ult. *Sanctificari aliquo modo eas, qui tangunt reliquias sanctorum, constanter docent Patres.*

Costerus in Enchirid. cap. 15. *Ossa sanctorum habent vim con-*

contactu suo sanctificandi, ac qui Martyris ossa attigerit, illius justitiæ, sanctitatisq; quodammodo particeps, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem efficitur.

Bailius in Catech. controvers. tract. 2. q. 54. *Secundum Concilium Nicenum reliquias sanctorum fontes salutares* appellat, *per quos Deus mortales gratiæ suæ rore irrigat.*

8. *Candelis accensis, serico, corollis,* aliisque ornamentis *cultus gratia* eas decorari debere.

9. Ad majorem *juramentorum* religionem adhiberi posse.

c. Tibi Domino. dist. 63. *Tibi Domino Johanni Papæ ego Rex Otto promittere & jurare facio &c. per has reliquias sanctorum &c.*

c. De parentela 5. caus. 35. q. 6. *Sic te Deus adjuvet & istæ sanctorum reliquiæ.*

10. *Portari eas posse in collo* ex devotione & fiducia ad Deum & sanctos, quorum sunt reliquiæ.

Antonius part. 3. tract. 12. cap. 8. *Portare reliquias sanctorum ad collum, si hoc fiat ex devotione & fiducia erga Deum & sanctos, quorum sunt reliquiæ, licitum est,* quod desumsit ex Thoma 2. 2. q. 96. art. 4. ad 3.

11. *Imponi languentibus* & defunctis opis impetrandæ causa.

12. Ad *Sacramenti Eucharistiæ dignitatem* ac sanctitatem aliquid conferre, si in altari reliquiæ sanctorum habeantur. Quæ omnia nota sunt ex praxi.

Nostram sententiam probamus.

Cultus reliquiarum, qualem modo descripsimus:

1. Est ἄγραφος, carens *mandato, promisso* & probato verbi divini *exemplo*. Nuspiam enim Scriptura docet, reliquias sanctorum esse religiose venerandas, coram illis procidendum, ad eas peregrinationes suscipiendas &c. & quidem fine eo, ut cultum Deo præstemus, ut gratiam Dei & auxilium mereamur. Nec potest ex Scripturis proferri promissio, quod Deus hunc cultum velit habere ratum & gratum, quod preces coram reliquiis fusas citius exaudire velit. Nec possunt proferri probata piorum exempla, qui religioso cultu prædecessorum suorum reliquias fuerint venerati. Est ergo ἐθελοθρησκεία *cultus electitius* & superstitiosus.

2. Est ἀντίγραφος. Pugnat enim ille cultus, Primo, cum *divino mandato*, Genes. 3. v. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris,* ex quo oraculo S. Patriarchæ recte collegerunt, corpora & ossa sanctorum non esse in locum altaris sublimiorem collocanda, coram illis procidendum, religiose ea veneranda, sed terræ communi omnium matri demandanda, Esai 26. v. 20. cap. 57. v. 2. Siracid. 40. v. 1.

Athanasius in vita S. Antonii de ipso memorat, *quod sæpe Episcopos rogavit, ut populum erudirent, Ægyptiorum consuetudinem bonam non esse, quod defunctorum imprimis sanctorum corpora funerent quidem & linteis involvant, non autem mandent terræ, sed imposita lectulis intra privatos parietes retineant, idq; mortuis honori esse ducant. Similiter, quod Laicis sæpius pudorem injecerit & mulieres objurgarit, negans id vel legitimum fas citum, vel omnino pium esse,* μήτε νόμιμον, μήτε ὅλως ὅσιον εἶναι τοῦτο. *Nam & Patriarcharum corpora in hunc usque diem servari, ipsum etiam Domini corpus in monumentum positum fuisse, saxoq; advoluto, quo tegeretur, donec tertio die resurgeret. Quibus verbis peccare demonstravit eum, qui post obitum corpora defunctorum non humaret, quantumvis sancta essent,* παρανομεῖν τὸ μὴ θάπτειν μετὰ θάνατον τὰ σώματα τῶν τελευτώντων καὶ ἅγια τυγχάνῃ. *Quid enim majus aut sanctius Domini corpore? Multi ergo postea, hoc audito, sepultura suos affecerunt, gratiis Deo actis, quod tam probe instituti essent.*

Secundo, *cum exemplis sanctorum. Saræ* sanctæ illius fœminæ ac spiritualis matris credentium 1. Petr. 3. v. 6. & 7. corpus & ossa non fuere post mortem religiosa veneratione honorata, sed terræ per sepulturam illata, Genes. 23. v. 19. Idem observatum fuit in *Abrahamo, Patre omnium credentium,* Roman. 4. v. 17. quem *sepelierunt filii ejus Isaac & Ismael,* Gen. 25. v. 9. in *Isaaco,* Genes. 35. 29. in *Jacobo,* Genes. 50. v. 5. in *Josua, Davide* & aliis. 2. Regum 13. v. 21. cum cadaver cujusdam mortui in Elisæi sepulchrum projectum ejus ossa contingeret, ad vitam ille homo revocatus fuit, nequaquam vero ibidem additur, quod ossa Elisæi è sepulchro in alium locum religionis causa fuerint translata, vel inposterum etiam vis sanandi ægrotos & resuscitandi mortuos eis attributa. 2. Regum 23. v. 13. Josias Rex ossa Prophetæ voluit intacta permanere ac in terra quiescere. *Johannis Baptistæ,* quo *major non surrexit inter filios hominum,* Matth. 11. v. 10. demortui corpus *discipuli tulerunt & sepeliverunt,* cap. 14. v. 12. *Stephani proto-Martyris* corpus honesta sepultura terræ fuit mandatum, Actor. 8. v. 2. nuspiam vero legitur, quod vel ad Johannis Baptistæ, vel ad Stephani sepulchra religionis ergo peregrinationes institutæ, ac cum fiducia gratiæ divinæ citius impetrandæ preces ibidem ad Deum fusæ, vel quod eorum ossa iterum fuerint effossa, circumgestata & religiose honorata.

Tertiò, cum *facto ipsius DEI. DEUS ipse sepelivit Mosen in valle terræ Moab, sed nemo Israëlitarum invenire potuit ejus sepulchrum,* Deuter. 34. v. 6. Procul dubio fine eo Deus sepulchrum illud ignorari voluit, ne circa illud, vel circa Mosis reliquias populus Israëliticus, qui alioqui erat φιλειδωλος, peculiarem cultum institueret, Epist. Judæ v. 9.

Quartò, cum *exemplo ipsius Christi.* Christus post mortem alium honorem corpori suo exhiberi noluit, quam honorificam funerationem, ut constat ex Historia sepulturæ. Nisi ergo asserere velimus, sanctos Christo præstantiores esse, vel curatores funeris suo non satis perfunctos officio, alium honorem demortuis sanctis exhibere non poterimus.

3. Est ἄλογος. Nulla enim potest ex Scripturis afferri certa & urgens ratio, quæ probet, sanctorum reliquias esse religiose colendas, ac omissione illius cultus contra aliquam divini cultus partem peccari.

4. Est ἐθνικὸς ac gentilis. Apud gentiles usitatum fuit, corpora præstantium virorum in loco ignobiliori condita ad nobiliora monumenta magna pompa ac solennitate transferre.

5. Est Pharisaicus. De Pharisæis & Scribis dicitur Matth. 23. v. 27. Luc. 11. v. 48. *quod exornaverint sepulchra sanctorum, atq; eo professi fuerint, se esse socios eorum, qui Prophetas occiderint.*

6. Est idololatricus, quia religiosum cultum tribuit creaturis contra primi præcepti prohibitionem.

Pulchre Nazianz. in distich.

> Ῥέζειν ἄναγνον ἐστὶ παρισάμενοι θυήδας,
> Δεινότερον νεκύων λείψανα παντὸς σέβειν.
> *Sacrificare grave est non pura mente, sed omnis*
> *Defuncti, peccat, qui colit ossa, magis.*

7. Est primitivæ Ecclesiæ ignotus.

8. Fraudibus & imposturis obnoxius.

9. Superstitiosus. Christus in verbo ac Sacramentis Dei gratiam, peccatorum remissionem, auxilium animæ & spiritualia beneficia quærenda esse docuit. Superstitiosum igitur merito censeri debet, quod homines in vestibus, fasciis & ossibus Sanctorum illam gratiam & virtutem quærunt.

10. Denique absurdus. Si enim instrumenta crudelitatis Judaicæ religioso cultu veneranda, ob sanctissimi corporis contactum, etiam milites, Judam & crucifixores venerari debemus, qui itidem corpus illud tetigere. Cum pleræque reliquiæ sint dubiæ & incertæ, facile fieri potest, ut ossibus furis & latronis, imo bruti animalis honor religiosus defeiatur

Nostræ huic sententiæ suffragatur.

1. Quod quidam religiosum reliquiarum cultum improbant.

Synodus Francofurtensis auspiciis Caroli Magni An. 794. habita, *religiosum cultum reliquiarum* diserte rejecit, ut apparet ex lib. 1. de Imag. cap. 18. ubi religiosam illam venerationem comparat *superstitiosæ religioni Judæorum serpentem aneum suspicientium.*

Gulhelmus Paradinus in Annal. Burgund. lib. 1. (circa Annum 1380.) *honorem defunctorum ossibus illatum Sacrosanctum Evangelium, cui soli honor debetur, obscurasse* asseruit.

Erasmus in annot. Matth. 23. *Damnat hoc loco Hieronymus muliercularum quarundam superstitionem, quæ, quod olim in phylacteriis suis faciebant Pharisæi, id tum faciebant in parvis Evangeliis & in crucis ligno, aliisque rebus hujusmodi, quæ habent, inquit, zelum Dei, sed non secundam scientiam, culicem liquantes & camelum glutientes. Si vir Sanctissimus hæc sentit de mulierculis, quarum infirmitati par erat nonnihil condonare, quid dicturus sit, si videat hodie passim ad quæstum ostentari lac Mariæ, quod honore propemodum exæquatur corpori Christi consecrato, prodigiosum oleum, fragmentula ligni crucis tam multa, ut si in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat; hic ostentari Francisci cucullam, illic intimam vestem Mariæ Virginis, alibi pectinem Annæ, alibi caligam Joseph, alibi calceum Thomæ Cantuariensis, alibi Christi præputium, quod, cum sit res incerta, religiosius adorant, quam totum Christum.* Neque

Neque verò hæc ita proferuntur, tanquam ferenda, & plebeculæ donanda affectibus, verùm hûc ferè summa religionis vocatur, avaritia Sacerdotum & quorundam Monachorum hypocrisi, quos alit populi stultitia. Atque in his Comœdiis primas agunt Episcopi quidam fa-ctitii, ne usquam valere videantur; hæc suis diplomatibus approbant, suis naniis ornant, tanta gravitate, ut quoties mihi legitur istorum comprobatio, minus credam, quàm antea credebam. Quibus in rebus, nisi gravis inesset pietatis jactura, Christus non tam acriter in hoc hominum genus inveheretur, cum alioqui lenis sit in peccatores.

Idem in argum. Epistolæ Hieronymi contra Vigilantium. *Vigilias nocturnas* (apud Martyrum reliquias) *non placuisse viris Ecclesiasticis vel illud satis arguit, quod horum autoritate sublatæ sunt, nomine duntaxat superstite. Non hodie simili studio concurritur ad Martyrum reliquias.*

Ibidem de Hieronymo dicit: *Utinam argumentis duntaxat egisset* (contra Vigilantium) *& à conviciis temperasset.*

Henricus Cornelius Agrippa de Vanit. scient. *Sed avarum Sacerdotale genus, avari homines non modo ex lignis & lapidibus, sed etiam ex mortuorum ossibus & sanctorum Martyrum reliquiis materiam avaritiæ suæ captantes, suæ rapinæ instrumenta fecerunt. Attollunt sepulchra Confessorum, exponunt reliquias Martyrum, vendentes illorum contactus, oscula; exornant eorum simulacbra, & festa illorum magnis pompis decorant; prædicant illos sanctos, & attollunt magnis præconiis; vitam autem illorum, quos tantoperè laudant, longissimè fugiunt. Nonne istis locutus Salvator, Væ vobis, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, similes illis, qui occiderunt eos?*

Georgius Wicelius in Compend. de semitis antiquis. *Constitutionum humanarum commendationes &c. de reliquiarum quæstuariis, aut potius de reliquiis sanctorum ad quæstum prostitutis, quæ ab ebriis nugonibus quibusdam confictæ erant, ac si sanctorum essent, cum illis extiterit nihil nugacius, quod postea ipsi inter pocula effutierunt &c. in præsens nihil attingemus. Ejusmodi si qui publicitus concionari fuerint ausi, næ illi fideles servi Domini, & digni sunt, qui supra multa constituerentur obeunda. Fatemur caliginem, nec imus inficias, per eos fuisse istiusmodi in Ecclesiam invecta, per quos minimè debuit, & quos nunc autores esse oportuit, ut Augiæ non fabulosum stabulum expurgaretur. Abhorrent animi piorum hominum, si percipiant, istbæc in concionibus bonorum operum loco fuisse apud majores nostros declamata, qui error quantus sit, nemo facilè crediderit.*

Georgius Cassander in Consult. art. 21. cap. de venerat. reliq. pag. 972. *Legimus, ad hujusmodi loca Martyrum reliquiis insigna, & vota nuncupata & peregrinationes susceptas, quæ omnia tum utiliter fiebant, cum adhuc recens & certa memoria Martyrum vigeret, & Deus indubitatis miraculis eos, qui mortui putabantur, sibi vivere declararet. Atque hæc omnia eò referebantur, ut fides, quam illi moriendo professi sunt, his tanquam signis confirmaretur &c. Verum in hæc paulatim abusus irrepsit. Nam queritur Basilius in definit. latiorib. cap. 40. jamdum suo tempore consuetudinem, quæ apud sanctos viros obtinuerat, corruptam fuisse. Nam pro eo, quod in hujusmodi Conventibus, quæ in Martyrum memoriis agebantur, alius pro alio precari deberet, & per sermonem adhortationis mutuò se ædificare, nundinas & quasi publicum emporium ex sacratis Martyrum locis factas esse, quas absurditates pro suo commercio approbare non debeant. Quin & Ambrosii & Augustini temporibus mos invaluerat, ut populus ad Martyrum memorias epulas inferret, quod à melioribus Christianis non fieri, & à B. Ambrosio Mediolani interdictum testatur, lib. 8. de Civ. Dei cap. ult. lib. 6. Confess. cap. 2. Constat quoque posterioribus temporibus nimium reliquiis & memoriis sanctorum indultum & tributum fuisse, sic ut à bonis quoque viris pio zelo præditis summa quasi religionis in hujusmodi reliquiis conquirendis, auro & gemmis exornandis, & memoriis seu templis sumtuosissimis ædificandis posita putaretur, & ab improbis quoque hominibus falsa fiducia in cultu inepto & superfluo reliquiarum collocaretur. Quare in Concil. Coloniensi c. 45. reprehenduntur, qui Romam aut Turonum sub prætextu orationis peragrant, putantes frequentatione horum locorum sca peccatis purgari & impunè peccare. Accesserunt & alia mala, quod avaritiæ causa ad simplicem populum illiciendum falsæ reliquiæ supponebantur, & ficta prædicabantur miracula, iisque miraculis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miraculorum raperetur, quàm ad sanctorum imitationem, vel vitæ emendationem provocaretur; nonnunquam autem astu & illusione Dæmonis hominum superstitione abutentis per insomnia & visa novæ reliquiæ revelabantur, & ejusdem operatione miracula edi videbantur. Hinc Decretum illud Lugdunens. cap. 62. Prælati non permittant populum vanis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut occasione quæstus fieri consuevit. Et in Concilio Carthaginensi V. Can. 14. Altaria, quæ per somnia & inanes revelationes constituuntur, omninò reprobari videntur. Item, permulti reperti sunt, qui sanctorum reliquias, seu falsas, seu veras quæstui habuerunt, ita ut passim à circumforaneis & vilissimis hominibus instar sacrorum Isidis circumferrentur, & multis mendaciis imperito vulgo commendarentur. Illud quoque jam inde ab aliquo tempore præter antiquum morem invaluit, ut sanctorum corpora supra ipsa altaria, qui locus soli corpori Christi deberi putabatur, collocarentur, quæ sub altari poni consueverant. Sic Ambrosius de inventione reliquiarum Gervasii & Protasii: Ille, inquit, Christus, videl. super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui ipsius redemti sunt sanguine. Hodiè verò, cum passim omnia reliquiis sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne, si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis & dijudicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est, & olim B. Martino accidit, qui, cum locum quendam suæ Diœcesis monumento cujusdam, tanquam Martyris, celebrem adiisset, deprehendit non Martyris, sed scelesti latronis monumentum à populo cultum & frequentatum, quod everti statim & exscindi jussit. Quamvis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis certa piorum hominum monumenta violarunt, & ossa sive cineres, quibus etiam barbarissimi homines pepercerant, summâ cum ignominiâ abjecerunt ac disperserunt. Cum igitur veræ & compertæ reliquiæ, præsertim in his provinciis, perpaucæ sint, & multæ ex iis, quæ ostentantur, non temerè suspectæ haberi possint, atque illarum frequentatio & veneratio non multum pietati, plurimum verò superstitioni, vel quæstui serviant, multo consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis, vel ab ipsis, vel de ipsis extant, imitanda provocetur.*

Maillard Prædicator Gallus fol. 25. colum. 3. *Estis hic Domini bullatores & portatores reliquiarum.*

fol. 35. col. 3. *Dixi hodie mane de lingua fraudulatoria, & credo, quod portatores reliquiarum caphardi & mensuratores vultuum imaginum sæpè comedunt de isto pastillo.*

fol. 45. col. 1. *Et vos portatores reliquiarum, nunquid jactatis vos de malis, quæ facitis in villagiis?*

Vasquez lib. 3. de Adorat. Disp. 3. cap. 8. n. 112. & 124. quærit, *An possit quis rectâ intentione ossa Martyrum in pulverem redacta, etiam in vermes conversa, colere & venerari?* Ac inter cætera subjungit, *Henricum negasse, quod sancti adorandi sint in forma vermium.*

2. Quod agnoscunt, cultui reliquiarum fuisse in Ecclesia contradictum.

Alphonsus de Castro lib. 13. adversus hæreses, verbo Reliquiæ. *Wiclephistæ docent, reliquias sanctorum, h. e. carnes & ossa hominis mortui non debere à populo venerari, neque à monumento fœtido extrahi, nec in capsa aurea vel argentea reponi, quia sic facientes, ut illi ajunt, non honorant Deum & sanctos ejus, sed idololatriam committunt. Hos Wiclephistas secuti sunt impii Lollardi, quorum unus vocatus Guilielmus Albus, patriâ Anglicus, publicè & in judicio pro tribunali in Anglia hæc omnia non erubuit fateri. Sed non sunt hi primi hujus hæreseos inventores. Nam ante hos ferè per nongentos annos fuit Vigilantius quidam Gallus, Barchinonensis Ecclesiæ Presbyter, qui docuit &c. sanctorum corpora non esse veneranda &c.*

Bellarminus lib. de Reliq. & imag. cap. 1. §. 2. *Reliquiarum sanctarum cultum primus reprehendere cæpit Eunomius & post eum Vigilantius, si B. Hieronymo lib. contra Vigilantium credimus. Neque his repugnat, quod ibidem paulo infra idem Hieronymus dicit, hanc hæresin olim erupisse contra Ecclesiam, & adversus eam scriptum esse librum Tertulliani, qui dicitur Scorpiacus &c. Post Vigilantium Constantinus Copronymus Imp. ut Suidas in ejus vita scribit, omnes reliquias ubique deleri jussit. Eadem hæresi laborasse Claudium Taurinensem scribit Jonas lib. 1. de cult. imag. Eandem etiam Wiclefistis placuisse autor est Thom. Waldensis lib. 5. tit. 14.*

3. Quòd novitatem hujus cultus tacitè concedunt.

Bellarminus lib. 2. de cultu reliq. cap. 3. inquirens in antiquitatem, non potuit Concilium antiquius invenire *Niceno II.* (quod celebratum fuit Anno 451. teste Baronio Anno 451. n. 9.)

Beyerlinck conc. select. 24. pag. 459. antiquitatis testem laudat *Eliam Cretensem*, (qui Anno 780. vixit, vetustiorem illo neminem invenit.)

Baronius Anno 69. n. 21. Ann. 169. n. 16. ostendit, *quod primitiva Ecclesia Martyrum & sanctorum reliquias honoraverit sepultura*, (quod evidens argumentum est, primos Christianos reliquias sanctorum non coluisse more Romanæ Ecclesiæ hodierno.)

4. Quòd quidam agnoscunt, multiplices fraudes & imposturas ostentationi reliquiarum subesse, (proinde etiam cultum reliquiarum periculo idololatriæ minimè carere.)

Anno Domini 813. ex mandato Caroli M. in Concilio Moguntino factum est tale decretum: *Deinceps verò corpora sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sine consilio Principis vel Episcopi, & sanctæ Synodi licentia.*

(Ex eo colligitur, jam tum in translatione reliquiarum fraudes adhibitas fuisse.)

Innocentius III. in Conc. generali c. Cum ex eo. ext. de reliq. & vener. sanctor. *Prælat. non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis* (reliquiarum) *accedunt, variis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit.*

Alexander III. c. Audivimus 1. lib. 3. Decretal. tit. 45. tale fecit decretum. *Audivimus, quòd quidam inter vos Diabolica fraude decepti hominem quendam in potatione & ebrietate occisum q. sanctum (more infidelium) venerantur, cum vix pro talib. in ebrietatibus peremtis Ecclesia permittat orare. Dicit enim Apostolus: Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque autoritate Rom. Ecclesiæ venerari.*

Sanguis Christi, qui de ejus latere in cruce profluxit, non solum *Romæ* in Ecclesia Lateranensi contineri dicitur, & die Paschatis populo adorandus ostenditur, teste Biele lect. 50. in Can. Missæ, sed etiam *aliis in locis* quàm plurimis. *Tres guttulæ* in circumcisione effusæ ostensæ olim fuerunt *Argentinæ*, aliæ de cruce per Nicodemi chirothecam exceptæ ostenduntur *Rupellæ Pictonum*, plenæ phialæ *Mantuæ*, liquidus in vase crystallino demonstratur *Bilioni* in Avernia, coagulatus in vico proximo, plenis pateris effusus *Romæ* ad Eustachii, sanguis ex corpore exanimi priusquam sepeliretur exterius, *Brugis* in Flandria ad Basilii, aquæ admixtus, ut ex latere fluxit *Romæ* ad Johannis Lateranensis &c.

(Sed Thomas p. 3. q. 54. artic. 2. *totum Christi sanguinem in cruce effusum in corpus redisse* asserit, *ac sanguinem, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxisse de Christi latere, sed miraculosè dici effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* Innocentius Papa de hac quæstione *dubius* est, ut videre licet lib. 4. cap. 30. & 31. Nihilo tamen minus sanguis ille, ac si esset ipsius Christi sanguis, latria colitur.)

Johannes Bocatius, qui floruit Anno 1313. in suo Decamero inducit Monachum, qui mirè exagitat reliquias, ait enim, *se attulisse ex Oriente nonnihil ex sono campanarum, qui erant in templo Salomonis.* Deinde, ut ementita Francisci stigmata perstringeret, inducit eundem Monachum pro concione dicentem: *Angelo Seraphino excidisse aliquot capillos, cum Francisco apparuisset stigmata impressurus, quare se illos capillos inter alias reliquias adhuc habere.*

(*Quis non videt*, inquit Petrus Paulus Vergerius in annot. ad Catal. hæreticor. tom. 1. Oper. pag. 256. *quorsum componat sonum campanarum cum stigmatibus Francisci & cum capillis Angeli? nimirum, quia ut nullus fuit in templo Salomonis campanarum usus, qui admodum recens est, ita fabulosa quoque sint, quæ de Angelo Seraphino, quod scilicet Francisco Christi vulnera impresserit, in Romana Ecclesia creduntur.*)

Albertus Crantzius in Histor. Sax. *Reliquiarum Romanarum copia eas vilescere facit. Fabulis enim non inhærendum. Nemo gloriari debet de veterum autoritate. Indocti enim erant, non habebant, unde falsitatem coarguerent. Sed ætate nostra crebrescentibus literarum monumentis inexcusabilis torpor est, in fabulis scientes prudentesque permanere.*

Erasmus in Ecclesiaste pag. 336. *Illud non est recentis exempli, Divos confictis miraculis affectibus imperitæ multitudinis commendare. Deforme exemplum est pharmacopolarum, qui mensa in foro posita ostentant eductos dentes, lapides è vesicis exactos &c. Horum non dissimiles sunt, quos nimium diu tulit mundus, qui circumferunt reliquias ac statuas sanctorum, summa impudentia jactantes miracula, quæ nunquam gesta sunt, & interdum plusquam scurrili impudentia fœnum aut stramenta ex latrina fortassis aut horreo sumta efferunt simplicibus osculanda, ostendunt carbones è foco sumtos, mentientes his assum fuisse Laurentium.*

Idem in Colloq. peregr. relig. ergo. *Exhibetur nobis articulus humani digiti è tribus maximi. Exosculor, deinde rogo, cujus sint reliquiæ? ait S. Petri. Num Apostoli, inquam? ajebat. Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis videri potuerat; Oportuit, inquam, Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem è comitibus quidam in cachinnum solutus est &c.*

Et paulo post. *Vertimus nos ad cæleste lac Beatæ Virginis.* Men. *O matrem Filii simillimam! Ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantum lactis, quantum vix credibile est, esse posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans.* Og. *Idem causantur de cruce Domini, quæ privatim ac publicè tot locis ostenditur, ut, si fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ justum onus videri possint, & tamen totam crucem suam bajulavit Dominus.*

Idem in eod. Colloq. Ogygium introducit, recitantem omnia, quæ Cantuariæ viderat, quò religionis ergo profectus fuerat. *Ad latus, ait, Septentrionale referantur arcana dictu, mirum quantum ossium illinc prolatum sit! calvaria, merita, dentes, manus, digiti, integra brachia, quib. omnib. adoratu, fiximus oscula, nec erat futurus finis, nisi qui mihi tum comes erat hujus peregrinationis, parum commodus interpellasset ostentandi studium.*

Baptista Fulgosius in Histor. *Non longè à Turonibus, urbe Gallica, sacellum erat cujusdam corporis Numini dicatum, cujus quanquam ignoraretur nomen, tamen vulgò eum homines Martyrem appellabant. Illic vota homines suscipiebant atque persolvebant. Martinus Turnoensium Episcopus ad sacellum cum paucis profectus, orare Deum enixè cœpit, ut veritas detegeretur. Clare ab omnibus audita vox fuit affirmantis, ipsum, qui in eo loco coleretur, latronem fuisse, qui propter gravia scelera suspensus fuerat. Quamobrem ex eo sacello corpus erutum fuit, proposito posteris ejus rei exemplo, quæ in sacris literis habetur, scilicet, Multorum in terris corpora venerationem habere, quorum animæ cruciantur in inferno.*

(Idem recenset Egnatius libro nono capite 9.)

Anno 1525. Romæ editus fuit liber *de spoliis, exuviis & reliquiis sanctorum*, (quem Lectionibus suis memorabilibus inseruit Wolfius tom. 2. pag. 233.) In eo inter cætera sic habetur: *Charrovienses Monachi dentes, crines, etiam præputium Christi, hominibus, ut revereantur, ostendunt. Præputium idem Romæ etiam in templo Lateranensi asservatur. Mendacium arguit loci diversitas &c. Sanguis Jesu Christi plusquam in centum locis, ut Rupellæ à Nicodemo chirothecis suis exceptæ aliquot guttulæ, Mantuæ magna phialæ plena illius sanguinis, Bilionæ in Avernia in crystallo ostensus adoratur nec illinc procul & aliis locis, & præsertim Romæ in Eustachii templo aliquot fidelias plenas habent, & octingentis annis post ejus mortem demum repertum esse &c. mentiuntur. Aquam insuper cum sanguine mixtam, quæ fluxit de latere Christi, Romæ in templo Lateranensi ostendunt. Præsepe ejus Romæ in æde Mariæ Majoris veneratur; in Divi Pauli æde ibidem, ut & in Hispania in Salvatoris templo lodices Christi habentur, item cunabula & indusia ejus. Romæ colitur altare, in quo sistebatur Christus, columnaque, qua nitebatur. Hydriæ illæ sex habentur aliquæ Ravennæ, Pisis, Cluniaci, Andegavi & in Hispania in templo Salvatoris. Aurelia vinum ex aqua factum conservatur, calix Christi in Sancta sanctorum Romæ cultu prosequuntur idololatrico, mensa super qua Christus cœnam administravit, in templo Lateranensi Romæ honor impenditur; panis particula, quem distribuit Apostolis, in Hispania in templo Salvatoris ceu Deus adoratur. Treveris cultrum, quo agnus dissecabatur, asservant, prope Lugdunum in templo Mariæ Insulanæ, Item in Helvetia in Augustimanorum aliquo Monasterio calix ille Christi discipulis cum sanguine porrectus, qui unicus tantum erat, ostenditur. Romæ & Genuæ & Arelatæ his tribus in locis patinam agni paschalis unicam habere credunt. Supparum Christi Romæ Lateranense templum sibi vendicat, idem etiam Achi in Germania reperitur. Frustum quinquepanum Romæ in nova Mariæ æde, aliud frustum in Hispania in Salvatoris æde commonstratur, ut & palma, quam Hierosolymam veniens, gestasse fabulantur; terra, cui insistit Lazarum resuscitans, passim sacra habetur. Crux Christi ab Helena Constantini Imperatoris matre inventa antiquitus credebatur, & adhuc hodie crux eadem Hierosolymis esse creditur, quam tamen Helena divisit, & Constantino filio suo partem Constantinopolin, ubi adhuc esse dicitur, misit, alteram autem partem Hierosolymitano Episcopo argento incrustatam transmisit &c. Innumerabiles portiones & frusta crucis passim in universo orbe in omnibus templis & Monasteriis ostenduntur, ut ex iis propemodum sexcentæ cruces effici possent. Remis monstratur clunium Christi expressa forma in lapide, quam, cum Christus lapicida factus esset,*

esset, sculptam nugantur. Tolosæ inscriptio crucis Christi retineri putatur, Romæ in S. crucis æde eandem reperiri à mendacibus traditur. Clavi tres, quibus Christus crucifixus est, in quamplurimis locis asservari dicuntur, Helena filio suo, ut Theodoretus perhibet, unum super galeam ejus posuit, reliquos duos freno equi ejus appendit. Sed Ambrosius inquit, coronæ Constantini unum impositum, ex altero frenum fabrefactum, tertium Helenam reservasse, nihilominus Mediolanenses illum freno appensum clavum se habere gloriantur. Carpentoractenses eundem sibi vendicant, duo præterea Romæ, in templo Helenæ alter, alter ad S. crucem deprehenduntur, Item unus Senis, alius Venetiis: etiam alii duo in Germania, alter Coloniæ, alter Treviris esse, ut & Parisiis in Sacello S. unus creditur. Carmelitæ quoque unum habent in S. Dionysii templo, Galliæ itidem unus, alius unus Draguinianæ, Item alius in Albatia, quæ à forpice aurifabri nomen habet, cum veneratione asservatur. Bituriges se quoque unum habere superstitiose autumant &c. Cuspis sarissæ, qua latus Christi perfossum, quatuor in locis Romæ, Parisiis, in Monasterio forpicis aurifabri apud Xantones, & Selvæ prope Burdegalam adhuc conservatur. Spinea corona Christi in omnes regiones dispertita est. Parisiis tertia ejus pars, Romæ magna pars pro Numine custoditur. Senis, Vincentiæ, apud Bituriges, Vesontii, in Monte regio, in Hispania Compostellæ, & in templo Salvatoris in Helvetia, Tholosæ, Mantiscona, Charrovii, Cleriaci, Sanfloridi, Sanmaximini in Provincia, Sallæ, Noviodum & alibi ramideca aut toti fasciculi potius nidum ciconiarum, quam coronam efficientes, tanquam res sacra & divina coluntur. Purpura Christi respersa sanguinis guttulis alibi adhuc remanet. Tunica ejus inconsutilis in pago Argentoliæ prope Lutetiam Parisiorum, Item Treviris, Item in Turcia à Mahometistis custoditur. Tesserarum militum altera Treviris, altera in Hispania in templo Salvatoris velut sacrosancta res asservatur. Sudarium Christi Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti & Vesontii, Cadonii, Lemovici in Lotharingia & Romæ in Vestalium aliquo Monasterio devoto à superstitiosa plebe honoratur. Arundo, quæ Christo pro sceptro dabatur, Romæ in Lateranensi templo, & Spongia in æde S. crucis superest. Triginta fuda argentea religiose adhuc quasi res sacra conservari creduntur. Caudam asini, quem inequitavit Christus, Genuæ ostendunt. Piscis particulam Christo à Petro oblati, Item vestigia Christi aliquot, Item lachrymas Christi & sanguinem, aut ex hostiis, aut ex Imaginibus Christi profluxum, divino prorsus cultu afficiunt &c. B. Mariæ lactis tanta copia in Papatu passim creditur, adoratur & colitur, ut centum mulctralia commode impleri possint. Crines ejus pecten, indusia, vestes, pepla, Josephi caligas & crepidas cum admiratione suspiciunt. Michaelis Arch-Angeli pugio & clypeus, quibus usus est, in Monomachia cum Satana à Turonensibus adorantur & ostenduntur. Johannis Baptistæ syncipat Ambiani, idipsum incolæ Johannis Angelici etiam se habere jactant: occiput Melitæ, illud ipsum etiam Nemorosæ, maxillæ ejus Vesontii, alia pars Parisiis, auricula Arvernæ, frons cum capillitio in Hispania, Noviodunii etiam pars quædam magnus Ceremoniis ubiq; commonstrantur, nihilominus Romæ integrum caput Johannis in Sylvestri cœnobio reperitur. Brachium ejus Senenses habent, digitus, quo Christum commonstravit, Vesontii unus est, Tholossæ item unus, Lugduni quoque unus, apud Bituriges unus, unus Florentiæ & prope Mascum in æde Johannis Fortviti. Sex hi sunt digiti, & unum solum, quo Christum ostendit, solummodò à conflagratione immunem fuisse, fabulantur. Calcei ejus Parisiis residui adhuc sunt, ante 20. annos alter surreptus fuit, sed admodum citò alius, nescio unde, exortus est. Romæ vestis ejus de pilis camelorum visitur, ut & altare, super quo eum in eremo orasse, tradunt. Avimone gladius, quo plexus erat; Achi in Germania storea ei substrata, aliaque multa de Johanne Baptista passim extare finguntur. Petri malam cum barba, cerebrum (quod opertum Genevæ adorabatur, sed cum scrutarentur homines, invenerunt pumicem) sellam & vestem Episcopalem, altare, gladium, baculum, calceos, catenam & columnam, quibus alligatus erat, omnia hæc & alia mihi incognita se habere Pontificii somniant, corpus ejus unà cum Pauli Romæ sepultum est. Tholossatenses sex Apostolorum corpora, videlicet utriusque Jacobi, Andreæ, Simeonis, Philippi & Judæ secum esse gloriantur. Matthiæ corpus Patavii aliud, aliud Romæ, aliud Treveris, membraque aliqua alibi jacent. Matthæi corpus Salerna positum est, caput, brachium & ossa quædam Treviris inveniuntur. Thomæ corpus Orthonnæ esse ferunt. Bartholomæi corpus Neapoli, Item Romæ in templo ei sacrato & cutem Pisis asservari dicunt. Andreas etiam aliud corpus Melphis, ut & Philippus & Jacobus minor, habent Romæ alia corpora præter superiora. Item Simon & Judas ad S. Petrum etiam jacere dicuntur, Johannis Evangelistæ calix & Romæ & Bononiæ, uti etiam tunica & catena ejus visuntur. Anna mater Mariæ Virginis corpus suum Aptæ reliquit, aliud Lugduni, insuper caput ejus Treveris adhuc ostenditur aliud, aliud Tureni, tertium caput in Thuringiæ oppido Annaberg, particulæ de corpore ejus plus centum in locis reliquæ sunt. Lazari corpus tribus in locis Massiliæ, Augustoduni & Avalonæ continetur. Magdalenæ sororis ejus corpus in duobus Vesels & Sanmaximini reperitur, caput, crines & ossa passim reverentiá afficiuntur. Illius, qui Christi latus transadegit, quem Longinum nominant, corpus pro sancto Mantuæ, Item Lugduni colunt. Magos & Mediolanenses & Colonienses sibi appropriant. Super Dionysii Martyris corpore Sandionysienses & Ratisbonenses coram Papa ante centum aut plures annos concertaverunt, adeò, ut Ratisbonensibus Bullá Papali illud adjudicatum sit. Stephani ossa & membra plusquam in ducentis locis in sacro honore habentur, attamen corpus ejus Romæ in proprio templo integrum servatur. Lapides, quibus obrutus, pro sanctis coluntur. Innocentum puerorum exercitum cogere possemus, si omnes, qui pro sanctis adorantur, adscribere vellemus. Laurentii corpus Romæ restat, ut & dolium plenum carnium ejus, Item duæ fideliæ plenæ, altera sanguine, altera arviná ejus. Carbones, craticula & lodix, quá corpus ejus ab Angelis abstersum fuit, adhuc supersunt. Gervasius & Protasius Mediolani, etiam Brisgoiæ, etiam Vesontii sepulti sunt. Sebastianus quadricorpor factus est, aliud Romæ, aliud Suessionæ, aliud Pilignæ, quartum prope Narbonam, ejus patriam, humatum fertur. Insuper, duo capita, aliud Romæ, aliud Tholosæ excavata habet. Nam cerebrum sibi Andegavenses Franciscani adscribunt, quatuor brachia, unum Dominicani Andegavenses, aliud Tholossenses, aliud Cassedeonenses in Avernier & quartum Monsbrisonenses pro sanctis reliquiis jactitant, & nec sagittæ, quibus confossus est, superstitione vacant. Petronella filia Divi Petri Apostoli Romæ in æde patris & apud Canomanenses in Dominicanorum Monasterio, quia febrem curat, pro sancta adoratur. Susannæ, nescio cujus, corpus Romæ, aliud Tholosæ, conservatur. Veneti Helenæ corpus, caput ejus Colonienses conservant. Ursulæ corpus in Johannis Angelici æde, caput Coloniæ, Item particulæ aliæ alibi custodiuntur. Tantus acervus ossium de undecim mille Virginibus Romæ visuntur, ut illis avehendis equi quadringenti non sufficiant. Hilarius, Egidius, Honoratus, Guilhelmus, Symphronius, Lupus, Ferreolus, Lampertus & innumerabiles alii à Papistis coluntur, & ostenduntur cultum illis præstituris, tantummodo propter illum Divum, qui vocatur S. Denarius, aut S. Venter. Sed & Patriarcharum ossa, puta Abrahami, Isaaci & Jacobi Romæ reperiri perhibent. Arcam fœderis & virgam Aaronis in Johannis Lateranensis fano, Item in Hispania in Salvatoris æde, Item Parisiis adhuc remanere negantur.

(Quamvis verò autor hujus scripti non sit Pontificius, sed Pontificiorum strenuus adversarius, ac supposititio nomine illud *Romæ* editum dicatur, tamen cum ea, quæ commemorat, *praxin publicam* in omnium oculos incurrentem concernant, ideò meritò ejus testimonium Pontificiis opponitur. Confer librum Gallicum *de reliquiis sanctorum*, quem Nicolaus Gallasius in Latinum sermonem convertit, quique integer habetur tomo 2. Wolfii Lect. memor. pag. 782.)

Veronicæ facies (imago faciei à Christo ipso ad passionis locum adducto sudario impressa ac Veronicæ data) *Romæ* in æde Divi Petri asservatur, & populo adoranda ibidem monstratur. Sed Lucius Marineus Siculus Imperatoris Caroli V. Historiographus lib. 5. de rebus Hispan. illam *in Hispania esse*, asserit.

Ludovicus Vives in cap. 9. lib. 15. de Civitate Dei memorat, *in Hispania sibi ostentatum fuisse dentem Christophori pugno majorem. Apud Parisienses itidem unus istorum dentium ostenditur. Genuæ asservari item magnum Christophori dentem legas in Itinerario Stunicæ.*

(At Historia Christophori sanioribus Pontificiis pro emblemate hieroglyphico habetur.)

Andreas Abbas Amelunxbornensis memorat, *Anglorum quondam Regi accidisse, quod mandarit, Apolloniæ dentes ex omnibus Ecclesiis suis ad se mitti, ὀδονταλγίᾳ enim laborabat. Evenisse verò, ut ex unius regni reliquiis tot Apolloniæ dentes fuerint coacervati, quos aliquot tonnæ capere non potuerint.*

(D. Chemnitius part. 4. Exam. Concil. Trid. pag. 20.)

Theodorus Studites in dogmatica de honore Imaginum. *Intelligo asservari Romæ claves Petri Apostolici Senatus Principis, honoris gratia, etiamsi claves nullas sensibiles dederit Dominus Petro, sed oretenus in hoc, ut penes illum esset potestas ligandi ac solvendi. Eas autem argento confectas palam adorandas proponunt.*

Güntherus in Historia Constantinopolitana testatur, *Martinum Abbatem retulisse in Germaniam nonnihil de lapide, super quo Jacob dormivit.*

(At quis credat, lapidem illum inter κειμήλια à Judæis conservatum ?)

Item *de lapide, super quem Christus fuit templo præsentatus, de illo, ubi jejunavit.*

Antonpetrus Philippinus Archi-Diaconus Marian. lib. 12. Historiæ Corsicæ memorat, *esse in Corsica apud Sanctæ Catharinæ de Sisco exiguum quid terræ, ex qua formatus fuit Adam.*

Item *aliquid de lapide, in quo Christus allocutus Samaritanam; aliquid de cereo, cum quo inducta fuit Virgo in templum ad purificationem.*

In Tractatu rerum mirabilium, quæ Romæ sunt, memoratur, *arcam ostentari fœderis, & virgam Aaronis ac Mosis.* (Quas tamen constat, aliquot ante Christum seculis nusquam visas.)

Item *altare, quo Baptistes utebatur in deserto.*

Ragusini ostentant *linteum à Pastoribus allatum ad Christum infantem*, teste Henrico de Beauvan in Itinerario Hierosolymitano.

Vendocini gloriantur, *se habere unam Christi lachrymulam ex illis, quas effudit, cum Lazarum defleret Joh. 11.*

Chamierus tom. 2. Panstrat. lib. 6. cap. 12. n. 4. testatur, *se vidisse illam thecam cum inscriptis versibus:*

Ἔξηθι Λάζαρε φθόγξ, καὶ ἔθιον αὐτὸς Ἰησοῦς
ἐμμαστιν ἀπαλλάγες ὀσιον ἀνθεα δάκρυα λεῖβων.

Nicolaus Thuanus Carnotensis Episcopus in Explicatione Missæ testis est, *religiose servari à Carnutibus illustrem camisiam, quam induta erat Virgo, tum cum obumbraretur à Spiritu sancto donatam, à Carolo Calvo Rege Galliæ.* Aliam ostentant *Aquenses in Germania.*

Pisanus Papæ in Palæstina Legatus scripsisse fingitur ad Paschalem Secundum pro satisfactione tribulationum, *lanceam Christi* (quâ latus ei fuit apertum) *Antiochiæ fuisse repertam, quam ab ipso crucifixi die Christianorum nemo viderat, vel de ea quicquam audierat.* Literas tamen illas Baronius Annalibus suis inseruit Anno millesimo centesimo.

De *clavis crucis* Christi idem Baronius sic differit Ann. 326. n. 54. *Quod clavi, quibus cruci suffixus est Christus, plures diversis in locis hodie reperiri dicuntur, nihil est, quod pluribus, quam tribus, vel ad summum quatuor Christi manus & pedes confixos esse putemus, licet multa extent exempla sanctorum Martyrum multiplicibus clavis affixorum &c. Sed fortasse accidit, ut ex aliquo clavorum Christi modica singulis accesserit ferri portio: vel potius deperditis antiquioribus rem testantibus monumentis, clavilli, quibus compacta sunt ligna sanctissimæ crucis, crediti ipsi fuerint, quibus membra Christi cruci fuerunt infixa: nisi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter sacras reliquias asservatus, quo mystica membra Christi, nempe Martyr quispiam confixus est, idem unus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus.*

(Sic ergo imposturam Baronius non purgat, sed per verba *fortasse* & *forte* leviter excusat.)

Commentariis Dionysii Carthusiani in Genesin præfixum est Fragmentum ex Chronic. Felicis Coloniæ Agrippinæ. In eo inter reliquias numeratur *Georgii non brachium tantum, sed etiam gladius, quo Draconem occidit.*

(At eques ille Georgius nunquam extitit in rerum Natura.)

Otto Secundus Imperator, capto Benevento, *Romam transtulit ossa S. Bartholomæi*, collocavitque in Insula. Et tamen *Beneventani* asserunt apud se esse, & *illusum fuisse Imperatori ab æditus, suppositis alterius cujusdam ossibus.* Ita narrant Gobelinus ætate 6. cap. 49. & Krantzius Metropolis lib. 3. cap. 35.

De *corpore S. Dionysii* Ratisbonam ab Arnulpho deportato contendunt inter se Parisienses & Ratisbonenses.

Baronius, cum Anno 1052. n. 10. recitasset literas Leonis IX. in quibus translationem illam confirmat, subjungit num. 13 *At ista esse commentitia exclamant Franci. Rigordus enim, qui sub Philippo Ludovici filio claruit, habet ista de his temporibus,* (in quibus contrarium testatur.) n. 15. subjicit. *Huc usque Rigordus. Ut plane appareat, eandem controversiam viguisse inter Parisienses & Ratisbonenses, Francos & Bavaros, quæ inter Cassinenses & Floriacenses de S. Benedicti corpore per plurima secula est agitata. Commendanda alioqui eorundem populorum in cultu sanctorum sicut religiosissima, ita & tenacissima pietas & Catholica fides, Deo ista permittente omnia, ad majorem gloriam sanctorum suorum.*

(Sic ergo Baronius rem in medio reliquit, usurpans illud Poëtæ:

Non nostrûm inter vos tantas componere lites.)

Becelinus, referente Johan. Rivio, de abus. Eccles. p. 133. *Execrandas istas superstitiones reliquiarum, quas perditissimi nepotes à quæstu verissimè appellati, ad Ecclesiæ ludibrium, exitiumque invexerunt, nescivit antiquitas, nec vidit abusus ridiculos, in quibus non exigua pars pietatis vulgi nostratis hærebat hactenus.*

Jacobus Gretserus lib. 1. de cruce capite 97. fatetur, *Sacra pignora & lipsana ex imitatione aucta, & ex prototypo sæpius expressa occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent, se ipsum exemplar possidere, cum non nisi imaginem haberent.*

Idem lib. 2. de cruce cap. 62. *Novi, temporis diuturnitate, fideliumque persuasione sæpius evenisse, ut sacra lipsana permutarentur, alterumque in alterius locum substitueretur, & id, quod non erat, esse crederetur.*

5. Quod quidam agnoscunt, doctrinam & vitam sanctorum potius sectandam, quàm reliquias eorum colendas.)

Peraldus Episcopus in Summ. virtut. & vitiorum tom. 1. cap. de Beatitudine. *Si vestes, quæ tetigerunt Salvatorem, pro reliquiis habemus, cur verba, quæ ex ore ejus processerunt, pro reliquiis non habemus? cum scriptum sit, & mirabantur omnes de verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ejus.*

Erasmus in præfat. Paraphr. super N. Test. *Si quis Christi tunicam exhibeat, quo non terrarum provolaturi sumus, ut eam osculari liceat. Atqui, ut totam Christi suppellectilem proferas, nihil erit, quod Christum expressius ac verius repræsentet, quâ Evangelica littera.*

Idem in Enchiridio Militis Christiani pag. 55. edit. Argentorat. *In manifesto Christianus es, in occulto gentili gentilior. Veneraris Divos, gaudes eorum reliquias contingere, sed contemnis, quod illi reliquerunt optimum, puta vitæ puræ exemplar. Nullus cultus gratior Mariæ, quàm si Mariæ humilitatem imiteris. Nulla religio sanctis acceptior, magisque propria, quàm si virtutem illorum exprimere labores. Vis tibi demereri Petrum aut Paulum? alterius fidem, alterius imitare caritatem, & plus feceris, quam si decies Romam cursitaris. Vis summo honore Franciscum afficere? elatus es, admirator pecuniæ es. Largire hoc Divo, compesce animos, & exemplo Francisci esto modestior, contemne sordidum lucrum, & inhia bonis animi. Remitte contentionem & vince in bono malum. Istum honorem pluris faciet Divus ille, quàm si centum illi cereos accenderis. Magnum quiddam putas si Francisci cucullo obvolutus sepulchro inferaris? Nihil proderit vestis similis mortuo tibi, si mores fuerint dissimiles vivo.*

Georgius Cassander in Consult. art. 21. p. 974. *Cum reliquiarum veneratio & frequentatio non multum pietati, plurimum vero superstitioni serviam, multo consultius videtur, ut populus ad veras sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis, vel ab ipsis, vel de ipsis extant, imitanda provocetur.*

Johannes Lorinus in præfat. Comm. super 1. Epist. Petri pag 298. *Major sane habenda ratio scriptorum sacrorum Petri, quam quorum habita tanta est, vinculorum, gladii, quo abscidit auriculam Malcho, ossium, sepulchri.*

5. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Stapletonus Promt. Cathol. part. 1. pag. 292. sic scribit: *Eodem sane cultu, eâdem veneratione reliquias relativè consideratas prosequimur, quâ ipsos sanctos.*

Ibid. *Talia per se considerata & in Natura sua specifica nullam venerationem merentur, at verò relativè considerando, eâdem veneratione prosequimur, videl. intentionē ad ipsos sanctos referendo.*

Subsumo. Sancti in V. T. non sunt religioso venerationis cultu honorati, ut in cap. præced. ostendimus. Ergò nec reliquiæ, & per conseq. frustrà ex V. Test. quæruntur fundamenta, quibus cultus reliquiarum probetur.

Secundò, Bellarminus lib. 2. de reliq. cap. 4. scribit, *occultatum fuisse Mosi sepulchrum, ne à Judæis coleretur pro Deo, populum enim Israeliticum eo tempore ante captivitatem Babylonicam fuisse propensissimum ad idololatriam, ita ut etiam vitulos aureos coleret: idem verò periculum nunc non esse in reliquiis, aliorum sanctorum.*

(Ex quo colligi potest, ante captivitatem Babylonicam cultum reliquiarum non fuisse vel mandatum, vel usitatum apud Israelitas.)

Tertio, idem Bellarminus d. l. scribit, *valde credibile esse, quod corpus Mosis, licet mortuum, conservaverit adhuc splendorem vultus & decorem, quem antea habebat.*

(Ex eo sic inferimus. Si Deus occultum esse voluit Mosis corpus, quod miraculosa Dei operatione splendorem & decorem vultus etiam post mortem retinebat, consequens est, religiosum cultum corporibus & ossibus sanctorum dela-

delatum non esse Deo gratum & acceptum. Sed verum prius. Ergo & posterius. Connexio probatur, quia si Deus sine eo in corpore Mosis splendorem & decorem vultus miraculose conservasset, ut propterea religioso cultu afficeretur, utique sepulchrum Mosis manifestasset, cujus contrarium diserte Scriptura asserit, Deut.34.v.6.)

Quartò, idem Bellarminus lib.2. de Reliq. cap.4. §. Gaudentius &c. concedit, *nimium cultum reliquiarum à veteribus rectè fuisse reprehensum.*

(At quid hac in re sit nimium, vel reprehendendum, quid legitimum & concedendum, omnium optimè ex Scripturæ definitione peti potest.)

Quintò, Bellarminus lib.2. de Ecclesia triumph. cap.3. ex Hieronymo scribit, *quod Deus ipse Mosis corpus honoraverit, dum illud propriis manibus sepelivit.*

lib.2. de Purgatorio cap. ultimo, *Utilitates ex corporum sepultura redundantes*, recitans ait, *Consulitur honori eorum adhuc in hominum memoriis viventium; non enim caret ignominia quadam, quod fœditas nostri corporis aliorum conspectibus pateat.*

(Ergo tunc verè honorantur corpora sanctorum, quando sinui terræ omniũ matris inferuntur, Joh.19.v.38. Act.8.v.2.)

Sexto, Baronius An. Christi 69.n.21. *Sic igitur gloriosissimo Martyrio tam Petrus, quam Paulus vita functi sunt, locaq; ipsa, ubi eorum sacra corpora sepulta fuerunt, non quidem obscura, sed quod mirandum est, inter persecutores absque jactura, vel contumelia aliqua clarissima remanserunt, eademque velut nobilissima trophæa victoriæ à Christianis summo honore sunt habita.*

Idem An. Christi 169.n.19. ex Epistola Ecclesiæ Smyrnensium hæc recitat de ossibus Polycarpi. *Nos postea ossa ejus lapillis preciosis, auroq; puriora ex cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus, consentaneusq;*. Ex versione Ruffini locum eundem Eusebii sic citat: *Ambusta ossa pretiosissimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta collegimus, & sicut conveniebat ex more condidimus.*

(Ergo primitiva Ecclesia Apostolicæ vicina Martyrum & sanctorum reliquias sepultura honoravit, non autem more Rom. Eccles. hodierno religiose coluit.)

Argum. Adversariorum pro asserendo cultu reliquiarum.

1. Gen.47.v.29. *Jacob Patriarcha non in Ægypto, sed in terra Canaan sepeliri voluit.* Gen.50.v.25. *Joseph adjurat suos fratres, ut ossa sua secum deferant in terrã Canaan*, Ex.13.v.19. *Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa Josephi jamdudum mortui, sed ea honorificè secum asportavit, & transtulit in terram promissionis. Ergo translatio reliquiarum exemplo Patriarcharum confirmari potest.* Alphonsus de Castro lib.13. adv. hæres. tit. Reliquiæ sanctorum.

Resp. Non est quæstio *de translatione*, sed *religiosa veneratione* reliquiarum. Nec Jacob, nec Joseph voluerunt corpora & ossa sua deferri in terram Canaan propter religiosam reliquiarum venerationem, sed ob causas alias.

1. Lyranus in Comm. Gen.47. statuit, *Jacobum in Spiritu prævidisse, Christum in terra Canaan non tantum nasciturum, passurum, moriturum ac resurrecturum, sed etiam multos ex mortuis una cum ipso resuscitandos, ac sperasse, se in illorum numero futurum.*

2. Cornelius à Lapide in cap.47. Gen. pag.278. *Voti illius, quod Jacobus & Joseph in terram Canaan post mortem transferri voluerunt, causa fuit primo, quia optabat Jacob in terra sancta, in qua sola futurus erat Dei cultus, inter sanctos parentes, puta cum Isaaco & Abrahamo sepeliri in Hebron. Vide, quanta priscis fuerit cura sepulchri, quamq; optandum sit sepeliri inter sanctos. Secundò, voluit Jacob sepeliri in terra Canaan, ut suorum posterorum animos ab Ægypti opibus & vitiis avelleret, eisq; firmam reditus & liberationis ex Ægypto, atq; adipiscendæ terræ promissæ, puta Cananææ, spem faceret. Ita Theodoretus, Chrysostomus, Rupertus. Tertiò, id voluit, ut apud posteros suos, in Chananæa habitaturos, hæc sua & Patrum sepulchra essent vivæ fidei, pietatis & virtutis eorum monumenta, pariter & incitamenta. Quartò, sciebat Jacob, Christum in Canaan nasciturum, moriturum & resurrecturum, hinc in ea sepeliri optat, ut cum Christo resurgere possit. Addit Tropologice S. Augustinus, quod Jacob desiderabat remissionem peccatorum, tam suorum, quam totius generis humani per Christi mortem in terra Canaan obeundam, hinc in ea sepeliri voluit.*

(Quod addit Cornelius, *Patriarchas in terra Canaan etiam ideo sepeliri voluisse, ut essent participes precum & sacrificiorum, quæ ibi offerebantur*, pugnat non solum cum lege divina, in qua nulla pro defunctis leguntur oblata sacrificia, sed etiam cum prioris Pontificiorũ hypothesibus. Statuunt enim, animas sanctorũ Patriarch. non venisse in purgatorium, sed *in limbum.*)

3. Inde Jacobus Tirinus Jesuita ultimam illam Cornelii à Lapide rationem prætermittit, sic enim scribit in Comm. Genes.47.v.30. *Quæres, quare adeò horrebant Patriarchæ sepeliri in Ægypto*, (contra vero desiderabant sepeliri in terra Canaan?) *Respondet Rupertus, ut filiorum suorum animos ab Ægypti deliciis & vitiis alienos redderent, certamque ipsis postliminio in Chananitidem reditus spem facerent. Secundò, ut in terra sancta tot aliis sanctorum corporibus jungerentur, & maxime Christo in Chanaan nascituro & morituro, cum quo se quoque resurrecturos fortè prævidebant aut sperabant. Tertiò, ut posteriori parentum suorum ossa, sanctasque exuvias apud se & q. in sinu suo haberent, tanquam perpetua monumenta & stimulos virtutum parentum. Ita S. Augustinus, Tostatus & alii.*

4. Eccius in Enchirid. cap.15. disputat, *Apostolos ideò nullam de invocatione sanctorum mentionem facere voluisse, ne viderentur arrogantes.* Ex eodem principio concludere possumus hoc modo: Si Josephus ideò voluisset ossa sua in terram Canaan transferri, ut religioso cultu ibid. honorarentur, arrogantiæ id ipsi datum fuisset, ac si ipse post mortem gloriam illam quæsivisset.

(Nusquam etiam leguntur Israëlitæ in deserto variis afflictionibus pressi, opis impetrandæ causa, ad ossa illa Josephina confugisse; eadem quoq, in Palæstinam delata, non ad cultum & venerationem in sublimi loco posuerunt, sed in Sichem terræ honorifica sepultura mandarunt, Jos.24.v.32.)

Argum.2. *Deus ipse corpus Mosis honoravit, dum illud propriis manib. sepelivit*, Deut.ult. *Ossa Elisæi, cum tetigissent mortuum hominem, continuò illum ad vitam revocarunt*, 2.Reg.13. *Ergo Deus non contemnit ossa sanctorum, sed ea honorat & honorari cupit.*

Resp.1. Ex Stapletono part.1. Promt. Cathol. p.292. *Lutheranos à civili reliquiarum veneratione non abhorrere*; Pontificios autem altius, videl. ad *religiosam adorationem* assurgere.

(Jam vero Deus non proposuit corpus Mosis *religioso cultu* honorandum, nec post illud miraculum Elisæi ossa è sepulchro eruta, in locum sublimem collocata, circumgestata, exosculanda, tangenda, spectanda hominibus proposita, serico induta, candelis honorata, opis implorandæ causa adorata.)

2. Bellarm. in præf. lib. de Beat. Sanct. *Lutherum impietatis accusat, quod suaserit, ut reliquiæ sanctorum sub terrã absconaantur.*

(At Deus reliquias Mosis sub terrã abscondit. Ergo Lutherus eodem modo honorari voluit reliquias sanctorum, quo Deus corpus Mosis honoravit. De Elisæi ossibus dicit Rex Josias, 2.Reg.23.v.18. *Sinite illud*, (sepulchrum intactum) *ne quis commoveto ossa ejus.*)

3. Ex hypothesi Pontificiorum *Mosis reliquiæ* vel maxime fuissent religiose colendæ, cum per illum Deus tot beneficia Israëlitis præstiterit, tot miracula per ipsum fecerit.

(Atqui ex eo ipso, quod Deus corpus Mosis sepelierit, & sepulchrum occultum esse voluerit, colligitur, quod noluerit à Judæis religiose illud coli.)

Argum.3. Ex Psal.34.v.21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum* (sanctorum,) *unum ex eis non conteretur.* Hunc locum, *pro cultu reliquiarum* stabiliendo, adducit Rubenus de Idolatria lib.2. cap.21.

Resp.1. Lombardus in illũ locum sic commentatur: *Impletum est in Domino nostro Jesu Christo, cujus crura non sunt fracta in cruce, & impletur in sanctis suis, quorum patientia in tribulationibus exercetur, sed non vincitur.*

(Paulo ante præcedit: *Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Ergo hæc de ossib. adjiciuntur ἐξηγητικῶς, ad prædicandam Dei providentiam circa pios in periculis & afflictionibus constitutos.)

2. Lyranus in h.l. *Per ossa, in quibus consistit robur corporis, intelliguntur virtutes, in quibus consistit robur mentis, quas Dominus custodit illæsas finaliter in electis suis.*

3. Dionys. Carthusianus in h.l. *Dominus conservat virtutes justorum, quæ sunt robur & fixio, ac fulcimentum cordis in Deo. Nulla virtus justorum peribit, sed, Domino conservante, in tentatione servabitur, ne vitio obruatur. Hoc verum est de electis & perseverantibus usque in finem. Vel sensus est, quod eorum, quorum virtutes servantur, non ab ipsis, sed à Domino custodiuntur. Potest etiam exponi de ossibus corporis, quæ, licet in passione, vel post mortem conterantur & corrumpantur, custodiuntur tamen à Domino, neque finaliter manebunt contrita, sed resuscitabuntur & animæ copulabuntur,*

sicut

sicut & caro in die novissimo. Secundum hunc modum Christus in Evangelio ait: Capillus de capite vestro non peribit.

4. Eodem modo exponit Bellarminus in Comment. quod scilicet *serventur illa ossa ad beatam resurrectionem restituenda in integrum.*

5. Lorinus quidem adducit locum ex Eulogio Alexandrino lib. 5. contra Novat. in Bibl. Photii pag. 554. qui hinc infert, *ossa sanctorum dare vitam posse, & accedentibus medicinam præbere.* Sed de suo veriorem expositionem adjicit: *Apud Deum,* inquit, *certe nullum os confringitur, licet in cineres aut pulveres redigatur, apud quem omnes etiam capilli capitis numerati sunt, nec ullus peribit. Nam vivunt mortui apud Deum, & omnia restituet justis ossa cum ingenti gloria in generali resurrectione, ac reliqua membra omnia integritati necessaria, quomodolibet corrupta, dissipataq; fuerint, à feris, igne, aqua &c.*

6. Jacobus Tirinus eodem modo: *Custodit Dominus omnia ossa, Synecdochice, id est, omnia membra, ut habet Chaldæus. Unum ex his non conteretur, id est, nullum ita confringetur, ut confractum maneat & pereat: nam, Deo advigilante singula custodientur, & in resurrectione singulis sua reddentur jam gloriosa. Ita S. Hieronymus.*

Argum. 4. *Si Christus hic adesset & nos vestem ejus devote oscularemur, continuo nos Lutherus idololatras diceret. At mulier hæmorrhousa solam fimbriam Christi fideliter tetigit & sanata est, Matth. 9.* Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 5. Costerus part. 1. concion. p. 635. Staplet. in Promt. Cath part. 1. p. 292. Jansenius in Concord. Evang. c. 34. p. 219. Greg. de Valent. contra Heerbrandum, Jacobus Tirinus in Comm. Matt. 9.

Resp. 1. Bellarminus dicit: *Si Christus hic adesset, & nos ejus vestem devote oscularemur.*

(Agnoscit igitur, Christum non amplius eo modo nobis adesse, ut vestis ipsius corpus tangat ac tegat, adeoque *ex corpore ipsius vis sanandi exeat,* in diebus carnis fieri solebat, Luc. 6. v. 19.)

2. Idem Bellarminus dicit: *hæmorrhousa fimbriam Christi fideliter tetigit.*

(Ergo non de religioso fimbriæ osculo, sed de fideli ejus contactu in Historia Evangelica agitur, hactenus igitur in exemplo est dissimilitudo.)

3. Bellarminus dicit: *hæmorrhousam fimbriam Christi fideliter tetigisse.*

Jacob. Tirinus in h. l. *Placuit quam maxime fides & fiducia, qua fimbriam tetigisti.*

(At non in fimbriam, sed in Christum collocavit fiduciam, neque enim ex fimbria, sed παρὰ Χριστοῦ *virtus sanandi exibat,* Luc. 6. v. 19. ac Christus ἐξ αὐτοῦ καὶ ἀπιοῦσαν, *virtutum exiisse,* dicit Marc. 5. v. 30. Luc. 8. v. 46. Fimbria igitur non sanavit ἐνεργητικῶς, sed συμβολικῶς. Symbolum autem miraculosæ sanationis externum non debet religioso honore coli, alias Israëlitæ virgæ Mosis, & Elisæus pallio Eliæ religiosum honoris cultum detulissent.)

4. Invertimus argumentum. Hæmorrhousa fide tangens fimbriam Christi sanationem impetravit, nec tamen Apostoli fimbriam Christi propterea religioso cultu prosecuti fuere, sed Christum miraculi autorem unicè celebrarunt, ac divinum honorem ei detulerunt.

5. Ex Pontificiorum hypothesi *defunctorum tantum reliquiæ dantur.*

(Ergo, quando ex hæmorrhousæ exemplo argumentantur, tum à non reliquiis ad reliquias argumentantur. Quis enim vestem Christi, quatenus eam vivus induit, reliquiis propriè dictis annumerare velit?)

Argum. 5. Bailius in Catech. Controv. tract. 2. q. 54. Jacob. Tirinus in Comment. Act. 5. hoc urgent, *quod Petri umbra ægris medelam attulerit, Act. 5. quodq; idem præstiterint strophiola ac semicinctia Pauli, Act. 19.*

Resp. 1. Lorinus ad cap. 5. Act. v. 15. sic annotat: *Umbra Petri non per se operabatur, cum sit privatio, sed præsentia Petri, propter quam curabantur infirmitates, sive ipse esset causa moralis tantum, sive etiam physica instrumentalis.*

(At Petrus ipse, postquam claudum sanasset, negat id *sua virtute ac sanctitate* factum, Act. 3. v. 12. quomodo igitur hanc virtutem umbræ corporis sui, tanquam *causæ physicæ,* adscribi permisisset?)

2. Nuspiam legitur, umbram Petri propterea fuisse adoratam, vel religioso cultu honoratam.

3. Ab extraordinario & temporali ad ordinarium & perpetuum non valet consequentia. Christus semel *aqua piscinæ Siloë* ad cæcum curandum usus fuit Joh. 9. v. 10. quis vero unquam audivit, creditum postea fuisse, eam aquam perpetua cæcis visum restituendi virtute præditam fuisse? Naaman *se in Jordane* lavans, à lepra curatus fuit, 2. Reg. 5. v. 14. quis unquam Judæorum et postea talem virtutem ordinariam adscripsit?

Argum. 6. *Multa miracula per reliquias sunt facta. Ergo religiosus earum cultus approbandus.*

Resp. Cassander in Consult. artic. 21. pag. 972. sic disserit: *Accesserunt & alia mala, quod avaritiæ causa ad simplicem populum illiciendum, falsæ reliquiæ supponebantur, & ficta miracula prædicabantur, iisque miraculis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miraculorum raperetur, quam ad sanctorum imitationem, vel vitæ emundationem provocaretur.*

Vide locum integrum citatum superius membr. 1.

Argum. 7. Urgent cumprimis, *quod S. Hieronymus de reliquiarum veneratione librum adversus Vigilantium conscripserit.*

Resp. 1. Hieronymus ipse Vigilantium vocat *sanctum Presbyterum,* Epist. 13. ad Paulinum. Quod si ergo regerimus, etiam sanctum Vigilantium elegantem librum contra superstitiosam reliquiarum venerationem edidisse, homini hominem & *sancto Presbytero Hieronymo sanctum Presbyterum Vigilantium* opponimus. Judicandum ergo de hac controversia, non ex hominum autoritate, sed ex rei veritate, videlicet ex proprio Theologicarum quæstionum principio, Scriptura scil. sacra.

2. In eod. adv. Vigilantium libro Hieronymus ad objectionem de cereis, clara luce accensis, respondet: *Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris. Quod autem aliqui faciebant, imperitiæ & simplicitati secularium hominum, vel religiosarum fœminarum* adscribit, quibus aptat illud Apostoli Rom. 10. v. 2. *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.*

(Atqui adhuc hodie non minima pars cultus divini apud Pontificios ponitur in cereis clara luce accendendis.)

3. Idem Hieronymus in lib. adversus Vigilantium cap. 6. librum hunc suum vocat *unius noctis lucubratiunculam.* Fuit ergo festinatum & extemporaneum scriptum.

4. Idem Hieronymus in Epist. 53. ad Riparium diserte scribit: *Nos, non dico Martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Arch-Angelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur in præsenti seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in secula.*

(At Pontificii religiosam reliquiarum venerationem propugnant.)

5. Erasmus in argum. Epist. Hieronymi ad Vigilantium sic scribit: *In Vigilantium ita debacchatur Hieronymus, ut plusculum modestiæ cogar desiderare. Utinam argumentis duntaxat egisset, & à convitiis abstinuisset. Nam vigilias nocturnas non placuisse viris Ecclesiasticis, vel illud satis probat, quod horum autoritate sublatæ sint, nomine tantum superstites.*

6. Villavincentius de Ratione studii Theolog. lib. 4. cap. 6. observ. 7. de hoc Hieronymi scripto sic judicat: *quod in eo convitiis plane ferreis Vigilantium verberet.*

CAPUT IV.

De Imaginibus Sanctorum.

THesis. Imagines sanctorum non sunt religiose colendæ.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de *habendis,* sed *religiose colendis imaginibus.* Haberi posse Imagines non solum *extra templa,* sed etiam *in templis,* concedimus; sed religiose colendas esse imagines, negamus.

Gregorius lib. 9. Epist. 8. ad Serenum. *Quod Sanctorum imagines adorari vetuisti, omnino laudamus, fregisse vero reprehendimus. Dic frater, à quo factum esse Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ Historiam, quid sit adorandum, discere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura, quia in ipsa ignorantes vident, quid sequi debeant; in ipsa legunt, qui literas nesciunt.*

2. Neq; quæstio est de *civili vel Ceremoniali aliquo cultu externæ alicujus honorificentiæ seu reverentiæ,* quasi templa & alia, quæ in templis asservari solent, ac cultui divino inserviunt,

vitunt, vasa seu utensilia reverenter & ἰυχρμένως habere ac tractare solemus, sed *de cultu religioso*, qualis in Papatu exercetur adorando, compellando, salutando, sacrificando, amplexando, osculando &c.

Antithesis. Concilium Trident. sess. 25. *Per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christū adoremus; & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

Et paulo ante: *Honor, qui imaginibus Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant.*

In *Concilio Niceno secundo* (ad quod provocat Concilium Tridentinum) act. 2. tom. 2. pag. 486. edit. Quentel. recitatur vox Eliæ Cretensis, qua *venerandas imagines nunquam seponere se profitetur, sed eas perfecte adorare.*

Cajetanus in Thomam part. 3. q. 25. artic. 3. multis probare conatur, *quod Imagini & exemplari, sive prototypo idem honor debeatur.*

Bellarm. lib. 2. de Imagin. cap. 21. propos. 1. *Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt, non solum per accidens, vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.*

cap. 22. propos. 2. *Quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, Imagines ullas debere adorari latria, sed è contrario non debere sic adorari.*

cap. 23. propos. 3. *Si de reipsa agatur, admitti potest, Imagines posse coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.*

cap. 24. propos. 4. *Imago per se & propriè non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar; & proinde nulla imago est adoranda cultu latriæ per se & propriè.*

cap. 25. prop. 5. *Cultus, qui per se propriè debetur Imaginibus, est cultus quidam imperfectus, quod analogice & reductive pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 5. art. 15. *Christi & Sanctorum ejus Imagines in templis retinendas esse*, docet.

Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 6. q. 11. puncto 9. *Verissimum est, quod affirmari solet, eodem officii atq; honoris genere, eodem animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionem excellentem, honorari prototypum ipsum, ejusque imaginem. Nam Imaginem honorare, est coram ipsa, tanquam prototypi secundum repræsentationem vicaria, velle de prototypo commovere excellentem opinionem. Itaque idem venerationis motus ad utrumque spectat, sed tamen diversa ratione. Nam ad prototypum pertinet, ut illi secundum se existimationem conciliet; ad imaginem autem ut coram ipsa & in ipsa, tanquam in vicaria, existimatio ejusmodi concilietur prototypo, perinde ac si esset illud præsens, sicut imago ipsa.*

Idem tom. 4. disp. 1. q. 24. puncto 2. q. 467. *Sic quidem sunt venerandæ Imagines, ut ipsæ quoq; propriè suo quodam modo sint terminus venerationis, licet non per se, quatenus tali materia & figura continentur, sed per aliud, sc. ratione prototypi. Hoc autem modo eodem honore, quo prototypus, Imagines sunt honorandæ, atque adeo hominis Christi imagines latria sunt venerandæ per aliud.*

Tannerus in 2. 2. Thom. Disp. 4. th. 48. *Absque hæsitatione fatendum, imagines non solum venerandas & colendas, sed etiam adorandas &c. Sic enim non solum frequenter Græci Patres loquuntur, utentes vocula προσκύνησις, sed etiam Latini, atque ipsi Scholastici, dum & Christi imagines latria colendas & adorandas esse docent.*

Azorius lib. 9. Instit. cap. 6. art. 3. & 6. *Constans est Theologorum sententia, Imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus est Imago. Atque hæc sententia non tantum unius Thomæ, sed communi est Theologorum consensu recepta*, ad cujus sententiæ probationem etiam adducit Concilium Tridentin. (Cujus vocem Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 12. dicit, *esse vocem Ecclesiæ Catholicæ, quam omnes Catholici, ut Magistram, sequuntur.*)

Costerus in Enchirid. p. 438. 439. *Non alius in Imagine honoratur, quam ipsum prototypum, ex quo non obscure consequitur, omnem honorem, qui prototypo debetur, etiam exhiberi posse Imaginibus.* (Hoc Costeri Enchiridion approbatum fuit à *Coloniensibus, Trevirensibus & Moguntinis Jesuitis.*)

Becelinck concion. select. 21. pag. 407. *Secundum fidem Catholicam, quam integram inviolatamque servare salutem desideranti oportet, imaginibus Christi & sanctorum deferenda est adoratio, hoc est, signa servitutis & submissionis, amplexu, capitis inclinatione, apertione, luminaribus, suffitu thuris, genuflexione & similibus obsequiis religiosi & plusquam mere civilis cultus.*

In Praxi Pontificii colunt Imagines,

1. *Dedicando.* In Pontificali enim habentur certæ & præscriptæ benedictionum formulæ, quibus Imagines consecrantur: *Imago Johannis*, his verbis consecratur, *Præsta, ut omnes illam cum reverentia intuentes, precesq; coram illa fundentes pro quacunque necessitate oraverint, exaudiantur. Sit hæc imago Dæmonum sancta expulsio, Angelorum advocatio, fidelium profectio &c. Imago Mariæ*, consecratur his verbis: *Sanctifica Deus hanc formulam B. Virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, si invaluerint, nocentia celerius expellantur, pluviarum quoque inundatio aut civilium bellorum commotio seu paganorum devastatio ad præsentiam ejus comprimantur.*

Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 19. § . 3. *Imagines solent aliquando benedici & precibus sacerdotalibus quodammodo sacrari, antequam in templis collocentur.* De hac consecratione Ecclesia Romana referente Thoma part. 3. q. 83. art. 3. statuit, quod *in Ecclesia altare ac hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant.*

2. *Nomen prototypi illis imponendo.*

Sacrar. Cerem. Rom. Eccl. lib. 1. tit. 7. in consecratione cereæ imagunculæ, quam vocant *Agnum Dei*, orant, *ut isti agni immaculati eandem virtutem accipiant contra omnes Diabolicas versutias & fraudes maligni Spiritus, qua agnus innocen. Filius ejus J. C. in ara crucis immolatus protoplastum nostrum de Diabolica potestate eripuit.* Cui consecrationi sive benedictioni Imaginum merito opponitur illud Tertulliani lib. de idololatria cap. 4. *Imaginum consecratio est idololatria.*

3. *Singularem Numinis præsentiam illis affingendo.*

Bellarm. lib. 2. de Imag. c. 18. *Una imago magis frequentatur, quam alia propter varias causas, Primo, quia Deus per unam operatur miracula & non per aliam; secundo, quia quædam Imagines factæ sunt à sanctis viris, quæ peculiarem merentur devotionem propter artificem; tertio, quia aliquæ magis excitant ad Pietatem.*

* 4. *Certorum beneficiorum largitiones ab ipsis expectando.*

Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 6. q. 11. punct. 6. *Certa experientia novimus, singulariter quibusdam locis quasdamq; imagines venerantibus solitum esse Deum præclara impertiri beneficia.*

5 *Sertis & coronis ornando.* 6. *Vestimentis inducēdo.* 7. *Circumgestando pro avertenda lue pestifera, pro avertendis frugū incommodis.*

Cens. Colon. p. 66. *Circumferimus statuas, existimantes hinc sanctis nonnihil honoris accedere, si magna solennitate ipsorum Imagines, magno hominum comitatu ac denique maxima veneratione colantur. Scimus enim Principib. hoc semper gratum fuisse, ut illis publici decernerentur honores: non sumus nescii, quantum honoris Ciceroni accreverit, ad Jovis pulvinaria processisse &c. Novimus D. Gregorium ante multos annorum Centenarios S. Virginis Mariæ imaginem summa totius populi veneratione ad sedandam pestem circumtulisse, quando & e cœlis Angeli velut gratulabundi hymnum illum, Regina cœli lætare, cum multorum stupore decantarunt.*

8. *In loco sublimi constituendo.*

9. *Altaria eis erigendo.* 10. *Templa & delubra extruendo.* 11. *Sacrificulos præficiendo.* 12. *Ferias sacras instituendo.* 13. *Cantando.* 14. *Epulando.* 15. *Osculando.* 16. *Supplicando.* 17. *Alloquendo.* 18. *Obsecrando.* 19. *Sacrificando ac thus adolendo.*

In Pontific. Rom. part. 2. de benedict. novæ crucis. *Thus à Pontifice in thuribulum imponitur, deinde aspergit crucem aqua benedicta, & mox incensatur.*

Bellarm. lib. 1. de Eccles. triumph. cap. 3. *Suaves odores etiam cruci offerimus in Ecclesia.* lib. ejusd. cap. 18. *Nos etiam suaves odores in ipsa Ecclesia offerimus imaginib. & reliquiis.*

Patres quoque Concilii Niceni à Bellarmino approbati act. 4. *Ante sanctorum imagines, lumina & suaveolentia thymiamata accendi & symbolicōs ista in honorem sperasserant.*

(At si Imagines loqui possent, ut apud Ethnicos & Pontificios olim locutæ finguntur, idem responderent, quod apud Ovidium lib. 14. Metamorph. Sibylla Æneæ dicenti, *Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores*; cui Prophetissa: *Nec Dea sum dixit, ne sacri thuris honore Humanum dignare caput.*)

20. *Cereos accendendo.* 21. *Vovendo.* 22. *Jurando.*

In his omnibus peculiarem cultum constituunt, per quem à sanctis, quorum illæ sunt Imagines, corporalia & spiritualia beneficia se impetraturos sperant.

Æneas Sylvius, postea Pius II. Pont. lib. 2. Comment. *In Ecclesia S. Mariæ Prunetanæ agri Florentini est imago Virginis,*

quam

quam mira religione venerantur populi, tanquam pluviæ serenitatisq; donatricem, cum necessitas ingruit.

Nostram sententiam probamus: Religiosus Imaginum cultus

1. Est ἄγραφος & *electitius*, utpote destitutus mandato, promissione & probatis exemplis, quorum nullum in Scripturis annotatum legitur.

2. Est *idololatricus*. Omnis cultus, quo honor Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum, est idololatria. Per cultum imaginum religiosum honor soli Deo debitus transfertur ad id, quod extra Deum. Ergo.

3. *Ab Ethnicis & Judæis idololatris mutuatus*. Illi enim eodem modo imagines suas coluerunt dedicando Dan. 3. v. 3. nomen prototypi illis imponendo Ex. 32. v. 4. 1. Reg. 12. v. 28. Es. 42. v. 17. Sap. 14. v. 21. singularem Numinis præsentiam illis affingendo.

Arnob. lib. 1. contra gentes. *Tanquam inesset præsens, adulabar, affabar & beneficia poscebam*; certorum beneficiorum largitionem ab illis expectando.

Tatianus contra Græcos. *Gentes res certas à certis Diis postulant.* Sertis & coronis ornando Baruch. 6. v. 9. Act. 14. v. 12. Vestimentis induendo Baruch. 6. v. 12. circumgestando Es. 46. v. 7. Amos 5. v. 26. Baruch. 6. v. 3. in loco sublimi constituendo August. Ep. 49. altaria eis erigendo, Ex. 32. v. 5. 1. Reg. 16. v. 32. cap. 18. v. 26. templa & delubra extruendo 1. Reg. 11. v. 7. cap. 16. v. 32. sacrificulos cœlibes ac rasos illis præficiendo, 1. Reg. 12. v. 31. cap. 18. v. 19. 2. Paral. 11. v. 15. Soph. 1. v. 4. Baruch. 6. v. 30. ferias sacras instituendo, Ex. 32. v. 5. 2. Reg. 10. v. 20. 2. Maccab. 6. v. 7. cantando Baruch. 6. v. 31. epulando Ex. 32. v. 6. Judic. 16. v. 24. Amos. 2. v. 8. osculando 1. Reg. 19. v. 18. supplicando 1. Reg. 19. v. 18. Esa. 44. v. 15. Dan. 3. v. 6. Sapient. 13. v. 18. alloquendo Jerem. 2. v. 27. Sapient. 13. v. 17. obsecrando Es. 44. v. 17. sacrificando 2. Reg. 10. v. 24. cap. 16. v. 4. 2. Maccab. 4. v. 19. Act. 14. v. 12. lampades accendendo Baruch. 6. v. 18. vovendo Bar. 6. v. 34. jurando Soph. 1. v. 5. &c.

4. *Divino præcepto prohibitus*. Nam Ex. 20. v. 22. Deut. 4. v. 15. 16. Deus per *Imagines* se coli vetuit, ac in solenni promulgatione legis nullam sui similitudinem ostendit, eò quod nollet sui aliquam similitudinem fieri, ac in similitudine illa adorari.

5. *Accusatus & damnatus* in *Moscholatris*, Ex. 32. *Micha*, Jud. 17. *Gedeone*, Jud. 8. *Israëlitis* Baali & Astaroth servientibus, Jud. 2. v. 13. 1 Reg. 12. vers. 27. & seqq. 2. Reg. 10. vers. 25. cap. 18. vers. 22. cum tamen omnes prætenderint, se in honorem Dei imagines colere, & in imaginibus vero Deo honorem istum deferre.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam religiosum imaginum cultum improbant.

Clemens Episcopus Romanus lib. 5. Recognit. *Quis ergo iste honor Dei est, per lapideas & ligneas discurrere imagines, atque exanimes figuras, tanquam Numina, venerari?*

Gregorius Episcopus Rom. lib. 9. Epist. 9. & citatur c. Perlatum. dist. 3. de consecrat. *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato Zelo succensus sanctorum imagines sub hac q. excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus; fregisse vero reprehendimus &c. Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ Historiam quid adorandum sit, discere.*

Et rursus: *Convocandi sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisq; Scripturæ sacræ testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat, quoniam scriptum est: Dominum Deum adorabis & illi soli servies.*

Item: *Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare vero imagines omnibus modis devita. Sed hoc solicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Trinitatis humiliter prosternantur.*

(Hunc Gregorii locum citant & approbant Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 5. artic. 15. & Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 22.)

Idem Gregorius lib. 7. Epist. 53. *Scio, quod Imaginem Salvatoris non ideo petis, ut q. Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas.*

De Carolo Magno memorat Aventinus lib. 4. Annal. fol. 337. *Ipsum Francofordiam convocasse Italiæ, Galliæ & Germaniæ Episcopos, præsentibus etiam Legatis Romani Pontificis, Theophylacto & Stephano Episcopis, ab eisq; scita Græcorum de adorandis Imaginibus esse rescissa.*

Idem testatur Regino in Chron. *Pseudo-Synodus Græcorum, quam prò adorandis imaginibus fecerunt, rejecta est* (in Concil. Francoford.)

Item Ado. in Chron. *Pseudo-Synodus, quam Græci VII. vocant, pro adorandis Imaginibus abdicata est penitus.*

Refer huc Rescriptum Caroli Magni *de non adorandis Imaginibus, contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis Imaginibus stolidè sive arroganter gesta est &c.* datum in Concilio Francofordiensi Anno Domini DCCXCIIII. quod extat apud Goldastum tom. 2. Constit. Imperial pag. 2.

Editum est superiore seculo in Galliis & Germania recusum prolixum scriptum Caroli Magni *contra Synodum Græcam* in Nicæa ab Irene matre & Constantino filio celebratam, statuarum adorationem asserentem ac defendentem. Is, qui id scriptum edi curavit, multis firmisque testimoniis probavit, *esse genuinum Caroli, & non suppositium.*

Adscripsit etiam duos articulos Francofordianæ Synodi, in quorum secundo diserte indicat, *Græcam Synodum propter statuarum adorationem damnatam esse.* Testatur hoc res ipsa. Nam certum est, tum Irenen ac filium ejus illo tempore Imaginib. addictissimos fuisse, tum Synodum illam adorationem Imaginum contra suos majores approbasse ac defendisse, imo id solum egisse. Quare cum ea Synodus à Francofurtensi damnata sit, ob eam ipsam erroneam sententiam de Imaginibus damnatam esse necesse est. Alia non est causa, cur Græcam Synodum damnarint.

In vetustis Francorum Annalibus ita habetur de actis Francofordiensis Synodi: *Pseudo-Synodus Græcorum pro adorandis Imaginibus habita, & falso septima vocata ab Episcopis damnatur.*

Idipsum confirmat Hincmarus Rhemorum Archiepiscopus in cap. 20. libri contra ejusdem nominis Jandunensem Episcopum sic scribens: *Septima autem apud Græcos vocata Universalis Pseudo Synodus de Imaginibus, quas quidam confringendas quidam autem adorandas dicebant, neutra vero pars intellectu sano definiebat, sine autoritate Apostolicæ Sedis, non longe ante nostra tempora, Nicææ est à quamplurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris jussione Apostolicæ Sedis generalis Synodus in Francia convocante præfato Imperatore celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemq; majorum, ipsa Græcorum Pseudo-Synodus destructa & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen (quod in Palatio adolescentulus legi) ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum.*

Bellarminus fatetur, *in Synodo Francofortensi reprobatam esse Synodum Nicenam, sed per errorem & materialiter, quia autor librorum Carolinorum imposuit Synodo, duoque mendacia illi obtrusit: Unum mendacium fuit, in Synodo Nicena decretum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriæ: alterum, decretum illud factum à Græcis sine consensu Rom. Pontificis.*

Resp. 1. quomodo Patres illi, qui tertio anno post habitum Nicenum Concilium convenerunt Francofurti, ignorare potuerunt, quid in Concilio Niceno fuerit actum?

Suarez in 3. part. Thom. q. 25. disp. 54. *Mihi difficile creditu est, Synodum Francofurtensem potuisse ex errore facti contra Nicenam procedere, quia Nicena Synodus paulo ante congregata fuerat sub eodem Pontifice Adriano, à quo fuerat confirmata. Legati autem ejusdem Adriani adfuerunt Concilio Francofurtiensi. Qui ergo fit, ut tota Synodus Concilii Niceni autoritatem & doctrinam ignorare potuerit, cum à Legatis Pontificiis instrui posset?*

2. Ex quo etiam respondetur ad reliquam exceptionis partem. Legati Pontificis interfuere Concilio Francofordiensi, quomodo ergò potuit credere inscio Pontifice hos canones à Græcis suppositos fuisse?

Observandum vero, quod *Papa Adrianus* Synodum *septimam Nicenam* descriptis literis ad Imperatorem & ad Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham probavit, quando & Legatos ibi unà habuit, qui omnia decernere & comprobare adjuverunt. Legati fuere Petrus protopresbyter S. Petri & Petrus Monachus S. Sabæ. Sic contra etiam *Francofordensem Synodum* Papæ Legati comprobarunt. Quare Francofordensis Synodus & Carolus in hac re non tantum hanc Græcam Synodum, sed & ipsum Papam errantem in idololatria statuarum damnarunt, tametsi publicæ tranquillitatis causa eum disertè nominatimque petere & damnare noluerunt. Neve quis dubitet, eos etiam ipsum *Papam Adrianum*, sed sine nomine petiisse ac oppugnasse, conferat duas ejus Epistolas ad Imperatorem Constantinopoli & Ta-

& Taraſium cum cap. 17. 18. 19. primi libri & cum 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 26. ſecundi & 15. 16. tertii libri Caroli Magni, inveniet profecto manifeſtiſſime, nihil aliud Imperatorem ac Synodum in illis capitibus egiſſe, quam ut illas Papæ Epiſtolas diligenter & accurate refutarent, tametſi tacito Papæ nomine quietis publicæ ſtudio.

In illo autem ſcripto Carolus Magnus inter cætera de vero Imaginum uſu ſic diſſerit lib. 2. cap. 31. *Nunc mentis oculo ſolicite intuendum eſt, quantum in ſupra memoratarum imaginum abolitione vel veneratione filiorum error à parentum errore diſſentiat, cum utrimq; ſibi & iſtorum & illorum error repugnare non deſinat. Ubi enim eas convellendas atq; contemnendas eſſe cenſuerunt ab Eccleſia perpetua abdicatione, iſti eas non ſolum habendas, verum etiam venerandas ſtudent ſupplici adoratione. Illi eas mancipavere crepitantib. ignibus, iſti honorant odoriferis thymiamatibus. Illi eas effugiebant etiam cernere: iſti non ceſſant amplecti. Illi effodere ad ornamentum Eccleſiæ ab antiquis conſtitutas in parietibus: iſti nuper conditas oblatis perluſtrant luminaribus. Illi eas ſtudebant prorſus abominari; iſti ſanciunt omnino oſculari. Illi anathematizabant habentes, iſti è contrario non adorantes. Quæ duo mala cum alterutrum ſibi contraria ſint & à recto tramite remota, reſtat nobis ut viam regiam ſecundum Apoſtolum gradientes, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinemus, ut nec cum illis prorſus abolendas dijudicemus, nec cum iſtis adorandas decernamus: ſed ſolum Deum adorantes & ejus ſanctos venerantes ſecundum antiquam Patrum & Eccleſiaſticam traditionem eas in Eccleſia in ornamento & memoria rerum geſtarum, ſi licet, habeamus, & cum juſtitia hinc ſeveritatem, illinc adulationem contemnentes: cum prudentia, hinc verſutiam, illinc hebetudinem declinantes, cum temperantia, hinc libidinem, illinc inſenſibilitatem ſpernentes; cum fortitudine, hinc timiditatem, illinc audaciam abjicientes; cum ſanctis Patribus, qui eas in ornamento ſolummodo Eccleſiæ eſſe ſiverunt, iſtis hinc adorantibus; illis hinc abominantibus poſtpoſitis, viam mandatorum Domini teneamus, qualiter ad eum, qui eſt via, veritas & vita ipſo opitulante pervenire valeamus.*

Inde etiam *cultum religioſum Imaginum* nominant *inſolentiſſimam vel potius ſuperſtitioſiſſimam, execrandamq; adorationem* lib. 2. cap. 13. *inſolentiſſimam vanitatem*, lib. 3. cap. 7. ac graviter in eos invehuntur, quod *adorationem imaginum inter bonorum operum inſtrumenta adnumerare* non erubeſcunt lib. 4. cap. 27. denique hæreſeos arguunt, qui doceat *religioſe colendas Jeſu & Pauli imagines*, lib. 4. cap. 25. & lib. 3. cap. 18. ſub finem eis, qui imagines religioſe colere nolunt, verorum Catholicorum nomen non eſſe detrahendum ſtatuunt.

Autoritatem horum librorum aſſerit Georg. Caſſander Epiſt. 19. ad Molinæum p. 1103. ſic ſcribens: *Quatuor illos libros adverſus Synodum Græcorum de adorandis imaginibus Nicææ habitam inſignes appellari, primum quod illuſtriſſimi Regis Caroli nomine & autoritate, aſſentiente univerſa Synodo, cui & Legati Rom. Pont. intererant conſcripti & editi ſint. Deinde quod videam eos libellos in precio & honore ſemper habitos fuiſſe, aſſervatur enim hoc volumen Caroli Romæ in Bibliotheca Vaticana penitiore, ubi non niſi inſignes & eximii libri reponi ſolent. Vidi & alterum in Galliis apud quendam eruditum virum modo Epiſcopum, ex Bibliotheca quadam illuſtri ſcriptum, ſerico villato & aureis umbilicis exornatum. Meminerunt ejus apud veteres, qui de concilio Francofordienſi ſcripſerunt, & Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis vir rerum Eccleſiaſticarum periſſimus & ſtudioſiſſimus, & proxime ſuperiore ætate Nicolaus de Cuſa ex autoritate ejuſdem Hincmari. Noſtra vero ætate Auguſtinus Steuchus Eugubinus Epiſcopus Bibliothecarius Pontificis, qui autoritatem ejus libri ad confirmandum ſuam de Romani Pontificis poteſtate ſententiam ex 6. quodam capite ejuſdem libri adducit, aſſerens librum eum vetuſtiſſimum literis Longobardicis ſcriptum in Bibliotheca Vaticana ſervari, non credenti videndi poteſtatem futuram. Breviter citatum honorifice hoc volumen & laudatum lego, damnatum, reprehenſum, imò vel notatum non lego. Quod ſi quis Carolum Imperatorem contemnat, certe talis à Scriptorib. ejus ætatis habitus non eſt, & quod illi peritiæ rerum ſacrarum defuit, id aſſidua conſuetudine doctiſſimorum virorum ſupplevit, in quib. facile princeps fuit Alcuinus, ab aliquibus Albinus dictus, cujus non pauca religioſiſſime & Catholiciſſime ſcripta leguntur, cujus præcipue opera hos libros conſcriptos ut credam, facile adducor, cum & ille rerum ſacrarum peritiſſimus fuerit, & Carolo familiariſſimus, & ſtylus ſatis congruat, imo integrum quoddam caput in hos libros totidem fere verbis in commentariis in Johannem ejuſdem Alcuini poſitum deprehendi, ut prorſus Alcuini eſſe videatur, quod tamen Carolus ſententiam totius Synodi Francofordanæ ſecutus pro zelo ſuæ fidei ſuo nomine conſcribi & evulgari voluerit. Illud certe conſtat, Synodum illam Græcorum Nicææ iterum habitam in celebri illa Synodo, Francofordienſe rejectam fuiſſe, qua parte ſtatuebat imagines ſanctorum adorandas, omneſque Gallicanas præcipue Eccleſias in eadem ſententia fuiſſe, ut indiſcretam illam Imaginum adorationem, quam Græci exigere videbantur, improbaverint. Vidi etiam acta ejuſdem Concilii Francofordienſis, cujus duo prima capita, quod ad rem pertinere videbantur, exſcripſi. Primum caput continet damnationem nefandæ hæreſis Elipandi Toletanæ ſedis Epiſcopi & Felicis Vrgelitani, qui in Dei Filio adoptionem aſſerebant. Alterum caput ſic habet ad verbum. Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imagines Sanctorum, ita ut Deificam Trinitatem, ſervitio aut adoratione non impenderent, anathema judicarentur. Quam omnes, qui ſupra, ſanctiſſimi Patres noſtri, omnimodis & adorationem & ſervitium reſpuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt. Regino quoq; inſignis Chronographus mentione facta hujus Synodi à Carolo celebratæ anno DCCXCIV. &c. ſubdit hæc verba: Pſeudo-Synodus Græcorum, quam pro adorandis Imaginibus fecerant, à Pontificibus rejecta eſt. Jonas quoque Aurelianenſis Epiſcopus in libro, quem ad Carolum Ludovici filium adverſus Claudium Taurinenſem conſcripſit, cum acriter Imaginum conſervationem & uſum in Eccleſia defendat, & temerariam earum confractionem & deſtructionem improbet, adorationem tamen Imaginum, cui ſceleratiſſimo (ut loquitur) errori aliqui Orientalium mancipabantur, graviter reprehendit.*

(Opponenda hæc ſunt Thomæ Hardingo, qui in Confut. Apol. Anglic. part. 6. cap. 17. & Synodi & librorum Carolinorum autoritatem elevare conatur, ſic ſcribens: *Concilium Provinciale, quod à Carolo Magno in Germania contra Nicenum ſecundum œcumenicum habitum eſſe vultis, fictitium & adulterinum eſt. Eadem cauſa eſt libri contra Imagines compoſiti, quem Eli Phili, nempe ejus hominis filius, qui in Luna oſtenditur, Calvinus, Illyricus & hæreticorum alii nonnulli eidem Carolo Imperatori, homini quam maxime pio & Catholico, affinxere.*)

Jonas ille Aurelianenſis, cujus Caſſander meminit, acerrimus hoſtis Claudii Taurinenſis Epiſcopi, librum, quem Claudius contra imaginum adorationem ſcripſerat, poſt ejus mortem circa ann. 840. refutare aggreſſus eſt; in illa reſponſione Germanis & Gallis hoc elogium tribuit, quod à religioſo imaginum cultu tum temporis abhorruerint. *Nonne* (inquit) *Galli atque Germani cuicunque picturæ adorationem non ſolum deferre detrectant, ſed & adorantibus libera voce inſultant, eoſque quanta poſſunt invectione redarguunt, &, ut ad ſanitatem redeant, toto conamine elaborant.*

(Fuit hic fructus Synodi Francofurtenſis. Quia Claudius, qui contra adorationem imaginum ſcripſit, fuit primum Presbyter in aula Ludovici, qui Carolo Patri in Imperio ſucceſſerat; quin & Joh. Tillius Meldorum Epiſcopus in præfat. lib. Carolini teſtatur, quod Claudius ille in aula Caroli Magni educatus, & ab intimis ejus conſiliis fuerit.)

Cæterum Germani longo poſt quoque tempore ab Imaginum adoratione abhorruerunt, quemadmodum Georgius Caſſander in Conſultat. ſua oſtendit, *eos in hac doctrina adhuc ætate Friderici Barbaroſſæ Anno 1160. perſeveraſſe.*

Id quod inter alios probat Nicetas Acominatus Choniates de Imperio Auguſti Angeli lib. 2. p. 437. ſic ſcribens: *Philippopolim ingreſſus* (Fridericus Barbaroſſa) *urbem plerisq; iisq; nobiliſſimis civibus, vacuam reperit. Nam ſi quis ibi manſerat, is aut ita pauper erat, ut ejus opes in veſtibus, quibus tegebatur, conſiſterent, aut erat ex Armeniorum numero. Hi enim uni omnium tranſitum Alemannorum, non hoſtium incurſionem, ſed amicorum adventum judicabant. Nam & commercia inter ſeſe agitant & in plerisq; religionis dogmatibus conſentiunt. Quippe apud Alemannos & Armenios ſacrarum Imaginum adoratio æque interdicta eſt, & azymis in ſacris ubiq; utuntur, & alia quædam orthodoxis Chriſtianis improbata, opinionis errore, pro legitimis obſervant.*

Inter alia Jonas ille Aurelianenſis de cultu Imaginum lib. 1. Bibl. Patrum tom. 4. p. 649. ſic loquitur: *Illud, quod Imaginum adoratores tibi ad ſuum errorem muniendū reſpondiſſe ſcripſiſti,* (*Non putamus, Imagini, quam adoramus, aliquid ineſſe divinum, ſed tantummodo pro honore, cujus effigies, tali eam veneratione adoramus,*) *una tecum reprehendimus ac deteſtamur: quia cum eorum ſcientiam non ſubterfugiat, Imaginibus nil ineſſe divini, majori digni ſunt invectione, eò quod debitum honorem divinitati impenderint* infirmo

infirmo & egeno simulachro. Quantumcunque hujusce erroris secta-tores ac defensores à vera exorbitent religione, non opus est per singula mea declarare narratione. Idipsum etiam nonnulli Orientalium, qui eidem sceleratissimo mancipantur errori, se objurgantibus respondere solent.

Quamvis vero illius Jonæ Aurelianensis contra Claudium Taurinensem libellus Antverpiæ apud Plantinum Ann. 1565. excusus, à Sebastiano Baer Antverpiensi Theologo, tanquam nihil Romanæ Ecclesiæ adversum continens ac luce dignus judicatus fuerit, nihilo tamen minus à Baronio tom. 9. Ann. 794. n. 40. exagitatur, quia asseruit, *Imagines in Ecclesiis conservandas, tum ad ornatum ipsarum Ecclesiarum, tum ad populi Historicam instructionem*, (eo ipso adorationem Imaginibus denegans.)

Sic ergo Jonæ Aurelianensis suffragium Baronius nobis largitur.

Circa Annum 810. Claudius Clemens Scotus, Adalbertus (al. Agolardus) Gallus, Samson Sidonius, Virgilius Hibernus in multis restitere Pontifici Bonifacio, improbantes *Cælibatum Clericorum, reliquiarum & statuarum venerationes, primatum Pontificis, depositiones Regum, violationes, juramentorum, Missas pro mortuis, terrores purgatorii*, ac Claudius Clemens contra Bonifacium de hisce capitibus librum scripsit. Balæus Cent. 14. cap. 30.

Claudius Taurinensis Episcopus adversus Theodemirum Abbatem (eodem seculo) *Sed dicunt illi falsæ religionis atque superstitionis cultores: Nos ad recordationem Salvatoris nostri crucem pictam atq; in ejus honorem imaginatam colimus, veneramur atque adoramus &c. Aliud Deus jussit, aliter isti faciunt. Deus jussit crucem portare, non adorare. Isti volunt adorare, quia nolunt nec spiritualiter nec corporaliter secum portare. Taliter Deum colere, ab illo recedere est. Contra quos respondendum: quia si omne lignum schemate crucis factum volunt adorare, pro eo, quod Christus in cruce pependit, & alia multa illis conveniunt, quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horas in cruce pependit, & tamen novem mensibus Lunaribus & insuper undecim diebus in utero Virginis fuit, qui simul sunt dies Lunares ducenti septuaginta sex, id est, novem menses & supra dies sex. Adorentur ergo puellæ Virgines, quia Virgo peperit Christum. Adorentur & præsepia, quia mox natus in præsepio est reclinatus. Adorentur & veteres panni, quia continuo, cum natus esset, pannis veteribus est involutus. Adorentur & naves, quia frequenter in navibus navigavit & de navicula turbas docuit, & in nave dormivit, & in dextra navigii rete mittere jussit, quando præpeditus illa magna captura facta est piscium. Adorentur asini, quia asello insidendo ad Hierusalem usq; pervenit. Adorentur etiam agni, quia de illo scriptum est: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Sed isti perversorum dogmatum cultores, agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare. Adorentur & leones, quia de illo scriptum est: Vicit Leo de tribu Juda, radix David. Adorentur & petræ, quia quando de cruce est depositus, in saxeo sepulchro est positus, & de illo dicit Apostolus: Petra autem erat Christus. Sed Christus Petra, Agnus, Leo, tropice, non proprie est dictus, per significantiam, non per substantiam. Adorentur & spinæ ruborum, quia exinde spinea corona tempore passionis capiti ejus imposita est. Adorentur & arundines, quia ab eis colaphis à militibus caput ejus cæsum est. Postremo adorentur & lanceæ, quia unus militum lancea latus ejus aperuit &c.*

Et paulo ante: *Si adorandi fuissent Apostoli, vivi potius adorandi esse debuerant &c. Si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, quanto magis opera manuum hominum adoranda & colenda non sunt prorsus, nec in honorem eorum, quorum similitudines esse dicuntur &c.*

Walafridus Abbas lib. de reb. Eccles. cap. 8. (circa Ann. 830.) de imaginib. disserens docet, *eas nec colendas aut adorandas, nec abjiciendas esse.*

(Verba ipsa adducit Cassander, quem paulo post audiemus.)

De hoc Walafrido Strabone sic scribit Baronius ann. 794. §. 41. *Ejusdem pene sententiæ reperitur fuisse Walafridus Strabo, ejusdem seculi autor, qui duas pariter classes inibi errantium constituens, ait, Nunc jam de imaginib. & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua, quia & earum veritas nec quodam cultu immoderato colenda est, ut quibusdam stultis videtur: nec iterum speciositas ista est quodam despectu calcanda, ut quidam vanitatis assertores existimant.*

Et inferius: *Notandum vero, quod, sicut quidam easdem imagines ultra quam satis est, venerantur; ita alii, dum volunt cautiores in religione videri, illas, ut quasdam idololatriæ species, respuunt. Cætant autem Concilia adversus destructores imaginum habita, reticent vero illa, quæ pro imaginum cultu fuerunt antea celebrata: jam plane cujus ipse farinæ fuerit, liquido est aspicere, dum & illum tantum honorem docet sacris imaginibus tribuendum, si non dejiciantur & conculcentur. Nam subdit, Non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abjiciendi; Si enim ideo, quia novimus non adorandas nec colendas iconas, conculcandæ sunt & delendæ picturæ, quasi non necessaria & nociva. Ergo &c. docens eas conservandas tantum ad ornatum & ad instructionem populi Historicæ veritatis.*

(Ergo Walafridus ex concessione Baronii, Concilii Francofurdensis, hoc est, nostram secutus est sententiam.)

De Hincmaro Rhemensi idem Baronius d. l. sic scribit: *Inter eos est annumerandus Hincmarus Rhemensis Episcopus, dum hæc ait: Septima autem apud Græcos vocata universalis Pseudo-Synodus de Imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra vero pars intellectu sano definiens sine autoritate Apostolicæ Sedis, non longe ante nostra tempora Nicææ est à quamplurimis Episcopis habita & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ Sedis, generalis Synodus in Francia, Francofurdia, convocante præfato Imperatore celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemq; majorum, ipsa Græcorum Pseudo-Synodus destructa & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quendam Episcopum missum. Et paulo post de titulo Universalis Synodi ista subnectit: Autoritate itaque hujus Synodi, Francofordiensis scilicet, nonnihil repressa est imaginum veneratio, sed tamen Hadrianus & alii Pontifices in sua opinione perseverarunt & mortuo Carolo suarum puparum cultum vehementius promoverunt, adeo ut Ludovicus Caroli filius libro longe auctiori insectatus sit imaginum cultum quam Carolus. Hæc ipse, & certe nimis inconsulte atque adeo temere.*

(Ergo etiã Hincmari suffragium nobis largitur Baronius.)

Papyrius Massonus JCtus Pontificius superiori seculo edidit opera Agobardi Lugdunensis Episcopi, in quibus est libellus de *picturis & imaginibus*; in quo inter alia sic legitur p. 349. *Si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur?*

Ibid. p. 257. *Dicit forsitan aliquis, non se putare, Imagini, quam adorat, aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facile respondetur, quia si imago, quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores &c. Si sanctorum Imagines hi, qui Dæmonum cultum reliquerunt, venerari juberentur, puto, quod videretur eis non tam idola reliquisse, quam simulachra mutasse. Quod autem Imagines Apostolorum & ipsius Domini ob amorem potius & recordationem, quam ob religionis honorem aut aliquam venerationem more gentilium ab antiquis expressæ & conservatæ sint, Eusebius Cæsariensis libro 7. Ecclesiæ Historiæ ostendit.*

(Postea subjicit narrationem de statuis Christi & mulieris hæmorrhousæ.)

Item p. 251. *Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo se circumveniat. Quicunque aliquam picturam, vel fusilem sive ductilem adorat statuam, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines sanctos, sed simulachra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris sanctorum rursus idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur, ut avertat nos à spiritualibus, ad carnalia vero demergat: ac per omnia simus digni ab Apostolo audire, O insensati, quis vos fascinavit! & sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini!*

Item: *Aspiciamus picturam, quasi picturam, vita, sensu & ratione carentē. Pascatur hac visione oculus; Deum vero veneretur animus.*

Confer Synopsin totius Disputationis à Massono confectam, in qua hæc habentur: *Unus Deus adorandus sine imagine. Nullum exemplum alicubi totis Testamentis Patribusque adorandæ imaginis, esse debere ornamento delectandis oculis, non instituendis populis. Nulla est alia DEI imago, quam hoc, quod est ipse: & secundum quod est ipse, non potest pingi, ideo neq; adorari in imagine, nisi in illa, quam ipse nobis præscripsit, nempe in Christo. Duplici quidem adoratione, externa & interna. Utraque vocatur religio, qua interne & externe obstringimur, æterno & soli Deo, ad quam pertinent δουλεία, λατρεία, cæterique cultus, quatenus sunt nomina religionis. Ubi vero sunt nomina officii & servitutis humanæ, δουλεία potest dici de servis & subditis, εὐσέβεια de omnibus, honor de sanctis*

de sanctis & Martyribus, pietas de parentibus. At sola religio de Deo, quia soli omninò Deo debetur. Unde patet, neque Angelos, neque sanctos ullo religionis adorandos cultu, præter æternam Dei imaginem, quæ se mediam inter Deum hominesque constituit.

Idem Massonus in præfat. ad Ecclesiam Lugdunensem. *Græcorum errores de imaginibus & picturis manifestissimè detegens* (Agobardus) *negat easdem adorari debere. Quam sententiam omnes Catholici probamus; Gregoriique magni testimonium de illis sequimur.*

(Editus est libellus iste Agobardi Ann. 1605. Parisiis in vico Bellovaco apud Dionysium Duval cum privilegio.)

Gratianus c. Venerabiles. dist. 3. de consecrat. ex Synodo 6. *Venerabiles imagines Christiani non Deos appellant, neque serviunt eis ut Diis, neque spem salutis ponunt in iis, neque ab eis expectant futurum judicium, sed ad memoriam & recordationem primitivorum venerantur eas & adorant, sed non serviunt eis cultu divino nec alicui creaturæ.*

(Adorationis nomen non de *cultu religioso*, sed *civili & externo* accipiendum esse ostendit oppositio.)

Guilielmus Durandus Mimatensis lib. 4. Rationalis cap. 39. num. 5. *Nec ipsis* (sanctis & Angelis) *adorationis servitus, sed soli Deo impenditur: ne si secus fiat, non* θεοσεβείας *cultus exhibeatur, sed idololatriæ crimen incurratur, serviendo creaturæ, tanquam creatori & mutando gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis. Si igitur nec homines, nec Angeli adorandi sunt, attendant, quid agunt, qui sub prætextu cujusdam religionis seu pietatis diversas adorant imagines. Non enim licet aliquid manu factum adorare. Una quidem tantum Dei Patris imago est, quam unà cum Patris adoratione venerari debemus, scilicet unigenitum Dei Filium Jesum Christum, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ ejus.*

Durandus de S. Portiano in 3. sent. dist. 9. q. 2. & Biel in Canon. Miss. lect. 9. negant, *Imagines adorandas esse adoratione latriæ sive considerentur in se, secundum quod sunt lignum, lapis aut metallum, sive secundum rationem signi & Imaginis.*

Robertus Holcoth. lect. 53. in lib. Sap. fatetur, *magnam cum idololatria affinitatem habere, quod homines coram idolis prosternuntur, ideoque cavendum monet, ne doceantur homines coram lapidib. & lignis Deum odorare.*

Bartholomæus à Chassanæo in Catal. glor. mundi part. 3. consid. 45. testatur, quòd *religiosus Imaginum cultus jam olim fuerit improbatus, idque factum esse dicit tempore Leonis III. Imperatoris & Gregorii II summi Pontificis.*

Polydorus Vergilius lib. 5. de rer. Invent. cap. 9. mandata divinæ legis sic recitat: *Unum Deum colito. Nullius animalis effigiem colito. Per Dei nomen haud frustra dejerabis.*

(Sed Censores in Indice Expurgat. Belgico deleri jusserunt hanc sententiam. *Nullius animalis effigiem colito.*)

Idem lib. 6. de rerum invent. cap. 13. p. 546. *Cæterum illud usque adeò desiderari posset, ut Sacerdotes frequentius populum docerent, quonam pacto deberet & venerari ejusmodi Imagines, & apud eas sua offerre donaria; sed quia illi tacent, & vulgo ex suo usu tacere putantur, idcircò eò insaniæ deventum est, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate. Sunt enim bene multi rudiores, stupidioresque, qui saxeas & ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietib. pictas, variis que colorib. litas Imagines colant, non ut figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant, & iis magis fidant, quàm Christo vel aliis Divis, quibus dicatæ sunt, quo fit, ut stultitiam stultitia cumulantes illis offerant aurum, argentum, annulos gemmatos, omnifariasq; gemmas ibidem senio perituras. Et ut ad id faciendum plures inescentur, illi, qui talem segetem metunt, nummos perforent, filoque pendentes in collo aut manib. ipsarum Imaginum suspendant, donaria in locis conspicuis egregiè collocent, titulosque apponant, quo nomina offerentium Diis & hominibus notiora fiant. Sic bona pars hominum per hæc magis delirare inducitur, ac insuper longa aliquoties itinera conficere, ut unam imagunculam adeat, ibique donaria sua relinquat, prætermisso cuncto alio aut pietatis aut caritatis officio, rata se omninò sat largitionis fecisse, sat pœnituisse, si inter itionem lautius victitando aurum obtulisset, in cujusvis thecam nummariam inde iturum.*

Pag. 539. *Omnes veteres Patres, teste Hieronymo, simulachrorum cultum damnabant.*

Alphonsus de Castro lib. adv. hæreses in verbo Imago, sequitur Durandum, quod *imago non sit ullo modo in se colenda, sed tantum exemplar coram Imagine.*

Ambrosius Catharinus in lib. de Imaginib. *Verum de ipsarum Imaginum cultu ac veneratione etiam inter Catholicos disputatio est, videlicet præter utilitates prædictas & solatia spiritualia, quæ de Imaginibus capiuntur, utrum etiam ad hoc sculpantur vel pingantur Imagines, ut ipsæ adorentur & aliquis eis cultus reddatur? Sunt enim qui hoc omnino negent, & clament esse idololatricum. Videntur autem non futilibus argumentis moveri, nec absque majorum, imò & Scripturarum autoritate sic statuere.*

Sebastianus Elector Moguntinus Ann. 49. tertia à Paschate hebdomade *Provincialem Synodum* habuit, in qua de fidei dogmatib. Decreta 48. & de reformatione 56. edidit. *In doctrinæ capitibus à Concilio Tridentino definitis ejus Synodi decretis insistendum putavit: in cæteris receptam Scholasticorum opinionem secutus, à locis inter eos controversis abstinuit. In quibus memoratu maximè digna cap. 41. & 42. ubi docet, iteratque, Imagines non ad adorationem aut ad cultū iis deferendum in templis proponi, sed ad ea tantum in memoriam revocanda, quæ adorari oportet. Quod si ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam divinitatis tribuant, eam hoc casu inde auferendam, aut aliam diversæ magnitudinis in ejus locum reponendam, ne populus inducat animum credere, Deum & sanctos supplicum votis annuere per Imaginis illius solummodo intercessionem.* Petrus Suavius lib. 3. Hist. Conc. Trid. p. 244.

Confer Binium tom. 4. Concil. p. 2. f. 258.

Catharina Galliæ Regina ad Pontificem Pium 4. Ann. 1591. scripsit, *Scrupulos & offensionum causas his, qui se ab Ecclesia nondum alienarunt, præcidendas. Nempe, ut Imaginum usus à Deo vetitus, & à B. Gregorio damnatus è loco adorationis omninò tollatur &c.* Petrus Suavis lib. 5. Hist. Conc. Trid. p. 526.

Anno 1562. 14. Febr. eadem Catharina Galliæ Regina, ad Germani fanum Valentino & Sagiensi Episcopis, Item Butillerio, Espensæo & Picherello Theologis præceperat, *uti unà consultarent, unde ratio ineundæ concordiæ principium posset capere. Illi verò hæc capita proposuerunt: Ut S. Trinitatis effigies è templis, aliisque omnibus locis tollatur, neque deinceps usquam erigatur: Item personarum quarumcunque, de quibus Martyrologia in Ecclesia recepta testimonium non perhibent: ut imaginibus coronæ & vestes non imponantur, ad eas vota & oblationes non fiant, ut in supplicationibus non gestentur, quibus omnibus Protestantes ipsi parati erant subscribere.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trid. p. 560.

Lorichius Instit. Cathol. p. 96. *Ex Ecclesiæ Rectorum dormitantia nata est superstitio in populo de Imaginibus.*

Georgius Cassander in Consult. art. 21. cap. de Imaginib. & simulachris p. 975. *Quantum veteres initio Ecclesiæ ab omni veneratione Imaginum abhorruerint, declarat unus Origenes lib. 7. contra Celsum. Allatum fuerat à Celso dictum Heracliti, quo ille indicabat, stultè facere eos, qui simulachris preces offerunt, nisi norint Deos & heroas quinam sint. Respondet Origenes, sciri posse Deum & ipsius unigenitum, & eos, quicunque à Deo honorantur Deorum appellatione, Deitatis ejus participes, diversos esse à Diis gentium; quæ sunt Dæmonia, impossibile tamen esse, ut qui Deum novit, stet supplex statuis, nec hoc tantum stultum esse, si quis preces simulachris offerat, sed etiam cum id aliquis simulat vulgi opinionibus se attemperans, nil enim adulterum debet esse in anima hominis verè pii erga Deum. Nos verò ideo quoque non honoramus simulachra, quia, quantum possumus, cavemus, ne quando incidamus in eam credulitatem, ut & iis tribuamus divinitatis aliquid. Nec valebat tunc illa ratio, quæ à nonnullis obtendi solet, honores istos non simulachris, sed iis, quorum speciem repræsentant, deferri. Hic enim color à paganis quoque afferri solebat, ut apud Arnobium. Non (inquiunt) materias æris, auri, argenti & alias, ex quibus signa conficiunt, eos per se Deos esse & religiosa Numina discernimus, sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra. Et apud Lactantium, Non ipsa (inquiunt) simulachra timemus, sed eos, ad quorum imaginem ficta & quorum nominibus consecrata sunt.*

(Potuisset Cassander addere Augustinum in Ps. 96. *Non ego*, inquiunt, *lapidem illum colo & adoro quem video, sed servio ei, quem non video.*)

Verum hunc cultum, qui Deo per imagines exhibetur, non satis castum & convenientem esse Deo, sed à superstitiosis hominibus excogitatum, ex paganis quoque prudentissimi animadverterunt. Auctor est enim Augustinus, Varronem dixisse, antiquos Romanos plusquam annos centum & septuaginta Deos sine simulachro coluisse. Quod si, inquit, Varro adhuc mansisset, castius Dii observarentur, atque hujus suæ sententiæ teste adhibebat inter reliquos etiam gentem Judaicam. Hanc veterum Romanorum in colendis Diis consuetudinem etiam Tertullianus & Clemens testantur. Clemens verò scribit, Numam autorem hujus instituti Pythagoræum fuisse, & ex iis, quæ à Mose tradita sunt,

sunt, adjutum Romanis prohibuisse, ne imaginem ullam Deo facerent. Idem Clemens tradit, Christianis vetitum fuisse, artem fallacem exercere, appellat quoque speciosum quidem, sed improbum artificium, quod, postquam floruit, auctus est error. Et prophetiam citat, quæ dicit: Res hic se habebunt infeliciter, quando crediderint statuis. Hæc quidem initio Christianorum, odio paganismi, qui potissimum in simulachrorum cultu versabatur, sententia fuit, tandem verò, quando exoleto propemodum paganismo & Christianismo aucto periculum illud adorationis & cultus imaginum minus timeretur, animis Christianorum in sincero Dei cultu satis institutis & confirmatis picturæ in templis receptæ sunt, idque jam tum ætate Ambrosii, Paulini, Gregorii Nysseni, Prudentii receptum fuisse ex eorum scriptis constat. Augustinus de cons. Evangel. lib. 1. cap. 10. de gentibus scribit, qui Christum ad Petrum & Paulum scripsisse fingebant; Credo, inquit, quod plurib. locis simul eos cum eo pictos viderunt, sic omninò errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis Codicibus, sed in pictis parietib. quæsiverunt. Idem testatur suâ ætate in Ecclesia Catholica & picturas & picturarum adoratores fuisse, quos superstitionis arguit, & corrigendos affirmat, quæ res fortassis Episcopos in Concilio Elibertino movit, ut decernerent, picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, in parietibus depingatur. De his picturis quæ fuerit mens & sententia Romanæ Ecclesiæ adhuc ætate Gregorii, satis ex ejus scriptis manifestum est, videlicet ideò haberi picturas, non quidem ut colantur & adorentur, sed ut imperiti picturis inspiciendis haud aliter ac libris legendis rerum gestarum admonerentur, & ad pietatem incitarentur. Quare cum Serenus Episcopus Massiliensis superstitione populi picturas & imagines adorantis offensus, eas confregisset, à Gregorio admonebatur, & quidem quod adorationem prohibuerit, laudatur; sed non continuo confringendas fuisse imagines, sed docendum populum, cur in Ecclesiis pictura adhibeatur, nimirum ad ædificationem imperitorum, ut nescientes literas in parietibus saltem videndo legant, quæ in Codicibus legere nequeunt, lib. 1. Ep. 109. & lib. 9. Epist. 9. Itaque non prohibendum, si quis imagines facere voluerit, adorare verò imagines omnibus modis devitandum, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Trinitatis humiliter prosternantur. Cum autem apud Græcos acres contentiones & magni motus Imaginum causa extitissent, nec illi sibi constarent, aliis atque aliis nunc imagines omnes confringentibus & delentibus, nunc verò coli & adorari jubentibus, Ecclesia Romana confractionem omninò damnavit, usum verò in Ecclesia Romana & per totum ferè orbem jam receptum retinendum censuit, quam consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ pariter confractionem & adorationem improbat, Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ aliquot seculis diligenter secutæ & fortiter tutatæ sunt, usque adeo ut cum in Synodo Nicæna sub Constantino & Irene de imaginibus adorandis aliquot decreta edita fuissent, atque exemplar illius Græcanicæ Synodi Francofurtum, ubi tunc à Carolo Episcoporum Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, Italiæ adversus Felicem quendam Orgelitanum Episcopum, Christum ratione humanæ Naturæ filium adoptivum asserentem, frequens Synodus habebatur, allatum, & jussu Caroli diligenter lectum fuisset, cui Synodo etiam Legati Romani Pontificis interfuerunt, summo Patrum consensu Græca illa Synodus, quâ parte Imagines adorandas censebat, improbata & damnata fuit, ut quæ non modo divinis literis & antiquæ Patrum traditioni, sed etiam consuetudini Romanæ Ecclesiæ adversaretur, quæ damnatio etiam actis & capitibus illius Francofordiensis Synodi inserta fuit, atque ea de re Caroli ipsius titulo quatuor libri conscripti fuêre, quorum Hincmarus Episcopus Rhemensis meminit, & eorum exemplum hodieque in Bibliotheca Vaticana, & in nonnullis Galliæ locis extat, qui libri & rationes Orientalium Patrum diligenter confutant, & quæ hactenus fuerat Romanæ Ecclesiæ sententia, acriter defendunt, quæ sententia breviter comprehenditur in Epistola Gregorii ad Serenum Episcopum Massiliensem, cujus suprà meminimus, quam in suo scripto adducit Carolus lib. 2. cap. 23. cujus hoc est argumentum: Imagines à B. Gregorio Romanæ urbis Antistite & adorari prohibentur & frangi. Breviter autem & scite moderatam hanc de Imaginum usu sententiam expressit Carolus lib. 4. adv. Syn. Græcor. cap. 9. Imagines nil si non habentur, derogant; nil, si habentur, prærogant, cum tamen abdicatæ quandam incautam levitatem afferant, adoratæ verò culpam inurant. Cum autem postea Romani Pontifices Græcis in hac causa paulatim concederent, Ecclesiæ tamen Gallicanæ & Germanicæ in hac sententia & moderatione, quam primum à Romana Ecclesia receperant, in Concilio Francofordiensi probata, constantissimè aliquot seculis perdurarunt, ut ex Scriptoribus Gallicanis constat, in quibus est vir eruditus Jonas Episcopus Aurelianensis, qui libro edito ad Carolum Ludovici filium adversus Claudium Episcopum Thaurinensem, eum, quod imagines confregisset, improbat. Quod verò ab eodem Claudio adferebatur, quosdam imaginum adoratores ad suum errorem muniendum respondisse, non putare se imagini, quam adorant, aliquid inesse divini, sed tantummodo pro honore ejus, cujus est, tali eam veneratione adorare; ad ea Jonas hoc unà se cum illo reprehendere & detestari asserit. Nam cum sciant, inquit, imaginibus nil inesse divini, majore invectione digni sunt, quod honorem debitum divinitati impendant egeno & infirmo simulachro, atque idipsum ait nonnullis Orientalium, qui eodem sceleratissimo errori mancipantur, se objurgantibus respondere solere, concludit autem his verbis: Tribuat Dominus suâ gratuita pietate, ut aliquando tandem & isti & illi ab eadem eruantur superstitione, & Apostolicis disciplinis salubriter instructi traditioni revocentur Ecclesiasticæ. Sub idem tempus in Germania floruit Walafredus, qui animis hominum in contrarias sententias distractis, cum in libro de rebus Ecclesiasticis de imaginum usu dissereret, hanc quoque moderationem proposuit: Sic, inquit, imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut ne despectu utilitas avellatur, & hac irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam, ne cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impensus arguat nos minus spiritualia contemplari. Et post hunc Guilielmus Episcopus Mimatensis, homo quoque Gallus, in Rationali divinorum officiorum, Si (inquit) nec homines, nec Angeli adorandi sunt, attendant quid agant, qui sub prætextu cujusdam religionis seu pietatis diversas adorant imagines, non enim licet aliquid manufactum adorare: una tantum Dei Patris est imago, quam unà cum Patre tantum adoratione adorare debemus. Adhæc Nicetas autor est lib. 1. de imperio Isaaci Angeli, cum Fridericus Philippopolin occupasset, Armenios in ea urbe remansisse, ut qui Alemannorum transitum, non hostium incursus, sed amicorum adventum judicarent, utpote qui & commercia inter se cogitarint, & in plerisque religionis dogmatibus consenserint, quippe, inquit, apud Alemannos & Armenios imaginum adoratio æque interdicta est. Ex quo apparet, Germaniam adhuc ea ætate, in ea, quam suprà diximus, Romanæ & Gallicanæ Ecclesiæ sententia utcunque perstitisse, quanquam dubium non est, jam tum etiam in his Galliæ & Germaniæ provinciis nonnullas superstitiones & abusiones in Imaginum usum irrepsisse, atque fortasse optandum esset, ut majores nostri huc usque in prisca illa majorum suorum sententia integrè perstitissent. Manifestius n. est, quàm ut multis verbis explicari debeat, imaginum & simulachrorum cultum nimium invaluisse, & affectioni seu potius superstitioni populi plus satis indultum esse, ita ut ad summam adorationem, quæ vel à paganis suis simulachris exhiberi consuevit, & ad extremam vanitatem, quam Ethnici in suis simulachris & Imaginibus effingendis & exornandis admiserunt, nil à nostris reliqui factum esse videatur. Quare & prudentes in Ecclesia Catholica viri jam olim modum aliquem huic rei ponendum, & superstitioni occurrendum censuerunt, in quibus fuit Guilielmus ille Durantes Episcopus Mimatensis de modo Concilii generalis celebrandi, Videtur, inquit, utile, quod per Ordinarios & Rectores locorum omnes imagines deformes, & in quibus à veritate rei gestæ deviatur, deponerentur. Nam quemadmodum si ad Scripturas sacras admissa fuerint efficiosa mendacia, nil in iis remanet autoritatis, & ponderis &c. Sic enim dictæ picturæ & imagines, quod loco Scripturæ & testimonii habeantur, ut per eas ad devotionem & cognitionem gestorum cernentes excitentur, videretur, quod nullus error debere ab iis in Ecclesia tolerari, cum error, cui non resistitur, pro veritate recipiatur. Huic consentit Johannes Bellet Theologus Parisiensis lib. de divin. officiis cap. de festo Andreæ, ubi monet de Apostolis & aliis sanctis sciendum esse, quomodo in Ecclesia depingi debeant, aliter enim mentiremur, inquit, nos in literis Laicorum, scilicet in picturis. Prudenter quoque post hos monuit Gerson in declarationibus defectuum Ecclesiasticorum. Judicate, inquit, si tanta imaginum & picturarum in Ecclesiis varietas expediat, & an plures simplices nonnunquam ad idololatriam pervertant. Et saniorib. Scholasticis displicet sententia Thomæ, qui censet, imaginem eadem adoratione colendam, quâ res ipsa colitur, quæ imagine significatur, eamque parum tutam esse ajunt, nisi commoda interpretatione salvetur, in quibus est Durandus & Ho[illegible]cot. Gabriel quoque Biel lect. 49. in Canon. saniorem sententiam refert eorum, qui dicunt, quod Imago, neque ut consideratur in se, secundum quod lignum est, lapis aut metallum, neque ut consideratur secundum rationem signi & imaginis est adoranda, quia qualitercunque consideretur, est res quædam insensibilis & creatura, cui adoratio latriæ minime exhibenda. Quod verò Christiana religio imagines sustinet in Ecclesia & oratoriis, non permittit eo fine, ut ipsæ adorentur, sed ut fidelium mentes per illarum inspectiones excitentur ad reverentiam & honorem exhibendum iis, quo-

quorum sunt imagines, in quorum cognitionem recordativam ducunt. Ex illis, inquit, *patet quorundam hominum stolidus error, qui adeò ad imagines afficiuntur, ut in ipsis credant, esse aliquid Numinis, gratiæ vel sanctitatis, quibus potentes sint facere miracula, præstare sanitates, ex hoc assurgentes ad eorum venerationem, ut præmissorum aliquid consequantur. Arguitur ex eodem nonnullorum indocta simplicitas & indiscretio, quâ reverentius adorant imagines pulchras quàm turpes, novas quam vetustas; aut è contra ornatas vetustiori auro vel purpura, quam nudas, credentes eas sanctiores, quo preciosiores, & ut Bernhardus ait, offerentes libentius auro tectis, ubi magis cernitur divitiarum cumulus. Arguitur & aliorum rudis levitas, qui improvidè vota emittunt, & ad peregrinandum se obligant, nunc ad illam, nunc ad aliam Ecclesiam intuitu certarum imaginum, credentes illas majori in illa, quàm similes in aliis fulgere virtutibus. Quod autem addit, hæc omnia in variam transire superstitionem, in quam non inciderent, si rationem adorationis ac veri cultus attenderent, aut si ignorant, informationem humiliter acciperent, rectè quidem dicitur. Sed utinam illi, à quibus hæc informatio accipienda esset, non ipsi harum superstitionum autores essent, vel certè eas in animis simplicium hominum aliquando quæstus causa nutrirent! De his quoque abusibus, qui in imaginum usum incidunt, prudenter & graviter monuit R. D. Michaël Episcopus Mersburgensis in suo Catechismo, quæ omnibus obvia sunt. Atque utinam ab Episcopis & Ecclesiarum Rectoribus hæc diligenter attendantur! Neque verò satis esse videtur, si concionibus & admonitionibus populus ab illis erroribus avocetur, nisi etiam Principum & Episcoporum communiter cura id efficiatur, ut quam minima perturbatione fieri potest, hujusmodi errorum occasio præscindatur. Quamdiu enim serico, auro & gemmis ornatæ statuæ in templis & aris constituentur, superstitionis finis sperandus non est &c. His ita consideratis, consultum videtur si res eò adduci possit, ut ad illam moderationem, quam ex sententia Gregorii & priscæ Romanæ Ecclesiæ majores nostri in Gallia & Germania aliquot seculis tenuerunt, piorum Principum & fidelium Pastorum cura & opera redeatur, quâ & usus ille, qui ex decente pictura à vulgo haberi potest, conservetur, & superstitio in nimio & incauto illorum cultu & veneratione vitetur, hoc est, ut rerum gestarum monumenta, non cultus instrumenta habeantur &c. Non tamen hæc, quæ diximus, eò pertinent, ut Imagines sanctorum, si in iis modò decorum servetur, non aliquo honore illis convenienti & debito affici possint, videlicet si ut signa & monumenta sanctorum honorificè habeantur, & in gratiam illorum, quos significant & referunt reverenter conspiciantur & tractentur, modò ab eximio cultu temperetur, & nil divinitatis & virtutis illis tribuatur, sed eo tantum loco habeantur, quo literæ & voces, quæ rerum absentium, quas diligimus & veneramur, gratam memoriam suggerunt.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Proximus huic abusus versatur circa statuas Marianas quibusdam in locis, quas cum non nesciant Episcopi prope adorari, maximè verò ad carmen illud lucrosum juxta ac incomparabile Petri de Compostella, dissimulant, nec sculptile submovent, in quo creditur inhabitare Numen in Apollinis Delphici statua, ad quod sc. Numen sive sit sculptile, sive fusile, terra marique confugiunt, opemque expetunt, qui non credunt in Israël esse Deum, & puri Nabalitæ, qui dicant in corde suo, Non est Deus; qui citius crediderint Cottæ Ciceroniano, neganti Deos esse, horumque curam de mortalibus, quàm Balbo Deos esse asseveranti. Quod illi de Diis, nos de Deo sentimus. Corroboratur hodie per Marisstellanos* (sic vocat eos, qui Mariæ accinunt & accinendum esse propugnant, *Ave maris stella*) *ante id genus sculptilia religiosè procumbentes hi nisi venissent, illa de nimis sero occasu periclitabantur. Hic quæritur, hic colitur Maria votis, invocationibus, obsecrationibus, genuflexionibus, manuum complicationibus, pectorum tunsionibus, preciosissimis ornatibus, floridissimis coronationibus atque sparsionibus, mellitissimis instrumentorum Musicorum sonis, candelarum incensionibus, & fixis in has statuas oculis gementium filiorum Evæ. Nunquid istuc est enormis dyslatria: Jesu videt, ne stomachum hyperdulo moveam,* παρθενολατρεία est apertissima καὶ λάθρα σεβάζουσι τὸ ἄγαλμα τῆς κόρης, *hoc est, summa contumelia Virginem matrem afficiunt. Sub dio invocari Mariam in adversis Evangelium non patitur, & sub tecto patiatur invocari in sculptilibus? In tantum verò abusum erupit honor Beatissimæ matris, ut imagines hujus non appellent Imagines, sed ipsam Dominam, quemadmodum reliquorum Divorum iconas ipsos Divos compellant, indignum rati opera manuum hominum dicere. Reliquum sibi fecit Rex Ezechias, ut qui serpentem æneum, quem fecerat Moses, in nihilum redegit propter idololatriam Judaicam, idem tollat è medio simili zelo & purgandæ religionis vehementi studio hæc agalmata lignea, quæ fecit Zabulosus quispiam & quæ colit adoratque Parthenolatra inter Christianos, ut post Synagogam gaudeat Ecclesia, se quoque habere suos Ezechias, Josias & Joas mundatores domus Domini, eadem severitate animadvertet potestas si non Ecclesiastica, attamen non cessat politica in lustrandis delubris, ubi Divi Divæque nominatim coluntur.*

Et postea. *Pari zelo dispiciat potestas utraque, an deceat Ecclesiam illud sebasma alibi pendulum, alibi affixum, quod vulgo vocant Sanctum auxilium, de quo ambigitur, utrum mas sit vel fœmina? Certè ad hanc auxiliatricem fœminæ plerunque in adversis refugiunt, sua adferentes votiva donariola, quæ anathematon loco suspenduntur in argumentum suæ superstitionis. Quod si mas sit, consentaneum est, majores voluisse hac imagine adumbrari rudioribus, auxilium Dei invocantibus, eum præstò adesse omnibus, sed Scriptura planè informi crucifixi, nimirum togati ac coronati & stantis & funiculis alligati, non clavis affixi. Purganda sunt templa ab his sculptilibus propter cultum divinum, quem populus seductus illis impendit, & propter anathemata indusiorum, femoralium, cerealium omnis generis, propter item peregrinationes superstitiosorum, & nescio quas frivolas votationes. Auxilium Dei de cœlo nobis est quovis loco, ubi est vera fides, ubi invocatio, ubi dilectio Dei & proximi. Agalmata sive stantia, sive pendentia ad salutem nihil conferunt, imò labefactant fidem & corda sursum aspirantia deorsum trahunt ad exteriora, ubi nihil vel rei vel spei.*

Johannes Ferus in cap. 7. Actor. *Judæi venerati sunt Deum verum in vitulo, quem formavit Aaron, idque patet ex ipsorum verbis, Hi sunt Dii tui &c. peccaverunt verò, quòd idolum contra primum Dei præceptum fecerunt.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 57. *Dici non potest, quanta idololatria apud rudem populum alatur per imagines. Ethnici, cum ad Christi religionem conversi erant, in Ecclesiam nostram simulachra & multas steriles Ceremonias introducebant, quarum omninò nihil est apud primos illos & verè Christianos.*

Becelinus referente Rivio de abusibus Eccles. p. 131. *statuatur, ferendas quidem esse imagines, sed non adorandas, cum ob id olim neque sculptæ, neque pictæ sint, sed ob alias causas.*

Andreas Masius in Comment. ad cap. 22. Josuæ ad verba Rubenitarum & Gaditarum (*non ad holocaustum, neque ad sacrificium, sed ad similitudinem altaris Jehovæ & testimonium*) sic annotat: *Similiter sacrosancta Ecclesia nobis ante oculos ponit crucis Christi figuram, cujus vetus ara fuit adumbratio, non ut adoremus, sed ut, dum aspicimus, in memoriam redeamus veræ illius & salutaris aræ, in qua sacerdos secundum ordinem Melchisedec, Deique Filius, se ipse gratissimam Patri pro nobis victimam obtulit*; quod Lactantii, Tertulliani, Gregorii Nazianzeni & Basilii testimoniis explicat ac probat, *ob eam nempe causam hoc monumentum tantâ veneratione habitum fuisse apud vetustissimos Christianos, non ut adoremus, sed ut testis sit nobis crucis Christi.*

Martinus Peresius de tradition. part. 3. citat & approbat verba Augustini Epist. 119. ad Januarium. *Nulla imago Dei coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse, id est, quæ ei est substantialis:* & ex eodem Augustino *idololatras* eos nuncupat, *quod simulachris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo, licet veri Dei simulachra sint, quibus honores divinos tribuunt.*

Johannes Caspar Rutlandus in Locis Comm. Theol. tit. 14. de Imaginibus *Christiani imagines Christi, B. Virginis & Sanctorum habent tanquam memoriale, ut nos admoneant. Dum enim intuemur imaginem Christi crucifixi aut resurgentis, statim revocantur nobis in memoriam salvifica mors Christi & gloriosa ejus resurrectio &c. Quod si autem alicubi esset imago, ad quam rude vulgus accurreret, ut eam adoraret, aut apud eam auxilium quæreret, hanc debet Magistratus ejus loci tollere. Debent etiam Prædicatores populum rudem ac superstitiosum informare, ne putent, imaginib. aliquid divini Numinis inesse, & ideò eis magnâ superstitione peculiares cultus & honores tribuant. Liber quidem per se est usus Imaginum, modò caveatur abusus & superstitio, quæ hactenus servata est apud vulgum in statuis Christi & sanctorum, quæ superstitio debet per Concionatores corrigi & emendari, non tamen usus imaginum omninò debet tolli è templis.*

2. Quod quidam agnoscunt, cultum Imaginum non posse probari ex sacris literis, (ex quo sequitur, eum non esse approbandum, cum Scriptura sit perfecta fidei ac cultus regula, ut ex ipsis Pontificiis ostendimus lib. 1. part. 1. cap. 1.)

Thomas part. 3. q. 25. art. 3. n. 4. *Nulla traditio in Scriptura invenitur de adorandis Imaginibus.*

Ibid. in concluſ. ad 4. vocat *traditionem Eccleſiæ*, quando inquit, *Dicendum, quod Apoſtoli familiari inſtinctu Spiritus Sancti quædam Eccleſiis tradiderunt ſervanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis, ſed in obſervationem Eccleſiæ per ſucceſſionem fidelium &c. Et inter hujuſmodi traditiones eſt imaginum Chriſti adoratio.*

Idem Thomas 3. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 2. & Marſilius 3. ſent. q. 8. art. 2. dub. 2. reſp. ad 5. fatentur, *cultum imaginum non poſſe ex Scriptura probari.*

Alph. de Caſtro lib. 6. adv. hæreſes verbo Eccleſia hæreſi 3. *Divorum imagines eſſe venerandas, Scriptura nunquam præcepit, & tamen ſeptima Synodus, quæ in Nicæa fuit congregata, decrevit ab omnibus Chriſtianis digna veneratione ſuſcipi.*

Melchior Canus lib. 3. Locor. Theol. cap. 100. *Cultum imaginum ex traditione veniſſe dicimus.*

Tannerus in Compendiar. relat. Colloq. Ratisb. part. 2. cap. 6. p. 37. *Fateantur ipſi quæſo, ſi lubet, multa fide infallibili & divina eſſe credenda, quæ in Scriptura ſola non contineantur, nec ex ea ſola evidenter deducantur, & tunc nihil cum illis amplius magnopere contendemus. Fateantur, inquam, cultum imaginum.*

Huc pertinet, primo quod quidam ex ipſis Pontificiis fateantur, *invocationem ſanctorum non contineri in ſacris literis*, ut oſtendimus in cap. præced.

(At ſi ipſorummet Sanctorum invocatio non continetur in ſacris literis, multo minus eorundem Imaginum invocatio in iiſdem continebitur. Ratio connexionis eſt, quia religioſus cultus imaginum dependet à religioſo cultu ſanctorum.)

Secundo quod Concil. Trident. confirmet Concil. Nicenum 2. In eo vero ſeſſ. 6. ſic habetur: *Traditionem Eccleſiæ recipiamus, legiſlationem ejuſdem vereremur, ne floccipendamus piam & divinam conſuetudinem, in vetera & priſca judicia ne ſimus curioſi. Omne enim quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi eſſe conſtat.*

3. Quod quidam ſtatuunt, imaginum uſum in cultu Vet. Teſt. ſimpliciter fuiſſe Judæis prohibitum.

(Si uſus imaginum in Vet. Teſt. fuit prohibitus, multo magis religioſus earundem cultus in Nov. Teſt. uſus conceſſus, ſed cultus æque ac in Vet. Teſt. prohibitus, quia pertinet ad præcepta moralia.)

Baronius Ann. Chriſti 31. §. 74. contra Ambroſium diſputans *hæmorrhouſam illam*, quæ tactu fimbriarum veſtimenti Chriſti à ſanguinis fluxu ſanata eſt, *non eſſe Martham Mariæ ſororem*, inter cætera ſic diſſerit: *At vero quæcunque illa fuerit mulier, nobiliſſima æquè ac ditiſſima, tanti non immemor beneficii, ne illud aliquando memoria hominum excideret, egregio monumento teſtatum poſteris omnib. cupiens, æneis ſimulachris tam Jeſu quam ſui effigiem referentibus, rei geſtæ memoriam futuris ſeculis in perpetuum commendandam voluit. Quamobrem non eſt, quod dici poſſit, eam fuiſſe Martham Mariæ & Lazari ſororem Judæam fœminam, cum non liceret ullo pacto Judæis ſimulachrum cujusvis quavis occaſione formare.*

Vasquez in part. 3. Thomæ tom 1. Diſp. 104. c. 2. ſtatuit *omnem imaginum uſum in veteri lege fuiſſe ſublatum.*

Diſp. 94. cap. 2. probat, *Judæis non ſolum adorationem gentilium, quæ naturali jure prohibita eſt, verum etiam quemlibet uſum imaginum & ſtatuarum præcepto Dei poſitivo Ex. 20. fuiſſe interdictũ.*

Cap. 6. prolixè reſpondet ad objectiones *ex Cherubinis & aliis templi Hieroſolymitani figuris*, ubi dicit, *præcepti ſubſtantiam vetuiſſe omnem ſimilitudinem, in ſtatu aliquo & modo accommodato cuicunque etiam adorationi, etiam tali, qualem ipſi nunc præbent Imaginibus.* Negat *Cherubinis honorem aut adorationem adhibitam fuiſſe, aut oſculo aut genuflexione &c.* aſſeritque *omnes illas figuras fuiſſe in ornamentum aliarum rerum.*

Alii rectius ſtatuunt, *cultum imaginum*, non vero *uſum Judæis* fuiſſe prohibitum.

Polygranus in Aſſertionib. *Licitæ fuerunt imagines, quæ fiebant ornatus gratia, ſicut duo Cherubim, quos jubente Deo Domino fecit Moſes ſuper tabernaculum. Item Salomon duodecim boum imagines fudit ſub mari æneo.*

4. Quod quidam agnoſcunt, non eſſe imaginem aliquam Dei fabricandam vel pingendam.

(At ſi imaginem aliquam Dei fingere nefas, multo magis nefas erit, imaginem aliquam Dei colere.

Gregorius ſecundus Papa Græcis Dialogus dictus Epiſt. 1. ad Leonem Iſauricum apud Baronium Anno 726. Διὰ τί τὸν Πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐχ ἱστοροῦμεν καὶ ζωγραφοῦμεν; ἐπειδὴ οὐκ οἴδαμεν τίς ἐστι, καὶ Θεοῦ φύσιν οὐ δυνάμεθα ἱστορῆσαι καὶ ζωγραφῆσαι. *Cur tandem Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti non oculis ſubjicimus ac pingimus? Quoniam quis ſit, non novimus, Deique Natura ſpectanda reponi non poteſt ac pingi.*

(Atque ut intelligas, progreſſu temporis à primæva illa ſinceritate ſeceſſionem fuiſſe factam, Baronius ad illam Epiſtolam Gregorii Dialogi in margine notavit, *Poſtea uſu venit, ut pingatur in Eccleſia Deus Pater & Spiritus Sanctus.*)

Johannes XXII. Pont. Rom. quosdam, *qui in fimb. Bohemiæ atque Auſtriæ ſupremam majeſtatem divinam imagine ſenis, adoleſcentis & columbæ pingebant, læſæ majeſtatis accerſivit, eosque Anthropomorphitas eſſe pronunciavit*, teſte Aventino lib. 7. annal.

Thomas part. 3. q. 25. art. 3. *Ipſi vero Deo, cum ſit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni, quia, ut Damaſcenus dicit, ſummæ inſipientiæ eſt*

Durandus de ſancto Portiano lib. 3. ſent. diſt. 9. q. 2. art. 15.

(Niceph. lib. 18 Hiſt. Eccleſ. cap. 53. de Armenis *Imagines etiam Patris & Spiritus ſancti effigiant, quod perquam eſt abſurdum. Imagines enim corporum eorum ſunt, quæ videri & circumſcribi poſſunt, non eorum, quæ inviſibilia ſunt & intelligentia comprehendi nequeunt.*)

Damaſcenus lib. 4. dicit, quod inſipientiæ ſummæ eſt & impietatis figurare, quod eſt divinum. Et ſi quis dicat, quod Spiritus ſanctus in columba apparuit, & Pater in V. T. ſub aliquibus corporalibus formis, & ſic poſſunt per imagines repræſentari. dicendum eſt, quod illæ formæ corporales non fuerunt à Patre vel à Spiritu ſancto aſſumtæ, & ideo repræſentatio eorum per imagines, non eſt repræſentatio perſonæ divinæ, ſed repræſentatio illius formæ ſecundum ſe, propter quod non debetur ei aliqua reverentia.

Ibid. *Imago aut repræſentat Chriſtum ſecundum quod homo eſt aut eſt facta ad repræſentandum Patrem vel Spiritum Sanctum, quoad Deitatem*, (videtur locus corruptus & legendus, vel Filium quoad Deitatem) *ſicut pinguntur quædam imagines, quarum una repræſentat Deum Patrem, & alia Filium crucifixum, & tertia Spiritum ſanctum q columbam procedentem à Patre in Chriſtum.*

Tum poſtquam conceſſit, *priori modo deberi eundem honorem imagini & Chriſto. Secundo autem modo*, inquit, *fatuum eſt imagines facere, vel eas venerari.*

Abulenſis in cap. 4. Deut. q. 5. *Vetuit Deus non ſolum imaginem aliquam adorare, ſed etiam ſeipſum adorari in imagine, unde colligit hoc conſectarium: In imaginib. ſignantib. Deum purè ſc. Trinitatem, duo inconvenientia ſequi poſſunt, primum idololatria, ne ejus imago colatur, ſecundum error & hæreſis ſc. attribuere Deo corporeitatem In imaginib. Chriſti vel ſanctorum ſolum unum inconveniens eſt ſc. idololatria in adoratione Imaginis.*

Polydorus Virgilius lib. 2. de rer. invent. cap. 23. *Cum Deus ubique præſens ſit, nihil à principio poſt homines natos ſtultius viſum, quam ejus ſimulachrum pingere.*

Georgius Caſſander in conſult. art. 21. cap. de Imaginib. p. 980. *Illud quoque inter abuſus ponendum eſt, quod etiam divinitatis in Trinitatis deformatione ſimulachrum effingitur, quod Veteres abſurdum & nefarium judicaſſent, Vide Auguſtinum de fide & Symbolo cap. 7. non eſſe arbitrandum Deum humana forma circumſcriptum, ut in eo aut dextrum aut ſiniſtrum occurrat, ne vel in illud ſacrilegium incidamus, quod execratur Apoſtolus, eorum, qui commutant gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, tale, inquit, ſimulachrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium eſt. Atque hæc abſurditas Patrem, Filium & Spiritum ſanctum effigiantium Jacobitis à Nicephoro tribuitur lib. 18. cap. 53. Et Damaſcenus, quod à loco, inquit, inſipientia ſumma eſt & impietas figurare, quod eſt divinum.*

(Euthymius Panopliæ part. 2. tit. 20. inter Armenorum errores refert, quod *Trinitatis imaginem confecerint.*)

Catechiſmus Romanus part. 3. cap. 2. q. 11. ex Damaſceno docet, *inviſibilis, incorporei, incircumſcriptibilis & infigurabilis Dei non poſſe fieri repræſentationem ac divinum Numen violari, ſi quis netur divinitatis formam aliquo artificio effingere.*

Q. 12. *Dominus imaginem divinitatis ex ære duci aut quavis alia materia fieri prohibuit, quod Eſaias declarans, inquit, Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Atque in hoc præcepto hanc ſententiam contineri præter ſanctorum Patrum ſcripta, qui eam, quemadmodum in 7. Synodo expoſitum eſt, ſic interpretantur, illa etiam Deuteronomii verba ſatis declarant, ubi Moſes populum ab idololatria avertere cùm vellet, dicebat: Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis.*

ignis. *Quod sapientissimus legislator ideò dixit, ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem rei creatæ tribuerent.*

Martinus Peresius part. 3. de Traditionib. tract. de Imagin. secutus Augustinum statuit, *primo Dei præcepto prohiberi, ne colatur aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla ejus imago coli debet, nisi illa, quæ est hoc, quod ipse.*

Richeomus tract. 3. cap. 9. negat *pingendum quicquid de Deo dicitur in Scriptura. Deum enim appellari ignem, Solem &c. nec tamen licere Deum pingi ignis, Solisve formâ. Ignis enim Solisve figura faveret paganorum Vulcano & Phœbo sive Apollini.*

(At si pictura tantum Solis & ignis favet paganis, non Scriptura, quæ Deum appellat Solem & ignem, manifestum est, non posse argumentum duci à phrasib. Scripturæ ad penicillum pictorum. Præterea ut ignis ac Solis figura faveret paganorum Vulcano & Phæbo, sic hominis figura faveret Diis paganorum, qui omnes pingebantur humano corpore; faveret Anthropomorphitis, qui Ethnicis hac in parte non erant meliores.)

Vasquez lib. 2. de adorat. Disp. 4. cap. 2. *Ex Deut. 4. clarè deducitur, non licuisse tum verum Deum in aliqua imagine venerari.*

Idem lib. 2. de adorat. disp. 3. cap. 3. p. 72. tractans quæstionem, *An Deum* ἀόρατον liceat pingere, sic scribit: *Difficilior cum eis (hæreticis) erit progressus, quod suæ partis viros Catholicos habeant propugnatores. Tres igitur hac de re invenio sententias.*

Idem in 3. part. Thomæ Disp. 101. & octo sequentibus de Imaginum cultu disputans, Bellarmini & Richeomi exceptionem, quod *Deut. 4. ejusmodi duntaxat imago Dei prohibeatur, quâ Dei essentia perfectè repræsentari putetur, repudiat. Non solum puto,* inquit, *prohiberi imaginem Dei primo illo modo, ne sc. populus errore deceptus vellet ei effigiem aliquam exprimere, quâ putaret ad vivum Deitatem repræsentari, sed etiam quamcunque imaginem ipsius Dei.*

(Et rectè, nam ne in Ethnicos quidem tanta cecidit dementia, ut totam Dei Naturam, quæ infinita est, se repræsentare putarent. Aliter igitur excipit, *prohiberi quidem quamcunque imaginem Dei pingi, sed negat sequi, ex Natura rei illicitum esse Deum pingere, sed justis de causis in veteri lege prohibitum.* Inter causas illas vel maximè eminere dicit, *propensionem populi Israelitici ad idololatriam.* Atqui Es. 40. talis assignatur causa, quæ est ex Natura rei potius, quàm ex qualitate objecti, id est, eorum, quib. hoc præceptum datur, videlicet quia Deus non possit esse similis ulli rei. Tamdiu valet lex, quamdiu durat ratio legis, quæ est ipsius anima. Aut ergò hodiè dicendus est Deus similis imaginibus Papisticis, aut concedendum, æquè hodie prohiberi imagines Papisticas, ac olim Judaicas.)

Disput. 94. cap. 3. *Quibus verbis planè indicat Scriptura, non solum prohibuisse id, quod jure naturali non licebat, colere sc. imaginem pro Deo, sed etiam ipsum Deum verum in aliqua ejus similitudine adorare, atque adeò omnem usum imaginis ipsius Dei abstulisse.*

Bellarminus lib. 2. de Imag. sanct. cap. 8. §. Hæc opinio &c. *Quidam Catholici* (Durandus, Abulensis, Peresius, Hesselius) *docent, imaginem Dei non rectè fieri & ab Ecclesia fortasse tolerari, non tamen probari.*

Ibid. *Ego dico, non esse tam certum in Ecclesia, an faciendæ sint imagines Dei sive Trinitatis, quàm Christi & sanctorum, hoc enim ad fidem pertinet, illud est in opinione.*

5. Quòd quidam agnoscunt, crucem sive crucifixi Imaginem non esse latria colendam (ex eo enim immotè colligitur, falsum esse illud axioma, apud multos tum veteres sive Scholasticos, tum recentiores Pontificios receptum, quod imago eodem cultu & eadem veneratione sit honoranda, qua prototypum honoratur.)

Claudius Taurinensis Episcopus circa annum 810. *Si crucem idcirco veneramini, quod ex hujusmodi ligno Christus pependerit, cur hodie non etiam Virgines eo cultu afficitis? Nam & Maria, quæ Christum peperit, virgo fuit. Cur non etiam præsepia boum & asinorum proni adoratis? cur non etiam fasciis, in quarum simili Messias involutus est, & cur non denique etiam navibus, cum in hujusmodi instrumentis ille tot maria trajecerit, adoletis thura & vota facitis?*

Idem referente Jona Aurelianensi lib. 1. de cultu imag. *Si omne lignum schemate crucis factum volunt adorare, pro eo quod Christus in cruce pependit, adorentur & asini, quia asello insidendo ad Jerusalem usque pervenit, adorentur agni, quia scriptum est, Ecce Agnus Dei.*

(De hoc Claudio sic scribit Alfonsus de Castro lib. 2. adv. hæreses tit. Adorario hæres. 1. *Erroris hujus, quod crux Dominica nullo pacto sit adoranda, dux & magister fuit Claudius quidam Taurinensis Episcopus, adducto pro hac re testimonio ex Chronicis Ivonis Carnotensis.*

Robertus Holcot lect. 158. in Sapient. *Latria honos est soli Deo debitus. Sed nulla imago est Deus. Ergo nulli imagini debetur latria.*

(Cum Holcoto sentiunt Henricus de Gandavo, Petrus de Aquila, Johannes de Guarra, Durandus & alii Dd. Scholastici. Sed autor libri, qui Fortalitium fidei inscribitur, de illis sic judicat: *Licet hoc rationabiliter dictum videatur, tamen communis opinio tenet oppositum.*

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis part. 3. super Magnificat. *Solum Ens divinum & summum latria est honorandum. Sciunt hoc fideles, sciunt & Philosophi omnes. Sed lignum crucis, etiam illud, in quo pependit Dominus, nihil habet divinitatis.*

Johannes Picus Mirandula in Apolog. q. 3. *Tertia conclusio, quam damnaverunt* (Adversarii mei) *fuit hæc: Nec crux Christi, nec ulla imago adoranda est adoratione Latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. Hanc conclusionem per istos damnatam ego non solum credo esse Catholicam, sed etiam veriorem sua opposita, quæ hæc est: Crux Christi & imagines sunt adorandæ latria, eo modo, quo ponit Thomas. Minus n. mihi videtur rationabilis in hoc opinio Thomæ, quàm sit opinio Durandi & Henrici de Gandavo, Johannis de Guarra, Roberti Holcot, Petri de Aquila, & aliorum complurium, quos ego sequor in conclusione, quod ut manifestum fiat, ponam primò opinionem Thomæ, quam ego non teneo; deinde opinionem Doctorum, quos sequor, ex quibus patebit, determinationem istorum Magistrorum de mea conclusione præter id, quod nec recta sit nec justa, totum etiam oppositum præsupponere ejus, quod intendo in conclusione &c.* Postea recitata Thomæ opinione subjungit: *Iste est modus Thomæ, qui aliis Doctorib. merito videtur extraneus & periculosus. Nam ipsa imago etiam ut imago, ut sic est distincta ab imaginato. Ut sic enim refertur ad imaginatum, tanquam ad aliquid à se distinctum, quare etiamsi ut sic terminabit adorationem latriæ, videtur sequi, quod aliquid aliud à Deo adorabitur latria, quod est absurdum. Nec potest dici, ut dicit Capreolus volens salvare dictum Thomæ, quòd ipsa imago non adoretur seorsim, sed imago & imaginatum sunt unum totale objectum adorationis, quia aut hujus totalis objecti altera pars est ipsa imago, quæ est Ens creatum respectivum, aut non. Si non, ergo non debet dici, quod ex illis duobus fiat unum objectum totale, quia ex tali dicto sequitur, quòd utrumque illorum sit objectum partiale, licet alterum illorum principalius. Si sic, sequitur, quod aliqua res creata de genere relationis saltem partialiter terminabit adorationem latriæ. Quod certè dicere videtur male Catholicum, eò magis quòd non solum hoc non possit dici de re creata, sed etiam ipsæ personæ in divinis ratione proprietatis relativæ non sunt formalis terminus adorationis. Fundamentum autem Thomæ parum efficax videtur. Nam cum dicit Philosophus, quod idem est motus animæ in imaginem & imaginatum, non sic intelligit, quod anima dicat imaginem, ut imago est, esse idem cum exemplari, & ita quicquid uni debetur, etiam alteri deberi, sed solum intendit hoc Philosophus, quod motus recordativus, quo anima recordativè movetur in imaginem, ut est imago, etiam terminatur ad imaginatum. Habet & alium sensum verum, & est, quia si ego habeo conceptum definitivum unius relativi, intelligo etiam alium, sed quod omnis motus animæ, & maximè voluntatis, sit idem in imaginem & imaginatum, hoc nullo modo intendit Philosophus. Patet à simili etiam secundum modum loquendi, quo utitur ipse Thomas, Sæpe enim ipse dicit, quod idem est motus voluntatis, quo voluntas fertur in finem, & in ea, quæ sunt ad finem, cum vult ea propter finem; & tamen certum est, etiam secundum eum, quod ille motus, ut attingit finem, est fruitio, ut autem attingit ea, quæ sunt ad finem, est usus & non fruitio. Videtur ergo aliis Doctoribus nullo modo dicendum, quod imaginem Christi, etiam ut imago est, adoremus adoratione latriæ, quia ut sic est res creata, divinitati non unita, & magis est, ut sic est Entitas respectiva. Propterea dicit Durandus, quod ista propositio, Crux Christi adoratur latriâ, in sensu proprio est falsa.*

Et paulò post. *Verè opinio Thomæ, ut dicit Franciscus in 3. est aliqualiter periculosa, & in ista materia de adoratione non videtur mihi ejus via esse bene tuta. Eò enim usque processit, ut etiam in 3. sent. diceret, quod cruci Christi, in qua pependit, etiam ut rei inanimatæ deberetur aliqua adoratio, & tamen scimus secundum omnem Theologiam, quod id, quod non potest esse subjectum susceptivũ sanctitatis vel virtutis, non potest esse terminus alicujus adorationis*

Et ille Joh. Capreol. defensor Thomæ ipse etiam fatetur, iddictum Thomæ non posse defendi, nec habet aliam viam salvandi Thomam, nisi quod dicit, quod ipsemet Thomas videtur deinde aliter sensisse in Summa. Ex his ergo patere potest, quàm sit Catholica conclusio mea, & rationabilior sua opposita & communi viâ Theologorum magis consona, cujus sensum breviter recapitulando dico, quòd hæc propositio, Crux Christi adoratur, potest habere duos sensus, Unus est proprius, sc. quod Crux Christi sive ut res sive ut Imago, sive ut partiale, sive ut totale objectum adoratur tanquam terminus adorationis. Et iste est sensus, quem intendit Thomas, & quem ego nego. Alius est sensus improprius dictæ propositionis, & est, Crux Christi adoratur, hoc est, Christus in ea, ut in suo rememorativo adoratur, ac si esset præsens in se, & istum sensum ego concedo.

(Hanc Apologiam opposuit Picus Doctorib. Parisiensibus, qui hanc thesin ipsius inter nongentas Romæ publicè disputatas reprehenderant: *Nulla crux, nec ulla imago adoranda est adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas.)*

Georg. Cassander in Consult. art. 2 . cap. de Imag. p. 980. *Est illa non recens consuetudo, qua crucis figuræ veneratio in Ecclesiis solenni ritu exhibetur, atque id eò fit, quod non ut simulachrum tantum, sed ut symbolum quoddam & Sacramentum Dominicæ passionis habetur. Quare de hac adoratione ita loquitur Guilielmus Mimatensis: Postea, inquit, adoratur crux, hoc est, osculatur. Solus enim Deus adorandus est, cætera vero ut crux, causa illius veneranda sunt. Et Honorius Augustodunensis in gemma animæ, Nullus, inquit, sapiens crucem, sed Christum crucifixum adorat, crucem tamen venerando salutat. Quapropter merito reprehenditur à posterioribus & sanioribus Scholasticis opinio Thomæ, ut minus tuta & periculosa asserentis crucem Christi adorandam adoratione latriæ, ea videlicet adoratione, qua Christus ipse adorandus est; Intelligendum autem esse, adorari Christum rememorativè, ut per crucem rememoratum, qua de re disputat Johannes Picus Mirandula concl. 3. quæ est hujusmodi. Nec crux Christi, nec illius imago adorãda est adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas A Thoma dissentientes commemorat Durandum, Henricum de Gandavo, Johannem Guarra, Robertum Holcot, Petrum de Aquila, Franciscum Maronis.*

Ægidius Hispanus apud Suarez tom 1. Disp. 56. sect. 2. negavit, *crucem esse adorandam latria.*

Possevinus Biblioth. select. lib. 11. cap. 1. p. 456. *Unde Christiani non colunt, neque adorant Imagines* (cultu latriæ) *credentes in eis virium aut potestatis aliquid inesse, sed adorant & venerantur Deum ipsum & Jesum Christum Filium ejus in cruce & aliis imaginibus adumbratum: & crucem & cæteras imagines colunt & reverentur eâ ratione, quâ figuræ sunt, nobis Deum & Jesum Christum ejus Filium referentes.*

Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 24. §. sexta ratio. *Qui colebant imaginem Christi divinis honoribus, inter hæreticos numerantur ab Irenæo lib. 1. cap. 24. Epiphanio hæresi 27. Augustino hæresi 7. & Damasceno libro de centum hæresibus in fine. Atqui isti cum Christum colerent, sine dubio imaginem ejus propter ipsum colebant, non igitur licet Imagines colere divinis honoribus; id est, cultu latriæ, etiamsi quis dicat, id se facere propter Deum vel Christum, non propter imagines, nam hoc ipso, quod eas colit divinis honoribus, convincitur eas colere propter ipsas, non propter Deum, quicquid ipse verbis dicat.*

Prateol. lib. 1. hæres. 67. *Armeni crucem & baptizabant & adorabant;*

(Quo nomine hæreticis sunt annumerati.)

6. Quòd quidam agnoscunt, *cultum Imaginum* fuisse primitivæ Ecclesiæ, Apostolorum temporibus vicinæ, ignotum, quinimò nec *usum imaginum* fuisse eo tempore publicè in Ecclesia receptum, quantò minùs religiosum earum cultum.

Erasmus in Symbolo Catech. 6. p. 207. *Usque ad ætatem Hieronymi fuerunt probatæ religionis viri, qui in templis nullam ferre voluerunt imaginem, nec pictam, nec sculptam, nec textam, ne Christi quidem propter Anthropomorphitas, paulatim autem Imaginum usus in templa irrepsit.*

Andreas Masius in Josuæ cap. 8. n. 31. *Veteres tam Judæi, quàm Christiani simplicissima faciebant altaria &c. Unde & detestabantur si imago ulla in altari poneretur.*

(Hunc locum Censores Masii judicarunt esse corrigendum, *cum in templis & altaribus Christianorum olim fuerint imagines.*

Masium etiam hoc nomine perstringunt Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 9. Cornel. à Lapide in cap. 20. Exodi p. 466. Sed Masium excusat Serarius in Jos. 8. q. 16. *Loquitur Masius de antiquissimis primitivæ Ecclesiæ Christianæ, Apostolis vicinæ, temporibus.)*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 57. *Imaginum cultum jam ab antiquo non omnes populi admiserunt. Siquidem Judæi (ut narrat Josephus) nihil magis exhorruerunt quàm simulachra, nec aliquam effinxerunt imaginem ejus quod coluerunt, neque eorum, quorum memoriam tenuerunt. Lex siquidem Dei per Mosen prohibuit illis simulachra fieri, aut in templis poni, aut adorare coram eis. Apud Seres populos (teste Eusebio) & lege cautum erat, ne simulachra venerarentur. In Romanorum quoque templis apud Clementem & Plutarchum ex decreto Numæ annis centum & septuaginta ab urbe condita nullam imaginem neque fictam neque pictam esse conspectam legimus. Augustinus quoque idem testatur, autore Varrone, cujus (inquit) verba clarissimè testantur, nullum fuisse simulachrum Deorum per annos centum sexaginta, factumque deinceps ut ex imaginum ac statuarum multitudine religionis cultus negligeretur, atque contemtui haberetur. Persæ etiam, testibus Herodoto & Strabone, statuas non extruebant. Ægyptiorum autem in istis summa erat impietas & stultitia, exinde in omnes gentes derivata, qui quidem corruptus gentilium mos & falsa religio, cum ipsi ad Christi fidem conversi cæperunt, nostram quoque religionem infecit, & in nostram Ecclesiam simulachra & imagines, multasque pomparum steriles Ceremonias introduxit, quorum nihil omnino fuit apud primos illos & veros Christianos.*

Melchior Canus lib. 5. Locor. c. 4. *Leges aut nimis duras, aut parum rationi consentaneas à Conciliis provincialibus interdum editas, non est negandum. Qualis illa non imprudenter modò, verum etiam impiè à Concilio Elibertino lata de tollendis imaginibus.*

Polyd. Virgilius lib. 6 de rer. invent. cap 13. *Simulachrorum cultum omnes ferè veteres Patres, teste Hieronymo, damnabant ob metum idololatriæ, qua nullum execrabilius scelus esse potest.*

(Sed hæc verba unà cum sequentibus, quibus docetur, *Mosen nihil magis inculcasse, quàm ne populus aliquid manufactum veneretur; & Prophetam dixisse. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, Censores juxta decretum Concilii Tridentini delenda censuerunt, Index Expurgat pag. 71.)

Idem Polydorus ibid. p. 544. *Quoniam Divorum memoriæ, ut certo exemplari præ oculis posito, quam nobis Imagines jugiter repræsentant, ad virtutem & imitationem excitantur homines, atque Imaginis honor, ut Basilius inquit, ad exemplaris transfertur honorem, idcircò Patres eam consuetudinem non modò admiserunt, sed autoritate sextæ Synodi, quæ Constantinopoli habita est, Imperantibus Constantino & Justiniano I. Lapsitis Constantini filio, ut in Decretis canonum patet, statutum fuit, ut Imagines sacræ Divorum in templis haberentur, utpote quæ imperitioribus loco sacrarum literarum forent, ad quas etiam Romanorum ritu thus & cerei incenduntur. Fuit is annus salutis 682. vel, ut non nemo sentit, 703. quo Agatho Romanam tenebat Sedem. Deinde Constantinus Pontifex habitâ Synodo id decretum corroboravit, jussitque, ut Imagines in porticu Divi Petri depingerentur, quod intellexerat, à Philippo Imperatore eas è parietibus D. væ Sophiæ ignominiæ causa abrasas fuisse, propterea illum hæreticum pronunciavit.*

(Atqui hæc omnia ostendunt, primis post Christum natum seculis cultum imaginum Ecclesiæ fuisse ignotum.)

Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 974. *Ad imagines Sanctorum quod attinet, certum est, initio prædicati Evangelii aliquanto tempore, inter Christianos præsertim, in Ecclesiis imaginum usum non fuisse, ut ex Clemente & Arnobio patet, tandem picturas in Ecclesiam admissas, ut rerum gestarum Historiam exprimentes, aut sanctorum virorum vivas effigies referentes, illæ enim solæ imagines dicendæ sunt, quæ speciem archetypi, quam proximè fieri potest, repræsentant Hinc scribit Eusebius suo quoque tempore imagines Apostolorum Petri & Pauli, denique & ipsius Christi in tabulis depictas honoris causa, quamvis gentili ritu, aliquot locis servatas atque à se visas fuisse. Et Irenæus Gnosticos, scribit, imaginem Christi cum imaginibus mundi Philosophorum coluisse, formam enim Christi à Pilato factam dicebant, quo tempore Christus cum hominibus fuit. Eo quoque modo Gregorius Secundino imaginem Christi Salvatoris petenti transmisit, id cavens, ne id ut Deum colat, sed ex aspectu imaginis eblata Christi recordatione in ejus amorem accendatur &c. Solebant item imagines quædam depingi, ut non expressam aliquam rei effigiem, sed typum quendam & symbolum alicujus rei adumbrarent, quomodo apud Paulinum, & Spiritum sanctum in specie columbæ, ita Christum in specie Agni figuratum legimus. Crucis verò signum undique corona floribus contexta cinctum depingebatur. Ejusmodi imaginem pictam Paulinus in ingressu Basilicæ suæ locaverat, subjectis his pulcerrimis versiculis, qui Symboli illius notionem explicant:*

Cerne coronatam Domini, super atria, Christi

Stare crucem, celso spendentem celsa labori
Præmia, tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Cruci quoque insidebant columbæ, quem typum aliis versibus aperuit.

Quæq; super signum resident cœleste columbæ.
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Ex quibus apparet, Christum magis in typum agni, quam effigie humana depingi consuevisse, quod usq; ad tempus sexti Concilii generalis obtinuisse videtur, in quo statuitur, ut Pastores imposterum non agni typo, ut fieri consuevit, sed humano charactere Christum exprimant, & satis apparet ex scriptis Gregorii, quamvis ejus ætate superstitio in cultu sanctorum non parum invaluerat, tamen picturas tantum in Ecclesiis admissas fuisse, non item statuas, vel simulachra. Sane ex Augustino constat, ejus ætate simulachrorum usum in Ecclesiis non fuisse ex his, quæ scripsit in Psalm.113. advers. illum. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum &c.* Quam autem abominandum duxerint Christiani, si in altari, quæ sedes est corporis & sanguinis Domini simulachrum vel imago poneretur, manifestum est ex Optato, qui Augustinum antecessit. Nam Donatistæ, ut odium Catholicis concitarent, jactabant venturos, qui interessent sacrificio, ut altaribus aptatis ante sacrificii oblationem prolatam imaginem in altari ponerent, quod qui audiebant, dicebant, Qui degustat, de sacro gustat, & rectè inquit Optatus lib.2. contra Parmenian. dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. Verum nil tale visum est ex eo, quod fuerat paulo ante mentita fama, nil viderunt oculi Christiani, quod horrerent, visa est puritas, & ritu solito solennis consuetudo perspecta est. Epiphanius sane graviter invehitur in muliercularum quarundam superstitionem, quæ simulachrũ Virginis circumgestabant, eiq; collyridia offerebant. Unde, inquit, simulachristicum hoc studium & Diabolicus conatus: *Quin & Johannem Episcopum Hierosolymitanum ab eo reprehensum constat, quod in Oratorio quodam ejus Diœcesis imaginem seu Christi seu alterius cujusdam in velo expressam contra Ecclesiæ consuetudinem pendentem reperisset, quare velum illud à se conscissum memorat. Quantum autem veteres initio Ecclesiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerunt, declarat unus Origenes adversus Celsum &c.*

Jodocus Damhouderius in Instit. Christ. in exposit. Decalogi f.334. b. Venetiis in 8. Ann. 1597. *Certe Patriarchæ, Prophetæ, Christus, Apostoli & Apostolici Patres Christianam religionem, verumque Dei cultum absq; ullis simulachris, statuis aut imaginibus impleverunt.*

Baronius anno 57.n.119. adducit decretum Concilii Eliberini (celebrati anno 305.) *placuit picturas in Ecclesia esse non debere, nec aliter: ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.*

Anno 216. n.14. adducit dictum Tertulliani, *Christianos non colere Imagines.*

Beierlinck Concion. select.21.pag.409. testatur, *Imaginum cultum demum à Gregorio tertio (anno 731.) & Stephano tertio (ann.770.) decreto fuisse confirmatum.*

P.410. non potest producere pro asserendo Imaginum cultu Patres *ante quartum seculum.*

Bellarminus lib.2.de imag. sanct.cap.12.§.secundò probatur. *Habemus inprimis canonem 82. sextæ Synodi, ubi dicuntur Imagines venerabiles. Tametsi enim isti canones non sint firmæ autoritatis, tamen iste canon semper receptus fuit ab Ecclesia, & testatur ut minimum, usum Ecclesiæ antiquæ. Deinde habemus Synodum Romanam sub Gregorio III. Episcoporum fere mille pro Imaginibus celebratam Anno DCCXXXIII. juxta Sigebertum in Chronico. Item Synodum habitam in villa Gentiliacensi anno DCCLXVI. juxta Sigebertum, vel DCLVII. juxta Adonem. In ea de Imaginib. actum & admoniti Græci, ut cum aliis piis de Imaginibus sentire vellent, ut Paulus Æmilius testatur lib.2. Rursus etiam Synodum pro Imaginibus Romæ celebratam sub Stephano III. Anno DCCLXVIII. juxta Sigebertum, cujus Synodi meminit aliquoties Adrianus in lib. de Imaginibus ad Carolum. Post annum deinde 788. septima Synodus act.7. definivit, Imagines esse venerandas, non quidem cultu latriæ, sed honore illo, quo etiam prosequimur sacras literas, sacra vasa*

(At hæc Concilia omnia sunt recentiora, ideo nondum probant veram antiquitatem ab Apostolorum temporibus deductam.)

Idem Bellarminus lib. ejusd. cap.22. §.1. *Concilia non affirmant, sed simpliciter negant, Imagines adorari latria &c. Nam inprimis nullum est Concilium, quod asserat, Imaginib. deberi cultum latriæ. Deinde Concilium Nicenum 2. act.7. clamat imagines adorandas, sed non latria. Similiter nostro tempore Concilium Senonense cap.14. & Concilium Moguntinense cap.41. dicunt, à Concionatoribus debere moneri populum, ne imagines adoret; quod sine dubio intelligitur de adoratione latriæ.*

Et postea: *Patres passim dicunt, imagines non esse adorandas, ut patet ex Augustino Epist. 119. cap.11. Prohibetur, inquit, coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse. Item ex Gregorio, qui lib. 7. Epist.109. & lib.9. Epist.9. monet Serenum Episcopum, ut populum instruat, ne imagines adoret, & sæpius repetit, non debere imagines adorari. At certè loquuntur de adoratione latriæ, nam alioqui imagines venerabiles esse non negant. Porro Joh. Damascenus lib.1. & 3. Apolog. sæpius repetit, imagines honorari debere, sed nullo modo latria. Adrianus Papa I. in Epist. ad Carolum Magnum can. ult. (quæ Epistola habetur in tomis Conciliorum post Nicenam 2. Synodum imperfecta, magis autem integra habetur inter Epistolas Pontificũ nuper editas Romæ) multis verbis docet & repetit, imagines esse honorandas cultu, quo honoramus sacras Scripturas, sed non colendas cultu, quo colimus Deum. Idem habet Jonas Aurelianensis lib. de cultu imaginum.*

Lib. ejusd. cap.11. §. quartò &c. adducit hæc dicta Patrum: *Ambrosius de obitu Theodosii, Invenit, inquit, Helena crucem Domini, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis error est, sed adoravit illum, qui pependit in ligno. Hieronymus in cap. 3. Dei Cultores Dei imagines adorare non debent. Augustinus de morib. Eccles. cap.36. Novi picturarum adoratores.*

(Ad illa quidem cap. 16. respondere conatur, sed tamen frigide, ut nec sibi ipsi satisfaciat, unde bis adjicit particulam dubitandi *forte*. Nobis sufficit, quod Bellarminus concedat, dicta illa totidem verbis in Patribus extare. Clarissime enim testantur, imaginibus non esse deferendum religiosum adorationis cultum.

Huc pertinet, quod fateri coguntur, in primitiva Ecclesia ne quidem collocatas fuisse imagines in templis, imo priscos illos Christianos nec templa, nec simulachra habuisse.

Baronius An.211. n.5. *Sed inter plura, quæ à gentilibus in Christianos objici solita erant, & apud eundem Autorem à Cæcilio in Octavium ingeruntur, quod eadem à Novatoribus adversus Catholicos nostris temporibus in calumniam convertantur, nolumus prætermittere, quo Minutii locus male acceptus & ob occasionem quamlibet captantibus perperam interpretatus, elucidetur & legitimus germanusque verborum ipsius sensus à quovis perspicue intelligatur. Cur, (inquit ille de nostris loquens) nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulachra?*

Idem ann. 555. n.7. in Papa Vigilio magnopere commendat, quod *basilicam ab illo erectam decorarit Imaginibus*, (ceu rem istis temporibus novam & singulariter memorandam.)

7. Quod quidam agnoscunt, gentiles per suas imagines Deum ipsum seu prototypum colere voluisse.

(Quod ipsum gentilium effugium Arnobius, Lactantius, Augustinus & alii ex veteribus recensent. August. conc.2. in Ps.113. *Videntur sibi* gentiles quidam, *purioris esse religionis, quod dicunt, nec simulachrum, nec Dæmonium colo, sed per effigiem corporale ejus rei signum intueor, quam colere debeo.*

Eodem schemate iconolatriam suam Pontificii itidem palliant. At si hic prætextus gentiles non liberat ab idololatria, utique nec Pontificios ab ea liberabit.)

Surius tom.8. Hist. f. 881. refert, quod *Julianus Apostata Artemium Syriæ Ducem & Martyrem ad idololatriam traducere conatus, hoc modo Ethnicorum idololatriam excusaverit: Non tanquam Deos colunt eorum imagines, absit. Hoc enim ita accipiunt agrestiores & simpliciores, sed qui cupiditate tenentur sapientiæ, & res Deorum accurate inquirunt, sciant, cuinam honorem tribuant, & ad quem transeat adoratio divinarum imaginum.*

Georgius Cassander in consult. art. 21. p. 976. *Nec valebat tunc (in primitiva Ecclesia) illa ratio, quæ à nonnullis obtendi solet, honores istos non simulachris, sed iis, quorum speciem repræsentant, deferri. Hic enim color à paganis quoque adferri solebat, ut apud Arnobium. Non, inquiunt, materias æris, auri, argenti & alias, ex quibus signa conficiunt, eos per se Deos esse & religiosa Numina discernimus, sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra. Et apud Lactantium, Non ipsa, inquiunt, simulachra timemus, sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt.*

Johannes Ferus in cap. 17. Actor. *Tametsi gentiles idola sibi præstituebant, tamen animus erat vero DEO cultum exhibere.*

Catech. Trident. in explic. primi præcepti. *Præclare Apostolus, eos mutasse Dei incorruptibilis gloriam in similitudinem volucrum, quadrupedum ac serpentum, dixit, hæc enim omnia, tanquam Deum venerabantur, cum illi horum imagines ponerent.*

Gregor. de Valent. lib. 1. de idololatr. cap. 5. pag. 17. *Ethnicorum aliqui non fuerunt ita stupidi, ut putarent, idola esse Deos.* lib. 2. de idolol. cap. 7. *Negabant Ethnici, se ad imaginem ipsam divinum honorem referre.*

Bellarm. lib. 2 de Imagin. cap. 13. *Multi* (gentilium) *crediderunt, idola non esse Deos.*

Martinus Peresius part. 5. de tradit ex Act. 17. colligit, *multa fuisse idola, quæ tantum benefactorem Deum repræsentabant, nec omnia, quæ gentes colebant falsum Deum significasse. fuisse enim Athenis aram ignoto Deo erectam, isti sc. Deo, qui fecisset mundum, & omnia quæ in eo sunt.*

Fonseca in annot. margin. ad Cajetan. in cap. 4. Deuteron. *In plerisq; statuis Deum & virtutes ejus, & id, quod significabatur, non signum, colebant olim nonnullæ gentes, ita ut nonnulla simulachra consecrata habuerint vero Deo, alia Diis falsis.*

Huc pertinet, quod agnoscunt, *Judæos per cultum vituli Deum ipsum colere voluisse.*

Nam præter Cajetanum & Abulensem Aloysius Lippomanus Catena in Ex. 32. ait: *Israëlitas detulisse hunc honorem vero Deo in idolo.*

Johannes Ferus in Ex. 32. & in Acta Apost. cap. 7 asserit, *Judæos veneratos esse verum Deum in vitulo, quem formavit Aaron, idque ex ipsorum verbis patere. Hi sunt Dii tui Israël, qui eduxerunt te ex Ægypto.*

(Nihilo tamen minus propter hunc vituli cultum idololatriæ accusati fuere.)

8. Quod quidam taxant præposterum imaginum ornatum ac cultum, & vivarum Dei imaginum, hoc est, pauperum neglectum. Itemque quod quidam copiam imaginum redarguunt.

Bernhardus in Apolog. ad Guilielm. Abbatem. Col. 1154. *Splendide fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus; lapides suos auro induit, & filios suos nudos deserit, de sumtibus egenorum servitur oculis divitum.*

Hugo lib. de Claustro animæ. *Trojanos gestat paries pictus, purpura & auro vestitur, & Christianis negantur veteres panni. Hectori datur clypeus auro splendens, pauperi vero ad januam clamanti non porrigitur panis. Et, ut verum fatear, spoliantur pauperes sæpe, ut vestiantur lapides & ligna.*

Joh. Gerson part 1. in Declarat. defectuum virorum Ecclesiasticorum f. 43. *Judicate, si tanta imaginum & picturarum in Ecclesiis varietas expediat, & an plures simplices nonnunquam ad idololatriam pervertant?*

Georg. Cassander in consult. art. 21. cap. de Imag. in p. 981. prolixam de Imaginib. dissertationem his concludit verbis: *Optimum est, populum, præsertim hoc tempore, ad potio a traducere, & imaginum moderato usu pacis & tranquillitatis causa conservato, ad cultum veræ imaginis Dei, id est, hominis ad Dei imaginem conditi invitare, qui cultus consistit in egenorum subventione, qui non modo imaginem Dei, sed vicem & personam Christi nobis repræsentant. Christus enim in die judicii, ut in libris suis inquit magnus ille Imperator* (Carolus) *non dicturus est. Quicquid uni ex imaginibus illis fecistis, mihi fecistis: Sed quicquid uni ex minimis istis fecistis. Hi ergo nobis summo studio colendi sunt, non ut eos pro Deo veneremur, sed ut iis propter Deum opitulemur.*

9. Quod quidam agnoscunt, *circumgestationem Imaginum* in processionibus ab Ethnicis & Judæis originem duxisse.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rer. invent. cap. 11. p. 534. *Eosdem priscos* (Gentiles) *Deorum imagines gestasse, testatur Apulejus qui inquit, secundus vestitu quidem similis, sed manibus ambabus gestabat altaria, id est, auxilia, quibus nomen dedit proprium Deæ summatis auxiliaris providentia. Hinc quoq; in pompa sacrificiali nostri Divorum Imagines vel reliquias gestitant.*

Franciscus Ribera in annot. Amos 5. v. 17. *Quid mirum est, populum ad idololatriam proclivem tabernaculum Moloch cum Moabitis in pompa portasse? fortasse, quod crederetur vis divina & benefica inesse gestatis Imaginibus.*

(Eadem opinio hæret in mentibus simpliciorum ac rudiorum in Papatu.)

10. Quod quidam agnoscunt *religiosum Imaginum cultum* ab Ethnicis originem traxisse.

Polyd. Vergilius lib. 6. de rer. Invent. cap. 13. pag. 543. *Apostolorum Imagines ad eorum corporum exemplum olim formatas à Christianis, idem Eusebius in eo loco attestatur, quem supra citavimus, qui inquit: Sed antiquas ipsorum imagines a quibusdam conservatas nos vidimus, quod mihi videtur ex gentili consuetudine indifferenter observatum, quod ita soleant honorare, quos honore dignos duxerint: insignia enim veterum reservari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum verò amoris indicium est.* Hæc ille: *Hinc igitur natum, ut merito tam ipsi Servatori, quam ejus Divis statuas & in templis poni, & venerationi haberi consueverit.*

Beierl. concion. select. 20. pag. 392. *Gentiles non superstitione, quamvis ea nonnunquam se immiscuerit, sed naturali inclinatione ac laudabili consuetudine erigere soliti sunt statuas illis, quos honore dignos æstimabant, (quamvis in eo errarent, quod sceleratis etiam hominibus eas collocarent) quos imitati Christiani idem etiam fecerunt. Quis autem majori honore afficiendus, quam Deus & sancti, in quibus illum laudamus? utiq; igitur rectissime & cum laude illis statuas & imagines collocamus. Atq; hanc potissimam causam fuisse, tradit Eusebius, cur Christiani cœperunt Sanctorum Imagines desiderare.*

Gentiles Imagines suorum Divorum miraculosi auxilii causa *in prælia ituri* gestabant. Idem fit in Papatu.

Baronius Anno 610. n. 2. *Ex Cedreno adduntur ista, vexisse secum ex Africa Heraclium venerandum quoque imaginem Salvatoris, nullo manuum ministerio factam, sed miraculo effigiatam, quam etiam secum habuisse, cum adversus Cosrhoem profectus est in bellum Persicum, itidem Annales docent, nosque suo loco dicemus. Plane consultius esse experimento cognitum est, contra hostes ferre Christi Redemptoris atq; Dei genitricis imagines, quam more Romano Imperatorum effigies.*

Gentiles *thuris incenso* Imagines religiose honorabant. Idem fit in Papatu.

Polydor. Vergil. lib. 2. de rer. Invent. cap 23. pag. 191. *Romani solebant ad statuas thus & cereos incendere, testis Cicero, qui lib. 3. Offic. de statuis C. Mario à multitudine positis, ita scribit: Omnibus vicis statuæ factæ sunt, & ad eas thus & cerei. Quam morem nos retinemus, id quod non fuerat olim.*

Gentiles imagines *sacris vestibus* religiosa devotione exornabant. Idem fit in Papatu.

Martinus de Roa lib. 2. singul. cap. 9. p. 153. *Constat fœminas in templis versari solitas, quæ vestes tum idolis, tum initiatis attexerent. De his Aquila, cum ita vertit: Indumenta eis, qui fornicantur à Domino, hoc est, iis, qui à Domino ad idola conversi, & eorum sacris initiati versantur in templo. Idolorum autem veste & mensura & stolæ & domuncula appellantur. Domunculæ quidem, sive quia velut parietibus, ita etiam vestibus corpus tegatur inclusum: sive quia sacraria, loculamenta ve, in quibus simulachra posita essent, ejusmodi vestirentur. Mensuræ vero dicuntur, quia ad idolorum staturam & modum attexerentur. Nam & apud nos etiam simile quiddam in templis quibusdam ac festis Beatissimæ Virginis celebrioribus reperitur. In his enim virginei simulachri mensuræ venduntur ex sericis fasciolis, quæ simulachris admotæ & à Sacerdotibus benedictæ in honore habentur, & summa cum religione gestantur de collo suspensæ.*

Gentiles *cereos & lampades* accendendo Divorum suorum Imagines colebant. Idem fit in Papatu.

Polyd. Vergilius lib. 5. de rer. Invent. cap. 8. p. 423. *Apud nos nullo magis honore, quam cereis candelis decorantur extrinsecus cultæ. Eadem inprimis ratione, ita opinor, à Vestalibus perpetuus ignis servabatur, ac ante Romanos Imperatores deferebatur, quoniam denique Deus noster ignis comburens est, ac propterea merito sacer habetur. Ita Persæ, teste Herodoto, ignem Deum esse arbitrabantur: Contra Ægyptii belluam animatam vocabant, quod omnia devoret.*

Baronius ann. 58. n. 70 *Haud equidem est dubium, gentiles etiam (quod & Judæi pia religione agebant) incendere consuevisse quadam ex causa lucernas. Unde & Juvenalis: Et matutinis operantur festa lucernis &c. Sed cum hæc ipsa, ut vidimus, æque Judæi factitarent atque gentiles, cur non potius à Judæis ea, quam à Gentilibus Ecclesiam mutuatam esse dixerimus? & si vel nimis accepta ab illis esse, quid absurdum, si eadem in veri Dei cultum conversa fuerunt, ut alia multa, quæ superius recensuimus.*

11. Quod de *genere cultus*, qui imaginibus deferri debet, opinionibus invicem variant, (quæ dissensio & contradictio evidens argumentum præbet, ea, quæ de religioso Imaginum

ginum cultu traduntur, normæ cœlestis veritatis, Scripturæ scilic. sacræ, non esse conformia.)

Primò, In Concilio Tridentino de Imaginibus sententia nonnihil variarunt. Archiepiscopus Hydruntinus censebat, alium honorem iis non deberi, nisi relatione ad rem significatam. Verum Lainezius Generalis alius ex Decreti formatoribus existimebat, præter eum honorem, postquam sunt dedicatæ & in loco adorationis positæ, aliam venerationem illis propriam convenire ultra adorationem, quæ Sancto præstatur, cui veneratio in iis exhibetur, quam adorationem relativam appellabat, & alteram objectivam. Confirmabat sententiam suam hoc argumento: Quemadmodum vasa & vestes sacra digna sunt reverentia quadam sibi propria respectu consecrationis, tametsi sanctum nullum repræsentent: Similiter Imagini dedicatæ præterquam repræsentationis ratione, deberi adorationem quandam ratione dedicationis. Cardinalis Varmiensis, ut utrique sententiæ satisfaceret, concludit eam, quæ ab Archiepiscopo dicta est, exprimendam, tanquam facilem & claram, sed non utendum verbis, quæ alteri præjudicent. Petrus Suavis lib. 8. Hist. Conc. Trident. p. 931.

Secundò, Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 20. sic disserit: De quæstione, quo genere cultus dignæ sint imagines, tres sunt sententiæ: Prima, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar. Ita quidam, quos refert & refellit Castrus verbo, Imago: Fundamentum hujus sententiæ est, quia secundum Basilii sententiam in 7. Synodo sæpius repetitam honor imaginis transit ad exemplar. Non ergo, inquiunt hi Doctores, in imaginem terminatur, proinde ipsa imago non est, quæ honoratur, sed solum per illam, & in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex versibus, qui dicuntur compositi tempore 7. Synodi, quique visuntur Venetiis in æde aurea antiquissimo opere incisa & referuntur à Sabellico lib. 8. Æneadis 8.

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa,
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur, de imagine Christi Dei dici etiam posset de imaginib. sanctorum, nimirum, Nam Petrus est, quod imago docet, sed non Petrus ipsa &c.

Secunda opinio est, quod idem honor debeatur imagini & exemplari, & proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, sanctorum aliorum cultu duliæ. Ita Alexander p. 3. q. 30. art. ult.

(Quem tamen Bellarminus paulo ante primæ, adeoque contrariæ prorsus opinionis asseclam fecerat.)

B. Thom. part. 3. q. 25. art. 3. (ubi sic disserit, Illi exhibemus cultum latriæ, in quo ponimus spem salutis. Sed in cruce Christi ponimus spem salutis. Ergo crux Christi adoranda est adoratione latriæ) & ibid. Cajetanus, B. Bonaventura, Marsilius, Almayn, Carthusianus, Capreolus & alii in 3. dist. 9. Idem etiam habet Henricus quodlib. 10. q. 5. quamvis addat, nullam imaginem adorandam esse latria. Nam ipse putat quidem, eundem esse honorem imaginis & exemplaris, sed simul docet, imaginem Christi non esse imaginem Christi, ut Christus Deus est, sed ut homo est.

Suarez tom. 1. in p. 3. Thom. D. 54. sect. 3. memorat ex Medina comm. super p. 3. q. 25. art. 3. Victoriam Thomistam Durandum hæreseos poposcisse ob sententiam de adoratione solius prototypi sub vel coram imagine.

Fundamenta horum autorum hæc sunt:

Primò, quia Ecclesia canit de cruce, O crux ave spes unica, Auge piis justitiam, Reisque dona veniam.

Secundò, quia honor imaginis transit ad exemplar, ex Basilio. Igitur idem est honor imaginis & exemplaris. Quare si exemplar colitur latria, & imago.

Tertio, ex Ambrosio, qui lib. de incarn. Domini Sacramento cap. 7. ait, eadem adoratione coli divinitatem Christi & ejus crucem. Num, inquit, cum in Christo imaginem Dei & crucem adoramus, dividimus eum?

Quartò, ex Hieronymo Epist. de obitu Paulæ. Prostrata, inquit, ante crucem q. pendentem Dominum cerneret, adorabat. Sed Dominum pendentem adorasset latria, ergo & ipsam crucem latriæ cultu adorabat.

Quintò, ex Aristotele, qui lib. de memor. & reminisc. dicit, eundem esse motum in imaginem, ut imago est, & in ipsum exemplar.

Sextò, mensura adorationis uniuscujusque rei est ratio sive excellentia, propter quam adoratur. Sed ratio, cur adoratur imago, non est alia, quam excellentia exemplaris. Ergo idem omnino debetur honor imagini, qui debetur exemplari.

Septimò, Qui imaginem Regis afficit contumelia, habetur reus læsæ majestatis, ac si ipsum Regem contumelia affecisset. Eadem igitur ratio est imaginis & exemplaris, quod attinet ad honorem & contumeliam.

Tertia opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, Imagines ipsas in se & propriè honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ. Ita Martinus Peresius in lib. de traditionibus, tract. de imaginib. Item Ambrosius Catharinus in tract. de Imaginibus, Nicolaus Sanderus lib. 2. cap. ult. de Imaginibus. Idem videtur sensisse Gabriel, qui in 3. dist. 9. q. un. & in Can. Missæ lect. 49. ait, imaginem adorari eadem adoratione cum exemplari, non tamen univoce, sed analogice. Hoc enim est dicere, coli Imagines cultu inferiore, quam ipsum exemplar.

(Sic ergo de genere cultus Imaginibus deferendi tres distinctæ habentur sententiæ, non solum veterum sive Scholasticorum, sed etiam recentiorum Pontificiorum, quas Bellarminus §. pro solutione &c. tribus distinctionibus inter honorari per se, vel per accidens; propter se, vel propter aliud; propriè vel impropriè conciliare nititur, sed cum & primæ & secundæ sententiæ fundamentis respondere, ac tertiam duntaxat opinionem stabilire conetur, ex eo manifestum est, quod conciliatio illa cum primæ ac secundæ opinionis repudio sit conjuncta. Præterea Bellarminus in easdem syrtes incidit, ex quibus distinctionibus suis eluctari conatur. Nam quod latria colitur impropriè, illud latria certè colitur. At si de re ipsa agatur, inquit Bellarminus, admitti potest, imagines posse coli impropriè eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur, ac proinde quasdam imagines posse impropriè coli latria. Ergo. Propositio nititur disputatione Bellarmini h. l. Quod loco alterius & sit impropriè honoratur, tamen honoratur; Legatus, qui honoratur loco Regis; tamen honoratur; qui loco alterius possessionem accipit, tamen accipit; statua, quæ in funere honoratur, absente corpore, tamen honoratur.)

Tertiò, Thomæ sententiam, quod idem honor tribuendus sit imagini & prototypo, sequuntur multi ex veteribus & recentioribus.

Bonaventura lib. 3. sent. dist. 9. q. 2. eam κατὰ πόδα sequitur.

Vasquez lib. 2. de adorat. disp. 9. cap. 1. §. Contra vero &c. Veteres Scholasticos absolute dixisse, imagines Christi esse colendas adoratione latriæ.

Cajetanus in Thomam p. 3. q. 25. art. 3. multis probare conatur, quod imagini & exemplari sive prototypo idem honor debeatur.

Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 6. q. 11. punct. 6. Verissimum est, quod affirmari solet, eodem officii atq; honoris genere, eodem animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionem excellentem honorari prototypum ipsum, ejusq; imaginem.

Ibid. Eodem prototypi honore honorari debent Imagines modo illo suo, quo honorari debent, videlicet, quatenus sunt imagines, & consequenter imagines Christi coli debent latria.

Azorius lib. 9. Institut. cap. 6. art. 3. Constans est Theologorum sententia, Imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus est imago. Atque hæc sententia non tantum unius Thomæ, sed communi est Theologorum consensu recepta.

Costerus in Enchir. p. 438. Non alius in imagine honoratur, quam prototypum, ex quo non obscure consequitur, omnem honorem, qui prototypo debetur, exhiberi etiam posse imagini.

Timpius in Rituali Germ. cap. 12. p. 200. Honor cruci Christi, clavis, lanceæ oblatus in ipsum Christum refertur, cujus sanguine ista conspersa sunt.

Gretserus lib. 1. de cruce cap. 49. Ostendimus hactenus, crucem Domini esse venerandam, nunc magis in specie explicandum est, quo genere cultus colenda sit non modo prima illa crux, sed & omnes imagines & signa crucis. Omnium enim una eademq; est ratio. Asserimus cum sententia communiori & in Scholis magis trita, crucem colendam esse latria, hoc est, cultu divino, non quidem per se, sed per aliud; non absolute, sed cum habitudine & respectu ad prototypum. Cui sententiæ subscribit D. Thomas & pleriq; ex illis, qui D. Thomæ doctrinam sequuntur, ut Cajetanus, Capreolus, Gregorius de Valentia & alii non pauci.

Vasquez tom. 1. in part. 3. Thom. Disp. 108. cap. 8. itidem Thomam sequitur.

(Sed à Thoma & ipsius asseclis hac in parte multi ex veteribus & recentioribus discedunt, ut ex Georgio Cassandro ostendimus superius membr. 5. videlicet, Durandus, Henricus de Gandavo, Johannes Guarra, Robertus Holcot, Petrus de Aquila, Franciscus Maronis, Johannes Picus Mirandula. Quinimò quidam ex ipsis Jesuitis Thomam hac in parte deserunt.

Bellar-

Bellarminus lib.2. de Imag. cap.22. §. Quarto &c. *Dicere populo, imaginem Christi vel crucem adorandam esse cultu latriæ, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo. Nam qui defendunt, imagines adorari latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt* (nota) *nedum populus imperitus.*

Ibid. §. Quintò. *Iste modus loquendi offendit aures Catholicorũ, & præbet occasionem hæreticis, liberius blasphemandi.*

Ibid. §. Sextò. *Secundum rei veritatem non potest dici, adorari latria imagines nisi per accidens vel impropriè; per se autem & propriè nullo modo. Et præterea illa adoratio per accidens vel impropria rarissime exerceri solet. Ordinaria enim adoratio est illa, quæ exhibetur imaginibus externis per se & propriè. At quod simpliciter dicitur, non intelligitur de eo, quod per accidens vel impropriè & aliquando convenit rei, sed de eo, quod per se & propriè & ut plurimum ei convenit. Ergo simpliciter loquendo non est affirmandum, sed negandum, imagines adorari latria.*

Quartò Anglo-Rhemenses in annot. Act.17. sect.5. concedunt, *imagines non esse divino honore colendas.*

Sed Bellarminus lib. 2. de imag. cap.23. *admitti posse* censet, *imagines posse coli impropriè eodem genere cultus, quo ipsum exemplar colitur* (ac proinde etiam honore divino.)

Quintò Vasquez statuens cum Thoma, *eundem honorem tribuendum esse imagini, qui debetur prototypo, ac proinde imaginem Christi latria colendam esse,* varia quærit perizomata, quibus idololatriæ hujus fœditatem tegat, sed nec sibi, nec lectori satisfacit. Primo enim, cum in adoratione duo sint, *externus gestus & interna intentio,* hanc ait *ad exemplar,* illum *ad imaginem referendum esse.* Secundo dicit, *eundem quidem honorem exhiberi prototypo & typo, sed illi propter se, huic propter aliud.*

Responderi potest, *ad prius,* primo verbis Suarii tom.1. in p.3. Thom. Disp.54. sect. 4. *In eadem sententia* (Durandi sc.) *sunt velint, nolint, illi moderni, qui solam actionem externam, non autem intentionem adorandi dicunt circa imaginem versari. Quantumvis enim verbis proclament, se sequi Thomam, dicentem, Imaginem adorari eadem adoratione, qua prototypum, tamen revera illi contradicunt, ac in rigore negant, imaginem eadem adoratione coli, qua prototypum, cum in rigore negent adorari, quia si non adoratur, neque eadem adoratione adoratur.*

Et paulo post: *Actio externa non est adoratio, nisi ut informatur interna seu intentione adorandi.*

Secundò verbis Bellarmini lib. 2. de Imag. cap. 24. rat.4. *Imagini non convenit cultus internus, nec externus veræ latriæ. Nam internus cultus est apprehensio rei, ut primi principii, & prostratio voluntatis conveniens illi apprehensioni; actus autem externus est sacrificium. Certe autem nec apprehendimus imaginem ut primum principium, nec illi sacrificamus; non igitur illam adoramus cultu latriæ.*

Ad posterius responderi potest verbis Bellarmini d. l. §. 7. *Dicet aliquis fortasse, latriam esse cultum proprium Deo, quando exhibetur propter se, non autem quando propter aliud. Contra, nam de essentia veræ latriæ est, exhiberi propter se; latria enim dicitur summus cultus, qui debetur vero Deo ut primo principio omnium rerum. Implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio & propter aliud. Nam si primo principio, non ergo propter aliud; Si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, & tunc ille non est cultus veræ latriæ. Præterea vel ista latria, quæ exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo, qui exhibetur Deo, vel alius minor. Si idem, ergo æque colitur creatura atq; ipse Deus, quæ certe idololatria est. Nam idololatria non solum est, cum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo. Ex. 20. Deos aureos & Deos argenteos non facietis mecum. Si est cultus minor, non ergo est latria, nam latria est summus cultus.*

§. 10. *Qui colebant imaginem Christi divinis honoribus, inter hæreticos numerantur ab Irenæo lib.1. cap.24. Epiphanio hæres.27. Augustino hæres.7. & Damasceno lib. de centum hæresibus. Atqui isti cum Christum colerent, sine dubio imaginem ejus propter ipsum colebant. Non igitur licet imagines colere divinis honoribus, id est, cultu latriæ, etiamsi quis dicat, id se facere propter Deum vel Christum, non propter imagines. Nam hoc ipso, quod eas colit divinis honoribus, convincitur eas colere propter ipsas, non propter Deum, quicquid ipse verbis dicat.*

Sextò, idem Vasquez lib. 2. de adorat. Disp. 8. cap.3. *stultum & superstitiosum esse disputat,* ac aliquot argumentis demonstrat, *si imaginibus deferatur talis adoratio, quæ terminetur in imagine, non ut vicem gerit exemplaris.*

Tom.1. part. 3. in Thom. Disp.108. cap.9. *Qui imaginem per se non adorato exemplari, veneratur, stultitiæ insimulari potest. Aut enim imago, quæ adoratur, sive in qua adoratio terminatur, habet in se aliquid ut quo, quod est ratio, cur sit adoranda, aut non habet. Si habet, aut id quid divinum ac increatum est, aut finitum & creatum. Si illud, jam propriè erit idololatria, quæ ab divinitatis inhærentis existimationem lapis aliquis colitur cultu religioso: Si hoc, talis iconodulus est vere stultus.* *Qui enim* (inquit Vasquez) *imagini notam exhiberet submissionis ex affectu illo veræ servitutis erga illam, secundum se perverse ageret, essetque abjecto animo, imo vere crimen & genus quoddam superstitionis atq; idololatriæ committeret. Diceretur enim ex animo creaturæ irrationali secundum se servire, ac proinde eam, ut excellentem sibique superiorem, agnosceret. Quare adorans hoc modo imagines diceretur aut iconolatra aut iconodulus, id est, servus imaginum, & sicut reipsa adorationis cultu se servum imaginis profiteretur, ita etiam dicere posset ad imaginem, Ego servus tuus sum, ac proinde aliquid ab ea postulare posset, sicut servus à Domino suo, quæ plane sunt absurda.*

Si dicas, esse revera aliquid in imagine, propter quod honore sit digna, nimirum similitudo ac repræsentatio sui exemplaris; Respondeo, illa similitudo aut creatum quid est, aut increatum. Si hoc non amplius cultu imperfecto sed latria colendum erit. Si illud, aut est in essentia quid homine superius, aut non est. Si est, jam inter hominem & Angelum dabitur creatura mediæ perfectionis. Si non est, tum qui rem inferiorem colit, eiq; genu flectit, stultus est.

(Hæc opponenda sunt illis, qui cum Bellarmino lib.2. de Imag. cap.21. statuunt, *Imagines Christi & Sanctorum venerandas esse non solum per accidens vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.*)

Tannerus in 2.2. Thom. Disp.4. quærit, *utrum nihilominus imagines secundum se & per se, etiam tanquam totum objectum materiale cultus, quod expresse colatur, adorari aliquo, licet inferiori, cultu possint, non adorato formaliter & directe exemplari.* Respondet autem th.95. *Nobis certum videtur, ipsam veram crucem, in qua Christus pependit, aliasq; Christi & sanctorum reliquias tanquam res sacras, posse etiam seorsim & per se coli & adorari, non adorato directe exemplari.*

Septimò, Bellarminus lib.2. de Imag. cap.25. & qui ipsum sequuntur, statuunt, *cultum, qui per se propriè debetur imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogice & reductive pertineat ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.*

(At hæc sententia adorationem imaginum tollit, sic enim concludimus: Sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago non est vere ipsum exemplar, sed vere non est exemplar. Ergo imago non vere colitur & vere non colitur. Major est Bellarmini d.l. Minor probatur. Sicut in cadavere ἐκ ἔστιν ὀφθαλμὸς πλὴν ὁμωνύμως, καθάπερ ὁ λίθινος ἢ γεγραμμένος, lib.2. de anim. cap.1. tit.9. ita imago *ἀναλόγως* solum exemplar est, vere non est.)

Octavò In plerisque templis adoratur crux facta in similitudinem *Tau Græci*. Christus itidem crucifixus, tanquam *uno clavo*, utrumque pedem habens ligno affixum.

(At in utroque decipiuntur. Primò, *in figura crucis*, quia illa, ut demonstrat Lipsius in lib. de cruce, non *commissa* fuit *decussata*, sed *immissa*, sub ea forma, qua vulgo crux Andreæ pingitur. Secundò, *in affixione pedum Christi*, quia Cyprianus pluraliter scribit, *clavis sacros pedes terebrantibus*, quem Romanorum morem quidam colligunt ex illo Plauti, *Affigantur bis pedes, bis brachia*. Unde & picturæ inveniuntur, quæ Christum quatuor clavis affixum pingunt, Lucæ in Hetruria, Romæ in Sacrario S.Petri, & in Chiemensi Monasterio Bavariæ. Quærimus ergo, utri recte adorent, an ii, qui triclave lignum agnoscunt, an vero posteriores? Si illi, ergo errant hi; si hi, ergo errant illi. Utrosque rectè adorare dici nequit, nam, ut scribit Cassander in Consult. artic. 21. pag. 974. *illæ solæ imagines dicendæ sunt, quæ speciem archetypi, quam proxime fieri potest, repræsentant.*

Nonò, Bellarminus lib.2. de Imag. c.23. *Si de reipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli impropriè, vel per accidens eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.* Sed hunc cultum improprium perstringit Gregorius de Valentia tom. 3. Disp.6. q.11. *Non solum*, inquit, *hæretici errant, qui imaginum venerationem insectantur, sed etiam illi minus circumspecte loquuntur, qui, cum probent Ecclesiæ usum in venerandis imaginibus, tamen negant, ipsas propriè honorari.*

Deci-

Decimò, Gretserus lib. 1. de cruce capite 46. disputat, *crucem honorandam*, & cap. 49. cum agit de genere cultus, *Asserimus, inquit, cum sententia communiori & in scholis magis trita, crucem colendam esse latria, hoc est, cultu divino, non quidem per se, sed per aliud: non absolute, sed cum habitudine & relatione ad prototypum.* Neve crucis significata quis distinguat, cap. 46. scribit: *Quæ de honore & adoratione crucis dicimus, non tantum pertinent ad primam illam crucem, in qua Dominus pependit, & quam sacratissimo suo sanguine consecravit: sed etiam ad imaginem & ad signum crucis, quæ imitatione primæ illius crucis fiunt. Etsi prima illa crux non modo inter imagines, sed etiam inter reliquias habenda sit. Et quod de integra cruce asserimus, hoc etiam de singulis illius crucis particulis intelligi volumus.*

Et cap. 49. *Explicandum est, quo genere cultus colenda sit, non modo prima illa crux, sed omnes imagines & signa crucis. Omnium enim una eademq; ratio est.*

Contra Franciscus Salesius in Tractatu Apologiæ suæ de vexillo crucis præfixo: *In quantum crux est res insensibilis, puta lignum sculptum, tunc nulla reverentia debetur ei, neque aliquis honor est exhibendus. In quantum est quædam res Christi, tunc adoranda est nobis adoratione hyperduliæ. At quatenus repræsentat Christum crucifixum, & aspersa est ejus sanguine, tum adoranda est eadem adoratione, qua ipse Christus, id est, latria. Quantum ad alias cruces attinet ex auro, ligno, ferro, aliave materia, non adoratur, nisi ut adorantur imagines Christi.*

(Quadrupliciter ergo Salesius distinguit crucem, primo, ut *rem insensibilem*: secundo, ut *inter reliquias*: tertio, ut *figuram Christi & aspersam sacro sanguine*: quarto, ut *imaginem primæ crucis in varia materia*. Primo modo dicit, nullo cultu colendam; reliquis modis colendam quidem, sed variè; secundo, hyperduliâ; tertio, latriâ; quarto, duliâ. Sed hæc non satis conveniunt cum illis, quæ Gretserus disputat. Gretserus & primariam crucem & reliquas omnes, sive materiatas, sive inanes, coli vult latriâ. At Salesius primam tantum latriâ, atque eam quidem non semper, sed tantum quatenus tincta est Christi sanguine. Cæterum, si nullus sanguis adsit, tum vero, vel hyperduliâ duntaxat, aut etiam duliâ simpliciter. Gretserus pronunciat, omnium, id est, crucis veræ & imaginum & signorum esse eandem rationem. Salesius vero & alii plurimum momenti ponunt in guttis, in tactu, ut veram crucem distinguant & à seipsa & à signis atque imaginibus. Hæc rursus contradictio est, dum unus omnium eandem rationem esse asserit, alter vero non eandem.)

Atque, ut reliquas contradictiones & dissensiones prætermittamus, vel solus Bellarminus in propositionibus illis quinque, in quibus suam de cultu imaginum sententiam exponit, (quas superius in Antithesi recensuimus) aliis Pontificiis & sibi ipsi & veritati variis modis contradicit. Nam

1. Contradicit *Thomæ*, qui simpliciter asserit, *imaginem & exemplar eodem cultu honoranda, ac proinde imaginem Christi latria esse colendam.*

2. Contradicit Gregorio de Valentia, Costero, Vasquez, Tannero & aliis sui ordinis hominibus, qui idem cum *Thoma* statuunt.

3. Contradicit *Concilio Tridentino*, quod sess. 25. dicit, *adorare imaginem est ipsum Christum adorare*, ex quo Gregorius de Valentia deducit, *eundem cultum deberi imagini & exemplari.*

4. Contradicit *Synodo Nicenæ secundæ*, ad quam provocat Concilium Tridentinum, in qua absolute dicitur, *imagines esse adorandas.*

5. Contradicit manifestæ praxi in Papatu, quæ testatur, imaginibus honores divinos deferri.

6. Contradicit sibiipsi. Cur enim *ad populum dicendum esse* negat, *quod imagines sint adorandæ cultu latriæ, si admitti potest, quando de re ipsa agitur, quod imagines impropriè, vel per accidens cultu latriæ colantur?*

7. Cur statuit, *dicendum esse, imagines non debere adorari cultu latriæ*, cum tamen concedat, *impropriè eas latria colendas esse.* Quid enim sit impropriè honorari, illud declarat hoc modo: *Impropriè dicitur honorari, quod honoratur loco alterius, ut quando Legatus honoratur loco Regis, honore proprio Regibus.* Quemadmodum igitur verè honoratur Legatus, quando honor Regis ipsi defertur, licet impropriè honoretur: sic juxta Bellarmini hypothesin dicendum, *vere adorari imagines cultu latriæ, quando honor prototypi illis defertur, licet id fiat impropriè.*

8. Per cultum illum *analogicum & imperfectum*, quem imaginibus competere dicit, religiosum imaginum cultum penitus destruit. Analogicum enim illum cultum sic explicat cap. 25. *Sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago est ipsum exemplar analogicè & secundum quid, nam homo pictus est homo secundum quid & analogicè, ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus & analogicus.* Subsumo, Imago est exemplar non *analogicè*, sed *æquivocè*, nam homo pictus & homo verus non conveniunt *genere analogico*, sed *æquivoco*. Ergo etiam cultus imaginum est æquivocus.

9. Bellarminus dicit cap. 22. §. Quartò. *Qui defendunt, imagines adorari latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas ipsi non intelligunt, nedum imperitus populus.* Atqui idem metuendum Bellarmino circa illum *analogicum & imperfectum* cultum imaginum. Quomodo enim ille analogicus & imperfectus cultus rudioribus ita explicari potest, ut *a dulia, hyperdulia & latria*, qui sunt cultus prototypis debiti, exactè distinguatur?

10. Ille analogicus, imperfectus ac reductivus cultus aut est *divinus*, aut *non est divinus*. Si est divinus, pars divini cultus ad imagines in se absq; exemplari consideratas transfertur. Si non est divinus, tum Deus per illum imaginum cultum non colitur, quia Deo non convenit alius honor, quam divinus.

Inde Martinus Peresius Ajala, cum diu Scholasticorum relativam adorationem impugnasset, subjungit part. 3. de Imaginibus, *Hujus doctrinæ* (si consideremus imaginem Christi vel Sanctorum, ut repræsentativa est, sic deberi illis reverentiam & adorationem, quæ & ipsis rebus, quas repræsentavit, debetur) *nullum, quod ego viderim, afferunt validum fundamentum, quod possit fideles ad id, quod docent, obligare.* Tandem concludit: *Ecclesia in hac re & multis aliis magnopere censuram desidero, nec non Episcoporum diligentiam & vigilantiam, quorum munus præcipuum est, totis nervis incumbere, ne greges sibi commissi inter pietatis pabula, quæ sine impietatis & superstitionis offendiculo esse debent, mortiferum aliquid deglutiant, in re præsertim tanti momenti, quod plerunque in hujusmodi rebus evenire solet, maxime apud idiotas & simplices.*

12. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, agnoscunt, *periculosum esse coram populo dicere, quod imagines sint latria colendæ.*

(At si hoc verum esset, coram populo illud dicere, periculo vacaret. *In abscondito locutus sum nihil*, inquit Christus Johan. 18. v. 20. Suspecta est doctrina, quæ non vult dici ad populum, cum jusserit Dominus, *ut quæ Apostoli in aurem ex se audierant, ea prædicarent in tectis*, Matth. 10. v. 27. & quæ præcepisset ipse, annunciarent *omni creaturæ*, Matth. 28. v. 20. Marci 16. v. 15.)

Bellar. l. 2. de Imag. c. 22. §. Quarto &c. *Dicere populo, imaginem Christi, vel crucem adorandam esse latriæ cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo. Nam, qui defendunt, imagines adorari latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas ipsimet non intelligunt, nedum populus imperitus.*

Suarez tom. 1. in part. 3. Thom. Disp. 54. sect. 4. *Pro concione ad plebem oportet cautissime & disertissime loqui, ut omnis erroris & idololatriæ occasio vitetur. Et ideo satis erit docere populum, imagines non propter se, sed propter personas, quas repræsentant, in honore haberi, & in ipsis imaginibus personas ipsas coli & adorari absq; subtiliori discussione.*

Et postea: *Quia materia est lubrica & obscura, & in ea non solum sunt variæ Theologorum sententiæ, sed errores etiam misceri possunt, ideo diximus, coram plebe caute & diserte esse loquendum, & potius esse rem ipsam explicandam sub communibus terminis, qui a plebe concipi possint, quam sub terminis Scholasticis, qui vix intelligi valeant.*

Secundo, Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 19. §. ult. scribit: *Hominem non proponi ab Ecclesia colendum ut imaginem Dei, quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur.*

(Atqui de imaginibus Bellarm. lib. ejusd. cap. 21. scribit, *quod honorandæ sint non solum per accidens & impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.* Ergo hic idem subest periculum, & per conseq. eadem subest causa prohibitionis.)

Tertio, Pontificii communi suffragio statuunt, *humanam Christi Naturam non latria, sed tantum hyperdulia esse venerandam.*

(Ergo

(Ergo multo minus imaginem Christi latria debebant colere. Ratio est, quia humana Christi Natura, in ὑπόστασιν Filii Dei assumta, unum cum eo constituit suppositum, ac longe arctior est unio inter divinam & humanam Naturam in Christo, quam inter Christum & ejus imaginem.)

Quartò, Gregorius lib. 9. Epist. ad Serenum scribit: *Aliud est, picturam adorare, aliud per picturæ Historiam, quid adorandum sit, discere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident, quid sequi debeant, in ipsa legunt, qui literas nesciunt.* Hoc Gregorii dictum citatur in Jure Canonico c. Perlatum. dist. 3. de Consecrat. & approbatur à Bellarmino lib. 2. de Imag. cap. 11. nec potest à Pontificiis repudiari, cum sit oraculum Romani Pontificis.

(At ex illa hypothesi potest argumentum duci contra religiosum imaginum cultum. Concedit Gregorius *relationem* in picturis, non autem *relativam adorationem.* Ut enim non adoramus literas, characteres & voces Scripturæ, quamvis illæ declarent, quis sit adorandus, ita, quamvis picta Historia referatur ad Deum, tamen ei non debetur adoratio per relationem ad exemplar, sive alio modo.)

Quintò. Male habet Pontificios, quod in Synodo Francofurdiensi à Carolo Magno Ann. 794. ex Galliæ, Italiæ & Germaniæ Episcopis magno numero congregata, religiosus imaginum cultus fuit damnatus, ideo varia quærunt effugia. Alanus Copus Dial. 4. & 5. statuit, *omnes scriptores, qui hoc asserunt, mentiri.* Atqui asserunt hoc varii scriptores, tum veteres, tum recentiores: Ado in Chronic. ætat. 6. An. 795. Schvvartzhanensis Monachus in Chronic. quod continuavit Abbas Ursperg An. 793. Hincmarus Rhemensis in lib. contra Hincmarum Laudanensem cap. 20. Ammonius lib. 4. cap. 85. Regino Prumiensis Abbas Chronic. lib. 2. Schaffnaburgensis, Sigebertus in Chron. Eginardus in vita Caroli Magni apud Erphordiensem c. 69. Althelmus Benedictinus Monachus B. Dionysii apud Parisienses in Annalibus Francorum Anno 794. Strabus Fuldensis Monachus in Annalibus Ann. 794. Egolismensis Monachus, Caroli coætaneus, in vita Caroli Magni; Padebornensis Monachus, qui sub Arnolpho Imperatore vixit, in Annalibus de gestis Caroli M. lib. 5. Ann. 94. Matthæus Westmonasteriensis lib. 6. de Florib. Histor. Ann. gratiæ 793. Hermannus Contractus Comes Veringæ, & Monachus Anglensis in Chron. Anno 794. Blondus lib. 1. Decad. 2. Mutius lib. 9. Aventinus lib. 4 p. 168. Extant etiam libri Carolini de imaginibus &c. ideo Bellarminus territus autorum istorum multitudine lib. 2. de Imagin. cap. 14. optat quidem, *sententiam Alani Copi esse veram,* sed tamen suspicatur, *esse falsam.* Aliud ergo effugium quærit, videl. *Decretis hujus Synodi non consensisse Romanum Pontificem.* Sed constat ex iisdem autoribus, *Legatos Romani Pontificis, Theophylactum & Stephanum Episcopos, Concilio isti interfuisse.*

Sextò, Alfonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. tit. Adoratio, hæresi 1. *Illæ prostrationes capitum nudationes, manuum elevationes coram cruce factæ, nihil aliud significant, quam quod per illa testamur, nos credere, Christum in alia simili pro nobis pependisse, atque ob tantum beneficium, cujus memoria per crucis aspectum innovatur, servitutem & obsequium genuflectendo profitemur.*

(Sed in hac explicatione Jesuitæ non subsistunt, verum ipsam crucem adorandam esse statuunt.)

Et postea: *Genuflexio & adoratio coram cruce facta exhibetur ipsi Deo, in cujus memoram venimus per crucis aspectum, atq; ideò gratos nos quodammodo cruci ostendimus, quod tanti beneficii nobis exhibiti memores nos efficit.*

Et paulo post: *In hac adoratione nihil aliud cruci tribuimus, quam quod credimus, Christum Dominum in ea aut alia simili pro nobis omnibus mortem subiisse, tantumque beneficium cognoscentes, quod ex crucis aspectu recordamur genibus flexis, nudatoque vertice servitutem profitemur. Denique adoratio ipsa, etsi coram cruce fit, mens tamen nostra ad id solum fertur, quod crux ipsa repræsentat, Dei scil. Filium olim in cruce pendentem.*

(In hac moderatione Jesuitæ non acquiescunt, ut ex superioribus constat.)

Septimò, Bailius in Catech. controv. tract. 2 q. 34. *Imago nos tantum ut memoriale excitat ad adorandum eum, quem nobis repræsentat.*

(Atqui, si imago tantum ut memoriale nos excitat ad adorandum eum, quem nobis repræsentat, utique ipsa non est religiosæ adorationis objectum.)

Octavò, Bellarm. lib. 2. de Imag. Sanctorum cap. 12. probat Imaginum cultum ex eo, *quod etiam Diabolus eum fastidiat. In Prato spirituali,* inquit, *legimus cap. 44. Eremitæ cuidam conquerenti, quod Spiritus fornicationis illum vexans cum illo consenuisset, nec abscedere vellet, apparuit Diabolus ac promisit, se discessurum, si is imaginem B. Virginis, quam in cubiculo habebat, non amplius se veneraturum polliceretur.*

(At hoc Diaboli in Angelum lucis se transformantis testimonium, cultum Imaginũ potius suspectũ reddere debebat.)

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad argumentum ex verbis legis divinæ Exod. 20. v. 3. *Non facies tibi sculptile.* v. 4. *non adores illud &c.* petitum, excipiunt, *hoc præcepto tantum prohiberi istam imaginem, quæ idolum dici potest, vel, quia adoratur pro Deo, vel, quia repræsentat eam rem, quæ non est Deus.* Bellarm. lib. 2. de Imagin. cap. 7. *quod responsum à nullis unquam refutari potuisse,* scribit Gregorius de Valent. lib. 1. de Idololatr. cap. 5. p. 696.

Resp. 1. Vasquez lib. 2. de adorat. Disp. 4. cap. 2. *Non pauciores autores, nec inferioris notæ opinionem oppositam, quæ mihi semper probabilior videbatur, amplectuntur, nimirum quemlibet imaginum usum hoc præcepto Dei positivo prohiberi. Sic Alexander Paludanus, sic Origenes, Tertullianus &c.*

2. Salmero in Comment. Roman. 3. Disput. 29. §. Primò. *Judæi, ne quasi pueri simulachra colerent, prohibebantur imagines & simulachra habere, nobis verò nihil tale est prohibitum.*

(Si lege illa quilibet imaginum usus Judæis fuit prohibitus, utique non tantum illa imago, quæ pro Deo adoratur, vel, quæ repræsentat eam rem, quæ non est Deus, in ea prohibetur. Ostenditur autem suo loco, non quemlibet imaginum usum, sed religiosum quarumlibet imaginum cultum in hoc præcepto prohiberi.)

3. Jacob. Tirinus ad Ex. 20, v. 4. sic annotat: *Seclusa adoratione & periculo idololatriæ, non vetatur hic usus imaginum, seu Dei veri, seu creaturarum.*

(Ergo à contrario sensu illarum imaginum usus prohibetur, quæ conjunctæ sunt cum adoratione & periculo idololatriæ.)

Exceptio 2. Ad argumentum, *quod per cultum imaginum committatur idololatria,* excipiunt, *cultum illum non imaginibus, sed prototypo deferri.* Anglo-Rhemens. in annot. Phil. 2. s. 2. Rayhing. in Enchir. Cath. p. 514.

Resp. 1. Hic color etiam à paganis afferri fuit solitus, ut ostendimus superius membro 6. nec tamen per illum ab idololatria se purgare potuerunt.

(Etiam Judæi cultum imaginum ad Deum retulerunt, & tamẽ ut idololatræ à Deo puniti fuere, Ex. 34. v. 4. Jud. 17. v. 5.)

2. Ostendimus itidem superius membro 8. *quod de genere & modo cultus,* qui imaginibus deferri debet, invicem non dum conveniant. Quidam enim dicunt, *imaginem honorari eodem honore, qui debetur prototypo, quia peculiariter non honoretur, nec honorari debeat absque prototypo,* unde *adorationem latriæ tribuunt imagini crucifixi.* Hanc opinionem amplectitur Thomas, Bonaventura & multi alii, quos recenset & sequitur Vasquez tom. 1. p. 3. D. 108. c. 3. Alii verò, ut Catharinus in opere de Ador. Imag. concl. 6. & 7. Ayala de Tradit.

3. Statuunt, *imaginibus non deberi eundem honorem, qui defertur exemplari, sed inferiorem.* Mediam sententiam amplectuntur Sanderus, Piggius, Bellarmin. Suarez &c. qui docent, *quando imagines cum prototypis honorantur, tunc uno honore, & quidem eodem, qui exemplari competit, honorari; si vero seorsim absque exemplari, & tamen propter exemplar honorantur, tunc inferiori honore, quam est is, qui exemplari defertur, honorari.*

(Quomodo igitur absolute & simpliciter obvertere poterunt, quod unanimi consensu cultum illum non imaginibus, sed prototypo deferant? Ac probe notandum, quod omnes Concilii Tridentini sententiam pro se interpretentur, quo modo igitur possunt provocare ad Concilium Tridentinum, quod in eo definitum fuerit, *cultum illum non imaginibus, sed prototypo deferri?*)

4. Si verba Concilii de secunda sententia accipere velimus, cogentur sustinere censuram eorum, qui hanc sententiam dicunt superstitiosam, idololatricam & stolidam.

Vasquez d. l. cap. 9. *Qui imaginem per se, non adorato in ipsa exemplari veneratur, stultitiæ seu idololatriæ insimulari potest, aut, quia rei irrationali se subjicit, & contra rectam rationem se servum exhibet, aut, quia dum illi se submittit, aliquod Numen, aut dignitatem,*

tatem, aut virtutem ei tribuit, quod est error gentilium, non Christianorum religio.

5. Pontificii Doctores hodierni communiter illam sententiam, *quod proprie & vere non imagines, sed earum prototypa in eis & per eas adorentur*, (quam Durandus, Holcot, Picus Mirandula, Petrus Cluniacensis, Jonas Aurelianensis, Alphonsus à Castro, Payva amplectuntur,) tanquam *periculosam, temerariam & hæresi proximam* improbant, ut patet ex Suarez tom. 1. in p. 3. D. 54. sect. 3. conclus. 2. ubi memorat, Medinam in Comment. super p. 3. Thom. q. 25. artic. 3. referre, quod Victoria dixerit, *Durandi sententiam esse hæresin*; nimirum, quia in septima Synodo definitum, *Imagines per se & propriè adorandas esse*, quam septimam Synodum confirmat Concilium Tridentinum.

(Quomodo ergo ad latibulum illud se recipere possunt, *quod non honorent, vel adorent imagines in se ac per se, sed in imaginibus, coram imaginibus & per imagines prototypum?*)

Exceptio 3. Ad idem argumentum excipiunt, *quod aliud sit imago, aliud idolum.*

Azorius lib. 9 Instit. c. 7. *Appellat Calvinus imagines Sanctorũ idola & simulachra, quasi à sacris promiscue usurpantur. Falsum hoc.*

Resp. Esse discrimen inter *imagines*, quæ non ad cultum religiosum, sed ad alios fines licitos adhibentur, & inter *idola*, quibus religiosus cultus defertur, concedimus.

(Synodus Francofurtensis sub Carolo Magno habita, lib. 1. in præfat. perstringit Synodi Constantinopolitanæ Patres, qui sub Constantino Copronymo *Imagines esse abolendas* decreverant p. 92. juxta edit. Goldasti in 8. nescientes, *imaginem esse genus, idolum vero speciem; & speciem ad genus, genus ad speciem referri non posse. Nam, cum pene omne idolum imago sit, non omnis imago idolum; alterius & longe alterius definitionis est idolum, alterius imago, cum videlicet istæ ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas fiant: illud autem nunquam, nisi ad miserorum animas sacrilego ritu & vana superstitione inliciendas: & imago ad aliquid, idolum ad seipsum dicatur.*

Dominicus à Soto in cap. 1. Rom. *Idolum idem est quod simulachrum. Cum vero sensuales homines imagines sensibus objectas tanta veneratione susciperent, data inde occasione Dæmonia illuc ingressa, responsa dare cœperunt.*)

Sed discrimen illud à prima vocum origine descendere, ac perpetuo stricte observari, vel etiam tale discrimen vocabulis hisce intercedere, quale Pontificii statuunt, negamus.

Nam 1. Gregorius de Valentia lib. 3. de Idololatr. cap. 8. §. Quod autem. & alibi passim promiscue accipit, *Idolum*, inquit, *Græce imaginem, sive simulachrum significat.*

Ibid. *Beatus Petrus innuit, aliquem esse simulachrorum & idolorum cultum licitum.*

2. Cardinalis Palæotus lib. 1. de sacris & prophan. imagin. cap. 3. *idolum, imaginem & simulachrum* pro eodem accipi testatur: *S. Hieronymus* (inquit) *scribit, ubi in sacris literis idola positum est, Aquilam figuras, vel imagines interpretatum esse. Et apud Ciceronem legimus, Imagines, quæ idola nominantur. Et Plato, idola vocamus imagines, quæ in aquis & in speculis sunt, & quæ picta sunt, & quæ typis seu figuris expressa, atque alia hujusmodi. Ita simulachri nomen, quod Latine dicitur, pro eo acceperunt, quod est idolum apud Græcos, cum in Latina interpretatione, ubi dicitur in Psalmo: Simulachra gentiũ argentum & aurum, Græce dicantur τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν.*

3. Jus civile, quod tradere nobis potest & usum termini illius, & differentiam verborum, facit *imagines & idola* unum & idem, ubi *simulachrum*, ut Bellarminus fatetur lib. 1. de Imag. cap. 5. verbum Latinum ponitur *pro Græco εἴδωλον*. Idem jus civile *imaginem & simulachrum*, hoc est, idolum pro uno eodemque accipit, Cod. lib. 1. tit. 27. l. 3. Quas Imp. vocat *sua serenitatis imagines* in proximo titulo 28. l. 1. idem Imp. Theodosius *Imperatoria simulachra* appellat.

4. Erasm. in 1. Cor. 8. p. 335. sic scribit: *Certè Ambrosius nullam novit discrimen inter idolum & simulachrum, nec ego ullum video.*

5. Bellarminus lib. 2. de Imag. c. 7. scribit, *idolum esse imaginem, quæ habetur pro Deo.*

(At si imagines non sunt idola, & vicissim, cur idoli genus statuit imaginem.)

lib. ejusd. cap. 11. inquit, *Alexandrinum Severum coluisse imagines Christi & Abrahæ cum cæteris suis idolis.* Et Damascenum citans cap. 11. & 16. testantem, *fuisse aliquos Christianos, qui Christi & Sanctorum imagines quasi Deos colerent*, dicit, *tales accedere ad idololatriam.*

(Agnoscit igitur, imagines, quibus cultus divinus exhibetur, recte vocari idola.)

6. Durandus Mimatensis Episc. lib. 1. Rational. in Summario c. 3. n. 4. *Immodicus idolorũ usus reprobatur, moderatus probatur.*

Cardinalis Cajetanus in Comm. super Exodi 20. *Perspicuum est, in tabernaculo Dei fuisse idola Cherubinorum.* (Illi accipiunt vocem idoli in bonam partem.)

7. Lorinus in cap. 17. Actor. v. 16. agnoscit, *quod vox εἴδωλον apud profanos autores æque late pateat, atq; εἰκὼν, & si Latinitate utraq; donetur, eandem esse significationem idoli & iconis, sive imaginis.*

Exceptio 4. Ad idem argumentum excipiunt, *Imaginem dici veram rei similitudinem, ut cum pingimus hominem, equum &c. idolum falsam similitudinem, quæ repræsentet id, quod revera non est*, ex quo inferunt, *per religiosum imaginum cultum à se non comitti idololatriam, cum imagines Christi & Sanctorum sint veræ rerum similitudines*, Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 5.

Resp. Ipsimet Pontificii discrimen illud non observant. Bellarm. lib. 2. de Imag. c. 7. *Sine dubio non prohibetur in Decalogo omnis imago, sed solum illa, quæ dici potest idolum, id est, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræsentat tanquam Deum eam rem, quæ non est Deus.*

(Ergo imago est etiam falsa rei similitudo.)

lib. ejusd. cap. 11. *Ælius Lampridius imagines Christi & Abrahæ una cum reliquis idolis colens, erat idololatra*, (& tamen imagines Christi & Abrahæ erant veræ rerum similitudines.)

lib. ejusd. cap. 24. *Vel imagini exhibetur cultus latriæ per se, & hæc est idololatria.*

(Ergo etiam vera rei similitudo potest fieri idolum, si cultus latriæ per se illi tribuatur.)

Gregorius de Valentia lib. 3. de Idol. cap. 8. *Innuit Petrus, aliquem esse licitum simulachrorum & idolorum cultum.*

(Atqui falsæ similitudinis non datur cultus licitus.)

Martinus Peresius Episcopus Hispanus part. 3. de Tradit. fol. 225. fatetur, *Augustinum ob id videri gentes damnare, quod honores divinos simulachris tribuerint, ea ratione, qua Deum repræsentabant. Multa enim*, inquit, *idola erant, in quibus nec Dæmon aliquis respondebat, sed tantum benefactorem Deum repræsentabant.*

(Ergo etiam sunt idola, quæ res revera existentes repræsentant.)

Cornelius à Lap. in Deut. 5. v. 8. *Licet Origenes & Theodoretus strictius hoc idolum accipiant, ut sit effigies rei non existentis, quomodo Gentiles Sphinges, Tritones, Centauros, aliasq; Chimæras effingebant: similitudo vero, quæ deinceps prohibetur, sit rei existentis expressio, verbi gratia, imago Solis, Lunæ, hominum &c. melius tamen secundum communem ejus significationem accipiemus idolum, ut sit simulachrum falsi Dei & ficti, sive Deus ille sit res aliqua vera & existens, sive non.*

Ostendit hoc res ipsa. Hac enim ratione 1. Gentiles non essent idololatræ, quando veras rerum similitudines religiose coluerunt. 2. Pictores, *qui imaginem magni Christophori, aut Mosen cornutum pingunt*, idola fabricarent.

Exceptio 5. Ad idem argumentum excipit Gregorius de Valent. de Idololatr. tom. 3. Disp. 6. q. 2. *idololatriam esse cultum, quo honor divinus tribuitur creaturæ alicui, sicut Deo*; quam definitionem sic exponit punct. 3. *Eum divinos honores conferre creaturæ ut Deo, qui eam divino cultu sic prosequitur, ut eo in quantum in se est, velit illi opinionem conciliare talem, qualis revera in solam Dei majestatem competit. Itaque*, inquit, *duo necesse est concurrant, ut idololatriæ crimen admittatur, unum est, ut quod honoris vel cultus creaturæ tribuitur, id uni Deo debitum sit: alterum, ut hoc, quicquid est honoris divini, ita vere impendatur creaturis, sicut Deo impendi oportebat. Itaq; utroq; istorum concurrente, verum idololatriæ crimen erit, alterutro vel utroq; deficiente non erit, ex quo porro infert, in religioso imaginum Christi, Mariæ & Sanctorum cultu non committi idololatriam.*

Atqui 1. assumentum illud peregrinum, *ut Deo*, ipsemet interdum omittit, utpote quando punct. 1. scribit: *Asserimus, idololatriam esse cultum divinum Diis falsis, atq; adeò creaturæ tribuere.* punct. 3. disputat *de idololatria exteriori*, quam committi docet, *cum veneratio nõ procedit ab infidelitate interiori, qua creatura putetur esse Deus, aut etiã ab expressa & directa voluntate conciliandi creaturæ divinã existimationem; per hanc idololatriã exteriorẽ plus peccari, quam per interiorem ex ignorantia ortam* punct. 2. concludit.

Bellarm. lib. 2. de Reliq. & Imagin. cap. 4. §. Dices, nec coluerunt &c. sic scribit: *Num. 21. jubente Mose, aspiciebant Judæi,*

tacti à serpentibus, in serpentem aeneum, & curabantur; nec tamen eum adorabant cultu latriae; quia nimirum Moses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum duntaxat salutis: at 4. Reg. 18. eidem serpenti, tanquam Deo sacrificabant, cum tamen jam nulla operaretur miracula.

(At non habebant illum pro creatore coeli & terrae, sed quia honorem sacrificii soli Deo debitum, illi deferebant, tanquam Deum coluisse rectè dicuntur. Testatur etiam res ipsa, assumentum illud esse peregrinum. Quando enim creaturae alicui divinus honor exhibetur, eo ipso creatura ista in Dei locum evehitur, ac pro Deo habetur, siquidem divinus honor non est nisi is, qui Deo debetur. Ac si non est idololatra, nisi qui divinum honorem tribuit creaturae *ut Deo*, nec Israëlitae colentes Deum in vitulo aureo, nec Ethnici colentes eum in simulachris, idololatrae erunt; nec Ariani & Nestoriani à priscis Ecclesiae Doctoribus idololatriae accusari potuissent, illis enim nihil minus erat propositum, quàm Christo, ut Deo divinum honorem deferre. Perinde igitur in hac idololatriae (quam Scriptura vocat *spirituale adulterium*) definitione Gregorius de Valentia agit, ac si quis *adulterium corporale* definire *velit concubitum cum altero, qui non sit conjunx*, tanquam *cum conjuge*, ac proinde *adulteram non esse, quae commisceatur ei, quem non habeat pro conjuge, sed eam tantum, quae alteri ceu conjugi se prostituit*.)

2. Quidam ex ipsis Pontificiis in definitione idololatriae peregrinum illud assumentū omittunt, ac simpliciter eam sic definiunt, quòd sit *error, quo Deo debitus honor creaturae tribuitur.*

Thom. 2.2. q. 94. art. 1. *Idololatria est superstitio, qua creaturae divinus cultus exhibetur*, quod repetit lect. 3. in cap. 5. Eph.

Johannes Gerson in Reg. moral. tit. de Superbia lit. M. *Idololatria est exhibitio honoris verè, vel interpretativè, aut attributivè divini alicui creaturae aliter, quàm sibi potest competere.*

Altensteig in Diction. Theolog. *Est idololatria simulacrorum cultura, vel est cultus Deo debitus creaturae exhibitus. Et S. Thomas secunda secundae, quaestione nonagesima quarta, articulo primo: Idololatria est exhibere latriam, id est, cultum Dei creaturae. Unde idololatra est idolorum cultor.*

Catech. Trident. in explic. primi praecepti. *Moses, cum populum ab idololatria avertere vellet, ajebat: Non vidistis aliquam similitudinem in die, quâ locutus est vobis Dominus in Horeb &c. quod sapientissimus Legislator ideo dixit, ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem creaturae tribuerent.*

Cajetan. in Summula de peccatis. *Idololatria, qua scilicet alteri, quàm Deo divinus cultus exhibetur, peccatum est mortalissimū.*

Alphons. de Castro in Idololatria. *Etsi apertissimè lex Dei idololatriam abominetur, non defuere tamen ex his, qui se Christianos jactarunt, qui aliud praeter Deū coluerint & colendum esse docuerint.*

Exceptio 6. Ad argumentum nostrum, *quod Synodus septima sive Nicena secunda religiosum cultum imaginum stabiliens reprobata sit in Synodo Francofurtensi à Carolo M. habita*, excipiunt, *Concilium illud Francofurtense non damnasse Nicenum secundum, sed Constantinopolitanum sub Copronymo.*

Alanus Dial. 5. cap. 14. *Hoc igitur affirmo, hanc Francofurdensem Synodum celeberrimam fuisse ex trecentis plus minus Italiae, Germaniae, Galliae Episcopis; atque in ea Felicem Urgelitanum Episcopum, qui Christum Dei tantum filium adoptivum asserebat, damnatum. In ea Pseudo-Synodum Iconomachorum abrogatam.*

Greg. de Valent. lib. 2. de Idol. c. 7. *Quod narrat de Francofordiana Synodo, in qua sub Carolo Magno Synodus septima, h. e. altera Nicena damnata fuerit, merum est figmentum. Nam Synodus verè Francofurtiana non damnavit hanc septimam Synodum pro imaginibus, sed aliam Pseudo-Synodum Constantinopoli ab Iconomachis habitam contra imagines.*

Similia occurrunt apud Alphonsum de Castro & alios.

Resp. Editus est liber, continens refutationem Actorum Nicenorum sub nomine Caroli M. donatus jure publico à Joh. Tullio Episc. Maldensi Lutetiae impressus Anno superioris seculi 49. (Testimonium habet ab Augustino Steucho, qui in Apol. donat. Constant. testatur, *se vidisse in Biblioth. Vaticana priscis Longobardorum characteribus exaratum.*) In eo primum quidem in praefatione brevibus disputatur contra Concil. *Constantinopolitanum*, quod imaginum usum penitus improbaverat, postea verò severius & prolixius contra *Nicenum secundum*, quod religiosum imaginum cultum stabiliverat. Verba sic habent: *Gesta praeterea est fermè ante triennium & altera Synodus illis in partibus ab eorum, qui priorem gesserant, successoribus, vel à plerisque, qui in priore fuisse narrantur: quae tamen, quanquam à priore distet voto, non tamen distat errore: etsi dispar est negotio, est tamen compar flagitio; & cum sit posterior tempore, non tamen est posterior crimine. Nec immerito in unius barathri caenosum locum, quanquam per diversa fluitantes, confluere videntur, quae ab unius jactantiae & vanae laudis fonte scaturiisse creduntur. Haec enim anathematizata & abominata cum suis autoribus priore, imagines, quas prior etiam nec cernere permiserat, adorare compellit.* Et ubicunque, *sive in divinae Scripturae locis, sive in sanctorum Patrum commentariis, quamcunque repererunt imaginum mentionem, erga suae voluntatis arbitrium vertunt in adorationem.* Et post pauca. *Cum in neutra parte neque isti, neque illi, temperantiae teneantur habenis, sed utrique praecipites per abrupta discurrant & dispari cursu ferantur, uno tamen occursu Sponsae Christi Ecclesiae, cui ipse dicit in Canticis Canticorum, tota speciosa es, amica mea, & macula non est in te: maculam inferre conantur: dum & illi ei bene habita abjicere, & isti bene habitis malè uti suadent: dum scil. & illi ei ornamenta auferre studeant, & isti eam ornamenta adorare permoveant.* Et iterum: *Nos denique Propheticis, Evangelicis & Apostolicis Scripturis contenti & sanctorum Orthodoxorum Patrum, qui nullatenus in suis dogmatibus ab eo qui est via, veritas & vita, deviarunt, institutis imbuti, & sanctas & universales sex Synodos, quae pro variis haereseorum (sic vocabant haereticos) infestationibus à sanctis & venerabilibus Patribus gestae sunt, suscipientes omnes novitates vocum, i. e. stultiloquas adinventiones abjicimus, & non solum non suscipimus, verum etiam tanquam purgamenta despicimus sicut & eam, quae propter adorandarum imaginum impudentissimam traditionem in Bithyniae partibus gesta est, Synodum, cujus Scripturae textus eloquentia, sensuque carens, ad nos usque pervenit, contra cujus errores ideò scribere compulsi sumus, ut si cubi fortè, aut manus tenentium, aut aures audientium inquinare tentaverit, nostri styli divinarum Scripturarum autoritate armati invectione pellatur &c.*

2. In Annalibus incerti autoris à Pithoeo editis ad Annum 794. sic annotatur: *Synodus habita in Francofurt, in qua haeresis Feliciana coram Episcopis Germaniarum & Galliarum, Italorumque praesente magno Principe Carolo & missis Adriani Apostolici Theophylacto & Stephano Episcopis, tertiò damnata est, & rata stipulatione damnatio roborata &c. Pseudo-Synodus Graecorum pro adorandis imaginibus habita & falsò septima vocata ab Episcopis dānatur.*

3. Similia occurrunt apud Rheginonem lib. 2. Chronic. ad eundem Annum, Aimonium lib. 4. cap. 85. Adonem, Hincmarum & Urspergensem.

4. In Synodi illius capitibus editis ad finem operum Alcuini sic legitur: *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut, qui imaginibus sanctorum ita ut Deificae Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnibus modis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

5. Aventinus lib. 4. Annal. *Scita Graecorum de imaginibus adorandis* (in Synodo Francofurtensi) *rescissa sunt.*

6. Bellarminus ipse. *Optarem, hanc sententiam esse veram,* (quae negat, Synodum septimam sive Nicenam secundam in Francof. damnatam,) *sed suspicor, esse falsam.* Et addit hujus suspicionis argumenta.

7. Baronius Anno 794. & prolixè contra eam Synodum disputat, & contradicit illorum sententiae, qui negant, *in ea damnatam Nicenam. Cum constet*, inquit, *eam ab illis assertam damnatam fuisse septimam Synodum, quae pro cultu sanctarum imaginum statuta fuit, utique ad Nicenam, non ad Constantinopolitanam eandem septimam damnatam Synodum esse referendam, licet sit ab illis erratum in nomine, aequus arbiter judicabit, nec nos tale judicium subterfugimus.*

Confer ea, quae superius de libris Carolinis sunt adducta.

Argumenta Adversariorum.

1. *In V. T. imagines Cherubin super arcam existentes, necessario adorabantur ab iis, qui arcam adorabant, Ex. 25. Serpens quoque aeneus non poterat non honorari, cum in loco sublimi à Deo positus fuisset, & salutem miseris in se aspicientibus adferret, Num. 21.* Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 12. §. 1.

Jacobus Tirinus ad Ex. 25. *Nota contra haereticos, eodem sensu & modo, quo jubentur Hebraei adorare arcam, Christianos jam adorare, id est, honorare reliquias & imagines Dei ac sanctorum.*

Resp. 1. Carolus Magnus lib. 1. de Imag. cap. 15. *Fecisse sanctus Moses, praecipiente Domino, propitiatorium & arcam Testamenti, & duos Cherabin aureos, nec non excidisse tabulas lapideas legitur: non tamen adorare jussisse, nec ea ob praeteritarum quarundam rerum*

rerum memoriam, sed ob futurorum mysteriorum sacratissimam præfigurationem creditur condidisse.

lib. ejusdem cap. 20. *Quæ dum ita se habeant, quantæ sit absurditatis, quantæq; dementiæ illis, qui his sacratissimis & summo honore dignis rebus, præcipiente Domino, à Legulatore conditis imagines æquiparare conantes, illarum adorationem his exemplis stabilire moliuntur, nec ferrea vox explicare, nec nostri sensus existimatio poterit indagare, præsertim cum illa sacratissimorum sensuum exuberent arcanis, hæc parum utilitatis habeant, excepta recordatione rei, cujus sunt.*

De æneo serpente lib. 1. cap. 18. *Æneus serpens, præcipiente Domino, à Mose conditus & in sublimi positus, non ut adoraretur, sed ut ad tempus ignitorum serpentium virosis obsisteret morsibus, quod ab imaginibus Sanctorum a Deo non mandatis negat esse expectandum.*

Ibid. *Æneus serpens ad tempus, ut vulneratis à serpentibus prodesset, fuit necessarius, per quem postmodum inolevit excelsorum insolentissimus usus, cui, cum vidisset Ezechias Rex justus incensa adolere, & quasdam culturas exhibere, magnaq; ex parte populum peculiari tanto persuasum errore, eum non distulit frangere, quem & per Legislatorem ad profectum noverat conditum fuisse, & à populo cernebat celebrari vano cultu & superstitiosa religione.*

2. Quidam Pontificii concedunt, *cultum imaginum esse ex traditione*, ut ostendimus superius membro 2. quomodo igitur ex Scriptura cultus ille poterit probari.

3. Bellarminus lib. 3. de Cult. Sanctor. cap. 3. §. Idem &c. *Veteres scribunt, Apostolicam esse traditionem, ut oremus conversi ad Orientem*, cujus Ceremoniæ quinque rationes ibidem affert.

(At qui orant facie ad Orientem conversa, non statim ipsũ Orientem, sive Orientalem mundi plagam adorant. Ergo non statim, quæ simul sunt, simul necessario adorantur. Judæi nec Cherubin, nec arcam adorabant, sed Deum in arca gratiose præsentem. Magi Christum in præsepi positum adorabant, nec tamen præsepe adorabant.)

4. Pontifex Romanus, *equitans asello, est adorabilis*, teste Tannero in Thomam pag. 698.

(Nec tamen ejusdem asellus, cui insidet, est adorabilis.)

5. Pontificii non contenti sunt *honore imaginum*, quem libenter concedimus, sed requirunt insuper *religiosum cultum ac adorationem imaginum*, quam negamus.

(Ergo Bellarmini argumentum à serpente æneo deductum est à scopo alienum. Probat enim, serpentem illum æneum in sublimi positum, tanquam sacrum symbolum divinitus propositum fuisse honoratum, cum probare deberet, eum fuisse religiose adoratum, quod ut in sacris literis non habetur, ita nec ex eis probari poterit. Contrarium potius ex illis elucet, videlicet, quod serpens ille æneus non debuerit adorari. Cum enim serpens ille æneus per oblationem sacrificii religiose coli inciperet, ab Ezechia Rege abolitus & exustus fuit, 2. Reg. 18. 2. Paralip. 29. Hinc Bellarminus ipse sic scribit lib. ejusd. cap. 4. §. Dices, nec coluerunt. *Num. 21. jubente Mose, aspiciebant Judæi tacti à serpentibus in serpentem æneum, & curabantur, nec tamen eum adorabant cultu latriæ, quia nimirum Moses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum dumtaxat salutis: at 4. Regum 18. eidem serpenti, tanquam Deo sacrificabant, cum tamen jam nulla operaretur miracula, & ideo ab Ezechia confractus fuit.*)

6. Lyranus ex R. Salomone probat Num. 21. *in ipso serpente æneo non fuisse virtutem saucios Israëlitas sanandi, sed aspicientes cognovisse, quod afflictio illa juste sit illata à Deo, ac petentes ab eo misericordiam sic fuisse sanatos.*

(Ergo serpens ille æneus non eo fine in sublimi fuit positus, ut religiose coleretur, sed ut aspectus ejus esset symbolum sanationis à Deo petendæ ac sperandæ Sap. 16. v. 7. & typus Christi in crucem evehendi, ac salutem collaturi illis, qui oculis fidei eum aspicerent, Johan. 3. v. 14.)

7. Vasquez in part. 3. Thom Disput. 106. cap. 2. ad hoc ipsũ argumentum respondet, *figuras in V. Test. non fuisse ad adorandum expositas.*

Ibid. Disput. 104. cap. 6. contra Bedam disputans, diserte scribit, *nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis aliquem cultum fuisse delatum.*

Disp. 49. c. 5. de serpente æneo sic disserit: *Ex Scriptura solum constat, propositum fuisse populo aspiciendum; cumq; simplex ille aspectus, etiam gratia recipiendi sanitatem, non videatur esse aliqua submissionis nota, non erit dicenda adoratio: nullus vero alius cultus jussu Dei illi exhibebatur; signum ergo est, illum nunquam fuisse adoratum, id quod mihi maxime probabile sit.*

Ibid. *Jussit Deus eos erectos & stantes absq; ulla submissionis nota & adoratione in ipsum aspicere, ut tota animi reverentia in Deum autorem illius ferretur: nullam vero corporalem adorationem, aut submissionis notam in eum dirigerent.*

8. Lorinus in cap. 17. Actor. Apost. v. 25. *De Cherubinis, jussu Dei factis, & de aliis imaginibus à Salomone, dicendum, fuisse duntaxat ut Appendicem & additamentum ornatus alicujus rei, non vero per se propositas modo accommodato adorationem, quam constat quoque ex Hebræis ipsis non fuisse exhibitam, quod utrumq; docet Tertullianus. Eritq; id magis verum, si verum est, Cherubim ore, manibus, cruribus, erectione corporis, humanam; jubæ à pectore & cervice pendentibus leoninam, alis aquilinam, ungulis pedum vitulinam figuram retulisse.*

(Locus Tertulliani, quem Lorinus intelligit, extat lib. de Idol. cap. 5. *Apostolus*, inquit, *affirmat, omnia tunc figurate populo accidisse.*

Et postea: *Bene, quod idem Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcepto serpentis similitudinem introduxit. Si eundem Deum observas, habes legem ejus, Ne feceris similitudinem: Si & præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Mosen. Ne facias adversus legem simulachrum aliquod, nisi & Deus tibi jusserit.*)

9. Notandum etiam illud, quod Cherubini fuerint *extra populi conspectum* loco, quem solus Pontifex semel quotannis ingrediebatur, quod ne ipsi quidẽ Pontificii negare poterunt.

Argum. 2. *Scriptura docet, creaturas religiose honorandas propter solam relationem ad Deum, ut Psal. 99. Adorate scabellum pedum ejus. Matth. 5. Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est; nec per terram, quia est scabellum pedum ejus; ubi prohibentur juramenta sine debitis circumstantiis per cœlum & terram, ne contumelia fiat ejusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum*, Bellarminus d. l.

Resp. 1. Carolus Magnus lib. 2. de Imagin. cap. 5. ad locum Ps. 99. *Adorate scabellum pedum ejus*, à Synodo Nicæna secunda pro imaginum cultu itidem adductum ex Ambrosio & Augustino eo modo respondet, ut adorationem scabelli mystice de Christi humanitate interpretetur: *Augustinus*, inquit, *diligentissimus exquisitor, corpus Domini, quod de Maria Virgine sumsit, scabellum pedum ejus asseruit, sentiri debere propter Naturam humanitatis, quam dignatus est assumere, quod utiq; illi virtuti sic est subjectum atq; unitum, ut constet, id omnibus creaturis esse excelsius.*

Et postea: *Notandum sane, quia non dixit Psaltes: Quoniam sanctum est, sed quoniam sanctus est, scilicet ut corpus Domini à divinitate non discernatur, salva utriusq; Naturæ proprietate, sed ad unam personam referatur.*

(At talem excellentiam imaginibus inesse nemo Pontificiorum dicere poterit.)

2. Argumentum hoc Pontificiorum non concludit *Universaliter* de imaginibus, sed duntaxat de imaginibus Dei. Nam hæ solæ dici possent habere quandam relationem ad Deum, cum reliquæ relationem habeant ad creaturas. Jam vero quidam ex Pontificiis agnoscunt, *imagines Dei esse prohibitas*, ut vidimus superius membro tertio.

3. Benedictus Arias Montanus & Pagninus textum Ps. 98. v. 5. sic reddunt: *Incurvate vos scabello pedum ejus.*

(Ergo non de religiosa adoratione, sed de externa reverentia sacris symbolis debita sermo est.)

4. Iidem v. 9. istius Psalmi sic reddiderunt: *Incurvate vos monti sanctitatis ejus*, (ubi in Hebræo est idem verbum & eadem constructio.) At si religiosa *arcæ* adoratio in v. 5. stabiliretur, etiam religiosa adoratio *montis* ex v. 9. probari posset. Carolus Magnus lib. 4. de Imagin. c. 7. *Carnalibus datus fuerat locus terrenus, ubi orarent, non ut locum aut rem aliquam in eo positam adorarent, sed in eodem loco adorarent Dominum, spirituales autem in Spiritu & veritate &c. oraturos Dominus dixit.*

5. Iidem locum 1. Paralip. 13. v. 6. sic reddiderunt: *Ascendit David & omnis Israël Babalathah in Chiriathiarim, quæ in Jehuda, ut ascendere facerent inde arcam Dei Domini, sedentis super Cherubim, super quam invocatum est nomen.*

(Ex quo colligitur, Israëlitas nequaquam religiose invocasse arcam ipsam, sed Deum super arcam in medio Cherubin gratiose præsentem religiose adorasse; proinde, si incurvandi verbum de religiosæ adorationis cultu in Psalm. 98. accipere

velimus, verba sic esset reddenda: *Adorate ad scabellum pedum ejus, quia sanctus ipse.* Lyranus: *Adorate ante scabellum pedum ejus.* Sicut & Vatablus in h. l. annotat. *Scabello pedum, id est, in templo,* ut Chaldæus paraphrastes vertit. Hebræi *scabellum pedum Dei* intelligunt *arcam*, super quam præsentiam suam exhibebat Deus. Hunc sensum secuti sunt Jansenius in Paraphrasi & ipse Lorinus. Ac potest conferri hic locus cum Psalm. 132. v. 7. *Adoremus in loco, ubi steterunt pedes ejus;* ad quem versiculum Genebrardus sic annotat: *Quasi dicat, coram scabello pedum ejus procidite, quasi ante pedes ejus prostrati.*)

6. Lombardus, Dionysius Carthusianus, Franciscus de Puteo secuti Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum & Glossam accipiunt de corpore Christi, quod de Maria Virgine assumsit, in quo majestas divinitatis tanquam super scabellum stat.

7. Ex loco Matth. 5. Bellarminus ipse nihil aliud infert, quam quod *creaturis, quatenus ad Deum relationem habeat, non debeat fieri contumelia.*

(Atqui ex eo nondum sequitur, quod creaturæ, etiam quatenus ad Deum relationem habent, sint religiose adorandæ. Multò minus ergo ex eo inferri poterit, *Imagines esse religiose adorandas*, quia Dei potentia, sapientia, bonitas ac majestas non ita elucet ex imaginibus, sicut ex creaturis, præsertim rationalibus.)

8. In c. Considera caus. 22. q. 1. citatur dictum Hieronymi. *Considera, quod Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per cælum & terram, & per Hierosolymam & per caput tuum, Matth. 5.*

Item c. Movet. caus. & quæst. iisdem, citatur dictum Augustini: *Deus per creaturas jurare prohibuit, ne vel more gentilium aliquod Numen Deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne creaturas contemtibiles judicando per eas promissa pro nihilo duceremus.*

Thomas in Catena ad locum Matth. *Considera, quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per cælum & terram, & per Hierosolymam, & per caput tuum: hanc enim per Elementa mundi pessimam consuetudinem semper habere Judæi noscuntur. Qui autem jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. Judæi autem per Angelos & urbem Hierosolymam & templum & Elementa jurantes, creaturas venerabantur Dei honore, cum in lege præceptum sit, ut non juremus, nisi per Dominum Deum nostrum.*

(Invertimus ergo argumentum; Si per creaturas etiam quatenus ad Deum relationem habent, non licet jurare, Ergo nec creaturas, etiam quatenus ad Deum relationem habent, licet religiose adorare. Quæ enim juramenti, eadem etiam est religiosæ adorationis ratio. Unde etiam Pontificii, quia religiose invocant sanctos, etiam jurant per sanctos. Si posset ex loco Matth. 5. probari, *creaturas esse religiose colendas*, posset ex eodem inferri, *Hierosolymam etiam esse religiose colendam*, quod ne ipsi quidem Pontificii concedunt.)

Argum. 3. *Scriptura docet, creaturas dici sacras propter relationem ad res sacras. Exodi 3. Locus, in quo stas, sacer est. Exodi 12. dies Paschæ dicitur sancta, Exodi 28. vestes Sacerdotum dicuntur sanctæ, 2. Tim. 3. Scripturæ dicuntur sacræ literæ. At imagines Christi & sanctorum etiam institutæ sunt ad significandas & repræsentandas res sacras. Ergo eas licet honorare.*

Resp. 1. Aliud est imagines honorare, aliud religiose eas adorare. Prius concedimus. Sed hac concessione Pontificii contenti non sunt, verum insuper religiosam Imaginum adorationem requirunt, quam allata Scripturæ dicta non probant.

2. Invertimus potius argumentum. Nec locus sacer, nec dies Paschæ, nec vestes Sacerdotum, nec sacræ literæ religiose adorantur. Ergo, nec imagines, quas Bellarminus cum illis confert, religiose adorari debent. Quinimo, si propterea imagines sunt adorandæ, quia *sacræ*, ergo etiam sancti in terris viventes erunt adorandi, *quia dedicati sunt cultui divino.*

3. Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 19. §. 3. sic scribit: *Quemadmodum calices & vestes & ipsi homines fiunt sacri, quod dedicantur cultui divino, & separantur à profano usu: ita etiam imagines fiunt sacræ, cum ponuntur ab Ecclesia in templis vel aliis locis sacris &c. ut serviant cultui rerum sacrarum.*

(Subsumo. Imagines in N. Testamento non sunt divino aliquo mandato ad illum finem destinatæ, ut serviant cultui divino, sicut sacræ literæ in Veteri ac N. Testamento ad eum finem destinatæ sunt. Ergo etiam cultus imaginum, qui ex illa consecratione deducitur, non habet mandatum divinum.)

4. Si imagines propterea sunt sacræ & consequenter adorandæ, quia ad repræsentandas res sacras sunt institutæ, consequens fuerit, etiam tricipites ac trifrontes imagines esse sacras & adorandas, quia ad significandam & repræsentandam Trinitatem sunt institutæ. Sed consequens Bellarminus non admittit, cum *tricipites illas ac trifrontes Trinitatis imagines ne pingi quidem* velit, lib. ejusdem cap. 8. §. Hoc modo.

Argum. 4. Hebr. 11. v. 21. de Jacobo Patriarcha dicitur: *Adoravit fastigium virgæ*, ex quo Johannes Gagneus Theol. Paris. in annot. illius loci colligit, *quod adoratio creaturis præstari possit, vel Deo coram creatura. Virga enim illa erat typus sceptri Christi, quem in virga fide Jacob adorabat.*

Cornelius à Lapide in illum locum: *Ex hac adoratione sceptri Josephi Patres Concilii Niceni secundi recte probant adorationem & cultum imaginum. Sicut enim veneratio sceptri erat veneratio Josephi, ita veneratio imaginis est veneratio sancti, cujus ea est imago.*

Resp. 1. Erasmus ad hunc locum sic annotat: *Hieronymus in qq. Hebraicis notat Interpretes septuaginta, qui perperam transtulerint, adoravit summitatem virgæ ejus, cum apud Hebræos habeatur, & adoravit ad caput lectuli. Quod si verum est, quid faciemus autori hujus Epistolæ? aut qui patrocinabimur Hieronymo?*

(Quidam scribunt, Erasmum ad h. l. sic annotare: *In illo tempore tantum abhorrebant ab adorandis ullis rebus creatis soli Deo hoc honoris servantes, cum hodie repertum sit, ligneam statuam eadem adoratione adorari, qua adoratur æterna Trias.* Sed in posterioribus annotationum Erasmianarum editionibus non inveniuntur.)

2. Cajetanus ad hunc locum sic annotat: *Sensus est, quod Jacob adoravit se convertendo versus fastigium virgæ propriæ, in qua sustentabatur.*

3. Lyranus ad hunc locum: *Quia erat senex, habebat baculum, supra cujus summitatem nitebatur in adorando Deum. Unde non est intelligendum, quod adoraverit summitatem virgæ, vel baculi, sed adoravit Deum innixus super baculum.*

4. Benedictus Arias Montanus ad h. l. sic annotat: *Divinare magis de sensu loci, quam eū explicare possit, qui non Hebraē consulit.*

5. Salmero ad h. l. *Græca lectio est LXX Interpp. quam sequitur Apostolus. Hebræa autem sic habent: Adoravit Israel Dominum conversus ad lectuli caput.*

6. Ribera in h. l. *In hoc loco, inquit Hieronymus, quidam frustra simulant, adorasse Jacob summitatem virgæ Joseph, cum in Hebræo multo aliter legatur, Et adorabat Israel ad caput lectuli.*

7. Emanuel à Sa in h. l. *Græce super fastigium, videl. nixus baculo ejus.*

8. Estius in h. l. *Dicitur Jacob adorasse vel ad caput lectuli, sicut ex Hebræo vertit Hieronymus, vel ad summitatem, sive ad fastigium virgæ ejus, scilicet Joseph, sicut hic in Græco legitur, iisdem verbis, quæ sunt apud LXX. Interpretes.*

(Ergo nec ex Hebræo Veteris, nec ex Græco Novi Testamenti textu probari potest, Jacobum adorasse virgam sive sceptrum Josephi.)

9. Si vel maxime concedamus Gagneo, Cornelio à Lapide & Jacobo Tirino, verba LXX. Interpp. ab Apostolo citata sic debere cum vulgato Interprete verti, *Adoravit Jacob fastigium virgæ ejus*, certum tamen est, hoc non posse accipi de *adoratione religiosa*, sed *civili*, id quod ex ipsis verbis Cornelii à Lapide probari potest. Expositurus enim rationem, *quare Jacob virgam Josephi adoravit*, dicit, *Jacobum incurvando se filio dilectissimo Josepho, veneratum esse sceptrum, id est, regiam potestatem Josephi.*

Item: *Prævidisse Jacobum, ex Josepho nascituros Reges, qui gererent sceptrum Israël, sive decem tribuum in Samaria. Adorasse igitur sceptrum Joseph quasi vaticinantem ex Josepho nascituros Reges, quos subditi colerent & adorarent.*

(Atqui cultus & adoratio, quæ Regibus exhibetur, *civilis* est, non *religiosa*. Non obstat, quod Cornelius regerit, *Josephū consequenter Deum potestatis hujus autorem vel maxime adorasse.* Quamvis enim civilis & religiosa adoratio fuerint conjuncta, tamen non fuit unum atq; idem utriusq; *objectum*, sed illa directa fuit *ad Josephum*, hæc *ad Deum*. Quod si per consequentiam Cornelius ex hoc loco religiosum imaginum cultum probare velit, hoc scil. modo: *Sicut veneratio sceptri erat veneratio Josephi, ita veneratio imaginis est veneratio sancti, cujus ea est imago, ac sicut Jacob incurvans se sceptro Josephi non ipsum sceptrum, sed Josephum Principem, cujus symbolum & imago erat sceptrum, adoravit: ita, cum veneramur imagines, non imagines, sed sanctos, quorum sunt imagines, veneramur;* tum non tam locum ipsum, quam consequentiam ἀσυλλογίστως ex loco illo deductam profert.

Respon-

Respondemus igitur 1. Sceptrum Josephi fuisse quidem *symbolum regiæ potestatis*, non tamen *imaginem Regis*. Ergo comparatio labascit. 2. Non solum *imaginum*, sed etiam *sanctorum* religiosam adorationem improbamus. Quod si ergo sanctos non licet religiose adorare, ut in cap. 2. superius ostendimus, multo minus imagines sanctorum religiose adorare licebit. 3. Honor, quem Josephi sceptro Jacobus detulit, fuit *civilis*. Sed honor, quem Pontificii imaginibus deferunt, est *religiosus*. Ergo comparatio non stat recto talo. 4. Si vivam Dei imaginem, videl. *hominem viventem*, vivum Spiritus S. templum, non licet *religiose adorare*, multo minus mortuas imagines manibus hominum confectas, quo argumento utitur Clemens Romanus lib. 5. Recognit. 5. De cultu Dei judicandum est ex verbo revelato, non ex consuetudine seculi, non ex nostris dialogismis. 6 Thomas, Bonaventura, Cajetanus & alii statuunt, *quod idem honor debeatur imagini & exemplari*, ac proinde *imaginem Christi esse adorandam cultu latriæ*. Sed Peresius, Catharinus, Sanderus, Bellarminus statuunt, *ipsas imagines in se & proprie honorari debere, sed honore inferiore, quam ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam cultu latriæ*. Dispiciat Cornelius, utri parti se adjungere velit.)

Arg. 5. *Multa miracula facta sunt per imagines Christi & sanctorum*. Bellarmin. d. l.

Resp. 1. Ex Carolo Magno lib. 3. de Imagin. cap. 21. *Si omnia, in quibus, vel per quæ miracula quædam apparuere, adoranda sunt, pene nihil remanebit, quod non adoretur, quippe cum tot, tantisque modis pene in omnibus creaturis divina miracula ostensa sint. Nunquid, quia pecualis animantis lingua rudis humanas loquelas profundens arioli cujusdam perversam intentionem, qua benedictum populum maledicere nitebatur, compescuit, Angelicosque terrificos ictus irrationale animal rationali homini vitare concessit, ideo animalia sunt pecualia adoranda? aut, quia atrocium ferarum vulnifica ferocitate puerilis turba virum Dei variis insultationibus lacessens, est prostrata, ideo ursorum rabies est adoranda?*

cap. 25. *Quoniam quidem omnipotens Deus signa pleraque, quæ mortalibus ostendit, per res quasdam visibiles & tractabiles fecit &c. non ideo fecit, ut quarundam rerum celebrandam statueret adorationem, quippe, qui se solum adorare, solum præcepit & colere.*

lib. 4. cap. 12. ponit requisita Historicarum de miraculis narrationum, ut constet *de ejus fide, qui id retulerit, & de facto, utrum factum sit; & de tempore, quando factum sit; & de loco, ubi factum sit; & de modo, quemadmodum factum sit.*

Ibid. dicit, *miracula talia posse aliam ob causam facta esse.*

lib. ejusd. cap. 15. *miraculosæ herbæ, si quæ talis subter imaginem Christi ab hemorrhoissa positam excreverit, finem fuisse, non ut herbæ, aut imagines adorarentur, sed ut infidelium mentes spretis vanitatibus idolorum ad vera fidei rudimenta converterentur.*

2. Etiam apud Ethnicos miracula in statuis facta ostendimus ex ipsis Pontificiis in artic. de Ecclesia cap. 4. thesi speciali 11. membr. 1.

(Multa ejusmodi miracula recenset Valerius Maximus lib. 1. Memorabilium cap. 2.)

3. Gerson in Declarat. quæ veritates sunt credendæ, part. 1. agnoscit, *Legendas illas de miraculis, quas Ecclesia Romana suscipit, non esse certitudinaliter veras, nec ut tales proponi credendas.* (Verba ipsa adducta sunt superius lib. 1. cap. 15. membro 2.) ac Gregorius de Valentia in Apolog. contra Heerbrandum fatetur, quædam miracula, quæ per statuas dicuntur edita, esse fictitia.

In actis Synodi Nicenæ secundæ (ad quam provocat Concilium Tridentin.) allegatur narratiuncula de quodam *Eremita, qui imagini Mariæ accenderit candelam, quam peregre abiens, mandavit ei, ut servaret usque ad reditum suum inextinctam, id quod & factum sit, quamvis ille post duos, vel tres demum menses domum redierit.*

4. Bellarminus hoc loco affert miraculum *de sanguine ex imagine Crucifixi à Judæis confossa profluente*, ex libro Athanasii de passione Domini. Sed idem Bellarminus lib. 2. de Imag. c. 10. fatetur, *dubium esse posse, num sit opus Magni Athanasii*, ac lib. de Scriptorib. Eccles. in verbo Athanasius, de eo sic scribit: *Non videtur Athanasii, sed alterius multo recentioris, quia Sigebertus in Chronico dicit, accidisse hoc miraculum Anno Domini 766. &c.*

(Sic ergo sciens & volens per scripta supposititia nobis imponere conatur.)

Argum. 6. *Homo dignus est veneratione, quia imago Dei est. Ergo etiam Christi & sanctorum imagines veneratione digna sunt.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Clemens Episcopus Romanus lib. 5. Recogn. plane invertit argumentum, quando gentilibus, qui vitio vertebant Christianis, *quod religionem haberent absque simulachris*, hoc modo respondet: *Si vere velitis Dei imaginem colere, hominibus benefacientes veram in eo Dei imaginem coleretis. Si ergo vultis vere Dei imaginem honorare, nos vobis, quod verum est, aperimus, ut homini, qui ad Dei imaginem factus est, benefaciatis. Hæc autem in tantum ad honorem Dei imaginis cedunt, ut qui ista non fecerit, contumeliam imagini divinæ intulisse credatur. Quis ergo iste honor Dei est per lapideas & ligneas discurrere formas, & inanes atque exanimes figuras, tanquam Numina venerari, & hominem, qui est vere Dei imago, spernere?*

(Quod si ergo adorandæ essent Christi & sanctorum imagines, vivæ potius adorandæ & colendæ essent, quam mortuæ, quæ ex auro, argento, lapidibus &c. manibus hominum conficiuntur. Jam vero nemo statuit, Deum in homine viva ejus imagine esse religiose colendum.)

2. Baronius An. 814. sect. 38. ex Theodoro Studita sic scribit: *Honor imaginis sive naturalis, sive artificialis redit ad prototypũ.*

(Quod si ergo artificialis imago propter relationem ad prototypum religiose colenda, utique etiam naturalis imago propter eandem relationem ad prototypum religiose erit colenda. Consequens Pontificii non admittunt, nec admittere possunt, alias sequeretur, *homines in his terris viventes esse religiose colendos.* Ergo nec antecedens statuere debent.)

3. Pontificii statuunt, *illos solum sanctos, qui sunt à Papa canonizati, invocandos esse.* Jam vero Papa non canonizat sanctos vivos, sed defunctos. Ergo ex hypothesi Pontificiorum sancti defuncti tantùm sunt invocandi. Jam vero non solum sancti defuncti in cœlo cum Christo triumphantes, sed etiam sancti vivi in terris adhuc militantes sunt Dei imago. Ergo, si ex hoc argumento religiosa imaginum mortuarum adoratio probari potest, etiam religiosa invocatio imaginum vivarum ac sanctorum in terris adhuc viventium probari poterit, quod tamen Pontificii non concedunt.

Argum. 7. *Imago Regis venerabilis est honore quodam civili. Ergo imagines Christi & sanctorum sunt honorabiles cultu religioso*, Bellarmin. d. l.

Censura Colon. contra Monheim. pag. 56. *In quibusdam non ignotis regionibus ad Principis sui nomen omnes caput aperiunt. Ergo profecto in Ecclesia Christiana hoc idem fieri convenit, ut imagines Christi atque Divorum videntur.*

Resp. 1. Possem eodem modo concludere: *Imago Regis venerabilis est honore quodam civili. Ergo vivæ Christi imagines, id est, sancti in his terris adhuc viventes sunt honorabiles cultu religioso.* Consequentiam Pontificii non admittunt. Ergo agnoscant, eandem etiam in argumento de mortuis imaginibus non valere, præsertim, cum in homine pio longe expressior sit imago Dei, quam in ulla vel picta, vel sculpta imagine.

2. Bellarminus lib. 2. de Imaginibus cap. 20. dist. 3. sic scribit: *Potest aliquid honorari proprie vel improprie. Id proprie dicitur honorari, quod vere ratione sui ipsius honoratur. Improprie dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. Legatus Regis aliquando honoratur ut Legatus, & tunc ipse proprie honoratur, licet propter alium honoretur; aliquando honoratur loco Regis honore proprio Regibus, & tunc ipse improprie honoratur, proprie autem Rex in ipso tunc honoratur.*

(Quod si ergo liceret ab honore civili Legato & imagini Regis tributo argumentari ad cultum religiosum Legatis & imaginibus Christi debitum, possem hoc modo progredi. Ministri Ecclesiæ sunt *Legati Christi*, 2. Corinth. 5. v. 20. Ergo, ut Legatus Regis aliquando honoratur civiliter loco Regis honore proprio Regibus, ita quoque ministri Ecclesiæ honorari possunt ac debent religiose loco Christi honore proprio Christo. Consequens Pontificii non admittunt. Ergo nec antecedens ponere debent.)

3. Peresius Pontificius sic scribit: *Nec aliquis unquam vidit, nisi Tyranni alicujus forte coactione interveniente, quod eadem veneratione veneretur imago ipsius, qua ipse Rex aut Imperator.*

Argum. 8. *Imago est capax injuriæ & contumeliæ. Ergo & honoris ac cultus.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Possum eodem modo concludere. Papa est capax infallibilitatis. Ergo & fallibilitatis. Consequentiam Pontificii non concedunt.

 2. Pos-

2. Possum & sic concludere: Imagines Dei vivæ, id est, sancti viventes sunt capaces injuriæ & contumeliæ. Ergo & religiosi cultus. Consequentiam iterum Pontificii non concedunt.

Argum. 9. Provocant *ad Patres imaginibus, præsertim Christi crucifixi, virtutem divinam adscribentes.*

Resp. 1. Intelligunt hoc de ipso Christo crucifixo & morte ejus sanctissima in crucis ligno tolerata. Comment. in Psalm. Hieronymo adscriptus in Psal. 95. *Crux illius est columna generis humani, in ipsa columna ædificata est domus ejus. Ego crucem dico, non lignum, sed passionem. Cæterum crux ista & in Britannia est, & in India est, & in universo terrarum orbe. Felix, qui crucem & resurrectionem & locum nativitatis Christi & locum ascensionis portat in pectore suo!*

Chrysostomus homil. 21. ad popul. Antioch. *Ignoras, quanta crux perfecit? mortem dissolvit, peccatum extinxit, orcum inanem reddidit, Diaboli solvit potentiam, & ad corporis sanitatem præstandam non est fide digna? totum orbem exsuscitavit, & tu in ipsa non confidis? & quid pati dignus non esses?*

(Hoc non potest de crucis figura, vel ligno accipi.)

2. Superstitionem in religioso ligni crucis cultu taxant. Hieron. in cap. 23. Matth. *Pharisæi pictaciola illa Decalogi phylacteria vocabant: quod quicunque habuisset ea, quasi ob custodiam & monumentum sui haberet: non intelligentibus Pharisæis, quod hæc in corde portanda sunt, non in corpore, alioqui & armaria & arcæ habent libros, & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Evangeliis & crucis ligno & istiusmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam usque hodie factitant, culicem liquantes & camelum glutientes.*

3. Disertè negant, imagines crucifixi esse adorandas. Minutius Felix in Octavio: *Cruces nec colimus, nec optamus, vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas ut Deorum vestrorum partes forsitan adoratis.*

Ambros. in orat. de obitu Theodosii. *Helena invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utiq;, quia hic gentilis error est & vanitas impiorum, sed adoravit illum, qui pependit in ligno.*

4. Multa testimonia petita sunt ex scriptis suppositiitiis.

Censura Colon. contra Monheim. p. 63. adducit dictum Basilii, quod recitarint Patres in secundo Nicen. Conc. act. 2. *Sanctam Mariam confiteor, suscipio S. Apostolos, Martyres &c. qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit Deus: quam ob causam & historias imaginum illorum honoro & palam adoro.* At in genuinis Basilii scriptis nihil horum reperitur, sed potius contrarium.

Argum. 10. Quidam utuntur argumento *ex jure civili* petito. Justinianus Nov. 5. c. 5. dicit, τ προσκυνητὸν καὶ τίμιον ὄντως σταυρόν.

Resp. Verbo προσκυνητὸν impropriè sumto, significatur id, quod nos ad Dei & Salvatoris nostri adorationem incitare possit, quomodo τόποι προσκυνητοὶ dicuntur Nov. 79. in f. præf. & ἡ ὀρθὴ καὶ προσκυνουμένη ἡμῶν πίστις. Nov. 109. c. 1. & προσκυνητὰ ζωοποιὰ μυστήρια. Nov. 6. c. 6. & προσκυνητὴ κοινωνία, *adorabilis communio.* Nov. 109. c. 2. & προσκυνητὰ λόγια, *oracula adoranda.* Nov. 135. c. 1. quæ omnia non adorantur religiose, sed ad Deum adorandum nos excitant.

CAPUT V.

De Peregrinationibus ad loca sanctorum.

THesis. Peregrinationes ad loca sanctorum, sub opinione singularis cujusdam cultus ac meriti susceptæ, non sunt probandæ.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de peregrinationibus politicis*, propter salutē Reipublicæ, vel commodū œconomiæ susceptis.

2. Nec *de peregrinationibus Ecclesiasticis divinitus mandatis*, qualis fuit profectio Israëlitarum ad locum cultus divinitus electum, Deut. 16. v. 16. cap. 17. v. 7. 5.

3. Nec *de peregrinationibus spiritualibus ac mysticis*, quæ in separatione à falsitate doctrinæ & improbitate vitæ consistunt, 1. Cor. 6. v. 7. Apoc. 14. v. 4.

4. Nec *de peregrinationibus necessariis* in exiliis tempore persecutionum patienter susceptis.

5. Nec *de salutaribus & utilibus secessionibus* ad ea loca, in quibus purum religionis exercitium viget, ac vivos sanctos audire licet; illas enim profectiones omnes approbamus.

6. Sed quæstio est *de peregrinationibus Pontificiis ad sepulchra ac loca sanctorum singularis cujusdam cultus, satisfactionis, ac meriti opinione susceptis*, quas improbamus.

7. Si qui veterum loca, in quibus Christus olim versatus fuit, accurate contemplati sunt, sanctorum monumenta ac sacratæ antiquitatis vestigia diligenter inspexerunt, hoc, ut in iis culpemus, tantum abest, ut ne hodierno quidem die eum, qui hoc fecerit, reprehendamus; sed, si quis ea opinione peregrinationem suscipiat, *ac si Deus in uno, quam alio loco benignior, ac si Dei auxilium certo loco alligatum, ac si ejusmodi peregrinationibus pro peccatis satisfieri possit*, illud est, quod merito reprehendamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 25. *peregrinationes illas pias & religiosas esse* decernit.

Stapletonus in Promt. Cathol. Dom. 2. Adv. *Sanctorum defunctorum monumenta, memorias, reliquias visitare, ad ea peregrinari, pium ac laudabile in Ecclesia Christi semper existimatum est.*

Et postea: *Veteres Christiani ad loca sanctorum peregrinari, sanctorum monumenta pie ac religiose visitare soliti sunt, ut hoc genus pietatis, nec recens aliqua superstitio, nec inanis devotio, sed & antiquissimus & gravissimus Dei cultus merito censeri debeat.*

Bellarminus lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 8. *utilitates istarum peregrinationum* revocat ad tria capita, Primò, *cedunt in honorem Dei & sanctorum non mediocrem. Est enim manifestum signum, Deum & sanctos à nobis magnifieri, cum laborem & pericula itinerum sponte suscipimus, ut Sanctorum reliquias invisamus.* Secundò, *est opus pœnitentiæ & satisfactionis, quia laboriosum & pœnale.* Tertiò, *auget devotionem. Nam præsentia loci sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam, & licet ubique sint aliqua loca sancta, tamen sæpe alicubi sunt aliqua loca sanctiora, ad quæ utile est peregrinari, vel si non sunt sanctiora, sunt tamen alia ab his, quæ in nostra patria inveniuntur, & ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem.*

Costerus in Enchirid. cap. 14. pag. 481. *Sancti peculiari ratione & cura ea loca fovent, in quibus sacra illorum ossa asservantur.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 5. art. 17. *Christi & Sanctorum ejus loca, monumenta & reliquias visitare, eoq; orationis ergo peregrinari, opus esse pium & Christianum.*

Gretserus lib. 3. de Peregrinat. cap. 5. probare conatur, *peregrinationes ad loca sanctorum suscipi posse, non solum memoriæ, sed etiam venerationis causa, ut illa oscularentur, colerent, & quidem propter finem spiritualem, honorem Dei & Sanctorum, pœnitentiam & satisfactionem, devotionem & ad largius adipiscendam Dei clementiam ac benignitatem.*

Nostram sententiam probamus.

Peregrinationes illæ Pontificiæ sunt

1. *Superstitiosæ*, cum præter & extra verbum opinione singularis alicujus cultus suscipiantur.

2. *Supervacaneæ, frustraneæ & otiosæ*, quia opinione cultus suscipiuntur, cum tamen destituantur divino *mandato*, divino *promisso* & probato *exemplo*. Præterea suscipiuntur illæ peregrinationes aut *propter majorem in precibus attentionem*, aut *propter justitiæ & meriti acquisitionem*. Sed attentio in precibus potest locum habere absq; sumtuosis illis & laboriosis peregrinationibus Matthæi 6. v. 6. Johan. 4. v. 23. 1. Timoth. 2. v. 8. atque ad justitiam, quæ coram Deo valet, consequendam non est opus, vel ascensu in cœlum, vel descensu in abyssum, cum in doctrina Evangelii, quæ omnibus hominibus ubique prædicatur, eadem credentibus offeratur & applicetur, Roman. 10. v. 6. 7. & 8. Merita propria acquiri nequeunt, etiamsi quis totum orbem proficiscendo peragret. Cumque Deus dilectis filiis suis gratia & auxilio suo ubique præsto sit, ac Christus dilectis suis fratribus gratiosam præsentiam sine ullo alicujus loci respectu promiserit, Es. 43. v. 2. Jer. 23. v. 23. Matth. 18. v. 20. cap. 28. v. ult. ideo peregrinationes impetrandæ divinæ gratiæ & gloriosæ præsentiæ causa susceptæ supervacuæ sunt, & non necessariæ.

3. *Sunt multis modis perniciosæ*, videlicet primo, *in re familiari*, quæ peregrinationibus illis non necessariis & expensis inutilibus diminuitur, cum tamen nec pœnam, nec culpam pecuniæ in illas peregrinationes impensæ profusione redimere possimus. Psal. 49. v. 8. 1. Petr. 1. v. 18. Secundò, *in re existimationis ac famæ*, tales enim ἀπόδημοι, præsertim fœminæ, sine urgente necessitate ac causa in discrimen castitatis se conjiciunt, ac Pontificis, Cardinalium & Episcoporum ludibrio se exponunt. Tertiò, *in re valetudinis*, quia longinquæ illæ peregrinationes non sine valetudinis dispendio, præsertim à pueris & fœminis suscipiuntur. Quartò, *in re vita corporalis*, qui enim

enim peregrinationes ad ſepulchrum Domini hodie ſuſcipiunt, præſentiſſimo vitæ periculo à latrunculis Arabiæ metuendo ſeſe exponunt. Quintò, *in re ſalutis*, qui enim indulgentiarum gratia, vel Hieroſolymam ad ſepulchrum Domini, vel Romam ad cineres Petri & Pauli, vel ad alia ſanctorum loca proficiſcuntur, non acquieſcunt in Chriſti ſatisfactione ac merito, ſed derelicto illo ſalutis fonte, quærunt ſibi *ciſternas, quæ non continent aquas*, Jerem. 2. v. 13. ideò obtingit illis, quod Deus minatur Pſal. 16. v. 4.

4. Sunt *in Chriſti meritum contumelioſæ*. Tribuitur enim illis vis ſatisfaciendi pro peccatis, & promerendi Dei gratiam & ſpiritualia beneficia, cum tamen ſoli Chriſto hoc competat, Eſai. 63. v. 3. 1. Johan. 2. v. 2. Hebr. 1. v. 3. peregrinationibus autem illis nuſpiam in Scripturis hoc tribuatur, quod vel *ut meritum*, vel *ut medium* gratiam Dei & peccatorum remiſſionem afferant.

5. Sunt *verbo Dei & Naturæ N. Teſtamenti contraria*, cùm cultus Dei extra & præter verbum non ſit ad certum aliquem locum alligandus 1. Reg. 12. v. 30. Oſ. 4. v. 15. cap. 10. v. 5. cùm in N. T. cultus Dei non amplius ut in V. T. ad certum locum ſit alligatus, Joh. 4. v. 20. 23. cum Chriſtus diſertè teſtetur Matth. 24. v. 23. & 26. regnum gratiæ & beneficia ſpiritualia non eſſe ad certum aliquem locum alligata, cùm à ſolo Chriſto, non à ſanctis, ad quorum loca peregrinationes iſtæ ſuſcipiuntur, beneficia corporalia ac ſpiritualia ſint petenda & ſperanda Joh. 14. v. 6. Rom. 5. v. 1. & 2. Hebr. 7. v. 24. cum Scriptura doceat, neminem debere temerè ſuam vocationem deſerere, ſed in ea potius manere, ac proximo, cui vel Naturæ vinculo, vel conjugali obſtrictus eſt, pro virili inſervire. Pſal. 37. v. 3. 1. Corinth. 7. v. 17. 20. & 24. 1. Tim. 5. v. 4. & 8.

6. Sunt *Ethnicorum ac Turcarum ſuperſtitioni affines*.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quòd quidam peregrinationes illas improbant, vel elevant, (quod non facerent, ſi peculiarem aliquem cultum in illis conſiſtere, vel ſingulare aliquod meritum per eas acquiri poſſe exiſtimarent.)

Inter Epiſtolas Bonifacii (Germanorum Apoſtoli, Zachariæ Pontificis Legati) extat Epiſtola, quæ eſt numero 38. cujusdam Anglicæ Abbatiſſæ nomine Eangit, circa Annum Chriſti 720. ad Bonifacium ſcriptæ, in qua inter cætera ſic loquitur:

Notum tibi facere volumus, frater Bonifaci, quia multum temporis fluxit, ex quo deſiderium habuimus, ut & plurimi ex neceſſariis noſtris & cognatis ſive alienis, ut dominam quondam orbis Romam peteremus & ibi peccatorum noſtrorum veniam impetraremus, ſicut alii multi fecerunt, & adhuc faciunt, & ego maximè, quæ ætate provectior & multò plura in vita mea commiſi & perpetravi &c. Sed quia ſcimus, quod multi ſunt, qui hanc voluntatem vituperant & hunc amorem derogant, & eorum ſententiam his adſtipulantibus affirmant, quod Canones Synodales præcipiant, ut unusquisque in eo loco, ubi conſtitutus fuerit, & ubi votum ſuum voverit, ibi maneat & ibi Deo reddat vota ſua; quia univerſi diverſa voluntate vivimus &c.

(Ex his apparet, jam olim veteres Synodos Peregrinationes improbaſſe. Quid Bonifacius iſti Abbatiſſæ reſponderit, ſciri nequit, quia nulla talis Epiſtola reſponſoria ad Abbatiſſam extat, interim colligi poteſt ex ejusdem Bonifacii)

Epiſtola 100. ad Gutpertum Archiepiſcopum Anglicum, (in qua inter alia hæc habet:) *Non taceo caritati veſtræ, quia omnibus ſervis Dei, qui hic vel in Scriptura, vel in timore Dei probatiſſimi ſunt, videtur, quod bonum conſilium & honeſtas & pudicitia veſtræ Eccleſiæ, & aliquod relevamen turpitudinis eſſet, ſi prohiberet Synodus & Principes noſtri mulieribus & velatis fœminis illud iter & frequentiam, quâ id Romanam civitatem veniendo & redeundo faciunt, quia magna ex parte pereunt, paucis redeuntibus integris. Perpaucæ enim ſunt civitates in Longobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non ſit adultera, vel meretrix generis Anglorum, quod ſcandalum eſt & turpitudo totius Eccleſiæ veſtræ.*

Circa annum 800. Carolus magnus celebravit Concilium Cabilonenſe, in quo can. 45. tale factum eſt decretum. *Nam & à quibusdam, qui Romam & alia quædam loca ſub prætextu orationis inconſultè peragrant, plurimum erratur. Sunt Presbyteri & Diaconi & cæteri in Clero conſtituti, qui negligenter viventes in eo purgari ſe à peccatis putant, & miniſterio ſuo fungi non debere, ſi præfata loca attingant. Sunt nihilominus Laici, qui putant, ſe impune aut peccare aut peccaſſe, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi cenſus gratia ſub prætextu Romani vel alius itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod ſola cupiditate faciunt, orationum ſive ſanctorum locorum viſitationis cauſa ſe facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideò id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi, de quorum numero ſunt illi, qui circumquaque vagantes illò ſe pergere mentiuntur, vel quia in tantum ſunt vecordes, ut putent, ſola ſe ſanctorum locorum viſione à peccatis purgari, non attendentes id quod ait B. Hieronymus, Non Hieroſolymam vidiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudandum eſt. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter ſint emendanda, ſententia expectetur.*

(Additur quidem, *Qui verò peccata ſua Sacerdotibus, in quorum ſunt parochiis, confeſſi ſunt, & ab illis agendæ pænitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina, vel quorumlibet ſanctorum inviſere deſiderant, horum eſt devotio omnibus collaudanda*; Sed hæc nondum probant peregrinationes Pontificias cum opinione ſingularis cultus, meriti & ſatisfactionis in honorem ſanctorum ſuſceptas.)

Claudius Taurinenſis Epiſcopus circa annum Chriſti 815. adverſus Theodomirum Abbatem de peregrinationibus religionis cauſâ Romam ſuſceptis, referente Jona Aurelianenſi lib. 3. de cultu imag. (qui extat tom. 5. Orthodoxogr.) p. 1570. ſic ſcripſit: *Ego n. iter illud non approbo, quia ſcio, quod nec omnib. prodeſt, nec omnibus proficit, nec omnibus officit.*

P. 1573. *Teipſum primum interrogare volo. Si pœnitentiam agere, Romam pergere noſti, cur tu tanto tempore tantas animas perdidiſti, quas in Monaſterio retinuiſti, & pœnitentiæ cauſa in Monaſterio recepiſti, & non eas Romam miſiſti, ſed potius tibi ſervire feciſti?*

P. 1577. *Propter verba Evangelica, Tu es Petrus, non intellecta, imperitum hominum genus pro acquirenda vita æterna, poſtpoſita omni ſpirituali intelligentia, volunt pergere Romam.*

Idem ad eund. Abbat. *Ecquid tibi vis? anne propterea tam ferox es, quòd minus honorificè de peregrinationibus tuorum fratrum, quibus ſe gratiam & veniam mereri ſperant, ſenſerim? Quæſo te ergò mi pater, ſi tantum vagationib. illis tribuis, ut ſemel euntem Romam planè omni reatu ſolvi non dubites, quæ te ratio movet, ut quos Monachos homines alioquin haud innoxios, à tam ſalutari remedio prohibeas, eosque indigno modo intra ſepta cœnobii tui coërceas?*

(Bellarminus hunc Claudium cum *Petrobruſianis & Wicleffiſtis* conjungit, & erroris eum accuſat. Sed aliud eſt accuſare, aliud convincere. Scripſit ille Claudius utiles commentarios in Matthæum & aliquot V. T. libros, & fuit magni nominis Epiſcopus. Sanè Jonas Aurelianenſis Epiſcopus tres libros adverſus eum ſcripſit pro defenſione imaginum & peregrinationum ad loca ſancta. Sed ipſe Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ. cent. 9. monet, *autorem illum cautè legendum, cum erroribus ſcateat.*)

Bernh. ſerm. 1. de Adventu. *Non oportet, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare* (Romam ire) *neceſſe eſt. Non grandis, inquam tibi, oſtenditur via, usque ad temetipſum occurre Deo tuo.*

Idem Epiſt. 319. ad Leibertum Abbatem S. Michaelis Monacho cuidam peregrinationem Hieroſolymitanam diſſuaſit; *Hic, inquit, filius veſter peregrinationem, quam etſi veſtra licentia ſuſceperat, noſtro conſilio deſerens ad vos reverſus eſt. Cum n. cognoviſſemus viam illam & eum requiſiviſſe per levitatem, & vos ob illius improbitatem annuiſſe, dure, ut dignus erat, increpatum reverti perſuaſimus: Suæ ſiquidem (quantum conjicere potuimus) levitatis & improbitatis pœnitentem, ac de cætero emendationem pollicentem, rectiùs judicantes quantumlibet reum in ſuo Monaſterio Monachum pœnitentiam agere, quàm foris vagando provincias circumire. Neque enim terrenam, ſed cœleſtem requirere Hieroſolymam Monachorum propoſitum eſt, & hoc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo.*

Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus Bernhardi συγχρονος circa ann. 1115. in libr. Epiſt. ad quendam Comitem, qui voto ſe obſtrinxerat, *quòd Hieroſolymam religionis cauſa proficiſci vellet*, in hæc verba ſcripſit. *In memoriam B. Jacobi ſtrenuiſſime Comes & prædicandâ virtute ſublimis iter, ut fertur, ſumſiſti. Quod nos quidem bonum non negamus, ſed quisquis adminiſtrationem ſuſcipit, alligatur obœdientiæ. Qui enim ad majora vocatur & utiliora, ſi relinquit, delinquit. Unde te, fili cariſſime, culpa inexcuſabilis expectat, qui neceſſariis non neceſſaria, diſpenſationi otium, debitis indebita præponis. Inter talenta, quæ ſervis ſuis paterfamilias diſtribuit, circuire vagum orbem terrarum nullus Doctor, nulla omninò Scriptura commemorat. Hieronymi teſtimonio B. Hilarion,*

...t proximus civitati Hierusalem, semel eam vidit, ne loca sancta contemsisse videretur. Porro præter solitum mentis tuæ oculos ...gavit si non vides plenam periculosis casibus assumtam peregrinationem. Hisce periculis in specie expositis subjicit. *Fortassis autem dicis, Votum vovi Domino, transgressionis arguar, si irritum facio votum. Agnosce ô Princeps, quia tu quidem alligasti te voto, sed Dominus officio, tu viæ, sed Dominus obedientiæ. Viæ, qua sanctorum memorias videas; obedientiæ, qua sanctorum memoriis provideas. Appende ergò si tantus sit fructus itineris, ut suppleri possit intermissæ dispendium obedientiæ.* Tandem concludit. *Tu itaque pro voto rapacitatem atque actiones tuorum compesce, quas pauperum clamor & orphanorum gemitus & lachrymæ comitantur viduarum. His tibi, si nescis, thesaurizatur ira Dei in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua &c. Sicut ergò præsenti pagina commoneris, utere tuorum consilio amicorum, utere meo, domi sedens, pauperum subsidiis insistens, loca sanctorum non desiderans intueri, sed tuorum satagens; nec circumferri per memorias lapidum, sed circumferre memoriam virtutum.*

Henricus Tholosanus Monachus circa Ann. 1141. referente Genebrardo & Coccio tom. 1. Thesauri lib. 5. art. 17. *peregrinationes ad loca sanctorum* improbavit.

Gratianus c. Gloria. caus. 12. q. 2. ex Hieronymo. *Non Hierosolymis fuisse sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est.*

(Desumtum est hoc ex tom. 1. Hieronymi operum Epist. 13 ad Paulinum, ubi additur. *Illa expetenda est civitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit Luc. 13. sed quam fluminis impetus lætificat, Psalm. 45 quæ in monte sita celari non potest, Matth. 5. quam matrem sanctorum Apostolus clamat, Galat. 4. in qua se municipatum cum justis lætatur habere Hebr. 12. &c.*)

Johannes Ibenhagen Sacrificulus circa annum 1480. improbavit *peregrinationes ad Jacobum, Mariam & alios Divos.*

Polydorus Vergilius in interpret. orat. Domin. p. 567. *Non est, quòd aliquo terrarum pergamus Dei quærendi causa, qui ubique nobiscum est, quod nonnulli minus sentiunt, quos voluptatis non item pietatis gratia ideo delectat peregrinatio, ut alii aliò percurrant, quo alicujus Divi imaginem visant, nihil interim mentem ad Deum erigentes.*

Lib. 6. de rer. invent. cap. 13. *Bona pars hominum magis delirare inducitur, ac insuper longa aliquoties itinera conficere ut unam imagunculam adeat, ibique donaria sua relinquat prætermisso cuncto alio aut pietatis officio; rata se omnino sat largitionis fecisse, sat pœnituisse, si inter itionem lautius victitando aurum obtulisset in cujusvis thecam nummariam inde rediturum.*

Erasmus in Ecclesiaste p. 858. *Fiduciam operum humanorum adimere pium est, veluti sic vesci, vestiri, aut currere Compostellam vel Hierosolymam.*

Idem in annot. 1. Tim. 5. p. 473. *Paulus dicit, si quis suorum curam non habet, infideli est deterior, scil. qui hoc officii non præstat suis, quibus Naturæ vinculo jungitur, quod Ethnici quoque instinctu Naturæ præstant. At hodie summa habetur pietas, si quis domi relictis liberis & uxore, aut etiam grandævis parentibus vel Hierosolymas abeat, vel in Monasterium se abdat, sibi victurus, aut fortasse etiam ventri.*

Idem in Colloquiis sub tit. Peregrinatio religionis ergò p. 27. Arnold. *Ubi tamdiu peregrinatus es?* Corn. *Ab Hierosolymis adsum tibi.* Arnold. *Estne illic, quod tu putes spectatu dignum?* Corn. *Ut ingenuè fatear tibi, nihil. Ostenduntur quædam monumenta vetustatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium & excogitatum ad alliciendos simplices & credulos, imo nec hoc arbitror illos scire, quo loco sita olim fuerit Hierosolyma.* Arnold. *Quid igitur vidisti?* Corn. *Magnam ubique barbariem.* Arnold. *Nihilo sanctior redis?* Corn. *imo multis partibus deterior.* Arnold. *Nummatior ergo?* Corn. *imo nudior Leberide.* Arnold. *An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis frustra susceptæ?* Corn. *Nec pudet, quia tam multos habeo stultitiæ meæ sodales, nec pœnitet, quia frustra jam fit pœnitere.*

Ibid. Menedemus. *Quid isthuc ornatus est? Obsitus es conchis, imbricatis stanneis ac plumbeis imaginibus, oppletus undique culmeis, ornatus torquibus, brachium habet ova serpentum.* Ogygius. *Visi Divum Jacobum Compostellanum, & hinc reversus Virginem Parathalassiam apud Anglos percelebrem, quin potius hanc revisi. Nam ante annos tres inviseram.* Mened. *Animi gratia, ut opinor* Og. *Imo religionis causa.* Men. *Istam opinor religionem docuerunt te Græcæ literæ.* Og. *Mater uxoris voto se obstrinxerat, ut si filia peperisset masculam vitalem, ego Divo Jacobo præsens præsenti salutem dicerem & gratias agerem.* Men. *Salutasti Divum tuo duntaxat & socrus nomine.* Og. *Imo totius familiæ verbis.* Men. *Equidem arbitror nihilo minus salutis futurum fuisse satis familiæ, etiamsi Jacobum insalutatum reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias?* Og. *Nihil, sed offerenti munus visus est arridere & capite leviter annuere, simulque porrexit hoc imbricatum putamen.* Men. *Cur ista potius donat quàm alia?* Og. *Quoniam his abundat suggerente vicino mari.* Men. *O benignum Divum, qui & obstetricatur parturientibus, & operam dat hospitibus! Verum quodnam novum isthuc vovendi genus, ut otiosus aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto astringeres, ut si quod ageres, feliciter cederet, ego jejunarem bis in hebdomade, an credis, me facturum quod vovisses?* Og. *Non credo, etiamsi tu ipse tuo nomine vovisses. Nam tibi Divis est eblinire ludus est. At socrus est, mos gerendus erat. Nosti mulierum affectus; & mea quoque referebat.* Men. *Si non præstitisses votum, quid erat periculi?* Og. *Non poterat me Divus vocare in jus fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad vota mea, aut tacitus aliquid calamitatis immittere in meam familiam. Nosti Principum mores.*

Georg. Cassander in consultat. art. 21. p. 972. *In Concilio Cabilonensi c. 45. reprehenduntur, qui Romam aut Turonum sub prætextu adorationis peragrant putantes frequentatione horum locorum se à peccatis purgari & impune peccare.*

Georgius Wicelius in Comp. de semit. antiq. *Constitutionum humanarum commendationes de feriis plus æquo numerosis, de jejuniis coactis, & per eos injunctis populo, qui ipsi non jejunarunt &c. de peregrinationibus votariis, quæ quid Reipubl. Christianæ ad veræ pietatis ædificationem profuerint, totus nunc orbis novit &c. in præsens nihil attingemus &c. Fatemur caliginem, nec imus inficias, per eos fuisse istiusmodi in Ecclesiam invecta, per quos minimè debuit, & quos nunc autores esse oportuit, ut Augiæ non fabulosum stabulum expurgaretur.*

Ibid. *Ad quæ cresphygeta frequentissimi simplicium concursus esse solent pro impetranda ope corporis, rarò animæ, quales plusquam Enthusiastici accursus habuerunt delubra Beatæ matris, Parthenomanias dixeris, si videas æstro devotionis suæ percitos turmatim commeare illuc ex agris, & ex agasteriis utriusque sexus, Spiritu quodam peculiari agitatos, quæ erat valde optima messis quorundam Camarim* (sacrificulorum) *adeo tota hominum salus pendebat à Divis, aut potius à Divorum imaginibus ac Sacerdotulorum persuasionibus. Vocabant eas stultitias peregrinationes, quarum aliæ votivæ fuerunt, aliæ spontaneæ, utræque ludificationes Maligni, ut prætextu talium religionum scelera in Ecclesias inveheret. Hoc Antichristi venturi Spiritus fecit & prosperatus est, teste Scripturâ.*

2. Quod quidam agnoscunt, peregrinationes illas esse non solum *otiosas*, sed etiam *periculosas* & *multis modis perniciosas.*

Sigebertus in Chronico Anno 1065. *Multi usque ad septem millia orando voto Hierosolymam petentes ab Arabitis in parasceve in quodam castello obsessi sunt, & tot occisi aut vulnerati, ut de septem & eo amplius millibus vix duo millia reversa sint.*

Ludovicus Camerarius in Appendice ad Joh. Majerii tract. de different. schism. notat, *circa annum Christi 1214. instinctu Ecclesiasticorum congregata fuisse in Germania ad 20. millia puerorum, qui dicerent, se terram sanctam recuperaturos, juxta hoc, Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudem. Qui cum cruce insigniti ad mare pervenissent, à prædonibus partim in mare demersi, partim Saracenis venditi.* Suscitab. part. 1. cap. 16. §. 1.

Vincentius, qui floruit circa Ann. 1459. in serm. de assumt. B. Mariæ Virginis sic disserit: *Homines & mulieres peregrinando frangunt sibi collum & efficiuntur pejores, quia aliquando vadunt castæ & redeunt meretrices, ideò spiritualiter fiat peregrinatio, sicut Paulus dicit, Spiritu vivimus, & Spiritu ambulemus. Hodiè & quolibet die potestis ire in Nazareth ad cameram, ubi Filius Dei fuit incarnatus, & sic de aliis locis.*

Albertus Abbas Stadensis in Chronico f. 188. *Ecce habes* (ô Firri) *topographiam transmarinæ regionis, & forte ibis aliquando sepulchrum Domini visitare. Tunc cogita, quod dicitur, Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt. Vix aliquos vidi, imo nunquam, qui redierint meliores, vel de transmarinis partibus, vel de sanctorum liminibus. Unde autem est hoc propter Deum? puta ex eo, quod debitâ devotione nec exeunt, nec redeunt. Deberent enim tali cognitione proficisci, quali essent de seculo migraturi.*

3. Quod agnoscunt, locum non sanctificare hominem.

Gregorius homil. 9. in Ezech. *Si desit Spiritus, non adjuvat locus. Loth in Sodomis sanctus extitit, in monte peccavit. Quod autem*

autem loci mentem non mutant, ipse humani generis primus testatur parens, quia in Paradiso cecidit. Nam si locus salvare potuisset, Satan de cœlo non caderet.

Idem ad Anastasium Presbyterum. *Non loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona ei conjungunt, aut mala disjungunt.*

(Allegatur c. Non loca. dist. 40.)

c. Multi. dist. ead. ex Chrysostomo. *Locus non sanctificat hominem, sed homo locum.*

c. Illud autem. dist. ead. ex Ambrosio. *Illud autem animadverte, quòd extra Paradisum vir factus est, intra Paradisum mulier, ut advertas, quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam comparat sibi, denique extra Paradisum, hoc est, in inferiori loco vir factus melior invenitur, & illa, quæ in meliori loco, hoc est, in Paradiso facta est, inferior invenitur.*

c. Qualibet. dist. ead. ex Gregorio. *Qualibet occulta loca sine gratia animam salvare non possunt &c. Loth in ipsa perversa civitate fuit justus, in monte peccavit.*

4. Quod agnoscunt, peregrinationes illas fuisse in Ecclesia primitiva Apostolicæ proximâ inusitatas.

Gretserus lib. 2. de sacris peregrinat. cap. 1. pag. 181. fatetur, *in tertium usque seculum non legi, quod studium peregrinationis Christianis in usu fuerit.* Verba sic habent: *Satis est, quòd certo nobis constat, etiam antè annum à partu Virginis trecentesimum peregrinationis studium Christianis in more positum fuisse.*

Baronius Ann. 386. n. 39. scribit, *Gregorium Nyssenum* (qui anno 380. vixit) *peculiari libro peregrinationem ad loca sancta improbasse* (quod tamen ad Monachos & fœminas tantum detorquere conatur.) *Idem Hieronymum & Basilium fecisse* agnoscit ibidem n. 40.

Peregrinationem ad limina Apostolorum originem ducere, ait, *ab anno 451.* (Anno 451. n. 38.) *autore Servatio Tungrensi Episcopo* (etsi hoc centum annis prius contigisse existimet,) postea recenset, *qualiter ea privatorum hominum judicio & consilio fuerit confirmata* Anno 575. n. 6. *Et quia Gregorius Magnus anno 592. increparit quandam Rusticianam Patritiam impedientem peregrinationes ad loca sancta* (anno 592. n. 19.) hinc censet, *Novatores* (antiquitatem peregrinationum negantes) *damnari.*

Postea circa finem septimi seculi ann. 672 n. 1. descripturus peregrinationem Romani Pontificis Adeodati ad Apostolorum limina, magnum quid invenisse ratus, talem notationem addit: *Digna quidem* (peregrinatio) *quæ iatixatur Annalibus, in exemplum fidelium, ut discant, quanta pietate consueverint viri sancti ejusmodi religiosum munus obire.*

5. Quod agnoscunt, peregrinationes illas non habere mandatum divinum, nec Scripturæ sacræ suffragium, (ex quo promte inferri potest, illas Deo non placere, cum Scriptura sacra sit unica ac perfecta tum credendorum, tum agendorum regula, ut ostendimus superius lib. 1. part. 1. c. 1.)

Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. cap. 8. ad argumentum, *quod voluntarius cultus Deo displiceat*, respondet §. Ex his &c. *Voluntarium cultum dici eum, qui sine ratione suscipitur, ut si quis vovat, se non iturum ad mensam, nisi bis laverit. At cultus, qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licet non sit præceptus, ut patet Num. 30. ubi Deus jubet impleri vota rerum non præceptarum.*

(Concedit Bellarminus cultum, qui per peregrinationes vel Deo vel sanctis vel utrisque præstari putatur, non esse *præceptum*, sed negat, eum propterea rectè dici *voluntarium*, cùm *non sine ratione suscipiatur.* Respondemus vero, esse ambiguitatem in voce *voluntarii.* Vel enim opponitur *coacto & invito*, vel *divinitus mandato & præscripto.* Si in priore significatione accipitur, nihil aliud notat, quàm cultum *spontaneum*, qui ex libero Spiritu & promta voluntate proficiscitur, ut tamen interim conformis sit regulæ in verbo præscriptæ Psalm. 110. v. 3. Psal. 119. vers. 108. Ezech. 46. v. 12. Amos 4. v. 5. 2. Cor. 8. v. 3. Philem. vers. 15. Si vero in posteriore significatione accipitur, significat cultum *proprio arbitrio & ingenio præter & extra verbum excogitatum.* Talis cultus Deo non probatur, proinde cum Bellarminus agnoscat, peregrinationes esse talem cultum, eo ipso nostram sententiam confirmat, cum ἐθελοθρησκείας & ejusmodi electitios cultus Deo non probari, alibi demonstratum fuerit. Nec potest contrarium probari ex *spontaneis oblationibus* in V. T. usitatis, de illis enim in ipsa lege divina extant certæ ordinationes, quod fieri possint, quo modo & quo in loco fieri debeant. Lev. 7. v. 16. cap. 22. v. 18. Num. 15. v. 3. Deut. 12. v. 11. Ergo illæ non fuerunt opera electitia suffragio verbi divini destituta.)

Adamus Tannerus in Compend. relat. Colloq. Ratisbon. part. 2. cap. 6. p. 37. *Fateantur ipsi quæso si lubet multa fide infallibili & divina credenda esse, quæ in Scriptura sola non contineantur, nec ex ea sola evidenter deducantur, & tunc nihil cum illis amplius magnopere contendemus. Fateantur, inquam, peregrinationes sanctorum &c.*

6. Quod agnoscere coguntur, peregrinationes ejusmodi esse *Turcarum & Ethnicorum* superstitioni communes, (ex quo inferri potest, eas non esse cultum Deo gratum & acceptum.)

Primo *de Turcis.* Thevet in Cosmographia lib. 6. cap. 5. *In Mecha Arabiæ urbe nostrorum hominum peregrinationibus nobili confluentes ex Persia, Æthiopia, Asia, Africa, Græcia, singulis annis innumeri Mahumetani, postquam Deum supplices oraverunt, ut ipsorum misereatur, & peccata eis condonet, tum per ministros ad hoc opus destinatos aquâ toti perfunduntur, tres enim lagenæ plenæ in singulos exhauriuntur, quo facto nemo est, quin certissimè credat, plenam sibi factam esse omnium criminum remissionem.* Idem memorant Ludovicus Romanus in suis navigationibus lib. 1. cap. 17. Lonicerus in Chronic. Turcic. lib. 2. cap. 14.

Breidenbachius in Histor. peregrinat. suæ cap. 3. sic scribit: *Ex lege Machometi singuli Turcæ tenentur ad visitandum quotannis ejus sepulcrum. Visitare etiam solent Sedicbasi sepulchrum in Caramania, quique horum sepulchra visitant, inde se peccatorum condonationem & vitam æternam adepturos sperant.*

Zuingerus in Theatro pag. 577. refert ex Cuspiniano, *Machometi Pseudo-Prophetæ sepulchrum in Mecha Persidis urbe, ferrea arca locatum invisi à Turcis, ut à Christianis Hierosolyma.*

Ibid p. 3141. a. de liberalitate Turcarum in peregrinantes ex eodem Cuspiniano hæc memorat: *Sunt iis peregrinis* (ab Hierosolymis Mecham religionis causa tendentibus) *duo constructa Xenodochia, quæ nos Hospitalia dicimus, in itinere unum, quod Czemmene Zercii lingua dicitur patria capacissimum multorum hominum, exædificatum in locis desertis, ubi habitatores non sunt. Alterum in civitatibus Tmarat cognominatum. Sunt autem à Regibus & Principibus extructa & possessionibus donata plurimis, ut reditibus illic ali possint abunde bis in die, non modò peregrini adventantes, sed & studentes quidam adscriptitii & Sacerdotes nonnulli, qui pro fundatoris anima officium quotidie dicunt.*

Secundo *de Ethnicis.* Gretserus lib. 2. de sacr. peregrinat. cap. 10. p 237. *è diversis scriptoribus gentilium* probat, *peregrinationes religiosas apud ipsos partem cultus fuisse.* Inter cætera sic loquitur: *Quem morem in suis templis à paganis etiam observatum fuisse, notat Sidonii Apollin. Scholiastes Arnob. lib. 1. Cum per omnia supplices irent templa, cum Deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis. Tibullus.*

Non ego si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

(Zuinger. Theat. p. 856 a. *Alexander Magnus ad Ammonis oraculum peregrinans miraculosè servatur, pluviis in aquarum defectu & corvorum ductu in viis prorsus inviis, maximeque periculosis.* ibid. pag. 977. fac. b. *Apud Gederam Hispaniæ est templum Herculis notissimum, cui & Hannibal, antequam Alpes transcenderet, profectionem vovit.*)

Pergit Gretserus d. l. *Sed notum est, non omnia, quæ Ethnici vel agunt, vel egerunt, improbanda esse, cum multa ipsius Naturæ instinctu bene egerint; inter quæ hoc ipsum loca religiosa venerari, & quidem osculis, licet in hoc non parum à veritatis tramite aberrarint, quod hoc honore templa idolorum, vel potius Dæmonum, affecerunt.*

7. Quod peregrinationes illas *ex Ecclesiæ Judaicæ ritibus* stabilire conantur.

(Agnoscunt ergo eas ex κακοζηλίᾳ Judaica descendere.)

Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 8. §. Sed nihil &c. *Sunt peregrinationes ad loca sancta piæ & religiosæ &c. Id probatur primum Scripturæ testimonio. Deut. 16 Deus instituit, ut omnes filii Israël ter in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur, quod præceptum studiosè servabat Helcana & Anna uxor ejus.* 1. Reg. 1. *nec non Christus ipse cum matre sua & S. Josepho Luc. 2. Johan. 12.*

Lancelottus Quæte 30. & 2. peregrinationes probat eodem argumento. *Deus omnibus Israëlitis masculis Deut. 16. 16. mandat, ut trib. vicib. per annum peregrinentur ad tabernaculum vel templum Domini, ibique non appareant vacui, sed offerat unusquisque secun-*

secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quod praeceptum studiose implevere Elcana & Anna, 1. Reg.1. Item Christus cum nutritio suo Josepho Luc.2.

Beierlinck Conc.select.pag.282.*Voluit Deus,ut ter in anno, nempe in solennitate azymorum, in solennitate hebdomadarum & tabernaculorum omnes peregrinarentur ad tabernaculum sive templum Domini. De quo etiam David, Adoremus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Insimulassent hic, crediderim, Adversarii Moysen, imo Deum ipsum idololatriæ & superstitionis, quod certum locum cultui suo & saluti suorum paulò ante deputaverit. Erunt apud illos superstitiosi,impii & vani Elcana & Anna,qui statis diebus ascendebant adorare in Silo, & sacrificare Domino exercituum,qui etiam domi id facere poterant.*

(Atqui ordinatio divina de peregrinatione ad tabernaculum fœderis & templum Salomonis suscipienda pertinet ad legem Leviticam,quæ in N.T. abrogata.)

8.Quòd agnoscere coguntur,hunc cultum Satana autore fuisse in Ecclesiam introductum & confirmatum.

Zuing.Theatr.pag.368.b. *Per Philippum Woselchium Coloniensem religiosum in Kuectana Abbatia obsessum à Dæmone Ann. 1550.Dæmon interroganti respondit, se Matthiæ Durensis Abbatis præcedentis animam esse: cum pictori, qui Mariæ virginis tam accuratam pinxerat Imaginem,non solvisse mercedem,Monachum verò liberationem non posse consequi,nisi religiosam profectionem Treviros & Aquisgranum versus obiverit. Dictum factum, religiosus morem gerens liberatus est. Hæc Historia Coloniæ typis excusa est.*

Bodinus lib.3.Dæmon.cap.6. *Johannes Wierus lib.5.c. 14. de præstigiis Dæmonum narrat,puellam Dæmoniacam à se in Germania visam,& roganti Exorcistæ Satanam respondisse,fore opus,ut puella Marcodurum Germaniæ oppidum religionis ergo petat, tertio quoque gradu in genua procidens, & Missam in altari S. Annæ celebrari curet, sic futurum, ut puella liberetur: adeoque signum liberationis sub finem Missæ venturum prædixisse. Hoc facto sub finem Missæ puella & sacrificus albam quandam viderunt imaginem, & illa à Dæmone soluta est.*

9.Quod quidam agnoscunt,*sanctis non esse vovendum*;quorum dicta in cap.proximè sequente adducentur.

(Ex eo enim inferri potest, peregrinationes Papales ad loca sanctorum non esse probandas, cum utplurimum in Papatu suscipiantur ex voto certo alicui Divo nuncupato.)

10.Quod quidam agnoscunt, *sanctos non esse religiosè invocandos*,ut ostendimus superius cap.2.

(Jam verò Peregrinationes ad loca sanctorum susceptæ hunc finem sibi habent propositum,ut sancti in illis locis religiosè invocentur. Ergo de peregrinationibus illis, tanquam mediis,idem judicandum,quod de religiosa sanctorum invocatione,tanquam fine,juxta Scripturæ normam statuitur.)

11.Quod in propugnatione illarum peregrinationum sibi contradicunt.

Primò, Bellarminus lib.3.de cult.sanct. cap. 8. §. Cassianus &c.inter exempla,quibus peregrinationes probare cupit, numerat *Monachos Ægyptios* ex Cassiano lib. 4. de instit. renunc.cap.31.& tamen paulò post.§. Secundò dico &c.asserit, *Monachis,qui in claustris, in silentio, precibus ac jejuniis exercentur, non convenire illas peregrinationes,quia illorum majus bonum impediretur minore bono peregrinationis.*

Secundò,idem Bellarminus d.l.orationem illam *Gregorii Nysseni* de iis,qui adeunt Hierosolymam; (in qua contra peregrinationes illas hæc urgentur argumenta, quòd *destituantur divino mandato,quod nullam habeant promissionem gratiæ aut benedictionis spiritualis, quod conjunctæ sint cum periculis, quod sint inutiles &c.*) suspectam reddere conatur argumento eo, quod *non inveniatur in ejus operibus, nec constet, quis eam in Græcum sermonem converterit, & fortè etiam Græcè non inveniatur.*

Sed non tantum Guilielmus Morellius Ann.1551. Græcè & Latinè eam edidit, sed etiam Aloysius Lipomanus Methonensis Episcopus de vitis Sanctorum tom. 2. Epistolam hanc recitat & Gregorio adscribit.

Quin & Baronius Ann.386.n.39.non it inficias, *legitimum hunc esse Nysseni partum.*

Tertio, Bellarminus pro astruendis peregrinationibus adducit exemplum *sancti Alexii, qui ad nobiliores Ecclesias mundi profectus fuerit*,teste Simeone Metaphraste in ejus vita.

Sed idem Bellarminus in lib.de script. Eccles.& Baronius tom.10.Annal.ad Ann.859.*à posterioribus quasdam Historias Simeoni Metaphrastæ additas esse* fatentur, & disertè addunt, *Metaphrasten ex proprio ingenio multa addidisse, ac vitas sanctorum descripsisse,non ut res gestæ fuerunt,sed ut geri potuerint*, hoc est, officiosè aliquid admentitum fuisse.

Argum.Adversariorum.1.Esai.11.v.10. *de sepulchro Dominico prædictum,quod futurum sit gloriosum,ex eo non solum reliquiarum cultum,sed etiam peregrinationes probare conantur.*

Bellarmin.lib.2.de beat. sanct.cap.3.

Resp.1.Glossa ordin.ad h.l.sic annotat. *Erit requies ejus honor,id est,mors ejus gloriosa. Postquam de nativitate ejus & de ceteris Sacramentis dictum est, venit ad mortem, quæ requies dicitur, quod in Christo vita perpetua,idem significat sepulchrum.*

2.Sanctius in h.l.*Pro sepulchro ejus in Hebræo est,Manuchato, quam vocem Hieronymus* (per sepulchrum vertens) *fatetur ita se reddidisse,ut sensum potius quàm vocem spectaverit. Vox enim illa quietem,dormitionem seu cessationem significat. Quare sensus videbatur multo patere latius,quàm significat sepulchri vox. Neque mihi videtur durum, si pro eo sumas, quod Christi mortem consecutum est, quod optimè illius cessationem aut quietem à labore interpretari licet. Certe quod Christi morti vel agoni successit,gloriosum fuit,quocunque accipias modo,quia gloriosa mors fuit,quam terræ concussus,lapidum crepitus & cœli luctus honestarunt. Adde,quod successit resurrectio, splendoris & lætitiæ plena, antequam in sepulchro corruptionem videret. Denique nominis antea mali,vexati atque despecti mirabilis exaltatio Phil.2.v.8.Heb.2.v.9.Quare sensus his videbatur non alienus,Requies à labore & morte, & id quod certamini, ludibrio atque passioni successit, ut sepulchrum, triumphus & nominis super omne nomen exaltatio gloriosa fuerunt.Quem sensum indicat LXX.translatio. Et erit requies ejus honor. quam secuti plurimi ex antiquis Patribus. Idem pene sentiunt Cyrillus, Procopius hic, Chrysostomus in demonstrat.quod Christus sit Deus tom.5.*

3.Hector Pintus in h.l. *Lege cap 19. Evangelii Johannis, & invenies,sepultum fuisse Christum à viris illustribus Josepho ab Arimathæa & Nicodemo afferente mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum &c. Voluit Christus gloriosam habere sepulturam, ut intelligeremus à morte incipere justorum gloriam, ubi superborum & potentium gloria finitur.*

Et postea. *Potest hic locus Esaiæ sic explanari: Omnes sepulchrum Christi venerabuntur, quod etiam nunc impletum cognoscimus. Cum enim sepulchrum Christi sit in medio hostium sui nominis situm,quibus ipsis Turcis excolitur,& gentes illæ immanitate barbaræ,superbæ & truculentæ ad illud supplices ac venerantes accedunt, ibique Cœnobium Christianorum esse permittunt, ubi viri religiosi divina officia celebrantes,debitasque laudes Deo die ac nocte persolventes,inter Christi hostes gloriam nominis Christiani amplificant.*

(Agnoscimus & ipsi in eo mirabilem Dei providentiam ac potentiam, quod sepulchrum Christi in medio hostium ejus situm ab ipsis colitur, quodque Cœnobium Christianorum ibidem permittunt.)

Tandem concludit Pintus. *Potest præterea sumi sepulchrum pro ipsa Christi morte,quæ fuit absque dubio gloriosa.*

4. Jacob. Tirinus ad h.l. sic annotat: *Hebraicè & Græcè, Erit requies ejus gloria. Unde sepulchrum hic non tam locum significat,in quo positum fuit cadaver Christi, quàm ipsam mortem, dormitionem seu requiem,quæ fuit causa sepulturæ. Porro mors Christo gloriosissima accidit; nam simul atque expiravit, anima victrix apud inferos triumphavit,& corpus honorificum conditum sepulchro, quod etiam Angeli suâ præsentiâ & custodiâ cohonestabant, gloriosum tertia die resurrexit. Ita fere Hieronymus & S.Cyrillus.*

(Addit quidem, ipsum etiam sepulchrum Christi esse gloriosum & à peregrinis visitari, interim nobis sufficit,quod fatetur,in Hebræo & Græco nullam fieri sepulchri mentionem.)

Argum.2. *Esai.60.v.13.locum pedum meorum glorificabo.Vaticinium hoc esse* volunt *de peregrinationibus ad terram sanctam.*

Resp.1. Bellarminus, qui studiosè conquisivit, quæcunque specie aliqua peregrinationes illas religiosas probare possunt,hoc testimonio non utitur.

2. Franciscus Forerius Theol. Doctor Concionator regius annotat,locum hunc *de tota N.T.Ecclesia, & non de civitate Hierosolyma,vel alio certo loco agere; Hierosolymæ nomen ex cantu Ecclesiæ irrepsisse* dicit.

3.Glossa ordin.ad h,l.sic annotat. *Locum pedum, id est, Ecclesiam, in qua Apostoli, qui Domini pedes,eum sc. prædicatione circumferentes, unde inhabitabo in illis & inambulabo.2.Corinth. 6. Et alibi, Beati pedes pacem, id est, Christum portantes Esai.52. Nahum.*

Nahum 1. Vel prædicatores dicuntur pedes, qui totum corpus sc. Ecclesiam sustinent institutis, miraculis & exemplis.

4. Lyranus eodem modo: *Locum pedum meorum glorificabo, id est, Ecclesiam militantem, in qua habitat specialiter per gratiam. Dicitur tamen locus pedum Dei eo modo loquendi, quo dicitur Es. 66. Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.*

5. Sanctius ad h. l. sic annotat: *Locus pedum Dei propitiatorium erat, quod scabellum pedum Domini dicitur, quia cum dicatur sedere super Cherubim, qui sunt super arcam, si habitum hominis sedentis spectes, consequens sit, ut pedes ejus sint super propitiatorium &c. Sed puto hic locum pedum Dei templum esse, quod proxime vocatum fuerat locus sanctificationis, sic enim videtur nominari Thren. 2. v. 1. Et ita exponunt multi ex Interpretibus Chaldæus, Maldonatus, Agellius, Theodoretus, S. Thomas, Hugo, Dionysius, Bonaventura & alii plures &c. Hæc ut vera fuerint in templo per Zorobabelem instaurato, ad quod, ut reor, hæc typice respiciunt, multo tamen in Ecclesia cumulatius impleta sint, sive hæc ad externorum templorum apparatum & ornamentum referas, sive ad spiritualem & internum. Nam pro uno Solymitano templo innumera in Christianorum provinciis, id est, in toto prope terrarum orbe reperies, in quæ à Principibus quicquid speciosum est & admirabile & congestum est olim & nunc quoque assidua liberali manu congeritur. Si vero ad internum, id est, magis proprium, quod à filiorum sanctitate habet Ecclesia, invenies in ea cedrum, buxum, abietem, pinum, in quibus tanquam in Symbolo significantur eximiæ ac solidæ Sanctorum virtutes, quæ late exhalant suavissimum odorem.*

6. Hector Pintus in h. l. *Appellat Christus Ecclesiam locum suæ sanctificationis & locum pedum suorum, quoniam in ea ipse colitur, & homines sanctificat, & ipse eam gubernat ac protegit.*

Eodem modo exponunt Cornelius à Lapide & Jacob. Tirinus Jesuitæ in Comm. illius loci.

CAPUT VI.

De Votis, quæ fiunt sanctis; de juramentis, quæ per sanctos præstantur; de templis, quæ in honorem sanctorum eriguntur; ac de festis, quæ in honorem sanctorum celebrantur.

THesis. Nec sanctis *vovendum*; nec per sanctos *jurandum*; nec *templa & altaria* sanctis erigenda; nec *festa* in honorem sanctor. celebranda.

Ἔκθεσις. Non est quæstio de festis in memoriam sanctorum celebratis, sed de festis ad religiosum sanctorum cultum institutis.

Antithesis. 1. Bellarm. lib. de Monachis cap. 14. §. Deo facta &c. *Vota vere fiunt sanctis, sed ut sancti sunt & ut excellentissimo modo participant Dei naturam & gloriam* lib. 3. de cultu sanct. cap. 9. §. 2. *Posse aliquo modo voveri sanctis, certissimum est.*

Et postea §. 7. *Cajetanus in art. 5. q. 88. Thom. p. 22. probat ex ipsa professione Fratrum Prædicatorum vota vere fieri sanctis. Nam dum profitentur, dicunt: Voveo Deo & B. Mariæ & omnibus sanctis me Prælato tali vel tali obediturum, ubi promissio, quæ formaliter est votum, ad Deum & sanctos simul dirigitur.* §. penult. *Votum non convenit sanctis, nisi quatenus sunt Dii per participationem.*

In Conformit. Francisci lib. 1. fructu 9. refertur, quod Minores hanc formam in professione observent. *Ego Frater N. promitto & voveo Deo & B. Mariæ semper virgini & B. Francisco & tibi Patri toto vitæ meæ tempore servare regulam Fratrum minorum.*

Bailius in Catech. contr. tract. 2. q. 53. *Licet sanctis vota facere, idq; facit ad testandam confidentiam, quam in precibus eorum collocamus, qui virtutis vexillum secuti sunt &c.*

2. Per sanctos in Papatu jurari, testatur c. Honestum. caus. 22. q. 5. ex Cornelio Papa. *Honestum etiam videtur, ut qui sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat.*

2. *Templa & altaria* illis erigi testatur quotidiana praxis Inter Papistas vix unum reperitur templum quod Dei nomine vocetur, sed singulis sancti alicujus nomen est impositum.

Eccius in Enchirid. p. 152. *Sanctus Savianus erexit Ecclesiam S. Petro vivo, condidit & alias duas in honorem B. Stephani & S. Johannis Baptistæ in Gallia.*

Bellarm. lib. 3. de cult. sanct. c. 4. prop. 4. *Sacræ domus non solum Deo, sed etiam sanctis recte ædificantur & dedicantur. Probatur ista conclusio ex Conciliis & veterum testimoniis.*

Et postea: *Potest erigi basilica S. Petro, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso templi nomine, recordentur S. Petri, eum in eo loco tanquam Patronum colant & deprecentur.* Ibid. *Sacræ domus ipsis sanctis verè & propriè ædificantur, non tamen sub ratione templi, sed basilicæ.*

Altaria in Papatu consecrantur honori & cultui sanctorum illorum, quorum reliquiæ sub illis fuerunt reconditæ. Pontificale fol. 99. fac. a. *Sanctificetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis & gloriosæ Virginis Mariæ, ac omnium sanctorum & ad honorem ac memoriam sancti N. in nomine Patris & Filii & Spir. S.*

Ibid. de consecrat. ac dedicat. Eccles. p. 102. *Sanctificetur & consecretur hoc templum in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, in honorem Dei & gloriosæ Virginis Mariæ & omnium Sanctorum & in memoriam sancti N.*

4. *Festa* ad religiosum cultum sanctorum in Papatu celebrari itidem ex praxi manifestum.

Bellarm. lib. 3. de cult. sanct. cap. 16. §. Neque rationes &c. *Dico honorem festorum immediate & terminative pertinere etiam ad sanctos, sicut de basilicis, de votis & ipsa invocatione diximus. Sed talem honorem dicimus esse cultum duliæ, non latriæ, & proinde religionis quidem, sed religionis non ut est nomen specialis virtutis, quæ hominem erga Dei cultum bene disponit, sed ut est nomen generale.*

Biel. lect. 32. in Canon. Missæ lit. Y. *Quædam Ecclesiæ quæstum pietatem æstimantes propter solas quotidianas distributiones aliquem simplicem Martyrem, Confessorem, vel Virginem solennioribus Ceremoniis agunt in pulsibus, luminibus, vestibus, sacris, cantu, organis, quam festa Apostolorum, imo quandoq; quam festa Beatissimæ Virginis aut Christi. Nec hoc ideo culpandum, ne nimius sanctis honor impendatur, nam nulli sancto etiam minimo honor suæ gloriæ condignus ab homine impendi potest.*

Nostram sententiam probamus.

1. *Sanctis non esse vovendum* patet ex eo, quod votum sit species invocationis & actus religionis soli Deo debitus, unde etiam soli Deo in Scripturis vota fieri dicuntur. Num. 30. v. 3. Deut. 23. v. 21. Ps. 76. v. 12. Esai 19. v. 21. Sic ergo concludimus:

Primò, quod est opus primæ tabulæ, non potest hominibus exhiberi, sed soli Deo competit. Atqui vovere & reddere est opus primæ tabulæ, pertinens sc. ad secundum Decalogi præceptum. Ergo.

Secundo, Cui votum fit, illi etiam sacrificium offerri solet & potest, quia utrumque est cultus primæ tabulæ, unde etiam à Propheta conjunguntur Es. 19. v. 21. Atqui soli Deo, non autem sanctis licet offerre sacrificia. Ergo.

Tertiò, illis tantum licet vovere, qui nos audire possunt & bona nobis conferre, contra vero à malis liberare, inde Scriptura hanc rationem ponit, quare Deo vovere & vota nostra solvere debeamus. *Nam Dominus Deus tuus requiret à te.* Deut. 23. v. 21. Atqui sancti demortui nec nos audire, nec bona nobis conferre, nec à malis nos liberare possunt. Es. 64. v. 16. Ergo.

Quartò, illi tantum licet vovere, in quem licet credere & cordis fiduciam collocare Rom. 10. v. 31. Sed in solum Deum, non autem in sanctos licet credere & cordis fiduciam collocare. Ergo.

2. *Per sanctos non esse jurandum*, patet ex iisdem fere fundamentis, quia juramenta sunt ejusdem Naturæ cum votis.

Primò, Scriptura per *solius Dei nomen* jurandum esse docet. Gen. 21. v. 23. cap. 24. v. 3. cap. 31. v. 53. Deut. 6. v. 13. cap. 10. v. 20. Jos. 2. v. 12. cap. 23. v. 7. 1. Sam. 24. v. 22. cap. 28. v. 10. &c.

Secundò, per illos, *qui non sunt Dii*, jurare prohibet Jer. 5. v. 7.

Tertiò, in cujus nomine juro, illi omniscientiam, καρδιογνωσίαν & omnipotentiam tribuo. Jam vero sancti non sunt omniscii, nec καρδιογνῶσται nec omnipotentes.

Quartò, Juramentum est species religiosæ invocationis. Jam vero sancti non sunt religiose invocandi.

3. *Sanctis non esse templa vel altaria erigenda*,

3. *Nec festa ad religiosum sanctorum cultum instituenda* iisdem fere probatur argumentis, quia templa erigere, & festa celebrare est actus latriæ soli Deo debitus, ac sicut sacrificium nemini nisi soli Deo offerre licet, ita quoque templa & altaria nemini nisi soli Deo erigenda, ac festa nemini nisi soli Deo omnium beneficiorum tum spiritualium tum corporalium autori & fonti sunt celebranda.

Eusebius in orat. de laudib. Constantini inter Constantini encomia recenset, *quod mundum universum sacrosanctis templis, augustisq; Ecclesiarum ædificiis adornandum in singulis pagis, urbibus, regionibusque omnibus, adeoque in ipsis barbarorum locis, ædes sacras & templa, uni omnium Deo atq; universali rerum Domino dedicanda; consecrandaq; curavit. Unde etiam templa, quæ ei erant consecrata, Domini nomen obtinuerunt, quod nomen non ex hominibus, sed ex omnium Domino illis fuit impositum, & propterea κυριακὰ Dominica sunt appellata.*

Augustinus contra Maximin. lib. 1. p. 689. tom. 6. *Nonne si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia*

Dei,

Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum deberetur Deo?

Nostræ sententiæ suffragatur, 1. quoad *vota*, 1. quod quidam agnoscunt, votum esse cultum soli Deo debitum.

Lombardus 4. sent. dist. 38. lit. A *votum* definit, *quod sit testificatio quadam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his, quæ Dei sunt, propriè fieri debet.*

Thomas 2. 2. q. 88. art. 5. *Omne opus virtutis ad religionem seu latriam pertinet, per modum imperii, secundum quod ad divinam reverentiam ordinatur, quod est proprius finis latriæ. Ordinare autem alios actus in suum finem, pertinet ad virtutem imperantem, non ad virtutes imperatas, & ideo ipsa ordinatio actuum cujuscunque in servitium Dei, est proprius actus latriæ. Manifestum est autem ex prædictis, quod votum est promissio quadam Deo facta, & quod promissio nihil est aliud, quam ordinatio quadam ejus quod promittitur in eum, cui promittitur. Unde votum est ordinatio quadam eorum, quæ quis vovet in divinum cultum seu obsequium. Et sic patet, quod vovere propriè sit actus latriæ sive religionis.*

(At soli Deo debetur latria.)

Unde Thomas sic distinguit: *Vota, quæ fiunt sanctis vel Prælatis, includunt duas promissiones, unam quæ fit sanctis, & illa formaliter non est votum; & alteram, quæ fit Deo, & illa est formaliter.*

Ibid. *Dicendum est, quod votum soli Deo fit, sed promissio etiam fieri potest homini.*

Ibid. art. 1. *Secundum quosdam, Votum est conceptio boni propositi cum animi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum vel non faciendum Deo se obligat.*

Sylvester Prierias in Summ. in verbo Votum, & Viguerius in Institut. cap. 5. §. 5. v. 14. itidem statuunt, *votum propriè soli Deo fieri posse.*

(Bellarminus primò respondet ex Cajetano, *vota fieri sanctis, non ut sunt creaturæ quædam rationis participes, sed ut in eis Deus habitat per gloriam.* At eadem exceptione omnes idololatræ uti possent, videl. *se non colere Angelos & creaturas, ut creaturæ sunt, sed ut Deus in eis habitat.* Posset etiam ex eâdem distinctione probari, *sanctis posse sacrificia offerri; sanctis in terra viventibus posse voveri &c.*

Secundò. *Deo aliquid promitti, tanquam primo principio, sanctis verò quasi intercessoribus in signum gratitudinis &c.* At eadem exceptione itidem omnes idololatræ uti possent, videlicet, *se Deum colere, tanquam primum principium, & creaturas, tanquam media, per quæ ad ipsos beneficia profluant.* Præterea votum, quod Monachi Deo & sanctis nuncupant, pariter eos conjungit. Insuper, hoc ipsum quæritur, an liceat vovere sanctis velut intercessoribus. Denique si vel maximè dispari ratione latriam Deo & creaturis aliquis exhiberet, tamen idololatriam committeret, ac posset per hanc distinctionem etiam sacrificium formaliter sanctis offerri.)

Azorius respondet, 1. *Votum Deo fieri in præsentia tantum sanctorum, qui ut testes, advocati & patroni adhibentur, ut quæ promittimus facilius commodiusque præstemus.* tom. 1. Instit. moral. lib. 11. cap. 13.

Resp. Primo, hæc explicatio non congruit formulis votorum, quæ fiunt sanctis.

Secundo, sancti defuncti non audiunt nos, nec cognita habent instituta nostra, quomodo ergo in testimonium vocari possunt?

Tertio, Deus non opus habet testibus, qui *renes & corda scrutatur*, & in violati voti reos facilè animadvertere potest.

2. *Vota fieri propriè Deo, sed sanctis, tanquam Dei ministris ipsius locum tenentibus; Deo fieri jure & nomine ipsius, hominibus verò nomine Dei.* Sed hac ratione etiam Magistratui, parentibus & aliis, qui locum Dei tenent, vota nuncupanda essent, cum tamen hæc sit pars gloriæ soli Deo debitæ; nec uspiam legitur, Deum voluisse, ut hominibus nomine Dei vota fierent.

Nec congruunt hæ responsiones cum Cajetano, qui in Comm. super Thomam 2. 2. q. 88. art. 5. scribit, *Eadem ratione votum fieri Deo & sanctis.* Item, *sanctis absolutè voveri sicut Deo, Prælatis autem non. Quod ex ordinis sui regula probat*, in qua inquit, *manifestè sanctos contra homines distinguimus, ponentes illos ex parte Dei, ac vovemus Deo, B. Mariæ Virgini, Dominico ac omnibus sanctis, quod erimus obedientes Prælato nostro.* Ratio ipsius est, *quia Dii sunt participativè.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Comment. Disp. 6. punct. 3. col. 1745. *Vovere non modo apud sacros, sed etiam apud alios Scriptores Latinos idem est, atque permittere Deo aliquid cum quadam firmitate & obligatione. Et Deuteronomii vigesimo tertio, votum esse pollicitationem ac promissionem Deo factam apertè indicatur. Convenienter huic itaque notioni vocabuli, atque adeò Scripturæ sacræ & communi sententiæ omnium potest votum describi sic, Votum est promissio Deo facta operis alicujus ad ejusdem Dei cultum.*

Duræus in Resp. ad Witakerum pro Campiano lib. 6. f. 156 *Nemo Catholicorum vel sacra facit vel vota Virgini, sed Deo soli & sacrificamus & certe vovemus, quamvis in Virginis & sanctorum honorem.*

Bellarminus lib. 3. de cultu sanctor. cap. 9. ad argumentum, *quod votum sit actus religionis soli Deo debitus, qualis etiam est juramentum & sacrificium, ut patet ex divinis literis, ubi perpetuo vota dicuntur fieri Deo Num. 30 Deut. 23 &c.* respondet §. 9. *non eadem ratione fieri vota Deo & sanctis.*

(Concedit igitur, in sacris literis nemini nisi soli Deo vota offerenda juberi, id quod etiam probant manifesta Scripturæ dicta, Psalm. 76. v. 12, Esai. 61. v. 21. quo dicto Thomas sententiam suam superius citatam confirmat.)

Ibid. §. Præterea &c. sic loquitur. *Cum scriberentur Scripturæ sanctæ, nondum cœperat usus vovendi sanctis.*

(Fatetur igitur, consuetudinem vovendi sanctis fuisse Prophetis & Apostolis ignotam.)

Idem Bellarminus lib. de Monachis cap. 14. votum definit *religiosam promissionem.*

(At actus per se & in se religiosus soli Deo debetur, unde ibid. addit, *votum esse permissionem alicujus excellentioris boni Deo factam libera voluntate.*)

2. Quod agnoscunt morem vovendi sanctis ex Judaismo & Ethnicismo originem trahere.

Polyd. Vergilius lib. 6. de rer. invent. cap. 11. pag. 526. *Hinc* (à Judæis) *faciendi voti usus manasse videtur, quod fit, cum tacitè vovemus, aut cum aliquid promittendo, utpote imaginem argenteam, cereas candelas, Deo nuncupamus vota, id quod veteres etiam* (Ethnici) *factitabant, arbitrantes, votis & precibus Deos inprimis placatum iri. Sic Helenus apud Virgilium admonet Æneam: Junonis magnæ primum prece Numen adora. Junoni cane vota libens.*

Utrumque à nobis in periculis servatur.

Idem lib. 5. de rerum inventorib. cap. 1. sic disserit:

Consimiliter ritus offerendi cereas imagines ab iisdem (Ethnicis) *est projectus. Cum enim Pelasgi, teste Dionysio Halicarnasseo, sedibus pulsi Dodonam pervenissent, ibi accepto responso, quo admoniti sunt, ut Siculorum continentem terram quærerent, in Latium demum post multos errores venientes, in lacu Cutiliensi enatam deprehenderunt Insulam, quam Cotiliam nominarunt. Hoc igitur quasi omine suscepto, has sibi prædictas esse sedes didicerunt, pulsisque inde Siculis incolis regionem ipsi tenuerunt, decima præda secundum responsum Apollini consecrata, erectoque Diti sacello & Saturno arâ, illum humanis capitibus, hunc virorum victimis placare se existimabant propter oraculum, in quo erat. Et capita inferno, & patri transmittere lumen. Saturni sacra, ut quidam volunt, Saturnalia nominantes. Posthac ferunt Herculem cum Geryonis pecore per Italiam redeuntem suasisse illorum posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, offerentes Deo non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem formata, quasi parva ora, ut pars pro toto fieret, & Saturni aras non mactatis viris, sed accensis cereis excolentes, quia φῶς non solum virum, sed etiam lumen significat. Inde ergo invaluit consuetudo, ut Saturnalibus & cerei missitarentur, & sigilla, hoc est, oscilla arte fictilis fingerentur, ac venalia exponerentur, quæ homines pro se ac suis piaculis Diti & Saturno offerrent. Hæc quodammodo nostra vaticinabantur sacra. Nam sic & nos eadem cera sigillaria, hoc est, imagunculas templis offerimus & oscilla. Quoties enim pars aliqua corporis læsa fuerit, utputa manus, pes, mammilla; statim vota facimus Deo & ejus Divis, quibus mox recuperata sanitate illam manum, illum pedem, illam mammillam ex cera formatam offerimus. Quæ consuetudo sic increbuit hactenus, ut istiusmodi sigillaria ab hominibus ad reliqua animalia transierint. Sanè, sic pro bove, sic pro equo, oscilla templis ponimus; in qua re quispiam verecundè scrupulosus fortasse dicet, se planè nescire, an nos priscorum religionem potius, vel superstitionem æmulemur, cum talia Christianæ Ecclesiæ Rectores etiamnum admittant, quando autore Catone de re rustica sic Romanorum moris fuit, pro bobus, ut valerent, vota facere, cujus rei modum valde ut herculè ridiculum ille ibidem ponit. Hinc etiam consentaneum est finxisse, ut nos*

ut nos quoque cereos offeramus, illisq; accensis cœlicolas colamus, sicuti ad Saturni aram est factitatum, quod præsertim in festo purgationis Virginis die servatur, ut quasi ipsi cerei sint apud nos agni anniculi, columbarum & turturum, quæ munera Moses constituit à puerperis lustrico die ad templum deferenda.

(Nec tamen propterea à Censoribus Lovaniensibus ac Duacensibus reprehensus fuit.)

Ibidem: *Quod tabellas in templis affigimus, quibus miracula inscripta sunt, ut ea ad posteros testatiora sint, hoc ex Græcis est, apud quos, teste Strabone lib. Geograph. 8. mos fuit in templo ejus Dei, qui auxiliatus esset, & præsertim Æsculapii, quod Epidauri insigne erat, tabellas appendere, in quibus morbi sanati erant inscripti.*

Similia occurrunt apud Petrum Perottum Episcopum Sipontinum in libro, cui titulus, *Cornu copiæ*, Anno 1506. recuso apud Johannem Prüss Argentinensem.

3. Quod in quæstione, An sanctis sit vovendum, non consentiunt.

Tres præcipue opiniones in Scholis dominatum exercuerant,

1. *Votum, exempli gratia, manus cereæ pro restituta manu nuncupatum alicui sanctorum esse latriam proprie dictam, & eadem ratione fieri votum Deo & sanctis.* Ita Cajetanus in Thom. 2. 2. q. 88. art. 5.

2. *Votum exhiberi formaliter Deo sub ratione voti, sanctis solum materialiter, sub ratione promissionis nudæ*, quasi dicat vovens: *Ego promitto B. Virgini calicem, id est, promitto Deo, me præstiturum, quod Virgini promisi.*

3. *Votum esse cultum religiosum, sed non latriam. Vota*, inquit Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 14. *Vere fiunt sanctis, sed, ut sancti sunt, id est, ut excellentissimo modo participant Dei Naturam & gloriam, sed non eadem ratione fit votum Deo & sanctis.* Illud lib. 3. de Beat. Sanct. cap. 9. sic declarat: *Deo promittitur aliquid in signum gratitudinis erga primum principium, & proinde illa promissio est cultus latriæ: at sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga Mediatores & intercessores.*

II. Quoad *juramenta*, quod quidam agnoscunt, *non esse jurandum per creaturas.*

(Sancti vero sunt creaturæ. Ergo per sanctos non est jurandum. Excipit quidem Azorius lib. 10. Instit. cap. 2. *Jurari per sanctos, non propter ipsos, quasi Numinis & divinitatis aliquid habeant, sed propter Deum, qui est autor omnis veritatis & sanctitatis quam habent sancti.* Atqui nulla hæc est consequentia. Sancti habent suam sanctitatem à Deo. Ergo per illos jurari potest, quia Hierosolyma dicitur *civitas sancta*, Matth. 27. v. 53. & tamen per illam jurandum esse Christus negat, Matth. 5. v. 35.)

c. Et jurabunt caus. 22. quæst. 1. ex Hieronymo: *Quod dicitur, vivit Dominus in Testamento Veteri, jusjurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos juravit omnis idololatra.*

c. Clericum. caus. & quæst. iisdem ex Concilio Carthaginensi quarto: *Clericum per creaturas jurantem acerrime esse objurgandum, si persisterit in vitio, excommunicandum &c. decernimus.*

c. Si quis caus. & quæst. iisdem ex Pio Papa: *Si quis per creaturam juraverit, acerrime castigetur, & juxta id, quod Synodus dijudicaverit, pœniteat.*

c. Movet te. caus. & quæst. iisd. in Appendice: *Jurare per creaturas malum est, quia à Deo prohibitum.*

Et postea: *Deus per creaturas jurare prohibuit, ne vel more gentilium aliquod Numen Deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne creaturas contemtibiles judicando per eas promissa pro nihilo duceremus.*

Innocentius III. c. Etsi Christus de Jurejur. ex Hieronymo censet, *Christum prohibuisse juramentum per creaturas, ne transferretur ad creaturam honorificentia creatoris.*

III. Quoad *templa & altaria.*

1. Quod quidam fatentur, *erectionem templorum & altarium pertinere ad cultum latriæ soli Deo debitum.*

Innocentius tertius lib. 3. de Mysteriis Missæ cap. 11. *Duæ sunt species servitutis. Una, quæ debetur soli Deo creatori, & dicitur λατρεία; altera, quæ creaturis impenditur, & dicitur δουλεία. Ad latriam pertinent templa, altaria, Sacerdotia, sacrificia & hujusmodi, quæ soli Deo sunt exhibenda &c. ne forte, si secus agatur, non Sacrificium, sed idololatria committatur. Hinc enim Deus in lege præcepit, Dominum tuum adorabis, & illi soli servies, hoc est, soli Deo servitutem adorationis impendes.*

Durandus in Rationali divin. Officior. lib. 4. cap. 39. *Ad λατρείαν pertinent templa & altaria, Sacerdotalia sacrificia, festivitates, Ceremoniæ & hujusmodi, quæ soli Deo sunt exhibenda.*

Erasmus ad locum Augustini lib. 1. contra Maximin. supra citatum, in quo negat, *ulli creaturæ templum esse erigendum*, sic annotat: *Hoc nunc quibuslibet fit Divis:* (quibus verbis vitiosum illum morem perstringit.)

Alphonsus de Castro lib. 13. adversus hæreses, titulo *Reliquiæ Sanctorum*, citat & approbat dictum Augustini lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. *Nos Martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.*

(Hoc ergo dictum litem dirimat.)

Costerus in Enchir. pag. 400. *In actibus, qui in exhibitione cultus divini solent adhiberi, quidam ex se hanc mentem & intentionem significant, alii non per se quidem, nisi peculiariter eò referantur. Prioris generis sunt sacrificii oblatio, altarium & templorum erectio, votorum nuncupatio. Posterioris generis actus creaturis etiam exhibentur, mutata mente atque intentione, ut capitis apertio, prostratio.*

Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 8. *divinitatem Christi* ex eo probat, *quod Ecclesia in toto terrarum orbe ipsum colat templis & aris.*

(Huic argumento nervus inciditur, si templa & altaria etiam sanctis possunt erigi.

lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 12. §. Tertia species &c. fatetur, *erectionem templorum esse cultum soli Deo proprium.*

Pazmannus lib. 13. Hodeg. *Sacrificiis nemo sanctos honorat, neq; altaria sacrificiis destinata sanctis ipsis ædificamus, verum soli Deo duntaxat viventi.*

Huc referri potest, quod Bellarm. lib. 3. de Cultu Sanct. c. 4. §. Jam ad argumentum &c. sic scribit: *Quidam recentiores* (Pontificii,) *quia non distinguunt inter templum & basilicam, existimant, sacras ædes non posse proprie erigi, nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offeruntur, nisi Deo. Quia tamen plurima sunt templa, quæ dicantur Deo, ut possint inter se aliquo modo distingui, denominari à sanctis, non quod eis erigantur, sed quod in illis templis præcipue colantur eorum memoriæ, & ipsi in illis locis patroni invocentur.*

(Hæc verba sana sunt, si causam de *invocatione sanctorum, tanquam patronorum* removeas. Quando igitur legunt in veteribus, vel audiunt in communi sermone vocari *templum*, vel *basilicam S. Petri, vel Pauli, vel aliorum*, dicunt debere exponi hoc modo: *Hæc basilica, vel templum est S. Petri, id est, est templum dicatum Deo in memoriam & nomen S. Petri &c.* Quæ sane pia est expositio & conformis ritui Ecclesiæ, quæ servatur in consecratione templorum. Nam aliquoties Pontifex in ea Ceremonia, dum preces fundit, dicit, *se consecrare templum in honorem Dei, & nomen talis vel talis sancti.*)

2. Quod quidam agnoscunt, morem extruendi templa in honorem sanctorum esse novum.

Polydorus Vergilius lib. 8. de Rerum Inventor. cap. 1. pag. 616. originem hujus moris refert ad Calixtum I. (qui sedit Anno 221.) sic enim scribit: *Calixtus I. Romanus Pontifex ædem in Transtyberiana regione ædificavit, dicavitq; Mariæ Virgini. Sic postea Constantinus Imperator Petro ac Paulo, ac D. Laurentio templa extruxit. Sic Pontifices, qui secuti sunt, alii alias ædes condidere sacras. Quibus pietatis operibus factum est, ut Christiani viri ac fœminæ usque ab extremis orbis quoq; partibus paulatim Romam peregre sua sponte confluxerint, sacra loca adeundi, Divorumque sepulchra visendi causa. Adauxit hanc populorum pietatem Divus imprimis Gregorius &c.*

Durantus lib. 1. de ritibus Eccles. capite 2. §. 4. itidem *Calixto I.* hujus rei originem tribuit.

Baronius Anno 224. n. 5. *Alexander Severus Imperator Mariæ Trans Tyberim templum erexit.*

3. Quod quidam agnoscunt, morem extruendi in honorem Sanctorum esse ab Ethnicis profectum.

Carolus Hannibal Fabrotus ad titul. Cod. Theodos. de Pagan. pag. 14. *Isidorus Pelusiota ait, Apostolorum tempore nulla fuisse templa. Christiani tamen clanculo conveniebant, & plerunque in Cœmiteriis. Cur ergo deinde templorum ædes excitarunt, & quidem superbas, molibus marmoreis structas, auro & argento decoratas? Ego didici, Gentiles Deos suos delubris & templorum constructionibus honorasse, ac si templa portionem divinitatis constituerent, & velut majestatis imaginem referrent. Christianorum autem*

templa nihil aliud fuere, quam domus orationis, in quib. scilicet fideles Deum precarentur, venerarenturq; utiq; melius, quam in domibus privatis, locisque profanis.

IV. Quoad *festa*.

1. Quod quidam agnoscunt, *festa ad religiosum cultum instituere & celebrare esse honorem soli Deo debitum.*

Durandus (circa Ann. 1280.) lib. 4. Rational. cap. 36. n. 2. *Ad latriam pertinent &c. festivitates, Ceremoniæ & ejusmodi.*

(Latria autem soli Deo debetur.)

Johannes Wicleyus Trial. 3. (circa annum 1390.) *Non valet solennizatio, vel festivitas talis sancti, nisi de quanto ad magnificandum Christum praeparat. Unde, si aliquæ sunt solennizationes sanctorum, quæ exorbitant ab hoc fine, non dubium, quin cupiditas, vel peccatum aliud sit in causa. Ideò multi putant prodesse Ecclesiæ, quod, cessantibus omnibus istis festivitatibus sanctorum, solum Christi festivitas observetur, quia, ut inquiunt, Christi tunc memoria recentius haberetur, & plebis devotio non sic in membra Christi indebitè spargeretur.*

Bellarmin. lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 10. §. Secunda propositio. *Dies festi sunt pars quædam divini cultus.*

Idem lib. 1. de Christo cap. 8. *Divinitatem Christi* probat ex eo, *quod Ecclesia in toto terrarum orbe ipsum colat, invocationibus, festis, diebus.*

(Præsupponere igitur cogitur, hunc religiosum cultum nemini, nisi soli Deo competere.)

2. Quod *novitatem hujus rei* tacitè concedunt.

Polydorus Vergilius lib. 6. de Rer. Invent. cap. 8. pag. 510. revocat originem *ad Concilium quoddam Lugdunense, in quo S. Patres, ut commodius plebs Christiana conveniret ad sacram concionem & ad cultum divinum concelebrandum, & illos sanxerunt dies* (festos transfigurationis Christi) *esse colendos & alios complures, qui Christianis perpetuo festi essent, quibus aut sancti e vita hac calamitosa in cœlum migrassent, aut aliquid in religione sanctum esset gestum. Qui nempe dies his sunt Divis sacri, Stephano Proto-Martyri, Innocentibus, Sylvestro, Johanni Baptistæ, duodecim Apostolis, Paulo gentium Doctori, Deiparæ Virgini, Laurentio, Michaeli & Martino.*

Idem pag. 513. *Felix I.* (Anno 273.) *& Gregorius* (An. 600.) *annua sacra facienda ad memoriam Martyrum instituerunt.*

3. Quod quidam agnoscunt, morem celebrandi festa in honorem sanctorum esse ab Ethnicis profectum.

Bellarm. lib. 3. de Cultu Sanct. cap. 16. § Confirmatur &c. *Causæ, propter quas homines etiam profani celebrant festos dies, concurrunt in obitu sanctorum. Homines enim festa celebrant ob diem natalem Principum. Item, ob assumtionem alicujus ad summam aliquam dignitatem. At cum sancti moriuntur, tunc vere nascuntur, & nascuntur Principes cœlestes, unde ab Ecclesia eorum obitus natalitia dicuntur. Item, tunc assumuntur ad summam dignitatem quæ hominibus conferri queat, id est, ad æternam beatitudinem: denique, tunc perfectam victoriam referunt de Diabolo & triumphum agunt.*

Baronius Anno 44. n. 87. *Non licuit, quæ apud gentes superstitioso cultu impiè agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre, ut majori Diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus honoraretur? ut inter alios fecisse constat magnū illum Gregorium, ob præclaras ab eo res gestas cognomento Thaumaturgum, qui gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa ac celebritates sanctorum Martyrum commutavit &c.*

Et postea: *Theodoretus de gentilium feriis, in honorem Martyrum piè sanctèque translatis, hæc addit: Dirutorum templorum materia templis, ariisq; Martyrum excitatis expiata est: suos enim mortuos Dominus noster in templa pro Diis vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria vanosque reddidit, suis autem Martyribus honorem illum dedit. Pro Pandiis & Diasiis & Dionysiis, h. e. Jovis, Liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisq; sanctis Martyribus solennitates populari epulo peraguntur.*

Polydorus Vergilius lib. 6. de Rer. Invent. cap. 8. p. 511. in modo celebrandi festa sanctorum Ethnicos ritus adhuc reliquos taxat. Postquam enim dixerat, *otium dierum festorum ad omnifariam bonorum morum corruptelam converti,* subjungit: *Atq; ita bellè Ethnicos perinde in hac re, ut in nimis multis aliis æmulamur, quod tantum abfuit, ut majores nostri fecerint, ut etiam illud ipsum audacter iisdem Ethnicis vitio dederint, teste Tertulliano in Apologetico, cum de Cæsarum solennibus sacris loquitur, ubi inquit: Propterea igitur publici hostes Christiani, qui Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant? Grande videlicet officium, focos & chores in publicum ducere, vicatim epulari, civitatem tabernæ halitu obolefacere, vino lutum cogere, certatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? O nos meritò damnandos. Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii & probi expungimus? &c. Non putavit Tertullianus futurum, ut ista omnia in nostros Christianos aliquando caderent, qui ho. loco Ethnicos deridet, & tamen venit tempus, cum eos potius Cæsarum, quam Christi solennitatus celebramus.*

(In specie *festum purificationis, festum cathedræ Petri, festum vinculorum Petri, festum omnium sanctorum &c.* ex Ethnicismo in Ecclesiam Romanam promanasse ostendit D. Nicol. Hunnius in Apostasia Romanæ Ecclesiæ cap. 4. §. 408. & seqq.)

Huc referri potest, quod quidam improbant, *multitudinem festorum* in Papatu receptam.

(Illorum enim festorum pleraque in religiosum sanctorum cultum sunt instituta.)

In Opusc. Tripart. part. 3. in secundo tom. Concil. (circa Annum 1126.) *Circa hoc sciendum est, vulgare esse, quod malæ mulieres dicunt, quod plus lucrantur in uno festo de peccato suo, quam per totam septimanam, vel quindenam ferialem. Similiter constat de multis aliis peccatis, quod plura fiant innumerabiliter in festis, quam in aliis diebus. Et ideò videtur, quod acceptum esset Deo, quod pauciora festa essent in Ecclesia Dei, cum in ipsis Deus plus offendatur, vel saltem, quod liceret operariis post auditum divinum officium in aliquibus festis minoribus ire ad opera sua, præcipue cum plurimi non habeant, unde se & suos sustentent, nisi de labore suo, & illi, qui jam abundant & habent, plus expendant in tabernis festis diebus, quam aliis ferialibus. Propter quod tanta festorum multitudo plurimum cedit in populi gravamen.*

Guilielmus Albus circa Ann. 1380. docuit, *quod indictis ab Ecclesia festis, quantumcunque solennibus, licitum sit fidelibus operari, & quæcunque opera temporalia facere.* Thomas Waldensis tom. 3. tit. 16. cap. 40.

Petrus de Alliaco Cardin. Camerac. in tract. de Reform. Eccles. Rom. (circa Ann. 1415.) *Providendum esset, quod non tot nova festa solennisarentur, quod non tot novi sancti canonisarentur, quod præterquam Dominicis & in majoribus festis ab Ecclesia institutis, liceret operari post auditum officium, tum quia in festis sæpe multiplicantur peccata in tabernis, in choreis & aliis lasciviis, quas docet otiositas, cum quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda.*

Nicolaus de Clemangis Magister Parisiensis & Archi-Diaconus Bajocensis, (qui floruit circa An. 1416.) edidit libellum *contra nova festa sanctorum,* ac probat, *potius aliqua vetera esse abolenda propter ingentem abusum.* Citat etiam quendā Altisiodorensem Episcopum, Michaëlem nomine, qui plerosque sanctorum dies in suo Episcopatu aboleverit.

Gravamina Imperii An. 1523. in Comitiis Norinberg. Legato Pontificis oblata, Grav. 37. *Insuper & feriarum, festorumq; dierum tanta copia Laicorum vulgus non mediocriter urgetur. Nimirum, cum tot sint religiosi facti dies, ut vix ægre tempus agricolis superat, quo fructus agri tot sudoribus è terra pellectos, aliquando aquâ pluvia, immodicove æstu, non raro etiam grandine, aliave tempestate periclitantes in horrea conferant, quos tamen fructus, si non feriarum solennibus præpediti forent, commodè ac citra jacturam ex agro legere, domumve ferre potuissent. Adde, quod feriatis quoque diebus, qui procul dubio bono consilio, ac in Dei Opt. Maximi honorem primum bene sunt feriati, innumera perpetrantur delicta peccataque, & scelera potius, quam his omnipotens colatur, venereturve, id quod res ipsa notorium facit, tantum abest, ut testibus hoc egeat. Eamque ob causam S. R. Imperii Status Laicus consultius putant, ac Reipubl. Christianæ conducibilius, si effrenis feriarum, (quæ animis, quam externo cultu Christianis, hoc est, his, quibus à peccatis semper feriandum est, rectius celebrantur,) festorumque dierum numerus paulo coerceatur in arctum, minuaturque.*

B. Rhenanus in argum. lib. Tertull. de Coron. milit. *Feriarum antiquitus mira paucitas.*

Erasmus in lib. de Conc. Eccl. *Turbam festorum dierum, quos vel Episcopi multitudinis indulgentes affectibus, vel Romani Pontifices causis non necessariis instituebant, facile paterentur abrogari, quale est illud Conceptionis & Nativitatis Virginis.*

In lib. de Mod. confit. *Immodicam festorum multitudinem non ego solus improbo, præsertim cum hodie nullis diebus plus peccetur, quam festis. Moderata festa valde probo, sed ea velim sacris rebus, quibus inventa sunt, non voluptatibus & sceleribus dari.*

In

In annot. Matth. 11. pag. 44. *Ætas Hieronymi præter diem Dominicum pauca numerat festa, nunc feriarum neque finis, neq; modus est, quæ cum primitus ad pietatis vocationem pauca sint institutæ, nunc ad scelerum exclusionem tolli debebant, nisi Sacerdotum avaritia suis rebus consuleret potius, quam veræ religioni.*

Polydorus Vergil. lib. 6. de Rerum Invent. cap. 8. p. 510. 511. *Bonifacius quartus Pantheon vetustum Marci Agrippæ opus Divæ Virgini, atq; Divis omnibus Phocæ Imperatoris permissu ad 4. Iduum Maji sacravit, exclusoq; malorum Dæmonum cultu, quorum simulachra plura hic numero fuerant, locum expiavit. Gregorius deinde quartus fertur autor fuisse, ut id sacrum Calendis Novembris celebraretur. Ita & cruci, ex qua pependerat salus nostra, solennis dies datus est, ac Eucharistiæ ab Urbano IV. pariter dies dedicatus, assignatusq;. Est & Divo Petro Apostolo jam pridem rogatu Constantini Imperatoris ad memoriam tormentorum, quæ pro Religione tulisset, constituta festa dies à Sylvestro, quæ ad vincula nuncupatur, prout in libello quodam de vinculis Petri continetur, qui Divo Hieronymo, tametsi parum vere, adscribitur. Deinde dies alii aliis, festi festis, ex parvis quandoque causis assimilati sunt, id quod haud scimus, an expedierit, cum præsertim videamus eò rediisse Christianorum mores, ut quam ex religionis usu erat hoc instituere, tam nunc præstare videatur eadem antiquare, cum bona pars hominum otium istud festorum dierum non ad orandum, non ad divina scripta audienda, cujus rei causa datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, in dies magis magisq; impudenter consumat, dictitans, se id animi gratia facere, quasi plane sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum Deum ejusmodi festa sacra instituisse ajebat.*

Georgius Wicelius in Compend. de Semit. antiq. *Ferias reduci ad originem antiquitatis suæ oportet, revocandæ concordiæ gratia, ut electiores eæ sint, quam plures. Quo plures sunt, eò occasionem præbent ad plura peccata & graviora scandala.*

Et postea: *De feriis admonuimus supra. Vereor, ne nos hic quoq; Judaismum superaverimus, & Pharisaismum justificaverimus nimis superstitiosi facti, dum nimis religiosi videri volumus, præsertim in severe exigendo feriarum otio ab invita plebe, quippe cui tota otia non perinde prosunt ac Clero. Nemini est tanta autoritate postulare, quod nec pium, nec necessarium est, nec utile, nec legi etiam naturali, nec fidei, nec dilectioni conveniens est, sed quod plurimis dispendiosum, & quod ad malefaciendum invitat otiosos, juxta tritum illud: Otia dant vitia. Rursum: Otia sunt Diaboli mollia pulvinaria. Et Sirachius ait: Multam malitiam docuit ἡ ἀργία, quod est apud Ezechielem, otium, subvereor, ne in Clerum potius, quam in populum competat. Nihil addam durius, & ignavis semper feriæ sunt. Nullus septimanæ dies latius patet ebrietatibus, crapulis, comessationibus asoticis, impudicis garritibus, jurgiis, convitiis, clamoribus, cædibus, prostibulis, quam dies feriatus. Frendunt tamen ac strident, mordentque præ sanctitate quidam crassuli, quoties aliquis pauperior aristas fricat, aut bovem puteo eximit die Divis sacro, hoc est, quoties parandi victus gratia, vel unam tantum manum admovet absolvendis operis, etiamsi calceum consutum reficiat. Judæi solum Sabbatum suum tanto rigore observandum urgebant, nos præter Sabbata nostra Dominica tot Divorum etiam ferias majore fere religione observare cogimur, ut plus peccetur, & ad illorum imagines procumbatur, & statuæ adorentur & illæ ceu adjutores Dei invocentur, & œnopolia frequententur, & orchestra sudent, alioqui profectò arescerent choreæ puellares. Verum potestatis ordinariæ partes erunt, hos abusus tollere, ac rectissimum faciendi usum præscribere, ne posthac vel Judæi, vel Ethnici esse videantur.*

Becelinus, citante Rivio, lib. de abusib. Eccles. *Demant Ecclesiastici aliquid de multitudine festorum, ne tot feriis tempus teratur. Adimatur gravissima obligatio conscientiæ ac fiduciæ &c. Obviam eatur salacissimis choreis, scurrilibus ludis, turpissimis ingurgitationibus. Hic (inquit Rivius) ea taxat, quæ nos antehac sæpe de diebus sacris questi sumus, in quibus fere, ut Tertulliani verbis utar, malorum morum licentia pietas est; occasio luxuriæ, religio.*

Johannes Monlucius Episcopus Valentinus cap. 35. Reformationis Cleri Valent. *Ad hæc etiam accedit, quod, qui manibus victum sibi quærere solent, in tanto tamq; infinito dierum festorum numero otiari magno suo incommodo cogantur. Itaque auctis hominibus & multiplicatis in tam frequenti esurie, & magna sui parte labefactata caritate plures mendici sint, oportet, & qui se suorumque vitam aliena sustentent misericordia.*

CAPUT VII.

De Aqua lustrali.

Coronidis loco in hoc articulo etiam agemus *de aqua lustrali & signo crucis*, cum de illa Bellarminus lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 7. mentionem injiciat, hoc vero ad religiosum cultum crucis reducatur.

Thesis. Aquæ lustralis usus non est ab Apostolis institutus, nec habet spiritualem aliquam efficaciam.

Antithesis. c. Aquam sale. dist. 3. de Consecrat. ex Alexandro I. *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisq; precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat atque mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat & insidias Diaboli avertit, & à phantasmatis versutiis hominem defendit.*

Benedictio salis ad aquam lustralem adhibenda hisce peragitur verbis: *Exorciso te creatura salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te per Helisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcisatum in salutem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis.*

Item: *Immensam clementiam tuam, omnipotens, æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis benedicere & sanctificare digneris tua pietate, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis.*

In Pastorali de Sacramento Baptismi p. 2. aquæ lustralis consecratio his verbis peragitur: *Exorciso te creatura aquæ in nomine Dei † Patris omnipotentis, & in nomine † Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute † Spiritus Sancti, ut fias aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Amen.*

Innocentius c. Consuluisti. ext. de Consecratione Eccles. *Cœmiteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersionibus aquæ solenniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit.*

Durandus lib. 4. Ration. cap. 4. *Sacerdos in Dominicis diebus celebraturus, alba stola paratus &c. aquam ex institutione Alexandri Papæ primi benedicit, altare, Ecclesiam & populum aqua benedicta conspergit, ut omnis Spirituum immundorum spurcitia tam de habitaculo, quam de cordibus fidelium propellatur.*

Discipulus de Tempore serm. 110. *Habent aliqui aquam benedictam in domo sua, ut quemadmodum sæpe venialiter peccant, ita etiam è converso in deletione venialium aquam benedictam sæpius recipiant. Laudabilis est & bona hæc devotio. Bonum item est, habere aquam benedictam circa lectum & circa mulieres, quæ jacent in puerperio, & maxime circa infirmos, qui sunt sæpe aspergendi aqua benedicta ad effugandum phantasma Dæmonum.*

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei capite 3. §. Tertium mendacium. *Aqua benedicta merito statuitur Apostolica traditio.*

Idem lib. 3. de Cultu Sanctor. c. 7. §. Nota &c. *Aqua benedicta utimur, 1. ad significandos spirituales effectus. 2. ad deletionem venialium peccatorū. 3. ad fugandos Dæmonas & curandos morbos.*

In Speculo Ordinand. cap. 24. pag. 10. *Aqua lustrali asperguntur cadavera hominum, ne Dæmones corpora fidelium accedant.*

Azorius lib. 4. Institut. cap. 11. *Hac venialia peccata delentur ex opere operato, hac etiam Dæmones fugantur.*

Costerus in libello de Societate B. Virginis aquæ lustrali hosce spirituales effectus tribuit, *quod sanctificet & emundantem à peccato sanguinem Christi applicet, Diabolum abigat, remittat peccata venialia, phantasmata prava in oratione & aliis temporibus excludat, mentes à terrenis rebus colligat, ac disponat ad devotionem, & præparet, ut rectius divina mysteria peragat, gratiam & præsentiam Spiritus S. impetret, & valeat adversus omne, quod Sacramentorum effectum impedire possit, & ob hanc causam in altarium & templorum consecratione adhiberi, ut à locis illis omne excludatur orationis, devotionis & Sacramentorū impedimentū: ob eandē causam etiam juxta fores Ecclesiæ semper in promtu esse aquā benedictam, ut ingressuri ejus aspersione Dæmonē, inanesque cogitationes & curas excludant, atq; ad orandū devotius separent & colligant, egressuri vero adversus omnes occurrentes peccādi occasiones se muniant. Ibid. etiam*

corpo-

corporalia beneficia addit, nempe aqua illa curari, sterilitatem hominum, jumentorum, humanarumq; rerum; impetrari bonorum multiplicationem & ubertatem, infirmitates corporum, ne invadant, præcaveri, & ubi occupaverint, præcurari: comedi etiam sanitatem mentis & corporis, noxium aërem purgari, depelli pestem & omnem contagionem.

Marsilius Columna Hydragiolog. sect. 3. cap. 2. §. 2. *Aqua lustralis aufert impedimenta gratiæ.*

cap. 5. & 6. *Pellit ac solvit incantationes & præstigias Satanæ.*

Baronius Ann. 389. n. 80. *Aqua lustralis fugat Dæmonem.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 7. quæst. 4. punct. 1. pag. 1544. *Aqua lustralis delet peccata venialia.*

Benzonius de Anno Jubilæo lib. 4. capite 7. p. 432. *Aqua lustralis fugat Dæmonas, quietat intellectũ ab illusionibus Dæmonum, cordis tractum temperat, venialia remittit, mundat & disponit cor ad bene orandum, disponit, ut devote exerceat mysteria divina, & digne suscipiat res sacras.*

Augustinus Steuchus Eugubinus in lib. Numer. cap. 19. *Non inane institutum est, quod aquas sale & orationibus sanctificamus, ut ad earum aspersum delicta nostra deleantur.*

Nostram sententiam probamus.

1. Aquæ lustralis usum nec Christus, nec Apostoli instituerunt.

2. Soli sanguini Christi & aquæ Baptismi Dei verbo sanctificatæ, competit vis mundandi à peccatis.

3. Typi & figuræ ad V. T. pertinent, ex quo non sunt ad N. T. traducendæ.

4. Græca Ecclesia lustralem illam aquam repudiat.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, benedictionem & usum illius aquæ lustralis non ex Christi, vel Apostolorum, sed Alexandri I. Pont. Rom. institutione descendere.

Durandus l. 4. Rational. cap. 4. *Sacerdos in Dominicis diebus celebraturus, alba & stola paratus prius, quam planetam induat, ut liberius vacare possit, aquam ex institutione Alexandri I. Papæ benedicit, altare, Ecclesiam & populum aqua benedicta aspergit.*

Walafridus Strabo in lib. de Catholicæ Ecclesiæ div. offic. f. 355. (edit. Rom. Anno 1591.) *Aquam aspersionis cum sale benedici & in habitaculis fidelium spargi Alexander Papa constituit.*

Micrologus de Eccles. observationibus in lib. eod. f. 400. *Alexander Papa quintus à B. Petro constituit, ut sal & aqua benediceretur ad conspergendum populum & habitacula eorum.*

Platina in Vita Alexandri I. *Alexander primus instituit, ut aquam, quam sanctam appellamus, interpositis sacris orationibus sale admixto, in templis atq; cubiculis ad fugandos Dæmones retinerent.*

Gabriel Biel 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. negat, *aquam lustralem à Deo esse institutam.*

Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæreses, verbo Aqua, hæres. 2. *Vetustissima Ecclesiæ consuetudo fuit ab ipsis etiam Apostolorum temporibus ad nos usque derivata, ut aqua benediceretur.*

Et postea: *Deus non promisit se per hanc aquam operaturum, nec signum instituit.*

Et paulo post: *Alexander hujus nominis primus, quartus à Petro Pontifex, hanc aquæ benedictionem præscripsit.*

Polydorus Vergilius lib. 5. de Rer. Invent. cap. 8. *Alexander primus Rom. Pontif. autor fuit, ut hujusmodi lustralis aqua consecraretur, & ad Dæmones fugandos in templo, domiq; servaretur.*

Franciscus de Victoria Relect. 11. q. 1. *Aqua benedicta usus est tantum ex jure positivo.*

Marsilius Columna Hydragiolog. sect. 2. cap. §. 38. fatetur, *Alexandrum I. Papam,* qui vixit Anno 121. *aquæ lustralis autorem extitisse,* idque *sentire quamplurimos autores Ecclesiæ Romanæ.* §. 43.

Consentit Gregorius de Valentia tomo 4. Disp. 7. q. 2. punct. 1. pag. 1544. C.

(Ex illis omnibus sic colligimus: quod ab homine post Christi & Apostolorum tempora institutum, illud non habet institutionem divinam à Christo vel Apostolis promulgatam, nec habet spiritualem aliquam efficaciam. Aqua lustralis ab homine, videl. ab Alexandro I. post Christi & Apostolorum tempora est instituta. Ergo. Notandum vero, quod quidam ex ipsis Pontificiis agnoscant, Epistolam illam Decretalem, quæ Alexandro I. tribuitur, esse suppositititiam, ut ostendimus superius lib. 1. part. 2. cap. 9. thesi speciali 10. quodque scriptores Ecclesiastici ante Greg. Magnum nuspiam aquæ lustralis mentionem faciant. Ergo nec hoc certo & infallibiliter probari potest, quod Alexander primus, qui Trajani ætate vixisse dicitur, aquam lustralem instituerit.)

2. Quod agnoscant, usum lustralis aquæ à Judæorum & gentilium ritibus originem trahere.

(Ergo potius ex κακοζηλίᾳ Judaicarum ac Ethnicorum rituum, quam ex institutione divina descendit.)

c. Aquam 20. dist. 3. de Consecr. *Aquam sale conspersam benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam, si cinis vitulæ sanguine aspersus, populum sanctificabat atq; mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et, si sale asperso, per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus, sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, atq; mundat & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias Diaboli avertit, & à phantasmatum versutiis defendit.*

Durandus lib. 4. Rational. cap. 4. §. 8. *Aqua cum benedicitur, sal admiscetur, quod ab Elisæo sumsit exordium.*

§. 5. Populus Ecclesiam ingrediens, divinis insistere intendens, ipsa aqua sanctificata aspergitur, quæ videlicet ad quotidiana delenda, sicut & cinis vitulæ in V. Testamento, secundum quod, qui immundus erat, prohibebatur Ecclesiam ingredi, donec aqua lavaretur.

Polydorus Vergilius lib. 5. de Rer. Inventor. cap. 8. pag. 430. *Fuit olim usus aquæ lustralis* (apud Judæos) *in Levitis consecrandis. Nam sic Dominus, veluti est in Num. cap. 8. præcepit Mosi: Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eo juxta hunc ritum, Aspergatur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ: quo factum est, ut Alexander I. Roman. Pontifex autor fuerit, ut hujusmodi lustralis aqua consecraretur.*

Baronius An. 44. n. 88. aquam lustralem inter collationem *Ethnicismi* & *Papismi* diserte ponit.

Idem Anno 57. n. 106. *Aquam pro Ecclesiæ foribus ad purificationem positam,* confert *cum aqua in libro æneo ad emundationem filiorum Aaronis asservato.*

Idem ad Ann. 439. num. 88. *Vigilias anniversarias habes apud Suetonium in Vespasiano cap. 7. lustralem aquam, aspersionem sepulchrorum apud Juvenalem Sat. 6. & alios, lumina in iisdem parare apud Suetonium in Octavio cap. 98. lucernam accendere, cereos in populo distribuere apud Senecam lib. 14. Epist. 15. & Macrob. in Sat.*

Bellarminus lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 7. *aquæ lustralis* usum probat *ex aquis probationis, Num. 5. expiationis, Num. 19.*

Aventinus lib. 3. Annal. pag. 147. *Nihil sacratius quercu majores nostri habuere, nulla sacra sine arboris hujus fronde confecerunt &c. Viscum ejus è cælo missum putarunt, signumq; esse à Deo electæ arboris, omnia sanantem suo vocabulo appellantes, fœcunditatem eo potu dari cuicunq; animalium sterili arbitrati sunt. Contra venena omnia esse remedio. Eo perinde ac nos aqua lustrica in expiationibus solennibus usi sunt.*

(De aqua lustrali apud gentiles usitata testantur Justinus in Apolog. 2. pro Christianis pag. 74. Theodoretus lib. 3. Histor. Eccles. cap. 14. & 15. Sozomenus lib. 6. cap. 6. ex ipsis gentilibus Hippocrates in lib. de Sacro morbo, Macrobius libro 3. Saturn. c. 1.)

Marsilius Columna Hydragiol. sect. 2. cap. 2. num. 29. seqq. *Aqua benedictæ quam decentissime ac maxima cum ratione ab Ecclesia proposita fuit. Nam si aqua apud gentiles, expiandis, ut ipsi credebant, hominibus in usu erat, ut Tertullianus testatur, cap. 5. de Baptism. & Lylius Gyrald. Histor. Deor syntagm. 17. & nos superius cap. 6. sect. 1. docuimus; si item illa utebantur Hebræorum Sacerdotes, Levitæ, ac reliquus populus, quæ lustrationis aqua appellabatur, quæ etiam erat usu recepta in Levitis consecrandis, ut Num. cap. 8. ad mundandos etiam immundos, ut ibidem cap. 19. ad pollutionem item mulieris dignoscendam, quæ & zelotypiæ aqua dicebatur; magis certe consentaneum fuit, ut & illa apud Ecclesiam Christianorum institueretur, sanctiorque esset, & majorem vim & efficaciam haberet in his omnibus, quæ paulo post explicabimus.*

Durant. lib. 1. de Ritib. Eccles. cap. 21. §. 6. *Hunc quodammodo ritum & Gentiles frequentabant. Apud Ovid. lib. 9. metamorph. legitur de Alcmæone, se purgante aqua. Item Virgil. 6. Æneid.*

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ.

Sed ut gentilium ritum missum faciamus, hujus aquæ sacræ mentio fit in lib. de morbo sacro, quem Galenus non esse genuinum Hippocratis ait, sed memorabilis tamen viri, his verbis: Deus itaque, inquit autor illius libri, qui maxima ac sceleratissima peccata purgat ac purificat, & liberatio nostra existit, ipsique terminos templorum Diis designamus, ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat, & ingressi respergimus,

gimus, non ut inquinemur, sed si quid etiam prius scelus habemus, purificemur &c.

Ibidem: *Ritum expiandi se aqua lustrali in veteri lege usitatum fuisse apparet, Num. cap. 19. ibi. Et non est aqua lustrationis aspersus, à qua, ut ait quidam, homo eruditus hujus seculi, sancta Ecclesia mutuavit suam.*

Item: *Cum post institutionem Ecclesiæ aqua benedicta quodam modo saltem venialibus seu levioribus admissis purificemur, non sine ratione institutum fuit, vasa ista aquæ benedictæ ad ostium Ecclesiæ à latere ingredientis, ubi potest, dextro collocari. In veteri Testamento non nisi lotus templum ingrediebatur, Exodi 30.*

3. Quod aquæ illius lustralis usum & efficaciam frigidis argumentis probant, (quæ ipsa merito totum de aqua lustrali commentum suspectum reddunt.)

Discipulus de Tempore serm. 110. ad aquam lustralem accommodat dictum Psal. 74. v. 13. *Contribulasti capita Draconum in aquis, id est, aqua lustrali à Sacerdotibus aspersa Dæmones fugantur.*

Bellarmin. d. l. argumenta pro aqua lustrali ducit *ex aquis probationis*, Num. 5. *expiationis*, Num. 19. *à miraculosa curatione Naamani*, 4. Regum 5. Iisdem argumentis ante Bellarminum usus fuit Alphonsus de Castro lib. 2. adversus hæreses, verbo Aqua, hæres. 2. & ante Alphonsum de Castro Alexander I. Papa, nisi nos Epistolæ Decretales fallunt.

(Atqui 1. ritus illi erant Levitici, quibuscum in Novo Testamento nihil nobis est negotii. 2. Nulla ex istis aquis potuit lustrare conscientiam, aut hominem à peccatis purgare, aut Dæmonas morbosve depellere. 3. Aqua probationis adhibebatur ad explorandam adulteram, nec ejus alia vis vel significatio. 4. Pontificii aquam suam lustralem vocant *benedictam*, c. Benedictam. dist. 50. Moses autem aquam probationis vocat *maledictam*, Num. 5. v. 19. 5. Aqua lustralis Pontificiorum fingitur morbos pellere, sed aqua Mosaica morbos inferebat. 6. Aqua expiationis non à peccato, sed à Leviticis quibusdam immundiciebus Israelitas purgabat. 7. Naaman non à peccato, sed à lepra Jordanis aqua mundabatur, & quidem miraculose. Citius igitur ex pumice aquam naturalem, quam ex his dictis aquam lustralem Bellarminus poterit exsculpere.)

4. Quod abusus aquæ lustralis quidam reprehendant.

Constat, *Græcam Ecclesiam* semper damnasse usum aquæ consecratæ ut superstitiosum & Scripturæ sacræ contrarium. (Causæ recus. Conc. Trid. p. 184.)

Erasmo in Supput. errorum Bedæ displicet, *sepulchra defunctorum aqua lustrali aspergi*, (quem morem sui temporis etiam Chrysostomus reprehendit.)

5. Quod ex Durandi Rationali lib. 4. cap. 4. colligi possit, *aquæ lustralis usum olim nihil aliud fuisse, quam memoriale Baptismi, & tacitum monitorium ad spiritualem à peccatis lotionem, fide corda purificante*, Act. 15. v. 9. instituendam.

6. Quod de efficacia hujus aquæ non consentiant.

Quæritur inter ipsos, *An per aquam lustralem peccatum veniale tollatur ipsa actione aspersionis, an vero per actum pœnitentiæ?* Alii affirmant prius, alii posterius. Utriusque sententiæ assertores recenset Azorius lib. 4. Instit. cap. 11. q. 4.

7. Quod agnoscunt, multos jam olim virtutes aquæ benedictæ negasse.

Alphonsus de Castro lib. 2. advers. hæreses, verbo Aqua, hæresi 2. *Aquam benedictam nihil plus habere virtutis aut efficaciæ, quam non benedictam dixerunt Flagellantes circa tempus Gregorii Papæ hujus nominis decimi &c. Post istos in eodem errore successerunt quidam hæretici in Anglia dicti Lollardi, ex secta Wiclephistarum originē trahentes &c. His Lollardis in eodem errore successit quidam Germanus, dictus Johannes de Westphalia superiore, tempore Friderici Imperatoris hujus nominis tertii &c. Hi omnes concordi animo asserunt, aquam benedictam nullius esse virtutis majoris, quam non sit benedicta.*

Bellarminus lib. de Cultu Sanctorum cap. 7. § 1. *Primi, qui ejusmodi benedictiones irridere cœperunt, Waldenses sunt, ut patet ex Rajnerio &c. exorti autem sunt Waldenses, eodem teste, Anno Domini 1140. post eos Wiclefistæ* (teste Thoma Waldensi tom. 3. tit. ult. cap. 68.) *asserebant benedictiones aquæ, salis, vini, panis, olei, cereorum & similium esse veram practicam necromantiæ. Idem de hæreticis in Bohemia grassantibus scribit Æneas Sylvius lib. de Origine Bohemorum capite 35.*

8. Quod agnoscunt, nullam haberi promissionem, quod Deus velit per aquam benedictam spirituales effectus operari, Alph. de Castro d. l. *In Baptismate Deus ex promisso assistit, atq; ideo nunquam non operatur, quia cœlum & terra transibunt, priusquam verbum unum ejus transeat. Quapropter, nisi ipse Baptismate ablutus, obstaculum peccati opponat, semper Deus in baptizatum gratiam infundit. At non sic est de aqua benedicta, nec sic, ut ita dixerim, obligatus est, quia nec ipse promisit, nec ipse hoc signum instituit, sed confidendum est de eo, quod dabit & efficiet id in nobis, quod in aqua postulatum est, cum benediceretur.*

(Atqui, ubi nullum est promissionis verbum, ibi etiam fides non potest locum habere.)

9. Quod agnoscunt, usum aquæ lustralis hæreticis fuisse usitatum.

Marsilius Columna Hydragiol. sect. 3. cap. 7. § 1. *Primus omnium Ebion, à quo Ebionitæ tempore S. Johannis Evangelistæ Anno Domini 80. putavit baptismis ac lotionibus aquarum, quibus ille utebatur, deleri peccata statim, atque illa perpetrasset, ut refert S. Epiphanius hæres. 30. adversus Ebionitas his verbis: Et quotidie, si quando mulieri conjunctus esset & ab ipsa surrexisset, baptizabatur in aquis, si copia esset marinis, aut etiam aliis &c.*

CAPUT VIII.

De Signo Crucis.

THesis. Signo crucis non est tribuenda spiritualis quædam efficacia.

Ἔκθεσις. 1. *Crucis* nomen tria significat, Primo, *ipsum lignum*, cui Christus affixus Spiritum Patri tradidit. Secundo, *signum crucis ἀνύπαρκτον* formatum in aëre certo digitorum motu. Tertiò, *crucis imagines* ex certa materia, sive ea solida sit, sive ex coloribus.

2. Christiani veteres inter gentiles habitantes, qui ipsis crucem Christi, tanquam rem ignominiosam objiciebant, 1. Cor. 1. v. 23. frontes suas hoc signo notabant, quo se de ea gloriari, tanquam honorificentissima testarentur, quod nihil aliud erat, quam fidei suæ confessionem edere, & quanti passionem Christi facerent, testari.

Cyrill. Hierosol. Catech. 4 de Illuminatis: *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte μετὰ παῤῥησίας signaculum crucis imprimatur.*

August. de verb. Apost. serm. 8. *De cruce Christi nobis insultant Sapientes hujus mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Apprehendit Zachæus sycomorum, ascendat humilis crucem: parum est, ascendat, ne de cruce Domini erubescat; in fronte eam figat, ubi sedes pudoris est: ibi omnino ibi, in quo membro erubescitur, ibi figatur, unde non erubescitur.* Hoc fine crucis signum olim adhibitum minimè improbamus.

3. Signo ergo crucis utimur, tum *ad fidei nostræ testificationem*, quod in Christum crucifixum credamus, unde fronti & pectori illud signum imprimimus, ut testemur, nos non erubescere Christum, sed eum in corde gerere; tum *ad crucis propter confessionem Christi portandæ commonefactionem*.

Antithesis. Durandus lib. 4. Rational. div. offic. c. 41. n. 14. scribit, *Sacerdotem exemplo Christi panem & calicem per se crucis signaculo benedicere, quæ duæ cruces innuant tempus cœnæ & tempus gratiæ, in quo duo parietes in lapide angulari conjunguntur, vel, quod gigas geminæ substantiæ crucifigitur.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 2. art. 9. *Christi crucis signum vel sola fidelium manu expressum, Dæmonibus est terrori, hominibus saluti, propterea frons, os, pectus, omnia, Sacramenta, cibus & potus recte eo signantur.*

Censura Coloniensis Dial. 3. contra Monhem. p. 60. *Tertullianus lib. 2. ad uxorem suadet, summa veneratione crucem esse colendam, & nihil agi consuetum esse à Christianis, nisi sese signo crucis primum communirent, tanquam hoc signum manufactum ad effugandas iniquorū Spirituum insidias plurimum haberet momenti &c.*

p. 61. *Consule etiam, quid D. Athanasius habeat de D. Antonio, cujus vitam graphice descripsit, quo pacto Dæmonas signo crucis sæpissime abegerit. Item, quomodo D. Hilarion, teste D. Hieronymo, puer adhuc hoc signo Dæmonum omnium vires debilitarit. Refert Damascenus in vita Barlaam & Josaphat, Dæmones vel invitos confessos esse, se vexillum Dominicæ crucis sustinere non posse.*

Bellar. l. de Imag. S. c. 30. *Nota, tres esse effectus crucis mirabiles, 1. Terret & fugat Dæmones. 2. Pellit morbos & omnia mala. 3 Sanctificat ea, quibus imprimitur. Et quidem primū effectū ex tribus causis habet, ex apprehensione Dæmonis, ex devotione hominis, & ex instituto Dei. Nā Dæmon, ubi crucē videt, mox recordatur cruce Christi se victū, spoliatum, ligatū & enervatū fuisse, inde crucem timet & fugit, quomodo canis fugit lapidē & baculum, quo percussus fuit. Deinde vim*

habet crux ex opere operantis eo modo, quo vim habet oratio. Nam signum crucis est invocatio quadam meritorum Christi crucifixi signo expressa, loquimur enim corde, voce & auribus. Quantum ad morbos & catera mala, qua non possunt percipere vim signorum, dicimus ea fugari per crucem, tanquam per signum fidei & fiducia, vel potius per invocationem signo expressam.

Ibidem: *Signum crucis per ipsum actum, quamvis fiat per infidelem, Judaum vel Ethnicum, satis forte est ad pellendum Dæmonem.*

Scarga art. 8. fol. 211. *Signo crucis consecratur corpus Domini.*

Jodocus Lorichius in Thesauro Theologiæ, titulo Crux, pag. 728. *Hi sunt effectus*, (signi crucis) *terrere Dæmones, pellere morbos, aliaq; imminentia mala, sanctificare res, quibus adhibetur seu inprimitur. De primo effectu multa testimonia recenset Gretserus lib. 3. de Cruce cap. 18. Confirmatur exemplo Julian. Imp. Apostata, qui signo, quo Christianus fuerat usus, necessitate compulsus, etiam apostata factus, seipsum ab incursu Dæmonum servavit. Et D. Gregorius de quodam Judao per signum crucis à Dæmonibus liberato. Item D. Antonii & aliorum exemplis. De secundo effectu, quod signum crucis medeatur morbis, Dracones & serpentes fugarit vel interemerit, venenivim in bibentibus illud cohibuerit, vel expulerit, cæcos illuminaverit, mutis, claudis, paralyticis integritatem recuperaverit; truculentas feras cicuraverit; flammas represserit; & omne genus adversitatis averterit, vide Gretser lib 3. cap. 28. De tertio effectu, quod per signum crucis res sanctificentur, ut aqua, oleum, panis, sal, &c. probant miracula varia, qua per ejusmodi res benedictas facta sunt, præsertim per aspersionem aqua benedicta. Vide Gretser. eod. lib. 3. cap. 36. 37. & libros rituales Ecclesia.*

Petrus Thyræus Jesuita part. 3. de loc. infest. cap. 68. *duplicem* constituit *crucem*, Unam vocat *transeuntem, qua digitis formatur in aëre; alteram permanentem & constantem, qua vel in plano pingitur, vel in solida materia effingitur. Utriq; eam tribuit efficaciam, quod vel sola ista crux spectra fuget. Transeuntem hoc facere* dicit, *ut objectum & causam efficientem; permanentem tantum ut objectum, quia eam Dæmon ferre nequeat. Per crucem transeuntem majorem vim dicit inferri Diabolo, eò quod ad odium, quo per se crucem fugiunt Spiritus, accedat imperium in virtute & cum virtute crucis, discessum imperantium & cedere ipsos cogentium, atq; sic cruce etiam hic homines agere in Dæmones.*

Idem lib. de Spirituum apparitione cap. 16. pag. 69. *Si Diaboli fraus fuit fugere crucem, & hac significatione nulla ipsi adsertur vis, qui fit, ut gravissimi morbi sint crucis signo depulsi? ut præsentissima pericula depulsata? ut res hominum opinione majores effecta?*

Bailius in Catech. controvers. tract. 2. q. 19. *Signum crucis est sancta precatio, suavisq; mortis Christi, unde omnis felicitas ac benedictio fluit, recordatio.*

(At signum crucis per se precatio non est; quod mortis Christi memoriale est, id habet ex institutione humana.)

Nostram sententiam probamus.

1. De peculiari hujus signi efficacia contra Dæmones & morbos nullum extat in Scripturis *promissum*, nullum *exemplum*.

2. Scriptura aliud nobis contra Diabolum monstrat remedium. Brentius in Proleg. super Confess. Wirteberg. cap. de Traditionibus f. 255. *Una tantum cruce fugatur Satanas, nempe cruce Domini nostri Jesu Christi, eaq; non digitis in aëre aut corpore efficta, ac ne illa quidem lignea, in qua Christus pependit, sed ipsa passione in cruce peracta & à nobis per fidem suscepta.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod signum crucis *pro signo significante*, non *operante* quidam habendum esse agnoscunt.

Betulejus in Notis ad Lactantium libro 4. div. Instit. cap. 27. scribit, *veteres signum crucis habuisse pro insigni & symbolo, quo testatam Christi crucifixi professionem inter gentes, Judaosque volebant.*

(Congruit hoc dictis veterum. Tertull. de Coron. milit. cap. 3. *Quacunq; nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Cyrill. Hierosol. Catech. 13. *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidentes signaculum crucis digitis inprimamus.* August. de Verb. Domini sermon. 8. *De cruce Christi nobis insultant sapientes hujus mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum &c. In fronte illam figat, ubi sedes pudoris est, ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur, ubi non erubescitur.*)

Georgius Cassander in Scholiis ad Hymn. Ecclesiast. p. 220. operum. *Crucis consignationem frequenti in usu apud priscos Patres fuisse, manifestum est, usq; adeo, ut nihil neque publice, neque privatim institueretur, cui non crucis obsignatio accederet. Imo, nec Sacramenta rite peragi putabantur, nisi illis crucis signum, tanquam signaculum quoddam inprimeretur, quo haud dubie nil aliud significare volebant, quam omnem tutelam & salutem in morte Christi esse constitutam, & Sacramenta omnia vim atq; efficaciam suam non aliunde, quam à morte Christi haurire. Itaque crucis consignatio Sacramenti quoddam genus habebatur, unde & ab Hugone de S. Victore in eo Sacramentorum genere ponitur, quod in factis consistit. Quare ha locutiones, Crux pellit omne crimen, & similes, mystice accipienda sunt, ut signo tribuatur, quod significata rei proprium est.*

Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 20. *Nec in characteribus, nec in sono aut numero syllabarum vim* (consecrandi) *ponimus.*

(Ergo nec in signo crucis.)

2. Quod signum crucis super cibo faciendum esse ex Diabolo didicerunt.

(Hoc enim merito suspectam reddit doctrinam de efficacia signo crucis inhærente.)

Durandus lib. 6. cap. 86. num. 8. *Legitur in Dialog. Gregorii lib. 1. cap. 4. quod cum quadam Monialis iret per hortum, lactucam sine benedictione* (sine crucis signo) *comedit, & simul Dæmonem, qui super eam erat, suscepit, qui eam multum vexavit. Nos quoque vidimus in civitate Bononiensi puellam à duobus Spiritibus immundis & malignis triennio vexatam: Cumq; à quodam perito volente illos cum exorcismis & abjurationibus ab humano corpore pellere, interrogarentur, qualiter corpus mulieris intrassent, responderunt, quod sedebant in quodam malo granato, quod ipsum puella comederat,* (antequam crucis signo benediceret.)

3. Augustinus Hunnæus, qui axiomata ex Thomæ doctrina collegit, in axiomat. ex 2. 2. Thom. quæst. 96. art. 2. sic scribit: *Uti rebus ad eos effectus assequendos, procreandos vel pronunciandos, quorum illa res neque causa sunt, neq; legitima secundum divinam vel naturalem institutionem signa, superstitiosum est & à religione Christiana alienum.*

(Subsumimus. Signum crucis non est causa spiritualium istorum effectuum, qui illi tribuuntur, nec divinam vel naturalem institutionem habet ad illos effectus producendos. Ergo.)

Appendix hujus capitis

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ERRONEAS ADVERSARIORUM complectens.

I. Querelæ.

1. Bellarminus lib. 1. de Cultu Sanctor. cap. 2. §. ult. inter *mendacia* refert, quod *Pontificii dicantur reliquias colere divinis honoribus, atq; easdem, ac si viverent, suppliciter invocare. Quis unquam Catholicorum* (inquit) *reliquias invocavit? Quis unquam auditus est in precibus aut Litaniis dixisse. Sancta reliquia orate pro me? Et quis easdem unquam divino honore affecit, vel Christi loco adoravit? Nos enim reliquias quidem honoramus, & osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum; sed nec adoramus, ut Deum, nec invocamus, ut sanctos, sed minore cultu veneramur, quam sanctorum Spiritus.*

lib. ejusd. cap. 4. §. 11. *Nunquam est auditum apud Christianos, ut* (quod) *aliqui sanctorum reliquiis divinos honores detulerint.*

Gregorius de Valentia in Apol. contra Heerbrand. cap. 8. *Reliquiis non deferuntur honores divini, ut Deo.*

Respond. Contrarium ostendimus superius in Antithesi. Hoc loco monemus 1. Bellarm. lib. 2. de Imag. cap. 16. *crucem*, in qua Christus pependit, refert inter reliquias. At *crucem Christi latria adorandam esse* docent, ut inferius apparebit.

2. Bellarmin. ipse lib. 2. de Imag cap. 4. §. Quod autem &c. adducit dictum Chrysostomi: *Tumulos Martyrum adoremus*, & Hieronymi ad Marcellam: *Sepulchra & cineres Johannis Baptista, Elisai & Abdia merito adorari à fidelibus in Palæstina.*

3. In Historia translationis reliquiarum Mauri refertur, *quod Monachi Cassinenses coram illis, tanquam viventem in carne conspicerent, omnes in terram pariter procidentes, adoraverint.*

4. In Processionali Cadurcorum, qui sunt Galliæ Aquitanicæ populi, sudarium Christi invocatum fuit his verbis: *Sancte Sudari, ora pro nobis. Sudarium Christi liberet nos à peste & morte tristi.* Apud eosdem Cadurcos in Abbatia Fontis invocata fuit mappa, super quam Christus cœnam celebrasse dicitur, & à Monachis cantatum, *Sanctissima Dei mappa ora pro nobis.* (refert Polanus lib. 9. Syntagm. cap. 30.)

5. Pontificii religiose colunt *sanctos*. Ergo & *reliquias sanctorum*. Connexio probatur, quia Bellarm. dicit lib. 2. de Reliquiis c. 2. *Nos reliquias honoramus & osculamur, ut sacra pignora patro-*

Patronorum nostrorum. Quod si ergo defunctos sanctos religiose colunt, utique etiam sacra eorum pignora religiose colere debent, ut sit analogia inter cultum reliquiarum & cultum eorum, quorum sunt reliquiæ.

6. Pontificii imagines sanctorum religiose colunt. Ergo & reliquias sanctorum. Connexio probatur, quia reliquiæ sanctorum arctiori propinquitate sanctis sunt conjunctæ, quam imagines, quæ externa duntaxat lineamenta repræsentant, & sæpe sunt fallaces, semper dubiæ & incertæ.

Bellarminus lib. 2. de Reliq. cap. 4. *Dico præterea, in sepulchris sanctorum inveniri alteram partem substantiæ ipsorum, i. e. materiam illam ipsam, quam Spiritus sanctorum animarent & rursum animabunt.*

7. Cultus, quem reliquiis in Papatu deferunt, aut est *religiosus* ad primam Decalogi tabulam reducendus, aut *civilis*, tantum ad secundam Decalogi tabulam pertinens. Pontificii negant posterius. Manet ergo prius.

8. Sed enim, ut manifeste conspiciatur, qualis honor reliquiis sanctorum in Papatu deferatur, age, expendamus Orationem, quam coram *facie Veronicæ*, id est, sudario imaginem faciei Christi exprimente (quod certo respectu ad reliquias referri potest,) recitant. Ea vero sic habet:

Salve sancta facies,
Impressa panniculo,
Dataq; Veronicæ,
Nos ab omni macula
Purga vitiorum,
Atque nos consortio
Junge beatorum.
Nos perduc ad patriam,
O felix figura,
Ad videndam faciem,
Quæ est Christi pura.
Esto nobis, quæsumus,
Tutum adjuvamen,
Dulce refrigerium
Atque consolamen,
Ut nobis non noceat
Hostile gravamen,
Sed fruamur requie.
Omnes dicant, Amen.

Ad eandem:

Salve sancta facies
Nostri Redemtoris,
In qua nitet species
Divini splendoris,
Impressa panniculo
Nivei candoris,
Dataq; Veronicæ
Signum ob amoris.
Salve decus seculi
Speculum sanctorum,
Quod videre cupiunt
Spiritus cælorum.
Nos ab omni macula
Purga vitiorum,
Atque nos consortio
Junge beatorum.
Salve vultus Domini,
Imago beata,
Ex æterno munere
Mire decorata,
Lumen funde cordibus,
Ex vi tibi data,
Et à nostris sensibus
Tolle colligata.
Salve robur fidei
Nostræ Christianæ,
Destruens hæreticos,
Qui sunt mentis vanæ,
Horum auge meritum,
Qui te credunt sane
Illius effigie,
Qui Rex fit ex pane.
Salve nostrum gaudium
In hac vita dura,
Labili & fragili,
Cito peritura,
Nos deduc ad propria,
O felix figura,
Ad videndam faciem
Quæ est Christi pura.

2. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, *quod imaginibus divinũ honorem exhibeant, ac proinde idololatriam committant.*

Pistorius in Hodeg. p. 292. *Catholica Ecclesia* (Romana) *nunquam ex imaginibus fecit idola, aut ullam eis divinitatem tribuit, imo vero ab idololatria potius filios suos magna solicitudine retrahit.*

Resp. 1. Thomas, Bonaventura, Cajetanus, Azorius, Costerus, & alii complures statuunt, *imaginem Christi adorandam eo cultus genere, quo ipse Christus colitur,* ut vidimus superius.

(Jam vero honor, quo Christus colitur, est honor vere divinus & religiosus.)

2. Polydorus Vergilius lib. 6. de rer. Invent. cap. 12. *Sunt bene multi rud... s, stupidioresque, qui imagines colunt, non ut figuras, sed perinde quasi ipsæ aliquem sensum habeant, magisque iis credant, quam Christo.*

3. Cornelius Agrippa de Vanit. scient. c. 57. *Dici non potest, quanta idololatria apud rudem populum alatur per imagines.*

4. Georgius Cassander in Consultat. art. 21. dicit, *manifestius hoc esse, quam ut verbis explicari possit.*

5. Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitud. cap. 13. concedit *incensionem & cremationem thuris & odorum ante imagines.*

(At hæc est pars religiosi cultus. Nam Hiskias ideo confregit serpentem æneum, quia populus illi thus incendebat, 2. Reg. 18.)

6. Diserte dicunt, *imagines esse religiose adorandas.*

Concilium Tridentinum sess. 25. *Adorare imaginem est ipsum Christum adorare.*

Tannerus in 2. 2. Thom. Disput. 4. thesi 48. *Absque hæsitatione fatendum, imagines non solum venerandas & colendas, sed etiam adorandas juxta verum ejus nominis significatum.*

7. Concilium Tridentinum confirmat Concilium Nicenum II. At in eo act. 4. expresse sic habetur: *Non sunt duæ adorationes, sed una adoratio imaginis & primi exemplaris, cujus est imago.*

In eod. Concilio Constantinus Episcopus Constantinopolitanus dixit: *Ego imaginibus eundem honoris cultum exhibeo, qui debetur vivificæ Trinitati.*

(Jam vero dubium nullum, S. Trinitatem religiose adorari.)

In eodem Concilio Niceno II. act. 4. ita decretum fuit: *Non sunt duæ adorationes, sed una adoratio imaginis & primi exemplaris, cujus est imago.*

8. Jacobus Payva Andradius lib. 9. Def. non dubitavit scribere: *Non tamen inficiamur, hac nos latriæ adoratione Christi præclarissimam crucem colere & venerari.*

9. Jacobus Naclantus Clugiensis in Italia Episcopus in Comment. Epist. ad Rom. Venetiis Anno 1557. edito cap. 1. sic scribit: *Ergo non solum fatendum est, fideles in Ecclesia adorare coram imagine, ut nonnulli ad cautelam forte loquuntur, sed & adorare imaginem, sine quo volueris scrupulo, quin & eo illam venerari cultu, quo & prototypon ejus. Propter quod, si illud habet adorari latria, & illa habet adorari latria.*

10. Colunt imagines *vovendo.*

At docente Bellarm. l. 3. de Beat. Sanct. c. 9. *Votum est actus religionis soli Deo debitus, qualis etiam est juramentũ & sacrificium.*

11. In Pontificali cap. de Benedict. novæ crucis fol. 163. post novæ crucis benedictionem &c. *Tum Pontifex flexis ante crucem genibus eam devote adorat & osculatur. Idem faciunt, quicunque alii voluerint.*

3. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, quod imagunculis, quæ vocantur *Agnus Dei, divinos effectus* tribuant. Cum Gödelmannus in tractatu de Magis adduxisset versus illos, quos Urbanus V. Pontifex adscripserat, tribus ejusmodi imagunculis cereis ad Palæologum Imperatorem Græcorum missis:

(Balsamus & cera munda cum chrismatis unda,
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit,
Prægnans servatur, simul & partus liberatur,

Dona defert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde de fluctibus eruit unda.)

Jesuita Delriè lib. 6. Magic. Disquisit. cap. 3. negavit, *ullum ex Catholicis suis eos scripsisse. Ubi hic, inquit, audis comparationem sanguinis Christi & agni hujus, ubi hic tribuitur agno peccati fractio? Apage calumniator cum tuo versificatore. Si quis Catholicorum autor versiculorum talium, cur non reliqua adscripsisti? Sano ille sensu suspicor aliquid addebat, quo fuliginem calumniæ tuæ detergebat. Sed quisquis autor illius versiculi, id nostra parum refert, qui non quid singuli privati, sed quid Ecclesia Romana sentiat, solliciti sumus.*

Atqui 1. versiculi hi extant in *Ceremoniali Romano* lib. 1. tit. 7. cujus autor Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus.

2. Habentur etiam apud Andream Frusium in fine lib. Epigramm. in hæreticos, qui Jesuitis est autor notissimus.

3. Tribuuntur hi versus non privato cuidam, sed Papæ *Urbano*.

4. Non potest Delrio dicere, se non vidisse librum illum, in quo Papa æquè blasphemè in prosa ac in ligata loquitur. Talis enim consecrationis formula in Ceremoniali Romano præscribitur: *Et quemadmodum ille Agnus innocens tuâ voluntate immolatus in ara crucis Jesus Christus filius protoplastum nostrum de Diabolica potestate eripuit: sic isti agni immaculati virtutem illam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu divinæ majestatis tuæ. Tu eos bene✠dicere, sancti✠ficare & conse✠crare digneris, ut tuâ largâ benedictione sanctificati, eandem virtutem accipiant contra omnes Diabolicas versutias, & fraudes maligni Spiritus, ut illos devotè super se ferentibus, nulla tempestas eisdem prævaleat, nulla adversitas dominetur, nulla aura pestilens, nulla aëris corruptio, nullusque morbus caducus, nulla maris procella & tempestas, nullum incendium, neque ulla iniquitas dominetur eis, neque prævaleat homo; partus cum matre incolumis servetur per intercessionē unigeniti &c.*

5. Consecrationi istorum agnorum baptismatis nomen tribuere non verentur. Sic enim porrò habet Ceremoniale: *Cubicularii ad Papam portant Agnos Dei, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati astantes eos extrahunt, & in pelvibus argenteis portant super mensas &c. Et omnibus baptizatis per Pontificem, vel ejus Prælatos, surgens Pontifex, sine mitra dicit super eos has orationes: O alme Spiritus &c. qui in aquarum substantia maxima Sacramenta (nota) constituisti, quæ sunt tuo flatu sanctificata, atque imperante lavacri susceptione, sanctæ Trinitatis nomine invocato, omnia peccata diluunt, quæsumus Domine, hi agni sacra & perenni unda, balsamoque sacri chrismatis perfusi, tu illa benedicere &c.*

6. Baronius agnos illos Dei approbat, sic differens tom. 1. ad annum 58. n. 76. *Cum infantibus suis gentiles bullas ad avertendas fascinationes (ut docet Varro de lingua Latina lib. 6.) re turpiculâ consignatas, vel aliter superstitionibus auctas collo suspenderet, ad eas abolendas, ut de multis accidit, placuit, superstitione in religionem mutata, ex ejusmodi sacris ceris bullas confici, quas agni Christum præferentis imagine insignitas geniti in Christo gestarent &c. Cordis imaginem gentiles in bullis suis ferre consueverant, quo ut tradit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 6. nôscerent, se esse homines. Christiani verò Christi agni imagine discerent, ejus exemplo esse mites & humiles corde.*

7. Bzovius earundem cerearum imaginum mentionem fecit Anno 1367. §. 9.

II. Calumniæ. 1. Generales.

1. Bellarminus lib. 2. de Reliq. & Imag. cap. 1. ut & lib. 4. de Ecclesia cap. 9. Lutheranos accusat, *quod Vigilantii hæresin hoc tempore excitarint.*

Resp. Huic cavillo satisfecimus superius in artic. de Reliquiis resp. ad argumentum ultimum.

2. Guilielmus Bailius in Catech. controv. statim in princ. *Cum Messalianis crucis signum ludibrio habent, ut stultam imitationem & muscarum terriculum.*

Resp. 1. Nullus ex veteribus, qui descripserunt & oppugnarunt veteres hæreses inter Messalianorum hæreses hoc numeravit. Non certè Epiphanius, non Philastrius, non Augustinus, qui tamen illorum dogmata & placita sigillatim enumerarunt.

2. Signum crucis per se ἀδιάφορον esse dicimus, si ob significationem adhibeatur; abusum verò superstitiosum improbamus. Non ergo crucis signum in se ludibrio habemus, sed superstitionē & idololatriā per illud commissam insectamur.

3. Bellarminus lib. de Imag. c. 26. originem hujus hæreseos non *ad Messalianos*, sed *ad Claudium Taurinensem* refert, qui anno octingētesimo vixit longe post Messalianos, *Fuit*, inquit, *hæresis, inprimis Claudii Taurinensis, qui crucem Domini execrabatur.*

3. Leonh. Marius in Comm. Ex. 12. 42. super verba: *Nox ista est observabilis Domini &c. Discimus contra nostri temporis hæreticos, merito dies quosdam, vel noctes præ aliis peculiariter observari debere, & quæ hujus observationis ratio sit, nempe beneficia, quæ Deus in ea nobis præstitit.*

Resp. Praxis Ecclesiarum nostrarum testatur, nos minime improbare dies festos in memoriam divinorum beneficiorum institui.

2. Speciales.

Bellarm. in præfat. lib. de beat. Sanct. Lutherum impietatis accusat, quod suaserit, *ut reliquiæ sub terram abscondantur*, idque sic interpretatur, *quod hac ratione omnium Apostolorum & Martyrum, aliorumque sanctorū in terris memoriam voluerit abolitā.*

Resp. 1. Hac ratione omnes illi, quotquot sanctorum corpora terræ mandaverunt, in jus vocari possent, quod omnem eorum memoriam voluerint abolitam & extinctam, Gen. 23. v. 19. cap. 25. v. 9. cap. 35. v. 29. cap. 50. v. 5.

2. Lutherus lect. in festo Exaltationis. *Non reclamo, Divorum ossa sancta esse, sed hoc detestor, quod plerique omnes majori studio ad illa exornanda rapiuntur, quam ad proximi necessitatem sublevandam. Quapropter, ut abusus tollantur & dilectionis opera præferantur, vellem, terra istas sanctorum reliquias contectas esse.*

3. Staplet. in Promt. Cathol. part. 1. p. 292. fatetur, *Lutheranos (ac proinde etiam Lutherum) à civili reliquiarum veneratione non abhorrere; altius autem ad religiosam earum venerationem se assurgendum.*

2. Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 49. *Ex his omnibus apparet impietas Lutheri, qui communem istam & verissimam Divi Thomæ doctrinam de eodem adorationis genere præstando cruci & crucifixo commemorans, hanc blasphemiam effutivit.* (In concion. de exalt. S. Crucis.) Darnach ist noch ein ander Mißbrauch kommen durch Thomam von Aquin, den man die Taube ins Ohr mahlet / ja ich meyne es sey ein junger Teuffel gewest der hat Klugheit fürgeben mit dulia, hyperdulia, und was des Dinges mehr ist / und sagt / man sol es anbeten / aber doch so fern / daß man zusammen knüpff den / der im Himmel ist / mit dem das der Mahler gemacht hat. Ja knüpffs auch an den Teuffel / und bete ihn auch an. Denn wie Wörtlein sind es / damit man die Leuthe umführet. Wie kan ein gemeiner Mann hierzu kommen / daß er also per relationes hinauff zehe und knüpffe Christum dran / es ist nicht müglich. *Hæc Lutherus juratus ille sanctæ crucis hostis.*

Resp. 1. Non solum Luthero, sed etiam quibusdam Pontificiis opinio Thomæ *de cruce per λατρείαν adoranda*, displicuit, ut ostendimus superius,

2. Non solum in hac quæstione, sed etiam in aliis Thomas erroris à quibusdam Pontificiis accusatur, præsertim à Scotistis.

3. Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 50. sic scribit: *Crucem perverse colere non est colere, sed si rem suo nomine appellare velimus, injuria afficere. Si enim homo non se coli censeat, nisi recto & debito modo colatur, cur crucem ab illis honorari confiteremur, qui eam ritu plane superstitioso colunt?*

(Probet vero Gretserus, *Deum per imaginem crucifixi λατρείᾳ honoratam coli velle.*)

4. Bellarm. lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 22. §. Quarto &c. *Qui defendunt, imagines adorari latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.* (Idem sibi vult Lutherus in verbis postremis.)

5. Suarez tom. 1. in p. 3. D. 54. s. 3. *Coram plebe caute & diserte loquendū, & res explicanda est potius communibus terminis, quia plebe possunt concipi, quam sub terminis Scholasticis, qui vix intelligi queunt.* (Nec hoc multum distat à Lutheri verbis.)

III. Opiniones erroneæ & absurdæ, 1. *De Reliquiis.*

1. Johannes XXII. Papa Rom. *decem millium dierum indulgentias* concessit recitantibus sequentem Orationem *ante faciem Veronicæ*, sive sudarium Christi:

Salve sancta facies nostri Redemtoris,
In qua nitet species divini splendoris
Impressa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ signum ob amoris.
Salve decus seculi speculum sanctorum,
Quod videre cupiunt Spiritus cœlorum,
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos consortio junge beatorum.
Salve vultus Domini imago beata,
Et Externo munere mirè decorata,

Lu-

Lumen funde cordibus ex vi tibi data,
Et à nostris sensibus tolle colligata.
Salve robur fidei nostræ Christianæ,
Destruens hæreticos, qui sunt mentis vanæ,
Horum auge meritum, qui te credunt sanè,
Illius effigie qui Rex fit ex pane.
Salve nostrum gaudium in hac vita dura,
Labili & fragili citò peritura.
Nos deduc ad propria, ô felix figura,
Ad videndam faciem, quæ est Christi pura.
Esto nobis, quæsumus, tuum adjuvamen,
Dulce refrigerium, atque consolamen,
Ut nobis non noceat hostile gravamen,
Sed fruamur requie. Omnes dicant Amen.

2. Jesuitæ Moguntinenses in Disp. de Reliq. Ann. 605. habita, *ex planctu super Stephanum habito* Act. 8. v. 2. cultum reliquiarum probare conantur.

(At toto genere distant planctus funeris & adoratio reliquiarum. David etiam impium *Saulem* 2. Sam. 1. v. 11. & degenerem *Absolonem* planxit 2. Sam. 18. v. 33. sed reliquias eorum propterea non est religiosè veneratus.)

3. Stapletonus part. 1. Promt. Cathol. pag. 292. *Veneratio personæ Christi etiam ad ipsam corrigiam calceamenti, & ad ipsum terræ pulverem, quem calcabat, sese extendebat,* Matth. 3. Psal. 132.

(Ac si ex eo veneratio reliquiarum probari potest, etiam ipsa terra, cui Christus in Palæstina inambulavit, religiosè veneranda erit.)

4. Salmero tom. 6. tract. 15. existimat, *eum, qui tactum ossium Elisæi in vitam revocatus est, fuisse illum Prophetam, qui jussit, se eò loci sepelire. Objiciunt,* inquit, *hæretici, Quorsum ista mortuorum ossa & cineres? quibus respondendum est, Quorsum Elisæi Prophetæ cadavere tacto ab alio corpore Prophetæ, qui jussit se juxta illud sepeliri, ad vitam revocatum est.*

(Sed confundit ἀπαιδεύτως duas diversas Historias 1. Reg. 13. v. 32. 2. Reg. 13. v. 21.)

5. Bellarminus lib. 2. de Reliq. cap. 3. de S. Agnete narrat, *quod cum ad corpus ejus visendum & venerandum Catharina Senensis accessisset, pluvia cœlestis roris, instar mannæ, supra utramque divinitus descenderit, ac quod suavissimus liquor, instar balsami, ex eo corpore manare cœperit, cum Politiani de eo aromatibus condiendo cogitarent.*

6. Baronius Ann. 805. num. 5. ex Surio talem recenset Historiam: *Post hæc Imperator & Rex Carolus venationi pro more deditus, locis vicinis venationi aptis exturbabat rabidas feras à suis saltibus, inter quas miræ magnitudinis ursum insequitur, qui jam multo spatio victus, cum nullum esset effugium, undique campis latè patentibus, ac mortem imminentem, jam jamque capiendus, crebris differret flexibus, properè cursu recto tendit Morsellam* (in cœnobium,) *& in S. Salvatoris irrumpit Ecclesiam, ubi tum res contigit, quam facilius sit admirari, quàm eloqui. Nam Deus, qui, ut scriptum est, homines salvat, & jumenta, bestialem quodammodò ursi sensum permutavit, rationemque quandam intelligendi in eo formavit. Erat namque cernere prope lipsana sacræ Virginis, eum se inferre, & sub tanta protectione à strepitu insequentium eum securum procumbere, deinde oblitum feritatis suæ flexa cervice, submissoque humiliter capite Sanctimonialium advenientium vestigia lambere, ac more lascivientium catulorum omnibus blandiri, & hoc ipso satis indicare, se fuisse defensum patrocinio famulæ Dei, ejusque deinceps paratum esse servire obsequiis. Quod ubi nuntiatum est Regi cum suis, rem, quæ in bestia divinitus agebatur, intellexit, Deique magnalia in Virgine venerans recessit sine ejusdem quidem ursi læsione, sed non sine rei, quam viderat, admiratione. Jam verò ursus è sylvestri cœpit esse domesticus, & in reliquum apud ejusdem loci Sanctimoniales non aliter vixit, quàm ab illis jussus esset.*

7. Salmeron tom. 4. Comm. in Hist. Evang. part. 3. tract. 32. p. 614. non omninò improbat *consuetudinem gestandi reliquias collo appensas cum spe, quod fortè Deus miserebitur.*

Idem confirmat praxis. Contrà, Carolus Magnus lib. 1. de Imag. cap. 18. adducit & approbat dictum Hieronymi, qui cum Evangelii lectionem de fimbriis & phylacteriis Pharisæorum exponeret, hanc consuetudinem reprehendit, sic scribens: *Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Evangeliis & in crucis ligno & in istiusmodi rebus, quæ habent quidem Zelum Dei, sed non juxta scientiam, usque hodie factitant, culicem liquantes & Camelum glutientes.*

2. De Imaginibus.

1. Feuardentius Franciscanus in lib. homil. p. 16. *Ex Imaginum contemplatione simplices ac idiotæ illa divina miracula & opera facilè & breviter discunt, quæ ex sacris libris aut vix aut nunquam percipere valent.*

Lælius Zechius in volumine Casuum Conscientiæ tom. 2. cap. 90. art. 18. p. 609. *Sculpturas poni in Ecclesiis utile est ad caritatem erga Deum & sanctos fovendam, & augendam, ad fidem conservandam, cum Imagines habeantur pro libris his, qui literas ignorant, ex quibus ducuntur in cognitionem, memoriam & imitationem divinorum.*

(At distinguendum inter *informationem* & *commonefactionem*. Informatio de divinis mysteriis, miraculis ac operibus ex verbo Dei petenda, Imagines quandam de illis commonefactionem continent.)

Cornel. Agripp. de vanit. scient. cap. 57. *Non decet nos ex vetito imaginum libro discere, sed ex libro Dei, qui est liber Scripturarum. Qui ergò cupit Deum nosse, non requirat ex imaginibus pictorum & statuariorum, sed, ut inquit Johannes, scrutetur Scripturas, quæ testimonium perhibent de illo. Qui a nesciunt legere, illi audiant verbum Scripturæ. Fides n. eorum, ut ait Paulus, ex auditu est.* (*non ex visu*) *Et Christus apud Johannem inquit: Oves meæ vocem meam audiunt. Jamque etiam, si* (*quod ait Christus*) *nemo potest venire ad eum, nisi pater traxerit eum, & nemo venit ad patrem, nisi per ipsum Christum, cur auferimus gloriam Deo, tribuentes illam picturis & statuis, ac si possent trahere in contemplationem Dei &c.*

2. Baronius in notat. ad Martyrol. Rom. refert, *Patres Concilii Constantiensis decrevisse, ut ad propulsandam pestem urbi Constantiensi ingruentem, imago Rochi à Clero comitante omni populo per urbem solenni pompa deferretur, ac impenderentur ei honores cæteris sanctis debiti. Quo facto, quia pestis illa mox evanuit, inde inquit exemplum sumtum est, ut ubique locorum ejus venerandæ Imagines, altaria, sacella ac denique templa erecta fuerint.*

(De Genovevæ simulachro eadem solennitate Parisiis circumgestato, vide Schleidanum lib. 9. p. 250. in Histor. Ann. 35.)

3. In Sabbatho Paschatis Presbyter Pontificius imaginem crucifixi sepulchro exemptam in templo circumfert, & fores ejusdem clausas pulsans dicit, *Attollite portas principes vestras & elevamini portæ infernales & introibit Rex gloriæ.* Rursumque interroganti, *Quis est iste Rex gloriæ &c.* respondet, *Dominus fortis & Dominus in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

4. In festo Pentecostes *columba* è sublimi laqueari demittitur *cum igne & aqua*, & ingente quodam sonitu, qualis tormentorum bellicorum esse solet, accinente Sacerdote, *Accipite Spiritum sanctum.*

5. Anglo Rhemenses Joh. 14. sect. 3. *Mirari non debemus si imago nostræ Dominæ & ei similes operantur plura & majora miracula, quàm sunt ea, quæ Christus ipse fecit.*

6. Gretserus lib. 1. de cruce cap. 49. *Sententia communis est, crucem colendam esse latria, hoc est, cultu divino, non quidem per se, sed per aliud, non absolutè, sed cum habitudine & respectu ad prototypum. Hinc Gerson tract. 8. super Magnificat, quærit, Quare asinus, cui Christus insedit, non adoretur, sicut crux. Respondet, ut vitemus scandalum vel irrisionem fidelium ac simplicium, si coleretur asinus, sicut colitur crux. Non enim æquè faciliter honorem referrent ad prototypum, id est, ad significandum Christum, nec ad redemtionis nostræ mysterium, quemadmodum fit de cruce.*

(Ergò nisi metueret irrisionem fidelium ac simplicium etiam asinum ut crucem adorarent.)

7. In libellis precationum in Papatu usitatis formulis precum ad SS. Trinitatem directarum præponitur imago hominis *cum tribus faciebus*, ad exprimendam personarum in una divina essentia Trinitatem, quales libellos Coloniæ vidi complures. Sed saniores ex Pontificiis agnoscunt, non debere Deum tali effigie depingi, ut ostendimus superius membro. 3. ac Bellarminus ipse agnoscit lib. 2. de imag. cap. 8. §. Hoc modo, *non sine periculo exhiberi imperitis ejusmodi picturas, in quibus membra corporea tribuuntur Deo. Quinimò* ibidem disertè improbat, *quod pictores audent ex capite suo confingere imagines Trinitatis, ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum columba. Ista* enim, inquit, *monstra quædam vocantur, & magis offendunt deformitate sua quàm juvant similitudine.*

8. In templis Pontificiorum *Moses* utplurimum pingitur *cornutus.*

Sed

Sed Augustinus Steuchus in Recogn. V. T. ad Hebraicam veritatem in cap.34. Exodi, memorat, *Judæos ejusmodi picturam irridere*, neque id immeritò, cum talis Moses nunquam extiterit. Neque enim ut rectè ibidem Steuchus monet, *cornua è fronte egrediebantur, sed & frons & nasus & os & mentum radiabant.*

Idipsum etiam agnoscunt Sixtus Senensis lib.5. Biblioth. Sanct. annot.116. & Cajetanus in Comment. Exod.34.

9. Bellarminus lib.2. de Imag. cap.13. statuit, *Israëlitas μοσχολάτρας Ex.32. existimasse, summum Deum esse vitulum illum, quia viderant in Ægypto vitulum illum in summo honore.*

Contrà Joh. Ferus in cap.17. Act. *Judæi venerati sunt Deum verum in vitulo, quem formavit Aaron, idque patet ex ipsorum verbis. Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt ex Ægypto.* Quinimo tam evidens hoc est ex v.4. & 5. illius capitis, ut Bellarminus ipse tandem agnoscat, subjungens: *Non improbabiliter dicitur, quòd Judæi putaverint in idolo se colere Deum verum.*

10. Bellarminus ibidem negat, *gentiles verum Deum cœli & terræ creatorem voluisse colere per illum, quem simulachro deferebant honorem.* Sed superiùs membro 6. ex ipsis Pontificiis Scriptorib. contrarium ostendimus.

11. Gregorius de Valentia in tract. de idolol. lib.2. c.7. p.178. statuit, *esse quendam simulachrorum cultum licitum*, idque probare conatur ex 1. Petr.4. v.3. ubi vetus Interpres ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις vertit, *illicitos simulachrorum cultus*, unde colligit, *quosdam igitur simulachrorum cultus esse licitos, sicut cum cædem hominis injustam audimus, jure aliquando cædi hominem posse intelligimus.*

(Atqui 1. epitheton illud ἀθεμίτοις rectiùs *nefarios*, quàm illicitos idolorum cultus designat, ut Erasmus reddidit.

2. Epitheta non semper *distinguendi & distribuendi*, sed etiam *amplificandi* causâ adhibentur, ut cum dicimus *nefaria stupra, impura adulteria.*

3. Judæ v.11 dicuntur *peccatores impii*, ergone inde colligi potest, *esse quosdam peccatores pios?*)

12. Ambrosius Catharinus, referente Bellarm. lib.2. de Imag. cap.7. statuit, quòd *mandatum in lege adversus imagines fuerit tantum temporale & continuandum eò usque, donec Nov. Testam. stabilitum esset.*

13. Grogor. de Valent. tom.4 Disp.1. q.24. de adoratione Christi, puncto 3. f.475. *Lignum ipsum crucis honorari debet latria. Sic etiam latria adorandum est linteum sive sudarium Christi, & clavi & lancea.*

(Contra Epiphanius Diaconus in Synodo VII. act.6. f. 583. editionis Romanæ Ann.1612. Οὐδεὶς τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν χριστιανῶν ἀνθρώπων εἰκόνα ἐλάτρευσεν. Ἑλληνικὸν γὰρ τὸ μύθευμα, δαιμόνων ἐφεύρημα, σατανικῆς ἐγχείρημα. D. Ambrosius tom.5. in orat. funebri Theodosii f.123. *Helena Imperatrix invenit titulum, Regem adoravit non lignum utique, quia hic gentilis est error & vanitas impiorum, sed adoravit illum, qui pependit in ligno.*)

14. Bellarminus lib. de reliq. & imag. cap.18 §.3. *Imagines à sanctis viris factæ, ut Luca, Nicodemo & aliis peculiarem merentur devotionem, cum sint sanctæ non solum propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta credebatur; nec non imago S. Stephani, quæ ab Angelo formata & allata fuisse putatur, de quo Evodius lib 2. de miraculis.*

3. De peregrinationibus.

Olaus Magnus Archiepiscopus Upsaliensis in Suecia lib.16. de septentr. gentibus cap.10. refert, quòd *ex devotione vel voto volentibus peregre proficisci ad Jerusalem, aut Compostellam, vel almam urbem, seu alia loca, prout multi illustrissimi Reges & feminæ olim profecti sint, Præsul vel Sacerdos super eos & sacculum & baculum modo sequenti stans benedicere solitus fuerit: Domine Jesu Christe conditor mundi & Redemtor, qui B. Apostolis tuis præcepisti, ut euntes in peregrinationem virgas tantum sumerent, te supplici devotione petimus, ut digneris hos sacculos & fustes seu baculos benedicere, quatenus hi, qui illos in signum peregrinationis & sui corporis sustentationem recepturi sunt, tuæ cœlestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere possint, ut quemadmodum virga Aaron in templo Domini florens à rebellium Judæorum numero ipsius stirpem distinxit: ita & hos signaculo S. Petri ornatos ab omnibus peccatis absolvas*, quod (ut) *in die judicii ab impiis separati in dextra sint parte collocandi per D.N.J.C. Amen.* Vers. *Advenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, ad salvandas animas. Commendemus nosmetipsos in multa patientia per arma justitiæ virtutibus Dei. Inde consignans peram dicit, In nomine D.N.J.C. accipe sacculum seu peram in habitum peregrinationis tuæ, ut sanus pervenire merearis ad limina sanctorum, quo pergere cupis, & ad nos cum gaudio & exultatione reverti incolumis. Deinde dans baculum dicit, In nomine D.N.J.C. accipe & hunc baculum in sustentationem itineris & laboris tui, ut devincere valeas omnes inimici catervas, & pervenire ad limina sanctorum, quò peregrinari desideras, ut peracto obedientiæ cursu ad nos quoque sanus cum gaudio revertaris & incolumis.*

4. De templis.

1. Lancelottus Quare 23 §.6. *In consecratione Ecclesiarum pinguntur duodecim cruces, adhibetur inunctio chrismatis, alphabetum Græcum & Latinum ab Episcopo describitur, in pavimento templū pulsatur, & aperitur, accenduntur lampades, fit aspersio aquæ &c.*

Petrus Paulus Vergerius in lib. de idolo Lauretano Ceremonias in dedicatione templorum in Papatu usitatas sic describit: *Cur non fingis* (Pontificem alloquitur) *unum ex Apostolis, dum consecraretur ac dedicaretur illa Ecclesia* (camera B. Mariæ Virginis) *pinxisse in parietibus 12 circulos & totidem cruces, deinde clavos ferreos totidem cum singulis cereis illic affixisse. Alium verò ex Apostolis cinerem in ea sparsisse & pedo aut pastorali* (*ut tu appellas*) *Alphabetum Latinè & Græcè in eo inscripsisse. Alium novies intus & foris omnes eos muros circuisse, & fasciculo cujusdam herbæ, cui nomen Isopus, baculo imposito eos aspersisse. & simul totum solum quadam aqua mixta sale vino & cinere. Alium denique ujum fuisse olei quibusdam incantatis & rancidis, & pollice dextræ manus unxisse muros illic tantum, ubi erant facti circuli & affixi clavi.*

Confer Durandum lib.1. Rational. cap.6. ubi *spirituales istarum Ceremoniarum significationes* describit.

Bellarminus lib.3. de cultu sanctor. cap.5. *totum vitæ Christianæ progressum ex omnibus illis dedicationis actibus* deducit.

(At hujus consecrationis nullum in antiquitate occurrit vestigium.)

Inde *consecrationem illam templorum esse novam* fatetur Beierlinck. concion. select.40. pag.742. sic scribens: *Templa primus consecrasse traditur à Gulielmo Durando Felix III. circa annum 480. cujus causam edidit miraculum, quod in Syriæ oppido Baruth accidit. Ubi cum Judæi de cruce pendentis Christi imaginem proculcassent & latus illius mucrone petiissent, copiosus emanavit sanguis, qua re obstupefacti qui aderant, synagogas suas in Ecclesias commutarunt, quas Catholici certo Ceremoniarum ordine expiarunt & dedicarunt.*

2. Baronius tom.1. Ann.44. n.88. *In dedicatione templorum multa fuisse gentilibus cum pietatis cultoribus similia ex Suetonio intelliges.*

(Conformitas illa negari nequit, ut enim constat ex Stuckio lib. de sacris & sacrif. gentil. f. 61. & 62. in dedicatione alicujus templi apud Ethnicos hujusmodi ritus observabantur: *Spatium templo dicatum coronis & vittis cingere solebant, populus ramos afferebat, Vestales ambitum aqua lustrali aspergebant, dedicator postem templi manu sua tenebat, certa vocabula solennia à Pontifice dictata proferebat; aer certis quibusdam sacrificiis lustrabatur, animalium intestina in terram projiciebantur; primus angularis lapis ac funes eum circumdantes à consecrante, totoque populo tangebantur, in fundamentis aurum argentumque, similiaque ponebantur, Dei, cui templum consecrabatur, imago solenniter adferebatur, sæpius ab alio quoque loco translata, ut Junonis Veji, tandemque una cum altari uncta in templum collocabatur:* quæ omnia Stuckius ex Livii, Ciceronis ac Taciti scriptis probat. Sic ergò conformitas Ethnicæ & Pontificiæ dedicationis negari nequit, quæ ostendit dedicationem Pontificiam non à dedicatione Salomonæi templi, sed ab Ethnica dedicatione derivari.)

3. Bellarm. lib.3. de cult. sanct. c.4. Staplet in promt. Cath. Domin.9. post Pentecost §.1. statuunt, *preces in templis sacratiores esse, faciliusque exaudiri propter præsentiam Dei & Mediatoris Christi in Eucharistia.*

Beierlinck. Concion. select.40. pag.745. *Ecclesia domus est orationis ac in ea magis propriè & efficienter oratur, quàm in alio aliquo loco.*

Atqui 1. cultus Nov. Testam. non amplius ut in Vet. Testam. ad certum locum est alligatus, proinde nec preces. Mal. 1. vers.11. Johan.4 vers.21. 1. Timoth.2. vers. 8. Matth.6. vers.5. Origen. lib.7. contra Celsum. *Christianus etiam idiota persuasissimum habeat, quemvis mundi locum partem esse universi, & mun-*

mundum universum esse templum Dei, & in quovis loco precatur clausis sensibilibus oculis; erectis autem animæ luminibus, atque ita super totum mundum ascendit.

2. Præsentia corporis Christi in Eucharistia extra ejus usum non est cogitanda.

3. Alphonsus de Castro lib.13. adversus hæreses, verbo sepultura. *Quia Waldenses absolute dixerunt, nihil prorsus prodesse animæ, quod corpus in loco sacro sepeliatur, ideo meritò illorum sententia damnatur, quoniam etsi non prosit ad gloriam animæ augendam, aliam tamen habet non contemnendam utilitatem. Nam viri, qui locum sacrum ingrediuntur, in quo corpus sepultum est, quoties recolunt, ubi sepultum sit amici vel consanguinei corpus, & venit in mente sancti & sancta, in cujus honorem ille locus sacratus est, illi sancto & sanctæ animam dilectam commendat, ut Deum pro illa intercedere dignetur. Nec dubium est tales orationes illis prodesse, qui in statu salutis decesserunt, quoniam cum hic viverent, hoc meruerunt, ut talia sibi post hanc vitam prodesse possent.*

(At fatetur ipse Alphonsus, etiam hoc vivos facere posse pro illis, qui in locis sacris non sunt sepulti: ac reipsa testatur non omnes, qui ingrediuntur locum sacrum meminisse eorum, qui ibidem sepulti.)

Subjungit ergò Alphonsus (*Quod si tanta propinquorum & amicorum habeatur oblivio, ut etiam defunctarum sepulchris inspectis non meminerint Deum pro illis orare, est adhuc aliud, quod maximè cadaveribus in locis sacris sepultis prodesse possit, suffragia sc. quæ in unoquoque sacro loco ab illius loci ministris fieri solent pro illis, qui intra septa suorum cœmiteriorum sunt sepulti.* Sed de his suffragiis nihil tradit Scriptura.)

Hùc meritò referri potest ac debet, quòd Durantius lib. 1. de ritib. Eccles. cap.23. num.5. & 6. multas veterum contra huncce sepeliendi morem constitutiones recenset, cumprimis Caroli Magni ab Ansegiso in Capitulari Caroli lib.1. cap.159. commemoratas, *ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat*, quam constitutionem Durantius d.l. vocat *religiosam ac piam constitutionem*, quam ab Optati Milevitani tempore derivat verbis illis, quæ habentur lib.3. contra Parmen. *Nec sepultura in domo exhiberi concessa est.* Cumque ostendisset, *olim Imperatores magno honori duxisse, in templorum vestibulis sepeliri*, subjungit: *At hodie recepta consuetudine præter majorum leges & statuta Christiani, nedum Imperatores & Sacerdotes, quibus id postea indultum fuit, sed etiam Laici passim intra Ecclesiam sepeliuntur, alii complures.*

Concilium Bracarense can.36. *Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sanctorum sepeliantur, sed si necesse esset de foris circa murum Basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus sit humatum, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.*

Idem obvertendum aliis, qui sepulturam in locis consecratis, ubi sancti sive Martyres quiescunt, existimant animabus defunctorum prodesse. Lancellottus in Quære 100. §.6. *defuncti precibus Martyrum creduntur adjuvari.*

Baron. ann.236. n.12. *Dæmones ex illo sepulturæ loco censentur fugari.*

Tann. part.2. Anatom. Aug. Conf. Demonstr.9. §.131.

(At pugnat hoc etiam cum jure Canonico, c. Illud autem. dist.40. ex Ambrosio. *Illud autem animadverte, quia extra Paradisum vir factus est & mulier intra Paradisum, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra Paradisum factus, hoc est, in inferiore loco vir melior invenitur: & illa, quæ in meliore loco, hoc est, in Paradiso facta est, inferior reperitur.*)

5. Hosius lib.4. de traditionib. p.614. 615. scribit, *eum, qui templum ædificare velit, in quo adoretur, fronte versus occidentem conversa in despectum traditionis Apostolicæ qua orantes convertuntur ad orientem, in Spiritum Sanctum peccare.*

Confer Bellarm. lib.3. de cultu sanct. cap.3. §. Alterum.

(Atqui pugnat hoc cum dictis Scripturæ Joh.4. v.21. & 23. 1. Tim.2. v.8. Quamvis vero antiqui Christiani in precibus faciem *ad orientem* converterint, cujus ritus varias rationes Damascenus & alii ex veteribus adferunt, tamen fecerunt hoc sine superstitione, sine necessitatis lege.

Bellarminus ipse agnoscit, morem hunc fuisse liberum. Sic enim scribit d.l. *Ecclesias Christianorum ut plurimum*, (nota ut plurimum) *ad Orientem fuisse conversas, & quatuor latera habuisse, quibus quatuor mundi partes aspicerent, exceptis quibusdam, quæ propter loci commoditatem aliter constitutæ sunt.* Hæc ille. Quomodo igitur hæc erit *Apostolica traditio*? ubi ibidem §. idem testatur, evincere laborat? Propter loci commoditatem non licuisset transgredi Apostolicam traditionem.)

Walafridus Abbas (qui floruit tempore Ludovici Pii circa 840. Christi annum) lib. de officiis Ecclesiast. cap. 4. cum de templorum forma disserit, disertè scribit, *veteres non admodum solicitos fuisse, in quam partem vel templum, vel altaria essent conversa, quòd ubique Deum esse scirent, sed recentiores tantum ad Orientem convertisse.*

6. *Ornatus templorum*, in Papatu censetur *pars divini cultus & opus quoddam meritorium.*

Resp. ex Ephrem de sanctissima cruce Dom. p.700. *Christiano more festa Dominica celebremus, in Psalmis & Canticis spiritualibus, melodiisque Angelicis. Coronemus portarum frontes, ut Christiani, & non ut gentiles atque pagani, lauris & floribus, aliisve herbarum generibus, quod quidem gentilium est & Judæorum. Umbra enim legis præteriit, & sicut Apostolum clamantem audivimus, vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia.*

(Opponunt Pontificii *templum & tabernaculum legis Mosaicæ*, atque ex eo concludunt, *tanto majores sumtus hodie in templa esse impendendos, quanto dignior est N.T. cultus.*

Resp. Hieronymus ad Nepotianum cap.12. *Neque verò aliquis mihi opponat dives in Judæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, cyphos, mortariola, ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemtio peccatorum, quanquam & hæc omnia præcesserunt in figura, scripta sunt autem propter nos, ad quos fines seculorum devenerunt. Nunc verò cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus. Quid miramur, quòd Christus vocat iniquum Mammon. Quid suspicimus & amamus, quod Petrus se non habere gloriosè testatur? Alioqui si tantum literam sequimur, & in auro atque divitiis simplex delectet Historia, cum auro observemus & cætera.*)

Idem Hieronymus ad Demetriadem Epist.8. cap.7. tom.1. *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque decorent capita, pretiosum ornatum non sentientia &c. Non reprehendo, non abnuo, unusquisque in suo sensu abundet, meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare; sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus &c.*

Isidorus Pelusiota lib.2. Epist. 246. *Illud ex me discat,* (Theodorus Pelusiensis Episcopus ad quem scribit) *quod Apostolorum tempore, cum Ecclesia & spiritualibus gratiis abundaret, & vita splendore afflueret, nulla templa erant: at nostra tempestate templa plusquam par sit, exornata sunt. Ecclesia autem, ne quid gravius dicam, κωμῳδεῖται Comicis cavillis incessitur. Ego verò si mihi optio daretur, temporibus illis fuisse mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant, Ecclesia autem divinis ac cœlestibus gratiis undique cincta & redimita erat, quàm his nostris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus cohonestata sunt, Ecclesia autem spiritualibus gratiis nuda & vacua est.*

Bernhardus in Apolog. ad Gulielmum Abbatem col.1134. *Splendidè fulget Ecclesia in parietibus & eget pauperibus; lapides suos auro induit, & filios suos nudos deserit; de sumtibus egenorum servitur oculis divitum.*

7. *Cereos in templis etiam interdiu accendendos.*

Bailius tract.2. Catech. controv. q.31. probat *ex candelabro Mosaico V.T.* & ex eo, quod *Hieronymus laudabili huic consuetudini patrocinetur ac Vigilantium hæreticū eam ridentem perstringat.*

Resp. 1. Juxta hoc principium totus cultus Leviticus in Ecclesiam N.T. reduci posset.

2. In gentilibus superstitiosum candelarum in die accensarum usum pii veteres taxarunt.

Tertull. in Apolog. cap.35. *Die læto lucernis diem non infringimus.*

Lactantius lib.6. Instit. cap.66. gentilibus exprobrat, quod *Deo accendant lumina velut in tenebris agenti*, additque, *Mentis suæ compos putandus non est, qui autori ac datori luminis candelarum ac cereorum lumen offert pro munere.*

3. Hieronymus potius morem illum excusat, quam defendit: *Cereos*, inquit contra Vigilant. cap.13. *non clara luce accendimus, ut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris.*

Postea

Postea fœminas quasdam devotas ac seculares de die id facientes, utcunque excusaturus frigidè agit, tandemque concludit, *Possumus dicere de iis, Zelum habent Dei, sed non secundum scientiam.*

4. Bellarminus lib. 2. de reliq. sanct. cap. 4. ad canonem Concilii Eliberini 34. *cereos per diem in Cœmiteriis accendi prohibentem* respondet, *Concilium id prohibuisse, quia fiebat more gentilium, inter quos vivebant Christiani.* (ungunt.)

(At hæc prohibitionis ratio omnes cereos Papales ex-

5. Martinus de Roa lib. 2, Singul. cap. 16. pag. 197. Lucernarum usus à gentibus ad Christianos translatus est.

6. Beatus Rhenanus in annotat. in 5. libr. Tertulliani contra Marcionem non dubitat, quin *usus luminum & cereorum ab Ethnicis sit mutuò sumtus.*

8. c. Placuit 26. dist. 1. de consecrat. ejusmodi extat decretum. *Placuit, ut altaria, quæ passim per agros & per villas, tanquam memoriæ Martyrum, construuntur, in quibus nullum corpus & reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis iisdem præsunt si id fieri potest, evertantur.*

(Atqui & erectio altarium & cultus reliquiarum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ fuere ignota.)

9. Templa in Papatu sunt hominum sceleratorum *asyla.* c. Nullus Clericorum 19. c. Si quis contumax 20. can. diffinivit 35. c. Id constituimus 36. causa 17. q. 4. Pugnat hoc cum lege divina Ex. 21. v. 14. Polydorus Vergilius lib. 3. de rer. invent. cap. 12. p. 250. *Postquam Hercules migravit è terris, nepotes ejus, teste Servio in 8. Æneidos timentes insidias eorum, quos avus afflixisset, Athenis sibi primi omnium asylum, hoc est, templum misericordiæ collocarunt, unde nullus per vim posset abduci &c. Sunt hodie in urbe nostro Christiano, præsertim apud Anglos passim asyla, quæ non modò insidias timentibus, sed quibusvis sontibus, etiam majestatis reis patent; quod facit, ut manifestè appareat, nos id institutum, non à Mose, qui illis duntaxat, qui nolentes hominem occidissent, asylum posuit, sed à Romulo esse mutuatos. Quæ nempe res haud dubiè in causa est, cur benè multi à maleficiis minus abstineant manus. Quid? quod templa nostra ubique gentium istiusmodi sceleratis hominibus instar asylorum sint.*

10. *Campanas* in turribus templorum adversus vim Satanæ & tempestatum pulsant.

Beierlinck. conc. select. 44. pag. 800. *Sane pia Catholicorum est consuetudo, ingruente tempestate campanas pulsandi, tum, ut ad earum sonitum illius plerunque concitatores Dæmones abigantur: tum ut fideles ad Deum per orationes, ut imminentia mala avertantur, recurrant. Timent enim, ait Guilielmus Durandus, qui vixit anno 1270. Dæmones, auditu his tubis Ecclesiæ militantis, sicut Tyrannus aliquis timet audiens in terra sua tubas alicujus Regis potentis inimici sui, pag. 795. Neque habent Novatores, quod hic occinant, superstitionem Ethnicam, aut amentiam plusquam puerilem, quod rebus inanimis tantam virtutem adscribamus. Nam ad Ethnicos quod attinet, qui æris tinnitu maleficiis medebantur, id falsa persuasione evenit ex Dæmonis compacto ad talem concentum diffugientis, ut magis illaquearet miseros. Catholici verò non credunt, tinnitum aut sonitum campanarum quidquam facere ad memoratos effectus producendos, sed omnia pervenire & attribuenda esse precibus Ecclesiæ, per quas campanæ consecrantur & benedicuntur.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 3. art. 6. p. 270. adducit & approbat dictum Guilielmi Alverni de legibus cap. 27. *Campanæ in consecratione seu benedictione sua virtutem recipiunt, ut tempestates & fulgura nihil lædere possint in regionibus, quibus sonitus earum eo tempore auditus fuerit*; dictum Guilielmi Durandi lib. 1. Ration. div. officiorum cap. 4. *Pulsatur & benedicitur campana, ut per illius tactum & sonitum fideles invicem invitentur ad præmium, & crescat in iis devotio fidei; fruges, mentes & corpora credentium serventur; procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgores temperentur, infestaque tonitrua & ventorum flamina suspendantur &c. Campanæ in Processionibus pulsantur, ut Dæmones timentes fugiant*; versiculos, qui habentur in Glossa:

Laudo Deum verum, plebem voco, convoco Clerum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

(At ubi mandata illa consecratio? ubi extat promissio de tali efficacia per consecrationem campanæ comparanda?)

11. De Ceremonia *incensi* Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 38. scribit, *eam in Evangelica lege fuisse usitatam ab initio,* quod ex can. 4. Apost. probare satagit. Postea subjicit, *Suffumigantur incenso sacrificium, altare, reliquiæ sanctorum, Clerus, populus, corpora defunctorum ad significandum, oblationem corporis & sanguinis Domini esse verum odorem, cujus vivi & mortui participes fiunt.*

Resp. 1. in primitiva Ecclesia non fuisse usum incensi probant dicta veterum.

Tertull. in Apolog. c. 30. de precibus in Ecclesia pro Imperatorib. factis agens, *Hæc, inquit, ab alio orare non possum, quàm à quo scio, me consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur: famulus ejus qui eum solum observo, qui ei offero opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu S. profectam; non grana thuris unius assis, non Arabicæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mortem optantis.*

Imperator Constantin. in orat. ad sanctum cœtum c. 12. apud Eusebium dicit: *Tale Eucharistiæ sacrificium ab hominibus peragitur* [Greek text, illegible] *Neque thuris odor desideratur, nec ignis incensus.*

August. in Psal. 49. *Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus, sacrificium laudis quærit à nobis.*

Idem in Ps. 150. *Noli extrinsecus thura comparere, sed dic, in me sunt Deus vota tua, quæ reddant laudes tibi.*

(Atqui si illorum temporibus templa, altaria, imagines, reliquiæ, populus suffimigabantur; si Deo & sanctis incensa fuissent oblata, quomodo ita locuti fuissent?)

2. Platina in vita Leonis III. & Polyd. Vergil. lib. 5. de Invent. c. 1. *Leonem III.* Ceremoniæ hujus autorem constituunt.

3. *Canones Apostolorum* sunt supposititii, ut suo loco demonstratum.

12. Idem Bail. d. l. q. 39. *Ex Ecclesiæ jussu processiones instituimus, S. Sacramentum aut sanctorum reliquias portantes crucesque ac cereos adhibentes.*

Resp. Polydor. Vergil. lib. 6. de rer. invent. c. 11. *à ritib gentilium* processionum originem deducit. *Hunc nos, inquit, ritum pariter observamus (quod in pompa sacrificali Divorum imagines vel reliquias Paganorum exemplo gestamus) sed haud scio, an tam rectè quàm benè illud fiat: Vereor, inquam, vereor, ne in iis reb. Diis potius gentium quàm Christo non gratum faciamus. Nam illi suos cultores in suppliciis, ut ait, magnificos esse volunt, hic verò nihil magis quàm illud horret.* Et postea. *Ecquid igitur fiet nobis si contra præceptum imus, imò fiat quidvis, nos tamen venimus contra &c.* quæ omnia in Indice Expurgat. Belgico cap. de Polydor. Vergil. non attinguntur.

Publicas preces non improbamus,

Sed 1. Quod in processionibus suis sanctos invocant.

2. Quod Sacramentum Eucharisticum contra Christi institutionem circumgestant & adorant.

3. Quod processionibus ejusmodi peculiarem efficaciam, cultum & meritum tribuunt.

4. Quod Sacerdos preces in lingua ignota recitat.

13. De benedictionibus sive consecrationibus herbarum, cineris, olei & c. sic disserunt Pontificii:

Petrus Thyræus Noveriensis Jesuita lib. de apparit. Spirituum c. 16 p. 71. *Non divinum solum non sustinent nomen maligni Spiritus, verum etiam res ad divini nominis invocationem consecratas horrent. Per aquam lustralem refert Epiphanius Dæmoniacum quendam liberatum.* Et postea. *Quocirca quicquid vel de aquæ benedictæ aspersione, vel de incensio nibus luminarium sacrificatorum, vel suffimentis herbarum consecratarum, vel aliis Catholicæ Ecclesiæ ritibus garriunt hæretici, nihil nos moramur. Credimus & cum veneranda antiquitate profitemur, non vanum, non superstitiosum, sed pium esse istarum omnium usum & Diabolis intolerabilem, cum inanis non possit esse Ecclesiæ precatio, quæ ad has creaturas accedit.*

Benedictionem cineris Pontificale Romanum p. 96. fac. 1. hac forma fieri testatur: *Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicantibus & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui benedicat & sanctificet cineres istos, ut sint remedium salutare omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, atque ante conspectum divinum clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus & serenissimam pietatem tuam suppliciter obnoxieque flagitantibus. Præsta quæsumus per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicunque eos super se asperserint pro redemtione peccatorum, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant, & in quocunque loco aspersi fuerint, in tuo nomine sanctificentur per Christum Dominum nostrum Amen.*

Confer Durandum lib. 6. Rational. cap. 28. §. 18. Polyd. Vergil. lib. 6 de rer. invent. cap. 5. p. 487.

(At tales benedictiones & consecrationes, per quas rebus con-

consecratis spiritualis quædam efficacia conferri judicatur, destituuntur divino mandato & ordinatione.)

14. Denique praxis testatur, illos qui in templis vel cœmiteriis honoratiora sepulchra habere expetunt, pecunia sibi eadem emere. Contra perversum istum morem jam olim seculo nono constitutionem edidit Carolus Calvus, quæ sic habet. *Neque pro loco sepulturæ, ut verbis S. Gregorii utamur, precium de terra putredini concessa quærere, & de alieno luctu facere compendium aliquo modo tentet. Si quando autem proximi vel heredes sponte aliquid offerre Ecclesiæ voluerint, in eleemosyna defuncti, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omni modo prohibemus, ne quod valdè irreligiosum est, aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut de humanis morsibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus quolibet modo quærere.*

5. De *festis.*

1. Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 3. art. 3. *Maria virgo gloriosè in cœlum est assumta, proinde festum assumtionis illius in Ecclesia celebrandum.*

Valentinus Gerardus Jesuita in Triumpho B. virginis *Assumtionis Historiam* octo argumentis confirmare satagit:

1. Conveniens est, carnem corporis Virginei statim post mortem glorificari, propterea quod ex ea immediatè sumta fuerit caro Christi, statim post mortem glorificata.

2. Quia Christus Joh. 7. orat: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum. At hæc promissio, magis in ea debuit impleri, quam in ullo alio.

3. Si Virginis corpus esset in terris, sciretur ubi.

4. Corpus Virginis fuit initium salutis mundo. Ergo justum erat, ut prima ejus salutis esset particeps per glorificationem corporis S. Hoc ille filius illi matri non debuit denegare exemplo Salomonis, qui matrem separato throno excepit.

6. Non est verisimile id corpus, unde Deus carnem accepit, corruptum fuisse, factumque escam vermibus.

7. Animæ beatorum gloriam suorum corporum & optant & postulant à Deo. Ergò & Virgo idem postulavit, nec à Filio non obtinuit.

8. Gloria ejus corporis nihilominus pertinet ad gloriam Filii quam matris.

Anglo-Rhemenses in annot. Act. 1. v. 14. *Beata Mariæ corpus assumtum fuisse in cœlum ex antiqua Historia verissimum esse constat.*

Contra. 1. Sixtus Sinensis lib. 2. Biblioth. sanctæ tit. Mariæ transitus. p. 80. *Mariæ transitus sive Liber de transitu Mariæ à Gelasio inter Apocrypha scripta rejicitur. Jacobus Archiepiscopus Genuæ in libro annuarum festivitatum refert, se incidisse in volumen quoddam Apocryphum ejusdem argumenti & tituli Divo Johanni Evangelistæ adscriptum, in quo scriptum esset, Mariam Virginem anno 24. ab ascensione filii sui ex hac vita migrasse, & omnes Apostolos momento temporis per aëra raptos morienti adfuisse, atque ejus cadaver publico funere & solennibus exequiis elatum lapideo monumento condidisse, eamque post diem tertium revixisse & integro corpore deducentibus Angelis in cœlum evolasse; Thomam verò cum abfuisset & rediens credere recusaret Zonam, qua corpus Virginis præcinctum erat è sublimi demissam accepisse, resurrectionis & corporeæ in cœlum assumtionis argumentum. Augustinus serm. 35. de sanctis, hujus operis inscriptionem, narrationem & autoritatem refellit his verbis. Virgo Maria quo ordine hinc ad suprema transierit, nulla Catholica narrat Historia. Non solum autem respuere Apocrypha, verum etiam ignorare dicitur hæc Ecclesia, siquidem sunt nonnulla sine autoris nomine de ejus assumtione conscripta, quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem minimè legi permittantur. Hinc sane pulsantur nonnulli quia nec corpus ejus in terra reperitur, nec assumtio ejus cum carne, ut in Apocrypha legitur, in Catholica reperitur Historia. Sed dignum non est de corporis ejus notitia solicitum aliquem esse, quam non dubitat super cælos elatam cum Christo regnare. Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quippiam dixisse aperte. Et quid de his loquor, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est, Johannes Evangelista de hoc posteris aliquid scriptis retinendum mandaverit. Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si Deus illud manifestari voluisset. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus assumtione sententia est, ut secundum Apostolum sive in corpore, sive extra corpus ignorantes assumtam, super Angelos eam esse credamus. Hæc de transitu & assumtione Mariæ Augustinus, qui ab hac sententia palam dissentire videtur in libello de assumtione Mariæ, qui sub ejus nomine inter scripta noni tomi computatur. Hieronymus sive Hieronymi Comes Sophronius in sermone de assumtione Virginis libri hujus mentionem faciens, ita scribit: Si venerit in manus vestras illud Apocryphum de transitu Mariæ virginis, dubia pro certis non recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore & studio legendi carius amplectuntur, monstratur autem sepulchrum ejus usque ad præsens in vallis Josaphat medio. Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumta fuerit simul in corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem vel quo tempore, aut à quibus personis sanctissimum ejus corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumne resurrexerit, nescitur, quamvis nonnulli astruere velint eam jam resuscitatam & beata cum Christo immortalitate in cœlestibus vestiri. Veruntamen quid horum verius censeatur, ambigimus, melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire velimus autoritate nostra. Sed & utrum redierit in pulverem terræ, certum non habemus.*

2. Baronius tom. 1. Annal. Ann. 48. n. 4. *Eodem anno à Christo nato quadragesimo octavo &c. sanctissimam Dei genitricem Mariam assumptam esse in cœlum Eusebius habet in Chronico his verbis: Maria Virgo Christi mater ad filium in cœlum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt. Non possumus non vehementer mirari, tantæ rei Historiam vel saltem tempus migrationis ejus sic à scriptoribus prætermissum, ut opus fuerit, non quod scriptorum monumentis testatum esset, sed horum penuria, quid huic vel illi ea de re fuerit revelatum, investigare, & ut facit Eusebius, Historicā veritatem incertorum hominum revelationi committere. Tolerandum tamen esset, si omnes, quibus de ea re divinitus dicitur facta demonstratio, æq; in eandē sententiam conspirarent, vel si unius aut saltem alterius anni spacio inter se invicem dissiderent; at monstrosa quædam inter eos discrepantia reperitur, cum alii licet incerti, quos citat Eusebius, id accidisse dixerint Anno Domini 48. post annos sc. à Dominica passione quatuordecim; rursum vero cuipiam probatæ sanctitatis demonstratum cœlesti visione tradatur, post annum elapsum à passione Christi & totidem dies, quot intercurrunt ab eo tempore usque ad decimam quintam mensis Augusti ex hac vita migrasse, at demum post alios 40. dies, nono videlicet Cal. Octobris una cum corpore assumtam fuisse in cœlum, cui revelationi, qui fidem adhibuerunt, non tantum dicta die, (ut facit Ecclesia) decima quinta Augusti ejusdem celebrant assumtionem, sed & aliam, quam secundam dicunt, assumtionem dicta die 9. Calend. Octobr. ad Bedæ Martyrologium addiderunt. Sed hæc ab Ecclesia minime recepta esse noscuntur.*

n. 5. Rursum alii, isthæc de revelationibus prætermittentes, certorum autorum testimonio certum annum ejusdem Assumtionis astruere conati sunt. Sed cum, quæ citant, eadem scripta nec nobis, nec majoribus cognita fuerint, in eandem de impostura suspicionem adducuntur, cum præsertim non sit eorum una eademque sententia, sed planè diversa.

(Quam opinionum diversitatem prolixe demonstrat. Qualis igitur certitudo ex discrepantibus & incertis revelationibus, & autorum sibi invicem contradicentium testimoniis haberi poterit?)

n. 12. Ecclesia rejicit Apocrypha illa, quæ de illius transitu & assumtione scripta erant, Decreto enim Romani Concilii, cui Gelasius Papa præfuit, inter Apocrypha annumeratur libellus de transitu Mariæ Virginis, (c. Sancta Romana dist. 15. &c.)

3. Abbreviator Baronii Spondanus in Epitome Annal. p. 67. col. 1. vocat *monstrosam discrepantiam*, quæ apud Scriptores de Mariæ ex hac vita transitu occurrit. *Alii enim testantur, eam esse verè mortuam, & ex his quidam Martyrio coronatam. Alii, naturali morte obiisse; alii, ascendisse in cœlum putant, & eorum quidam dubitant de totali assumtione Mariæ quoad corpus & animam; alii, quoad animam & corpus assumtam narrant, sed in tempore & circumstantiis non conveniunt.*

2. Bellarm. lib. 3. de cultu sanctor. c. 10. asserit, *quod festa Christianorum non solum ratione ordinis & politiæ, sed etiam ratione mysterii celebrētur, sintque dies festi vere alii sanctiores, sacratiores, & pars quædam cultus divini.*

(At cum festa N. T. destituantur expresso & speciali mandato, ideo non sunt pars divini cultus, sed duntaxat ejus adminicula.)

3. Idem Bellarm. d. l. §. Quinto &c. sententiam suam statuminare conatur, hoc argumento: *Observatio festorum, quæ præcipitur Ex. 20. ad cultum Dei pertinet, nam est præceptum Dei & præceptum primæ tabulæ. Sed illud præceptum est aliquo modo naturale, & ad nos pertinet ut alii concedunt. Ergo etiam nos habere debemus aliquos dies, quorum observatio ad cultum Dei pertineat. Non habemus autem alia festa quam dies Dominicos, Pascha, Pentecosten & similia. Ergo horum observatio est cultus Dei.*

(Atqui dispar hac in parte est ratio V. & N. T. In V. T. aderat expressa Dei constitutio de festis, propter quam fuere

pars divini cultus: Sed in N. T. non extant ejusmodi mandata specialia. Proinde in N. Test. festa sunt quædam determinatio temporis, quo cultum Dei peragere oporteat, per se autem non sunt cultus Divini pars.)

ARTICULUS XI.

DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

De Sacramentorum Essentia.

Thesis. Intentio Ministri non requiritur ad essentiam & integritatem Sacramenti.

Ἔκθεσις. 1. Distinguendum inter illa, quæ requiruntur *ad essentiam & integritatem Sacramenti*; & inter illa, quæ, *ad personam & officium Ministri* requiruntur, ut sit fidelis divinorum mysteriorum œconomus. Pietas & intentio Ministri non requiruntur *ad integritatem Sacramenti*, quæ ex Dei instituentis veritate & potentia unicè dependet, sed duntaxat *ad personam & officium Ministri.*

2. Non impugnamus, quin potius monemus & hortamur, ut Minister animo non peregrinante sed præsente; non oscitanter & perfunctoriè, sed animo attento ac devoto Sacramenta administret. Interim si vel ex negligentia, vel ex malitia non sit intentus, essentiæ & integritati Sacramentorum nihil decedere judicamus, modo institutionem Christi & substantialia Sacramenti requisita observet.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 27. §. Quantum ad secundum &c. *Sententia Catholicorum est, requiri ad perfectionem Sacramenti intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.*

Ita enim expresse habet Concilium Tridentinum sess. 7. can. 11. & Concilium Florentinum in instruct. Armenorum, in explicatione hujus sententiæ asserit.

Primò, *melius quidem esse, habere intentionem particularem, id est, conferendi Sacramentum Baptismi, Absolutionis, consecrandi Eucharistiam &c. interim sufficere intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia.*

Secundò, *non opus esse intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcunque illa tandem sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani.*

Tertiò, *non requiri necessario actualem intentionem, nec sufficere habitualem, sed requiri & sufficere virtualem, dandam tamen esse operam, ut habeatur actualis.*

Toletus lib. 2. Instruct. cap. 16. *In Ministro Sacramenta conferente necessaria est intentio, qua sine qui faceret, nullum conferret Sacramentum &c. Ultra hoc est necessaria intentio suscipientis, cum adultus est. Nam in parvulis Ecclesia supplet intentionem illorum.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex intentionis qualitate & conditione. Quod de genere verum est, idem etiam de specie affirmari potest. Atqui *de genere*, videlicet de indignitate & improbitate Ministri verum est, quod non labefactet integritatem & fructum Sacramenti. Ergo idē *de specie*, videlicet de illa, ut sic loquar, non-intentione, quæ est species vel nævi vel malitiæ in Ministro affirmari potest.

2. Ex sufficiente enumeratione. Quicquid ad essentiam & integritatem Sacramentorum pertinet, *ad aliquod genus causarum*, ex quibus Sacramentum perficitur, reduci potest. Sed intentio Ministri ad nullum genus causarum, ex quibus Sacramentum perficitur, reduci potest. Non esse *materiam*, nec *formam*, nec *finem*, per se liquet. Neque etiam est *efficiens*, nisi quis asserere velit, Sacramenta non à solo Deo, sed quadantenus ab homine pendere, ac Ministrum, plus ad Sacramentum, quàm externum ministerium afferre.

3. Ex comparatione. Moses nec *de substantia*, nec *de fructu* Sacramenti circumcisionis dubitat, quod Zippora administraverat, ac Deus ipso facto ostendit, eam esse ratam Ex. 4. v. 25. Jam vero Zippora in iracundia Circumcisionem administraverat. Vix igitur debitam intentionem habuit.

4. Ab illatione à majori ad minus. Si intentio formæ Baptismi contraria non tollit integritatem & efficaciam Sacramenti, multò minus defectus intentionis eam labefactabit. Sed verum prius. Si enim Ecclesia retineat ordinationem Christi, etiamsi Minister privatim & occulte hæresin Arianam foveat, verus tamen ab eo administratur Baptismus, modò substantialia observet, cum Sacramenta non Ministri, sed Ecclesiæ preces suas semper adjungentis, & depositum sponsi sui instar sedulæ matrisfamilias diligenter asservantis bona sint; & doctrinæ publicè in Ecclesia sonantis, non occultè in corde Ministri latentis testimonia. Manet ergo etiam posterius.

5. Ab incommodorum & absurdorum consecutione. Si Ministri intentio ad integritatem & efficaciam Sacramentorum necessario requireretur, consequens foret,

Primo, incredulitate hominum veritatem ac fidem Dei reddi irritam, siquidem ubi non adest illa intentio, Dei veritas & fides in Sacramentis abolebitur. Sed consequens Apostolus tanquam absurdum repudiat Rom. 3. v. 3.

Secundo, majorem esse efficaciam ab intentione majore. Quoties enim vis agendi in causa augetur, effectus etiam major existit. Sic ergo sacra Cœna majoris vel minoris foret fructus pro ratione Ministri vel magis vel minus intenti.

Tertiò, essentiam & integritatem Sacramenti etiam *ab intentione suscipientis* pendere, quia essentia Sacramentorum consistit *in actione*, actio illa complectitur non solum δόσιν administrantis, sed etiam λῆψιν suscipientis. Absurdum verò est, intentionem suscipientis requiri ad integritatem & efficaciam Sacramenti, sequeretur enim ex eo, infantes non esse baptizandos, cum non afferant intentionem.

Quarto, etiam prædicationem verbi & ejus efficaciam pendere ab intentione Ministri, cum Sacramentum sit *verbum visibile.* At consequens hoc est absurdum, cum Evangelium sit efficax, quacunque etiam intentione prædicetur. Phil. 1. v. 17. 18.

Quinto, everti certitudinem fidei & consolationis, quam ex Baptismo habemus, perpetuò enim dubitandum fuerit, an sim verè baptizatus, nec ne. Sed consequens est absurdum. Ergò & antecedens.

Sexto, salutem hominis pendere ab arbitrio Ministri. At consequens hoc absurdum. Ergo & antecedens.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, *intentionem* Ministri *actualem vel virtualem* non requiri necessario ad integritatem Sacramenti.

Innocentius c. Si quis X. de Baptismo. *Non est necesse quoad effectum Baptismi, quod sciat baptizans, quid sit Baptismus, scilicet quod infundat gratiam, vel quod sit Sacramentum, nec etiam oportet, quod credat hoc ipsum, imò si contrarium credit & reputat trufam & deceptionem, Baptismus tamen habet effectum suum. Non requiritur, quòd baptizans sciat, quid sit Ecclesia, nec quòd in mente gerat facere, quod facit Ecclesia, imò si contrarium gereret in mente, id est, non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatur, dummodo baptizare intendat.*

(Addit Angelus de Clavisio in summa in verb. Baptismus sect. 5. membr. 7. *Landulphus tamen in 4. sent. dist. 5. q. 2. dicit, quod si quis non intendit facere, quod facit Ecclesia, non fit Baptismus. Sed opinio Innocentii mihi magis placet, quamvis ista sic. Landulphi sit magis tuta.* Quod si ergo juxta Innocentii & Angeli de Clavisio opinionem non requiritur ad Baptismi integritatem, ut baptizans intendat facere, quod facit Ecclesia, imo si est verus Baptismus, quem confert, qui contrarium gerit in mente, hoc est, non facere, quod facit Ecclesia, falsum utique erit, quod Bellarminus disputat, *requiri ad integritatem Baptismi intentionem virtualem, ac opus esse ut baptizans intendat facere, quod facit Ecclesia.* Nec obstat, quod Innocentius addit, *Baptismum esse integrum, dummodo baptizans intendat baptizare.* Per illam enim intentionem nihil aliud requirit, quam observationem formæ Sacramenti à Christo institutæ, ne sit lotio vulgaris vel actio ludicra & mimica, sed Ecclesiastica. Hanc esse Innocentii mentem patet ex ipsis verbis præcedentibus, *quia formam servat*, & ex Landulphi opinione opposita.

Bellarminus verba Innocentii, *etiamsi contrarium gereret in mente, id est, non facere, quod facit Ecclesia*, exponit *de effectu Baptismi, non de substantia actionis*, ut sensus sit, *etiamsi non intendat hominem justificare à peccatis, quia non putat illam Ceremoniam talem habere virtutē, sed intendat tantum facere Ceremoniam, quam facit Ecclesia, illud sufficit.* At hæc expositio repugnat menti Innocentii.

1. Dicit enim Innocentius, *etiamsi nesciat esse Sacramentum.* Ergo non loquitur de eo, qui intendit, ut faciat Sacramentum,

mentum, nam qui nescit Sacramentum, quomodo potest ille intendere Sacramentum, sive quoad substantiam actionis, sive quoad effectum Sacramenti?

2. Phrasin illam *facere, quod facit Ecclesia*, omnes Scholastici in hac quæstione de *actu* Sacramenti non de *effectu* intelligunt.

3. Omnes etiam Pontificii fatentur, *effectum Sacramenti, id est, gratiam non esse in Ecclesiæ potestate sed tantum actum.*

4. Innocentii verba eo sensu, quo à nobis adducta sunt, intelligunt, non solum Angelus de Clavisio, uti modo vidimus, sed etiam Autor Rosarii aurei lib. 4. in verbo Baptismus q. 27. dicit, *alios aliter putare, requiri scilicet intentionem, quod facit Ecclesia, sed Innocentii opinionem esse veriorem, etsi illa sit tutior.*

Aurea Armilla in verbo Baptismus q. 50. dicit; *Si quis baptizaret sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, modo adultus is fuerit, quid sic baptizatur, eum securum esse de salute.*

(Ergo statuit, non requiri intentionem Ministri in baptizandis adultis, quia *bonum Propositum*, ut idem autor ait, *supplet defectum intentionis.* Sed quid si puer sic baptizatus fuerit? *tum Deus*, inquit, *defectum supplet.* Hoc apertè facit contra Bellarminum & alios Pontificios, qui intentionem præcisè requirunt.)

Aureolus 4. sent. dist. 5. q. 1. definit Ministrum Baptismi, quod *fit viator quilibet unus personaliter distinctus, potens contingere, & verba proferre, intendens in habitu facere, quod facit Ecclesia, vel de quo præsumitur, quod intendat.*

(Ergo juxta Aureolum non requiritur vel *actualis* vel *virtualis* intentio, sed sufficit *habitualis*, quod tamen Bellarminus negat. Verba illa postrema *vel de quo præsumitur, quod intendat*, joculari & mimicæ actioni sunt opposita, quam & nos ab Ecclesiastica actione removemus.)

Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsanus, unus ex Patribus Concilii Tridentini, peculiare scriptum edidit *de intentione Ministri*, in quo distinguit *duplicem intentionem*, *unam faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia; alteram faciendi actum externum non simpliciter sed Sacramentalem sive animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit & Ecclesia celebrat. Priorem* intentionem requiri affirmat, *posteriorem* requiri negat, idque multis testimoniis & argumentis confirmat.

(De hac opinione Bellarminus sic judicat: *Non video, quid differat à sententia Chemnitii & aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus subjicit, se Apostolicæ sedi & Concilio, illi autem utrumque rident.* Sed quid de hac exceptione judicandum sit ostendimus in procem. cap. 2.)

In Concilio Tridentino Episcopus Minorensis sententiam vulgo receptam de necessitate intentionis Ministri impugnavit, *Si Sacerdos*, inquiebat, *curam gerens quater aut quinquies mille animarum, esset incredulus sed una insignis hypocrita, atque in pœnitentibus absolvendis, parvulis baptizandis & Eucharistia consecranda secretam in animo foveret intentionem, illud omnino non faciendi, quod facit Ecclesia, dicendum & parvulos iri damnatum, & pœnitentes non iri absolutum, ac cæteros omnes nullum communionis fructum percepturos. Neque juvat dicere, defectum illum à fide suppleri. Nam in parvulis omninò non supplet, in aliis vero juxta doctrinam Catholicam non potest eundem effectum præstare quam Sacramentum: quod si id præstat in casu malitiæ ministri, quæ potest etiā esse ordinaria, quid vetat, quin semper idipsum operetur? Atqui tantam virtutem tribuere fidei est demere eam Sacramentis, & in opinionē Lutheranam incurrere. Id ille diligenter considerandum putabat, quantam animi ægritudinem pariturum esset Patri tenero erga filium moribundum affectu, si de Sacerdotis natum suum baptizantis intentione dubitare illi in mentem veniat. Deinde si quis ætate provectior sit baptizandus & in se debilem & imperfectam sentiat inclinationem, si fortè eum incesserit cogitatio, Sacerdotem, qui se Christianum ementiatur, velle habere illum pro oblectamento, neque ullum illius baptizandi, sed abluendi, aut ad ludibrium immergendi animum habere, quam, inquies, erit homini isthac anxietate animus? Idemque in delictorum confessione & Eucharistiæ participatione evenire posse ecquis non videt? Et quia objici poterat, hujusmodi casus esse è rarò contingentibꝰ, ad vota cōfugiebat Episcopus, vovens, ut ita esset, neque depravato hoc seculo verendum foret, ne nimis sint frequentes. Esto, inquiebat, ut id rarissime eveniat, & semel tantum. Detur impius quispiam Sacerdos, qui fingat, neque animum habeat ministrandi parvulo verum Baptismum. Parvulus hic vir factus creetur Episcopus populosæ alicujus civitatis, ac provinciam eam multis annis administrans, Sacerdotes magno numero instituat, hic necessario statuendum est, Episcopū, qui baptizatus non fuerit, non potuisse consecrari, ac nihilo magis eos, quos sacris ille initiarit. Ita in magna ea civium frequentia neque fuisse ministratum Eucharistiæ Sacramentum, neque confessionis, ista enim sine Sacramento ordinis non constare, nec illud sine Episcopo, nec ad sacros ordines admitti, qui non sit baptizatus, atque adeo unius ministri in unica actione malitiâ infinitas Sacramentorum nullitates evenire. Cæterum, qui existimaverit, Deum in tanta populi frequentia defectum hunc omnipotentia sua resarcire, & rebus quotidie accidentibus remediis extraordinariis prospicere, an non hominibus facilius persuadebit, Deum pro sua providentia præcavisse, ne hujusmodi in vitam hominum accidentia incurrerent. Majestatem enim divinam incommodis omnibus prævertisse, statuendo, ut Sacramentum illud sit verum, quod juxta ritum à se institutum administratur, utut minister in animo interiore sit affectus. Addebat porro Episcopus, sententiam hanc cum communi Theologorum doctrina aut Florentini Concilii determinatione non pugnare, quæ in ministro intentionem requirunt, quod illorum verba de interna non sint accipienda, sed de ea, quæ opere externo se prodit, licet interior huic esset contraria, atque ita omnia incommoda tolli, quæ alioqui essent innumerabilia. Ad sententiæ suæ confirmationem multa alia attulit argumenta, & tandem exemplum à Sozomeno recitatum: Pueros aliquot Alexandriæ prope mare colludentes etiam imitandis iis actionibus sese dedisse, quas in Ecclesia fieri observassent. In his Athanasium per jocum designatum Episcopum baptizasse aliquot è parvulis, qui aqua Baptismatis neutiquam ante tincti fuissent. Rem ab Alexandro Episcopo Alexandrino celebris memoriæ viro intellectam eum vehementer conturbasse. Parvulos autem interrogatos, quid facititius ille Episcopus eis fecisset, rei ordinem exposuisse Et Alexandrum comperto ritum universum Ecclesiæ in ea actione servatum, de aliorum Sacerdotum consilio Baptismum probasse, quæ certè approbatio defendi non posset, si intentio, quam alteri requirunt, esset necessaria, at modo eo, quem ille allegabat, erat tolerabilis. Hæ rationes Episcopi cæteros Theologos dederant in stuporem, quid ad eas respondendum esset, nescios. Certum tamen erat, doctrinam eam non probare, sed quam ante didicissent, firmiter tenere, veram ministri intentionem aut actu aut potentia esse necessariam; atque interna intentione contraria, cujuscunque modi sit species exterior, Sacramentum reddi invalidum Neq; hic tacendum est, Præsulem hunc, utcunque Synodus absolute decreverit, ministri intentionem esse necessariam, uti deinceps videre est, de sententia sua non discessisse, imo post annum super hoc argumento libellum scripsisse, in quo affirmat, Synodum Tridentinam eadem secum mente fuisse, & Concilii decretum juxta ipsius sensum esse accipiendum.* Petrus Suavis lib. 2. Hist Conc. Trid. p. 275. p. 276. 277.

2. Quod quidam agnoscunt, in verbis, quæ proferuntur à Ministro Sacramenti, exprimi intentionem Ecclesiæ, quæ ad perfectionem Sacramenti sufficiat.

(Ex eo enim evidenter deducitur, non requiri necessario vel *actualem* vel *virtualem* Ministri intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia.)

Thomas p. 3. q. 64. art. 8. ad 2. *Dicendum, quod Ministri Sacramenti agunt in persona Ecclesiæ cujus sunt Ministri, in verbis autem, quæ proferuntur, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur.*

Paludanus lib. 4. sent. dist. 6. q. 2. statuit, *posse sustineri, quod sola verborum expressio sufficiat.*

3. Quod quidam agnoscunt, *Christum, utpote summum Sacerdotem, supplere, quod Sacramento deest, si Minister intentionem subtrahat.*

(At si in hoc casu summus Sacerdos supplet, quod Sacramento deest, utique Ministri intentio non simpliciter & absolutè ad integritatem & efficaciam Sacramenti requiritur. Si contraria Ministri intentio non impedit salutarem effectum Sacramenti, multo minus defectus intentionis debitæ eum impedire poterit, cum contraria intentio sit actus positivus, defectus intentionis tantum privativus.)

Alexander Alensis 4. sent. dist. 6. q. 13. art. 4. quærit, *Si in Baptismo parvuli Minister subtraheret intentionem, atque ita parvulus ante usum rationis decederet, an malitia Ministri noceret ejus saluti?* Respondet autem *in illo casu piè supponi posse, sine præjudicio tamen, quod summus Sacerdos suppleat, quod deficit Sacramento.*

Et addit Biel. *Hoc est bene notandum, quia est valde consolatorium.*

4. Quædam hypotheses Adversariorum, utpote primo, quod agnoscunt, *malitiam ac improbitatem Ministri nihil derogare Sacramentorum efficaciæ.*

At si malitia & improbitas Ministri nihil derogat Sacramentorum integritati & efficaciæ, utique nec defectus intentionis illi quicquam derogat. Quod enim *de genere* verum est, illud etiam *de specie* affirmari potest.)

c. Non nocet. caus. 1. q. 1. ex Augustino. *Intra Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris & virtute Spiritus sancti &c. Credendum est enim, quod in verbis Christi Sacramenta conficiantur. Cujus prius creantur Imperio, ejus utique verbo recreantur ad melius.*

c. Non nocet. caus. & quæst. iisd. ex Gregorio. *Non nocet malitia Episcopi neque ad Baptismum infantis, neque ad Ecclesiæ consecrationem, quia Baptisma à Deo datur, non ab homine. Sic & Eucharistia & omnia, quæcunque in altari ponuntur, non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipiunt.*

c. Sciscitantibus. caus. 15. q. 8. ex Nicolao. *Non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Qualis unque enim Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Quoniam mali bona administrando se tantummodò lædunt. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.*

Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 26. §. Secundo afferebant. *Minister Sacramentorum operatur virtute & autoritate divina. Deus autem non aufert à Ministro datam ei potestatem ob ejus peccatum aut infidelitatem. Ergo.* Minorem probat, *quia autoritas conferendi Sacramenta non sit gratia gratum faciens, sed gratia gratis data, itaque non pugnet cum improbitate vitæ, ut simul cum ea esse non possit. Constat enim*, inquit, *ejusmodi gratias in peccatorib. esse posse, ut patet de Caipha, qui prophetavit, cum esset pessimus.*

(Adde, nec ullam haberet intentionem prophetandi. Hoc argumentum Bellarmini etiam in hac quæstione pro nostra sententia valet, quia defectus ille intentionis est vel ex *malitia*, vel *negligentia* Ministri.)

Secundò, quòd agnoscere coguntur, ad Sacramenti integritatem non requiri intentionem suscipientis.

c. Non illud 33. dist. 4. de consecrat. *Non illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.*

(Sanè Thomas disputat p. 3. q. 68. art. 7. *etiam ex parte baptizati adulti requiri intentionem sive voluntatem suscipiendi Baptismum*; ac Richardus 4. sent. dist. 6. art. 2. q. 3. statuit, *requiri in adultis intentionem suscipiendi Baptismum vel in actu vel in habitu.* Sed hac ratione sequeretur repetendum esse Baptismum, si quis sine intentione Baptismum percepisset.)

Bonavent. 4. sent. dist. 3. q. 3. art. 3. *Baptismus non est singularis personæ, ideo fides personæ nihil prodest vel obest, sed est Sacramentum Ecclesiæ Christi, unde quicquid sit de fide cordis personæ baptizantis, judicandum est secundum expressionem oris.*

Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 12. resp. ad 2. approbat *Baptismum amentibus collatum.* At illi non habent intentionem suscipiendi Baptismum. Ac quicquid sit *de adultis, de infantibus* negari nequit, quod sine intentione actuali & virtuali Baptismũ suscipiant. At si pari ratione intentio suscipientis requireretur in suscipiente, ut in administrante, consequens foret, infantes non esse baptizandos.)

Quod autem agnoscere cogantur, ad Sacramenti integritatem non requiri intentionem suscipientis, patet ex eo, quod infantes intentione illa destitutos baptizant.

(At si in suscipiente non requiritur necessario intentio, utiq; nec in administrante requiritur.

Toletus lib. 2. Instr. cap. 16. p. 134. excipit, *in parvulis Ecclesiam supplere intentionem illorum.* Atqui idem posset dici de defectu intentionis in suscipiente, videlicet, quod ille ab Ecclesia suppleatur.)

Tertio, quod agnoscere coguntur, *integritatem & fructum verbi non pendere ab intentione Ministri.*

(Ex eo enim inferri potest, etiam integritatem & fructum Sacramenti, quod est verbum visibile, non pendere ab intentione Ministri.)

Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 28. tacite concedit, *integritatem & fructum verbi non pendere ab intentione Ministri.* Excipit enim ad nostrum argumentum hoc modo: *Etiamsi concedatur, verbum quacunque intentione prolatum excitare posse fidem, non tamen sequitur, verbum quacunque intentione prolatum habere effectum Sacramentalem, ratio est, quia ad excitandam fidem non requiritur ulla efficacia, sed sufficit significatio.*

(At in hac assertione principium petitur, quod in verbo ἀκουστῷ ad fidem excitandam, hoc est, accendendam & augendam non requiratur ulla efficientia, sed significatio. *Evangelium* enim dicitur *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16. Quod si ergo Deus per verbum ἀκουστὸν efficax est ad fidem excitandam in adultis, etiamsi non accedat intentio Ministri, utique etiam efficax est ad fidem excitandam in infantibus per verbum ὁρατὸν sive Sacramentum Baptismi, etiamsi non accedat intentio Ministri.)

Quarto, quod *Baptismum ebrii* approbant.

(Atqui ebrius non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.)

c. Dedit. caus. 1. q. 1. ex Augustino. *Quos Judas baptizavit, & Christus. Sic ergo quos baptizat ebrius, homicida, adulter, Christus, baptizat.*

(Notandum tamen quod apud Augustinum tract. 5. in Joh. ex quo hæc verba sunt desumta, pro ebrius legatur ebriosus.)

Quinto, quod Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 26. resp. ad 1. argum. sic scribit. *Hæretici non habent remissionem peccatorum formaliter, tamen habent ministerialiter, quomodo famulus, qui sæpè non habet unum obolum, tamen defert multos aureos à Domino suo ad alium aliquem.*

(Ex eo enim sic colligimus: Quemadmodum famulus ille est & manet minister aureos distribuens, licet non habeat intentionem dandi vel ex odio intentionem subtrahat: ita quoque baptizans manet Minister, verum & integrum Sacramentum administrans, licet intentionem non habeat vel subtrahat. Falsum proinde est, quod Bellarminus lib. ejusd. cap. 28. §. Respondeo, rationem &c. scribit, *Intentionem Ministri esse talem qualitatem, sine qua Minister non est minister.*

Sexto, quod Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 27. §. Alii tamen &c. sic disserit. *Quidam* (Pontificii) *sentiunt, Ministrum non habere in se ullam vim efficientem respectu justificationis, sed eam solum esse in Sacramento, ministrum autem solum concurrere applicando Sacramenta, quomodo qui plantant & rigant, quibus comparat Apostolus Ministros Ecclesiæ 1. Cor. 3. non producunt efficienter & physice fructus arborum, sed applicant argentea. Ita quibusdam sentire videtur Thomas &c.*

(Ex eo sic colligimus: Sicut in plantante & rigante non requiritur ad producendum fructificationis effectum intentio plantantis & rigantis: ita quicquid intendat Minister in spirituali animarum cultura, ad quam etiam Sacramentorum administratio pertinet, dummodo formam à Christo præscriptam sequatur, nihil decedit integritati vel efficaciæ Sacramentorum.)

Septimo, Lombardus lib. 4. sent. dist. 6. cap. 2. inde probat, *Sacramentum Baptismi à bonis & malis æque dari, quia ministerium tantum habet, non potestatem Baptismi, quod novit Johannes, cum vidit columbam descendentem super Christum. Unde Augustinus. Quid noverat Johan. Baptista? Dominum. Quid non noverat? potestatem Dominici Baptismi in nullum hominem à Domino transiturum, ministerium plane transiturum, potestatem à Domino in neminem sed ministerium in bonos & malos.*

(Ex eodem principio sic concludere possumus. Si efficacia Baptismi penderet ab intentione baptizantis Ministri, ipse Minister haberet in se potestatem baptismi. Sed non habet potestatem Baptismi. Ergo.)

5. *Dissensiones* Adversariorum.

Primo. Ambrosius Catharinus in opusculo de intentione Ministri Sacramentorum distinguit *duplicem intentionem, unam faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia: alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed ut Sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit & Ecclesia celebrat. Priorem* intentionem requiri affirmat, *posteriorem* vero requiri negat.

Sed hanc sententiam refellit Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 27. §. Ad hanc.

Secundo. Bellarm. d. l. §. Tertio, non requiritur &c. memorat, *quosdam actualem intentionem minus rectè definire*, quos ipse itidem hoc nomine refellit.

Non requiritur, inquit, *necessario actualis intentio, nec sufficit habitualis, sed virtualis requiritur, & sufficit, quamvis danda sit opera,*

opera, ut actualis habeatur. Actualis dicitur, quando Minister actu habet talem intentionem, quæ quidem actualis intentio non requiritur, ut quidam scrupulosi faciunt, ut dicamus ore aut corde illa formalia verba, Intendo hoc facere, aut volo hoc facere; sed tantum requirit, ut homo sit præsens animo & attente faciat, quod facit.

Tertiò, Thomas part. 3. q. 64. art. 8. dicit, *sufficere habitualem intentionem.* Bellarminus d. §. illud negat, *habitualis*, inquit, *intentio non sufficit, sed requiritur insuper virtualis.*

Excipit quidem Bellarminus, *Thomam per habitualem intentionem intelligere virtualem, cum solum meminerit intentionis actualis & habitualis. Scotum, Gabrielem & alios posteriores majoris claritatis gratia fecisse trimembrem distinctionem & virtualem appellasse, quam Thomas vocat habitualem, & addidisse aliam habitualem, quam Thomas omisit.* Sed quicquid sit, manet interim verum, duas illas distinctas habitualis intentionis species Thomæ fuisse ignotas, nec tam scrupulosè inter *virtualem* & *habitualem* intentionem distinxisse. Præterea si *virtualis* intentio est species *habitualis*, cur Bellarminus intentioni *habituali* æque ac *actuali virtualem*, tanquam tertiam speciem opponit?

Quarto, quando respondendum est argumento, *Verba Sacramentorum habent in se virtutem operativam ex Christi institutione, proinde non pendet eorum efficacia ab intentione vel potestate ministri*: in diversas abeunt sententias.

Bellarminus d. l. §. Respondeti debet. *Duæ sunt Theologorum sententiæ, aliqui enim ut Cajetanus part. 3. q. 64. art. 1. Sotus 4. sent. dist. 1. q. 5. art. 1. & Ledesmius ibidem volunt, in ipso etiam Ministro esse virtutem operativam efficienter & instrumentaliter, ut est in Sacramento &c. Alii vero sentiunt, Ministrum non habere in se vim ullam efficientem respectu justificationis, sed eam solum esse in Sacramento. Ministrum autem solum concurrere applicando Sacramenta. Ita videtur quibusdam sentire Thomas part. 3. q. 64. art. 1. q. 1.*

Quintò, Bellarminus d. l. § Petes &c. disputat, requiri *ad integritatem Sacramenti, ut Minister intendat in administratione Sacramenti facere id, quod facit Ecclesia sive vera, sive falsa, quam tamen Minister pro vera Ecclesia habeat.*

Sed §. seq. disputat, *non requiri intentionem actualem, sed sufficere habitualem, proinde sufficere, si illa intentio faciendi, quoad substantiam actus, quod facit Ecclesia, fuerit paulo ante in Ministro, etiamsi nunc non sit, cum non sit in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum res sanctissimas agimus.*

(At hæc sibi invicem repugnant. Quomodo enim potest dici Minister intendere aliquid in administratione Sacramenti, quod tamen in ipsa administratione Sacramenti non intendit, sed antea forsan intendit? Intentio est nomen actus non habitus, qui ergò actu non intendit facere, id quod facit Ecclesia, quando administrat Sacramentum, non potest dici intendere, etiamsi paulo ante administrationem Sacramenti intentionem habuerit.)

Sextò, ad argumentum, quod *si ab intentione Ministri pertineret integritas Sacramentorum periret omnis certitudo, quam homo de effectu Sacramenti habere deberet, & omnis consolatio spiritualis, cum nemo de intentione Ministri certus esse possit*, diversimodè respondent.

Thomas, qui hoc argumentum per modum objectionis format part. 3. q. 64. art. 8. respondet primò *suppleri defectum intentionis in pueris per Christum in adultis per eorum fidem & intentionem.* Sed hanc responsionem non videtur probare, cum character non possit suppleri per devotionem accedentis. Alanus etiam in lib. de Sacrament. cap. 55. dicit, *nullo modo probandam esse hanc responsionem, quia si dixerimus, Christum supplere defectus, tum si vel materia, vel forma, vel Minister defuerit, posset Christus supplere, quod necessitati hujus Sacramenti repugnat.* Molanus in Theolog. itidem dicit, *non esse pium credere, suppleri à Christo, si desit intentio baptizantis.*

Secundo, Thomas respondet, *Ministrum exprimere intentionem Ecclesiæ, etsi nullam suam habeat, & hoc sufficere.* At hoc est apertè contra Bellarminum, Alanum & alios Pontificios, qui in Ministro intentionem requirunt, Thomas vero ait, *intentionem Ecclesiæ sufficere.* Quamvis vero Cajetanus & Dominicus à Soto conentur excusare Thomam, tamen Alanus, *non posse eum excusari ait, & esse hanc ejus opinionem.* Sed Adrianus Papa super 4. sent. quæst. 3. de Bapt. Thomæ hanc opinionem adscribit, *quod non requiri mentalem intentionem existimet, sed sufficere Ecclesiæ intentionem.* Bonaventura in 4. sent. dist. 6. art 4. quæst. 1. respondet ut Thomas, *Christum supplere in parvulis defectum, si Sacerdos non intenderit*, ex quo sequitur, quod Alanus ait, *Christum supplere, si absit omnino Baptismus.*

Tertio, quanquam Bellarminus defendit Thomam, non tamen utitur responsione Thomæ, sed ea, qua Alanus utitur, qui Thomam improbat & damnat: ait scil. *non requiri certitudinem infallibilem de justificatione vel salute, sed sufficere humanam & moralem, & eam nos ex Sacramentis habere, etiamsi pendeant à Ministri intentione.*

Argum. Adversariorum. *Sicut certa verborum forma requiritur necessario, ut determinetur indifferentia materiæ; ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia forma. Nam illa verba, Ego te baptizo, & similia, possunt habere varias significationes, baptizare enim est tingere aquis, tingit autem aquis, qui lavat sordes corporis, qui refrigerat, qui lavando medetur &c. At nihil fingi potest, quo determinetur hæc indifferentia formæ nisi intentio Ministri, qui illa verba profert, & cujus est tota actio* Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 27.

Resp. 1. Scotus hanc à Thoma mutuatam rationem impugnat, *quia in signo ad placitum instituto* (inquit) *possunt multa concurrere ad rationem unius signi propter actum instituentis, licet nihil aliud sit, propter quod habeant unitatem.*

2. Gabriel Biel itidem agnoscit hujus rationis infirmitatem.

3 Si requiritur intentio quoad Sacramentalem effectum, quod Thomæ ratio præsupponit, utique etiam requiretur intentio non tantum *ratione actus*, sed etiam *respectu finis*, quod tamen Bellarminus negat.

4. Thomas p. 3. q. 64. art. 2. inquit, *Determinatio & applicatio actionis est à causa principali.*

(Jam verò Christus est causa agens principalis in Sacramentorum consecratione & administratione, Minister tantum instrumentalis. Ergò Christus est causa non solum operationis, sed etiam applicationis Sacramentorum, ac verba baptizandi satis determinantur illis verbis in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.)

Huc pertinet, quod in Canone Missæ Latinæ sic oratur: *Quam oblationem, Deus, in omnibus, quæso, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi.*

5. Idem Thomas ibidem sic disputat: *Quando aliquid se habet ad multa, id per aliquid determinandum ad unum, si hoc effici debeat. Ea verò, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi. Nam ablutio, exempli gratiâ, ad munditiam sanitatemque corporis ad ludum & multa alia. Ergo eam oportet determinari ad Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis, quam intentionem significant verba, Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

(At si hæc verba intentionem Ministri significant, utique sunt determinata. Quomodo ergò Bellarminus dicit, *requiri aliquid, quo determinetur indifferentia hujus formæ?*)

CAPUT II.

De Sacramentorum Effectu sive efficientia.

Thesis prima. Sacramenta sunt sigilla promissionem Evangelii propriam obsignantia.

Ἔκθεσις. Fines Sacramentorum sunt vel *principales*, vel *minus principales*. Principales fines duo sunt, prior, quod sint *organa, media & ὀχήματα*, per quæ Deus offert, exhibet & credentibus applicat promissionem Evangelii propriam de remissione peccatorum, justitia & vita æterna. Posterior, quod sint *σφραγῖδες, sigilla & signacula promissionem divinæ gratiæ credentibus exhibitam obsignantia.* In Sacramentis enim Deus gratiam suam hominibus offert, oblatam credentibus applicat, & applicatã eisdem obsignat. Sacramẽta igitur duplicis medii rationem sustinent, 1. conferentis gratiam, eatenus non sunt *sigilla* 2. oblatã ac collatam obsignantis, atque hoc respectu sunt *sigilla.*

Antithesis. Bellarminus lib. 1. de Sacrament. c. 14. §. S cundũ argumentum. *In Scripturis sanctis, quæ sunt verba Dei autoris Sacramentorum, nusquã dicuntur Sacramenta testimonia promissionũ.*

Ibid. §. Octava &c. *Octava particula, quod Sacramentum obsignet, instar sigilli, promissionem gratiæ, ad excitandam & alendam fidem justificantem, falsa est, & diligenter refutanda.*

cap. 17. resp. ad 5. argum. *Patres nunquam Sacramenta vocant signacula vel sigilla promissionum.*

Idem in præfat. tom. 3 *Comparatio illa, qua verbum diplomati, Sacramentum sigillo confertur, tam inepta est, ut nihil ineptius fingi queat, multoque rectius verbum Dei sigillum Sacramenti, quam Sacramentum verbi Dei sigillum dici queat.*

Nostram sententiam probamus.

1. Ex dicto Paulino Rom. 4. v. 11. ubi Circumcisio dicitur *σφραγὶς sigillũ justitiæ fidei*, ex quo sic concludimus: Sigilli proprium est testificari, confirmare & obsignare id, cui annectitur.

Sacramenta sunt sigilla divinarũ promissionum. Ergo. Assumtum probatur: Si circumcisio in V. T. fuit sigillum justitiæ fidei, utique etiam Baptismus in N. Test. est sigillum justitiæ fidei. Sed verum prius. Ergo & posterius. Connexio probatur, tum *à pari*, quia Baptismus successit in locũ circumcisionis Col. 2. v. 11. ac æque est Sacramentum ac Circumcisio; tum *à minori ad majus*, quia major est efficacia Sacramentorum Novi, quam V. Testam.

2. *Ex dicto Petrino* 1. Epist. 3. v. 21. *Baptismus salvos nos facit, non quo carnis sordes abjiciantur, sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Jesu Christi*, ubi per *ἐπερώτημα* intelligitur *pignus & arrhabo*, quia Baptismus testis est conscientiæ nostræ, quod simus apud Deum in gratia propter Christum, utique ergo obsignat fœdus gratiæ & promissionem salutis, ut baptizati fiducialiter possint Deum in precibus suis compellare clamantes, *Abba Pater*, Roman. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6. ac LXX. utuntur verbo *ἐπερωτᾶν*, quando in Veteri Testamento Israelitæ dicuntur *interrogare os Domini*. Ex quo sic inferimus: Si Baptismus est interrogatio & stipulatio bonæ conscientiæ ad Deum, utique etiam est testimonium & sigillum divinæ erga nos voluntatis, unde fides nostra confirmatur. Sed illud. Ergo & hoc.

3. *Ex dicto Johannæo* 1. Epist. 5 v. 8. *Tres sunt, qui testificantur in terris. Spiritus, aqua & sanguis. Et hi tres unum sunt.* Nimirum *Spiritus Sanctus* testatur in ministerio Evangelii Johan. 15. v. 26. 2. Cor. 3. v. 8. 1. Johan. 5. v. 6. *aqua* in Baptismo Eph. 5. v. 26. *sanguis* in Cœna Domini 1. Cor. 11. v. 25. Ex eo sic concludimus: Quod de gratia Dei testificatur, illud promissionẽ Evangelii de gratia Dei confirmat & obsignat. Aqua & sanguis, id est, Baptismus & Evcharistia, duo Novi Testamenti Sacramenta, de gratia Dei testificantur. Ergo.

4. *Ex usu Sacramentorũ καιρικῶν in veteri testamento.* Quemadmodum signum roris in vellere confirmavit Gideonem Judic. 6. & umbra horologii retrocedens, Ezechiam Esai. 38. ita quoque Sacramenta confirmant divinam promissionem, & sunt testimonia divinæ voluntatis.

5. *Ex dictio libri Sapientiæ* ca. 18. v. 7. ubi Patres V. Testamenti dicuntur *manducasse agnum paschalem, ut securi promissionis bono essent animo, & salutem justorũ præstolarentur, certi eadem similiter cum bona, tum mala perferre ac pati* v. 9. Ergo ritus Agni paschalis fuit ipsis confirmatio divinæ promissionis de venturo Messia, atq; opere spiritualis redemtionis, cujus typus in corporali illa liberatione ex Ægypto proponebatur. Hanc promissionem per Sacramentum Agni paschalis divinitus confirmatam fide intuiti, ad quævis mala & pericula subeunda parati erant.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Bernhardus serm. 1. de Cœna Domini de fructu Eucharistiæ sic scribit: *Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum, alia vero propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, Datur annulus absolute propter annulum & nulla est significatio, datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est, ita ut jam dicere possit, qui accipit, Annulus non valet quicquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua curavit investire suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hæc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hæc Eucharistiæ participatio &c.*

Et postea. *Variæ sunt investituræ secundum ea, de quibus investimur, verbi gratia, investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul, sicut, inquam, in hujusmodi rebus est, sic & divisiones gratiarum diversis traditæ sunt Sacramentis. Quæ est gratia, unde per Baptismum investimur, utique purgatio delictorum.*

(Si per Sacramenta Deus curavit nos investiri de sua gratia, utique Sacramenta sunt sigilla, promissionem gratiæ obsignantia, sicut investitura de officio ac possessione aliquem confirmat. Item, si invisibilis gratia signo visibili Sacramentorum nobis præstatur, utique Sacramenta promissionem gratiæ nobis confirmant.)

2. Quod Scotus in 4. sent. dist. 1. q. 2. ait, *Sacramentum esse signum sensibile gratiam Dei efficaciter significans.*

Thomas part. 3. q. 60. art. 3. *Sacramentum esse memorativum passionis Christi, demonstrativum gratiæ in nobis, & prognosticum vel prænunciativum gloriæ.*

(Utique ergo Sacramentum obsignat promissionem gratiæ & vitæ æternæ.)

3. Quod Lyranus in c. 4. Rom. scribit, *Abrahamum accepisse circumcisionem, ut esset signaculum justitiæ fidei latentis in mente.*

(Quod autem de circumcisione respectu illius finis dicitur, illud omnibus Sacramentis competit, quia omnia Sacramenta conveniunt *in causa efficiente, & in causa finali generica.* Jam verò esse signaculum justitiæ fidei, pertinet ad finem circumcisionis. Ergò.)

4. Quod quidam concedunt, Sacramenta esse divinarum promissionum sigilla.

Catechismus Romanus ad Parochos cap. de Sacramentis. *Quemadmodum in V. Testamento Deus fecerat, ut magni alicujus promissi constantiam signis testificaretur: ita etiam in nova lege Christus Salvator noster, cum nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus sancti communicationem pollicitus est, quædam signa oculis & sensibus subjecta instituit, quibus eum, quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.*

(Si Sacramenta testificantur constantiam divinarum promissionum; si sunt veluti pignora, quibus Deum obligatum habemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possumus, utique Sacramenta sunt sigilla promissionem Evangelii propriam obsignantia.)

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 3. q. 3. punct. 1. *Fatemur, Sacramenta novæ legis esse signa seu sigilla quodammodò promissionis divinæ.*

Et punct. 3. *Dupliciter intelligi potest, Sacramenta illa vetera contulisse sive exhibuisse gratiam, Uno modo impropriè, quatenus fuerunt videlicet velut pignora, aut etiam sigilla quædam, quibus est obsignata & firmata apud homines divina promissio, cujus vi atque efficacia conferebatur etiam tunc gratia propter passionem Christi futuram: Ut si dicamus, verbi gratia, sigillum principis contulisse sive exhibuisse alicui præfecturam urbis, aut aliud officium: quoniam literas & sententiam Principis obsignavit, virtute cujus officium ejusmodi est collatum.*

(Ergo & veteris & novæ legis Sacramenta sunt sigilla divinam promissionem confirmantia.)

Ibid. *Negari non debet, quin per Sacramenta quæcunque obsignetur quodammodo & firmetur apud homines divina promissio, ut etiam loquitur Catech. Romanus, qui ad quæstionem, Cur Sacramenta instituta apud Christianos oportuerit, inter cætera respondet: Ne populus divinis oraculis & dictis fidem non adjungeret, Dominus promissionem suam multa signorum varietate firmavit. Quemadmodum igitur in Veteri Testamento Deus fecerat, ut magni alicujus promissi constantia signis testificaretur: ita etiam in nova lege Christus Salvator noster, cum nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quædam signa oculis & sensibus subjecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.*

Becanus in Manuali lib. 1. cap. 11. n. 23. *Sano sensu intelligi potest, Sacramentum esse quasi sigillum, quo divina promissio nobis in particulari applicatur & obsignatur.* Quod sic explico: *Aliud est institutio Sacramenti, quæ à Christo facta est; aliud susceptio seu usurpatio Sacramenti, quæ à nobis fit; aliud Natura & essentia Sacramenti, quatenus in se spectatur. Institutio Sacramenti, quæ à Christo facta est, annexam habet promissionem generalem, Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. At susceptio Sacramenti, quæ à nobis fit, vel Sacramentum, quatenus à nobis suscipitur, est quasi sigillum, quo promissio illa generalis, quæ institutioni annexa est, speciatim applicatur ei, qui Sacramentum suscipit & quodammodò obsignatur &c. Jam verò Natura & essentia Sacramenti non consistit in hac obsignatione vel in applicatione, sed in eo, quòd sit sensibile signum internæ gratiæ, quæ promissa est, & ejusdem gratiæ causa instrumentalis.*

(Sufficit nobis, quod Sacramentum ratione finis sui conceditur esse sigillum.)

Gagnæus in cap. 4. Rom. *Ut Judæis signum & figura esset puræ & castæ conversationis, non quod justitiæ efficiens esset, sed quod ejus, quæ per fidem est, justitiæ signum & signaculum esset, sive sigillum.*

(Ergo non fuit hoc solius Abrahæ privilegium.

At, inquit Bellarminus, *distinguitur signum à sigillo, Circumcisio igitur semper est signum, sed non semper sigillum.*

Resp. *Signaculi vox explicat, quale fuerit signum.*

Thomas in h. l. *Primo proponit, Circumcisionem esse signum: secundo ostendit, cujus rei sit signum, dicens, quod sit signaculum justitiæ fidei.*

Glossa ordinaria in h. l. *Circumcisio exterior dicitur signum interioris, tale scil. signum, quod sit signaculum, habens multitudinem signatæ rei.*)

5. Quod de Iride Pererius sic disserit lib. 14. in Genesin. *Voluit benignus & clemens Dominus se ad infirmitatem hominis demittens*

tens & accommodans, semel atque iterum idem eis promittere. & insuper firmare promissionem suam signo arcus cœlestis, cunctis mortalibus conspicuo, & usque ad mundi occasum mansuro: scilicet, ut quoties homines illum aspicerent, divini promissi memores omni dubitatione metuque posito, nunquam ad finem usque mundi venturum diluvium esse, persuasissimum & certissimum haberent.

(Quod de Iride Pererius dicit, idem etiam de Sacramentis dici potest. Cumprimis verò hoc Pererii dictum opponendum Bellarmino, qui opponit invicem *signum commemorativum & confirmativum*, ac quia Christus in institutione Eucharistiæ dicit, *Hoc facite in meam commemorationem*, ex eo colligit, *Eucharistiam non esse signum promissionis divinæ confirmativum, sive testificativum.*)

Ibid. Pererius sic disserit: *Solet Deus promissa sua variis signis externis confirmare, quo scil. eorum fidem ac spem altius in hominum animis desigat.*

(Falsum est ergò, quod Bellarminus negat, *promissa divina confirmari sigillis*, argumento eo, *quod nihil sit majus aut efficacius divinis promissis.*)

Neve quis dubitet, ea, quæ de Iride & aliis V. T. signis dicuntur, ad Sacramenta N. T. applicari posse, notandum, Catechismum Romanum ad Parochos quando instituendorum Sacramentorum causas enumerat, hanc ipsam applicationem monstrare.

Prima, inquit, *causa est humani ingenii imbecillitas. Siquidem Natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quæ mente atque intelligentia comprehensæ sunt, nisi per ea, quæ aliquo sensu percipiuntur, nemini aspirare liceat. Ut igitur, quæ occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissimè fecit, ut eam ipsam virtutem aliquibus signis, quæ sub sensus cadunt, pro sua in nos benignitate declararet;*

Et post. *Altera verò causa est, quod animus noster haud facilè commovetur ad ea, quæ nobis promittunt credenda. Quare Deus à mundi exordio, quæ facere instituerat, verbis quidem frequentissimè induare consuevit: interdum verò, cùm opus aliquod institueret, cujus magnitudo promissi fidem abrogare posset, alia etiam signa, quæ nonnunquam miraculi speciem haberent, verbis adjunxit.*

Et paucis interpositis. *Quemadmodum igitur in V. T. Deus fecerat, ut magni alicujus promissi constantiam signis testificaretur: ita etiam in nova lege Christus Salvator noster, cùm nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quædam signa oculis & sensibus subjecta instituit, quibus eum, quasi pignoribus, obligatum haberemus &c.*

At, inquit Bellarminus, *quæ de sola Circumcisione dicuntur, non possunt rectè trahi ad omnia Sacramenta.*

Resp. Catech. Romanus ibid. eodem modo, quo nos progreditur, videlicet applicando ea, quæ Apostolus de Circumcisione pronunciat, omnibus Sacramentis, quæ enim Circumcisioni, quatenus est Sacramentum, ratione causæ efficientis principalis & finis communis conveniunt, ea omnibus Sacramentis conveniunt.

Ex Scripturis (inquit Catechismus) *apertò colligitur, Sacramentum inter signa numerandum esse. Apostolus enim de Circumcisione, veteris legis Sacramento, quæ Abrahami patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos scribit: Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ.*

(Neve quis regerat, *Catechismum hæc solum allegare ad rationem signi in Sacramentis probandam*, protestatur, *Sacramentum non significandi modò, sed & efficiendi vim habere.*)

At, inquit Bellarminus. *fuit hoc privilegium solius Abrahæ, nec potest transferri ad alios, quasi in quocunque esset Circumcisio, testificatio esset illius justitiæ, quam antè habuerat.*

Resp. Lombardus lib. 4. sent. dist. 1. n. 9. *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & parvis, originalis veterisque peccati.*

Thomas, Glossa ordin. Lyra, Toletus in c. 4. Rom. nullum discrimen faciunt, quoad *sigillum*, inter Abrahamum & alios circumcisos ac fideles.

6. Quod Bellarminus ejusmodi hypotheses concedit, ex quibus nostra sententia confirmari potest.

Primò enim lib. 1. de Sacram. c. 17. resp. ad 4. arg. concedit, *Oecumenium in dicto Apostolico 1. Petr. 3. v. 21. per interrogationem intelligere pignus & arrhabonem.*

(Utique ergò agnoscere cogitur, Oecumenium nostram confirmare sententiam.)

Secundò, ibid. §. Est igitur &c. Augustino & Basilio tribuit, *quod per interrogationem bonæ conscientiæ intelligant μετανοίας ablutionem internam, ex qua oritur pax & quies conscientiæ, & proinde responsio bonæ conscientiæ & etiam interrogatio apud Deum; quia audet cum fiducia Deum accedere & interrogare, hoc est, cum eo colloqui, eumque rogare pro se & aliis.*

(Quamvis verò explicatio illa disertè non extet in locis Augustini & Basilii à Bellarmino allegatis, tamen eam ex liberali manu Bellarmini acceptamus, cum nostram sententiam confirmet. Si enim ex Baptismo hic fructus ad nos redit, ut conscientia nostra sit pacata & tranquilla, atque ut cum fiducia possimus Deum accedere, utique Baptismus est testimonium divinæ erga nos voluntatis, & *signaculum justitiæ fidei*, quia, teste Apostolo, *justificati demum fide, pacem habemus apud Deum* Rom. 5. v. 1.)

Tertiò, ibidem resp. ad 5. arg. fatetur, *Patres non rarò Sacramenta vocare signacula vel sigilla.*

(Utique ergò Patres nostram confirmant sententiam. Excipit quidem, *illos nequaquam hoc velle quod Sacramenta sint signacula divinarum promissionum, sed aliquo horum trium modorum loqui de signaculis, Primò, signacula vocant Sacramenta, quia obsignant fideles, & tanquam notâ quadam eos separant ab iis, qui non sunt de grege vel exercitu Domini. Secundò, quia claudunt intra se rem sacram, i. e. invisibilem gratiam; quod enim clauditur, solet obsignari. Tertiò, quia Baptismus est publica approbatio & testificatio fidei, ejus qui baptizatur, & quia perficit atque absolvit hominem fidelem.* Sed hæc omnia nondum assequuntur vim & emphasin illorum dictorum, in quibus Sacramenta à Patribus vocantur *signacula & sigilla.* Præcipuè enim ideò sic vocantur, quia promissionem Evangelii de gratuita peccatorum remissione confirmant & obsignant. Posito relato, ponendum est correlatum. Sigillum obsignat promissionem. Posito ergò divino sigillo, ponitur promissio. At si Sacramenta sunt *sigilla fidei*, erunt etiam *signacula promissionum*, quia fides est promissionis fides.

Respondemus igitur ex ipsius Bellarmini verbis lib. 1. de Sacram. c. 15. §. Hæc sententia, *Et si Sacramenta illum usum habeant, quod distinguant religionem veram à quibusdam falsis, tamen non est hic solus vel præcipuus Sacramentorum usus.*)

Quartò, idem Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 8. §. Quinta ratio &c. sic scribit, *Sacramenta instituta sunt, ut nos certos reddant remissionis peccatorum & gratiæ Dei. Ergò non solùm operantur objectivè repræsentando, sed efficiendo reipsa, quod significant. Antecedens admittitur ab omnibus, sed maximè ab adversariis. Catholici enim docent, ex Sacramentis gigni in nobis moralem quandam certitudinem remissionis peccatorum, non tamen infallibilem. At Adversarii volunt, absolutam certitudinem gigni ex Sacramentis.*

(Atqui, si Sacramenta instituta sunt, ut nos certos reddant de remissione peccatorum & de gratia Dei, utique sunt divinarum promissionum & fidei nostræ signacula.)

Quintò, idem Bellarminus lib. 2. de Sacram. c. 24. §. Tertiò notandum &c. *Sacramenta ex divina institutione promissionem habent annexam gratiæ justificationis.*

(Si annexam habent promissionem gratiæ justificationis, utique eandem in cordibus nostris confirmant & obsignant.)

7. Quod Cornelius à Lapide in capit. 4. Rom. sic commentatur pag. 67. *Propriè ad mentem Pauli Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Augustinus lib. 2. de nupt. & concup. cap. 2. Cyrillus. l. b. 4. in Joh. cap. 51. sic exponunt: Circumcisio erat signaculum, Græcè σφραγίς, quod respondet Hebræo חותם id est, sigillum justitiæ, quo scil. testificabatur Deus Abrahæ justitiam certam esse ac legitimam justitiam, inquam, adeptam antè per fidem, cùm adhuc esset præputiatus.*

Eodem modo Estius in cap. 4. Roman. v. 1. *Vel significat Apostolus, circumcisione velut sigillo clausam & occultatam olim fuisse justitiam fidei, tempore Evangelii revelandam quæ est Origenis expositio: vel sentit, Circumcisionem Abrahæ datam, ut sigillum, quo præcedens ejus justitia comprobaretur, ratificaretur, certaque ac firma redderetur. Hoc ferè modo Chrysostomus, aliique Græci, consentientibus etiam Latinis, exponunt, idque magis ad sensum Apostoli, qui loquitur hic non de justitia fidei in genere, sed de justitia Abrahæ, quæ per circumcisionem ejus non fuit occultata, sed potius declarata, simul & confirmata.*

(Atqui, si Circumcisio fuit sigillum, testificans, justitiam Abrahæ esse certam, utique etiam fuit sigillum promissionis divinæ de gratia Dei & peccatorum remissione, in qua justitia fidei consistit. Excipit quidem Cornelius, *Licet in Abrahamo se ita*

res habuerit, in posteris tamen ejus secus fuisse, cum in iis Circumcisio non fuerit signaculum justitiæ acceptæ, sed potius accipiendæ. At petitur hac in re principium. Utroque munere fungi potuit Circumcisio, fuit efficax *medium justitiæ conferendæ & signaculum collatæ.*)

Thesis secunda. Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, sed ex parte utentis requiritur fides.

Ἔκθεσις. 1. Nequaquam dicimus, Sacramenta esse *tantùm nuda signa*, sed toto corde credimus & confitemur, Sacramenta ex ordinatione & institutione Dei *esse media atq; organa efficacia*, per quæ Deus suam gratiam, remissionem peccatorum & salutem non solùm offerat, sed etiam conferat, applicet atque obsignet.

2. Interim tamen addimus, ex parte nostra ad salutarem Sacramentorum usum requiri *fidem*, seu cor fidele, quod est ὄργανον ληπτικὸν, quo gratia, in Sacramentis oblata, est apprehendenda & acceptanda.

3. Non opponimus fidem Sacramentis & eorum efficaciæ, cum sint invicem subordinata. Sacramenta sunt media offerentia & exhibentia *ex parte Dei*, fides est medium recipiens & apprehendens *ex parte nostra*. Quemadmodum igitur *manus donans & manus recipiens* non sunt opposita, sed relata & subordinata: ita quoque Sacramenta & fides non sunt sibi invicem opponenda.

4. Sacramenta sunt organa gratiæ *immediata* ex parte Dei, *mediata*, ex parte nostra, h. e. Deus suam gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam in Sacramentis *offert* omnibus, sed non nisi verè credentibus hæc beneficia *confert, applicat & obsignat.*

5. Hanc fidem, per quam Sacramenta sunt salutaria, Deus in infantibus per Sacramentum initiationis efficit, non solùm exterius repræsentando, sed efficaciter interius operando; in adultis itidem per verbum & Sacramenta fidem excitat, auget, confirmat & obsignat non solùm exterius repræsentando, sed efficaciter etiam interius operando, modò actuali impœnitentia, incredulitate & hypocrisi divinæ operationi non resistant.

6. Fides ex Dei instituto est medium proportionatum, efficaciam Sacramentorum, quæ *in sensu diviso* dicitur, componendi cum effectu, ut *ex efficacia in sensu diviso*, fiat *efficientia in sensu*, ut loquuntur, *composito*: Sive ut simplicius progrediamur, Sacramenta *in se* sunt efficacia & salutaria, sed *nobis* non sunt salutaria, nisi accedat fides, nec *actu secundo* nobis sunt efficacia, nisi fide oblata bona apprehendamus.

7. Denique, quæstio inter nos & Pontificios in eo versatur, Qualis fides in suscipiente requiratur *ad efficaciã Sacramenti*, non quidem Sacramento ingenerandam, sed ex Sacramento percipiendam? num fides illa, quæ tantum *notitia & assensu* constet, an etiam *fiducia divinæ misericordiæ?* prius affirmant Pontificii, nos posterius.

Antithesis. *Scholastici*, eosque secuti *Pontificii*, statuunt, *Sacramenta V. T. justificasse ex opere operantis, h. e. usum illorum fuisse actum obedientiæ legi divinæ debitæ.* Cùm enim data fuerint præcepta de hujusmodi Sacramentis, ideò usum eorum dicunt fuisse impletionem præcepti, & propterea ratione virtutis obedientiæ *per modum meriti* fideles tunc in usu Sacramentorum accepisse gratiam; *Sacramenta autem Novi Test. prodesse ex opere operato*, h. e. per ea & significari & conferri gratiam, si vel maximè non adsit fides & bonus motus interior in suscipiente.

Concilium Tridentinum sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis sufficere ad consequendam gratiam, anathema sit.*

Bellarminus lib. 2. de Sacrament. capit. 3. in ἐπιγραφῇ. *Quod Sacramenta ex opere operato conferant gratiam, ex Scripturis probatur.*

Inde Card. Cajetanus, nomine Leonis X. Pont. Rom. à Luthero abjurationem doctrinæ exigens, hunc articulum inter alios conceptis verbis ipsi proposuit. *Fides non est necessaria accessuro ad Eucharistiam.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex eo, quod Scriptura ad salutarem Sacramentorum fructum requirit *fidem*, tum *explicitè* Marc. 16. v. 16. Actor. 8. v. 36 & 37. tum *implicitè* Act. 2. v. 38. cap. 22. v. 16. Tit. 3. v. 5. 1. Cor. 11. v. 29. Utique ergò Sacramenta non prosunt ex opere operato.

2. Ex eo, quod Scriptura ubique justificationem tribuit fidei, quæ ex parte nostra requiratur ad recipienda beneficia in verbo & Sacramentis oblata. Habac. 2. v. 4. Rom. 1. v. 17. c. 4. v. 3. & 10. c. 10. v. 10. Hebr. 10. v. 38. Utiq; ergò Sacramenta non prosunt ad justitiam & salutem sine fide.

3. Ex eo, quod Abraham ante Circumcisionem susceptam fide fuit justus, Circumcisio autem ipsi fuit *obsignatio justitiæ fidei*, Rom. 4. v. 10. Utique ergò Sacramenta non prosunt ex opere operato absque fide, sed fidei excitandæ, confirmandæ & obsignandæ serviunt.

4. Ex Apostolica declaratione, quomodo Baptismus *sit lavacrum regenerationis ac salutis*. Ephes. 5. v. 26. dicit Apostolus *Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo*. Ergò Baptismus mundat nos à peccatis, quia annexum habet verbum promissionis, in quo fides quærit, apprehendit & accipit gratiam Patris, meritum Filii, & efficaciam Spiritus Sancti. Tit. 3. v. 5. vocatur Baptismus *lavacrum regenerationis ac renovationis*, sed statim additur, *Spiritus Sancti*, sicut & Joh. 3. v. 5. *Spiritus* cum *aqua* conjungitur. Addit insuper Apostolus, modum regenerationis & renovationis explicans, *per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut ipsius gratia justificati, heredes simus vitæ æternæ*. Sic Petrus 1. Ep. 3. v. 21. dicit: *Baptisma nos salvos facere, & esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum*, sed addit, *per resurrectionem Jesu Christi.* Quæ omnia ostendunt, Sacramenta non prodesse ex opere operato, sive ex vi actionis Sacramentorum, sine fide utentis, sed quia continent verbum promissionis, certis à Deo institutis ritibus vestitum, in quo fides gratiam Dei & remissionem peccatorum quærit & apprehendit, inde atque ideò gratiam conferre dicuntur.

5. Ex relatione promissionis ac fidei. *Promissio & fides* sunt correlata. In Sacramentis continetur promissio. Ergò etiam requiritur fides, quæ promissionem sibi applicet, sine qua fide Sacramentum non prodest.

6. Ex comparatione. Ad participationem cujuscunque doni requiruntur hæc quatuor, *Persona offerens, & medium oblationis; persona recipiens, & medium apprehensionis*. Atqui in salutari usu Sacramentorum fit participatio cœlestium donorum, videl. gratiæ Dei, remissionis peccatorum & salutis æternæ. Ergò requiritur non tantùm *Deus offerens, Sacramenta, per quæ offert, & Christianus accipiens*, sed etiam *fides apprehendens*.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod fidem ad salutarem Sacramentorum usum requiri agnoscunt.

Gregor. in Ezech. *Nobis per fidem omnia in Baptismate peccata laxantur.*

c. Verus. dist. 4. de Consecrat. ex sent. Prosp. *Verus Baptismus constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis, quemadmodum Apostolica doctrina tradidit, dicens: Fide mundans corda eorum; & alibi: Salvos fecit Baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.*

Thomas part. 3. q. 62. art. 5. *Per fidem Christus habitat in nobis, ideò virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiva peccatorum specialiter quodammodo pertinet ad ipsius passionem, ideò per fidem passionis ipsius specialiter liberantur homines à peccato, ideò quod virtus Sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè est ex fide passionis Christi.*

Et paulo antè q. 61 art 4. *Sunt antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita nos salvamur per fidem Christi jam nati & passi. Sunt autem Sacramenta signa quædam protestantia fidem, quâ homo justificatur.*

Georg. Wicelius in Comp. de Semit. antiq. *Fatemur Catholici unanimiter, Sacramenta omnia instituta esse, non modò, ut sint notæ Christianæ professionis inter homines, sed ut existant etiam signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, proposita ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui eis utuntur. Itaq; utendum est Sacramentis eo pacto, ut accedat fides, quæ ex animo credat promissionibus per Sacramenta exhibitis atq; ostensis, quâ fide accipimus promissam gratiam, quam Sacramenta significant & Spiritum etiam S.*

Bellar. lib. 2. de Sacram. c. 1. §. Igitur &c. *Voluntas, fides & pœnitentia necessario in suscipiente adulto requiruntur, ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causæ activæ: non enim fides & pœnitentia efficiunt gratiam Sacramentalem, neq; dant efficaciam Sacramentis, sed solum tollunt obstacula, quæ impedirent, ne Sacramenta suam efficaciam exercere possent.*

Lib. ejusd. c. 11. §. 2. scribit, *fidem requiri ut conditionẽ, & ut quæ applicet homini Sacramentũ*, (Sacramenti salutarem fructum.)

Item.

Item. *Utrumq́, esse necessarium h. e. Sacramentum & fidem, & unum sine altero non sufficere.*

(Verissima hæc sunt. Neque enim promissio in Sacramentis proposita nobis prodest sine fide, nec fides locum habet sine promissione, sunt enim correlata. Quomodo verò cum hypothesi, *quod Sacramenta ex opere operato prosint*, ea conciliari possint, non videmus. Quæ Bellarm. ibidem profert, ut probet, *verbum promissionis requiri tantùm in Sacramenti institutione, non autem in ipso usu*, ea hoc tantùm efficiunt & inferunt, quod ad Sacramenti integritatem essentialem non requiratur fides utentis, sed ex eo inferri nec potest, nec debet, fidem non requiri ad usum Sacramenti salutarem.)

Lib. eod. cap. 14. §. Secundus locus, &c. probare conatur, *Circumcisionem nos justificasse ex opere operato*, ex eo, *quod Apostolus docet Abrahamum fuisse justificatum ante Circumcisionem.* (Hoc argumentum, si sit validum, probat quoque, Baptismum non justificare ex opere operato, quia Cornelius cum tota familia ante Baptismum justificatus fuit Act. 10.)

2. Quod quidam agnoscunt, Sacramenta *instrumentaliter tantùm* in offerenda & conferenda gratia agere. (Utique ergò non proderunt ex opere operato, sed per fidem demum erunt salutaria. Ratio pendet ex divina ordinatione, quod Deus gratiam suam in verbo & Sacramentis, tanquam mediis & instrumentis à se ordinatis, omnibus quidem *offerre*, non tamen nisi credentibus eandem *conferre* & applicare velit.)

Urbanus IV. in Psalmum 50. *Tu Deus omnipotens, cognitor occultorum, occultissimam gratiam Spiritus S. tui latenter infundis tuis fidelibus, & etiam parvulis in Baptismo.*

Thomas p. 3. q. 62. art. 1. *Sacramenta instrumentaliter causant gratiam. Causa principalis agit per virtutem suæ formæ, quo modo causa salutis non est adscribenda, nisi soli Deo. Causa instrumentalis non agit, nisi per motum, quo movetur ab agente principali, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti. Aqua Baptismi abluendo corpus secundum virtutem propriam, abluit animam in quantum est instrumentum virtutis divinæ.*

Art. 3. *Gratia non dicitur esse in Sacramento, sicut in subjecto, neq́, sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi.*

Durandus in 4. sent. dist. 1. quæst. 4. dicit, *esse antiquam opinionem & immunem à calumnia, & melius consonare dictis sanctorum, non ponere in Sacramentis vim gratiæ causativam, sed Sacramenta esse causam sine qua non, quia Deus ex pacto iis gratiam largitur, qui Sacramentis utuntur.*

Hugo lib. 1. de Sacramentis part. 9. cap. 2. *Dona gratiæ spiritualia quasi quædam antidota sunt invisibilia. In Sacramentis visibilibus quasi quibusdam vasculis hominum porriguntur. Jam sicut, quod est in vase, non est de ipso, neq́, ex ipso, sed cum ipso hauritur; sic gratia non est à Sacramentis, neq́, de Sacramentis, sed oritur à fonte æterno, & ab illo hauritur ab anima in ipsis Sacramentis.*

Alanus de Sacramentis cap. 31. *Gratiam in anima hominis Deus operatur per Sacramenta, tanquã per instrumentalem causam, non alia ratione, nec minus verè, quam homo dicitur scribere per calamum.*

Johannes de Parisiis de potest. Regia cap. 2. *In Sacramentis Ecclesiæ specialis virtus passionis Christi continetur, sicut virtus agentis in instrumento.*

Huc referri debet, quod Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Occam, Marsilius, Gabriel 4. sent. dist. 1. docent, *solum Deum producere gratiam, ita ut Sacramenta non sint causæ physicæ, nisi sine quibus non fieret effectus.*

Bonaventura disputat, *gratiam non inesse Sacramentis essentialiter, sed ministerialiter*, sic enim scribit lib. 4. sent. distinct. 1. quæst. 3. *Nullo modo dicendum est, quod gratia contineatur in ipsis Sacramentis essentialiter, tanquam aqua in vase, aut medicina in pixide, imò hoc intelligere est erroneum, sed dicuntur gratiam continere, quia eam significant. Et quia, nisi ibi sit defectus ex parte suscipientis, in ipsis gratia semper confertur, ita intelligendo, quod gratia sit in anima, non in signis visibilibus.*

Et rursum. *Ad illud, quod objicitur, quod remissio peccatorum latet in Baptismo, dicendum est, quod hoc intelligitur de latentia signati in signo, quod quidem ulteriorem habet rationem, cùm rationem significandi, non tamen essentialiter continendi in se, sed quia ipsum, quod significat, continetur in anima.*

(Horum modestia, utpotè cum hypothesi de Sacramentis ex opere operato utilibus, Bellarmino non probatur, disputat enim lib. 2. de Sacramentis cap. 12. resp. ad postr. argumentum. *Sacramenta esse causas efficientes etiam physicas, sed instrumentales.*)

Alphonsus de Castro lib. 2. adversus hæreses, verbo Aqua, hæresi 2. *Aqua benedicta non habet ex ipsa benedictione necessario illam virtutem, quia nec aqua Baptismatis juxta veriorem opinionem habet hanc virtutem, sed quod Deus assistit & operatur verbis super aquam dictis.*

Gregorius de Nysse in Resolutione Theol. tract. 6. part. 1. port. 1. quæst. 1. *Est alius modus dicendi multùm probabilis, quem videtur approbare Bonaventura &c. videlicet, quod, adhibito Sacramento, habetur gratia, & hoc ex volitione efficace Dei & ex pacto suo, de quo certificata est Ecclesia per fidem & dicta sanctorum, ita, quod Sacramentum nihil efficit ad hoc, sed tantum concomitatur vel præcedit. Exemplum est de Bulla Papæ, qua habita, acquiritur alicui Præbenda, cùm tamen Bulla Papæ nihil efficiat, nec in ea sit aliqua virtus, sed tantummodò per eam sit imitatio voluntatis Papalis. Sic in proposito, in Sacramentis non oportet ponere virtutem, per quam sint causa gratiæ vel dispositionis ad gratiam: modo tamen vulgari Sacramenta dici possunt causa gratiæ, & virtutem aliquam habere eo modo, quo Bulla Papæ dicitur habere virtutem collationis vel adeptionis Præbendæ, non ex Natura rei, sed ex ordinatione conferentis.* Unde tandem concludit, *Sacramenta non sunt causa effectiva gratiæ, nec virtutem aliquam habent inhærentiæ propriè loquendo de causa & virtute, bene impropriè & largè loquendo.*

Eandem doctrinam asserit Melchior Flavius in Resolutione in quatuor libros Sententiarum lib. 4. dist. 1. quæst. 4. ubi negat, *Sacramentum efficere gratiam*, & quæst. 5. *in Sacramentis esse aliquam virtutem supernaturalem*; asseritque, *Deum solum gratiam conferre.*

Conradus Clingius lib. 1. Loc. Comm. c. 20. *Deus invisibiliter operatur in omni Sacramento, conferendo virtutem atq́, effectum Sacramenti, quem Minister dare non potest.*

Item. *In opere operato, i. e. Christi opere in Baptismo locatur fiducia, ut conscientia certa & quieta sit. Sine opere Christi minister non baptizat, nec absolvit &c. Igitur cum opere hominis Christus, quod potissimum est, operatur in Sacramentis.*

(Hæc explicatio, quâ per opus operatum intelligitur *opus Christi*, sana est, quamvis Scholasticorum opinioni non sit conformis.)

Ægidius Cöninck Jesuita Lovaniensis tom. 1. de Sacram. q. 62. art. 4. ad quæstionem, *utrum Sacramenta sint causa physica gratiæ?* negat *id fieri posse*, & rejicit sententiam discipulorum Thomæ, qui existimant, *Sacramenta ad id à Deo assumi, ut per modum instrumenti physicè gratiam producant.* Sententiam illam dicit *sibi esse valdè difficilem & omnino inconceptibilem*, qua statuunt, *quamlibet rem posse à Deo elevari ad aliquid producendum. Nullo modo imminuere divinam potentiam* asserit, qui negat, *res corporales posse elevari, ut physicè gratiam producant. Et probabilius esse, id Deum non posse. Quod si fieri posset, negandum tamen esset, id fieri posse in Sacramentis, ideoq́, dicendum esse, quod sint solùm causæ morales gratiæ.* Dicit, *Sacramenta maxima ex parte consistere in sua significatione & significando, sive virtute significationis agere, quia, si nihil significarent, nihil agerent. Cum autem significatio sit tantùm Ens morale, non posse ullo modo agere physicè, nec constituere totum aliquod physicum. Sacramenta dici continere divinam virtutem tantùm moraliter, quatenus hæc illis necessario semper assistit ad productionem gratiæ. Hinc Patres dicere, non Naturam aquæ, sed divinam virtutem sive Deum nos lavare & regenerare. Sacramenta esse similia decreto summi Concilii alicujus regni, quod ipse Rex ex pacto obligatur exequi &c. Ipsum Thomam Sacramentum, quoad vim & modum producendi effectum, comparare voci, quæ dum sonat in aere, immutat intellectum audientis, ut aliquid intelligat, non vi & operatione physica, sed ut instrumentum humanum est institutione significans, unde clarè significat, Sacramentum non physicè, sed tantùm moraliter influere in productionem gratiæ.*

Maldonatus in Disputationibus de Sacram. tom. 1. cap. 3. hanc sententiam, *quod Sacramenta sint morales tantùm causæ, probabilem esse* ideo censet, tum, *quod sit multò facilior*, tum, *quod nihil habeat non maxime consentaneum rationi.*

Cornelius Jansenius in cap. 20. Concord. super verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Signa talia sunt instituta, quæ non solùm gratiam hanc significarent, sed etiam conferrent, cooperante scil. in eis Spiritu Dei. Ut autem sic sint efficacia signa, cùm non habeant ex sua Natura, habent ex beneplacito instituentis Christi, quemadmodum more solenni annulus aut purpura missa à Principe signum est efficax inaugurandi aliquem alicui Magistratui aut autoritati: non quidem ex aliqua vi, quæ hæreat in ipsis Symbolis ex illorum Natura, sed ex voluntate Principis, qui ea ad hoc instituit.*

Estius in Comm. 1. Petr. 3. v. 21. *Apostoli Petri doctrina hoc loco est, fidem internam exteriori professione, dum quis baptizatur, expressam, id esse, quod in Baptismate nos salvos facit. Non quo hunc effectum ab externa ablutionis Ceremonia removeat, sed quo doceat, quid sit praecipuum. Sic enim loqui solet Scriptura, cum aliud prae alio commendat. Os. 6. 1. Reg 15. &c. Ita hoc loco sic commendatur fides, ut aqua non repudietur. Jam enim dixerat, Baptisma nos salvos facere, sed utrum ad salutem potius sit, ostendit. Nam si utrumq; ab altero separes, fides salvare poterit sine Baptismo, non autem Baptismus sine fide. Nec fides à Baptismo suam vim habet, sed Baptismus à fide, saltem ut dispositione per se necessaria ad Baptismi effectum. Hoc enim est, quod Augustinus dicit tract. 80. super Johannem. Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? De quo mox subjungit. Hoc est verbum fidei, quod praedicamus. De eodem & paulò ante, Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? quia videl. sine fide aqua corpus quidem tangere poterit, sed cor abluere non poterit, quod tamen facit interdum fides sine aqua, quemadmodum Petrus insinuat Act. 15 cum de Concilio, ejusq; familiaribus dicit, Fide purificans corda eorum. Vide eundem Augustinum lib. 19. contra Faustum cap. 12. & serm. 3. de Verbo Domini.*

Vasquez in 3. Thomae Dis. 132. cap. 5. *Si aliquâ de causa Sacramentis novae legis tribuenda esset instrumentaria efficacitas physica, nec sufficeret impetratoria & moralis, ea esset, ut iis, quae Patres & Scriptura de Sacramentis dicunt, satisfaceremus; quare si iis satisfieri rectè potest, assignata solùm Sacramentis efficacitate morali immeritò sanè & absq; causa pro defendenda efficacitate Sacramentorum, in tot tricas, quas supra vidimus, Theologos nostros conjiciemus. Porrò, illis omnibus, quae Scriptura & Patres dicunt plane satisfieri, assignata Sacramentis solùm efficacitate morali, probatur &c.*

Bellarminus lib. 2. de Sacram. capit. 11. resp. ad postr. arg. membr. 3. *Sacramenta sunt causae instrumentales, virtus autem divinitus insita, non est aliqua nova qualitas inhaerens spiritualis vel corporalis, sed solum motus sive usus Dei. Per hoc enim, quod Deus utitur hac actione Sacramentali ad gratiam producendam, elevat eam & facit eam attingere effectum supernaturalem, quem non posset attingere, si à quocunq; alio moveretur.*

3. Quod agnoscunt, Sacramenta sine fide usurpata, non solùm utentibus non prodesse, sed etiam obesse.

(Utique ergò non prosunt ex opere operato, sine fide ac bono motu utentis.)

c. Pe. Esaiam. caus. 1. ex Augustino. *Sacrificia impiorum eis oberunt, qui offerunt impiè. Nam unum atq; idem est sacrificium propter nomen Domini, quod ibi invocatur, & semper est sanctum, & tale cuiq; fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non aliis, sed sibi. Hoc penè in omnibus talibus quaestionibus intelligendum esse admonemus, quia simul omnia Sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Bellarminus lib. 2. de Eucharistia cap. 8. §. Sed his omissis. *Origenes loquitur praecisè de esu corporali Eucharistiae, abstrahendo à bonitate vel malitia sumentis. Et hoc modo verum est, esum illum nec prodesse si adsit, nec obesse si absit. Nihil enim prodest comedere corporaliter Eucharistiam, nisi adsit etiam spiritualis manducatio, quia hic cibus mentis est, non ventris.*

lib. 3. de Eucharistia cap. 9. §. Ad quartum &c. *Corpus Domini sine fide acceptum, nihil prodest.*

4. Quod agnoscunt, phrasin *de opere operato* Scripturis sacris & primitivae Ecclesiae Doctoribus esse incognitam.

Ruardus Tapperus in explicatione art. 1. Lovaniens. fatetur, *eum sermonem à Patribus non usurpatum.*

Dominicus à Soto in 4. sent. distinct. 1. quaest. 3. *Ajunt, Sacramenta novae legis ex opere operato gratiam conferre, quod quidem verbum non modò in sacra Scriptura non extat, verùm neq; apud antiquos Patres reperitur. Quare, etsi Divus Thomas illius meminerit, quoniam tunc fortè illud idioma serpere incipiebat, non tamen quasi ex sua opinione, sed ait, ipsum Sacramentum à quibusdam dici opus operatum: hic verò in Summa illud non usurpat, est enim verbum barbarum.*

5. Quod de efficacia Sacramentorum *ex opere operato* variis modis invicem dissentiunt, (id quod assertionem illam meritò nobis reddit suspectam, eamque non ex limpidis Israelis fontibus, sed ex turbidis humanae rationis lacubus haustam esse, arguit.)

Primò, Alphonsus Virvesius Phil. 12. *tres opiniones Scholasticorum* de efficientia Sacramentorum recitat. *1. Quod Sacramenta causent gratiam. 2. Quod causent dispositionem quandam in anima suscipientis. 3. Quod Sacramentum sit signum eatenus efficax, quatenus nunquam illi deest effectus divinae propitiationis*, quam postremam sententiam ipse amplectitur.

Secundo, Quidam statuunt, *Sacramenta esse causas justificationis morales tantùm, non physicas*, ut Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Marsilius &c. quos ex recentioribus sequuntur Ledesmius 4. sent. distinct. 1. q. 3. art. 1. & Melchior Canus in Relect. de Sacramentis: Quidam verò statuunt, *Sacramenta esse causas physicas*, quorum sententiam Bellarminus judicat *tutiorem & probabiliorem.*

(Haec opinionum diversitas occurrit etiam in Suarezio & Vasquezio, de quibus Tannerus in praefat. tom. 1. Theolog. Scholasticae scribit, *quod in plerisq; Scholasticis controversiis non absq; singulari divinae providentiae nutu veritatis magis illustrandae causa inter se perpetuo dissentiant.*

Suarez de Sacramentis Disp. 9. sect. 1. disputat, *potuisse à Deo institui causas physicas.*

Sect. 2. *de facto institutas. Secunda*, inquit, *sententia principalis est, Sacramenta esse causas gratiae, quia per veram actionem physicam concurrunt ad sanctificandos homines. Quod axioma tripliciter exponi* notat, *Primo, quia efficiant dispositionem aliquam ad gratiam, non verò immediatè attingant gratiam ipsam, quam solus Deus efficiat. Secundo quia efficiant non gratiam ipsam, sed unionem gratiae cum anima; quo utroque modo reprobato, Tertius*, inquit, *modus propriè ac rigorosè explicandi hanc sententiam, est Sacramenta efficere gratiam, quia ipsamet actio physica, per quam gratia fit & educitur de potentia obaedientiali animae, verè ac realiter & physicè pendet ab ipsis Sacramentis. Haec sententia est jam communis in Schola D. Thomae, & mihi videtur valdè consentanea dignitati nostrorum Sacramentorum & locutionibus Scripturae, Conciliorum & Sanctorum, & facilimè defendi posse, & ideò non esse ab ea discedendum.*

Contra Vasquez in part. 3. Thomae Disput. 132. cap. 3. hanc opinionem refutat & cap. 5. subjungit. *Confutatis jam aliorum opinionibus, earumq; infirmatis atq; convulsis fundamentis nihil aliud reliquum esse videtur, quam ut dicamus, Sacramenta novae legis esse instrumenta Dei ad gratiam producendam, non quidem physica, sed moralia.* Et quando hoc genus instrumenti explicat, appellat *impetratorium*, quod illustrat exemplo miraculorum factorum ab Apostolis per preces sive contactum. *Has enim preces, hunc contactum fuisse instrumenta sed non physica, quae producerent ipsam sanitatem corporum, sed moralia, quibus ea sanitas impetraretur à Deo.* Addit & *humanam Christi Naturam, quae Deitati serviebat, nec tamen ipsa efficiebat physicè.* Hanc sententiam censet *non recentem esse, neq; popularem, sed perantiquam & gravissimorum Doctorum, imò antiquorum omnium Scholasticorum.* Illam alteram *de instrumento physico paucis ante se annis invaluisse apud Scholas Hispanicas, verùm cùm, qui eam profiterentur, in magna varietate essent, multiplicesq; nec parum difficiles nodos philosophandi ad superandas illius difficultates indies excogitarent, factum esse, ut parum firma stabilisq; permanserit, paulatimq; obsoleverit*, nihilo tamen minus Gregorius de Valentia, & Bellarminus priorem opinionem amplectuntur.)

Tertiò, inquit Virvesius, rursus quidam statuunt, *Sacramenta esse causas physicas per aliquam qualitatem inhaerentem*, ut Alensis, Thomas, Durandus. Verba Thomae sic habent, parte 3. q. 62. art 4. *Ponendo, quod Sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere, quod in Sacramento sit quaedam virtus instrumentalis gratiae ad inducendum Sacramentorum effectum*

Quidam verò statuunt, *Sacramenta agere physicè attingendo effectum per solam Dei motionem*, quorum sententiam Bellarminus approbat.

Bonaventura, Richardus de Media Villa, Scotus, Occam, Thomas de Argentina statuunt, *quod Deus constituit Sacramenta, tanquam certa signa gratiae, quam ipse producit in anima suscipientis Sacramentum, aut ipso Sacramento effectum gratuitum ordinatum ad hominum salutem, nec ponendam esse aliquam virtutem supernaturalem in eorum usu*, quos sequitur Biel. 4. sent. dist. 1. p 3.

Gregorius de Valentia p. 3. in Thom. Disp. 3. q. 3. hac de re sic disserit: *Secunda sententia est multorum Catholicorum, Sacramenta nempe gratiam conferre, non quia ipsa producant ullo modo illam, sed quia, ipsis adhibitis, Deus ex pacto & promissione quadam gratiam producat & conferat. Quare quidam ex his Sacramenta vocant causas tantùm sine quibus non, & declarant rem exemplo: Si quis*

Si quis oblato denario plumbeo accipiat ex mandato & ordinatione Principis rem aliquam, quæ meritò plus valeat, diceremus, denarium plumbeum rem ejusmodi contulisse illi homini, non quia ipse fuerit causa, cur illa res exhiberetur, sed quia ipso denario oblato exhibita certò est propter mandatum Principis.

Has opiniones comparans invicem Henricus octavus Rex Angliæ in assertione septem Sacramentorum, *Ego*, inquit, *ut nescio, utra via sit verior, ita neutram audeo plane contemnere. Nam & illa ipsa via, cui nunc pauciores assentiunt, non omnino videtur absurda, quod aqua ipsa per verbum occultam habeat animæ purgandæ potentiam.*

Quartò. Quidam volunt, *quod Minister sit causa efficiens justificationis, Sacramentum tantummodò instrumentum*, Cajetanus, Scotus, Ledesma. Aliqui contrarium asserunt, *quod Sacramentum sit causa efficiens, & Minister tantummodo instrumentum*, Thomas. Et ex his sunt duæ differentiæ. Aliqui enim volunt, *Sacramenta esse tantum causas, sine quibus non justificatio fieret*, Bonav. Scotus, Durandus. Alii putant, *quod effectualis potentia verè data sit Sacramentis*. Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 11. Confer Pesantium in 1 hom. f. 852. ubi de Scholasticorum dissensionibus in hac quæstione multis disserit.

Quintò. Anno 1544. cum Papa Concilium Tridentinum indixisset, Theologi Parisienses Regis jussu Meloduni convenerunt ad consultandum de dogmatibus fidei Christianæ necessariis, in Concilio proponendis. *Atque hic, orta contentione, alii cupiebant ea confirmari, quæ Constantiæ & Basileæ jampridem fuissent decreta, & sanctionem Pagmaticam restabiliri. Alii metuentes, ne Rex inde offensionem captaret &c. eam quæstionem disceptandam non censebant. Deinde, quod in Schola Sorbonensi Theologi de Sacramentorum Natura non idem omnes sentirent, sed hi alii effectivam ministerialem virtutem tribuerent, alii non tribuendam putarent, & singuli suas opiniones pro dogmate fidei haberi vellent, de iis nihil tum decretum fuit.* Petrus Suavis in Histor. Concilii Tridentini lib. 2. pag. 124.

Sextò. In ipso Concilio Tridentino, cum ageretur de quæstione, An Sacramenta conferant gratiam non ponentibus obicem, ex opere operato, Dominicani cum Franciscanis non unum sentiebant. Illi enim asserebant, *gratiam, utut qualitas sit spiritualis, à Deo immediatè creata, in Sacramentis tamen esse virtutem instrumentalem & effectivam, quæ in anima dispositionem operatur ad eam recipiendam: itaq; dici continere gratiam, non quod sit in ipsis, tanquam in vase, sed ut effectum in sua causa, quod subtili exemplo illustrabant scalpelli, quod est activum, non in petra modò dissecanda, sed in formanda etiam statua.*

At Franciscani negabant, *se satis id assequi, quemadmodum Deus, causa spiritualis, ad gratiam, effectum spiritualem, producendam, instrumento utatur corporeo; imò simpliciter vim omnem effectivam aut dispositivam Sacramentis denegabant, non aliunde vim & efficaciam ipsorum petentes, quam ex promissione divina, quod Deus se gratiam largiturum receperit, quotiescunq; ministrabitur Sacramentum. Ideò dici Sacramentum continere gratiam, tanquam in signo efficaci, non vi ac virtute sua sed Dei, ministerio huic opem indubitatam pollicentis, & Sacramentum esse causam gratiæ, quia, eo posito, sequitur effectus, non vi sua, sed divinæ promissionis, de gratia eo ipso tempore donanda, sicut meritum dicitur causa præmii, nulla ad id demerendum actione interveniente. Atq; hanc suam sententiam confirmabant, non Scoti solùm, & D. Bonaventuræ suæ sectæ Theologorum, sed D. quoq; Bernhardi autoritate, agnoscentis gratiam per Sacramenta ad eum modum percipi, quo Canonicus per librum, & Episcopus per annulum in possessionem mittuntur. Rationes utrimq; magna verborum prolixitate, neq; minore acrimonia audiebantur, imò nec ab opinionibus invicem censendis abstinebant, Dominicanis affirmantibus alteram opinionem Lutheranismo esse affinem; alteris verò dictitantibus, Dominicanos impossibilia astruentes, hæreticis ansam dare calumniandi Ecclesiam.* Petrus Suavis lib. 2. Histor. Concil. Trident. pag. 271.

Septimò. Gregorius de Valentia lib. de effic. Sacrament. cap. 2. dissensiones Scholasticorum in hac quæstione dissimulare minimè potuit. *Multi sanè*, inquit, *non modo ex hæreticis, sed etiam ex Catholicis Doctoribus eos modos assignant, qui non immeritò videre possint tollere idipsum, quod secundum fidem diximus esse certum, scil. Sacramenta esse veras causas gratiæ.* Ac postquam Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Occami, Gabrielis & Richardi opinionem recitasset, nimirum, quod *Sacramenta non producant gratiam, sed conferant, quatenus Deus secundum promissionem in usu eorum gratiam producit & confert*, addit, *Hæc opinio nihil amplius Sacramentis tribuit, quam hæretici.*

Idem d. l. varias recenset Scholasticorum opiniones. *Prima fuit eorum, qui statuunt, gratiam causari à Sacramentis, mediatè; quatenus nempe producunt formam antecedentem, quam necessario sequitur gratia, sed per procreationem divinam. Hæc opinio*, inquit, *autoritatis & rationis fundamento destituitur, totaq; commentitia est. Ita tamen docuit Alexander Alensis, Thomas aliquando, Capreolus, Paludanus & Ferrariensis.*

Secunda est, quod Sacramenta producant gratiam, ut causæ morales, quatenus ad conferendam gratiam Deus in ipsorum administratione Christi meritis movetur. Eam propugnat Canus Relect. de Sacram. part. 4.

Huic opinioni Gregorius de Valentia opponit, *quod isto modo veteris etiam legis Sacramenta gratiam contulerint, necesse autem esse, præsertim post Concilium Tridentinum, fateri, quod Sacramenta novæ legis alio modo præstantiori & veriori conferant gratiam.*

Tertiam opinionem à recentioribus rejectam constituit Sotus in 4. sent. dist. 1. q. 3. art. 1 negans, quod Sacramenta ullam qualitatem producant, sed tantum causa sint, quâ homo sit acceptus.

De hac sententia Gregorius de Valentia sic judicat, *quod jure reprobetur ac videatur non modo minus intelligibilis, verùm & minus probabilis, quam ulla ex præcedentibus.*

Cajetanus in part. 3. Thom. quæst. 62. artic. 1. & 2. illam propugnat *opinionem, qua hodie pleriq; utuntur, Sacramenta esse veras causas qualitatis gratiæ, non principales, sed instrumentales: hoc ipso videlicet, quod Deus illis utitur ad productionem illius effectus, qui est gratia, tametsi supra Naturam seu efficacitatem naturalem ipsorum, quo fit, ut censeri à nobis possint instrumenta gratiæ quasi physica, sed tamen supernaturalia, non naturalia instrumenta sunt, sicut penna scribit à manu mota, ita ut gratia veniat à Sacramento, tanquam causa proxima; à Deo, tanquam causa remota, sed principali.*

Octavò, quidam *opus operatum* sic explicant, ut indignitati Ministri, ac proinde errori Donatistarum illam phrasin duntaxat oppositam esse statuant.

Innocentius III. (antiquissimus eorum, qui observantur hac phrasi usi,) lib. 3. Mysterior. Missæ cap. 5. *Non ergò Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas Medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.*

Hosius Confessionis cap. 89. *Quid igitur docent, cum scribunt, Missam ex opere operato valere? quid aliud, quam non esse personam aut actionem Sacerdotis attendendam, verùm ipsam, quæ præsens est in altari, rem immolatam, ipsum verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, ipsum verum sanguinem Christi, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum? Hujus enim corporis pro nobis traditi, hujus sanguinis pro nobis effusi virtute, non autem merito Sacerdotis aut actione fieri, ut cum Deo reconciliationem, peccatorum remissionem, & ea, quæ petimus, omnia consequamur.*

Andreas Fabricius Leodius in 13. articulo Confessionis August. *Agnoscant Catholici, in Sacramentorum usu duas actiones concurrere: alteram externã, quam materia præsente Minister forinsecus exhibet: alteram verò intimam, quam Deus occulta vi concurrente secundum ejus institutionem hominis externo ministerio præcipuè perficit & exequitur. Posteriorem hanc actionem Ecclesiastici Doctores locutione Scholis usitata, vocant opus operatum, hoc est; opus ejusmodi, quod non tam respicit externam illam functionem Ministri, quam institutionẽ Christi, occultioremq; illam vim, quam Deus aquæ, oleo, pani, cæterisq; rebus, quarum in Sacramentis usus est, præstat & adhibet. Priorem verò ministri actionem vocant opus operantis, hoc est, tale, in quo non habetur ratio Christi institutionis, virtutisq; divinæ, quæ occulta ratione circa Sacramenta operatur, quam qualitatum Ministri exterius suam operam accommodantis.*

(Hanc explicationem libenter admittimus, & si in ea Pontificii acquiescerent, nullam ipsis moveremus controversiam, nisi de phraseos novitate.)

Quidam non tantùm Sacerdotis dignitatem, sed etiam suscipientis meritum hac phrasi excludi dicunt.

Alphonsus Virvesius Philipp. 12. *Hæc opinio eatenus est ab Ecclesia suscepta, quatenus, cum docet, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, omne meritum suscipientis excludit ab efficientia Sacramenti. Ita enim intelligit non una Theologorũ secta, sed universus ordo, gratiã Sacramentalẽ, sive prima sit, qua renovamur & justificamur, sive alia, qua provehimur atq; perficimur; nõ dari nobis propter merita nostra, sed propter pactũ Dei, quod per Christũ pepigit cũ Ecclesia & in*

ejusmodi

ejusmodi fœdere ac pactione dicunt esse sitam Sacramenti vim ad justificandum, non in meritu suscipientis.

Bellarminus lib. 2. de Sacramentis capite 1. §. Igitur &c. *Notandum est, in justificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere: nimirum ex parte Dei voluntatem utendi illa re sensibili: ex parte Christi, passionem ejus: ex parte ministri potestatem, voluntatem, probitatem: ex parte suscipientis voluntatem, fidem & pœnitentiam: denique ex parte Sacramenti ipsam actionem externam, quæ consurgit ex debita applicatione formæ & materiæ. Cæterum, ex his omnibus id, quod activè & proxime atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, est sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, & hæc vocatur opus operatum, accipiendo passive operatum, ita, ut idem sit Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis.*

(Si in hac explicatione subsisterent, itidem nullam ipsis moveremus controversiam, negamus enim & ipsi meritum suscipientis.)

Sed in hac explicatione reliqui non subsistunt, sed per phrasin operis operati bonum motum utentis, & sic etiam *fidem*, excludunt.

Argum. Adversf. *Baptismus infantibus prodest, cum tamen fide destituti sint. Ergo prodest eis ex opere operato.*

Resp. 1. Alphonsus de Castro lib. 3. adversus hæres. verbo Baptismus, hæres. 4. *Per Baptismum recipitur donum Spiritus Sancti. Accipietis, inquit Petrus Act. 2. donum Spiritus Sancti. Donum autem Spiritus Sancti est gratia & fides, quæ in Baptismo infunditur, sicut & gratia, quoniam sine fide impossibile est placere Deo, ait Paulus. Baptizatus autem, si non placeret Deo, non salvaretur. Confert autem Baptismus fidem, sicut & gratiam, utraque enim Dei donum est.*

(Si Baptismus confert infantibus fidem, per quam beneficiorum Christi in Sacramento hoc oblatorum participes fiunt, utique non prodest ex opere operato.)

Thesis tertia. Etiam Veteris Testam. Sacramenta fuerunt efficacia media gratiæ, remissionis peccatorum & salutis hominibus offerendæ, ac credentibus conferendæ.

Ἔκθεσις. 1. Non negamus omnem Sacramentorum Veteris & N. Testamenti *differentiam*, quinimo dicimus, quod ipsa substantia Sacramentorum V. Test. fuerit alia ac diversa à Sacramentis N. Testamenti. In agno paschali fuit figura carnis & sanguinis Christi, non autem ipsa caro & sanguis Christi. Sed in Cœna Domini est ipsa substantia carnis & sanguinis Christi, quia in ea, mediante benedicto pane & vino, exhibetur verum corpus & verus sanguis Christi. Huic principali & primario discrimini Sacramentorum accedit alterum ex Symbolo externo Sacramentali, quod non est idem in Sacramentis omnibus, sed in singulis peculiare & distinctum, sicut etiam ipsa actio Sacramentalis est cuique Sacramento propria.

2. Quæstio ergò hujus loci non est *de substantia*, sed *de fine* Sacramentorum Veteris ac N. Testamenti, an scilicet præter has differentias assignatas, ad quas etiam aliæ minus principales & secundariæ accedunt, sit discrimen Sacramentorum in fine principali, qui est offerre, exhibere, applicare & obsignare gratiam, quod Pontificii affirmant, nos vero negamus.

3. Libenter damus, sicut modus revelationis in Novo Testamento est illustrior, lux fidei major & mensura gratiæ uberior, ita etiam per Sacramenta Novi Testamenti gratiam Christi luculentius, plenius, perfectius & uberius dispensari credentibus. Ex eo autem inferri nequit, quod Pontificii statuunt, per Sacramenta V. Test. planè non fuisse exhibitam & credentibus oblatam divinam gratiam.

4. Quædam figuræ Vet. Testamenti fuerunt tantum *signa significativa*, quæ non habuerunt annexum verbum promissionis; de illis signis hoc loco non quæritur. Fuerunt autem etiam in Vet. Testamento signa quædam, quæ ex institutione divina annexum habuerunt *verbum promissionis gratiæ*, quod verbum fidem exigit, quæ gratiam accipiat. De illis veterum Sacramentis dicimus, quod ex institutione divina eundem habuerint usum & finem, quem habent Sacramenta Novi Testamenti. Tale signum, cui verbum promissionis gratiæ annexum, fuit cumprimis Circumcisio, per quam Deus gratiam suam obtulit, exhibuit, confirmavit & obsignavit omnibus fide hoc Sacramentum suscipientibus, quod proinde non fuit tantùm *signum significativum*, sed etiam virtute promissionis *exhibitivum atq; obsignativum gratiæ*.

5. Non est quæstio, an Sacramenta vel Sacrificia in Veteri Testamento profuerint ex opere operato, id enim una cum Pontificiis negamus, sed hoc est in quæstione, an Sacramenta Veteris Testamenti fuerint *efficacia media gratiæ, remissionis peccatorum & salutis hominibus offerendæ & credentibus conferendæ*, quod Pontificii negant, nos affirmamus.

6. Non est quæstio, an adhuc hodie tempore Novi Testamenti, circumcisio sit medium offerendæ & conferendæ divinæ gratiæ, postquam per Christum jam est abrogata, & in locum ejus successit Baptismus, sed unicè quæstio est de vi & efficacia, quam Circumcisio habuit ante Christi adventum, durante adhuc Vet. Test. statu.

Antithesis. Concilium Florentinum Anno 1439. sub Papa Eugenio celebratum, de Sacramentis Veteris Testamenti tale edidit decretum. *Sacramenta antiquæ legis non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant, nostra verò novæ legis & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.*

Concilium Tridentinum sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia Ceremoniæ sunt aliæ & alii ritus externi, anathema sit.*

Catechismus Romanus ad Parochos cap. de Sacramentis. *Ex iis, quæ de priore Sacramentorum effectu, gratia scil. justificante, demonstrata sunt, illud etiam planè constat, excellentiorem & præstantiorem vim Sacramentis novæ legis inesse, quam olim veteris legis Sacramenta habuerunt, quæ, cum infirma essent, egenaq; Elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animæ. Quare ut signa tantùm earum rerum, quæ mysteriis nostris efficiendæ essent, instituta sunt.*

Cornelius Jansenius in Harmon. p. 153. ad cap. 3. Joh. v. 5. sic annotat: *Nostra Sacramenta & Symbola non sunt gratiæ Dei signa nuda, quemadmodum veteris legis, sed signa efficacia, ut quæ gratiam, quam significant, etiam efficaciter exhibeant.*

Arch-Angelus Rubeus 1. sent. dist. 4. *Tertia sequitur opinio, quæ communis est, & undequaq; vera, quod justificabant* (veteris legis Sacramenta) *quoad opus operans per modum meriti, non quoad opus operatum per modum Sacramenti, cum essent tantum signa & non causa gratiæ.*

Johannes Tetzelius in suis propositionibus Disputationi Lutheri de Indulgentiis oppositis, inter cætera sic loquitur: Die Sacrament im Gesetz Mosi sind krafftlose Element/ die weder Schuld hinweg nehmen/ noch gerecht machen/ prout verba ipsius tom. 1. operum Lutheri German. Jen. f. 13. Germanicè posita sonant.

Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 13. §. 1. *Omnes Catholici conveniunt, Sacramenta veteris legis, quæ propriè Mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato.* Id paulò post sic declarat: *Hoc esse discrimen inter Sacramenta legis veteris & novæ, quod nostra conferunt gratiam, illa solùm eam significabant.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex Natura promissionis Evangelicæ.* Promissio gratiæ Evangelii propriè non solùm ad tempus Novi, sed etiam Veteris Testamenti pertinet, Gen. 3. v. 15. cap. 22. v. 18. Act. 15. v. 11. Rom. 2. v. 29. cap. 4. v. 9. Hebr. 13. v. 8. Apoc. 13. v. 8. Ergò etiam Sacramenta verbo promissionis addita tam in Veteri, quam in N. Testamento, sunt gratiæ media & sigilla. Ratio connexionis est, quia Sacramenta nihil aliud sunt, quam *verba visibilia*, ritus externi promissioni gratiæ additi, signa, quibus promissio gratiæ velut vestitur. Quod si ergò per verbum promissionis in V. Testamento oblata, & credentibus exhibita fuit gratia & salus, non potest illud Sacramentis adimi, quæ nihil aliud sunt, quam verba visibilia.

2. *Ex Natura Circumcisionis divinitus institutæ.* Circumcisionis Sacramento annexa fuit promissio gratiæ, *Ero Deus tuus & Deus seminis tui post te*, Gen. 17. v. 7. Ergò Circumcisio fuit medium, per quod exhibita & credentibus applicata atque obsignata fuit gratia. Circa quod argumentum notandum, quod verba illa, *Ego ero Deus tuus*, non sint legalis concio, sed verè Evangelica promissio, qua Deus receptionem in gratiam & omnia ad salutem necessaria circumcisis offert, & credentibus applicat & obsignat; quod verbis illis promittatur hominibus fide Sacramentum hoc recipientibus Dei gratia, specialis præsentia & inhabitatio, remissio peccatorum, donatio Spiritus Sancti, & vita

& vita æterna; Levit. 26. v. 12. Jeremiæ 31. v. 33, 34. Matth. 22. v. 32. 2. Corinth. 6. v. 18. quod Deus ipse dicat, *se per Circumcisionem inire pactum cum Abrahamo & ejus semine*, Gen. 17. v. 10. quare, cum Deus non possit inire fœdus cum infideli, utique Circumcisio fuit medium, per quod Deus operatus est fidem in cordibus infantum circumcisorum, per quam bonorum in promissione Circumcisioni annexa oblatorum facti sunt participes; Hebr. 11. v. 6. quod Circumcisionem in carne Deus appellet *pactum æternum*, Genes. 17. v. 7. jam verò pactum æternum cum Deo in homine nondum regenerato non habet locum, utique ergò Circumcisio fuit efficax medium regenerationis, & per conseq. etiam gratiæ; quod contemtores Circumcisionis à consortio Ecclesiæ & spe salutis æternæ excludantur Genes. 17. v. 14. Ergò à contrario sensu Circumcisio est salutare medium, per quod in communionem sanctorum & hæreditatem vitæ æternæ circumcisi asciscuntur; quod pii Veteris Testamenti efficaces consolationes contra omnis generis pericula ex Circumcisione depromserint, 1. Sam. 14. v. 6. cap. 17. vers. 26. quod Deut. 30. vers. 6. Deus promittat, *se circumcisurum cor seminis Israelitici.* Jam verò cor infantum nullo alio medio circumcidi potuit, quam hoc Sacramento, quod ipsum etiam vox Circumcisionis in illa promissione insinuat, utique ergò Circumcisio fuit salutare medium, per quod non solum præputium carnis, sed etiam cordis in infantibus Israeliticis fuit ablatum; quod Josuæ 5. vers. 9. cum Israelitæ in promissam terram Canaan introducti, ex mandato Dei circumcisi essent, Deus ad Josuam dicit: *Hodie abstuli à vobis opprobrium Ægypti*, id est, omnis generis abusus, superstitionem, rebellionem, & alia peccata, quæ Israelitæ in Ægypto didicerant, quæque illis in itinere per desertum adhæserant, utique ergò Circumcisio fuit efficax medium remissionis peccatorum; quod Rom. 4. v. 11. circumcisionem Apostolus vocet σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως. Jam verò non solùm Abrahamo & domesticis ejus adultis, sed etiam Isaaco & reliquis infantibus Circumcisio fuit adhibita, utique ergò etiam illis fuit *signaculum justitiæ fidei*, quam cum non habuerint per nativitatem carnalem Eph. 2. v. 3. nec per auditum verbi, ideò per Circumcisionem eam fuere adepti; quod idem Apostolus Baptismum appellet Circumcisionem ἀχειροποίητον, cum per illam *evacuetur corpus peccati*, Col. 2. vers. 11. at hæc comparatio inter Circumcisionem & Baptismum non constaret, nisi etiam per Circumcisionem corpus peccatorum carnis fuisset exutum; quod Israelitæ accusentur, *quod Circumcisionem in præputium* per inobedientiam *converterint*, 1. Macc. 1. v. 16. Rom. 2. v. 15. utique ergò non tantùm externum corporis, sed etiam internum cordis præputium per Circumcisionem fuit ab illis ablatum; quod Rom. 2. v. 28. & 29. Apostolus doceat, *verum Judæum* esse eum, *qui habet cor circumcisum*, atque eam demum esse *veram Circumcisionem*, quæ fit *in Spiritu in corde*. Jam verò infantes Israelitici circumcisi fuere veri Judæi, & Circumcisio eorum fuit vera Circumcisio, cum actuali impœnitentia & incredulitate non restiterint operationi Spiritus S. Ergò Spiritu in cordibus fuere circumcisi, h. e. regenerati & renovati; quod Act. 15. v. 9. Petrus doceat, Circumcisionem in V. Test. effectum *purgandi corda fide* habuisse, ac eod. modo infantes Israeliticos fuisse salvatos, quomodo nostri salvantur, videl. per ordinarium regenerationis Sacramentum.

3. *Ex Natura Agni paschalis.* Agnus paschalis fuit non solùm *memoriale præteriti*, videlicet mirandæ liberationis populi Israelitici ex Ægypto, sed etiam *figura futuri*, videlicet spiritualis redemtionis à Tyrannide Diaboli & servitute peccati per Christum, verum illum Dei Agnum, per paschalem præfiguratum, Johan. 1. v. 29. cap. 19. v. 36. 1. Cor. 5. v. 7. 1. Petri 1. v. 18. Ergò manducatione illius agni, qui tam perspicue designabat Christum, fides Israelitarum fuit confirmata, quod beneficia Christi veri illius Agni tam certò ad se pertinerent, quam verè carnes agni paschalis comederent.

4. *Ex Natura Sacramentorum καιρικῶν* in Veteri Testamento. Temporaria Vet. Testamenti Sacramenta, videl. transitus per mare rubrum, Exod. 14. v. 22. commoratio sub nube, cap. 13. v. 21. esus mannæ, cap. 16. v. 14. aquæ de petra eruptio ac potio, capit. 17. vers. 6. cum quibus Apostolus N. Testamenti Sacramenta confert, 1. Corinth. 10. vers. 1. & seqq. fuerunt *fidei signacula & gratiæ divinæ testimonia.* Ergò multò magis perpetuis & ordinariis Vet. Testamenti Sacramentis hoc tribuendum.

5. *Ex Natura sacrificiorum.* Per sacrificia Veteris Testamenti confirmata fuit fides piorum, per quam in futurum unicum propitiatorium sacrificium Christi in ara crucis offerendum respicientes remissionis peccatorum, gratiæ Dei & vitæ æternæ facti sunt participes, Levit. 4. vers. 35. Num. 15. v. 25. Ergò multò magis per Sacramenta ipsorum fides fuit confirmata.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Sacramenta Veteris Testamenti fuisse efficacia media & sigilla gratiæ.

Gregorius de Valentia tom. 4. in Thomam Disp. 5. q. 3. p. 1. *Intelligi potest, Sacramenta illa vetera contulisse sive exhibuisse gratiam, quatenus fuerunt velut pignora, aut etiam sigilla quædam, quibus est obsignata & firmata apud homines divina promissio, cujus vi atq; efficacia conferebatur etiam tunc gratia propter passionem Christi futuram, ut si dicamus, verbi gratia, sigillum Principis contulisse sive exhibuisse alicui præfecturam urbis aut aliud officium: quoniam literas & sententiam Principis obsignavit, virtute cujus officium ejusmodi est collatum.*

Cum in Concilio Tridentino proponeretur quæstio, *an Sacramenta veteris legis gratiam contulerint*, Franciscani monebant, *mentionem legis veteris non faciendam, sed legis Mosaicæ, siquidem Circumcisio ipsa conferebat gratiam, sed Sacramentum Mosaicum non erat, tum quia Christus ipse dixerit, non esse à Moyse, sed à Patribus; tum, quia alia Sacramenta ante Abrahamum gratiam conferebant & procurabant.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trident. p. 272.

Cum D. Bonaventura & Scotus tenuerint, Circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato, imò Scotus asseruerit, ilico post peccatum Adami institutum fuisse Sacramentum, quo infantibus data erat gratia ipsius Sacramenti virtute, id est, ex opere operato, Franciscani affirmabant, articulum illum (quod Sacramenta immediatè post Adami prævaricationem à Deo fuerint instituta, per quæ collata sit gratia) veritatem continere, neq; censuræ subjici debere. Opinionis suæ fundamentum faciebant, quod cum D. Thomas dicit, infantes ante Christum salvatos fide paterna, non vi Sacramentorum, inde sequeretur, deteriori esse Christianos conditione. Cùm enim nunc parvulos fides paterna sine Baptismo nihil adjuvet, cumq; D. Augustinus affirmet, parvulum, qui cum in ulnis patris ad Baptismum gestaretur, expiraverat, damnatum; si illis temporibus sola parentum fides sufficiebat, certè liberos Christianorum habere, quod de deteriori sua sorte querantur. ibid. p. 273.

Alanus in lib. de Sacrament. in genere cap. 39. scribit, *Sacramenta V. T. operata esse eosdem effectus, quos nostra, magna ex parte, sed per accidens.*

(At si effecerint eadem, quæ nostra, non multum refert, utrum per se, an per accidens effecerint.)

2. Quod quidam agnoscunt, Circumcisionem fuisse efficax remedium peccati originalis ac medium gratiæ & salutis.

Gregorius lib. 4. moral. cap. 3. *Quisquis regenerationis undâ non solvitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.*

Et postea. *Quid ergò quod in vulva se mortuum fuisse desiderat, & potuisse se quiescere ejusdem mortis beneficiis sperat, dum constat, quod nequaquam eum requies vitæ susciperet, si à reatu illum originalis culpæ nequaquam divinæ cognitionis Sacramenta liberassent?*

Bernhardus serm. 3. de Circumcis. Domini. *Inventa in eo circumcisione, quam peccatoribus ipse providerat, ob purgationem utiq; delictorum.* ibid. *Circumcisionem* vocat *signum regenerationis & purgationis delictorum.*

Epist. 77. *Quis nesciat & alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini ejus Circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est.*

Serm. 1. in Cœna Domini. *Quæ est gratia, unde per Baptismũ investimur? utiq; purgatio delictorum. Hujus quidem gratiæ Sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet.*

Serm. 2. in assumtione Mariæ. *Cum & nunc in Baptismate sola hanc maculam lavet gratia, & sola eam raserit olim petra Circumcisionis.*

(Sixtus Senens. lib. 5. Biblioth. annot. 96. citat verba Bernhardi, sed locum non indicat, ubi ait, *Circumcisionem attulisse tunc salutem infantibus, ut nunc Baptismus.*)

Scotus in sent. 4. dist. 1. q. 6. dicit, *peccatum originale deletum fuisse per circumcisionem ex opere operato.*

Thomas part. 3. q. 62. art. 6. scribit, *datam esse pueris gratiam per Circumcisionem & facultatem perveniendi ad gloriam.*

Idem part. 3. q. 70. art. 3. *Circumcisio ideò fiebat in membro generationis, quia erat in remedium originalis peccati, quod per actum generationis traducitur, & quia ordinatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipuè in membris illis viget.*

(Si circumcisio fuit remedium originalis peccati, ac profuit ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, utique fuit Sacramentum regenerationis & renovationis, ac per conseq. etiam gratiæ & salutis efficax medium.)

Lombardus lib. 4. sent. dist. 1. n. 6. *Fuit inter illa Sacramenta vetera Sacramentum quoddam sc. Circumcisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc Baptismus præstat.*

Unde Augustinus. (lib. 2. de nupt. & concup. c. 11.) *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & parvulis originalis, veterisq; peccati: Sicut Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.*

Idem Beda (in cap. 2. Luc. super verba, postquam impleti sunt dies.) *Idem salutifera curationis auxilium Circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cœlestis januam nondum intrare poterant &c. His apertè traditur, per Circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis & actualis parvulis & majoribus à Deo præstitam, sicut nunc per Baptismum datur.*

Bonavent. 4. dist. 1. q. 3. art. 2. dicit, *Circumcisionem & delevisse peccatum, & contulisse gratiam, sed modicam.*

Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 11. *Sacramentorũ alia fuerunt ante legem, alia sub gratia, specie quidem differentia, sed eundem sanctificationis effectum habentia.*

Idem part. 12. de Sacramentis cap. 10. *Tria Sacramentorum genera inveniuntur fuisse sub lege scripta: Quædam specialiter ad remedium, quædam verò ad obsequium, quædam ad cultum divinum. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, ut in eis homo sanctificaretur, qualis Circumcisio fuit, hostia pro peccato, & cætera quædam, quæ specialiter ad emundationem & remissionem instituta fuerunt. Secunda quasi ad exercitationem fuerunt proposita, ut in eis devotio fidelium exerceretur, quales fuerunt hostiæ pacificorum, quæ offerebantur à fidelibus ob reconciliandam sibi gratiam divinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad præparationem quandam, ut essent quasi quædam instrumenta ad cætera Sacramenta tractanda & sanctificanda, quale fuit tabernaculum & atrium & omnia utensilia, quæ continebantur in eis, nec non & sacra indumenta ministrantium, cæteraque omnia, quæ ad exornandum cultum divinum fuerunt instituta.*

Idem part. ejusd. cap. 2. *Circumcisionis Sacramentum semini Abrahæ sanctificando & signando datum est; sanctificando, ut justificaretur; signando, ut à reliquis gentibus discerneretur.*

Gloss. ordin. in cap. 4. Rom. *Duæ sunt res sacramenti Circumcisionis, sc. Circumcisio à peccatis in præsenti, & ab omni corruptione in futuro, conferebat autem hoc suo tempore, quod Baptismus nostro.*

Durandus in 4. sent. dist. 1. quæst. 7. *Sciendum est, quod Magister videtur sentire in litera, quod Circumcisio, licet culpam auferret, non tamen conferebat gratiam. Tamen in hoc non tenetur communiter.*

Biel 4. dist. 1. q. 4. *in Circumcisione gratiam, ex opere operato* dicit *esse collatam.*

Altensteig in Lexico. *Circumcisio est signaculum curationis ab originali.* (quod ex Patribus probat.)

Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. *Conveniunt omnes in illum effectum, quod in circumcisione auferretur peccatum originale.*

Idem ex Thoma p. 3. quæst. 70. art. 4. *Dicebat prima opinio, quod Circumcisio solum auferebat peccatum, non autem conferebat gratiam. Et hæc videtur fuisse Magistri sententiarum in quarto circa finem primæ distinctionis. Est tamen opinio, quæ ut erronea repudiatur, ob idq; alii moderatius dixerunt, Circumcisionem contulisse gratiam quantum ad effectum remissionis culpæ, non autem quoad effectus positivos implendi mandata legis. Sed neq; ista positio sustineri valet. Tertii igitur dixerunt, quod in Circumcisione conferebatur gratia quantum ad illum effectum positivum, qui est facere amicum dignumq; vita æterna, non autem quantum ad reprimendam concupiscentiam, quæ impedit impletionem mandatorum. Atque hanc opinionem tenuit Thomas, quia nondum rei punctum conjecerat, diligenter tamen considerando eam postmodum opinionem meritissimè rejecit. His ergò refutatis erroribus ad quæstionem respondet Thomas tribus conclusionibus, veram constituendo differentiam inter Circumcisionem & Baptismum, non in re ipsa gratia, sed in modo illam conferendi.*

Prima conclusio. In Circumcisione conferebatur gratia, quoad omnes ejus effectus.

Suarez de Sacramentis disp. 5. art. 3. quæst. 65. sect. 1. *Secunda sententia est, Circumcisionem institutam fuisse & datam populo Israelitico in remedium originalis peccati, ita ut remedium legis Naturæ, quod de se indifferens agat, quoad externam Ceremoniam, determinatum fuerit ad ritum Circumcisionis pro filio & posteris Abrahæ &c. Sententiam hanc secuti sunt omnes Scholastici sine ulla opinionum diversitate.*

Pererius in Comm. Gen. 17. *Quod donum, sc. remissionem peccatorum, per hujusmodi Circumcisionem eo tempore ministrari, eidem gratiæ legisque latori Deo complacuit. Qui enim nunc dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; ipse tunc dicebat, Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.*

Idem Disp. 4. in cap. 4. Rom. in quæstione *An Sacramenta novæ legis causaverint gratiam, an verò solùm eam figuraverint,* planè fluctuat ac in utramque partem disputat, tandem verò cò inclinat, ut dicat, *per circumcisionem quidem datam fuisse gratiam, sed minorem, quam per Baptismum.*

Feuardentius ad verba Irenæi lib. 4. cap. 30. (*In signo ergò data sunt hæc. Non autem sine Symbolo erant signa, id est, sine argumento: neq; otiosa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur: sed secundum carnem Circumcisio Circumcisionem præfigurabat spiritualem:*) sic annotat: *Igitur fuit signum efficax & operatorium.*

Sebastianus Episcopus Oxomensis (& ex eo Franciscus Suarez p. 3. q. 70. D. 29. sect. 2) docent, *Circumcisionem, quatenus fuit remedium, quo peccatum originale remittebatur, & professio fidei de Christo venturo, potuisse esse in usu omnium gentium.*

Salmeron. disp. 8. lib. 1. in Epist. Pauli p. 1. constanter disputat, *Circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato.*

Idem disp. 33. in Epist. Rom. *Non ob aliud circumcisus est Abraham, quam ut Circumcisionem deferret in signum ac demonstrationem justitiæ, quo signo id, quod oculis externis spectandum objiciebatur, intus per Spiritum S. fieret & stabiliretur.*

Idem Disp. 6. in 1. Epist. Petri cap. 3. Si per *depositionem sordium carnis Apostolus spectavit ad circumcisionem, detraheret illi vim remittendi peccatum originale, quod non est usquequaq; certum apud omnes Patres.*

Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 17. §. Ad argumentum Calvini &c. fatetur, *promissionem corporalem & terrenam de multiplicatione seminis, & possessione terræ Canaan circumcisioni annexam fuisse figuram promissionis spiritualis ac cœlestis dandæ illis, qui non carne, sed corde circumciderentur, idq; Patriarchas, Prophetas & alios viros perfectos illius temporis intellexisse.*

(Addit quidem, *solam promissionem terrenam ad V. T. pertinere.* Sed distinguere debebat vocis ambiguitatem. Nomine *Veteris Test.* aliquando intelligitur totum tempus ante Christi adventum & incarnationem; aliquando verò pactum illud legale, in quo Deus observantibus legem promisit vitam æternam. A Testamento veteri priore sensu accepto, Evangelicæ de Christo & ipsius beneficiis promissiones excludi non possunt, nisi ex sanctissimis Patriarchis & Prophetis homines planè carnales & mundanos facere velimus. Ergò etiam à Sacramentis V. T. eædem promissiones Evangelicæ ac spirituales excludi nequeunt.)

Sententiæ (Alexandri Alensis, Bonaventuræ, Scoti & Biel) quæ statuit, *circumcisioni justificationem ex opere operato tribuendam esse,* hodie se adjungunt omnes *Franciscani* & qui eorum Theologiam sequuntur, quæ inprimis in hoc articulo defenditur à Josepho Angles in Flor. in 4. sent. q. 3. de causal. grat. art. ultimo conclus. 3. tum autoritate Ecclesiæ in genere, tum in specie Doctorum v.g. S. Augustini, Gregorii & Bedæ, qui respondet ad argumenta contraria.

Lorinus Act. 7. v. 8. scribit, *communiorem esse Theologorum sententiam, ad quam magis quoq; Patres propendeant, post Augustinum, Circumcisionem esse Sacramentum institutum in originalis peccati remedium &c.*

(Idem

(Idem statuunt Innocentius in cap. Majores ext. de Baptismo, Toletus in c.3. Joh. annot.9.)

Estius in c. 4. Rom. *Non facile reperias quenquam Augustino priorem, qui in signaculo Circumcisionis agnoscat virtutem animas à peccato mundandi, tametsi hæc opinio post Augustinum, eoq; ut apparet, autore multum apud Latinos fuerat recepta.*

(Ergò nostra sententia gaudet suffragio Augustini & aliorum Latinorum.)

Cornelius à Lapide in cap. 17. Genes. *Circumcisio est signum purgativum peccati originalis, ut docent Patres. Circumcidebatur enim membrum genitale, quo peccatum originale transfunditur.*

Et postea. *Circumcisio est adoptio & adscriptio in Ecclesiam Dei ejusq; jura & præmia.*

3. Quod quidam agnoscunt, *sacrificia* fuisse salutaria gratiæ media & peccati remedia.

(Ergò Sacramentis idipsum denegari minimè debet. Quãvis discrimen fuerit inter *sacrificia* & *Sacramenta* ratione *δόσεως καὶ λήψεως*, *in Sacramentis* enim homines acceperunt aliquid à Deo, *in sacrificiis* ex institutione Dei aliquid ipsi obtulerunt, tamen *ratione finis*, qui est confirmatio fidei, Sacramenta & sacrificia quodammodo convenerunt.)

Gregorius lib 4. moralium c. 2. *Quod apud nos Baptismus, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.*

Pererius in cap. 8. Genes. super verba. *Odoratus est Dominus odorem quietis &c. significat indignationem divinam, per quam diluvio destructus fuerat orbis terrarum, sacrificio Noë fuisse mitigatam, placatam, & ut ita dicam, quietatam.*

Bellarminus lib.2. de Sacrament. c.14. §. Primus locus &c. scribit, *nullas Ceremonias habuisse clariores promissiones de remissione peccatorum, quam sacrificia.*

(Qua ergò veritatis specie dici potest, sacrificia, quæ finis ratione cum Sacramentis conveniunt, & fidem confirmant, planè nihil ad remissionem peccatorum & justificationem valuisse? Inter verbum promissionis & fidem est perpetua relatio. Quod si ergò sacrificia habuerunt claras promissiones de remissione peccatorum, utique etiam ex parte hominum requisita fuit fides Christi sacrificium respiciens & bona in verbo promissionis oblata recipiens.)

Lib. ejusd. c.17. §. Secundo id probatur &c statuit, *Sacrificia placuisse Deo ex devotione & obedientia offerentium*, quod c. 13. §. una igitur, sic explicat, *justificasse Sacramenta vetera ex opere operante, hoc est, ex fide & devotione utentis.*

(At si ex fide Deo placuerunt sacrificia piorum, utique fides in exercitiis & ritibus illis sacrificiorum respexit Christum suum correlatum, & remissionem peccatorum à Deo accepit.)

Azorius lib. 10. Institut. cap. 7. fol. 848. *Magister sententiarum sensit, sacrificia etsi ex fide & caritate offerrentur, nullam vim habuisse tollendi peccata & gratiam conferendi, sed tantùm in typum instituta fuisse, cujus sententia communi Theologorum consensione rejicitur.*

Bened. Justinianus in cap. 9. Hebr. super verba, *absque sanguinis effusione non fit remissio. Omnia ferè in lege illa vetere sanguine lustrabantur, & absque sanguinis effusione nulla prorsus expiatio rata erat.*

4. Quod agnoscunt, *Sacramenta Vet. Test.* illud fuisse olim Israëlitis, quod nobis hodie sunt *Baptismus & Eucharistia.*

(Utique ergò V. T. Sacramenta non fuere nuda duntaxat signa, sed etiam efficacia media gratiæ offerendæ, conferendæ & obsignandæ.)

Thomas in 1. Cor. 10. *Et omnes in Mose, hoc est, in ducatu Moysi baptizati sunt in nube & in mari, id est, per visa signa purgati ab ignorantia; vel à vitiis per fidem, scilicet submersis Ægyptiis. Exodi decimo quarto. Timuit populus Dominum, & crediderunt Domino & servo suo Moysi. Vel baptizati sunt, id est, signum Baptismi receperunt: Nam Baptismus constat ex aqua & Spiritu. Nubes autem Symbolum erat Spiritus, mare verò aquæ, ut dicit Damascenus.*

Cajetanus in h. l. *Scribitur ibidem, quod pertransito mari timuit populus Dominum, qui prius murmuraverat: & credidit Domino & Moysi servo ejus, & consequenter cecinerunt canticum Domino. Hoc est enim baptizatos hoc est, ablutos fuisse omnes in Moyse, confortante eos, & in nube tuente eos, & in mari præbente se eis pro muro à dextris & à sinistris, submergente autem Ægyptios. Ex his enim abluti sunt à diffidentia divinæ protectionis.*

Salmero ibid. *Erat autem columna nubis quæ Israelitas protegebat ab æstu Solis in diserto & cursum eorum dirigebat simul: & columna ignis per noctem, quæ illis Baptismi & confirmantis Spiritus S. instar fuerunt.*

Bened. Justinianus ibid. in paraphr. *Eodemque ductu Mosis nube illa ac mari veluti quodam typico Baptismo fuisse lustratos: nam aqua quidem Baptismi materiam, nubis verò columna Spiritum sanctum indicabat, qui dum corpus undâ abluitur, animam expiat.*

In explanatione. *In ipso rubri maris transitu veluti Baptismo expiati.*

Quo pertinet, Primò, quod statuunt, escam & potum Israëlitarum, cujus mentio fit 1. Cor. 10. dici *spiritualem* propter significationem & effectum.

Lombardus in 1. Cor. 10. *Dicit spiritualia, quia non Naturæ, non mundi lege, sed Dei virtute parata sunt, sine Elementorum commixtione, habentia in se figuram futuri mysterii, quod nos sumimus in memoriam Christi.*

Lyranus ib. *Dicitur spiritualis, quia non virtute Naturæ, sed divinæ potentiæ fuit data: & quia figura fuit Sacramenti Eucharistiæ, quod spiritualiter nutrit.*

Salmeron. ibid. *Vocat spiritualem escam & spiritualem potionem, cum tamen esset temporalis & visibilis, quia occulta & arcana Spiritus sancti virtute data sunt &c. Dicitur etiam esca & potus spiritualis, quia in Symbolum & significationem rerum spiritualium, quæ nobis exhibita sunt in Novo Testamento per Christum, data sunt.*

Emanuel Sa ibid. *Spiritualem, id est, Spiritualis figuram.*

Bened. Justinianus ibid. in paraphrasi. *Id est, illud Manna cælitus missum, quod præter externam speciem, quam præferebat, cibum verè cælestem ac divinum significabat, quem nos Christi beneficio percipimus.*

Secundo, quod agnoscunt, Paulum monere Christianos, ne existiment sufficere externum Sacramentorum usum absque vera pœnitentia, fide & pietate, argumento eo, quod nec Israëlitis fide destitutis signa illa Sacramentalia profuerint, quo minus debitas impietatis pœnas darent.

(Atqui huic argumento nulla vis est, si statuatur, V. T. Sacramenta fuisse nuda signa, nostra autem efficacia media gratiæ.)

Lombardus in h. l. *Hic exemplo Judæorum, qui negligentiæ sua offenderunt, nos solicitos facit, ostendens antiquos per Sacramentorum veterum communicationem pœnam non evasisse, quasi dicat volenti comprehendere, sic est agendum, ut dixi, non enim Baptismus & cætera Sacramenta sufficiunt, ut quidam putant, sicut nec Judæis beneficia Dei valuerunt, cum post peccarent.*

Thomas ibid. *Quasi dicat, sic agendum ut monui. Non enim sufficiunt Sacramenta Ecclesiæ suscepta vobis postea peccantibus, sicut nec Judæis Dei beneficia, quin postea punirentur.*

Salmeron. ibid. *Tradit etiam Patrum exempla in otio & securitate degentium, in quibus Corinthios ab otio item & securitate degentes sub Evangelio deterret, & quantùm potest, dehortatur, docetque, ne de solo Baptismo confidant, quasi propterea debeant impunè tolerari in suis peccatis.*

Gagnæus in h. l. *Admonet hoc capite Corinthios Paulus, ne de donis à Deo perceptis efferantur: futurum enim, ut per elationem hanc atq; alia peccata his donis excidant.*

Tertiò, quod agnoscunt, pios in V. T. per illa Sacramenta beneficiorum Messiæ factos fuisse participes, sicut pii in N. T. per sua Sacramenta.

Lombardus in 1. Cor. 10. *Et nos hodiè accipimus visibilem cibum, sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramenta illa fuerunt; Sacramenta sunt & nostra, & utiq; ejusdem rei. Manna enim Christum significavit. Christus enim est panis, qui de cælo descendit, si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum, sed quod pertinet ad veritatem Sacramenti, non ad visibile Sacramentum, qui manducat intus, non foris; qui manducat corde, non qui premit speciem, scilicet dente. Ideò Apostolus vigilanter, non simpliciter ait, manducaverunt eandem escam, sed addit spiritualem, quia spiritualem eandem manducaverunt, quam & nos. Et tamen aliud illi aliud nos, sed specie visibili; aliud tamen quod idem significaret virtute spirituali. Et omnes biberunt potum, utiq; corporalem & spiritualem, sed spiritualem eundem, quem & nos, corporalem verò alterum, id est, aquam, quæ fuit signum sanguinis Christi, & idem credentibus effecit. Spiritualem ergo dicit potum, quem biberunt ipsi & nos bibimus, quia idem illorum potus & noster significat. Ideoq; idem spiritualis potus &*

 cibus

cibus noster & illorum, quia idem in mysterio est cibus & potus illorum, qui noster: sed significatione idem, non specie: quia idem Christus illis in petra est figuratus, nobis in carne manifestatus, & in altari sub specie panis significatus. In signis utiq, diversis eadem est fides, sed illi venturum, nos venisse credimus. Ideò non simpliciter ait, eundem potum biberunt, sed addit spiritualem, spiritualem enim eundem biberunt, quem nos, corporalem non eundem. Quid enim biberunt: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Spirituali scil. quæ Christum significabat, & fide idem fuit.

6. Quod de efficacia Sacramentorum V. T. variis modis invicem dissentiunt.

Gabriel Biel lib. 4. sent. dist. 1. quæst. 3. quærit, *Utrum Sacramenta veteris legis contulerint gratiam rite utentibus ex opere operato?*

In responsione ad hanc quæstionem recitat tres opiniones,

1. Quod *Sacramenta veteris legis contulerint gratiam ex opere operato, licet non tantam, nec ita directè, sicut Sacramenta novæ legis.* Hugo lib. 1. de Sacram. part. 11. c. 1. & 2.

2. Quod *non contulerint gratiam neq, ex opere operato; neq, ex opere operante seu per modum meriti, etiamsi in fide & caritate fierent, quia imposuit ea Deus in onus & servitutem.* Hanc opinionem tribuit Lombardo.

3. Quod *ex vi Sacramenti seu ex opere operato gratiam non conferant.* Hujus opinionis patronos statuit Alexandrum Alensem, Thomam & communem Scholam.

De effectu Circumcisionis quatuor habentur opiniones, quas recitant Alex. Alensis part. 3. q. 7. membr. 7. Thomas lib. 4. sent. dist. 1. q. 9. art. 3. Biel d. l. Concordant in eo, quod *Circumcisio ex opere operato deleverit culpam originalem*, discordant autem *quantum ad gratiam.*

1. Quidam planè negant, quod *Circumcisio contulerit gratiam.*

2. Quidam statuunt, quod *gratia non fuerit collata ex vi Circumcisionis, sed ex divina liberalitate ablato gratiæ impedimento.*

3. Quidam disputant, quod *ex vi Circumcisionis collata fuerit gratia quantum ad effectus privativos, qui sunt tollere culpam; sed non quantum ad positivos, qui sunt gratificare & habilitare ad opera meritoria.*

4. Deniq; quidam tenent, quod *collata fuerit gratia quantum ad privativos & positivos effectus, licet non tam intensos, sicut fit in Baptismo*, quam opinionem Biel vocat *communem.*

Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 13. §. Etsi autem &c. dicit, *Catholicos in eo convenire, quod Sacramenta veteris legis, quæ propriè Mosaica dicuntur, non contulerint gratiam ex opere operato;* fatetur tamen, *in duabus quæstionibus eos adhuc discrepare*, una quæstio est *de Sacramentis veteribus Circumcisione excepta, an justificent ex opere operantis*, de qua duæ sunt opiniones, *una Magistri* in 4. sent. dist. 1. qui *id negat*, ait enim, *Sacramenta illa non justificasse, etiamsi in fide & caritate susciperentur, quia data erant, ut essent oneri, non ut justificarent; secunda est communis Theologorum, justificasse omnia illa Sacramenta ex opere operantis, id est, ex fide & devotione suscipientis. Et hæc sententia*, inquit Bellarminus, *est verissima.*

Altera quæstio est de Circumcisione, quæ propriè non est Sacramentum Mosaicum, sed legis Naturæ. Johan. 7. De Circumcisione illa duæ sunt opiniones, una Alexandri, Bonaventuræ, Scoti & Gabrielis, qui admittunt Circumcisionem ex opere operato contulisse Justificationem. Altera est Thomæ, Capreoli, Soti & aliorum, qui docent, Circumcisionem vi sua non justificasse; sed justificasse tantùm, quatenus fidei protestatio erat & fidem applicabat &c. quam sententiam Bellarminus judicat probabiliorem.

Exceptiones Adversariorum,

1. Quando ex promissione fœderali addita Circumcisionis Sacramento, *Ero Deus tuus & Deus seminis tui*, concludimus, *Circumcisionem fuisse peccati remedium & conferendæ gratiæ medium;*

Excipit Bellarminus, *verbis illis nec remissionem peccatorum, nec vitam æternam promitti, sed tantùm quandam peculiarem protectionem, qualis debetur populo peculiari.*

Resp. 1. Dionysius Carthusianus in Comm. illius loci sic explicat, *Quatenus ego, qui sum omnium Deus jure creationis & universalis imperii, sim specialiter Deus tuus & posterorum tuorum fidem tuam sequentium, per specialem provisionem, pietatem & gratiam mei circa te & illos, atq, per fidem & cultum, quibus à te & illis colar & honorabor.*

2. Joh. Ferus ibid. *Dei erga nos misericordiam & dignationem ostendit, qui non erubescit, se Deum nostrum vocare. Et Deus quidem omnium est, sed tamen specialiter Deum se nominat eorum, quibus benefacit, fovet, defendit, salvat ac quasi curam eorum gerit.*

3. Vasquez in p. 3. Thom. Disp. 146. capit. 2. num. 15. Bellarmino disertè contradicit. *Eo loco*, inquit, videlicet Gen. 17. *non tantùm Deum promisisse peculiarem curam & protectionem terrenæ felicitatis Abrahæ & semini ejus: sed remissionem etiam peccatorum & vitam æternam, licet sub figura terræ peregrinationis, ut constat ex illo ad Hebr. 11. & siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem, ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem, nempe cœlestem &c. Sensus est, Abraham, Isaac & Jacob, cum se fatebantur peregrinos esse, non solùm se peregrinos à Mesopotamia, unde exierunt, sed etiam à cœlesti patria, quam sibi promissam inquirebant, confessos fuisse, quia sciebant sibi à Deo cœlestem patriam fuisse præparatam. In illa igitur promissione Gen. 17. ubi promissa fuit Abrahamo & semini ejus peregrinationis terra, intellexit Abraham, promissam sibi quoque esse cœlestem beatitudinem.*

2. Quando ex comminatione Circumcisioni addita, *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo &c.* colligimus, *Circumcisionem fuisse efficax medium receptionis in gratiam & salutem*, excipit Bellarminus, *verba illa intelligenda non de infantibus sed de solis adultis, cùm* προσθήσεως *in die octavo, non habeatur in Hebræo Codice vel Latina versione, sed tantùm in Græca interpretatione, quæ Augustinum deceperit.*

Resp. Suarez de Sacram. disp. 5. sect. 1. artic. 3. quæst. 61. *Secusa etiam illa particula, verba Scripturæ indefinita sunt & æquivalent universali locutioni, non ergò possunt liberè ad solos adultos coarctari.* Et paulo post. *Præterea proximè dictum erat, infans octo dierum circumcidetur in vobis, eritq, pactum meum in carne vestra in fœdus sempiternum; statim verò subditur, Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit. Ergò nisi sit magna æquivocatio in verbis, idem masculus periturus dicitur, si non circumcidatur, qui præceptus erat circumcidi. Hic autem erat infans octo dierum: Ergò de illo, & non tantum de adulto sermo est in prædictis verbis.*

Argumenta Adversf. 1. *Apostolus Rom. 4. ex professo probat, Abrahamum non in Circumcisione, sed in præputio fuisse justificatum, ut inde admoneat, Circumcisionem non esse datam, ut justificaret.* Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 14.

Resp. 1. Idem Bellarminus lib. ejusdem cap. præced. 13. sic scribit: *Etiam nunc in N. T. adulti per fidem & contritionem veram justificantur, antequam reipsa ad Sacramentum accedant.*

(Si quis ex eo vellet colligere, Sacramenta N. T. non justificare, Bellarminus id non concederet, sed dubio procul responderet, *à negatione actus secundi ad negationem actus primi non valere consequentiam.* Cur ergò ex eo, quod Abrahamus ante Circumcisionem justificatus fuit, colligere conatur, *Circumcisionem non esse datam, ut justificaret?*)

2. Sicut alius Baptismi effectus est *in adultis*, alius *in infantibus*, in illis fidem auget & obsignat, in his fidem accendit, ut ipsimet Pontificii agnoscunt: ita quoque alius Circumcisionis effectus fuit *in adultis*, alius *in infantibus.*

3. Verbum prædicatum non est medium primitus accendendæ fidei in illis, qui jam fide sunt donati.

Nec tamen Bellarminus permittet ex eo inferri, *quod verbū prædicatum in reliquis convertendis non sit fidei accendendæ medium.* Idem judicium esto de Circumcisione.

4. Scopus Pauli in cap. 4 Roman. est, probare, Abrahamum non esse justificatum ex operibus.

Pererius in c. 4. Rom. *sententiam & doctrinam suam de justificatione hominis dudum traditam, illam dico, justificari hominem per fidem sine operibus, Paulus hoc quarto capite etiam magis confirmat & illustrat exemplo Abrahæ.*

Bened. Justinianus ibid. *Origenes, Oecumenius, Augustinus confirmare illum docet, quod superiori capite asseruerat, non ex operibus, sed ex fide hominem justificari.*

(Jam verò circumcisio non justificavit *ut opus*, sed *ut Sacramentum.* Inde Paulus non dicit, fecit opus Circumcisionis, sed *accepit signum Circumcisionis.*)

Argum. 2. 1. Cor. 7. *Circumcisio nihil est. Gal. 6. Nec Circumcisio aliquid valet, nec præputium.* Bell. d. l.

Resp. 1. Thomas, Richardus, Durandus, Petrus de Palude distinguunt *tria tempora Circumcisionis*, unum *usque ad passio-*

passionem Domini, alterum à passione Domini usq; ad publicationem Evangelii, tertium post publicationem Evangelii. In primo, inquiunt, *tempore Circumcisio fuit utilis; in secundo fuit licita, sed nec utilis, nec necessaria; in tertio fuit mortifera.*

(Si Bellarminus adducta Scripturæ testimonia de tempore ante Christi passionem accipere velit, statuere cogetur, Circumcisionem non solùm non justificasse, sed etiam inutilem, imò & noxiam fuisse.)

2. Rectè ergò Thomas in c. 5. Gal. *in Christo, id est, in his, qui sunt in fide Christi.*

Cajetanus in cap. 5. Gal. *hoc est, in Christianis.* Bened. Justinianus in paraphrasi ibid. *In Christo Jesu atq; ejus disciplina, quam profitemur.*

Et in annot. *In Christo, id est, in lege Christi.*

Jacobus Tirinus in 1. Cor. 7. v. 19. *Loquitur Paulus de suo tempore, quo Ceremoniæ Judaicæ jam tum mortuæ erant, sed nedum mortiferæ &c.*

3. Josephus Angles Episcopus Hispanus in 4. sent. quæst. 3. art. ult. concl. 3. ad argumentum illud respondet hoc modo: *Respondeo,* inquit, *cum D. Hieronymo, loquitur Apostolus contra illos, qui post acceptam Evangelii gratiam ad Judaismum revertuntur. Nam ante sufficientem Evangelii promulgationem divitiis plena erant (quæ Gal. 4. vers. 9. vocantur egena Elementa) quia Circumcisio gratiam conferebat, & reliqua Christum venturum significabant.* Id confirmat ex his verbis, *in Christo Jesu.* Item. *iterum servire.*

Argum. 3. *Nullum potest dari Sacramentum V. T. quod habeat annexam promissionem gratiæ.* Bellarm. d. l. c. 16.

Resp. idem Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 14. 5. At loca &c. scribit, *nullas Ceremonias habuisse clariores promissiones de remissione peccatorum, quam sacrificia.*

(Si sacrificia habuerunt *promissiones de remissione peccatorũ,* utiq; etiam habuerunt *promissionem gratiæ,* quia gratia justificans consistit in remissione peccatorum.)

Arg. 4. *Lex non justificat. Ergò nec Sacramenta veteris legis justificant.* Bellarm. d. l.

Resp. idem Bellarminus ibidem immediatè subjicit. *In sanctis Vet. Test. itidem fuisse justificationem à peccatis, non quidem per T. Vetus, aut ejus Sacramenta, sed per T. Novum, ad quod illi pertinebant, & ad cujus participationem fide ac desiderio pertingebant.*

(Agnoscat igitur, esse discrimen inter *tempus V. T.* & inter *substantiam V. T.* Item inter *ritus merè legales* & inter Sacramenta, quibus promissio gratiæ fuit annexa, quæ cùm fuerint *signacula justitiæ fidei,* hactenus & hoc respectu ad legem moralem referri non possunt.)

Argum. 5. *Deus in V. T. dicitur noluisse sacrificia. Psalm. 40. Sacrificium & oblationem noluisti &c. Ps. 51. Si voluisses sacrificium, dedissem. Es. 1. Quo mihi multitudo victimarum vestrarum &c. Si Deus sacrificia noluit ad justificandum Judæos. Ergò nulla sacrificia justificabant. Connexio probatur, quia non significat Scriptura, Deum* ἀπλῶς *nolle sibi fieri sacrificia, cum ea sibi offerri jusserit, sed* κατά τι, *nempe ad expiandum peccatum.*

Resp. 1. Cornelius Jansenius in Psal. 40. *Sacrificium pacificorum & oblationem libaminum non per se, nec magnopere requiris. Holocaustum & hostiam pro peccato non magnopere postulasti, nec per se hæc tibi grata sunt.*

2. Idem in Psalm. 51. *Si pro expiatione peccatorum meorum à me exegisses sacrificium aliquod externum, obtulissem sanè illud, verùm holocaustis non per se delectaris, nec adeò tibi placent, ut per ea peccata apud te purgentur & dimittantur.*

3. Genebrardus ib. *Quæ omnia Deus noluit, id est, accepta non habuit, neque probavit per se, sive ratione illarum rerum, sed duntaxat, quatenus fiebant ex obedientia erga se & fide in venturum Mediatorem.*

(Ergò tunc demum non probata fuere Deo sacrificia, quando ea sine fide ex opinione operis operati fuere oblata ac si per se illis delectaretur.)

4. Jacobus Tirinus in cap. 1. Esai. v. 11. *Quorsum offertis mihi tam crebras victimas? Nam licet in se bonæ sint & à me institutæ, imò præceptæ, tamen ut à vobis offeruntur, mihi displicent, quia impuro corde illas offertis, quia neglecta vera sanctitate interna sanctitatem omnem in illis externis sacrificiis ponitis, quia non nisi umbra sunt & typi sacrificii veri Eucharistici.*

Arg. 6. *Philo nunquam memorat, Circumcisionem peccato medelam attulisse, cum tamen Circumcisionis fines ex professo recenseat.* Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 15.

Resp. Bellarminum hac in parte ex industria refellit Benedictus Pererius Disp. 6. in capit. 4. Rom. inter alia sic scribens: *Mirum videri non debet, nec Josephum nec Philonem de Circumcisionis utilitatibus differentes de remotione peccati originalis, qui erat omnium maximus Circumcisionis fructus, nihil prodidisse. Scribebant illi, quæ legi volebant non tantùm à suis gentilibus & Judæis, sed præcipuè à Græcis & à Romanis, quibus & gentis Judaicæ & rerum Judaicarum antiquitatem, & dignitatem & sapientiam notificare & commendare cupiebant. Istiusmodi autem hominibus intutum atq; indecens putarunt, arcanum hoc magnumq; mysterium de peccato originali, cui alia plura annexa erant, declarari, ne fortè illi, qui nihil nisi carnaliter sentiebant & sapiebant, contemnerent atq; irriderent, quod non satis intelligebant.*

Thesis quarta. Sacramenta quædam Nov. Test. characterem indelebilem imprimere dubium est & incertum.

Ἔκθεσις. 1. Non negamus, Baptismum à sacra Cœna etiam per hoc adjunctum distingui, quod ille *semel tantùm,* hæc autem *sæpius* eidem homini ministretur, interim tamen causam hujus rei non quærimus in tali quodam *charactere,* qualem Pontificii statuunt, sed in divina institutione, & propria horum Sacramentorum Natura ac fine.

2. Non negamus, internam Christi gratiam, quæ signum aliquod spirituale & *character animæ impressus* sano sensu dici potest, per Sacramenta fidelibus conferri & obsignari, interim tamen non magis ex uno, quam ex alio quovis Sacramento energiam seu qualitatem illam spiritualem proficisci existimamus.

3. Vox *characteris* potest accipi pro *qualibet nota vel signo rem unam ab alia distinguente.* Hoc sensu non negamus, Baptismum esse fidelibus signum, notam ac characterem professionis suæ, qui eos à non baptizatis distinguat. Sic circumcisio vocatur *sigillum justitiæ fidei* Rom. 4. v. 11. Eodem sensu pii veteres *Baptismum* appellarunt *characterem,* quo sensu character erit *signum & res relativa,* non verò qualitas absoluta. Negamus verò *præter externam aquæ lotionem, & internam Spiritus S. gratiam Dei filiis per Baptismum collatum imprimi animæ characterem, qui sit qualitas absoluta, non relativa, quiq; hominem reddat aptum ad Dei cultum, Christoq; conformem.*

Antithesis. Scholastici de charactere sic disputant,

1. *Quod sit spiritualis quædam qualitas animæ.*

2. *Quod in tribus tantùm Sacramentis inprimatur, videlicet in Baptismo, Confirmatione & Ordine.* Rationem addunt hanc, *quia character est quædam spiritualis potestas ad agendum aliquid secundum certum statum. Jam verò tantùm tria illa Sacramenta ponunt hominem ad certum statum, ad aliquod spirituale exercitium.*

3. *Quod detur ad significandum, cùm sit signum Sacramentale; ad disponendum, quia disponit ad gratiam gratum facientem; ad assimilandum, quia configurat nos Christo; & ad distinguendum, quia ab aliis hominem distinguit.*

4. *Quod character ille sit indelebilis.*

Concil. Trident. sess. 7. can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo sc. Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit.*

Costerus in Augm. Ench. p. 26. *Catholica doctrina habet, Sacramentis Ecclesiæ non solùm conferri gratiam & peccatorum remissionem: sed in animam etiam signum quoddam seu characterem à Deo imprimi, quo homo divino cultui consecretur, potestatemque recipiat tum suscipiendi Sacramenta, tum conferendi, & ab aliis discernatur.*

Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 19. de charactere has format propositiones.

1. *Quod sit signum aliquod spirituale, animæ in quibusdam Sacramentis impressum.*

2. *Quod non sit relatio, sed absoluta qualitas.*

3. *Quod tria habeat officia, aptum sc. facere ad cultum divinum, configurare Christo & distinguere ab aliis.*

4. *Quod sit in sola anima tanquam in subjecto.*

5. *Quod sit indelebilis.*

6. *Quod in tribus tantùm Sacramentis imprimatur, in Baptismo sc. Confirmatione & Ordine.*

7. *Quod nec circumcisio nec ullum Sacramentum veteris legis impresserit characterem in anima.*

8. *Quod nullus in Christo fuerit character creatus.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex eo, quod Scriptura nullam characteris illius mentionem faciat.

2. Quod nulla nos cogat necessitas, ut talem characterem statuamus. Una ergò litura hic character, quem fingunt *indelebilem* esse, deleri potest, si dicamus: *De charactere illo nullum in Scripturis characterem extare.*

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fatentur, characterem lubrico atque incerto niti fundamento.

Scotus lib. 4. sent. dist. 7. q. 9. agnoscit, de charactere in sacris literis nulla extare testimonia. *Nec sacra Scriptura*, inquit, *istud exprimit esse necessarium in Baptismo, nec sancti explicitè: nec sequitur evidenter ex veritate Baptismi credita &c.*

Et postea. *Hic respondetur, quod sancti tradunt de charactere secundum illum modum, quo loquimur, ut adductum est de Dionysio & Damasceno. Sed illæ autoritates videntur tantùm esse vocales & non ad intentionem eorum.*

Item. *Tamen aliqua allegantur non concludentes ex Augustino de Baptismo contra Donatistas cap. 6. In ista autoritate sæpius nominat characterem, sed apparet, quod nihil ad propositum secundum significationem characteris, de qua loquimur.*

(Addit quidem, *eum esse credendum propter solam Ecclesiæ autoritatem*, sed ostendimus superius lib. 1. part. 1. c. 1. ex ipsis Pontificiis Scriptoribus, sacram Scripturam de fide & moribus perfectè nos informare.)

Inde Dominicus de Soto in sent. dist. 1. quæst. 4. de Scoto sic disserit. *Tenuissimam opinionem ostendit se habere de charactere. Contendit enim probare, hujuscemodi assertionem neq; è sacris literis, neq; è sanctorum Patrum testimoniis colligi posse, neq; verò per rationem naturalem. Et subjungit, quod cum neq; Magister Sententiarum, neq; Gratianus de consecratione distinctione quarta, ubi sententias Patrum de Baptismo compilavit, de charactere mentionem fecerit, indicium est, non esse effectum ita multò necessarium. Nihilominus propter solam Ecclesiæ autoritatem tutum non existimat ipsum negare.*

Durandus lib. 4. sent. dist. 4. quæst. 1. scribit, *characterem non esse aliquid reale distinctum ab anima, sed esse solum respectum rationis, sive Ens rationis, hoc est, respectum advenientem ex deputatione ad certum officium, qualis relatio est in Doctoribus, Prætoribus &c.*

De hac Durandi sententia Bellarm. d. l. scribit, quod *vix distinguatur ab hæresi hujus temporis*, hoc est, à sententia Lutheranorum, quam *hæreticam* vocat ipse hæreticissimus.)

Ibid. Durandus sic loquitur. *Omnes moderni profitentur, imprimi characterem in aliquibus Sacramentis, & nos loquentes ut plures, dicamus eis characterem nonnihil esse.*

(Sic ergò statuit characterem nulla ratione inductus, sed aliorum tantùm autoritate impulsus.)

Gabriel Biel lib. 4. sent. dist. 6. quæst. 2. *Nomen character non est multum usitatum in Scriptura, nec apud originales Scriptores.* Ex eo format postea talem conclusionem. *Characterem esse ponendum nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens autoritas probat. Omnes namq; autoritates ex Dionysio, Augustino, Damasceno, Magistro* (Lombardo) *adducta verè & magis pertinenter ad mentem ponentium exponuntur de Baptismatis Sacramento aut forma Sacramentali, quam de aliquo realiter animæ impresso. Item illud, quod solùm dependet ex voluntate divina, contingenter & liberè causante, non potest probari ratione naturali esse vel non esse, nisi sola experientia, nulla autem experientia probat characterem esse, quia omnia, quæ illi attribuuntur, æque solvuntur sine charactere, sicut cum charactere. Item omnia illa inveniuntur in Eucharistia & Circumcisione.*

Ibid. art. 3. *Omnia de charactere dicta magna ex parte voluntaria sunt* (gratis dicuntur) *& modica ratione fulta.* dist. 7. q. 2. art. 3. dub. 5. *in tota materia de charactere non dantur rationes necessariæ, sed tantùm persuasivæ & debiles.*

De Rubione in 4. sent. 7. q. 2. part. 2. *Conclusio prima est, quod non oportet ponere Characterem modo prædicto sumtum imprimi alicui suscipienti aliquod Sacramentum.*

Paulò post. *Tertia conclusio est, quod character ponitur in esse de facto ab Ecclesia. Hæc conclusio est vulgata, licet non videatur multum certa, cùm nec ad hoc esse expressa determinatio Ecclesiæ videatur.*

Cajetanus in Thom. part. 3. q. 63. *Sacramenta inprimere aliquem characterem in anima, ex sacris Scripturis non habetur, sed ex Ecclesiæ autoritate, & non multum antiqua.*

Bellarminus lib. 2. de Sacram. capit. 20. §. 1. *Non est mirandum, si non inveniantur tot testimonia & tam expressa de charactere, ut inveniuntur de gratia. Nam gratia est effectus principalis, character secundarius. Item gratia est effectus omnium Sacramentorum, character aliquorum tantùm, proinde vera ratio Sacramenti potest sine charactere consistere. Deniq; notitia gratiæ magis necessaria est, quam characteris.*

(At si vera ratio Sacramenti absq; charactere potest subsistere, hoc est, si veritas & integritas Sacramenti absque charactere consistit, cur de eo magnopere laborare velimus?)

Postea addit. *Non desunt tamen loca Scripturæ, ex quibus character colligi possit, præsertim adjuncta explicatione Patrum & Ecclesiæ.*

(Id est, Pontificis Romani, ut docet ultima analysis. Ex quo facilè colligi potest, qualia Scripturarum testimonia pro charactere stabiliendo sint expectanda?)

Idem in lib. de Sacram. ordinis cap. 6. resp. ad 5. *Si aliunde potest provenire, quam ex charactere, ut non possit amitti Diaconatus, ruet principalis ratio Catholicorum, qua probant, Sacramenta quædam inprimere characterem.*

(Subsumo. Quidam Catholicorum dicunt, *Diaconatum esse perpetuum, non ex charactere, sed ex consecratione,* teste ipsomet Bellarmino, d. l. Ergò quidam Catholicorum subruunt principalem rationem, qua probari solet, Sacramenta quædam inprimere characterem.)

Suarez de Sacrament. Disp. 11. monet, *Scripturæ locos, qui pro charactere adducuntur, per se non cogere, nisi supposita traditione Ecclesiæ & veritate characteris.*

(Hoc idem est ac si dixisset, persuasum prius alicui esse debere, quod sit character, ac tum demum ex Scripturis ipsi characterem probari posse.)

Dominicus à Soto in 4. sent. dist. 1. q. 4. art. 1. *Si oporteret semper patentissima Scripturæ loca afferre, nihil Catholicus posset contra hæreticos proficere, quia rarissimæ sunt tam evidentes. Satis est ergò testimoniis secundum Sanctorum interpretationem uti, quandoquidem ut primo Ethicorum author est Philosophus, non semper exigenda est demonstratio, sed unumquodque, prout rei Natura, exigendum.*

(Agnoscit ergo, non dari *patentissima*, hoc est, perspicua & diserta Scripturæ loca pro charactere.)

Archangelus Rubeus 4. sent. dist. 4. *Non oportet semper patentissima Scripturæ loca afferre. Satis est enim aliquando Scripturæ testimonio secundum saniorum interpretationes uti.*

Alfonsus à Castro lib. 4. adversus hæreses, verbo Character, ex professo contra Lutherum disputans, pro Charactere astruendo nullum adducit *Scripturæ dictum*; sed tantum dicta quædam *Hieronymi, Augustini & Innocentii Papæ*, ac decreta *Concilii Carthaginensis & Tarraconensis*, de quibus ipse mox fatetur, quod *in volumine Conciliorum ea non habeantur sed tantum in volumine Decretorum Gratiani.*

Johannes Altensteig, Autor Lexici Theologici, approbatus ab Aria Montano, in vocabulo Character, de eo sic scribit. *Sed neque autoritates sacræ Scripturæ, neque sanctorum Patrum originalia cogunt ponere Characterem ad hunc intellectum, in quo accipitur à recentioribus Doctoribus, nec experientia probat, Characterem esse; quia omnia, quæ attribuuntur Characteri, puta significare, configurare, distinguere, disponere, rememorari, obligare, æquè salvantur sine Charactere atque cum Charactere, Omnia enim operatur Sacramentum. Præterea hæc ita inveniuntur in Sacramento Eucharistiæ & cæteris non imprimentibus characterem, sicut in his, quæ imprimunt characterem. Nam significare est de ratione Sacramenti, & configurare, distinguere &c. manifestè convenit Eucharistiæ & cæteris Sacramentis. Præterea hæc omnia conveniunt Circumcisioni & tamen negatur, quod Circumcisio inprimat characterem. Quare ponere characterem eodem modo, quo definitus est, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens autoritas probat. Et rationes omnes, quæ adducuntur, persuasiones sunt, non procedentes ex necessariis.*

Cum in Concilio Tridentino Dominicus Soto doceret, *characterem in sacra Scriptura fundamentum habere & in Ecclesia &c. alii tantam ei amplitudinem non concedebant, quod neque Gratianus, neque Magister sententiarum ejus meminisset, imò Johannes Scotus diceret, neque Scriptura, neque Patrum verbis necessario esse ponendum, sed solius Ecclesiæ autoritate, quæ ratio, humaniter*

niter & officiose quidpiam negandi, Doctoribus hic est familiaris. Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trid. p. 273.

Gabriel Vasquez in p. 3. Disp. 134. cap. 1 post allegata quædam scripturæ loca, *Catholicam veritatem his præcipuè testimoniis non niti* fatetur, *sed traditione; & hæc loca à patribus variè intelligi.* Ubi autem ad traditionem venit, pauca affert *ex patribus*, qui in Baptismo *characterem vel sigillum* agnoscunt.

(Sed circumcisionem Paulus itidem σφραγῖδα appellat, quæ tamen juxta Pontificios talem characterem, qualem ipsi fingunt, non imprimit.)

Pro Confirmatione & Ordine nullum producit vel *ex Scriptura*, vel ex *Patribus* locum.

Inde Tannerus tom. 4. Theol. Schol. Disp. 3. q. 3. dub. 7. dicit *Vasquezium cum Soto sensisse, quod sententia negantium characterem non sit omnino improbabilis.*

Gregor. de Valentia tractat. de efficac. Sacram. novæ legis cap. 6. characterem primo probat *ex scholasticis*, quos nobis persuadere conatur *esse infallibilem Ecclesiam*: deinde *ex traditione*. Denique *sacram scripturam etiam suffragari*, ait, *quæ si absque pertinacia & protervia accipiatur, testetur; fideles hoc ipso, quod Baptismum acceperunt, consignari aliquo signo divinitus, quod signum Papistæ intelligant esse characterem.*

2. Quod de charactere diversas, imò adversas invicem propugnant opiniones.

(Quæ dissensio & contradictio arguit, totum illud, quod de charactere tanto molimine disputatur, esse humanæ rationis figmentum.)

Dissentiunt enim, 1. *de characteris quidditate*,

Primò Scotus 4. sent. dist. 6. disputat, *characterem esse idem cum gratia.*

Sed Biel & alii ibid. *characterem non tantum ratione, sed etiam re à gratia distingui* asserunt, *cum gratia non nisi bene, charactere autem aliqui male uti possint: cumque gratia deleatur, character autem minimè.*

Deinde de hac ipsa characteris quidditate

Alex. Alensis 4. sent. dist. 6. varias recitat opiniones, ipse eam amplectitur quod *sit qualitas absoluta*, quem sequuntur Thomas & Bonaventura.

Scotus in 4. sent. dist. 6. q. 9. vix potest explicare, quid statuat, sed ait, *non esse absolutam qualitatem.* Alii ajunt, *eum dicere, characterem esse realem relationem, ut est paternitas*; alii *eum esse dubium in hac quæstione.*

Occamus in 4. q. 2. ait, *quicquid de conclusione statuamus, rationes non probare, characterem esse aliquod absolutum.*

Quamvis vero Bellarminus Scoti sententiam improbet, tamen Sarnanus Cardinalis in conciliat. controvers. inter Thomam & Scotum lib. 4. Controv. 3. ait *probabilius esse, quod sit relatio*, & sic Scoti potius quam Thomæ sententiam approbat.

Monet autem Thomas part. 3. q. 63. art. 2. *quosdam posuisse, quod character sit in quarta specie qualitatis, quosdam, quod sit in prima.*

Alensis statuit, esse *in prima specie qualitatis*, quam sententiam sequitur Suarez de Sacram. Disp. 11. Nam refutatis omnibus reliquis, subjungit: *Ultimo ergò dicendum existimo, characterem esse qualitatem primæ speciei, sc. dispositionem sive habitum convenientem ipsi animæ, ac formaliter perficientem illam.*

Contra vero hanc sententiam refellunt Joh. de Turrecremata, Gregorius de Valentia, Dominicus de Soto, Rubeus &c. Thomas statuit esse *in secunda specie qualitatis*, quem secuti Turrecremata, Cajetanus, Dominicus à Soto, Rubeus &c. Sed contra hanc sententiam prolixe disputat Suarez. Nonnulli voluerunt, esse *in tertia specie*, sed refutantur à Turrecremata, Rubeo & aliis. Marsilius, teste Valentiano & Suarez voluit esse *in quarta specie*, cum character significet figuram. Sed illam refellunt Thomas, Turrecremata, Rubeus, Valentianus, Suarez &c.

Alii, ut constat ex Bonav. 4. sent. dist. 6. q. 1 statuunt, *non esse aliquam qualitatem, quam ponit Aristoteles; sed novam & incognitam*: quam opinionem Bonaventura improbat.

Plures opiniones recenset Bonaventura dicto loco ubi sic scribit: *Dixerunt aliqui, quod characteristicatio nihil aliud est, quam consignatio, & character idem est, quod signum, & hoc signum nihil addit supra potentias animæ, quod sit quid absolutum, sicut nec signatio in circulo, sed fundatur supra potentias animæ nudas, & est ibi secundum institutionem & actum consignantis nullâ factâ mutatione, unde est pura relatio.*

(Intelligit autem Bonaventura Durandum, qui in 4. sent. dist. 4. q. 1. dicit, *Character non est aliquid reale distinctum ab anima, sed solus rationis respectus.*)

Sed illud, (inquit porro Bonaventura) *non potest stare, quia Character dicit aliquam assimilationem & configurationem ad Christum, sicut character bestiæ ad Diabolum Apoc. 14. Sed assimilatio fundatur super qualitatem. Ergò si de novo fit similis Deo & non fit mutatio ex parte alterius extremi secundum qualitatem; videtur quod necesse sit dare animæ aliam qualitatem. Propterea dixerunt aliqui, quod etsi character dicat relationem, dicat nihilominus qualitatem aliquã supra quam fundatur, ideo posuerunt characterem in secunda specie qualitatis. Sed illud non potest stare, quia ista est naturalis potentia vel impotentia, quæ consequitur Naturam &c. Propterea alii dixerunt, quod character non tantum sit ad disponendum; sed etiam ad distinguendum, ideoque sit passibilis quædam qualitas in tertia specie qualitatis. Sed illud non potest stare, quia non dicitur passibilis qualitas, quæ infert passionem sensui vel interiori intellectui. Alii dixerunt, quod character importet quandam configurationem, ideoque sit in quarta specie qualitatis, quæ est forma, & circa hoc aliquid constans est figura. Sed istud non videtur posse stare, quia configuratio in spiritualibus non est similis terminorum clausioni, sed est similitudinis impressio. Alii ergo dixerunt, quod non sit in specie quadam qualitatis, sed qualitas infusa. Sed hoc videtur quærere fugam. Dicendum igitur quod character sit habitus, non quidem propriè, prout distinguitur contra dispositionem, sed communiter, prout utrumque comprehendit, scilicet omnem qualitatem animæ disponentem sive facilè mobilem, sive difficile, sive perfectam, sive imperfectam. Character enim, quia est perpetuus, ideo est habitus; quia non perficit, sed disponit ad ulteriorem perfectionem gratiæ, ideò est dispositio.*

Hæc ornia Bonaventura, quib. non obstantibus disputat Biel, *æque probabiliter defendi posse, quòd character sit relatio quædam, quam quod sit absoluta quædam qualitas.*

Archangelus Rubeus in 4. sent. dist. 4. *Omnes conveniunt in hoc, quod dicunt, characterem importare relationem. Differunt autem in hoc, quod quidam ponunt, istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum; sed immediate in anima fundari istas relationes: alii dicunt, quod fundantur hujusmodi relationes super qualitate.*

Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 19. prop. 2. *Character non est relatio, sed absoluta qualitas, ex qua tamen consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui configuramur per characterem.*

Confer Tannerum Theol. Schol. tom. 4. Disp. 3. q. 3. dub. 7. ubi prolixe illas dissensiones recitat.

2. De *fundamento*, sive causis excogitati *characteris*:

Biel 4. sent. dist. 6. q. 2. art. 3. sic disserit. *Quod non imprimatur character, nisi per Sacramentum sensibile, ejus finalis ratio non est nisi institutio divina, sed unde illa institutio cognoscatur seu revelata sit, non est certum, sicut omnia de charactere dicta magna ex parte voluntaria sunt, & modica ratione fulta. Thomas igitur part. 3. q. 63. art. 1. producit hanc rationem: Sacramenta novæ legis ordinantur ad remedium contra peccata, deinde ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad istud consignari sicut milites olim corporalibus characteribus insigniri solebant: Jam vero homines per Sacramenta deputantur ad aliquid spirituale. Scotus excogitavit hanc rationem. Congruum est, ad formam perfectam supernaturalem ponere aliquam dispositionem naturalem ex parte subjecti recipientis: Jam vero gratia est forma supernaturalis perfecta, sufficiens ad salutem.* Sed, inquit Biel, *congruitas hæc etiam locum habet in Sacramento pœnitentiæ. Alii dicunt, Congruum est, Deum non instituisse Sacramenta sua vana, præsertim in nova lege. Ergo congruit, quod semper Sacramenta sua habent aliquem effectum in suscipiente, sed non semper habent gratiam. Ergò alium, scilicet impressionem characteris.* Sed, inquit Biel, *ista congruitas habet locum in omni Sacramento. Alii dicunt, Congruum est; ut receptus in familiam Christi distinguatur à non recepto per aliquid intrinsecum, permanens in eo; quia licet Christus posset distinguere, tamen perfectior est distinctio in se & comparatione ad omnem Ecclesiam militantem & triumphantem. Aliqui*, inquit Biel, *Christus non indiget charactere isto, quia sine eo cognoscit baptizatum, neque Ecclesia, quia est invisibilis. Autoritas aliqua de charactere habetur c. Majores ext. de Baptismo. Illa sola*, inquit Biel, *aliquid facit, licet posset exponi, quod per characterem intelligatur ipsum Sacramentum.* Postea rectè disputat, *initerabilitas Sacramentorum causam non esse characteris impressionem, sed divinam Institutionem, quia*, inquit, *minus manifestum est characterem esse, quam Baptismum iterari non posse: Secundum enim ab Institutione Baptismi fuit certum, primum hodie nondum evidenter est cer-*

tum. *Praterea, qui Sacramenta instituit, eo modo instituit, quo voluit. Causa autem voluntatis divinae non est inquirenda.*

Concludit tandem Biel art. 5. dub. 1. *magis consonare determinationi Ecclesiae, quae non potest errare, characterem ponere, esse etiam insuper pro eo aliquas congruentias.*

(Sed earum vim paulo ante ipsemet enervaverat, ideo addit,)

Cui non placet haec solutio, quaerat aliam.

3. De *objecto characteris*, hoc est, de personis, quibus per Sacramenta character ille inprimatur.

Si enim quaeras, *an Christo in Baptismo sit impressus*, id negant, *quia Johannis Baptismus non impresserit characterem, & quia Christus ab instanti conceptionis habuerit plenitudinem omnis potestatis.*

Si quaeras, *an Mariae per Baptismum impressus fuerit character*, itidem negant, *cum Baptismus nihil gratiae ei contulerit, quippe quae in conceptione omnem gratiam fuerit consecuta.*

Quibusdam tamen & inter illos Bieli videtur *aequè probabile, quòd characterem acceperit.*

4. De *subjecto characteris.*

Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 19. propos. 4. *Character Sacramentalis in sola anima est, tanquam in subjecto.*

Rationem addit, quia *non est habitus vel potentia operativa.*

Hanc Bellarmini sententiam Suarez de Sacrament. Disp. 11. statuit *esse probabiliorem.*

Contra vero Thomas p. 3. q. 64. art. 4. disputat, *subjectum recipiens characterem non esse animae essentiam sed potentiam. Character (inquit) est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum, quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem propriè ordinantur potentiae animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo Character non est sicut in subjecto in essentia animae, sed in ejus potentia.*

Addit etiam hanc rationem. *Per characterem configuramur Christo. At haec configuratio non est secundum essentiam, sed secundum potentiam animae.*

Sed quaerunt porrò, *in qua animae potentia sit, in intellectu, an in voluntate?*

Thomas *intellectum* statuit, art. eod. resp. ad 3. *Character*, inquit, *ordinatur ad ea, quae sunt divini cultus: qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in cognitiva potentia animae, in qua est fides.*

Thomam sequuntur Joh de Turrecremata in c. Quomodo. de consecratione. dist. 4. Cajetanus in part. 3. Thomae q. 63. Dominicus de Soto in 4. sent. dist. 1. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 134.

Contra vero Scotus statuit, *characterem formaliter esse in voluntate.* 4. sent. dist. 6. q. 3. de charactere, art. 11.

Durandus d. l. ait *esse in neutra animae potentia, sed in manu aut lingua*, quam vocat *potentiam executivam.*

Sed Concilium Tridentinum sess. 7. c. 6. *in anima inprimi* ait.

5. De *effectibus characteris.*

Alex. Alens. part. 4. q. 19. membr. 2. notat, quod *plures sint effectus.*

Occam. 4. sent. q. 2. reducit *ad sex.*

Primo, *est signum gratiae, non ex Natura, sed ex institutione divina.*

Secundo, *est signum conformativum Christo & caeteris characterem habentibus. Christo configurat, quia per ipsum habens characterem adscribitur familiae Christi. Etiam configurat Christo per imitationem, quia disponit ad gratiam, in qua est similitudo creaturae ad creatorem sufficiens, licet non perfecte.*

Tertio, *distinguit ab aliis rem talem non habentibus.*

Quarto, *disponit ad gratiam Sacramenti, per quod inprimitur.*

Quinto, *est signum rememorativum Sacramenti.*

Sexto, *est signum obligativum ad observantiam divinae legis.*

Bellarminus dicit lib. 2. de Sacram. cap. 19. prop. 5.

Primo, quod faciat hominem aptum ad suscipiendum alia Sacramenta.

(Atqui ad hoc nihil opus charactere, quia externus Baptismus hoc absque charactere praestat, quippe per quam in familiam Dei cooptati participes reddimur omnium ejusdem familiae privilegiorum.)

Secundo, *quod configuret nos Christo.*

(At Christo non possumus configurari per eam rem, quae nihil in se virtutis aut gratiae habet. Praeterea negant, Christo impressum fuisse characterem, quomodo igitur per characterem configuramur Christo.)

Tertio, *quod distinguat baptizatos à non baptizatis.*

(At cui distinguit? non Deo, ille enim non eget ejusmodi distinctione. Non hominibus, character enim est invisibilis ac proinde humano conspectui minimè obvius.)

Huic tertio characteris officio conforme est, quod Bonaventura in 4. sent. dist. 6. q. 2. dicit, *per characterem distingui fidelem ab infideli.*

(At multi fideles non habent characterem, & multi infideles eum habent.)

Alanus de Sacramentis cap. 45. scribit, *homines in aliis Sacramentis non deputari ex professo ad exercitium divini cultus, ut in his, quae characterem habent.*

(At quis negaret, Eucharistiam disponere ad cultum divinum?)

Idem d. l. cap. 47. statuit, *characterem efficere, ut, qui ad Baptismum ficte accedit, ideoque non accipit remissionem peccatorum, si eum postea peccatorum poeniteat, in charactere praeteriti Sacramenti ei omnia peccata remittantur.*

(Sed nos cum Augustino hoc tribuimus Baptismo. Sic enim ille lib. 2. contra Donatist. cap. 3. *Si quis perversitate correcta redierit ad Ecclesiam, sub eodem Baptismo, quem antea accepit, peccata ei dimittuntur.*)

6. De *causis*, propter quas character ille fit *indelebilis.*

Alex. Alens. d. l. membr. 5. rationem hujus rei petit à posteriore. *Non deletur ille character virtute creata, quia est forma supernaturalis à solo Deo; neque à Deo, quia nihil donorum suorum tollit, nisi per demeritum. Sed respectu characteris nullum est demeritum, quia actu mortaliter peccanti inprimitur character.*

Thomas p. 3. q. 63. art. 4. aliam assignat rationem, *quia character est quaedam participatio Sacerdotii Christi in fidelibus, quod est aeternum.* It. *quia character est in intellectu, qui est incorruptibilis.*

Bonav. 4. sent. dist. 6. q. 5. hac de re sic disserit: *Communis opinio est, quod character est proprietas indelebilis. Sed in hujus indelebilitatis causa differenter sentiunt diversi. Quidam enim dicunt, quod, quia character est in anima secundum substantiam vel essentiam, & ipsa est perpetua & invariabilis, ideo & character. Sed istud supra improbatum. Alii dicunt, quod quia est in anima secundum potentiam cognitivam, quae non subjacet variabilitati, ut voluntas, ideo etiam est invariabilis. Sed hoc non valet, quia per ignorantiam expellumur habitus cognitivi, sed non character. Tertii dicunt, quod sicut ex matrimonii obligatione contrahitur vinculum indissolubile, quamdiu vivitur: ita ex consimili in susceptione Sacramentorum, quia ibi est quoddam matrimonium spirituale, ideo character semper durat. Sed quamvis istud dici posset de Baptismo, non tamen in Sacramentis. Dicendum igitur, quod perpetuitas characteris principaliter sumitur ab ejus conditione & natura, est enim habitus infusus, impressus ad distinguendum, cui indirectio vel obliquatio potentiae non repugnat. Quare cum character sit proprietas existens in subjecto perpetuo, in quo non potest habere repugnantiam, ideo ejus impressio est perpetua.*

Occamus 4. sent. q. 2. ait, *nullam causam afferri posse necessariam, cur indelebilis sit, sive sit qualitas absoluta, sive relatio respectiva.*

(Rectius dicerent, characterem esse indelebilem, quia nunquam scribitur.)

7. De quaestione, *an etiam Circumcisio impresserit characterem.*

Scotus 4. sent. dist. 6. q. 9. affirmat, addita hac ratione, *quia ita Circumcisio erat prima salutis janua in lege Mosaica, sicut Baptismus in nova.*

Sed Alensis, Thomas, Bonaventura, Paludanus & alii negant, *quia Circumcisio fuit Sacramentum V. T. cujus Sacramenta fuerunt carnalia, character autem est signum spirituale.* Item *consequens fore, circumcisum non posse baptizari.*

Biel 4. sent. dist. 7. q. 1. art. 3. dub. 5. statuit, *utrumque dici posse cum pro nulla parte sint rationes necessariae, sed tantum persuasivae & debiles, sicut in tota ista materia de charactere.*

(Testimonium hoc verum est, quo velut sigillo dissertationem illam de charactere obsignamus.)

Plures hujusmodi de charactere dissensiones vide apud Gregorium de Valentia tom. 4. in Thom. 1. Disp. 3. generali de Sacramentis. Pesantium in Thomam f. 854. Disp. 1.

3. Quod peregrinis Scripturae dictis characterem probant.

Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 20. §. Aliqui &c. reprehendit alios Pontificios scriptores, *quod huc trahant figuram Agni paschalis Ex. 12. & vaticinium Ezech. 9.* quae loca rectius *de signo crucis* exponi dicit.

Sed quae ipse affert, non sunt convenientiora, ut postea apparebit.)

Scho-

Scholastici plerique omnes huc accommodant dictum *Ps. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui*;

(Cum tamen David loquatur de piis V.T. in quibus character ille nondum habuit locum.)

Rationes pro charactere adduci solitas à Biele enervari vidimus superius.

Argum. Adversariorum.

1. *2.Cor.1.v.21. Qui unxit nos Deus & signavit nos &c. Eph.1.v.13. in quo & credentes signati estis. Ergo datur character.*

Bellarm. lib.2. de Sacram. cap.20. Jacobus Tirinus in 2. Corinth.1.

Resp.1. Biel fatetur, *non posse evidentem aliquam autoritatem pro charactere ex scripturis afferri*, ut vidimus superius.

2. Bellarminus *characterem illum suum inprimi* dicit *omnibus, qui baptizantur, confirmantur, & ordinantur, sive credant, sive non credant. Multi*, inquit in hoc ipso capite, *cum charactere damnabuntur, & multi sine charactere salvabuntur.*

(Atqui allata Scripturæ dicta de solis credentib. loquuntur.)

3. Bellarminus negat, *Sacramenta V.T. impressisse characterem.*

(Sed testimonium illud Spiritus Sancti internum, de quo Apostolus loquitur, fuit etiam in piis V.T.)

4. Idem Bellarm. lib.3. de Eccles. c.4. *Character neque interne neque externe hominem unit cum Christo & Ecclesia; non externe, quia est res invisibilis; non interne; cum non sit actus nec habitus operationis.*

(At hoc non dici potest de beneficiis; de quibus in dictis Eph.1.v.13. cap.4.v.30. sermo est.)

5. Lib.2. de Sacram. cap.19. prop.3. negat, *characterem conferre gratiam gratum facientem.*

(At dicta illa agunt de obsignatione gratiæ salvificæ & certitudine hereditatis æternæ.)

6. Idem Bellarminus concedit, *omnia Sacramenta esse signa*, nec tamen omnia impresserunt characterem, ut volunt Pontificii.

(Ergo ex nuda voce *signi* non potest probari character.)

7. Suarez de Sacram. Disp.11. *Dixi commentario in Thomam, prædictum testimonium esse probabile, quia optime & accommodatissime prædicto modo exponitur, non tamen est per se sufficiens ad convincendum protervum, quia multi Patres aliter intelligunt illum locum.*

Id. *Apparentior est aliorum expositio, qui dicunt, illam consignationem fieri per gratiam sanctificantem, & indicant per illa tria, Qui unxit, signavit & dedit pignus Spiritus, eandem gratiam significari, illa enim ungimur, & in filios Dei signamur; & pignus est, arrhaque gloriæ futuræ.*

(Atqui character non est illa gratia, cum character sit bonis & malis communis, gratia solis piis propria.)

8. Inde Vasquez in p.3. Disp.134. cap.1. postquam singula *Scripturæ* dicta pro charactere adduci solita enumerasset, & multa tortura exercuisset, subjungit: *Catholica veritas his præcipue testimoniis non nititur, sed traditioni.*

9. Cornelius à Lapide in cap.1. Eph. *Signati, id est, obsignati estis Spiritu sancto quasi sigillo, ut constet, vos esse non fictam, sed authenticam Christi Epistolam, vos vere esse fideles conscriptos à Deo, vere esse populum & Ecclesiam veri ac summi Dei.*

Idem in cap.4. Ephes. *Spiritu sancto signati & quasi sigillo obsignati, hoc enim est Græcum* ἐσφραγίσθητε, *estis, non quasi pecudes in corpore, uti signati sunt Judæi signo circumcisionis; sed quasi filii promissionis & quasi Regalis grex Christi & Spiritus sancti, signati estis in anima, in eaque conditoris signum; figuram & imaginem, id est, gratiam & sanctitatem accepistis, ut sicut ex sigillo agnoscitur cujus sunt literæ, v.g. esse literas Regis: ita ex hoc gratiæ sigillo sciatur, vos esse filios Dei, Deoque consecratos.*

10. Estius in 2. Cor.1. *Qui & signavit nos. Græce* ὁ σφραγισάμενος ἡμᾶς, *qui etiam obsignavit nos, nempe Spiritu sancto, id est, tanquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum sanctum, largiendo varia ejus charismata; quæ sigilli instar nos probent veros Dei nuncios ac ministros. Nam sigillum Principis impressum aut appensum diplomati certam fidem facit inter homines. Spiritum sanctum intelligi in utraque parte præcedenti, declarat pars sequens.*

11. Inde locum 2. Cor.1.v.21. de signo crucis vel alio quovis potius, quam de charactere accipiunt Interpretes tum veteres, tum recentiores.

Lombardus in 2.Cor.1. *Qui signavit nos, id est in libro vitæ scripsit vel signavit nos, id est, discrevit ab aliis signo crucis.*

Thomas ibid. *Et habemus duplicem certitudinem spei hujus unionis consequendæ, una est per signum, alia per pignus. Per signum evidens, quia fidei, unde dicit; signavit nos signo fidei Christi. Item signum crucis, Ezechielis nono, signa thau, id est signum crucis. Et hoc per Spiritum sanctum. Ad Romanos octavo, Si quis Spiritum Christi non habet. Et ideo speciale & certum signum est vitæ alternæ consequendæ configurari Christo. Vel signavit signo vitæ. Per pignus verò maximum, quia Spiritus sancti. Et ideo dicit, Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Lyranus ibid. *Signo crucis in Baptismo & Confirmatione.*

Cajetanus ibid. *Sumitur, signavit, pro obsignavit, tanquam inprimendo sigillum. Et hoc ad firmitatis signum spectat. Apostolica gratia tum in virtute miraculorum, tum in dono linguarum, tum in imitatione caritatis & patientiæ Christi velut sigillum erat in testimonium verorum ministrorum Evangelii.*

Guillaudus ibid. *Pignus Spiritus dicit dona Spiritus sancti, quæ sunt arrhabo sive arrha, quæ idem facit totius promissi præstandi. Metaphora ducta ab iis, qui instrumentum obsignant & annulis signatoriis fidem dant & se obstringunt ad id, quod obsignant.*

Bened. Justinianus ibid. *Possis etiam interpretari, obsignavit, hoc est, sigillo suo munivit vocatione sua efficaci, &, quod caput est, æterna sua dilectione & prædestinatione; denique ipso Spiritus sancti munere, de quo idem Apostolus ad Ephesios, signati estis Spiritu promissionis sancto.*

12. In locum Ephes. 1. v.13. sic commentatur Salmero. *Deus est ergo obsignans: homo, maximè quoad partem Spiritus attinet, obsignatus: & Spiritus sanctus est ipsum sigillum & signaculum, quo distinguimur à gentibus, infidelibus & filiis Satanæ.*

(At character est indelebilis ac manet etiam in damnatis, quod de Spiritu sancto dici nequit.)

Jacobus Tirinus in Comm. Eph.1. v.13. *Signati Græcè* ἐσφραγίσθητε *sigillati estis.*

Benedict. Justinianus in paraphrasi ibid. *Tabularum instar obsignati estis Spiritu illo sancto quondam promisso, sive dum aspectabili specie divina Spiritus sancti munera in vos effudit, sive dum fidei beneficio justificatos sua gratia præsidio juvat ad hostes debellandos, ut appareat, vos, quippe divino Spiritu plenos, ad Dei populum pertinere.*

In Comm. *Mihi persuadeo, loqui Paulū de gratia justificante, quâ vere, veluti divino quodam indito atque inusto charactere, obsignamur.*

(At gratia justificans non est character, cum character Sacramentalis ex hypothesi sit præparatio ad justificationem.)

13. De loco Eph. 4. v. 30. sic scribit Vasquez in loco paulò ante citato. *Per diem redemtionis intelligunt aliqui diem regenerationis Baptismi, & ita prædictum locum de charactere ipsius interpretantur. Verum quia Catholica veritas, quam proponimus, his testimoniis præcipuè non nititur, sed traditioni, & hæc loca Patres & Interpretes Scripturæ variè intelligunt, eorum examinatione supersedere decrevi.*

(Rectè. Nam monemur hoc loco, *ne contristemus Spiritum sanctum, quo signati sumus*, hoc est, interprete Thoma, *ne eum fugemus vel expellamus per peccatum.* At hoc non convenit characteri, quippe qui ex hypothesi est indelebilis.)

Alanus lib. de Sacram. in genere cap. 45. ingenuè fatetur, *locum Eph. 4. magis pertinere ad gratiam, quam ad Characterem, idque Thomæ videri.*

Argum. 2. *Circumcisio fuit figura Baptismi Col. 2. At illa relinquebat in corpore quoddam cauterium, quo præfiguratus fuit character in anima baptizati.* Bell. d. l.

Resp. 1 Bellarm. lib. 3. de verbo Dei cap. 3 tradit hanc regulam: *Ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta.*

(Figuræ ergo nihil probant, nisi ex sensu literali firmum prius positum sit fundamentum.)

2. Bellarminus non in solo Baptismo, sed etiam in Confirmatione & Ordine characterem inprimi docet.

(At hoc argumentum duntaxat in Circumcisione eum inprimi probat. Est ergo quæstione angustius.)

Argum. 3. Esai. 66. v. 18. *Omnes gentes & linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum.*

Ex hoc loco Coronus lib. 3. Instit. Cath. cap. 40. probat characterem &c. uti etiam Bellarminus lib. 2. de Sacr. cap. 20. §. His accedant.

Resp. 1. Gloss. ord in h. l. *Ponam in eis signum crucis, Christianitatis, salutis; quo signati in Ezechiele non interficiuntur, quo in Ægypto postes signantur & Israelitæ salvantur.*

(Hoc non potest intelligi de charactere, qui manet etiam in damnatis.)

2. Ly-

2. Lyranus refert ad extremum judicium. *Videbunt gloriam meam; quia Christus in judicio apparebit in forma humanitatis gloriosa, cujus tamen aspectus erit terribilis reprobis, delectabilis justis.* Et *ponam in eis signum sc. sanctæ crucis* Matth. 24.

3. Emanuel à Sa. *Signum, id est, vexillum.*

4. Id quod Sanctius in h. l. latius sic explicat: *Imperatoris nomen sæpe sibi Deus assumit. Est autem Imperatoris proprium excitare signum nempe bellicum & undecunque delectus habere militares. Quare cum hic agendi dicantur maximi gentilium conventus, non incongrue dicitur in eis, nempe gentibus seu inter gentes elevandum esse vexillum, ad quod se tuto recipiant, qui in optimi Imperatoris castris mereri volunt.*

4. Hector Pintus in h. l. *Redit ad Apostolorum prædicationem, & introducit Deum dicentem, se signaturum nonnullos ex credentibus viros justos, eosque missurum ad annunciandum Evangelium gentibus per totum terrarum orbem sparsis &c.*

(At quid characteri cum hac signatione vel designatione Apostolorum commune?)

5. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 20. §. His accedant &c. de hoc loco Prophetico sic scribit: *Quamvis per hoc signum possit intelligi signum crucis, aut aliquid aliud, tamen nihil repugnat, si dicamus, intelligi characterem, præsertim cum videamus Paulum loqui de signo quodam spirituali interno, & oporteat Scripturam exponere per Scripturam, cum id fieri potest.*

(Atqui posset quis totum hoc invertere. Quamvis per hoc signum quidam intelligunt *characterem*, tamen nihil repugnat, si dicamus intelligi *signum crucis*, præsertim cum videamus Paulum de stigmatibus Christi in corpore suo gloriari.)

6. Cornelius à Lapide in comm. h. l. cum adduxisset interpretationem signi *de charactere*, ejusque autorem Bellarminum allegasset, subjungit: *Alii aptius per signum hoc accipiunt charismata Spiritus sancti, ut linguas igneas datas Apostolis in Pentecoste. His enim signati sunt, non tantum quasi amici & ministri, sed & quasi Apostoli Dei & Christi &c. hoc signo gentes ad Christum converterunt.*

7. Tirinus Jesuita in h. l. *Ponam in eis signum, id est erigam inter eas, (gentes) vexillum meum, nempe crucis, ad quod omnes evocabo & invitabo.*

Argum. 4. Ezech. 9. v. 4. *Signa Tau in frontibus gementium & dolentium.* *Hoc vaticinio itidem quidam utuntur pro charactere*, teste Bellarmino lib. 2. de Sacram. cap. 20. §. Aliqui.

Resp. 1. idem Bellarm. d. l. sic scribit. *Hic locus non est ad rem. Nam exponitur à Patribus de signo crucis, quod inscribitur in fronte, & recte, nam Ezechiel nominat frontem & idem significat superliminare, quod est in porta domus id quod est frons in homine. Præterea dicuntur salvari omnes signati, & nulli non signati salvari, quod certe non convenit characteri, multi enim cum charactere damnabuntur & multi sine charactere salvabuntur. At omnes salvantur, qui signantur Christi cruce sanguine, id est, quibus applicatur meritum Christi crucifixi, cujus figura est signum crucis & nulli salvantur, quibus hoc meritum non applicatur.*

2. Petrus Cottonus lib. 3. Instit. cap. 40. observat, *hoc signum fuisse peculiare Judæis.*

3. Cornelius à Lapide ad h. l. sic annotat: *Hieronymus, Origenes, Tertullianus contra Judæos, Ambrosius lib. 2. de Abraham, S. Augustinus in Dialogo Altercat. Ecclesiæ & Synagogæ, Clemens lib. 6. Stromat. & alii passim statuunt, literam Tau ante Esdram apud Hebræos priscos habuisse figuram crucis, fuisseque similem literæ Tau Græcorum & Latinorum &c. Crux ergo signum hic datur liberandorum à nece, æque ac salutis per Christi crucem consequendæ &c.*

Argum. 5. 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.*

Ex hoc loco Gregor. de Valentia characterem probare conatur. *Duo verò circa illum notari jubet, Prius, Gratia, quæ est in te. Nam τὸ est notat significare aliquid in ordinatione illi datum durabile, quod etiam sit & maneat in his Ministris, qui ab officio discedunt, & gratiam gratum facientem amittunt. Posterius, quod formam præbeat hortandi Ministros quoscunque deflectentes, ut iis, quantumvis malis, dicere possimus, Noli negligere gratiam, quæ est in te, hoc est, characterem.*

Resp. 1. Franciscus Suarez de Sacram. Disp. 11. sic scribit. *De charactere nullum invenio Scripturæ locum, in quo satis insinuetur. Nam illud prioris ad Timotheum quarto, Noli negligere; & posterioris primo, ut resuscites gratiam; hac inquam, loca sufficienter intelliguntur de gratia gratum faciente.*

2. Bellarminus de Sacram. Ordinis cap. 2. ex hoc loco probat, *Ordinem esse Sacramentum*, sive quod idem est, Ordini convenire definitionem Sacramenti.

(Atqui character non pertinet ad definitionem Sacramenti, alioquin omnia Sacramenta characterem imprimerent.)

3. Per τὸ χάρισμα in hoc loco Apostolico Lombardus intelligit *gratiam Episcopatus*;

Thomas, in h. l. sic commentatur. *Per hoc intellige vel dignitatem Episcopalem, vel donum scientiæ, vel Prophetiæ, vel miraculorum.*

Cajetanus ibid. *Episcopalem gradum appellat donum datum.*

Gagnæus ibid. *Vel gratiam doctrinæ, quæ tibi data est per prophetiam, id est, Sacrarum literarum cognitionem: vel gratiam Episcopalis officii, quæ tibi data est per prophetiam, id est, Spiritus S. inspirationem.*

Salmero ib. *Quia Græce habetur χάρισμα de dono & autoritate docendi præsertim id accipiendum.*

Bened. Justinianus ibid. *Græci interpretantur docendi autoritatem, nec magnopere dissentit Ambrosius, qui eum, ait, datam gratiam negligere, qui exhortandi docendique munus omittit.*

Tirinus in h. l. *Donum, tum gratis datum, puta ordinem Sacerdotalem, tum gratum faciens &c.*

Argum. 6. Non potest dari alia causa, cur Baptismus non sit iterandus, quam character. Bellarm. d. l. cap. 22.

Resp. 1. Thomas p. 3. q. 66. varias rationes collegit, ex quibus probari possit, Baptismum non esse iterandum: *Baptismus*, inquit, *iterari non potest, primum quidem, quia Baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Unius autem non est nisi una generatio, & ideo non potest baptismus iterari, sicut carnalis generatio. Secundò, quia in mortem Christi baptizamur per quam morimur peccato & resurgimus in novitatem vitæ. Christus autem semel tantum mortuus est, & ideo Baptismus iterari non debet.*

(*Quæ ratio*, monente Dominico Soto in illum locum, *fundatur, non in hoc, quod Baptismus virtutem habet à passione Christi, sed in similitudine ad eandem mortem, quæ reliquis Sacramentis non convenit.*)

Idem Thomas lib. 4. contra gent. cap. 59. *Baptismum non esse iterandum* ait, *quia est quædam consecratio: nam res, quæ semel consecrata est, quamdiu manet, non iterum consecratur.* Hæc ratio etiam placet Alano lib. de Sacram. cap. 45.

2. Gabriel Biel rectè disputat 4. sent dist. 6. q. 2. art. 2. *Causam, cur Baptismus non sit iterandus, non esse characteris impressionem, sed divinam institutionem, cum minus manifestum sit, characterem esse, quam Baptismum iterari non posse.*

Verba sic habent: Secunda conclusio, *Initerabilitatis Sacramentorum principalis ratio non est characteris impressio, sed sola divina institutio.* Similia occurrunt apud Scotum 4. sent. dist. 6. q. 7.

3. Johannes Ferus in cap. 3. Joh. rationem, *quare Baptismus non sit iterandus*, profert *ab analogia carnalis generationis & spiritualis regenerationis: Sicut semel tantum in hanc vitam nascimur, ita semel tantum per Baptismum regeneramur.*

(Eadem ratione etiam utitur Augustinus tract. 11. in Johann. Thomas p. 3. q. 66. art. 9. quæ satis firma est, etiamsi non statuatur cujusdam characteris impressio.)

4. Glossa ordinaria in cap. 6. Hebr. idipsum probat ex verbis Apostoli: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati rursus renovari.* Baptisma enim veteres vocant φωτισμὰ *illuminationem.*

5. Biel dicto loco utitur etiam hac ratione: *Per Baptismum adscribimur familiæ Christi, quod semel tantum necessarium.*

6. Vasquez part. 3. Disp. 146. cap. 3. fatetur, *hanc rem pendere à sola voluntate instituentis Dei, ex ipsa tamen significatione & Natura, non incongrua ratione id confirmari posse, & à Patribus id factum esse*, agnoscit.

7. Tiletanus parte altera Defensionis Tridentinæ, cum agit de charactere, testatur, *Baptismi Sacramentum nulla ratione iterandum doceri, non solum propter impressionem characteris, verum etiam propter solidissima & manifestissima Scripturarum fundamenta & testimonia.*

(Fallum ergo, nullam dari aliam causam, quam charactere.)

8. Suarez in part. 3. Thom. Disp. 22. sect. 2. *Asserre possum rationes, quarum prima sumenda est ex Christi institutione, ab ipsa enim originem trahit, quod Baptismus iterari non possit.*

9. Idem Disp. 146. c. 3. *Hæc res ex sola voluntate Dei & Christi, instituentis Sacramentum, pendet, quod ita ille instituere voluerit, ut semel tantum fidelibus ministrari & prodesse possit.*

10. Ex loco Apostolico Eph. 4. v. 5. *Unum Baptisma*, probant *Baptismum non esse iterandum*, Gratianus c. Cum itaque d. con-

consecrat. dist. 4. ex Leone Papa in Epistola ad Leonem Ravennatem, Catechismus Romanus part. 2. q. 41.

11. Denique Circumcisio iterari non potuit, & tamen nullum impressit characterem. Ergò causa, propter quam Baptismus iterari nequit, non est quærenda in charactere.

Argum. 7. *Ordinatio non est iterabilis: Ergò inprimit charactere.*

Resp. est elenchus causæ. Non ideo *potestas Ordinis* non deficit, ac *ordinatio* initerabilis est, quia characterem, sensu Pontificio, animæ inprimit, sed quia Ministrum ordinatum professionis & ordinationis solennis nota officii debito ita astringit, ut illa facultas Ministri, nisi interveniente crimine, non cesset, nec abdicari debeat, quam si quis characterem vocare velit, non magnopere refragabimur. Hoc enim sensu *professionem in Baptismo* factam Innocentius III. Pont. Rom. *characterem* vocavit. c. Majores. ext. de Baptismo.

Argum. 8 *Patres mentionem faciunt characteris.*

Resp. 1. quidam ex Scholasticis & Pontificiis fatentur, *Patres Antiquissimos non facere characteris mentionem.*

2. Vasquez in Thom. p. 3. Disp. 134. agnoscit, quædam Patrum testimonia impertinenter adduci. *Mitto*, inquit, *testimonia Chrysostomi & Ambrosii, quæ ab aliquibus afferri solent, eò quod non satis accommodata mihi videantur.* Et paulo post. *Mitto alia aliqua testimonia Patrum pro charactere Baptismi, quæ me judice, parum habent momenti, inter quæ est quoddam ex Dionysio, secundo capite de cœlesti Hierarchia, quod licet Dominico Soto videatur efficacissimũ, si conferatur cũ Græco exemplari, mihi tamen non ita probatur.*

3. Si integra definitio characteris à Pontificiis tradita assumatur, videlicet quod sit *qualitas aliqua diversa à gratia, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine impressa, communis omnibus Sacramentum accipientibus ac indelebilis*, & ad eam dicta veterum applicentur, manifestum erit, nihil minus quam characterem ab illis doceri.

4. Scotus 4. sent. dist. 6. de dictis Dionysii & Damasceni pro charactere adductis. *Illæ autoritates videntur tantum esse vocales, & non ad intentionem eorum.*

Durandus 4. sent. dist. 4. B. *Dionysius, à quo prima traditio characteris nobis advenit, videtur idem sentire cum eo, quod dictum est de charactere*, (nimirum *esse solam relationem rationis, per quam ex institutione vel pactione divina deputetur aliquis ad sacras actiones.*) *Recitat enim quendam ritum, qui observabatur in primitiva Ecclesia, quando adulti baptizabantur; tunc enim accedenti ad Baptismum, Hierarcha, id est, Pontifex, & manum imponebat, & signabat eum signo crucis, & præcipiebat eum adscribi inter nomina Christianorum, ut de cætero cum aliis ad divina admitteretur. Et iste ritus exterior cum Baptismo erat characterizatio sua, nec de alio charactere locutus est Dionysius.*

(Hanc sententiam Durandi Bellarminus dicit vix distingui ab hæresi hujus temporis.)

5. Idem Scotus d. l. docet *Innocentium tertium* (qui vixit post annos à Christo mille ducentos) c. Majores ext. de Baptismo, *primum statuendi characteris autorem esse, ac ne Lombardum quidem facere mentionem characteris in hoc sensu.*

CAPUT III.

De Numero Sacramentorum N.T.

Thesis. Duo tantum sunt N. T. Sacramenta proprie sic dicta *Baptismus & Eucharistia.*

Ex*thesis*. Libenter concedimus, in *latiore & impropria vocabuli significatione* plura numerari posse Sacramenta, sed in stricta ac propria hujus vocis significatione duo tantum N. T. Sacramenta dari, asserimus.

Antithesis. Eugenius IV. in Commonitorio ad Armenos cap. 5. *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem pro ipsorum Armeniorum tam præsentium, quàm futurorum faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula: Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo & Matrimonium.*

Papa Pius IV. in Bulla super forma Juramenti Professionis fidei, sic jubet suos jurare: *Profiteor septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à Christo Jesu Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria,*

Concilium Tridentinum sess. 7. can 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie Sacramentum, anathema sit.*

Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 24. §. 1. *Sententia Catholicorum una est ac semper fuit, septem esse propriè dicta Sacramenta, videlicet Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium.*

Complexi sunt hæc septem Sacramenta hisce versiculis:

Fons generat, stabilit sacra Confirmatio, nutrit
Christi sancta caro, Confessio crimina curat,
Unctio dat vitam, populum sacer Ordo gubernat,
Conjugium Ecclesiæ & Christo nova pignora gignit.

Nostram sententiam probamus,

1. *A Natura propriè dictorum Sacramentorum.* Quibus non competit essentia Baptismo & Eucharistiæ proxime communis, illa non possunt esse Sacramenta N. T. *propriissime*, h. e. eo dicta modo, quo Baptismus & Eucharistia sunt Sacramenta. At *Confirmationi, Pœnitentiæ, Extremæ unctioni, Ordini & Matrimonio* non competit essentia Baptismo & Eucharistiæ proximè communis. Ergò illa non sunt Sacramenta N. T. propriissime sic dicta. Major probatur, quia *illud commune, in quo per se & proxime conveniunt species, est generica specierum Natura*, ut docet Philosophus in methodo inveniendi essentialia prædicata. 2. poster. analyt. c. 14.

Jam verò Baptismus & Eucharistia omnium consensu sunt species Sacramenti in N. T. Ergò in quo per se & proxime conveniunt Baptismus & Eucharistia, est generica illorum Natura. Minor probatur ex indagatione prædicatorum essentialium utrique & Baptismo & Eucharistiæ communium. Nam ambo sunt actiones solennes à Christo institutæ; ambo constant externo & visibili Elemento ac Symbolo, à Christo ipso & Apostolis definito; ambo per verbum institutionis certum atque expressum cœlestes res nobis dispensant; ambo denique annexam habent promissionem gratiæ Evangelii propriæ, tum conferendæ, tum obsignandæ. At quinque illa Sacramenta fictitia vel omnibus, vel aliquibus tantum his conditionibus essentialibus destituuntur. Ergò.

2. *Ex loco Joh. 19. v. 35.* Illa sunt verè & propriè dicta N. T. Sacramenta, quorum materia ex latere Christi in cruce pendentis fluxit, quia quod virtus Sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, præcipue est ex fide passionis Christi. Atqui ex latere Christi in cruce pendentis profluxerunt tantum sanguis & aqua, geminorum Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ materia. Ergo duo tantum sunt vere & proprie dicta Sacramenta, nempe Baptismus & Eucharistia.

Inde Apostolus bis utrumque Sacramentum conjunxit nullo alio admixto. 1. Cor. 10. v. 1. & seqq. cap. 12. v. 13.

3. *Ex dicto 1. Joh. 5. v. 8. Tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus, aqua & sanguis;* ubi per *Spiritum* denotatur Ministerium Evangelii, quod est *ministerium Spiritus* 2. Cor. 3. 8. per *aquam* Baptismus Eph. 5, 26. per *sanguinem* Eucharistia 1. Cor. 11, 25. Aut ergo plures trib. in terra erunt testes, aut duo tantum erunt N. T. Sacramenta. At non sunt plures tribus in terra testes, ut ostendit collatio trium in terra testium cum tribus in cœlo testibus, v. 7. & 8. Ergo duo tantum sunt N. T. Sacramenta.

4. *Ex collatione cum Sacramentis V. T.* Sacramenta N. T. correspondent Sacramentis V. T. in eorum enim locum successerunt. Atqui duo tantum fuerunt V. T. Sacramenta propriè sic dicta, videlicet *Circumcisio & Agnus paschalis.*

Ergo etiam duo tantum sunt N. T. Sacramenta videlicet *Baptismus*, qui successit *Circumcisioni*, Col. 2. v. 11. & *Eucharistia*, quæ successit *Agno paschali* Matth. 26. v. 28. 1. Cor. 10. v. 1. & seqq.

5. *Ex loco Apostolico 1. Cor. 10. v. 1.* ubi Paulus admonens Corinthios, *non sufficere Sacramenta Ecclesiæ suscepta hominibus postea peccantibus, sicut nec Judæis beneficia Dei, quin postea punirentur*, (ut Thomas ibidem annotat) tantum Baptismi, & manducationis cibi spiritualis, & potionis potus spiritualis mentionem facit. At argumentum ipsius nullius fuisset momenti, nisi omnia nostra Sacramenta complexus fuisset, potuissent enim Corinthii regerere, *longe plura quam ista duo sibi superesse, quæ ipsos à Dei judiciis præservare possent, quib. Judæi caruerunt.*

6. *Ex horum Sacramentorum sufficientia.* Duo illa Sacramenta à Christo instituta sufficiunt nobis ad fidei confirmationem & salutem. Ut enim per Baptismum ad spiritualem vitam regeneramur; ita per sacram Cœnam in ea nutrimur. Ut Baptismus est *Sacramentum initiationis*; ita Sacra Cœna est *medium augmentationis & corroborationis.* Ut per Baptismum in fœdus Dei recipimur, ita per usum sacræ Cœnæ in eodem conservamur. Ut per

per Baptismum Spiritus S. in nobis accendit & excitat fidem: ita per sacræ Cœnæ usum eandem auget, confirmat & obsignat. Ergò non opus est plura Sacramenta addere.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, esse tantum duo Nov. Testam. Sacramenta.

Clemens Romanus lib. 1. Recognition. *Monui eos, ut, priusquam progrederentur ad gentes, prædicare eis agnitionem Dei Patris, ipsi reconciliarentur Deo suscipientes Filium ejus, aliter enim nullo modo eos ostendi posse salvari, nisi per sancti Spiritus gratiam trinæ invocationis dilui Baptismate properarent, & Eucharistiam Christi Domini sumerent.*

Paschasius (qui floruit circa annum Christi 820.) duo tantum Sacramenta agnoscit. Sic enim scribit lib. de corpore & sanguine Domini cap. 3. *Sacramentum igitur est, quicquid in aliqua celebratione divina nobis quasi pignus salutis traditur, cum res gesta visibilis longè aliud invisibile intus operatur, quod sanctè accipiendum sit.* Et paucis interjectis. *Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesia, Baptismus & Chrisma; Corpus quoque Domini & sanguis;*

(Ubi per *chrisma* intelligitur unctio in Baptismo olim adhiberi solita.)

Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus (qui floruit circa ann. 840.) diligenter de Sacramentis scripsit, sed nuspiam ait, *esse septem Sacramenta*, imo non nisi tria in multis locis affirmat, (in quibus annumerat *chrisma* Baptismi partem, sive Ceremoniam, quod nemini mirum videri debet, cum lib. 1. de Instit. Cleric. *duo faciat Sacramenta in Eucharistia, unum corporis, alterum sanguinis Domini*,) alicubi vero cumprimis lib. de Sacram. Euch. cap. 9. non nisi duo numerat. Ait enim, *Ut Moses virga percutiens petram produxit fontem viventis aquæ: Sic Christus mortem crucis degustans sanguinem & aquam produxit de latere suo, quibus duobus Sacramentis sancta induitur Ecclesia.*

Rupertus Abbas Tuitiensis (qui floruit circa annum 1124.) lib. 12. de victor. verbi cap. 11. itidem non nisi duo profitetur Sacramenta, quæ vocat *Sacramenta principalia*, comparatè ad acceptionem largiorem, qua vox Sacramenti pro quovis sacræ rei signo usurpatur. *Quæ ergo*, inquit, *& quot sunt præcipua salutis nostræ Sacramenta? sacrum Baptisma, sancta corporis ejus & sanguinis Eucharistia, geminum Spiritus sancti datum.*

Idem Rupertus lib. 4. de Sapient. c. 1. *Sunt duo Sacramenta maxima, Baptisma sc. & vivifica corporis & sanguinis Christi mensa, quæ sine dubio nostræ saluti tam necessaria sunt, ut absque his nulli hominum ad vitam vel regnum Dei pateat aditus.*

Algerus (qui floruit circa annum 1140 & tres libros de Eucharistia contra Berengarium scripsit) non nisi *duplex Sacramentum*, id est, duo Sacramenta agnoscit, sic enim scribit lib. 1. de Euchar. cap. 19. *Christus duplici Sacramento conformat unum corpus Christi & Ecclesiæ.*

Lombardus 4. sent. dist. 8. lit. A. *Per Baptismum mundamur, per Eucharistiam in bono consummamur; Baptismus æstus vitiorum extinguit, Eucharistia spiritualiter reficit.*

(Ergò hæc duo Sacramenta ad vitam spiritualem & salutem sufficiunt, nec opus est alia excogitare.

Alexander Alensis p. 4. q. 8. art. 2. etsi *septem Sacramenta* statuat (Sacramenti nomine generaliter accepto,) disertè tamen addit, *duo sola instituta esse à Domino secundum suam formam, sc. Baptisma & Eucharistiam. Unum ante passionem & alterum post: reliqua per Apostolos dicit esse data, non enim quando aut ubi à Christo instituta sunt, legi.*

Et iterum. *Cum alia sint Sacramenta, in quibus nobis, si dignè suscipiantur, ministratur aliqua sanctificatio, sanctificatio autem omnis est à Christo, propter quod non instituebatur ab ipso aliqua verborum forma? ad quod dici potest, quod Dominus institutionem formæ voluit nobis dare per seipsum in illis principalibus Sacramentis novæ legis, quia ista totum hominem uniunt in corpore Ecclesiæ secundum unitatem fidei & caritatis, cum dignè suscipiuntur.*

(Agnoscit ergo duo esse principalia N. T. Sacramenta, quæ sola sint à Christo sub certa verborum forma instituta, quæque totum hominem uniunt in corpore Ecclesiæ.)

c. Multi secularium. caus. 1. q. 1. ex Gregorio tantum duo numerantur Sacramenta, *Baptismus*, *Chrisma* & *Eucharistia*. Verba sic habent: *Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, ut aliquid sanctificatè accipiamus, quod sanctè accipiendum est. Sunt autem Sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus & sanguis Christi, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur.*

Idipsum scripsit Isidorus lib. 6. Origin. cap. 19. quod notandum propter adversarios, qui negant, *hoc dictum inveniri in operibus Gregorii*, cum tamen Johannes de Turrecremata in commentario illius canonis testatur, *esse Gregorii in Registro*, ubi cur hodie non appareat, nemo facilè dixerit, nisi fortè temporis injuria factum fuerit.

Per *chrisma* non intelligitur novum aliquod Sacramentum, sed unctio illa, quæ fuit olim statim post Baptismum adhibita, ad gratiam Baptismi adumbrandam.

(Excipiunt, *tria quidem tantum nominari, sed interim* reliqua non excludi.

Resp. imo vero ponitur ibi talis descriptio Sacramenti, quæ propriè non potest aliis tribui, quam hisce tribus, quia in *Pœnitentia, Ordine* & *Matrimonio* non adsunt Elementa externa.)

Johannes Baconthorpius 4. sent. dist. 2. q. 1. mentionem facit cujusdam Eremitæ Angli, de quo etiam Historici affirmant, *eum in Ecclesia Paulina Londini disseruisse*, (circa ann. 1340.) *ea non esse Sacramenta à Christo instituta, quorum tunc usus fuit.*

(Forsan Ranulphus is erat, cujus fit mentio in Floribus Historiarum, de quo etiam Foxus in Mart.)

Bessarion Rom. Ecclesiæ Cardin. lib. de Sacr. Euchar. *Duo Sacramenta nobis à Salvatore tradita fuerunt.*

Et postea. *Hæc duo sola Sacramenta* (Baptismum & Eucharistiam) *in Evangelius manifestè tradita legimus.*

Beatus Rhenanus ad Tertullian. lib. adv. Marcion. cap. 51. p. 313. in marg. sic annotat: *Baptismus & Eucharistia duo Sacramenta primitivæ Ecclesiæ.*

Georg. Cassander in consult. art. 13. p. 951. *In hoc certè controversia nulla est, duo esse præcipua salutis nostræ Sacramenta, in quibus principaliter salus constat & percipitur, quomodo loquuntur Robertus Tuitiensis & Hugo de S. Victore, nempe sacrum Baptisma, & Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Baptismati tamen ab Isidero & eum secuto Rabano & Hugone de S. Victore Sacramentum impositionis manuum seu chrismatis & Confirmationis adjungitur, quo fit, ut apud paulo vetustiores inter Sacramenta propriè dicta nunc duo ponantur, ut Baptismus & Eucharistia; nunc tria, cum Baptismati Chrismatis confirmatio adjungitur; nunc vero quatuor, cum corpus & sanguis Domini in duo Sacramenta secantur, quod apertè fit à Rabano, qui lib. 1. de institut. Clericorum quatuor disertè Sacramenta numerat, reliqua vero Sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus Scriptoribus comprehensa legimus. Nec temerè quendam reperias ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum statuerunt &c.*

Ac postea. *Et de his quoque septem Sacramentis certum est, ne ipsos quidem Scholasticos existimasse, omnia ea æquè propriè Sacramenta vocari.*

Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 27. §. Ad secundum &c. concedit, *duo illa Sacramenta* (Baptismum & Eucharistiam) *esse magis communia & magis principalia.*

Ibid. concedit, *locum* Joh. 19. *quod ex latere Christi profluxerint sanguis & aqua, non malè ita exponi posse, ut significentur per sanguinem & aquam Eucharistia & Baptismus, ut Græci ferè omnes*, inquit, *exponunt.*

(Atqui ex hac expositione firmiter probatur, duo tantum esse N. T. Sacramenta, ut paulo antè ostendimus.)

Rayhingius in Enchir. Cathol. contra D. Hoë p. 538. scribit, *duo illa esse maximè communia, necessaria & eximia Sacramenta. Diese beyde/Tauff und Abendmahl/sind die gemeineste/nothwendigste/fürtrefflichste Sacrament.*

(Ergo reliqua non sunt talia, nec propriissimè dicta Sacramenta.)

2. Quod quidam negant, *Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium esse Sacramenta propriè sic dicta*, (quæ testimonia suo quælibet loco postea subjungentur.)

Georg. Cassander d. l. *De Confirmatione quidam scripserunt, gratiam Confirmationis non esse univoce gratiam cum illa, ut quæ ideo tantum instituta sit, ut habitum fidei fortiorem reddat, non autem ut habentem digniorem reddat vita æterna. De Matrimonio vero non modo P. Lombardus negavit, in eo gratiam conferri, sed longè post eum, Durandus disertè inquit, non esse matrimonium univoce Sacramentū, sicut alia Sacramenta novæ legis, nam nec conferre gratiam non habenti, non esse itaque Sacramentum propriè & strictè dictum.*

Grego-

Gregorius de Valentia lib. de Num. Sacrament. cap. 3. & 7. *Catholici alii negant Matrimonium, alii Confirmationem, alii Extremam unctionem esse univoce Sacramentum.*

3. Quod quidam talem tradunt definitionem, quæ non competit quinq; Sacramentis, Baptismo & Eucharistiæ superadditis.

Lombardus 4. sent. dist. 1. *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ imaginem gerens & causa existens.*

Hugo lib. 1. de Sacram. part. 9. cap. 2. in definitione Sacramenti ponit *corporale* vel *materiale Elementum foris sensibiliter propositum.*

Johannes de Turrecremata in c. Corporalia, caus. 1. q. talem ex Hugone recitat definitionem, *Sacramentum est corporale vel materiale Elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans.*

(Neve quis putet, per *Elementum* non intelligi tantum corpoream visibilem substantiam, sed etiam corporalem actionem, gestus & verba, nota ex Bellarmino lib. 1. de Sacram. c. 10. *Ad rationem & essentiam Sacramenti non pertinet sola significatio, sed etiam res ipsa sensibilis, quæ substantia quædam est,* quod congruit cum c. Multi secularium, caus. 1. q. 1. ex Gregorio. *Ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur.* At juxta hanc hypothesin duo tantum erunt Sacramenta, reliqua enim vel non sunt à Christo instituta, ut *Confirmatio* & *Extrema unctio*; vel destituuntur externo & visibili Elemento, ut *Absolutio, Ordo* & *Matrimonium.*)

Georg. Cassander d. l. p. 950. *Plenissima Sacramenti definitio est Hugonis de S. Victore. Sacramentum est materiale quiddam ex institutione significans, & similitudine repræsentans, & ex sanctificatione continens gratiam spiritualem; quod aliter dici potest, Sacramentum est signum à Christo institutum ad significandam & conferendam gratiam spiritualem quam similitudine quadam repræsentat.*

(At hæc definitio non competit quinque Sacramentis, Baptismo & Eucharistiæ superadditis.)

Huc referri potest, primo, quod Bellarminus lib. 1. de Pœnitent. cap. 11. Resp. ad. 1. Chemn. argum. concedit, *ex Baptismo & Cœna recte judicari de conditionibus Sacramenti.*

(At si essentiales Sacramenti proprietates ex Baptismo & Cœna colligamus, apparebit, eas non competere quinque superadditis Sacramentis.)

Secundo, quod in quolibet Sacramento Elementum externum sive signum visibile requiri agnoscunt.

(Illo enim quinque superaddita Sacramenta destituuntur.)

ArchAngelus Rubeus in 4. dist. 8. quærens, *pro quo supponat nomen Sacramenti in Eucharistia? Neque pro verbis supponit,* inquit, *cum verba non sint Sacramentum, sed eis, uti constat, conficiatur Sacramentum. Accedendo enim verbum ad Elementum, fit Sacramentū.*

(Si quod Sacramentale signum esset *objectum auditus & non visus,* sequeretur, illud constare ex verbis & verbis quod ineptū.)

Panigarolla lect. 10. *Signa in Sacramentis semper esse sensibilia, atque uti forma horum signorum semper audiri potest, quoniam semper verba sunt: ita eorum omnium materia semper est visibilis, quia semper est vel res, vel actio, quæ etiam extrinsecus conspici possit.*

(Ergo verbum non potest esse materia Sacramenti, sed requiritur visibile Elementum.)

Altensteig in Lexico. *Sacramenta consistunt duobus, scilicet verbis & rebus, quas sanctus Augustinus nominat Elementum & verbum.*

Raymundus de Sabande cap. de Sacramentis. *Ut significatio sit plena, completa & evidentissima, clarissima & determinata, certa verba debent addi cum rebus visibilibus, ut per res visibiles & verba, quæ audiuntur, fiat una completa repræsentatio unius & ejusdem rei visibilis.*

4. Quod agnoscunt, institutionem Sacramentorum esse solius Dei propriam.

(Jam vero quinque istorum Sacramentorum, quæ Pontificii *Baptismo & Eucharistiæ* addunt, Sacramentalis institutio non potest ex sacris literis probari.)

Thomas p. 3. q. 64. artic. 2. *Virtus Sacramenti est à solo Deo. Ergo solus Deus est Sacramentorum institutor.*

Et postea. *Apostoli & eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ à Deo institutæ per fidem & fidei Sacramenta, unde, sicut non licet eis tradere aliam fidem, ita neque instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Christi Ecclesia.*

q. 72. art. 1. *Instituere novum Sacramentum non est in potestate Ecclesiæ, sed est potestatis excellentiæ, quæ competit soli Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.*

Durandus lib. 4. sent. dist. 2. prolixè probat, *Sacramentorum autorem oportere esse non Angelos, non homines, sed ipsum Deum.*

Biel. 4. sent dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 2. *Institutio Sacramentorum, quæ non solum repræsentant, sed certo & efficaciter signant Sacramentalem effectum, per solum Deum fieri potest, qui solus effectum supernaturalem causare potest.*

Altensteig in Lexic. in verb. Sacramentum, docet, *particulam illam ex institutione divina, addi definitioni Sacramentorum, ut excludantur signa purè naturalia, & aqua benedicta, quæ non est Sacramentum, quia non à Deo, sed ab Ecclesia instituta.*

Eccius de Sacram. Homil. 2. *Unica divina voluntas sufficiens nobis est causa Sacramenti.*

Catechismus Romanus pag. 322. *Omnia sacra mysteria humanæ Naturæ vires superant, nec ab alio, quam à Deo possunt institui.*

Vasquez in part. 3. Thom. Disput. 128. cap. 4. *Præterea ad rationem signi, quod dicitur esse de ratione Sacramenti, non pauci Theologi antiqui & recentiores merito censent pertinere divinam institutionem, ita ut Sacramentum non modo sit signum rei sacræ, sicut in suis definitionibus Magister, sanctus Thomas & Isidorus solum expresserunt: sed etiam à Deo institutum, id quod Hugo de S. Victore, & Catechismus Pii quinti in definitionibus à se traditis expresse notarunt. Idem omnino addiderunt Sotus, Gabriel. Richardus, Durandus. Porrò autem hanc conditionem necessariam esse ad rationem Sacramenti, nulli hactenus dubium fuit.*

Catechesis Concilii Tridentini ad Parochos, titulo de Sacramentis. *Ut explicatius, quid Sacramentum sit, declaretur, docendum erit, esse rem sensibus subjectam, quæ ex Dei institutione, sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.*

Gregorius de Valentia in Thomam tom. 3. Disp. 3. gener. quæst. 1. punct. 1. *Constat sine controversia, Sacramentum non esse signum naturale, sed datum & institutum à Deo. Non enim ea est naturalis proprietas Sacramenti cum re, quam significat, ut sine Dei addita institutione faceret rem eam in cognitionem venire.*

Bellarminus lib. de Baptismo c. 20. §. 1. *Nullus homo purus Sacramenta instituere potest, præsertim novæ legis.*

In Concilio Tridentino quidam pugnabant, *fide tenendum esse, quod Christus sit omnium Sacramentorum institutor &c.*

Alii contra instabant, *non eò usque progrediendum, sed intra terminos Concilii Florentini consistendum, hac maxime nomine, quod Magister sententiarum censuit, extremam unctionem deberi D. Jacobo; & Divus Bonaventura cum Alexandro tenuerunt, Confirmationem cæpisse à temporibus Apostolorum; atque idem Bonaventura cum aliis Theologis Apostolos Sacramenti Pœnitentiæ laudent autores Matrimonium quoque nonnemo asserit à Deo in Paradiso fuisse institutum. Et Christus ipse, de eo sermonem habens, loco ad autorem ejus designandum appositissimo non sibi, sed Patri eam adscribit institutionem His adducti rationibus suadebant, caput illud articulo non adjungendum, ne Catholicorum sic opinio damnaretur.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trident. p. 269.

5. Quod agnoscunt, per aquam & sanguinem ex latere Christi profluentem Johann. 19. v. 35. denotari duo Ecclesiæ Sacramenta.

(Ex eo enim sic concludimus: Illa sola sunt verè & propriè dicta N. T. Sacramenta, quorum materia ex latere Christi in cruce pendentis profluxit, quia, quod virtus Sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè est ex fide passionis Christi. Atqui ex latere Christi in cruce pendentis profluxerunt tantum sanguis & aqua, geminorum Sacramentorum, *Baptismi & Eucharistiæ*, materia. Ergo duo tantum sunt verè & propriè dicta Sacramenta, nempe *Baptismus & Eucharistia.*

Leo Magnus in Epist. quæ Columna fidei in Concilio Chalcedonensi fuit appellata. *Si Christianam suscipit fidem, & à prædicatione Evangelii suum non avertit auditum, videat, quæ Natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat, unde sanguis & aqua effluxerint, ut Ecclesia Dei & lavacro rigaretur & poculo.*

Glossa ordin. in cap. 5. Rom. ex Augustino tract. 9. in Joh. *Sicut dormienti Adæ fit Eva de latere: sic mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.*

Thomas p. 3. q. 64. art. 2. *Apostoli & eorum successores sunt Vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ à Deo institutæ per fidem & fidei Sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam: ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quæ de latere Christi fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia.*

quæst. 62. art. 5. *Virtus remissiva peccatorum specialiter quodammodo pertinet ad passionem Domini. Ergò quod virtus Sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè est ex fide passionis Christi.*

quæst. 66. art. 3. ad 3. *Ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis ad redimendum, & ideo sanguis competit Sacramento Eucharistiæ, aqua vero Sacramento Baptismi.*

Johannes Ferus in cap. 19. Joh. *Sanguis & aqua duo certissima fidei nostræ & Ecclesiæ Sacramenta sunt, nempe Missa & Baptismus. Sanguis effusus est in remissionem peccatorum, & Baptismus institutus est in remissionem peccatorum, tam magna salus ex hoc vulnere Domini nobis profluxit. Per hæc enim duo Ecclesia ædificata est. Nam per aquam regeneramur, sanguine nutrimur.*

Salmero tom. 10. tract. 48. *Emisit sanguinem & aquam in signum duorum Sacramentorum; Baptismi, in quo aqua tingimur, & Eucharistiæ, in qua sanguine potamur.*

Toletus in cap. 19. Joh. *Duoque Sacramenta, Baptismus, quo corpus Ecclesiæ efficitur & mundatur; & Eucharistia, qua corpus formatum alitur, in aqua & sanguine reipsa repræsentantur. Ista duo sic Doctores sacri interpretantur, ut per aquam Baptismus, per sanguinem Eucharistia significentur. Id affirmant Cyrillus, Chrysostomus, Cyprianus.*

Maldonatus in cap. 27. Matth. *Divino consilio, ut inde sanguis & aqua deflueret, humanæ salutis symbola factum est, quemadmodum omnes veteres autores interpretantur. Nam & Christi sanguine redemti sumus, & aqua Baptismi, cum qua ejus quodammodo miscetur sanguis, abluimur; & per sanguinem Eucharistia, qua alimur; per aquam Baptismus, quo nascimur, duo præcipua salutis nostræ Sacramenta, significantur.*

(Nomen *præcipuorum* de suo addit, quia veteres simpliciter dicunt, *duo Ecclesiæ Sacramenta.*)

6. Quod quidam agnoscunt, septenarium Sacramentorum numerum non posse ex Scripturis probari, sed ex traditione descendere.

(Ergo septenarius Sacramentorum numerus non est articulus fidei, cum Scripturam esse perfectam fidei regulam demonstratum sit lib. 1. p. 1. cap. 1.)

Petrus à Soto in Confess. Wirtenberg. refut. *Habemus totum Sacramentum Confirmationis, Ordinis & Matrimonii & Extremæ unctionis, & verba atque effectus ex traditione Apostolica, non quod negemus, in Scriptura esse nonnulla de iis Sacramentis, sed omnia, quæ ad integritatem eorum, quæ certa fide tenemus, cum in Scriptura non sint, necesse est esse Apostolicæ traditionis.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 3. quæst. 6. *Non omnia Sacramenta, quæ ipsi defendimus, habent nostra sententia mandatum Dei.*

Ibid. *Quod Ecclesia Christi de ratione & numero Sacramentorum tradit, id, quamvis expresiè in sacra Scriptura non declaretur, sine ulla tamen dubitatione credendum est. Sed Ecclesia Christi tradit, esse septem Sacramenta novæ legis, neque his plura vel pauciora; & ita prorsus credendum est.*

7. Quod in Concilio Tridentino quidam censebant, non esse definiendum, *Sacramenta vera ac propria, neque plura esse, neque pauciora, quam septem. Cum enim Concilium Florentinum ultra non perrexerit, (quam septem esse Ecclesiæ Sacramenta) ejus exemplum esse sequendum. Deinde statuendo Sacramenta propria neque plura esse, neque pauciora, præsupponi determinationem veræ ac propriæ essentiæ & definitionis Sacramenti, quæ res est plena difficultatis, propter multiplices & discrepantes definitiones, non à Scholasticis modo, sed & Patribus allatas, quarum unam qui respiciat, illud proprium Sacramentum dixerit, quod aliam aspiciens, à Sacramentorum numero excluserit. Etiam inter Scholasticos adhuc controverti, an Sacramentum possit definiri, si unitatem habeat, si sit aliquid reale an intentionale; neque esse rationi consonum, in tanta principiorum ambiguitate conclusiones adeo firmo vinculo stabilire. Quin etiam D. Bernhardum post D. Cyprianum lotionem pedum pro Sacramento habuisse, & D. Augustinum omnia ferè Sacramentis accensere, ritus omnes, quibus Deum veneramur, hoc nomine indigitando: alibi verò vocem eam strictius accipiendo, quam proprietas ejus patitur, ea sola Sacramenta facere, quorum expressa est in N. T. mentio, ad quem modum duo tantum statuit, Baptismum & Eucharistiam, licet alicubi dubitare videatur, an non plura sint.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trid. p. 268.

8. Quod frivolas & jejunas ratiunculas pro asserendo septenario Sacramentorum numero adducant.

Thomas 4. sent. dist. 2. q. 2. *Septem sunt Sacramenta, quia Sacramenta ordinant secundum triplicem culpam & quadruplicem pœnam, ut Baptismus contra peccatum originale; pœnitentia contra mortale; extrema unctio contra veniale; Ordo contra ignorantiam; Eucharistia contra malitiam; Confirmatio contra impotentiam; Matrimonium contra concupiscentiam.*

Idem part. 3. quæst. 65. artic. 1. *In vita humana requiri quædam ex parte cujusque hominis, quædam ex parte totius Reipublicæ. Primum generationem in Baptismo; augmentationem in Confirmatione; nutritionem in Eucharistia; remedium contra morbos in pœnitentia; remedium contra reliquias morborum in extrema unctione; propagationem in matrimonio; autoritatem publicam in Ordinatione.*

(Eandem rationem approbant Alanus de Sacram. cap. 14. Cætech. Roman. part. 2. q. 11. Sed similitudo est, quæ non affert apodicticam probationem.)

Durandus 4. sent. dist. 2. *Septem sunt Sacramenta, quia expediunt nos ad actus virtutum, quarum septem sunt, tres Theologicæ, & quatuor cardinales; vel, quia sunt septem sigilla libri Apoc. 5. septem tubæ Angelorum Apoc. 8. septem sunt stellæ in dextera ejus, qui similis est filio hominis, & septem sunt candelabra Apoc. 2. Septem panibus satiavit Christus turbam Matth. 15. Septem oculi sunt super lapidem Zech. 3. Septem lucernæ in tabernaculo Ex. 33.*

Bonaventura 4. sent. dist. 2. *Cum Sacramenta sint armatura Ecclesiæ militantis, sumitur numerus sic: Quia sicut dicitur in Cantico, ipsa est terribilis, ut castrorum acies ordinata: terribilis est & fortis per Confirmationem: acies, quia conjuncta & unita, per Eucharistiam: ordinata per ordinem. Tum autem variabilis in hac vita, adeo, ut aliqui subtrahantur per mortem, aliqui prosternantur per culpam, ideo necessaria prolis multiplicatio per Matrimonium, & resurrectio post lapsum per Pœnitentiam. Ad aciem nemo admittitur sine signo, ad id Baptismus est. Ex acie egredientibus servit Extrema unctio.*

ArchAngelus Rubeus 3. sentent. distinct. 2. *Sacramenta ordinantur contra defectus, qui in nobis sunt ex peccato, ad quod ordinantur dupliciter: uno modo auferendo causam defectus, scilicet ipsum peccatum: & hoc vel impediendo, ne fiat: ad quod ordinatur Matrimonium; vel expiando jam factum: & sic contra originale ordinatur Baptismus, contra actuale Pœnitentia. Alio modo ordinatur contra defectum supplendo id, quod deest ad perfectionem. Est autem hæc duplex, una in ordine ad operationem & ad hanc ordinatur, quantum ad executionem bonorum: Confirmatio verò, quantum ad perpessionem malorum. Alia perfectio est in ordine ad finem, & ad hanc ordinatur Extrema unctio, respectu finis intra, per eam enim præparamur ad gloriam resurrectionis: & Eucharistia, respectu finis extra, quia per eam Christo capiti unimur.*

In Concilio Tridentino *ad confirmandam proprietatem, aut, ut Scholastici loquuntur, sufficientiam septenarii, quo evinceretur, neque plura esse, neque pauciora Sacramenta propriè dicta, quam septem, longa & fastidiosa adhibita est enumeratio rerum hoc numero comprehensarum, nempe VII. rerum naturaliũ, quibus vita acquiritur & conservatur; VII. virtutum; VII. vitiorum capitalium; VII. defectuum ex peccato originis promanantium; VII. dierum creationis mundi & quietis die septimo; VII. plagarum Ægypti; VII. denique Planetarum.* Petrus Suavis lib. 2. Histor. Conc. Trident. p. 268.

Idem Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1. sic decernit: *Septem sunt Sacramenta, quia septem sunt diversitates hominum in Ecclesia. Primum est intrantium, ut Baptismus; secundum pugnantium, ut Confirmatio; tertium vires resumentium, ut Eucharistia; quartum resurgentium, ut Pœnitentia; quintum exeuntium, ut extrema unctio; sextum ministrantium, ut Ordo; septimum novos milites introducentium, ut Matrimonium.* Desumtum est hoc argumentum ex Compendio Theologicæ veritatis, quod etiam hanc addit rationem. *Sacramenta ideo septenario numero comprehenduntur, quia disponunt ad septem virtutes habendas. Baptismus est Sacramentum fidei; Confirmatio spei; Eucharistia caritatis; Pœnitentia justitiæ; Extrema unctio fortitudinis seu perseverantiæ; Ordo prudentiæ; Matrimonium temperantiæ.*

Synodus Petricoviensis cap. 33. *Quid enim vel Evangelicæ doctrinæ adversatur, vel eam obscurat, si qui Spiritui S. familiaris est numerus, eo Sacramenta comprehendi voluit Ecclesia? cum etiam dona Spiritus sancti septem recenseantur; cum septem sigillis, quibus fuit Veteris Testam. pagina signata, quæ Agnus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, reseravit; septem tubis, quibus Angeli cecinerunt, septem stellis, quas habebat similis Filio hominis in dextra sua; septem panibus, quibus Dominus turbas pavit; septem oculis super lapidem; septem lucernis tabernaculi super unum candelabrum positis; septem lotionibus Naaman ea adumbrata esse existimentur.*

Ge-

Georgius Schererus in Post. pag. 153. inter cœtera septenarium Sacramentorum numerum, ejusque antiquitatem probat *ex imprecationibus militum in media Saxonia*, in quibus *non duorum sed septem Sacramentorum* fit mentio.

Argum. Pontificiorum,

Patres plura numerant Sacramenta, quam Baptismum & Eucharistiam.

Resp. 1. Bonaventura in 4. sent. dist. 1. *Sacramentum accipitur tripliciter, scilicet, communiter, propriè & propriissimè: & secundum hoc Magister dat tres definitiones, & prima est Sacramenti largissimè accepti.*

2. Altenstaig in Lexico, in verbo Sacramentum. *Sacramentum secundum Magistrum accipitur tripliciter, Uno modo pro sacro secreto, mysterio signato, quomodo dicimus Sacramentum divinitatis, incarnationis, passionis. Secundo, accipitur Sacramentum pro sacro signo; & sic dupliciter, Uno modo generaliter pro quolibet signo rei sacræ: sic sumitur à Magistro, cum ait: Sacramentum est sacra rei signum; & hoc modo extendit se ad sacrificia & Ceremonias Veteris Testamenti. Alio modo strictius accipitur Sacramentum pro signo efficaci & certo, quomodo Sacramenta Novi Testamenti dicuntur Sacramenta.*

(Quando ergo Patres plura numerant Sacramenta, utuntur hoc verbo in significatione latiori.)

3. Lombardus primus omnium septem Sacramenta numeravit lib. 4. sent. dist. 2. qui non potuit vel uno antiquitatis testimonio enumerationem illam confirmare, cum tamen hoc sibi in reliquis articulis perpetuò habuerit propositum, sic enim loquitur in Prologo: *Brevi volumine complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis: ut non sit necesse quærenti librorum numerositatem evolvere, cui brevitas, quod quæritur, offert sine labore.*

4. Bernhardus etiam *pedum ablutionem* Sacramentis annumeravit, quæ tamen etiam juxta Pontificios non est propriè dictum Sacramentum. Serm. de Cœna Domini. *Ad hæc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hæc Eucharistiæ participatio, ad hæc pedum ablutio, ad hæc denique ipse Baptismus &c.*

5. In Glossa Decreti, can. Si quis præbendas 15. caus. 1. quæst. 3. *Consecratio altaris vocatur Sacramentum. Consecratio,* inquit, *altaris est Sacramentum largè sumtum, cum sit rei sacræ signum.*

APPENDIX HUJUS ARTICULI, QVERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ERroneas & absurdas Adversariorum complectens.

I. *Querelæ.*

1. Bellarminus lib. 1. de Sacram. capite 27. *mendacium esse exclamat, quod Dn. Chemnicius scribit, Concilium Tridentinum definivisse intentionem finis esse necessariam in eo, qui Sacramentum administrat, cum Concilium non nominet Sacramenti finem, sed simpliciter sic decernat sess. 7. can. 11. Si quis dixerit in Ministris, dum, Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Resp. 1. Cur ergo Patres Tridentini non loquuntur clarius? Dicunt, *requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.* Id vero non solum *de ipso actu*, sed etiam *de fine Sacramenti* intelligi posse, ne ipse quidem Bellarminus inficias ire poterit. Sic enim scribit in cap. seq. 28. §. 17. *Verba illa Innocentii, etiamsi gerat in mente, non facere, quod facit Ecclesia, duobus modis intelligi possunt, Uno modo de eo, quod facit Ecclesia, quantum ad substantiam actionis; altero modo, quantum ad effectum illius actionis. Posteriori modo intellexit Innocentius, & est sensus: Etiamsi Minister non gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, id est, justificare hominem à peccatis, quia nimirum putat non habere talem virtutem illam Ceremoniam, tamen si intendit verè facere Ceremoniam, quam facit Ecclesia, satis est.* Fatetur ergo ipse Bellarminus, *quod intentio faciendi, quod facit Ecclesia*, de intentione finis accipi possit, & in verbis Innocentii etiam accipi debeat. Cur ergo Chemnicium flagellat, quod eodem sensu verba canonis Tridentini accipi posse statuat?

2. Audiat vero Bellarminus Gregorium de Valentia, qui tom. 3. in Thomam Disp. 3. q. 5. sic disserit: *Quarto, necessarium esse dicimus, ut hæc intentio pertineat & referatur aliqua ratione, non modo ad ipsam operationem Sacramentalem externam, sed etiam ad effectum seu finem illius. Hanc conditionem esse prorsus necessariam rectè inter cæteros animadvertit Scotus in quartum distinctione prima, quæstione quinta, articulo octavo.*

Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 138. illud sic explicat & limitat, *quod necessaria sit hæc intentio, non expressa circa effectum Sacramenti, sed implicita saltem.*

2. Idem Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 1. *calumniam & mendacium* vocat, *quod Catholicis hæc sententia tribuatur, quod conferre gratiam ex opere operato, sit conferre gratiam peccatori sine fide & bono motu utentis.*

Lib. 1. de Sacram. cap. 13. & in Judic. de lib. Conc. eadem inculcat, quando taxat verba A. C. art. 13. de usu Sacrament. *Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.* Taxat ibidem verba Apologiæ. *Hæc simpliciter Judaica opinio est, sentire, quod per Ceremoniam justificemur sine bono motu cordis, hoc est, sine fide, & tamen hæc impia & superstitiosa opinio magna autoritate docetur in toto regno Pontificio. Mendacium* hoc Bellarminus dicit esse *apertissimum*; Item, *tam esse manifestum, ut probatione non egeat, cum omnes Scholastici cum Magistro lib. 4. dist. 4. requirant actualem fidem, quæ sine bono motu cordis esse non potest, & ipse idem Philippus in Apol. art. de Pœnit. dicat, Catholicos requirere contritionem & attritionem. Quid verò attritio, nisi motus cordis?*

Resp. 1. Scholastici id disertis verbis asserunt. Albertus in cap. 6. Johann. *Opus operatum est perfectio externi operis sine motu interno.* Mensingerus addit: *Quia sancti in V. T. fide accipiebant gratiam in usu Sacramentorum, oportet ergo Novi Testamenti Sacramenta majoris esse efficaciæ, ut conferant gratiam ex opere operato, etiamsi non accedat opus operans suscipientis, hoc est, fides seu devotio interior.*

Doctor subtilis Scotus 4. sent. dist. 4. quæst. ult. *Ad susceptionem gratiæ per Baptismum, non requiritur aliquis bonus motus, quia nullum opus intrinsecum, sed tantum opus exterius, scilicet susceptio voluntaria Sacramenti cum remotione impedimenti interioris.*

Marsilius ab Inghen 4. sent. distinct. 4. quæst. 2. artic. 2. *Baptismum Johannis considerare possumus dupliciter, uno modo, quoad opus operatum, quod erat exterior corporis ablutio: alio modo, quoad devotionem suscipientis. Tunc est conclusio Responsalis, quod Baptismus Johannis, quoad opus operatum, non contulit gratiam, & ideo non fuit Sacramentum, quia id solum propriè dicitur Sacramentum, quod ex opere operato confert gratiam.*

Altensteig in Lexico, in verbo Opus operatum, ex comm. Dd. sententia sic disserit: *Sacramenta eo modo conferunt gratiam ex opere operato, quia ad consequendam gratiam per ea non requiritur bonus motus interior de congruo sufficiens ad gratiæ infusionem, sed sufficit, quod suscipiens ea non ponat obicem infidelitatis, contrariæ voluntatis, aut consensus in mortale peccatum commissum vel committendum.*

Petrus de Palude 4. sent. dist. 1. quæst. 1. *In Sacramentis novæ legis non per se requiritur, quod homo se disponat. Ergo per ipsum Sacramentum disponitur, & sic probabile est, in omni Sacramento novæ legis, quod justificat ex opere operato &c. Et si dicatur, opus operatū non esse à Sacramento, sed à Deo in Sacramento, vel cum Sacramento, istud non valet, quia ita Sacramentum novæ legis non distaret à Sacramento veteris legis, quia oportebat etiam in veteri lege dispositionem fieri in parvulis à Deo.*

Biel lib. 4. sent. dist. 1. q. 3. *Sacramentum dicitur conferre gratiam ex opere operato, ita, quod ex eo ipso, quod opus illud, puta Sacramentum, exhibetur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur utentibus, sic, quod præter exhibitionem signi foris exhibiti non requiritur bonus motus interior in suscipiente.*

Quod si horum omnium Jesuitas hodiè pudet, de hac veritatis agnitione ipsis gratulamur: interim candoris non est, tanquam conficta negare, quorum defensionem præ pudore non audeas suscipere.

2. Scholastici ejusmodi discrimen constituunt inter gratiæ collationem eam, quæ fiat in Sacramentis Novis *ex opere operato*, & eam, quæ alias fiat *ex opere operantis, quod istic non requiratur interior bonus motus in suscipiente, hic autem requiratur bonus.*

Biel d. l. postquam dixerat, *Sacramenta ex opere operato dici conferre gratiam sensu eo, quod præter exhibitionem signi foris exhibiti, non requiratur bonus motus interior in suscipiente*, sub[j]ungit: *Ex opere operante vero Sacramenta dicuntur conferre gratiam per modum meriti quod scil. Sacramentum foris exhibitum, non sufficit ad gratiæ collationem, sed ultra hoc requiritur bonus motus seu devotio interior in suscipiente, secundum cujus intentionem confertur gratia, tanquam meriti condigni, vel congrui præcisè, & non major propter exhibitionem Sacramenti.*

3. Pontificii solent has disputationes illustrare ex Baptismo parvulorum & eorum, qui furiosi nascuntur, in quibus censent, nullam accendi fidem, & tamen non abesse salvificam gratiam; Item *ex chrismate & extrema unctione*, quæ infirmis in agone mortis sensu & cognitione omni destitutis, ex opere

operato gratiam itidem conferat; quæ ipsæ illustrationes adhibitæ fuerunt in Concilio Tridentino, notante Petro Suavis Polano lib. 2. Hist. Conc. Trid. 271. Si ergo tum dicitur conferri gratia ex opere operato, cum ipse actus gratiam confert, etiamsi in eo, qui actum illum suscipit, nulla sit fides, nullus bonus motus, quemadmodum in parvulis baptizatis secundum Pontificios fides est nulla, sicut in infirmis destitutis omni sensu, nullus est sensus, nulla notitia: & vero *in omnibus Sacramentis* N. T. *ex opere operato gratia conferri* à Scholasticis dicitur, quid manifestius, quam secundum Scholasticos ad salutarem Sacramentorum usum, fidem & bonos motus non requiri, quod Augusti. Conf. affirmavit.

Inde etiam doctrina B. Lutheri, *quòd non Sacramento, sed fide Sacramenti homines justificentur*, intolerabilis Romano Pontifici visa fuit, ita ut in mandatis fuerit datum Cardinali Cajetano in Comitiis Augustanis Ann. 1518. ad quæ Lutherus excitus fuerat, ut Lutherum ad hujus doctrinæ παλινῳδίαν adactum docere deinceps cogeret, *fidem non esse necessariam accessuro ad Eucharistiam*, ut habetur in Paralipomenis Chronici Ursperg.

5. Quamvis ipse Cajetanus in quodlibetis de usu spirituali, um q. 3. eandem sententiam reprehendat, sic sensisse tamen plurimos non negat. *Unde*, inquit, *in hoc videtur communis multorum error, quod putant, hoc sacrificium ex solo opere operato habere certum meritum vel certam applicatione, qua applicatur huic vel illi.*

6. Augustana Confessio loquitur de fide in ipso usu Sacramentorum salutari, quod Scholastici ad hoc, ut gratia actu communicetur per Sacramenta, non requirant in utente concursum fidei, sed doceant, *quod, etiamsi in usu Sacramenti Sacramentis utens, fide oblata gratiam non apprehendat, nihilominus gratia in Sacramento oblata, ex ipso opere operato, sive ex nuda sumtione vel concedatur, vel augeatur.* Hanc esse Augustanæ Confess. mentem testantur ipsa verba, quæ sic habent: *Damnant illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri* (ad hoc scil. ut justificet Sacramentum ex vi antitheseos) *in usu Sacramentorum.* Sic exponit Apologia: *Hic damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis*, quæ verba Apologiæ ab ipso Bellarmino pro explicanda mente Aug. Conf. afferuntur. Et adhuc clarius hæc exponit Apologia in antithesi, cum sententiam nostram his Scholasticorum opinionibus contradicentem sic explicat: *Nos docemus, quod in usu Sacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in Sacramento offeruntur &c.*

Et paulo post. *Neque ulla litera ex veteribus scriptorib. proferri potest, quæ patrocinetur hac in re Scholasticis, imo contrarium ait Augustinus, quod fides Sacramenti, non Sacramentum justificet* Ergo ex vi oppositionis Aug. Conf. hoc reprehendit in Scholasticis, *quod Sacramentum, etiamsi absit utentis fides, justificet; quod ex vi ipsius Sacramenti non solum offeratur, sed etiam conferatur gratia justificans, etiamsi in ipso usu utentis fides acceptans non concurrat.*

7. Hoc vero non solum olim docuerunt Scholastici, sed etiam adhuc hodie docent Pontificii. Osorius conc. 2. de Renov. vet. hom. tom. 4. ubi vim Sacramenti contradistinguit à dispositione utentis, *Sacramenta*, inquiens, *augent gratiam non solum pro dispositione subjecti, sed etiam vi Sacramenti*; Patres Tridentini, qui can. 8. artic. de Pœnit. anathemate feriunt sententiam nostram, obscurè tamen aut insidiosè, more hujus Concilii, propositam, sic fulminantes: *Si quis dixerit, ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit*; ipse Bellarminus, qui vult lib. 2. de Sacrament. cap. 1. & seqq. *non requiri fidem in usu Sacramentorum ad efficientiam gratiæ Sacramentalis*, ut insidiosè loquitur, sive *gratiam & favorem Dei communicari ex vi Sacramenti, sine concursu fidei apprehendentis oblatam in Sacramentis gratiam*; imo totum regnum Pontificium, quod pertinacissimè tuetur, *sumtione nuda Baptismi gratiam Dei justificantem & salvificam contingere infantibus, etiamsi careant fide*, cum contra Scriptura nullam sciat gratiam justificantem, nullum favorem Dei salvificum, qui fide non apprehendatur Marc. 16. v. 16. & propterea in ipsis quoque infantibus ponat fidem, Matth. 18. v. 6. Marc. 9. v. 42. Luc. 18. v. 15. 16. & 17. accensam scil. ex Sacramento Galat. 3. v. 26. & 27. Concilium Trident. sess. 7. can. 6. *opus operatum ita* describit, *quod conferat gratiam saltem obicem non ponentibus*; (adeoque solam voluntatis determinationem negativam à malo morali, non positivam ad bonum requirit.) Scholasticos *bonum motum utentis contradi-*
stinxisse operi operato, agnoscunt Gregorius de Valentia in part. 3. Thom. Disp. 3. q. 3. punct. 1. Vasquez ibid. Disp. 131. cap. 1. Tannerus ibid. Disp. 3. q. 3.

8. Aliena ergo sunt omnia, quæcunque Bellarminus de fide actuali in Sacramentis, de recta fide in Baptismo, de contritione & attritione in pœnitentia, à Pontificiorum cohorte requisitis affert. Nam ad summum illa *ut dispositiones* prærequiruntur, non ut concurrant *in usu Sacramenti ad apprehensionem gratiæ*, de quo agit Augustana Confessio.

9. Per bonum motum cordis Philippus intelligit ipsam fidem, sic enim se explicat in Apol. Per fidem vero non intelligit fidem istam *generalem & Historicam*, quam Pontificii pro dispositione subjecti Sacramentis utentis requirunt, sed *specialem* juxta Scripturæ usum, qua quis promissiones divinas sibi applicat, ut ostendunt ipsa Confessionis verba, quam fidem Bellarminus cum suis non solum ex usu Sacramentorum, sed etiam penitus è Christianismo tollit. Dn. Kleinius in Orat. Jubil. criminationibus Bellarmini opposita.

3. Idem Bellarminus ibidem *Luthero & Chemnicio* tribuit, *quod falsa expositione operis operati Catholicos prægravaverint. Affirmant*, inquit, *opus operatum significare opus meritorium, seu dignitatem operis ex parte Ministri vel suscipientis, quæ est falsa expositio, & testis ignorantiæ vel malitiæ illorum.*

Resp. Nec Lutherus, nec Chemnicius hoc dicunt, quod Pontificii *per opus operatum* intelligant opus meritorium, seu dignitatem operis ex parte Ministri vel suscipientis, sed verè ac fideliter ipsorum sententiam referunt & explicant. *Scholastici* (inquit Chemnicius) *communiter distinguunt inter Sacramenta V. & N. T. quod illa conferant gratiam ex opere operantis, hæc verò ex opere operato.* Mox ex Biele addit explicationem, qui lib. 4. sent. distinct. 1. q. 3. sic disserit: *Ex opere operantis Sacramenta dicuntur conferre gratiam per modum meriti, quod scil. Sacramentum foris exhibitum non sufficit ad gratiæ collationem, sed ultra hoc requiritur bonus motus seu devotio interior in suscipiente, secundum cujus intentionem confertur gratia, tanquam meriti condigni vel congrui præcise, & non major propter exhibitionem Sacramenti. Ex opere operato Sacramentum dicitur conferre gratiam, ita quod ex eo ipso, quod opus illud, puta Sacramentum, exhibetur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur utentibus, sic, quod præter exhibitionem signi foris exhibiti non requiritur bonus motus in suscipiente.* Hic quilibet videt, Chemnicium ipsis Scholasticorum verbis operis operati significationem exponere.

4. Idem Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 13. *Chemnicium impudenter mentiri & calumniari dicit, quod Florent. & Trident. Concilia definiverint, veteres Patres non habuisse gratiam Dei ex merito Christi, aut habuisse eam sine ullo organo vel medio applicante Christi merita, cum Concilia nihil horum dicant, sed tantum asserant, hoc esse discrimen inter Sacramenta legis veteris & novæ, quod nostra conferant gratiam, illa solum eam significaverint, ex quo nondum consequatur, veteres Patres non habuisse gratiam, aut habuisse sine organo applicato Christi merito. Nam etiamsi non habuerunt eam per Sacramenta, tamen habuerunt per fidem, ut etiam nunc adulti per fidem & contritionem justificantur, antequam reipsa ad Sacramentum accedant.*

Resp. Verba Chemnicii in cap. de diff. Sacram. V. & N. Test. pag. 19. nequaquam hoc habent, quod tribuat vel Conciliis illis, vel Pontificiis, quod gratiam Dei & meritum Christi Patribus V. T. simpliciter denegent, sed quod organum applicationis, per quod offertur, exhibetur & obsignatur gratia Dei & meritum Christi, ipsis denegent, quod verè illis tribui, res ipsa testatur, cum negent, *Sacramenta V. T fuisse efficacia gratiæ & salutis media.* Quamvis vero Bellarminus obvertat, *veteres habuisse gratiam per fidem*, tamen per fidem non intelligit fiduciale m apprehensionem promissionis Evangelicæ in verbo oblatæ, & Sacramentis veluti sigillis obsignatæ, sed fidem tantummodo *Historicam*, non *instrumentaliter*, sed *præparatoriè & meritoriè* justificantem. Quare, cum vera & justificans fides promissionem gratiæ in verbo Evangelii & Sacramentis verbo additis, oblatam, unicè respiciat, consequens est, negato eo, quod in verbo Evangelii & Sacramentis promissio gratiæ ex parte Dei Patribus in Veteri Testamento fuerit oblata, negari etiam illud, quod gratia Dei & meritum Christi ex parte fidelium in Veteri Testamento fuerit recepta, propter mutuam scilicet & perpetuam verbi, tum simplicis, tum signis Sacramentalibus vestiti & veræ fidei relationem.

II. Calumniæ. 1. Generales.

1. Bel-

1. Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 1. sic differit: *Lutherani, etsi Sacramenta non tollunt omnia, omnia tamen virtute & efficaciâ spoliant, fidei enim omnia tribuunt, Sacramentis autem nihil, nisi ut sint nuda signa eaque non omnino necessaria.*

Resp. 1. Ex ipso Bellarmino lib. 2. de Sacram cap. 2. *Lutherani de efficacia Sacramentorum interdum ita scribunt, ut videantur à Catholicis non dissentire.*

Et postea. *Volunt Sacamenta eo modo concurrere ad justificationem, quo prædicatio verbi, nisi quod prædicatio adhibetur auribus, & per auditum fidem excitat, Sacramenta adhibentur oculis, & per visum excitant etiam fidem.*

(Jam vero prædicatio verbi non est *nudum signum*, sed etiam *efficax medium* fidei accendendæ & confirmandæ. Ergo etiam Sacramenta ex sententia Lutheranorum statuenda erunt non nuda signa, sed efficacia media & organa gratiæ.)

2. Ex eodem Bellarmino lib. 1. de Sacramentis cap. 6. *Lutherani omnes volunt, gratiam ex Christi passione nobis per verbum & Sacramenta offerri & applicari. Neque refert, quod ipsi non nominent alveum, nam nominant instrumentalem causam, quod est longè amplius, quam alveus.*

(Quod si ergo Sacramenta statuimus *causas instrumentales*, per quas gratia nobis offeratur & applicetur, quomodo Sacramenta virtute & efficacia spoliamus?)

2. Idem Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 14. accusat nostros discordiæ *in constituenda definitione Sacramenti, Chemnicius*, inquit, *in 2. part. Exam. cap. de efficacia Sacram. enumerat quinque diversas sententias Lutheranorum, præter suam, quæ est sexta.*

Resp. Imo vero non nostrorum, sed *Scholasticorum* & *Zuinglianorum* discordias & opiniones ibidem recenset, ut cuilibet primo intuitu manifestum.

3. Idem Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 23. in quæstione *de numero Sacramentorum novem diversas opiniones* nobis tribuit.

Prima, inquit, *opinio est Lutheri, qui in lib. de Capt. Babylon. scribit, unum tantum esse Sacramentum, quamvis sint tria Sacramentalia signa.*

(Resp. Lutherus hoc vult, quod omnia ad unum finem, videlicet ad fidei confirmationem spectent, licet signa Sacramentalia in illis sint diversa.)

Secunda opinio est eorum, qui tantum duo numerant Sacramenta propriè dicta, Baptismum & Eucharistiam.

(Resp. Hæc non est opinio, sed immota veritas ab omnibus nostratibus concessa.)

Tertia opinio est eorum, qui tria numerant Sacramenta, Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam, Apol. Aug. Confess. art. 13.

(Resp. Quo sensu & respectu Absolutio in Apol. Sacramentis annumeretur, in art. de Pœnitentia declarabitur.)

Quarta opinio est Zvinglii qui in lib. de Vera & falsa relig. Matrimonium Sacramentis annumerat.

Quinta opinio est Calvini, qui Ordinationem illis accenset.

(Resp. Illorum opiniones nihil ad nos attinent. Utuntur autem voce *Sacramenti* in latiore significatione.)

Sexta opinio est Philippi & Losii qui quatuor numerant Sacramenta, Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam & Ordinationem.

Septima est ejusdem Philippi, qui in Locis ultimo editis Matrimonium illis addit.

(Resp. Quo sensu ac respectu illud factum fuerit, ipse declarat.)

Octava opinio est Postelli, qui sex numeravit Sacramenta.

(Resp. Bellarminus dicit, *illum Catholicè*, id est, in fide Romana *obiisse*, quid ergo ad nos ejus opinio?)

Nona opinio est Interimistarum, qui receperunt septē Sacramenta.

(Resp. Liber ille non est communi Ecclesiarum nostrarum suffragio receptus.)

Ex eod. fundamento respondendum ad calumniam Thomæ Hardingi, qui in Confutat. Apol. Anglic. part. 2. cap. 11. sic differit: *Jam, quod duo tantum Sacramenta agnoscitis, quid est, cur vobis potius, quam primis Præceptoribus vestris Germanis quisquam credat, qui in Confessione sua, quam ad Carolum V. &c. Augspurgi Ann. 1530. omnium Protestantium nomine detulerunt, Sacramenta statuunt tria, Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam. Postero anno Philippus Melanchthon in sua Apologia eadem Sacramenta tria affirmavit. Verum postea Anno 1552. aliud reperit, & Ordinis Sacramento ad superiora tria adjecto quaternarium numerum explevit. Lipsia tria recipiunt. Witenbergæ, quæ non magno inde intervallo urbs disjuncta est, quatuor; nec hinc longè Magdeburga Flacius Illiricus, & qui eum sectantur, duo tantum esse volunt.*

4. Idem Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 2. tribuit nobis hanc sententiam, quod statuamus, *Sacramenta non habere immediatè ullam efficientiam respectu gratiæ, sed esse nuda signa, tamen mediatè aliquid efficere, quatenus videlicet excitant vel alunt fidem, qua homines justificantur, quod tamen ipsum, id est, excitare fidem, non faciant, nisi repræsentando.* Quo refert verba Lutheri in lib. de Captivit. Babylon. cap. de Bapt. *Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis.*

In Assert. artic. 1. *Nos dicimus, non Sacramenta, sed solam fidem justificare.*

Alphonsus de Castro lib. 3. adversus hæreses, verbo baptismus, hæresi 4. *Martinus Lutherus, cum paucissima admittat Sacramenta, in universum tamen de eis dicit, nullam gratiam conferre. In libro enim suo de Captivit. Babylon. sic ait: Hæretica est sed usitata sententia, Sacramenta novæ legis conferre gratiam iis, qui non ponunt obicem.*

Resp. 1. Absolutè loquendo fidem non opponimus Sacramentis & eorum efficaciæ, cum sint invicem subordinata.

2. Nec dicimus, requiri fidem, ut Sacramentum in sensu diviso efficax fiat, sed ut efficaciæ ex institutione divina Sacramentis insitæ, participes reddamur.

3. Quod si ergo *per immediatam Sacramentorum efficientiam* Bellarminus intelligat efficaciam, seu internam agendi vim, qua nullum datur proximius medium, in animâ hominis agens, exhibendo & ex sua parte applicando animæ divinam gratiam, tantum abest, ut efficaciam illam Sacramentis derogemus, ut contra Calvinianos eam mascule propugnemus.

4. Quando Lutherus Sacramenta & fidem opponere videtur, *non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare* asserens, loquitur *comparate*, respectu habito ad Disputationes Scholasticorum, qui statuunt, *Sacramenta prodesse ex opere operato sine fide & bono motu utentis*, inde in Catechesi Sacramentum Baptismi & fidem Lutherus conjungit hisce verbis: *Baptismus operatur remissionem peccatorum, liberat à morte & Diabolo, ac donat vitam æternam omnibus hoc credentibus, ut verba & promissiones Dei sonant.* Hanc esse genuinam Lutheri sententiam, patet ex illo ipso, quem Bellarminus allegavit, loco.

5. Quid quod Bellarminus ipse in hoc ipso capite adducat verba D. Chemnitii, quæ nostram sententiam de Sacramentorum efficientia clarissimè explicant, *Sacramenta*, inquit D. Chemnitius, *sunt causæ instrumentales, ita quod per illa media seu organa Pater vult gratiam suam donare, exhibere, applicare; Filius meritum suum communicare credentibus; Spiritus Sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credenti*, quæ *Catholicissimè dicta esse*, ibidem Bellarminus agnoscit.

5. Balthasar Hagerus Jesuita Herbipolensis in Collat. Aug. Conf. & Concil. Trident. artic. 8. *ineptiarum* insimulat Aug. Confess. autores, *quod ad probandum, licere uti Sacramentis per malos ministros administratus, allegaverit dictum Christi Matth. 23. v. 2. In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi &c.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 1. de Sacram. in genere cap. 26. probaturus, *non requiri probitatem Ministri ad efficaciam Sacramentorum, Tertium argumentum desumit à similibus, Verbum Dei*, inquit, *efficaciter prædicatur ab improbis, ut colligit Augustinus lib. de Baptismo cap. 11. ex Matth. 23. Quæ dicunt vobis, facite &c.*

(Aut ergo Bellarminus & Augustinus ineptè applicant hunc locum ad Sacramentorum administrationem, aut concedendum, eodem jure hunc locum ab August. Confess. autoribus ad eam applicari potuisse.)

2. Petrus Canisius in opere Catechistico f. 209. & seqq. tractans locum de dignitate Ministri Sacramentorum. *Non*, inquit, *merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum*, (puta in administratione Sacramentorum.) *Nam & per indignos consuevit Deus operari*, & ad hoc probandum allegat ex Johan 12. *exemplum Caiphæ*, & ex Matth. 23. *hæc ipsa verba*, quæ Hagerus *ineptè ab Aug. Conf. ad hoc negotium contorta*, calumniatur.

3. Jodocus Coccius tomo 2. Thesauri lib. 5. artic. 2. & alii Pontificii complures hoc loco ad idem probandum utuntur.

4. Carolus Imper. & Status Pontificii hunc artic. cum omnibus suis partibus in Confutatione laudat. Nec Hoffmeisterus, nec Vitvesius, nec Cassander ineptæ contorsionis in examine hujus articuli meminerunt. Confer Dn. D. Hüllemannum Disp. 7. contra Hageri Collationem.

2. Speciales.

1. Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 24. & lib. 4. de Euchar c. 16. *Lutherum* flagellat, quod docuerit, *quemvis hominem baptizatum potestatem & jus habere administrandi Sacramenta.*

Resp. 1. Lutherus non concedit omnibus baptizatis absolutè & simpliciter potestatem administrandi Sacramenta, sed loquitur *de generali quadam aptitudine*, quam Christiani ad Sacramenta respectu infidelium habent, quod per Baptismum in fœdus Dei recepti, apti & idonei sint ad hoc officium, si scil. legitimè vocentur.

2. Hanc generalem aptitudinem opponit Lutherus *characteri Sacerdotali*, de quo Scholastici & Pontificii disputant, *quod per Ordinis Sacramentum in anima suscipientis causetur potestas quædam spiritualis, per quam Sacerdos fiat habilis ad conficiendam Eucharistiam, ita ut sine illa nullo modo confici possit, & in cujus potestatis signum animæ characterem inprimi* statuunt.

3. Lutherus insuper agit *de casu necessitatis extraordinario*, quod in illo Baptismus etiam à Laico administrari possit. It. quod in tentationibus quilibet fidelis annunciatione remissionis peccatorum à Christo partæ proximum tentatum erigere & confirmare possit.

4. Tom. 6. Jen Germ. f. 339. extat Epistola Lutheri ad Pastorem, in qua tractatur quæstio, *An Paterfamilias in illis locis, ubi sacra Cœna non administratur, juxta Christi institutionem sibiipsi & familiæ suæ privatim eam distribuere possit*, ad quam quæstionem Lutherus respondet *negativè*, addita hac ratione, *quod Paterfamilias vocatione & mandato tale quid faciendi destituatur.* Confer, quæ dicta sunt superius in append. articuli. 6. de Clericis, membro 2. col. 2.

2. Idem Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 21. *Lutherum* accusat, quod in lib. de Capt. Babyl. cap. de Bapt. statuat, *non requiri certa verba in Sacramentis, siquidem dicat: Si quis in nomine Domini Baptismum suscipiat, etiamsi Minister impius non det in nomine Domini, eum verè esse in nomine Domini baptizatum.*

Resp. Illud verò nequaquam eò trahendum, quasi Lutherus statuat, *licitum esse, verba substantialia institutionis Sacramentorum mutare*, cujus contrarium in Homil. 2. de Baptis. & alibi passim in ipsius scriptis occurrit, sed 1. quod forma Baptismi à Græcis usurpata, *Baptizetur servus Christi*, Itemque illa ab Apostolis usurpata, *Ego te baptizo in nomine Christi*, non deroget hujus Sacramenti integritati.

2. Quodque integritati Baptismi nihil decedat, si vel maximè Minister interius perversam hæresin contra Trinitatis articulum foveat, modo institutionem Christi observet.

3. Et quod saluti illius, qui in vera fide Baptismum suscipit, nihil decedat, si vel maxime Minister malitiosè verba Sacramentalia immutet.

4. Cajetanus Card. *Baptismum in nomine Trinitatis collatum sine personarum expressa mentione verum esse Baptismum* dixit; quod omnes Scholastici & Pontificii negant.

3. Idem Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 7. *Lutherum* accusat, *quod initio à nomine Sacramenti abhorruerit, cum in lib. de Captiv. Babyl. cap. de Matrim. statuat, in Scriptura nomen Sacramenti non haberi in ea significatione, in qua in hoc articulo usurpatur.*

Suarez de Sacram. tom. 1. in præfat. *hæreticos nomen Sacramenti in significatione Ecclesiastica acceptum rejicere* conqueritur.

Resp. Quamvis nomen *Sacramenti* in ea significatione non inveniatur, tamẽ à Luthero propterea minimè repudiatur, cum res hoc nomine denotata in Scripturis extet.

Quinimo Lutherus in lib. contra cœlestes Prophetas *Carolstadium* hoc nomine ex professo refellit, quod Sacramenti appellationem cum sit ἄγραφος, simpliciter rejectam velit. In Aug. Confess. artic. 13. disertè *vox Sacramenti* usurpatur.

4 Idem Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 12. recitat *distinctionem Lutheri* in lib. de Captivit. Babyl. cap. de Bapt. inter *duo genera signorum, quod quædam habuerint annexum verbum promissionis, ac proinde exegerunt fidem, ut signum iridis datum Noæ, signum roris in vellere Gideonis, signum in reversione Solis datum ab Esaia Regi Ezechiæ, quæ fuerint vera Sacramenta; quædam verò non habuerint annexam promissionem, ut omnes Ceremoniæ legales, quibus expiabantur homines, vestes, ædes, quæ non fuerint propriè Sacramenta.* Ex hac distinctione Lutheri colligit Bellarminus, *Lutherum frustra invehere in Anabaptistas, quod non plus tribuant Baptismo, quam lotionibus Judaicis, cum ipsemet non multum tribuat Baptismo, siquidem Iridem illis æquare non vereatur.* Item, *paradoxum hoc esse, quod non sint pro Sacramentis habenda lotiones Judaicæ, Agnus paschalis, sacrificia; Contra vero esse Sacramenta, quæ à nullo ne per somnium quidem vocata sunt Sacramenta, ut Iridem, vellus Gideonis, umbram horologii Achaz.*

Resp. Ipsa Lutheri verba satis manifestè testantur, Lutherũ ibi nequaquam definire, quæ sint *propriè dicta Veteris Testamenti Sacramenta*, sed *signa Sacramentalia*, quæ annexum habent verbum promissionis, distinguere *à figuris legalibus*, qua in parte cum quædam signa καιρικὰ, ut ros in vellere Gideonis, retrocessio umbræ in horologio Achaz &c. cum Sacramentis perpetuis & ordinariis Veteris Testamenti conveniant, ideo hoc duntaxat sensu & respectu Lutherus eadem ad Sacramenta refert, & à figuris legalibus distinguit. Quamvis ergo κατά τι Baptismum Novi Testamenti Sacramentum cum Iride, vel potius cum arca Noæ exemplo D. Petri 1. Epist. 3. v. 21. conferat, absit tamen, ut Baptismatis Sacramento nihilo plus, quam Iridi convenire statuat.

5. Cornelius à Lapide in Comm. cap. 4. Genes. Lutherum accusat, *quod rideat veterum Patrum sententiam, qua statuunt, sacrificium Abelis fuisse igne cœlitus delapso inflammatum, atque ex eo Abelem intellexisse, quod sacrificium suum Deo fuerit gratum.* Sed injuriam facit Luthero, sic enim disertè scribit in Comment. super 4. cap. Genes. pag. 56. *Adæ magnæ consolationi fuit, quod amissa Paradiso, arbore vitæ & aliis commoditatibus, quæ erant signa gratiæ, aliud signum gratiæ, nempe sacrificia, ei datum esset, per quod intelligeret, se à Deo non abjectum, sed Deo adhuc curæ esse & à Deo respici. Hoc enim significabat Deus, cum sacrificia & oblationes flamma cœlesti accenderet & absumeret, sicut de sacrificio Mose & Eliæ legimus. Hæc enim erant veræ ostensiones divinæ misericordiæ, quibus opus habebant miseri homines, ne essent sine aliqua luce gratiæ Dei.*

6. Adamus Conzen in Comm. Rom. 1. v. 16. taxat Chemniciũ, quod neget *Christianæ*, ut loquitur, *legis Sacramentis vim justificandi, ex loco Apostolico, Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Atqui hæc est manifesta calumnia, ut constat ex part. 2. Exam. Concil. Trident. pag. 215. ubi ex professo explicat vim Sacramentorũ. Dicimus, *Evangelium & Sacramenta justificare nos eodem modo*, juxta Apologiam Augustanæ Confessionis, quam D. Chemnicius d. l. allegat, negamus autem, *Sacramenta justificare per virtutem quandam subjectè ipsis inhærentem, vel ex opere operato.*

3. Opiniones erroneæ & absurdæ.

1. Lombardus lib. 4. sent. dist. 23. negat, *à Christo omnia Sacramenta esse instituta.*

Concilium Trident. sess. 21. can. 2. *Ecclesiam habere potestatem mutandi & instituendi Sacramenta* asserit.

Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 23. *quædam Sacramenta à Christo, quædam ab Apostolis promulgata* statuit.

Contra Thomas part. 3. quæst. 64. art. 2. *Virtus Sacramenti est à solo Deo. Ergo solus Deus est Sacramentorum institutor.*

Et postea, *Apostoli & eorum successores sunt Vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ à Deo instituta per fidem & fidei Sacramenta, unde sicut non licet eis tradere aliam fidem, ita neque instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quæ de latere Christi in cruce pendentis fluxerunt, dicitur esse fabricata Christi Ecclesia.*

Durandus lib. 4. sent. distinct. 2. prolixe probat, *Sacramentorum autorẽ oportere esse non Angelos, non homines, sed ipsum Deum.*

Biel. lib. 4. sent. distinct. 1. quæst. 2. art. 3. dub. 2. *Institutio Sacramentorum, quæ non solum repræsentant, sed certo & efficaciter signant Sacramentalem effectum, per solum Deum fieri potest, qui solus effectum Sacramentalem supernaturalem causare potest.*

Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 31. §. 1. *Sacramenta solus Deus instituere potest.*

2. Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 23. *Christo ut homini* tribuit *quandam potestatem excellentiæ, derivatam à divinitate, quæ sit velut media inter divinam & humanam, juxta quam ad Sacramentorum institutionem concurrat.*

(At non media quædam, sed *vere divina potestas* Christo secundum humanam Naturam data est, ut in artic. de Christo fuit demonstratum.)

3. Idem Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 17. probare conatur, *Circumcisioni non fuisse additam promissionem de remissione peccatorum, argumento eo, quia Abraham, cui Circumcisio imperata justus fuit ante ejus susceptionem.*

(Eodem argumento confirmari posset, etiam Baptismo in Novo Testamento non esse additam promissionem de remissione peccatorum, quia multi baptizantur, qui ante Baptismi susceptionem sunt justi.)

4. Idem Bellarminus lib. 1. de Pœnitent. cap. 11. *Non est necessarium, in quolibet Sacramento haberi visibile signum, ideo verba Absolutionis, (quæ sunt audibilia, quamvis non visibilia) possunt esse externa signa in pœnitentia.*

(At hac ratione etiam prædicatio verbi poterit esse Sacramentum, quia est ibi sonus audibilis.)

5. Idem

5. Idem Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 14. *Non tam promissio, quam comminatio est, quando Christus dicit Johan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu; ex qua colligitur necessitas & virtus Baptismi, sed non promissio aliqua præcedens, quæ Baptismo obsignetur.*

(At si ex his verbis colligitur virtus Baptismi, utique etiam verba illa promissionem gratiæ continent. Ac si nemo, nisi ex aqua & Spiritu renatus, regnum cœlorum ingredi potest; colligitur à contrario sensu, ex aqua & Spiritu in Baptismo nos regenerari, & fores regni cœlestis nobis aperiri.)

6. Idem Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 28. *Non debet, durum videri, quod Deus permittit, (ut salus hominum sit in arbitrio impii Ministri posita) ne destruat Naturam hominis, alioqui etiam videretur durum, quod Deus reliquerit in arbitrio Tyranni vitas multorum innocentium.*

(At immanis est diversitas inter *Tyrannum*, qui vitam naturalem innocenti eripit, & inter *improbum Ministrum*, qui ex hypothesi Bellarmini per subtractionem intentionis salutem baptizando eripit.)

Huic horribili pronunciato affine est illud ejusdem monetæ, quod habet lib. 3. de Pœnit. c. 3. arg. 6. *quosdam verè in Christum credentes in æternum perire, quod antè moriantur, quam à Sacerdote absolvi potuerunt.*

7. Pontificii non rectè docent de Sacramentorum efficientia, concedunt enim tantùm *praxin secundariam*, quæ est renovatio seu efficientia inhærentis justitiæ, quia per hanc dicunt justificari hominem coram Deo, id est, justum censeri propter inhærentem justitiam peccatis remissis, id est, penitus expulsis. Negant autem *primariam operationem*, quæ est efficientia fidei apprehendentis Christum, & in illo justitiam coram Deo valentem, id est, remissionem peccati, & imputationem justitiæ ac salutem æternam obtinentis; quia imputationem justitiæ Christi per fidem repudiant. Cum verò justitia inhærens non possit esse sine præcedanea imputatione justitiæ Christi, eo ipso, quod primarii finis efficientiam Sacramentis derogant, etiam inhærentis justitiæ collationem, quantum in se est, tollunt.

8. Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 7. §. Secundo aliter &c. *Apud Catholicos, qui fatentur, Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, probamus, nomen Sacramenti esse in Scripturis, non solùm in genere, sed etiam in specie, id est, ut significet res illas septem, quas propriè Sacramenta vocamus. Ait enim Apostolus Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est.*

Contra. 1. Dominicus à Soto 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. *Tertia demum significatio hujus vocis est, qua significat sensibilia signa gratiæ, in qua utiq; significatione non modo apud Ethnicos non reperitur, verum neq; in sacra Scriptura nominantur Sacramenta.*

2. Cornel. Jansenius in Concord. c. 96. *Satis est in Scripturarum autoritate fundatum, quod Matrimonium sit Sacramentum secundum eam acceptionem vocabuli Sacramentum, quâ dicimus, Baptismum & Eucharistiam esse Sacramenta, quanquam secundum eam non accipiatur, cum dicit Paulus de conjugio loquens, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia; ubi simpliciter nomen Sacramenti pro mysterio accipitur, cùm Græcè sit μυστήριον.*

3. Vasquez Disp. 128. in part. 3. Thomæ cap. 1. *Quod verò recentiores contendunt ex illo ad Ephesios quinto deducere nomen Sacramenti, ut significet non solùm signum rei occultæ in universum, sed etiam speciatim res illas septem, quas nos Sacramenta Ecclesiæ vocamus, mihi non probatur.*

4. Bellarminus ipse docet, *nomen Sacramenti non rarò sumi genericè pro quocunq; aut arcano, aut arcani sacri signo.*

(Ergò demonstrandum prius erat, Apostolum hac voce Ephes. 5. uti in significatione illa specifica, non generica.)

9. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 31. §. Secundò probatur. *Nulla est necessitas, quæ cogat, lingua vulgari Sacramenta ministrari &c. Nam verba Sacramentorum aut diriguntur ad Elementa, ut consecratio Eucharistiæ, benedictio aquæ & olei; Elementa autem nullam linguam intelligunt: aut diriguntur ad Deum, ut formæ verborum deprecatoriæ, qualis est in extrema unctione; Deus autem omnes linguas intelligit: aut diriguntur ad personas, sed consecrandas vel absolvendas, non autem instituendas & docendas, ut in Baptismo & absolutione; ac proinde per accidens est, si persona intelligat.*

(Ex subordinatis fiunt opposita. Consecratio & informatio personarum simul possunt; imò debent locum habere, ac proinde in lingua nota Sacramenta sunt administranda.)

ARTICULUS XII.

DE BAPTISMO.

CAPUT I.

DE BAPTISMI NECESSITATE.

THesis. Baptismi susceptio non est tam præcisè & absolutè necessaria, ut omnes, etiam parentum fidelium infantes absque eo mortui, sint ab æterna salute simpliciter exclusi.

Ἔκθεσις. 1. Docemus, Baptismum esse *ordinarium initiationis Sacramentum & regenerationis medium* omnibus omninò, etiam parentum fidelium liberis ad regenerationem & salutem necessarium.

2. Interim tamen *in casu privationis sive necessitatis*, dicimus, salvari liberos Christianorum *per extraordinariam & peculiarem dispensationem divinam.*

3. Necessitas enim Baptismi non est *absoluta*, sed *ordinata*. *Ex parte nostra* ad Baptismi susceptionem obligati sumus, ac parentes divino mandato obstricti sunt; ut liberos suos, quam potest fieri primum, Christo per Baptismum adducant, quod nisi faciant, sed ex contemtu vel negligentia omittant, gravissimè peccant, interim tamen non est neganda actio Dei extraordinaria in infantibus, Christo à piis parentibus & Ecclesia per preces oblatis, atque extinctis, priusquam Baptismi copia illis fieri potuerit, cum Deus suam gratiam & salutarem efficaciam non ita alligarit Baptismo, quin in casu privationis *extraordinariè* agere & velit & possit.

4. Distinguimus igitur inter *necessitatem ex parte Dei & ex parte nostra*. Itemque *inter causam privationis & viam ordinariam.*

5. Agitur etiam hoc loco propriè de infantibus *ex parentibus Christianis* natis. Quod enim attinet gentilium infantes *extra Ecclesiam*, illos ut salvari certò pronunciare non possumus, cùm nihil hac de re in sacris literis definitum extet: ita nec simpliciter asseverare audemus, parvulos illos sine discrimine omnes damnandos, proinde Dei judicio eos committimus 1. Cor. 5. v. 12. & 13.

6. Quoad infantes ex Christianis parentibus natos, non distinguimus, sive *in utero materno*, sive post nativitatem repentino quodam casu ante Baptismi susceptionem extinguantur. Sanè parentes illi, qui vel per injuriam, vel per damnabilem Sacramenti contemtum liberos suos Baptismo privarunt, gravissimam Deo rationem sunt reddituri, cum *consilium Dei spreverint* Luc. 7. v. 30. interim infantes ipsos temere damnare nec possumus, nec debemus.

7. Per infantes Christianorum intelligimus non solùm illos, qui ex Christianis parentibus nati, sed etiam eos, qui ex alterutro parente Christiano nascuntur, 1. Cor. 7. v. 12. 13. 14.

Antithesis. Concilium Trident. sess. 7. can. 4. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

Can. 5. de Baptismo. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

In explicatione prioris canonis Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 22. §. Tertia propositio &c. format inter cæteras talem propositionem: *Baptismus & Pœnitentia necessaria sunt; posita institutione divina; necessitate medii simpliciter; Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia iis, qui post Baptismum lethaliter delinquunt.*

Idem lib. 1. de Baptismo cap. 4. §. Secundo probatur &c. sic scribit: *Semper Ecclesia credidit, infantes perire, si absq; Baptismo de hac vita recedant.*

Idem lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 2. §. 1. *Fide Catholica tenendum esse* asserit: *Parvulos sine Baptismo decedentes, mortis æterna pœna damnandos esse.*

Cap. 4. *non tamen puniendos pœna sensus, sive ignis sensibilis.*

Cap. 6. *Probabile esse, parvulos illos passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum, quia scilicet intelligant, se beatitudine privatos, à consortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detrusos, & in tenebris perpetuis vitam acturos.*

Catechismus Tridentinus cap. de Baptismo. *Nihil magis necessarium videri potest, quam ut doceantur, omnibus hominibus Baptismi legem à Domino præscriptam esse, nisi per Baptismi gratiam*

Deo renascantur, in sempiternam miseriam & interitum à parentibus, sive illi fideles fiut sint, sive infideles, procreentur.

Dominicus à Soto lib. 2. de Natura & gratia cap. 10. *in Ecclesia* (Romana) *constitutissimum esse* dicit, *nullum parvulum absque Baptismo in re, quem in voto habere non potest, intrare regnum cœlorum.*

Esse ejusmodi infantes *mortis æternæ reos* scribit Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 15. esse *condemnandos*, Maldonatus in Matth. 25. v. 23. *ad sinistram cum hircis futuros.*

Ibid. *Statim ac moriuntur, mox in infernum descendere.*

Melchior Canus in Relect. de Sacramentis part. 2. §. Afferent. *ipsorum animas una cum corporibus resumtis detrudendas esse in tenebras*, Azorius lib. 9. moralium cap. 33. §. Tertiò.

Albertus Hungerus in Colloq. Ratisbon. p. 34 edit. Lub. dicit: *Ejusmodi infantes, qui sine Baptismo decedunt, non salvantur, quod est fides Catholica.*

Nostram sententiam probamus,

Primò, quoad infantes *in utero materno extinctos.*

1. Illi non possunt censeri pro contemtoribus Sacramenti, siquidem Baptismus est *lavacrum regenerationis* Tit. 3. v. 5. quomodo ergò per Baptismum renasci potuere, qui nondum fuere nati, nec in lucem editi.

2. Infantes ante octavum ætatis diem mortui non sunt circumcisi. Gen. 17. v. 12. Ut ergò illi pro contemtoribus Circumcisionis non potuerunt haberi, nec fulmen maledictionis v. 14. ipsis intorqueri, ita quoque, qui in utero materno moriuntur, pro contemtoribus Baptismi censeri nequeunt.

3. Pii parentes fructum ventris per preces serias Deo offerunt, ac in publicis Ecclesiæ precibus gravidarum ac parturientium fit mentio. Jam verò de exauditione precum, præsertim publicarum totius Ecclesiæ, extant suavissimæ promissiones.

4. Christus non solùm nasci, sed etiam in utero virginali concipi ac gestari voluit, ut etiam infantum in utero materno adhuc conclusorum Salvator esset.

5. Deus promisit se fore etiam *seminis nostri Deum* Genes. 17. v. 7. ubi vox seminis complectitur infantes nondum in lucem editos.

Secundo, quoad infantes *in lucem quidem editos*, sed repentino quodam casu ante Baptismi susceptionem ex hac vita ereptos.

1. Illi itidem non possunt pro contemtoribus Sacramenti haberi.

2. Itidem per preces parentum & Ecclesiæ Deo offeruntur, quippe quæ non solùm *gravidas & parturientes*, sed etiam *lactantes* Deo commendat.

3. Extant promissiones de benevolo Dei erga ipsos affectu, Gen. 17. v. 7. Matthæi 18. v. 14. cap. 19. v. 14. Marc. 10. v. 14. Joh. 6. v. 37. &c.

4. Deus non alligavit gratiam suam mediis in commodū nostrum institutis. Nos quidem ad media sumus alligati, Deus autem extraordinariè potest agere.

5. Infantes Israelitici ante Circumcisionem mortui non fuere absolutè & simpliciter à salute exclusi. Neque enim damnari possunt ante octavum ætatis diem mortui, nec masculi Hebræorum jussu Pharaonis in profluentem projecti Ex. 1. v. 22. nec infantes in deserto mortui, Jos. 5. v. 5. nec infantes Israelitici tempore Antiochi ante susceptam Circumcisionem interfecti, 1. Macc. 1. v. 51. & 64. nec parvuli Bethleemitici Herodis jussu crudeliter occisi, inter quos quidam nondum fuere circumcisi Matth. 2. v. 16. Jam verò Baptismus successit in locum *Circumcisionis* Col. 2. v. 11. nec gratia Dei strictior & arctior est in N. T. quam in Veteri.

6. Testantur exempla, quosdam in N. T. sine Baptismo in casu necessitatis salvatos fuisse, ut latronem in cruce Luc. 23. v. 43. Martyres Catechumenos, &c. Ergò nec infantes per pias preces Christo oblati temere à salute sunt excludendi.

7. Christus, cum dixisset, Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, in Antithesi non dixit: Qui verò non crediderit, nec baptizatus fuerit damnabitur, sed simpliciter: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, innuens scilicet, Baptismum non esse adeo absolutæ necessitatis, ut sine eo etiam in casu privationis nemo possit fieri salvus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam spem salutis infantibus fidelium absque Baptismo decedentibus faciunt.

Bernhardus Epist. 77. ad Hugon. de S. Victore. *Quis nesciat & alia præter Baptismum contra peccatum originale remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahamo quidem & semini ejus Circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est: In nationibus verò, quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem fide & sacrificiis credimus expiatos: parvulis etiam solam profuisse, imò & sufficisse parentum fidem.*

(Num verò post Christi adventum deterior infantum conditio? subjicit) *Sed ex eo tempore tantùm cuiq; cæpit antiqua observatio non valere & non baptisatus quisq; novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.*

(Nulla igitur est condemnatio infantum ex fidelibus parentibus progenitorum, ad quos præceptum in ea ætate pervenire nequit, quibusq; Deus internis remediis prospicit, licet externis destituantur.

Thomas part. 3. q. 68. art. 11. ad 1. *Pueri in uteris maternis non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium Sacramenta recipiant, possunt tamen subjici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiæ sanctificationem consequantur.*

Johannes Gerson Cancell. Parisiens. serm de Nativ. Mariæ Virginis in Conc. Constant habito, *Constat, Deum misericordiam suæ salvationis non ita legibus communibus traditionis Christianæ, non ita Sacramentis ipsis alligasse, quin absq; præjudicio legis ejusdem possit pueros nondum natos extra uterum intus sanctificare gratiæ suæ Baptismo, vel virtute Spiritus sancti, ideo ut parentes pro infante nondum nato, si fortè moriturus est, priusquam baptizetur, à Domino petant*, admonet, &c, *ne sine Baptismo ita decedentibus omnem spem salutis ablatam putent, consolatur. Debent igitur* (inquit) *mulieres prægnantes similiter & viri sui, per se & alios diligentius preces fundere Deo*, (addit ex superstitione illius temporis, & *ad sanctos Angelos custodes hominum) quatenus infans nondum natus, si fortè moriturus est, priusquam ad Baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Jesus summus Pontifex Baptismo Spiritus sancti præveniendo, misericorditer consecrare.*

De Johanne Wiclepho Doctore Anglo, (qui floruit circa Annum 1360.) Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum refert ex Guilielmo Wideford Anglo, qui Wiclephi theses aliquot impugnavit, quod docuerit, *definientes, parvulos fidelium sine Baptismo Sacramentali decedentes non fore salvandos, esse in hoc præsumtuosos & stolidos.*

Gabriel Biel lib. 4. sentent. dist. 4. q. 2. art. 3. format hanc quæstionem, *Quale remedium pro parvulis in utero?* respondet autem hoc modo: *Sensum Domini quis novit? &c. Eorum, qui nondum in lucem notitia prodierunt, remedia in potestate sua sola constituit, quos cum voluerit sine exteriori remedio & sanctificare & salvare potest, sicut factum de quibusdam Scriptura testatur. Insuper quod paucis in privilegium factum, potest, quibuscunq; voluerit impertiri, qui potentiam suam Sacramentis non alligavit Hinc Gerson consulit, ut parentes devotis orationibus ac bonis operibus parvulis suis gratiam impetrare nitantur, potens est enim Deus in utero sanctificare, quos novit ad nativitatis ortum non perventuros, licet de hoc certitudinem non habeamus.*

Gersoni & Bieli suffragatur Cajetanus in Thomam part. 3. quæst. 68. art. 1. & 2. sic scribens: *Circa hos duos primos articulos hoc solùm non irrationabiliter occurrit dicendum, quod in casu necessitatis ad salutem puerorum sufficere videtur Baptismus in voto parentum, præcipuè cum aliquo exteriori signo Moveor autem ad hoc primò ex autoritate Gregorii dicentis apud Magistrum sentent. in prima distinct. 4. & de consecrat distinct. 4. Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrifii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis. Hinc enim arguo: Fides sola veterum non fuit majoris virtutis apud veteres, quam apud nos, ac per hoc non plus potuit necessitatis urgente articulo subvenire tunc, quam nunc, sed tunc deficiente parvulis proprio salutis auxilio, parentum fides pro parvulo sola sufficiebat, ergo nunc quando parvulo deest proprium salutis remedium, quod est Baptisma, sola parentis fides parvulum Deo offerens, sufficit ad salutem parvuli &c.*

Et postea. *Confirmatur hoc ex salute parvulorum tempore Circumcisionis ante octavum diem morientium. Nam tales secundum probabiliorem opinionem moriebantur incircumcisi, ut patet de fratre Salomonis, & tamen salvabantur per benedictionem seu oblationem aliquam, quoniam ex lege circumcisionis non sunt redditi mares deterioris conditionis, quam fœminæ, quas constat potuisse ante octavum diem consequi remedium contra peccati originalis maculam*

culam. Sicut igitur incircumcisi tunc infantes propter impossibilitatem Circumcisionis in fide parentum salvari poterant, ita nunc baptizati.

Ibid. ad artic. 11. *In articulo undecimo occurrit scribendum & consequenter dicendum, sub correctione tamen, parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari, sicut superius diximus de infantibus, qui non possint baptizari. Posse autem salvari dico per Sacramentum Baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis. Moveor autem ad hoc duplici ratione. Una est, rationabile est, ut divina misericordia providerit homini in quocunque naturali statu de aliquo remedio salutis, ita ut nullum reliquerit statum potentem allegare, impossibile esse sibi salutis remedium, esset autem sine omni remedio derelictus status morientium in utero, nisi parentum fides illis posset subvenire, salus enim quæ potest à Deo infanti in utero conferri ex speciali privilegio, non spectat ad remedium illius status, quoniam infra ordinem divinorum miraculorum concluditur. Secundo, ex eo, quod status ille capax sit Baptismi sanguinis. Si enim propter Christum infans in utero occideretur, Martyr esset non minus quam innocentes. Rationabile siquidem videtur, parentum fidem esse optando perducere ad id, ad quod corporalis passio infantem ducit &c.*

Inde Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 4. sic scribit: *Hoc argumentum Martyris, (Si Baptismus est necessarius, peribunt sine sua culpa infiniti infantes, quod alienum videtur à Dei misericordia,) fuit etiam quorundam Catholicorum, ut Cajetani, Gabrielis & aliorum, qui conantur invenire alia remedia pro parvulis præter Baptismum &c,*

Sed & Dominicus à Soto in lib. de Natura & gratia hac de re sic scribit: *Quidam, nescio quo protecti pietatis obtentu, dicere audent, pueros, qui casu aliquo absque Baptismo moriuntur, nihilo secius misericordia Dei, quæ defectum supplet Baptismi, ab originali peccato liberatos ad regnum admitti cœleste. Atque idem censent tam de parvulis jam in lucem editis, quam de illis, qui in maternis uteris ante lucis usuram de vita discedunt. Et quoniam de hac re per ora vulgi circumfertur doctissimus Cajetanus, illum nomino, quem semper tamen non nisi honoris gratia nominare soleo. Is enim alias profecto omni autoritate dignus super q. 68. part. 3. sub correctione tamen, & quæ sua erat modestia ac religio, nihil pertinaciter asserendo, utrumque ceu probabile profert. Ait enim art. 2. quod in casu necessitatis, nempe ubi non est aquæ copia, ad salutem puerorum (etiam loquitur de illis, qui jam nati sunt) sufficere videtur Baptismus in voto parentum, præcipuè cum aliquo exteriori signo. Et postmodum art. 11. addit, (sub eadem censura) parvulos in maternis uteris periclitantes posse pari modo salvari per Sacramentum Baptismi in voto parentum cum aliqua benedictione seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis, sicut diximus (inquit) de pueris, qui non possunt baptizari. At vero salvâ semper eximii Doctoris autoritate haud dubito, utramque partem opinionis suæ esse falsam.*

Hanc Cajetani sententiam Alphonsus de Castro lib. 5. contra hæres. tit. Baptismus, hæresi 9. quidem repudiat, *ut hæreticam vel certe erroneam*, nec tamen propter eandem Cajetanum *ut hæreticum* repudiate audet. *Neque*, inquit, *propter hanc assertionem, quamvis sit hæretica, illum censeo fuisse hæreticum:* ac paulo post *eam non hæreticam esse* scribit, *sed falsam & erroneam.*

Quinimo non obstante hac ipsa & aliis peculiaribus sententiis insigni eum ornat encomio lib. 2. adv. hæres. tit. Adam & Eva, hæresi. 6. *Fuit*, inquit, *hic Thomas vir Religiosus ex ordine Fratrum Prædicatorum, ex Cajeta oriundus, quam ob causam vulgo Cajetanus nuncupatur. Fuit in Theologia Scholastica tam insigniter doctus, ut nulli ex his, qui suo tempore floruerunt, secundus fuerit. Ob literarum eminentiã & morum probitatem communi Fratrum sui Ordinis consensu fuit in Generalem ejusdem Ordinis Magistrum electus, & inde à Leone X. fuit ad Presbyteri Cardinalis dignitatem exaltatus. Quo loco cum per 20. annos vixerit, nullam tamen (ut cæteris mos est) humanorum vitiorum sinistram de se opinionem dedit.*

Gersoni, Bieli & Cajetano, (quorum suffragium nobis largitur Maldonatus tom. 1. de Sacram. p. 84.) assensum præbent etiam alii Doctores Pontificii.

Cajetani enim vestigiis insistit D. Tilemannus Segebergensis de septem Sacramentis cap. 1. *Parvuli*, inquit, *ob votum parentum fidelium & fidem Ecclesiæ (præsertim quando oblati ad Baptisma sumendum exorcisantur & catechizantur) Ecclesiæ membris annumerantur, & per ejus fidem credunt. Quod si repentina mors (ut est mortaliũ vita incerta) superveniens illos rapuerit, salvantur, ut plerunque à multis non impiè creditur. Nã huic sententiæ prorsus accedit Cancellarius Parisiensis Johannes Gerson, cui minimè reclamat Cardinalis Cajetanus scribens in tertiam partem D. Thomæ Aquinatis: & multis præterea doctis viris ea sententia probatur.*

Deinde confirmat hanc sententiam ex dicto Greg. *Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc erat apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis.*

Item ex eo, quod *parvuli in V. T. morientes ante octavum diem incircumcisi fuerint salvati.*

Respondet etiam ad argumenta contraria ex Joh. 3. v. 5. & ex dictis Augustini petita, in cætera sic scribens: *Si adultæ ætatis hominibus ad salutem consequendam sufficit Baptismus sanguinis aut flaminis, ubi Baptismus in aqua haberi non potest, cur parvulis denegamus, quod tribuimus majoribus? an forte putabimus, Deum crudeliorem esse in parvulos, quam in adultos? absit hoc à Deo.*

Et postea. *Quod si quis diversam partem sustinere velit, dicat mihi, quam ob causam fides offerentium aut sponsorum (vulgus patrinos aut compatres vocat) sufficiat parvulis, quando nullum imminet mortis periculum, ut in aqua baptizentur, & non credunt prodesse in tantæ mortis necessitate, (quæ non patitur aut expectat Baptismum aquæ) parentum fidem, ut consequantur Baptismum flaminis, id est, effectum Baptismi fluminis virtute Spiritus sancti?*

Et rursus. *Non alligavit Deus potentiam suam, (ut est communis Theologorum sententia) ita visibilibus Sacramentis, ut sine ipsis, (modo absit contemtus) salvare nequeat aut nolit, maximè, quando impossibile est, ut quis ea suscipere possit.*

Ibid. Cajetani rationes contra adversarium, quem vocat *Theologum non indoctum*, prolixè defendit.

Thomas Elisius Neapolitanus in Clypeo piorum adversus hæres. cap. de Baptismo art. 3. Gersonis, Cajetani, & Tilmanni sententiam amplectitur inter cætera sic scribens: *Sciendum, quod opinio, quam tenent Theologi plurimi pariter & Ecclesia secundum communem legem (de damnatione infantium non baptizatorum) est satis dura & onerosa, & non conformis præceptis Christi, quæ sunt suavia atque levia. Ideo nonnulli Dd. moderni aliter tenent & sentiunt, inter quos est Joh. Gerson Doctor Parisiensis & Cancellarius in Serm. de Nativit. B. Virginis, quem fecit in Concilio Constantiensi coram omnib. Patribus ibi existentibus, ubi publicè prædictæ conclusionis oppositum tenuit, dicens, tales infantes posse salvari cum oratione & benedictione Dei in fide parentum; quam piissimam opinionem sequitur Magister Magistrorum suo tempore Thomas Cajetanus Cardinalis S. Sixti in commentariis S. Thomæ 3. p. q. 68. art. 1. & art. 11. nec non & Tilmannus vir eruditissimus in sacro eloquio, qui in tractatu de Septem Sacramentis c. de Baptismo tenet opinionem prædicti Cardinalis S. Sixti, ut piissimam & fidei Catholicæ non repugnantem. Dicunt enim, quod si puer mox natus esset in periculo moriendi, & parentes non haberent aquam, quod muniant eum signo crucis cum invocatione sanctissimæ Trinitatis, & sic in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen, offerant puerum morientem Deo; si autem fuerit in utero matris nondum natus in periculo moriendi ob infirmitatem matris vel pueri, vel ob difficultatem partus, benedicant illum, ut supra, & ventrem matris muniant, & sic illum commendent, cupientes illum baptizare, & possunt protestari dicentes, quod non desit ex parte illorum, quin baptizetur puer: qui quidem pueri salvantur in fide parentum, ut hi boni viri credunt, & satis rationabiliter, cum ad impossibile nulla sit obligatio. Ista opinio non est hæretica, cum non sit contra fidem Catholicam, sed ei satis conformis & maxime secundum fidei pietatem.*

Et postea. *Sicut ad Baptismum aquæ in re sufficit voluntas parentum aut exponentium, ita ad Baptismum in voto sufficit voluntas parentum, aut exponentium; qui in veritate volunt illum baptizare. Ex quo autem ista opinio nova est satis pia, & ducit Christi fideles ad amorem Christi, ideo conabor illam pro viribus sustinere, & aliis fulcire rationibus, quarum prima hæc est: Pueri existentes in utero matris sunt aliquid matris, ut Adversarii concedunt, cujus signum est, quod eodem Angelo custodiuntur. Ergò voluntas & esse eorum est in posse matris, aut utriusque parentis totaliter. Cum ergo sint omnino sub cura parentum, possunt damnari, & per fidem parentum possunt salvari in maxima necessitate, & idem judicium est de puero mox nato, cum sit omnino sub cura parentum, & eodem cibo sustentatur & nutritur. Secunda ratio est, hæc fides Ecclesiæ vel parentum vel offerentium ad Baptismum aquæ jure suscipiendum requiritur necessario & sufficit. Quare ergo eadem fides non sufficit ad Baptismum in voto suscipiendum, stante maxima necessitate, cum Deus & Natura non deficiant in necessariis, ut dicitur à Philosopho. Nam si passio Christi mediante fide*

paren-

parentum aut exponentium puerum ad Baptismum supplet, quoad primum Baptismum, quare non supplet aut supplere poterit, quoad secundum? Nonne est idem Deus benignus & misericors, cupiens & volens omnium salutem, aut desiit esse misericors, & effectus est crudelis, tempore maximè necessitatis, in quo multò magis suo egemus auxilio? Tertia ratio est, aut filii Hebræorum, qui incircumcisi moriebantur, salvabantur in fide parentum, aut non? Si salvabantur, habeo intentum, quia fides nostra est multò melior: aut non salvabantur, ut dicunt nostri adversarii, & sic sequeretur, quod mares essent deterioris conditionis fœminis, cum ambo habeant peccatum originale & mares damnantur, si incircumcisi moriuntur & fœmina non; ex quo videtur sequi, quod circumcisio non fuit illis data in remedium originalis peccati, sed potius in damnationem. Si enim pueri in lege Naturæ salvabantur per fidem protestatam parentum, idcirco non videtur rationi consentaneum, Baptismum aquæ voto proprio susceptum tempore necessitatis extremæ prodesse adultis, & susceptum voto & fide parentum non posse prodesse parvulis existentibus in maxima necessitate. Nunquid Deus de adultis majorem habet curam, quam de parvulis? Quartò, quia ex ordine caritatis tenemur exponere vitam corporalem pro certa salute animæ proximi, & multò magis proprii filii. Si ergò puer existens in utero matris sit in maximo periculo moriendi, & nullo modo potest salvari, nisi baptizetur, cum aquæ aspersione vel submersione, ita quod talis submersio sit de essentia Baptismi, sine qua Baptismus esse non poterit, sequitur, quod mater deberet & teneretur de necessitate salutis permittere, ut ejus venter scindatur & extrahatur inde puer vivus, ne moriatur & damnetur. Sed aperire ventrem matris, ut extrahatur inde puer, est prohibitum ab Ecclesia tanquam malum, & nunquam fuit ab Ecclesia usitatum. Ergo oportet esse aliquod aliud remedium, ne puer existens in utero matris, dum est in periculo mortis, ne moriatur sine Baptismo, & damnetur.

Georgius Cassander scripsit peculiarem tractatum *de statu infantium, qui in Ecclesia nati citra Baptismi Sacramentum moriuntur*, qui extat p. 760. oper. Paris edit.

In eo Joh. Gersonis, Gabrielis Bielis, Thomæ Cajetani, Tilemanni Segebergensis & Thomæ Elisiii Neopolitani testimonia adducit ac subjungit: *Hæc testimonia ideò adscripsimus, ut ostendamus religiosissimos viros & antiquorum Patrum observantissimos, ea, quæ ab ipsis de Baptismi necessitate dicuntur, non tam præcisè & rigidè accepisse, quin mitigationem aliquam & leniorem interpretationem adhiberi posse putarint. Certè ab illo rigore, quo simpliciter infantes non baptizati æternis ignibus addicuntur, jamdudum ab Ecclesiasticis & Scholasticis Scriptoribus nonnihil recessum est: Primū, cum pleriq; veteres tradant, parvulos absq; Baptismi Sacramento defunctos perpetuo damnandos esse, Scholastici hanc damnationem & pœnam multum mitigarunt, cum eam pœnam non sensus, id est, ignis & vermis, quæ propria est sceleratorum actuum, sed damni tantùm, quæ in carentia divinæ visionis consistit, à qua ob originis vitium arceantur, fore sentiunt. Neq; prorsus ab hac sententia abhorret Augustinus, cum asserit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, in damnatione omnium levissima futuros.*

Deinde, cum à veteribus simpliciter, nisi completo Baptismi mysterio, infantibus spes omnis salutis adimi videatur, tradit tamen Bonaventura inter Scholasticos Scriptores haud incelebris, puerum, si in manibus Sacerdotis ante completum Baptismi mysterium deficiat, credendum esse, quod divina misericordia & summus Sacerdos non dimittat imperfectum, quod inchoatum est. Quid verò prohibet, quo minus hunc favorem ampliemus? Quid vetat, inquam, quo minus credamus, jam tum apud Deum cordium inspectorem Baptismum & sanctificationem infantium inchoari, quando jam voluntate & voto parentum Baptismo destinantur, & tota cordis affectione Christo commendantur. Si itaq; fides & voluntas Ecclesiæ infantibus accommodata, eos Baptismo consequendo idoneos reddit, quid quæso causæ est, cur non etiam eos obtinendæ sanctificationi idoneos efficiat, si externum Baptismi signum jam voto præsumtum necessitas, quæ vitari non potest, sola prohibeat? Nam causa non videtur, cur minus in infantibus valere debeat fides Ecclesiæ, quæ illis communicatur, quamq; etiam ante Baptismum per gestantium ora profitentur, quam in adultis fides propria, quam pleriq; omnes iisdem adultis, si Baptismi desit occasio, ad Baptismum sufficere confitentur. Nam invisibilem significationem sine visibilibus Sacramentis adesse & prodesse posse, Augustinus ipse testatur: visibilem vero sanctificationem, quæ fit Sacramento visibili sine visibili significatione adesse posse, non posse prodesse &c.

Et postea. *Quæso te, quæ injuria fiet bonitati divinæ, si de infantibus hoc modo dicamus. Sicut in latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit omnipotentiæ benignitas: Sic in infantibus qui nondum baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est, tùm quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem: tum etiam, quod ex Baptismi Sacramento non superbia vel contemtu, sed necessitate tantùm in illis deest.*

Idipsum postea probat ex Lombardo, Bonaventura, Thoma &c. & tandem concludit:

Itaq; infantes per Baptismum Christo consecratos, & in ejus corpus insertos, si è vita excedant, regni Dei participes esse, firmissimè credo: eos quoq; infantes, qui voto parentum vel propinquorum Christo destinati sunt, ac jam nunc voto & animi intentione Christo ad Baptismum oblati, si antè expirent, quam externum signum adhiberi possit, non privari Baptismi gratia, pie credi posse existimo.

Facultas Parisiensis ad verba Lombardi lib. 4. sent. dist. 1. lit. L. *Parvulos ante Baptismum defunctos perire*, in margine adscripsit, *Hic Magister non tenetur*.

Albertus Piggius in controv. prima, Ambrosius Catharinus in libro de statu puerorum sine Baptismo decedentium, & Hieronymus Savanarola in lib. de triumpho crucis, docent, *infantes sine Baptismo morientes futuros post judicium beatos naturali beatitudine, & in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuo feliciterq; victuros.*

(Ex parte igitur nostræ sententiæ suffragantur, quod ejusmodi infantes non sint damnandi.)

Franc. Suarezius tom. 3. p. 290. testatur, *non deesse inter Pontificios, qui Christianorum infantibus sine suscepto Baptismo defunctis non detrahant salutem.*

Tannerus tom. 4. Theol. Scholast. Disp. 4. q. 3. dub. 1. memorat, *non solum Cajetanum & Gabrielem, sed etiam Altisiodorensem, Alensem, Sylvestrum, Bonaventuram, & Gersonem sensisse, alienum videri à Dei misericordia, ut infiniti fidelium infantes, quos Deus ipse Baptismo præripit, pereant.*

(Nos addimus esse alienum à Dei promissione, facta fidelium infantibus Genes. 17. vers. 7. Matth. 18. vers. 14. cap. 19. vers. 14.)

2. Quod quidam tales hypotheses proferunt, quæ nostram confirmare possunt sententiam.

Primò agnoscunt *gratiam Dei non esse absolutè & simpliciter Sacramentis alligatam.*

(Utique ergò cum infantibus ante Baptismum mortuis vi divinæ promissionis suæ potest extraordinarie agere.)

Bernhardus serm. 1. in ram. palm. col. 116. *Qui parvulus natus est, & primam parvulorum elegit aciem, hodie quoq; parvulos à gratia non excludit, quia nec pietati incongruum, nec majestati ejus difficile est, ut suppleat munus gratiæ, quod minus in eis habet Natura possibile.*

Epist. 37. *Contemtus Sacramenti non privatio damnat.*

Epist. 77. *Voluntas pro facto imputatur, ubi factum excludit necessitas.*

Ibid. postquam multa in hanc sententiam ex Ambrosio & Augustino citasset, tandem subjungit: *Vide, ne forte ob hoc Salvator, cum diceret, Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; cautè & vigilanter non repetierit, Qui verò non baptizatus fuerit; sed tantùm, Qui verò non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem & sine ea sufficere nihil.*

Innocentius III. in Psal. 4. pœnitential. scribit, *fidem adultis sine Sacramento proficere, ubi Sacramentum non religionis contemtus, sed articulus necessitatis excludit: Sacramentum verò Baptismi sine fide adultis non valere.*

c. Baptismi. de consecrat. dist. 4. ex Augustino. *Quantum valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Sicut in latrone, quod in Baptismo defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia, non contemtu, sed necessitate defuerat: Sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem, ideò cum pro his oratur, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utiq; ad celebrationem eorum, qui ipsi respondere non possunt.*

(Atqui eadem ratio procedit in infantibus ante Baptismum mortuis per pias parentum & Ecclesiæ preces Christo oblatis.

Augu-

Augustinus subjungit, *se invenire non modò passionem pro nomine Christi, neq; enim latro, inquit, pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, sed & fidem per se sufficere.*)

Lombardus lib. 4. sent. dist. 4. asserit, *Deum potentiam suam Sacramentis non alligasse, & esse, qui suscipiant rem Sacramenti, non Sacramentum, ac sine visibili Sacramento invisibiliter sanctificentur & serventur.*

Confirmat hoc ex Augustino, qui lib. 4. adv. Donatist. c. 22. *exemplum latronis conversi Luc. 23. v. 40. à Cypriano citatum se considerantem invenire ait, non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, supplere posse, sed etiam fidem, conversionemq; cordis.*

Item in Levit. quæst. 84. ait, *invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse & profuisse sine visibilibus Sacramentis: visibilem verò sanctificationem, quæ fit Sacramento visibili, sine invisibili posse adesse, non posse prodesse; nec tamen visibile Sacramentum ideò contemnendum esse, quia contemtor ejus invisibiliter sanctificari non potest.*

(Ergò, qui non contemnunt, cujusmodi sunt infantes, sanctificari possunt.)

Adjungit Lombardus Ambrosium de Valentiniano ante Baptismum mortuo dicentem in orat. funebri de obitu Valent. Imper. *Quem regeneraturus eram amisi, sed ille non amisit gratiam, quam poposcit.*

Commemorat ex autore Glossæ ordin. in capit. 6. Hebr. *Baptismum in aqua, in pœnitentia, in sanguine*; ac deinde ad celebrem illam sententiam Christi, *Nisi quis renatus fuerit &c.* respondet; *hoc renasci ex aqua & Spiritu significare eam regenerationem, quæ fit per aquam & Spiritum sanctum, regenerationem autem illam fieri non tantùm per Baptismum, sed etiam per pœnitentiam & per sanguinem.*

Ratione denique ex Scripturis petita rem concludit. *Si Baptismus sufficit infantibus sanctificandis, multò magis adultis sufficit fides, de qua Christus dicit, Joh. 11. v. 29. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.*

(At si gratia Dei non est absolutè & simpliciter alligata Sacramentis, sed adulti possunt, etiam sine Baptismo, gratiæ divinæ & salutis æternæ participes fieri; utique etiam infantes propter Baptismi carentiam in casu necessitatis non sunt à salute simpliciter excludendi. Nec est, quod obvertatur; *adultos illos fidem ex prædicatione verbi concipere; qua infantes destituantur.* Quod enim Deus in ejusmodi infantibus absque Baptismo decedentibus fidem extraordinario modo accendere & velit & possit, confirmant nostræ sententiæ argumenta.)

Thomas p. 3. q. 64. art. 7. *Deus non alligavit gratiam suam Sacramentis.*

Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæreses, verbo Beatitudo, hæres. 6. *Innocentius Papa hujus nominis tertius, vir præter Pontificalem dignitatem omni veneratione dignus, respondens Episcopo Cremonensi, quærenti de quodam Presbytero non baptizato & jam defuncto, an potuit sine Baptismo salvari, ita ait: Inquisitioni tuæ respondemus, Presbyterum; quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter. Hæc Innocentius Papa. Et ponuntur hæc verba in volumine Epistolarum Decretalium, titulo de Presbytero non baptizato, in capitulo, quod incipit; Apostolicam.*

Johannes Ferus in cap. 3. Johann. ad verba, Nisi quis renatus fuerit &c. *Creditur, plurimos Martyres aquæ Baptismo non baptizatos vel proprio sanguine, vel interna Spiritus sancti gratia baptizatos fuisse. Deus enim non alligavit potentiam suam Sacramentis, ordinatâ quidem voluntate per Sacramenta dat gratiam, nihilominus tamen potest & sine Sacramentis eam dare.*

Cent. Colon. Dial. 7. p. 241. *Sine Baptismate nullus in Ecclesiam assumitur, aut ab originali noxa purgatur &c. nisi peculiaris Dei benevolentia, cujus majestas Sacramentis alligata non est, ei, quod deest, dispensatione quadam opituletur.*

Bellarm. lib 4. de Christo c. ultimo §. ultimo. *Deus Dominus non est alligatus Sacramentis, nec meritis nostris.*

Secundò, præter *Baptismum fluminis* etiam statuunt *Baptismum sanguinis & flaminis.*

Lombard. lib. 4. sent. dist. 4. Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæres. in verbo Baptismus, hæres. 9. Hosius in Confess. Petricov. cap. 35. Compend. Theol. verit. lib. 6. cap. 9. Bellarm. lib. de Baptismo c. 6. &c.

(Ex illa hypothesi sic inferimus. *Si Baptismus sanguinis*, hoc est, mors pro Christi nomine & gloria suscepta, sine externo aquæ Baptismo ad salutem sufficit, consequens est, non omnes infantes sine Baptismo morientes esse damnandos. Ratio est, quia contingere potest, quosdam infantes nondum baptizatos pro Christi nomine mori, ut patet exemplo infantum Bethleemiticorum Matth. 2. vers. 16. atque eorum, qui in hostilibus irruptionibus Christianæ fidei nomine toleratis in utero materno miserabiliter interficiuntur. Saltem igitur illos infantes Martyres non possunt à salute excludere; inde Vega Concilii Tridentini Assessor & Interpres lib. 5. de justif. cap. 14. distinguit *votum* in *formale & virtuale. Formale votum haberi* dicit, *quotiescunque distinctè quis vult baptizari*; *Virtuale votum esse* ait *vel mortuorum pro* CHRISTI *fide, vel dilectionem Dei super omnia, vel propositum servandi omnia mandata divina.*

Progredimur igitur hoc modo: *Ad salutem quandoq; sufficit Baptismi votum*, definiente Concilio Tridentino. *Martyres habent votum Baptismi virtuale* docente Vega. Infantes possunt esse Martyres, teste experientia. Ergò quibusdam infantibus Baptismus non est ad salutem absolute necessarius.

Inde Gregorius de Valentia tom. 4. Comm. Disp. 4. q. 3. format tres assertiones, quibus absolutam Baptismi necessitatem modificat.

Prima hæc est. *Baptismus iis, qui baptizari possunt, non ita ad salutem necessarius est, ut nullo alio modo neq; in ullo casu sine illo re ipsa suscepto salutem consequi valeant.*

Secunda. *Adultus, cum baptizari possunt, ita ex divino præcepto Baptismus reipsa necessarius est ad salutem, ut si hoc facere omittant, peccent omnino peculiari peccato mortali.*

Postrema. *Parvulis ita Baptismus reipsa necessarius est ad salutem, ut secundum legem ordinariam nequeant sine Baptismo aquæ salutem consequi, excepto unico casu, si videlicet interficerentur pro Christo.*

Bellarminus lib. de Bapt. capit. 6. §. Probabilior &c. Itidem statuit; *infantes ante Baptismum ad Martyrium abreptos salvari.*

Quod attinet reliquos infantes, qui non sunt Martyres; nec illis simpliciter potest salus denegari, si vel maximè absque Baptismo in casu necessitatis decedant. Non enim possunt negare adversarii, *illis Baptismum Flaminis communicari* posse, cum id probet exemplum Johannis Baptistæ in utero materno Spiritu S. repleti Luc. 1. v. 41.

Inde Ambrosius Catharinus, qui Cajetanum damnat, *ut nova & fœda & Catholicis auribus absona nec ferenda dogmatizantem*, lib. de statu puerorum sine Baptismo decedentium, ad extremum concedit; *in utero existentes Baptismi Flaminis capaces esse; quia nulla exigitur humana operatio, nec effugit creatura ulla providentiam & operationem Dei, quæ sola satis est in Baptismo Flaminis.*

Ac Altensteig in Lexico, *Baptismus Flaminis*, inquit, *fit; quotiescunq; quis per misericordiam Dei sanctificatur à peccatis suis, sive fiat in utero, sicut de Jeremia & Johanne Baptista legitur, sive extra uterum, sive virtute pœnitentiæ.*

Alphonsus de Castro adv. hæres. in voce Baptismus, hæresi 9. *Nullus potest, neq; unquam potuit assequi gratiam, nisi præveniente aliquo bono ab animæ affectu proprio aut alieno, aut per viam Sacramenti, nisi cui fortè ex privilegio aliquo particulari Deus absq; his tribus misericorditer concedere voluit, sicut fuit Joh. Baptista & Hieremias, & alii similes in ventre matris sanctificati.*

Cornelius Mussus Episcopus Biton. Comm. in Epist. ad Roman. c. 5. pag. 268. scribit, *privilegio quodam divinæ gratiæ per Christum posse sanctificationem consequi etiam in utero infantes, sicut fuit de Jeremia, de Johanne Baptista & Virgine.*

Ibid. *Hi, cum non sint ex carne nati; ex Spiritu renasci non possunt. Concludo, quod per Baptismum aquæ salvari non possunt, sed alio modo utique. Qui tamen salvantur, omnes dono Christi salvantur. Neq; enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi Jesus. Constat autem divinam Christi gratiam Sacramentis alligatam non esse.*

Tertiò, *infantes ante Circumcisionem susceptam mortuos à salute æterna quidam non excludunt.*

(Ergò nec infantes absque Baptismo mortuos simpliciter damnare debent; cum gratia Dei in Nov. Test. non sit arctior vel restrictior, quam in veteri.)

Hugo de S. Victore citante Thoma 4. sent. dist. 1. q. 3. asserit, *infantes Judæorum morientes ante diem octavum, qui circumcidi non*

non potuerunt, nihilominus fuisse servatos, quod confirmat testimoniis R. Aben-Ezræ & R. Salomonis.

Biel 4. sent. dist. 1. quæst. 4. *Circumcisio fuit masculis de domo Abrahæ de necessitate salutis, nisi excusaret impossibilitas aut dispensatio Dei specialis.* Et aliquanto post. *Adduntur duæ exceptiones, una, ubi excusaret impossibilitas, sc. parendi præcepto Circumcisionis octavo die fiendæ, quæ additur propter pueros ante octavum diem defunctos. De illis quidam, de quorum numero videtur fuisse Magister, dixerunt, quod perierunt. Sed hoc nimis durum, nec veritati consonum. Fuissent enim deterioris conditionis sub lege Mosis, quàm sub lege Naturæ & similiter quàm fœmellæ. Ideò Hugo & Alexander part. 4. q. 7 membr. 4. art. 3. dicunt, quod parvuli illi sint salvati in fide parentum, quia præceptum de circumcidendo non obligabat nisi venientes ad octavum diem. Præterea Deus specialiter dispensavit cum filiis Israel in deserto.*

Quartò, quod quidam agnoscunt, *Christum, utpote summũ Sacerdotem, supplere, quod Sacramento Baptismi deest, si Minister intentionem subtrahat.* Dicta illa adduximus artic. 11. proximè præced. c. 1. membr. 3.

(At si Christus supplet ad salutem infantis, quod Baptismo deest, si minister intentionem subtrahat; utiq; etiam supplet ad salutem infantis, quod infanti deest, si absque culpa sua Baptismo privetur. Est enim utrobique eadem ratio, videlicet ne infans pereat propter culpam alienam.)

Quintò, quod quidam statuunt, *infantes non habere fidem propriam, sed baptizari in fide parentum & Ecclesiæ*, ut postea in c. 2. videbimus.

(Atqui si fides aliena potest prodesse infantibus baptizatis, etiam *votum Baptismi formale* in parentibus potest prodesse infantibus absque Baptismo decedentibus. Ratio connexionis hæc est: Ut se habet fides parentum ad infantem, cui potest conferri Baptismus, ita se habet votum Baptismi formale in parentibus ad infantem, cui in casu necessitatis non potest conferri Baptismus, ac proinde sicut adulti possunt salvari fide propria, etiamsi in casu necessitatis moriantur absque Baptismo, ita infantes salvari possunt *fide aliena*, etiamsi in casu necessitatis moriantur absque Baptismo, modo adsit votum Baptismi formale.)

Quo modo ex Papistarum doctrina infantes credunt in parentibus, eo modo etiam votum Baptismi concipere poterunt in parentibus, vel etiam vovebunt habitualiter, quomodo Innocentius III. suo tempore doctum fuisse dicit à Theologis, *quod infantes credant per habitum, etsi non per usum* cap. Majores. Extra. de Baptismo. Notandum tamen, quod hæc omnia tantùm ex hypothesi Pontificiorum proferamus, nos enim docemus, nullum infantem sine fide propria salvari.

Sextò, quod quidam agnoscunt, doctrinam de absoluta Baptismi necessitate esse hæreticam.

Prateolus lib. 1. hæres. 67. *Armeni parvulos, qui absq; Baptismo decedunt, negant vitam beatam possidere.*

Alphonsus de Castro lib. 3. hæres. 10. impugnat hæresin, cujus tamen autor ipsum latet, asserentem *Baptismi necessitatem tantam, ut adultum hominem, qui non propter contemptũ, sed propter impossibilitatem absq; Baptismo ex hac vita migravit, salvari non posse contendat, quamvis tunc optaverit baptizari, & toto fuerit corde tunc ad Deum conversus.*

Pontificii quidem tantam Baptismi necessitatem non asserunt, sed in adulto *votum Baptismi* ad salutem sufficere statuunt, interim ratione infantum absolutam Baptismi necessitatem asserunt, quod errori prædicto est affine.)

Septimò, in quæstione de impletione legis urgent hanc propositionem, *Deum neminem obligare ad impossibile.* Atqui infanti vel maximè est impossibile, ut baptizetur, cum moritur, antequam aqua adferri possit.

3. Quod de statu infantum non baptizatorum post mortem opinionibus invicem plurimum discrepant.

1. Salmero tract. 48. in Epist. Rom. *An etiam pueri, qui eo solo peccato* (originali) *tenentur, ad pœnam sensus in gehenna sustinendam detrudantur, dubium est apud Patres, tam veteres quàm recentiores, qui in varias sententias dissecti sunt, etsi pauciores extiterint, qui id affirment, plures verò, qui id negent.*

2. *De pœna infantum sine Baptismo decedentium Theologis in Concilio Tridentino congregatis, non satis inter se conveniebat, Dominicanis asserentibus, infantes absq; Baptismo ante usum rationis morientes post resurrectionem in limbo & tenebris, loco subterraneo, sed sine igni, permansuros; Franciscanis verò locum iis super terram & in luce assignantibus: nonnullis etiam affirmantibus, Philosophiæ studio & rerum naturalium cognitioni incubituros, & singularem eam voluptatem, qua homines in rebus adinveniendis ingeniosi & solertes animum explere amant, percepturos. Catharinus insuper addebat, à sanctis Angelis, Beatisq; visitatum, consolatumq; iri, aliaque id genus figmenta in medium afferebant ad risum, quàm ad stomachum movendum aptiora.* Petrus Suavis in Hist. Concil. Trident. lib. 2. pag. 201.

3. Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 1. quinque numerat sententias de statu ejusmodi infantum:

Prima fuit eorum, qui *regnum cælorum infantibus non baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent, eos in peccato originali conceptos.* Hanc tribuit cuidam *Vincentio.*

(Contra quem disputat Augustinus lib. 3. de orig. animæ cap. 13.)

Altera fuit eorum, *qui parvulos non baptizatos excludebant à regno cælorum & vita beata sanctis promissa, tamen eis dabant vitam æternam & naturalem beatitudinem sine ulla molestia aut dolore extra regnum beatorum, & procul à carcere damnatorum, hoc est, in loco medio inter gehennam & cælum.* Hanc sententiam tribuit *Pelagianis* & addit, *ad hunc errorem proximè accessisse videri Ambrosium Catharinum* in lib. de statu puerorum sine Bapt. decedentium.

Eodem abeunt Albertus Piggius in controv. 1. & Hieronymus Savanarola lib. de triumpho crucis.

Sed & Caronæus Medicus de Baptismo cap. 17. sic eam recitat, ut non absurdam, autore Vignerio. *Quidam* (inquit) *dixere, hujusmodi infantes post resurrectionem accepturos beatitatem quandam naturalem, cognoscentes Deum naturali cognitione, tanquam omnium causam primam ex contemplatione Spirituum, substantiarumq; separatarum, Cælorum, Elementorum & creaturarum: & ea in re longè majus illis gaudium futurum esse, quàm Regibus ullis, quibuslibet ve Monarchis in suis delitiis. Sic enim astimandum, quandoquidem anima est ἐντελέχεια creataque ad contemplationem, non fore otiosos. Sic beatos fuisse Angelos ante acceptam beatitudinem supernaturalem atq; infusam in clara Dei visione.* Hæc ille.

In eadem sententiam videtur inclinasse Cardinalis Contarenus in lib. de prædest. ubi sic scribit: *Originale peccatum perpetua damnationi hominem non addicit, & quamvis illum divino conspectu & ea, quæ supra Naturam est, felicitate privet, in eo tamen fine, eaq; cognitione relinquit, cujus capax est eorum hominum Natura, qui in originali peccato sine Baptismate decesserunt.*

Lyranus etiam in cap. 4. Ecclesiast. asserit, *hanc sententiam esse omnium Doctorum, qui loquuntur de morientibus in peccato originali.*

Anno Christi 1626. edidit quidam de Silhon tractatum, cui titulum fecit, *Veritates duæ*, qui approbatus fuit à duobus Doctoribus Parisiensibus Petro Coppin & Jacobo Durand Abrincensi Ecclesiaste. In illo tractatu pag. 441. autor diserte scribit, *Ethnicorum & Christianorum infantes sine Baptismo morientes, eundem occupare portum, qui est vitæ status, qui non impetitur iis malis & doloribus, quibus hæc vita obnoxia est, omnibus bonis & commodis supra ea, quæ hic habentur, abundat, quiq; uno verbo species est naturalis beatitudinis.*

Fundamentum sententiæ suæ hoc posuerat, *hominem nihil amisisse in Adamo, quod ad naturalem constitutionem pertineret, maculam verò originalem infelicitati posse deputari, non culpæ.*

(Dicunt autem Doctores, *se non carptim, cursimve, sed maturò, diligenter ac studiosè perlegisse, nihilq; reperisse in illo fidei Catholicæ non conforme, imò se offerunt paratos ad reddendam rationem cuivis poscenti.* Sic ergò in Ecclesia Romana redivivus est Pelagius.)

Quin & Lorinus in 2. Petri 3. pag. 771. sic commentatur: *Refert Augustinus, Pelagianos promisisse parvulis non baptizatis extra regnum Dei, id est, extra domum cælestem & visionem Dei æternam & beatam quandam vitam suam seu beatitudinem naturalem. Addit Hieron. Savanarola lib. de Triumpho crucis, Ambrosius Catharinus lib. de statu puerorum sine Baptismo decedentium, & in 2. Petr. 3. Albertus Pighius controv. 1. hos futuros beatos post judicium naturali beatitudine, idq; in quodam velut Paradiso terrestri. Confutat acriter hanc sententiam & prolixè Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 2. & 3. omni argumentorum genere ex Scriptura, Conciliis, Patribus, ratione &c. Nihilominus visa est Salmeroni in cap. 5 ad Rom. Disp. 48. probabilis hæc opinio, & Pinedæ in Job. cap. 26. v. 10. Ego non ausim penitus improbabilem judicare, demptis iis,*

que

quæ asserunt Catharinus & Salmeron de libertate à potestate Diaboli, deq; visitationibus atq; revelationibus Angelicis &c.

Tertia sententia, inquit Bellarminus, *jam aliquantò severior docet, parvulos sine Baptismo decedentes damnari apud inferos æternâ morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœna damni, ut nullum patiantur omninò dolorem, neq; internum, neq; externum. Ita docet Thomas in q. 5. de malo, art. 1. 2. & 3. tum ipse, tum alii aliquot Scholastici Doctores in 2. sent. dist. 33.*

Hanc sententiam Caronæus sic explicat, quod *defuncti in solo originali peccato puniantur solâ pœnâ damni, id est, carentia visionis Dei. Et quidem non tantum nullo alio dolore accedente, sed etiam illa ipsa pœna damni nullo modo molesta. Quandoquidem enim eis nullum jus sit in cœlis, utpote non natis ad illud, ideò carentiam divinæ visionis nullo modo eis, ut damnatis, gravem futuram, quemadmodum filio aratoris non est molestum, non pervenienti ad regiam dignitatem, quæ ad eum nullo modo pertinet.*

Didac. Alvares de auxiliis gratiæ lib. 1. Disp. 114. Conclusio. *Parvuli cum solo originali peccato decedentes, nulla prorsus etiam post diem judicii afficientur pœna sensus, sed solùm punientur pœna damni, quæ in carentia divinæ visionis consistit.*

Hanc sententiam etiam Vasquez amplexus est, & dicit *esse communem in* schola.)

Quarta sententia, inquit Bellarminus, *superiore adhuc severior, liberat quidem parvulos ejusmodi à cruciatu ignis & vermis, quæ propriè dicitur pœna sensus, sed non liberat eos ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis. Ita docet Lombardus 2. sent. dist. 33. lit. E. eumq; nonnulli alii secuti sunt, ut referunt Thomas, Bonaventura, Gregorius Ariminensis & alii in Comm. ejusd. loci.*

(Ex recentioribus eam amplectuntur Cunerus Petri de peccat. origin. cap. 8. Dominicus à Soto de Natur. & grat. lib. 1. cap. 14.)

Quinta sententia, inquit Bellarminus, *severissima atq; extrema docet, parvulos propter originale peccatum utroq; genere pœnæ, damni sc. & sensus in gehenna perpetuo cruciari. In hanc sententiam satis apertè propendet Gregorius Ariminensis in 2. sent. dist. 33. q. 3. & Johannes Driedo lib. 1. de grat. & lib. arbitr. tract. 3. cap. 2.*

Idem Bellarminus lib. ejusd. c. 2. §. Hoc solum &c. fatetur, *Scholasticos constituere infantes in parte inferni altiore, quàm limbum puerorum appellant*; quosdam verò *cum cæteris damnatis in eundem locum eos* redigere.

In eod. cap. 2. in ἐπιλ. statuit, *parvulos sine Baptismo decedentes mortis æternæ pœna damnandos esse.*

Cap. 4. §. 11. probare conatur, *parvulos sine Baptismo decedentes non puniendos pœna sensus sive ignis sensibilis*, interim fatetur, *contrariam sententiam, quod scil. parvuli sine Baptismo decedentes omni genere pœnæ, tum damni, tum etiam sensus, & in anima & in corpore puniendi sint, non videri apertè ab Ecclesia reprobatam, rejici tamen passim in Scholis.*

Cap. 6. §. 1. contra Thomam & Bonaventuram disputat, *probabile esse, parvulos illos passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum, quod scilicet intelligent, se beatitudine privatos à consortio piorum fratrum & parentum alienos in carcerem inferni detrusos, & in tenebris perpetuis vitam acturos.*

4. Becanus in Append. Disput. de Purgat. Calvinist. cap. 9. p. 146. sic scribit: *Manet inter Catholicos controversia an infantes in limbo constituti præter pœnam damni seu exclusionem à regno cœlorum patiantur aliquem dolorem seu cruciatum, de quo sunt tres sententiæ:*

Prima est, *omnino eos pati dolorem.*

Altera, *pati quidem aliquem dolorem ex amissa beatitudine, non tamen aliunde.*

Tertia, *non modo ex amissa beatitudine, sed etiam ab igne infernali percipere cruciatum.*

Primam *tenent Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, Durandus & ex recentioribus Molina, Vasquez & nonnulli alii.*

Alteram *Lombardus, Bellarminus & alii ab eo citati.*

Tertiam *Gregorius Ariminensis & Johannes Driedo.*

(Becano magis placet *sententia prima*, Bellarmino *secunda*, unde etiam Becanus & Bellarmini & Driedonis argumenta refellere conatur.)

5. Notandum & illud, quod pleriq; Pontificii statuant, *infantes non baptizatos perpetuo in limbo detentos iri.*

Sed Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus lib. 2. de Jubilæo c. 44. p. 269. scribit, *Multi existimant satis probabiliter, hunc locum non futurum perpetuum habitaculum puerorum hujusmodi, sed tantùm usq; ad diem judicii.*

Meritò ergò scribit Vasquez tom. 1. in 1. 2. Disp. 134. c. 2. *De pœna alterius vitæ, quam patiuntur infantes propter originale peccatum, non eodem modo sentiunt Catholici.*

6. Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 12. resp. ad 5. object. statuit, *in extremo judicio duo tantùm loca remansura, Paradisum & gehennam.* Ex quo videtur colligi posse, quod statuat, limbum puerorum æquè ac Purgatorium in extremo judicio esse vacuandum. Quid ergò tunc fiet de infantibus non baptizatis? num evehentur ad Paradisum?

Sed hoc non convenit cum illis, quæ scribit idem Bellarminus lib. 6. de amiss. grat. cap. 2. §. His accedit. *Parvuli sine Baptismo decedentes corporalem quidem vitam in communi resurrectione percipient, sed non dicentur resurgere ad vitam, sed ad mortem, quia ideò resurgent, ut sint miseri.*

Num vero detrundentur in gehennam? At hoc non convenit cum illis, quæ lib. ejusd. cap. 4. §. 1. habet. *Sententia*, inquit, *illa, quæ parvulos sine Baptismo decedentes omni genere pœnæ tùm damni, tum etiam sensus, & in animo & in corpore puniri vult, rejicitur passim in Scholis, & nobis etiam improbabilis videtur.*

Quid ergò? fortè respondebit Bellarminus per distinctionem, ad quam alludit lib. & cap. iisd. §. Alterum &c. *Gehennam accipi vel pro omni genere infernalium pœnarum, hoc est, tum pœna damni, tum pœna sensus; vel pro altera tantùm specie, videlicet pro pœnæ damni. Posteriore vocabuli significatione infantes baptizatos futuros in gehenna.*

At tota Scriptura gehennæ nomen non aliter accipit, quam pro *pœna damni & sensus* simul; ac Bellarminus statuit, *infantes illos una cum pœna damni passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum.* Res igitur eò redit. *Infantes illi mittentur in stagnum ignis, hoc est, in locum, ubi est ignis, nec tamen inflammabuntur illo igne aut cruciabuntur, vel quia erunt in parte altiore ejus loci, vel quia ignis vim habebit eos detinendi, non urendi*, ut scribit Bellarminus lib. ejusd. cap. 5. §. Potest &c. At judicet quilibet, an hoc non sit insomnium sine somno.

4. Quod non conveniunt in quæstione, *quando cæperit necessitas Baptismi.*

Primò quidam putant, *tunc Baptismum cæpisse esse necessarium, quando Evangelium toti orbi fuit sufficienter promulgatum.* Suarez tom. 2. Theol. Schol. Disp. 5. dub. 2. q 4. n. 23.

Secundò, alii crediderunt, *Baptismum necessarium fuisse à die Pentecostes.* Scotus, Richardus, Capreolus, Bellarminus, Vega, cit. à Suarezio d. l. n. 24.

Tertiò, quidam volunt, *necessitatem Baptismi cæpisse post passionem & resurrectionem Christi.* Thomas, Sotus, Henriquez, Medina.

Quartò, alii *in ipsa mortis Dominicæ die & puncto novam legem cæpisse.* Ita Hugo Victorinus, Vasquez.

Quintò, Tannerus censet, *ante legem Baptismi non obligasse.*

N. 25. Bellarminus *inducias legis novæ & Baptismi concessas fuisse usq; ad diem Pentecostes.*

N. 32. At Tannerus hanc censuram subjicit. *Alii videntur rectius extendere ad tempus sufficientis promulgationis.*

(Hunc suorum in hac quæstione dissensum fatetur Bellarminus lib. 1. de Bapt. c. 5.)

Arg. Advers. primum, idque palmarium, petitum est ex Joh. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.*

Resp. 1. Lombardus 4. sent. dist. 4. lit. E. docet, *dictum illud Christi intelligendum de illis, qui possunt & contemnunt baptizari: vel ita intelligendum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, id est, eâ regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum, non salvabitur, illa autem regeneratio fit. non tantùm per Baptismum, sed etiam per pœnitentiam & sanguinem.*

2. Si necessitas Baptismi fundatur in illis verbis Christi; utique Baptismus factus est necessarius post prolationem horum verborum, & ideò ante passionem Christi. Jam verò fatentur Pontificii, quod *Baptismus non fuerit necessarius necessitatē medii aut præcepti ante passionem Christi, sed inceperit esse necessarius die Pentecostes.* Bellarm. lib. 1. de Bapt. c. 5.

3. Verba Christi sunt *generalia*, ac per se considerata nihil privilegii concedunt Martyribus aut pœnitentibus. Jam verò ipsimet Pontificii faciunt duas exceptiones à Baptismi necessitate, *Martyrium* scilicet & *Pœnitentiam*. Bell. d. l. c. 6.

Anglo-Rhemenses addunt tertium casum, videlicet *exemplum illorum, qui ex hac vita migrant cum desiderio fruendi Baptismo:* annotat. Joh. 3. sect. 2.

Inde Barradius tom. 2. Comment. in Concord. Evang. lib. 4. cap. 1. verba Christi limitat. *Verba Christi*, inquit, *sunt intelligenda hoc sensu, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, reipsa, si potest; si verò non potest, in voto.* Similia occurrunt apud Canum Relect. 5. de pœnit. oper. f. 880. Bellarm. lib. 2. de effectu Sacram. c. 11. l. 3. de pœnit. cap. 20. Tirinum in Comm. Iohan. 3.

4. Thomas p. 3. q. 64. *Deus non alligavit gratiam suam Sacramentis.* Bellarm. lib. 4. de Christo cap. ult. *Deus non est alligatus Sacramentis.*

(Ergò casus necessitatis semper intelligitur exceptus.)

5. Toletus ad h. l. sic annotat. *Abusi sunt hoc Servatoris loco hæretici, dicentes, neminem posse salvari, qui non sit ex aqua & Spiritu regeneratus, quantumvis cum contritione & desiderio Baptismi morte præventus recedat.*

(Cùm ergò verum sit, aliquem ingredi regnum Dei absque aquæ Baptismo, alterutrum dicendum fuerit, aut Christi enunciato non constare veritatem, quod blasphemum, aut aquæ Baptismum non esse absolutè ad salutem necessarium.)

6. Multi ex Pontificiis verba Christi Ioh. 6. v. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam*, accipiunt de orali manducatione. Coguntur ergò excipere casum necessitatis; eundem agnoscant exceptum in verbis Christi Ioh. 3. vers. 5.

7. Tilmannus Segebergensis lib. de septem Sacramentis cap. 1. respondet hoc modo: *Parvuli ingruente necessitatis articulo Deo & Ecclesiæ commendati, voto parentum regenerati videntur ex aqua & Spiritu Sancto, ut sic baptizati ipso facto habeantur Baptismo Flaminis & Baptismo fluminis aut aquæ, desiderio parentum. Non enim rationi consentaneum videtur, Baptismum fluminis voto proprio susceptum in necessitatis articulo & temporis angustia prodesse adultis, & non prodesse parvulis voto ac fide parentum, cum utrobiq; similis sit casus & periculum.* Et postea. *Quod Salvator dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. intelligendum videtur de iis, qui neq; re, neq; voto Baptismum aquæ suscipiunt: quod in parvulis locum non habet, qui licet non reipsâ, voto tamen parentum Baptismum aquæ suscipiunt & inferuntur corpori Christi, quod est Ecclesia.*

8. Thomas Elisius in Clypeo piorum adversus hæreses cap. de Bapt. art. 3. *Ad Christi autoritatem dicimus, quod est rationabiliter intelligenda, quia loquitur de his, qui possunt suscipere Baptismum in re, vel in voto, nam Christus neminem ad impossibile obligare intendit.*

9. Villagudus in h. l. *Non putaverim tamen, aquæ Baptismũ ad salutem per se necessarium esse, adeo ut si aqua, minister, aut aliquid necessarium abfuerit, oporteat eum, qui baptizari cupit, perire.*

10. Johannes Arboreus lib. 2. Theosophiæ cap. 10. cum dixisset, *Baptismi Sacramentum simpliciter non esse necessarium, sed tantùm secundum quid necessarium esse ad salutem, sic quod non debeat contemni*, objicientibus hunc locum respondet: *Communis ad hanc diluendam objectionem solutio hæc est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, sc. Baptismo Christi, vel eo, quod gerit vices Baptismi, non potest ingredi regnum Dei: modo Baptismus Flaminis sive pœnitentia cum quodam spontaneo proposito suscipiendi Baptismi Sacramentum, si temporis opportunitas detur: Similiter Baptismus sanguinis, quo quis confitendo nomen Christi in acerrimis tormentis intingitur, subit vices Baptismi.*

11. Bonaventura 4. sent. dist. 4. *Ad illud, quod objicitur de Domini mandato, patet responsio, quia intelligitur in eo, qui facultatem habet, & non præpeditur necessitate.*

(Sic ergò quadruplicem addunt limitationem.

1. Nisi quis baptizatus fuerit vel Baptismo aquæ vel aliquo alio in ejus vicem puta Baptismo Flaminis vel sanguinis.

2. Non nisi baptizatus aquâ ingreditur regnum cœlorum, sc. si possit hunc Baptismum habere, non contemnat.

3. Baptismo aquæ, id est, eâ regeneratione, quæ fit per Baptismum aquæ, etsi aliter fieri etiam possit. 4. Baptizatus vel re, vel voto.)

12. Salmero tom. 8. tract. 4. *Tertio demendi veniunt, quotquot Baptismum sitientes, & ad illum pervenire festinantes, ut sunt Catechumeni, aut alii in articulo mortis constituti, Sacramentum poscentes, & morte præventi inopinâ Ministrorum illud non sunt assecuti. Nam tales votum Baptismi concipientes, pro baptizatis coram Deo habentur.* Ex quo fundamento legem hanc postea restringit: *Solum igitur*, inquit, *ad Baptismum suscipiendum hæc lex sub peccato eos adigit, qui prædicatione noverunt ejus necessitatem, nec temporis angustiis ab eo suscipiendo exclusi sunt, sed vel negligentia, vel contemtu illum non receperunt.*

Argum. 2. *Augustini* autoritatem in hac quæstione perpetuò nobis objiciunt.

Sed resp. 1. Augustinus existimat, *infantes non baptizatos igne æterno puniendos, ac in die novissimo hædis annumerandos esse*, quæ sententia non probatur omnibus Pontificiis.

2. Inde ipsimet Pontificii Augustini autoritatem in hac quæstione elevant.

Cornelius Massus Episcopus Bitontinus in cap. 5. Epist. ad Rom. inquit: *Non ergò moveat Augustinus vel tantillum. Hoc enim est illi peculiare, ut cum aliquem expugnat errorem, tanta vehementia illum exaggeret, ut errori opposito ansam præbere videatur.* Ibid. Augustini autoritati opponit *Ambrosium, Hieronymum, Thomam, Bonaventuram*; & addit, *Absit, ut propter unius Augustini autoritatem à tantis Patribus discedam.*

Albertus Pighius Controv. 1. *Augustini cur me non multum movet diversa sententia, inde est. Primò, quod nullâ Scripturâ, nullâ quoq; Ecclesiasticæ definitionis autoritate subnixam video. Deinde adactus fuit etiam ad planè absurda quædam & penè evidenter falsa descendere.*

3. Idem Augustin. lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. c. 20. & 24. & alibi passim defendit, *infantes non posse vitam ac salutem æternam consequi, nisi Eucharistiam percipiant*, quam sententiam ipsi Pontificii repudiant.

4. Cassander in lib. de Statu infant. non baptiz. conatur ad omnia Augustini dicta pro contraria sententia allata respondere.

CAPUT II.

De objecto Baptismi, videlicet de infantibus baptizatis, an credant.

Thesis. Infantes baptizati habent fidem propriam actualem.

Ἔκθεσις. 1 Non est quæstio, an infantes ex utero matris secum afferant fidem ad Baptismum, sed an Spiritus Sanctus per ipsum *Baptismi Sacramentum* fidem in illis operetur, per quam υἱοθεσίας, remissionis peccatorum & vitæ æternæ participes reddantur? Prius negamus, posterius affirmamus.

2. D. Lutherus in Epist. quadam ad duos Pastores de Anabaptismo. *Indubitatum hoc est, quod infantes baptizati fidem habeant, nec ex Scriptura contrarium probari potest, licet incertum nobis sit, quæ sit istius fidei ratio, aut quomodo credant.*

3. D. Brentius in Apol. Confess. Wirtenberg. p. 439. sic scribit: *Dubium non est, quin infantes, Ecclesiæ Christi membra, non habeant talem, hoc est, tam explicatam, & ut ita dicam, sensibilem fidem, qualem habent adulti, in quibus Spiritus Sanctus est efficax per externum Evangelii auditum.*

4. D. Chemnicius ex Formula Concord. Ann. 1536. constituta, hæc adducit: *Quando dicimus, infantes credere aut fidem habere, non est imaginandum, infantes intelligere aut sentire motus fidei, sed rejicitur error illorum, qui imaginantur, infantes baptizatos placere Deo & salvos fieri sine actione aliqua Spiritus Sancti in eis, cum Christus clare dicat: Nisi quis renatus fuerit &c. Et semper cum remissione peccatorum datur Spiritus Sanctus, nec quis potest Deo placere sine Spiritu Sancto Rom. 8. cum ergò certum sit, infantes baptizatos esse membra Ecclesiæ & placere Deo, certum & hoc est, Spiritum Sanctum in eis efficacem esse, & quidem ita efficacem, ut regnum cœlorum, hoc est, gratiam Dei & remissionem peccatorum accipere possint &c. Et licet nec satis intelligamus, nec verbis explicare possimus, qualis sit illa Spiritus Sancti actio & operatio in infantibus, qui baptizantur, esse tamen & fieri, ex verbo Dei certum est. Illam autem actionem seu operationem Spiritus Sancti in infantibus vocamus fidem, & dicimus, parvulos credere. Illud enim medium seu organon, quo regnum Dei, quod in verbo & Sacramentis offertur, accipitur, Scriptura vocat fidem, & credentes dicit accipere regnum Dei.*

5. *Fides justificans consideratur vel per se & Natura sui, vel ratione accidentium.* Priori modo, quæ in adultis, ea quoque fides est in parvulis. Credunt enim, hoc est, fiduciam suam in Christum collocant, quod est fidei justificantis formale. Interim posteriori modo, respectu accidentium, discrimen aliquod agnoscimus, *quoad actus tum antecedentes, tum consequentes.* Adultiores enim explicitam, sive specialem ac distinctam, magisque evolutam articulorum religionis cognitionem habent, quam concipiunt ex verbi prædicati auditu, lectione, meditatione, ruminatione, apprehensione,

hensione, sciunt insuper, se credere, & operibus in oculos incurrentibus & officiis caritatis publicè fidem suam testantur, ac cum dubitatione, diffidentia & trepidatione luctantur, quod de fide infantum non possumus dicere. Aliter proinde se habet fides in infantibus ac in adultis. In adultis accenditur per auditum verbi cum attentione & meditatione percepti; infantibus datur in Baptismo. In adultis est cum usu rationis conjuncta, ut distinctè de rebus fidei meditari & loqui possint: in infantibus eo modo non est comparata. In adultis exerit se per externam confessionem, in infantibus hoc non fit. Adulti sciunt se credere, & probare se possunt, an sint in fide, quod infantibus datum non est.

6. Si per actum fidei intelligunt ἐνέργειαν fidei foras progredientem, quoad proximum per opera caritatis, concedimus, tali fidei operatione infantes destitui. Si per actum fidei intelligunt reflexionem ac reciprocationem, qua credens scit, se credere, itidem concedimus, tali fidei actu infantes destitui. Quando autem dicimus, *infantes habere fidem actualem*, tunc intelligimus talem ἐνέργειαν, qua fides per Spiritum Sanctum in cordibus infantum accensa agit, paciscitur ac stipulatur cum DEO, 1. Petri 3. v. 21. Quemadmodum *infantes sanctificantur sine sensu sanctitatis*, ut loquitur Nazianzenus orat. 40. de Baptismo, sic Deum suo modo cognoscere & credere possunt sine sensu fidei.

7. Dicimus ergò *fidem actualem* non respectu *externarum* operationum, sed *internarum* & fidei propriarum. Non docemus, infantes in Baptismo talem fidem actualem habere, quæ per sensibiles motus & operationes sese exerat, sicut in adultis: sed statuimus, Spiritum Sanctum in actione Baptismi sua gratia & efficacia in infantibus operari fidem, quæ non sit otiosus aut nudus habitus, sed actu aliquo, cujus modus tamen nobis est inexplicabilis, Christum induat, Galat. 3. vers. 27. regnum cœlorum recipiat, Marc. 10. vers. 15. & regenerationis ac salutis particeps fiat, Johan. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. 1. Petr. 3. v. 21. Jam verò Christum induere, recipere regnum cœlorum, adipisci regenerationem & salutem, sunt indubii actus fidei. Ergò fidem suo modo actualem esse necesse est.

Antithesis. Salmero Disput. 1. in c. 6. Roman. tom. 13. pag. 487. *Augustinus, Ambrosius & alii Patres non dubitarunt asserere, justificationem fieri in Baptismo, non per fidei motum, qui infantibus inesse nequit, sed per virtutem ipsius Sacramenti.*

Catech. Roman. pag. 283. *Neq; enim dubitare licet, quin fidei Sacramenta, cum abluuntur, accipiant, non quia mentis suæ assensione credant, sed quia parentum fide universæ societati sanctorum uniuntur.*

Autores Censuræ Coloniens. Dialog. 8. p. 256. Monhemium sic compellant: *An fortè cum Magistro tuo Luthero & infantes tu actu credere dices? Sanè si hoc fateare, dignus eris, qui vel puerorum lusibus exponi debeas?*

Ludovicus Granatensis in Evangelio de Paralyt. Matth. 9. *Hoc in loco immensa Dei bonitas satis apparet, qui frequenter propter aliena merita miseris opitulatur. An non quotidiè Ecclesiæ fides in Sacramento Baptismi regeneratis infantibus sufficit ad salutem? Si enim tanta Dei justitia est, ut aliena labes nascentem puerum inficiat, cur non tanta sit ejusdem misericordia, ut aliena quoq; fides & voluntas salutem ei conferat?*

Bellarminus lib. 1. de Baptismo capit. 10. §. ult. *Infantes non habent fidem actualem, credunt fide aliena & ipsâ susceptione Baptismi.*

Cap. 11. Propos. 1. *Infantes non habent fidem actualem.*

Propos. 2. *Non habent infantes, dum baptizantur, ullos novos motus & inclinationes similes actibus fidei & dilectionis.*

Ibid. §. Arg. 1. *Qui in Baptismo infantum respondet Credo, non significat, infantem credere proprio actu, sed alieno, idq; non injuria, cum peccato alieno prægraventur.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ab expresso Christi testimonio*, Matthæi 18. v. 6. Marci 9. vers. 42. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt.*

2. *Ab exemplo Johannis Baptistæ*, Lucæ 1. v. 44.

3. *Ab exemplo circumcisorum infantum*, Genes. 17. vers. 18. Rom. 4. v. 11.

4. *A confessione Davidis*, Ps. 71. v. 5.

5. *A fidei proprietatibus*, quæ tribuuntur parvulis, Psal. 22. v. 10. & 11. 1. Joh. 2. v. 12. & 14.

6. *Ab effectis fidei*, qui tribuuntur infantibus, quorum positio ipsam fidem, tanquam causam proximam, præsupponit. Infantes *nati sunt ex Deo, & vincunt mundum*, Joh. 1. vers. 13. 1. Joh. 5. v. 4. *timent nomen Dei*, Apocal. 11. v. 18. Psal. 115. vers. 13. *laudem dicunt Deo*, Psal. 8. v. 3. Matth. 21. v. 16. Apoc. 19. v. 5. *justi sunt ac Deo placent*, Matth. 19. v. 13. & seq. Marc. 10. v. 13. Luc. 18. v. 15. *salvantur*, Matth. 19. v. 14. Marc. 10. v. 14. Luc. 18. v. 16. Apoc. 20. v. 21. &c.

7. *A fructu Baptismi*. Baptismus est efficax medium remissionis peccatorum, regenerationis, υἱοθεσίας & salutis æternæ, Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3. Act. 2. v. 38. cap. 22. v. 16. Rom. 6. v. 3. 1. Cor. 6. v. 11. Ephes. 5. vers. 26. Ergò Spiritus Sanctus in cordibus illorum, qui operationi ejus actuali impœnitentia ac pertinacia non resistunt, per Baptismum fidem accendit, quippe sine qua nec remissio peccatorum, nec regeneratio, nec υἱοθεσία, nec salus æterna locum habere potest. Jam verò infantes actuali pertinaciâ Spiritui Sancto non resistunt. Baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua verbo Dei conjuncta. Jam verò verbum est medium illud, per quod Spiritus Sanctus fidem in cordibus hominum ad regenerationem & salutem ipsorum accendit, Ioh. 17. v. 20. Rom. 10. v. 17. 1. Pet. 1. v. 23. Per Baptismum *Christum induimus*, Gal. 3. v. 27. At hæc specialis beneficiorum Christi applicatio & spiritualis cum Christo unio absque fide non habet locum. *Omnis, qui credit, Jesum esse Christum, ex Deo natus est*, 1. Ioh. 5. v. 1. id quod valet etiam reciprocè. At infantes baptizati sunt ex Deo nati. Ergò infantes baptizati credunt. Omnes *justificati, mundati, Christo induti, salvati &c.* credunt, Act. 15. vers. 9. Rom. 5. v. 1. Infantes baptizati justificantur, mundantur &c. Ergò etiam credunt. Infantes baptizati singulariter *placent Deo*. Ergò credunt. Ratio connexionis est, *quia sine fide impossibile est Deo placere*, Hebr. 11. v. 6.

8. *Ab admirabili infantum in maximis doloribus patientia.*

9. *Ab omni impedimentorum absentia.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod agnoscere coguntur, *infantes habere fidem justificantem & salvantem.*

(Ergò non destituuntur fide propria, quia fides aliena hominem non justificat, nec salvat. Ergò etiam habent fidem actualem, quia fides justificans & salvans non est otiosus & torpidus habitus, sed fiducialis apprehensio Christi.)

Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 11. Propos. 3. *Infantes non justificantur sine ulla fide. Probatur primò, quia Scriptura affirmat, fidem esse medium ad salutem necessarium. Joh. 3. Qui non credit, jam judicatus est. Secundo, probatur ex illo Hebr. 11. Sine fide impossibile est Deo placere. It. Roman. 3. Arbitramur, hominem justificari per fidem, quod passim repetit & inculcat Paulus. Quomodo igitur sine ulla fide justificari & Deo placere possunt infantes?*

(Subsumimus. Fides, quæ justificat & salvat, non est nudus & otiosus habitus omni actu & ἐνεργείᾳ destitutus, sed est, viva & efficax. Ergò etiam talis erit infantum fides. Habitus omnis aut est *absolutus*, aut *transitivus*. Si per habitum fidei, quem infantibus tribuunt, intelligunt *habitum absolutum*, qui est qualitas in se terminata, repugnant Naturæ fidei, & tribuunt infantibus non aliam, nisi *mortuam & Historicam fidem*, quam etiam habent Diaboli, Iac. 2. v. 19. quæ neminem justificat vel salvat, siquidem Scriptura fidem justificantem sic describit, *quod sit fiducialis apprehensio Christi ad vitam æternam.* Sin habitum *relativum & activum* apprehendentem Christum ejusque merita sibi applicantem intelligunt, quando infantibus fidem tribuunt, nostram sententiam approbant. Ut enim beneficia Christi in Baptismo & per Baptismum infantibus offeruntur: ita & ab illis eadem apprehendi oportet, quod non potest fieri per fidem alienam, sed propriam; nec per habitum absolutum, sed per fidem actualem, quam Spiritus Sanctus per hoc Sacramentum in cordibus infantum accendit.)

2. Quod agnoscunt, parvulos illos, de quibus Christus Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. dicit: *Sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum cœlorum*, non fuisse grandiores, sed infantes usu rationis adhuc destitutos.

Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 8. §. Secundum argumentum, respondens exceptioni, *quod Evangelia non loquantur de infantibus, sed de pueris, qui jam usu rationis sunt instructi &c.* inter cætera sic scribit: *Hæc solutio non est solida. Nam verba Evangelistarum parvulos & infantes significant. Matthæus & Marcus habent παιδία, i. e. parvulos. Lucas habet βρέφη, id est, infantes. Et ibidem*

Lucas dicit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse. Igitur illa vox accipitur largo modo pro eo, quod est accedere & appropinquare.

Cornelius Jansenius in Concord. Evangel. cap. 100. *Cum Matthæus & Marcus parvulos, aut ut est Græcè παιδία, id est, puerulos Christo oblatos dicant, Lucas etiam τὰ βρέφη, hoc est, infantes dicit oblatos, ideoq; addit exaggerationis causa conjunctionem ET, afferebant & infantes, id est, non tantùm parvulos, qui incedere possent & loqui, sed etiam infantes.*

Maldonatus in c. 19. Matth. v. 13. *Ex Luca perspicuum est, non solùm pueros parvulos fuisse, sed etiam infantes προσέφερον αὐτῷ τὰ παιδία, & offerebant illi infantes.*

(Ex hac hypothesi concessa sic concludimus: Qui ad Christum veniunt & salvi fiunt, illi præditi sunt fide propria & actuali, teste totâ Scripturâ. Infantes baptizati ad Christum veniunt & salvi fiunt. Ergò. Incredulorum, quâ talium, non est regnum cœlorum, Apoc. 21. v. 8. cap. 22. v. 15. Gal. 5. v. 21. At talium παιδίων est regnum cœlorum. Ergò. Videt Bellarminus argumenti hujus robur, ideò in capite seq. 11. hanc hypothesin quodammodò repudiat; ibi enim responsurus ad argumentum nostrum ex Matth. 18. petitum, (*Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt. Ergò pusilli credunt:*) sic scribit: *Pusilli isti, de quibus loquitur Evangelium, non infantes, sed pueri grandiores erant. Nam vocavit eos Dominus ad se, & scandalizari posse dixit. At venire suis pedibus & scandali capacem esse, infantibus non convenit.* Distinctæ quidem sunt Historiæ, quæ Matth. 18. & 19. describuntur, interim puerulus ille, cujus Matth. 18. fit mentio, itidem vocatur παιδίον vers. 2. & 4. & quando Christus dicit, *Nisi conversi fueritis & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, non proponit nobis pueros grandiusculos, siquidem in illis malitia cum ætate crescit, quam parvulos adhuc teneros, inter quos & infantes, quoad cognitionem articulorum fidei, nullum est discrimen, siquidem parvuli isti non magis rationem fidei suæ reddere possunt, quàm infantes. Ac probè notandum, quod Christus pronunciatum suum Matth. 18. vers. 3. *Nisi conversi fueritis &c.* Marc. 10. v. 15. Luc. 18. v. 15. ad infantes, in ulnis sibi allatos, etiam applicet. Ergò & illi credunt.)

3. Quod agnoscunt, *infantes spiritualiter manducare carnem Christi & bibere ejus sanguinem.*

(Ad hoc enim requiri *fidem actualem* docet Maldonatus in cap. 6. Joh. in annot. v. 53. *Quo modo infantes baptizati carnem Christi per fidem manducant, quos certò tamen credimus salvos fieri? Habet, dicit, aliquis habitum fidei, qui cum cæteris divinis virtutibus per Baptismum infunditur. Esto, tamen qui per fidem carnem Christi manducare dicitur, non habitu, sed actu fidei dicitur manducare, nihil enim solo habitu agimus.*)

c. Quia passus. dist. 2. de Consecr. ex August. *Nulli est aliquatenus dubitandum, unumquemque fidelium corporis & sanguinis Domini tunc fieri participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis & calicis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc seculo migraverit.*

Vasquez in p. 3. Thom. disp. 73. de Euch. cap. 4. *Per hanc manducationem spiritualem parvuli etiam consequuntur vitam illam cum Christo.*

4. Quod agnoscunt, *in infantes cadere actualia peccata.*

Piccolomineus lib. 1. Philos. pract. cap. 31. *iram in infantes cadere* concedit; (cui addi potest exemplum Augustini de parvulo contra collactaneum suum zelante lib. 1. Confess. c. 2. Cum ergò in parvulos cadat peccatum iræ, & verò juxta hypothesin Pontificiorum *omne peccatum sit voluntarium*, ex eo facilè colligi potest, etiam actualem fidem ipsos habere posse.)

5. Quod in quæstione de fide infantium non consentiant.

Quidam ex Scholasticis disputant, *in Baptismo pueris nondū ratione utentibus nullas infundi virtutes, nec secundum actum, nec secundum habitum, nec secundum radicem, sed in adulta demum ætate eas conferri, vel si in infantia moriantur, & baptizati sint, in separatione animæ à corpore virtutes illis conferri.*

Alii disputant, *in Baptismo conferri nec habitus, nec actus virtutum, sed radicem earum, quæ sit gratia.*

Alii *radicem illam faciunt characterem Baptismi, & ejus radicis ramos progressu ætatis fieri habitus virtutum, ex quibus suo tempore sequatur actus.*

Alii opinantur, *in parvulis baptizatis infundi habitus virtutum, non autem actus, quoad usum.*

Ludovicus Granatensis in Evang. de paralytico Matth. 9. statuit, *infantes salvari aliena fide, scil. Ecclesiæ.*

Costerus in Augmento Enchiridii *infantes credere* vult *fide habituali infusa.*

Bellarm. lib. de Baptismo cap. 11. utrumq; amplectitur.

Arg. Advers. *Portatorum fides impetravit paralytico sanitatem Matth. 9. vers. 3. Ergò etiam aliena fides infanti confert salutem.* Petrus Cluniacensis & ex eo Stapleton. Promt. Catholic. part. 1. p. 267.

Resp. 1. Lyranus in cap. 9. Matth. sic commentatur: *Non videntur bene dicere, qui dicunt, quod vocula Illorum refertur tantùm ad offerentes, ita quod per fidem offerentium tantùm sit sanatus.*

2. Idem statuunt Albertus Magnus & Dionysius Carthusianus in c. 9. Matth.

3. Thomas de Trugillo in Thesaur. concion. tom. 1. pag. 589. col. 2. edit. Lugdun. *Filium vocavit Jesus paralyticum, in quo ostenditur, propria etiam fide illum fuisse salvum, hoc quippe nomine Christus credentes appellat, quibus dedit potestatem filios Dei fieri.*

4. Costerus part. 1. Concion. pag. 524. *Nota, Christum non attendisse solam portantium fidem, sed ipsius infirmi quoq;, qui portari se permiserat, & cum tanto periculo demitti.*

(Argumentum hoc est Chrysost. homil. 3. in Matth. *Nisi hic paralyticus fidem habuisset, non fuisset passus se è tecto demitti.*)

5. Cornelius Jansenius cap. 32 Concord. *Quidam intelligunt, relativum Illorum tantùm referri ad portantes. Verùm rectius cùm Chrysostomo intelligitur, simul referri & ad portantes, & ad eum, qui portabatur: aut saltem ita referri ad portantes, ut non excludatur fides ægri. Neq; enim, inquit Chrysostomus, se portari & per tectum demitti sustinuisset, nisi salutem sperasset. Adde, quod maximè movere debet, quod nequaquam dixisset Christus, Dimittuntur tibi peccata tua, nisi & ipse fidem habuisset.*

6. Salmero tom. 6. tract. 14. *Non tantum bajulorum, ut Hieronymus exponit, sed etiam ipsius paralytici & bajulorum, ut rectè enarrat Chrysostomus. Nec enim illi dictum fuisset, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, ut ille ait, nisi credidisset. Adhæc, etsi corporalis sanitas conferri alicui possit à Deo, & collata sit quandoq; à Christo alienæ fidei intuitu, tamen spiritualis sanitas, quæ in peccatorum remissione consistit, sine propria fide in adultis accipi non potest.*

(At cur non etiam idem de infantibus judicandum? *Una fides, unus Christus & una salus.*)

7. Barradius in h. l. *Satius est intelligere, Christum vidisse fidem illorum omnium, tam portatorum, quàm paralytici.*

8. Jacobus Tirinus in h. l. *Videns fidem fiduciamq; illorum, bajulorum simul & paralytici.*

CAPUT III.

De baptismi effectu.

THesis I. Baptismus non ita tollit peccatum, ut in baptizatis nullæ ejus maneant reliquiæ.

Ἔκθεσις. 1. Baptismus est *lavacrum regenerationis ac renovationis*, Tit. 3. v. 5. Ad regenerationem pertinet remissio peccatorum; ad renovationem mortificatio carnis & vivificatio Spiritus. *Regeneratio* & peccatorum remissio plena ac perfecta fit in Baptismo, ita *ut nulla damnatio sit his, qui sunt in Christo Jesu*, Roman. 8. v. 1. *Renovatio* in Baptismo incipit, durat per totam vitam in illis, qui Spiritu actiones carnis mortificant, & tandem consummata erit in vita æterna.

2. Peccatum, cujus remedium est Baptismus, dupliciter consideratur, vel *absolutè*, in prædicamento qualitatis, ut est vitiositas, inordinatio & ἀνομία; vel *relatè*, ut est damnabile quid reos nos faciens coram Deo. *Respectu posteriore* planè tollitur, aufertur ac deletur peccatum, hoc est, reatus peccati in credentibus. *Respectu priore* non planè tollitur, manet enim vitiositas illa Naturæ, licet refracta, imminuta ac castigata, cui per Spiritum Sanctum renati quotidiè debent resistere, eandem mortificare & in renovatione crescere.

3. Non est quæstio, *an peccata per Baptismum verè tollantur.* Nos libenter concedimus, peccata in Baptismo tolli, modo scilicet eo, quo Scriptura *peccatum tolli* ait, videlicet per remissionem. Verè igitur tolluntur in Baptismo peccata, quia verè remittuntur: cum enim peccatum remittitur, perinde est, ac si nunquam sit commissum. Calumniantur ergò Pontificii, quando dicunt, *nos statuere, peccata tantum radi in Baptismo, non tolli.*

4. Peccatum consideratur vel *ratione materialis*, quatenus est corruptio Naturæ, pugnans cum lege Dei; vel *ratione formalis* sive reatus, quatenus nos actu reos facit iræ Dei & æternæ

æternæ damnationis. Si de peccato loquamur *ratione formalis ac reatus*, certum est, eo modo penitus deleri, auferri & mundari, ut non amplius ad damnationem imputetur, Rom. 8. v. 1. Si verò de peccato loquamur *ratione materialis*, quatenus est vitiositas & corruptio Naturæ, pugnans cum lege Dei, testatur Scriptura & ipsa renatorum experientia, quod in carne post Baptismum adhuc maneat Rom. 7. v. 14. debilitatum tamen & refractum, ut possit homo renatus per Spiritum Sanctum illi resistere ac dominium illi auferre.

Antithesis. Leo X. damnavit assertionem illam Lutheri: *Qui negat in puero post Baptismum remanere peccatum, contra Christum & Paulum loquitur.*

Concilium Tridentinum sess. 5. decernit, *per Baptismum tolli reipsâ id omne, quod habet in homine rationem peccati.* Verba sic habent anath. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.*

Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 12. §. 2. *Baptismus tollit ac delet verè omnem culpam & pœnam.* Id postmodum cap. 13. §. Contra hunc &c. sic exponit: *Per Baptismum tollitur reipsâ id omne, quod habet in homine rationem peccati.*

Et postea. *Per Baptismum reipsâ tolluntur omnia peccata, ita ut non solum non imputentur, sed nec sit, quod imputari possit ad culpam.*

Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 17. *Externo aquæ signo adhibito, ita animam sordibus abluit, atq; reatibus semel expiat, nihil ut maneat sordium, nihil ut supersit reatuum. Quinimo baptizatorum pectora omnibus omninò sive originalis illius contagii, sive additorum etiam illi delictorum, tum à nævis detersa, nitida ac emundata; tum à maculis quoq; emaculata prorsus atq; pura puta Spiritus Sancti sanctissima efficit templa, omni ornamentorum genere instructissima, pretiosissimoq; virtutum prorsus omnium, cœlestiumq; illarum dotium mundo cumulatissima simul & decoratissima.*

Similia occurrunt apud Gregorium de Valentia tom. 2. Disput. 8. de Grat. Costerum in Enchirid. de peccat. orig. pag. 394. Becanum part. 2. tract. 4. de Grat. q. 1.

Nostram sententiam probamus,

1. Ex dictis illis Scripturæ, quæ docent, concupiscentiam in renatis post Baptismum reliquam coram Deo verè esse peccatū, si vel maximè virtute Spiritus illi concupiscentiæ resistatur. Dicta illa suo inferius recensebuntur loco.

2. Ex querelis Sanctorum de peccato in carne adhuc habitante, cujus remissionem seriis & ardentibus precibus expetunt, Psal. 19. v. 15. Psal. 32. v. 6. Ps. 130. v. 1. Ps. 143. v. 2. Matth. 6. v. 12. Rom. 7. v. 7. & 17. 1. Joh. 1. v. 8.

3. Ex cohortationibus Apostolicis, quibus jubentur renati peccato in carne adhuc habitanti resistere, *veterem hominem exuere, renovari quotidie Spiritu mentis &c.* Rom. 6. v. 4. 6. & 12. cap. 8. v. 1. & 12. 13. 1. Corinth. 5. v. 7. 2. Cor. 4. v. 16. c. 7. v. 1. Eph. 4. v. 23. 24. &c.

4. Ex formulis loquendi, quas de peccati remissione Spiritus Sanctus usurpat. Docet enim ea *tegi, non imputari*, Psal. 32. v. 1. Rom. 4. v. 7.

5. Ex propagatione peccati originalis. Infantes à parentibus baptizatis ac renatis geniti, non minus ac reliqui nascuntur peccato originali obnoxii, Job. 14. v. 4. Ps. 51. v. 7. Joh. 3. v. 6. Eph. 2. v. 3. Quomodo verò illa peccati propagatio locum haberet, si peccatum ipsum radicitus cum omnibus fibris in Baptismo esset evulsum?

6. Ex peccatis actualibus baptizatorum. Si in Baptismo peccatum penitus tolleretur, consequens foret, baptizatos in posterum non posse peccare, vel si peccarent, quærendam esse novam novæ corruptionis causam.

7. Ex calamitatibus, doloribus, morbis & morte ipsâ, cui baptizati adhuc sunt obnoxii. Ubi omnis abest culpa, ibi calamitates, dolores, morbi & mors non possunt nec debent habere locum. Atqui in infantibus baptizatis illa adhuc locum habent.

8. Ex consequentibus absurdis. Si peccatum ex Natura nostra penitus esset evulsum, consequens foret, semel tantùm nos ablui sanguine Christi, & amplius eum nobis haud prodesse ad purgationem continuandam vel iterandam. Si enim nullæ supersunt in anima sordes, nihil opus ut abluantur. Quis ergò usus sanguinis Christi in Eucharistia percepti? Inanes insuper ac supervacaneæ forent Spiritus Sancti exhortationes *de lavandis pedibus*, Joh. 13. v. 10. *de expurgando veteri fermento*, 1. Cor. 5. v. 7. *de mundatione ab inquinamentis carnis*, 2. Cor. 7. v. 1. *de crucifigendis carnis concupiscentiis*, Gal. 5. v. 24. Nec opus haberemus quotidiè orare, *Dimitte nobis debita nostra.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, concupiscentiam post Baptismum in renatis adhuc reliquam, esse peccatum. (*Hæc enim quæstio*, ut scribit Bellarminus d. l. *ita conjuncta est cum præsente, ut una explicata etiam altera terminetur.*) Dicta illa enumerabuntur inferius in articulo de amissione gratiæ & statu peccati.

2. Quod in Baptismo peccata remitti dicunt, non autem funditus extirpari & radicitus deleri.

Gregorius Magnus lib. 3 Epist. 39. *Qui dicit, peccata in Baptismate non funditus dimitti, dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter submersos.*

(Non dicit, peccata in Baptismo funditus extirpari, sed funditus dimitti.)

Plura hujus generis dicta adducentur art. 23. c. 4.

3. Quod agnoscunt, *post Baptismum adhuc manere carnis infirmitatem ac Naturæ vitiositatem.*

(Utique ergò Baptismus non ita tollit peccatum, ut nullæ ejus in baptizatis maneant reliquiæ.)

Bernhardus serm. de Cœna Domini col. 126. *In casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum & in luto, unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lavamur igitur in Baptismo, & gratia hæc nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus.*

c. Iteratur. dist. 2. de Consecrat. ex Paschasio. *Licet omnia peccata sint donata in Baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne remanet, unde Psalmista: Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Glossa addit, *infirmitas, id est, origo peccati.*

c. Per Baptismum dist. 4. de Consecrat. ex Augustino. *Per Baptismum Christi id agitur, ut caro peccati evacuetur. Non autem sic evacuatur, ut in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit. Nam si post Baptismum ad ætatem naturalem perveniunt, ibi habent, cum qua pugnent, eamq; adjuvante Domino, superent, si non gratiam in vacuum susceperint. Nam nec adultis id præstatur in Baptismo, nisi forte miraculo Dei, ut lex peccati repugnans legi mentis, penitus extinguatur, ut non sit: sed ut quicquid ab homine dictum, factum, cogitatū est, cum eidem concupiscentiæ mente serviret, totum aboleatur, & quasi factum non sit, habeatur.*

Glossa ad c. Si concupiscentia. caus. 15. q. 1. *Non tollitur penitus originale peccatum in Baptismo.*

Thomas in c. 4 Epist. ad Roman. lect. 1. *in peccato tria distinguit, quorum unum est offensa Dei, & quantum ad hoc, dici, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Aliud est ipse actus inordinatus culpæ, qui non potest non fuisse factus, ex quo semel perpetratus est, sed tegitur manu misericordiæ divinæ, ut quasi pro non facto habeatur. Tertium est reatus pœnæ, & quantum ad hoc, dici, Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum, scilicet ad pœnam.*

(Ergò peccatum verè tollitur, deletur, purgatur coram Deo per gratuitam remissionem, etiamsi non penitus ex carne tollatur in hac vita, sed demum in morte. Est enim hac in parte eadem ratio actus peccati transitorii & pravæ concupiscentiæ habitualiter inhærentis.)

Johannes Driedo lib. 1. de Gratia & lib. arbit. *Originale peccatum solvitur quidem in hac vita regeneratione Baptismi, non ut non sit, sed ut in culpam non deputetur.*

Johannes Ferus docuit, *post Baptismum manere peccatum originale & actuale*, teste Dominico Soto, qui hunc errorem in ipso reprehendit. Sixt. Senens. lib. 6. Biblioth. annot. 209.

Ribera in c. 2. Joël. n. 39. *Sit procul ab orthodoxorum sensu atq; sermone piissimis hominibus hoc, dum hic vivitur, dari, ut sine fomite peccati sint. Quamvis enim magis indies minui & decrescere quodammodo possit, hoc est, possit vis ejus magis compesci & frenari per Dei gratiam & studium bonorū operum, nunquam tamen penitus interit in nobis. Quis enim sanctior, aut Deo carior, aut in virtutibus excitatior, quam Apostoli, quorum unus clamat: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem &c. Atq; hæc Paulum de seipso dicere, nunquamq; in justis fomitem extingui, plurimis in locis contra Pelagianos docet Augustinus &c.*

(Sanè Ribera æquè ac alii Pontifìcii negabit, *fomitem illum esse peccatum.* Atqui agnoscit, fomitem illum esse causam venialium peccatorum in renatis, quando subjungit,)

Si justis fomes detrahatur, nec venialiter quidem peccabunt, quod ante multos annos contra Pelagianos anathematizavit Ecclesia Catholica & Apostolica.

(Atqui si fomes est causa peccati in renatis, utiq; ipse quoq; peccatum erit.)

Eadem sententia, quod nimirum maneat *materiale peccati, sublato ejus formali per Baptismum*, confirmata est in Formula Concordiæ Wormatiæ Anno 41. inter Eccium & Mensingum ex parte una ; ac Bucerum & Melanchthonem ex parte altera initæ.

Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 12. §. ult. *Qui decedunt cum peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicujus temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino ratione caritatis, quam secum ferunt, partim non in Domino ratione peccatorum, quæ nihilominus secum ferunt.*

Et postea. *Augustinus lib. 3. contra duas Epist. Pelag. cap. 3. eosdem homines in hac vita partim esse dicit filios Dei, partim filios hujus seculi.*

(Atqui Augustinus *propter reliquias peccati* post Baptismum in carne adhuc residuas illos filios seculi vocat.)

Argum. Adverſ. 1. *Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo, ut sit sine macula & ruga,* Eph. 5. v. 27. *ut sit tota pulchra,* Cant. 4. v. 7.

Resp. 1. Bernhardus serm. 25. in Cant. *Sponsa Christi nævo nigredinis in loco peregrinationis suæ non caret, alioquin erit, cum eam sibi in patria Sponsus gloriæ exhibebit gloriosam, non habentem maculam aut rugam.*

2. Thomas part. 3. q. 8. art. 3. resp. ad 2. itidem *ad vitam æternam* hoc refert, quod in ea demum Sponsa Christi futura sit *sine ruga ac macula.*

3. Michael Ghislerius in Cantic. Cant. cap. 4. v. 7. exposit. 2. *Complures ex sanctis Patribus illud Cantici, Tota pulchra es; & locum Apostoli Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam &c. de Ecclesia, ut in futuro erit seculo, hæc dici arbitrati sunt, de Ecclesia triumphante, quam certissimum est, esse totam pulchram & usquequaq; perfectam absq; ulla labe vel minima, prout apparet ex eo, quod dicitur in libro Apocalypsis, ubi omninò munda describitur sub metaphora civitatis novæ Jerusalem, in quam nil intrat coinquinatum.* Apoc. 21. v. 10. *Verùm tametsi expositio ista congruentissima sit, ut aptata ad verba Apostoli, haud sanè ita congruens existimanda videtur, ut aptata ad id, quod hic dicitur: Tota pulchra es.*

4. Martinus Delrio in cap. 4. Cantic. *Hortatur Sponsam Ecclesiam, ne ab orationis & pœnitentiæ semitis unquam deflectat. Sic enim procul dubio futurum, ut perfectam pulchritudinem & facilitatem in singulis membris consequatur.* Et statim. *Es pro eris accipio more Hebræo cum Nysseno, Ruperto & multis aliis. Capio hoc igitur de perfectione triumphantis Ecclesiæ, in qua nihil coinquinatum, quæ sine macula & ruga est.*

(Quod si vel maximè ad statum hujus vitæ referatur, non tamen potest ex eo totalis peccati abolitio inferri. Sic enim Aponius in h. l. *Omni ex parte nullam recipis maculam, neque rugam. Non enim soli Doctores vel perfecti quoque pulchri sunt ante oculos Dei, qui summa scientia & contemplatione præeminent; sed etiam simplices quiq; fideles, qui recta fide & bonis operibus exornantur, pulchri in oculis Sponsi habentur. Hoc ideò dicimus, non quod aliquis in præsenti vita sine peccato esse possit, cum scriptum sit: Nemo est super terram sine peccato, nec infans unius diei; sed ideò, quia fides perfecta & cœleste desiderium omnem absterget maculam levioris peccati. Tota ergò pulchra est Ecclesia, in quantum se castam & immunem ab omni peccato custodit, si quando autem levi peccato fuscatur, citâ pœnitudine & fide recta ad cœleste desiderium in ea prisca pulchritudo reparatur.*)

5. Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæreses, verbo Ecclesia, hæres. 1. *Illud quod dicit Apostolus, Ecclesiam videlicet esse sine macula & sine ruga, B. Hieronymus dicit in futuro seculo esse complendū. Is enim exponens 31. caput Jeremiæ, in fine capituli sic ait: Vide, quanta habeat loca Ecclesia, & quomodo illud Apostolicum, ut sit sine macula & ruga, in futuro & in cœlestibus servetur.*

Idem Alphonsus lib. 12. adv. hæreses, verbo Purgatorium, hæresi 1. *Quod Ecclesia nullam habeat maculam aut rugam, tunc solùm implebitur, quando ipsa erit beata, non autem in hac vita, in qua quotidie orantes dicere debemus, Dimitte nobis debita nostra.*

6. Jacobus Tirinus in c. 5. Eph. *De Ecclesia triumphante, de qua Augustinus lib. 2. Retract. c. 18. hoc dictum accipit, absolute illud verum est, de militante verò, si doctrinam, Sacramenta & leges spectes, & nobiliora ejus membra.*

Arg. 2. *Deus odio habet iniquitatem* Psal. 45 *& eos, qui operantur iniquitatem* Psal. 5. *Odio est Deo impius & impietas ejus* Sap. 14. *Aut ergò Deus in justificatione penitus tollit peccata, ita ut nihil sit, quod odio habere possit, aut certè nihil omninò remittit, ne obligationem quidem ad pœnam. Si enim peccatum maneret, Deus illud odisset; si odisset, punire vellet; si punire vellet, non ignosceret.*

Resp. 1. Bellarm. lib. 5. de Amiss. gratiæ c. 13. §. Itaque. & c. 14. in resp. ad 4. rat. concedit, *concupiscentiam pravam in renatis odio haberi à Deo.*

(Quomodo ergò verum erit, *quod in justificatione Deus ita tollat peccata, ut nihil sit, quod odio habere possit?* Quomodo firma erit connexio, *Si Deus peccata odisset, punire vellet; Si punire vellet, non ignosceret?*)

2. Idem Bellarminus solutionem hujus argumenti nobis ipsemet suppeditat, lib. 5. de Amiss. gratiæ c. 13. §. penult. sic scribens: *In Concilio Tridentino rectè dictum est, Deum nihil in renatis odisse, quia loquitur Concilium de odio, quod redundat in personam; odium autem concupiscentiæ, quod ponit Augustinus in Deo, non redundat in personam, non enim Deus propter concupiscentiam, quæ est in renatis, vult renatos damnare, sed potius vult concupiscentiam paulatim consumere, ut renati perfectè sanentur ac liberentur.*

Argum. 3. *Scriptura de remissione peccatorum utitur vocabulis mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi & similibus, quæ non possunt, nisi ineptissimè, exponi per non imputari.*

Resp. 1. ex Georgio Cassandro in Consult. art. 2. *Si peccati rationem in vitio illo & iniquitate, languore, infirmitate & morbo constituas, cui Spiritu resistendum est, ne illicitos actus gignat, non ineptè peccatum dicitur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei & reatu, cui ex adverso pœna & damnatio respondet, sitam intelligas, non est peccatum in regeneratis, quia nisi voluntas eis consentiat, ad peccatum non deputatur.*

(Peccatum ut consideratur *absolutè* in prædic. qualitatis, ut est vitiositas & inordinatio, non plane tollitur in Baptismo; sed ut consideratur *relatè*, ut est damnabile quid, reos nos faciens coram Deo, planè tollitur, aufertur ac deletur.)

2. Innocentius in Psal. 2. pœnit. *Originale peccatum transit reatu quantum ad labem, & remanet actu, quantum ad fomitem, ex quo surgunt motus vel actus peccandi, sicut è contrario dici solet, quod actuale peccatum transit actu & remanet reatu.*

3. *Delendi* verbum metaphoricum non significat *ex ipso peccatore* omnes maculas deleri, sed *ex libro*, quemadmodum æris alieni nomina delentur.

Lorinus in Psal. 50. *Non vult David deleri nomen suum de libro viventium, sed iniquitatem de libro, in quo omnes scribuntur & omnia opera, ne Deus mala cognoscat.*

Et paulo antè. *Delendi verbum incisum, veluti in ære, chirographum mortis cum causa, quæ sunt peccata, innuit, sive peccatum scriptum stylo ferreo & ungue adamantino. Qui solus est autor sententiæ & cognitor causæ, solus delet apices illos lethales.*

(Quod addit, *id fieri, quando desinunt esse*, de suo addit, nec desumit ex vi metaphoræ. Notum enim est deleri debitorum nomina non tantum *soluta*, sed etiam *donata*, h. e. non imputata.)

4. Quidam urgent locum Ps. 10. v. 15. (juxta Latin. Psal. 9. v. 40.) *Quæretur peccatum ejus & non invenietur.* Basilius in Catech. Controv. tract. 4. q 2. Sed textus agit *de impiorum deletione*, non de gratuita peccatorum remissione.

Genebrardus in h. l. *Eorum peccatum & improbitas si quæratur, non extabit, funditus enim exstirpabitur impius.*

Emanuel Sa in h. l. *Quasi dicat, facies aliquando cessare prorsus talium flagitia.*

Argum. 4. *Figuræ Baptismi docent, peccata penitus tolli, videlicet Circumcisio Coloss. 2. mare rubrum 1. Cor. 10. sanatio lepræ in Jordane 2. Reg. 5. suffocatio porcorum Matth. 8. probatica piscina Joh. 5. lotio & curatio cæci nati Joh. 9. in quibus omnibus verè fiebant omnia, puta in Circumcisione carnis amputatio, in mari rubro Ægyptiorum prafocatio &c.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei capit. 3. *Convenit inter nos & Adversarios, ex solo sensu literali duci efficacia argumenta.*

2. Si esset per omnia eadem ratio figurarum & figurati, consequens fuerit, mersionem in Baptismo esse necessariam, quia Ægyptii in mari rubro mergebantur, sanandi in probaticam piscinam se immergebant &c.

3. Si

3. Si essent omnia utrinque paria, oporteret peccata in Baptismo semel dimissa, postea nunquam esse molesta. Nam nec præputium amputatum redibat, nec Ægypti post suffocationem Israëlitas persequebantur, neque lepra Nahamanum denuo infestavit, neque porci suffocati ad pascua redierunt, neque morbi in probatica sanati recrudescebant, neque cœcus curatus denuo cœcutiit. At peccata rursum instaurari ac rursus molesta esse, Pontificii concedunt.

Argum 5. *Non possunt simul habitare lux & tenebræ, peccatum & justitia, 2. Cor. 6. Quæ societas luci & tenebris &c. 1. Corinth. cap. 10. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum. At si verè in nobis peccatum post Baptismum, erunt etiam in nobis tenebræ.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 12. §. ultimo, sic differit: *Qui decedunt in peccatis venialibus, aut cum debito alicujus pœnæ temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino, ratione caritatis, quam secum ferunt; partim non in Domino, ratione peccatorum, quæ nihilominus secum ferunt. Neque mirum videbitur, quod aliquos dicamus mori partim in Domino, partim non in Domino, si legatur S. Augustinus lib. 4. contra duas Epist. Pelag. cap. 3. ubi eosdem homines in hac vita partim esse dicit filios Dei, partim filios hujus seculi.*

(Si quidam moriuntur *partim in Domino, partim non in Domino*, utique quidam partim sunt *in luce*, partim *non in luce*.)

2. Paulus non loquitur specialiter *de Baptismo*, sed de piorum in hac vita statu. Consequens ergo fuerit, etiam post pœnitentiam nulla esse in piis amplius peccata venialia, quod Pontificii non concedunt.

Thesis II. Baptismi efficacia extendit se non tantum ad præteritum sed etiam ad futurum tempus.

Εκθεσις 1. Nequaquam docemus, eos, qui post Baptismum in peccata prolapsi, sine vera ac seria pœnitentia in sceleribus perseverant, modo perfunctiore & Historicè recordentur, se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccatorum remissionem consequi, ut non sit opus pœnitentia & ministerio clavium, sed post Baptismum prolapsis veram & seriam penitentiam necessariam esse docemus, si peccatorum remissionem consequi velint.

2. Sed hoc dicimus, quod virtus, efficacia & operatio purgationis & sanctificationis Baptismi per totam vitam Christiani hominis eo modo duret ac valeat, ut in vera ac seria pœnitentia homo post Baptismum in peccata prolapsus, fidem suam recordatione fœderis in Baptismo olim cum Deo initi & promissionis semel factæ, confirmare & possit & debeat. Quando igitur non solum præterita, sed etiam futura peccata per Baptismum remitti dicimus, hoc volumus, quod propter promissionem divinam Sacramento Baptismi additam, peccata illa remittantur.

Augustinus in inchoata explicatione Epist. ad Roman. pauloante finem. *Eos qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renovari, quia renovatio in Baptismo est, ubi quidem operatur pœnitentia, sed tanquam in fundamento.*

3. Fœdus enim, quod in Baptismo ac per Baptismum Deus nobiscum init, non *præteritum* duntaxat *tempus*, vel momentum illud, in quo baptizamur, respicit, sed est *æternum fœdus*. Quamvis ergo per peccata postmodum ex eo excidamus, non tamen ita dissolvitur & frangitur, ut per pœnitentiam non pateat ad illud reditus.

4. Si qui ergo ex navi Baptismi per peccata voluntaria in mare perditionis prosiliunt, hoc est, deserta promissionis fide in peccati gurgitem se præcipitant, navis ipsa non dissolvitur, sed permanet integra, ad quam si per veram pœnitentiam redeunt, in portum salutis provehuntur.

Antithesis. Concilium Tridentinum de Baptismo can. 10. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

Bellarminus lib. 1. de Baptism. cap. 18. §. At vero. *Catholici docent, Baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed solum ad præteritum.*

ibid. *Falsum est, sola memoria & fide suscepti Baptismi, posse dimitti peccata post Baptismum commissa.*

Suarez in Apocal. serm. 15. pag. 323. *Quid magis nefandum, quid magis execrabile, quam affirmare, Baptismum non solum pro purgandis præteritis peccatis accipi, sed etiam pro futuris? ita ut quoties aliquis in peccatum labitur, dummodo recordetur, se semel baptizatum fuisse, veniam delicti accipiat?*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex fœderis Natura & ratione.* Deus in Baptismo fœdus gratiæ nobiscum init, ac pollicetur, se fore *Deum ac Patrem nostrum*. Gen. 17. v. 7. Coloss. 2. v. 16. Jam vero fœdus Dei est perpetuum & æternum, nec, si per peccata inde excidimus, ita frangitur ac dissolvitur, ut etiamsi in vera pœnitentia per fidem ad illud redeamus, Deus tamen illud amplius servare, ratum & firmum esse pœnitentibus nolit, cum *incredulitas hominum fidem Dei non evacuet*. Genes. 17. v. 7. Exodi 6. v. 5. Lev. 26. v. 9. & 44. Num. 18. v. 19. Deuter. 4. v. 31. cap. 7. v. 9. 1. Reg. 8. v. 23. 2. Reg. 13. v. 23. Nehem. 1. v. 5. Esa. 54. v. 10. cap. 55. v. 3. Jerem. 32. v. 39. cap. 33. v. 10. Ezech. 16. v. 60. cap. 37. v. 26. Oseæ 2. v. 19. Rom. 3. v. 3. cap. 11. v. 29. 2. Timoth. 2. v. 13. unde Deus ipse jubet, homines lapsos ad pactum cum illis initum per veram pœnitentiam reverti, Jerem. 3. v. 1. &c.

2. *A collatione cum Circumcisione.* Baptismus in Novo Testamento successit in locum Circumcisionis, Coloss. 2. v. 16. Quod ergo Circumcisioni tribuitur, id Baptismo denegandum non est. Jam vero fideles Veteris Testam. ex Circumcisione, hoc est, ex fœdere Dei, in quod per Circumcisionem recepti fuerunt, efficaces consolationes petierunt, 1. Sam. 14. v. 6. cap. 17. v. 26. unde Apostolus eam vocat *signum justitiæ fidei*, Rom. 4. v. 11.

3. *Ab exemplorum inductione.* Exempla fidelium in Novo Testamento testantur, quod fœderis Baptismalis recordatione se consolati fuerint, postquam à Baptismo in peccata prolapsi, & per veram pœnitentiam ad Deum rursus fuere conversi. De *Corinthiis* hoc patet 1. Corinth. 6. v. 11. cap. 12. vers. 13. De *Galatis*, in Epistola ad Galatas cap. 3. v. 27. De *Petro*, 1. Epist. 3. v. 21. quo pertinet generalis exhortatio Apostolica Hebr. 10. vers. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala & abluti corpus aqua munda.*

4. *Ex phraseologia Spiritus Sancti.* Scriptura de virtute & efficacia Baptismi loquitur *verbis præteriti, præsentis & futuri temporis*, ut ostendat, Baptismi efficaciam non esse restringendam ad illud temporis momentum, in quo baptizamur, sed per totam vitam se extendere, Tit. 3. v. 5. Gal. 3. v. 27. 1. Petr. 3. v. 21. Eph. 5. v. 26. Marc. 16. v. 16. &c. Nemo salvatur, cui non remittuntur peccata præterita, præsentia & futura. At fideles per Baptismum salvantur. Ergo per Baptismum credentibus remittuntur peccata præterita, præsentia & futura. Sic Rom. 6. v. 3. dicimur *in mortem Christi baptizati*, fundatur igitur Baptismi efficacia in morte Christi. Jam vero mors Christi non solum præterita, sed omnia omnino peccata expiavit. Utique ergo ex Baptismo peti potest consolatio, si in peccata prolapsi, per pœnitentiam ad Deum convertimur. Tit. 3. v. 5. Baptismus vocatur *lavacrum renovationis*. Jam vero renovatio in Baptismo incipit & per totam vitam durat. Ad hanc phraseologiam etiā illud pertinet, quod Scriptura non restringit Baptismi efficaciam ad peccata præcedentia, sed generaliter loquatur de peccatorum remissione, Marc. 1. v. 4. Act. 2. v. 38. cap. 22. v. 16. ubi vero Scriptura non distinguit, nec nos distinguere debemus.

5. *Ex absurdorum consecutione.* Si Baptismi efficacia tantum ad præterita peccata se extendit, sequitur, Scripturam non rectè loqui de effectu Baptismi in tempore futuro; non rectè Baptismum dici lavacrum renovationis; Baptismum non fundari in Christi morte, rectius differri Baptismū ad ultimum vitæ terminum; Deum in promissionibus suis esse mutabilem; Christianum lapsum habendum esse pro non baptizato. Denique per hanc hypothesin incideremus in errorem *Messalianorum*, de quibus Theodoretus lib. 4. de fabul. hæret. tit. de Messalianis memorat, quod dixerint; *Baptismus, instar novaculæ, aufert priora peccata.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, efficaciam Baptismi se extendere etiam in futurum.

Alphonsus Salmero tom. 13. pag. 487. Disput. 1. in cap. 6. Rom: *Dicendum est: Baptismo non tantum præterita, sed etiam futura peccata remitti, ut docet Augustinus lib. 1. de Nupt. & concupisc. cap. 33. Explicans enim illud, Christus dilexit Ecclesiam &c. mundans eam lavacro aquæ, ita habet: Sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala omnium regeneratorum mundentur; atque sanentur, non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet*

peccatorū veni a fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque Dominica oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, Dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? Itemq́, eleemosynarū largitate & beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda peccata sua prodesset, si baptizatus non esset. Hæc ille. *Quod intellige non solum, quia in eo gratia maxima confertur, qua futura peccata caveantur, qui optimus est remissionis modus, sed ut etiam post hoc susceptum Sacramentū facilius admissa deleantur. Est enim institus Christo, ut ei resipiscenti verè peccata remittantur.*

(Potuisset Salmero addere locum alium Augustini Epist. 50. *Neque aliquid remanet in Baptismo, quod non dimittatur omnium præteritorum peccatorum, si tamen ipse Baptismus non frustra foris habeatur, si aut intus detur, aut si cui jam foris datus est, non foris cum illo remaneat, & quicquid ab eis, qui post Baptismum acceptum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.*)

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Clingius in Summa doctr. Christ. tit. 67. pag. 205. *Baptismus, licet unius sit horæ, significantia tamen ejus per totam vitam durat.*

(Jam vero Sacramenta id efficiunt, quod significant. Ergo etiam efficacia Baptismi durat per totam vitam.)

Secundo, Bellarminus d. l. §. Quod objicitur &c. concedit, *Baptismo purgari peccata futura non immediatè, sed mediatè, quia videlicet qui baptizatus est, per gratiam, quam in Baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quæ postea facit, si eam petat, & præterea per Baptismi characterem jus habet ad Sacramentum pœnitentiæ, quo peccata etiam mortalia purgantur, quod Sacramentum percipere non possunt, qui Baptismo carent.*

(Concedit igitur, efficaciam Baptismi aliquo modo ad futurum se extendere.)

Tertio, idem Bellarminus d. l. §. Nota secundo &c. sic scribit: *Catholici hoc non dicunt*, (quod Chemnitius ipsis tribuit, videlicet, *non posse hominem etiam per veram pœnitentiam redire ad gratiam Baptismi & fœdus, quod Deus in Baptismo nobiscum pepigit,*) *fatemur enim, posse hominem redire per veram pœnitentiam ad gratiam & ad fœdus in Baptismo initum, hoc est, ut simus iterum filii Dei per gratiam, sed negamus, id fieri per eadem instrumenta fœderis, hoc est, per Baptismum aut ejus memoriam, sed per Sacramentum pœnitentiæ.*

(Si homo per veram pœnitentiam potest redire ad fœdus in Baptismo initum, utique fœdus illud ex parte Dei adhuc est inviolatum, & per consequens Baptismi efficacia etiam ad futurum se extendit.)

Quarto, Pontificii communi ferè suffragio docent, *Sacramenta Novi Test. longè majoris virtutis & efficaciæ esse, quam fuerunt Veteris Test. Sacramenta, ac Israëlitis Circumcisionem fuisse pro Baptismo*, (ut ostendimus artic. prox. præcedente.)

Jam vero fideles Israëlitæ ex Circumcisione, hoc est, ex fœdere Dei, in quod per Circumcisionem recepti fuerant, efficaces consolationes in Veteri Testam. petierunt, ut testantur exempla *Jonathæ* 1. Sam. 14. v. 6. & *Davidis* 1. Sam. 17. v. 26. Ergo etiam Christiani fideles ex Baptismo, id est, ex fœdere, in quod per Baptismum recepti sunt, efficaces consolationes petere possunt.

Quinto, Bellarminus d. l. resp. ad 3. argum. sic scribit: *Baptismus promittit salutem per Christum, & quicunque post quemcunque lapsum justificatur, per Christum justificatur.*

(Ex eo sic colligimus: Qui per Christum justificantur, fide, non operibus justificantur, teste tota Scriptura. Lapsi post Baptismum & ad Deum iterum conversi, per Christum justificantur. Ergo fide, non operibus justificantur. Ulterius, qui fide justificantur, illi respiciunt gratuitam promissionem de peccatorum remissione propter Christum, est enim perpetua relatio inter *promissionem & fidem*. Lapsi post Baptismum & ad Deum iterum conversi, fide justificantur. Ergo respiciunt gratuitam promissionem de peccatorum remissione propter Christum. Illa promissio in fœdere Baptismatis fuit obsignata, utique ergo fides respicit fœdus Baptismi.)

Sexto, fatentur, *hypocritarum Baptismum non esse iterandum.*

(At si efficacia Baptismi non extenderet se in futurum, nec ulla esset vis Baptismi, nisi in præsens, iterandus foret hypocritarum Baptismus.)

c. Nullus. dist. 4. de Consecrat. ex Augustino. *Nullus negat, habere Baptismum etiam Apostatas, quibus utique redeuntibus, & per pœnitentiam conversis, non redditur, quia amitti non posse judicatur.*

Dominicus Soto 4. sent. dist. 6. quæst. 1, art. 8. *Remota fictione per pœnitentiam Baptismus statim consequitur suum effectum.* *Probatur autoritate Augustini primo de Baptismo contra Donatistas capite duodecimo. Tunc enim, inquit, valere incipit Baptismus ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ in corde malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.*

Et paulo post. *Conclusio hæc omnium Doctorum est Universalis.*

Septimo, Gregor. de Valentia tom. 4. col. 1568. *Hæc explicatio*, (nempe Baptismum dici secundam post naufragium tabulam,) *commodior & planior mihi videtur, quam altera Thomæ & Soti, qui Baptismum potius comparant cum navi integra.*

(Si juxta Thomam & Sotum Baptismus rectius comparatur *navi integræ*, quam *secundæ post naufragium tabulæ*, utique Baptismi efficacia se extendit in futurum.)

CAPUT IV.

De Baptismi Speciebus; an Baptismus Johannis fuerit specie distinctum Sacramentum à Baptismo Christi?

THesis. Baptismus Johannis fuit Sacramentum divinitus institutum, ad remissionem peccatorum efficax.

Ἔκθεσις. 1. Per *Baptismum Johannis* intelligitur Baptismus ille, quem Johannes Baptista in Novo Test. etiam antequam Christus ab eo baptizaretur, aliis administravit. Denominatio ergo petita est non ab *instituente* sive *autore principali*, sed ab *administrante* sive *causa ministeriali*.

2. De eo quæritur, sitne idem specie Baptismus, ac idem specie Sacramentum cum Baptismo Christi, hoc est, cum eo, quem Christus per Apostolos tum ante, tum post resurrectionem suam administravit, ac per Ministros Ecclesiæ adhuc hodiè administrat?

3. Quæritur & hoc, an Baptismus Johannis cum Baptismo illo Christi eandem habuerit efficaciam?

4. Et per consequens, num sufficere alicui potuerit Baptismus Johannis, ita ut post illius perceptionem non fuerit Baptismus Christi ei omnino necessarius? quod nos affirmamus, Pontificii negant.

5. Interim tamen quæstionem hanc de Baptismo Johannis nequaquam dicimus, concernere articulum fidei, omnibus ad salutem scitu necessarium. Cum enim disputatio isthæc de Baptismo Johannis, utpote de Ceremonia temporis jamdudum præteriti & quidem exigui, non æquè sit necessaria, ut doctrina de Baptismo, quo nunc Ecclesia N. T. baptizat, ideo non sunt statim anathemate feriendi, qui de hac quæstione collatis Scripturæ sententiis paulo aliter, quam veteres quidam disputant, si id fiat salva veritate doctrinæ de pœnitentia, fide & pietate.

6. Quæstio est de identitate non *numerica* sed *specifica* an scilicet Baptismus Johannis sit idem specie Sacramentum cum Baptismo Christo. Quamvis enim sint distinctæ personæ, per quas Baptismus administratur, interim tamen manet unum Baptisma N. Test. Ephes. 4. v. 5. nimirum, quia unus est Dominus, qui per distinctos ministros hoc Sacramentum dispensat, una etiam fides & una Trinitatis invocatio, cum qua Baptismus administratur.

7. Quæstio est non de gradibus donorum cœlestium, sed de ipsis spiritualibus donis. Quamvis enim Baptismus Christi per Apostolos & alios in primitiva Ecclesia administratus, plurimum præstiterit Baptismo Johannis donorum Spiritus S. visibilium specie admiranda, ac donorum invisibilium copia & ubertate majori, cum post glorificationem Christi Evangelicæ lucis splendor magis effulserit, ex eo tamen inferri non potest, omnem omnino spiritualem efficaciam Baptismo Johannis denegandam. In externis quibusdam circumstantiis & gradu efficaciæ in donis spiritualibus inter Baptismum Christi & Apostolorum differentiam quandā agnoscimus, interim substantiale discrimen intercedere negamus. Patres quidam docuerunt, *Baptismum Johannis non contulisse Spiritum Sanctum, quod fecit Baptismus Christi.* Atqui idem de Apostolorum Baptismo ante resurrectionem Christi administrato, pronunciarunt. Ergo hoc non intelligendum *absolutè*, sed *comparatè*, non quod *in substantia*, sed tantum *in gradibus* efficaciæ distincti fuerint. Sic intelligenda sunt ea, quæ Maldonatus in cap. 5. Johann. v. 22. fatetur esse prolata de Baptismo Apostolorum ab Ammonio, Leone, Chrysostomo, Tertulliano & Ruperto. Accedit etiam aliud discrimen, quod Johannes baptizavit in mortem Christi futu-

futuram; Christi vero Baptismus post ejus resurrectionem administratus, collatus fuit in mortem Christi jam factam.

8. Quæstio non est simpliciter & absolute accipienda *de Baptismi susceptione* post Johannis Baptismum. Neque enim negamus, quosdam à Johanne baptizatos, à discipulis Christi Baptismum fortassis iterum percepisse Act. 2. v. 41. sed *de necessitate susceptionis*, an scilicet necessarium fuerit baptizatis à Johanne, denuo ab Apostolis Baptismum petere ac suscipere, ita ut sine illo regenerationis & salutis non potuerint fieri participes, quod negamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 7. de Bapt. can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Salmero tom. 4. p. 52. *Johannis Baptisma à Christi Baptismo fuit diversum, quia Johannes aperte se in aqua tantum baptizare ait.*

Et paulo ante pag. 19. *Differebat Baptismus Christi à Baptismo Johannis, non in materia, sed solum in forma & verbis; ex quo & in fructu gratiæ.*

Censura Coloniensis Dial. 7. pag. 259. *Johannis sola exteriori aqua abluit; Christus Dominus etiam intus corda purgavit, spirituali quodam suo nobilioreque Baptismate.*

Stapletonus in Promt. Cathol. Domin. 4. Advent. *Johannis Baptismus fuit infirmus, inefficax & nuda Ceremonia, adeoque toto genere distinctus à Baptismo Christi, utpote qui non conferebat gratiam, non dabat Spiritum Sanctum, non tribuebat remissionem peccatorum, sed ad hæc omnia præparabat, sicut totum ejus ministerium erat præparatorium.*

Gregorius de Valentia tom. 4. pag. 830. *Quod Baptismus Johannis non contulerit ipse gratiam & remissionem peccatorum, probatur ex verbis ipsius Baptistæ, dicentis: Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam, id est, excito vos & hortor ad pœnitentiam.*

Polygranus in assertionibus de Baptismo err. 1. *Johannis Baptisma tantum fuit corporalis ablutio in aqua.*

Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 19. *Est antiquus Petaliani Donatistæ error, Baptismum Johannis & Christi unum esse.*

Idem ad explicationem canonis Tridentini format tres propositiones, *1. Baptismus Johannis ab ipso Johanne institutus erat, proinde non erat Sacramentum novæ legis*, cap. 20.

2. Baptismus Johannis non habuit eandem vim & efficaciam, quam habet Baptismus Christi, cap. 21.

3. Post Baptismum Johannis necessario fuit percipiendus Baptismus Christi, cap. 22.

Costerus in Postill. pag. 120. verba Johannis, *Ego Baptizo aqua*; sic explicat: *Ego nihil facio, nisi quod aqua naturaliter facit*, pag. 119: *Baptismus meus est corporis ablutio, est expers gratiæ & remissionis peccatorum.*

Bartscius in Postill. Domin. 4. Advent. pag. 352. *Quia Baptismum Johannis Baptismo Christi æquat, præcipuam Novi Testamenti vim & energiam enervat.*

Nostram sententiam probamus hoc argumento generali: Qui Baptismus habet eandem *causam efficientem principalem*, eandem *materiam*, eandem *formam*, eandem *spiritualem efficaciam* cum Baptismo Christi, ille est idem Sacramentum, adeoque unus Baptismus cum Baptismo Christi, unitate scilicet non numerica sed specifica.

Sed Johannis Baptismus habuit 1. eandem *causam efficientem principalem* cum Baptismo Christi. Johannes enim dicitur à Deo missus *ad baptizandum in aqua* Johan. 1. v. 33. ac Baptisma ejus fuit *ex cœlo, non ex hominibus* Matth. 21. vers. 25. Marc. 11. v. 29. Luc. 20. v. 4. *factum est verbum Domini super Johannem, & venit prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* Luc. 3. v. 2. & 3. Baptismus ejus fuit *consilium Dei* Luc. 7. v. 30. ac Christus ipse Baptismum Johannis non tantum comprobavit, sed etiam sanctificavit, petens se ab eo baptizari Matt. 3. v. 13. quinimo tota SS. Trinitatis miranda θεοφανείᾳ eundem comprobavit v. 15.

2. Eandem *materiam* cum Baptismo Christi, quia Johannes baptizavit *aqua* Matth. 3. v. 11. Idem visibile Elementum usurparunt Apostoli in suo Baptismo Actor. 8. v. 36. cap. 10. v. 47.

3. Eandem *formam* cum Baptismo Christi. Johannes enim in administratione Baptismi sui illum invocavit, & in illius nomine Baptismum suum administravit, *qui misit eum ad baptizandum*, Johan. 1. v. 33. Is vero est unus verus Deus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Ergo Johannes baptizando in nomen veri Dei, à quo ad baptizandum missus fuit, baptizavit in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, sicque formula Baptismi à Johanne usurpata fuit eadem cum forma verborum, quam Christus Apostolis suis postea præscripsit. Præterea, Sacramenta sequuntur Naturam ejus doctrinæ, cujus sunt sigilla. Jam vero una atque eadem est doctrina Johannis & Apostolorum Christi. Quamvis enim post ascensionem Christi clarior doctrinæ lux & uberior donorum copia in Novo Testamento effulserit, tamen gradus distincti non variant ipsam speciem Ergo etiam unum administrarunt Baptismum. Ulterius, Apostoli etiam ante gloriosam Christi resurrectionem & ascensionem baptizarunt, Johan. 4. v. 2. & quidem eodem tempore, quo adhuc Baptismus Johannis durabat. Jam vero in Historia Evangelica itidem non commemoratur, quod Apostoli in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizaverint. Ecquis vero inde inferre velit, quod alia verborum forma usi fuerint? sed in quem & qua verborum forma baptizaverint, colligendum est ex doctrina, quam Christus eo tempore prædicavit. Idem de Baptismo Johannis statuendum. Quid quod discipuli Johannis ægre tulerint, Christum per Apostolos baptizare, ac proinde rem ad Præceptorem detulerint, Johan. 3. v. 26. At si alia Baptismi forma Christi discipulis fuisset usitata, næ eadem opera ad Præceptorem illud vel maxime retulissent, suæque querimoniæ speciem aliquam ex eo obduxissent. Denique, ubi iidem effectus, ibi eadem forma. Atqui in Baptismo Johannis & Christi iidem effectus, ut mox demonstrabitur. Ergo eadem forma.

4. Eandem *efficaciam* cum Baptismo Christi. Ut Apostoli baptizarunt *in remissionem peccatorum* Actor. 2. v. 38. c. 22. v. 16. ita quoque Johannes *prædicavit Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, Marc. 1. v. 4. Luc. 1. v. 3. ac Pharisæi per Baptismum Johannis in vera pœnitentia susceptum, potuissent *effugere venturam iram* Matth. 3. v. 7. Luc. 3. v. 7. Baptismus Johannis vocatur *consilium Dei*; non tantum *ratione causæ efficientis principalis*, sed etiam respectu *salutaris fructus & effectus*; quia Deus per Baptismum Johannis voluit homines in gratiam & vitam æternam recipere, Luc. 7. v. 30. ac Christus disertis verbis illi tribuit *regenerationem* & regni cœlestis apertionem Johan. 3. v. 5. Sicut per ministerium Johannis in docendo homines *viam salutis* edocti & peccatorum remissionem fide consecuti sunt, ita quoque per Baptismum Johannis eadem beneficia fuere ipsis collata, Luc. 1. v. 77. Apollos à Johanne baptizatus fuit *fervens Spiritu*, Actor. 18. v. 23. 24. Petrus à Johanne baptizatus, de Baptismo suo dicit, *Baptisma nos salvat*; Johan. 1. v. 37. cap. 4. v. 2. 1. Petr. 3. v. 21. Huic argumento principali conjungi potest alterum minus principale: Si Johannis Baptisma non fuit idem Sacramentum cum Baptismo Christi, consequens est, 1. alio Baptismo *caput*, puta Christum, alio vero *membra* fuisse usos. 2. Christum baptismatis sui susceptione non sanctificasse nostrum Baptismum. 3. non esse *unum* N. Testamenti *Baptisma*. 4. Baptistam non fuisse Novi Testamenti ἔξαρχον, nec gratiæ ex plenitudine Christi redundantis οἰκονόμον. 5. Apostolos à Johanne baptizatos, non suscepisse salutarem Baptismum, aut acceptum iterasse. 6. non omnes nos *in unum corpus baptizari*. At hæc omnia absurda: Ergo.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Baptismum Johannis fuisse à Deo institutum, (ac proinde eandem causam efficientem principalem cum Baptismo Christi habere.)

Lombardus lib. 4. sent. dist. 2. lit. E. *A Deo erat Baptismus Johannis, non ab homine tantum.*

Thomas part. 3. quæst 38. artic. 2. dicit, *ipsum ritum, quo Johannes baptizabat, fuisse à Deo.*

Johannes Ferus in cap. 21. Matth. *Baptismum Johannis nemo dubitat è cœlo fuisse. Sic enim prædictum fuit: Ecce ego mitto Angelum meum.*

Toletus in cap. 1. Johan. super verba, *Qui misit me, ut baptizarem &c.* Id est, *Deus, qui misit me, hoc tunc mihi signum dedit. Quasi diceret, si meo Baptismo datis fidem, & eum recepistis, tanquam à Deo, sciatis illum eundem, à quo missus sum baptizare, mihi hoc signum dedisse.*

Villagudus ibid. *Videamus Johannis humilitatem, non ingerit se huic officio. Non mea autoritate, ait, sed divina huc prodeo, nam misit me Deus.*

Salmero tom. 8. tract. 58. *Dici posset Baptismus Johannis esse Dei, quia à Deo institutus est & Johannes minister.*

Barradius tom. 3. Comment. in Concord. Evang. lib. 8. cap. 2.

cap. 2. *Quemadmodum Johannes à vobis facultatem baptizandi & docendi non postulavit, sed à Deo habuit: ita & ego facultatem faciendi hæc, quæ facio, à vobis non postulavi, sed habeo à Patre.*

Lucas Brugensis in cap. 21. Matth. *Tacitè dat hujusmodi responsum, se ea autoritate hæc gerere, quam Johannes, homo citra controversiam missus à Deo, ipsi attribuerat: autoritate, inquam, è cælis à Deo immediatè profectâ, quali & Johannes ipse fuerat usus.*

Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 23. in resp. ad 4. argum. scribit ex Hieronymo, *Christum ideo baptizari voluisse, ut confirmaret Baptismum Johannis tanquam bonum & Deo gratum.*

(At nihil potest esse bonum & Deo gratum, quod non est à Deo institutum.)

Jacobus Tirinus in cap. 1. Joh. v. 26. sic commentatur: *Ego baptizo in aqua. Rectè sentitis, Baptismum, qualem Prophetæ promiserunt, non pertinere, nisi ad tempus Christi, nec ego mihi talem Baptismum usurpo. Meus enim Baptismus, nisi à Deo mihi injunctus, exigui præ illo momenti est, non mundans ab inquinamentis animæ.* Utut Tirinus Baptismū Johannis extenuet, fateri tamen cogitur, illum fuisse à Deo Johanni injunctum, quod probat ex v. 33. illius capitis.)

2. Quod quidam agnoscunt, *Baptismum Johannis habuisse spiritualem efficaciam.*

Bellarminus lib. 1 de Bapt. cap. 19. *Baptismum Johannis fuisse Sacramentum, in Magistro sententiarum & Thoma est opinio quædam multum probabilis.*

(Si juxta Lombardum & Thomam Baptismus Johannis fuit Sacramentum propriè dictum, utique etiam habuit spiritualem efficaciam.)

lib. ejusd. cap. 21. §. 1. concedit, *Baptismum Johannis potuisse remittere peccata ex devotione & fide accedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & Baptismo Johannis.*

(Atqui, si prædicatio & Baptismus Johannis fuit efficax ad contritionem, utique etiam ex hypothesi Bellarmini fuit efficax ad justificationem ac salutem. Disputat enim Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 12 *contritionem esse causam remissionis.* Et cap 13. *contritionem cum voto Sacramenti purgare peccata.*)

Utimur etiam hoc argumento: Si Baptismus Johannis omni spirituali efficacia destitutus fuit, consequens erit, *aquam lustralem* majorem vim habere, quam Baptismus Johannis habuit. Ratio consequentiæ est, quia de aqua lustrali dicit Alexander I. in c. Aquam sale. de consecrat. dist. 3. *quod populum sanctificet, mundet, expurget.*

Discipulus de Temp. serm. 110. *quod valeat in deletionem venialium peccatorum.*

Bellarminus lib. 3. de Cult. Sanct. cap. 7. *quod habeat vim delendi venialia peccata, & fugandi Dæmones ac curandi morbos.*

At consequens est absurdum, & vix poterit à Pontificiis concedi, præsertim ab illis, qui agnoscunt, *Baptismum Johannis fuisse Sacramentum à Deo institutum.*

Maldonatus tom. 1. de Sacrament. pag. 41. *Baptismum Johannis eundem fuisse cum Christi Baptismo quidam pugnant, etiam Catholici.*

3. Quod quidam agnoscunt, *baptizatos à Johanne non debuisse necessariò percipere Baptismum Christi.*

(Ergo Baptismus Johannis illis fuit sufficiens ad regenerationem & salutem.)

Lombardus 4. sent. dist. 2. distinguit *duo genera baptizatorum à Johanne*, Unum eorum, *qui sic baptizabantur à Johanne, ut spem ponerent in eo Baptismo, & non haberent notitiam Spiritus Sancti, & hos fatetur baptizandos fuisse Baptismo Christi.* Alterum eorum, *qui baptizabantur à Johanne, sed non ponebant spem in eo Baptismo, & habebant notitiam Spiritus Sancti, & hos dicit non fuisse necessarium baptizari Baptismo Christi.*

4. Quod agnoscunt, *Christum ideo baptizari voluisse, ut Ecclesiæ Baptismum consecraret & in eum finem aquas purgaret.*

(Utique ergo non suscepit Baptismum toto genere à nostro diversum. Proinde sic colligimus: Baptismus, quem Christus suscepit, non est toto genere à nostro diversus. Ratio est, quia Christus ideo baptizatus est, ut nostrum Baptismum consecraret. Atqui Baptismus, quem Christus suscepit, fuit Baptismus Johannis. Ergo Baptismus Johannis non est toto genere à nostro Baptismo diversus.)

Thomas in Catena Matth. 3. *Chrysostomus super Matth. Non ut ipse remissionem peccatorum acciperet per Baptismum, sed ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis. Augustinus. Salvator enim ideo baptizari voluit, ut non sibi munditiem acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret.*

Johannes Ferus in cap. 3. Matt. *Christus baptizari voluit, ut tactu sui corporis aquas purgaret ac ordinaret in regenerationis signum, ut deinceps quisquis in nomine ejus baptizaretur, à peccatis liberaretur, eique cœlum pateret.*

Franciscus Lucas Brugensis in annot. Matth. 3. v. 15. inter causas suscepti à Christo Baptismi etiam hanc refert, *ut Johannis Baptismum, cui aliqui detrahebant, probaret; ut ad Baptismum, quem ipse, Johannis Baptismo nihil forma dissimilem* (nota, nihil forma dissimilem) *instituere decreverat, omnes invitaret; ut qui novam Christianorum Rempublicam condere statuerat, cui quotquot adscriberentur, non nisi baptizati adscriberentur, esset & ipse Princeps baptizatus, nec dissimilis esset fratribus Baptismo, qui per omnia, peccato excepto, similis factus fuerat &c. ut nobis æternæ salutis lavacrum consecraret, ut contactu vivifica ac peccati nescia carnis ipsius, aquæ ununudatæ & sanctificatæ Baptismi jus induerent, & idoneæ deinde ad regenerandum ac baptizandorum peccata abluendum forent, ut per ea, quæ dum baptizatur ipse, contingerent visibiliter, significaret, quid invisibiliter iis futurum esset, qui ipsius Baptismo baptizandi essent.*

5. Quod opinionibus de Baptismo Johannis & Scholastici & recentiores Pontificii plurimum discrepent.

Primo, Lombardus *duo genera baptizatorum* à Johanne distinguit, uti modo vidimus. Sed Bellarminus hanc Lombardi opinionem vocat *irrationabilem & multum improbabilem.*

Secundo, idem Lombardus & quidam ex Scholasticis docent, *Baptismum Johannis fuisse Sacramentum quoddam, qualia erant Sacramenta veteris legis.* Sed Bellarminus hanc opinionem vocat *erroneam*, ac statuit, *Baptismum Johannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potius ad novam, ut præparationem quandam ad Christi Baptismum.*

Tertio, Lombardus, Alexander Alensis, Petrus de Palude, Thomas 4. sent. dist. 2. Hugo de S. Victore de Sacrament. lib. 2. part. 6. cap. 6. statuunt, *quod Johannes hanc formam habuerit: Ego te baptizo in nomine venturi.*

Durandus dicit, *quod Baptista nullam habuerit formam.*

Scotus & Biel statuunt, *utramque opinionem esse probabilem.*

Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 29. sequitur Durandum. Hunc dissensum fatetur Sanctius in cap. 19. Actor. n. 2. f. 329.

Quarto, Biel lib. 4. sent. dist. 2. q. 2. art. 3. dub. 1. *propter tres causas Johannis Baptismum institutum fuisse* dicit, *1. Ad figurandum Baptisma Christi. 2. Ad præparandum populum ad Christi Baptismum, ut eum non horrerent.*

3. Ad consecrandam materiam Baptismi Christi.

Alensis addit. 4. *ut Judæi revocarentur à Circumcisione.*

Bellarminus dicit, *fuisse provocationem ad pœnitentiam.*

Quinto, Alex. Alensis statuit, *mulieribus non convenisse Baptismum Johannis, ne scilicet in concursu populi nudarentur.* (Quod minus congruit verbis Evangelistæ Matth. 3. v. 5. *Omnis regio ad Jordanem exivit ad Johannem, ut baptizaretur.* Nec opus fuit totali nudatione ad Baptismum.)

Sexto, Lombardus statuit, *Baptismum Iohannis fuisse à Deo*, ut ostendimus membro 1. Sed Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 20. statuit contrarium. Sequitur hac in parte Bielem, qui lib. 4. sent. dist. 2. quæst. 2. statuit, *Iohannem fuisse autorem totius quod agebatur per suum Baptisma.*

Argum. Bellarm. *1. Vocatur Baptismus Iohannis. Ergo fuit ab homine tantum, videlicet ab ipso Iohanne institutus, & per consequ. non est Sacramentum novæ legis, quia nullus homo purus potest instituere Sacramenta novæ legis.*

Resp. ex Cornelio à Lapide in Comm. Rom. 2. v. 16. *Paulus Evangelium vocat suum, quia illud prædicabat edoctus à Christo.*

(Ita quoque *Baptismus Iohannis* sic vocatur, quia eum administrabat edoctus à Christo. Sic *lex Mosis* vocatur, non cujus autor solus vel summus erat Moses, sed quam Deo autore promulgaverat.)

Argum. 2. *Baptisma Iohannis non habuit invocationem Trinitatis, ac probabile est, quod Iohannes nulla verborum forma usus fuerit.*

Resp. 1. Ostendimus paulo ante, Alexandrum Alensem, Thomam, Paludanum &c. statuere, *quod Iohannes hac forma fuerit usus: Ego te baptizo in nomine venturi.*

Eccius Homil. 7. de Sacramentis. *Quæras, qua forma sit usus Iohannes in baptizando? Ea sane, qua dixit: Ego te baptizo in nomine venturi. Id adeo ex Paulo colligimus, qui ait, Iohannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus est post ipsum, ut crederent.*

(Jam

(Jam vero nomen *venturi*, id est, Christi, complectitur omnes tres personas Deitatis, videlicet *Patrem*, qui unxit Filium *oleo lætitiæ præ consortibus*, Psalm. 45. v. 8. *Filium*, cui Pater *dedit Spiritum non ad mensuram*, Joh. 3. v. 34. & *Spiritum Sanctum*, qui est ipsa unctio, 1. Johan. 2. v. 27. Lombardus 4. sent. dist. 3. lit. B. *Cum Christum dicis, & Pater, a quo unctus est, intelligitur, & ipse, qui unctus est, & Spiritus S. per quem unctus est.* Ergo qui in nomen *venturi*, id est, Christi baptizat, Patrem ungentem, & Spiritum, qui est unctio, neutiquam excludit. Quid quod Papa Nicolaus I. pronunciavit, *verum ac legitimum esse Baptismum, qui in solius Christi expressum nomen datus est, cum institutio Christi non de vocibus, sed de rebus sit intelligenda*; quanto verius hoc erit de Baptismo Johannis ante traditam expressam formã usurpato?)

2. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 6. cap. 6. ex Act. 19. colligit, *Johannem baptizasse in nomine venturi Messiæ.*

(Nomen Messiæ itidem includit *Patrem* ungentem, *Filium* unctum, & *Spiritum Sanctum*, ipsum unguentum.)

3. Nomen *Messiæ & Christi ac Domini Jesu* omnino idem est. Jam vero de phrasi *baptizare in nomine Domini* Bellarminus sic differit lib. de Bapt. c. 3. *Potest intelligi in fide Domini Jesu, vel autoritate Domini Jesu, vel Baptismo à Christo instituto, vel deniq; in nomine Domini Jesu, sed non solius, verũ adjuncto Patre & Spiritu Sancto.*

(Sic hæc explicatio locum habet in Baptismo ab Apostolis administrato Actor. 2. v. 38. cap. 8. v. 12. cap. 19. v. 5. cur non etiam in Baptismo à Johanne administrato?)

4. Lombardus lib. 4. sent. dist. 3. lit. G. sic differit: *Si quæritur, in qua forma tunc, ante Christi resurrectionem, baptizarunt Apostoli, sane dici potest, in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma, in qua postea baptizarunt gentes, quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum.*

(Ut ergo non licet inferre, In Historia Evangelica non commemoratur, quod Apostoli ante resurrectionem Christi baptizarint in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Ergo alia verborum forma fuere usi, quam post Christi resurrectionem, vel nulla forma verborum usi fuere. Ita quoque de Johannis Baptismo idem inferri nequit.)

Argum. 3. *Johannes nihil docuit de passione & merito Christi. Ergo ex ejus doctrina probari nequit, quod Baptismus ipsius fuerit Novi Testamenti Sacramentum idem cum Christi Baptismo.*

Resp. 1. ex Thoma 2. 2. q. 2. art. 7. *Non est credendum, quod ignoraverit Johannes Christum ad passionem venturũ, ipse enim dixerat: Ecce Agnus Dei, pronuntians immolationem futuram.*

2. ex Cornelio Jansenio in cap. 16. Concord. Evang. pag. 137. *Vocans Johannes Christum Agnum, qui tollit peccata, respexit ad agnos legales, qui pro peccatis hominum offerebantur &c. Dicitur ergo Christus Agnus propter summam suam mansuetudinem & innocentiam, ac voluntariam ad mortem obedientiam. Dei vero Agnus dicitur, sive quia à Deo Patre traditus in oblationem pro peccatis nostris, sive quia Agnus divinus propter ejus divinitatem, aut quia Deo deputatus ad oblationem, ut distingueretur ab agnis prophanis.*

3. Pererius Disp. 46. in 1. cap. Johannis pag. 125. *Christus dicitur Agnus ob septem causas, Primo, ob incomparabilem ejus puritatē & innocentiam, 1. Pet. 1. Secundo, propter admirabilem ejus patientiam & mansuetudinem, Es. 53. 1. Petr. 2. Tertio, quia in cruce immolatus & mactatus est pro salute hominum, 1. Petr. 2. Quarto, quoniam Christi perquam insignis atque illustris figura fuit agnus ille paschalis, cujus sanguis foribus Hebræorum aspersus servavit eos à cæde primogenitorum, Exo. 12. Quinto, secundum legem Mosaicam in leprosi mundatione & parientis mulieris purificatione immolabatur agnus, in celebrioribus etiam festis Judæis plures semper agni, quam aliæ pecudes offerebantur. Sexto, celeberrimum illud & religiosissimum apud Judæos, quod vocabatur, juge sacrificium, duplici constabat agni immolatione, & altera fiebat manè, altera vero vesperi. Septimo Johannes Baptista Christum appellavit Agnum, secutus morem veterum Prophetarum, Esa. 16. & 53. Jerem. 11. &c.*

4. Toletus in cap. 1. Joh. annot. 67. pag. 136. super verba, Ecce Agnus Dei &c. *His verbis insinuat Johannes, Christum sua morte mundum à peccato liberaturum, agnum enim vocans, sacrificium mortis ejus prænunciavit, ut recte Origenes Homil 24. in Numer & Chrysostomus Homil. 37. in Matth. dixerunt.*

Et postea. *Dicens, Agnus ille Dei tollens peccatum mundi, tacitè insinuat sacrificiorum omnium antiquorum insufficientiam, & inefficaciam, quæ peccata tollere non valebant Hic Agnus est, qui verè tollit, quibus verbis Christum sua morte totius mundi Redemtorem esse prædicat, sicut figuratum in lege & per Prophetas prædictum erat.*

5. Similia occurrunt apud Johann. Ferum, Salmeronem, Barradium, Maldonatum & alios in Commentar. illius loci.

6. Franc. Lucas Brugensis in cap. 1. Marci sic commentatur: *Initium Evangelii Iesu, scilicet hujusmodi fuit, sic se habuit, tale fuit, quale sequitur. Nam lex & Prophetæ usque ad Iohannem, à Iohanne autem incipit Evangelium regni cœlorum. Docet itaque Evangelista, Evangelii initium fuisse pœnitentiæ denunciationem, à Iohanne Baptista præcone factam.*

(Si Ministerium Johannis pertinet ad Novum Testamentum, utique etiam Baptismus Johannis pertinuit ad Novum Testamentum.)

Argum. 4. *Iohannes erat præcursor Christi, & solum ad hoc venerat, ut pararet ejus vias. At certè parare viam Salvatori non est dare salutem & justificationem, sed disponere ad recipiendum Salvatorem & salutem.* Bellarmin. de Bapt. cap. 21. §. ult.

Resp. Bellarminus lib. 1. de Justificat. cap. 21. §. Denique &c. sic scribit: *Nemo negat, quin Iohannes efficacissime prædicaverit & converterit plurimos ad Deum.*

(Atqui, si Johannes efficacissima prædicatione plurimos ad Deum convertit, utique etiam plurimis salutem dedit, scilicet ἐνεργητικῶς, & per conseq. ex eo, quod *viam Domino parasse* dicitur, inferri nequit, quod ejus Baptismus fuerit tantum præparatio quædam ad salutem, non autem efficax medium salutis & gratiæ.)

Argum. 5. Matth. 3. v. 5. *Tunc exibat ad eum* (Johannem Baptistam) *Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem*, v. 6. *Et baptizabantur ab eo &c. Itaque rari admodum erant eo tempore non baptizati à Iohanne. At ipso die Pentecostes baptizati sunt tria millia, & paulo post quinque, præter eos, quos Philippus baptizavit & alii discipuli in variis Iudæ & Samariæ locis, Actor. 2. v. 41. cap. 4. v. 4. Ergo necesse est multos à Iohanne baptizatos, iterum ab Apostolis baptizatos fuisse.* Bellarminus. d. l.

Resp. In verbis Evangelistarum ipsimet Pontificii Interpretes *Synecdochen* agnoscunt.

Lyranus in cap. 3. Matth. *Id est, multi de illa regione & de Hierosolymis. Et est hyperbolica locutio, sicut in communi modo loquendi dicitur de aliquo spectaculo, tota civitas vadit ad tale spectaculum, licet aliquando major pars populi non vadat.*

Dionysius Carthusianus ibid. *Omnis Iudææ regio, id est, omnes habitantes in regione Iudæorum, hoc est, quidam de omnibus. Et Hierosolymitæ universi, id est, habitatores Ierusalem. Ista distributio intelligenda est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut sit hyperbolica locutio, juxta quem modum ait Apostolus, Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*

Cajetanus ibid. *Et est sensus, non quod omnes egredientes, ad eum audiendum, baptizarentur, multi enim non receperunt ejus baptismum, sed quod omnes egredientes, ad suscipiendum Baptisma, baptizabantur, non à discipulis Iohannis, sed ab illo.*

Cornelius Jansenius in cap. 13. Concord. *Factum statim, ut omnis Iudæa, id est, maxima pars hominum totam Iudæam inhabitantium, & regionem universam, quæ erat circa Iordanem, & universi, hoc est plerique Hierosolymitæ ex omni ætate, conditione & sexu ad eum convenirent, Baptismumque ab eo susciperent.*

Salmero ibidem. *Per Hierosolymam intellige magnam ejus partem, sed non omnem.*

Emanuel Sa ibidem. *Utitur Scriptura modo loquendi vulgari. Sic solemus dicere: Tota civitas concurrit id est, maxima pars civium.*

(Adde, quod non sit consequens; Quidam à Johanne baptizati, susceperunt Baptismum ab Apostolis. Ergo omnibus à Joh. baptizatis necessariũ fuit Baptismũ ab Apostolis suscipere.)

Arg. 6. Act. 19. v. 5. *baptizati à Iohanne iterum fuere baptizati ab Apostolo. Ergo post Iohannis Baptismũ necessario fuit adhuc percipiendus Christi Baptismus, & per conseq. non fuit perfectus Baptismus.*

Resp. 1. Lombardus lib. 4. sent. dist. 2. lit. F. ex Ambrosio lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. docet, *illos non fuisse proprie rebaptizatos, sed recepisse verum Baptisma, illosque, qui Patrem, Filium & Spiritum Sanctum credebant, Iohannis tamen Baptismo baptizati fuerunt, non post baptizatos fuisse, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum Sanctum recepisse.*

(Eulogius Patriarcha Alexandrinus contra Novatianos scribens, apud Photium in Biblioth. p. 280. ostendit *Baptisma Iohannis perfectum, nec iterandũ fuisse.* Objiciebant, *Petrum ante lapsum & pœnitentiam suam non fuisse perfectè baptizatum, cum tamē Iohan. Baptismum suscepisset. Sed, inquit, contra illos asserere oportet, Iohannis etiam tunc perfectum fuisse Baptisma, ac postea imperfectum fuisse postquam Salvator modum bapti zandi suis tradens discipulis, dixit: Euntes docete omnes gentes &c. Quando igitur mysticum hoc Baptisma traditum fuit, tunc Iohannis Baptismus cessavit, & qui sic postea baptizarunt, imperfecte baptizarunt,*

Domini traditionem contemnentes. *Prius verò perfectum fuit, idq; ostenditur, quia illos, quos Johannes baptizavit, iterum baptizatos fuisse, nullibi legitur. Jesus,* inquit, *neminem baptizavit, sed ejus discipuli, unde rursus apparet, perfectum fuisse. Dehinc, quia Salvator eo baptismo non est dedignatus baptizari, ostendit, perfectum fuisse Johannis Baptisma, ipse, ut constat, purificatione non indigens, sed factus purificatio aquarum & sanctificatio & perfectio iis, qui tunc baptizabantur.* Ibidem affert duo alia argumenta. CHRISTUS *Petrum & alios discipulos Johannis Baptismo baptizatos, tempore passionis tremendis Sacramentis dignatus est, non communicaturus illis immaculati corporis & sanguinis* (mysteria,) *nisi perfectum Johannis Baptisma largitus fuisset. Sed & cum Petrus recusavit lavari pedes, audit Salvatorem, dicentem: Qui lotus est, non indiget &c. Unde qui Johannis baptismate suo tempore baptizatus erat, secundo Baptismate non indiguisse ostenditur, & facultatem habuisse, illo tempore baptizatos reddere mundos.* Cyrillus Hierosol. Catech. 3. *de Johanne Baptista pronunciat, eum virum magnum esse debuisse, quia primus gratiæ Minister,* per Baptismum conferendæ, *erat futurus. Cum enim, inquit, magna sit gratia Baptismi,* ἰδεῖ ϛ μεγάλυ πϱοςάτυ, *magno quoq; Præsule egebat. Medicamentum apponebat & credentes liberabat ab igne æterno.*)

2. Plerique Pontificii statuunt, Baptismum illum, quem Apostoli ante mortem Christi administrarunt, fuisse eundem cum Baptismo, quem post Christi mortem administrarunt. Utrumque scilicet fuisse Baptismum Christi, & à Johannis Baptismo distinctum. Atqui etiam illi, qui ab Apostolis ante mortem Christi baptizati, fuerunt post mortem Christi denuò baptizati. Ergò ex renovato Baptismo eorum, qui à Johanne baptizati, non potest evinci diversitas Baptismi Johannis & Christi. Assumtum probo. Dominicus à Soto in 4. sent. dist. 5. art. 2. hasce ponit assertiones: Primò, *quod Apostoli tenebantur post ascensionem Christi baptizari.* Secundò, *Christum tamen potuisse dispensare, ne illi baptizarentur.* Tertiò, *probabilius longè esse, imò ferè certum, fuisse baptizatos,* sed quomodo & quando, nescit, putat tamen, *se mutuò baptizasse.* Atqui, si ipsi Apostoli, qui à Johanne baptizati sunt, post mortem Christi rebaptizari debuerunt, tum certè rebaptizari oportuit eos, qui ab illis sunt baptizati.

3. Quod si dicant, *baptizatos ab Apostolis ante Christi passionem, non debuisse rebaptizari,* sic concludimus: *Christus non baptizavit,* scilicet immediatè, in persona propria Joh. 4. vers. 2. Ergò Apostoli à nemine potuerunt baptizari, qui meliorem Baptismum habuit, quam Johannes. Qui verò non nisi Baptismum Johannis habuerunt, illi juxta ipsorum hypothesin non potuerunt Christi Baptismum conferre. At Apostoli, ut vult Bellarminus & alii, Christi Baptismum contulerunt, nec debuerunt ab illis baptizati rebaptizari. Ergò idem Christi & Johannis Baptismus fuit.

Argum. 7. *Baptismus Christi vix potest ipsi Christo tribui sine ejus injuria. Cum enim sit lavacrum regenerationis & adoptionis filiorum, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse regeneratione & adoptione filiorum Dei, quæ est maxima in Christum blasphemia, cum sit Filius Dei naturalis, & ab ipsa conceptione sanctissimus.* Bellarm. lib. de Bapt. cap. 23. resp. ad 3. arg. &c.

Resp. 1. Circumcisio fuit *Sacramentum regenerationis*, ut multi ex Pontificiis agnoscunt. Nihilo tamen minus Christus eandem Circumcisionem suscepit.

2. Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 23. §. 4. sic scribit: *Johannis Baptismus vocatur Baptismus pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam provocabat.*

(Ex hac hypothesi eadem ratione inferri posset, Baptismũ Johannis Christo sine ejus injuria tribui non posse. Cum enim sit provocatio ad Pœnitentiam, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse pœnitentia, quæ est maxima in Christum blasphemia, cum sit sanctissimus ille, qui non novit peccatũ. Quicquid Bellarminus huic ratiocinationi responderit, etiam suæ responsum statuat.

Chrysostomus Homil. 12. in Matth. *Quia enim erat Baptisma pœnitentiæ, & in accusationem peccatorum inducebat, ne quis putaret, ipsum etiam cum tali proposito ad Jordanem venire. præmunivit hoc, tum vocando illum agnum, tum redemtorem omnium in toto orbe peccatorum &c.*)

3. Pontificii plerique omnes statuunt, *Christum eandem nobiscum Eucharistiam accepisse*, ut in Appendice seq. articuli membr. 3. ostendimus. Absurdum ergò non est, ipsum etiam nobiscum unum Baptisma suscepisse.

Argum. 8. *Baptismus Johannis vocatur Baptismus pœnitentiæ Matth. 3. v. 11. Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3. quia provocavit ad pœnitentiam: Christi autem Baptismus supposuit pœnitentiam, tanquam præeuntem, contrario nempe modo, ac remissio peccatorum non fuit immediatus & proximus effectus Baptismi Johannis, sed pœnitentiæ.*

Resp. Cornelius Jansenius in cap. 13. Concord. super verba Matth. 3. *Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua,* sic commentatur: *Quem verè pœnitet suorum peccatorum, quiq; tenetur desiderio remissionis eorundem nihil veretur ea exponere ei, per quem sperat se optatam consequi posse vel consolationem, vel remissionem, non minus quàm ægrotus morbum suum detegere ei, à quo se sperat obtinere posse desideratam salutem.*

(Ergò etiam Johannis Baptismo præmissa fuit peccatorum confessio, quam contritio essentialis pars pœnitentiæ præcedit.)

Argum. 9 Matth. 3. v. 11. *Johannes dicit, sese baptizare aqua, Christum verò Spiritu Sancto & igni. Ergò Baptismus Johannis non contulit gratiam & Spiritum S.*

Resp. 1. Per *Spiritum Sanctum & ignem* non omnis Spiritus Sancti gratia de Johannis Baptismo negatur, sed *gratia miraculosa,* seu *gratis data,* quam vocant, ut manifestissimum est ex loco parallelo Actor. 1. vers. 4. & 5. quem Lyranus, Lorinus, Estius, Cornelius à Lapide in Comm. de *Baptismo flaminis* exponunt. Eodem modo exponunt Toletus in cap. 3. Lucæ, annot. 35. Altensteig in Lexico in voce Baptismus. Confer Act. 11. v. 16.

2. Si ex eo, quod Johannes dicit, *se baptizare in aqua, Christum verò baptizaturum Spiritu Sancto,* inferri posset, Johannem in sola aqua sine Spiritu S. baptizare, consequens fuerit ex vi oppositionis, *Christum solo Spiritu sine aqua baptizare.* At conseq. hoc Pontificii non concedunt.

3. Durandus in 4. sent dist. 2. q. 4. sic scribit: *Si quis diligenter advertet Scripturæ testimonia, intelliget, Johannem loqui de missione Spiritus Sancti facta in specie ignis in die Pentecostes.*

Cornelius Jansenius in Conc. Evang. cap. 13. ait, *Johannem in loco parallelo cap. 1. v. 33. potissimum locutum esse de eo Baptismo Spiritus, quo per visibilem missionem Spiritus primum Apostolos, deinde & alios plerosq; credentes Christus baptizavit,* idque probat ex eo, *quia Christus Act. 1. promittens Spiritum S. Apostolis, Johannis verba repetit.*

Argum. 10. *Patres derogant Baptismo Johannis spiritualem efficaciam.*

Resp. 1. Ex Bellarmino lib. 1. de Bapt. cap. 21. §. 1. *Quidam Patrum, ut Basilius lib. 1. de Bapt. cap. 2. & frater Basilii Gregorius Nyssenus in orat. de laudibus Basilii, & Autor quæstionum Novi Test. quæst. 29. in tom. 4. oper. August. verba Marc. 1. prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sic acceperunt, quod Baptismus Johannis peccata remiserit ex fide & devotione accedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & Baptismo Johannis. Et ipse Augustinus lib. 5. de Baptism. cap. 10. licet existimet, illa verba aliter accipienda, tamen non existimat contentiosius resistendum iis, qui docent, Baptismum Johannis aliquo modo remisisse peccata, modò fateantur, magnum esse discrimen inter Baptismum Johannis & Baptismum Christi.*

2. Ex eod. Bellarmino, quod non recipiat Patrum de hac quæstione sententiam.

Ambrosius lib. 1. de Spiritu S. cap. 3. & Hieronymus in c. 2. Joëlis docent, *Johannem in suo Baptismo usum forma quadam verborum, nimir. in nomine venturi Messiæ.*

Sed Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 20. §. Secundo &c. dicit, *hoc non esse verum.*

Idem Ambrosius d. l. & in cap. 3. Galat. disputat, *duodecim illos viros, qui negabant, se scire Spiritum Sanctum Actor. 19. non fuisse vero Johannis Baptismo baptizatos, sed adulterinum aliquod & corruptum Baptisma sine nomine Spiritus Sancti accepisse.* Hoc Bellarminus ibidem repudiat.

3. Ut Jesuitæ rejiciunt Patrum illorum autoritatem, qui negant, *discipulos ante Christi resurrectionem ejus aut Johannis Baptismo fuisse baptizatos;* (Lorinus in Act. 1. vers. 5. cum Cano & Henriquez rejicit Rupertum, Chrysostomum, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Bernhardum, Fulgentium, Bedam &c.) ita quoque nobis integrum est à Patrum quorundam autoritate in hac quæstione discedere.

APPEN-

APPENDIX HUJUS ARTICULI,

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ERRONEAS & absurdas Adversariorum complectens.

I. *Querelæ.*

1. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, *quod Baptismum in quovis liquore fieri posse autument.*

Resp. 1. De Victore I. testatur Platina, *quod quamvis materiam admiserit.*

2. De Innocentio VIII. scribit Volaterranus lib. 7. Geogr. *quod in Eucharistia usum alterius liquoris pro vino permiserit in Norvegis, ubi vinum non provenit, nec diu conservari potest.*

(At si licet uti alio liquore loco vini *in Eucharistia*, utiq; etiam licebit alio liquore uti loco aquæ in *Baptismo*.)

3. Guido de monte Rocherii in Manip. Curat. de Bapt. c. 2. *In lixivio, si aqua inveniri non possit, posset fieri Baptismus, cum lixivium nihil aliud sit, quam aqua colata per cineres. Et propter eandem rationem dicunt Doctores aliqui, quod in urina propter defectum aquæ posset baptizari, quod non credo verum, quia urina non est aqua, sed humor resolutus à cibis comestis. Et idem dico de saliva. Sed nonne in brodio* (jure) *carnium posset fieri Baptismus, ubi alia aqua inveniri non posset? Dicendum, quod aut tanta resolutio carnium est facta in illo jure, quod desiit esse species aquæ, & est alia species de novo generata, & tunc non potest fieri Baptismus; aut non est ibi tanta resolutio carnium facta, & tunc fieri potest & in tali jure baptizari. Idem dico de luto, si scilicet aqua exprimatur ex illo, in aqua illa expressa posset fieri Baptismus.*

4. Richardus lib. 4. sent. dist. 3. art. 3. q. 3. *In aqua paludosa posset fieri Baptismus.*

5. Toletus lib. 2. de Casib. conscient. c. 18. *Potest esse Baptismus in lixivio, brodio carnium vel piscium, quando non est notabilis mixtio, ut aqua non sit. Potest etiam esse aqua expressa à luto, si qua exprimatur, licet sit cum terra. Similiter in aqua sulphurea.*

6. Fabius Incarnatus Theologus Neapolitanus in Scrutin. Sacerd. tr. de Bapt. *In casu necessitatis Baptismus fieri potest in lixivio, in aqua lutosa, sed colata, in aqua pluviali & resoluta ex nive, glacie, rore vel pruina, similiter in brodio depurato & non multum spisso, & in aqua sulphurea sive balnei.*

7. Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 4. cap. 1. q. 1. col. 760. *lixivio aut jusculo carnium baptizari posse.*

8. Josephus Angles in 4. sent. quæst. de essent. Euchar. art. 3. dicit, *Cajetani opinionem fuisse, posse fieri consecrationem in quocunque pane usuario, ita quod si castanaceus panis sit in usu alicui provinciæ, poterit in illo fieri consecratio. Nam dicit, materiam esse panem absolute dictum.*

(Juxta hanc hypothesin etiam in pane ex torrefactis piscibus parato, cujus apud Septentrionales populos usus est, posset celebrari Eucharistia. At si in Eucharistia licet uti alio externo Elemento, utique etiam in Baptismo, qui magis est necessarius.)

9. Apud Nicephorum lib. 3. Hist. Eccl. cap. 37. extat Historia *de Judæo Catechumeno, qui in deserto morbo laborans, comites suos cogebat, ut in aquæ defectu sabulo eum baptizarent, quod eo successu factum fuit, ut miraculosa sanatio subsequeretur.*

Baronius hac Historia recitata, subjungit tom. 1. Annal. ann. 181. n. 1. *Utcunque se res habuerit, fides sit penes autorem.*

(Sed si verum est, rectius in defectu aquæ baptizaretur alio aliquo liquore, quam sabulo.)

2. Conqueruntur, *Superstitionis in doctrina & administratione Baptismi se à nostris accusari.*

Resp. 1. Superstitionis eos convincimus *ex Baptismo campanarum*, de quo paulò post.

2. Anglo-Rhemenses annot. Jac. 5. sect. 5. commendant *reservationem aquæ Baptismi*, & volunt, *ut domum comportetur ad bibendum contra morbos ægrotantibus.*

(Cui contrarium est, quod Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 3. concedit solummodo *reservationem Eucharistiæ, quæ saltem remanet Sacramentum post ejus usum.*)

3. Bellarminus lib. 4. de Pontific. cap. 12. §. Vel igitur &c. per calumniam Pontificiis tribui conqueritur, *quod baptizent campanas.*

Bailius in Catech. Controvers. tract. 2. quæst. 17. *Adversarii de campanarum Baptismo loquentes, in risum solvuntur. Non est Baptismus, qui sit Sacramentum. Tantum est impositio nominis, sanctis cum Ceremoniis ac benedictione conjuncta. Vulgus indoctum Baptismum appellavit, quod benedictionem vocare debebat. Nec unquam alio, quam benedictionis titulo Ecclesia eam insignivit.*

Similia occurrunt apud Hosium lib. 4. de Catholica Ecclesia pag. 649. Tannerum in Dioptr. lib. 2. quæst. 4. cap. 20. pag. 496.

Resp. 1. Discipulus de Tempore serm. 17. de Sanctis, *campanas & alias res inanimatas baptizari* dicit, *cum hoc effectu, ut sint immunes à potestate Satanæ, terreant Dæmones, coerceant potestates.*

2. Proceres Imperii in Gravaminibus suis Anno 1523. Legato Pontificis oblatis, grav. 51. sic loquuntur: *Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi & nullus alius Sacerdos, Laicis campanas baptizent. Credunt deinde simpliciores ita affirmantibus Suffraganeis, tales campanas baptizatas pellere Dæmones & tempestates. Quapropter innumeri plerunque adhibentur compatres, præcipue vero, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana religata est, tangunt, ac Suffraganeo præcinente, quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet, omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque nova, quemadmodum & Christianis fieri solet, campana induitur, inde ad sumtuosa properatur convivia, quibus præcipue compatres, ut eò largius numera offerant, adhibentur, nec non Suffraganei & eorum Capellani cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent; inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione; quæ res non solum superstitiosa, sed etitiam Christianæ religioni contraria, ac simpliciorum seductio & mera est exactio. Veruntamen Episcopi, ut Suffraganeos vel vilissima obærare possint mercede, talia & adhuc absurdiora tolerant. Res itaque tam nefanda & illicita, merito aboleri debet. Cæterum, si conducere videtur, ut campanæ consecrentur, ita enim Suffraganei baptizationem campanarum appellant, quoties hac de re à prudentioribus interpellantur, conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemque fiat Sacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, sale, herbis & similibus fieri solet, idque absque precio & expensis Laicorum, ne populus simplex ita seducatur, & damno afficiatur, nec non avaritiæ detestandæ præsumtio evitetur.*

3. In Pontificali, edito ab Alberto Castellano Ann. 1520. *Sal exorcisatur ad expellendum ex campana inimicum, & aqua, ut omnium pravorum Spirituum nequitiam ejiciat.*

Ibidem & in Ordine Romano dicitur. *Post tinctum aqua tintinnabulum petitur, ut Elementum aquæ mysterialiter Baptismo commodum Sancti Spiritus sui sanctitate reddatur.*

Confer Pontifical. edit Lugdun. Ann. 1511. fol. 154. & seqq. Beierl. conc. select. 44. p. 779. ubi concedit, *adhiberi patrinos, & campanam, indito peculiari nomine alicujus viri aut fœminæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. aqua ablui, & hanc actionem vocari Baptismum.*

4. Georgius Wicelius in Compend. de Semit. antiq. *Porro, quæ, precor, nos dementia cepit usque adeo notabilis, ut abusum excogitaremus de baptizandis glocis, (sic enim ajebat Carolus Magnus in Constitutionibus suis) ut in hoc quoque assimilaremur Synagogicis, de quibus Evangelista Marcus scripsit, illis curæ fuisse βαπτισμὲς χαλκίων. Hanc campanarum baptizationem vocant lotionem, ut rem extenuent; haud aliter suas habet preces chrisma sacrum, aqua sacra & his similia, quam hominum Baptismus. Credo, ut nolarum animæ haud secus salvæ fierent, quam hominum animæ, juxta illud Dominicum: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Verbum crediderit, includitur. Nam fidem sequitur confessio, quæ est sonus æramentorum, propulsator fulminum omnium. Quæritur hoc loco, utrum major hæc baptizatio fatuitas, quam impietas sit? respondetur per affirmativum. Est utrumq; simpliciter & in plano, absq; strepitu juris. Nolæ in hoc paratæ sunt, ut Ecclesiam convocent statis diei noctisque horis, & conventum ornent, atque sonitu plausibili modo aliquo exhilarent.*

5. Wierus lib. 1. de Præstig. Dæmon. cap. 9. *Huc pertinent ludibria, quibus nostros homines etiam adegit, ut nisi sacro Baptismo, regenerationis lavacro ad Christi solummodo membra pertinente, & exorcismis tantum, ubi è sua sede deturbandus est Dæmon ab illis, qui ejus pellendi singulare donum habent, applicandis, campanæ & tintinnabulæ expientur, sacrificenturque, sponsoribus & testibus (in sacrilegam uberioris auri expilationem) undique convocatis, res illas inanimatas mortuasque è turribus à Diabolo ablatum iri, simplicibus persuasum sit. Quinimo foveæ & stagna ostenduntur, quæ etiam vidi; si dignus sum, quo ejusmodi non baptizatas consecratasque campanas à Dæmone ex turribus proximis invectas esse, asseveranter dicunt, audirique earum sonum nocturna hora duodecima in nativitatibus Christi solennibus, vel etiam singulis quatuor anni temporibus, quæ vocant, & eum commori, qui audierit. Sic fit, ut à sono caveant imprudentes, nec inveniatur, qui audierit: & si aliquem audire contingeret, is procul dubio à Dæmone ob impietatem illuderetur, interim tamen hisce religionis*

nostra præstigiis illi definentur. Nec ita pridem eo loco prope Abbatiam Kirchheim ductus sum, ubi firmiter adhuc credi hoc sacrilegium coram audivi, monstratur fovea, turrisque ostenditur. Propterea perquam prudenter & pie Cæsar Maximilianus inter gravamina Sedis Romanæ à Germanis non toleranda, campanarum consecrationem recensuit &c.

6. Pontificale Romanum Venet. Ann. 1520. edit. lib. 2. de benedict. campanar. uti etiam Pontificale editum Venetiis Ann. 1571. fol. 166. ritus in baptizatione campanarum adhibendos, prolixe describit. Inter cætera commemoratur, *quod Pontifex mittere debeat sal in aquam*, (quâ campana abluenda) *in modum crucis semel dicens: Hæc commistio salis & aquæ efficiant salutare Sacramentum in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Item, quod Pontifex facere debeat cum pollice manus dextræ de oleo sancto infirmorum septem cruces exterius super campanam, & de intus cum chrismate quatuor, pari distantia, dicens, dum quamlibet crucem facit: Consecretur & sanctificet Domine, signum istud in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, pax tibi. Deinde iterum orare debet, ut Deus tintinnabulum cælesti benedictione perfundat, purificet, sanctificet & consecret &c.* Ac probe notandum, quod Anno 1595. Clementis VIII. Pontificis Romani jussu Pontificale Romanum restitutum, & pulcherrimo charactere & elegantissimis picturis editum sit, cum præfixa ejusdem Clementis Constitutione pro hujus libri autoritate & approbatione. Ac licet in nova hac editione multa sint omissa, quæ contra Pontificem facere videbantur, hæc tamen, quæ de campanarum benedictione in priori editione habentur, intacta prætermittuntur.

7. Durantius de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 22. n. 10. non abhorret à verbo baptizandi. *Baptizantur*, inquit, *campanæ. Formula vero baptizandi sive benedicendi antiqua est.*

8. Balæus memorat, *hanc campanarum baptizationem institutam esse à Johanne XIII. qui magnam campanam ad Johannem Lateranensem post coronationem Ottonis à se baptizatam, de se denominari voluit.* Confer Martinum de Arles in tract. de superstit. num. 9. & 14. Petrum Messiam Hispalensem lib. 1 1. div. lection. c. 9. Guilielmum Minatensem in Ration. div. offic. lib. 1. rubr. 4. fol. 11. Jodocum Lorichium in Thesauro novo utriusq; Theologiæ, titulo Campana, num. 2. p. 466. Histor. Magdeb. Cent. 10. cap. 6. col. 294.

9. Bellarmin. d. l. fatetur, *nomen Baptismi non quidem à Pontificibus, sed à vulgo campanarum benedictioni accomodari, quia vident eas aspergi, eis nomina imponi, ablui, ungi, exorcisari.*

(Res ipsa testatur, quod longiorem apparatum, ambitiosiorem pompam, Ceremonias plures, majoris momenti precationes, honoratiores Ministros ad Baptismum campanarum, quam infantum requirant.)

4. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, *quod Baptismum in nomine Mariæ simul collatum, approbent.*

Resp. 1. Fabius Incarnatus Theolog. Neapolitanus in Scrutinio Sacerdotali tract. 2. p. 1. *Probabilius videtur, quod sit Baptismus, si dicatur: Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti & B. Mariæ, quia hæc additio B. Mariæ non est corruptiva formæ Baptismi.*

2. Lib. 1. Nov. Sacerdot. p. 25. approbatur *Baptismus in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti & Mariæ matris Domini collatus.*

3. Guilielmus de Bapt. cap. 2. personis Trinitatis adjicit B. *Mariam semper Virginem.*

5. Bellarm. lib. 1. de Bapt. c. 18. conqueritur, *Chemnitium depravasse sententiam Catholicorum, quasi statuant, cum quis peccat post Baptismum, eum niti debere propria contritione & satisfactione, ut redeat ad gratiam. Sed hoc falso dictum est,* inquit Bellarminus. *Nitimur enim gratia Dei, Christi meritis & virtute atque efficacia Sacramenti, non propria contritione, licet contritionem ut dispositionem requiramus, sicut etiam cum baptizamur, requirimus fidem & pœnitentiam, & tamen non iis nitimur, ut causis justificationis, sed Dei gratia, Christi merito & Sacramenti efficacia.*

Resp. Recognoscat Bellarm. sua verba, *Contritio est actio bona & libera, ad Evangelium pertinens* lib. 2. de Pœnit. cap. 2. *In bonis autem meritis fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur* lib. 5. de Justif. cap. 7. *Contritio est causa remissionis peccatorum duobus modis, quia disponit ad justificationem, & impetrat remissionem peccatorum, est meritum de congruo justificationis* l. 2. de Pœnit. c. 12. *Potest tanta esse pœnitentia sive contritio, ut deleat omnem culpam, & sic reditur ad gratiam, omnino similem ei, quæ in Baptismo habita est,* lib. 1. de Bapt. c. 18. *Maxime consentaneum est rationi, ut, si Deus ex misericordia peccata condonet, etiam justitiæ, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit,* nimir. per nostra opera, l. 1. de Pœnit. c. 5.

II. Calumniæ. I. Generales.

1. Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 13. *Fuit antiquissima hæresis Origenistarum, peccata non tolli per Baptismum, sed solum tegi; tolli autem peccata tandem per mortem. Ita habet Proclus quidam Origenista apud Epiphanium hæres. 64. Similem hæresin postea excitarunt Messaliani, teste Theodoreto lib. 4. de fab. hæret. Hoc nostro seculo idem docent omnes Lutherani.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 4. de Not. Eccles. cap. 9. verba Procli ex Epiphanio allegat, quod statuerit, *peccatum post Baptismum semper vivere.*

(Id verò nemo nostrûm docet, sed peccatum non solum in Baptismo *tegi & remitti*, sed etiam *mortificari*, asserimus.)

2. Alphonsus de Castro lib. 3. de hæresibus, tit. Baptismus, Messalianorum hæresin sic describit: *Messaliani tantam vim orationi tribuebant, ut Baptismo derogarent, dicentes, nullam utilitatem baptizatis ex Baptismo accedere, sed solam orationem studiosam Dæmonem inhabitantem effugare.*

(Quid verò cum illa hæresi Ecclesiis nostris est commune, cum in Baptismo omnia peccata remitti dicamus?)

2. Guilielmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 15. *hæreseos Pelagianæ* Protestantes affines esse arguit, propterea quod doceant, *infantes sine Baptismo salvari posse.*

Resp. 1. Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 9. Gregor. de Valentia lib. de peccat. orig. cap. 2. docent, *proprium hac in parte Pelagianorum errorem fuisse, quod negaverint peccatum originis.*

(Pelagiani simpliciter negabant Baptismi necessitatem; nos tantum in casu extraordinario. Pelagiani ideo atque inde negabant Baptismi necessitatem, quia peccatum originis negabant; nos absolutam Baptismi necessitatem ideo negamus, quia gratiam Dei Sacramentis alligatam esse negamus.)

2. Pontificii potius Pelagianæ hæresi sunt affines, non solum, quia peccatum originis extenuant, ut suo loco demonstratur, sed etiam, quia regnum cœlorum & infernum tertium locum statuunt, in quem infantes collocant, sicut Pelagiani etiam tertium quendam locum introducebant.

3. Stapletonus in Promt. Cathol. Domin. 3. Advent. *Hoc non ideo faciunt*, (quod Baptismum Johannis cum Christi Baptismo eundem fuisse statuunt,) *ut Johannis Baptismum extollant, sed ut Christi Baptismum deprimant; neque ut illam remittendi peccata efficaciam Johannis Baptismo tribuant, quam in Christi Baptismo Scriptura nos docet, sed ut illam infirmitatem & inefficaciam, nudamque Ceremoniam in Christi Baptismo esse doceant, quam in Johannis Baptismo esse, manifestum est.*

Resp. Nemo nostrûm Christi Baptismo efficaciam detrahit, quando cum Johannis Baptismo eandem ipsi communem asserit. Stapletonus sic concludit: *Eadem est Baptismi Johannis & Baptismi Christi efficacia juxta Evangelicorum hypothesin. Atqui Baptismi Johannis, juxta Pontificiorum hypothesin, nulla est efficacia spiritualis. Ergo etiam Baptismi Christi, juxta Evangelicorum hypothesin, nulla est efficacia spiritualis.* Eodem jure & modo concludere possemus: Baptismi Johannis, juxta Pontificiorum hypothesin, nulla est spiritualis efficacia. Atqui Baptismi Johannis & Baptismi Christi eadem est efficacia, juxta hypothesin nostram, quæ Scripturæ conformis. Ergo Baptismi Christi, juxta Pontificiorum hypothesin, nulla est efficacia spiritualis. Sed ut Pontificii conquerentur, hoc argumento, vel potius Sophismate calumniam sibi strui; ita quoq; de eodem merito conquerimur.

4. Guilielmus Bailius Jesuita in Catechismo Controvers. q. 1. cum *Ulpiano* JCto, Ethnico & Christianorũ hoste jurato, nos conjungit, propterea quod doceamus, *Exorcismos Ecclesiæ esse imposturas*, l. Præses provinciæ. ff. de variis & extraordinariis cognitionibus.

Resp. 1. Baronius tom. 1. Annal. ann. 558. num. 10. de Ulpiano sic scribit: *Cum negat d. l. Præses, ejusmodi hominibus de eorum mercede jus esse dicendum, ex eo certum est, de aliis potius, quam de Christianis intellexisse, qui non nisi gratuito sine aliqua conventione stipendii ejusmodi officium impendere consueverunt. De his enim & non de Christianis Exorcistis loquitur Ulpianus.* Hæc Baronius, cum quo Bailius transigat.

2. Si Romana Ecclesia Exorcistas illos probat, quos Ulpianus damnat, approbabit *circulatores & impostores*, ex arte Exorcistica quæstum facientes, & pecuniam inde corradentes.

5. Andreas Fabricius in Harm. Aug. Confess. & Hagerus Jesuita in Collat. August. Confess. & Conc. Trid. art. 17. nobis objiciunt, *quod Anabaptistæ ex nobis orti fuerint.*

Resp.

Resp. Cassander in præfat. libri de Baptismo infantum ad Illustriss. Juliæ, Cliviæ & Montium Ducem ostendit, *eam ante sexcentos annos, adeoque sub medio Papatu hæresin illam viguisse &c.* In operibus fol. 669.

II. Speciales.

1. Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 2. sic scribit: *Lutherus in Symposiacis Colloquiis cap 17. interrogatus, num, deficiente aqua, liceat baptizare in lacte aut cerevisia, primum respondit, divino judicio id esse committendum, deinde addidit, quicquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse aptum ad baptizandum. At balnea vini & lactis, nedum cerevisiæ, fieri posse nemo dubitavit unquam.*

Sandæus Jesuita Herbipolens. in Themate seculari de Secta Protest. deferenda th. 110. scribit, *Lutherum in lib. de Capt. Babyl. docere, quicquid dici potest balneum, id esse idoneum ad Baptismum.*

Resp. 1. In libro de Captiv. Babyl. nihil tale invenitur.

2. Liber convivalium sermonum Luthero nec visus, nec approbatus.

3. In concion. de Bapt. Dessaviæ habitis conc. 2. tom. 7. Jen. Germ. fol. 46?. Lutherus habet contrarium. *Esto, (inquit) persona sit impia & incredula, dummodo institutionem Christi inviolatam servet, & non vino, cerevisia, lixivio, vel alia quapiam re, sed aqua cum adjuncto Dei verbo utatur, tunc est & vocatur sacrum Baptisma.*

4. Rectius Scholasticis & Pontificiis hic error tribuitur, ut vidimus superius membro 1. quæst 1.

2. Idem Bellarminus lib. 1. de Baptis. cap. 3. *Lutherum & Brentium* erroris accusat, *quod licet forma usitata utendum esse doceant, tamen id non putent necessarium ad Baptismi substantiam.*

Lutherus in lib. de Capt. Babyl. cap. de Bapt. tom. 2. Lat. fol. 272. *Quocunque modo tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Dei tradatur, vere salvum facit.*

Resp. 1. ex ipso Bellarmino d. l. §. proxime sequente. *Est opinio quædam incommoda multorum Catholicorum, qui putarunt, sufficere ad Baptismum invocationem unius personæ divinæ tantum, ac præsertim Christi. Ita videntur sentire Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Beda in cap. 10. Actor. qui ipsa verba Ambrosii citat, Bernhardus Epist. 340. ad Henricum, qui docet, ratum sibi videri Baptismum, quem quidam contulit ex imperitia in nomine Dei ac sanctæ & veræ crucis. Item Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 6. cap. 2. & Magister lib. 4. sentent. dist. 3. & denique Nicolaus Papa in Epist. ad Bulgaros, ut habetur c. à quodam Judæo. de consecrat. dist. 4. nihil quidem definit, sed profert Ambrosii autoritatem, & eam approbare videtur.*

(At si hoc sentire in Patribus, Scholasticis & Pontifice Nicolao, est tantum *incommoda opinio*, cur in Luthero erroris nomine traducitur?)

2. Idem Bellarminus lib. de Sacram. Confirmat. cap. 10. § 2. sic scribit: *Vis formæ Sacramentalis posita est in sensu, non in sono aut numero literarum, alioqui si quis Græce aut Hebraice, aut alio idiomate ista verba proferret, nil efficeret;* ex quo respondet ad argumentum, *quod forma Sacramenti Confirmationis, (consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,) non habeatur in Scripturis, nec in primitivæ Ecclesiæ scriptoribus. Apud antiquiores,* inquit, *autores non habentur hæc omnia verba, & hoc ordine, tamen habetur idem sensus, & hoc sufficit.*

(Idem pro Lutheri sententia asserenda urgere possumus.)

3. Lutherus non loquitur *de praxi baptizantium*, quasi illi alia quadam formula Baptismum administrare debeant, quam quę à Christo præscripta est, eam enim formulam & in hoc ipso libro, & in Catechesi sua, & alibi passim retinet, sed agit *de autoritate Baptismi*, qui non nomine hominis, sed ipsius Dei confertur; ac proinde otiosam esse ait disputationem de forma Baptismi inter Græcos & Latinos. Qui in *nomine Trinitatis vel Christi* baptizat, eum graviter peccare & pœna dignum esse statuit, eò quod formulam à Christo institutam & præscriptam, temere mutaverit, ipsum tamen Baptismum verum esse asserit, quia in sensu verborum institutionis nihil immutatum fuit.

3. Idem Bellarm. lib. 1. de Bapt. c. 11. Lutherum accusat, *quod statuerit, infantibus nullam fidem in Baptismo esse necessariam.*

Resp. Bellarminus in eod. cap. adducit locum ex libro Lutheri de Capt. Babylon. cap. de Baptismo. *Sicut verbum Dei potens est, dum sonat, etiam impii cor immutare quod non minus est surdum & incapax, quam ullus parvulus: ita per orationem Ecclesiæ offerentis & credentis, cui omnia possibilia sunt, & parvulus fide infusa mutatur, mundatur & renovatur.*

4. Compositio Pacis Dillingana cap. 1. q. 9. Luthero tribuit, *quod semina Anabaptistici erroris sparserit negando, Pædobaptismum ex Scripturis clare probari posse.* Tom. 2. Witeberg. fol. 276.

Resp. 1. Lutherus tantum loquitur *de exemplo*, an tale possit in Scripturis dari, sed exempli omissio non tollit ipsam doctrinam de Pædobaptismo.

2. Lutherus ibidem addit. Aber fromme vernünfftige Christen begehren solches nicht. Die zänckische / halßstarrige thuns / auff daß sie klug gesehen werden. Wiederumb werden sie auch keinen Buchstaben bringen der da sagt: Ihr solt alte Leute täuffen und kein Kind.

3. Etiamsi fateatur, expressum Pædobaptismi exemplum in Scripturis non haberi, tamen in eodem loco ipsam doctrinam multis probat ex Scriptura.

5. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap 3. inter *mendacia D. Chemnitii* refert, quod dixerit, *Hyginum chrisma instituisse. Mendacium,* clamat, *sine ullo fundamento.* At hoc nequaquam dicit Chemnitius, sed ut dicere videretur, Bellarminus fraude quadam effecit. Ille quippe ait, *Hyginus chrisma instituit, & dedicationem templorum, chrisma, inquam, & dedicationem templorum; ut templa inungerentur & dedicarentur, instituit:* quod totidem verbis extat apud Gratianum de Consecr. dist. 1. c. Omnes basilicę. At Bellarminus, quæ conjunctim dicuntur, Sophismate quodam divisim accepit, ut rei veræ mendacii schema tantò speciosius obduceretur.

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Bellarmin. lib. 1. de Bapt. cap. 3. Gregor. de Valent. tom. 4. f. 772. ex sententia Scholasticorum docent. *Baptismum aut absolute, aut sub conditione repetendum, si detur in nomine Christi aut unius personæ Trinitatis sine expressione reliquarum.*

(Huic opinioni non solum quidam ex Patribus contradixerunt, Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Beda in cap. 10. Act. sed etiam Hugo lib. 2. de Sacram. part. 6. cap. 2. & Cajetanus super part. 3. Thom. quæst. 66. ubi etiam Nicolaum I recte pronunciasse ait, *verum ac legitimum Baptismum esse, qui in solius Christi nomen expressum datus est, cum institutio Christi non de vocibus, sed de rebus sit intelligenda.* Confer. Lotman Act. c. 2. f. 139.)

2. Idem Bellarminus lib. 6. de Amiss. gratiæ cap. 5. *Parvuli (non baptizati) mittendi sunt in locum ignis, nec tamen inflammandi illo igne aut cruciandi.*

(Sicut alibi accidentibus sine substantia vim nutriendi tribuit: ita hic igni infernali derogat vim urendi, respectu infantum.)

3. Idem Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 6. *Martyrium convenit cum Baptismo aquæ in tribus effectibus, nimirum, quod primo configurat hominem Christi passioni & morti. Secundo, remittit peccatum originale & reliqua omnia, si quæ sint admissa. Tertio, quod remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quam temporalem.*

Costerus in Augmento Enchir. p. 59. *Patet, eandem esse vim Martyrii ex opere operato, quæ est Baptismi.*

(Atqui effusioni sanguinis humani non potest tribui meritum remissionis peccatorum, quod solius Christi sanguini competit, 1. Joh. 1. v. 7. nec potest dici applicationis medium, quod ex parte Dei tantum *verbo & Sacramentis*; ex parte nostra tantum *fidei* competit. Martyrium autem pro Christo susceptum, est evidens & luculenta testificatio illius fidei in Christum, in quo solo remissionem peccatorum & vitam vera fides quærit, non in propriis operibus vel passionibus. Quare cum Martyrium impropriè vocetur Baptisma, non poterit habere parem virtutem & efficaciam cum Baptismo, qui specie *unus est*, Eph. 4. v. 5.

4. Historia Lombardica cap. 93 de Christina refert, *quod ab ipso Christo in mari baptizata sit, his adhibitis verbis: Ego babtizo te in Deo Patre meo, in me Jesu Christo, Filio ejus, & in Spiritu Sancto.*

Franc. Suarez tom. 4. p. 200. allegat Nicephorum, referentem lib. 2. Histor. cap. 3. ex Euodio, *Christum manibus suis baptizasse Petrum.* Et addit, *Valde pium & credibile est, Christum ante Apostolos baptizasse Virginem manibus suis.*

Martinus Duncanus lib. 1. contra Anabapt. cap. 4. asserit, *Apostolos à Christo fuisse baptizatos.*

Idem videtur Bellarmino lib. 1. de Baptismo cap. 23. circa finem. (Contra Johan. 4 v. 2.)

5. Lutherus in Epist. de Anabapt. tom. 4. Jen. Germ. f. 408. memorat, *quod Pontificii in lingua Germanica à nostris baptizatos, in Latina rebaptizarint.*

Lorichius Instit. pag. 57. *Maximam hic videmus invidentiam, imo hæresin fœdissimam Theologorum nostrorum, quorum honoris causa hic nomina conticere volo, quod pueros Germanice baptizatos, rebaptizarunt.*

D. Mylius in August. Confess. artic. 3. membr. 20. memorat, *quod alicubi à nostris baptizatos, rebaptizarint.*

6. Catech Rom. pag. 3‥8. *Aqua, quam ad Baptismum utimur, prius paranda & addito mysticæ benedictionis oleo consecranda est, idque non nisi in vigiliis Paschæ & Pentecostes fieri debet.*

Toletus lib. 2. de Casib. conscient. cap. 18. *Peccat mortaliter qui in aqua non benedicta baptizat.*

(At consecratio illa aquę destituitur verbo Dei, caret exemplo Johannis Baptistæ & Apostolorum, ac derogat Elemento aquæ, quæ per se est bona Dei creatura.

Augustinus serm. 37. de Temp. *Per Christi Baptismum omnes aquæ consecratæ sunt.*

Justinus Martyr Apol. 2. pro Christian. *Credentes Catechumenos eò adducimus, ubi est aqua, qua loti regenerantur.*

Bonaventura 4. sent. dist. 3. concedit, *quod non de necessitate, sed de congruo requiratur, ut aqua Baptismi sit prius sanctificata à Presbytero*, interim tamen addit, *Sacerdotem baptizantem in aqua non sanctificata, extra necessitatis causam peccare mortaliter.*

Pamelius notatione 27. in Tertullian. de Baptismo, *benedictionem aquæ ante Baptismi celebrationem* ex veteribus probare voluit, sed Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 6. c. 2. ingenue respondet. *Pro consuetudine servandi aquam benedictam citat ipse* (Pamelius) *aliquot Patres, in quibus nihil pro ea invenire potui*, ibid. prolixe *ad dicta veterum* respondet.)

7. Bellarmin. lib. 1. de Sacram. c. 19. & lib. 1. de Bapt. c. 3. Becanus de Judic. controv. p. 81 §. 53. negant, *formulam Baptismi in Ecclesiis nostris usitatam, Ego te baptizo in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti, ex solo Evangelio demonstrari posse, sed necessario ad traditiones esse recurrendum*

(Atqui extat disertum Christi mandatum, *Euntes, docete, baptizate in nomine &c.* quod simul formam actionis exprimit, quæ cum non debeat esse muta, ideo Minister exponit, tum quid agat, tum qua autoritate. Cumq; de se ac suo Ministerio loquatur, ideo recte utitur prima persona, *Ego te baptizo &c.*)

8. Summa Angelica in verbo Baptismus cap. 2. q. 8. judicat, *securius esse, ut baptizatus à Græco hac forma, Baptizetur servus Christi &c. iterum baptizetur, propter dubium, quia quidam contradicunt.*

(Sed 1. Surius in Comm. rerum gestarum Anno Christi 1501. p. 23. refert, *Alexandrum VI. cum percepisset, Ruthenos & alios quosdam in Lituania Græcorum more complexos, ad Romanæ Ecclesiæ consuetudinem se adjungere, sed interim non deesse, qui dicerent, eos necessario rebaptizari oportere, propterea quod more Græcorum in tertia persona essent baptizati, ad illos scripsisse, quod revera Baptismus conferatur, etiam cum in tertia persona dicatur, Baptizetur hic &c.*

2. Idem decretum fuit in Concilio Florentino p. 28.

3. Alphonsus à Castro lib. 3. adversus hæreses, verbo Baptismus, hæres. 2. *Quod actus baptizandi exprimatur per verbum indicativi aut alterius modi, puta imperativi, non est definitum, quid necessarium sit, quoniam nec bene definiri posset, cum Christus in suis verbis actum Baptismi participio expressit, & non verbo, Baptizantes, inquit, &c. Quapropter Ecclesia Romana, quantum ad hoc, permittit ac tolerat Græcos, qui in alia forma baptizant, quam Latini. Sic enim dicunt: Baptizetur servus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Quia enim in principio nascentis Ecclesiæ tale schisma ortum est, ut quilibet æstimaret, illum ad se pertinere, qui ab illo baptizatus esset, ita ut unus diceret: Ego sum Cephæ; alius, ego sum Pauli; quos Apostolus reprehendens, ait: Nunquid Cephas pro vobis mortuus est, aut Paulus? ad tollendum hoc schisma ordinatum est inter Græcos, ut nullus baptizaret dicens: Ego te baptizo in nomine Patris &c. sed diceret: Baptizetur servus Christi &c. ne ullo modo verbis aliquibus ostenderet, se Baptismi autorem, sed solum ministrum. Quod autem ibi sit integra Baptismi forma, patet, quia ibi est manifesta Trinitatis expressio, ibi exprimitur actus baptizandi, quamvis in Imperativo modo, quod non refert, & persona baptizata, quamvis in tertia persona, nihil ergo deficit.*

Et postea: *Dicimus ergò, Græcos in sua forma conficere, quamvis sic conficientes peccent, quod Ecclesiæ Romanæ subesse contemnunt. Nam hoc apertissime definivit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. celebratum, sic inquiens: Non negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis servus Jesus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; vel, Baptizetur manibus meis talis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, verum perficiatur Baptisma, quoniam cum principalis causa, ex qua baptisma virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.*

4. Dominicus Sotus in 4. sent. quæst. 1. art. 1. asserit, *se non audere dicere, eum esse nullum Baptismum, quem Græci administrant, cujus forma est: Baptizetur servus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, addita ratione, *quia Ecclesia Romana tolerat eum ritum. Sed si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, tutius foret statuere, quod non vere baptizarent.*

5. Innocentium negantem, hanc esse veram formam, *Baptizetur servus Christi &c.* refellit Adrianus apud Gregorium de Valentia tom. 4. col. 765.

9. Hardingus art. 2. de Commun. sub una specie sect. 9. statuit, *Apostolos ad tempus ipsam essentialem verborum formam mutasse, quibus Christus Sacramentum Baptismi administratum voluerit, cum Christus jusserit baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, illi vero baptizarunt in nomine Jesu Christi tantum, quo illud hoc modo illustrius celebratiusque redderent.*

(At non est verisimile, Apostolos à verbis institutionis ab ipso Christo præscriptis, discessisse, cum voce cœlitus delata, eum audire & sequi fuerint jussi. Verba Lucæ Act. 2. v. 38. non *de causa formali, sed efficiente & finali*; nec *dispensative*, sed *recitative* intelligenda sunt.)

Inde Gregorius de Valentia tom. 4. col. 768. & seqq. prolixe refellit Cajetanum affirmantem, *formam illam Baptismi, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti posse omitti & aliam quandam substitui.*

10. Cum Hispani Groningam Frisiæ pervenirent, *vexilla* seu signa sua *baptizata chrismate inungi, adjurari, consecrari & benedici* curarunt, & aliud *Barbaram*, aliud *Catharinam*, & sic deinceps nominarunt. Alvear. Exam. Pontif.

11. Emanuel à Sa in aphorismis aphor. 10. statuit, *dormienti etiam Baptismum conferri posse.* Sed Thomas p. 3. q. 86. art. 12. statuit contrarium, *Baptismus*, inquit, *non consuevit dari dormientibus.* & 12. q. 113. art. 1. negat, *per somnum consequi quenquam gratiam justificantem per Baptismum exterius adhibitum.*

(Quoad infantes nihil refert, sive dormiant, sive vigilent. Quoad adultos vero in iis & voluntas susceptionis Baptismi & professio fidei requiritur, quorum neutrum in dormientes cadere potest.)

12. Quidam ex Canonicis statuunt, *parvulos Judæorum per vim parentibus eripiendos & baptizandos esse*, Archidiaconus, Johannes Andreas & alii, quos refert Simanca de Cathol. Instit. tit. 29. n. 53. Cævallos pract. quæst. 735. n. 10.

Contrarium rectius statuunt Glossa in c. Judæorum caus. 28. q. 1. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. Henriquez in Summ. Moral. lib. 2. cap. 25. Bannes in Thomam d. l.)

13. In Decretalibus Gregorii lib. 3. tit. 42. cap. 2. Papa Alexander tertius sic respondit: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te.*

(Hunc baptizandi morem graviter insectatur Lutherus tom. 8. Jenens. f. 50. & Witeberg. 12. p. 193. in Colloq. Mensal. p. 179.)

14. c. Sine pœnitentia. dist. 4 de Consecrat. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, quia gratia Dei in Baptismate non requirit gemitum, non requirit planctum, vel opus aliquod, sed solam fidem & omnia gratis condonat.*

(Contra rubrica c. Agunt homines. dist. ead. sic habet: *Ante Baptisma pœnitentiam agere debemus*)

15. c. Multi sunt. dist. 4 de Consecrat. ex Pelagio Papa. *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi una etiam mersione se asserunt baptizare. Evangelicum verò præceptum ipso Deo & Domino Salvatore nostro* CHRISTO *JESU tradente nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Canon Apostolicus 50. *Si quis Episcopus aut Presbyter non tres mersiones unius initiationis fecerit, sed unam in mortem Domini collatam, deponatur.*

Zonaras sic explicat: *Tres mersiones in una initiatione, id est, in uno Baptismate, ita ut qui baptizat, ad quamque immersionem unum Sacrosanctæ Trinitatis nomen proferat. Nam semel eum, qui baptizatur, in sacrum lavacrum mergere, & in mortem Domini unam celebrare immersionem, impium est.*

Contrà c. Propter. dist. ead. ex Concilio Toletano. *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum simplam tenamus Baptismi mersionem.*

Omnium

Omnium optime Gregorius lib. 1. Epist. 41. nec trinam, nec simplam mersionem absolute necessariam esse statuit. *De trina,* inquit, *mersione Baptismatis nihil verius respondere potest, quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signavimus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obstitit baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc huc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, fiendum apud nos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant.*

16. *Campanis baptizatis* tribuunt, *quod earum pulsu, qui in funeribus faciendis de consuetudine adhibetur, cacodæmones seu maligni Spiritus abigantur. Itaque in fœmineo funere bis pulsandas, in virili autem ter, in Sacerdotis funere, quoties is sacratus esset;* quod etiam retulit Johannes de Selva Parisiensis in tract. de Beneficio part. 1. q. 5. n. 99.

Durandus lib. 1. Rational. cap. 4. *Campanas ideo benedici* scribit, *ut per illorum tactum & sonitum fideles invicem invitentur ad præmium, & crescat in eis devotio fidei, fruges, mentes & corpora credentium serventur, procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infestaque tonitrua & ventorum flamina suspendantur, Spiritus procellarum & aereæ potestates prosternantur.*

Lib. ejusd. cap. 12. num. 15. *Causa, quare Ecclesia videns concitari tempestatem, campanas pulsat, scil. ut Dæmones tubas æterni Regis, id est, campanas audientes territi fugiant, & à tempestatis concitatione quiescant.*

Sunt, qui ridicula superstitione credunt, *campanarum pulsatione in die Johannis aut in vigilia S. Agathæ facta, non tantum Dæmones profligari, sed & lamias & incantatrices impediri, quo minus huc illuc ferri per aerem possint aut damnum dare,* quod etiam apud Papistas multis superstitiose persuasum fuit, ut refert Martinus de Arles in tract. de Superstit. n. 8. 9. & 14.

(Atqui in Capitulari Caroli Magni, quod citatur à Durantio de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 22. n. 1. statutum fuit, *ut clocas sive campanas non baptizarent.*)

16. Eccius in Enchirid. Locor. Comm. cap. de Ecclesia probare conatur, *Ecclesiam habere potestatem super Scripturam;* inter cætera utitur argumento à forma Baptismi sumto, *Christus* (inquit) *Matth. ultimo dixit discipulis: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Hic Christus dedit formam baptizandi in nomine Trinitatis explicite, & tamen Ecclesia primitiva mutavit hanc in formam baptizandi in nomine Christi Jesu. Pœnitentiam agite, inquit Petrus, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum. Et Actuum octavo dicitur, quod Samaritani baptizati sunt à Philippo in nomine Jesu. Et Actuum 17. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu, scilicet, à Paulo.*

Resp. 1. Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 3. *certum esse,* ait, *Baptismum aut absolute, aut sub conditione repetendum esse, si detur in nomine Christi, aut alterius cujusvis personæ sine expressione aliarum, & ita docere Theologos omnes graviores in 4. sent. dist. 3.*

2. Ibid. ex Basilio, Hilario & Fulgentio docet, *locis illis Scripturæ,* quæ Eccius adducit, *nihil aliud significari, quam Apostolos in nomine, id est, instituto & autoritate Christi baptizasse, vel ita in nomine Christi, ut simul Patris ac Spiritus S. nomen adderetur.*

Ibid. *Quod Lucas dicit in Actu, baptizasse Apostolos in nomine Domini Jesu, potest intelligi multis modis, nimirum in baptizasse dicantur in fide Domini Jesu, vel autoritate Domini Jesu, vel Baptismo à Christo instituto, vel denique in nomine Domini Jesu, sed non solius, verum adjuncto Patre & Spiritu Sancto.*

3. Dominicus à Soto 3. sentent. dist. 4. art. 6. *Admonebant eos, quos baptizabant, non baptizare alio Baptismate, quam Domini Jesu: Non quod dicerent, baptizo te in nomine Jesu, quasi illa esset forma, sed quod admonebant eos baptizare Baptismate Domini Jesu, & in nomine & potestate ejus, sed tamen sub illa forma, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

4. Cornelius Jansenius Concord. cap. 149. *Cum dicuntur aliqui in Actis Apostolicis baptizati in nomine Jesu Christi, non significatur in baptizandis illis expressum tantum nomen Jesu Christi, sed eos in fide Jesu Christi, aut in merito ejus & efficacia passionis ejus baptizatos, quomodo Paulus in suis Epistolis dicit, nos omnes baptizatos in Christo Jesu.*

5. Qui Baptismum in nomine Christi administratum approbant, non ideo id statuunt, quod formam à Christo præscriptam, à quoquam mutari potuisse arbitrentur, ut vult Eccius, sed quod unum & idem esse censeant, sive una persona, sive omnes tres exprimantur.

18. Gregorius de Valentia tom. 4. col. 763. *Falso & contra mentem D. Thomæ censuit Sotus infantem in utero non esse baptizandum, quia sit adhuc aliquid matris.*

(Aut Sotus aut Valentianus hic falsum dicunt, & à mente Thomæ aberrant.)

19. Cajetanus contra omnes Doctores docuerat, *fidem parentum infantibus sine Baptismo posse applicari signo crucis, vel invocata S. Trinitate,* qui Commentarii Cajetani jussu Pii V. Pontificis expuncti sunt in nova editione Commentariorum, teste Vasquezio in 1. Thom. Disp. 96. cap. 1. n. 1.

20. Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 1. *Baptisma propriè significat immersionem; ordinarie enim Baptismus fit per mersionem, idque ad sepulturam Christi repræsentandam.*

Pistorius in Hodeget. p. 492. disputat, *aspersionem in Baptismo ex Scripturis probari non posse, sed esse traditionem Ecclesiæ.*

Contrà. Verbum βαπτίζειν generalem habet significationem pro qualibet ablutione, sive fiat *immersione,* sive *aspersione,* vel *affusione,* Hebr. 9. v. 10. Marc. 7. v. 8. 1. Cor. 10. v. 2. Act. 1. v. 3. &c. ac aspersionem ipsis Apostolorum temporibus usitatam fuisse colligitur ex Act. 2. v. 36. c. 16. v. 15. cap. 22. v. 16. &c. Rectè igitur Catechismus Tridentinus in cap. de Bapt. *Qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aspersione tinguntur. Ex his autem ritibus quicunque servetur, Baptismum vere perfici credendum. Aqua enim Baptismo adhibetur ad significandam animæ ablutionem, quam efficit, quare Baptismus ab Apostolo lavacrum appellatus est. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis aqua mergitur, quod diu à primis temporibus in Ecclesia observatum animadvertimus, quam vel aquæ affusione, quod nunc in frequenti usu positum videmus, vel aspersione, quemadmodum à Petro factum esse colligitur, cum uno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit & baptizavit.*

21. Alphonsus à Castro lib. 3. adversus hæreses, in verbo Baptismus, hæresi 9. in quibusdam exemplaribus. *Firmiter negamus, parvulum Judæum ante octavum diem mortuum, sine circumcisione posse salvari, quia est contra Scripturam dicentem: Masculus, cujus caro præputii circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, hoc est, in libro viventium non scribetur, non connumerabitur in populo Dei. Nam ob hanc solam causam Salomon dicit se filium unigenitum matris suæ, quamvis alium majorem peperisset Bethsabe mater sua ex adulterio, nempe, quia ante Circumcisionem mortuus non habuit magis nomen apud Deum, quam si non fuisset genitus.*

Resp. 1. Ostendimus superius, Hugonem de S. Victore, Alexandrum Alensem & Bielem statuere, *infantes Israeliticos ante octavum diem mortuos, fuisse salvatos.*

2. De filio ex adulterino cum Bethsabea congressu suscepto, & sine Circumcisione, ut vult Alphonsus, mortuo, expressè dicit David, *se ad illum venturum.* Ergo non judicavit ipsum à salute exclusum.

3. Cornelius Jansenius in cap. 4. Proverb. *Unigenitum coram matre sua hoc loco dici intelligendum est, non quod unicus fuerit filius matris suæ Bersabeæ, quemadmodum quidam hoc loco falsò asserere conati sunt &c.* (Lyranus & post Lyranum Alphonsus.) *Nam primi Paralipomenon tertio aperte dicitur, In Hierusalem nati sunt ei filii Simmaa & Sobab & Nathan & Salomon, quatuor de Bethusa filia Ammiel. Unigenitus ergo dicetur coram matre, quod tanquam unigenitus à matre teneretur & unice diligeretur. Nec est Hebræis unigenitus, sed unicus; nec dicit unicus matri meæ, sed unicus coram matre mea, vel ut habent Hebræa, in facie matris meæ, hoc est, quod mater eum sic haberet & diligeret, ac si unicus fuisset. Proinde Septuaginta id sentientes, tantum verterunt* ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρός, *hoc est, dilectus in facie matris.*

22. Bellarminus lib. de Baptismo cap. 25. §. Octava &c. sic disserit: *Octava Ceremonia est gustus salis. Datur enim Catechumenis gustandum sal, ut apparet ex Origene Homil. 6. in Ezechiel. & Concilio III. Carthaginensi can. 5. Et forte ad hunc salem allusit Augustinus lib. 1. Confess. cap. 12.*

Respondet Vasquez in part. 3. Thom. Disput. 6. c. 4. *Pro hac Ceremonia citant aliqui Origenem Homil. 6. in Ezech. & Augustinum lib. 1.*

lib. 1. Confess. cap. 11. ubi tamen non meminerunt de hac Ceremonia salis pro Catechumenis, sed alio sensu de sale divinæ gratiæ loquuntur, ut quisque facile videre poterit.

De Canone Carthaginensi ibid. sic disserit: *Canonis hujus verba non parum obscura sunt. Nonnulli putant, per Sacramentum eo loco intelligi Eucharistiam, hujus loco, inquiunt, Catechumenis sal dabatur. Ego per Sacramentum intelligo panem benedictum, qui sane Catechumenis loco Eucharistiæ tempore Augustini dabatur, & dicebatur Sacramentum. Cum igitur hoc fuisset in more tempore Augustini, videtur in eo Concilio sublatum, cumq; etiam in diebus Paschatis vetitum fuerit, videtur etiam pro omni alio tempore interdictum, ita ut pro Sacramento, quod gustari deberet, nihil Catechumenis relinqueretur, nisi sal etiam benedictum, quod omnibus dari consuevit ante Baptismum.*

23. Bellarminus ibid. §. Nona &c. *Nona Ceremonia est, cum tanguntur saliva nares & aures, & dicitur eis, Epheta, id est, adaperire. Hanc Ceremoniam probat & explicat Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 1. & de iis, qui initiantur mysteriis cap. 1.*

Resp. Vasquez d. l. *Ejus Ceremoniæ meminit Ambrosius, quamvis de saliva, cum qua tanguntur, nihil dicat.*

(Sic ergo Ambrosius est unicus ex omni antiquitate hujus salivæ testis, qui tamen de saliva nihil dicit.)

24. De *tempore*, quo Baptismus Christi institutus, non conveniunt inter se Scholastici. Alex. Alensis 4. sent. dist. 3. sic procedit: *Potentialiter seu materialiter institutus est Baptismus, cũ Christus à Johanne baptizatus, quia tunc materiam dedicavit. Joh. 3. Est institutus, quoad finem, quia ibi ostenditur finis Baptismi, scil. ingressus in regnum cœlorum Matth. ult. Est institutus formaliter, quia ibi formam Christus expressit, quantum ad principalem partem. In cruce institutus est, quantum ad significationem, dum exivit ex Christi latere sanguis & aqua Luc. 10. Institutus est officialiter, dum discipulos misit binos, & binos ad prædicandum & baptizandum.*

Thomas p. 3. q. 66. artic. 2. ex Lombardo lib. 4. sent. dist. 3. lit. G. simpliciter statuit, *Baptismum Christi institutum esse, cum à Johanne in Jordane fuit baptizatus. Sacramenta*, inquit, *ex sui institutione habent, quod conferunt gratiam: tunc ergò videtur aliquod Sacramentum institui, quando accepit virtutem producendi suum effectum. Hanc virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus, tunc ergò Baptismus verè institutus.*

Thomæ sententiam sequitur Bellarminus lib. de Baptismo cap. 5. Richardus vero 4. sent. dist. 3. qu. 5. art. 1. institutionem Baptismi non ad *passivum* (ut sic loquar) *Baptismum Christi*, quo scil. ipse baptizatus est, sed ad *activum ejusdem Baptismum*, quo scil. per discipulos baptizavit, referendum esse disputat, *Christus*, inquit, *Sacramentum Baptismi prius insinuavit facto, dum à Johanne baptizatus: insinuavit etiam verbo. Joh. 3. Nisi quis renatus ex aqua &c. Instituit facto, dum per discipulos baptizavit Joh. 4. instituit etiam verbo, quando discipulos misit binos & binos. Confirmavit in signo, dum in cruce exivit sanguis & aqua, confirmavit etiam præcepto, Matth. ult.*

(Hæc diversitas opinionum provenit ex eo, quod Baptismũ Johannis negant divina gaudere institutione, eumq; à Christi Baptismo diversum esse asserunt. Nos, *Causam Baptismi instituentem*, dicimus, esse totam Sacrosanctam Trinitatem, quæ Johannem ad baptizandum in Novo Test. primum misit Matth. 3. v. 11. cap. v. 12. Luc. 7. v. 29. *causam Baptismi renovantem seu repetentem ac solenniter promulgantem*, dicimus esse Christum Matth. 28. v. 18. Marc. 16. v. 15.)

25. Bellarmin lib. 2. de Sacram. cap. 9 in verbis Christi (*Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; Qui vero non crediderit, condemnabitur,*) existimat negationem in membro posteriore, ex affirmatione in membro priore esse subintelligendam. Sic enim disserit: *Dico Dominum non dixisse, Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur, non quia hoc non sit verissimum, cum idem Dominus dixerit Joh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei; sed quia non opus erat hoc dicere, cum per se intelligeretur ex eo, quod dictum erat: Qui non crediderit, condemnabitur. Qui enim non credit, consequenter non vult baptizari, & etiamsi vellet, nihil ei prodesset. At in affirmatione oportuit Baptismum addere fidei, quia omnis, qui credit, baptizatur.*

Contrà. Bernhardus Epist. 77. pag. 202. edit. Paris. *Christus caute & vigilanter non repetiit ista verba: Qui verò non baptizatus fuerit: sed tantum, Qui verò, inquit, non crediderit, condemnabitur; nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.*

(Dictum Joh. 3. v. 5. ad quod Bellarminus provocat, loquitur de ordine divinitus constituto, & ab hominibus non spernendo, unde Lombard. lib. 4. dist. 4. lit. E. inquit, *Illud Joh. 3. v. 5.* intelligendum est de illis, qui possunt, & contemnunt baptizari. Confer dicta superius cap. 1.)

26. Baptismum *in nomine Patris & Filii & Spiritus S. & B. Mariæ Virginis* collatum, esse legitimum, docetur lib. 1. Novi Sacerdotalis p. 25. & in Scrutinio Sacerdotali Fabii tract. 2. p. 18.

Contrà. In illius nomine Baptismus conferendus, qui Baptismum instituit, cum quo per Baptismum fœdus inimus, & qui gratiam Baptismo annexam dare potest. At hoc soli Deo competit.

27. Autor libri de Sacris Ceremon. lib. 1. sect. 7. p. 90. *Omnibus Agnus Dei* (imagunculis cereis agni effigiem præ se ferentibus) *baptizatis per Pontificem, vel per ejus Prælatos, surgens Pontifex &c.* Atqui objectum Baptismi ex institutione Christi sunt homines vivi, non cereæ istæ Imagunculæ.

28. Glossa in c. Si non. dist. 4. de Consecrat. *Non vitiatur forma Baptismi, si quid in ea apponatur superfluum, quod admittunt quidam, ut si dicatur: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. & Diaboli; vel, Arma, virumque cano, vel quicquid sequatur, baptizatus est.* (Atqui nomen Diaboli additum sanctissimo Trinitatis nomini vitiat ipsam formam Baptismi.)

29. Costerus in Augment. Enchir. cap. de Intent. Minist. resp. ad object. 1. *Sicut pueri quidam nostra memoria lusu imitati lanios, dum porcos mactant, alii alios revera jugularunt ac occiderunt; ita qui lusu baptizarunt, revera baptizarunt.* (Num vero idem dicet de puero imitante gesticulationes & verba Episcopi confirmantis, vel sacrificuli consecrantis, quod revera confirmaverit ac consecraverit, quemadmodum quis ludens porci instar commilitionem mactaret? Videtur omnino, cum eandem cum sacrificulo & Episcopo habuerit intentionem, idem pronunciaverit verbum, eosdem adhibuerit gestus.

30. c. Nunquid 10. dist. 5. de Consecr. ex Stephano Papa. *Nunquid non omnia chrismata Sacerdotalis mysterii crucis figura perficiuntur? nunquid Baptismatis unda, nisi cruce sanctificata, peccata relaxantur?*

(At hac ratione effectus Baptismi tribuitur Ceremoniis humana adinventione Baptismo additis.)

31. Bessæus in Postill. part. 1. f. 405. (excusa Coloniæ, Anno 1619. translata è Latina lingua in Germanicam per Philipp. Kissing) sic scribit: Daß man die jungen Kinder/ nicht aber die ältere täuffen soll/ kan solches mit keinem Zeugniß der Schrifft erwiesen werden / ja so gar erscheinet das Gegentheil aus der Schrifft/ denn sie saget/ daß nur der jenige/ so da gläubet/ getaufft werden könne welches aber in den jungen Kindern nicht kan statt haben/ wenn sie getaufft werden/ wie geschrieben stehet/ Wer da gläubet und getaufft wird rc. dem aber ungesehen/ täuffen wir die jungen Kinder/ so bald sie geboren werden/ wo kömpt aber solches alles anders her/ als allein von den H. traditionibus?

(Huic Bessæi pronunciato repugnant, quotquot Pædo-Baptismum ex Scripturis probare satagunt, & contrariis Anabaptistarum argumentis ex Scriptura petitis respondent, quod faciunt Gregorius de Valentia, Suarez & alii quamplurimi, ut suo loco fuit demonstratum.)

32. Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus Thomam Cajetanum Cardinalem eo nomine merito reprehendit, *quod infantem idcirco Baptismum habere perfectum neget, quod fide non sit institutus*, in lib. contra Cajetan. error. 87. & 88.

(At quamvis infantes baptizati non sint fide instituti, ex eo tamen evinci nequit, quod fide destituantur. Augustinus Epist. 23. *Sicut eos, infantes, renasci per ministerium baptizantium: ita etiam eos credere per corda & ora confitentium confitemur.*)

33. Innocentius Quartus judicavit, *si quis sic baptizaret: Ego Petrum baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, non esse verum Baptismum*: sed illum reprehendit Adrianus Pontifex in 4. sent. quæst. 1. art. 3. atque etiam Dominicus à Soto in 4. sent. dist. 3. art. 5.

34. Osorius tom. 5. conc. p. 846. *Jubilæum dicere possumus tertium Baptisma.*

Pag. 859. *Quando ad pœnitentiam accedit Jubilæum, tunc procedit ab ea homo, tanquam à fonte Baptismatis liber ab omni peccato, ut nihil sit, quod eum tenere possit, quin in cœlum evolet, si hinc migraret.*

(Sed de hac Baptismi specie altum in Scripturis silentium.)

ARTICULUS XIII.
DE CONFIRMATIONE.

Thesis. Confirmatio non est Sacramentum Novi Testamenti propriè dictum à Christo institutum, sed Ceremonia

remonia quædam Ecclesiastica, non efficiendi, sed significandi tantum vim obtinens.

Ἔκθεσις. 1. Non negamus, fuisse in veteri Ecclesia ritum aliquem, qui diceretur *Confirmatio*. Sed ritum illum dicimus non fuisse Sacramentum vere & proprie sic dictum à Christo institutum, sed fuisse Ceremoniam quandam utiliter ab Ecclesia introductam. Veteres Apostolorum temporibus vicini testantur suo tempore in usu fuisse, ut baptizati Ecclesiarum Præpositis offerentur, quo Spiritum Sanctum per preces ac *manuum impositionem* acciperent, & Dominico signaculo consummarentur ac perficerentur. Sed nihil hoc facit ad probandum Confirmationis Sacramentum. Nam nec impositionem illam manuum vocant *Sacramentum* proprie sic dictum, nec materiæ loco requirunt *oleum & balsamum*, nec formam verborum certam & determinatam exprimunt, sed tantum *de oratione & manuum impositione* loquuntur. Mentionem quidem alicubi faciunt *chrismatis*, sed agunt de unctione, quæ una cum Baptismo ab omnis generis Ministris, non à solis Episcopis fiebat. *Ungebantur autem baptizati, sicut athletæ stadium ingressuri*, inquit Chrysostomus Homil. 6. in Epist. ad Coloss. *Unctus es*, inquit Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 2. *quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus professus es luctaminis hic certamina; qui luctatur habet, quod speret: ubi certamen, ibi corona &c.*

2. Si nomen Sacramenti acciperent *generaliter* pro ritu sacro non multum litigaremus: sed quia Confirmationem voce Sacramenti *strictè acceptâ*, dicunt eo modo esse Sacramentum, quo Baptismus & Eucharistia, negamus, eam esse tale Sacramentum.

3. Manuum impositio Apostolis usitata fuit Sacramentum, id est signum visibile donorum extraordinariorū Spiritus Sancti miraculosè in primitiva Ecclesia collatorum: non autem est Sacramentum à Deo certa materia ac formâ institutum, ut nobis perpetuo Ecclesiæ usu gratiam justificantem conferret.

Antithesis. c. Spiritus Sanctus. dist. 5. de Consecrat. ex Melchiade Papa. *Spiritus Sanctus, qui super aqua Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo totâ ætate victuris inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum roboramur. Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati seculi recipiendos, Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi hujus & prælia reservandos.*

De his 3. dist. ead. ex eodem Papa. *De his vero, super quibus rogâstis vos informari, id est, utrum majus esset Sacramentum, manus impositio Episcoporum, aut Baptismus; Scitote, utrumque magnum esse Sacramentum, & sicut unum à majoribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus fieri non potest, ita & majori veneratione venerandum & tenendum est.*

Sic ergo Sacramentū Confirmationis Baptismo præfertur.)

Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1 decernit, *Confirmationem esse Sacramentum Novi Test. vere ac propriè sic dictum.*

Censura Colon. p. 249. *Baptismate Christianus procreatur, Confirmatione in virum evadit, & perfectus fit Christianus.*

Bellarminus lib. de Sacram. Confirm. cap. 2. *quinque argumentorum generibus* illud probare conatur. cap. 8. docet, *quod materia hujus Sacramenti remota sit oleum balsamo admixtum, atq; ab Episcopo consecratum; proxima vero unctio ex prædicto oleo in fronte adhibita ad formam seu figuram crucis.*

cap. 10. docet, *quod forma ejus sit: Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

cap. 11. disputat, *quod effectus ejus sit duplex, Unus conferre gratiam gratum facientem & quidem majorem, quam ipse Baptismus, in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus, sed minorem in ordine ad remissionem peccati; alter inprimere characterem, quo adscribimur in Christi militiam.*

cap. 12. tradit, *quod minister ejus sit solus Episcopus.*

cap. 13. docet, *quod certis quibusdam Ceremoniis chrisma consecretur, & in illa ipsa collatione hujus Sacramenti adhibeatur.*

Costerus in Augment. Enchirid. de Sacram. Confirm. *In duobus Confirmatio præfertur Baptismo, tum in dignitate Ministri, qui solus est Episcopus, tum in perfectione effectus &c.* Quinimo in c. Ut jejuni dicit. de Consecrat. Confirmatio statuitur absolute necessaria. *Nunquam erit Christianus, nisi in Confirmatione Episcopali chrismatis.*

Nostram sententiam demonstramus,

1. Confirmationis Sacramentum destituitur *mandato* & institutione divinâ. Ubi enim præcepit Christus homines ungi chrismate? ubi mentio fit Elementi illius externi, videl. olei? ubi extat forma illa consecrationis, *Exorciso te per Deum omnipotentem, Patrem, qui cœlum & terram & mare condidit, omniaque quæ in iis sunt, ut omnis virtus Satanæ, omnisq; exercitus Diaboli, omnis insultus, omnes præstigiæ Satanæ radicitus inde evellantur, & fiat illud chrisma cunctis, qui eo unguntur, utile ad adoptionem Dei per Spiritum S. in nomine † Dei omnipotentis Patris, & in charitate Jesu Christi † Filii ejus, qui cum illo vivit Deus verus, & in unitate † Spiritus Sancti?* Ubi extat forma administrationis, *Consigno te signo crucis & confirmo te chrismate salutis &c.*

2. Destituitur etiam *promissione gratiæ*. Ubi enim effectus illi in Scripturis tribuuntur chrismati, *quod conferat gratiam gratum facientem, & characterem indelebilem inprimat?* Ubi extat promissio, *quod Deus per hoc medium spiritualia bona largiri velit?*

3. Destituitur etiam probato *exemplo*. Nullus enim Apostolorum legitur baptizatos chrismate unxisse, ut ad spiritualem luctam adversus Satanam hac ratione armarentur.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Sacramentum hoc à Christo non esse institutum, vel certe ejus institutionem non posse ex sacris literis probari.

Communiter omnes fateri coguntur, *quod non habeatur expressum mandatum de materia hujus Sacramenti, h. e. de chrismate ex oleo & balsamo composito; quod non habeatur præscripta certa verborum forma; quod de signatione frontis per chrisma nihil in sacris literis extet*, unde in his omnibus confugiunt ad traditionem.

Alexander Alensis p. 4. q. 24. membr. 1. scribit, *quod Confirmatio nec à Christo, nec ab Apostolis, sed per Concilium Meldense sit instituta*, (quam esse Alensis sententiam agnoscit Gregorius de Valentia lib. de Num. Sacram. cap. 3. p. 337.)

Bonaventura lib. 4. sent. dist. 7. q. 2. dicit, *chrisma propterea oportere prius sanctificari, quia Christus illud non instituerit & virtute donaverit, sicut Baptismum.*

Biel 4. sent. dist. 7. & ex eo Johannes Altensteig. in Lexico. *De institutione Confirmationis tres sunt opiniones: Una opinio est, quam tenet Alexander, quod Sacramentum illud non est institutum neque à Christo, neq; ab Apostolis, tum quod non legitur in Scripturis, quando vel ubi: tum quod neque Apostoli usi sunt hac materia, neque hac forma, sed sola manuum impositione. Sed dicitur, quod Confirmatio instituta est ab Ecclesia in concilio Meldensi. Hanc opinionem sequitur Bonaventura. Secunda opinio tenet, quod Sacramentum illud sit institutum ab Apostolis, & ab eis collatum & ministratum, qui fuerunt quasi bases Ecclesiæ. Ambas has opiniones reprobavit Sanctus Thomas. Nam cum fundamentum cujuslibet legis in Sacramentis consistat, Sacramenta non possunt institui, nisi per legislatorem. Sed quoniam neque Ecclesia est legislatrix, neque Apostoli legislatores, licet dicantur Ecclesiæ bases, ideo Sacramenta instituere non potuerunt, sed illius est instituere, cujus est Sacramentis efficaciam dare, quod solius Dei est; Unde est tertia opinio, quod sicut cætera omnia Sacramenta novæ legis, ita Confirmatio à Christo instituta est.*

Quamvis vero recentiores omnes statuant, *à Christo eam institutam esse*, tamen non nisi magna cautione & conditione addita, *ex Scripturis hoc Sacramentum probari posse*, asserunt.)

Dominicus Soto 4. sent. dist. 7. art. 1. *Nisi autoritas Ecclesiæ Catholicæ Spiritu Sancto illustrata interpres nobis adesset, testimonia hæc non usque adeo rem demonstrarent.*

Gregor. de Valent. probaturus ex Scripturis hoc Sacramentum, præmittit: *Probamus ex aliquot Scripturæ testimoniis ita intellectis, sicut exposuit traditio Ecclesiastica. Nam etsi Scriptura non exprimat clare totam rationem Sacramenti, tamen ex sententia Patrum in quibusdam Scripturæ locis significatur effectus & alicubi ipse ritus.*

Idem in opusc. de Numero Sacramentorum cap. 3. §. Præterea &c. adducit dictum Alexandri Alensis part. 4. q. 44. in 1. asserentis, *Confirmationem non à Christo, sed ab Ecclesia institutam esse.*

Polydorus Vergil. lib. 5. de Rer. Inv. c. 3. p. 394. primum autorem Confirmationis facit Clementem I. Episc. Roman. qui anno Christi 93 præsedit. *Quod Episcopi*, inquit, *baptizatos postea chrismate inungunt, id Clementis I. præceptum est, qui jusserat, infantes statim post Baptismos confirmatum iri, ratus non esse perfectum Christianum, qui illud sacrum per injuriam non invitus prætermisisset.*

Bellarminus lib. 2. de Confirmatione c. 24. *De Confirmatione institutio & mandatum non habetur expresse in Scriptura.*

Adamus Tannerus tom. 2. Theolog. Schol. Disp. 5. q. 6. dub. 5. n. 83. *Sacramentum Confirmationis per se & directe à Deo praeceptum non est.*

Sed & posito eo, *quod Christus hoc Sacramentum instituerit*, dissentiunt, *quomodo à Christo institutum sit, actune, an mandato solo?* Sunt enim, qui ipso actu institutum dicant.

Leonhardus Janserus in probatione sanctorum Sacramentorum cap. 4. *Autor hujus Sacramenti Christus est, tum conferendo, tum promittendo. Primum conferendo. Ipse enim primus usus est impositione manuum in infantibus, Matth. 19. Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum coelorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Concilium Senonense Decreto 10. Nec obscurius quidem Sacramentum Confirmationis Christus instituit, cum parvulis manus imponeret.*

Contra Suarez Disp. 32. sect. 2. *Verissimum est, Christum Dominum nunquam suis manibus dedisse Sacramentum hoc, imo neque ante ascensionem ejus fuisse ab aliquo ministratum.*

De loco Matth. 18. sic disserit: *Quamvis gratis demus, ibi fuisse aliquo modo adumbratum hoc Sacramentum, quod tamen ibi fuerit institutum, nullo fundamento affirmari potest: ibi enim nulla promissio, nulla materiae & formae designatio legitur, sine quibus Sacramenti institutio esse non potest. Item, verisimile non est, Christum pueros illos confirmasse, quia decuit hoc Sacramentum ante Christi glorificationem non ministrari, & alioqui illi pueri nondum baptizati neque ad hunc finem Christo offerebantur, sed ut ab eo benedicerentur.*

Insuper etiam *de tempore institutionis* invicem discrepant.

Alii maluerunt, *post resurrectionem hoc Sacramentum esse à Christo institutum, quando Apostolis insufflavit Dominus, dicens, Accipite Spiritum Sanctum, Joh. 20.*

Sed illud non probatur Suarezio, utpote nullum reperienti in eo facto hujus Sacramenti vestigium, *non in verbis*, quorum finis, remittere peccata: *non in sufflatione*, per quam donatur Spiritus non ad robur. Consentit Dominicus Soto, cui *ne verisimile quidem visum.*

Alii divinarunt, *institutum fuisse eadem nocte Coena*, quod Suarez non improbavit; *cum nullum queat excogitari tempus commodius.*

(At quibus argumentis Suarez probat, *non esse institutum in sufflatione* Joh. 20. iisdem probari potest, *non esse in ultima Coena institutum.* Adde quod Evangelistae diligentissime annotarint singula, quae Christus ea nocte gessit, sed de Confirmatione nulla apud ipsos occurrit syllaba, non praetermissuri, si à Christo fuisset instituta.)

Probant hoc ex Fabiani Epist. 2. ex Clemente & Cypriano de unctione chrismatis.

(Sed testes hi supposititii, nec *de Confirmatione* agunt, sed *de consecratione chrismatis*, quae non est huic Sacramento propria, sed aliis ritibus communis.)

Inde Durantes de Ritibus Eccles. lib. 1. cap. 20. §. 9. fine circuitione fatetur, *in Concilio Florentino demum plane & aperte constitutum fuisse, Confirmationem esse Sacramentum.*

2. Quod agnoscunt, huic Sacramento jam olim fuisse à quibusdam contradictum.

Holcottus, referente Petro de Aliaco, in 4. sent. negavit, *Confirmationem esse proprie Sacramentum à Christo institutum.* Confer Didacum Nugno tom. 1. in part. 2. Thomae fol. 214.

Æneas Sylvius in Hist. Bohem. cap. 35. memorat, *Waldenses jam olim hoc Sacramentum rejecisse.*

Johannes de Vesalia Concionator Wormaciensis, (qui floruit circa Annum 1470.) reprobavit Sacramentum Confirmationis.

Rationale divinorum officiorum indicat, *jamdudum quosdam fuisse, qui illud improbaverint*, quos vocat *Arnoldistas.*

Alphonsus de Castro lib. 4. advers. haereses, verbo Confirmatio. *Haeresis Graecorum est, ait Guido, Confirmationem non esse Sacramentum. Frater Bernhardus de Lutzenburgo in suo Catalogo haereticorum de Graecis loquens, dicit, eos Sacramentum Confirmationis parvulis statim post Baptismum conferre, & hoc per simplices Sacerdotes &c. Sed sive Graeci hoc teneant, sive illud, hoc certum est, Waldenses hunc errorem docuisse, quamvis Guido de eorum erroribus disserens, nunquam illis hoc tribuat. Tamen Æneas Sylvius, qui postea summus Pontifex effectus, & Pius Secundus dictus est, in libro de Origine Bohemorum cap. 35. errores Waldensium recensens, hunc inter alios illis impingit.*

Georgius Cassander in Consult. artic. 13. p. 951. *De Confirmatione quidam ex Scholasticis scripserunt, gratiam Confirmationis non esse univoce gratiam cum illa, ut quae ideo tantum instituta sit, ut habitum fidei fortiorem reddat, non autem ut habentem digniorem reddat vita aeterna.*

Bellarminus lib. de Confirmat. cap. 1. §. Non sunt &c. *Non sunt ipsi* (Lutherus, Philippus, Brentius &c.) *primi, qui hoc Sacramentum rejecerunt. Nam Johannes Wiclefus in quarto libro Trialogi cap. 14. etsi non omnino videatur hoc Sacramentum respuere, tamen vult, nō posse probari ex Scripturis, & aperte reprehendit Catholicorum sententiam &c. In alio etiam libro, qui forte jam non extat, unctionem chrismatis aperte rejicit, ut Thomas Waldensis testatur tom. 2. de Sacram. cap. 113. Ante Wiclefum Waldenses haeretici idem hoc Sacramentum rejecerunt teste Ænea Sylvio in Historia Bohemica cap. 35.*

Quinimo Innocentius lib. 1. Decretal. tit. 15. de Sacra unctione. §. Ungitur &c. agnoscit, huic Sacramento fuisse jam olim contradictum. *Non judaizat*, inquit, *Ecclesia, cum unctionis celebrat Sacramentum, sicut antiqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neque Dei novere virtutem.*

3. Quod agnoscunt, Sacramentum *Confirmationis* non esse aeque necessarium ac *Baptismus & poenitentia.*

(Ergo etiam non erit aeque Sacramentum ac Baptismus. Non est, quod regeras, etiam Eucharistiam non esse aeque necessariam, quae tamen aeque Sacramentum ac Baptismus, quia Eucharistia habet divinam institutionem, qua Confirmatio destituitur.)

Lovanienses artic. 12. *Confirmatio & Extrema unctio Sacramēta sunt à Christo instituta, sed non ut duo praecedentia Baptismus & Poenitentia ad salutem necessaria, ex contemtu tamen illa omittere est mortale peccatum.*

Toletus lib. 2. Instruct. Sacerd. cap. 24. *Confirmationis defectus non impedit ab aliis Sacramentis.*

Gregorius de Valentia tom. 4. c. 900. disputat contra eos, qui asserunt, *Sacramentum Confirmationis esse necessariū ad salutē.*

4. Dissensiones Adversariorum labefactant hujus Sacramenti veritatem.

Primo, ex Biele modo percepimus, *de Institutione hujus Sacramenti* tres diversas, imo adversas haberi sententias.

Secundo, In Concilio Tridentino *super articulo illo (quod Confirmationis minister sit solus Episcopus) maximas excitavit controversias factum D. Gregorii Papae ministrationem Confirmationis etiam minutis Sacerdotibus permittentis. Franciscani enim adhaerebant doctrinae D. Bonaventurae, quam secutus Scotus cum universo Fratrum Minorum ordine, soli Episcopo ministerium illud tribuentes, & quod in eo genere ordinarius quivis Sacerdos tentare audeat, nullum atque irritum habentes, quam opinionem Hadrianus quoque VI. Papa tenuisse proditur. Respondebant igitur, factum illud Gregorii fuisse permissionem, & ad tempus illud solummodo & fecisse invitum, ne gentibus iis esset offendiculo, aut certe unctionem à Gregorio permissam, Sacramentum Confirmationis non fuisse. At responsum hoc cum D. Thomae minime satisfaceret, quia Papam errore non eximit, temperamentum hoc commentus est, Episcopum quidem proprie ministrum esse Confirmationis, sed quemvis Sacerdotem Papae permissu, eam posse ministrare. Sed hic alteri probabiliter opponunt, Ecclesiae Romanae doctrinam esse absolutam, Ministros videlicet Sacramentorum institutos à Christo; his Papam posse quidem imperare modum ministerii exercendi, sed efficere non posse, ut Sacramentum ministratum ab aliis, quam ab iis, quorum interest, sit validum; aut ut Sacramentum collatum à Ministro juxta Christi institutionem, etsi contra ipsius Pontificis mandatū sit nullū. Quocirca si Christus Episcopū instituerit Sacram. hujus ministrū Pontif. nō posse ministeriū illud Sacerdoti concedere; si Christ. Sacerd. concesserit, Pontificē illud non posse impedire, mirumq; videri, Christum in aliis Sacramentis, quae omnia magis necessaria sunt, ministrum praescripsisse, nulla ejus rei libertate hominibus relicta; in hoc vero, quod usq; ad commodam occasionem differri solet, singulare quiddam adhibuisse, cujus totis sexcentis annis adusq; Gregorii avum ne minima quidem facta mentio. Et articulum fidei cudere voluisse super quatuor verbis per occasionem prolatis. Quod si Epistola illa periisset nemo haud dubie excogitasset distinctionem eam in ejusmodi materia inauditam, nec ad aliud, quam ad hunc Gregorii locum applicari idoneum. Nonnulli neque hujus, neq; illius partis opinionem probantes proponunt, ipsis Concilii Florentini verbis standum neq; ulterius inquirendum. Alii damnandum solummodo, qui diceret, Sacerdotem, non autē solum Episcopum, esse ministrum ordinarium, quod iis verbis utraque opinio possit stabiliri, relicta hinc libertate inferendi, Ergo alius est minister, quia Sacramenta ministrum nullum admittunt, nisi ordinarium.* Petrus Suavis lib. 2. Histor. Concil. Trident. pag. 280.

Ipsum

Ipsum Concilium Tridentinum sess. 7. can. 3 *solis Episcopis* admininistrationem hujus Sacramenti tribuit. *Si quis dixerit*, inquiunt, *sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Quod desumtum ex Eusebii Papæ Epist. 3. *Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, quam à summis Sacerdotibus.*

Alphonsus de Castro lib. 4. advers. hæreses, verbo Confirmatio, non solum *ex Decretalibus Epistolis Pontificum*, sed etiam ex *Actis Apostolicis* illud probare nititur.

Sed jus Canonicum etiam Presbyteris hoc concedit, c. Pervenit. dist. 95. ex Gregorio. *Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere chrismate eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino de hac re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.*

Confer Maldonatum tom. 1. de Sacrament. p. 113. ubi tres *de Ministro Confirmationis* recenset sententias.

Fatetur Alphonsus de Castro d. l. *Hieronymum lib. adv. Luciferianos statuere, esse magis propter honorem Sacerdotii, quam ex legis necessitate decretum, ut solus Episcopus per impositionem manuum Spiritum Sanctum conferat*; sed addit, *magis esse credendum Damaso & Innocentio &c.* Fatetur etiam, *Gregorium permisisse, ut Presbyteri hoc Sacramentum conferrent*, sed addit, *esse permissionem, non concessionem.*

Quidam Dd. negant, *simplices Sacerdotes ex autoritate summi Pontificis posse Sacramentum Confirmationis administrare*, quos refellit Tannerus tomo 4. col 896.

Tertio, Bellarminus lib. de Confirm. cap. 8. ex Scripturis probare conatur, *chrisma esse materiam consecrationis.*

Sed Tolet. in Instr. Sacerdot. lib. 2. cap. 24. disputat, *Apostolos in hoc Sacramento non esse oleo usos, sed sola manus impositione.*

Sanctius in cap. 8. Actor. n. 12. 13. itidem negat, *Apostolos per oleum confirmasse*, quod tamen Bellarminus asserit, notante eodem Sanctio n. 14.

Lorinus in Act. 8. v. 17. *ex institutione Christi & declaratione Apostolorum, atque quodam etiam eorundem usu colligi posse*, asserit, *post prima illa Ecclesiæ cunabula intellectum fuisse, chrisma esse materiam hujus Sacramenti, tamen ab iisdem ab initio non fuisse adhibitum.*

Josephus Angles in Floribus ad 4. sent. quæst. 1. de Confirmat. concl. 1. *Juxta Scholasticos chrisma est necessaria hujus Sacramenti materia: contra crediderant Canonistæ, solam manuum impositionem fuisse loco materiæ.*

Ante illos omnes Panormitanus Canonista de Consuetud. cap. 5. *Apostoli olim conferebant Spiritum Sanctum sola manus impositione. Et quia hodie Prælati non sunt ita beati, fuit institutum, ut illi conferrent hoc Sacramentum cum chrismate.*

Quarto, occasione mixtionis *balsami cum oleo* in chrismate quærunt, *utrum materia hujus Sacramenti substantialiter consistat in utroque tam oleo olivarum, quam balsamo, an vero substantialiter consistat in altero, puta oleo; accidentaliter vero in reliquo, balsamo, ut hoc non sit de necessitate Sacramenti.* Conveniunt in generali axiomate, *chrisma & materiam simpliciter necessariam ad essentiam & substantiam hujus Sacramenti conficiendam.* Sed quando ad species descenditur, tunc abeunt in divortia sententiarum.

Quidam statuunt, *oleum esse proprium ac necessarium, balsamum vero non ex Sacramenti, sed ex præcepti necessitate, quam sententiam & Cajetani &* suam Dominicus Soto 4. sent. dist. 7. art. 2. profitetur.

Gregorius de Valentia *tam illustrium, tamque multorum esse Doctorum* asserit, *ut opposita vix dici possit communis.*

Alii nihilominus maluerunt, *utrumque conjunctim esse de substantia materiæ, atque adeo de necessitate Sacramenti.*

Dominicus Soto inquit, *Universalis fere omnium sententia est, mixtionem balsami esse de substantia Sacramenti, ita quod sine illa nullum esset*; statim tamen negat, *hanc sententiam ab Ecclesia esse definitam.*

In eandem sententiam abit Bellarminus de Confirmat. c. 8. propos. 2. *Materia Confirmationis non simplex, sed oleum mixtum balsamo.*

Toletus in Instruct. Sacerd. lib. 2. cap. 24. *Quæstio est, utrum balsamum sit necessarium in Confirmatione ex necessitate Sacramentorum? Communis opinio ait, alii negant.*

Quinto, *Forma hujus Sacramenti* communiter statuitur ista: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Sed Eckius Homil. 23. de Sacram. monet, *apud quasdam Ecclesias mutari chrisma salutis in chrisma sanctificationis.*

Suarez in Thom. part. 3. q. 65. de hac forma dicit: *Nihil omnino de illa legimus in Scriptura sacra. Si autem ad traditionem confugimus, magnam in antiquis Patribus reperiemus varietatem.*

Sexto, dissentiunt etiam de necessitate Sacramenti.

In Epistola Melchiadis dicitur, *continuo morientibus sufficere Baptismum, sed victuris necessaria esse Confirmationis auxilia, nec debere ea duo Sacramenta divelli, imo ne posse quidem unum sine altero rite perfici.*

Cens. Colon. Dial. 7. p. 250. *Confirmationis Sacramentum probat ex Clementis Epist. 4. in ea Confirmatio ad perfectionem Christianismi requiritur.*

Apud Gratianum can. Ut Jejuni. dist. 5. de Consecrat. *Nunquam erit Christianus, nisi in Confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.*

Sed posteriores hanc sententiam molliverunt. Inde Suarez scribit: *alios dicere, præceptum jure divino tunc duntaxat, cum confitenda fides coram Tyranno, si tamen commode fieri queat: alios esse præceptum, sed duntaxat Ecclesiasticum, non divinum: alios denique nullum esse, sed cujusque permissum arbitrio. Unde Suarez voluntariam omissionem negat ullum esse peccatum ex vi objecti & intrinsecæ obligationis, quandoquidem is actus sit in consilio, non in præcepto, sed per accidens tamen fieri posse peccatum vel veniale, vel mortale, nempe, si contemtus accedat, vel temeritas, vel scandalum, vel quid aliud.*

Gregorius de Valentia tom. 4. in Thomam disp. 3. scribit: *hanc sententiam his temporibus esse communem, nempe ex nullo præcepto aut divino, aut Ecclesiastico teneri homines suscipere hoc Sacramentum, ita ut omittere, cum recipi potest, sit peccatum mortale.*

Septimo, idem Bellarminus lib. ejusd. c. 2. §. Restat, probaturus, *Confirmationem niti divino mandato*, inter cætera sic scribit: *Nunquam Apostoli ita ordinarie & secure imposuissent omnibus baptizatis manus, nisi Dominus hoc eis mandasset.*

Sed in eodem cap. §. Hæc quoque solutio &c. contrarium statuit. *Non ostendent*, inquit, *Adversarii, ubi mandaverit Dominus Apostolis, ut manus imponerent ad Spiritum Sanctum recipiendum &c. Neq; ostendent, Apostolis usquam factam esse promissionem, ut, cui manus imponerent, daretur Spiritus Sanctus.*

Argum. Advers. 1. 2. Cor. 1. v. 21. *Qui confirmavit nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos Deus. v. 22. qui & signavit nos, & dedit pignus Spir in cordibus nostris. Hæc omnia conveniunt huic Sacr.*

Respod. De hoc dicto egimus præcedente art. 11. cap. 2. thesi 4. arg. 1. huc addimus ex Vasquez tom. 2. in p. 3. Thom. Disp. 134. cap. 1. n. 4. 5. *locum hunc Pauli, qui tamen nullam facit externorum mediorum mentionem, melius referri ad duo Sacramenta, cumprimis ad Baptisma, quam ad Confirmationem.*

Argum. 2. ex 1. Joh. 2. v. 27. *Unctio manet in vobis.* Rayhing. in Ench. Cath. p. 553.

Resp. 1. Lyranus in h. l. *Unctio gratiæ, quam accepistis in Baptismo, maneat in vobis. In potestate enim hominis est illam gratiam conservare, quia Deus non subtrahit gratiam suam ab aliquo, nisi ipse prius subtrahat se à Deo per malam voluntatem.*

2. Estius in h. l. *Unctionis seu chrismatis vocabulo gratia Spiritus Sancti significatur, vel potius ipse Spiritus Sanctus, quo, velut oleo spirituali mentes suorum fidelium Christus perfundit & irrigat, multiplicem eis gratiam largiendo, tum doctrinæ & essentiæ, tum sanctitatis & virtutum. Sumta metaphora ab unctione corporali, qua consecrabantur olim Reges & Sacerdotes, utrique ad officium suum digne & sancte exequendum. Unde & Christiani Reges & Sacerdotes vocantur 1. Petr. 1. & Apoc. 1.*

(Nec est, quod regerant, *principaliter quidem Johannem loqui de Spiritu Sancto, sive de interna & spirituali unctione, non autem unice, sed simul de Spiritu Sancto & de Sacramento Confirmationis ac chrismate, quod in illo adhibetur.* Una enim vox non potest simul *proprie & tropice* in uno sermone usurpari.)

3. Confugiunt quidem ad Cyrillum Hierosol. Catechesi 3. Sed Bellarminus ipse lib. 2. de Sacram. c. 27. §. Secundo dico fatetur, *Cyrillum loqui de unctione, quæ fiebat tempore Baptismi.*

(Idipsum probat contextus, quia Cyrillus loquitur de unctione non solius frontis, sed etiam aliarum partium corporis.)

Argum. 3. *Apostoli imposuerunt manus baptizatis, & per illam impositionem manuum contulerunt Spiritum Sanctum.*

Alphonsus de Castro lib. 4. advers. hæres. verbo Confirmatio.

tio. *Per impositionem manuum orationi conjunctam Apostoli conferebant Confirmationem.*

Resp. 1. Pontificii statuunt, *chrisma esse materiam hujus Sacramenti.* Atqui nulla hic fit mentio chrismatis. Excipit quidem Alphonsus d. l. *Etsi unctio chrismatis ibi subticeatur, nihilo tamen minus certum esse, Christum ita jussisse, ut confirmandus chrismate ungeretur, & Apostolos ita fecisse, ut Christus illis praeceperat. Nam Fabianus Papa & Martyr in Epistola ad Orientales Episcopos hoc asserit, quem Lutherus nec velut recentem & trecentenarium, ut solet, rejicere potest, quoniam ante mille & ferme trecentos annos sub Decio Imperatore Martyrio coronatus est.*

(Atqui ostendimus suo loco, Decretales illas Pontificum Rom. Epistolas, etiam ipsorum saniorum Pontificiorum suffragio, esse supposititias.

2. Ceremonia illa non fuit perpetua, Act. 11. v. 23. cap. 14. v. 21. cap. 15. v. 39. ac dona illa Spiritus Sancti non fuere *sanctificantia*, sed *ministrantia*.

3. Quod si vero Apostoli impositione manuum Confirmationis Sacramentum administrarunt, cur eam quandoq; omiserunt? cur in Papatu non omnes confirmantur? cur Confirmationis Sacramentum liberum relinquitur, modo non contemnatur? cur non contenti sunt manuum impositione, sed insuper addunt chrismatis in fronte illitionem?

4. Ex promissione miraculosae effusionis donorum Spiritus Sancti & impositione manuum, quam Apostoli adhibebant, velle conficere, quod Confirmatio, sive manuum impositio sit Sacramentum, perinde est, ac si quis vellet hoc modo concludere, *Promissio extat, Messiam aperturum oculos caecorum* Es. 35. v. 5. *at hoc fecit linimento sputi* Marc. 8. v. 23. Joh. 9. v. 6. *Ergo linimentum sputi est Sacramentum.*

Argum. 4. *Cum Dominus Jesus sit Messias unctus, & nos ab eo Christiani dicamur, decuit sane, ut ille nobis unctionem sacram institueret chrismatis, ut & nos inuncti perfecti sic demum efficeremur Christiani.* Eccius Homil. 24. de Sacramentis.

Resp. Christus non est unctus *oleo externo & corporali*, sed *interno ac spirituali*, videlicet Spiritu Sancto. Ergo & nos Christianos facit non externo & corporali unguento, sed interna & spirituali unctione, videl. donatione Spiritus S.

Didacus Stella in cap. 4. Luc. *Dicitur (Christus) unctus in Regem, in Pontificem, in Prophetam, quod totum illi contigit in instanti conceptionis suae.*

Toletus ibid. *Causam exprimit, cur super eum Spiritus venerit, quia nempe ad hoc munus obeundum jam ante idem Spiritus eum unxerat, nempe, quando conceptus est & divinitati unitus, tunc enim omnem plenitudinem accepit.*

Maldonatus ibid. *Omnes antiqui autores non aliter Christum, quam ipso Spiritu Sancto, abunde ac largiter in ipsum effuso, unctum interpretantur.*

Argum. 5. Hebr. 6. v. 2. *Mentio fit impositionis manuum, eademque conjungitur cum Baptismo, cum fide, cum poenitentia, aliisque rebus, quae pertinent ad salutem, imo ad fundamenta religionis. Per hanc manuum impositionem Confirmationis Sacramentum significari* statuunt Lyranus, Carthusianus, Tirinus & alii.

Resp. 1. Cajetanus ad h. l. sic annotat: *Haec ad prima fidei Sacramenta in primitiva spectabat Ecclesia. Unde Paulus quaesivit, si Spiritum Sanctum accepistis credentes. Dabatur enim per illam Spiritus Sanctus in testimonium fidei, & dabatur statim post Baptismum adultis, ut patet in Actis Apostolorum.*

(Ergo peculiaris primitivae Ecclesiae ritus notatur.)

2. Gagnaeus ibid. *de Spiritus Sancti gratia, quae per impositionem manuum in Baptismo confertur, sermonem esse* asserit.

Contra Salmero ibid. *Omnes istae manuum impositiones non erant pro initiali & Elementaria doctrina, de qua hic est sermo & in illa, quae in Confirmatione fit, datur Spiritus ad robur fidei, & ad publice & intrepide profitendum nomen Jesu, & ad progressus magnos in via Christi faciendos. Reliquas manuum impositiones Apostolus non attingit, quia illi, de quibus ibi sermo est, non promovebantur ad sacros ordines, neque prolapsi à fide ad reconciliationem per manuum impositionem admittebantur ante Baptismum. Quare verisimilius mihi semper visum est, loqui Apostolum de initiali impositione manuum super Catechumenos & Energumenos ad expellendos Daemones & ad praeparandos eos ad suscipiendum Baptismum, de qua antiquissimi Patres mentionem fecerunt.* Idem cum Salmerone statuit Benedictus Justinianus in Comm. illius loci.

4. In Sacramento Confirmationis hodie non adhibetur manuum impositio tanquam *materia vel forma hujus Sacramenti*, sed tanquam externa quaedam circumstantia. Materiam enim hujus Sacramenti remotam dicunt esse, *oleum balsamo mixtum*; proximam, *unctionem ex illo oleo in fronte adhibitam*. Formam dicunt esse haec verba: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine &c.*

Concil. Moguntinum c. 18. *Diligenter populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporib. Apostolorum ex eorundem traditione, adhibita chrismatis unctione, coeperit conferri. Nam cum initio Spiritus S. ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem signo visibili influeret Confirmatis, externa unctione, qua illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea vero, adulta Ecclesia & stabilita fide, cum signa externa apparere cessaverint, nec jam amplius Spiritus S. visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi, unctio chrismatis adhiberi coepit.*

Tapperus art. 12. *Determinationem materiae & formae h. e. certi signi sensibilis, sub quo Spiritus S. daretur, Christus & Apostolis suae Ecclesiae praepositis reliquit. Qui Apostoli primo vel suo Spiritu Apostolico, vel Christi suggestione utebantur manuum impositione, tanquam hujus Sacramenti materia.* Et postea. *Quando linguae, ut caetera miracula, cessabant, oportebat ob confusam, incertam & indistinctam manus impositionis significationem, proprium & determinatum signum institui atq; assumi. Ad varios namq; effectus Apostoli manus imponebant.* Et postea. *Et visum est Apostolis, convenientissimum fore, quod hoc signum institueretur in chrismate ab Episcopo consecrato una cum certa verborum forma, quibus hactenus utitur & utetur semper Ecclesia Catholica &c.* Idem illustrat exemplo. *Sola manus impositione Sacramentum ordinis olim conferebatur, nunc autem alia materia & verba sunt praescripta &c. Nunc consistit in consignatione per sacrum chrisma, quod ab Apostolis conferebatur in sola manuum impositione.*

(Si ergo materia impositionis manuum mutata, quomodo erit eadem?)

5. Suarez in part. 3 Disp. 55. sect. 2. *Interdum actio Sacramentalis à circumstantiis nomen accipit, sicut Confirmatio appellatur interdum manus impositio.*

Idem Disp. 32. sect. 4. *Dicendum est, illam priorem simplicem manus impositionem ab Apostolis usurpatam, revera non fuisse Sacramentum Confirmationis, quod nunc habemus: quia in ritu sensibili valde differebat: imo nec simpliciter Sacramentum fuisse, quia non erat Ceremonia stabili & firma lege instituta &c.*

6. Bellarm. lib. de Confirm. c. 9. § Quod vero &c. *Quidam Scholastici dicunt, Apostolos vario modo ministrasse hoc Sacramentum, ac primis quidem temporibus, quia visibiliter descendebat Spiritus Sanctus, non usos fuisse eos ulla unctione, sed simplici manus impositione, siquidem effectum internum satis testabatur externus ille ignis, qui divinitus apparebat. At postea, cum formae illae visibiles cessassent, tum adhibere eos coepisse unctionem, ut per eam significarent id, quod antea visibili specie divinitus apparente significabatur.*

Argum. 6. Guilielmus Bailius Jesuita in Catech. Controv. tract. 1. quaest. 1. & tract. 3. q. 9. conjungit nos *cum Novatianis propter negatum Confirmationis Sacramentum.*

Resp. 1. De Novatiano & sectatoribus ejus nihil tale proditum fuit, vel ab Epiphanio, vel ab Augustino, vel ab aliis melioris notae haereseologis.

2. Hoc tantum de Novatianis refert Theodoretus lib. de haeret. fabul. *quod sacrum chrisma non praeberent iis, quos tingebant*, ubi agit *de chrismate Baptismali* illis temporibus usitato, non de unctione extra Baptismum, qualis est ea, quae ad Confirmationem adhibetur in Ecclesia Papali.

3. Optatus Milevitanus (ad quem Jesuita provocat) lib. 2. contra Parmenian. ne de Montano quidem, multo minus de Confirmatione, vel re quadam affini loquitur. Conqueritur tantum, *quod Donatistae quosdam Episcopos ac Presbyteros deponendo, unctionem, quam à Deo acceperant, contempsissent.* Verum unctio Presbyterorum non est unctio Confirmationis. Praeterea Ephrem tract. 1. de Sacerd. docet, *suo tempore nulla visibili vel materiali unctione unctos fuisse, qui ad Sacerdotium promovebantur. Populus*, inquit, *qui ante nos erat, cornu olei ferens ad Sacerdotium promovebatur: nos vero servi inutiles Dei benedicti, non cornu, non oleum sensibile sumimus: sed ipse, qui est brachium excelsum atque tremendum, ex coelo descendens, suum nobis per impositionem manuum donat Spiritum.*

Argum. 7. *Patres per impositionem manuũ describunt Confirmationis Sacramentum. Cyprianus ad Jubajanum Epist. 73. Hieronymus adversus Luciferianos, Augustinus, tract. 6 in Joh.*

Resp. 1. Erat apud veteres in more positum, ut baptizati Eccle-

Ecclesiarum Præpositis offerentur, quo Spiritum Sanctum per preces ac impositionem manuum acciperent, & Domini signaculo consummarentur ac perficerentur. Sed hanc impositionem manuum non vocant *Sacramentum proprie dictum*, nec materiæ determinatæ, balsami & olei, nec certæ verborum formæ mentionem faciunt.

2. Hieronymi verba d. l. sic habent: *Non quidem abnuo, hanc Ecclesiarum esse consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat. Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresin transferas?*

Et postea: *Quod si hoc loco quaris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manum Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem omnes asserimus in vero Baptismate tribui: disce hanc observationem ex ea autoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit: & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus defluit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros aut Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

(Jesuitis Confirmatio est *Sacramentum proprie dictum*, Hieronymo *consuetudo*. Jesuitis *instituta est à Christo*, Hieronymo *sufficit Baptismus* ad conferendum Spiritum Sanctum. A Jesuitis materiæ loco requiritur *oleum & balsamum*, ab Hieronymo *impositio manuum*. Jesuitis institutum est Confirmationis Sacramentum *ad salutem eorum, qui confirmantur*, Hieronymus docet, hanc observationem *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem* fuisse usurpatam.

3. Ipsimet Pontificii fatentur, se non posse hujus Sacramenti formam altius deducere, quam à Concilio Florentino.

(Frustra ergo in Patribus, qui aliquot seculis ante Concilium Florentinum vixerunt, quærunt.)

4. Augustinus d. l. loquitur *de impositione manuum ante Baptismum*, ut apparet in ipsis verbis; *Quando imposuimus manum istis infantibus &c.* De eadem loquitur lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. cap. 26. *Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis puto sanctificari*, ubi teste ipsomet Bellarmino lib. 1. de Bapt. cap. 25. loquitur *de impositione manuum ante Baptismum*. Ergo de eadem etiam accipiendus locus adductus ex tract. 6. in Epist. Johan. De illo enim Sacramento loquitur, *per quod Spir. S. accipimus*.

Argum. 8. *Patres sæpe mentionem faciunt chrismatis ac unctionis. Per illam intelligunt Sacramentum confirmationis.*

Resp. Loquuntur de unctione illa, quæ olim fuit *Baptismi appendix*. Patet hoc ex illis ipsis Patrum dictis, quæ pro stabiliendo *Confirmationis Sacramento* Pontificii adducunt.

1. Clemens lib. 3. Constitutionum capite 16. *Tu igitur, Episcope, unges oleo sancto caput eorum, qui baptizantur, sive viri sint, sive mulieres, in typum spiritualis Baptismi. Deinde aut tu Episcope, aut Presbyter tuus facta super eos nominatim sacra invocatione Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizabis, postea Episcopus baptizatos chrismate ungat. Baptismus igitur datur in mortem Filii Dei, aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu Sancto, sigillum pro cruce. Unguentum confirmatio confessionis est, Patris commemoratio tanquam causæ & mittentis; Spiritus assumtio tanquam testis; mergi, commori est; emergere, una resurgere.*)

(Hujus loci partem priorem Bellarminus adducit pro Confirmationis Sacramento. Sed quilibet videt, omnia uno tenore explicari tanquam pertinentia *ad Baptismum*. Idipsum etiam manifestum ex lib. 7. cap. 22. *Unges primum oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis unguento.*)

2. Nazianzenus orat. 40. *At si tu per Baptismum teipsum obfirmaveris, ac præclarissimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet & corpus unctione & Spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo primigenorumque tuente cruore &c.*

(Hunc locum Bellarminus pro Confirmatione adducit. Atqui tota illa oratio est de Baptismo, ac verba ipsa satis sunt diserta. εἰ δὲ προκαταλάβοις σαυτὸν τῇ σφραγῖδι, καὶ ἀσφαλίσαιο τὸ μέλλον ... ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι, *Si præoccupaveris teipsum signaculo signans animam corpusque chrismate*. Conjungit igitur utrumque, signaculum Baptismi & chrisma, unde Billius ad marginem annotavit, *unctio Baptismatis*.)

3. Pacianus lib. de Baptismo. *Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi lavacri & chrismatis & Antistitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, chrismate Sanctus Spiritus superfunditur: utraque vero ista manu & ore Antistitis impetramus. Atque ita totus homo renascitur & innovatur in Christo.*

(Hunc locum itidem Bellarminus pro Sacramento Confirmationis adducit. Sed ut *Antistitis Sacramentum* non est distinctum *à Sacramento lavacri*, ita quoque *chrismatis Sacramentum* non est *à Sacramento lavacri aliud*, sed hæc tria ad unum pertinent Sacramentum. Idipsum patet ex subjecto regenerationis & renovationis effectu, quem Baptismo competere, notum ex Tit. 3. v. 5.)

4. Theodoretus in Cantic. super verba, *Unguentum effusum nomen tuum. Si magis etiam mystice vis intelligere, sacri Baptismatis mysterium recordare, in quo qui initiantur, post Satanæ abnegationem & Dei confessionem, veluti signo ac nota regia spiritalis unguenti chrismate uncti, sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt*; (quem locum Suarez pro astruendo Confirmationis Sacramento recitat.)

5. Damascenus lib. 4. cap. 10. *Corporali specie tanquam columba descendit Spiritus Sanctus in Dominum, primitias nostri Baptismi insinuans, super autem sanctos Apostolos in forma ignis descendit. Oleum in Baptismate assumitur* βαπτίσματι παραλαμβάνεται, *unctionem nostram significans, & Christos nos efficiens, & oleum Dei per Spiritum Sanctum nobis promittens*; (quem locum Bellarminus ad Confirmationis Sacramentum detorsit.)

6. Justinus q. 137. *Si ante Sepulturam Maria unguento Dominum unxit, nos autem in Baptismo symbola signaque passionis & resurrectionis referentes, celebramus, quomodo primum oleo ungimur, ac deinde cum sacro lavacro, quæ dicta sunt, symbolis peractis unguento consignamur denique?*

(Tres Baptismi partes enumerat, primam *unctionem*, alteram *lotionem*, tertiam *consignationem*, prout etiam est descriptio Dionysii Areopagitæ Eccles. Hierarch. cap. 2. cujus titulus περὶ τῶν ἐν φωτίσματι τελουμένων, de iis quæ fiunt in Baptismo. Utrumque locum Justini & Dionysii Bellarminus pro Confirmationis Sacramento adducit.)

7. Quid quod Alfons. de Castro lib. 3. adv. hær. verbo Baptismus, hæresi 7. *ad unctionem, quæ in Baptismo olim adhibita*, refert dicta Damasceni lib. 4. de orthod. fide cap. 10. Ambrosii lib. 1. de Sacram. Dionysii Aropagitæ de Eccles. cap. 2. quæ Bellarminus & alii ad *Sacramentum confirmationis* applicant.

ARTICULUS XIV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ,

CAPUT. I.

De Appellatione hujus Sacramenti.

THESIS. Sacramentum Eucharistiæ recte vocatur *Cœna Dominica*.

Ἔκθεσις. Non repudiamus alias hujus Sacramenti appellationes, nec veremur *Eucharistiæ* nomine uti, interim etiam *sacræ ac Dominicæ Cœnæ* appellationem illi competere, eandemque ex usu Ecclesiastico nequaquam abolendam esse, statuimus.

Antithesis. Sanctesius in Repetitionibus de rebus Eucharistiæ controversis Repetit. 6 cap. 1. negat, *nomē Cœnæ institutioni tanti Sacramenti proprie competere*, negat *illud è Scripturis prodire*, negat *purioribus Ecclesiæ seculis frequens fuisse*.

Jesuitæ Dillingenses in Assertionibus super 1. Timoth. appellationē Cœnæ Dominicæ *ad profanas vocū novitates* referunt.

Croquetius Catechesi 124. *Nomen quo uno ac solo hæretici suum nuncupant Sacramentum, est Cœna Dominica, in qua re attendant Catechumeni, quantum stultitiæ sit & veneni.*

Maldonatus in cap. 26. Matth. v. 26 *Ridicula est Lutheranorum inscitia, qui quasi satis non haberent, si rebus, nisi etiam verbis hæretici essent, noluerunt corporis & sanguinis Christi Sacramentum Eucharistiam, ut nos, sed Cœnam appellare, ut se non solum religionis, sed etiam linguæ reformatores profiterentur. Atqui nullus in sacris literis locus est, ubi hoc Sacramentum Cœna vocetur &c.*

Et postea: *Sine Scripturæ autoritate, sine veterum autorum exemplo, sine ratione, nullo judicio Cœnam vocant, cum potius merenda, si post prandium; prandium, si ad meridiem; jentaculum, si mane sumunt, vocari deberet.*

Idem in cap. 13. Johan v. 2. *Eucharistiam nemo Evangelistarum aut Apostolorum Cœnam vocat.*

Et postea: *Nunquam Cœna, nisi à novis hæreticis, est vocata.*

Fra

Frater Meurisse Franciscanus in tractatu de nomine Missæ adversus Franciscum Oyseum argumenta Maldonati repetit, eademque sua facit.

Nostram sententiam probamus hoc argumento.

Quæ appellatio 1. est ἔγγραφος. 2. habet exempla in Patribus. 3. ac rei ipsi convenit, ea non est ex usu Ecclesiastico eliminanda. Talis est appellatio Cœnæ Dominicæ.

Nam. 1. diserte extat 1. Corinth. 11. v. 20. ubi circumstantiæ textus, præsertim vero connexio versiculi 23. cum præcedentibus ostendunt, Apostolum non solum *de vulgaribus illis epulis* in publico olim acceptis, atque *Agapis* dictis, sed etiam *de Sacramento Eucharistiæ* loqui, cujus abusus, qui in Ecclesiam Corinthiacam irrepserant, repetita Christi institutione taxat, unde etiam veteres interpretes Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Beda, Oecumenius, Anshelmus in h. l. & Augustinus Epist. 118. ad Januar. de Mysterio Eucharistiæ verba Apostoli accipiunt.

2. In usu est antiquissimis Ecclesiæ Patribus.

Ignatius Epist. 7. dixit δοχὴν ἐπιτελεῖν, *convivium*, scil. Domini, *celebrare.*

Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 4. *Quis ad Convivium illud Dominicum, quod infamant, sine suspicione dimittet?*

In Apolog. cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit vocatur enim ἀγάπη, quod dilectio penes Græcos est.*

Cypriano tribuitur sermo *de Cœna Domini.*

Chrysostomus Homil. 24. in 1. Corinth. τὸ μὴ κοινωνεῖν τῶν μυστικῶν δείπνων ἐκείνων, λιμὸς καὶ θάνατος. *Mysticarum illarum Cœnarum non esse participes, est fames & mors.*

Idem in serm. ad scandalum passos. ὁ τραπέζης κοινωνήσας μυστικῆς, ὁ δείπνου μετέχων φρικωδεστάτου.

Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 12. vocat *Cœnam Dominicam.*

Serm. 33. de Verb. Dom. *O, qui ad Cœnam venitis, nolite diligere mundum.*

Basilius in regulis breviorib. reg. 310. vocat *Cœnā Dominicā.*

Nazianzenus orat. 2. *Cœnam Evangelicam.*

Idem in Tragœd. Christus patiens. Μύσταις ἄριστον παραθεὶς δεῖπνον μέγα.

Nicetas in orat. 42. Nazianz. *Cœnam mysticam.*

Nilus in Parænetieis cap. 12. *Ab omni corruptione sustine, & mysticæ cœnæ omni die particeps fias. Sic enim Christi corpus nostrum fieri incipit.*

Autor sermonum septem de proditore & mysteriis Cœnæ apud Chrysostomum in 1. *Qui sacratæ hujus Cœnæ indigno participatur accubitu, non cum Petro perveniet ad salutis portum, sed sustinebit cum Juda sine reparatione naufragium.*

Hesychius lib. 7. in Levit. cap. 24. *Quemadmodum Apostolis Dominus, sic & ipsi nobis divinæ Cœnæ communionem tradiderunt.*

(*Quid ergo frontis Maldonato, qui hoc Sacramentum nunquam, nisi à novis hæreticis, Cœnam vocatam fuisse* asserit?)

3. Optime convenit huic Sacramento. *Cœna* enim vocatur, quia divinum hoc epulum nocte ea, qua Christus traditus est, post cœnam vulgarem & agni paschalis esum ab ipso fuit institutum. *Dominica Cœna* vocatur, tum quia à Christo Domino nostro instituta est; tum quia verum corpus & verus sanguis Christi Domini nostri in ea distribuitur, quo ipsa à cœnis vulgaribus longissimo intervallo distinguitur; tum quia in memoriam mortis Dominicæ celebratur 1. Cor. 11. v. 26. tum quia diebus utplurimum Dominicis in Ecclesia Apostolica celebrari consuevit, Actor. 20. v. 7. Confer Casaubonum Exercit. 16. sect. 23.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Sacramentum hoc sine scrupulo vocant *Cœnam Dominicam, sacram, mysticam, &c.*

Gregorius Episcopus Romanus Homil. 36. in Evang. *Hoc convivium Dei non prandium, sed Cœna vocatur, quia post prandium Cœna restat, & quia æternū Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit, ut hoc non prandium, sed Cœna vocaretur.*

Innocentius Tertius Pontifex Romanus lib. 4. de Myst. Missæ cap. 12. *Quæri solet, quale corpus suum Christus in Cœna dedit, mortale, an immortale?*

Nicolaus Papa c. Porro Gloria &c. dist. 1. de Consecrat. *Gloria in excelsis Deo ab Episcopis in Cœna Domini inter Missarum solennia more nostro dicenda est.*

Soter Papa c. In Cœna. dist. 2. de Consecrat. *In Cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur.*

Fabianus Papa c. Literis. dist. 3. de Consecrat. *Literis vestris inter cætera insertum invenimus, quosdam religionis vestræ Episcopos à vestro nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini chrisma conficere.*

Bernhardus scripsit sermonem *de Cœna Domini.*

Dominicus Graminea Thesauro 1. de Sacramento Eucharistiæ, non procul à fine. *Appellatur Sacramentum Eucharistiæ Cœna Domini & mensa & Convivium, in quo sese exhibens nobis Dominus dominantium & Rex Regum omnia sua bona communia ipsis communicantibus offert. Cœna insuper Domini appellatur, non propterea, quod vel illâ tantum hora, vel quod nonnisi ab opipare saturis & vino ebriis celebrari debeat, sed quia hæc, quæ nunc celebratur in Ecclesia, eadem est, quæ celebrata fuit à Christo cum discipulis, licet non eodem tempore & hora celebretur. Non enim hic alia esca & alius potus proponitur, sed omnes quotquot ab ipsius Cœnæ institutione usque nunc & ad diem quoque judicii hoc Sacramentum sumserint, non nisi illam Dominicam Cœnam celebrant, & omnes eandem escam & eundem potum sumunt.*

Bellarminus lib. 3. de Euchar. cap. 17. §. 3. *Si ab institutione & verbis Cœnæ non pendent nisi Symbola illa & eorum significatio, ergo Sacramentum Cœnæ nihil omnino est, nisi symbolum externum, significans corpus Christi.*

§. 4. *Si Christi corpus reipsa & ore corporali non sumitur, sequitur, aut esse inanem Cœnam Domini, aut saltem spiritualiter sumi &c.*

§. 5. *Si Corpus Christi est ubique, non egemus Cœna Domini.*

§. 7. *In Cœna Domini Christi corpus sumitur efficaciter.*

Quinimo tota Ecclesia Romana in Sequent. festi corporis Christi hac appellatione utitur, quando sic canit:

Quod in sacra mensa Cœnæ,
Turbæ fratrum duodenæ &c.

2. Quod agnoscunt, Apostolum 1. Corinth 11. v. 20. nomine δείπνου Κυριακοῦ intelligere Sacramentum Eucharistiæ,

(Quod si enim Apostolus hac voce utitur, utique ea non est ex usu Ecclesiastico repudianda.)

c. Liquido dist. 2. de Consecrat. ex Augustino. *Cum, ait Apostolus, de hoc Sacramento loquens, propter quod fratres, cum conveneritis ad manducandum, invicem expectate, si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium convematis, statim subtexuit, qui ad ejusdem Sacramenti ordinem pertinent.*

Lombardus in 1. Corinth. 11. *Dominicam Cœnam dicit acceptionem Eucharistiæ, quam non debent pransi sumere.*

Thomas ibid. *Non est, id est, non licet, vel non competit vobis Cœnam Dominicam manducare, id est, sumere Eucharistiæ Sacramentum, quod Dominus in Cœna discipulis dedit, hoc enim Sacramentum, ut Augustinus dixit super Johannem, est Sacramentum unitatis & caritatis.*

Et paulo post super verba, *Ego enim accepi à Domino. Dixi quod jam non est vobis, Cœnam Dominicam manducare, Sacramentū.*

Hugo Cardinalis ibid. eodem modo exponit.

Glossa ordinar. ibid. *Dominicam Cœnam dicit acceptionem Eucharistiæ, quam non debēt pransi sumere, vel mensis suis miscere, ut hi, quos Apostolus arguit, sed jejuni in honorem tanti Sacramenti.*

Lyranus ibid. *Hic tertio arguit Apostolus Corinthios, de hoc, quod male se habebāt circa Sacramentum Eucharistiæ, quantum ad cibum, quod aliqui eorum pransi sumebant corpus Christi, sumentes argumentum ex hoc, quod Christus post Cœnam hoc Sacramentum instituit & discipulis dedit.*

Et postea: *Convenientibus vobis, scilicet ad participandum Eucharistiæ Sacramentum. Jam non est Dominicam Cœnam manducare, id est, non licet vobis &c.*

Dionysius Carthus. ibid. *Dominicam Cœnam manducare, id est, Eucharistiam sumere, quæ in Cœna novissima fuerat instituta.*

Stephanus Durantus Supremus Curiæ Tolosanæ Præses lib. 1. cap. 1. eodem modo locū illum exponit. *Mysticum, inquit, Christi convivium, in quo fideles sacri corporis & sanguinis Domini participes fiunt, non Cœnam communem, sed Cœnam Dominicam Paulus 1 Cor. 11. appellat.*

Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 37. *Cœna Dominica ex institutionis tempore à D. Paulo dicitur.*

Salmero in 1. Cor. 11. *Exprimitur causa prædicti abusus. Nam convenientibus illis in unum, si locum, ad celebrandam Cœnam Dominicam, quasi unius patrisfamilias familiaribus, jam non est, vel non licet Cœnam Dominicam edere, quomodo olim Christus discipulos una mensa omnes excepit.*

Et paulo post: *Notantur Corinthii, quod in sacro epulo & spirituali profana symbola commiscerent.*

Colo-

Colonienses in Enchirid. *Exemplo D. Pauli hoc Sacramentum Dominicam Cœnam appellari agnoscunt.*

Catechismus Trident. cap. de Euchar. *Vetustissimi Patres Apostolorum autoritatem* in loco 1. Cor. 11. v. 20. propositam) *secuti, Cœnæ etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt.*

Bellarmin. lib. 2. de Missa c. 10. §. Secundo. *Theodoretus & alii veterum probabiliter docent, Paulum de Eucharistia loqui 1. Cor. 11. cum Cœnam communem privatæ opponit.*

Gregorius de Valent. tom. 4. Disp. 6. q. 1. puncto 1. *Vocari solet hoc Sacramentum Cœna Domini, sicut appellavit Apostolus 1. Cor. 11. & Chrysostomus Homil. 1. de Cœna Domini: quam sane appellationem, tanquam à veteribus Patribus usurpatam, commemorat Catechismus Romanus, neque vero eam improbat &c.*

3. Quod agnoscunt, à Patribus in Ecclesia primitiva hanc appellationem fuisse Sacramento Eucharistiæ attributam.

Pamelius in annotat. ad Tertullian. lib. 2. ad uxorem cap. 4. *Quis ad convivium illud Dominicum, quod infamant, sine suspicione dimittit?* sic notat: *Missa Christianorum.*

Baronius Anno 34. n. 43. *Constat Cœnam Domini (sic enim Patres appellare consueverunt institutionem sacratissimæ Eucharistiæ, idemque esse manducare Cœnam Dominicam, quod Eucharistiam sumere Augustinus demonstrat &c.) fuisse distinctam à Cœna Agni Paschalis.* (Verba Augustini hæc sunt Epist. 118. *Apostolus alibi dicit, Convenientibus ergo vobis in unum, non est Dominicam Cœnam manducare, hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam Cœnam vocans.*)

In margine notat Baronius. *Sic censuisse omnes Patres, qui locum illum ex 1. ad Corinth. sunt interpretati.*

Catechismus Tridentinus in Tract. de Sacram. altar. de Eucharist. cap. 4. *Vetustissimi Patres Apostolorum autoritatem secuti Cœnæ etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissima Cœna salutari mysterio à Christo Domino sit instituta,* (ubi citat locum Pauli ex 1. Cor. 11.)

Suarez in 3. p. Thom. de Sacrament. Disput. 73. art. 4. *Ego vero video, antiquos Patres sæpe hoc nomine appellasse Sacramentum hoc, ut constat ex Basilio in regulis brevioribus in trecentesima decima. Nazianzenus oratione secunda vocat Cœnam Evangelicam: & Nicetas super Nazianzeni oratione quadragesima secunda, §. Et illi quidem, vocat Cœnam mysticam. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 12. vocat Cœnam Dominicam. Idem Epistola centesima decima octava & habetur in capite Liquido, de consecratione. dist. 2. & sermone trigesimo tertio de verbis Domini ita exponit parabolam Luc. 14. de homine, qui fecit Cœnam magnam.*

Henricus Henriquez Jesuita in Summa Theol. lib. 8. cap. 1. n. 1. fatetur, *Eucharistiam fuisse Dominicam Cœnam appellatam à vetustissimis Patribus, Nazianzeno, Augustino, Basilio, Tertulliano.*

Cornelius Jansen. in Concord. Evang. c. 91. agnoscit, *eam sic appellatam ab Hieronymo, Theodoreto, Cyrillo, Theophylacto, Anshelmo, Beda, D. Thoma & Lyrano.*

4. Ex parte nobis suffragatur, quod agnoscunt, hanc appellationem non esse simpliciter prohibitam, sed certa ratione usurpari posse.

Colonienses in Enchir. *Quod hodie Sacramentum exemplo D. Pauli Cœnam Dominicam malunt appellare, id non admodum improbandum, modo novandi studium absit.*

Suarez d. l. *Quod pertinet ad usum hujus vocis, quamvis in illa per se nullum sit periculum, tamen hoc tempore, quo hæretici illa abutuntur, ad insinuandos suos errores, ideo vel abstinendum est omnino, vel parce & prudenter illa utendum.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Comment. Disp. 6. q. 1. punct. 1. *Petrus Soto lib. de Instit. Sacerd. lect. 1. de Eucharist. non male admonet, ab hac appellatione nobis merito abstinendum esse, vel certe non ea utendum sine cautela. Ratio est, quoniam Sectarii communiter vocabulo abutuntur, ad significandum suum quendam errorem de Eucharistia, scilicet eam Sacramentum non esse, nisi in usu communis quasi Cœnæ, ad quam plures conveniant. Decet autem Catholicos, ne vocabula quidem cum hæreticis habere communia, quando illi ad errorem his abutuntur.*

(Sed hac ratione etiam Christianorum nomen debebant aversari, quippe quo & Græci & nos utimur.)

Argumenta Adversariorum. 1. *Nec Scripturæ, nec pia Antiquitatis exemplo gaudet hæc appellatio.* Maldonatus d. l.

Resp. Contrarium patet ex præcedentibus.

Argum. 2. *Cœna Domini generaliter comprehendit typicas & vulgares, spirituales & cœlestes epulas, quibus Christus Apostolos aut populum pavit, aut se refecturũ beatos metaphorice pollicetur,* Sanctel. d. l.

Resp. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 73. art. 4. *Ratio, qua probat Claudius, hoc nomine non esse utendum, quia nimirum voce illa comprehendantur typicæ & vulgares, spirituales & cœlestes epulæ, quibus Christus Apostolos & populum pavit, aut se refecturum beatos in cœlo pollicetur, mihi non probatur. Nam quamvis hæc omnia ea voce possint significari, nihilominus per antonomasiam hæc ad significandum hoc Sacramentum deservire nobis posset.*

Argum. 3. *Sacramentum hoc non debere dici Cœnam docet Scriptura sacra, quæ affirmat, Christum consecrasse & dedisse Apostolis suum corpus manducandum Cœna jam facta,* Luc. 22. Johann. 13. 1. Corinth. 11. Maldonatus d. l. Renatus Benedictus in Panoplia in Corinth. 11.

Resp. Hoc non accipiendum de Cœna *absolute*, sed de *Cœna Paschali.*

1. Cornelius Jansenius in cap. 130. Concord. *Certum est, non sic intelligendum hic Cœnam dici factam, quasi absoluta jam fuerit & consummata, cum aperte Johannes testetur, Dominum post ablutos pedes iterum accubuisse & dedisse intinctum panem, ac de seipso postea dicat, quod recubuerit in Cœna supra pectus Jesu.*

Et postea. *Magis ergo verisimile est, illud Cœna facta significare Cœnam jam cœptam, quemadmodum dies dicitur factus, cum exortus est Sol & dies inceptus, ut significetur, Dominum surrexisse, cum jam cœnari cœptum esset, atque inter cœnandum: quod apertius significatur apud Græcos, cum pro illo, Surgit à cœna, habent ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, id est, surgit ex Cœna. Si ergo inter cœnandum Dominus surrexit ad abluendum pedes suorum, quid relinquitur dicendum probabilius, quam lotionem hanc factam post esum agni & ante Eucharistiæ institutionem? Ex his enim duabus maxime partibus Cœna hæc constabat.*

2. Barradius tom. 4. Comment. in Concord. Evang. lib. 3. cap. 2. *Quamvis totum post Sacramentum Cœnam institutum fuerit, in ipsius tamen Cœnæ fine institutum est, cum adhuc discumberent & manducarent. Nam manducarunt cibos alios, quousque ad manducationem cœlestis cibi ventum est, ideoque Matthæus & Marcus ajunt, Manducantibus ipsis effectum esse Sacramentum. Atque enim manducabant, cum Dominus accepit panem, benedixit & fregit.*

3. Franciscus Lucas in cap. 26. Matth. *Non de actu cœnandi aut convivandi intelligendum est, sed de Cœna sive convivio ipso, quasi dicat, Cœna adhuc durante, mensa nondum ablata. Non est verisimile, quod novum ac sacrosanctum corporis sui cibum miscuerit Jesus cum cibo profano, cum sui comederint absoluto esu paschatis figurativi, sed quod eum dederit, postquam sui satisfecissent Naturæ, mensa tamen, ciborumque reliquiis nondum remotis: ita ut comedere adhuc potuissent, qui voluissent, sub finem Cœnæ, quando non comedêre, etsi cibus adhuc adsit: sed suavibus colloquiis familiares operam dare solent; quo tempore & durat adhuc Cœna, quia cibi nondum ablati sunt, & perfecta est, quia non amplius comeditur.*

CAPUT. II.

De Symbolorum externorum, panis scilicet & vini Transsubstantiatione.

THESIS. Panis Eucharisticus non transsubstantiatur in corpus Christi, nec vinum Eucharisticum transsubstantiatur in sanguinem Christi.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de vera, reali ac substantiali præsentia* corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quam toto corde credimus.

2. Proinde etiam non est quæstio *de Sacramentali unione corporis Christi cum pane Eucharistico, & sanguinis Christi cum vino Eucharistico*, quam totis viribus propugnamus.

3. Sed quæstio est de *externorum Symbolorum* in corpus & sanguinem Christi *transsubstantiatione*, an scilicet substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi, & substantia vini convertatur in substantiam sanguinis Christi; vel, ut hodie plerique transsubstantiationẽ describunt, an substantia panis & vini intereat, inque ejus locum substantia corporis & sanguinis Christi succedat, quorum utrumque negamus.

Antithesis. Ecclesia Romana in festo corporis Christi canit: *Non est panis, sed est Deus homo liberator meus.*

Concilium Tridentinũ sess. 13. cap. 4. de transsubstantiatione. *Quoniam Christus Redemtor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & proprie à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.*

Ibid. can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento re-*

to remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit.

Alphonsus Salmero tom. 9. tract. 16. p. 108. *Necessario statuenda est transsubstantiatio, tum ut excludatur panis & vini substantia, quam Lutherus & aliqui admiserunt: tum ut verba Domini vera inveniantur: tum ut infinita Patrum testimonia de conversione, commutatione, transformatione, sanctificatione, consecratione, benedictione (tot enim fere nominibus transsubstantiatio ab illis appellata est) firma sint, & non inania vel futilia, tum denique ut solidam corporis & sanguinis Christi præsentiam absque ullo loci motu tueri possimus. Nam quod in ipsum Christi corpus, quod in cœlo est, mutatur, non indiget aliquo locali motu, ut esse incipiat in Eucharistia.*

Idem tom. 16. Disp. 3. in 1. Epist. Petr. *Ut David coram Abimelech vultum suum mutavit, & tunc accepit panes propositionis, qui erant certus Eucharistiæ typus* 1. Reg. 21 *ita Christus in Sacramento simulat se panē esse, quia proprie panis nō est, etsi esse maxime videatur.*

Eccius in Enchir. cap. 36. *In Sacramento Eucharistiæ substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, sic, quod non manet substantia panis.*

Toletus lib. 3 Instruct. Sacerd. cap. 27. *Verba consecrationis sic efficacia esse*, inquit, *ut sint instrumenta transsubstantiandi substantiam panis in Christi verum corpus, ita ut post prolationem in illa hostia non sit panis ulla substantia, sed sola ipsius accidentia, scilicet quantitas cum colore & sapore, odore & primis qualitatibus, quæ dicuntur species panis, sub quibus est verum corpus Christi præsens.*

Bellarminus lib. 3. de Eucharistia c. 11. *Catholica Ecclesia semper docuit, per conversionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini, quæ conversio postmodum transsubstantiatio appellata est, fieri, ut corpus & sanguis Domini vere & realiter in Sacramento Eucharistiæ præsentia sint.*

Nostram sententiam probamus ex eo,

1. Quod dogma transsubstantiationis nec *secundum nomen*, nec *secundum rem* habeatur in Scripturis. Usurpatum primo fuit hoc nomen in Concilio Lateranensi Ann. 1215. nec res per illud nomen significata in Scripturis extat.

2. Quod idem dogma pugnet cum Scriptura, quia Evangelistæ & Paulus expresse nominant *panem*, non solum in *actione cœnæ*, sed etiam post *consecrationem* sive benedictionem, nemo vero ex illis vocat nudam speciem sive nuda accidentia, Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Corinth. 10. v. 16. 1. Cor. 11. v. 23. 26. 27. & 28.

3. Ex eo, quod Paulus panem Eucharisticum vocet *communicationem corporis*, & poculum Eucharisticum *communicationem sanguinis Christi*, 1. Cor. 10. v. 16. Nihil proprie dici potest communicatio sui ipsius. Si ergo panis proprie est *κοινωνία* corporis Christi, non erit transsubstantiatus in corpus Christi. Quod aliquid esse dicitur per *κοινωνίαν*, non est id, quod dicitur *συνωνύμως* & essentialiter, adeoque non per *μετουσίαν*, cum *κοινωνία* & *μετουσία* sibi invicem opponantur. In illa enim sunt duo termini actu; alterq; cui aliquid cōmunicatur; alterque qui cōmunicatur. In *μετουσίᾳ* tantum est unus actu terminus, nempe ipsū transmutatum, terminus autem à quo non amplius est, sed vel in nihilum redactus, vel in privationem solutus est. In *κοινωνίᾳ* igitur utrumque est, panis & corpus; vinum & sanguis Christi; in *μετουσίᾳ* vero tantum est corpus & non simul panis; est tantū sanguis & non simul vinum. Ubi locum habet rei unius in alteram conversio, ibi altera non potest dici alterius *κοινωνία*: sed quando duæ res distinctæ modo quodam uniuntur & simul exhibentur, tunc unum recte dicitur communicatio alterius.

4. Quod dogma transsubstantiationis pugnet *cum analogia fidei*, Primo, quia privat Sacramentum *Elemento externo*, cum sola accidentia nomine Elementi externi neutiquam veniant. Secundo, quia si panis Eucharisticus desineret esse panis, ludificaremur in symbolo externo, proinde fides nostra hoc Sacramento non posset confirmari. Tertio, quia per transsubstantiationem tollitur analogia *Sacramentalis* inter rem terrenam & cœlestem, cum nuda accidentia non habeant vim nutriendi, ac panis essentialiter in corpus Christi mutatus non sit medium, per quod corpus Christi distribuitur.

5. Quod dogma hoc evertat Naturam *benedictionis divinæ*, quæ res conservat, non autem interire facit; Naturam *panis & vini* remanentibus tantummodo accidentibus; Naturam *accidentium*, quæ ponit sine subjecto; Naturam *corporis & sanguinis Christi*, quæ ex pane & vino à Sacerdotibus formari asserit, cum Scriptura testetur, Filium Dei ex sanctificatis Mariæ visceribus veram Naturam humanam assumsisse & corporis habitaculum sibi formasse.

Nostræ sententiæ suffragatur,

Quod quidam transsubstantiationem repudiant, vel hypotheses transsubstantiationi contrarias amplectuntur.

Clemens Romanus lib. 7. Constit. *Apostol.* cap. 26. in mystica gratiarum actione, quæ consecrationem Sacramentorum subsequitur, ita dicere jubet. *Tu, Domine omnipotens, Deus æterne, quemadmodum hoc dispersum erat & congregatum factum est unus panis: ita congrega Ecclesiam tuam à finibus terræ in regnum tuum. Etiam gratias agimus tibi Pater noster, pro pretioso sanguine Jesu Christi, qui effusus est pro nobis & pro pretioso corpore, cujus hæc antitypa conficimus, ipso nobis ordinante, ut annunciaremus ejus mortem, per quam tibi gloria in secula, Amen.*

(Si antitypa conficiunt, certe non essentialiter transmutant panem & vinum in corpus & sanguinem Christi.)

lib. 8. c. 17. *Offerimus tibi Regi & Deo secundum ipsius ordinationem panem hunc & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, qui à te dignati sumus stare in conspectu tuo, & tibi fungi sacerdotio.*

Et paulo post. *Mittas Spiritum Sanctum tuum, super hoc sacrificium testem passionum Domini Jesu, ut ostendat, hunc panem corpus Christi tui & hunc calicem sanguinem Christi tui.*

(Sic ergo Clemens etiam post consecrationem agnoscit panem.)

Liturgia, quæ dicitur Marci in tom. 6. Biblioth. Patrum aliquoties Elementa post consecrationem vocat *panem & calicem* sub his formalibus: *Hinc Sacerdos frangit panem, secat panem & ad calicem dicit &c.*

Gelasius Papa (seculo quinto) in lib. de duabus Naturis contra Eutych. *Certe Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes Naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel Natura panis & vini. Certe imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur. Satis ergo per hoc evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo esse sentiendum, quod in imagine profitemur, celebramus & sumus, ut sicut in hanc, scilicet in divinam transeunt sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen* (pane & vino) *in suæ proprietate Naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam, virtutemque* (Sacramenta) *veraciter repræsentant, ex iis propriè permanentibus constat, quod Christum unum, integrum, verumque permanere demonstrant.* Apud Margarinum in Biblioth. Patrum tom. 4. col. 522.

(Hinc Gregorius de Valentia lib. 2. de Idol. cap. 5. §. Profert quoque. *In Eucharistia non desinit substantia seu Natura panis & vini, inquit Gelasius.* Excipit vero, *Gelasium hoc non definivisse ut Pontificem, sed ut Doctorem aliquem.* Atqui Pontifex aliquid scribens & in fidei articulis confirmans, non potest scribere & confirmare ut non Pontifex. Pazmannus in Hodego excipit, *Gelasium hunc non fuisse Papam.* Sed hujus exceptionis nullum affert fundamentum, & contradicit hac in parte Pazmannus Gregorio de Valentia, uti etiam Baronio tom. 6. ann. 964. n. 8. Aliter igitur excipit, videlicet *non multum incommodare posse, si vel maxime unus ille hallucinatus fuerit, cum una hirundo non faciat ver.* At unius Papæ vox Pontificiis debet esse instar omnium. Nec solus Gelasius hoc dicit, sed ex Patribus complures, inde etiam Caspar Contarenus Cardinalis in Colloq. Ratisbon. Ann. 41. dicti hujus perspicuitatem sustinere non potuit.)

c. Qui manducant. dist. 2. de Consecr. *Quod videtur, panis est & calix, quod etiam oculi renunciant, quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.*

c. Panis est in altari. dist. ead. ex Ambrosio lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Si tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse quæ non erant* (in creatione,) *quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant* (ratione substantiæ) *& in aliud commutentur* (ratione usus Sacramentalis.)

c. Hoc est, quod dicimus. dist. ead. ex Augustino in sent. Prosper. *Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, & Sacramento & re Sacramenti, id est, corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur ex Deo & homine, cum ipse Christus verus sit Deus & verus sit homo, quia omnis res illarum rerum Naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur.*

(Si panis essentialiter converteretur in corpus Christi collatio

latio *unionis Sacramentalis* inter panem & corpus Christi; inter vinum & sanguinem Christi, cum *unione personali* duarum in Christo Naturarum foret plane Eutychiana Ut enim panis conversus esset in Christi corpus, sic humana Christi Natura conversa esset in divinam.)

In eodem Can. sub finem. *Sicut ergo cœlestis panis, qui vere caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile palpabile, mortale in cruce est suspensum &c. sic Sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est.*

Amalarius Episcopus Trevirensis, qui floruit circa An. 830. scripsit quatuor libros de Ecclesiasticis officiis, qui extant in Avetario 1. Biblioth. SS. PP. ubi col. 307. sic loquitur: *Sacramenta debent habere similitudinem aliquam earum rerum, quarum Sacramenta sunt. Quapropter Sacerdos similis sit Christo, sicut panis & liquor similia sunt corpori Christi.*

Bertramus Presbyter Corbeiensis circa annum Domini 850. scripsit librum de corpore & sanguine Christi, in quo inter cætera sic loquitur: *Quid aliud quam substantia vini conspicitur? claret, quia panis ille vinumq; figurate Christi corpus & sanguis existit.*

Item. *Nihil absurdius, quam panem carnem accipere & vinum sanguinem dicere. Nec jam mysterium erit, in quo nihil secreti, nihil abditi continebitur; & quomodo jam corpus Christi & sanguis dicitur, in quo nulla permutatio facta esse cognoscitur? & si nihil permutationis pertulerunt, nihil aliud existunt, quam quod prius fuerunt.*

Item. *Nam secundum creaturarum substantiam, quod fuerunt ante consecrationem, hoc & postea consistunt, quicquid in ea Eucharistia vitæ præbet substantiam, spiritualis est potentiæ & invisibilis efficientiæ, divinæque virtutis.*

Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, qui floruit circa finem noni seculi, scripsit librum de corpore & sanguine Christi, qui extat tom. 6. Biblioth. SS. PP. à Margarino editorũ, ubi col. 290. in expositione verborum, *Cœnantibus illis &c.* sic loquitur: *Et ideo idem ipseque sanguis jam erat in calice, qui & in corpore, sicut caro vel corpus in pane.*

cap. 4. *Si veraciter, inquis, inspicimus, jure simul veritas & figura dicitur; ut sit figura vel character veritatis, quod exterius sentitur; veritas vero quicquid de hoc mysterio interius recte intelligitur & creditur. Non enim omnis figura umbra vel falsitas.*

cap. 15. *Elementa* vocat *panem & vinum post consecrationem. Quapropter, ô homo, quotiescunque bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium sanguinem te putes bibere, quam qui pro te & pro omnibus effusus in remissionem peccatorum.*

Circa annum Domini 950. exorta est in Clero Cantuariensi acris contentio de pane Eucharistico; alii enim asserebant, *priorem panis substantiam remanere, & nihilominus simul ibi juxta verba ipsius Christi verum Christi corpus porrigi & accipi.* Alii vero pugnabant, *recitatis verbis Domini priorem substantiam Elementorum prorsus evanescere, atque transire in corpus Domini reliquam tamen manere figuram panis.* Magdeb. Cent. 10. cap. 8. p. 487.

Rupertus Tuitiensis Abbas (qui floruit circa annum 1120.) in Exod. lib. 2. cap. 10. p. 120. edit. Colon. Ann. 1539. *Et ipse per eundem Spiritum, ut Apostolus ait, obtulit semetipsum hostiam vivam Deo viventi, eodem igni assatur in altari, operatione namque Spiritus Sancti panis, corpus; vinum fit sanguis Christi. Sed illud non capit humana sapientia. Repellitur ergo illa non tam sapientia, quam curiositas, dũ repetendo dicit: Non comedetis ex eo crudũ quid, nec coctum aqua, sed tantũ assum igni. Crudum namque cõedere nihil aliud est, nisi quod videtur, æstimare; & coctum aqua comedere, est, quomodo sit velle carnaliter dijudicare. Sed comedetis inquit, assum tantum igni, id totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cujus effectus non est destruere vel corrumpere substantiam, quamcunque suos in usus assumit, sed substantiæ bono permanenti, quod erat, invisibiliter adjicere, quod non erat. Sicut Naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit: sic substantiam panis & vini secundum exteriorem speciem quinque sensibus subjectam, non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem, quod in cruce pependit; & sanguinis ejusdẽ, quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item, quomodo Verbum à summo demissum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis & vinum utrumque ab imo sublevatum fit corpus Christi & sanguis, non mutatum in carnis saporem sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utriusque, divinæ scilicet & humanæ, quæ est in Christo immortalis substantiæ veritatem.*

(Hic est ille Rupertus, Abbas Tuitiensis, qui à B. Maria *docile ingenium & divinorum intelligentiam* impetravit, ut refert magnum Speculum Exemplorum fol. 563. & Antonius Possevinus tom. 3. Apparatus sacri fol. 154.)

Otto Frisingensis Ann. 1141. credidit & scripsit, *panem & vinum manere in Eucharistia.* Hic comites habet Petrum Abailardum, Petrum Cassiodorum & alios, (referente Christophoro Agricola in Anti-Pistorio p. 23.

Innocentius III. (sub quo in Lateran. Concilio Anno 1215. definita fuit transsubstantiatio) in lib. de Offic. altaris testatur, *fuisse, qui docerent, quod, sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, sic & vera panis substantia, quia sicut subjectum non potest subsistere sine accidentibus, sic accidentia non possunt existere sine subjecto, quia accidentis esse non est aliud, quam inesse.*

Scotus 4. sent. dist. 11. q. 3. lit. B. *Circa hoc quæsitum* (de cõversione in Eucharistia) *erant tres opiniones, Una, quod panis manet, & tamen cum ipso vere est corpus Christi. Alia, quod panis non manet, & tamen non convertitur, sed desinit esse vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud. Tertia, quod panis transsubstantiatur in corpus & vinum in sanguinem Christi. At, inquit, 1. veritas Eucharistiæ salvari potest sine ista transsubstantiatione. 2. Substantia panis sub speciebus magis est nutrimentum, quam accidentia. Ergo magis repræsentat corpus Christi in ratione nutrimenti spiritualis. 3. Iste intellectus, quod non sit ibi substantia panis, videtur difficilior ad sustinendum, & ad ipsum sequuntur multa inconvenientia, quam ponendo ibi esse substantiam panis. 4. Mirum videtur, quare in uno articulo, qui non est principalis articulus fidei debeat talis intellectus asseri, propter quem fides pateat contemtui omnium sequentium rationem.*

Durandus de S. Portiano 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 14. *Satis durum est & derogare videtur immensitati divinæ potentiæ, dicere, quod Deus non possit facere, corpus suum esse in Sacramento per alium modum, quam per conversionem substantiæ panis in ipsum, maxime cum ponendo conversionem fieri, difficillimum sit videre, qualiter ipsa faciat aliquid ad hoc, quod corpus Christi sit in Sacramento.*

Mens Durandi hæc est, inquit Pesantius in Thomam f. 896. *nullam esse necessariam conversionem ad præsentiam.*

(Hunc Durandum Anton. Possevinus in Apparatu select. tom 1. p. 488. vocat *virum insigni doctrina*; Bellar. de Script. Eccles. p. 384. vocat ipsum *Theologum insignem.*

Occam. in Centiloq. Theol. conclus. lib. 4. q. 6. *Substantiam panis manere, hoc dogma est minoribus incommodis obnoxium & sacris Scripturis minus repugnans.*

Idem lib. 4. sent. dist. 11. q. 6. *In potestate Dei est esse substantiam sub specie panis & non esse. Ejus primus modus potest teneri, quia non repugnat rationi, nec autoritati Bibliæ, & est rationabilior & facilior ad tenendum inter omnes modos. Quia tamen determinatio Ecclesiæ in contrarium existit, communiter tenent Doctores, quod ibi non remaneat substantia panis.*

(Hunc Occamum Possevinus vocat *virum acri ingenio.* Bellarminus *doctum.*)

Tataretus in 4. sent. dist. 11. q. 4. opiniones tres de pane Eucharistico recensens, *De ista, inquit, Natura tres sunt opiniones, Prima est, quæ dicit, quod panis non transsubstantiatur, sed vere manet post consecrationem, & simul cum pane corpus Christi.*

Et in Quodlibet. Scoti q 10 *Prius multi Doctores, sicut Prapositanus, tenebant, quod ibi remanebat panis.*

Petrus de Aliaco Card. Episc. Canterac. lib. 4. sent. dist. 11. q. 6 art. 1. *Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet &c. Quicquid tamen sit de hoc, patet, quod ille modus sit possibilis, nec repugnat rationi, nec autoritati Bibliæ, imo est facilior ad intelligendum & rationabilior, quam aliquis aliorum, qui ponit, quod substantia panis deserat accidentia sine subjecto, quod est unum de difficilibus, quæ hic ponuntur.*

In Confess. Waldensium, qui jam tum tempore Innocentii III. (qui decretum de transsubstantiatione edidit,) in multis provinciis floruerunt, etiam hoc habetur; *quod panis & vini Natura & substantia in S Cœna minime mutetur, quodque Christi verba nullam conversionem inducant.*

Anno 1320. Johan. Parisiensis Doctor Theol. Professione Dominicanus, publice disputavit, *panem per consecrationem non transsubstantiari*, de quo & librum conscripsit Guidoni de Perpiniano Carmelitæ inscriptum.

Ann. 1370. Joh. Wiclefus in Acad. Oxoniensi Professor floruit, Is apud Guilielmum Widefordum, qui contra eum scripsit, sic loquitur: *Manet panis & vini substantia post consecrationem. Sacramentum altaris naturaliter est panis & vinum, Sacramentaliter corpus & sanguis Christi, quanquam aliqui fingunt, ipsum*

esse accidens sine substantia adjecta. Fructus istius dementiæ est blasphemare in Deum, scandalizare sanctos per mendacium accidentis.

In Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum tribuuntur Wiclefo aliquot articuli à Concil. Constant. postea damnati, inter quos etiam hic est: *Sacramentum altaris est naturaliter panis & vinum, Sacramentaliter corpus & sanguis Christi, quàvis alii fingunt, ipsum esse accidens sine substantia subjecta. Fructus istius dementiæ, quâ fingitur accidens sine subjecto, est blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, illudere Ecclesiæ per mendacium accidentis.*

In Conc. Florent. Ann. 1438. cum Græci & Latini *de transsubstantiatione* convenire non possent, ut in ejus Actis continetur, non ideo minus unio inter Græcam & Latinam Ecclesiam subsignata est. Urgente enim Eugenio IV. Pontifice, *ut de divina panis transmutatione, quæ quidem quarta quæstio fuit, in Synodo ageretur*, Græci dixerunt, *se sine totius Orientalis Ecclesiæ autoritate quæstionem aliam tractare non posse*, tom. 3. Concil. p. 474.

Paulus Scriptoris Tubingensis, (Stephani Brulifeti discipulus, circa annum 1499.) cum Scotum prælegeret, ac ad decimam quarti libri distinctionem devenirer, transsubstantiationem negavit, asserens, *omnia Dei verbo ceu Lydio quodam lapide probanda, cætera enim omnia erronea esse.*

Johan Picus Comes Mirandulanus in Apol. q. 6. *Si teneatur communis via de possibilitate suppositationis respectu cujuscunque creaturæ, dico, quod sine conversione substantiæ panis in corpus Christi, vel paneitatis annihilatione fieri potest, ut in altari sit corpus Christi, secundum veritatem Sacramenti, quod sit dictum loquendo de possibili, non de sic esse &c. Pro parte affirmativa arguitur, quod hoc sit tenendum, quia videtur Damascenus hoc tenere de facto, hoc scil. Sacramentum esse per assumtionem. Sic enim dicit: Et nunc interrogatus, qualiter panis corpus Christi fit & vinum & aqua sanguis Christi. Dico tibi & ego: Spiritus S. superveniet, & hoc facit, quod est supra rationem & intellectum. Panis autem & vinum assumuntur. Et infra ibidem: Et quemadmodum in Baptismate, quia consuetudo hominibus aquâ lavari & oleo ungi, jugavit Deus aquam & gratiam Spiritus S. & fecit idem lavacrum regenerationis: ita quia consuetudo hominibus panem & vinum comedere & bibere, jugavit ei Deus Deitatem, & facit ea corpus & sanguinem ejus. Et infra eodem capite loquens, de hoc altaris Sacramento; Carbonem vidit Esaias, carbo autem lignum simplex non est, sed unitum igni. Ita & panis communionis non panis simplex est, sed unitus Deitati. Dionysius autem de Ecclesiastica Hierarchia tertio capite vocat istud Sacramentum assumtionem. Quod ergo isti Doctores dicere videntur de sic esse, multo magis potest teneri de possibili. Secundo arguitur, quia cum secundum Augustinum ad Volus. in rebus mirabilibus tota ratio facti sit potentia facientis, sic arctare hoc mirabile Sacramentum ad determinatum defensionis modum, qui ex Canone Scripturæ aut Ecclesiæ determinatione non habeatur expressus, est divinam potentiam arctare ad intellectus nostri capacitatem, quod est periculosum, & contra Augustinum ibidem dicentem hoc: Si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum ponitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. Tertio, arguitur, quia illud, cujus oppositum etiam de inesse non habetur evidenter ex dictis sanctorum, multo magis potest teneri de possibili. Sed oppositum hujus, quod de facto remaneat paneitas in altari substantiata à supposito divino, non habetur evidenter ex dictis sanctorum. Ergo. Probatur, quia illud Gregorii in Homilia Paschali dicentis: Species & similitudo illarum vocabula sunt rerum, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini, hoc quod ante fuerunt, exponunt tenentes opinionem, quæ ante fuerunt sola, nunc autem non sunt sola, quia ibi latet corpus Christi. Item illud Ambrosii, quod virtus Dei, quæ creaturas ex nihilo creat, hic creaturas mutat; & alia, quæ dicunt, panem & vinum non remanere post consecrationem, sed converti, sic exponunt, quod panis non remanet, qui panis fuit, licet eadem sit paneitas, & hoc propter aliud suppositum. Hæc autem dictio panis dicit suppositum in Natura paneitatis, & hoc non remanet. Multum autem interest dicere, quod remaneat paneitas in divino supposito hypostatizata, & quod remanet paneitas in proprio supposito, quia hoc secundo modo non fieret communicatio idiomatum, quæ fit primo modo. Has autem autoritates omnino ego credo esse contrà, sic ponentes de facto & de sic esse, & non de possibili tantum. Quarto, sic arguitur: Ista opinio approbatur de sic esse in confessione Berengarii, approbata per Papam Nicolaum Romæ coram 114. Episcopis. Ergo multo magis potest teneri de possibili. Antecedens sic deducitur. Quia Berengarius confitetur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse in altari, & sensualiter non solum Sacramentaliter, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. Quæ verba videntur non posse plane accipi in sensu claro & expedito, qualis debet esse verborum confessionis sic solenniter approbatæ, nisi per sustentationem paneitatis in supposito Dei cum corpore Christi modo prædicto, ita quod sit idem corpus Christi hominis & panis, & ita sit integrum, in quantum corpus hominis, & atteratur in quantum panis, sicut Christus in cruce moriebatur & vivebat; sed hoc, ut homo, & illud, in quantum Deus. Et quod quidam ita acceperint verba prædicta Confessionis, patet per Magistrum sententiarum lib. 4. dist. 7. cujus verba hæc sunt: Alii tradunt, corpus Christi essentialiter frangi & dividi, & tamen integrũ & incorruptibile existere, quod se colligere asserunt ex Confessione Berengarii, qui confessus est coram Nicolao Papa & pluribus Episcopis, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse, & sensualiter non solum in Sacramento, sed etiam in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. Ecce, quòd Confessio Berengarii attenta & examinata per Ecclesiam continet, corpus Christi non in Sacramento tantum, sed in veritate dentibus fidelium atteri, quod plane acceptum veritatem haberet per communicationem idiomatum, quia atteritur dentibus secundum paneitatem, & integrum manet secundum humanitatem.*

Et postea. *Per positionem, quod panis essentia remaneat, melius salvatur apparentia, quia apparet in hoc Sacramento esse panis & vinum, quod salvat assumtio & non conversio. Videmus enim aliquem nutriri ex hostiis, sicut ex vero pane, & putrefieri hostias, & eis denique omnia accidere, quæ accidunt substantiæ panis &c. Item, quia dicit Paulus* 1. Cor. 10. *panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est.*

Et paulo post. *Tenendo communem modum conversionis* (per transsubstantiationem) *non convertitur panis, sed annihilatur, & qui volunt salvare, quod sit conversio, ita quod non annihilatio, videntur potius verbis, quam re satisfacere. Unde & multi de illa via concesserunt, quod sit annihilatio.*

(Hic Comes Mirandulanus circa annum 1490. Romæ publice defendit conclusiones nongentas, in quibus secunda fuit: *Sine conversione panis in corpus Christi vel paeitatis annihilatione corpus Christi manducatur, quatenus nempe quamcunque creaturam Deus supposit are potest, quo posito, & panis remaneat & corpus sit cum pane.* Adversus eos, qui quasdam ex his conclusionibus vellicabant, Apologiam illam scripsit.)

Johannes Langus Imperatoris Maximiliani II. Consistorialis fuit, de eo sic legitur in Indice Expurgat. Belgico p. 36. & in Indice Expurg. Hispan. f. 140. *Quæcunque Langus prolixe satis de Eucharistiæ Sacramento recenset à pagina centesima septuagesima nona usque ad rescriptum Hadriani Imperatoris pagina centesima nonagesima nona, judicamus delenda, nam multa continent parum religioni Catholicæ consona, inter ea autem illud est præcipuum, quod transsubstantiationem non agnoscit, sed aperte contendit, cum corpore & sanguine Christi remanere veram panis & vini substantiam.*

Georgius Cassander in Consultat. in cap. de Transsubstantiatione pag. 939. *Quamvis de modo hujus conversionis variæ extent sententiæ, tamen omnes in hoc caput conveniunt, ut intelligant, talem mutationem fieri, quâ (qui antea terrestris tantum & communis panis erat) Dominicis verbis & invocatione divini nominis, virtute & operatione divina consecratur, & efficitur Eucharistia & Sacramentum veri corporis & sanguinis Christi, visibili quidẽ modo ad Patris dextram sedentis, sed invisibili & incõprehensibili modo hic corpore & sanguine suo præsentis, continetur & exhibetur in cibũ & potũ spirituale ad salutem & immortalitatem eorũ, qui eo cibo & potu digne vescuntur &c. Hanc breviter comprehensam totius antiquitatis sententiam esse puto, atque utinam id effici possit, ut hujusmodi explicatione contenti à supervacaneis & ad fidei ac pietatis studium nihil pertinentibus quæstionibus abstineamus, atque in hac veteris Ecclesiæ sententia, omissis odiosis rixis, quæ exortæ sunt, acquiescamus, quod sane nisi fiat, nullum rixarum & dissidiorum de hoc Sacramento unitatis finem video.*

Et postea. p. 940. *Interpres Decretorum ex eo sermone, quo simpliciter panis corpus Christi esse asseritur, hoc absurdum colligit. Si* (inquit) *panis est corpus Christi, ergo aliquid, quod non est natum de virgine, & sic aliquid inanimatum est corpus Christi, ergo est animatum & inanimatum, ergo non solum de virgine habuit originem. Ait quidem Irenæus, panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, sed is hac circumlocutione totam Eucharistiam intelligit, duabus reb. constantem, terrenâ & cœlesti. Augustinus serm. ad infantes, panem dicit corpus Christi, sed, ut ita loquar, intellectualiter, respectu videl. intellectus, quo in pane, qui exterius videtur, vinterius corpus Christi esse creditur. Si quando vero à Patribus hæc loquendi forma usurpetur,*

ut

ut dicant, panem esse corpus Christi, agnoscunt recentiores quoque Ecclesiastici Scriptores, eam esse figuratam, ut quæ signum rei signatæ, sed præsentis, nomine denotetur.

(Inde ipse quoque in Spongiam incumbit, sic enim habet de eo Index expurgat. Belgicus p. 36. *Quæ Cassander habet de Sacramento corporis & sanguinis Christi, pertinent ad Ecclesiæ sugillationem, deleantur.*)

Benedictus Arias Montanus in Luc. cap. 22. v. 19 *Hoc est corpus meum, id est, verum corpus meum, in hoc Sacramento panis continetur Sacramentaliter* Et subdit; *cujus arcanam & mysteriis refertissimam rationem ut explicatiorem habeant Christiani, dabit aliquando Deus.*

(Ergo usitata de transsubstantiatione doctrina ipsius conscientiæ non satisfecit.)

2. Quod quidam fatentur, transsubstantiationem non posse probari ex sacris literis.

(Ergo non est fidei articulus, cum fidei articuli sufficienter in Scripturis revelati sint, ut ostendimus superius lib. 1. part. 1. cap. 1.)

Scotus 4. sent. dist. 11. q. 3. *Nihil est tenendum tanquam de substantia fidei, nisi quod potest expresse haberi de Scriptura, vel expresse declaratum est per Ecclesiam, vel evidenter sequitur ex aliquo plane contento in Scriptura vel plane determinato ab Ecclesia &c. Nunc autem non videtur expresse haberi, non esse ibi substantiam panis. Nam Johan. 6, ubi multum probatur veritas Eucharistiæ, planum est, ubi Christus dicit: Ego sum panis vivus. Et 1. Cor. 10. Paulus; Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi? Nec invenitur, ubi Ecclesia veritatem determinet solenniter, nec etiam quale istud possit ab aliquo manifeste credito evidenter inferri.*

ibid. *Dico, quod substantia panis magis repræsentat corpus Christi, quam accidentia tantum, cum major sit convenientia.*

ibid. *Principaliter videtur movere, quod de Sacramentis tenendum est sicut tenet S. Romana Ecclesia.*

Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis 4. sent. quæst. 6. artic. 1. in recitatione opinionis quartæ itidem fatetur, *transsubstantiationem non posse probari ex sacris literis.*

Gabriel Biel lect. 40. in Can. Miss. *Quamvis expresse tradatur in Scriptura, quod corpus Christi veraciter sub speciebus panis continetur, tamen quomodo ibi sit corpus Christi, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat ibi esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia & accidentibus panis, non invenitur expressum in Canone Bibliæ.* (Has lectiones Bielis Possevinus in Apparatu vocat *eruditas.*)

Idem lib. 4. sent dist. 11. q. 1. art. 3. dub 1. *Omnes propositiones affirmativæ, in quibus termini significantes panem & corpus Christi ponuntur, in casu nominativo falsæ sunt, & ideo de rigore verborum falsæ sunt, Panis est corpus Christi: Quod est panis, est, fuit, erit, se potest esse corpus Christi.* (Atqui tota structura hujus dogmatis de transsubstantiatione nititur hac hypothesi, quod τοῦτο in verbis Cœnæ supponat pro pane.) *Veræ autem propositiones sunt, in quibus terminus à quo, id est, panis & vinum exprimuntur per ablativum cum præpositione ex vel de, aut terminus ad quem id est corpus vel sanguis Christi per accusativum cum præpositione. Veræ ergo sunt: Ex pane fit corpus Christi, de vino fit sanguis Christi. Veræ & hæ: Panis transit, convertitur aut transsubstantiatur in Christi corpus.*

(At ubi Christus his propositionibus utitur? Bonaventura quidem 4. sentent. dist. 8. q. 1. art. 1. sic resolvit: *Est in hac oratione non identitatem, nec simultatem signat, sed hoc esse corpus, hoc est, ad hujus verbi prolationem hoc totum transire in corpus.* Sed quilibet videt peti principium

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis lib. contra Luth. de Captiv. Babyl. fatetur, *ex Scriptura non posse probari transsubstantiationem.*

Cajetanus in 4. sentent. q. 6. art. 2. opinionem illam, *quod substantia panis non remaneat, sed simpliciter esse desinat, neque ex Scriptura evidenter sequi, neque se videre posse ait ex determinatione.*

Idem in Thomam p. 3. q. 45. artic. 14. de verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, scribit, *præsentia illa in Sacramento, quam tenet Romana Ecclesia ex his verbis Christi, Hoc est corpus meum, non potest demonstrari, nisi etiam accesserit Romanæ Ecclesiæ interpretatio.*

Melchior Canus lib. 3. Locor. Theolog. cap. 96. *Conversionem panis & vini in carnem & sanguinem Christi ex traditione habemus.*

Richardus Tapperus tom. 2. artic. 14. Lovan. agnoscit, *ea verba, quod panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem Christi majorem habere difficultatem, intra Scripturæ & verborum Christi limites consistendo.*

Bellarm. lib. 3. de Eucharist. c. 23 §. Secundo dicit. *Scotus dicit, non extare ullum locum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione cogat transsubstantiationem admittere. Atque id non est omnino improbabile. Nam etiamsi Scriptura, quam pro transsubstantiatione adduximus, videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum, tamen, an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi & acutissimi, qualis cumprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.*

Et postea. *Dogma transsubstantiationis ad fidem Catholicam pertinet, quia colligitur ex Scriptura divina secundum explicationem communẽ Patrum, & juxta declarationẽ Ecclesiæ in Concil. generalib.*

(Lateranensi scilicet & Tridentino. Atqui sententiæ Patrum & decreta Conciliorum non sunt norma interpretationis Scripturæ, sed Scriptura, quia perfecta & perspicua, ex seipsa & per seipsam est interpretanda.)

Et postea. *Unum addit Scotus. Ante Concilium Lateranense non fuisse dogma transsubstantiationis. Hoc dixit, cum nondum legerat consensum Patrum, quem adduximus.*

(Ibidem tamen Scotum consensus hujus ignarum vocat *hominem doctissimum & acutissimum.*)

Tannerus in Compend. relat. Colloq. Ratisb. part. 2. cap. 6. pag. 37. transsubstantiationem refert inter ea, *quæ in Scriptura sola continentur, nec ex ea sola evidenter deducuntur.*

Hæc omnia expendens Salmero tom. 9. tract. 16. pag. 109. sic scribit: *Quibusdam tamen* (Catholicis) *scriptoribus visum est, hunc articulum ex sola Scriptura, vel ex solis rationibus non posse contra hæreticum convinci, sed tantum ex Conciliorum definitione & Patrum traditione. Nam facile esset solvere locos Scripturæ citatos & rationes. Ideo in Patrum traditione magis standum illis videtur, quæ absque dubio, ut annotavit Scotus in quarto, posteros ad credendam rem tam difficilem non obligasset; nec ipsi eam tam constanter asseverassent, nisi res hæc accepta esset ab ipso Christo per Ecclesiæ columnas tradita; præsertim cum posita substantia panis commode salvari possit Christi præsentia, ibi & effectus suæ gratiæ & miracula multa excusarentur, quæ nisi fide suadente, multiplicare non debemus.*

3. Quod quidam agnoscunt, transsubstantiationem destitui primitivæ Ecclesiæ suffragio.

(Ergo non est Catholicum & Apostolicum dogma.)

Alphonsus de Castro lib. 8. adversus hæreses, verbo, Indulgentia. *Multa sunt posterioribus nota, quæ vetusti illi Scriptores prorsus ignoraverunt Nam de transsubstantiatione panis in corpus Christi rara est in antiquis Scriptoribus mentio.*

Erasmus in annot. 1. Corinth. 7. pag. 327. *Transsubstantiationem sero definivit Ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato sive quacunque modo adesse corpus Christi.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis Exercitationum lib. 6. *Quidam veteres Theologi intellexisse reperiuntur, panem non transsubstantiari, sed supervestiri nobiliori substantia.*

Gregorius de Valentia lib. de Transsubstant. cap. 5. dogmatis hujus confirmationem ab Ecclesiastica traditione non potuit altius repetere, quam à quatuor Conciliis adversus Berengarium, scilicet *Vercellensi, Turonensi, duobusque Romanis*, quorum antiquissimum excedit decem à Christo secula.

Ante id tempus concedit cap. 7. *paulo inconsideratius nonnullos ex Patribus locutos esse.*

Idem tom. 4. Disput. 6. quæst. 3. punct. 2. §. 7. adducit dictum Johannis Constantinopolitani in Epist. ad Cæsariũ Monachum scribentis, *panem dignũ habitum esse Dominici corporis appellatione, etiamsi Natura panis in illo remanserit*; uti etiam Ruperti Abbatis *negantis mutari substantiam panis*, ac utrique respondere conatur, sed cordato lectori non satisfacit.

Pazmannus lib. 11. Hodeg. cap. 6. probaturus transsubstantiationem, affert decretum *Concilii Lateranensis* tempore Innocentii III. *Constantiensis, Florentini ac Tridentini.*

(Tacite igitur fatetur ante Concilium Lateranense, id est, ante annum millesimum, ducentesimum & decimum quintum post Christum natum dogma hoc in Ecclesia non fuisse notum.)

De Theodoreto, quem Bellarminus lib. de Script. Eccles. p. 414. *virum plane doctissimum* nominat, multi ex Pontificiis statuunt, *quod in hac quæstione de mutatione panis in Eucharistia non discesserit ab aliis Patribus*, ut Matthæus Gartnerus in Chemnicio Reformato part. 1. Petrus Cudsemius in Hyperaspiste pag. 84. Vitus Miletus de Sacram. contra Chemnicium.

(Jam vero Theodoretus expresse repudiat transsubstantiationem, quando Dial. 1. scribit, *Signa, quæ videntur appellatione corporis honoravit; non Naturam mutans, sed Naturæ gratiam adjiciens.* Dial. 2. *Manent Symbola mystica in sua priori substantia.* Si ergo Patres omnes reliqui idem senserunt de hac quæstione, quod Theodoretus, nullum prorsus ex Patribus in suam opinionem Romanenses trahere poterunt. Id non obscure fassi sunt nonnulli, unde Theodoreto errorem adscribere non dubitarunt. Nam qui Theodoreti Dialogos Romæ Anno 1547. Græce ediderunt, in Epistola præfixa minime dissimulant, *Theodoretum in his locis de transsubstantiatione minus commode sentire, excusandum tamen, quod de ea Ecclesia nondum legem tulisset.* Eodem modo Gelasium & Theodoretum erroris accusant Guilielmus Alanus lib. 1. de Sacram. Euchar. artic. 5. cap. 34. Claudius de Sainctes Repetit 8. de Eucharist. cap. 4. Gregorius de Valentia in Volum. Theol. lib. 2. de Transsubst. cap. 7. *Alii eas, quæ transsubstantiationem refutabant, paginas erasas à reliquo corpore igni perdiderunt*, ut refert ac tuetur Ivellus Satisburiensis Episcopus in Apologia Ecclesiæ Anglicanæ & ejus Defensione oper. tom. 2. fol. 24. & 384.)

4. Quod agnoscunt in Concilio Lateranensi Ann 1215. sub Innocentio tertio transsubstantiationem pro fidei articulo definitam.

(Ergo ante illud Concilium non fuit pro dogmate Catholico in Ecclesia recepta.)

Innocentius in tract. de Offic Missæ part. 2. cap. 26. tres recenset sententias ante Lateranensis Concilii definitionem receptas, Prima, *quod panis maneat & sub pane verum Christi corpus adsit.* Secunda, *quod panis non maneat, nec mutetur, sed desinat esse.* Tertia, *quod panis mutetur in corpus Christi & vinum in sanguinem Christi.* Postea addit, *Qualibet istarum voluit istud commune salvare, quod ibi vere est corpus Christi, quia illud negare est plane contra fidem. Expresse enim à principio institutionis Eucharistiæ fuit de veritate fidei, quod vere ibi & realiter corpus Christi continetur.*

(At si sententiæ illæ non fuissent liberæ, etiam transmutationis negatio fuisset contra fidem.)

Claudius de Sainctes Repet. 7. de reb. Euchar. cap. 2. fatetur, *ante Concilium Lateran. potuisse Christianos libere hanc vel illam opinionem tueri.*

Guthbertus Tunstallus Anglus lib. 1. de Eucharist. pag. 45. (referente Ivello tom. 2. p. 206. Hospiniano de Orig. fest. Christ. fol. 110.) fatetur, *hoc dogma in Lateranensi primum Concilio sancitum atque approbatum, atque ante illud tempus cuivis homini sine ulla fidei jactura contrariam sententiam tueri, integrum fuisse.* Verba sic habent: *De modo, quo id fieret, fortasse satius erat, curiosum quemque suæ relinquere conjecturæ, sicut liberum fuit ante Concilium Lateranum.*

Bellarm. lib. 3. de Eucharist. cap. 23. *Scotus docet, ante Concilium Lateranense non fuisse dogma fidei transsubstantiationem*

5. Quod tales proferunt hypotheses, ex quibus transsubstantiatio everti potest.

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in lib. de Com. sub una specie *vinum consecratum ad communionem Laicorum reponi posse* negat, *cum periculum sit, ne acescat.*

(At si ibi est tantum Christi sanguis & mera vini accidentia, quomodo idem potest dici acescere? cum acor non sit, nisi in ipsa vini substantia. Ergo aut vinum non transsubstantiatur, aut si transsubstantiatur, non potest fieri accidum.)

Operose quærunt Scholastici, *unde nascantur vermes in corruptis speciebus Eucharistiæ?*

(At si panis substantia fuisset abolita, non possent vermes ex speciebus corruptis generari, cum generatio fit ex alterius substantia novæ rei productio.)

Nicolaus II. Papa in Concilio Romano Berengario ejusmodi Confessionem præscripsit, in qua dicitur, *verum corpus & sanguinem Domini sensualiter ac in veritate Sacerdotum manibus tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.* c. Ego Berengarius. de Consecrat. dist. 2.

(At nisi velimus de ipso corpore Christi hoc intelligere, quod absurdum, statuendum erit panem & vinum verum in Eucharistia post consecrationem manere, alias non possent hæc symbola externa sensualiter ac in veritate Sacerdotum manibus tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri. Unde Berengarius ipse professus est, sese sic sentire, ut est apud Lanfrancum in lib. de Corpore Domini. *Ut qui dicit, inquit, Christum esse lapidem angularem, non tollit sed ponit Christum: sic qui panem esse carnem Christi dicit, non tollit panem, sed ponit.*

In ead. Confess. dicitur, *quod panis & vinum post consecrationem sint non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguis Domini.*

(Ex eo sic colligimus: Per panem intelligitur aut species panis, aut ipsum Christi corpus, aut verus panis. Non species panis dicitur & non solum Sacramentum esse affirmatur, sed etiam verum Christi corpus post consecrationem. Atqui species, etsi dici possunt Sacramentum, ut ipsi volunt, tamen non possunt dici corpus & sanguis Christi. Nec potest per panem intelligi panis cœlestis, ipsum scilicet corpus Christi, quia Confessio dicit, panem post consecrationem esse Sacramentum. Superest ergo per panem intelligi verum panem, unde Glossa dicit: *Nisi sane intelligas verba, incides in majorem hæresin, quam ipse Berengarius.*)

6. Quod frigidas ac omnino tales pro transsubstantiatione rationes afferunt, quæ dogma illud magis suspectum reddunt, quam illud probent.

Salmero tom. 9. tract. 16. p. 109. tales rationes profert, 1. *Ex verbo communionis,* (illa potest potius inverti.)

2. *Ex adoratione, quia cum adoramus id, quod delitescit sub speciebus substantiam panis, si ibi esset, adoraremus.*

3. *Ex sacrificio. Id enim sacrificatur, quod latet sub speciebus panis & vini Et si lateret panis, ille etiam sacrificaretur; quod valde derogaret nobilitati & dignitati tanti Sacramenti. Majora enim & nobiliora Patres olim, quam nos Deo obtulissent.*

4. *Quia in N Test. non esset unica hostia contra Paulum, sed essent tot hostiæ, quod substantiæ panum diversorum.*

5. *Quia videtur, quod substantia panis debeat cedere Deo advenienti in ejus reverentia, quemadmodum idolum Dagon cessit arcæ Domini.*

6. *Quoniam si esset substantia panis in Eucharistia, panis esset commixtis, & sic non esset pura spiritualis refectio, sed corporea, & non diceretur panis substantialis.*

7. *Species non deducerent immediate ad Christum, sed ad substantiam panis.*

8. *Quod non esset mysterium fidei Eucharistia, sicut est ablata substantia: sicut, ea posita, multa miracula de medio tollerentur, in quibus credendis viva exercetur fides.*

7. Quod varias de modo conversionis invicem fovent opiniones, (quomodo ergo dogma transsubstantiationis potest esse articulus fidei?

Primo, Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis (circa annum 1170) lib. 4. sentent. dist. 11. lit. A quærit, *qualis sit illa conversio, qua substantia panis in corpus, vinique substantia in sanguinem convertitur, an sit formalis, an substantialis, an alterius generis?* respôdet autem, *definire non sufficio, formalem tamen non esse cognosco, quia species rerum, quæ ante fuerant, remanent & sapor & pondus. Quibusdam esse videtur substantialis, dicentibus, sic substantiam converti in substantiam ut hæc essentialiter fiat illa.*

lit. C. *Nec tamen concedunt quidam, quod substantia panis aliquando sit caro Christi, etsi fiat caro Christi, sicut farina facta est panis, & aqua facta est vinum, nec tamen dicitur, farina est panis & aqua est vinum. Alii vero concedunt, illud, quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus & sanguinem, non tamen sequitur, Panis est caro Christi, vel vinum est sanguis, quia substantia panis vel vini, postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro & sanguis.*

lit. D. *Quidam vero sic dicunt, conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus prius erat substantia panis & vini, post consecrationem sit substantia corporis & sanguinis Christi, sic tamen, ut illis non afficiatur, & sic asserunt, dictum panem transire in corpus Christi, quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis & vini? Illi dicunt, vel in præjacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi. Alii vero putaverunt, ibi substantiam panis & vini remanere, & ibidem corpus Christi esse sanguinem, & hac ratione dici illam substantiam fieri istam, quia ubi est hæc, & est illa, quod mirum est, & ipsam substantiam panis vel vini dicunt esse Sacramentum Sed quod non sit ibi substantia, nisi corpus Christi, ex prædictis & subditis aperte ostenditur.*

lib. ejusd. dist. 12. lit. A. *Si autem quæritur de accidentibus, quæ remanent, id est, de speciebus & sapore & pondere, in quo subjecto fundentur, potius mihi videtur fatendum, existere sine subjecto, quia ibi non est substantia, nisi corporis & sanguinis Dominici, quæ illis accidentibus non afficitur.*

lit. E. *Quidam asserunt, accidentia fundari in aere.*

Secun-

Secundo Thomas part.3.q.75.art.2. *Quidam posuerunt possibile, quod substantiæ panis & vini maneant.*

Art.3. *Quidam putantes impossibile, quod substantia panis vel vini in corpus Christi converteretur, posuerunt, quod per consecrationem substantia panis & vini vel resolveretur in præjacentem materiam, vel quod annihiletur.*

Art.6. mentionem facit quorundam, qui statuerunt, *materiam panis mutari in corpus Christi, sed formam panis substantialem remanere eandem.*

Idem refert Glossa in c. Species, dist.2. de Consecrat. *Quidam dicunt, substantiā panis & vini mutari & converti in corpus Christi, alii vero in nihilum redigi, vel in primordialem materiam resolvi.*

Durandus 4. sent. dist.11.q.3. vult, *formam panis converti, materiam non converti, sed manere ac informari Christi anima.*

Tertio, Angelus de Clavisio in Summa, (quæ ab autore denominatur Angelica) tit. de Eucharistia membr.1. q. 31. *Circa conversionem, quæ fit in hoc Sacramento, firmiter tenendum est, quod substantia panis secundum totam suam materiam & formam existens, actu transsubstantiatur in totum corpus Christi actu existens, ita, quod materia in materiam, & forma in formam, scilicet corpoream transsubstantietur, solis accidentibus remanentibus secundum Bonaventuram, Richardum, Paludanum in 4. sent. dist.11. Thom.p.3.q.78. sed secundum Scotum in 4. sent. dist. 11. ibi non est conversio substantiæ in substantiam, quantum ad esse substantiale simpliciter, sed quantum ad esse hic, quia corpori Christi non acquiritur simpliciter esse, sed hic esse, scilicet sub specie panis, unde acquirit novam præsentiam, non admittendo antiquam, panis vero desinit ibi esse, non acquirendo aliquam præsentiam alibi, unde, licet illa desitio panis secundum se considerata sit annihilatio, ipsa tamen conversio nullo modo est annihilatio, quia ejus terminus non est nihil, sed nova præsentia corporis Christi sub specie panis.*

Quarto, in Concilio Tridentino *de modo, quo panis fiat corpus Christi & vinum sanguis, inter Dominicanorum & Franciscanorum sodalitia acriter fuit dimicatum &c. Volebant Dominicani, Christum dici esse in Eucharistia, non quod ex alio loco, ubi antea fuerat, in Eucharistiam veniat, sed quod substantia panis convertatur in corpus Christi, quod fit eo in loco, ubi panis erat, absque in eum locum profectione: tum quod tota substantia panis transmutetur in totam substantiam corporis, materia panis in materiam corporis, & forma in formam, idque proprie dici transsubstantiationem. Duplicem itaque modum statuendum essendi Christi Domini nostri, & utrumque realem, verum & substantialem. Unum, quo est in cœlo, in quod ascendit, relicta terra, ubi prius versabatur: alterum, quo est in Sacramento, in quo reperitur, ut in loco, ubi substantiæ panis & vini in ipsum conversæ prius erant &c.*

At Franciscani hoc volebant, corpus per omnipotentiam Dei posse vere & substantialiter esse in pluribus locis, & quando novum aliquem possidet locum, in eo esse, quod eum adeat, sed sine mutatione successiva, quasi priorem relinquat ad secundum occupandum; verum mutatione in instanti facta, per quam secundum occupat, priore non amisso. Atque Deum ita statuisse, ut, ubi corpus Christi est, alterius rei substantia non permaneat, sed ea esse desinat, non tamen evadat in nihilum, quia in ejus vicem Christi substantia succedat, eoque vere vocari Transsubstantiationē, non quod hæc ex illa fiat, quod asserunt Dominicani, sed quod hæc illi succedat. Modum enim, quo Christus est in cœlo, non differre à modo, quo est in Sacramento, quoad substantiam, sed solum quoad quantitatem. Dum est in cœlo, magnitudinem corporis sui occupare tantum spacii, quantum corpori proportione respondeat: at in Sacramento esse substantialiter & nullū occupare spatium. Utrumque ergo modum esse verum, realem & substantialem, & quoad substantiam, etiam naturalem: sed ratione habita quantitatis modum essendi in cœlo esse naturalem, essendi in Sacramento miraculosum. Petrus Suavis lib.4. Hist. Conc. Trident. p.380.

In Decretis Concil. Trident. dicitur, *modum existentiæ vix verbis exprimi posse*, mox tamen affirmatur, *conversionem eam proprie vocari transsubstantiationem, ac vocem eam esse aptissimam.* Dubitandum ergo non est, quin verbo possit exprimi. ibid. p.399.

Quinto, Bellarmin. lib.3 de Eucharist. cap. 11. *Discipuli Berengarii, ut ex lib.1. & 3. Guitmundi colligitur, docuerunt, verum panem & vinum simul cum vero corpore & sanguine Domini in Eucharistia consistere, quam rem Guitmundus appellat impanationem. Altera sententia aliorum fuit, qui, ut ibidem Guitmundus ait, panem asserebant partim mutari in corpus Domini, partim non mutari, id quod ea de causa asserebant, quia putabant omnino improbabile, ut verum Christi corpus ab impiis sumeretur. Itaque volebant, eam panis partem, quæ à piis sumenda erat, verti per consecrationem in corpus Domini, eam vero, quæ ab impiis erat accipienda, non converti, cujus sententiæ autores Guitmundus dicit Berengarii hostes fuisse, & tamen iisdem fere argumentis ad suum dogma stabiliendum uti consuevisse.*

Huc referri possunt aliæ duæ sententiæ istis similes. Nam, ut isti docebant, partem integrantem panis converti & partem non converti: ita Durandus docuit, partem unam essentialem, id est, formam panis converti, partem alteram, id est, materiam non converti. Existimat enim Durandus 4. sent. dist.11.q.3. converti panem in corpus Domini per consecrationem, ita tamen, ut forma panis, recedente materia panis, maneat informata Christi anima. Alii autem è contrario docuerunt, materiam panis mutari in corpus Christi, sed formam panis substantialem remanere eandem. Refert hunc errorem sine nomine autoris Thomas p.3.q.75.art.6.

Quinta sententia est Ruperti Abbatis Tuitiensis, qui lib.2. de div. offic. cap.2. docuit, panem Eucharistiæ hypostatice assumi à Verbo, eo prorsus modo, quo Natura ab eo assumta est, (quem refellit Algerus lib. 1. de Sacram. cap.6.)

Sexta opinio, seu potius hæresis, est cujusdam Johannis Parisiensis, qui, ut refert Thomas Waldensis tom.2. de Sacram. cap.65. docuit, panem assumi à Verbo, sed mediante corpore parte, hoc est, mediante corpore Christi, ut corpus accipitur pro parte hominis, non ut accipitur pro toto homine.

Hos errores Bellarminus ordine refellit, & tandem cap. 18. subjungit, *Ecclesiæ Romanæ sententiam esse, quod ratio propria & proxima, cur sit Eucharistia verum Domini corpus, sit totalis conversio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi.* Fatetur autem, *Theologos in modo explicandi nonnihil discrepare*, ac *Cajetani speculationem vocat inanem & supervacaneam*. Ipse conversionem panis in corpus Christi statuit esse *non productivam* nec *conservativam*, sed *adductivam*.

Biel lib 4. sent. dist. 10. quæst. unic. artic. 2. concl. 8. vocat *acquisitivam conversionem*. Sed Johannes Picus Mirandulanus in Apolog. quæst. 6. ostendit, hunc modum esse potius annihilationem, quam transsubstantiationem. *Ita veraciter* (inquit) *potest esse Sacramentaliter in altari corpus Christi sine conversione per assumtionem paneitatis, sicut modo ponitur communiter per conversionem, imo istorum trium terminorum, assumtio, conversio, annihilatio, positione non potest intelligi bona distinctio, nisi præsupponendo modum istius opinionis, dicendo, quod illud assumitur, quod ante aliquod ab ipso præhabitum esse suppositabile, ad novum esse suppositi assumitur; illud annihilatur, quod simpliciter desinit esse, ita, quod sua reproductio esset creatio, & impertinens est omnino ad hoc, sive ponatur, quod ei aliquod succedat, sive nihil succedat, quia hoc, à re, quæ desinit esse, est omnino extrinsecum, illud vero convertitur, quod remanens secundum essentiam, amisso proprio esse suppositi, transit ad esse alterius suppositi, & vere fit illud suppositum, & hæc est vera ratio conversionis, in qua duo intelliguntur in converso, quod scilicet remaneat per essentiam, & per hoc differt ab annihilato, & fiat aliud per rationem suppositi, per quod differt à non converso, & dum fit aliud, rationem proprii suppositi dimittat, & per hoc differat ab assumto. Tenendo autem communem modum, non convertitur panis, sed annihilatur, & qui volunt salvari, quod sit conversio, ita quod non annihilatio, videntur potius verbis, quam re satisfacere. Unde & multi de illa via concesserunt, quod sit annihilatio.*

Sexto. Cum notum esset Bellarmino, quod Scotus (quem *acutissimum & doctissimum* appellat cap. 23. §. Secundo dicit.) sententiæ illi, quæ statuit, *panem in Eucharistia manere & cum ipso vere esse corpus Christi*, non unam, sed duas alias opponat, videlicet primo, *quod alii dicunt, panem non manere, & tamen non converti, sed desinere esse vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud*; Secundo, *quod alii statuunt, panem transsubstantiari in corpus & vinum in sanguinem* 4. sent. dist.11.q.3. lit.B. hoc, inquam, cum Bellarmino notum esset, ideo ex desitione substantiæ panis & successione corporis Christi non debuisset inferre transsubstantiationem, siquidem, autore Scoto, *aliud est substantiam transire in substantiam; aliud vero substantiam succedere substantiæ*, quæ Bellarminus confundit: sed Angelus de Clavisio, uti etiam Johannes Picus Mirandulanus accurate ac merito distinguunt, uti modo vidimus.

Septimo. Adde, quod nec ipse Bellarminus in describenda adductiva conversione sibi constet. Nam in cap. 18. §. Ex quo &c. statuit, *in hac conversione ne quidem materiam primam panis manere*, sed in cap. 23. §. Secundo, ex voce *transelementationis* colligit transsubstantiationem. Describit autem transelementationem hoc modo, *quod significet mutationem totius rei usq; ad prima Elementa, h.e. usq; ad ipsam materiam, quæ ab Aristotele*

lementum vocatur. Ergo, ut in transelementatione manet materia, ita quoque in transsubstantiatione manebit.

Idem Bellarm. lib. ejusd. cap. 24. §. Ad tertiam, disputat, *corpus Christi ex pane fieri non tanquam ex materia, quo modo factum est ex carne sanctæ Virginis, sed tanquam ex termino à quo, quo modo factum est cœlum ex nihilo, ex die fit nox, & ex aqua factum est vinum.* (At quis unquam dixit, nihilum transsubstantiatum esse in cœlum, diem transsubstantiari in noctem? Si vero eo modo panis transsubstantiatur in corpus Christi, quo aqua in vinum est conversa, necesse est, ut maneat panis materia, sicut aquæ materia in vino Cananæo mansit.)

Octavo. Corpus Christi *fit ex pane, tanquam ex termino à quo, quo modo factum est vinum in Cana*, audivimus modo differentem Bellarminum cap. 24. At conversio illa aquæ in vinum fuit *productiva, quæ est, quando incipit quid esse, quod non erat ante*, ut idem disputat lib. 3. de Euchar. cap. 18. Hoc iterum non congruit cum transsubstantiatione panis in corpus. Mutatio enim illa panis in corpus non est *productiva*, sed *adductiva*, non faciendo rem, quæ non erat antea, sed solum adducendo eam in locum, in quo non erat antea.

Nono. Idem, Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 2. §. Septimo, sic disserit: *Ex Natura rei peracta consecratione tam diu perseverat corpus Domini in Eucharistia, quamdiu naturaliter mansisset substantia panis sub illis eisdem speciebus; ex quo sequitur, quod cum accidentia panis Eucharistiæ sunt corrupta, corpus Christi ibi esse desinit*, & tamen, ut ibid. scribit, *accidentia Christi substantia non inhærent.* At si accidentia corpori Christi non inhærent, quomodo corruptis accidentibus corpus Christi adesse desinit?

Decimo. Idem Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 10. operose disputat, *δεικτικὸν τοῦ* in verbis Eucharistiæ *non posse referri ad panem.* Jam vero tota structura disputationis de transsubstantiatione lib. 3. de Eucharist. cap. 19. nititur hoc fundamento, *quod disparatum de disparato, videlicet corpus Christi de pane sine essentiali mutatione affirmative non possit prædicari.*

Undecimo. Concil. Trident. sess. 13. c. 4. transsubstantiationem sic describit, *quod sit conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi.* Ergo ex sententia Concilii tota substantia panis in totam substantiam corporis Christi convertitur. At hodie communiter docent Pontificii, præsertim Jesuitæ, *substantiam panis desinere, & corpus Christi ibi esse incipere.*

Huc pertinet, quod Pesantius in Thomam fol. 890. Disput. 1. tres oppositas recenseat sententias de quæstione, *An substantia panis, quæ non manet in hoc Sacramento, annihiletur?* quodque idem *de termino transsubstantiationis* quinque referat sententias fol. 892.

Duodecimo. Pistorius in transsubstantiatione nullam fieri mutationem in corpore Christi statuit. Sic enim disputat in Hodeg. in cap. de Transsubstantiatione: *Mutatio Sacramentalis aut fit in corpore Christi, aut in pane. Non autem fit in corpore Christi. Ergo fit in pane, & per conseq. panis substantia convertitur in substantiam corporis Christi.*

Contra vero Bellarminus lib. 3. de Eucharist. cap. 18. etiam in corpore Christi mutationem fieri contendit, *Subjectum*, inquit, *in quo recipitur actio divina hujus conversionis, partim est panis, partim corpus Christi.* Illud sic exponit, *quod corpus Christi acquirat esse sub speciebus panis, quod antea non habebat.* Et quia Thomas & alii negant mutationem in corpore Christi, respondet, id intelligendum *de mutatione deperditiva, non autem de omni mutatione. Quando enim*, inquit, *corpus Christi acquirit aliquid, quod non habebat, nimirum esse Sacramentale, intelligi illud sine aliqua mutatione nequit.*

Et paulò post. *Eodem modo cum per conversionem panis idem corpus in sacra hostia ponitur, actio illa in corpore Domini recipitur, non quidem ut conversio, sed ut adductio est. Præterea corpus Domini per illam conversionem acquirit novam & realem relationem præsentiæ ad species panis & altare. Requiritur igitur aliquod fundamentum illius relationis, quod sane aliud fingi non potest, præter mutationem aliquam. Denique positio corporis Domini sub speciebus panis, quæ est aliquid positivum, non fit ab illa conversione, ut ea est in pane, quia illa non tam est actio, quam negatio actionis, nempe destructio, sed ut est & recipitur in corpore Christi.*

8. Quod præsupposito conversionis modo per transsubstantiationem nihilominus variis de ea opinionibus invicem discrepant.

Primo enim quærunt, *an à Christo expressa & instituta sit certa verborum forma ad transsubstantiationem necessaria?*

Durandus lib. 4. Ration. cap. 41. n. 15. *Quidam dixerunt, quod Christus post benedictionem & conversionem fregit, nam tunc confecit, cum benedixit, literam hoc ordine construentes, Accepit panem, benedixit, subaudiendum est, dicens: Hoc est corpus meum, & tunc fregit & dedit & ait: Accipite & comedite. Et iteravit, Hoc est corpus meum. Prius ergo protulit hæc verba, ut eis vim conficiendi tribueret: deinde protulit eadem, ut Apostolos formam conficiendi doceret. Alii dixerunt, quod etiam Christus prius fregit, quam consecravit, nam prius benedixit, & postea fregit, & demũ protulit verba illa: Hoc est corpus meum; & tunc dedit, & secundum hos & Sacramentum confecit, & formam instituit post benedictionem, cum dixit, Hoc est corpus meum, intelligentes, illam benedictionem vel fuisse aliquod signum, quod super panem expressit, quibus illud videtur obsistere, quod prius fregit, quam dixit, Hoc est corpus meum, nec est credibile, quod prius dederit, quam confecerit. Sane dici potest, quod Christus virtute divina nobis occulta primum confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicunt. Ipse namque virtute propria benedixit, nos vero ex illa virtute, quam indidit verbo.*

Scotus lib. 4. Repert. dist. 8. q. 2. *Dico quod ignorantia est licita, ignorare quot verba præcise requirantur ad formam cõsecrationis sanguinis, quia nec Christus expressit, neque Ecclesia. Unde quod dicit unus Doctor, quod Minister debet necessario scire, quæ sit forma præcise, quia oportet eum intendere consecrare, illud est Sophisma & falsum in se.*

Et postea. *Græci non habent hanc formam, & tamen non negamus, eos conficere corpus Christi.*

Thomas part. 3. qu. 78. art. 1. *Quidam dixerunt, quod Christus absque omni forma verborum hoc Sacramento confecit, & postea verba protulit. Hoc videntur sonare verba Innocentii III.* Quidam dicunt, quod illa benedictio facta sit verbis nobis ignotis. Quidam dicunt, quod Christus illa verba bis protulit, primo secrete, ad consecrandum, secundo manifeste, ad instruendum. Quidam dixerunt, quod Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverint, quo res sint gestæ. Thomas ipse putat, quod participium *dicens* importet concomitantiam quandam verborum prolatorum ad ea, quæ post dicit, hoc sensu: Dum benediceret & frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit, Hoc est corpus meum.

Huc pertinent quæstiones, *An Christus nullis verbis consecraverit?* Affirmant Innocentius III. & IV. Franciscus Maironis, Biel, Godofredus Pictaviensis, Gulielmus Durandus &c. alii contra negant ac *certis verbis Christum consecrasse* statuunt.

Sixtus Senensis lib. 6. annot. 111. memorat, *quod Cajetanus ab Ambrosio Compsa castigatus sit, dubitans de verbis, quibus Christus consecravit.* Confer Pesantium in Thomam fol. 910. Disp. 2.

Pari ratione quidam statuunt, *verba illa, quibus Christus consecravit, nobis esse incognita*: cui sententiæ autorem nullum assignavit Suarez de Sacram. Disputat. 58. Sed Archiepisc. Cæsariensis de Capite Frontium in tract. de necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ hanc sententiam tribuit Alberto in Comm. super Evangel.

Contrà vero plerique omnes *verba consecrationis ab Evangelistis & Paulo in descriptione institutionis expressa esse dixerunt, & assignarunt ista, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Sed & illi sententiis invicem variant.

Fuere, *quia verba ista consecratoria bis à Christo prolata esse existimarunt, semel secreto, nempe, antequam panem acciperet ac discipulis daret: & iterum elata voce, prout ab Evangelistis recitantur.* Autor hujus opinionis nominatur Stephanus Episcopus Heduensis.

Alii *semel tantum dicta, prout semel ab Evangelistis recitata.*

Sed nonnulli negant *ab Evangelistis servatum ordinem rerum; Christum enim ea verba protulisse ab initio, cum notatur benedixisse.*

Alii vero sic protulisse voluerunt, *ut ab initio consecrationis pertingerent ad finem distributionis, hoc est, prolationem durasse, dum Christus benediceret, frangeret ac distribueret.* Hanc sententiam Cæsariensis ille tribuit Thomæ.

Rursus Scotus & Cajetanus existimant, *eundem fuisse ordinem rerum & narrationis apud Evangelistas, sed consecrasse Christum non dum benedixit, sed cum dedit.*

Denique alii dicunt, *sine ullo ordine omnia simul à Christo facta fuisse, ac dicta; sed non potuisse Evangelistas semel omnia narrare; Hanc*, inquit ille Cæsariensis, *opinionem aliqui nunc apud nos Theologi sequuntur.* Sic numerantur omnino septem opiniones.

Necdum tamen finis dissensionum, superest enim gemina illa dissensionis occasio, quam utramque Cæsariensis ille dicto tractatu sic describit: *Est alia quæstio, an solis quatuor verbis, Hoc est corpus meum, fieri consecratio possit. Hic iterum in duas dissecti sunt opiniones. S. Thomas & illius opinionem sequentes tenent, quod sic. Scotus*

Scotus tenet oppositum, dicens, opus esse aliis verbis, per quæ Christi verba ad materiam applicari declaretur. Scoti opinionem sequuntur *Angelus in Summa Angelica, Pelbartus in Rosario Theologiæ, Landulphus in quartum, Mathurinus Bretius, Dolvellius & multi alii, qui ajunt, verba, quibus Christi verba ad materiam applicari significatur, esse benedictionis Ecclesiæ verba, quibus petit, ut oblata munera panis & vini fiant corpus & sanguis Christi.* Hanc opinionem secuti sunt Theologi Colonienses in suo Antididagmate contra Lutherum, & Lindanus Episcopus in sua Panoplia, & Catharinus in duobus de hac materia libellis Romæ ab eo editis. Colonienses & Lindanus tenent cum Angelo & Pelbarto, *quod nihil omnino fieret, si quis sola verborum prolatione sine Ecclesiastica prece consecrare attentaret.*

Secundo, Quærunt, *an verba Christi materialiter, an vero significative in consecrationis forma sumantur?*

Hic iterum magna reperitur opinionum diversitas. Bona pars tenet, *quod materialiter sumantur.* Sed divisi hi sunt inter se, quia quidam dicunt, *quod materialiter tantum sumantur*: alii vero, *quod simul materialiter & significative, ut D. Thomas & sui sectatores*: alii, *quod partim materialiter, partim significative.* Sunt alii, *qui ea significative tantum accipi* asserunt, ut Marsilius in quartum, Innocentius autem tertius, & Innocentius quartus & Glossa in Canonem, Timorem, de Consecrat. dist. 2. tenent, *quod materialiter tantum sumantur*, quos sequuntur multi ex Scholasticis, uti Durandus, Godofredus Pictaviensis, Maironis, Brulifer, Picus Mirandula, Gabriel Biel, Catharinus. Qui vero ea *significative sumi* asserunt, divisi sunt in tot & varias opiniones, ut vix eas numerare sit. Certe Guido Brainzonis super quartum sententiarum numerat novem, & suam adjicit, quæ decimam facit. Hæc omnia ille Cæsariensis d. l.

Hodie videntur omnes docere, *illa tantum verba, quæ formalia dicunt, sive Sacramentalia, pertinere ad consecrationem.* Ita Bellarminus, Vasquez, Suarez, Gregorius de Valentia &c.

Veruntamen Salmero, etsi hanc sententiam non improbet, tamen alteram longe prolixius demonstrare conatus est, & iis verbis, ut facile constet, ipsum eò inclinare, *ut consecratio amplior sit, quam ut iis tantum paucis verbis contineatur*, tom. 9. tract. 13.

Concilium Tridentinum rem universalem silentio prætermisit, ut solet pleraque alia inter suos controversa.

Salmero, postquam in utramque partem autoritates & rationes attulisset, subjungit. *Jam prudens Lector suo fruatur judicio, nulli præscribimus, &, quam velit, magis amplectatur sententiam, donec Ecclesia aliud statuat atque decernat, cujus judicio per omnia est acquiescendum. Non dissimulabo, quod in Concilio Tridentino, cum quidam Theologi id peterent, ut explicaretur forma, qua Christus confecit hoc Sacramentum, auditis hinc inde rationibus, nihil hic esse definiendum, prudenter Patres censuerunt.* Vide omnino Benedictum Justinianum 1. Cor. 10. p. 564.

Cognata huic quæstioni est ea, qua quæritur, *an pronomen Hoc, nihil demonstret?*

Dominicus à Soto 4. sent. dist. 11. q. 1. artic. 5. sic disserit: *Fuit opinio dicentium, nihil per illud pronomen Hoc demonstrari in actu exercito, sed esse pronomen conceptum, quasi omnia verba acciperentur materialiter. Itaque Sacerdos nihil affirmat, sed recitat esse à Christo dictum, veluti, dum legis in Evangelio, Tu es Petrus, nihil asseris, quia neque colloqueris cum aliquo, sed refers verba, quibus Christus Petro loquebatur.*

Placuisse videtur hæc sententia Salmeroni tom 9. tract. 13. *Respondemus, in verbis, quæ nos proferimus, pronomen illud nihil demonstrare, quia verba sunt potius recitantis, quam enunciantis. Et cum aliquis aliquid absens, etiam præteritum, recitat, nihil demonstrat, quia pronomen vel adverbium demonstrandi, nempe Ecce, rem præsentem requirit, nam absens vel præterita non est ad sensum demonstrabilis. Licet enim, cum B. Virgo dixit, Ecce ancilla Domini, adverbium Ecce, ipsam Angelo præsentem demonstraret, Lucas tamen, cum recitat Historiam, Ecce, nihil demonstrat, quia nec aderat B. Virgo, cum Lucas ista scriberet, ut illam demonstraret, neque Lucas volebat eam demonstrare, sed referre tantum, quod ipsam demonstraverit.*

Reliqui plurimi etsi concedant, *recitari verba à Christo olim dicta*, tamen tenent, *eadem esse significativa, sive enunciativa, sive facere demonstrationem.* Alensis, Thomas & plerique omes. Confer Pesantium in Thomam f. 911.

Sed alii demonstrationem referunt *ad sensum*, alii *ad intellectum*, teste Dominico Soto d. l.

Tertio, Quærunt, *an sit aliqua virtus creata in verbis Cœnæ ad transsubstantiationem.*

Thomas part. 3. quæst. 78. artic. 4. *Statuere, quod nulla virtus creata sit in verbis Cœnæ ad transsubstantiationem, repugnat & dictis Sanctorum, & dignitati Sacramentorum. Cum ergo hoc Sacramentum sit cæteris dignius, consequens est, quod in verbis formalibus hujus Sacramenti sit quædam virtus creata ad conversionem faciendam, instrumentalis tamen.*

Ibid. addit, *per hunc modum verba illa convertere panem in corpus Christi, sicut tactus manus Christi sanavit leprosum.*

Sed Biel 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 5. contra disputat. *Sacramenta non efficiunt, quod significant, per aliquam virtutem insistentem, sed per virtutem divinam assistentem, nec verba prolata aliquid efficiunt, nisi quod ad prolationem eorum Deus signo per se instituto assistens operatur. Requiritur autem verborum prolatio ex institutione Christi, ut prævia, non ut concomitans.*

Quarto, Quærunt, *an illis solum verbis, Hoc est enim corpus meum, fiat transsubstantiatio?*

Scholastici plerique affirmant. Sed Scotus 4. sent. dist. 8. & Angelus de Clavisio in Summa de Eucharist. membro 1. q. 24. Pelbartus in Rosario, Ambrosius Catharinus, Colonienses in Antididagmate & Lindanus negant, *quia Sacerdos dicendò, Hoc est corpus meum, non refert ad corpus Christi, ideo licet non sint alia verba de substantia formæ, quàm prædicta, tamen de necessitate requiritur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus præfata forma solummodo determinetur ad corpus Christi, sicut fit, cum dicitur in Canone, Fiat corpus dilectissimi Domini nostri Jesu Christi, qui pridie &c. aliter nihil fieret. Et hoc tene*, ait Summa, *quamvis aliqui teneant contrarium & male.*

Huc pertinet quæstio, *An singulæ voces, quæ habentur in forma consecrationis calicis in Latinis Missalibus, sint de essentia formæ?*

Bellarminus ingenue fatetur lib. 4. de Euchar. cap. 12. *Theologos de hac quæstione disputare, nec omnino inter se convenire.*

Item, *quæ forma consecrationis vini esse debeat?* de quo tres Scholasticorum sententias recitat Pesantius in Thomam fol. 909.

Item, *Quot verba præcise requirantur ad formam consecrationis?* Quidam *nescire se* profitentur *licitæ genere ignorantiæ*, ut Scotus lib. 4. Repert. d. 8. q. 2. alii *scire se fatentur*, ibid. apud Scot.

Quinto quærunt, *an Sacerdos panem virtute præfatorum verborum transsubstantiet in corpus Christi, si ad veneficia eo uti intendit?*

Respondet Angelus in Summa. *Licet Thomas in 4. sent. dist. 11. teneat, quod talis conficiat, tamen non cures, sed tene, quod talis non conficiat, quia deficit intentio illius, qui hoc Sacramentum instituit, ut tenet Bonaventura & multi alii, quamvis etiam opinio Thomæ possit sustineri, secundum quod Richardus sustinet, si intelligatur, quod conficiens intendat primo conficere, licet consequenter ad veneficia. Sed prima magis vocatur rationalis, & ideo tene eam.*

Sexto quærunt *de accidentibus panis, ubi fundentur post transsubstantiationem?*

Lombardus lib. 4. sent. dist. 12. lit. A. *Potius mihi videtur fatendum existere sine subjecto, quam in subjecto.*

Innocentius III. lib. 4. de Myster. Missæ cap 11. *In Sacramento corporis accidens non est in substantia, sed substantia consistit sub accidente.*

Thomas p. 3. q. 77. art. 1. *Quidam dicunt, quod accidentia fundentur in aere.* Ipse vero art. 2. statuit, *quod quantitas dimensiva sit subjectum illorum accidentium.*

Catechismus Romanus par. 2. de Sacram. Euchar. cap. 4. q. 337. sequitur Innocentium & Lombardum, *quod accidentia illa supra omnem Naturæ ordinem ipsa se nullâ aliâ re nixa sustententur.*

Marsilius 4. sent. dist 12. q. 9. artic. 2. Majoris ibid. q. 3. itidem volunt, *omnia accidentia esse disjuncta & sine subjecto existere. Quando enim erant in pane, non erant in quantitate panis subjective, sed in substantia, ergo nec post consecrationem. Præterea subjectum accidentium non est accidens, quia subjici est proprium materiæ, quantitas autem est accidens. Denique, si quantitas conservatur in Eucharistia, sic, ut non insit in subjecto, eodem modo & reliqua accidentia conservari possunt.*

Sed Bellarminus, cum non ignoret, in Concil. Lateran. sess. 3. decretum, *Scripturam sacram veritati Naturæ non repugnare, eò, quod verum vero non contradicat*, statuit, *quod quantitas dimensiva remanens sit reliquorum accidentium subjectum*, lib. 3. de Eucharist. cap. 19.

Cajetanus in p. 3. q. 77. artic. 1. secutus Henricum Gandavensem, statuit, *quantitatem accipere novum quoddam esse à Deo per miraculum, ita ut jam naturaliter sit subjectum illorum accidentium,* nam

nam alias essent multa miracula, quot enim sunt accidentia, tot erunt miracula, quia accidens existere extra subjectum est miraculum. At si ponatur quantitas fieri subjectum, unum erit miraculum, non plura.

Septimo quærunt, *Quo tempore fiat Transsubstantiatio?*

Glossa c. Cum omne. de Consecrat. dist. 2. lit M. multas recenset opiniones. Quidam dicunt, *quod non fiat transsubstantiatio, nisi ultima syllaba Um totius formæ prolata. Alii, ut Hugo, existimant, quod cum dicitur, Hoc est corpus meum, transsubstantietur sub illa conditione, scilicet si statim subjungatur, Hic est sanguis meus, aliter non. Alii dicunt, incertum esse in rerum Natura, utrum in continenti sit corpus Christi. Aliis fit trãssubstantiatio in ultima litera M.*

Vide Bielem 4. sent. dist. 11. q. 1. artic. 3. dub. 4. Soncin. 4. sent. dist. 13. concl. 1.

Octavo quærunt, *Quid fiat de aqua vino appositâ in transsubstantiatione?*

Thomas p. 3. q. 74. artic. 8. ex Innocentio III. refert tres opiniones. *Quidam dicunt, quod aqua per se maneat vino in sanguinem converso. Quidam dicunt, sicut vinum convertitur in sanguinem Christi, ita aquam converti in illam aquam, quæ fluxit de latere Christi. Quidam dicunt, quod aqua convertatur in vinum, & vinum in sanguinem Christi.*

Durandus lib. 4. Ration. c. 42. n. 6. *Quis hæc definire audeat?*

Nono quærunt, *Quomodo accidentia panis veneno inficientur?* (cum constet, Henricum VII. Imperatorem Eucharistia veneno illita, neci datum, Platina in Vita Clem. 5.)

Quomodo accidentia vini inebrient? (Thomas in 1. Cor. 11. *Si quis forte plus aquo vini consecrati hauserit, ipsis accidentibus sustentari potest, ac forte etiam inebriari.*)

Quomodo vermes nascantur ex speciebus Eucharistiæ? (quod fieri testatur experientia.)

Alii *vermes istos ex aere*, alii *ex substantia panis reversa nasci* dicunt.

Priorem sententiã tribuit Thomas quibusdam Doctoribus part. 3. q. 77. art. 5. sed eandem refellit. Posteriorem amplectuntur Innocentius lib. 4. cap. 11. & Bonavent. 4. sent. dist. 12. art. 2. q. 1. Durandus in Ration. lib. 4. cap. 4. Socin. 4. sentent. dist. 12. controv. 5. p. 121.

Thomas *ex accidentibus in aere fundatis*, p. 3. q. 77. art. 5.

Conimbric. 1. Physic. cap. 9. q. 5. art. 3. §. 3. & lib. 1. de Generat. & corrupt. cap. 4. q. 7. art. 2. §. 6. *in eo eventu receptis primum in quantitate dispositionibus ad formam vermis ipso generationis momento subjici à Deo materiam, vel denuo creatam, vel aliunde ascitam, vel potius eandem, quæ evanuerat, retroductam, ex qua simul cum forma vermis componatur.*

Bellarmin. lib. 3. de Eucharist. cap. 24. resp. ad 6. *Vel mutatio in pane Eucharistiæ est sola alteratio, vel est corruptio. Si est sola alteratio, ut calefactio, condensatio, tum non requiritur materia seu substantia. Nam accidentia omnia pro subjecto habent quantitatem, quæ in Sacramento manent: si verò fit corruptio specierum, ut in nutritione humana, combustione &c. tum requiritur quidem materia sed ea substituitur à Deo in illo ipso instanti, quo desinunt esse aliæ species & hoc sine miraculo, quia id rerum ordo exigit.*

(Atqui illa corruptio, quæ accidit hostiæ in corpus Christi transsubstantiatæ, aut est *ab actione contrarii*, aut *à corruptione subjecti*. Sed à neutra esse potest. Non ab illa, quia corpus Christi non habet contrarium, Durand. 4. sent. dist. 12. qu. 2. nec ab hac, quia materiam subjectam non habet, alias non opus foret substitutione. Adhuc ergò quæritur, *ubi prima recipiatur corruptionis impressio, ob quam sustinendam alia substituenda sit materia?*)

Decimo, Quærunt, *si mus comedit species panis, quid de corpore Christi fiat?*

Innocentius lib. 4. de Myst. Miss. cap. 9. *Fuerunt, qui dicerent, quod sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, sic & vera panis substantia. Hi facile solvunt quæstionem illam, qua quæritur, quid à mure comedatur, cum Sacramentum corraditur.*

Lombardus 4. sent. dist. 13. lit. A. *Quid sumat mus, vel quid manducet, Deus novit.*

Bonaventura 4. sent. dist. 13. q. 1. *Quidam dixerunt, quod mus sumat corpus Christi. Sed quomodocunque hæc opinio muniatur, nunquam tamen adeo munitur, quin piæ aures adhorreant hoc audire, quod in ventre muris, quamdiu species ibi subsistunt, sit corpus Christi.*

Contrà Alex. Alensis p. 4. q. 45. membr. 1. artic. 2. *Si canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram, non video, quare vel quomodo corpus Domini non simul cum specie trajiceretur in ventrem canis vel porci?*

Johannes de Burgo de Christ. Euchar. cap. 10. *Mus comedens hostiam, suscipit, corpus Christi.*

Glossa in cap. Qui bene. dist. 2. de Concrat. *Non est dicendum, quod mus sumat corpus Domini, statim enim desinit esse Sacramentum, ex quo ab eo tangitur. Si tamen dicatur, quod sumat, non est magnum inconveniens, cum sceleratissimi homines istud sumant.*

Thomas p. 3. q. 80. art. 3. *in hoc casu substantiam panis reverti* dicit.

Bonaventura. 4. sent. dist. 13. q. 2. *novã substantiam creari* putat.

Summa Angelica de Eucharist. tit. 3. qu. 9. *Videtur, quod corpus Christi non transeat in ventrem muris, si illas species comedit, quia Christus non est sub illo Sacramento, nisi quatenus est ordinabilis ad usum humanum, scilicet ad manducationem. Sed quam cito mus rodit, tam cito inhabilem facit, & Sacramentum esse desinit.*

Neve quis putet, has esse opiniones privatas, de hac quæstione, *An brutum comedens Sacramentum, devoret corpus Christi?* Josephus Angles, qui Scholasticorum flores collegit, respondet quæst. de Suscip. Eucharist. art. 3. diffic. 2. *Duæ sunt opiniones, Prima negans Magistri, quam sequitur Bonaventura. Contraria opinio est communis. Conclusio, Brutum comedens Sacramentum, verum Christi corpus devorat, fuit expresse definita per Gregorium undecimum. Cumque eadem communis sententia doceat, manere corpus Christi sub speciebus, quamdiu species integræ manent, non solum consequi fatentur, corpus Christi per vomitum ejici posse, sed etiam idem Antonius d. l. rejicit, tanquam fatuam sententiam eorum, qui dicunt, eas in secessum non emitti, sed per sudorem, aut aliter emanare, quia, inquit, & per secessum taliter emitti possunt species, sicut emitteretur substantia panis & vini, non aliter. Illa autem quandoque non corrupta emittuntur, ut in habentibus fluxum. Ergo & species.* (Unde sequitur, si alicui fluxum habenti detur Eucharistia, eamque per secessum rejiciat, speciebus incorruptis, egesturum etiam ipsum Christi corpus.

Undecimo, præsupposito eo, *quod mus rodens hostiam consecratam, comedat Christi corpus*, quærunt, *quid de illo mure faciendum?*

Antoninus in part. 3. de Defectibus Missæ c. 6. sect. 3. *Si mus aut aliud animal per negligentiam species Sacramenti comederit, ille, per cujus negligentiam hoc accidit, debet quadraginta diebus pœnitere, & debet mus capi & comburi, & cinis juxta altare reponi. Sed Petrus de Palude dicit, quod mus exenterari debet, & mus quidem comburi & cinis in piscinam conjici: pars autem hostiæ, si eam horret homo sumere, debet in tabernaculo reverenter poni & tamdiu ibi dimitti, quousq; naturaliter consumatur. Ipsa autem hostia nequaquam debet in piscinam projici, sicut fecit quidam Sacerdos de musca reperta post consecrationem in calice.*

Inguen in 4. sent. q. 6. art. 4. suadet, *murem ante omnia esse capiendum*, (sub hac tamen conditione, *si capi possit & non nimis celeriter elabatur.*)

Quod si verò mus jam captus sit, & quidem probabiliter ille ipse, qui corpus Christi deglutivit, quæsitum est amplius, *num corpus Dominicum in ventre muris, qui sic in muscipula circumfertur, adorandum sit?*

Bonaventura. 4. sent. dist. 13. q. 2. Gabriel Biel lect. 84. affirmandum hoc esse collegerunt, *cum beato Christi corpori suus ubique honor deferendus sit.*

Negativam elegerunt Major in 4. sent. dist. 11. q. 3. & alii, *cum ita videatur mus ipse quodammodo coli, qui tamen nocens est & capitale supplicium meruit.*

Ipsam verò muris pœnam quod attinet, Antoninus Archiepiscopus Florentinus statuit part. 3. Summ. tit. 13. cap. 6. *murem esse comburendum, cinerémque juxta altare ponendum.*

Sed quia hoc periculosum erat & metuendum, *ne ipsum Christi corpus in ventre muris delitescens combureretur*, suaserunt Thomas 4. sent. dist. 9. q. 2. Inguen 4. sent. q. 6. art. 4. Petrus de Palude 4. sent. dist. 9. q. 1. *ut mus mactatus exenteretur & hostia consecrata excindatur, atque fideli post factam convenientem ablutionem manducanda proponatur.*

Attamen, quia nonnunquam fieri queat, ut hostia in mure non inveniatur amplius, disceptatum porro est, *quid in isto casu dicendum sit, ne scandalum præbeatur Laicis?*

Antoninus p. 3. tit. 13. c. 6. arbitratur, *forte per secessum emissam*, quia tamen piæ aures ab hoc abhorreant, rati sunt alii, ut Gabriel Biel lect. 84. in Canon. Miss. Glossa de Consecrat. dist. 2. probabilius dici, *quod per sudorem emissa sit hostia, si modo demonstrari possit, quod mures etiam sudent.*

Voluerunt tandem alii, *ut mus excommunicetur*; alii, *ut projiciatur*. Suadent ob similes casus alii, *ut Sacerdos, si non abhorreat, ob reverentiam corporis Dominici murem totum devoret.*

Antoninus in part. 3. de Defectibus Missæ cap. 6. sect. 3. *Si quidem*

quidem homo esset tanti fervoris, quod hujusmodi non horreret, sed sumeret, commendandus esset, si tamen esset jejunus. Sic B. Hugo Cluniacensis commendavit Goderanum sumendo portiunculas hostiæ, quas leprosus cum vilissimo sputo evomuerat, dicens, craticulam Laurentii fuisse tolerabiliorem.

Duodecimo, Quærunt, *an corpus Christi dentibus atteratur?*

Claudius Sanctesius cap. 3. Repetit. 5. *à dentibus nostris verè circa carnis illius substantiam exercetur actio.*

Guitmundus ad objectionem Berengarii, (*Absit, ut unquam Deus hoc velit. Non enim fas Christum dentibus atteri.*) respondet hoc modo: *Ego verò inprimis quæro, quid dicant significare atteri. Si enim intelligant atteri, vel pressius tangi, aut fortius premi, quæro, quare non sit fas Christum dentibus atteri? Nam si idcirco hoc ipsum non est fas, quia non possit fieri, eadem ratio est, quam de Natura dicunt, scil. quia Natura non potest pati. Et nimium vana ratio, nulla quippe rerum impossibilitas potest impedire voluntatem Dei. Deinde, quare non possit dentibus premi, qui manibus Thomæ & post resurrectionem potuit attrectari? Et sanctæ mulieres, quibus occurrit post resurrectionem, scriptum est, quia tenuerunt pedes ejus. Nulla namque ratio est, ut non possit tangere dens, quod tangit manus. Nam sicut ad manus, ita & ad totum corpus pertinet tactus, quare quicquid tangit manus, potest & toto corpore tangi, potest igitur & dentibus tangi. Porro, quod potest vel leviter tangi, cum solidum corpus sit, cur non possit etiam fortiusculè tangi, quod est atteri? Si ergo corpus Domini post resurrectionem manibus Thomæ Apostoli & sanctarum mulierum potuit tangi, cur hodie à credentium dentibus non possit vel levius, vel pressius tangi, id est, atteri, nulla obstare ratio videtur.*

Inde Berengarius in sua palinodia c. Ego Berengarius. dist. 2. de Consecr. inter cætera sic loquitur: *Ore & corde profiteor &c. panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramentum, sed veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri.*

Sed Glossator cautelam addit. *Nisi sanè intelligas verba Berengarii, in majorem incides hæresin, quam ipse habuit, ideo omnia referas ad species ipsas, nam de Christi corpore partes non facimus.*

Cæsar Bulengerus contra Plesſæum lib. 4. cap. 2. *Sufficit accidentia mandi & teri, corpus autem cum accidentibus descendere in stomachum, Sunt enim attendendæ actiones secundum id, quod proprium, non per accidens. Accidens est, quod corpus Christi non teratur, quia glorificatum, impassibile, absque quantitate.*

Decimo tertio, Quærunt, *an corpus Christi descendat in stomachum?*

Bonaventura 4. sent. dist. 13. part. 2. q. 2. art. 2. *In ventrem ire est dupliciter, aut quantum ad substantiam, aut quantum ad cibandi efficaciam. Primo modo descendit aliquod corpus in ventrem, etiamsi non sit cibus; secundo modo non, nisi sit cibus. Si ergo loquamur quantum ad cibandi efficaciam, sic certum est, quod corpus Christi non vadit in ventrem, sed in mentem: quia caro Christi non reficit ventrem, sed mentem. Si autem loquamur, quantum ad substantiam, sic certum est, quod non vadit in mentem, sed utrum sic vadat in ventrem, dubium est, propter diversitatem opinionum. Aliqui enim dixerunt, quod non solum in ventrem, sed etiam vadit, quocunque species illæ deferuntur, salva Natura illarum, sive in ventrem muris, sive in locum immundum. Aliqui dixerunt, quod non solum in ventrem hominis vadit, sed etiam ibi manet, quamdiu species illæ sunt ordinabiles ad refectionem, unde dixerunt, quod in ventrem vadit & moratur, quousque refectionis operatio compleatur. Alii dixerunt, quod ad ventrem perveniunt, quousque incipiant consumi, & amplius non morantur. Aliqui dixerunt, quod solum est cum illis speciebus, quamdiu sunt cum aliquo sensu & visu, vel gustu.*

(Extremas opiniones rejicit, intermedias dicit esse *æque probabiles. Sed*)

Cardinalis de Turrecremata in can. Tribus gradibus, aliter judicat, *Prima*, inquit, *opinio, quæ dicit, quod corpus Christi defertur, quocunque species deferuntur in ventrem canis, vel suis, vel in loca immunda, videtur vera. Salvo enim vero esse specierum, adhuc non desinit esse Sacramentum, nec Christus sub speciebus panis. Secunda opinio videtur esse simpliciter vera, quantum ad aliquid, quia dummodo species sunt in suo vero esse & ordinabiles ad refectionem, non desinit esse Sacramentum, sed quod ibi sit corpus Christi, quousq; sit completa refectionis operatio, cur non existentibus speciebus in vero esse suo permanet operatio refectionis, non videtur verum, nec verosimile. Similiter tertia opinio vera est, secundum quod tunc dicitur esse sumtio completa, quando speciebus dissolutis Christus transit in animam, secundum autem, quod sumtio dicitur completa facta degustatione sive deglutione, non est vera. Quarta autem opinio vera est.*

Thomas p. 3. q. 80. artic. 3. *Quidam antiqui erraverunt, dicentes, quod corpus Christi nec etiam Sacramentaliter à peccatoribus sumitur, sed quam cito labiis peccatoris contingitur, tam cito sub speciebus Sacramentalibus desinit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneum, derogat enim veritati hujus Sacramenti, ad quam pertinet, quod manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent, quamdiu substantia panis maneret, si ibi adesset. Manifestum est autem, quod substantia panis assumta à peccatore, non statim esse desinit, sed manet, quamdiu per calorem naturalem digeratur, unde tamdiu corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus manet à peccatoribus sumtum.*

Consequenter, Quærunt, *an corpus Christi etiam per vomitum rejiciatur?*

Bonaventura ead. quæst. *Quod dicit Beda, quod aliquis vomit, hoc dictum est de specierum vomitu, & pœna imposita non est, nisi quia species illæ fuerunt contentivæ Dominici corporis, & ideo in magna reverentia sunt habendæ.*

Paulò post. *Nihilominus tamen alia sententia videtur securior, & autoritatibus magis concordare, quia corpus Christi cum illis speciebus descendit ad stomachum, & sub illis est, quamdiu illæ sunt sub propria forma, & habent rationem reficiendi, & secundum ordinationem ad refectionem humanam Sacramentum erat. Unde concedunt, quod corpus Domini est in stomacho, quia ibi sunt species, ut cibus: & ideo si evomuntur species, evomitur Eucharistia. Et, si species possit ab aliis discerni, sumenda esset. Si autem species istæ transeant stomachum indigestæ propter aliquam infirmitatem, sunt tunc extra proprietatem refectionis, & ideo si vadant in secessum, non est ibi corpus Domini. Utrum autem hoc sit verum, nescio: tamen secretum mihi videtur, quod si quis evomat species perceptibiles, magna reverentia est exhibenda.*

Inde verò atque ideo in decisione hujus quæstionis variant, quod nondum certi sunt, quamdiu corpus Christi sub speciebus maneat.

Glossa in c. Tribus gradibus, de Consecrat. dist. 2. *Certum est, quod species, quam cito dentibus teruntur, tam cito in cœlum rapitur corpus Christi.*

At Gregorius XIII. hanc glossam corrigit. Sic enim ex Thoma p. 3. qu. 77. art. 4. in editione nova Decreti Gregor. habetur: *Manet corpus Christi, quamdiu species manent, quæ descendunt in stomachum & nutriunt, nec proprie rapitur in cœlum, unde nunquam discedit.*

Censura, quæ supervenit, *hæc omnia deleri jubet.*

Angelus in Summa de Eucharist. membro 3. q. 5. talem profert distinctionem ex Richardo 4. sent. dist. 9. *Si species sic in ore masticentur, quod per digestionem ibi factam non corrumpatur in eis forma propria, sed descendant in forma propria in stomachum, descendit & corpus Christi in stomachum per descensum speciei, sub qua continetur, & tamdiu ibi manet corpus Christi, quamdiu in eadem specie forma propria specierum servatur. Si autem species panis tamdiu in ore masticetur, quo per digestionem in ore factam corrumpatur forma propria in eis, & non descendat in stomachum, tunc nec corpus Christi descendit in stomachum, & sic intelligitur illud de Consecrat. dist. 2. c. Tribus. cum dicitur, quam cito species dentibus atteritur, tam cito in cœlum rapitur Christi corpus. Adde tamen secundum Bonaventuram, quod cum corpus Christi maneat sub illis speciebus, quamdiu illa species sit habilis ad refectionem humanam, quia ad hoc est statuta & ad hoc ordinatur, & hoc habet, cum est extra stomachum & in stomacho, quia ibi reficit, & tamdiu corpus Christi moratur, donec operationis refectio compleatur, ideo si quis evomit illas, evomit corpus Christi, & si species possint discerni ab aliis, debent sumi cum reverentia & cremari, & cineres juxta altare recondi.*

Hæc decisio Summæ Angelicæ petita videri potest ex Concilio Coloniensi Anno 1280. celebrato, in quo tale statutum editum: *Si communicatus evomuerit, partes diligenter & cautè, quæ reperiri poterunt, colligantur, & contrita cum vino ab aliquo fideli sumantur, residuum verò vomitus comburatur & reponatur in terram juxta altare.*

Contra verò Durandus lib. 4. Rational. cap. 41. n. 41. *Cum Sacramentum tenetur, gustatur & comeditur, Christus corporaliter adest in visu & in sapore, & quamdiu corporalis sensus afficitur, corporalis præsentia non aufertur. Postquam verò in percipiendo sensus deficit corporalis, deinceps non est quærenda præsentia corporalis, sed spiritualis est retinenda, quia dispensatione completa Christus transit de ore ad cor, melius est enim, ut procedat in mentem, quam descen-*

descendat in ventrem. Cibus est, non carnis, sed animæ; venit, ut comedatur, non consumatur; ut gustetur, non ut incorporetur; ore comeditur, sed stomacho non digeritur; reficit animam, sed non effluit in secessum.

Cajetanus in opusc. tom. 2. tract. 2. cap. 3. audacius sic scribit: *Falsissimum est, corpus Christi corporaliter sumi, quoniam spiritualiter & non percipiendo, sed credendo Theologi docent sumi in Eucharistia.*

Decimo quarto, Quærunt, *cum sola accidentia post transsubstantiationem supersint, quomodo panis Eucharisticus frangatur?*

Lombardus 4. sent. dist. 12. lit. B. *Solet quæri de fractione & partitione, quæ ibi videtur, utrum vera sit, & si vera ibi fractio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat. Cumque ibi non sit alia substantia, quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed e contra, cum ipsum corpus incorruptibile sit, in ipso non posse esse videtur. Ideo quibusdam placet, quod ibi non sit fractio, sicut videtur, sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur, quod ait Ambrosius, nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis. Ad hoc illi dicunt, non fallit nos visus, nec fallitur, quod esset, si crederetur frangi, ut videtur.*

Lit. C. *Alii vero dicunt, quod sicut ibi species panis est, & non est ibi res, cujus, vel in qua sit illa species: ita est ibi fractio, quæ non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur, quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi sit fractio, ubi nihil frangitur.*

Lit. D. *Alii tradunt, corpus Christi essentialiter frangi & dividi, & tamen integrum & incorruptibile existere.*

Lit. E. *Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane dici potest, fractio illa & partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis Sacramentaliter fieri,* id postea sic declarat, *quod in specie visibili fiat.*

Decimo quinto, *An existentia corporis Christi sub modo Sacramentali necessario dependeat ab existentia ejus sub modo naturali, vel contra,* disputat magno zelo pro Scoto contra Cajetanum Johannes de Rada part. 4. Controversiarum contr. 8. art. 2. p. 201.

Decimo sexto, *Humanitatem Christi seipsam producere seu conservare secundum substantiam in Eucharistia, perperam dicunt aliqui,* inquit Vasquez in 1. Thom. Disp. 176. n. 15.

Decimo septimo, Salmero tom. 10. tract. 12. p. 76. sic disserit: *Quæro, unde ex toto Evangelio habere possimus, quod Christus hostiam consecraverit,* (hoc est, transsubstantiaverit & sacrificaverit) *nisi ex isto benedictionis verbo. Nam textus ait, quod accepit panem, quod benedixit, quod fregit, quod dedit discipulis. Sicut ergo accipere refertur ad panem, & fregit & dedit ad eundem est referendum: ita verbum illud, quod in medio verborum illorum jacet, de pane est interpretandum, nimirum benedixit, id est, benedictum fecit. Nam cum Dominus a principio Cœnæ & mensæ pro suo more benedixerit, & post Cœnam dicatur gratias egisse & hymnum dixisse, sequitur, quod hæc inter Cœnam, tum benedictio panis nova & ab illa priori distincta extiterit, nempe non tantum laudis, sed efficax & operatoria consecrationis & sanctificationis.*

Contrarium statuunt Albertus Magnus & Cardinalis Cajetanus, unde Salmero subjungit: *Cadit proinde opinio Cajetani & Alberti Magni, qui in Matth. cap. 26. interpretantur, benedixisse, de benedictione laudis & gratiarum actionis, qua Deum confessus est & laudavit, sed qua in pane nihil efficeret.*

Decimo octavo, idem Salmero loc. d. sic scribit: *Benedictio & gratiarum actio non sine consecratione & benedictione mystica vim sanctificandi habente fuit peracta. Et quia dicere Dei est facere, merito benedicere Dei est benefacere, hoc est, transsubstantiando sacrificare. At hæc consecratio insignis Dei beneficentiæ & liberalitatis est nobis argumentum.*

Contrarium statuit Guilielmus Estius in 1. Cor. 10. p. 376. *Ex dictis,* inquit, *intelligitur, Christi benedicere, juxta definitionem à Jansenio datam & à nobis probatam, non esse idem quod benefacere, sicut ajunt quidam, nisi sensu consecutivo, quod omnis ejus precatio fit efficax, seu potius efficaciter impetratoria ejus, quod petitur, ipso videlicet cum Patre & Spiritu S. hoc ipsum quod petit, præstante, non semper statim cum ipsa petitione, sed cum voluerit.*

Decimo nono, Barradius tom 4. lib. 3. Conc. Evang. cap. 2. sect. 13. & 14. Quæritur, *an Dominus externo aliquo manuum signo pani benedixerit. Nam Apostolis elevatis manibus in ascensione benedixit, parvulis etiam Marc. 10. benedixit, imponens manus super eos. Nonnulli dixerunt, signo manus externo benedixisse, ut ait Albertus Magnus in tract. de Offic. Missæ, quod autem fuerit signum, non explicat. Et Innocentius III. lib. 4. de Myst. Miss. cap. 6. Quidam, inquit, intellexerunt, benedictionem fuisse vel aliquod signum, quod super panem impressit, vel aliquod verbum, quod super panem expressit. Salmero existimat signo crucis benedixisse tom. 9. tract. 12. Ex usu, inquit, Ecclesiæ habetur crucis signatio super hostiam, quam ex traditione Apostolica provenisse credimus, quam viderunt Apostoli primum à Christo observatam & in lege veteri indicatam. Nam in lege veteri sacrificium dictum Tenupha, ad quatuor orbis partes motum signum crucis edebat. Hoc ergo signo crucis, quo cæterea omnia Sacramenta perficiuntur, benedixit sacrificium suum Dominus. Sic ille, si tamen quis volet, solis verbis Christum, dum gratias egit Patri, simul etiam pani benedixisse, non repugnabo.*

Vigesimo, *De consecratione, gratiarum actione & benedictione,* à qua pendet consecratio, itidem variant sententiæ, ut monet Suarez.

1. Quidam putarunt, *idem esse benedictionem, gratiarum actionem & consecrationem,* ut Thomas, Durandus, Marsilius, Gabriel, Hugo, Remigius, Brunus, Lyranus.

2. *Gratiarum actionem & benedictionem non distingui inter se, sed à consecratione,* Bonaventura, Soto, Armacanus, Glossa ordinaria, Cajetanus, Titelmannus, Jansenius.

3. *Benedictionem & consecrationem eandem esse, sed distingui gratiarum actionem à consecratione,* ut Alanus.

4. *Benedictionem, gratiarum actionem, consecrationem, omnes distingui.* Hanc Suarez sibi probabilem videri asserit.

Estius in Comment. 1. Cor. 10. pag. 374. sic disserit: *Benedictionem alii* (Romano Catholici) *consecrationem, alii gratiarum actionem interpretantur, quorum neutrum dici posse nobis videtur. Etenim haud dubie de eadem benedictione Paulus & Evangelistæ loquuntur. Atqui illa benedictio neque consecratio fuit, neque gratiarum actio. Consecrationem non fuisse, quamvis ita multi sentiant Latini posteriores, ex eo patet, quia prolationem verborum, quibus fit consecratio, præcessit, ut ex Græco textu apud utrumque Evangelistam, ubi de pane loquuntur, est perspicuum.*

Ibidem ex verbis Concilii Tridentini sess. 13. cap. 1. colligit, *consecrationem fuisse benedictione posteriorem, & proinde benedictionem per consecrationem, tanquam eadem sit, non recte exponi.*

Barradius tom. 4. Comment. in Concord. Evang. lib. 3. cap. 2. dist. 15. post contrariam Lyrani, Hugonis Cardinalis, Innocentii III. Pontificis, Odonis, Cameracensis Episcopi enumeratam opinionem idem cum Estio statuit.

Hosce & similes disputationum labyrinthos inexplicabiles & portenta opinionum transsubstantiatio peperit. Plures hujusmodi dissensiones ac disceptationes occurrunt in libro, cui titulus, *Resolutorium dubiorum circa celebrationem Missarum occurrentium per Venerabilem Dominum Johannem de Lapide Doctorem Theologum Parisiensem, Ordinis Carthusiensis ex sacrorum Canonum, probatorumque Doctorum sententiis diligenter collectum & impressum Coloniæ in domo Quentelii Anno 1404.* Itemque *in Summa Angelica,* tit de Euchar. in tractatu *Thomæ de quidditate & mirabili virtute venerabilis Sacramenti,* & in Commentariis Scholasticorum super 4. sent. dist. 13. Confer Holderum in Mure exenterato.

Exceptiones Bellarmini & aliorum Pontificiorum ad nostra argumenta.

1. *Panis Eucharisticus post consecrationem vocatur panis, vel quia ex pane factus est, vel quia figuram panis externam retinet, vel quia habet effectus & proprietates panis, vel quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis.* Bellarm. lib. 3. de Eucharist. cap. 23.

Solenne est Scripturis sacris, ut panem appellent, quod comedi quovis modo potest &c. Simili modo nos fatemur, Christi corpus panem dici generali ista appellatione, quia videlicet specie panis opertum à nobis manducatur &c. Possum etiam aliam hujus appellationis rationem reddere. Usitatissimus siquidem est loquendi modus, ut rem eo nomine appellemus, quo res, ex qua genita est, vocabatur, Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæreses, verbo Eucharistia, hær. 5.

Resp. 1. Lessius in Disp. de Antichrist. Demonstr. 12. sic scribit: *Regula generalis est, non esse recedendum à verborum proprietate in exponendis Scripturis, nisi aliquid ad hoc cogat, alioquin nihil certi erit.*

Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 12. §. Sed ista. *Non oportet negare proprium & genuinum sensum literæ sine urgentissima ratione.* Plura hujusmodi adduximus superius lib. 2. art. 1. cap. 3. thesi 4.

(Jam vero nulla cogimur necessitate, ut à genuino & literali sensu in voce panis discedamus.)

2. Pontificii valde titubant in hac exceptione, nec inveniunt, ubi pedem figant.

Bellarmin. lib. 1. de Euchar. cap. ult. *Respondet nonnulli, Eucharistiam vocari panem per tropum, quia ante fuit panis &c. Sed hæc solutio non videtur solidissima. Secundo dici potest, Scripturam vocare res ordi-*

res ordinarie, ut apparent exterius. Tertio dici potest & meo quidem judicio optime, vocari panem phrasi Hebraica, quia nomine panis generatim intelligitur omnis cibus.

Lanfrancus usitatas exceptiones afferens, tandem subjicit, *Vel alio aliquo modo, qui à Doctoribus comprehendi potest, à nobis non potest.*

3. Alphonsus de Castro lib.6.adv. hæreses, verbo Eucharistia, hæresi 4. contra Oecolampadium τὸ est per τὸ significat, ac τὸ corpus per figuram corporis interpretantem, sic disputat: *Ex hoc, quod alibi Scriptura sacra tropo quodam sit usa, non bene colligit Oecolampadius, ut (quod) etiam nunc figurata locutione utatur. Nam etsi bis mille locos ostendat, quibus figurata insit locutio, hi tamen omnes nunquam efficient, quod istis verbis etiam aliqua adsit figurata locutio, qualem ipse finxit. Nunquid dicit aliquis, hanc esse justam consecutionem, Paulus tropo usus est, cum dixit: Petra autem erat Christus. Ergo & Christus similiter tropo usus est. cum dixit: Hoc est corpus meum? Atque ideo adhuc Oecolampadio probandum restat, ut in his verbis, scilicet, Hoc est corpus meum, aliquis subsit tropus, quod nusquam efficiet.*

Et postea. *Certe vel parum doctus Dialecticus videt, hanc collectionem esse infirmam, In verbis Pauli, cum dicit, Petra erat Christus, exponi debet verbum est per significat. Ergo in verbis Christi, cum dicit, Hoc est corpus meum, verbum etiam, Est exponi debet per significat. Nam ut hæc collectio valida esset, oportebat eam juvare per additionem alicujus universalis enunciationis, hujus videlicet, In omnibus Christi dictis & Pauli hoc verbum Est exponi debet per verbum significat. Quâ universali sublata nusquam concludes, hæc Christi verba esse exponenda per verbum significat, ex hoc, quod illa Pauli verba (Petra erat Christus) sit exponenda sunt: imo de quovis alio loco Pauli minime colligetur, verbum Est ibidem repertum exponi debere per significat, per hoc quod alibi sic expositum sit, nisi forte præmiseris universaliter in omnibus illis locis ita fieri oportere. At non credo, Oecolampadium adeo insaniisse, ut hanc universalem admittat.*

(Atqui hæc omnia possunt contra Alphonsum de Castro retorqueri. Ipse enim eodem modo ex puris particularibus disputat. *Panis in quibusdam Scripturæ dictis appellatur, quod comedi quovis modo potest.* Sirac.29. Psal.77. Joh.6. *Ergo etiam in verbis Cœnæ panis nomen sic usurpatur,* Item. *Usitatissimus est loquendi modus ut res eo nomine appelletur, quo res, ex qua genita est, vocabatur.* Exodi 7. *Ergo etiam in Eucharistia, corpus Christi eodem nomine vocatur, quo panis commutatus in corpus Christi vocabatur, non quod panis, sed quia panis loco surrogatus.*)

4. Gordonus Huntlæus, ut probet ex loco Apostolico 1. Corinth.11. *non posse demonstrari panis substantiam in Eucharistia manere,* inter alia sic differit Controvers. 4. tom.3. p.16. *Apostolus declarat, se loqui de pane, non ut significat panem à pistore coctum, sed ut significat cibum quemcunque, quomodo ipsa caro Christi est panis, id est, cibus, Christo Domino attestante Joh.6. Nam quando vox panis opponitur vino, quod est certum genus potus significat certum genus vini &c. quando autem opponitur calici, sicut calicis vox est generalis, significans omne genus potus, ita panis generalis est vox, denotans quemvis cibum. Oppositorum enim eadem est ratio. Exemplum etiam hujus rei extat 2. Reg.12. v.3. In hoc autem capite 11. Apostolus pani ubique opponit calicem, vinum nunquam, imo vini nullam unquam facit mentionem, cujus sine dubio semel fecisset mentionem, si locutus fuisset de pane, ut significat certum cibi genus.*

(Sed præterquam quod contrarium multis exemplis demonstrari potest, deducimus Huntlæi dissertationem ad absurdum. *Quando panis opponitur calici,* inquit Huntlæus, *sicut calicis vox est generalis, significans omne genus potus, ita panis generalis est vox, significans omnem cibum.* Atqui panis ante consecrationem æque ac post consecrationem in descriptione Sacramenti Eucharistici opponitur calici. Ergo panis ante consecrationem æque ac post consecrationē generalis vox est, significans quemvis cibum. Ergo ante consecrationem loco panis pisti quivis alius cibus ad usum Eucharistiæ adhiberi potest. Idem de vino concludi potest.)

5. Concludimus etiam contra Pontificios hoc modo: *Interpretatio Scripturæ debet esse accomodata circumstantiis, & considerare antecedentia & consequentia.* At Paulus in hoc eodem loco accepit vocem *panis* proprie pro pane facto ex frumento, & pronomen demonstrativum, *Hoc* refertur ad panem, de quo fuerat locutus. Non egerat de effigie aliqua vel imagine, nec de accidentibus panis, sed de vero pane. Sequitur igitur, eum non loqui de effigie panis, vel de pane sumto pro cibis in genere, quando dicit: *Quicunque comederit de hoc pane &c.* Deinde Adversarii non possunt dicere, Apostolum mutare verba vel sensum, cum loquitur de calice: dicit enim de eodem calice, de quo dixerat: *Hic calix est Novum Testamentum in meo sanguine. Quicunque biberit ex hoc calice;* non loquitur de effigie calicis, nec de ejus accidentibus. E. similiter de pane.

6. Bellarm. lib. 1. de Euchar. c.10. sic differit: *Scriptura, cum improprie accipit corpus Christi, i.e. pro Ecclesia, continuo idipsum explicat. At hoc nullus Evangelista, nec Paulus explicuit, corpus accipi improprie, relinquitur igitur, quod proprie accipi debeat.*

(Eodem modo contra Bellarminum à propria significatione vocis panis discedentem, argumentari possumus, quo ipse contra Calvinianos argumentatur. Nullus Evangelista, nec Paulus exposuit, panem accipi *improprie ac metaphorice,* relinquitur igitur, quod *proprie* accipi debeat. Si in Calvinianis Bellarminus hoc improbat, & quidem justissime; quod à proprietate verborum *in parte materiali cœlesti* discedunt, utique nec sibi hoc indulgere debet; ut ab eadem verborum proprietate *in parte materiali terrena* discedat. Sicut Calviniani destituuntur expresso textu & efficaci argumento, quo probent, *per corpus figuram corporis intelligendam:* ita quoque Bellarminus destituitur expresso textu & efficaci argumento, quo probet, *per panem figuram panis externam esse intelligendam.*)

7. Idem Bellarmin. lib.3. de Euchar. cap. 5. §. Ad hæc &c. hoc habet: *Certe substantia sine quantitate & complexione quadam accidentium caro dici non potest.*

(Quomodo ergo panis dicetur propter sola accidentia, quæ adhuc remanent?)

8. Idem Bellarmin. lib.1. de Euchar. cap.9. §. Denique &c. sic differit: *Dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in divinis literis. Tropi enim locum habent vel in prophetiis, ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quæ præcise credi aut servari debent.* (Subsumo. Quando Evangelistæ & Paulus rem terrenam in hoc Sacramento vocant *panem,* non versantur in prophetia, nec in laudationibus, nec in cohortatione, sed in tradendo dogmate. Ergo non loquuntur tropice, sed proprie.)

9. Idem lib. & cap. eisd. §. ult. disputans contra Calvinianos, *Etsi,* inquit, *proferat quædam loca, ubi verbum EST putant debere exponi per significat, tamē fatentur, non ubiq; EST exponi debere per significat. Proinde non possunt ex verbo Dei solide concludere, hæc verba accipienda esse tropice, nisi proferant locum, ubi expresse dicatur in particulari, hæc verba exponenda esse tropice.*

(Idem postulamus à Papistis, ut significationem illam panis metaphoricam vel metonymicam probent, cum negare non possint, panem Eucharisticum post consecrationem dici panem. Et sane causa nostra potior est pro nativa significatione panis, quam pro copula EST, quia aliquoties in eadem periodo & in eadem causa Apostolus vocem panis *proprie* usurpavit, nec verisimile est Spiritum Sanctum in eodem negotio, in eadem periodo vitiasse significationem, nisi Pontificii evidenter contrarium demonstrent.)

Exceptio 2. *Lux primogenia tribus diebus fuit absque vehiculo, ut docet Basilius homil.6. Hexaëm. Ergo inhærentia in subjecto non pertinet ad essentiam accidentis.*

Bellarminus lib.3. de Euchar. cap.24. resp. ad 7. ubi scribit, *omnes Theologos ac Philosophos Christianos negare, quod inhærentia in subjecto pertineat ad essentiam accidentis.*

Resp. 1. Ex Thoma pag 1. q.28. artic. 1. *Accidentis esse est inesse subjecto.*

2. Ex Scaligero exerc. 10. *Accidentis esse est inhærere.*

Exercitat. 325. sect. 2. *Inhærentia est peculiaris differentia, quâ accidens distat à substantia.*

3. Ex Suarez Disput. 14. sect. 4. *Accidens sua Natura ineptum est ad subsistendum, ac proinde indiget aliquo subjecto sustentante.*

4. Ex Johanne Fero in Comm. Gen. 1. *Quæ sit illa lux primogenia, variæ sunt opiniones: Aliqui volunt, lucem hanc fuisse nubem luminosam, unde postea Sol formatus sit. Alii volunt, lucem hanc fuisse Solem, licet nondum perfectum, sicut postea quarta die effectus est. Alii volunt, quod lux illa non processerit ab aliquo corpore luminoso, sed immediate à Deo creata sit. Sed quid opus subtiliter hæc velle indagare, cum nihil certi hinc discere possimus?*

4. Basilius non videtur sensisse, lucem illam πρωτόγονον fuisse tantum qualitatem subjecto destitutam, sed fuisse Naturam in-

corpoream, purissimam, nec dicit, mansisse triduo absque sede & subjecto. Sed Homil. 2. expresse asserit, *aerem habuisse sibi hanc lucem totam permixtam*: ac postea Homil. 6. addit, *Solem huic luci fuisse pro ὀχήματι ac vehiculo conditum ad mundum collustrandum*. Ac si vel maxime Basilius assereret, *lucem illam primogeniam fuisse accidens sine subjecto per seipsum subsistinens*, nihil tamen roboris ex eo accederet transsubstantiationis dogmati, cum quidam ex ipsis Pontificiis, ut Cornelius à Lapide & alii ab hac Basilii opinione discedant, cumque de Eucharistia judicandum sit *non ex articulo creationis, sed ex propria sede institutionis*.

5. Catharinus & Pererius statuunt, *lucem hanc fuisse Solem, sed nondum perfectum, sicut postea quarta die effectus est*.

Cornelius à Lapide suspicatur, *Deum lucem producturum ex aquis abyssi condensasse instar crystalli corpus aliquod orbiculare, eique lucem hanc indidisse, ac proinde lucem illam nihil aliud fuisse, quam partem abyssi lucidam, quæ in circuli aut columnæ speciem conformata orbi præfulserit, quæq; fuerit instar materiæ, ex qua postmodum in partes distinctas ac indivisa, adaucta & velut in igneos globos fabricata, Sol, Luna & stellæ factæ fuerint*.

Argum. Advers. 1. *Verba illa, Hoc est corpus meum, necessario inferunt, aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationẽ metaphoricam, ut volunt Calvinistæ. Consequens Lutherani nõ admittunt. Ergò antecedens amplecti debent.* Connexio probatur. *Si quis enim dicat, nullam fieri mutationẽ, is cogetur dicere, panem nõ mutatũ datum esse Apostolis, & de illo dictum esse, Hoc est corpus meum, id est, Hic panis verus & triticeus verè & propriè est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, sive agamus de reipsa, sive de propositione. Nec enim ullo modo fieri potest, ut una res non mutetur, & tamen fiat alia, esset enim ipsa & non esset ipsa. In propositione autem affirmativa necesse est, ut pro eodem supponant subjectum & prædicatum, alioqui est falsa prædicatio. Non igitur potest fieri, ut vera sit propositio, in qua subjectum supponit pro pane, prædicatum autem pro corpore Domini, panis enim & corpus Domini sunt res diversissimæ.* Bellarm. lib. 3. de Euchar. cap. 19. Becanus de Cœna Lutherana cap. 4.

Costerus in Enchir. p. 313. argumentum proponit hoc modo: *Christus, dum, porrigens hoc Sacramentum, diceret: Hoc est corpus meum, aperte indicavit, quicquid porrigeret, & totam illam substantiam, quam manibus teneret, esse corpus suum, nec aliam adesse substantiam præter corpus suum, alioquin dicere debuisset: Hic est corpus meum, id est, sub pane, vel cum pane, vel in pane*

Resp. 1. Ostendimus superius, quosdam ex ipsis Pontificiis fateri, *transsubstantiationem non posse probari ex Scripturis*.

(Quomodo igitur ex verbis institutionis probari ea poterit?)

2. Scotus 4. sent. dist. 11. quæst. 3. jampridem ad Bellarmini argumentum respondit, *Si dicas*, inquit, *sicut dicit unus Doctor*, intelligit autem Thomam 4. sent. dist. 11. artic. 1. quæst. 1. ex quo hoc argumentum petitum,) *quod Matth. 26. dicendo, Hoc est corpus meum, expresse insinuat, panem non manere, quia tunc propositio esset falsa, hoc non cogit, quia dato, quod substantia panis maneret, non demonstratur substantia panis, sed contentum sub pane, sicut modo non demonstrantur accidentia, quia tunc esset propositio falsa, sed est sensus. Hoc Ens contentum sub isto signo sensibili est corpus meum.*

Et postea. *Verum est, quod hoc est corpus meum, & hic est corpus meum, sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente. Eodem modo, si esset panis, non hoc, quod est substantia panis, esset corpus, sed hoc, quod est contentum sub pane, esset corpus. Maluit autem Salvator uti vocabulo hoc, quam hic, quia magis exprimitur veritas, licet utrumque dictum esset verum.*

3. Bellarminus ipse de invicto hujus argumenti robore diffidit, Ἐργασίαν enim illius his concludit verbis: *Licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas vel ambiguitas, eam tamen sublatam esse per multa Concilia & Patrum consensum.*

Et cap. 23. *Non est improbabile, non extare locum in Scripturis tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat substantiationem admittere*; (quę est tacita confessio, non posse dogma transsubstantiationis probari ex Scripturis.)

3. Tota structura hujus argumenti nititur illa hypothesi, quod per δεικτικὸν τοῦ in verbis Cœnæ intelligatur panis. Atqui de eo nondum convenit inter Pontificios, quid per τὸ Hoc intelligatur.

Thomas part. 3. quæst. 78. artic. 5. *Quidam dixerunt, quod importet demonstrationem ut conceptam, non ut exercitam, quia ista locutio sumitur materialiter, cum recitative proferatur. Alii dixerunt, quod facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus: Hoc est corpus meum, id est, Significatum per hoc est corpus meum. Alii dixerunt, quod dictio hæc facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur hæc demonstratio non pro instanti locutionis, sicut cum aliquis dicit: Nunc taceo, adverbium nunc facit demonstrationem pro instanti immediatè sequenti.* Thomæ sententia est, *quod significet contentum in generali sub istis speciebus, sive substantiam in communi sine qualitate, id est, forma determinata.*

Innocentius III. lib. 4. de Myst. Myssæ cap. 3. disputat, *particulam hanc nihil demonstrare, neq; quidquam ad consecrationem facere, cum his verbis Sacerdos non utatur demonstrative, sed recitative, quemadmodum Christus ait: Ego sum vitis vera.*

Scotus lib. 4 sent. dist. 8. q. 2. vocat *individuum vagum, de quo Christus pronunciavit, Hoc est corpus meum, jam consecratum, jam confectum per benedictionem, quæ præcessit.*

Idem ferè statuit Durandus lib. 4. Rational. cap. 41. n. 44. *Super hoc dicunt quidam, quod per pronomen Hoc nihil demonstratur, sed illud materialiter ponitur. Item, Dominus utebatur illa voce significative, nos materialiter.*

Bonaventura 4. sent. dist. 8. q. 1. lit. G. *Hoc, id est, panis, panis substantia.*

Sed contra Guitmundus lib. 2. contra Berengarium, *blasphemum esse dicit, quod pronomen Hoc ad panem referatur.*

Ac Renatus in Panoplia super hæc verba, *Petra erat Christus, Catholica Ecclesia*, inquit, *nunquam dixit, panem esse corpus Christi, alioqui falsa est propositio, videlicet identica*: Ideo sic resolvit: *Dicunt, quod demonstrat hoc, quod est commune utrique termino interminate.*

Quia verò ex ipsorum hypothesi corpus Domini non potest adesse, quin omnia verba sint prolata, ideo Johannes de Burgo de forma verbor. requisit. cap. 4. sic resolvit: *Hoc, sub hac specie præsens, vel de propinquo futurum, est corpus meum.*

Angelus de Clavisio in Summ. tit. Eucharistia, membr. 1. q. 23. *Mihi placet opinio Richardi de S. Victore lib. de Trinit. quod ibi sit demonstratio mixta, scilicet partim ad sensum, partim ad intellectum, sub hoc sensu, Illud, in quod hoc transsubstantiabitur, est corpus meum, quod sicut ista propositio esset vera & magis propria, si demonstrando diceret, Hoc est corpus meum, scilicet illud, in quod cibus iste est transmutandus, est corpus meum, quando virtute ejus in prolationis termino ille cibus fieret corpus meum. Sic in proposito, quia ibi virtute verborum in complemento & termino ipsius orationis panis fit verum corpus Christi. Alii tamen aliter dicunt.*

4. Nec minus variant recentiores scriptores. Bellarminus lib. 1. de Eucharist. cap. 11. §. Nota secundo &c. fatetur, *Pontificios non convenire in explicatione, quid demonstret pronomen Hoc, ac duas esse celebriores sententias*, (Ergò sunt plures sententiæ, licet minus celebres.) *Una, quod pronomen Hoc demonstret corpus; altera, quod pronomen Hoc non demonstret præcisè panem, nec corpus, sed in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus, sic tamen, ut demonstratio propriè ad species pertineat, non quidem, ut sit sensus: Hoc, id est, hæ species sunt corpus meum, sed in obliquo, hoc modo: Hoc est corpus meum, id est, sub his speciebus est corpus meum.*

Et postea: *Illud Hoc non demonstrat panem, nec Christi corpus, sed contentum his speciebus.*

Atque hanc posteriorem sententiam amplectitur Bellarminus, ideo in cap præcedente 10. §. Porrò &c. demonstrare conatur contra Calvinianos, *non posse fieri, ut illud demonstret panem, tanquam subjectum propositionis, cum ponatur in genere neutro.*

Sed huic hypothesi Bellarminus ipse fortissime contradicit, quando lib. 3. de Eucharist. cap. 19. scribit. *De pane dixit Christus, hoc est corpus meum.*

Et postea. *Non potest fieri, ut sit vera propositio, in qua subjectum supponit pro pane, prædicatum autem pro corpore Christi*, (nisi intercedat essentialis mutatio) *panis enim & corpus Domini res diversissimæ sunt.*

Rursus lib. 1. de Euch. cap. 7. § Ubi &c. sic scribit: *Christus non de pane materiali dixit, Hoc est corpus meum, sed de pane cælesti, qui est vere corpus ejus.*

Soncinas 4. sent. dist. 9. concl. 4. per τὸ Hoc, dicit *demonstrari aliquid commune, utriq;, continens utrumq;, in potentia & confuse.*

Scarga lib. 1. de Euchar. cap. 5. *pronomen Hoc* vult intelligendum esse *de corpore Christi*, ut sit sensus: *Hoc, quod sub speciebus panis occultatur*; & addit, *Nemo mentis compos aliter dicit.*

Vega de Missa fol. 13. intelligit *de specie panis.*

Turrianus tract. 1. cap. 22. *substantiam panis eo demonstrari* asserit.

Fran-

Franciscus Suarez in Thomam tom.3.q.78. artic.1. Disp.58. sect. 7. *octo opiniones* recenset, quid per pronomen *Hoc* in verbis Christi denotetur.

Josephus Angles in 4.sent.q.de Convers.difficult.3. *Panis est, aut fuit corpus Christi, est falsa, quia copula Est significat extremorum conjunctionem, & tamen extrema hac nunquam sunt unum.*

Gregorius de Valent. contra D Herbrandum sic resolvit: *Hoc, substantiam, inquit, totam, quam manibus tenebant, demonstrando, est corpus meum.*

Costerus in Enchir. p.350. sic resolvit: *Hoc ipsum, quod vobis trado manducandum, est corpus meum.*

Pistorius in Hodeg p.358. *Hoc, id est, hic transsubstantiatus panis, vel hic panis, tanquam cibus, vel hoc, quod est sub istis speciebus.*

Sic ergo variis modis de pronomine τοῦ in subjecto posito, invicem dissentiunt, quas dissensiones hoc ordine recenset Chamierus tom.4.Panst.lib.10.cap.2.

Primo. Dominicus Soto 4.sent.dist.11.q.1.art.5. *Fuit opinio dicentium, nihil per illud pronomen Hoc demonstrari in actu exercito, sed esse pronomen conceptum, quasi omnia verba acciperentur materialiter. Itaque Sacerdos nihil affirmat, sed recitat esse à Christo dictum, veluti cum legis in Evangelio, Tu es Petrus, nihil asseris, quia neque colloqueris cum aliquo, sed refers verba, quibus Christus Petro loquebatur.*

(Illi existimant, pronomen Hoc poni tantum recitative, non significative.)

Salmero tom.9.tract.13. *In verbis, quæ nos proferimus, pronomen illud nihil demonstrat, quia verba sunt potius recitantis, quam enunciantis.*

Glossator in c.Timorem. de consecr.dist.2. *Dico, quod per hanc dictionem Hoc, nihil demonstratur, nam ipsa materialiter ponitur ibi.*

Innocentius tertius de Mysteriis Missæ lib.4. cap.17. *Si opponatur de Sacerdote, quis tunc consecrat, cum illa verba pronunciat? Respondetur, quod Sacerdos nihil demonstrat.*

Confirmat Durandus 4. sent.dist.8.q.2. Quibus Suarez & Gregorius de Valentia addunt Occamum, Johannem Majorem, Picum Mirandulanum, Catharinum.

Secundo. Plerique vero statuunt, *significative* poni ac demonstrationem facere. Sed abeunt in diversas sententias. Quidam eam demonstrationem referũt *ad sensum*, alii *ad intellectum*, teste Dominico Soto d. l.

Tertio. Qui *demonstrationem ad sensum* ponunt, rursus abeunt in duos ordines, nam alii *panem* dicunt demonstrari, alii vero *corpus Christi*.

Quarto. Qui ad panem referunt, alii *ad substantiam*, alii *ad accidentia*.

Bonaventura 4.sent.dist.8.part.2.art.1. *Pronomen Hoc demonstrat panis substantiam sub accidentibus, quæ oculis conspici possunt, & tangitur illud, quod convertitur, per subjectum, sicut illud, in quod, per prædicatum.*

De Rubione. *Hujusmodi pronomen Hoc, supponit pro pane.*

Huc Alexandrum Alensem referunt Vasquez, Gregorius de Valentia, & alii.

Suarez hujus partis triplicem ponit differentiam, unam, *ut sit panis, quatenus permanet in sua substantia*; alteram, *ut designet substantiam panis, non ut est in se, sed ut est conversa in corpus Christi*; tertiam, *ut designet substantiam panis, non ut panis est, sed ut hæc substantia, vel hoc Ens.*

Guillandus in 1. Cor. 11. *Est pronominis demonstrativi officium, ostendere substantiam absolute & sine qualitate.*

Quinto. *De accidentibus* exponit Suarez. *Secunda principalis opinio est, pronomen Hoc, designare accidentia, seu species panis, quia illud pronomen designat rem sensibilem, quæ est tempore, quo fit designatio, & manet, quando perficitur significatio verborum & permanet in fine.* Assignat autorem Tapperum art. 13. Sed Tapperus perplexius locutus est. *Contentum vel substantia, quæ est sub his speciebus panis, est corpus meum, ut demonstratio, quoad species, sit certa; sed indeterminata, quoad substantiam contentam.*

(Quæ verba videntur ad eos potius pertinere, qui demonstrationem fieri volunt *ad intellectum*, de quibus postea.)

At Petrus de Bollo. *Nos, qui incalescimus fidei & veritatis ardore, per illud pronomen Hoc, neutiquam accidentia demonstramus.*

Sexto. Qui ad *corpus* referri statuunt, valde sunt varii. Quidam hac enunciatione referri voluerunt, *quod esset jam factum*, unde non exigua controversia, *Utrum Christus consecraverit iisdem verbis, quibus nunc fit consecratio; an vero aliis quibusdam; an etiam his ipsis, sed primum occulte & tacite prolatis: an denique nullis, sed mera potentia*; & secundum hoc facilis sensus, *Hoc est corpus meum, quia nimirum jam nullus sit panis, sed mutatus in corpus meum, quod proinde realiter sit jam tum in manibus Sacerdotis.* Sed ferme omnibus hæc sententia absurda visa est.

Septimo. Perplexitas tamen multiplicata, cum *ex parte vocabuli*, tum *ex parte corporis*. Primum enim dixerunt, *Hoc, substantive sumi.*

Petrus Michael Jesuita de Eucharist. Dial.1.cap.2. *Guitmundum illum vetustum Berengarii antagonistam secutus dicere possum, illud Hoc, τοῦ, substantivum esse demonstrativum, atque demonstrare id, quod à Christo discipuli erant accepturi, non aliud fuisse, quam corpus suum, ut sensus sit, Hoc, quod pro vobis trado, est corpus meum, neque posse panem idcirco demonstrare.*

Sed Maldonatus in cap.26. Matth. *Ego omnibus viribus contendo, adjectivum esse, neque ulla ratione substantivum esse posse, aut pro aliare, quam pro corpore Christi accipi.* Maldonato alienum præber Barradius.

Lucas Brugensis in eandem it sententiam. *Grammatica, inquit, non permittit discrepantiam generis inter substantivum & adjectivum, qualis est inter ἄρτος & τοῦ, inter panis. & hoc*

Et paulò post. *Non est opus, pronomen Hoc substantivè accipere; quemadmodum manifestum evadit ex consimilibus verbis, Hic est sanguis meus, seu calix sanguinis mei, ubi sicut Hic demonstrat sanguinem meum, ita istud Hoc demonstrat corpus meum.*

Vasquez Disp.201.cap.4. in hanc rem prolixe disputat, imò & in easdem partes Guitmundum trahit; quem paulò ante Michael ab alteris statuebat.

Octavo. De corpore gemina etiam philosophatio. Alii dixerunt, *corpus, ut est in seipso.*

Suarez Disp.58 de Sacramentis sect.7. *Tertia sententia, inquit; dicit, pronomen Hoc designare corpus Christi, prout est in se, in propria specie, quem sensum indicat Ockam; clarius Major; qui dicit, posse demonstrari corpus Christi, prout est in cælo.*

(At quis explicet, corpus Christi, prout est in cœlo, esse in Eucharistia? unde etiam hæc sententia refutatur à Suarez.)

Alii malunt, *prout est sub accidentibus. Quarta opinio fit*, inquit ibidem Suarez, *demonstrari illo pronomine Hoc, corpus Christi, prout est sub accidentibus panis in termino prolationis verborum, ut sensus sit; Hoc, quod significatur his accidentibus, est corpus meum.* Sed quia transsubstantiatio nondum facta, quando pronunciatur pronomen *Hoc*, inde novi emergunt scrupuli.

Angelus de Clavisio in Summa de Eucharistia part. 1. q. 23. sic resolvit: *Illud in quod hoc transsubstantiabitur, est corpus meum. Vel, illud, in quod iste cibus est transmutandus, est corpus meum.*

Petrus de Bollo. *Pronomen Hoc, demonstrat corpus in individuo; quod nondum est, sed in genere substantiæ.*

Gorranus. *Hoc, id est, existens sub hac specie verbis completis.*

Biel in Epitome Canonis. *Sine ambiguitate dicendum, quod Hoc; demonstrat panem; nec species, sed verum corpus Christi, quod est sub speciebus, in fine orationis.*

Dionysius in cap.26.Matth. *Hoc, quod sub specie panis post consecrationem continetur.*

Illud Petrus de Aquila sic explicat 4.sent.dist.8.art.3. *Verbum quodcunque potest capi dupliciter, uno modo potest capi secundũ se, alio modo, prout est pars alicujus orationis. Primo modo; sc. secundum se, omne nomen habet suum significatum in instanti ultimæ syllabæ ejus. Secundo autem modo, sc. ut est pars alicujus orationis, non habet suum significatũ, nisi in ultimo instanti prolationis totius orationis. Ad propositũ ergo dicitur, quod illud pronomen, Hoc, ponitur in illa oratione non secundũ se, sed ut est pars orationis, & ideo non habet suum significatum; nisi in ultimo instanti prolationis totius orationis, sed pro illo instanti est corpus Christi. Ergo demonstrat corpus Christi pro ultimo instanti prolationis.*

Domin. Soto illustrat exemplo 4. sent. dist. 10. q. 1. artic. 5. *Sicut; cùm quis dicit, Taceo, intelligit pro momento sequenti, quo desinit loqui.*

Nono. Qui *ad intellectum* demonstrationem fieri statuunt; dicunt; *eum esse communem cum pani, tum corpori*, & variis nominibus insigniunt.

Dominicus Soto l.d. *Pronomen in forma consecrationis demonstrat, non quidem singulariter panem, qui nunquam est corpus, alias non esset conversiva panis in corpus, sed solum significativa, quod corpus est corpus. Sed demonstrat communiter & in genere contentum sub illis speciebus, quod quidem in principio erat panis, & in fine corpus*

Vasquez Disp. 201. cap. 2. *Aliquid commune pani & corpori Christi, quod vim habeat singularis, ut dici solet, vagi, sicut, quidam homo: non quidem; quod sit aut demonstretur solum in fine orationis; sed quod simul atque profertur pronomen, & antequam finiatur oratio; & sensus illius ostendatur.*

Suarez Disp. 58. sect. 7. *Quinta sententia est, illo pronomine formaliter ac per se primo designari aliquid commune substantiæ panis ac corpori Christi. Commune, inquam, non secundum rem, illud enim nullum esse potest, sed secundum rationem seu denominationem, nimirum sub ratione contenti sub his accidentibus.*

Gregorius de Valentia rem totam quatuor comprehendit assertionibus tom. 4. Comment. Disp. 6. q. 6. punct. 2. Prima, *per pronomen illud demonstrari quidem eam rem atque substantiam, quæ sub accidentibus panis præsens continetur, tum cum profertur illud pronomen, quamvis non formaliter, prout res illa est tunc, sed absolute.* Secunda. *Non tamen demonstrari eam rem secundum notionem aliquam ejus distinctam & peculiarem, quæ determinate conveniat soli pani, sed secundum aliquam notionem communiorem, minusque distinctam, quæ indifferenter & pani & corpori Christi æque convenire hic possit.* Tertia. *Non igitur demonstrari eam rem secundum rationem panis specificam aut genericam, talem, quæ non sit pani cum humano corpore communis. Item, neque demonstrari secundum suam rationem individuam determinatam, aut etiam vagam talem, quæ corpori Christi minime in proposito convenire possit, qualis est quidem habitudo ad illa numero accidentia, quatenus ita rem illam continent, ut etiam ei inhæreant.* Quarta. *Omnino eam rem præcise demonstrari secundum rationem substantiæ, individuam vagam, consistentem proprie in ejus substantiæ ordine seu habitudine ad illa numero accidentia, quatenus est illis minime conjuncta, atque sub iis continetur illud præsens, non cogitando hic ulterius, quod contineatur sub illis numero accidentibus, tanquam subjectum, cui ita inhæreant, id quod pertinet quidem ad individuam rationem determinatam ipsius panis.*

Decimo. *Quodnam vero tandem est illud commune demonstratum per pronomen τοῦ, Hoc?*

Durandus 4. sent. dist. 8. q. 2. *Dicendum, quod sit demonstratio ad intellectum, non quidem alicujus individui signati, sed solummodo individui vagi, ut sit sensus, Hoc, id est, contentum sub hoc, scilicet sub speciebus, loquendo in generali, non autem in speciali pro pane, vel pro corpore, est corpus meum.*

Dominicus Soto d. l. *Non dixit, Hic panis est corpus meum; neque dixit, Hoc corpus est corpus meum: sed in generali, Hoc est corpus meum, nullo nomine apposito à parte, subjecti: sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi sine qualitate, id est, forma determinata alicujus speciei vel individui.*

De Rubione. *Alii dicunt, quod supponit non pro corpore, nec pro pane, sed pro Entis individuo, ut sit orationis sensus, Hoc Ens, sub istis accidentibus demonstratis, est corpus meum.*

Suarez d. l. *Sensus est: Hoc, quod sub his accidentibus continetur, est corpus meum.*

Undecimo. Scotus 4. dist. 8. q. 3. novum commentum recenset quorundam, qui demonstratione fieri dicerent *simul ad sensum & ad intellectum. Sciendum est,* inquit, *quod quidam dicunt, quod pronomen Hoc, faciat demonstrationẽ ad intellectum & ad sensum simul: sic intelligendo, quod demonstrat aliquid, quod est objectum intellectus; & aliquid, quod est objectum sensus: primum in recto, secundum in obliquo, ut sit sensus, Hoc, id est, aliquid sub hac specie sensibili, non restringendo existentiam sub hac specie sensibili ad aliquam determinatam temporis differentiam. Significatio enim nominis sive adjectivi, sive substantivi non restringitur ad aliquam temporis differentiam, unde secundum Donatum tempus non est de accidentibus nominis, nec pronominis.*

Et paulò post. *Cum ergo Sacerdos in persona Christi proferat propositionem, Hoc est corpus meum, sensus est: aliquid sub hac specie præsens, vel de propinquo futurum, est corpus meum.*

De his Scholasticorum & recentiorum dissensionibus plura videantur apud Suarez & Gregorium de Valentia dictis locis, Pesantium in Thomam Disp. 3. fol. 912. ubi merito cum Bellarmino lib. 1. de Eucharistia cap. 8. exclamare quis possit: *Usque adeo multæ sunt expositiones Adversariorum de voce Hoc.*

5. Cajetanus non solum negat, ex verbis Christi, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, transsubstantiationem probari posse, sed insuper etiam longius progressus, quam par est, negat realem & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam ex illis probari posse. Sic enim disserit in part. 3. Summ. Thom. quæst. 75. art. 1. *Non apparet ex Evangelio coactivum, aliquid ad intelligendum hæc verba proprie. Ex subjunctis siquidem verbis à Domino, scil. quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum non potest concludi evidenter, præmissa verba esse intelligenda proprie, quoniam ly Quod, non refert conjunctionem prædicati cum subjecto, sed refert prædicatum, scil. corpus meum, cum cujus relationis veritate stat, præjacentem esse veram solum in sensu metaphorico, ut patet in exemplo, Petra autem erat Christus. Si enim adjunxisset Apostolus, qui crucifixus est, resurrexit & ascendit cælos: dicendo, Petra autem erat Christus, qui crucifixus est &c. nihilominus præjacens illa propositio, Petra autem erat Christus, non proprie, sed metaphorice intelligenda esset. Et similiter in proposito, Verba Domini, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: ex illa additione, quod pro vobis tradetur, non arctatur prima propositio ad sensum proprium, sed esset etiam vera, si in solo sensu metaphorico esset prolata: & propterea dixi, ex verbis Domini proprie intellectis ab Ecclesia, excludi errorem dicentium, corpus Christi metaphorice seu significative tantum esse in Eucharistia.*

6. Nos per τὸ *Hoc*, dicimus significari totum συμπεπλεγμένον sive complexum, cum sit *propositio demonstrativa & exhibitiva*, in qua *subjectum* notat totum complexum, *prædicatum* exprimit dignius & sensui minus obvium, quarum propositionum fundamentum est rerum duarum unio, conjunctio & simultanea exhibitio, cui sententiæ quamproxime accedit, quod quidam ex Scholasticis statuunt, in propositione, *Hoc est corpus meum*, dari *duplicem demonstrationem*, quæ in exemplis, ubi duæ res modo quodam unitæ vel ostenduntur, vel exhibentur, usitatissima est, Unam *ad sensum*, alteram *ad intellectum*. In illa res externa & sensib⁹ obvia, ac per se nota nõ nominatur, in hac vero res intellecta, ut minus nota & præstantissima, in prædicato evolvitur.

7. At, inquies, *si per τὸ Hoc, denotatur totum complexum, erit ταυτολογία, sensus enim erit, hoc Christi corpus est corpus Christi.*

Resp. Eadem difficultate, si aliqua esset, premerentur ipsi Pontificii, qui per τὸ intelligunt *corpus Christi peregrina specie indutum.* Si illi non sunt rei ταυτολογίας. Ergo nec nos.

Maldonatus in cap. 26. Matth. *Non est ταυτολογία, si maxime subjectum & prædicatum pro eodem supponant, tum demum esset ταυτολογία, si idem atque eodem modo significarent. Nam cum dicit, hoc est corpus meum, quamvis Hoc pro ipso corpore Christi accipiatur, idemq; significet, ταυτολογία non est, sed usitatissima locutio, qua corpus meum significat corpus Christi nominatim & distincte, hoc non nominatim, sed quasi mute.*

8. Conferimus etiam propositiones *Sacramentales* cum propositionibus *personalibus*. Quamvis enim unio panis cum corpore Christi non sit personalis, sicut divina & humana Naturæ in Christo sunt personaliter unitæ, illud tamen cum unione personali duarum in Christo Naturarum commune habet, quod propter unionem Sacramentalem panis & corporis Christi monstrato & exhibito pane Eucharistico, recte dicitur, *Hoc est Corpus Christi*; sicut propter unionem personalem duarum in Christo Naturarum divinæ & humanæ, Petrus recte dicebat Matth. 16. v. 17. *Tu es Christus, Filius Dei viventis.*

9. At, inquiunt, *disparem esse rationem propositionum personalium & Sacramentalium, cum in propositionibus personalibus unum sit substratum propositum, propositiones autem Sacramentales fluant ex sola præsentia.*

Resp. Bellarmin. lib. 4. de Euchar. cap. 30. ad nostrum argumentum, (*Si ideo Sacramentum Eucharistiæ adorandum est, quia ibi Christus est, igitur omnis creatura adoranda erit, quia in omni creatura Deus est,*) respondet hoc modo: *Longe aliter Christus est in Eucharistia, quam in aliis creaturis Deus. Nam in illa unum tantum suppositum est, idque divinum, cætera omnia ad illud pertinent, & cum illo unum quid faciunt, ideo recte totum illud simul adoratur. At in aliis quidem rebus Deus est, sed non est unum aliquod suppositum cum illis.*

(Si in Eucharistia est unum tantum suppositum, utique propositiones Sacramentales recte conferuntur cum personalibus, non quidem ratione unionis *in specie*, sed *in genere*, est enim utrobique mystica unio.)

Argum. 2. Autor Phosphori Pontificii art. 2. ut & Hunnius Apostata cap. 16 adducunt aliquot versiculos *ex cap. 6. Johan.* ex quibus probare nituntur transsubstantiationem.

Resp. 1. Ostendemus inferius cap. 6. in resp. ad 5. arg. multos ex ipsis Pontificiis agnoscere, in cap. 6. Johan. non *de Sacramentali, sed spirituali manducatione & bibitione agi.*

2. Maldonatus in cap. 6. Joh. v. 55. sic scribit: *Verum igitur cibum & verum potum vocat, quia vere animas nutrit & vitam æternam illis præbet: sicut v. 32. vocavit se panem verum, non utique Natura, nec enim vere & proprie, si Naturam spectes, panis est, sed effectu, quia vere præstat, quod panis præstare solet, cum ad id fiat, ut vere homines vivant; & cap. 15. v. 1. vocat se vitem veram, non quod vera sit vitis, sed quod id quod vitis facit, ut sarmenta sua nutriat atque sustentet, multo ipse verius facit.*

(Agnoscit ergo Maldonatus nomen panis in cap. 6. Johan. accipi *metaphorice vel metonymice.*)

3. Cra-

3. Credunt Pontificii, non fieri transsubstantiationem nisi verbis consecrationis, *Hoc est enim corpus meum.* At Christus ea nondum protulerat, cùm concionem illam Joh.6.haberet.

Argum. 3. *Patres à tempore Apostolorum usque ad Lateranense Concilium transsubstantiationem agnoverunt.* Bellarmin. lib.3. de Euchar. cap. 20.

Resp.1. Ostendimus superius membro 3. quosdam ex Pontificiis fateri, *transsubstantiationem fuisse primitivæ Ecclesiæ incognitam*; membr.4.quod quidam agnoscant, *in Concilio Lateranensi Anno 1215.transsubstantiationem pro fidei articulo definitam*; memb. 6. quod varias de modo conversionis invicem foverint opiniones ante Concilii illius definitionem.

2. Innocent.lib.4.de Myst.cap.9. *Fuerunt, qui docerent, quod, sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, sic etiam vera panis remaneat substantia, quia sicut subjectum non potest subsistere sine accidentibus, sic accidentia non possunt existere sine subjecto.*

Thomas p.3.qæst.75.art.2. itidem mentionem facit quorundam, qui posuerunt, *quod substantia panis & vini maneat.*

3. Fatentur, *nomen transsubstantiationis in Lateranensi Concilio primum fuisse inventum,* (quod magnum novitatis præjudicium, nisi res ipsa, per nomen significata, evidenter ex Scripturis probetur.)

Bellarmin. lib.3. de Eucharist.cap.23. *Licuit Concilio Lateranensi nomen transsubstantiationis ponere &c.*

Costerus in Enchir cap.8. *Ante annos trecentos in Concilio Lateranensi ad rei istius admirabilis clariorem explicationem usurpatum est nomen transsubstantiationis, ut intelligerent Christiani, substantiam vini & substantiam panis in substantiam sanguinis & corporis Christi vi verborum transmutari.*

4. Gregorius de Valentia lib.1.de Præsent.Christi in Euchar. cap.10.p.381. §. Deniq; &c. agnoscit, *Patres obscurius de transsubstantiatione locutos esse atque simplicius, quia putabant, se non nisi Catholice à Catholicis intelligi posse, & ne mysterium irridendum infidelibus exponerent, si in sermonibus popularibus sententiam suam explicassent.*

(At si obscurius de hac quæstione sunt locuti, quomodo ad unanimem ipsorum consensum provocari potest?)

5. Bellarmin.lib.3.de Eucharist.cap.23.§. Unum tamen &c. de Scoto, *homine acutissimo & doctissimo*, uti eum vocat, fatetur, *quod non noverit illum consensum Patrum* (nimirum, quia non poterat illum invenire.)

6. Idem Bellarminus d.l. ex voce *transelementationis*, qua Patres utuntur, probare cupit, *transsubstantiationem* ab illis fuisse assertam.

Ibid. tamen *transelementationem* sic exponit, *quod significet mutationem totius rei usque ad prima Elementa, i.e. usq; ad materiam primam, quæ ab Aristotele elementum vocatur*, (qua ratione transelementatio à transsubstantiatione distinguitur, quia in transelementatione manet materia, sed in transsubstantiatione nuda tantummodo accidentia, proinde & nomine transelementationis parum subsidii accedet transsubstantiationi.)

7. Franciscus Suarez in Disput.super Thomam tom. 3.q.75. Disp. 50. sect. 1. agnoscit, *omnia nomina ab antiquis Patribus inter explicandum hoc mysterium Eucharistiæ usurpata vel generalia esse, ut nomen conversionis, mutationis, transitus & migrationis, vel accidentariæ mutationi magis esse accommodata, ut nomen transfigurationis & quæ sunt similia.* (At quomodo ex generalibus illis vel accidentariæ mutationi accommodatis vocabulis transsubstantiationem sive mutationem substantialem aliquis indubitato colligere poterit? hoc esset à genere ad speciem, vel à specie ad speciem concludere.)

8. Urgent, quod Patres dicunt, *panem fieri corpus Christi, ex pane fieri corpus Christi.*

Resp. Verbis Alfonsi de Castro lib. 4. adv. hæreses, verbo Christus, hæresi 2. *Apollinaris ex verbis Johannis, verbum caro factum est, evincere voluit, Verbi substantiam conversam fuisse in carnem. At non opus est, ut quoties aliquid fit, qualicunque, ut ita dicam, factionis aut facturæ modo, unum convertatur in aliud, potissimum quando illud fit non simpliciter & absolute, sed aliquale tunc fit, quale prius non erat.*

9. Eccius in Enchir. cap. 36. transsubstantiationem probat ex sermone Cypriani de Cœna. *Sed hunc sermonem non esse Cypriani, sed alterius cujusdam, ac proinde suppositititium*, tradit Bellarmin. lib.2.de Euchar.cap.9.ac lib.4. c.26. quo ipso testimonium ex illo productum pro stabilienda transsubstantiatione, rejicit.

(Plura hujusmodi exempla, quomodo Pontificii probent transsubstantiationem ex illis Patrum scriptis, quæ alii habent pro suppositititiis, colligi poterunt ex illis, quæ dicta sunt lib. 1. part.2.cap.13.)

10. Urgent, quod Patres dicant, *panem Eucharisticum Naturâ mutari.*

Resp. *Per Naturam* intelligunt proprietatem, cùm de aqua Baptismi, (quam non mutari substantialiter Adversarii concedunt) dicat Ambrosius lib. de iis, qui initiantur mysteriis cap. 9. *Nullus est hic ordo Naturæ, ubi est excellentia gratiæ.*

Chrysostom. serm. de Virt. & vitiis. *Elisæi lignum potuit undarum mutare Naturam, quas quidem superficie sua quasi tergo ferrum sustinere coegit*, (nec tamen earum mutavit substantiam.)

Salvianus lib.1. de Gubernat. Dei de aquis amaris, sed miraculose dulcoratis Exo.15.v.25. *Adde medicatas aquas, vel datas, vel immutatas, speciem servantes, Naturam relinquentes.* Nec possunt Adversarii hanc significationem rejicere, cum ea utantur, quando Theodoreti & Gelasii dicta ipsis objiciuntur.

Bellarmin.lib.2.de Euchar.cap.27. disputat, *per Naturam panis non intelligendam esse internam panis substantiam, sed exteriorem Naturam & proprietates accidentium.*

Gregorius de Valentia contra Fortunat. Crellium pag.108. citat Philosophos. *Philosophi,* inquit, *de Naturis rerum libros suos quandoque inscribunt, in quibus tamen proprie agunt de rerum operationibus & proprietatibus.*

Conimbric.lib.2.Physic.cap.1.q.1. notant, *vocabulum Naturæ non solum essentiam, sed & naturales rei proprietates notare, & quando pro rei quidditate seu essentia ponitur, tunc nihilominus tale discrimen inter essentiam, quidditatem & Naturam intercedere, quod essentia importet ordinem ad esse rei, cujus est, quidditas ad definitionem, qua, quid res sit, explicatur, Natura ad operationem.*

Argum. 4. *Manna non saporem tantum, sed etiam substantiam ad votum comedentium mutavit, adeo, ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, saccharum, manna &c. mox verteretur vel in ovum, vel in gallinam, vel in saccharum; id significatur verbis Sap. 16. v. 20. ad quod quisque volebat, convertebatur μετεκιρνᾶτο, id est, transtemperabatur, ut manna in eo fuerit typus transsubstantiationis panis in corpus Christi in Eucharistia.* Gregorius de Valent. tom.4. Disp.6.q.3 punct.2. §.4. Claudius Sainctes de Eucharist. repet.7.cap.3. Thomas Bozius lib.13. de Not. Eccl. cap. ult. Nicolaus Villagagnon lib.3. contra Calvin.cap.52. Scarga contra Zuinglianos art.8. Johannes Hesselius lib. de Eucharistia, Lorinus & Jacobus Tirinus in Comm.Sap.16.

Resp. ex Cornelio à Lapide in Comm. Exo.16 ubi sic scribit: *Sententia hæc nova est, & caret fundamento solido. Verba enim Scripturæ non loquuntur de substantiali, sed de accidentali saporis conversione, alioqui non murmurassent Israelitæ ob manna, Num.11.*

(Subjicit quidem Cornelius, *manna fuisse typum Eucharistiæ, non quoad trãssubstantiationem, sed quoad accidentium remanentium vim & efficaciã. Ostendit enim sapor mannæ, quo pacto possint accidentia panis & vini remanere & nutrire sine illorum substantia. Itaque implicite & consequenter sapor alius atque alius in manna typus quoque fuit transsubstantiationis. Sapor enim alius aliam substantiam comitari & indicare solet*, (qua in parte Cornelio suffragatur Benedictus Pererius Disput.16. Comm. in cap.6. Joh. & Blasius de Viegas Comm. 3. in Apocal. cap.2. sect. 4.) Sed nec hæc Cornelii sententia probari potest; nam 1. miraculum illud, quod manna unicuivis omnem saporem pro libitu ipsius exhibuerit, à Mose non annotatur. 2. Ex Apocrypho libro Sapientiæ id apodictice probari nequit. 3. Moses certum saporis genus, videlicet, ut *similæ cum melle* mannæ tribuit. 4. Si manna exhibuit omnem saporem, cur Israelitæ desiderarunt cucumeres, pepones, allia, pisces, carnes &c.? 5. Per coctionem & præparationem manna varios acquisivit sapores, ut exponitur Num. 11. v. 9. 6. Si vel maxime de manna ista omnia concederentur, tamen transsubstantiatio panis in Eucharistia nondum esset probata, *quia ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta*, docente Bellarmino lib.3.de Verbo Dei cap.3.)

Argum. 5. *Non est rationi consentaneum, ut maneat simul cibus mentis & ventris.*

Item. *Si panis substantia adesset, non posset corpus Domini sumi, quin solveretur jejunium*, ex quo sequeretur, *ut nemo posset eodem die communicare, siquidem ex decreto Apostolorum corpus Domini non nisi à jejunis rite sumi potest.* Bellarmin. lib. 3. de Eucharist. cap. 22. §. Quarto ratio.

Resp.1. ex Bellarmino, qui lib.3. de Euch. cap.23. §. Ad secundã &c. disputat, *accidẽtia panis nutrire, si sc. in magna copia sumãtur.*

(*At num poteſt aliquid nutrire, quod non eſt cibus? Præterea, qui eam rem corpoream accipit, quæ nutrit, ille accepta illa re non eſt jejunus. Sed qui accidentia panis & vini in Sacramento Euchariſtiæ accipit, ille accipit rem nutrientem. Ergo, qui accidentia panis & vini in Sacramento Euchariſtiæ accipit, ille non eſt jejunus.*)

2. Melchiſedecus ſacrificium ſuum, quod volunt eſſe Miſſatici ſacrificii typum, diſtribuit iis, quos noverat è ſpoliis hoſtium abunde refectos, quomodo igitur cum typo hujus ſacrificii ſtabit jejunii neceſſitas?

Alphonſus de Caſtro lib. 10. adv. hæreſes fol. 283. *Quatuor illi Reges, pro quibus pugnaverat Abraham, ſecum portari fecerant ea, quæ ad cibum erant neceſſaria, quibus Abraham illiusque ſervi ſunt uſi, prout Abraham ipſe teſtatur, loquens ad Regem Sodomæ, qui omnia ſpolia præter animas ipſi offerebat, non accipiam, inquit Abraham, ex iis, quæ tua ſunt, exceptis illis, quæ comederunt juvenes. Neque enim opus erat, ut Melchiſedec cibum & potum afferret bellatoribus, qui tam opimis ſpoliis è prælio revertebantur, omnem ſupellectilem captam ſecum reducentes.*

Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 6. §. Nono. *Ut Scriptura habet, rediit Abraham ex prælio cum ingenti præda, in qua etiam erant ea, quæ ad cibum pertinent, ut illic dicitur, imo in fine capitis additur, milites Abrahæ cibum ſumſiſſe, antequam ei occurreret Melchiſedec. Quid igitur opus erat pane & vino iis, qui ſpoliis abundabant, & paulò ante comederant & biberant?*

3. Si cum pane ſumitur corpus Chriſti, panis non ſumitur ante corpus Chriſti, ac proinde corpus Chriſti, quod cum pane ſumitur, à jejunis ſumitur.

Auguſtinus Epiſt. 118. cap. 6. ait, *traditum eſſe ab Apoſtolis, ut Sacramentum non niſi à jejunis ſumeretur*, ſed jejunium, de quo Auguſtinus loquitur, cibus communis, non ſanctus aut Sacramentalis violat.

CAPUT III.

De panis Euchariſtici repoſitione & aſſervatione.

THESIS. Panis Euchariſticus non eſt corpus Chriſti extra uſum à Chriſto inſtitutum, & per conſequens repoſitio & aſſervatio Sacramenti probari nequit.

Ἐξήγησις. 1. Quæſtio in eo verſatur, an panis Euchariſticus, quando recitatione verborum inſtitutionis benedictus, ſanctificatus ac conſecratus eſt, ſtatim ſit diſtribuendus, ſumendus & manducandus in commemorationem Chriſti, an vero poſt benedictionem omiſſa diſtributione, ſumtione & manducatione ſit reponendus, *in ciborio* (ut vocat Johannes Fabri,) *in conopeo* (ut vocat Hardungus,) includendus, aſſervandus & ad alios uſus accomodandus, ita ut poſt aliquot dies, ſeptimanas, menſes vel annos demum ſequatur ejus ſumtio & manducatio, vel etiam plane omittatur.

2. Uſus ille, extra quem panis Euchariſticus negatur eſſe corpus Chriſti, definiendus eſt tota ſeu integra illa actione, quæ in verbis inſtitutionis præſcribitur & mandatur. Tota enim actio Euchariſtica eſt connexa, & ad totam illam actionem pertinent hæc verba: *Hoc eſt corpus meum.* Et Paulus fracto pani tribuit, quod ſit *communicatio corporis Domini* 1. Cor. 10. v. 16. Actus Sacramentales, videlicet conſecratio, fractio ſive diſtributio, & ſumtio, videlicet manducatio & bibitio ſunt invicem ſubordinati & in adminiſtratione ſacræ cœnæ vi divinæ inſtitutionis eſſentialiter connexi, iidemque ſimul ſumti conſtituunt actionem à Chriſto in Euchariſtiæ inſtitutione præſcriptam, requiſitam & mandatam. Quare ſi aliquis horum actuum deſit, vel illius loco ſubſtituatur alius, à Chriſto non inſtitutus nec requiſitus, tum non obſervatur Chriſti inſtitutio, ac proinde non ſit legitima ſacræ Cœnæ adminiſtratio. Quia ex vi inſtitutionis Chriſti, benedictio, fractio, diſtributio, ſumtio ſunt actus contigui, non pro inſtanti unius actionis ſeorſim fingi poteſt, uniri cum pane corpus Chriſti, quomodo fingi non poteſt, in illo inſtanti cum Miniſter dicit, *Ego te baptizo*, ad primum vel ſecundum verbum, vel ad emiſſionem aquæ ex manu baptizantis, antequam corpus baptizandi attigit, eſſe integrum Sacramentum, ſed ad abſolutam actionem juxta inſtitutionem Chriſti, abſolutum quoque eſt Sacramentum.

3. Præſentiam igitur corporis & ſanguinis Domini in ſacra Cœna non initio, nec medio, nec fini actionis Sacramentalis, ſed toti actioni à Chriſto inſtitutæ, vel ut rectius loquar, ipſi inſtitutioni & ordinationi Chriſti, quæ per actionem ab ipſo præſcriptam, id eſt, conſecrationem, diſtributionem, manducationem ac bibitionem obſervatur, repetitur & quaſi renovatur, acceptam ferendam eſſe dicimus.

4. Proinde in regula illa, *Nihil habet rationem Sacramenti extra uſum à Chriſto inſtitutum*, nomine uſus intelligitur tota actio Sacramentalis à Chriſto præſcipta, videlicet conſecratio, diſtributio, manducatio & bibitio, hi enim actus omnes & ſinguli inſtituunt & abſolvunt uſum illum Sacramentalem, de quo regula agit.

5. A qua ſententia nequaquam diſcedunt, qui *manducationem* tantum & *bibitionem* requirere videntur. Cum enim manducatio & bibitio ſint ultimus eſſentialis actus, ad quem reliqui priores, *conſecratio* ſcilicet & *diſtributio*, certa ratione referuntur, ideo per manducationem & bibitionem priores illos actus Sacramentales non excludunt, ſed potius includunt, atque ut Lutheri verbis rem explicemus, uſum Sacramentalem definiunt *relative ad extra*, hoc eſt, contra incluſionem, circumgeſtationem & alios peregrinos uſus, quorum in verbis inſtitutionis nulla ſit mentio; non autem dividunt eum *contra ſeipſum*, nec definiunt *ad intra*, hoc eſt, non opponunt eum reliquis actibus Sacramentalibus in ipſa inſtitutione expreſſis, & Sacramentalem manducationem ac bibitionem neceſſario antecedentibus.

6. Fundamentum aſſervationis eſt opinio transſubſtantiationis.

Lorichius hæreſi 3. de Euchariſtia. *In Euchariſtia conſecrata manet Chriſtus totus, quamdiu illa, aut aliqua ejus particula ſub ſpecie durat, ubicunque ſit, aut inveniatur.*

Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum reliquis Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem: verum illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis autor ante uſum eſt.*

7. Notandum etiam illud, quod non ſint ubiq; iidem aſſervationis modi.

Hardingus contra Ivellum art. 9. *In aliis Chriſtianis regionibus alia quadam ratione ſervatur, loco aliquo ſera & clavi munito: quibusdam in locis in altero fine aut latere altaris: in quibusdam vero in ſacello in hunc ipſum uſum extructo: in quibusdā autem in ſacrario, aut intrinſeco aliquo & ſecreto templi loco, quemadmodum Conſtantinopoli quondam Chryſoſtomi memoriâ. Alicubi etiam in palatio Epiſcopi prope templum ſervatum, atq; in feſtis diebus honorifice in Eccleſiam importatum, & in altari poſitum fuiſſe legimus, qui mos poſtea fuit propter abuſus Conciliorum decreto ſublatus.*

Antitheſis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 6. ſtatuit, *retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem reponendi & aſſervandi Sacramentum.*

Can. 7. anathema pronunciat, *ſi quis dixerit, non licere Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam.*

Bellarm. lib. de Euchar. cap. 2. §. 1. *Catholici omnes conveniunt, panem rite conſecratum, ſive corpus Domini ſub ſpecie panis contentum, vere & proprie eſſe Sacramentum, ſive ſumatur, ſive ſervetur in pixide.*

In eodem cap. §. ultimo profert ejusmodi ſimilitudinem. *Si quis faciat ſedem, cujus ſedendo uſus eſt, & tamen nemo unquam ibi ſedeat, non propterea deſinit eſſe ſedes; ſic etiam ſacroſanctum Sacramentum non deſinit eſſe Sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod eſt inſtitutum.*

Claudius Sainctesius Repetit. 4. cap. 12. dicit, *Sacramentum in quibusdam locis ſervari, quod trecentos aut quingentos annos duraverit.*

Coſterus in Enchir. cap. 8. p. 332. *Honoramus Chriſti corpus aſſervantes, & precioſis vaſis imponentes in recordationē ejusdem mortis & ſepulturæ Dominicæ; dum Chriſti corpus ſub ſpecie panis inanimi velut mortuum corpus & exangue ſacris thecis, tanquam ſepulchro includitur & adoratur, ut de hoc ſepulturæ genere non incommode poſſit intelligi vaticinium Eſaiæ: Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.*

Noſtram ſententiam probamus.

Repoſitio Sacramenti 1. pugnat *cum Chriſti inſtitutione.* Chriſtus in prima Cœna panem accepit, benedixit ac ſtatim diſcipulis manducandum dedit, nequaquam vero repoſuit vel reponendum dedit, ſed in ipſa diſtributione dixit: *Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum.* Nec mora temporis longior inter conſecrationem, diſtributionem & manducationem interceſſit, ſed conſecrationem immediate ſecuta eſt diſtributio, diſtributionem manducatio. Quare ſi juxta Chriſti inſtitutionem ſa-

cra Cœna administranda est, quod fieri debere nemo inficias ire poterit, utique consecrationem immediate sequi debet distributio, distributionem manducatio.

Ambrosius in 1. Corinth. 11. *indignum*, dicit, *esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab autore.*

2. Pugnat *cum exemplo Apostolorum*. Illi enim panem consecratum, à Christo acceptum, non recluserunt aut reposuerunt, sed continuo manducarunt, id quod ex eo apparet, quia non solum indubitatum est, ipsos Magistri sui, à quo audierant, *Accipite, manducate*, præcepto obsecutos fuisse, sed etiam Marcus expresse testatur cap. 14. v. 24. quod ex poculo Eucharistico *omnes biberint*, id quod etiam de priore Cœnæ parte accipiendum, videlicet, quod panem benedictum omnes acceperint & manducarint. Quare, si juxta Apostolorum exemplum sacra Cœna celebranda est, panis consecratus non est reponendus, sed distribuendus ac manducandus.

3. Pugnat *cum praxi Ecclesiæ Apostolicæ*. Colligitur enim ex Actis Apostolicis & priore Epistola ad Corinthios, fideles in primitiva Apostolica Ecclesia juxta Christi institutionem hoc modo Eucharistiam celebrasse, ut externa Elementa panem & vinum consecrarent, & consecrationi manducationem ac bibitionem immediate conjungerent 1. Corinth. 10. v. 20. 21. c. 11. v. 26. & 28. Quare si juxta formam Ecclesiæ Apostolicæ S. Cœna celebranda est, uno eodemque tempore consecratio, distributio & sumtio fieri debet.

4. Repugnat *assertioni Apostolicæ* 1. Corinth. 10. v. 16. ubi Paulus panem non simpliciter vocat κοινωνίαν corporis Christi, sed addit, *panis quem frangimus &c.* ut appareat, eum non de solo pane loqui, sed de illius etiam fractione sive distributione & ei respondente manducatione. Panis enim, quem frangimus, & poculum, cui benedicimus, idem est, quod panis fractio seu distributio & manducatio; ac vini benedictio, eandemque secuta poculi distributio & ex eo bibitio. Ergo participatio corporis Christi adscribitur pani, non ratione substantiæ, nec solius benedictionis respectu, sed ratione etiam fractionis, h. e distributionis & sumtionis à Christo institutæ.

5. Pugnat *cum Natura Eucharistiæ*. Eucharistia in verbis institutionis citra dubium actionem significat, non rem, quæ benedictionem percepit quidem, sed à perceptione non adhibetur ad usum. Nam Evangelistæ omnes habent εὐχαριστήσας ἔκλασε, *benedicens, fregit panem & dedit discipulis*, actum adeo continuum ubique describentes, nusquam panem benedictum hac voce denotantes, quomodo & alibi ipsa vox εὐχαριστία, etsi nusquam in textu Græco de Sacra Cœna usurpetur, semper actum aliquem, nunquam rem aut consecratum quid significat, Act. 24. v. 3. 1. Cor. 14. v. 16. 2. Cor. 4. v. 15. cap. 9. v. 11. 12. &c. Sic ergo concludimus: Ubi non est *institutio Christi ibi non est* Eucharistia. Extra usum panis & calicis non est institutio Christi. Ergo nec Eucharistia.

6. *Multis laborat incommodis*. Fit enim repositio hoc fine, ut panis in processione circumgestetur & adoretur, occasio datur divisioni unius ejusdemque mysterii, cum solus panis reponatur; est causa irreverentiæ, cum panis à muribus corrodatur, fiat mucidus, aliisque modis corrumpatur.

7. Pugnat *cum Natura Sacramentorum*, quippe quorum omnium essentia in actione consistit, ut ex institutione singulorum manifestum.

8. Repugnat typis Veteris Testamenti, videlicet *agno paschali*, Exodi 12. v. 10. *mannæ*, Exod. 16. v. 19. *carnibus sacrificiorum*, Levit. 7. v. 15. &c.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, repositionem & asservationem Sacramenti non esse conformem Dominicæ institutioni.

Humbertus Episcopus Sylvæ candidæ contra Nicetam Monachum referente Cassandro disputat in hunc modum adversus præsanctificata Græcorum. *Quotidie sive tertia, sive nona, sive quacunque hora fiat à nobis Missa, non fit, nisi perfecta, nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut dies quinque agatur inde Missa imperfecta, quia nec sancti Apostoli leguntur quicquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa Cœna distributo reservasse: nec actus eorum indicant, eos aliquando tale quid egisse aut præcepisse. Quinimo, sicut Lucas narrat, erant fideles perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis. Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, dicens: Quotidie perseverantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant. Ecce verax Evangelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panem fregisse. Et vos, qui estis, qui dicitis, duobus tantum diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere, reliquis vero quinque imperfectam? Nempe hic in panis fractione & communicatione non nisi perfectam actionem Missæ debemus accipere, quemadmodum & ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse in pane à se benedicto & mox fracto atque distributo. Non enim benedixit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde D. Alexander Martyr & Papa quintus ab Apostolo Petro passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait: Hoc quotiescunque feceritis, sed hæc quotiescunque feceritis, i. e. benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in mei memoriam facietis, quia si quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine fractione & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.*

Huc referri potest, quod in c. Cum omne, dist. 2. de Consecrat. Julius Papa eos, *qui lac in sacrificio offerebant*, ex verbis institutionis & exemplo Christi refellit hoc modo: *Cum Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantum & calicem sub hoc Sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in Evangelica veritate, Accepit Jesus panem & calicem, & benedicens, dedit discipulis suis. Cesset ergo lac in sacrificando offerri, quia manifestum est, & evidens exemplum veritatis Evangelicæ illuxit, quod præter vinum aliud offerri non licet.*

(Julius sic concludit: Christus in Eucharistiæ institutione & administratione nihil aliud accepit & dedit, quam panem & vinum. Ergo nihil aliud licet offerre. Eodem modo & nos concludimus: Christus non jussit Eucharistiam reservari. Ergo non est reservanda.)

Biel lect. 36. in can. Missæ allegans Paschasii sententiam, inquit: *Manducatio & potio hujus Sacramenti est usus. Hinc & volens discipulos suos Christus fructus hujus Sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neque dedit discipulis, ut honorifice ipsum conservarent, sed dedit in sui usum, dicens: Accipite & manducate; & quia per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem, dum ait: Hoc facite in mei commemorationem.*

Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 5. §. Secundo loco. *Objicitur nobis Origenes, qui dicit, Dominus panem, quem dedit, distribuit, nec differri jussit in crastinum. Respondeo, verum est, Dominum non jussisse Eucharistiam, à se consecratam, differri in crastinum, sed non potest inde colligi, non debuisse unquam postea Eucharistiam conservari. Multa enim Dominus non per se jussit, quæ postea per Apostolos jussit.*

(Sufficit nobis Bellarmini confessio, quod repositionis & asservationis in verbis institutionis Eucharisticæ nullum extet vestigium. Quod enim addit, *asservationem illam Sacramenti per Apostolos à Christo esse mandatam*, illud dicitur gratis.)

Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 2. sub finem sic disserit: *Sacrosanctum Sacramentum* (Eucharisticum) *non desinit esse Sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum*, (sed reponatur, asservetur, circumgestetur. Respondet enim argumento nostro, *quod Eucharistia consistat in actione*. Agnoscit igitur ac fatetur, *repositionem, asservationem, circumgestationem Sacramenti esse præter institutionem Christi*. Et quia Christi institutio actionis nostræ circa Sacramentum regula est, addimus: Non licere abuti Symbolis Sacramentalibus ad usum à Christo non institutum.)

2. Quod agnoscunt, asservationem in primitiva Ecclesia non fuisse usitatam.

Clemens Romanus lib. 8. Const. cap. 20. *Postquam sumserunt, accipiant Diaconi reliquias & portent in pastophoria.* (Hoc de oblationibus populi residuis accipiendum.)

c. Tribus gradibus. dist. 2. de Consecrat. citatur dictum ejusdem Clementis Epist. 2. *Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.*

(Quia Clerici jubentur residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumere, ex eo intelligitur, per custodiam reliquiarum, cujus ibidem fit mentio, non intelligi reclusionem in dies aliquot, sed fragmentorum relictorum cum reverentia conjunctam consumtionem.

Innocentius lib. de Div. offic. citante Cassandro, memorat,

Sacerdotem solitum fuisse Dominicum corpus consecratum in tres partes dividere, quarum unam calici immittat, aliam Diaconus communicet, tertiam ad viaticum, si opus fuerit, in patina usque ad finem reservet; si autem opus non fuerit, eam Sacerdos, aut unus ministrorum in communione accipiat.

(Ex quo apparet, olim nihil fuisse reservatum vel repositum, quando nulli ægroti communicandi fuerunt.)

Huc referri potest, quod Concilium Toletanum I. sub Anastasio Papa circa annum 400. can. 14. tale fecerit decretum: *Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur.* tom. 1. Concil. p. 449.

Item, quod Concilium Cæsar Augustanum can. 3 ann. 381. ita sanxerit: *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum.* tom. 1. Concil. p. 1049. b.

3. Quod quidam agnoscunt, panem non esse corpus Christi, si extra intentionem Christi instituentis adhibeatur.

Jam vero repositio itidem est extra intentionem Christi.)

Summa Angelica tit. de Eucharistia, membr. 3. ex Bonaventura & aliis Scholasticis disputat, *Sacerdotem virtute verborum, Hoc est corpus meum, panem non consecrare, si eo velit ad veneficia abuti,* addita hac ratione, *quod præter intentionem consecrantis requiratur etiam intentio ejus, qui hoc Sacramentum instituit.*

(At quando panis Eucharisticus non distribuitur, non manducatur, sed reponitur, asservatur &c. itidem non observatur intentio Christi, siquidem verba institutionis testantur, contrariam plane fuisse intentionem Christi, videlicet, quod panis Eucharisticus non debeat reponi, sed distribui & manducari.)

Ibid. membr. 3. q. 9. *Christus non est sub hoc Sacramento, nisi quatenus est ordinabilis ad usum humanum, scil. ad manducationem.*

(Ergo etiam Christus non est sub hoc Sacramento quando contra Christi institutionem reponitur, asservatur, circumgestatur & non ordinatur ad manducationem.)

4. Quod quidam agnoscunt, sacram Eucharistiam definiendam esse per actionem.

(Ergo æque ac reliqua Sacramenta essentialiter in actione consistit.)

Altensteig in Lexico, in verbo Usus. *Quod fit præter mandantis institutionem, abusus est.* Subsumim⁹, Repositio, asservatio panis consecrati fiunt præter mandantis institutionem. Ergo pertinent ad abusus.

Johannes Holthusius Pontificius lib. de modo examinandi fol. 83. Cœnam ita definit, ut *genus* statuat *consecrationem corporis & sanguinis Christi.*

Ergo agnoscit, ejus essentiam in actione à Christo instituta consistere.)

Georgius Cassander in Consult. art. 10. de Cœna p. 939. *Quamvis hoc Sacramentum Eucharistiæ ratione præsentiæ corporis & sanguinis Christi, ex ipsa consecratione verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi efficiatur, tamen si virtutem & efficaciam spectes, qua Christo unimur & incorporamur, hoc Sacramentum, ut reliqua Sacramenta, in ipso usu & actione (quæ est sumtio, seu manducatio & potio) perficitur, quæ externa sumtio Sacramentum est internæ & spiritualis manducationis & potionis corporis & sanguinis Christi, qua fit, ut Christo uniamur & incorporemur. Hoc idem à Theologis quibusdam Scholasticis* (in margine citatur Henricus de Gorghem de effectibus Missæ propos. 5.) *asseritur, atque hac ratione à veteribus quoque hoc Sacramentum nominibus actionem significantibus appellatur, ut sunt Synaxis, Communicatio, perceptio corporis & sanguinis Domini.*

Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 24. §. Tertia ratio. *Eucharistia vocatur fractio panis.*

(Utique ergo ejus essentia in actione consistit. Contradicit autem huic assertioni suæ Bellarminus, quando lib. ejusdem cap. 3. scribit: *Nemo unquam vocavit Eucharistiam vel corpus Domini fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem, vel aliam actionem.*)

Exceptio Adversariorum ad nostra argumenta. Nos contra Eucharistiæ asservationem sic concludimus: Nullum est Sacramentum præter institutionem suam. At panis & vinum reservata sunt præter institutionem suam. Ergo non sunt Eucharistiæ Sacramentum. Major est manifesta, quia nullum Sacramentum est à Natura sua, sed ab institutione divina. Concludimus & hoc modo: Nulla promissio divina, cui additum est præceptum, impletur, nisi præceptum impleatur. At consecratio Eucharistiæ est promissio, cui additum præceptum distributionis, manducationis & bibitionis. Ergo ea promissio non impletur, nisi hoc præceptum impleatur.

Excipit Bellarminus, *non esse promissionem additam præcepto, quia si verba illa continerent promissionem, certe per verba futuri temporis expressa fuisset, ut in Baptismo: Qui crediderit &c.*

Resp. Negamus, omnem promissionem verbis futuri temporis exprimi. Nam in verbis Christi Matth. 28. v. 20. *Ecce, ego vobiscum sum &c.* promissio continetur, quæ tamen præsentis temporis verbis exprimitur.

Cajetanus in h. l. *Ut intelligamus, promitti nobis per hoc, non præsentiam Jesu corporalem, sed divinam.*

Cornel. Jansen. ib. *Consolatur eos promissione præsentiæ suæ continuæ.*

Lucas Brugensis ibid. *Advertite & imis cordibus reponite, quam promitto, rem veram, quanquam oculis non subjiciendam.*

Bellarminus ipse lib. 3. de Ecclesia cap. 13. *Aperta promissio, Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum &c.*

Arg. Adversariorum. 1. *In Baptismo non est res aliqua permanens, sed sola actio, quæ dicatur & sit Baptismus. In Eucharistia contra non est aliqua actio, sed sola res permanens, quæ dicatur & sit Eucharistia, sive Cœna Domini, sive Sacramentum corporis Christi. Ergo Sacramenta ista dissimilia sunt, & unum in actione, alterum in re permanente consistit. Baptismum non consistere in re permanente,* probant ex eo, *quia aqua, quæ in Baptismo est res permanens, non dicitur Baptismus vel Sacramentum Baptismi, sed ablutio, quæ est actio. At in Eucharistia contra, nemo enim unquam vocavit Eucharistiam sive corpus Domini ipsam fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem, vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est, panem sanctificatum: nec ulla datur actio, cui conveniat tota ratio Sacramenti. In Eucharistia esse rem permanentem,* probant ex eo, *quia panis ille est signum sensibile & causa interna nutritionis, atque invisibilis & spiritualis.* Bellarm. & alii.

Resp. 1. Benedictus Justinianus in cap. 5. Ephes. *Baptismi Sacramentum expiari, hoc enim est lavacrum aquæ.*

(Ergo aquam dici Sacramentum Baptismi non est inusitatum.)

2. Per *fractionem panis* Actor 2. plerique omnes intelligunt Eucharistiam.

Lorin. in Com. illius loci. *Commendantur Neophyti à perseverantia, verbi Dei frequentatione & Eucharistia atque orationis.*

Et post. *Mihi solo, quam dixi, expositio probatur, quæ est etiam communior, & præter interpretes Jonæ Aurelianensis & B. Antonini, & Lutherus & Calvinus fatentur.*

(Falsum igitur est, quod Bellarminus dicit, neminem hunc usum vocasse Eucharistiam seu corpus Domini.)

3. Bellarminus ipse citat & approbat dictum Justini. Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. *Hic cibus à nobis Eucharistia appellatur.*

(Cibus non dicitur panis ratione suæ *essentiæ*, sed *usus*, quia nutriendis corporibus aptus, non quibusvis, sed à quibus comeditur. Ergo, cum cibus appellatur Eucharistia, idem est, ac si dicas, manducatio panis sacra est Eucharistia.)

4. Verba Sacramentalia non dici *à manducante*, verum est; sed non dici *ad manducantem*, prorsus falsum. Nam si in iis ratio est, cur manducari debeat, ut ab ipso Bellarmino assertum, quando dicit, *oportuisse prius rationem expositam, quam id, quod mandaretur, effectum,* & à Luca Brugensi in cap. 26. Matth. quis negare potest dicta fuisse ad homines?

5. Actiones suscipientis non esse Sacramenta, id est, non pertinere ad rationem Sacramenti, Bellarminus dicere nequit, si hypotheses suorum velit esse salvas, qui in pœnitentiæ Sacramento *actus pœnitentis* statuunt esse materiam Sacramenti.

6. c. Utrum sub figura. dist. 2. de Consecrat. *Nihil rationabilius, ut quia nos jam similitudinem mortis ejus in Baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus.*

(Ubi notandum, *similitudinem sanguinis sumi, & sumi in Eucharistia, ut in Baptismo.* Nam similitudo mortis in Baptismo non est alia, præter eam, quam dicimus *analogiam*, quia in mergendo significatur mors. Quare etiam in bibendo significatur sanguis. Et sicut mortis analogia est in lotione, sic sanguinis analogia in bibitione.)

Argum. 2. *Usus cujuslibet rei posterior est ejus essentia, quia scil. omne accidens externum posterius est rei substantia, sine quo res tota esse ac subsistere potest. Itaque Eucharistia necessario antea est Sacramentum, quam sumatur, manebitq; tale, etiamsi non sumatur.* Lotichius hæres. 3. de Euch.

Resp. 1.

Resp.1. Bellarminus ipse in argumento proxime præcedente statuit, *Baptismum consistere in actione transeunte*, nimirum in lotione, qui est usus aquæ. Utique ergo Baptismum oportet consistere in suo usu, ac proinde non est eo prior.

(Verum est igitur axioma tantum in iis rebus, quarum Natura prorsus separatur ab usu, ut panis sine dubio prius est panis, quam comedatur, sed quomodo non prius est cibus, quam comedatur, sic neque Sacramentum, quia videlicet Sacramentum præsupponit cibum.)

2. Idem Bellarminus in ἐργασίᾳ hujus argumenti sibi contradicit, sic enim scribit lib.4.de Euchar.cap.2.§.ultimo: *Dico, si quis legitimus Sacerdos existens, Eucharistiam consecraret, iis servatis, quæ ad Sacramenti essentiam requiruntur, non tamen in ordine ad manducationem, sed ad quemvis alium finem, is quidem male faceret, tamen verum Sacramentum conficeret & perseveraret Sacramentum illud, quamdiu species illæ panis perseverarent.* Atqui Bellarminus alibi requirit intentionem Sacerdotis ad Sacramenti integritatem. Intentio autem illa est faciendi, quod facit Ecclesia. Ecclesia consecrat Eucharistiam in ordine ad manducationem. Ergo etiam Minister consecrare debet in ordine ad manducationem.

Arg 3. *Reservationis multa dantur exempla in Ecclesia primitiva.*

Resp.1. De privata Eucharistiæ reservatione sic scribit Jodocus Ravenstein Defens. Tident. parte altera ad cap.5.& canon.4.de Eucharistia. *Ea consuetudo postea abrogata fuit propter abusum.*

(Quæ verba sic accipi debent, quod ipsa per se fuerit abusus, non quod ei accidentarius aliquis abusus additus sit Nam in primo Concilio Toletano canone 14. tale decretum factum: *Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non consumserit, velut sacrilegus propellatur.* Item in Cæsar-Augustano III. *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in Eucharistia, anathema sit in perpetuum.* Unde nec hodie privata asservatio in Ecclesia Romana locum habet.)

2. Quædam publicæ asservationis exempla agunt de repositione eorum, quæ Laici ad Eucharistiæ administrationem Ecclesiæ ministris offerebant.

Scortia de Sacrif. Missæ lib.4.cap.1.*Offertorium dicta est pars illa* (Missæ,) *in qua populus Ecclesiæ Ministris oblationes suas offerebat. Non omnium tamen indifferenter recipiebantur oblationes, sed eorum tantum, qui & Catholicæ essent communionis & vitæ integritate pollerent, ideoque antequam ad altare inferrentur, deportabantur in gazophylacium seu secretarium, ut prius disquiri posset, an oblationes dignæ essent, quæ Domino offerrentur.*

3. Quæ exempla reservationis in Historia Ecclesiastica occurrunt, ea ne ipsi quidem Pontificii approbant omnia, ut pote de *Benedicto*, qui Eucharistiam reservatam imposuit pectori defuncti cadaveris; de *Satyro*, qui eam collo suspendit ad vitandum naufragium; de *Exuperio*, qui non solum panem in canistro, sed etiam vinum in vitro detulit.

Argum. 4. Croquetius Catechesi 150. asservationem Eucharistiæ *ex ipsa ejusdem institutione* deducere satagit. *Si quod res est*, inquit, *dicendum foret, non prius Eucharistiæ, quam ejusdem asservandæ fuit institutio. Contendunt enim quidam veteres, Judam etiam tum Apostolum ita suscepisse, ut partem absumeret, partem adservaret, quam postea spectandam, irridendamque Christi proferret hostibus, ut suam illis fidem magis approbaret.*

Resp Benefactum, quod ab exemplo Judæ asservationem accersunt, de quo Scriptura testatur, quod jam tum *Satanas in cor ejus miserit, ut Christum proderet*, quo tempore Eucharistia fuit administrata. Egregium vero fidei nostræ Magistrum & Veritatis testem!

Argum.5. *Ex reservatione mannæ* probant reservationem Eucharistiæ.

Beierlinck concion. select.33.pag.360. *Sacramentum reservabatur, ut hac ratione semper præsto esset in viaticum infirmorum & spiritualem piorum refectionem &c. in cujus rei typum vetus manna reservabatur in tabernaculo ante arcam.*

Resp.1. Bellarminus lib.3.de Verbo Dei cap.3.docet, *ex solo sensu literali duci firma argumenta.*

2. Manna contra Dei mandatum asservatum, producebat vermes, Exodi 16. v.20. idem in asservato pane mystico metuendum esse testatur experientia.

CAPUT VI.

De Usu Panis azymi.

THESIS. Usus panis azymi in Eucharistiæ administratione non est simpliciter necessarius.

Ἔκθεσις 1. Non est quæstio, an Christus in prima sacræ Cœnæ institutione & administratione pane azymo usus fuerit quod libenter concedimus.

2. Nec est quæstio, an usus panis azymi conveniens sit. Idipsum enim itidem libenter concedimus, tum propter *exemplum Christi ἀξιομίμητον*, tum propter *utiles commonefactiones*, quas usus panis azymi præstat, tum propter *typum agni paschalis* Exod.12.v.8. tum propter *consuetudinem Ecclesiæ*, à qua temere non est discedendum.

3. Sed hoc in quæstione est, an usus panis azymi in Eucharistiæ administratione sit *simpliciter necessarius.*

Antithesis. Ἀζυμομαχία, id est, controversia de pane Eucharistico, an azymus vel fermentatus esse debeat, inter Græcas & Latinas Ecclesias superioribus seculis tanta contentione fuit agitata, ut Latini Græcos nominarent *Fermentarios*; ac Græci Latinos vocarent *Azymitas*, referente Algero Monacho Corbeiensi.

Tomo 6. Lectionum antiquarum Canisii extat Epistola Michaelis Constantinopolitani ad Johannem Cannensem Episcopum, ac Nicetæ Pectorati scriptum, in quibus adversus Latinos quæstio *de pane azymo* acriter disputatur. Utrique scripto atrocissime respondit Humbertus Episcopus Sylvæ Candidæ.

Alphonsus de Castro lib.6.advers.hæreses, verbo Eucharistia, hæres.2. *Ecclesia, etsi cognosceret, in utroque legitime confici posse, quibusdam tamen justis causis ad unam certam materiam, nempe ad azymum, omnes fideles arctavit.*

Gregorius de Valentia tom.4.Disp. 6.punct.1. *Necessitate præcepti Ecclesiastici obligantis sub peccato, debet esse azymus in Ecclesia Latina.*

Bellarminus lib.4.de Euchar.cap.7.§. Quia vera &c. statuit, *ex instituto Christi in Eucharistia pane azymo utendum.*

Toletus lib.2. Instruct. Sacerd. cap. 25. §.5. pag. 158. *Panis azymus debet esse in Ecclesia Latina.*

Nostram sententiam probamus,

1. De usu panis azymi non extat expressum mandatum.

2. Fermentum non ipsam panis substantiam, sed qualitates solummodo mutat, ideoque panis essentiæ nihil decedit, sive azymus sit, sive fermentatus.

3. Tam fermentatus, quam azymus panis usum illum præstare potest, propter quem in sacra Cœna adhibetur, videlicet, ut sit *communicatio corporis Christi* 1. Cor.10.v.16.

4. Verisimile est, Apostolos vulgari fermentato pane in Eucharistiæ administratione fuisse usos Actor. 2.v.42. cap.20.v.7. ubi *post dies azymos* Lucas & Paulus navigant à Philippis, & in quinque diebus veniunt Troadem, ac Troade manent dies septem, tumque intra illos septem dies Troade conveniunt *ad frangendum panem*, vel, ut Syriaca versio habet, *ad frangendam Eucharistiam*, ubi sine dubio usi fuerunt panibus fermentatis. Quin & ubi *panis* absolute nominatur, nulla addita circumscriptione, fermentatus panis usitate intelligitur.

5. Fermentatus panis itidem potest utilem commonefactionem præstare, videlicet, quod corpus Christi spiritualiter nos transmutet, sicut fermentum totam massam alterat quod animam nostram optime nutriat &c.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Latinæ Ecclesiæ aliquandiu fermentato pane fuerunt usæ, usque ad Alexandrum I. qui instituit, *ut oblatio fieret ex azymo, non ex fermentato, ut antea consueverat.* Platina in Vita Alexandri I. Polydorus Vergilius lib. 5. de Rerum Invent. c. 10.p.446. Bergomensis in Chronic.lib.8.fol.184.

(At si usus panis azymi ex instituto Pontificis descendit, non potest ejus necessitas ex instituto Christi deduci.)

2. Quod non damnant Ecclesiam Græcam propter usum panis fermentati.

Thomas p.3.q.74. art.4. dicit, *non esse de necessitate Sacramenti, ut panis sit azymus, & Græcos non modo non peccare utentes pane fermentato, sed si quis inter eos aliter faceret, cum non recte faceret, quia ritum Ecclesiæ suæ perverteret.*

Alphonsus de Castro adversus hæreses, in verbo Eucharistia, hæresi 2. testatur, *Græcos hæreticis annumerari, non quod in fermento conficiant, sed quia sic conficientes, in azymo non putent posse confici.* Verba sic habent: *Et in fermentato confici potest, sicut & in azymo, quoniam azymum & fermentatum sacrificans verum panem sacrificat. Et cum legimus, Dominum corpus suum ex pane confecisse, legimus panem accepisse; & quamvis certum sit, azymum fuisse, illud tamen Evangelistæ subticuerunt. Et cum alibi se & carnem suam panem*

panem vocavit, nec azymum dixit, nec fermentatum, forte sciens præteriit, ut vel hoc argumento ostenderet, liberum nobis manere, quo pane conficere vellemus. Non enim azymus & fermentum substantialiter differunt, sicut nec homo novus ante peccatum & inveteratus fermento peccati. Verum dices, si Græci fermentato conficientes recte conficiunt, quid causamur eos in hoc hæreticos? cui objectioni respondemus, eos non ideo censendos hæreticos, quod in fermentato conficiant, sed quia sic conficientes putant in azymo non posse confici, quod tamen falsum est, cum in eo Dominus confecerit.

Gregorius de Valentia tom.4. in Thomam Disput.6. punct. 1. *Græci in eo, quod utuntur fermentato, non sunt schismatici, sed propterea, quod putant, non nisi in fermentato posse & debere Sacramentum confici.*

Toletus d.l. *Panis azymus debet esse in Ecclesia Latina, in Græca vero cum fermentato confici potest.*

3 Quod vetus Eccles. Rom. consuetudinē suam utendi azymo sic defendit, ut Græcos contrarium morem observantes, non damnarit, sicut legitur in Concil. Florentino & sæpe repetit Gennadius.

Durantus lib.2. de Ritib. Eccles. cap.38. § 5. *In Concilio Florentino decretum, ut quævis Ecclesia sive azymo, sive fermentato pane libere uteret..r.*

Innocent. III. lib.4. de Myst. Mis. c.32. *Adhuc multi sacrificant de fermentato, quibus tanquam vere Catholicis Eccles. Rom. communicat.*

Thomas p.3. q.74. artic.4. dicit, Gregorium in Registro scribere, *Rom. Ecclesiam offerre azymos panes, quia Dominus carnem suscepit sine ulla commistione viri: sed contra alias Ecclesias offerre panem fermentatum, quia Verbum induit carnem, ut fermentum miscetur farinæ.*

Barlaam Episcopus Gyracensis sive Hieracensis in Epistola ad Græcos. *Quoniam Apostoli eadem nobis tradentes mysteria non distinxerunt, sive fermentatum, sive azymum, sed Orientalis Ecclesia continuo incepit fermentatum, Occidentalis vero azymum, eò quod gerit imaginem puritatis & veritatis, utraque ego quidem similiter adoro & colo. Latinos vero in tantum prudentiores æstimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur, horum autem multi non timent in sancta blesphemare.*

4. Quod panis azymi necessarium usum ex Leviticis Ceremoniis probant. (Eæ vero in Novo Testamento sunt abrogatæ.)

Durand. lib.4. Rationalis cap.41. §.9. *Panis non fermentatus, sed azymus in sacrificium debet offerri, tum ratione facti, tum ratione mysterii. Scriptum namque est in Exodo, Prima & 14. die primi mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem 21. ejusdem mensis ad vesperam. Item. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Item. Qui comedet fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel. Item. Omne fermentatum non comedetis. Item. In cunctis habitaculis vestris comedetis azyma.*

Polydorus Vergilius lib.5. de Rerum Invent. cap.10 pag. 446. *Alexander septimus à Petro Pontifex instituit, ut oblatio ex azymo, non fermentato, ut antea consueverit, fieret pane; & hoc, ut purior materia esset, vel quia Christus azymo consecrasset, aut quod Dominus per Mosen præcepisset, ut omnis oblatio absque fermento fieret, seu quia ex ejus latere, dum in cruce penderet, exisset sanguis & aqua.*

Argum. Adversar. 1 *Christus in prima Eucharistiæ institutione usus est azymo, ac dixit: Hoc facite: Ergo necessarius est azymi in Eucharistia usus.* Alphonsus de Castro d. l.

Resp. 1. Suarez Disput.44. Sect.3. *Solum Christi factum non satis est ad inducendum præceptum. Nam licet consecraverit in vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare.*

2. Si ex eo, quod Christus in azymo consecravit, necessario inferri posset usus azymi, consequens fuerit, ex eo, quod Christus in aqua fluminis baptizaverit, inferri posse, necessario aqua fluminis baptizandum esse.

Argum. 2. *Panis azymus significat puritatem & sinceritatem corporis Christi, vel eam, quam habere debent, qui ad Sacramentum accedunt.*

Resp. 1. Ex hac hypothesi efficax argumentum contra mixtionem aquæ inferri possit, cum Christi sanguis purus ac sincerus *vino mero*, non autem aqua mixto significandus sit, Ef. 1. vers. 1.

3. Vinum rubrum melius repræsentat sanguinem Christi quam vinum album. Ergo etiam necessarius erit vini rubri usus. Consequentiam Pontificii non admittunt.

CAPUT V.

De Mixtione Aquæ cum Vino Eucharistico.

THESIS. Mixtio aquæ cum vino in administratione Cœnæ Dominicæ non est absolute necessaria.

Ἔκθεσις 1. Non est quæstio, an in Ecclesia primitiva vinum fuerit aqua mixtum, illud enim libenter concedimus. Aquam pii veteres vino in Eucharistiæ usu admiscuerunt, (ut constat ex Justino Apolog.2. Irenæo lib.4. cap.57. & lib.5. initio, Cypriano lib.2. Epist.3. ad Cæcilium:) vel quod vina in illis regionibus fuerint calidiora, vel quod Christum in prima Cœna ita fecisse putabant, vel quod quidam olim Cœnam Domini peragentes, prius inebriabantur, 1. Cor.11. v.21.

2. Nec hoc in quæstione est, an Christus pro more regionis vino aqua mixto in Eucharistia usus fuerit, quod in medio relinquimus.

3. Nec hoc in quæstione est, an simpliciter damnandi sint, ut pugnantes contra institutionem, qui vinum aqua temperatum in Eucharistiæ administratione adhibent, quod sonora voce negamus.

4. Nec hoc in quæstione est, an Eucharistiæ integritati vel efficaciæ quicquam decedat, si vinum aqua sit mixtum, quod ab οἰνοκαπήλοις sæpius fieri constat.

5. Sed hoc est in quæstione, an mixtio illa aquæ cum vino in ipsa Cœnæ administratione necessaria sit, & quidem sine eo, ut unio fidelium cum Christo non solum repræsentetur, sed etiam efficaciatur.

Antithesis. Alexander I. c. in Sacramentorum 1. dist. 2. de Consecrat. *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur.*

c. Sic in sanctificando 2. dist. ead. *Si in sanctificando calice Domini offerri sola aqua non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulantur, tunc Sacramentum spirituale & cœleste perficitur &c.*

Julius c. Cum omne 7. dist ead. *Calix Dominicus juxta Canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri, quo videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs, ei, in quem credit, copulatur & jungitur, quæ copulatio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero sit aqua sola, plebs incipit esse sine Christo.*

Concilium Florentinum in Instructione ad Armenios severe præcepit, *ut aqua cum vino misceatur.*

Concil. Trident. sess.22. c.8. *Monet sancta Synodus, præceptum ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia ex latere ejus aqua cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi S. Johannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

Catech. Romanus pag. 351. *Aquæ miscendæ ita graves rationes sunt, ut eam sine peccato mortali omittere non liceat.*

Bellarminus lib.4. de Euchar. cap.10. §. Porro. *Ecclesia Catholica semper credidit, ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti.*

Anglo Rhemenses annotat. 1. Cor.11. sect.10. statuunt, *mixturam aquæ & vini in Eucharistia esse necessariam, ac Evangelicos non usurpando istam Ceremoniam impudenter & male agere.*

Nostram sententiam probamus

1. *Ex defectu mandati.* Ex verbis institutionis non potest proferri mandatum Christi, & ex eo dependens mixtionis illius necessitas.

2. *Ex prohibitione additionis.* Mixtio aquæ potius aliquid addit institutioni, quia Evangelistæ solius merique vini mentionem faciunt, Matth.26. v.29. Marc.14. v.25. Luc.22. v.18.

3. *Ex mixtionis illius origine.* Mixtio illa nititur sola traditione & consuetudine. Jam vero consuetudo libera & traditio incerta non possunt necessarium quendam fidei articulum constituere.

4. *Ex collatione cum typo.* Mixtio illa non respondet typo Melchisedeci, qui panem & vinum, non autem vinum aqua mixtum Abrahæ & ejus militibus obtulit.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, ex verbis institutionis non posse probari mixtionis illius necessitatem.

Henric. Angliæ Rex in Disp. advers. Lutherum, referente Rof-

Roffensi contra Lutheri librum de Capt. Babyl. part. 1. fol. 2. *Ut aqua vino admisceatur, non habet exemplum in Cœna Dominica.*

Alphonsus de Castro lib. 6. adv. hæref. verbo Eucharistia hæresi 6. *Evangelistæ referentes modum Dominicæ Cœnæ, dicunt, Christum calicem porrexisse discipulis, & ut ostenderent, quem illis in calice liquorem præbuerit, addiderunt verba Christi dicentis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Ex quibus verbis satis aperte ostenditur, eum liquorem, quem Christus discipulis in calice potandum dedit, fuisse genimen vitis, nempe vinum.*

ibid. hæresi 7. *Etsi textus non sit Scripturæ expressus, mihi tamen valde probatur, quod sobrietatis causa crederem, Christum aquam vino miscuisse.*

Ibid. hæres. ultima. *Etsi Christus propter suam sobrietatem aquam vino miscuisse credatur, Evangelistæ tamen nihil tale commemorant.*

Cornelius Jansenius in Conc. Evang. cap. 131. pag. 907. *Vinum fuisse in calice, quem suis Dominus in Cœna porrexit, ostendit Cyprianus, ad Cæcilium scribens, ex eo quod Evangelistæ subjiciunt dictum à Domino, Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Fuit ergo genimen vitis in calice, quem Dominus accepit & suis dedit. Vinum autem fuisse aqua mixtum, non probat apertis aliquibus Evangelii verbis, ut nec illis probari potest, sed intelligendum relinquit ex eo, quod certum est, in calice fuisse vinum, eò quod vinum in illis calidis regionibus non solitum fuerit bibi, nisi mistum aqua.*

(Ex consuetudine ergo, non ex Dominica institutione, mixtio aquæ probatur.)

Bellarminus lib. 4. de Euchariſt. cap. 10. §. Cæterum. *Quid in calice fuerit ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mixtum, an sincera, an aqua sola, ex Scriptura expresse non habetur, sed necessario recurrendum est ad traditionem eorum, qui ab Apostolis & eorum discipulis hæc mysteria acceperunt. Traditio autem habet, fuisse vinum aqua mixtum.*

2. Quod quidam agnoscunt, non ex præcepto Christi, sed ex Pontificis Romani institutione & Ecclesiæ consuetudine aquam vino misceri.

Platina in vita Alexandri I. Durandus in Rationali lib. 4. cap. 30. §. 18. 19.

Polydor. Vergil. lib. 5. de Rer. Invent. c. 10. p. 446. *Alexander septimus à Petro Pontifex consecraturus primus aquam vino miscuit.*

Concilium Triburiense can. 19. *ab Alexandro I præceptum de aqua vino affundenda promanâsse* statuit.

Durantus lib. 2. de Ritib. Eccles. c. 27. §. 1. hæc verba sanctionis Pontificiæ refert. *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in passione profluxit.*

Azorius in Instit. moral. lib. 10. c. 30. §. Altera quæstio. *Si roges, an sit aqua vino miscenda ex præcepto Christi, aut ex Ecclesiæ institutione, quidam nostrûm opinantur primum, sed alii probabiliter secundum.*

Concilium Tridentinum sess. 22. c. 7. *præceptum esse*, ait, *ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant*, idque factum fuisse annotat in Concilio *Carthaginensi III.* (An. 397.) & *Bracarensi III* (An. 676.)

Greg. de Valentia tom. 4. Disp. 6. q. 2. p. 290. *Licet in Concilio (Tridentino) illud tantum dicatur, quod est certissimum, scilicet hac de re esse præceptum Ecclesiæ, probabilissimum tamen est, esse item ejusdem rei præceptum Christi & traditionem Apostolicam.*

(Vocat *probabilissimum*, novit enim, aliquos Pontificios hic non agnoscere præceptum aliquod Christi.)

3. Quod quidam agnoscunt, mixtionem illam aquæ non esse necessariam ad integritatem Sacramenti.

Lombardus lib. 4. sent. dist. 11. lit. H. *Si quis non intendens introducere hæresin oblivione vel ignorantia aquam prætermiserit, non videtur irritum esse Sacramentum, sed ille graviter est corripiendus.*

Thomas p. 3. q. 74. art. 3 *In solo vino potest fieri consecratio.*

art. 7. *Appositio aquæ non est de integritate Sacramenti.*

Scotus in 4. sent. dist. 11. q. 6. & Canonista de Conf. dist. 2. in gl. affirmant, *quod mixtio illa non sit de necessitate, sed de honestate.*

Bonaventura 4. sent. dist. 11. q. 3. negat *mixtionem aquæ esse de necessitate, sed de congruitate & bene esse.*

Biel 4. sent. dist. 11. q. 2. *Admixtio aquæ cum vino requiritur de ministri, non de Sacramenti necessitate.*

Idem lect. 35. in Can. *Aquæ admixtio non est de necessitate Sacramenti, licet sit de necessitate Ministri consecrantis.* Cui assertioni conficiendæ adhibent argumenta, *quia alioquin, qui oblivione aut ignorantia omisisset, non excusaretur : quia Græci dicantur, aquam non apponere, & tamen conficere, quia quod quicquid est de necessitate Sacramenti, remaneat vel secundum substantiam, vel secundum accidens, quorũ neutrum fit in aqua, cujus & substantia transit in vinum, neque odor, neque sapor remanet ; quod quicquid est de substantia Sacramenti, efficiat, quod figurat ; ast aqua nihil, quoniam neque corpus Christi verum, neque mysticum.*

Lyranus in 1. Cor. 11. *Si non animo introducendi hæresin, sed oblivione prætermittatur aqua, non minus conficitur.*

Cornel. Jansenius d. l. p. 907. *Sicut ex eo, quod Evangelistæ absolute dicunt, Christum accepisse panem, creditur quemvis panem proprie dictum posse esse materiam consecrandi corporis Dominici, nec esse absolute necessarium azymum panem, quamvis ex Apostolica traditione conformi facto Christi veterique figuræ & conveniente mysteriis significandis in tali pane consecratio facienda est : ita ex eo, quod vini tantum mentionem faciunt Evangelistæ, creditur quodvis vinum proprie dictum, quod scilicet est genimen vitis posse esse materiam consecrandi sanguinis Dominici, nec esse absolute necessariam mixtionem aquæ cum vino, quamvis ob traditionem Apostolicam conformem facto Christi veteribusque figuris & convenientem significandis mysteriis, illa temere non sine gravi peccato possit prætermitti.*

Dominicus Soto 4. sent. dist. 9. quæst. 1. *Appositio aquæ non est de necessitate Sacramenti.*

Azorius tom. 1. Inst. moral. lib. 10. c. 30. q. 1. *Constans est Theologorum opinio, vini consecrationem valere absque aqua.*

Tolet. lib. 2. Instruct. Sacerd. cap. 25. §. Rursus. *Consecratio valida est cum solo vino.*

Bellarminus lib. 4. de Euchariſt. c. 10. §. Porro. *Ecclesia Catholica semper docuit, ita necessarium esse aquæ vinum misceri in calice, ut non possit illud sine gravi peccato omitti. Utrum autem sine aqua Sacramentum confici possit, non est adeo certum. Communis tamen opinio in partem affirmativam propendet. Quare falsò Chemnitius Catholicis in commune tribuit, quod asserant, aquam in Eucharistia esse de necessitate Sacramenti, cum paucissimi id affirment.*

(Atqui affirmant illud non solum Armachanus, sed etiam summi Pontifices, Alexander I. c. in Sacramentorum de Consecrat. dist. 2. & Julius c. Cum omne. dist. ead. quorum unus Pontificiis debebat esse instar omnium. Inde Alanus de Sacram. Euchar. lib. 1. c. 13. dicit, *hanc quæstionem, an mixtio aquæ sit de necessitate Sacramenti, esse difficultatibus plenam & contrariis Scholasticorum sententiis agitari*, aitque, *nunquam hactenus dispensatum esse cum ulla gente, ut in mero vino consecraret.*)

4. Quod quidam agnoscunt, consuetudinem vinum aqua miscendi non esse Universalem, nec omnium temporum, nec locorum.

(At quomodo consuetudo Ecclesiæ & quidem particularis potest introducere necessarium aliquod Sacramenti requisitum?)

Lombardus lib. 4 sentent. dist. 11. lit. H *Græcorum Ecclesia non apponere aquam dicitur.*

Durandus lib. 4. c. 43. scribit, *in Græca Ecclesia Universaliter hoc non fieri.*

(Idem patet ex Cabasila in Liturgia)

Lyranus in 1. Cor. 11. *Græci non addunt aquam.*

Ibid. dicit, *mixtionem illam aquæ cum vino fuisse humanam consuetudinem, eamque particularem duntaxat, non nisi in calidis regionibus ad diluendum vinum usurpatam.*

Otto Frisingensis lib. 7. cap. 32. de Armenis memorat, *quod per mille amplius annos usi fuerint vino mero sine mistione.*

Alphonsus de Castro lib. 9. adversus hæreses, verbo Eucharistia, hæresi 7. *Est error Græcorum à Guidone Carmelita undecimo loco inter errores Græcorum locatus : est etiam error Armenorum, quem Guido 24. ordine recenset, quod calici Eucharistico non sit miscenda aqua.*

Cornelius Jansenius d. l. *Lutherus post Græcos docuit, solum vinum in calice apponendum.*

5. Quod impertinentibus & peregrinis Scripturæ dictis mixtionem illam aquæ cum vino probant.

Durandus lib. 4. Rational. c. 30. §. 19. *Hoc mysterium lex Mosaica præsignavit, sicut Apostolus exponit, dicens: Bibebant de spirituali consequente eos Petra. Petra autem erat Christus.*

(At juxta hanc hypothesin sola aqua in Eucharistia esset utendum.)

Stapletonus Relect. controv. 6. q. 7. p. 646. *Latina lectio* (loci Proverb. 9. *immolavit victimas suas, miscuit vinum suum,*) *ad mixturam aquæ cum vino Eucharistico à Catholicis applicatur.*

(Sed

(Sed male, cum in Hebræo nulla fiat mixtionis mentio, ac locus ille non agat de Eucharistiæ Sacramento.

6. Quod mixtionis illius origo ab hæreticis videri potest descendere.

c. Quidam autem 39. cauſ. 24. q. 3. *Aquarii appellati, eò quod aquam ſolam offerrent in calice Sacramenti.*

Bellarmin. lib. 4. de Euchariſt. cap. 10. *Aquarii vino aquam in calice ſubſtituebant.*

(Notandum vero, quod apud Auguſtinum hæreſ. 64. omittatur *particula excluſiva*, ſic enim deſcribit Aquariorum errorem: *Aquam offerunt in poculo Sacramenti.* Idem vero etiam facit Eccleſia Romana, & quidem cum opinione neceſſitatis.

4. Quod opinio de neceſſitate mixtionis inextricabiles quæſtionum labyrinthos peperit.

(Ergo non congruit ſimplicitati, quæ eſt in Chriſto.

Innocentius tertius c. cum Marthæ. §. Quæſiviſti. ext. de Celebrat. Miſſar. & Thomas part. 3. q. 74. art. 8. recenſent quæſtionem, in qua Dd. ita perplexos fuiſſe tradunt, ut ex ejus ambagibus vix potuerint ſe extricare, videlicet, *An aqua, quā Presbyter Miſſam celebrans infundit & calici vinoque immiſcet, in ſanguinem cum vino tranſſubſtantietur, nec ne?* Sunt autem tres opiniones.

Quidam ſtatuunt, *quod ſicut vinum convertitur in ſanguinem, qui fluxit de latere Domini; ita & aqua convertatur in aquam, quæ cum ſanguine fluxit ex eodem latere.*

Quidam vero tenent, *quod aqua vino mixta tranſiens in vinum, ſimul cum vino tranſſubſtantietur in ſanguinem Chriſti.*

Alii rurſum, *eò quod Phyſici aſſeverent, aquam non tranſire in vinum, ſed eam jam vino mixtam, poſſe per artificium ſeparari à vino, putant aquam nec in ſanguinem tranſire, nec in alteram aquam, ſed per ſe manere vino converſo in ſanguinem, & circumfuſam prioris vini accidentibus conſiſtere.*

Alponſus de Caſtro d. l. *Hoc jaciendum eſt fundamentum, quod modica ſcilicet aqua vino mixta, in vini ſubſtantiā convertitur, aut in ſua ſubſtantia ſine converſione manens, cum modica ſit, minorisq; efficaciæ, quam vinum, non vertit vinum à ſua Natura. Utrum autem horum ſit verius, non ſum adeo demens, ut audeam definire, quod Innocentius III. Pontifex ſummus, vir alioqui doctiſſimus, non auſus eſt definire, prout in cap. cum Marthæ tit. de Celebr. Miſſarum patet.*

Dominicus à Soto in 4. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 6. quærit, *quid de aqua fiat, ſi in tanta copia apponatur, ut non poſſit tranſire in vinum?* reſpondet autem, *tunc vinum conſecrari & aquam manere in ſubſtantia aquæ.*

(Atqui ſit miſtio & confuſio aquæ & vini, & ſic poſt conſecrationem aquæ & ſanguinis Chriſti: Sequetur inſuper, quod populus adoret aquam in calice; quodque Sacerdos poſt unam Miſſam non poſſet aliam celebrare, quia aquam bibit.)

Baronius, poſtquam Ann. 1192. n. 24. ex Helmoldo Abbate recitaſſet miraculum de aqua, in quam portiuncula Euchariſtiæ deciderat, in ſanguinem mutata, ſubjungit: *Hæc de tranſſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti per commiſtionem Chriſti corporis divinitus facta, quod ſemper fieri in vino, cum commiſtio intercederet, Antiquitas exiſtimavit, unde illud Romani Ordinis de Offic. Miſſ. in fin. Vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguini Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum.*

Argum. Adverſar. 1. *Chriſtus vinum aqua mixtum conſecravit, non ex more regionis potiſſimum, ſed ut idem à nobis in Euchariſtiæ adminiſtratione faciendum oſtenderet.*

Reſp. 1. Thom. part. 3. q. 74. art. 6. fatetur, *probabiliter tantum credi, quod Dominus Sacramentum inſtituerit in vino aqua mixto.*

2. Lyranus in 1. Cor. 11. *Probabile eſt* (ergo non certum) *quod Dominus aquam appoſuerit. In terra enim illa propter vini fortitudinem conſuetum eſt ſemper bibere vinum cum aqua.*

Concilium Tridentinum can. 8. *Quia Chriſtum Dominum ita feciſſe creditur.*

Dominicus Soto 4. ſent. diſt. 9. quæſt. 1. *Quia ſic Chriſtus probabiliter creditur conſecraſſe.*

(Atqui ex antecedente veriſimili non poteſt argumentum ullum certum educi.)

3. Platina, Polydorus Vergilius & alii, originem mixtionis non ad Chriſti factum vel inſtitutum, ſed ad Alexandri primi decretum referunt.

4. Bellarminus lib. 4. de Euchariſt. cap. 10. §. Porro. *Communis opinio in eam partem propendet, quæ ſtatuit, Sacramentum hoc ſine aqua conſiſtere poſſe.*

(Ergo Chriſtus non miſcuit propter Sacramentum, ſed ex more regionis. Si enim propter Sacramentum miſcuiſſet, conſequens foret, mixtionem ad integritatem Sacramenti pertinere, illa enim eſt neceſſaria cujuſque Sacramenti materia, quam Chriſtus ad eam ordinavit.)

5. Si omnia ea facienda eſſent, quæ Chriſtus in primæ Cœnæ adminiſtratione fecit, conſequens foret, etiam pedes lavandos, cœnam veſperi celebrandam, accumbentes cœnam debere celebrare &c. quorum nullum apud Pontificios in uſu.

Argum. 2. *Ex latere Chriſti profluxit ſanguis & aqua.* Alphonſus de Caſtro d. l.

Reſp. 1. ex Suarez in Thom. part. 3. q. 51. art. 31. Diſp. 41. §. 2. *Dicendum ſine dubio eſt, in paſſione Chriſti ſanguinem & aquam exiviſſe impermixta & loco ſeparata, tum quia hoc ſignificant verba Johannis, fluxit ſanguis & aqua tum quia non alias potuiſſet aqua à ſanguine diſcerni.*

(Ergo mixtio illa non convenit typo, quia ex latere Chriſti non profluxit aqua & vinum, ſed mera aqua; nec fluxus aquæ & ſanguinis fuit mixtus, ſed contiguus & diſtinctus.

2. ex Thoma p. 3. q. 64. art. 2. *Per Sacramenta, quæ de Chriſti latere fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Eccleſia.*

Bonaventura 4. ſent. diſt. 11. q. 3. *Dicendum, quod per aquam illam, non ſignatur aqua iſta, nec è converſo: ſed aqua illa aquam Baptiſmalem ſignificat.*

(Idipſum multis veterum autoritatibus & quorundam Pontificiorum ſuffragiis probari poteſt, quæ enumerata ſunt in articulo proxime præcedente cap. 3. Ergo fluxus aquæ & ſanguinis ex Chriſti latere non denotat mixtionem aquæ & vini in uno & ſolo Euchariſtiæ Sacramento, ſed denotat utrumque N. T. Sacramentum, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiā.)

3. Si ex laterali illo fluxu mixtio aquæ cum vino probari poſſet, Moſcoviticæ Eccleſiæ ritus magis conveniens eſſet, quam Eccleſiæ Romanæ.

In Opere de variis rer. Moſcovitic. autorib. p. 136. refertur, *quod in Eccleſiis Moſcoviticis Presbyteri calici Euchariſtico paululum aquæ tepidæ admiſceant, quia dicunt, ex latere Domini ſanguis profluxit & aqua, quam calidam fuiſſe credere fas eſt.*

(Fuit enim aqua, *quæ in pericardio receptatur*, ut docet Tirinus in cap. 19. Joh. v. 34.)

4. Sequeretur inſuper *in calice non merum Chriſti ſanguinem & vini accidentia, ſed etiam aquam eſſe*, id quod cū hypotheſi tranſſubſtantiationis pugnat. Sequeretur, *aquam eſſe de neceſſitate Sacramenti*, quod tamen ſaniores Pontificii non concedunt.

Argum. 3. Prov. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Alphonſus de Caſtro d. l.

Reſp. Alphonſus ipſe lib. 1. adv. hæreſes c. 3. & alibi paſſim docet, *ex ſolo ſenſu literali efficacia argumenta poſſe deduci.*

Argum 4. *Calix Euchariſtiæ non ſolum figuratus fuit in V. T. per vinum, ſed etiam in aqua, quæ fluxit ex petra.*

Reſp. Panis Euchariſtiæ non ſolum ſignificatus fuit *per manna & panes propoſitionis*, ſed etiam *per carnes agni paſchalis*, docentibus omnibus Pontificiis. Ergo etiam vi hujus argumenti pani Euchariſtico carnes adhibendæ erunt.

Argum. 5. *Aqua vino miſcetur ad ſignificandam duarum Naturarum in Chriſto unionem.*

Reſp. Pontificii plerique docent *aquam illam, æque ac vinum, tranſſubſtantiari in Chriſti ſanguinem*; omnes docent, ante tranſſubſtantiationem cum vino miſceri. At ſi per hanc aquæ cum vino mixtionem denotaretur duarum Naturarum cum Chriſto unio, conſequens foret, humanam Naturam converti in divinam, vel certe cum divina miſceri, cum tamen unio facta ſit ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως.

2. Pontificii docent, *per mixtionem aquæ cum vino ſignificari unionem populi cum Chriſto*, ut vidimus ſuperius. Atqui fidelis populus toti Chriſto unitur. Ergo vinum ſignificat totum Chriſtum, non autem divinam tantum Naturam, ut in priore ſignificatione præſupponitur.

CAPUT. VI.

De Fine & Fructu Euchariſtiæ.

THESIS. Finis & fructus Euchariſtiæ eſt obſignatio promiſſionis de remiſſione peccatorum.

Ἔκθεσις. 1. Non eſt quæſtio, an hic ſit ſolus & unicus Euchariſtiæ fructus, ſed an ad alios Euchariſtiæ fructus etiam hic pſe pertineat. Fines & fructus cœnæ ſunt vel *principales*, vel *minus principales*. Principales ſunt, tum *promiſſionis Evangelicæ* de remiſſione peccatorum & fide noſtræ *confirmatio*; tum *inſitio in Chriſtum & ſpiritualis nutritio* ad vitam æternam. Hunc bi-

binarium principalium fructuum numerum quidam deducunt per quaternarium, dum principales S. Cœnæ fructus statuunt, *Mortis Dominicæ annunciationem; peccatorum condonationem; fidei obsignationem & spiritualem cum Christo copulationem.* Minus principales fines & fructus sunt, *fœderis in Baptismo initi renovatio; ad dilectionem Dei & proximi excitatio; patientiæ & spei confirmatio; resurrectionis nostræ testificatio, seria vitæ emendatio, & Confessionis publicatio.*

2. Non est quæstio, an in Eucharistia remissionem peccatorum accipiant etiam illi, qui hærent adhuc in peccatis mortalibus, hoc est, qui scientes ac volentes perseverant in delictis contra cõscientiam, retinent propositũ malefaciendi, nec afferunt secum timorem Dei, pœnitentiam & fidem, hoc enim ἀξιοπίστως negamus, ac disertis verbis docemus, impœnitentes & in delictis contra conscientiam perseverantes, *judicium sibi manducare ac bibere*, imo *reos fieri corporis & sanguinis Christi.* 1. Corinth. 11. v. 27. 28.

3. Hoc vero est, quod docemus, Christum in Eucharistia, dato suo corpore & sanguine, tanquam pignore & sigillo certissimo ac præstantissimo testari, se singulis fide hoc Sacramento utentibus communicare, applicare & obsignare beneficia sua, quæ traditione corporis sui & effusione sanguinis sui Ecclesiæ acquisivit, & inter illa beneficia dicimus præcipuum & primarium locum obtinere remissionem peccatorum, reconciliationem, cum Deo, receptionem in gratiam, & acceptationem ad salutem & vitam æternam.

4. Docemus & hoc, quod finis & fructus Eucharistiæ sit obsignatio promissionis Evangelicæ de gratuita illa peccatorum propter Christum remissione. Cum enim in tentationibus mens potissimum de eo angatur, an promissio Evangelica, quæ *in genere* loquitur, ad nos *in specie* pertineat, ideo Christus in Eucharistia preciosissimo ac certissimo pignore, videlicet exhibitione corporis & sanguinis sui testatur, ad singulos fide hoc Sacramento utentes, promissionem Evangelicam de remissione peccatorum & reliquis beneficiis, traditione sui corporis & effusione sui sanguinis partis, certe pertinere.

5. Nequaquam ergo docemus, Eucharistiam peccata mortalia hoc modo remittere, quasi ante Cœnæ sumtionem illa non sint remissa, sed remittere peccata mortalia, quatenus eorundem remissionem obsignat, modo communicans antegressa seria contritione fidem habeat in hæc verba, quod sanguis, quem bibit, in remissionem peccatorum sit effusus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 13. can. 5. anathema pronunciat adversus illos, qui statuunt, *vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire.*

Bellarm. lib. 4. de Eucharist. c. 17. §. Jam vero. *Catholica Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 2. & 7. & can. 5. & 11. docet, effectum Eucharistiæ præcipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animæ & præservationem à peccatis.*

cap. 18. *Nusquam docetur, Eucharistiam institutam esse ad peccata remittenda, sed tantum ad vitam spiritualem augendam & conservandam.*

Censura Colon. f. 285. & seqq. docent, *credentes perceptione Eucharistiæ non reddi certos de peccatorum remissione.* Causam afferunt hanc, *quia pugnat illa doctrina cum incertitudine justificationis & dubitatione de remissione peccatorum.*

Nostram sententiam confirmamus,

1. *Ex cibi & potus Eucharistici conditione.* Quia in sacra Cæna illud ipsum corpus, quod Christus in mortem pro peccatis nostris tradidit, mediante benedicto pane, manducamus; & illum ipsum sanguinem, quem Christus pro peccatis nostris in ara crucis effudit, bibimus, inde certi reddimur, quod ex gratia per fidem nobis donentur, quæcunque Christus traditione corporis sui & effusione sanguinis sui in ara crucis promeruit, quæ sunt remissio peccatorum, gratia Dei & vita æterna.

2. *Ex promissionis applicatione.* Quia anxiæ & peccati, iræ divinæ ac propriæ indignitatis sensu territæ conscientiæ sæpius dubitant, an promissio Evangelii, *quod omnis, qui in Christum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam*, ad se quoque in individuo pertineat, ut vera fide coram Dei judicio eadem niti, seque contra accusationem legis, peccati & Satanæ eâ erigere queant, ideo Christus ipsis in individuo corpus & sanguinem suum distribuit ut tanquam ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς Apocal. 1. v. 5. contra omnes tentationes ipsos confirmet, quod vere ad ipsos quoque promissio Evangelii & bona in ea oblata pertineant, cum corpore Christi in mortem tradito, & sanguine ejus pro peccatis effuso, quæ sunt Evangelicæ promissionis fons & fundamentum, in sacra cœna cibentur ac potentur.

3. *Ex corporis Christi incorruptione.* Ne proter peccatum in carne adhuc habitans Rom. 7. v. 14. 17 & 23. atque extremam nostram miseriam ex peccato ortam Roman. 8. v. 10. 1. Cor. 15. v. 50. animo nimis dejiciamur, ideo Christus sanctum suum corpus ab omni fermento peccati liberum, & impollutum suum sanguinem, per quæ in ara crucis remissionem peccatorum & salutem æternam nobis peperit, manducandũ ac bibendum in Cœna nobis offert, ne cogitatio de indignitate, infirmitate & impuritate carnis nostræ fidem evertat aut labefactet, sed ut certi simus, impuritatem nostræ carnis umbraculo sanctissimæ carnis & purissimi sanguinis Christi coram Dei judicio tegi & abscondi.

4. *Ex fœderis Baptismalis renovatione.* Quia per peccata ex fœdere gratiæ, in quod per Baptismum recepti sumus 1. Petri 3. vers. 21. sæpius iterum excidim⁹, ac proinde beneficiorum in Baptismo acceptorum, videlicet regenerationis & renovationis Tit. 3. vers. 5. mundationis à peccatis Eph. 5. vers. 26. & hæreditatis vitæ æternæ 1. Petr. 3. vers. 21. salutari fructu nos ipsos privamus, unde porro dubitare incipimus, an per veram pœnitentiam ad primævum illud fœdus in Baptismo nobiscum initum redire & peccatorum nostrorum remissionem fide impetrare possimus; ideo Christus in Eucharistia illum ipsum sanguinem, quo N. Test. sancitum & confirmatum est, bibendum nobis offert, ut certos nos reddat, quod per veram pœnitentiam in fœdus illud iterum recipiamur, & peccatorum remissionem per fidem consequamur.

5. *Ex Christi ad nos condescensione.* Quia peccati onere & carnis infirmitate pressi, ad Christum in cœlum ascendere, ac cœlestem ipsius gloriam & claritatem ferre non possumus, nihilo tamen minus requiratur, ut vera fide ipsum apprehendamus, si beneficiorum ejus reddi cupimus participes, ideo Christus ipse ad nos descendit, & in sacra cœna corpus suum, mediante pane manducandum, & sanguinem suum, mediante vino, nobis bibendum exhibet, ut ipse nos comprehendat Phil. 3. v. 12. neque cogamur dicere, *Quis ascendet in cœlum?* Roman. 10. v. 6. sed certi simus, ipsum in S. Cœna nobis præsentem adesse, atque in ea sâ nobis inveniri & apprehendi posse.

6. *Ex nostra cum Christo unione.* Quia cum nuda divinitate in hac peccatricis carnis infirmitate & mortalitate agere non possumus, Deut. 4. v. 24. Hebr. 12. v. 29. ideo Christus suo corpore & sanguine, in personæ suæ unitatem assumto, in S. Cœna nos pascit, hoc ipso contestans, assumtam ipsius carnem esse nostræ cum Deo unionis medium Joh. 14. v. 6. ut sic Christi humanitas nobis sit via & ingressus ad divinitatem.

7. *Ex Christi in usu Eucharistiæ commemoratione.* Quia fides nostra in hac carnis imbecillitate sæpius infirmatur, nosque Christi & beneficiorum ejus facile capit oblivio; ideo Christus hoc Sacramentum in sui ἀνάμνησιν & commemorationem instituere voluit, ut per communicationẽ corporis & sanguinis sui vivam illam & efficacem mortis suæ recordationem in nobis operando, fidem nostram augeret & confirmaret. Quæ enim potuit esse magis viva & efficax mortis Christi recordatio, quam ea, quæ κοινωνίᾳ corporis in mortem pro nobis traditi & sanguinis pro nobis effusi, in nobis efficitur?

8. *Ex collatione.* Quia primus Adam esu fructuum arboris vetitæ thesaurum cœlestium bonorum sibi concreditorum amisit, insuper etiam mortem temporalem & æternam sibi & omnibus posteris attraxit; ideo Christus *secundus Adam* 1. Corinth. 15. v. 47. vivifici corporis sui cibo & pretioso sanguinis sui potu amissa bona iterũ nobis restituit, & vitam cœlestem nobis confert, ut certi reddamur, quæcunque in primo Adamo nobis perierunt, ea in Christo esse restituta. Hæc omnia deducuntur ex verbis institutionis Eucharisticæ, *Accipite, mãducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorum. Accipite, bibite, Hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque feceritis, in mei commemorationem.*

Potest autem argumentum formari hoc modo: Per quod Sacramentum & in quo Sacramento 1. exhibetur nobis illud ipsum corpus Christi, quod pro peccatis nostris in mortem traditum, & ille ipse sanguis Christi, qui pro peccatis nostris in ara crucis effusus. 2. applicatur nobis promissio Evangelii propria. 3. sanctum & impollutum Christi corpus, ac sanctus & impollutus Christi sanguis nobis exhibetur. 4. re-

stituimur in fœdus gratiæ in Baptismo nobiscum initum. 5. Christus ad nos condescendens, suum corpus & suum sanguinem nobis offert. 6. ac per illud corpus & per illum sanguinem suum nos cum Deo unit. 7. vivam & efficacem mortis suæ recordationem in nobis operando, fidem nostram confirmat. 8. bona per Adami lapsum amissa, nobis restituit & restituta esse confirmat, illius Sacramenti finis & fructus est obsignatio promissionis de remissione peccatorum. Atqui per Sacramentum Eucharistiæ & in Sacramento Eucharistiæ in usu salutari hæc omnia nobis præstantur. Ergo.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, remissionem peccatorum esse fructum hujus Sacramenti.

c. Quid sit sanguis dist. 2. de Consecrat. ex Gregorio Episcopo Romano in Homil. paschali. *Providens Dominus dedit nobis hoc Sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, & ille jam mori non potest, per istud Sacramentum peccatorum remissionem consequamur.*

c. Ante benedictionem. dist. eodem ex Ambrosio. *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.*

(Verba integra Ambrosii sic habent lib. 4. de Sacramentis c. 5. *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non movebitur in æternum.*

lib. ejusdem cap. 6. *Quotiescunque accipimus, mortem Domini annunciamus. Si mortem annunciamus, annunciamus peccatorum remissionem. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur.*

lib. 5. de Sacrament. cap. 3. *Quotiescunque bibis, remissionem peccatorum accipis & inebriaris Spiritu Sancto.*)

c. Iteratur. dist. eadem ex Paschasio. *Quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur, ut qui semel moriendo, mortem vicerat, quotidie recidiva delictorum per hæc Sacramenta corporis & sanguinis peccata relaxet, unde oramus, Dimitte nobis debita nostra.*

In Concilio Tridentino *de articulo (Eucharistiam ad solam peccatorum remissionem institutam) sententiis variatum, aliis dicentibus, sublato adjectivo sola, Catholicum esse, affirmare, Eucharistiam dari in remissionem peccatorum, eamque vocem quando hæreticorum nullus apponat, articulum merito omittendum: aliis contra asserentibus, etiam sublata dictione sola positionem esse hæreticam, quod Sacramentum Eucharistiæ in remissionem peccatorum non fuerit institutum.* Petrus Suavis lib. 4. Histor. Concil. Trident. p. 378.

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo. c. In quibus. dist. 2. de Consecr. ex Leone Episcopo Romano. *Corpus Christi edimus ut vitæ æternæ participes esse possimus.*

(Ergo etiam remissionis peccatorum, absque qua prolapsis ex fœdere Baptismali non patet aditus ad vitam æternam.)

Secundo. Ivo Carnotensis Episcopus Epist. 43. *Corpus & sanguis Domini sunt nostræ reconciliationis Sacramenta, & vulnerum nostrorum medicamenta, ad edendum, bibendum, in sui commemorationem faciendam, discipulis commendata.*

(Si sunt nostræ reconciliationis Sacramenta & vulnerum nostrorum medicamenta, utique etiam in salutari usu Cœnæ applicatur & obsignatur nobis promissio de remissione peccatorum.)

Tertio. Concilium Tridentinum in Procem. sess. 7. dicit, *per Sacramenta omnem veram justitiam vel incipere, vel cœptam augeri, vel amissam reparari.*

sess. 7. cap. 6. & 8. *Per Sacramenta gratiam conferri, in genere asserit.*

(Ubi justitiam non astringit ad justitiam infusam, nec gratiam ad solam sanctificantem gratiam, quod vel inde apparet, *quia justitiam incipere aut amissam reparari,* ait, *per Sacramenta.* Justitia vero non incipit à sanctificatione, sed à fide, quam ipsi Pontificii ideo justificare ajunt, quia justificationis initium est, nec caritas seu sanctificatio esse potest, nisi post fidem, adeoque justificationem. Quando igitur Concilium dicit, *per Sacramenta veram justitiam incipere, & amissam reparari,* manifestum est, quod & fidem, qua promissionem de remissione peccatorum apprehendimus, per Sacramenta conferri & augeri dixerit.)

Quarto. Idem Concilium sess. 13. can. 5. negat, *præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum.*

(Concedit igitur, remissionem peccatorum esse aliquem Eucharistiæ fructum.)

Quinto. sess. 7. can. 5. tantum negat, *Sacramenta propter solam fidem nutriendam esse instituta.*

(Concedit igitur, ad fidem nutriendam instituta esse Sacramenta, licet non ad hunc finem solum, sicut Pontificii, quando negant, hominem sola fide justificari, concedunt fide hominem justificari sed non sola.)

Sexto. Imperator Carolus & Status Pontificii in Confut. Aug. Confess. art. 13. approbant, quod Confessio dicebat, *Sacramenta esse ad excitandam & confirmandam fidem instituta,* tantum petunt, *ut de omnibus, quæ ipsi pro Sacramentis habebant, idem profiteamur.*

Septimo. Catechismus Romanus de Sacram. cap. 1. q. 7. *Magnam vim habent Sacramenta, non solum ad fidem in animis nostris excitandam & exercendam, sed etiam ad caritatẽ inflammandã.*

(Si ad fidem excitandam & exercendam magnam vim habent Sacramenta, utique etiam ad promissionem de remissione peccatorum confirmandam.)

Octavo Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 19. resp. ad tertium argum. fatetur, *Eucharistiam dici N. Test. quia est signum voluntatis Testatoris, & causa instrumentalis applicandæ hereditatis.*

(At ex eo immote colligitur, remissionem peccatorum non posse ab hoc Testamento excludi, cum ad hæreditatem illam pertineat, cujus applicandæ instrumentum Eucharistiam esse Bellarminus concedit. Sic enim concludimus: Quod est instrumentalis causa applicandæ hereditatis à Christo nobis acquisitæ, illud etiam est causa instrumentalis applicandæ remissionis peccatorum. Ratio connexionis est, quia ad hereditatem à Christo nobis acquisitam, pertinet remissio peccatorum. Atqui Eucharistia, fatente Bellarmino, est causa instrument. applicandæ hereditatis à Christo nobis acquisitæ. Ergo.

Nono. ibidem Bellarminus sic scribit: *Eucharistia est signum & repræsentatio mortis Christi, est etiam signum voluntatis Testatoris & omnium bonorum nobis promissorum, atque adeo etiam remissionis peccatorum.*

(Ex illis verbis tale nectimus argumentum: Sacramentum illud ipsum, quod signat, etiam confert & exhibet. Sacramentum Eucharistiæ est signum remissionis peccatorum. Ergo eandem confert & exhibet. Utraque præmissarum est Bellarmini. Prior lib. 1. de Sacramentis cap. 9. membro 6. Posterior loco citato.)

Decimo. Ibidem Bellarminus concedit, *Eucharistiam applicare hereditatem, etiam quantum ad remissionem peccatorum, sed tamen solum, cum ea est necessaria.*

(Atqui credentibus quotidie est necessaria peccatorum remissio, cum ex institutione Magistri sui quotidie orent, *Dimitte nobis debita nostra.* Quo etiam pertinet dictum Ambrosii lib. 4. de Sacrament. cap. 6. tom. 4. pag. 440. paulo ante adductum. Quando vero Bellarminus peccatorum remissionem existimat esse necessariam? *Cum ii,* inquit, *qui non indigne accedunt, habent aliqua peccata mortalia, quorum tamen conscientiam non habent.* Utique ergo concedit Bellarminus, *non solum venialium, sed etiam mortalium peccatorum remissionem per Eucharistiam applicari, eorum scilicet, quorum conscientiam non habent, qui in vera pœnitentia & fide accedunt.* Idem vero & nos dicimus. Qui enim in peccatis contra conscientiam adhuc hærent, & sine pœnitentia, sine fide, sine proposito vitam emendandi accedunt, illis tantum abest, ut remissionem peccatorum mortalium usu Eucharistiæ applicari statuamus, ut judicium potius illos manducare ac bibere sonora voce profiteamur.)

Undecimo. Idem Bellarminus lib. 1. de Missa cap 8. §. accedit, hæc habet: *Qui testatur, aliquid promittit seu relinquit, idq; nominatim exprimere solet, ut etiam personas, quibus relinquit. In Cœna Dominus expressit remissionem peccatorum, quæ est promissio propria Testamenti Novi, Jerem. 31. & expressit etiam heredes.*

(Si in sacra Cœna exprimitur promissio N. Test. propria de remissione peccatorum, utique fides in Sacra Cœna confirmationem hujus promissionis quærere debet & invenire potest.)

Duodecimo. Idem Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 25. §. Sed neque, disputat, *Sacrificium Missæ ideo remittere peccata, quia applicat precium redemtionis & remissionemem peccatorum.*

(Argumentamur inde à pari, usum Cœnæ Dominicæ remittere peccata, qui applicat & obsignat credentibus remissionem peccatorum, obœdientia & passione Christi acquisitá.)

Deci-

Decimo tertio. Estius in annot. Luc. 22. & 1. Cor. 11. *ad calicem refert effusionem, quæ fit in remissionem peccatorum.*

(Atqui, si calix Eucharisticus, vel quod idem, sanguis Christi in Eucharistia dicitur effundi in remissionem peccatorum, utique remissio peccatorum est effectus sumtioni Eucharistiæ promissus. Vidit hoc Bellarminus, inde lib. 4. de Eucharist. cap. 19. ad 3. quando dicitur in verbis institutionis, *sanguis effundi in remissionem peccatorum*, negat *hoc dici de effusione, quæ fit in Sacramento.*)

Decimo quarto. Censura Coloniensis Dial. 9. p. 278. *Eucharistia levia atque minora peccata delet, & subinde quoque gravia, si eorum memoria confitentibus nobis exciderit: nam tunc Sacramenti virtus in nobis supplet, quod ignorantia desiderabat.*

(Negari ergo non potest, effectum salutaris usus Sacramenti Eucharistici esse remissionem peccatorum.)

Decimo quinto. Salmero tom. 9. tract. 21. pag. 14. Eucharistiam vocat *pharmacum & antidotum contra morbos omnes propulsandos, sive contractos, sive contrahendos.*

(Hoc non potest intelligi de morbis corporis, propter illos enim non est Eucharistia instituta. Ergo intelligendum de morbis animæ, qui sunt peccata. Atqui, si Eucharistia sanat animæ morbos, utiq; etiam confert ad remissionē peccatorū.)

CAPUT VII.

De Communione sub utraque specie.

THESIS. Vera & legitima Sacræ Cœnæ administratio non consistit in sola distributione & manducatione benedicti panis, nec in sola distributione & bibitione benedicti vini, sed utrumque ad Sacramenti integritatem requiritur, videlicet tum distributio & manducatio benedicti panis, tum distributio & bibitio benedicti vini, ac proinde etiam Laicis est distribuendus.

Ἐκθέσις. 1. Non dicimus, communionem sub utraque specie esse *liberam*, sed esse *necessariam*, si juxta Christi institutionem Eucharistiam celebrare velimus.

2. Nec dicimus, *solis Sacerdotibus* bibitionem ex poculo benedicto esse necessariam, sed omnibus Communicantibus etiam necessariam esse dicimus.

3. Pontificii non solum permittunt liberam communionem sub utraque specie, sed etiam propter Ecclesiæ decretum eam negant *esse licitam.*

Antithesis. Concilium Constantiense Ann. 1415. tale fecit decretum sess. 13. *Generale Concilium declarat, decernit & definit contra hunc errorem* (de communione Laicorum sub utraque specie,) *quod licet Christus post Cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum &c. tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum autoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post Cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso &c.*

Et postea. *Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod à conficientibus sub utraque specie, & à Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandū, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri, unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ autoritate pro lubito mutare.*

Et post. *Item, decernit & declarat super ista materia, Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis & eorum in spiritualibus Vicariis, ubilibet constitutis, processus esse dirigendos, in quibus eis committatur & mandetur autoritate hujus sacri Concilii sub pœna excommunicationis, ut effectualiter puniant eos contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum sub utraque specie panis & vini exhortati fuerint, & sic faciendum esse docuerint.*

Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. *Sancta Synodus à Spiritu Sancto edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem secuta, declarat & docet, nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio sufficiat ad salutem. Nam etsi Christus Dominus in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendum astringantur.*

Cap. 2. *Sancta mater Ecclesia agnoscens suam in administratione Sacramentorum autoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jā mutata illa consuetudine gravibus & justis de causis, adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius Ecclesiæ autoritate pro libero mutare non licet.*

Can. 1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ sumere debere, anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis de causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.*

Canisius in Summ. doctr. Christian. de S. Euchar. p. 134. *De Sacerdotibus quidem seu sacrificantibus constat, ambas Sacramenti species illis esse sumendas, sine quibus neque rite consecrare, neque offerre possunt unquam Eucharistiam. De aliis vero fidelibus non sacrificantibus illud confitendum est nullo eos divino præcepto ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum astringi, sed ad salutem illis esse satis alterius speciei communionem.*

Catechismus ad Parochos. *Quod vero ad communicandi ritum pertinet, doceant Parochi, sanctæ Ecclesiæ lege interdictum esse, ne quis sine ipsius Ecclesiæ autoritate præter Sacerdotes corpus Domini in sacrificio conficientes, sub utraque specie sacram Eucharistiam sumat.*

Censura Coloniensis Dial. 9. pag. 298. *Christus dicit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Quid igitur de communicatoribus istis utriusque speciei ex Christi verbis censendum erit, nisi quod toti mundo velut Ethnici & Publicani habēdi sint? Quanto satius esset, ex præcepto sanctæ Ecclesiæ unicam cum gratiarum incremento accipere speciem, quam cum utraque specie fructum Sacramenti, ac cœlum simul perdere, & sempiternam merere gehennam.*

Bellarminus in Defensione Concilii Tridentini sic progreditur, ut probare conetur, 1. *totum Christum esse sub utraque specie* lib. 4. de Eucharistia cap. 21. 2. *totam Sacramenti rationem in una specie inveniri* cap. 22. 3. *Non majorem utilitatē sumi ex communione sub utraque specie, quam sub una* cap. 23. 4. *Non pugnare cum divinis literis, seu cum Christi mandato communionem sub una specie,* capite 24.

Georgius am Ende Jesuita in libello de Trib. quæst. pag. 127. 129. *cogitationes de communione sub utraque specie necessaria, ex inspiratione Diaboli originem trahere* scribit.

Nostram sententiam demonstramus,

1. *Ex Christi Salvatoris institutione.* Quod Christus verus Deus & verus homo in Sacræ Cœnæ institutione conjunxit, illud nulli homini separare licet, Matth. 19. v. 6. Jam vero Christus sacram Cœnam eo modo instituit, ut distributionem & manducationē benedicti panis cum distributione & bibitione benedicti vini conjunxerit, ac corpus suum, mediante pane, manducari; sanguinem suum, mediante vino, bibi voluerit, Matthæi 26. v. 26. & 28. Marc. 14. v. 22. & 23. Lucæ 22. v. 19. & 20. Ergo nulli hominum hæc separare licet. Circa quam institutionem Christi hæc quinque probe observanda. Primo, quod in manducatione Sacramentali connectantur *panis & corpus Christi*, non autem panis & sanguis Christi; in bibitione Sacramentali connectantur *vinum & sanguis*, non autem vinum & corpus Christi. Quisquis igitur Sacramentalem sanguinis Christi *κοινωνίαν* desiderat, illum vi institutionis hujus non solum panem benedictum manducare, sed etiam ex benedicto calice bibere oportet. Secundo, quod Lucas in descriptione partis alterius addat particulam *ὡσαύτως, similiter*, manifeste ostendens, quod Christ⁹ pari modo jusserat benedictum vinum bibere, quo modo jusserat benedictum panem manducare. Tertio, quod Matthæus in descriptione partis alterius addat particulam universalem *πάντες, Bibite ex eo omnes*, quo ipso mandato Christus occurrere voluit disputationibus de concomitantia & libero calicis usu, quasi nullo præcepto divino, accessuri ad Cœnam Dominicam, ad participationem sacri calicis astringantur. Quarto, quod Marcus addat, *omnes ex benedicto calice bibisse*, adeoque Eucharisticam institutionem sic intellexisse, quod qui benedictum panem, eoque mediante, corpus Christi manducant, etiam benedictum vinum, eoque mediante, sanguinem Christi bibere debeant. Quinto, quod Christus Sacræ Cœnæ institutionem verbis hisce *προσφωνήσεις*

concludat, *Hoc facite*, quibus in utraque parte revocat nos ad suam voluntatem, dispositionem ac ordinationem, in verbis institutionis expressam, ut in vera & simplice fidei obedientia non solum benedictum panem manducemus, sed etiam benedictum vinum bibamus, cum sit *unus Magister* ac Doctor noster Matth. 23. v. 8. voce cœlitus delata audiendus nobis commendatus Matth. 17. v. 5. cumque proprium sit ovium Christi *vocem* hujus *Pastoris sui audire*. Johann. 10. v. 27. Recte Gabriel lect. 55. in Canonem. *Sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem Christi celebretur.*

2. *Ab exempli in Christo nobis propositi conformatione.* Quomodo Christus administravit primam Cœnam, eo modo etiam adhuc hodie in Ecclesia est celebranda, (quæ propositio de essentialibus, non de accidentalibus & Ceremonialibus hujus Sacramenti accipienda.) Atqui Christus eo modo administravit primam Cœnam, ut non solum benedictum panem manducandum, sed etiam benedictum vinum bibendum Apostolis distribuerit, ac manifestum præceptum addiderit, *Hoc facite*. Circa quod argumentum notandum, primo, quod vinum in calice sit symbolum hujus Sacramenti externum alterum. Secundo, quod bibitio sit particularis actus Sacramentalis à manducatione distinctus, eidem tamen per particulam ὡσαύτως connexus. Tertio, quod omnia, quæ probant, manducationem esse partem essentialem sacræ Cœnæ, itidem probent, etiam bibitionem esse partem essentialem sacræ Cœnæ. Idem enim Christus utrumque dixit, *Edite, bibite*; utrumque in modo imperativo protulit; utrumque exprimit actionem Sacramentalem; utrique subjungitur præceptum, *Hoc facite*; nec ulla potest ostendi diversitatis ratio. Ergo ut manducatio est pars essentialis Eucharistiæ, ita quoque bibitio.

3. *Ex Apostolica institutionis Eucharisticæ repetitione*, 1. Cor. 11. v. 20 --- 29. circa quam notandum, Primo, quod Apostolus ad totam Ecclesiam Corinthiacam scribat 1. Cor. 1. v. 2. sicque re ipsa ostendat, hanc Christi institutionem etiam ad Laicos spectare. Secundo, quod abusus, qui in Ecclesia Corinthiaca circa administrationem Cœnæ irrepserant, eâ ratione corrigat, ut ad primam institutionem Corinthios revocet, atque ex ea judicium de legitima sacræ Cœnæ administratione fieri velit. Tertio, quod manducationem & bibitionem, velut duas distinctas essentiales partes unius mysterii, per particulam ὡσαύτως conjungat. Quarto, quod manducationem & bibitionem in sacra Cœna appellet παράδοσιν, jam vero traditio Apostolica omnes obligat. Quinto, quod in doctrinis & consectariis ex verbis institutionis Dominicæ deductis, manducationem & bibitionem perpetuo conjungat, quo ipso ostendit, ea non posse nec debere separari. Sexto, quod circumstantiæ textus evidenter ostendant, non posse ad solos Sacerdotes referri, quæ de usu utriusque speciei Apostolus disserit. Illos enim vult *calicem Domini* bibere, quos *à calice Dæmoniorum* arcet 1. Cor. 10. v. 21. quos *mortem Domini* in usu sacræ Cœnæ *annunciare* jubet 1. Corinth. 11. v. 26. quos vult *seipsos probare* v. 28. Septimo, quod ex verbis Cœnæ colligat, *panem* Eucharisticum *esse communicationem sanguinis*, (non sanguinis & corporis simul,) 1. Cor. 10. v. 16.

4. *Ex Testamenti conditione.* Nulla pars Testamenti morte Christi Testatoris confirmata, sine sacrilegio abrogari potest, Galat 3. v. 15. Usurpatio calicis est Testamenti morte Christi confirmati certa & definita pars, quia Christus eodem tempore, iisdem verbis, ac pari omnino ratione usurpationem panis & calicis Eucharistici instituit. Ergo sine sacrilegio abrogari nequit.

5. *Ex incommodi consecutione.* Quicquid adimit fidelibus firmam consolationem, quam ex usu Sacramenti Eucharistici petere debent, illud merito est improbandum. Mutilatio Cœnæ adimit fidelibus Laicis firmam consolationem, quam petere possunt & debent ex verbis Christi calici adjunctis, quibus ostendit, fieri exhibitionem sanguinis sui in communione calicis, & hac exhibitione fieri obsignationem bonorum Novi Testamenti. Mandatum Christi in sacra Cœna complectitur calicem; calix continet vinum; vinum exhibet Christi sanguinem; Christi sanguis complectitur Nov. Testam. quia est *Novi Test. sanguis*; Novum Testamentum continet remissionem peccatorum; remissio peccatorum conjuncta est cum gratia Dei. Hanc summam consolationem mutilatio calicis adimit fidelibus. Ergo merito est improbanda.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam communionem sub una specie improbant, eandemque nec verbis institutionis Dominicæ, nec exemplo primitivæ Ecclesiæ conformem esse agnoscunt; vel certe tales hypotheses proferunt, ex quibus communio sub una specie impugnari & everti potest. Faciunt hoc

Primo Episcopi Romani.

Clemens Romanus lib. 8. Constit. cap. 61. *Postquam oblatum fuerit, accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus & pretiosum sanguinem gradatim cum pudore ac timore.*

Lib. ejusdem capite 13. *Diaconus dicat: Qui preciosum corpus & preciosum sanguinem Christi participavimus, agamus gratias ei, qui dignatus est nos communione sanctorum suorum mysteriorum.*

Lib. 2. cap. 57. *Fiat sacrificium cuncto populo stante, & silentio precante, & oblatione facta quisque ordo seorsim corpus Domini & preciosum sanguinem sumat accedentes ordine.*

Innocentius Papa in Summa de Sacramento Cœnæ cap. 9. *Quia Eucharistia augmentum dat gratiæ, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda esset Eucharistia in forma liquida sanguinis Dominici.*

Idem lib. 4. de Myst. Miss. cap. 21. *Quamvis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore, & sub specie vini corpus sumatur cum sanguine, tamen nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur aut comeditur: quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur: ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur, etsi concessibile videatur, quod corpus bibendo, aut sanguis comedendo sumatur.*

(Dictum hoc Innocentii citat & approbat Cassander lib. de Commun. sub utraque fol. 1033. operum.)

Leo Episcopus Romanus, ejus nominis primus serm. 4. de Quadrages. *Cumque ad tegendam infidelitatem suam* (Manichæos taxat) *nostris audent interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno corpus Christi accipiant, sanguinem autem redemtionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, Sacerdotali autoritate pellantur.*

Manichæos vult hoc indicio deprehendi, quod ex calice Eucharistico bibere declinent. At si in usu fuisset ac licitum, panem sumere & non bibere ex calice, haud magis eo signo notari potuissent Manichæi, quam Catholici.)

Sylverius Episcopus Romanus, referente Ivone, in Decreto cap. 26. *Singulis diebus Dominicis in quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, & præter illos, qui in publica pœnitentia sunt, Sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt.*

Gregorius I. cognomento Magnus, libro 3. Dial. cap. 36. *In eadem navi residentes non jam ex morte vicina, sed ex ipsa ejus præsentia ac visione turbati, omnes sibimet pacem dederunt, & corpus & sanguinem Redemtoris acceperunt, Deo se singuli commendantes.*

Idem lib. 4. Dial. cap. 58. *Ejus corpus ibi sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam manibus infidelium tractatur, sed in ora fidelium funditur.*

Homil. de Pasch. Homil. 22. in Evang. *Quid sit sanguis Agni non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

In Psalm. pœnit. 6. *Quis exponere queat, quanta fuit miserationis, sacratissima preciosi sanguinis effusione genus humanum redimere, & sacrosanctum vivifici sui corporis & sanguinis mysterium membris suis tribuere, cujus participatione* (al. perceptione) *corpus suũ, quod est Ecclesia, pascitur & potatur, abluitur & sanctificatur.*

Liber Sacramentorum Gregorii. *Dum Dominicum corpus Sacerdos dat, dicat: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te ad vitam æternam, Amen. Accipiens dicat: Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo. Item, Sacerdos, calicem dando, dicat: Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te ad vitam æternam, Amen. Accipiens dicat: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

(Citat Cassander in Liturgicis pag. 75.)

Gregorius Secundus Episcopus Romanus (seculo octavo) in Epistola ad Leonem Isaurum de Imaginibus, (quam Epistolam descripsit Baronius Anno 726. Græce & Latine.)
Pontifices, ubi peccarit quis & confessus fuerit, ὅτι καλῶς παιδεύουσι καὶ καλῶς λιμαγχονήσωσι, παραβάλλουσιν αὐτῷ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ Κυρίου, καὶ τὸ ἅγιον αἷμα ποτίζουσιν αὐτὸν, *cum probe castigarint, probeque*

beque fame afflinxerint, tum preciosum illi Domini corpus impertiunt, & sancto illum sanguine potant.

Gregorius Tertius Episcopus Romanus (seculo eodem) Epistolâ priore ad Bonifacium. *In Missarum solennib⁹ observandum est, quod Dominus noster Jesus Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit namque calicem, & dedit eis, dicens: Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, unde congruum non est, duos vel tres calices in altari o ponere, cum Missarum solennia celebrantur.*

(Duo vel tres apponebantur ad commodiorem plebis communionem.)

Ad classem Pontificum merito etiam referimus *usum Ecclesiæ Romanæ*, quippe cui Romani Pontifices præsident.

In Ordine Romano (quem plerique referunt ad seculum octavum, alii statuunt paulò antiquiorem) in capite, *Qualiter celebrandum sit officium Missæ*, hæc habentur: *Expleta confractione, Diaconus minor, levata de Subdiacono patena, defert eam ad Pontificem, ut communicent corpore Dominico. Sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem vase sacro confirmetur populus.*

Paulo post. *Recepto calice, Arachidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico.*

Et paucis interjectis. *Deinde descendit Pontifex cum primicerio notariorum, & primicerio defensorum, ut communicet principes populorum & matresfamilias eorum. Et sicut Archidiaconus confirmat, quos Pontifex communicat: sic reliqui Diaconos confirmant, quos Episcopi sive Presbyteri post Pontificem communicant.*

Regino ad annum octingentesimum sexagesimum nonum (quanquam Baronius revocet in annum præcedentem) describit communionem Lothario Regi oblatam ab Hadriano II. Pontif. Romano. *Finitis Missarum solennibus, invitat summus Pontifex eundem Regem ad mensam Christi, acceptoque in manibus corpore & sanguine Domini, ita eum alloquitur &c.*

Et postea. *Communionem corporis & sanguinis Domini de manu Pontificis sumsit. Deinde conversus idem Præsul ad sequaces ac fautores Regis, unicuique communionem obtulit in hæc verba: Si Domino ac Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine fautorem non præstitisti, neque consensum præbuisti, & Valdiadæ & aliis ab hac Sede Apostolica excommunicatis non communicasti, corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam.*

Secundo, Jus Canonicum.

c. Multi secularium. caus. 1. q. 1. ex Gregorio. *Spernunt sancta monita & spiritualia dona, unde fit, ut non solum ab eis dicta respuant, sed (quod est deterius) divina etiam mysteria contemnant, ut nec corporis communionem, nec sanguinis Domini nostri Jesu Christi, eorum ministerio confectam, assumant.*

Paulo post. *Polluimus itaque panem, id est, corpus Christi, quando indigne accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.*

c. Cum omne crimen. dist. 2. de Consecrat. ex Julio Papa. *Audivimus, quosdam schismatica ambitione detentos contra divinos ordines & Apostolicas institutiones lac pro vino in sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre, alios vero pannũ lineum, musto intinctum, per totum annum reservare, & in tempore sacrificii partem ejus aqua lavare & sic offerre. Quod quam sit Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, non illis lac, sed panem tantum & calicem sub hoc Sacramento cognovimus dedisse. Legitur enim in Evangelica veritate: Accepit Jesus panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis. Cesset ergo lac sacrificando offerri, quia manifestum & evidens Evangelicæ veritatis exemplum illuxit, quod præter panem & vinum aliud offerri non licet. Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit, ubi Apostolis corpus suum & sanguinem commendavit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus.*

(Si Julius Papa tam stricte distinctum utriusque speciei usum in Ecclesia servari voluit, ut ne quidem panem benedictum vino coſecrato tingi permiserit, licet per intinctionem utraque species & essentialia Sacramenti conjunctive exhiberi videantur; multo magis prohibitum voluit, panem benedictum populo dari absque intinctione, cum hoc modo utraque species & essentialia Sacramenti ex mente loci Apostolici 1. Cor. 10. v. 16. exhiberi non possint. Si repugnat institutioni Christi panem calici intinctum populo dare, multo magis ei repugnat, populum à communione calicis plane removere.)

c. Comperimus. dist. eadem ex Gelasio Papa. *Comperimus quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ubi Glossa addit, *Hoc de speciebus exterioribus intelligatur, impossibile enim est corpus Christi sine sanguine sumi.*

Turrecremata, Johann. à Daventria, Cochlæus, Bellarminus &c. & Thomas p. 3. q. 80. art. 12. excipiunt 1. *Gelasium loqui de Sacerdotibus.* Probant hoc ex eo, quod Gratianus, *qui ex Epistola Gelasii, quæ modo fortasse non extat, capitulum illud desumsit*, hunc ei præfixit titulum: *Corpus Christi sine ejus sanguine Sacerdos non debet accipere.*

Resp. 1. Gratiano prior Ivo Carnotensis, (unde verisimile Gratianum sumsisse hunc canonem, ut alios plures) hunc præfixit titulum part. 2. cap. 89. *Non esse sumendum corpus Domini sine calice.*

2. Algerus Gratiano itidem antiquior, lib. 2. de Sacramento cap. 8. hæc habet: *Ut signetur, animas nostras & corpora animæ Christi & corpori uniri & conformari debere, simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus.*

Et paucis interjectis. *Unde, ut ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne jure communicatur.*

Item Gelasius Majorico & Johanni Episcopis. Comperimus, quod quidam &c.

3. Algero & Ivone antiquior Micrologus disputans, *intinctam non dandam populo pro complemento communionis cap. 19. Unde & B. Gelasius Papa in ordine quinquagesimus primus, scribens quibusdam Episcopis, excommunicari illos præcepit, quicunque sumto corpore Dominico, à calicis participatione se abstinerent. Nam & ipse in eodem decreto asserit, hujusmodi Sacramentorum divisio sine grandi sacrilegio provenire non poterit.*

4. Baronius tom. 6. Annal. ad annum Christi 496. *Nostri Gelasium de Sacerdote sacrificante dixisse interpretantur. At revera nulla ibi de Sacerdote sacrificante mentio habetur, ut plane, quod generaliter dictum esse apparet, ad Sacerdotes minime restringi debere, satis intelligi possit. Rejicimus igitur frigidam ejusmodi, quã haud indigemus, solutionem.*

5. Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 56. pag. 340. fatetur, *etiam ad Laicos hunc canonem pertinere.*

Idem statuit Petrus à Soto in Institut. Dillingæ prælecta & impressa.

Idem agnoscit Cassander de Comm. sub utraque specie Epist. 19. ad Molinæum pag. 1105. quod ipsum probant verba, *aut ab integris arceantur*, quæ evidenter respiciunt *sumentes*, non autem *distribuentes*. Sic enim Bellarminus ipse lib. 4. de Eucharistia cap. 26. loquitur, *Jus Laicorum ad communicandum à Sacerdotibus datur, & à Sacerdotibus tollitur.* Verba Cassandri sic habent: *Quod Gelasii Canonem quidam Summarii & Glossarii ad solos Sacerdotes & conficientes astringunt, ineptum & ridiculum est, & à viris doctioribus merito improbatur.*

Ibid. addit, *habere se apud severustissimos Codices, in quibus tale extat hujus Canonis summarium: Quod nulli liceat absque sanguinis perceptione solius carnis communionem percipere.*

Ibidem. *Johannes Gropperus vir & divinarum literarum & canonicarum institutionum peritissimus; id ingenue agnoscit, Canonem hunc ad universum populum pertinere, & adversus Manichæos editum esse, addens Leonem & Gelasium, habita temporis & necessitatis ratione, declarasse communionem sub utraque specie usurpari debere ad hæresin videlicet expellendam.*

Martinus quoque Peresius Ayala lib. de Traditionibus ita scribit: *In quodam*, inquit, *decreto Leonis & in serm. 40 de quadrag. districte præcipitur, ut communio fiat sub utraque specie propter hæresin Manichæorum, qui Eucharistiam sine sanguine sumebant.*

6. Adde, quod ratio addita, *de sacrilega unius ejusdemque mysterii divisione*, sit generalis, non tantum Sacerdotes, sed etiam Laicos complectens.

Excipiunt 2. *Gelasium illos duntaxat reprehendere, qui ex errore Manichæorum à calice abstinebant.*

Resp. 1. Canon mentionem facit quorundam, *qui ex superstitione* ab alterutra specie abstinuerunt, Manichæi *ex hæresi* id fecerunt.

2. Adde

2. Adde, quod verba Canonis sunt generalia, eum non recipere integrum Sacramentum, qui unam tantum speciem sumit.

3. Προσθεσμὸς ille, quem Bellarminus addit, *in signum correcti erroris*, non habetur in Decreto Gelasii, sed affictus est illi à Bellarmino.

4. Absurdum quoque foret, Gelasium Papam ipsos Manichæos, Priscillianistas, aliosque hæreticos, si vel maxime unum illum errorem *à vino, quia fel Draconis sit, abstinendum esse*, deposuissent, ad sacram communionem invitasse.

5. Manichæorum hæresin Gelasius circa annum Christi 500. nunquam dixisset, *superstitionem nescio quam*, cum publice nota esset, quod etiam Glossa hic observavit.

6. Denique vero Manichæis esse hunc canonem oppositum. Ergone ex eo inferri potest non Manichæis, hoc canone non obstante, licuisse solo pane uti? Si Catholici unam speciem sumsissent, quomodo potuissent Manichæi eandem speciem sumentes reprehendi;

7. Quinimo quam late patet ratio decreti, cur utramque speciem Gelasius jussit sumere, tam late patet Decretum ipsum. Ratio autem, scilicet *quia alias Sacramentum sacrilege dividitur, si una tantum species sumitur*, patet in omni sumtione Eucharistiæ. Tam late igitur patet decretum ipsum. Id quod Jesuita Vasquez ingenue agnovit, quando de ista aliorum Pontificiorum exceptione scribit tom. 3. in part. 3. Thom. Disput. 216. cap. 6. num. 76. *Hæc explicatio, licet reliquis decreti verbis accommodari recte possit, extremis tamen, quibus causam reddit, non potest convenire. Illis enim denotat, tale esse mysterium secundum se, ut sine grandi sacrilegio dividi nequeat.* Et in margine ait: *Exploditur aliquorum interpretatio.*

Idem Vasquez ibid. cap. 4. n. 41. confictas à cæteris Papistis causas, cur in primitiva Ecclesia utraque specie Christiani usi sint, postea vero non explodit, dicens: *Ego existimo, neque propter Manichæorum hæresin commendatum fuisse ab Apostolis, aut à Leone I. usum calicis, neque ad tollendum errorem illum circa integritatem Christi sub Eucharistia, usum calicis Laicis fuisse sublatum.*

3. Becanus lib. 1. Manual. cap. 9. ex Baronio excipit, *Utramque speciem mandatam esse* (non *Manichæis & Priscillianistis*, sed) *Catholicis*, (non *in signum correcti erroris*, sed) 1. *Quia Gelasius videbat Catholicos aliquando abstinere à calice, sicut fecerant tempore Leonis & aliorum Pontificum, qui Leonem proxime secuti sunt, ideoque non facile discerni posse à Manichæis, ut quotquot abstinerent à calice, noscerentur Manichæi esse, non Catholici, sicque Catholici discernerentur à Manichæis. 2. Ne Catholici, si pergerent abstinere à calice, cum Manichæis, paulatim imbuerentur errore Manichæorum. 3. Ne Catholici viderentur, ob easdem causas abstinere, ob quas abstinebant Manichæi.*

Resp. Quicquid sit de occasione decreti Gelasiani, quam ex incertis conjecturis petunt Baronius, Bellarminus, Becanus, ostenditur in eo, 1. Tempore Gelasii non fuisse improbatam & prohibitam, sed approbatam & mandatam communionem Laicorum sub utraque specie.

2. Obstrictos fuisse omnes Christianos (ex hypothesi Pontificiorum) ad communionem sub utraque specie, quia Romani Pontificis decreto omnibus ex asse parendum. Neque enim potest à decreto hoc Gelasii usque ad Concilium Constantiense proferri aliquod decretum Papæ, vel Concilii à Papa approbati, quo communio sub una specie fuerit definita.

3. Improbatam communionem sub una specie non in Manichæis, sed in Catholicis. In illis enim improbatur, quos emendare vult Gelasius, quos *aut integra jubet percipere Sacramenta, aut ab integris arceri.* Atqui non Manichæos vult emendare, non Manichæos jubet integra percipere Sacramenta, teste Baronio & Becano. Ergo non in Manichæis, sed in Catholicis improbata fuit communio sub una specie.

4. Rationes decreti non peti ab errore aut superstitione hæreticorum, sed à Natura & essentia indivisibili Sacramenti Cœnæ. *Quia*, inquit, *divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio provenire non potest.*

Bellarminus nugatur, *appellari divisionem, quia Manichæi statuerint, Christum non habuisse sanguinem.*

Becan. divisionis vocem eo respicere vult, *quod Manichæi negarunt, Christum vere esse mortuum, & verum sanguinem effudisse.*

At Gelasius non de Christi, sed de mysterii divisione loquitur.

Glossa ridicule addit, *hoc est antiquum, nam hoc videtur relictum hodie arbitrio cujuslibet.*

c. Si quotiescunque. dist. ead. ex Ambrosio. *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo merito semper accipere; qui semper pecco, debeo semper accipere medicinam.*

(Quibus ergo peccatorum remissio non neganda, illi etiam à poculo Eucharistico, sanguinem Christi exhibente non sunt arcendi.)

c. Si non sunt. dist. ead. ex Hilario. *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.*

c. In Cœna. dist. ead. ex Sotere. *In Cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ, quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

c. Quia corpus. dist. ead. *Necessarium erat, ut die Cœnæ Sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium.*

(Ex eo sic colligimus: Cui imperatur finis instituti poculi Eucharistici, eidem poculum Eucharisticum institutum intelligitur. Atqui non solum Clericis, sed etiam fideli plebi imperatur finis instituti poculi Eucharistici, scilicet commemoratio Christi. Ergo.)

c. Quia passus. dist. ead. ex Augustino ad Neophytos. *Quia passus est Dominus pro nobis, commendavit nobis in isto Sacramento corpus & sanguinem suum &c. Panis iste indicat unitatem; sic & vinum in multis racemis fuit, & modo unum est, unum est in suavitate calicis post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem & contritionem cordis jam in nomine Christi, tanquam ad calicem Domini venistis; & ibi vos estis in mensa, & ibi vos estis in calice, nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus.*

c. Cum frangitur. dist. ead. ex libro sentent. Prosperi. *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?*

c. Qui manducant. dist. ead. ex Augustino serm. 2. de Verb. Apostoli. *Qui manducant & bibunt Christum, vitam manducant & bibunt. Illum manducare, est refici; illum bibere, & vivere. Quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur.*

c. Quid sit sanguis. dist. ead. ex Gregorio Papa in Hom. Pasch. *Quid sit sanguis Agni non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

Et postea. *Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.*

c. Quia morte. dist. ead. *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.*

(Atqui etiam Laici morte Domini liberati sunt, & oblata sunt pro ipsis caro & sanguis Domini. Ergo etiam ipsi debent carnem Domini edere & sanguinem ejus potare.

Urbanus Papa in Clement. lib. 3. tit. 16. de Reliq. & vener. Sanct. *Transiturus de hoc mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Jesus Christus, cum tempus suæ passionis instaret, sumta Cœna in memoriam mortis suæ instituit summum & magnificum sui corporis & sanguinis Sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in poculum tribuendo.*

c. Ex parte in Decretal. Gregor. lib. 3. tit. 41. de celebr. Miss. ex Innocentio 3. dicitur *Sacerdos totum accipere Eucharistiæ Sacramentum*, quod sub utraque specie accepit.

Tertio Glossator & Canonistæ.

Glossa in c. Comperimus. dist. 2. de consecr. utramque speciem commendat, quia *unum sit Sacramentum* ibid. *Nec superflue sumitur sub utraque specie. Nam species panis ad carnem, & species vini ad animam refertur, cum vinum sit Sacramentum sanguinis, in quo est sedes animæ: ideoque sumitur sub utraque specie, ut significetur, quod utrumque Christus assumsit & carnem & animam; & quod tam animæ, quam corporis participatio valeat. Unde si sub una specie sumeretur, ad tuitionem alterius tantum valere significaretur.*

Eadem Glossa in c. Peracta. dist. ead. *Corpus & sanguinem ministrant.*

Atqui etiam in c. Qui manducant. dist. ead. *Qui manducant & bibunt*

& bibunt Christum, vitam manducant & bibunt &c. Quod in Sacramento visibiliter sumitur &c. ibi Glossa. *In Sacramento, id est, in specie panis & vini.*

Panormitanus in c. Cum Martha ext. de celebrat. Miss. *Communicantibus tantum Eucharistia, hoc est, hostia sola, quia recipiendo panem recipiunt corpus & sanguinem. Sacerdos utitur duobus ad repræsentandam passionem. Dicunt tamen Doctores & sentiunt, quod non malum esset, si communicans etiam sumeret de sanguine.*

Quarto, qui floruerunt à seculo nono usque ad ætatem Scholasticorum.

Paschasius (qui vixit circa finem seculi noni) in lib. de corpore & sanguine Domini c. 15. *Accipite & bibite ex hoc omnes tam ministri, quam reliqui credentes. Hic est calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti*, cap. 19. *Cæterum quantisper hic remanentibus valde pernecessarius est ad vitam ille cibus cœlestis & potus, quatenus sicut aluntur cibis terrenis ad tempus, ut vivant; sic aluntur spiritualiter renati per hæc ad perpetuam vitam, ne deficiant in via, donec transeant per mortem carnis ad perpetuam, ubi nullus defectus est, & sempiternam vitam. Interim tamen justum & pernecessarium est, ut redemtus alatur ad incorruptionem, & potetur ad vitam. Constat igitur & liquet omnibus, quod in hac mortali vita sine cibo & potu non vivitur, sic itaque ad illam æternam non pervenitur, nisi duobus istis ad immortalitatem spiritualiter nutriatur. Sed infelix est animus, qui hoc non satis credit, & tamen non dubitat, quod in cibo & potu vita humana sustentetur. Si enim in hoc mortali cibo tanta vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet & vires restituat, quid sentiendum est de hoc immortali cibo & potu, in quo vita æterna præstatur & immortalitas?*

Anshelmus (qui floruit circa finem seculi undecimi) in 1. Cor. 11. sic commentatur. *Quicunque homo sive dives, sive mediocris, sive pauper, sive Clericus, sive Laicus manducaverit panem Domini hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis &c.*

Bernhardus (qui vixit seculo duodecimo) serm. 3. in ram. palmarum. *De Sacramento corporis & sanguinis sui nemo est, qui nesciat, hanc quoque tantam & tam singularem alimoniam ea primum die exhibitam, ea die commendatam & mandatam deinceps frequentari.*

Sermone priore de Cœna Domini. *Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Domini corporis & sanguinis pretiosi investituram habetis.*

In 2. tomo est ejusdem sermo de Cœna Domini incerti autoris, in quo hæc habentur: *Christus pridie quam pateretur, discipulis suis hujus Sacramenti formam præscripsit, efficaciam exhibuit, id est, fieri præcepit. Forma præscriptio in pane & vino. Notate ordinem. Cum adhuc cœnaretur, à Cœna surrexit, discipulorum pedes Dominus universorum lavit, dehinc ad mensam regressus, ordinat sacrificium corporis & sanguinis sui, seorsim panem, seorsim tradens & vinum.*

Algerus (circa annum Christi 1130.) lib. 2. de Sacram. cap. 8. tractans quæstionem, cur panis in carnem, vinum in sanguinem per se consecrentur. *Iste mos*, inquit, *inolevit in Ecclesia ab ipso Christo, qui corpus suum & sanguinem divisim consecravit & dedit: non ad divisionem substantiæ suæ, ut illi duos Christos acciperent, cum in utroque unum Christum acceperint: sed ad discretionem figuræ, ut panis, dum dentibus teritur, carnem Christi in passione attritam: & dum vinum in ora fidelium funditur, sanguinem de latere Christi fusum signaret.*

Et postea. *Ut signetur, animas nostras & corpora animæ Christi & corpori uniri & conformari debere, simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus, ut sumto corpore & anima Christi* (paulò antè confirmaverat, per *panem* significari corpus, & per sanguinem animam Christi,) *toto Christo totus homo in anima & corpore vivificetur: dum ipsa caro Christi, ut dictum est, non exanguis & mortua, sed viva & vivificatrix creditur. Unde, ut ait Augustinus, Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne jure communicatur. Item Gelasius Majorico & Johanni Episcopis: Comperimus, quod quidam sumta tantum corporis sacri portione à calice sacrati cruoris abstineant, qui procul dubio aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur.*

Citat etiam dictum Paschasii Ratberti Abbatis Corbeiensis lib. de Eucharist. *Rectè caro sanguine satiatur,* (in usu Cœnæ Dominicæ) *quia nec caro sine sanguine, utique nec sanguis sine carne jure communicatur. Totus enim homo ex duabus constans substantiis redimitur, & ideo carne simul & sanguine satiatur.*

(Bell. in lib. de Script. Eccles. p. 141. negat *priora illa verba esse Augustini, sed ex Paschasii lib. de Euchar. cap. 10. descripta esse* dicit, & erroris arguit. Sed tamen & Cassander Epist. 19. p. 1206. asserit, *non tantum Algerum, verum etiam Paschasium subinde hoc dictum Augustini producere.*

Aliter etiam excipit Bellarmin. *Paschasium & Algerum non loqui de speciebus sed de re contenta, docereque non posse sumi carnem aut sanguinem sine suo corpore, & illum non jure communicare, qui sentiat unum sumi sine altero.*

Respondet Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 216. *difficile hoc esse Bellarmini responsum. Nam Algerus ostendit in eo capite, quare sanguis & caro Christi per se separatim, h. e. in diversis specieb. consecretur, cum tamē totus Christus in qualibet specie sit, & respondet, non id fieri, quia credendum sit, corpus exangue sub speciebus panis contineri, cum ibi totus sit Christus, sed id fieri in memoriam passionis, & ut caro nostra & anima vivificetur.*

Et postea. *Sentit ergo ideo sub duplici specie sumi Christum, ut vivificatio corporis ex corpore Christi, & animæ nostræ ex anima Christi, cujus sedes est sanguis, significetur & exprimatur &c.*

Hanc suam sententiam confirmat testimonio Paschasii & Gelasii Papæ. Id quod in confirmationem suæ sententiæ non adduceret Algerus, *nisi de sumtione sanguinis in propria specie ad integram significationem Sacramenti servandam loqueretur.*

Et postquam eodem modo Paschasii dictū exposuerat, subjungit: *Quib. verbis planè docet id, quod diximus, nempe sanguinem in calice bibendū esse, ut perfecte repræsentetur curatio totius hominis.* Sic ergo Vasquez ex professo contra Bellarminum disputat.)

Hugo de S. Victore (circa ann. 1130.) in Speculo de mysteriis Ecclesiæ adducit canonem Gelasii, cujus initium, Comperimus, & addit: *Voluit Christus carnem suam sumi à fidelibus ut per cibum carnis invitarit ad gustum divinitatis. Utrumque sumi voluit, ut corpus nostrum & anima simul nostra cum eo glorificetur.*

Et postea. *In utraque sumitur ad significandum, quod duplex est effectus hujus Sacramenti. Est enim redemtio corporis & animæ, quod non significaretur, si in una tantum specie sumeretur.*

Et paulò post. *Species panis corpus, & Species vini sanguinem respectu resurrectionis significat, & sumtio in utraq; specie simul redemtionem corporis & animæ sumentis significat.*

Quinto Scholastici.

Bandinus Lombardo antiquior lib. 4. dist. 11. ad quæstionem, *Cur sub duplici specie sumitur Christus*, sic respondet: *Sub duplici quoq; specie totus Christus sumitur, ut ostendatur, totam humanam Naturam Christum assumsisse, totamque redemisse. Panis enim ad carnem, vinum refertur ad sanguinem, ut Mose ait: Caro pro corpore vestro offeratur, sanguis vero pro animâ.*

Lombard. 4. sent. dist. 9. ad fin. *Petit Sacerdos, ut Christus, qui nūc verè sub specie panis & vini sumitur, manifesta visione, sicut in essentia divinitatis est, quandoque accipiatur.*

dist. 10. §. 2. *Caro ejus est, quam sub forma panis opertam, in Sacramento accipimus, & sanguis ejus, quem sub vini specie ac sapore potamus.*

dist. 11. lit. E. *Quare sub duplici specie sumitur Eucharistia, cum sub alterutra totus sit Christus? ut ostenderetur, totam humanam Naturam assumsisse, ut tota redimeret &c. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam, quoniam vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ à Physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, ut corporis & animæ susceptio in Christo & utriusque liberatio in nobis significetur. Valet enim ut Ambrosius ait, ad tuitionem coporis & animæ, quod percipimus, quia caro Christo pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur.*

Sic præfiguravit Moses. Caro, inquit, *pro corpore vestro offertur, sanguis pro anima. Sed tamen sub utraque specie sumitur, quod ad utramque valet, quoniam sub utraque sumitur ipse totus Christus, sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est, animæ vel corporis, non utriusque pariter tuitionem valere significaretur.*

Durandus lib. 4. rational. div. officior. cap. 54. n. 13. p. 124. *Solum hostiam recipiens non plenum Sacramentaliter recipit Sacramentum. Etsi enim in hostia consecrata sit Christi sanguis, non tamen est ibi Sacramentaliter, eò quod panis corpus, non sanguinem, & vinum sanguinem significet & non corpus. Quia ergo sub altera tantum specie non est completum Sacramentum, quoad Sacramentum vel signum, Sacramentum debet compleri, antequam Presbyter eo utitur.* (Jam v. eadem est ratio de Laico.

Lib. ejusd. c. 42. n. 1. p. 104. *In quibusdam locis post sumtionem corporis & sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservatur in calice & superinfunditur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant. Non enim esset decens, in sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur. Utrum autem per contactum sanguinis vinum appositum efficiatur Sacramentum, dicetur super verbo calix.*

Ibid. *Licet sub utraque specie sumatur corpus & sanguis Christi, utraque tamen species consecratur, & neutra superfluit; ut ostendatur, quod Christus humanam Naturam assumsit scil. corpus & animam, ut totum redimeret. Panis enim fertur ad carnem, & vinum ad animam, quæ vivum sanguinem operatur, in qua sedes est animæ.*

Alex. Alensi. part. 4. q. 53. *Licet illa sumtio, quæ est in accipiendo, sub una specie sufficiat, illa tamen, quæ est sub duabus, est majoris meriti, tum ratione argumentationis & devotionis, tum ratione dilationis actualis, tum ratione sumtionis & completionis.*

q. 40. membr. 3. art. 2. *Totus Christus non continetur sub utraque specie Sacramentaliter, sed caro tantum sub specie panis, sanguis tantum sub specie vini.*

Et postea. *Sumtio sub utraque specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, est majoris efficaciæ & complementi.*

q. 31. membr. 1. artic. 2. *Sumto hoc Sacramento digne in utraque specie major est effectus unius corporis mystici cum capite, quam sumtio sub altera.*

Thomas part. 3. q. 76. art. 2. ad 1. *Quamvis totus Christus sit sub una specie, non tamen frustra* (datur sub utraque.) *Nam primo quidem hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsim fuit sanguis à corpore separatus, unde & in formâ consecrationis sanguinis sit mentio de ejus effusione. Secundo hoc est conveniens usui hujus Sacramenti ut seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. Tertio quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est, quod corpus exibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ.*

q. 73. art. 2. *Unum dicitur, non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus, unus homo: Est autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejusdem, sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc Sacramentum dicitur unum, ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, sc. cibus, qui est alimentum siccum; & potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, sc. spiritualis cibus, & spiritualis potus.*

q. 80. art. 12. *Ex parte ipsius Sacramenti convenit, quod utrumque sumatur,* (scilicet corpus & sanguis,) *quia in utroque consistit perfectio Sacramenti.*

Ibid. aliquot argumentis confirmat, quod *longe convenientius, utilius ac melius sit, Sacramentum participare sub utraque, quam sub una specie, 1. Quia utilius sit sumere Sacramentum integrum seu integre, quam imperfectum & particulariter. 2. Quia utilius sit tangi à Christo pluribus diversarum rationum instrumentis, quam uno tantum. 3. Quia utilius sit spiritualiter comedere & bibere, quam comedere tantum. 4. Si Sacerdos aliquid spiritualis utilitatis acquirit sumendo sub specie vini, proportionaliter Laico quoque digne sumenti utilius erit sumere sub utraque quàm sub una. 5. Ab exemplo Christi, qui etiam Judam communicaverit sub utraque specie. 6. Ab exemplo primitivæ Ecclesiæ, in qua populus communicabat sub utraque specie. 1. Cor. 11. 7. Ab exemplo diuturnæ persecutionis, quia hujusmodi consuetudo perseveraverit tempore Martyrum & pacis. 8. Quia communio sub utraque specie sit consona institutioni & integritati hujus Sacramenti. 9. Quia communio sub utraq; congruit per se, communio autem sub una tantum per accidens propter ineptiam quorundam communicantium.* Ex quibus omnibus sic concludit: *Ergo magis expedit Ecclesiæ Christi communicare populum sub utraque specie, quam sub specie panis tantum.*

q. 81. art. 12. q. 3. memorat, *tempore institutionis Ordinis Cisterciensis* (ann. Christi 1100.) *perseverasse consuetudinem communicandi sub utraque specie.*

Lib. 4. contra gentil. cap. 61. *Quia complementum nostræ salutis factum est per passionem Christi & mortem, per quam ejus sanguis à carne separatus est, separatim nobis traditur Sacramentum corporis ejus sub pane, & sanguis ejus sub specie vini.*

In caten. aurea super cap. 26. Matth. *Sicut corporalis refectio fit per cibum & potum, ita sub specie cibi & potus nobis spiritualem refectionem Dominus præparavit. Conveniens etiam fuit ad signandam Dominicam passionem, ut sub duplici specie hoc Sacramentum institueretur. In passione enim sanguinem suum effudit.*

In cap. 6. Joh. *Secundum antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, omnes* (nota) *sicut communicabant corpore, ita & communicabant sanguine, quod etiam adhuc* (nota) *in quibusdam Ecclesiis observatur, ubi etiam ministri altaris continue communicant corpore & sanguine, sed propter periculum effusionis in aliquibus* (nota:) *Ecclesiis servatur, ut solus Sacerdos communicet sanguine, reliqui vero corpore.*

In 1. Corinth. 11. sect. 5. *Traditur hoc Sacramentum sub specie duplici propter tria, Primo quidem propter ejus perfectionem, quia cum sit spiritualis refectio, debet habere cibum & potum spiritualem, nam & corporalis refectio non perficitur sine cibo & potu. Secundo propter ejus significationem. Est enim memoriale Dominicæ passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus à corpore, & ideo in hoc Sacramento sanguis seorsim à corpore offertur. Tertio propter hujus Sacramenti effectum salutarem, valet enim ad salutem corporis, & ideo offertur corpus; valet ad salutem animæ, & ideo offertur sanguis.*

Albertus Magnus 4. sent. dist. 8. artic. 13. *Duplex est in hoc Sacramento perfectio, Christi videlicet, & ipsius Sacramenti secundum quod venit in usum fidelium. Priore modo verum est, Christum esse sub utraque specie perfectum; secundo modo mihi videtur falsum, quia non perfecte signatur & causatur usus fidelium & unitas corporis mystici, nisi sub duplici signo, ideoque virtute Sacramenti utrumque debet haberi.*

Idem in tract. de officio Missæ, *non sub una, sed sub utraque specie communicandum esse* docent. Sic enim scribit cap. 5. *Ex istis omnibus accipitur, quod Christus sub una specie panis corpus suum tradidit, & sub altera specie vini tradidit sanguinem, & sic servandum instituit. Et cum Christi actio nostra sit institutio pro certo hæc duo servanda nobis esse præcipit; & ideo sub una specie corpus, & sub altera tradenus sanguinem.*

Richardus de media villa & Petrus de Tarantasia 4. sent. dist. 11. suo tempore *sub utraque specie Cœnam distributam* attestantur in insignioribus parœciis.

Petrus de Palude 4. sent. dist. 21. q. 2. refert, *in quibusdam Monasteriis fuisse consuetum sub utraque specie communicare.*

Durandus 4. sent. dist. 8. q. 1. *Eucharistia est unum Sacramentum. Non enim unitas Sacramenti est unitas indivisibilitatis, ut puncti; vel continuitatis, ut linea; vel essentiæ, ut in simplicibus & compositis ex forma substantiali & materia; vel suppositi, ut subjecti & accidentis; sed est unitas perfectionis, quæ consistit in concursu omnium, quæ requiruntur ad consequendum finem, ad quem res ordinatur; sicut domus dicitur una, vel calceamentum unum, quando concurrunt omnia, quæ requiruntur ad inhabitationem congruam, vel ad debitum tegumentum pedum. Hoc autem Sacramentum divinitus est ordinatum ad refectionem spiritualem, quæ per corporalem significatur: nec est perfecta, nisi in ea ponatur aliquid, ut cibus; & aliquid, ut potus.*

Gulielmus de monte Landuno 4. sent. dist. 11. q. 2. (referente Cassandro in Liturg.) *Qui recipit corpus, totam veritatem ejus recipit, licet non totum Sacramentum, & ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto Sacramento.*

Bonavent. 4. sent. dist. 8. v. 2. *Ex duobus signis unum perfectum resultat Sacramentum, cujus integritatis ratio dispositive venit à Natura, quia nec panis est per se plene reficiens, nec vinum, sed utrumq; & una plena refectio in Natura venit ex utroque, & ita disposita sunt ad unam refectionem signandam; sed completive venit ab institutione divina, quæ hæc duo signa ordinavit ad significandam unam perfectam refectionem, & ideo Sacramentum ratione Naturæ & institutionis divinæ.*

Lib. ejusd. dist. 11. part. 2. art. 1. q. 2. *Quantum ad signationem vel significationem, ambæ species sunt de integritate, quia neutra per se exprimitur res hujus Sacramenti, sed in utraque simul.*

Ibid. *Hic significatur Christus cibus, perfecte reficiens manducantes Sacramentaliter & spiritualiter perfecta autem refectio non est in pane tantum, sed in utroque; ideo non in uno tantum perfecte signatur ut reficiens, sed in utroque.*

Biel. 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 3. *Olim in quibusdam Ecclesiis id fuisse usitatum refert, ut Laici sub utraque specie communicarent.*

Lect. 35. in Canonem ex Hugonis lib. 2. de Sacramentis part. 3. cap. 8. *Voluit Sapientia Dei, quæ se per visibilia manifestat, ostendere, quoniam ipsa animarum cibus & refectio est.*

Et post: *Proponitur igitur species panis & vini, ut doceatur plena & perfecta refectio esse in sumtione corporis & sanguinis Christi ex divinitate Christi. Plena autem refectio cibus & potus est, cibi autem & potus panis & vini principalis substantia est.*

Lect. 84. in Canon. Missæ dicit, *quæstionem de una specie fuisse dubiam usque ad definitionem Concilii Constantiensis.*

Ibid. fatetur, *tempore Cypriani calicem etiam Laicis fuisse ministratum. Loquitur,* inquit, *ille sanctus* (Cyprianus) *juxta morem suæ Ecclesiæ, cui ipse præsedit, in quo forte tempore suo peculiariter viguit communio sub utraque specie, quam sub nomine calicis & sanguinis expressit.*

Sexto,

Sexto, Concilia Papistica.

Concilium Constantiense sess. 13. usum utriusque speciei prohibet, interim tamen fatetur, *Christum venerabile hoc Sacramentum sub utraque speciei instituisse & discipulis suis administrasse ac in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum à fidelibus receptum fuisse sub utraque specie panis & vini.*

(Quorum utrumq; nostram confirmat sententiam. Si enim Christus hoc Sacramentum sub utraque specie instituit, utique ab ejus institutione non est discedendum. Si in primitiva Ecclesia usus utriusque speciei fuit receptus, utique etiam in nostra Ecclesia locum habere debet.)

In eod. Concilio Patres sic loquuntur. *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie panis & vini suscipere, & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum Laicum passim communicent.* (Ergo fatetur Concilium fuisse tum temporis quosdam veritatis assertores) tom 2. Concil Colon. p. 1068. edit. Venet. tom. 4. p. 10.

Concilium Basileense concessit Bohemis facultatem communicandi sub utraque specie, (quamvis sub ea conditione, *ut crederent, communionem sub una esse licitam,*) teste Æneа Sylvio in Hist. Bohem. cap. 52.

Inter postulata Regum & Principum Concilio Tridentino proposita, fuit etiam hæc petitio, *ut usus Dominici calicis juxta institutionem Christi & morem primitivæ Ecclesiæ, sublata injusta ejus prohibitione, Laicis restitueretur,* (ut paulo post videbimus.) Sed Patres illius Concilii petitionem illam ex una sessione in aliam rejecerunt, donec tandem prorsus à Synodo Romana ad Pontificem fuerit rejecta. Edita est autem Coloniæ Anno 64. Consultatio de communione Christiani populi sub utraq; specie, in cujus præfatione narratur, *Tridentinam Synodum per totam æstatem Anni 62. occupatam fuisse Disputationibus super petitione concessionis calicis, dum major eruditorum Episcoporum, eaque potior pars in eam sententiam concors pedibus iret, ut Laicis calicem concedendum esse judicaret, alii vero magna contentione resisterent. Ne v. incommodi quidquam tantus dissertationum ardor afferret, eam controversiam Pii IV. Pontificis arbitrio dirimendam relictam esse.*

(Ergo in ipso Concilio non defuerunt, qui veritati patrocinium præstarent.)

Idem Concilium Tridentinum sess. 21. (quæ fuit quinta sub Pio IV. 16. Julii Ann. 1562.) fatetur, quod *ab initio Christianæ religionis non infrequens fuerit utriusque speciei usus, quæ consuetudo successu temporis fuerit mutata.* tom. 5. Conc. Venet. p. 45.

Interfuit Concilio isti Tridentino Johannes Jacobus Metropolitanus Salisburgensis Anno 1565. unde modum administrandi calicis Laico populo ex permissione Pontificis secum Ratisbonam attulit, moxque suis convocatis Parochis eo modo Sacramentum petentibus dispensandum per suam Diœcesin permisit, certis tamen conditionibus, inter quas & hæc fuit, *ut profiterentur, communionem sub una non repugnare divino mandato.* Wiguleius Hund. in Metrop. Salisburg.

In Histor. Concil. Trident. Petri Suavis lib. 6. p. 628. (in aliis edit. p. 654.) sessione 21. Cardinalis Mardrucius sententiam principe loco rogatus *absque omni exceptione calicem permittendum* censuit.

Episcopus Mutinensis pronunciavit, *eam gratiam non posse negari &c. Calicis enim usum esse Salvatoris institutioni consentaneum, & ab Ecclesia alias servatum.* ibid. p. 631. (al. p. 657.)

Caspar de Casal Episcopus Leiriensis, vir & vitæ exemplaris & præstantis doctrinæ, eandem tutatus est sententiam. ibid. p. 631. al. edit. p. 657.)

Cardinalis Lotharingius probat Gallorum consilium *de integra communione percipienda*, proque ea apud Papam intercedit, Idem lib. 5. p. 515.

Frater Antonius de Vatelina, Dominicanus, sess. 21. inter alia urgebat, *quod in Ordine Romano Laicis communio sub utraque specie concederetur, idipsum, ut hac tempestate concederetur, hortatus.*

Hisce ut idem Suavis lib. 6. p. 628. (al. p. 654.) refert, in sess. 21. è prudentioribus *Quinquaginta* Patres subscripserunt, serio asserendo calicis communionem.

Septimo, Imperatores, Reges, Principes & eorum Legati sive Oratores.

Inter Decreta Caroli & ejus filii collecta ab Ansegiso Abbate lib. 2. tit. 38. extat decretum, *ut Laici ter in anno communicent & quidem sub utraque specie*, ut colligitur ex titulo, qui sic habet, *de corporis & sanguinis Domini Laicorum communione.*

Carolus Magnus lib. 2. de Imaginibus cap. 27. *Mosaico ore in præfiguratione nostri Redemtoris, cujus carnem in remissionem peccatorum sumimus, & sanguinis tinctione percutientis Angeli impetum evadimus, Agnus per familias comedi jubetur.*

Lib. 3. cap. 6. *Fit enim* (remissio peccatorum) *per Spiritum Sanctum, per quem remittuntur peccata, sive sanguinem Christi, qui à nobis in Sacramento sumitur, & pro nobis effusus est in remissionem peccatorum.*

Carolus V. Imp. paulò ante mortem accepit diploma Pontificium, *de potestate utriusque speciei in sacra Cœna Laicis exhibendæ*, quod Pius IV. ad Archiepiscopum Salisburgensem miserat. De hoc vehementer lætatus est & gratias DEO egit, quod id tandem impetrasset, quod multis votis & supplicibus literis Austriacæ regionis populi flagitarant, ipse vero ad Concilium Tridentinum, Concilium ad Pontificem rejecerat. Judicavit enim beneficium amplissimum sibi tributum à Pontifice, cum tot precibus rogatus, certis tamen conditionibus id tandem concessisset, quod Christus diserte & serio singulis suis Christianis mandat.

Ferdinandus I. Imp. Rom. in literis ad Pontificem Pium IV. inter cætera sic loquitur: *Zelo pietatis & honesta intentione moti fuimus, cum proxime celebraretur Tridenti sacrum œcumenicum Concilium, ut ageremus & laboraremus pro concessione calicis, non certe temporalis alicujus commodi aucupandi gratia, sed quia prorsus persuasum habuimus, sicut etiam nunc habemus, hujusmodi concessionem futuram esse utilissimam in genere, plurimum momenti allaturam in specie ad reductionem lapsorum & errantium, nec non ad faciendum jam tandem utile principium restaurandæ unitatis & pacis Ecclesiæ tamdiu frustra expectatæ & desideratæ. Verum quoniam eo tempore nobis relatum fuerat, non deesse, qui de hac materia & concessione nonnihil dubitarent, & varia impedimenta injicerent, facile tulimus, rem aliquandiu differri, ut possemus interim pro exoneratione conscientiæ nostræ de hoc negotio conferre cum nonnullis præcipuis atque potissimum S. Rom. Imperii Prælatis ac Principibus, existimantes, quod præhabito eorū consilio rectius ac liberalius possemus deinde omnibus modis instare & elaborare, ut petitioni nostræ satisfieret. Instituta igitur matura ac diligentissima deliberatione de hoc negotio, utrum scilicet expediat hanc concessionem ulterius exquirere & urgere, nec ne? cum dictis Prælatis atque Principibus Ecclesiasticis, & dato eis cogitandi spatio, quo & ipsi possent rem cum suis Theologis & Doctoribus, pietate & eruditione præstantibus, conferre, prout contulisse non ambigimus, idem Prælati & Principes Ecclesiastici, cum intellexissent, nos ad hujusmodi petitionem tam necessariam, tum regnis & dominiis nostris, tum universæ nationi Germanicæ, inclinatos esse & statuisse Sanct. V. hoc nomine reverenter interpellare, magnopere collaudato proposito nostro promiserunt, quod & ipsi in hac parte non essent defuturi officio suo &c. plane nobis persuasimus, Sanct. V. non permissuram, ut frustra ab ea auxilium petiisse videamur in re tam necessaria, & ad salutem Christiani populi pertinente, quæ in Concilio tam diligenter ventilata & discussa fuit, præsertim cum jam omnibus constet & manifesta sit ingens utilitas, quæ ex hujusmodi concessione expectanda est.*

Idem Ferdinandus Austriacis suis subditis, libertatem religionis petentibus, respondit, *eam partem Edicti sui, quæ ad participationem calicis Eucharistici spectat, se in eorum gratiam remittere, sed ea lege, ut in cæteris Ecclesiæ sanctionibus ac Ceremoniis usque ad Comitii proxime futuri decretum nihil innovent.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trid. p. 463. Idem memorat Goldastus part. 2. Constit. Imper. f. 287.

Idem Petrus Suavis lib. 8. Histor. Concil. Trident. p. 959. de Ferdinando Imperatore hæc habet: *Finito Concilio Tridentino, D. Ferdinandus Imperator ad Pontificem literas dedit, in quibus inter alia sic scripsit: Se, durante Concilio, summo studio sollicitasse concessionem calicis, non ob suas privatas rationes, neque quod conscientiæ scrupuli illum male habeant, sed quia crediderit & adhuc credat, id esse necessarium devios ad Ecclesiam reducendis. Tolerasse quidem se illo tempore impedimenta interposita, ut interea de hac re cum præcipuis Prælatis & Principibus Imperii esset post conferendi locus. Cum his instituta consultatione, an expediret idem postulatum iterare, laudasse consilium Sanctitatis suæ opem denuo exorandi. Quam ob rem se memoria recolentem id, quod Cardinales Moronus & Lotharingius sibi exponendum curassent, quodque sibi ab Episcopo Pharensi Nuncio nomine Sanctitatis suæ confirmatum, haud diutius sibi differendam putare ejus gratiæ petitionem. Neque iteraturum gravissimas causas, quibus coactus id deposceret, sed rogare etiam atque etiam, ut nationi Germanicæ opem ferat, cui omnes prudentes Catholici judicent, illam concessionem magno beneficio futuram.*

Dux

Dux Bavariæ ejusdem argumenti literas ad Pontificem dedit, quæ sic habebant: Quod sæpius ad Sanctitatem ejus mandasset, qui miserabilem Germaniæ statum in negotiis religionis exponerent, sperare non admissurum, ut desideretur diutius paternæ suæ medicationis auxilium. Quam quoniam hactenus adhibitam non viderit, orare se una cum Cæsarea Majestate & Electoribus Ecclesiasticis, ut concedat Episcopo Saltzburgensi potestatem dispensandi cum Presbyteris Catholicis, ut confessis & contritis, cæterosque articulos religionis credentibus calicem præbeant. Eam concessionem satisfacturam subditis suis, tum iis, qui habitant in ditione sua, tum illis, qui Sacramenti hujus perceptionem extra provincias suas apud Sectarios quærunt. Se quidem una specie semper contentum fore, nec unquam ad usurpationē calicis eos adacturum, qui, sicut ipse, in sola specie panis acquiescunt. Horum nomine nihil se petere, sibi tamen videri non indignum Vicario Christi cæterorum quoque misereri &c.

S. Cæsareæ Majestat. Legatus ad Concilium Tridentinum Andreas Dudithius Sbordellatus Episcopos Tinicienfis orationem ad Patres Tridentinos habuit de calice Laicis restituēdo Ann. 1562. ad quam Imper. Ferdinandus provocat, in ea inter cætera sic loquitur: *Videtis, quantis discordiis, quantis dissensionibus, quantis odiis res agatur &c. Huic vos rei tum demum obviam ire poteritis, si imbecillitatis filiorum vestrorum miserti ad eorum vos infirmitatem demiseritis, & incredibilem illam eorum sitim, qua dies noctesque cruciantur, quamprimum restinxeritis. Quod quidem non ante fiet, quam vos tantopere expetitum ab illis Christi sanguinem, hianti ore, siccis faucibus, summo cum desiderio expectantibus non gravate præbueritis. Ne committatis Patres, ut tot populorum, tot nationum, tot insigniū provinciarum, tot nobilissimorum regnorum, quæ nunc eodem incendio absumuntur, inanem esse jacturam existimetis &c. Ne cogitetis, eos, qui tanto studio, tanta consensione, tam ardenter Christi sanguinem expetunt & efflagitant, tam negligentes, tam impios futuros, ut quod tanto ardore sibi dari postulant & obsecrant, id non omni veneratione sint prosecuturi, non omnem ab eo profanationem longissime amoturi.*

Idem orat. 2. in eod. Concilio habita. *Quoniam Cæsarea Majestas longo rerum usu edocta animadvertit, nullas alias graviores esse contentiones & querelas, quam eas, quæ ob sacri calicis usum interdictum ortæ sunt, idcirco ne officio suo aliqua ex parte defuisse videretur, de hac potissimum permissione ad sacram Synodum referri voluit &c. Ne quis dubitare possit, quid de hac nostra postulatione Sanctissimus Dominus noster sentiat, illud vere affirmo, me ex urbe literas accepisse, quibus nunciatum fuerit, causam à Sanctitate sua non solum honestam & justam, sed usque adeo necessariam judicatam, ut in longius tempus sine maximo Christianæ religionis incommodo differri non posse existimarit.*

Et paulò antè: *Sunt, qui mirentur, cur hoc à Sanctissimo Domino nostro non postulatum aut impetratum fuerit? Quibus facile est respondere, prudentissime Sanctitatem suam hujus causæ cognitionem ad Sacræ Synodi judicium rejecisse.* Confer Petri Suavis Histor. Concil. Trident. p. 625.

Idem Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trident. p. 651. de hoc Dudithio sic scribit: Dudithius Episcopus Quinqueecclesiensis in Concil. Trident. orationem habuit, in qua inter cætera professus est, *Ferdinandum Imperat. experientia edoctum animadvertisse, gravissimas populorum contentiones ac querimonias ab interdicto calicis usu profectas, de hoc itaque capite postulare, ut Concilium statuat. Se vero cum cæteris Oratoribus Cæsareæ Majest. mandatū Patribus hoc primum considerandum offerre, an Christianæ caritatis sit, ad retinendam nimis strictam ac severam unius ritus observationem tam multa sacrilegia & cædes in nobilissimis provinciis non prohibere, neque tam multas animas ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reducere. Infinitum esse numerum eorum, qui fide orthodoxa nondum abdicata, conscientiis tamen vacillant, quibus aliter quam isthic calicis permissione ægre succurri possit &c. Ecclesiam seculis omnibus consuevisse, ritus eos amplexari, qui recens natis hæresibus maxime adversantur, hunc itaque non negligendum, qui veram de sanctissima Eucharistia fidem contra Sacramentarios apertissime prodit.* Petrus Suavis in Histor. Conc. Trident. lib 6. p. 651.

Idem Dudithius, cum sententiæ Præsulum de concedendo calicis usu in Concilio rogarentur, *longa digressione calicis usum concedendum esse persuasit, ad omnia, quæ in contrarium objecta fuere, singulatim appositeque respondens.* pag. 659.

De Maximiliano Bohemiæ Rege Anno 1559. Romam perlatum, *quod & Prædicatorem aleret & sæpius concionantem audiret, qui in pleraque regni loca, licet non in civitatem Pragensem, communionem calicis introduxisset, neque id Rex ipse interdum dissimulabat, se Cœnam, nisi plenam, accipere non posse. Quæ certe Pontificis* (Pap. IV.) *animum suspicionibus impleverant, (utcunq; Rex eò nondum esset progressus, ut sub utraque specie communicaverit unquam) quod accepisset quasi per universam Germaniam communionem calicis ab omnibus, quibus ita visum esset, usitatam: neque quenquam in eo exhibendo Sacerdotibus adferre impedimentum.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trident. pag. 498.

Catharina Galliæ Regina Anno 1561. ad Pontificem Pium IV. scripsit, *scrupulos & offensionum causas his, qui se ab Ecclesia nondum alienarunt, præcidendas &c. nempe ut usus calicis in sacra communione &c. restituatur.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trident. pag. 526.

Orator Regis Galliæ Ann. 1561. à Pontifice Pio IV. Regis, Ecclesiæ, Præsulumq; nomine contendit, *ut Eucharistiæ Sacramentum populo integrum ministraretur.*

Hippolytus Atestinus Cardinalis Ferrariensis, Pontificis in Galliam Legatus, ad Pontificem ex Gallia scripsit, *ad religionem tuendam remedium esse necessarium, ut populo per omnem Galliam sub utraqua specie Cœna Dominica communicetur.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trid. pag. 530.

Lisleus, Caroli IX. Galliarum Regis apud Pium IV. Papam Legatus, tempore Concilii Tridentini Ann. 1569. in literis 6. Novemb. ad Regem Galliæ datis; *Agere*, inquit, *cæpi cum Papa, præcipue super articulo de communione sub utraque specie, quod illi, meo judicio, non fuit ingratum. Dixit autem mihi, semper existimasse se, hunc articulum, itemque conjugium Sacerdotum esse juris positivi, & posse mutationem admittere, eamque ob causam in novissimo conclavi se suspectum fuisse, tanquam Lutheranum.*

(Agnovit ergo Pontifex, restitui posse calicem; & tamen non fuit hactenus ad tot Magnatum petitiones Laicis restitutus, imo Pontifex hoc nomine incurrit apud Cardinales suspicionem Lutheranismi, quod communionem sub utraque specie dixerat esse juris positivi.)

Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concilii Trident. pag. 537. *Cum in consessu Cardinalium Oratori Regis Galliæ communionem sub utraque specie populo concedendam urgenti Cardinalis S. Angeli responderet, se nunquam pharmaci loco poculum toxico refertum, populo Gallico propinaturum, multoque satius esse sincere eum expirare, quam ut ad remedia adeo exitiosa deveniatur. Replicavit Legatus, Præsules Galliæ (restitutionem calicis expetentes) bonis firmamentis & rationibus Theologicis niti, quæ Censuram adeo contumeliosam haud mereantur, rursusque indignum sacri Ordinis Proceribus sanguinem Christi appellatione veneni violare, & sanctos Apostolos, omnesq; Ecclesiæ primitivæ Patres, & multorum post seculorum, qui mortalium insigni emolumento spirituali cunctis calicem illum sanguinis ministrarunt, habere pro veneficis.*

Idem lib. 7. Hist. Conc. Trident. pag. 762. *Oratores Regis Galliæ in petitionibus, Concilio Tridentino oblatis, (quæ Ripæ & Patavii typis excusæ) cap. 18. postularunt, ut antiquum illud Leonis & Gelasii decretum de communione sub utraque specie renovaretur.*

Idem lib. 6. Hist. Concil. Trid. pag. 620. *Oratores Regis Galliæ, in Concilio Tridentino prolato scripto hortati sunt Patres, ut calicis communionem concederent, hoc firmamento freti, quod in iis, quæ sunt juris positivi, quo in genere isthuc est, non sit adeo obstinandum animis, sed occasionum necessitate considerata, temporibus aliquid largiendum &c. Sub finem scripti petierunt, quicquid ea de re statuant, ita temporibus accommodetur, ut neque prærogativæ Regum Galliæ præjudicent, qui in inauguratione sua calicem accipere consueverunt: neque consuetudinis receptæ, in quibusdam ejus regni Monasteriis calicem Monachis statis temporibus ministrandi.*

Inter quinque postulata, quæ Regis Poloniæ Legatus Paulo IV. Pontifici Rom. Regis sui regnique nomine exhibuit, alterum fuit, *de Cœna Domini sub utraque specie percipienda.* Petrus Suavis lib. 5. Hist. Conc. Trid pag. 466.

Regis Galliæ & Alberti Bavariæ Ducis Oratores in eadem Synodo Tridentina *restitutionem calicis* itidem maximopere urserunt.

Orator Bavaricus quatuor potissimum argumentis communionē sub utraq; obtinere laboravit, 1. *Quia expressum de ea verbum extet.* 2. *Quia utriusq; speciei usus non solum in primitiva Ecclesia, sed etiam nunc in omnibus Orientalibus Ecclesiis frequens sit, & quidem celeberrimus.* 3 *Romanam quoq; Ecclesiā ab eodem usu non abhorruisse.* 3. *Quod Paulus III. edita Bulla, Germaniæ Episcopis potestatem communicandi sub utraq; specie cōcesserit.* Non parum, inquit, *id movet homines, præsertim in hac provincia, quod Paulus III. edita Bulla sua, cōcessit Germanis Episcopis potestatem communicandi populum sub utraq; specie, quod quidem summi Pontificis decretum urgent summi & infimi.*

(Eò

(Eò autem respicit Orator, quod Paulus III. Anno 1548. pridie Calend. Septem. tres in Germaniam Legatos miserat, quibus mandatum *de consilio & assensu omnium Cardinalium*, sic enim habetur in Bulla, Pontifex dederat, *ut petentibus sibi permitti calicem aut usum utriusque speciei, non denegarent*. Extat ista Bulla impressa Basileæ apud Oporinum, curante Vergerio. Aloysius Lipomanus Veronæ Episcopus fuit unus ex tribus illis Legatis, qui Bullam Papalem per Germaniam circumferebant.)

Sic ergò Imperator Romanus, Rex Galliæ, & Dux Bavariæ per suos Oratores pro restitutione calicis integris octo mensibus Tridenti solicite laborarunt, sed successu frustaneo. Ut enim à Pontifice ad Concilium, ita vicissim à Concilio ad Pontificem hoc negotium fuit remissum, sicque optimi illi Magnates delusi fuere. Unde non immeritò res hæc indignationem movit Principibus & populis, cum viderent, *ita se ludibrio haberi, adeoque conditionem Christianorum verbis Esaiæ exprimi posse; manda, remanda, expecta, reexpecta*, ut Petrus Suavis Polanus in Histor. Concil. Trident. lib. 6. p. 649. memorat.

(Extant autem hæ orationes Dudithii, in Concil. Trident. habitæ, una cum literis Imperat. Ferdinandi ad Pium IV. Papam de restitutione calicis, datis Ofenbachii Anno 610. in publicum editæ.)

Tandem igitur Albertus Dux Bavariæ, inconsulto Papa, communionem calicis subditis suis concessit, ut refert Petrus Suavis in Histor. Trident. Concilii lib. 5. p. 464.

Idem Dux Bavariæ scripsit postea ad Pium IV. Papam de hoc negotio in hunc modum: *Contulimus ea de re cum reverendissimis, Illustrissimisque Sacri Romani Imperii Archi-Cancellariis & Electoribus spiritualibus, quorum communis est nobiscum sententia, ut à Sanctitate Vestra, tanquam supremo rerum Christianarum Monarcha, desideratissimam, tam ad firmandos, retinendosque saniores, quam reducendos lapsos, iterum opem exoremus. Ac de ipsorum quidem Electorum voluntate haud obscura constat, eos, si quid indulserit miseræ Germaniæ Sanct. Vest. libenter amplexuros & executuros fore. Quamobrem una cum Sacra Cæsarea Majestate Sanctitatem Vestr. humiliter & studiosissime oro, ut sacri calicis usum iis saltem liberum concedat, qui ita persuasi aliam saniorem admonitionem hoc quidem tempore non admittunt.*

(Extant hæ literæ apud Goldastum tom. 2. Rescript. Imperial. f. 399. & in scripto Ofenbachii Ann. 610. edit. cujus paulo ante facta fuit mentio.)

Schleidanus lib. 9. Histor. memorat, *de Cœna Domini integra*, vel, ut loquuntur, *sub utraque specie sumenda, sermonem fuisse Regi Galliæ cum Clemente VII. sperare se, ab hoc impetrari posse Pontifice, ut, facto decreto, liberum permittat ejus rei usum pro cujusque conscientia, Regem præterea hoc dicere, Patrum memoria distributam fuisse per Galliam quibuslibet integram Cœnam, non quidem in medio templo, sed in sacellis; hoc illum accepisse à nonnullis grandi ætate qui istum ritum in Galliis fuisse confirment ante centum & viginti annos. Deinde Galliæ Regibus administrari totam, & cum inter disputandum Rex hoc ipsum objecit, illos respondere, unctos esse Reges æque ac Sacerdotes, & Scripturam loqui de Sacerdotio regali; quod autem Regibus liceat, non item permittendum esse aliis.*

D. Rungius in scripto Germanico de persecutione Pontificia Evangelicorum in Styria, Carinthia &c. pag. 24. adducit Mandatum Caroli Archi-Ducis Austriæ *de communione sub utraque specie* Matthiæ Marcinæ Pastori Görcensi datum. Verba mandati sic habent: Erbarer/lieber/andächtiger/wir haben dein unterthänig Schreiben vom 20. Novembr. nechst empfangen/ und innhalts verstanden zc. Was denn die jenigen Personen antrifft / so das Sacrament in beyderley Gestalt von dir begehren/ dieweil noch Ihre Kays. Mayest. hochlöbliche Gedächtnüß solche dispensation für alle ihre Lande von der vorigen Päbstlichen Heiligkeit erlanget/ dieselbe auch allenthalben gehalten wird/ und wir vor guter Zeit die Ertz-Priester allenthalben ersucht / daß sie es anrichten sollen / und es aber in dieser unser Stadt bißher nicht geschehen/ das uns nicht wenig befrembdet: so ist hiermit unser ernstlicher Befehl an dich / daß du solche Communion unter beyderley Gestalt niemands wägern / sondern andächtiglich und willig / wie es auch an andern Oertern in diesen unsern Landen geschicht/ in Christlicher Einigkeit/ wer es nur begehret/ reichen wollest/ daran erstattestu unsern gefälligen Willen und endliche ernste Vermahnung. Geben in unser Stadt Görtz den 8. Jan. Ann. 1566.

Carolus.

Caspar Preimer/
Hans Khabenath etc.

Septimo, Scriptores Pontificii, tum ante, tum post B. Lutheri tempora, tum ipsis B. Lutheri temporibus.

Almaricus Gallus circa Annum 1180. docuit, *sincerioris religionis Christianæ assertores primitivæ Ecclesiæ temporibus Cœna sacra usos fuisse secundum institutionem Christi in utraque specie.*

Nicolaus Lyranus circa Annum 1330. in 1. Cor. 10. sic commentatus est: *Eucharistiæ Sacramentum est spirituale quoddam nutrimentum, & ideo fit sub duplici specie, scil. potus & vini, quia utrumque requiritur ad rationem nutrimenti perfecti.*

Idem in 1. Cor. 11. *Sicut Christus convertit panem in corpus suum, ita & vinum in sanguinem. Utrumque enim est de perfectione hujus Sacramenti, tum quia per utrumque perfecte simul exprimitur passio Christi, cujus est memoriale, tum quia utrumque significat perfecte refectionem.*

Ibid. *Eucharistia est spiritualis nutritio.*

Et postea. *Datur hoc Sacramentum sub duplici specie, scil. panis & vini, ut per hoc perfecte spiritualis refectio designetur.*

Ibid. *Fit hic mentio de duplici specie. Nam in primitiva Ecclesia sic dabatur fidelibus.*

Idem in cap. 6. Joh. *Licet in primitiva Ecclesia populus sub utraq; specie communicaret, tamen postea provide ordinatum est, ut non communicet sub specie vini.*

Gerhardus Zutphaniensis, qui floruit in Gymnasio Coloniensi circa Ann. 1380. scripsit librum *de Reformatione virium interiori*, qui Auctario II. Bibliothecæ SS. PP. insertus habetur, in quo cap. 27. Autor sic loquitur: *Cum hoc Sacramentum accipimus, commemoremus, quod sit corpus & sanguis Christi, ut non simus ingrati tantis beneficiis. Summopere studendum est, ut quantum potueris, ante ejus sumtionem te prepares. Qui enim corpus & sanguinem Domini indigne sumit, judicium sibi manducat & bibit &c.*

Mechtildis Prophetissa circa Ann. 1410. *Congregatio autem tota ad mensam illam accedens, unaquæque sub brachio B. Virginis Mariæ quasi geniculando accepit Dominicum corpus de manu Domini, & B. Virgo craterem aureum cum fistula aurea ad latus Domini tenebat, per quam sugebant liquorem illum dulcissimum, qui de pectore Domini emanabat.*

Nicolaus Cusanus Cardin. circa Ann. 1464. Epist. 2. ad Bohem. concedit, *quod olim sanctissimi viri utriusque speciei Sacramentum necessarium esse vi præcepti Christi, & verbo & opere astruxerint.*

Dionys. Carthusianus in cap. 6. Johan. postquam dixisset, *in primitiva Ecclesia fuisse usitatam communionem sub utraque*, subjungit, *Sed nunc ordinatum est aliter.*

B. Rhenanus in Annot. ad Tertullian. de coron. milit. p. 41. *Idem nuper reperit inprimis Carthusiorum Constitutionibus Conradus Pellicanus, homo miræ sanctitatis & eruditionis, ubi prohibetur ne quicquam pretiosorum vasorum possideant præter calicem argenteum & fistulam, qua Laici Dominicum exsorbeant sanguinem.*

Joh. Fischerus Episcop. Roffensis in opere contra librum Lutheri de Capt. Babyl. part. 1. cap. 3. f. 2. fatetur, *communionem sub una specie non ex sacris literis, sed tantum ex Ecclesiæ consuetudine probari posse. Ubi Scripturæ*, inquit, *defuerint ad ostendendam aliquam veritatem, magni semper apud majores nostros momenti fuit usus & consuetudo.*

Et postea. *Manifestum est, quod ubi Scripturæ desunt, illic rationem aut consuetudinem attulisse sufficiat.* Illud paulò post ad communionem sub una specie accommodat. *At satis dilucidum est*, inquit, *hanc Ecclesiæ consuetudinem esse, de qua jam loquimur, nempe qua Laici sub sola specie panis communicant.*

(Atqui consuetudo Ecclesię non potest articulum fidei probare, si destituatur Scripturæ suffragio, ut suo loco ostẽdimus.)

Ibid. fatetur, *quod Christiani in primitiva Ecclesia in utraque forma communicaverint.*

Cajetanus in part. 3. Summ. Aquin. *Hujusmodi consuetudo communicandi sub utraque perseveravit non solum tempore Martyrum, quos Cyprianus Dominico poculo præconfortandos censuit, sed etiam tempore pacis Ecclesiæ, cum legamus non solum sactas patinas, sed etiam calices ministrales. Quare enim ministrales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant.*

Eccius de sumt. Euchar, Homil. 23. fatetur, *tempore Cypriani calicem etiam Laicis fuisse exhibitum.*

Idem Hom. 13 *Præclarum est atque ut ex magno pietatis affectu profectum, ita quoque notatu dignissimum, quod in vita S. Laurentii legitur, cum dixisse ad Pontificem Sixtum, cum is duceretur ad supplicium, exclamavit enim, Quo progrederis sine Filio Pater? quo Sacer-*

dos

dos sine Levita properas? Experire certo utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.

Idem in Enchirid. cap. 10. *Fatemur hunc usum fuisse in primitiva Ecclesia.*

Idem de Sept. Sacram. Homil. 36. *Inficiari nemo potest, Paulum præcepisse Corinthiis utriusque speciei usum in hoc Sacramento.*

Barthelomæus Latomus in lib. adversus Bucerum fatetur, *petitionem eorum, qui Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie sibi administrari postulant, esse rationabilem.*

Cardinalis Hosius Dial. de Communione introducit Harpagum interrogantem, *Quo tempore id factum esse putas?*) ut usus utriusque speciei mutatus & alterius tantum sit receptus,) cui respondet Arator, *Non habeo, quod pro certo affirmare possim. Sed ex quo tempore Germaniæ pars, quæ nobis est vicinior, Christi recepit Evangelium, ex eo usus utriusque speciei, tacito quodam consensu totius Ecclesiæ Catholicæ fuisse videtur abrogatus.* (Ergo in Ecclesiâ Apostolicæ vicina aliter fuit observatum.)

Ruardus Tapperus Decanus Lovaniensis tom. 2. p. 353. *Ex sermone Cypriani de lapsis videtur, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant.*

Item art. 15. *Diximus, exolevisse morem utriusque speciei per alteram consuetudinem, quæ tandem vim legis obtinuit, ex qua vetatur populo potius, quam ex constitutione aliqua scripta utriusque speciei usus.*

(Agnoscit ergo unius speciei usum non ex institutione Christi, nec ex Apostolica consuetudine, sed ex Ecclesiæ consuetudine descendere.

Ibid. Citato quodam loco pro asserenda communione sub utraque specie ex Chrysostomo Homil. 18. in 2. Cor. 8 subjungit: *Intelligit Chrysostomus, nullam esse differentiam ex Christi institutione & ordinatione. Et mos Ecclesiæ tunc habebat, ut sub utraque specie omnibus Sacramentum præberetur, facta tamen prius per Sacerdotem consecratione & oblatione, & utramq; speciem jure suo petebant Laici, sicut nunc alteram tantum, nec eis tum negari poterat.*

Ibid. scribit, *morem communicandi sub utraque specie fuisse in Africa, Asia & Roma, idque testimonio Dionysii, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii & Augustini* confirmat.

Dominicus à Soto 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 12. *Sacramentum non nisi in utraque specie, quantum ad integram significationem, perficitur, est enim convivium ex cibo & potu constans.*

(Atqui non solum Clericis, sed etiam Laicis Christus integram refectionem instituit.)

Ibid. art. 12. *Fuit antiquus mos Græcorum* (communicandi sub utraque specie.)

Et postea. *Quæ quidem consuetudo nonnullis duravit seculis.*

Et iterum. *Igitur non modo inter hæreticos, verum & inter Catholicos ritus ille multo tempore invaluit, adeo ut temporibus S. Thomæ nondum fuerit abolitus.*

Lib. 4. ejusd. dist. 8. q. un. art. 6. *Unitas Sacramenti, quia est signum, sumitur ab unica significatione, quæ ex duabus consecrationibus resultat, utpote per quas significatur una refectio, cujus integritas constat ex cibo & potu.*

Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. Evang. cap. 26. *Quod per Occidentem fuerit populo utraq; administrata species, in proximum fere usque Constantiensis Synodi seculum haud prolixa opus habet demonstratione.*

Petrus à Soto in Institut. Dilling. prælect. & impress. lect. 10. *Etsi verum est, utriusque speciei perceptionem longo tempore fuisse in usu Ecclesiæ, maxime cum peractis mysteriis populus accederet ad communicandum, non tamen hoc quasi necessarium fuit servatum, cum tunc etiam nonnulli sub una specie sumerent, & ita forte infirmis omnibus traderetur. Quare non est consultum, ut probemus, vel in primitiva illa Apostolorum Ecclesia, vel in antiquioribus aliis tantum fuisse unius speciei usum, quod volunt ostendere ex illo verbo Act. 1. Erant perseverantes in communicatione & fractione panis. Nam id hoc non probat. Et Paulus ad Corinth. de cibo & potu mentionem facit. Donemus igitur illis, fuisse usum utriusque speciei, quod testimonium illud Gelasii Papæ confirmat, & aliud Leonis in serm. 4. Quadrag. ubi Manichæos dicit speciem vini non sumere, ostendens aperte, id contrarium fuisse consuetudini Catholicorum.*

Johannes Hesselius à Lovanio in præfat. lib. de sumt. Eucharist. sub una specie scribit, *Et ante Synodum Constantiensem, & hodie quosdam docere, præceptum esse à Christo in Scriptura divina, ut Laici, dum corpori Domini sub specie panis communicant, etiam calicem sumant, sive ut omnes communicantes utramque speciem accipiant.*

Albertus Pighius Controvers. 7. *Jamdudum in universam Latinam Ecclesiam ritus sub panis tantum specie Laicos communicandi sacrosanctum illud & vivificum Christi corpus receptus fuerat, non quidem ex ulla institutione, aut Synodali, aut Ecclesiastica Hierarchiæ Præsidis Romani Pontificiis, (quæ nullum huic rei invenitur dedisse initium) sed ex interno quodam consensu Christi fidelium atque Orthodoxorum Præsulum.*

(Ergo non descendit à Christo vel Apostolis.)

Georgius Cassander in Consultat. artic. 22. de utraque specie Sacramenti pag. 981. *De administratione Sacramenti Eucharistiæ satis compertum est, universalem Christi Ecclesiam in hunc usque diem; Occidentalem vero seu Romanam mille amplius à Christo annis in solenni præsertim & ordinariâ hujus Sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum Scriptorum, tam Græcorum, quam Latinorum, testimoniis manifestum est, atque ut ita facerent, inductos fuisse, primum instituto exemploque Christi, qui hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui duobus hisce, panis & vini, symbolis, discipulis suis fidelium communicantium personam repræsentantibus præbuit, tum quia in Sacramento sanguinis peculiarem quandam virtutem & gratiam hoc vini symbolo significatam esse credebant, tum ob rationes mysticas hujus instituti, quæ à veteribus varie adducuntur, videlicet ad repræsentandam memoriam passionis Dominicæ in oblatione corporis & effusione sanguinis, juxta illud Pauli: Quotiescunque comederitis panem hunc, & calicem Domini biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Item ad significandam integram refectionem sive nutritionem, quæ cibo & potu constat, quomodo Christus inquit: Caro mea verus est cibus, & sanguis meus vere est potus. Item ad designandam redemtionem & tuitionem corporis & animæ, ut corpus pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quæ in sanguine est, dari intelligatur; ad significandum quoque, Christum utramque Naturam assumsisse, corporis videlicet & animæ, ut utramque redimeret. Quare hæc consuetudo in Ecclesia quoque Latina mille amplius annis tenuit, ut tam populo, quam Clero in celebratione Missarum post mysteriorum consecrationem seorsum corpus & seorsum sanguis Domini præberetur, atque ad effusionis periculum evitandum in plerisque locis calicibus (qui ministeriales vocabantur) argenteæ fistulæ inserebantur, postea tamen hujus periculi metus effecit, ut intinctus in sanguinem Domini panis Dominicus vulgo exhiberetur, qui mos huc usque per Græciam & Armeniam obtinet: postea ad omissionem alterius speciei in aliquibus locis ventum est, sic tamen, ut in utraque specie communio non prorsus abolita sit, sed in quibusdam locis, præsertim Monasteriis, sit retenta, idque usque ad annum amplius millesimum trecentesimum, donec hæc consuetudo in altera specie communicandi populi totam Ecclesiam Latinam pene invasit. Quæ consuetudo, cum eam nonnulli, ut sacrilegam & nefariam, condemnarent, à Concilio Constantiensi & Basileensi probata & sancita fuit, ita tamen, ut Bohemis, certis intercedentibus conditionibus & pactis, utriusque speciei usus concessus fuerit. Neque tamen hac sanctione communionem utriusque speciei à populo totam sublatam, sed ob certas & graves causas ad tempus intermissam & suspensam voluerunt, sic, ut aliis causis urgentibus eam restituere, & in usum revocare Ecclesiæ liberum sit. Quare non temere est, quod optimi quique etiam Catholicæ professionis in divinorum & Ecclesiasticorum Scriptorum lectione versati, & his, quas supra diximus, rationibus incitati, summo desiderio potiundi Dominici calicis incenduntur, omnibusque modis contendunt, ut hoc salutare Sacramentum sanguinis Christi una cum Sacramento corporis juxta veterem, & multis seculis perpetuam Ecclesiæ consuetudinem in usum reducatur, vel certè libertas, quæ ducentis abhinc annis adhuc valuit, in una vel utraque specie communicandi restituatur. Itaque non modo nil Ecclesiasticæ autoritati contrarium, imo vero Ecclesiasticæ paci & unitati conveniens & prope necessarium futurum puto, si vel illi, penes quos Ecclesiæ gubernatio est, priscum hunc communicandi morem restituant, vel Ecclesiæ paulatim, quod citra gravem perturbationem fiat, ad eum, quem initio habuerunt, longoque tempore retinuerunt, morem redeant. Nequeo sane satis mirari, Johannem Eccium, virum alioquin doctum & insigni memoriâ præditum, qui in Apologia Principum Catholicorum scribat se non meminisse legere, in Ecclesia Romana Eucharistiam sub utraque specie communicatam Laicis, nisi quod argumentum sumi possit ex vita S. Laurentii. Mirum, si non meminerit calicum ministerialium in Ecclesiis urbis Romanæ, quorum in libro Pontificali subinde fit mentio, quos ita vocatos fuisse, quod ex iis populo sanguis Dominicus ministraretur, vel ex suo Cajetano recognoscere potuisset. An ignotum illi esse potuit, quod in Decretis quoque legitur ex Sotero Papa, in Cœna Domini pœnitentes ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconciliari? Quid? an non meminerat Gregorii Pontificis Romani (ut ejus Antecessores taceamus)*

qui

qui in 1. Dialog. scribit, *Christi sanguinem, non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi. Et in Homilia Sabbati paschalis apud populum differens. Quid sit, inquit, sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis &c. Quem morem sanguinis Dominici porrigendi, & antiqua Sacramentaria B. Gregorii, & Libellus ordinis Romani Pontifices in solenni Officio constanter semper retinuerunt, usque adeo, ut Martinus V. etiam post tempora Constantiensis Synodi in solenni Paschæ officio juxta præscriptum Ordinis Romani universum populum corpore & sanguine Domini communicasse legatur.*

Idem in precibus Ecclesiast. pag. 399. distinctas habet precum formulas sacræ Cœnæ convivis recitandas ante sumtionem corporis; *Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod indignus sumere præsumo, non mihi veniat ad judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamen mentis & corporis.* Et in assumtione sanguinis; *Communicatio & confirmatio sancti sanguinis tui, Domine Jesu Christe, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, & conservet me & perducat ad vitam æternam.*

Idem Epist. 111. ad Kettelarium & Epist. 106. ad Johannem à Lovanio fol. 1214. oper. refert, *Pontif. Romanum, etiam post Concilium Tridentinum Ann. 1565. Rom. Imperatori & omnibus per Germaniam Electoribus Ecclesiasticis rescripsisse, Consentire se, ut in Ditionibus ipsorum Sacerdotes populum petentem sub utraque communicent, cujus scripti exemplar ad Archiepiscopum Coloniensem missum se oculis vidisse Cassander testatur.*

Idem Georgius Cassander in lib. de Commun. sub utraque specie fol. 1035. oper. in Epist. ad Molinæum fol. 1105. ad Johannem à Lovanio fol. 1214. ad Kettelarium fol. 1218. de officio pii viri fol. 863. & seqq. in Hymnos fol. 218. & seqq. fol. 248. &c. multorum veterum, & inter eos etiam Papistarum, Thomæ Elysii Neapolitani, Martini Peresii, Paschasii, Algeri, Dithmari, Bernonis, ipsius Romani Ordinis suffragiis comprobat, *quod utriusque speciei sumtionem ad omnem legitimam communionem requisiverint*, usurpantes subinde illud B. Augustini, *Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne rite communicatur.* Allegat quoque hæc Thomæ Elysii verba ex grandi quodam volumine, quod Clypeum piorum adversus hæreses inscripsit: *Stando in expositione B. Augustini, licet verissima sit, tamen concludit, quod omnes adulti, non habentes obicem, deberent sumere sub utraque specie.* Itemque illud Ruardi Tapperi Decani Lovaniensis: *Habito respectu ad Sacramentum, ejusque perfectionem, magis conveniret sub utraque specie fieri communionem, quam sub altera tantum. Hoc enim magis consonum est institutioni & integritati & refectioni corporali, imò & exemplo Christi & Patrum & primitivæ Ecclesiæ.*

Georgius Wicelius in Compendio de Semitis antiquis. *De Sacramento Cœnæ Dominicæ, (quam Eucharistiam Ecclesiastici appellant) Catholici docemus, quod sub specie panis & vini vere exhibeatur in mysterio corpus & sanguis Christi iis, qui vescuntur altera pariter & utraque, in unitate Ecclesiæ Christi, exercentes simul omnia, quæ ad Eucharistiam sacram hanc spectant, ex doctrina literarum Apostolicarum. Equidem, quod ad sumtionem attinet, posthac, ita exigente causa, non magnopere digladiamur cum utraque vescentibus, modo fiat juxta veteris Ecclesiæ formam, & non pro cujusque cerebelli arbitrio.*

Et postea. *Cæterum libro* (August. Confess.) *consentimus de restitutione calicis, non in hoc attendentes, quid liber hic in medium allatus, adque discutiendum propositus, sed quid Ecclesia sancta, Apostolica & Catholica ex Evangelio Christi sui, quod cum doceat, tum faciat, primitus hauserit. Hæc vero nisi idem constitueret, & cum doctrina exemploque Salvatoris nostri consentiret, librum indignum judicaremus, cui præberemus consensum ullum. Itaque non libro, sed veritati divinæ creditur, quam ostendit liber ea quidem parte. Est in confesso, sumtionem sanctam de altari Ecclesiastico æque omnibus Christianis communem extitisse ad salutem per omnia Novi Testamenti tempora, obliteratam quidem paulisper apud nos Occidentales, & ab usu promiscuo semotam suas ob causas, at non deletam omnino atque extinctam. Ejus rei cum nube quadam certissimorum testium septi simus, plerophoriam amplectimur, omni excluso dubio, alteram quidem in hoc Sacramento spem, cui assuevimus Latini, non impugnantes, nec ullis modis condemnantes.*

Et iterum. *Idem quererer de abusu communionis, nisi nunc ordinarie concessum esset, utraque specie vesci cuivis Christiano antea satis explorato, & mysterium intelligenti. Verum, qui in abusu & sententia Sorbonica permanere decreverunt, illis mentis sobrietatem precor.*

Andreas Fricius lib. 4. de Emendat. Reipubl. Christianæ cap. 19. *Separatim comestio nominatur, separatim bibitio ab illa Sapientia, cui omnis sapientia humana de inseparabilitate sanguinis vivi à carne viva cedere debet. Non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quæ convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum.*

Idem in Dialogis suis, hac de re institutis atque editis magno argumentorum apparatu probat, *integræ Cœnæ usum Laicis in Concilio restituendum*, ac argumenta contraria solide refellit.

In libro INTERIM usus calicis Laicis permittitur.

Johannes de Ragusio (tom. 3. antiquarum lectionum, Henrici Canisii, & inter acta Concilii Basileensis tom. Conciliorum 4. part. 1. edit. Binnii) recitat verba hæc Johannis de Rockizana: *Quod autem communio divinissimæ Eucharistiæ sub utraque specie toto credentium populo sit necessaria, patet per illud Johan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Importat namque hæc dictio, Nisi, necessitatem præceptivam, non solum de comestione, sed & bibitione Sacramentali, obsignativam omnium fidelium sub carentia vitæ æternæ.*

Narrat etiam rei originem Æneas Sylvius Historiæ Bohemicæ cap. 5. *Petrum Dresdensem adiisse Jacobellum Misnensem, dixisse, mirari se virum doctum sanctumque non animadvertisse errorem illum communionis jampridem Ecclesiam pessum dedisse, cum tamen scriptum sit: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotum his verbis Jacobellum perquisivisse veteres sanctorum Doctorum Codices; comperisse communionem calicis laudatam; ipsum itaqua docuisse plebem, ne calicis communionem ullo modo negligeret, & ita cæpisse hanc controversiam, quam nondum movisset Johannes Huß, aut etiam Hieronymus Pragensis.*

(Eadem repetit Alphonsus de Castro lib. 6. adversus hæreses, verbo Eucharistia, hæresi ultima.)

Johannes Arboreus lib. 8. Theosophiæ cap. 11. *Olim Laici communicabant sub utraque specie, quod tamen antiquatum est.*

Alphonsus de Castro lib. 6. adversus hæreses de Eucharist. hæresi ult. *Argumentum huic usui erit, ut credamus, non esse contra Evangelicam institutionem, Eucharistiam sub utraque specie aliis, etiam Laicis, porrigere, quod firmissime fatemur. Nam olim per multa secula sic apud Catholicos usitatum esse ex multorum Sanctorum Scripturis didicimus.*

Soter Papa, qui tertius decimus à B. Petro summus Ecclesiæ Pontifex fuit, sic ait &c. Pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici Sacramenta reconcilienter. Hæc Soter Papa, quæ verba habentur de consecrat. dist. 2. c. In Cœna.

Cyprianus Martyr, Sotere plusquam uno seculo posterior, de eadem re testimonium reddit, qui in sermone de lapsis, loquens de quadam puella à Dæmone obsessa, quæ ad ipsum Cyprianum divina celebrantem mysteria, adducta fuerat, hæc ait: Ubi vero solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cæpit, & accipientibus cæteris, locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit &c.

Augustinus, Cypriano posterior, hujus Ecclesiastici usus testimonium reddit, sic inquiens: Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur. Hæc Augustinus, & habentur de Consecrat. dist. 2. in cap. Cum frangitur.

Hanc consuetudinem fuisse adhuc in Ecclesia tempore Beati Gregorii Papæ constat ex his, quæ illa in quadam Homilia paschali refert, sic enim ad populum loquens, ait: Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Hæc Gregorius, *& habentur de Consecrat. dist. 2. in c. Quid sit.*

Et postea. *Si quis à me petat, quando communio sub utraque specie inter Laicos desierit, ego, ut ingenue loquar, ignoro. Nam etsi in re hac investigandà omnem adhibuerim diligentiam, apud nullum tamen scriptorem potui hujus rei invenire initium, neque ullam ante Concil. Constant. invenio hac de re Ecclesiæ definitionem.*

(Subsumimus ex Concilio Constant. & Basiliensi. Consue-

tudo Ecclesiæ longo tempore introducta, & diutissime observata & laudabilis est pro lege habenda.)

In Concilio Tridentino sess. 21. in qua de usu calicis Eucharistici actum, Episcopus Tininiensis concionem habuit, in qua copiose disseruit, *quemadmodum usus calicis vigente caritatis ardore, omnium fuerit communis; ea vero defervescente & nonnullorum negligentia surrepentibus incommodis, ejusdem usum minime interdictum, sed è suggestis doctum atque declaratum, minus esse mali iis, qui ab indecoro ejus usu sibi temperare non poterant, calice omnino abstinere; horum exemplo alios temporis processu, ne ad curam adeo solicitam obligarentur, ejus usu abstinuisse.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Concil. Trident. pag. 627.

Idem Episcopus Tininiensis in eadem cócione Patres Concilii hortatus est *ad commune incendium restinguendum, neve sinant ipsorum culpa omnia conflagrare, imbecillitati filiorū, qui præter sanguinem Christi aliud nihil poscunt, aliquid condonent, ne tot provinciarum & regnorum amissionem pro levi jactura ducant, & quandoquidem benedictus ille Salvatoris sanguis tam avide desideratur & deposcitur, pristinam illam in sumentibus negligentiam, quæ abstinendi causam dedit, nihil metuant, sed petentibus annuant.* Petrus Suavis d. l.

Stephanus Gardinerus in Sophistica Diaboli fatetur, *morem sub una specie administrandi Cœnam, non à Christo aut ab Apostolis, aut docto aliquo ex priscis Patre,* sed ex errore tantum, vel, ut ille melius appellat, *ex simplici & candida religione populi initium habuisse.*

Vega de distrib. Euchar. th. 63. *Ecclesia propter Nestorianos sub unica tantum specie dari jubet Eucharistiam.*

(At si Ecclesia ob illam causam communionem sub una instituit, sequitur, nec à Christo esse institutam, nec ab Apostolis introductam.)

Carolus Molinæus in Comm. contra abusus Paparum. *Quod Caroli Magni ætas morem integri Sacramenti dandi etiam Laicis tenuerit, testatur Joachim. Vadianus Helvetius Medic. D. in Æolide & Troade, citans Acta Synodorum Germanicarum à morte Caroli Magni. Illud notissimum est, usum hujus sancti Sacramenti integri tam Laicis, quam etiam fœminis observatum & retentum fuisse publice & ordinarie in Galliis usque ad Concilium Constantiense, & deinde per Concilium Basileense permissum fuisse Bohemis & omni regioni adjacenti. Quinetiam indifferenter permissum est per Decretales Paparum, quæ non tam corruptæ sunt, quam liber sextus Clement. & Extravagantes, quæ postea supervenerunt. Adhuc enim tempore Decretalium usus ille Sacramenti in utraque specie panis & vini indifferenter usurpabatur, quin etiam specialiter injunctum erat Sacristis cujusque parochiæ, ut hanc solicitudinem haberent, ne infirmi viri vel fœminæ carerent administratione Sacramenti in utraque specie panis & vini, ut expresse continetur in dictis Decretalibus lib. 1. tit. 24. de Officio Archi-Presbyteri cap. 2. & 3.*

Pamelius in Annot. ad Epist. 56. Cypriani. *Satis manifestum sit, communicasse plerunque plebem sub utraque specie tempore Cypriani, & causa videtur fuisse, ut per sumtionem sanguinis magis animarentur ad sanguinis effusionem pro Christo.*

Bruschius in Manuscript. *Nota, calices duos argenteos vetustissimos deauratos & unionibus distinctos superesse in Kramshofen, Canonicorum Regularium S. Augustini Cœnobio ad Oenum, ubi olim Reges Bojarii sedem habuerunt; quorum major duarum mensurarum, minor unius mensuræ capax est, quo olim in primitiva Ecclesia soliti fuerunt in sacra Synaxi uti Christiani. Horum calicum uni inscripti sunt hi versiculi, patena nempe circumferentiæ:*

Sancte DEUS fortis portis nos subtrahe mortis,
Nostros dignatus hoc munere dele reatus.

His adsunt arundines argenteæ & deauratæ, ex quibus biberunt, qui sacra Synaxi usi sunt.

Canisius in Summ. doctr. Christian de S. Euchristia p. 136. *Magister rerum usus paulatim docuit, majorem cum populi commoditate, ac minore periculo, multisque de causis frugifere fieri, ut, omisso calicis usu, alterius tantum speciei communio retineatur.*

(Ergo communio sub utraque specie ante consuetudinem illam contrariam in primitiva Ecclesia fuit usitata.)

Salmero tom. 9. tract. 35. *Ingenue & aperte confitemur, morem generalem extitisse communicandi etiam Latinos sub utraque specie, sicut hodie fit apud Græcos, & olim erat positum in more apud Corinthios & in Africa.*

Tom eod. tract. 2. *Per metaphoram innuit Esaias potum sanguinis Christi, qui in Ecclesia à populo toto sumebatur, quemadmodū nunc à solis Sacerdotibus, atque illis quidem celebrantibus bibitur semper.*

Gerhardus Lorichius in lib. de Missa publ. prorog. in 7. part. Canonis. *Sunt Pseudo-Catholici, qui reformationem Ecclesiæ quodammodo remorari non verentur. Hi, ne Laicis altera species restituatur, nullis parcunt blasphemiis. Dicunt enim, Christum solis Apostolis dixisse, Bibite ex hoc omnes. Atqui verba Canonis habent: Accipite & manducate ex hoc omnes. Hic dicant, oro, num & hoc ad solos dictum sit Apostolos? Ergo Laicis à specie panis abstinendum, quod dicere est hæresis & blasphemia pestilens & execrabilis. Consequitur igitur, utrumque verbum dictum esse ad omnem Ecclesiam.*

Ibid. *Ipsius Sacramenti institutio vult, ut omnes unà manducemus & bibamus.*

Idem in Fortalitio de Eucharistia hæresi 5. *Quod sanctorum Patrum sententias attinet, in quibus mentionem faciunt communionis sub utraque specie, respondendum est, loqui eos de more, qui tunc temporis apud eos servabatur, in sumtione sacræ communionis.*

Censura Coloniensis Dialog. 9. pag. 297. *In primitiva Ecclesia major erat in omnibus Sacramenti reverentia, qui quotidie dira pro Christi nomine subeunda expectabant supplicia, ac proinde, ut recenti magis incalescerent passionis Dominicæ memoria, illis haustus sanguinis dabatur, ut sicut Christus pro nobis, ita nec illi suum pro Christo dubitarent sanguinem & vitam profundere.*

(At si judicassent, Laicos etiam sub specie panis consecratū sanguinem Christi Sacramentaliter bibere, non opus fuisset, pani calicem in communione Laicorum addere. Et vel ex hac confessione liquet, in primitiva Ecclesia utriusque speciei usum fuisse receptum.)

Matthias Bredenbachius in lib. de Componend. Ecclesiæ dissidiis, inficias ire nequit, *quod in primitiva Ecclesia communio sub utraque specie in usu fuerit.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 131. pag. 903. *Mandavit Christus, ut poculum similiter omnibus porrigeretur.*

Toletus in cap. 6. Johan. *Antiqua consuetudo temporibus Apostolorum fuit in Ecclesia sub utraque specie communicandi. In hac assertione nulla est controversia.*

Bellarminus lib. 1. de Sacrament. cap. 21. propos. 2. *Non solum res, sed etiam verba in Sacramentis novæ legis à Deo sunt determinata, ut non liceat quicquam immutare.*

(At ipsi sustulerunt dimidiam ejus partem, privantes populum calice.)

Idem lib. 3. de Eucharistia cap. 17. *Sacramenta & eorum efficacia & veritas integre pendent ab institutione & verbis Christi.*

Ibid. *Sacramenta Novi Testamenti à Christi institutione pendent, & à ritu & verbis, quæ ille præscripsit. Hæc propositio,* inquit, *conceditur ab omnibus, & supra à nobis in lib. de Sacram. in genere probata est, nullo ex adversariis dissentiente.*

(Subsumimus. Ex communi Pontificiorum sententia, vi institutionis & verborum Christi sub specie panis Eucharistici non esse, nisi corpus, sub specie vini non esse, nisi sanguinem. Concilium Tridentinum sess. 13. can. 3. Catechism. Roman. part. 2. cap. 4. quæst. 28. Bellarmin. lib. 4. de Eucharistia cap 21. §. Sed hæc &c. adeo ut Jesuita Suarez affirmet in part. 3. Thom. quæst. 76. Disputat. 51. sect. 3. *contrariam assertionem non esse quidem apertam hæresin, ingentem tamen temeritatem & errorem magnum.* Ergo præsentia sanguinis Christi in Cœna Laicorum pendens à concomitantia in verbis & institutione Eucharistiæ nuIquam fundata, non erit Sacramentum.

Gregorius de Valentia lib. de Legitimo usu Sacrament. cap. 10. agnoscit, *in Concilio demum Constantiensi consuetudinem sub una specie communicandi, pro lege habendam esse, decretum fuisse factum.*

Idem tom. 3, col. 316. *Multi ritus veteris Ecclesiæ hodie non sunt in usu, ut communio Laicorum sub utraque specie.*

Costerus in Enchirid. cap. 10. *Est diligenter notandum, consuetudinem hanc* (communicandi sub una specie) *non tam Episcoporum mandato, quam populi usu & facto, conniventibus tamen Præsulibus, irrepsisse, quam abstinentiam Episcopi propter quædam pericula comprobabant.*

(Ergo non ex Christi institutione, nec ex Universali Ecclesiæ praxi, sed ex usu particulari communio sub una descendit.)

Vasquez tom. 3. in 3. part. D. 168. cap. 1. *Cum fuerit institutum ad refectionem spiritualem gratiæ, quam significat, & ex cujus significatione rationem subit Sacramenti, vim habet cujusdam convivii. Convivium autem, licet constet duplici re, nempe cibo & potu, quia tamen non intelligetur refectio integra convivii in cibo aut in potu, sed in*

utroque

utroque simul, ideo dicitur unum convivium, cibus & potus, & una refectio.

(Atqui Christus integram refectionem non solum Clericis, sed etiam Laicis in hoc Sacramento instituit.)

Ibid. D. 215. cap. 2. v. 9. *Hoc Sacramentum non tantum sub duplici specie institutum est, quatenus est sacrificium incruentum, ut sacrificium crucis Christi repræsentaret, sed etiam quatenus Sacramentum, ut esset instar convivii, ideoque de illo dixit Christus Joh. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Nam in convivio nihil aliud est, nisi cibus & potus, quorum quilibet suo peculiari modo reficit, & ad nutritionem ac augmentum conducit.*

Idem probat ex Antiphona in die Viridium. *O sacrum convivium &c.*

(Si Eucharistia non solum ut *sacrificium*, sed etiam ut *Sacramentum* sub duplici specie instituta, utique utraque species tanquam partes essentiales ad Cœnam pertinent. Item. Si Eucharistia non solum ut sacrificium, sed etiam ut Sacramentum sub duplici specie instituta, ergo non solum Clerici conficientes, sed etiam Clerici non conficientes, & Laici sub utraque specie communicare debent.)

Ibid. D. 216. num. 5. *Si Cœna in triduo mortis fuisset celebrata ante resurrectionem sub specie panis, tantum præsens fuisset corpus. Quod autem per concomitantiam totus Christus præsens est sub specie panis, id accidentarium omnino videtur.*

(Ergo sanguis non adest sub pane, ut pars substantialis Sacramenti.)

Tannerus in Compend. relat. Colloq. part. 2. cap. 6. p. 37. *Fateantur ipsi, quæso, si lubet, multa fide infallibili & divina esse credenda, quæ in Scriptura sola non contineantur, nec ex ea sola evidenter deducantur, & tunc nihil cum illis amplius magnopere contendemus. Fateantur, inquam, communionem sub una specie.*

(Agnosci igitur, communionem sub una non posse ex sola Scriptura probari.)

Suarez de Sacramentis Disp. 71. sect. 1. *Solebat Christianus populus frequenter sub utraque specie communicare.*

(Ergo communio sub utraque habet Ecclesiæ primitivæ exemplum.)

Tannerus part. 2. Anatom. August. Confess. Demonstrat. 2. §. 260. concedere cogitur, *præceptum de communione sub una specie esse novum. Mendacium est*, inquit, *communionem sub una specie novam, aut nuper primum in Ecclesia introductam esse, utpote quam etiam apud Lucam cap. 24 legimus: secus est de præcepto communicandi sub una specie Laicis dato, quod non ita antiquum esse, libenter fatemur.*

Idem lib. 2. Dioptr. quæst. 4. cap. 24. pag. 548. expresse ait, *Ecclesiam olim, prohibita communione sub una, præcepisse illam sub utraque.*

Pazmannus lib. 11. Hodeg. cap. 11. fatetur, *Deum non concessisse Ecclesiæ mutationem rerum ad Sacramenti essentiam pertinentium.*

(Subsumimus. Ut panis & corpus Christi, ita vinum & sanguis Christi ad essentiam Eucharistiæ pertinent. Ergo Christus mutationem circa illa Ecclesiæ minime concessit.)

Majerus in Controvers. p. 52. *Licet tum ad voluntatem Christi, tum ad praxin ejusdem & Apostolorum Ecclesiæq; attendendo non simpliciter referat, sub una specie Laici, an sub utraque communicent.*

(Si communio sub utraque est libera ex praxi Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, cur in Concilio Constantiensi & Tridentino communionem sub una fecere necessariam?)

Communiter omnes Pontificii fatentur, *vi verborum institutionis sub pane tantummodo corpus Christi Sacramentaliter præsens esse.*

(Ergo illud tantum, tanquam pars substantialis, in una specie præsens est, non simul sanguis, & per consequens utraque species debet usurpari. Neque enim omne, quod quocunque modo pani præsens est, Sacramentaliter sub specie panis manducatur, sed quod Sacramentali modo præsens est, alias etiam Christus in communi pane acciperetur.)

Denique huc pertinent Hymni sacri publice in Ecclesia decantati, qui benedictum calicem integrantem Eucharistiæ partem faciunt.

In Hymno, qui incipit, *Lauda Sion Salvatorem*, inter alia sic habetur:

Quod in Cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis
Panem & vinum in salutis
Consecramus hostiam.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.
Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus,
Habes rei cardinem &c.

In Hymno Thomæ Aquinatis apud Cassandrum p. 240. Ecclesia sic canit:

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.
In mortem à discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit & sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in precium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris Hostia,
Quæ cœli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

In Hymno de templi dedicatione Ecclesia Romana sic canit:

Hæc domus tibi dedicata cernitur, in qua populus sacratum corpus assumit, bibit & beatum sanguinis haustum.

In Ecclesiis Germanicis, etiam post Concilii Constantiensis tempora, fuit publice decantatum:

GOtt sey gelobet und gebenedeyet/
Der uns selber hat gespeiset
Mit seinem Fleische und mit seinem Blute/
Das gib uns HERR GOtt zu gute/
Kyrie Eleison.
HERR durch deinen heiligen Leichnam/
Der von deiner Mutter Maria kam/
Und das heilige Blut/
Hilff uns HERR aus aller Noth/
Kyrie Eleison.

(Hæ cantiones Ecclesiasticæ in publicis Conventibus tempore communionis decantatæ, fuerunt quasi *solennes protestationes de jure communionis sub utraque specie ex Christi institutione etiam Laicis fidelibus debito, & querela de injuria Papæ sibi ceu Legatariis partem hereditariam auferentis*, ut scribit D. Lutherus lib. de Miss. angul. tom. 6. Jenens. Germ. f. 102.

Nec immerito huc refertur, quod agnoscere coguntur, in Ecclesiis Græcorum, Armeniorum & aliorum Orientalium populorum communionem sub utraque specie continuo ac perpetuo usu fuisse conservatam, ex quo apparet, Romanam Ecclesiam in communione sub una specie non solum ab institutione Christi, sed etiam ab Universali & perpetua Catholicæ Ecclesiæ praxi secessionem fecisse.

Cassander in Liturgicis varios Ordines Liturgiæ in aliis Ecclesiis, nempe *Syris*, ex Syriaca versione pag. 24. *Æthiopicis*, ex translatione Æthiopica pag. 27. iis, qui sunt *in regno Preste Johannis* ex Opere Lusitanico, & postea Italico Francisci Alvares pag. 28. *Armeniis*, juxta relationem Andreæ Lubelczyck pag. 29. Itemq; ex lib. 3. Observat. Petri Bellonii cap. 12. p. 31. *Indicis*, ex libr. Odoardi Barbosæ pag. 31. *Moscoviticis*, ex Commentariis rerum Moscoviticarum Sigismundi Libori pag. 32. recenset, in quibus omnibus utriusque speciei communio stabilitur.

Zaga Zabo Episcopus Abassinus, qui à Rege suo ex Æthiopia in Lusitaniam missus, Confessionem fidei Abassinorum edidit, in cap. de Usu sacrosanctæ Eucharistiæ sic loquitur: *Quotiescunque confitemur, assumimus corpus Domini, & id quidem sub utraque specie in pane azymo triticeo.*

Baronius adducit testimonia, ex quibus constat, communionem sub utraque specie in veteri Ecclesia Anno Christi 404. (ibid. §.32.) anno 434. (ibid. §.17.) anno 599. tempore Gregorii M. (ibid. §.10.) adhuc usitatam, ideoque nondum prohibitam fuisse.

Durandus lib. 2. de Rit. Ecc. c. 7. §. 2. refert, *tempore S. Remigii* (anno Christi 890.) *Laicis adhuc datum fuisse calicem.*

(Ex his, quæ dicta sunt hactenus, manifeste elucescit. 1. Quosdam ex Pontificiis agnoscere, *Eucharistiam sub utraque specie à Christo esse institutam.*

2. Quosdam agnoscere, *Christum & Apostolos sub utraq; specie Eucharistiam communicantibus distribuisse.*

3. Quosdam agnoscere, *in primitiva Ecclesia communionem sub utraque specie fuisse usitatam.*

4. Quosdam *gravissimas rationes* afferre, *propter quas communio sub utraque specie sit necessaria.*

Quosdam tales hypotheses concedere, ex quibus communio sub una specie fortiter impugnari & everti potest, quæ omnia nostram mirifice confirmant sententiam, cui porro etiam illud suffragatur:)

2. Quod Adversarii communionem sub una specie ita propugnant, ut variis modis sibi invicem contradicant.

Primo. Communio sub una specie nititur potissimum autoritate Concilii Constantinensis & Basileensis.

Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 26. resp. ad 1. Cypr. dictum. *Si tempore Cypriani habuissent Laici jus petendi calicem, certè habuissent ex consuetudine illius temporis, ergo, cum hoc tempore sit contraria consuetudo introducta, & lex præterea in generalibus Conciliis* Constantiensi & Basileensi *promulgata, non habent amplius jus illud Laici.*

Sed Albertus Piggius in Hierarch. dicit, *quod hæc Concilia in quibusdam contra legem Naturæ, manifestas Scripturas, contra vetustatis autoritatem, & contra Catholicæ Ecclesiæ fidem decreverint.*

Bellarminus ipse lib. 1. de Concil. cap. 7. Concilium Constantiense & Basileense refert inter ea, *quæ partim confirmata, partim reprobata. Concilium Constantiense*, inquit, *quantum ad primas sessiones, ubi definit, Concilium esse supra Papam, reprobatum est in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo; quantum ad ultimas sessiones & ea omnia, quæ probavit Martinus V. ab omnibus Catholicis recipitur. Concilii Basileensis nihil est ratum & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia Ecclesiastica, quæ à Concilio factæ fuerant, quas pacis & unitatis gratia Nicolaus V. approbavit. Concilium vero ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo sess. 11.*

Lib. 2. de Concil. Constantiense Concilium vocat *schismaticum*, ideo, *quod Papam sententiæ suæ subjecit, eumque negavit Universali Ecclesiæ præcipere posse, sess. 4.*

(Si autoritas horum Conciliorum ob solum Pontificis arbitrium repudiari potest, multo magis repudiari poterit, si demonstretur, illorum decreta cum sacris literis pugnare.)

Secundo, Bellarminus lib. 4. de Euch. cap. 25. resp ad 3. statuit, *in Ecclesia Apostolica licitam fuisse communionem sub utraq; specie. Ecclesia Corinthiorum*, inquit, *utebatur utraq; specie, quia Paulus vel Domini exemplo, vel aliunde ostendit & tradidit, licitam esse communionem sub utraque specie.*

In eodem cap. § Videndum &c. statuit, *mandatum fuisse Apostolis, ut è calice biberent.*

Sed Vitus Miletus in Speculo Catholico cap. 12. §. 4. causam & culpam abnegationis Petri & fugæ discipulorum, qua Dominum deseruerunt, haud obscure confert in usum utriusque speciei. Verba sic habent: Jedertzeit ist mehr Frucht und Freude bey einer Gestalt gewesen/denn bey zweyen.

Postea subjungit loca Scripturæ Matthæi 26. Marc. 14. ubi Christus discipulis *fugam prædixit* quæ etiam fuit secuta. Lucæ 21. ubi *contentio inter discipulos orta*, quis eorum videretur major? 1. Cor. 11. ubi *dissidia & αἱρέσεις* in celebratione Eucharistiæ apud Corinthios fuisse memorantur.

(Confer D. Hunnium tom. 1. Operum p. 1243.)

Tertio, Bellarminus statuit d. l. cap. 23. propos. ult. *Nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.*

Sed Alexander Alensis p. 4. Summ. q. 53. membr. 1. Caspar Cassalius lib. 2. de Cœna & calice cap. 25. Cassander in Consultat. statuunt contrarium.

(Fatetur hoc Bellarm. d. l. sic scribens: *Unus est ex veteribus, qui contrarium sensit, nempe Alex. Alensis, ex recentioribus autem Caspar Cassalius & Ruardus.*)

Quarto, Bellarmin. d. l. cap. 25. resp. ad 2. aliquot argumentis probare conatur, *solis Apostolis fuisse dictum, Bibite ex hoc omnes.*

Sed Gerhardus Lorichius in lib. de Missa vocat hoc *blasphemum.* (Verba paulò ante sunt adducta.)

Quinto, Imperat. Reges, Principes, in Concilio Tridentino per Oratores sive Legatos suos *restitutionem calicis* postularunt, quin & per literas à Pontifice idem flagitarunt, adductis quàm plurimis hujus restitutionis utilitatibus atque commodis, (ut vidimus superius.)

Sed Bellarm. d. l. cap. 24. aliquot *incommoda* enumerat, quæ sequerentur ex usu utriusque speciei Laicis concesso.

(Mirum vero, prudentissimos illos Dynastas incommoda illa non vidisse?)

Sexto, in Concilio Tridentino major eruditorum Episcoporum, eaque potior pars in eam sententiam concors pedibus ivit, *ut Laicis calicem esse concedendum* judicaret, referente Cassandro in præfatione libri de Communione sub utraque specie Coloniæ editi Anno 64.

Hoc tamen non obstante, obtinuit decretum *de communione sub una.*

Septimo, Paulus III. Pontifex Romanus, per Legatos in Germaniam missos, de consilio & assensu omnium Cardinalium mandatum dedit, *ut permittentibus sibi calicem dari, eum non denegarent.* Jacobus August. Thuanus lib. 6. Histor.

Eadem concessio facta est per liberum Interim.

Sed Cardinalis Hosius in Dialog. de Communione sub utraque specie scribit, *Si Laicis calix, & Sacerdotibus uxores permittantur, Papatum universum eversum iri.*

Octavo, Bellarmin. d. l. cap. 21. §. Cæterum &c. & pleriq; omnes Pontificii agnoscunt, *communionem sub una specie in Concilio Constantiensi primum esse decretam.*

Sed Cardinalis Hosius d. l. scribit, *fortassis Ephesini Concilii autoritate usum utriusque speciei fuisse abrogatum, acta autem illius Concilii non extare integra, quibus hoc possit clare evincere, sed tantummodo fragmentum*, affert autem *non rejiciendas*, ut ipse loquitur, *conjecturas*, quibus doceat, *Ephesinum Concilium hoc statuisse.* Idem videtur Hardingo & Petro Michaeli.

Jacobus Hack Jesuita adversus Tossanum quæst. 2. cap. ult. pag. 677. Hochverweißlich ist Tossano diese Unwissenheit/ daß er schreibet pag. 30. daß die eine Gestalt ist recht zu Hussi Zeit im Schwange gangen / denn beyläufftig vor fünffhundert Jahren war die Communion unter einer Gestalt nicht allein im Brauch / sondern beyde Gestalten waren bey den Deutschen verbotten.

(Duo notanda, 1. Quod usum plenum communionis sub una specie faciat antiquiorem Concilio Constantiensi, nec tamen altius inquirat ejus originem, quam circa seculum undecimum. 2. Quod addat restrictionem, *Germanis fuisse utramque speciem prohibitam*, tacite ergo fatetur, cæteris populis & nationibus alteram speciem nondum fuisse interdicto ademtam, sed solis Germanis.)

Nono, Bellarminus dicto loc. cap. 24. rat. 4. probare conatur, *etiam in veteri Ecclesia ante Concilium Constantiense communionem sub una specie fuisse usitatam.*

Lib. ejusd. cap. 25. resp. 2. scribit, *in ipso etiam publico cœtu in templis sub una specie fuisse communicatum in antiquissima Ecclesia.*

Sed Petrus à Soto & Georgius Cassander statuunt contrarium. (Verba eorum superius sunt adducta.)

Latomus in lib. adversus Bucerum in hæc prorumpit verba: *Cum adhuc rudis esset prima Ecclesia, ritum à Christo traditum religiose tenuit, donec docta à Patribus intellexit, utramque speciem convenire Sacerdotibus, Laicos autem solo pane contentos esse posse.*

Decimo, Theologi Gallici, cum à Rege ipsis objectum fuisset, *Galliæ Regibus Eucharistiam sub utraque specie administrari, ac proinde etiam Laicos sub utraque communicare debere*, responderunt: *Reges æque unctos esse, ac Sacerdotes, & Scripturam loqui de Sacerdotio regali.*

At si *exterior unctio* chrismatis tantum dignitatis confert Regibus, ut Eucharistiam integram merito percipiant, quantò ma-

tò magis *interior unctio Spiritus* reliquis fidelibus usum integræ Eucharistiæ impetrare debet? Quando Petrus *regalis Sacerdotii* mentionem facit, non de solis Regibus, sed de omnibus fidelibus loquitur, vi ergo hujus argumenti etiam Laicis calix erit dandus.

Undecimo, Bellarminus d.l. cap. 26. resp. ad 11. c. Comperimus. dist. 2. de Consecrat. intelligit *de solis Sacerdotibus conficientibus*, qui non debent unam speciem sumere sine altera.

Sed in illo canone asseritur, *quosdam sumta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstinuisse.*

Consequens igitur fuerit, Sacerdotes illos vel calicem non consecrasse, vel calicem consecratum reposuisse.

Prius dici nequit, quia ex hypothesi Pontificiorum, *non potest, nec debet fieri consecratio sine vino.* Sic ergo Sacerdotes illi ne quidem corporis sacri portionem sumsissent.

Posterius repugnat argumento Bellarmini, quo *communionem sub specie panis tantum in primitiva Ecclesia usitatam fuisse* probare conatur. Sic enim scribit cap. 24. §. Ac primum &c. *Asservari solitum fuisse Eucharistiæ Sacramentum, supra probavimus. Quod autem solum sub una specie asservarent, & proinde sub una specie sumerent, patet, quia aliquando ad longissimum tempus asservabant, non autem posset vinum in parva quantitate tamdiu conservari, quin acescat.*

Duodecimo, Gerson Cancell. Paris. in tract. de Commun. Laic. inter causas communionis sub una specie etiam hanc affert, *quod in conservatione vini pro infirmis periculum esset acoris, putredinis, corruptionis, generationis muscarum &c.*

At si vinum transsubstantiatur in sanguinem Christi, ita ut nihil, nisi species & accidentia vini maneant, quomodo periculum erit acoris, putredinis, corruptionis &c. in vino, quæ non nisi præsupposita vini substantia locum habent?

Decimo tertio, Bellarmin. d.l. cap. 25. resp. ad 2. statuit, *ideo dari Laicis Eucharistiam, quia Christus non solum non prohibuerit, sed etiam jusserit dari, cum ait: Hoc facite.*

Becanus autem in Disp. de Eucharist. cap. 10. contrarium statuit, *Si quæritur præceptum, datur illis verbis Joh. 6. v. 53. Nisi manducaveritis.*

Sic ergo Bellarminus præceptum de communicatione Laicorum in verbis institutionis haberi concedit, Becanus negat.

Decimo quarto, Bellarminus d.l. cap. 26. resp. ad 20. gravissime reprehendit Lutherum & Chemnicium, *quod Constantiensi Concilio injuriam fecerint, tribuentes ei, quod agnoverit, Christum instituisse Eucharistiam sub utraque specie, & vocantes clausulam flagitiosam, Hoc non obstante.*

Sed præterquam, quod ipsa Concilii Constantiensis verba satis sint manifesta, in Concilio Tridentino totidem verbis repetitur, *Christum Dominum in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituisse & Apostolis tradidisse* sess. 21. cap. 1. ubi notandum, quod Latinum vocabulum *tradidit*, in Germanica versione decretorum Concilii Tridentini, edita Coloniæ apud Maternum Cholinum Anno 70. redditum sit per *præcepit*, pag. 203.

Gregorius de Valentia tract. de Missa fol. 95. scribit, *Laicis non posse dari calicem juxta Christi institutionem, propter contrariam Ecclesiæ dispositionem.*

Decimo quinto, idem Bellarminus d.l. cap. 24. rat. 2. *ex cap. 6. Joh.* communionem sub una specie probat.

Sed multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt, non de *Sacramentali*, sed *spirituali* carnis & sanguinis Christi participatione in illo cap. tractari, ut postea videbimus.

Decimo sexto, idem Bellarminus d. l. cap. 22. propos. 3. concedit, *speciem vini esse materialem & integralem Sacramenti partem.*

At negari non potest, nec debet, partem materialem & integralem Sacramenti ad integritatem Sacramenti pertinere, quomodo igitur Laicis sine specie vini integrum dabitur Sacramentum?

Decimo septimo, Concilium Constantiense & Tridentinũ dicunt, *Christum sub utraque specie panis & vini venerabile hoc Sacramentum instituisse & Apostolis tradidisse.*

Agnoscit hoc ipsum Bellarm. d.l. cap. §. Neque ideo &c. sic scribens: *Quia Sacramentum sub duplici specie institutum est, utraq; species necessario ab aliquibus sumenda est.*

Sed hisce è diametro adversatur, quando idem Bellarminus, pondere argumentorum nostrorum pressus, scribit d. l. cap. 27. resp. ad 2. *Si proprie & secundum Evangelium loqui velimus, Cœna Domini non constat, nisi ex una specie. Nam Luc. 22. sic legimus: Cœnantibus illis, accepit Jesus panem. Et postmodum multis interjectis, Similiter & calicem, postquam cœnasset. Et 1. Cor. 11. Similiter & calicem, postquam cœnavit. Itaque in Cœna non dedit, nisi Eucharistiam sub specie panis, quæ proprie respondet Cœnæ Judaicæ & agno paschali, post Cœnam autem dedit calicem.*

Item cap. 22. *Huc accedit, quod nullo modo, ut Sacramentum sit, una species pendet ab alia. Nam Dominus prius sub specie panis Sacramentum confecit & manducandum dedit, & deinde manducatione absoluta sub specie vini Sacramentum confecit & bibendam tradidit.*

Decimo octavo, Bellarminus institutionem Christi *ad solos Apostolos tunc præsentes* refert. Becanus distinguit inter *institutionem & præceptum.* De utraque specie Laicis danda institutionem extare concedit, præceptum vero negat.

Decimo nono, Costerus in Enchiridio à Moguntinensibus, Trevirensibus ac Coloniensibus Jesuitis approbato scribit, *omnibus Christianis libere à Christo permissum esse, sub una vel utraque specie communicare.*

Sed Bellarmin. d.l. cap. 25. resp. ad 1. arg. ex Concilio Tridentino probat, *excipi Clericos conficientes, qui teneantur ad utramque speciem.* Postulamus vero, ut ostendant jus sive præceptum, quo teneantur Sacerdotes conficientes ad utramque speciem, reliqui vero non teneantur. Si confugere velint ad institutionem Christi, opponimus eis, quod Apostoli tunc non fuerint *conficientes.*

Vigesimo, idem Costerus in Enchirid. cap. 10. *Diligenter notandum, hanc consuetudinem* (communicandi sub una) *non tam Episcoporum mandato, quam populi usu & facto, conniventibus tamen Præsulibus, irrepsisse, quam abstinentiam Episcopi propter quædam pericula comprobabant.*

Sed reliqui Pontificii ex verbo DEI & veteris Ecclesiæ consuetudine communionem sub una specie probare satagunt.

Vigesimo primo, communionem sub utraque specie quidam faciunt *peccatum contra primum præceptum*, ut videre est in libro, qui inscribitur, *Exercitium pietatis in gratiam Studiosorum autoritate Cardinalis Razivilii scriptum & editum Colon. Ann.* 1592. in cap. de Methodo recte confitendi. *Circa primum præceptum inquiratur, an fecerit aliquem exteriorem actum infidelitatis &c. ut sub utraque specie communicando.*

Alii vero communionem sub utraque specie statuunt esse *rem adiaphoram ac liberam.*

Vigesimo secundo, Bellarminus judicat, satis se obtinuisse, modo id probet & obtineat, *nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una*, cap. 23. propos. ult.

Sed Censura Colon. Dial. 9. pag. 289. usui utriusque speciei omnem omnino fructum spiritualem derogat. *Quicunq;*, inquiunt, *sub utraque specie communicant, non solum non fructum aliquem salutis, aut gloriam, sed perditionem æternam ac perpetuam reportant ignominiam.*

Vigesimo tertio, docent, *Christum in prima S. Cœnæ administratione calicem Eucharisticum dedisse Apostolis, quos tunc fecerit Presbyteros, ac proinde solum Presbyteros, non autem Laicos teneri ex verbo divino recipere hoc Sacramentum in utraque specie.*

Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trid. p. 608. *In Concilio Tridentino, cum de communione calicis disputaretur, Jacobus Payva Lusitanus dicebat, Christum & præcepto & exemplo declarâsse, speciem panis omnibus, calicem vero solis Sacerdotibus concedendum. Ipsum enim, pane consecrato, dedisse eum Apostolis, cum adhuc essent Laici, & universum populum repræsentarent, cum mandato, ut de eo comederent omnes. Dein ordinâsse Apostolos Sacerdotes his verbis: Hoc facite in mei commemorationem, ac tandem consecrâsse calicem, & eidem jam in Sacerdotes consecratis porrexisse.*

At nec *Presbyteri* apud ipsos, si tantum communicent, non autem conficiant, recipiunt Sacramentum sub utraque specie.

Vigesimo quarto, Johan. Hesselius in Declaratione, quod sumtio Eucharistiæ sub unica specie Christi præcepto non adversetur &c. *Christum sub sola specie panis Sacramentum corporis & sanguinis sui consecrasse, Luc. 24. non est absurdum, docet enim Alex. de Ales & Adrianus Sixtus, licere, quantum est ex jure divino, unam tantum speciem consecrare.*

Contra Thomas part. 3. quæst. 80. art. 12. *Repræsentatio Dominicæ*

minica passionis agitur in ipsa consecratione hujus Sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari.

Dominicus à Soto in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 1. *Addit D. Thomas, quod ubi altera defuerit materia, neutiquam altera consecranda est, videlicet ut panis, ubi non est vinum, vel vinum, ubi non est panis, consecretur. Esset enim hoc immane sacrilegium, atque adeo nullam ob causam committendum, eò quod Sacramentum maneret imperfectum.*

Plures hujus sententiæ assertores adducemus inferius arg. Adversarior 6.

Vasquez in p. 3. Thom. Disp. 123. cap. 3. rem in medio relinquit, *probabiliter*, inquit, *sententia in duobus posita est: Alterum est, tam ratione Sacramenti, quam sacrificii utriusque speciei consecrationem ex jure divino necessariam esse, ut etiam ex licentia & dispensatione Pontificis, una tantum consecrari non possit; alterum est, ratione sacrificii ita essentialiter à Christo positam fuisse in consecratione utriusque speciei, nulla habita ratione conversionis, ut in consecratione alterius commode constitui non poterit.*

Vigesimo quinto, Rayhing. in Enchir. Cathol. contra D. Hoe p. 839. usum unius speciei in primitiva Ecclesia receptū fuisse probat ex Historia *de fœmina hæresi Macedoniana addicta*, apud Sozomenum lib. 8. cap. 5. Nicephorum lib. 13. cap. 7.

Sed Vasquez tom. 3. in pag. 3. D. 216. cap. 3. n. 21. agnoscit & multis probat, *hanc conjecturam esse infirmam.*

(Erreɛte. Potuisset enim æque simulare, quod bibat ex calice, cum tamen non biberet. Quod Chrysostomus omnibus dederit calicem, patet ex Homil. 18. in 2. Corinth. *Est, ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis.*)

Vigesimo sexto, Idem Rayhing. d. l. p. 841. usum unius speciei probat ex eo, *quod Manichæi ad occultandam hæresin sub specie panis tantum communicabant.*

Sed Vasquez d. l. itidem scribit, *hanc conjecturam sibi videri minus certam*, & hujus sententiæ suæ aliquot rationes adducit.

Vigesimo septimo, Id. Rayhingius d. l. p. 871. statuit, *unam speciem in Concilio Constantiensi præceptam ad tollendum errorem eorum, qui existimarunt, utramque speciem esse necessariam, & negarunt, totum Christum esse sub una specie,*

Sed Vasquez d. l. cap. 4. num. 42. negat, quod hanc ob causam calicis usus in Concilio Constantiensi sit abrogatus, scribens: *Usque ad tempora Concilii Constantiensis, ubi primum sublatus fuit Laicis calicis usus, nullum exortum fuisse errorem circa integritatem Christi sub qualibet specie. Quare dici non potest, ad tollendum illum talem legem in Ecclesia latam fuisse.* Negat etiam, quod ab aliis Pontificiis *Leo & Gelasius propter Manichæos usum utriusque speciei dicuntur introduxisse.* D. 216. cap. 3. num. 22. cap. 4. n. 42. cap. 6. num. 76.

Vigesimo octavo, Eccius Homil. 34. de Sacramentis. *Quod in Ecclesia Martyrum hoc Sacramentum etiam à Laicis est sub specie vini in calice sumtum, id sane factum est propter quotidianam persecutionem & continuam Christiani sanguinis effusionem: quare mirum non est, si qui semper parati esse debebant ad fundendum pro fidei professione sanguinem, etiam Christi sanguinem sub vini specie susceperint, per hoc enim provocabantur illi & confortabantur, ut constantius sustinerent supplicia, & ipsam quoque mortem non formidarent pro fide subire.*

Contra Slotanus contra Velsium art. 23. *Haud diffitemur, hujusmodi consuetudinem illo tempore & subsequentibus ad tempus in Ecclesiis plurimis fuisse, & perdurasse, non solum tempore persecutionum & Martyrum, sed etiam tempore pacis Ecclesiæ.*

Vigesimo nono, Bohemi olim ex cap. 6. Johannis, & quidem præcipue ex verbis illis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, vitam non habebitis &c.* communionem sub utraq; specie probarunt. Dominicus à Soto idem argumentum nostris tribuit, sed falso.

Hic vero Pontificii argumento huic responsuri, in varias diverterunt sententias.

1. Johannes de Ragusio negavit, ullum hic esse præceptum. *Autoritas*, inquit, *non intelligitur præceptive, nec includit in se aliquod præceptum vel mandatum, cum non sit necesse, ubicunque in doctrina Christi ponitur nota præcepti vel affirmative, vel negative, ibi esse obligationem ex necessitate, ut Matth. 9. Videte, ne quis sciat. cap. 10. Nihil tuleritis in via. Luc. 14. Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet &c.*

2. Concesso præcepto, negarunt quidam *agi de Sacramento*, quidam affirmarunt. Negarunt olim Johannes de Ragusio, Johannes de Turrecremata. Et proximo seculo Cajetanus, Eccius, Johannes Faber & alii, quos inferius argum. 5. Advers. adducemus. Affirmarunt contra Johannes Roffensis, Alphonsus de Castro, Pighius, Dominicus Sotus, Gregorius de Valentia, Becanus, Bellarminus,

3. Qui affirmantem amplexi sententiam, iterum in varias partes abierunt.

Fuerunt, qui *disjunctive* interpretarentur. *Nisi manducaveritis carnem, vel biberitis sanguinem.* Bellarminus solut. 2, & Gregor. de Valent.

Sunt, qui malint *præceptum datum Ecclesiæ, sed implendum per aliquos, non per singulos.* Bellarminus solut. 3. & Gregor. de Valent. Sed Dominicus Soto non probat.

Dixerunt aliqui, *de Sacramento agi, sed non de modo.*

Lorichius, *non referri ad modum sumtionis Sacramenti, sed simpliciter ad Sacramenti sumtionem, sive sub una, sive sub utraq; specie.*

Salmero. *Non intelligi Capernaiticam manducationem, non Sacramentalem tantum, non spiritualem tantum. Ergo agi de spirituali manducatione in hoc Sacramento, actu voto ve suscepto, quæ non minus in una, quam utraque specie intelligatur.*

Costerus notat, *nullam fieri mentionem specierum, sed corporis tantum ac sanguinis, hunc autem sanguinem sub specie panis bibi.*

Trigesimo, Censura Colon. Dial. 9. pag. 285. *Solam vini speciem ægrotis ægre deglutientibus, nonnunquam administratam fuisse, comprobari potest ex Canone 76. Concilii IV. Carthaginens. & ex Toletani II. canone.*

(An adhuc hodie solam vini speciem Laicis dare velint, si Ecclesiæ, id est, Pontifici ita visum, secum deliberent.)

3. Quod tales concedunt hypotheses, ex quibus communio sub utraque specie probari potest.

Primo, Thomas Quodl. 4. art. 13. *In solis his, quæ sunt de lege Naturæ, & in articulis fidei, & in Sacramentis novæ legis dispensare non potest Papa.*

(Ergo etiam non potest abrogare usum calicis in Eucharistia.)

Secundo, Lælius Zecchius de Republ. Ecclesi. cap. 2. sect. 9. *Circa Epistolas Pauli & dicta Apostoli notandum, quod Apostolus in sua doctrina aliqua posuit promulgans jus divinum, ut vetans circumcisionem & hujusmodi. Et in hoc Papa non potest dispensare, quia sibi à Christo fuit immediate revelatum. Quædam vero sicut propria statuit, & in his Papa potest dispensare.*

(Atqui Apostolus, prout à Domino acceperat Cœnam, sic tradidit Corinthiis sub utraque scilicet specie, quod fatetur Lyra in 1. Cor. 11. Ergo Papa in eo non potest dispensare.)

Tertio, Gregorius de Valentia in Anal. fid. p. 362. asserit, *ne ab ipsis quidem Apostolis* (seclusa extraordinaria & speciali aliqua revelatione) *mutari posse, quæ ex ore ipsius Christi acceperunt, ut illa, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum.*

(Atqui calicis usus pertinet ad substantiam Eucharistici Sacramenti. Ergo Papa eum non potest abrogare.)

Quarto, Gerson de Vit. spirit. lect. 2. coroll. 7. *declinare illos censet, qui immutationem traditionum ab Evangelistis datarum, vel Apostolis, Ecclesiæ, Concilio, vel Papæ attribuunt.*

(Atqui usus calicis consecrati in Eucharistia est traditio à Paulo Ecclesiæ data. 1. Cor. 11. v. 23. *A Domino accepi, quod tradidi vobis.*)

Quinto, Alphonsus de Castro hæres. ult. de Euchar. *Etsi sub qualibet specie totus integer Christus lateat, non tamen qualibet species totum Christum significat aut repræsentat, sed species panis solam carnem significat, species vini solum sanguinem repræsentat, ejusque solius memoriam gerit. Quo fit, ut si (Sacerdos) solum panem consecraret, aut solum panem consecratum sumeret, solius oblationis memoriam faceret, qua Christus obtulit suum corpus, nulla autem tunc memoria fieret sanguinis effusi atque pro nobis oblati, quod species panis, etsi sanguinem contineat, non tamen sanguinem repræsentat, aut ejus memoriam facit.*

(Ex eo sic colligimus: Cui imperata mortis Christi commemoratio, illi necessaria est utraque species. Atqui non solum Clericis, sed etiam *Laicis* imperata mortis Christi commemoratio. Ergo.)

4. Quod communionem sub una specie *ab hæreticis* in Romanam Ecclesiam descendisse, tacite fateri coguntur.

Jacobus Hack Jesuita contra Tossanum quæst. 2. cap. 45. pag. 672. Mit Cypriani eingeführtem Exempel will ich erhalten / daß eine Gestalt so wol / als zwo in der alten Kirchen üblich gewesen und gebilliget worden / wie auch im öffentlichen Brauch die eine Gestalt zu Rom gewesen zur Zeit des H. Augustini, denn die Manichæer zu Rom unter einerley Gestalt bey den Catho-

Catholischen sich communiciren lassen/und wird doch vom Augustino und andern Lehrern / die ihren Irthum fleissig verzeichnet/die Niessung der einen Gestalt ihnen für keinen Irthum zugemessen/und zweiffels ohne/wenn es unrecht were und ketzerlich unter einer Gestalt zu communiciren, so hette Augustinus oder doch andere / oder auffs wenigste einer die communion unter einer Gestalt auch unter ihren Irthum gesetzet. Davon aber bey keinem kein einiges Wörtlein gelesen wird. Daß sie aber unter einer Gestalt communicirt , ist klar aus dem 4. sermone Leonis Papæ de Quadragesima. Und sind eben sie ein Ursach gewesen/warum Papst Leo serm. 4. de Quadrages. und Gelasius apud Gratianum, mit dem Tossanus nicht wenig pochet de Consecrat. dist. 2. ein Gebot machet/ daß keiner aus den Catholischen sich vom Kelch bey der communion enthalten sol. Denn nach dem die Manicheer aus Africa vertrieben worden / und gen Rom flüchtig worden / damit sie nicht daselbst erkennet würden / so haben sie sich mit den Catholischen unter der Gestalt des Brots communiciren lassen/ und vom Kelch sich gantz und gar enthalten / nicht aus der Ursach allein / weil damahls die Catholischen unter einer sich communiciren liessen / sondern weil sie in dem Irthum gestecket / daß der Wein ein Creatur des Teuffels wäre. Ist also geschehen / daß man lange Zeit die Manicheer/von denen man verständiget worden/daß sie zu Rom sich auffhielten / von den wahren Catholischen Christen nicht unterscheiden hat können / biß ein Gebot von der communion unter zwo Gestalten gemacht worden / welches so bald es angefangen im Schwang zu gehen / sind die Manicheer draus offenbahret und von Rom vertrieben worden / doch also / daß sie auch noch zur Zeit Gelasii, der Leoni nachgefolget / etliche gefunden haben / die bey der communion den Kelch ex superstitione, wie Gelasius spricht / aus Aberglauben nicht empfangen wolten / weil sie nemlich den Wein für eine Gab des Fürsten der Finsternüß außgeben cap. 46. lib. de Hæresib. und dafür gehalten / daß Christus kein wahres Blut für uns vergossen / sondern daß solche Vergiessung nur eine Blenderey gewesen.

(Negari ergo non potest, à Manichæis communionem sub una specie originem traxisse.)

Baronius Anno 496. §. 21. *Dum Gelasius ait, eos, qui talia agerent, quadam superstitione teneri, plane occultos illos Manichæos significat, qui ob sectæ superstitionem sic ipsi cum Catholicis communicare solerent, ne detegerentur hæretici, sed tamen abstinerent ab haustu vini, quod hæresis prohiberet.* Id probat ex Leone serm. 4. Quadragesim. & subjungit, num. 22. *Sic ergo, ne si Catholici calice abstinerent, in suspicionem adduci possent hæreses Manichææ; neque si id facerent Manichæi, quod Catholici facerent, haud eo signo detegi possent, prudentissime quidem Sancti Leonis insistens vestigiis Gelasius, id prohibens, istud, quod vidimus, sancivit decretũ.*

5. Quod inanibus ac frivolis ratiunculis communionem sub una specie probent, (quæ dogma hoc cordatis potius suspectum reddunt, quam persuadent)

Primo, Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis, qui Concilio Constantiensi interfuit, durante adhuc Concilio, monitu Assessorum illius, tractatum conscripsit contra errorem de necessitate communicandi Laicos sub utraque specie, cui titulum fecit, *Tractatus de communicatione Laicorum.* In eo causas recenset, quarum respectu Patres Constantienses ejusmodi decretum fecerint.

Inter alia sic loquitur:

Dicunt eorum plurimi, qui super hoc fuerunt simul congregati, quod consuetudo licite & rationabiliter fuerit introducta de non communicando Laicos sub utraque specie, præsertim post multiplicationem fidelium, & hoc propter evitationem multiplicis periculi, irreverentiæ & scandali circa susceptionem hujusmodi benedicti Sacramenti.

Primum periculum in effusione.

Secundum in deportatione de loco ad locum.

Tertium in vasorum sordidatione, quæ deberent esse sacrata, nec passim tractata vel tacta à Laicis. Et multo minus deberet vinum consecratum vendi in Apothecis, sicut fit apud tales, ut dicitur.

Quartum in barbis longis Laicorum.

Quintum in conservatione pro infirmis, cum possit in vase acetum generari, & ita desineret ibi esse sanguis Christi, nec suscipiendum esset, nec noviter consecrandum sine Missa. Et fieri posset, quod daretur acetum purum pro sanguine Christi. Addito, quod in æstate bibiones aut muscæ generarentur, quantumcunque esset vas clausum, cumque etiam putresceret, aut fieret velut abominabile ad bibendum. Et hæc ratio est efficax valde. Et ex alia ratione, quando alii multi præbibissent. Et quæritur, in quo vase fieret consecratio tanti vini, quantum requireretur in paschate pro decem aut viginti millibus personarum?

Sextum damnum esset in sumtuositate vini, saltem apud multas partes in quibus vix invenitur vinum ad celebrandum, & alibi charo comparatur.

Esset præterea periculum in congelatione.

Esset rursus periculum in falsæ credulitatis inductione, & hoc multipliciter:

Primo quod tanta esset dignitas Laicorum circa sumtionem corporis Christi, sicut & Sacerdotum.

Secundo, quod hoc facere semper fuit & est necessitatis. Et ita perierunt omnes & pereunt aliter sentientes, facientes aut docentes. Et omnes generaliter tam Clerici, quam Doctores & Prælati, qui non possetenus opposuerunt se tali consuetudini, verbis, scriptis aut sententiis, & quod sacram Scripturam omnes illi perverterint.

Tertio, quod virtus hujus Sacramenti non est principalius in consecratione, quam in sumtione.

Quarto, quod Ecclesia Romana non rite sentiret de Sacramentis, nec in hoc esset imitanda.

Quinto, quod Concilia generalia & specialiter Constantiense erraverant in fide & bonis moribus.

Sexto, multipliciter occasio esset seditionum & schismatum in Christianitate nostra.

Secundo, Alphonsus de Castro lib. 6. adversus hæreses, verbo Eucharistia, hæresi ultima, postquam ex veteribus probasset, *Eucharistiam olim sub utraque specie Laicis fuisse datam*, subjungit: *Hoc tamen Ecclesia re postmodum bene circumspecta delevit, nec immerito, cum ad hoc faciendum nec autoritas, nec causa illi deesset. Causæ quidem ad id tollendum plurimæ subsunt:*

Prima, numerosa fidelium multitudo indies crescens, propter quam communicandam periculum erat effusionis sanguinis, quod in præcedente tempore propter populi paucitatem non adeo timendum erat.

Altera huic proxima, delatio vini ad loca distantiora pro communicandis infirmis, quo casu timendum valde erat, ne inopinato deferentis lapsu sanguis effunderetur &c.

Deinde, ne vinum pro infirmis conservatum, vertatur in acetum, quod plurimum contingere solet.

Quarta ratio est, quod apud plerasque gentium nationes magna est vini raritas, ob quam difficilimum esset & aliquando impossibile, ut sub vini specie totus populus communicaret, quoniam vinum deesset, quod tantæ multitudini sufficeret.

Et quod præ his omnibus magis curandum erat, ne scil. homines hac occasione in eum ducerentur errorem, ut crederent, sub utraque Eucharistiæ specie non æque totum Christum contineri, sicut de quibusdam, nempe Nestorianis dicitur, in hunc errorem lapsos fuisse.

Tertio, Vitus Miletus in Speculo Cathol. cap. 12. §. 4. causam & culpam *abnegationis Petri & fugæ discipulorum*, qua Dominum deseruerunt, haud obscure confert *in usum utriusque speciei*, ut ostendimus in membro proxime præcedente §. 2.

Quarto, idem in Refut. libri de sexcent. error. Ann. 93 eò progreditur ut scribat, n. 961. *Christum propter casus, qui tandem in Ecclesiis contigerunt, non potuisse præcipere, ut semper & ubique sub utraque specie hoc epulum sacrum administraretur, imo negat, Christum, si hodie denuo Sacramentum dispensare deberet, utramque speciem dispensaturum.*

Quinto, Salmero tom. 9. tract. 36. *Sacerdotes, qui sub utraque specie percipiunt, non videntur sanctiorem vitam traducere, quam Laici percipientes sub una tantum.*

Sexto, Matthias Mayle Jesuita in Disp. de una specie Laicis danda, in Acad. Dillingana Ann. 608. instituta th. 48. *Ex quo textu sacræ paginæ demonstrant Novatores, S. Paulum non fuisse hac in re reprehensibilem, quod Laicis calicem in Ecclesia Corinthiaca dederit? Fuit, inquiunt, Apostolus raptus ad tertium cœlum. At D. Petrus non minus fuit Apostolus cum ipso Domino multo tempore conversatus, eo Magistro ac Doctore usus, & nihilominus Neo-Evangelici perpetuo inculcant illud Gal. 2. v. 11. Cum venisset Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

Septimo, Theologi Pontificii eam ad rem delecti, in lib. de Comm. sub una specie Monachii Ann. 65. edito, scribunt, *Germanos jamdũ apud exteras nationes, ut bibendi avidos, male audire, merito igitur à contentione de usu calicis in sacra Cœna desistere debere.*

Octavo, in Confutatione Augustanæ Confessionis Faber & Eccius pro confirmanda una specie allegarunt Historiam *de filiis Heli manducaturis panem* 1. Reg. 2. & ex ea cõcludere voluerunt,

erunt, *solo pane debere Laicos esse contentos.* (Chytræus in Aug. Confess. Hist. p. 189.)

Nono, Hosius de Sacr. Euchar. p. 34. ex Act. 2. *Erant perseverantes in fractione panis &c.* colligere vult, *D. Jacobum in sua Diœcesi unam tantum speciem administrasse,* (cum tamen in Liturgia Jacobi p. 26. 36. & 37. *utraque species* & sanctificetur & distribuatur, primum Clero, deinde cæteris fidelibus.)

Decimo, Matthias Bredenbachius ludi Embricensis moderator scripsit, *institutionem Christi multis modis incommodam extitisse, ideoque non sine causa à sanctis Patribus fuisse mutatam.*

Undecimo Richoemus de Missa lib. 4. causam querimoniæ nostræ de calicis Eucharistici subtractione dicit, esse *nimium amorem vini, unde ægre nobis fuisse etiam tantulæ guttulæ privationem propter nimiam delectationem.* Hanc partem ea conjectura firmat, *quod hæc querimonia cæperit non in Gallia, aut Italia, ubi abundet vinum, sed in Bohemia aliisque locis, ubi penuria est.*

(Inverti potest hoc ἐγκλημα. In Sacerdotibus esse nimium vini amorem, cum sibi solis calicem vendicent.)

Exceptiones Adversariorum ad nostra argumenta.

1. Contra argumentum ex verbis institutionis petitum, excipiunt, *discrimen esse inter institutionem & præceptum; Christum instituisse quidem Eucharistiæ usum sub utraque specie, non autem præceptum de ea edidisse.* Becan. de Commun. sub utraque specie cap. 1. Gregor. de Valent. tom. 4. Disp. 6. q. 8. punct. 5.

Resp. 1. Ex Eccio tom. 4. de Sept. Sacram. Homil. 36. *Inficiari nemo potest, Paulum præcepisse Corinthiis utriusque speciei usum in hoc Sacramento.*

Ubi vero præcepit nisi in repetitione verborum institutionis, & in exhortatione ex illis deducta.

2. Ex Clingio lib. 4. Locor. Commun. cap. 4. *Christi instituto atque præcepto tractamus & sumimus Eucharistiam &c. alioqui quis tam audax esset, Christi corpus & sanguinem tractare atque sumere, nisi hic Christi jussio atque institutio adesset?*

(Agnoscit Clingius, institutionem in verbis Eucharistiæ includere jussionem.)

3. Ex Bellarmino lib. 1. de Euchartist. cap. 9. *Sequitur lex seu præceptum. Esse enim in hac institutione præceptum aliquod divinum nemo negat, & patet ex illis verbis, Accipite, edite. Item, Hoc facite. Etsi enim non est in his verbis præceptum, quo obligentur omnes ad Eucharistiam sumendam, tamen præceptum est saltem, quo jubebantur Apostoli, tunc illam accipere, & etiam præceptum est, quando sumimus, hoc modo, aut illo sumamus.*

4. Ex eodem Bellarmino lib. 4. de Euchartist. cap. 26. *Hoc ipso, quod Dominus instituit Sacramentum hoc sub specie cibi & potus, jussit manducari & bibi.*

(Agnoscit igitur Bellarminus, *verba institutionis Eucharisticæ præceptum aliquod includere.* Hoc vero in quæstione ponit, an præceptum illud omnes communicantes simpliciter, an vero tantum Clericos comprehendat. Ipse quidem affirmat posterius, sed contrarium evidenter patet ex eo, quod Apostoli tunc non repræsentarint personam administrantium, sed percipientium Eucharistiam.)

5. Ex Andradio Orthodox. Explicat. 7. *Tria tunc Christum imperasse Evangelistæ tradunt, ut scilicet corpus suum acciperent & manducarent; ut omnes ex calice, sanguine suo referto, biberent; atque ut id in sui commemorationem facerent.*

6. Ex Pighio controv. 7 *Jussit primum simpliciter accipere & manducare, jussit inquam, accipere & manducare, (quod tunc præsentis temporis erat) panem illum vivum consecratum in suum corpus, quo tum illos communicabat.*

(Atqui idem judicium de verbo *Bibite*, quod cum verbo *Edite* per τὸ πάντες connectitur.)

7. Ex Hardingo sect. 10. *Catholica Ecclesia statuit, Bibite ex hoc omnes, Christi præceptum esse, & necessario fieri oportere.*

8. Ex Gurtnero part. 1. contra Chemnic. cap. 9. *Institutio Eucharistiæ ut est Sacramentum, denotat nobis substantiam, quæ est corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi sub specie panis & vini. Ab hac institutione non possumus recedere, quia designat essentiam Sacramenti.*

Fac. seq. *Quamdiu ergo retinetur instituti rei substantia, ut materia & forma Sacramenti, observatur etiam præceptum Domini de administratione ac usu ejusdem.*

2. Excipiunt. *Verbis illis, Bibite ex eo omnes, non præcipit Christus omnibus sumtionem poculi, sed duodecim illis, qui cum Christo accubuerant, & quos ipsi repræsentaverant, videlicet Clericis, non autem Laicis.* Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 24. resp. ad 2.

Resp. 1. De Friderico III. Saxoniæ Electore, Sapientis cognomine celebratissimo memorat Johannes Rosinus in ipsius vita, quod in Comitiis Augustanis Anno 30. in colloquium cum Pontificiis nonnullis de Cœna Domini venerit, *utrum altera tantum pars, an vero utraque Laicis esset exhibenda?* Pontificii pro defensione suæ opinionis, qua *unam tantum partem Laicis porrigendam, utramque vero solis Sacerdotibus institutam esse* statuebant, multa in medium afferebant, atque inter alia etiam verba institutionis, *Bibite ex hoc omnes*, in suam pertrahere conabantur sententiam, contendentes, *vocem omnes notare Sacerdotes, non Laicos.* Sed respondebat Princeps sapientissimus, *Siquidem vera sit ista sententia, necesse est, ut & alibi in ista etiam Christi sententia, Mundi estis, sed non omnes, per vocem* omnes *soli sacrificuli intelligantur, & inde sequi eosdem impuros & omnis generis vitiis pollutos esse.* De alio quodam Principe constat, quod locum Hebr. 13. v. 4. præposteris illis disputatoribus objecerit, *Honorabile conjugium in omnibus*; ubi particulam universalem *omnes* ad solos Laicos Pontificii restringunt, hic vero in verbis Cœnæ ad solos Sacerdotes.

2. Georgius Cassander in Consult. art. 22. agnoscit, *Apostolos in prima illa S. Cœnæ institutione & administratione fidelium communicantium personam repræsentasse.*

(Quod si ergo Apostoli in prima illa Cœna vicem gesserũt omnium eorum, quibus S. Cœna instituta est, utique mandatum Christi, *Bibite ex eo omnes*, necessario accipiendum de omnibus illis, qui ex Christi mandato benedictum panem in S. Cœna manducant. Ex qua hypothesi sic concludimus: Quoscunque Christus in S. Cœna jubet edere benedictum panem, eos ipsos omnes pariter, nemine excepto, jubet etiam benedictum vinum bibere. At Christus jubet edere Apostolos, qui tum temporis omnes hujus cœlestes convivii hospites futuros repræsentabant. Ergo Apostolos & per Apostolos omnes hujus cœlestis convivii hospites futuros jubet etiam bibere.)

3. Idem ex hypothesi Pontificiorum probari potest hoc modo: Illos designabant Apostoli in prima Cœna, quorum officium ac munus repræsentabant. Atqui non Sacerdotum, quatenus talium, sed accedentium ad sacram Cœnam officium ac munus repræsentabant, quia Sacerdotum, quatenus talium, officium & munus juxta hypothesin Pontificiorum est Eucharistiam conficere & sacrificare. Ergo non Sacerdotes, sed in genere omnes, ad sacram Cœnam accedentes, repræsentabant.

4. Ulterius. Quo modo Apostoli participarunt S. Cœnam, quando non fuerunt conficientes, eodem modo etiam Laici sacram Cœnam participare debent. Ratio est, quia inter Sacerdotes non conficientes & Laicos respectu communionis itidem ex hypothesi Pontificiorum nullum est discrimen, cum utrisque unam solummodo speciem exhibeant, & exhibendam esse doceant. Jam vero Apostoli in prima Cœna, quando non fuerunt conficientes, eo modo hoc Sacramentum participarunt, ut non solum benedictum panem ederent, sed etiam ex benedicto calice biberent, Marc. 14. v. 23. Ergo etiam Laici eodem modo hoc Sacramentum participare debent.

5. Stapletonus in Promt. Cathol. fer. 3. hebdom. sanctæ §. Ad prius. *Evangelistæ modum fœdus & Novum Testamentum ineundi & perficiendi describunt Matthæi 26. Bibite ex hoc omnes. Marcus addit, biberunt ex eo omnes. Jam enim hac actione bibendi adimpletum fuit Ex parte Apostolorum Novum Testamentum cum DEO, sicut aspersione sanguinis in populum, quam Moses fecit, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quod pepigit vobiscum DEUS: propterea in Matthæo, cum dixit CHRISTUS, Bibite ex hoc omnes, subjunxit ut causam bibendi, Hic est sanguis meus Novi Testamenti, id est, ideo bibite, quia bibendo perficietis ex parte vestra Novum Testamentum, eritis populus Dei hac tessera fœderali accepta.*

(Inde sic inferimus: Aut populus DEI in Novo Testamento populo Veteris Testamenti in jure communionis Sacramentalis postponendus est, aut concedendum erit, populum DEI, ut olim, externa fœderis tessera, sanguinis aspersione, ita nunc quoque calicis communione participare. Prius Stapletonus dicere nequit, quia confert invicem populum V. & N. Test. in sanguinis fœderalis participatione. Manet ergo posterius.)

3. Exci-

3. Excipiunt, *ex verbis his, Hoc facite in meam commemorationem, non posse probari præceptum de sumenda utraque specie, cum contineant tantum invitationem ad sumendum, & ad solos Sacerdotes pertineant.* Tiler. in Refut. Confess. Antuerp. cap. de Cœna, Pazmannus lib. 11. Hodeg. cap. 8.

Resp. 1. Albertus Magnus & Rainerus in tractatu de Officio Missæ, referente & idipsum urgente Flacio contra Tiletanum, agnoscunt, *Christum hisce verbis, Hoc facite, præcepisse de calice bibere.*

2. Thomas part. 3. quæst. 80. art. 11. sic differit: *Manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini, dicentis: Hoc facite in meam commemorationem.*

3. Theodoricus Maleotus Ann. 1567. Lovanii libellum Brabanticum de Missa edidit, in quo diserte scribit, *verbis illis, hoc facite, præceptum contineri.*

4. Conradus Clingius lib. 4. Locor. Com. c. 4. scribit: *Primum ipsemet Christus communicavit Apostolos corpore & sanguine suo in Cœna, & hoc idem facere, scil. tam se, quam alios communicare jussit, dicens: Hoc facite. Et iterum: Quotiescunque feceritis in meam commemoratio nem.*

Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 25. §. ultimo, verba Christi, *Hoc facite*, refert *ad ea, quæ fecerunt Apostoli, hoc est, ad manducationem & bibitionem*, idque ex Johanne de Lovanio probat. *Videtur*, inquit, *sententia Johannis à Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam ad omnia referri, i. e. ad id, quod fecit Christus, & ad id, quod egerunt Apostoli, ut sensus sit, id, quod nunc agimus, ego dum consecro & porrigo, & vos dum accipitis & manducatis, frequentate deinceps usque ad mundi consummationem. Profert enim prædictus autor veteres Patres, qui illa verba modo referunt ad Christi actionem, modo ad actionem discipulorum, Paulum autem idem autor docet referre potissimum ad actionem discipulorum, id quod ex instituto & proposito Pauli manifestum fieri potest.*

Lib. ejusdem cap. 16. §. Probatur. *Lucas illud, Hoc facite, retulit ad actionem benedicendi & distribuendi, quas expresserat & simul etiam ad actionem manducandi.*

Et postea §. sequente. *Dicet aliquis, videtur Paulus 1. Corinth. 11. restringere illud, facite, ad actionem manducandi & bibendi, ait enim, Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem, ac si dicat, quotiescunque biberitis, bibite in memoriam passionis meæ. Respondeo autem, non restringit Apostolus, sed exemplum ponit in una actione, quod facere potuisset de aliis duabus, quare vera sunt verba Pauli, sed non pugnant cum verbis Lucæ magis universalibus.*

(Ex eo sic concludimus. Quibus dictum est, *Bibite*, illis etiam dictum est, *Hoc facite*. Sed sub persona Apostolorum non solis Sacerdotibus, sed omnibus omnino Christianis dictum est, *Bibite*, ut paulo ante ostendimus. Ergo omnibus Christianis dictum, *Hoc facite*.

6. Vasquez tom. 3. in part. 3. D. 213. cap. 2. num. 10. contra Cajetanum docet, *verbis illis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non solum præcipere commemorationem passionis suæ, quando corpus manducatur & sanguis bibitur, sed etiam ipsam manducationem & bibitionem in sacra Cœna. Præcepit*, inquit, *Christus illis verbis Luc. 22. ut ipsa sumtione commemoremus passionem ejus & non tantum, ut quoties illud sumeremus. Nam qui præcipit, ut opere aliquo fiat commemoratio alicujus beneficii accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam, ut fiat opus ipsum. Quis hoc non videat?*

Et postea. *Paulus explicans mortem Christi contentam in illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, eam refert ad eos, qui manducant & bibunt. Quare si illa verba sunt præcepti, ut jam contra Cajetanum probavimus, ex illis recte colligitur, non tantum Sacerdotes, sed etiam Laicos eo teneri. Inquit enim Paulus, Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Idemque dixerat de manducantibus corpus.*

Concludit tandem Vasquez d. l. *Non quod eadem verba ad Sacerdotes consecrantes non pertineant, sed quia cum dixit, Hoc facite, præcepit omnibus fidelibus commemorationem passionis suæ in hoc Sacramento, & quia Sacerdotes commemorant illam non solum sumendo Sacramentum, sed etiam consecrando illud, etiam ipsis præcepit consecrationem. Hac vero ratione verba prædicta ad universos homines referre debemus, ut universis per illa præceperit Christus unà actionem formaliter, ut cum Schola loquar, quamvis diverso modo, nimirum ut passionem suã memorarent in hoc Sacramento, unusquisq; suo modo, cumque hæc commemoratio in perceptione fieri nequeat sine consecratione, præcepit etiam commemorationem per consecrationem.*

(Ergo verba. *Hoc facite*, primario requirunt *sumtionem*, consequenter *consecrationem*. Subjicit quidem Vasquez D. 216. *præceptum hoc, quod ad usum calicis attinet, esse pro tota Ecclesia non pro singulis.* Sed hæc exceptio non convenit cum eo quod superius dixerat, per *hoc præceptum non solum Sacerdotes, sed etiam Laicos obligari.* Quod si enim præceptum *bibendi* ex calice non obligat Laicos, quærimus, an præceptum *manducandi* benedictum panem Laicos obliget? Si Vasquez illud affirmat, cogitur concedere, etiam præceptum bibendi eos obligare, cum Christus æque de calice ac de pane dixerit, *Hoc facite*, ac Paulus utrumque ad Laicos referat. Si negat, quærimus, an Laicis mandatum sit uti S. Cœna, sine tamen determinatione unius vel utriusque speciei? Si Vasquez affirmat, quærimus ulterius, ubi extet tale mandatum? cum juxta Vasquezii hypothesin, nullum divinum mandatum de usu S. Cœnæ extet, nisi in Luca, Johanne & Paulo, in quibus locis omnibus, etiam juxtà propriam ipsius confessionem utriusque speciei in præcepto diserta fiat mentio. Denique si præceptum de usu utriusque speciei datum est toti Ecclesiæ, utique etiam Laicis, quia soli Sacerdotes non constituunt totam Ecclesiam. Si vero mandatum hoc etiam Laicis datum, nulla potest proferri ratio, cur ad aliquos tantum, & non ad omnes Laicos pertineat, cum corpus, quod in S. Cœna manducandum exhibetur, non pro aliquibus tantum, sed pro omnibus in mortem sit traditum, ac sanguis, qui bibendus exhibetur, non pro aliquorum, sed pro ominum peccatis sit effusus. Exactissime insuper notandum, Apostolos tunc nondum fuisse Sacerdotes, sed juxta hypothesin Pontificiorum demum per illa verba, *Hoc facite*, in Sacerdotes fuisse consecratos, vel certe non Sacerdotum conficientium, sed Laicorum personam repræsentasse.)

7. Si verbum *facite* referatur ad id, quod Christus in prima institutione fecit, nihilominus perstat nostrum argumentum. CHRISTUS enim non solum benedixit, sed etiam panem benedictum discipulis dedit, & poculum benedictum illis distribuit. Idem ergo etiam Sacerdotes conficientes facere debent. Dionysius Carthusianus. *Hoc facite, id est, Sacramentum istud suo tempore celebrate, & conficite, date & sumite.*

Cajetanus in Lucam. *Non dicit, Hoc dicite, sed facite: quia mandat fieri, quod ipse fecit, sc. accipere panem, gratias agere, frangere, consecrare, sumere & dare.*

Cornel. Jansenius cap. 101. Concord. *Refertur pronomem hoc non tantum ad sumtionem, sed & ad omnia, quæ mox Christus fecisse dicitur. Mandat enim facere, quod ipse fecit, nempe accipere panem, gratias agere, benedicere ac verbis suis consecrare, dicendo in ipsius persona, Hoc est corpus meum, frangere ac sumere, aliisque sumendum tradere.*

Guillaudus 1. Corinth. 11. *Non dicit, hoc dicite, sed facite hoc, quod feci. Quid fecit? accepit panem, gratias egit, fregit, & consecravit, consecratum sumendum dedit. Hac ergo faciendi potestatem habet Sacerdos.*

4. Excipiunt, *Apostolos à Christo in Eucharistiæ institutione & administratione factos fuisse Sacerdotes, ideoque sub utraque specie Eucharistiam ipsis fuisse administratam, ut conficiendi ritum discerent.* Andradius, Bellarminus &c.

Resp. 1. Alphonsus de Castro libro 6. adversus hæreses, hæresi ultima de Eucharistiâ sic differit: *Omitto quorundam responsionem assignantium discrimen, quod Apostoli ordinati sunt Sacerdotes à CHRISTO per illa verba, Hoc facite in meam commemorationem. De his enim verbis non constat, CHRISTUM facta consecratione immediate ea dixisse, antequam Eucharistiam sub utraque specie Apostolis dedit, ut post. Quod si prius dixit, quam dederit, constat eum Sacerdotibus dedisse. Si vero illa verba Christus post datam illam Eucharistiam dixit, manifestum est, illum non Sacerdotibus tunc dedisse. Quod mihi ex literæ decursu magis probatur.*

2. Jodocus Ravenstein, Tiletanus Defension. Tridentini part. 2. capite de communione sub utraque specie, *CHRISTUM Apostolis quidem suis præsentibus tanquam futuris Sacerdotibus mandasse, ut utramque partem Sacramenti perciperent.*

(At si non fuerunt Sacerdotes, cum ederunt & biberunt, qui potuerunt solos Sacerdotes repræsentare, cur non Laicos?)

3. Sa-

3. Sacerdotibus *non conficientibus* Pontificii unam tantum speciem exhibent.

Fischerus libro 5. contra Oecolampad. cap. 8. *Quid ampliora injuria Laicis illis facimus, quam nobis ipsis? Nos enim, quoties extra Missam communicamus, tantum sub altera parte Sacramentum sumimus.*

4. Quidam Pontificii *Sacerdotalem dignitatem post Christi demum resurrectionem discipulis obtigisse* affirmant. Videatur Estius in Comment. 1. Corinth. 11 vers. 24. & seqq. Toletus in Johann. 20. annotat. 17. Quin & Bellarminus libro 1. de Roman. Pont. cap. 23. prærogat. 22. *Apostolos omnes à Petro ordinatos esse*, dicit, *Sacerdotes post Christi resurrectionem.*

Jansenius capite 13. Concord. *Intelligimus, Apostolos his verbis consecratos à Domino Sacerdotes, quia per ea verba potestas illis data est faciendi, quod fecerat ipse: proinde hæc verba non pertinent ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen hoc refertur ad sumtionem.*

(Si hæc verba, quatenus sumtionem designant, pertinent ad fideles singulos. Ergo non absolute ad solos Sacerdotes.)

5. Excipiunt; *Præceptum Domini nullibi inveniri à Domino traditum, nisi respectu Sacramenti sub specie panis tantum.* Probatur primo *ex Luca, qui expresse refert, Dominum ante consecrationem calicis, post consecrationem panis dixisse, Hoc facite. Secundo ex Paulo, qui de pane dixit, Hoc facite in meam commemorationem. At post calicem, Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Nempe de pane absolute, de poculo non absolute, sed quotiescunque id facerent. Itaque non præcipitur bibere, sed, si bibatur, in suam commemorationem bibi.* Confirmatur ex eo, quod *numero singulari dictum, Hoc facite, non plurali, Hæc facite.* Bellarminus, Tiletanus, Hesselius, Coffetæus, Becanus &c.

Resp. 1. Displicuit hoc commentum Dominico Soto, qui in 4. sent. dist. 12. quæst. 1 art. 12. sic scribit: *Hoc* (argumentū scilicet nostrum) *infirmare contendit Cajetanus, quasi non sit præceptum simpliciter sic faciendi, sed quod, quotiescunque fiat, fiat in ejus memoriam, ut Ecclesia refert. At verò non est negandum, esse præceptum, alioqui non haberemus fundamentum præcepti celebrandi in Ecclesia.*

2. Vasquez ex professo illud refellit Disp. 213. in p. 3. Thomæ cap. 2. & concludit: *Præcepit igitur Christus illis verbis Lucæ, ut ipsa sumtione commemoremus passionem ejus, & non tantum, ut quoties illud sumeremus, passionem ipsius in memoriam revocaremus, ac proinde præcepit, ut sumeremus. Nam qui præcipit, ut opere aliquo commemoratio fiat alicujus beneficii accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam, ut fiat opus ipsum. Quis hoc non videat?*

3. Cajetanus in Comm. h. l. diserte asserit, *non posse ex hac voce libertatem separandi calicis à pane ullo modo probari.*

Bened. Justinianus fatetur, *Posse fortassis quempiam ex hoc loco argumentari, utramque Eucharistiæ speciem etiam Laicis tribuendam esse*, nec contradicit.

4. In Canone Romano & panis & calicis consecutioni subjicitur, *Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Ad quæ verba Biel sic annotat: *Hæc clausula respicit utramque consecrationem tam panis, quam calicis.*

(Nimirum nota illa temporis *quotiescunque* non limitat sumtionem calicis ad hominum voluntatem & arbitrium, ut sumto pane possint calicem non sumere, si velint, sed exæquat tempus commemorandi mortem Dominicam tempori sumti calicis, ut patet ex seqq. Apostoli verbis.)

6. Ad argumentum nostrum, *quod legatum Testamento constitutum non debeat subduci Legatariis, ac proinde calix Eucharisticus, utpote legatum Testamentarium Christi non debeat Laicis subduci*, quidam excipiunt, *negando calicem Eucharisticum esse Testamenti à Christo constituti partem.*

Bellarminus. *Hereditas nobis relicta non est panis, neque vinum, sed corpus & sanguis Domini, quæ duo dantur tam sub una, quam sub duplici Specie: hoc solum interest, quod, qui bibunt ex calice, accipiunt hereditatem in duabus tabulis: qui non bibunt, accipiunt illud idem in una tabula, sed hæc differentia nullius est momenti, quod attinet ad participandam hereditatem.*

Resp. Jacobus Jansenius Æmsteledamensis in Liturgicis lib. 4. cap. 7. sic disserit: *Quidam dicunt, calicem non esse Testamentum; contra quos non urgeo, quod apud Lucam dicit Dominus, Hic est calix Novum Testamentum.*

Et postea. *Nemo tamen negârit, quin sicut Dominici corporis, ita & Sacramentum Dominici calicis relictum quoddam sit causa mortis ad recordationem. Hujusmodi autem relictum solemus vocare Testamentum. Est ergo Sacramentum Eucharistiæ, quam sub panis, tam sub vini specie Testamentum, & quidem Laicis à Testatore relictum, alioqui enim nec potuissent, nec possent Laici de calice unquam participare. Alii arbitrantur tam Testamento, quam Legatariis satisfieri, siquidem quippiam de exteriore Sacramenti forma, nihil tamen de re Testamento legata fraudetur, negetur, aut detrahatur, sicut nulla parte fraudantur Legatarii, si summa pecuniaria Testamento relicta solvatur uno nummo. Cum enim Sacramentum Dominici corporis in se habeat totum sanguinem Christi, quando hoc fidelibus porrigitur, res omnis Testamento relicta eis compendio & quasi in nummo exsolvitur.*

(Hæc est ipsissima Bellarmini exceptio, cui Jansonius porro respondet.)

Primo, *posse eam aliquod habere momenti, si Testamentum Christi de re Sacramentali solum disposuisset. At Christum & scivisse futuram semper integram rem sub utraque specie sigillatim: & tamen sub utraque sumendā reliquisse, itaque non solum rei Sacramentariæ, sed etiam signaculorum habuisse rationem, ad manifestiorem passionis mortisque repræsentationem.*

Secundo, *posse uno nummo rem solvi, si possit vel uno comprehendi, vel ex pluribus constari. Itaque si esset in Ecclesia potestate pro arbitrio vel corpus Domini sub specie panis, sanguinemque sub specie vini seorsim dare, vel utrumque sub altera simul: tunc sane etiam in unam posse Ecclesiam contrahere rem eandem, quæ posset in duas distingui ac dividi. Atqui nec rem Sacramentalem per plures formas dividi, nec Ecclesiæ arbitrio sub unam contrahi.*

(Subjicit quidem Jansonius, *Queritur, qua justitia participatio Dominici Testamenti una parte negari poterit Testamentum pro utraque sui parte expetenti? & respondet, jure dispensationis sive dispensandi.* Sed quilibet videt, hanc esse petitionem principii. De eo enim quæritur, an Ecclesia Romana possit contra hanc Dominici Testamenti partem dispensare.)

7. Ad argumentum petitum ex dicto Christi Matth. 19. v. 6. *Quod Deus conjunxit, homo ne separet. Atqui panem & vinum corpus & sanguinem Christi Deus in Eucharistiæ institutione conjunxit. Ergo.* Excipit Becanus, *locum ex Matthæo esse particularem de matrimonio, non universalem.*

Resp. 1. Becanus ipse, quando distinguit inter *mandatum & institutionem*, utitur collatione inter institutionem Eucharistiæ, & institutionem matrimonii: ac sicut verbis illis, *Non est bonum homini esse solum, crescite & multiplicamini*, neminem obligari dicit ad matrimonium, ita verbis illis, *Accipite, bibite*, Laicos negat obligari ad usum utriusque speciei.

2. Fatemur in loco Matthæi conclusionem peculiarem esse de matrimonio. Sed hoc axioma negamus esse cōclusionem imo potius dicimus esse majorem propositionem in hunc modum, *Quod Deus conjunxit, homo non debet separare.* At Deus conjunxit virum & uxorem. Ergo non debet homo separare. Notum est autem latere axiomata in suis conclusionibus.

Cornelius Jansenius cap. 96. Conc. Evangel. *Duplici de causa significatur divortium non licere, quia scil. & est contra Naturam, & contra Dei legem & constitutionem. Contra Naturam enim est, ut una dividatur. Contra legem, ut hoc distrahatur, quod DEUS conjunxit.*

8. Ad argumentum *ab exemplo Christi sub utraque specie Eucharistiam administrantis* petitum excipiunt, *non exemplis, sed legibus esse judicandum.*

Salmero tractatu 34. *Recte docent Jurisconsulti, non exemplis, sed legibus judicandum; & quæ ab exemplo ducuntur argumenta, per locum fiunt à simili, quæ non tam ad aliquid, de quo quæritur, docendum vel statuendum, quam ad id, quod jam est statutum & firmum, illustrandum à Dialecticis esse traduntur. Facile autem est, ut ea, quæ in multis sunt similia, in re, quæ disceptatur, sint dissimilia.*

Eodem modo Johannes Hesselius à Lovanio, in Declarat. quod *sumtio Eucharistiæ sub unica panis specie, neque Christi præcepto aut institutioni adversetur, neque minus fructuosa sit.*

Resp. 1. Ipsimet Pontificii ex Christi exemplo legem quadragesimalis jejunii deducunt.

2. Exemplis veterum Gorgoniæ, Satyri Eremitarum &c. *reservationem Eucharistiæ* probare conantur

3. Exemplum urgemus non nudum, sed cum *institutione & mandato* conjunctum. Longe ergo rectius ex Christi exem-

emplo, primævæ institutioni conformi, communionem sub utraque specie probamus, quàm Pontificii communionem, sub una specie ex particularibus quibusdam veterum exemplis probant.

9. Ad argumentum ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. deductum *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, excipiunt; *traditionem describi, non præceptum.*

Bellarm. *Illa verba, Ego tradidi vobis, in nullo autore significarunt unquam: Ego præcepi seu imperavi.*

Becanus. *Apostoli multa tradiderunt primis Christianis, quæ tamen præcepta nobis non sunt.*

Andradius. *Hæc verba nullum præceptum continent, sed nudam Historiam narrant.*

Resp. 1. Eccius homil. 36. de Sacram. negat, quemquam inficiari posse, *Paulum præcepisse Corinthiis utriusque speciei usum*, idque *Cyprianum ac Hieronymum testari.*

2. Traditiones Apostolicas quomodo negant esse præcepta, cum eas ipsi Scripturæ exæquent? Concil. Trident. sess. 4. *Traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas esse decernit.*

Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæreses, cap. 5. *Universalis Ecclesiæ traditiones aut definitiones in his, quæ ad fidem spectant, etiamsi aperta Scriptura in earum comprobationem desit, non minoris sunt autoritatis, quam ipsa sacra Scriptura.*

In Concilio Constantiensi. *Consuetudo, ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter & diutissime observata, habenda est pro lege.*

3. Gregorius de Valentia lib. de legitimo usu Eucharistiæ. *Concedimus, Apostolum ibi non nude tantum narrare Historiam institutionis, sed etiam ad ipsam Ecclesiam accommodare præcepta Domini, quæ vel in illa institutione continentur, vel ex ea deducuntur.*

4. Vasquez plus, quam audacter part. 3. Thomæ Disp. 216. num. 60. *Licet concederemus, hoc fuisse Apostolicum præceptum, nihilominus Ecclesia & summus Pontifex potuerunt illud justis de causis abrogare, neque enim major fuit potestas Apostolorum, quam Ecclesiæ & Pontificis in ferendis præceptis.*

Cui opponimus illud Lælii Zæchii de Republicâ Ecclesiastica capite 2. segmento 9. *Circa Epistolas Pauli & dicta Apostoli notandum, quod Apostolus in sua doctrina aliqua posuit, promulgans jus divinum, ut vetans Circumcisionem & hujusmodi. Et in hoc Papa non potest dispensare, quia sibi à Christo fuit immediate revelatum. Quædam vero sicut propria statuit. Et in his Papa potest dispensare.*

(Jam vero, quod de Eucharistia Paulus Corinthiis tradidit, illud à Christo sibi revelatum testatur. Servus autem nequit mandato Domini sui derogare.)

Argumenta Adversariorum.

1. *Totus Christus Christus est sub una specie. Ergo non est necessarium, ut utraque species sumatur.* Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 21. Becanus, Slotanus, Katnkouski &c.

Resp. 1. Andreas Fricius lib. 4. de emend. Reip. cap. 19. *Separatim comestio nominatur, separatim bibitio, ab illa Sapientia, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis vivi à carne vivo credere debet. Non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quæ convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum.*

(Nimirum aliud est loqui de corpore & sanguine Christi secundum se, aliud vero secundum rationem Sacramenti. Secundum se quidem non potest amplius sanguis divelli à corpore, quod factum est in cruce. Secundum rationem vero Sacramenti distincte considerari & percipi possunt corpus & sanguis CHRISTI, vi Dominicæ institutionis.)

2. Durandus, Bonaventura & alii ex Scholasticis distinguunt inter *integritatem totius* CHRISTI sub utraque specie præsentis, & & inter *integritatem Sacramenti.* Ex illa hanc legitime inferri negant, sed ad integritatem Sacramenti utramque speciem requiri asserunt, ut apparet ex dictis eorum sæpius allegatis.

Innocentius libro 4. de myst. Missæ cap. 21. & ex eo Durandus Mimatensis libro 4. Ration. cap. 42. sic disserunt: *Quamvis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore, & sub specie vini sumatur corpus cum sanguine, tamen sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur: ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur.*

(Atqui Christus instituit sanguinis Sacramentalem bibitionem, quæ cum non fiat in communione sub una specie panis, utique per communionem sub una specie panis non satisfit institutioni Christi.)

3. Bellarminus libro 3. de Eucharist. capite 15. §. At non potest. scribit, *Accipimus carnem & corpus non pro toto, sed pro parte.*

(Quomodo igitur per concomitantiam totus Christus sub utraque specie Sacramentaliter sumitur?)

4. Idem Bellarminus libro 4. de Eucharistia cap. 21. §. Sed antequam &c. sic disserit: *Sunt qui existimant, ex verbis Cœnæ Domini, Hoc est corpus meum, colligi, sub specie panis esse integrum Christum. Dicunt enim voce corporis eo loco significari corpus vivum, proinde corpus cum anima & sanguine. Significari autem corpus vivum, probant, quia Dominus loquitur de corpore, quod habebat, cum illa diceret: tunc autem vivum corpus habebat, non mortuum &c. At hæc sententia repugnat Concilio Tridentino &c. repugnat etiam mysterio Eucharistiæ &c. Nec concludit argumentum pro ea adductum. Nam etiamsi Dominus vivus esset, cum dicebat, Hoc est corpus meum, & proinde loqueretur de corpore, quod tunc vivum erat, tamen per vocem corpus non significabat corpus, id est, partem illam Naturæ humanæ, quæ cum anima componit hominem.*

Similia occurrunt apud Eccium homil. 32. de Sacram. *Verba hæc* (Hoc est corpus meum) *in sua operatione extendunt se eo usque, quò pertingit eorum significatio, atque hoc dicitur ibi propriè per se, ex virtute verborum &c. Cum Sacerdos in Missa debita intentione super hostiam loco CHRISTI pronunciat hæc verba: Hoc est corpus meum, tunc sane verba hæc, quoad suam significationem tantum pertingunt ad corpus Christi, non autem ad animam vel sanguinem &c.*

Et postea. *Quamvis sub specie panis tantum est corpus Christi, & sub specie vini sanguis ex vi verborum in seipsis & sua significatione, tamen &c.*

(At si ex verbis Cœnæ propterea non potest probari *concomitantia*, quia Christus per vocem corporis non significabat nisi corpus, multo minus bibitio Sacramentalis sanguinis sub specie panis ex illis colligi potest. Si enim CHRISTUS dicens, *Accipite, Hoc est corpus meum*, non sanguinem vel animam, vel divinitatem, sed tantum corpus suum designat, utique mediante benedicto pane non sanguis, non anima, non divinitas, sed tantum *corpus* CHRISTI Sacramentaliter manducatur. Cujus præsentia ex verbis Cœnæ probari nequit, ejus Sacramentalis perceptio ex iisdem probari minime potest. Præsentia sanguinis CHRISTI sub specie benedicti panis ex verbis Cœnæ probari nequit, fatente Bellarmino. Ergo Sacramentalis perceptio sanguinis sub specie panis Eucharistici ex verbis Cœnæ probari minime potest.

5. Idem Bellarminus d. l. §. Sed hæc sententia, scribit, *sub specie panis vi Sacramentalium verborum non esse nisi corpus.* ac lib. 1. de Missa cap. 27. §. Alii volunt &c. *Vi verborum, Hoc est corpus meum, solum Christi corpus sine anima & sanguine incipit esse in altari; & vi aliorum verborum, Hic est sanguis, incipit sanguis solus & seorsim à corpore esse in altari.*

Ergo etiam sub specie panis Sacramentaliter non percipitur aliud quid quam corpus Christi, quia Sacramentalis præsentia & perceptio pendet ex vi Sacramentalium verborum, id est ex institutione & ordinatione Christi in verbis Sacramentalibus exposita.)

6. Gregorius de Valent. Disp. 6. q. 3. de præsent. Christi in Euchar. punct. 1. hæc habet: *Corpus Christi est in Eucharistia modo Sacramentali & per accidens, nempe ratione Eucharistiæ; in cœlo autem est modo naturali & per se. Præsentia enim Sacramentalis ejusdem Christi corporis, & præsentia naturalis in alio atque alio loco minime inter se opponuntur contradictorie, cum utraque præsentia per affirmationem asseratur.*

(Atqui si ex præsentia naturali inferri posset præsentia Sacramentalis, id quod in argumento à concomitantia ducto præsupponitur, sequeretur, corpus Christi etiam in cœlo esse Sacramentaliter præsens.)

7. *Si una species ad legitimam communicationem sufficeret, etiam Sacerdotibus conficientibus una species sufficeret.* Consequens Pontificii non admittunt. Roffensis ad art. 16. Luth. *Cum Christus post ablutos Apostolorum pedes Eucharistiam instituisset, eis consecrandi corporis sui potestatem conferens, par fuit, ut suo*

ſub utraque ſpecie Sacramentum iſtud eis porrigeret. Propter quod & eis omnibus juſſit, ut ex calice biberent, non omnibus omnino Chriſtianis. Quamobrem neque Sacerdotibus licet, quoties ipſi Sacramentum hoc conſecrant, & tanquam ſacrificium offerunt Deo, quin ſub utraque ſpecie pariter communicent.

8. Pontificii conſtituunt in ſpeciei utriusque communione privilegium Sacerdotale, ut conſtat ex Gerſone. Atqui aut nullum eſt hoc privilegium, aut aliquid amplius ſub utraque quam ſub una ſpecie ſumitur. Et quia totus Chriſtus non magis eſt ſub utraque reſpectu plebis, quam reſpectu Sacerdotis, omnino neceſſe eſt fateri, non eſſe conſequens, ſi Chriſtus totus ſit ſub utraque, ergo alterutram ſufficere.

9. Concil. Trid ſeſſ. 13. c. 1. ſtatuit, *Sacramentalem præſentiam eſſe ſingularem & dependere ex verbis inſtitutionis Chriſti.*

(Ergo ex præſentia perſonali & majeſtatica non eſt æſtimāda vel deducēda, ſed unice ex inſtitutione Euchariſtiæ, quæ luculente teſtatur, *corpus Chriſti Sacramentaliter unitum eſſe pani, ſanguinem Chriſti vino* Citra omnem omnino dubitationem Salvator noſter Chriſtus Jeſus alia præſentia adeſt in Sacramento Euchariſtiæ, quam creaturis adeſt, quia peculiari promiſſione ſe hic adfuturum ſtipulatus eſt, qualis præſentiæ promiſſio nulli creaturæ alii unquam facta legitur.)

10. Bellarm. lib. 3. de Euch. cap. 17. hoc fundamentum ponit. *Sacramenta Novi T. à Chriſti inſtitutione pendere, & à ritu & à verbis, quæ ille præſcripſit*, unde concludit: *Euchariſtiam non fore Sacramentum, ſi præſentia corporis Chriſti in Cœna dependeat ab ubiquitate, & non ex vi inſtitutionis Chriſti.*

(Nihil igitur in Sacramento aſſerendum, quod non poſſit ex inſtitutione Sacramenti demonſtrari. Jam vero unio ſanguinis cum pane non poteſt demonſtrari ex inſtitutione. Suarez in part. 3. Thom. q. 7. art. 2 Diſp 51. ſect. 3 diſputat, *non eſſe quidem apertam hæreſin, ſi quis dicat, vi verborum Chriſti eſſe ſub ſpecie panis amplius quid quam corpus, ingentem tamen temeritatem eſſe & errorem magnum*. Ergo unio ſanguinis cum pane non eſt aſſerenda.)

11. Diſputant Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 10. Scotus quæſt. 4. Major. quæſt. 7. Soto quæſt. 1 art. 2. & dub. 8. art. 5. Ledeſma q. 14. art. 5. & q 16. art. 4. dub. 6. Gabriel lect. 47. in Canonem, Suarez in part. 3. Thom. q. 7. art. 2. Diſ. 51. ſect. 3. *concomitantiam non pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti*, quod inde demonſtrant: *Si quis in triduo mortis Chriſti, quando anima à corpore, corpus à ſanguine ſeparata erant, Euchariſtiam conſecraſſet, tum vi verborum inſtitutionis Chriſti Sacramentum futurum fuiſſe integrum, etſi propter naturalem ſeparationem corporis & animæ à ſanguine concomitantia nulla fuiſſet*: quinimo Suarez cum aliis Scholaſticis contendit, *Etſi corpus Chriſti nunquam creatum fuiſſet: futurum tamen fuiſſe præſens in Euchariſtia, poſtquam ea fuiſſet inſtituta.*

(Ex quo colligitur, nullam eſſe rationem, cur requiratur naturalis illa connexio corporis & ſanguinis Chriſti ad integritatem Sacramenti.)

12. Toletus annotat. 23. & 25. in cap. 16. Joh. concedit *in ſimpliciſſima & immenſa divina eſſentia diverſos præſentiæ modos, ut juxta aliquem etiam eſſentialem præſentiæ modum Deus huic creaturæ non adeſt, nec tamen ideo ſit diviſio in immenſa divina eſſentia.* Ex quo principio refutat reliquos Interpretes, qui negant *miſſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos, quo modo antea in Apoſtolis non fuerat, factam fuiſſe ſecundum appropinquationem ſubſtantiæ, & contendunt, quod tantum ſecundum augmentum donorum ſpiritualium facta ſit*, veriti ſc. ne ſic eſſentiæ divinæ ſeparationem ac multiplicationem cogerentur admittere.

(Pari ferme ratione dicere poſſumus, quod maneat ſanguis corpori Chriſti conjunctus *naturaliter*, ſed non ſumatur cum corpore, quia non eſt corpori unitus *Sacramentaliter*, quo modo tantum corpus pani Euchariſtico præſens eſt, & quo tantum modo ſumitur vi verborum Inſtitutionis, ut Pontificii ipſimet fatentur.)

13. Opponunt nobis Pontificii dictum Apoſtoli 1. Johan. 4. verſ. 3. *omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex DEO non eſt, & hic Antichriſtus. Atqui ſi negatur cum corpore ſumi ſanguis, Chriſtus ſolvitur.*

Reſp. 1. Eraſmus, Franc. Lucas Brugenſis & Eſtius in ann. & Comm. ad h. l. agnoſcuer, ob ἀνταπόδοσιν verſ. 2. & 3. *vulgatæ verſioni hic Græcum textum præponendum eſſe.* Atqui in Græco textu non ſit mentio ſolutionis.

2. *Solvere Chriſtum* in vulg. verſione idem eſt h. l. quod *negare duas in Chriſto eſſe Naturas, ſeu dicere, eum eſſe purum hominem*, ut Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 5. ad 1. Salmero tom. 16. Diſp. 25. fol. 282. Saa, Ferus, Lorinus, Cornelius, Eſtius in Comm. h. l. interpretantur.

3. Pontificii docent, *panem transſubſtantiari in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti.* Ex eo ſic inferimus: Si Chriſtus non ſolvitur, quando in transſubſtantiatione corpus ejus ex pane conficitur ſeparatum à ſanguine, & ſanguis ex vino conficitur ſeparatus à corpore, cur non poſſet idem corpus, quod ſeparatim transſubſtantiatur, ſeparatim quoque edi citra ſolutionem Chriſti?

Argum. 2. *Tota Sacramenti ratio ſub una ſpecie invenitur. Ergo communio ſub una ſpecie eſt legitima.* Bellarminus d. l. cap. 22.

Reſp. 1. Multi ex Scholaſticis negant, *ad Sacramenti integritatem unam ſpeciem ſufficere.* Dicta eorum ſuperius ſunt allata.

(*Ergo tota Sacramenti* ratio ſub una ſpecie non invenitur, ſi inſtitutionis regulam, ut debemus, ſequi velimus. Inde Caſſander lib. de officio pii viri f 863 & ſequentibus oper. in Hymnos f. 218. 248. probat, *ſubſtantiam Sacramenti non eſſe integram deficiente vino.*)

2. Bellarminus in hoc ipſo cap. 22. propoſ. 4. ſcribit: *Duæ ſpecies Sacramenti, cum ſumuntur, non ſunt duo Sacramenta, ſed unum.*

(Si utraque ſpecies ſimul ſumta unum tantum conſtituit Sacramentum, ergo uſus calicis ad integritatem Sacramenti requiritur.)

3. Idem Bellarminus d. l. cap. 23. §. Neque ideo. *Sacramentum ſub duplici ſpecie inſtitutum eſt.*

(Utique ergo vi inſtitutionis ad integritatem ejusdem duplex ſpecies requiritur.)

5. Idem Bellarminus d. l. §. poſſet, ſcribit, *Euchariſtiam ſub ſpecie panis conferre gratiam, ſed non ante ſumtionem alterius ſpeciei.*

(Ergo etiam altera ſpecies ad Euchariſtiæ integritatem pertinet.)

6. Euchariſtiam *eſſe unum aggregatum*, teſtantur Scholaſtici. Bonaventura 4. ſent. diſt. 8. part 2. art. 2. quæſt. 2. Thomas p. 3. quæſt 73. art. 2. Durandus 4 ſent. diſt. 8. q. 1. inde Biel ibid. q. 1. *Euchariſtia non eſt res ſimpliciter una, ſed eſt realiter omnia alia accidentia, ſub quibus ante conſecrationem fuit ſubſtantia panis & vini.*

Ariminenſis in eand. diſt. quæſt. 1. art. 2. *Hujus Euchariſtiæ Sacramentum poteſt ſumi vel formaliter, prout eſt tale ſenſibile ſignatum: vel virtualiter, prout continet & includit ſuum ſignum. Primo modo acceptum conſtat, quod realiter eſt multiplex, & non unum. Ut autem ſecundo modo accipitur, eſt unum, non unitate indiviſibilitatis, ut quodlibet aliorum Sacramentorum, ſed unitate integritatis.*

Ex eo ſic colligimus: Fieri nequit, ut totius aggregati ratio conſtet in una quacunque parte. Sic hominis ratio non eſt aut in anima, aut in corpore; neque humani corporis ratio in uno pede. Atqui Euchariſtia eſt unum aggregatum. Ergo. It. Euchariſtia tota eſt Sacramentum corporis & ſanguinis Domini. Panis non eſt Sacramentum corporis & ſanguinis Domini. Ergo panis non eſt tota Euchariſtia. Aſſumtum probatur, quia omne Sacramentum ſignificat id, cujus eſt Sacramentum. At panis non ſignificat corpus & ſanguinem, ſed tantum corpus. Ergo.)

7. Dominicus à Soto in 4. ſent. diſt. 8. art. 2. *Negatur, dum ſumitur ſolum corpus, ſumi totum Sacramentum, quoad integram ejus repræſentationem, quoniam cum ex vi conſecrationis non ſit illic niſi corpus, non eſt illa niſi cibatio ſine potu: nam ad potum requiritur ſumi ſanguinem, qui ſit primo per ſe illic ex vi conſecrationis. Et pariter dum ſumitur ſanguis, non eſt niſi potatio, & non cibatio.*

Arg 3. *Non major utilitas ſumitur ex communione ſub utraque ſpecie, quam ſub una. Ergo Communio ſub una ſpecie eſt legitima.* Bellarm. d. l. cap. 13. Heſſelius, Becanus &c.

Reſp. 1. Alexander Alenſis, Caſpar Caſſalius, Georgiu

Caſſans

Cassander, & ex parte etiam Ruardus Tapperus illud negant, ut patet ex illorum dictis superius citatis.

2. Glossa in c. Comperimus. dist. 2. de consecrat. *Nec superflue sumitur sub utraque specie. Nam species panis ad carnem, & species vini ad animam refertur, cum unum sit Sacramentum sanguinis in quo est sedes animæ. Ideoque sumitur sub utraque specie, ut significetur, quod utrumque Christus assumsit, carnem & animam, & quod tam animæ quā corpori participatio valeat, unde si sub una tantum specie sumeretur, ad tuitionem alterius non valere significaretur.*

3. Concilium Constantiense & Tridentinum fatentur, *Christum sub utraque specie Eucharistiam instituisse.*

(Atqui spotest sperari fructus ex Eucharistiæ Sacramento, si contra institutionem Christi celebretur?)

3. In Concil. Tridentino *de hoc articulo, quod tantum percipiat, qui una specie communicat, quam qui utraque*, sententiis *fuit variatum, quod multi crederent, etiamsi plus Sacramenti non perciperetur, plus tamen gratiæ percipi.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Concil. Trident. p. 377. Idem lib. 6. Hist. p. 610.

In Concilio Tridentino *quidam ex eo, quod totus Christus sub una specie sumatur, colligebant, simul omnes Christi gratias recipi, quando ei, qui totum Christum possidet, nihil deesse potest, qui unus abunde omnibus sufficit. Alii contra consequentiam eam negabant aut necessariam aut probabilem, sumendo Christum, omnem ejus gratiam recipi, quoniam baptizati etiam juxta D. Paulum omnes Christo sunt pleni, quibus tamen nihilominus cætera Sacramenta conferuntur. Et quia argumenti hujus vim quidam declinabant, affirmantes, necessaria esse reliqua Sacramenta propter peccata post Baptismum commissa, alteri replicarunt, prisca Ecclesia consuetudine baptizatos è vestigio ad communionem admissos. Unde quemadmodum ex eo, quod quis per Baptismum Christo erat plenus, male sequeretur, Eucharistiam alias gratias non conferre: ita ex eo, quod quis totum Christum sub panis specie sumserit, non recte colligi, nullam aliam gratiam beneficio calicis percipi. Neque sine summa absurditate astrui posse, Sacerdotem, qui in Missa celebratione corpus Domini, adeoque totum CHRISTUM sumserit, bibendo calicem nullam gratiam percipere. Nam alioqui ea actio bibendi indifferens esset & inanis. Porro communi Scholasticorum & Ecclesiæ doctrina esse definitum, in omni actione Sacramentali, virtute operis ipsius, quod vocant ex opere operato, gradum aliquem gratiæ conferri. Cum autem negari non possit, bibere sanguinem Christi actionem esse Sacramentalem, nihilo plus suam illi gratiam specialem esse denegandam.*

4. Bellarminus d. l. cap. 23. prop. 4. fatetur, *propositionem illam, quod nihil spiritualis fructus capiatur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una, non esse adeo certam, cum de ea varie sentiant Theologi, neque Concilium eam aperte definierit.*

Salmero fatetur, *Doctores, qui de hac propositione locuti sunt, in varias sententias ivisse.*

(Ergo etiam argumentum, ex hac hypothesi deductum, non erit adeo certum.)

5. Ibid resp. ad 4. arg. disputat Bellarminus, *sumtionem Eucharistiæ sub specie panis gratiam conferre, sed eam gratiam in usum utriusque speciei, ut in unam causam esse referendam, quandoquidem ad unam refectionem utraque species conferat.*

(At si utraque species est causa gratiæ Sacramentalis, ergo Laici communicantes sub una specie non fiunt participes gratiæ Sacramentalis, quia ubi duæ causæ ad effectum producendum requiruntur, una non agit sine altera.)

6. Henricus Henriquez in Summ. Theol. lib. 8. cap. 44. num. 5. pag. 475. *Quidam opinantur, ut Alexander part. 4. quæst. 11. art. ult. §. 3. Caspar Casalius lib. 2. de cæna, Johann. Arboreus in Job. cap. 6. & multi Episcopi in Concilio Tridentino, ut retulit Franciscus Blanco Archiepiscopus Compostellanus, per potum vini consecrati addi novum gratiæ gradum, quia est diversa ratio signi expressi cum diversa materia & forma fatentur tamen hunc gradum non esse huic homini necessarium ad salutem, sed satis esse si pane consecrato utatur.*

7. Bellarminus loco paulò ante citato sic differit: *posset etiam dici, Eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam, nisi tota sumtione Eucharistiæ absoluta. Et quia cum sequitur utraque species, non censetur absoluta sumtio, nisi cum sumta est utraque species, ideo Eucharistiam sub specie panis conferre quidam gratiam, sed non ante sumtionem alterius speciei.*

(Atqui si Eucharistia non confert gratiam sub specie panis, nisi tota sumtione Eucharistiæ absoluta, & si non censetur absoluta sumtio, nisi cum sumta est utraque species, consequens est, communionem sub una specie non conferre gratiam, quia ex institutione Christi utraque species sumi debet.)

Vidit hoc Becanus, ideo libro 1. Manualis capite 9. sic distinguit: *Quando una species sola sumitur per modum unius refectionis, tum confert totum illum effectum, quem conferunt ambæ species simul sumtæ per modum unius refectionis. Quando autem una species sumitur cum alia, tunc partialiter confert eundem effectum. Dicendum igitur est, totum effectum conferri in sumtione panis, absolute quidem, si altera species non sequatur; in ordine vero ad alteram, si sequatur.*

(Atqui ex verbis institutionis judicandum, an secundum institutionem Christi panis solus sumi debeat, an vero sumtionem panis sumtio vini necessario sequi debeat?)

Bellarminus loco citato sic differit: *Sacerdotes non solum non inutiliter sumunt utramque speciem, quia utraque species operatur, sed etiam quia ea sumtio, licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte Sacramenti, quia enim Sacramentum sub duplici specie institutum est, utraque species necessario ab aliquibus sumenda.*

(Imo vero quia Sacramentum sub duplici specie à Christo institutum, ergo etiam utraque species necessario ab omnibus communicantibus sumenda. Ratio est quia institutio Christi ad omnes communicantes pertinet. Aut ergo Laicis communionem sub utraque specie vi institutionis Christi permittant, aut ab usu Cœnæ simpliciter eos arceant.)

9. Vasquez tom. 3. p. 3. D. 215. cap. 2. adducit Alensem & alios, qui statuunt, quod *major utilitas percipiatur ex communione sub utraque specie, quam sub una*, Et illorum sententiam approbat, cui sententiæ etiam *quosdam ex Thomistis addictos esse* asserit. *Probabilior, inquit, sententia mihi semper visa est eorum, qui dicunt, majorem fructum gratiæ ex utraque specie hujus Sacramenti, quam ex altera tantum percipi, ac proinde eos, qui calicem sumunt, novum augmentum gratiæ consequi.*

Argum. 4. Johannes Gibbonus in thesibus de commun. sub una Treviris Anno 83. propositis, thesi 14. hoc urget, quod *etiam una specie passio Dominica repræsentari possit, idque Lucam eo ipso docuisse* asserit, *dum significationem passionis primæ speciei adjunxit.*

Resp. In jure Canonico adducuntur dicta veterum, in quibus non una, sed utraque specie passio Domini repræsentari dicitur.

c. Frangitur. dist. 2. de consecrat. ex sent Prosperi. *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?*

c. Quia morte. dist. ead. ex Augustino. *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt significamus.*

(Lucas significationem passionis annectit *speciei panis*, Matthæus *speciei vini*, Paulus *utrique*, ex quo manifestum redditur, utraque specie simul Dominicam passionem significari, non autem una tantum, alter enim Evangelistarum ex altero explicandus est, alioquin ex Marco colligeretur, mortem Christi neutra specie significari, quandoquidem illa neutri speciei subjungit hæc verba: *Hoc facite in mei commemorationem.*)

Argum. 5. Ex verbis Luc. 22. vers. 20. *Postquam cœnavit*, colligitur, *quamlibet speciem distinctum esse Sacramentum ab altera, quia diversa materia & formis verborum diversis consecratæ & non simul, sed longo intervallo & mora temporis intercedente. Nam panem ipsis cœnantibus confecit ac sumendum dedit, deinde post Cœnam consecravit calicem ac distribuit, & cujuslibet speciei consecrationi hanc clausulam distincte adjunxit: Hoc facite in mei commemorationem.*

Salmeron. tom. 9. tract. 14. p. 93. ubi addit, *Ista diversa ac distincta institutione Spiritum Sanctum indicare voluisse, quod futuris temporibus in potestate Ecclesiæ situm sit, ut vel utramque vel alteram tantum speciem, prout magis judicaverit expedire, dispensare possit.*

Similia occurrunt apud Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 27. resp. ad 2. Majerum in 8. controv. cap. 4. p. 76.

Resp. 1. Suarez. Disp. 41. sect. 4. & ex eo Barradius ipsi ex asse consentiens tom. 4. lib. 3. Harmon. cap. 2. *Dominus calicis consecrationem à consecratione panis non separavit, sed totum atque idem Sacramentum duobus signis constans continuatis actionibus effecit.*

cit. Existimandum ergo est, panem prius in corpus convertisse, discipulisque præbuisse, post exhibitum vero corpus mox vinum in sanguinem transmutasse. Totum vero Sacramentum effectum est, postquam cœnavit Dominus. Nam illa verba Lucæ & Pauli, postquam cœnavit, non solum ad consecrationem calicis, sed ad consecrationem etiam panis referenda sunt, quasi dicant: Similiter postquam cœnavit, ut accepit panem, sic accepit calicem.

2. Jansenius in cap. 131. Harm. *Manducantibus Apostolis Jesum accepisse panem, testantur Matthæus & Marcus. Lucas vero sicut & Paulus calicem accepisse dicunt, postquam cœnavit, nec tamen hic quidquam contrarietatis. Inter cœnandum enim instituta fuit Eucharistia, cum jam rursum mensæ accubuissent, sed post cœnam paschalem & usum agni legalis, atque ob id post cœnam, Lucas cum Paulo dicit calicem à Domino porrectum.*

3. Baronius Anno 34 num. 44. *Quod Matthæus dicit, Cœnantibus autem eis, & quod Marcus ait, etiam manducantibus illis &c idem est, ac si dixisset, recumbentibus illis, hæc enim in hunc modū esse intelligenda Lucas aperit, dum testatur, Eucharistiam esse institutam post Cœnam, dicens, Similiter & calicem, postquam cœnavit.*

4. Maldonatus in Matth. 26. v. 26. *Lucas & Paulus dicunt, hoc factum esse, postquam cœnavit, unde colligitur, verba Matthæi & Marci, Cœnantibus illis, non ita intelligenda esse, quasi durante adhuc Cœna Christus id fecerit, sed statim ut Cœna peracta est, antequam mensa & ciborum reliquiæ removerentur.*

5. Lucas Brugensis in cap. 22. Luc. super verba μετὰ δειπνῆσαι. *Conjungendum hoc cum verbo similiter. Neque enim dicere vult, calicem quidem sacrum post Cœnam, panem vero ante Cœnam peractam præbitum fuisse, & similiter calicem, ut panem post Cœnam. Quare autem ad calicem potius addit? ut distingueret hunc calicem à priore, quem Christus statim post esum agni paschalis porrexerat; & sciremus, res fuisse diversas; illum ex antiquo ritu inter cœnandum, hunc post cœnam.*

Et pòstea. *Accepto pane, sc. postquam cœnasset, ut dicitur in v. seq. Non enim temporis distantia interruptum fuit unum idemque mysterium, sed continuo tenore, postquam Christus corpus suum distribuerat, addidit & calicem sanguinis.*

6. In Rom. Ecclesia hic hymnus decantari fuit solitus & adhuc cantatur. *Post agnum typicum expletis epulis corpus Domini cum datum discipulis.*

7. Innocentius III. Pontif. Romanus libro 4. de mysteriis Missæ cap. 13. sic scribit: *Christus post alios cibos tradidit Eucharistiam, Luca testante, qui dicit: Similiter & calicem, postquam cœnavit.*

8. Concilium Constantiense sess. 13. & Concilium Tridentinum sess. 21. diserte dicunt, *Christum instituisse & dedidisse Sacramentum post Cœnam sub utraque specie discipulis.*

9. Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 2. concedit, *duo illa signa, videlicet speciem panis & speciem vini esse partes integrales hujus Sacramenti*; & cap. 23. resp. ad 4. scribit, *Sacramentum sub duplici specie esse à Christo institutum.*

(Quomodo vero cum his conciliari potest, quod lib. 4. de Eucharist. cap. 27. disputat, *Cœnam Domini non constare, nisi ex una specie?*)

10. Durandus lib 4. Rationalis cap. 42. *Christus post Cœnam corpus & sanguinem suum dedit Apostolis.*

Argum. 6. Matth. 6. v. 10. *In oratione Dominica petere docemur panem illum supersubstantialem, hoc est, panem corporis Christi & nulla fit alterius speciei mentio.* Slotanus contra Velsium art. 22. Alph. de Castro lib. 6. advers. hæreses, hæresi ultima, in verbo Eucharistia.

Resp. 1. Catechismus Tridentinus cap. de orat. Domin. *Petimus hoc loco hujus, quam in terris agimus, vitæ subsidia, sanctorum Patrum ita sentientium autoritate.*

2. Patres illos, qui sic sentiunt, enumerat Toletus in cap. 12. Luc. quod sint Gregorius Nyssenus tract. 5. de orat. Basilius interrogationum brevium responso 252. Tertullianus & Cyprianus tract. de oratione, Hieronymus in cap. 6. Matth. Augustinus Epist. 121.

3. Bellarminus lib. 1. de bonis operibus cap. 6 triplicem sententiam h. l. recenset, Unam, quæ censeat, *postulari duntaxat panem corporalem*; quam tribuit Chrysostomo & Autori operis imperfecti (sed Toletus plures enumeravit:) alteram, *quæ solum spiritualem*: tertiam, *quæ omnia subsidia necessaria ad vitam cum animæ tum corporis conservandam*. Tertiam hanc *sine dubio recipiendam* pronunciat Bellarminus.

(Sed si vel maxime acceptetur, tamen συνεκδοχικῶς panis nomen intelligeretur, & sic nihil præjudicaret nostræ sententiæ.)

4. Ex Pontificiis idem statuunt, Maldonatus, Gorranus, Lucas Brugensis, Toletus, Barradius, Jansenius.

5. Abulensis q. 111. in cap. 6. Matth. multis argumentis probat, per *panem ἐπιούσιον non intelligi Eucharistiam.*

6. Jacob. Tirinus ad h. l. sic annotat: *τὸν ἐπιούσιον, id est, qui super vel ad substantiam seu Naturam nostram fovendam requiritur, sufficit & necessarius est. Interpres in Lucam vertit quotidianum, nempe cibarium, frugalem, vulgatum. Ita Basilius, Cyrillus, Chrysostomus & alii Patres.*

Argum. 7. *Pleræque figuræ Eucharistiæ manducationem sub una specie significant.* Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 8. Quod igitur.

Resp. 1. Scholasticorum canon est, *Theologia symbolica non est argumentativa.*

2. Gregorius homil. 22. in Evang. *figuram agni paschalis* ad Eucharistiam accommodat.

(Jam vero non solum caro agni paschalis manducabatur, sed etiam sanguine ejus postes aspergebantur, unde subjungit Gregorius,) *Sanguis Christi super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

3. c. Revera. dist. 2. de consecrat. *figura mannæ & aquæ ex petra profluentis* simul ad Eucharistiam accommodatur. *Considera, præstantior utrum nunc sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ? Manna illud de cœlo, hoc super cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in alterum diem servaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis ex Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit & sitit, tu cum biberis, sitire non poteris.*

(Cui conforme illud Anshelmi in 1. Corinth. 10. *Manna & aqua illa dicuntur nunc spiritualis cibus & potus, quia non mundi lege, sed Dei virtute sine Elementorum commixtione ad tempus creati sunt, habentes in se figuram corporis & sanguinis Domini. Vel eandem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, ipsi manducaverunt in manna, & eundem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra.*)

4. Cassander de Comm. sub una p. 47. sic scribit: *Extiterunt quidam, qui V. Testam. testimoniis abusi sunt ad probandum jus Dominici sanguinis ad solos Sacerdotes, non autem ad fideles pertinere, eò quod in V. Testam. offerentes quidem è populo de sacrificiis, quæ erant in materia solida, edebant; de libaminibus vero, quæ erant in materia liquida, solis ministris, non autem populo libare fas erat. Quasi huic commento non satis Chrysostomus occurrat, cum ait: Non sicut in lege veteri partem quidem Sacerdos comedebat, partem etiam populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos; Sed nunc non sic, verum omnibus unum corpus proponitur & poculum unum.*

5. Bellarminus passim *figuram Melchisedeci panem & vinum proferentis* ad Eucharistiam accommodat. Jam vero figura illa utramque speciem exprimit.

6. Davius contra Tilenum ad argumentum ab analogia Circumcisionis petitum, quo nostri probant, *Baptismum non esse repetendum*, inter alia sic respondet: *A figura ad veritatem non esse certam consequentiam, nisi accedat repetitum mandatum. Sic Pascha Eucharistiæ figuram fuisse, nullum tamen in eo potum.*

(Sic ergo Cardinalis Davius Cardinali Bellarmino contradicit.)

7. Salmero tom. 8. tract. 24. *Quod vero manna sub una tantum specie porrigeretur, nihil refert, quia non est opus in typis & figuris antiquis omnimodam reperiri ad rem figuratam similitudinem.*

8. Si figuræ hujusmodi fuerunt Eucharistiæ, & oportet figuratum figuræ respondere secundum analogiam, ergo quemadmodum *in ligno vitæ, in panibus propositionis, in agno paschali, in sacrificiis* nullus omnino potus fuit, utique etiam nullum oportet esse in Eucharistia. Nullum, inquam, quam in sus. Non enim in illis erat magis in consecrando, quam in communicando; nec magis Sacerdotibus, quam plebi. Atqui còtra fit in Eucharistia, etiam inter Papistas, qui neque audent consecrare panem solum, neque Sacerdoti conficienti interdicere calicis sumtionem.

9. Figuratum figuræ debet respondere. Quod si ergo communio sub una specie fuit in V. T. præfigurata. Ergo necessario

cessariò debuit S. Cœna administrari sub una specie,& per conseq.peccaverunt Christus, & Apostoli & tota primitiva Ecclesia per tot secula,quod sub utraque specie S.Cœnam administrarunt. Præterea figuræ Cœnæ, quatenus notant ejus substantiam,debuerunt impleri in Institutione ejusdem. At institutio habet utramque speciem fatentibus adversariis.

Argum.8. Quando Christus Joh. 6. de fructu Eucharistiæ loquitur, non semel,sed quater unam speciem sufficere docet ad salutem. Bellarm.d.l.

Resp.1. Suarez lib.2. defens. fid. Cathol.p.5.p.368. *Multi Catholici negarunt,illa verba Joh.6. intelligenda esse de manducatione Sacramentali.* Idem fatentur Bellarminus lib.1.de Euchar. cap.5.Vasquez Disp.179.cap.4.

2. Maldonatus Joh.6.v.53. *Scio Catholicos,scio doctos,scio religiosos ac probos viros esse, (qui hunc locum de Sacramentali manducatione & bibitione agere negant)sed minime profecto utilem atque fidelem in hac re Ecclesiæ operam navaverunt, quod contra Scripturæ sensum,Patrum omnium interpretationem, contra tacitum,imo minime tacitum,sed satis superque explicatum consensum dixerint atque contenderint,hoc loco de Sacramento non agi,quod, ut benignissimè dicam,est temerarium,gravioribusque condemnarem verbis, nisi compertum haberem,homines bene Catholicos errore magis animi, quam vitio,in hæreticorum sententiam impegisse.*

3. Tales vero Catholici sunt Thomas Waldensis tom.2. de Sacramentis cap.91. Johannes de Ragusio de communione sub utraque, Armacanus lib.9.cap 8. Gabriel Biel lect.84. in Can. Missæ, Nicolaus Cusanus Cardinalis Epist.7.ad Bohem. ubi dicit,*hanc esse communem Dd. sententiam*, Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis in part.3. Thom.q.80. art. ult.uti etiam in cap.6. Johann. (fatente Sixto Senensi lib. 6. Bibl. annot. 197.) Ruardus Tapperus tom.2 in explic. art.15. Johannes Hesselius de Lovanio de Comm.sub una specie, Clingius lib. 4. Loc.Comm.c.14. Caspar Segerus (referente Alphonso de Castro lib.6. adversus hæres. tit. Eucharistia hæres. ultima.) Cornelius Jansenius in Harmon. cap.59.

Hisce Maldonatus & Conzenius addunt Turrecrematam Cardinalem & Joh. Gersonem Cancellarium Parisiensem, quorum omnium elogia recensent Antonius Possevinus in Apparatu,& Sixtus Senensis in Bibliotheca sanctâ.

(Hi omnes nostræ suffragantur sententiæ,quod Joh.6.non agatur de Sacramentali,sed spirituali carnis & sanguinis Christi manducatione ac bibitione.)

Cumprimis vero idipsum multis confirmat Matthias Doringius Monachus Franciscanus in additionibus ad Nicolaum Lyranum in Psalm 110. *Illud,inquit, dictum ex litera non habet fundamentum. Ideo de Sacramentali communione,nec quoad Clerum,nec quoad Laicum,habet vim præcepti ad omnes, secundum verum ejus intellectum: quia ex eodem contextu literæ declaratur, de qua manducatione & potatione intelligi debeat,videlicet de spirituali, quia sequitur: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quod B. Augustinus exponens ait: Hoc est manducare illam escam & bibere illum potum,in Christo manere,& Christum manentem in se habere, quod nihil est aliud, quam esse in charitate Christi. Hoc autem nihil directè pertinet ad Sacramentalem vel corporalem manducationem. Nam hoc verbum fuit dictum antequam Sacramentum Eucharistiæ fuit institutum. Ex illa igitur litera de Sacramentali communione non potest fieri argumentum efficax. Primum enim id, de quo agitur, debet esse in rerum Natura. De Eucharistia igitur Sacramentali,quæ nondum fuit,tam alta sententia proferri non potuit, nisi quis curiosus hæreticus diceret, illa verba dicta de usu Sacramenti Eucharistiæ prognosticè per modum Prophetiæ. Sed sic dicere,non potest in aliquo passu sacræ Scripturæ fundari. Eadem igitur facilitate contemnitur,qua probatur, præsertim cum constet ex Evangelii rotundo textu, quosdam huic præcepto satisfecisse,quos constat nunquam Sacramentaliter manducasse. Ideo Augustinus ait,has propositiones simul esse veras. Non manducans manducat. Dato opposito sequeretur, neminem esse in caritate,nisi Sacramentaliter communicantem, quod est erroneum dicere.*

Doringio consentit Michael Vehe contra Lutherum tract. 3. sic scribens: *Quam nihil firmitatis habeat hæc ratio, hinc claret, quod verbis Christi abutitur in sensu peregrino. Quæ enim de spirituali manducatione dicta sunt &c. ipse ad Sacramentalem torquet, de qua nihil in his verbis loquitur Christus, quod vel hoc argumento evincitur,quod multis per Dei gratiam vità contingit spiritualis, absque hac Sacramentali manducatione.*

4. Archiepiscopus Granatensis sess.20. Concil. Trident, asseruit,*cap.6. Johannis minime de Sacramento accipiendum, sed de fide sub metaphora alimenti*, allato ad id firmandum *contextu & multorum Patrum, inprimis Augustini interpretatione*, ut habet Historia Concil. Tridentini Petr. Suav.lib.6.pag.600. (al.edit. 625.)

5. Probatur hoc evidenti argumento. Si verba illa Christi Joh.6. *Nisi manducaveritis &c.* sunt verba mandati, præcipientia de forma Eucharistiæ,ut volunt quidam Pontificii,sequetur, Eucharistiam esse institutam ante illam noctem, in qua Christus traditus est,ad quod tamen tempus institutio ejus diserte restringitur Matth.26.v.21. 1.Corinth.11.v.23.&c. Sed & Bellarminus 1. de Eucharist.cap.7. negat Euchar. Johan. 6. institutam, quanquam ad instituendæ usum Christianos obligari contendat.

6. c. Dupliciter. dist.2.de consecrat. ex Hieronymo. *Dupliciter intelligitur caro Christi & sanguis, vel spiritualis illa atque divina,de qua ipse ait: Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus; & ; nisi carnem meam manducaveritis,& biberitis sanguinem meum,non habebitis vitam æternam. Vel caro mea, quæ crucifixa est; & sanguis,qui militis effusus est lanceâ.*

c. Credere. dist. ead. ex Augustino. *Credere in Jesum Christum hoc est manducare panem vivum. Qui credit,manducat, invisibiliter saginatur,quia invisibiliter renascitur. Et qui manducat carnem meam,& bibit sanguinem meum,habet vitam æternam. Participatione enim Filii,quod est per unitatem corporis Christi & sanguinis,homo manducans vivit,non sumens tantum in Sacramento, quod mali faciunt,sed usque ad Spiritus participationem,ut in corpore Domini tanquam membrum maneat & ejus Spiritu vegetetur, quod est, dum mandata ejus servat.*

(Hi canones testantur; Joh.6.de spirituali manducatione & bibitione agi.)

7. Rayhingius in Enchirid. Cathol. contra Dn.D.Hoe.p. 823. & Majerus controv.3.p.104.§. sed contra &c.fatentur, quod *Johann 6. usque ad v. 52. tantum de spirituali fruitione agatur; sed à vers. 52. Christum in forma promissionis agere de sacrâ Cœna.*

(Atqui etiam in sequentibus versiculis utitur iisdem omnino verbis, ut ostendit collatio vers.65.cum v.44.ut & consideratio v.63. ac v. 68.)

8. Detur vero ex hypothesi Joh.6.v.52. & seqq. agi de Cœna,certe multo magis mandatum de utraque specie ex vers. 53. probari possit. *Nisi manducaveritis carnem,& biberitis sanguinem Filii hominis &c.* Item ex v.54.55.& 56.

Jacob.Tirinus in cap. 6. Joh. v. 51. *Verbis manducare & bibere utraque species clarissime distinguitur, cum in spirituali manducatione per fidem idem sit bibere, quod manducare.*

Bellarminus libro 1.de Eucharist.cap 5.§. Quartum argumentum &c. *Ista distinctio tam frequens carnis & sanguinis,& cibi ac potus,aperte indicat, Christum loqui de communicatione sui sub speciebus panis & vini,alioquin quorsum ista distinctio toties præsertim repetita?*

Lib. ejusdem cap.7. resp.ad 10. arg. *Persuasi sunt quidam Catholici,ægre defendi posse usum Ecclesiæ de communione sub una specie si ad literam de Sacramento intelligamus illa verba, Nisi manducaveritis &c.*

Vasquez tom.3.in p.3. d.216.cap.5.num.50. sic disserit: *Verba Domini, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c. non tantum referuntur ad rem ipsam,sed etiam ad modum sumendi eam. Nam manducare & bibere, si verba propriè usurpentur, cuivis speciei convenire non possunt. Neque enim sanguis sub specie panis bibi dicitur, sicut nec corpus sub specie vini manducari.*

(Eò igitur abit Vasquez, *quod Christus præceperit manducationem sui corporis sub pane, & bibitionem sanguinis sub vino,sed non omnibus Christianis, verum in genere Ecclesiæ Dei.* Sed quid de hac exceptione statuendum,paulo ante fuit dictum.)

9. Inde etiam Cornelius Jansenius in Concord. Evang.c. 59. Cajetanum secutus, *se non videre,ait,quomodo statutum Ecclesiæ Romanæ de una specie defendi possit, si hæc tam expressa verba* (Joh. 6. v.53.) *distinctum modum sumendi cibum & potum præcipientia, de Sacramento Eucharistiæ accipi debeant.*

10. Bellarminus non veretur scribere lib.1.de Euchar.cap. 5.§. Probatur tertio &c. *Patres omnes hoc caput de communione Sacramentali intelligere.*

Sed constat ex Histor. Concil. Tridentini Petri Suavis lib. 6. p. 600. Archiepiscopum Granatensem in ipso Concilio,ut & Ru-

& Ruardum Tapperum, Cornelium Jansenium & alios scriptores Pontificios in contrarium allegare *Tertullianum, Origenem, Augustinum &c.* & excipere ad Patres secus sentientes, quod *sermonem Christi Joh. 6. à sensu literali ad allegoricum pro concionibus sæpe transtulerint,* qua exceptione socios suos uti fatetur ipse Bellarminus d.l. §. Ad hæc loca &c.

11. In ipso Concilio Tridentino in tres diversas à Patribus itum fuit sententias. Quidam cap. 6. Joh. *de sola Sacramentali communione agere contenderunt*, inter quos præcipuus erat Jesuita Torrensis, qui à secus sentientibus in eadem Synodo, præcipue Archiepiscopo Granatensi & Gallis plerisque Episcopis ad aliam Synodum provocabat; alii *de sola spirituali communione id accipiendum esse* postulabant; alii *de communione utraque*, ut Salmero, cujus sententia extat tom. 8. tract. 21. à quo *nil nisi protritum & vulgare auditum esse*, Petrus Suavis d.l. ex ipsorum Præsulum commentariolis memorat.

12. Si vel maxime ex hypothesi detur, in cap. 6. Joh. extare præceptum de communione Eucharistica, nondum tamen evictum esset, communionem sub una specie à Christo esse approbatam. Pontificii concludunt hoc modo: *Vita æterna, quæ v. 51. panis comestioni tributa erat, mox v. 53. 55. 56. panis comestioni & sanguinis bibitioni adscribitur. Ergo Christus communionem sub una specie approbavit.*

Atqui docet Estius in 1. Joh. 3. v. 21. *hanc esse Scripturarum consuetudinem, ut causæ uni effectum tribuant, subintelligendo interim conditionem hanc, si aliunde non sit defectus.*

(Quando ergo unus idemque effectus modo uni, modo pluribus causis adscribitur, nequaquam indicium est, unam causam sufficere, sed contra indicium est, plures requiri & quamlibet agere, quantum in se est, eique effectum non absolute, sed pro causationis suæ proportione adscribi. Invertendum igitur argumentum Pontificiorum, ac statuendum, quod Christus non soli *panis comestioni*, sed etiam *sanguinis bibitioni* effectum hunc acceptum retulerit. Nemo enim causæ à se positæ aliam adjungit, ut probet, primam esse sufficientem, nec simul requiri alteram, sed contra additio causarum ostendit, unam esse insufficientem, quorsum enim aliæ subjungerentur?)

Argum. 9. Luc. 24. *Christus cum discipulis in Emaunte panem fregit, atque eo ipso unam speciem sufficere testatus est.* Bellarminus d.l. Eccius, Roffensis, Karnkouski, Richeomus, Vasquez, Maldonatus, Tirinus, Cochlæus, Joh. à Lovanio, Stapleton⁹, Hoffmeisterus &c. Becanus de Comm. sub utraque specie c. 3. eò usque progreditur, ut scribat, *Christum bis instituisse sacram Cœnam, semel pro Clericis, in ea sc. nocte, qua traditus fuit, altera vice in Emaus pro Laicis.*

Resp. 1. Concilium Constantiense & Tridentinum non putarunt, posse quidquam subsidii ex his locis Joh 6. & Luc 24. accedere communicationi sub una specie, alioqui dicta illa in prima acie argumentorum collocassent.

2. Gregorius homil. 23. in Evang. *ad communem Cœnam* Historiam illam refert. *Mensam igitur* (inquit) *ponunt, panes cibosque offerunt, & Deum, quem in Scripturarum expositione non cognoverant, in panis fractione cognoscunt.*

(At Gregorius fuit Episcopus Romanus, & proinde ex adversariorum hypothesi infallibilis.)

3. Lyranus interpretationem illam Gregorii probat ex Matt. 14. ubi itidem Christus *acceptis panibus aspiciens in cœlum benedixit, fregit, discipulis dedit,* nec tamen Eucharistiam celebravit, ibid. ad verbum *fregit.* sic annot: *sicut consueverat facere ante passionem. Sic enim frangebat panem, ac si scinderetur cum cultello.*

4. Wilhelmus Widefort, qui contra Wiclefum Anno 1396. scripsit, expresse asserit, *neque ex textu, neque ex glossa, neque ex Patribus probari posse, fuisse hanc panis Eucharistici fractionem.*

(Recte, quia nulla fit mentio *consecrationis*, quæ est essentialis Eucharistiæ pars.)

5. Dionysius Carthusianus in cap. 24. Luc. sic scribit: *Accepit panem & benedixit, non tamen in suum corpus convertit, sicut in Cœna, sed ut moris est benedicere cibum, in quo instruxit nos, ut ante refectionem benedicatur cibus & potus.*

6. Maldonat. fatetur, *esse verisimile, Christum tum, ne phantasma esse videretur, communem cum discipulis duobus sumsisse Cœnam.*

Maldonatus in Comm. Luc. 24. v. 30. in voce fractionis Synecdochen agnoscit. *Vix quisquam*, inquit, *non intelligit, quod cum Christus in fractione panis cognitus esse dic tur, fractionem panis non ipsam actionem frangendi, sed totum illum actum conficiendi administrandique Eucharistiam appellari.*

(Qualis enim fuerit ille actus conficiendi administrandiq; Eucharistiam omnium rectissime judicatur ex propria institutionis sede, modo certo constaret, administratam ibi fuisse Eucharistiam.)

7. Cajetanus in eundem locum sic commentatur: *In sola fractione agnitus dicitur inferius, ut intelligamus, fractionem fuisse miraculosam, hoc est, quod frangebat panem manibus, sicut alii incidunt cultello.*

8. Alphonsus de Castro libro 6. contra hæres. verbo Eucharistia, hæresi ult, non vult definire, *hunc locum ad Eucharistiam spectare.*

9. Didac. Stella itidem accipit hunc locum de *fractione vulgari, non Sacramentali. In sola,* inquit, *fractione est agnitus, intelligamus fractionem fuisse miraculosam, hoc est, quia frangebat panem manibus suis, sicut alii incidunt gladio. Solitum hunc frangendi modum fuisse credimus, & propterea discipuli ex consueto Jesu modo cognoverunt eum. Nam si hic modus frangendi panem non fuisset illi consuetus, nullum agnitionis testimonium afferrent, dicendo, quomodo agnitus fuisset ab eis in fractione panis.*

10. Justinianus in 1. Cor. 10. super verba. *Panis, quem frangimus &c. Non simplicem fractionem intelligit, qualis erat illa, cujus meminit Lucas.* Notat autem in margine Luc. 24. & Act. 22.

11. Antonius Julianus in postill. majori. *Accepit panem, benedixit, fregit & porrigebat illis, sicut consueverat ante passionem.*

12. Cornel. Jansenius in Concord. Evang. cap. 146. itidem de *communi* Cœna accipit. *Sunt quidam,* inquit, *qui existimant, Dominum hic jam discipulis duobus sub specie panis suum porrexisse corpus, quemadmodum Apostolis in ultima Cœna, eò quod id hic Christus fecisset, quod in ultima Cœna, cum Eucharistiam institueret; atq; hinc certum desumunt argumentum, quo ostendant, licere Eucharistiæ Sacramentum sub una tantum specie suscipi & tradi. At quanquam ea sententia non est certa, imo nec multum verisimilis, tamen ut omnia Christi facta mysticum aliquid continebant & abstrusum: ita hæc Christi actio procul dubio sacri aliquid significabat. Nihil autem aliud convenientius intelligi potest significasse, quam sacri ejus corporis dispensationem, quam sub specie panis, simili, qua modo usus est actione, Apostolis paulò ante commendaverat, quam & in multiplicatione panum simili actione olim mystice suis commendavit &c.*

12. Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 22. §. De hoc loco &c. *duas esse* dicit *Catholicorum de hoc loco sententias,* quarum utramque Barradius tom. 4. Harmon. Evang. lib. 8. cap. 12. vocat *verosimilem.*

(Cum ergo varient de hoc loco Theologorum sententiæ, ideo *argumentum non adeo certum* ex eo deduci potest, ut Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 32. propos. 4. in simili negotio disserit.)

14. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 22. statuit, *Sacerdotes non posse sub una specie communicare, quia imperfectum sacrificium redderent.*

Cajetanus in Thom. p. 3. q. 80. art. 12. q. 1. *Sacrilegus est Sacerdos consecrando panem & non vinum.*

Balduinus Junius in Manuali Theolog. lib. 17. cap. 8. scribit, *extare præceptum non solum Ecclesiasticum, sed etiam divinum de conficienda Eucharistia sub utraque specie.* Similia occurrunt apud Lorinum in cap. 27. Actor.

(Ergo in voce panis admittenda erit *Synecdoche,* ut subintelligatur etiam potus 2. Reg. 6. v. 22. aut dicendum erit Christum sine vino consecrasse. *Si* vero Synecdoche statuitur, excipitur argumentum pro communione sub una specie ex hoc loco desumtum. Ex hoc fundamento negat Cassander, Historiam Emaunticam de Cœna agere, alias sequeretur, Christum in una duntaxat specie consecrasse.)

F. Antonius Mondulphensis, Episcopi Pragensis Theologus, in Conc. Tridentino monuit, *non minus pugnare cum doctrina Catholica dare calicem Laicis per præceptum divinum, quam eundem iis negare præcepto divino. Ideo id genus argumenta in eum modum concludentia esse segreganda, perinde ac illud de discipulis in Emaus, & D. Paulo in navigio, quoniam ex iis posset colligi, non esse sacrilegium, unam speciem absque altera consecrari, quod cum mente omnium Doctorum & sensu Ecclesiæ pugnat.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trid. p. 608.

15. Nisi hic Synecdoche statuatur, consequens fuerit, Cœnam administrari posse absque his verbis: *Accipite, manducate, Hoc est corpus meum.*

(Nec adfuerant Cleophas & ipsius comes in institutione Cœnæ, utique ergo hoc mysterium ipsis prius fuisset explicandum.)

16. Ge-

16. Georg. Wicelius in Compend. de semit. antiq. sic dissérit: *Non inficiamur fractionem panis in viculo Emaus & in urbe Jerusalem, sed explicari hoc ipsum desideramus, ne simul peccemus & in ordinem Evangelicæ Sanctionis & in morem Apostolicum. Perpendendum igitur apprime est, num hæc fractio Scripturæ familiaris semper ita importet cibum, ut excludat potum? Nos enimvero haudquaquam refragamur idiomati Hebræo, quo intelligitur, frangere panem idem esse, quod Latine dicimus, aut jentaculum sumere, aut toto vesci convivio, etiam qualicunque, ubi ut nec cibus deest, ita nec ad vitæ sustentationem potus. Unde videtur frivola esse tergiversatio per hujusmodi subterfugia manifestæ veritati elabi velle.*

Argum. 10. Act. 2. *Per fractionem panis Eucharistia describitur. Ergo in Apostolica Ecclesia communio sub una specie fuit usitata.* Bellarm. d. l. Lorichius in Fortalitio, Tirinus in h. l.

Alii ex Pontificiis hoc urgent, quod *præsentem locum, ut & Historiam Luc. 24. de sacra Cœna, accipi posse*, in Apol. August. Conf. concedatur.

Resp. 1. Concilium Constantiense fatetur, *primitivæ Ecclesiæ utramque speciem in usu fuisse*, quod agnoscunt etiam alii Pontificii, quorum testimonia adduximus superius.

22. Cajetanus de Cœna vulgari h. l. exponit. *Per singulas domos frangebant panem, quia per singulas domos familiarum ad Christum conversarum fiebat distributio panis. Convenientibus istis ad istam & illis ad illam domum: ita quod accipiebant cibum sibi datum. Modus enim explicatur, quo fiebat distributio cibi tantæ multitudini in diversis habitaculis.*

(Singula membra, videlicet, κοινωνίαν, fractionem & preces Lucas in sequentibus ipse ἐξηγητικῶς declarat.

3. Clingius lib. 4. Loc. Comm. cap. 13. *Utrum Apostoli Sacramentum hoc cæteris dispensarint sub una specie, an duabus, non potest ex hoc textu Act. 2. v. 42. haberi.*

Similia occurrunt apud Petrum à Soto in instruct. Sacerdot. lect. 10.

4. Lyranus in h. l. *tum quia quotidie communicabant, tum quia omnes cibos, sicut & cætera communia habebant.*

5. Glossa interlin. h. l. *panis, sive communis, sive sancti.* Pari ratione Hugo & alii utroque modo exponunt, tum de *pane sancto* tum *de communi.*

6. Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 56. dicit: *quosdam præclaros viros opinari, Apostolorum tempore sub una specie fuisse communicatum, alios tamen synecdochice ex illius ætatis more hunc locum malle accipere.*

7. Vatablus exponit *de communione bonorum*; Cajetanus *de communione obsequiorum*, teste Corn. à Lap. in h. l.

8. Lorinus in h. l. *Existimo de Eucharistia non esse sermonem, quoniam superius paulo ante de illa sermo habitus est: vel de victu, qui distribuebatur singulis, prout cuivis opus erat, vel de convivio, quod ἀγάπην appellabant.*

Ibid. p. 138. *Frangere panem est eleemosynæ nomine panem dare, non diviti, sed pauperi, non uni totum, ne alii fame pereant, ut Augustinus notat, vel partem etiam panis, quem unicum tanquam pauper habes, pauperi distribuere, ut idem docet.*

Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 25. resp. ad 3. concedit *in Ecclesia Corinthiorum utramque speciem in usu fuisse.*

(Ergo etiam in Apostolica Ecclesia fuit usitata.)

10. Si vel maxime per *fractionem panis* intelligatur Eucharistia, res ipsa tamen ostendit, synecdochen hic esse statuendam, qua per fractionem panis etiam consecratio vini intelligatur. alias sequetur, sine consecratione vini Eucharistiam celebrari posse.

11. Benedictus Justinianus in 1. Cor. 12. *Quemadmodum superiori capite ex altera cibi specie utramque significavit: ita etiam hic ex specie potus integrum Sacramentum indicare voluit.*

Idem 1. Cor. 10. fol. 538. negat, hic agi de *fractione panis Eucharistici*, quod negat quoque Richeomus lib. 4. de Missa c. 61.

Argum. 11. Act. 20. v. 7. & 11. Paulus dicitur *fregisse panem*, ubi nullum *calicis* vestigium.

Resp. 1. Idem Paulus Corinthiis utramque speciem tradidit, fatente Bellarmino lib. 4. de Euch. cap. 25.

2. Dicunt Pontificii, *Apostolos in prima Cœna administratione sub utraque communicasse, quia fuerunt Sacerdotes.*

(Atqui etiam Paulus fuit Sacerdos.)

3. Si vel maxime per fractionem panis intelligeretur Eucharistia, tamen & hic *synecdoche* agnoscenda, cum sine consecratione vini Sacra Cœna non possit celebrari.

4. Cajetanus dubitat *de spirituali ne, an corporali cibo hic locus sit explicandus.* Lyranus *refectionem corporalem indicari* putat. Ita quoque Historia Scholastica.

Lorinus in h. l. *Ego, si mihi cum adversario pugnandum sit, non anceps dubiumve, sed certum firmumque in manus telum, qualia in hac controversia alia non desunt, lubentius sumsero.*

5. Quæ omnia Bellarminus dubio procul expendit, ideo argumentum ex hoc loco petere noluit.

Argum. 12. Act. 27. v. 35. *Paulus sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, cœpit manducare.*

Ex h. l. Cochlæus in 25. rationib. de una specie, colligit, *Apostolos quandoque sub una tantum specie Eucharistiam distribuisse.*

Resp. 1. Pontificii statuunt, *Sacerdotes conficientes necessario utramque speciem accipere.*

Atqui Paulus hic fuit conficiens. Ergo utramque speciem accepit, & per conseq. quando dicitur *manducasse*, per synecdochen subintelligendũ, quod etiam biberit benedictũ calicẽ:

At si Cochlæo licet statuere synecdochen *respectu Pauli*, cur non & nobis *ratione aliorum communicantium?*

2. Salmero in h. l. sic commentatur: *Non videtur Lucas de Eucharistiæ Sacramento loqui, ut Chrysostomus & Beda sentiunt, tum quia dicit, omnes sumsisse cibum, tum quia subdit: Et satiati cibo alleviabant navim. Nam neque omnes illi apti erant ad communionem sacri panis, cum essent infideles, & modici panis gustu, qualis exhibetur in Eucharistia, non valuissent expleri.*

Oppositam tamen sententiam non repudiat.

3. Lorinus in h. l. *Chrysostomus, Oecumenius, Beda, reliquique hujus loci expositores usitatum ac vulgatum duntaxat panem escamve intelligunt, nec non Hieronymus. Et mihi etiam id magis placet. Nam mysterium, quod ab abscondendo dicitur, cæterorum facile maximum in omnium prophanorum hominum celebratum conspectu, non adducor ut credam, à quo candidatos fidei, Catechumenos, rejectos perpetuo Ecclesiæ more constat, & de quo Patres passim, ut de non secretâ minus re, quam sacrata loquuntur. Et vetere quoque traditione in mari ac flumine & in navi Eucharistiam confici nefas ducitur, propter periculum effusionis sanguinis, quamvis sub specie panis illuc portatum legamus. Et quia consecratio unius speciei non potest fieri sine consecratione alterius, ut sit sacrificium; idcirco tali in loco non fit, nec navigantes Missam, quam siccam vocant, dum ibi celebratur, audire tenentur. Deinde panem, quem Apostolus manducavit & alii omnes sumserunt, usque ad satietatem; alioqui laborabit perplexa admodum homonymiâ præsens narratio.*

4. Cornelius à Lapide in h. l. *Nota prudentiam charitatis Pauli, ut afflictos consoletur & inedia pene confectos inducat ad sumendum cibum, ipse primus publice, gratiis actis Deo, cœpit manducare.*

5. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 216. *Paulum dedisse Eucharistiam Lucæ & aliis Discipulis, falsum existimo. Nam ibi solum legimus, Paulum exhortatum fuisse omnes, etiam infideles, qui in navi erant, ut aliquantulum cibi caperent, ne tempestate maris jactati præ nimio labore deficerent, hos autem invitaret* (supplenda videtur negatio) *ad Eucharistiam. Neque vero legimus, Paulum fregisse & fractum dedisse omnibus, sicut faciebat Christus, quando Eucharistiam consecrabat, sed fregisse, nimirum panem; quem ipse pro se cepit, & manducasse, deinde cæteros etiam manducare cœpisse, quæ omnia indicant commune prandium sumtum eo fine, quo diximus.*

6. Nec recentiores solum, sed etiam qui superioribus seculis vixerunt, ita explicant. Petrus Comestor. *Et hoc dicto sumebant panem in conspectu omnium cum gratiarum actione juxta morem solitum.* Glossa interlin. *Juxta morem solitum in comedendo, & pro salute navigantium.*

Argum. 13. 1. Cor. 10. v. 17. *Unus panis & unum corpus multi sumus, quia omnes de uno pane participamus. Ergo in Eucharistia communio sub una est legitima.*

Resp. 1. adduximus superius confessionem ipsorum Pontificiorum, *quod in Eccl. Cor. usitata fuerit cõmunio sub utraq; specie.*

(Id quod evidenter confirmari potest ex v. 16. hujus capitis, ubi expressa fit mentio poculi, quod sit *communicatio sanguinis Domini.* Neve cum Bellarmino dicas, *in benedictione duntaxat fieri mentionem calicis, non distributione*, notandum quod v. 21. mentio fiat *bibitionis poculi Domini.*)

2. Vulgata versio Latina, quæ in Concilio Tridentino pronunciata est authentica, diserte addit, *omnes de uno pane & de calice participamus.*

Excipit quidem Bellarminus, distinguendum esse inter *vulgatam editionem correctam*, quæ sola sit à Concilio approbata, *& mendis conspurcatam.* Atqui legimus illa verba in vetustissimis Latinis exemplaribus, in Bibliis Coloniæ Anno 1530.

editis ex officina Eucharii Cervicorni, de quibus in titulo dicitur, *quod sint ad multorum vetustissimorum Codd. Latinorum exemplaria accuratissime castigata, ea quidem fide & diligentia, ut in illis D. Hieronymi editio plane renata videri possit.* (Ac citat hæc verba Ferus in cap. 2 Act.)

Argum. 14. ex 1. Cor. 11. v. 27. *Quisquis manducaverit indigne aut biberit. Ergo sufficit una species.*

Resp. 1. Concilium Tridentinum sess. 4. decret. 2. *vulgatam versionem* pronunciavit authenticam. In plerisque vero illius exeplaribus non extat disjunctiva *Aut*, sed copulativa ET. Ante Sixtinam editionem Latini Codices aliter non legunt.

Excipiunt quidem, *in antiquis exemplaribus extare vel*, sed non probant.

2. Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 25. *Particula Et in verbis Christi Joh. 6. v. 52. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, accipienda est pro disjunctiva vel.*

(At eodem jure dicere possumus, particulam *disjunctivam* 1. Cor. 11. v. 27. *Aut*, accipiendam esse pro *copulativa Et.*)

3. Calepinus in Lexic. *Vel, interdum copulativa est, interdum ponitur pro etiam, καί.*

(Atque eo sensu hic usurpari patet ex eo, quod verba Apostoli, utpote ex institutione deducta, non *contra institutionem Christi*, sed *juxta institutionem* explicanda; quodque Paulus quinquies *panem & vinum, manducationem & bibitionem* conjungit v. 25. 26. 28. 29. Ergo unica vocula ἢ in v. 27. non separat, sed pro copulativa vel distinctiva ponitur.)

4. *Si ex particula* ἢ colligi posset, *speciem panis in communione Laicorum sufficere*, posset ex eadem colligi, etiam speciem vini in communione Laicorum sufficere. Consequens non concedunt Pontificii. Schmiglecius in refut. dissolut. nodi sui Gordii cap. 16. *solum calicis usum non efficere Eucharistiam: Verbis enim Christi, quotiescunque bibetis, indicari*, dicit, *usum calicis non perpetuo futurum in Ecclesia, cum panis usus constans & perpetuus esset futurus.*

5. Non solum Syrus Interpres, sed etiam Thomas, Lyranus, Gentianus Hervetus in editione Theodoreti, Cajetanus, Guillandus &c. reddunt per *copulativam.*

(Disjunctivæ particulæ non disparant partes à toto, sed alias ab aliis. 1. Cor. 13. 8. Eph. 6. v. 8. Matt. 5. v. 17. c. 6. v. 31. &c.)

6. Unde Latinus interpres *copulativas* quandoque exprimit *disjunctivis*. Marci 13. v. 32. Joh. 3. v. 8. in edit. Sixtina. Act. 7. v. 42. cap. 25. v. 11. & alias sæpe, ut merito dicatur *disjunctivas sumi pro copulativis*, & quidem sæpius quam *copulativas pro disjunctivis*. Nimirum duæ sunt disparatæ Sacramenti partes, una *in pane edendo*, altera *in vino bibendo*. Itaque potuit Apostolus dicere, aut edere aut bibere, quia unum non est in altero. Interim utraque integrat Sacramentum, unde frequentior fuit copulativa.)

Argum. 15. *In Ecclesia Apostolica Judæi noviter conversi, Nazaræi, Rechabitæ non fuere usi vino in Sacrificiis.*

Resp. 1. Rayhingius in Ench. Cathol. contra D. Hoe pag. 829. fatetur, *esse probabile, qui abstinuerint à vino.*

(Ergo non est certum & manifestum. Sed nec est probabile, quia non aliter fuit ipsis permissum ritibus Mosaicis aut legalibus uti, nisi quatenus non pugnarent cum Christianismo: Noverant insuper *per sanguinem*, à quo in lege arcebantur, non intelligi sacrosanctum & immaculatum Christi sanguinem. Incertum etiam est, an inter noviter conversos fuerint Nazaræi ac Rechabitæ.)

2. Pontificii statuunt, *vinum Eucharisticum transsubstantiari in Christi sanguinem.*

(At si illi Nazaræi cum Pontificiis hoc credidissent, sine scrupulo calice Eucharistico usi fuissent, quippe in quo non esset vinum, sed merus sanguis.)

3. Lorinus in cap. 2. Act. *Nolim vim adeo magnam hoc in argumento* (de Nazaræis) *ponere, quoniam modicitas vini nec nocet nunc celebrantibus, etiamsi voverent abstinentiam ejus.*

(Addere potuisset ex hypothesi Papistica, Nazaræos vovisse abstinentiam *vini*, non abstinentiam speciei vini substantiæ vacuæ.)

Idem in cap. 21. Act. v. 26. pag. 782. *Propter modicitatem dictam, & quoniam includit aliquam integritatem nihil prohibet, si à Laicis Nazaræis usurpatam quis dicat,* (sumtionem sanguinis sub specie vini) *cum alioqui ferme id efficiatur, ut Sacerdotibus, si Nazaræi vellent esse, abstinendum esset à consecratione sanguinis, ac proinde à sacrificio, in quo sumit consecrans, quæ consecrat, aut ut nec liceret Nazaræis Sacerdotibus esse, unde non est plane necessario argumentum pro communione sub una specie ritus Nazaræorum à Christianis usurpatus, licet aliquam habeat probabilitatem.*

Arg. 16. *In primitiva Ecclesia communio sub una specie fuit licita.*

Resp. 1. Cassander in Consult. art. 22. *Satis compertum est, Orientalem Christi Ecclesiam in hunc usque diem, Occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis à Christo in solenni præsertim & ordinaria hujus Sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum Scriptorum tam Græcorum, quam Latinorū testimoniis manifestū est.*

2. Idem lib. de commun. sub una specie f. 17. *Non puto, demonstrari posse totis mille amplius annis in ulla Ecclesiæ Catholicæ parte sacrosanctum hoc Eucharistiæ Sacramentum aliter in sacra Synaxi è mensa Dominica fideli populo, quam sub utroque panis & vini symbolo, administratum fuisse.*

3. Concilium Constantiense fatetur, in primitiva Ecclesia communionem sub utraque specie viguisse. *Licet*, inquiunt, *in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie.*

4. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. idem fatetur. *Licet*, inquiunt, *ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset.*

5. Latomus adv. Bucerum scribit, *primam Ecclesiam, cum adhuc rudis esset, ritum à Christo acceptum religiose tenuisse, donec à Patribus docta intelligeret, utramque speciem convenire Sacerdotibus, Laicos solo pane contentos esse posse.*

6. Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 26. §. Respondeo. *Si tempore Cypriani habuissent Laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis. Ergo cum hoc tempore sit contraria consuetudo introducta, non habent amplius jus illud Laici.*

Argum. 17. *Asservatio Sacramenti fuit in primitiva Ecclesia usitata: Ea vero non habuit locum, nisi tantum in specie panis.*

Resp. 1. Baronius anno 404. n. 32. *Sacratissimam Eucharistiam non sub specie panis tantum, sed etiam sub specie vini olim recondi consuevisse* asserit, quod probat ex Gregorio lib. 3. Dial. cap. 36. ubi ait, *in navi portasse navigantes corpus & sanguinem Christi.*

2. Bellarminus lib. 4. de Eucharist. c. 4. §. Post annum 400. &c. sic scribit: *S. Johannes Chrysostomus in Epistola priore ad Innocentium Papam, quæ extat tum inter opera ejusdem Chrysostomi tom. 5. tum apud Nicephor. lib. 13. cap. 19. memorat milites quosdam, ad vesperam magni Sabbati sanctuarium ingressos, tantum excitasse tumultum, ut etiam sacratissimus Domini sanguis, qui in sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur. Quod autem id gestum non fuerit, dum sacra Cœna celebraretur, sed extra actionem illam, patet ex eodem loco, ibi enim Chrysostomus dicit, hoc factum esse, cum mulieres jam præpararentur ad Baptismum. Constat autem mysterium Eucharistiæ semper celebrari post Baptismum. Quare sanguis ille Dominicus, qui in sanctuario erat, non tunc consecrabatur aut distribuebatur, sed aliquo alio die consecratus fuerat.*

3. Claudius de Sainctes repetit. 10. de Euchar. c. 2. adducit locum ex Gregorio Nazianzeno orat. 25. ubi de Gorgonia sorore sua scribit, quod *corporis & sanguinis Domini antitypa domi reservarit.*

(Vasquez quidem tom. 3. in p. 3. Thom. D. 197. cap. 4. ad locum Gregorii excipit, *fuisse reliquias sanguinis miraculosi, qui ex imagine Christi crucifixi profluxerat.* Interim fatetur, *alios Pontificios de Sacramento Cœnæ illum locum accipere.*

4. Claudius Espenſæus lib. 2. de adorat. Euch. c. 3. f. 1095. oper. *Eucharistia in utraq; specie servata testimonium evidentius extare scribit, quam ut dissimulari vel negari possit.*

Ibid. notat, *Sacramentum in pixidibus servari solitum, & quidem sub utraq; specie: servari autē postmodum desitum vinū, quia cito acescit, ut & panis quoque speciem diutius servari prohibitam, quod ea licet serius, etiam mucescit, qua de causa Turonense Concilium singulis septem diebus has species recenter consecratis mutare præceperat.*

5. Ruardus Tapperus Prof. Lovaniensis tom. 2. art. 15. f. 218. edit. Colon. (al. edit. p. 353.) *Præterea Historiam de Satyro fratre B. Ambrosii & c. ex quo simul & ex sermone Cypriani de lapsis videtur, quod illis temporibus sanguinem Domini de calice omnes bibebant, & quod corpus Domini eis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibique sumerent, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent.*

6. Gregorius Nazianzenus de laudibus Gorgoniæ sororis suæ memorat, *eam manu thesaurizasse quidpiam τῶν ἀντιτύπων corporis & sanguinis;* ad quem locum Billius Abbas S. Michaelis in Eremo num. 13. notat, *his verbis sibi videri morem antiquissimum significari, quo domi Eucharistiam asservare & esitare Christiani solebant.* Ubi manifestissime utraque species exprimitur.

7. Clemen-

7. Clementis Episcopi Romani constitutio c. Tribus formis, dist. 2. de consecrat. requirit, *ut residua particula consecrati panis cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur.*

(Ergo asservatio Sacramenti non semper in usu fuit, proinde nec ex ea evidens argumentum duci potest.)

8. Ludovicus de Ponte lib. 4. in Cantic. Cant. p. 805. probat, *asservationem privatam sublatam esse.*

(Atqui ex ritu abrogato non potest communio sub una probari.)

9. Pontificii disputant, *vinum benedictum ideo non potuisse asservari, quia sapor ejus cito evanescit & in poculo corrumpitur:* sed resp. populum in primitiva Ecclesia quotidie percepisse Eucharistiam, testantur Walafridus Strabo in lib. de reb. Eccles. cap. 22 Cochlæus contra Musculū de sacrif. Missæ. Hardingus contra Iuellum sect. 7. Ergo etiam vinum asservari potuit.

Argum. 18. *Communicatio domestica fuit in primitiva Ecclesia usitata, ea vero tantum sub specie panis facta.*

Resp. 1. Ruard Tapper. Decan. Lovan. tom. 2. a. 15. p. 353. sic disserit: *Ex Historia de Satyro fratre Ambrosii & sermone Cypriani de lapsis videtur, quod illis temporibus sanguinē Domini ex calice omnes bibebant, & quod corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum ibique sumerent, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini & corpus Domini manducarent.*

Georgius Cassander in consultat. art. 22. p. 983. *domesticā & privatam illam communionem, nonnunquam in utraque specie exhibitam fuisse* asserit. Et in hoc libro de Comm. sub utraque specie; *Olim, inquit, tam apud Romanos, quam apud Græcos in more positum fuit, ut qui in sacro Ecclesiæ conventu, qui Dominicus potissimum diebus agebatur, de manu Sacerdotis Eucharistiam sumebant, & calicem Domini in Ecclesia bibebant, particulas aliquot Dominici corporis, quas in promptu semper haberent, unde quotidie cum vellet, sumerent, domum secum asportarent, tum quod singulis diebus convenire, præsertim tempore persecutionis, non licebat, tum ut, repentino aliquo periculo incidente, Sacramento salutis non penitus privarentur. Atque hanc communicationem non fuisse separatam penitus à calice Domini ingenue agnoscit Decanus ille Lovaniensis.* (Tapperum intelligit.)

3. Cōmūicatio illa domestica fuit postmodū antiquata. Ergo ex ea non potest duci firmum legitimæ communicationis argumentum.

Durandus Tholosanus lib. 2. de ritibus cap. 55. *Consuetudinem Eucharistiam domum deferendi, sespumque communicandi, quā persecutio infidelium, occlusis templorum & inopia Ministrorum olim fecerat, antiquavit Ecclesia.*

Lib. 1. cap. 16 *Hæc consuetudo, Eucharistiam domum deferendi, quam persecutionis tempestas introduxerat, tandem antiquata fuit, ut patet ex Concilio Toletano primo, Canone quarto, Si quis autem à Sacerdote acceptam Eucharistiam non consumserit, velut sacrilegus propellatur; Cæsaraugustano, Canone tertio, his verbis: Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum.*

4. Verba Hieronymi Epist. 50. (*Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant;*) ad quæ Pontificii provocant, Albertus Pius Carporum Princeps in Expostulatione adversus Erasmum Roterod. lib. 7. c. 2. apud Espensæum lib. 2. de Euchar ador. cap. 6. non *de privata*, sed *publica communione* intelligi voluit.

5. Inde Espensæus d. l. monet, *consuetudinem illam domestica communionis nunquam fuisse publica Ecclesiæ sententia approbatam, nec unquam in universa Ecclesia invaluisse, sed ob persecutionem aliquibus tantum indultam, quæ, ut causa, cessante, cessaverit etiam ejus effectus, sublata & abrogata hac consuetudine eodem tempore, id est, Honorii & Arcadii tempore. In Concilio Toletano I. est sacrilegii dānatum, Eucharistiam à Sacerdote acceptam non sumere. Idem quoque instauratum & inculcatum multo post in Toletano* XI.

6. Iisdem fere verbis Lorinus in Act. 2. v. 42. utitur, addens *interdictum Conciliis Lateranensis & Rothomagensis.*

Argum. 19. *Communicatio infantum fuit usitata in primitiva Ecclesia, ea vero tantum sub specie panis sunt facta.*

Resp. 1. Innocentius Pont. Rom. in sua summa c. 9. sic scribit: *Quia Eucharistia augmentum dat gratiæ, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda esset Eucharistia in forma liquida sanguinis Dominici, vel in forma panis comminuta & contrita in aqua, quia si aliquid eis subtraheretur, de gratia aliquid diminueretur, & ita minus haberent in cœlo præmium, unde peccare dicunt, qui eis Eucharistiam subtrahunt. Alii dixerunt, quod non esset parvulis danda Eucharistia propter periculum ejectionis, & quia nihil eis valeret, nisi deglutirent. Sed ad hoc dixerunt quidam magni viri, quod non exigitur in Eucharistiæ sumtione, nisi quod gustus invitetur, & sapor sentiatur.*

(Quomodo igitur ex ritu vario & inconstante communio sub utraque specie probari poterit?)

2. Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 9. resp. ad 9. arg. Anab. & lib. 4. de Eucharist. cap 23. prop. 3. improbat *communicationem infantum.*

Idem faciunt Thomas p. 3. q. 80. ar. 9. ad 3. Cajetanus ad eundem locum & in cap 26. Matth. Dominicus Sotus 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 9. Rubeus in 4. sent. dist. 9. Guillaudus in 1. Cor. 11. Johannes Baptista Scortia de Missæ sacrificio lib. 4. cap. 19.

(Quomodo igitur ex ritu institutioni Eucharist. minus conformi, & ab Ecclesia abrogato, communio sub una specie probari potest?)

3. Vasquez tom. 3. D. 212. c. 2 in fine. *In antiqua Ecclesia hoc Sacramentum non sub specie panis, sed sub utraque missum parvulis tribuebatur, qua ratione facilius ab illis deglutiri posset.*

4. Zuinglius in explic. art. 18. testatur *librum ritualem Clarona Helvetiorum, cui libro Obsequialis nomen, diserte præcipere, Baptizato puero mox detur Eucharistiæ Sacramentum, similiter & poculum sanguinis.*

(Idem colligitur ex Cypriano serm. de lapsis. Augustino Epist. 107. hypognostic 5. Gennadio Massiliensi de Ecclesiastic. dogm. cap. 52.)

Arg. 20. *Communicatio ægrotorum ut plurimum olim sub una specie facta.*

Resp. 1. Si ut plurimum fuit facta, ergo non *semper.* Jam vero ritus particularis non potest nec debet opponi institutioni Dominicæ, vel Universali Ecclesiæ consuetudini.

Georgius Cassander in consult. art. 22. p. 983. agnoscit, *communionem ægrotorum nonnunquam in utraque specie exhibitam fuisse.*

3. Ivo & Burchardus adducunt canones veterum Conciliorum, in quibus præcipitur, *ut Eucharistia, quæ in viaticum ex vita excedentium reservatur, intincta sit in sanguinem Domini, ut veraciter Presbyter dicere possit: Caro & sanguis D. I. C. prosit tibi in vitam æternam.*

c. Deus 8. ext. de pœn. & remiss. peccatorū, sancitur, *ut omnib. baptizatis corporis & sanguinis Domini Sacramentum in mortis articulo porrigatur.*

3. Claudius de Sainctes repet. 10. de contr. Euch. c. 2. fat. *in quibusdā Eccles. utramque speciē religiose condi in usum ægrotorū & repetente adveniētiū.*

4. Claudius Espensæus lib. 2. de Eucharist. adorat. cap. 3. *observandum esse* jubet, *Hieronymum & Iustinum diserte affirmare, quod sanguis etiam Dominicus ad absentes delatus sit.*

Argum. 21. *Usus communionis Laica pœnæ loco Clericis olim imposita probat, fuisse olim usitatam communionem sub una specie,* Bell. Greg. de Valent.

Resp. 1. Certum est, *Cypriani temporibus fideles, etiam Laicos, sub utraque specie communicasse,* ut agnoscunt ipsimet Pontificii superius citati. Atqui *communionis Laicæ* vel Laicorum primus meminit Cyprianus, utique ergo per communionem Laicam non potest intelligi communio sub una specie.

2. Pontificii solis *conficientibus Sacerdotibus* concedunt utramque speciem. Si non conficientes cōmunionem sibi dari postulent, sive sani, sive ægroti, unam tantum panis speciem accipiunt. Constat autem Laicam communionem impositam Sacerdotibus communionem accipientibus etiam in articulo mortis. Conc. Sard. can. 2. Ergo Laica communio non potest esse communio sub una specie, quippe quæ quibusdam tantum Sacerdotibus fuit imposita.

3. Stephanus Durantus lib. 2. de ritibus cap. 55. *Hæc Laicorum communio à Sacerdotali distat, quod Sacerdos communicet sub utraque specie, cæteri vero sub una specie. Hanc Laicam communionem appellatam, eam, quæ sub una fit specie, nonnulli crediderunt. At nedū Laici, sed & Clerici, imo Sacerdotes ipsi non conficientes communicant tantum sub una specie. Quare verius est Laicam communionem dictam, quæ extra sacratiorem locum sacrificii fit, ubi tum Sacerdos conficiens, tum ministri communicabant.*

4. Pamelius in notis super Epist. Cypriani ad Antonianum 52. longe aliter explicat, quæ fuerit olim Laica communio. *Laicum communicare,* inquit, *non est aliud veteribus, quam inter Laicos communicare. Orabant autem & communicabant illi extra cancellos per ministerium Archidiaconi, hoc est, extra chorum, ut hodie loquimur,* quam expositionem Pamelii manifeste probat c. Convenientibus 1. q. 7 ex 2. Synodo Nicena, ubi *ad Laicam communionem recipi, & administratione Ecclesiastica prohiberi* sese mutuo explicant.

5. Georgius Wicelius in comp. semit. antiq *Laicam communionem nihil aliud esse* pronunciat, *quam inter Laicos communionem percipere, non administrare, non sacerdotis officio fungi,* cui astipulantur Lindan. & Tapp.

6. Baronius tom. 1. Ann. ann. 314. sect. 88. explicans canonem 9. Synodi Ancyranæ, *à ministerio cessare debebunt. Additur,* inquit, *in secunda editione, Laicam tantum recipientes communionem, nimirum non cum sacris ministris amplius, sed cum populo extra cancellos communicantes.*

7. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. *Clericos non conficientes æque ac Laicos à communione sub utraque specie arcet.*

[Ergo non potest dici, pœnæ loco Clericis olim id fuisse impositum. De conficientibus Clericis itidem illud accipi nequit, quia *sacrilegus est Sacerdos consecrando panem & nō vinum,* ait Caj. in p. 3. Thom. q. 80. a. 2.]

Lorinus in cap. 2. Actor. v. 41 fol. 111. agens de distinctione communionis *in Clericalem & Laicam, Revera distinctio non in specie utraque & una esse videtur, quoniam utraque species concedebatur: sed in destinato loco ac separato pro Clericis & pro Laicis, ut hi communicarent extra chorum, in choro alii Clerici præter Sacerdotem & Diaconum: hi ante altare.*

(Appellata fuit *Laica communio* non à speciebus, sed à persona, nimirum quod qui antea fuerat Clericus sive in Clericorum numero, nunc fit Laicus & in Laicorum ordine. Similia occurrunt, apud Becanum in opusc. de communione sub utraque specie cap. 5. v 17. 18. Tapp tom 2. art 15. Cassandr. lib. de communione sub utraque f. 1029. oper. Esp. lib. 1. de ador. Euch. c. 8. Severin. Binnium annot. in c. 13. Concil Bracar. 1. tom. 2. Concil. part. 2. f. 214. & annot. in Concil. Ilerdense p. 1. f. 628.

9. Bellarminus magno conatu disputat, *totum Christum esse sub utraque specie totam Sacramenti rationem in una specie inveniri, non majorem utilitatem sumi ex communione sub utraque specie, quam sub una, nihil fructus spiritualis capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.*

(Quomodo igitur per communionem Laicam pœnæ loco Clericis impositam hoc intelligi poterit, quod, communicantibus aliis Clericis sub utraque specie, ipsi prohibiti fuerint à calice Domini & coacti unam tantum speciem sumere?)

10. Guilielmus Lindanus Ruræmundensis Episcopus lib. 4. Panopl. c. 58. f. 356. *Laicam communionem,* inquit, *sunt, qui existimant, fuisse Eucharistiæ sub una panis specie communionem, quod quam sit à veritate alienū, mecum agnoscet spero, qui priscæ consuetudinis sedulus investigator consideraverit. Laicam communionē tunc vel inprimis fuisse in usu, cum passim prisco de more utraque, communionis species & panis & calicis toti exhibebatur Ecclesiæ,* id quod ibidem late prosequitur, & *communionem peregrinam* putat *fuisse Laica indigniorem abjectioremque, sed tamen sub utraque specie.*

Binnius in annot. ad Concil. Ilerdense p. 1. fol. 628. ait *fuisse eandem cum Laica,* quod & Glossa decreti censet in c. Contumaces. dist. 50. conferatur c. Clerici 13. q. 2. & c. 2 ext. de Elect. Vasquez tom. 3. in p. 3. Thom. Disp. 216. c. 3 fol. 1470.

11. Urget Greg. de Valent. in opusc. de legitimo usu Euch c. 8. §. Sexto & alii: *& loco & materia distinctam fuisse Laicorū communionem, quia flagitioso Episcopo etiam in fine vitæ Laica saltem communio concedatur in Concil. Sardicensi 1. cap. 2. in fine autem vitæ Laici & Clerici non sunt in templo, ergo prior illa differentia ratione loci non valet.*

Resp. non sufficit probare, plures inter Laicorum & Clericorum communionem differentias, præter solius loci diversi-

versitatem, sed affirmanti incumbit probatio certa & evidens, quod in materia quoque Sacramenti diversitas fuerit, id quod firmo aliquo fundamento confirmari nequit, Jesuita Vasquez fatente d.l. fol. 469. qui potius sentire videtur, *fuisse prater locum etiam in interdicto non attingendi calicem, & non deferendi eum in domum suam differentiam aliquam, quod Laicis non licuisse ex Cyrillo Hierosol. mystagog. 6.* probat. Quicquid autem sit, addit ipse, *Ego ingenue fateor, usum unius tantum speciei inde non probari.*

Et postea. *Consuetudo communicandi sub una tantum specie ex hoc ritu efficaciter non probatur* (quod nobis sufficit.)

12. F. Antonius Mondulphensis, Episcopi Pragensis Theologus, in Concilio Tridentino monuit, *constare ex Ordinario Romano, distinctionem communionis in Laicam & Clericalem esse locorum in Ecclesia, non Sacramenti accepti diversitatem. Prater hac, ex ea ratione colligi posse, non solos celebrantes, sed universum Clerum calicis esse participes.* Petrus Suavis lib. 6. Histor. Concil. Trident. p. 608.

13. Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 24. *communionem Laicam* fuisse dicit, *qua non licuerit tangere calicem.*

Becanus rejecta Bellarmini opinione statuit 1. *Verum esse, quod olim Laici extra chorum, Clerici in choro communicaverint, & hoc sensu aliam fuisse communionē Laicam, aliam Clericalem, utramque tamen fuisse publicam & sub utraque.*

2. *Verum esse, quod Clerici in pœnam alicujus delicti soliti sint privari communione Clericorum, qua fiebat extra chorum.* Addit vero

3. *Prater hanc pœnam fuisse aliam, non nomine, sed significatione, qua privabantur Clerici communione Clericali, & remittebantur ad Laicam, longe alio sensu, quia aliqua communio Laica non fuit illis data, nisi in die mortis, imo ne in morte quidem; ubi non habet locum distinctio in choro & extra chorum: inde necesse esse fuisse morem, ut in articulo mortis Clerici sub utraque, Laici sub una communicarent.*

(At si quæras, quare hoc necesse sit, an ergo Laici in agone mortis hac pœna afficiendi fuerint sua culpa? an juste, adituris prælium gravissimum, poculum Domini denegetur, ipsique sic quodammodo inermes relinquantur, quid tandem respondebit Becanus? Nos libenter admittimus, *Clericalem & Laicam communionem fuisse distinctam loco*, ut ostendunt Concilia Toletanum IV. & Bracarense I. Neve Becanus urgeat, *qua igitur fuerit communio Laica in agone mortis?* addimus, *fortasse externis Ceremoniis quoque fuisse distinctam, ut Laica communio fuerit, qua non licuit tangere poculum, Clericalis, qua licuerit.*

Id innuit Bellarminus d.l. & confirmatur ex Sixti Papæ decreto, quo sanxit, *ne sacra vasa ab aliis, quam à sacris Ministris tangerentur.* Baron. de ann. Christi 143.

(Ita ergo communio Laica etiam in privatis ædibus administrari potuit.)

Apolog. Aug. Conf. asserit, *communionem Laicam dictam, quando Sacerdotes à suis officiis remoti & in communionem & consortium Laicorum recepti &c.* Sic communio Laica fuit, qua inter Laicos sunt recensiti Clerici, ab officio Sacerdotali aut simili depositi, Laicorum tantum jure, privilegio, commodo usi. Ita explicari videmus ab ipso Cypriano Epist. 52. Epist. 68. Epist. 62. Vide etiam Baronium ad ann. Christ 254. n. 91. Et hunc fuisse usum vocis cōmunionis patet ex *communione peregrina*, quam describit Baronius ad annum Christi 408. n. 40. quod *fuerit communio sine omni usu Sacramentorum.*

Argum. 22. *Manichai tempore Leonis Papa in catu Christianorum sese occultarunt, & de Sacramento etiam participarunt, ita tamen ut accepta panis specie de poculo non biberent, quia vinum fel Draconis statuebant. Ex eo apparet, illo tempore liberam fuisse in Ecclesia communionem sub utraqud specie, alias non potuissent latere Manichai, qui sanguinem Domini nunquam sumebant.*

Rep. 1. Georgius Cassander in Epist. 19. ad Molinæum p. 1105. sic scribit: *Hanc consuetudinem communicationi corporis Domini in solenni & ordinaria ministratione communicationem quoque sanguinis adjungendi adeo manifeste omnium veterum scripta testantur, ut non putem aliquem paulo cordatiorum tam impudentem esse, qui id negare ausit. An non aperte declarat Leo Pontifex, cum ostendit, hac nota Manichaos à Catholicis discerni, quod cum iisdem sacris intersint, corpus quidem Domini accipiant, sanguinem autem redemtionis cum reliquo populo fideli haurire omnino declinent, qua res occasionem dedit, ut doctissimi quique agnoscant, tempore Leonis & Gelasii Pontificum, quibus populum fidelem ad communicandum solenni ritu integra Sacramenta compellunt, ita ut negari non possit, certe eo tempore solennem & integram communionem necessariam habitam fuisse.*

2. Andradius in fine lib. 7. orth. explic. f. 258. *Non prætermittam admonere Lectorem, aliquos existimare, illam consuetudinem sumendi S. Eucharistiam sub utraque specie ante Leonis tempora intermissam fuisse, à Leone vero revocatam atque restitutam esse, qui tamen mirum in modum hallucinantur. Nam cum sanctissimus Pontifex Leo præcipit, à fidelium catu eos expelli, qui sese à Christi sanguine hauriendo abducunt, de Manichais verba facit, qui cum existimarent, Christum non vere humanam Naturam induisse, neque pro humano genere vere sanguinem profudisse, panis tantum speciem sumebant, à calicis vero usu per summam impietatem abstinebant, quod illius verba aperte indicant.*

Postea recitatis Leonis verbis subjungit, *quæ quidem verba magis significant, nondum ea tempestate calicis hauriendi morem fuisse antiquatum.*

3. Petrus à Soto in Institut. Dilling. impressa concedit, tempore Leonis usum utriusque speciei fuisse orthodoxis consuetum. *Donemus*, inquit lect. 10. *illis fuisse usum utriusque speciei in illa primitiva Apostolorum Ecclesia & antiquioribus aliis, quod testimonium illud Gelasii confirmat, & aliud Leonis in serm. 4. Quadrages. quibus aperte ostenditur, quod communio sub una specie contraria tunc fuerit communioni Catholicorum.*

4. Johannes Gropperus de Eucharist. artic. 4. cap. 29. sic scribit: *Sciendum est, temporibus excellentissimi illius Pontificis Leonis, qui plus minus 40. annis ante B. Gelasium Romana Ecclesia fideliter præfuit, Manichaos & Eutychianos quosdam, cum in urbem irrepsissent, eam in curam incubuisse, ut suas damnatas hæreses ibidem clam introducerent atque propagarent. Isti execrabiles homines, ne eorum clandestina consilia & machinationes aliis innotescerent ac deprehenderentur, cum Catholicis ad communionem simulate accedebant, qua id temporis sub utraque specie administrabatur, atque cum Catholicis panem sumebant, sed prava animi opinione & persuasione phantastici corporis, quale Manichai asserebant Christum gestasse. Cum autem mox calix etiam à Diacono porrigeretur, subducebant se, calicem recusantes, eò quod non crederent, Dominum veram carnem & sanguinem nostrum assumpsisse. Itaque Leo tanquam fidus pastor & verus Episcopus, ad cujus officium imprimis pertinebat, irrepentes hæreticos inquirere, & eos antequam radices agant, profligare & extinguere, eam ob rem diligentissime in istos hæreticos inquisivit, atq; eos hoc argumento, quod se, ubi ad calicis communionem ventum esset, à Catholicis subducerent, deprehendit.*

5. Vasquez d.l. D. 216. cap. 3. n. 21. multis probat, *conjecturam illam, de Manichais sub specie panis tantum communicantibus esse minus certam.* cap. 4. n. 42. scribit, *Manichaos propterea latere potuisse, quia ita sumebant calicem, ut nihil inde haurirent, exterius autem Catholicis omnino consentientes.*

6. Cassander de commun. sub una fol. 1016. observat, constare ex Romano Ordine, *multitudinem ex intervallo calicem à Diacono accepisse*, proinde etiam hoc modo latere potuerunt. Certe si his indiciis Manichæi debuerunt manifestari populo, quod sanguinem haurire declinent, ut ait Leo, utique mos sumendi sanguinem veris Catholicis in usu fuit.

(Ex omnibus hisce elucescit, multos ex ipsis Pontificiis fateri, *quod tempore Leonis communio sub utraque specie usitata fuerit*, quin & à Pontifice præcepta, ut dolus Manichæorum deprehenderetur. Et hoc ex verbis Leonis manifestum est, dicit enim serm. 4. de quadrag. *Nostris mysteriis interesse audent, & tamen sanguinem redemtionis nostræ haurire declinant.* Utique ergo mysteria Romanæ Ecclesiæ tunc fuerunt, ut Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie acciperetur, id quod idem Leo testatur serm. 6. de jejunio septimi mensis, cum communicantes quosvis *nequidquam de veritate corporis & sanguinis Christi dubitare jubet*, haud dubie silentio non præteriturus, si aliquando absque sanguine communicare liceret. Colliguntur autem ex verbis Leonis & ex enumeratis Pontificiorum assertionibus hæc axiomata:

1. Eucharistiam tempore Manichæorum non nisi sub utraque specie fuisse porrectam ac dispensatam.

2. Manichæos hæreticas suas opiniones non palam, sed clam in Ecclesiam introducere voluisse.

3. Manichæos cum Catholicis ad sacram communionem accessisse, quod tum eò facilius fieri potuit, cum calix benedictus, quemadmodum & panis benedictus, in manus communicantium daretur.

4. Manichæos panis quidem speciem vere sumsisse, cum autem

autem calix benedictus à Diacono pro more porrigendus esset, occulte se subduxisse.

5. Manichæos universalem, solennem & perpetuum Ecclesiæ ritum violasse.

6. Leonem Episcopum Romanum hoc ipso argumento Manichæos deprehendisse, quod, ubi ad calicis communionem ventum esset, à Catholicis se subduxerint.

7. Conclusum fuisse à Romanis Episcopis, ut abstinentes à calice vel ad integra Sacramenta percipienda compellantur, vel ab utrisque symbolis pariter arceantur.)

Argum. 23. *In Græca Ecclesia fuit usitatum, tempore quadragesimæ tantum diebus Saturni & Solis consecrationem fieri, reliquis diebus Sacerdotes & Laici communicabant sub una specie ex hostiis prius consecratis & reservatis, ut apparet ex Concilio Laodiceno cap. 49. & Trullano can. 52. Synodi 6. Similis mos est in Rom. Ecclesia, ubi in die parasceves Sacerdos hostiam prius consecratam & reservatam sibi administrat.*

Resp. 1. Laurentius Surius Monachus Carthusianus non admodum probat hunc morem. Sic enim annotat in tom. 2. Concil. Colon. edit. ad canon. 52. Synodi 6. *Hunc canonem non observat Ecclesia Occidentalis, nisi in sola parasceve, quando in Missa non conficitur Eucharistia, sed sumitur pridie ejus diei consecrata. Habent Græci suos peculiares ritus, & plerosque neutiquam probandos.*

2. In can. 52. Synodi sextæ expresse fit mentio *præsanctificatorum*, per quæ non solum *sanctificatus panis*, sed etiam *sanctificatus calix* intelligi potest, cum in plurali dicantur *præsanctificata*, cumque ex Chrysostomo, à Bellarmino in hac quæstione adducto, constet, *etiam consecratum vinum fuisse reservatum.*

(Adde, quod per *panis oblationem & præsanctificata* non necessario intelligitur hostia consecrata, sed verisimile est, sermonem esse de pane & vino ac aliis cibis, quos Christiani offerebant in altari, partim ut ex illis Eucharistia administraretur, partim ut pauperibus distribueretur.)

3. Liturgia præsanctificatorum in Ecclesia Græca usitata nō tantum in plurali nominat *ζωοποιὰ μυστήρια vivifica mysteria*, sed expresse quoque memorat distributionem utriusque initio Liturgiæ. *Tunc sumit Sacerdos sanctum panem cum convenienti honore, in sacrum autem poculum infundit vini & aquæ quantum satis est.*

Et postea. *Agimus gratias tibi Servatori universorum Deo pro omnibus, quæ in nos contulisti, beneficiis, & hac participatione sancti corporis & sanguinis Christi tui.*

In Romana Ecclesia vinum quidem teste Alcuino de div. officiis feria 6. & ipso Ordine Rom. non consecratum fuit adhibitum cum pane pridie sanctificato, sed tamen existimarunt, *vinum non consecratum sanctificari per sanctificatum panem*, ut Ordo Romanus adjicit, quod observat Cassander Epist. 29. *Vere* (inquit) *asserit Micrologus, Ordinem Romanum in parasceve vinum non consecratum cum Dominica oratione, & Dominici corporis immissione jubere consecrari, ut populus posset plene communicare. Ita habet Ordo Romanus de omnibus Eccles. officiis per anni circulum cap. de feria 6. parasc. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem, & communicant omnes cum silentio.*

4. Suarez Disputat. 71. de Sacrament. infirmat argumentum à communione præsanctificatorum. *Tertium*, inquit, *indicium sumitur ex Officio Parasceves, in quo sumitur corpus sine specie sanguinis.*

Et post. *Respondetur, ita quidem esse, veritatem hanc certius constare de specie panis: nihilominus tamen mihi non est dubium, quin eodem modo locum habeat in specie vini propter rationis paritatem, quia etiam in hac specie est totus Christus, & habet totum vel sufficientem effectum, sufficientemque significationem: & nullum est speciale præceptum divinum, quod hoc prohibeat: igitur doctrina data indifferenter vera est in qualibet specie.*

(Ergo à communione præsanctificatorum non concluditur firmiter prohibitio calicis. Suarez quidem non *utramque* dixit *speciem*, sed *quamlibet*, quasi certus alterutram sumtam. At urgemus, si licuerit aliis calicem sumere, Ergo in Missa præsanctificatorum utrumque fuisset oblatum. Nec *τὰ προηγιασμένα præsanctificata* dicũtur congrue de altera tantum specie, sed de ambabus. In Canone pluralis numerus ambabus adscribitur, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia.*)

5. Urgent can. 49. Concil. Laodic. Sed Severinus Binius tom. 1. Conc. p. 1. f. 250. agnoscit, *nihil hic agi de Sacramento.* Inhibuit Concil. *in quadragesima panem offerre*, scil. ad vescendum de eo, ne jejunium quadragesimale solveretur, quæ ratio exprimitur in can. sequente.

Argum. 24. *In locis Septentrionalibus non potest tanta vini copia haberi, quanta ad communionem totius populi requiritur.* Salmero. Hoc argumento motus Innocentius. 3. *Norvegis usum alterius liquoris in Eucharistia concessit.* Volater. lib. 7. Geogr.

Resp. 1. Thomas p. 3. q. 74. art. 1. objectionem hujusmodi proponit. *Hoc Sacramentum* (Eucharistiæ) *est ubique celebrandum. Sed in multis terris non invenitur panis triticeus, & in aliquibus non invenitur vinum. Ergo panis & vinum non sunt conveniens materia hujus Sacramenti.*

Respondet paulò post. *Dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum: tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti. Nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum.*

(Ne excipiant, *de consecratione solum Thomam agere*, notandum est vocabulum *usus*. Panis enim usus non potest contrahi ad solum consecrantem. Cum igitur eadem sit ratio *vini*, quæ *panis*, eandem etiam consequentiam esse oportet, ut ad communionem etiam plebis tam facile sit vinum, quàm panem deferri, præsertim cum etiam ad compotationes in illis locis vini copia suppetat.

2. De Sacramento *Confirmationis* similem objectionem format Thomas part. 3. q. 72. art. 2. *Oleum olivarum non ubique invenitur, & multo minus balsamum. Non ergo Chrisma, quod ex his conficitur, est conveniens materia hujus Sacramenti.*

Respondet paulò post. *Dicendum, quod Baptismus est Sacramentum absolutæ necessitatis, & ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem, quod materia hujus Sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.*

(Ex eo sic concludimus. In Sacramentis non absolute necessariis sufficit, materiam posse facile deferri. At Eucharistia est Sacramentum non absolute necessarium. Ergo in Eucharistia satis est, materiam posse facile deferri.)

3. Suarez Disp. 33. de Sacrament. sect. 1. ad objectionem de raritate balsami in chrismate requisiti sic respondet: *Hactenus nunquam in Ecclesia defuit balsamum sufficienter certum, ex quo posset chrisma confici, etiam in priscis illis temporibus quando Ecclesia & his temporalib. rebus magis egebat, & graviores persecutiones sustinebat.*

(Eodem modo & nos respondemus, veteri Ecclesiæ nunquam defuisse vinum, quantum satis fuit communicandæ plebi per universum orbem Christianum. Experientia testatur, per Belgium, Angliam, Scotiam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Transsylvaniam esse populosissimas Ecclesias, quæ excusso jugo Papali reduxerunt antiquum *communionis sub utraque specie* morem, nulla tamē earum aut vini defectum patitur, aut sumtuum magnitudinem queritur.)

4. In Concilio Tridentino quidam Patres recte monebant, *si Ecclesia totis 12. seculis, etiam cum majore paupertate laboraret, rationem reperire potuit, qua periculis hisce obviam iret, nostris hisce tempestatibus multo esse proclivius incommodis illis à Gersone adductis occurrere.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trid. p. 609.

Argum. 25. *In Concilio Ephesino approbata communio sub una specie.* Hardingus in resp. ad artic. 1. Petrus Michael &c.

Resp. 1. Dominicus Soto in 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 12. *Cajetanus radicem moris hujus in Nestorianos & Pelagianos reducit, sicuti & alium de eodem Sacramento infantibus porrigendo. Attamen hunc secundum jam supra articulo nono diximus non esse verisimile apud Pelagianos viguisse, utpote qui infantes, ut haberent vitam æternam, nullo arbitrabantur indigere Sacramento. Neque vero Nestoriani in Concilio Ephesino hoc errore notantur, sed quod corpus in Sacramento non divinitati unitum crederent.*

2. Vasquez in 3. Thom. Disp. 216. cap. 4. *Usque ad tempora Concilii Constantiensis, ubi primum sublatus fuit Laicis usus calicis, nullum fuisse exortum errorem circa integritatem Christi sub qualibet specie asserit. Quare, inquit, dici non potest, ad tollendum illum talem legem in Ecclesia latam fuisse.*

3. Possemus eodem modo dicere, *in Manichæis*, qui à vino abstinebant, *damnatam esse communionem sub una.*

4. Petrus Suavis lib. 6. Histor. Conc. Trident. p. 611. sic disserit: *Theologi Hispani plerique in Concil. Trident. dictitabant, calicem ab Ecclesia prohibitum odio erroris Nestoriani, qui, cum non crederet, totum Christum sub una specie latere, & novitiorum hæreticorum nonnulli idem profiteantur, par esse, ut ea prohibitio minime relaxetur. Quid assertione hac sibi velint mihi satis assequi non datur, qui nunquam legerim, Nestorium tale quidpiam tenuisse, aut hodiernos novatores hoc causæ patrocinium quæsivisse.*

(Phila-

(Philastrius, Augustinus, Theodoretus & alii veteres, qui errores Nestorii enumerarunt & confutarunt, Concilia insuper, Ephesinum & Chalcedonense, Pontifices, Cælestinus & Leo, Patriarcha Alexandrinus Cyrillus, qui omnes Nestorio se opposuerunt, nihil tale ei affingunt.)

Argum. 26. *In Concilio Constantiensi communio sub una specie fuit sancita, ut vim legis perpetuæ atque Universalis teneret.*

Resp. 1. monuimus superius membr. 2. Bellarminum ipsummet lib. 1. de Concil. cap. 7. Concilium Constantiense referre inter ea, *quæ partim confirmata, partim reprobata. Hoc Concilium,* inquit, scilicet Constantiense, *quantum ad primas sessiones, ubi definit, Concilium esse supra Papam, reprobatum est in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo: quantum ad ultimas sessiones, & ea omnia, quæ probavit Martinus V. ab omnibus Catholicis recipitur.* De Basiliensi sic statuit: *Hujus Concilii nihil est ratum & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia, quæ à Concilio factæ fuerunt, quas & pacis & unitatis gratia Nicolaus approbavit. Concilium vero ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo, sessione undecima.*

2. Derogarunt sanctioni hujus Concilii facta contraria Martini V. Pontificis Romani in illo creati, & aliorum qui juxta præscriptum Ordinis Romani etiam post decretū Constantiense in Solenni Papali Officio & præsertim Paschali universum populum *carne & sanguine Domini* communicasse leguntur usque ad seculum XV. sicut Cassander Epist. 19. prædictum Martini V. Pontificis exemplum allegat. Idem Cassander citat Henrici Kalteysen, (qui primum fuerit sacri Palatii lector & hæreticæ pravitatis inquisitor, mox Archiepiscopus Nidrosiensis & Cæsariensis,) testimoniū ex oratione quadam, tempore Concilii Basileensis habita, adversus Bohemos, in Hymn. Ecclesf. pag. 284. in Consult. art. 22. Epist. 30. in Liturgicis p. 78.

3. Idem Cassander dicta Epist. 19. facit mentionem Thomæ Waldensis, qui post idem Concilium scripsit, asserentis, *sua ætate Papam Romanum altaris ministros & alios fide summos, vel dignitate provectos, puta Reges & Doctores utraque specie communicasse, & communicationem hanc solennem vocantis, cum ait, ex consuetudine Ecclesiæ reliquisse Martinum Prælatorum industria, ut de ministris altaris quasdam aut alias personas de vulgo, fide & reverentia præditas ad hanc communicationem solennem in utraque specie possint admittere, quemadmodum interdum solet facere Papa & alii quidam Episcopi & inter Fratres suos quidam Religiosorum Præpositi.*

4. Apud Schleidanum lib. 8. Comm. Rex Galliæ in colloquio cum Clemente VII. asserit, *Patrum memoria distributam fuisse per Galliam integram Cœnam.*

5. Wilh. Lindanus Ruræmundanus Episcopus lib. 4. Panopl. cap. 56. fol. 343. negat, *Constantiense Concilium Laicis utraque specie interdixisse, sed usum unius speciei solum dicit defendisse.* Id probat ex eo, *quod à Concilio Constantiensi nihil in Græcanica, aut Orientali aut Indianâ, imo Septentrionali Ecclesia nihil de communione sub utraque fuerit immutatum, uti nec in Dalmatiana Ecclesia, imo nec in Romana, quando in hunc usque diem consecrante Pontifice Diaconus non conficiens de calice tamen combibat.* Et certe verba Concilii sess. 13. possunt exponi citra omnimodum calicis interdictum, ut Lindanus fecit, & post eum Cassander consult. art. 22. & lib. de Comm. sub utraque oper. fol. 1039.

Argum. 27. *Ecclesia potuit mutare usum Calicis.*

Resp. cum in Concilio Tridentino ageretur de potestate Ecclesiæ circa dispensationem Sacramentorum, ac in congregatione in examine cap. 2. de Comm. sub una specie eò ventum esset, ubi dicitur, *Ecclesiam potuisse mutare usum calicis ad exemplum formæ Baptismi immut ita*, Jacobus Gibertus de Nogueras Episcopus Alliphiensis consurgens dixit, *esse blasphemiam. Formam enim Baptismatis esse immutabilem, neque unquam fuisse mutatam. In essentialibus Sacramentorum, quæ sunt forma & materia, nullum esse autoritati locum.* Super qua re multis verbis ultro citroque jactatis tandem statutum, *clausulam illam tollendam.* Petrus Suavis in Histor. Concil. Tridentini lib. 6. p. 625.

Argum. 28. *Metuenda irreverentia, si Laicis calix exhibeatur.*

Resp. 1. Baronius Ann. Christi 1306. n. 8. & Ann. 1329. n. 19. commemorat exempla, *quomodo Judæi pane consecrato pessime abusi fuerint.* Ergone etiam propterea panis consecratio & distributio abolenda?

2. Fatentur Pontificii, *tempore Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ utramque speciem in usu fuisse.* Item, *Ecclesiam Romanam propter Manichæos utriusque speciei usum præcepisse.* Ergone tunc nulla fuit habita hujus periculi sive metus ratio?

Argum. 29. Denique 1. Sam. 2. v. 36. *Futurum est autem, ut quicunque remanserit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum & tortam panis, dicatque, Dimitte me, obsecro, ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam bucellam panis.* Hunc locum Censores Aug. Conf. & Eccius pro asserenda *communione sub una specie urgent.*

Resp. 1. Lyranus ad hunc locum sic annotat: *Quia inferiores Sacerdotes habebant recurrere ad summum Sacerdotem, ut pro eis oraret & faceret ei oblationem. In Hebræo habetur: Veniat inclinandum pro se in obolo argenteo &c. quod sic exponunt Hebræi, quod Sacerdotes remanentes de stirpe Heli futuri erant humiliare se coram summo Sacerdote & orare, ut possent servire in templo precio oboli argentei, & tortæ panis in die. Et litera sequens videtur concordare, cum dicitur, dicatque, dimitte me obsecro &c.*

2. Franciscus de Mendoza in lib. 1. Reg. cap. 2. num. 36. in exposit. literæ, ad illum locum sic commentatur: *Duplex est hujus loci explicatio, Prior sic habet: Quicunque in domo tua superstes fuerit, inopia cogente ad summum Sacerdotem confugiet, eiq; pro tenui victu obtinendo suas operas ac labores in aliquo templi ministerio locabit. Ita explicant Hebræi, quibus Lyranus non repugnat. Subscribunt Vatablus & Cajetanus. Favere videntur noster Saa & Mariana, quatenus dicunt, venire non ut offerat, sed ut impetret & accipiat &c. Posterior expositio ita habet: Quicunque in domo tua superstes fuerit, cum à suo se peccato voluerit expiare, summum Sacerdotem supplex adibit, offerens ei nummum, seu obolum argenteum & tortam panis, ut pro se sacrificet, isque à peccato immunem reddat, item ut ei permittat in ordine vicis suæ Sacerdotale munus obire, ex quo habeat, unde suæ indigentiæ medeatur. Ita Lyranus, Carthusiensis, Abulensis, aliique exponunt &c. Ex his interpretationibus posteriorem priori anteponit Abulensis, utpote vulgatis Bibliis conformiorem, & quidem recte.*

3. Sanctius ad eundem locum sic annotat: *En quanta in Heli domo fuerit rerum vicissitudo! Venire ante consueverunt alii in domum Heli, idest, ad eos, qui ex ejus familia sacrificiis ac tabernaculo præerant, à quibus accipiebant abundanter, quicquid ad domesticos usus & sumtus prope regios pertinebat. Sed in hac fortunæ ac temporum conversione accedent, qui fuerint ex illa domo reliqui, supplices ad Sacerdotem ex aliena familia, ut pro illis oret atque satrificet. Afferet autem quod pauperes solent, nummum argenteum, quo videlicet ematur perexigua victima, ut columba, aut aliquid simile, & tortam panis; quem usque adeo premet aut fames, aut egestas, ut dari sibi postulet ab æmulo suo, misericordia tantum nomine modicum aliquid ex eo, quod ex victimis legitime in suum usum Sacerdotes assumunt. Neque plus petit ille, quem dira urget necessitas, quàm sibi porrigi postulat, qui mendicato vivit, quemque aliena tantum misericordia sustentat. Hæc juxta nostram translationem. Si vero Hebraicum textum intueare, quem respexere nova translationes, & ex antiquis Chaldaica & LXX. alius est sensus, neque parum diversus. Neque enim, qui ex domo Levi dicitur futurus esse reliquus, argentum affert, aut tortam panis, ut pro illo oretur, sed potius ille dicitur venturus supplex, ut incurvet se & adoret aut Pontificem, aut Sacerdotem alium, ut ab illo exiguum aliquid ex Sacerdotali emolumento exoret, quo vitam utcunque, parce licet & anguste, sustentet.*

CAPUT VIII.

De Adoratione Eucharistiæ.

THESIS. Quamvis Christus in Eucharistia præsens religiose adorandus sit, tamen adoratio non est dirigenda ad terrena Elementa panis & vini, ne quidem in usu sacræ Cœnæ multo minus extra usum, quando panis consecratus in processionibus circumgestatur.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an *Christus* θεάνθρωπος in actione sacræ Cœnæ vere præsens, & corpus ac sanguinem suum mediante pane & vino nobis distribuens, *adorandus sit*, id enim non solum haud inviti concedimus, sed etiam ad illam adorationem, utpote sine qua ἀνάμνησις & annunciatio mortis Christi locum non habet, communicantes hortamur.

2. Neque quæstio est, an huic Sacramento *interior reverentia* juxta normam verbi divini exhibenda sit. Nam & ipsi docemus, corpus & sanguinem Christi in hoc Cœlesti convivio nobis exhibita à vulgari cibo & potu esse distinguenda, verbis Christi de præsentia corporis & sanguinis sui testificantis fidem esse adhibendam; grato corde agnoscenda & prædicanda esse cœlestia beneficia, quæ per κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi ad nos promanant, dignam præpara-

parationem usui hujus Sacramenti præmittendam, annunciationem mortis Christi, gratiarum actionem, pœnitentiam, fidem ac melioris vitæ propositum in usu sacræ Cœnæ adesse debere.

3. Neq; quæstio est de *externa reverentia*, quæ in distributione & sumtione Eucharistiæ adhibetur, an interior reverentia externis gestibus sit declaranda, quod libenter concedimus.

4. Sed hoc in quæstione est, an ipsum *Sacramentum Eucharistiæ*, adeoque totum illud, quod à Domino, ut sumatur, institutum est, cultu latriæ sit adorandum.

5. Itemque, an *panis Eucharisticus*, quando extra usum à Christo institutum in processionibus circumgestatur, adorandus sit, quorum utrumq; Pontificii affirmant, nos vero negamus.

Antithesis. Concil. Trident. sess. 13. cap. 5. *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Ecclesia Catholica semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento sanctissimo in veneratione exhibeant, neque enim ideo minus adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum.*

Can. 6. *Si quis dixerit, in Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solenniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.*

Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 29. §. Sed hæc &c. *Cultu latriæ per se & propriè Christus est adorandus, ea adoratio ad symbola etiam panis & vini pertinet, quatenus apprehenduntur, ut quid unum cum Christo, quem continent.*

Lovanienses art. 14. *Certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sanctè à nobis adorari, sive in Missa, sive extra Missam, ubicunq; reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis à Sacerdote circumfertur.*

Costerus in Enchir. cap. 8. *Ex his efficitur, sanctissimum hoc Sacramentum, & juxta nomen suum venerabile, quanta potest reverentia, honore, celebritate, cum interno cordis affectu, tum externis Ceremoniis à Christi fidelibus venerandum, colendum & adorandum esse, summo etiam cultu, quem Græci λατρείαν vocant, soli Deo conveniente.*

Sanctesius Repetit. 9. cap. 4. *Nec nos pudet, nec pœnitet totum adorare Sacramentum, quoniam ibi singulariter Deus adest.*

Gregor. de Valent. tom. 4. Disp. 6. generali de Sacramento Eucharistiæ qu. 11. p. 2. *Certissima fide tenendum divino cultu latriæ interno & externo hoc Sacramentum adorandum esse.*

Nostram sententiam probamus. Contra adorationem panis Eucharistici his utimur argumentis,

1. *A defectu divini mandati.* Deus nuspiam præcepit panis consecrati adorationem. Est ergo ἐθελοθρησκεία.

Pulchre Chrysostomus homil. 51. in Matth. *Discamus Christum ex ipsius voluntate honorare. Nam qui honoratur, eo maxime lætatur, quem ipse vult, non quem nos optamus.*

Theologus olim interrogatus, quamobrem Imperatorem pro temporis illius consuetudine divino honore dignari nollet, respondisse fertur, *Quia non ad hoc institutus est Imperator, ut adoretur, sed ut legitimo honore honoretur.* Ita etiam si ex nobis Pontificii quærant, cur Sacramentum non adoremus religiose, respondemus: quia institutum est, ut sanctè & religiose accipiatur, non autem ut adoretur.

2. *A Natura panis Eucharistici.* Panis post consecrationem manet verus panis, est igitur creatura Dei. Quisquis proinde adorationem non tantum dirigit ad Christum, sed etiam ad panem, is præter creatorem adorat etiam creaturam. Rom. 1. v. 25. adeoque committit ἀρτολατρείαν.

3. *A discipulorum exemplo.* Discipuli Christi in prima sacræ Cœnæ institutione audientes à Magistro: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*, non leguntur externa symbola panis & vini adorasse, sed juxta mandatum Christi manducârunt ac biberunt. Marc. 14. v. 24.

4. *A proprietate Sacramentalis unionis.* Corpus Christi non est in pane localiter, neque est unio personalis inter panem & corpus Christi, sed Christus in actione illa Eucharistiæ præsentiam suam peculiari modo gratiæ instituit ac promisit. E. ut Israelitæ non arcam fœderis ipsam, sed Deum ipsum, qui præsentiam suam ibi promiserat, adorabant: Sic adoratio nostra in usu Eucharistiæ non ad externa Elementa, sed ad Christum Deum & hominem peculiari modo gratiæ præsentem dirigenda est.

5. *A Natura Sacramenti.* De pane consecrato extra usum à Christo institutum non habemus verbum aut promissum, quod sit Corpus Christi, quia verba Sacramentalia, *Hoc est corpus meum*, divina institutione & præceptione alligata sunt ad actionem in verbis institutionis præscriptam, quod scilicet panis sit accipiendus, benedicendus, distribuendus & manducandus. Ergo panem consecratum extra usum, à Christo institutum, adorandum proponere, est ἀρτολατρείας occasionem præbere.

Contra theatricam circumgestationem hisce utimur argumentis.

1. *A Christi institutione.* Circumgestatio repugnat institutioni Christi, qui panem consecrandum discipulis manducandum præbuit, dicens: *Accipite manducate, hoc est corpus meum.*

2. *Ab Apostolorum exemplo.* Apostoli panem consecratum nuspiam leguntur circumgestasse & ostentasse, sed juxta Christi institutionem eum manducarunt.

3. *Ex praxi Ecclesiæ primitivæ & Apostolicæ.* Circumgestatio non fuit usitata in Ecclesia primitiva & Apostolica.

4. *Ab incommodo.* Circumgestatio theatrica occasionem præbet artolatriæ, mutilationi calicis & variis superstitionibus.

5. *Ex regula usitata.* Nihil habet rationem Sacramenti extra usum à Christo institutum; cui vero circumgestatio repugnat, & lõge alios fines propositos habet, quam eum, propter quem Eucharistiæ Sacramentum est à Christo institutum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, substantiam panis etiam post consecrationem manere.

(Si enim panis non transsubstantiatur in corpus Christi, utique etiam cultu latriæ non est adorandus. Thomas p. 3. q. 75. art. 2. fatetur, *repugnare adorationi, si panis & vini substantiæ manere statuatur.* Verba sic habent: *Contrariaretur venerationi hujus Sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adorari adoratione latriæ.*

Lovanienses artic. 14. ex transsubstantiatione adorationem Eucharistiæ ducunt. *In Euchristia*, inquiunt, *non manent panis & vinum, sed hæc in corpus & sanguinem Christi admirabili potentia verbi ipsius sunt conversa, manentibus tantum panis vinique speciebus. Unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sanctè à nobis adorari sive in Missa, sive extra Missam.*

Sed & Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 29. sic disserit: *Catholici, cum negent, panem in Sacramento remanere, quomodo possent asserere ἀρτολατρείαν, id est, panis adorationem?* Ergò à contrario sensu, qui asserunt, panem in Sacramento remanere, non concedunt panis adorationem, ne committatur ἀρτολατρεία.)

Quod autem quidam agnoscunt, panis substantiam post consecrationem manere, ostensum fuit superius cap. 1.

2. Quod quidam negant, adorationem ad symbola externa dirigi debere.

Johannes Muntziger Rector Scholæ Ulmensis Ann. 1384. recitavit publice in Schola Orationem quandam, in qua contendit, *corpus Christi non esse Deum, atq; ideo nec adorandũ ut Deum adoratione latriæ.* Eadem postea & scriptis defendit.

Georg. Cassander in consult. cap. de adorat. Eucharist. p. 984. *De adoratione Sacrosancti Sacramenti Eucharistiæ ita ex veterum mente statuendum puto. Cum in hoc Sacramento Christus Deus & homo & corpore & sanguine suo præsentem se exhibeat, consequens est, ut in hoc quoque mysterio adoretur, quæ adoratio non ad ipsum signum, quod exterius videtur, sed ad ipsam rem & veritatem, quæ interius creditur, referenda sit, quamvis & ipsi signo, cujus jam virtus intelligitur, tanquam religioso etiam sua veneratio debeatur. De hac adoratione scripsit Ambrosius, per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt &c.*

3. Quod quidam agnoscunt, adorationem & circumgestationem panis consecrati non posse probari ex sola Scriptura.

(Ostendimus enim suo loco, articulos fidei ex Scriptura & quidem sola probari posse.)

Thomas Hardingus in Confutat. Apolog. Anglicanæ part. 2. cap 15. *Quamvis ritus ille, modusve, quo se prodit hæc religio* (religiosus Eucharistiæ adorandæ cultus) *& hominibus ostendit, instituto Christi aut Apostolorum sacris literis diserte tradito probari non possit: nihil dubitant tamen Christiani, quin propensum egregiæ voluntatis suæ studium gratum & acceptum habeat Deus.*

Azorius lib. 8. Instit. moral. cap. 6. *Traditiones nostræ Ecclesiasticæ*

stica sunt hujusmodi, vota dissolvere, juramenta relaxare, canonizatio sanctorum, asservatio Sacramenti, circumgestatio.

(Si est traditio, ergo non potest probari ex Scriptura.)

Tannerus in Compend. Relat. Coloq. Ratisbon. part. 2. cap. 6. p. 37. *Fateantur ipsi quæso, si lubet, multa fide divina & infallibili esse credenda, quæ in Scriptura sola non continentur, nec ex ea sola evidenter deducuntur, & tunc nihil cum illis amplius magnopere contendemus. Fateantur, inquam, adorationem corporis Christi in Eucharistia, ejusq; honori dicatam solennitatem & similia multa, quæ Catholici credunt aut observant.*

4. Quod quidam agnoscunt, in panis consecrati adoratione magnum subesse idololatriæ periculum.

c. Præter hæc autem. dist. 32. ex Urbano secundo de concubinariis & scortatoribus Sacerdotibus. *Agentibus vel suscipientibus hac eadem Sacramenta contra præfatorum Pontificum instituta, eis, inquam, agentibus vel suscipientibus in tantum obsunt, ut vere idolatræ sint.*

Johannes Gerson part. 2. in reg. moral. tit. de Superbia lit. M. *idololatriam* definit, *quod sit exhibitio honoris vere vel interpretative aut attributive divini, alicui creaturæ aliter, quam sibi competere potest.*

(Jam vero pani consecrato honor ille ex instituto Christi minime competit, ut cultu latriæ adoretur. Ergo in panis adoratione committitur idololatria.)

Biel. lect. 49. in Can. Miss. *Quia non potest esse evidens certitudo neque celebranti neque populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi, propter defectum aliquem impedientem, & contingere potentem, ut quod forte celebrans non est Sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire, se fore (esse) baptizatum, aut legitime ordinatum. Similiter propter defectum alicujus necessario requisiti ad consecrandum, utpote debitæ intentionis, aut errorem commissum, vel in forma vel in materia, & multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt, sub hostia fore (esse) Christum, ideo adoratio fieri debet sub conditione habituali tacita, vel actuali expressa, tali scilicet si servata sunt omnia ad consecrationem necessaria.*

(At quotusquisq; eorum, qui Missæ vel theatricæ circumgestationi intersunt, sub tali conditione habituali vel actuali panem consecratum adorat?

Adrianus VI. Pont. Rom. lib. Quodlibet. q. 10. suppos. 2. docet, quod *hostia consecrata non sit adoranda, nisi sub conditione, quatenus est Christus.*

Thomas Salisburgensis de arte prædicandi cap. 25. *Nullus, quantumcunque sit simplex, vel quantumcunque sit discretus, debet præcise credere, hoc esse corpus Domini, sed cum hac conditione, si in consecratione rite sunt peracta omnia, aliter enim assereret de creatura, quod ipsa sit creator, & ita esset idololatria.*

Johannes de Burgo in Pupilla oculi cap. 3. varios recenset casus, in quibus transsubstantiatio impeditur, utpote *quando per negligentiam Ministri aqua non ponitur in calice, quando sola aqua sine vino in eo ponitur, cum panis ex alia quam triticea farina confectus, cum aquæ copia vini Naturam vincit aut mutat, cum vinum acuit, cum tredecim panes in altari ponuntur, Sacerdos autem tantum de duodecim consecrandis cogitavit, quo casu nullus omnino consecratus censetur, cum verba consecrationis aut dissimulantur aut prætermittuntur.*

Summa Angelica in verbo Eucharistia membr. 1. itidem plurima consecrationis requisita recenset, quorum vel uno deficiente non fiat transsubstantiatio. Inter cætera sic loquitur cap. 26. *Si Sacerdos præcise statuerit alterum dimidium panis consecrare, non itidem alterum cum integro pane, altera tantum pars consecratur, altera minime. Qui ergo totum panem adorant, putantes illum totum in Christi corpus conversum, qui tamen ob defectum intentionis in consecrante, non est conversus, ii quoad dimidiam partem panis creaturam adorant, quod est idololatrarum.*

(At quis spectatores reddit certos ista omnia præsto esse, præsertim vero intentionem consecrationis?)

Sanctesius Repetit. 4. cap. 12. *oportet prius esse corpus Domini, atque ejus Sacramentum, quam capiatur, ne ex delata ante usum adoratione admittatur idololatria.*

5. Quod quidam agnoscunt, adorationem & theatricam circumgestationem Eucharistiæ non fuisse in primitiva Ecclesia usitatam.

Erasmus in tract. de amicab. Eccles. concord. *Tempore veteris Ecclesiæ populus non cursitabat ad videndum id, quod Sacerdos ostendit, sed prostratu humi corporibus, animis in cœlum erectis, gratias agebant Christo Redemtori, qui nos sua mor. eredemit.*

Georgius Cassander in Consult. art. 22. p. 684. *Consuetudo, qua panis Eucharistiæ in publica pompa conspicuus circumfertur, ac passim omnium hominum oculis ingeritur, præter veterum morem & mentem, haud ita longo tempore inducta & recepta videtur, illi enim hoc mysterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut non modo ad ejus perceptionem, sed ne inspectionem quidem admitterent, nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse existimarent. Quare ante consecrationem Catechumeni, Energumeni, pœnitentes, denique non communicantes Diaconi voce & Ostiariorum ministerio secludebantur. Quare videtur hic circumgestationis usus citra grave Ecclesiæ damnum, imo cum ipsius lucro (si modo id prudenter fiat) omitti posse, cum & recens sit, & diu sine circumgestatione Sacramento suus honor constiterit & hodie constare possit. Deinde cum plerunque hodie non devotioni populi, sed pompæ magis & ostentationi serviat. Itemque vir summi judicii Albertus Crantzius in sua Metropoli Nicolaum Cusanum Legatum per Germaniam laudat, qui abusum Sacramenti Eucharistiæ in nimis frequenti ejus per singulas ferias circũgestatione sustulerit & constituerit, ut nisi inter octavas festi Sacramento dedicati in publicum non deferretur: additque idem Albertus memorabilem causam, quia, inquit, ejus Sacramenti usus à cœlesti Magistro institutus est ad usum, non ad ostentationem.*

(Locus extat apud Crantzium lib. 11. cap. 39. quem Bellarmin. in append. ad librum de summ. Pont. cap. 10. *insignem autorem* vocat.)

Claudius Espensæus lib. 2. de adorat. cap. 8. *Non obstat, quod circumgestatio Eucharistiæ videtur esse res nova, quia valet ad devotionem excitandam. Sed Christus, ajunt Adversarii, in hoc Sacramento cibus est, ut sumatur, non ut ostentetur & circumferatur. Sed non sunt audiendi, qui circa Dei & Sacramentorum cultum omnia reduci volunt ad vetustum morem, non enim semper melius quod antiquius.*

(Sic ergo illi, qui alias nihil nisi antiquitatem crepant, antiquitatem hic libere deserunt.)

Bellarm. lib. 4. de Euch. cap. ult. *Urbanus Pontifex instituit festum corporis Dominici & sublimem illam processionem.*

(Circa annum 1264. Confer cap. unic. in Clementin. De reliq. & venerat. Sanctor.)

Albertus Crantzius lib. 8. Saxon cap. 36. cum in mentionem hujus festi incidit, subjungit, *priscis Patribus illud fuisse prorsus ignotum, quibus in mentem nunquam venerit, tam festo negotio commovere Christianismum.*

Biel. lect. 49. in can. Miss. agnoscit, *inclusionem & circumgestationem panis consecrati circa annum Christi 1216. ab Honorio III. invectam, antea fuisse in Ecclesia ignotam.*

(Honorii hujus autoritatem pro adoratione hostiæ urget Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 30. Sed Honorius tantum jubet, *doceri plebem, ut cum in celebratione Missarum elevatur hostia, reverenter se inclinet, idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum.* Atqui aliud est reverenter se inclinare eo tempore, quo hostia elevatur, ut excitetur devotio; aliud hostiam cultu latriæ adorare.)

6. Quod quidam agnoscunt, illam circumgestationem panis consecrati ab Ethnicorum ritibus originem duxisse, vel certe magnam cum illis convenientiam habere.

Glossa c. Non oportet de consecr. dist. 1. *Clerici euntes ad tumulos mortuorum portabant secum Sacramenta corporis & sanguinis Christi, & super tumulos ea distribuebant; & hæc consuetudo facta fuit à gentibus.*

Lancellottus Quare 61. n. 10. proponit objectionem illam Theopheriam improbantem. *Sapit idololatriam gentilium Theopheria Papistarum, cum ipsi in honorem Deorum & Dearum varias instituerint processiones & circumlationes, proinde tollenda vestra.*

Subjungit vero hanc solutionem: *Si quid ratiuncula illa vestra convincat, sequetur, illicitum esse & aquæ in Baptismo & panis vinique in Calvinistica Cœna usum, cum gentilibus nec suæ defuerint ablutiones, nec in honorẽ Cereris aut Bacchi institutis sacrificiis panis vinique oblationes. Vide plura supra Quare 45. object. 1. ubi idem fere excussimus argumentum, & quomodo Ecclesia gentilium ritibus utatur, diximus.*

Declaratio autem, ad quam Lancellottus lectorem remittit Quare 45. num. 11. ubi de Ceremoniis Sacramentalibus agit, hæc est: *Objectio. Gentiles hisce Ceremoniis & similibus utuntur in suis superstitiosis sacrificiis. Ergo &c. Fateor his ritibus paganos uti, at quorum superstitionem Christiani non imitantur, Primo, quia Diabolus religionis divinæ æmulus, multa, quæ lege divina in Ecclesia sunt instituta, in sui cultum transtulit superstitiosum, de quo graviter queritur Tertullianus lib. de præscript. cap. 40.*

Secundo,

Secundo, nec illud est inconveniens, ut cultus prophani, modo circumcidantur, in Dei religionem transferantur, & gentilitia superstitione exuta, veri Dei honori serviant ac pietati. Unde hac ratione fructuose Ægyptii spoliantur, ut tabernaculum Domini adornetur. Tertio non utimur his ritibus, tanquam à gentilibus idololatricis institutis, nec esfectum à Dæmone vel paganis Sacerdotibus, sed à vero Deo expectamus.

Ergo non potest penitus diffiteri, hanc solennem circumgestationem ab Ethnicis ritibus fluxisse.)

7. Quod agnoscunt, circumgestationem illam panis consecrati à ritibus Judaicis originem duxisse.

Lancelottus Quare 61. §. 2. & seqq. *Sicut manna Judæorum typus unicus SS. Eucharistiæ Judæis divinitus datum fuit, ut eo in deserto pascerentur, & tamen reservatum ac 40. annis processionaliter est circumlatum, placuitq; Deo devotio illa Judæorum; non secus ipsum figuratum & Sacramentum, quamvis à Christo ad manducandum sit institutum, licito tamen solennis Theopheriæ ritu à Presbyteris circumfertur, cum non minori honore veritatem, quam typum prosequi debeamus. Hoc mastica & bene sapies.*

Et postea. *Eandem arcam, in qua manna, ad terram promissionis allapsam, sæpe de loco ad locum magna cum reverentia & solennitate fuisse translatam, pleni sunt Paralipomenon & Regum libri: præsertim lib. 2. c. 6. ubi David intelligens domum Obed Edom, propter præsentiam arcæ benedictam à Deo, adduxit arcam Dei de domo Obed Edom in civitatem David cum gaudio: è quibus concludo: Si Davidi propriæ devotionis instinctu, seposito jussu divino, absq; idololatriæ macula licuerit circumferre arcam, manna cœleste comprehendentem, eamque meram duntaxat figuram tanto prosequi honore, cur non idem nobis liceat in figurato sanctissimo sc. corporis Christi Sacramento, dum illud solenni Theopheriæ ritu dignamur?*

8. Quod Urbanus Papa, qui festum corporis Christi instituit, *ad usum*, non ad ostentationem vel circumgestationem sacrorum Symbolorum illud instituerit.

Georg. Cassand. d. l. *De ipso vero festo certum est, illud ab Urbano non ad circumgestationem institutum, sed ad celebriorem conventum, & ut homines per pietatis opera ita se præparent, quo hujus preciosi Sacramenti eo die participes fieri, atq; id ipsum reverenter suscipere mereantur. Ita enim habent verba Decreti, ad quod institutum si redeatur, nil puto fore absurdi.*

Extant verba Bullæ illius Papalis lib. 3. Clementinarum tit. 16. de reliq. & vener. Sacrament. in qua inter cætera sic habetur: *Studeant* (homines) *se pietatis operibus præparare, quod hujus preciosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque illud suscipere reverenter, ac ejus virtute augmentũ consequi gratiarũ.*

9. Quod quidam improbant ea, quæ in circumgestatione theatrica apud Pontificios hodie sunt usitata.

Lorichius Hadamarius Instit. Cathol. de Sacramento Eucharist. pagina 74. *Cum à regno Christi nihil æque dissideat atque seculi vanitates, sumtuosi apparatus, tibicinum, tympanistarum, tubicinum & cæterorum Musicorum strepitus, mulicrcularum & effœminatorum virorum vestium Phrygii & Venerei cultus, cæterarumq; vanitatum ostentatio & pompa; religiosius est, nullam omnino processionem facere, satius est sacram panem non nisi esum fidelibus administrare, quam ita ex religione Christiana theatrica spectacula efficere. Nihil enim divina cum secularibus consentiunt. Inique comparatum est, salutarem ritum, qui in errantium conversionem inventus est, in Catholicorum offendiculum convertere. Hæretici profecto videntes ejusmodi Scenicas schematicasq; processiones non possunt non ridere &c. Non convenit Davidis plectro cum fidibus bacchantium. Nunquam Prophetica chorda ad choreas & levitatem Thyadum turbam vocavit, nunquam servivit ad execrabiles illas saltationes lamoritæ, cargoretta, pavone, loranda &c. Religiosa ergo processio, quæ fit in fletu, sacco, jejunio, cilicio. Neq; enim Christus orchestra, sed corda mortificata & templa habitare dignatur.*

Catharina Galliæ Regina Ann. 1561. ad Pium IV. Pont. Rom. scripsit, *scrupulos & offensionum causas his, qui se ab Ecclesia nondum alienarunt præcidendas &c. nempe ut Dominici corporis festum ad pompam solummodo institutum oboleatur &c.* Petrus Suavis lib. 5. Hist. Concil. Trident. p. 526.

Exceptio Adversariorum.

Propter adorationem Eucharistiæ non potest Catholicis tribui idololatria vel ἀρτολατρεία. Nullus enim Catholicorum est, qui doceat, ipsa symbola externa per se & proprie esse adoranda cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis convenit, cultu autem latriæ dicimus per se & proprie Christum adorandum esse, & eam adorationem ad symbola etiam panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo, quem continent. Bellarm. lib. 4. de Euchar. c. 29.

Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 2, ca. 15. *Suntne nostris temporibus, qui adorent panem? bonum factum si proderentur? id facinus à nobis prohibeat Deus, ut idololatras una nobiscum vivere sinamus. Certe nullos in Ecclesia Catholica novimus.*

Resp. 1. ex ipso Bellarmino lib. 2. de imag. Sanctorum c. 24. §. Dicit aliquis &c. *Est de essentia latriæ exhiberi propter se, cum latria dicatur summus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum. Implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio & propter aliud. Nam si primo principio non ergo propter aliud. Si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, & tum ille non est cultus veræ latriæ. Præterea, vel ista latria, quæ exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo qui exhibetur Deo, vel alius minor. Si idem, ergo æque colitur creatura atq; ipse Deus, quæ certe est idololatria. Nam idololatria non solum est, cum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo. Si est cultus minor, non ergo est latria, nam latria est summus cultus.*

(Ex his contra Bellarminum sic concludimus: Est de essentia latriæ exhiberi propter se. Ergo vel symbolis panis & vini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idololatria; vel non exhibetur propter se, & tum ille cultus non est vera latria. Præterea, ista latria, quæ exhibetur symbolis panis & vini propter aliud, quatenus sunt unum cum Christo, quem continent, est idem cultus cum eo, qui exhibetur Christo, vel alius minor? Si idem, ergo æque colitur creatura atque ipse Deus, quę certe est idololatria; si est cultus minor, nõ ergo est latria.)

2. Ex eodem Bellarmino lib. 1. de Christo c. 8. §. Respondet, ubi contra Arianos sic disserit? *Quod in Christo Deus habitat, non sufficit, ut ille possit adorari, alioqui totus mundus posset adorari, & præcipue sancti Angeli & homines, in quibus singulariter Deus habitat.*

(Aut hæc responsio Arianis opposita est infirma, aut concedendum est, peculiarem corporis Christi in pane præsentiam non inferre, ut panis cultu latriæ adoretur.)

3. Ex eodem Bellarmino lib. 3. de Eucharist. c. 22. ubi disputat, *ideo statuendum esse transsubstantiationem, quia absq; ea periculum sit, ne simpliciores adorent panem.*

(Atqui annon etiam periculum est, ne simpliciores adorent accidentia panis, nisi statuatur etiam transaccidentatio? Sed transeat hoc. Ex verbis Bellarmini sic concludimus: Si panem adorare, ipsius Bellarmini judicio est idololatria, cur hoc loco disputat, *adorationem etiam ad symbola panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo?*)

4. Bellarminus h. l. sibimetipsi contradicit, asserẽs, quod *symbola externa solum sint veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis convenit; & quod ad symbola illa etiam adoratio latriæ pertineat, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo, quem continent.*

Quærimus enim quo cultu symbola hujus Sacramenti, quatenus talia, id est, quatenus sunt organa corporis & sanguinis Christi nobis exhibendi, sint honoranda? Si cultu quodam minore quam latriæ, utiq; non ipso religiosæ latriæ cultu. Si regerat Bellarminus, *quod in se ac per se minore quodam cultu veneranda sint, ipso autem latriæ cultu adoranda, quatenus apprehenduntur ut unum cum Christo,* Resp. hoc loco non quæri de symbolis externis in se ac per se, id est, quatenus sunt substantiæ, sed quatenus sunt symbola Sacramentalia, vel ut Bell. loquitur, *quatenus Christum continent.* Quod si ergo Bellarminus hoc respectu cultu latriæ ea adoranda esse dicit ἀρτολατρείαν manifeste stabilit, & cultum latria minorem, qui symbolis illis in se ac per se debeatur, evertit.)

5. Bellarminus d. l. adorationem externorum symbolorum declarat hoc simili: *quemadmodum qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorarunt &c.*

(Atqui vestes Christi non fuerunt adorationis *objectum*, sed objecti adorabilis *adjunctum* sive accidens. Si ergo panis consecratus non est alio modo adorandus, quam quo adoratæ fuerunt vestes, quib. Christus fuit indutus, nullo modo cultu latriæ adorandus erit.)

6. In Concil. Tridentino sess. 13. c. 5. dicitur *Sacramento Eucharistiæ deberi cultus latriæ divinus.* At hæc locutio est admodum impropria, cum per Sacramentum non res significata, aut contenta, sed significans & continens intelligatur, ideoque in

canone 6. locutio ea emandata, ubi dicitur, *Dei Filium in Sacramento adorandum*. Petrus Suavis lib. 4. Hist. Conc. Trid. p. 399.

Arg. Adversi. 1 *Arca fœderis, quæ fuit Eucharistiæ typus, in V. T. fuit circumgestata*. Ios. 6. 4. 1. Sam. 4. v. 1. & seqq. 2. Sam. 6. v. 13. 1. Reg. 8. v. 1. 1. Paral. 13. v. 2. Thom. Harding. in Confut. Apol. Anglic. part. 2. cap. 15.

Resp. ex Sanctio in 1. Reg. 14. n. 28. *Post hæc tempora nunquam puto in Hebræorum castra arcam fuisse productam, nisi cum David ab Absolonis facie fugeret, tunc enim cum Sacerdotes arcam educerent, illam tamen David in suum locum referri jussit* 2. Reg. 15. v. 24.

(Quando circumgestatio arcæ habuit mandatum divinum, Deo placuit, absq; eo si circumgestatio suscepta, Deo minus placuit. Jam vero de circumgestatione panis consecrati nullum habetur mandatum.)

2. Circumgestatio illa arcæ, ad quam provocat Hardingus 1. Sam. 4. v. 10. utpote destituta divino mandato, male cessit Israelitis, fuso enim à Philistæis exercitu Israelitico cæsa sunt hominum triginta millia, in quib. & duo filii Eli, capta est arca, ipse deniq; Eli à sella retrorsum collapsus, cervicem fregit.

Arg. 2. *David loquens de Sacramento Eucharistiæ inquit Ps. 22. v. 27. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirent eum. Et paulo post. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ, non obscure prædicens, Christianos sacræ communionis tempore venerabundos accessuros mensam Dominicam, atq; adoraturos hoc corpus Domini, quod suscipiunt.* Costerus, Salmero &c.

Respond. Quæ consequentia! *Comedent & saturabuntur & adorabunt. Ergo Eucharistiam adorabunt?*

Lorinus in h. l. *Pauperes Spiritu & quos despicit mundus, qui reipsa etiam, priusquam converterentur, veræ religionis ac solidarum virtutum erant egentes, bonis divinis saturabuntur, inter quæ facile primum locum tenebit panis cælestis.*

(Non Eucharistia tantum saturabuntur, sed aliis bonis divinis. Ergone etiam omnia bona, quæ à Deo accipiunt, adorabunt? Verus est ergo sensus, immensis donis cumulatum iri homines, atq; ea occasione futurum, ut Deum adorent.)

Arg. 3. *Veteres Hebræi de eo in Ps. 71. v. 16. prædictum esse ajunt, Erit firmamentum in terra in summis montium; quod nonnulli sic interpretati sunt olim, Erit placentula panis in terra in capite Sacerdotū Ergo sanctissimum hoc Sacramentum etiam summo cultu latriæ est honorandum.* Costerus in Enchir. c. 8. Rubenus lib. 2. de idololatr. c. 3. Tirinus in h. l. Cottonus disp. 4. de Missa §. 5.

Resp. 1. Lucas Brugensis in h. l. postquam dixisset, *à quibusdam hæc ad Eucharistiam applicari*, subjungit, *Hoc modo Neotericorum complures exponunt, & ad Eucharistiæ ter maximum Sacramentum referunt.*

Lorinus ib. *Catholici, præsertim recentiores, Eucharistiæ panem innui docent.*

(Ergo hæc expositio est duntaxat Neotericorum ac recentiorum.)

2. Genebrardus in h. l. sic commentatur: *Est hyperbole, ex paucis granis etiam in cacuminibus montium, quæ solent alioquin esse infrugifera, maxima proveniet seges, quæ & superat Libani altissimas cedros altitudine, vel tam procera sit, ut agitata vento talem aristis sonum edat, qualem arbores Libani.*

Lorinus ibid. *Docet sub tali tantoq; Rege summam fore annonæ ac rerum ad victum necessariam abundantiam, ita ut ex paucis jactis seminibus ad ipsa montium fastigia fruges & fructus ascendant, atq; densius & copiosius, quam provenire arbores in fertilissimo, altissimoq; Libani monte soleant, nec minorem aristæ vento agitatæ sonum edant, quam in Libano dictæ arbores, quando ventus illas agitat.*

(Ergo de ubertate in regno Messiæ verbis figuratis & hyperbolicis hîc agitur.)

3. Bellarminus in h. l. *Per abundantiam frumenti hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, sed abundantia verbi Dei. Hic igitur est sensus hujus loci, alioqui valde obscuri, Erit in terra firmamentum, id est abundantia frumenti spiritualis, quod est verbum Dei. In summis montibus, id est, etiam in locis ex se sterilibus, valles enim non montes abundare solent frumento.* Eodem modo exponit Tirinus.

Jansenius in h. l. *Neq; sub hoc Rege aliqua erit ciborum victusque inopia in terra, sed summa fertilitas. Erit enim tempore regni ejus in summitate montium, in summis illis viris Apostolicis firmamentum panis, verbum sc. Evangelica doctrina & sacrosancta Eucharistiæ cibus.*

Paulus Burgensis in additionibus ad Lyranum, & ex eo Cotonus, Rubenus, & alii provocant *ad Chaldaicam paraphrasin* hujus loci. Sed respondet Bellarminus, *Scio, quid Paulus Burgensis ex Paraphrasi Chaldaica afferat, ad probandum ex hoc loco sacrificium Missæ, sed scio, quam multis fabulis Judaicis Paraphrasis illa scateat. Ideo piget ex lacunis expositionum Judaicarum haurire, quæ nobis ex purissimis fontibus sacrarum Scripturarum abundant.*

Argum. 4. Urgent Bellarminus & Hardingus dictum Dionysii part. 3. c. 3. de Hierarch. Eccles. *At tu, ô divinissimum & sacrosanctum Sacramentum* (in Græco est τελετὴ sacrificium) *obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi & perspicue nobis fac appareas, nostrosq; spirituales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple*: (in Græco est, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον, *revelatis velaminibus, quæ tibi symbolice obducta sunt, luculenter nobis appare, intellectualesq; nostros oculos imple unico & non velato lumine.*

Resp. Pachymeres Scholiastes Græcus sic explicat: *Id alloquitur, tanquam anima præditum. Et merito, prout magnus Theologus Gregorius. At ut ô pascha illud & magnum & sacrum. Nostrum enim pascha, atq; hoc sacrum sacrificium ipse est Dominus noster Jesus Christus, ad quem sanctus orationem dirigit.*

(Ergo per Rhetoricam quandam apostrophen non *ad Sacramentum, sed Christum* potius sermo dirigitur. D. Ambrosius eodem modo aquam Baptismi compellat in c. 22. Lucæ. *O aqua, quæ Sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria.* Neque tamen quisquam Baptismi aquam propterea invocandum censuit.)

Abdias de Andrea memorat, quod ad crucem ductus crucem materialem sic compellaverit: *Salve crux, quæ hîc stas, tamdiu me expectans. Lætus accedo, novi n. tuum secretum, novi mysterium. Video in te, quæ mihi à Domino meo promittuntur. Recipe me, ô electa crux, qui tam humilis sum propter Deum, & redde miserum servulum suo Domino.* Nemo tamen dixerit, Andream ligneæ cruci honorem religiosæ adorationis detulisse.

ARTICULUS XV.

DE MISSA.

CAPUT I.

De Sacrificio Missatico.

Thesis. 1 Eucharistia non est externum, visibile ac proprie dictum sacrificium, in quo corpus & sanguis Domini sub visibili specie panis & vini vere ac proprie Deo offerantur.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an Eucharistia *in generaliore quadam significatione* vocari possit *sacrificium*, propter memoriam sacrificii Christi in ea celebratam, quod libenter concedimus.

Sic Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. Sacrificii nomen extendit *ad omne id, quod facimus, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum sc. in eum finem, quo beati esse possimus.*

2. Neq; quæstio est, an Eucharistia possit vocari sacrificium propter *dona à communicantibus ad ejus celebrationem oblata.* In primitiva Ecclesia more receptum erat, ut ad Eucharistiæ celebrationem accessuri, panes, vinum & alia munera ad mensam Domini offerrent, ex quibus pars quædam in Eucharistia consecrabatur, pars reliqua in usum Ministrorum & pauperum distribuebatur, quæ donorum & Eleemosynarum oblatio à veteribus itidem vocatur sacrificium.

3. Neq; quæstio est, an Eucharistia vocari possit sacrificium *ratione precum & gratiarum actionis*, quæ in ejus celebratione fieri debent. Quia n. super hac ipsa oblatione olim variæ preces pro gratiosa illius acceptione dici, in iisq; vota fidelium cum oblationib. hostiarum ad memorialis sacrificii cultum destinatis celebrari, Deoq; commendari solebant, inde ipsa actio dicebatur sacrificium.

4. Neque quæstio est, an vocula sacrificii in generalissima significatione quibusvis *pietatis exercitiis*, quæ circa Eucharistiam instituuntur, accommodata de Eucharistia usurpari possit.

5. Sed hoc est in quæstione, an in Missa, tanquam *externa, visibili ac vere & proprie dicto sacrifico* sub specieb. panis & vini, Sacrificuli corpus & sanguinem Christi Deo offerant vel offerre debeant.

6. Non est quæstio, an Missa versetur circa aliquid, quod est verum sacrificium, vel in Missa aliquid offeratur. Offerre enim vel significat proprie *immolare* & sacrificium ex eo facere, quod nondum est tale: Vel per metaphoram significat *Deo repræ-*

repræsentare passionem Filii sui per preces, quæ passio jam ante est sacrificium, ut sensus sit, an in Missa seu Eucharistia, aliquid, quod est sacrificium, Deo offeratur? quo modo Apostoli passim hac, offerendi sacrificia, phrasi utuntur in sensu metaphorico. Rom.12.v.1. Phil.2.17. cap.4.18. 2. Petr.2.5. Priore sensu quæstionem negamus, posteriore concedimus, quatenus sc. in Eucharistiæ celebratione *mortem Domini annunciamus* 1.Cor.11.26. ac precamur, ut Deus propter sanctum illud & immaculatum sacrificium in cruce peractum, & propter sacram illam hostiam, quæ utique in Eucharistia præsens est, nostri velit misereri: vel ut nostram precationem, quæ est rationalis & spiritualis oblatio, benigne velit accipere, eique locum dare. Sed hoc unice in quæstione est, an gestus & ritus illi Missificantium sint sacrificium vere & proprie sic dictum? quod negamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess.6. cap.1. Missam vocat *sacrificium singulare quo Christus in novissima Cœna corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulerit, quoque cruentum illud in cruce peractum repræsentetur, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicetur.*

Cap.2. nominat *sacrificium divinum, quo idem ille Christus contineatur & incruente immoletur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit; nec non sacrificium propitiatorium, cujus oblatione placatus Dominus crimina & peccata, etiam ingentia, dimittat, quodque non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite offeratur.*

Can.1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, anathema sit.*

Can.3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit.*

Bellarm. Lib.1. de Missa cap.5. §. E. contrario &c. *Catholici Scriptores, qui hoc nostro seculo de sacrificio Missæ scripserunt, omnes in eo potissimum laborant, ut ostendant, in Missa offerri Deo vere ac proprie corpus ac sanguinem Domini sub specie visibili panis & vini.*

Johannes Viguerius Granatensis in Instit. Theolog. p. 448. *Eadem est hostia, quam offert Sacerdos in Missa, & quæ in ara crucis est oblata, sed illa cruenta, quia Christus ibi mortuus est: hæc vero incruenta, quia idem Christus immortalis in memoriam illius oblationis offertur à nobis: & non seipsum offert, nec apparet vultui Dei pro nobis, seipsum iterum offerendo, sed ejus oblatio sive propitiatio per hoc Sacramentum nobis applicatur.*

Nostram sententiam demonstramus.

Missaticum sacrificium est primo ἄγραφον, cum nec Evangelistæ, nec Paulus Apostolus doceant, Christum sub specie panis & vini corpus & sanguinem suum Patri cœlesti obtulisse, atque hanc corporis & sanguinis sui oblationem inposterum à Sacrificulis Deo faciendam instituisse.

Deinde ἀντίγραφον & quidem multis modis.

1. Scriptura docet, *solum Christum* proprie esse Mediatorem & Sacerdotem N.T. Hebr.5.5. & 6. c.7.23. c.9.15. Pontificii præter Christum *secundarios Sacerdotes* innumeros substituunt.

2. Scriptura docet, quod *Christus semel seipsum obtulerit ad multorum peccata exhaurienda* Hebr.7.26. & 27. c.9.28. Pontificii docent, Christum *sæpius*, imo *quotidie* ministerio Sacerdotum offerri.

3. Scriptura vocat oblationem Christi *unicam & semel factam* Hebr.10.10.12. & 14. ac victimis Leviticis eandem in eo opponit, quod hæ quotidie fuerint repetitæ, illa vero semel facta v.11. & 12. Pontificii statuunt, oblationem Christi in Missis quotidie iterandam.

4. Scriptura docet, unicam illam oblationem esse *solam propitiatoriam* pro peccatis Joh.19.v.30. Hebr.1.v.3. cap.5.v.9. cap.10.v.14. Pontificii docent, sacrificulos Christum sub specie panis & vini aspectui Patris cœlestis ad impetrandam peccatorum veniam quotidie sistere.

5. Eucharistia est Sacramentum, in quo, mediantibus symbolis externis, corpus & sanguis Christi nobis offeruntur. Ergo non est sacrificium proprie sic dictum, in quo corpus & sanguis Christi sub specie panis & vini Deo offerantur. Sicut per Testamentum non potest aliquid dari Testatori ab herede: ita non potest in eadem Cœna Christus nobis dari in pignus gratiæ, & in eadem vicissim idem Christus à nobis Deo offerri.

6. In cœna non fit nisi *commemoratio sacrificii* à Christo semel in ara crucis peracti. Ergo in cœna non fit immolatio Christi; commemoratio enim rei non est res ipsa. Antecedens est Apostoli 1.Cor.11.v.24.25. & 26.

7. Quotiescunque Apostoli de Christianorum sacrificiis loquuntur, nunquam externum aliquod, sed *interiora tantum & spiritualia sacrificia* proponunt, quæ nihil aliud sunt, quam pietatis & caritatis officia. Vocantur enim ab Apostolis θυσίαι & metaphorice sacrificia, *ministerium & divulgatio Evangelii* Rom.15.v.16. *conversio gentium*, ibid. & Philipp.2.v.17. *preces* Hebr.5.v.7. Apoc.5.v.8. cap.8.v.3. *gratiarum actio* Hebr.13. v.15. *beneficentia erga pauperes* Hebr.13.v.16. Phil.4.v.18. *mortificatio veteris hominis, ac totus homo Deo consecratus*, in quantum mundo moritur Rom.12.v.1. *Martyrium* Phil.2.v.17. 2.Tim.4. v.6. Præter hæc sacrificia spiritualia metaphorice sic dicta, nullum noverunt aliud Nov. Test. sacrificium externum, visibile & proprie sic dictum, quam, quod Christus semel in ara crucis Patri cœlesti obtulit. Pontificii ergo in Missa externum, proprie dictum ac vere propitiatorium sacrificium statuentes, discedunt à forma loquendi Apostolis usitata.

8. Sacrificium Christi in cruce semel oblatum pro omnibus totius mundi peccatis perfecte satisfecit Joh.19. v. 30. Hebr.10.v.14. Ergo Missæ sacrificio nullus relinquitur locus. Quod enim semel perfectum, illud non fit adhuc quotidie; & contra, quod adhuc quotidie fit, non est perfectum. Hebr.10. v.18. *Ubi peccatorum remissio, jam non amplius est oblatio pro peccato.* v.14. *Unica oblatione* (non pluribus) *consummavit* (ut nihil in Missa expiandum amplius supersit,) *in æternum eos, qui sanctificantur.*

Tertio Missaticum sacrificium impugnamus deductione ad absurdum.

1. Nullum sacrificium, quod continue iteratur, potest esse pro peccatis propitiatorium. Hebr.10.vers.1.2. & 11. Sacrificium Missæ continue iteratur. Ergo non est propitiatorium. Conclusio apud Pontificios est falsa & absurda. Ergo aliqua ex præmissis. Non Major, quæ est Scripturæ. Ergo Minor, quæ est Pontificiorum.

2. Si Missa esset sacrificium propitiatorium, necesse foret, esse cruentum sacrificium, quia absque sanguinis effusione non fit remissio, Hebr.9.v.22. Atqui sacrificium Missæ non est cruentum. Ergo non est propitiatorium.

3. Si in Missa fieret realis & externa Christi oblatio, Christus in ea occideretur, quia ubicunque in Scriptura Christus Deo pro nobis oblatus, vel traditus dicitur, mors ipsius innuitur. Hebr.9.v.25. probatur, non esse necessarium, ut Christus seipsum offerat, alioquin oportebat eum frequenter pati. Consequens apud Pontificios est absurdum. Ergo nec antecedens statuere debent.

4. Si Christus in Missa sacrificatur, quotidie pro peccatis nostris satisfaciet. Posito enim Christi sacrificio, ponitur pro peccatis satisfactio. Consequens est falsum, Rom.8. v.3. Hebr.9.v.26. Ergo & antecedens.

5. In omni sacrificio externo, visibili & proprie sic dicto, requiritur hostia visibilis, & quidem talis, quæ mutationis capax sit. Id vero corpori Christi nequaquam congruit, aut si contingit, corpus Domini mactabitur ac destruetur, quoties Missa celebrabitur, quod est absurdum, Rom.6.v.9.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam negant, Missam esse sacrificium externum proprie sic dictum.

Circa annum Domini 1340. vixit Herbipoli M. Conradus Hager, qui, ut ex Bullis quibusdam Ottonis Episcopi Herbipolensis patet, confessus est, *se annis 24. sensisse & docuisse, Missam nullo modo esse sacrificium, aut cuiquam, vel vivo, vel mortuo prodesse, eoque nequaquam celebrandam.* Dixit, *pecuniam, quæ à morientibus pro Missis relinquatur, esse veluti furta & sacrilegia quædam Sacerdotum, quæ illi pauperibus impie subtrahant.* Dixit etiam, *se, si haberet hypocaustum plenum aureis, non unicum daturum pro Missis.* Affirmavit etiam, *se putare, propterea populum abhorrere à Missis, quod ipse multos eam sententiam docuerit.* Abhorruisse autem incolas eorum locorum tunc à Missis pro mortuis, non solum hinc, sed etiam ex alio ejusdem Episcopi mandato apparet, ubi severiter subditis præcipitur, *ut persolvant ea, quæ à suis majoribus pro statis Missis legata Testamento fuerant.*

Patres Tridentini diu & acriter in sess. 21. disceptarunt de Missatico sacrificio. Quidam asseverabant, *Christum in Cœna præcepisse, ut post mortem suam perpetua in Ecclesia oblatio fieret; sed seipsum nequaquam obtulisse, quod Natura sacrificii id non permitte-*

mitteret. Atq; huic assertioni confirmandæ ajebant, supervacaneam alioqui futuram oblationem in cruce peractam, quandoquidem ea oblatione, quæ in Cœna præcessisset, universum genus humanum fuisset redemtum. Deinde, sacrificium altaris à Christo institutum in commemorationem ejus, quod in cruce obtulit, nihil autem commemorari posse, nisi quod est peractum. Ideo Eucharistiam sacrificium esse non potuisse ante Christi in cruce oblationem. Item, neq; Scripturam, neq; Concilium ullum unquam meminisse, Christum in Cœna obtulisse seipsum; quæ autem è Patribus adferuntur, ea omnia de oblatione facta in cruce haud dubie accipienda. Vide Petri Suavis Hist. Conc. Trident. lib. 6. p. 613. (al. edit. 638.)

Ibidem testatur Petrus Suavis, ut & Melchior Canus lib. 12. Locorum c. 13. p. 660. Cornelium Episcopum Bitontinum propterea Concilio ejectum esse, quod Missæ sacrificio contradixerit.

Nugno Cabezudo in 3. Thom. p. 83. art. 1. diffic. 2. dub. 3. arg. 4. concl. 4. nequaquam erroneum esse censet, si quis neget, prima Cœna sacrificium fuisse satisfactorium pro peccatis, quia hæc quæstio proposita quidem sit in Concilio Tridentino, non tamen decisa, ob incommodum, quod illa ratione Christus videretur bis satisfecisse pro peccatis; quod incommodum ab aliquibus Episcopis in Concilio motum esse etiam Petr. Suavis d. l. testatur.

2. Quod quidam agnoscunt, Missæ sacrificium non posse probari ex Sacra Scriptura.

Petrus Suavis in Hist. Concil. Trid. lib. 6. p. 639 (in al. edit. p. 614.) In Congregatione die 24. Julii à prandio habita, Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus ad evertanda aliorum Theologorum firmamenta omnia, quibus è Scriptura sacrificium Missæ adstruebant, sese comparat, præfatus id in controversiam non vocandum, an Missa sit sacrificium, Patres enim omnes id apertis verbis expressisse &c. Idcirco illud pro certo concludendum, doctrinam eam Apostolicam esse traditionem, cujus vis copiosa satis ac potens est ad condendos fidei articulos, sicut Synodus hæc à principio docuit. Verum autem hoc solidumq; argumentum debilitari ab his, qui aerea sibi struunt, è sacra Scriptura id elicere frustra conantibus, quod nusquam ibi reperitur, atq; adversariis veritatis calumnia violandæ ansam præbentibus, dum vident, eos arena laxæ ac instabilis inædificare. His præmissis, ad loca è Veteri ac Novo Testamento à Theologis adducta, singillatim examinanda pergens, è nullo horum sacrificii sensum depromi posse ostendit.

3. Quod nondum certi sunt, utrum Christus in prima Cœna sacrificarit?

(Illud tantum in Eucharistiæ celebratione Ministri Ecclesiæ facere debent, quod Christus prior fecit. Dixit enim, Hoc facite Quod si ergo nondum certi sunt, Christum in prima Eucharistiæ institutione & celebratione sacrificasse, utiq; etiam non possunt certo affirmare, Ministris Ecclesiæ exemplo & mandato Christi esse sacrificandum.)

In Concilio Tridentino viginti tres Episcopi fuerunt, qui negarunt, Christum in sacra Cœna sacrificasse, ut refert Petrus Suavis in Hist. Conc. Trident lib. 6. p. 645.

Salmero tom. 9. tract. 27. p. 198. idem de quibusdam Catholicis fatetur, ac tract. 28. p. 219. ex viro quodam erudito Catholico se audivisse refert, quod, etsi Christus Eucharistiam in ratione sacrificii non instituisset, Ecclesia potuisset illud constituere, quod tamen ipse falsum esse inquit.

Albertus Pighius in Hierarch. Eccles. lib. 2. c. 5. p. 58. scribit, posse concedi absq; imminutione argumentorũ de Missa, non significatam offerendi actionem ab ullo Evangelistarum; posse concedi, Christum sese in prima Cœna non obtulisse Deo Patri, nondum videlicet oblatum Deo in cruce; imo concedi posse, Evangelistas satis clare non indicare, quibus verbis Christus consecraverit.

4. Quod quidam agnoscunt, non posse ex verbis institutionis absq; traditione probari, quod Christus in prima Eucharistiæ administratione corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini Patri cœlesti obtulerit.

(Ergo nec sacrificuli absque Christi mandato & exemplo id facere debent. Ratio connexionis pendet ex Scripturæ perfectione in tradendis fidei articulis, demonstratâ ex ipsis Pontificiis lib. 1. p. 1. c. 1.)

Petrus à Soto in Assert. Cathol. c. de Eucharist. Quod hic (in verbis Christi) indicatum est, tota Ecclesia multo explicatius intellexit, non dubium, quin ab Apostolis & plenariis Conciliis accipiens.

(Atqui si esset fundamentalis fidei articulus omnibus ad salutem scitu necessarius, quod Christus seipsum Patri cœlesti in Eucharistiæ administrarione obtulerit, idemq; faciendum sacrificulis mandarit, utiq; non tantum obscure illud indicaretur, sed verbis claris & perspicuis doceretur.)

Bellarminus lib. 1. de Missa c. 12. §. Restat una &c. docet, actionem offerendi in verbis Institutionis non posse facile distingui & separari ab aliis actionibus, quæ simul fiunt.

(Concedit ergo, se non facile ex verbis Institutionis ostendere posse actionem offerendi.)

Lib. ejusd. c. 24. resp. ad 2. scribit: Etiamsi Evangelistæ non expresse dixerint, Christum se Patri obtulisse, tamen neq; expresse dixerunt, se non obtulisse &c. Si Lutherus ab exemplo Christi probare cupit, Missam non esse sacrificium, certum aliquod testimonium afferat, ubi legamus, Christum non se obtulisse in Cœna. Nam illa argumenta negativa, Non habetur expresse in Scriptura, Ergo non est factum, jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.

(Distinguendum inter dogmatica & Historica. In illis negative ex Scripturis licet argumentari, non in hisce. Iam vero Christum seipsum Patri in Cœna obtulisse, & hoc faciendum Apostolis eorumq; successoribus demandasse, est dogmaticum.)

Azorius tom. 1. lib. 10. Instit. c. 18. f. 851. Quidam ex Catholicis negarunt, Christum seipsum in extrema Cœna sub specie panis & vini obtulisse incruente.

Suarez tom. 3. Comment. in 3. part. Thomæ disput. 74. sect. 1. Potest suaderi hæc veritas (de sacrificio Missæ) ex Novo Testamento, in quo, licet non sint testimonia, quæ per se sumta convincant, sunt tamen nonnulla, quæ aliis adjuncta plurimum suadent.

sect. 2. Principaliter colligenda est hæc veritas, (quod Christus sese in sacrificiũ obtulerit) ex facto & verbis Christi, quæ ab Evangelistis referuntur, adjuncta Ecclesiæ traditione & expositione, sine qua sola Evangelica Historia non potest convincere. Nulla namque fit expressa mentio sacrificii vel oblationis. Factum item Christi, quod narratur, potuisset certe de potentia absoluta ab illo fieri sine sacrificio, consecrando scilicet panem & vinum eaq; discipulis dando absque ulla intentione offerendi immediatum cultum Deo. Nam ratio sacrificii pendet ex intentione, quæ non est necessario conjuncta cum tali exteriori actione, sed est voluntaria. Potuisset ergo Christus totam illam actionem sine tali intentione, atq; adeo sine oblatione efficere. Necessaria ergo est Ecclesiæ autoritas & traditio, quæ de Christi intentione certam nobis faciat fidem. Ex Historia tamen Evangelica conjectare possumus, hoc esse verbis & factis Christi valde consentaneum.

Gregorius de Valentia lib. 1. de Missa c. 4. Institutione Cœnæ, cum affirmativum duntaxat contineat præceptum, Hoc facite, nihil prorsus, ait, fuisse prohibitum.

Fornerus im außgezogenem Goliaths-Schwert p. 485. fatetur, non esse in verbis Institutionis expresse propositum, quod Christus in S. Cœna sub specie panis & vini seipsum Deo obtulerit, interim ex unanimi consensu veteris Ecclesiæ hoc constare.

5. Quod quidam agnoscunt, Missam ideo vocari sacrificium, quia est commemoratio unici sacrificii in ara crucis à Christo oblati.

(Ergo non est sacrificium externum, visibile, proprie sic dictum, sed sacrificii proprie sic dicti commemoratio.)

Gregorius Homil. 37. in Evang. hostiam Eucharistiæ mysticam ponit in commemoratione passionis Christi. Qui enim, inquit, qui in se resurgens à mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc hostiam in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.

(Non dicit, quoties ei corpus reale & vivum offerimus, sed hostiam passionis in mysterio. Ergo non nisi mysticum sacrificium commemorativum & repræsentativum repetitæ quodammodo passionis in Eucharistiæ non consecratione, sed digna receptione agnoscit.)

c. Multi secularium. caus. 1. quæst. 1. ex eodem Gregorio Episcopo Romano. Mysterium ob hoc dicitur, quod secretam & reconditam habet dispensationem. Sacrificium autem quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis.

(Ergo in celebratione hujus sacrificii sive sacri facti, non fit nova oblatio Christi, sed commemoratio passionis & sacrificii jam ante peracti.

c. Quia corpus. dist. 2. de Consecrat. ex Eusebio Emisseno. Quia corpus assumtum ablaturus erat ab oculis nostris & illaturus sideribus, necessarium erat, ut die Cœnæ Sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium, ut quia quotidiana & indefessa currebat pro omnium salute redemtio, perpetua esset redemtionis oblatio, & perennis victima illa viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia vera, (al. verè) unica & perfecta hostia fide æstimanda, non specie, neque exteriori censenda visu, sed interiori affectu.

(Si

(Si semel oblatum est sacrificium in pretium, si sacrificium illud in cruce oblatum est vere unica & perfecta hostia, ergo non iteratur quotidie ejus oblatio. Si quotidiana & jugis oblatio fit per mysterium, ut perennis victima illa Christi in cruce peracta, vivat in memoria, utique in Eucharistia non offertur vere & proprie dictum propitiatorium sacrificium.)

c. Cum frangitur. dist. ead ex sententia Prosperi, *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusq; sanguinis de latere effusio designatur?*

(Si designatur immolatio Dominici corporis & effusio sanguinis de latere, quando panis frangitur & communicantibus distribuitur, ac quando sanguis de calice in ora fidelium funditur, utiq; Eucharistia non est sacrificium vere & proprie sic dictum, quod Sacerdos Deo offerat, quando manibus in sublime hostiam elevat.

c. Hoc est quod dicimus. dist. eadem ex sentent. Prosperi. *Sicut cœlestis panis, qui (vere) Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, mortale in cruce positum est, vocaturq; ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio: sic Sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est.*

(Sicut immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio & mors vocatur, ita quoque sacrificium vocatur. Jam vero vocatur Christi passio & mors, quia est passionis & mortis commemoratio. Ergo etiam sacrificium vocatur, quia est sacrificii commemoratio.)

c. Semel Christus, dist. ead. ex August. *Semel Christus mortuus est, justus pro injustis &c. mors illi ultra non dominatur, tamen ne obliviscamini, quod semel factum est, in memoria nostra fit omni anno, quoties pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? non, sed anniversaria recordatio repræsentat, quod olim factum est, & sic nos facit moveri, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce.*

c. Semel immolatus. dist. ead. ex sent. Prosperi. *Semel immolatus est in semetipso Christus, & tamen quotidie immolatur in Sacramento, quod ita intelligendum est, quia in manifestatione sui corporis, in distinctione suorum membrorum omnium verus Deus & verus homo semel tantum in cruce pependit, offerens Patri seipsum hostiam vivam.*

c. Quid sit. dist. ead. ex Gregorio lib. 4. Dialog. c. 58. *Pro nobis iterum in hoc mysterio moritur, ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur.*

(Atqui dicitur Christus in hoc mysterio pati, quia passio ejus commemoratur. Ergo etiam dicitur in hoc mysterio sacrificari, quia ejus sacrificium in cruce oblatum, commemoratur.)

c. In Christo. dist. ead. ex Ambrosio. *In Christo semel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis ejus. Et una est hostia, non multa. Quomodo est una, non multa? quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius, idipsum & semper idipsum, proinde hoc idem est sacrificium. Alioqui dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubiq; Christus, & hic plenus existens & illic plenus. Sicut enim, quod ubique offertur, unum est corpus & non multa corpora, ita & unum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam obtulit nos mundantem. Item, ipsam offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata est, consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationē fit ejus, quod factum est, hoc enim facite, ait, in meam cōmemorationē.*

c. Iteratur. dist. ead. ex Paschasio. *Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne, per unam eandemq; mortis passionem semel salvaverit mundum &c. Quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur &c. Iteratur hoc mysterium ob commemorationem passionis Christi, sicut ipse ait, Hoc quotiescunq; feceritis, in meam commemorationem facite.*

Glossa hujus canonis ad verba, *Christus quotidie mystice pro nobis immolatur*, sic annotat: *Immolatur, id est, immolatio repræsentatur & fit memoria passionis Christi.*

Glosf. Bibl. ordin. in Epist ad Hebr. *In altari non est sacrificii iteratio, sed unius sacrificii semel in cruce facti, quotidiana fit commemoratio, juxta verbum Christi: Hoc facite.*

Lombard. lib. 4. sent. dist. 12. lit. G. *Quæritur si, quod gerit Sacerdos, proprie dicatur sacrificium vel immolatio, & si Christus quotidie immoletur vel semel tantum immolatus sit? Ad hoc breviter dici potest illud, quod offertur & consecratur à Sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificii in ara crucis, & semel mortuus Christus in cruce est, ibiq; immolatus est in semetipso, quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel. ut docet Augustinus & Ambrosius,* (quorum dicta in c. Semel Christus, & c. In Christo. dist. 2. de Consecrat. paulo ante sunt adducta.)

Thomas p. 3 q. 83. art. 1. ad quæstionem, *Utrum immoletur Christus proprie in Eucharistia?* respondet negando. *Celebratio*, inquit, *hujus Sacramenti imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio, & ideo celebratio hujus Sacramenti dicitur Christi immolatio.*

(Congruunt hæc dictis Augustini Epist. 23. *Nonne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur. Nec utiq; mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque ipsarum rerum nomina accipiunt.*

Lib. 10. contra Faustum c. 2. *Quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii, in quo caro Christi post assumtionem per Sacramentum memoriæ celebratur.*)

Idem Thomas part. 3. q. 83. artic. 1. etsi, quantum ad effectum Missæ sentiat, *homines participes fieri fructus Dominicæ passionis*, adeoq; hoc respectu *Christum in cœna immolari*: tamen quantum ad formam solum, dicit *esse imaginem repræsentativam passionis Christi, quæ est vera immolatio.* Atq; hanc sententiam confirmat ex Augustino q. 3. ad Simplician. utente similitudine illa picti Ciceronis & Salustii; & Ambrosii Commentario in Epist. ad Hebræos.

Quam Thomæ doctrinam Johannes Hoffmeisterus in Judicio de hoc articulo in Harmonia Fabricii fol. 412. proponit *ut sententiam omnium Scholasticorum.*

Similia occurrunt apud Bielem lect. 85. in Canon.

Johan. Altensteig in Lexico in verbo, Missa. *Ipsa hostia sacra Missa vocari potest, quia transmissa est primum, scilicet à Patre nobis, ut nobiscum esset, postea à nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet. Primum à Patre nobis per incarnationē, postea Patri nobis per passionem: modo in Sacramento per passionis ejusdem cōmemorationē.*

Idem in verbo, Sacrificium. *Sacrificium propriissime acceptum dicitur, q. sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis, & hoc solum convenit Sacramento altaris & novæ legis.*

Beatus Rhenanus in argum. libr. Tertulliani ad Martyres. *Id est, quod Tertullianus vult, ni fallor, cum dicit sacrificia offerri pro Martyribus significans, pro commemoratione eorum. Nam id prioris loci mox citati verba aperte continent, ut ex Augustino constat lib. de Virginit. ubi ait: Martyres ad Sacramenta altaris recitari fuisse preces gratulatorias, quibus gratias agebant Deo, quod Martyribus eam gratiam contulisset.*

Johannes Ferus lib. 4. in Matth. c. 26. p. 225. *Eucharistia dicitur sacrificium, quia est memoria veri illius sacrificii in cruce peracti.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis concion. in Epist. festi D. Nicolai pag. 35. *Quod Missa sit & dicatur sacrificium haud novum est, nec nuper inventum, sed ultra mille annos in Ecclesia usitatum, quemadmodum omnium orthodoxorum, eorumq; vetustissimorum Patrum monumentis abunde satis constat. Quapropter nec nos temere id rejiciemus, quin expendemus potius, quare appelletur sacrificium & quale sit. Hoc si fecerimus probe, citra dubium videbimus, Missam non pugnare cum sententia Paulina, sed omnino convenire. Ut autem hoc eo magis elucescat, observandum erit nobis discrimen aliquod inter sacrificium in cruce oblatum, & sacrificium illud, quod in altari offertur. Nam etsi reipsa utrumq; sit sacrificium, idem Christus, tamen diversa inest ratio & intentio. In cruce enim Christus oblatus est corporaliter, in Missa vero idem offertur spiritualiter. In cruce oblatus est cruentus, in Missa incruentus offertur. In cruce oblatus est mortalis, hic immortalis. Oblatio in cruce pro totius mundi expiatione, reconciliatione & redemtione facta est, oblatio autem in Missa sacrificium est rememorationis, laudis & gratiarum actionis. Nam ibi Christum non rursum crucifigimus, non rursum occidimus, nam cum mortuus sit semel, amplius non jam moritur Roman. 6. non ipsum illic offerimus, tanquam reconciliatorem & expiatorem peccatorum, eo etenim modo semetipsum semel obtulit in cruce oblatione perpetua pro omnibus & in omne tempus efficaci. Si nos autem hac illum ratione offerremus, derogaremus per hoc passionis merito, tanquam imperfecto, quod summum esset piaculum. Sed oblatio, quæ fit in altari, agitur & agetur solummodo in memoriam ejus sacrificii, quod pro nobis Christus obtulit in cruce. Non enim dicit Dominus, Hoc facite in remissionem seu redemtionem peccatorum, sed, Hoc facite in meam commemorationem. Hanc autem commemorationem*

ita

ita peregerunt sancti Patres prioris Ecclesiæ. Circa hoc mysterion Domini nostri mortem, item incarnationem, resurrectionem, ascensionem ad cœlos, regnum suum cœleste, potestatem omnium, ac quicquid est, quicquid nobis factus & passus, quicquid nobis fecit, largitus est, exhibuit, quicquid etiamnum facit, largitur & exhibet, facietq́, & largietur, populus una cum Sacerdote annunciarunt, recoluêre, recelebrarunt, ipsique Domino pro omnibus suis beneficiis gratias egerunt, atq́, adeo semetipsos quoq́, una cum precationibus, laudibus, gratiarum actionibus Deo Patri per Jesum Christum Dominum nostrum obtulerunt, devoverunt totos, & ad omnem obedientiam astrinxerunt. Eo modo & nos sacrificium hoc rememorativum laudis & gratiarum actionis peragere debemus, tum non erit periculum, quod simus derogaturi sacrificio illi crucis. Quando igitur Patres dicunt simpliciter, quod Christus ipse, sive ejus corpus & sanguis in hoc sacro officio offerantur, per illa verba intelligunt, quod Christus illic annuncietur, nobisq́, corpus suum & sanguis in cibum & potum distribuatur. Quando vero addunt, quod Christus in hoc sacrificio offeratur, id nimirum innuunt, quod in Missa Deo Patri gratiæ agantur, quod Filium suum unigenitum & cum illo omnia nobis donaverit, quodq́, ob id per Filium ipsum invocemus, ut nobis ejus passio & meritum misericorditer applicetur. Cum itaque in hujus Sacramenti actione Christus æternum illud sacrificium pro peccatis nostris oblatum, annuncietur, distribuatur & sumatur, atq́, ita compleatur, quod omnia Veteris Testamenti sacrificia præfigurarunt, Ecclesia quoque Christi illic sese per Servatorem Jesum Christum Deo Patri offerat, ac exhibeat sacrificiis laudis, obsecrationis & gratiarum actionis pro omnib. non mirum sane est, nec inconveniens, quod Missa sit & dicatur sacrificium, atque ea ratione tantum abest, ut deroget oblationi in cruce factæ, ut etiam magis eam deprædicet & illustret.

Ipse Canon Missæ Romanæ non verum sacrificium, sed memoriam & repræsentationem duntaxat sacrificii jam peracti supponit, sic enim consecratis jam mysteriis Presbyteri precantur: *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ.* Patet hinc, sacrificium in cœlo peragi, non in terris, quatenus Deo Patri offertur mors & passio ipsius dilecti Filii *per commemorationem.*

(Bellarminus lib. 4. de Euchar. c. 14. respondet, *Illis verbis orari, ut sacrificium, quod visibiliter offertur manibus Sacerdotis, offeratur in cœlo invisibiliter per manus Christi.* Atqui ut in sacrificio Christiano nulla alia est hostia, nisi ipsum reale & substantiale Christi corpus: ita nullus est alius verus Sacerdos nisi ipse Christus. Ergo hoc sacrificium semel factum in cruce, & postea jugiter per commemorationem fit in cœlo invisibiliter, dum Christus Patri pro nobis offert suas præteritas passiones, tunc præsertim, quando nos sacris mysteriis vacamus, & hoc est *sacrificium incruentum*, quod in cœlo peragitur.)

Georgius Cassander in Consult. art. 24. cap. de Sacrificio corporis & sanguinis Christi p. 998. *Ecclesiæ ministri idem illud corpus Christi ex ipsius mandato quodie offerunt, per mysticam repræsentationem & commemorationem sacrificii semel peracti, cujus sacrificii perpetuam victimam in cœlis ad dextram Patris assistentem, in Sacra mensa præsentem habent, per quam Deo Patri supplicant, ut virtutem & gratiam hujus perennis victimæ Ecclesiæ suæ ad omnes corporis & animæ necessitates efficacem & salutarem esse velit.*

pag. 999. *Non igitur hic novum est sacrificium. Nam & eadem hic est hostia, quæ in cruce oblata fuit, & sacrificii illius in cruce peracti in mysterio commemoratio, & continuati in cœlis Sacerdotii & sacrificii Christi in imagine repræsentatio, quo non efficitur nova propitiatio & remissio peccatorum, sed ea, quæ semel sufficienter in cruce facta est, nobis quoq́, efficax esse postulatur. Itaq́, veteres in hoc mystico sacrificio non tam peracta semel in cruce oblationis cujus hic memoria celebratur, quam perpetui Sacerdotii & jugis sacrificii, quod quotidie in cœlis sempiternus Sacerdos offert, rationem habuerunt. cujus hic imago per solennes Ministrorum preces exprimitur &c. De modo sacrificandi, qui fit per commemorationem, notum est illud Ambrosii seu Chrysostomi in 10. ad Hebr. In Christo semel oblata est hostia, ad salutem potens Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? etsi quotidie offerimus, ad recordationem ejus mortis fit.*

Capite de Iteratione, pagina 1000. citat & approbat dictum Lyrani in capite 10. ad Hebr. *Illud, quod emundat peccatum, oportet, quod sit cœleste & spirituale, & istud, quod est tale, habet efficaciam perpetuam, & per consequens non est reiterabile. Hoc autem est dicendum de oblatione Christi ratione Deitatis adjunctæ, & ideo non reiteratur, quia semel facta suffecit ad delendum omnia peccata commissa & committenda. Sed ad hoc diceres, Sacramentum altaris quotidie offertur in Ecclesia. Ergo &c. Dicendum, quod non est ibi sacrificii reiteratio, sed unius sacrificii in cruce oblati quotidiana commemoratio. Propter hoc dicitur Matth. 26. Hoc facite in mei commemorationem, quoniam idem offertur, quod ipse obtulit &c. Dicitur ergo hæc victima pro communi omnium salute offerri, quando non solum pro iis oblata commemoratur, verum etiam solenni prece pro iis omnibus efficax & salutaris esse postulatur. Itaq́, hoc modo sacrificare est preces & gratiarum actiones ad impetrandam virtutem propositæ illius perennis victimæ Deo Patri offerre.*

6. Quod quidam tales ponunt hypotheses, ex quibus Missæ sacrificium evertitur.

Primo, Jacobus à Vitriaco lib. 2. Hist. Occid. c. 36. p. 397. sic scribit: *Forma Sacramentorum à Domino instituta, nihil addendum vel subtrahendum est.*

(Atqui per sacrificium Missaticum additur aliquid formæ hujus Sacramenti à Domino institutæ.)

Secundo, Claudius à Sainctes repetit. 10. de Eucharist. c. 1. *Concedamus Adversariis, quod postulant, de mysteriis & Sacramentis ex eorum institutione optime decerni ac definiri.*

(Jam vero in institutione hujus Sacramenti nulla fit mentio sacrificii proprie sic dicti.)

Tertio, inter requisita sacrificii etiam hoc recensent, *ut sequatur destructio seu immutatio rei oblatæ.*

Bellarm. lib. 1. de Missa c. 2. §. Sed omissa &c. *Sacrificiũ præter oblationem requirit mutationem & consumtionem rei, quæ offertur.*

Lib. & cap. iisd. §. Octavo. *Ad verum sacrificium requiritur, ut id, quod Deo offertur in sacrificio, plane destruatur, ut desinat esse id, quod erat.*

Lib. ejusd. c. 27. § Hæc sententia &c. *Verum & reale sacrificium veram & realem mortem, aut destructionem rei immolatæ desiderat.*

Becanus in Manual. Controv. lib. 1. c. 10. n. 1. *formam ipsam sacrificii* ponit *in destructione vel mutatione rei oblatæ.*

Alanus Cardinalis de Euchar. sacrif. lib. 2. c. 3. monet, *per hoc requisitũ differre sacrificium à simplici oblatione. Nec enim*, inquit, *nisi aliqua mutatio interveniat in creatura Deo oblata, erit sacrificiũ proprie dictum. Sic sacrificia non erant primitiæ, decimæ, primogenita, religiosæ personæ atq́, innumera, quæ in lege Deo consecrabantur. Nec aliud*, inquit, *discrimen excogitari potest, quam quod bona oblata maneant integra, in sua propria specie: quæ autem sacrificantur, non item, sed vere in alias species transeant, cum vel mactata, vel tosta, vel contusa, vel frixa, vel alia aliqua Sacerdotii actione prorsus confecta sunt. Id constat ex omnibus Scripturæ locis, in quibus agitur de sacrificiorum ritibus*, Exo. 29. Levit. 1. 2. & 3.

Similia occurrunt apud Cornelium à Lapide in proœm. c. 1. Levitici p. 604.

(Ex hac hypothesi tale contra Missaticum sacrificium nectimus argumentum: Omnis veri, externi & proprie dicti sacrificii Natura est, ut victima destructivâ quadam mutatione consummetur. At in Missa corpus Christi destructiva quadam mutatione non consummatur. Ergo. Ad hoc argumentum varie excipiunt, sed ea ratione, ut nec aliis, nec sibi ipsis satisfaciant, ut paulo post vidimus.

Quarto, Bellarm. lib. 3. de Pont. c. 13. §. Ratio. *Apostoli in Scripturis nunquam vocant Sacerdotes Christianos, Sacerdotes, sed solum Episcopos & Presbyteros.*

(Ergo etiam non offerunt proprie dictum externum sacrificium, ut V. Testam. Sacerdotes, sed sacrificia eorum sunt spiritualia, æque ut aliorum fidelium.)

Quinto, quod agnoscunt, *post sacrificium Christi in cruce oblatum, nullam amplius dari hostiam.*

Ergo etiam Missa non erit sacrificium.)

Thomas in c. 10. Hebr. super verba, *Ubi est horum*, peccatorum scil. *remissio, non est amplius oblatio pro peccato. Facit Apostolus talem rationem: Quia in N. T. remittuntur peccata per oblationem Christi; ergo in N. T. in quo peccata & iniquitates remittuntur, ut dictum est in autoritate, non est oblatio pro peccato, supple, amplius iteranda, Matth. 9. Non est opus valentibus Medico, sed male habentibus.*

Cajetanus ibid. *Hoc est, quo tendebat autor, quod ex eo, quod in nova lege nova facta est remissio peccatorum per oblationem Christi, jam nulla superest oblatio pro peccatis. Fieret enim injuria oblationis Christi, tanquam minus sufficienti.*

(Bened. Justinianus excipit, *Paulum loqui de expiando peccato eo modo, quo Christus dicitur sustulisse, & hostiam non simpliciter hostiam, sed talem hostiam intelligere.* Atqui in tota Scriptura duplicis tantum expiationis & hostiæ fit mentio, quarum una typica, realis altera: illa in ritibus Mosaicis, hæc in Christo.)

Sexto, Bellarm. lib. 4. de Euchar. c. 23. §. Probatur igitur &c. sic argumentaur: *Si sumtio utriusque speciei plus gratiæ aut fructus*

ctus spiritualis conferret, quam sumtio unius, id necessario oriretur vel ex Symbolo continente, vel ex re contenta. Non ex Symbolo, quia Symbolum non operatur, nisi per virtutem sibi impressam. Si ex re contenta oriretur, id fieret, vel quia res contenta in utraque specie sunt revera duæ, & qualibet operatur aliquid in anima suscipientis, & hoc dici non potest, cum unus & idem Christus in utraque specie sit: vel quia una res quidem & eadem utraque specie continetur, sed ea bis sumitur, cum sumitur utraq; species, semel autem tantum sumitur, cum una species sumitur. At nec hoc dici potest &c.

(Eodem modo etiam contra Missam argumentari possumus: Si opus est oblatione *cruenta & incruenta*, sique plus fructus & gratiæ spiritualis percipitur ex conjunctione incruentę oblationis cum cruenta, id nasceretur vel ex Symbolo oblationis, vel ex re oblata. Non ex *Symbolo*, quia Symbola ex se nihil operantur, sed tantum ex virtute sibi impressa. Non ex *re oblata*. Id enim fieret, vel quia res oblatæ in utraque oblatione sunt revera duæ ac diversæ, & quælibet operatur aliquid. Et hoc dici non potest, cum unus & idem Christus in utraque oblatione sit, vel quia una res quidem & eadem in utraque specie oblationis continetur, sed ea bis offertur, *cruente & incruente*, quod iterum fieri nequit. Si enim, qui successive duas Missas audit eodem tempore, non majorem gratiam spiritualem percipit, quam qui unam, sequitur, non plus quoque fluere virtutis ex cruenta & incruenta oblatione, quam ex cruenta tantum. At prius verum ex Bellarminiana argumentatione, *Non*, inquit d.l. *augetur gratia vel fructus, quando bis sumitur eodem tempore, quia sumitur per modum unius refectionis, alioqui qui duas tresve particulas sumeret, unam post alteram in eadem participatione mysterii majorem gratiam acciperet, quam qui unam tantum, nam in singulis particulis totus Christus est.* Pari ratione & nos argumentari possumus: Non augetur gratia, quando bina oblatio auditur eodem tempore, quia auditur modo unius oblationis, alioqui qui duas tresve Missas audiret, unam post alteram in eadem participatione mysterii majorem gratiam acciperet, quam qui unam tantum, nam in singulis Missis totus Christus est.)

Septimo, Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 27. §. Oblatio &c. sic disserit: *Oblatio corporis & sanguinis, tertia videlicet pars, quæ sequitur ad consecrationem, ad essentiam Missæ pertinere non potest, proinde neque in ea ratio sacrificii constitui debet. Nam Dominus Christus, quem sacrificii hujus autorem habemus, post consecrationem continuo Sacramentum distribuit ac manducari præcepit. Sic enim ait: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Nullum igitur fuit tempus, in quo Dominus consecratum panem Deo offerre potuerit. Deinde si verum est, quod sanctus Gregorius scribit lib. 7. Epist. 63. solummodo orationem Dominicam Apostolos addidisse ad verba consecrationis, certe nec ipsi faciebant illam oblationem, quam nos post consecrationem facimus. Non igitur illa oblatio ad essentiam sacrificii pertinet.*

(Neve quis excipiat, Bellarminum ex sententia aliorum ut objectionem hæc afferre, notandum, quod subjungat,)

Lib. & cap. iisdem propos. 5. *Oblatio, quæ sequitur consecrationem, non pertinet ad essentiam sacrificii. Probatur tum ex eo, quod Dominus eam oblationem non adhibuit, imo nec Apostoli in principio, ut ex Gregorio demonstratum est: tum ex eo, quod verba hujus oblationis non dicuntur in persona Christi, sed in persona ipsius Ministri & Ecclesiæ &c.*

(Ex illis sic concludimus: Si Christus post consecrationem continuo Sacramentum distribuit ac manducari præcepit, ac proinde nullum fuit tempus, in quo Dominus consecratum panem Deo offerre potuerit. Item, si Apostoli non faciebant illam oblationem, quam Romanenses post consecrationem faciunt, consequens est, oblationem corporis & sanguinis Christi post consecrationem in Ecclesia Romana hodie fieri solitam, nec institutioni Christi, nec exemplo Apostolorum esse conformem. Sed prius concedit Bellarminus. Ergo concedat etiam posterius.)

Octavo, Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 21. ex sacrificiis Veteris Testamenti Missæ sacrificium probare satagit. Ἐπιγραφὴ capitis sic habet: *Probatur sacrificium Missæ ex comparatione legis Christianæ ad Mosaicam.*

In cap. ipso §. Altera ratio. *Alia ratio principalis ducitur à collatione Ecclesiæ & Synagogæ, sive legis novæ & veteris: populi Christiani & Judaici. Est autem hæc ratio: In populo Judaico fuerunt sacrificia proprie dicta. Ergo & in populo Christiano esse debent.*

(At hæc ratiocinatio potius tollit sacrificium Missaticum, quia figuræ Veteris Test. in Novo sunt sublatæ. Proinde præter unicum sacrificium in ara crucis à Christo oblatum, quod sacrificia Veteris Testamenti præfigurarunt, nullum amplius in Novo Test. habemus sacrificium externum proprie dictũ.)

7. *Quod variis modis dissentiunt, sibiq; invicem contradicunt, qui* Missaticum sacrificium propugnant.

(Quodcunque enim dogma laborat perpetuis contradictionibus, non potest esse verum & Scripturis conforme.)

Primo, non conveniunt de nomine Missæ.

1. Suarez in p. 3. Thom. Disp. 74. sect. 3. *Quidam existimant esse vocem Græcam, ut Covarruvias.*

Genebrardus Liturg. cap. 3. subindicat *factũ* ἀπὸ τῆς μυήσεως *paucis mutatis.*

(Sed hanc opinionem refellit Suarez d.l. *Non est*, inquit, *verisimilis opinio, quia nullum ejus vocis fundamentum in Græca lingua reperitur, unde neque usum ejus in Græcis Patribus legimus.*)

2. Petrus Cotonus in Discurs. de sanctiss. & augustiss. Sacrament. sacrificio, Zacharias Boverius Exam. fidei Lutheranæ & Calvinianæ Censura 13. deducunt ex Hebræo Deut. 16. v. 10. *Facies solennitatem hebdomadarum Domino Deo tuo,* מסת *oblationem spontaneam manus tuæ.* Confirmant ex eo, quod, teste Durando lib. 3. Rational. cap. 1. *Missa celebrata fuerit Hebraice plusquam centum annis à tempore Apostolorum usq; ad tempora Adriani Imperatoris, quo tempore Græce celebrari cœpit. Non est autem verisimile, toto illo tempore fuisse absq; nomine.*

Baronius Ann. 34. num. 59. *Nomen Missæ ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata legitur Deut. 16. spontanea oblatio, Hebraice ac Chaldaice dicitur Missa, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua & vescebantur in templo cum recordatione præteritæ servitutis & ab eadem liberationis, quæ quidem omnia, cum optime conveniant prædicto à Christo instituto sacrificio, eo potius majores nostri usi sunt nomine, quam cujusvis alterius sacrificii.*

Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicensis præfat. in Litan. cap. 4. p. 7. *hallucinatos & rerum potius, quam verborum pietatis, quam eruditionis magis studiosos esse ait, qui Latinis originẽ vocis Missæ adscribunt, cũ in Hebræa literatura potius sit quærenda.*

Martinus Atzpilcueta Navarrus in Manuali cap. 35. num. 111. pag. 846. *Nec dictio Missæ est nove, ut nonnulli ajunt, ficta, sed deducta olim ex Hebræo à Patribus & Chaldæo Missach Deut. 16. quod oblationem spontaneam significat.*

Salmero tom. 9. tract. 28. pag. 213. *Si Missæ & ratio peragendi mysterii à B. Jacobo Apostolo Hebræo primum tradita est, mirum esse non debet, si illi nomen Hebræum indiderit Missæ.*

Idem statuunt Antonius Demochares Monchiacenus lib. 2. de Missa cap. 1. Genebrardus lib. de lit. Apost. cap. 7. Rutlandus in loc. Theolog. p. 86. tit. 8. Frater Meurisse Franciscanus in tractatu de nomine Missæ adversus Franciscum Oyseum &c.

Sed Sainctes Pagninus monet, vocem Missah Deut. 16. v. 10. non significare *oblationem*, sed *sufficientiam*, hoc est, prout ferunt cujusq; facultates, id quod confirmãt verba sequentia.

Inde Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1. sic scribit: *Non videtur Apostolis in usu fuisse hoc vocabulum Hebraicum, multoq; probabilior est eorum sententia, qui docent, Missam esse vocem Latinam &c.*

Ibid. *Si vox ista Hebraica in usu Apostolis fuisset, certe retinuissent eam etiam Græci & Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes voces, ut Amen, Allelujah, Sabaoth, Osanna, Sabbatum, Pascha. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt, cum ipsi etiam Apostoli & primi Ecclesiæ Doctores Græce scripserint. Porro apud Græcos nulla est mentio hujus vocis Missa.*

Et post. *Syri & Maronitæ, qui Chaldaica lingua celebrant divinum sacrificium, non habent Missæ vocabulum. Et tamen si Hebraica vox apud ullos conservari debuit, apud eos maxime. Adde, quod viri docti linguæ Hebraicæ Origenes, Epiphanius, Justinus, Hieronymus hac vocẽ nunquam utuntur, quod merito admirandum videri posset, si ea vox esset Hebraica,*

Vasquez in part. 3. Thom. Disput. 221. cap. 1. *Probabilius multo est, vocem nullo modo Hebraicam esse, aut ab Hebraica derivatam.*

Ibid. refellit Sanctesium, inter cætera sic scribens: *Si vox hæc Hebraica esset, aut ab Hebraica derivata, eam omnes Christianæ nationes, sicut alias hujusmodi retinuissent, quales sunt Amen, Alleluja, Sabbaoth. Nam & Græci his omnibus utuntur, voce autem Missæ non item: Sed pro Missa* Λειτουργίαν *vocant. Et quod caput est, Syri & Maronitæ, qui Chaldaica lingua Missam celebrant, vocem Missæ non habent.*

Matthæus Galenus Professor Duacensis in Catechismo à Croquetio edito, Catechesi 91. monuit sodales suos; *non esse somnian-*

somnianuum, *ab Hebr.* מַס *ductum Missæ Christianorum nomen, eamq; deducendi rationem propterea libentius nos fugere debere, quod tributi originatio, quæ in* מִסָּה *atq; aliis à* מסס *derivatis est, exposita videtur hæreticorum calumniis.* Concludit etiam, *aliunde ab Hebræo vocabulo derivatum id nomen credendum non esse quia tunc Servator potius appellasset vel cum Mose* זבח *id est, sacrificium, vel cum Davide* תּוֹדָה *id est gratiarum actionem, vel cum Malachia* מגש *i. e oblationem, vel* מִקְטָר *id est, suffitum, vel denique* מִנְחָה *id est, oblationem, quam hac voce* מִסָּה *tam obnoxia calumniis hæreticorum &c.*

Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 37. *Quanquam præclari quidam hujus ætatis Scriptores ex Hebraismo extorquere malint, cogit me tamen veritatis amor, candide, quod equidem sentio, in medium adferre, quò simplex rei veritas orbi proposita, majorem sui amorem, accuratiusq; indagandi studium apud Philomusos excitet. Missa igitur, cum apud Theologos Græcos, aut ullos alios, quod equidem meminerim non legatur, mirum, cur ex Hebraismo ejus originationem repetimus altius. Sane, si à priscis religionis nostræ autoribus fuisset usurpata, ejus profecto aliquod extaret in omnibus omnium linguarum sacrificiis vestigium.*

Suarez d. l. *Hanc opinionem suspectam facit* (inquit, etsi alioquin *probabilem* dixisset,) *autoritas negativa Patrum Græcorum & Syrorum, qui nunquam ea voce usi sunt, cum tamen soleant frequenter uti illis vocibus Hebraicis, quas Ecclesia Latina retinuit.*

Similia occurrunt apud Tannerum in partem 3. Thomæ Disp. 5. quæst. 9. num. 3. Estium in 4. sent. dist. 12. §. 14. Azorium tom. 1. Instit. lib. 10 cap. 18. Maldonatum tom. 1. de Sacram. pag. 335. Salmeronem tom. 16. in Epist. ad Canisium fol. 390. qui omnes originationem vocis Missæ Hebræam explodunt.

3. Quidam rectius statuunt, esse *nomen Latinum*, sed illi iterum in diversas abeunt sententias.

Nam 1. quidam Missam dici volunt, *quod oblatio & preces ad Deum mittantur.*

Ita sentire Hugonem de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. ult. ait Bellarminus, quod refert & probat Richardus de media villa lib. 4. sent. dist. 13. q. ad literam.

Ita sentit Magister sententiarum lib. 4. dist. 24. lit. M. *Missa dicitur, quia Missa est hostia, cujus commemoratio fit in illo officio. Unde dicitur, Ite, Missa est, id est, sequimini hostiam, quæ missa est, ad cœlestia tendentes post eam.*

Ita sentit Durandus de S. Portiano l. 4. Ration. divin. offic. rubr. 1. *Quod usitatius, inquit, est, Missa dicitur quasi transmissa, eò quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui vice Mediatoris inter Deum & homines, id est, vice Christi fungitur, preces supplicationesq; ac vota Altissimo transmittit.*

Angelus de Clavisio in Summa Angelica de Casibus conscient. in voce Missa, *Missa secundum Hugonem de S. Victore dicitur, quasi transmissa, eò quod populus per ministerium Sacerdotis, qui Mediatoris vice fungitur in Deum & homines, preces, vota & oblationes transmittat Deo.*

Sed Estius l. proxime citato hanc etymologiæ rationem judicat esse frivolam. *Alii, inquit, ut Hugo de S. Victore & Magister sententiarum dictam putant Missam, tanquam hostiam à Sacerdote in cœlum transmissam &c. Verum hujus derivationis fundamentum nullum extat apud veteres.*

2. Quidam vero Missam dici volunt, *quod Angelus à Deo mittatur, qui sacrificio assistat, & ad Deum illud deferat.*

Hos minus probabiliter sentire censet Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1.

Ita tamen sentit Lombardus lib. 4. sent. dist. 13. lit. A. *Missa* inquit, *dicitur, eò quod cœlestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat juxta dictum Sacerdotis dicentis: Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli in sublime altare tuum. Idcirco, nisi Angelus venerit, Missa nequaquam jure vocari potest.*

In quem Lombardi locum Bonaventura sic commentatur: *Cœlestis iste missus sicut exponit Innocentius, est magni consilii Angelus. Iste, inquam, mittitur ad consecrandum, quia iste est Sacerdos invisibilis, qui consecrat & conficit hoc Sacram. ubicunq; conficiatur.*

Ita quoq; sentit Thomas p. 3. Summ. q. 84. art. 4. resp. ad 9. *Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem: vel, quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Unde in fine Missæ in festivis diebus Diaconus populum licentiat, dicens: Ite Missa est scil. hostia ad Deum per Angelum, ut scil. sit accepta Deo.*

Ita sentit Durandus d. l. *Missa, inquit, significat Angelum, qui mittitur, ut per ejus manus offeratur hostia in sublime altare Dei,*

Ita sentit Richardus de Media villa lib. 4. sent. dist. 13. quæst. ad lit. *Dicitur Missa, quod cœlestis missus, id est, Angelus adveniat ad consecrandum, non ut consecret, sed ut Sacerdoti consecranti assistat, nec intelligendum, quod tantum mittatur unus Angelus, sed magna multitudo Angelorum.* Addit autem. *Vel Missa dicitur, quod per transsubstantiationem substantiæ panis & vini in corpus Christi & sanguinem incipit sub utraque specie totus esse Christus, quasi de novo esset missus.*

Ita sentit Bandinus lib. 4. sent. dist. 14. pag. 61. *Missa dicitur, quod missus cœlestis, id est, Angelus ad consecrandum corpus Dominicum adveniat.*

3. Tandem communissima & verissima sententia est, *Missam dici à missione, sive dimissione populi.*

Ita sentiunt Ferdinandus Ponzetus Cardinalis lib. 4. de Euch. tract. 1. cap. 3. Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 1. Julius Cæsar Bulengerus defensor Baronii contra Casaub. diatrib. 3. ad cap. 58. p. 24. hac parte contra Baronium, Ægidius Conincius Jesuita lib. de Sacram. q. 83. art. 1. dub. 2. §. Sed his &c. pag. 303.

B. Rhenanus in Epistola ad Hoffmeisterum, (quam recitat Flacius in Refut. Invect. Bruni pag. 155. docet, *Missam à dimissione dictam; ac ex veterum testimoniis* ostendit, *duplicem olim dimissionem in Eucharistiæ celebratione fuisse usitatam, primum Catechumenorum*, (Pœnitentium. Energumenorum, Desertorum &c.) *ante celebrationem, deinde omnium fidelium, sive totius populi post celebrationem.*

Estius d. l. *Illorum maxime nobis probatur sententia, qui Missam tanquam missionem, id est, dimissionem dictam volunt.* (Quod confirmat ex Cypriano, Regula Benedicti & Cassandro.)

Sic enim disserit Georgius Cassander in Consult. art. 24. de Missa pag. 994. *Antiquissima omnium Ecclesiarum, atque inprimis Romanæ Ecclesiæ consuetudo fuit, qua voce Diaconi post Evangelii lectionem non communicantes mittebantur, h. e. abire jubebantur, in quo solenni ritu, quo primum Catechumenis & non communicantibus ante consecrationem, & postea fidelibus post consecrationem & participationem Missa seu missio denunciabatur, Missæ nomen in vulgus obtinuit.*

Similia adducentur inferius cap. 2. membr. 5. n. 3.

(Hæc postrema sententia maxime probabilis est.)

Huc referri potest, quod quidem *ex ipsa voce Missæ* probare volunt, *Eucharistiam esse sacrificium.* Deducunt enim ab Hebræa voce מִזְבֵּחַ *altare, sive locum sacrificii* denotante, quod faciunt Autores Confutationis Augustanæ articulo de Missa.

Sed quia vocis hujus Latina origo rectius quæritur, ut Missa dicatur *à dimissione Catechumenorum &c. ante Eucharistiæ administrationem; & populi post Eucharistiæ administrationem*; inde Pelantius in 3. p. Th. quæst. 83. art. 6. Disp. 1. Didacus Nugno ibid. dub. 1. & 2. atq; alii recentiores probationē sacrificii non quærunt *in voce Missæ*, sed simpliciter quærunt, *an id, quod dicitur Missa, sit verum sacrificium?* Vasquez initio Disput. 221. in part. 3. Thom. quæst. 83. &c. Gregorius de Valentia diserte protestatur lib. 2. de Missæ sacrif. contra D. Heerbrandum cap. 4. f. 819. opuscul.

Secundo, Concilium Tridentinum sess. 2. cap. 2. statuit, *Missam esse sacrificium vere propitiatorium.*

Sed quidam ex Pontificiis vocem sacrificii de Missa usurpatam, dicunt, accipiendam esse *de applicatione unius sacrificii propitiatorii à Christo in ara crucis oblati*, unde Rayhingius in Enchir. Cathol. contra D. Höe pag. 775. vocat *applicative propitiatorium sacrificium.*

(Atqui esse applicationem sacrificii propitiatorii, & esse sacrificium propitiatorium, plurimum differunt. Si in Missa fit duntaxat applicatio propitiatorii sacrificii, non erit propitiatorium sacrificium.)

Tertio, Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 8. §. ultimo, Missam solis traditionibus niti asserit, sic enim scribit: *Accedat postremo dignitas mysteriorum multorum, quæ silentium requirunt, nec decet, ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda mysteria Missæ non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem scripto tradere?*

(Eccur ergo non solum alii Pontificii, sed etiam Bellarminus ipse *ex Scripturis* Missaticū sacrificium probare satagunt?)

Quarto, plerique Pontificii statuunt, *Missam esse sacrificium externum, visibile, proprie sic dictum, adeoq; propitiatorium sacrificium.*

Sed Gropperus in Instit. & in Antididagm. Colon. Georgius Wicelius, Sidonius, architecti Formulæ Interreligionis sive libri Interimistici *Missam tantum pro repræsentativo & commemorativo sacrificio habendam esse* docuerunt.

Quinto,

Quinto, non conveniunt invicem, *in qua actione essentia sacrificii consistat.*

Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 27. §. Hinc patet. *Improbabilis est sententia Gasparis Cassalii, qui lib. 1. de Sacrificio cap. 20. affirmat, duo esse sacrificia Eucharistiæ, unum panis & vini, alterum corporis & sanguinis Domini.*

Ibid. propos. 8. *Quomodo consecratio Eucharistiæ ad essentiam sacrificii pertineat, non omnes eodem modo exponunt.*

Aliqui existimant, ideo in consecratione consistere sacrificii essentiam, quia per consecrationem fit vera, realisq; mutatio panis in corpus Christi, sacrificium autem verum requirit ejusmodi veram & realem mutationem, qua res desinat esse ad Dei honorem. Sed hæc sententia habet contra se non levia argumenta &c.

Alii volunt, ideo in consecratione sacrificii essentiam consistere, quod per eam vere, licet mystice & incruente, immoletur Christus &c. Hæc sententia non videtur ita satisfacere, ut omnino animus conquiescat.

Ipse postea rem sic explicat: *In consecratione Eucharistiæ tria sunt, in quibus sacrificii veri & realis ratio consistit, Primum, res prophana fit sacra, panis enim, res alioqui terrena & communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, rem videl. omnium sacratissimam. Secundo, in consecratione res illa sacra ex prophana effecta Deo offertur, dum in altari Dei collocatur. Tertio, per consecrationem res, quæ offertur, ad veram realem & externam mutationem & destructionem, ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificii. Nã per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi, cibus autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur.*

(Cui opinioni fortissime refragatur, *quod corpus Christi nullam in se læsionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia.* Bellarminus frigide respondet, *corpus Christi amittere esse Sacramentale,* illa namque desitio esse Sacramentalis, nondum inducit realem & externam mutationem & destructionem, quam ad externum & proprie dictum sacrificium Bellarminus agnoscit esse necessarium.)

Pesantius in 3 Thom. quæst. 83. artic. 6 Disput. 2. §. Mihi verò &c. sententiam Casalii itidem vocat *improbabilissimam. Ipse vero, quatuor opiniones recenset, in quo consistat essentialis ratio Missæ,* suamque addit quintam, *quod consistat in consecratione & oblatione,* Disp. 3.

Azorius *septem opiniones* recitat tom. 1. lib. 10. Instit. cap. 19.

Vasquez in part. 3. Thom. Disput 122. cap. 1. negat, *essentiam sacrificii consistere in verbis offerentibus, sive fractione, sive consumtione.*

Nugno Cabezudo in 3. Thom. quæst. 83. art. 1. diffic. 2. dub. 3. refellit Suarezium, Canum &c. ac tandem constituit *rationem sacrificii in Individuo quodam vago.*

Sexto, Bellarminus d. l. quinque argumentis probat, *essentiam sacrificii consistere in consecratione, per quam panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transmutantur.*

Primo, quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi, nihil autem facit Sacerdos tam perspicue in persona Christi, quam consecrationem, in qua dicit, Hoc est corpus meum.

Secundo, quia Christus ipse aut consecrando & consumendo sacrificavit, aut nullo modo sacrificavit. Nam non est alia Christi actio, quæ sacrificium dici possit, aut ante, aut post consecrationem.

Tertio, quia Apostoli initio, si nihil addebant ad verba consecrationis præter Dominicam orationem, necesse est, ut consecrando sacrificarent. Neque enim Oratio Dominica sacrificium dici potest.

Quarto, quia in consecratione consistit repræsentatio sacrificii crucis, ut S. Thomas docet part. 3. quæst. 80. art. 12. ad 3. At simul esse debent sacrificium reale & sacrificium repræsentativum, siquidem ipsum reale est alterius repræsentativum.

Quinto, quia hæc est sententia veterum Patrum &c.

Sed hanc opinionem Vasquez tom. 3. in 3. part. Disp. 122. c. 6. n. 5. & 6. quatuor argumentis refellit:

Primo, si in hac conversione ratio sacrificii consisteret, non tam Christus, quam vinum ipsum & panis in sacrificium offerri diceretur, quod est absurdum.

Secundo, si sacrificium Missæ & crucis, quod attinet ad rem oblatam, non esset idem, nec pauciora in Ecclesia erunt sacrificia, quam in lege veteri, cum diversi panes & vina quotidie immolarentur.

Tertio, non minus incruentum esset Christi sacrificium in Eucharistia, licet conversio panis in corpus & vini in sanguinem Christi non fieret, quæ modo est. Ipsa igitur conversio panis & vini ad rationem sacrificii incruenti non pertinet.

Quarto, mutatio rei, quæ in sacrificium offertur, & ad rationem sacrificii spectat, talis esse debet, ut sit sensibilis. Sacrificium enim est sensibile signum potentiæ Dei, ut autoris vitæ & mortis; conversio autem quæ fit in Eucharistia, non est sensibilis, ad rationem igitur sacrificii pertinere non potest. Hæc omnia Vasquez.

Age vero plenius de varietate opinionum in hac quæstione differamus.

Suarez in part. 3. Thom. Disp. 73. sect. 5. etsi fatetur, *de ratione sacrificii esse aliquam hostiæ mutationem,* contendit tamen, *necessarium non esse, ut mutatio illa sit destructiva rei oblatæ; sufficere, quod circa eam aliquid fiat sacrum.*

Unde idem Disput 75. sect. 5. statuit, *agnum posse sacrificari absque immutatione reali, quam physicam vocat, si aliquid aliud sacrum circa eum fieret, quo censeretur moraliter manere sanctificatus, & ad sacros usus deputatus.* Concludit igitur, *ad sacrificii rationem sufficere rei principaliter oblatæ mutationem moralem, qua ex non deputata divino cultui, jam ei deputetur.*

Sed hanc sententiam refellunt alii Pontificii, quia sequeretur, *eum qui in Sacerdotem consecratur, & templum etiam, cui benedicitur, & calicem similiter immolari & sacrificari, cum aliquid sacrum circa hæc fiat,* ut loquitur Vasquez in part. 3. tom. 3. Disp. 220. num. 19. Contendunt igitur illi contra Suarezium, *ad essentiam sacrificii vere & proprie dicti, non solum requiri moralem hostiæ mutationem, sed talem, ut ex parte rei per ipsum sacrificandi actum, hostia, quatenus sacrificatur, statum accipiat decliviorem & destructionem includentem.* Rationem duplicem afferunt, *moralem unam, mysticam alteram; videlicet, quod hac destructione hostiæ, quasi vice nostri oblatæ, nostram exinanitionem & submissionem profiteamur, respectu divinæ majestatis; & quod eadem destructione hostiæ Christi in cruce sacrificium significetur.* Addunt insuper, *opinionem illam moralis mutationis confundere oblationem in genere dictam cum sacrificio, quæ sæpe distinguit Scriptura Veteris Testamenti & Epistola ad Hebræos.*

Cum ergo Majorem argumenti negare non possint, vehementer desudant in Minore.

Johannes Malderus, Episcopus Antuerpiensis tract. 10. de Justitia & Jure cap. 3. novem opiniones suorum proponit, quas omnes refellere conatur, ne excepta quidem Bellarmini sententia, quam sextam ordine refert. Volebat ille, *in consecratione hostiæ tria fieri, quorum duo ad immutationem hostiæ pertinerent, tertium ad ejus oblationem. Primum est conversio panis in corpus Christi, quod tali conversione rite dicitur sacrificari, quia animalia dicebantur sacrificari, eo quod mortua superessent in sacrificio secundum partem materialem, quasi sacrificari denominet hostiam, ut substat termino sacrificationis. Alterum est exhibitio corporis Christi, quæ oblatio est, quia fit in altari, ut jam res oblata ordinata intelligatur ad veram, realem & externam mutationem & destructionem, exhibetur enim corpus Christi in forma cibi, & sanguis in forma potus.*

Malderus respondet primo, *non dici sacrificari, quod remanet residuum post mutationem sacrificalem, sed quod talem mutationem subit. Corpus autem Christi non patitur illam panis mutationem.*

Secundo dicit, *oblationem subjecto non distingui à destructione sacrificali, sed in ipsa destructione esse saltem semper aliquam oblationem,* quod est contra sententiam Bellarmini, qui subjecto videtur ea distinguere, *mutationem statuens in pane, oblationem vero in exhibitione corporis Christi sub specie panis.*

Tertio addit, *parum videri referre, quod sub ea forma exhibeatur corpus Christi, nempe in forma cibi, & sanguis in forma potus, quia destinatio ad comestionem non est ipsa destructio, sed potius destinatio ad destructionem, ac proinde Bellarminum non explicasse, quomodo in consecratione sacrificetur corpus Christi, sed quomodo ad sacrificium subsecutum destinetur.*

Rejecta igitur Bellarmini & reliquis octo aliis Pontificiorum opinionibus, quas sibi non satisfacere dicit, ipse probabilius existimat, *substantialem sacrificii Missæ mutationem in eo potissimum sitam esse, quod Christus Dominus, qui naturaliter homo vivus est, cibo potuiq; idoneus, nisi occidatur; in hoc Sacramento, quasi iterum mortuum accipiat esse, in quo jam, tanquam occisus comedi, & sanguis ejus possit potari, quod sacrificii veri rationem habet, quamvis non realis immolationis, quia immolatio ex usu vocis dicit cruentam sacrificationem.*

Atqui primo Malderus ipse hanc suam opinionem vocat *tantum probabilem.* Ergo non præbet firmum fidei fundamentũ.

Secundo. Si mutatio illa realis non est, utique etiam in Eucharistia non est verum, proprium & reale sacrificium, sed tantum sacrificii in cruce repræsentatio, quia in omni sacrificio proprie dicto requiritur realis mutatio. Illa quasi occisio & illud esse quasi mortuum non potest intelligi, nisi *significativè*

ficative ac præsentative. Dicit quidem, *Christum pati quodammodo in Sacramento, quod in cruce passus*, sed illud quodammodo & in Sacramento, ostendit, sacrificium non fieri, nisi quodammodo & in Sacramento, adeoq; esse sacrificii repræsentationem.

Tertio. Aut reale, quod statuunt, sacrificium erit accidentium, quia nihil aliud juxta ipsorum hypothesin remanet, quod immutetur ac destruatur: aut si velint esse reale & externum veri corporis Christi sacrificium, vera, non mystica immolatio & vera immutatio corporis Christi gloriosi erit statuenda.

Alii respondent, *etsi non destruatur corpus Christi, quod jam est impatibile, tamen vere destrui destructione Sacramentali, quia per destructionem specierum cessat esse, ubi fuerat.*

At primo hac ratione Deus ipse immutaretur ac destrueretur, cum cessat esse, ubi fuerat per destructionem rei, in qua erat, aut ejusdem annihilationem.

Secundo, quicquid sit, specierum mutatio non potest esse mutatio hostiæ, nisi species, hoc est, accidentia pro sacrificii Missatici hostia accipiantur.

Vasquez, refutatis aliorum sententiis, hanc excogitavit responsionem, *sacrificium aliquod esse absolutum, aliquod autem esse relativum seu commemorativum, in quo, quamvis non fiat immutatio rei, quæ hoc modo offertur, reperitur tamen vera significatio & nota divinæ omnipotentiæ, sicut in sacrificio absoluto.*

Atqui Vasquez sibi contradicit, quia sacrificium ipse post alios sic definivit, *quod sit res, quæ per sui mutationem Deo offertur.* Jam autem negat in sacrificio Missæ ullam fieri mutationem rei, quæ offertur, vel ad essentiam sacrificii in universum rei oblatæ immutationem requiri. Ut autem sese specie aliqua ex hoc contradictionis nodo extricaret, excogitavit distinctionem *absoluti & commemorativi sacrificii*, cujus commemorativi sacrificii fatetur exemplum nullum aliud esse, vel fuisse unquã, præter sacrificium Eucharisticum, id est; excogitavit rationem formalem sacrificii, non quæ unquam alias à quoquam exposita fuisset, vel in Scriptura fundamentum aut exemplum haberet, sed quam putavit præconceptæ suæ opinioni accommodatam, ut nempe *in commemoratione mortis Christi, quæ quidem realis non sit mors*, qualem commemorationem mortis Christi etiam nos in Eucharistia agnoscimus, *ipsa res, qua fit commemoratio sit signum, continens rem ipsam, cujus mortis fit commemoratio, etsi viva sit ipsa & gloriosa.* Quo modo vult *Christum, quia in Eucharistia per transsubstantiationem realiter præsens est, etsi non re ipsa & vere, sed in sola figura & similitudine dicatur occidi, re ipsa tamen dici immolari & in sacrificium offerri*, ut loquitur part. 3. tom. 3. Disput. 222. cap. 8. Sed si vel maxime hæc concedantur, quæ Vasquez præsupponit, nunquam tamen vel suis persuadebit, *rem illam, quæ nullo modo in se immutatur, etsi præsens sit, vere & proprie in sacrificium offerri ob repræsentationem mortis præteritæ ejusdem illius rei.* Neque enim apparet, quo modo per Christi vivi & gloriosi præsentiam in Eucharistia significetur, Deum esse autorem vitæ & mortis, qua in re sacrificii essentiam constituit aliis omnibus antea incognitam. D. Rivetus in Cathol. orthodox. tract. 3. q. 19.

Septima dissensio ac contradictio hæc est, quod Missam appellant *sacrificium externum*, & tamen *visibile* dicere nequeunt, nisi ejus victimam, corpus & sanguinem Christi, actu visibilem facere velint. Certe in externo & proprie dicto sacrificio requiritur externa & sensibilis victima.

(Excipit quidem Bellarminus d. l. *corpus Christi non esse victimam in sacrificio Missæ absolute, sed ut est in specie panis, in specie autem panis plane visibile est.* Atqui, si corpus Christi non est victima in sacrificio Missæ absolute, sed ut est in specie panis, quomodo Missæ sacrificium erit idem cum crucis sacrificio, in quo corpus Christi absolute fuit victima? Præterea corpus Christi in specie panis non adest visibiliter, sed invisibiliter. Species panis, cui Sacramentaliter unitum est corpus Christi, est quidem visibilis, sed corpus ipsum interim non adest visibiliter, nisi velimus dicere, corpus Christi dentibus conteri, deglutiri & concoqui, quia species panis dentibus conteritur, deglutitur & concoquitur.)

Octavo, nominant *sacrificium externum*; & tamen dicunt *incruentum.*

(Atqui omne sacrificium rei vivæ externum, est etiam sacrificium cruentum.)

Nono, dicunt, *Christi sacrificium non tantum verbis, sed & simili actione puta Missali sacrificio*, quod tamen idem cum crucis sacrificio sit, *debere repræsentari.*

At si Missa est tantum repræsentatio ac similitudo sacrificii Christi in ara crucis oblati, quomodo identitas sacrificii crucis & sacrificii Missatici, quam Concilium Tridentinum statuit, locum habebit?

Decimo, Rayhingius in Enchirid. Cathol. contra D. Hoe pag. 731. *in Missa* dicit *esse mysticam & spiritualem mactationem & oblationem* (eine geistliche Schlachtung und Opfferung.) Ergo non est vera, externa, corporalis & proprie dicta mactatio, qualis facta fuit in cruce, proinde etiam sacrificium Missæ non est idem cum sacrificio crucis.

Ibid. pag. 730. *Christus, antequam in sacra Cœna manducetur, prius quodammodo* (et licher massen) *mactatur & sacrificatur.*

(Si quodammodo mactatur & sacrificatur. Ergo non vere & proprie.)

Undecimo, Bellarminus lib. 2. de Missa c. 4. propos. 3. consect. 2. sic disserit: *Non res illa, quæ Deo offertur, sed rei illius oblatio proprie sacrificium est. Sacrificium enim est actio, non res permanens.*

Idem tamen in definitione sacrificii lib. 1. de Missa cap. 2. part. 6. dicit, *Sacrificium esse rem aliquam sensibilem & permanentem, ut excludantur à ratione sacrificii proprie dicti actiones transeuntes, in honorem Dei factæ.*

Lib. 1. de Missa cap. 27. §. Respondeo. *Duo aperienda sunt, primo, quid sit proprie sacrificium Missæ, accipiendo sacrificium pro re, quæ sacrificatur. Deinde, quid sit proprie sacrificium Missæ, accipiendo sacrificium pro actione sacrificandi.*

Duodecimo, Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1. §. Ad primum &c. statuit, *sacrificium crucis variis gestibus & actionibus Sacerdotis repræsentari.*

Quomodo igitur erit idem cum sacrificio crucis, & non potius *similitudo sacrificii in cruce peracti?* ut vult Gregorius de Valent. lib. 1. de Missa cap. 3.

Decimo tertio, *Sacrificium crucis fuit meritorium, satisfactorium & impetratorium.*

Sed *Missæ sacrificium proprie est solum impetratorium*, docente Castero in Enchirid. p. 336. & Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 4. prop. 3.

(Quomodo igitur Missæ sacrificium erit unum cum crucis sacrificio?)

Decimo quarto, Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 4. *Sacrificium crucis est sacrificium omnium perfectissimum & ipso sacrificio Missæ præstantius.*

(At si unum idemque corpus obtulit Christus in ultima Cœna, quod postea obtulit in cruce, quomodo præstantius erat sacrificium crucis sacrificio Missæ?)

Decimo quinto, Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 10. *Sacrificium à Deo institutum, à Deo, non à nobis vim suam habet.*

Idem tamen lib. 2. de Missa cap. 4. statuit, *valorem sacrificii Missæ esse finitum.*

(Si Missa accipit virtutem suam à Deo, qui est infinitus, quomodo valor ejus erit finitus?)

Decimo sexto, idem Bellarminus, *qui valorem Missæ & divinum & finitum* statuit, lib. 2. de Miss. cap. 4. *satisfactioni hominis infinitatem aliquam ex parte principii satisfactionis* tribuit lib. 4. de Pœnit. cap. 1.

(Sic ergo satisfactio, quæ est opus hominis, statuitur infinita; sacrificium Missæ à Deo habens virtutem, finitum.)

Decimo septimo, *Valor sacrificii Missæ est finitus;*

Valor sacrificii crucis infinitus. Bellarminus d. l. Gregor. de Valent. lib. 2. de Missa cap. 4.

Alphonsus de Castro lib. 10. adversus hæreses, verbo Missa, hæresi 2. *Prima oblatio, quæ à Christo in cruce facta, est meriti infiniti: Secunda autem, quæ fit à Sacerdote, in Missa est meriti finiti.*

(Quomodo ergo sacrificium Missæ est idem cum crucis sacrificio?)

Decimo octavo, Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 21. negat, *primam redemtionẽ ab omni malo culpæ & pœnæ per Missam obtineri.*

(Quomodo ergo sacrificium Missæ & crucis erit unum sacrificium, cum non operetur unum eundemque effectum?)

Decimo nono, Dicunt, *Christum in Missa esse Sacerdotem & sacrificium.*

Et tamen in canone Missæ sic orant: *Mandes, ut hoc feratur per manus tuorum Angelorum ad summum altare in cœlis.*

Vigesimo, orant, *ut hoc, quod offerunt per manus Angelorum ad summum altare in cœlos deferatur*; & tamen Sacerdos hostiam consecratam, eoq; mediante, corpus Christi manducat, & vinum consecratum, eoq; mediante, sanguinem Christi bibit.

Vigesimo

Vigesimo primo, dicunt, *corpus & sanguinem Christi in Missa offerri*; & tamen orant, *ut Deus hæc dona accepta habere velit*.

(At corpus & sanguis Christi semper sunt Deo accepta.)

Vigesimo secundo, Bellarminus Lib. 1. de Missa cap. 27. & Lib. 2. de Missa cap. 4. disputat, *in crucis sacrificio esse naturale corporis Christi fuisse destructum; in Missa autem ejus esse Sacramentale; ac esse ejus naturale existere nobilius esse Sacramentali*.

(Quomodo ergo unum & idem erit crucis sacrificium?)

Vigesimo tertio, quidam Pontificii statuunt, *quod etiam in una specie sacrificium Missæ consistere possit*, *quodq; non necessario, quoad institutionem Christi, sub utraq; specie celebretur*, ut Alensis, Major, Claudius Sainctes, Becanus &c. unde etiam Innocentius VIII. Norvegis *usum alterius liquoris loco vini* permisit.

Azorius Lib. 10. Instit. moral. cap. 19. fol. 856. memorat, quosdam Catholicos statuere, *vini consecrationem non esse de jure divino, sed Canonico*.

Sed Cajetanus in Thom. p. 3. q. 80. artic. 12. quæst. 1. *sacrilegum* pronunciat *Sacerdotem, qui consecrat panem & non vinum*.

Rayhing. in Enchir. Cathol. contra D. Hoë pag. 801. *probabile esse* statuit, *quod utraque species requiratur*.

Vigesimo quarto, Salmero tom. 9. pag. 235. sic scribit: *Dignitatem & virtutem expiandi, quam habet incruentum sacrificium, totam sibi mutuavit à Christi passione*.

Contra idem Salmero tom. eod. p. 247. *Triplici ratione planum fit, Christi oblationem in Cœna nequaquam ab oblatione in cruce facta, vim suam & potestatem mutuari*.

Vigesimo quinto, in canone orant, *ut Deus accepta habeat & benedicat hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*; & tamen in secreto orant: *Pro animabus famulorum famularumque tuarum hostiam Domine suscipe benignus oblatam, ut hoc sacrificio singulari* (nota singulari) *vinculis æternæ mortis exuti, vitam mereamur æternam*.

Vigesimo sexto, quidam *panis & vini sacrificium Deo offerri* statuit, quidam *Christum sub specie panis seipsum offerre* asserunt.

Vigesimo septimo, Concil. Trident. & ex eo Hagerus Jes. in Collat. Aug. Confess. Conc. Trid. p. 449 *ingentia crimina & peccata per Missæ sacrificium tolli asserit*.

Sed Azorius tom. 1. lib. 10. c. 20. *per calumniam hoc suis tribui* conqueritur, Cassander in Consult. art. de Missa vocat *errorem*.

Vigesimo octavo, multi ex Pontificiis pro stabilienda Missa adducunt *perpetuum Ecclesiæ consensum*.

Sed Platina, Polydorus Vergilius & alii annotant, quibus autoribus singula, quæ in Missa fiunt, accepta sint ferenda.

Vigesimo nono, Missa destruit commentum *purgatorii, satisfactionum & indulgentiarum*. Si enim Missæ etiam defunctis è purgatorio liberandis inservire possunt, quorsum opus satisfactionibus & Indulgentiis?

Trigesimo, Si Missæ sacrificium, quod Sacerdotes hodie offerunt, est idem cum sacrificio, quod Christus in prima Cœna obtulit, quomodo finis Missatici sacrificii poterit esse *repræsentatio sacrificii crucis præteriti*, cum primæ Cœnæ hic finis nequaquam competat, quippe cujus tempore nondum erat facta oblatio in cruce? Si velint dicere, *sacrificium Cœnæ fuisse repræsentationem sacrificii adhuc futuri*, nec cum nostro sacrificio idem erit, nec à Leviticis sacrificiis distinctum, sed eundem cum illis finem habebit.

Trigesimo primo, Bellarminus Lib. 1. de Missa cap. 27. statuit, *in Missa esse unum sacrificium*.

Sed Caspar Cassalius Lib. 1. de Sacrif. cap. 20. *duo sacrificia in Missa statuit*, quem hoc nomine Bellarm. d. l. Azorius Lib. 10. Instit. c. 19. q. 6. Pesantius in Thomam fol. 919. refellunt.

Trigesimo secundo, *Essentiam sacrificii Missæ in quatuor inveniri* ait Melchior Canus Lib. 12 Locor. Theolog. in resp. ad 4. arg. videl. *in consecratione, oblatione, fractione & consumtione*.

Dominicus à Soto in 4. sent. q. 1. art. 1. *tria ad necessitatem sacrificii* postulat, *consecrationem, oblationem, communionē*, quam propter verba Concilii Toletani XII. c. Relatum &c. asserit.

Clichtovæus, Eccius, Roffensis, ponunt sacrificium *in duobus, in consecratione & oblatione*.

Ruardus Tapperus, Caspar Cassalius, & Guilielmus Alanus *essentiam sacrificii in sola consecratione* quærunt, quibus Bellarminus & Suarez assentiuntur. Refert & consentit posterioribus Alphonsus Salmero tom. 9. tract. 29. pag. 223. imo statuit Salmero, *oblationem non esse de essentia sacrificii, nec Christum obtulisse vocali oblatione, & oblationem fieri, ut tantum significetur, quod factum est*.

Trigesimo tertio, *Christum ipsum in prima Cœna obtulisse Patri cœlesti sacrificium pro peccatis vivorum & mortuorum*, quidam ex Pontificiis negant.

Alphonsus Salmero tom. 9. tract. 27. p. 198. *Fuerunt & nostro seculo quidam Catholici, qui pro Ecclesia scriptitarunt, asserentes, Christum non obtulisse, sed bene nostros Sacerdotes offerre*.

Petrus Suavis Lib. 6. Hist. Conc. Trid. pag. 632. *Nonnulli Theologi in Conc. Trident. contendebant, Missam esse sacrificium, quoniam Christus seipsum in Cœna obtulit; quam quidem rationem cum primariam ducerent, ejus fundamentum prius in hunc modum firmabant; quod, cum Scriptura diserte testetur, Melchisedec obtulisse panem & vinum, Christus non esset futurus Sacerdos secundum eum ordinem, nisi ipse quoque ea obtulisset. Tum quia Christus dixit, sanguinem suum in Eucharistia esse confirmativum Novi Testamenti. At sanguis confirmativus Veteris Testamenti in illius institutione fuit oblatus. Unde necessario consequitur, Christum ipsum etiam suum obtulisse sanguinem. Præterea sic argumentabantur: Cum Christus dixit, Hoc facite in meam commemorationē, nisi ille obtulisset, nos certe offerre non valuissemus. Et Lutheranos, dicebant, non alio argumento probare, Missam non esse sacrificium, quam quod Christus non obtulit, itaque periculosam esse illam opinionem, tanquam hæreticæ doctrinæ astipulationem &c. Diversa parte pari asseveratione dicebatur; Christum in Cœna præcepisse, ut post mortem suam perpetua in Ecclesia oblatio fieret, sed seipsum nequaquam obtulisse, quod Natura sacrificii id non permitteret. Atque huic assertioni confirmandæ ajebant, supervacaneam alioqui futuram oblationem in cruce peractam, quandoquidem ea oblatione, quæ in Cœna præcessisset, universum genus humanum fuisset redemtum. Deinde sacrificium altaris à Christo institutum in commemorationem ejus, quod in cruce obtulit: nihil autem commemorari posse, nisi quod est peractum. Ideo Eucharistiam sacrificium esse non potuisse ante Christi in cruce oblationem. Item, neq; Scripturam, neque Canonem Missæ, neque Concilium ullum unquam meminisse, Christum in Cœna obtulisse seipsum. Quæ autem è Patribus adferuntur, ea omnia de oblatione facta in cruce haud dubie accipienda &c. Hæc controversia, non ut solet, multos à paucis, sed tam Theologos, quam Patres in partes prope æquales dissecuit, atque à contentione prope abfuit. Priores enim, quippe præfidentiores, alteram opinionem incusabant uti erroneam, anathema requirentes, quo silentium eis imperaretur, hæreseos damnatis omnibus, qui dicerent, Christum non obtulisse semetipsum in Cœna sub speciebus Sacramentalibus. Alteri contra affirmabant, non esse eam temporum conditionem, ut dogmatis fidei firmamenta quærenda sint à rebus incertis novisque opinionibus ab Ecclesia veteri, nec auditis unquam, nec cogitatis: sed id tenendum, quod ex sacra Scriptura & Patribus liquidum, certumque, Christum videlicet oblationem præcepisse*.

Idem pag. 649. *Episcopus Veglensis in Concilio Tridentino asserebat, Christum non obtulisse seipsum in prima Cœna. Oblato enim sacrificio propitiatorio, si ad expianda hominum delicta illud sufficiat, alterius oblatione nihil opus esse, nisi forte ad gratiarum actionem. Tum, qui in Cœna sacrificium propitiatorium adstruit, huic necessario fatendum, hoc nos sacrificio redemtos, minime autem crucis, cui tamen & Scriptura sacra & doctrina Christiana nostram tribuit redemtionem. Quod si quis dicat, utrumque sacrificium unum idemque esse, sed inchoatum in Cœna & perfectum in cruce, eundem in alia absurda nihilo minora incidere. Hæc enim quodammodo contradicere, principium sacrificii esse sacrificium. Quia, si quis post initium factum desisteret, neque ultra pergeret, nemo esset dicturus illum sacrificasse. Præterea, si Christus Patri non fuisset obediens ad mortem usque crucis, sed in Cœna tantum obtulisset, neminem dicturum, nos fuisse redemtos. Quare ejusmodi oblationem, quia principium sit sacrificii, non sacrificium ideo nuncupandum &c. fatebatur, se absque omni scrupulo Missam vocare sacrificium propitiatorium sed negabat hic sibi satisfieri, ut Christus quovis modo dicatur obtulisse, sed oblationem tantum præcepisse. Nam si Synodus affirmet, Christum obtulisse, tum sacrificium illud vel fuisse propitiatorium, atque ita incurrere in absurda superius memorata, vel non fuisse propitiatorium, atque ita non posse inde concludi, Missam esse propitiatorium, sed contra tenendum, si oblatio Christi in Cœna propitiatoria non fuerit, Sacerdotis in sacrificio Missæ oblationem esse multo minus propitiatoriam. Concludebat, ergo multo tutius esse asserere, Christum solummodo imperasse Apostolis, ut offerrent in Missa sacrificium propitiatorium*.

Idem Petrus Suavis ibid. pag. 643. (in al. edit. pag. 617.) *Quæ inter Theologos fuit controversia, eadem quoque transiit ad Præsules doctrinæ & anathematis conficiendis deputatos, quæ in Congregatione postmodum proponerentur. Cum enim doctrinæ capitibus inserendæ essent probationes, explicationesq; cur Missa sit sacrificium, ut*

quinque

quisque varie afficiebatur, hic unam, ille aliam aut probabat, aut improbabat &c. Granatensis dissidens ab omnibus neque sinebat id dici, Christum obtulisse in Cœna, neque sacrificium instituisse iis verbis, Hoc facite in meam commemorationem. Cardinalis Seripandus alterum ducebat minime necessarium, eoque omittendum, cum sufficiat, Christum oblationem instituisse: sed necesse esse exprimere, quibus verbis institutio fiat, neque præter jam dicta alia reperiri. At Iohannes Antonius Pantusa Episcopus Litteranensis affectibus suis indulgens, rationes omnes decreto inseri postulabat, tam de Melchisedeco & ex Malachia Propheta, quam de adoratione mulieris Samaritanæ, & mensis D. Pauli, & oblatione Christi in Cœna & alias supra allegatas.

Pag.645. (al.672.) *Decreto sic recitato assensum est à Patribus, nisi qua parte Christus seipsum offerre dicitur, cui ab Episcopis tribus & viginti est reclamatum. Erant, qui dicerent, utcunque id verum esse crederent, hujusce tamen nec loci, nec temporis esse, id determinare. Unde suffragia non absque aliqua confusione pronunciata, multis eodem tempore loqui adnitentibus. Ab Archiepiscopo Granatensi factum dissentiendi initium, qui cum in congregationibus assensum non accommodasset, ne in sessione idem factitaret, constituit omnino catui non interesse.*

Contrarium tamen plerique hodie statuunt.

Alphonsus Salmero d.l. pag.104. *Nec illud item est validum, si quis dicat, Christum per alios offerendo, esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, eò, quod per nos tantum, non per seipsum obtulerit in pane & vino. Id enim esse falsum deprehenditur: tum quia otiosa fuisset illa potestas in persona Christi, quæ in actum non prodiisset, sacrificando secundum illum ritum Melchisedech, cum tamen dicatur, Tu es Sacerdos, nimirum in persona tua, at Sacerdotis proprium munus est, offerre dona & sacrificia pro peccato, ut ad Hebræos tradit Apostolus: tum etiam, quia cum Sacerdotis sint munera, docere, exemplo pascere, benedicere Laicis, & denique offerre: si Dominus reliqua omnia, id est, doctrinam, orationem, exemplum per seipsum exercuit, ergo & offerre incruente in pane & vino. Ipse ergo primus, ut Sacerdos secundum ordinem Melchisedech obtulit, & alios offerre docuit, atque hac offerendi potestas continua perpetuo perseverat usque ad judicium, quam per Sacerdotes, ut per administros, exercet.*

Idem statuunt Henricus Henriquez, Ægidius Cönincius & alii Pontificii scriptores.

Trigesimo tertio, *Christum, quoad sacrificium, in cruce non fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech* statuit Gregorius de Valentia Lib.1. de Missa c.4. p.691. *Paterer potius, inquit, cruentū Christi sacrificium in cruce, cujus Aaronica sacrificia magis proprie typus fuerūt, secundū ordinem Aaronis quadantenus appellari.*

Sed Franciscus Turrianus in annot. ad Constitutiones Apostolicas Clementis Romani Lib.8. cap.5. p.124. edit. Antverp. affirmat. Inter causas enim, *quare Apostolus, cum de Melchisedeco tractat, nullam penitus mentionem sacrificii ejus fecerit*, primo loco recenset eam, *ne suspicaremur, in Cœna tantum sacrificasse Christum secundum ordinem Melchisedech, si de sacrificio Melchisedech ex pane & vino meminisset.*

Et postea: *Alia præterea causa fuit, & quidem potissima, quod docendo de sacrificio Christi cruento in cruce secundum ordinem Melchisedech, quatenus in cruce alioqui mortuus, mansit Sacerdos in æternum secundum virtutem vitæ indissolubilis ad similitudinem Melchisedeci, qui sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium, nec finem dierum habens, assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum, docendo, inquam, de sacrificio illo cruento secundum ordinem Melchisedech, simul docebat de sacrificio Christi incruento sub specie panis & vini secundum ordinem Melchisedech &c.*

Bellarminus Lib.1. de Missa cap.6. ait, *proprie loquendo, sacrificium crucis nec secundum ordinem Aaronis, nec secundum ordinem Melchisedeci esse, & fidelibus debere esse compertissimum & certissimū, Christi in cruce sacrificium non esse secundum ordinem Aaronis.*

Trigesimo quarto, Quo minus Apostolus in Epist. ad Hebr. Melchisedecum cum Christo ratione sacrificii panis & vini comparaverit, causam afferunt eam, *quod Apostolus noluerit Iudæis rudibus atque infirmis temere vulgare ea mysteria, quæ arcana erant & sacrosancta.* Bellarm. d.l. Becanus de triplici sacrificio cap.4. p.604: Pererius ad cap.14. Genes. pag.546. &c.

Sed Franciscus Turrianus d.l. Illud ab Hebræis non fuisse ignoratum asserit. *Ratio altera,* (inquit) *quare Apostolus, cum de Melchisedech tractat, nullam penitus mentionem sacrificii ejus facit, hæc est, quia Hebræi, ad quos scribebat, non ignorabant, neque dubitabant de sacrificio Melchisedech ex pane & vino, cum aperte legerent, protulisse panem & vinum, quia erat Sacerdos Dei altissimi, ex quo plane intelligebant, eo modo protulisse, quo erat proprium Sacerdotis proferre, nempe offerendo.*

Similia occurrunt apud Salmeronem tom.9. tract.27. §. Objiciunt p.293. & Riberam in Epist. ad Hebræos c.7. v.64. p.314.

Trigesimo quinto, Quærunt, *an Sacerdos sacrificans divino jure cogatur sumere corpus Christi consecratū? Duæ sunt sententiæ,* Una affirmat, altera negat apud Azorium Lib.10. Instit. c.19. f.857.

Trigesimo sexto, Becanus part.3. Theol. Schol. num.2. de Sacramentis c.25. q.6. §.1. *essentiam sacrificii Missatici statuit non solum in destructione panis & vini, & in adductione corporis & sanguinis Christi ejusque sub speciebus in altari præsentatione; sed etiam in mystica mactatione, quæ fit per consecrationem utriusque speciei.* Sic enim describit mysticam illam mactationem, *quod fiat, quando utraque species consecratur, & vi verborum, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus; corpus & sanguis Christi separantur, & sub diversis speciebus in esse suo Sacramentali constituuntur, atque sic expresse repræsentant cruentum sacrificium incruento modo.*

Sed Bellarminus Lib.1. de Missa cap.27. mysticam illam mactationem refellit, sic scribens: *Velim Missa sit vera & realis Christi mactatio & occisio, vel non sit. Si non sit, non est verum & reale sacrificium Missa, sacrificium enim verum & reale veram & realē occisionem exigit, quando in occisione ponitur essentia sacrificii. Si autem sit, ergo verum erit dicere, à Sacerdotibus Christianis vere & realiter Christum occidi. At hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur.*

Trigesimo septimo, Gregorius de Valentia Lib.1. de Missa cap.4. pag.683. *Etsi sacrificio Cœnæ incruento, cum infinitæ dignitatis fuerit, potuerit Christus humanum genus redimere, quia tamen ad eum effectum illud non ordinavit, necesse fuit, ipsum secundum consilium suum, atque æterni etiam Patris voluntatem in cruce demum integrum precium solvere nostræ redemtionis.*

Cum hac assertione parum congruunt duæ istæ Pontificiorum hypotheses, 1. *Quod Christus sit primarius Sacerdos, qui per sacrificulos Missaticos adhuc hodie sacrificium offert.* 2. *Quod valor Missæ sit finitus.* Si enim sacrificium incruentum, quod Christus in prima Eucharistiæ celebratione obtulit, fuit infinitæ dignitatis, utique etiam illud sacrificium, quod Christus hodie per sacrificulos offert, erit infinitæ dignitatis. Quomodo igitur valor Missæ erit finitus?

Trigesimo octavo, Bellarminus Lib.1. de Missa cap.25. in resp. ad 3. argum. Calvini, quod est; *Hostiam, quæ offertur, occidi & mactari necesse est. Ergo Christus in Missa occiditur rursus,* respondet hoc modo: *Occisio solum requiritur in oblatione rei viventis, & quæ in forma rei viventis offertur. At cum forma sacrificii est rei inanimæ &c. non potest requiri occisio, sed solum consumtio rei illi conveniens, (quæ est manducatio)* unde cap.27. propos.7. ait, *consumtionem Sacerdotis esse partem essentialem, licet non sit tota essentia.*

Contra vero Ægidius de Coninck Jesuita in tractat. de Sacerdot. q.83. artic.1. dub.5. p.312. num.90. ex Francisco Suarezio disp.76. q.5. ait, *consumtionem non esse partem essentialem.*

Trigesimo nono, Idem Ægidius de Coninck d.l. p.313. num.96. *Novæ legis sacrificium totum essentialiter perficitur consecratione, & quidem primario, quatenus per eam corpus & sanguis sub specie panis & vini, quantum est ex vi verborum, separatim ponuntur, illud quasi occisum, hic quasi effusus, atque ita mortem Christi perfectissime repræsentant. Secundario vero, quatenus per eam panis & vinum esse desinunt, quæ, tanquam terminus à quo, ad sacrificium Christi pertinent.*

Sed Bellarminus Lib.1. de Missa cap.27. propos.8. hoc negat. *Quidam* (inquit) *existimant, in consecratione consistere sacrificii essentiam, quia per consecrationem fit vera, realisque mutatio panis in corpus Christi. At si hæc sententia esset vera, sequeretur, in sacrificio Missæ solum panem triticum sacrificari, quod est injurium sacrificio Christi. Id enim proprie realiter sacrificatur, quod mutatur, ut desinat esse. At solus panis mutatur. Id autem absurdissimum esse nemo negare potest, quia si ita esset, haberet Ecclesia sacrificium inanimum, & multo vilius, quam olim habuerunt Hebræi: nec esset idem sacrificium Ecclesiæ & sacrificium crucis.*

Argumenta Adversariorum.

1. *Melchisedecus obtulit panem & vinum Genes.14. v.18. Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec Psalm.110. v.4. Ergo & ipse debuit sub specie panis & vini sacrificare.*

Resp.1. Figuræ nulla vis est in demonstrandis fidei articulis, nisi aliquo perspicuo & manifesto Scripturæ dicto ejus applicatio monstretur, uti suo loco ex ipsis Pontificiis scriptoribus demonstravimus Lib.2. artic.1. cap.3. thesi 4. Jam vero *Missaticum sacrificium, sacrificio panis & vini à Melchisedeco oblato, præfiguratum esse,* nullibi in Scripturis asseritur. Legimus quidem, Melchisedecum *Sacerdotio* suo Christum præfigurasse, sed quod *sacrificio panis & vini* sacrificium Missaticum præfigurarit,

figurarit, nuspiam legimus. Tacite idipsum fatetur Bellarminus, quando relictis Scripturis ad Patres provocat, lib. 1. de Missa cap. 6. sic differens: *Ex figuris dogmata fabricari possunt, quando ex Scripturis juxta communem Patrum consensum intelligitur expositio. Non enim necesse esse, ut semper Scriptura apertissime loquatur; sed satis esse, si ita loquatur, ut communem Patrum interpretationem secuti, sententiam ejus assequamur, alioqui paucissima aut fere nulla essent dogmata certa in Ecclesia. Jam vero Scripturam Psalm. 110. testari, Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, in quo autem consistat ille ordo Melchisedech, Scripturam aperte non explicare. Sed licet Scriptura non aperte dicat, in quo consistat ordo Melchisedech & figura Sacerdotii Christi, tamen ita insinuat & judicat, ut Patres summo consensu in eandem interpretationem inciderint.*

(Atqui Epistola ad Hebræos aperte indicat, in quo consistat ordo Melchisedech & figura Sacerdotii Christi, applicationis autem ad sacrificium Missaticum nullam facit mentionem.)

2. Si sacrificium panis & vini à Melchisedeco fuisset oblatum ad præfigurandum Missæ sacrificium, sequeretur α. CHRISTUM etiam sub *speciebus Aaronicorum sacrificiorum* offerendum esse. Cum enim ideo dicatur sub specie panis & vini offerendus, quia Melchisedech ex ipsorum hypothesi panem & vinum obtulit, cur non ideo quoq; dicetur, Christum hodie sub specie animalium offerendum esse, cum eadem fuerint ab Aaronicis Sacerdotibus oblata, ut Christum repræsentarent? β. Christum esse Sacerdotem non tantum *secundum ordinem Melchisedeci*, sed etiam *secundum ordinem Aaronis*. Cum enim ideo dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech quia juxta typum sacrificii Melchisedeciani panem & vinum obtulit, cur non etiam dicetur Sacerdos secundum ordinem Aaronis, cum in Aaronicis etiam sacrificiis panis & vini usus fuerit? γ. *Transsubstantiationem* in Eucharistia esse nullam, quia Melchisedecus non transsubstantiavit panem & vinum in aliud quid sub panis & vini speciebus offerendum. δ. *Vini Eucharistici* usum non esse Laicis denegandum, quia Melchisedecus non solum panem, sed etiam vinum omnibus & singulis Abrahæ militibus distribuit. ε. *Pontificem Romanum*, quem summum in terris volunt esse Sacerdotem, non esse Christi Vicarium, quia de Melchisedeci Vicario nullum in Scripturis jota. ζ. Sacrificium Missæ pertinere ad sacrificia & *figuras Veteris Testamenti*, quia Christus in cruce seipsum Patri cœlesti offerens, & omnia jam consummata esse testificatus, sacrificiis Veteris Testamenti complementum & finem demum attulit. η. Sacrificium Missæ non esse *propitiatorium*, nec *impetratorium*, quia Melchisedeci sacrificium tantum fuit *Eucharisticum*. ϑ. Non esse necessarium, ut *à jejunis* accipiatur corpus Domini in Missa sub specie panis oblatum, cum Melchisedecus suum sacrificium illis distribuerit, quos noverat è spoliis hostium refectos. ι. *Vini cum aqua mixtionem* non esse in sacrificio Missæ necessariam, cum Melchisedecus non crama, sed vinum protulerit. κ. Christum tantum *in sua persona* sacrificasse corpus & sanguinem suum sub panis & vini speciebus, nec ullos in hoc sacrificio incruento habere administros, quia ipse solus est sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*, non una cum ipso sacrificuli Missatici, & Melchisedeci ordini hoc annexum, ut nullus alius præter solum Melchisedecum in eo ordine sacrificarit. λ. Missam non esse offerendam *pro defunctis*, quia Melchisedecus viventibus panem & vinum protulit. μ. Panem consecratum non esse *includendum*, nec *adorandum*, quia de pane & vino Melchisedeci nihil horum legitur. At consequentia in his argumentis Pontificii nunquam admittent, Ergo nec antecedens ponere debent.

3. Multi ex Pontificiis tradunt, Melchisedecum fuisse *Semum* Noachi filium.

Alphonsus Tostatus in Comm. Genes. pag. 56. *Iste Sem est, qui vocatur infra Melchisedech.*

Thomas de Vio Cajetanus Comm. in Genes. pag. 36. *Ajunt Hebræi, hunc fuisse Sem filium Noæ, & potest esse verum.*

Felicianus Capitonus in Explicat. 17. pag. 34. *Verior existimatur opinio Hebræorum, à quibus nec communis usus discedit, Melchisedech purum fuisse hominem, & illum fuisse Sem, primogenitum Noæ, quem usq; ad tempora Isaac pervenisse ex temporum supputatione colligunt, & propterea esse Sacerdotem, quod usque ad Aaron primogeniti omnes Sacerdotes essent.*

Augustinus Torniellus in Annalibus Vet. Testamenti ad annum mundi 218. §. 9. pag. 184. respondet ad argumenta Pererii, quibus probare voluit, *Melchisedecum fuisse Semum.* (At si Melchisedecus fuit Semus, non obtulit aliud sacrificium, quã quod parens Noachus ex divino mandato & majorum suorũ exemplo obtulit, cum nuspiam dicatur mandatum peculiare à Deo accepisse panis & vini in sacrificium offerendi. Benedictus Pererius Disput. 12. in cap. 14. Genes. pag. 379. sic scribit: *Notandum est primum, hoc loco fieri mentionem altaris excitati ad cultum Dei; an autem ante usus fuerit altarium, nec ne, incertum est. Id vero genus divini cultus cognovit Noe majorum suorum traditione, vel per expressam Dei revelationem, vel tacito instinctu.* Sed suo loco ostenditur, ex mandato Dei sacrificia originem duxisse.)

4. Melchisedecum panem & vinum protulisse non *sacrificandi*, sed Abrahæ *milites reficiendi causa*, agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis.

Lombardus lib. 4. sent. dist. 8 lit. A. *Hujus etiam Eucharistiæ Sacramenti ritum Melchisedech ostendit, ubi panem & vinum Abrahæ obtulit. Unde ut ait Ambrosius, intelligi datur, anteriora esse Sacramenta Christianorum, quam Judæorum.*

Thomas de Vio Cardinalis Cajetan. in Comm. Gen. 14. *Nihil scribitur hic de sacrificio seu oblatione, sed de prolatione seu extractione, quam Josephus dicit factam ad reficiendos victores;* (cui suffragatur versio LXX. Interpp. *Protulit panem & vinum* αὐτῷ, Ergo non Deo, sed Abrahæ.)

Isidorus Clarius Brixiensis in Comm. Genes. 14. *Ipsa est Jerusalem, quæ jam tum hominibus innotescere cœpit, quod ad Dei cultum esset deputanda. Et quod Melchisedech panem, & vinum lassis ex itinere protulit, voluit Deus hoc indicio significare Abrahæ, quod illic semen suum esset oblaturum decimas & sacrificia, & benedicturum Domino.*

Vatablus in annot. Gen. 14. *Melchisedecus protulit panem & vinum, id est, lassum & famelicum exercitum Regia liberalitate refecit. Neque enim exponendum est, ut vulgo, ipsum protulisse panem & vinum, ut offerret Deo in gratiarum actionem, quod Sacerdos esset. Nam duo dicit, quæ necessario distingui debent, ipsum Melchisedech fuisse Regem & Sacerdotem. Quod esset Rex, Abraham ac comites ejus hospitio excepit atque aluit pane & vino, panis nomine intellige omne cibi genus. Quod autem Sacerdos, benedixit jure Sacerdotii & decimas ab eo recepit. Vetus autem hic mos fuit, ut qui Reges erant, simul Sacerdotio fungerentur.*

Et postea ad verbum, *benedixit ei. Quia pendet hic versus à posteriori parte versus præcedentis, Vau non est vertendum, ut dilucidior sit sensus.* Confer Andradium lib. 4. Defens. Concil Tridentini pag. 636.

De Titelmanno sic scribit Alphonsus à Castro lib. 10. adversus hæreses tit. Missa hæres. 2. *Melchisedech obtulit panem & vinum Deo. Et hæc est non solum recentiorum Theologorum sententia, ut quidam autumat,* (in margine notatur Franciscus Titelmannus in Psalm. 109.) *sed vetustorum.*

(Ergo Titelmannus hanc esse duntaxat recentiorum sententiam censuit.)

5. Ad exceptionem quorundam Pontificiorum, Alphonsi de Castro, Bellarmini & aliorum, *quod Abraham secum habuerit commeatum, ac proinde non fuerit opus, ut Melchisedecus ad refectionem militum Abrahæ panem & vinum proferret,* respondere possumus ex ipsis Pontificiis.

Benedictus Pererius Disput. 5. in cap. 14. Genes. num. 71. *Plerique recentiorum scriptorum, secuti Lyranum & Tostatum, ita refellunt hanc sententiam, Milites & socii Abrahæ abundabant cibariis, ergo supervacaneum fuisset, ad eorum refectionem Melchisedech panem & vinum obtulisse. Cum enim quatuor illi Reges universam illam regionem Pentapolitanam deprædati essent, non est dubitandum, quin maximam copiam eorum, quæ pertinent ad victum, abstulerint, quæ quidem omnia illis cæsis & debellatis in potestatem Abrahæ venerunt. Idq; putant aperte ostendisse Abraham illis verbis, quæ dixit Regi Sodomorum, Non accipiam, inquit, ex omnibus, quæ tua sunt, exceptis his, quæ comederunt juvenes, nec cibarii Melchisedech indigebant. Sed parum in hac confutatione videtur esse roboris. Dicat enim quispiam, nescivisse id Melchisedech, imo putasse eos propter laborem dimicationis & fatigationem itineris recentibus cibis refici ac recreari debuisse. Ac licet id scivisset Melchisedech, voluisset tamen eo munere suã erga Abraham benevolentiam, & ex victoria ejus lætitiæ suæ voluptatem declarare.*

Ibid. dicit, *hanc sententiam placere etiam Cajetano.*

Franciscus Ribera in Commm. cap. 7. Epist. ad Hebr. num. 60. p. 311. *Quare non est necesse ad id confugere, ad quod Lyranus & multi alii confugiunt, Reges illos cum præda & cibaria abstulisse, eaq;*

cum receperit Abraham, non eguisse ejus milites cibis, cum moris sit ubique, hospites, etiam non egentes cibo, ad mensam continuo deducere, sicut Abrahamus facit Genes.18. & non solum in Scriptura, sed & in Homero etiam & Virgilio sæpe factum videmus.

6. Si excipiant, *Melchisedecum & Deo in sacrificium & militibus Abrahæ in refectionem panem & vinum obtulisse,* respondemus ex Johanne Gagnæo Regis Galliæ Ecclesiaste & Eleemosynario in scholiis ad Epist. Paulinas pag.161. *Sicut Abraha panem & vinum obtulit Melchisedecus: ita Christus æternus Sacerdos sub panis & vini speciebus carnem suam & sanguinem nobis obtulit, & Patri, qui verus est Abraham, id est, pater credentium, in ara crucis corpus suum obtulit.*

(Ergo non obtulit Melchisedecus panem & vinum in sacrificium, sed in refectionem hospitum.)

7. Si dicant, αὐτολογικῶς subjungi, *protulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Altissimi, ac proinde ad sacrificandum ea protulit,* resp. ex Cajetano d.l. *vulgatam editionem hoc loco discedere à textu Hebræo, qui sic habet: Et ipse erat Sacerdos Altissimi, & benedixit ei,* quo modo etiam vertunt Benedictus Arias Montanus & Pagninus. Verba Cajetani sic habent: *Quod autem in vulgata editione subditur, ut causa oblationis, Erat enim Sacerdos Dei altissimi, in Hebræo non habetur ut causa, sed ut separata clausula, Et ipse Sacerdos excelso. Adjungit siquidem regiæ dignitati, ac liberalitati dignitatem Sacerdotalem &c.*

Hieronymus ab Oleastro in hunc locum. *Adverte, quod licet LXX. & Vulgata vertant, erat enim, quasi sequens sententia prioris causam reddiderit, in Hebræo tamen est, ut vertimus, scilicet, Et ipse erat Sacerdos.*

8. Si dicant, *Melchisedecus fuit Sacerdos, ergo sacrificare debuit. At in Scripturis nuspiam fit mentio alterius sacrificii à Melchisedeco oblati,* resp. ex Bellarmino lib.1. de Missa cap.24. *Illa argumenta negativa, Non habetur expresse in Scriptura, ergo non est factum, jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.*

9. Si dicant, *æternitatem Sacerdotii Christi requirere, ut Christus quotidie per ministros sacrificet,* resp. ex Vasquez tom.1.p.3. Disp. 85.c.1.n.5. *Hic modus, quo recentiores explicant æternitatem Sacerdotii Christi, mihi nunquam placere potuit, atque non solum Scriptura, sed etiam manifesta ratione refelli potest,* quod ibidem etiam præstat.

10. Concil. Trident. sess.22. cap.2. docet, *offerri in Missa corpus & sanguinem Domini.* Jam vero Melchisedecus non obtulit corpus & sanguinem Domini, sed ex hypothesi Pontificiorum *panem & vinum.* Ergo aliud offertur in Missa, aliud obtulit Melchisedecus, & per conseq. ex typo Melchisedeci sacrificium Missæ probari nequit.

(Quando Epistola ad Hebræos Sacerdotium Melchisedeci præfert Aaronico, tantum mentionem facit benedictionis & decimarum, non sacrificii panis & vini.)

11. Quidam ex Pontificiis agnoscunt, panis propriam, & in Scripturis usitatissimam significationem esse, qua accipitur *pro omni ciborum genere.*

Bellarminus lib.1. de Euchar. cap. ult. §. Respondent nonnulli. *Tertio dici potest, & meo judicio optime, vocari panem phrasi Hebraica, quia nomine panis generaliter intelligitur omnis cibus.*

Benedictus Pererius in cap.28. Genes. n.65. p.823. *Nomine panis & aquæ significari solet in Scriptura omnis cibus & potus, sed frugalis admodum & parcus, quemadmodum docet B. Hieronymus in cap.3. Esaiæ. Idipsum etiam significare volens Gregorius lib.23. moralium in cap.33. dixit, per panem significari aliquando subsidium præsentis vitæ.*

Jacobus Gordonus Huntlæus Controv.4. tom.3. pag.26. num.2. *Vox Hebræa* לֶחֶם *qua panis significatur, duobus modis in Scriptura usurpatur. Primo, proprie juxta etymologiā vocis Hebrææ, & hac ratione significat omnem cibum, seu omne, quod comedi potest. Radix enim, à qua illa vox derivatur, nempe* לָחַם *significat, comedere. Et quia inter omnes cibos panis est præcipuus & usitatissimus, hinc est, quod vox Hebræa secunda sua significatione & minus propria, per antonomasiam significet panem coctum seu pistum.*

(Atqui, si non solum frequentissima in Scripturis, sed etiam propria panis significatio est, qua pro omni cibo usurpatur, utique tamdiu illi etiam in hujus loci explicatione insistendū, donec necessitas ad secundariam descendendi probetur. Adde, quod primaria & propria illa panis significatio circumstantiis textus maxime congruit, neq; enim verisimile est, nec regiæ magnificentiæ congruit, nudum panem reficiendis militibus Abrahæ oblatum fuisse, unde Philo lib. de Abrah. in descriptione hujus Historiæ *victimarum mactatarum* meminit. Stante autem illa hypothesi, quod Melchisedecus non solum panem, sed etiam alia cibaria protulerit, concidit argumentum, quod pro Missa ex typo Melchisedeci deducitur.)

12. Quod Bellarminus lib.1. de Missa cap.6. & alii Pontificii urgent, *Soph pasuch in textu Hebræo esse positum ante verba, benedixit ei, proinde benedictionem non esse actum pertinentem ad Sacerdotium Melchisedeci, sed potius verba illa, Erat Sacerdos altissimi, conjungenda cum præcedentibus, protulit panem & vinum*; ad illud respondemus, plerosque omnes Pontificios statuere, *puncta esse recens inventum Rabinorum.* Ergo ex illorum collocatione juxta ipsorum hypothesin non potest sumi firmum argumentum in articulis fidei.

Bellarminus lib.2. de Verbo Dei cap.2. §. His ergo &c. *Rabini addiderunt puncta.*

Ibid. *Cum possint dictiones Hebraicæ variis modis legi, si punctis careant, non est mirum, si aliquando Rabini in notatione punctorum à vero aberraverint.*

Et postea. *Errores, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omnino veritati officiunt, puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant.*

Alphonsus Salmero tom.1. Comm. in Hist. Evang. proleg. 4. pag.38. *Puncta tempore Prophetarum & Scriptorum, qui sacra Biblia tradidere, non erant, quia tota Scriptura erat perinde atque unus versus, aut una clausula, sive una dictio, usque adeo, ut si in lege inventa esset una dictio cum puncto aut accentu, talis liber, ut profanus in Synagoga legi non posset. Imo neque Thalmudistarum tempore fere per quadringentos annos post Christum puncta erant &c.*

Sixtus Senensis lib.3. Bibl. sanctæ pag.168. ex Jacobo Christopolitano in præfat. Psalm. statuit, *longe post tempora Constantini puncta à Rabinis Thalmudicæ doctrinæ autoribus esse addita.*

Antonius Possevinus lib. 2. Biblioth. cap.18. §. Nono &c. scribit, *puncta inventum esse humanum, & quidem Judæorum, jam post quadringentos plus à Christo annos dispersorum, & contra Christum Christianamq; pietatem malevolentissime affectorum.*

Gordonus Huntlæus tom. 1. Controv. 1. c.8. pag.17. *Depravatio Judaica probatur ex punctis & distinctionibus recens à Judæis excogitatis, qui fuerunt jurati hostes Christi & Christianæ religionis.*

Ac testantur multa exempla, in Scripturis Soph pasuk non semper terminare sententiam, aut versus à se invicem divellere, Psalm.17. v.3.7.8. Quinimo in hoc ipso capite Genes.14. v. 1. & 2. Soph pasuk inter nominativum & verbum interponitur.

13. Bellarminus ad argumentum, quo quidam probare voluerunt, *Christum temporale regnum in hoc mundo obtinuisse, ex eo, quod à Mose & Melchisedeco mundanis Regibus fuerit præfiguratus,* in Recognit. operum ad lib. de Summ. Pontif. pag.34. sic respondet: *Figura semper est inferior & imperfectior figurato. Sicut igitur Sacerdotium Christi fuit longe sublimius Sacerdotio Mosis & Melchisedeci: sic etiam regnum Christi multo debuit esse excellentius, id est, non temporale, ut illorum, sed æternum, spirituale & cœleste.*

(Idem ad argumentum à typo sacrificii Melchisedeciani petitum, respondemus, videlicet Christi sacrificium esse longe sublimius, ac proinde non in pane & vino Eucharistico, sed in corpore & sanguine in ara crucis oblatis esse statuendum.)

14. Vocem כֹּהֵן per *Principem* vertit Hieronymus ab Oleastro in Comm. ad hunc locum.

(Stante hac hypothesi concidit argumentum pro sacrificio Missæ ex Melchisedeci typo petitum, unde Oleastrum hoc nomine taxat Henricus Henriquez l.9. Theol. moralis c.10.)

15. In Concilio Tridentino Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus *ad argumentum ex Melchisedeci sacrificio petitum,* respondit, *Christum esse Sacerdotem ex eo ordine, quatenus unicus esset & æternus, absque decessore sine patre, sine matre, sine genealogia. Id ex Epistola ad Hebræos luce clarius evadere, ubi D. Paulus eam rem ubertim tractans Sacerdotii æternitatem & singularitatem exponit, panis autem & vini nullam facit mentionem. Porro doctrinam esse Augustini, ubi proprius & accommodatus est ad aliquid dicendum locus, neq; tamen quidquam ejus dicitur, tum argumentum inde peti posse ab autoritate negativum.* Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trid. p.639.

Argum.2. *Agnus paschalis fuit typus Eucharistiæ. Is vero prius fuit immolatus, & Deo in sacrificiū oblatus, antequā manducaretur. Ergo.*

Resp.1. ex Bellarmino lib.3. de Verbo Dei cap.3. *Ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta.*

(Nisi scilicet Scriptura ipsa monstret accommodationem.

Jam

Jam vero Scriptura nuſpiam monſtrat hanc accommodationem, quod, ut agnus paſchalis fuit ſacrificium, ita quoque Euchariſtia ſit ſacrificium.)

2. Si ex eo, quod agnus paſchalis in ſacrificium fuit oblatus, antequam fuerit manducatus, concludere licet, *etiam Chriſti corpus immolari oportuiſſe, antequā in prima Cœna diſcipulis diſtribueretur*, poſſem contra Pontificios eodem modo concludere, *Agnus paſchalis, antequam manducaretur, mactabatur & immolabatur modo cruento. Ergo etiam Chriſtus modo cruento immolari debuit, antequam manducandum ipſius corpus exhiberetur.*

3. Bellarminus Lib. 1. de Miſſa cap. 2. & Leſſius Lib. 2. de Juſtitia & Jure cap. 88. dub. 2. ad verum & proprie dictum ſacrificium inter cætera requirunt *certum miniſtrum*, ſive Sacerdotem, & *altare*, abſque quibus ſacrificium non habet locum. (Atqui patresfamilias agnū paſchalē in domibus mactabāt.)

4. Georgius Ataides Regis Luſitaniæ Theologus in Concilio Tridentino ad argumentum ab agni paſchalis figura petitum, reſpondit, *id pro manifeſto ac conceſſo non præſupponendum, agnum eum fuiſſe ſacrificium, imo ſi contrariam quis aſſertionem ſuſciperet probandam, victoriam cauſæ ei forſitan concedendam. Nimis duram eſſe tralationem, agnum typum Euchariſtiæ conſtituere, ac non potius victimæ in cruce oblatæ.* Petrus Suavis Lib. 6. Hiſt. Concil. Trident. p. 640.

5. Typum agni paſchalis non poſſe in omnibus ad Euchariſtiam accommodari, ipſimet Pontificii agnoſcere coguntur. Miſſa eſt ſacrificium, ut volunt *incruentum*; ſed agnus paſchalis cruente eſt oblatus. Miſſæ ſacrificium ſingulis diebus repetitur; ſed agnus paſchalis ſemel duntaxat in anno fuit immolatus. Miſſæ ſacrificium à ſolis Sacerdotibus offerri poteſt; ſed agnus paſchalis à quovis patrefamilias mactabatur. Pontificii hoſtias immolatas & conſecratas reſervant; ſed de agno paſchali nihil fuit reſervandum. Miſſæ ſacrificium eſt *propitiatorium*, ut volunt Pontificii, ſed agnus paſchalis non erat ſacrificium propitiatorium pro peccato, ſed tantum in memoriam liberationis ex Ægypto mactabatur & manducabatur.

Argum. 3. Dan. 8. 9. & 12 *de Anti-Chriſto prædictum, quod ablaturus ſit juge ſacrificium, id eſt, Miſſaticum.*

Reſpond. 1. Bellarminus fatetur, *in ſenſu literali agi de Antiocho Leviticum cultum tollente, ac typice de Anti-Chriſto.*

Lib. 1. de Miſſā cap. 9. *Quintum*, inquit, *teſtimonium eſt Danielis 8. & 9. ubi dicitur Anti-Chriſtus ablaturus juge ſacrificium, quem locum de ſacrificio Miſſæ exponit Hippolytus Martyr in libro de Anti-Chriſto. Nec obſtat, quod Daniel loqui videatur de Anti-Chriſto. Loquitur enim de Antiocho, ut figuram gerebat Anti-Chriſti, ut patet ex collatione hujus loci cum Apocal. 13.*

(Jam vero ex ſolo ſenſu literali ducuntur firma argumenta, ait idem Lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.)

2. Idem Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia cap. 16. §. Ad quintum, ſic differit: *Ad quintum dico, nos non gloriari in templis & ſucceſſione Epiſcoporum & Apoſtolica Sede ſecundum ſe, ſed propter Chriſti promiſſionem, qui ait: Et portæ inferni non prævalebunt adverſus eam. Qualem promiſſionem Iudæi nunquam habuerunt. Neque verum eſt, alicubi in Scripturis prædictam eſſe Eccleſiæ ruinam, ſed potius contrarium ubique. Quare & illud Danielis, etſi Hilarius can. 25. in Matth. & Hippolytus atque Apollinarius in cap. 9. Danielis intelligant eam prophetiam de tempore Anti Chriſti, tamen ſine dubio decepti ſunt. Loquitur enim Daniel apertiſſime de everſione Ieruſalem & ceſſatione ſacrificii Iudæorum. Sic enim exponunt Chryſoſtomus & Theophylactus & Hieronymus in cap. 24. Matthæi, Auguſtinus Epiſt. 80. ad Heſychium, nec non Euſebius Lib. 8. Evang. demonſtr. cap. 2. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat, Tertullianus Lib. contra Iud. cap. 5. & communis opinio Hebræorum, ac Iulius Africanus apud Hieronymum in cap. 9. Daniel. Et hanc ſolutionem coguntur admittere hæretici. Nam ipſi dicunt, jam eſſe tempora Anti-Chriſti, & fuiſſe jam à multis ſeculis, & tamen non ceſſavit hoſtia & ſacrificium. Ergo debent intelligere locum hunc Danielis non de tempore Anti Chriſti, ſed de everſione Hieroſolymæ, quod ſane ex Evangelio evidenter colligitur. Quod enim Matth. 24. ait, cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtante in loco ſancto, tunc, qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes; idem ſic expoſuit Lucas cap. 21. Cum videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit deſolatio ejus, tunc, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.*

(At hæc non ſatis conveniunt cum illis, quæ habet Lib. 1. de Miſſa cap. 9.)

3. Dan. 8. & 12. in textu Hebraico habetur vocula תמיד quæ *continuum, juge, perenne*, per ſe tantum ſignificat, unde Græcus textus habet ἐνδελεχισμὸν, *continuitatem*. Ergo non neceſſario vocabulum תמיד explicandum per *juge ſacrificium*, ſed poteſt jugem cultum Dei & perennem, Evangelioque conformem Dei venerationem notare, niſi textus circumſtantiæ id evidenter urgeant.

Gloſſa ordin. ad h. l. *Cum ablato Dei cultu & deſolato Anti-Chriſtus abominabiliter exhibebit ſe adorandum:* quam interpretationem habet etiam in Poſtilla ſuper hunc locum Cardinalis Hugo de Charo.

Gloſſa interlinearis ſic habet: *Anti-Chriſtus orbem poſſidens, Dei cultu interdicet.*

Quo pertinet, quod Marcus Marinus in Arca notet, vocem תָּמִיד in Veteri Teſtamento *ſexagies ſemel*, nunquam tamen abſolute, exceptis locis Danielis, ſineque annexo quodam pro ſacrificio uſurpari.

4. Abolitio Miſſæ pugnat cum hypotheſi de perpetuo viſibilis Eccleſiæ ſplendore, quam Bellarminus Lib. 3. de Eccleſ. cap. 16. & 17. totis propugnat viribus. Sic ergo concludimus: Quod nullo unquam tempore ceſſare poteſt, ita ut non ſit publicum, ſolenne, viſibile, cognitum etiam iis, qui ſunt extra Eccleſiam, illud non eſt ſacrificium, cujus abolitionem Daniel prædicit, quia Danielis hoc ſacrificium ita ceſſabit. At Miſſa, ſtante mundi compage, nunquam ita ceſſare poteſt, alias Eccleſia viſibilis eſſe deſineret, quod ipſis videtur abſurdum. Ergo Miſſa hic intelligi nequit.

5. Notandum conveniunt Pontificii, quid *per abominationem deſolationis*, ac proinde etiam per *ceſſationem jugis ſacrificii* eidem conjunctam, ſit intelligendum.

Pererius Lib. 10. in Daniel. p. 23. hac de re ſic differit: *Prima interpretatio eſt Irenæi in libro 5. adverſus hæreſes, qui hæc verba exponit de Anti-Chriſto, quem putat ipſe ſimiliter, ut alii complures, antiquorum Patrum, ſeſſurum in templo Hieroſolymitano, & tanquam Meſſiam & Deum à multis adoratum iri. At enim non eſt hæc interpretatio conveniens ſententiæ aut Gabrielis, qui hæc verba dixit, aut Chriſti Domini noſtri, qui multo poſt eadem retulit. Etenim Gabriel hoc loco haud dubie loquitur de nece Meſſiæ, & vindicta ejus necis, non longe poſt LXX. hebdomadas de Iudæis ſumenda, non igitur, quod de abominatione deſolationis dicitur, ad Anti-Chriſtum referri debet. Secunda interpretatio eſt, abominationem deſolationis referri debere ad Antiochum Epiphanem, qui in templo Hieroſolymitano à ſe ſacrilege expilato atque impie profanato, abominandum idolum collocavit.* Hanc opinionem tribus argumentis refellit. *Tertia eſt interpretatio D. Hieronymi, Chryſoſtomi, Theodoreti & aliorum, qui abominationem deſolationis interpretantur, ſtatuam aliquam, vel imagines gentilium Imperatorum, quarum cultum & venerationem Iudæi abominabantur.* Quæ opinio Pererio itidem non videtur vera. *Quarta interpretatio eſt autoris Hiſtoriæ Scholaſticæ in cap. 10. Dan. qui abominationem deſolationis interpretatur ſacrificia & Ceremonialia Iudæorum, quod poſt mortem Salvatoris noſtri ſtatim futura erant invalida, quæ eſt Dionyſii Carthuſiani.* Sed & hanc interpretationem *nec cum divina, nec Angelica aut Prophetica ſententia congruere* aſſerit Pererius. *Quinta interpretatio eſt, per abominationem deſolationis intelligi plurima & nefandiſſima ſcelera tempore obſidionis Hieroſolymitanæ à Iudæis patrata in loco ſancto, quæ eſt Alphonſi Toſtati, Iohannis Heſſelii & Cornelii Ianſenii*, quam Pererius itidem non probat. *Sexta & ultima interpretatio eſt Auguſtini & Cajetani, qui arbitrantur, abominationem deſolationis, qua ſublatum eſt juge ſacrificium, non ſignificare aliud, quam Romanum exercitum undique circumdantem & arctiſſime obſidentem civitatem Ieruſalem.* Quam interpretationem, rejectis reliquis, Pererius probat. pag. 531. deficientiam hoſtiæ & ſacrificii interpretatur *ceſſationem Iudaicorum ſacrificiorum.* Imo ſuperius pag. 425. explicat deſitionem jugis ſacrificii ex D. Gregorio, *impedimentum ſtudii ſanctæ converſationis in Eccleſia*: (tandem quidem Lib. 15. pag. 778. *ſuſpenſionem jugis ſacrificii ablationem eſſe continui divini cultus ab Anti-Chriſto faciendam* aſſerit, *quæ præcipue referri poſſit ad Miſſam.* Sed falſum hoc eſt, & in gratiam Romani Pontificis confictum.)

6. Hector Pintus Luſitanus refert locum Danielis 8. *ad Sacramentum Euchariſtiæ* per allegoriam, ſed longe alio modo. Sic enim ſcribit p. 164. *In Eccleſia eſt juge ſacrificium, hoc eſt, ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, quod ſceleratus Antiochus, id eſt, impius Oecolampadius, & hunc ſecutus horribili impietate Zuinglius abſtulit à multis Germaniæ Eccleſiis. Ajunt enim blaſphemi iſti, in hoſtia conſecrata non eſſe corpus Chriſti, nec ſanguinem in calice.*

Locum Dan. 9. refert ad ſacrificia V. T. *In medio*, inquit p. 189. *ultima hebdomade, mortuo Chriſto, ceſſabunt omnia veteris legis ſacri-*

sacrificia. Nam cum essent Christi umbræ ac figuræ, erant in ejus morte antiquanda & finienda.

(Locum Dan.12. ad Missam accommodat, sed sine ulla firma ratione.)

7. Ludovicus ab Alcasar Hispalensis in Apocal. 11. v.2. not.2. *Danielis*, inquit, *locos, licet multi ad Anti-Christi persecutionem referant, mihi tamen dubium non est, quin in sensu saltem proximo* (qui solus firmum & solidum præbet argumentum) *sermo sit in cap.12. de tempore, quo duratura erat Antiochi Epiphanis persecutio, quæ non per tres solum annos, ut aliqui sibi persuadent, sed per tres annos & dimidium sævit.*

8. Caspar Sanctius Centumputeolanus in cap.8. Dan. n. 44. & cap.9. n.14. *sacrificium juge* partim *de Antiochi in templum Iudæorum infesta desolatione*, partim *de sacrificiis post mortem Christi cessantibus*, explicat.

(Locum Dan.12. absque omni ratione ad Missæ sacrificium accommodat.)

Argum.4. *Mal.1.v.11. In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.*

Resp.1. Benedictus Arias Montanus ad hunc locum sic annotat pag.935. *Hujus loci, quanquam aperta ex verbis ipsis sententia est, arcana tamen significationis ratio ex verborum constructione observanda est, quam antiqui Interpp. diligenter à se consideratã, certe non satis explicatam reliquerunt. Reprehenderat acriter Deus Sacerdotes, quod nomen suum ita contemsissent & imminuissent, ut quocunque modo, quacunq; hostia coleretur, nihil referre arbitrarentur.*

Et postea: *At vero cæteras gentes non legis & divinorum sermonum notitia aperta, sed tantum rerum Naturæ contemplatione adduci, ut Deum, quem Dominum & Rectorem crederent, diligenter atque attente colerent. Quo nomine autem id ab illis susciperetur, Deus ipse exponit, Magnum est nomen meum in gentibus. Magnitudinis ratione & definitione se ab illis coli testatur, eoque jure etiam vehementer Iudæos vinci, quibus nomen suum contemtui esset. Itaque, quanquam proprium Dei nomen gentibus esset ignotum, tamen certe cognomen magni, quod Natura sua Deus habuerat, sibi apud omnes etiam gentes, ipsis tantum diurnis nocturnisq; vicissitudinibus & commutationibus temporum quadripartitis & constantibus pepererat &c.*

Et postea: *Propterea autem arcanam hanc esse orationem initio docuimus, utpote quæ eadem verborum simplici pronunciatione duplicem simul complectitur sententiam, magnum esse nomen Dei ab ortu Solis ad occasum, atq; ortu ipso, occasuque Solis eam divini nominis magnitudinem putari. Consentaneum autem fuerat eodem magnitudinis nomine Deum gentibus, ut cognitum, sic etiam cultum esse.*

(Hæc Benedicti Ariæ explicatio continetur in eo Volumine, de quo Censura Antverpiensis sic pronunciat, *quod pietatem & verum prophetiæ sensum non solum referat, verum etiam, quod ad hæreticorum dogmata extirpanda, & ad pietatem promovendam omnibus Concionatoribus plurimum conferat.* Quamvis vero Bellarminus Lib.1. de Missa c.10. ut & Suarez in part.3. Disp.74. art.1. sect.1. eam *nullo modo admittendam* censeant, non tamen idoneis & urgentibus eam refellunt argumentis.)

2. Hanc Benedicti Ariæ explicationem non audet improbare Antonius Possevinus, sic enim disserit Lib.2. Bibliothecæ select. cap.21. tom.1. pag.63. *Ceterum non desunt eruditissimi viri, qui in hac operis Regii ab Aria adornati, editione desideraverint nonnulla, quæ ex Rabinis referuntur, ad Ecclesiæ Catholicæ sensum esse referenda, qualia de jugi & incruento sacrificio, quod Malachiæ testimonio prænunciatum est, esse futurum, quod ad gentium sacrificium Arias videtur retulisse. Cum autẽ nostrum non sit, hoc loco eo de labore ferre judicium, monemus Lectorem, ut editionem Græcam LXX. Interpp. & hujus editionis versionem Latinam Xysti V. Pontif. Max. jussu Romæ editam conferat cum ea, quæ prodiit Antverpiæ.* Unde etiam Index Expurgat. Hispan. cum alia in eo notet, hunc tamen locum non perstringit.

3. Isidorus Clarius itidem hunc locum non accipit de Missæ sacrificio, sed *de interioribus & spiritualibus N. Test. sacrificiis*, sic enim annotat ad h.l. p.386. edit. Venetæ. *Patet hinc, Ceremonias legis tempore Christi abolendas fuisse, & quod omnes fideles per totum mundum puram orationis hostiam essent sacrificaturi.*

4. Franciscus Vatablus in notis ad h.l. eodem modo exponit L.47. *Erit tempore, scil gratiæ, magnum, id est, erit in magno precio inter gentes, q.d. sed acceptabo munus gentium, quod offerent mihi. Prædicitur ipsarum vocatio.*

L.48. *Erit oblatum & mundum. Subintellige & non immundum. Per cultum veteris legis intelligit cultum novæ.*

(Hæc expositio vaticinii Prophetici de vocatione gentium congruit dictis Apostolicis Rom.15. v.16. 2. Corinth.2. v.14. Phil.2. v.17.)

5. Bellarminus Lib.1. de Missa cap.10. per *incensum* in hoc dicto Prophetico intelligit *orationem*.

Christophorus à Castro Lib.12. Comm. in minor. Prophetas pag.556. *hymnos & preces fidelium &c.*

(At in qua significatione accipitur vox *incensi*, in eadem etiam accipienda est vox *oblationis*, utramque enim conjungit Propheta, & ad cultum N.T. applicat. Quare, cum vox incensi, fatente ipsomet Bellarmino, sumatur *improprie & metaphorice*, etiam oblationis vox metaphorice erit accipienda.)

6. Format quidem Bellarminus d. l. ejusmodi regulam, *quod verbum sacrificii in S. Scriptura absolute positum, semper proprie pro externo & visibili sacrificio ponatur*, quam regulam Gordonus Huntlæus tomo 3. controv.9. n.31. p.249. latius extendit, statuens *vocem Mincha*, qua utitur Propheta Malachias, *nunquam significare spirituale & improprium sacrificium, sed ubique in Scripturis significare proprium sacrificium.*

Sed contrarium patet ex Ps.96. v.8. in quem locum sic commentatur Bellarminus in enarr. Psalm. p.572. *Hic etiam alludit ad morem Hebraicum, juxta quem Iudæi, cum ascenderunt ad templum, offerebant victimas, & , adorato Deo, revertebantur in civitates suas. Sed quia hoc loco invitantur gentiles ad Ecclesiam Domini, intelligenda est hæc oblatio de spiritualibus hostiis, de quibus loquitur Petrus cap.2. Epist.1. Sunt autem spirituales hostiæ, sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, jejunium, eleemosyna & similia.* Confer Lorinum in Ps.95. adducentem pro illa explicatione Tertullianum & alios Patres.

Johannes Baptista Folengius Monachus Cassinensis ad eundem Psalmi locum sic annotat: *O populorum familiæ, ô meretrices, ô peccatores, ô quibus lachrymæ sunt panes die ac nocte, tribuite Domino, non vobis, at illi gloriam, ac quæ potissimum erepti estis de manu hostili fortitudinem. Quocirca assumtis non jam myrrha, thuris & aromatum, multo minus cruentarum victimarum, inertiumque pecorum victimis muneribus, sed castimonia, purique animi in Deum properate, sanctaque illius atria securi adite, non jam quidem, ut olim, hostiarum numero placatur Deus, sed fide, sed caritate, sed mansuetudine.*

Contrarium etiam patet ex Ps.141. v.2. ubi *oratio* vocatur *Minchah*, ut agnoscunt Folengius & Jansenius in illum locum. Item ex Esa.66. v.20. ubi vocula *Minchah* tribuitur *liberis gentium ad Ecclesiam maximo cum gaudio doni cujusdam & gratæ oblationis vice Deo adducendis.*

Caspar Sanctius in hunc locum num.57. pag.733. *Gentes ad Dominum conversæ magnum vocantur donum Dei oblatum. Quæ sane ratio excitare debet & incendere Apostolici viri animum, quandoquidem munus offerre Deo nullum potest gratius, quam animam à gentium erroribus & peccatoribus ereptam.*

7. Quinimo non possunt Pontificii nomen *Minchah* proprie accipere, prout à Mose usurpatur Levit.2. cum in Missa nec *olei*, nec *thuris*, nec *salis*, nec *adolitionis* & *concremationis* ulla conspiciantur vestigia. Quod si vero Missam improprie *Minchah* dici agnoscunt, fateantur, non minorem vim de sacrificiis spiritualibus accipiendi vocabulo Minchah inesse, quam de Missa intelligendi.

8. Est etiam contra Naturam Minchæ, destitui substantia terrena, & conjungi vino, vel speciebus vini, quorum utrumque Missatico suo sacrificio Pontificii tribuunt.

9. Bellarminus Lib.1. de Missa cap.10. §. Respondeo negari &c. tradit hanc regulam: *Sæpissime in Scripturis describuntur res futuræ per typos & ritus externos legis, ut cum per Ierusalem intelligitur Ecclesia, per Levitas Clerici, per sacrificia ovium & boum sacrificium Eucharistiæ.* Similia occurrunt apud Salmeronem tom.9. tract.21. & tom.1. tract.19. Hieronymum Lauretum in præfat. ad Sylvam allegoricam. Hæc regula recte applicatur ad vaticinium Malachiæ, in quo Propheta verbis V.T. de spirituali cultu N.T. vaticinatur.

Excipit quidem Bellarminus, *id non fieri, nisi cum describuntur res novæ & futuræ, quæ non erant tempore V. Test. in usu.*

Atqui cor contritum vocatur *sacrificium* Ps.51. v.19. nec tamen erat res nova. Præterea notum est, *sensum tropologicum* à Pontificiis statui speciem *sensus mystici*. Illa autem, quæ traduntur in sensu tropologico, æque habent locum in V. ac in N.T. Præterea *vocatio gentium Universalis*, fuit nova & futura in Novo Testam.

10. Pontificiorum hypothesis est, *tale in Malachiæ vaticinio*

mundum

mundum sacrificium intelligi, quod malitia Ministrorum contaminari nequeat. At Missa multis modis malitia Ministrorum contaminari potest. Concilium Trid. sess. 22. de Reform. p.226. *Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor tribuatur, & cultus ad Dei gloriam & populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atq; è medio tollere curent ac teneantur.* Enumerat autem illa Synodus, quod sit, *avaritia, irreverentia, Missæ interveniente mercede celebratio, illiberalis eleemosynarũ exactio. Missæ in privatis domibus confectio, Oratoriorũ domesticorũ dedicatio, Deambulationum, strepituũ, clamorũ inter sacra frequentia, debitarum celebrationis horarũ prætergressio, precum neglectio, admonitionis, ut populus frequenter Missæ intersit, intermissio.*

Bellarminus Lib.2. de Missa cap. 24. §.5. *Non est novus, sed antiquissimus ritus orandi pro oblatione jam consecrata. Neque hoc est orare pro Christi reconciliatione apud Patrem. sed pro nostra potius infirmitate. Etsi enim oblatio consecrata ex parte rei, quæ offertur, & ex parte Christi principalis offerentis, semper Deo placeat, tamen ex parte Ministri, vel populi astantis potest non placere. Id igitur est, quod petimus, ut Deus benigne respiciat hoc munus, ut à nobis offertur. Simile quid cerni potest in sacrificiis veterum Hebræorum. Illi enim suppliciter postulabant, ut clementer Deus ipsorum sacrificia ovium & boum adspiceret, nec tamen orabant proprie pro ovibus & bobus, nec Mediatores se constituebant inter oves & Deum, nec reconciliare pecora illa Deo volebant, sed pro se orabant, & obsequium suum in illis rebus offerendis Deo gratum esse cupiebant.*

(Hæc comparatio inter Sacerdotes Veteris & N. Testam. ac sacrificia Judaica & Christiana ostendit, etiam Missaticum sacrificium Ministrorum culpa contaminari posse.)

Constat etiam ex Historiis, *panem consecratum*, qui juxta Bellarm. Lib.1. de Missa cap.27. *est unum sacrificium cum corpore Domini, & ad rem, quæ sacrificatur, substantialiter pertinet*, veneni illitu contaminatum, & quod ad vitam à Christo institutum, ad mortem procurandam à quibusdam fuisse adhibitum.

11. Oblatio, quæ in V.T. vocabatur Mincha, non significabat *Iesum Christum*, quoad corpus naturale in cruce oblatum, sed *Ecclesiam*, corpus ejus mysticum. Glossa ordin. in cap.2 Levit. ex Isidoro. *Simila Ecclesiam significat, quæ de multis personis, quasi granis est collecta, legis & Evangelii mola inter literam & Spiritum separata, per aquam Baptismi adumbrata, chrismate peruncta & solidata spirituali igne per humilitatẽ fit accepta hostia.* Oportet itaque, ut V.T. figura respondeat veritati Novi, adeoque ut Malachias loquatur, non de sacrificio corporis & sanguinis Christi, sed Ecclesiæ fidelium que se in ea Deo offerentium. Confer Es.66 v.20. Rom.15.v.15.16.

12. Christoph. à Castro in Comment. Malach.1. memorat, *Hebræos & quosdam Catholicos hujus vaticinii verba accipere de tempore Malachiæ.*

(Juxta illam hypothesin, quam tamen non admittimus, non poterit ex iis probari sacrificium Missaticum.)

Idem Castro ex Aria Montano d.l. monet, *Muktar significare proprie hostiam igne incensam, seu holocaustum* (quod ad Missam accommodari nequit, ut constat:) *Mincha autem proprie significare sacrificium ex farre, vino, oleo:* (quod itidem ad Missam accommodari nequit, nuspiam enim Mincha significat hostiam ex animali vivo, qualis Missa est, quæ vivum Christum immolare dicitur. Addit quidem Castro, *vocem Mincha simul notare hostiam animalis vivi, quia cum quotidiano libamine Minchæ, seu sacrificii farinacii simul vespere & mane agnus mactabatur*; sed quilibet videt, consequentiam hanc esse nullam. Eodem tempore cum Mincha mactabatur agnus, igitur agni mactatio specie idem est, quod Mincha; nec in locis à Castro adductis, Exod. 29.v.41. Num.4.v.16. 3.Reg.18.v.29.36. 4.Reg.3.v.20. viva hostia unquam *Mincha* appellatur. Ac si vel maxime ex hypothesi detur, *Mincha significare hostiam vivam*, nihil tamen ex eo accedit Missæ, quæ juxta hypoth. sin Pontificiorum significat ritum & actum sacrificationis, non rem sacrificatam. Ipsum vero hostias sacrificandi ritum ac gestum Mincha uspiam vocari, Pontificii nondum probarunt.)

13. Idem Castro d.l. fatetur, *Tertullianum* à Pagnino & Montano Pontificiis *citari pro hac expositione, qua per sacrificium mundum sacrificium laudis & precum Christianarum intelligitur.* (Lib.adv. Judæos c.5 Lib.3. contra Marc. c.22. Lib.4. c.1.)

14. In Colloquio Raynoldi cum Hatto cap.8. sect.4. fol. 331. fatebatur Hartus, *Alanum Copum Lib.1. de Euch. sacrif. c.16. non constituisse præsidium collectionis ex vaticinio Malachiæ in voce sacrificii, quæ in Hebræo aliter sonet, & rem sacrificii incensi significet, sed in voce offerendi, quæ significet actum externum sacrificii.*

Sed Raynoldus ipsius Alani verbis illud statim refutabat, *qui etiam Laicos & fœminas vere & proprie offerre concedit in veteri lege, quando Levitis aut pauperibus decimas, quando primitias, quando panem & vinum ad sacrificia offerebant.* Deut.12.v.17. cap.14. v.23. cap.26.v.10. idque Patrum suffragiis comprobabat. Iren. Lib.4.c.32.34. Augustin. Epist.59. Justin. Apol.2. Cypriani de Oper. & eleemos. Ac indubium est, vocem נגש de sacra & profana, Laicorum & Sacerdotum oblatione passim accipi. Mal.1.v.8. cap.2.v.12. Lev.2.v.8. Genes.27.v.24. Job.40.v. 14. Esa.41.v.22. cap.45.v.20.

15. Si Hebræum *Mincha* intelligendum de sacrificio Missæ, sequetur, in Missa non offerri corpus & sanguinem Domini, sed tantum panem & vinum, quia Mincha erat munus seu sacrificium cibarium *de simila, farina munda, pane, frugibus, sale, oleo, vino &c.*

16. Sacrificium Mincha prædicitur offerendum *omni loco*, sed Missaticum sacrificiũ non offertur, nisi in altari cõsecrato.

17. Julianus Archiepiscopus Toletanus Lib.1. contra Judæos tom.4. Biblioth. SS.PP. col.228. affirmat, *Malachiam ibi clarum ostendere indicium fidei Christianæ, quod reprobatis sacrificiis Mosaicis, Christi nomen magnum fiat in gentibus.*

Pammelius Licent. & Canonicus Brugensis non potest non approbare Tertulliani genuinam explicationem super hoc dictum Lib. adv. Judæos cap.5.f.106. Sed ex 3. Lib. contra Marcionem cap. 22. vult simul immiscere *munditias sacrificiorum Missæ*, contra Tertulliani mentem.

18. Urgent, *Patres hoc oraculum Propheticum accipere de sacrificio Missæ.*

Sed resp. Pontificii requirunt unanimem Patrum consensum. Jam vero quidam Patres *ad spiritualia piorum sacrificia* hoc referunt. (Tertullianus Lib.4. adver. Marcion. cap.1. & 5. Irenæus Lib.4. cap.23. Hieronymus in cap.1. Malach. & in c.52. Esa. Eusebius Lib.1. Demonstr. Evang. cap.6.) Ad *spiritualia* illa *sacrificia* pertinet sacra Cœna, tum quia est memoriale sacrificii in ara crucis oblati; tum quia ejus administrationi conjunctæ preces, gratiarum actiones &c.

Argum.5. Matth.26. Marc.14. Luc.22. *in verbis institutionis Christus dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hic sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Verba hæc præsentis temporis significant corpus dari, & sanguinem effundi Deo in sacrificium.*

Resp. 1. Vulgata versio Latina in Concilio Tridentino pronunciata est authentica, ut nemini ullo prætextu ab ea liceat discedere. Jam vero in ea Matth 26. Marc.14. Luc.22. non dicitur in præsente, *qui effunditur*, sed in futuro, *qui effundetur*; ac 1. Corinth.11. non dicitur in præsente, *quod datur*, sed in futuro, *quod tradetur.*

(Corruit igitur tota argumenti structura, ex verbis præsentis temporis petita.)

2. Canon Missæ itidem legit, *effundetur*, non autem effunditur; ac verba illa partis prioris, *quod pro vobis traditur*, penitus omittit.

3. Gorranus in cap.26. Matth. *Effundetur, id est, extra fundetur, Patre ordinante, Filio volente, Spiritu Sancto dante, Iuda tradente, Iudæo procurante, Pilato judicante, Gentili exequente.*

4. Dionysius Carthusianus in cap.22. Luc. *Quod pro vobis datur, id est, pro vestra liberatione passioni & morti jam exponitur, proditore tradente, & me sponte passionem accedente. Qui pro vobis fundetur, hoc est, pro vestra salvatione sanguinem hunc effundam & effundi permittam.*

5. Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus in Concilio Tridentino dicebat, *ea verba, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, & sanguis, qui pro vobis effunditur, longe planiorem habere sensum, si referantur ad corpus & sanguinem in esse naturali, quam in esse Sacramentali. Sicuti cum dicitur Christus esse vera vitis, quæ profert vinum, non intelligitur vitis significativa, sed realis producere vinum: ita in his verbis, Hic est sanguis meus, qui effunditur, non dicitur effundi sanguis Sacramentalis & significans; sed naturalis & significatus.* Petrus Suavis Lib.6. Concil. Trid. p.640.

6. Adrianus Hoffstadius Minorita serm.33. pag. 322. ait, *Christum, dum dicit se dare corpus & fundere sanguinem suum, voto & desiderio, non actu tum temporis id fecisse; id autem censeri quoque apud Deum fieri, quod voto solo & desiderio fit.*

7. Vasquez tomo 3. in 3.p. D.199. c.1. n.8. *Christum ideo sic locu-*

locutum asserit, *eò quod jamjam instaret tempus mortis & passionis, in qua sanguis erat fundendus & corpus in mortem tradendum, imo quodammodo jam inchoata esset.*

ibid. c. 1. & 2. docet, *verba illa non solum à Chrysostomo, Anshelmo, Theophylacto, Euthymio, sed etiam à Titelmanno, Cajetano, Mirandula, Hosio & Dionysio Carthusiano exponi de cruento Christi in cruce sacrificio.*

8. Si verbum in præsenti tempore positum, denotat effusionem sanguinis in sacra Cœna, sequitur, quod Christus hoc verbo non fuerit usus *in significatione propria, sed metaphorica.* Nã in Eucharistia non est vera & realis effusio sanguinis per modum sacrificii, sed repræsentatio & figura illius. In calice enim Domini non separatur sanguis à corpore Christi, ac proinde reipsa non effunditur; repræsentatur tamen in eo mors Christi, & separatio seu effusio sanguinis ejus. At statuere, quod verbum effundendi non in propria, sed metaphorica significatione accipiendum sit, favet tropo Calvinianorum. Si enim vox effundendi tropice accipienda, etiam vox corporis & sanguinis tropice accipienda erit. Argumẽtũ hoc est Vasquezii d. l. c. 1. n. 10.

Huntlæus de Missa p. 271. *triplicem* excogitavit *effusionem sanguinis incruentam, quæ facta fuerit in prima Cœna, Primò,* inquit, *sicut in Veteri Testamento sanguis separabatur à corpore gladio materiali, quem deinceps Sacerdotes vase excipiebant; ita in cœna novissima gladio spirituali, nempe verbo suo, sanguinem, ut erat sub forma vini reipsa, separavit à corpore suo, quod erat sub forma panis, suumq́; sanguinem calice, quem manu tenebat, excepit. Deinde, quando Christus sumsit suum sanguinem, sanguis Christi effusus fuit super altare nostrum mysticum, quod est Christus. Denique in Cœna sanguinem suum fudit, seu sparsit super populum.*

(Atqui nulla ex his effusionibus est sacrificialis. Neq; enim separatio est oblatio. Fusio illa erat bibitio. Sparsio populum tetigit.)

Si dicant, *effundi sanguinem Christi in Cœna sub specie vini,* urgeri possunt, Aut sanguis vere effunditur, aut tantum species vini. *Prius* dicere non possunt, cum sanguinis effusio non possit non esse cruenta. Si *posterius* dicere velint, cogentur concedere, speciem vini effundi in remissionem peccatorum.

9. Ibid. Vasquez c. 2. n. 15. urget hoc argumentum. *Christus vocat sanguinem suum, qui effunditur, sanguinem Novi Testamenti. Atqui Novum Testamentum sancitum est per effusionem sanguinis Christi in cruce. Ergo loquitur de effusione in cruce facta.*

10. Barradius in Explicatione verborum Cœnæ inter alia sic scribit tomo 1. lib. 3 c. 4. p. 59. *Utitur Dominus præsenti tempore pro paulo post futuro. De futura enim & propinqua passione sunt verba intelligenda hoc sensu: Hoc est corpus meum, quod pro vobis passioni & morti paulo post dabitur sive tradetur, quodq́; pro vobis frangetur verberibus, spinis, clavis, hasta &c.* Quamvis vero ibidem ex aliis addat posteriorem interpretationem, *quod corpus Christi in Eucharistiæ sacrificio Patri cœlesti offeratur,* tamen priorem expositionem non repudiat, sed in ea tandem acquiescit. *Aperte,* inquit, *dixerat Dominus esse corpus suum, quod discipulis dabat; apertius id indicat, cum addit, quod pro vobis datur & frangitur, hoc est, quod pro vobis morti offeretur & clavis frangetur, hæc enim non nisi vero corpori congruere possunt.*

(Ubi Barradius nobis suppeditat responsionem ad argumentum ex phrasi Paulina, quod pro vobis frangitur, petitum.)

11. Si proprietas Grammatica observetur, ad mentem Papistarum non debuisset Dominus loqui *in præsenti, sed in præterito, quia victima caro non præbetur manducanda, nisi victima ante mactata,* ut Bellarm. argumentatur.

12. Enallagen præsentis temporis pro *instanti* jamjam & proxime eventuro etiam h. l. agnoscunt Gregorius de Valentia lib. 1. de Missa c. 4. p. 686. Salmero tom. 1. proleg. 15. pag. 282. & tom. 9. p. 203. Joh. de la Haya Jesuit. in Triumpho verit. c. 170. ex Eythymio Zigabeno in c. 26. Matth. p. 259.

13. Jesuita Sa in cap. 26. Matth. v. 28. *effundetur, scilicet in cruce. Græce est effunditur, præsens pro futuro.* Confer eundem in ca. 22. Luc.

14. Cajetanus Cardinalis in c. 26. Matth. *Effunditur pro effundetur, Tempus siquidem passionis ejus jam inceperat. Sciebat enim quod tunc fiebat à Juda & Judæis ad effundendum ejus sanguinem.*

Idem in cap. 22. Luc. *Non dicit, dabitur, sed datur, quia jam inceptum erat dari, jam venditus erat.*

Idem in 1. Corinth 11. *Nec est, ut Latinis horrori sit hæc particula, frangitur, cum verissimum fuerit verum Christi corpus multipliciter fractum fuisse. Nam & fractum fuit, quantum ad cutem, cum flagellatus esset à Pilati militibus: fractum quoq́; fuit quantum ad carnem & in manibus ejus, clavis, quibus fixus est in cruce, & fractum demum est in latere, dum unus militum lancea latus ejus pupugit. At si præsentis temporis verbum, frangitur, in quæstionem quis deducat, animadvertat scripta ab aliis Evangelistis, & cessabit quæstio. Tres siquidem Evangelistæ narrando verba consecrationis calicis, utuntur verbo præsentis temporis, dicendo, qui effunditur pro vobis, seu pro multis; eadem siquidem ratione, qua illi Evangelistæ futuram in cruce effusionem sanguinis significaverunt in præsenti effunditur, eadem ratione Paulus futuram in cruce fractionem carnis Christi significat in præsenti, dicendo, frangitur. Communis autem ratio, quare scilicet Dominus Jesus in Cœna expressit futuram in cruce sanguinis effusionem & fractionem verbis præsentis temporis, est, ut manifestaret discipulis hujusmodi effusionem & fractionem, non distantem tempore, sed tanquam præsentem esse: & vere loquendo de tempore præsenti Grammatico more, tempus effusionis & fractionis tunc erat præsens, quoniam jam inchoatum erat tempus passionis ejus, ac per hoc, sicut inchoato die, potest significari verbo præsentis temporis, quicquid fit illo die, ita inchoato jam die passionis ejus, potuit significari verbo præsentis temporis omnis ejus passio, præsens enim Grammaticè non est instans, sed quoddam confusum præsens.*

15. Estius in annot. 1. Cor. 11. f. 409. & in annot. aureis in Luc. 22. v. 20. monet, *omnes Græcos Interpretes verba Apostoli 1. Cor. 11. sic exponere, ut per calicis effusionem, quæ in Cœna, non in cruce facta est, intelligenda veniat effusio in ora discipulorum,* ex quo colligit, *fractionem ejusdem esse generis, nempe distributionem inter discipulos, nequaquam vero fractionem per aliam à cruce oblationem.*

16. De *futura traditione* in ara crucis exponunt Thomas in Catena & part. 3. q. 78. art. 3. ad 7. Johannes Ferus ac Cornelius à Lapide in 1. Cor. 11. ad verbum *traditur,* ubi dicit, Dominum ideo usum præsenti tempore traditur, effunditur, quia paulo post erat tradendus. *Frangitur,* inquit, *id est, paulo post frangetur & immolabitur in cruce. Ita Anshelmus: unde noster vertit, tradetur. idq́;, quia hoc frangi & immolari non tam futurum, quam præsens erat. Dies enim paschæ & passionis Christi inchoatus erat, cum hæc dixit Christus, unde erant tuc confusum præsens.*

Arg 6. Ut ex verbis institutionis sacrificium Missaticum probent, verbum *Hoc* in clausula institutionis *Hoc facite,* referũt *ad corpus Christi,* ut probent, *Christum mandasse illud sacrificari.*

Resp. 1. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus tom. 3. opusc. tract. 10. c. 3. p. 286 scribit, pronomine *Hoc* denotari universitatem præmissorum. *Ad intelligendum,* inquit, *demonstratum per pronomen Hoc, inspicienda sunt, quæ præmittuntur. Præmittuntur autem, quod Jesus accepit panem, gratias egit, fregit dedit, dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, vel secundum Lucam, datur, statimq́; subjunxit, Hoc facite in mei commemorationem. Pronomen itaq́; Hoc, cum non arctetur ad demonstrandum aliquod præmissorum, & ad aliquod præmissorum non demonstrandum; consequens est, ut demonstret universitatem præmissorum.*

2. Benedictus Justinianus Jesuit. Comment. 1. Corinth. 11. p. 568. *Pronomen Hoc, ad universam Christi actionem referendum videtur, præcepit enim fieri, quod ipse fecit, non quidem ab omnibus, sed à Sacerdotibus, quales voluit esse Apostolos, quos præsentes alloquebatur, quosq́; tum Sacerdotio initiavit. Tribuit enim illis vim atq; autoritatem consecrandi, & panem ac vinum in suum corpus ac sanguinem transmutandi, modò consecrationis verba adhiberent.*

3. Eodem modo exponit Guilielmus Estius in 1. Corinth. 11. p. 409. qui in Annot. aureis ad c. 22. Luc. v. 19. animadvertit, *mandatum, Hoc facite, omnes fideles concernere,* (ac proinde sacrificandi mandatum, minime continere, alias omnes Christiani possent sacrificare, quod Pontificii negant. Nimirum verbum *facite*, hic nihil novi præcipit, sed id, quod verbis institutionis jam præceptum erat, *edite, bibite,* destinat ad certum finem, quod vero præceptum non erat, non præcipit, ut ex serie textus perspicuum. Iam vero *tradi in mortem, effundi in remissionem peccatorum,* non præcipitur, sed est tantùm ejus rei, de qua aliquid præceptum est, attributum, seu descriptio: igitur nullo modo potest in præceptum trahi. Proinde si vel maxime concederetur, *Christum in Eucharistia seipsum immolasse,* nondum tamen consequens foret, quod Christiani per verbum *facere* idem facere jussi essent. Ratio est, quia immolari est attributum rei præceptæ, non præceptum ipsum, nec ejus materia.)

Arg. 7. Verbum *facite* in Institutione S. Cœnæ quidam exponunt per *sacrificate.* Eccius in Enchir. Salmero tom. 9. tract. 27. p. 205.

Resp.

Resp. 1. Bellarminus illud *facite*, referendum esse docet non solum *ad Sacerdotes*, sed etiam *ad communicantes*.

(Utique ergo per τὸ *facite*, non potest intelligi sacrificandi actio, alias sequeretur, & Sacerdotes & communicantes sacrificare debere.)

Verba sic habent lib. 4. de Euchar. cap. 24. *Quæritur à Doctoribus, quid proprie demonstret illud Hoc, cum Dominus ait, Hoc facite, an demonstret id, quod Dominus egit, id est, consecrationem & distributionem, an quod egerunt discipuli, id est, manducationem & bibitionem, an utrumque simul? Videtur sententia Johannis à Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam ad omnia referri, id est, ad id, quod Christus fecit, & id, quod egerunt Apostoli, ut sensus sit, id, quod nunc agimus, ego dum consecro & porrigo, & vos dum accipitis & comeditis, frequentate deinceps usq; ad mundi consummationem. Producit enim prædictus autor veteres Patres, qui illa verba referunt modo ad Christi actionem, ut Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. modo ad actionem Discipulorum, ut Basilius regul. moral. reg. 21. Cyrillus Alexandrinus lib. 12 in Johannem cap 58. Paulum autem idem autor docet, referre potissimum illa verba ad actionem discipulorum, id quod ex verbis sequentibus colligitur. Quotiescunque enim, inquit, manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, & præterea idem planum fieri potest ex proposito & instituto B. Pauli. Nam Apostolus eo in loco emendabat errorem Corinthiorum. Corinthii autem non errabant in consecratione, sed in sumtione, quia non debita cum reverentia sumebant, quare accommodat verba ad suum usum, ac docet, Christum præcepisse, ut actio Cœnæ celebretur in memoria passionis, & ideo attente & reverenter sumenda esse tanta mysteria.*

2. Idem Bellarmin. l. 1. de Missa c. 12. sic scribit: *Calvinus in antidot. art. Paris. fingit Catholicos ita probare propositionem argumenti nostri, Christus dixit, Hoc facite, sed facere est sacrificare, juxta illud, Cum faciam vitula. Ergo Dominus jussit sacrificare. Sed errat, quod non bona fide referat argumenta Catholicorum, non enim Catholici tam inepte argumentantur.*

(Ergo, Bellarmino judice, *ineptum* est ex verbo *facite* sacrificium Missæ exsculpere velle.)

3. Guilielmus Estius Profess. Academ. Duacensis in Comment. 1. Corinth. 11. p. 410. *Unde & Novi Testamenti Sacerdotes hoc verbo constituti sunt, non quod verbum facite sit idem, quod sacrificate, quomodo nonnulli illud interpretati sunt, plane præter mentem Scripturæ. Namque & in eo, quod in Canone dicitur, hæc quotiescunq; feceritis, in mei commemorationem facietis, facere nequaquam, nisi coacte pro sacrificare potest exponi &c.*

4. Suarez part. 3. tom. 3. Disp. 74. sect. 2. *Facere in Scriptura idem solet significare, quod sacrificare, præsertim quando juxta materiam subjectam talis significatio convenienter aptatur, ut Levit. 18. Luc. 2. quod argumenti genus, quanquam per se non convincat, tamen recte explicat, veritatem hanc cum verbis Christi aperte convenire.*

(Duo igitur largitur Suarez, primo, *verbum facite tum demum significare sacrificare, quando juxta materiam subjectam talis significatio convenienter aptatur.* Erit igitur ex verbis institutionis, tanquam propria hujus articuli sede prius probandum, verbo *facite ejusmodi* significationem convenienter aptari, antequam verbum *facite* pro sacrificare interpretentur. Secundo, *hoc genus argumentationis per se non convincere.*)

5. Deserunt etiam hoc argumentum ex verbo *facite* Cajetanus in opusc. tom. 3. tract. 10. cap. 3. Alphonsus à Castro adversus hæreses verbo Missa, Becanus lib. 3. de Tripl. sacrif. Huntlæus controv. de Missa &c.

Argum. 8. Joh. 4. v. 23. *Veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate.* Ex hoc loco Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 11. sacrificium Missaticum probare satagit. Idem conatur Tirinus in Comm. h. l.

Resp. 1. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 23. hunc locum ita explicat, ut Missatici sacrificii nullam faciat mentionem. *Veros* (inquit) *adoratores appellat, qui veram colendi Deum rationem perdocti illum colunt, quo modo vere convenit eum venerari. Porro illud in Spiritu & veritate, quod varii varie accipiunt, convenientissime sic accipitur, ut Spiritus opponatur corpori, veritas vero umbris. Itaque in idem recidunt, adorare in Spiritu & adorare in veritate. Adorat autem in Spiritu, qui animo, & his, quæ animi sunt, Deum colit, qui scil. curat puram illi exhibere mentem, quiq; fide sincera de illo optime sentit, spem omnem suam in illum collocat, caritate fertur in illum, pie erga illum afficitur, atque ob hæc de admissis peccatis intra se ex animo compungitur, corpus suum castigans & in servitutem Spiritus redigens, de acceptis bonis ex corde Deo gratias agit, necessaria adhuc bona fidenti animo postulat, nihilq; prætermittit, quod Deo novit beneplacitum, aut saltem ab eo præceptum.*

Et paulo post, *ad hunc cultum pertinere* dicit, *ut corpora nostra exhibeamus Deo hostiam viventem & sanctam, ut beneficentiæ & communionis non obliviscamur.*

2. Sebastianus Barradius in Conc. Evang. tom. 2. lib. 4. cap. 10. pag. 233. de hoc loco sic disserit: *Adorare in Spiritu & veritate idem potest significare, videlicet adorare Deum remotis abrogatisq; figuris & typis, quibus Judæi utebantur. Eritq; sensus: Venit tempus, cum veri adoratores adorabunt Deum in Spiritu, ex animo & corde, absque carnalibus sacrificiis Judæorum & Samaritanorum, & in veritate, hoc est, absque umbris & figuris Mosaicæ legis. Sic exponit D. Thomas in Johannem, Veri, inquit, adoratores adorabunt in Spiritu, hoc est, non in Ceremoniis carnalibus, & in veritate, hoc est, non in figura. D. Chrysostomus. Cum Judæi & Samaritani anima contemta munditiæ corporis plurimum studerent, non ablutione, ait Dominus, & ornatu corporis, sed incorporea nostri parte Deum adorandum. Quamobrem non pecora, non vitulos, sed te totum Deo offeras sacrificium. Sic viventem hostiam exhibebis. Immediate enim adorare oportet. Nam quæ superiori tempore figura erant, Circumcisio, holocausta, sacrificia, non sunt amplius, sed omnia veritas. D. Cyrillus in h. l. Præsens adventus sui tempus significat Christus, in quo figuras in veritatem, & umbram in cultum spiritualem & placentem Deo Patri vivendi normam per Evangelicam doctrinam transmutari insinuat. Item. Spiritualis adorator est Deo gratus, qui non forma & figuris Judaicis ad pietatem obumbratur, sed Evangelica virtute refulgens, recta dogmatum disciplina veram peragit adorationem. Theophylactus, Fortassis, inquit, quia Judaica lex secundum literam intellecta figura erat & umbra; quod dicitur in Spiritu, opponitur literæ, non enim lex literæ à nobis observatur, sed lex Spiritus. Et quod dicitur in veritate, opponitur umbræ & figuræ. Aliter diversa potest esse significatio Spiritus & veritatis, ita ut in Spiritu adorare, significet adorare ex animo & corde absq; corporalibus Judæorum Samaritanorumq; sacrificiis. Adorare autem in veritate sit adorare cum vera Dei cognitione, qua Samaritanos caruisse dixit Christus. Unde Theophylactus, Quia, inquit, Spiritus est Deus, hoc est, incorporeus, oportet ipsum adorare incorporaliter, hoc est in anima, Hoc enim significat in Spiritu. Etenim anima est Spiritus incorporeus. Quoniam autem multi videntur adorare in anima non tamen rectam habent scientiam, sicut hæretici, ideo addit, in veritate. Oportet enim & mente adorare Deum & sanam opinionem de ipso habere. Sic Theophylactus. Itaque sensus erit, Venit hora sive tempus, quo neque in monte Garizim, nec in templo Hierosolymitano adorabitis Patrem. Sed venit, inquam, hora, quando in toto orbe veri adoratores Christiani in Spiritu, hoc est, ex corde intimo, non in umbris & typis Judæorum, & in veritate, h. e. non in falsitate Samaritanorum, sed in vera Dei cognitione & fide adorabunt. Adoratio in Spiritu umbras Judæorum, adoratio in veritate falsitatem pellit Samaritanorum.*

3. Eandem explicationem approbat Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis.

4. Maldonatus ad hunc locum post varias expositiones allatas, subjungit: *Omnium opinionum probabilissima est, quæ communis est, maxime Origenis, Tertulliani, Hilarii, Chrysostomi, Procopii, Theophylacti, Cyrilli, Euthymii, ut Spiritus corporeo opponatur loco, quo & Judæi & Samaritani Deum concludere videbantur, dum illi non extra Hierosolymam, hi non extra montem illum adorari putabant posse, ut recte Tertullianus & Hilarius edisserunt, veritas vero figuris ut supra cap. 1. v. 14. 17. ut sensus sit, venisse tempus, quo tempore veri adoratores neque certo ullo loco, neque legalibus illis Ceremoniis & sacrificiis, quæ umbræ tantum erant rerum futurarum, Deum adorabant, sed veritate, id est, rebus iis, quæ per umbras illas significabantur. Possumus etiam meo quidem judicio Spiritum & veritatem pro eodem accipere, quemadmodum & Cyrillus videtur interpretari, ut gratiam N. T. & quicquid ad statum pertinet legis Evangelicæ, Spiritum appellet, legem vero Mosis corpus fuisse significet, quia Evangelium quasi anima, h. e. Spiritus legis est &c. Eadem ergo res & Spiritus dicitur, i. e. anima, & veritas, i. e. corpus, quod per præcedentes illas umbras significabatur. Utraque interpretatio mihi placet & hæc, & quam ante hanc proxime posuimus.*

5. Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus in Concilio Tridentino laudabat Theologos illos, *qui ad locum Malachiæ ab ipsis citatum, alterum è B. Johanne addiderant de adoratione in Spiritu & veritate, quod uterque locus revera de una eademq; re loquatur, mutuoq; declarent, in verbo adorare nihil inesse difficultatis, quod sine dubio complectitur etiam sacrificium. Et quidem* (dicebat) *mulier Samaritana id verbi in Universali suo accepit significa-*

to. Sed cum Christus subjunxit, Deum esse Spiritum & in Spiritu adorandum, nemo, nisi qui omnia improprie enunciare velit, unquam dixerit, Sacramentum, quod constat visibili & invisibili, esse mere spirituale, sed ex spirituali & signo Elementari compositum. Quare si quis utrumque locum de interna adoratione interpretetur, hunc putabat non facile convincendum erroris, cui nimirum verisimilitudo suffragetur, propter claram planamque applicationem: quod hoc genus adorationis omni in loco & ab omnibus nationibus offeratur, sitque mere spirituale, sicut Deus ipse purus est Spiritus, Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trident. p. 640.

Arg. 9. Act. 13. v. 2. *Ministrantibus illis Domino, id est, sacrificantibus.* Bellarm. d. l. c. 13. Sanct. & Tirinus in Acta, Salmero, Suarez, Stapleton. Henriquez &c.

Resp. 1. Lyranus in h. l. *Ministrantibus, scilicet in bonis operibus secundum suos gradus & officia.*

Hugo Cardin. in h. l. *Ministrantibus prædictis Prophetis.*

2. Dionysius Carthusianus in h. l. *Ministrantibus in actibus virtuosis, in observantiis præceptorum & Conciliorum, in conversione aliorum.*

3. Cajetanus in h. l. *Non explicatur species ministerii, sed ex eo, quod dixerat, Prophetæ & Doctores, insinuatur, quod ministrabant Domino docendo & prophetando.*

4. Arias Montanus in h. l. *Cum quadam die ministerium suum exercerent prophetandi & docendi, & indicto jejunio vacarent orationi & precibus, commendantes Deo amplificationem Ecclesiæ.*

5. Erasmus in hunc loc. *Ministrantibus illis, quod proprium est operantium sacris. Nullum autem sacrificiũ Deo gratius, quã impartiri doctrinã Evãgelicam. Sic Rõ. 15. v. 16. dicitur ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον.*

6. Vulgata versio, quæ in Concilio Trid. pronunciata est authentica, & à qua Pontificiis discedere non licet, reddidit *ministrantibus*, non sacrificantibus.

7. Bellarminus lib. 1. de Missa c. 15. §. De loco. *Verba Lucæ sunt generalia, neque explicate continent certum aliquod ministerium. Non enim dixit Lucas, offerentibus illis Domino sacrificium corporis Christi, sed in genere, ministrantibus illis Domino.*

7. Rayhing. in Enchir. Cath. contra D. Hoe p. 756. fatetur, *argumentum ex hoc loco non esse æque firmum ac certum, ut priora.*

8. Georgius Cassander in Consult. p. 221. *λειτουργίαν, ἱερουργίαν, λατρείαν* late sumit pro toto cultu divino.

9. Lorinus in c. 13. Actor. p. 563. *Porro contraria expositio de Liturgia (quæ vel de prædicatione Evangelii, vel de spiritualibus summæ devotionis exercitiis accipitur) non est ita rejicienda ut omni penitus probabilitate carere censeatur, nec nostram adeo certam putamus, ut eâ, tanquam necessario argumento, tametsi valde probabili, hæreticos arbitremur convinci.*

Ibid. fatetur, *Chrysostomum, Oecumenium, & ex recentioribus Cajetanum aliter hunc locum interpretari, quam de Missæ sacrificio.*

10. Caspar Sanct in c. 13. Act. p. 252. postquam aliorum rationes enumerasset firmitatis specie maximas, subjungit, *Hæc videntur magis habere firmitatis, sed quia non omnino, quæ objiciuntur ab aliis, sunt improbabilia, argumentũ hinc sumi grave quidem potest, non tamen necessarium, quod etiam visũ est Bellarmino & Suarezio,*

11. Benedictus Justinianus in Proleg. in Apost. Pauli Epist. c. 2. Disput. 1. p. 8. n. 3. *Illud probare nullo modo possum, quod video multis vehementer placere Græcam vocem λειτουργεῖν præcise in sacris literis positam, de sacro ministerio & sacrificio intelligi.*

Et post varias allatas rationes pergit. *Qua igitur ratione λειτουργούντων apud Lucam interpretamur, sacrificantibus? At λειτουργεῖν publico ministerio convenit. Quasi non alia multa præter sacrificium publica ministeria reperiantur. Munus utique publicum erat, docere, Prophetas interpretari. Evangelium promulgare, vitam, moresque hominum instituere, & si quid aliud ejusdem generis excogitari potest. Atqui hæc Deo non exhibentur, Lucas vero ait, λειτουργούντων τῷ Κυρίῳ καὶ νηστευόντων. Ubi jejunium absolute ponitur, cum tamen & ipsum ad Dei potissimum gloriam referatur. Ministerium autem non nisi Deo dicitur exhiberi, ut quale tandem (si sacrificium tollas) ministerium Deo proprie & soli impenditur? Probabilis ratio, non necessaria tamen. Nam Paulus Reges vocavit Dei ministros id est, λειτουργοὺς, non propter sacrificium, sed propter publicam functionem, qua Deo dicuntur λειτουργεῖν, sive dum bonis civibus præmia, sive dũ improbis pœnas reddunt. In can. autem Apost. 29. hæc leguntur: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus juste ob manifesta crimina depositus, ausus fuerit ἅψασθαι τῆς πάλαι ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας. Ubi absolute Diacono tribuitur λειτουργία. Ex quo apparet, latius patere, quam sacrificium, & significare publicum munus aut mysterium, aut certe aliquo modo sacrum, quod confirmat Gregorius Nazianzenus, qui λειτουργίαν, id est, ministerium, & ἡγεμονίαν, id est, principatum pro eodem accipit. Clarius Patres Concilii Ancirani cap. 1. loquentes de Presbyteris, qui idolis immolarunt, Placuit, inquiunt, honorem sedis retinere, offerre autem & sermonem apud populum facere ἢ ὅλως λειτουργεῖν, id est, aliquo omnino sacrato munere fungi non liceat. Concludo, verba illa Lucæ λειτουργούντων, καὶ νηστευόντων probabiliter, non necessario de Missæ sacrificio intelligi. Eam vero sententiam, quæ asserit, illa ad Evangelii prædicationem pertinere, malos quidem habere autores, id est, hæreticos, non videri tamen à vero prorsus alienam, neque ab ea multo ante exortas hæreses viri Catholici abhorruerunt.*

Et postea, *Nam ego quidem, ut verum fatear, adduci non possum, ut credam, hæc in ipso Missæ sacrificio contigisse. Nam cur, quæso, additur & jejunantibus? An existimandum est, de eo tantum jejunio agi, quod tum servabant, cum divino sacrificio intererant? Frigidum quidem id esset ac plane ridiculum. Suspicor igitur, pro re bene gerenda cũ diligentius quisque pro sua virili in vinea Domini laborarent, indicta fuisse jejunia ad aliquot dies, per id vero tempus Spiritum Sanctum monuisse Prophetas, ut Paulum & Barnabam à cæteris segregari atque initiari præciperent. Quocirca, quod plerique observant, ad sacros ordines non modo sacrificium Missæ, sed etiam jejunia fuisse adhibita, verum id quidem, sed vereor, ut possit ex hoc loco colligi, cum λειτουργεῖν ac jejunium non tam fuerint propter ordines assumta, quam dum discipulis hortibus operam darent, divino monitu Paulus & Barnabas initiati sint.*

12. Cornelius à Lapide in Comment. Act. 13. non diffitetur, Pontificios in expositione hujus loci dissentire.

Arg. 10 1. Cor. 10. v. 18. *Sacra Cœna opponitur altaribus gentilium, & mensis Leviticis, Ergo est sacrificium.*

Resp. 1. 1. Cor. 9. v. 13 *prædicatio Evangelii*, fatentibus interpretibus Pontificiis, opponitur *altaribus Judæorum*, & tamen prædicatio illa non est *sacrificium proprie dictum.*

2. Cornelius à Lapide in h. l. n. 60. & 61. agnoscit, *Apostolum per mensam Dæmoniorum non intelligere altaria idololatrica gentilium, in quibus gentiles Dæmonibus immolabant, sed mensas, in quibus post sacrificia peracta, ex cibis & potibus sacrificatis convivia instituebant vel domi, vel in templis, 1. Cor. 8. v. 10. c. 10. v. 27.*

(Verissimam esse hanc expositionem patet ex eo, quod Apostolus etiam *de bibitione poculi Diaboli* agit. Notum autem est, gentiles non ad altaria sua, sed ad conviviorum mensas bibisse, Invertimus ergo argumentum. Quemadmodum Christiani, qui conviviis illis gentilium intererant, non quidem sacrificabant, sed tamen participabant de carnibus in sacrificium oblatis: sic Christiani, manducantes panem benedictum, participes fiunt ejus sacrificii, quod à Christo in altari crucis oblatũ.)

3. Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus in Conc. Trident. monuit; *quod B. Paulus dicit de participando sacrificio Judæorum, & de mensa Dæmoniorum, si accipiantur ritus à Deo per Mosen instituti, & qui ab Ethnicis inter sacrificandũ adhibiti, non inde effici Eucharistiam esse sacrificium. Notum esse apud Mosen, in sacrificiis votivis totam victimam fuisse exhibitam Deo, atque unam partem ejus igni absumtam, quæ erat sacrificium. Ex eo, quod erat reliquum, partem fuisse Sacerdotis & cæteram partem offerentis. Utrumque partem suam comedisse, qui cum ipsi collubitum esset, neque id vocatum sacrificare sed sacrificium participare. Idipsum Ethnicos imitatos. Etiam partem eam, quam altari non absumebatur à nonnullis vendi solitam, atque hanc esse mensam, quæ non est altare. Perspicuum ergo B. Pauli sensum hunc esse: Sicut Hebræi partem eam manducantes, quæ ad offerentem spectabat, nempe sacrificii reliquias, participes fiunt altaris & Ethnici ad eundem modum: ita nos comedentes Eucharistiam participare sacrificium crucis. Atque id esse quod dixit Christus, Hoc facite in meam commemorationem: & illud D. Pauli: Quoties comederitis hunc panem, & biberitis hunc calicem Christum mortuum pro vobis annunciabitis.* lib. Petr. Suavis 6. Hist. Conc. Trid. p. 640.

(Nimirum comparat Apostolus mensam Christi & Levitarum *in paritate participationis* de rebus in mensa quaq; positis, non *in identitate sacrificii*, multo minus ritu sacrificandi, quem in Eucharistia negamus.)

Arg. 11. Huntlæus de Missa p. 270. fundamentum sacrificii Missatici quærit in phrasi Paulina 1. Cor. 11. v. 24. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Est*, inquit, *phrasis ista incruentorum sacrificiorum propria, desumta ex ritu, quo Sacerdotes legis ex mandato Dei utebantur in immolatione sacrificiorum incruentorum. Ita enim, quæ incruente offerebantur Deo, cum essent ex re-*

bus

bus inanimatis, quæ occidi non poterant, solebant frangi & conteri. Sensus igitur literalis & proprius horum verborum, quod pro vobis frangitur, est iste, quod pro vobis incruento modo sacrificatur.

Resp. 1. Cajetanus in 1. Cor. 10. sic commentatur: *Verissimum est, verum Christi corpus multipliciter fractum esse. Nam & fractum fuit, quantum ad cutem, cum flagellatum fuit à Pilati militibus, fractum quoque fuit, quantum ad carnem, & in manibus & in pedibus clavis, quibus fixus est in cruce; & fractum demum est in latere, cum unus militum lancea latus ejus pupugit.* Locum integrum adduximus superius in resp. ad argum. 5.

2. Guilielmus Estius in Comment. verba illa refert *ad divisionem, & fractionem ad species panis transmutati, quæ franguntur, eò quod fractio corporis in Sacramento mystica quædam repræsentatio sit passionis in cruce, ut panis fractus intelligatur, qui in cruce attritus est ob scelera nostra,* Es. 53. v. 4.

3. Benedictus Justinianus in Comment. pag. 566. *probabilissimum esse* statuit, *fractionem, quæ fit in sacrificii celebratione, consecratione priorem fuisse.*

(Atqui si fractio est consecratione prior, non necessario sacrificium aliquod innuit. Illud enim in ipsa consecratione, ut volunt, essentialiter consistit.)

4. Vulgata versio Latina in Concilio Tridentino pronunciata est authentica. Illa vero sic habet: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Argum. 12. Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona aut sacrificia pro peccatis.* Ex hoc loco Alphonsus de Castro lib. 10. adversus hæreses verbo Missa, hæresi 2. cupit probare sacrificium Missaticum. *Aut ergo* (inquit) *nullum est legis Evangelicæ Sacerdotium, aut aliquod habebit peculiare sacrificium, quod offerat pro peccatis. Nullum autem est aliud, quod non possit à non Sacerdote offerri, nisi Eucharistia, quæ in Missa offertur, Missa ergo est sacrificium.*

Resp. 1. Estius in illum locum sic commentatur: *Quod in verbis præcedentibus sumsit, Christum esse Pontificem, id jam probare instituit &c. Facit id ex aliorum Pontificum collatione, videl. Leviticorum. Neque enim erant alii Pontifices, cum quibus collatio fieri posset. Nam etsi ante legem fuerint, qui sacrificia Deo offerent: tamen de Levitico tantum Pontifice Apostolum loqui, & cum eo Christum conferre, manifestum est totam seriem sequentis dissertationis intuenti. Unde ait cap. 7. ad finem, Lex homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes. Docet ergo, quid simile Christus habeat cum legali Pontifice vero, ac legitimo ejus officio, ut ostendat, eum vere Pontificem esse, tum quid habeat diversum, quo probet illo esse majorem.*

2. Bellarminus lib. 3. de Pontif. cap. 13. §. Ratio. *Apostoli in Scripturis nunquam vocant Sacerdotes Christianos, Sacerdotes, sed solum Episcopos & Presbyteros.*

(Ergo hic locus non intelligitur de Sacerdotibus Christianis in Veteri, sed Leviticis in N. T.)

Argum. 13. Hebr. 7. v. 3. *Christus est æternus Sacerdos. At si non offerretur quotidie sacrificium externum, non esset Sacerdos æternus.*

Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 25. §. Quod autem &c. *Non potest Christus dici Sacerdos in æternum, nisi per Ministros sacrificet; quia certum est, eum proprie & per se non sacrificare.*

Resp. 1. Pontificii agnoscunt, *Missaticum sacrificium in vita æterna non amplius locum habiturum.* Atqui Christus etiam in vita æterna erit Sacerdos. Ergo ad æternitatem Sacerdotii Christi non requiritur Missaticum sacrificium.

2. Pontificii statuunt, *tempore Antichristi cessaturas omnes publicas religionis Ceremonias & sacrificia.*

Bellarminus lib. 3. de Pont. Rom. cap. 7. *propter atrocitatem persecutionis tunc cessaturum publicum & quotidianum Ecclesiæ officium & sacrificium, juxta vaticinium Daniel. 12.*

Ibid. *Antichristum interdicturum sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium.* At nihilominus Christus tunc erit æternus Sacerdos.

3. Vasquez tom. 1. p. 3. D. 85. c. 1. n. 5. *Hic modus, quo recentiores explicant æternitatem Sacerdotii Christi, mihi nunquam placere potuit, atque non solum Scriptura, sed etiam manifesta ratione refelli potest.*

4. Ribera in cap. 7. Hebr. n. 66. *Duplici ratione dicitur Christus ab Apostolo Sacerdos in æternum, quia ipse æternus est, nec moritur, ut alii Sacerdotes, qui, dum vixerunt, potuerunt hostias offerre, sed morte impediuntur. At Christus, licet, cum obtulit sacrificium, mortuus est, tamen resurrexit & jam vivit in æternum. Secundo, non est finita virtus ejus sacrificii cum ejus morte, sed nunc etiam Patri illud repræsentat, & res nostras apud Patrem agit, ut omnes electi vitam consequantur æternum. Propterea ait Apostolus, unde salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Ibid. n. 32. *Nemo potest negare hoc pronunciatum, Christus nunc in cælo Sacerdotis officio fungitur apud Patrem pro nobis, ut Apostolus Johannes probat 1. Epist. 2. Si quis peccat, Advocatum habemus, & Paulus Hebr. 7. Alii quidem plures &c.*

Argum. 14. Hebr. 13. v. 10. *Habemus altare, de quo non habent edendi potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Ubi vero altare, ibi sacrificium.* Anglo-Rhemens. in h. l. Autor Phosphori cap. 4. arg. 4. Salmero Disp. 23. in Ep. Hebr. pag. 788. Jacobus Tirinus in Comm. h. l.

Resp. 1. Thomas Aquinas in c. 13. Hebr. *Istud altare vel est crux Christi, in qua pro nobis immolatus est; vel ipse Christus, in quo & per quem preces nostras offerimus, & hoc est altare aureum, de quo dicitur Apocal. 5.*

2. Lyran. in h. l. sic commentatur: *Observantes legalia cum Evangelio, non habent in effectu passionis Christi partem, secundum quod dicitur Gal. 5. Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Et hoc est, quod dicit Apostolus. Habemus altare, id est, crucē, in qua oblatus est.*

3. Estius in h. l. *Plerique tam veteres, quam recentiores per altare significari volunt mensam Dominicam, ex qua sumitur à fidelibus corpus & sanguis Domini &c. At vero sanctus Thomas* (potuisset addere Oecumenium in Comm. h. l.) *altare hoc interpretatur crucem Christi, vel ipsum Christum. De quo altari edere, inquit, est fructum passionis Christi percipere, & ipsi, tanquam capiti, incorporari. Crucem Christi recte proprieque vocari altare, nulla dubitatio est. Non enim aliud altare fingi potest, super quod Christus cruente pro nobis fuerit immolatus. Unde & Ecclesia nominat aram crucis in divinis officiis. Ipsum quoque Christum esse altare probat idem Doctor, quia ipse est, in quo & per quē preces nostras Deo offerimus. Idemque significatus est per altare aureum, quod vidit Johannes Apocal. 8. Priorem S. Thomæ expositionem amplectitur Lyranus, posteriorem Titelmannus. At Gagnæus utramque miscere videtur, dum hoc altare dicit esse hostiā in ara crucis oblatam, ipsum scil. Christi corpus. Harū triū expositionum prima, quæ altare mensam Domini interpretatur, opponi solet hæreticis, qui sacrificium incruentum corporis & sanguinis Dominici pernegant &c. Cæterum arbitror, expositionem S. Thomæ, quam priori loco posuit, esse magis germanam. Innuit enim eam nobis ipse Apostolus, cum paulo post dicit, Jesum extra portam passum esse, id est, in ara crucis oblatum. Et ut taceam, quod toties in hac Epistola, atque ex instituto per antithesin comparat Sacerdotem ministrantem tabernaculo cum Christo offerente seipsum in cruce, sane cum in superiore disputatione, qua tam copiose egit de sacrificiis veteris legis per Christum abolitis, deque sacrificio N. T. per eundem introducto, nullam facere voluerit mentionem incruenti sacrificii novæ legis, non multum verisimile est, eum nunc aliud agentem, velut ex abrupto voluisse de sacrificio incruento sermonem ingerere, sed potius cruenti, in cruce oblati, memoriam ex antedictis renovare.*

(Hæc expositio probatur ex verbis immediate sequentibus. Apostolus enim figuram veritati applicans, ostendit, quod sicut V. T. Sacerdotes sacrificia pro peccato oblata & extra castra combusta, non comedebant: ita Ceremonias Judaicas observaturi, ac Hierosolymitano templo adhæsuri, nec cum Domino extra portas egredientes, sacrificii Christi extra urbem oblati, participes esse nequeant, quod de alio, quam crucis sacrificio intelligi minime potest. Nostram ergo expositionem ipsa textus evidentia comprobatam, sequuntur Thomas, Lyranus, Titelmannus, Gagnæus, Estius &c.)

4. Hinc Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 14. §. 2. sic scribit: *Existimant quidem aliqui, ut Haymo & alii nonnulli graves autores, non improbabiliter, mensam Domini expresse vocari altare, Hebr. 13. illis verbis, Habemus altare &c. tamen quia non desunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligant crucem, aut ipsum Christum, non urgeo istum locum.*

5. Guilielmus Bailius Jesuita tom. 2. Controvers. q. 29. *Metonymice de altaris sacrificio, de corpore Christi* (*Apostolus*) *loquitur, cujus Judæi participes fieri non poterant, quia non erant baptizati.*

6. Salmero, etsi ex hoc loco Missaticum sacrificium stabilire conatur, fatetur tamen, *per altare ab Apostolo μετωνυμικῶς intelligi sacrificium; quo sensu hæc vox etiam 1. Cor. 9. v. 13. cap. 10. v. 18. usurpatur*; fatetur etiam, *hoc sacrificium Novi Testamenti esse ipsum Christum*, quo modo Apostolus ipse exponit 1. Cor. 5. v. 7. illud vero sacrificium oblatum est pro peccatis nostris in ara crucis, 1. Petr. 2. v. 24.

7. Franciscus Ribera in cap. 13. Hebr. non negat, *de passione Christi hunc locum intelligendum*; & rejicit Bellarminum, qui lib. 3. de Cultu Sanct. cap. 4. §. 16. *altare ad sacrificium Eucharistiæ accom-*

commodat, ipse vero *de Sacramento Eucharistiæ sermonem esse* ait: quo nomine ipsi videtur indignari Benedictus Justinianus, quando in hunc locum sic commentatur: *Mirum autem est, quid in mentem venerit quibusdam, qui malunt, hæc ad Eucharistiam referre, ut est Sacramentum, quam ut est sacrificium.*

Arg. 15. *Ubi Sacerdotes, ibi sacrificium. At in Novo Test. quidam constituuntur Sacerdotes, Esai. 61. v. 4. c. 66. v. 21. 1. Petr. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6. Ergo.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 3. de Pontif. Rom. c. 13. & lib. 1. de Missa cap. 17. fatetur, *Ministros N. T. nunquam vocari in Scripturis Sacerdotes,* (videlicet in speciali quadam significatione. Ergo etiam non offerunt sacrificium aliquod externum proprie dictum, sed ut Sacerdotum nomen cum reliquis fidelibus commune habent, ita quoq; sacrificia cum ipsis habent communia, scilicet spiritualia.)

2. Franciscus Forerius Theologus Ulyssiponensis in Esai. 61. p. 219. scribit, *vaticinium Esaiæ in Apostolis impletum fuisse, quia ministros mensarum elegerunt, sibi vero orationem & verbi ministerium reservarunt.*

(Ergo non nisi metaphorice vocantur Sacerdotes.)

3. Si *in sensu literali* oracula illa Prophetica accipienda, erigendum erit *altare lapideum*, conquirendi *Sacerdotes ex tribu Levi*, immolandi *vituli &c.* Si *metaphorice & figurate*, tum exponenda de eo cultu, quem Evangelicum præscribit.

(Prophetæ enim verbis Vet. Testamenti vaticinantur de rebus N. T.)

4 Caspar Sanct. in c. 61. Esai. multis probat, *Sacerdotis nomen proverbiali specie ibidẽ sumi pro eo, cui à cætera multitudine maxima defertur observantia, & cui optima quæque ex sacrificiis reservari jubentur; quodque illi in Scripturis vocentur Sacerdotes, qui nullo modo fuerunt Sacerdotes, sed Principes apud suos in ordine profano & Laico.*

Arg. 16. *In quacunq; Republica bene constituta indissolubili nexu inter se devincta sunt, lex, sacrificium, Sacerdotium. Ergo etiam conjuncta esse debent in Republ. Christiana, & per consequens sacrificium visibile requiritur, quod nullum aliud, quam Missa.* Bellarminus lib. 1. de Missa c. 20. Gregorius de Valent. lib. 1. de Missa c. 4. Ribera in Comment. ad c. 10. Hebr. p. 462. &c.

Resp. 1. Bellarminus d. l. §. Propositio prima &c. sic scribit: *Fere omnis religio seu vera, seu falsa, omni loco & tempore ad cultum Dei sacrificia adhibuit.*

(Si *fere omnis*; Ergo non absolute & simpliciter omnis, ac proinde Universalitati majoris derogatur.)

2. Argumentum hoc ductum est *ex ratione naturali*, sive judicio rationis fatente Gregorio de Valentia d. l. Atqui ostendimus superius lib. 1. part. 2. c. 1. n. 18. ex confessione quorundam Pontificiorum, *lumen Naturæ sive judicii naturalis discursum non esse fundamentum cultus divini.*

3. Non destituitur N. Test. sacrificio visibili externo, quia *sacrificium crucis* pertinet ad N. Test.

Bellarminus quidem excipit lib. 1. de Missa c. 20. *Sacrificium crucis non esse proprium Christianæ religionis, sed commune omnibus veris religionibus, quæ ab initio mundi fuerunt, cum & in lege Naturæ & in lege scripta omnia sacrificia in hoc unum respexerint, & hoc unum professa sint, & quotquot justi fuerunt ab initio mundi, ob hujus sacrificii participationem justi fuerint.*

Atqui ex eodem principio probare possum, etiam Missaticum sacrificium non esse Christianæ religionis proprium sacrificium, cum ex hypothesi Pontificiorũ omnia alia sacrificia in lege Naturæ & in lege scripta illud unum respexerint.

Concilium Trid. sess. 22. c. 1. p. 221. *Hæc* (quæ in Missa fit) *illa munda oblatio est, quæ per varias sacrificiorum Naturæ & legis tempore similitudines figurabatur, utpote, quæ bona omnia per illa significata, velut illorum consummatio & perfectio, complectitur.*

4. Contra Bellarminum ex Bellarmino sic concludimus: Quod non fuit tempore Christianæ religionis, illud non est sacrificium Christianæ religionis. Bellarm. lib. 1. de Missa c. 20. Missaticum sacrificium non fuit tẽpore Christianæ religionis. Nã Missa celebrata fuit à Christo ex hypothesi Pontificiorum in prima Eucharistiæ institutione & Christiana religio ex hypothesi Bellarmini d. l. demum post Christi mortem cæpit. Ergo Missa non est Christianæ religionis proprium sacrificiũ.

5. Suarez part. 3. tom. 3. Disput. 73. sect. ult. statuit, *sacrificium, quatenus spiritualem illum cultum includit, qui est per hostiæ oblatæ immutationem non esse lege Naturæ præceptum, sed solum quatenus includit generalem cultum externum.*

(Nimirum de lege Naturæ est, ut Deum colamus, non tantum *interne*, in animo; sed etiam *externe*, in gestu, sermone, & actionibus, ad ejus cultum & honorem relatis: sed ut fiat oblatione aliqua rei sensibilis permanentis, ejusdemque destructione, id nunquam Natura docuit.)

Inde Suarez recte addit. *Præter hunc enim modum possunt esse alii, etiam honesti & sufficientes, ut per vocalem orationem & laudem, per genuflexiones vel alias similes actiones. Cultus enim externus multiplex est, & nullum est naturale principium, ex quo sufficienter colligi possit, determinationem illius ad talem modum cultus, scil. per sacrificium, esse omnino necessariam ad morum honestatem.*

Arg. 17. Huntlæus de Missa c. 208. *Eucharistiam esse sacrificium* probat ex eo, *quod repræsentet mortem Christi. Perspicuum est,* inquit, *solum sacrificium repræsentare mortẽ Christi, non Sacramentũ.*

p. 206. *Nec verum est, quod aliqui ex Adversariis dicunt, Baptismum, etiamsi sit Sacramentum & non sacrificium, nihilominus repræsentare mortem Christi.*

Resp. Bellarminus in locis quamplurimis fatetur, *Baptismum & Sacramenta, quà talia, repræsentare Christi mortem,* lib. 1. de Sacram. in genere c. 9. & 15. lib. 2. c. 4. lib. 1. de Baptismo c. 9. arg. 15. lib. 1. de Missa c. 15.

(Aut ergo statuant, etiam Baptismum esse sacrificium, aut agnoscant, ex eo, quod Eucharistia repræsentet mortem Christi, non posse evinci, Eucharistiam esse sacrificium.

Arg. 18. Bellarminus lib. 1. de Missa c. 13. *Corpus & sanguis sunt in Cœna ut cibus & potus. At caro & sanguis non sunt apta ad cibum, nisi animal prius moriatur. Christus autem non moritur, nisi per immolationem & mactationem. Et hoc est argumentum Gregorii Nysseni in pr. orat. de Resurrectione, ubi colligit, Christum in Cœna immolari, alias non possemus carne ejus vesci.*

Resp. Salmero tom. 9. tract. 21. p. 243. sic scribit: *Audivi quosdam probare conatos, Christum se in Cœna mactasse, quia per consecrationem ex vi verborum separatur corpus à sanguine, & sanguis à corpore, ob quam separationem mors sequitur, licet ob concomitantiam naturalem mors non sequatur. Sed neq; mors semper est necessaria, neque consecratio aut separat, aut dividit ex vi verborum conjuncta, maxime si, quod offertur sub aliena specie, mactationis & mortis minime sit capax. Constat autem, Christum sub hostia delitescentem immortalem existere. Quare quod Nyssenus & Theophylactus docent, mactationem esse in hac oblatione, benigne est interpretandum, nimirum mactationem antiquam, qua Christus in cruce sacrificatus est, in hujus hostiæ sanctificatione, non novam inveniri & realem aliam ab illa distinctam.*

Arg. 18. *Patres sacrificium Missæ confirmant.*

Resp. 1. Cassander in Liturg. c. 16. *Ætate Augustini offerendi verbum de tota hujus Sacramenti celebratione & administratione dicebatur.*

Epist. 118. ad Januar. *Alii cotidie communicant corpori & sanguini Dominico: alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies omittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantum & Dominico: alibi tantum Dominico.*

2. Idem Cassander in Consult. c. de Sacrificio corp. & sang. Christi p. 998. *Fatendum est, oblationis & sacrificii nomine veteres nonnunquam intellexisse totam hanc mysticam actionem, quæ constat symbolorum consecrandorum oblatione, oblatorum consecratione, mortis Domini commemoratione, gratiarum actione, & pro communi omnium salute supplicatione, etiam Sacramentorum distributione & participatione: hæc certe omnia Græci his nominibus λειτουργίας, ἱερουργίας, θυσίας ἀναιμάκτου, λογικῆς λατρείας significasse videntur.*

Et postea. *Manifestum est, veterem illam Ecclesiam ita semper sensisse, corpus & sanguinem Christi semel in cruce oblata ad salutem totius mundi, victimam esse perpetuam, quæ semel oblata consumi non potest, sed efficax manet ad remissionem quotidianorum delictorum, quare & Christus in cælis perpetuum habens Sacerdotium, quotidie hanc perennem victimam pro nobis quodammodo offert, quando apud Patrem interpellat pro nobis.* Hanc Cassandri sententiam confirmat evidens locus ex Lombardo lib. 4. sent. dist. 12. superius adductus.

3. Melchior Canus lib. 12. Loc. Theol. c. 12. §. Atq; &c. sic disserit: *Lutherani non penitus Sacrificium negant, sed in eo perstant, qui hostiam pro peccatis admittunt, eos injuriam ponere sacrificio Christi perfectissimo, quo uno cuncta sunt remissa. Itaq; gratiarum actionem sacrificium in Ecclesia esse quidem, quod Eucharistiam isti vocant, sed pro peccatis nullum esse, quod propitiatorium appellant.*

(Frustra ergo dicta Patrum nobis opponuntur, quæ sacrificium *Eucharisticum & commemorativum* statuunt.)

4. Nec

4. Nec aliud sacrificium in S. Cœna Patres agnovisse, patet ex ipsorum verbis. Justinus in Dial. cum Tryphone, *similam pro mundatis à lepra offerri solitam figurate significasse* dicit *panem Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suæ purgantis ab omni peccato animas hominum J. C. tradidit posteris, ut interim gratias agamus Deo, tum pro mundo propter homines creato, cum cæteris, quæ hoc continentur, tum pro redemtione, qua liberati sumus à peccatis, principatibus ac potestatibus in universum debellantibus juxta divinum Concilium.*

In eod. Dial. *Preces autem & gratiarum actiones, quæ à dignis offeruntur, sola perfecta ac Deo accepta sacrificia esse, ipse quoq; affirmo. Hæc autem sola etiam Christiani facere & offerre didicerunt, etiam in ipsa commemoratione alimoniæ siccæ & liquidæ, in qua & passionis, quam propter ipsos Filius Dei passus est, meminerunt.*

Cyprianus Epist. 63. S. Cœnam vocat *sacrificium*, sed subfinem Epistolæ seipsum sic explicat: *Quia passionis ejus mentionem in sacrificiis facimus, (passio enim est Domini sacrificium, quod offerimus) nihil aliud, quam, quod ille fecit, facere debemus.*

(Ex eo sic colligimus: Sacrificium, quod in administratione Cœnæ offerimus, est passio Christi. Jam vero Cœna non est proprie passio Christi, sed tantum passionis memoriale. Ergo etiam Cœna non est proprie sacrificium, sed sacrificii memoriale.)

Chrysostomus in Psalm. 95. *Quæ omnia* (V. T. sacrificia) *nova gratia superveniens uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam.*

(Hoc non potest de sacrificio Missæ intelligi, quia alias sacrificium in cruce oblatum non esset vera hostia.)

Habemus autem & nos in nobis varias immolationes, non quæ juxta legem incedunt, sed quæ decent Evangelicam gratiam. Unde has cognoscere victimas, quas habet Ecclesia cum sine sanguine, sine fumo, sine altari, cæterisq; Ceremoniis munus Evangelicum sursum ascendit ad cælum, quodq; fit sacrificium mundum & immaculatum. Audito sanctam Scripturam tibi palam exponentem hanc differentiam ac varietatem.

(Uni ergo veræ hostiæ addit varias victimas, scil. spirituales, alias enim hæc verba pugnarent cum prioribus. Illud patet etiam ex eo, quod loquitur de hostiis, quæ offeruntur sine altari. Enumerat *decem* ejusmodi *hostias*, inter quam primo loco ponit Eucharistiam.)

Idem homil. 17. in Epist. ad Hebr. *Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem faciendam mortis ejus. Una est hostia, non multæ. Quomodo una est & non multæ? quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus &c. Idipsum semper facimus, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας, magis autem recordationem sacrificii operamur.*

Augustinus lib. 1. contra adv. legis & Prophet. c. 19. *nobis* tribuit *sacrificium laudis, Christo autem verum & proprium sacrificium in cruce oblatum. Deum non egere quis nescit? sed nec laudibus nostris eget. Verum sicut nobis, non illi, utile est, laudare Deum, sic nobis, non illi, utile est, sacrificium offerre Deo, quoniam singulari & solo* (nota) *vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est.*

Idem Epist. 23. ad Bonifac. *Nonne Christus semel immolatus est in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur. Nec utiq; mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.*

(Quia immolationem statuit in Sacramento, non in sacrificio, ergo non intelligit immolationem proprie dictam. Dicit etiam, *populis eum immolari*, videlicet in *distributione*, non Patri in *consecratione*, ut volunt Pontificii.)

Idem lib. 30. contra Faustum c. 18. scribit, *Christianos peracti in cruce sacrificii memoriam celebrare sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.*

(Ubi nomine oblationis non intelligit sacrificium Deo oblatum, sed *distributionem*, per quam corpus & sanguis Domini communicantibus offeruntur, quo modo etiam loquitur Cyprianus serm. de lapsis: *Solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit.*)

5. Sic ergo Patres vocibus *sacrificii, victimæ, immolationis, oblationis, hostiæ &c.* respexerunt. α. vel *ad eleemosynam*, quam ad sacram mensam uberrime contulerunt ad Eucharistiæ Sacramentum accessuri. β. vel *ad preces*, quas longa serie pro omnib. Ecclesiæ ordinibus ac pro Magistratu, juxta dispensationem Dominici Testamenti, effuderunt. γ. vel *ad gratiarum actiones*, quas pro beneficiis divinis, præsertim pro sacrificio Christi in cruce, Deo obtulerunt. δ. vel *ad prædicationem & commemorationem mortis Dominicæ*, quam ex præscripto Apostoli 1. Cor. 11. v. 26. Eucharistiæ celebrationi adjunxerunt. ε. vel ad concursum variorum Christianæ *virtutis exercitiorum*, quæ Deo exhibuerunt. ζ. vel *ad consecrationem* illam, qua se totos quasi Deo consecrarunt & sanctificarunt ex digna thesauri Eucharistici consideratione. η. vel *ad sacrosanctas illas actiones*, quæ in administratione & usu Eucharistiæ occurrunt, quæ sacrificii nomen in significatione latiore, in Scripturis tamen non infrequenti, jure sibi vendicant. θ. vel *ad repræsentationem unici illius propitiatorii sacrificii*, quod Christus in ara crucis Patri cœlesti obtulit. ι. vel ad certissimam exhibitionem atque Sacramentalem præsentiam *corporis & sanguinis Domini*, tanquam sacrificii in cruce pro nobis oblati. κ. vel ad singularem illam *fidei operationem*, quæ corpus & sanguinem Christi, pretiosissimum illud redemtionis nostræ lytrum, in sacra Cœna firma fiducia apprehensum intime sibi applicat, inter hominem peccatorem & Deum interponit, proque solutione sufficienti Deo offert.

6. At, inquiunt, *Patres mensas, in quib. Eucharistia celebrata, vocant altaria. Ergo in illis oblatum sacrificium.*

Resp. primo. Lorinus in Comm. Act. 2. p. 158. de nomine *altaris, templi & Sacerdotis* fatetur, *raro ab antiquioribus pro sacris Christianorum ædibus usurpari.*

Secundo, Baronius ad annum Christi 34. sect. 284. sic scribit: *Si quis primitivæ illius nascentis Ecclesiæ principia repetat, & noscat consuetudinem, quænam fuerint illæ mensæ, cognoscet, nimirum easdem fuisse sacras æque atq; communes. Sicut enim Dominus ac Redemtor noster in ultima illa ac memorabili Cœna utramque Cœnam una conjunxit, communem & sacram, in quarum priori agnum ex more comederent, in altera vero mox consecuta sacratissimum corpus suum & sanguinem suum propinavit: ita etiam Apostolorum temporibus eadem in Ecclesia consuedo noscitur conservata ut simul utramq; mensam conjungerent.*

7. At, inquiunt, *in Missis veterum cuidam earum parti Offertorio nomen est, sive Offerendæ ante consecrationem.*

Resp. moris olim fuit, *oblationes Laicorum* admitti, ut constat ex canone Gregorii septimi apud Gratianum dist. 1. de consecratione. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre.*

Alcuin. de div. officiis cap. de celebr. Missæ. *Sequitur deinde Offerenda, quæ inde hoc nomen accepit, quod tunc populus sua munera offerat.*

Scotia de sacrificio Missæ lib. 4. c. 1. *Offertorium dicta est pars illa, in qua populus Ecclesiæ ministris oblationes suas offerebant.*

8. Quicquid vero sit, quamvis Bellarminus lib. 1. de Missa c. 23. confirmaturus, *Missam esse sacrificium, efficacissimam putet esse probationem, quæ à consensu veteris Ecclesiæ sumitur*, tamen non potest Apostolicæ vel isti propinquæ consensum probare, itaque tantum *à mille annis* eundem deducit. Sic enim scribit §. Postrema. *Missa, ut nunc est, tempore Sancti Gregorii Papæ. I absoluta est, ut Kemnitius fatetur, & constat à tempore Gregorii nihil ad canonem Missæ esse additum. Porro Gregorius ante annos circiter mille floruit. Ergo testimonio Adversariorum Missa pro sacrificio haberi cœpit in Ecclesia ab annis ut minimum mille.*

9. Denique quædam Patrum dicta, quæ pro stabiliendo Missatico sacrificio afferuntur, petita sunt ex scriptis, quæ quidam ex ipsis Pontificiis supposititia esse agnoscunt. Sic ex *libro passionis Andreæ* afferunt dictum Andreæ Apostoli ad Præsidem Ægeam.

Sed Bellarminus lib. de script. Eccles. p. 69. de eo sic scribit: *Audivi aliquando magnum quendam virum eam Historiam ab Achaiæ Presbyteris conscriptam in dubium revocantem.* Plura hujusmodi exempla peti possunt ex illis, quæ dicta sunt lib. 1. part. 2. cap. 13.

Thesis 2. Missa non est sacrificium Propitiatorium vere & proprie sic dictum, sed tantum commemoratio sacrificii propitiatorii in ara crucis à Christo oblati.

Antithesis. Conc. Trid. sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit.*

Alphonsus de Castro lib. 10. adv. hæres. verbo Missa, hæresi 3. *Hæresis est, statuere, quod Missa non possit offerri pro peccatis.*

(Bellar-

Bellarminus lib. 2. de Missa c. 1. *Synodus Tridentina aperte docuit, sacrificium Missæ non solum propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis, non solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atque adeo mortalibus id enim significat, cum ait: Crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

Nostram sententiam confirmavimus superius. Hic breviter monemus,

1. Missa non est sacrificium proprie sic dictum. Ergo nec est propitiatorium sacrificium.

2. Christus *unica oblatione in cruce perfectos reddidit omnes, qui sanctificantur.* Hebr. 10. v. 1. 11. & 12. Ergo non requiritur nova oblatio propitiatoria.

3. Applicatio meriti Christi non fit per novum aliquod propitiatorium sacrificium, sed per *verbum & Sacramenta* ex parte Dei, per *fidem* ex parte nostra.

4. Sacra Cœna instituta est *ad commemorationem Christi* Luc. 22. v. 19. non autem in propitiationem pro peccatis, in hunc enim finem *sanguis Christi* in ara crucis *effusus.* Matth. 26. v. 8.

5. Scriptura soli sacrificio Christi in cruce præstito hunc honorem tribuit, quod sit *expiatio pro peccatis totius mundi* Es. 53. v. 3. 1. Joh. 2. v. 2. Hebr. 9. v. 14. c. 10. v. 12. Ergo Missæ hoc non est tribuendum.

6. *Absq; effusione sanguinis non fit propitiatio pro peccatis* Hebr. 9. v. 22. Jam vero in Missa nulla fit effusio sanguinis, sed *Christus* ex hypothesi Pontificiorum *modo incruento Patri cœlesti offertur*, unde vocant *θυσίαν ἀναίμακτον.* Ergo Missa non est sacrificium propitiatorium. Dicimus ergo cum Chrysostomo homil. 17. in Epist. ad Hebr. *Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus, hoc sacrificium exemplar illius est. Hoc quod nos facimus, in commemorationem fit ejus, quod factum est. Idipsum semper offerimus, magis autem recordationem sacrificii operamur.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, *Missam ideo vocari sacrificium, quia est commemoratio unici sacrificii in ara crucis à Christo oblati.*

(Ergo non est sacrificium propitiatorium proprie sic dictum, sed sacrificii illius propitiatorii commemoratio.)

Dicta ejusmodi in cap. præced. sunt allata.

2. Quod quidam agnoscunt, Missam esse potius applicationem propitiatorii sacrificii, quam propitiatorium sacrificium proprie sic dictum.

Georg. Cassander in consult. art. 24. cap. de iteratione sacrificii. p. 1000. *Atq; hac ratione hoc sacrificium, quatenus Sacerdotis pia supplicatione peragitur, non modo Eucharisticum, sed etiam propitiatorium dici possit, non quidem efficiens propitiationem, quod sacrificio crucis proprium est, sed ut eam jam factam impetrans, quomodo oratio, cujus hoc sacrificium species est, propitiatoria dici potest.*

p. 1004. *Primum sacrificii & doni nomine intelligitur sacrificium populi, quod consistit in pane & vino &c. Deinde est sacrificium corporis Christi, in quo primum consideratur res oblata, hoc est, ipsum corpus Christi, quod unicum est perpetuum & propitiatorium sacrificium, non quidem quatenus hic à terreno Sacerdote in altari quotidie offertur in mortis commemorationem, sed quatenus à summo & æterno Sacerdote in ara crucis semel oblatum est in mortem &c. Deinde Sacrificii & oblationis voce intelligitur ipsa actio seu modus referendi, qui longe alius est ab eo, qui factus est in ara crucis, quamvis hostia, quæ offertur, eadem sit, ibi enim oblatum est hoc corporis sacrificium per passionem & mortem, hic per passionis & mortis mysticam recordationem & repræsentationem; ibi oblatum est ad pretii solutionem & propitiationem, hic autem ad pretii illius impetrationem & consecutionem.*

Idem art. eod. *Qui hisce mysteriis intersunt, eos ita comparatos esse debere ait, ut laudis & precum sacrificium una cum Sacerdote offerre, & Sacramenta divina, si non ipsa Symbolorum perceptione, certe religiosa animi affectione participare queant.*

(Vocat *sacrificium laudis & precum*, non propitiatorium vel satisfactorium.)

Gropperus (cui ob rem Pontificiam strenue defensam dignitas Cardinalitia oblata est,) in Antididagm. Colon. *Missa potest appellari propitiatorium sacrificium, non quod tale revera sit, sed quod sit imago unici propitiatorii sacrificii semel in cruce oblati.*

Idem in Institut. vociferatur, *insignem injuriam fieri Papistis, quasi doceant, Missam esse propitiatorium pro peccatis sacrificium.* Ipse vero *Missæ sacrificium ita dicit offerri Deo, quando fides de nostris meritis diffidens corpus & sanguinem Christi apprehendit, & Deo proponit, hoc est, inter iram ipsius & peccata nostra interponit.*

Deputati Pontificiorum in Comitiis Augustanis contendebant, *Missam privatam non tanquam sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis, sed solum gratiarum actionis & Ministri participationis causa restaurari debere.* Chytræus Hist. Aug. Confess. p. 284.

Eccius lib. 1. de Missa cap. 10. scribit, *celebrationem, dispensationem & sumtionem Eucharistiæ posse dici sacrificium propitiatorium, quia sit imago quædam repræsentativa passionis Christi, quæ fuit vera immolatio.*

In forma Interreligionis dicitur, *Missam à Pontificiis non statui propitiatorium sacrificium pro peccatis, sed duntaxat commemorativum, Eucharisticum & applicatorium.*

Idem tueri voluit Sidonius in Synodo Tridentina, Wicelius, Conradus Clingius part. 3. Catech. c. 13. in Summ. doctr. Catholicæ tit. 105. 107. 116.

Pazmannus lib. 11. hodeg. negat, Missam esse sacrificium propitiatorium. *Non dicimus*, inquit, *Missam esse tale sacrificium, quod sacrificii cruenti in nostri redemtionem oblati insufficientiam suppleat vel augeat, sed Missa tantum est sacrificium commonefactorium cruenti sacrificii, ejusq; fructum in nos derivans.*

Et postea. *Uno verbo sacrificium tale, cujus meminit Paulus, nimirum quod precium & λύτρον generis humani exolvit, unicum saltem fuit corporis Christi in cruce affixi cruentum sacrificium. Ast nemo Missam tale sacrificium esse dicit.*

Rayhingius in Enchir. Cathol. contra D. Hoe p. 775. vocat *applicative propitiatorium sacrificium.*

(Atqui esse applicationem sacrificii propitiatorii, & esse sacrificium propitiatorium plurimum differunt.)

3. Quod quidam agnoscunt, Missam non delere peccata, nec prodesse ex opere operato.

(Utiq; ergo non est sacrificium propitiatorium vere & proprie sic dictum.)

Principes Catholici in respons. ad Confess. August. in art. de Missa in Comitiis Augustanis scripta. *Missa non delet peccata, quæ per pœnitentiam, velut peculiarem medicinam, sanantur, sed delet pœnam pro peccato debitam.*

Cochlæus ad art. 3. abusuum Aug. Confess. in Carm. Fabricii p. 405. *Falsissimum est, nostros ita docere. Non enim dicimus aut docemus Missam ex opere operato justificare, aut gratiam & remissionem peccatorum conferre.*

Georg. Cassand. d. l. p. 991. *Omnes hodie Ecclesiastici scriptores uno ore clamant, falso Ecclesiam accusari, quod doceat, Missæ actionem ex opere operato, hoc est, ex opere externo, quatenus id à Sacerdote fit, mereri aliis remissionem peccatorum, pro quibus applicatur, sed hoc tantummodo docent, corpus & sanguinem Christi, quæ in hac sacra actione religiosa commemoratione offeruntur & fidelibus dispensantur, ex panis & vini substantiis consecrari, & virtutem sanctificandi obtinere non ex opere operantis id est, dignitate & merito celebrantis ministri, sed ex opere operato, hoc est, ex ordinatione & pacto ipsius Christi hanc sacram actionem instituentis. Itaq; Sacerdotis actionem tanquam ministri, quæ in sola Sacramentorum celebratione & humili supplicatione & gratiarum actione consistit, eò tantum valere, ut virtus & gratia, quæ corpori & sanguini Christi pro nobis semel immolati perpetuo inest, iis, qui ad eam suscipiendam apti & dispositi sunt, applicetur & tribuatur. Falso itaq; Protestantes opus operatum ad actionem Sacerdotis referunt, cum Ecclesiastici opus operatum de veritate corporis & sanguinis Christi intelligant, quæ non in merito Sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris.*

(Si eo modo opus operatū exponitur, nemo nostrûm negabit, Sacramentum Eucharisticum confici *ex opere operato*, id est, non in merito Sacerdotis, sed verbo Creatoris, qui hoc Sacramentum instituit.)

Et postea. 992. *Si per opus operatum intelligas externam Ceremoniam sine fide & bono motu cordis, eam prorsus cuiq; utilem esse* (Catholici) *negant, tantum abest, ut illi tribuant meritum remissionis peccatorum pro vivis & mortuis non participantibus Christi meritum per fidem. Vide Enchiridion Christianæ Institutionis Idem publice & voce & scripto professus est insignis vir eruditionis Michael Episcopus Mersburgensis Concilio. 17 de Sacrificio Missæ, ubi inter cætera inquit: Falso nobis imputant, quod Missam ejusmodi actum externum esse sentiamus, quem Sacerdos suo arbitratu quibus velit, seu vivis seu mortuis, accommodare queat, etiamsi is nulla fide, nullaq; voluntate præditus sit. Qui aliquam ex hoc sacrificio utilitatem ad se redire volunt, ejusmodi sint oportet, qui ad divinam sperent misericordiam, alioqui citra propriam fidem & devotionem aliena actio neminem salvum & beatum facere potest, & Ecclesia Dei hac sua sacrosancta victima homini impio non nisi hactenus conferre aliquid potest, quam ut pre-*

ut precibus illius causa id agat apud Deum, ut pro sua clementia hujusmodi hominum corda convertat. Huic accedat, si lubet, Eccius, qui in Apologia Principum Catholicorum refellit illorum errorem, qui tribuunt Catholicis, quod partiantur meritum Missæ in passionem Christi & opus Sacerdotis.

P.993. *Quid quod hæc prava opinio & falsa fiducia de opere operato damnatur in libro ad compositionem religionis Ratisbonæ proposito, his verbis: Superstitiosa illa absit opinio, qua quidam de Natura & energia hujus sacratissimi sacrificii male edocti virtutem ejus ex solo externo opere, quod facit Sacerdos, in se derivari putabant, tametsi illi nullam vivam fidem afferrent, nullam pietatem adhiberent, nulla communione vel precum vel orationis, sacrificio assensum præberent, quæ opinio damnanda est. Quam libri sententiam non modo Protestantium Collocutores, sed cum suis Collegis Eccius ipse, quamvis alias libro iniquior, scripto quoque suffragio comprobavit, cum inquit: Liber recte damnat fiduciam solius externi operis in eo qui nullam fidem vivam, nullam pietatem, nullam communionem precum vel orationis vel assensum sacrificio adhiberet, & iste quoque nobis erit velut Ethnicus & publicanus a merito & beneficio Missæ alienus.*

(Ibidem tamen Cassander fatetur, *hanc opinionem de opere operato in multorum Christiano nomine gloriantium animis hærere, & ab Ecclesiastica parte magnam huic falsæ opinioni occasionem præbitam videri.*)

4. Quod ex abrogato Judaismo probare satagunt, Missam esse propitiatorium sacrificium.

Bellarm. Lib.2. de Missa cap.2.§. Igitur. *Sacrificium Missæ propitiatorium esse, probatur, Primum testimoniis V.T. Scriptura enim Testamenti veteris aperte docet, fuisse in lege Naturæ & Mosis sacrificia propitiatoria. Nam Iob.1. cap. legimus, sanctum Iob, qui in lege Naturæ vivebat, quotidie pro peccatis filiorum suorum sacrificasse Deo, & Iob ult. Deum ipsū jussisse, ut amici Iob sacrificarent pro peccato suo. Levit. 4.5. & 6. describuntur varia sacrificia pro peccato.*

5. Quod variis modis in hac quæstione inter se dissentiunt.

Salmero tom.9. tract.30.p.233. statuit.

1. *Non omnia peccata sacrificio Missæ aboleri.*
2. *Non pro peccatis ante Baptismum vel ante primam gratiam offerri, quia est mysterium fidei, quod fidelibus tantum prodest.*
3. *Non offerri pro paganis, Iudæis, infidelibus & Catechumenis.*
4. *Ecclesiam tamen pro talibus preces fundere.*
5. *Non offerri tantum pro venialibus aut levioribus delictis, aut pœnis lethalium delictorum, sed etiam pro gravium criminum culpis, quæcunque illa sint, quæ post Baptismum admittuntur.*

Gregorius de Valentia Lib.1. de Missa cap.5.p.713. ait:

1. *Fuisse quosdam ex Pontificiis, qui statuerent, Missæ sacrificium ad pœnarum tantum relaxationem valere, quæ donata culpa restant exolvendæ.*
2. *Fuisse, qui statuerent, valere quidem etiam ad remissionem culparum, non tamen mortalium, sed venialium.*
3. *Fuisse, qui statuerent, sacrificium Missæ ad culparum mortalium remissionem valere.*

Ipse statuit, *primario sacrificium Missæ remissionem culparum venialium & pœnarum temporalium, secundario & ex accidenti remissionem mortalium conciliare, si contingat, ut ii, pro quibus hoc sacrificium fit, mortali aliqua culpa obstricti sint.*

Henricus Henriquez Lib.9. Theol. moral. cap.13.14. & seqq. statuit.

1. *Missam primo & per se ordinari in satisfactionem pœnarum.*
2. *Pro expiatione autem culparum venialium non esse efficacem immediate se sola*, pro qua sententia citat Sotum dist.13.q.2. art.1. Ledesmam q.23.art.5.&7. Canum cap.12.ad 9. Durandum dist.12.q.4. Cordubam Lib.1.q.3. Ayalam part.3. consid.5. Lindanum Lib.1. Panopl. cap.51. Cassalium Lib.2. de sacrif. cap.8. Viguerium cap.16.§.3.v.15.&c.
3. *Iuvare ad bonos motus, quibus augetur gratia.*
4. *Facere ad adeptionem gloriæ.*
5. *Præservare à peccato & impetrare donum perseverantiæ.*
6. *Pro rebus temporalibus prodesse.*
7. *Hujus oblatione placatum Deum dimittere peccata etiam ingentia.*
8. *Non prodesse excommunicatis contumacibus.*
9. *Non obtinere primam gratiam cum remissione pœnarum æternarum impio attrito*, cui sententiæ tamen favent Catharinus Episcopus Compsanus Lib. de sacrif. Miss. Biel lect.85. Natalis Beda annot. contra Fabr. prop.113. Tapperus, Sanctius, Soto, Corduba &c.
10. *Hæreticis stante Ecclesia prohibitione & paganis nihil prodesse.*

Ægidius Cōninc. tr. de Sacr. q.83. p.316. dub.7. varias difficultates & dissensiones proponit.

1. *Utrum hoc sacrificium conferat suum effectum ex opere operato, an per modum impetrationis, an vero utroque modo?* Pertractatur hæc quæstio à Gregorio de Valentia, Bellarmino, Soto, qui tamen eam, judice Cōnincio, non satis explicant. Ipse docet, *sacrificium Missæ habere vim operandi effectum propitiatorium, partim ex opere operantis, idque per modum meriti de condigno & congruo, vel per modum satisfactionis, vel per modum impetrationis: partim ex ratione Excellentiæ rei oblatæ; partim ratione Ecclesiæ, in cujus persona Sacerdos offert: partim ex institutione & voluntate Christi primarii offerentis.*
2. *Utrum sacrificium Missæ conferat aliquando immediate gratiam habitualem?* ubi triplex est Scholasticorum sententia, Quidam ajunt, *conferri primam gratiam & remitti peccata mortalia:* quidam ajunt, *conferri tantum augmentum gratiæ:* quidam ajunt, *hoc Sacrificio nulli conferri ullam gratiam habitualem, nisi pio motu mediante.*
3. *Utrum hoc sacrificium remittat immediate iis, pro quibus offertur, ea peccata venialia, quibus nec actu vel virtute inhærent?* ubi rursus sententiarum divortia.
4. *Utrum hoc sacrificium conferat aliquando ex opere operato gratias prævenientes iis, pro quibus offertur?* Durandus hoc negat, alii affirmant.
5. *Utrum hoc sacrificium remittat pœnam temporalem peccatis remissis adhuc debitam, non modo ex opere operato per modum satisfactionis, sed per modum impetrationis?* quod aliqui Catholici negant, aliqui vero affirmant.
6. *Utrum existentibus in purgatorio hoc sacrificium prosit ex opere operato?* Quidam Scholastici hoc negant, ut Soto in 4. dist. 13.q.2.art.1. Cōnincius affirmat.
7. *Utrum omnes, qui sacrificium hoc offerunt, ex eo aliquem fructum ex opere operato percipiant?* ubi tres Scoti, Cajetani & aliorum adversariæ sententiæ producuntur.
8. *Qua ratione fructus, qui ex opere operato respondet oblationi, quam facit Sacerdos in persona Christi, pendeat ab ejus applicatione?* ubi quatuor Pontificiorum dissentientes sunt opiniones.
9. *Utrum Sacerdos inter celebrandum valide applicet fructum Missæ ei, quem Deus scit post aliquot dies hoc vel illud bonum facturum?* pugnant hic inter se Corduba & Suarez.
10. *Utrum hic fructus crescat pro majore dispositione ejus, pro quo sacrificium offertur?* dimicant iterum Scholastici, Thomas, Durandus, Suarez & alii.

Argum. Pontif. 1. *Antiquissimo Ecclesiæ more fit commemoratio defunctorum in celebratione Missæ.*

Resp.1. commemoratio illa defunctorum in Missa non descendit ab Apostolis, sed autorem habet Pelagium.

Platina in vita Xysti. *Mortuorum commemorationem Pelagius invenit*, (vixit autem ille anno 555.)

2. Baronius quidem Anno 389. n.5.6. paulo antiquiora quærit testimonia ex Augustino. Sed manifestum est, iis commemorationibus Ecclesiam nihil aliud egisse, quam quod fuit testificata, *defunctos virtute corporis & sanguinis Christi prose traditi & fusi de hostibus spiritualibus triumphasse: interea non pro illis omnibus offertur sacrificium, quorum fit commemoratio in Missa.* Hack Jesuita contra Tossanum q.2.cap.44.p.655. ut constet, aliud esse commemorationem illam, aliud ipsum sacrificium.

3. Idem Baronius Anno 1056. n.9. de Petro Damiano sic scribit: *Quod insuper ad alios ritus spectat, suorum Monachorum & Eremitarum institutione servari cœptum fuit, quod nos jam videmus ubique in Ecclesia Occidentali receptum, nempe ut feria secunda animabus liberandis defunctorum pœnis sacrosancto Missarum sacrificio fit adscripta; Feria sexta pro memoria passionis Dominicæ, eodem sacrificio, insuper jejunio & verberum afflictione colenda esset; Sabbatho vero in honorem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ celebrandum idem incruentum sacrificium &c.*

(At Petrus ille Damianus vixit circa annum 1056.)

Argum.2. Alphonsus de Castro Lib.10. adv. hæres. verbo Missa, hæresi.3. nullum aliud pro astruendo *propitiatorio Missæ sacrificio* adducit Scripturæ testimonium, quam illud Hebr.5. v.1. *Omnis Pontifex &c.* Sed de eo in c. præced. jamdū egimus.

Thesis 3. Missa non debet offerri pro defunctis.

Ἔκθεσις. Non damnamus pios veteres, qui in administratione sacræ Cœnæ memoriam Martyrum celebrabant εἰς τῶν μελλόντων ἄσκησιν καὶ ἑτοιμασίαν, *ut sequentium animi ad prædecessorum viam insignibus exemplis suscitarentur*, ut Ruffinus Epi-

stolam Ecclesiæ Smyrnensis explicat, apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccles. cap. 15. Epiphanius in hæresi Aerii de his oblationibus sic loquitur: *Quod proferuntur nomina defunctorum, quid eo magis fuerit utile, quid eo commodius, & magis admiratione dignum? quod credunt superstites, quod hi, qui decesserunt, vivant & non sint nulli, sed sint & vivant apud Dominum &, ut pientissimam prædicationem recenseam, quod spes est orantibus pro fratribus, velut qui in peregrinatione sint.*

Pii veteres in Liturgiis defunctorum mentionem faciunt,

1. *Testimonii causa.* Debet enim Ecclesia militans apud Deum testari de agone fidelis spirituali militia defuncti, quantum ipsa externis signis novit.

2. *Gratitudinis.* Deo enim illa defuncti commendatione aguntur gratiæ, quod voluerit militem in statu viæ gratioso suo munimento adversus opposita terriculamenta stabilire.

3. *Submissionis.* Omnia hac ratione Deo soli transscripserunt, largitori omnis boni, dum continuationem misericordiæ ejus erga defunctum exorare voluerunt, non quod de continuatione dubitarent, sed ut omnia à Deo dependere indicarent.

4. *Voti.* Non quod non possideri illud à defuncto, quod vovent, crederent, sed ut testarentur, quod triumphantem ex hac militia in cœlos ingressum lætis prosequantur animis.

5. *Conjunctionis.* Voluerunt indicare, non abscissos esse ab Ecclesia, qui in vera fide sunt defuncti, sed præmissos tantum, & ita quidem, ut capiti Christo adhuc inserti sint.

6. *Incitamenti.* & 7. *Solatii*, tum erga alios, tum inprimis erga eos, quos in luctum constituit & desiderium defunctus. Hoc vero in quæstione est, an pro *defunctis è purgatorio liberandis* Missæ sacrificium offerri debeat, quod negamus.

Antithesis. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 7. *Sacrificium Missæ pro defunctis rite offertur.* Sequitur hac in parte Concilium Tridentinum, quod sess. 6. cap. 2. de sacrificio Missatico decernit, *quod non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite offeratur.*

Nostram sententiam probamus,

1. Missa non est sacrificium proprie dictum. Ergo nec debet offerri pro defunctis.

2. Purgatorium nullum post hanc vitam datur. Ergo pro defunctis ex purgatorio liberandis non debet offerri sacrificium.

3. Christus Eucharistiæ Sacramentum instituit *pro vivis*, qui possunt accipere, manducare & bibere, non autem pro defunctis, ut pro illis in sacrificium offeratur.

4. Apostoli nuspiam leguntur Missam pro defunctis celebrasse.

5. Nulla extat promissio, quod Missæ fructus & effectus ad defunctos sese extendat.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quod Carolus Magnus in legibus suis Ecclesiasticis inter alia superstitiones in mortuorū exequiis eradicari voluit, qua de re videri potest Molinæus in orat. de Theol. & legum Imperial. dignitate.

Arnoldus de villa nova (qui floruit circa annum 1280.) docuit, *pro mortuis non esse sacrificandum.*

2. Quod negant, mortuis auxilium ferri posse.

Scotus 4. sent. dist. 19. q. 2. art. 4. *Mortui non amplius sunt in ditione & potestate Ecclesiæ. Ergo eos juvare non potest absolvendo vel suffragando.*

(Hunc locum citat Azorius lib. 10. Institut. cap. 22. q. 9.)

3. Quod quidam agnoscunt, oblationem pro defunctis destitui mandato divino.

Matthias Bredenbachius in lib. de dissid. Eccles. componendis quatern. 1. inquit: *An in Ecclesia ad altare etiam per sacrificium & oblationem pro salute vivorum & mortuorum supplicandum, hoc nusquam exprimunt scripta Evangelistarum & Apostolorum.*

Ludovicus Nogarola de Apost. instit. trad. 32. fatetur, *orationes pro defunctis non esse ex Scriptura, sed ex traditione.*

Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 7. §. At nos &c. *Quod dicit* (Chemnicius) *in Scripturis non reperiri* (oblationem pro defunctis) *quis negat? Neque enim nos ad Scripturam, sed ad traditionem Apostolorum non scriptam referimus hanc eorum constitutionem.*

Plura hujusmodi dicta allata sunt in artic. de purgatorio, in resp. ad argumentum ab orationibus pro defunctis petitum.

(Jam vero eadem ratio oblationis, quæ est orationis.)

4. Quod quidam agnoscunt, oblationes illas potius fuisse gratulatorias & Eucharisticas, quam propitiatorias ac liberatorias.

Beatus Rhenanus ad libr. Tertull. de Martyribus. p. 18. de illo Cypriani Epist. 5. lib. 4. *Quod ait, Sacrificia pro eis (Martyribus) semper, ut meministis, offerimus sic accipiendum, ni fallor, ut pro eis idem valeat, quod pro commemoratione eorum, (nam id prioris loci mox citati verba aperte continent;) velut passione sive commemoratione passionis occasionem oblationibus & sacrificiis dante. Quæ res inde nata videtur, quod in sacrificio juxta ritum veteris Ecclesiæ post Symbolum decantatū, & mutuam pacis consalutationem nomina pie defunctorum conscripta in scheda, quam in altari ponebant, recitabantur non sine laude & præconio virtutum, quæ in viventibus eluxerant. Gratulatoriæ ergo potius preces erant, quibus tum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam & tantum dignationis contulisset, tum simile donum cœlitus sibi dari concordibus votis flagitabant, ceu adhuc canit Ecclesia: Gaudeamus in Domino.*

(Hanc Rhenani sententiam confirmant ea, quæ habentur apud Dionys. de Hierarch. Ecclesiast. cap. 7.)

Georgius Cassander in Consult. cap. de Iteratione. p. 1003. *Omnibus certe Christianis animis hoc perpetuo insitum fuit, ut Spiritus eorum, qui Christi Sacramento initiati in confessione nominis ejus, cum aliqua pœnitentiæ significatione, ex hac vita excesserunt, Dei clementiæ commendarent, & eis remissionem peccati, quietem æternam & consortium electorum precarentur. Et quamvis de statu illo animarum, quibus hæc prodessent, non satis constaret, nec inter omnes conveniret, omnes tamen hoc officium, ut testimonium caritatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum & futura resurrectione Deo gratum, & Ecclesiæ utile judicarunt.*

Et paulo ante p. 1001. *Apud veteres loquendi consuetudo usitatissima est, ut non solū pro iis defunctis, pro quibus misericordia Dei implorabatur, sed etiam pro Martyribus, pro quorum certaminibus Deo gratiæ agebantur, & quorum precibus Ecclesia commendabatur, offerri diceretur, cum videlicet in mystica actione, proposito Christi corpore, cujus ipsi lectissima sunt membra, eorum memoria fieret, quod ex Cypriano & Augustino multis locis constat, & in Græcorum Liturgiis manifestius exprimitur, qui se rationalem hunc & incruentum cultum offerre dicunt pro Virgine Maria, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus &c.*

5. Quod agnoscunt, oblationes illas pro defunctis in Ecclesia primitiva Apostolicæ vicina non fuisse usitatas.

Martinus Polonus in Chronic. *Pelagius Pont. Rom. instituit, ut memoria defunctorum in omni Missa fieret post elevationem hostiæ.*

(Idem confirmat Hermannus Gigas in Floribus temporum sic scribens: *Preces pro mortuis Pelagius II. Missæ addidit.*)

Platina in vita Xysti I. de Pontifice illo memorat, quod mortuorum commemorationem invenerit.

Huc pertinet primo, quod Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, ut est in 2. tom. Concil. p. 433. Gregorium II. consuluit pro *obeuntibus, si liceat oblationes offerre, si Presbyter eorum memoriam facere debeat &c.* cui Pontifex hoc modo respondit: *Pro obeuntibus quippe consuluisse dignosceris, si liceat oblatiōes offerre. Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisq; pro suis mortuis vere Christianis offerat oblationes, atq; Presbyter eorum memoriam faciat. Et quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit, ut Sacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, non tamen pro impiis, quamvis Christiani fuerint, tale quid agere licebit.*

(At si pro certo & indubitato dogmate in Scripturis fundato traditio de oblationibus pro defunctis habita fuisset, non ita titubanter & dubie Bonifacius in illis introducendis processisset.)

Secundo, quod in vetustioribus Missalibus MStis preces pro defunctis non inveniuntur, quod in Germaniæ & Helvetiæ Ecclesiis & Monasteriis comprobatum est.

6. Quod agnoscunt, oblationes & orationes pro defunctis à gentilib. originem ducere.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rer. Invent. cap. 9. pag. 515. *Justa sunt sacrificia, sive exequi, quæ eò justa dicuntur, quod jure mortuis factitari debeant à vivis quia illi, dum viverent, de his bene meriti fuerint. Ea vero sacrificia pro salute mortuorum statuta fuisse ab Apostolis, sicut Isidorus tradit, testimonio est Tertullianus, qui libro de Monogamia, loquens de muliere vidua, quæ unius viri mortui duntaxat deberet semper esse uxor, inquit: Enimvero pro anima ejus orat, & refrigerium postulat, & offert annuis diebus dormitionis ejus: quod sane pietatis officium, cum ab Ethnicis etiam præstaretur demortuis, veluti in extremo hoc capite cognosci licet,*

licet, jam satis certum est, eam orandi pro mortuis consuetudinem inductam fuisse in nostram Ecclesiam ab illis grandibus veterum Christianorum Ducibus Apostolis.

(Quod ab Apostolis has oblationes & orationes pro defunctis descendisse asserit, falsum est, cum nullum hujus rei vestigium vel in Apostolicis scriptis, vel antiquissimorum scriptorum Ecclesiasticorum libris appareat. Verissimum autem, quod apud Ethnicos illæ fuerint usitatæ.)

Ibid. pag. 519. *Iampridem increbuerat mos hic apud veteres* (Ethnicos) *parentandi ad sepulchrum &c. Sic fiebant annua parentalia, id est, sacrificium quotannis ad honorem mortuorum, id quod etiam Macrobius & Cato tradunt &c. Sic nos illud ipsum institutum pro salute mortuorum servamus.*

Argum. Bellarm.

2. Maccab. 12. *Iudas Maccabæus jussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, quod factum Scriptura laudat.*

Resp. 1. Santes Pagninus testatur, *se verba illa non reperisse in autographo.*

2. Quidam ex Pontificiis agnoscunt, secundum Maccabæorum librum non esse Canonicæ autoritatis, ut ostendimus Lib. 2. artic. 1 cap. 1. sect. 2. thesi 8.

3. Pontificii statuunt, *Missam non valere oblatam pro illis, qui in peccato mortali decesserant.* Jam vero interfecti illi, pro quibus Judas sacrificium offerri jubet, decesserant in peccato mortali. 2. Maccab. 12. v. 40.

(In versione vulgata v. 43. dicitur *sacrificium pro peccatis mortuorum.* Sed in Græco simpliciter dicitur περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, quod juxta legem Lev. 4. v. 13. recte intelligi potest de sacrificio pro cœtu viventium, ne propter delictum mortuorum jam manifestatum ira Dei in totum cœtum superstitem accenderetur, v. 42. *deprecabantur peccata penitus deleri:* noverant enim propter unicum Achanis peccatum totum cœtum Israeliticum fuisse punitū Jos. 7. v. 5. 11. & 12. De illis, qui furto anathematum peccaverant, extat divina constitutio Deut. 13. v. 13. 16. 17. quod sint *occidendi & corpora ipsorum comburenda.* Ergo pro illis Judas nō sacrificavit, sed pro populo superstite.)

CAPUT II.

De Missis Solitariis.

Thesis. Missæ solitariæ sive privatæ, in quibus solus Sacerdos communicat, & ex illa comunicatione fructus aliquis ad populum redire statuitur, non sunt approbandæ.

Ἔκθεσις. Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 9. *Sex modis dici potest Missa privata, prima ratione loci, in privato sc. oratorio vel sacello, hæc probatur exemplo Christi.*

(Concedimus, Sacræ Cœnæ administrationem non ita esse templis ac locis publicis alligatam, quin pie liceat in loco privato, vel tempore persecutionis, vel in alio necessitatis casu eam peragere. Atque hæc locum habent, si per Missam juxta phrasin veteris Ecclesiæ intelligatur administratio Eucharistiæ; sin vero per Missam intelligitur sacrificium Missaticum proprie sic dictum, id nec Christus nec Apostoli, nec primitivæ Ecclesiæ doctores peregerunt.)

Secundo, Missa privata dici potest, quæ diebus profestis celebratur, hæc itidem licita, quia Dan. 13. vocatur juge sacrificium.

(Non improbamus, si vel propter populi multitudinem, vel etiam propter alias causas diebus profestis Cœna administretur. Juge illud sacrificium Danielis non est Missa, sed in sensu literali totus cultus Leviticus V. T. in sensu mystico cultus spiritualis Christianorum in N. T.)

Tertio, Missa privata dici potest à fine, quia pro aliquo particulari homine vel negotio celebratur.

(In Missa nec pro privatis, nec pro publicis personis vel negotiis sacrificium offerendum, quia non est sacrificium proprie dictum.)

Quarto, privata dici potest à paucitate eorum, qui intersunt.

(Eam non simpliciter repudiamus.)

Quinto, privata dici possunt Missæ, quæ in minoribus altaribus præter publicam & solennem celebrantur.

(Minora altaria non faciunt, quo minus adhuc sint publicæ Missæ.)

Sexto privata Missa est, in qua solus Sacerdos communicat.

(De ea proprie hoc loco quæritur.)

Antithesis. Concil. Trident. sess. 22. cap. 6. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat.*

Can. 8. *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, adeoque abrogandas, anathema sit.*

Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 9. §. ultimo. *Missam privatam, in qua solus Sacerdos communicat, licitam esse, probatur ratione Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. quæ talis est: Missæ, in quibus solus Sacerdos communicat, etiamsi privatæ dici possint ratione communicantium Sacramentaliter, absolute tamen non privatæ, sed publicæ & communes sunt. Ergo non debent ut privatæ rejici & damnari. Antecedens probatur à Concilio dupliciter, primo, quia in ejusmodi Missis sæpe multi communicant spiritualiter, proinde fructus est publicus & communis. Secundo, quia Sacerdos publicus est Minister, & pro tota Ecclesia sacrificium offert.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex verbis institutionis.* Christus, inquiens, *Hoc facite in mei commemorationem*, jubet, ut faciamus, quod ipse in administratione primæ Cœnæ fecit. Ipse vero non solum panem & vinum consecravit, sed etiam panem & vinum consecratum Apostolis distribuit, iisdemque corpus suum mediante pane manducandum, ac sanguinem suum, mediante vino, bibendum dedit. Ergo consecrare & non distribuere non est Cœnam Dominicam juxta Christi institutionem celebrare.

Hieronymus in 1. Cor. 11. *Dominica Cœna omnibus debet esse communis, quia Dominus omnibus discipulis, qui aderant, æqualiter tradidit Sacramentum.*

2. *Ex forma hujus Sacramenti.* Ipsa actio Sacramentalis, in qua consistit forma hujus Sacramenti, includit dispensationem, cum tres sint actus Sacramentales, essentiales hujus Sacramenti, videlicet *consecratio, distributio & perceptio,* in manducatione & bibitione cōsistens. Ergo distributio omitti nequit.

3. *Ex praxi Apostolorum.* Quando Apostoli Eucharistiam administrarunt, non solum consecrarunt, sed etiam distribuerunt, unde celebratio Eucharistiæ describitur per *fractionem panis.*

4. Ex loco *Apostolico* 1. Cor. 10. Apostolus describens ritum sacræ Cœnæ diserte scribit, corpus Domini communicari & distribui fidelibus, ac fideles participes fieri mensæ Dominicæ, non nude & otiose spectando, sed *manducando & bibendo.*

5. Ex *oppositione.* 1. Cor. 11. opponit Apostolus *Dominicam* & *privatam Cœnam*, ac ostendit, non posse Dominicam Cœnam celebrari, ubi privata Cœna peragitur.

6. *Ex primitivæ Ecclesiæ exemplo.* In veteri Ecclesia semper in actione sacræ Cœnæ fiebat distributio Sacramenti, ut patet ex descriptione omnium Liturgiarum, quæ extant apud Patres, ac veteres graviter reprehendunt commentum, quod celebratio prosit illis, qui non communicant.

7. *Ex collatione cum Baptismo.* Nemo in alterius commodum potest suscipere Baptismum. Ergo nec sacra Cœna in alterius commodum usurpari potest.

8. *Ex collatione cum cibis vulgaribus.* Nemo in alterius commodum cibos corporales manducat. Ergo nec cibum illum Sacramentalem.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, olim non fuisse celebratam Eucharistiam, nisi adessent, qui una cum Sacerdote consecrante communicarent.

Canon Apostolicus 9. (al. 8.) εἴ τις ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἂν ᾖ εὔλογος, συγγνώμης τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τοῦ λαοῦ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius ordinis Ecclesiastici, oblationis factæ particeps non extiterit, causam dicito, & si justa fuerit, veniam consequatur: sin minus, à consortio segregetur, ut autor offensionis factus populo, & suspicionem præbens in offerentem.* In quæ verba Zonaras sic commentatur: *Canon dignos & præparatos semper vult esse omnes ad sanctificationis communionem maximeque Deo consecratos Ministros.*

Canon. 10. Apostolorum (al. 9.) jubet excommunicare illos, qui non *permanent in Ecclesia, usque dum Missa peragitur & non accipiunt sanctam communionem.*

Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας

ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. *Omnes introeuntes fideles & Scripturas audientes, non permanentes autem in oratione & sancta communione, velut inordinatum quippiam, perturbationemq; facientes in Ecclesia, separari oportet.*

Balsamon in h. canonem. *Alii canones similiter decernunt, ut omnes sint parati & digni communione, & qui tribus Dominicis non communicant, segregentur.*

Zonaras ad eundem canonem. *Canon præsens exigit, omnes, dum sanctum celebratur sacrificium, ad finem usq; in oratione sanctaq; communione perseverare, siquidem tum temporis à Laicis exigebatur, ut frequenter communicarent.*

(Canon hic renovatus est in Concil. Antioch. can. 2.)

Anacletus Epist. 1. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.*

(Citatur in jure Canonico c. Peracta dist. 2. de consecrat. Rubrica, & eam secutus Hardingus, restringunt *ad ministros*, sed nullam afferunt restrictionis hujus causam. Inde Glossa ad illum can. sic annotat: *Hoc antiquum est, nam hodie relictum videtur arbitrio cujuslibet*, & ad can. 9. Apostol. in margine annotatum, *Omnes olim, qui intererant, communicabant.*)

c. Si quis intrat. dist. ead. ex Concilio Bracarensi can. 18. *Si quis intrat Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua avertit se à communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem projiciendum de Catholica Ecclesia esse decernimus, donec agat pœnitentiam, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit, communione percepta, indulgentiam promereri.*

(Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 10. excipit, *canones illos jubere, ut fideles communicent, sed non prohibere Sacerdoti sacrificare, si populus non adsit aut communicare nolit.* At canon Peracta, loquitur indefinite, *Peracta consecratione omnes communicent.* Ac si canon hic jubet populum communicare, prohibet contra absque communione celebrare, quia consecratio ordinatur ad communicationem. Inde Cochlæus de Missa adv. Musc. agnoscit, *ex veteris Ecclesiæ decreto omnes tum Sacerdotes, tum Laicos, quicunq; intererant Missæ sacrificio, communicare oportuisse*; addit autem: *postquam ille communicandi mos tam Laicorum, quam Sacerdotum desidia & negligentia observari desiisset, Spiritum sanctum instituisse & introduxisse pium hujus negligentiæ supplementum per Missarum, quas soli Sacerdotes peragunt, frequentationem*; ac Bellarminus ipse tandem agnoscit, *decreta illa progressu temporis fuisse abrogata.* Fateri ergo cogitur, ea in primitiva Ecclesia viguisse.)

c. Quia passus. dist. ead. ex Augustino. *Et ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis: simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus.*

Humbertus contra calumnias Græcorum. *Luce clarius intelligi datur, eundem ritum divini sacrificii sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam observasse antiquitus, quem sancta Romana Ecclesia observare non cessat hactenus, siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoq; superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis, cum populo communicamur, & tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur.*

Idem contra Nicetam. *Nempe hic in panis fractione & communicatione non nisi perfectam actionem Missæ debemus accipere, quemadmodum ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto & mox fracto atq; benedicto. Non enim benedixit tantum & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde B. Alexander Martyr & Papa quintus ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait, Hoc quotiescunq; feceritis, sed Hæc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in mei memoriam facietis, quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scil. benedictio sine fractione, aut fractio sine benedictione & distributione perfectam Christi memoriam non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.*

Innocentius tertius lib. 6. mysterior. Missæ cap. 5. *In primitiva quidem Ecclesia singulis diebus, qui celebrationi Missarum intererant, communicare solebant: sed excrescente multitudine fidelium traditur institutum, ut tantum diebus communicarent Dominicis. Postmodum autem, quia nec hoc potuit digne observari, tertia secuta est institutio, ut ter saltem in anno quilibet Christianus debeat accipere Eucharistiam; hoc invento remedio, ut singulis diebus osculum pacis daretur pro mysterio unitatis.*

Belethus in explicatione Canonis cap. 48. *Illud certe ignorari non debet, olim in primitiva Ecclesia singulis diebus, qui canoni Missæ intererant, solitos fuisse communicare: sed postea, crescente multitudine fidelium, fuisse institutum, ut tantum Dominicis diebus communicaretur, quod etiam paulo post, cum observari non potuit, abiit in desuetudinem, ac tertia secuta est institutio, ut saltem ter in quoq; anno, in Natali, Paschate & Pentecoste, omnes Christiani Eucharistiam sumerent, invento tamen triplici remedio, ut singulis nimirum diebus osculum pacis daretur, ac Dominicis diebus Eulogia, id est, panis benedictus & consecratus: quod in quadragesima & temporibus abstinentiæ deputatis salvo jejunio observari non potuit: quare tunc hujusmodi fuit promulgata institutio, ut collecta diceretur super populum sub finem Missæ.*

Durandus Mimatensis Episcopus lib. 4. Rational. div. offic. cap. 53. *In primitiva Ecclesia omnes, qui celebrationi Missarum intererant, singulis diebus communicare solebant, eò quod Apostoli omnes de calice biberunt, Domino dicente, Bibite ex hoc omnes.*

Durandus Tholosanus lib. 2. de ritib. cap. 50. *Antiquitus patenæ magnæ conficiebantur, ut Eucharistiam pro tanta multitudine suscipere capaces essent; hodie minores.* cap. 55. *Non solum autem Sacerdos, vel reliqui sacri ministerii, sed & Laici, qui olim communicabant. Initio siquidem liberum erat Laicis, qui in Missæ sacro aderant, communicare. Act. 2. perseverantes cum Apostolis quotidie in oratione & communione fractionis panis. S. Dionysius cap. 3. Eccles. Hierar. ad singula sacra his verbis Christianos invitari consuetum. Venite fratres ad communionem. Et apud S. Ignatium Epistola ad Ephesios,* σπουδάζετε ὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν καὶ δόξαν. *Festinate fratres ad communionem.* cap. 58. *Initio nascentis Ecclesiæ Christianæ, qui celebrationi Missæ aderant, post acceptam pacem communicare solebant.*

Odo Cameracensis in Canonem. *Cum primitus Missæ sine collecta* (id est, cœtu populi) *non fierent, postea mos inolevit Ecclesiæ solitarias & maxime in Cœnobiis fieri Missas, & cum non habeant quam pluraliter collectam salutent, nec plurales mutare possint salutationes, convertunt se ad Ecclesiam* (muros lapideos) *dicentes, se Ecclesiam in Ecclesia salutare.*

Hugo Cardinalis in cap. 24. Lucæ. *In primitiva Ecclesia omnes, quotquot intererant Canoni Missæ, singulis diebus communicabant: & si nollent communicare, egrediebantur post Offertorium.*

Jodocus Clichtovæus in Canon. Missæ. *In primitiva Ecclesia fideles quotidie sumebant communionem secundum illam Calixti sanctionem, Peracta &c.*

Johannes Hoffmeisterus de Missa p. 179. *Res ipsa clamat, apud veteres tam in Græca, quam in Latina Ecclesia non solum Sacerdotem sacrificantem, sed & reliquos Presbyteros, Diaconos, nec non reliquam plebem aut saltem plebis aliquam partem communicasse, quod quomodo cessaverit, mirandum est, & ut bonus ille usus in Ecclesiam revocetur, laborandum, imo & à Deo precibus impetrandum est.*

In ipso Canone Missæ juxta ordinem Romanum, Sacerdos sic orat: *Quotquot ex hac altaris participatione sumserimus, fiat nobis omnibus sumentibus salus.* Item, *Sacramenta quæ sumsimus &c.*

(Ergo cum canon componeretur, nondum ulitatæ erant Missæ privatæ. Si enim solus Sacerdos sumit, hæc pro ludibriis merito habentur: inde)

Georgius Cassander in consult. art. 24. cap. de Iteratione. p. 1003. sic scribit: *Dubium non est, quo tempore canon hic initio usurpabatur, aliquos semper extitisse, qui una cum ipso Sacerdote hæc sacrificia laudis offerebant & Sacramenta participabant. Id enim canonis verba manifeste significant, quæ & multitudinis numero sæpe efferuntur, & Sacramentorum participationis inter plures aperte meminerunt, ut cum dicitur, Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus & sanguinem Filii tui sumserimus.*

Item. *Prosint nobis, Domine, Sacramenta, quæ sumsimus. Certe ex tota canonis compositione manifeste apparet, actionem illam mysticam, in qua canon adhibebatur, vel publicè, vel certe inter plures semper celebratam fuisse.*

Eccius homil. 33. de Sacrament. *Colligunt Doctores, tam ardentem fuisse populi in primitiva Ecclesia devotionem, ut quotidie communicarent, quoniam sic ait Papa Calixtus: Peracta consecratione omnes communicent &c.*

Catechismus Tridentinus cap. de Missa. *Ac tempus quidem olim fuisse, cum fideles quotidie Eucharistiam acciperent, ex Apostolorum Actis intelligimus.*

Et paulo post. *Eam postea consuetudinem, quæ intermitti videbatur, Anacletus sanctissimus Martyr & Pontifex aliqua ex parte renovavit.*

Iterem. *Diu etiam in Ecclesia illa mos fuit, ut Sacerdos peracto sacrificio, cum Eucharistiam sumsisset, ad populum, qui aderat, conversus,*

versus, his verbis ad sacram mensam fideles invitaret, Venite fratres ad communionem.

Hardingus contra Apol. Conf. Angl. fol. 22. b. sic scribit: *Verum non negarim, illud cum majore tum laude, tum pietate Ecclesiæ conjunctum esse, si complures bene affecti & examinati Sacrosancti Sacramenti cum Sacerdote participes essent vellent.*

Idem in respons. ad Provoc. Ivelli art. 1. *Quod si homines ad tantum pietatis atq; religionis studium traduci potuissent, ut sese præparare vellent ad Sacramentum digne cum Sacerdote quotidie sumendum, quemadmodum in primitiva Ecclesia factitarunt, dum mortem ac cruciatus singulis momentis in persecutione infidelium Tyrannorum expectarent, ne hinc sine viatico discederent: quid tum quæso haberent hi homines, quod objicerent? Illorum ergo causa ac defensionis æquitas ex prava populi consuetudine pendet &c.*

Bellarminus lib. 2. de Missa c. 9. §. Tertio probatur. *Etiamsi nusquam expresse legimus, à veteribus oblatum sacrificium sine communione alicujus vel aliquorum, tamen id possumus ex conjecturis facile colligere.*

(At conjecturæ dubiæ & incertæ non possunt præbere firmum & immotum fidei fundamentum.

Maldonatus in Summ. q. 24. *Tempore Apostolorum Christiani quotidie communicabant, paulo post crevit Christianorum negligentia, ut solis Dominicis communicarent, postmodum facti remissiores ter in anno communicabant.*

(Si hæc vera sunt, ut sunt verissima, falsum erit, quod Bellarminus d. l. Missas privatas sine communione *ex veterum consuetudine* probare conatur.)

Jodocus Tiletanus part. 2. Defens. Trident. ad ca. 6. sess. 22. *Perspicue Scriptura testatur, quotidie Apostolos Synaxin celebrasse, & discipulis credentibus dispensasse, quod & fervente credentium devotione observatum fuisse, certissima Historiæ testantur.*

Id. *In Ecclesia Corinthiaca perspicuum est, ita celebratam esse Cœnam Dominicam, ut corpus & sanguis Christi sint dispensata & distributa toti Ecclesiæ, & fideles factos esse participes mensæ Domini, non spectando, sed manducando, sicut Paulus dicit, omnes ex uno pane manducare.*

Benedictus Justinianus in 1. Corinth. 10. *Olim enim (quod etiam nunc Græci usurpant) ex uno eodemque consecrato delibatæ particulæ singulis tribuebantur, ut melius unio & conjunctio cum Christo atque apertius significaretur.*

2. Quod quidam agnoscunt, ex Christi institutione ad legitimam Eucharistiæ celebrationem requiri etiam distributionem.

Alexander Alensis 4. sent. q. 35. membr. 2. *Consecratio est propter communionem.*

(Ergo Sacerdos non tantum debet consecrare, sed etiam consecrata distribuere.)

Bessarion Cardin. de Sacram. Euchar. *Hoc ipse ordo rerum poscebat, primum consecrare, deinde frangere, postea distribuere, quod nos in præsentia facimus.*

Durandus lib. 4. Ration. c. 1. *Generaliter dicendum est, quod illa est legitima Missa, in qua sunt Sacerdotes, Respondens, Offerens atque Communicans, sicut ipsa precum compositio evidenti ratione demonstrat.*

Gabriel Biel in Canon. Miss. lect. 26. lit. F. *Christus hoc Sacramentum instituit secundum frequenter repetita, ut esset memoriale signum passionis suæ, & remedium contra peccata quotidiana animæ. Hæc autem conveniunt huic Sacramento plus per sui usum, quam conveniant ei secundum se. Hinc dicit Apostolus 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Non dicit conficitis, sed sumitis.*

Et postea. *Remissio peccatorum plus fit per usum hujus Sacramenti, quam per ipsum in se. Non enim tantum prodest in pyxide conservatum sicut oblatum & sumtum in vera fide & devotione. Manducatio & potio Sacramenti hujus est usus.*

Ibid. *Hinc & volens discipulos suos Christus fructus hujus Sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neq; dedit discipulis, ut ipsum honorifice conservarent, sed dedit in sui usum dicens: Accipite & manducate. Et quoniam per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem dum addit: Hoc facite in meam commemorationem, ut ita nunquam fructu usum Sacramenti consequente priventur propter Sacramenti carentiam & defectum. Ex his satis patet, quod consecratio ad usum, qui est ejus manducatio, tanquam ad finem quodammodo proximum ordinatur, quia Christus, postquam accepit panem, benedixit, deditq; discipulis suis, ut manducarent.*

Lect. 38. *Ipsa enim consecratio non est simpliciter finis consecrantis, sed potius usus fidelium. Ad hoc enim consecratur corpus & sanguis, ut fideles eo utantur manducando, & manducantes capiti & membris fortius uniantur, quod insinuare volentes addunt formæ, Accipite & comedite.*

Micrologus de Eccles. observ. *Hoc quoq; ipsa Sacramentorum innuit confectio,* (scilicet non celebrari legitime Sacramentum sine communione) *in qua Sacerdos non pro sua sola oblatione, & communicatione, sed & aliorum rogat. Nec proprie communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participent.*

Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus contra Nicetam. *Christus non benedixit tantum & reservavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit &c. quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scil. aut benedictio sine fractione, aut benedictio sine fractione & distributione perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.*

Ibid. *imperfectam* vocat illam *Missam, quæ non fit cum communicatione sive distributione,* (ut fit in Missis privatis.)

Erasmus de Conc. Eccl. *Sunt, qui communionem requirunt. Sic, fateor, fuit à Christo institutum, & ita olim consuevit observari, id quo minus nunc fiat, non stat per Laicos &c.*

Joh. Fabri Hailbrunnensis lib. 1. de Missa c. 2. *Quando Christus dixit: hoc facite, eo ipso præcepit, ut post consecrationem etiam Sacramentum ipsum sumamus.*

3. Quod quidam privatas illas Missas improbant.

Carolus Magnus in Capit. ab Ansegiso Abbate circa annum Christi 827. collectis. lib. 5. c. 93. *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare recte valet. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum vel sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum nemo cum eo sit?*

(Quidam postrema hæc verba: cum nemo &c. ita legunt, *cum nemo communicet.* In communione enim mysteriorum hæc verba, *Dominus vobiscum, sursum corda &c.* elata voce à Diacono & Sacerdote pronunciabantur, turba fidelium astante, & symbola sacra participante; id quod liquet ex c. 94. sequente, quod sic habet: *Oblationem quoque & pacem facere in Ecclesia jugiter admoneatur populus Christianorum.* c. 219. *Populus per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerat, & ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.*)

Ibid. in addit. 2. ad Libr. 7. *Visum nobis fuit illud inhibendum, ut nullus Presbyterorum solus Missam celebrare præsumat, quia ita nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda dedit, nec Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis Actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde conveniendus, imo interrogandus vobis videtur hujusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicit, Dominus vobiscum? & à quo illi respondetur, Et cum Spiritu tuo? vel pro quibus supplicando Domino inter cætera, Memento Domine & omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit? Quæ consuetudo, quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ autoritati refragatur, & tanto mysterio quandam dehonorationē irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujusmodi usus inhibeatur.*

Walafridus Strabus (seculo 9.) Lib. de div. officiis cap. 22. *Quamvis, cum soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperantes, pro quibus tunc ista celebrantur officia, & quorum personam Sacerdos in quibusdam responsionibus exequitur: tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui intersunt Sacerdos, Respondens, Offerens atque Communicans, sicut hoc ipsa compositio Canonis seu precum evidenti ratione demonstrat.*

Gerhardus Lorichius in Lib. de Missa publica proroganda. *Missæ privatæ, quæ absente populo Catholico fiunt, abominatio verius, quam oblatio, dicendæ sunt.*

Georgius Cassander in consult. art. 24. cap. de Missa p. 990. *Quod* (Protestantes) *in omni Missa Sacramenta corporis & sanguinis Domini porrigunt, idq; idoneis atque exploratis, hoc certe improbandum non est. Nam & institutioni Christi & Apostolicæ traditione & veteris Ecclesiæ etiam Romanæ observationi consentaneum est.*

Idem in cap. de solitar. Missis p. 995. *Quod itaque de privatis Missis conqueruntur, non omnino præter rationem est, si privatarum Missarum nomine intelligant eas Missas, in quibus solus Sacerdos confecta Sacramenta participat, nec ulla mysteriorum distributio fit, (quæ aptiore nomine Solitariæ Missæ vocantur) quæ veteribus quoque, cum primum in Monasteriis quibusdam inolevissent, improbatæ fuisse videntur, ut patet ex canone quodam Concilii Nannetensis, in quo Sacerdos solus Missam celebrare vetatur. Absurdum enim*

esse,ut dicat, Dominus vobiscum, sursum corda, aut, Gratias agamus Deo Domino nostro, cum nullus sit, qui respondeat; aut in canone, Et omnium circumstantium, cum nemo adsit, aut invitet ad orationem, cum dicit, Oremus, cum nullus sit, qui oret. Itaq; concludit, ridiculosam illam superstitionem maxime à Monasteriis Monachorum exterminandam esse. Itaq; jubentur Prælati providere, ut Presbyteri in Cœnobiis & in aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Huic Concilii Nannetensis decreto simile reperitur ex Concilio Papiensi cap. 132. ut nullus Presbyter solus Missam celebrare præsumat, quia ita nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis suis discipulis celebranda contradicit, nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis Actibus enucleatim legitur, ita debere fieri, nullo modo. De his Solitariis Missis scribit Odo Cameracensis in Canonem, antiquitus eas in usu Ecclesiæ non fuisse, videlicet cum nulla Missa sine Collecta, hoc est, cœtu aliquo una offerentium & Sacramenta participantium agerentur. Eum autem morem solitarias Missas celebrandi maxime in Monasteriis Monachorum obtinuisse; solitarias autem Missas etiam habitas fuisse, quas Sacerdos cum uno aliquo ministro celebrabat, idem Odo testatur. Huc etiam pertinet, quod quidam antiquiores Ecclesiasticorum officiorum Interpretes eam solam legitimam Missam esse fatentur, cui intersint Sacerdoti respondentes, offerentes atq; communicantes, quod ipsa precum in sacra actione compositio evidenter demonstrat, in qua actione offerentium & communicantium aperta fit mentio. Et alius quidam Ecclesiasticarum rerum peritissimus Scriptor ante annos 500. ita scriptum reliquit: Sciendum juxta antiquos Patres, quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverunt, unde & ante oblationem juxta canones jubebantur exire Catechumeni & Pœnitentes, videlicet qui nondum præparaverant se ad communicandum. Hoc quoq; ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sua sola oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur, nec proprie communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participent. Et quidem hunc antiquum esse Romanæ Ecclesiæ morem doctissimi quiq; agnoscunt, quem etiam hodie Ecclesia Æthiopica diligenter & religiose observat, ut patet ex libro navigationum Francisci Alvares.

(Franciscus ille Alvarez, qui ante centum paulo minus annos Legato, jussu Emanuelis Regis Lusitaniæ, in Æthiopiam eunti, comes additus, sexennium iis in terris commoratus est, Itinerar. cap. 81. testis est, *displicuisse Æthiopibus & eorum Regi, quod in Missa à Lusitanis celebrata unus totam rem conficeret, nec ex astantibus quisquam particeps fieret.* Pergat vero Cassander.)

Itaq; hac nostra ætate reverendus pater & vir doctissimus Johannes Hofmeisterus, his verbis suam sententiam breviter declaravit, quo loco precationes Missæ exponit: Res ipsa, inquit, clamat tam in Græca, quam in Latina Ecclesia non solum Sacerdotem sacrificantem, sed & reliquos Presbyteros, Diaconos, nec non & reliquam plebem, aut saltem plebis aliquam partem communicasse, quod quomodo cessaverit, mirandum est, & ut bonus ille usus in Ecclesiam revocetur, laborandum.

p. 997. *Missas illas privatas, quamvis privatim extra publicum conventum & inter paucos fierent non tamen prorsus sine omni synaxi & collecta fuisse credendum est, sed in tali actione Sacerdote aliquos, licet paucos vel ex ipso Clero seu ministris Ecclesiæ habuisse, qui cum illo Sacramenta participarent, quod vel ex eo patet, quod non licuerit Sacerdoti sine Diacono celebrare, qui de manu Sacerdotis Eucharistiam suscipiebat, ut testatur* Nicolaus de Cusa *Epist. ad Cler. & literat. Bohem. Addit quod ita præceptum fuisset servari, & ex eo, quod in Missali ponitur, Sumsimus Domini Sacramenta, clare videtur, plures semper communicasse, & in Concilio quodam, cujus supra mentionem fecimus* (Nannetensi can. 2.) *jubentur Prælati providere, ut Presbyteri in Cœnobiis & aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum.*

Et postea. *In his Missis, quæ quotidie in Collegiis vel Monasteriis habentur, hoc optandum esset, ut loco plurium Missarum, quæ passim per varia altaria satis sæpe negligenter fiunt, una tantummodo Missa celebretur, in qua viri religioni peculiariter consecrati communionem sacram perciperent, & maxime ii, quorum ministerio Presbyter sacra faciens utitur, hoc est, Diaconus & Subdiaconus, qui mos in Ecclesia diutissime fuit observatus. Hujus unius Missæ vestigia adhuc retinentur in Monasteriis Benedictinorum, in quibus triduo illo ante Pascha solus Abbas mysteria perficit, reliqui Monachi, etiamsi Presbyteri sint, de Abbatis manu Sacramenta participant. Et B. Franciscus Epistola ad Sacerdotes sui ordinis, eos diligenter monet & exhortatur in Domino, ut etiam in locis, in quibus plures sunt Sacerdotes, una tantum Missa celebretur in die, secundum formam Romanæ Ecclesiæ.*

Ibid. *Fatendum est, melius & divino instituto & consuetudini Ecclesiæ convenientius esse, ut in omni Missa præsentibus aliquot, vel ex Clero, vel populo, Sacramenta distribuantur.*

Georgius Wicelius in Comp. de se mit. antiq. *Unicum sacrū in loco celebri huicq; rei sacro reverenter, nec indigne peragi haud iniquè judicas, ubi frequens sit populus ad orandum, confitendum, gratias agendum, recolendum & comparticipandum. Perfecto qui veram antiquitatem sapiunt, non longe ab hac sunt sententia, modo servetur pristina Liturgiæ forma, restituta magis quam reformata. Abominaris additamenta nova Missarum peculiarium sive privatarum, per Mendicantium quorundam multiplicationem introductarum. Nos equidem considerantes, quo initio ista, & quibus autoribus, & quibus nitantur nervis, scil. non admodum refragabimur, si consopiantur cum autoritate, non tumultu, quo in majori precio apud omnes infideles sit publica hujus sacri actio non vendita, sed gratis parata atq; exhibita nulli non, qui esurit sititq; justitiam. Particulares Missulæ non congruunt cum institutione Cœnæ, nec cum traditione Paulina, nec merentur Liturgiæ nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Ecclesiæ testimonium aut exemplum, nec Sanctorum Patrum (de antiquis loquor) consensionem firmam, nec beatorum Martyrum aut Homologetarum adstipulationem, nec deniq; œcumenicorum Conciliorum veterum approbationem ullam, sed nuperis seculis adinvenit has vana hominum superstitio & hypocrisis, ignorantia & philargyria.*

Et postea. *Tibi vis Missam seorsim, & tibi tantum proficiam, (ut isti loquuntur) non eam, quam tecum habet communem tota Christiana fraternitas? placet Sacrificulus conductitius, qui reclamante institutione vix cuiquam audita vel intellecta demurmurat, & displicet totius Ecclesiæ Liturgus Presbyter in hoc accedens ad commune ministerium, ut prosit omnibus, studioq; habens, ut non indignus ministerio, mysterioq; tanto coram appareat. Atq; ad eam publicam sanctamq; actionem quadrant Evangelistarum voces. Cœnantibus autem illis; Et Apostoli, Convenientibus vobis in unum locum, non ad fundatorias in obscuro Missas, sine testibus, contra rectum Ecclesiæ usum observatas, ac sine circumstantibus, quos salutent voce ista solenni, Dominus vobiscum &c. ad quas irrumpitur lotis quidem manibus, at incircumciso corde & inquinato sæpe corpore ac polluto ore, sine bono affectu sæpe inventi, & domesticis curis occupati spe lucri pellecti tamen, qui scopus est operis hujus operati. Quæ vero ibi vel imaguncula sanctionis Dominicæ atq; traditionis Apostolicæ? Cur ergo ad hæc ubiq; anhelatur murmura fastidito vero sacro? ubi periculum, ne Numen ad iram magis provocetur, quam ad indulgentiam flectatur. Sed satis de abusu Missæ particularis. Qua ratione volumus in veterato Ecclesiæ Romanæ morbo mederi, non observire quorundam affectibus. Testem Deum in animam meam invoco.*

Idem Wicelius homil. Dom. Septuag. sub fin. *Nae errant sacrificuli nostrates sacrificii laudis obliti, hecatombas Missarum privatarum constituentes. Vide cæce domicelle, vide, iterum dico, quo autore id facias.* Confer Claud. Espensæum lib. de Miss. privata & publica oper. fol. 1210. & seqq.

4. Quod nundinationes Missarum istarum privatarum taxant.

Guilielmus Peraldus Episcopus Lugdunensis, in Summ. virtut. & vitiorum. (circa ann. 1290.) *Sacrificuli Simoniaci vendunt Deum, dum Christum in Sacramento altaris vendunt pro pecunia celebrando. Nec est parva contumelia ista. Non est aliquis ita pauper in mundo, qui non multum indignaretur, si quis vellet ducere eum ad forum & ibi venalem exhibere, tanquam jumentum suum, quanta ergo contumelia est Deo, cum ipse venalis exponitur ab his, à quibus præcipue honorandus esset! Sufficere deberet talibus, quod Christus semel pro peccatis eorum venditus est. Venditores isti deteriores videntur esse Juda in his quinque,*

Primo, vendunt immortalem & jam glorificatum, quoniam Judas vendidit mortalem & in statu humilitatis. Major autem contumelia est, quæ fit alicui in statu honoris, quam in statu humilitatis, unde contumelia illata militi major est, quam si inferatur domicello.

Secundo, nec semel tantum eum vendunt ut Judas, sed plusquam centies.

Tertio, minori etiam precio eum vendunt quam Judas,

Quarto, credunt etiam eum Deum esse, quod non credebat Judas, cum vendidit 30 *denariis.*

Quinto, Judas etiam cum de suo peccato pœnituit, pœnitentia ductus reddidit 30. *argenteos quibus Christum vendiderat, sed Simoniaci ad pœnitentiam induci non possunt, ut ea restituant, quæ per Simoniam acquisiverunt.*

Id. *Si nihil offerretur celebranti, sicut nihil offertur Laico communicanti, nunquam fuisset pluralitas Missarum introducta in Ecclesia Dei.*

Id. *Multiplicatio altarium absq; necessitate facta est, non ex devotione,*

votione, sed ex cupiditate, unde Ose. 8. Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum. Hostias offerent, immolabunt carnes & comedent, & Dominus non suscipiet eas. Mira insania est, quod altaria multiplicentur ad peccandum, quæ pure deberent fieri ad Deum placandum. Corpus Dominicum super hujusmodi altaribus ex cupiditate immolatum à Deo non suscipitur, quantum ad operationem immolantis.

Georg. Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Divites hujus mundi, simplices imo stolidi Midæ ab habendi cupidis persuasi, has* (privatas Missas) *sibi proprias fecerunt, alius numerata pecunia, alius agris pratisq;, alius vineis, alius aliis emolumentis emerunt ad redemtionem animarum peculiariter suarũ, & quo negotiatio ista foret certior, membranis sanxerunt indeletis, ut repeterentur ista, vel omni die, vel omni mense, vel omni anno. Onerati ligatiq; peccatis, sic se solvi, & sic se pœnas (quas dicunt) purgatorias effugere posse putant, perinde ac si in hunc finem pararetur in publico cœtu Cœna Dominica. Atque has emtiones vocant solenniter fundationes, aut supremas morientium voluntates, quæ fons & origo sunt tot altarium per templa pene omnia, tot Sacerdotum, tot meretricum, aut totius hujus gravaminis, de quo conqueritur, & adhuc ingemiscit totus terrarum orbis. Sed nolim altius in hanc publicam querimoniam descendere, lernam malorum hinc provenientium oportebat emendari potius, quam deplorari, si summus Rom. Pont. Christi Petrique vestigia insequi mallet, quam usurpare plausibilia horum nomina, & Episcopis tam cordi esset Ecclesia, quam est aula &c.*

Et postea. *Retuli superius de consuetudine veterum, qua olim in Liturgia exercuerint precationem pro defunctis Christianis. Verum illa consuetudo ad hodiernas mercenarias, culinarias atq; dedecorosas nundinationes nullo modo pertinet.*

Ibid. *Cæterum querela nostra de pravissimis abusib. redeat in Ecclesiam, in qua redundant Missæ vitia, maxime autem circa istas privatas Missationes, qui abusus de optimo Liturgiæ & publico per hominum superstitionem ac avaritiam crevit, haud aliter quam: sed comparatio est odiosa. In confesso est, hic non esse, nec esse posse Cœnam Dominicam, nec communiter hoc opificio quæri aliud, quam pecuniam & quadram alienam. De paucissimorum pio affectu non loquor, quanquam nec hos tuebor, ni comparticipent vel in templo vel domi, ut se quidem offert aut loci, aut temporis ratio cum necessitate conjuncta. Mercenarias Missationes & conductitias pro rejectis judicato, quisquis de Christo & hujus Cœna ultima recte sentis. Quare, quia sunt mercenariæ, & non habent vel tantillum cũ institutione originali, nec cum apostolica traditione. Per Monachos irrepsit in mundum, per Monarchas consopiatur, Sacerdotes ob has creati recreentur ad evangelizandum & ad alia Ecclesiæ juvanda necessaria munia, atq; ita suis vivant: sin minus, redeant ad locum Laicum, unde venerant ad sacras sacri Suffraganei manus. Neque enim sunt de tribu Levi, ut oporteat semper esse Leviticos. Horum tamen nullus audebat olim proprium & pro suo beneplacito altarium erigere ac sacrificium seorsim facere.*

5. Quod agnoscere coguntur, Ecclesiam Græcam non celebrare privatas Missas.

Bessarion Cardinalis de Sacram. Euchar. *Hoc ipso ordo rerum poscebat, primum consecrare, deinde frangere postea distribuere* (seu populo dividere) *quod nos* (Græci) *in præsenti facimus.*

Concilium Ferrariense in procemio. *Proxima Dominica quindecim Græci Sacerdotes domi Imperatoris, jussu ejus, Missam* (seu Communionem) *solenniter celebrarunt: ubi etiam Marchio cum suis civibus adfuit, & panem benedictum per Patriarchæ dextram more Græcorum accepit atq; libavit.*

Quindecim illi Sacerdotes non totidem singulares Missas peregerunt, ut in Ecclesia Romana fieri consuevit, sed unam una omnes: nec fuit una illa Missa administratio, quæ privatim fieret, sed communio.)

Durandus lib. 4. Rational c. 53. *In primitiva Ecclesia offerebant magnum panem & omnibus sufficientem, quod adhuc Græci servare dicuntur.*

Georg. Cassander in Liturgiis ex Armeniorum Liturgia hæc adducit: *Qui non sunt digni communicare hanc oblationem Dei, exeant foras ante fores Ecclesiæ & ibi orent.*

(Illud probant Græcorum Patrum Liturgiæ, quæ recentiorib. Græcis adhuc in usu.

Liturgia Chrysostomi. *Post, mysteria feruntur ad locum, ubi populus debet communicare.*

Liturgia Basilii. *Nos omnes de uno pane & de uno calice participantes &c. Cantores cantant communionem, & sic communicant omnes.*

Matthias Flacius Illyricus, cui, utpote in Dalmatia non longe à Græcorum finibus nato, Græcorum instituta familiariter è vicinia fuere nota, in Catal. test. veritatis p. 5. *Ecclesia Græca, eique conjunctæ, Asiatica, Macedonica, Mysica, Valachica, Rutenica, Moscovitica & Africana, id est, totus mundus, vel certe ejus maxima pars nunquam primatum Papæ communi consensu concesserunt; nunquam privatas Missas, nunquam communionem sub una specie.*

6. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, in Canone Missæ in Romana Ecclesia usitato, non solum recitantur verba institutionis, *Accipite, Comedite, Bibite ex hoc omnes &c.* Sed etiam mentio fit communicantium, *Communicantes & memoriam venerantes.* Item. *Quotquot ex hac altaris participatione sumserimus.*

(Ergo communio requiritur in administratione hujus Sacramenti.)

Secundo, Patres Concilii Tridentini fatentur, *optandum esse, ut in singulis Missis fideles astantes Sacramentali etiam perceptione communicent.*

(Ergo optant privatas Missas abolitas.)

Tertio, statuunt Missam *à missione* nomen habere.

(At missio vel dimissio illa non habet locum in Missis solitariis.)

Salmeron in Epist. ad Canisium de etymologia Missæ, quæ cum aliis habetur in fine Comment. Salmeronis in Epist. Canon. *Invenio apud veteres Patres, Missam dici solitam pro missione, quoniam Catechumeni, ea suscepta, foras de Ecclesia emitterentur. Ut in ritibus paganorum dici consueverat, ilicet, quod per syncopen idem est, ac ire licet: sic nostrum, Ite, missa est.*

Azorius lib. 10. Instit. moral. c. 8. §. Quæres. *Hac voce Catechumeni excludebantur, quibus non licebat consecrationi interesse. Hinc vulgarium hominum usu cæpit integrum Missæ sacrificium sumto vocabulo à publicis illis verbis, quæ ad omnium audientium aures perferebantur, Missa appellari, atq; hoc modo à Patribus & Conciliis hoc vocabulum sumitur.*

Confer dicta superius c. 1. membr. 5. n. 1. ex Beato Rhenano & Georgio Cassandro.)

Quarto, Bellarm. lib. 2. de Missa c. 10. resp. ad 2. sic scribit: *Nihil verius dici potest, quam quod distributio & dispensatio Sacramenti fuit in usu primitivæ Ecclesiæ in celebratione Cœnæ Dominicæ.*

(At in Missa privata nulli adsunt communicantes, & ne unus quidem præter Sacerdotem consecrantem participat. Ergo Missa privata primitivæ Ecclesiæ praxi repugnat. Subjungit quidem Bellarminus, *sed inde non sequitur, non posse unquam sacrificium sine dispensatione offerri.* Atqui ex eo ipso, quod Christus distribui, accipi & manducari jussit, & praxis primitivæ Ecclesiæ Eucharistiam sic celebrandam esse confirmat, sequitur, non unam aliquam solitariam privatim sine dispensatione consecrari debere.

Quinto, agnoscunt, originem privatarum Missarum fuisse à negligentia plebis.

(Ergo à principio non laudabili oriuntur.)

Hardingus contra Ivell. art. 1. postquam agnovit, *à sua Natura hoc esse esse publicum epulum,* subjungit, *Quod autem alii cum Sacerdote communicare vulgo & passim recusant, id ipsorum culpæ atq; negligentiæ, quos nulla suæ salutis cura aut solicitudo tangit, tribuendum est.*

Coffetæus contra Molinæum c. 1. *Quæ causa est, cur populus non communicet? indevotio ejus, neglectus q; rerum sacrarum, minime vero Pastorum votum concedentium communionem omnibus postulantibus, postquam se composuerint juxta leges Evangelii & Ecclesiæ.*

Sexto, in Liturgia Gregorii Sacerdos sic orat: *γένοιτο δὲ ἐμοὶ καὶ πᾶσι τοῖς μετέχουσιν εἰς ὑγείαν ψυχῆς τε καὶ σώματος σωτηριώδης ἑτοιμασία. Fiat mihi & omnibus accipientibus ad sanitatem mentis & corporis salutaris præparatio.*

(Ergo Sacerdos non unus pro omnibus temporibus Gregorii communicavit, sed unus fuit omnium communicantium.)

Septimo, Henricus Henriquez lib. 9. Theol. moral. c. 30. p. 557. *Ad Missam privatam non necessarium est, ut multi ministrent, satis est ex consuetudine unus, qui ministret Sacerdoti. Sed expediret, esse plures juxta cap. Hoc quoque. de consecrat. dist. 1. quia ad plures dicit, Dominus vobiscum. At unus respondet nomine totius Ecclesiæ. Si Sacerdos careat Ministro, satius esset etiam in festis non facere sacrum, nisi festum valde solenne, & necessitas videatur concedere interpretativam Papæ licentiam.*

(Ergo expediret, Missas solitarias abrogari.)

Octavo, Hardingus in resp. ad Provocat. Ivelli art. 1. sect. 7. fate-

fatetur, *Christi institutionem tria continere, quæ Christus ipse fecit, quæque faciendi potestatem Ecclesiæ suo mandato dedit, consecrationem, oblationem, participationem, quibus universa Missæ substantia absolvitur.*

(Atqui si participatio requiritur in Christi institutione & est pars Missæ substantialis, utique privatæ Missæ pugnant cum Christi institutione. In illis enim Sacerdos nullam Sacramenti partem cum aliis sumit, quod participationis nomine significatur, sed totum solus devorat.)

Nono, agnoscunt, Eucharistiam dici κοινωνίαν communionem propter distributionem corporis & sanguinis Dominici, mediantibus Symbolis Sacramentalibus, pluribus factam.

Pachymeres in Dionys. Eccles. Hierarch. cap. 3. ταύτην δὲ καὶ κοινωνίαν λέγει διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων. *Hanc etiam communicationem propterea vocat, quod tunc omnes communicarent, qui digni essent mysteriis.*

Hugo Cardinalis in Speculo Ecclesiæ. *Post hoc dicatur communio, quæ appellatur, ut omnes communicemus.*

Et postea: *Vel dicitur communio, quia in primitiva Ecclesia populus communicabat quolibet die.*

Gerardus Lorichius de Missa publica proroganda. *Dicitur Communio, quia concorditer de uno pane & de uno calice multi participamus; & communio participationem & communicationem significat.*

Decimo, agnoscunt olim unicam tantum in una die Missam fuisse celebratam.

(Ergo nondum fuit usitata illa Missarum plurium ab uno Sacerdote una die decantatarum nundinatio.

Pontificale in vita Papæ Deusdedit. *Deusdedit constituit secundum Missam in Clero &c.* ad illum locum Petrus Urbevetanus in scholiis suis sic annotat: *Quia tunc ad instar Græcorum non cantabatur in una Ecclesia nisi forsan una Missa, quod magis ædificabat secundum antiquos.*

Thomas Waldensis Lib. 6. cap. 34. *Græci adhuc unicam tantum Missam in die celebrant.*

Franciscus in Epistola ad fratres scribit: *Moneo & exhortor vos in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum celebretur Missa in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

Argum. Advers. Pro Missis solitariis urgent locum Chrysostomi homil. 3. in Epist. ad Ephes. *O consuetudinem! O præsumtionem! Sacrificium frustra quotidianum. Incassum assistimus altari. Nullus qui communicetur.* Harding. contra Ivellum art. 1.

Resp. 1. ex toto contextu apparet, esse *hyperbolen*, qualis etiam in sacris literis alicubi occurrit.

Maldonatus in cap. 3. Joh. super verba, *Testimonium ejus nemo recipit. Quod dicit nemo, hyperbole est; nec enim nemo, sed pauci ejus testimonium acceperunt.*

Emanuel Sa. *Nemo scilicet fere.*

Guilliaudus ibid. *Quasi dicat, Adeo pauci sunt, qui ejus testimonium accipiunt, ut vix audeam pronunciare, aliquos accipere illum, adeo parvus auditorum ejus est numerus.*

Toletus ibid. *Verba hæc paucitatem credentium illius temporis significant. Nemo, inquit. Credebant quidem tunc jam aliqui, tamen collatione eorum, qui tanto testi credere debuerant, nemo dicitur credidisse.*

Salmero in 2. Tim. 4. super verba, *in prima defensione nemo mihi adfuit. Quanquam Petrus esset Romæ, & Lucas, dixit tamen Paulus, omnes me dereliquerunt, sed hi non erant de numero eorum, qui possent eum adjuvare.*

Emanuel Sa ibid. *Omnes scilicet, qui favere poterant.*

2. Chrysostomus ibidem invehitur in eos, qui abstinerent à communione quotidiana, ut se coërcerent in paucos annuos dies.

CAPUT III.
De Lingua Genere.

Thesis. Administratio Eucharistiæ usitato & communicantibus noto linguæ genere peragenda.

Ἐκθεσις. Quod de Eucharistiæ administratione dicimus, idem propter rationis paritatem de precibus publicis intellectum volumus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. *Non videri expedire, ut Missa vulgari passim lingua celebretur.*

Can. 9. *Si quis dixerit, lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, anathema sit.*

Petrus à Soto in Assert. Cathol. cap. de horis Canon. *In Sacramento non prædicatio Evangelii quæritur, sed consummatio tantum Sacramenti, ubi quod attinet ad consensum Ecclesiæ, satis est, ut intelligat Ecclesia Sacramentum agi, atque ita consentiat.*

Anglo-Rhemenses in annot. 1. Cor. 14. v. 13. *Non dubitamus, quin Deo sit gratius & conducibilius in omnibus necessitatibus & conventibus totius Christiani populi precari in Latina, quam in vulgari lingua, licet unusquisque in particulari non intelligat, quid loquatur, tamen planũ est, tales preces non minori cum consolatione Spiritus, nõ majori cum tædio, non minore devotione & affectu, imo sæpius majori fieri, quam alias illas,* (quæ in lingua omnibus nota fiunt.)

Ibid. *Populus Christianus antiquæ suæ consuetudini parere debet, & Latinis precibus uti potius, quam vulgatis.*

Stapletonus Domin. 7. post Trinit. in promt. Cathol. p. 193. *Vestimentum ovis est exhibere populo officium divinum & preces omnes lingua cujusque vernacula & vulgari. Lupina rabies est, quod hac ratione ab omni peccandi studio & devotione populum fraudulenter & impie averterunt. His enim, quæ in vernacula leguntur attenti, aut cum aliis cantillare compulsi, privatæ devotioni vacare nec commode possunt, nec à Ministris permittuntur.*

Hosius Cardinalis in Libr. de sacris vern. ling. leg. *Non modo non aucta, sed diminuta religio & pietas, postquam aliqui lingua vernacula in Officiis Ecclesiasticis uti cæperunt.*

Quod Jacob. Faber Stapulensis & Cajetanus Cardinalis in Comm. 1. Cor. 14. docuerant, *populum melius in Deum reduci & devotius respondere Amen, si intelligat orationem seu benedictionem Sacerdotis*; illud Ambrosius Catharinus *esse Lutheri, imo Diaboli in Luthero loquentis inventum*, blasphemè pronunciavit.

Jacobus Ledesma Jesuita in Lib. de div. Scripturis quavis passim lingua non legendis cap. 3. p. 20. *Ex dictis necessario consequitur, errorem esse, asserere, non licere aliter quam lingua vulgari sacra aut officia divina celebrare, aut quavis passim vulgari lingua sacras literas esse vertendas, vel id magis expedire.*

Sixtus Senensis Lib. 6. Biblioth annotat. 263. ex Ambrosio Catharino Episcopo Compsano. *Doctrina Lutheri quæ linguam cognitam in precibus exigit, Diaboli calliditatem sapit.*

Bellarminus Lib. 2. de verbo Dei cap. 16. §. Secunda objectio. *Oratio publica, quæ fit à Ministris in Ecclesia, necessum non est, ut in vulgari & patria lingua dicatur.*

Idem Lib. 2. de Missa cap. 11. *Non est necessarium, Missam vulgari lingua recitari.*

Azorius Lib. 8. instit. moral. cap. 26. *Concilium Tridentinum statuit, non expedire, ut divinum officium vulgari passim lingua celebretur.*

Nostram sententiam probamus,

1. Christus instituit & Apostolus repetit, ut in Cœna fiat commemoratio passionis & mortis Dominicæ, quod fieri nequit in lingua Laicis ignota.

2. Paulus ad Corinthios scribens, institutionem Cœnæ Dominicæ potius vernacula lingua Græca, quam alia conscribere voluit.

3. Christus ipse in Cœnæ institutione & administratione vulgari lingua fuit usus.

4. Ante administrationem Cœnæ commonefaciendi sunt communicantes de summo hoc mysterio, ut se exactius præparare possint 1. Cor. 11. v. 28. At hæc commonefactio locum non habet, ubi aliena lingua sacra peraguntur.

5. Apostolis eo fine datum donum linguarum, ut omnibus sub cœlo populis doctrinam Evangelii proponere & Sacramenta administrare possent.

6. Apostolus 1. Cor. 14. præcipit, ut omnia fiant in Ecclesia *ad populi ædificationem, ut nemo linguis loquatur peregrinis sine interprete*; addit etiam, *malle se quinque verba ex sua intelligentia loqui, ut & alios instituat, quam decem millia verborum lingua incognita*: quinimo diserte prohibet, *non esse eo modo in Ecclesiasticis conventibus docendum, ut populus, quæ dicuntur, ignoret.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, sacra Ecclesiastica lingua vulgari esse peragenda.

Walafridus Strabo Lib. de reb. Eccles. cap. 7. *ante Bonifacii in Germaniam adventum Theotisco sermone sacra esse peracta tradit.*

In Constit. Caroli Lib. 6. cap. 73. extat talis sanctio. *Placuit, ut fideles &c. intelligant vim & mysterium Dominici corporis & sanguinis, & Missæ sive precum, quæ in ea à Sacerdote fiunt.*

De Methodio Illyrico, qui vixit circa annum 860. Aventinus in Annalib. testatur, *quod impulerit Dalmatas, aliosque Illyricos, ut, abolita lingua latina, vulgari in sacris mysteriis peragendis uterentur.*

Inno-

Innocentius III. in Synodo generali Lateranensi circa annum Christi 1215. decrevit, *ut Episcopi diversarum linguarum rituumque gentibus divina officia & Sacramenta per homines idoneos, linguarum istarum peritos, administranda curent.*

Hoc decretum Innocentii habetur c. Quoniam. ext. de offic. judic. ordin. hisce conceptum verbis: *Quoniam in plerisq; partibus infra eandem civitatem atq; Diœcesin permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores, districte præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civitatum sive Diœcesium provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum & linguarum divina illis officia celebrent, Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo.* Extat hoc decretum tom. 2. Conc. Colon. p. 950. Venet. tom. 4. p. 216.

Æneas Sylvius in Histor. Bohem. c. 13. *Ferunt, Cyrillum Moravorum Præsulem, cum Romæ ageret, Pontifici supplicasse, ut Sclavorum linguâ ejus gentis hominibus quam baptizaverat, rem divinam faciens uti posset, de qua re cum in sacro Senatu disputaretur, essentq; non pauci contradictores, auditam vocem, tanquam de cœlo in hæc verba missam: Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei, indeq; datum Cyrillo indultum.*

(Bellarminus cum factum negare nequeat, id his verbis conatur eludere lib. 2. de Verbo Dei c. 16. *Totum regnum convertebatur, & non poterant reperiri ministri, qui Latine celebrarent. Tamen postea, ubi crevit eruditio, & ministri idonei inveniebantur, qui possent Latine idem præstare, melius fuit omittere usum linguæ Sclavonicæ, & communem totius Ecclesiæ consuetudinem sequi.* At hoc nihil aliud est, quam pro concesso sumere, quod est in quæstione. Deinde, qui Latine celebrare non possunt, nec vernacule poterunt, cum Ecclesia Romana à Sacerdote non postulet verborum intelligentiam, sed bonam tantum intentionem. Æque facile etiam erat, novos Sacerdotes Latinam ac Sclavonicam formulam docere. Verum Papæ Johannis VIII. Epistola ad Sfentum Moraviæ Principem scripta, quæ extat apud Baronium tom. 10. anno Christi 880. num. 16. & seqq. omnem difficultatem tollit, nobisque ipsius Papæ judicio causam adjudicat: *Literas vero Sclavonicas, ait, à Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitas resonent, jure laudamus, & ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia & opera enarrentur, jubemus* (nota, *jubemus*.) *Neq; enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare autoritate sacra monemur, quæ præcepit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi: & Apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis quoq; tuba insonat, monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam in prima ad Corinthios Epistola satis & manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanæ fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel Lectiones divinas novi & veteris Testamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latine legatur, & postmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis annuncietur, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & judicibus tuis placet, Missas Latina lingua magis audire præcipimus, ut Latine Missarum ibi solennia celebrentur.* Hæc omnia Pontifex Johannes.

Inde Petrus Suavis lib. 6. Hist. Conc. Trid. p. 677. memorat: *Johannem VIII. Papam, postquam Moravos severissime increpuisset propter Missam lingua Sclavonica celebratam, eaque abstinendum edixisset, melius tamen informatum anno 880. dedisse ad Sfentor Pulchrum ipsorum Principem aut Comitem prolixas literas, quibus non via concessionis, sed declarationis affirmat, fidei sanæq; doctrinæ non esse contrarium, dicere Missam aliasve preces lingua Slavonica, quoniam qui linguam Hebraicam, Græcam & Latinam fecit, idem alias quoque fecerit ad nominis sui gloriam, citatis in eam rem variis e Scriptura locis, ac nominatim D. Pauli ad Corinthios admonitione. Hoc tantum Papa ille præceperat, ut ad majus Ecclesiæ decorum per eam universam Evangelium Latine prius, dein Sclavonice legeretur, quod apud nonnullos jam obtinuerat, facta tamen Comiti gratia, suisq; judicibus, ut Latine Missam audiret, si ea magis adlubesceret.*

pag. 678. *Illud quoque addendum, quod ad Uratislaum Bohemiæ Principem ducentos post annos ad rem apposite scripsit Gregorius VII. Se celebrationem divinorum officiorum lingua Slavonica et permittere non posse. Neque idoneam esse excusationem, affirmare, id anteactis temporibus non prohibitum, quia primitiva Ecclesia dissimulaverit multa, quæ utcunque diu tolerata, post Christianam religionem stabilitam, diligenti, subtilique examine emendata fuere. Unde Principi huic mandatum ut totis viribus voluntati populi se opponeret. Hæc studiose observanti* (subjicit Petrus Suavis) *liquido apparebit, cujusmodi fuerint incorrupta veteris Ecclesiæ instituta: & quemadmodum his etiam vigentibus aditus corruptelis propter humanas considerationes sit patefactus: ac pariter quibus aspectibus, bonis moribus debilitatis, abusus pedem fixit, rerum ordinem invertit, & cœlum terræ miscuit, optime instituta pro corruptelis vulgo jactentur, tanquam ab antiquis Patribus tantum tolerata, abusus contra postmodum introducti tanquam perfectæ emendationes cœlo inferantur.*

Johannes Bilet in Summa de div. offic. *In Ecclesia primitiva prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, nisi esset, qui interpretaretur. Quid enim prodesset loqui, nisi intelligeretur &c? Quid nostris temporibus est agendum, ubi nullus vel rarus invenitur legens vel audiens qui intelligat? videns vel agens qui animadvertat? jam videtur esse completum, quod à Propheta dicitur, Et erit Sacerdos quasi de populo unus. Videtur ergo tacendum potius esse, quam psallendum, silendum omnino, quam tripudiandum, si in hanc temporum infelicitatem incidimus.*

Georgius Cassander in Consult. art. 24. cap. de Missa p. 995. *Missas ipsas ita à Sacerdotibus fieri oportebat, ut hinc utilitas aliqua ad populum redeat, & non in externo tantum spectaculo defixus hæreat, quod fiet, si preces & lectiones divinarum literarum ita fiant, ut ad præsentium, quorum gratia fiunt, fidem & pietatem augendam pertineant. Adde quod hæc actio Missæ nō solū populi causa fiat, sed ex antiquis Patrum institutis in ea populus suas quoq; partes habeat. Nam ut recte inquit Cajetanus, Institutio Missæ id habet, ut populus & audiat, quæ doctrinæ sunt, & dicat, quæ laudis sunt. Quapropter idem scriptor alibi ait, melius esse ad ædificationem Ecclesiæ, si orationes publicæ, quæ audiente populo dicuntur, dicantur lingua vulgari in Ecclesia, quam in lingua Latina. Qua de re cum reprehenderetur, respondit, se hanc sententiam fundasse super doctrinam Pauli 1. Cor. 14. Quod si ob reverentiam linguæ Latinæ in qua divinas literas & Evangelicam doctrinam primum accepimus, lingua Latina retinenda videtur, saltem ex mandato B. Pauli interpretatio adjungatur, & post lectum Evangelium brevis aliqua explicatio ad institutionem populi subjiciatur.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Prudenter fecerint Monarchæ & cæteri Principes, si primo quoq; tempore Ecclesiasticas aliquot odas à pie doctis quibusdam pangi curent lingua populo vernacula seu domestica, ut liceat & idiotis Catholicis Deum timentibus interdum in laudem Dei succinere more vetusto, unde corda ad Christum erecta exhilarescant.*

2. Quod quidam agnoscunt, apud multos populos, præsertim Ecclesiæ primitivæ temporibus, sacra fuisse vernacula ac vulgari lingua celebrata.

c. In quibus. dist. 2. de consecrat. Leo Papa ex Synodo Romana scribit, *ne quidem ab infantum linguis veritatem corporis & sanguinis Christi inter communis fidei Sacramenta taceri.*

Thomas Aquinas in Comm. 1. Cor. 14. fatetur, *in primitiva Ecclesia insaniam fuisse, si quis ignota lingua preces dixisset, quia tunc fuerint rudes in ritu Ecclesiastico nescientes quæ fierent ibi.*

Thomas Waldensis in doctrin. antiq. Eccles. tit. 4. cap. 31. testatur, *Antiquitatem in publica Ecclesiæ celebratione lingua vernacula fuisse usam.*

Walafridus Abbas lib. de reb. Eccles. cap. 7. ostendit, *adhuc suo tempore* (circa ann. 830.) *apud quasdam Scythicas gentes, præcipue Thomiranos, sacra Christiana vulgari Germanico sermone peragi solita.*

Lyranus in 1. Cor. 14. *In primitiva Ecclesia benedictiones & cætera communia fiebant in vulgari.*

Platina in vita Vitaliani Pont. Rom. *Vitalianus primus omnia in Latino sermone in Ecclesiis fieri imperavit.*

(Ergo ab initio non fuit sic.)

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Ere Christiana foret, si in tota Ecclesia, maxime postquam huc deventum est, cantiones quasdam populo intellectas ad usum pietatis permitterent Præsules. Non est novæ consuetudinis introductio, non hæresis, non scandalum, non flagitium, CHRISTO Filio Dei vivi carmen dicere, & antelucanos hymnos exemplo primorum Christianorum*

norum apud Romanos, teste Plinio. Carmen enim dicere quid aliud *est, nisi laudem DEO canere? juxta illud: Cecinit Moses carmen hoc &c. Istud autem carmen canere aut hymnum dicere non tantum ad Clerum coarctari decet, qui in hoc, ut cantet, mercede conductus est, sed interest etiam omnium invocantium in veritate, ut laudent ac glorificent Deum suum nullo præmio proposito. An enim solum Cleri Deus est & non etiam populi? Quis fidelium obturabit, quis claudet ora fidelium, ne erumpant in laudem Dei sui? Nulla linguarum silescat, & vox omnis consonet, senum, juvenum, parvulorum, matrum, virginum, puellarum chorus dulcissimis ac affectuosissimis perstrepat concentibus. Scriptum est, laudate Dominum omnes populi, laudate pueri Dominum, laudate servi Dominum. Et Apostolus ad cantiones non carnales, sed spirituales, ex ipso corde personandas admonet Ephesios, tam Laicos quam Clericos. Nec nos latere patitur Ecclesiastica Historia, qua aviditate olim cecinerit populus Catholicus cantilenas peculiariter compositas pro asserenda sanctissima Triade adversus hæreses. Hoc profecto erat, quod ille dicit, labiis exultationis laudabit os meum. Laudant Deum cæli cælorum & exaltat terra. Omnis Spiritus laudat Dominum, & benedicunt Domino omnes creaturæ, etiam inanimatæ, & per invidiam tuam, veterator, muta fiant labia plebis Christianæ? Meminimus, quomodo itum sit à Domino Jesu obviam Scribis, cum indignatione vetantibus, ne pueri clamarent in templo, Hosianna Filio David. Quidni, inquit Dominus? Nunquamne legistis, Ex ore infantium &c. Verum nemo cordatorum vetat, ordo tantum servandus, ne confusæ multitudinis voces Ecclesiam perturbent &c. Vetus est, quod populus in Missa cecinit Symbolum Apostolorum linguâ suâ; quidni idem liceat nobis hodiè? præsertim si non depravetur humanis additiunculis. Quidni liceat plures Ecclesiæ cantilenas succinere. Catholice conversas in linguam nostram, ut corda plebis Christo devota magis ad religionem inflammarentur, & in adversis suis fide fiduciaq; consolidarentur, nedum consolarentur? Maxime vero decora est & jucunda laudatio, si ante & post conciones orthodoxas cum effusa lætitia cecinerit.*

Inter quinq; postulata, quæ Poloniæ Regis Legatus Paulo IV. Pont. Rom. Regis sui regniq; nomine exhibuit, primum fuit, *de Missa lingua patria ac populari celebranda.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Concil. Trident. p. 465.

Catharina Galliæ Regina Ann. 1561. ad Pium IV. Pont. Rom. scripsit, *Scrupulos & offensionum causas his, qui se ab Ecclesia nondum alienarunt, præcidendas &c. nempe &c. ut usus precum lingua populari restituatur.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Conc. Tridentini p. 526.

Eccius in locis Comm. c. 37. de Missa Latine dicenda. *Non negamus, Indis Australibus permissum, ut in lingua sua rem divinam facerent, quod Clerus eorum hodie observat.*

Erasmus in 1. Cor 14. *Hac in re* (in usu linguæ vulgaris) *mirum est, quomodo mutata est Ecclesiæ consuetudo.*

Georgius Cassander in Liturg. cap. 28. *Canonicam precem & inprimis Dominici corporis & sanguinis consecrationem ita veteres legebant, ut à populo intelligi, & Amen acclamari posset.*

Guido Fabricius Boderianus curavit excudi Antuerpiæ Ann. 1572. apud Plantinum *Rituale Syrorum* propria & vernacula lingua Syriaca à Severo olim Patriarcha Alexandrino, ut vult, compositum.

Hardingus art. 3. sect. 18. *Tempore primitivæ Ecclesiæ populus in lingua vulgari sacra celebrabat.*

Quinimo fatetur, *in Ecclesia primitiva necessarium fuisse, ut preces in lingua vernacula haberentur.*

(Addit quidem, *hac nostra ætate id non esse eo modo necessarium.* Sed evidentiam textus Apostolici 1. Cor. 14. huic Appendici adversari facile intelligit, qui rationes Apostolicas esse *generales*, & ad omnia Ecclesiæ tempora se extendere animadvertit.)

Azorius lib. 8. Instit. c. 26. §. Sexto quæritur. *Objiciunt Protestantes, quod Jacobus Apostolus Chaldaice aut Syriace apud Judæos Liturgiam composuit, qua nunc quoque fortasse utuntur Æthiopes, Armeni, Moravitæ, Basilius & Chrysostomus, Græci pro Græcis, Hieronymus perhibetur Dalmatica lingua liturgiam composuisse. Concedo, sed id factum est, quia id illi extorserunt.*

(Extorquebimus & nos, quod jus divinum non solum permittit, sed etiam præcipit.)

Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c. 16. §. Sed neque. *Tempore Apostolorum totum populum respondere solitum in divinis officiis, nec fuisse ullum pro Laicis constitutum. ex Justino constat, qui sub finem Apologiæ secundæ pro Christianis disertis verbis dicit, totum populum in Ecclesia respondere consuevisse Amen, cum Sacerdos terminabat orationem vel gratiarum actionem.*

Ibid. §. Idem etiam. *Idem postea longo tempore servatum esse tam in Oriente, quam in Occidente, patet ex Liturgia Chrysostomi, ubi apertissime distinguuntur, quæ Sacerdos & quæ populus in divinis officiis canebant. Item ex Cypriano & ex Hieronymi præfatione lib. 2. in Epistol. ad Galat. qui scribit, in Ecclesiis urbis Romæ ad similitudinem quasi cælestis tonitru audiri populum reboantem, Amen.*

(Excipiunt ad hoc primitivæ Ecclesiæ exemplum variis modis, sed frigide:

Primo. *Non sequi, quod nunc similiter fieri à nobis debeat. Nam initio primitivæ Ecclesiæ defectu cælibum promovebantur ad ordines uxorati, quod tamen nunc nequaquam licet.* Salmer. 1. Cor. 16. Disp. 30. §. Septimo. At hoc est lutum luto purgare, errorem errore defendere.

Secundo. *Exemplum primitivæ Ecclesiæ non esse ad hæc tempora trahendum, quia aucto fidelium numero in tanta multitudine videmus Spiritum refrixisse.* Atqui ideo potius repetendum erat exemplum Apostolorum, ut ex cognitis precibus deferve scentes atq; languidi Spiritus orantium majori orandi devotione & consolatione incendantur, quia oratio intellecta valet ad devotionem & consolationem ex ipsis Pontificiis agnoscunt.

Tertio. *In primitiva Ecclesia Christianos fuisse paucos, qui omnes simul psallebant & intelligebant & respondebant Amen. At postea crescente populo, divisa esse officia, & solis Clericis relictum, ut communes preces peragerent.* Bellarminus d. l. §. At objicies. Atqui consuetudo illa preces publicas in lingua vulgari recitandi etiam tunc locum habuit, cum esset florentissima Ecclesiæ consuetudo, quod ne ipse quidem Bellarminus inficiari potuit d. l. §. Idem etiam &c. sic scribens: *Longo tempore post in Occidente & Oriente tempore Chrysostomi & Cypriani atq; etiam Hieronymi ea consuetudo valuit.*)

3. Quod quidam agnoscunt, Paulum 1. Cor. 14. usum vulgaris linguæ in publicis Ecclesiæ precibus ac sacris requirere.

Jacobus Faber Stapul. in Comm. 1. Cor. 14. *Maxima pars hominum, cum nunc orat, nescio si Spiritu, tamen mente non orat, nam in lingua orat, quam non intelligit. Attamen maxime Paulus probat, ut fideles pariter Spiritu orent & mente, & qui sic, ut passim solent, orant, parum se oratione ædificant, & alios nequaquam suo sermone ædificare valent.*

Cajetanus in 1. Cor. 14. *Ex hac Pauli doctrina habetur, quod melius ad Ecclesiæ ædificationem est, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi Clericis & populo, quam dici Latine.*

Similia occurrunt apud Lyranum & Erasmum in Comm. ejusdem loci.

Ambros. Catharinus hic debacchatur in Cajetanum, dicit *esse inventum Lutheri, imo Diaboli in Luthero loquentis.*)

Excipiunt primo, *locum illum Apostolicum male torqueri, cum Paulus loquatur de Propheta, interprete & Doctore. In Ecclesia, inquit, volo loqui, ut alios instruam. Expende instruã, quod sit de prædicatione, non de Missæ celebratione.* Eccius in Enchir. in cap. quod Missa Latina dicenda, §. Quod ad Missam &c.

Sed resp. verbis Bellarmini lib. 2. de verbo Dei cap. 16. §. Ad hanc. *Videtur difficile hoc defendere, nam sequuntur hæc, προσεύχομαι, ψαλῶ, εὐχαριστεῖς, oro, canam, gratias agis, quibus verbis Apostolus non significat concionari, sed precari.*

Secundo, *Apostolum hoc loco non agere de divinis officiis, sed de Canticis spiritualibus, quæ Christiani componebant ad laudandum Deum & gratias ei agendas.*

Ledesma lib. de lingua, in qua Scripturæ legantur c. 26. Bellarminus d. l. §. Vera sententia. Resp. rationes Apostoli sunt *generales*, omnia in Ecclesia spectare debere *ad ædificationem*, omnia in conventibus publicis in Ecclesia ita peragenda esse, *ut populus respondere possit, Amen.*

Inde Bellarminus ipse §. Alii igitur. sic scribit: *Haymo, Primasius, Petrus Lombardus, Thomas & alii quidam ex Latinis dicunt, Apostolum loqui de divinis officiis.*

Tertio. *Quamvis Apostolus loquatur de divinis officiis, non requiri tamen, ut totus populus intelligat, sed solum ut intelligat is, qui vice populi respondet, idq; ab Apostolo significari his verbis: Qui supplet locum idiotæ.*

Staplet. contra Ivellum art. 3. Sed Bellarm. d. l. §. Alii ergo &c. agnoscit, *hanc solutionem non esse solidam, cum ἀναπληρῶν τὸν τόπον, supplens locum, non significet secundum usum Græcæ linguæ gerere vices idiotarum, sed esse unum ex idiotis.*

Sal-

Salmeron Disp.22. in 1.Cor.14. *Græca phrasis responsum illud nõ admittit, quia τόπ☉ non accipitur pro vice, sed pro eo, qui implet locum idiotæ, hoc est, qui sedet inter idiotas, & est unus ex illis, ut sit sensus: Quomodo dicet Amen, qui est idiota & ignorat, quid precatur?*

Stapletonus in Antidot. p.727. phrasin eodem modo explicat, *qui sedet inter idiotas & in loco talium.*

Erasmus in annot. h.l. *Mos hic, ut promiscua plebs responderet in Ecclesia, durabat adhuc Hieronymi temporibus, ut testatur præloquens in secundum librũ Commentariorum in Epistolam ad Galatas, ubi inquiens sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat; ex quo collige, in veteri Ecclesia non fuisse talem consuetudinẽ, ut unus nomine omnium responderet, sed totam plebem promiscue respondisse.)*

4. Quod quidam agnoscunt, preces, quæ fiunt in lingua vulgari, esse magis fructuosas.

(Omnia vero in Ecclesia ad ædificationem fieri debent.)

Thomas Aquinas in 1. Cor.14. *Quantum ad fructum devotionis, privatur is, qui non in speciali intelligit ea, quæ orat.*

Lyranus in 1.Cor.14. *Hic consequenter idem ostendit in oratione publica, quod si populus intelligat orationem seu benedictionem Sacerdotis, melius reducitur in Deum & devotius respondetur, Amen. Ideo dicit, Cæterum si benedixeris, hoc est, tu Sacerdos vel Episcope, Spiritu, id est, absque hoc, quod populus intelligat, qui supplet locum idiotæ &c. q.d. quid proficit populus simplex & non intelligens? q.d. nihil aut modicum, quia nescit se conformare tibi, qui es minister Ecclesiæ, respondendo Amen.*

Idem ibidem. *Sine significatione vocis significativæ & sensu locutionis nihil est cognitum ad utilitatem Ecclesiæ, imo derisibile est.*

(Idem ex Lyrano repetit Jacobus Faber Stapulensis in h.l.)

Anglo-Rhemenses in annot. 1. Cor.14. v.460. *Quando quis orat lingua, quam non intelligit, ad instructionem ejus minus est fructuosa, quam si particulariter intelligeret.*

Cardinalis Contarenus in Catechesi sua interrog. ultima asserit, *simplicem plebem lingua non intellecta orantem carere eo fructu, quem perciperent, si orationes eas, quas ore proferunt, etiam intelligerent. Nam & speciatim intenderent animum & mentem in Deum, ut ab eo impetrarent, etiam speciatim ea, quæ ore petunt, & magis ædificarentur ex sensu pio earum orationum, quas ore proferunt. Carent ergo hoc fructu.*

Item: *Melius orarent, si discerent sensum orationum, quibus frequenter utuntur.*

Cajetanus Cardinalis in Comm. 1.Cor.14. ad hæc verba: *Sed non ædificatur. Ex hac Pauli doctrina habetur, quod melius ad ædificationem Ecclesiæ est, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi Clericis & populo, quam dici Latine.*

Bellarminus Lib.2. de verbo Dei cap.16. §. At objicies. *Præcipuus usus Canticorum tempore Apostolorum erat instructio & consolatio populi. Æquum igitur erat, ut Cantica illa intelligerentur, alioqui periisset præcipuus usus illorum.*

Ibid. §. Neque tria &c. *Melior est cohortatio, quæ ab omnibus intelligitur, licet brevissima, quam ea, quæ non intelligitur, licet longissima sit.*

Ibid. in resp. ad 2. object. *In verbis Pauli, Si orem lingua, Spiritus meus orat, mens autem sine fructu est, non reprehenditur oratio, quæ non intelligitur, sed ei anteponitur illa, quæ intelligitur. Qui enim orat lingua, quam non novit, ut cum rudes homines recitant Latine septem Psalmos, affectu quidem & Spiritu proficiunt, tamen mens eorum sine fructu est, quia non eruditur.*

Benedictus Justinianus in 1.Cor.14. super verba: *Quomodo dicturus est Amen super tuam gratiarum actionem? Neque enim probare aut laudare quisquam potest, quod prorsus non intelligit.*

5. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, in c. Sedulo. dist.38. ex Augustino. *Noverint etiam, non esse vocem ad aures Dei nisi animi affectum. Ita enim non irridebunt, si aliquos Antistites & Ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis & solœcismis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligere, perturbateque distinguere, non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat Amen: Sed quia pie toleranda sunt ab eis, qui didicerunt, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici.*

(Si populus plane intelligere debet, ad quod ei dicendum *Amen*, ergo lingua populo cognita erit pronunciandum.)

Secundo, Sixtus Senensis Lib.6. annotat.263. *Vituperandũ est, quod non modo minister, quem Clericum vocamus, sed ne Presbyteri quidem aut Diaconi plerunque intelligunt, quid legant aut orent.*

(Si vituperandum, ergo etiam corrigendum.)

Bellarminus d.l. *Melior est cohortatio, quæ ab omnibus intelligitur, licet brevissima, quam ea, quæ non intelligitur, licet longissima sit.*

(Jam vero ante administrationem Cœnæ necesse est commonefacere prius communicantes de summo hoc mysterio, ut exactius sese præparent 1.Cor.11. vers.28. hanc commonefactionem fieri oportet in lingua nota.)

Tertio, Bellarm. Lib.2. de Sacrament. cap.31. dicit, *ideo Sacramentum matrimonii non esse Latina lingua administrandum, quia inter conjungendes requiritur consensus.*

(Atqui annon arctissima fit per Sacramentum Eucharistiæ Christi & pii hominis conjunctio? utique ergo etiam consensus requiritur, ac proinde lingua ignota ab hujus Sacramenti administratione exulare debet.)

Quarto, Concilium Tridentinum sess.22. cap.8. dicit, *Missam continere magnam populi fidelis eruditionem.* Sed & in expositione suæ Missæ *omnes ritus aliquid significare, imo totam Christi vitam & passionem hominibus depingere* dicunt.

(Ex eo sic colligimus: Quod maxime facit ad populi instructionem, illud si in se & per se vitiosum non sit, & commode fieri possit, in celebratione Missæ recte adhibetur. Atqui orationes cæterique Missæ actus in vernacula lingua peracti maxime faciunt ad populi instructionem, Ergo.)

Quinto, idem Concilium sess.24. c.7. *ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum devotione accedat,* præcipit, *ut Episcopi & Parochi vim & usum Sacramentorum aliaque salutis monita lingua vernacula explicent.*

(Hæc explicatio fieri omnium optime potest in ipsa Eucharistiæ celebratione & administratione. Inde sess.22. cap.8. *ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis,* mandat sancta Synodus Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, *ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sacrificii hujus mysterium aliquod declarent.)*

Sexto, Johannes Billet in Summa de div. officiis sic scribit: *In primitiva Ecclesia prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis nisi esset, qui interpretaretur. Quid enim prodesset loqui, nisi intelligeretur? Inde etiam inolevit laudabilis consuetudo, ut pronunciato literaliter Evangelio statim in lingua vulgari populo exponeretur. Quid autem nostris temporibus est agendum, ubi nullus, vel rarus invenitur legens vel audiens, qui intelligat? Videtur ergo potius esse tacendum, quam psallendum.*

(Eadem ratio locum habet in Sacramenti Eucharistici administratione.)

6. Dissensiones Adversariorum.

Primo, Bellarminus d.l. fatetur, *orationi ei, quæ non intelligitur, anteponendam esse eam, quæ intelligitur.*

Sed Stapletonus contra Iuellum art.3. p.75. statuit, *lingua cognita ac intellecta impediri devotionem.*

Secundo, quidam Pontificii distinguunt inter *preces privatas & publicas.* Illas *lingua vernacula* fieri posse asserunt, has vero minime.

Salmeron Disp.30. in 1.Cor.14. Azorius Lib.8. Instit. moral. c.26. *Privata cujusque oratio lingua vulgari recte fieri possit, ut fit utilius iis præsertim, qui Latine ignorant, sed de publica Ecclesiæ oratione alia est ratio.*

Quidam etiam *privatas preces* lingua Latina fieri debere, vel certe posse asserunt. Ledesma de lingua, in qua Script. legantur cap.13. *Non necessarium est, ut quæ in privata oratione dicuntur, omnes intelligant.*

Anglo-Rhemenses in 1.Cor.14. p.462. *Populus Catholicus ex antiquissimo suo jure precibus Latinis* (nempe Pater noster, Ave Maria & Matutinis) *uti debet, quemadmodum à principio facere solebat. Hoc consuetudini populi Christiani à prima sua conversione semper consentaneum fuit.*

Tertio, Costerus in Enchirid. cap.19. §. Quarta propositio. *Cantus Ecclesiasticus non ad populum intelligentia verborum instruendum, sed suavi melodia majestateque actionis ad reverentiam, cultumque excitandum est institutus.*

Contra Lindanus Lib.4. Panopl. cap.78. *Ego divinis interfui laudibus, nec unum quidem potui intelligere verbum, illarum igitur Ecclesiarum potius admiror constantiam, quæ Musicam illam choro maluerunt excludere, quam illarum veneror (ut ipsi jactant) magnificam majestatem, qua Cantici verba sensusq; sepelitur atq; obruitur, de quo abusu hodie cathedrales passim laborant Ecclesiæ. Hanc vero labem Ecclesia inde forte contraxisse videtur, quod, quæ nunc*

passim cantantur, non tam ad populi intelligentiam erudiendam, (quod priscos ubiq; spectasse indubitatum est) quam ad meram laudem Dei quocunq; modo celebrandam frequentantur.

Quarto, Salmeron Disp.30. in 1.Cor.14. *Prohibet Ecclesia, ne divina officia vulgata lingua celebrentur.*

Sed Azorius lib. 8. Instit. c. 26. §. Verum enim vero &c. ex Ænea Sylvio. *Ante sexcentos annos Pontifici deliberanti, an concederet Bohemis usum vulgarem, audita est vox de cœlo: Omnis lingua confiteatur ei.*

Quinto Bellarminus lib.2. de Missa c.11. §. Sexto &c. dicit *esse consuetudinem antiquam, Missam non celebrari lingua vulgari.*

(At unico illo antiquitatis principio nititur, quod lingua Græca Orientalibus, Latina Occidentalibus Ecclesiis desierint esse vulgares, sic enim ibidem porro disserit:)

Nam in toto Oriente non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Græcæ aut Chaldaicæ; in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt nisi Latinæ, & tamen à multis jam seculis desierunt omnes istæ linguæ esse vulgares &c.

(Id vero quia aliquot demum seculis à Christo nato contigit, eo ipso largitur Bellarminus, usum linguæ populo ignotæ in Missa totidem seculis à verâ antiquitate deficere.)

Arg. Adv. *Titulus crucis Christi tribus tantum linguis fuit scriptus, ac Christus sacrificium incruentum celebrans ait, Eli, Eli, lama sabacthani, lingua Romanis & Judæis pariter ignota. Ergo non vernacula unicuiq; genti lingua in sacris mysteriis adhibenda, sed una ex illis, quas crux Christi consecravit.* Salmer. Bellarm. alii.

Resp. 1. Si crux Christi habet hanc vim, ut has tantum linguas ad mysteria Eucharistica astringat, seclusis reliquis, cur non *ad prædicationem Evangelii* quoq; astringit? Consequens Pontificii non concedent.

2. Cum Pilatus cruci Christi titulum tribus hisce linguis affixit, non hoc intendit, ut hasce tantum linguas in sacris usurpari debere indicaret, sed ut docente Didaco Stella in Luc. p. 286. *quibusvis nationibus tum Hierosolymam confluentibus consuetudine ita obtinente, mortis patefaceret causam & oblique Judæorum importunitatem traduceret.*

3. Albertus & Lyranus in c. 19. Johann. docent, ideo fuisse inscriptionem singulari Dei providentia tribus linguis factum, *ut omnes, qui de diversis orbis partibus venerant, possent illam legere.*

CAPUT IV.

De vocis genere.

THesis. In sacræ Cœnæ administratione Minister Ecclesiæ articulatâ & clarâ voce uti debet.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, *an mos interdum orandi submissa voce sit damnandus*, quod à nobis statui fingit Richeomus lib. 4. de Missa c. 51. sed an in consecratione & administratione Eucharistiæ Minister Ecclesiæ submissa voce uti *debeat*. Distinguendũ igitur inter preces *publicas & privatas*. Publicæ sunt, quę fiunt non tantum in loco publico, nam & hic singuli Laici precantur apud se, verum quę fiunt à *persona publica* nomine omnium astantium, has negamus debere fieri submissa voce.

2. Bellarminus lib. 2. de Missa c. 12. negat quæri, *an sit per se illicitum, totam Missam alta voce celebrare, sed quæstionem in eo sitam esse, utrum consuetudo Latinæ Ecclesiæ quædam submissa voce pronunciandi repugnet Christi ordinationi, ac proinde sit mala & necessario corrigenda.* Atqui illud, *quædam pronunciandi*, nimis generale est, itaq; corrigendum, ut designet celebrationem Eucharistiæ, & in Eucharistiæ celebratione nominatim *consecrationem*, quam illi non tantum *Canonem* appellatunt, sed etiam ab hoc silentio *Secretam* sive *Secretellam*. Nos contra statuimus, nulla publica verba decere summisse offerri & omnium minime ista.

Antithesis, Concil. Trid. can. 9. sess. 28. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonicis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.*

Michael Episcopus Mersburgensis in explicatione mysteriorum Missæ. *Jam inde ab initio canonis omnia sub silentio Sacerdos peragit.*

Bellarminus lib 2. de Missa c. 12. *Non sunt omnia necessario in Missa alta voce pronuncianda.*

Et postea. *Consuetudo Latinæ Ecclesiæ quædam submissa voce pronunciandi non repugnat institutioni Christi.*

Nostram sententiam probamus,

1. Christus non ita instituit Sacramenta, ut actio quidem esset visibilis & publica, verbum vero, quod est præcipua pars Sacramentorum, occultetur.

2. Christus in sacra Cœna jussit fieri *commemorationem, passionis & mortis suæ* non per silentium, sed per annunciationem.

3. Apostolus 1. Cor. 14. distinguit hæc duo, *In Ecclesiâ loqui* de iis scilicet quæ ad publicum ministerium pertinent, & *privatim sibi ipsi & Deo loqui.* Ergo qui Eucharistiam administrat, non debet privatim sibi soli & Deo loqui, cum loquatur in Ecclesia.

4. In primitiva Ecclesia, dimissis iis, qui non poterant interesse mysteriis, alta voce pronunciabantur preces, gratiarum actiones & ipsa verba consecrationis.

Nostræ sententiæ suffragatur;

1. Quod Justinianus Imperator sacra Ecclesiastica clara voce peragi constituit.

Novell. 137. c. 6. *Jubemus omnes Episcopos & Presbyteros non in secreto, sed cum ea voce, quæ à fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in sancto Baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem & Dei laudationem & benedictionem efferantur. Sic enim & divinus Apostolus docet in 1. Corinth. Epistola. Cæterum, inquit, si solum benedicis Spiritu, is, qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni subjiciet Deo sanctum illud Amen? Siquidem, quid dicas, non novit, tu autem pulchre gratias agis, sed alius non ædificatur. Et rursum in ea, quæ est ad Romanos, sic dicit: Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Idcirco igitur convenit, ut ea precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, & aliæ orationes clara voce à sanctissimis Episcopis & Presbyteris proferantur Domino nostro J. C. Deo nostro cum Patre & Spiritu Sancto, sciturus religiosissimus Sacerdotibus, quod si quid horum contempserint, & horrendo Dei Salvatoris nostri Jesu Christi judicio, rationem reddituri sunt, & nos ista cognoscentes non relinquemus quieta & inulta.*

Excipiunt, *hanc legem Græcis tantum fuisse latam.* At Justinianus non tantum Græciæ, sed totius Europæ fuit Imperator; ac in eod. cap. diserte fit mentio non solum Constantinopolitanorum, sed etiam Romanorum Episcoporum.

Aliter ergo excipit Bellarmin. videlicet, *ad Imperatorem non pertinere, de ritu sacrificandi ll. ferre, proinde non multum referre, quid ille sanxit.* Resp. pertinere ad Imperatorem de ritu celebrandi Sacramenti leges ferre, dupliciter potest intelligi, vel ut ipsos ritus instituat, vel ut institutos autoritate politica sanciat. Posterius ad Imperatorem pertinere nemo inficias ire poterit.

2. Quod Thomas part. 3. q. 78. art. 1. fatetur, *Christum verba consecrationis manifeste protulisse.*

(Hæc Christi actio merito judicatur nostra institutio.)

Bellarminus d. l. *Christus alta voce locutus est* (in celebratione Eucharistiæ) *non solum ut consecraret, sed etiam ut Apostolos doceret ritum consecrandi.*

(Omittitur tertius finis omnibus communicantibus communis, ut de dignitate hujus mysterii & digna ad ejus participationem præparatione eos admoneret.

3. Quod quidam agnoscunt, in primitiva Ecclesia sacra olim fuisse clara voce peracta.

Durandus lib. 4. Ration. c. 35. *Hoc* (quod consecratio tacite peragitur) *contrarium est veteri usui Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, in quibus verba consecrationis alta voce pronunciabantur.*

Hermannus Gigas in Florib. temporum. *Olim quasi ab omnibus per usum quotidianum canon discebatur, quia alta voce pronunciabatur.*

Gabriel Biel. lect. 15. in expos. canon. *Aliquando Pastores quidam in agro, pane super lapidem posito, canonis verba pronunciarunt, atq; ilico panis in carnem est conversus, illi autem igni de cœlo divinitus sunt percussi: ne igitur in locis non competentibus à quibusvis cum periculo verba consecrationis pronunciarentur, lege Ecclesiastica postea cautum est, ut deinceps sub silentio canon pronunciaretur.*

(Ergo illa consuetudo non descendit à temporibus Apostolorum.)

Beletus divinorum officiorum c. 44. *Secreta dicitur, quia secrete pronunciatur, cum tamen altas alta voce diceretur, ita ut ab omnibus facile Laicis teneretur.*

Salmeron Disp. 30. in 1. Cor. 14. *In Liturgiis Clementis, Jacobi, Chrysostomi atq; Basilii manifestum est, quod, cum Sacerdos verba consecrationis alta voce protulisset, populus acclamabat, dicendo, Amen.*

4. Quod

4. Quod Bellarminus d.l. fatetur, *non esse per se illicitum, totam Missam alta voce celebrare, nec enim ignoramus, modum vocis non pertinere ad substantiam sacrificii.*

5. Quod ignoscunt, jure divino liberum esse vocis sonum in Missæ celebratione.

Martinus Becanus part.3. Theol. Schol. n.2. de Sacramentis cap.25.q.21.§.1. *Nullum extat præceptum divinum, quo teneamur vel alte vel submisse recitare Missam, ac proinde jure divino liberum est hoc vel illo modo fieri.*

(Eccur igitur anathema dicunt illis, qui morem Ecclesiæ Romanæ hodiernum & murmur illud Missaticum non approbant?)

Gerardus Lorichius de Miss. publ. prorog. *Non arbitrandum, Orationem eam dici Secretum, quasi non liceat Laicis eam vel nosse, vel audire, sed quia juxta atq; Canon non cantetur voce altiore.*

Ibid. *Canon etiam alio nomine dicitur Secretum, non quod à plebe, (quod aliqui somniant,) nefas sit audiri, legi, nosci, sed quod in Missa submissa vel pressa voce legi expediat.*

Ibid. *Cæterum neq; Canon debet nimiū tacite legi, sed expressa voce, ut à circumstantibus possit audiri & percipi, quod inde fit cognoscibile, cum circumstantes debeant ad orationes singulas respondere, Amen.*

Ibid. in quartam partem Canonis. *Observandum, Canonem non nimis tacite legendum, sed aperte & clare, expressis sc. verbis proferendum, pronunciandumque, ut ab astantibus possit audiri. Hoc ita submonet conclusio Orationis. Absolvenda est oratio per dictionem Amen, nec solum in præsente Oratione, sed etiam in sex sequentibus hæc dictio continuatur. Manifesto nimirum argumento, Missam esse sacrificium publicum, sacrificare æque astantes atque Sacerdotem, officium celebrandæ Missæ exequentem, requiri in officio Missæ populi astantis consensum. Consequitur ergo, canonem clare & aperte legendum, ut ad grattiarum actionem Sacerdotis populus consentiens respondeat Amen.* Confer Georg. Cassandrum in Liturgicis c.28.

6. Quod Liturgias Petri, Marci &c. habent pro legitimis.

(In illis enim satis perspicue asseritur, clara voce Christum verba consecratoria protulisse, atque eodem vocis genere à Sacerdote esse proferenda.)

In Liturgia Petri. *Benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens* ἐκφώνως *elate voce, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Deinde continuat* μυστικῶς *summisse. Similiter rursum, postquam cœnatum erat, accipiens calicem & gratias agens benedixit, dedit sanctis suis discipulis dicens* ἐκφώνως *elata voce, Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus. Populus, Amen.*

In Liturgia Marci. *Accepit panem in sanctas & immaculatas & inculpatas manus suas, suspiciens in cœlum ad te Patrem suum, Deumque nostrum & Deum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, fregit, deditque sanctis & beatis discipulis & Apostolis εἰπὼν ἐκφώνως, λάβετε, φάγετε, (ὁ Διάκονος· ἐκτείνατε, ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως) elate voce dicens: Accipite, comedite; Diaconus, intendite; Sacerdos, elata voce: Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur & distribuitur, in remissionem peccatorum. Populus, Amen.*

Paulo post de poculo. *Tradidit sanctis & beatis discipulis suis & Apostolis, dicens (elata voce) Bibite ex eo omnes. Diaconus rursus, intendite; Sacerdos elate voce: Hic est enim sanguis meus.*

(Ubi nota, μυστικῶς non significare plane secretam vocem, sed eam, quæ exaudiri possit tantum ab initiatis.)

Argum. Advers.

1. *Utile est ad reverentiam tanti mysterii, ut non omnia alta voce dicantur.*

Resp. ex praxi Pontificiorum,

1. Nihil decedere judicant *mysterio Trinitatis & incarnationis*, quod lingua vernacula coram populo de eo clare & alta voce concionantur.

2. Nihil *Sacramento Baptismi* decedere, quod voce clara illud administrant.

Argum. 2. Habemus exemplum antiquæ Liturgiæ tum Græcæ tum Latinæ.

Resp. 1. Martinus Polonus in Chronico. *Vigilius Papa circa annum 535. constituit, ut canon nunquam legatur, nisi super sacrificia, & in altari consecrato voce submissa.*

2. Salmero tom.9.p.252. fatetur, *ea, quæ hodie submisso murmure & tacito labiorum agitatu significantur, olim alta voce dicta fuisse.*

3. Bellarminus d.l. resp. ad 4. arg. *Verba consecrationis in Ecclesia Orientali alta voce recitari consueverunt, quod apertissime constat ex Liturgia Chrysostomi.*

(Addere potuisset Liturgiam Basilii, in qua Sacerdos ἐκφώνως ἐυλογεῖ.)

Argum. 3. Durandus & Biel. *Fertur, quod cum antiquitus publice & alta voce Canon diceretur, omnes pene per usum illum sciebant, & in plateis & in vicis decantabant. Unde cum quidam Pastores illum in agro cantarent, & panem super lapidem posuissent, ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conversus est, ipsi tamen judicio divino, igne cœlitus immisso, percussi sunt, propter quod Patres statuerunt, verba ista sub silentio dici.*

Resp. ipsimet Pontificii docent, *verba illa, Hoc est corpus meum, non esse consecratoria, nisi proferantur à Sacerdote.*

Bellarm. Lib.4. de Euchar. cap.16. *Semper in Ecclesia pro indubitato habitum est, ita necessariam esse ordinationem Sacerdotalem ad Eucharistiam conficiendam, ut sine ea nullo modo confici possit.*

Suarez Disp.61. de Sacrament. sect.3. *Ut hæc verba sint efficacia necesse est, ut à Sacerdote consecrato & rite ordinato proferantur. Hoc est de fide.*

Soto in dist.13. Lib.4. sent. q.1. art.1. ex Thoma. *Proprium est Sacerdotum, conficere hoc Sacramentum.*

Et probat: *Nemo potest conficere, nisi in persona Christi. Nemo in persona alterius agere quicquam potest, nisi per potestatem ab ipso illi collatam. Itaque solis Sacerdotibus, cum ordinantur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi.*

Et postea ex Isidoro, Concilioque Florentino, *solis Presbyteris facultatem inesse consecrandi, ita ut si quis extra ordinem Sacerdotalem hoc Sacramentum consecrare tentaret, nullum esset Sacramentum.*

Gabriel Biel Epitom. in Canonem cap.2. *Nullus, qui non est Sacerdos, celebrare potest, id est, Eucharistiam conficere, licet omnia ageret intentione, verbis & gestibus, quæ Sacerdos consecrans agit, unde nec Angeli, nec mulieres, nec Laici consecrare possunt.*

(At hi Pastores non fuere Sacerdotes.)

2. Variant ipsimet de hoc miraculo, Bellarminus Lib.2. de Missa cap.12. §. ultimo. *Miraculum illud* (circa Pastores factum) *non convertit panem in carnem, nec Pastores illos interfecit &c. sed igne de cœlo demisso panem & vinum & lapidem, super quem illa sita erant, absumsit, & Pastores illos obstupefecit, ut ad longum tempus vix loqui possent.*

Contra Beletus divinorum officiorum cap.44. *Contigit, ut quodam tempore Pastores panem super lapidem quendam ponerent, qui dum hujus Secreta verba proferrent, in carnem conversus est, & forsitan transsubstantiatus, ut sic loquar, in corpus Christi.*

Et postea: *In quo divinitus facta est acerrima vindicta, nam ad unum omnes percussi sunt divino judicio divinitus immisso.*

Durandus d.l. *Ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conversus est.*

Biel d.l. *Cum quidam Pastores in agro, pane super lapidem posito, canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conversus est in carnem.*

(Conveniunt ergo prius inter se de miraculo, antequam ex illo Secretam probent.)

Argum. 4. *Hoc silentium homines reddit attentos Deo, occludit enim aditus sensuum, atque animam quieti reddit.* Richeomus d.l.

Resp. 1. Per *Imagines* dicunt animam dirigi in Deum. At imagines non occludunt aditum visus.

2. *Musices* in cultu divino apud ipsos est usus frequentissimus. At Musica non occludit aditum auditus.

3. Lyranus in 1. Cor.14. sic commentatur: *Si populus intelligat orationem seu benedictionem Sacerdotis, melius reducitur in Deum & devotius respondet, Amen.*

4. Hardingus contra Juellum art.16. *Ratio clara voce pronunciandi in Ecclesia Græca ideo usurpata est, quo inde populus ad fidei suæ confirmationem excitaretur & admoneretur, ut, se iis, quæ pronunciarentur, assentiri atque fidem adhibere testificaretur.*

CAPUT V.

De Canone Missæ.

Thesis. Recitatio Canonis non est simpliciter necessaria, ad legitimam sacræ Cœnæ administrationem, ac multa in eo jure desiderantur.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an exhortationes ad populum, preces & gratiarum actiones ad Deum in administratione Sacræ Cœnæ conjungi debeant, sed an *Canon* ille *Gregorianus*, qui hodie in Ecclesia Papali receptus, ad legitimam Cœnæ administrationem sit simpliciter necessarius, & verbo Dei omni ex parte conformis.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 22. Ann. 1562. 17. Sept. can. 6. sub pœna anathematis prohibuit dicere, *quod canon Missæ errores quosdam contineat.* Praxis testatur, quod canonem Missæ tanquam necessarium Ecclesiæ obtrudant.

Pazmann. Lib. 9. hodeg. cap. 6. *Non potest monstrari tempus & modus, quo Missa cæperit.*

Nostram sententiam confirmamus,

Primo, quod *recitatio canonis* ad legitimam S. Cœnæ administrationem non sit simpliciter necessaria, patet ex eo, quod nec Christus nec Apostoli eo usi fuerint, vel eundem Ecclesiæ præscripserint.

Secundo, quod in canone Missæ multa jure desiderari possint, patet ex sequentibus fundamentis:

1. Totus canon eò spectat, ut Eucharistiæ Sacramentum mutetur *in sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis Deo offerendum.* Ostendimus autem superius, Eucharistiam non esse proprie dictum sacrificium propitiatorium.

2. Confirmat *transsubstantiationem* & ἀρτολατρείαν.

3. Stabilit *purgatorium*, cum pro defunctis nondum plene purgatis hoc sacrificium offerri dicatur.

4. Omnia in eo peraguntur *lingua peregrina* populo circumstanti ignota.

5. Sacerdos in eo panem & vinum ante transsubstantiationem, quam fingunt, offert *pro redemtione animæ, pro spe salutis & incolumitatis suæ.*

6. Facta transsubstantiatione, quam fingunt, Sacrificulus intercedit apud Patrem, ut *hostiam oblatam, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam propitio & sereno vultu respicere dignetur, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus est munera justi Abel & sacrificium Patriarchæ Abraham & Melchisedeci.* At hac ratione sacrificium corporis & sanguinis Christi vel inferioris vel æqualis tantum dignitatis cum muneribus Abelis & cum sacrificio Abrahæ & Melchisedeci statuitur.

7. Sacrificulus porro orat, *ut jubeat Deus hæc proferri per manus sancti Angeli sui, in sublime altare suum in conspectu divinæ majestatis suæ.* At Christus *cœlū ingressus est, ut perpetuo appareat vultui Dei pro nobis.* Hebr. 9. v. 24. Proinde sine Angeli ministerio corpus & sanguinem suum Patri cœlesti sistere potest.

8. Pro *illis, qui præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, precatur, ut Deus ipsis & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis indulgeat.* At qui in Christo mortui in somno pacis dormiunt, jam ante in loco refrigerii, lucis & pacis constituti sunt.

9. Rogatur in eo Deus, *ut meritis precibusque sanctorum concedat, ut in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio.*

At non nisi propter Christi meritum credentibus hoc conceditur.

In Missis solitariis, ad quas itidem canon adhibetur, Sacerdos solus communicat, & tamen in Canone dicit, *Quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumserimus, omni benedictione & gratia repleamur. Hæc sancta commixtio fiat nobis sumentibus salus mentis & corporis. Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Apostolos in administratione Eucharistiæ tantū recitatione Orationis Dominicæ ac verborum Institutionis usos fuisse. Itē, Evangelium & Epistolam tantum fuisse ante Eucharistiæ administrationem recitatam.

Gregorius Episcopus Romanus in Registro Lib. 7. cap. 63. *Mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem* (Dominicam) *oblationis hostiam consecrarent.*

Albinus (circa Ann. 780.) de div. officiis cap. Quid significent vestimenta. *Officium Missæ addidit Cœlestinus Papa, & constituit, ut Psalmi 150. ante sacrificium psallerentur antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, nisi tantum Epistola Pauli recitabatur, & sanctum Evangelium, & sic Missa celebrabatur.*

Amalarius (circa Ann. 830.) in procem. Lib. 3. de Eccles. offic. *Satis esset, sine Cantoribus & Lectoribus, & cæteris, quæ ibi* (in Officio Missæ aguntur) *sola benedictio Episcoporum aut Presbyterorum ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur populus ad animarum salutem, sicut primævis temporibus fiebat apud Apostolos.*

Idem Lib. 3. de offic. Eccles. cap. 5. *Cœlestinus, ut in gestis Pontificalibus continetur, constituit, ut Psalmi David 150. ante Sacrificium psallerentur antiphonatim, ex omnibus, quod ante ipsum non fiebat, nisi tantum Epistola B. Pauli Apostoli recitabatur, & sanctum Evangelium, & sic Missa celebrabantur.*

(Hic Liber Amalarii Ann. 1591. Romæ iterum editus sub hoc titulo: De Catholicæ Ecclesiæ divinis officiis ac ministeriis varii vetustorum libri.)

Walafridus Strabo Abbas sub Ludovico Pio (circa idem tempus) Lib. de reb. Eccles. cap. 22. *Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum & consecrationum officio, totum hoc Apostoli & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemorationibus passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Unde circa domos secundum prius commemorata testimonia frangebant panem, quod etiam alia sententia declarat Lucas dicens: Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, & reliqua. Et relatio majorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus, hoc est, præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat.* In margine adscribitur. *Quid fuit Missa temporibus Apostolorum.*

(Hic tractatus Walafridi in editione Romana Amalarii libro est conjunctus; extat etiam in Auctuario 1. Biblioth. P.P.)

Rabanus (circa idem tempus) Lib. de Instit. Clericor. *Sed enim in initio mos iste cantandi non erat, qui nunc in Ecclesia ante Sacrificium celebratur, sed tamen Epistola Pauli recitabantur & sanctum Evangelium.*

Remigius (circa Ann. 900. sub Carolo Calvo) de celebrat. Miss. cap. 1. *Celebratio Missæ in commemoratione passionis Christi peragitur, sicut ipse præcepit Apostolis, tradens eis corpus & sanguinem suum, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, hoc est, in memoriam passionis meæ, tanquam diceret, Quod pro vestra salute passus sum, ad memoriam revocate, & pro vestra vestrorumque eadem perferre curate. Hanc Missam B. Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrasse, in qua tres tantummodo orationes initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, ubi dicitur, Hanc igitur oblationem.*

Berno Abbas Augiensis (circa Ann. 1020.) Lib. de quibusdam reb. ad Officium Missæ pertinentibus cap. 1. *Gregorius Gelasianum Codicem de Missarum solennibus, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens in unius libelli volumine coarctavit, quod volumen librum Sacramentorum prætitulavit. Et fortasse primis temporibus solius Pauli Epistola legebantur, postmodum intermixtæ aliæ lectiones sunt, non tantum de novo, verum etiam de veteri, prout solennitatum ordo poscebat.*

Lib. ejusd. cap. 2. *In exordio nascentis Ecclesiæ non eo, quo nunc, modo, vel ordine sacra celebrabantur Missarum solennia, teste etiam Beatissimo Gregorio Papa, qui ad conficiendum corpus & sanguinem Christi Orationem Domini fecit decantari.*

Rupertus Abbas Tuitiensis (circa Ann. 1120.) Lib. 2. de div. offic. cap. 21. *Olim non tanto exterioris apparatu decoris Missarum solennia celebrabantur, nec ab uno quolibet hæc omnis religiosi obsequii gloria consummata & perpolita est.*

Ibid. *Non quidem sanctius hinc est, quam erat prius, quando ad sola verba Domini, solamq; orationem Dominicam consecrabatur, sed maxime decuit, ut fides, quæ adhuc erat eo tempore rudis &c. ubi ornari potuit, maxime in hac parte, tanquam in capite suo, deauraretur.*

Guil. Durandus (circa Ann. 1280.) Lib. 6. Rational. cap. 1. Missam ad institutionis verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Hoc facite in mei commemorationem,* coarctat. *At,* inquit, *Apostoli hanc Missam adauxerunt, dicentes in Missa non solum verba Dominica, sed etiam Dominicam Orationem superaddentes, unde B. Petrus sic Missam primus dicitur celebrasse in partibus Orientalibus.* Tandem concludit: *In primordio ergo nascentis Ecclesiæ Missa aliter dicebatur, quam modo, sicut in sexta parte sub titulo de parasceve dicetur.* Explicat vero illud,

Idem Lib. ejusd. cap. 77. *In hoc repræsentatur antiqua Apostolorum celebrandi Missam consuetudo. Prius enim lectione præmissa dicebant solummodo verba illa, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Sed ipsi postmodum Dominicam orationem addiderunt, & ita illo modo hac die celebratur, de quo dictum est in principio quartæ partis.* Confer Georg. Cassandr. in Liturgiis cap. 2.

Jacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum. (circa Ann. 1494.) *Gratianus in canone de consecrat. dist. prima refert, Missam, Pater noster tantummodo dicendo, apud Hierosolymam Iacobum primum concelebravisse, licet sint, qui Petro Apostolo hoc primum adscribere velint, & hunc Iacobum mysteria auxisse.*

Fr. Mar-

Fr. Martinus Ordinis Prædicatorum Papæ Pœnitentiarius & Capellanus in Margarita decreti. *Missa proprie dicitur Eucharistiæ consecratio & confectio, reliqua omnia, quæ Sacerdos vel Chorus canit, gratiarum actiones sunt vel certe obsecrationes.*

Petrus Cirvelus Doracensis in Exposit. Lib. Missalis in Academia Complutensi in Epistola Nuncupatoria. *Tempore Damasi Papæ Hispani, hoc est, circa annos Domini 400. præter secretum Missæ canonem solum Evangelium publice legebatur in templo Dei fideli populo, quasi sermo quidam præparatorius ante Eucharistiæ consecrationem & sumtionem. Legimus circa annos Christianæ salutis 500. fere jam institutas Epistolas in Officio Missali &c. Sic paulatim ventum est usq; ad Pontificatum sanctissimi Gregorii, qui circa annum Domini 600. Officiorum Missalium intelligentiam calluit, quare ad majorem Ecclesiæ decorem Introitum, Graduale, Offertorium & alios cantus chori eidem Officio superaddidit.*

Idem in proœmio. *Urgentibus Ecclesiam persecutionib. infidelium Eucharistiæ sacrificium, quod in Missa conficitur, agebatur à fidelibus valde simpliciter & sine pompa alicujus solennitatis, quia offerebatur à Sacerdotibus Christi occulte in domibus privatis, ideo tunc Missæ officium erat satis breve. Nam Apostoli super verba consecrationis panis & vini à Christo accepta, solam orationem Dominicam, id est, Eucharistiam assumebant & aliis ministrabant &c.*

Bellarminus lib. 4. de Eucharistia c. 13. citat sententiam Gregorii, *quod Apostoli ad solam orationem Dominicam consecraverint.* Confer lib. 2. de Missa c. 7. §. Quod ex Hieronymo &c.

2. Quod quidam singulas partes à singulis Pontificibus Missæ additas enumerant.

Durandus lib. 4. Ration. c. 1. *In primordio nascentis Ecclesiæ Missa aliter dicebatur, quam modo. Sequenti vero tempore Epistola tantum & Evangelio recitatis, Missa celebrabatur. Subsequenter Calistinus Papa instituit introitum ad Missam cantari. Cætera diversis temporibus ab aliis Papis & à Gelasio, Cœlestino, Gregorio & aliis diversis temporibus leguntur adjecta, prout Christianæ religionis cultu crescente visa sunt decentius convenire.*

Lib. ejusd. c. 38. fatetur, *Secretam* (Canonem Missæ) *non totam simul ab uno, sed particulatim à pluribus esse compositam.*

Jacobus Philippus Bergomensis d. l. *Nuda primo erant hæc omnia & simpliciter tractabantur. Sixtus primus Pontifex deinde in celebratione hæc auxit, atq; mandavit, ut Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth caneretur. Postea Basilius Doctor hoc mysterium auxit, & alii plurimi summi Pôtifices. Nã Cœlestinus primus Missæ introitum dedit. Gregorius Magnus Kyrie eleison. Gloria vero in excelsis Deo. Telesphorus Pontifex, licet id alii Siricio adscribant. Collationes vero & Gradualia atq; præfationes Gelasius primus ordinavit. Epistolam & Evangelium D. Hieronymus. Alleluja autem ab Hierosolymitana Ecclesia sumtum fuisse tradunt. Symbolum quoque in Niceno Concilio statutum fuit. Commemorationem mortuorum Pelagius ex Gallis accepit. Agnus Dei Sergius dici mandavit. Osculum pacis dari Innocentius instituit. Aspersionem aquæ in principio Missæ Alexander ordinavit, & thus Leo tertius.*

(Cæterum *Cœlestinus primus*, qui Missæ introitum dedit, vixit Anno Domini 423. *Gregorius primus*, qui Kyrie eleison addidit, Anno 590. *Telesphorus*, qui Gloria in excelsis adjecit, Anno 127. *Gelasius primus*, qui Collationes adjunxit, Ann. 492. *Pelagius*, qui commemorationem mortuorum invenit, Anno 552. *Leo tertius*, qui thuris incensum ordinavit, Ann. 796. *Innocentius primus*, qui osculum pacis addidit, Anno 402. *Sergius primus*, qui Agnus Dei canere præcepit, Ann. 687.

Platina in Vita Xysti I. (qui vixit Anno 131.) *In celebratione Xystus mandavit, ut Sanctus, Sanctus &c. cantaretur. Nuda enim primo hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur, Petrus enim, ubi consecraverat, oratione Pater noster usus est. Auxit hæc mysteria Jacobus Hierosolymitanus, auxit Basilius, auxere & alii. Nam Cœlestinus Missæ Introitum dedit; Gregorius Kyrie eleison; Gloria in excelsis Deo, Telesphorus; Collationes, Gelasius primus; Epistolam & Evangelium Hieronymus; Alleluja sumtum est ex Ecclesia Hierosolymitana; Mortuorum commemorationem Pelagius invenit; Thus, Leo tertius; Osculum pacis, Innocentius primus; Ut caneretur, Agnus Dei, Sergius Pontifex instituit.*

Jodocus Clichtovæus in Anti-Luthero. *Alii summi Pontifices diverso tempore alias sacri Canonis particulas adjecisse prius compactis traduntur, instituisse Ceremonias, in ipso Missæ Canone à Sacerdote sacra faciente observandas.*

De Cœlestino primo Bartholom. Caranza Ordin. Prædic. in Summa Conc. p. 126. *Introitus, Gradus, Tractus, Offertoria, Communiones & Orationes inseruit Missæ.*

Polydorus Vergilius lib. 5. de Rerum Invent. c. 11. *Nuda ab initio omnia & simpliciter mysteria à Christo tradita apud Apostolos erant; nuda omnis Ceremoniarum ratio, plus pietatis habens, quam apparatus. Nam satis constat, Petrum, qui vel primus omnium, ut Apostolorum Princeps, vel una cum aliis Apostolis rem divinam eo ritu, quem à Christo accepisset, identidem fecerat, post consecrationem continuo inferre solitum Dominicam precem. Auxit deinde hæc mysteria Jacobus Hierosolymitanus Antistes, auxit Basilius, aliiq; alia subinde addiderunt.*

Ibid. Polydorus ille sic scribit p. 451. *Ex quo apparet, ipsum Canonem neq; ab uno integrum, neq; in eam formam digestum, ex qua modo constat, cujus rei vel fidem facit, quod Alexander primus, qui Gelasium & Siricium longo temporis intervallo præcessit, ob memoriam passionis Christi posuit. Qui pridie quam pateretur, usq; ad illa verba, Hoc est corpus meum. Quocirca satis liquet, illud tum Canonis fuisse principium, quando, sicut diximus, Gelasius circiter CCCLX. & eo amplius annos post Alexandrum sedit.*

Johannas Bohemus Aubanus lib. 2. de Moribus Gentium c. 12. itidem prolixe recenset, quam Missæ partem quilibet Pontificum addiderit. *Orationes, Gradualia, Tractus, Alleluja, Offertoria Communiones in Missa, Antiphonas, versiculos, tropos, aliaque, quæ tam in nocturno, quam diurno officio cantantur, leguntur q; ad decorem & laudem Dei, Gregorius, Gelasius, Ambrosius & pleriq; alii sancti Patres, non uno, verum diversis temporibus edidere. Missa (sic appellant sacrificium) à lectione primum eo simplici apparatu, tenoreq; quo adhuc sancto Pascha Sabbato fit, celebrabatur. Cælestinus Papa Introitum addidit; Telesphorus, Gloria in excelsis; Hymnum, Et in terra, Hilarius Pictaviensis composuit; Symmachus cantari instituit; Salutationes, quæ per Dominus vobiscum, septies in eâ fiunt, ex libro Ruth transsumta, Clemens & Anacletus interposuere; Gelasius cætera ad Offertorium usque ordine, quo peraguntur, ordinavit, præter Sequentias, quas Nicolaus, & Symbolum, quod Damasus ex Constantinopolitana Synodo immiscuere &c. Offertorium Gregorius apposuit; Leo præfationes; Majorem & minorem Canones, Gelasius; Sanctus, Beatus Sixtus; Pater noster ex Matthæi Evangelio, Gregorius; Martialis, Beati Petri discipulus, benedictionem dare Episcopos; Pacem minores Sacerdotes Innocentius instituit; Agnus Dei, Sergius adjunxit; Gregorius communionem; Conclusionem per Ite Missa, per Benedicamus Domino, & Deo gratias, Leo adinvenit.*

Bellarminus lib. 2. de Missa c. 19. *Concilium Tridentinum recte docet, quod Canon Missæ Romanæ non sit unius autoris, sed partim constet verbis Domini, partim Apostolica traditione, partim sanctorum Pontificum institutione.*

3. Quod jam olim quidã in Canone illo aliqua desiderarunt.

Platina in Vita Gregorii primi. *Quid plura de hoc sanctissimo viro commemorem, cum omnis institutio Ecclesiastici officii, veteris præsertim, ab eo sit inventa & approbata; quem quidem ordinem utinam sequeremur, non abhorrerent hodie à lectione officii viri docti, quemadmodum faciunt propter barbariem, nescio quam, illi Latinitati & compositioni additam!*

4. Quod novitatem Canonis ipsimet agnoscunt.

Quidam tribuunt eum autori *Clementi*. Hack. Jesuita q. 1. c. 17. p. 124.

(At de hoc Clemente Bellarmin. lib. de Scriptor. Eccl. p. 61. 62. sic judicat: *De Liturgia Sancti Clementis idem fere dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Jacobi, eam vere Clementis esse, sed à posterioribus auctam.*)

Quidam tribuunt eam *Jacobo & Basilio*. c. Jacobus 47. de Consecrat. dist. 1.

(At de Jacobi Liturgia tale judicium fert Bellarminus d. l. p. 48. 49. *Extat etiam Liturgia eidem S. Jacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare, quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habeat autorem.*)

Quinimo Bellarm. lib. 1. de Missa c. 23. diffiteri non potest, *Missæ Canonem in antiqua Ecclesia non fuisse integrum ante Gregorium Magnum h. e. ante Annum 600.*

Idem lib. 2. de Missa c. 20. §. Sed his omissis &c. antiquitatem Canonis probaturus, sic progreditur: *Illud constat, Canonem nostrum integrum, ut eum nunc in Missalibus habemus, fuisse in usu Ecclesiæ ante annum Domini DCCC. Nam extat in ordine Romano non procul ab initio, quem ordinem citant Alcuinus & Amalarius, qui tẽpore Caroli Magni vixerunt. Deinde in lib. de Officiis Ecclesiasticis c. de celebratione Missæ. totum Canonem verbatim exponit, ac deinceps ab omnib. aliis posterioribus idem omnino Canon exponitur, ut ab Amalario, Hugone, Ruperto, Innocentio & cæteris. Porro ordo Romanus non instituit Canonem, sed refert ut rem usitatam & celebrem in Ecclesia,*

clesia. Quare necesse est, Canonem esse adhuc antiquiorem, quam sit Ordo Romanus: Quamvis autem non extet fortasse liber altius Ordine Romano antiquior, tamen extant libri antiquiores, ubi habentur partes Canonis, ex quibus conjectura fieri potest de reliquis.

(In reliquis utitur meris conjecturis magna ex parte perquam levibus, quæ antiquitatem Canonis Missatici evidenter nondum probant.)

5. Quod agnoscunt, Canonem à Gelasio demum compositum, (ac proinde primis quingentis annis eum in Ecclesia nondum fuisse notum, vixit enim Gelasius circa annum 492.)

Innocentius tertius (circa Annum 1195.) lib 3. de Sacram. altar. Myster. capite 10. *Gelasius quinquagesimus primus à Petro, qui post Sylvestrum 160. annis vixit, creditur Canonem principaliter ordinasse. Sed, ut Gregorius in Registro dicit, quidam nomine Scholasticus composuit precem illam, quæ super Eucharistiam secreto dicitur.*

(De hoc Scholastico Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 19. & alii Pontificii dubitant, quis fuerit, & an sit *nomen proprium*, an vero *appellativum*. Non fuisse illum autorem antiquum, aut magnum alioqui virum, patet ipso Gregorio lib. 7. Epist. 63. qui de eo sic scribit: *Valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam orationem, quam Redemtor noster composuit, super ejus corpus & sanguinem non diceremus.*)

Walafridus Strabo de Reb. Eccles. cap. 22. fatetur, autorem canonis ignorari. *Actionem*, inquit, *quam canonem vocant, quis primus ordinaverit, nobis ignotum est. Auctam tamen fuisse non semel, sed sæpius, ex partibus additis intelligimus.*

Idem fatetur Micrologus de Eccles. observat. cap. 21. (in tractatu de Catholicæ Ecclesiæ divinis officiis ac ministeriis Romæ Anno 1591. edito) p. g 347. 385.

Durandus lib. 4. Rational. cap. 35. §. 12. *Traditur, quod Gelasius Papa quinquagesimus primus à Petro canonem principaliter ordinaverit.*

Gabriel Biel lect. 15. in Canon. Missæ. *Hæc pars dicitur Canon, quia Canon dicitur Institutio vel regula; quia hæc verborum connexio regula est ad venerabilis Eucharistiæ consecrationem ordinata, partim à Christo, partim à Patribus constituta. A Christo quidem instituta sunt verba substantialia, quæ formam integrant consecrationis. Cætera verò verba, quæ ad Dei laudem dicuntur, ac orationes, quæ pro populo offeruntur, non uno tempore, nec ab uno tantum, sed diversis temporibus à diversis edita sunt. Et per B. Gelasium, qui quinquagesimus primus fuit à Petro, simul sunt ordinata; quamvis & nonnulla post ipsum sint à summis Pontificibus addita.*

Jodocus Clichtovæus in Anti-Luthero Canonem nondum fuisse à Gelasio perfectum & absolutum, agnoscit. *Traditur quidem*, inquit, *Gelasius hujus nominis primus summus Pontifex, ipsum Canonem præsertim ordinasse atque coadunasse ad quotidianum Missæ usum. Leo vero primus adjecisse ad eum, qui prius erat in usu, hanc deprecatoriam particulam; Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias. Gregorius autem primus adjunxisse tres illas continue subsequentes petitiones, utpote, Diesq; nostros in pace tua disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas nos grege numerari. Leo itidem primus illi sententiæ, Et quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedec, superaddidisse legitur hæc sacra verba: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Et alii summi Pontifices alias sacri Canonis particulas adjecisse, prius compactus traduntur, instituisseq; Ceremonias in ipso Canone Missæ à Sacerdote sacra faciente observandas.*

6. Quod fatentur, Officium Gregorianum non sine contradictione fuisse ab Ecclesia reptum, & quidem per media nuspiam in verbo Dei præscripta.

Durandus lib. 5. Rational. cap. 2. Jacobus de Voragine in vita Gregorii & Eugenii, Antoninus tom. 2. tit. 14. cap. 4. §. 13. & ex illis Nauclerus volum. 1. generat. 21. memorant, qua ratione Officium Gallicanum in Galliis, & Ambrosianum in Italia fuerit abolitum, & eorum loco Gregorianum utrobique receptum. *Concilio* (inquiunt) *Romæ Anno 790. congregato, omnium Patrum fuit una sententia, quod Missale Ambrosianum & Gregorianum super altare S. Petri Apostoli poneretur plurium Episcoporum sigillis munita, & fores Ecclesiæ clauderentur, & ipsi tota nocte oratione instarent, ut Dominus per aliquod signum indicaret, quod horum magis ab Ecclesia servari vellet, sicq; per omnia factum est. Mane igitur Ecclesiam intrantes, utrumque Missale super altare apertum invenerunt, vel, ut alii asserunt, Missale Gregorianum penitus dissolutum, & huc & illuc dispersum invenerunt, Ambrosianum vero solummodo apertum super altare in eodem loco, ubi positum erat, invenerunt.* (Hic forte aliquis statuisset, *Ambrosianum*, excluso *Gregoriano*, retinendum esse; sed contrarium ipsis fuit visum.) *Eo signo*, inquit Durandus, *divinitus edocti sunt, Gregorianum Officium per totum mundum dispergi, Ambrosianum vero tantum in sua Ecclesia observari debere, & sic usque hodie servatur, siquidem tempore Caroli Imperatoris Officium Ambrosianum præcipue dimissum est, & Gregorianum, Imperiali autoritate plurimum adjuvante, divulgatum.* Durandus addit, *Quod, dum adhuc Officium Ambrosianum magis, quam Gregorianum ab Ecclesia servaretur, Adrianus Papa Concilium convocarit, in quo statutum est, quod Gregorianum deberet universaliter observari, ad quod Carolus Imperator omnes Clericos minis & suppliciis per diversas provincias cogebat, libros Ambrosiani Officii comburens.*

Eodem modo scribit Jacobus de Vorag. d. l. *Carolus Imperator executor existens, minis & suppliciis omnes Clericos ad hoc ipsum coegit, & libros Ambrosiani Officii ubique combussit, multosq; Clericos rebelles incarceravit.*

Apud Hispanos diversas fuisse Officii formulas patet ex Concilio Gerundensi c. 1. Toletano quarto c. 2. Bracarensi primo can. 22. tandem Pontifices Romani *Officium Gregorianum* etiã in Hispania recipi voluerunt, quod multifariam reluctantibus Hispanis vix tandem Anno circiter 1090. sub Urbano II. consecuti sunt, qua de re sic scribit Rodericus Archiepiscopus Toletanus lib. 6. cap. 25. *Ante revocationem Ricardi Abbatis S. Victoris Clerus & populus totius Hispaniæ turbatur, eò quod Gallicanum officium suscipere à Legato & Principe jubebantur,* (*erat vero tum Gregorianum seu Romanum ipsum à Gallis jampridem receptum*) *& statuto die Rege, Primate, Legato, Cleri & populi maxima multitudine congregatis fuit diutius altercatum, Clero, militia* (ordine equestri) *& populo firmiter resistentibus, ne Officium mutaretur, Rege à Regina suaso, contrarium minis & terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, unus à Rege, qui pro Officio Gallicano, alter à militia & populis, qui pro Toletano decertarent; miles Regis ilico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat Miles Officii Toletani. Sed Rex adeo fuit à Regina Constantia stimulatus, quod à proposito non discessit, duellum judicans jus non esse. Miles autem, qui pugnaverat pro Officio Toletano, fuit de domo Mantantiæ prope Pisoricam, cujus hodie genus extat. Cumq; super hoc magna seditio in populo & militia exoriretur, demum placuit, ut liber Officii Toletani, & liber Officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus jejunio à Primate, Legato & Clero, & oratione ab omnibus devote peracta, igne consumitur liber Officii Gallicani, & prosilit super omnes flammas incendii cunctis videntibus & Dominum laudantibus, Liber Officii Toletani illæsus, omnino à combustione incendii alienus. Sed cum Rex esset magnanimus & voluntatis suæ pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus voluit inclinari, sed mortis supplicia, & direptionem minitans resistentibus, præcepit, ut Gallicanum Officium in omnibus regni sui finibus servaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inolevit proverbium: Quo volunt Reges, vadunt leges.*

Quibus pollicitationibus, ac quibus minis Gregorius II. per Bonifacium Moguntinum Achiepiscopum tandem obtinuerit, ut *Officium Gregorianum* sive Romanum in Germania reciperetur, patet ex Epistolis Gregorii ad Carolum Ducem apud Aventinum lib. 3. Annal. Bojor. pag. 213. 215. ad Germaniæ Proceres tom. 2. Concil. ad Thuringos ibid. Qui Bonifacio renitebantur Vergilius Juvaniensis Episc. Clemens, Scotus, Sanson & alii insignes viri oppressi sunt, qui, teste Aventino, lib. 3. Annal. pag. 218. eum *mendaciorum autorem, legis & pacis Christianæ turbatorem, corruptoremq; esse* vociferabantur.

Argum. Adversariorum.

1. Gaulterius in Tabb. Chron. secul. 1. pag. 14. probat, *Canonem Missæ esse Apostolicæ originis*, ex lib. 8. Constit. Apost. Clementis.

Sed ostendimus superius lib. 1. cap. 7. quosdam ex ipsis Pontificiis librum illum Constitutionum Apostolicarum repudiare.

2. Idem Gaulterius fol. 45. *ex Liturgia Jacobi* probat Canonem.

Sed ostendimus superius lib. ejusdem cap. 8. Liturgiam à quibusdam Pontificiis in dubium vocari.

APPEN-

APPENDIX ARTICULI DE EUCHARISTIA & De Missa.

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ABSURDAS atque erroneas Adversariorum complectens.

I. Querelæ.

1. Bellarminus lib. 4. de Eucharistia c. 11. §. Tertium argumentum &c. scribit, *Chemnicium calumniari Ecclesiam Catholicam, quasi hoc præcipue intendat in mistione aquæ, ut non solus Christus sed etiam populus Deo Patri sistatur*, & in cap. præced. 10. §. Tertia ratio &c. *illam mixtionem* sic explicat, *quod tantum significet unionem Christi cum Ecclesia.*

Resp. c. Cum omne. dist. 2. Julius Pont. Rom. sic loquitur: *Quando in calice aqua vino miscetur, tunc populum Christo aduniri, & credentium plebem ei, in quem credit, copulari & jungi.*

Item. *Si solum vinum offeratur & consecretur, sanguinem Christi offerri sine nobis.*

(Hæc certe non *de nuda significatione*, sed *de efficientia* loquuntur. Adde, quod *Sacramenta id efficiant, quod significant*, ut Bellarminus contra Calvinianos ex professo disputat.)

2. Idem Bellarminus lib. ejusdem c. 15. inter *mendacia Chemnitii* recenset, *quod Catholici multum inter se disputent, quibus verbis Eucharistia sit conficienda.*

Resp. Pontificii de forma consecrationis, qua Christus usus est, diversis, imo adversis opinionibus invicem diffident, ut ostendimus superius c. 1. mēbr. 6. §. 1. quomodo igitur de forma consecrationis à Sacerdote usurpandæ certi esse poterunt?

Summa Angelica in verbo Eucharistia membr. 1. q. 24. ex Scoto disputat, *Licet alia verba non sint de substantia formæ, quam illa, Hoc est corpus meum; tamen Presbyterum dicentem solummodo præfata verba super panem non consecrare, cum de necessitate requiratur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus præfata verba solummodo determinentur ad corpus Christi, sicut fit, cum dicitur, Fiat dilectissimi, aliter nihil fieret, & hoc tene*, inquit, *quamvis aliqui teneant contrarium & male.*

(Si aliqui hic tenent contrarium, ergo non est hac in parte consensus.

3. Idem Bellarminus lib. ejusdem c. 17. §. Multa præterea &c. inter *mendacia Chemnitii* numerat, *quod Catholici tribuant Missæ sacrificio ex opere operato remissionem peccatorum mortalium, & sumtioni Eucharistiæ solum remissionem venialium, etiam non sine periculo utentis.*

Respond. Bellarminus ipse disertis verbis scribit lib. 2. de Missa c. 1. §. Contrarium &c. *Sacrificium Missæ non solum propitiatorium est pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atque adeo mortalibus. Id enim significat Concilium Tridentinum, cum ait: Crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.*

Contra vero de sumtione Eucharistiæ scribit lib. 4. de Eucharistia c. 14. §. Jam vero &c. *Catholica Ecclesia in Concilio Tridentino docet, effectum Eucharistiæ præcipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animæ & præservationem à peccatis.*

Excipit quidem lib. 2. de Missa c. 2. *Missæ sacrificium non justificare immediate, sed impetrare donum pœnitentiæ, per quod homo ad Sacramentum accedere velit & per illud justificetur.* Atqui ex eo multo magis confirmatur perversa illa opinio, quod satius sit & minore cum periculo conjunctum, interesse Missæ, quippe quæ prosit etiam non recte disposito, quam uti Cœna Dominica, quippe quæ in judicium sumitur, nisi purus & recte dispositus quis accesserit.)

4. Conqueruntur omnes, falso sibi tribui, quod Missa prosit ex opere operato.

Resp. 1. Gabriel Biel lect. 26. in Can. Miss. lit. G. sic scribit: *De Sacramentis novæ legis dicimus, quæ habent virtutem ex Christi institutione, ita, quod ipsis exhibitis, aliquibus assistit Deus causandi in eis quosdam effectus salutares, scil. remissionem peccatorum & gratiam gratum facientem; & hoc modo Missa proficeret, etiamsi per impossibile nullus mortalium esset in gratia.*

2. Albertus Magnus in c. 9. Johannis. *Opus operatum est perfectio externi operis sine motu interno.* Mynsingerus addit: *quia sancti in V. T. fide accipiebant gratiam in usu Sacramentorum, oportet ergo N. Test. Sacramenta majoris esse efficaciæ, ut conferant gratiam ex opere operato, etiamsi non accedat opus operans suscipientis, id est, fides seu devotio interior.* Plura hujusmodi adduximus superius in artic. de Sacramentis.

(Quod si ergo omnia N. Test. Sacramenta prosunt ex opere operato, utique etiam Sacramentum Eucharistiæ.)

3. Thomas de vio Cardinalis Cajetanus in Quodlib. de Usu spiritualium q. 3. agnoscit, hunc errorem fuisse in Papatu vulgo receptum. *In hoc*, inquit, *videtur communis multorum error, quod putant, hoc sacrificium ex solo opere operato habere certum meritum, vel certam satisfactionem, quæ applicatur huic vel illi.*

4. Hoffmeisterus adducit & approbat verba Bielis. *Missa valet & efficaciam habet ex opere operato, hoc est, ex ipsa consecratione, oblatione & sumtione venerabilis Eucharistiæ, non habendo respectum ad personalem sanctitatem, aut meritum Sacerdotis. Et hoc intelligi potest dupliciter, Uno modo, quod hic valor sit ex institutione divina, qui efficaciter se determinavit ad conferendum quosdam effectus gratuitos & salutares ad consecrationem, oblationem & sumtionem corporis & sanguinis Christi factam à Sacerdote &c. Alio modo dicitur Missa habere effectum ex opere operato præciso ratione oblationis sacrificii, quod in Missa perficitur, non attendendo Christi institutionem.*

5. Cassander in Consult. art. de Missa. *Non temere quidam impulsi sunt ad eam opinionem acrius insectandam, videlicet cum tanta multitudo Missarum passim summa negligentia celebretur, itaq; nonnunquam à vilissimis & impurissimis hominibus hanc actionem, tanquam quoddam opificium, unde vitam traducant, quæstus tantum causa obeuntibus, ad quam multitudo sæpe improborum & sceleratorum hominum concurrit, nihilq; aliud inde refert, quam ex eo spectaculo sibi aliquam sanctitatem accedere putant, tametsi ipsi de vitæ immutatione nihil cogitant, imo sæpe à quotidiana Missæ auditione statim ad sua usitata flagitia & scelera se convertant.*

6. Bellarminus lib. 2. de Miss. c. 4. §. His notatis &c. *Sacrificium Missæ non vim habet solum, aut potissimum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.*

Ib. *Asserimus, vim habere præcipue ex opere operato.* Quam autem vim intelligat, id explicat mox propositione secunda seq. ubi inter alia, *non igitur*, inquit, *sacrificium immediate justificat &c.* (quod idem antea docuerat S. Thomas in 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 2. ubi dicit, *sacrificium justificare eos, pro quibus offertur, non ut causam proximam, sed donum contritionis impetrando.*

7. Idem Bellarminus in Jud. de Form. Conc. mend. 18. sic loquitur: *Ad peccata expianda &c. instituta sunt varia Sacramenta, & ipsum etiam corporis Domini sacrificium, quæ omnia ex opere operato utilia sunt. Quod Philippus negat Missam ex opere operato, repugnat art. 8. Conf. & hæresin Donatistarum renovat.*

5. Idem Bellarminus in Jud. de Concord. mend. 18. sic conqueritur: *Impudenti mendacio tribuitur Catholicis Doctoribus illa divisio, quod Christus divisione sua satisfecerit solum pro peccato originis, pro actualibus autem instituerit Missam. Nemo enim Catholicorum unquam sic docuit.*

Principes Catholici in resp. ad Aug. Confess. art. de Missa. *Non satis intelligi potest, quod assumitur, Christum satisfecisse passione sua pro peccato originali. Nam hoc nunquam auditum est à Catholicis, jamq; rogati, pleriq; constantissime negant ab iis sic doceri, non enim Missa delet peccata.*

Resp. 1. Thomas Aquinas (in numerum Sanctorum à Johanne XXII. Pont. Rom. relatus) expresse hoc docet tom. 15. opuscul. 58. de venerab. Sacram. alt. c. 1. *Sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, sic offertur jugiter pro quotidianis nostris delictis in altari.*

4. Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus scripsit prolixum volumen *de incruento sacrificio*, quod Romæ edidit, in quo asserit, *Christi passionem prodesse quidem pro originali & actualibus peccatis ante Baptismum commissis, sequentia vero Missis & bonis operibus esse expianda.*

In c. 10. Epist. ad Hebr. super verba, *Voluntarie peccantibus &c.* sic scribit: *Hinc apparet, quod pro peccatis sub Novo Testam. post acceptam salutaris hostiæ in Baptismo efficaciam commissis, non habeamus pro peccato hostiam illam, quam Christus obtulit pro mundi peccato & pro delictis Baptismum præcedentibus.*

3. Gregorius de Valentia lib. 2. de Missa c. 2. *Cum B. Thomas dicit, sacrificium altaris quotidie offerri pro actualibus peccatis, sicut sacrificium crucis semel oblatum est pro originali peccato, sensus est, hoc interesse inter peccatum originale & alia auctualia, quod pro illo, quia non sæpius ab eodem homine admittitur, sed semel abolitum nunquam redit, semel tantum Christus se obtulit, nempe in cruce, non item alias in altari: pro peccatis autem actualibus, quia sæpius ab uno & eodem committuntur, sæpius se offert, nimirum non tantum in cruce, sed etiam quotidie in altari.*

(Non colligimus ex Thomæ & aliorum effato, *Christum pro solo originali peccato ex sententia Pontificiorum satisfecisse*; hoc tamen videmus statui, *ad satisfactionem pro originali peccato præstandam, nihil quicquam aliud admitti, ad satisfactionem autem pro peccatis actualibus sacrificium Missæ & opera hominum requiri*. Et hoc fuit illud, quod Augušt. Confeff. in Missa Pontificia desideravit. Præterea Confessores non tantum abusus publicis scriptis approbatos, carpunt, sed & *privatos*, qui præter doctiorum mentem irrepserunt. Proculdubio non defuerunt illis exempla Monachorum & Pastorum rudiorum, qui aut prave intellecta suorum de Missa opinione, aut amore lucri Missam sacrificio crucis, si nō prætulerunt, saltē exæquarunt.)

4. Vitus Miletus in Discuss. libelli Heshusii de sexcentis erroribus Papisticis pag.52. opinionem hanc non dissimulat, sed solum addit, *toti Romanæ Ecclesiæ nihil præjudicare, si quis aliquando in ea fuerit opinione*.

6. Conqueruntur, falso sibi tribui, quod virtutem quandam Magicam in verbis Consecrationis statuant.

Resp. 1. Biel in Can. Miss. lect. 4. asserit, *confectionem corporis Christi in Sacramento fieri occulta aliqua virtute, non insistente ei, à quo fit, sed assistente, secundum quem modum malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vaccarum de sedibus vel manubriis securium, quod non fit naturali virtute maleficorum, neque ex eorum merito, sed virtute occulta, sive mala, sive bona assistente*.

2. Idem Biel. lect. 15. in Canon. *Cum antiquitus publica voce Canon pronunciaretur, sic verba eis innotuerunt, ut in plateis & vicis decantarentur. Factum ergo est, ut cum Pastores quidam in agro, pane super lapidem posito, Canonis verba pronunciarent, panis statim in carnem sit conversus, ipsi autem igne de cœlo divinitus sint percussi, quæ causa fuit Patribus statutum faciendi, ut deinceps sub silentio Canon pronunciaretur*.

7. Scarga art.9. fol.265. negat, *ullum ex Pontificiis dixisse, quod Sacerdos sit creator sui creatoris*, ac vocat id dictum *blasphemum*. Idem negat Rayhing. in Ench. Cathol. contra D. Hoē p.606.

Resp. 1. In libro, cui titulus, *Stella Clericorum*, disertis verbis habetur. Verba sic habent in cap.15. *O veneranda Sacerdotum dignitas, intra quorū manus, velut in utero Virginis Filius Dei incarnatur! O cœleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus S. tam mirabiliter operatur, quod uno eodemq; momento idem Deus, qui præsidet in cœlo, in manibus vestris est sacrificiū! Iste, qui creavit me, dedit mihi creare se, qui creavit me sine me, creatur mediante me*.

Cap.19. *Cum ergo tanta dignitatis sit Sacerdos, quod creator sit sui creatoris & totius creaturæ, ipsum perdere inconveniens est*.

2. Nec potuit hoc negare Rayhingius, ideo p.612. tandem concedit, *extare in Stella Clericorum*, sed addit, *esse locutionem incommodam & periculosam*, quam ita emollire conatur, ut asserat, *τὸ creare usurpari in generaliore significatione pro facere quocunque modo*, & tamen paulo post pag.613. adducit dictum Thomæ p.3. q.75. artic.8. *quod transsubstantiatio panis in corpus Christi quodammodo cum creatione conveniat, quia scilicet in transsubstantiatione æque ut in creatione non maneat commune subjectum*.

3. Boverus in Oratione ad Convocationum domum, itidem dicit, *quod Presbyter sit creator creatoris*.

4. Franciscus Turrianus tract.1. cap.17. fol.97. *Eucharistia non est creatura, sed creator Christus*.

Idem. *Presbyteri habent virtutem conficiendi Eucharistiam*.

5. Gerson lect.4. in Canon. *Regina mundi Domina, licet in gratiæ plenitudine creaturas supergrediatur universas, Hierarchis tamen Ecclesiæ cedit in commissi mysterii executione. Illa nempe prolatis octo verbulis, (Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;) semel concepit Dei Filium mundi Redemtorem. Isti autem Domino consecrati, quinque verbis contextam consecrationis formam cum debita intentione proferentes, eundem Dei Virginisque Filium advocant quotidie corporaliter in Sacramentum*.

6. Idem dict. lect.4. in Exposit. Missæ pag.21. edit. Venet. Ann.1576. *Sacerdos est creator sui creatoris*.

8. Conqueruntur, falso sibi tribui *artolatriam, cum non creaturæ, sed Christo hunc honorem deferant, ac panis substantiam manere negent*.

Resp. 1. Bellarminus Lib.4. de Euchar. cap.29. diserte scribit, *Adorationem Latriæ ad symbola etiam panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cū Christo, quem continent*.

(Utique ergo non solum Christo, sed etiam externis symbolis certa ratione cultum latriæ tribuunt. Nec liberat eos ab idololatria, quod panis substantiam post consecrationem adesse negent. Præterquam enim, quod principium petunt, cum suo loco demonstretur, panis & vini substantiam manere, ac corpus Christi extra usum non adesse pani Sacramentaliter, manet idem periculum *de accidentibus*, ad quæ ex hypothesi Bellarmini religiosa adoratio pertinet, *quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo, quem continent*.)

2. Rayhing. in Ench. Cathol. contra D. Hoē p.642. fatetur, *aliquo modo speciebus, propter Sacramentalem unionem cum corpore & sanguine Christi externa signa divinæ adorationis ex interiore devotione, non quidem erga species, sed erga Christum præsentem, exhiberi posse*.

9. Conqueruntur, falso sibi tribui *nundinationes Missarum*.

Resp. Illas vero in Papatu usitatas esse fatetur Concil. Trident. sess.22. in Decret. de evitandis in celebrat. Missæ, ac confirmat quotidiana experientia.

Granatensis tom.1. oper. fol.96. & seq. conqueritur, *multos perversos Sacerdotes hoc tempore esse, proh dolor, qui Missam administrent turpissimo & fœdissimo desiderio lucelli cujusdam, qui sint instar filiorum Aaron in alieno igne sacrificium offerentes, avaros, philargyros, comburendos olim igne infernali, & qui Sacramentū pro lucrando cœlo à Domino institutū, ipsi celebrent pro lucrandis nummis*.

Lindanus Lib.3. Stromat. pag.55. *De potissimo suo Sacerdotali officio atque sacrificio illo tremendo, quotidie aut alternis saltem diebus Deo Opt. pro Ecclesiæ tam laborantis, tam afflictæ, tam periclitantis salute offerendo, nulla aut sane perexigua est plerisque cura, nisi peculiariter eò lusi spes affulgeat nummi*.

Thomas Hardingus in Confut. Apolog. Anglic. part.2. cap.15. nundinationes illas hoc modo excusat: *Quid est, cur Sacerdos, à quo uno Missæ sacrificium administrari & solet & debet, quippe cui ea vitæ conditio ac munus impositum est, non fructum inde capiat, atque eo quæstu se sustentet*.

10. Conqueruntur, falso sibi tribui, *quod Missa non debeat in lingua nota celebrari*.

Resp. Idipsum Pontificios statuere, ostendimus superius in art. de Missa.

11. Bellarminus Lib.4. de Eucharist. cap.26. resp. ad 20. gravissime conqueritur, *quod Lutherus & Chemnicius Concilio Constantiensi injuriam fecerint, tribuentes ei, quod agnoverit, Christum instituisse Eucharistiam sub utraque specie, & vocantes clausulam illam, hoc non obstante, flagitiosam, cum Concilium non loquatur de utraque specie, sed tantum de communicandi tempore*. Atqui verba Concilii Constantiensis sunt manifesta, *Licet*, inquiunt, *Christus post Cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante &c.*

In Concilio Tridentino sess.21. cap.1. ex Constantiensi idē repetitur, *Christum Dominum in ultima Cœna & venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituisse & Apostolis tradidisse*.

12. Conqueruntur, falso sibi tribui, *quod τὸ Est in verbis Cœnæ intelligant transsubstantiatur, & per τὸ Hoc intelligant panem*.

Bellarminus Lib.1. de Euchar. cap.10. *Quod Calvinus scribit, Catholicos accipere Est pro transsubstantiatur, qui est tropus omnibus gentibus inauditus, mera calumnia est. Catholici enim dicunt quidem, colligi ex hac voce transsubstantiationem, sed non dicunt, Est poni pro transsubstantiari. Nec solum hoc non dicunt, sed ne verisimiliter quidem id potest eis affingi, cum ipsi contendant, pronomen Hoc nō demonstrare panē, qui solus eorū sententia mutatur in corpus Christi*.

Resp. 1. Suarez Disput.58. de Sacram. sect.7. sic disserit: *Conclusimus, illo pronomine, Hoc, designasse Christum id, quod habebat in manibus, & discipulis tradebat; in quo Catholici omnes conveniunt: dissentiunt tamen in explicando in particulari, quid illud sit, an substantia panis, an accidentia, an corpus Christi, an aliquid commune. Prima sententia est, pronomen Hoc designare panem. Bonaventura, Occam, Holcot, etiam Valdensis. Secundus modus explicandi est, illud pronomen Hoc designare substantiam panis, non ut est in se, sed ut est conversa in corpus Christi, in termino prolationis verborum. Ita referunt antiqui Theologi. Tertius modus est, pronomen Hoc designare substantiam panis, non ut panis est, sed ut hæc substantia, vel hoc Ens*.

(Ergo non desunt, qui per τὸ Hoc panem intelligant.)

Confer ea, quæ dicta superius de Eucharistia cap.1. Adversarium.1.

2. Bonaventura 4. sent. dist.8. quæst.1. artic.1. *Est, in hac oratione non identitatem, nec simultatem signat, sed hoc esse corpus, hoc est, ad hujus verbi prolationem hoc totum transire in corpus*.

Dominicus Sotus 4. sent. dist.11. quæst.1. artic.5. *Bonaventura*, inquit, *ait, verbum EST accipi loco illius, quod est, fit, ut fit sen-*

sus: Hoc fit corpus meum. Hoc tamen salva autoritate gravissimi Doctoris, est nimium formam invertere, aliter quam eâ Christus usus est. Et cum conversio fiat in instanti, non debet exprimi per fieri, sed per factum esse. Ad hæc distinctione nona, quæstione secunda, articulo ultimo ostendimus, non esse concedendum, quod panis fit corpus, eò quod nullum manet subjectum utriq; extremo commune.

Paulo post. Ockam *dicit, pronomen, demonstrare corpus, & ideo Est accipi pro Erit, puta, Hoc erit corpus meum: sed illa non est forma Christi, imo contraria phrasi illius, loquebatur enim ut homo, dicens amico: Accipe, hoc est perdix.*

Ita quoq; Suarez. Disput. 58. sect. 7. *Hæc opinio nullo modo à Catholicis sustinenda est, corrumpit enim propriam significationem verbi Est, quod si semel permittatur, nulla est vis in hujusmodi verbis ad probandam realem præsentiam corporis Christi.*

(Agnoscunt ergo, Bonaventuram *Est* exponere per *fieri*, ac proinde etiam pro *transsubstantiari*.)

3. Fevardentius in Annot. ad Iren. lib. 4. c. 32. monet, Fischerum ad verba Irenæi (*Quomodo constabit eis, cum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, & calicem sanguinis ejus?*) sic fuisse commentatum: *Ipsis primis verbis rem certam affirmat constare, panem & vinum esse corpus & sanguinem Domini.*

13. Bellarminus l. b. 1. de Missa c. 12. sic disserit: *Calvinus in Antid. art. Parisiens. fingit, Catholicos ita probare propositionem argumenti nostri, Christus dixit: Hoc facite, sed facere est sacrificare, juxta illud, Cum faciam vitulâ. Ergo Dominus jussit sacrificare. Sed errat, quod non bona fide refert argumenta Catholicorum, non enim Catholici tam inepte argumentantur.*

Resp 1. Guilielmus Estius in Comm. 1. Cor. 11. sic scribit: *Unde & Novi Testamenti Sacerdotes hoc verbo constituti sunt, non quod verbum facite sit idem, quod sacrificate, quomodo nonnulli illud interpretati sunt plane præter mentem Scripturæ.*

(Illi nonnulli quinam sunt alii, quam quidam scriptores Pontificii?)

2. Alfonsus Salmero tom. 9. tract. 27. p. 205 *per verbum facite, idem, quod sacrificate in verbis Institutionis intelligendum esse ex Scriptura, ex Virgilio, Ovidio, Cicerone, Juvenale, Nonno, Marcello, Athenæo, Homero ostendere* conatur.

3. Benedictus Justinianus in Comm. 1. Cor. 11. p. 566. *tam infallibilem verbi facere pro sacrificare interpretationem* ait, *ut ridendi, vel potius miserandi videantur hæretici, qui Catholicos rident, quod faciendi verbum ad sacrificia doceant pertinere.*

4. Similia occurrunt apud Barradium tom. 4. Comment. in Concord. Evang. lib. 3. c. 6. p. 62.

14. Conqueruntur, falso in Aug. Conf. sibi tribui, *quod Missam ad quæstum conferri debere doceant.*

Resp. Missam ad quæstum conferri debere, à Pontificiis doceri, non dicit Aug. Conf. sed abusum solum notavit, quo Missa conferatur ad quæstum. Et quis hoc ipsum negare audeat, qui Papisticam praxin & Missarum multitudinem consideraverit? Provocarunt Confessores *ad publicas querelas* & *ad proprias Episcoporum*, qui istum abusum corrigere debuerunt, *conscientias.*

Unde Cassander in Consult. c. de Missa sic scribit: *Hoc ingenue fatendum est, quod ab Ecclesiastica parte huic falsæ opinioni* (de opere operato) *occasio præbita esse videatur, unde non temere quidam impulsi sunt ad eam opinionem acerbius insectandam, videl. cum tanta multitudo Missarum passim summa negligentia celebretur, itaq; nonnunquam à vilissimis & impurissimis hominibus hanc actionem, tanquam quoddam opificium, unde vitam traducant, quæstus tantum causa obeuntibus, ad quam multitudo sæpe improborum & sceleratorū hominum concurrit &c.* Unde factum negare non audent Censores Aug. Conf. Cochlæus & alii, sed excusare nituntur, *quia altari servientes, de altari vivere oportet*, quod nemo oppugnat, modo servetur modus, nec S. Sacramentum profanetur. Confer ea, quæ dicta sunt superius membro. 9.

15 Conqueruntur, falso sibi tribui, quod doceant, *Missam esse applicandam pro injustis & impœnitentibus ut eis mereatur remissionem culpæ & pœnæ.* Cochl. in Censura Augustanæ Confess.

Resp. 1. Bellarminus lib. 2. de Missa c. 6. sic scribit: *Pro iis omnibus, qui sunt intra Ecclesiam, sive justi, sive peccatores sint, Catholici omnes docent, sacrificium offerri posse, imo etiam reipsa quotidie offerri. Porro de iis, qui vivunt & sunt extra Ecclesiam, facile res explicari potest. Nam inprimis constat, eis saltem indirecte sacrificium prodesse, & pro iis etiam indirecte offerri posse.* Id probat *ex sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum, & ex antiqua consuetudine, qua oblatum sit etiam pro Principibus & Regibus infidelibus.* Quia vero prohibuit Ecclesia *publice orare pro excommunicatis*, quærit, *an liceat sacrificium offerre pro hæreticorum, sive infidelium aliorum conversione*, & respondet, *Existimo licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur sacrificium* (En ipsam phrasin, qua Cochlæus suos gravari conqueritur) *conversioni infidelium sive hæreticorum, id enim multi faciunt pii viri & docti, quos reprehendere non possumus, neque extat expressa Ecclesiæ prohibitio.*

2. Quid quod non desint Papistæ, qui etiam *damnatis prodesse* disputant *sacrificium Missæ pro ipsis oblatum.*

Sic Joh. Bechoffen in expositione Missæ disputat, *vivorum suffragia etiam prodesse damnatis, non quidem, quoad illarum pœnarum diminutionem, quæ essentialiter debentur peccatis eorum, ut est pœna damni & pœna vermis conscientiæ, sed quoad illarum pœnarum diminutionem, quæ essentialiter non respondent culpæ, ut est pœna sensus & ignis, quæ debetur damnatis ratione inordinatæ delectationis & conversionis, quam habuerunt ad bonum commutabile.*

3. Levesq; in Enchiridio de utilit. & necessit. orandi Deum c. 25. p. 194. 195. Nugno Cabezudo in 3. Thom. q. 83. art. 1. diffic. 6. dub. 2. & seqq. Pelantius ibidem art. 6. Disp. 2. Biel, Piggius, Turrianus, Canisius, Cassalius, Dominicus & Petrus Soto apud Vasquez in 3. Disput. 228 c. 1. docēt, *ad dispositionem subjecti, cui culpæ & pœnæ remissio per Missæ sacrificium applicari debet, non requiri actualem devotionem, sed tantum non actualem repugnantiam per peccatum mortale, quia hoc sacrificium physice agat non moraliter, ideoq; nescientibus possit applicari, de quorum dissensu saltem non constat*; & refutant secus statuentes.

Biel sic habet lect. 81. in Canonem. *Hoc sacrificium in illis, pro quibus offertur, non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia. Neque vero hoc Augustini verbis repugnat. Quis offeret corpus Christi, nisi pro iis duntaxat, qui sunt membra Christi? Sic enim statuimus, oblationem fieri pro membris Christi, quando pro illis fit, qui membra Christi esse possunt.*

16. Thomas Hardingus in resp. ad provoc. Ivelli art. 9. *Adversarii nostri nobis adscribentes, quasi diceremus, atq; doceremus, Sacerdotem hanc mortis Christi virtutem & efficacitatem & meritum alteri per Missam applicare, in eo vel ignorantiâ de nobis mentiuntur, vel malitiâ calumniantur. Equidem nos ita nequaquam dicimus, neq; passionis Christi efficacitatem Sacerdos cuiquam per Missam applicat &c, Deus est, non alius quisquam, qui remissionem peccatorum nobis applicat, Sacerdos tantum eam petit, & per commemorationem mortis Filii sui ad applicandum eum incitat. Omnis itaq; Sacerdotis actio petitione & precibus continetur, totamque applicandi potestatem atq; autoritatem Deo relinquit.*

Resp. 1. Johannes Scotus Quodlib. q. 20. sic scribit: *Non solus Deus distribuit virtutem sacrificii, sed Sacerdos quoque.*

2. Gabriel Biel lect. 26. in Can. Missæ hæc habet: *Vis & efficacia sacrificii distribuitur & applicatur non solum à Deo, sed etiam à Sacerdote.*

Ib. *Sacerdotis est, determinare virtutem sacrificii, ut his vel illis indigentibus præmium reddendum per hujusmodi Ecclesiæ sacrificia conferatur.* Declarat id similitudine. *Quemadmodum Papa primatus jure potestatem habet distribuendi thesaurum Ecclesiæ, aliis plenam peccatorum remissionem donando: cum aliis pro parte tertia pœnarum dispensando: aliis etiam certorum vel dierum, vel annorum veniam indulgendo, prout populi devotioni aptissimum esse videt: Similiter Sacerdos potest dispensare & dividere Ecclesiæ merita, ut illi, vel illi possit applicare, prout ei commodissimum fore videbitur.*

3. Summa Angelica in voce Missa *Missa valet iis, quibuscunque eam Sacerdos per intentionem suam applicare voluerit.*

Ibid. *Missa respectu operis operati nihil aliud est, quam applicatio meriti passionis Christi.*

4 Robertus Holcot in 4. sent. q. 3. *Quid est celebrare Missam principaliter pro aliquo? Resp. est applicare Missam Johanni, quod sit quædam satisfactio apud Deum pro anima Johannis, si indigeat.*

II. Calumniæ. 1. Generales.

1. Bellarminus lib. 4. de Euchar. c. 4. §. In eodem &c. tribuit nobis, *quod damnemus privatam communionem ægrotorum.*

Resp. Hoc refellit quotidiana praxis nostrarum Ecclesiarum.

2. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 7. §. Hæretici &c. nobis tribuit, *quod fermentatum panem aptiorem esse censeamus ad Sacramentum conficiendum, quam azymum*, atque eo nomine *cum Calvinianis* nos conjungit.

Resp. Hoc ipsum etiam manifesta praxis refellit.

3. Pazmannus lib. 11. Hod. c. 9. nobis tribuit, *quod quidam ex nostris, ubi vinum deest, loco vini aquam, vel cerevisiam administrent.*

Resp. 1. Nemo nostrûm hoc suadet, vel probat.

2. De Innocentio VIII. verò refert Volaterranus Lib. 7. Geogr. *quod Norvegiis usum alterius liquoris in Cœna pro vino permiserit, cum vinū in illis locis non proveniat, nec diu conservari possit.*

3. *De Scholasticis* rectius dici potest, quod de materia Eucharistiæ incommodas foveant opiniones. Quærunt, *an usualis panis possit esse materia, an triticeus tantum.* Prius affirmat Bonaventura, Albertus, Gabriel, Cajetanus; posterius Scotus, Durandus, Alensis &c. apud Pesantium in Thom. fol. 884. Quærunt, *an far possit esse materia?* Litigant hac de re Durandus & Thomas apud Pesantium d.l. *An siligo?* Alii affirmant, alii negant, apud Pesantium d.l. *An etiam amilum possit esse panis Eucharisticus?* Negat Thomas apud Altensteig in Lexico in verbo Amilum. *An tipha, vel segala?* Affirmat Sylvester, Thomas & alii. Negant Alexander, Rosell. & alii apud Pesantium d.l. *An spelta?* Affirmant Albertus, Gabriel, Durandus, Paludanus, Cajetanus, Sotus & alii. Negant Thomas, Marsilius, Gerson, Carthusianus, qui, teste Pesantio, d.l. refert, *hanc quæstionem esse definitam à Pontifice.* Contra Sotus dist. 9. quæst. 1. art. 3. dicit, *hanc quæstionem, ut physicam, ad Curiam non pertinere,* quem his verbis castigat Pesantius, *Vehementer errat Sotus.*

4. Concilium Tridentinum sess. 13. can. 5. oblique nobis tribuit, *quod Eucharistiæ finem solum atque unicum statuamus peccatorum remissionem,* quando *anathema* illis dicit, *qui statuunt, vel præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire.* At nemo nostrûm hoc unquam asseruit.

5. Bellarminus Lib. 4. de Eucharistia cap. 21. *Apud hæreticos, qui concomitantiam negant, non solum sumitur cadaver ipsorum opinione, sed etiam ipsi eorum Ministri, quoties Cœnam faciunt, toties Christum reipsa occidunt, vel certe se credunt occidere.*

Resp. Non statuimus separationem, sive dissolutionem Naturarum, vel sanguinis, vel animæ à Christi corpore, nec divulsionem Λόγου à sua carne introducimus, sed distinctam corporis Christi manducationem Sacramentalem, & sanguinis Christi, mediante vino, bibitionem Sacramentalem à Christo institutam esse urgemus, rationem sub obsequium fidei captivantes, & in Christi institutione humili obedientia fidei acquiescentes.

6. Caspar Ulenbergius caus. 6. Cur ad Catholicos redeundum. *Eutyches cum sua hæresi clam in Augustanam Confessionem irrepsit, idque eam ob causam, quod Lutherani vera, eaque simplici doctrina de præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia repudiata, alia fundamenta quæsiverunt.*

(Resp. Distinguendum inter *fundamentum adæquatum & primarium,* quo voluntas Christi confirmatur, quod unice nobis suppeditant verba institutionis; & inter *fundamenta* ἑπομένως *& consequenter adducta*, quibus facultas præstandi, quod promisit, contra ἐνστάσεις Adversariorum Christo vindicatur, qualia fundamenta suppeditant articuli de unione hypostatica duarum in Christo Naturarum, & sessione humanæ Naturæ ad dextram Dei. Ex articulo de omnipræsentia non probamus κατασκευαστικῶς *Sacramentalem corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam,* sed ἀνασκευαστικῶς contra Calvinianos *præsentiæ possibilitatem* deducimus. Confer præfat. Libri Concord. ubi hæc calumnia solide refellitur.)

7. Maldonatus in cap. 26. Matth. v. 26. *Ridicula est Lutheranorum inscitia, qui noluerunt corporis & sanguinis Christi Sacramentum Eucharistiam, ut nos, sed Cœnam appellare.*

Resp. Contrarium testantur scripta publica & praxis quotidiana.

8. Johannes Albinus Lib. 1. de Sacramento altaris cap. 8. tribuit nobis, quasi *consecrationem repudiemus,* & opponit multa veterum dicta, in quibus *consecrari* dicunt *Elementa, vel verbis divinis mutari.*

Resp. Consecrationem ipsam minime repudiamus, alias ipsum Eucharistiæ Sacramentum repudiaremus. Sed perversam opinionem, qua Magica quædam vis verbis Sacramentalibus tribuitur, per quam panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transsubstantientur, repudiamus.

9. Claudius Sanctesius Repetitionis 7. cap. 5. *Inprimis observandum, desertores Ecclesiæ tam impotenti odio in illam exarsisse, ut omnes ausi fuerint ab Evangelistis descriptam institutionem repudiare, & ei supponere quidvis aliud.*

Ibid. *Redarguuntur, quod in suis Cœnis jam non recitent institutionem Domini ex Evangelistis, à quibus est edita, sed contra omnium Christianorum morem, & omniū Liturgiarum ritum Apostoli Pauli de Cœna narrationē seligant, & per eam panem & vinū consecrent.*

Resp. 1. Calumnia est, *quod institutionem Eucharistiæ ab Evangelistis descriptam, repudiemus, & ei quidvis aliud supponamus, & quidem odio impotenti in Ecclesiam.*

2. Si propterea jure dicimur Evangelistas repudiare, quia Paulum legimus, utique etiam de Pontificiis dici potest, quod *Paulum* repudient, quia *Evangelistas* legunt.

3. In Liturgiis veterum nulla recitatio Institutionis unquam fuit sumta ad verbum ex ullo Evangelista, sed ex tribus atque ex Paulo concinnata, additis etiam nonnullis, quæ non sunt visa extra rem esse. Liturgia Petro attributa, sic habet: *Qui pridie ejus diei, qua passus est, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus suas, oculosque in cœlum levans ad te Deum & Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Similiter rursus, postquam cœnatum erat, accipiens calicem & gratias agens, benedixit, dedit sanctis suis discipulis, dicens: Bibite ex eo omnes, Hic est sanguis meus. Hæc, quotiescunque feceritis, in mei memoriam facite.* Liturgiæ reliquæ, Marci, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, in nonnullis variant.

Canon Romanus sic habet: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas & venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. Hoc est enim calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc, quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

(Ex his inter se collatis manifestum est, nullas Liturgias iisdem prorsus verbis hanc institutionem primam recitare, sed omnes variare. Petri Liturgia habet: *Qui pridie ejus diei, qua passus est*, & Canon Romanus; *qui pridie quam pateretur.* At Marci, *Qua nocte tradebat seipsum pro peccatis nostris, & mortem pro omnibus subibat carne.* Basilius, *Qua nocte seipsum tradidit pro mundi vita.* Chrysostomus, *Qua nocte traditus est, imo potius ipse se tradidit pro mundi vita.* At Jacobus omisit. Est autem particula sumta à Paulo, apud quem legimus, *Qua nocte proditus est.* Matthæus & Marcus habent, *Et edentibus eis.* Notandum & illud, Liturgias conjungere εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν, quod nullus Evangelista fecit. Etenim Matthæus & Marcus habent, εὐλογήσας; Lucas & Paulus, εὐχαριστήσας; λαβεῖν omnes dixerunt, tum Evangelistæ, tum Paulus. At Liturgiæ addiderunt, manus ἁγίας, ἀχράντους, ἀμώμους, ἀθανάτους. Omnes item Græci habent, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, quod manifeste sumtum ex Paulo. Denique illud, *Hoc quotiescunque feceritis*, in Latino Canone, in Liturgia Petri, & Jacobi, & Basilii, ex nullo Evangelista, sed ex Paulo est desumtum, à quo etiam Marci Liturgia descripsit. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciate.* Falsum igitur est, quod Sanctesius non nisi ex Evangelistis recitatam institutionem asserit, cum neque eorum ullus propositus fuerit, à quo solo describeretur, & tribus fuerit admixtus Paulus. Quid ergo nos peccavimus? qui in iis omnibus religiosiores, non sumus ausi ipsi seorsim narrationem tessellatam contexere, quin maluimus à Spiritu Sancto contextam desumere?)

10. Idem Sanctesius d.l. sic disserit: *An satis est Cœnam ad Apostolos, an ad ipsum Christum ejus autorem referre? Sufficiat sane ad efformandam religionem, videre, qualiter Cœnam Domini Apostoli agitarint; si tamen licet & ipsum Christum sua verba resonantem & Cœnam suam instituentem, quasi in præsentia spectare & oculatos testes ejus Evangelistas audire, an non ad credendum plenius afficit, & ad persuadendum aliquem aculeum relinquit? cur ergo hoc omisso ad aliud recurretur?*

(Quæ vero hæc protervia, Evangelistis Paulum postponere? Quasi non æque Apostolus esset, ac Matthæus & Johannes? quasi non æque divinus testis Evangelii? quasi non diserte testaretur, *se à Domino accepisse, quod tradidit Corinthiis?*

Thomas in 1. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, scilicet Christo, qui est autor hujus doctrinæ, non ab aliquo puro homine; ad Galatas primo, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum.*

Bene-

Benedictus Justinianus ibid. *Non ille quidem cum ceteris Apostolis tanti mysterii institutioni adfuerat, ejus tamen rationem divinitus acceperat, & eam Corinthiis voce tradiderat.*

Quæ cum ita sint, ab Apostoli narratione formulam institutionis desumere, quomodo erit subsistere in Apostolo, & non ad ipsum Christum autorem ascendere? &, qui ex Paulo audiat, non ipsum Christum audiat, sua verba sonantem?)

11. Salmero tom. 9. tract. 12. p. 75. sic disserit: *Scribunt quidam ex hæreticis, solenne fuisse Judæis, ut cum ad mensam accumberent, Paterfamilias aut alius dignior, qui ad mensam considebat, panem sumeret in manus, ageretq; Deo gratias, ac deinde fractum per partes distribueret convivis sumendum, velut de manu Domini, priusquam alium cibum degustarunt. Ad finem vero eodem ritu circumferebant & poculum in festis diebus, ut hac Ceremonia velut testarentur, atque prædicarent, se à Deo ali, & in ejus gratia vivere &c. Sed quicquid sit de hac benedicendi consuetudine, certe hoc loco non est ad rem, quia jam mensa agni paschalis finita erat, & communis cœna vergebat in finem. Neq; servit hac consuetudo religionis benedicendi panem, nisi ut locos Scripturæ nobis eripiant, in quibus de benedictione Eucharistiæ est sermo, & non de benedictione laudis, quæ illam excludat, propterea illam libenter deserimus, cum illa ex officina Martini Buceri prodierit.*

Sed quod Salmero rejicit, tanquam figmentum Bucerianum ac hæreticum ad eludenda Scripturæ dicta natum, illud commendat Baronius Cardinalis tom. 1. Annal. Eccles. Anno Christi 34. n. 43. sic disserens: *Ceterum, ut quæ scripta sunt ab Evangelistis de sacratissimæ Eucharistiæ institutione, facilius intelligantur, operæ precium existimavi hic intertexere, quæ in antiquo libro Hebræorum rituali habentur, in Canone enim eorum hæc continentur: In paschali convivio, posterior quæ esset mensa, non ut in aliis dierum festorum secundis Cœnarum mensis bellaria apponebantur, sed tantum à lege statutus cibus, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agrestibus factum, aliisq; rebus conditum, in cumq; primum paterfamilias intingebat offam azymam, mox ceteri, sicq; consumebatur. Deinde idem paterfamilias tortam azymam, seu ut alii textus habent, dimidiam, sub mappa hactenus servatam, in frusta frangebat, in tot particulas illam dividens, quot essent in Cœna discumbentes, sicque divisam singulis porrigebat; quo facto ipse poculum degustatum tradebat proximo, ille secundo, donec poculum per totum convivium porrigeretur. Insuper, quoniam secundæ illæ mensæ Judæorum erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potissimum comparatæ, cum in ceteris secundis mensis esset communis quædam usitata benedictionis formula, in paschali secunda mensa post illam benedictam, cum distribueretur torta azyma, hæc verba idem paterfamilias dicebat: Iste est panis ærumnæ, quem comederunt patres nostri in Ægypto: quisquis esurit, accedat & peragat pascha. Posthac idem, accepto poculo, benedicebat his verbis: Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti &c. sicq; delibatum, ut dictum est, poculum tradebat proximo, ille secundo, & sic deinceps. Hæc ex libro ritual. veteri Hebræorum accepta, quantum conferant ad ipsam Evangelicam Historiam, de Cœna Domini intelligendam, facile percipi potest. Dominus enim, servato eo ipso antiquo Judæorum ritu, illud effecit, ut novis benedictionibus additis, novum institueret Sacramentum, & quæ in memoriam veterum beneficiorum fuerunt instituta, in commemorationem omnium præstantissimi noviter accepti beneficii mutarentur.*

Georgius Cassander in Liturg. c. 1. in ἐπιγραφῇ. *Ritus, quibus Judæi celebrioribus festis inter convivandum jam olim utuntur, quos Christus aliqua ex parte in sua Cœna præsertim ut ea à Luca describitur, observasse videtur.*

Similia occurrunt apud Benedictum Justinianum Jesuitam in Comm. 1. Cor 11. p. 564. *Ferunt*, inquit, *veterum fuisse Hebræorum consuetudinem, cum fermentum abolendum esset, & azymorum usus inchoandus, ut paterfamilias tortam quandam azymam seponeret, & sub mappa absconderet, & tot in frusta concideret, quot erant accumbentes, & sub finem Cœnæ singulis suam particulam non sine solenni benedictione porrigeret, tum poculum ad singulos transmitteret &c. Cui consuetudini sese quodammodo Christus accommodans, novum longeq; præstantiorem panis azymi usum instituit, & multo diviniorem benedictionem impertivit, ut figura & typo res ipsa etiam specie externa planius responderet.*

12. Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 3. *mendacii* accusat verba illa August. Conf. in articulo abusuum 3. *Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur.* Falsitatem hujus assertionis probare nititur ex articulis Schmalcald. in c. de Missa, ubi sic legitur: *Ceterum Draconis cauda ista* (Missam intelligo) *peperit multiplices abominationes & idololatrias. It. abroganda merito est Missa.* Occurrit etiam exceptioni. *Dicent fortasse, se Missam Papisticam abolevisse Christianam autem retinere, nimirum Sacramenti distributionem & perceptionem, hoc enim Missam Philippus vocat in Apologia. At non accusantur à nobis Lutherani, quod istam Missam, id est, communionem aboleverint, sed quod Missam, i. e. oblationem & totum Canonem sustulerunt. Itaq; si per Missam intelligant communionẽ, mendacium est, quod accusentur: si autem oblationem, mendacium est, quod falso accusentur.* Hæc repetit Forerus in suo Epithemate.

Resp. 1. Falsum est, Lutheranos non fuisse accusatos à Pontificiis, quod *communionem* sive Cœnam aboleverint. Utut enim in tanta luce Jesuitas accusationis istius pudeat, non tamen ejus puduit eos, à quibus persuasi erant in Hispaniis Cæsar Conciliumque Hispanicum, *nos negare Trinitatem, de Christo & Maria impure loqui, Sacramenta corrumpere, Cœnam Domini profani convivii more administrare, Magistratum contemnere, libidines stabilire*, ut dixisse in Hispaniis quosdam, Augustæ in Comitiis ad Melanchthonem Alphonsus Cæsaris Canc. fassus est; Hist. Aug. Conf. tom. 5. Luth. Confer Lutherum in præfat art. Schmalcald. Igitur contra hos calumniatores opponebant nostri suam inficiationem.

2. Bellarminus accusationem mendacii sic informat: *Non accusantur à nobis Lutherani, quod istam Missam, id est, communionem sustulerint, sed quod veram Missam, id est, oblationem & totum Canonem sustulerint.* Ergo accusat ipse nos, quod veram Missam sustulerimus. Quod si ergo veram Missam retinemus, falso utique de sublata Missa nos accusari, ex ipsius Bellarmini verbis relinquitur. Quamvis, inquam, sustulerimus vana additamenta, quæ Pontificii Missæ affuerunt, quæque ipsi pro Missa habent, inique tamen traducimur, *quod Missam aboleverimus*, si modo id, quod est vera Missa, apud nos abolitum non sit. Retorquemus ergo Bellarmini telum. Non querimur, falso nos accusari, quod fictitiam Missam Pontificiam, sed quod veram Missam sustulerimus. Itaque, si per Missam intelligit Bellarminus *veram Missam*, mendacium est, quod non falso accusemur, ipse enim nos de vera Missa sublata accusat. Si autem *fictitiam Missam* & additamenta Missæ impie addita, mendacium est, quod accusari nos queramur, nam de illis additamentis abolitis Augustana Confess. gaudet.

3 Frequens est apud bonos autores, ut voces genuino suo sensu usurpent, non quem habent vulgari & notiori usu, & negotium in eo situm esse ducant, quo tandem revera recidit, licet proxime diversum esse videatur, ubi tamen, si hoc Jesuiticum acumen adhibeatur, facile quævis etiam verissime dicta in calumniam rapientur. Sic Paulus accusabatur à Judæis ob Christi prædicationem, *quod Christum crucifixum & à mortuis resuscitatum, & ad dextram Patris collocatum, ubiq; prædicaret.* Ille tamen in Actis caussam suæ accusationis recensens c. 26. v. 6. 7. *Nunc*, inquit, *ob spem promissionis, quæ Patribus nostris facta est à Deo, sto in judicium vocatus, ad quam duodecim tribus nostræ Deum nocte & die perpetuo colentes, sperant se perventuras, de qua spe postulor Agrippa à Judæis.* Et similiter Act. 23. v. 6. *De spe & resurrectione mortuorum ego accusor.* Et quidem vere sic Paulus dixit. Nam quanquam proxime alia erant accusationis capita, res tamen omnis eò recidebat. Nam si resurrectio mortuorum possibilis, quid odio tanto dignum, quod Christus resuscitatus prædicatur? imo nulla potest esse resurrectio mortuorum, nisi Christus resurrexerit, 1. Cor. 15. v. 13 16. Quod si quis tamen Jesuitæ similis, vel in comitatu Regis Agrippæ, vel in Concilio Judæorum adfuisset, næ ipse statim eadem probabilitate cum Jesuita sic esset argumentatus: *Non accusatur à nobis Paulus, quod resurrectionem mortuorum communem illam, sed quod resurrectionem Christi prædicet. Itaque, si per resurrectionem mortuorum intelligit resurrectionem illam communem, falsum est, quod à nobis accusetur, si autem resurrectionem Christi, falsum est, quod ob resurrectionem mortuorum accusetur. Nam resurrectio Christi non est mortuorum resurrectio.* Sic Christiani in primitiva Ecclesia accusabantur à paganis, *quod pro salute Imperatorum nollent sacrificare.* Tertullianus in Apolog. cap. 30. Contra illas accusationes Tertullianus ad Scapulam cap. 2. dicit, *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Quid hoc est aliud dicere, *Falso accusamur, quod non sacrificemus pro salute Imperatoris.* Et sane vere sic dicere poterat Tertullianus, quia Christiani sacrificabant quotidie pro Imperatore, non quidem thure Diis incenso, aut aris sanguine agnorum imbutis, sed pura prece ad Deum fusa, quod qui faciunt, sacrificare dicuntur vel ipsius Dei

voce,

vicePs.50.v.23. Psal.107.v.22. Hic tamen, si eodem modo velis tractare Tertullianum, quo Augustanam Confessionem excipit Bellarminus, non sine mendacii accusatione bonus ille Pater Tertullianus hoc auferet. *Non*, dices, *accusantur à nobis Christiani, quod istud sacrificium, scilicet preces pro Imperatore, impẽdere nolint, sed quod verum sacrificium, hoc est, thus & hostias nolint adferre. Aut ergo per sacrificium intelligit Tertullianus preces, & mendacium est, quod accusentur, aut thus, & mendacium est, quod falso accusentur.* Cur ergo etiam Augustanæ Confessioni non liceat vocem Missam legitimo suo sensu usurpare, & in tãto clamore Adversariorum ubique Missam à nobis abolitam querentium asserere, quod retineatur à nobis Missa, & falso accusemur ob abolitam Missam, quanquam additamenta Missæ, quæ Pontificii requirunt, à nobis non retineantur, modo id, quod retinuerimus, vera Missa sit? Cur hoc asserere non sit nobis tam licitum, quam licitum fuit Tertulliano asserere contra Ethnicos, quod Christiani sacrificent pro Imperatoribus, quia preces à Christianis pro Imperatoribus conceptæ, vera sacrificia erant, licet non illa sacrificia essent, quæ Ethnici exigerent?

4. Eò igitur res omnis recidit, ut demonstremus, esse veram Missam id, quod in nostris Ecclesiis retinetur. Id vero ex *Dominica institutione, ex Apostolorum exemplo, ex Ecclesiæ Apostolicis temporibus vicinæ praxi &c.* demonstratur. Dn. Kleinius in orat. Iubil. pro August. Confess. veritate Bellarmini crimin. opposita.

5. Bellarm. lib. 1. de Missa c. 1. docet, accipi Missam primo *pro permissione, ut cum dicitur, Missa Catechumenorum, quando ipsi dimittũtur.* Secundo, *pro divino officio lectionum, precum, & aliorum id genus, quod celebratur in Ecclesia ante dimissionem Catechumenorum.* Tertio, *pro illa parte Liturgiæ, quæ est ab Offertorio usque ad finem, quæ proprie dicitur Missa fidelium.* Quarto, *pro tota celebratione divini Officii, in quo Eucharistia consecrabatur, ut comprehendit simul Missam Catechumenorum & fidelium.* Et hanc significationem ait esse *communissimam.* Quinto, *pro ipsis Collectu seu precibus, quæ dicuntur Liturgia.* Addit, quarta significatione intelligi Missam in hac controversia. Ex eo sic concludimus: Apud quos retinetur celebratio divini Officii, in quo Eucharistia consecratur & dispensatur, apud illos retinetur Missa secundum communissimam significationem. Apud eos, qui Augustanæ Confess. sunt addicti, retinetur celebratio divini Officii, in quo Eucharistia consecratur & dispensatur. Ergo.

6. Inde in nonnullarum Ecclesiarum nostrarum Constitutionibus reperitur adhuc Missæ nomen. Sic in Constitutionibus Ecclesiasticis Brusvicensibus habetur titulus, Von der Meß oder Communion. Ibidem *de cultus divini officio*, in quo etiam Eucharistia administratur, sic habetur: Darnach/wenn die erste Predigt und Gesang geendiget/so sol zur Meß oder Communion geleutet/und sie angefangen werden. Et postea. Und damit fortan in allen Kirchen dieses Fürstenthumbs die Ceremonien in officio Missæ allenthalben christlich/ordentlich und einträchtiglich/so viel als immer müglich/geführet werden mögen/ so sol man erstlich einen Introitum de tempore &c. singen/ ubi partes reliquæ Missæ Christianæ recensentur, 1. Populi per Sacerdotem salutatio. 2. Preces pro impetranda gratia Spiritus Sancti. 3. Lectio vel Cantio Epistolæ, quam sequuntur sacræ cantiones. 4. Lectio vel cantio Evangelii. 5. Cantio Symboli Apostolici. 6. Concio. 7. Preces post concionem. 8. Confessio publica & absolutio. 9. Cantiones. 10. Exhortatio ad dignam præparationem dicta illis, qui S. Cœna usuri sunt. 11. Oratio Dominica. 12. Consecratio per verba Domini pronunciata in prima S. Cœna. 13. S. Eucharistiæ distributio, quæ dum fit, 14. Canuntur sacræ cantiones. 15. Post communionem aguntur Deo gratiæ, quam gratiarum actionem etiam Constitutio ista *Collectam* nominat. 16. Sacerdotali benedictione populus dimittitur. Et has partes omnes videas etiam in aliis Ecclesiis Aug. Conf. addictis. Easdem, si res ipsas consideres, & larvam multarum superstitiosarum Ceremoniarum detrahas, reperies in Ecclesia Papistica.

7. At, inquis, *Missa usitate significat ejusmodi officium, in quo verum sacrificium propitiatorium offertur.*

Resp. Eadem ratione negari posset, nos S. Cœnam retinuisse, quia S. Cœna apud Papistas usitata significatione notat ejusmodi actionem, in quâ communicantibus Laicis datur *una species panis*, cum tamen in nostris Ecclesiis ipsa substantia panis & vini, & in, cum & sub ea verum corpus & verus sanguis Domini distribuatur, sumatur, edatur, bibatur. Nec tamen Pontificii hodie nos accusant, nos S. Cœnam abrogasse. Pari ratione possent dicere, nos Baptismum abrogasse, quia per Baptismum apud Papistas intelligitur ejusmodi actio, in qua adhibetur *exsufflatio*, datur baptizandis gustandum *sal*, tanguntur *saliva* nares & aures, unguntur baptizandi *oleo* benedicto, baptizati unguntur *chrismate &c.* quæ apud nos non adhibentur. Distinguendum igitur inter id, quod essentiam rei constituit, & inter id, quod ad rei usum hic vel ibi accessit. Vera Missa est sacrum illud divini cultus officium, in quo Eucharistia consecratur & dispensatur, cui apud Papistas accessit opinio de sacrificio propitiatorio, quæ opinio nec rem, nec nomen Missæ apud nos tollere potest.

8. At, inquis, *Imperator ejusmodi Missam intellexit, in qua sit verũ sacrificium, Confessio autem nostra ex mente Imperatoris est recepta.*

Resp. Non potuit Cæs. Maj. arbitrari, Protestantes Missam ejusmodi, in qua proprie dictum sacrificium pro vivis & mortuis offerretur, retinuisse, quia diserte improbant ipsi *oblationem pro vivis & mortuis* in ipsa Confessione, eamque ad Missæ abusus referunt. Inde Theologi Pontificii, quibus Cæs. Maj. Confessionem censendam tradidit, id tanquam errorem notant. *Quod autem*, inquiunt, *insinuant, in Missa Christum non offerri, velut ab antiquo damnatum, & à fidelibus exclusum, omnino rejiciendum est &c.*

9. Verba Confessionis in edit. vernacula, quæ authentica est, sic habent: Dieweil die Messe nicht ein Opffer ist für die Lebendigen oder Todten/ihre Sünde wegzunehmen/sondern sol eine Communion seyn/ da der Priester und andere das Sacrament empfahen für sich/ so wird diese Weise bey uns gehalten/daß man an Feyertagen (auch sonst/ so Communicanten da sind) Messe helt/und etliche/so das begehren/communiciret. Also bleibt die Messe bey uns in ihrem rechten Brauch/ wie sie vorzeiten in der Kirchen gehalten / wie man beweisen mag aus S. Paulo (1. Cor. 11. v. 20. seqq.) darzu auch auß vieler Väter Schrifften 2c.

(Allegant deinde Chrysostomum homil. 13. in Epist. ad Eph. Canonem 18. al. 14. Concilii Niceni &c.

10. Hoc sensu sumtum esse à Protestantibus vocabulum *Missæ*, Autores Confutationis evidenter intellexerunt, quando dicunt, *errorem damnatum esse, quod negant Protestantes, Missam esse sacrificium*, quod quidem illi prolixe conantur evincere, nusquam tamen Electorem & Principes dicunt mentitos, quod Missam non abrogaverint.

13. Bellarminus ibidem (lib. 1. de Sacram c. 3.) mendacii accusat verba Augustanæ Confessionis art. 3. abusuum, *Veteres ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ Missæ. Si per Missam privatam* (inquit Bellarminus) *Confessio intelligat Missam, quæ dicatur nomine privato, aut quæ uni tantum prosit, mentitur, ejusmodi Missam cœpisse post Gregorii ætatem. Omnis enim Missa publica est, cum celebretur à Sacerdote, ut est publicus Minister, & pro communi & publica utilitate totius Ecclesiæ. Si vero per Missam privatam intelligat Missam, quæ ab uno Sacerdote dicatur sine distributione Eucharistiæ populo facta, mentitur, ejusmodi Missas non fuisse ante Gregorii tempora. Nam Augustinus lib. 22. de Civitate Dei c. 8. meminit Missæ privatæ, scribit enim, unum ex suis Presbyteris sacrificium corporis Domini obtulisse in domo rustica cujusdam nobilis viri, quæ vexabatur infestatione malignorum Spirituum, & continuo eam domum liberatam fuisse. Perrexit, inquit, unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deoq; protinus miserante cessavit. Hæc ille. Hic certe Augustinus, qui ducentis annis Gregorium præcessit, meminit Missæ dictæ ab uno, in loco privato, sine distributione Sacramenti populo facta, & quæ Deo gratissima fuerit, ut eventus probavit.*

Resp. 1. Ne nomen quidem privatæ Missæ Bellarminus tempore Augustini potuit reperire, proinde etiamsi forte alicubi extet, quod aliquo modo ad similitudinem privatæ Missæ detorqueri possit, nihilominus vera manet assertio Augustanæ Confessionis, quæ expresse de mentione privatæ Missæ loquitur, *Veteres*, inquit, *ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ Missæ*, & addit statim, *De communi Missa plurimum loquuntur.*

2. Nihil extitit tempore Augustini, quod vel simile fuerit privatæ Pontificiæ Missæ, & à piis nihilominus sit approbatum. Nam privatæ Missæ, quas in Pontificiis reprehendimus, dicuntur *non respectu loci*, cum, necessitate cogente, domi Sacramentum Cœnæ administratur, sed *respectu participantis*, cum solus Sacerdos se benedicti panis & vini participẽ reddit, nec aliis ea administrat, etiãsi vel toto populo præsente eadẽ ipse sumserit. Hanc esse mentẽ nostram Bellarm. satis intellexit, quare sic

formam

format suam orationem: *Si per privatam Missam intelligunt Missam, quæ ab uno Sacerdote dicatur, sine distributione Eucharistiæ à populo facta &c.* Has privatas Missas tempore Augustini nondum fuisse usitatas, indicio sunt Augustinus ipse & Ambrosius, qui oblationem sua ætate usitatam, commemorantes simul meminere *communicantium.* Augustinus quidem tract. 26. in Johan. *Hujus rei Sacramentum alibi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominico præparatur, & de mensa Dominica sumitur.* Ambrosius autem in 1. Tim. cap. 3. *Omni hebdomade offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomade.* In specie de Ecclesia Romana Augustinus testatur, *populum Romanum sua ætate unà communicare esse solitum,* Epist. 118. ad Januar. Idipsum fatetur etiam Hieronymus Apolog. adversus Jovinianum. Chrysostomus vero paulo ante in Ecclesia Græca quantopere ob infrequentiam communicantium stomachatus est? *Frustra habetur,* inquit Homil. 3. in cap. 1. Epist. ad Ephes. *oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet.* Et mox clarius. *Quisquis mysteriorum consors non est, imprudens & improbus astat.* ibid. inquit: *Si quis ad convivium vocatus, manus quidem laverit & accubuerit, & tamen nihil ciborum degustaverit, nonne contumeliam infert convivatori, à quo fuerat vocatus? an non satius fuerit, eum, qui talis est, prorsus non comparuisse?*

3. Quare non statuminantur Missæ privatæ exemplo illius Presbyteri, qui in domo cujusdam rustici obtulerit sacrificiũ corporis Christi. Unde enim probabitur, Missam celebratam fuisse *sine communione adstantium?* Nimirum, utcunque in privato loco celebratam fuisse Missam, (quod tamen non licuit, nec licet, nisi necessitate excusetur,) constet ex hoc Augustini textu, sine communione tamen eam celebratam fuisse non consequitur, quemadmodum consequentiæ istius vanitas manifesta est exemplo Gregorii Homil. 37. in Evangel. qui cum de Cassio quodam Episcopo Narniensi dixisset, *Missam fecit in Oratorio suo intra Palatium* statim addit, *suisq; manibus Dominicum corpus, pacemq; omnibus dedit.*

4. Agnoscit hoc Cassander, scribens de illo ipso loco Augustini, quem Bellarminus nobis objicit: *Hujusmodi autem Missas, quamvis privatim extra publicum conventum, & inter paucos fierent, non tamen prorsus fine omni synaxi & collecta fuisse credendum est.* In Consultat. pag. 258. & 259. Dn. Kleinius in orat. Jubil. pro asserenda August. Confess. veritate Bellarmini criminationibus opposita.

14. Calumniantur, *assertione necessaria communionis sub utraque specie damnari à nobis totam Ecclesiam, quæ fuit ante Lutheri tempora.*

Resp. Lutherus tom. 5. Jen. Germ. fol. 112. Daß sie anzeigen/ Ob wir denn die gantze Christenheit verdammen wollen/ die doch einer Gestalt als recht gebrauchet hat? sagen wir/ Erstlich/ man muß mehr ansehen Gottes Wort/ Befehl und Ordnung/ denn der Christenheit Werck/ Thun oder Lassen/ denn GOtt kan nicht liegen in seinem Wort/ aber die Christenheit kan fehlen und irren in ihrem Thun und Lassen. So ist nicht die Christenheit eine Regel und Maß vber GOttes Wort/ sondern GOttes Wort ist eine Regel und Maß vber die Christenheit/ und die Christenheit machet nicht GOttes Wort/ sondern Gottes Wort machet die Christenheit/ denn sie wird auß GOTT gebohren/ gemehret und erhalten 1. Petr. 2. 2c. Vnd im Fall/ so man ja eines solte verlassen oder verleugnen/ so müste man ehe die Christen/ denn GOttes Wort/ verleugnen/ sintemal die Christenheit als eine Creatur durch GOttes Wort geschaffen unter und geringer ist den Gottes Wort/ durch welches/ als einen Schöpffer sie geschaffen ist. Zum andern/ so wird die Christenheit dadurch nicht verdampt. Denn gleich wie das heilige Volck GOttes vorzeite für GOTT entschuldiget waren/ daß sie etliche Gebot GOttes und Ceremonien nicht hielten/ nemblich da sie zu Babylon gefangen oder anderswo auffgehalten und verhindert waren. darumb/ daß die unmeidentliche Noth und Zwang solches nicht zuließ/ ja auch Moses selbst saget Deut. 12. daß sie nicht thuen solten im Lande Canaan/ wie sie in den Wüsten theten/ auch die Beschneidung wohl bey viertzig Jahren in den Wüsten hatten lassen anstehen Jos. 5. Also wird auch GOTT die Christenheit wohl entschuldiget halten/ so bißher einerley Gestalt gebraucht / weil sie dasselbe aus Zwang und Noth haben thun müssen / als denen solcher Mißbrauch ohne ihren Willen durch die Geistlichen Tyrannen ist auffgedrungen/ daß sie es nicht besser haben wissen oder machen können/ und ist also nicht der Christenheit Schuld / sondern der Tyrannen und falschen Lehrer/ die mit solchem Frevel und Mißbrauch die Christenheit gefangen und unterdrückt/ und ohne Bewilligung oder Mittwissen der Christenheit solches angerichtet und mit Gewalt eingeführet haben. Zum dritten/ so ist die Christenheit darumb nicht verdampt / ob sie noch etliche Fähl oder Mißbräuche an sich hat/ oder wie S. Paulus sagt Eph. 5. Runtzeln und Flecken. Es ist gar weit ein ander Ding Sünde oder Irthumb haben und ein ander Ding verdampt seyn; Sünde hat die Kirche/ aber verdampt ist sie darumb nicht. S. Paulus der höchsten und heiligsten Glieder eines bekennet Rom. 7. daß er ein gefangner Diener sey der Sünden und doch unverdampt seyn wil Rom. 8. 2c.

15. Laurent. Förerus, im Uberschlag p. 108. & Dillingenses JCti in Compos. Pacis cap. 2. q. 13. cap. 6. q. 36. num. 47. nos accusant, *quod ab Aug Conf. secessionem fecerimus, propterea quod hodie repudiemus transsubstantiationem, quæ tamen in Aug. Conf. art. 10. voce speciei stabiliatur.*

Resp. 1. Confessores nõ loquuntur de speciebus panis & vini ipsa substantia prorsus vacuis, sed vocem illam adhibuerunt in sensu Scripturæ, quæ per illam intelligit speciem non cassam & inanem, sed substantia sua præditam, 1. Paral. 18. v. 17. Luc. 3. v. 22. Phil. 2. v. 7. & in sensu purioris Antiquitatis, quæ vocem speciei itidem de re substantiali usurpavit.

2. Status & Theologi Romano-Catholici facile animadverterunt, nostros vocem *speciei* non intellexisse de nudis & vacuis accidentibus panis & vini, sed de ipsis rebus & Elementis substantialibus conspicuis, quia in Judiciis suis approbarunt quidem in nostratibus, quod illi faterentur, *in Eucharistia post consecrationem corpus & sanguinem Christi vere & substantialiter adesse. sed* adjecerunt, *valde necessarium esse ut credant Ecclesiæ potius, quam nonnullis aliter docentibus, omnipotente verbo Dei in consecratione Eucharistiæ substantiam panis in corpus Christi mutari.* Ergo satis evidenter animadverterunt, nostrates phrasi illa, *sub specie panis & vini,* nequaquam exprimere transsubstantiationem, sed intelligere speciem, cui subest solida substantia.

Andreas Fabricius, Cochleus, Joh. à Daventria, Hoffmeisterus itidem desiderant hoc in art. 10. Aug. Conf. quod *transsubstantiationem non asseruit.*

3. Lutherus, cujus libri publice excusi jamtum extabant, & in Pontificiorum manibus versabantur, etiam ante exhibitam August. Conf. *transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi* publice rejecit, nempe Anno 1520. in libro de captiv. Babylon. & Anno 1522. in libro contra Henricum Angliæ Regem; & Anno 24. in libro contra cœlestes Prophetas; & Anno 28. in majore Confessione.

4. In Apologia Augustanæ Confessionis panis & vinum appellantur non nuda & vacua accidentia, sed *res, quæ videntur.* In Latino exemplari Aug. Conf. vox speciei non habetur, sed art. 10. simpliciter sic sonat: *De Cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi vere adsint & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.*

5. Bellarm. lib. 3. de Euch. cap. 21. sub finem, *divina providentia factum esse ait, ut Lutherani ad suam ipsorum sempiternam confusionem Augustanam Confessionem ad Patriarcham Constantinopolitanum miserint, qui in Censura ad art. 10. Confessionem rejecerit, quod Transsubstantiationem non admittat.*

16. Gulielmus Bailius Jesuita in Catechismo controversiarum q. 1. cum *Begardis & Beguinis* hæreticis nos conjungit, propterea *quod doceamus, idololatriam eos committere, qui sanctam Eucharistiam adorant.*

Resp. 1. Clementin. lib. 5. tit. 3. de hæreticis cap. Ad nostram &c. de *Begardis* memoratur, quod dixerint, *se non debere assurgere in elevatione corporis Christi, nec eidem reverentiam exhibere,* asserentes, *quod esset imperfectionis eisdem, si à puritate & altitudine sua contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis aliqua cogitarent.*

(Non ergo idololatriæ metu, sed superbiæ & præsumtionis vitio ducti renuebant assurgere, & ab altitudine suæ contemplationis descendere.)

2. Nos maximæ perfectioni ducimus Christum adorare, sed panẽ in corpus Christi transmutari & honore religiosæ adorationis colendum esse, negamus.

3. Pontificii potius sunt Begardorum errori affines, quippe de quibus d. l. habetur, *quod tenebant & asserebant, doctrina sua sacrilega & perversa hominem in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum posse acquirere, quod reddetur omnino impeccabilis.*

(At

(At Pontificii docent, hominem non solum posse legem Dei perfecte implere, sed etiam supra legem multa supererogare.)

2. Speciales.

1 Bellarm. lib. 1. de Euch. cap. 4. §. Nonus &c. accusat Lutherum, *quod sparserit semina erroris Sacramentarii.* Sed ab hoc crimine toties ipsimet Pontificii Lutherum liberant, quoties contra Sacramentarios vixdum natos ac notos ipsum acriter stylum strinxisse agnoscunt.

2. Laurentius Fórerus in Bello Ubiquet. p. 24. *Lutherus in Symposiacis tit. de Sacram. altaris rogatus, quid sentiret de communione cujusdam rustici, cui præbuit Minister hostiam, super quam verba institutionis prolata non fuerant, respondit, rusticum sua fide salvatum esse, cum crediderit, se verum Sacramentum accepisse, Dei verbo firmiter innixus. Igitur perspicuum est, ad necessitatem Sacramenti hujus non simpliciter requiri verborum istorum prolationem, nec per verba hæc Sacramentalem Christi præsentiam effici ex sententia Lutheranorum.*

Resp. legatur integra Historia in Colloquiis mensalibus f. 366. lit. a. ac liquido apparebit, luculentam à Forero inferri Luthero injuriam. Excusat quidem rusticum, qui hostiam non consecratam ex manu Diaconi inscius acceperat ac dicit, rusticum illum fide in Christum salvatum esse; interim tamen ad Sacramentum omnino requirit consecrationem & verborum Institutionis recitationem, adeo ut contrariam opinionem Cinglianismi accusare non dubitet. Inter cætera in responso ad Nicolaum Ambsdorffium perscripto ibidem sic loquitur: Es ist nicht eine Nachleßigkeit/ sondern eine Boßheit/ und zwar eine frevenliche des Capellans/ der aus Verachtung Gottes und der Menschen darff öffentlich die gesegneten und ungesegneten Hostien für ein Ding halten/ darumb verwerffe man ihn stracks aus unsern Kirchen/ und laß ihn ziehen zu seinen Zwinglianern und Sacramentirern. Und ist nicht noth/ daß man ihn gefenglich halte/ er hat sich gar von uns gewand und entfrembdet/ dem auch nicht zuglauben noch zutrawen ist / da er gleich einen Eyd thete. Aber der Bawer/ der die ungesegnete Hostien empfangen und genommen/ hat nicht gesündiget/ sein Glaube hat jhm geholffen/ als der da gegleubet hat / er habe das rechte Sacrament empfangen/ und hat sich auff GOttes Wort verlassen und gegründet. Nimirum manducatio & bibitio spiritualis, etiã sine Sacramentali manducatione & bibitione, ad salutem sufficit.

3. Guil. Bail. Jesuita in Catech. controv. q. 17. sic scribit: *Lutherus dicit, carnem Salvatoris in Cœna esse præsentem, sed unà adesse substantiam panis, &, ut ejus verbis utamur, Christum esse impanatum.*

Resp. nuspiam Lutherus hac loquendi formula utitur, sed docet, Christi corpus cum pane & in pane Eucharistico Sacramentaliter manducandum nobis exhiberi.

4. Bellarm. lib. 4. de Euch. cap. 20. *Inconstantiæ* Lutherum accusat, *quod in quæstione de communione sub utraq; specie sibi non constiterit, sed utramq; speciem modo necessariam, modo liberam esse scripserit.* Remittit etiam lectorem *ad Septicipitem Lutherum* Johannis Cochlæi cap. 23. & ad tabulam *Casparis Querhameri,* in qua notentur 36. *contradictiones* de hoc articulo. Eandem calumniam repetunt Pistorius, Vetterus, alii.

Resp. 1. Lutherus ipse præfat. tom. 1. oper. Latin. *scripta sua priora cum judicio & commiseratione legi* expetit.

2. In præfat artic. Schmalcald. tom. 6. Jen. f. 544. tom. 7. Jenens. fol. 247. contra illam Antilogias calumniam graviter se defendit.

5. Bellarm. lib. ejusd. cap. 17. ex Luthero probare conatur, quod docuerit, *effectum primarium Eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium, ac proinde non requiri ad dignam Eucharistiæ præparationem pœnitentiam & propositum non peccandi.*

Resp. Contrarium plus centies in Lutheri scriptis occurrit.

6. Pontificii plerique omnes hoc nomine Lutherum accusant, quod in serm. Latin. de digna præparatione cordis pro suscipiendo Eucharistiæ Sacramento tom. 1. Lat. Jenens. fol. 166. scripserit. *Optima dispositio non nisi ea, qua pessime es dispositus, & contra tunc pessime es dispositus, quando optime es dispositus.*

Alph. de Castro l. 6. adv. hæreses, verbo Eucharistia, hæresi, 10. Pazmannus lib. 3. Hodegi &c.

Resp. 1. Lutherus hæc opposita voluit securitati & confidentiæ carnali, qua hypocritæ existimant, se per orationes & jejunia satis dignos esse ad hanc sacram mensam, nec ulla amplius Dei misericordia indigere. Hi sane pessime sunt dispositi, dum sibi optime dispositi videntur, cum nemo gloriari possit, vel etiam debeat, se ad hoc tremendum convivium satis esse dispositum ac dignum.

2. Improbat igitur vanam illam fiduciam, quam hypocritæ *in suas dispositiones, præparationes, satisfactiones ac merita de congruo* collocant; & vicissim consolatur anxias & peccati sensu territas conscientias, quæ agnoscunt, se non satis digne dispositas accedere; negat remissionem peccatorum in perfectione nostræ contritionis, in plenaria enumeratione peccatorum, & in propriis satisfactionibus esse quærendam; improbat errorem Scholasticorum, *quod quædam peccata sint suâ Naturâ venialia, quæ inter alia remedia usu Cœnæ deleantur, pro mortalibus autem per propria opera ac passiones satisfaciendum esse.*

3. In hanc sententiam Lutherus ipse verba sua explicat, cum eis immediate subjicit: *Quod sic intelligitur, quod quando sentis te miserrimum & egenum gratiæ, jam eo ipso capax es gratiæ & idoneus maxime. Rursus plus quam mortem & infernum timeas, ne quando sic accedas, ut tibi dispositus videaris ac dignus; quasi allaturus Deo cor mundum, quod potius tibi fuerat quærendum & recipiendum. Stat firma Dei & insolubilis sententia, Non est opus Medico bene habentibus, sed male habentibus. Nam sicut non tunc, ita nec nunc Christus venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

7. Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 1. *Autor primus sententiæ Adversariorum,* (quod Sacramentum Eucharistiæ non sit res permanens, sed actio transiens) *fuit Martinus Bucerus, nam, scribit Johannes Cochlæus lib. 3. Miscellan. tract. 8. anno Domini MDXXXVI. 23. die Maji. persuasit Luthero Bucerus, corpus Domini non esse in Eucharistia, nisi dum sumitur, & proinde ipsam sumtionem proprie Sacramentum esse. Excogitavit hanc sententiam Bucerus, ut per eam conciliaret inter se Lutheranos & Zuinglianos &c.*

Resp. Lutherus in lib. de captiv. Babylon. & Philippus Melanchthon in Locis communibus ante Ann. 36. editis non obscure docuerant, quid de hac re sentirent. Falsum igitur est, quod à Bucero persuasi sic senserint.

3. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Thomas part. 3. q. 73. art. 4. *Dicitur Eucharistia, hoc est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna; vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia,*

Alphonsus à Castro lib. 6. adversus hæreses, verbo Eucharistia, hæresi. 8. *Vocatur Eucharistia, quod Latine dicitur bona gratia, indito ab effectu vocabulo, quod magnam gratiam sumentibus conferat.*

(Sed εὐχαριστία ex vi Græci nominis non significat *bonam gratiam,* sed *gratiarum actionem,* unde veteres aliam reddunt appellationis hujus rationem. Irenæus lib. 4. cap. 34. p. 263. *Panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed* εὐχαριστία *ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti.* Justinus Apol. 2. pro Christi. μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, It. τὴν δι' εὐχῆς εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν.)

2. Bellarminus lib. 1. de Euchar. cap. 11. resp. ad 5. *Sunt omnia accidentia panis & vini, quæ manducantur & comminuuntur sive franguntur per dentes.*

Harding. defens. Apol. p. 305. *Accidentia descendunt in ventrem, & nutriunt corpus,* (nimirum, *si in magna copia sumantur,* quod addit Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 23.)

3. Idem Bellarminus lib. 3. de Euchar. cap. 10. §. Alcuinus &c. adducit & probat dictum Alcuini: *Panis per se est irrationabilis, sed orat Sacerdos, ut ab omnipotente Deo consecratus rationabilis fiat transeundo in corpus Filii sui.*

4. Alex. Alensis p. 4. q. 25. membr. 1. *Si canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam, non video, quare corpus Domini non simul trajiceretur in ventrem canis vel porci?*

Contra vero Bonav. 4. sent. dist. 13. q. 1. *Quomodocunq; hæc opinio muniatur, nunquam tamen adeo munitur, quin piæ aures abhorreant hoc audire, quod in ventre muris, quamdiu ibi species subsistunt, sit corpus Christi.*

5. Glossa in c. 28. dist. 2. de consecrat. *corpus Christi evomi* asserit, *quando species Sacramentales evomuntur.*

6. Alphonsus Mendoza in quæst. Scholast. 4. p. 331. *Quod sacrum Eucharistiæ Sacramentum celebretur integrum atq; perfectum in pane & vino de jure divino Evangelico est, ut satis patet, nihilominus tamen ex magna & urgentissima causa, utputa in regione aliqua Septentrionali, ubi vinum nullo modo esse aut asportari posset, Papa dispensare posset, ut in solo pane fieret consecratio, ut ego credo, licet id non credant quidam alii.*

Contra Cajetanus in Thom. p. 3. q. 80. art. 12. q. 1. *Sacrilegus est Sacerdos consecrando panem & non vinum.*

7. Poggius

7. Poggius Florentinus Secretarius Apostolicus in Facetiis. *Episcopus Hispanus iter faciens die Veneris ad hospitium divertit misso que servo, qui pisces emeret, non reperiri eos venales, sed duas perdices patrono retulit. Ille eas emi & simul coqui ac in mensam ferri jussit. Admiratus servus, qui eas emtas pro die Dominico crederet, quæsivit ab Episcopo num eas esset esurus, cum tali die carnes essent prohibitæ? tum pro piscibus, inquit, utar. Multo id magis admiranti responsum, an nescis, ait, me Sacerdotem esse? Quid est majus ex pane corpus Christi facere, an ex perdicibus pisces? factoque crucis signo, cum eas in pisces verti imperasset, pro piscibus eis usus est.*

8. Eccius dixit, *Laicos ideo debere contentos esse una specie, quia dentes equi donati non sint inspiciendi.*

9. Bellarminus lib. 3. de Eucharist. cap. 8. §. Quintum &c. ex Surio tom. 3. & Antonino in Summa Historiali p. 3. tit. 24. c. 3. §. 2. tale commemorat miraculum ad stabiliendam ἀρτολατρείαν excogitatum. *Disputante Antonio de Padua de veritate corporis Domini in Eucharistia cum hæretico quodam in partibus Tolosanis &c. petiit hæreticus ab Antonio, quem noverat dono miraculorum praditum esse, ejusmodi signum. Habeo, inquit, jumentum, cui per integrum triduum cibum non dabo. Exacto triduo adsis tu cum Sacramento, ego adero cum jumento, atque ante illud hordeum effundam; si jumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem accesserit, credam. Factum est, ut ille voluit, & triduo exacto S. Antonius turbis fidelium comitatus, & venerabile Sacramentum manu tenens, sic ad jumentum locutus est, In virtute & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo, tibi dico animal & præcipuo, ut confestim venias humiliter modo tuo, & ei reverentiam exhibeas, ut ex hoc cognoscat hæretica pravitas, quod omnis creatura suo subditur creatori, quem Sacerdotalis dignitas jugiter tractat in altari. His verbis prolatis jumentum hordei ante se effusi & famis oblitum, ad sanctum accurrit, & capite inclinato, ac genibus curvatis eo modo, quo potuit, Dominum adoravit & hæreticum confutavit.*

10. Idem Bell. lib. 4. de Euch. cap. 29. sic scribit: *Adorationem etiam pertinere ad symbola externa panis & vini, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum ipso Christo, quem continent; quemadmodum qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant &c.*

(Si hæc comparatio debet habere locum, procedat oportet ex hac hypothesi, quod panis unitus sit corpori Christi eo modo, quo vestes in diebus carnis ipsi erant unitæ. At hac similitudine etiam humanæ Naturæ unionem cum divina in persona Christi declarat lib. 3. de Christo cap. 15. *Ad declarandum, inquit, unionis personalis mysterium apposita est similitudo de purpura Regis. Cum enim Rex induit purpuram & sedet in solio suo, erebit purpuram ad illud solium, non sic ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis &c.* Ecquis v. comparationes hasce recto talo consistere judicabit, cum unio humanæ & divinæ Naturæ in Christo sit personalis, unio panis & corporis in Eucharistia Sacramentalis, unio purpuræ & Regis merè extrinseca & accidentalis?)

11. Anglo-Rhemenses in annot. Hebr. 7. sect. 8. statuunt, quod *omnis sacrificulus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, & quod *proprius actus Sacerdotii Christi consistat in perpetua oblatione corporis & sanguinis in Eucharistia.*

12. Heskius lib. 1. cap. 13. statuit, quod *sacrificium Christi in cruce oblatum non fuerit secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem Aaronis.*

(Contrarium ex professo docet Epistola ad Hebræos.)

13. Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 4. *Sacrificium crucis non justificat efficienter.*

(At hac ratione mors Christi non erit causa efficiens meritoria nostræ justificationis, cujus contrarium docet Apostolus, Col. 1. v. 21.)

14. Idem Bellarminus lib. ejusd. c. 5. *Sacrificium crucis non continuo habuit suum effectum.*

(At posita causa in actu & non impedita sequitur effectus, qui etiam sacrificium illud propitiatorium statim fuit insecutus.)

15. Vega de missa th. 41. *Oblatio in cruce facta temporaria non esset Christi æternum Sacerdotium, sed fuisset in cruce extinctum &c. si non aliud permanens Sacrificium foret in Ecclesia.*

16. Johannes Schlotanus Inquisitor hæreticæ pravit. lib. de retinenda fide Catholica contra fidem Lutheran. Colon. Ann. 1558. f. 185. *Porro mirum valde, adversarios hanc mutationem vel conversionem, quam Ecclesia Catholica transsubstantiationem appellat, nolle credere, cum Diabolus, eorum Pater, eam possibilem crediderit, quando dixit ad Christum: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Si enim non credidisset id posse fieri, nimirum ut substantia lapidis mutaretur in substantiam panis, & hoc à Filio Dei, frustra illi hoc proposuisset: Ecce Dæmones credunt & contremiscunt, & hoc, quod Diabolus credidit, Adversarii credere recusant.*

(Hunc Schlotanum Possevinus in Apparatu vocat *scriptorem elegantem.*)

17. Bellarmin. lib. 4. de Euch. cap. 24. disputat, *Christum in dispensatione Eucharistiæ ideo ad Apostolos dixisse, Bibite ex hoc omnes, ut intelligeret primus, non totum sibi exhauriendum, sed tantum relinquendum quod omnibus sufficeret.*

(At num adeo vinosos judicabimus fuisse Apostolos, ut peculiari mandato cavendum fuerit, ne unus calicem exhauriret, qui duodecim personis sufficere poterat?)

18. Idem Bellarm. lib. ejusd. cap. 23. *Magis lucratur, qui, ut Ecclesiæ obadiat, communicat sub una, quam qui sub duabus sine illo ingenti obedientiæ fructu.*

Congruit id cum eo, quod Ziglerus olim contra Waldenses scripsit, *Nos unam tantum speciem sub obedientia Romanæ Ecclesiæ manducamus, certi, quia per hoc obsequium fidei vivemus in æternum.*

20. Jacobus de Vitriaco scripsit, per *rationem transsubstantiationis creaturam pistoris in Deum creatorem transmutari & adorari pro Deo, referente* Nicolao Vignerio in Hist. Eccles. sub. fin. Ann. 1215.

21. Biel lect. 4. in Can. Miss. *Virgo Maria, etsi in gratiæ plenitudine creaturas supergradiatur universas, Hierarchis tamen ecclesiæ Ecclesiæ in commissi mysterii executione. Illa nempe prolatis octo verbulis, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, semel concepit Dei Filium & mundi Redemtorem. Isti à Domino consecrati quinque verbis contextam consecrationis formam cum debita intentione proferentes, eundem Dei Virginisque Filium invocant quotidiè corporaliter in sacrificium & criminum purgationem.*

(Confer dicta superius in prima Appendicis hujus parte.)

22. Concilium Wormaciense cap. 15. *Sæpe contingit, ut in Monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committant ignorentur, idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, Missa ab Abbate celebretur &c. & sic in ultima celebratione Missæ pro expurgatione sua corpus & sanguinem Domini nostri J. C. percipiant, quatenus ita inde se innocentes ostendant*, quæ verba Concilii repetuntur in jure Canonico c. Sæpe contingit 23. cap. 2. q. 3. Eadem Synodus cap. 10 *Episcopos aut Presbyteros de cæde aut adulterio, aut furto aut alio maleficio accusatos jubet sese purgare Missæ celebratione, & communione*; cujus canonis verba itidem in Jus Canonicum sunt relata c. Si Episcopo 26. caus. 2. q. 3. *Si Episcopo aut Presbytero causa criminalis, hoc est, homicidium, adulterium, furtum & maleficium imputatum fuerit, pro singulis Missam celebrare debet, & communicare, & de singulis sibi imputatis se innocentem ostendere.*

Sigebertus in Chron. Ann. 870. *Lotharius Rex Romam ad Adrianum Papam se excusatum venit, à quo dum pro comprobatione innocentiæ suæ ad examinationem corporis & sanguinis Domini tam ipse quam optimates regni invitantur &c.*

Continuator Reginonis Ann. 908. *Fridericus Archiepiscopus Moguntinus coram tota Ecclesia Moguntiæ perceptione sacrosancti corporis Domini se purgat, quod partibus Imperatoris minimè favere incusaretur.*

Crantzius lib. 4. Saxon. cap. 43. Lambertus Schaffneburgensis Ann. 1050. *In Synodo Moguntina Sybico Episcopus Spirensis, cui adulterii crimen importabatur, examinatione sacrificii purgatus est.*

Idem Schaffneburgensis de Gregorio VII. qui per Simoniam Papatum adeptus dicebatur, refert, eum esse itidem hoc modo purgatum. *Ecce, inquit, corpus Dominicum, quod sumturus ero, in experimentum mihi hodiè fiat innocentia meæ ut omnipotens Deus suo me hodiè judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum; vel subitanea interimat morte, si reus.*

Idem de eo memorat Johannes Stumpffius lib. 2. cap. 24. Confer. Zuingerum in Theatr. vol. 1. lib. 2. pag. 183. vol. 5. lib. 4. pag. 1355. &c.

(Hunc purgationis modum improbat Thomas p. 3. q. 80. art. 6. & ipse Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 8. Bartholomæus Caranza in summa Conciliorum p. 388. *Canonem illum Concilii Wormaciensis abrogatum esse* scribit.)

23. Biel lect. 26. in Can. Miss. *Quidam ex ordine sex casuum Grammaticalis declinationis nominum quasi magis celebranti noto ordinem memorandorum tradiderunt, ita ut à Nominativo Missa, hoc est, à seipso Sacerdos, à quo ordinata caritas incipit, vivorum memoriam exordiatur. Secundo Genitivo Missæ, id est progenitorum parentum ac propinquorum carnalium & spiritualium subdat memoriam. Dativo, fundatorum. Accusativo, inimicorum & adversariorum; Vocativo, peccatorum & infidelium; Ablativo detractorum & maledicorũ.*

24. Becanus in Disp. de Comm. sub utraque specie cap. 1. statuit, *Christum bis instituisse Eucharistiam, primum Hierosolymis ante suam passionem sub utraq; specie pro Apostolis, & deinde Emaus post resurrectionem sub una tantum specie pro Laicis.*

Contra. 1. Christus nullum Sacramentum instituit *in statu gloriæ*, sed utrumque *ante suam mortem.*

2. De sacra Cœna in specie, cujus institutionem tradit Apostolus Paulus Corinthiis, qui utique fuerunt Laici, scribit, *quod Dominus Jesus eã instituerit ea nocte, qua traditus est* 1. Cor. 11. v. 24.

3. Luc. 24. nulla fit mentio corporis & sanguinis Christi, neque mandatum habetur vel de sumtione, vel de commemoratione mortis Christi, neque promissio de remissione peccatorum ritè utentibus facta.

25. Suarez de Sacramentis Disput 58. enumeratis variis de benedictione, gratiarum actione, & consecratione sententiis, quartam sibi valdè probabilem esse asserit, videlicet *benedictionem, gratiarum actionem & consecrationem omnes distingui.*

Resp. 1. Suarez ipse monet, *multos statuere benedictionem, gratiarum actionem & consecrationem omnes idem esse.* In quorum classem refert Thomam, Durandum, Marsilium, Gabrielem, Bessarionem, Hugonem, Remigium, Brunum, Lyranum. Quosdam vero statuere, *gratiarum actionem & benedictionem non distingui inter se, sed à consecratione.* In hac sententia esse Bonaventuram, Soto, Armacanum, Bedam, Glossam ordinariam, Cajetanum, Titelmannum, Jansenium.

2. Gratiarum actionem & benedictionem pro eodem sumi, adeoque εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν in verbis Institutionis non differre, statuunt multi ex recentioribus.

Salmero tom. 9. tract. 12. *Et benedixit. Græcè autem legitur εὐχαριστήσας, id est, cum gratias egisset, quo verbo Lucas & Paulus utuntur. Marcus vero & Lucas in fine Evangelii, cum de benedictione panis loquuntur, alio verbo utuntur, nempe εὐλογήσας, quod est, cum benedixisset, atque ita hæc duo verba unum & idem valent, quod etiam alia ratione ostenditur, quia, cum alibi apud Matthæum Dominus dicatur benedixisse quinque panibus & duobus piscibus; Johannes tamen ait, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, ubi Cyrillus admonet, idem esse benedicere, quod gratias agere. Item, in priori ad Corinthios dicitur calix benedictionis, cui benedicimus, id est, cui benedicendo Sacerdotes consecrant in altari, ut exponit B. Remigius ibidem. Et tamen idem Paulus, cum dixisset de pane, Accepit panem & gratias agens, fregit, confestim subjungit: Similiter & calicem, postquam cœnasset, scilicet gratias egit: nam id significat verbum illud Similiter. Sunt ergo illa duo verba, benedicendi & gratias agendi, unum. Unde & Ecclesia Latina pro eodem accipiens has voces, illas simul conjunxit.*

Stapletonus in Antidot. Matth. 26. *Sciendum est, hæc duo verba, benedicere & gratias agere, in Scripturis Evangelicis promiscuè, & unum pro altero, quasi indifferenter accipi, quod non solum ex verbis hujus mysterii, jam citatis, patet, sed ex una sententia Pauli, prioris ad Corinthios decimo quarto.*

Maldonatus ibid. *De verbo quidem εὐλογεῖν, benedicere, quo & Matthæus hoc loco & Marcus de pane loquens, usus est, non dubium, quin apud Evangelistas idem sit, quod εὐχαριστεῖν quod propriè significat gratias agere Nam quod hoc loco Matthæus & Marcus dicunt, εὐλογήσας, post de calice loquentes, dicunt, εὐχαριστήσας, cum gratias egisset; & quod Matthæus & Marcus loquentes de pane dicunt εὐλογήσας, Lucas & D. Paulus dicunt εὐχαριστήσας; & quod Matthæus de septem panibus & duobus piscibus scribens, dicit, εὐχαριστήσας, Marcus de panibus dicit εὐχαριστήσας, de piscibus, εὐλογήσας; & quod Matthæus & Marcus & Lucas de quinq; panibus dicunt εὐλόγησε, Johannes dicit εὐχαριστήσας; & Divus Paulus idem vocat εὐλογίαν & εὐχαριστίαν. Si, inquit, benedixeris Spiritu, ἐὰν εὐλογήσῃς πνεύματι, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit Amen super tuam benedictionem, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ.*

Titelmannus eodem modo. *Tenens manibus, primum benedixit, id est, gratias egit Patri cœlesti, tum pro illo, quem tenebat manibus, pane corporali, maximè vero pro illa legalium consummatione.* Confer dicta superius de Missa cap. 1.

26. *Fractionem hostiæ consecratæ in tres partes* in administratione Eucharistiæ *necessariam* esse statuunt, ejusque varias ac diversas causas afferunt.

Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 27. *Fractio Sacramenti ad essentiam non pertinet, sed solum ad integritatem.*

c. Triforme. de Consecrat. dist. 2. ex Sergio Papa. *Triforme est corpus Domini, Pars oblata in calicem missa, corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat. Pars comesta ambulans adhuc super terram. Pars in altari usque ad Missæ finem remanens corpus in sepulchro, quia usque ad finem seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt.*

(Quo loco Glossa admonet aliquid fuisse mutatum. *Hodie,* inquit, *non servatur, sed duæ partes siccæ comeduntur.* Ut & Durandus de Ritib. lib. 2. c. 51. *Ritum illum, tertiam partem hostiæ reservandi usque ad finem Missæ, immutavit Ecclesia propter pericula, quæ contingere possent reservatione illius particulæ, quare partes omnes à Sacerdote sumuntur.*)

Innocentius lib. 6. Myst. Miss. cap. 3. tres illas hostiæ fractæ partes refert *ad membra Universalis Ecclesiæ. Nam prima caput, ipsum Christum: altera, quorum corpora in tumulis, animæ cum Christo; tertia, qui in passionibus adhuc, donec ab hac vita migrantes, eant ad caput suum.*

Bonaventura 4. sent. dist. 12. part. 1. artic. 3. *Quia partes in corpore Christi mystico sunt in triplici differentia, quidam enim regnant in Paradiso, quidam sunt in sepulchro, quidam autẽ pugnant in merito.*

Johannes Faber Missæ Evangel. lib 3 cap. 8. designari voluit *omnes, qui participes vel fuere, vel futuri sunt passionis Domini. Primum, qui hic vitam degunt in fide, justitia & Sacramentorum communione; deinde, qui cum signo fidei decesserint, quiescuntq; in somno pacis, nondum tamen purgatis peccatis, denique, qui admissi in hereditatem cœlestem.*

Scortia lib. 4. de Sacrificio cap. 24. *Significat hæc divisio in tres partes, tum divisionem corporis Christi in passione; (est enim vulneratus in manibus, pedibus & latere) tum tres in Christo substantias, divinitatem, animam & corpus; tum ejusdem triplicem statum, cum aliquando fuerit mortalis, aliquando mortuus, & nunc sit immortalis.*

Idem tamen Joh. Bapt. Scortia d. l. docet, *hujusmodi partitionẽ non esse censendam de substantia sacrificii, sed omnino accidentalem.*

Cumprimis vero in excogitandis allegoricis fractionis in tres partes causis fertilis est Durandus lib. 4. Rational. divin. officiorum cap. 51. num. 20. sic disserens: *Quare fiunt tres partes? dicendum est, hoc fieri primo in memoriam Trinitatis. Secundo, in memoriam triplicis status Christi, primus fuit, in hominibus manens, secundus fuit, mortuus in sepulchro jacens, tertius est, immortalis in cœlo existens. Tertiò vero in memoriam & signum, quod Christus passus fuit in triplice parte sui, id est, in pedibus, in manibus & in latere. Quarto in signum, quod tres sunt partes mystici corporis, prima est in cœlo, sive in patria, scilicet Ecclesia triumphans: secunda est in terra, scilicet Ecclesia militans: tertia est in purgatorio & hæc dicitur purgans. Quinto, in typum trium personarum euntium in Emaus, scilicet Christi & Cleophæ, & ut quidam volunt, Lucæ.*

27. Fractionis causam statuunt *repræsentationẽ passionis Christi.*

Thomas part. 3. q. 83. art. 5. ad 7. *Fractio hostiæ significat ipsam divisionem corporis, quæ facta est in passione.*

Hardingus contra Iuellum artic. 11. *Frangitur hostia, ut eo modo Christi passio nostris memoriis repræsentetur, in qua ejus preciosum corpus in crucem suffixum, propter peccata nostra frangebatur, dirumpebatur, lacerabatur.*

(Atqui officium panis Eucharistici non est significare, præfigurare & adumbrare, sed, docente Apostolo 1. Cor. 10. v. 16. esse κοινωνίαν, medium atque organum exhibendi ac distribuendi corporis Christi. Ergo etiam fractionis finis est non repræsentare crucifixionem Christi, sed inservire distributioni corporis Christi, quod pro nobis in ara crucis in mortẽ traditum.)

28. *Eucharistiam communicantibus in manus dare* nefas statuunt, secuti Canonem 2. Concilii Rotomagensis. *Nulli Laico, aut fœminæ Eucharistia in manus ponenda, sed tantum in os ejus.*

Maldonatus in cap. 26. Matth. *Meliore consilio postea Ecclesia non in manus, sed in os Sacramentum dare cœpit, quod id & minus periculi, & multo plus haberet reverentiæ.*

Atqui statuunt quidam ex ipsis Pontificiis, 1. Christum in prima Eucharistiæ institutione & administratione discipulis in manus dedisse Eucharistiam.

Maldonatus in cap. 26. Matthæi. *In manus, an in os dederit, non constat, sed conjectura non levis est in manus dedisse, primum, quod dicat, Accipite, quod ad manus potius, quam ad os pertinere solet: deinde quia calicem in manus dedisse probabimus, & credibile est, eodem modo dedisse corpus: denique, quia si in dividendo pane veteris Judæorum consuetudinis rationem aliquam habuit, non est verosimile, Judæos divisum panem in os ingerere consuevisse.*

Cornelius Jansenius in cap. 131. Concord. Evang. *Quarto, discipulis dedisse dicitur, & dixisse illis, Accipite, & comedite. Quod non sic videtur accipiendum, quasi singulis sua manu Dominus porrexerit in os eam partem, quam erat sumturus, quemadmodum Sacerdos singulis fidelibus in os porrigit Eucharistiam, sed potius, quod, fracto pane in duodecim buccellas, singulis in manus dederit partem à se sumendam, aut partibus in patena depositis, patenam tradiderit propinquioribus, à quibus successivè sequentes acceperint.*

Salmero-

Salmero tract. 12. tom. 9. *Apostoli primum manibus suis panem sanctum acceperunt, & manducaverunt.*

Johannes Baptista Scortia de Sacrificio Missæ lib. 4. c. 11. art. 10. *Sed illud etiam hoc loco quæres, an discipuli suis manibus acceperint, & sibi ipsis ministraverint traditum à Domino Sacramentum: an solum à Christo sumserint, ut communis Ecclesiæ usus nunc observat? Et quidem Stephanus Heduensis existimat, Dominum, qui venit ministrare, & non ministrari, manu sua ad os discipulorum porrexisse, quod consecraverat, & manducare præcepisse, sicut modo Ecclesiæ consuetudo servat. Mihi tamen non videtur id omnino certum, imo oppositum videtur probabilius: tum quod discipulis in manus datus sit calix, ut dividerent inter se, quare & idem de corpore dicendum est: tum quia accipiendi verbum, quo Christus usus est, cum dixit, Accipite, comedite, ad manus potius, quam ad os refertur: tum quia in Ecclesia fuit antiquitus consuetudo, ut Eucharistia in manus sumentium daretur, quasi exprimeretur Christi Domini factum in distributione ultimæ Cœnæ: tum quia discipuli non moti sunt loco, ut ex contextu Evangelii colligere licet: non apparet, quomodo à Christo Domino singulis in ore dari potuerit Sacramentum sui corporis pluribus à Christo longe distantibus.*

2. Hanc consuetudinē sumendi diu fuisse in Ecclesia retentā.

Maldonatus d. l. *Longo tempore etiam in Ecclesia usitatum fuit, ut sacrum Christi corpus in manus fidelium traderetur.*

Scortia d. l. *In Ecclesia fuit antiquitus consuetudo, ut Eucharistia in manus sumentium daretur.*

Durandus Tholosanus de Ritib. lib. 4. cap. 55. artic. 17. *Communicaturus ad exceptionem sanctæ Eucharistiæ manus porrigebat.*

Binnius annot. 1. in 14. Canonem Concilii Toletani primi. *Antiquus Ecclesiæ mos fuit, dari fidelibus Eucharistiam in manus.*

Pamelius in annot. ad Cyprian. sermon. de lapsis: *Bis terve supra, & rursum infra hoc eodem libro, ac de bono patientiæ, & supra Epistola ad Tibaritanos, satis superq; indicat suo tempore fuisse id observatum ut in manus traderetur corpus Domini.*

29. Latomus adversus Bucerum. *Cum rudis adhuc esset prima Ecclesia, tum acceptum à Christo morem religiose tenuit, donec docta à Patribus intellexit, utramque speciem convenire Sacerdotibus, Laicos solo pane contentos esse posse.*

(Ergone per integra duodecim secula Ecclesia fuit rudis, donec tandem seculo decimo tertio rectius sapere inciperet?)

30 Salmero tom. 9. tract. 20. *Verbi substantivi ingenium & Natura est, ut quoties res diversarum Naturarum, quæ Latinis dicuntur disparata, unit & copulat, ibi necessario ad figuram & tropum recurramus.*

Paulo post. *Cogeremur ad tropum confugere, si dixisset, Hic panis est corpus meum: hoc vinum est sanguis meus, quia esset prædicatio disparatorum.*

(Cupidissimè hoc arripient Calviniani, & quia multi ex Pontificiis propositionem Eucharisticam sic resolvunt: *Hic panis est corpus meum*, ex eo inferent, *verba Christi esse figurate accipienda.*)

31: Cajetanus in part. 3. quæst. 75. art. 1. *Non apparet ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè. Ex subjectis siquidem verbis à Domino, scilicet, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum; non potest concludi evidenter, præmissa verba esse intelligenda propriè, quoniam ly quod, non refert conjunctionem prædicati cum subjecto, sed refert prædicatum, scilicet corpus meum, cum cujus veritate stat, præjacentem esse veram solum in sensu metaphorico, ut patet in exemplo. Petra erat Christus. Si enim adjunxisset Apostolus, qui crucifixus est, resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, nihilominus præjacens illa propositio, Petra autem erat Christus, non proprie, sed metaphoricè intelligenda esset. Et similiter in proposito, verbis Domini, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, non arctatur prima propositio ad sensum proprium, sed esset etiam vera, si in solo metaphorico sensu esset prolata.*

Contra Maldonatus in cap. 26. Matth. *In corpore qui nullam non videt esse figuram, haud scio, an ullos mentis oculos habeat. Si enim in corpore figura est, non accipitur pro vero corpore Christi. At pro vero corpore Christi accipi ex adjunctis manifestum est.*

32. Bartholomæus Fumus Villalaurent. in aurea armilla pag. 614. num. 34. *Missa boni Sacerdotis, orantis etiam in persona Ecclesiæ, ut ejus instrumentum, plus valet, quàm mali ad impetrandam gratiam; quanto enim melius est instrumentum, tanto opus melius efficitur.*

(At quomodo oblatio boni Sacerdotis potest esse melior, quam mali, cum utraque sit corporis & sanguinis Christi? num instrumentum addit aut detrahit aliquid Christo?)

33. Alphonsus Salmero tom. 6. Comment. in Hist. Evang. tract. 28. pag. 21. *Sacerdotium Christi perfectum debuit auferre vetus imperfectum. Ergo, si non est aliud, quam illud Christi in cruce; quod cessante cruce, cessavit, vetus igitur Sacerdotium & proinde lex nondum desiit.*

(At hoc injurium est in sacrificium crucis. Nullum memoriale repræsentativum dicitur id tollere, quod prototypus ipse & repræsentatum non sustulit. Jam vero ex hypothesi Salmeronis prototypus & repræsentatum, crux scilicet ejusque sacrificium non potuit tollere sacrificium vetus. Ergo multo minus Missa, quæ memoriale & repræsentatio est crucis sacrificii, poterit illud tollere, aut typus fortior erit antitypo, Missaticum sacrificium validius, quam sacrificium crucis.)

34. Innocentius III. *Norvvegis usum alterius liquoris in Eucharistia pro vino permisit, cum vinum in locis illis non proveniat, nec diu conservari possit*, referente Volaterrano lib. 7. Geograph.

At hoc pugnat cum Christi institutione.

Richardus de Mediavilla Ordinis Francisci in lib. 4. sent. dist. 11. art. 2. quæst. 1. *Hoc Sacramentum non potest de alia materia confici, quam de pane & vino, quia Christus hoc Sacramentum de tali materia confecit & conficiendum instituit, quæ fuit congrua & propter Sacramenti celebrationem & significationem. Hoc enim Sacramentum debet celebrari valdè mundè, & ideo congruum est ipsum celebrari in pane & vino, quæ mundius possunt tractari, quam caro & sanguis animalium, vel aliæ convenientes ad usum humanum materiæ. In hoc etiam Sacramento significantur quinque, scilicet res contenta, hoc est, corpus Christi verum, & res non contenta, scilicet significata per corpus Christi verum, scilicet corpus Christi mysticum, & passio Christi, & suscipientis hoc Sacramentum spiritualis refectio & salus corporis & animæ. Panis autem & vinum ratione suæ constitutionis convenientissimè repræsentant hæc omnia.*

Ad argumentum Innocentii respondet Thomas part. 3. quæst. 79. artic. 1. *Dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti, nec propter defectum alterius est unum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum.*

35. Guilielmus Durandus Mimatensis Episcopus in Ration. divin. offic. lib. 4. cap. 42. pag. 315. inter undecim miracula in corporis Christi Sacramento contingentia etiam illud recenset, *quod sumtum à Sacerdote & quolibet alio ore clauso, in cœlum corpus Christi rapiatur, sicut ex utero virginis Mariæ, & sepulchri monumento & per januam, clausis licet singulis, ivit.*

Idem dubio procul insinuat Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. ultimo sic scribens: *Beneficio sacræ Eucharistiæ brevi tempore inter nos Dominum habemus.*

(Quanto rectius pii veteres, Irenæus lib. 4. cap. 34. pag. 263: *Quomodo dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?*

Hilarius lib. 8. de Trinit. *Hæc sumta & hausta faciunt, ut nos in Christo & Christus in nobis maneat.*

Cyrillus Alexandr. lib. 6. in Johan. cap. 17. *Perinde ac si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiscet: ita necesse est, si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso conjungi, ut Christus in eo, & ipse in Christo inveniatur.*)

36. Guilielmus Altisiodorensis Professor Parisiensis lib. 4. sent. cap. 410. sic scribit: *Etsi in Sacramento Eucharistiæ nulla debet esse simulatio, tamen in casu aliquo necesse est fieri simulationem, sicut cum Sacerdos per negligentiam suam non habet hostiam consecratam, & aliquis petit Eucharistiam, & si non detur ei, valdè scandalizabitur, tum ad vitandum scandalum debet Sacerdos ei dare simplicē hostiam.*

Hanc fraudem cum Hugone de S. Victore committere voluerunt, de quo sic scribit Guilielmus Durandus d. l. *Cum Hugo de S. Victore Doctor excellentissimus ultima infirmitate laboraret, corpus Domini instanter petiit sibi dari, cumq; nullum cibum retinere posset, fratres ejus turbationem timentes, simplicem sibi hostiam attulerunt, quod ille per Spiritum agnoscens ait; Misereatur vestri Deus, fratres, cur me deludere vultis? ille enim, quem portatis, Dominus meus non est.*

(At hæc evitatio scandali, quam suadet Altisiodorensis, conjuncta est cum crimine sacrilegii.)

37. Jovianus Pontanus in Hist. Neapolit. lib. 5. pag. 584. & ex eo Johannes Bodinus lib. 2. Dæmonom. cap. 8. pag. 216. memorant, *Gallis Suessæ in regno Neapolitano ab Hispano obsessis, cum siccitate æstuq; fervrent omnia, & penuria aquæ dulcis Galli in summo discrimine essent, aliquot Sacerdotes Magos crucifixum nocte per vicos traxisse, innumeris conviciis & blasphemiis proscidisse, atque in mare projecisse. Deinde consecratā hostiam asino tradidisse, eumq; vivū ad templi portam inhumasse; tum post aliquot carmina & detestandas blasphemias imbrem vehementissimum diluvioq; pene similem accidisse; itaque obsidionem ab Hispano solutam fuisse, & vulgo fuisse dictum;*

Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

Valerius Polydorus Patavinus Minorita Theologiæ Doctor in Practica Exorcistarum edit. Patav. Ann. 1587. scribit: *Divina non desinunt remedia, adjumentaq; humana pro Dæmonibus incubis & succubis pellendis, quæ ad novem principalia reducuntur; Primum est Confessio. Secundum est sacratissima Eucharistiæ communio diebus saltem Dominicis, vel etiam cujusq; festivitatis celebrata. Tertium, oratio. Quartum, conjuratio. Quintum, vexatio personæ benedictæ. Sextum, excommunicatio & maledictio in Spiritum lata. Septimum, locorum permutatio. Octavum, radicum Tussilaginis in pulverem contritarum ad duas drachmas in vino sumtio. Nonò, quindecim granorum nigrorum Pæoniæ fæminæ pulverisatorum in vino potio.*

(At hæc est horrenda sanctissimæ Eucharistiæ profanatio, si ad exorcismos nullo divinæ Scripturæ testimonio comprobatos adhibeatur, ac cum tussilaginis radicibus & pæoniæ granis ad pharmacum Exorcisticum admisceatur.)

38. Zacharias ViceComes Ordinis SS. Barnabæ & Ambrosii ad nemus Mediolanense in Complemento artis Exorcisticæ, quod Francisco Sfortiæ Cardinali Ann. 1600. inscripsit Mantuæ, part. 1. pag. 791. inquit: *Mihi accidit, dum in Ecclesia majori Dæmonem conjurarem, qui mulierem quandam, Isabellam nomine, affligebat, præsente Reverendissimo Domino Joh. Baptista de Benedictis Ophydami Civitatis Episcopo, astante simul Clero & populo: In fine conjurationis ego præcipiens Dæmoni in nomine Jesu, ut in ungulam mortiferam digiti parvi sinistri pedis descenderet, ut ipsa fæmina paupercula liberè sua naturalia exercere posset. Respondit Dæmon, hoc non faciam, nisi benignè postulaveris. Ego his auditis in nomine Jesu, ille in superbia simul diu contendentes, sperabat nequissimus ille victoriam. Ego, qui revera satis fatigatus eram, cum horas duas, ut cederet, supra alias quinque pugnavissem, elevatis oculis ad Sanctum Sacramentum super altare positum, Deo inspirante, tabernaculum, in quo sanctissima Eucharistia erat reposita, accepi, ponensq; supra Dæmoniacæ caput firma fide, ac alta voce aliquoties exclamavi, Misericordia Signore. Tandem summa admiratione cessit & obœdientiam præbuit.*

(Ubi vero ullum hujus rei in Scripturis mandatum vel exemplum? Abusus igitur hic est Eucharistiæ nefandus.)

39. Jos. Anglés in 4. sent. quæst. 4. de Eucharist. conclus. 1. *Oculus Christi non videt suum corpus, quatenus est in Eucharistia, propterea quod est inextensum.*

(At hac ratione ex corpore fit non corpus.)

40. Calicem Eucharisticum certis ritibus consecrant.

Pontificale Romanum *cum oleo sacro inungendum & aqua aspergendum* dicit. *Episcopus erecto corpore calici benedicit, posteaq; dextro pollice in Chrisma intincto ab uno calicis labro ad alterum, crucis figuram pingit, totum interius inungit, tandemq; à Sacerdote panis micis paulo post igni, aut reliquario injectis, oleum abstergitur.*

Durandus lib. 1. Rational. cap. 8. num. 24. dicit, *quòd calix inunctus sepulchrum corporis & sanguinis Christi perficiat.*

lib. ejusdem cap. 4. num. 45. *quòd calix aureus significet thesauros sapientiæ in Christo absconditos; argenteus munditiam culpæ; stanneus innuat similitudinem culpæ & pœnæ.*

(At hæc omnia Apostol. & primitivæ Ecclesiæ fuere ignota. Walafridus Strabo de Rebus Eccles. cap. 24. memorat, calices ad usum Eucharistiæ adhibitos, olim fuisse vitreos. *Zepherinus*, inquit, *Pontifex Romanus patenis vitreis Missas celebrare constituit. Deinde Urbanus Papa omnia ministeria sacrata fecit argentea & patenas. In hoc, sicut & in reliquis cultibus, magis ac magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesia.*

Ibidem apud S. Strabonem &c. Vasa. dist. 1. de Consecrat. ex Concilio Triburiensi adducitur, *Vasa, in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ; de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit, Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

Baronius tom. 2. Ann. 216. num. 13. *antiquum & diu perseverantem calicum vitreorum in Eucharistia usum* agnoscit.)

41. In celebratione Missæ peculiaribus vestibus Sacerdotes induendos esse docent.

Bailius in Catech. Controvers. tract. 2. quæst. 32. *Ut Levitici Sacerdotes in veteri lege Exodi 28. certis quibusdam vestibus Sacerdotalibus usi sunt: ita etiam Ecclesia majoris decori, pluriumq; mysteriorum significandorum gratia certa quadam ornamenta majestate plena & ad officiandum sacrificandumq; aptissima præscripsit.*

Resp. 1. Walafridus Strabo de Rebus Eccles. cap. 24. *Primis temporibus communi vestimento vestiti Missas agebant, sicut hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus autem XXIII. constituit, Sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, sed in Ecclesia tantum. Statutum est autem in Concilio Bracarensi, ne Sacerdos sine orario celebret Missam. Addiderunt, in vestibus sacris alii alia, vel ad imitationem eorum, quibus veteres utebantur Sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionem.*

(Ergo in primitiva Ecclesia non fuit peculiarium vestium in Eucharistiæ administratione usus.)

2. Papa Cœlestinus I. in Epistola 2. ad Galliæ Episcopos cap. 2. agens contra quosdam Sacerdotes, qui Scripturam ad literam intelligentes, *renibus accinctis, palliisq; tecti in Ecclesia ministrare volebant. Cur*, inquit, *non fiunt pariter, quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus una cum baculo teneantur?* Tandem generalem hanc addit regulam: *Discernendi à plebe vel cæteris sumus, doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergò fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius, sunt, quam illudendi: nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.*

3. Durandus lib. 3. Rational. cap. 3. num. 8. & 9. ridiculas harum vestium rationes ac significationes adducit. *Per sex partes vestimentorum omnibus Sacerdotibus officium celebrantibus communium, secundum Papam Innocentium, eorum perfectionem indicari dicit, quia sexto die perfecit Deus cœlum & terram; per novem partes, quibus Episcopi Sacerdotibus præcellunt, significari dicit, quod sint spirituales, ut novem ordines Angelorum; quod novem hæ cum sex istis conjunctæ, faciant quindecim, ut quindecim virtutum gradus ipso numero significet, quos per quindecim Cantica graduū Psalmus distinxit.*

42. Quidam Pontificii statuunt, *Christum ipsum in Eucharistia suum corpus manducasse & sanguinem suum bibisse.* Thomas part. 3. quæst. 81. artic. 1. Bonaventura 4. sentent. dist. 9. quæst. 4. artic. 1. Suarez tomo 3. Disput. 75. sect. 2. Ludovicus à Ponte in cap. 5. Cantic. pag. 305. Gregorius de Valentia in dictum Thomæ locum. Dominicus Soto 4. sentent. dist. 12. quæst. 2. artic. 1. Turrecremata in c. Non Moses. dist. 2 de Consecrat. Argumento utuntur ejusmodi: *Qui manducavit agnum typicum legis veteris, multo magis debuit manducare agnum mysticum novæ legis, ut legem impleret veterem, & novam suo exemplo inchoaret, unde multò magis de hoc, quam de illo dixit: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.*

Roffensis lib. 5. contra Oecolampad. colligit illud ex Historia Luc. 24. Vasquez in dictum Thomæ locum sic commentatur: *Conclusio est affirmans, in qua omnes Catholici, quos ego legerim, planè conveniunt. Et quamvis S. Doctor dicat, aliquos oppositum sensisse, tamen, qui illi fuerint, non memorat.*

Sed Bailius Jesuita in Catech. Controvers. tract. 3. quæst. 2. sic disserit: *Quidam Minister* (Calvinianus) *ad Sacramentorum numerum binarium probandum hoc usus est argumento: Non sunt plura Sacramenta, quàm quibus participavit Jesus Christus, id est, Baptismus & Sacra Cœna. Ergò credenda sunt tantum duo. Laboraret die ac nocte ad sudorem usque, priusquam nobis ostenderet, Salvatorem proprium suum corpus sumsisse.*

43. *Per hostiam consecratam* explorant, *ad quem pertineant regna*, de quibus mota controversia. Zuinger. Theat. Vol. 5. lib. 4. pag. 1355. b. *per hostiam consecratam veneno tinctam, occidunt Imperatores & Reges.* Platina in vita Clement. V. pag. 252. Zuingerus Theatr. Volum. 2. lib. 7. pag. 466. b. pag. 506. b. Wolff. lect. memorab. Centur. 11. pag. 284. 305. *Hostiam consecratam ex periculo maris quosdam liberasse* docet Tannerus lib. 2. Dioptr. quæst. 4. cap. 20. pag. 494. *ad sananda oculorum vitia adhibitam fuisse* refert Zuingerus Theatr. pag. 340. a.

44. c. Inhibendum 1. lib. 3 Decretal. tit. 2. de Cohab. Clericorum. *Prohibendum est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut intra cancellos stare, vel sedere.* Confer. can Sacratus 25. can. Non oportet 26 can. Non oportet 30. distinct. 23.

(*In Christo Jesu nec mas, nec fœmina.* Galat. 3. v. 28.)

45. Præcipua divini cultus & pietatis pars in Papatu statuitur in Missis audiendis.

Inde dictum Henrici Secundi Angliæ Regis, quod recitat Guilhelmus Rishanger, (qui Matthæi Paris Historiam Anglicam continuavit.) *Henricus*, inquit, *Rex Sacerdotibus in eorum Missis assistere solebat, atque eorum osculari manus. Cui cum Sanctus Ludovicus olim dixisset, non semper audiendis Missis esse vacandum, sed frequentius sermonibus audiendis; fatuè respondit, se malle amicum sæpius videre, quam de eo loquentem audire.*

FINIS PARTIS II. LIBRI II.

CONFESSIONIS CATHOLICÆ,

In qua

DOCTRINA CATHOLICA ET EVANGELICA, QVAM ECCLESIÆ AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTÆ PROFITENTUR, EX ROMANO-CATHOLICORUM SCRIPTORUM SUFFRAGIIS CONFIRMATUR;

AUTHORE

JOHANNE GERHARDO, D.

Libri II. Specialis Pars Tertia, eademque Ultima; continens Articulos;

XVI. de POENITENTIA,
XVII. de EXTREMA UNCTIONE,
XVIII. de SACRAMENTO ORDINIS,
XIX. de MATRIMONIO,
XX. de GRATIA PRIMI HOMINIS,
XXI. de AMISSIONE GRATIÆ & STATU PECCATI,
XXII. de GRATIA & LIBERO ARBITRIO,
XXIII. de JUSTIFICATIONE,
XXIV. de BONIS OPERIBUS IN PARTICULARI.

PerIllustri & Generosissimo Comiti ac Domino,

DN. LUDOVICO GÜNTHERO,

è quatuor S. Romani Imperii Comitibus, Comiti in Schwartzburg & Hohnstein/ Domino Arnstadii, Sondershusæ, Leutenbergæ, Lohræ & Clettenbergæ &c.

DOMINO ET EVERGETÆ SUO CLEMENTISSIMO.

Gratiam à DEO Patre per Christum Jesum μεσίτην καὶ ἱκέτην nostrum. Amen.

PEr Illustris & Generosissime Comes, Domine & Evergeta clementissime, perillustris Comitum Schwarzburgicorum familia, ex qua PerIllustriss. V. Generos. felici satu in lucem edita, trium cumprimis ἀυχημάτων ac dignitatum præcipuarum fulgore coruscat splendidissimo. Primum hoc est, quod antiquitate nulli Principum vel Comitum Imperii familiæ cedit. Historiarum enim monumentis proditum extat Witekindum nigrum, Equitem auratum, in Saxonica circa Annum Christi 751. tempore Pipini Francorum Regis & filii ipsius Caroli & re & nomine magni, Imperatoris Romani, supremum militiæ Ducem in exercitu Edelhardi Regis Saxonum contra Francos extitisse, quos etiam aliquoties prælio vicerit, donec tandem interfecto ipsius filio Hermanno cum Bertholdo patruo ad Bucholtum Anno Christi 779. à Francis captus, in Galliam abductus & ad quinquennium detentus fuit, propterea quod fidem Christianam suscipere nollet. Verum suasu Caroli Magni eandem tandem amplexus è fonte sacro levatus est per Imperatoris filium Ludovicum, qui nomen suum ipsi indidit & Ludovicum vocari jussit. Constitutus deinde à Carolo Magno Præfectus militiæ contra Saracenos per annos aliquot res bellicas præclarè gessit ac filiis suis autor fuit, ut & ipsi fide Christiana imbuti per Baptismi Sacramentum Christianæ militiæ adscriberentur. Huic Ludovico & filiis ejus in præmium rerum præclarè gestarum dedit Carolus in saltu Thuringico tractum 20. miliaria in longitudine & decem in latitudine ambitu suo complectentem, jure hæreditario possidendum. Idem Ludovicus, ante sacrum lavacrum Witekindus dictus, ex Agnete Comitissa Winsenburgensi genuit filium in Baptismi susceptione vocatum Carolum, qui primus Comitis Schwartzburgici nomen obtinuit, ex eo, quod arcem à se ad radices saltus Thuringici prope Salam ædificatam hoc nomine insigniverat, ac postquam pacificè annis 36. regimini præfuisset, anno Christi 832. piè placideq; expiravit. Ab hoc Witekindo incunabula Schwartzburgicæ familiæ plerique arcessunt. Sed perillustrem hanc & generosissimam familiam multò antiquiorem esse, quam ut ab hoc Witekindo primum inchoetur, ostendunt Annales Stolbergici, in quibus mentio fit cujusdam Volckmari Comitis Stolbergici, qui Anno Christi 585. Annam Schwartzburgicam in matrimonium duxisse memoratur. Alii proinde familiæ hujus originem rectius deducunt ab Ernesto Nobili quodam Romano, qui cum fratre suo deserta Italia propter civilia bella circa Annum Christi 455. in Saxoniam sese contulit, ac circa Göttingam duas arces in montibus æqualis altitudinis ædificavit, quæ ex eo Gleichen appellatæ fuere. Alterum Schwartzburgicæ familiæ ἀύχημα meritò censetur, quod Comites ex ea oriundi jam olim inter quatuor Imperii Comites specialiter sic dictos fuere relati. Nam post Imperii in Germanos translationem successu temporis commodissimum fuit visum illud specialib. munire præsidiis, Principibusque firmare, quib. ut firmis columnis ac basibus innixum adversæ tempestatis procellis ac turbinibus valentius resistere ac potentiæ suæ mucronem longè lateq; vibrare posset. Idcircò Imperium super gradibus nobilitatis atque etiam communitatib. opulentis provida sagacitate fundatum est, quorum quemlibet gradum quatuor illustres familiæ determinarent, quæ quidem utpote cæteris in suo ordine præstantiores, peculiariter Rom. Imperio incorporatæ, & oportuno tempore ad præsidium ejus magis obstrictæ, adeoq; etiam promtiores esse deberent. Sunt autem primò quatuor illustres Principes ac Duces inclytæ prosapiæ ab ævo longo productæ & apud Augustos principalissimi, super quib. Romanum fundatur Imperium, die vier hohen Hertzogen Primus est Dux Bavariæ, qui Ducatus cum Palatinatui Rheni sit unitus, inde quidam Comiti Palatino Rheni primum inter hos Duces locum adsignant. Secundus, est Dux Brunsuicensis in Saxonia. Tertius, Dux Lotharingiæ in Gallia. Quartus, Dux Sueviæ, cujus Domus penitus defecit in ultimo Duce Conradino Friderici. II. Imperatoris filio. Sunt & quatuor Marchiones cæteris Marchionatib. præcellentiores, die vier Marggrafen. Primus, Marchio Moraviensis; secundus, Misnensis, tertius Brandenburgensis; quartus Badensis. Quatuor deinde procedunt Illustres Comites Provinciales, die vier Landgrafen. Primus, Landgravius Thuringiæ; secundus, Hassiæ; tertius, Alsatiæ, cujus Domus defecit & in Archiepiscopatum Argentinensis Ecclesiæ jura Landgraviatus translata sunt; quartus, Lichtenbergensis (al. Leuchtenbergensis) est. Quatuor etiam generosi Comites castrenses in pagina fundatio-

nis sacri describuntur Imperii, die vier Burggrafen. Primus est, Nürnbergensis; secundus, Madeburgensis; (cui vero Saxoniæ Elector primum inter Burggravios dat locum apud Dn. Hortlederum de caus. bell. Germ. tom. 1. lib. 4. cap. 9. n. 108. quem ordinem etiam Munsterus observat:) tertius, Stromburgensis; quartus, de Rineck. Sunt etiam quatuor magnifici Comites Sacri Imperii, die vier Grafen des Reichs/ minores quidem inter Principes, sed gradu suo majores. Primus est Clivensis, qui postea evectus in Ducem, sed nostra ætate familia ista fuit extincta; secundus, Schwartzburgensis; tertius, Comes Ciliæ, cujus Domus defuncta in Austriæ Duces Ann. 1456. feudali jure fuit devoluta; quartus, Comes Sabaudiæ, qui in Constantiensi Concilio à gloriosissimo Imperatore Sigismundo Ducali titulo est illustratus, ut sic ex omnibus quatuor Imperii Comitum Domibus sola familia Schwartzburgica hanc dignitatem adhuc hodie obtineat. Quatuor etiam nobilissimi Barones prædictis annumerantur, die vier Freyherrn oder Semperfrey / Primus de Limpurg; secundus, Baro de Douff, dictus de Rar, tertius, de Hesterburg; quartus baro de Aldewald. Hos subsequuntur quatuor strenuissimi milites cæteris ex ordine militari clariores, qui & Proceres sive Valvasores dicuntur, die vier Ritter / quorum primus est miles de Andlo in Alsatia; secundus, miles Strandeck; tertius, de Meldingen; quartus, de Frovvenberg (al. Fronberg) in Bavaria. Sacrum Imperium insuper fundatum dicitur super quatuor civitates insignes, die vier Städte/ quarum prima est Civitas Augustensis Rhetiæ; secunda, Moguntina, aliis Metensis; tertia, Aquisgranensis; quarta, est Lubecensis. Quatuor deinde pagi sive villæ sunt magnificæ, quæ in fundamentis Imperii annumerantur, die vier Dörffer/ Prima est Pabebergensis; secunda, Schlerstadiensis; tertia, Haganoensis; quarta, Ulmensis. Et, ut nullus gradus prætermissus videatur, accedunt præmissis quatuor famosi rustici & in basibus Imperii distribuuntur, die vier Bauren oder Baur-Männer/ Primus est Coloniensis; secundus, Ratisbonensis; tertius, Constantiensis; & quartus, Saltzburgensis Diœcesium. Sanè quidam plures ejusmodi quaternarios numerant, sed qui hactenus enumerati, sunt præ cæteris insigniores, de quibus plura videri possunt apud Panvinium lib. de Comitib. Imperii cap. ult. B. Rhenanum lib. 3. rerum Germanicarum p. 159. Petrum de Andlo lib. 1. de Imp. Rom. cap. 16. p. 74. Munsterum lib. 3. Cosm. cap. 24. p. 455. Cal. 371. Goldastum in Reichshandlung p. 17. & seqq. Limnæum de jure publico lib. 1. cap. 7. n. 38. &c. Cæterū quia vetustiora Imperii instumenta divisionis in hujusmodi quaterniones nullam faciunt mentionem, inde de ejus autore ac origine Scriptores invicem variant. Quidam distributionis hujus autorem laudant Ottonem III. Imperatorem. Alii nominant Carolum IV. Aureæ Bullæ conditorem. Alii, inter quos Welserus lib. 5. rer. Aug. Vindel. p. 111. vetustam adeo ejus constituunt originem, ut autoris atq; originis memoria vetustate abierit, interim tamen aliquot multis retro ætatibus hoc dignitatis genus hominum existimatione apprimè viguisse. Qui Ottoni eam tribuunt, Fragmentum adferunt cujusdam Imperii Recessus, quod Goldastus retulit in Reichshandlungen/ cujus ἐπιγραφὴ sic habet: Das Corpus oder Leichnam des H. Römischen Reichs mit seinen obristen Gliedern/ wie es ward in Ordnung bracht durch Käyser Otten und die Fürsten. Sed Fragmentum illud, eodem Goldasto monitore, spurium est, ut nullam fidem mereatur. Reusnerus in Enucl. qq. Historic. q. 7. p. 85. ex eo erroris manifesti illud arguit, quod eâ ætate nulli adhuc extiterint vel Duces Brunsuicenses, vel Thuringiæ, Hassiæ & Leuchtenbergæ Landgravii, uti nec Marchiones Badenses, vel Comites Sabaudiæ, quorum tamen omnium in istis quaternionibus consignati reperiuntur tituli; ipse autem ejus autorem facit Carolum quartum. Idem Goldastus lib. 3. de regno Bohem. cap. 3. n. 2. memorat, Conradum Comitem Cliviæ in nova Germanici Imperii constitutione, tempore Gregorii V. P. R. conventu totius Christiani orbis Principum habito, inter quatuor Imperii Comites hæreditarios secundum omnium Ordinum calculos fuisse electum propter operam in bello Italico contra Imperii rebelles bene navatam. Ut autem de autore & origine hujus distributionis, ita quoque de fine ejusdem Scriptores sententiis invicem discrepant. Zachariæ Vietori de caus. exemt. concl. 5. ad pompam & ostentationem Imperii hæc distributio facta videtur. Sed Welserus d. l. rectius sic judicat: Lecti fuere quaterni ex singulis, quos hoc Imperium complectitur, Ordinibus, illi, scil. qui autoritate & potentia cæteros sui Ordinis antestantes tanti Imperii majestatem, columnarum veluti more, fulcirent, sive in membrorum modum illi subservire possent, cum utraq; appellatione cohonestati reperiantur, quæ constitutionis hujus ratio etiam à Petro de Andlo d. l. redditur. Tertium illustris familiæ Schvvartzburgicæ αὔχημα ac peculiare decus æstimandum, quod Heroas de Rep. Christiana optimè meritos, strenuos Bellatores, quin & Augustum Imperatorem superioribus seculis produxerit. Ut enim prætermittam alios Dynastas ex hoc stemmate oriundos, qui longâ serie recenseri possent, prodiere ex hac perillustri familia Henricus Archiepiscopus Bremensis & Monasteriensis, Guntherus Archiepiscopus Magdæburgensis ex Præposito Moguntinensi & Co-Adjutore Antecessoris sui Alberti, Gerhardus Episcopus Wirtzburgensis, ex Naumburgensi, Dux Francorum investitus à Carolo IV. qui seditiosos cives Herbipolenses 11. Jan. Anno 1400. pauca manu vicit, interfectis 1300. captis 200. desideratis è suorum numero tantùm sex equitibus, ex quo Principis magnanimi & bellatoris insignis nomen fuit sortitus, Guntherus bellicosus Perill. V. Generos. Patruus, natus An. 1529. qui in literis humanioribus educatus & institutus, & à teneris ad virtutem assuefactus militiam & grave Martis opus exercuit. In Belgio specimen heroici animi edidit, pulsis aliquoties & in fugam versis Gallicis copiis Ann. Christi 1555. Ordines equestres in Dania sub Friderico II. Rege duxit contra Ericum Regem Sueciæ An. 1563. & sequentibus: Supremus militiæ Dux à Maximiliano Imper. contra Turcicum Tyrannum constitutus est in Ungaria Ann. 1566. & oppugnationi arcis Gothanæ interfuit. Ann. Christ. 1567. Belgium ingressus Matthiæ Archiduci Austriæ & Ordinibus Belgicis militavit contra Hispanos, tandemq; mortuus Antuerpiæ 15. Maji Ann. Christi 1583. Verùm enim verò inter omnes generosæ hujus prosapiæ surculos eminet Comes Guntherus, de quo Aventinus lib. 7. Annal. Bavar. p. 534. (in aliis edit. p. 487.) sic scribit: Comitia Cæsarea habent Henricus Moguntinus Archimysta, Rudolphus Præfectus Prætorio Rheni, Ludovicus Brandenburgensis, Reguli Bojorum, Dux Saxoniæ, Guntherum Schvvartzburgicum, quo nemo tum melior in Germania existimabatur, unde & Optimi cognomen meruit, Cæsarem constituunt. Natus fuit hic Guntherus Ann. Christi 1305. ac suffragatæ ipsi fuerunt ad Imperium adipiscendum res sub Ludovico Bavaro fortiter gestæ, & amicitia Moguntini Archiepiscopi. Erat enim intimus Consiliarius Imperatoris Ludovici, à quo unà cum ipsius filio Ludovico Marchione Brandenburgico Electore, & Henningo Bock, Equite aurato, Lubecam missus est, ut Senatum Civesque cum Comitibus Holsatiæ conciliaret, ejusdemq; copiis militaribus præfectus in omnib. locis victoriam obtinuit, atq; hac ratione sibi magnas opes & plurimos amicos comparavit, cum etiam insigni esset & corporis forma, ac animi fortitudine, multisque virtutibus ornatissimus. Ludovico Bavaro rebus humanis exemto Electores, repudiato Carolo IV. cujus electionem declaraverant irritam, hunc Guntherum ad solium Imperiale evexerunt Francofurti Anno Christi 1349. secunda Februarii die; cui tamen electioni Guntherus assensum præbere noluit, priusquam publico decreto notum fecissent Principes, collocari ipsum in Sedem Imperatore vacuam. In vivis enim adhuc erat Carolus IV. Johannis Regis Bohemiæ filius, Henrici VII. Imperatoris nepos, cui Ann. Christi 1346. suffragiis Moguntini, Trevirensis, Coloniensis, Bohemi & Saxonis Imperium erat traditum, cum id iidem ademissent Ludovico Bavaro, Pontificii anathematis execratione oppresso, ac Bonnæ solenniter erat coronatus. Cæterum Guntherus in locum Caroli surrogatus ad urbem Francofurtum accessit instructus exercitu, & castris ad urbem positis æmulum Carolum præstolatus est, ut causam bello decerneret. Verum is, etsi eodem suas adduxit copias, tamen vim belli experiri & fortunam viri strenui ac bellatoris, qui nitebatur studiis & auxiliis summorum Ordinum irritare, denique vires universas in unius diei prælium impendere non fuit ausus. Post duorum mensium obsidionem in urbem intromissus Guntherus, regio more fuit exceptus. Carolus, cùm vi & armis se nihil effecturum cerneret, ad alias se convertit artes. Transegit cum Ludovici Bavari filiis quibuscunq; conditionibus, etsi his pactis minimè stetit, ductaque in uxorem Rudolphi Palatini filia, disjunxit Electores & Bavariæ Domus auxilia æmulo subtraxit. Sed cum ne sic quidem eum exarmasset, Medici excellentis Fridaugi (vel ut alii eum vocant Freydancks) famulum pecunia corruptum subornavit, qui leviter ægrotanti venenum in potione à Medico præparata ipsi propinavit, cujus etsi partem magnam vomitu rejecit, cùm Medicum ex prægustato pharmaco, quod eum facere coegerat, paulò post vultu mutato collabi atque exanimari conspexisset: reliquiis tamen ita enervatus ac debilitatus fuit, ut ad res gerendas

prorsus

prorsus inhabilis evaserit. Nihilominus, cum Carolus Altavillam Moguntini Archi-Præsulis arcem oppugnare statuisset, Guntherus, licet ægrotus, eam defendendam in se recepit, & transeuntem Carolum ducenti ipsius equites in fugam verterunt, actumque de salute illius fuisset, nisi Wittenbergici periclitanti opem tulissent. Desperatâ itaque Guntheri vita interposuerunt se Rudolphus Palatinus & Marchio Brandenburgensis, quos arte à Gunthero Carolus avulserat, remq; eò deduxerat, ut Carolus pro Imperio Guntheri heredibus numeraret viginti duo millia marcarum argenti in compensationem impensarum, additis duobus in Thuringia oppidis, & Francofordiensibus redderet emporii ac publici mercatus jus, quod transtulerat Moguntiam, Guntherus verò Carolum salutaret Regem. Ita sexto ab electione mense Gunthero indignè peremto, ac regio apparatu inq; regio monumento Francofurti in æde D. Bartholomæi sepulto, Carolus Imperio solus tandem ex voto est potitus Ann. 1350. qua de re plura legi possunt in Chronico Carionis p. 803. apud Fabricium lib. 6. Orig. Saxon. p. 655. Joh. Cluverum Histor. p. 691. Atq; hi sunt laudatissimi Per-Illust. V. Generos. majores, à quibus ipsa non solùm heroicum sanguinem, sed etiam generosos Spiritus jure hereditario fuit consecuta, accepto vivendi initio mense Majo Ann. 1581. Quam verò primum lucis hujus usura Per-Ill. V. Generos. DEI munere frui cœpit, parentes Per-Illustres ac Generosissimi D. Albertus Comes Schwartzburgensis & Hohnsteinensis, Dynasta in Arnstad & Sondershausen, Jenensis ac Lovaniensis Academiæ in juventute quondam alumnus, Heros magnanimus, ac Dn. Juliana Comitissa à Nassau Dillenberg. matrona pientissima, jam inde à primis incunabulis ad pietatem, virtutem & bonas literas quam diligentissimè eam informari curarunt, donec Ann. 1598 una cum fratre Per-Illustri & Generosissimo Dn. Alberto Gunthero Comite Schwartzburgico & Hohnsteinensi, non ita pridem rebus humanis exemto, in hanc Salanam ab iisdem ablegaretur, in qua convictu & familiaritate Theologi longè celeberrimi Dn. D. Georgii Mylii ultra biennium fuit usa, ac postmodum in Argentoratensem Academiam concedens, summorum Theologorum Dn. D. Pappi & Dn. D. Marbachii σύσιτος καὶ σύνοικος extitit, & quidem salutari Dn. Parentis Consilio, qui Per-Illust. V. Generos. in utraq; Academia Theologorum familiaritate, mensâ atque colloquiis ad fovendos nativæ pietatis igniculos & amorem sincerioris Theologiæ animo ipsius ingenerandum, uti frui voluit. Post beatum laudatissimi Dn. parentis obitum Per-Ill. V. Generos. sexennium integrum peregrinationibus ad exteros susceptis impendit, ac præcipuas orbis Europæi provincias, Galliam cumprimis, Hispaniam, Britanniam, Belgium lustravit, & in summorum Europæ Procerum, Regum, Ducum ac Principum notitiam sese insinuavit. Emenso peregrinationis curriculo Ann. 1612. Per-Illustr. V. Generos. ditionum paternarum regimen adiit, quod eo modo hactenus administravit, ut veræ religionis, sinceri cultus divini, pietatis & justitiæ studium ac subditorum commodum, velut unicum regiminis scopum, sibi semper habuerit præfixum. Ecclesiis in sua ditione de Superintendentibus & Pastoribus vigilantissimis sollicitè hactenus prospexit, eosdemq; affectu clementissimo semper fuit amplexa, quem erga Ecclesiæ Ministros amorem ex Theologorum in Academiis convictu & conversatione Per-Ill. V. Generos. dubio procul primum imbibit, & inviolatum hactenus servavit. Testes hujus clementiæ sisto Dn. D. Henricum Eckhardum Superintendentem Francohusanum, ac postea Aldenburgensem; itemque successorem ejus Dn. M. Danielem Monchmeierum primum quidem Francohusanum, posteà Brunsuicensem Antistitem, utrumque τῶν ἐν ἁγίοις; uti etiam Dn. D. Johannem Rothmalerum, Superintendentem Francohusanum, hodiè verò Rudolphopolitanum Ecclesiasten aulicum & Superintendentem, quem merito ob pietatem, eruditionem, modestiam, donorum præclarorum copiam & debitam in officio diligentiam Per-Ill. V. Generos. in deliciis habet. Justitiæ Zelum Per-Ill. V. Generos. itidem publico hoc documento comprobat, quod Viros Strenuos, Nobilissimos, Magnifica autoritate, prudentia, judicii dexteritate, præclara eruditione & magnis in Rempubl. meritis eximios D. Marcum ab Entzer hæreditarium in Persich & Nidergrün Cancellarium, ac Dn. Wolffgangum Christophorum à Etzdorff aulæ Magistrum, lateri suo adjunxit, eorumq; consilio in negotiis gravioribus & in jure dicendo salutariter utitur. Quanta verò clementia Scholarum Præsides Per-Illustr. V. Generos. complectatur, vel ex eo conspicuum, quod salaria ipsorum intuitu difficilimorum istorum, in quibus vivimus, temporum benignissimè adauxerit, ac uni Scholæ Francohusanæ ante biennium summam mille florenorum in subsidium Præceptorum munificentissimè consecravit. Sed prætermissis virtutibus reliquis, quarum corona splendidissima Per-Ill. V. Generos. cingit atque munit, pietatem ejusdem perpetuis laudum præconiis celebrandam vero animi judicio statuo. Pietatis est, quod Per-Illust. V. Generos. templum Rudolphstadiense, ædificium profectò augustum, intra biennii spacium successu felicissimo, in mediis bellorum turbinibus ex imis fundamentis excitarit, & quidem sumtibus propriis sine subditorum impendio, à quibus ne obolum quidem hoc nomine extorsit, cum tamen aliquot florenorum millia huic structuræ fuerint insumenda. Pietatis est, quod templum hoc tantis sumtibus exstructum, die Kirche zur Ehre Gottes denominari voluit, hac ipsa nominis impositione publicè testata, quod in hoc opere non vanæ alicujus apud homines laudis affectarit aurulam, sed solam divini nominis unicè quæsiverit gloriam. Pietatis est, quod quicquid librorum Theologicorum, Historicorū, Philologicorum in scriniis suis habuit reconditum, quorum numerus haud est exiguus, in ædem istam sacram transferri curaverit, & hac ratione ad sacram Bibliothecam comparandam fundamenta jecerit. Pietatis est, quod studiosos pauperculos complures in diversis Academiis, maximè tamen in hac Salana, liberaliter sustentat, eorumque numerum erogatis subinde novis stipendiis adauget. Pietatis est, quod publicis divini cultus exercitiis cum tota aula frequentissimè interesse, preces publicas quotidianas præsentiâ suâ aliis commendare non gravatur, concionibus sacris devotè attendit, ac piis sermonibus, qui DEO consecrati pectoris indices sunt minimè dubii, summopere delectatur. Pietatis est, quod erga pauperes eximiè beneficam se præstat, ut Rudolphstadium peregrinorum & exulum refugium haud injuria hodiè ab omnib. audiat. Pietatis est, quod subditos tam paterno complectitur amore, ut inter tot militares exactiones miseriis eorum æque afficiatur ac suis, & proinde ad sublevanda contributionum onera ne preciosiori quidem supellectili aureisq; κειμηλίοις suis pepercerit, quo minus una cum multis signatæ pecuniæ millibus in subditorum levamen ea aliquoties hactenus expenderit. Pietatis est, quod Per-Illust. V. Generos. machinas bellicas complures ex armamentario avito depromtas in campanas, quarum sono auditores ad cultus divini exercitium convocantur, transfundi curaverit, indicio certissimo, quod pacem pacique cognatum campanarum tinnitum audire malit, quam bellum & bellicarum machinarum horribilem boatum. Rara illa & nunquam satis deprædicanda Per-Ill. V. Generos. pietas facile à me impetrare potuit, ut hanc quartam eandemque ultimam Confessionis Catholicæ partem perillustri ejus nomini submisse inscriberem ac humiliter consecrarem, certissima spe fretus, fore ut piam hanc & ad Ecclesiæ salutem directam opellam meam Per-Illust. V. Generos. gratam sit habitura & sereniori fronte eandem susceptura. Accedunt præclara Per-Ill. V. Generos. in meam tenuitatem collata beneficia singularis clementiæ τεκμήρια evidentissima, quibus ne quidem recensendis par esse possum, tantum abest, ut digna pro illis χαριστήρια per omnem vitam me persolvere posse mihi persuadeam. Aliquoties mensæ suæ Per-Illust. V. Generos. me admovit, munificam & benignam sese exhibuit, atque eximio clementiæ affectu ac tenore favoris perpetuo me semper fuit hactenus prosecuta. Æquum igitur erat, heroicas Per-Illust. V. Generos. virtutes ac merita præclara in posteritatis memoriam traducere, tabulis æternitatis inscribere, & præclarè factis debitam laudem minimè derogare. Benignissimus Deus Per-Illustrem V. Generos. cum tota inclyta familia Schwartzburgica diutissimè salvam & incolumem conservet, ab omnibus periculis & adversis in hac exulceratorum temporum fece potentissimè tueatur, & regimini ipsius ex alto benedicat, ut omnes Per-Illust. V. Generos. conatus, consilia & actiones ad divini nominis gloriam, Ecclesiæ & Subditorum salutem successu felicissimo cedant, per Christum Salvatorem nostrum unicum in secula benedictum. Amen. Perscriptum Jenæ Cal. Aprilis Anno 637.

Per-Illust. V. Generos.

humiliter colens

JOHAN. GERHARD, D.

ARTICULUS XVI.

DE POENITENTIA

CAPUT I.

De Genere Pœnitentiæ.

THesis. Pœnitentia non est Sacramentum propriè & specialissimè sic dictum.

Ἔκθεσις. Non negamus, Sacramenti nomen pœnitentiæ tribui posse *in generaliore quadam significatione*, ac *respectu finis*, quem cum reliquis propriè dictis Sacramentis habet communem, qui est fidei nostræ de peccatorum remissione confirmatio, qua de re Apolog. Confess. August. in cap. de numero & usu Sacrament. pag. 202. edit. Lips. pag. 606. sic loquitur: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta, scilicet Baptismus, Cœna Domini & Absolutio* Hoc vero negamus, quod Pœnitentia *ratione materiæ & formæ* cum Sacramentis *propriè & specialissimè sic dictis*, conveniat, ac sit Sacramentum *propriè & specialissimè* sic dictum.

Antithesis Concilium Tridentinum sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè ac propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata prolabuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo institutum, anathema sit.*

Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 8. §. Hic igitur &c. *Pœnitentia signis externis manifestata, accedente ad eam verbo absolutionis, est Sacramentum novæ legis propriè dictum. Istum enim ritum reconciliandi lapsos post Baptismum, qui ex pœnitentia signis externis prodita, & verbo absolutionis constat, Catholici verum ac propriè dictum Sacramentum esse affirmant.*

Distinguit autem Bellarminus pœnitentiam, primum in eam, *quæ fit in sola mentis conversione, internaque peccati detestatione*; & eam, *quæ sese externis prodat signis, puta mœrore, lachrymis, confessione &c.* Illam non esse Sacramentum asserit, sed ne hanc quidem in universum. Primo enim illam excipiendam, *quæ præcesserit Evangelium*, ut Ninivitarum. Deinde etiam in Ecclesia post Evangelii prædicationem, *quæ nihil habet præter interiorem motum, ejusque signa exteriora.* Itaque superesse duntaxat eam, *quæ huic motui, hisque signis habet additam absolutionem, atque eam demum esse & vocari Sacramentum.*

Catechismus Tridentinus cap. de Pœnitent. *Quod Pœnitentia Sacramentum sit, Pastores ita facile ostendent. Ut enim Baptismus Sacramentū est, quia peccata omnia, ac præsertim, quod origine contractum fuit, delet: eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia post Baptismum voluntate vel actione suscepta, tollit, verè & propriè Sacramentum dicendum est.*

Nostram sententiam probamus,

1. In omni Sacramento verè & propriè sic dicto, præter verbum mandati & promissionis requiritur *externum & visibile Elementum.* Atqui in pœnitentia nullum est externum & visibile Elementum. Quod si *externa pœnitentiæ signa & verbum absolutionis* pro Elemento externo nobis obtrudere velint, urgemus hoc argumentum: Symbolum Sacramentale sive externum Elementum in Sacramento semper est substantia. Signa pœnitentiæ & verbum absolutionis non sunt substantiæ, sed actiones. Ergo non constituunt Symbolum Sacramentale. Si *impositionem manus* à Sacerdote factam, pro Symbolo Sacramentali venditare velint, producimus tale argumentum: Externum symbolum in quolibet Sacramento ita necessarium est, ut absque eo non sit Sacramentum, ac ejus in propria institutionis sede fit diserta mentio. Jam vero impositio manuum non est eo modo necessaria, nec ejus in propria sede fit diserta mentio. Ergo.

2. Nullum Sacramentum est *utrique Testamento commune*, sed alterutri peculiare & proprium. Atqui pœnitentia etiam locum habuit in Veteri Testamento. Ergò.

3. Sacramentum pœnitentiæ nec in concionibus, nec in praxi *Johannis Baptistæ* ac *Christi* habet fundamentum.

4. Neque fundamentum habet in doctrina & exemplis *Apostolorum.* Illi enim non aliter docuerunt de pœnitentia & de ratione consequendæ remissionis peccatorum, quam Prophetæ in Veteri Testamento, Act. 26. v. 22. cap. 10. v. 43. nec uspiam exegerunt *specialem enumerationem peccatorum*, nec *satisfactiones* imposuerunt &c.

5. Sacramenta se habent ad fidem ut instrumenta, quæ per illa in nobis confirmatur, Rom. 4. v. 11. Atqui pœnitentia non est fidei confirmandæ medium, sed habet se ad illam, tanquam *totum ad partem*, nec exteriores actus pœnitentis sine fide ad reconciliationem nostri cum Deo sufficiunt, nec ipsa absolutio, quam volunt esse formam hujus Sacramenti, absque fide est spiritualis cujusdam gratiæ medium. Ergo pœnitentia non est Sacramentum.

6. In quolibet Sacramento est *analogia quadam Sacramentalis* inter partem Elementarem sive terrenam, & cœlestem alteram, ut quod fit in signo externo, respondeat ei, quod fit interius. Atqui talis analogia in actibus pœnitentis, sive verbo absolutionis cum remissione peccatorum ostendi nequit. Ergo.

7. Omne Sacramentum est *sigillum verbo appensum.* Pœnitentia non est sigillum verbo appensum. Sive enim confessionem, sive absolutionem respicias, verba habes, ac proinde verbum verbo appenderetur. Ergo pœnitentia non est Sacramentum propriè & specialissimè sic dictum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, duo duntaxat esse Novi Testam. Sacramenta propriè sic dicta, Baptismum scilicet & Cœnam Domini. Testimonia illa adducta sunt superius artic. 11. c. 3.

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 11. §. Respondeo non malè &c. concedit, *non male ex Baptismo & Eucharistia, quæ omnium consensu vera Sacramenta sunt, Naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere investigari.*

(Stante hac hypothesi, non poterit probari, *Pœnitentiam esse Sacramentum propriè sic dictum*, cum externum Elementum in propria institutionis sede expressum, cui promissio gratiæ divina ordinatione adjecta, monstrari nequeat.)

Secundo, idem Bellarminus d. l. resp. ad 3. Calv. object. scribit: *Non deesse quidem multa visibilia signa in Sacramento pœnitentiæ, sive Sacerdotem aspicias manum imponentem, sive pœnitentem ad genua Sacerdotis objectum & lachrymas fundentem, sed ista plerunque conspici, ut tamen etiam absque iis Sacramentum pœnitentiæ esse possit.*

lib. 1. de Pœnit. cap. 15. §. Primum igitur probat, *hunc ritum* (impositionis manuum) *non pertinere ad hujus Sacramenti essentiam*, qua in parte sequitur Thomam, qui p. 3. q. 84. art. 4. scribit, *in hoc Sacramento non requiri manus impositionem, quippe quæ fiat ad designandum copiosum aliquem gratiæ effectum.*

(Ex eo sic colligimus: In quolibet Sacramento externum symbolum ita necessarium est, ut absque eo non sit Sacramentum. Jam vero signa pœnitentiæ in confitente, & manus impositio in absolvente possunt à pœnitentiæ abesse. Ergo non sunt externum symbolum Sacramentale.)

Tertio, idem Bellarminus & plerique omnes Pontificii statuunt, *propriam hujus Sacramenti sedem esse in verbis Christi Johan. 20. Quorumcunque remiseritis peccata.*

(Jam vero ibi nulla fit mentio impositionis manuum. Ergo impositio manuum non potest esse symbolum externum Sacramentale, cum symboli Sacramentalis externi in quolibet Sacramento adhibendi, diserta & expressa fiat mentio in propria institutionis sede.)

Quarto, Lombardus 4. sent. dist. 22. lit. C. mentionem facit quorundam, qui dixerunt, *Sacramentum Baptismi, Confirmationis & Corporis Christi in Novo Test. instituta esse, sed Sacramentum pœnitentiæ, sicut & Conjugii ante tempus gratiæ etiam à primordio generis humani fuisse.*

(Ex eo sic colligimus: Nullum Sacramentum utrique Testamento commune est, sed alterutri proprium. Pœnitentia non est N. Test. propria, sed utrique Testamento cōmunis. Ergò.)

Quinto, Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 11. §. Ad argumentum &c. concedit, *quod Sacramentum pœnitentiæ non habeat fundamentum in prædicatione Johannis Baptistæ & Christi ante resurrectionem.*

(Jam vero Baptista in Christi nomine peccatorum remissionem pœnitentibus aññunciavit, & paralyticus ac fœmina peccatrix peccata sua confessi sunt, antequam peccata sibi remitti & absolutionem sibi annunciari ex Christo audirent. Neq; tamen Johannes Baptista, nec Christus Sacramentum aliquod administrarunt. Quod si tempore ministerii Johannis Baptistæ & Christi ante resurrectionem Pœnitentia non fuit Sacramentum, utique etiam post Christi resurrectionem non est Sacramentum, cum in vera pœnitentia piorum post Christi resurrectionem nihil monstrari possit, quod non occurrat in vera pœnitentia piorum ante Christi resurrectionem.)

Sexto, Multi ex Scholasticis *potestatem remittendi peccatum*, qua tota Sacramenti ratio nititur, iis limitibus circumscribunt, quos alii ex Pontificiis fatentur Sacramenti Naturam destruere.

Nam

Nam Lombardus in 4. sent. dist. 18. lit. C. Bonaventura, Gabriel Biel, Marsilius, Major, Occam, Antisiodorensis, Alexander, Thomas de Argentina, Abulensis ad istum locũ, omnes, inquam, illi, fatente Vasquez quæst. 94. art. 3. conveniunt in eo, *quoad remissionem culpæ & animæ vivificationem, & dimissionem reatus pœnæ,* (in quibus gratia justificans consistit) *eam non esse ex virtute clavium, neq; ad hunc effectum claves se extendere, sed quod tantùm ostendat Sacerdos, cùm inquit, Ego te absolvo, jam illum absolutum à culpa per contritionem.* Ex quo sequitur, *effectum absolutionis illius non esse gratiam justificantem, proinde nec Sacramentum propriè dictum.*

Inde rectè Vasquez d. l. colligit, sequi, *remissionem culpæ non fieri per Sacramentum, cùm non fiat virtute formæ illius, verbis præcipuè, quorum virtute perficitur in ratione Sacramenti & operis operati, ut loquuntur, nempe, quia autores illi maximâ cum ratione sibi persuaserunt, Sacerdoti potestatem non esse ad hoc collatam, ut ab ipsa culpa & labe peccati posset absolvere, sed tantùm, ut ostenderet, sua absolutione, homines, qui peccata sua confitentur, jam à Deo absolutos esse.*

Septimò, agnoscunt, *materiam Sacramenti propriè sic dicti, esse rem visibilem, in oculos incurrentem, divina institutione præscriptam.*

(Talis autem res visibilis non est in Pœnitentia, sive confitentem, sive absolventem respicias.)

Altensteig in Lexico. *Magister sententiarum ex quodam Augustini libro de corpore Christi hanc Sacramenti definitionem confecit, Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius salutem operatur. Hanc definitionem sic ponit Cortesius dist. 1. lib. 4. sentent. Sacramentum est, in quo sub operculo rerum spectabilium à divinitate incolumitas nostra juvatur. Sacramentum est secundum Magistrum invisibilis gratiæ visibilis forma, ut ipsius imaginem gerat & causa existat. Eam definitionem sic explicat Paulus Cortesius ubi supra &c. At sententiarum Magister Sacramentum inaspectabilis gratiæ aspectabilem formam esse voluit, & ita, ut cùm sui simulachrum ferat, causa dicatur. Quæ quidem definitio, quasi cumulatè Sacramenti acervum expleat, maximè à Divo Thoma probatur. Sacramentum secundum Hugonem de S. Victore lib. de Sacram part. 1. c. 1. est corporale vel materiale Elementum extrinsecus oculis suppositum ex institutione significans.* Hæc Altensteig.

Stephanus Eduensis init. Tract. de Sacrament. altaris, & Edmundus Augerius Catechismi c. 4. sect. 1. Joh. Ferus in Examine Diaconandorum, & pleriq; alii *materiam Sacramentorũ* dicunt *esse non visibilem & oculis subjectam.*

(Excipit quidem Bellarm. lib. 1. de Sacrament. in genere c. 13. *visibilia dici communi nomine pro rebus quocunq; sensu perceptibilibus, etsi non visu, sed auditu percipiantur, atq; hoc modo se rem habere cum verbis confitentis, quæ non visui, sed auditui obvia sint, quomodo Augustinus dixerit lib. 10. Confess. cap 35. Vide, quomodo olet, quomodo sapiat, quam sit durum!* Sed longè aliud est verbum, *vide,* nonnunquam usitari ad objecta reliquis sensibus perceptibilia, ut ad instar voculæ *Ecce* significationem quasi interjectionis sustineat: aliud res aspectabiles, materiam visibilem, rem oculis subjectam, idem significare, quod verbum audibile, cujusmodi exemplum nec ex Augustino, nec ex aliis probatis scriptoribus adduci poterit.)

Octavò, Bellarminus tacitè fatetur *novitatem hujus doctrinæ,* quod Pœnitentia sit Sacramentum. Nam

Lib. 2. de Sacram. c. 24. §. Joh. 20. & lib. 1. de Pœnit. c. 10. §. Accedant &c. producturus testimonia antiquitatis, allegat Tertullianum, Cyprianum & alios &c.

(Atqui hi pœnitentiæ *fructus ac necessitatem* commendant, Sacramentum autem propriè dictum ab iis appellari, ostendi nequit.)

Quinimò non potest novitatem diffiteri, d. l. §. Accedat, sic scribens: *Accedat ultimò testimonium Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, quæ ab annis D. floruit. His enim quingentis annis in tota Ecclesia Sacramentum pœnitentiæ inter Sacramenta verè ac propriè dicta, numeratum esse, nullo modo negari potest, neq; adversarii, ut arbitror, negant. Satis enim id constat, tum ex Petro Lombardo, quem Theologi omnes posteriores secuti sunt, tum ex decreto Lucii Papæ III.* (qui vixit Anno 1181.) *quod extat cap. Ad abolendam, Extra. de Hæreticis; & ex definitione generalium Conciliorum, Florentini & Tridentini, quibus Catholici omnes libenter parent.*

6. Dissensiones Adversariorum, (quæ arguunt dogmatis hujus incertitudinem.)

Dissentiunt invicem 1. *de subjecto quæstionis,* seu de ipso definito, quid scilicet pœnitentiæ nomine intelligendum sit, quando quæritur, an pœnitentia sit Sacramentum.

Lombardus lib. 4. sentent. dist. 22. C. *Quidam dicunt, Sacramentum hic esse, quod exterius tantùm geritur, scilicet exterior pœnitentia, quæ est signum interioris pœnitentiæ, scilicet contritionis cordis & humilitatis. Quod si est, non omne Sacramentum Evangelicum efficit id, quod figurat. Exterior enim pœnitentia non efficit interiorem, potius interior est causa exterioris. Sed ad hoc inquiunt illi, id esse intelligendum de Sacramentis, quæ in Novo Testamento sunt instituta.*

Quidam autem dicunt, exteriorem pœnitentiam & interiorem esse Sacramentum, nec duo Sacramenta, sed unum, atq; in hoc Sacramentum aliud esse tantùm Sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam, aliud Sacramentum & rem, scilicet interiorem pœnitentiam, aliud rem & non Sacramentum, scilicet remissionem peccatorum.

Georgius Cassander in Consult. art. 12. p. 945. *Nonnulli ex ordine Scholasticorum non familiarem, sive privatam pœnitentiam, neque quamvis publicam, sed solennem tantum Sacramentum dici affirmant, quæ pœnitentia in ejectione ab Ecclesia, in cinere & cilicio peragi solet, & à qua in Canonibus propriè pœnitentes appellantur, ea est, quam iterari non posse veteres scribunt, ut est apud Ambrosium.*

2. *De institutione hujus Sacramenti.*

1. Lombardus d. l. mentionem facit quorundam, qui statuunt, *Sacramentum Baptismi, Confirmationis & Corporis Christi in Novo Testamento esse instituta, sed Sacramentum pœnitentiæ, sicut & conjugii ante tempus gratiæ, etiam à primordio generis humani fuisse.*

Sed Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. & Bellarminus lib. 1. de Pœnitent. c. 19. statuunt, *pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis à Christo post resurrectionem institutum*

Clingius institutionem quærit in dicto Christi Matth. 4. *Agite pœnitentiam.*

Concilium Tridentinum, *Joh. 20. post resurrectionem hoc Sacramentum à Christo institutum esse* docet.

Hosius & alii *Matth. 16. Tibi dabo claves &c.* institutionem quærunt.

Dominicus Soto 4. sent. dist. 17. quæst. 1. *materiam hujus Sacramenti* quærit Matthæi 4. *formam* Matth. 16. *efficaciam* Lucæ 24.

3. *De materia hujus Sacramenti.*

Thomas part. 3. q. 84. art. 2. *Proxima materia hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, remota materia sunt peccata, de quibus dolet, quæ confitetur, & de quibus satisfacit.*

Art. 3. *Ea, quæ sunt ex parte pœnitentis, habent se ut materia, quæ sunt ex parte Sacerdotis, habent se ut forma.*

Biel 4. sent. dist. 24. q. 1. *Solus actus Confessionis exterior est hujus Sacramenti materia.*

Thomas 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 1. *Ipse suscipiens est materia hujus Sacramenti.*

Compendium Theolog. lib. 6. c. 20. statuit, *materiam sive Elementum h. l. largè accipiendum pro omni re, sive sit substantia externa, sive actio humana, & proinde in Sacramento pœnitentiæ Elementum esse exteriores actiones hominis pœnitentis, cordis contritionem, oris confessionem, operis satisfactionem.*

Contarenus de Sacramentis c. 3 *In Sacramento pœnitentiæ nulla est alia materia, præterquam operationes & actus pœnitentis, qui materialis pars sunt hujus Sacramenti.*

Ac paulò post hoc ipsos actus interpretatur *accessum ad Sacerdotem, genuflexionem, peccatorum confessionem, satisfactionem impositam.*

Idem habet Censura Coloniensis tit. de Pœnitent.

Sed Catech. Roman. part. 2 c. 5. q. 12. *Ut ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur, ita peccata, quæ pœnitentiâ delentur, rectè hujus Sacramenti materia vocari possunt.*

Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. timidiusculè vocat *quasi materiam. Sunt autem,* inquiunt, *quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus.*

(Quamvis verò Richardus lib 4. sent. dist. 16. artic. 1. hæc omnia sic conciliet, *quod triplex hic sit materia, remotissima, videlicet peccata; remota, videlicet peccator confitens; & propinqua, videlicet ipsa Confessio;* in tribus tamen punctis adhuc remanet discrepantia circa hujus Sacramenti materiam. Nam)

Quidam *solam absolutionem ad essentiam hujus Sacramenti pertinere* dicunt ut Scotus, Occam, Almain 4. sentent. dist. 14. quidam verò *duplici parte intrinseca hoc Sacramentum constare* disputant, *absolutione Sacerdotis & actibus pœnitentiæ,* ut recentiores plerique omnes.

Deinde quidam *omnes pœnitentis actus, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem*; quidam verò *solam Confessionem hujus Sacramenti materiam esse* volunt.

Scotus 4. sent. dist. 16. q. 1. *in sola absolutione* ponit substantiam hujus Sacramenti.

Durandus addit absolutioni *contritionem*.

Ex omnibus actibus absolventis pœnitentisq; constare, communis est sententia. Gregorius de Valent. tom. 4. col. 1543. ubi Scoti & Durandi sententias refellit.

Tertiò, quidam absolutionem Sacerdotis referunt *ad Elementum, sive symbolum externum*, quidam verò *ad formam hujus Sacramenti*.

Bellarm. lib. 1. de Pœnit. c. 16. resp. ad 2. *Nulli sunt Catholicorum, qui materiam hujus Sacramenti fecerint actionem Sacerdotis certo ritu pronunciantis absolutionem, si unum excipias Gropperum, aut quicunq; fuit autor Enchiridii Coloniensis.*

In Concilio Tridentino Theologis Ordinis Franciscanorum admodum displicebat, *quod Contritionem, Confessionem & Satisfactionem materiam esse Sacramenti Pœnitentiæ declarassent, non quod ea ad pœnitentiam requiri negarent, sed quod pro partibus essentialibus non agnoscerent. Materiam enim dicebant esse quiddam, quod à Ministro applicatur recipienti, non autem actum ipsius recipientis, sicuti in omnibus apparet Sacramentis, absurdum itaq; esse pœnitentis actus partem Sacramenti constituere: imò non minus requiri contritionem in Sacramento Baptismi, quam in pœnitentia; neq; tamen partem efficere Baptismi. Olim ante Baptismum peccatorum Confessionem requisitam, sicut in illis videre est, quos Divus Johannes baptizavit, & egisse pœnitentiam Catechumenos: neq; tamen ista quis aut partes, aut materiam Baptismi dixerit.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Concil. Trident. p. 407.

4. *De forma hujus Sacramenti.*

Quidam statuunt, *certa verba absolutionis esse hujus Sacramenti formam*; quidam verò contendunt, *nulla esse verba determinata, quibus absolutio impendatur.*

Bellarm. lib. 1. de Pœnitentia c. 16. eos conciliat hoc modo: *Si de sono & numero syllabarum agatur, nulla sunt verba determinata, quæ ad Sacramenti essentiam requiruntur; Si verò de sententia verborum sermo sit, nemo Catholicorum negat, verba esse determinata, atq; ex divinis literis depromta.*

(Ubi verò forma illa nobis describitur, sicut forma verborum in Baptismi & Eucharistiæ administratione adhibendorum disertè exprimitur?)

Quidam statuunt, *ipsam absolutionem esse hujus Sacramenti formam.*

Cardinalis Hosius Confess. c. 44. *Actus isti, nempe pœnitentis, materiæ locum obtinent, forma autem absolutio.*

Clingius lib. 4. Locorum cap. 31. *Materia hujus Sacramenti pœnitens; forma verò, Ego te absolvo à peccatis tuis.*

Panigarolla lect. 10. *Quod ad formam attinet, nonne sub aurium sensum cadunt absolventis verba? nonne auribus percipiuntur? nonne audimus nos, cum is dicit, ego te absolvo?*

Eadem est sententia Enchiridii Coloniensis de Pœnit. Bellarmini lib. 1. de Pœnitent. c. 16. Salmeronis, Gregorii de Valentia, quin & ipsius Concilii Tridentini sess. 14. c. 3. *Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo.*

Contra, *absolutionem* alii maluerunt *esse signum.*

Lindanus lib. 4. Panopl. c. 60. *Emundationis per Christi sanguinem aliud* (præter Baptismum) *in Scripturis Catholicæ fidei oculo perlectis, indicatur signum, puta, Absolutio.*

Polygranus in Assertionib. *Cum Sacramentum sit divinæ gratiæ mysterium, constat ab externo quopiam signo, pœnitentiam obtinuisse Sacramenti vocabulum. Circumspicientib. enim nobis, manifestissimum gratiæ signum occurrit in privata ac Sacerdotali absolutione.*

Tapperus art. 3. *Instituitur à Christo in his verbis signum sensibile, cum remissionis sive absolutionis sententia voce pronuncietur, & gratiæ promissionem habent verba, remittuntur eis.*

(Nisi fortè *signi* vocabulo utantur pro toto Sacramento, quod non est verisimile; vel absolutionem habeant pro tota pœnitentia, quod non potest locum habere, cum appellent absolutionem Sacerdotalem, ac signum illud à gratia distinguant.)

5. Manuum impositionem quidam volunt externum Elementum in hoc Sacramento.

Polygranus in Assertionibus. *Hæc vel remissio, vel retentio fieri non potuit per hominem, nisi manifesto aliquo signo, quo pœnitentis sensus quoq; disceret internæ gratiæ donum. Quod signum tum verbis promissionis divinæ, tum facto, manuum videlicet impositione factum, tradit antiquitas.* Idque probat ex Concilii Carthaginensis quarti Can. 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.*

Colonienses in Enchirid. testantur, *hunc ritum apud se usurpari. Quod præterea ex more Ecclesiæ nostræ*, inquiunt, *manus Sacerdotis super caput pœnitentis imponitur, indicat manum Dei, hoc est, divinam virtutem, seu Spiritus Sancti gratiam emundantem ac sanctitatem Sacramento adesse.*

Interim tamen statuunt, *manuum impositionem non esse de essentia vel necessitate Sacramenti.* Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 15. & alii passim.

(At si manuum impositio non est de essentia vel necessitate Sacramenti, quomodo poterit esse externum ejus Elementum?)

6. Dissident etiam de efficacia hujus Sacramenti.

Quidam statuunt, *vim Sacramentalem in sola absolutione consistere*, quæ sententia fuit olim Thomæ, Bonaventuræ & aliorum in 4. sent. dist. 18. & 22. Ex recentioribus ita statuunt Andreas Vega in Concil. Trident. lib. 13. c. 15. Franciscus Ferrariensis in Comment. cap. 72. lib. 4. contra gentes.

Quidam contra statuunt, *vim Sacramentalem partim in clavibus, quarum vi Sacerdos absolvit, partim in actione pœnitentis, quatenus eâ Deus utitur, ut instrumento, ad significandam & efficiendam justificationem, consistere.* Et hæc videtur esse sententia Thomæ pat. 3. q. 86. artic. 6. ubi revocavit, quod scripserat 4. sent. dist. 18. q. 1. art. 3.

Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 11. *priorem sententiam* sequitur. Sed lib. 1. de pœnit. cap. 16. §. ultimo scribit, *posteriorem non minus esse probabilem, licet ea paulò difficilius defendi posse videatur.*

In eod. cap. resp. ad 3. object. scribit, *actiones pœnitentis non habere vim Sacramentalem justificandi, nisi ut sunt instrumenta Dei.* Idem habet lib. ejusd. c. 6.

Gregor. de Valentia tom. 4. col. 1566. sic scribit: *Quidam voluerunt, effectum hujus Sacramenti esse quendam ornatum animæ præter gratiam, de quo disceptat Cajetanus, nos refutavimus Disp. 3. q. 3. punct. 1.*

7. De necessitate hujus Sacramenti. Gregorius de Valentia tom. 4. col. 1576. *Melchior Canus in relect. de pœnit. part. 5. arbitratur, omnino explicitum votum Sacramenti pœnitentiæ esse necessarium lapsis, necessitate medii ad gratiam acquirendam, cæterum nullis firmis argumentis id probat.*

Plures hujusmodi de Sacramento pœnitentiæ dissensiones affert Pesantius in Thomam f. 924. & seqq.

Quinimò nec ipse Bellarminus in disputatione de institutione, Natura & partibus hujus Sacramenti sibi satis constat:

Nam primò statuit, *pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis à Christo post resurrectionem institutum.* lib. 1. de pœnitent. c. 19. & tamen *partes hujus Sacramenti*, cumprimis *satisfactionem*, ex V. T. probare satagit.

Secundò, *actionem pœnitentis negat esse partem Sacramenti, nisi quatenus potestati Sacerdotali subjicitur.* lib. ejusd. cap. 16. resp. ad 2. obj. Scoti, & tamen disputat, *actus pœnitentis pertinere ad externum Symbolum hujus Sacramenti.* c. 17. §. 5.

Tertiò, quando lib. 1. de pœnit. c. 15. Prop. 2. probare cupit, *impositionem manus non pertinere ad essentiam hujus Sacramenti*, inter argumenta reliqua etiam hoc affert, *quod Dominus paralytico Matth. 9. & Magdalenæ Luc. 7. sine hoc ritu peccata remiserit.* Præsupponit igitur, *remissionem illam fuisse Sacramentalem*, alias medius terminus à conclusione foret planè diversus.

Contrarium statuit lib. 1. de pœnit. c. 11. §. ad argumentum &c. ubi inter cætera sic scribit: *Pœnitentia, quam Christus & Joh. Baptista prædicarunt, ideò Sacramentum non fuit, quia defuit pars potissima, nimirum verbum absolutionis confessioni peccatorum adjunctum &c. Legimus quidem Christum & paralytico & fœminæ peccatrici peccata remisisse, sed eos peccata confessos nequaquã legimus.*

8. Denique de *pœnitentia, ut est virtus*, itidem discrepantes occurrunt Scholasticorum sententiæ.

Bonaventura 1. sent. dist. 14. art. 1. q. 1. disputat, *pœnitentiæ virtutem esse ipsam gratiam & misericordiam Dei.*

Alii, referente Thoma 4. sent. dist. 14. q. 1. voluerunt; *pœnitentiam non esse specialem virtutem differentem ab aliis virtutum habitibus, sed sub illis omnibus contineri.*

Scotus 4. sent. dist. 14. *quatuor distinctos actus virtutis pœnitentiæ* ponit, *ut pote velle punire peccatum, nolle peccasse, velle acceptare punitionem pro peccato, pœnam susceptam patienter ferre.*

Duran-

Durandus 4. sent. dist. 14. q. 2. contendit, *pœnitentiæ virtutem esse ipsam justitiam commutativam moralem.*

Cajetanus in 4. sent. dist. 14. art. 2. asserit, *pœnitentiam esse ipsam religionem.*

Thomas p. 3. q. 84. art. 4. statuit, *pœnitentiæ virtutem esse in voluntate hominis, tanquam in proprio subjecto.*

q. 85. art. 5. disputat, *habitum pœnitentiæ divinitus infundi* cui contradicunt Scotus 4. sent. dist. 14. quæst. 3. & Durandus ead. dist. q. 2.

Biel 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 3. dub. 1. *Sicut diversi actus pœnitentiæ ad diversas virtutes possunt reduci, ita & eorum habitus sub diversis virtutibus possunt contineri; actus vindicandi reducitur ad virtutem justitiæ distributivæ, actus detestandi reducitur ad diversas virtutes; nolle luxuriam, reducitur ad virtutem temperantiæ, detestari superbiam reducitur ad humilitatem, tolerare pœnam pro peccatis, reducitur ad virtutem patientiæ.*

Argum. Adversariorum,

1. Matth. 4. v. 17. *Agite pœnitentiam.* Ex hoc loco Clingius lib 4. Loc. capit. 31. vult institutionem Sacramenti Pœnitentiæ probare.

Resp. 1. Si ex hoc mandato probari posset, pœnitentiam esse Sacramentum, sequeretur, pœnitentiam etiam in V. T. fuisse Sacramentum. Ratio consequentiæ est, quia etiam in V. T. extant ejusmodi præcepta. Ezech. 18. v. 30. &c. Consequens Pontificii non admittunt. Concil Tridentinum sess. 4. c. 1. *Nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum.*

2. Eadem pœnitentia mandatur his verbis, quam antea prædicabat Johannes.

Cornel. Jansenius Concord. cap. 25. *Ab eodem exorditur Dominus suam prædicationem, unde Johannes, ut illius prædicationem confirmaret, seque idem sua prædicatione conari ostenderet, quod ille conabatur.*

Lucas Brugensis in c. 4. Matth. *Ut Johanni successit, ita ut ostenderet, se eandem afferre doctrinam, quam attulerat Johannes, summumq; inter se & Johannem esse consensum, & stabiliret testimonia, quæ Johannes de ipso tulerat, confirmaretq; se eum esse, cujus ille fuerat præcursor; deniq; ne ab se alienaret, quos illius admiratio jam totos occuparat, à nota & familiari illius doctrina, Evangelii summam complectente, prædicationem suam auspicatur, eodem utens exordio, eademq; Evangelii prædicandi forma.*

(Jam verò pœnitentia illa, quam prædicavit Johannes, non fuit Sacramentum, ut patet ex decreto Concilii Tridentini paulò ante adducto. Ergò nec pœnitentia à Christo prædicata fuit Sacramentum.)

Arg. 2. Joh. 20. v. 23. *Quorumcunq; remiseritis peccata, remissa erunt. Cum Dominus Apostolis potestatem remittendi hominibus peccata concesserit, non est dubium, quin signo aliquo externo eam potestatem exerceri voluerit.* Bellarm. lib. 1. de pœnit. c. 10.

Resp. 1. Ex hypothesi ipsius Bellarmini & aliorum Pontificiorum, Sacramentum pœnitentiæ in his verbis demum fuit institutum. Bellarm lib. 1. de pœnit. c. 10.

(Jam verò ratiocinatio isthæc Bellarmini applicari potest ad omnia tempora, in quibus peccatorum remissio fuit pœnitentibus annunciata, tùm in Vet. Test. tùm in Nov. Test. ante hæc verba à Christo prolata. Sic Matth. 9. *paralytico* & Luc. 7. *fœminæ peccatrici* Christus peccata remisit, ac verbum absolutionis pronunciavit. Dubitari ergò non potest, quin signo aliquo externo eam potestatem exercuerit, alias homines illi, utpote corporales, sibi peccata remitti non intellexissent. Habebimus igitur Sacramentum ante institutionem Sacramenti administratum. Sic Nathan Propheta peccatorum remissionem Davidi annunciat 2. Reg. 12. v. 13. ac David externis signis, præsertim verò confessione se peccata habere, sibique eadem displicere testatur. Ergone & ibi administratum fuit Sacramentum aliquod peculiare verè & propriè sic dictum?)

2. Argumentum Bellarmini valet æquè in pœnitentia *ante Baptismum*, ac in pœnitentia *post Baptismum.*

Nec dicit Bellarminus, *non posse homines post Baptismum intelligere, sibi remissa esse peccata, absq; externo signo*, sed simpliciter dicit, *non posse homines intelligere, sibi remissa esse peccata, absq; externo signo*, quæ ratio si vera, æquè valebit in pœnitentia ante Baptismum ac post Baptismum. Et tamen pœnitentiam ante Baptismum Pontificii non habent pro Sacramento.

3. Lombardus lib. 4. sent. dist. 22. lit. C mentionem facit quorundam, qui docuerunt, *ab exordio mundi hoc Sacramentum fuisse institutum.*

(Illi non agnoscent, in his Christi verbis Sacramentum pœnitentiæ institui.)

4. Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 9. §. Quartum est &c. statuit, *in quolibet Sacramento requiri ejusmodi signum sensibile, quod habeat cum re, quam significat, analogiam & similitudinem quandam.*

(Jam verò tale signum in verbis Christi non exprimitur. Ergò nec Sacramentum propriè dictum hic instituitur.

Excipit quidem Bellarminus d. l. §. Solum, *analogiam illam consistere inter exteriorem absolutionem, quæ ore pronunciatur, & internam justificationem, quæ à Deo efficitur.* Sed revocamus ei in memoriam, quod lib. 1. de pœnit. cap. 11. §. Quare, statuat, *non solam absolutionem, sed etiam confessionem esse signum visibile in hoc Sacramento.* Ergò non sufficit analogiam ostendere *in absolutione externa & justificatione interna*, sed eadem quoque ostendenda erit *in confessione.*

Præterea Bellarmin. lib. 1. de Sacram. cap. 9. § Quartum est &c. *tria signorum* statuit *genera, Quædam*, inquit, *tantam habent cum re significata similitudinem, ut sine ulla institutione naturaliter significent; quædam alia nullam habent cum re significata similitudinem, & ideò tota pendent ab institutione; quædam medio modo se habent, nam habent quidem analogiam cum re sed tam indeterminatā & confusam, ut magis apta sint ad significandum, quam actu significent, nisi determinentur ab aliquo. Ad secundum genus signorum* refert *verba, quæ sunt signa rerum. Tertii generis signa* dicit *esse omnia Sacramenta.* At si in Sacramento pœnitentiæ non aliud datur signum visibile, quam verbum confitentis & absolventis, quomodo omnia Sacramenta *ad tertium genus* signorum pertinebunt? an non ipse Bellarminus verba *ad secundi generis signa* retulit? Vanum est effugium, quod *verba illa, Ego te absolvo, sint Sacramentum, non quatenus verba sunt & ex humana institutione significant, sed quatenus sunt veluti res quædam à Deo instituta ad significandam & efficiendam justificationem à peccatis.* Nam res & verba toto genere differunt. Nunquam igitur Bellarminus ex verbis absolutionis rem quandam Sacramentalem sive Elementum externum visibile fabricare poterit.)

5. Sacramentalia signa oportet esse visibilia. Altensteig in Lexico, in verbo Sacramentum ex Cortesio *Sacramentum est, in quo sub operculo rerum spectabilium à divinitate incolumitas nostra juvatur &c. Magister Sacramentum inaspectabilis gratiæ aspectabilem formam esse voluit. Stephanus Eduensis initio tractatus de Sacramento altaris: Dei Filius expleta dispensatione à Patre sibi credita, volens nobis relinquere omnia saluti necessaria visibili materia ordinavit, & fieri præcepit invisibilia Sacramenta. Quomodo enim posset homo intelligere dona spiritualia, nisi aliquo visibili moveretur ad ea percipienda.*

Edmundus Augerius Jesuita Catechismi capit. 4. sect. 1. μυςήριον δὲ τί καλεῖς; τὸ σύμβολον τὸ ἱερὸν μὲν, ὄψει δὲ κατάδηλον. *Quid verè Sacramentum vocas? signum, quod sit sacrum & oculis subjectum.*

(Atqui in his verbis nullum continetur signum visibile. Ergò nec institutio Sacramenti.)

6. Bellarminus in Psalm. 50. sic commentatur: *Signum perfectæ justificationis est, cum Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium in se aliquando Propheta expertus, iterum illud petit, dicens: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, id est, cum me perfectè laveris, addes & hoc beneficium, ut interiore quodam gaudio, tanquam signo, remissi peccati me mirabiliter afficias.*

(Ergò non est absolutè necessarium, requiri signum aliquod Sacramentale externum, ut homines intelligant peccata sibi esse remissa, quod tamen Bellarminus in hoc argumento præsupponit.)

7. In Concilio Tridentino multam sermonis materiam dedit, quod primo capite doctrinæ & sexto canone definitum, *Christum Sacramentum pœnitentiæ tum instituisse, quando insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata &c. Scripturam singillatim ritus* (Baptismi & Eucharistiæ) *usu olim apud Judæos recepto, licet in alios fines, cum circumstantiis omnibus suis exprimere. Mirum igitur meritò videri, eundem Christum instituentem ritum confitendi homini sua peccata, adeò singillatim & exactè, ut nulla extet ejusmodi vetus consuetudo, verbis id apertis non effari, sed ejusmodi, ex quibus per consequentiam solam, eamq; pessimè connexam Christi mens eliciatur, imò per consequentias plurimas valde remotas ex Synodi sententia petatur. Nec minus mirum illud, quod, cùm institutio habeat verbum remittendi*

mittendi, Patres in solenni sua forma non dicant, Remitto tibi peccata, sed potius, Absolvo te à peccatis. *Alii addebant, si per hæc verba Sacramentum absolutionis instituitur, cum hac forma, Absolvo te, propter eum, qui absolvitur, inevitabili necessitate sequi, alterum Sacramentum, aut ipsum hoc instituendum propter eum, qui ligatur, cujus hæc sit forma, Ligo te: cum intelligi satis non possit, quomodo eadem potestas absolvendi & ligandi fundata in verbis Christi planè similibus, in solvendo requirat pronunciationem verborum, Absolvo te, & in ligando non requirat ea verba pronunciari, Ligo te: aut qua de causa ad exequendum illud, quod Christus dixit, Quorum remiseritis &c. Et quæcunq; ligaveritis &c. necesse non sit dicere, Ligo te: sed ad exequendum, Quorum remiseritis & quæcunq; solveritis &c. necessario dicendum sit, Absolvo te.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Conc. Trident. p. 417.

Argum. 3. Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses verbo Confessio, ex verbis Joh. 20. absolutionem esse Sacramentum alio modo probat. *Sacerdote, inquit, remittente ministerialiter, Deus vere peccata tunc remittit. At cum peccatorum remissio nunquam sine gratia gratum faciente habeatur, sequitur, ut quoties Sacerdos pœnitentem à peccatis absolvit, toties Deus gratiam infundat. Quod si per illam gratia infunditur à Deo, sequitur eam rectè dici posse Sacramentum, quia post verba sensibilia significantia absolutionem peccatorū, si peccator obicem non ponat, efficaciter sequitur gratiæ infusio.*

Resp. 1. Lombardus 4. sent. dist. 18. lit. E. sic disserit: *Aliter Deus solvit, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantùm dimittit peccatum, qui & animam mundat ab interiori macula, & à debito mortis æternæ solvit.* lit. F. *Non autem hoc Sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem ligandi & solvendi, hoc est, ostendendi homines ligatos vel solutos, unde Dominus leprosum sanitati prius restituit, deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit discipulis solvendum.*

2. Joh. Ferus lib. 2. Comm. in Matth. *Non est verè & propriè potestas remittendi peccata, sed facultas tantùm pronunciandi, declarandi, testificandi à Deo esse remissa, nec est aliud absolutio, quam si dixero; En tibi certifico, remissa tibi esse peccata.*

(Ergò infusio gratiæ absolutionem Sacerdotis præcedit, non autem sequitur.)

3. Inferius in c. 4. ex multis Juris Canonici capitulis manifestum faciemus, *ante confessionem & absolutionem, verè pœnitentibus peccata coram Dei judicio remitti*, quod ipsum confirmat Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 13. *Contritio perfecta cum voto Sacramenti conjuncta remittit peccata ante Sacerdotis absolutionem.*

(Ubi peccatorum remissio, ibi gratiæ infusio, inquit Alphonsus. Atqui ante absolutionem Sacerdotis verè pœnitentib. datur peccatorum remissio. Ergò etiam gratiæ infusio.)

Arg. 4. 1. Tim. 5. v. 22. *Manus citò nemini imposueris, neq; communicaveris peccatis alienis.* Ex hoc loco Sacramentum pœnitentiæ evincere cupiunt. *Quod enim Apostolus loquatur de judicio confessionis & reconciliationis*, illud probant *ex præcedentibus & consequentibus. Præcedit enim, peccantes coram omnibus argue. Sequitur, Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium.*

Resp. 1. Leo Epist. 87. Gregor. lib. 5. moral. c. 30. Thomas, Dionysius Carthusianus, Cajetanus, Gagnæus, Guillandus impositionem illam manuum accipiunt *de ordinatione.*

2. Salmero in illum locum, postquam duas præmiserat manuum impositiones, *Catechumenorum & Confirmationis*, subjungit: *Tertia manus impositio erat in usu Patrum, & spectabat ad Absolutionis Sacramentum.* Sed post pauca addit: *Verùm hujus impositionis manuum nulla est in sacris literis mentio. Quarta erat impositio manuum ad Ordines sacros conferendos: & de hac esse intelligendum præsentem locum probant sacræ literæ, ut Lucas Act. 6. 13. & 14. & Paulus &c.*

3. Bened. Justinianus ibid. *An manuum impositione Sacramentum Pœnitentiæ intelligit? Sic sanè quidam, nullo, ut arbitror, satis firmo argumento. Vix enim, ni fallor, hujus manus impositionis ullum extat in sacris literis testimonium. Quanquam enim olim Pœnitentes impositione manuum nexu solvebantur, atq; adeò etiam in Pœnitentiæ Sacramento adhiberi quotidie soleat, neutrum tamen ex sacris literis, tanquam ad expiationem necessarium, colligi potest.*

4. Idem Salmero, qui tom. 11. tract. 18. ex hoc loco Sacramentum pœnitentiæ evincere laborat, super verba Pauli 1. Timoth. 5. v. 21. *Peccantes coram omnibus argue*, sic commentatur: *Peccantes ergò Episcopi, vel quicunq; qui manifestè fuerint deprehensi peccasse, sive id contingat testimonio duorum vel trium, sive pro evidentia facti, arguendi sunt severè & objurgandi coram omnibus:* ac super verba, *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, &c.* sic commentatur: *Sunt quidam in manifesto eò usq; mali, ut ante judicium sint manifesti, aut oporteat eos per judicium manifestari & agnosci &c. Illi ergò, quorum est manifestè vita scelerata, fugiendi.*

(Sic ergò ipsemet subruit fundamentum, quod ex hoc loco Apostolico pro confirmando Pœnitentiæ Sacramento fabricavit.)

5. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. sic commentatur: *Manus citò nemini imposueris, id est, neminem non sat probatum temerè sacro ordine initiaveris: ne, si indignos promoveris, fias particeps alienorum peccatorum, & scandala, quæ consequantur, tibi adscribantur.*

Argum. 5. *Impositio manuum est externum hujus Sacramenti symbolum.*

Bellarm. lib. 1. de pœnit. c. 11. *Non desunt multa signa visibilia in Sacramento pœnitentiæ, sive Sacerdotem aspicias manus imponentem, sive pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum.*

Resp. 1. Thomas p. 3. q. 84. art. 4. *In hoc Sacramento non requiritur manus impositio, quippe quæ fit ad designandum copiosum aliquem gratiæ effectum.*

(Ergò manus impositio non est externum hujus Sacramenti symbolum, quia externum Sacramenti symbolum semper est necessarium.)

2. Bellarminus ipse d. l. subjungit. *Ista omnia ita plerunq; conspici, ut tamen etiam absq; iis Sacramentum pœnitentiæ esse possit.* Ac lib. ejusd. cap. 15. probat, *hunc ritum non pertinere ad hujus Sacramenti essentiam.*

(Agnoscit ergò manus impositionem in absolutione non esse simpliciter necessariam, proinde etiam non esse externum hujus Sacramenti Elementum.)

Arg. 6. *Montanistarum & Novatianorum error fuit, negare pœnitentiæ Sacramentum.*

Bellarm. lib. 1. de pœn. c. 9. Idem lib. 4. de notis Eccles. c. 9. art. 25. dicit, *Lutherum rejicere pœnitentiam cum Novatianis.*

Resp. 1. Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæres. tit. Pœnitentia, Novatianorum hæresin sic describit: *Novatiana hæresis peccantibus omnem pœnitentiæ virtutem tollit, dicens, eos, qui semel post Baptismum lapsi sunt, nunquam postea consequi remissionem peccatorum, etiamsi postea eos pœniteat.*

(Eodem modo Novatianorum hæresin describunt Philastrius de hæresibus. Epiphanius in Catharis, Augustinus de hæresibus, Damascenus de hæresibus, Cyprianus vel quicunq; alius autor ad Novatianum, unde Bellarm. lib. 1. de pœnit. cap. 2. non solum à Castro, sed etiam alios nonnullos ita statuisse docet.)

2. Vega lib. 13. de Justific. c. 2. *Novatiani omne peccatum lethale post Baptismum commissum irremissibile censuerunt.*

3. Maldonatus in c. 4. Joh. *Dixit Christus Joh. 5. Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; ex quo loco probat Pacianus contra Novatianos, non negandam esse pœnitentibus vitam. Nec enim dixisse Christum, jam noli peccare, quia non sanaberis iterum, sed ne deterius aliquid tibi contingat.*

(At quid cum hac Novatianorum hæresi Ecclesiis nostris commune?)

4. Bellarm. ipse lib. 4. de Eccles. c. 9. art. 24. *Novatianorū hæresin* sic describit, *quod docuerint, non esse in Ecclesia potestatem homines reconciliandi Deo nisi per Baptismum.*

(Eodem modo Cyprianus Epist. 52. Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 1. & 2. Socrates lib. 1. Hist. Eccles. c. 10. Prateolus de hæresibus &c. Novatianorum hæresin describunt.)

De nobis verò sic scribit idem Bellarminus lib. 3. de Justificat. c. 6. §. 3. *Tametsi dicant, remissionem non pendere à conditione operum, neq; pœnitentiam aut fidem aut ullum actum nostrum esse causam aut meritum justificationis, tamen non negant, requiri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam & pœnitentiam seriam, & sine his neminem justificari.* Ac lib. 1. pœnit. c. 9. §. 5 fatetur, *Protestantes reconciliationem lapsorum post Baptismum agnoscere.*

Lib. ejusd. cap. 8. præced. §. 2. sic scribit: *Non de quavis pœnitentia inter nos & Protestantes controversia habetur. Pœnitentia vel in sola mentis conversione, atq; interna peccati detestatione consistit, vel in externis signis, ut mœrore, lachrymis, confessione, corporis afflictatione se prodit. Neq; de hac re ulla controversia est. Ipsi adversarii Calvinus & Chemnitius opera externa laboriosa, ut signa vera pœnitentiæ internæ, non rejiciunt. Deinde absolutionis ritum aliquem ferè omnes agnoscunt. Sed hic est status controversiæ, utrum pœnitentia signis externis manifestata, accedente ad eam verbo absolutionis, sit Sacramentum propriè dictum.*

(Quo-

(Quomodo ergò cum Novatianis pœnitentiam planè negantibus nos conjungere poterit? ac quisnam ex veteribus Novatianorum hæresin sic descripsit, quod negaverint pœnitentiam esse Sacramentum?

5. Gregor. de Valentia de num. Sacram. cap. 4. fatetur, *nos admittere rem ipsam pœnitentiæ post Baptismum, idq; toties, quoties contigerit in peccatum labi.*

(At num hoc Novatianorum errori affine? Praxis ipsa, quâ gravissimos peccatores pœnitentiæ signa proferentes ad Sacramentorum participationem admittimus, nos satis superque ab eorum calumnia purgat, qui Novatiani erroris nos insimulant.

6. Pontificii statuentes, *legem à renatis in hac vita perfectè impleri, quin & opera supererogationis ab illis præstari posse,* potius affines sunt Novatianorum errori, de quibus Lindanus lib. 4. panopliæ capit. 64. scribit, *quod ob arrogantissimam puritatis ac sanctimoniæ opinionem apud populum se Catharos, id est, puros esse jactitarint,* ac Nazianzenus vocavit *novos Pharisæos,* referente Ribera in cap. 6. Hebr. num. 11. de nobis verò idem Lindanus lib. ejusd. cap. 61. scribit, quod statuamus, *lapsis per pœnitentiam impertiendam esse remissionem peccatorum, atq; ea parte cum Catholicis conveniamus.*

CAPUT II.

De partibus pœnitentiæ in genere.

THesis I. Duæ sunt essentiales veræ ac salutaris Pœnitentiæ partes, Contritio & Fides.

Ἔκθεσις 1. Pœnitentiæ vox accipitur vel *latè* vel *strictè*. In significatione latiori accipitur *pro tota conversione* cum suis proprietatibus & effectibus; quo sensu pœnitentiæ partibus *nova obedientia* adjungitur. Apolog. Confess. art. 12. *Si quis volet addere tertiam partem, videlicet dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, mutationem totius vitæ ac morum in melius, non refragabimur.* Sed si pœnitentiæ vocula propriè ac strictè accipitur, duæ tantùm sunt essentiales veræ ac salutaris pœnitentiæ partes, *Contritio & Fides*, bona opera sunt pœnitentiæ fructus, Matth. 3. v. 8. Act. 26, 20. Apoc. 2, 5. Confess. August. art. 12. *Constat pœnitentia propriè his duabus partibus, altera est contritio seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato; altera est fides, quæ concipitur ex Evangelio seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam & terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.*

Idem repetitur in art. Schmalc. p. 3. art. 3. In Form. Conc. art. 5. &c.

2. Quando quidam ex nostris *mortificationem & vivificationem* statuunt duas essentiales pœnitentiæ partes, per mortificationem nihil aliud intelligunt, quam *contritionem*; ac per vivificationem nihil aliud intelligunt, quam *fidem.*

Antithesis. Bellarm. lib. .. de Pœnit. c. 19. propos. 1. *Terror animo incussus à lege, quem Lutherani contritionem sive mortificationem appellant non rectè inter partes pœnitentiæ numeratur. Hæc propositio conformis est Concilio Tridentino sess. 6. c. 6.*

Lib. & cap. iisdem propos. 2. *Fides non est pars pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam necessario requiratur. Hæc propositio etiam conformis est Concilio Tridentino sess. 6. c. 6.*

Catechismus Roman. fol. 245. *Fides nullo modo pœnitentiæ pars rectè dici potest.*

Nostram sententiam probamus primò *in genere,*

1. *Ex Natura pœnitentiæ.* Pœnitentia est quædam *conversio,* unde Hebræis תשובה appellatur. Jam verò omnis conversio versatur intra duos terminos, quorum unus vocatur *terminus à quo,* alter verò *terminus ad quem.* Ergò etiam pœnitentia duos illos terminos habebit. *Terminus à quo* sunt peccata & vita malè acta, ex quorum consideratione oritur dolor & contritio. *Terminus ad quem* est Deus, in quo fiducia misericordiæ propter Christum Mediatorem promissæ, cor hominis sese erigit, Act. 14. v. 15. c. 20. v. 20. & 21. c. 26. v. 18. & 20. quo pertinent omnia Scripturæ dicta, in quibus verè ac seriò pœnitentiam agentes, *à peccatis ad Dominum* converti dicuntur.

2. *Ex causa efficiente principali pœnitentiæ.* Duas esse pœnitentiæ partes, ostendit *justitia & misericordia Dei.* Ex illius consideratione nascitur *contritio*; ex hujus meditatione *fiducia.* Dan. 9. v. 15. *Peccavimus, inique egimus, impii fuimus.* (En pœnitentiæ partem priorem.) v. 18. *Tua verò Domine est misericordia & remissio. Non in justitiis nostris prosternimus nos &c.* (En pœnitentiæ partem posteriorem.)

3. *Ex causa ministeriali pœnitentiæ.* Quot sunt summa doctrinæ cœlestis genera, quorum ministerio Spiritus Sanctus veram ac salutarem pœnitentiam prædicat, & eandem in cordibus hominum operatur, tot sunt essentiales pœnitentiæ partes. Jam verò duo sunt summa doctrinæ cœlestis genera, per quæ Spiritus Sanctus pœnitentiam prædicat & operatur, videlicet *Lex & Evangelium,* ut evidenter constat, & ex sufficiente enumeratione reliquorum doctrinæ capitum facilè probari potest. Ergò etiam duæ sunt essentiales pœnitentiæ partes. Huc pertinent evidentia Scripturæ dicta, 1. Sam. 2. v. 6. Ps. 118. v. 18. Ps. 119. v. 28. Esa. 28. v. 21. c. 57. v. 15. Oseæ 6. v. 1. c. 9. v. 1. Matth. 11. v. 28. Luc. 24. v. 47. Act. 20. v. 21.

4. *Ex probatis exemplis verè pœnitentium.* Quot partes essentiales in ipsa praxi verè pœnitentium conspiciuntur, tot etiam partes essentiales veræ & salutaris pœnitentiæ sunt constituendæ. Atqui in praxi verè pœnitentium duæ partes essentiales conspiciuntur, ut ostendunt exempla *primorum parentum,* Gen. 3. *Davidis,* 2. Sam. 12. *auditorum Johannis Baptistæ,* Marc. 1. v. 14. Joh. 1. v. 29. *mulieris peccatricis,* Luc. 7. v. 48. & 50. Ergò.

5. *Ex comparatione.* Pœnitentia est salutaris animæ medicina, spiritualibus morbis nostris opposita, Matth. 9. v. 12. & 13. Quemadmodum igitur in curatione corporis requiritur *morbi cognitio & abolitio,* ita quoque in curatione animæ per pœnitentiam necessaria erit peccati, tanquam spiritualis morbi seria agnitio ac detestatio, ejusdemque per fidem in Christum abolitio, Luc. 10. v. 34.

Secundò, *in specie.* 1. *Contritionem* esse veram & essentialem partem, probatur ex eo.

1. Quod Deus ipse contritionem à verè pœnitentibus requirat, Esai. 46. v. 8. cap. 66. v. 2. Jerem. 3. v. 13. cap. 4. v. 3. & 8. Joel. 2. v. 12.

2. Quod contritio in exemplis verè pœnitentium perpetuo conspiciatur, ut ostendunt exempla *primorum parentum,* Genes. 3. v. 8. *Davidis,* 2. Sam. 12. v. 7. c. 24. v. 10. *Manassis,* 2. Paral. 33. v. 12. *Ezechiæ,* Esai. 38. v. 13. &c.

3. Quod absque vera contritione remissio peccatorum non habeat locum, Matth. 9. v. 12. c. 11. v. 28.

2. *Veram in Christum fidem* esse veram & essentialem pœnitentiæ partem, probatur ex eo,

1. Quod pœnitentia vocetur *opus ad vitam,* Act. 11. v. 18. per quam scilicet obtineatur remissio peccatorum, Jerem. 36. v. 2. Act. 3. v. 19. gratia Dei, justitia, donatio Spiritus Sancti, aversio vel mitigatio pœnarum &c. Jam verò hæc non habent locum absque fide Hebr. 11. v. 6. quinimo solâ fide in Christum hæc beneficia obtinentur. Ergò fides non potest excludi à partibus veræ pœnitentiæ, quin potius respectu fidei hæc omnia de pœnitentia prædicantur, modo prædicationis eo, quo proprietas partis toti propter illam partem tribuitur.

2. Quod per fidem vera & salutaris pœnitentia à falsa & exitiali distinguatur, ut ostendit exemplum Judæ ac Petri.

3. Quod in descriptione veræ & salutaris pœnitentiæ fides, ut pars essentialis, requiratur, Matth. 21. v. 32. Marc. 1. v. 15. Act. 19. v. 4. c. 20. v. 21.

4. Si fides ex numero partium pœnitentiæ expungeretur, non daretur in conversione terminus ad quem, nullum superesset discrimen inter salutarem & exitialem pœnitentiam, conscientiis territis adimeretur firma consolatio, pœnitentia tota esset opus legis, ac proinde non esset μετάνοια εἰς ζωὴν καὶ σωτηρίαν, Act. 11. v. 18. 2. Cor. 7. v. 10.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam duas pœnitentiæ partes esse agnoscunt, Contritionem & fidem.

Jacobus Veldius (quem Ægidius Topiarius *virum in re Theologica omnibus numeris absolutissimum* nominat) in Epilogo concionis in Epistolam diei cinerum duas pœnitentiæ partes constituit, scilicet *contritionem & confessionem Adami interni lugentis & plangentis peccata, tum fidem in Deum firmam, & fiduciam certam divinæ gratiæ.*

Johannes Ferus lib. 4. Comment. in Matth. cap. 27. *Vera pœnitentia est facere judicium & credere. Judicium facere est se peccatorem agnoscere, peccata sua damnare. Credere est confidere, Deum per Christum peccata non imputaturum. Hæc fides in misericordiam Dei per Christum necessaria est ad remissionem peccati. Dum enim homo cognoscit, Christum verum esse Salvatorem, pignus justitiæ, misericordiæ fontem, omissa peccatorum immanitate, ad Christū confugit.*

Georgius Cassander in Consult. art. 12. pag. 945. *novum quidem esse* dicit, *quod fides pœnitentiæ partibus adjungitur, prater-*

missa confessione & contritione postponitur &c. sed statim subjicit ea, quæ liquido evincunt, fidem non posse è numero partium veræ ac salutaris pœnitentiæ excludi. *Contritio* (inquit) *pœnitentiæ seu resipiscentiæ nomine significatur, cui, ut salutaris & efficax sit, fidem seu fiduciam misericordiæ accedere debere necesse est, ut exempla Cain & Judæ manifestè declarant. Itaq; falsò Ecclesiæ præsentis Doctoribus objicitur, quod mentionem fidei in pœnitentia prætermittant. Vide Hostiensem in summa de pœnitentia & remissione, ubi inter causas pœnitentiæ ponit spem, quæ à fiducia aliena non est, eamq; triplicem, veniæ, gratiæ & gloriæ; adfertq; ad eam rem præclara ex Ecclesiasticis Scriptoribus testimonia, ut est illud ex Augustino: Meritò spes valida mihi in Christo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum, qui sedet ad dextram tuam & interpellat pro nobis, alioqui desperarem. Multi enim & magni sunt languores mei, multi sunt, sed amplior est misericordia tua. Item. Ille tuus unicus redemit me sanguine suo, non calumnientur me superbi, quoniam cogitabo precium meum. Item ex Bernhardo. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, vulnerum enim Domini recordabor. Ex eodem. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte solvatur? Quid? quod Scholastici in justificatione motum requirunt, alterum in peccatum per contritionem seu detestationem; alterum in Deum per fidem, qua divinæ vocationi assentimur & obedimus, quo apti & dispositi reddamur ad justificationis gratiam consequendam, ad quem liberum arbitrium non propriè cooperetur, sed obediat ad consensum, quia gratia non datur, nisi volenti & assentienti.*

Idem art. 6. pag. 923. adducit & approbat dictum Basilii in definitionibus contractioribus. *Cum quanto timore & quantis lachrymis à peccato secedere debeat anima multis afflicta peccatis, & qua spe ad Dominũ possit accedere. Principio debet damnatam pristinam vitam odio prosequi, deinde comminationem æterni judicii ac supplicii per timoris Dei doctrinam complecti, certa, quod mundatio peccatorum sit per sanguinem Christi in amplitudine misericordiæ & multitudine miserationum Dei, qui dixit: Si fuerint peccata vestra sicut purpura, velut nivem illa dealbabo &c. Atq; ita ad Deum accedens psallat, dicens: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, & non lætificasti inimicos meos super me.*

(In his duæ pœnitentiæ partes, Contritio & fides, pulcerrimè exprimuntur.)

Ludovicus de Ponte lib. 5. in Cantic. Canticor. Exhortat. 27. col. 1282. *Non est dulcis vox, quæ sua jactat merita & nulla agnoscit peccata; nec quæ peccata agnoscit, veniam tamen & justificationem obtinere desperat, sed quæ peccata confitens, fidenter remissionem postulat.*

(Peccati agnitio & fiducialis remissionis peccatorum postulatio sunt duæ veræ pœnitentiæ partes.)

2. Quod quidam agnoscunt, fidem in Christum, sive quod idem est, fiduciam misericordiæ divinæ in Christo & propter Christum promissam, ad salutarem pœnitentiam requiri.

(Requiritur enim vel *ut pars*, vel *ut effectus*. Non ut effectus, quia pœnitentia in sua Natura & essentia est opus ad vitam, quod non nisi ratione fidei illi competit, nec potest per pœnitentiam obtineri remissio peccatorum, nisi adsit fides.)

Bernhardus serm. 1. de Annunc. B. Mariæ col. 105. *Si credis, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis, sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua, sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem.*

Serm. 3. de Annunc. col. 112. *Sola spes apud te, Domine, miserationis locum obtinet, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis &c. Rogemus igitur, fratres, responderi nobis quantas habeamus iniquitates & peccata, scelera nostra nobis desideremus ostendi. Scrutemur vias nostras & studia nostra, periculaq; universa vigili intentione pensemus. Dicat quisquis in pavore suo, vadam ad portas inferi, ut jam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc vera hominis fiducia est, cui misericordia non denegatur, Propheta testante, Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in his, qui sperant super misericordia ejus. Nec parva utiq; suppetit nobis, in nobis quidem causa timoris, in ipso autem causa fiduciæ &c.*

Petrus Cluniacensis (Bernhardi æqualis) lib. 1. Epist. 2. *Si secundum Scripturam justus ex fide vivit, peccator ad vitam per fidem redibit.*

Glossa Juris Canonici c. Sicut. dist. 3. de Pœnitentia. *Vera non est pœnitentia, quæ non fit ex fide per dilectionem operante.*

Pauletus in Concion. 1. in die Mariæ Magdalenæ fol. 280. *Hoc est verum saccharum pœnitentiæ, quã peccator Deo reconciliatur, si omnibus creatis rebus renunciet, & in solam Dei misericordiam omnem cordis sui fiduciam ponat.*

Georgius Wicelius in Compendio de Semit. antiq. *Constat pœnitentia & conversio impii, & reversio peccatoris propriè tribus, Contritione cordis, Confessione oris, & Satisfactione operis, qua mirum satisfit Ecclesiæ offensæ.* (Nota. *Ecclesiæ satisfit*) *His præcipuè additur indubitata absolutionis fides, quã resipiscens credit, sibi propter Christum certò remitti peccata anteacta.*

Hieronymus de la Nuza in tractat. Evang. tract. 1. part. 1. n. 14. *Pœnitentia est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum cum spe veniæ. Hanc spem ex Dei bonitate & misericordia debet peccator concipere.*

(Jam verò Deus nemini peccata remittit, nisi credat in Christum. Ergò spes veniæ includit fidem in Christum.)

Antonius Marinarius in oratione habita ad Patres Tridentinos, quam allegat Flacius lib. de dissens. Pontif. pag. 181 *Per Christum omnibus ex corde resipiscentibus, vivaq; fide in eum tendentibus, peccata gratis Deus condonat, eosdemq; in vitam & jus filiorum adoptat.*

3. Quod quidam agnoscunt, pœnitentiam Judæ propterea non fuisse salutarem, quia defuit ei fides in Christum.

(Per quod verò pœnitentia est salutaris, ac ab exitiali pœnitentia distinguitur, illud est principalis & essentialis pœnitentiæ pars.)

Joh. Ferus d. l. *Judæ pœnitentia non fuit vera, quia peccatum quidem agnoscit, sed non sperat aut credit misericordiam; revelatur ei peccatum, sed non Evangelium.*

Johannes de la Haye in Triumph. verit. cap. 182. *Pœnitentia Judæ similis erat pœnitentiæ damnatorum, quia sine spe veniæ. In extrema enim necessitate de Deo non speravit, in quo plus, quam Jesum tradendo, peccavit, nihil aliud ei defuit, non dolor, non confessio, non restitutio.*

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 27. Matth. *Efficax & laudabilis fuisset pœnitentia Judæ, si modò cum spe veniæ & misericordiæ fuisset conjuncta.*

Et postea. *Si Judas, à Principibus Sacerdotum rejectus, confugisset ad Deum, & coram eo prostratus veniam rogasset, sperassetq;, considerans divinæ misericordiæ magnitudinem, & orasset, ut quod restituere in integrum ipse non valebat, proditum, inquam, Jesum à morte liberare, postquam fecisset id omne, quod sibi possibile fuerat, Dominus Deus potens omnia facere id dignaretur, si consultum judicaret, & in oratione pœnitentiaq; hujusmodi perseverasset, invenisset utique pœnitentiæ locum, & gratiam apud eum, qui dixerat: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Multa vehementis, efficacis, adeòq; præclaræ pœnitentiæ argumenta ediderat, restabat hoc solum, ut spem veniæ conciperet, & amore offensi Dei ex fiducia nato dolorem, quem summum patiebatur, informaret, verùm ille nimia diffidentia laborans, non confugit ad Dominum, nec offensum rogavit veniam, sic animum defigens in turpitudinem magnitudinemq; sceleris sui, ut de misericordiæ magnitudine non consideraret.*

Cornelius Jansenius in Harmon. Evangel. Matth. 27. de Pœnitentia Judæ disserens, concedit, *Judam omnes tres partes pœnitentiæ* (quas Pontificii statuunt) *attigisse*, sed addit, *nihil horum ipsum rectè fecisse, siquidem confessionem & satisfactionem non fecerit illis, quibus erat facienda, neq; tristitiam cordis temperarit contemplatione divinæ misericordiæ.*

(Prior exceptio non est magni momenti, siquidem contritio & confessio Judæ fuissent satis sufficientes, modò conjuncta illi fuisset vera & salvifica in Christum fides. Unicum igitur illud pœnitentiæ Judæ defuit, quod tristitiam cordis non temperarit contemplatione divinæ misericordiæ. Sed hæc misericordia non obtingit nobis, nisi in Christo & per Christum fide apprehensum. Ergò fides in Christum à partibus veræ & salutaris pœnitentiæ excludi nequit.)

Bellarm. lib. 1. de Pœnit. c. 20. resp. ad 6. object. *Judas non habuit veram contritionem, quæ sine spe remissionis esse non potest.*

Thesis II. Contritio, Confessio & Satisfactio non sunt essentiales veræ pœnitentiæ partes.

Ἔκθεσις. Contritionem in vera pœnitentia requiri concedimus, sed loco fidei Confessionem & Satisfactionem poni improbamus, hac enim ratione merito nostræ contritionis, confessionis & satisfactionis peccati abolitio & amicitiæ cum Deo redintegratio tribuitur.

Antithesis. Bellarm. lib. 1. de Pœnit. c. 19. propos. 5. *Tres sunt partes pœnitentiæ, Contritio, Confessio & Satisfactio. In hac propositione omnes Catholici conveniunt.*

Nostram

Noſtram ſententiam probamus,

In hac enumeratione partium pœnitentiæ 1. ritus pœnitentiæ Eccleſiaſticæ ſolennis apud veteres uſitati ad generalem pœnitentiæ, quæ coram Deo agitur, doctrinam præpoſterè accommodantur, ejusque partes conſtituuntur.

2. Fides ex numero partium pœnitentiæ exterminatur, cum tamen ſolius fidei reſpectu pœnitentia ſit ſalutare medium, per quod Dei gratia, peccatorum remiſſio, averſio pœnarum ac vita æterna obtinetur.

3. Tres illi pœnitentis actus judicantur concurrere ad remiſſionem peccatorum efficiendam, quatenus vim Sacramentalem à verbo abſolutionis, à quo formantur, participant. Hac ergò ratione, quod Scriptura fidei in Chriſtum, quam ex ordine divino præcedit contritio, & ſequuntur bona opera, tribuit, id externis pœnitentis actibus & operibus, abſque Scripturæ ſuffragio, tribuitur.

4. Tres illi actus ad partes materiales hujus Sacramenti requiri ſtatuuntur, cum tamen de plenaria peccatorum coram Sacerdote enumeratione, & mulctâ ab eodem pœnitentibus imponenda, nullum extet in Scripturis teſtimonium.

5. Tales pœnitentiæ ſalutaris partes introducuntur, quæ locum habent in illis, qui nondum agunt veram, ſalutarem & Deo gratam pœnitentiam. Pharao Exod. 9. v. 27. peccatum agnoſcit, Dei juſtitiam prædicat, ſuum & populi peccatum confitetur, agnoſcit ſe meritò puniri, pœnas ad Deum autorem refert, petit earum mitigationem à vero Deo, interceſſionem ſolicitat, dimiſſionem promittit. Concurrunt ergò in Pharaonis pœnitentia *contritio cordis, confeſſio oris & ſatiſfactio operis*. Sed eventus oſtendit, omnia fuiſſe ſimulata. Judam commiſſi ſceleris pœnituit, quod etiam publicè confeſſus fuit, & ſatisfactionem ſponte ſuſcepit, nec tamen ejus pœnitentia fuit ſalutaris.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quod quidam agnoſcunt, veræ & ſalutaris coram Deo pœnitentiæ partes eſſe duas, Contritionem & Fidem, ut oſtendimus in theſi præcedente.

(Ergò illæ potius ſunt veræ & eſſentiales partes, non autem contritio, confeſſio & ſatisfactio.)

2. Quod quidam agnoſcunt, tres illos actus Eccleſiaſticæ pœnitentiæ, non autem pœnitentiæ coram Deo competere.

Doctor Weſſelus (al. Baſilius, Lux mundi dictus, qui floruit circa Annum 1490.) doctrinam Pontificiam de *tribus pœnitentiæ partibus* reprehendit.

Eraſmus in cap. 3. Matth. pag. 16. *Noſtrum vulgus putat eſſe pœnitentiam agere, præſcripta quapiam pœna luere, quod apud Chriſtianos, qui publicè peccaſſent, ejecti è conſortio propalam affligerentur, eaq́; ſatisfactio ſive pœna pœnitentia vocari cœpta, qua quidem ex re non mediocris error Theologis acceſſit.*

3. Quod quidam agnoſcunt, Judæ pœnitentiam tres illos actus includere, quæ tamen non fuit vera & ſalutaris pœnitentia.

(Dicta illa enumerata ſunt in theſi præcedente.)

Bellarm. d. l. excipit, *Judam nullam harum pœnitentiæ partium habuiſſe, non contritionem, quippe quæ ſine ſpe veniæ eſſe nequit; non confeſſionem, qualis exigitur, id eſt, ſingulorum criminum, atq́; ad veniam impetrandam Sacerdoti factam, nec ſatisfactionem, præſertim à Sacerdote injunctam; neq́; enim illi, ut ſe ſuſpenderet, fuiſſe imperatum, neq́; ſeipſum necare eſt opus bonum, qualia debent eſſe opera ſatisfactoria.*

Reſp. Contritio Judæ fuit omninò vera ac ſeria, quam μεταμελείας nomine Scriptura exprimit. Spes remiſſionis ac veniæ ad fidem, non autem ad contritionem pertinet, quia contritio oritur *ex lege*, ſpes veniæ *ex Evangelio*. Inſuper etiam Judas in ſpecie peccatum ſuum Sacerdotibus fuit confeſſus. Quamvis verò pœna ipſi non fuerit à Sacerdotibus impoſita, tamen ſponte eam ſuſcepit. Jam verò Bellarminus ipſe diſputat, *ſatisfactionis nomine intelligendas eſſe non ſolùm pœnas à Sacerdotibus impoſitas, ſed etiam ſponte ſuſceptas*, lib. 4. de Pœnit. c. 4. §. 2. Quamvis etiam ſeipſum necare non ſit verè & ὄντως opus bonum, tamen ex intentione Judæ potuit eſſe opus bonum, jam verò Pontificii ſtatuunt, *ea etiam eſſe bona opera, quæ fiunt ex bona intentione*. Quicquid ſit, nobis hoc ſufficit, quod Bellarminus agnoſcit, *Judæ pœnitentiam ideò non fuiſſe ſalutarem, quia non adfuit illi ſpes veniæ*. Atqui illa ſpes veniæ non poteſt à fide in Chriſtum ſeparari. Ergò etiam fides in Chriſtum à vera & ſalutari pœnitentia ſeparari nequit.

4. Quædam hypotheſes Adverſariorum.

Primò, Durandus lib. 4. ſent. diſt. 16. quæſt. 1. concedit quidem *hæc tria, videlicet Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem in pœnitentia neceſſariò adeſſe*, interim tamen *ſolam Confeſſionem eſſe partem materialem hujus Sacramenti* diſputat, *Contritionem eſſe diſpoſitionem, & Satisfactionem eſſe fructum pœnitentiæ*; argumentis uſus potiſſimum duobus, quod *Contritio non alio ſigno, quam ipſa peccatorum Confeſſione probatur*, & quod *Sacramentum pœnitentiæ non neceſſario exigat Satisfactionem in re, ſed in voto duntaxat.*

(Si Contritio eſt tantùm diſpoſitio, & Satisfactio fructus pœnitentiæ, utique hæc duo non erunt partes veræ & ſalutaris pœnitentiæ.)

Secundò, Bellarm. lib. 1. de Pœnit. c. 11. reſp. ad 3. *Non deſunt multa ſigna viſibilia in Sacramento pœnitentiæ, ſive Sacerdotem aſpicias manus imponentem, ſive pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum & lachrymas fundentem. Sed quia iſta ità plerunq́; conſpiciuntur, ut tamen etiam abſq́; iis Sacramentum pœnitentiæ eſſe poſſit, breviter reſpondeo, viſibile ſignum, idq́; à Deo inſtitutum, eſſe tum confeſſionem, tum abſolutionem.*

(At ſi ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ ſufficit ex parte pœnitentis confeſſio, cur præter confeſſionem contritio, id eſt, *ſigna contritionis exteriora*, ita namque Bellarminus ſuam mentem explicat lib. ejusdem cap. 17. §. Et per hoc &c. ad eſſentiales pœnitentiæ partes requiruntur? Quod non eſt ad pœnitentiam ſimpliciter neceſſarium, illud non poteſt eſſe pars pœnitentiæ eſſentialis.)

Tertiò, idem Bellarminus lib. ejusd. capit. 19. §. Secundò obſervandum &c. ſic diſſerit: *Extra Sacramentum ſi quis aut anguſtiis temporis, aut alia de cauſa legitimè impediatur, quo minus confiteri aut ſatiſfacere queat, ſola contritio interior ad ſalutem ſufficit.*

(Atqui ſi exteriora ſigna contritionis in Confeſſione & Satisfactione non ſunt neceſſaria, utique Confeſſio & Satisfactio non ſunt eſſentiales veræ pœnitentiæ partes.)

Quartò, Bellarminus lib. & cap. iisdem propoſ. 1. ſic ſcribit: *Aliud eſt aliquid ad converſionem requiri, aliud partem ſeu actum eſſe pœnitentiæ.*

(Ergò non ſufficit oſtendere, ſigna contritionis, & confeſſionem in vera pœnitentia adfuiſſe, niſi etiam oſtendatur, *ut partem eſſentialem & neceſſariam* adfuiſſe. Prius duntaxat utcunque probant Bellarmini argumenta pro ſtabiliendis duabus prioribus pœnitentiæ partibus allata, non autem poſterius.)

Quintò, Bellarm. dict. lib. & cap. negat, *in Vet. Teſt. Sacramentum pœnitentiæ fuiſſe inſtitutum.*

(Ergò dicta & exempla Scripturæ, quæ ex Vet. Teſt. pro aſtruendis hiſce pœnitentiæ partibus adducuntur, ſunt ἀπροσδιόνυσα. Non enim quælibet confeſſio, ſed plenaria omnium peccatorum Sacerdoti facta enumeratio inter partes hujus Sacramenti numeratur, illa verò in Vet. Teſt. non fuit vel neceſſaria, vel uſitata, ipſomet Bellarmino fatente.)

5. Diſſenſiones Adverſariorum,

Plerique tres materiales partes conſtituunt, *Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem.*

Durandus 4. ſent. diſt. 16. q. 1. *Solam Confeſſionem partem materialem hujus Sacramenti eſſe* dicit, *Contritionem autem eſſe diſpoſitionem, & Satisfactionem fructum pœnitentiæ.*

Scotus 4. ſent. diſt. 14. q. 4. ejusque aſſeclæ *in ſola abſolutione totam Sacramenti rationem* conſtituunt, nec ſolùm contritionem, ſed etiam reliquas actiones pœnitentis non partem, ſed *diſpoſitionem quandam ad Sacramentum* vocant.

CAPUT III.

De Contritione.

THeſis I. Contritio ex lege oritur, & eſt cordis quædam paſſio, videlicet terror conſcientiæ, dolor & compunctio.

Ἔκθεσις 1. Vera & ſeria contritio complectitur *1. Veram peccati agnitionem*, quia peccatorum atrocitate ac fœditate nondum agnitâ, dolor de illis locum habere nequit, Pſ. 51. v. 5. Jer. 3. v. 13. c. 14. v. 20. Orat. Manaſſ. v. 3.

2. Senſum iræ divinæ adverſus peccata, ſiquidem ubi verè agnoſcitur peccatum, ibi etiam proprium illud peccati agnoſcitur, quod Deum offendat, Pſ. 6. v. 1. Pſ. 32. v. 4. Pſ. 38. v. 3. & 4. Pſ. 88. v. 17. Pſ. 102. v. 10. & 11. Jer. 4. v. 8. Thren. 3. v. 42. & 43. Mich. 7. v. 9. Nahum. 1. v. 6. Orat. Manaſſ. v. 1. & 2.

3. Conſcientiæ angores & pavores, ubi enim adeſt verus iræ divinæ ſenſus, ibi ſequuntur interiores cordis pavores & anguſtiæ, quæ ipſum quoque corporis robur quandoque labefactant, Pſal. 25. verſ. 17. Pſal. 31. verſ. 13. Pſ. 34. verſ. 19. Pſalm. 38. verſ. 4. 5. 9. & 11. Pſalm. 51. verſ. 10. Pſal. 102. v. 5. Pſ. 109. v. 22. &c.

4. *Veram coram Deo humiliationem*, quia, qui peccati atrocitatem & iræ divinæ gravitatem seriò agnoscit, coram tremendo Dei judicio verè se humiliat, Ps. 34. v. 19. Ps. 38. v. 9. Ps. 44. v. 25. Es. 57. v. 15.

5. *Ingenuam peccati confessionem*, siquidem angustia cordis prorumpit in confessionem oris, Num. 5. v. 7. Nehem. 9. v. 2. Psal. 32. v. 3. & 5. Prov. 28. v. 13. 1. Joh 1. v. 9.

6. *Serium peccati odium ac detestationem*, qui enim de peccatis admissis seriò dolet, eadem quoque detestabitur. Lev 26. v. 41. Psalm 51. v. 5. Hic propriè quæritur *de sensu iræ divinæ & conscientiæ angoribus ac pavoribus*, in quibus formale Contritionis consistit.

2. Contritio dicitur à nobis *passio*, non tamen coacta aut violenta, sed à lege Dei excitata. Non enim statim coactum est, quod ab externo proficiscitur principio.

3. In contritione non omnis prorsus à nobis negatur actus, sed concedimus, in contritione quosdam actus nostros concurrere, quales sunt, *recordatio delictorum, consideratio legis, meditatio iræ divinæ* & similes, verum in iis non consistit οὐσία & formalis ratio contritionis.

Antithesis. Compend. Theol. lib. 6. c. 24. *Contritio est dolor voluntariè assumtus.*

Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 2. Prop. 2. *Contritio non est passio, sed actio, eaq; libera & non coacta. prop. 3. Contritio ad Evangelium maximè pertinet.*

Nostram sententiam probamus,

Quamvis quinque in contritione occurrant, videlicet in memoria, peccati recordatio; in mente, offensæ divinæ consideratio; in voluntate, peccatorum agnitorum detestatio; in corde, timor vindictæ & futuri judicii; in conscientia, legis aculeo vulnerata, horror, dolor, morsus & compunctio; tamen in *prioribus duobus gradibus*, qui sunt actus interni, non consistit οὐσία contritionis, sed potius *in tribus posterioribus*. Illi enim contritionem non tàm constituunt, quam efficiunt, habent se ad eam προκαταρκτικῶς magis quam οὐσιωδῶς, sunt causa efficiens, non formalis, contritionis, quippe quæ propriè est cordis passio.

Probatur hoc 1. Ab ἐτυμολογίᾳ. Contritio propriè est alicujus integri ac duri comminutio. Tunc enim res dicitur conteri, cum solidum minuitur & ad partes minimas reducitur. Omnis autem comminutio, respectu subjecti, quod minuitur, est passio. Ut verò se habet cõtritio propriè sic dicta *in genere*, ita se habet contritio metaphoricè sic dicta *in specie*, quæ est cordis humani, quod peccatis velut obriguit & adamantis instar obduruit, comminutio, compunctio & emollitio.

2. A συνωνυμίᾳ. Contritio describitur tantùm passivis vocabulis, ut docent omnia synonyma. Vocatur enim *percussio cordis* 2. Sam. 24, v. 10. *conturbatio animæ* Psal. 6. v. 3. *infixio sagittarum Domini* Ps. 38. v. 3. *tribulatio Spiritus & confractio cordis.* Ps. 51. v. 19. *tremor excitatus voce Domini.* Es. 66. v. 2. *percussio femoris & confusio.* Jer. 31. v. 19. *scissio cordis* Joel. 2. v. 13. κατάνυξις *compunctio* Act 2. v. 35.

3. A definitione passionis. Passio vulgò definitur actionis receptio, vel accidens, secundum id, quod subjicitur, pati dicitur. At hæc definitio competit Contritioni formaliter sumtæ, cum sit fulminum legalium & actionis divinæ receptio, ac secundum eam homo pati & conteri dicitur.

4. A causa contritionis, quæ non est ipse homo, sed Spiritus S. Jerem. 31. v. 18. Quod autem non ab homine proficiscitur efficienter, sed à solo Deo in homine perficitur, id passio est respectu hominis. *Qui facit peccatum, servus est peccati* Joh. 8. v. 34. servitio igitur exire nequit, quin & servitio illo pessimo delectatur, nisi Filius eum liberaverit. Corda nostra post lapsum sunt *dura ac lapidea* Ezech. 36. vers. 27. ac proinde, pœnitere nescia, requiritur igitur, ut *Deus auferat cor lapideum, ac det cor carneum.* Ezech. 11. v. 19.

5. Ab exemplis eorum, qui in vera pœnitentia suam confusionem, erubescentiam, angorem Spiritus, percussionem cordis & conturbationem animæ, adeoque internos terrores signis exterioribus testati fuere, utpote *Jeremiæ* cap. 31. v. 19. *Davidis* Ps. 143. v. 6. Ps. 6. v. 5. 2. Sam. 24. v. 10. *Manassis* 2. Paral. 33. v. 12. *Regis Ninivitarum* Jon. 3. v. 9. *Publicani* Luc. 18. v. 13 *& Petri* Matth. 26. v. 75.

Quod contritio fit ex lege & non ex Evangelio, probatur ex eo, quia per *legem est agnitio peccati* Rom. 3. v. 20. sed per Evangelium propiè sic dictum annunciatur gratuita peccatorum remissio propter Christum Mediatorem.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam ex adversariis pœnitentiam definiunt per *dolentis vindictam. Pœnitentia nihil aliud est, quam dolentis vindicta semper puniens in se, quod dolet comisisse.* Lombardus 4. sent. dist. 14. lit. A.

Item per dolorem. Durandus lib. 4. sent. dist. 17. q. 2. *Contritio est dolor voluntariè susceptus.*

Bonaventura 4. sent. dist. 16. part. 1. art. 1. q. *Contritio per essentiam dolor est.*

Costerus in Enchirid. cap. 11. p. 370. *Contritio est dolor de peccatis susceptus.*

Toletus de Instruct. Sacerd. lib. 3. cap. 4. p. 417. Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 2. §. 1. *Apud omnes Catholicos certum esse debet, contritionem esse dolorem animi.*

(Jam verò dolor est passio, non actio. Excipiunt, *dolorem sumi dupliciter, primò pro dissensu ac displicentia voluntatis: secundo pro passione resultante in partem sentientem ex illo dissensu. Priorem dolorem esse formam, posteriorem verò effectum contritionis.* At contritio formaliter non consistit in nuda displicentia, sed potius in angore & tremore animi ob commissa peccata, quia angor includit quidem displicentiam, sed formaliter non est ipsa.)

2. Quod Thomas in Suppl. q. 2. art. 1. Contritionem definit *per alicujus duri atq; integri comminutionem, cum res tunc dicatur conteri, quando solidũ minuitur, & ad partes minimas reducitur.*

(Omnis autem comminutio respectu sui subjecti, quod comminuitur, est passio.)

Hûc referri potest, quod in cap. Scindite dist. 1. de pœnit. contritio describitur *per scissionem cordis.*

(At quis dubitet scissionem cordis esse passionem?)

Item, quod Cortesius apud Altensteig in Lexico dicit: *Contritio est contusio & est angor ob patrata scelera.*

3. Quod quidam agnoscunt, *propriam Evangelii doctrinam esse, non terrere, sed consolari.*

(Quod si enim propria Evangelii doctrina non est terrere, ergò etiam contritio sive dolor de peccatis non est ex Evangelio, sed ex lege.)

Dicta illa suo loco recensebuntur.

4. Quod quidam agnoscunt, bona opera nostra non esse propriè dicta merita.

(Pontificii eo fine statuunt, *Contritionem non esse passionem, sed actionem, & quidem liberam, non coactam,* ut obtineant, *Contritionem esse meritoriam. Omne autem quod mereri debet, actum virtutis esse oportet,* docente Thoma in Supplem. q. 1. art 2. & *quia virtus est habitus electivus*, ex eo inferunt, *Contritionem esse actum liberum, ab homine ultrò assumtum & electum.*)

Dicta illa in art. de justificat. adducentur.

Thesis secunda. Contritio est necessaria in verè pœnitentibus, *ratione ordinis*, non respectu *cujusdam meriti vel medii*, per quod Deo reconciliamur.

Antithesis. Richardus 4. sent. dist. 17. art. 1. q. 7. *Anima per contritionem meretur de condigno mortalis peccati remissionem, si aliquis motus contritionis eam ordine Naturæ præcedit.*

Et postea, *Sicut enim mortale peccatum remittitur, quantum ad offensam per gratiæ infusionem, ita peccatum veniale remittitur per contritionis motum.*

Concil. Trident. sess. 14. c. 4. statuit, *Contritionem reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum actu suscipiatur.* Addit autem, *ipsam reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Catechism. Trident. pag. 290. *Ex quo licet cognoscere, veræ Contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim impetremus.*

Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 8. Prop. 1. *Contritio omninò necessaria est in adultis, necessitate medii ad remissionem peccatorum & justificationem obtinendam. Hæc propositio ex Concil. Trident. sess. 6. c. 14. & sess. 14. c. 4. satis apertè colligitur.*

Lib. ejusd. c. 12. §. 3. *Catholici communi consensu docent, Contritionem esse causam remissionis peccatorum.*

Ibid. §. seq. *Contritionem de congruo mereri remissionem peccatorum, plerique Scholastici docent.*

Ibid. *Sententia illorum Scholasticorum, qui statuunt, contritionem esse meritum de congruo justificationis, nobis verior ac Scripturis & Patribus conformior videtur.*

Lib. 1. de justif. capit. 21. *Nos dispositionibus ad justificationem meriti nomen cum additione de congruo tribuendum esse putamus.*

Pererius

Pererius Rom. 3. v. 85. *Meritum de congruo non videtur negandum.* Plura hujus generis adducentur inferius in Appendice membr. 1. §. 2.

Nostram sententiam probamus,

1. Contritio non est *meritum* remissionis. Si enim per nostram contritionem peccatorum remissionem, gratiam Dei ac vitam æternam mereri possemus, Christus vel frustra, vel non sufficienter pro peccatis nostris attritus fuisset.

2. Nec est *medium* remissionis, quia Scriptura nuspiam contritioni tanquam instrumento, sed soli fidei tribuit, quod Christi beneficia per eam nobis applicentur Act. 10. v. 43. Rom. 4. v. 3. &c. Deinde si contritione, tanquam medio, peccatorum remissionem nobis applicamus, tum non sine lege justificamur. Ratio est, quia contritio est ex lege & justificatio consistit in remissione peccatorum. Jam verò *beatitudo est illius hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus* Rom. 4. v. 6. Insuper contritio destituitur facultate apprehendendi promissionem de gratuita peccatorum remissione propter Christum. Ergò non est, nec esse potest medium. Denique si contritio esset vel *meritum* vel *medium* remissionis peccatorum, posita contritione poneretur peccatorum remissio. Jam verò contritione posita non statim ponitur peccatorum remissio, cum plerunque graviores de admissis peccatis dolores sint in illis, qui per desperationem ruunt in exitium, quam in piis salutarem pœnitentiam agentibus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, fidem esse unicum illud medium, per quod promissionem de gratuita peccatorum remissione amplectimur, & coram Deo justificamur.

(Quod si enim fides est unicum illud medium ex parte nostra, ergò nostra contritio non est meritum nec medium remissionis.)

Dicta illa afferentur in art. de Justificatione.

2. Quod quidam negant, confidendum esse in nostra contritione.

(Si contritio nostra esset remissionis meritum, utique in eam fiduciam remissionis ponere possemus.)

Gregor. lib. 1. in Ezech. homil. 7. *Non in fletibus, non in actibus nostris, sed in Advocati nostri allegatione confidamus.*

Antoninus Prolog. in part. 1. Historial. *In delictis pœnitendo ponant* (homines) *spem in Deo, non in suis fletibus vel pœnitentiis ad veniam quærendam.*

3. Quod quidam agnoscunt, contritionem esse tantùm dispositionem ad remissionem peccatorum, non autem meritũ nec de condigno, nec de congruo remissionis peccatorum.

Huic sententiæ astipulantur Johannes Capreolus 2. sent. dist. 40. q. unic. & Dominicus à Soto lib. 2. de Natura & gratia cap. 4.

(Fatente idipsum Bellarmino lib. 2. de pœnit. c. 12.)

Scotus 4. sent. dist. 15. q. 1. *Non disposuit Deus gratiam dare peccatori sine passione Christi, sine qua gratia nulla potest esse satisfactio omninò, quia nec æquivalens aliquo modo, nec simpliciter, nec in divina acceptatione.*

Gloss. in can. 1. dist. 1. de pœnit. *Si subtiliter intueamur, gratiæ Dei, non contritioni, attribuenda est peccatorum remissio.*

Eadem Glossa c. Utrum, dist. 1. de pœnit. *Sed quicquid dicat Berc. dic, quod nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimittuntur sed tantùm gratia Dei.* de consecrat. dist. 4. *Nemo tollit peccata mundi, nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Pœnitentia peccatoris & de peccatis commissis con ritio, quam vocant, & dolor una cum fructibus pœnitentiæ dignis, & sui accusatione, propriaq; condemnatione & clavibus Apostolicis, & Evangelicis absolutionib. esse quidem debent in populi Christiani usu assiduo, sed etsi hæc ipsa necessaria semper sunt ad impetrandam remissionem peccatorum maximè post Baptismum reiteratorum, tamen si conferantur cum gratuita misericordia Dei, in Christo terrarum orbi exhibita, præstitaq;, & immensis ac inenarrandis meritis Christi unigeniti Dei, quantilli, obsecro, precii fuerint: Solatium peccatoris omne in Christo quærendum est per fidem sui verbi, & ab hoc agno immaculato, qui tollit peccata mundi, omnis peccatorum remissio perfecta expectanda est, & sanitas, paxque conscientiarum & tota salus animarum: nihilominus tamen, quæ divinitus jubem[illegible]r exequi in Ecclesi[illegible] communione, nec[illegible]sa[illegible] sunt, & ob id contumacit[illegible]r fastidiri, negli[illegible] ac omitti non debent, nec sine damnatione possunt, quantumlibet omnis fiducia ac spes in Christi gratia, quam p[illegible]catori ostendit, semper collocanda est. Quid nobis remitteretur nisi esset gratia? Vicissim quæ esset erga nos gratia, nisi præcederet vera pœnitentia? Quandoquidem homini nisi pœnitenti, & ob commissa semet excrucianti, atq; ad Christum in angustiæ conscientiæ suæ gementi ac suspiranti non unquam contigit remissio. Num opus est Medico nisi male valenti, & qui agnoscit se male valere? Num missus est Servator in mundum, ut sanet, nisi contritos corde, & prædicet captivis remissionem, nisi fortè sit captivus, qui se nesciat captivum esse? Hæc verò captivitatis & miseriæ nostræ cognitio ex concione verbi Domini primum nobis contingit, in quo audimus nos filios iræ nasci & æternæ tradi gehennæ, nisi è tenebris spiritualibus experrecti ad libertatem, redemtorem, illuminatorem, Medicum, Salvatorem, Christum Jesum Filium Dei vivi à Patre in hoc missum confugerimus, de cœlo renati. Rectè hic dicitur, fide hoc beneficium accipiendum est, qua credere nos oportet, quod propter Christum nobis donetur remissio peccatorum, nempe credentibus. Siquidem apud Lucam in verbis Domini conjunguntur hæc duo, pœnitentia & remissio peccatorum, quasi alterum absq; altero non firmè consistat. Et hæc duo complectitur fides verbi, quo promittitur absolutio, citra quam hæsitaret in ambiguo peccator, non habiturus ubi pedem figeret. Usq; adeò est in negotio prædicatæ salutis firma hypostasis & substantia certa, Dei opt. max. promissio.*

Georg. Cassander in consult. art. 12. p. 946. *Constanter negant etiam hodierni Scriptores, doceri in Ecclesia, contritionem mereri remiss. peccatorum, cum constanter omnes doceant, remissionem peccatorum nullis hominum meritis obtineri, sed gratis conferri propter unicum meritum Christi.* De qua re Hostiensis (in Summa de Pœnit. & remiss.) *Non tamen intelligas, inquit, quod ipsa contritio peccata dimittat, sed in ipsa contritione gratia Dei donat omnia liberaliter. Unde Ambrosius. Verbum, id est, Filius Dei tollit peccata; & Augustinus. Nemo tollit peccata nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi. Hæc Hostiensis.*

Franciscus de Victoria relect. 1. de potest. Eccles. *Homines alioqui acres & docti* (Scholastici, præsertim Scotistæ) *bis in hac disputatione peccant & errant, ex eo, quod non benè sentiant de Contritione, putantes primò, quod Contritio est ita sufficiens ad remissionem peccatorum, ut quasi ex justitia debeatur remissio, & gratia positâ contritione, unde etiam provenit, ut meritum ponant congruum ad primam gratiam, contra Apostolum Paulum, non considerantes, quod quacunq; dispositione posita in peccatore, est omninò tanta liberalitas in collatione gratiæ, & tam gratis remittuntur peccata, sicut data fuit gratia Adæ in primo statu, imò magis, nec oportet imaginari aliud meritum, nisi puram misericordiam divinam. Nec plus contritio est meritum ad gratiam vel remissionem peccatorum, quam bona operá sunt meritum ad prædestinationem. Hæc enim erat bona pars erroris Pelagiani, si ego quicquam intelligo.*

Stapletonus lib. 1. de peccat. orig. c. 4. *Meritum congrui respectu primæ gratiæ jam olim explosum est, nec à probatioribus Scholasticis, ut à Thoma in Summa, & posterioribus scriptis ejusq; sequacibus unquam admissum.*

Vega lib. 8 de Justif. c. 8. *Doctissimos & pientissimos quosdam viros adhuc video in ea sententia persistere, ut credant, Patres antiquos solum agnovisse meritum de condigno, & eò propendeant, ut Ecclesia hoc meritum, quod ajunt, congrui, repellat, ut recens inventum.*

Bennius de effic. gratiæ c. 5. §. Quanquam. *Non ex ullo merito prima gratia profluit, ne de congruo quidem, quia impar est, & infinitis partibus impar peccatoris conatus & labor, ac largitas gratiæ.*

Gregor. de Valent. part. 4. lib. de grat. div. cap. ult. *Non probamus opinionem hanc de congruo.*

4. Dissensiones Adversariorum.

Primò, qui contritionem statuunt esse causam & meritum remissionis peccatorum, invicem non consentiunt. Quidam enim statuunt, *esse meritum de condigno*, quidam verò, *meritum de congruo.*

Richardus 4. sent. dist. 17. art. 1. q. 7. *Anima per contritionem meretur de condigno peccati mortalis remissionem, si aliquis motus contritionis eam ordine Naturæ præcedit.*

Sed Lombardus 2. sent. dist. 27. Thomas ibid. q. 4. Albertus 1. sent. dist. 41. art. 2. Bonavent. 2. sent. dist. 28. art. 2. q. 3. Scotus, Durandus, Biel 2. sent. dist. 28. & plerique recentiorum statuunt, *esse meritum de congruo.*

Secundò, Petrus à Soto in Conf. Cath. varius est. Modo asserit, *Catholicam Ecclesiam credere, Contritionem non esse meritum remissionis peccatorum, sed dispositionem necessariam, ut per eam justitiam veram consequamur*; modo dicit, *nostram contritionem reddere nobis Deum propitium, ac esse meritum vitæ æternæ, ac mereri integram remissionem peccati.*

Argumenta Adversariorum,

1. Ezech.18.v.27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. Vivificare animam suam utiq; est aliquid facere ad suam justificationem.*

Resp. 1. Cornel. à Lapide in Com. verbum *vivificandi* explicat ex versione LXX. Interpp. *Vivificabit, id est, custodiet & servabit in vita.*

2. Qui ex Pontificiis Hebræam Grammaticam scripserunt, agnoscunt, *verba activa secundæ conjugationis sæpè usurpari pro actionis continuatione.* Sic vivificare est in vita conservare. Ex. 1.v.17. *obstetrices Ægyptiacæ vivificabant infantes Israeliticos*, id est, in vita conservabant. Deut. 20. v.16. *Non vivificabitis ullam animam populorum istorum*, id est, non conservabitis in vita. Sic Jos.2.v.13. Jud. 21.v.14. Luc.17.v.13. Act 7.v.19. &c.

3. Monent & hoc Grammatici, etiam Pontificii, *verba affirmantia sæpè poni pro contrariis negantibus.* Sic hoc loco, *vivificabit animam suam*, id est, non morietur, non peribit, quam explicationem confirmat oppositio in textu Prophetico.

Arg. 2. Dan. 4.v.24. *Peccata tua redime eleemosynis. Tob. 12.v. 9. Eleemosyna liberat à morte, & ipsa est, quæ purgat peccata.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 4. de pœnit. cap. 8. §. Alio &c. de priore loco sic scribit: *Quidam autores volunt, sententiam Danielis esse hiulcam, ac subintelligi alia verba, quibus ad agendam pœnitentiam & quærendam reconciliationem Daniel Regem sit cohortatus, ac tum demum addiderit de expianda pœna.*

2. Cornel. à Lapide in Comm. h. l. agnoscit, Chaldaicum פרק *non solum significare redimere, sed etiam abrumpere*; & inter modos, quibus eleemosyna peccata dicitur redimere, recenset etiam hunc, quem textui maximè appositum censet, *quod eleemosyna peccatorum pœnas temporales mitigari ac differri faciat. Etiamsi* (inquit) *eleemosyna non mereatur semper culpæ & pœnæ æternæ, tamen temporalis pœnæ remissionem ferè meretur, ut scil. Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat, idq; hic etiam appositum est. Nam S. Hieronymus & alii putant, Nabuchodonosorem fecisse eleemosynas, ideoq; ad duodecim menses dilatam esse Dei contra eum sententiam, donec rursum bonum clementiæ amisit malo superbiæ vers. 27. unde pro eo, quod nos habemus, forsitan ignoscet delictis tuis, Chald. est, forsitan prolongatio erit paci & prosperitati tuæ.*

(Hæc facilè reduci possunt ad bonum sensum si verbum *merendi* in significatione latiore usurpetur, ac *peccati* nomen pro pœna peccati *μετωνυμικῶς* positum statuatur. Nec Rex quærit, nec Daniel respondet, de merito vel medio consequendi peccatorum remissionem, justitiam coram Deo, & vitam æternam, sed de remotione pœnæ temporalis. Rex fuerat crudelis Tyrannus, ideo prædicebatur ipsi gravis pœna, de cujus remotione solicito Regi Propheta respondet, eam averti posse per beneficentiam in pauperes. Docet enim exemplum Achabi 1. Reg. 21. v. 27. etiam externam non renatorum obedientiam præmiis temporalib. & aversione pœnarum temporalium divinitus remunerari.

3. Suarez lib. 2. de caus. prædest. cap. 7. n. 30. f. 241. *Quando Daniel dicebat Regi, Peccata tua eleemosynis redime, non est putandum, consuluisse illi eleemosynas, ut pura opera misericordiæ, sed primò omnium exegisse ab eo veram fidem in Deum & recognitionem, quod illum suis peccatis offendisset, & spem obtinendi ab illo veniam, atq; hoc modo consuluisse illi, ut ex hac fide, spe & intentione faceret eleemosynas ad redimenda peccata. Et ad eundem modum sunt similia Scripturæ loca intelligenda.*

(Ergò Danielis sententia includit fidem, per quam remissio peccatorum propter Christum unicè obtinetur.)

4. Jacob. Tirinus ad h. l. sic annotat: *Peccata tua seu pœnas pro peccatis tibi intentatas redime eleemosynis & misericordiis, Hebraicè, justitia in pauperes exhibita.*

(Ergò non de peccatis, sed de peccatorũ pœnis hic agitur.)

Ad locum posteriorem respond. ex cap. Miror. dist. 1. de pœnit. *Eleemosyna à morte liberat, non utiq; ab illa morte liberat, quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris Baptismi & Redemtoris nostri gratia liberavit, sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit.*

(Duplex ergò animæ purgatio, altera respiciens peccatorum præteritorum reatum, nempe cum condonantur admissa. Altera peccatorum futurorum cautelam sive inhærentis pravitatis averruncationem respicit. Ad illam purgationem eleemosyna non pertinet, sed ad hanc, dum nimirum inducit habitum priori oppositum. Peccata quoq; duob. modis dicuntur deleri, alias *redimendo*, alias *immutando.* Priori modo solius Christi merita & satisfactiones delent peccatum: posteriori eleemosyna & omnes omninò virtutes Christianæ.

(Dum enim bona opera exercentur, peccata & peccatorum pœnæ evitantur.)

4. Quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt, *librum Tobiæ esse apocryphum*, ut ostendimus art. 1.

Arg. 3. Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Hic dilectio sive contritio ex dilectione apertissimè dicitur causa remissionis peccatorum, siquidem particula, quoniam, est causalis.* Bell. d. l. Maldon. in h. l.

Resp. 1. Michael Gislerius Clericus Romanus in expos. Cant. 3. v. 11. p. 472. *Apud Esaiam, inquit Dominus c. 49. v. 3. Servus meus es tu Israel, quia, id est, idcircò in te gloriabor, juxta phrasin illam frequenter in sacris paginis observatam, qua particula, quia, usurpatur pro alia particula ideò. & non tam causam significat quam effectum, ut apud eundem Prophetam.*

(Sensus est, quod particula ὅτι *quia*, non semper sit *αἰτιολογικὴ* & *causalis*, sed sæpius *συλλογιστικὴ* & *ratiocinativa*, non semper notans *causam rei*, sed *causam conclusionis*, seu quod sit nota medii termini, qui est causa conclusionis, is autem non semper sumitur *à causa rei*, sed quandoq; *ab effectu*, qui illam notificat.)

Maldonatus Joh. 8. v. 29. *Hujusmodi particulæ, quia & quoniam, non causam aliquando, sed effectum significare, innumera vel in solis Psalmis exempla sunt.*

2. Sed quia non sufficit, demonstrare, quod particula ὅτι in quibusdam Scripturæ locis ita usurpetur, sed insuper ostendendum, etiam in hoc ipso loco eam sic usurpari, notandum, quod Gregorius Episcopus Romanus in capit. 7. Luc. prout à Thoma in Evang. affertur, sic commentetur: *Utrorumq; dimisso debito, quis amplius largitorem debiti diligat? Pharisæus interrogatur.*

(Interpretatur igitur Gregorius hunc locum de dilectione, quæ remissionem debiti est secuta.)

3. Dionys. Carthus. in h. l. *Quis ergò eum plus diligit, id est, quis duorum debitorem fœneratorum, imò condonatorum illum plus diligere obligatur?*

Et postea ad responsionem Pharisæi: *Ille quippe cæteris parib. plus amare tenetur, quia plus datum est ei. Quantò enim quis ab aliquo majora consecutus est bona, veniamve majorem, tanto plus habet illum diligere. Et istud præcipuè verum est, & contingit in rebus humanis, ubi amor frequenter causatur ex præcedentibus donis, ideò amor major ex donis præcedit majoribus.*

4. Lyranus in Comm. h. l. particulam *quoniam* non *causaliter*, sed *consecutivè* intelligendam esse admonet.

5. Stapletonus in antidotis super h. l. fatetur, *quosdam Catholicos nostram probare interpretationem*, quos hoc nomine præter meritum sugillat.

Maldonatus in h. l. itidem. *Utinam nemo Catholicorum secutus esset!*

6. Melchior Canus lib. 12. Locor. c. 12. multis disputat, *dilectionem hic non constitui causam remissionis.*

7. Didacus Stella in h. l. textum sic vertendum esse ostendit, idcircò dilexit multum. *Interrogat*, inquit, *Christus Simonem, quis istorum duorum debitorum plus diligit, ille, cui dimisit quingentos: aut ille, cui dimisit quinquaginta? Respondens Simon, dixit: Æstimo, quia is, cui plus donavit. Nam juxta naturalem legem, ille, qui plus accepit, plus debet diligere. Magis enim teneor illum observare & colere, à quo pluribus sum affectus beneficiis, quam illum, à quo pauciora in me constant munera, & per consequens illum pluris facere, multoq; magis amare debeo.*

Ibid. *Quando dicit Christus, dimissa sunt ei peccata multa, ideoque dilexit multùm, in Græco etiam originali habetur* ὅτι, *quæ dictio significat quamobrem Sensus igitur est: Dimissa sunt ei peccata multa, quamobrem dilexit multum. Et juxta hunc sensum, quem verum esse censeo, nulla manet difficultas, nec est aliqua ratio dubitandi.*

Concludit post pauca. *Itaq; prius fuit dimissio peccatorum, & postea secuta fuit dilectio, sicut in illorum debitorum exemplo patet.*

(Hæc in Commentariis Didaci Stellæ intacta reliquerunt Inquisitores, postquam eos expurgassent.)

8. Salmero tom. 1. p. 327. *Quia, quoniam conjunctiones sunt, causam reddentes vel à priori, ut frequenter faciunt, vel à posteriori, juxta illud, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Probat remissionem peccatorum factam ab effectu dilectionis magnæ. Simile est illud Psalm. 17. v. 6. Ego clamavi, quoniam exaudivisti me, id est, effectus prompta exauditionis tuæ reddit me clamosum in precibus non dubitantem de exauditione.*

9. Idem in Comm. 1. Johan. 3. Disp. 23. §. Nos scimus. *Cum Apostolus ait, Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres, videtur ostendere signum, quo præceptum dilectio-*

dilectionis nosse possumus nos implere à posteriori sicut alibi dicitur, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, id est, multa vel plura, quàm tu Pharisæe, mihi signa dilectionis ostendit, quæ ponunt, peccata priùs fuisse remissa. Quemadmodum cùm dicimus: Hic est clemens & placabilis, quia parcit suis inimicis, argumentum est ab effectu & signo certo, quod edit, cujus quidem argumentationis plura extant in Scripturis testimonia. Confer eundem tom. 4. part. 2. tract. 8. §. Alii igitur.

10. Franc. Toletus in Luc. cap. 7. annot. 73. pag. 472. *Dico tibi, remissa ei esse multa peccata, quod est totum debitum & multum, quod eo signo & argumento manifestum esse potest, quia multa signa dilectionis erga me ostendit. Tu enim judicasti, & quidem rectè, cui multum dimissum est, multum diligere ac magis gratum esse erga creditorem debere. Ubi ergo ista multa dilectionis signa apparent, judicandum est, magnam præcessisse peccatorum ac debitorum remissionē.*

Et postea. *Illud, quoniam, causam significat non rei, sed probationis, est enim argumentum ab effectibus & signis.*

Ibidem. *Gregorius lib. 6. Epistola 22. ad Gregor. de dilectione, quæ sequitur remissionem, interpretatur, illudque, quoniam, probationem indicare sentit, quasi argumentum sit ab effectu, ut in hoc demonstratum sit, ei remissa esse peccata multa, ex dilectione multa, quam ostendit. Verba Gregorii sunt hæc: Vos de multitudine peccatorum studuistis accusare, sed scio, quia omnipotentem Dominum ferventur diligitis, atque in ejus misericordia confido, quia illa de vobis sententia ex ore veritatis procedit, quæ de quadā sancta muliere dicta est: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quomodo autem fuerint dimissa, in hoc etiam monstratum est, quod postmodum est secutum, quia ad pedes Domini sedebat, & verbum ex ore illius intelligebat. Hæc Gregorius. Pondera pro intelligentia verborum Gregorii, illam fœminam, ad quam scribebat, desiderasse scire, an remissa fuissent illius peccata. Gregorius autem respondet, ex ferventi dilectione, quam in ea agnoscebat, se confidere, illi fuisse remissa peccata, quasi ex quodam signo. Rursum pondera illud (etiam) loquens enim de muliere Evangelica, de qua dictum est, remissa esse ei peccata multa, inquit, in hoc etiā monstratum est, scilicet, quia postea sedebat ad pedes Domini. Quid est, etiam in hoc monstratum est? nimirum, sicut semel monstratum fuit, quando pedes Domini lachrymis rigavit & capillis tersit, eosq; unxit. Propter hæc enim dictum est, remissa esse peccata, quia multum dilexit, id est, signa magna dilectionis exhibuit, id est, in his probatur, remissa ei esse peccata.*

11. Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 8. cap. 12. pag. 540. fatetur, nostram expositionem esse contextui & scopo parabolæ convenientem. *Videtur, inquit, ex parabola proposita & ex concessis à Pharisæo non fuisse hoc colligendum, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: sed potiùs, Quoniam remissa sunt ei peccata multa, ideo dilexit multum. Parabola namque indicat, majori amore diligi fœneratorem à debitore, cui majus debitum remissum est: idque indicavit Simon, & approbavit Christus, Statuatur igitur hæc propositio: Is, cui majus debitum remittitur, magis diligit. Vel, is, cui debitum magnum remittitur, multum diligit. Si velis argumentandi formam sequi, addes assumtionem & conclusionem hujusmodi, At, quia fœmina huic peccatrici majus debitum dimissum est, Ergò dilexit multum, dilexit, inquam, multum, quia remissa sunt ei peccata multa. At Pharisæus diligit parum, quia putat sibi remissa esse peccata pauciora. Ut igitur conveniant cum parabola verba Domini, nonnulli sic illa explicarunt: Remittuntur ei peccata multa, quoniam id est, idcirco, dilexit multum, ut sit sensus: Idcircò multum dilexit, quia remissa sunt ei peccata multa: quemadmodum debitor idcircò multum dilexit, quia remissum est illi debitum multum.*

(Objicit quidem Barradius huic expositioni 1. *Mulierem hanc nescivisse, sibi remissa esse peccata multa. Ergò non idcircò multum dilexisse, quia remissa illi erant peccata multa.*

Resp. Falsum est antecedens, cum contritione enim & dilectione oportet fuisse conjunctam fidem in Christum, qua peccata sibi remissa credidit, alias contritio non fuisset salutaris, nec potuisset esse vera & Deo grata dilectio. Christus quidem annunciat ipsi peccatorum remissionem ad majorem fidei confirmationem, sed ex eo inferri nequit, ipsam nescivisse, sibi remissa esse peccata multa.

2. *Durum esse sic exponere, quoniam, id est, idcircò.*

Resp. In Græco habetur particula ὅτι, quam eo sensu usurpari, multis exemplis demonstrari potest. Unde Barradius ibidem multis argumentis probat, non de amore remissionem antecedente, sed eam consequente Christum loqui.)

22. Jacobus Tirinus in Comment. h. l. agnoscit, *conformiter parabolæ præmissæ invertendam videri sententiam, dicendumque, dilexit multum, quia remittuntur ei peccata multa: & hoc sine dubio Christum intelligendum reliquisse, ut ex antecedentibus & consequentibus clarissimè* (nota clarissimè) *colligitur.* Subjungit vero, *Christum adhuc ulterius respexisse, voluisseque etiam indicare causam remissionis tot peccatorum, scilicet dilectionem Dei super omnia.* Sed Tirinus hoc tantum dicit, non autem probat.

Argum. 4. 1. Johan. 3. v. 14. *Scimus, quia translati sumus de morte in vitam, quia fratres diligimus. Ergo dilectio est causa translationis de morte in vitam.*

Bellarminus lib. 1. de Justificat. cap. 16. *Apostolus vitam tribuit caritati, quoniam inde perficitur.*

Resp. 1. Salmero in Commentar. h. l. Disput. 23. *Cum Apostolus ait, Scimus, quoniam translati sumus &c. videtur ostendere signum, quo præceptū dilectionis nosse possumus nos implere à posteriori.*

2. Stapletonus in Promt. moral. Dominic. 12. post. Pentecost. loco 4. pag. 303. *Sicut vita animalis argumentum est motus membrorum: sic vita spiritualis certum indicium est amor erga proximum & opera caritatis in illum. Hinc Divus Johannes 1. Epist. 3. translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres, id est, hoc argumento evidenter apparet, nos vita gratiæ vivere. Contra, sicut mortis aut desperatæ valetudinis argumentum est stupor membrorum & cessatio motus, sic extincta gratia clarum indicium est non affici erga proximum, & ab ejus dilectione cessare, unde iterum Johannes: Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?*

3. Lorinus Jesuita in hunc loc. *Causalis particula causam continet non rei, sed cognitionis.*

4. Gagnæus in hunc locum, *id est, si fraterna secundum Deum caritas in nobis est, tunc scimus, de morte peccati ad vitam gratiæ nos esse translatos.*

(Ergo dilectio hic non statuitur causa translationis, sed nostræ scientiæ.)

5. Estius in hunc locum. *Non hic significatur meritum, aut omnino causa translationis à morte ad vitam, quasi prius sit diligere fratres, posterius autem & effectus illius, transferri de morte ad vitam, id est, justificari. Neque opera bona præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum, ut concinnè Augustinus dicit lib. de Fide & operibus cap. 14. Nam per justificationem creamur in bonis operibus, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, Ephes. 2. Sed causalitas hæc referenda est ad cognitionem. Nam ex dilectione fraterna, velut ex effecto & signo cognoscimus, nos de morte ad vitam translatos esse.*

(Quod addit, *dilectionem impetrare remissionis gratiam, juxta verbum Domini Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa &c.* de eo jam antè egimus, ac sufficit nobis, quod ex loco Johannis illud non posse evinci, Estius concedit.)

Arg. 5. 1. Petr. 4. v. 9. *Caritas operit multitudinem delictorum. Ergo caritas & contritio ex caritate est causa remissionis peccatorum.*

Resp. 1. Glossa ordinaria in h. l. *Qui per caritatem proximum monet, increpat, castigat, per caritatem operit multitudinem peccatorum, quia, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus & operit multitudinem peccatorum. Jacob. 5. Ex fragilitate carnis non semper orationi & hospitalitati, vel aliis virtutibus insistere possumus, quas per officium corporis & oportuna tempora fieri necesse est. Ipsa autem caritas, cujus instinctu hæc foris aguntur, quæ interiori homini præsidet, semper ibidem habetur, quamvis in publicum non semper ostendi potest.*

2. Lyranus in cap. 10. Proverb. *Sicut odium per rixam manifestat defectus aliorum: sic caritas celat, nisi quantum correctio fraterna requirit.*

3. Pererius Disput. 49. in Joh. *Sententia hæc videtur sumta ex Prov. 10. Odium suscitat rixas, & universa delicta operit caritas. Operit autem peccata proximi caritas tripliciter, Primò, quia occultat & abscondit peccata proximi, ut neque à nobis, neque ab aliis videantur. Quem enim ex animo diligimus, ejus peccata non scrutamur, nec inquirimus, vel si in notitiam nostram veniant, facit amor, ut minora & leviora videantur nobis, quàm aliis, & ne ad aliorum perveniant notitiam, ea, quantum in nobis est, occultamus. Secundo, non solum peccata proximi, quæ ipse novit, non manifestat aliis, neque in publicum effert, verum etiam, si jam publicata fuerint, conatur ea, quantum veritas patitur, excusare & minuere. Tertio, peccata proximi contra nos facta, caritas facit, ut promte, sincere & liberaliter condonemus, eaque perpetua oblivione obruamus. Qui autem condonat proximo peccata, dicitur secundum consuetudinem loquendi Scripturæ, ea tegere.*

(Quod Pererius addit, *caritatem etiam sua peccata tegere*, illud & fidei analogiæ & dicto Salomonis adversatur.)

4. Cornelius Jansenius in cap. 10. Proverb. *Caritas & di-*

lectio, non parva tantum, sed universa delicta operit, quia efficit, ut quis delicta alterius, etiam magna, non multum attendat, ad exaggerandum ea, aut vindicandum, sed ut potius ea extenuet, obliviscatur & è memoria deleat ac condonet. Est ergo operire delicta, condonare.

Et postea. *Divus Petrus ex hoc loco caritatis desumsit commendationem, sic scribens: Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinē peccatorum.*

(Ergo non alia Petro mens, quam Salomoni.)

5. Estius in h. l. *Ostendit Sapientis sententia Proverb. 10. ex qua hic locus desumtus, sermonem esse de delictis proximorum, non autem ejus, cujus caritas commendatur. Nam quod Sapiens dicit, tale est: Sicut odium suscitat rixas & dissidia cum aliis, quos odio quis habet: ita caritas e diverso non solum rixas & dissidia non serit aut suscitat, sed etiam suscitata componit ac sedat, & delicta atque offensiones, quæ rixarum causæ esse solent, tolerando ac dissimulando, atque excusando operit, denique, quicquid in se peccatum est, condonat, & ut Deus condonet, intercedit & impetrat.* Quinimo diserte addit, *hunc locum non agere de propriis delictis, quasi ea caritas operiat, sicut vulgò intelligi solet, sed de delictis proximi.*

(Quod Estius per modum collectionis subjicit, *Si caritas, id est, homo per caritatem operit aliena delicta, quantò magis per eandem caritatem impetrabit ac merebitur apud Deum, ut sua ipsius peccata operiat?* illud fidei analogiæ adversatur, nec legitimè ex antecedente deducitur. Quæ enim hæc est consequentia, Caritas, modo exposito, operit delicta proximi, Ergo meretur apud Deum remissionem propriorum delictorum?)

6. Tirinus in h. l. agnoscit, sententiam desumtam esse ex Proverb. 10. v. 12. ubi de proximi peccatis agitur. Quod ergo asserit, *caritatem tegere multitudinem, id est, universitatem peccatorum tum propriorum, tum alienorum*, illud ratione prioris membri non est conforme dicto Salomonis, quippe, quod tantum de alienis, videlicet proximi, peccatis agit.

Argum. 6. *Patres pœnitentia Deum mitigari & placari, lachrymis peccata ablui, contritionem mereri veniam &c.* asserunt.

Resp. 1. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. Sanct. annot. 152. *Concionatorum verba non semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures audientium perveniunt, multa enim per hyperbolen enunciant & inculcant, vel occasione locorum, personarum, temporum adducti, vel affectionum impetu, vel orationis cursu abrepti.*

2. Bellarminus lib. 2. de Grat. & lib. arbitr. cap. 14. resp. ad 3. *Patres, cum ad populum verba facerent, ea dicebant, quæ utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera.*

3. Canisius lib. 2. de Deipara cap. 16. *Verbum merendi à Patribus in significatu laxiore usurpatur*, (id quod in articulo de Justificatione multis exemplis confirmabitur.)

4. Pœnitentiæ pars essentialis est fides, ut paulo ante cap. 2. ex ipsis Pontificiis demonstravimus.

(Intelligenda ergo hæc sunt de salutari pœnitentia, cui conjuncta est fides in Christum Mediatorem, cujus solius *sanguis mundat nos ab omnibus peccatis*, 1. Johan. 1. v. 7.)

CAPUT IV.

De Confessione.

Thesis. In confessione coram Sacerdote non est necessaria omnium peccatorum enumeratio.

Ἔκθεσις. 1. *Respectu subjecti ac causæ efficientis*, Confessio peccatorum alia est *publica*, alia *privata*. Publica confessio est, qua tota communio præeunte ministri voce peccata sua confitetur, eorumque remissionem petit, Levit. 16. v. 21. 1. Sam. 7. v. 6. Nehem. 8. v. 1. Dan. 9. v. 5. Privata confessio est, qua privatus quispiam peccatum suum confitetur. *Respectu objecti* tres statui possunt confessionis species, (quibus aliqui addunt quartam, quæ fit coram Ecclesia.) Prima, qua coram Deo totam nostram vitam peccati accusamus, Psal. 32. v. 5. Eam Lutherus tom. 3. Jen. Germ. fol. 443. b. vocat *Confessionem fidei*. Altera, qua proximo offenso nostras transgressiones fatemur, & cum ipso reconciliari quærimus, Matthæi 6. v. 35. Jacob. 5. v. 16. quæ vocari potest *Confessio caritatis*. Tertia, qua Ministro Ecclesiæ vel in casu necessitatis cuivis Christiano peccata nostra confitemur, ut consolationem accipiamus, quæ vocari potest, *Confessio Ecclesiastica*. Nos nullam harum specierum improbamus, vel è medio tollimus, sed omnes salutares atque utiles esse agnoscimus.

2. Quod enim in specie attinet *Confessionem privatam*, quæ fit *coram Ecclesiæ Ministro*, quam vocare solent *auricularem*, eam, quamvis non habeat expressum ac speciale mandatum, proinde etiam non sit absolutæ necessitatis, in Ecclesia omnino retinendam esse censemus, tum *propter exemplorum in Scripturis annotatorum autoritatem*, Adami scilicet Genes. 3. Davidis. 2. Sam. 12. paralytici Matth. 9. præfecti carceris Act. 16. tum *propter typorum claritatem* Lev. 14. num. 5. tum *propter Ministrorum commoditatem*, ne ad Sacram Cœnam admittantur publicis flagitiis infames; tum *propter auditorum utilitatem*, ut territæ conscientiæ consolatione erigi possint.

August. Conf. art. 11. *De Confessione docent, quod privata absolutio in Ecclesiis retinenda sit, quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio.*

Schmalc. Articul. p. 3 art. 8. *Nequaquam in Ecclesia Confessio & Absolutio abolenda, præsertim propter teneras & pavidas conscientias, ac propter juventutem indomitam & petulantem, ut audiatur, examinetur & instituatur in doctrina Christiana.*

3 In hac Confessione coram Ministro Ecclesiæ non solum nequaquam prohibitum, sed etiam *utile ac salutare esse* dicimus, certa quædam peccata *in specie* exprimere, inprimis ea, quibus conscientia pœnitentis maximè angitur, & propter quæ consilio ac consolatione peculiariter indiget. De his ergo omnibus nulla est inter nos & Pontificios controversia.

Hoc vero est, quod circa hoc doctrinæ cœlestis caput in ipsis improbamus.

1. Quod in confessione auriculari requirant *omnium & singulorum peccatorum mortalium, quæ post diligentem præmeditationem & districtum conscientiæ examen in memoriam venerunt, ab omnibus, qui ad annos discretionis venerunt, quotannis certo tempore in aures Sacerdotis denarrationem.*

2. Quod non solum peccata mortalia, sed etiam *circumstantias, quæ peccati speciem mutant, vel illud aggravant*, in Confessione recensendas esse statuant.

3. Quod specialem illam peccatorum enumerationem *jure divino* statuant *esse necessariam*, ac proinde sub ipso salutis discrimine faciendam, adeo ut peccatum illud, cujus coram Sacerdote nulla facta est confessio, cum tamen memoriam non effugerit, non remitti asserant.

4. Quod talem confessionem statuant esse *meritoriam*, qua *peccatum deleri, & per exigua illa confusione, quam pœnitentes coram Sacerdote patiuntur, ingentem confusionem, quam aliquando in die judicii passuri essent, redimi* existimant.

5. Quod eo fine talem confessionem coram Sacerdote necessariam esse statuant, *ut Sacerdotes, constituti à Deo spirituales judices, de singulis & universis peccatis cognoscant, & pro mensura delictorum satisfactiones imponant*, adeo, ut quotquot sine absolutione Sacerdotis moriuntur, Deo reconciliari nequeant.

6. Quod peccatorum confessionem faciant & faciendam esse doceant, non solum *Deo*, sed etiam *B. Mariæ Virgini, Petro, Paulo & aliis sanctis &c.*

Antitheseis. Richardus 4. sent. dist. 17. artic. 3. quæst. 4. *Homo tenetur confiteri omnia peccata mortalia, tam secreta, quam publica. Quia etsi secreta mori debeant interius per contritionem, efferri tamen debent ad sepeliendum exterius per Confessionem.*

Concilium Tridentin. sess. 14. cap. 5. *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa.*

Catechismus Tridentinus pag. 294. *Quoniam de qualibet re verum judicium fieri, atque in repetendis criminum pœnis justitiæ modus teneri non potest, nisi planè cognita & perspecta causa fuerit, ex eo sequitur, ut pœnitentium confessione sigillatim peccata omnia Sacerdotibus patefacienda sint.*

Lovanienses art. 5. *Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, qua Sacerdoti judici suo manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absolvatur, cujus absolutionis minister est solus Sacerdos secundum Ecclesiæ ritum consecratus.*

Petrus à Soto in Confess. Cathol. *Vera fides agnoscit, necessariam esse omnium peccatorum lachrymabilem confessionem.*

Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap. 2. §. 1. *Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. & canon. 6. 7. & 8. non solum declarat, confessionem omnium peccatorum mortalium jure divino necessariam esse iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, sed etiam anathema dicit iis, qui contra ausi fuerint disputare.*

lib. ejusdem cap. 2. §. Septimo probatur &c. *Si non essent Sacerdotes judices, nec verè peccata remitterent, sed solum annunciarent esse remissa, nemo periret ex eo solum, quod Sacerdotem reconciliantem habere non posset.*

lib.

lib. ejusdem cap. 9. §. Habemus &c. *Non possent Sacerdotes congruam pœnitentia actionem injungere, nisi peccata omnia accuratè cognoscerentur.*

Ibid. *Necessarium est, ut sigillatim peccata omnia Sacerdotibus detegantur.*

lib. ejusd. cap. 12. §. Sed præcipua &c. *Rubor, quem inter confitendum patimur, pars quadam est satisfactionis pro admissis, perexigua confusione, quam coram uno ex conservis nostris patimur, redimimus ingentem illam confusionem, quam alioquin in die judicii pateremur.*

Nostram sententiam confirmamus.

Specialis illa peccatorum enumeratio, qualem Pontificii requirunt, 1. caret *mandato* ac *promissione Dei.*

2. Destituitur *exemplis* verè pœnitentium, quinimo præsto sunt exempla eorum, quibus absque prægressa tali peccatorum enumeratione remissa sunt peccata, videlicet paralytici Matth. 9. v. 2. mulieris peccatricis Luc. 7. v. 48. filii asoti cap. 15. v. 18. Zachæi cap 19. v. 8. &c.

3. Verè ac serio pœnitentes obligat ad rem impossibilem, Job. 9. v. 28. Ps. 19. v. 13. Prov. 24. v. 16. Matt. 6. v. 12. Quamvis enim *non simpliciter omnium, sed eorum, quæ post diligentem conscientiæ discussionem occurrunt, confessionem se requirere* dicant, anxiæ tamen ac teneræ conscientiæ semper dubitare coguntur, an satis dignam ac debitam diligentiam in conscientiæ examine adhibuerint, an recessus cordium satis diligenter exploraverint, un non plura peccata & nosse, & enumerare potuerint, an circumstantias quasdam, peccati speciem mutantes, vel aggravantes, omiserint.

4. Evangelium transformat in legem, & necessariam conscientiis verè pœnitentium & in Christum credentium consolationem eripit. Evangelium enim docet, pœnitentibus & in Christum credentibus gratis ex fide obtingere remissionem peccatorum, non propter operum nostrorum merita, Rom. 4. v. 16. Sed Pontificii docent, *promissionem Evangelicam pendere ex speciali illa peccatorum enumeratione, tanquam ex merito,* & cum nemo certus esse possit, an debitam adhibuerit diligentiam in hac enumeratione necessariam, ideo incerta redditur promissio, & conscientia perpetuis dubitationibus cogitur conflictari.

5. Est misera conscientiarum carnificina, cum variæ illæ de confessione controversiæ, quas secum invicem agitant, & Confitentis & Sacerdotis animum in difficultates inexplicabiles conjiciant.

6. Multis laborat incommodis, inter quæ non postremum, quod magno cum scandalo castis auribus ejusmodi proponuntur quæstiones, quas æterno silentio sopiri æquius erat.

7. Non fuit in primitiva Ecclesia, Apostolicæ vicina, usitata; nec scrupulosa omnium peccatorum enumeratio sub periculo salutis, tanquam jure divino necessaria, à confitentibus exacta.

Nostræ sententiæ suffragatur;

1. Quod quidam agnoscunt, necessitatem specialis peccatorum enumerationis non posse probari ex verbo Dei.

(Ergo non erit simpliciter necessaria.)

Glossator Juris Canonici, (quem quidam vocant Bartholomæum Brixiensem, quidam Johannem Semecam Teutonicum,) dist. 5. de Pœnit. initio cap. In pœnitentia &c. quærit, *quando instituta fuerit hæc confessio?* ac post recitatas aliorum opiniones (quod quidam dicant, *eam institutam fuisse in Paradiso;* quidam *eam sub lege institutam;* quidam, *in Novo Testamento à Jacobo dicente, Confitemini alterutrum &c.*) subjicit. *Sed melius dicitur, Confessionem istam institutam fuisse à quadam Universalis Ecclesiæ traditione potius, quā ex Veteris vel Novi Testamenti autoritate.*

Idem Glossator ad c. Petrus. dist. 1. de Pœnitent. *Fortè tunc* (tempore Ambrosii, quod fermè quadringentos annos à Christo erat) *non erat facta institutio Confessionis, quæ modo est.*

Panormitanus & Felinus Canonistæ in c. Omnis utriusque sexus &c. statuunt, *non per Dei, sed hominum traditionem Confessionem auricularem adornatam esse.*

Johannes Scotus 4. sent. dist. 17. titubanter admodum progreditur. *Videtur,* inquit, *rationabilius teneri, quod Confessio cadat sub præcepto divino positivo. Sed tunc oportet videre, an explicitè in Evangelio à Christo immediatè, quia patet, quod non in veteri lege, an ab ipso explicitè in aliqua doctrina Apostolica, an nec sic, nec sic, sed dato à Christo, & vocetenus ab Apostolis Ecclesiæ promulgato. Primum istorum esset magis conveniens tenendum, si posset evidenter haberi istud præceptum ex Evangelio. Nec oportet ad hoc adducere illud Matth. 16. Tibi dabo claves, quia non est promissio, nisi de datione futura. Si aliquid in Evangelio valet, ad hoc videtur illud Joh. 20. Quorum remiseritis peccata &c.*

Et post pauca. *Si omnino contendas, quod per rationes positas in isto membro non probatur fuisse datum ex verbis Evangelii, nunquid dicimus secundum, scilicet, quod illud præceptum habetur ex verbis alicujus Apostoli? Dicitur, quod sic de illo verbo Jac. 5. Confitemini alterutrum. Sed nec per hoc videtur mihi, quod Jacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum à Christo promulgavit. Primum non, unde enim sibi autoritas obligandi totam Ecclesiam, cum esset Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, nisi dicas, illam Ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens ejus Episcopum principalem Patriarcham, quod non concederent Romani nec quod illa autoritas propriè pro tempore illo erat sibi subtracta. Nec secundum videtur, quia Apostoli publicantes præceptum Domini, in Scripturis suis utebantur modo loquendi, per quem potuit innotescere, quod erant præcones Christi, ut patet per illud 1. Corinth. 7. ut quando vult publicare illud præceptum Domini de non dimittenda uxore, dicit: Præcipio, non ego, sed Dominus. Quando autem vult facere propriam persuasionem, dicit de cohabitatione viri conversi ad fidem cum sua uxore infideli, vel econtra, quia hoc licet sit sine contumelia Christi, non tamen est necessarium; Dico ego, non Dominus, alioqui non posset Ecclesia constare, quod ipse, ut præco, publicaret præceptum, nisi vel ex præcedentibus, vel sequentibus manifestaret, se esse in illa publicatione præconem. Utrumque etiam membrum simul probatur per illa verba annexa. Dicendo enim, Confitemini alterutrum, non magis dicit Confessionem faciendam esse Sacerdoti, quàm alii. Subdit enim, Orate pro invicem, ut salvemini, ubi nullus diceret, ipsum instituisse, nec promulgasse præceptum divinum, sed intellectus ejus est sicut in illo verbo, Confitemini alterutrum &c. persuasio ad humilitatem, ut scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, juxta illud 1. Johann. 1. Si dixerimus, peccatum non habemus &c. ita ut per secundum persuadet ad caritatem fraternam, ut scilicet per caritatem fraternam subveniamus nobis invicem. Apparet ergo illud non esse de jure divino promulgato per Scripturam Apostolicam. Vel igitur tenendum est primum membrum, scilicet, quod sit de jure divino promulgato per Evangelium, ut in secundo vel tertio membro est declaratum, vel si illud non sufficiat, dicendum est tertium, scilicet, quod est de jure divino positivo promulgato à Christo Apostolis, sed Ecclesiæ promulgato per Apostolos absque omni Scriptura, sicut multa alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos sibi promulgata sine Scriptura.*

(Sic ergo Scotus omnia, quæ pro confessionis hujus necessitate ex Scripturis afferri solent, luxat & labefactat, nec invenit, ubi pedem figat, unde tandem ad traditionem extra Scripturam recurrit.)

Nicolaus de Orbellis 4. dist. 17. fatetur, *auricularem Confessionem, in qua omnium peccatorum enumeratio requiritur, non posse ex Scripturis probari.*

Petrus Oxoniensis (circa Annum 1450.) *peccatorum Confessionem in specie* affirmabat *non esse de jure divino, sed ex aliquo statuto Universalis Ecclesiæ.* Summa Conciliorum in Decretis Sixti Quarti, Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 7. art. 3. pag 809.

Gabriel Biel 4. sentent. dist. 17. quæst. 1. *Quod Confessio in actu sit necessaria, varii variis modis ostendere conantur, licet plerique insufficienter. Et quidem non potest sufficienter ostendi ex necessitate remissionis peccati. Quamvis remissio peccati sit necessaria ad salutem, non tamen ex hoc inferri potest, quod Confessio, de qua loquimur, sit necessaria ad salutem, tum quia ad remissionem peccati est alius modus sufficiens sine Confessione in actu, scilicet contritio cordis, per quam peccatum remittitur, priusquam Sacerdoti confiteatur, tum quia Confessio secundum probabiliorem opinionem præexigit remissionem peccati per contritionem præviam. Si dicas, requiritur in voto. Ergo aliquando in actu. Respondeo, petit hæc probatio principium. Potest enim quis habere sufficientem contritionem absque confessionis voto. Alii necessitatem Confessionis ostendere nituntur ex necessitate præcepti. Sed quale illud sit, diversificantur. De jure naturali non est, sic enim in statu cujuscunque legis fuisset necessaria; & quod hominibus Confessio facienda de occultis, nulla ratione naturali, nec aliquo illi consono probatur. De qua ergo lege est? Sunt opiniones. Una tenet, quod Confessio sit de lege positiva Ecclesiæ. Glossa de Pœnitent. dist. 5. cap. 1. Melius dicitur, eam esse à quadam generali sive Universali Ecclesiæ traditione, quàm ex Novi vel Veteris Testamenti autoritate. Glossam sequitur Panormitanus c. Omnis de Pœnitent. & remiss. Scotus contra hanc opinionem sic arguit: Non videtur, quod Ecclesia, tanquam pia mater, tam onerosum & arduum præceptum imponeret omnibus Christianis, nisi esset præceptum divinum. 2. Non invenitur, ubi ab Ecclesia hoc institutum sit. Theologi communiter dicunt, quod Confessio sit de lege divina positiva, sed à*

quo

quo & ubi instituta, non simpliciter sentiunt. Bonaventura dicit, quod sit à Christo insinuata, ab Apostolis instituta, & à Jacobo promulgata. Scotus hanc sententiam improbat. Nam Sacramenta non possunt institui, nisi à solo Christo, quia nemo potest instituere Sacramenta, nisi qui & efficaciam dare potest. Jacobi verba idem explicat, quod non agant de Confessione Sacramentali, sed quod sint persuasio quadam ad humilitatem, per quam generaliter nos ipsos esse peccatores fatemur & orationes mutuas expetimus. Scotus aliter probat, quod sit de jure divino, quia recuperatio gratiæ fit per Sacramentum pœnitentiæ. Quilibet autem, qui amisit gratiam, tenetur necessitate præcepti dilectionis facere, quod in se est ad ejus recuperationem. Ergo. Si dicas, per contritionem etiam remitti peccata, respondet Scotus, Viam recuperandi gratiam per Sacramentum pœnitentiæ esse faciliorem & tutiorem. Sed, inquit, Biel, *hac responsio satis apparet, si esset vera opinio Scoti, quod per Sacramentum pœnitentiæ sine contritione, solo obice remoto, peccatum remitteretur. Sed opposita opinio est communior & sanctorum dictis conformior. Richardus 4. sentent. dist. 17. tenet, quod Confessio Sacramentalis est de jure divino expresso in Evangelio Johan. 20. ubi Christus dat Apostolis & eorum successoribus potestatem judicandi ac remittendi ministerialiter peccata. Quibus autem datur potestas judicandi, etiam datur potestas cognoscendi. Cognitio autem fit per accusationem peccatorum. Si dicas, datur Apostolis potestas judicandi, sed non imponitur necessitas peccatoribus confitendi; Respondet Richardus, Nullus est judex meus in re aliqua, in qua non teneor facere, nisi quantum voluero. Sed,* inquit Biel, *hac solutio non excludit replicam, quia frequenter constituitur partibus judex arbitrarius, & tamen non imponitur partibus necessitas se submittendi. Dicendum finaliter,* inquit Biel, *præceptum de Confessione Sacramentali promulgatum à Christo Apostolis, & per ipsos Apostolos promulgatum est Ecclesiæ verbo & facto sine omni Scriptura, sicut & multa alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos publicata sine Scriptura.*

Cajetanus docuit, *quod Confessio sit quidem à Christo instituta, sed non præcepta*, in Commentar. Johan. 20. v. 22. quem ideo corripit Ambrosius Compsæ Episcopus, teste Sixto Senensi lib. 6. annotat. 218.

Erasmus in Epist. de Concord. Eccles. *Nondum persuasum est hominibus horum temporum, Sacramentalem Confessionem fuisse à Christo ipso institutam.*

Similia occurrunt in Annotat. ad Epistol. Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & in Methodo Theol.

In priore loco sic loquitur: *Apparet, tempore Hieronymi nondum institutam fuisse secretam admissorum Confessionem, quam postea Ecclesia salubriter instituit, si modo recte utantur ea & Sacerdotes & Laici.*

Inde Jodocus Coccius tomo 2. Thesauri lib. 7. artic. 3. sic scribit: *Erasmus Roterodamus docet, Confessionem secretam singulorum peccatorum non modo non esse jure divino institutam aut imperatam, sed neque in usu antiquæ Ecclesiæ fuisse.*

Maldonatus in Summa quæst. 18. art. 4. *Sunt etiam inter Catholicos, qui nullum putant esse præceptum divinum de Confessione, ut omnes Decretorum Interpretes, & inter Scholasticos Scotus.*

(Postea addit, *Sed tamen hæc opinio, aut jam declarata est satis tanquam hæresis, aut operæ pretium faceret Ecclesia, si declararet eam esse hæresin.* At hæc non possunt simul consistere. Si jamdum declarata est hæc opinio pro hæresi, non opus est ut adhuc declaretur. Si adhuc declaranda, nondũ pro hæresi est declarata.

Bellarminus lib. 3. de Pœnitent. cap. 1. *in Audianis hanc opinionem* statuit *esse damnatam.*

Maldonatus videtur in eam partem inclinare, *quod adhuc sit declaranda pro hæresi*, proinde declaratio Concilii Tridentini non videtur ei satis aperta.)

Ex parte huc referri potest, quod Thomas Hardingus in Confutat. Apolog. Anglic. part. 2. cap. 7. disputat, Confessionem quidem esse instituti divini, non autem Confessionem auricularem. Verba sic habent: *Dictum iis volumus, peccatorum omnium, quæ mortifera sunt, Confessionem divini esse instituti, non humani: Sed ad confitendi modum quod attinet, ut clam id fiat apud solum Sacerdotem, ipsi profecto, quam à Natura hausimus, rationi consentaneum est, ut peccatorum, quæ clam fiant, clandestina etiam sit confessio.*

(Sic ergo fundamentum auricularis Confessionis quærit non in divina institutione, sed in naturali ratione.)

2. Quod quidam agnoscunt, specialem illam peccatorum enumerationem non esse necessariam.

Gratianus dist. 1. de Pœnitentia proponit quæstionem, *Utrum sola cordis contritione & secreta satisfactione, absque oris confessione quisquam possit Deo satisfacere?* Affert autem triplicem responsionem, Prima est eorum, qui dicunt, *quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ & Sacerdotali judicio, posse promereri*, in qua expedienda capit. 37. distinctionis primæ occupatus est. Secunda est illorum qui statuunt, *sine confessione oris & satisfactione operis neminem à peccato posse mundari*, & in hac absolvenda per 50. capita progreditur, scilicet usque ad caput 87. Simul etiam cap. 88. & 89. demonstrat, quibus modis autoritates primæ responsioni faventes, alia interpretatione exponi possint. Tertia responsio est ipsius Gratiani, quam post caput 89. subjicit his verbis: *Quibus autoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia Satisfactionis & Confessionis nitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem horum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.*

(Ubi probè notandum, bonam illorum capitulorum, quæ pro Confessionis necessitate adducuntur, partem non de *auriculari*, sed de *publica* & solenni Confessione sive exomologesi agere.)

Eminet cumprimis c. Quidam 90. dist. 1. de Pœnitentia, ex Theodoro Cantuariensi Episcopo in Pœnitentiali, & ex Concilio Cabilonensi II. sub Imperatore Carolo Magno Anno 813. celebrato, can. 33. *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent,* (apud Gratianum additur, *ut tota ferè sancta Ecclesia.*) *Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, ut & Deo, à quo est remissio peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum Davide dicamus, Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi, dixi, Confitebor adversum me injustitias meas Domino, & remisisti impietatem peccati mei; & secundum Apostoli institutionem confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem, ut salvemur. Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata; ea vero, quæ Sacerdoti, docet, qualiter ipsa purgentur peccata.*

(Ubi nota 1. quod Canon confessionem Sacerdoti factam, non statuat simpliciter *necessariam*, sed duntaxat *utilem*. 2. Quod disertè dicat, *Confessionem factam Sacerdoti, non curare peccata, sed tradere modum curandi*, seu confitentem petere ad medelam conscientiæ consilium à Ministro Ecclesiæ.)

Idem Gratianus c. In pœnitentia dist. 5. de Pœnit. *Plures religiosi etiam confessionem secretam non necessariam esse censuerunt, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, & alii Patres Græci.*

Glossator Juris Canonici in c. In pœnitentia dist. 5. de Pœnitent. *Confessio est necessaria in mortalibus quidem apud nos, apud Græcos verò non, quia non emanavit ad illos traditio.*

(Index Expurgatorius Belgicus pag. 176. ea deleri jubet.)

Johannes Wiclefus Professor Oxoniensis in Anglia (qui floruit circa Annum 1370.) publicè hosce propugnavit articulos, in Concilio Constantiensi, (ut memorat Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum,) postea damnatos. *Confessio vocalis facta Sacerdoti introducta per Innocentium tertium, non est tam necessaria homini, ut definit, quasi non solum cogitatu, verbo vel opere sufficiat pœnitere. Papa Latinus erubescere debet de ista moderna pœnitentia sine fundatione posita cum non liceat mortalibus, etiam Apostolis, difficultare legem Domini, in eo quod ipsemet limitavit. Divina Sapientia Hebræorum & Græcorum deridet istam stultitiam Latinorum. Grave est & infundabile, Presbyterum audire Confessiones populi, modo quo Latini utuntur.*

Franciscus de Zabarellis Florentinus Ecclesiæ Romanæ Presbyter & Cardinalis (circa Annum 1418.) super Clementinas de Statu Monachorum affirmat, *Confessionem auricularem non esse necessariam ad salutem.*

Cajetanus in 1. Corinth. 11. v. 28. negat, *ante communionem necessariam esse confiteri peccata*, quem propterea refutat Sixtus Senensis lib. 6 Bibliothecæ annot. 261.

In Concilio Tridentino, cum quæstio agitaretur *de Confessionis Sacramentalis necessitate*, à Dominicanis propositum, *multos Catholicos, viros doctrina ac sanctitate spectatos, opinionem eam tenuisse, (quod Confessio Sacramentalis non sit necessaria) quos omnes damnatum eat, hanc qui condemnet.* Alii moderationem adhibentes, non damnabant *ut hæreticam, sed tanquam perniciosam.* Nec deerant, *qui conditionem adjectam vellent, si modo copia esset Confessoris.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Concil. Trident. p. 377.

Georgius Wicelius in Compend. de Semit. antiquis. *Confessio peccatorum, veteribus Exomologesis Græcè dicta, propter absolutionem in Ecclesiis passim retinenda est, quanquam non necessaria sit*

deli-

delictorum omnium anxia enumeratio, nec ista peccatorum omnium, circumstantiæ. Contenti sumus scriptis atque exemplis adeoque vestigiis priscæ Ecclesiæ. Alia est ratio Confessionis necessariæ, quæ fit Deo cui soli peccavimus, ac malum coram eo fecimus.

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 9. *Conscientiæ onerandæ non sunt anxia peccatorum, & circumstantiarum non necessariarum enumeratione.*

Johannes Ripa de peste curanda capite 8. *Græci qui soli Deo confitentur in secreto, non peccant,* (omittendo auricularem confessionem) *quia constitutio c. Omnis utriusque sexus &c. non fuit ab Ecclesia Orientali recepta, sicut nec lex Sacerdotibus prohibens matrimonium.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 11. pag. 943. concedit, *enumerationem omnium peccatorum non esse necessariam, videlicet, si intelligatur de ignotis & non occurrentibus peccatis. Item, de nimis anxia inquisitione omnium circumstantiarum, quæ in multis conscientiis carnificinam gignit, quam nemo moderatus approbat.*

Gregorius de Valentia lib. 2. de Missa cap. 4. *Panormitanus & Gerson Confessionem secretam non esse necessariam contenderunt.*

Idem lib. de Necessit. Confess. cap. 2. §. Quin &c. *Autores quidam Catholici non putaverunt, jure divino Confessionem esse institutam, nam Glossa Decreti Johannis cujusdam Saxonici, & Panormitanus, ac Petrus quidam Oxoniensis ex Statuto tantum seu traditione quadam Ecclesiæ Confessionem originem habere opinati sunt. Item. Erasmus negat ejusmodi Confessionem fundamentum in Antiquitate habere. Denique recens ille Tertulliani Scholiasta, cui nomen est Beatus Rhenanus, Confessionē jure divino necessariam esse, similiter negat.*

Idem tom. 4. Comment. in Thomam col. 1736. *Sine pertinacia, adeoque sine nota hæreseos quidam Catholici negaverunt, jure divino necessariam esse Confessionem.*

Huc pertinet, quod quidam negant, specialem illam peccatorum enumerationem esse à Deo institutam.

Alphonsus à Castro lib. 4. adversus hæreses, verbo Confessio. *In Hispania quidam Petrus Osmensis Doctor Theologiæ Salmantinus docuit, Confessionem specialem non esse à Deo institutam, sed sola humana constitutione stabilitam &c. Idem est error Lutheri, imò ante Lutherum huic errori ansam præbuerunt aliqui Juris Canonici periti. Nam Glossator decreti in principio distinctionis quintæ de Pœnitentia dicit, quod melius est, credere, illam Confessionem peccatorum auricularem esse institutam ex quadam Universalis Ecclesiæ traditione, quam ex Novi aut Veteris Testam. autoritate.*

Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Inventor cap. 1. p. 473. memorat, *quod Innocentius III. circa Annum 1200. Confessionem ordinaverit.*

3. Quod quidam agnoscunt, eam non fuisse in primitiva Ecclesia usitatam, vel certè non necessariam judicatam.

Bellarminus lib. 3. de Pœnitent. cap. 1. fatetur, *Erasmum & Beatum Rhenanum docere, quod Confessio secreta singulorum peccatorum non modo non sit jure divino instituta atque imperata, sed neque in usu antiquæ Ecclesiæ fuerit.*

Sic enim scribit Erasmus in Annotat. cap. 19. Act. pag. 227. *Vel hinc colligi potest, fuisse & antiquitus nonnullam Confessionem malè actæ vitæ, sed apertam opinor & in genere, quam nec ipsam legimus exactam abs quoquam. Cæterum, quæ nunc recepta est clancularia, quæ in aurem fit, videtur ex Consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si qui scrupulus urgeret animum.*

Beatus Rhenanus præfat. in Tertull. de Pœnitent. pag. 544. *De clancularia illa peccatorum confessione Tertullianus nihil habet, quæ penitus id temporis ignorabatur. Quid quod ex Historia Ecclesiastica constat, Nectarium Patriarcham Episcopum Constantinopolitanum ritum illum Confessionis abrogasse.* Socrat. lib. 5. cap. 19. Sozomenus lib. 7. cap. 16. Tripartita lib. 9. cap. 35.

(Excipit primo Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap. 14. *Duo simul falsa Calvinus scribit, cum addit: Nectarius, vir eruditione clarus confitendi ritum abrogavit: Nam non est credibile, Episcopum Nectariū jam senem, & nondum baptizatū clarum eruditione fuisse.*

Resp. ex Suarez tom. 4. Disput. 17. sect. 2. num. 30. *Non satisfaciet, quod dixerit: Nectarium in rebus Ecclesiasticis non admodum eruditum fuisse, utpote nuper baptizatum & urbis factum Patriarcham. At credibile non est, rem adeo gravem absq; consilio Sapientū attentasse, tum etiam, quia illum imitati sunt alii Episcopi Orientales.*

Secundo, alii, referente Suarez, d. l. excipiunt, *non esse fidem adhibendam huic Historiæ, quia Sozomenus multa mentitur, & Socrates hæreticus Novatianus fuit.*

Baronius tom. 1. Ann. Christi 59. p. 440. *Nectarium fuisse à Novatianis hæreticis deceptum affirmare oportet. Sed esto, non fuerit deceptus, at mendacissimè Socrates &c.* Similia occurrunt Ann. 390.

Resp. Suarez d. l. *Sic quidem respondet Baronius. At non facile potuisset mendacium confingi in re tam publica & manifesta, si non fuisset in re aliquod fundamentum.*

Bellarminus lib. 3. de Pœnitent. cap. 14. *Non facile adduci possum, ut credam, Historiam confictam fuisse.*

Tertio, Bellarminus d. l. excipit, *publicam confessionem tantum abrogatam esse à Nectario.* Sed discedit à Thoma Waldensi, qui tom. 1. cap. 14. agnoscit, *simpliciter fuisse ab eo abrogatam confessionem*; discedit à Petro Soto, qui in Scholiis Conf. Wirtenb. scribit, *Nectarium Deo aliquando hac de re redditurum rationem.* Discedit à Socrate & Sozomeno, qui disertè scribunt, *Presbyterum tenacem secretorum fuisse constitutum*, quod in publica exomologesi non fuit necessarium; Item. *permissum esse à Nectario, ut unusquisque secundum conscientiam suam ad sacra mysteria participanda accederet.*

Maldonatus in Summa quæst. 20. art. 1. *Confessio longo tempore in Ecclesia priscâ est olim facta publicè.*)

4. Quod quidam agnoscunt, Confessionem auricularem ex publica Exomologesi originem ducere, (proinde non semper fuisse in Ecclesia usitatam, nec necessariam judicatam.)

Leo Papa in c. Quamvis. dist. 1. de Pœnitent. Epist. 80. tom. 1. Concil. fol. 982. *Quamvis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur tamen quia non omnium hominum hujusmodi sunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedio arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, pro quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo affertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterũt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.*

Ibid. *Multa sunt, quæ non expedit fieri publicè dici, nec homines facilè dicunt, propter inimicos, ne exprobrent, & ne ad tribunalia rapiantur.* Ideo morem istum improbabilem rejicit, & addit, *Satis sit ut accedant Sacerdotem, qui oret pro illis & clam dicant.*

(Ex hoc Leonis testimonio apparet 1. ea, quæ de confessione hominibus facienda apud veteres leguntur, non esse necessaria præcepta, nec juris divini, sed ad disciplinam externam pertinere, quæ pro ratione ædificationis Ecclesiæ mutari possit. Illam enim consuetudinem, qua crimina enormia quidem, sed vel proposito tantum, vel facto; non toti Ecclesiæ notorio, commissa, publica confessione Ecclesiæ manifestabantur; quam Tertullianus, Cyprian. & Origenes laudant, & imitandā proponunt: Leo pronunciat esse improbabilem, eamque abrogat. 2. Illa tantum crimina per confessionem Sacerdotibus exponi juberi, quæ si publicarentur, possent legum constitutionibus percelli, non autem omnia delicta occulta.)

Beatus Rhenan. in Schol. ad libr. Tertull. de Pœnit. p. 542. *Tertullianus de exomologesi publica, i. e. actu pœnitentiæ coram Ecclesia facit mentionem, cujus etiam Leo Papa meminit de pœnit. dist. 1. eamq; eleganter ob oculos ponit, quâ majores nostros statim post initia nascentis Ecclesiæ severissimè usos constat, ex qua, nisi multum fallimur, Confessio secreta sumserit originem.*

Et postea. *Ab eo non abhorrent Juris Pontificii Interpretes quidam non incelebres, cum institutam ab Ecclesia Confessionem dicant: Nam ex exomologesi publica, id est, actu pœnitentiæ coram Ecclesia ut veteri instrumento desumta, ex publica privata nata videtur occultorum criminum occulta.*

pag. 544. Clancularia admissorum Confessio, quantum conjicimus, nata est ex ista exomologesi publica per ultroneam hominum pietatem, ut peccatorum occultorum esset & exomologesis occulta, nec enim usquam præceptam olim legimus.

Ibidem. *Non aliam ob causam complurium testimoniis hic usi sumus, quam ne quis admiretur, Tertullianum de clancularia illa peccatorum confessione nihil locutum, quæ, quantum conjicimus, nata est ex ista exomologesi.*

In quibusdam exemplaribus sic legitur: *Publica exomologesi usi sunt antiqui multis seculis, priusquam ista secreta nasceretur, de qua Tertullianus nihil habet, quæ penitus id temporis ignorabatur.*

(Hoc Rhenani testimonium Index Expurgatorius p. 19. deleri jubet.)

Polydorus Vergilius lib. 6. de Rerum Inventorib. cap. 1. idem cum Beato Rhenano asserit.

(Sed in eandem incumbit spongiam. *Deleatur*, ait Index Expurgatorius p. 196.

5. Quod quidam agnoscunt, ante confessionem verè pœnitentibus peccata coram Dei judicio remitti.

(Ergo

(Ergo confessio illa non erit simpliciter necessaria.)

c. Facilius. dist. 1. de Pœnitent. in Appendice. *Hoc idem* (scilicet Confessionē oris non esse necessariam) *probatur autoritate illa Prophetica, In quacunque hora peccator fuerit conversus & ingemuerit &c. Non enim dicitur, ore confessus fuerit, sed tantum conversus fuerit & ingemuerit, vita vivet & non morietur.*

c. Scindite. dist. eadem. *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra, ait Propheta, ostendens in contritione cordis, quæ in ejusdem scissione intelligitur, non in confessione oris, quæ pars est exterioris satisfactionis, quam scissuram vestium nominavit, à parte totum intelligens, peccata dimittit.*

c. Convertimini dist. eadem. *Si cor nostrum undiq; à malo ad Deum vertitur, mox suæ conversionis fructum meretur, ut Deus ab ira sua ad misericordiam conversus, peccati præstet indulgentiam, cujus primo præparabat vindictam, unde datur intelligi, quòd etiam ore tacente veniam consequi possumus. Hinc etiam leprosi illi, quibus Dominus præcepit, ut ostenderent se Sacerdotibus, in itinere, antequam ad Sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo facto nimirum datur intelligi, quòd antequam Sacerdotibus ora nostra ostendamus, id est, peccata nostra confiteamur, à lepra peccati mundamur. Hinc etiam Lazarus, qui vivus de monumento prodiit, non prius de monumento est eductus, & postea à Domino suscitatus, sed lapide remoto, quo monumentum claudebatur, in sepulchro revixit, & foras vivus prodiit. Hinc etiam, ut Dominus ostenderet, quòd non Sacerdotali judicio, sed largitate divinæ gratiæ peccator emundatur, leprosum tangendo mundavit, & postea Sacerdoti sacrificium ex lege offerre præcepit. Leprosus enim tangitur, cum respectu divinæ pietatis mens peccatoris illustrata compungitur.*

c. Quinatus. dist. eadem. *Cum ante Confessionem sumus resuscitati per gratiam, & filii lucis facti evidentissimè apparet, quod sola cordis contritione sine confessione oris peccatum remittitur.*

c. Omnis qui. dist. ead. *Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur. Fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad imperationem veniæ. Et sicut circumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ, non in causam justificationis: sic confessio Sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.*

Glossa c. Utrum sola. dist. 1. de pœnit. *Nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimittuntur, sed tantum gratia Dei &c. Sed ipsa cordis contritio signum est, peccata esse dimissa, sicut exterior satisfactio signum est cordis contritionis. Gratia enim præcedit contritionem; contritio remissionem; unde remissio est attribuenda gratiæ, quæ est causa causæ.*

Guido Brianson in 4. sent. q. 8. coroll. 1. *Non est peccatum, quod non possit remitti per solam contritionem, quod maximè potest esse verum in necessitate.*

Catech. Trident. p. 290. *Ex quo licet cognoscere, veræ Contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim impetremus.*

Bellarminus lib. 2. de pœnit. cap. 13. in ἐπιτομῇ. *Contritio perfecta cum voto Sacramenti conjuncta remittit peccata ante Sacerdotis absolutionem.* (Proinde etiam ante confessionem) quod ipsum multis argumentis probat, & contrarias rationes refellit.

6. Quod quidam agnoscunt, confessionem illam auricularem, qualis hodie requiritur, conjunctam esse cum magnis incommodis.

Marsilius Patavinus in Defens. pacis. *Amplius potest hoc esse ad civile incommodum grande, quoniam Sacerdotes sub Confessionis titulo mulierum habent persæpe secreta colloquia. Hoc, quia ut facile seducibiles sunt, præsertim ipsarum juvenes, tàm virgines quàm etiam conjugatæ (ut apparet Gen. 3. & inducit Apostolus 1. Tim. 2. Adam enim seductus non fuit, sed mulier in prævaricatione,) Sacerdos perversus existens, ipsarum mores & pudicitiam facile corrumpere poterit, quod etiam frequenter his temporibus propter Sacerdotum qualitatem evenire videmus, est civile incommodum non modicum, considerare volenti, quæ sequantur ex hoc inconvenientia.*

Erasmus in libello de modo confitendi. *Non hoc ago,* inquit, *ne confiteamur, sed ut utiliter confiteamur. Id efficere non poteram, nisi propositis quibusdam incommodis, quæ non adscribo Confessioni, sed vitio confitentium & audientium. Jam cum totus mundus plenus sit fabularum de flagitiis ac sceleribus, quæ sub umbra Confessionis adducuntur, admittuntur; indignantur mihi quòd moderatissimè quædam attigerim, nec reputant, quàm multa pudore Christiano siluerim ejus generis, ut vel sola commemoratio posset lectoris animum inficere. Verum Monachi complures non amore pietatis urgent hanc Confessionē, sed quod hinc auferant luculentam messem, dum regnant in ædibus divitum, quorum secreta norunt; dum adsunt morientibus, dum arrodunt Testamēta. Considerent lernā malorum, quæ hactenus orta est ex Confessionibus, & mirari desinent si quid admonui de rectè confitendo.*

Carolus Scribonius lib. 3. Medici Religiosi cap. 39. p. 606. *Ingentium non in Religione tantùm, sed in omnibus, qui excipiendis Confessionibus occupantur, malorum origo, è qua prope quicquid excogitari potest vitiorum nascitur,* (sunt fœminarum Confessiones) *maxime cum eadem frequentius audiuntur, plurimumq; in iis temporis impenditur. Crescit enim è consuetudine familiaritas, è familiaritate libertas; & qui prius ad mulieris vocem erubescebat, nunc pudore seposito, etiam intueri & arridere non reformidat & ad liberiora etiam verba, risum, jocosq; provocare. Sequuntur dictorum factorumque narrationes prolixiores, & ferè secularibus permistæ; ac tandem est tam crebra frequentia domestica quasi quædam licentia; nec jam tantum patris, sed & fratris, & persamiliaris amici personam induit; inde metus, omnis pudicitiæ custos, exulat, & dum pulso timore, malique suspicione detersa, tanquam cum filia pater, aut verius, tanquam cum ejusdem sexus amico versatur, ferè incautus antea cecidit, quàm muliebria hæc præcipitia prospexit, anteaq; in fœminea retia & insidias prolapsus est, quàm pericula provideret.*

Josephus Acosta lib. 6. de procurand. Indor. salute cap. 16. *Theologus quidam optimè consultum iri Indicis dixit & scripsit, si confessionis obligatio tolleretur, ne tot & tam gravia sacrilegia perpetrare cogantur.*

(Subjicit quidem, *Si perversis remedio quovis abutentibus isthac erit ratio medendi, tolle matrimonia, ne sint adulteria, & sic de aliis, ne bonum malitia convertat in virus, quin potius apud sapienter & rectè omnia æstimantem pluris est, quòd pauci electi per medicinam sanantur, quam quòd plures reprobi per illius abusum deteriores fiunt.* Sed resp. aliam esse *ordinationum divinarum,* aliam *humanarum traditionum* rationem. Illæ, nulla habita ratione abusuum, conservandæ sunt, hæ vero propter abusum generalem tollendæ.)

Ad hæc incommoda merito refertur, quod castis auribus in Confessione tales proponuntur à Sacrificulis quæstiones, quas æterno silentio sopiri longè erat æquius.

Burchardus in suis Instructionibus edidit Interrogationes, quæ à Sacerdotibus fœminis confitentibus proponuntur. Nullum est crimen tam obscœnum, neque tàm brutum, quod hominum mentibus unquam Diabolus instillarit, de quo non interroget, præmissa hac egregia formula: *Fecistine, quod quædam mulieres facere solent &c.* En specimen aliquod ejus verborum formulæ: *Fecistine, quod quædam mulieres facere solent? tollunt piscem vivum & mittunt in puerperium suum? Item quæ se conjungunt, quasi coire debeant, & conjungunt invicem puerperia sua &c.*

In Summa Angelica circa sextum præceptum jubentur ejusmodi quæstiones Confitenti proponi f. 148. *Si fuit scortator, si sese polluit qualitercunq;, si voluntariè cogitavit de hujusmodi peccatis. Circa conjugatos, si negavit debitum petenti, si cognovit causa satiandæ libidinis, si cognovit habens intentionem ad alteram, si usus est matrimonio extra vas, vel modo indebito, si tempore menstrui, si tempore impregnationis, si in diebus festis &c.*

Toletus lib. 3. in Summa Casuum conscientiæ cap. 7. f. 156. *Istæ, quæ peccatum mollicei patiuntur, propriis se polluentes manibus, tenentur exprimere personam, quam mente concipiebant, si aliquam tenebant mente, mutantem speciem, & tenentur etiam exprimere in uno actu successivè, si plures intendebāt, & Confessor debet ista exigere.*

lib. ejusd. cap. 8. *Idem intelligendum est de eo, qui omnia peccata proferre non potest, ut muto, qui motu solum potest aliqua exprimere, non omnia.*

Jesuita Sanchez in crasso volumine *de Sacramentis* curiosè omnis generis impuritatis ac luxuriæ artificia tam horrenda conquisivit, quo Confessarios instrueret, ut de iis quæstiones instituerent, ut nulla tam scelerata possit esse hominis conscientia, quæ ad horum lectionem vel auditum horrore non percellatur.

Autor Deliberationis de Compescendo Jesuitarum conatu ex Polonico in Latin. sermonem translatæ & in publicum editæ Ann. 609. F. 2. *Confessionarium artificium est venerationis Jesuiticæ præcipuum instrumentū & reteperquàm commodum. Neque tamen hoc ipsum tam cautè hactenus disponere potuerunt, ut illa omnium arcanorum perscrutatio, peccatorumq; interdum non satis pudicum examen, cum satisfactionis illa insidiosa, multoties etiam avara, impositione non plurimos offenderit, & à Catholica communione ita repulerit, ut ab eadē propter ipsos præcipuè Jesuitas penitus abhorreant. Sentit hoc jam in vicina nobis Moravia Præsul Olumucensis, sub cujus nomine Jesuitæ libellum quendam ibidem typis excusum ediderant, in quo pro Confitentium instructione catalogus peccatorum,*

cum

cum discretione venialium & mortalium, recensetur, secundū distincta vitæ communis officia: quando ejus libelli abominandā spurcitie (ab amicis admonitus) post aliquanto diligentius perpensā, pudore victus, eundem ut Christianæ professioni minime ferendum, omnique luce indignum opprobrium, precio plusquam decuplo passim redimere ac penitus supprimere conatur.

Pont. Tyardæus Episc. Cabilon. de fratribus Jes. pag. 35. (apud Thomam Mortonum in Dissert. contra Bellarm. de officio pii Principis cap. 7. sect. 2. p. 297.) *Sunt quædam Confessionum formulæ, quibus sancti illi Pneumatici* (de Jesuitis loquitur) *circa peccatorum differentias obscæna quædam & impudica exquirunt, quæ sine interrogati, cujus auribus inaudita turpitudines & lasciviæ instillantur, rubore, & interrogantis inhonesti appetitus titillatione vix ullis verbis aut ne vix quidem enunciari possunt.*

7. Quod quidam agnoscunt, Confessionem illam specialem, qualis hodie exigitur, denegerasse ab ea, quæ in primitiva Ecclesia erat recepta, atque ad eandem esse revocandam.

Georg. Wicelius in Compend. de lemit. antiq. *In Confessione Sacerdotali moderationem aliquam Catholici quoq; postulant. Ut ea non sit amplius, fanaticorum est seminare. Verum ut existat in Ecclesia nullis contaminata nævis, nec manibus oppressa Sophistarum commentis, expetunt Orthodoxi. Si hæc extitit Origenis, aut Hesychii & Augustini temporibus, profecto talis non extitit, qualem hodie deprehendimus usque adeo onerosam, ut non Confessio, sed laqueus videri possit. Laqueum dico, quem, donec rumpatur, tendunt Romæi Socii seu Theatini. Affirmamus Ecclesiastici publicam privatamque Confessionem, publicam solutionem pariter & ligationem à principio in Ecclesia Catholica fuisse unanimiter observatam, nec nos ad defectionem hujus cogi debere. Quibus temporibus concio cathedralis acerba fuit voluntarie peccantibus, nec parcebat virga & vinculum Ecclesiasticum, quæ sunt excommunicatio, præsertim flagitiosis, ut est discrimen Ecclesiæ judicio inter homines peccatores & flagitiosos seu criminosos. Hi coerceri non poterant, nisi per illud vinculum & terrorem Satanæ effrenibus incussum, citra cujusmodi præsentem licentiam publicorum morum cohiberi non posse comperimus. Tuemur Confessionem peccatorum simplicem, qualis erat veterum; tuemur contritionem cordis, quæ acerbissimus dolor est ac mœror eorum, qui sua commissa vere agnoscunt, deflentque &c.*

Et postea. *Nec suo caret abusu Confessio auricularis. Nam vitium est, homines ad hanc invitos cogi. Adhæc requirunt potissimum, quid quis peccarit adversus constitutiones Ecclesiæ. Perraro exquiritur, quid peccatum sit adversus Decalogum & paræneses Apostolicas, & faciunt interdum peccatum ex non peccato. Pariter extendunt confessionem Sacerdotalem ut quæ pariter fieri debeat & B. Mariæ Virgini, sanctisque omnibus. Quasi Maria desideat in angulis templorum promta confessionum auditrix, & habeat socios auditores Baptistam, Petrum ac Paulum. Impietas est & hæc haud sane mediocris, quod nuper φρατρία tanti fecit Confessionem illam Sacerdotalem, ut audeat omnem pene justitiam & spem salutis in hac, tanquam in anchora Christianæ religionis sacra atque unica, collocare. Evangelio detrahit & Confessioni tribuit, plus de hoc, quam de illo sentiens, cum non ignoret, humanum esse inventum, ut persuadeat incautis, humanam constitutionem, si non præferri, certe adæquari debere aut posse & Evangelio Dei. Multa sunt utilia, quæ non ad salutem necessaria. Sed isti semper magis urgent minus necessarium, minusq; principalia, adeo non celant nos, quo Spiritu agantur.*

8. Quod quidam agnoscunt, Confessionem illam, qualis hodie urgetur, esse animarum carnificinam.

Beatus Rhenanus in lib. Tertull. de pœnit. p. 545. *Johannes Geilerus* (Kaisersbergius) *gravis ac sanctus Theologus, vir magno rerum usu præditus, cujus ego parentalibus jam decrepiti interfui adolescens, familiariter versabatur cum Cœnobitis sanctioribus, cum Carthusiis, quos sæpiuscule invisebat, cum Franciscanis arctioris instituti, à quibus peregere venientibus intervisebatur, ab his discebat, quibus tormentis quorundam piæ mentes affligerentur ob confessionem, cui satisfacere, ut ipsis videbatur, nequirent. Similes querelas ad eum deferebant Sanctimoniales, proinde motus fuit, ut libellum ederet in lingua Germanica, cui titulum fecit,* von dem Beichtweh *hoc est, de morbo Confessionis, quo negabant esse tristiorem, qui eo tenebantur. Erat Carthusianus, qui propter Confessionem, quæ ei semper ob inexplicabilem circumstantiarum vim imperfecta videbatur, sed ipse perfectissimam esse frustra contendebat, huc miseriarum venerat, ut omnem salutem desperaret, & apocarteresin cogitaret. Hujusmodi homines ei libuit illo libello consolari, id quod antea fecerat in scriptis suis passim Johannes Gerson pius ac sincerus Theologus &c. Itaque Geilero non displicebat Confessio, sed morositas illa & anxietas quorundam, quam docent aliqua recentiorum Summulæ, quæ justius alibi locum habebant, quam in Bibliothecis. Hoc est nimirum artem tradere & methodum alicujus rei, quam ipse non probe calleas.*

Idem d. l. *Scholastici nimium arguti homines talem confessionem privatam reddiderunt, ut gravis & sanctus Theologus sæpe testatus sit, tam juxta illorum δυνηγόρεις impossibilem esse.*

Georg. Cassand. in consult. art. 11. p. 944. *Equidem credo de hac re* (de Confessione) *controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis Medicis multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuisset, quibus conscientiis, quas extricare & levare debebant, laqueos injecerunt, & tanquam tormentis quibusdam excarnificârunt. Quapropter huic rei occurretur, si pii tantum & prudentes viri huic utilissimo & sanctissimo audiendæ Confessionis & absolutionis impertiendæ ministerio præficiantur, qui hominum conscientias perite tractare possint, quorum dexteritate facile fiet, ut Confessio, quæ hactenus multis onerosa & molesta visa est, ut plena spiritualis consolationis, ab omnibus ultro expetatur.*

Idipsum probant hypotheses, quæ de hac Confessione apud Scholasticos & recentiores Scriptores Pontificios occurrunt.

Primo. Statutum de confessione in c. Omnis utriusque sexus &c. Bonaventura extendit *etiam ad venialia*, cujus *sententiam multos ex Scholasticis sequi* scribit Maldonatus in Summ. q. 18. art. 4.

Secundo, Quidam statuunt, *quod non habens mortalia peccata teneatur ad confessionem venialium semel in anno*, quam opinionem recitat Thomas 4. sent. dist. 17. & satis concordat Richardus ibidem.

Tertio. Eò procul dubio respicit Bellarminus, quando lib. 3. de pœnit. cap. 17. scribit, *non exigi absolute omnium omnino peccatorum enumerationem, sed eorum solum, quæ post diligentem memoriæ excussionem occurrunt*, ut sc. innuat, si non occurrant mortalia, Confessionem venialium faciendam esse.

Lib. 3. de pœnit. cap. 9. generaliter loquitur. *Non possunt Sacerdotes congruam pœnitentiæ actionem injungere, nisi peccata omnia accurate cognoscantur.*

Item. *Necessarium est, ut sigillatim peccata omnia Sacerdotibus detegantur.*

Quarto. Statuunt, *in Confessione enumeranda esse etiam illa peccata, quæ contra præcepta de non concupiscendo commissa.*

Catech. Roman. p. 2. cap. 2. de Sacram. pœnit. quæst. 40. *In Confessione curandum est, ut integra & absoluta sit. Omnia enim & singula peccata mortalia enumeranda sunt, quantumvis etiam occultissime lateant, & ejus generis sint, quæ duobus tantum extremis Decalogi præceptis interdicuntur.*

Quinto. *Circumstantias omnes, quæ peccatum aggravant, & in aliud genus peccati mortalis trahunt, enumerandas* asserunt,

(Quas hisce versiculis includere voluerunt:

Quis, quid, ubi, quare, quoties, cum, quomodo, quando,
Peccasti, dices ut sit Confessio vera.
Item. *Aggravat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus,*
Lucta pusilla, modus, culpa genus & status altus,
Conditio, numerus, ætas & scandala, sexus.)

Suarez tom. 4. Disp. 22. §. 2. *Actiones aliæ speciem mutant, hujusmodi eodem præcepto divino debemus confiteri, quoad mortalia. Aliæ speciem non mutant, quarum insuper aliæ peccatum augent & aggravant, aliæ minuunt. Quæ notabiliter aggravant peccatum, in Confessione explicare est necessarium, cujus generis sunt septem: Prima, quis; secunda, quod; tertia, propter; quarta, quomodo; quinta, quibus auxiliis; sexta, ubi; septima, quando.*

Sed in Concilio Tridentino quidā *illud, quod in Decreto additur de circumstantiis peccati speciem mutantibus, admodum insipidum judicabant, posseque quemvis virum bonum salva conscientia dejerare, sanctos Apostolos & ipsorum discipulos, rerum cœlestium peritissimos nunquam adeo curiosos subtilitatum humanarum speculatores fuisse, ut ipsis curæ esset intelligere, esse in peccatis circumstantias speciem mutantes, & plerosque omnes forsan id adhuc ignoraturos, nisi Aristoteles ad istam speculationem viam præivisset, quæ jam nunc, si Diis placet, articulum fidei ad salutem necessarium nobis concinnarit.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Concil. Trid. p. 417.

Sexto. Statuunt, *si quis ex iis, quæ enumerari debent, aliquid prætermittit, tum non solum ex confessione illa nullum sentire commodum, sed etiam novo scelere se obstringere.*

Catech. Rom. d. l. q. 41. *Sacerdos non remittit ullum peccatum, nisi pœnitens proferat, quæ debet, omnia.*

Suarez tom. 4. Disp. 22 §. 6. *Quando Confessio culpabiliter non est integra defectu materiæ necessariæ, ipsa Confessio omnino nulla est.*

Septimo. Maldonatus in Summa q. 18. art. 3. 4. & 8. *Unus finis confitendi est, ut obligaret homines, ne ipsi judices essent an habeant peccatum, & an illud sit mortale, an veniale, quia plerunque imperiti sunt, ideoque cogendi sunt exponere quicquid fecerunt Sacerdoti, ut judicet, peccarint, nec ne.*

Item. *Proprius finis Confessionis est, ut peccatores vi clavium obtineant remissionem peccatorũ. Quapropter Sacerdos debet omnia remittere, & quia non potest remittere, nisi quæ audit, ideo omnia debet audire.*

(Atqui si Sacerdoti ideo debemus confiteri, *ut judicet & discernat, quæ sint peccata mortalia*, tum quicquid peccato mortali obnoxium esse potest, Sacerdoti enumerandum erit. Jam vero non solum externæ actiones, verum etiam sermones & cogitationes possunt esse peccato mortali obnoxiæ. Ergo. Ulterius. Si Sacerdoti omnia peccata confiteri debemus, quorum remissionem petimus, utique non solum mortalia, sed etiam venialia peccata enumerare debemus.)

Octavo. *Si infirmus quispiam propter imbecillitatem loqui non possit, signum autem aliquod edat veræ contritionis, quo se peccasse significat, ac absolutionem petat, tamen eum absolvi non posse* statuunt Soto, Ledesma, Canus & Navarrus.

Nono recensent aliquot casus, in quibus Confessus tenetur iterum confiteri eadem peccata, videlicet,

1. *Quando confitetur ei, qui non potest absolvere.*
2. *Quando confitetur scienter ei, qui non potest ligare vel solvere.*
3. *Quando quis non confitetur integre omnia peccata mortalia, de quibus non est legitime confessus uni Confessori, etiamsi confiteretur diversis Confessoribus, sed scienter tacet aliquod peccatum mortale, vel de quo dubitat, utrum sit mortale peccatum, vel aliquid aliud, quod est de necessitate confessionis, utputa circumstantiam, quæ mutat speciem, & hujusmodi ex verecundia, vel aliquo quocunque respectu.*
4. *Quando quis obliviscitur pœnitentiam injunctam vel contemsit facere.*
5. *Quando confitetur sine contritione vel attritione debita, quæ sufficiat ad gratiæ susceptionem cum Sacramento, puta quod est in voluntate peccandi, vel ex mala intẽtione confitetur, vel non vult satisfacere, quod tenetur, & hujusmodi.*
6. *Quando quis recidivat.*
7. *Quando quis confitetur peccatum, à quo suus Confessor non potuit absolvere.*
8. *Propter peccati obliti recordationem.*
9. *Quando quis ante completam pœnitentiam committit aliquod mortale.*
10. *Cum quis confitetur excommunicatus existens.*

Merito igitur scribit Alphonsus de Castro libro 4. adv. hæreses, verbo Confessio. *Nihil durius aut difficilius in tota lege Evangelica reperiri, quam specialem illam peccatorum Confessionem.*

9. Quod quidam Romano-Catholici approbarint articulum XI. Augustanæ Confessionis, in quo negatur necessitas specialis peccatorum enumerationis.

(Verba ejus sic habent: *De Confessione docent, quod absolutio privata in Ecclesia retinenda sit, quanquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio, est enim impossibilis, juxta Psalmum, Delicta quis intelligit?*)

Johannes Hoffmeisterus in Harm. Andr. Fabricii de hoc articulo sic scribit: *Amplectimur hunc articulum, tanquam Catholicum.*

Georgius Cassander asserit, *neminem moderatum approbare nimis anxiam inquisitionem omnium circumstantiarum, quæ in multis conscientiæ carnificinam gignunt.*

10. Quod quidam agnoscunt, confessionem illam non debere esse nimis scrupulosam, nec tam de integritate confessionis, quam de sinceritate contritionis & fidei verè pœnitentes debere esse solicitos.

Taulerus conc. 68. f. 169. Ich rathe euch/ und mahne euch/ und bitte euch/ daß ihr lernet GOTT innigklich und lauterlich beichten alle eure Gebrechen/ und lernet euch ihm gründlich schuld geben/ und weget vor ihm größlich und sehr eure Gebrechen mit Leyd/ und daß ihr euch nicht setzet auff viel außwendiges langes Beichten/ viel zu sagen von eurem täglichen Gebrechen/ wenn da ist wenig fürgangen an/ und benimpt den Beichtvättern ihre Zeit/ und machet ihnen Verdrossenheit und Unlust. Von diesen viel sagen/ so fallen die Gebrechen nicht abe/ und als ich vor mehr gesprochen habe/ die Beichtiger haben keinen Gewalt über euer Gebrechen. Kehret euch zu euch selber mit Bekäntnüß euer selber/ denn diß außwendig Sagen ohne innerliche bringt wenig Frommen.

Georgius Cassander in Consult. art. 11. p. 943. *Quod subjiciunt* (Protestantes) *enumerationem omnium delictorum non esse necessariam, quadam ex parte recte habet, videlicet si intelligatur de ignotis & non occurrentibus peccatis; Item si intelligatur de nimis anxia inquisitione omnium circumstantiarum, quæ in multis conscientiæ carnificinam gignit, quam nemo moderatus approbat. Verum si referatur ad eam enumerationem peccatorum, qua graviora omnia peccata diligenter expenduntur, & tanquam spiritualia vulnera spirituali Medico revelantur, de ea quoque retinenda dubitandum non est.*

Navarrus tom. 1. pag. 501. *Aquinas circumstantiarum torturas sensisse videtur & arbitratur, candido Christi pectori conformatiorem esse confessionem, quæ tranquillo animo sine circumstantiis bona fide facta est, quam quæ cum his sit animo scrupuloso & inquieto.*

Liber interimisticus in art. de Pœnit. *Confessio & peccatorum enumeratio, ut non nimis laxanda est, ita vicissim non est nimis adstringenda.*

Antonius Sucquez in via vitæ æternæ lib. 3. cap. 10. in vers. Germ. pag. 781. Durchlauff Bedenckensweiß deine Tagswürckungen/ und thue dir kürtzlich drey oder vier (wenn dir nichts schwärwichtiges fürfält) Sündenpunct versamlen/ darüber du dich in der Beicht anklagen mögest.

p. 782. Beicht soll nicht ängstiglich oder scrupulose geschehen.

cap. 25. p. 955. Es ist unmüglich/ daß der Mensch alle seine vergangene Sünde zu Gedächtnüß bringe/ noch die gegenwertigen Umbstende von wegen der Verwirrung des Gemüths und der Unwissenheit halber aufferwecken könte/ also magstu wohl erkennen/ wasser massen nur diß eintzige erfordert wird/ daß du mit guter Treu und Glauben auffrichtiglich thust/ was dein Heyl betrifft/ und das übrige alles der Göttlichen Güte anvertrauest/ die zuviel übrige und vergebliche Engstigkeit kan niemaln nütz seyn/ so wohl darumb/ weil sie den Menschen nur je länger/ je mehr betrübet und verwirret/ auch desto weniger ihn läst betrachten die jenigen Dinge/ so zum Heyl gehörig sind/ als auch weiln der Göttlichen Gerechtigkeit niemaln von uns kan ein Genüge geschehen/ sondern man sich auff seine Güte verlassen muß.

11. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 4. § 3. & alibi passim fatetur, *Sacramentum pœnitentiæ in V. T. nondum fuisse institutum.*

(Ergo etiam specialis peccatorum enumeratio in V. T. nondum fuit requisita. At si in V. T. non fuit requisita, non est verisimile, eam in N. T. esse institutam & requisitam, quia N. T. est *fœdus gratiæ ac tempus libertatis*, in quo *tam onerosum & arduum Confessionis præceptum*, ut Scotus illud vocat, de novo non fuit institutum.)

Secundo, Maldonatus in Summ. q. 18. art. 5. *Communis opinio est, præceptum Confessionis obligare solum semel in anno.*

(At ex institutione Christi petimus quotidie remissionem peccatorum. Qui ergo peccati mortalis reus animo pœnitente per Christum hodie remissionem peccatorum deprecatur, ille ante constitutum confessionis tempus remissionem peccatorum vel impetrat, vel non impetrat. Si posterius, cur remissionem à Deo quotidie petit? Si prius, cur ab homine eam expectat per Confessionis auricularis confusionem primum promerendam?)

Tertio, Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 15. §. Præterea &c. disputat, *Laicos à lectione Scripturarũ ideo arcendos esse, quia in illis referatur adulterium Davidis, incestus Thamar, mendacia Judith, quæ ne Laici imitentur, periculum subesse arbitratur.*

(At si propter periculum scandali Laici à lectione Scripturæ arcendi, multo magis impuræ & prodigiosæ illæ quæstiones in auriculari Confessione à Sacerdotibus erunt omittendæ, quarum quasdam superius recensuimus.)

Quarto, si peccata quædam nec cognita nec enumerata pœnitentibus remittuntur, videlicet ea, quæ post diligentem discussionem memoriæ non occurrunt, consequens est, specialem peccatorum enumerationem non esse absolute necessariam. Ratio est, quia apud Deum par ratio est eorum, quæ cognoscuntur & enumerantur, & eorum, quæ non cognoscuntur & enumerantur. Utraque facta sunt contra legem Dei, utraque offendunt Deum, utraque temporales & æternas pœnas promeruerunt. Antecedens concedit Bellarm. lib. de pœnit. cap. 16. Idem concedit Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses verbo Confessio. *De peccatis occultis, quæ sic occulta sunt, ut ipsum peccatorem lateant, vel quia eorum non recordatur, vel quia firmiter credit excusabili ignorantia non esse peccata, de his, inquam, non disputamus, quod ea confitenda sint. Nullus enim*

fuit

fuit unquam tam demens, ut putaret illa etiam Sacerdoti in aurem fore narranda quorum pœnitens non recordatur.

12. Dissensiones Adversariorum.

1. Statutum Pontificis c. Omnis utriusque sexus &c. Bonaventura extendit etiam *ad venialia*, cujus sententiam multos Scholasticos sequi scribit Maldonatus in Summ. q. 18. art. 4.

Alii statuunt, *quod habens mortalia satisfaciat statuto confitendo mortalia, ita ut non teneatur ad confessionem venialium semel in anno* Hanc opinionem recitat Thomas 4. sent. dist. 17. & satis concordat Richardus ibidem.

Contrarium tenent Scotus, Durandus, Paludensis 4. dist. 17. q. 2. art. 4. statuentes, quod *habens sola venialia ad Confessionem Sacramentalem non teneatur.*

Robertus Holcot in 4. sentent. q. 4. *De venialibus confiteri magis est supererogationis, quam necessitatis.*

Gabriel Biel id probat hoc argumento: *Nemo tenetur de illis confiteri, ad quorum contritionem non tenetur. Sed de venialibus non est habenda contritio.*

Has pugnas Concilium Tridentinum dirimere voluit, quando *ad sola mortalia* præceptum Confessionis restringit. sess. 14. cap. 5. *Venialia*, inquiunt, *peccata, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte & utiliter, citraque omnem præsumtionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, cæteri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

Gregor. de Valent. lib. de necess. Confess. cap 4. §. 2. *Confessionem mortalium tantum peccatorum necessariam esse* statuit.

Sed Bellarminus lib. 3. de pœnit. cap. 17. §. Sed objectio &c. loquitur generaliter, *requiri in Confessione enumerationem illorum peccatorum, quæ post diligentem memoriæ excussionem occurrunt.* Nimirum ut innueret, venialium confessionem faciendam, si non occurrant mortalia.

2. Præter hanc dissensionem opinio de necessitate specialis enumerationis peccatorum examina variarum quæstionum peperit, ad quas nec veteres nec recentiores eodem modo respondent.

Conditiones legitimæ confessionis numerant sedecim, quas Richardus lib. 4. sent. dist. 17 art. 3. quæst. ult. his complexus est versiculis:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

(Recitat eosdem versiculos Viguerius Institut. cap. 16.)

Inde quærunt, *An prædictæ conditiones omnes sint de necessitate Confessionis?*

Utrum nominatio personæ, cum qua quis peccavit, sit necessaria ad peccati confessionem?

Utrum requiratur ad confessionem, quod fiat genu flexo, capite discooperto & hujusmodi?

Utrum confitentes propter gloriam vanam vel alium malum finem peccent mortaliter.

Utrum confitens peccatum, quod non fecit, peccet mortaliter?

Utrum mendacium dictum in Confessione sit peccatum mortale?

(Affirmat Cajetanus, negat contra hunc Gregorius de Valentia tom. 4. col. 1811.)

An peccet mortaliter, si quis dicat, se fecisse aliquod peccatum mortale, quod non fecit?

(Alii affirmant, alii negant, Saa in verb. Confessio. num. 12.)

Quando & in quibus Casibus Confessio sit reiteranda?

Utrum sit confitendum per verba obscura?

Quid statuendum sit de eo, qui confitetur Sacerdoti, qui dormit aut non intelligit?

Quæ peccatorum circumstantiæ necessario exprimendæ?

Quid dicendum de eo, qui confitetur solummodo ne reddatur notatus in populo?

Utrum dividens Confessionem satisfaciat?

Utrum peccata manifesta confitenda?

Num venialia confitenda?

An homo teneatur statim confiteri peccato mortali perpetrato?

(Scotus hoc dicit *esse dubium*; Bonaventura distinguit inter *religiosos & Laicos*; alii requirunt *opportunitatem temporis & Confessoris.*)

An virgo debeat confiteri mentalem fornicationem?

(Alii affirmant, alii negant, apud Saa in aphorismis, in verbo Confessio. num. 25.)

Quomodo gradus incestus confitendi, non convenit apud Pontificios teste Saa n. 20. verb. Confessio.

Utrum possit quis confiteri per interpositã personam vel scriptum?

Utrum, qui respondet Confessori ad interrogata, satisfaciat?

Utrum confitens teneatur acceptare omnem pœnitentiam, quam Confessor ipsi vult injungere?

Utrum infideles teneantur ad Confessionem?

Utrum pueri? Quidam putant *teneri ad Confessionem, qui habent usum rationis, tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem*, ait Saa in Aphorismis verbo. Confessio. *An in articulo mortis ægrotus debeat omnia peccata confiteri?* Affirmat Cajetanus, quem refellit Gregor. de Valentia tom. 4. tom. 1815.

Utrum non habens mortale, teneatur ex præcepto Ecclesiæ confiteri saltem semel in anno?

Utrum etiam Papa teneatur confiteri?

An si desit Presbyter, teneatur quis cõfiteri Laico in casu necessitatis? Lombardus & Thomas affirmant. Scotus & Richardus negant.)

An soli Sacerdoti confitendum?

An omni Sacerdoti confitendum?

(Ubi dicunt, *proprio saltem confitendum esse*, scil. extra casum necessitatis.)

Quis dicatur proprius Sacerdos?

Ubi enumerant, *Papam, Legatum in tota provincia, Pœnitentiarium ejusdem Legati in provincia, Archiepiscopum, Episcopum in tota Diœcesi, Archi-Presbyterum Ecclesiæ cathedralis, Vicarium generalis Episcopi, Presbyterum Parochialem in tota parochia, Vicarios præfatorum, omnes habentes licentiam ab aliquo prædictorum, proprium Sacerdotem ejus, qui eligitur à Papa & reliquis, quemlibet Presbyterum Parochialem vagabundorum proprium Sacerdotem esse* dicunt.)

An Religiosi ab aliquo Episcopo approbati possint ubiq; audire confessiones? alii affirmant, alii negant. Saa in v. Confessio n. 5.

An illi, qui non habent executionem ordinum, possint licentiari ad audiendas Confessiones?

An Scholares, mercatores, mercenarii &c. commorantes in aliqua parochia, possint absolvi ab illis Sacerdotibus, à quibus possunt absolvi Parochiales illius provinciæ?

Quid dicendum sit de peregrinis viatoribus?

Quid de illis, qui in diversis locis commorantur æqualiter, aut in diversis castris habent domicilia?

An possint proprii Sacerdotes autoritatem suam aliis delegare?

Utrum ex consuetudine possit induci, ut quis confiteatur ad libitum cui vult?

De qualitate Confessoris, de Absolutione, de Pœnitentiæ injunctione &c. itidem innumeræ moventur quæstiones, in quibus explicandis Canonistæ & Scholastici tot proferunt distinctiones, tot exceptiones, tot fovent dissensiones, ut negari non possit, Confessionem illam esse carnificinam animarum, & peperisse mare quæstionum.

3. Referendi etiam ad hunc locum Centenarii quæstionum, per quas examinari jubentur illi, qui ad confessionem accedũt, quarum classes constituũtur juxta *decem præcepta Decalogi*, juxta *præcepta Ecclesiæ*, juxta *quinque sensus*, juxta *septem peccata mortalia*, secundum *septem opera misericordiæ &c.*

4. Dissentiunt insuper in quæstione, *An peccata etiam ante Baptismum commissa necessario confitenda* Qua de re Summa Angelica sic differit: *Quæritur, Utrum omnes teneantur ad confessionem? Resp. quod sic. Omnes, qui peccatum mortale commiserunt, & tam infideles, quam fideles, secundum Richardum in 4. sent. dist 17. ita quod non confitens peccatum mortale commissum tam ante Baptismũ, quam post, si habet copiam idonei Confessoris, memoriam peccati & loquelam ad confitendum, omnino damnabitur, cum sit de jure divino præcepta, veruntamen prout Confessio præcepta est ab Ecclesia, ut fiat semel in anno, non ligat nisi fideles.*

5. Denique ad argumentum ex Nectarii (qui fuit Chrysostomi prædecessor) facto petitum:

(De quo narrat Sozomenus lib. 6. c. 35. *quod quibusdam suadentibus ut singulos ad communicandum conscientiæ suæ judicio relinqueret, etiam Presbyterum nequaquam super pœnitentes esse præcepit*) varie excipiunt Pontificii.

1. Sunt, qui ingenue concedunt, *Nectarium sustulisse confessionem secretam, & ideo Chrysostomum noluisse de auriculari confessione verba facere, nec ausum fuisse eam restituere, quam vir probatæ fidei Nectarius abstulerat.* In hac sententia fuit Melchior Canus in Relect. de pœnit. part. 5. & ante eum Waldensis tom. 2. cap. 141. Etiã Sotus in 4. dist. 18. q. 1. art. 1, Suarez tom. 4. Disp. 17. sect. 2.

 2. Alii

2. Alii recurrunt ad negationem Historiæ & Socratem ac *Sozomenum arguunt mendacii*. Latinus Latinius Romæ Ann. 1587. brevem disputationem edidit, ut ostenderet, *hanc Historiam fabulosam esse*, quod (ait Vasquez in 3. Thom. 5. q. 9. art. 1. dub. (3. *meo judicio nullo firmo fundamento docet*.

3. Alii ergo voluerunt, *Nectarium non sustulisse Confessionem privatam, sed appendicem illius; nempe qua statutum erat, ut Confessarius peccata secreta sibi confessa referret ad Episcopum, & per eundem recitaretur publice. Huic additamento Nectarium derogasse, non Confessioni privatæ.* Hanc sententiam Hesselius Concilio Tridentino in responso suo suggessit, quod habetur in Collectaneis Concilii editis in fol. Lovanii Ann. 1567. pag. 105. & seqq. Eandem Magistri sui sententiam laudavit & amplexus est Ruardus Tapperus art. 5. *Ego vero*, ait Vasquez d. l. *existimo, sententiam illam veram non esse, nec credendum est in toto Oriente à tam sanctis & doctis viris introductam fuisse publicam Confessionem secretorum peccatorum, ut contendit Ritbardus.*

4. Vasquez hoc vult, & ejus sententiam secutus est Cardinalis Perronius, *electum fuisse illum Presbyterum Pœnitentiarium, præter Confessarios proprios, & ut loquuntur, arbitrarios, pro iis, qui publice peccaverant, & quibus injungenda erat publica pœnitentia Debuisse eos isti Presbytero sua confiteri peccata, ut ille judicaret, quæ pœnitentia publica esset infligenda, & qua ratione, item quo tempore.*

Vult autem Vasquez, *consultum fuisse pœnitentium pudori, & ipsos per se non edidisse confessionem suam: sed Presbyterum illum peccata illa debuisse publice recitare.*

Perronius contra vult, *ipsum pœnitentem publice confessum fuisse, & inde accidisse, ut mulier illa, quæ à Diacono fuerat constuprata, cum ulterius in Confessione progrederetur, quam à Pœnitentiario fuisset injunctum, etiam hoc crimen suum cum Diacono evulgarit.*

(Colorem aliquem habet Vasquesii inventum, ut rationem reddat, *cur sublatus fuerit Presbyter pœnitentiarius, quia istius imprudentia factum illud fuisset evulgatum.* Sed si imprudentia mulieris id factum fuit, quod voluit Perronius, cur fuisset sublatus Presbyter? maxime si, quod nonnulli volunt, debuit cum Episcopo agere post privatam Confessionem, ut deliberaret de peccatis evulgandis & celandis. Dicendum igitur fuisset, sublatam fuisse pœnitentium publicam confessionem, non pœnitentiarium Presbyterum. Sed ex variis illis Adversariorum responsionibus satis manifestum est, eos urgeri hoc Nectarii facto, nec satis se expedire posse.

5. Maxime laborant in solvendo hoc nodo. Nectarius, cõsulentibus quibusdam, unicuiq; liberum permisit, prout sibi conscius esset & confideret, ad mysteriorum communionẽ accedere. Ibi certè non tantum agitur de iis, qui ad publicam pœnitentiam tenebantur, sed de unoquoque, qui ad communionem vellet accedere, de quo non dicitur, *quod sibi privatum debuerit eligere Confessorem pro conscientia sua*, ut vult Perronius, *sed quod potuerit accedere ac communionem, prout sibi conscius esset, & confideret.*

Unde etiam Michael de Palatio lib. 4. sent. dist. 17. Disp. 5. recte infert, *Nectarium statuisse, ut deinceps Confessio auricularis non esset ex præcepto, sed arbitraria: & quod quilibet proprio arbitrio relinqueretur confitendi vel non confitendi Sacerdotibus.*

Quod autem Perronius adversus Regem magnæ Brittanniæ p. 648. distinguens *inter Confessionem judiciariam & satisfactoriã*, dicit, *judiciariam nõ fuisse sublatam, satisfactoriam autem fuisse sublatam, quæ publice fiebat*, id ab eo affirmatur, non probatur. Præterea distinctio illa est futilis, quia Confessio satisfactoria, quã vocat, erat etiã judiciaria, tum quod à judice erat inflicta, tum etiam quia non prius judicabatur pœnitens ad Confessionem admittendus, quam edita illa confessione.

Addit Perronius, *verba illa Chrysostomi, sufficit tibi soli Deo confiteri, non conservo tuo* &c. intelligi de Confessione satisfactoria, non judiciaria: nempe igitur qui soli Deo confitetur, Deo satisfacit, non autem expectabit à Deo remissionem peccati sui & absolutionem, quam aliunde petet. At quis unquam satisfactoriam Confessionem appellavit eam, quæ soli Deo fit? Ἀσύστατον est, quod dicunt, *relinquebantur conscientiæ suæ, ut sibi Confessorem privatum eligerent.* Hoc enim non possunt ferre verba Historicorum, *Permisit*, inquiunt, *unicuique prout sibi conscius esset & confideret, ad mysteriorum communionem accedere.* Hæc verba manifeste demonstrant, neminem fuisse obligatum, ut Sacerdoti confiteretur.

Unde Glossa in decreto in pœnit. dist. 5. de pœnit. agnoscit, hanc Confessionem non esse usitatam apud Græcos, nec eis esse necessariam. Verba sic habent: *Sed melius dicitur, eam institutam esse à quadam Universalis Ecclesiæ traditione potius, quam ex Novi vel Veteris Testamenti autoritate. Et traditio Ecclesiæ obligatoria est ut præceptum. Ergo necessario est Confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non: quia non emanavit apud illos traditio talis.*

Et Gratianus can. Quis aliquando. dist. 1. de pœnit. asserit, quod *ex Chrysostomi dictis evidentissime datur intelligi, quod sine confessione oris peccata possunt deleri.* Confer D. Andream Rivetum in Cathol. orthodoxo tract. 3. q. 11.

Argum. Adversariorum.

1. *In V. T. varii extant hujus Confessionis typi* Bellarm. lib. 3. de pœnit. cap. 2.

Resp. 1. ex Bellarmino lib. 3. de verb. Dei cap. 3. *Convenit inter nos & adversarios ex solo literali sensu duci posse firma argumenta.*

(Articuli ergo fidei primo omnium ex propriis & perspicuis Scripturæ dictis probandi.)

2. Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses verbo Confessio. *Omitto pro hac re* (pro astruenda Confessione speciali) *testimonia omnia, quæ ex V. T. adferri possunt, quoniam omnia quæ inde afferri possunt pro hac re, adeo obscura sunt, ut, quamvis nostro proposito faveant, illud tamen aperte ostendere nequeant.*

Argum. 2. *Gen. 3. exigit Deus confessionem peccati ab Adamo & Eva, & quidem per Angelum in forma humana apparentem. Ergo confessio peccatorum facienda Ministro.* Bellarm. d. l.

Resp. Cornelius à Lapide in cap. 3. Gen. *Erat hæc vox Dei deambulantis in Paradiso. Porro agnovit Adam hanc esse Dei vocem,*

1. *Quia jam ante cum Deo collocutus vocem solitam Dei agnovit.*

2. *Quia hæc vox erat ingens & terribilis dignaque Deo. Licet enim per Angelum efformata esset, tamen Deum referebat.*

3. *Quia Adam sciebat, nullum alium esse hominem, qui hanc vocem excitaret.*

4. *Quia conscientia peccati, ipseque Deus menti ejus suggerebant, hanc Dei vindicis esse vocem.*

(Qui prius præceptum dederat de non comedendo ex arbore vitę, qui mulierem Adæ adduxerat, qui inimicitias ponit inter semen mulieris ac serpentis, illius vocem Adamus audiit, ac ille ipse confessionem peccati exegit, ut colligitur ex v. 11. 12. & 15. Sed Jehovah prius dederat præceptum &c. Ergo)

Argum. 3. Lev. 5. *divinitus mandatur peccatorum confessio.* Bellarminus d. l. Tirinus ibid.

Resp. 1. Lyranus in cap. 16. Levit. *Sacerdos, posita utraq; manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atq; peccata eorum, non explicando omnia in particulari, quia impossibile erat tum propter brevitatem temporis, tum quia Sacerdos non omnia peccata populi sciebat, sed in generali.*

(Fuit ergo Confessio generalis ideo requisita, ut esset indicium veræ ac seriæ Pœnitentiæ.)

2. Toletus in tract. de Confess. adducit nubem quandam testium, qui libere ingenueque fatentur, *propositum confitendi non fuisse necessarium in veteri lege.*

Argum. 4. *Levit 13. judicium de lepra commissum fuit Sacerdotibus, quod Christus approbat Matth. 8. Luc. 17. remittens leprosos ad Sacerdotes.* Bellarminus d. l. Stapletonus in promt. Cathol. Dom. 3. post Epiphan. Beierlinck concion. select. 34. pag. 643. Tirinus in h. l.

Resp. 1. Si ex eo, quod Sacerdotibus judicium de lepra commissum fuit, specialem peccatorum enumerationem probare velint, multis involventur absurdis, quę ipsimet concedere non possunt. Sacerdotes enim V. T. leprosos non fecerunt mundos, sed tantum *pronunciarunt mundos.* Sed Sacerdotes N. T. juxta Bellarminum peccatores faciunt mundos. Sicut Sacerdotibus licuit de sola lepra, & non de aliis morbis cognoscere, ita ministris in N. T. licebit de solis peccatis dispicere & videre, quomodo illa curentur, seque rebus politicis non debebunt immiscere. Sicut Sacerdotes nullum dicebant esse leprosum, nisi qui vere lepra erat infectus, nec mundum, in quo vestigia & reliquiæ quædam lepræ hærebant: ita decebat Pontificios, peccata non fingere vel excogitare in iis, qui nulla habent, vel quæ peccati nomen non merentur, neque puros & sanctos proclamare, qui ulceribus & sceleribus scatent. Quemadmodum omnibus Sacerdotibus licebat de lepra cognoscere & judicare vel de immunditie vel sanatione: sic cuilibet pio in N. T. concessum erit proximum ob peccatorum sensum territum verbo Evangelii erigere, & remissionem peccatorum annunciare, quia omnes pii in N. T. sunt spirituales *coram Deo Sacerdotes* 1. Pet. 2. v. 5. Apoc. 1. v. 6.

3. c. Con-

2. c. Convertimini. dist. 1. de pœnitent. *Illi leprosi, quibus Dominus præcepit, ut se ostenderent Sacerdotibus, in itinere, antequam ad Sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo datur intelligi, quod antequam Sacerdotibus ora nostra ostendamus, id est, peccata nostra confiteamur, à lepra peccati mundemur.*

Et postea. *Leprosus, antequam ad Sacerdotem veniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confessionem oris peccati venia indulgetur.*

(Ergo hic typus potius repugnat hypothesi de effectu & fine Confessionis.)

3. Alphonsus de Castro d. l. *Etsi ex his verbis satis congrue dici possit confessionem designari, quoniam per lepram peccatum figuratur, quapropter per ostensionem lepræ Sacerdoti faciendam ostenditur peccatorum Confessio Sacerdoti facienda, & quod mundatus à lepra debeat adhuc ostendi Sacerdoti, significat, quod mundatus à peccato per contritionē adhuc debeat ostendere peccatorum suorum maculas remanentes per Confessionem Sacerdoti faciendam. Hæc, inquam, etsi satis piè dicta sint, non tamen sunt efficatia ad hæreticum revincendum, quoniam nullus sensus sacræ Scripturæ efficax est ad fidem roborandam & hæreticos revincendos, nisi ille literalis sit, ex sensu enim mystico nunquam potest sumi argumentum efficax contra hæreticos. At quod ille sensus datus sit mysticus in illa litera, apertissimum est.*

Argum. 5. *Matth. 3. Marc. 1. Qui ad Baptismum Johannis accesserunt, in specie peccata sua confessi sunt.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Pontificii plerique statuunt, *in Confessione ante Baptismum non esse necessariam specialem peccatorum enumerationem.*

(Jam vero auditores Johannis ante susceptum Baptismum confessi fuere.)

2. Pontificii plerique omnes statuunt, *post resurrectionem Christi demum Joh. 20. Sacramentum pœnitentiæ fuisse institutum, ac specialem peccatorum enumerationem requisitam.*

3. Cajetano Ambrosius Catharinus objicit, quod statuat, *venientes ad Baptismum Johannis peccata sua confessos fuisse non auriculari Confessione, sed in genere, hoc est, non peccata sua, sed se peccatores esse.*

4. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. sic annotat: *Nec Baptismus Johannis, nec Confessio Sacramentum erant, quo peccata remitterentur, (nam sola contritione deleri illa tunc poterant) sed nuda Ceremonia, quâ testabantur internum dolorem de vita malè ante acta, & desiderium expurgandi animi per pœnitentiam, sicut expurgabant aquâ sordes corporis.*

Argum. 6. *Joh. 11. Apostoli jubentur Lazarum à vinculis funeralibus solvere.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Alph. de Castro d. l. cum ostendisset *ex Historia de leprosis ad Sacerdotem missis, non posse efficax argumentum duci pro confessione, cum sensus ille non sit literalis, sed mysticus, subjungit: Simile est illud, quod de Lazaro resuscitato Christus dixit Apostolis, Solvite eum & sinite abire.*

2. Maldonatus in h. l. p. 914. sic commentatur: *Non explicat Evangelista, quibus hoc Christus mandaverit, sed dubium non est, mandasse Judæis, qui aderant, ut suis ipsi manibus factum quodammodo miraculum tangerent; eamque omnium bonorum autorum sententiam esse docuimus, Augustinum, Gregorium & Bedam excipio, mandasse Judæis, ut dum ipsi manibus suis vincula solverent, cognoscerent verum esse Lazarum qui jam mortuus fuit, asserunt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Rupertus, Euthymius, Leontius, Theodoretus, Cyrillus.*

(Si dubium est, an Apostoli solverint, imo si dubium non est, quod Judæi solverint vincula funeralia, sequitur, non posse ex hoc loco argumentum duci pro confessione coram Sacerdote.)

3. Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth. cap. de usu & utilitate Historicæ ac mysticæ exposit. p. 141. *Nulla expositio ad probationem dogmatum inducta vim habet ac robur, nisi ea, quæ vere, pure & germane literæ sententiam explicet &c. Si enim ipse voluero astruere, Sacerdotes habere potestatem ligandi ac solvendi à peccatis, mysticâ expositione illius sententiæ Christi ad Apostolos, Solvite eum & sinite abire, illico respondebit adversarius, id de solutione linteorum, quibus Lazarus erat obvolutus, & non de solutione peccatorum dictum esse.*

4. Jacobus Tirinus Jes. ad h. l. sic annotat: *Symbolicè pœnitens peccator est contritione quidem jam redivivus, sed absolutione ministrorum Ecclesiæ à vinculis adhuc reliquis solvendus, ut S. Augustinus & Gregorius pulchre declarant.*

(Ergo solutio illa potius ad absolutionem Sacerdotis, quam ad Confessionem pœnitentis referenda.)

Confer ea, quæ afferentur in resp. ad sequens argum. 7. membr. 2.

Argum. 7. *Joh. 20. Christus instituit Sacerdotes judices super terram cum ea potestate, ut sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus reconciliari possit; sed nequeunt Sacerdotes rectè judicare, nisi peccata cognoscant. Ergo qui post Baptismum lapsi sunt, jure divino tenentur peccata sua Sacerdotibus aperire.* Bellarm. d. l. Stapletonus d. l. Sixtus Senensis d. l.

Jocobus Tirinus in Comm. h. l. & reliqui omnes. Alphonsus de Castro d. l. *Quod ex toto sacro instrumento meâ quidem sententia efficacius & fortius potest adseri, est illud verbum, quod Christus post resurrectionem discipulis dixit: Quorum remiseritis peccata &c.*

Resp. 1. Canonistæ & quidam ex Scholasticis negant, hoc argumentum necessariam concludendi vim habere. Biel. lib. 4. sent. dist. 17. v. 1. *Datur Apostolis potestas judicandi, sed non imponitur necessitas peccatoribus confitendi. Si dicat Richardus, nullus est judex meus in re aliqua, in qua non teneor facere, nisi quantum voluero,* respondet Biel: *hæc solutio non excludit replicam, quia frequenter constituitur partibus judex arbitrarius, & tamen non imponitur partibus necessitas se submittendi.*

2. Gregorius Homil. 26. in Evang. sic scribit: *Tunc vera est absolutio præsidentis cum æterni arbitrium sequitur judicis, quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens: Lazare, veni foras, postmodum is, qui vivens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cumque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis: Solvite eum & sinite abire. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus per autoritatem pastoralem solvere, quos autorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare,* quæ ex Gregorio repetit Gratianus c. Ipse. & c. Tunc vera. caus. 11. q. 3. c. Convertimini. dist. 1. de Pœnitentia, ubi addit, *voluisse Dominum hoc facto* (quod Lazarum per discipulos solvi jusserit) *ostendere, quod non Sacerdotali judicio, sed largitate divinæ gratiæ peccator emendetur.*

(Ergo Sacerdotes non agunt in absolutione ut judices.)

3. Lombardus 4. sent. dist. 18. lit. E. *Aliter Deus solvit, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, qui & animam mundat ab interiori macula, & à debito mortis æternæ solvit.*

Lit. F. *Non autem hoc Sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem ligandi & solvendi, i. e. ostendendi homines ligatos vel solutos, unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderetur mundatus: Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit discipulis solvendum.*

4. In Jure Canonico c. Verbum Dei. dist. 1. de Pœnitentia, & apud Lombardum d. l. citatur dictum Ambrosii. *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos exhibet officium, & nullius potestatis jura exercet. Minister enim est alieni promissi ac beneficii, non Dominus.*

Sed & Glossa hujus Can. Verbum. dist. 1. de Pœnit. provocat ad alium canonem. dist. 4. de consecrat. in quo dictum Augustini adducitur tract. 5. in Johan. *Aliud esse baptizare per Ministerium, aliud baptizare per potestatem.*

(Mirum vero, cur Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annot. 61. tantopere in Gratianum ac Lombardum invehatur, *acsi Ambrosii testimonio abusi essent,* cum Gregoriana editio ipsa fateatur, *esse Ambrosii verba,* quod ἀσ[illegible] demonstrat, & præterea, cum per Indicem Expurgatorium Sixtus V. & Gregorius XIII. multa ex hac distinctione erasissent, & textum hunc & glossam ejus intacta reliquerunt, adeoque post accuratam censuram comprobarunt. Ac quo minus de Ambrosii sententia dubitari posset, clarius eam repetit lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19. Nec solus Ambrosius ita judicavit, verum etiam Hieronymus lib. 3. Comm. in Matth. 16. & in Esai. 14. idem asseruit.)

5. Marsilius Ficinus in Defens. pacis part. 2. cap. 6. & Johannes Ferus lib. 2. in Matth. cap. 9. ibid. cap. 11. sub finem, lib. 3. cap. 16. & alibi passim idem asserunt. *Non est verè & propriè* (inquit Ferus loco primitus citato ad cap. 9. Matth.) *potestas remittendi peccata, sed facultas tantum pronunciandi, declarandi, testificandi à Deo esse remissa, nec est aliud absolutio, quam si dixero: En certifico tibi, remissa tibi esse peccata.*

Ad cap. 16. Matth. sic annotat: *Solus Deus remittit peccata, quia Apostoli, eorumque successores ea adhibent, per quæ Deus remittit peccata, & gratiam dat, ut sunt verbum Dei & Sacramenta, ideo & ipsi dicuntur remittere peccata, & aperire cœlum non ob aliud, quam quod media adhibent.*

(Curatores editionis Lugdunensis Anno 609. hæc verba cor-

corruperunt, substituentes pro illis: *Solus Deus remittit peccata potestate dignitatis & excellentiæ, Apostoli autem & eorum successores ministerialiter, ea adhibentes nempe per quæ Deus remittit peccata modo prædicto & gratiam dat per verbum suum & Sacramenta. Ideo & ipsi remittunt peccata & aperiunt cœlum, obid, quod media adhibent, ex virtute ordinis & gradus, quem susceperunt.* Sed quæ prius adduximus, sunt Feri genuina, & extant totidem verbis in editione Ann. 1559.)

6. Colonienses Theologi in Concilio Tridentino monebant, *sensum verborum Can. 9. damnatum (Absolutionem Sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium declarandi, remissa esse peccata credenti;) esse ipsam Theophylacti disertis verbis interpretationem, cujus condemnatione Protestantes triumphaturi sint.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Concilii Trident. p. 407.

7. In eodem Concil. Tridentino Franciscanorum Ordinis Theologos male habebat, quod hæresi adscriberetur, *dicere, absolutionem Sacramentalem esse declarativam, cum hæc fuerit D. Hieronymi, Magistri sententiarum & Bonaventuræ dilucida sententia, ac prope omnes Theologi Scholastici perspicue dixerint, absolutionem in Sacramento pœnitentiæ esse absolutionis declarationem.* Petrus Suavis lib. 4. Histor. Concilii Trident. p. 407.

8. Fr. Ambrosius Pelargus Electoris Trevirensis Theologus in eodem Concilio monuit, *verba Christi, Quorum remiseritis &c. vix ab ullo Patrum exponi de institutione Sacramenti pœnitentiæ, sed à nonnullis accipi de Baptismo, ab aliis de quocunque modo, quo peccatorum remissio obtinetur. Itaque qui verba ea ad solam institutionem Sacramenti pœnitentiæ restringat, & hæreticos pronunciet omnes, qui verba aliter accipiant, magnam adversariis palmam dare & materiam gestiendi, ob damnatam in Concilio veterem Ecclesiæ doctrinam.* Petr. Suavis lib. 4. Hist. Conc. Trid. p. 408.

9. In eodem Concilio Tridentino quidam probabant, *Absolvo, verbum esse judiciale, & valere consequentiam, Sacerdotes, si absolvant esse judices. Sed inconstantiæ rursus esse videbatur, damnare eos, qui dicerent, absolutionem nudum esse ministerium pronunciandi, remissa esse peccata, cum manifestum sit, in hoc versari judicis officium, ut innocentem pronunciet ac declaret eum, qui immunis est à culpa, & reum, qui deliquit.* Petrus Suavis lib. 4. Hist. Concilii Trident. p. 417.

10. In eodem Concil. Tridentino *quibusdam supra omnia admirationi fuit, quod integram & singularem cum circumstantiis omnibus peccatorum confessionem inde evincere satagebant, quod neq; judicium sine causæ cognitione exerceri, neque in pœna pœnitentibus imponenda æquitas servari poterat peccatis Sacerdoti in genere solummodo cognitis, tum quod Christus ipse hoc genus Confessionis ideo præcepisset, quo condignam pœnitentibus pœnam possent imponere. Sic sane ridiculos mortales facere & palàm fatuos censere, quibus quidvis, quantumvis absurdum, ipsis asserentibus, tanquam fide dignum, persuaderi possit. Neminem enim esse adeo simplicem, qui nesciat aut non videat, à Confessariis quotidie pœnitentiam præscribi, non modo delictorum meritis non ponderatis, sed ne minimâ quidem eorum habita ratione. Qui verba Concilii audiat, credat forsan, esse Confessariis trutinam, ad quam peccatorum minutissima, & veluti atomos expendant. Atqui nimio plus compertum esse, multorum homicidiorum, adulteriorum, ac furtorum reis sæpe numero in pœnam denunciari Orationis Dominicæ quinis vicibus recitationem; esseque familiare Confessariis plerisque omnibus, etiam literatis, in pœna denuncianda dicere, se partem modo pœnitentiæ imponere. Quorsum igitur exactam illam pœnitentiam ad modulum delictorum? aut cui fini particularem peccatorum cum suis circumstantiis enumerationem? Quid quod ipsa Synodus Doctrinæ cap. 9. & anathemate rursus 13. statuat, pœnis pro peccato vindicando sponte susceptis, & rebus adversis patienter toleratis, apud Deum satisfieri. Itaque neque necessarium, neque justum, aut pœnam, quæ peccato respondeat, in Confessione imponere, aut particularem peccatorum enumerationem ea de causa, ut illi ajunt, institutam adhibere.* Petrus Suavis lib. 4 Histor. Concil. Trid. p. 417.

11. Alphonsus de Castro lib. 4. adv. hæreses, verbo Confessio. *Si quis fortè dicat, ex his verbis* (Joh. 20.) *non haberi necessitatem Confessionis clancularia, quæ nunc in aurem Sacerdotis fit, hac de re non contendo, modò concedant, ex illis verbis haberi necessitatem Confessionis, sive clancularia sit, sive publica, quoniam in utraque earum potest consistere Sacramentum pœnitentiæ.*

(Atqui hic proprie de clancularia sive auriculari Confessione quæritur, & quidem tali, quæ specialem peccatorum enumerationem includat.)

12. In Concilio Tridentino quidam sic ratiocinabantur: *ex verbis Christi liquido apparere, Christum non distinxisse duo genera peccatorum, unum, quod oporteat remittere, & alterum, quod retinere, ideoque Sacerdoti sciendum, utrius generis delinquens sit reus: sed duo potius genera peccantum, verbis iis, Quorum & Quorum, unum pœnitentium, quibus remissio peccatorum conceditur; alterum impœnitentium, quibus remissio denegatur: ideoque Sacerdoti cognoscendum potius statum delinquentis, quàm Naturam & numerum peccatorum.* Petrus Suavis lib. 4. Histor. Concil. Trident. pag 417.

(Stante hac hypothesi, concidit argumentum ex Joh. 20. pro stabilienda Confessione deductum.)

13. Bellarm. lib. 3. de Pœnit. cap. 2. & Gregorius de Valent. de Necess. Confess. cap. 2. concedunt, *idem dici his verbis Christi* Joh. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata &c, quod verbis parallelis* Matth 18. v. 18. *Quæcunque solveritis super terram &c.*

(At hæc ligatio & solutio, de qua Matth. 18. v. 18. agitur, non Sacerdotibus solum, sed *cuivis Christiano* est concessa. Eidem enim subjecto, in quod peccaverat frater, quod solum & cum aliis fratrem debebat admonere, quod inobedientem debebat ad Ecclesiam deferre, quod incorrigibilem debebat *pro Ethnico & publicano* habere, v. 15. 16. 17. & 18. eidem, inquam subjecto conceditur potestas solvendi & ligandi, ut connexio textus demonstrat. Etsi enim numerus variet v. 14. & 15. 17. & 18. versus tamen 19. & 20. & tota textus structura ostendunt, eandem esse subjecti latitudinem, quo cum Christo sermo erat. At subjectum illud est *quivis frater, quivis Christianus*, qui lædi & lædere potest. Cuilibet igitur Christiano potestas facta, ut non solum in conscientia & secum, sed verbis etiam remittat offensam fratri, nec ullum dubium, quin tum in cœlis quoque offensa illa soluta sit, cæteris paribus, & si reus eam accipere velit. Jam vero ex potestate illa ligandi & solvendi omnibus Christianis facta Matthæi 18. directe non sequitur, omnibus Christianis potestatem factam judicandi de quantitate delicti & proportione justa satisfactionis, sed tantum ex suppositione materiæ remissibilis sequitur, ei, cui potestas facta remittendi proximo peccata, potestatem quoque factam esse censendi & æstimandi suam læsionem. Ergo etiam ex verbis Joh. 20. immediate & proxime non potest concludi, Sacerdotibus potestatem æstimandi delictorum gravitatem factam esse, cum remissio peccati simpliciter possit fieri, dummodo constet, peccatum esse, quanquam abstrahatur æstimatio quantitatis, quomodo debiti remissio, non considerata ejus quantitate, in solidum fieri potest.)

14. Toletus Annot. 22. in cap. 20. Joh. recte docet, *ex verbis illis Christi colligi, Sacerdotibus constare debere, an qui peccata sibi remitti petunt, debita devotione eadem confessi sint, ab eisq; absolvi debeant, hoc est, an decentem agnitionem peccatorum, eorumq; detestationem, fiduciam, veniam & stipulationem melioris vitæ ostendant.*

(Sed ex eo nondum inferri potest specialis peccatorum enumerationis necessitas. Potest enim seria transgressionum agnitio ac detestatio, fiducia veniæ & stipulatio melioris vitæ sine speciali transgressionum enumeratione locum habere, & vicissim specialis transgressionum enumeratio, sine earundem seria detestatione, fiducia veniæ & stipulatione melioris vitæ locum habere.

15. Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 5. c. 19. agnoscit, *Scribas recte dixisse Marc. 2. v. 7 Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* (frustra renitente Estio in annot. ad illum Marci locum, ubi dicit: *Uti Diabolo cap. 1. Marc. non est fides dictorum habenda, ita nec hoc secundo capite, Scribis credendum esse.*) Ergo judicium Ministri in absolutione non fit independenter αὐτοκρατορικῶς, sed dependenter & ministerialiter, ac absolutio ipsa proprie loquendo non est *judicium*, verum *applicatio alieni beneficii*, quod DEO placuit per Ministerium Ecclesiasticum pœnitentibus communicare, ut per ministros DEO reconcilientur, data ad hoc officium peculiari instructione, quæ Johan. 20. consignata est. Quod si vero Ministri in absolvendo à peccatis non utuntur *judiciali ac prætoria potestate, sed ministeriali*; si absolutio eorum à DEO dependet, utique ex potestate absolvendi non potest probari necessitas specialis enumerationis peccatorum.

Argum. 8. Act. 19. *Multi credentium confitebantur & annunciabant actus suos, ubi per τὸ ἀναγγέλλειν specialis enumeratio intelligitur.* Bellarm. d. l. Alphons. de de Castro d. l.

Resp. 1. Cajetano inter ducentos errores etiam hunc objicit Am-

Ambrosius Catharinus, quod statuat, *hūc locum non pertinere ad Sacramentalem Confessionem.* Sic enim Cajetanus in h.l. commentatur: *Quemadmodum ad Baptismum Johannis concurrebant confitentes peccata sua Marci 1. ita describuntur confitentes facta sua, procul dubio in genere aut publice, non enim fuit confessio Sacramentalis, sed professio vitæ preteritæ.*

2. Erasmus in Annot. h.l. pag. 227. *Vel hinc colligi potest, fuisse & antiquius nonnullam confessionem qualeactæ vitæ, sed apertam, ut opinor, & in genere, quam nec ipsam legimus exactam abs quoquam.*

3. Arias Montanus in Comment. nihil hic reperit aliud, quā *quod multi ex iis, qui crediderant secundum potentiam virtutis Dei, testabantur mutationem in ipsis factam virtute Jesu Christi in habitantis per Spiritum Sanctum: atque in eo testimonio confitebantur, quales antea fuissent, quales redditi essent per JesuChristi efficientiam.*

4. Lorinus Jesuita in h.l. sic commentatur: *Ex hoc loco Canisius, Gregorius de Valentia, Lindanus, Alphonsus de Castro, Hosius, Tapperus, Eccius, Petrus à Soto, Baronius, Salmero & plures alii pro privata & Sacramentali Confessione concludunt. Equidem terreor tam multorum judicio, ne definite aliquid judicem. Non ausim tamen illud Baronii* (tom. 1. Ann. 16. lect. 14) *Certum est, usurpare. Nam excipere quisquā possit, sermonem non esse de jam baptizatis, sed de Catechumenis, jam animo ac voluntate propensis ad religionē Christianam, ut non raro in Historia hac superiore tota, in qua ante Baptismum quidam credidisse dicuntur, credentes conversi ad Dominum, quanquam non ignorem, absolutum nomen credentium, sicut & fidelium de consummatè Christianis, h.e. baptizatis intelligi. Adhac Lucas videtur de illis loqui, quos ante nominaverat gentiles & Judæos qui mirum terrore correpti, propter cæsos Exorcistas à Dæmonibus, ad Apostolum confugiunt. Postremo Basilius, cujus me penitus autoritas opprimeret, fallor, nisi contrarium indicat. Ait enim in Act. Apost. eos Apostolis peccata confessos, à quibus & baptizabantur. Idem docet Athanasius. Accedat, quod nullus ex antiquioribus Theologis probat hoc ex loco Confessionem Sacramentalem, neque ex recentioribus aliqui, qui hoc tamen argumentum accurate sunt persecuti, imo aliqui negant, hic agi de illa, aut ex illo Basilii testimonio probari. Andreæ Vegæ verba ex Actibus referri possunt ad Confessionem quandam in genere, quæ tempore Apostolorum à suscipientibus Christi fidem fiebat, antequam daretur iis Baptismus Christi. Eusebius plane exponit, eos immediate prius fuisse gentiles & non Christianos. Augustinus idem significat. Arator item diserte ita sentit, ideo confessos & libros suos combussisse, ut impetrarent Baptismum. Porro, quod alii ex verbis Græcis argumentantur, illorum notio non magis concludit Sacramentalem Confessionem ex voce ἐξομολογοῦντες hoc loco, quam apud Baptistam Marc. 1. v. 5. ubi eadem vox habetur.*

5. Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. h.l. pro stabilienda expositione hujus loci de Confessione Sacramentali nullos alios, quam Pontificios interpretes Hosium, Tapperum, Gagnejum, Baronium, Salmeronem, Sanchez, Bellarminum à Valentia, à Lapide adducit, ex veteribus solum Oecumenium qui tamen de Confessione singulorum, non de confessione singulorum peccatorum loquitur. Δεῖ inquit, πάντα πιστὸν λέγειν τὰς ἑαυτοῦ ἁμαρτίας καὶ ἀπολαύεσθαι διὰ τοῦ ἑαυτὸν ἐλέγχειν.

Argum. 9. 2. Cor. 5. *Deus nobis dedit ministerium reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur &c. Qui mittuntur Legati cum potestate reconciliandi inimicos Regis cum ipso Rege, non possunt recte munere suo defungi, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint.* Bellarm. d.l.

Resp. 1. Anshelmus in h.l. *Christus proprie fuit Legatus Patris, sed nos pro eo legatione fungimur, ut vice ejus prædicemus reconciliationem gentibus.*

Thomas in h.l. *Quasi dicat, hoc modo dedit nobis ministerium reconciliationis, qui posuit in nobis verbum reconciliationis, id est, dedit virtutem, & inspiravit in cordibus nostris, ut annunciemus mundo, hanc reconciliationem esse factam per Christum; & hoc faciendo inducimus homines, ut se Christo conforment per Baptismum.*

(At in prima hac reconciliatione non habet locum auricularis confessio.)

2. Pontificii statuunt, *in Vet. Test. non fuisse specialem peccatorum enumerationem necessariam*, nihilo tamen minus etiam in V.T. ministerium reconciliationis locum habuit, alias pii in V.T. nec remissionis peccatorum, nec salutis participes fieri potuissent. Ergo ad reconciliationem cum Deo per ministros, non requiritur specialis peccatorum enumeratio.

3. Pontificii statuunt, *in confessione ante Baptismum non requiri specialem peccatorum enumerationem*, nihilo tamen minus etiam in Baptismo per Ministros reconciliamur Deo. Ergo ad reconciliationem cum Deo per Ministros non requiritur specialis peccatorum enumeratio.)

Arg 10. Jac. 5. *Confitemini invicem peccata vestra.* Bellarm. d.l. Tirinus in h.l. Canisius tom. 1. Antiq. lectionum, Turrianus lib. 2. Const. Clement. cap. 18.

Resp. 1. Glossa c. In pœnitentia. dist. 5. de Pœnit. *Quidam dicunt, Confessionem institutam esse in N.T. à Jacobo dicente: Confitemini alterutrum peccata vestra &c. Sed melius dicitur, eam institutam fuisse à quadam Universalis Ecclesiæ traditione potius, quam ex N. vel V.T. autoritate. Ergo necessaria est confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non, quia non emanavit apud illos traditio talis. Illud ergo Jacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, fuit consilii primo, alioquin ligaret & Græcos, non obstante eorum consuetudine.*

2. Scotus 4. sent. dist. 17. agnoscit, ex hoc loco non posse probari necessitatem specialis confessionis. *Nec per hoc*, inquit, *videtur mihi, quod Jacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum à Christo promulgavit. Primum non, unde enim sibi autoritas obligandi totam Ecclesiam, cum esset Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ? nisi dicas illam Ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens ejus Episcopum principalem Patriarcham, quod non concederent Romani, nec quod illa autoritas proprie pro tempore illo erat subtracta. Nec secundum videtur, quia Apostoli publicantes præceptum Domini, in Scripturis suis utebantur modo loquendi, per quem potuit innotescere, quod erant præcones Christi, ut patet, 1. Cor. 7.*

Et postea. *Dicendo, Confitemini alterutrum, non magis dicit, confessionem faciendam esse Sacerdoti, quam alii. Subdit enim, Orate pro invicem, ut salvemini; ubi nullus diceret, ipsum instituisse. nec promulgasse præceptum divinum, sed intellectus ejus est, sicut in illo verbo, Confitemini alterutrum &c. persuasio ad humilitatem, ut scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores.*

3. Glossa interlin. *Confitemini alterutrum, id est, coæqualibus peccata, id est, leviora delicta, sed gravioris lepræ culpam Sacerdoti pandere debemus.*

4. Erasmus in annot. h.l. p. 523. *Sentit Jacobus de quotidianis offensis Christianorum inter sese, quos continuo vult reconciliari.* Παραπτώματα *magis significat errata & lapsus, quam peccata. Si de Confessione sensisset, quam dicimus partem Sacramenti pœnitentiæ, non adjecisset* ἀλλήλοις *vobis invicem, sed Sacerdotibus.*

5. Cajetanus in h.l. *Non est hic sermo de Confessione Sacramentali, ut patet ex eo, quod dicit, Confitemini invicem, (Sacramentalis enim Confessio non fit invicem, sed Sacerdotibus tantum,) sed de Confessione, qua mutuo fatemur nos peccatores, ut oretur pro nobis, & de Confessione hinc inde erratorū pro mutua placatione & recōciliatione.*

6. Vasquez in tract. de Pœnit. artic. 1. quæst. 60. negat, *probari ex illo loco præceptum Confessionis, quia multi interpretantur de Confessione, quæ invicem fieri debet inter fratres, ut corrigantur.*

Arg. 11. 1. Joh. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata. Hæc intelligenda sunt de confessione singulorum peccatorum coram hominibus, cum non extet promissio de remittendis peccatis illis, qui Deo confitentur.* Bellarminus d.l. Tirinus in h.l.

Resp. 1. Glossa interlin. in h.l. *Deus, qui promisit gratiam humilibus fidelis est exequendo & justus, quare veræ confessioni juste dimittit*, (agitur ergo de Confessione, quæ fit Deo.)

2. Estius in illum locum sic commentatur: *Postquam docuit neminem carere peccato, nunc commonstrat generale remedium obtinēda remissionis peccatorum, quæcunque commiserimus seu magna, seu parva. Hoc remedium est peccatorum confessio, nimirum ea, quæ passim in Scripturis Veteris & Novi Testamenti describitur & commendatur, id est, quæ ex dolore & erubescentia super peccatis proficiscitur, & invocationem divinæ misericordiæ conjunctam habet, &c. sive ea Confessio coram solo Deo fiat, sive coram Sacerdote, Dei vicario, juxta temporum & peccatorum differentiam.*

(Opponit Apostolus, dicere quod non habeamus peccata, & confiteri peccata. Prius generatim accipiendum est, utique ergo & posterius.)

3. Bellarminus lib. 3. de Pœnit. cap. 4. ait, *probabiliter* hinc colligi specialem peccatorum confessionem.

(Ergo non est argumentum certum & apodicticum, sed duntaxat probabile ac topicum.)

Argum. 12. Lutherus tom. 1. Jen. Germ. f. 508. in libro, *An Pontifex possit præcipere Confessionem*, memorat, *in Papatu pro stabilienda Confessione privata, adductum fuisse locum Prov. 27. v. 23. Agnosce vultum pecoris tui.*

Atqui 1. Ipsimet Pontificii agnoscunt, in V. Test. nondum fuisse institutam Confessionem auricularem.

2. Agitur de cura rei œconomicæ in sensu literali, ut agno-

scunt Lyranus, Bannez, Jansenius, Vatablus & Clarius. Jam vero, docente Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. *Ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta.*

3. Si vel maxime ad Pastores Ecclesiasticos hoc referre velimus, tamen alia ratione possunt oves cognoscere, quam per auricularem Confessionem.

Argum. 13. Phosphorus Pontificius artic. 10. pro astruenda speciali peccatorum Confessione adducit dicta Prov. 28. v. 13. *Qui abscondrit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sirac. 4. v. 31. *Non confundaris confiteri peccata tua &c.*

Resp. Bellarminus docet lib. 3. de Pœnit. cap. 2. *potestatem remittendi peccata esse primum promissum Petro & expresse datam Apostolis in N. Test. Joh. 20.* nec allegat ullum ex Testamento Veteri locum pro speciali confessione, sed tantum typos.

Argum. 14. *Concilia & Patres testantur de speciali illa Confess.*

Resp. 1. Ostendimus superius, quosdam ex ipsis Pontificiis negare, *quod confessio illa specialis primitivæ Ecclesiæ fuerit nota, vel necessario quibusdam imposita.*

2. Bellarminus lib. 3. de Pœnit. c. 5. fatetur, *testimonia illa Conciliorum non aperte continere, quod Confessio sit juris divini.*

3. Dicta Patrum, quæ de Confessione *coram Deo* agunt, applicant ad Confessionem *coram Sacerdote.* Sic provocant ad dictum Chrysostomi homil. 20. in Genes. *Attamen, qui hac fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientia adjumento & ad Confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum.* Sed statim sequitur apud Chrysostomum: *Unde cum Lamech ille suis mulieribus cades à se commissas detegere ac confiteri non refugit; quali erimus venia digni si ei, qui omnia nostra accurate novit delicta, confiteri non volumus peccata? num quia ignorat, discere vult? Nequaquam, quia ignorat, confessionem à nobis requirit, qui omnia scivit, antequam fiant, sed volens, per Confessionem nos peccatorum habere sensum, & gratitudinem erga se ostendere &c. Absque sumtu & cruciatu est præsens pharmacum. Ut enim diligens est ac intentus accedentis animus, sic & remedia vulnerum largitur Dominus.*

(Hæc omnia ostendunt, per Medicum intelligi ipsum Deum, non Sacerdotem.)

4. Quæ de *exomologesi publica* agunt, illa transferunt ad *Confessionem auricularem.* Sic Cyprianus Epist. 52 ad Antonianum, Item in tract. de lapsis de Confessione ac Satisfactione publica loquitur, quæ in Idololatria vel perpetrata, vel cogitata erat usitata Pontificii ex eo auricularem Confessionem elicere conantur.

5. Provocant ad dictum *Augustini* homil. 49. et 50. *Nemo sibi dicat, occulte ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, qua occulte ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terris, soluta erunt in cœlo.* Sed loquitur *Augustinus* de publica adulterii confessione. Præcedit enim: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia.* Sequitur: *Nonne vos decipimus? Job dicit: Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea.*

6. Provocant ad locum Basilii. *Necessarium est confiteri peccata iis, quibus administratio mysteriorum Dei concredita est.* At Basilius non loquitur de Confessione privata vel auriculari, sed de Confessione peccatorum in genere. Statim enim subjicit: *Sic enim & qui olim pœnitentiam egerunt, coram sanctis fecisse comperiuntur. Scriptum est enim in Evangelio quidem, quod Johanni Baptistæ confitebantur peccata sua; in Actis vero Apostolis ipsis, à quibus etiam omnes baptizantur.*

(At non dicent, credo, vel Johannem Baptistam, vel Apostolos privatis Confessionibus audiendis operam dedisse, ac sella in angulo posita, quid accessuri ad Baptismum de peccatis suis sigillatim narrarent, cognoscere desiderasse.)

7. Provocant ad Tertullianum lib. de Pœnit. Sed jam olim respondit Beatus Rhenanus in arg. illius libri. *Tertullianus de clancularia ista Confessione admissorum nihil locutus est, neque eam usquam olim præceptam legimus.*

8 Merito igitur Erasmus in Annot. ad Epistol. Hieronymi de obitu Fabiolæ. *In hoc labuntur Theologi quidam parum attenti, quod quæ veteres scribunt de publica & generali Confessione, ea trahunt ad occultam & longe diversi generis.*

CAPUT V.

De Satisfactione.

THESIS prima. Christus non solum pro originali, sed etiam pro actualibus peccatis satisfecit.

Ἐκθεσις. 1. Christum satisfecisse pro peccatis actualibus æque intelligimus *exclusive* ac prius membrum, quod pro originali peccato satisfecerit, sensu scilicet eo, quod nemo hominum pro peccatis actualibus satisfacere potuit vel poterit, sicut etiam pro originali peccato nemo satisfacere potest.

2. Intelligimus hoc de actualibus peccatis non solum *ante*, sed etiam *post Baptismum* ab homine commissis.

Antithesis. Thomas Opusc. 58. de Sacram. altaris cap. 1. *Sicut corpus Domini pro debito originali semel oblatum in cruce, sic offertur jugiter in altari pro quotidianis nostris delictis.*

Bonaventura lib. 3. sent. dist. 20. quæst. 3. *Homo potest satisfacere pro suo actuali peccato, sed non pro originali. Nam pro peccato originali nemo potuit satisfacere, nisi Christus, Deus & homo. De actuali autem potest homo adjutus gratia satisfacere, sed satisfactione semiplena, quæ suppletion & complementum recipit à passione Christi.*

Gulielmus Altisiodorensis lib. 3. sent. dist. 12. *Si Abraham & alii antiqui Patres statim post mortem petiissent vitam æternam, quam meruerant ex condigno, dictum illis fuisset, reddite, quæ debetis, scilicet satisfactionem pro peccato originali, & quoniam nullus homo purus potuit satisfacere, ideo necessarius fuit adventus Christi.*

Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus in lib. de incruento sacrif. Romæ edito, scribit, *passionem Christi pro originali peccato satisfecisse, sed in Missa offerri Christum pro peccatis Baptismum & primam justificationem sequentibus.*

Huic affine est, quod Andreas Vega lib. 13. in Concilio Tridentino cap. 36. contendit, *satisfieri à nobis pro culpa*; & Ruardus Tapperus in explicat. artic. 6. Lovan. disputat, *posse hominem satisfacere Deo pro culpa & pœna æterna per actus quosdam, qui ordine Naturæ sequantur gratiæ gratum facientis infusionem, & præcedant peccatorum remissionem*, in quam sententiam citat Thomam 4. sentent. dist. 15. quæst. 1. art. 2. quin eò progreditur, ut scribat tom. 1. fol. 141. *Christi meritum non mereri nomen perfectæ satisfactionis.*

Nostram sententiam demonstramus,

1. *Ex indefinita Scripturæ locutione.* Scriptura, quando de satisfactione Christi pro peccatis præstita tractat, ubique indefinite loquitur, nuspiam vero limitationem illam addit, quod Christus pro solo peccato originali satisfecerit Esa. 53. v. 5. 1. Petri 2. v. 24. & alibi passim. Joh. 1. v. 29. loquitur *in singulari*, ut intelligatur, omne, quod peccati rationem habet, (totam peccati molem, & omnium vitiorum mundi colluviem,) in Christum translatum & pro eo satisfactum esse.

2. *Ex universali assertione.* Scriptura non solum indefinite, sed etiam *Universaliter* de Christi satisfactione loquitur, Esai. 53. v. 6. & 12. Tit. 2. v. 14. 1. Joh. 1. v. 7.

3. *Ex speciali denominatione.* In quibusdam Scripturæ dictis species actualium peccatorum diserte exprimitur, Esa. 53. v. 6. Roman 3. v. 12. & 24. 1. Cor. 6. v. 9. & 10. Hebr. 9. v. 14. 1. Pet. 1. v. 18. & 19. 1. Joh. 2. v. 1.

4. *Ex peccatorum descriptione.* Quæcunque peccata lex accusat & damnat, pro illis Christus satisfecit, Gal. 3. v. 13. Atqui omnia & singula peccata, non solum originale, sed etiam actualia lex accusat & damnat, Deut. 27. v. ult. Ergo.

5. *Ex satisfactionis Christi qualitate & conditione.* Satisfactio Christi est precii ac valoris infiniti propter personæ infinitatem. Ergo est sufficiens pro omnibus omnino peccatis.

6. *Ex absurdi consecutione.* Si Christus pro solo originali peccato satisfecisset, ita ut pro actualibus culpis nobis adhuc satisfaciendum restaret, dimidia solum pars redemtionis Christo relinqueretur, altera & quidem majori parte ad homines translata. Christus enim tantum pro uno, homines autem pro multis peccatis satisfacerent. Jam vero Scriptura uni Christo totam redemtionis opus transscribit, Esa. 63. v. 3. 1. Timoth. 2. v. 5. Hebr. 10. v. 14. &c.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod non solum multi ex veteribus, sed etiam recentioribus Pontificiis agnoscunt, Christum tum pro originali, tum pro actualibus peccatis nostris satisfecisse.

Thomas in 2. Cor. 5. *Non reputans illis delicta eorum, hoc est, non habens in memoria illorum delicta tam actualia, quam originalia ad puniendum, pro quibus Christus plene satisfecit.*

Idem part. 3. quæst. 1. artic. 4. *Quamvis Christus ad omnia peccata delenda in hunc mundum venerit, principaliter tamen venit ad tollendum originale, quam actuale peccatum.*

Glossa Juris Canonici c. Ut cognoverunt. dist. 2. de Pœnit. ad verb. Sibimetipsis &c. *Mors Christi sufficit ad omnia peccata delenda.*

The-

Thesaurus novus in Epist. Dominic. Judica, Enarr. 64. *Sanguis Christi effusus est in remissionem plenam omnium peccatorũ.*

Alphonsus Salmero in cap. 1. Matth. v. 21. *Salvum facit populum suum à peccatis suis, ab omnibus scilicet, nõ solum ab originali, se à personalibus etiam, quæ nostra, non Dei sunt, nec tantum à perpetratis, imo sed perpetrandis.*

Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 3. §. 2. *Quod ipse* (Catharinus) *dicit, Christum venisse, ut tolleret peccatum originis, & propter Christi justitiam omnes justificari &c. æque valet in majoribus ac parvulis. Christus enim venit omnia peccata tollere, dedit enim semetipsum redemtionem pro omnibus, 1. Timoth. 2. Et ipse est propitiatio pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2.*

Lib. ejusd. cap. 5. §. ultim. *Christus passus est, non pœnam, quæ directè nostris peccatis debetur, neque enim pœnam gehennæ substituit, sed aliam, quæ quoniam infiniti meriti & efficaciæ fuit, propter personæ patientis dignitatem, ideo pro peccatis omnibus plenissime satisfecit, non solum pro peccato originis, sed etiam pro culpis actualibus.*

Idem in judicio de libro Concord. mend. 18. col. 1558. *Credimus & profitemur, Christum in cruce pro omnibus omnino peccatis satisfecisse, tam originalibus, quam actualibus.*

Ibidem, *mendacium esse*, dicit, *quod in Augustana Confess. art. de abusu Missæ dicitur: Accessit opinio, quæ auxit Missas privatas in infinitum, videlicet, quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus.*

(In eo ipso tamen loco citat dictum Thomæ opuscul. 58. de Sacramento altaris cap. 1. diserte id asserentis, ac ibidem docet, *pro peccato originali sufficere sacrificium crucis semel oblatũ, quia peccatum originis non repetitur, sed pro peccatis actualibus, quæ sæpius committuntur, instituta esse quotidiana remedia Sacramenti altaris & alia, quæ juvent ad impetrandum à Deo, ut super peccatores clementer respiciat, eisque desiderium conversionis inspiret, & ad justificationem quærendam & obtinendam disponat.*)

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 7. quæst. 14. punct. 6. *Cum duplex sit genus peccati, scilicet actualis & originalis, nemo Catholicorum est, qui non fatetur, ad utriusque generis peccatum delendum venisse Dei Filium.*

(Mox tamen sui quodammodo oblitus, in eod. l. addit, *Christum præcipue propter originale peccatum venisse, & Glossam ordinariam, quæ in dicto Johannis, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, originale intelligit*, nõ solum adducit, sed etiam probat.)

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. 3 de Pœnitent. cap. 4 §. Altera solutio &c. sic scribit: *Scriptura ubique, cum absolute de peccatis loquitur de omnibus peccatis intelligi solet & debet, & si liceret exponere de quibusdam, non omnibus, absurdissimæ sententiæ in divinis literis invenirentur.*

(Subsumimus. Scriptura, quando de satisfactione per Christum pro peccatis nostris præstita, loquitur, indefinite & absolute loquitur. Ergo de omnibus peccatis id accipiendũ.)

Secundo, idem Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 5. sic scribit: *Deus non acceptat in veram satisfactionem pro peccato, nisi justitiam infinitam, quoniam peccatum offensa est infinita. Sed, ut aliqua justitia sit infinita, id est, infiniti precii & valoris, non est necesse, ut sit justitia Dei essentialis, sed satis est, ut sit justitia personæ infinitæ, qualis est Christus Deus & homo. Itaque obedientia, passio & mors Filii Dei, quamvis in se & essentialiter fuerit creata & finita, tamen ratione personæ obedientis, patientis & morientis infinita fuit, & ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro totius mundi peccatis.*

(Si satisfactio Christi est infiniti precii ac valoris, utique pro actualibus etiam peccatis est sufficiens.)

Thesis secunda. Christus non solum pro omnibus peccatis, sed etiam pro omnibus peccatorum pœnis tam temporalibus, quam æternis satisfecit, ac proinde credentibus in Christum, & culpa & pœna, non solum æterna, sed etiam temporalis remittitur.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Pœnitentia cap. 2. §. 4. *Catholici summo consensu docent, post remissam culpam sæpe remanere reatum pœnæ temporalis, ut ex Concilio Tridentino constat sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 12.*

Gregorius de Valentia tom. 1. Comment. in Thom. Disp. 6. quæst. 17. punct. 5. *Sciendum est, inter pœnam æternam damni & pœnam æternam sensus, quod attinet ad remissionem utriusque post Baptismum, hoc esse discrimen, quod pœna æterna damni per se quidem hoc ipso tota remittitur, quod remittitur peccatum mortale secundum culpam, hoc est, secundum illud malum privationis gratiæ & amicitiæ divinæ, quod homini attulerat. Pœna autem æterna sensus hoc ipso, quod peccatum mortale, quoad culpam, remittitur, remittitur quidem secundum perpetuitatem durationis, ut scilicet jam non sit luenda in inferno æterna, sed tamen non remittitur secundum se totam simpliciter, quinimo lui adhuc debet ad tempus brevius vel longius pro ratione & gravitate perversitatis, quæ fuit in ipsa peccati mortalis conversione.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex culpæ & pœnæ mutua connexione.* Sublata culpa tollitur etiam debitum pœnæ, ex Natura perpetuæ relationis.

Tertullianus lib. de Bapt. cap. 3. *Exemto scilicet reatu, eximitur & pœna.*

Oecumenius in cap. 5. Rom. *Ubi peccatum sublatum est, etiam pœna simul ablata est.*

Atqui Christus in se *sustulit peccata nostra* Esa. 53. v. 6. Joh. 1. v. 29. 1. Petr. 2. v. 24. Ergo etiam pœnam peccatis nostris debitam in se transtulit, & per consequens, à debito pœnæ luendæ nos liberavit.

2. *Ex emphatica pœnæ denominatione.* Scriptura emphaticè dicit, ipsam pœnam peccatis nostris debitam ipsi impositam esse, Esa. 53. v. 5. *Ipse castigatus est, ut esset nobis pax.* ibid. *Vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter iniquitates nostras.* Omnes pœnæ temporales & æternæ, corporales ac spirituales nomine *maldictionis* continentur. Jam vero Christus *factus est pro nobis maledictum, ut à maledicto legis nos liberaret,* Gal 3. v. 13.

3. *Ex pœnarum enumeratione.* Pœna peccati est *maledictio legis.* At Christus *liberavit nos à maledicto legis,* Gal. 3. v. 13. Pœna peccati est *dominium Satanæ.* At Christus *liberavit nos à potestate Satanæ,* Hebr. 2, v. 14. Pœna peccati est *ira Dei.* Jam vero Christus *liberavit nos ab ira ventura,* 1. Thess. 1. v. 10. Pœna peccati est *mors.* Jam vero Christus *liberavit nos à morte,* Ose. 13. v. 14. Pœna peccati est *infernus.* Jam vero Christus *liberavit nos ab inferno & damnatione,* Rom. 8. v. 1.

4. *Ex justitiæ divinæ conditione.* Justitia Dei non permittit, idem peccatum bis puniri. Jam vero *propter peccata nostra percussit Filium dilectissimum,* Esa. 53. v. 4. Ergo non puniet ea in reconciliatis qui satisfactionis per Christum præstitæ, fide fiunt participes.

5. *Ex absurdorum consecutione.* Si pro peccatorum pœnis adhuc nobis satisfaciendum esset, nondum perfecta foret Christi satisfactio, nondum absolutum redemtionis opus, nondum *omnia* per ipsum *consummata.* Consequens est absurdum, Joh. 19. v. 30. Hebr. 10. v. 4. Ergo. Si pro sola culpa Christus satisfecisset, satisfactio ipsius potius ἡμιλύτρωσις quam ἀπολύτρωσις dicenda foret. Si pro peccatorum pœnis satisfacere possemus, pars redemtionis à Christo ad nos transferretur. Consequens est absurdum, Esa. 63. v. 3.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Christum non solum pro culpa, sed etiam pro pœna satisfecisse.

c. Filius Dei. dist. 4. de Consecrat. ex Augustino *Filius Dei carnem sucepit & pœnam sine culpa, ut in carne peccati & culpa solveretur & pœna.*

(Augustin. serm. 141. de Temp. *Dominus noster Jesus Christus mori venit, peccare non venit, communicando nobiscum sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam.*)

Thomas part. 3. quæst. 49. art. 3. ad quæstionem, *An per passionem Christi liberati simus à pœna peccati?* affirmate respondet & addit, *liberationem factam esse dupliciter, 1. directè, in quantum passio Christi fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccatis humani generũ, exhibita autem satisfactione, tolli reatum pœnæ. 2. indirectè, in quantum passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.*

Lombardus lib. 4. sent. dist. 18. lit. d. *Sicut Christus interius gratia sua animam illuminat, ita & simul debitum æternæ mortis relaxat. Ipse enim per seipsum peccata pœnitentium tegit, quando ad pœnam non reservat. Tunc ergo tegit, quando debitum pœnæ solvit. Quod autem ipse tegat, aperte docet Augustinus, exponens illum locum Psalmi, quorum tecta sunt peccata, id est, cooperta & abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit advertere. Si noluit advertere, noluit animadvertere, id est, punire, sed ignoscere. Ita ergo dicit à Deo tecta, ut Deus non videat, id est, æternitaliter puniat. Videre enim Dei peccata est ad pœnam imputare, avertere autem faciem à peccatis, hoc est, ea ad pœnam non reservare.*

Viguerius in Instit. Theolog. cap. 16. §. 4. v. 22. pag. 497. Schoppius in Comm. de Indulg. c. 4. f. 15. concedunt, *Christũ abundantissimè satisfecisse tam pro pœnis æternis, quam temporalibus.*

Quidam

Quidam Lovanienses, referente Bellarmino lib. 1. de Indulg. cap. 4. docuerunt, solius Christi satisfactionibus remissam pœnam temporalem.

Gregorius de Valentia tom 4. Disp. 7 quæst. 20. punct. 1. *Nos non modo Christum pro remissione etiam cujuscunque, pœnæ satisfecisse confitemur, verum etiam suo quidem modo, hoc est, tanquam Redemtorem, (qui scilicet misericordiam sui æterni Patris ad nos inprimis inclinaverit, ac meritorum suorum vi flexerit,) solum ipsum pro ea remissione & omnibus aliis donis spiritualibus, quæ beneficio redemtionis nobis conferuntur, satisfecisse docemus.*

(At si solus Christus satisfecit pro remissione pœnarum, & vi suorum meritorum Patris misericordiam ad nos inclinavit, utique pro culpa & pœna tum temporali tum æterna plenissime satisfecit.)

Bellarminus ipse lib. 2. de Indulgent. cap. 10. §. Ac primum &c. scribit, *Christum satisfecisse Deo Patri plenissime pro reatu culpæ & pœnæ temporalis & æternæ omnium peccatorum.*

Idem Bellarminus lib. 2. de Indulgent. cap. 1. resp. ad 1. object. *Merita Christi sunt res vivæ & sacræ, sed non solum justificant corda, verum etiam satisfactoria sunt pro reatu pœnæ tum sempiternæ, tum temporariæ.*

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccatis cap. 5. §. ultimo. *Christus passus est non pœnam, quæ directe peccatis nostris debebatur, neque etiam pœnam gehennæ sustinuit, sed aliam, quæ quoniam infiniti meriti & efficaciæ fuit, propter patientis personæ dignitatem, ideo plenissime pro omnibus peccatis satisfecit.*

(Si pœna, quã Christ⁹ sustinuit, fuit infiniti meriti, utiq; pro omnibus pœnis tam temporalibus, quam æternis satisfecit.)

Secundo, concedunt, *sublata culpa, tolli etiam pœnam.*

(Jam vero Christus pro culpa perfecte satisfecit. Ergo etiam pro pœna ipsum satisfecisse concedendum erit.)

Thomas 1. 2. quæst 87. art. 7. & 8. docet, *omnem pœnam, quæ mere & proprie est pœna, esse propter aliquam culpam.*

Idem 2 2. q. 108 art. 4. distinguit *inter pœnam, quatenus consideratur secundum rationem pœnæ, hoc est, stricte & accurate, & tum non debetur, nisi peccato; & inter pœnam, quatenus consideratur ut medicina, & tum aliquis, nempe pius, interdum punitur sine ipsius culpa, quippe, quæ ipsi propter Christum condonata, sed non sine causa.*

Bellarminus lib. 1. de Pœnitent. cap. 7. §. Ad hæc &c. *Culpa est causa pœnæ, cum ex culpa nascatur obligatio ad pœnam.*

Lib. 3. de Laicis cap. 11. §. Sexta probatur &c. *Culpa & pœna relativa sunt.*

Benedictus Pererius in cap. 9. Genes. pag. 541. num 163. *Si pœna proprie sumatur, necessario respondet peccato, nec sine eo potest esse, siquidem per pœnam compensatur & reficitur æqualitas justitiæ per peccatum violata.*

Tertio, fatentur, *peccatum tum demum censeri perfecte remissum, cum non solum culpa, sed etiam omnis pœna fuerit remissa,* quæ sunt verba Bellarmini lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 20 § 6.

Idem Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 4. §. Tertio objiciunt &c. *Perfecta peccati remissio complectitur remissionem culpæ & pœnæ.*

Melchior Canus lib. 12. Locorum cap. 12. Ex quo &c. sic scribit: *Non est plene remissa culpa, quamdiu peccator reus est solvendæ pœnæ.*

(Jam vero Christus perfectam & plenam peccatorum remissionem nobis promeruit. Ergo pro culpa & pœna perfecte satisfecit.)

Toletus lib. 6. Inst. cap. 22. p. 526. *Peccatum non integre remittitur, nisi cum & pœna aufertur.*

Quarto, Hayus contra Chambrunum cap. 13. testatur, *suos Theologos docere, minimam earum pœnarum, quas Christus passus est, sufficere reparandis mille mundorum peccatis.*

(Cum ergo Christus tot ac tantas pœnas sustinuerit, utique ipsius passio erit sufficiens precium non solum pro peccatis, sed etiam pro omnium peccatorum pœnis.)

Quinto, Vasquez in part 3. Thom. Disput. 5. adducit & approbat dictum Chrysostomi homil. 11. in c. 5. Rom. *Quemadmodum, si quis in carceris custodiam quempiam nummos decem debentem conjiciat, neque ipsum solum, sed cum illo & propter illum simul uxorem, liberos & famulos: veniat vero alius, qui non solum solvat decem illos nummos, sed etiam innumera auri talenta largiatur, jam non poterit amplius fœnerator decem nummorum debitum exigere: ita & nobiscum factum est; multo siquidem plura, quam debebamus, Christus pro nobis solvit, tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* (Atqui si Christi satisfactio superat nostrum debitum, utique non solum pro culpa, sed etiam pro pœna satisfecit.)

Potuisset Vasquez addere alium locum ex Chrysostomo homil. 6. ad Coloss. πάντες ἦμεν ὑφ' ἁμαρτίαν καὶ κόλασιν, αὐτὸς ὁ Χριστὸς, κολασθεὶς ἔλυσε καὶ τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν κόλασιν.

Thesis tertia. Nec pro culpa, nec pro pœna Deo satisfacere possumus.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de *satisfactione Ecclesiastica sive Canonica* in primitiva Ecclesia usitata, quæ fuit pars disciplinæ Ecclesiasticæ, qua illis, qui fidem in persecutione abnegaverant, vel in manifesta & atrocia crimina prolapsi fuerant, certæ quædam mulctæ ac castigationes imponebantur, (de quibus Tertull. in lib. de Pœnit. Euseb lib. 5. Hist. c. 28. lib. 6. c. 25. &c.) non ut per illas peccata coram Deo expiarent, sed ut animi pœnitentium explorarentur, verene an ficte eos admissorum delictorum pœniteret, ut Ecclesiæ scandalizatæ externa ista pœnitentiæ declaratione rursus satisfieret, ac ut reliqui his spectaculis ad peccata majori studio vitãda, excitarentur. Cumque Ecclesia tum temporis destituta esset Magistratu Christiano, hisce ritibus & hac severitate publice testatũ facere voluit, se graviora illa scelera detestari, & in suis nolle tolerare.

2. Neque quæstio est de *satisfactione privata*, qua proximo verbis vel factis à nobis læso satisfacimus per ostensæ deprecationem & ablati restitutionem, quam satisfactionis speciem in pœnitentia necessariam esse statuimus. Quamvis enim coram Deo non sit pro peccatis compensatio, aut propitiatoria ac meritoria quædam satisfactio, tamen divinitus est præcepta, & veræ pœnitentiæ ac dilectionis indicium exhibet, Matthæi 5. v. 23 & 24.

Lutherus an die Geistlichen auff dem Reichstag zu Augspurg versamlet/ tom. 5. Jen. Germ. fol. 81. b. Wenn sie (die Papisten) doch solch Gnugthuen für die Sünde hetten weißlich unterschieden/nemlich also/daß es geschehe gegen die Menschen / nit gegen Gott/wie Christus Matth. 5. und 18. anzeiget/wie es vor zeiten auch die H. Väter gebraucht/und die Christen/so gesündiget hatten/liessen dafür gnugthuen für dẽ Kirchen und den Brüdern/wie es die Wort mitbringen/ daß sie zwey/drey / sieben Jahr haben Busse auffgelegt/ꝛc. so were Christus doch blieben mit seinem gnugthuen für uns im Himmel/ aber hiemit weren die Gottesdienst in Stifften und Klöstern und Ablaß nicht auffkommen/ und were dem grossen Gott auch nicht so viel zugangen.

3. Non negamus, Deum interdum quibusdam post reconciliationem & peccatorum remissionem in hac vita calamitates immittere, quæ in generaliore & latiore significatione *pœnæ* vocari possunt, sicut Scriptura eis vocat κρίμα, 1. Cor. 11. v. 32. proprie tamen & stricte loquendo non sunt pœnæ, cum non proveniant à Deo irato, sed propitio; cumque illis imponantur, quibus culpa plene & perfecte remissa. Ubi autem facta est remissio culpæ, ibi pœna proprie dicta locum habere nequit, inde quidam distinguunt inter *pœnam supplicii & pœnam castigationis sive probationis* Pœna supplicii, quæ proprie pœna dicenda est, & pro peccatis admissis debita, una cum culpa remittitur; pœna castigationis seu probationis, quæ proprie crux & calamitas appellatur, etiam piis in hac mortalitate sustinenda relinquitur. Potest etiam distingui inter pœnas *materialiter & formaliter* acceptas. Calãitates, quæ post recõciliationem piis obveniunt, non sunt pœnæ formaliter sed materialiter tãtum, id est, non sub ratione pœnæ, sed castigationis illis imponuntur. Pœnæ *formaliter* dictæ, revera immittuntur propter peccata, & tantum propter peccata punienda, cum earum quæ *materialiter* nominantur, alius sit finis & aliud effectum, Joh. 9. v. 3. cap. 16. vers. 2. cap. 21. v. 18. Act. 21. v. 11 &c. Pœnas materialiter dictas, Scholastici vocant *pœnalitates.*

4. Imponuntur autem reconciliatis à Deo ejusmodi calamitates, non ut sint *merita remissionis peccatorum*, vel *satisfactiones pro peccatis*, vel *compensationes pœnæ æternæ*, sed ut sint primo respectu aliorum *publica indicia judicii divini adversus peccata*, Num. 12. v. 14. 2. Sam. 12. v. 14. 1. Petri 4. v. 17. Deinde respectu ipsorum piorum sunt *memorialia præcedentium & cautelæ futurorum.* Ideo enim piis subjiciuntur post reconciliationem, vel communibus calamitatibus, vel peculiaribus pœnis, ut hac commonefactione subinde magis accendantur, & crescat

crescat in eis odium & detestatio peccati, timor Dei, fides, sollicite curans, ut gratiam retineat, & in bonitate permaneat, diligentia cavendi peccata, ut reprimantur & mortificentur pravæ inclinationes. Sunt etiam *exercitia pœnitentiæ*, quæ debet esse perpetua, fidei, obedientiæ in cruce, spei, petitionis & expectationis auxilii per liberationem vel mitigationem &c.

Augustinus lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. cap. 34. *Calamitates ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesque justorum.*

Chrysostomus Homil. 29. ad Hebr. *Si disciplinam*, inquit, *sustinueritis, non ad pœnam, neque ad supplicium, neque ad hoc, ut male patiamini &c.*

5. *Deum remissa peccati culpa nullam ob id exigere pœnam*, (quod à nobis statui Pontificii asserunt) duplici sensu intelligi potest: Si intelligatur sensu eo, quod Deus, postquam peccatum fideli remisit, nullam amplius peccati illius intuitu, id est, cujus peccatum vel occasio, vel causa sit, pœnam immittat, negamus eo sensu id à nobis asseri, cum constet, plurimos fideles de peccatorum suorum remissione, suique cum Deo reconciliatione certos, ob præcedens peccatum à Deo castigatos fuisse. Si vero assertio intelligatur non de *causa impulsiva*, sed *finali*, sensu scilicet eo, quod Deus infligat has pœnas dilectis suis filiis post remissam culpam, ut sibi pro offensa satisfiat, fine eo, ut se ulciscatur, suæque justitiæ saltem ex parte satisfaciat, adeoque præter satisfactionem, quam Filius pro nobis præstitit, aliam à fidelibus sibi reconciliatis requirat, tum assertionem illam agnoscimus esse nostram, & hoc sensu statuimus, Deum, remissa peccati culpa, nullam ob id amplius exigere pœnam. Pater non castigat filios vindictæ causa, vel, ut tanquam judex justitiæ suæ satisfaciat; sed ut eos corrigat & emendet, vel certe ob alios fines à satisfactione & vindicta alienos, quos respectu Patris cœlestis optime enumerat Augustinus tract. 124. in Joh. *Ac per hoc*, inquit, *vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam, quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.*

(Ad hos tres fines referri possunt omnes pœnæ hujus vitæ post remissionem peccati reconciliatis impositæ.)

Idem Augustinus in enarrat. Psal. 138. dicit, *quod sit dolor medicinalis, non sententia pœnalis.*

Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 344. τὴν τῶν ἁμαρτημάτων διόρθωσιν, *peccatorum correctionem, quam Deus ad emendationem nostram efficit, neque iram, neque indignationem vocare debemus*, ἀλλὰ μᾶλλον νουθέτησιν, *sed potius admonitionem.*

Chrysostomus homil. de Pœnitent. & Confess. tom. 4. *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.*

Homil. 28. in 1. Corinth. *Cum corripimur à Domino, magis est admonitionis, quam damnationis; medicinæ, quam supplicii; correctionis, quam pœnæ.*

(Nulla ergo hic vindicta ex parte Dei, nulla satisfactio ex parte hominum.)

6. Pœnæ illæ temporales, quæ post peccati remissionem reconciliatis imponuntur, per veram ac seriam pœnitentiam mitigantur, vel etiam plane auferuntur, non quod opera ejus sint satisfactiones, vel compensationes pro peccatis, vel merita reconciliationis, sed quia castigationibus illis Deus nihil aliud quærit, quam ut vera humilitas accendatur, odium ac detestatio peccati excitetur, ac mortificatio veteris hominis promoveatur.

7. Opera quædam à pœnitentibus exigenda, vel iisdem imponenda concedimus, si *de Canonicis satisfactionibus* in primitiva Ecclesia usitatis, vel de exercitiis pœnitentiæ, pietatis ac novitatis vitæ, qualia sunt oratio, eleemosyna, jejunium, tolerantia afflictionum &c. vel etiam *de castigationibus civilibus ac Ecclesiasticis* disciplinæ conservandæ ergo impositis intelligatur; secus si de indebitis ac supererogationis operibus, vel ἐθελοθρησκείαις hoc fine requisitis, ut pro peccatis satisfiat, accipiantur.

8. Non est quæstio, an calamitates quasdam Deus reconciliatis imponat, sed an illæ per pœnas vicarias & arbitrarias redimi possint ac debeant, quod Pontificii affirmant, nos negamus.

9. Si intelligerent, *nos Deo satisfacere*, cum ob peccata nostra dolemus, eaque ipsi confitemur, non adeo abhorreremus ab hac voce eo sensu accepta, quo nihil aliud vult, quam *agnoscere culpam*, quæ significatio quoque in bonis autoribus Latinis reperitur, ut observat in Suetonio (cap. 73. ad verba, *Satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ*) Episcopus Antuerpiensis Levinus Torrentius: *Solebant*, inquit, *qui verbis aliquem læserant, jurare, nollet se ea dicta esse, atque ita satisfacere.* Sed Pontificii accipiunt satisfactionem pro redditione æquivalentis.

Altensteig in Lexico ex Gabriele Biele. *Satisfactio est redditio æquivalentis, quia satisfactio ad justitiam commutativam pertinet, quæ exigit æqualitatem rei ad rem. Adverbium enim, satis, importat æquam correspondentiam ejus, quod redditur, sive in beneficiis, sive in pœnis. Ex quo sequitur, quod minus reddens pro peccato, quam justitia divina exigit, licet injunctum à Confessore impleat, non satisfacit, quamvis aliquam pœnam peccato suo debitam solvat, soluturus in futuro, quod minus injunctum est & solutum in præsenti.* Hoc sensu satisfactiones proprias merito rejicimus & detestamur.

10. *Satisfactiones Ecclesiasticas* Patres interdum vocant satisfactiones *Deo factas*, quia sunt actiones à Deo tanquam veræ pœnitentiæ signa ac testimonia approbatæ, quibus peccator ejus mandato obtemperat. Hoc sensu utuntur Latini satisfacere pro eo, quod est, *alicui se probare in alicujus officii executione*, ut testatur illud Ciceronis: *Ego omni officio ac pietate potius erga te cæteris satisfacio omnibus, mihi autem nunquam satisfacio.* Cum vero Patres proprie loquuntur, negant, nos posse Deo satisfacere, vel nostram satisfactionem requiri.

Antithesis. Lovaniens. art. 6. *Satisfactio est persolutio pœnæ plerunque adhuc debitæ, remissa jam culpa.*

Catechism. Tridentinus pag. 308. *Antiquissima Ecclesia usu receptum est, ut cum pœnitentes à peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ solutio satisfactio vocari consuevit.*

pag. 313. *Ejus autem quanta vis sit, ex eo colligitur, quod tota à Christi Domini passionis merito pendet, à quo etiam honestis act[illegible] bus duo illa maxima bona consequimur: Alterum est, ut immor[illegible] gloriæ præmia mereamur, ita ut calix etiam aquæ frigidæ, quam in e[illegible] nomine dederimus, mercede non careat; alterum, ut pro peccatis nostris satisfaciamus.*

Ludovicus à Ponte lib. 5. in Cantic. Cant. exhort. 24. pag. 1253. *Cum Dominus dixisset serpenti: Inimicitias ponam &c. subdit: Ipsa conteret caput tuum. Non ait ipsum, sed ipsa. Nam licet Christus propria virtute contriverit caput serpentis, tamen etiam mulier, id est, Ecclesia & qualibet anima virtute Christi debet illud conterere. Conterit autem, cum de peccato conteritur, dolet & pro eo satisfacit.*

Pinellus Jesuita lib. 2. de Pœnit. cap. 2. *Pœnitens, qui rei personam sustinet, paratus esse debet, satisfactionem, quæcunque illi in hac vita à Confessario, tanquam judice, imponetur, perficere.*

Bellarminus lib. 4. de Pœnitent. cap. 1. *Ruardus Tapperus insignis Theologus in explicat. artic. 6. Lovaniens. docet, posse hominem Deo satisfacere pro culpa & pœna.*

Idem Bellarminus docet, *pro amicitia reformanda non quidem posse hominem Deo satisfacere, interim tamen justitiæ æqualitatem sua satisfactione restaurare, id est, debitum pœnæ, quod post culpæ remissionem manet, per opera bona redimere.*

Nostram sententiam probamus,

1. *A perfecta Christi satisfactione.* Christus pro omnibus peccatis nostris, & pro omnibus peccatorum nostrorum pœnis plenissime & perfectissime satisfecit. Ergo non requiritur à nobis ulla satisfactio. *Obligationis jus tollitur, soluto eo, quod debetur*, ait Imp. in Instit. de solut. oblig.

2. *A reconciliationis nostræ cum Deo descriptione.* Scriptura nostram cum Deo reconciliationem sic describit, quod Deus *peccatorum nostrorum non recordetur amplius*, Jer. 31. v. 31. sed *projiciat ea post tergum*, Esa. 38. v. 17. *deleat instar nubis*, Esa. 44. v. 22. *demergat in profundum maris*, Mich. 7. v. 19. *non imputet*, *sed tegat*, Esa. 32. v. 1. Ergo non revocat eas ad calculum, neq; pœnas à reconciliatis pro illis exigit. Si enim peccata Deus adhuc punit, utique imputat; si vindicat, recordatur; si ad judicium vocat, tecta non habet; si examinat, post tergum non projecit; si inspicit, non obliteravit instar nubis; si ventilat, non demersit in profundum maris.

3. *A condonationis perfectione.* Plenaria & perfecta peccatorum remissio cum debito satisfactionis pro pœna adhuc præstandæ, non potest simul consistere. Pro quo adhuc exigitur satisfactio, illud nondum plene remissum, ut patet exemplo creditoris, qui à debitore adhuc sibi satisfieri postulat, quem nemo dicit condonasse debitori totam summam.

4. Ex

4. *Ex gratiæ conditione.* Gratuita peccatorum remissio cum operibus satisfactoriis propriis non consistit. Quod enim per merita & satisfactiones nostras obtinemus, illud gratis nobis obtingere nemo dixerit. Jam vero tota Scriptura testatur, Deum ex gratuita misericordia sine ullo operum nostrorum merito peccata nobis remittere propter Christum. Ergo nulla satisfactio propria hic locum habet. Si nulla exigitur satisfactio, ergo nec pœnæ quippiam reservatum, pro quo adhuc sit satisfaciendum.

5. *Ex parabolæ informatione.* Illustre exemplum, quomodo Deus credentibus in Christum peccata dimittat, proponitur in parabola Christi Matth. 18. v. 27. ubi servo debitori non solum ipsum debitum donatur, sed & pœna carceris relaxatur.

6. *Ex latronis in gratiam receptione.* Eadem est ratio omnium eorum, qui coram Deo justificantur & ipsi reconciliantur, ut ostendit Apostolus Rom. 4. Jam vero latro in cruce vi satisfactionis à Christo præstitæ per fidem apprehensæ, sine ullo propriæ satisfactionis interventu in gratiam Dei & Paradisum fuit receptus.

7. *Ex quotidiana deprecatione.* Oramus quotidie pro peccatorum remissione Matth. 6. v. 12. Ergo agnoscimus, pro illis nos non posse satisfacere. Peccata nostra appellantur *debita*, non solum *ratione culpæ*, sed etiam ac vel maxime *ratione pœnæ*, quia creatori nostro debemus obedientiam, ac si illi non obediamus, debemus pœnam. Quando ergo debitorum remissionem petimus, non solum *culpæ condonationem*, sed etiam *pœnæ relaxationem* petimus, ac proinde pro neutro horum satisfacere possumus.

8. *Ex divinæ justitiæ perfectione.* Justitia divina infinita est, nec patitur sibi satisfieri, nisi per æquivalens precium, unde etiam necesse fuit, Christum mediatorem nostrum esse θεάνθρωπον ut ἰσόῤῥοπον λύτρον pro peccatis nostris præstare posset. Jam vero bona opera sanctorum non sunt infiniti cujusdam valoris ac precii, quin potius sunt imperfecta & peccati labe contaminata. Ergo non habent vim satisfaciendi &c.

9. *Ex comparatione.* Jubemur *condonare nobis invicem, sicut Christus nobis donavit* Col. 3. v. 13. Atqui non solum culpam, sed & pœnam condonare debemus proximo. Senesius Epist. 28. *Dimittenda esse debita Deus dixit. Porro hic quidem pecuniam mutuam, ille vero pœnas dependere debet. Igitur, qui repetere ab eo pœnas contempserit, Deo fuerit obsecutus.* Multo magis ergo Deus, qui est ipsa charitas, & culpam & pœnam reconciliatis condonat.

Quod Ministri Ecclesiæ non debeant satisfactiones pœnitentibus in absolutione imponere, probamus hoc modo:

1. Impositio satisfactionis aut fit potestate *clavis solventis*, aut *ligantis*. Non illud, ad pœnam enim obligare, non est solvere. Nec hoc, nam clavis ligans restringitur ad impœnitentes, non ad pœnitentes.

2. Christus nusquam jussit, ut Apostoli pœnitentibus imponerent pœnas satisfactorias, sed *in nomine suo pœnitentiam ac remissionem peccatorum prædicare* jussit Luc. 24. v. 47.

3. Nusquam vel Christus, vel Apostoli pœnitentibus certas mulctas indixisse leguntur, sed gratuitam peccatorum remissionem illis annunciarunt & à peccatis in posterum cavere jusserunt. Incestuosum Corinthium serio ad Deum conversum, sine ullius satisfactionis interventu, Paulus recepit &c.

4. Fit hac ratione confusio *officii legalis & Evangelici*. Nam absolutio à peccatis pertinet *ad Evangelium*, ex quo vere pœnitentes consolationem hauriunt, impositio satisfactionis *ad legem* pertinet, per quam solatium impeditur & cor pœnitens denuo contristatur.

5. Per satisfactiones à Sacerdote imponendas, aut intelliguntur opera bona divinitus præcepta, aut ἐθελοθρησκείαι & opera ridicula, ut *abstinere à butyro & caseo, peregrinari nudis pedibus ad loca sancta.* Illa sponte sequuntur in vere pœnitentibus, hæc merito repudiantur.

6. Satisfactiones pœnitentibus imponere, est illis fiduciam unicæ satisfactionis Christi excutere; est perfectionem satisfactionis Christi abnegare; est humana commenta & opera pro Christo hominibus obtrudere; est Deum injustitiæ accusare, quasi qui una Christi satisfactione, eademque perfectissima pro culpis nostris non contentus, aliam à nobis exigat; est certitudinem reconciliationis cum Deo tollere, perpetuis dubitationum fluctibus pios objicere & omnem consolationem conscientiis sensu iræ divinæ oppressis eripere.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, nos non posse Deo pro peccatis vel peccatorum pœnis satisfacere.

Bernhardus serm. 38. in Cant. *Peccata tua maxima sunt & nimium multa. Nequaquam pro tot & tantis, nec si te excories, sufficies satisfacere.*

In tract. de Pass. Dom. cap. 30. col. 1635. *Quid poteris largitori tuo digne rependere? Dedit te tibi quando te creavit, ut esses; reddidit te tibi, cum recreavit, ut bene esses; dedit in viaticum tibi, ne deficias in via, corpus & sanguinem suum, se verum Deum & hominem verum. Et tu quid rependes? Si pro eo, quod dedit tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere, quid denique pro eo rependes, quod se tibi dedit; Certe, si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? repende tamen quantum potes, rependi te totum illi, qui se totum tibi & dedit & reddidit.*

c. Cum creatura. lib. 3. Decretal. tit. 41. de celebrat. Missarum. *Creatura non habet, quod pro meritis respondeat creatori.*

Johannes Climacus gradu 22. p. 198. *Etiamsi mille mortes pro Christo pateremur, ne sic quidem satisfacere, aut debitum nostrum implere possemus. Alius quippe est Dei alius servorum sanguis, secundum dignitatem d. eo, non secundum substantiam.*

Lyranus in cap. 18. Matth. *Peccator non habet, unde satisfaciat pro peccato.*

D. Wesselus (al. Basilius, Lux mudi dictus, qui floruit circa annum 1490.) scripsit, *Satisfactionem continere errorem, habere blasphemiam, ac desperationem nutrire.*

Landspergius in Enchirid. *Non cogites, te pœnitentiæ opera facturum pro peccatis tuis, hæc enim opera tua, quantula, putas, sunt ad tot peccatorum acervos! omnia opera tua cogita minora, quam ut faciant pro peccatis tuis.*

Costerus in Enchirid. 260. *Nulla omnino creaturæ opera, nulla pœnitentia, nulla Martyria, nullæ pœnæ, nulla virtus potest mereri cuiquam peccatori remissionem peccatorum suorum. Peccatum enim, quod ex infinita majestate Dei offensi infinitam malitiam contraxit, non nisi per infinitum meritum potest deleri, quod infinitum meritum in solis Christi operibus & perpessionibus ob infinitam divinæ personæ dignitatem cernitur, non autem in ulla actione aut merito creaturæ.*

Bellarminus lib. 4. de Pœnit. cap. 1. concedit, *perfectam satisfactionem, quæ fit ad absolutam & perfectam æqualitatem, non posse inter Deum & homines habere locum, sed tantum imperfectam.* Monet insuper, *pro amicitia reformanda hominem non posse Deo satisfacere, interim tamen justitiæ æqualitatem sua satisfactione restaurare, hoc est, debitum pœnæ, quod post culpæ remissionem manet, per opera bona redimere.*

(Discedit ergo ab iis, qui disputant, *peccatorem satisfactione sua vindicare offensam divinam commissam, ut hoc modo restituatur sibi amicitia divina, h. e. pro ipsa etiam culpa satisfieri à nobis posse*, quibus frigide respondet, *non esse necesse nunc de his subtilitatibus disputare.* Scriptura unicam agnoscit *satisfactionem* pro peccato, eandemque *perfectissimam*, quæ *æqualiter* respondet *justitiæ divinæ*. Huic perfectissimæ & infinitæ satisfactioni Christi nusquam adjungit vel subordinat nostram, adeo, ut nec *nomen*, nec *res* nostræ satisfactionis in Scripturis occurrat. Cumque justitia divina sit infinita, ideo fieri nequit, ut nostra satisfactione imperfecta æqualitas ejus restauretur. Est igitur implicatio contradictionis, quando statuitur *satisfactio quædam imperfecta*. Agnoscit hoc quodammodo ipse Bellarminus, unde infinitatem aliquam satisfactoriis nostris operibus conciliare satagit, in hoc ipso capite subjungens: *Ut satisfactio sit aliquo modo ad æqualitatem, oportet, ut sicut offensio habuit infinitatem quandam ex parte objecti, sic habeat satisfactio aliquam infinitatem ex parte principii satisfacientis. Proinde requiritur, ut opera satisfactoria fiant à Spiritu Dei hominem inhabitante, sive ab ipso homine, ut membro Christi ac Filio Dei jam per gratiam & caritatem effecto &c.* Ubi vero Scriptura nostris operibus infinitatem aliquam adscribit?)

3. Quod quidam agnoscunt, fiduciam remissionis peccatorum in sola Christi satisfactione collocandam esse.

Georg. Cassander in consultat. art. 6. p. 921. *Quod subjicitur* (in Aug. Confess.) *propter Dei voluntatem, non vero, ut confidamus, per ea justificationem coram Deo mereri, bona opera ex fide facienda, recte & Ecclesiasticæ doctrinæ consentaneè dicitur. Omnes enim uno ore profitentur, remissionem peccatorum & gratiam justificationis neminem suis, quamvis in speciem bonis, operibus mereri.*

pag. 923. *Quod in operibus pœnitentiæ fiducia remissionis peccatorum collocanda non sit, pulchre quoque attestatur & monet Gregorius: Non in fletibus, inquit, & actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus. Quare & hæc doctrina prætermittenda non est,* quam

quam summo consensu veteres omnes tradunt, fiduciam remissionis peccatorum, etiam eorum, quæ post regenerationem admittuntur, & spem veniæ & vitæ æternæ in sola Dei misericordia & merito Christi esse collocandam, quomodo præclare dictum est ab Augustino contra duas Epist. Pelagian. lib. 3. cap. 5. Omnium, inquit, piorum sub hoc onere corruptibilis carnis & in vitæ istius infirmitate gementium spes una est, quod advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

art. 12. cap. de Confessione p. 947. De Satisfactione non tantus erit conquerendi locus, si ex Ecclesiæ sententia hunc in modum doceatur, quod sola passio & mors unigeniti Filii Dei sit satisfactio & propitiatio pro peccatis nostris, sive eo, quod ex origine contraximus, sive iis, quæ ante vel post regenerationem ex carnis infirmitate commisimus, quæ satisfactio offertur & applicatur nobis ministerio Evangelii, i. est, verbi Dei & Sacramentorum, accipitur autem fide, quæ & ipsa Dei donum est. Quamvis autem virtute hujus satisfactionis Christi & culpa & pœna æterna peccato debita deleatur, certum tamen est, Deum à pœnitentibus ob graviora præsertim delicta lachrymas, jejunia, preces, eleemosynas & reliqua veræ pœnitentis animi indicia, ac denique totius vitæ in melius immutationem ac emendationem exigere, quod cum facimus, Deo satisfacere pro peccato dicimur, non quod precium dignum & sufficiens diluendis peccatis offeramus, sed quod officia illa præstemus, quæ Deus à peccatore, cui Filii sui satisfactionem impartiri velit, requirit. Quin & hujusmodi pœnitentiæ fructibus seu satisfactionis operibus Deus placari, peccata redimi & extingui dicuntur, tum quia si ex motu & afflatu Spiritus Sancti fiant, ad impetrandam remissionem peccati faciant, & pœnas, quas inflicturus erat Deus, avertant, & peccati inhærentis reliquias extenuent ac minuant, videlicet qua ratione eleemosynis dicuntur peccata redimi, ac jejuniis & precibus Deus placari.

Georgius Wicelius in Compend. de semit antiquis. De Satisfactione sentimus, quemadmodum sentit D. Cyprianus, cumque eo tota vetus Ecclesia. Deo satisfacere nemo potest, & est perfecta atque consummata Satisfactio nostra Christus, sed Ecclesiæ sive per publicam, sive per privatam pœnitentiam satisfacere aliquo modo possumus, peccata vero expiari per hujusmodi, nulla Scriptura docet; fanatici quidam errones docent.

Antonius Marinarius Carmelita in Orat. ad Patres Concil. Trid. Nunc gravia superioris vitæ commissa commemorant (caro & Satanas) quorum non potuerunt (fideles) condignam exhibuisse satisfactionem. Sed illi respondent: Gratis per Christum nobis, quia satisfacere non poteramus, remissa sunt peccata, non est, quod cogitemus, quia solvendo sumus, ne dignitati mortis Christi detrahamus.

3. Quod quidam agnoscunt, Deum non requirere aliam satisfactionem, quam fidem in Christum, & ex ea profluens bene agendi propositum, ac patientem crucis impositæ tolerantiam.

Leo serm. 1. in jejunio decimi mensis. Oratione propitiatio Deo quæritur, jejunio concupiscentia extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur, simulque per omnia Dei in nobis imago renovatur.

c. Satisfactio 3. dist. 3. de Pœnit. citatur dictum Augustini vel potius Gennadii Massiliensis lib. 3. de dogm. Eccl. c. 54. Satisfactionem pœnitentiæ sic definientis, quod sit causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.

Gregorius homil. 20. in Evang. Si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minus, & ejus, qui amplius deliquit; aut ejus, qui nullis, & ejus, qui in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus, qui in multis est lapsus. Ubi in describenda satisfactione bona opera diserte exprimuntur.)

Taulerus conc. 4. Etlichen Menschen genüget nicht an den Myrrhen/ die ihnen Gott gibt/ sondern wollen ihr mehr auff sich laden/ und machen böse Häupter und francke Phantasyen/ und haben lange gelitten/ und viel/ und thuen den Dingen nicht recht/ und wird ihnen wenig Gnade daran/ denn sie bauen auff ihre eigene Auffsätze/ es sey in Pœnitentz oder Abstinentz/ oder im Gebet oder Andacht/ so muß GOtt ihre Müssigkeit erbeiden/ biß daß sie das ihre gethan.

Georg. Cassander in consult. art. 6. p. 923. Ne quem pœnitentiæ opera, quæ ob graviora scelera post lapsum requiruntur, aut in desperationis, aut falsæ fiduciæ periculum impellant, Patrum salubris & Evangelio prorsus consentanea doctrina adjungenda est, cujusmodi est illud Chrysostomi (de B. Philogonio:) Proinde & tu, quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina? per easdem eum reconcilia. Provocasti illum maledicentia? vicissim lingua placato, puras emittens preces. Hæc non egent multis diebus, annisve, sed solo animi proposito unico die perficiuntur. Discede à malo, virtutem amplectere, pollicere te posthac ista nō commissurum, & istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor ac fidejubeo, fore, ut si nostrûm quisq; qui peccatis obnoxius, recedens à pristinis malis ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem. Benignus enim est, & quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum, ita & ille cupit effundere suam misericordiam.

Georg. Wicel. in Comp. de semit. antiqu. Tuemur Satisfactionem, quatenus hæc antiquis Ecclesiæ Magistris nota atque probata est, non ut derogemus Servatoris nostri Jesu Christi summis meritis, procul absit suspicio, sed ut hæc merita unicè surrogem". Credimus in eum, qui pro peccatis nostris semel satisfecit, cujus redemtioni gratuitæ nec tantillum addere poterimus. Est tantum aliquid, quo debemus placare nostris scelerib. offensam fraternitatem. Injunctas pœnitentias, quas vocant, jam non disputo, sed magis sobriam esse Confessionariorū mentem cupio. Ita enim imponunt sæpe numero onera, quasi peccata nulla coram Deo remittantur, nisi placitis suis pareas. Ibi sunt Iberorem flagellationes, Germanorum peregrinationes, Templorum constructiones, Monasteriorum ditationes, Missarum fundationes, Morientium testamentationes, & ejus generis graviora satisfactoria, ad quæ si conferantur precatio, jejunium ac eleemosyna, in nullo numero sunt, cujusmodi tamen opera bona veri Christiani sua sponte faciunt, tam ante, quam post confessionem peccatorum suorum, ut sese Christo Servatori, qui peccata remittit, gratos & obsequiosos exhibeant. Remittit autem primum pœnitentibus, deinde credentibus, postremò ad meliorem frugem conversis. Summa, satisfactionem Ecclesiasticam intellige fructus pœnitentiæ. Hos exerce & satisfeceris.

Clingius lib. 4. Locorum cap. 37. Ultra Christi satisfactionem Deus etiam aliam satisfactionem à nobis exigit. Terminus autem vel nomen satisfactio hic aliter accipitur, quam de Christo &c. Accipitur enim hic satisfacere pro obedientia & impletione voluntatis atque præcepti Domini, ideo tunc satisfacere dicimur largo modo, quando Dei voluntatem facimus, ejusque præcepta servamus.

(Hoc sensu satisfactionem non negamus, mandatum enim nobis est, odisse malum & amare bonum.)

Johannes Ferus in cap. 3. Matth. super verba: Facite fructus pœnitentiæ dignos. Vera pœnitentia est vita nova. Et hi sunt digni pœnitentiæ fructus, si non tantum à malis prioribus desistas, verum etiam bonis operibus invigiles, si peccatis adversa facias. Exempli gratia, aliena rapuisti, nunc distribue propria. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodò spicula è corpore evellere, sed etiam adhibere remedia vulneri necessarium est. Hic igitur docetur pœnitentia externa, quam alii satisfactionem vel restitutionem appellant, contra illos, qui omnia sibi salva arbitrantur, quantumcunque sceleribus implicati teneantur, si vel semel dicant, Miserere mei Deus, viventes interim otiosi ac securi. Hujusmodi hominum novissima efficiuntur pejora prioribus. Audi igitur Psalmum: Declina à malo, & (subditur) fac bonum. Sic Paulus: Abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis.

4. Quod quidam agnoscunt, calamitates reconciliatis à Deo imponi, non ut sint satisfactiones pro peccatis, sed fine longe alio.

Thomas p. 3. q. 48. art. 5. Passiones sanctorum Ecclesiæ proficiunt per modum exempli & exhortationis, non redemtionis.

(Ergo sanctorum passiones non sunt redemtoriæ ac satisfactoriæ, h. e. nec ipsos, nec alios possunt redimere à peccatis aut illorum pœnis.)

Quæst. 6. art. 3. Conveniens fuisse dicit, post Baptismum remanere pœnalitatem propter spirituale exercitium, ut videlicet contra illas pugnans homo, victoriæ coronam acciperet.

c. Si peccatum. dist. 1. de Pœnit. ex Augustino. Ab electis suis iniquitatum maculas studet (Deus) temporali afflictione tergere, quas in perpetuum non vult in eis videre.

(Ergo calamitates, quæ post remissionem culpæ pœnitentibus imponuntur, non sunt pœnæ propriè dictæ pro peccatis præteritis impositæ, multo minus satisfactiones pro illis peccatis, sed salutaria προφυλακτικὰ, adversus futura peccata, ne in ea iterum incidamus.)

c. Productior, dist. 3. de Pœnit. ex Gregor. Productior est pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, ad vel demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentiæ temporaliter detinet hominem pœna, quem jam ad damnationem æternam reum non tenet culpa. (Extat locus apud Augustinum tract. postremo in Johannem.)

5. Quod quidam agnoscunt, opera pœnitentiæ fuisse olim ab Ecclesia imposita, non ob satisfactionem coram Deo, sed fine longe alio.

Glossa Juris Canonici de Pœnitent. p. 355. *Imponitur pœnitentia pro peccato, ut humilitas exerceatur, & ne disciplina Ecclesiæ deseratur, & ut satisfiat Ecclesiæ, quæ scandalizata est.*

Gabriel Biel 4 sent. dist. 40. quæst. unic. dub. 1. quærit, *cum peccata sint remissa, quare adhuc injungatur satisfactio?* Respondet autem, *illud ideo fieri, ut pœnitentes caveant recidivam & assuefiant ad bona opera.*

(Ergo non, ut per eam satisfaciant Deo pro peccatis vel peccatorum pœnis.)

Georg. Cassander in Conf. art. 12. cap. de Confess. p. 947. *In veteri Ecclesia ut segniores excitarentur, pœnitentib. ob graviora scelera certa tempora & officia definita fuerunt, quibus non solum coram Deo interiorem animi pœnitentiam excitarent & exercerent, sed etiam Ecclesiæ vere se atque ex animo peccati pœnitere declararent, atque ita manus impositione Episcopi & Cleri Ecclesiæ reconciliarentur & jus communicationis acciperent. Atque hæc præscripta officia Canonicæ satisfactiones seu pœnæ vocabantur, quæ ut paulatim imperitia Episcoporum & Pastorum in abusum, ita quoque negligentia & segnitie tam Pastorum, quam populi prorsus in desuetudinem venerunt, nisi quod in privatis Confessionibus aliqua ejus rei vestigia remanserint, cum pœnitenti aliqua pietatis opera, sed privatim indicuntur, publicæ vero satisfactionis obscurum tantum vestigium in homicidis reconciliandis aliquibus in locis relictum est, quem tamen publicæ satisfactionis priscum & Apostolicum morem, ob publica & graviora peccata restitui utile & propemodum necessarium sit, in quo potestas Ecclesiastica clavium in ligando & solvendo, id est pœnitentiam indicendo, à communione separando, & rursum indulgendo, absolvendo seu reconciliando manifestissime cerneretur. Neque vero ea fuit mens veterum, ut remissionem peccati, quæ fit à Deo, ad præscriptum hujus temporis spacium alligarent, sed ut hac disciplina Ecclesiastica homines ad pœnitentiæ dignos fructus faciendos admonerentur, & Ecclesiæ autoritas in ministerio remittendi peccata retinetur. Ita enim Augustinus in Enchir. cap. 5. In actione pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut, qui commisit, à Christi corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris Cor enim contritum & humiliatum Deus non despiciet. Verum, quia plerunque dolor alterius cordis occultus est, nec ad aliorum notitiam per verba ut alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur: Gemit⁹ me⁹ est abscondit⁹ abs te; recte constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata, extra eam quippe non remittuntur.*

Et postea. *Post absolutionem hodie opera aliqua pietatis, quæ ad carnis castigationem & reliquiarum peccati expurgationem faciant, injunguntur, quod ipsum utiliter fieri potest, si periti Ecclesiæ ministri opera adhibeantur, de quo Satisfactionis genere Scholastici constanter docuere, eam non rite fieri, nisi gratiam & remissionem culpæ ac pœnæ æternæ consequatur, quæ remissio fiat solo merito Christi & ministerio Sacerdotis, eamque satisfactionem potissimum valere ad pœnas temporarias mitigandas & reliquias peccati expurgandas. Unde est illud Scholasticorũ axioma: Nulla est satisfactio, nisi præcesserit condonatio.*

Georg. Wicelius in Compend. de semit. antiquis citat & approbat verba Augustanæ Confessionis, quæ sic habent: *Sed veteres illi mores* (in Canonica sive Ecclesiastica satisfactione usitati) *tempore consenuerunt & antiquati sunt. Nos igitur non oneramus conscientias satisfactionibus, sed illud docemus, fructus pœnitentiæ necessarios esse obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, castitatem, & universam novitatem Spiritus debere in nobis crescere. Monemus illud: Sæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, ut David, Manasses & alii multi puniti sunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus & universa pœnitentia, sicut docet Paulus: Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur à Domino. Et pœnitentia meruit, ut Deus sententiam de delenda Ninive mutaret.*

6. Quod quidam agnoscunt, Deum vere in Christum credentibus perfecte remittere peccata.

(Ergo etiam omnem peccatorum pœnam ipsis relaxat, *quia peccatum tum demum perfecte remissum censetur, cum non solum culpa, sed etiam omnis pœna fuerit remissa*, ut loquitur Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati c. 20. & per conseq. nulla opus est satisfactione pro pœna peccatorum temporali.)

Bernhardus serm. 3. de septem miser. operib. *Deus liberaliter agit, plenarie ignoscit, ita ut propter fiduciam peccatorum, sed pœnitentium, ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare.*

Idem serm. de fragmentis septem misericord. *Si ex toto indulsit & tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam non damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sunt enim aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt & alii, qui sileant licet, manet tamen altâ mente repostum, & rancorem tenent in animo, quorum utique neutra plena indulgentia est. Longe ab his omnibus benignissima est divinitatis Natura. Liberaliter agit, ignoscit plenarie.*

In veteribus Canonibus & glossis recitantur hi versiculi:

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit,
Aut nihil, aut totum, te lachrymante, dabit.

Thomas p. 3. q. 86. art. 3. ex August. *Deus omnia peccata remittit simul & perfecte.*

Huc referri potest primo, quod quidam in expositione textus Apostolici Rom. 8. v. 1 *Nulla condemnatio his, qui sunt in Christo*, agnoscunt, *per remotionem condemnationis intelligi liberationem à culpa & pœna.*

(Ex eo enim sic inferimus: Ubi nulla condemnatio, ibi nulla pœna. Atqui illis, qui sunt in Christo, ac quibus per fidem in Christum remissa sunt peccata, nulla condemnatio. E. etiam illis nulla pœna.)

Thomas in h. l. *Postquam Apostolus ostendit, quod per gratiam Christi liberamur à peccato & lege hic ostendit, quod per eandem gratiam liberamur à damnatione. Et primo ostendit, quod per gratiam Christi liberamur à damnatione culpæ: secundo, quod per eandem gratiam liberamur à damnatione pœnæ.*

Et Paulo post. *Primo ponit beneficium, quod gratia confert, concludens ex præmissis: Gratia Dei per Jesum Christum liberavit me de corpore mortis hujus, in qua existit nostra redemtio. Ergo nunc, ex quo sumus per gratiam liberati, nihil damnationis est residuum, quia & tollitur damnatio quantum ad culpam, & quantum ad pœnam.*

Dominicus à Soto ibid. *In hoc tandem capitulo concludit, ab omni nos denique damnatione servasse tam culpæ, quam pœnæ.*

Et postea. *Ac si dixisset, cum hæc duo fuissent mala, quorum eramus condemnati ob delictum Adæ, scilicet culpa peccati & pœna mortis, monstratumque in superioribus fuerit, per gratiam Christi peccato contrariam, revocatos nos esse in vitam æternam, fit, ut nulla sit nobis damnatio reliqua, neque à lege peccati, neque à lege mortis.*

Salmero in h. l. *Ostendit, eos, qui Christum sectantur, ab omni malo culpæ & pœnæ liberatos esse.*

Secundo, quod agnoscunt, *Deum illorum peccatorum dici recordari, quæ ad pœnas revocat.* (Ex eo sic colligimus: Si punit Deus peccata post remissionem, utique eorum recordatur. Ratio est, quia, quoties Scriptura dicit: *Deum recordaturum peccatorum*, minas significat ultionis. Jer. 14. v. 10. Os. 8. v. 13. c. 9. v. 9. Sed non recordatur eorum peccatorum, quæ credentibus in Christum remittit. Es. 43. v. 25. Jer. 31. v. 34. Ezech. 18. v. 22. Heb. 10. v. 14. Ergo ea non punit, & per conseq. post impetratam remissionem nulla opus satisfactione pro pœna peccatorum temporali.)

Benedictus Justinianus in cap. 10. Heb. *Illorum Deus dicitur recordari, quibus præmium præparavit. Persimili ratione recordatur scelerum, quibus supplicia destinat. Contra vero non recordatur eorum, quibus neque præmium pollicetur, neque supplicium irrogaturus est. Ita apud Ezechielem dixit: Si impius resipiscat, omnes ipsius iniquitates oblivioni tradendas, quod sit immunis futurus à supplicio.*

Et postea. *Quia igitur revocaturus erat Deus Christi merito genus humanum ad gratiam, scelerum impunitatem pollicetur.*

7. Quod quidam agnoscunt, vere pœnitentibus & in Christum credentibus sine satisfactione propria remissa esse peccata & peccatorum pœnam.

In Jure Canonico cap. 1. dist. 1. de Pœnitentia citatur dictum Ambrosii lib. 10. in Lucam. *Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego.*

Huc pertinet primo, quod agnoscunt, non *semper*, nec *omnibus* reconciliatis temporales pœnas à Deo imponi.

Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. *Pœna temporalis non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur.*) Si non tota semper, ergo aliquando & nonnullis tota remittitur.)

Toletus lib. 6. Instruct. cap. 21. p. 789. *Adverte, quod non quoties remittitur homini culpa, remittitur etiam tota pœna, sed sæpe remittitur culpa & pars pœnæ tantum.* (nota, sæpe.)

Ruard. Tapperus tom. 1. art. 6. p. 145. *Satisfactio est persolutio pœnæ plerunque adhuc debitæ, remissa jam culpa.* (nota plerunque)

Et postea. *Peccato remisso, hoc est, peccatore in gratiam recepto, plerunque* (nota plerunque) *manere reatum, non solum hujus, sed etiam futuri seculi &c. primo probandum est ex Scripturis.*

Osorius tom. 4. concion. p. 859. *Pœnitentia ita culpam delet, ut cicatrix pœnæ relinquatur sæpe,* (nota sæpe) *& satisfactio injungatur à Confessario.*

Jaco-

Jacobus Bayas lib. 2. Inst. Relig. Christ. cap. 34. p. 530. *Quod remissa culpa sæpe* (nota, sæpe) *remaneat pœnæ temporalis reatus, ex Scripturis manifestissimum est.*

Zecchius c. 1. de Indulgent. §. 2. *Supponendum est, dimissa culpa & pœna æterna, adhuc remanere pœnam temporalem sæpe* (nota, sæpe) *exolvendam.*

Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. §. 22. *Remissa culpa mortali & reatu pœnæ æternæ, manet aliquando* (nota, aliquando) *reatus pœnæ temporalis, ad quam subeundā homo, qui jam justificatus est, obligatur.*

Bellarminus lib. 4. de Pœnit. cap. 1. §. 12. statuit, *remissa culpa non semper remitti debitum pœnæ.*

Lib. ejusd. cap. 2. in titulo. *Post remissam culpam sæpe remanere debitum pœnæ.*

Lib. ejusd. cap. 3. in tit. & §. 1. scribit, *reatum pœnæ temporalis post culpam remissam interdum manere vel superesse.*

(Si *non semper* remissa culpa remittitur etiam debitum pœnæ. Ergo aliquando remittitur & culpa & pœna. Si post remissam culpam *sæpe* remanet debitum pœnæ. Ergo hoc non est universale ac perpetuum, proinde non potest propriè vocari debitum, quippe quod semper exsolvendum. Ulterius, si Deus *aliquando* & culpam & pœnam remittit, satisfactio saltem aliquibus non erit necessaria. Quibus non venit luenda pœna temporalis, iis satisfactio non est injungenda. At non *omnibus* pœnitentibus, nec *semper*, sed tantum *aliquibus* & *sæpe* luenda est pœna temporalis. Ergo non omnibus pœnitentibus, nec semper satisfactio est injungenda, quod tamen faciunt Confessionarii. Ubi debitum pœnæ est incertum, ibi etiam incertum, an satisfactio sit injungenda. Sed quoad pœnitentes incerta est pœna, quia ignoratur, à quibusdam aliquam Deus in specie pœnam exigat, cum ab omnibus eam exposcere non soleat. Ergo si non obstante justitia divina quibusnam pœnitentibus & culpa & universa pœna remittitur, non poterit à Dei justitia ad remanentem pœnam temporalem rectè concludi, quod tamen faciunt Pontificii, ut postea videbimus.)

Secundo, quod doceant Pontificii, *contritionem in aliquo pœnitente ejusmodi esse posse, ut per eam peccata omnia, quoad culpam & pœnam, plenissimè deleantur.*

(Ergo illis ad minimum nulla opus erit satisfactione.)

8. Quod Bellarm. lib. ejusd. cap. 5. scribit, *pœnas temporales hujus vitæ interdum non posse redimi, sed necessario perpetiendas esse.*

(Ergo non immittuntur eo fine, ut per opera pœnitentiæ pro illis satisfaciamus, alias omnes pœnæ & semper satisfactione nostri expiari possent, sed eo fine immittuntur, ut pii coram Deo sese humilient, ac benevolo Dei consilio liberum relinquant, an & quando illos à pœnis istis liberare velit.)

9. Quod quidam agnoscunt, etiam Ethnicorum Sacerdotes imponere satisfactiones pœnitentiam delictorū agentib⁹.

(Ergo ex Ethnicorum potius, quam Apostolorum exemplo opinio de propriis satisfactionibus originem traxit.)

Josephus Acosta de Procur. Ind. salute lib. 6. c. 4. *Dissimulari profecto non potest, quam nobis erubescendum sit, quod à Satanæ ministris Indis superemur, cum nos ad salutares confessiones persuadendas pigriores simus, quam Ethnici ad sævas & ad carnificinas suas. Lubenter interdum à Sacerdotibus suis expiandi adulterii aut alterius sceleris causa durissimo saxo ad scapulas tundi fortiter, interdum à Juvenibus diu virgis cædi, non raro, si sceleris magnitudo acerbius aliquid postulare videretur, in excelsam, atque omni solatii genere destitutam rupem secedere, & longum ibi ævum ferarum more traducere.*

[De Turcis itidem constat, quod pœnitentibus certas satisfactiones imponant.]

10. Quod quidam approbant artic. 12. Conf. Aug. in quo Satisfactiones propriæ negantur esse causa remissionis peccatorum. (Verba articuli sic habent: *Rejiciuntur & isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed docent, remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem & opera. Rejiciuntur & isti, qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorii.*

Johannes Hoffmeisterus suam de hoc articulo sententiam sequentibus aperit verbis: *Est pœnitentis, ut, licet multa bona opera fecerit, tamen credat, se merito passionis Jesu Christi remissionem peccatorum accipere: at remissione peccatorum accepta, necessum est, ut quanto pejus antea operatus fuerat, tanto ferventius postea virtutum operibus incumbat, ut fiat quasi recompensatio vitiorum fœcunda pietas. Hac sive fructus, sive satisfactiones vocet nihil moramur.*

Georgius Cassander artic. 12. p. 87. *De Satisfactione non tantus erit conquerendi locus, si ex Ecclesiæ sententia de ea ita doceatur, quod sola passio & mors unigeniti Filii Dei sit satisfactio & propitiatio pro peccatis nostris, sive eo, quod ex origine contraximus, sive iis, quæ ante vel post regenerationē ex carnis infirmitate commisimus, quæ satisfactio offertur & applicatur nobis ministerio Evangelii, id est, verbi & Sacramentorum, accipitur autem fide, quæ & ipsa Dei donum est. Quamvis autem virtute hujus satisfactionis Christi culpa & pœna æterna peccato debita deleatur, certum est tamen, Deum à pœnitentibus ob graviora præsertim delicta, lachrymas, jejunia, preces, eleemosynas & reliqua vere pœnitentis indicia, ac denique totius vitæ in melius immutationem ac emendationem requirere, quod cum facimus, Deo satisfacere pro peccato dicimur, non quod precium dignum & sufficiens diluendis peccatis offeramus, sed quod officia illa præstemus, quæ Deus à peccatore cui Filii sui satisfactionem impertiri velit, requirit.*

11. Quod quidam agnoscunt, satisfactiones posterioribus demum seculis in Ecclesiam introductas esse.

Platina indicat, *Satisfactiones è temporibus Vitaliani primi, qui sedit anno 655. originem ducere,* sic enim scribit in ejus vita: *Librum Theodosius scripsit, quo declaravit, qua pœnitentia dilui unumquodque peccatum possit.*

Baronius Anno 56. num. 16. & seq. eas deducit *ex antiquo usu hæreticorum, aut gravius delinquentium, qui publice pœnitere & delicta confiteri fuerunt soliti, actione à pœnitentia Pontificia prorsus diversa.*

12. Satisfactiones Pontificiæ etiam hoc nomine improbantur, quod conjugium cum meretrice inter opera satisfactoria numerant.

Bzovius Anno 1198. §. 7. *Innocentius III. concessit peccatorum veniam meretrices ducentibus.*

Instit. Juris Canon. lib. 2. tit. 12. Quæ matrim. imped. §. Quia potius. *Qui scientes & prudentes mulieres publicas de lupanari extraxerint & in uxores duxerint, quod agent, in remissionem proficiet peccatorum, cum inter opera caritatis non minimum sit, errantem ab erroris semita revocare.*

Suffragatur & hoc nostræ sententiæ, quod quidam fateri coguntur, satisfactiones illas arbitrarias destitui suffragio Scripturæ.

Roffensis in assert. advers. Luther. ad artic. 5. *Quid si non de septenni satisfactione mentio peculiaris in sacris literis habeatur? Quid si nusquam lectum sit, Christum aut Apostolos pro differentibus peccatis differentes pœnas statuisse? Et demum, quid si dari non possit unus ex antiquis Patribus, in quo leguntur quadragenæ, septenæ? num propterea satisfactio non erit tertia pars pœnitentiæ?*

14. In Concilio Tridentino *quidam negabant omnino fieri posse, ut Confessarius, quamlibet doctus, attentus ac prudens, audita hominis moderati de admissis unius anni Confessione, multoque minus, si insigniter flagitiosum plurium annorum commissa retegentem audiat, adeo certum de pœna peccatis ejus debita judicium ferat, canonibus etiam cuicunque peccato suam pœnam assignantibus adjutus, ut non dimidio plus erret. Imo ne ejusmodi quidem Confessorem, etiamsi peccatorum catalogum in Scriptis habeat, & pluscculis diebus secum expendat, ita circumspecte stateram unquam appensurum, ut pœnis peccatis æquilibres faciat; tantum abesse, uti (quod hodie fit) extemplò ab audita Confessione rem actu queat attingere.* Petr. Suavis lib. 4. Hist. Conc. Trident. p. 418.

(Ergo illæ satisfactionum impositiones lubrico nituntur fundamento.)

15. Quodammodo etiam nostram confirmant sententiam variæ adversariorum de Satisfactione dissensiones.

Primo, quidam statuunt, *pro ipsa culpa nobis satisfieri posse*; quidam dicunt, *pro culpa nos non posse satisfacere, sed tantum pro pœna.*

Secundo, qui posterius asserunt, eorum quidam disputant, *ipsam pœnam æternam peccatis debitam virtute clavium mutari in temporalem, ut pro ea satisfacere possimus*; quidam vero statuunt, *& culpam & pœnam æternam remitti per contritionem, remanere vero obligationem ad aliquam pœnam temporalem, cujus pars virtute clavium remittatur, pars altera impositis vel sponte susceptis satisfactionibus expietur*; quam sententiam plerique recentiores amplectuntur. Possunt hæc omnia demonstrari ex propriis ipsorum dictis.

Thomas part. 3. quæst. 49. artic. 3. ad quæstionem, *Cur injungatur pœnitenti pœna satisfactoria*, respondet hoc modo: *Ut consequamur effectum passionis Christi, oportet nos ei configurari. Configuramur autem ei in Baptismo Sacramentaliter, in pœnitentia per aliquid pœnalitatis vel passionis, quam in nobis ipsis sustinemus,* quæ

quæ tamen multo minor sufficit, quam esset condigna peccato, cooperante satisfactione Christi.

(Ibi satisfactiones ordinantur ad remissionem culpæ.)

Scotus 4. sent. dist. 15. quæst. 1. dicit, *quod satisfactio sit operatio exterior laboriosa seu pœnalis voluntarie assumta ad puniendum peccatum commissum à se.* Idipsum lib. 4. sent. dist. 16. quæst. 2. sic explicat, *quod intelligendum sit, concurrente merito passionis Mediatoris, quia Deus decrevit, non suscipere aliquod opus vel tolerantiam, tanquam satisfactionem æquivalentem, nisi quatenus conjungitur per fidem passioni satisfactoriæ Mediatoris.*

Antoninus part. 3. tit. 14. cap. 20. *Satisfactio curat peccata præterita recompensando, & à futuris præservat cavendo.*

Altensteig in Lexico, in verbo, Satisfactio, illam satisfactionem, quæ distinguitur contra alias partes pœnitentiæ, describit *operationem exteriorem laboriosam seu pœnalē voluntariè assumtam, ad puniendum peccatum commissum à se, & ad placandam divinam offensam.*

(Utrumque diserte exprimitur, satisfactionem suscipi, & ad puniendum peccatum & ad placandam offensam. Cum ergo peccatum puniendum referatur *ad pœnam*, necesse est, placandam offensam pertinere *ad culpam.*)

Concilium Tridentinum sess. 14. c. 8. *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur.*

Et postea. *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.*

Tapperus in explicat. artic. 6. Lovan. & Vega lib. 13. in Concil. Trident. cap. 36. expresse docent, *pro culpa & pœna æterna à nobis satisfieri posse.*

Gregor. de Valentia tom. 2. in Thomam Disput. 6. quæst. 17. punct. 1. *Hæc compensatio, quæ satisfactione fit, non tantum habet respectum ad pœnam illam exsolvendam, sed ad nonnullam etiam offensam & iram Dei, quæ per hujusmodi compensationē averti debet.*

(Atque inde petit causam, cur non possit æqualis satisfactio dari.)

Bellarminus lib. 4. de Pœnit. cap. 1. *Ruardus Tapperus, insignis Theologus, docet, in explicat. art. 6. Lovan. posse hominem Deo satisfacere pro culpa & pœna.*

Salmero tom. 6. tract. 13. num. 10. *Deo ex misericordiâ infundente gratiam in peccatorem, anima ejus Deificata infinita quodammodo efficitur, & infinita opera producit, quibus quodammodo pro infinito debito (si culpa remaneret) satisfaceret: & quia non remanet culpa dimissa, Deus in infinitam acceptans quasi pro debito pensum & acceptum fert.*

Rursus alii non quidem pro culpa, sed tamen pro pœna, non solum temporali, sed etiam æterna satisfieri posse putant.

Cajetanus in tract. de Contrit. q. 4. *Pœna illa, quæ luenda restat post culpæ remissionem, est illa ipsa pœna sensus, quam in gehenna pati debuisset peccator remota solum æternitate.*

(Ergo etiam pro pœna æterna à nobis satisfieri posse autumat.)

Sed Bonaventura lib. 4. sent. dist. 15. quæst. 2. inter *culpam & pœnam*; Itemque inter *æternam & temporalem* distinguit. *Cum peccator, inquit, peccat, se ad pœnam æternā obligat, cum autem divina misericordia justificat seu vivificat, omnem remittit culpam & reatum pœnæ æternæ. Sed quia misericordia non potest præjudicare justitiæ, cujus est mala punire, ideo sic solvit à culpa & pœna, ut tamen remaneat obligatus ad aliquantulam pœnam temporalem. Compromisit autem Dominus in rectores Ecclesiæ, tanquam in arbitros, per quos imponatur pro pœna peccatoribus, & Domino satisfiat principaliter, Ecclesiæ autem per consequens.*

Bellarm. d. l. *pro amicitia reformanda non potest quidem homo Deo satisfacere, interim tamen justitiæ æqualitatem sua satisfactione restaurare, id est, debitum pœnæ, quod post culpæ remissionem manet, per opera bona redimere.*

Discordant v. etiam in aliis de quæstione satisfactionibus.

Nam tertio, quidam indefinite asserunt, *remissa culpa, superesse quandam pœnam temporalem*, non explicantes, *an semper & omnibus, num autem aliquando & nonnullis tantum pœnitentibus illa pœna sustinenda veniat.* Hunc indefinitum assertionis modum observant Patres Concilii Tridentini sess. 14. can. 8. ut sub ambiguitate illa melius latere, & Doctoribus Pontificiis liberam circa hanc quæstionem relinquant opinandi facultatem.

Sic etiam indefinite loquitur Schoppius in Comment. de Indulg. cap. 2. pag. 2. *Sciendum, ex Catholicorum sententia in Sacramento pœnitentiæ peccatum remitti quoad culpam ipsam, & quoad debitum pœnæ æternæ &c. sic tamen, ut ista pœna æterna commutetur in temporalem & finitam, quam judicio Dei adhuc luere teneris, vel in hac, vel in altera vita; id est, in purgatorio.*

Viguerius in Instit. Theolog. c. 16. §. 4. v. 22. itidem *indefinite* scribit, *reatum pœnæ remanere remissa culpa, Vet. & N. Test. affirmat autoritas.*

Quidam vero in eam inclinant partem, *quod non omnibus, sed aliquibus tantum, & quidem plerisque pœnitentibus aliqua temporalis pœna post remissam culpam imponatur*, quorum dicta paulo ante sunt allata.

Quidam tandem universaliter affirmant, *quod omnes pœnitentes post remissam culpam obstricti maneant ad luendam pœnam quandam temporalem.*

Gregor. de Valent. tom. 2. Disp. 6. q. 17. punct. 5. col. 823. *His ita explicatis probanda nunc est adversus Sectarios sententia hæc orthodoxa, nempe aliquam pœnam temporalem divinitus esse constitutam peccatis omnibus post culpam remissam.*

Ibid. vocat *Catholicam assertionem, quæ absolute ponitur, omnino peccatis pœnam aliquam temporalem divinitus constitutam esse solvendam, postquam culpa ipsa remittitur.*

Quilibet videt, duas posteriores opiniones secum invicem pugnare, & tamen Albertus Hungerus Ingolstad. Acad. Cancellarius, & Bellarmini disputationes, in quibus pœnæ temporalis particularitas; & tomos Valentiani, in quibus pœnæ temporalis universalitas asseritur, approbavit.)

Merito etiam quærimus, *quæ sit illa pœna temporalis, pro qua nobis satisfaciendum sit post remissam culpam?* Pœnæ divinitus immissæ, non possunt satisfactionib. nostris tolli, cum non sint clavibus Ecclesiæ subjectæ. Si afferantur jejunia humicubationes, flagellationes &c. illa sunt potius opera laboriosa,) per quæ satisfacere debemus, quam pœnæ, pro quibus satisfacere debemus.

Cur dicant interdum, & quibusdam pœnitentibus imponi pœnas temporales, cum omnes pii in hac vita castigentur? Matth. 16. v. 24. Act. 14. v. 22. 2. Tim. 3. v. 12. Hebr. 12. v. 5. 6.

Cur statuant, *in Baptismo omnem pœnam remitti*, & tamen morbos ac mortem, cui infantes post Baptismum sunt obnoxii, vocent *pœnas*? Bellarm. lib. 4. de Pœnit. c. 2. Schoppius de Indulg. cap. 4. f. 5. c. 7. 16. f. 17.

Quarto, quidam statuunt, *nullum opus vel passionem esse satisfactionem æquivalentem peccato, nisi per fidem conjungatur satisfactoriæ passioni Christi.*

Alii contra disputant, *etiamsi non intervenisset meritum Christi, tamen hominem habentem gratiam seu caritatem posse Deo pro peccatis satisfacere.*

Petrus Tateretus in repert. 4. sent. dist. 15. q. 1. f. 523. *Licet Deus nos potuit obligare ad semper sibi reddendum honorem pro beneficio creationis, tamen noluit propter fragilitatem humanæ Naturæ, quæ non potest hoc, quia sic obligaremur DEO semper & pro semper, quod est falsum.*

Fol. 524. *Ideo dico duo, Primo, quicunque peccator potest satisfacere de peccato commisso, secluso merito passionis Christi de potentia Dei absoluta, sed non de potentia Dei ordinata, nisi merito passionis Christi. Probatur ista conclusio quoad primam partem. Quia si Verbum non fuisset incarnatum, vel pro nobis passum, prædestinatus ad vitam æternam potuisset satisfacere ad vitam absque merito passionis Christi.*

Quinto, quærunt, *an satisfactionem necesse sit fieri in caritate.*

Alexander Alensis, Thomas, Bonaventura & Richardus affirmant, *cum sine gratia & caritate Deo nemo possit placere.*

Sed Scotus 4. sent. dist. 15. q. 1. contrarium statuit, *cum scilitet, qui vere pœnitet semel, & recepit satisfactionem seu pœnitentiam impositam, quantumcunque postea recidivet, nunquam teneri, nisi ad unicam illam satisfactionem implendam, & si eam compleat in caritate melius esse, quia non tantum solvit pœnam, sed etiam meretur gloriam.*

Durandus primam opinionem dicit *duram*, secundam *minus securam.*

Biel 4. sent. dist. 16. quæst. 2. dub. 2. *Scoti opinio magis concordat divinæ misericordiæ.*

Gregorius de Valent. tom. 4. c. 1871. refutat Paludanum, Capreolum &c. docentes, *satisfactionem extra gratiam relinquere post se effectum.*

Sexto, quærunt, *an opus satisfactorium in caritate factum, mereatur aliquem gradum gloriæ ultra remissionem pœnæ?*

Bie

Biel.d.l.dub.6.illud affirmat & probat tali argumento: *Est quædam condignitas operis ex gratia & Spiritus Sancti inhabitatione eliciti ad præmium beatificum essentiale. Ergo nullum opus meritorium sufficienter præmiatur per quodcunque bonum inferius beatitudine, sive temporale sit, sive æternum.*

Septimo quærunt, *an alius pro alio satisfacere possit?*

Biel d.l. dub.8. illud affirmat. *Quædam*, inquit, *Satisfactio imposita est a Sacerdote, quædam vero assumitur ex propria voluntate. Prior requiritur ab eo ipso, qui acceptavit, nisi occurrat impedimentum legitimum, puta infirmitas corporis, tunc enim eam per alium potest facere. Posterior potest fieri per alium, 1. quia potest quis alteri impetrare primam gratiam, per quam justificetur. Ergo etiam remissionem pœnæ ipsi potest impetrare. 2. Non est minor communio Ecclesiæ militantis inter se, quam ejus cum defunctis. Jam vero potest vivus pro defunctis satisfacere. Ergo etiam pro vivis. 3. Est hoc in usu Ecclesiæ.*

Bonavent.4.sent.dist.20. Richardus 4.sent.dist.15 addunt hanc limitationem, *modo is, pro quo alter satisfacere cupit, sit de eo contritus.*

Johannes de Turrecremata in Gratian. de Pœnitentia. *Unus pro alio satisfacere potest, sive unus pœnam satisfactoriam pro alio potest explere Deo acceptabiliter.*

Dominicus à Soto lib.3. de Nat. & gratia c.6. *Non tantum pro suis quisq; culpis, sed pro alienis satisfacere potest, dum sint modo ambo amici Dei, & quidem satisfacere de condigno.*

Panigarolla lect.11.p.2. *Quæsitum est, an justificatus homo alia ratione pœnæ certo tempore definita, quam retinet Deus, satisfacere possit, quam si aliquam pœnam in se suscipiat, & responsum est, posse alio item modo. Itaque diximus, Deum liberalissimum atque justissimũ, non solum habere satisfactionis loco opera, quæ nos ipsi non facimus, sed alii faciunt pro nobis, perinde atque si Rex perduellem, quem semper exulare jusserat, à perpetuo exilio revocarit & relegarit ad præfinitum tempus; deinde permittat etiam perduellis amicum relegationis illius incommodum & molestiam pro ipso reo subire, & elapso tempore non minus perduelli pateat aditus in patriam, quam si ipse relegationis pœnam pependisset. Sat habet Deus, si vector, qui jam ad littus applicuit, quo in oppidum ingrediatur, vel ipse, vel alius pro ipso vectigal solvat.*

(At si alius pro alio satisfacere potest, an non homo constituitur hominis redemtor? Cajetanus in Thom.p.3.q.48.artic.5. *Satisfactio pro aliis genus quoddam redemtionis est, quia soluto precio, alter à pœna liberatur.*)

Octavo quærunt, *an pro alio satisfaciens, etiam pro seipso satisfaciat?*

Summa Angeli de Clavisio respondet, *diversas de eo opiniones esse, sibi placere eam opinionem, quod tale opus sit satisfactorium etiam pro seipso, non tamen ex debito, sed per divinam misericordiam, quæ magis attendit caritatem, quam opus. Dici etiam posse, quod pro alio sit satisfactorium per modum solutionis pœnæ, pro seipso per modum meriti de congruo.*

Nono quærunt, *an Satisfactio in peccato mortali facta sit valida vel iteranda?* de quo itidem diversæ sunt opiniones.

Richardus in Quodlib.1. q.10. statuit, *quod talis satisfaciat præcepto Confessoris, nec teneatur reiterare, interim non satisfacere pœnæ debitæ in purgatorio.*

Alii distinguunt hoc modo, *quod actiones pœnitentiæ, ex quibus manet aliquis effectus post satisfactionis actum, non sint iterandæ, ut est jejunium, eleemosyna & hujusmodi; alias autem, quæ non relinquunt aliquem effectum, oportet iterare, ut sunt orationes & hujusmodi.*

Panormitanus in c. Quod quidem de pœnit. & remiss. & alii statuunt, *quod non valeat, sed simpliciter sit iteranda.*

Scotus 4.sent.dist.15.q.1. circa finem varias distinctiones affert, *necessario tamen iterandam esse* negat.

Decimo, quidam statuunt, *quod nostræ satisfactiones solummodo id nobis applicent, quod Christi satisfactiones nobis promeruere*, referente Bell.lib.1.de Purg.c.14. resp. ad 4.

Sed hæc opinio non solum à Bellarmino lib.1.de Indulg.c.4. resp. ad 6. sed etiam à tribus insuper Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Clemente VII. vapulat.

(Non possunt hæc duo simul consistere, opera & passiones nostras esse satisfactiones, simulque esse applicationes satisfactionis Christi. Aliud enim est *satisfactio*, aliud *satisfactionis applicatio*. Si nostræ passiones sunt media applicandi, tum non sunt satisfactiones; vel si sunt satisfactiones, tum non sunt media applicandi; non secus atque si pro aliquo debitore ab alio plane solutum sit debitum, dici nequat, quod debitor, si de novo solvere deberet, hoc ipso priorẽ solutionem sibi applicaret, sed esset potius nova solutio, non prioris applicatio.)

Undecimo, quia ex Christi satisfactione in nostra opera & passiones vim satisfaciendi ἀπὸ χάριτος derivant, inde oritur quæstio, *an Christi satisfactio & nostra satisfactio sint duæ satisfactiones simul junctæ, an vero una tantum?*

Quidam asserunt, *esse unicam tantum satisfactionem, & illam esse Christi, ac nos proprie non satisfacere, sed solum facere aliquid, cujus intuitu Deus applicet nobis satisfactionẽ Christi.* Hæc est sententia Michaelis Baji lib.de Indulg. cap. ult. quam Rutilius Benzonius de anno Jubilæo f.224. *ut omnino erroneam*, explosit.

Affinis sententiæ Michaelis Baji est sententia quorundam Lovaniensium, qui docuerunt, *solius Christi satisfactionibus remitti pœnam temporalem*, referente Bellarmino lib. 1. de Indulg. cap.4. qua ratione, cum satisfactiones humanæ prorsus annullentur, ideo Bellarminus lib.1. de Purgat. cap.14. istam opinionem omnino rejicit & pro *erronea* habet, argumentis contra eam usus duobus: *Scriptura* (inquit) *& Patres vocant nostra opera satisfactiones & peccatorum redemtiones. Deinde, si potest homo justis suis operibus mereri de congruo vitam æternam, cur non satisfacere pro pœna temporali, quod est minus?*

Quidam contra statuunt, *quod sint duæ satisfactiones, sed tales, ut una pendeat ab altera. Hic modus*, inquit Bellarm. *mihi non videtur improbabilis. Nam etiamsi una sufficeret, tamen ad majorem gloriam Dei, cui satisfit, & majorem honorem hominis satisfacientis, placuit Christo conjungere nostram suæ, quomodo etiam justus adultus duplici titulo jus habet ad eandem gloriam, uno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.*

Verum quia divinæ justitiæ adversatur, ut duplicem satisfactionem pro uno & eodem peccato exigat; & quia satisfactio nostra non subordinatur, sed potius adversatur plenissimæ satisfactioni Christi, ideo alii novum solutionis modum excogitarunt, de quo sic disserit Bellarm. lib. 1. de Purgat c. 14. *Tertius modus videtur probabilior, quod una tantum sit actualis satisfactio & ea sit nostra. Neque hinc excluditur Christus vel satisfactio ejus. Nam per ejus satisfactionem habemus gratiam, unde satisfaciamus, & hoc modo dicitur applicari nobis Christi satisfactio, non quod immediate ipsa ejus satisfactio tollat pœnam temporalem nobis debitam, sed quod mediate eam tollat, quatenus videlicet ab ea gratiam habemus, sine qua nihil valeret nostra satisfactio.*

Alphons. Salmero tom.14. disp.25.p.220. eod modo procedit. *Mors*, inquit, *& sanguis Christi non tollit illum ignem* (purgatorium) *sed potius ei virtutem tribuit, ut possit delere peccata seu pœnas peccatis debitas. Nisi enim esset vis passionis Christi illi igni communicata, non purgaret. Pœnæ enim illæ patienter toleratæ, per sanguinem Christi expiant animas nostras, ut sine macula appareant ante Deum.*

(At hac ratione satisfactio pro pœna temporali non attribuitur, sed potius derogatur Christo Mediatori ac Redemtori, statuitur enim, quod Christi satisfactio non tollat pœnam temporalem nobis debitam, sed quod tantum largiatur nobis gratiam & vim satisfaciendi pro ea. Christi satisfactio statuitur causa meritoria & efficiens nostræ satisfactionis, non autẽ formaliter satisfactio pro pœna. Sicut non possum dicere, quod Christus nostro loco credat, licet gratiam & vires credendi largiatur, sic non potest recte dici, quod Christus nostri loco pro pœna temporali satisfecerit, si nos ipsi adhuc satisfacere teneamur, licet gratia & vis satisfaciendi ab ipso nobis obtingat.)

Duodecimo, Bellarm.lib.4. de Pœnit c.1.§.4. disputat, *inter Deum & homines non habere locum satisfactionem perfectam, quæ fit ad absolutam & perfectam æqualitatem; sed imperfectam, quæ fit ad æqualitatem imperfectam, quæ ex pacto aut donatione, vel acceptatione alterius pendet, ut si cui deberentur decem millia aureorum, is sibi satisfieri pateretur cessione bonorum, etsi ad summam tot millium non perveniant.*

(Atqui est implicatio contradictionis statuere, *satisfactionem aliquam imperfectam*. Qui enim pro debito decem milliũ aureorum exiguam pecuniæ summam recipit, quo simili Bellarmin. utitur, nunquam sibi satisfactum esse dicet, sed ad satisfactionem necessario requiritur proportio Arithmetica. Proinde etiam Altensteig, in verbo satisfactio, descriptioni satisfactionis addit, *quod sit redditio voluntaria æquivalentis alias indebiti. Dicitur æquivalentis*, inquit, *quia satisfactio ad justitiam commutativam pertinet, quæ exigit æqualitatem rei ad rem, tamen prout utique sapiens determinabit; sapiens scilicet per essentiam, qui est Deus peccato offensus, & hoc importat nomen Satisfactio. Adverbium enim Satis, importat æquam correspondentiam ejus, quod redditur ad illud, pro quo redditur, sive in beneficiis, sive in pœnis.*)

Decimo Tertio, Bellarminus d.l. statuit, *nostram satisfactionem esse imperfectam, quæ fiat ad æqualitatem imperfectam.* Et tamē subjicit: *Ut satisfactio sit aliquo modo ad æqualitatem, oportet, ut sicut offensio habuit infinitatem quandam ex parte objecti sic habeat satisfactio aliquam infinitatē ex parte principii satisfacientis. Proinde requiritur, ut opera satisfactoria fiant à Spiritu Dei hominem inhabitante, sive ab ipso homine, ut membro Christi ac Filio Dei jam per fidem & caritatem effecto.*

Ibid. sic differit c.7. §. Illud tamen &c. *Possumus aliquo modo ex propriis & ad æqualitatem, ac per hoc juste & ex condigno satisfacere.*

(At si nostra satisfactio habet aliquam infinitatem ex parte principii, utique erit perfecta satisfactio, quæ fiat ad absolutā & perfectam æqualitatem.)

Decimo quarto, disputat Bellarminus d.l. & plerique recentiores ita statuunt, *in remissione peccatorum post Baptismum solummodo culpam & pœnam æternam remitti, non autem pœnam temporalem, ad cujus remissionem necessaria sint opera satisfactoria.*

(At si hoc verum, consequens erit, satisfactiones nostras quodammodo ad remissionem peccatorum pertinere, siquidē in hac assertione præsupponitur, Deum in remissione culpæ non remittere totam offensam, sed aliquid de offensione retinere, quod effundat in pœna temporali, quam post condonationem culpæ imponit & pro illius offensæ remissione nostrā satisfactionem requiri. Perinde igitur est, sive dicamur *pro pœna, sive pro culpa*, h.e. parte illa culpæ, quæ per pœnas temporales expianda adhuc restat, satisfacere. Agnoscit hoc quodammodo ipse Bellarminus, ideo lib. 4. de Pœnit. c.1. dicit, *non esse necesse, ut de his subtilitatibus agatur*, an scilicet pro culpa, an pro pœna satisfiat.)

Decimo quinto, idem Bellarm. lib. ejusd. c.13. §.3. sic scribit: *Licet sit valde probabilis sententia Thomæ, Durandi Paludani & aliorum, non recte satisfieri per opera alias debita, tamen non est improbabilis sententia Adriani & Cajetani, per opera alias debita satisfieri posse cum satisfactio, quam Deo reddimus, non pertineat ad solam justitiam, sed etiam amicitiam.*

Contra vero lib. ejusd. c.1. §.11. docet, *pro amicitia reformāda non posse hominem Deo satisfacere, interim tamen justitiæ æqualitatem sua satisfactione restaurare, id est, debitum pœnæ, quod post culpæ remissionem manet, per opera bona redimere.*

Decimo sexto, idem Bellarm lib. ejusd. c. 6. §. S. Basilius &c. hæc habet: *Basilius apertissime agnoscit, satisfactionem condignam esse debere, & eam proportionem cum peccato exigere, ut vere per eam offensio compensetur.*

(Atqui si satisfactio est condigna, & eam proportionem cum peccato exigit, ut vere per eam offensio compensetur, utique non tantum *ad justitiæ æqualitatem restaurandam*, sed etiam *ad amicitiam reformandam* sufficere poterit, quod tamen negat Bellarminus lib. ejusd c.1.)

Decimo septimo, idem Bellarminus lib. 4. de Pœnitent. c. 1. de nostra satisfactione scribit, *quod habeat quandam infinitatem ex parte principii satisfacientis.*

Sed lib. 2. de Missa c. 4. propos. 4. disputat, *valorem sacrificii Missæ esse finitum, cum tamen illud à Christo, ut primario Sacerdote, offeratur, ac præcipuam suam vim habeat, ut à Christo summo Sacerdote offertur*, docente eodem lib. & c. iisdem §.1. & 13. c.10.

(Quod si ergo satisfactio, quæ est opus hominis, est infinita, ac sacrificium Missæ à Deo institutum, virtutem habet finitam, consequens est, opera hominum divinis operibus esse efficaciora.)

Decimo octavo, Sotus negat, *Satisfactionem in hac vita per se esse necessariam peculiari præcepto, secluso imperio Confessarii*; sed id non placet Gregor. de Valent. tom.4. col. 1879.

Decimo nono, *Utrum pœnitens teneatur implere pœnitentiam injunctam, quæ injusta videatur?* De hac quæstione sunt tres sententiæ ait Greg. de Valent. tom. 4. col. 1880.

Vigesimo, *An pœnitentia imposita à Parocho, possit mutari ab Episcopo?* Alii affirmant, alii negant, Greg. de Val. tom.4. c. 1884.

Vigesimo primo, Concilium Trident. sess. 14. c. 8. disputat, *non esse ita nostram hanc satisfactionem, ut non sit per Christum Jesum nam quia ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus &c.* ex quo Greg. de Val. de reb. fidei controv. tract. de Satisf. c.3. §. Hoc tamen &c. f. 871. tale theorema deducit: *Quia Christus quoque pro pœnis nostris satisfecit cumulatissime & abundantissime, & nihilominus nos quoque virtute Christi pro iisdem pro pœnis Deo satisfacimus, ex hac re consequi, negādum non esse, compensationem pro offensa per aliquid amplius Deo fieri, quam alioqui secundum rigorē justitiæ oportuisset, siquidem absque nostra satisfactione potuisset sola Christi satisfactio abundantissime sufficere.*

Sed Becan. Manual. lib.1. c.8. n.42. absurditatem hujus assertionis videns, eam sic emollit, *quod Christi satisfactio sola quidem superabundet, sed nobis tamen per nostras satisfactiones applicetur.*

Atqui 1. hæc nondum satisfacient Valentiano, qui satisfactionem nostram considerat, non ut *medium* applicationis, sed ut *meritum* Christi merito subordinatum.

2. Si Deus non applicat nobis Christi satisfactionem, nisi per nostram satisfactionem, ut Becanus ait d.l. num. 44. sequitur, quod omnes adultos oporteat satisfacere, quodque nulli dimittatur pœna cum culpa, quod tamen aliquibus tantum & quidem paucioribus competit, ut communis habet Pontificiorum opinio.

3. Plerique Scholasticorum & Pontificiorum fatentur, *satisfactionem pœnalem non esse juris divini.* Thomas, Bonaventura, Adrianus, Scotus, Gabriel, Cajetanus, Medina, Sotus, Vega, Tapperus, Corduba, Henriquez apud Suaresium Disput. 25. sect. 7. n. 5. & Tannerum Disput. 6. q. 8. dub. 2. qui & ipsi negant, *esse simpliciter necessariam.*

4. *Quin & posse & debere Sacerdotem, Confessum, qui detrectet satisfactionem ullam sustinere, nihilominus absolvere*, ut est in Lexico Altensteig. in verbo satisfactio, fol. 818. Ita docuerunt Gabriel Biel, Scotus, Cajetanus apud Canum part. 6. relect. de Pœnit. f. 972. Ita Sylvester & Johannes Medina apud Tannerum tom. 4. Theol. Schol. Disp. 6. quæst. 8 dub. 1. num. 12. Ita Martinus Azpilcueta in Manual. Confessar. c. 26. n. 21. Nostra itaque satisfactio non est ex instituto Dei necessarium *medium* ad satisfactionem Christi nobis applicandam, sed si quæ est, *meritum* est Christi merito & satisfactioni annexum. Confer Dn. D. Hulsemannum Disp. 10 Anti-Hageriana quæ [illegible]

Vigesimo secundo, Johan. Stephanus Menochius Jesuita in annot. Matth 3. v 6. *Johannem confitentibus satisfactionem injunxisse negat Abulensis, affirmat Thomas in c.11. Epist. ad. Hebræos.*

Exceptiones Adversariorum,

1. Ad Argumentum *ex gratuita peccatorum condonatione* petitum, respondent ex Psam. 25 Postquam enim David v.11. oraverat, *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim*; paulo post subjungit v.18. *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.* Ex quo colligunt, *debitum luendæ ac redimendæ pœnæ per satisfactiones non pugnare cum gratuita peccatorum condonatione. Salmero & alii.*

Resp. 1. Nomine *humilitatis* non intelligitur aliqua virtus, multo minus aliquod condonationis meritum vel satisfactio; sed miserabilis ille status, in quo David hærebat.

Bellarm. in illum Psalmi locum. *Per humilitatem non intelligit virtutem humilitatem, sed abjectionem & vilitatem.*

Genebrardus ibid. *Vide humilitatem, id est, miseriam meam.*

Et postea. *Mihi eris propitius propter nomen tuum duntaxat, non propter me, cujus merita nimis exigua sunt.* (Rectiꝰ dixisset, nulla.)

2. Exceptio. Ad *exempla* eorum, quibus Christus peccata remisit, nec tamen pœnas satisfactorias imposuit, excipiunt, *illos per fidem & caritatem primum fuisse insitos, & non vi aliqua Sacramentali, seu absoluta potestate à peccatis absolutos; illos recens vocatos, recens missos in possessionem donorum & thesaurorum concessorum, ut in Baptismo.* Peltanus lib. de Satisf.

Resp. 1. Salmero hanc exceptionem repudiat. *Respondent*, inquit, *quidam, illos, quibus Christus remisit peccata, satisfactione non indiguisse, quia infideles erant & necdum Christo insiti, ac proinde tunc primo justificabantur. Verum parum solida videtur esse solutio. Nam illi omnes Judæi erant, ac proinde circumcisionis Sacramento originis peccatum remissum, & consequenter jam semel erant justificati, ut si ad Sacramentum pœnitentiæ accurrissent, omnino pœnitentiæ indiguissent fructibus.*

2. Aliter igitur excipit Salmero. *Explosa*, inquit, *hac solvendi ratione, firma videtur esse responsio, illos à Christo medio Sacramenti pœnitentiæ non fuisse justificatos, quia nec ibi servata est absolutionis forma, nec etiam exhibita confessionis peccatorum debita materia. Adde, quod Christus, dum vixit, necdum Sacramentum confessionis instituerat, quod ex primo die resurrectionis induxit. Quare non erat, quod ullam tunc exigeret satisfactionem. Erat igitur solutio Sacramentis nequaquam alligata, quam Dominus, Sacramentorum institutor, ex privilegio illis paucis concesso potestate excellentiæ conferre voluit, quod nec ad Sacramentum pœnitentiæ, nec in consequentiam trahendum est.*

Resp.

Resp. 1. Si propterea Christus non imposuit pœnitentibus satisfactiones, quia Sacramentum pœnitentiæ tunc nondum institutum, cur igitur ex dicto Matth. 3. v. 8. *Facite fructus pœnitentia dignos*, evincere satagunt illas satisfactiones? Certe, nec tunc Sacramentum pœnitentiæ, juxta hanc hypothesin erat institutum.

2. Cur satisfactiones probant ex *Davidis exemplo 2. Samuel.* 24. & quidem tanta confidentia, ut Bellarminus scribat, *unicum Davidis exemplum plus valere ad sententiam Pontificiorum confirmandam, quam exempla omnia, quæ Calvinus protulit, ad infirmandam?* Constat enim, nec Davidis tempore, juxta hanc hypothesin, institutum fuisse pœnitentiæ Sacramentum.

3. Si Christus nullas pœnitentibus imposuit satisfactiones, cur Peltanus ad satisfactiones refert, *quod paralytici post sanationem lectulos suos portare fuerint jussi?*

3. Exceptio. *Distinguendum esse inter reconciliationem & remissionem, cum Paulus hæc distinguat 2. Cor. 15. v. 19. Christum quidem nos plene reconciliasse, interim post remissionem Deo satisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis.* Tapperus, Bellarminus.

Resp. Ab eadem Christi satisfactione est *reconciliatio & remissio peccatorum*; utraque gratuita, utraque plena, utraque nullius satisfactionis ulterioris indiga.

Thomas in 2. Cor. 5. *Non reputans illis delicta ipsorum, id est, non habens in memoria illorum delicta tam actualia, quam originalia ad puniendum, pro quibus Christus plene satisfecit. Et secundum hoc dicitur, nos reconciliasse sibi, in quantum non imputat delicta nostra nobis.*

Cajetanus ibid. *Ecce gratuita reconciliatio, absque exactione satisfactionis propriæ, sola non imputatione delictorum illis. Et signanter dicit, illis, quia imputavit delicta hominum Christo. Voluit enim Jesum Christum pati pœnas debitas aliorum peccatis & pro illis satisfacere.*

Salmero ibid. *Et ita in eo nos Patri reconciliavit, quæ reconciliatio in eo sita erat, ut delicta nobis non imputaret, & rediremus in gratiam Dei, neque de nobis vindictam sumere proponeret.*

Argumenta Adversariorum, quibus proprias Satisfactiones probant.

Argum. 1. ex Dan. 4. v. 24. *Peccata tua redime eleemosynis.*

Resp. De hoc dicto egimus superius cap. 3. th. 2. arg. Adv. 2.

Argum. 2. ex Luc. 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia vobis erunt munda.*

Resp. De hoc dicto agetur inferius articulo 23. cap. 8. th. 2. arg. Adversar. 2.

Argum. 3. ex Matth. 3. v. 8. *Facite ergo fructum pœnitentia dignum*, cui parallelus locus Act. 26. v. 20. *Annunciabam gentibus, ut pœnitentiam agerent & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Fructus pœnitentiæ quid aliud sunt aut esse possunt, quam satisfactionis opera?*

Resp. 1. Toletus in cap. 3. Luc. sic commentatur: *Fructus digni & condecentes pœnitentiæ sunt bona opera & studium virtutis, quæ sunt contraria peccatis, quorum hominem pœnitet. Qui enim dolet aliquid fecisse, consequenter facit contraria priori facto. Nec supponit Johannes, illos jam pœnituisse peccatorum; si enim pœnituissent, veniam obtinuissent, nec essent genimina viperarum. Sed simul ad utrumque exhortatur, ut & pœnitentiam, & opera pœnitentiæ faciant, necesse enim est & à malo recedere, & virtuti ac bonis operibus incumbere. Ad Romanos 13. Abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis.*

2. Maldonatus in h. l. *Fructus pœnitentia dignos appellat omnia externa signa, ex quibus vera animi pœnitentia cognosci potest, quales sunt lachrymæ, præteritorum peccatorum detestatio, bona opera præcedentibus contraria.*

Eadem repetit Johannes Stephanus Menochius Jesuita in annotat. Matth. 3. v. 8. *Facite fructus pœnitentia dignos, hoc est, ostendite vos nō simulate venire ad Baptismum. Fructus autem pœnitentia dignos appellat omnia externa signa, ex quibus vera animi pœnitentia cognosci potest, quales sunt lachrymæ præteritorum peccatorum, detestatio & bona opera præcedentibus contraria.*

Itemque Jacobus Tirinus ibidem. *Edere signa aliqua seu opera, qualia dignum est edi à pœnitentibus, v. g. lachrymas, confessionem, detestationem, punitionem peccatorum, vitæ, morumque in melius conversionem, inquit S. Chrysostomus.*

(Ejusmodi fructus, id est, signa pœnitentiæ etiam nos à vere contritis requirimus.)

3. Franciscus Lucas Brugensis ibidem. *Ejusmodi fructus sunt, mores correcti, & ea omnia, quæ ab animo vere pœnitenti proficiscuntur. Ita fere D. Chrysostomus.*

4. Johannes Baptista loquebatur ad eos, *qui ad Baptismum suum veniebant*, ut constat ex serie textus Matth. 3. v. 7. Luc. 3. v. 7. ac omnibus, qui à se baptizabantur, prædicabat pœnitentiam Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3. Hoc ergo dicebat, *Agite fructus dignos ea pœnitentia*, quam professi estis in Baptismo. Paulus Act. 26 itidem loquitur de *convertendis adhuc*, non de conversis. Ex eo sic concludimus: Si per fructus pœnitentia dignos intelligerentur opera satisfactionis, consequens fuerit, etiam à baptizatis requiri opera satisfactionis. At consequens non admittunt Pontificii, statuunt enim, *in Baptismo culpam & pœnam remitti.* Ergo nec prius asserere debent.

5. Johannes Ferus in cap. 3. Matth. *Vera pœnitentia est nova vita. Et hi sunt digni pœnitentia fructus, si non tantum à malis prioribus desistas, verum etiam bonis prioribus invigiles, si peccatis adversa facias.*

Et paulò antè. *Hactenus, ut sylvestres arbores, produxistis exitiales fructus, superbiam &c. Nunc si vere conversi estis in bonas arbores, edite fructus bonos, testes mutati propositi. Non sufficit, mutare vestem, mutandæ sunt cupiditates, hæc est enim radix arboris, ex qua boni & mali fructus oriuntur, secundum dispositionem radicis.*

(Probatur hæc expositio ex serie textus, statim enim sequitur Matth 3. v. 10. *Jam enim securis ad radicem posita est. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindatur.*)

6. Johannes ad fructus pœnitentia dignos faciendos exhortatur argumento eo, *quod securis ad radicem posita sit*, quodque periculū excisionis metuendum sit arbori non ferenti fructus bonos. In quæ verba sic commentatur Didacus Stella in cap. 3. Luc. *In ignem infernalem in judicio hoc particulari anima ejus mittetur, in judicio vero universali anima simul & corpus.*

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 3. Matth. *Tum autem exciditur, dum è terra per mortem sine omni salutis reparationisque spe tollitur &c. Mox à morte in ignem abjicitur gehennæ, cum, quem mox vocat inextinguibilem, ut solet excisa sterilis arbor in ignem injici nulli usui apta, quàm ut sit ignis nutrimentum.* Eodem modo reliqui exponunt, nec aliter possunt, nisi textui vim inferre velint.

(Ex illis sic colligimus: Qui non faciunt fructus pœnitentia dignos, abjiciuntur in ignem inferni. Atqui qui opera satisfactionis non implent, propterea non abjiciuntur in gehennam, cum remissionem culpæ & pœnæ æternæ obtinuerint, ac quod pœnæ temporalis restat, in purgatorio luere possint. Ergo per fructus pœnitentia dignos non intelliguntur opera satisfactionis.)

7. Didacus Stella in Luc. cap. 3. super verba, *omnis arbor &c.* sic commentatur: *Omnis arbor non faciens fructum bonum, id est, omnis homo adultus & rationis compos, qui non servat præcepta & mandata Dei.* Ex illo sic colligimus: Fructus pœnitentia digni sunt opera à Deo mandata. Atqui opera satisfactionis sunt opera sponte assumta vel à Sacerdotibus imposita; unde Salmero tom. 4. tract. 5. vocat *pœnas arbitrarias.* Ergo fructus Pœnitentia digni non sunt opera satisfactionis.

8. Stapletonus, Barradius, Contzen &c. itidem per fructus pœnitentia dignos intelligunt opera veræ pietatis, unde Estius in h. l. recte dicit, *mirari quosdam, quod hæc verba intelligenda sint de satisfactione digna pro peccatis.*

Argum. 4. ex Matth. 6. v. 12. *Semper petimus, nobis peccata sive debita dimitti. Quale vero debitum, nisi pœna pro peccatis debita, quando absolutio tollit omnem culpam.* Clingius lib. 4. Locorum cap. 37.

Resp. Imo vero & culpæ & pœnæ relaxationem petimus.

Toletus in cap. 11. Luc. *Sciendum est, peccatum dici debitum ab effectu, quia inducit debitum, facitque hominem debitorem: Qui enim peccavit, Deum offendit, injuriaque afficit, & inde debitor satisfaciendi remanet pro commissa culpa; quam satisfactionem nisi Christus pro nobis sua morte & passione Deo Patri obtulisset, homo semper debitor permansisset, ac inde reus pœnæ æternæ perseverasset. Cum ergo debita dimitti petimus, peccata deleri & auferri nobis rogamus, gratis quidem & sine precio, respectu Christi, qui precium pro nobis solvit peccatorum.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. capite 48. *Per debita peccata intelliguntur, sic dicta, eò quod hominem apud Deum debitorem pœnæ ultionis, aut impetrandæ gratiæ constituant.*

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 6. Matth. *Tunc dimittit peccatum DEUS, quando actum habet eo loco, at si non fuisset;*

maculam, restituto suo nitori atque integritati animo eluit, & pœnam debitam remittit. Istud omne hic oramus, ut de peccatis nostris omnibus ita agat Dei misericordia.

Argum.5. ex Matth.9.v.6. Marc.2.v.9. Luc.5.v.24. Peltanus in lib. de satisfact. *Grabata illa, quæ post acceptum sanitatis beneficium Nov. Test. paralytici Christi voce bajulare jussi sunt, aliquid quoque ejusmodi, (quod pro pœna peccati satisfaciendum) minime obscure præ se ferebant, erat enim hujusmodi deportatio non solum molesta, sed in partem quoque probrosa.*

Resp.1. Toletus in c.5. Luc. Barradius tom.2. Conc. Evang. lib.5. cap.19. Salmero tom.6. tract.14. Maldonatus in cap.9. Matth. Lucas Brugensis in cap.9. Matth. Corn. Jansenius in Harm. cap.33. causam præcepti hanc afferunt, *ut hæc lectuli portatio signum esset perfectissimæ sanitatis.*

2. Pererius in cap.5. Johan. multas *allegorias* cumulat, sed hujus nullam facit mentionem.

3. Ac si vel maxime fecisset, tamen responderemus ex Bellarmino lib.3. de V. D. cap.3. *Ex solo literali sensu peti firma argumenta.*

4. Didacus Stella in cap.5. Luc. contrarium potius ex textu colligit, quod nulla paralytico imposita sit satisfactio. *Quarto*, inquit, *adverte, quod non satis erat dicere, remittuntur peccata tua, nisi adderet, tibi: ac si diceret, tibi remissa sunt peccata tua, absolutus ab eis manes. Quod deest tibi, ut satisfacias, ego pro te rependam.*

(Confirmatur hoc ex locis parallelis. Nemini enim eorum, quibus Christus legitur remisisse peccata, quicquam impositum satisfactionum.)

5. Salmero concedit, pœnitentibus *non fuisse impositas à Christo satisfactiones, propterea quod potestate excellentiæ illis peccata remiserit.*

Argum.6. ex 1.Cor.11.v.31. *Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur à Domino.* Ex hoc loco *satisfactiones* colligit Bailius in Catech. controv. tract.3.q.12.

Resp.1. Estius ad h.l. sic commentatur. *Dijudicare h.l. trifariam ab Interpretibus exponitur, Primum, ut idem sit quod judicare posteriore loco, hoc est, punire, quomodo multi Latini intelligunt hoc sensu: Si nosmet ipsos pro nostris peccatis puniremus, scilicet, per voluntarias afflictiones & satisfactiones manum Domini præveniendo, non utique ab eo gravius flagellaremur, sive in hoc seculo, sive in futuro &c. Alio modo, ut dijudicare sit condemnare etiam citra punitionem, sic Græci intellexerunt, inter quos Theophylactus. Non dixit, inquit, si nos ipsos puniremus, sed tantum si judicaremus & condemnaremus nosipsos, non jam hic condemnaremur à Domino, verum & præsentia & futura supplicia effugeremus. Tertio ut dijudicare sit examinare, discutere. Ita sensus est: Quod si nosipsos examinaremus ac non nisi probati mensam illam accederemus, prout ante dixi, probet se homo &c. non utique judicaremur, hoc est, puniremur à Deo ob indignam corporis & sanguinis Dominici sumtionem. Sic exponunt Haymo, Lyranus, Cajetanus & alii ex Latinis nonnulli, sane quàm probabiliter ac præcedentibus congruenter, favetque Comment. Ambrosii, qui legit & exponit, discerneremus. Nam quod prima habebat expositio, id à Græcis aperte rejicitur, ac merito, siquidem nec Græcum διακρίνειν, nec Latinum dijudicare significat punire, sed usitatissima ejus significatio est, quam attulimus tertio loco, juxta quam paulò ante etiam dictum est, non dijudicantes corpus Domini.*

(Agnoscit ergo Estius puniendi significationem à Græcis Interpretibus merito hic rejici, ac proinde satisfactionibus hic nullum inveniri firmamentum.)

2. Salmero tom.14. Disp.19. in 2.Cor. pag.157. ad h.l. sic commentatur. *Duplex judicium considerandum ad illud accipiendum, Si nos ipsos judicaremus. Est enim judicium quoddam autoritatis ad seipsum, de quo. Sed neque meipsum judico; qui autem judicat me, Dominus est, quod est solius Dei. Alterum verò judicium est discussionis, ad quod spectat præsens locus. Si quis enim bene ac diligenter discuteret suam conscientiam, & semetipsum accusando, & morte se dignum confitendo, divinam misericordiam imploraret, hic profecto à Domino non judicaretur, hoc est, puniretur.*

3. Benedictus Justinianus ad h.l. sic scribit: *Recte Chrysostomus Non dixit, inquit, si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solum, si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo, quod & hic & illic est, supplicio. Nam qui seipsum condemnavit, duplici ratione Deum placat, & quod peccata agnoverit, & quod in futurum sit tardior. Eodem modo Pauli verba accipiunt Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Anshelmus.*

Postea subjicit verba Anshelmi: *Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem suam, atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis profluat per lachrymas, postremo ab ipsa mente sententia talis proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini, si tales culpas in se repererit. Versetur ante oculos ejus imago futuri judicii, & quicquid in se viderit, quod à venturo judice reprehendi possit & puniri, ipse nunc in seipso reprehendat & puniat. Peccata enim, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut homine puniente, aut DEO judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana.* Tandem concludit hoc modo: *Verba Oecumenii* (non dixit Apostolus, si nos ipsos puniremus, sed tantum dijudicaremus;) *non perinde accipienda sunt, quasi non sit eorum maxime laudanda industria, qui perpetrata flagitia, corporis afflictatione, inedia, jejuniisque ulciscuntur: sed quod præteritorum flagitiorum detestatio magis necessaria videatur, quippe quæ etiam sine ulla vexatione corporis* (nota) *prodesse possit, cùm sine illa ne sponte quidem suscepta supplicia ullam afferant utilitatem.*

Argum.7. ex 2.Cor.7.v.11. ubi Paulus inter fructus salutaris tristitiæ ponit *vindictam*. Bellarmin. Turrian. Panig.

Resp.1. Cajetan. in comm. refert hanc vindictam ad incestuosum, cujus mentio in priore Epistola fuerat facta. *Sed vindictam*, inquit, *bonum justitiæ exercendo. Et hæc fuit ultimus affectus erga incestuosum, exercuerunt enim justitiam vindicativam, excommunicando eum.*

2. Gagnæus eodem modo in h.l. *Vindictam in sceleratum.*

(Vindicta hæc fuit ipsa excommunicationis pœna. Atqui excommunicatio etsi sit pœna, tamen non est pœna illa satisfactoria, quippe quam post absolutionem exsolvendam dicunt.)

3. Si Vindicta referatur ad ipsos Corinthios, nihil aliud erit, quam serius dolor de peccatis ad contritionem, priorem pœnitentiæ partem, pertinens.

4. Benedictus Justin. ad h.l. *Vindictam, quia, ut ait Chrysostomus, divinæ legis violatæ vindices fuerant, sic etiam Oecumenius, cæterique Græci.*

5. Cornelius à Lapide & Estius ad h.l. *Exprobratio Apostolica generaverat in Corinthiis Zelum & vindictam, ut ejicerent incestuosum, & hac ratione se tales exhiberent, qui essent incontaminati in hoc negotio seu facinore.* Quid vero hoc ad satisfactiones?

Argum.8. *Multa Scripturæ loca sine ulla limitatione significant, esse inter fideles communicationem mutuam bonorum operum & subsidiorum. Ex quorum operum numero, cur opus illud, determinatè quod est satisfactio, excipiatur, nulla suppetit ratio.* Probant antecedens ex 2.Cor.8.v.14. *In præsenti vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundātia vestræ inopiæ sit supplementum* Psal.119.v.63. *Particeps ego sum omnium timentium te &c.* Gregor. de Valent. lib. de Indulg.

Resp.1. Si mutua est communicatio subsidiorum inter fideles sine ulla limitatione, consequens fuerit, *etiam proprias satisfactiones, non tantum superfluas communicari.* Consequens negant Pontificii.

2. Bened. Justinianus in paraphr. 2.Cor.8. *Ut quemadmodum nunc vos qui abundatis, aliis inopibus è vestro largimini, si res postulet, alii vicissim de suo vobis egentibus largiantur.*

(Estius huic expositioni obvertit, *quod non sit benefaciendum spe retributionis.* Sed aliud est loqui de intentione agentis, aliud de eventu actionis. Idem Estius præfert explicationem *de spiritualium bonorum communicatione*, quam etiam Dn. Chemnitius part.4. Exam. fol.58. sequitur, ut sit sensus, *æquum esse, ut Corinthii de opibus suis terrenis, quibus ex benedictione DEI abundabant, inopiæ Hierosolymitanorum, qui pauperiores erant, succurrerent, quia ab Hierosolymitanis, unde egressum est Evangelium, spiritualia beneficia, seu prædicationem Evangelii acceperant.* Sed quid hoc ad communicationem satisfactionum? Neque enim valet argumentum à non distributo ad distributum. Est communicatio spiritualium beneficiorum. Ergo satisfactionum.

3. Cornelius Jansenius in Psal.119.v.63. sic commentatur. *Socius sum omnium reverentium te, & ex reverentia nominis tui custodientium mandata tua. Cum his enim in timore tuo & observatione legis participo: cum his beneplacitum est mihi amicitiam inire, convivere & connumerari opto.*

(Quod

(Quid vero hoc ad satisfactiones?)

Argum. 9. ex Gal. 6. v. 2. Joh. de Turrecrem. in comm. dist. de pœnit. probare nititur, *quod unus pro alio satisfacere possit.* Apostolus dicit, *Alter alterius onera portate, sed onera, quæ maxime sunt onera spiritualia. Ergo videtur, quod unus pro alio possit onus pœnitentiæ suscipere.* Eodem argumento utitur Peltanus lib. de satisfact.

Resp. 1. Estius in h. l. sic commentatur. *Onera vocat peccata, quæ reatu suo nos deprimunt & pœnis obnoxios reddunt. Est autem sermo metaphoricus ab iis sumtus, qui in portandis oneribus invicem sublevant. Monet ergo Galatas, ut aliorum infirmitates & peccata quodammodo reputent sua, condolendo, dissimulando, ferendo, leniter admonendo, fraterne corripiendo, denique hoc agendo ut corrigatur frater potius quam puniatur.*

2. Bened. Justinianus ibid. *In eodem persistit argumento, omninoque verisimile est, Paulum Galatis præcipere, ut eos, qui à Pseudo-Apostolis seducti essent, quasi gravi aliquo onere pressos sublevent, iisque sua patientiâ ac tolerantiâ subsidio sint, quasi dicat, cum illos in errorē lapsos videtis, putate vos in eundem errorem incidisse, itaque vos illis benigne opitulemini, ut illi vobis vicissim opem ferant. Qua sane metaphorâ docet, eos, qui à rectâ Christi fide per imprudentiam deflexissent, perferendos ac tolerandos esse, hoc est, leniter monendos & revocandos in viam, non aspere aut rigide objurgandos.*

3. Pontificii satisfactiones illas statuunt *arbitrarias.* Sed portationem illam Apostolus statuit *necessariam*, addit enim, *& legem Christi implebitis.*

Argum. 10. Eph. 5. v. 1. *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis.* Ex quo colligit Peltanus alienas satisfactiones.

Resp. 1. Christus seipsum tradidit pro remidenda nostra *culpa & pœna æterna.* Quod si ergo exemplo Christi pro aliis satisfacere debemus, consequens fuerit, pro culpa & pœna æterna nos satisfacere posse, quod tamen Pontificii non concedunt.

2. Potest unum idemque exemplum in imitationem trahi, etiamsi varient fines.

Salmero. in 1. Johan. 3. *Quoties vel moriendum est, vel fratres nostri scandalizandi, vitæ propriæ præferenda est salus proximorum. Postremo ubi causa se obtulerit vel illustrandæ Christi gloriæ & doctrinæ, vel animas plurimas Christo lucrifaciendi, etiamsi certa inde mors oritura expectetur, non debemus moriendi laborem detrectare.*

3. Bened. Justin. ad h. l. sic commentatur. *Quemadmodum Christus dilexit nos, seque ipse pro nobis tradidit: ita & nos pro aliorum salute nihil omnino recusemus. Ut enim ait Johannes 1. Epist. 3. v. 16. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Nam, ut ait Hieronymus, qui pro aliorum salute usque ad sanguinem contra peccatum dimicat, ita ut animam suam tradat, iste ambulat in caritate, imitans Christum, qui nos in tantum dilexit, ut crucem pro salute omnium sustineret.*

Argum. 11. *Quod remissâ culpâ maneat adhuc debitum luendæ pœnæ* probant *ex variis exemplis eorum, qui post Baptismum calamitatibus subjecti fuere.*

Resp. 1. Si ex illis calamitatibus, quas pii per pœnitentiam Deo reconciliati adhuc experiuntur, colligi posset, *non omnem peccati pœnam esse remissam*, consequens foret, etiam in Baptismo non fieri plenam culpæ & pœnæ remissionem. Consequens hoc Pontificii non concedunt.

Sic enim scribit Bellarminus lib. 4. de pœnit. cap. 1. §. 11. *Certum est, Deum universum debitum pœnæ condonare, cum primum per Baptismum nos in filios recipit.*

Ergo antecedens ponere debent. Connexionis ratio est, quia etiam infantes baptizati morbis & calamitatibus sunt obnoxii, & quandoque statim post Baptismum moriuntur; ac baptizati adulti per Baptismum à morbis non liberantur, sed iis adhuc manent obnoxii.

Thomas, cum dixisset p. 3. q. 69. art. 2. *illum, qui baptizatur, liberari à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis,* subjungit, *per Baptismum non tolli aut concupiscentiam, aut alias pœnalitates in præsente vita.*

2. Ipsimet Pontificii agnoscunt, non *semper* nec *omnibus* piis post reconciliationem ejusmodi pœnas imponi. Ergo accurate & proprie loquendo non est debitum.

Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 1. §. 12. *Remissa culpa non semper remittitur debitum pœnæ.*

Lib. ejusd. cap. 2. in ἐπιγ. *Post remissam culpam sæpe remanet debitum pœnæ.* (Ergo non semper.)

Lib. ejusd. c. 3. §. 1 *Reatum pœnæ temporalis post amicitiam cum Deo reformatam interdum remanere vel superesse,* (quod autem interdum fit, illud non fit universaliter & semper;) ac proinde justitia divina non requirit, ut semper aliquid pœnæ temporalis persolvendum adhuc maneat.)

Adamus Conzen in cap. 18. Luc. v. 18. *Non dicimus,* semper *satisfactionem pro pœna temporali necessariam esse.*

Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. sess. 14. can. 2. *Pœna temporalis non tota semper dimittitur.*

3. Ostendimus superius membr. 3. calamitates reconciliatis à Deo imponi, non ut sint satisfactiones pro peccatis, sed fine longe alio.

Altensteig in Lexic. in verbo Pœna. p. 691. *Nec tamen semper infligit Deus pœnam propter peccatum commissum, ut scribit Gabriel dist. 3. q. 1. art. 3. sed etiam quandoque propter Dei gloriam aut hominis meritum cumulandum, quandoque etiam propter ejus, qui punitur, aut aliorum instructionem, quamvis forte tunc improprie dicitur pœna, cum non præcessit culpa. Sicut patet de pœna brutorum. Item de afflictione justorum & Martyrum ac gloriosæ Virginis, quæ ordinatur ad coronam. Si vero accipiatur pœna proprie pro quadam vindicta, sic dicit ordinem ad culpam in se vel alio modo præcedentem aut actu præsentem.*

(Ubi ergo remissa culpa, ibi pœna proprie dicta locum non habet.)

4. De morte, cui renati post reconciliationem sunt subjecti, sic scribit Lorinus in cap. 6. Sapient. *Sexto sequitur, magnifieri justum à Deo, & mortem justo beneficium esse, tum ne peccet, tum ne intersit peccatis vel etiam damnis temporalibus suorum.*

(At potestne esse proprie loquendo peccati pœna id, per quod homo à peccato eripitur?

Et postea. *Licet justos mors antevertat præter oportunum tempus, nihilominus pacatam ac tranquillam futuram, & ab ea mox securam vitæ melioris requietem.*

(At quomodo potest esse proprie peccati pœna, per quod non solum à peccato eripimur, sed etiam in vitam æternam introducimur?)

5. Vasquez in 3. Thom. Disp. 156. cap. 3. *Certum est, remisso peccato originali non remitti neque tolli hæc mala* (de pœnalitatibus post Baptismum residuis loquitur) *id quod omnes experimur: ea tamen non manent sub ratione pœnæ, quia sublatâ culpâ originali nulla dignitas ad illa mala residua esse potest.*

(Atqui idem de sublata culpa actuali dici potest, quod nulla dignitas ad illa mala residua esse possit, ergo illa non manent sub ratione pœnæ proprie dictæ.)

6. Etiamsi hæ pœnæ & afflictiones (quæ post remissam culpam reconciliatis immittuntur) essent *pœnæ satisfactoriæ,* (quod omnino falsum est) ex illis tamen non possent probari *satisfactiones propriæ* vel *Papales Indulgentiæ*, cum Adversarii fateantur, *Papam non posse eas pœnas condonare, quæ à Deo infliguntur tanquam judice in externo & criminali foro.* Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 7. & lib. 2. cap. 1.

Itaque si nobis immitterentur ejusmodi pœnæ, quæ essent satisfactoriæ, non esset confugiendum vel ad satisfactiones proprias, vel ad Indulgentias, ut ab iis liberaremur, sed patienter essent ferendæ.

7. *Omnis pœnæ proprium est, ut non solum sit vindicta dicens ordinem ad culpam in se vel alio modo præcedentem, aut actu præsentem, sed præterea damnum vel malum, privans bonum conveniens, propter meritum præcedens, adeoque omnis pœna habet quandam damnificationem tum privativam boni convenientis, tum positivam mali inconvenientis,* ut ex Gabriele, Scoto, Bonaventura &c. notat Altensteig in Lexico, in voce Pœna.

Brulifer dist. 4. q. 2. lib. 4. Jac. de Valentia &c. apud eundē.

(At correctio, quæ reconciliatis immittitur, non est talis, non enim dicit ordinem ad culpam, utpote jam sublatam, non intentionem Dei ad inferendum Davidi damnum, sed emendationem. Ergo non est pœna proprie dicta.)

Argum. 12. *Reatus pœnæ temporalis, qui remanet post amicitiam cum Deo reformatam, bonis operibus redimi potest.*

Resp. Bellarmin. lib. 4. de pœnit. cap. 3. §. 6. scribit, *pœnas temporales hujus vitæ interdum non posse redimi, sed necessario perpetiendas esse.*

(Ergo pœnæ illæ non inferuntur eo fine, ut satisfactiones pro peccatis, bonis operibus redimendæ. Rectius

Bellar-

Bellarminus universaliter pronunciasset, pœnas illas post culpæ condonationem retentas *nunquam* per satisfactiones tanquam pœnas vicarias redimi potuisse vel posse.)

Argum. 13. *In primitiva Ecclesia pœnitentibus satisfactiones fuere imposita.*

Resp. 1. ostendimus superius membr. 5. opera pœnitentiæ olim fuisse imposita non *ob satisfactionem coram Deo*, sed fine longe alio.

2. Satisfactiones veterum præcedebant remissionem peccatorum. Clemens lib. 2. Constit. cap. 19. *Idem nos facere debemus, & eos, qui se pecatorum pœnitere dicunt, segregare per certũ tempus secundum proportionẽ peccati: deinde pœnitentia peracta recipere.*

Anacletus Epist. 2 can. 2. *Excommunicentur & minime absolvantur, antequam per satisfactionem, ut jam dictum est, condignam egerint pœnitentiam.*

Calistus primus Epist. 2. can. 5. *nos vero indubitanter tam Domini Sacerdotis, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus.*

Innocentius primus Epist. 1. can. 7. *Cæterum de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis & ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tum debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

(Atqui Pontificiæ satisfactiones sequuntur remissionem peccatorum. Ergo veterum satisfactiones non sunt eædem cum Pontificiis.)

Inde 3. Georg. Cassander in Consult. art. 12. p. 947. sic disserit: *Hoc interest inter actionem pœnitentia seu exomologesin veteribus usitatam, & eam, quæ nunc in usu recepta est, quod olim, nisi his operibus ab Ecclesiæ Præfecto injunctis rite peractis, absolutio & reconciliatio & communionis jus per manus impositionem non concedebatur, ut ex multis Tertulliani & Cypriani locis constat &c. Hodie vero statim à facta confessione manus pœnitenti imponitur, & ad communionis jus admittitur, & post absolutionem opera aliqua pietatis, quæ ad carnis castigationem & reliquiarum peccati expurgationem faciant, injunguntur.*

Quo pertinet illud Bellarmini lib. de Baptismo c. 18. §. Secundo. *Patres semper peccantibus post Baptismum imposuerunt gravissimos labores, antequam eos reconciliarent, ut patet ex Cypriano in serm. de lapsis & aliis, quos nominare non est opus.* Nota, imposuerunt eis labores, *antequam* reconciliarentur.

(Possunt vero plura annotari differentiæ capita. Canonicæ satisfactiones veterum tantum *pro notoriis delictis* irrogabantur, Pontificiæ satisfactiones etiam *pro occultis & quibuslibet peccatis* in Confessione expositis irrogantur. Illæ requirebant *opera legi divinæ conformia*, humiliationem, eleemosynas &c. hæ vero ἐθελοθρησκείας plerunque continent, ut *peregrinationes ad statuas sanctorum, flagellationes, rosaria &c.* Illæ exigebantur hoc fine, ut *Ecclesiæ* pro scandalo *satisfieret* &c. hæ vero referuntur ad tribunal Dei, ut coram eo sint satisfactiones pro peccatis, vel certe pro pœna eorum temporali &c.)

Quamvis vero quædam veterum dicta *Deo satisfieri* pronuncient, tamen *compensationem Deo reddi posse vel reddendam esse* nuspiam asserunt. Per satisfactionem ergo Deo præstandam hoc intelligunt, quod in vera pœnitentia Deo conscientiam sistere oporteat, non autem humano judicio metiendam esse pœnitentiam.

4. Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 1. §. Jam igitur &c. sic scribit. *Satisfactio non offertur pro culpa, sed pro pœna. Quod si veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere id videntur, ut pro expianda culpa satisfaciant, interpretandi sunt de satisfactione ex congruo, non ex condigno.*

(Agnoscit ergo Patrum sententias de satisfactione esse commode explicandas.)

5. Ipsimet Pontificii à rigore veterum in exigendis illis satisfactionibus plurimum recesserunt. Quid enim aliud sunt *Indulgentiæ*, quam relaxationes illarum satisfactionum? Illis, qui non possunt annum integrum jejunare, consulunt, ut certos dies singulis hebdomadis seligant; & qui hoc non possunt, ut Psalmos ad numerum canant; & qui rursus huic oneri impares, ut nummos erogent &c.

Argum. 14. *Si opera justorum eam vim habent, ut vitam æternam vere & proprie mereantur, nullo modo negari potest, quin etiam efficacia esse possint ad satisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis.* Ratio consequentiæ est, *siquidem longe majus est gloria æterna quam pœnæ temporalis remissio. Sed prius. Ergo & posterius.* Bellarm.

Resp. 1. Posset quis eodem modo concludere. Si opera justorum eam vim habent, ut vitam æternam verè & propriè mereantur, nullo modo negari potest, quin etiam efficacia esse possint *ad satisfaciendum pro reatu pœnæ æternæ.* Si enim proportionata sunt vitæ æternæ, quæ opponitur pœnis æternis, quandoquidem illa gratiæ, hæ peccati effectum, cur non proportionentur etiam pœnæ æternæ? Sed consequens Pontificii non admittunt. Ergo.

2. Pontificii non admittunt, si quis ita concludat. *Deus pœnitentibus ex gratia remittit pœnam æternam, quæ temporali longè major. Ergo multo magis remittit temporalem.*

Peltanus lib. de satisfact. sect. 10. resp. ad arg. 8. *Argumenti hujus infirmitatem quotidiana experimenta clare demonstrant. Non omnis, qui donat equum, statim quoque donat frenum, ephippium & reliqua id genus ornamenta.*

(Agnoscunt ergo, non esse necessariam semper illationem à majore ad minus. Utrumque debet esse in eodem genere.)

3. Ostendemus inferius in art. de Justificatione cap. 8. th. 2. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, *bona opera non esse verè & propriè loquendo vitæ æternæ meritoria.*

Argum. 15. *Nullum opus Dei reperitur totum ex mera ipsius misericordia ita factum, ut ei justitiæ suæ nihil admiscuerit. Psal. 25. v. 10. Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Psal. 85. v. 11. Misericordia & veritas obviaverunt sibi. At si in justificatione nostra nihil aliud intercedat, nisi culpæ remissio, sine dubio id esset meræ misericordiæ. Ergo oportet aliud intercedere, quo justitia suas partes tueatur.* Panigar.

Resp. 1. ex eodem principio inferri posset, *ne in Baptismo quidem temporalem pœnam relaxari*, quod tamen Pontificii non admittunt.

2. Temperamentum divinæ justitiæ & misericordiæ in eo consistit, quod Deus in Christo peccata nostra puniverit.

Benedict. Justinianus in cap. 3. Epist. Rom. super verba *ad declarandam justitiam suam. Divina justitia præcedentium scelerum condonatione, quæ justa quadam effusi cruoris compensatione perfecta sit, vel flagitiorum omnium quasi cujusdam corporis enervatione clarior apparet.* in comm. *Ad eandem justitiam, qua nunc Deus justificat impios, declarandam, placuit ipsi Deo Christum quasi vindicem atque assertorem nostræ libertatis constituere, ejusq; sanguinis effusionem pro precio admittere.*

Bellarminus lib. 2. de Justific. cap. 5. *obedientia, passio & mors Filii Dei ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro totius mundi peccatis.*

Argum. 16. *Si sola fides, vel sola Ministri absolutio, vel sola mentis contritio, peccative detestatio omnem semper noxam & pœnam, pœnave reatum simul absumeret, nullum discrimen intercederet inter eum, qui centum millibus nefariis flagitiis sese contaminasset; & eum, qui uno solo. At consequens est absurdum.* Cottonus lib. 4. Instit. cap. 3.

Resp. ex eadem hypothesi concludi posset, itidem absurdum esse, *in Baptismo & culpam omnem dimitti, & nullam pœnam retineri*, cum ad Baptismum accedant, non solum qui non uno tantum, sed etiam qui centum millibus nefariis flagitiis sese contaminarunt. Sed consequens hoc Pontificii absurdum esse negant.

CAPUT VI.

De Flagellationibus Spontaneis.

THESIS. Flagellationes spontaneæ Deo non probantur, nec sunt satisfactoriæ pro peccatis, vel meritoriæ regni cœlestis.

Ἔκθεσις. Pontificii statuunt, *tria esse operum satisfactoriorum genera, Orationem, Jejunium & Eleemosynam.* Ad *jejunium* revocant ea omnia, *quæ corpus affligunt & concupiscentiæ carnis repugnant*, ut *cilicia, cineres, & flagellationes*; ad *eleemosynam* revocant, quæ *repugnant avaritiæ, aut certè in proximi utilitatem cedunt*, ut *opera omnia misericordiæ*; ad *orationem* revocant, quæ *Deo propriè exhibentur, ut laudes, gratiarum actiones, contritionis & Confessionis actus.* Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 6.

Inde nascitur quæstio, *An Flagellationes spontaneæ opinione satisfactionis ac meriti susceptæ Deo probentur*, quod negamus.

Antithesis. Bellarm. d. l. *De flagellatione ac percussione suiipsius habemus exemplum Apostoli 1. Cor. 9. Castigo corpus meum & in servitutem redigo, quo loco verbum Græcum ὑπωπιάζω, ut Theophylactus notat, significat usque ad livorem contundere.*

Et postea. *Probabile omnino est, Paulum proprie corpus suum verberibus affecisse.*

Ludovic. de Ponte lib. 5. in Cant. Cant. Exhort. 24. p. 1254.

Ex

Ex Christi exemplo disce modum, quo satisfacere te oporteat pro peccatis tuis, ut scil. per vulnera corporis medearis vulneribus mentis &c. vulneratus, attritus & flagellatus est propter iniquitates nostras, te etiam vulnerari, atteri & flagellari oportet propter iniquitates tuas. Adimple ea, quæ desunt passioni Christi in tuo corpore.

Gretserus lib. 2. de discipl. cap. 8. *Iste sanguis, qui amore Christi veroq; desiderio agendi pœnitentiam per disciplinas, h. e. per flagella effunditur, & peccata expiat, & regnum Diaboli potenter destruit.*

Lib. 3. cap. 1. *spontaneam flagellatorum crucem opus meritorium & satisfactorium* nominat.

Lib. 1. per totum flagellationem spontaneam non modo *licitam & concessam* sed *Deo gratam summeque acceptam esse.*

Lib. ejusd. cap. 6. & lib. 2. cap. 2. *eum, qui studio expiandi sua peccata Deoq; satisfaciendi corpus suum dilaceret, sancte facere.*

Lib. 1. c. 6. & 7. *funiculos dorso incussos Dei placandi vim habere.*

Lib. 2. cap. 2. *in disciplinis Christo sanguinem pro sanguine reddi.*

Lib. ejusd. cap. 11. *Licite aliquem constitui, qui pro alio disciplinam faciat,* (seipsum flagellet) *eundemque precibus imo & munusculo inductum alteri suam satisfactionem applicare posse.*

Lib. 3. cap. 1. & 2. *per Flagellationem Deum homini debitorem effici, & ex justitia ad solutionem obligari, eandem æternam beatitudinem certissime asserre.*

Lib. 2. cap. 3. pag. 113. *fructum spontaneæ flagellationis esse dicit salutarem delictorum expiationem.*

Lib. 2. cap. 5. p. 124. *regni Diaboli potentem destructionem.*

Lib. 3. cap. 4. *coronam gloriæ.*

Similia occurrunt in ejusdem Gretseri Prædicante Vapulante & disciplinato, in quo lib. 1. cap. 17. flagellationi spontaneæ tribuit, quod *vitæ æternæ præmia mereatur.*

Lib. 2. p. 279. quod *per eam humani corporis victima illi unico sacrificio, quod in ara crucis oblatum est, invisibiliter permisceatur.*

Lib. 3. p. 11. quod *nulla res sit, quæ Deum nobis magis placatum & propitium reddat, quam sponte suscepta disciplina.*

p. 13. quod *eadem sit vitæ æternæ certissime meritoria &c.*

Itemque in Agonistico spirituali Ann. 609. edito, in quo p. 232. *Davidem flagris corpus proprium affecisse* ait, *Christum vero cingulum in modum flagelli complicatum gestasse, eoque seipsum flagellasse* innuit.

Jeremias Drexelius Jesuita Monacensis in Trismegisto Christiano part. 1. cap. 6. §. 4. p. 69. *Per corporis flagellationem & Deo offenso facile satisfacimus, & favorē illius ad ampliora meremur.*

Confer Franc. Arias ac Julium Fatium in libr. de mortificat. Colon. Ann. 603. & 604. editis.

Nostram sententiam probamus,

1. De spontanea ejusmodi flagellatione nullum extat *mandatum* in verbo Dei. Est ergo ἐθελοθρησκεία.

2. Nulla de ea extat *promissio*. Ergo non potest fieri ex fide. *Quod autem non fit ex fide, peccatum est.* Rom. 14. v. 23.

3. Nullum in Scripturis extat probatum *exemplum*, quod quidam seipsos sponte flagellaverint. De *Baalitis* quidem legitur, *quod cultris & lanceolis juxta ritum suum se inciderint, donec perfunderentur sanguine* 1. Reg. 18. v. 28. Sed de sanctis Prophetis nihil tale legimus.

4. Flagellatio ejusmodi sub opinione meriti & satisfactionis suscepta est *in Christi meritum injuria*. Solus Christus propter peccata nostra in se suscepta *flagellatus est*, ut pro illis satisfaceret, Esa. 50. v. 6. cap. 53. v. 5. 2. Cor. 5. v. 21. solius Christi sanguini tribuitur vis *expiandi peccata*, Esa. 43. v. 24. c. 63. v. 3. 1. Joh. 1. v. 7. & *regnū Satanæ destruendi*, Gen. 3. v. 15. Zach. 9. v. 11. Heb. 2. v. 14. 1. Joh. 3. v. 8. At si homo spontanea flagellatione peccata expiare, vitam æternam promereri, & regnum Diaboli destruere posset, *Christus frustra mortuus esset*. Gal. 2. v. 21.

5. Pugnat ejusmodi flagellatio cum *regula Apostolica* Rom. 14. v. 14. Col. 2. v. 20. & seqq.

6. Est *Deo abominabilis*. Levit. 19. v. 28. Deut. 14. v. 1. cap. 18. v. 9. cap. 25. v. 3. &c.

7. Dogma de merito & satisfactione spontaneæ flagellationis est *novum*, primis N. T. seculis in Ecclesia inauditum, *Acatholicum, Pseudo-Apostolicum* 2. Cor. 11. v. 20. imo *Antichristianum*, utpote in passionis Christi contumeliam vergens, ejusq; merito adversum, ac prorsus *Ethnicum*, quia apud Lacedæmonios & Ægyptios spontanea flagellatio, διαμαστίγωσις, dicta fuit usitata.

Tertullianus lib. ad Martyr. & in Apolog. adv. gent. cap. 46. Plutarchus lib. de antiquit. Laced. instit. Pausan. in Lacon, &c.

Confer Carnific. Esauit. D. Heilbrunneri & D. Zeæmanni edit. Witeb. Ann. 613.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, flagellationes primis duodecim seculis Ecclesiæ fuisse ignotas, ac quamprimum usurpari publice cæperunt ab ipsis Pontificibus improbatas.

Primi iique antiquissimi *Flagellatores* Anno Domini 1260. à Perusio, civitate Tusciæ, processum habuisse feruntur, *qui ab umblico sursum corpora denudantes quandam vestem partem corporum inferiorem usque ad talos tegentem habebant, & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebant. Præcedebant etiam bini vel trini vexillo prævio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per 33. dies tamdiu cruciantes, quousq; quasdam cantiones, quas de passione & morte Domini dictaverant, duobus vel tribus præsentibus circa Ecclesiam vel in Ecclesia compleverunt:* quorum sectam aliquot Italorum millia & alii secuti dicuntur. Chronic. August. Siffrid. Presb. lib. 2. Epitom.

Etsi autem *hominem ab omnibus peccatis absolvi dixerunt, si in tali secta per unum mensem versaretur, pœnitentia tamen isthæc nec à Sede Romana, nec ab aliqua persona autorabili approbata fuit, unde contemtui haberi & tepescere in brevi cœpit*, referentibus ipsismet Jesuitis ex Chronic. August.

Monachus Paduanus in Chron. Ann. 1260. *Super ista pœnitentia, quæ ultra etiam fines Italiæ per diversas provincias est diffusa, non solum viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur, cogitantes, unde tantus fervoris impetus proveniret, maxime cum iste modus pœnitentiæ inauditus, non fuisset à summo Pontifice institutus, nec ab alicujus Prædicatoris vel auctorizabilis personæ industriâ vel facundiâ persuasus, sed à simplicibus sumsisset initium.*

(Ergo juxta Paduanum hic modus pœnitentiæ Ann. 1260. fuit inauditus. Ubi probe notandum, quod ex concessione Gretseri lib. 2. de discipl. cap. 14. Paduanus non *de Flagellantibus sectariis*, sed *de disciplinarum usu* loquatur.)

Prateolus in Elench. hæret. p. 183. *sectam Flagellantium in Italia primum ortam, per Galliam & Germaniam tandem vagatam Rudolphi Cæsaris & Gregorii X. temporibus, circa annum Domini 1273. deinde eam maxime invaluisse sub Imperio Ludovici Bavari & Pontificatu Johannis XXII. Ann. Domini 1313. tandem vero igne & gladio extinctam*, scribit.

Circa annum 1340. Ægidius de Fœno Anglus Oxoniensis Theologus *contra Flagellatores* acre scriptum edidit, quod in Collegio Balliolensi Oxonii adhuc extat.

Alfonsus de Castro lib. 2. adv. hæreses verbo Aqua. hæresi 2. *Flagellantes circa tempus Gregorii Papæ hujus nominis decimi surrexerunt in Italia, atque inde in Germaniā & Galliam processerunt, qui ad 40. annos vel circa semetipsos flagellando per mundum transierunt, & ita ab eorum opere nomen sortiti, ut Flagellantes sese appellarentur, quoniam nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, seipsos flagellabant, dicentes, quod hæc flagellatio potior sit ad delenda quæcunq; peccata, quàm quæcunque confessio, imo comparabant ipsam Martyrio, vel præferebant, quoniam ultro ipsi, ut dicebant, sanguinem proprium fundebant, Martyres verò ab aliis hoc pati cogebantur. Ex ista secta pessimi errores derivati sunt.*

Anno Domini 1349. vel juxta Nauclerum 1346. *Flagellatores in Alemannia de novo in magna multitudine insurrexerunt, quia interdum 80. simul iverunt cum flagellis nodatis, quibus aculei inserti erant, quorum pœnitentiam mulieres etiam sibi assumentes in magna multitudine & se flagellantes usque ad pectora denudabant, illique operi peccatorum remissionem adscribebant. Eorum de Suevia 200. Spiram venerunt, qui ante Monasterium ibidem circa horam primam circulum facientes, ac depositis vestimentis habentes in modum braccæ camisias à femore ad talos protensas, in modum Crucifixi se singulatim prostraverunt, flagellantes se ac cantantes & invocantes Dominum, inter verbera dicebant:* Schlagt euch sehr zu Christus Ehr/durch GOtt lasst die Sünde mehr. *In civitate autem Argentinensi tanta confluebat multitudo eorum, quod nemo poterat numerare. Tandem ex devotione Avenionem, ubi Curia Papæ erat, profecti sunt, & cum se flagellassent in Ecclesia S. Petri, Clemens VI. volebat eos incarcerare, sed quidam Cardinales eos excusabant. Tunc Papa sub pœna excommunicationis latâ sententia ipsis & omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne de cætero publicis flagellationibus uterentur, sed quod pœnitens clam se posset flagellare.* Naucler. volum. 2. generat. 45. Sebast. Franc. Chron. p. 399. Joh. Trith. in Chron. Hirsaug. Ann. 1349. Aventinus lib. 6. Albertus Argentinensis in Chronic. Urstisius in Chron. Basil. Crantzius Metropol. lib. 9. cap. 44.

Circa annum 1460. à Carolo IV è Germania exire jussi fuere. Hospinian, lib. 6. de orig. Monach. cap. 30.

Eodem

Eodem tempore Johannes Hagen (al. de Indagine) librum contra Flagellantes scripsit.

Johannes Gerson durante Concilio Constantiensi Anno 1417. tractatum *contra Sectam Flagellantium* scripsit, quem non solum contra prædictos, sed adversus omnes illos, qui seipsos, præsertim publice, flagellant, direxit, qui extat part. I. operum. Argumentis utitur hujusmodi.

1. *Lex Christi dicitur lex amoris, quamque Dominus, sicut dicit Augustinus, voluit paucissimis Sacramentis esse contentam.* Et inde *culpat eos, qui servilibus eam premunt oneribus conformiter ad illud primi Pastoris Petri Act. 15. Quid tentatis Deum &c. ô pium verbum! certe verbum omni acceptione dignissimum!*

2. Profert loca *Levitici & Deuteronomii*, quæ vetant, *ne Judæi corpora sua incidant.* Item *factum Sacerdotum Baaliticorũ*, additq;, *Dæmones esse cupidos effusionis sanguinis, præsertim humani.*

3. *Lex aliqua quanto est iniquior & Dæmoniis obsequentior, tanto semper invenitur crudelior & amarior. Patet in illis, qui filios suos & filias immolabant Dæmoniis. Hinc Dominus ait per Prophetam: Servietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem. Christus autem ex gratia sua, sicut notatur in dicto Petri prius allegato, voluit nos misericorditer salvare per sanguinem suum effusum, per quem factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio.*

4. *Constat per experientiam, quod se flagellantes non curant de Sacramento confessionis vel Pœnitentiæ Sacramentalis, dicentes, quod hæc flagellatio potior est ad delendum peccata, quam quæcunque confessio. Imo eam æquiparant nonnulli vel præponunt Martyrio, quoniam facimus, inquiunt, ultro fundendo sanguinem proprium, quod ab aliis Martyres pati cogebantur.* Item. *Formidandum est, ne apud personas Clericales & in locis sacris causet hæc pollutio sanguinis vel excommunicationem, vel contaminationẽ & profanationem in ejusmodi locis sanctis.*

5. *Lex Christi prohibet solicite pœnitentias publicas dandas esse Clericis, Sacerdotibus & Prælatis propter reverentiam Status Clericalis, quanto minus debent tales personæ suscipere pœnitentias hujusmodi publicas, sicut sunt, ut fertur, multi de numero se flagellantium, qui licet videantur celare se, tamen satis cognoscuntur. Similiter diceretur de personis insignibus in utroque sexu, de servanda insuper verecundia juvencularum & juvenum illic se denudantium, & de non infringenda gravitate virorum, vel autoritate minuenda parentum.*

6. *Lex Christi, etsi videatur flagella indulgere, juxta illud, Ecce ego in flagella paratus sum; nihilominus circumstantiæ debent apponi, quibus rationabile sit obsequium nostrum: Una, quòd hujusmodi flagellatio fiat judicio Superioris imponentis talem pœnitentiam & quòd ab altero fiat, & moderate, & sine scandalo & ostentatione, ac sine sanguine, juxta traditionẽ Wilhelmi Parisiensis, quemadmodum fit hujusmodi flagellatio in religionibus approbatis & ab aliquib. devotis personis.*

7. *Lex Christi declarata per Ecclesiam, cujus autoritas major est in sua consuetudine dicente S. Thoma, quàm sit autoritas unius Doctoris, sicut Hieronymi vel Augustini, semper Sectã flagellantiũ se reprobavit, postquam insurgere videbatur in diversis mundi partibus; & hoc de memoria plurium hominum viventium tàm in Lotharingia, quàm in Alemannia & Francia pluribus in locis.*

8. *Lex Christi frequenter prohibuit multas observationes B gardorum & Begardarum, quæ in prima sui introductione prætendebat speciem magnæ religionis, ac multi fructus spiritualis in animabus & exempla salutis atque austeritatis. Prohibuit, inquam, propter sequelas malas & multas, quæ sub hoc prætextu fieri sunt inventæ. Non enim est malum, quod subsistere posset, si non aliquam speciem haberet in se boni. Propterea fallit hæc argumentatio. Proveniunt ex hac Secta flagellatorum multa bona, non igitur tollenda vel reprobanda.*

9. *Lex Christi nedum ordinat hòmines ad Deum, sed etiam ad proximum & ad Principem seu Prælatum, propterea non debet qualiscunque ritus introduci per populos, qui possit causare seditionem vel partialitatem vel superstitionem, sed debent omnia regulate fieri & ordinatione superioris, ut nullatenus ordo Hierarchicus confundatur, quod fieret, si quilibet ad arbitrium suum posset instituere vel fovere novum ritum sine Duce, sine lege stabili, sine ordine; ubi sunt juvenes & virgines, senes cum junioribus, simul in unum dives & pauper, & illorum turba magna de quib. ait Ecclesiastes: Stultorum infinitus est numerus.*

10. *Lex Christi sufficienter data est in præceptis Decalogi, quorum observatio facta cum bona simplicitate, & ut ita dicatur, grossa fide, satis est ad salutem præsertim Laicorum & popularium, absq; nova gravissimorum onerum impositione, juxta illud Christi: Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Nec valet, si dicatur, quod populares suscipiunt voluntarie tales flagellationes sine præcepto alio, dum invenitur, quod ipsi divina præcepta liberius in multis inde contemnunt. Est enim contumax humana Natura, quæ postquam destituta est ab originalis justitiæ statu, cupidius fertur in illa, quæ sunt adinventionis suæ, quàm quæ sunt divinæ jussionis. Et hic est unus superbiæ gradus, quem apud Religiosos loquitur Bernhardus inveniri, dum plus gaudent in abstinentia vel oratione particulari spontanee sumta, quam in tota regulari disciplina.*

11. *Lex Christi sufficienter ab Apostolis & sacris Dd. explicata non invenitur tales novitates flagellantium se constituisse prædicando, vel aliter; sed potius reprobasse, tanquam suspectissimas & periculosissimas, & quæ vergere possunt in scandalum Christianorum, apud Judæos, Saracenos & Paganos, tanquam lex Christi sit austera, crudelis & in sanguinibus non in miserationibus enutrita.*

12. *Lex Christi docet ex præmissis & similibus multis Prælatos Ecclesiæ Pastores & Doctores, imo & Principes, quod sectam hujusmodi cruentam & sanguinolentam studeant & laborent destruere seu compescere, tam bonis prædicationibus & bonis suasionibus, quam censuris nedum Ecclesiasticis, sed etiam temporalibus more Prædecessorum; attento, quod sub hoc velamine & prætextu pœnitentiæ fiunt innumera mala, sicut experti testantur. Propterea dum repullulat vel excrescit (secta hæc) toto studio funditus evellenda proterendaque censetur. Veruntamen oportet in hoc malo jam radicato procedere pedetentim & caute, ne dum quæruntur eradicari Zizania simul evellatur & triticum.*

13. *Sicut non licet homini seipsum propria autoritate mutilare vel castrare, nisi pro sanitate totius corporis consequenda: sic nec, ut videtur, quod à seipso quis sanguinem violenter ejiciat, nisi causa medicinæ corporalis. Alioquin simili ratione possit homo se cauterizare per ferrum ignitum, quod adhuc nemo posuit vel concessit, nisi forsitan idololatræ vel falsi Christi, quales reperiuntur in India, qui se putant baptizari debere per ignem.* Hæc Gerson.

Albertus Krantzius non dissimulat, quid prudentiores & meliores de Flagrionib. istis senserint, lib. 9. Metropol. cap. 44 sic scribens: *In hac Secta horrendi intus latebant errores, qui, Deo volente, propalati exterminabant Dæmoniacas illas adinventiones. Interim vero facie dejecti, vultibus ad commiserationem flexis, canebant hymnos in laudem crucis Christi, & quoties nomen Christi intervenerat, quod utique non raro fiebat, proni cadebant, sine respectu loci lutosi, scruposi, lævis, asperi, humecti, aridi, nihil verentes. Habet enim inter mortales & Diabolus Martyres suos.*

(Excipit Pazmannus lib. 9. hodeg. cap. I. *Flagellantes fuisse ab Ecclesia damnatos, non quòd seipsos flagellaverint, sed ob multas alias hæreses, quarum una fuerit, Sanguine nos baptizandos, interventu videlicet flagellationum.*

Resp. I. Johannis Gersonis rationes sunt generales ipsam flagellationem impugnantes.

2. Johannes Aventinus lib. 7. Annal. expresse dicit *flagellationes publicas sub pœna excommunicationis fuisse à Papa damnatas.*

3. Fieri potest, ut Flagellantes à Monachis reliquis, quibus exosi erant, erroribus quibusdam prægravarentur, quia Monachorum & Sacerdotum vitia taxabant.

Sebastianus Francus in Chronico dicit, *dogmata Flagellantium inter alia fuisse isthæc, cantum Sacerdotum in templo non pluris æstimandum, quàm latratum canum; unctionem chrismatis commentum esse humanum; si Christus veraciter sit in Sacramento altaris, Sacrificulos pejores esse Juda, qui 30. denariis Christum vendiderit, isti vero tribus obolis tantum; indulgentias esse aucupium Sacerdotum; Levitam & Sacerdotem, qui apud Hiericho semimortuum & vulneratum præterierunt, Sacerdotes Pontificios esse, qui Christo ingrati sint, nec ejus crucem ferant; Antichristum esse Episcopum, Sacerdotes & alios Prælatos; purgatorium nullum esse; exequias & vigilias ad nihil prodesse, quàm ut Sacerdotes ss tempus fallant, & loculos impleant &c.* Propter hæc dogmata mirum non est illos fuisse hæreticos proclamatos.

4. Hodierni flagrones eandem vim tribuunt voluntariæ flagellationi, quam Scriptura sanguini Christi & Baptismo tribuit, ut ostendimus superius in Antithesi.

Huc referri potest, quod Gretserus lib. I. de discipl. cap. 8. licitum flagellationis usum *exemplis Sanctorum* probare satagens, sanctum *Dominico* priorem invenire haud potuit. Vixit autem ille anno 1060. Idem lib. 2. cap. 7. responsurus ad objectionem *de novitate istius disciplinæ*, allegat unicum *Petrum Damianum*, qui vixit ante quingentos & amplius annos, quod luculento testimonio est, *per annos mille* flagellationem illam proprii corporis Ecclesiæ veteri fuisse incognitam.

2. Quod quidam agnoscunt, flagellationes ab Ethnicis in Ecclesiam traductas. Polydorus Vergilius lib. 7. de rer. Invent. cap. 6. p. 593. statuit, institutum eorum, qui plurimum sæcis li-

noque

noque ora contecti sese flagello converberabant & Ninivitas vocabant, vel à Romanis Lupercis, vel ab Ægyptiis mutuo sumtum esse.

Verba Polydori sic habent: *In supplicationibus publicis ordine procedunt, ut plurimum saccis linoque ora contecti sese flagello converberant, nudum ac lacerum tergum ferentes, velut vere pœnitentes decet. Unde Ninivitas dictos volunt, quod eodem modo Deum placare studeant, atque Ninivitas olim monitis Jonæ Prophetæ pœnituisse constat. Cæterum res ista fidem facit, à Romanis Lupercis institutum esse acceptum, quod illi Lupercalia ludicra celebrantes nudi per urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cædebant, sicut demonstravimus cum de origine ludorum apud Latinos suprà prodidimus. Quod si longius liceat hujusce verberationis originem quærere, ego ab Ægyptiis sumtum dixerim. Siquidem illi Dæmoni maximo vaccam multis Ceremoniis, teste Herodoto, immolare solebant, quod sacrificium dum ardebat, omnes verberabantur.*

Volaterranus de sac. Rom. p. 163. *Luperci nudi per urbem incedebant larvati, flagellis obvios cædentes. Nostri hodie pœnitentes felicius quam Luperci, non pellibus quidem, sed sagis linoque ora contecti non alios sed sese flagello converberant, nudum ac lacerum tergum ferentes.* Confer Senecam apud Augustin. lib. 6. de civ. Dei cap. 10. Quinimo.

Gretserus ipse fatetur lib. 2. de discipl. cap. 3. pag. 109. *Dæmones in Ethnicorum* (flagrionum) *corio lusisse.* Verba sic habent: *Sunt, qui à disciplinis abstinendum censent, eo quòd simile quid Ethnicis in usu fuerit. Quare hoc imbelle telum in nos jaciunt. Ethnici flagris in sua terga sævierunt etiam usque ad copiosam sanguinis effusionem. Ergo non licet.*

(In hoc argumento Gretserus concedit antecedens, sed consequentiam negat. Subjicit enim:)

Igitur flagellationem & corporis per cultellos & lanceolas afflictationem Ethnicis in usu fuisse, vidimus jam ante in Baaliticis sacrificulis. Deinde apud Lacedæmones festum erat, cui nomen διαμαστίγωσις, hoc est, flagellatio, cujus meminit Tertullianus libr. ad Martyres his verbis: Quæ hodie apud Lacedemonas solennitas maxima est διαμαστίγωσις, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus & propinquis, & uti perseverent, adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus. Et in Apologetico: Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sanguinis fuderint. Plutarchus de antiquis Lacedæmoniorum institutis. Pueri apud ipsos flagellis lacerati toto die ad aram Orthiæ Dianæ sæpe ad mortem usque perseverant, alacres ac gaudentes contendentes inter se de victoria, quisnam eorum diutius verbera perpeti possit, & qui cæteros vincit, maxima celebritate claret. Vocatur hoc certamen flagellatio & quotannis instituitur. Meminerunt ejusdem διαμαστιγώσεως alii, ut Philostratus, Lucianus, Cicero, de qua memorabile est, quod Pausanias in Laconicis scriptum reliquit: Sacrificato autem eo, quem sors attigerat, Lycurgus institutum immutavit, ut pueri flagellarentur. Sic vero impletur ara humano sanguine. At Sacerdos simulachrum tenens ipsis adsistit, quod propter parvitatem alias quidem leve est. Si autem ii, qui flagellant, aliquando pueris vel ob pulchritudinem, vel ob dignitatem parcant, tunc simulachrum grave efficitur, nec amplius portatu facile. De Sacerdotibus Cybeles nil opus multa dicere; quis enim nescit, quam solenne his fuerit proprii corii per cultros, lanceolas & flagra dissectio? Et forte ab his mos ille ad Baaliticos satrificulos manavit. De illis Apulejus: Nonnunquam morsibus suis incursantes musculos ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant. Inter hæc unus ex illis bacchatur effusius &c. qui arrepto flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, indidem se multimodis commaculat ictibus, mire contra plagarum dolores præsumtione munitus. Cerneres prosectu gladiorum, ictuque flagellorum, solum spurcitie sanguinis effœminati madescere &c. Hæc & alia iste & alii de Ethnicis. Non similia nonnulli de Dervisiis, Turcicis popis &c.

(Hactenus Gretserus, qui exemplis hisce gentilium frustra opponit argumentum hocce contrarium. *Sanctissimi quique Deoque acceptissimi homines corpora sua flagellis acriter ceciderunt. Ergo non est illicitum, quia si illicitum esset, diligenter utique abstinuissent, ne in Dei offensam incurrerent.*

Nam. 1. nondum evidenter demonstratum, flagriones illos fuisse sanctissimos.

2. Nec omne, quod à sanctissimis, hominum opinione talibus, proficiscitur, approbandum, nisi congruat cum regula legis divinæ.

3. Nec nude & crude ita concludimus: Quicquid Ethnicis in usu fuit, illud improbandum. Flagellationes spontaneæ Ethnicis in usu fuerunt. Ergo. Sed hoc modo inferimus: Quicquid fundamento verbi divini destitutum ex Ethnicismo in Ecclesiam introductum, illud merito improbandum. Flagellationes spontaneæ &c. Ergo.)

Beatus Rhenanus ad verba Tertulliani lib. ad Martyres (*Apud Lacedamonios solennitas maxima est διαμαστίγωσις*) sic annotat: *Istius veteris διαμαστιγώσεως vestigium videas apud Italos in Litaniis.*

3. Quod Judæis & Turcis flagellationes usitatas fuisse agnoscere coguntur.

De *Judæis* illud testatur Christianus Gerson part. 1. Thalmud. cap. 2. p. 16.

De *Turcis* sic scribit Salomon Suiggerus lib. 2. Itinerarii sui cap 58. p. 197. Es pflegen auch die Türckische Ordensleute ihren Leib zuverwunden mit Messern/ Item Laubwerck und Buchstaben auff die Haut zurisen.

4. Quod flagellationes ab hæreticis in Ecclesiam introductas esse fateri coguntur.

Prateol. Elench. hæret. lib. 6. hæres. 8. de hæreticis flagellantibus sic disserit: *Ab actu & opere illi nomen sortiuntur, ut Flagellantes se appellarint, asserentes, hanc flagellationem potiorem esse ad delenda quæcunque peccata quavis confessione.*

Marsilius Columna hydragiolog. sect. 3. cap. 7. §. 11. 12. *Hi ab actu flagellandi se ita sunt appellati. Vagantes enim nodosis & aculeatis flagellis seipsos affligebant, existimantes, flagellationē hujusmodi potiorē esse quacunq; confessione ad delenda peccata, quinimo Martyrio nedum aquabant, sed præferebant, quod ipsi sponte proprium funderent sanguinem, Martyres vero hoc ab aliis pati cogerentur.*

Huc referri potest, quod *Nudipedales* referuntur inter hæreticos.

c. Quidam autem 39. caus. 24. q. 3. *Hæreses aliæ nudis pedibus ambulant, aliæ cum hominibus non manducant.*

(Jam vero flagellantes se itidem nudis pedibus ambulant, ut pro peccatis satisfaciant.)

5. Quod flagellationes in Græca Ecclesia non fuisse usitatas fatentur Gretserus lib. 1. de discipl. cap. 10. *In Græca & Orientali Ecclesia hactenus ne unum quidem exemplum flagellationum reperiri potuisse* fatetur, excepto uno loco *Climaci* ejusque Scholiastæ *Eliæ Cretensis* huc detorto.

6. Quod nullius *Pontificis* vel *Concilii* decretum afferre possint, in quo Flagellatio spontanea fuerit approbata.

Concilium Tridentinum media mortificandæ carnis designans non flagellationis, sed *delectus ciborum & jejuniorum* tantum meminit.

7. Quod tales statuunt hypotheses, quæ omne solatium & auxilium ex flagellationibus vel in proprio corpore susceptis, vel per alium comparatis lubricum & incertum reddunt.

Primo, disputat Gretserus lib. 2. de discipl. cap. 11. *Licite constitui posse aliquem, qui pro altero disciplinam faciat*; hoc est, alterius loco sese flagellet, *)nam alterum alteri satisfactionem suam seu fructum operæ satisfactorii applicare posse, modo uterque sit in gratia.*

Ibid. *nihil referre, quis ille sit; qui pro altero satisfacit, dummodò gratia Dei præditus sit, idque quod agit, pie ac religiose agat.*

Ibid. *Si quis alienarum satisfactionum particeps esse velit, videndum esse, quis ille sit, cujus satisfactiones sibi applicari cupiat. Nam si extra gratiam Dei vivat, & nil nisi lucrum spectet, frustra esse, si quis fructum hinc speret.*

(At nemo certo scire potest, an alter ille, cujus satisfactionem sibi applicare cogitat, sit in gratia. Cum enim juxta decretum Concilii Tridentini sess. 6. can. 13: *nemo de seipso certus esse possit, an sit in gratia Dei*, quanto minus de alio quis certus erit? Præterea, nemo scire potest, an qui loco alterius satisfactionem peragendam suscipit, lucrum spectet. Ergo etiam non potest esse certus de satisfactionis illius applicatione & fructu)

Secundo, idem Gretserus sic disserit d. l. *Cum Confessario disciplina pœnitentiæ loco imponitur, eam ex sententia Francisci Soarii, si Confessor expedire judicaverit, per alium quoque impleri posse, eamque satisfactionem sufficere non modo ad implendum præceptum Confessarii, sed etiam ad satisfaciendum ex opere operato pro illo à quo fit. Quamvis enim hoc nonnulli negent, omnino tamen affirmandum esse cum Soario.*

(Atqui 1. Gretserus ipse fatetur, *nonnullos Pontificios hanc satisfactionem negare.*

2. Soarius ipse de ea dubius est. *Non debet*, inquit, *Confessor sine justa & necessaria causa hunc modum satisfactionis imponere, quia non est adeo in Ecclesia usitatus, nec ad finem hujus Sacramenti adeo expediens, quia talis satisfactio nec deservire potest per modum medicinæ, neque ipsa ratio satisfactionis satis certa est.*

Tertio idem Gretserus d.l. p. 170. Lat. sic disserit: *Si cui à Confessario satisfactionis loco sit imposita disciplina, ita ut sit integralis pars Sacramenti pœnitentiæ, tum quidem si in statu peccati mortalis peragatur, fructu & effectu in præsens carere, nihilque pœnæ remittere, nihilominus recedente fictione, hoc est, deleto per pœnitentiam mortali peccato, probabilissimum esse, disciplinam illam sortiri effectum, ut cum Cajetano, Petro Soto, Victoria & Navarro sentit Soarius, quamvis alii contra hæc disputent.*

(Si hoc tantum *probabile*, cum *alii contra disputent*, quæ potest hujus satisfactionis esse certitudo?)

Argum. Adversariorum.

1. *Renati jubentur mortificare membra* Col. 3. v. 5. *& carnem crucifigere* Gal. 5. v. 24.

Resp. 1. Si hæc & similia dicta de castigatione per flagella intelligenda essent, consequens foret, flagellationem omnibus hominibus sub comminatione æternæ mortis in lege Christi præceptam esse. Rom. 8. v. 12. Gal. 5. v. 21. Sed consequens hoc Gretserus non concedit lib. 2. de discipl. cap. 5. scribens, *falsum esse absq; flagellatione salutem ac beatitudinem obtineri non posse. Legem enim Christianam à nullo exigere disciplinam seu flagellationem sui ipsius.*

2. De vera carnis mortificatione, quæ non fiat *flagello*, sed *Spiritu*, egregie sic disserit Jacobus Faber Stapulensis in cap. 3. Coloss. *Membra Christi spiritualia sunt, membra carnis carnalia, ut carnales affectus. Et hi mortificandi sunt cum suis actibus. Sed quibusnam hæc mortificantur? Nunquid per præcepta aut doctrinas hominum, per privatas aut publicas carnis macerationes, in quibus homines confidant & se quodammodo ex operibus justos putent & deplorent alios, qui non sunt sui aselli carnifices, quasi idcirco eorum timentes saluti? Hæc est humilitas sensus & terrena humilitas, non humilitas Spiritus & divina humilitas, qua etiam altissimæ potestates, quæ circumstant altissimum thronum Dei, procumbunt in conspectu throni ante facies suas. Quid igitur mortificat? certe illa maxime, quæ Spiritus sunt, in quibus & auxilium, imo universum robur desuper habemus, non illa, quæ exteriora sunt, & è deorsum veniunt. Inter quæ quidem spiritualia, quæ summum & præcipuum locum ad hanc mortificationem carnalium affectuum, ut membrorum carnis, victoriam obtinet, Dei caritas & caritas* proximi.

3. Fr. Arias part. 2. de mortif. cap. 5. p. 347. *primariam & propriam peccati radicem, cui resecandæ mortificationis cultellus applicandus est, aut esse voluntatem propriam.* & cap. 10. *potissimam mortificationis speciem constituit mortificationem intellectus quoad proprium judicium.*

Argum. 2. *Paulus dicit.* 1. *Cor.* 9. *v.* 17. ὑπωπιάζω *corpus meum* Tirinus in h.l.

Resp. 1. Petrus Faber, quem Gretserus *virum clarissimum* vocat, & in Agonistico suo *locum hunc accurate discussisse* ait, eorum sententiam non approbat, qui sentiunt, *Paulum flagellis & verberibus corpus suum contudisse, & vibicibus plagisq; famosis scatens reddidisse, idemque nobis exemplo Pauli faciendum esse, ut Deo, quem læsimus, quadantenus disciplinæ cujuspiam peculiari exemplo satisfaciamus, suppliciumque in altera vita subeundum hac verberatione redimamus;* sed in eorum potius sententiam propendet, qui *de castigatione & maceratione corporis per jejunium* hunc locum accipiunt.

2. Eodem modo eum exponit Bellarminus lib. de Monach. cap. 30. ubi adducto isthoc Apostoli loco, subjungit & approbat expositionem B. Lutheri. *Omnes sancti laboribus, vigiliis, orationibus, jejuniis veluti machinis spiritualibus pugnaverunt adversus carnem.*

Lib. 2. de bonis operibus cap. 11. *De jejunio potissimum loquitur Apostolus, cum ait* 1. *Cor.* 9. *Castigo corpus meum Sic enim hunc locum interpretantur Chrysostomus & Theophylactus in comm. & S. Ambrosius Epist.* 82. *ad Eccles. Vercellensem, &c.*

3. Idem Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 6. fatetur, *Apostolum similitudinem ducere ab iis, qui in stadio pugnant, ac velle dicere, eo modo se corpus suum male accipere ac subjicere, quemadmodum athletæ, cum in stadio adversarium suum pugnis ac cæstibus ad livorem usque contundunt.*

(At si Apostolus *metaphorice* loquitur, non poterit propria significatio vocis urgeri.

4. Erasmus in annot. ad h. l. *Metaphora ducta est à certamine pugilum. In his supplantabat, qui dejiceret in humum antagonistam; sugillabat, qui notam insignem faciei inflixisset.*

Et paulò ante: ὑπωπιάζειν *est livore seu nota sanguinis sugillare proprie oculos, quos vocant* ὦπας, *& notas ejusmodi* ὑπώπια *autore Suida & Hesychio.*

(At flagrones non faciem reddunt lividam, sed dorsum scuticis diverberant. Ergo pro suis flagellationibus non possunt urgere locum Apostolicum.

5. Thomas in comm. super verba. Et illi quidem &c. *Tangit pugnantium mercedem. Et primo pugnantium materialiter. Secundo pugnantium spiritualiter, ibi. Nos autem incorruptam. Castigo corpus meum, scil. per declinationem mali, motus carnis illicitos reprimendo. In servitutem redigo, per operationem scil. boni, corpus spiritui servire cogendo, & sensualitatem rationi subjiciendo.*

Eodem modo Gloss. interlin. & Lyra reponunt, videlicet *de illicitorum corporis motuum repressione.*

Argum. 3. Zach. 12. v. 10. *Et planget cum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum &c. hic anniversaria flagellatio, quæ ultima quadragesimæ septimana fit, prædicta videtur.* Grets. in Apolog. de discipl. lib. 2. cap. 2.

Resp. 1. Glossa ordin. ad h l. *Cum Judæi videbunt Christum regnantem, dolebunt à se crucifixum, intelligentes fuisse unigenitum & primogenitum totius creaturæ &c.*

2. Lyra h. l. *de luctu super Christo & Judæis à Gog & Magog, id est, Antichristo martyrizatu* explicat.

3. Franc. Ribera in comm. vaticinium hoc *de luctu impiorum & damnatorum in judicio novissimo explicat,* & authores hujus expositionis *Augustinum, Theodoretum, Rupertum, Theophylactum, Euthymium & Thomam* allegat.

4. Sanctius in comm. h. l. n. 32. postquam varias aliorum expositiones adduxisset, subjungit: *Est mihi valde probabile, Zachariam, postquam de Christi morte* ἐνςατικῶς *breve illud vaticinium attexuit; statim ad interruptam Historiam rediisse, neque ea, quæ dicuntur de planctu, ad Christum pertinere, sed ad tempora Maccabæorum, de quibus hactenus est instituta narratio. Postquam enim effusus est à Deo Spiritus gratiæ & precum seu miserationum, statim secutus est planctus & dolor & oratio, ut de Matathia, ejusque filiis constat.* 1. *Maccab.* 1. *ubi etiam cum Matathia convenisse dicuntur plurimi cum uxoribus suis, & hi videntur esse, qui dicuntur seorsim flevisse à mulieribus.*

Argum. 4. Eccles. 33. v. 25. *Cibaria & virga & onus asino; panis & disciplina & opus servo &c.* Ex hoc loco flagellationes probat Hieremias Drexelius in Niceta lib. 2. cap. 4. p. 355.

Resp. 1. Glossa ordin. ad h. l. sic annotat: *Necesse est, ut iniqui servi severitate dominorum suorum comprimantur, ne illicita fraudantur* (fruantur) *libertate, in quibus non Natura despicienda, sed improbitas coercenda, ut sciant, se subditos esse.*

2. Lyranus ibid. *Homo dupliciter à domesticis tribulatur, Uno modo ab uxore, filiis & propinquis, qui aliquando nimis volunt dominari, & ideo primo ostendit* (Siracides) *quid circa hos sit agendum, dicens: Audite me &c. Secundo tribulatur paterfamilias à servis suis rebellibus, malis & infidelibus propter quod hic ostenditur, quid agendum sit cum eis, cum dicitur cibaria & virga & onus asino. Et sicut ista conveniunt ad bonum regimen asini, sc. pabulum pro ejus sustentatione, virga pro pigritiæ suæ excitatione, & onus pro Domini necessitate: sic sint tria, quæ sequuntur ad bonum servi regimen; panis, id est, victus, ut vivat; & disciplina, ne superbiat; & opus, ne per otium tepescat.*

(Ergo de servi coercitione, non de carnis propriæ flagellatione in hoc dicto agitur.)

3. Cornelius à Lapide in comm. h. l. agnoscit, in sensu literali hujus dicti agi *de servis & mancipiis, qui comparentur asinis, propterea quod ut tria debet herus asino, scil. cibum, virgam & onus: ita quoque eadem debeat servo, scil. panem, disciplinam & opus.* Mystice animæ servum & asinum dicit esse corpus, cui itidem tria debeantur scil. vulgaris cibus, castigatio & opus. Sed præterquam, quod ex sensu mystico non ducantur firma argumenta, nisi ipsa Scriptura explicationem monstret, notandum, quod castigatio illa modis aliis fieri possit, imo etiam debeat, quam cruenta flagellatione.

CAPUT VII.

De Indulgentiis.

THESIS. Indulgentiæ Papales merito repudiantur.

Ἔκθεσις. Pontificii statuunt, Christum satisfecisse quidem pro peccatis nostris ac pœna eorum æterna, interim tamen

men pro temporali pœna nobis ipsis satisfaciendum, idque vel operibus sponte susceptis, vel à Sacerdote injunctis in hac vita, vel pœna in Purgatorio luenda post hanc vitam. Ne vero residuæ istæ pœnæ partim ob durationem temporis, partim ob cruciatuum atrocitatem intolerabiles fiant, ideo *Indulgentias* excogitarunt, quibus pœnas illas redimi posse statuunt, modo certa pecuniæ summa Indulgentiales literæ ab Officialibus Romani Pontificis redimantur. Structura ergo Indulgentiarum hæc est:

1. Remissa nobis à Deo culpa & pœna æterna superest adhuc luenda pœna temporalis.

2. Ea sustinetur non tantum in hac vita, sed etiam ac cumprimis post hanc vitam in purgatorio.

3. Pro ista temporali pœna pii & possunt & debent Deo satisfacere.

4. Sancti & solent & possunt quandoque plura facere & pati, quam merentur ipsorum peccata.

5. Ex illis superabundantibus Sanctorum passionibus & meritis, cum Christi satisfactione & merito copulatis exsurgit ingens thesaurus apud Ecclesiam depositus.

6. Iste thesaurus, ac illæ superabundantes satisfactiones possunt aliis, qui pro pœna temporali adhuc satisfacere debent, communicari & applicari, iisdemque prodesse ad pœnæ vel liberationem vel mitigationem.

7. Potestatem applicandi hunc thesaurum habet Pontifex Ecclesiæ caput, cum suis Episcopis: quia Pontifex, cui soli claves hujus thesauri datæ sunt, eundem dispensat vel per se immediate in Jubilæo, vel mediate per Episcopos Metropolitanos, Legatos Apostolicos, Summos Pœnitentiarios &c.

8. Ista vero applicatio fit per Indulgentias & earum Bullas.

9. Quæ tamen applicatio non est absoluta, sed conditionata, nempe si homines vere pœniteant, si aliquid faciant, si aliquid dent vel erogent.

10. Quibus conditionibus positis sequitur fructus Indulgentiarum, qui est remissio pœnæ temporalis.

11. Nec solum viventibus in his terris, sed etiam animabus defunctorum in purgatorio æstuantibus hic Thesaurus applicatur, idque per suffragia vivorum, h. e. per Missas, vigilias, jejunia, orationes atque alia satisfactoria & meritoria.

Antithesis. In libro Indulgentiarum memoratur, quod *Papa Sylvester & Gregorius, qui Ecclesiam Lateranensem consecrarunt, dederint tantas Indulgentias, ut nemo eas possit numerare, quam solus Deus*, testante B. Bonifacio, qui dixit: *Si homines scirent Indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, non opus esset, quod irent per mare ad S. Sepulchrum. In Capella Sanctorum sunt 28. gradus, qui steterunt ante ædes Pilati in Jerusalem. Quicunque hos gradus ascenderit cum devotione, habet pro quolibet peccato novem annos Indulgentiarum; qui vero geniculando gradus illos ascendit, is unam animam liberat ex purgatorio. Cum capita Petri & Pauli ostenduntur, Romani habent Indulgentias trium millium annorum, vicini sex millium, peregrini duodecim millium. Cum Gregorius Ecclesiam Lateranensem denuo dedicaret, dedit tot Indulgentias, quot guttæ cadunt, si per tres dies continue pluat. Cumque Gregorius metueret, ne thesaurus gratiæ illa profusione evacuaretur, Christus ei apparuit & dixit, se concedere, ut plures det Indulgentias, populum enim his opus habere.*

Johann. Tetzel. Indulgentiarum Præco à Papa in Germaniam missus Ann. 1517. gloriatus fuit, *nullum esse adeo magnum peccatum, etiamsi quis per impossibile matrem Dei violasset, quin possit solvi; animas è purgatorio statim evolare, ubi contributio in cistam fuerit conjecta; nolle se de potiore loco in regno cœlorum cum Petro optionem inire, cum suis Indulgentiis plures ab interitu animas redemerit, quam Petrus Evangelii sui prædicatione.*

Concilium Tridentinum sess. 25. *Cum potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum autoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit.*

Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 2. *Extat thesaurus aliquis in Ecclesia, qui est fundamentum Indulgentiarum.*

Lib. ejusd. cap. 3. *Est in Ecclesia potestas applicandi thesaurum satisfactionum, ac per hoc Indulgentias concedendi.*

Paulus Laymannus Jes. lib. 5. Theol. moralis tract. 7. c. 1. v. 1. *Indulgentia est pœnæ temporalis Deo debitæ remissio, extra Sacramentum, per applicationem satisfactionis Christi & sanctorum*; num. 2. inquit, *quod justi in hac vita non solum pro suis, sed etiam pro alterius justi peccatis ob caritatis unionem Deo satisfacere possint.*

Item. *Scire debes, quod ex effusione sanguinis Christi, & multis meritis Martyrum & aliorum sanctorum constituitur thesaurus Ecclesiæ, cujus potestatem habet Vicarius Christi.*

Item cap. 7. *Certum esse debet, quod summus Pontifex defunctis, qui in Purgatorio detinentur, Indulgentias dare possit.*

Audiamus vero ipsius Romani Pontificis judicium. Leo X. Anno Christi 1518. Decretalem condidit, qua quicquid in universum de Indulgentiis statui vellet, breviter edixit. *Ne*, inquit, *de cætero quisquam ignorantiam doctrinæ Romanæ Ecclesiæ circa hujusmodi Indulgentias & illarum efficaciam allegare, aut ignorantiâ hujusmodi prætextu se excusare, aut protestatione conficta se juvare, sed ut ipsi de notorio mendacio, ut culpabiles, convinci, & merito damnari possint, per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam quam reliquæ, tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem, Petri Clavigeri successorem, & Jesu Christi in terris Vicarium, potestate Clavium, quarum est aperire, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, culpam scil. & pœnam pro actualibus peccatis debitam; culpam quidem mediante Sacramento pœnitentiæ, pœnam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam justitiam debitam, mediante Ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui caritate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & sanctorum: ac tam pro vivis quàm pro defunctis Apostolica autoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Jesu Christi & Sanctorum dispensare, per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse. Ac propterea omnes tam vivos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna, secundum divinam justitiam pro peccatis actualibus debita liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.*

(Edita est hæc Decretalis 5. Novemb. Anno proxime dicto & per Cardinalem Cajetanum publicata Linzii in Austria 13. Decemb. Anno eod.)

Nostram sententiam probamus,

1. Indulgentiæ Papales destituuntur Scripturæ suffragio.

2. Nituntur falsis hypothesibus, iisq; compluribus, quales sunt, *sanctorum merita, opera supererogationis, satisfactiones pro pœna temporali post remissionem culpæ adhuc debitæ, flammæ purgatorii vere in Christum credentibus, ac Deo reconciliatis post mortem adhuc timendæ, peculiaris quidam thesaurus in templis B. Petri ac B. Pauli Apostolorum, B. Johannis Lateranensis, & B. Mariæ Romæ reconditus, summa & absoluta potestas Romani Pontificis in terra & in purgatorio &c.*

3. Pugnant cum Scriptura multis modis, quippe quæ testatur,

Primo, *unicum esse Mediatorem Christum* 1. Tim. 2. v. 5. *qui est propitiatio pro peccatis nostris* 1. Joh. 2. v. 2. *qui torcular calcavit solus* Esa. 63. v. 3. *extra quem non est Salvator* Esa. 54. v. 25. *nec est in alio quoquam salus*, Act. 4. v. 12. propter quem solum Pater cœlestis vere in ipsum credentibus peccata & pœnas peccatorum gratis ac perfecte remittit, ut nullis opus sit vel satisfactionibus vel Indulgentiis Papalibus.

Secundo, opera sanctorum esse imperfecta & immunda, neminem pro suis, nedum pro aliorum peccatis posse satisfacere, neminem legem Dei perfecte posse implere, nedum opera supererogationis præstare.

Tertio, bona spiritualia gratis nobis contingere, ac proinde non posse nec debere pecuniis emi vendive; Matth. 10. v. 8. Act. 8. v. 20. &c.

4. Sunt in sanctissimam & perfectissimam Christi satisfactionem injuriæ, dum Pontifex illi addit satisfactiones & passiones sanctorum, dispensationem hujus thesauri sibi soli vindicat, eumque per intolerabilem Simoniam pecunia vendere non dubitat.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam Indulgentias repudiarunt, vel parum iis tribuendum esse docuerunt, vel de multiplici abusu, qui per illas committitur, conquesti fuerunt. Johann. Sarisberiensis (circa Ann. 1140.) in Polycratico p. 296. conqueritur, *quod Romæ mensas auro & argento ornent, & exultent in rebus pessimis, quod peccata populi comedant, iis vestiantur, & in iis multipliciter luxurientur.* (Accusavit ergo Indulgentiarum nundinationes.)

Waldenses circa Ann. 1160. una cum aliis dogmatibus Papalibus etiam *Indulgentias* repudiarunt.

(Alph. de Castro lib. 8. adv. hæreses, verbo Indulgentia. *Waldenses dicunt, Papam nullam prorsus habere potestatem Indulgen-*

tiæ concedendi &c. Idem docuit *Joh. Wiclepb qui nunquam à Waldensib. deficit.*)

Elisabetha virgo Germana (Circa Ann. 1160.) Prophetico Spiritu insignis, cujus scripta Parisiis impressa sunt cum præfatione Fabri, Clerum Romanum Dei nomine sic alloquitur: *Dico vobis quod iniquitates terræ, quas obscondisis propter aurum & argentum, adscendant coram me sicut fumus de igne. Nunquid non animæ plus quam argentum & aurum, quas suffocatis in ignem æternum propter avaritiam vestram?*

Thomas p. 3 q. 25. art. 5. memorat *quosdam ante se dixisse, Indulgentias esse pias fraudes.*

(Gregor. de Valent. tom. 4. Disp. 7. q. 20. punct. 1. p. 1856. b. *Quidam dixerunt, Indulgentiam Ecclesiasticam nullam pœnam remittere per se, neque in foro Ecclesiæ, neque in foro Dei, sed esse piam quandam fraudem, quâ Ecclesia per illam remissionis pollicitationem homines alliciat ad exequendum devote ea opera pia, quæ in indulgentiæ forma exiguntur, ut pro ratione ejus devotionis & valore eorum operum Deo satisfiat: non autem per vim ipsius Indulgentiæ, quemadmodum si mater parvulum ad currendum illiciat promittendo illi pomum, quod postea tamen non dat.*)

Petrus Cantor Parisiensis (circa Ann. 1190.) scripsit librum sub titulo, *verbum abbreviatum*, in quo *Indulgentias* perstringit.

Bonaventura (circa Ann. 1240.) ausus est affirmare, *animabus nunquam dari id, quod in Indulgentiarum literis scriptum est, & in eo Papam facere ut matrem, quæ infanti pomum monstrat, sed non dat, & propterea facit, ut infantem ad se trahat.*

Circa idem tempus *multi Concionatores in Suevia libere contra Papam concionati sunt, ejus mandatis non obtemperaverunt & prædicarunt, se annunciare Indulgentiam non à Papa confictam, non à Prælatis compositam, sed ab omnipotente Deo per Christum concessam.* Crantzius lib. 8. Saxoniæ cap. 16.

Conradus de Lichtenau Abbas Urspergensis (circa idem tempus) in Chronic. postquam de bellis inter Philippum & Ottonem, Papæ instinctu invicem gestis, dixerat, nundinationes Indulgentiarum hisce perstringit verbis: *Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur catarractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorū in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompēsationem tantorum malorum datur tibi precium. Jocundare super adjutrice tua Discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti, decanta Canticum, quia per malitiam hominum, non per religionem, orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum devotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio precio comparata.*

Franciscus Petrarcha (circa Ann. 1300.) Epist. 5. *Audire Romæ non infrequens est mendaces linguas, spectare membranas vero vacuas, & pendente plumbo versas in retia, quibus in nomine eodem, sed in operibus Belial credula Christianorum turba concluditur.*

Circa annum 1380. cum Papæ largissimas profunderent Indulgentias, *Schola Parisiensis tubis, campanis & aliis publicis testimoniis illas damnavit.*

Theodoricus à Nyem lib. 1. cap. 68. de Jubilæo per Urbanum designato. *Innumerabiles peregrini ex variis regnis & provinciis, (quæ fuerant de obedientia) ad urbem venerunt, & maxima offertoria Ecclesiis & basilicis urbis data fuerunt, quorum major pars ad manus Bonifacii & quorundam aliorum devenit. Ipse vero Bonifacius hujusmodi offertoriis non contentus, licet ad maximas summas ascenderent, (erat enim insatiabilis vorago & in avaritia nullus ei similis) ad diversa regna misit Quæstuarios, vendendo dictam Indulgentiam offerentibus tantum, quantum essent expensuri in via, si propterea visissent ad urbem. Hujusmodi exactores seu Quæstuarii etiam maximas summas pecuniarum simplicibus seu barbaris subtiliter extorserunt: ita aliquando in uno regno seu in una provincia hujusmodi venditionibus ultra centum millia florenorum reportarunt: quia omnia peccata etiam sine pœnitentia ipsis confitentibus relaxarunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensarunt interventu pecuniæ, dicentes, se omnem potestatem habere super hoc, quam Christus Petro ligandi & solvendi contulisset in terris &c.*

Conradus Wimpina in II. articulo contra Hieronymum Pragensem memorat, quod *Pragæ Anno 1411. cum post octavas Pentecostes Quæstor quidam Indulgentiarum literas invulgare vellet, & jam pro concione venias suas impudenter ebuccinaret, populus armatus concurrerit & Quæstorem istum captum currui imposuerit, adjunctis ipsi in curru publicis quibusdam meretricibus, ex quarum mammis Papales Indulgentiarum Bullas suspenderit, atque ita Quæstorem Indulgentiarum cum Bullis Pontificiis de meretricum collo pendentibus per totam urbem Pragensem vicatim circumduxerit, & ostentui habuerit, ac tandem Bullas istas Indulgentiarum publice & solenniter strepitantibus flammis concremarit,* (Chemnit. in Exam. Concil. Trid. cap. de Indulg.)

Joh. Gerson tom. 2. tract. de Indulgent. consid. 8. *Solus Papa Christus potest illam tot dierum & annorum mille millium Indulgentiam concedere, qualis posita reperitur in diversis concessionibus summorum Pontificum, vel aliorum sub variis temporibus, locis & causis. Et fortassis enormitas concessionis ab aliquibus Quæstuariis aut aliter male motis conficta est.*

Consid. 10. *Indulgentiarum concessio per tot mille, nedum dierum, sed & annorum, videtur difficulter salvabilis post remissionem pœnæ æternæ & commutationem in temporalem. Constat enim, quod non homo singularis in hac vita potest aut debet ad tot annos obligari pœnitentiam agere, cum non victurus sit per millesimam partem tot annorum & nemo ad impossibile obligatur. Constat præterea, quod, dum mundus finem habebit, cessabit purgatorium, & ex consequenti dies pœnarum suarum.*

Operis Tripartiti part. 3. cap. 8. *Circa Quæstuarios Prædicatores* (qui in varias profecti provincias huic curæ vacabant, ut quam maximas ex Indulgentiis referrent pecunias) *qui fere totā Dei Ecclesiam ubique terrarum inficiunt, & sunt scandalo toti mundo, sunt tot reprehensibilia, quod non facile potest dici. Sunt enim pro maxima parte personæ inhonestæ & infames. Habent tot Brevia, quæ relinquunt in singulis Parochiis, in quibus continentur tot indulgentiæ, quod mirantur boni viri, si unquam de conscientia Papæ, vel etiam alicujus boni viri, potuerunt illa procedere. Item, multa mendacia consueverunt dicere & de reliquiis & de Indulgentiis: & quod supremum malum est, ista & alia mala multa eorum, jam ita versa sunt in ludum & risum, quod vix est aliquis, qui super hoc doleat vices Christi.*

Cardinalis de Aliaco circa Ann. 1426. lib. de reformatione Ecclesiæ consid. 4. *Item providendum esset super correctione Quæstuariorum Prædicantium, sive religiosorum, sive secularium, quoniam suis mendaciis & immunditiis maculant Ecclesiam & eam ridiculam reddunt, & officium prædicationis maxime honorandum jam contemtibile efficiunt.*

Johann. Wesselus ob eximiam Theologiæ cognitionem *Lux mundi* dictus (circa Ann. 1450.) testatur, quod *ante Albertum Magnum & Thomam fere ab omnibus Theologis Indulgentiæ reprehensæ damnatæque sint, & Albertum ac Thomam hoc ipsum testantes* inducit. Idem quoque *nullas certas, constantesque & concordes sententias de Indulgentiis apud Theologos reperiri posse* affirmat, (referente Flacio in libro de dissension. Pontif. p. 9.)

Idem Wesselus *se & Parisiis & Romæ Indulgentias improbasse* testatur, *multosque ex Curia Papæ sibi assensos, longeque liberius postea de re locutos, quam ipse fecerat.*

Eodem fere tempore Johannes de Vesalia Concionator Wormaciensis libellum *contra Indulgentias* scripsit, in quo adducit Petrum Cantorem solitum affirmare, *Indulgentias esse pias fraudes, quia per eas Laici ad Eleemosynas dandas alliciantur.*

Thomas Gascoigne (circa Anno 1460.) in Diction. Theol. sic scribit: *Circa annum Domini 1440. populus Angliæ ob profusissimas Indulgentiarum Papalium copias dicebat: Roma ad nostras fores nunc venit, Ecclesia Romana meretrix magna est, quia jam cuique se exposuit pecuniam offerenti. Et cum omnia essent,* inquit, *Papalibus condonationibus plena, Indulgentias tandem dabant Papæ negotiatores pro cœna, pro concubitu, pro haustu vini vel cerevisiæ, pro pilæ lusu, & interdum pro actu Venereo.*

Dominicus de Dominicis Venetus, Episcopus Torcellanus & Brixiensis (circa Ann. 1478.) in lib. ad Pium 2. tit. Reformatio Curiæ Romanæ. *Videtur, quod dare ita frequenter Indulgentias plenarias, faciat eas vilescere cunctis. Quotiescunque Papa exibat aliquo festo in publicum, dabatur Indulgentia plenaria contra consuetudinem antiquorum Pontificum, cum tamen per indiscretas ac superfluas Indulgentias claves Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervetur.*

Autor anonymus in Fascic. rerum expetendarum. *Importabile negligentiarum* (Indulgentiarum) *onus, quibus pietas pene extincta est.*

Platina (qui floruit Anno 1481.) in Bonifacio 9. *Indulgentiæ & quidem plenariæ ita passim vendebantur, ut jam vilesceret clavium & literarum Apostolicarum autoritas &c. & multa scelera Simoniâ fiebant.*

Albertus Crantzius in Metropoli lib. 11. cap. 10. & 12. de eodem Bonifacio. *Sub illius Pontificatu crebræ fiebant Indulgentiarum collationes usque ad fastidium cordatorum virorum, gratias &* Indul-

Indulgentias fecit inauditas, & quàm facile dedit, tam leviter revocavit, fabulas excitans in orbe Christiano, quod auro expleri non posset.

Jacobus Almanus Theol. D. in libro de dominio naturali, civili & Ecclesiastico, edito Colon. inter cætera sic scribit: *Non videtur mihi potestas ligandi & solvendi ad eos, qui sunt in purgatorio, extendenda, cum ubicunque in Evangelio fierent promissa aut collata, dictum sit, Quodcunque ligaveris super terram, aut quodcunque solveris super terram; quæcunque ligaveritis super terram, & quæcunque solveritis super terram, nunquam de iis, qui è vita decesserunt, facta est mentio. Ex hoc sequitur, quod non possint animæ in purgatorio existentes à pœna solvi per Indulgentiarum largitionem, sed benè per suffragia.* Morn. in myst. iniq. p. 1369.

In opere Tripatito conjuncto cum Concilio Lateranensi lib. 3. cap. 8. *In multis Brevibus continentur tot Indulgentiæ, ut boni viri mirentur, unquam de conscientia Papæ vel alicujus boni viri potuisse illa procedere.*

Nicolaus Kuff Sacerdos Rostochiensis, Magister & Bacalaureus formatus Theologiæ circa Annum 1151. scripsit prolixum librum impressum lingua Saxonica sub titulo, *de triplici funiculo*, qui continet *Expositionem Decalogi, Symboli & Orationis Dominicæ*. In eo inter cætera disputat, *Indulgentias esse meram deceptionem piorum & quæstum; veras Indulgentias contingere à solo Deo gratis propter Christum omnibus verè pœnitentibus.*

Ante B. Lutherum fuit usitatum in Germania proverbium: Wenn dir die Römische Gnade und Ablas vor die Thür kömpt / so strick den Seckel zu.

Johannes Kaisersbergius, qui ante Lutherum Ann. 1511. Argentinæ Concionatorem egit, dicere fuit solitus, *Patres Indulgentiis nullos esse usos, nam in Indulgentiis niti, esse propriis satisfactionibus neglectis impiè agere. Non enim opus esse Romam ire, sed domi suæ piè & benè agere.*

Sebastianus Canonicus Erphordiensis, Doctor Theologiæ & Concionator in summo templo D. Virginis, Anno 1508. Dominica post Judica contra Indulgentias Roma tunc allatas sic concionatus est: Lieben Freunde / wir solten heute auff den weissen Sontag unsern Krahm außlegen / es ist aber ein frembder Krähmer hier / der soll bessere Wahren haben / denn wir. Wenn der hinweg kömpt / so wollen wir mit unser Krähmerey auch kommen.

D. Pfenning concionator Naumburgensis circa idem tempus *contra Indulgentias* publicè disputare fuit solitus.

Fridericus Myconius in libro, cui titulus *Somnium*, refert de parente suo, quod sub mediis Papatus tenebris dixerit, *Indulgentias Papales esse retia, quibus caperetur pecunia simplicium; remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia.*

Ludolphus Castrik Pastor ad D. Michaelem in suburbio Magdeburgæ, sæpe ante prædicationem Lutheri (nam & post illud tempus vixit) solitus est in publicis concionibus *reprehendere Indulgentias*, ac hortari omnes, *ut à Christo petant Indulgentias seu peccatorum remissionem*, quin & spem fecit reformationis, quæ illæ propediem tollerentur.

In Annalibus Misnensibus de Johanne 6. Præsule Misnensi, qui circa Annum 1517. Episcopalem sedem tenuit, memoratur, quod cum videret multitudinem Johanni Tezeli pro Indulgentiis pecuniam numerantem, dixerit: *Occæcam plebem, quæ pecuniam mittit in eam cistam, ad quam reserandam non habet claves!*

De eodem Tezelio dixit, *ipsum fore Institorem Indulgentiarum ultimum, quòd nimia esset impudentia & temeritate præditus.*

De Johannes Staupitio sic scribit Jacobus Fontanus autor Pontificius in Histor. Ecclesiast. lib. 1. *Confestim hujus rei atque Tragœdiæ* (ab Indulgentiarum præconibus excitatæ) *factus certior Frater Johannes Staupitius, Vicarius generalis dicti Ordinis,* (Augustiniani) *cum ex officio maximè ad se pertinere id negotii* (quod cum dispendio suorum agitabatur) *animadverteret, & vir ingenio & præclaris facinoribus esset præditus, insuper quoque ex illustri familia procreatus, in vultu & statura majestatem quandam præ se ferret, tum denique facundia polleret, profectus ad aulam Friderici Ducis Saxoniæ ibidem honorificè fuit susceptus, quem idem Dux, omnium Principum Germaniæ facilè primus & potentissimus, benevolentia prosequebatur singulari, is, inquam, Frater Johannes supra memoratus optimo alioqui Duci tandem persuasit speciosis verborum fucis & pompis, Indulgentias has Pontificias (quas tantopere suspiciebant & extollebant Prædicatores quidam) meras esse fraudes, depauperationes & deprædationes vulgi, & quotquot earum essent præcones, perversionis & abusionis insimulabat, & nihil minus agere, quàm quod animarum salutem curarent, solum amore nummi ducti, autumabat. Acquiescens itaque Dux optimus sermonibus Augustiniani hujus, quasi piis, veris & orthodoxis, affectus ludibrio, ac tandem, ita etiamnum tædio, Indulgentiæ Papales displicere & illi cœperunt, cœpitque & is ipse aversari, infringere & explodere.*

Idem Fontanus paulò antè, *Recordor*, inquit, *beneficium Indulgentiarum concessarum à supradicto Pontifice* (Leone 10.) *nomen à Cruce mutuasse,* (cruciata) *earumque Indulgentiarum declamatoribus seu prædicatoribus ingentes bajulantibus & circumferentibus per loca tunc atque parochias seu Ecclesias crucis imagines ex ligno fabricatas & rubricatas, ibidemque circumcirca relictis, gravi exactione populum mulctasse, cum impostura & derisione populi illius. Verum qualecunque sit vulgi hac de re judicium, istud quoque constat, omnem illam pecuniam talibus artibus comparatam in alium usum esse conversam. Etenim hinc neque templum seu Basilica D. Petro nuncupata emolumentum aliquod accepit, nec Turcarum Principis extincta aut diminuta fuit potestas, atque Tyrannus ademta. Unde plerisque persuasum est, numeratam istam pecuniam Pontificis aliorumque Principum & Prælatorum communem fuisse prædam & spolium.*

In Gravaminibus Nationis Germanicæ, quæ S. R. Imperii Principes & Status tam Pontificii, quam Evangelici in Comitiis Norinbergensibus Ann. 1522. Oratori Pontificis obtulerunt, sic habetur, artic. 3. *Illud importabile jam olim increbuit Romanarum Indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut Basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus nimiumque credulis Germanis exsuxerunt pecuniarum medullam. Et, quod longè majoris est faciendum, per has imposturas ac earum conductitios Præcones & Prædicatores profligata est Germana Christianorum pietas, dum, qui extrudere volebant venales suas Bullas, laudes suis mercibus occinebant, miras, & inauditas condonari per emtitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, sed & functorum vitâ, existentium in purgatorio (quod vocant Cantores illi Indulgentiarum) igni, modo numeretur aliquid, modo tinniat dextra. Atque his mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas exincta, quando quilibet pro precii, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrerunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum, ære, licet immodico, comparari posse à nundinatoribus illis Indulgentiariis semel persuasum habetemaxime Germani, quibus per hos verè pietatis fucos sub religionis persona nihil persuaderi difficile est, ut ingenio planè ad pietatem credulo est Germania.*

Artic. 4. *Et licet Indulgentiæ hæ non semel in hoc ad Germanos missæ sint, quasi ex corrasa earum venditione pecunia fideles contra barbaros essent tutandi ac defendendi, eventu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reipubl. Christianæ necessariam, sed in propinquorum luxum ac sublevandam familiam ipsorum esse versam, quo uno bina hæc nata sunt perquam maxima incommoda, quod & offendicula orta sunt simplicibus, & quod nunc Germani toties sentientes lusam fidem, cum verè jam res postulat, ut contra Turcas instituatur expeditio bellica, nullis rationibus persuaderi se patiuntur, ut credant, quod res ipsa ferè notorium facit, ita scilicet instare cervicibus nostris crudeles Turcas, suspicantes semper, prioribus simile quippiam agi; quæ una ratio est, ut tam ægrè manus contra Turcas jungant. Quantorum ergo malorum & in rebus temporalibus ac Christi fidelium conscientiis causæ fuerint Romanæ Indulgentiæ, Sanctitas Apostolica pro sublimitate captus sui exigua opera vel inde, si non ex re ulla alia, conjectura consequi poterit.*

Artic. 67. *Patrum Canonibus sancitum est, spiritualibus ac manifestis peccatis spiritualem pœnitentiam seu satisfactionem imponendam esse, ut sic non pecuniæ lucrum, sed potius animarum salus quæri intelligatur. At Ecclesiastici Judices & Officiales perperam animadversis canonibus dictam spiritualem pœnitentiam in tantum exasperant, aggravant & augent, ut Laici, priusquam eam satisfactionem acceptare velint, pecunia magis sibi ab ipsis impunitatem comparent. Quare Laici multum premuntur, Ecclesiastici contra multum ditantur, ut puta, qui in suum privatum commodum & partiu agunt munus & judicis, quod in omnibus juribus est dissonum.*

Paulus Langius in Chronico Citicensi (circa Ann. 1520. scripto) *Anno 1484. fuit Legatus quidam cum Indulgentiarum re-*

missione plenaria in Suecia, ubi & hoc anno, æstivo præsertim tempore, prævalida ferbuit pestilentia, qua fretus Legatus ille miro modo & insatiabili explumavit pauperes. Quare autor Historiæ Sclavicæ, ex qua hæc transscripsi, ita exclamat: O Petre, Petre, non tibi dixit Christus, Mulge aut tonde, sed pasce, pasce Joh. 21. ideo aperuit infernus os suum sine termino, & intrabunt majores sine numero Esa. 5. misericordia autem conceditur parvulo & exiguo, quoniam potentes potenter tormenta patiuntur.

Idem. *Anno 1395. Bonifacius IX. Papa per Legatum suum missum dedit in Magdeburg Indulgentias plenarias remissionis à culpa & pœna & taliter, ut peregrini & alii, qui Indulgentias consequi volebant, ad 14. dies cogerentur manere in prædicta urbe, & visitare Ecclesias septem &c. quibus Indulgentiis prædictus Papa maximas pecuniarum summas à fidelibus Christi exhausit & extorsit, quæ omnino sufficere videbantur ad passagium terræ sanctæ contra Saracenos. Sed, ô Deus! quo devenerunt? tacetur, sed non in perpetuum. Dies enim Domini revelabit, qui obscondita tenebrarum producet in apricum.*

In Lamentationibus Germanicæ nationis sub titulo Threnorum Jeremiæ mysticatorum circa Ann. 1525. editis. *Notula prima, Romulistæ tot & tantis retibus fraudis & Tyrannicæ dominationis involverunt Germanos blanditiis primo infatuatos, quod non spes evadendi videtur ulla, nisi quod fustibus & gladiis dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum, ut Domino libere servire liceat. Nec possunt omnes fossores in mineralibus montibus totius Germaniæ tantum auri & argenti effodere, quantum Roma vorat. Abyssus infernalis est Roma, apud gentiles olim aurum & argentum provinciarum respuit, terram modicam pro tributo petiit. Testis hodie omnis omnis terra. Jam Cerberum Romanum nec ipse Jordanis satiare posset, etiamsi aureus per os ejus permearet. Videte qualis jam successor Petri pauperis, an non potius impii Neronis Christianos spoliantis? Notula secunda. Quando Germania prorsus exhausta fuerit ære & argento & auro, tunc non remittentur nobis misellis amplius peccata, nec venient ad fores mulgentiæ, dixerim Indulgentiæ, sed erimus in maledictionem & derisum omni populo.*

(Scriptum est ἀνώνυμον, interim ex quibusdam indiciis apparet, ejus autorem ex parte Pontificiæ religioni olioqui addictum fuisse.)

Onus Ecclesiæ cap. 14. §. 3. *In quinto demum Ecclesiæ statu enunciatæ atque concessæ sunt Indulgentiæ, remissiones & commutationes arduarum pœnitentiarum, quæ olim in superioribus statibus institutæ &c.*

Cap. ejusd. §. 4. *Deinde inolevit, quod etiam extra statuta Ecclesiæ tempora absq; delectu temporis ac ordinis pluries & superabundantius inordinatæ Indulgentiæ sunt concessæ, prout quotidie in diversis locis conceduntur, forsitan quæstus gratia potius quam salutis.*

Cap. 15. in proœm. *Operæ precium esse duxi, aliquid in medium afferri de modo Indulgentiarum, quæ passim è Roma advolant & in Germaniæ ostiatim veneunt ac venales in nundinis Simoniacis ubique exponuntur. Papales enim Indulgentiæ publicantur hodie indiscrete & adeo perverse, ut claves Ecclesiæ quodammodo contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervetur, quia Quæstores Indulgentiarum eas frivole extendunt contra Canonis prohibitionem, atque sacris Indulgentiis ad avaritiam, cæteramque malitiam penitus abutuntur, unde prope infelicia redduntur tempora nostra, in quibus fugit à nobis veritas & abundat falsitas,*

§. 4. *Animarum in purgatorio pœna à Deo jam taxata, non spectat ad Ecclesiam militantem, sed ad divinum judicium, quoniam animæ in man. Dei sunt.*

§. 5. *Unde Petro & Clero sola Ecclesia militans est commissa, Christus namq; super terram, non deorsum sub terra dedit Petro & reliquis discipulis potestatem ligandi & solvendi.*

§. 7 *Papa non mortuorum, sed viventium terrestris est Deus, ideo non debet se intromittere de his, quæ spectant ad Curiam cœlestem, uti Brigittæ revelatum est.*

§. 11. *Ex præmissis evidentissime datur intelligi, claves Ecclesiæ militantis ad purgatorium non extendi. Nam si illuc extenderentur, tunc secundum Hostiensem, possent evacuare totum purgatorium, atq; Papa esset crudelis, qui non omnes animas è purgatorio liberaret.*

§. 12. *Papa non habet pœnas à Deo impositas remittere, ut id relaxet, quod divina justitia inflixit. Siquidem Christus notanter expressit: Quodcunque tu ligaveris & solveris super terram, erit ligatum & solutum in cœlis, non dixerit: quod ego ligo, tu solves. Et censet Lutherus, quod Christus deditâ operâ restrinxerit clavem ad terram, præsciens futurum, quod alioquin Pontifices essent perforaturi cœlos pariter & inferna.*

§. 13. *Papales Indulgentiæ non possunt extendi ad animas in purgatorio existentes, quarum culpas & pœnas hic ignoramus.*

§. 15. *Præcones Indulgentiarum ad purgatorium falso extendunt literas Papales. Quid Papa cum mortuis agere potest, qui nunc suum forum egressi ad tribunal justi Dei devenerunt? Sed nihilominus Indulgentiarum concionatores inter alia figmenta proclamant absurdum scandalum, ut comedant sacrificia mortuorum, dicentes: Statim ut jactus nummus in cistam tinnuerit, avolare animam, pro qua nummus imponitur. Certum profecto est, nummo in cistam tinniente augeri quæstum posse, suffragium vero Papæ seu Ecclesiæ in solius Dei arbitrio consistere.*

§. 23. *Moderni veniarum Quæstores à legitimo Apostolicarum literarum tenore enormiter exorbitant, in suis concionibus easdem literas frequenter adulterantes & Indulgentiarum normam atque valorem perverse extendentes.*

§ 24. *Quamvis canones pœnitentiales sint modo abrogati & mortui, tamen absq; operibus condignis tanquam vivaces redimuntur per fictam Indulgentiarum concessionem, vel magis per pecuniarum exactionem è sanguine & sudore pauperum ovium extortarum.*

§. 28. *Modernæ Indulgentiæ tollunt hujusmodi frugalium pœnitentiarum operationem, & duntaxat pigris & rebellibus hominibus sunt frugi, sicut cæteræ faciles promissiones, ne ipsi pigri & rebelles gravius peccent, si careant tali licentiâ, quæ est quoddam solatium infirmorum, incolumibus autem inutilis ad profectum salutis, quoniam tales Indulgentiæ non perfectionem, sed omissionem & tristitiam pœnitendi inducunt. Aliud est in tristitia spirituali. Licentia quippe non habet laudem, nec præ se fert exhortationem, sed deteriorationem. Licentia enim omnes deteriores sumus, quia præstat occasionem, quo minores in bonis operibus fiamus, quam si non haberemus licentiam seu remissionem cessandi ab operibus pœnitentiæ.*

§. 29. *Quidam asserunt, Indulgentias esse pias fraudes, quibus insipiens populus inducatur atque provocetur ad visitandum Ecclesias, ad aliaque bona opera spe placendi Deo, alioquin ea non facturus. Age ob cultum Dei ampliandum nullo pacto, nullave ratione est mentiendum, nec ad sempiternam salutem aliquis est ducendus opitulante mendacio &c. præsertim in eo casu, ubi populus irritatur ad quærendum quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Nam seipsum, non Deum, in tali bono opere finem facit, finaliter enim intendit, ut pœnitentia per Indulgentiam sublata sibi segnis quies sit potius, quam ut Deo gloria detur. Similiter qui Indulgentias proclamant, nummorum quærunt contributionem, non hominum salutem. Nam etsi pecunia Indulgentiarum exigatur fuco pietatis, utpote ad expeditionem contra infideles, aut ad sacra ædificia, aut in aliam piam causam, tamen potior pars hujusmodi pecuniæ ex Indulgentiis & jubilæis hactenus collectæ appensa est fisco, quam Christo, plus redacta in vanitatem quam in pietatem.*

§. 30. *Indulgentiæ in intuitu ædificiorum concessæ parum sunt meritoriæ. Sanctius est enim gratis retribuere, quam intuitu veniarum, siquidem bonum opus absque mercede & propter Deum finaliter homo facere, Pontifex quoque venias gratis dare debet, quia gratis accepit. Utrobiq; autem quæritur peculiare commodum, nō honor Dei vel utile proximi. Adhibetur interea contractus turpissimus manifeste Simoniacus, quando quæstorem pro certo precio in capsam ponendo præbent Indulgentias, quas singuli homines unusquisque pro sua facultate emunt. Quo pacto homo plus quam Deum observat Papam seu ejus Quæstorem tanquam idolum, qui sibi pro mercibus porrigit Indulgentiarum literas, ac remittit pœnas divinæ justitiæ debitas. Itidem & gentiles olim factitarunt servientes Febri, Plutoni, aliisve noxiis Numinibus, ne læderent. Ita hodie insipidi nituntur consequi venias, quo minus post Christum crucem portent.*

§. 33. *Indulgentiarum promulgatores pœnitentiarum fructus penitus tollentes, & Dei judicium corrumpentes erroneè asserunt, tum vivos, tum mortuos per plenarias Indulgentias passim absq; omni delectu ab universis pariter pœnis & culpis solvi, statimque salvari, &c. Mox postquam aliquis veritatis zelator verbum (superioritatem Ecclesiasticam mordens) profert, hæreticus accusatur, igni deputatur, & morte dignus condemnatur, penitusque opprimitur &c.*

§. 35. *Unus Papa alterius Indulgentias etiam licite prius concessas plerunque revocat. Verum etiam Sixtus quartus Indulgentias à seipso concessas revocavit. Unde occasionem & audaciam sumunt Quæstores Indulgentiarum, ut absque facultate seu commissione tollant aut ad minus suspendant veteres Indulgentias, æque olim efficaciâ concessas atque extractas (ut ajunt) de Ecclesiæ thesauro, hodie apud populum incognito, quem Laurentius judicabat esse pauperes Christi.*

§. 37. *DEUS non parcit alicui verbis potentibus & ad deprecandum*

dum compositis, prout Indulgentiarum proclamatores buccinant per dulces sermones corda innocentium seducendo. Non autem in sermone, sed in virtute est Dei regnum, ad quod nos primus Papa Petrus non per enormes Indulgentias, sed per virtutes bonaque opera allicit.

§. 39. *Indulgentiarum mercatores cum magnis pompis singularibusque Ceremoniis faciunt publicari Indulgentias, ac interim obmitti vel cum modica advertentia prædicari verbum Dei contra dignitatem & necessitatem ipsius verbi, quod est gladius Spiritus. Unde Christus illud semper & ubique populo prædicari præcepit.*

§. 40. *Rursus Indulgentiarum præcones promulgare solent intricatum errorem, promittentes per assecutionem Papalium indulgentiarum cœlestem beatitudinem, usque adeo si contingeret peccatorum plenas venias assecutum mori, mox in cœlum evolaret, absque alia satisfactione temporali seu purgatoria. Id Christus non præsumsit &c.*

§. 41. *Indulgentiarum buccinatores omnimodam promittunt securitatem, quæ parit negligentiam, negligentia offensam Dei.*

§. 42. *Quæstores Indulgentiarum caute promulgare debent, ne eas populus præferat operibus fidei & caritatis, quæ foras mittit timorem pœnæ, siquidem per caritatem homo fit melior, per Indulgentias vero non melior, sed in conscientia sterilior & in vita fit dissolutior.*

§. 44 *Quæstores illi suis plenarum Indulgentiarum promissionibus perditissime seducũt insipides & infelices mortales, qui nec in suis meritis de salute confisi ab illis docentur, confidere Indulgentias sibi perperam expositas, per quas ipsis non fides, non contritio, non gratia, sed vana spes & remissio solius pœnæ Canonicæ confertur.*

§. 45. *Illi avari Prophetæ pro quæstu dicunt populo Christi, Pax, pax, ubi non est pax, & sic decipiunt Christi fideles, qui sermonibus & literis plenariarum Indulgentiarum creduli sinistra securitate fallaci spe suæ salutis seducuntur una cum suis Magistris, qui regnum cœlorum potius claudunt quam aperiunt, Evangelium negligentes aurum quærentes, prædam de subjecta plebe facientes & tandem spolia dividentes. Ad quos in Ezechiele hæc dicit Dominus Deus: Væ scilicet veniarum quæstoribus, qui consuunt pulvillos, id est, leves peccatorum remissiones sub omni cubitu manus, & requiem scilicet pollicentes faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas, id est, decipiendas animas, hoc est, hominibus cujuslibet ætatis dicentes, in talibus cervicalibus, utpote in Indulgentiis, potestis quiescere secure, judicium Dei non timendo. Sequitur in Ezechiele: Propter pugillum hordei & fragmentum panis, id est, propter vilem quæstum talia promittebant, ut interficerent animas, quæ non moriuntur & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Nam justis sibi nihil dantibus prophetant damnationem, quasi non studeant Indulgentias consequi, injustis autem, qui per peccatum sunt mortui, propter dona eorum vitam promittunt æternam.*

§. 46. *Salvator præterea noster ad illos temerarios Concionatores ait: Væ vobis Scribæ & Pharisæi (per quos denotantur Indulgentiarum Quæstores) qui comeditis domos viduarum, cum Indulgentiis circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, id est, raro pœnitentem, cui pro loco temporali promittitis sua receptionem in cœlum, sed facitis eum filium gehennæ.*

cap. 29. §. 13. *Ecce Roma nunc est vorago & mammon inferni, ubi Diabolus totius avaritiæ Capitaneus residet, vendens patrimonium Christi, quod sua passione promeruit, qui nobis præcepit, ut gratis demus, quod gratis accepimus. Id modo versum est in proverbium: Curia Romana non pecit ovem sine lana. Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit. Contra dispensationum exorbitantiam Sigismundus Cæsar in Constantiensi Concilio objecit dicens: Legimus, Christum Petro potestatem duntaxat relaxandi peccata, non admittendi dedisse. Quot & quantæ exorbitantiæ cum concessione & publicatione Apostolicarum Indulgentiarum committantur, explicare potest nemo.*

Albertus Crantzius lib. 4. c. 26. *Bonifacius octavus Jubilæum primus instituit, utinam solius pietatis gratia! Idem voluit centesimo quoque anno eum celebrari, sed Clemens VI. dubium, an amore pecuniæ, an desiderio salutis hominum, sancivit, eum celebrari anno quinquagesimo.*

(Dubitat ergo, an solius pietatis gratia Jubilæus fuerit à Pontifice institutus.)

Gobelinus ætatis sextæ c. 86. *Postquam annus Jubilæus juxta constitutionem Urbani & approbationem Bonifacii transiit: ipse Dominus Bonifacius unum annum sub anni Jubilæi verbis Romæ Indulgentiarum forma Colonensi civitati concessit. Quo anno elapso similis annus concessus ab eodem Bonifacio sub eadem forma civitati Magdeburgensi. Et ad utramque harum Civitatum missus est collector Domini Papæ, qui certam quotam recepit oblatorum. Deinde consimiles Indulgentias concessit visitantibus quasdam alias civitates Germaniæ ad certos menses. Et multis aliis locis, urbibus, villis, Monasteriis, Ecclesiis campestribus. In omnibus autem privilegiis earum concessionum apponebatur clausula, porrigentibus manus adjutrices. Denique tam prodigus Indulgentiarum factus est, ut nemini eas petenti denegaret, sed absque pecunia super eis literas expedire, vel eas consequi impossibile, vel difficillimum visum est. Unde quidam concessiones hujusmodi magis deceptiones, quam Indulgentiarum concessiones interpretantes, cum eas intuitu lucri temporalis fieri judicabant, dicere non timebant, anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.*

Polydorus Virgilius lib. 26. Histor. Anglican. *Anno quingentesimo (supra millesimum) agebatur Jubilæus Romæ, & ut longinqui populi eò proficiscendi labore levarentur, Pius Pontifex* (is erat Alexander VI.) *quoquo versum legatos misit, qui eam cœlestem gratiam impartirentur Christianis, quibus per bella per itinera, per inimicitias, minus Romam petere liceret. Veruntamen non fuit gratuita liberalitas. Alexander enim saluti hominum prospiciendo honestâ præscriptione suis quoque commodis serviendum statuerat, quare precium suæ gratiæ fecit, & ut Rex id fieri non impediret, partem gratiæ offerebat, ac ut populus libentius juvaret, prædicabat se primo quoque tempore bellum adversus Turcas suscepturum. Ita pecunia non mediocris confecta est, ad bellum nondum inchoatum in Turcas.*

Idem cum lib. 8. de rerum Inventoribus cap. 1. paulo liberius de Jubilæo scripsisset, Belgicus Index Expurgatorius totum locum jussit deleri, & sequentia sic castigari, *ut ne quisquam legat; Alexandrum sextum ubique Jubilæum promulgari curasse, non tam sui quam populi Christiani commodo, sed tantum Christiani populi commodo.*

Erasmus in Colloq. p. 30. edit. Colon. *Peram*, inquit Collocutor Ar. *habebat Indulgentiis largissimis distentam.*

Cor. *Audio, sed iter est longum in cœlum, nec satis, ut audio, tutum, ob latrunculos, qui obsident regionem aeris mediam.*

Ar. *Verum, sed ille sat erat munitus diplomatibus.*

Cor. *Qua lingua descriptis?*

Ar. *Romana.*

Cor. *In tuto est igitur.*

Ar. *Est, nisi forte incidat in genium aliquem, qui Latine nesciat, tum esset illi redeundum Romam & novum diploma impetrandum.*

Cor. *Bullæ venduntur illic & mortuis?*

Ar. *Maxime.*

Cor. *Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius. Jam enim Corycæis plena sunt omnia.*

Arn. *Ego vero nihil elevo Indulgentias, sed cõbibonis mei stultitiam rideo, qui quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ proram, ut ajunt, & puppim in membrana collocarit potius, quam in correctis affectibus.*

p. 152. *Tandem venitur ad mortem. Hic rursus Ceremonia parata. Adhibetur Confessio semel atque iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur Indulgentiæ, expromitur, aut illic etiam emitur morienti diploma Pontificis, ordinantur parentalia magnifice celebranda.*

p. 523. in Dialogo, qui inscribitur Funus. *Adornatur*, inquit, *extrema fabula actus.*

Ma. *Nondum finis?* Ph. *Recitatur diploma Pontificis, in quo promittebatur criminum omnium abolitio, totusque purgatorii metus adimebatur. Adhæc justificabantur omnia illius bona. Philippus uxoris frater in diplomate notavit locum secus positum, quam oportuit, & injecit suspicionem falsi. Ibi Vincentius forte virum præbuit, jussit Georgium quieto esse animo, sibi esse potestatem corrigendi, supplendiq; si quid in diplomatibus vel erratum esset vel omissum. Quod si te, inquit, fefellerit diploma, ego jam nunc hanc animam pro tua suppono animam, ut tua petat cœlos, mea dedatur orco. Mox recitantur cautiones, quibus Georgio* [ægroto] *promittebatur societas omnium operum, quæ fierent per quatuor ordines & quintum Carthusiensium.*

Ma. *Ego metuerem, ne deprimerer ad inferos, si tantum sarcinã bajulandum esset. Simulque recitatus est numerus Missarum, quæ defuncti animam essent comitaturæ. Item instrata est tunica Franciscana, sed prius consecrata preculis & aqua lustrali. Cuculla supposita est capiti, una cum illa suppositum est diploma cum cautionibus.*

Ma. *Nova mortis species. Alter ostendebat imaginem S. Francisci, alter Dominici &c.*

Idem in præfatione in Milit. Christianum ad P. Volzium, *Tutius est benefactis fidere, quam Condonationibus Pontificiis.*

Idem in milite Christiano, p. 67. edit. Argentorat. *Peccata apud Deum accusare est intus odisse. Tu forte sigillis cereis, aut pecuniola, aut peregrinatiunculis eluì culpas credis? Tota erras via. Intus acceptum est vulnus, intus pharmacum admoveatur necesse est. Nihil moror, quid exhibeas foris.*

Ipsimet Tridentini Patres in Continuat. sess. ultimæ fatentur, *è pravis quæstibus pro Indulgentiis consequendis plurimam in Christiano populo abusuum causam fluxisse.*

Georgius Cassander in Consult. art. 12. tit. de Indulgentiis p. 949. *Pœnarum Canonicarum imminutio & relaxatio Indulgentia dicebatur, quæ hodie ad privatas quoque satisfactiones traducta est, & ab Episcopis ad solum Pontificem Romanum plenum Indulgentiarum tribuendarum jus delatum est, circa quarum usum & praxin optimi quoque correctionem & moderationem fieri desiderarunt, ut quæ parum dextre tractatæ, hujus dilacerationis Ecclesiæ præcipuam occasionem dedere. Hic optandum esset, ut Pontifices publicæ paci aliquid concedant.*

Gregor. de Val. lib. de Indulg. c. 5. *Erant Catholici quidam ante Lutherum, qui Indulgentias pias fraudes esse dixerunt.*

Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 12. Observandum est ultimo. *Sicut probandum non est, quod aliqui pro zelo, sed nimio fortasse, de Indulgentiis quibusdam levibus de causis concessis obloquuntur, quod faciunt Johannes Gerson tract. de Absolutione Sacramentali, Dominicus à Soto in 4. dist. 21. q. 2. art. 2. concl. 5. & Andreas Vega in Concilium Tridentinum lib. 13. cap. ult. Sic laudandus merito est Clemens VIII. Pontifex maximus, qui nunc sedet, quod decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. de moderandis indiscretis Indulgentiis, & decretum Concilii Tridentini sess. 25. de revocandis Indulgentiis ad veterem & probatam Ecclesiæ consuetudinem executioni mandare studet. Veteres enim parcissimos fuisse in Indulgentiis conferendis notissimum est.*

(At Pontifices posteriorum seculorum in Conferendis Indulgentiis fuere largissimi. Ergo discesserunt ab Antecessorum vestigiis.)

Lib. ejusd. c. 14. §. Quod ad primam. *Hæretici omnes tum recentiores, tum antiquiores, qui Purgatorium negaverunt, consequenter etiam suffragia & Indulgentias mortuis prodesse negaverunt. Ex Catholicis, Ostiensis in Summa lib. 5. tit. de Remissionibus, num. 9. & Gabriel lect. 57. in Canonem Missæ docuerunt, Indulgentias non prodesse defunctis. Sed Gabriel cito correxit errorem, ut perspicuum est ex additione ad eandem lectionem.*

(Ergo non solum hæretici, sed etiam Catholici quidam Indulgentiis contradixerunt. Revocatio Gabrielis processit ex falsa hypothesi de infallibilitate Papæ, ut suo loco fuit demonstratum.)

2. Quod quidam agnoscunt, Indulgentias Scripturæ sacræ & primitivæ Ecclesiæ suffragio destitui.

(Ergo sine ulla hæreseos suspicione repudiari possunt.)

Durandus lib. 4. sent. dist. 20. *De Indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia nec Scriptura expresse de eis loquitur, &c. Sancti etiam, ut Ambrosius, Hilarius, Augustinus, Hieronymus minime loquuntur de Indulgentiis. Gregorius tamen loquitur, qui etiam Indulgentias Romæ instituit in Stationibus, ut dicitur.*

Johannes Major ibid. *Apud Hilarium, Hieronymum & Augustinum, & breviter ante Gregorium primum de Indulgentiis in significatione, qua quærimus, nihil legimus unquam.*

Postea addit. *Nec juvat dicere, Locus à NON LEGITUR negative, est nullus: quia tempore eorum maxima in divinis Scripturis erat exercitatio, & studium continuum: & aliquid fuisset ab eis positum, si expresse locum in Novo Test. haberent.*

Antoninus Archiep. Florentin. part. 1. tit. 10. c. 1. *De Indulgentiis nihil expresse habemus ex Scriptura Sacra, quamvis ad hoc inducatur illud Apostoli, si quid donavi vobis propter vos in persona Christi, 2. Corinth. 2. nec etiam dictis antiquorum Doctorum; dicitur tamen Gregorius imposuisse Indulgentias septennes in Stationibus Romæ.*

Angelus de Clavisio in Summa, in verbo *Indulgentia*, in quæstione, *Quibus prosunt Indulgentiæ? Licet non habeamus manifesta testimonia ante tempus Gregorii, talem potestatem esse apud Ecclesiam, tamen credendum est, quod ante etiam faciebant, licet non ita frequenter, quod ante sua tempora raro fieri poterant ita solennes; & Catholici, quia erant magis perfecti, non ita indigebant.*

Jacobus Angularis contra Wesselum de Indulgentiis scribens: *Non intendo, inquit, te rationibus impugnare, quis enim argumenta tua fortissima evincat? Sed pro magna tibi ratione, imo magis quam pro ratione debet esse Papæ & Prælatorum autoritas.*

Sylvester Prierias, qui contra B. Lutherum scripsit, ponit hanc propositionem. *Indulgentiæ non innotuere nobis autoritate Scripturæ, sed Ecclesiæ Romanæ & Romanorum Pontificum, quæ major est.*

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis art. 18. contra Lutherum. *Multos fortasse movet, Indulgentiis istis non usque adeò fidere, quod earum usus in Ecclesia videatur fuisse recentior, & admodum sero repertus apud Christianos.*

Postea respondet, *In primitiva Ecclesia non tam necessariam fuisse sive purgatorii, sive Indulgentiarum fidem, atque nunc sit.*

Item inquit: *Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsivit Indulgentias, nam ex illo pendet omnis Indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum Indulgentiis opus erit? Cum itaque purgatorium tam sero cognitum ac receptum Ecclesiæ fuerit universæ, quis de Indulgentiis mirari potest, quod in principio nascentis Ecclesiæ nullus earum fuerit usus? Cœperunt itaque Indulgentiæ, postquam ad purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatum fuerat.*

Ibidem dicit, *Non certo constare, à quo primum tradi cœperint.* (Indulgentiæ) *Fuit tamen*, inquit, *nonnullus earum usus, ut ajunt, apud Romanos. Neque cuiquam obscurum est, quin posterioribus ingeniis multa sint, tam ex Evangeliis, quam ex Scripturis cæteris, nunc excussa luculentius & intellecta perspicacius, quam fuerant olim.*

Polydorus Vergilius lib. 8. de rerum Invent. c. 1. testatur, circa Gregorii Magni tempora demum in lucem editas fuisse Indulgentias.

Verba Polydori sic habent: *Ego originem, quod mei est muneris, quæritans, non invenio ante fuisse, quod sciam, quàm D. Gregorius ad suas stationes id præmii sibi proposuerit. Quapropter in re parum perspicua utar testimonio Johannis Roffensis Episcopi, qui in eo opere, quod nuper in Lutherum scripsit, sic de ejusmodi veniarum initio prodit. Multos fortasse movet, Indulgentiis istis non usque adeo fidere, quod earum usus in Ecclesia videatur recentior & admodum sero apud Christianos repertus; quibus ego respondeo, non certo constare, à quo primum tradi cœperint; fuit tamen nonnullus earum usus, ut ajunt, apud Romanos vetustissimus, quod ex Stationibus intelligi potest.*

Idem. *Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsivit Indulgentias; nam ex illo pendet omnis Indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum Indulgentiis opus erit? Cœperunt igitur Indulgentiæ, postquam ad Purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatum est.*

Cajetanus Cardin. Tractatum de Indulgentiis inter opuscula 15. Cardinali Julio Medici, qui postea Clemens 7. Pontifex, inscriptum, ab his verbis orditur: *De ortu Indulgentiarum si certitudo haberi posset, veritati indagandæ opem ferret; verum nulla sacra Scriptura, nulla priscorum Doctorum, Græcorum aut Latinorum autoritas scripta hunc ad nostram deduxit notitiam, sed hoc solum à trecentis annis Scripturæ commendatum est de vetustis Patribus, quod B. Gregorius Indulgentias Stationum instituit, ut in 4. sentent. D. Thomæ habetur. Ibi videlicet dist. 20. art. 3. q. 2. ita legimus: Quandoque Indulgentia prædicatur longe major, quam justa æstimatio possit requirere, sicut quando Papa dat Indulgentiam, quod, qui vadat ad unam Ecclesiam, habeat septem annos de Indulgentia; cujusmodi etiam Indulgentiæ à B. Gregorio in Stationibus Romæ instituta sunt.*

(Ex Thomæ igitur fide, qui sexcentis annis Gregorio recentior, Durandus, Major, Antoninus, Cajetanus docent, Gregorium in Stationibus Romæ Indulgentias instituisse, apud Gregorium enim nihil tale reperitur.)

Inde Dominicus Soto 4. sent. dist. 20. *Neque apud Augustinum, Hieronymum, aut alium illius classis sanctum Patrem ulla Indulgentiarum memoria reperitur; & quod multum movet, neque Petrus Lombardus diligens sententiarum Patrum Collector ullibi de Indulgentiis meminit.*

Alphonsus de Castro lib. 8. contra hæreses p. 255. in al. edit. p. 184. de Indulgentiis agens, *Inter omnes res*, inquit, *de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minus aperte sacræ literæ prodiderint, & de qua minus vetusti Scriptores dixerint.*

Et paulo post. *Quid mirum si contigerit de Indulgentiis, ut apud priscos nulla sit de eis mentio? præcipue quod tunc magis fervebat Christianorum caritas, ut parum esset opus Indulgentiis. Plures anhelabant ad Martyrium. Pauca erant hominum scelera & si quod erat, gravissima canonum punitione emendabatur. Hic in præsenti vita satisfacere volebant, nihil volebant in futurum puniendum relinquere, quapropter non est mentio ulla Indulgentiarum. Istis autem temporibus refrigiut multorum caritas, & ideo plura committuntur peccata; & pro commissis minorem volunt facere satisfactionem, ideo necessarium fuit, ad Indulgentias tanquam ad asylum confugere, ut aliquod daretur peccatoribus adjutorium.*

Ibid. *Etsi pro Indulgentiarum approbatione sacræ Scripturæ testimonium apertum desit, non tamen ideo contemnendæ erant quia Ecclesiæ Catholicæ usus à multis annorum seculis receptus tantæ est autoritatis, ut qui illum contemnat, hæreticus merito censeatur.*

Guliel-

Guilielmus Lindanus lib. 3. Panopl. cap. ult. *Indulgentiarum origo eruitur ex Cypriani ætate, more apud Catholicas Ecclesias pervulgato.*

Lib. 4. c. 37. *Veteres Remissas vocarunt, quas nos Indulgentias. Nemini igitur harum origo possit esse incognita.*

Bellarminus lib. 2. de Indulgentiis c. 10. §. Sed etiam &c. *Sufficit ad Indulgentias & Bullas defendendas Ecclesiæ autoritas, quæ non tam constanter Indulgentias prædicaret, & in Conciliis œcumenicis approbaret, nisi divinitus sibi traditam esse hujusmodi potestatem non ignoraret.*

(At hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. De eo enim quæritur, an Romana Ecclesia Indulgentias prædicans sit vera Ecclesia, & an hac in parte verum doceat?)

Lib. 3. de Indulg. c. 17. §. 2. fatetur, *Durandum, Antoninum & Roffensem statuere, quod Indulgentiæ tempore Hieronymi & Augustini in Ecclesia fuerint ignoratæ.*

Greg. de Valentia lib. de Indulg. c. 2. *Objici posset, Gratianum & Lombardum, qui ante annos 400. vixerunt, de Indulgentiis nihil meminisse. Respondeo, tunc, cum vixerunt, usus erat severioris pœnitentiæ, qua post defervescente, Indulgentiarum usus increbruit.*

Ibid. c. 4. concedit, quod *non ita expresse ostendatur in Scripturis ipsum Indulgentiæ nomen, & quod non ita aperte, frequenter, & in specie res etiam ipsa Indulgentiarum à veteribus commemorentur.*

Addit causam. *Causa, inquit, fuit usus pœnitentiæ severioris, qua temporibus illis multum vigebat, ita ut non esset magnopere necessarium beneficio Indulgentiarum uti. Postea vero decrescente illo fervore pœnitentiæ illarum usus increbescere cœpit.*

Bailius in Catech. Controv. tract. 3. q. 13. *Devotione paulatim languescente Sancti nostri Patres Papæ, post S. Gregorium Magnum anno circiter 590. viventem, sæpius Ecclesiæ thesaurum aperuerunt, justisque ac necessariis de causis Jubilæa ac Indulgentias frequentiores instituerunt.*

(Aperuerunt Papæ thesaurum Indulgentiarum eo tempore, quo thesauros pecuniarum colligere voluerunt, ac devotione populi refrigescente ad fovendum culinæ suæ calorem abusi sunt.)

Petrus à Soto in Instruct. Sacerdot. lect. 1. de Indulg. ultro concedit, *non solum non esse aperta Scripturæ testimonia de Indulgentiis*, & suos admonet Catholicos, *ne minus certis innitantur*, sed addit insuper, *se antiquæ & primitivæ Ecclesiæ non habere certa testimonia, traditionem Apostolicam se in hac materia non habere.*

(Merito igitur contra Alphonsum de Castro & reliquos Pontificios fatentes, Indulgentias non posse ex Scriptura vel Antiquitate probari, urgemus illud, quod habetur apud eundem Alphonsum de Castro lib. 1. adv. hæres. c. 14. *Ipsa doctrinæ novitas est de se suspecta, quoniam Christus & Apostoli ejus sufficientem doctrinam ad vitam æternam consequendam dederunt. Nec post legem à Christo datam est alia lex iteram à Deo danda, quoniam Testamentum hoc est æternum. Si ergo aliquid novi nunc prædicatur, cujus nec vestigium habetur relictum in Ecclesia ab Apostolis usque ad hūc diem, ipsa rei novitate est suspectum, quoniam tunc oporteret fateri, Apostolos non perfecte aut sufficienter prædicasse Evangelium, Ecclesiamque, quam docendam Spiritus Sanctus suscepit, tam longo tempore fuisse in tenebris ignorantiæ.*)

Huc referri potest, 1. quod agnoscunt, *Bonifacium VIII. primum instituisse ac celebrasse Jubilæum Anno Christi 1300.*

(Jubilæi enim nihil aliud sunt, quam solennes Indulgentiarum promulgationes ac nundinationes.)

Onus Ecclesiæ c. 14. §. 4. *Bonifacius octavus pio usus consilio Anno Domini 1300. Jubilæum plenariæ remissionis instituere cœpit, & deinceps quolibet centesimo anno observari mandavit. Quem Jubilæum Clemens sextus exemplum veteris legis secutus, ad quinquennarium reduxit, qui est proprie Jubilæi numerus. Siquidem in Vet. Testam. quinquagesimus annus fuit Iubilæus &c. Attento autem, quod ætas hominum non quidem centenarium, sed nedum quinquennarium Iubilæum raro attingere possit, idcirco Sixtus quartus anno Domini 1475. declaravit, Iubilæum esse concedendum singulis vigesimis quintis annis. Deinde inolevit, quod etiam extra præmissa statuta Ecclesiæ tempora absque delectu temporis ac ordinis pluries & superabundantius inordinatæ Indulgentiæ sunt concessæ.*

(Bulla Bonifacii VIII. extat in Extravag. communibus lib. 5. tit. de Pœnit. & remiss. cap. 1. Bulla Clementis VI. subjecta est Bullæ Bonifacii. Sixti quarti Bulla eodem Decretalium titulo habetur.)

Platina in vita Bonifacii VIII. *primum illum Jubilæi autorem dicit populis terrorem potius, quam religionem injicere conatum fuisse, aurum undiquaque conquisitum plusquam dici potest, sitientem.*

Albertus Crantzius lib. 4. Saxoniæ c. 26. *Millesimus Christianæ salutis annus toto silentio dilabitur sub Pontificio Sylvestri secundi & Imperio Othonis tertii. Jubilæus autem annus necdum venerat in mentem Pontificibus, ut eo instituto, quo præsens quingentesimus post mille celebraretur.*

Idem Crantzius lib. 8. Saxon. cap. 36. *Usque ad illum* (Bonifacium octavum) *Pontificibus non venerat in mentem tam festo negotio commovere Christianismum.*

Polydor. Vergil. lib. 8. de rer. Invent. c. 1. *Alexander VI. cujus Pontificatus incidit in annum humanæ salutis MD. Sixti secutus institutum cœpit Iubilæum non modo Romæ, sed etiam in longinquis provinciis, ac stationes ubique gentium prope vicatim instituere, idq; tam sui, quam populi Christiani commodi causa, ut ajebat, fecit, quo eum labore petendæ urbis levaret.*

Cornelius Agrippa de vanit. scient. c. 61. *Bonifacius VIII primus instituit Iubilæum, & Indulgentiarum nundinas, primus in purgatorium extendit Indulgentias.*

Idem de Bonifacio referunt Polydorus Vergilius d. l.

Toletus lib. 6. Instruct. Sacerdot. c. 24. & alii passim.

2. Quod agnoscunt, Indulgentias tum demum posterioribus seculis increbrescere cœpisse, cum pietatis & bonorum operum studium in Ecclesia refrigescere cœpit.

Johan. Fischerus Roffensis ad art. 17. Luth. *Nō tam necessaria fuit Purgatorii sive Indulgentiarum fides in primitiva Ecclesia, atque nunc est. Nam tunc usque adeo caritas ardebat, ut paratissimi fuissent singuli pro Christo mortem oppetere: rara fuerunt crimina, & ea, quæ contigerunt, magna fuerunt canonum severitate vindicata. Nunc autem bona pars populi magis Christianismum exueret, quam rigorem canonum pateretur, ut non absque maxima Spiritus Sancti dispensatione factum sit, quod post tot annorum curricula purgatorii fides & Indulgentiarum usus ab Orthodoxis generatim sit receptus.*

Polydor. Vergilius lib. 8. de rer. Invent. c. 6. *Tempore cumprimis Bonifacii VIII. Pontificis, quando hujusmodi venia plena manu nō concedebatur modo, verum etiam, teste Platina, ut quædam merces vendebatur &c. minus multi à malefactis abstinebant, & clavium autoritas multo vilior erat.*

Clingius lib. 3. Locor. cap. 14. *Quoniam refriguit caritas, & increvit peccatorum consuetudo, nec est, qui vel pro peccatis studeat satisfacere, vel etiam possit: ob id Romanus Pontifex permotus ex Pastorali caritate, ne vel saltem omnes perirent, & qui minus sufficienter satisfaciunt illis patrocinetur, ut sic omnibus consulat, ex concessa sibi solvendi ab his pœnis debitis potestate confert Indulgentiam.*

3. Quod agnoscunt, Jubilæum ex ritibus Ethnicorum in Ecclesiam esse deductum.

Polydor. Vergil. lib. 8. de rerum Inventor. c. 3. p. 613. *Pontifex Bonifacius VIII. Iubilæum centesimo quoque anno servari mandavit, quod fecisse videtur, ut populum cumprimis Romanum ab inani secularium ludorum celebratione ad verum solenne Sacrum reduceret. Fuerunt ludi seculares, ut Festus attestatur, in honorem Apollinis & Dianæ instituti centesimo quoque anno, clamante præcone: Venite ad ludos quos nemo mortalium vidit, neque visurus est: nam seculum centum continet annos, unde ipsi ludi seculares nominati sunt, de quorum origine supra libro quarto diximus.*

4. Quod agnoscunt, Jubilæum ex Judaismo in Ecclesiam esse deductum.

Clemens VI Ann 1350. indixit Jubilæum diplomate, quod habetur Extrav. comm. lib. 5. tit 9. de pœnit. & remiss. cap. 2. Unigenitus, ubi inter alia sic loquitur: *Nos attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaica (quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter implere) Iubilæus remissionis & gaudii, sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur, quoque ipse quinquagenarius numerus in Testamentis, veteri quidem ex legis datione, novo ex visibili Spiritus Sancti in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur: quodque huic plura & grandia divinarum adaptantur mysteria Scripturarum, & clamorem peculiaris nostri populi Romani, videl. hoc humiliter supplicantis, ac nos ad instar Mosis & Aaron per proprios & solennes nūcios ad hoc destinatos specialiter orantis pro toto Christiano populo, ac dicentis: Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ desiderantes benignius exaudire, non quidem ut illius Israelitici populi indurati cesset murmuratio, sed ut isti⁹ prædilecti populi & cunctorū augeatur fideliū devotio, fides splēdeat, spes vigeat, caritas vehēenti⁹ incalescat, volētesq; quamplu-*

quamplurimos hujusmodi Indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu, propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, de fratrum nostrorum consensu, prædictam concessionem Indulgentiæ ex supra scriptis & aliis de causis ad annum quinquagesimum duximus reducendam.

Platina in vita Bonifacii VIII. *Jubilæum retulit* (Papa Bonifacius) *anno millesimo trecentesimo, quo plenam delictorum omnium remissionem his præstabat, qui limina Apostolorum visitassent ad exemplum Testamenti veteris, licet, primo quidem apud Judæos hujus longe alia ratio sit habita. Jubilæum namque quinquagesimo quoque anno repetebant, quo debitores à creditoribus laxabantur, ut ait Josephus, & servi libertatem vendicabant, unde libertatis nomen præ se fert tam animi, quam corporis. Nam liberi vere hi dici possunt, quibus peccata remittuntur. Idem etiam centesimo quoque anno observari mandavit.*

Polydorus Vergilius lib. 8. de rer. Inventor. cap. 1. pag. 612. *Bonifacius VIII. ad sacra loca visenda piorum maxime incitavit studium, qui primus omnium Jubilæum retulit, anno, qui fuit MCCC. salutis humanæ, quo pœnarum remissionem iis præstabat, qui limina Apostolorum visitassent, ad exemplum veteris legis.*

5. Quod agnoscunt, Indulgentias secum afferre peccandi licentiam. Claudius Espensæus Theol. Paris. de libro, qui inscribitur Taxa Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ, sic disserit in comm. Tit. 1. Digress. 2. *Liber iste palam ac publice impressus & hodieque, ut olim, venalis est, in quo plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum Summistis & Summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus absolutio emturientibus proposita.*

Ibid. enumerat Espensæus eos, quibus delictorum venia pro pecunia & precio conceditur, *Presbytericidas, parricidas, matricidas, fratricidas, sororicidas, uxoricidas, infanticidas, veneficas, incantatrices, concubinarios, adulteros, incestos cum affinibus ant consanguineis, denique contra Naturam cum brutis.*

6. Quædam hypotheses adversariorum.

Primo, Leo Magnus Epist. 81. ad Palæstinos (tom. 1. Concil. p. 791.) *Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum fine suo persolvit, cum inter filios hominum unus solus Dominus noster J. C. extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati, de quibus ipse dicebat: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*

Durandus 4. sent. dist. 45. v. 4. *Non est verisimile, quod à sanctis aliquid valoris redundet in nobis per modum satisfactionis vel meriti proprie dicti, quia illa satisfactio vel meritum non potest esse per opera, quæ nunc faciunt, dum sunt in beatudine, quia nec sunt in statu merendi, nec faciunt opera pœnalia, per quæ sola proprie fit satisfactio: nec ulla satisfactio meritum esse potest per opera, quæ fecerunt, dum viverent, quia opus bonum, quod non transfertur per operantem, dum actualiter operatur, non est postea transferibile, quia jam translatum est in aliquem, puta in facientem. Igitur opera, quæ fecerunt, dum viverent, non possunt postea transferri in nos, ita ut valeant per modum meriti.*

(Falsum igitur est, quod sancti non solum pro suis, sed etiam pro aliorum peccatis vel peccatorum pœnis satisfecerint, qua tamen hypothesi Papalium Indulgentiarum thesaurus nititur.)

2. In Bulla Jubilæi Ann. 60. Pontifex testatur, *quod per Indulgentias contingat plenissima omnium peccatorum Indulgentia & remissio à pœna.* Ac in libro Indulgentiarum dicitur: *Qui cum devotione per aureas portas, quæ tantum in Jubilæo aperiri solent, ingreditur, liber fit à peccatis non aliter, ac cum primum baptizatur homo.*

(Quomodo igitur adhuc jubentur homines de peccatorum remissione & gratia Dei dubitare, qui Indulgentias magno ære sibi compararunt?)

3. In Bulla Jubilæi à Clemente VI. edita, *Papa tantam in Purgatorio & in inferis potestatem habere* dicitur, *ut, quantum quantū velit, animarum numerum, quæ mistis locis cruciantur, per suas Indulgentias liberare, & confestim in cœlis ac beatorum sede collocare possit.*

Ac in Disputatione de Indulgentiis Ingolstadii Anno 600. habita, ac Petri Stevartii Censura comprobata th. 22. sic habetur: *Credibile est, Pontificem summa sua potestate utentem tot tantasq; Indulgentias largiri defunctis posse, ut evacuato purgatorio omnes animæ ad cœlum subvolent.*

(Si Pontifex Rom. habet absolutam ac liberam potestatem animas, quas velit, è purgatorio liberandi, oportet ipsum esse perquam avarum & immisericordem, qui misellas animas non statim ex eo liberat, sed propter pecunias in Jubilæo ac pro Indulgentiis prius expendendas diutius eas torqueri permittit, ut proinde haud immerito ad ipsum applicari possit, quod Ambrosius in libro de Naboth de divite avaro usurpat, *Infelix, cujus in potestate est, tantorum animas à morte defendere, & non est voluntas.*

3. Pontificii plerique omnes contendunt, *Christi satisfactionem ac meritum esse valoris ac precii infiniti, propter personæ scil. infinitatem,* ut recte declarat Bellarminus lib. 2. de Justific. c. 5. §. Quod attinet.

(Atqui si Christi satisfactio & meritum est valoris infiniti, cur passiones, merita & satisfactiones sanctorum in Thesauro Indulgentiarum illi conjungitur? Hoc est συγκλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα.)

4. Pontificii statuunt, *sanctos in Domino defunctos plenissimum operum & passionum suarum mercedem jamdum recepisse.* Visio enim Dei beatifica, ad quam ipsorum animæ jamdum post mortem pervenerunt, est bonum infinitum.

Quomodo ergo ipsorum satisfactiones aliis applicari possunt, qua tamen hypothesi Indulgentiæ nituntur.

5. Pontificii nostram *de imputatione justitiæ Christi* doctrinā alto supercilio rident, vocantes *justitiam putativam & imaginariam figmentum cerebri Lutherani,* ut suo loco apparebit.

(At si Christi justitia ac meritum, quod tamen valoris est infiniti, nobis imputari nequit, quæ hæc est audacia, quod asserunt, *Sanctorum opera & passiones aliis applicari posse?*)

6. Bellarminus lib. 4. de pœnit. c. 5. §. Neque &c. disputat, *Satisfactionem impositam à Confessario esse utilissimam, quia coercet à peccando, conducit ad habitus vitiorum eradicandos & ad iram Dei placandam.*

At si imposita à Confessario satisfactio est utilissima, utiq; Indulgentias, quæ definiente Cajetano opusc. 15. c. 2. Latomo contra Lutherum art. 7. & Toleto lib. 6. Instruct. Sacerdot. c. 22. & aliis, sunt satisfactionum istarum remissiones & relaxationes, oportet esse perniciosas. Confer quæ adducta superius ex Onere Ecclesiæ c. 15. §. 28.)

Idem Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 4. resp. ad 3. object. *Non est opus, ut adjungantur passiones sanctorum passionibus Christi, sed adjunguntur tamen, quia æquum est, ut passiones illæ coram Deo non sint inanes.*

(At æquitas illa pendet tantum ex arbitrio & dictamine humano.)

8. Idem lib. ejusd. c. 12. §. Observandum &c. *Assistentia populi ante fores Basilicæ D. Petri Romæ, dum summus Pontifex in die Paschæ populo solenniter benedicit, (propter quam Indulgentia plenaria omnibus astantibus datur,) etsi per se est res levissima & minima causa, est tamen eadem magna & justa, quoniam frequentia illa populi eo tempore est aptum & utile medium ad protestationem fidei de capite Ecclesiæ atq; ad honorem sedis Apostolicæ, qui est finis illius Indulgentiæ.*

(Sic ergo populus & Papa sibi mutuas tradunt operas. Populus confirmat Papæ primatum per suam præsentiam & susceptionem Indulgentiæ. Papa vero confirmat populum per dispensationem Indulgentiæ in superstitione & Pharisaica de meritis operum opinione.)

6. Salmero in c. 6. Eccl. super verba, *Onus suum unusquisque portabit,* sic commentatur: *Rationem reddere videtur, cur nullus gloriationem sit habiturus in semetipso, quia unusquisque proprii peccati onus portabit, judicandus à Christo in postremo die, neque per alterius opus, si alius bene fecerit, aut per alterius judicium, si alius de eo bene sentiat, quisquam exorabitur, sed ipsius tantum Dei sententiā.*

Et postea. *Hic agitur de onere reddendæ rationis, quod quilibet per se portabit, sive sit onus præmii, sive pœnæ.*

(Atqui si nemo potest alterius onus portare. Ergo nemo potest pro alterius peccatis satisfacere.)

10. Per *oleum* in parabola decem Virginum Matth. 25. agnoscunt significari *bona opera.*

Maldonatus in illum locum. *Sumere oleum in lampadibus in parabola, est bonorum operum copiam & veluti thesaurum quendam in futurum Christi adventum recondere.*

Corn. Jansen. ibid. *Quidam sunt similes virginibus fatuis, nimirum qui non satis attendunt incertitudinem adventus Domini, &*

ni, & ob id negligentius vivunt, nec proinde sibi prospiciunt de iis, quæ in adventum ipsius necessaria fore deberent providere, nimirum opera misericordiæ, aliarumque virtutum ex sincera facta caritate.

Sebastianus Barradius ibid. *Indicat opus esse, opera bona præparare magna copia, ut oleum Virgines prudentes paraverunt, non solum in lucernis, sed etiam in vasis.*

(Ex illis sic colligimus: Bona opera sanctorum non possunt aliis communicari. Satisfactiones ex hypoth. Pontif. sunt bona opera. Ergo. Maldonatus excipit, *in extremo judicio illam communicationem non amplius locum habituram.* Atqui docente Augustino Epist. 80. *in quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies.* Ergo etiam mortuis aliena suffragia non possunt communicari.)

11. Laymannus Jesuita lib. 5. Theol. moral tract. 7. cap. 8. ex Sixti IV. & moderni Urbani VIII. Bullis refert, *quod durante anno Jubilæo omnes aliæ Indulgentiæ per totum orbem extra Romam omnino suspendendæ, quodque earum illo anno sit irritus effectus, ut si Indulgentia solum eo anno vigeat & floreat Roma, homines tanto avidius ad eam lucrandam accelerent.*

(At sunt multi Clinici, debiles, pauperes, aut alio vinculo impediti, qui non possunt Romam excurrere & lustralem annum obire, quando hi durante anno Jubilæo morte præventi ab Episcopis vel aliis extra Romam non consequuntur Indulgentias, summo periculo exponuntur, ac omnis culpa redundabit in caput Pontificis, qui hunc thesaurum annum integrum solis Romanis mœnib. inclusit.)

12. In libro Ceremoniarum tit. 15. de ægrot. Pontif. scribitur *Papam quoque in purgatorium descendere.*

(At si Papa habet plenam potestatem per Indulgentias animas, quas velit, è purgatorio liberandi, cur non sibimet Indulgentias applicat, ne in purgatorium descendat?)

13. Praxis testatur, *Pontificem Romanum ad absentes quandoque mittere Indulgentias*, cujus rei exemplum paulo superius ex Chronico Pauli Langii adduximus.

(At si Pontifex ad absentes potest mittere Indulgentias, cur homines tantis sumtib. Romam peregrinari jubentur?)

14. Pontificii docent, *in die extremi judicii purgatorium penitus evacuatum iri.* Diem autem illum extremi judicii præ foribus esse, negare vix audebunt.

(At si hæc ita se habent, quorsum Pontifices aliquot mille annorum Indulgentias adhuc distribuunt? In Horis B. Mariæ Virginis ad usum Sarisbur. paulo minus quam *undecies mille millenorum annorũ Indulg.* pro recitatione certarũ precularum offertur. Extant Bullæ multæ, liber etiam Romanarum Indulgentiarum, in quibus dat *quatuor, sex & octo millium annorum Indulgentias,* ita ut Indulgentiæ stationum urbis Romæ ad multa centena millia annorum ascendant. Stationes illæ sunt Latine editæ Romæ Anno 1475. & postea Germaniae amplificatæ Norinbergæ Anno 1491.)

15. Gregorius de Valentia tom. 2. Disp. 6. q 7. puncto 5. col. 822. & col. 824. scribit, *decretam divinitus esse cunctis pœnitentibus pœnam temporalem remissa culpa adhuc exsolvendam, eo fine, ut hoc pacto divinæ justitiæ per peccata læsæ satisfiat.*

(Quod si ergo hæc est Dei voluntas, ut pœnitentes satisfaciant divinæ justitiæ, utique Pontificii divinæ voluntati per suas Indulgentias adversantur. Si Deus justam causam habet imponendi pœnas, Papa non poterit habere justam causam relaxandi easdem pœnas. Voluntas Dei est, ut per istam pœnæ tolerantiam dolorosam satisfiat justitiæ divinæ. Voluntas Papæ est, ut per Indulgentias homo liberetur à tolerantia illius pœnæ, adeoque per talem tolerantiam non satisfiat divinæ justitiæ.)

7. Dissensiones Pontificiorum in hac de Indulgentiis quæstione.

Eas vero nec ipsi Pontificii negant vel dissimulant.

Polygranus in assertionibus quorundam Ecclesiæ dogmat. *Fateor, rem sane difficilimam de his quippiam definire, tum quod non satis dilucide Scripturis constent, tum quoque quia & ipsæ hominum opiniones parum conveniant.*

Josephus Angles in 4. sent. quæst. de Indulg. *quinque* enumerat *opiniones* contrarias *de valore Indulgentiarũ, duas de thesauro, duas de causa sufficiente, duas de dispositione recipientis, duas de tempore, quo incipit esse sub gratia, duas de sufficientia eleemosynæ pro bello sacro datæ.* Sic ergo *quindecim* dissensiones numerat, de quibus invicem pugnant, & ita quoque pugnant, ut quandoque autoritatem Pontificis petant, v. g. cum referente Angles d. l. diffin. 5. art. 2. doctissimus Victoria & Magister Soto dicunt, *continere ejusmodi diplomata intolerabilem errorem, propterea quod pro minima eleemosyna amplissimæ Indulgentiæ conceduntur.*

Age vero in specie quasdam dissensiones expendamus.

Primo, Pontifex in Bulla Jubilæi Anno 60c. promittit *plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam, remissionem & veniam illis, qui certis diebus quatuor templa Petri, Pauli, Johannis & Mariæ devote visitant &c.*

Sed Doctores Pontificii multas addunt restrictiones, utpote primo, *Indulgentias non valere ad remissionem culpæ mortalis vel venialis* Bellarminus lib. 1. de Indulgent. cap. 7.

Secũdo, *non valere ad remissionem pœnæ æternæ, nec prodesse illis, qui vivunt in peccato mortali, & sunt extra Dei gratiam.*

(Cur ergo Papa tam liberè omnium peccatorum indulgentiam plenissimam promittit? Quid aliud sunt peccata, quam culpa? quid aliud omnia peccata, quam mortalia & venialia? quid aliud remissio plenissima, quã remissio culpæ & pœnæ?)

Tertio, *non valere ad remissionem pœnarum naturalium, civilium & divinarum, quæ non sunt subjectæ clavibus Ecclesiæ?* (Ad quid igitur prosunt? respondent,) *ad remissionem pœnæ temporalis, quæ post pœnitentiam vel in hac, vel in futura vita, videlicet in purgatorio luenda restat.*

(At num hæc est plenissima omnium peccatorum indulgentia remissio & venia?)

Quid, quod ne quidem de temporalis pœnæ per indulgentias relaxatione certi quid polliceri audent Sophistæ. Sic enim disserit Gregorius de Valent. lib de Indulgent. punct 3. *Notandum, neque per hanc Indulgentiæ formam, scil. de injunctis pœnitentiis, neque per ullam aliam, quantumvis amplam & generalem, relaxari obligationem, qua propter integritatem Sacramenti tenetur Confessarius salutarem pœnitentiam pœnitenti injungere, & pœnitens eam implere, ut recte censuit Paludanus, quicquid contra videantur plerique opinari.* Idipsum confirmat argumentis: *quod ea sit obligatio juris divini: quod alioqui truncaretur Sacramentum una sui parte, nempe Satisfactione; quod ita habeat usus Ecclesiæ: quoniam alioqui per usum Indulgentiarum, quæ variæ passim in promtu extant, posset aliquis licite subterfugere per totam vitam omne studium satisfaciendi; quia nemini est infallibiliter certum, se revera consequi beneficium Indulgentiæ, atque ita non mirum, si adhuc propter integritatem Sacramenti teneatur, per propriam etiam satisfactionem, dare operam, ut sese liberet à reatu pœnæ judicio Dei debitæ.*

(An non igitur illuditur hominibus quando plenissima omnium peccatorum indulgentia in Bullis Papalibus ipsis promittitur?)

Bellarminus festivus est, qui hac de re sic disserit lib. 1. de Indulgent. cap. 14. §. Quinta quæstio &c. *Cardinalis Cajetanus in tract. 10. qui est de suscipientibus Indulgentias quæst. 1. docet, requiri, ut qui vult consequi Indulgentias; habeat propositum satisfaciendi Deo propriis laboribus quoad poterit, iis autem, qui nolunt pro se satisfacere, cum possint, negat prodesse Indulgentias, ex quo etiam colligit, paucos admodum* (nota, paucos admodum) *revera* (nota, opinione quidem, sed non revera) *frui Pontificiis Indulgentiis ex tanto numero adeuntium Ecclesias temporibus stationum aliarumque similium Indulgentiarum. Quæ sententia utilis est & pia, sed fortasse non vera* (Ergone aliquid utile & pium, quod fortasse non verum? nimirum secundum illud quorundam veterum, *Indulgentias esse pias fraudes:*) *præsertim cum sit contraria communi aliorum doctrinæ, ut ipse etiam Cajetanus fatetur* (Ergone communis doctrina est regula veritatis in Ecclesia?) *nec enim legi ullum autorem, qui Cajetanum sequatur, præter Bartholomæum Fumum in Summa, quæ Armilla dicitur, verbo Indulg. n. 13.* (Hic Fumus parum abest, quin temeraria sua assertione in fumos & favillas redigat tam pretiosas indulgentias.) *Nec video, quemadmodum summi Pontifices non deciperent populos, si Indulgentias cum ea conditione proponere vellent, quam nunquam explicarent,* (scilicet Pontifices nunquam decipiunt populos.)

Huc referri potest, quod Glossa in c. Quod autem. de Pœnit. & remiss. recitat *quinque opiniones* de pœna, quæ per Indulgentias remittitur, quibus Angelus de Clavisio in Summa, in verbo Indulgentia, adhuc *duas* addit:

Prima tenet, *quod solummodo remittitur illa pœna, quam Deus pro supplemento statuit imponendam in alia vita illis, qui solummodo fecerunt pœnitentiam, secundũ quod canones imponunt, sed illam quã Canones imponunt faciendam, nullo modo remittit.*

Secunda tenet, *quod solum remittit pœnam taxatam à jure seu* ca-

canone pœnitentiali, sed non eam, quam divina justitia statuit imponendam.

Tertia tenet, quod remittat pœnam debitam peccato, & quoad Deum & quoad Ecclesiam. Sed concedens onerat se ad satisfaciendum pro illo, cui dedit.

Quarta tenet, quod remittitur solum illa pœna debita peccato, pro quo non satisfecit ex negligentia, sive quoad Ecclesiam, sive quoad Deum, non autem illam, quam contemsit facere, seu noluit.

Quinta tenet, quod remittuntur etiam pœnæ inferni.

Sexta tenet, quod per indulgentias remittitur pœna taxata à Deo & etiam à Sacerdote imposita, si modo ipse Sacerdos, qui eam imposuit, hoc sibi concesserit, ut eam per tales remissiones vel in partem, vel in totum possit redimere. Hanc tenent multi Canonistæ.

Septima tenet, quod Indulgentiæ valent, Primo, quoad augmentum gratiæ. Secundo, quoad augmentum gloriæ. Tertio, quoad pœnam debitam in purgatorio. Quarto, quoad pœnam impositam à Sacerdote secundum partem vel totum, prout sonant.

Secundo, Pontifices in Bullis sæpe dicunt, se concedere plenam, pleniorem & plenissimam Indulgentiam. Quid inter hæc sit discriminis, anxie quærunt.

Johannes de Turrecremata in Comment. dist. 1. de Pœnit. super illud, Item in Levitico q. 4. Quomodo distinguantur illi gradus, quoad remissionem pœnæ non apparet; nisi dicatur plena respectu mortalium; plenior respectu pœnæ injunctæ mortalium & venialium; plenissima respectu pœnitentiarum injunctarum & non injunctarum, id est, quæ fuerunt injunctæ, & debuerunt & potuerunt injungi. Vel sic, quod plena sit respectu pœnæ mortalium; plenior respectu pœnæ injunctæ mortalium & venialium; plenissima sit respectu culpæ venialium, quod potest dimitti pœna mortali debita, non remissa pœna debita veniali, sicut & culpa, & potest solvi pœna unius peccati alia non soluta.

Contra Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 9. §. 3. Indulgentia plenaria totum pœnæ reatum tollit, qui post culpam remissam forte remansit. Indulgentia plenior vel plenissima etiam in Jubilæo reverà non differt à plenaria simpliciter & absolute concessa. Neque solida est illa quorundam distinctio, quod plena referatur ad solam pœnam peccatis mortalibus debitam; plenior addat remissionem pœnæ debitam peccatis venialibus; plenissima adjungat absolutionem non solum à pœna, sed etiam à culpa, saltem veniali. Posset tamen fieri, ut Bonifacius VIII. qui in Extravag. Antiquorum, primus usus est illis vocibus, indulgentiam plenam, largiorem & plenissimam, retulerit plenam ad remissionem totius pœnitentiæ injunctæ; pleniorem sive largiorem ad remissionem totius pœnitentiæ, quæ secundum canones injungi debuisset; plenissimam ad remissionem totius pœnitentiæ, quæ à divino judicio posset exigi.

Tertio, quæritur, an Indulgentiæ prosint laborantib[9] in purgator.

Bellarmin. lib. 1. de Indulg. c. 14. §. 2. Hæretici omnes tum recentiores, tum antiquiores, qui purgatorium negaverunt, consequenter etiam suffragia & Indulgentias mortuis prodesse negaverunt. Ex Catholicis Ostiensis in Summa lib. 5. tit. de Remissionib. num. 9. & Gabriel lect. 57. in Canonem Missæ docuerunt, Indulgentias defunctis non prodesse. Sed Gabriel cito correxit errorem &c.

Poligranus in assert. quorundam Ecclesiæ dogmatum. Sunt opiniones diversæ, num etiam animabus in purgatorio Pontifices Indulgentias impartiri queant, aliis id asserentibus; aliis vero negantibus. Nos cum potioribus dicamus, clavium potestatem, uti nec in aliis, ita nec in dandis Indulgentiis, se ad defunctos extendere.

Contra Bellarmin. d. l. §. 3. Res est certissima & apud Catholicos indubitata, Indulgentiis juvari posse animas, quæ in purgatorio pœnas luunt.

Johannes de Turrecremata artic. 6. conclus. 10. distinguit. Indulgentiæ prosunt dupliciter, Uno modo principaliter, alio modo secundario, Principaliter quidem ei, qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc pro quo datur Indulgentia, ut qui visitat limina alicujus Sancti; unde cum mortui non possunt facere aliquid eorum, pro quibus Indulgentiæ dantur, eis Indulgentiæ directe valere non possunt. Secundario autem & indirecte prosunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod est Indulgentiæ causa.

Sed posito, Indulgentias prodesse defunctis, adhuc porro quæritur, an infallibiliter illis prosint.

Laymannus Jesuita lib. 5. Theol. moral. tract. 7. c. 7. num. 1. affirmat, Indulgentias defunctis certo & infallibiliter prodesse.

Sed Bellarmin. lib. 1. de Indulg. cap. 14. statuit, Indulgentiam pro defunctis concessam, non habere effectum certum & infallibilem, sed tantum prodesse per modum suffragii secundum misericordiam & liberalem Dei acceptantis voluntatem. Quia judex supremus non tenetur commutationem pœnæ sibi debitæ admittere, nisi ad id se promissione aliqua obligarit. Sed Christus suprem. judex nõ obligavit se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro liberatione defunctorũ, quia promissio Matt. 16. Quicquid solveris, ad vivos tantum referri videtur.

Quarto, de modo, quo Indulgentiæ animabus defunctorũ in purgatorio æstuantibus applicentur, plurimum variant.

Olim creditum fuit & adhuc hodie à quibusdam defenditur, Papæ jurisdictionẽ esse illimitatam & extendere se in purgatoriũ, ita ut animabus in purgatorio Indulgentias per modum absolutionis communicare possit, Godschalcus Holem Domin. 2. post Pascha serm. 2. Bonaventura lib. 4. sent. dist 20. quæst. 5. unde D. Theodoricus Morũg Canonicus Herbipolensis, Bambergensis & Eichstetensis Anno 1489. pro hæretico declaratus fuit, quod hoc concedere noluerit, ut memoratur in Fasciculo temporum Werneri Rollwincks Pastoris Hofensis & in Appendice illius Fasciculi à Johanne Pistorio Francof. An. 1584. edita. Eò etiam inclinant quidam ex Jesuitis, ut patet ex Disputatione de Indulgentiis An. 600. habita, in qua th. 52. sic habetur: Etsi probabilis sit sententia asserentium, jam restrictam sublatamque esse Episcoporum potestatem ad concedendas defunctis Indulgentias, æque tamen probabilis, si non probabilior est eorum, qui id negant. Credibile etiam est, Pontificem summa sua potestate utentem, tot tantasque Indulgentias largiri defunctis posse, ut evacuato purgatorio omnes animæ ad cœlũ evolent. Quam disputationem Stevartius in Censura præfixa prædicat elegantem, doctam & orthodoxæ veritati consentaneam.

Augustinus Triumphus Anconitanus lib. de potest. Eccles. q. 32. art. 2. Dicendum est, quod illi, qui sunt in purgatorio, subjiciuntur Papæ, quantum ad meritum conditionale, (quod opponit merito essentiali.

Michael Medina Disp. 7. cap. 34 & Disput. 8. cap. 41. de Indulgent. contendit, animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio, pertinere ad jurisdictionem summi Pontificis, & posse ab eo Indulgentias percipere per modum absolutionis.

Reliqui tamen Scriptores Pontificii communiter statuunt, jurisdictionem Papæ, summi Indulgentiarum dispensatoris, Episcoporum Episcopi non extendere se ad purgatorium, ac proinde defunctis dari Indulgentias non per modum absolutionis, sed suffragii. Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 14. Fornerus de Jubil. p. 207. cum quibus congruunt ea, quæ ex Onere Ecclesiæ cap. 15. & seqq. adduximus paulo superius.

Joh. Major. 4. sent. dist. 20. q. 2. memorat, contrariam sententiam suo tempore à Schola Parisiensi fuisse damnatam.

(At cum nemo possit absolvere vel condemnare eos, qui jurisdictioni suæ non sunt subjecti, quomodo Papa ex ficto illo thesauro animabus in purgatorio quicquam communicare poterit? Respondent quidem, uti diximus, id fieri non per modum absolutionis, sed per modum suffragii. At ubi modus ille suffragii vel in Scriptura, vel in Patribus proponitur?)

Quinto, quærunt porro, quid significet illud per modum suffragii prodesse?

Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 14 q. 3. Non desunt, qui existiment, Indulgentias prodesse defunctis per modum suffragii, quia prosunt eis suffragia, id est, Missæ, preces & alia pia opera, quæ Pontifex injungit, cum Indulgentias tribuit. Sed hoc non est Indulgentias prodesse &c.

Sed Cunerus Petri in lib. de Indulg. alium ponit explicationis modum, quam Bellarminus.

Alii existimarunt, Indulgentias defunctis prodesse per modum suffragii, quia tametsi ipsæ Indulgentiæ revera prosint, tamen prosunt per suffragia viventibus imperata | Sed neque hæc sententia rationem reddit idoneam illorum verborum &c. Vera igitur sententia est Indulgentias prodesse per modum suffragii, quia non prosunt per modũ absolutionis juridicæ, sed per modum solutionis, quo modo prosunt suffragia, quæ vel publice, vel privatim pro defunctis fieri solent. Sed cum suffragia tribus modis defunctos juvent per modum meriti de congruo, per modum impetrationis, & per modum satisfactionis; Indulgentiæ autem non sint, nisi satisfactoriæ, intelligendum est, Indulgentias dari defunctis per modum suffragii tantum satisfactorii.

Sexto, ostendimus superius, quosdam ex Pontificiis agnoscere, quod Indulgentiæ non fuerint in primitiva Ecclesia usitatæ.

Contra Olorius tom. 4. Concion. in public Jubil p. 285. & Salmeron in cap. 2 posterioris ad Corinth. tom. 4 p. 285. audacter statuunt, à tempore Apostolorum Indulgentias concessas fuisse.

Septimo, Quinimo Gregorius de Valent. tom 4. Comm. col. 1962. non diffitetur, Pontificios de vera & propria Indulgentiarum Natura dissentire. Per hanc descriptionem (inquit) variæ excluduntur opiniones falsæ circa Indulgentias.

Prima

Prima est, Indulgentiam proprie non esse remissionem pœnæ, sed solutionem pro pœna. Ejus sententiæ autores sunt Durandus in 4. sent. dist. 20. q. 3. & Paludanus dist. ead. q. 4.

Secunda opinio est, Indulgentias esse solum applicationem thesauri Ecclesiæ &c.

Tertia opinio ante Bonifacium VIII. Indulgentias fuisse proprie remissionem pœnæ &c. quas opiniones fuse refellit.

Sunt præterea, inquit col. 1966. *aliæ quædam sententiæ longe adhuc deteriores. Excluduntur duæ opiniones falsissimæ.*

Una &c. Indulgentias Ecclesiasticas per se nullam pœnam remittere, nec in foro Ecclesiæ, nec in foro Dei, sed esse piam quandam fraudem, qua Ecclesia per illam remissionis pollicitationem homines alliciat ad exequendum devote ea opera pia, quæ in Indulgentiæ forma exiguntur, ut si mater hortetur filium ad currendum, præmittitatq; pomum quod postea non det.

Secunda opinio per Indulgentias solum remitti in Ecclesiæ foro pœnam satisfactoriam.

(Has suorum opiniones, ut erroneas, rejicit Gregorius d. l.)

Bellarminus hac de re sic disserit lib. 1. de Indulg. c. 2. §. 2. *Non defuere, qui Indulgentias nihil aliud esse voluerunt, nisi solutionem, hoc est, compensationem pœnarum ex thesauro meritorum Christi ac Sanctorum depromtam & applicatam autoritate Pontificis. Ita videtur sensisse Durandus 4. sent. dist. 20. q. 3. Paludanus ibid. q. 4. S. Antoninus in p. 1. Summ. Theol. tit. 10. c. 3. Hadrianus VI. Pontifex in 4. sent. 9. de Indulgent. Silvester in Summa, in verbo Indulgentia, n. 3. & videtur in eadem fuisse sententia S. Thomas in 4. sent. dist. 20. q. 2. art. 3. ad 2. & 3.*

Contra vero Franciscus Mayronis contendit, Indulgentias nihil esse, nisi judiciariam absolutionem, cui prima fronte favere videntur exempla vetustissimorum Conciliorum, in quibus videmus ab Episcopis absolvi pœnitentes ab aliqua parte mulctæ impositæ, nulla facta mentione thesauri spiritualis, unde compensentur debita illa pœnarum. Ceterum re tota diligentius considerata, Theologi definierunt, utrumq; simul in Indulgentiis reperiri absolutionem & solutionem.

(Sed nihilominus manet quæstio, *an Indulgentia proprie & pricipaliter sit solutio cum annexa absolutione, an vero proprie & principaliter sit absolutio, cum annexa solutione,* ut monet Cajetanus tract. 15. ad Julium Medicem c. 6.)

Octavo, quærunt, *an Indulgentia sit remissio tantum pœnæ injunctæ, an etiam non injunctæ.*

Maldonatus tom. 2. de Sacram. p. 177. dicit, esse hac de re duas Catholicorum opiniones.

Supplementum Thomæ quæst. 27. art. 1. sic habet: *Dicendum, quod valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem & absolutionem & confessionem, sive sit injuncta, sive non.* Quæ verba descripsit Johannes de Turrecremata c. Quis aliquando vidit. de Pœnit.

Nicolaus de Orbellis 4. sent. dist. 20. *Valent, quantum sonant, puta, quadraginta dies Indulgentiæ valent quadraginta dies pœnitentiæ, sive sit injuncta, sive non.*

Lorichius in Fortalitio. *Indulgentiæ non dantur duntaxat pro injunctis pœnitentiis, sed & pro iis, quæ erant injungendæ, si eas pœnitentes possent implere.*

Contra vero Angelus de Clausio in Summa, in verbo Indulgentia. *Valent, quoad pœnam impositam à Sacerdote secundum partem vel totum, prout sonant, & hæc est vera opinio.*

Latomus contra Lutherum art. 7. *Indulgentiam,* dicit, *nihil esse aliud, quam relaxationem pœnæ arbitrio Sacerdotis & canonum pœnitentialium impositæ.*

Cajetanus c. 15. tract. 7. *Non parva intelligentia opus est ad evidentiam habendam de pœnitentia, à qua absolvit Indulgentia, dum sacri Canones non nisi de injuncta mentionem faciunt: Doctores autem ad injunctas & non injunctas extendunt. Et licet Doctorum opinio, quam etiam secutum se dixit D. Thomas, magnifacienda sit: quia tamen hujus rei veritas ex facto pendet & in facto consistit, & sacri Canones solum de injuncta faciunt mentionem, ideo tenendo certum, & dimittendo incertum definita est Indulgentia, quod est absolutio à pœnitentia injuncta.*

Et postea. *Est ergo injuncta pœnitentia & principalis & sola materia Indulgentiæ secundum sacros canones intellecta.*

Bellarminus per distinctionem respondet lib. 1. de Indulg. c. 7. propos. 5. *Cum in forma Indulgentiæ palam exprimitur concedi remissionem pœnitentiæ injunctæ, non intelligitur concedi remissio, nisi ejus pœnitentiæ, quam Sacerdos in Sacramento Confessionis injunxit.*

Propos. 6. *Cum non sit mentio injunctarum pœnitentiarum, sed absolute conceduntur Indulgentiæ, intelligendum est condonari omnes pœnitentias sive injunctæ sint, sive injungi potuerint. Hæc propositio,* inquit, *est adversus graves autores, Alex. Alensem, Durandum, Paludanum, Adrianum VI. Pontificem, Petrum à Soto, Cardinalem Cajetanum &c.*

Sed Cajet. d. l. hanc Bellar. distinctionem impugnat. *Quando,* inquit, *nõ exprimitur, an ab injũcta vel nõ injũcta pœnitentia liberet, intelligitur de injũcta, quia verba judicis sunt intelligẽda secundũ formam juris, in jure autem solum fit mentio de injunctis, igitur de injunctis tantum pœnitentiis intelligenda est Indulgentia data simpliciter & absolute. Nec obstat, quando fit plenaria Indulgentia, quoniam plenitudo etiam plenissima non mutat substantiam, sed auget quantitatem ipsius substantiæ, ut patet. Et propterea, si pœnitentia, à qua liberat Indulgentia, est substantialiter pœnitentia injuncta, quantumcunq; Indulgentia sit plenissima, non liberat nisi ab injuncta.*

Sed hic aliud emergit dubium, *an pœnitentiæ injunctæ intelligendæ sint tantum de injunctis à Sacerdote, an vero etiam de injunctis à jure sive sacris Canonibus?*

Gregorius de Valent. lib. de Indulg. punct. 3. *pœnitentias injunctas* intelligit *tum de decretis in antiquis Canonibus, tum impositis unquam à Sacerdote, supponendo etiam, quod rigorose omnino juxta qualitatem peccatorum impositæ sint.*

Sed Cajetanus d. l. intelligit tantum *de injunctis à Sacerdote. Si quæratur,* inquit, *an intelligatur hic de pœnitentia injuncta tam à judice, quam à jure, an de injuncta tantum à judice, respondetur, quod cum à iure nulla sit pœnitentia injuncta, sed taxata injungenda, ideo dicendo, quod liberat solum ab injuncta, soluta est quæstio. Et probatur, quod dicitur, quia ad pœnitentiam injunctam ille, cui injuncta est, tenetur: nullus autem tenetur ad pœnitentias taxatas in Canonibus pœnitentialibus, nisi sibi specialiter imponuntur, igitur pœnitentiæ illæ non sunt injunctæ.*

Idem statuit Bellarminus lib. 1. de Pœnit c. 7. propos. 5. ac refellit Thomam Elysium in Clypeo piorum Catholicorum q. 44. art. 7. contrarium asserentem.

Nono, quærunt, *quomodo intelligatur in purgatorio pœnarum remissio per dies vel annos?*

Turrecremata in Comm. dist. 1. de Pœnit. *Varius assignatur à quibusdam modus intelligendi profectum Indulgentiarum:*

Unus est, quando qui lucratur unum diem Indulgentiarum, quod habet unum diem refrigerii in purgatorio. Sed iste modus non est conveniens, quia animæ non detinentur in purgatorio, nisi ab sustinendam pœnam, & ideo pœna illa determinata statim evolant, unde talis dilatio videretur injuncta propter pœnam.

Secundus modus intelligendi est, quod si lucratur unum annum Indulgentiæ, per annum sentiet refrigerium in purgatorio. Sed nec iste modus est conveniens ratione superius dicta.

Tertius modus intelligendi est, quod si quis lucratur unum annum vel unum diem Indulgentiæ, quod tantum abbrevietur ei pœna in purgatorio. Sed nec iste modus conveniens, quod non videtur, quod Papa habeat hanc autoritatem præfigendi terminum & tempus pœnæ in alia vita, cum nullus Princeps possit extra Principatum suum aliquid constituere.

Quartus modus, quod si quis lucratur unum diem vel annum Indulgentiæ, tantum habet refrigerium, quantum de pœna habuisset, si pœnitentiam per Indulgentiam redemtam perfecisset. Sed nec iste modus est conveniens, quia non sunt æquales pœnitentiæ hujus vitæ ad illas pœnas secundum Augustinum, ideo non potest fieri ibi bona commensuratio.

Et ideo quintus modus dicendi est, qui videtur conveniens, quod tantum dimittitur de pœna Purgatorii per unum diem aut annum per Indulgentiam, quantum abbreviatum fuisset, si talis per unum diem aut unum annum pœnitentiam hic egisset.

Decimo, quærunt, *an Indulgentia ultra septẽ annos extendãtur.* Affirmant facto ipso Pontifices.

Negant multi Theologi *Pontificii,* qui, ut Maldonatus ait, tom. 2. de Sacram. p. 185. illas Indulgentias tam multorum annorum *portentosas* vocant.

Undecimo, quærunt, *quantum remittatur per Indulgentiam de pœna vel debita in purgatorio, vel in hac vita pro peccatis commissis? Diversa fuit opinio* (inquit Summa Angelica) *inter Canonistas & Theologos* (Scholasticos.)

Primo, quidam dicunt, *quod valent secundum internam suscipientis devotionem, & non plus.*

Secunda opinio tenet, *quod valent secundum devotionis quantitatem, & dati seu laboris magnitudinem.*

Tertia tenet, *quod tantum valet, quantum valeret ei pœnitentia tot dierum, vel tot annorum ab eo facta in hac vita, pro quot datur Indulgentia, hoc est, quod tantum minus punietur in purgatorio, quantum si fecisset pœnitentiam per tot dies vel annos, quot sonat indulgentia.*

Quarta tenet, *quod quoad remissionem extensionis pœnæ tantum valent his, qui de prope cum modica eleemosyna, sicut his, qui de longe & cum multa eleemosyna, secundum quod continetur in forma, sed quoad remissionem pœnæ intensive, & quoad dispositionem sui ad recipiendum augmentum gratiæ sunt impares, quia qui plus dat & magis laborat, cæteris paribus plus habebit.*

Quinta est, *quod tantum valent, quantum sonant, & tantum multum danti, quantum parum vel modicum laboranti quantum multū. Hæc est opinio communis, sed irrationabilis, nec mihi probatur.*

Sexta est, *quod non plus remittunt de pœna, nisi quantum meretur ille labor vel illa operatio, etiamsi talis Indulgentia non esset.*

Septima, *quod Indulgentia quantum ad augmentum gratiæ & gloriæ tantum valet, quantum est interna devotio suscipientis & non plus, quantum vero ad remissionem pœnæ debitæ in purgatorio, vel impositæ à Sacerdote in pœnitentia, Indulgentia tantum dimittit, quantum sonat, dummodo homo faciat, quod sibi imponitur, secundum quod eum decet facere.*

Duodecimo, *de materia Indulgentiarum* sive thesauro Ecclesiæ, qui per Indulgentias dispensatur, opinionibus invicem variant, ex quibus ille divitiis sit conflatus.

Adrianus Florentius 4. sent. d. 10. cum disputasset, *juxta quorundam opinionem ad hunc thesaurum pertinere etiam opera pœnalia recens baptizatorum, quæ ante peccatum mortale commissum præstiterunt*, subjungit: *Sed parum refert istud discutere, est namque magis subtile, quam utile, cum thesaurus Ecclesiæ sufficiat de meritis Christi, & istis non egeat.*

(At hac ratione omnium omnino Sanctorum merita ab hoc thesauro excludi poterunt.)

Angelus de Clavisio in Summa, in verbo Indulgentia, in quæst. *Unde assumuntur Indulgentiæ? Communis opinio Doctorum tam Theologorum, quam Canonicorum est, quod sunt ex abundantia meritorum, quæ ultra mensuram demeritorum suorum sancti sustinuerunt & Christi. Sed ego teneo cum Francisco de Mayronis in tractatu de Indulgentiis, quod cum merita sanctorum sint ultra condignum remunerata à Deo & sic exhausta, quod solum dantur ex merito Christi & passionis ejus, cujus minima gutta sanguinis vel sudoris sufficeret ad expiationem omnium peccatorum, quæ unquam fuerunt perpetrata aut perpetrabuntur.*

Petrus Auratus paradoxo 41. postquam docuisset, *merita Christi ad hunc thesaurum pertinere*, subjungit: *At de sanctorum meritis difficilius est hoc persuadere, id tamen etiam ex Paulo licet conjicere.* (Nota conjicere, non autem probare.)

Reliqui omnes confidenter pronunciant, *thesaurum Ecclesiæ constare ex meritis non tantum Christi, sed etiam sanctorum.*

Inde Gregorius de Valentia tom. 4. c. 1968. ex professo refellit Durandum, qui lib. 4. sent. dist. 20. q. 3. asseruerat, *ex solis Christi meritis constare thesaurum Indulgentiarum.*

Sed Durandi sententiam multos Lovanienses amplecti, testis est Maldonatus tom. 2. de Sacrament. p. 189. qui eidem subscribit, & p. 191. contrariam opinionem putat esse *hæreticā.*

Decimo tertio, quærunt, *Quomodo ex laboribus sanctorum aliquid superesse queat, quod ad expiationem alienorum peccatorum insumi possit, & ad hunc finem in Ecclesiæ thesauro conservari, cum sancti omnes plenam mercedem laborum receperint, ac supra condignum à Deo remunerati fuerint?*

Bellarminus respondet lib. 1. de Indulgent. cap. 4. resp. ad 4. *In bonis operibus sanctorum, quæ laboriosa & pœnalia fuerunt, duplicem esse rationem, alteram meriti, alteram satisfactionis. Quod igitur attinet ad rationem meriti, plenam mercedem & superaffluentem mensuram præmii sanctos omnes pro suis laboribus accepisse. Quod autem pertinet ad rationem Satisfactionis, multos labores sanctorum inanes & sine fructu esse, nisi pro reatibus aliorum consumerentur, cum ipsi sancti aut nullis, aut certe minoribus laboribus pro suis ejusmodi reatibus indiguerint.*

Sed Cajetanus in opusc. tom. 1. tract. 8. q. 3. contrarium statuit, *sanctos non solum meritorum, sed etiam satisfactionum suarum plenissimam remunerationem accepisse*, nihilo tamen minus ex alio principio applicationem illarum satisfactionum per Indulgentias deducit. *Si proprie, inquit, loquendum est de remuneratione, dicendum est, quod merita sanctorum omnia sunt plenissime remunerata sibi, ita, quod etiam ipsæ eis superfluæ satisfactiones sint plenissime remuneratæ vel remunerandæ in ipsis sanctis. Quoniam quicquid inde meruerunt, totum eorum erit, sive sit præmium essentiale sive accidentale. Sed plenissima remuneratio non minuit vim satisfactionis pro aliis, quoniam solvere pro se vel alio non est meritum, aut merces, aut remuneratio quæcunque, actus enim satisfaciendi, qui à sanctis processit, pro quanto fuit meritorius, remuneratus est vita æterna. Et rursus pro quanto fuit opus pœnale sibi, remuneratus est gaudio accidentali, gaudebit enim de hoc, quod plus passus est, quam peccata sua demeruerint, unde & laureola datur pro quibusdam generibus operum ex ipsa executione. Sed propter hujusmodi & quascunque alias remunerationes non perdit actus ille officium suum, quod est solvere pro pœna temporali actualis peccati proprii, vel alieni: imo cum contigerit superfluam satisfactionem Laurentii solvere pro pœna debita Johanni pœnitenti, gaudium quoddam accidentale Laurentius in cœlo habebit de hoc, quod satisfactio sua solvit pro Johanne.*

Concludimus hasce Adversariorum dissensiones dissertatione Petri Suavis in Hist. Concil. Trident. lib. 1. p. 6. *Materia Indulgentiarum*, inquit, *seculis anterioribus non multum fuit vexata, neque satis à Theologis consideratum, quibus argumentis aut propugnari possent, aut labefactari, ideo earum causæ & essentia (tempore eo, quo Lutherus eas oppugnare cœpit) non erant penitus explorata.*

1. *Nam nonnulli existimabant, Indulgentias nihil esse aliud, quam absolutionem Præsulis autoritate factam ab ea pœnitentia, quam pro modulo disciplinæ Ecclesia ante ævo imponebat resipiscentibus, (posterioribus seculis eam pœnæ irrogationem sibi soli assumsit Episcopus, dein Sacerdoti Pœnitentiario delegavit, ac tandem arbitrio Confessarii permisit;) ita tamen, ut supplicium divinæ justitiæ debitum non effugiant.*

2. *Quod cum aliis in Christianorum detrimentum magis, quam emolumentum cedere videretur, dum facta ipsis pœnarum Canonicarum gratia evadunt indiligentes in Deo pœnā voluntaria propitiando, opinati sunt, Indulgentias esse ab utraq. pœna liberationem.*

3. *Sed hi rursus in diversa abierunt, aliis liberationem eam esse gratuitam sine ulla satisfactione censentibus: aliis ea opinione explosa affirmantibus, dum inter membra Ecclesiæ communio viget per caritatem, unius fidelis pœnitentiam eousque alteri esse communicabilem, ut hic compensationis illius aspectu liberetur.*

4. *Verum, quia id magis convenire videbatur hominibus vita inculpatis & ad severiorem disciplinam excultis, quam Præsulum autoritati, tertia subiit opinio, quæ essentiam Indulgentiarum constituit partim in absolutione, ut ad autoritatem Præsulum recurratur, partim vero in compensatione.*

5. *Sed cum vita Præsulum non sit adeo inculpata, scelerumq. pura, ut meritis suis alios queant juvare, repertum est Ecclesiæ gazophylacium, in quod reponuntur merita eorum omnium, quibus major est copia, quam quæ sibimetipsis sufficiat. Quorum dispensatione Romano Pontifici concredita, penes illum est concedere Indulgentias & delinquentis debitum pensare, ejusdem precii meritis è publico Ecclesiæ thesauro depromtis.*

6. *Cumq. ne hic quidem thesaurus satisfaceret pœnitentibus, quod sanctorum meritis finem certum ac limites admittentibus, minui aliquando posset ac deficere, infinita Christi promerita sanctorum finitis visum est adjungere, quo thesaurus esset perennis.*

7. *Atque hic alia nata difficultas, quorsum adhibendæ essent alienorum meritorum guttulæ, exundante & in usum nostrum perenniter fluente immenso promeritorum Christi Oceano? quod sane plerisq. dedit occasionem omnem Indulgentiæ suæ fidentiam in hoc solo inexhausto Salvatoris mundi promtuario reponendi.*

Idem lib. ejusd. p. 23. *Adrianus Pontifex in hac erat opinione, sibi jam Pontifici decreto Apostolico stabiliendam eandem, quam privatus docuisset & scripsisset doctrinam, nimirum, quando Indulgentia conceditur alicui, qui ejusmodi pium opus sit operaturus, fieri posse, ut quis ita numeris omnibus opus hoc perficiat, ut Indulgentiam promereatur ac consequatur. Sin vero de perfectione debita operi quid desit, tum operantem non totam consequi Indulgentiam, sed partem tantum, quæ operi imperfecto pro portione quadam respondeat &c. Sed Thomas Cajetanus S. Sixti Cardinalis, eximius Theologus, Pontificem ab instituto dehortatus est, affirmans hoc modo revelatum iri eam veritatem, quam propter animarum salutem multo sit conducibilius celare & illibatam servare apud homines eruditos; cum disputabilis potius esset, quam decisa. Se quidem, licet eam animitus amplecteretur & foveret, in scribendo tamen ita rem temperasse, ut non nisi homines consummatissimi genuinum è verbis suis sensum possent elicere. Quod si hæc doctrina autoritate publica semel evulgata fuerit, tum fore periculum, ne literati etiam ex ea colligant, Papæ concessionem nihil quicquam juvare, sed quicquid ejus sit, qualitati operis imputandum, quæ*

res

res absq; dubio fervorem hominum in acquirendis Indulgentiis valde frigefactura esset, & opinionem de autoritate Pontificia conceptam, mirum in modum labefactura.

Pagina 24. Addidit Cardinalis &c. non aliter medendum esse scandalis & offensionibus præteritis, præsentibus ac futuris, quam si res ad pristinum primigeniumque statum reducatur. Esse enim certissimum, utcunque Papa beneficio Indulgentiarum à quocunque genere pœnæ fideles possit liberare, legentibus tamen Decretales liquido apparere, Indulgentiam esse absolutionem sive liberationem solùm à pœnis in Confessione impositis. Itaq; habita cura de reducendis in praxin canonibus Pœnitentiariis, qui jam in desuetudinem abierunt, & impositis secundum hos canones confitentibus delicta debitis & moderatis pœnitentiis, unumquemque & facile perspecturum Indulgentiarum necessitatem ac utilitatem, & easdem sedulo perquisiturum ad se grandi pœnitentiarum onere liberandum &c.

Hæc Cajetani opinio Decretalium autoritate suffulta, Pontifici eò magis placuit, quod quid contra objici posset, non videret. Eam igitur in pœnitentiaria curavit proponendam ad rationem investigandam, quæ Romæ primum, dein in aliis orbis Christiani provinciis usu obtineret. Ob quam causam cum Pœnitentiariis sæpius convenere ii, quos Pontifex reformandis rebus delegaverat, ad consultandum, quomodo usum haberet. Sed hic tot tantaq; obstabant difficultates, ut tandem Laurentius Puccius, Florentinus Cardinalis IV. sanctorum non ita pridem Leonis Pontificis Datarius & egregius pecuniæ conquirendæ artifex, nunc vero summus Pœnitentiarius, ad Pontificem de communi omnium sententia renunciaverit, quod ille proposuerat videri impossibile, tantumq; abesse, ut si ejus fiat periculum, præsentibus malis faciat medicinam, ut contra multo graviora sit concitaturum. Pœnas enim canonibus irrogatas, jamdudum exolevisse, & deficiente pristino populi zelo ferri amplius non potuisse. Neq; earum revocandarum spem ullam subesse, nisi recursante in Ecclesiam eodē, qui olim eam occupaverat, fervore & caritate. Hoc seculū esse dissimile seculis retroactis &c.

p. 25. Hortatur eum (Pontificem Adrianum) meminisse velit celebris loci in Glossa, per ipsum in suo quarto sententiarum libro citatum, nempe, Controversiam de valore Indulgentiarum, & antiquam esse & dubiam. Simul ut expendat quatuor opiniones omnes Catholicas, & tamen valde diversas, quas Glossa illa recenset. Ex quibus concludit, esse perspicuum, id argumentum his temporibus silentium postulare potius, quam altiorem indaginem.

7. Denique suffragantur nostræ sententiæ querelæ de nundinationibus Indulgentiarum.

Polydorus Vergilius lib. 8. de Rer. Invent. c. 4. Tempore cumprimis Bonifacii IX. Pontificis, quando hujusmodi venia plena manu non concedebatur modo, verum etiam, teste Platina, uti quædam merces vendebatur, minus multi à malefactis abstinebant, & clavium autoritas multo vilior erat.

(Hæc verba Vergilii tam ægre tulerunt Inquisitores, ut in Indice Expurgatorio Belgico deleri mandaverint.)

Patres Tridentini non minus acriter nundinationes istas perstringunt. Quorum. (inquiunt) malitia ita quotidie magno omnium fidelium scandalo & querelâ deprehenditur, ut si de eorum emendatione spes nulla relicta videatur: statuit sancta Synodus, ut posthac in quibuscunque religionis Christianæ locis, eorum nomen atq; usus penitus aboleatur.

(Aperta confessio, quæ tamen frustra culpam in Quæstores & servos Pontificios confert, ut Papam & Episcopos hujus criminis affines non esse persuadeat. Massonius scriptor Pontificius, & qui Lutherum impiæ doctrinæ præconem nominat, certe ipsis Pontificibus & quidem post Concilium quoq; Tridentinum taliter nundinantibus hoc tribuit in vita Leonis X. f. 384. Revertar, inquit, ad Indulgentias, ut illud verissime dicam, Romanos Pontifices adhuc nimium indulgentes fuisse.)

Argum. pro Indulgentiis.

1. Coloss. 1 v. 24. Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Bellarm. 1. de Indulg. cap. 3. Greg. de Valentia de Indulg. c. 1. &c.

Resp. 1. Thomas Aquin. p. 3. q. 48. art. 5. resp. ad 3. Dicendum est, quod passiones sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem per modum redemtionis, sed per modum exempli & exhortationis, secundum illud, sive tribulamur pro vestra exhortatione & salute.

2. Glossa Interlinearis in h. l. In passionibus, quas sustineo pro vobis sc. confirmandis in veritate Evangelii.

3. Lyranus in h. l. In passionibus, id est, in carcere, quem patior pro vobis gentilibus, eò quod prædicavi Evangelium gentilibus, de quibus vos estis. Passiones autem Christi dupliciter dicuntur, uno modo in corpore proprio, in quo sustinuit famem sitim & mortem; & sic accipiendo nihil erat implendum. Alio modo, prout patitur in membris suis, quæ sunt fideles, secundum quod dicitur, Saule, Saule, quid me persequeris? & sic loquitur hic Apostolus.

(Quia Apostolus erat à Christo edoctus, quod persecutio Ecclesiæ in Christum vergeret Act. 9. v. 5. ergo duxit consentaneum, quod quicquid patitur Ecclesia, in Christum quodammodo referatur, ἀνταναπληρῶ, inquit, vicissim, sive redditæ vice expleo, quasi diceret, si Christus pro me redimendo passus est, æquum est, me vicissim pro ipsius gloria illustranda & Evangelio divulgando pati &c.)

4. Salmero in 2. Cor. 12. v. 15. σπένδομαι, id est, immolor supra sacrificium & oblationem fidei vestræ. Vocat mortem suam immolationem, non qua reconciliarentur Deo, sed qua confirmarentur in fide.

5. Bellarminus lib. 2. de Indulgent. cap. 5. agnoscit, expositionem nostram à multis Pontificiis Scriptoribus esse observatam & approbatam.

(Subjungit quidem, tamen nos ostendimus, propter eum sensum posse Apostolica verba commode recipere alios sensus, atq; eum præsertim, qui ad thesaurum Indulgentiarum stabiliendum confert. Atqui suo loco demonstratum fuit, unius loci unicum tantum esse genuinum proprium ac literalem sensum.)

6. Benedictus Justinianus in h. l. Adimplere autem se dicit ea, quæ desunt passionum Christi, non quidem ad meritum aut vim satisfaciendi, quid enim desit infinito? sed vim & efficaciam traducendi mortales ad fidem, idq; ut corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia, perficiatur, docendo quippe, monendo, hortando, deniq; Evangelium promulgando, magni labores tolerandi sunt, pericula subeunda, multaque incommoda perferenda. Hæc videntur deesse passionibus Christi, quæ tamen ad utilitatem corporis mystici, i. e. Ecclesiæ plurimum valent.

Et postea. Quod igitur ait Paulus, adimplere se ea, quæ desunt passionum Christi in carne sua pro corpore ejus, quod est Ecclesia, significat, se pati pro Ecclesia amplificanda seu propaganda, ad ejus fidem confirmandam ac stabiliendam, ut cæteros ad sui imitationem provocet. Sic alibi: Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.

Redundabant ergo passiones Pauli in salutem Ecclesiæ, sed tamen non erant satisfactiones pro alienorum peccatorum pœnis.)

Inde Justinianus ib. Non me fugit, hic etiam nonnullos de vi atq; efficacia meritorum sanctorum disputare, neq; suo, neq; oportuno loco: siquidem Apostolus de suis laboribus agit, quibus docendo atq; orando Corinthiorum salutem promovere poterat: qui sane labores, etiamsi apud Deum nullius meriti fuissent, plurimum tamen Corinthiorum saluti prodesse poterant.

7. Estius in h. l. Sensum Apostoli nobis aperit Leo serm. ult. de pass. Dom. Passio Domini, inquit, usq; ad finem perducitur mundi, & sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur, ita in omnibus, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur &c. tanquam dicat, Christum, qui semel passus est in seipso, atq; in propria carne, debere adhuc pati in membris suis usq; ad finem seculi, quia oportet membra conformari capiti in passionibus, ut aliquando conformentur in gloria &c. Sentit igitur Apostolus, se patiendo afflictiones in carne sua, quadam parte supplere ea, quæ Christo adhuc patienda supersunt, non quidem in ipso, sed in membris pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id est, ut corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, congregetur & perficiatur. Significat non tantum passiones suas fructuosas esse Ecclesiæ, verum etiam se patiendo id spectare, ut suæ passiones Ecclesiæ prosint. Hinc autem Theologi quidam putant ostendi, sanctorum passiones fidelibus prodesse ad remissionem pœnarum, quæ vocatur Indulgentia. Quæ quidem doctrina, etsi Catholica & Apostolica sit, atq; aliunde satis probetur, ex hoc tamen Apostoli loco nobis non videtur admodum solide statui posse. Non enim sermo iste, quod dicit Apostolus, se pati pro Ecclesia, necessario sic accipiendus est, quod pro redimendis peccatorum pœnis, quas fideles debent, patiatur, quod forte nonnihil haberet arrogantiæ, sed percommode sic accipitur, quomodo proxime dixerat, gaudeo in passionibus meis pro vobis, ut nimirum utraq; parte significet afflictiones & persecutiones pro salute fidelium ipsiusq; Ecclesiæ promovenda toleratas. Unde & Græci, quamvis locum hunc paulo aliter, quam Latini exponant, illud tamen, pro corpore ejus, sic intelligunt, uti jam diximus. Volunt autem tale esse, quod Apostolus dicit: Multis laboribus, sudoribus & afflictionibus opus est ad colligendam Ecclesiam, hominesq; ad fidem vocandos & ad salutem perducendos. Hujusmodi labores & passiones multas easq; gravissimas sustinuit Christus in hac vita & in carne sua mortali. Verum multa adhuc restant toleranda toto decursu seculi, donec tota Ecclesia collecta fuerit atque perfecta, toleranda, inquam, ab iis, quibus Evangelii prædicandi

dicandi ministerium incumbit, quæ proinde & Christi passiones dicuntur, quia passiones sunt ministrorum ejus. Harũ igitur passionum ego partem meam expleo, præsto ac repræsento, tanquam minister Evangelii laborans pro salute Ecclesiæ. Quod ergo hic dicitur, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, non absimile est illi, quod dictum est Ephes. 4. ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi.

8. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. sic annotat: *Gaudeo in passionibus, quas pro vobis vestro bono & commodo sustineo, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi. Græce ἀνταναπληρῶ, id est, vicissim, seu vicem reddens adimpleo. Licet enim Christi passio & redemtio fuerit in se sufficientissima toti mundo liberando, tamen ut illa membris singulis Christi actu applicetur, multa illis & facienda & patienda supersunt, ut pulcre S. Thomas demonstrat; divina providentia sic disponente, ut quemadmodum in propria naturali corpore Christus olim multa passus est, ita etiam in mystico suo corpore, hoc est, Ecclesia, & in singulis membris suis, id est, fidelibus patiatur: cum æquum sit, membra capiti per omnia conformari.*

9. Denique, si de supplemento satisfactionis Christi Apostolus loqueretur, consequens foret, *Christi satisfactionem esse imperfectam.* Consequens Pontificii nolunt videri concedere. Ergo nec antecedens statuere debent.

Arg. 2. Bailius in Catech. Controv. tract. 3. q. 13. Indulgentias probare nititur ex Matth. 16. v. 19. & cap. 18. v. 18. *Deus*, inquit, *concessit hanc potestatem summis Ecclesiæ suæ gubernatoribus Matth. 16. & 18. ubi istis committi claves cœli & potestatem solvendi. Utuntur etiam aliquando his gratiæ clavibus inexhaustum Ecclesiæ thesaurum aperiendo.*

Resp. Durandus in 4. sent. dist. 20. q. 3. sic disserit: *De Indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia nec Scriptura expresse de iis loquitur. Quod enim dictum est Petro Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum, & Quodcunq; ligaveris &c. intelligitur de potestate ei data in foro pœnitentiæ, de collatione autem Indulgentiarum non est, quomodo debeat intelligi.*

Arg. 3. *Patres mentionem faciunt remissionum, id est, Indulgentiarum.*

Resp. 1. Ostendimus superius membr. 2. quosdam ex Pontificiis fateri, quod Indulgentiæ destituantur primitivæ Ecclesiæ suffragio.

2. Bellarminus lib. 4. de Pœnit. c. 5. §. Ad hæc, sic scribit: *In articulo mortis dabatur pœnitentibus communio, etiamsi nulla aut non plena præcesserat satisfactio,* (Ecclesiastica) *sed tamen admonebantur, ut si forte supervixerint, integre pœnitentiam sibi injunctam explerent.*

(Ex eo intelligitur, quæ fuerint veterum Indulgentiæ, videl. relaxationes Satisfactionum illarum Ecclesiasticarum, vel propter infirmitatem Naturæ, vel in articulo mortis nullo pecuniæ cujusdam interventu concessæ. De thesauro Indulgentiarum Romanarum, de operibus supererogationis in Thesauro illo reconditis, nihil tum temporis notum erat.)

3. Idem Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 3. §. A tempore &c. sic scribit: *A tempore S. Gregorii usus Indulgentiarum usq; adeo notus & perspicuus fuit, ut ne Adversarii quidem id negare, nisi omnino impudenter, valeant.* Sed reponimus ei dictum Cajetani superius citatum. *De ortu Indulgentiarum si certitudo haberi posset, veritati indagandæ opem ferret, verum quia nulla Scripturæ sacræ, nulla priscorum Doctorum Græcorum aut Latinorum autoritas scripta hunc ad nostram duxit notitiam, sed hoc solum à trecentis annis Scripturæ commendatum est de vetustis Patribus, quod B. Gregorius indulgentias stationum instituit, ut in quartum sententiarum Divi Thomæ habetur.*

(Ergo idipsum de Gregorii stationibus sero tandem scriptum, & annis tantum trecentis ante Cajetanum, id est, annis minimum quingentis post Gregorium.)

Arg. 4. Alphonsus à Castro adv. hæres. lib. 8. verbo Indulgentiæ, fol. 184. Indulgentiarum antiquitatem *à Stationibus veterum* accersit.

Resp. 1. Onuphrius tract. de Interpret. vocum obscur. Eccl. prolixe explicat, quæ fuerit illarum *Stationum* apud veteres usitatarum ratio, quod videl. fuerint solennes conventus Christianorum in communibus precibus, jejuniis & ritibus Sacramentalibus celebrandis, in quibus ad populum astantem Ecclesiæ Ministri concionabantur; de Indulgentiis ne γρῦ quidem addit.

2. Inde Alphonsus Stationes illas quasi deserens, subjicit: *Non ideo contemnendas esse Indulgentias, quod earum usus in Ecclesia videtur sero receptus, quia multa sunt, inquit, Pastoribus nota, quæ vetustiores Scriptores ignorarunt.*

APPENDIX HUJUS CAPITIS.

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ABSURDAS *atque erroneas Adversariorum complectens.*

I Querelæ.

1. Bellarminus lib. 1. de Pœnit. c. 2. scribit, *Lutherum crimen falsi commisisse, docendo Pontificios promissiones Evangelicas & fidem quasi animam veræ pœnitentiæ tollere, solisque mortuis contritionibus homines agitare, & omnes fidem esse necessariam pœnitentiæ partem asserentes, anathematis fulmine percutere.*

Resp. 1. In Conc. Trident. sess. 6. c. 6. & sess. 14. can. 4. fides *ex numero partium pœnitentiæ* diserte excluditur.

2. Catech. Rom. f. 245. scribit. *Fides nullo modo pœnitentiæ pars recte dici potest.*

3. Bellarminus ipse lib. de Pœnit. c. 19. propos. 2. *Fides non est pars pœnitentiæ, quia ab ea distinguitur & eam præcedit, ac veteres Patres, cum pœnitentiam definiunt, nusquam fidei meminerunt.*

4. Idem lib. 1. de Justificat. c. 9. *Quando in Symbolo profitemur, nos credere remissionem peccatorum, sensus verborum est, Credo in Ecclesia vigere donum remissionis peccatorum, non autem, Credo, mihi remissa esse peccata.*

(Ergo per fidem, quam ad efficiendam pœnitentiam requiri dicunt, non intelligunt *fiduciam in Christi meritum recumbentem, fidem promissiones Evangelicas apprehendentem, fiducialem Christi reprehensionem &c.* sed *fidem*, duntaxat *Historicam*, quæ credit, vera esse ea, quæ in verbo Dei nobis proponuntur.)

2. Idem Bellarm. lib. ejusd. de Pœnit. c. 6. *D. Chemnicium accusat, quod falso tribuat Pontificiis, q. statuant, ad contritionem requiri actum nostrum, qui sit meritorius, quia cadat sub libero arbitrio.*

Resp. 1. Bellarminus ipse scribit lib. 2. de Pœnit. c. 2. propos. 2. *Contritionem esse actionem liberam, id est, talem, quæ sit in nostra potestate.* Quod probare cupit ex eo, *quia extent præcepta divina de Contritione. Quorsum autem imperentur*, inquit, *ea, quæ non sunt in nostra potestate?* Et de hac contritione scribit, lib. ejusd. ca. 12. *quod plerique Scholastici doceant, eam de congruo mereri peccatorum nostrorum remissionem.*

(Utrumq; ergo Bellarminus asserit, tum quod contritio sit in nostra potestate; tum quod sit meritum de congruo remissionis peccatorum.

2. Scotus, Occamus, Petrus de Alliaco, Biel &c. docent, *hominem ex puris naturalibus posse Deum super omnia diligere.* Jam vero paria sunt, *Deum super omnia diligere ex puris naturalibus, & super omnia dolere de peccato ex puris naturalibus*, ut docet Granatensis lib. 2. memorial. vitæ Christ. c. 2.

3. Thomas 1. 2. q. 114. art. 6. sic disserit: *Opus nostrum habet rationem meriti ex duobus, primo ex vi motionis divinæ, & sic meretur aliquis de condigno, deinde secundum quod procedit ex libero arbitrio, & hinc meritum congrui.*

4. Idem Thomas d. l. q. 2. *Creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium, unde sua actio habet rationem meriti, quod non est in aliis.*

5. Durandus 1. sent. dist. 12. q. 2. *Secundum omnes Doctores peccator carens gratia, pœnitendo, de congruo meretur gratiam justificantem, Congruum enim est, ut bene utentibus donis Naturæ propter Deum det Deus bona gratiæ.*

7. Biel 4. sent. dist. 16. q. 2. propos. 4. *Bona opera moraliter extra caritatem facta, merentur de congruo multa bona spiritualia, quia merentur gratiam justificationis.*

7. Concilium Tridentin. sess. 6. can. 7. docet, *justitiam à Deo nobis infundi secundum dispositionem & cooperationem*, (quæ est ipsissima meriti de congruo descriptio.)

8. Pererius in c. 3. Rom. num. 85. *Si loquamur de merito amplè sumto, & ut nunc appellatur meritum de congruo, non videtur negandum, per fidem & alia præparatoria promereri aliquo modo justificationis gratiam.*

3. Idem Bellarm. lib. 1 de Pœnit. c. 8. *D. Chemnicium accusat, quod falso tribuat Pontificiis, quasi peccatores post Baptismum quærentes reconciliationem cum Deo, abducant à fide obedientiæ, passionis & satisfactionis Christi, ad fiduciam actionis propriæ, Contritionis, Confessionis & Satisfactionis, ita ut illæ actiones, accedẽte ad eas verbo absolutionis, sint Sacramentũ & causa efficiens remissionis peccatorũ.*

Resp. 1. Ludovicus Granatensis lib. 2. memorialis capit. 1. pag. 6. sic disserit: *Etsi dolor noster tantus non est, quantus esse debet, tamen conjunctus cum virtute Sacramenti, quod gratiam confert ad consequendum illum, modo quis non ponat obicem, sufficit ad salutem. Et hoc est, quod communiter dicere solent Theologi, Sacramenta nova*

ta nova legis facere de attrito contritum. Quemadmodum enim candela recens extincta, & adhuc fumans exiguo flatu rursus accenditur & ex mortua reviviscit: sic anima, quæ virtute attritionis fumat, licet accensa non sit, accedente flatu & virtute Sacramenti, mox tota accenditur & mortua reviviscit.

(Si actiones pœnitentis sunt Sacramentum vel pars Sacramenti, erunt etiam medium gratiæ & remissionis pecatorum.)

2. Bellarminus lib. 2. de Pœnit. c. 12. probare conatur, *Contritionem peccata delere, abluere, abstergere, sanare, Deum placare, illi satisfacere, misericordiam impetrare, ac suo modo mereri.*

4. Idem Bellarminus in jud. de Form. Concord. mend. 18. & alii *impudenti mendacio Catholicis Doctoribus tribui* dicunt *illam divisionem, quod Christus passione sua satisfecerit pro originali peccato, nobis autem pro actualibus, post Baptismum præsertim commissis, sit satisfaciendum.*

Resp. Egimus hac de re superius in Appendice articuli de Missa membro 1. querela 5. & in proxime præcedente articulo de Pœnitentia cap. 5. thesi 1. in antithesi. Hoc loco repetimus sequentia.

1. Bonaventura lib. 3. sent. dist. 20. q. 3. sic differit: *Homo potest satisfacere pro suo actuali peccato, sed non pro originali peccato. Nam pro peccato originali nemo potuit satisfacere, nisi Christus Deus & homo. De actuali autem potest purus homo adjutus gratia satisfacere, sed satisfactione semiplena, quæ suppletionem & complementum recipit à passione Christi.*

2. Guilielmus Altisiodorensis in 3. sent. dist. 12. *Si Abraham & alii antiqui Patres statim post mortem petiissent vitam æternam, quam meruerant ex condigno, dictum illis fuisset, reddite, quæ debetis, scilicet satisfactionem pro peccato originali, & quoniam nullus purus homo potuit satisfacere, ideo necessarius fuit adventus Christi.*

3. Vega lib. 13. in Conc. Trident. cap. 36. contendit, *satisfieri à nobis pro culpa.*

4. Ruardus Tapperus in explicat. artic. 6. Lovan. disputat, *posse hominem satisfacere Deo pro culpa & pœna æterna per actus quosdam, qui ordine Naturæ sequantur gratiæ gratum facientis infusionem & præcedant peccatorum remissionem*, in quam sententiam citat Thomam 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 2.

(At si pro culpa satisfacere possumus, utique etiam pro actuali peccato satisfacere poterimus, & per conseq. Christus pro eo non satisfecit, quia Deus duplicem satisfactionem nequaquam exigit.)

5. Quamvis Gregorius de Valent. tomo 4. Disput. 7. q. 14. punct. 6. recte scribat, *ad utriusque generis peccatum, videlicet & originale & actuale delendum venisse Dei Filium*, mox tamen addit, *Christum præcipue propter originale venisse*, & allegat ac probat Glossam ordinariam, quæ in dicto Joh. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, originale peccatum* intelligit.

6. Bellarminus d. l. sic scribit: *Id sibi voluit Thomas, quia peccatum originale, semel dimissum, nunquam repetitur, ideo ad illud expiandum non esse necessaria quotidiana sacrificia, sed sufficere sacrificium crucis semel peractum & semel per Baptismum applicatum. At pro peccatis actualibus, quæ sæpius committuntur, instituta esse præter Baptismum quotidiana remedia, in quibus sacrificium altaris merito numeratur.*

(Si ad expiationem peccatorum actualium requiritur aliud sacrificium, quam quo originale peccatum in cruce est expiatum, videlicet *sacrificium Missaticum*, quod non solum *applicatorium & impetratorium*, sed etiam *propitiatorium & expiatorium* esse Bellarminus contendit, consequens est, satisfactionem Christi pro peccatis actualibus nõ fuisse perfectè consummatam, adeoque *non mereri nomen perfectæ satisfactionis*, ut scribit Tapperus tom. 1. fol. 141.)

5. Idem Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 4. vocat *impudens mendacium Heshusii, quod in Absolutionum formulis merito Christi & sanctorum & propria pœnitentis merita conjungant.*

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 8. art. 12. pag. 1130. Mentitur Tilemannus Hesshusius lib. de sexc. error. err. 57. scribens, *Pontificios docere, absolutionem peccatorum non tantum in nomine Domini nostri Jesu Christi debere fieri, sed & B. Mariæ & omnium Sanctorum & nostrorum etiam operum.*

Schreinerus in libr. contra D. Keslerum negat, *absolutionem in nomine sanctorum pronunciari.*

Resp. 1. Breviarium secundum Ordinem Fratrum Prædicatorum, ordinatum ac emendatum per Lucam Antonium de Giunta Florentinum Venetiis impressum Anno 1500. hanc absolutionis formam præscribit: *Passio Domini nostri Jesu Christi, & merita B. Mariæ semper Virginis, & B. Dominici Patris nostri & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, & quicquid boni feceris & intendis facere, & mala, quæ sustines & patienter sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ.* Eandem fere formam habet Antoninus Archiepiscopus Florentinus in lib. de Confess.

2. Bartholomæus de Chaymis hanc recitat formulam: *Passio Domini nostri Jesu Christi, & omnia bona, quæ fecisti & facturus es; & adversa, quæ sustinuisti & sustinebis, sint tibi in pœnitentiam & remissionem peccatorum, & in augmentum divinæ gratiæ.*

3. Lutherus tom. 4. Jen. Lat. fol. 51. in cap. 2. Gal. recitat hanc formulam absolutionis Monasticæ: *Parcat tibi Deus frater. Meritum passionis Domini nostri Jesu Christi, & B. Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum, meritum Ordinis, gravamen religionis, humilitas confessionis, contritio cordis, bona opera, quæ fecisti & facies pro amore Domini nostri Jesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum meriti & gratiæ & in præmium vitæ æternæ.*

(Hanc formulam notis illustravit Urbanus Regius tom. 4. Germ. fol. 33.)

4. In libr. Cerem. Pontif. fol. 231. b. hæc habetur: *Precibus & meritis B. Mariæ semper virginis, B. Michaelis Arch-Angeli, B. Johannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus, &, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.*

5. In Hortulo animæ Anno 1599. Dillingæ iterum edito talis proponitur formula: *Precibus & meritis B. Mariæ Virginis & omnium Sanctorum perducat nos Dominus ad regna cælorum.* Confer Benedictionale Ecclesiæ & Diœcesis Ratisbonensis editum Norinb. Ann. 1491. Breviarium Prædicatorum excusum Venetiis Anno 1503. in quibus consimiles absolutionum formulæ extant.

6. *Per calumniam sibi tribui* conqueruntur in Corpore doctrinæ Philippi, *Canonicas satisfactiones necessarias esse ad redimendas pœnas æternas, ac per easdem compensari mortem æternam.*

Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 3. inter *mendacia Philippi*, imo *ipsius Confess. August.* art. 12. refert, quod Pontificiis tribuitur hæc sententia, *satisfactiões esse necessarias ad redimendas pœnas æternas.*

Lib. 4. de Pont. Rom. cap. 23. *Quod Chytræus dicit, Pontificios docere, Satisfactionibus temporalibus pro æternis pœnis satisfieri, pariter est mendacium. Non enim satisfacere nos putamus pro æternis pœnis, quas nobis in justificatione remitti non dubitamus, sed pro pœnis temporalibus, quas vel hic, vel in purgatorio Deus exigit ab iis, qui post Baptismum ad pœnitentiam & reconciliationem veniunt.*

Resp 1. Illud, cui à Bellarmino lib. 1. de Pœnit. cap. 3. dica scribitur, non extat in *invariata August. Confess.* sed à Philippo in editione Anni 42. fuit adjectum.

2. Adjectum autem fuit non simpliciter, sed *disjunctive*, & fermè dubitanter in hunc modum: *Damnant & istos, qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas aut pœnas purgatorii.*

3. Ne quid affingere voluisse Pontificiis videretur, in ipsa Apologia artic. 12. candidè Pontificiorum sententiam exposuit his verbis: *Fingunt, æternas pœnas mutari in pœnas purgatorii, & harum partem remitti potestate clavium, partem docent redimendam esse satisfactionibus*, pag. 163. Similia habet pag. 184.

4. Quis non existimaret, Pontificios id velle, *quod satisfactionibus temporalibus pro pœnis æternis satisfiat*, cum mandatum divinum, *Pœnitentiam agite* Matth. 4. v. 17. (ubi certe mortem æternam evitare jubemur) pro satisfactionibus citari videt in Confutatione Confessionis Augustanæ artic. 12. aut cum legit in Catechismo Jesuitarum in solutione quæstionis, *Quibus modis expientur peccata?* vim purgandi & expiandi peccata tribui *eleemosynis*, quæ inter *opera satisfactoria* à Pontificiis numerantur; aut cum docetur, *Satisfactionem curare peccata præterita recompensando, & eleemosynas tum esse satisfactionem, si dentur intentione recompensandi pro debito pœnæ æternæ*, ut est in Pupilla Oculi Johannis de Burgo Cancellarii Cantabrigiensis part. 5. cap. 4. fol. 39. edit. Ann. 1518. vel cum audit fulminantes Tridentinos de operibus satisfactionis can. 13. *Si quis dixerit, Satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimant, non esse cultus Dei, anathema sit?* Certe, quod peccata redimit, purgat, expiat, compensat; quo debitũ offensæ divinæ recõpensatur, illud quis non credat æternã mortẽ redimere, aut pro pœnis æternis, quæ sunt debitum offensæ divinæ, redimendis subiri? vel, quis subintelligat, ubi non additur, particulam istam, *quoad pœnam temporalem*, quam velandæ nimiæ turpitudinis causa Tridentini Patres in fulmine anathematis addere coacti fuerunt?

5. Imperiti hæc non distinxerunt, eorumque causa credat quis forte mentionem *æternarum pœnarum* à Philippo fuisse adjectam, quod maxima pars rudiorum suis se satisfactionibus æternas pœnas redimere, ac culpam ipsam delere existimavit. Sic enim in Apologia Philippus ipse limitat pag. 183. *Quanquam hæc spectacula imperitos solent fallere, ut putent, se per hæc opera mereri remissionem peccatorum coram Deo*, & pag. 165. *Quod Canonicæ satisfactiones prosint tanquam compensatio ad diluendam culpam, sic enim imperiti intelligunt.* Et si hoc modo Philippus ex Philippo explicetur, nulla falsitatis species relinquetur. Verum enim est, rudiores censuisse, *satisfactionibus redimi æternas pœnas*, at astutiores dicunt, *redimi temporales pœnas*, eorumque causa additur in propositione accusata, *aut pœnas purgatorii. Damnant*, inquit, *Confessio, & istos, qui Canonicas satisfactiones necessarias esse volunt ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorii.*

6. Ita docuit non imperitus aliquis de plebe Pontificius, sed insignis Doctor Professor & Decanus Lovaniensis Ruardus Tapperus tom. 1. operum in Explicat. art. 6. Lovan. fol. 147. *quod nimirum affligendo nosmetipsos perpetuas gehennæ pœnas compensemus: quodq; satisfacere possit homo Deo pro culpa & pœna æterna per actus quosdam, qui ordine Naturæ sequantur gratiæ gratum facientis infusionem, & præcedant peccatorum remissionem.*

Idem fol. 157. ex Thoma lib. 4. sentent. dist. 15. q. 1. art. 2. docet, *affectum filialem, ex quo graviter de offensa patris dolet, plene se patris disciplinæ & flagello submittens, vere & proprie pro peccato mortali & æterna pœna satisfacere, sicut proprie meremur vitam æternam.* Idem etiam docet Andreas Vega in Comment. in Conc. Trident. lib. 13. cap. 36.

7. Et quantum ab hac opinione distat Bellarminus, cujus sententia est, *pœnam illam, quæ pro satisfactionibus redimitur, esse illam pœnam sensus, quam in gehenna pati debuit peccator, remota solum æternitate?* lib. 4. de Pœnit. cap. 8.

8. Non dicit Philippus, apud Pontificios redimi satisfactionibus pœnas æternas, sed tantum, *apud Pontificios necessarias statui satisfactiones ad pœnas æternas redimendas*, quod certe suos statuere nec Bellarminus negaverit, si modo cogitet disputationes eorum, qui volunt, *pœnam æternam virtute clavium mutari in temporalem aut luendam, aut Satisfactione redimendam.* Sic Lombardus 4. sent. dist. 14. §. ult. *Quod si ipsi judices sui fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam sincerissimæ animadversionis exercentes, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia.* Et Scotus ibidem, prout citat Gabriel dist. ead. q. 2. *Reus obligatur debito æternæ pœnæ, quo soluto obligatur ad pœnam temporalem in quam commutatur pœna æterna.* Si ergo secundum Pontificios pœnæ æternæ non redimuntur, nisi cum hac conditione, ut ipsæ virtute clavium mutentur in pœnas temporales, satisfactionibus redimendas, quomodo non necessariæ ad redimendas pœnas æternas satisfactiones statuantur? cum pœna æterna remitti non possit, nisi commutetur in temporalem, eaque satisfactionibus necessario redimi debeat, nisi velit ea in inferno torqueri. Inde Concilium Tridentinum, quanquam in can. 13. *pœnæ temporalis* mentionem faciat, sic tamen omnia verba moderatur, ne quidquam in istis Scholasticorum disputationibus damnet aut reprehendat.

9. Bellarminus lib. 4. de Pœnit. cap. 1. §. Quod si &c. laudat sententiam Cardinalis Cajetani dicentis in tract. de Contrit. quæst. 4. *pœna illa, quæ luenda restat post culpæ remissionem, est illa ipsa pœna sensus, quam in gehenna pati debuisset peccator, remota solum æternitate.*

Gregorius de Valentia de Satisfact. cap. 1. §. Et quidem &c. disputat, *Deum propter merita justorum pœnas æternas commutare in temporales.* Ergo per se æternæ pœnæ sunt, quas Pontificii satisfactionibus suis se redimere posse opinantur. Videatur Dn. Kleinius p. m. in Orat. de veracit. & existim. Aug. Confess. Bellarmini criminationibus opposita.

7. Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 3. sic scribit: *Philippus Melanchthon Confessionis & Apologiæ autor & Confessionistarum quasi proprius parens, ut locum hunc de pœnitentia præter cæteros diligenter muniret, variis imposturis & calumniis faciendum censuit; ac primū in ipsa Confessione Augustana mentitur, Catholicos non docere, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed per nostram dilectionem & opera.*

Idem lib. de Judic. Form. Concord. *In Confessione*, inquit, *Augustana art. 12. sic habetur: Rejiciuntur & isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed docent, remissionem contingere propter nostram dilectionem & opera. Hæc verba, etsi de industria obscure posita esse videntur, tamen sine dubio hunc faciunt sensum, ut rejiciendos esse significent illos, qui docent, hominē justificari à peccatis suis sine fide per solam dilectionem & opera. Nec dubitari potest, quin his verbis notentur Catholici omnes & præsertim Theologi Scholastici, & si quid dubium esse potuisset, jam sublatum est per Apologiam, ubi usque ad nauseam repetitur & inculcatur hoc mendacium, quod Scholastici doceant, justificationem non contingere ex fide, sed ex operibus sine fide.* Atque hoc falsum esse pluribus ibidem probat & addit, *Pontificios semper docuisse, justificari homines ex fide & operibus, ita ut ad præparationem & dispositionem requirant actus fidei, spei & dilectionis à Deo præveniente, excitāte, adjuvante excitatos.*

Resp. 1. Etiamsi hic esset sensus Augustanæ Confessionis, Pontificios docere, *quod justificatio contingat ex operibus sine fide*, tamen non esset mendacium. Neque enim loquitur Confessio de omnibus, sed *de quibusdā*, ut ipsa verba formalia ostendunt. *Rejiciuntur*, inquit, *& isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.* Constat fuisse ex Pontificiis, qui senserint, *justificationem sine fide contigisse*; ii scilicet, qui docuerunt, *Patres ante Mosen per legem Naturæ, sequentibus deinde à Mosis ætate temporibus per legem Mosaicam fuisse pios salvatos, jam vero in Novo Testamento demum hominibus per legem Christi salutem obtingere*, quam sententiam Latomus quoque in scriptis publicis defendere non erubuit, disputans, *non aliam de Christo doctrinam habuisse Abrahamum, quam Socrates, Plato vel alii Ethnici habuerint.* Ad eorum classem referendi etiam illi, *qui sanioribus gentilibus, fide in Christum destitutis, salutem promittunt.*

2. Non est is sensus Augustanæ Confessionis, nec dicitur in ea, *Pontificios docere, quod justificatio contingat ex operibus sine fide*, sed contra Apologia Augustanæ Confess. diserte tribuit Pontificiis sententiam illam, quæ ab ipso Bellarmino eis tribuitur; adeoque apertissime docet, à Pontificiis requiri fidem tanquam præviam dispositionem. *Adversarii*, inquit, *cum de fide loquuntur & dicunt, eam præcedere pœnitentiam &c.* art. de Pœnit. pag. 172. In ipsa Confess. Augustana art. 20. hæc extant diserta verba: *Docent, nos non tantum operibus justificari, sed conjungunt fidem & opera, & dicunt, nos fide & operibus justificari.*

3. Inspicienda ergo Confessionis verba, quæ sic habent: *Rejiciuntur & isti, qui non docent, remissionem per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.* Ex illis verbis Bellarminus sic colligit: *Secundum Augustanam Confessionem docent Pontificii, quod non per fidem justificatio contingat, sed quod ex operibus justificemur. Ergo secundum Augustan. Confess. Pontificii docent, quod ex operibus sine fide justificemur.* Atqui ex verbis Pauli Roman. 2. v. 13. *Non qui legem audiunt, justi sunt apud Deum, sed qui legem præstant, justificabuntur*, possit quis simili modo colligere: *Paulus docet, quod non qui audiant legem, justi sint apud Deū, sed qui præstent legem, justificentur. Ergo Paulus docet, quod qui præstant legem sine auditu legis, vel etiamsi non audiant legem, justificentur.* At hanc consequentiam nec ipse Bellarminus admittet.

4. Frequens est apud bonos autores, ut assignaturi effecto causam, removeant ea, quæ ad effectum producendum non sufficiunt, licet sine ipsis causa ipsa non sit, easque dicant causas, quæ proxime & potissimum effectum producunt. Sic verbi gratia, Paulus in dicto modo allegato, legali justificationi causam veram assignaturus, denegat justificationem auditui legis, & solam præstationem legis tanquam causam justificationis legalis adducit, quamvis sine auditu legis nequeat lex præstari, imo ne quidem sciri tota lex possit, nisi audiatur Rom. 7. v. 7. Similiter igitur August. Confess. exponens Pontificiorum opinionem, denegat fidei justificationem, sed opera & satisfactiones ponit, non quod sentiat, apud Pontificios sine fide ex operibus nos justificari, (nam ex ipsorum hypothesi *ne quidem præstari possunt opera meritoria vitæ æternæ sine fide & gratia* Bellarmin. lib. 5. de Justif. cap. 12.) sed quod velit, efficientiam potissimam operibus ab ipsis tribui, quod est verissimum, quia fidem tantum *inter prærequisitas dispositiones* ponunt & *formalem justificationē* in solis ponūt operibus, Bellarm. l. 2. de Justif. c. 23

5 Hoc vero tanto minus in August. Confessione culpari potest, quandoquidem Scriptura ipsa *justificationi ex fide* opponit *justificationem quorumcunq; operum*, sive in fide, sive sine fide factorum, & pro contradictoriis habet hæc duo, *justificari ex fide & justificari ex operibus* Rom. 3. v. 14. c. 4. v. 9. Gal. 2. v. 16. Quare quamprimum operibus justificationem Pontificii tribuunt, statim ex Scripturæ phrasi fidei justificationem derogant.

6. Ipsa

6. Ipsa penè verba posteriora, quæ Augustana Confess. rejecit, Confutatio Pontificia approbavit hisce verbis: *Unum est, quod ad Principes & Civitates pertinet, de bonis scilicet operibus, quod non mereantur remissionem peccatorum, quod ut superius rejectum ac improbatum est, ita & nunc rejicitur & improbatur*, art. 20. Hoc ergo, quod dicit Aug. Confess. *in Papatu doceri, non per fidem contingere remissionem peccatorum, sed gratiam satisfactionibus debere promereri*, verissimum est effatum. Dn. Kleinius in Orat. Jubil. de veracit. Confess. August. à Bellarmini criminationibus vindicata.

8. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, *quod remissionem peccatorum precio vendant*.

Resp. Claudius Espensæus in Epist. ad Tit. cap. 1. pag. 67. sic disserit: *Prostat & in quæstu pro meretrice sedet liber palam ac publice hic* (Parisiis) *impressus*, (Anno 1520. apud Toss. Denis) *& hodieque ut olim venalis Taxa Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum Summistis & Summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio emturientibus proposita. Parco nominibus, nam quod ait, nescio quis, Nomina sunt ipso pene timenda sono. Mirum hoc tempore, hoc schismate, non suppressum tot tamque fœdorum, tamque horrendorum scelerum velut indicem adeo infamem, ut non putem in Germania, Helvetia & ubicunque à Sede Romana defectum est, opus præstare majore hujus scandalo; adeo tamen non supprimitur ab Ecclesiæ Romanæ fautoribus, ut tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impunitates, in facultatibus Legatorum illinc huc venientium bona ex parte innoventur atque confirmentur.* Et post enumerata crimina, quorum impunitas pretio venditur, *Habeat*, inquit, *jam Roma pudorem, & tam nullius frontis criminum omne genus catalogum prostituere desinat.* Paulo post hæc citat ex Mantuano Ecl. 9. *Heu! Romæ nunc sola pecunia regnat.*

9. Conqueruntur, falso sibi tribui, *quod pro culpa à nobis satisfieri posse statuant*.

Resp. 1. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. sic loquitur: *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur.*

Et postea: *Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.*

2. Interpretes Concilii Tridentini Andreas Vega Lib. 13. in Conc. Trident. cap. 36. Melchior Canus Relect. 6. de Pœnit. pag. 908. Ruardus Tapperus in explic. 6. artic. Lovan. (judicio Bellarmini Lib. 4. de Pœnit. c. 1. & Andradii in Defens. fid. Trident. p. 757. *Theologi insignes, eruditissimi, acutissimi*) *satisfieri* dicunt, *pro culpa, pro peccato.*

(Bellarm. quidem eos sic excusat, *quod culpam pro pœna culpæ, peccatum pro pœna peccati intellexerint*. At nullo modo verisimile est, illos studio voluisse in accurata disputatione metonymicis appellationibus uti, & totam quæstionem magis obscurare, quam illustrare.)

3. Catech. Tridentinus de Pœnit. q. 52. 53. 56. 57. 58. Canisius in opere Catechistico de Pœnit. q. 7. *non solum pro redemtione culpæ satisfactionis vim asserunt, sed etiam meritum ei tribuunt.*

4. Altensteig in Lexico fol. 818. *Satisfactionem pœnitentialem, si cum caritate fiat, non tantum pœnam solvere, sed & gratiam mereri* contendit, usus verbis Gabrielis & Scoti.

(Confer dicta superius in hoc articulo cap. 5. de Satisfactione thesi 3. membro 9.)

5. Cajetanus Cardinalis tom. 3. opusc. 10. cap. 10. & in part. 3. Thom. quæst. 1. artic. 2. Hosius Cardinalis in Confess. c. 73. Guilielmus Lindanus Episcopus Ruræmund. Lib. 3. panopl. cap. 20. Alphonsus Virvesius Philipp. 4. Jacobus Payva Lib. 6. in Concil. Trident. Jacobus Horantius Lib. 1. LL. cap. 67. Dominicus Sotus in 4. dist. 19. quæst. 1. artic. 2. Jacobus Ledesma apud Suarez in 3. Thom. Disput. 4. sect. 12. imo Thomas Doctor Angelicus part. 3. quæst. 48. art. 1. & 2. quæst. 49. artic. 1. docent, *posse hominem, qui Christi membrum sit, de condigno ad æqualitatem & secundum rigorem justitiæ Deo pro peccato mortali quoad culpã & pœnam æternam satisfacere.* Quomodo Jesuitæ ipsi Tannerus tom. 4. Theol. Schol. Disput. 1. q. 2. n. 339. & Suarez in 3. Thom. Disput. 4. sect. 12. eos interpretantur.

II. *Calumniæ.* 1. *Generales.*

1. Bellarminus Lib. 1. de Pœnit. cap. 9. §. 5. & Lib. 4. de Eccles. c. 9. §. 25. *Montanistis & Novatianis* nos aggregat, propterea, *quod negemus, Pœnitentiam esse Sacramentum proprie dictum.*

Resp. Huic accusationi satisfecimus superius in hoc ipso articulo cap. 1. resp. ad arg. 6.

2. Idem Bellarminus Lib. 1. de Pœnit. cap. 9. *perjurii* nos accusat, *quod ab Augustana Confessione, quæ pœnitentiam Sacramentis accenset, secessionem fecerimus.*

Resp. Sacramenti nomen in Apolog. Augustanæ Confessionis, sub titulo de numero & usu Sacramentorum, pœnitentiæ tribuitur non *ratione materiæ & formæ*, sed ratione *finis*, quem cum Sacramentis proprie dictis communem habet, quæ est fidei nostræ de peccatorum remissione confirmatio. Verba sic habent: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta, scilicet Baptismus, Cœna Domini & Absolutio.* Sed statim additur: *Si omnes res annumerari Sacramentis debent, quæ habent mandatum Dei, & quibus addita sunt promissiones, cur non addimus orationem, quæ verissime potest dici Sacramentum, habet enim mandatum Dei & promissiones plurimas.*

(Ex eo sic colligimus: Non sufficit ad Sacramentum *propriissime* dictum, habere mandatum Dei & promissionem gratiæ. Atqui hoc & non alio sensu assertum erat, Absolutionem referri ad Sacramenta. Ergo noluit Apologia eam esse Sacramentum *propriissime* sic dictum.)

3. Accusant nos, *quod pristinam Ecclesiasticæ disciplinæ severitatem adversus pœnitentes repudiaverimus.*

Resp. 1. Georgius Cassand. in Consult. art. 12. pag. 948. *De satisfactione Ecclesiastica aliquando non incommode scripsit Lutherus art. 5. assertionum: Ecclesia mater pio affectu præventura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei, sicut Ninivitæ operibus spontaneis prævenerunt manum Dei.*

(D. Chemnicius part. 2. Exam. Concil. Trident. cap. de Satisfact. pag. 368. *Optandum esset, ex ritibus illis veteris Ecclesiæ aliquid posse in usum reduci sine superstitione & falsis opinionibus, disciplinæ & exempli causa.*)

2. Thomas in Comment. 2. Corinth. 2. *Incestuosus erat excommunicatus & traditus Satanæ. Graviter dolet; sufficiens igitur erat pœna, non quantum ad judicium Dei, sed quantum expediebat personæ. Melius enim est, servare lenitatis Spiritum, ut correctionis fructus sequatur, quam si durius corrigatur; desperet peccans & majoribus peccatis immergatur.*

3. Pontificii contenti sunt *tenui animi dolore* Maldonat. Summ. q. 16. artic. 1. & *attritione*, Acosta de salut. Indor. Lib. 6. cap. 11. seu *imperfecta & remissa contritione* Tolet. Instruct. Lib. 3. cap. 5. nos vero requirimus *magnam animi concussionem*, Lutherus, fatente Roffensi, art. 12. contra Luther. *acrem & vehementem contritionem*, Chemnicius, fatente Bellarm. Lib. 2. de Pœnitent. cap. 10. §. Ut incipiamus. Ipsi ergo potius pœnitentiæ severitatem laxant.

4. Toletus Lib. 6. Instruct. *Antiquitus remissiones aliquot pœnarum factas legimus, licet non tam amplas, ut modo fiunt.*

(Ergo ipsimet potius nimis sunt indulgentes per suas Indulgentias.)

5. Gregorius de Valentia Lib. de Indulgent. cap. 2. *Antiquitus usus erat severioris disciplinæ, antequam Indulgentiarum usus increbuit, quia tunc illi homines ferventiores erant in bonis operibus, & minus indigebant Indulgentiis, quam nos.*

4. Accusant nos, *quod prohibeamus specialem quorundã peccatorum, quæ conscientiã maxime angunt, in Confessione enumerationem.*

Resp. Georgius Cassander art. 11. de Confess. pag. 943. *Enumerationem peccatorum, qua graviora omnia peccata diligenter expenduntur, & tanquam spiritualia vulnera spirituali Medico revelantur, retinendam esse dubitandum non est, & Protestantes in suis articulis ad librum propositum hujusmodi enumerationem non aspernantur, quia* (inquiunt) *multi propter ambiguos casus opus habent consilio, ideo hortandi sunt homines, ut addant enumerationem, ut juvari consilio aut excitari magis ad pœnitentiam & de multis rebus admoneri possint.*

5. Bellarminus Lib. 4. de Pœnitent. cap. 2. Protestantes etiam *dissensus* accusat. *Priorem*, inquit, *Lutheri sententiam secutus est Iohannes Calvinus, posteriorem multi ex Lutheri discipulis, ac præcipue Philippus & Chemnicius.*

Resp. Verum est, quod Calvinus doceat, *Deum à justis nullas expetere pœnas proprie dictas in vindictam peccati præteriti.* Sed falsum est, *Philippum & Chemnicium contrarium affirmare.*

Philippus in loco de Satisfact. p. 562. pœnarum nomine non intelligit pœnas proprie dictas & satisfactorias, sed tantum *paternas Dei castigationes & ipsam crucem*, cui Ecclesia in hac vita semper est subjecta; quæ castigatio à nullo hominum remitti potest, & pro qua non possumus operibus nostris satisfacere, ideo addit pag. 569. *Exercitia coërcendæ carnis*

docenda, præcipienda & præstanda sunt, non ut sint compensationes pro præteritis peccatis, sed ut deinceps arceant peccata.

Chemnicius part.2. Exam. pag.204. itidem concedit, *castigationes temporales piis post reconciliationem imponi*, sed non concedit *pœnas propriè dictas ex rigore justitiæ divinæ post remissam culpam requisitas, satisfactorias, nostris operibus redimendas & Indulgentiarum virtute relaxandas.*

6. Bellarminus Lib.4. de Pœnit. c.6. Stapletonus in Promt. Cathol. Dom. 2. Adv. pag.13. Gretserus in agon. c.2. p.21. accusant nos, *quod cilicia, cineres, humicubationes &c. adeoque opera pœnitentiæ & necessariam carnis mortificationem repudiemus.*

Resp.1. Si cinerum aspersio, lachrymæ, humicubationes &c. ex vera & seria contritione oriuntur, nec opinio meriti vel satisfactionis illis adhæret, sed sunt duntaxat externa veræ contritionis signa, ut in Jobo, Davide, Daniele, Ninivitis &c. nequaquam à nobis improbantur, quia externis illis signis serius de peccatis dolor & vera cordis contritio, quæ in calamitatibus sive publicis, sive privatis acui & crescere solet, exterius se manifestat.

2. Sed si ex hypocrisi talia suscipiuntur, ita ut in corde non sit vera & interior contritio, vel ut externis illis castigationibus satisfactio pro peccatis & meritum remissionis peccatorum ac vitæ æternæ tribuatur, tum exercitia illa merito improbamus, quia evertunt fidem in Christum unicum propitiatorem ac Mediatorem nostrum, propter quem solum & in quo solo peccatorum remissio nobis obtingit.

3. Bellarminus ipse nobis hoc testimonium præbet Lib.2. de Pœnit. cap.10. §. Ut incipiamus &c. quod veram & seriam contritionem in pœnitentia statuamus esse necessariam. *Concedunt*, inquit, *Adversarii, Chemnicius & Calvinus, contritionem, eamque seriam & vehementem esse necessariam.* Item, *acrem & vehementem esse debere.*

4. Mortificatio carnis, quam Scriptura requirit, non consistit in externa & hypocritica corporis afflictione Rom.13. v.14. Coloss.2. v.23. alias etiam crucifigendum & occidendum esset corpus, cum *crucifixio carnis & mortificatio membrorum* requiratur, Gal.5. v.24. Coloss.3. v.5. sed in carnalium affectuum & concupiscentiarum mortificatione.

7. Alphonsus de Castro Lib.6. advers. hæres. verbo Excommunicatio. *VVicklephistæ, Hussitæ & Lutherani velut viperarum genimina matris suæ Ecclesiæ viscera rodere nunquam cessant, & cum in ea per Baptismum fuerint nati, ab ea per hæresin exeuntes, illam occidere volunt omnem ab illa potestatem auferentes. Inter alia ergo, quæ ab Ecclesiâ separare nituntur, est potestas excommunicandi. Dicit enim VVicleph. Excommunicationem à Papa aut quocunque alio Prælato inflictam, non esse timendam, quia est censura, ut dicit, Anti-Christi. Iohannes Huß asserit, Clerum suppeditare* (supplantare) *Laicos per excommunicationem & alias censuras. Lutherus autem muros Hiericho jam destructa, readificare tentans ait, excommunicationem non solum esse timendam, sed cum gaudio recipiendam & procurandam.*

Resp. Non denegant Ecclesiæ potestatem excommunicandi, sed loquuntur de *injusta excommunicatione*, quæ fit propter confessionem cœlestis veritatis ab illis, qui Ecclesiæ nomen sibi falso arrogant.

8. Bellarminus verba illa August. Confess. art.4. Abusuum, *Antea immodice extollebantur satisfactiones, fidei vero ac meriti Christi nulla fiebat mentio*, mendacii accusat, ideo *quod semper in pœnitentia Scholastici requirant fidem. Hæc*, inquit Lib.1. de Sacram. c.3. *tam magna sunt mendacia, ut mirum sit, si ea tota Germania capere possit. Nullus enim est liber Catholicus, in quo de Sacramento ullo agatur, quin in eo sæpe fides & Christus nominentur. Certe S. Thomas, qui minime obscurus autor est part.3. q.62. artic 5. dicit & probat, Sacramenta omnia vim habere ex meritis Christi, & ejusdem merita per fidem nobis applicari.*

Resp.1. Scholastici nomine fidei intelligunt *notitiam Christianæ religionis & assensum articulis Christianorum dogmatum vel implicite, vel explicite præbitum.* Augustana autem Confessio *de fide & merito Christi & justitia fidei* disertis verbis agit, quod peccator in terroribus conscientiæ Christum Mediatorem apprehendere, ac promissioni divinæ de remissione peccatorum propter Christum factæ, firmiter credere debeat, quod Scriptura *fidem justificantem & justitiam fidei* vocat. Hanc fidem apprehendentem meritum Christi nuspiam in libris Confessionariorum inveniri, nuspiam in doctrina de pœnitentia à Pontificiis fuisse præceptam, imo superioribus temporibus apud maximam partem Doctorum silentio plane involutam fuisse affirmat Augustana Confessio. De notitia generali, quam Pontificii requirunt, non agit, imo eam requiri à Pontificiis affirmat in Apolog. p.172. *Adversarii*, inquit, *cum de fide loquuntur, & dicunt, eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem, non hanc, quæ justificat, sed quæ in genere credit, Deum esse, pœnas propositas esse impiis &c. Nos præter illam fidem requirimus, ut credat sibi quisq; peccata remitti. De hac fide speciali litigamus & opponimus eam opinioni, quæ jubet confidere non in promissionem Christi, sed in opere operato Contritionis, Confessionis & Satisfactionis.*

Et paulo post p.175. art. de Pœnit. *Non solum requirit in genere, ut credamus, remitti peccata per misericordiam, sed jubet addere specialem fidem, qua credamus & nobis ipsis remitti peccata.*

2. De hac fide secundum Scripturæ phrasin intellecta, de qua se loqui Aug. Confess. & Apologia tam diserte testatur, non solum nihil habent Confessionariorum & Summistarum plurimi libelli, sed etiam hodierni Pontificii eam plane repudiant. Stapletonus in Antidot. in Act. Apost. p.190. vocat eam *spectrum hæreticorum*. p.120. *vanum figmentum*. Inde Petrus Suavis Polanus in Hist. Concilii Trid. Lib.2. p.219. sic scribit: *Articulis hunc in modum collectis, non tam levis erat operæ rationem invenire eorundem in congregationibus excutiendorum, quam paulo ante, cum de originali peccato actum est. Illud enim argumentum deprehenderat à Scholasticis studiose agitatum, at Lutheri de fide justificante opinionem, quod ea sit fiducia & certa persuasio promissionis divinæ, ejusq; consectaria de discrimine legis & Evangelii & qualitate operum ab utroque pendentium, ea nemo à Scholasticis vel imaginando conceperat: ac proinde non confirmarat, nec excusserat.* Confer. Dn. Klemium in Orat. Jubil. pro veritate August. Confess. criminationibus Bellarmini opposita.

9. Censores Aug. Confess. *falsum esse* ajunt, *quod Confessores suggerunt de Chrysostomo, cum de publica loquatur Confessione, quia dicat, Non dico tibi, ut te prodas in publicum.* Andr. Fabricius, Cochlæus & alii producunt alia Chrysostomi loca, in quibus *Confessionem oris* commendat.

Resp. Confessores non negant, Chrysostomum *oris Confessionem* commendare. Nec juvat Adversarios phrasis illa, *te prodas in publicum*, Chrysostomus ipse pro ea, *ostensa teipsum*, habet, nec antecedentia & consequentia Papisticam explicationem ferunt.

10. Alphonsus de Castro & ex eo Guilielmus Bailius Jesuita in Catechismo Controv. q 1. cum *Jacobitis hæreticis* nos conjungit ob rejectam *specialem peccatorum in auriculari confessione enumerationem.*

Resp.1. Jacobitarum errores, quos à Jacobo Zanzalo Syro hauserunt, recenset Nicephor. Lib 18. Hist. Eccl. c.52. in quibus *de confessione* nihil prorsus memorat.

2. Secuti sunt *Monophysitarum & Theopaschitarum* hæresin, à qua toto pectore abhorremus.

11. Idem Bailius d.l. *ob repudiatas satisfactiones proprias cum Audæanis hæreticis* nos conjungit, *qui satisfactiones pœnitentibus à Sacerdotibus impositas Judificationes esse* dixerunt.

Resp.1. Historia Tripartita Lib.7. cap.11. mentionem facit Audæi sive Audii Syri, ejusque hæreses notat, ex quo postea sectatores ejus dicti sunt Audæani, sed de illis non dicitur, *quod satisfactiones à Presbyteris confitentibus impositas, sustulerint, atque hoc nomine hæreseos damnati fuerint.*

2. Epiphanius hæres.70. dicit, *Audæum fuisse hominem sanctæ vitæ, qui sibi maximum odium concitaverat propterea quod Episcoporum ac Presbyterorum peccata reprehendebat, quæ causa fuit, cum ab iis persecutionem pateretur, cur secesserit & separaverit se ab iis, cum nihil à fide haberet diversum rectissimèque crederet, exceptis duobus capitibus, quod Imaginem Dei corpus esse dixit, & eodem tempore, quo Judæi, Pacha celebravit.*

3. Ad illud forte respexit Bailius, quod Theodoretus lib.4. de Fabul. hæret. scribit: *Memorantur Audæani confessis donasse remissionem peccatorum, nec tempus ad pœnitentiam præscripsisse, ut moris erat in Ecclesia Catholica.* Sed nec hoc fit apud nos, quippe apud quos ad tempus à Sacramentis arcentur peccatores etiam confessi, donec pœnitentiam suam publicis indiciis probaverint, & sic satisfactionem Ecclesiasticam perfecerint.

12. Balthasar Hagerus Jes. Herbip. in Collat. August. Confess. & Concil. Trident. art.11. dicit, *novos Confessionistas nullam requirere Confessionem* (peccatorum.) At calumniam hanc refellit ipsa August. Confessio, quæ omnium quidem delictorum in Confessione enumerationē necessariam esse negat, interim *privatam Confessionem* retinendam suadet.

II. Spe-

II. Speciales.

1. Alphonsus à Castro Lib. 12. adversus hæres. in verbo Pœnitentia, hæresi 2. *Lutherus ad hunc scopum suam doctrinam visus est dirigere, ut peccatores à pœnitentia averteret & ad peccandum impelleret.*

Resp. 1. Et scripta Lutheri & praxis clamant contrarium.

2. Si pœnitentiæ nomine intelligit Alphonsus *opera Satisfactionis*, probet primum ex Scripturis, illa à vere pœnitentibus requiri.

2. Idem Alphonsus de Castro d. l. hæresi 1. *Errorem illum, quod nova vita sit optima pœnitentia, Lutherus ex suo cerebro fabricavit, nec ex alterius vetustioris hæretici officina depromsit, quod raro Luthero contigisse agnoscimus.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Disp. 7. q. 2. punct. 1. col. 1593. lit. C. ac Bellarminus Lib. 1. de Pœnit. cap. 7. itidem Lutherum accusant, *quod negaverit, pœnitentiam includere odium vel dolorem de vita præterita, sed tantum vitæ emendationem.*

Resp. 1. Johannes Fischerus Episcopus Roffensis adversus Lutherum scribens art. 12. adducit verba Lutheri: *Gratia non infunditur, nisi cum magna animi concussione.*

(Illa ipsa animi concussio includit dolorē de vita præterita.)

2. Bellarminus Lib. 2. de Pœnit. cap. 19. sic scribit: *Docet Chemnicius, contritionem acrem & vehementem esse debere.*

(Idem etiam docet D. Lutherus.)

3. Benedictus Pererius in c. 27. Geneseos Disput. 8. pag. 770. super verba, *Esau non invenit locum pœnitentiæ &c.* sic commentatur: *Hoc loco vox pœnitentiæ significat mutationem facti vel dispositionis.* In hunc sensum etiam alios Scripturæ textus allegat & concludit: *Liquet igitur, in vocabulo pœnitentiæ notionem esse ac significationem mutationis.*

(Eodem sensu etiam D. Lutheri verba sunt accipienda, videlicet quod pœnitentia non in solis doloribus & terroribus consistat, sed potius in amore justitiæ, fiducia gratiæ & mutatione vitæ. Vide tom. 1. oper. Latin. Lutheri fol. 73.)

3. Pazmannus Lib. 3. Hodegi in cap. de doctr. Lutheri reprehendit eo nomine *Lutherum*, quod in artic. 6. à Leone Pontif. damnato, scripserit, *Contritionem, quæ paratur per detestationē peccatorū, qua quis recogitat antiquos annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorū gravitatē, multitudinē, fœditatē, amissionē æternæ beatitudinis, facere hypocritam, imo magis peccatorem.*

Anglo-Rhemenses in Annot. 2. Cor. 9. *Lutherus & Calvinus tam sunt Libertini, ut doceant, Contritionem in homine aut hypocrisin, aut desperationem gignere.*

Gregorius de Valentia tom. 4. in Thomam Disp. 7. q 2. punct. 3. §. Recte &c. *Adversus hanc Lutheri blasphemiam in Concilio Tridentino definitum est, hujusmodi dolorem esse utilem.*

Resp. 1. Lutherus hanc conclusionem suam ex *Cassiano* mutuatus est, ut ipse scribit.

2. Intelligit autem *contritionem sine amore Dei*, quæ non est vera, sed simulata contritio; hæc facit hypocritam, qui nec volenter, nec amanter conteritur in corde suo. Ita namque expresse scribit Lutherus tom. 1. Latin. Jen. fol. 300. *De hac contritione* (sine amore Dei & justitiæ) *loquor. Quod si dixerint, se loqui de contritione in caritate facta, jam articulus nihil ad me, non enim unquam sic docui.* In sequentibus prolixe explicat, quomodo talis contritio magis peccatorem faciat, quia nimirum, qui ita conteruntur, tantum metu pœnæ à peccatis abstinent. *Perniciosum* ergo *genus docendi* nominat, *quo intuitu pœnarum homines docentur pœnitere. Hic enim doctrinis coërcentur quidem ab opere & majori malo, occultum illum affectum contemtæ legis & amati peccati nunquam intelligunt.*

3. Roffensis art. 5. adv. Luth. hæc ex Luthero allegat: *Malitiose Adversarii mei hunc articulum congesserunt, non enim negavi contritionem. Dixi, fidem sine contritione esse non posse, cum gratia infundatur, non nisi magna animi concussione. Quod si Adversarii dixerint, se loqui de contritione in caritate facta, nunquam docui, eam hominem hypocritam facere. Qui meum articulum damnant, de contritione naturali extra fidem loqui eos oportet. Eat quisque in cor suum, non mentiatur sibi ipsi, ac respondeat mihi, an non cor suum ita inveniat, ut mallet, legem nullam esse? an non odiat, pœnam peccatorum esse? an in affectu non vellet, peccata esse prohibita?*

4. Alphonsus de Castro Lib. 4. adversf. hæres. verbo Contritio. *Dupliciter contingere potest, ut aliquis timore pœnæ fugiat peccatum. Fieri enim potest, ut quis sic peccatum timore pœnæ fugiat, ut si pœnam minime imminere conspiceret, peccatum nunquam relinqueret. Et iste, quamvis peccati opus effugiat, peccandi tamen voluntatem retinet. Quapropter eum, qui sic timore pœnæ peccatum detestatur, male agere dicimus, & in hoc non est verus Dei timor etiam servilis, quoniam qui vere timet Deum, etiam timore servili, ab omni peccato declinat &c. Aliter contingit detestari peccatum timore pœnæ, sic videlicet, quod timore pœnæ & peccati opus & peccandi voluntas prorsus abjiciatur. Contingit enim, ut quis consideret gehennam & gravissimam ejus pœnam, quam maxime odit, & inde ascendat ad considerationem Dei, qui potest talem pœnam infligere, & sic considerans timet Deum, velut potentem talem pœnam infligere. Et hic timor Dei dicitur servilis, quando timetur Deus propter solam ejus potentiam &c. Talis timor Dei servilis bonus est, imo donum Spiritus S.*

(Atqui Lutherus de priore servilis timoris specie agit, ut ipsa verba ostendunt.)

5. Gregorius de Valentia d. l. ipsemet sic scribit: *Nos asserimus, si quis propter pœnas, tanquam propter maximum, quod horret, malū summumq; avertendum, de peccatis doleret, omnino fore malum, quoniam orietur ex perversissimo sui amore. Secundo, si quis movetur timore pœnarū & proposito vitandi pœnas, ut conditione sine qua non, doleret de peccatis, hic timor etiam malus est & à pio animo alienus.*

(Idem etiam sibi vult Lutherus.)

6. Guilielmus Lindanus Lib. 4. Panopl. cap. 64. *Contritio non est timor gehennæ, sed animæ dolor de peccatis.*

(At servilem tantum illum timorem D. Lutherus excludit, dicens cum Augustino serm. 7. de Temp. *Veram pœnitentiam non facit, nisi odium peccati & amor Dei, hujus sacrificii ignis est dilectio.*)

4. Bellarminus Lib. 4. de Pœnit. cap. 2. sic disserit: *Lutherus in initio suæ novæ doctrinæ negabat ullam pœnam à Deo exigi post culpam, ut cognosci potest ex concione de Indulgentiis, quam habuit Anno 1518. ut ex Asteriscis, quos opposuit Eccii obeliscis ad initium secundi asterisci. Deinde tamen idem Lutherus admisit reatum pœnæ temporalis in hac vita post culpam remissam, ut patet ex assertione articulorum suorum art. 5.*

Resp. Verum est, quod Lutherus d. l. negaverit, ullam pœnam à Deo exigi, post remissam culpam; sed falsum est, quod in assertione articulorum contrarium scripserit. Dicit quidem, *quod multos legamus à Deo propter peccatum castigatos, ut Davidem, Mosen, Aaronem &c.* Sed aliud est *castigatio Dei*, pro qua non valemus satisfacere, & quæ à nullo hominum remitti potest: aliud est *pœna temporalis*, pro qua post remissam culpam satisfieri à nobis posse & debere Pontificii statuunt. Lutherus illam semper concessit, hanc semper impugnavit, adeoq; pœnam proprie dictam, satisfactoriam, remissibilem vel satisfactionibus redimendam, & per Indulgentias relaxandam post remissionem culpæ remanere, constanter negavit.

5. Pazmannus Lib. 3. Hodegi in cap. de doctr. Lutheri, eo nomine Lutherum perstringit, quod scripserit art. 13. *in Sacramento pœnitentiæ & remissione culpæ nō plus facere Papam, Episcopū, Sacerdotem, quam quemlibet Christianum, etiam fœminā & puerū.*

Resp. Verba Lutheri sic habent: *In Sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus Sacerdos.* Ergo 1. opponit hoc *casibus Papæ reservatis*. 2. Loquitur *de jure omnium Christianorum communi*, non de potestate ordinaria in Ministerio. Omnes quidem Christiani jus habent prædicandi & absolvendi, sed jus illud suum ordinarie exequuntur per Ministerium Ecclesiasticum. 3. Loquitur *de casu necessitatis*, non de ordinariæ potestatis Ecclesiasticæ executione. Nam expresse dicit, *ubi non est Sacerdos*. Item: *Absente Sacerdote, etiam mulier & puer absolvere possunt.*

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Toletus Lib. 6. Instruct. cap. 5. *Non tenetur quilibet statim post peccatum commissum conteri, etiamsi recordetur sæpius commissi peccati.*

(Contra Jerem. 26. v. 13.)

2. Andreas Vega Lib. 6. de Justif. cap. 36. *Martyrium sine pœnitentia peractum, ad justificationem sufficit.*

(Contra, omnes homines sunt peccatores. Ergo omnes, ac proinde etiam Martyres indigent pœnitentia.)

3. Suarez in Thom. tom. 4. Disput. 4. §. 3. Assert. 2. *Fieri potest aliquando, ut sola detestatio peccandi sine proposito formali non peccandi de cætero, sufficiat ad gratiam consequendam.*

(Sine fide nemo consequitur gratiam. Fides autem includit propositum formale non peccandi de cætero.)

4. Toletus Lib. 3. Instruct. cap. 11. §. Advertendum 6. *Possit Confessarius pœnitenti imponere pœnitentiam per alium implendam, nimirum unum pro alio jejunare &c.*

(Ut per nos ipsos peccavimus, ita per nos ipsos pœnitentiam

tiam agere debemus;ut unus pro alio non potest manducare, ita nec unus pro alio potest jejunare.)

5.Bellarminus lib.1. de Baptismo c.9. *de originali peccato non esse pœnitentiam agendam* autumat.

(Quod est peccatum proprie sic dictum,de eo etiam agenda est pœnitentia.Peccatum originis est peccatum proprie sic dictum.Ergo.)

6.Anglo-Rhemenses in ann.Marc.1.sect.6.*Quod Christus egerit pœnitentiam jejuniis vivendo in desertis & conversando cũ bestiis.*

(Christum pro peccatis nostris satisfecisse & vitam æternam nobis promeruisse legimus,sed pœnitentiam ipsum egisse,nuspiam legimus.)

7.Idem in annot.Col.1.sect.4.*Afflictiones & passiones sanctorum dedicatæ & sanctificatæ in sanguine Christi,habent fortem satisfactionem in se pro Ecclesia & ejus particularibus membris, & sunt complementa defectuum passionis Christi.*

(Contra Hebr.1.v.3. Christus *peccatorum nostrorum purgationem fecit per seipsum*.c.10.v.14. *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos.*)

8.Conc.Trident.sess.14. can.13. *Non est sufficiens satisfactio, credere,quod Christus satis abundanter pro nobis satisfecerit, sed oportet ut Deo quoque satisfiat pro nostris peccatis per pœnam nobis impositam.*

(Contra Joh.19.v.30. *consummatum est.*)

9.Bellarminus lib.4.de Pœnit.c.7.*Accedente Dei gratia, vere possumus aliquo modo ex propriis, ac pro hoc juste & ex condigno satisfacere.*

(Contra Job.9.v.3.Rom.11.v.6.)

10.Idem Bellarminus lib.1.de Purgat.c.10.§.Secundus &c. *Etiamsi una satisfactio sufficeret,tamen ad majorem Dei gloriam,cui satisfit, & majorem honorem hominis satisfacientis placuit Christo conjungere nostram satisfactionem suæ.Homo justus sub duplici titulo jus habet ad eam gloriam,uno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis, qui modus mihi videtur non improbabilis.*(imo est execrabilis.)

11.Clemens Papa in Bulla,quæ hodie Viennæ & alibi in privilegiorum scriniis asservatur,præcepit *Angelis de cœlo, ut animam peregrinantis Romam & morientis, à purgatorio absolutam ad gaudia perpetua introducant*,inquiens:*Nolumus,ut pœna inferni sibi aliquatenus infligatur.*Corn.Agrippa de vanit.scient.c.92.

12.Bellarminus lib.1.de Pœnit.c.10.*Christus infidelibus remitti voluit peccata per Baptismum, at fidelibus remitti noluit per Baptismum, sed per alium ritum,nimirum reconciliationem,pœnitentiam.*

(Per quam dure dicitur, *infidelibus remitti peccata per Baptismum.*Intelligit quidem Bellarminus nomine *infidelium* eos,qui ex gentilitate ad Christum convertuntur, sed illi non sunt prius baptizandi,antequam fidem Christi profiteantur & seriam peccatorum pœnitentiam agant,hactenus ergo non sunt infideles.)

13.Bellarminus lib.3.de Pœnit.c.2.§.Septimo probatur &c. *Si non essent Sacerdotes judices, nec vere peccata remitterent, sed solum annunciarent esse remissa,nemo periret ex eo solum, quod Sacerdotem reconciliantem habere non posset. At S. Augustinus in Epist.280. ad Honoratum aperte scribit,aliquos reconciliari cupientes,& proinde in Christum credentes,in æternum perire,quod ante moriantur, quam à Sacerdote absolvi potuerunt.*

lib.3.de Pœnit.c.4. *Invito Sacerdote neminem quantumvis vere pœnitentem per Confessionem coram Deo peccatorum remissionem consequi posse.*

Saniores Pontificii non dubitant, *quod actus Confessionis Sacerdotalis non sit necessarius ad salutem, tantum de voto litigant, an omnino in adulto requiratur votum Confessionis,an votum hoc oporteat esse explicitum,an sufficiat implicitum?* Greg. de Valent.de necess.Conf.c.2.Canus Relect.de Pœnit.part.5.concl.3.p.882.

(Contra idem Bellarm. lib.2.de Pœnit.c.13.*Contritio perfecta cum voto Sacramenti conjuncta,remittit peccata ante Sacerdotis absolutionem.*

Ibid. *Nos contritionem salutarem homini ad peccatorum remissionem obtinendam sufficere posse existimamus, si vel maxime in casu necessitatis absolutio Sacerdotis non accedat, quæ tamen fidei confirmandæ ergo,si haberi potest,haudquaquam negligenda est.* Idem statuit Hardingus in Confut.Angl.part.2.c.5.

14.Idem lib.2.de Pœnit.c.14.docet, *eum,qui dicit, Ego te absolvo, non affirmare, se absolute absolvere, cum non ignoret, multis modis fieri posse, ut non absolvat, licet ea verba pronunciet, nimirum si is,qui Sacramentum suscipere videtur, forte non habeat suscipiendi intentionem,vel non sit rite dispositus,aut obicem ponat.*

(Cum vero nemo sciat,an sit rite dispositus,inde tollitur omnis ex absolutione speranda consolatio.)

15.Johannes Gastius in Memorab.refert,*quod Sacerdos quidam Nobilem Latinitatis ignarum,nec pœnitentem, nec in futurum à peccatis abstinere volentem, ut aureum nummum ab ipso acquireret, hac verborum forma absolverit: Dominus noster Jesus Christus te absolvat,si vult,& dimittat tibi peccata tua,quod ego non credo, & perducat te ad vitam æternam,quod est impossibile.*

17.Apud Zuingerum lib.3.volum.27 *Fulco Andegavensis Comes satisfacturus pro peccato quodam,indutus malefici damnati vestitu cum duobus comitibus ad sepulchrum Domini contendit, ita ut eorum alteri se collo resti illaqueandum & trahendum traderet, alteri virgas præberet,quibus se tergo læsum laceratumq; eodem ageret vociferantem: Admitte Domine miserum Fulconem perjurum & fugitivum tuum.*

Lutherus Anno Christi 1498.ipse vidit Magdæburgi *Principem quendam Anhaldinum,fratrem Adolphi Præpositi Mersburgensis, indutum cucullo Monastico, gerere saccum, quo colligebant panem Mendicantes Monachi.*tom.6.Germ.Jen.f.9.& 20.

17.Gretserus in Virgidem.p.156. *Sanguis Christi expiavit & abluit peccata nostra,at non sine instrumentorum interventu,in quibus & professionis religiosæ externa indicia,cilicium, vestitus Monasticus, tonsura.*

(Contra Hebr.1.v.3. *Christus purgationem peccatorum nostrorum fecit per seipsum.*)

18.Keisersberg.de micis fol. 43. *Qui nihil dat vel fecerit, non consequitur Indulgentias.Idoneitas in suscipiente Indulgentias requirit tria C.Contritionem,Confessionem & Contributionem.*

Taxa Cancellariæ titulo de matrim.f.23.*Nota diligenter,quod hujusmodi gratiæ non conceduntur pauperibus,quia non sunt,ideo non possunt consolari.*

Vincentius Ordinis Prædic.in Speculo Histor.lib.7. *Quintum est discretio,ut scilicet discernat apud se,pro quanto vellet exonerari,vel quantum vellet dedisse, ut absolutus esset à pœnitentia tanta. Sextum est justa æstimatio, ut secundum quod ipsi dimittitur, ille recompenset.Sed Ecclesia tacet illam duabus de causis,Prima est, quod si determinaretur,non essent fideles ita prompti ad dandum &c. Alienatio quidem pecuniæ vere satisfactoria est, cum sit vere pœnalis. Imo quantum ad relaxationem pœnæ,pejoris conditionis est pauper, quam dives.*

Augustinus Triumphus de potest.Eccles.q.31.art.3.*Simpliciter melioris conditionis est pauper, quam dives, quantum tamen ad remissionem pœnæ,quæ acquiritur per Indulgentiam, in tali casu non est inconveniens,quod dives sit melioris conditionis,quam pauper.*

Ludovicus Bologninus in tract.de Indulg.n.84. *Quæro, an pauper ita consequatur Indulgentiam,ut dives? Thomas 4. sent. dist. 20.& Innocent.& Hostiens.in Summa de Pœnitent.dicunt quod Deus,qui omnia moderatur pondere, numero mensura,dabit plus gratiæ uni,quam alteri,secundum quod plus erit devotus, vel secundum quod unus dat plus,quam alius.*

19.Bellarminus lib.1.de Pœnit.c.19. propos.4. *Pœnitentia non est omnium hominum,sed tantum peccatorum.*

Canus Relect.de Pœnit.part.5.ab initio recenset quinque argumenta eorum,qui negant,*pœnitentiam esse ad salutem necessariam.* Amplectuntur vero hanc opinionem Hugo de Sancto Victore lib.2. de Sacram. part.14.cap.1. Alensis part.4. q.17. membr.3.art.2.Bonaventura dist.17.part.2.art.1.q.3.Jansenius Conc.Evang.c.147.Scotus,Gabriel,Medina,Cajetanus apud Tannerum Theol.Scholast.tom.4.Disp.6.q.1.dub.3.num.51. Confer Barradium in c.15.Luc.tom.3.Conc.Evang.lib.3.c.19. Granatensem homil.1.in Domin.3.post Trinit.Id ipsum etiam declarant exemplis.

In Vitis Patrum part.2.de Contin.fol.103.sic legitur: *Dixit aliquando cum fiducia Abbas Sysoj, Crede, quia ecce triginta annos habeo,quod non deprecor Deum pro peccato.*

(Contra pœnitentiæ concio post lapsum est Universalis,cum omnes sint peccatores,Ps.32.v.6.Act.17.v.30.&c.

Cornelius à Lapide in c.16.Levit. *Imperfecti ob frequentes lapsus frequenti & quasi continua indigent pœnitentia : perfecti, licet inculpate vivere videantur, tamen ex hac vita egredi non debent sine pœnitentia,uti docuit & exemplo suo ostendit Augustinus, teste Posidonio in ejus vita,& S. Fulgentius,cujus in morbo hæc erat vox: Domine,da mihi hic modo patientiam & postea Indulgentiam.*)

20.Idem lib.2.de Pœnit.c.9.*Præceptum de pœnitentia, cum sit affirmativum,non obligat quovis tempore,sed solum certis temporibus, ut,cum versamur in periculo vitæ,cum accedendum est ad confessionem cum Deus peculiari inspiratione nos ad pœnitentiam invitat.*

(Contra

(Contra Gregorius Pont. Rom. in Lib. 2. Reg. cap. 2. *Quia quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus.*)

21. Gretserus in Virgidem. p. 144. mirifice probat factum Roberti Cælestini, quod his recenset verbis: *Æstuabat ille* (Robertus) *mortem pro Christo perpeti, verum cum justa ad id causa minime ipsi arrideret, nullave occurrebat patiendi in Italia Martyrii ratio, solers tamen invenit viam, qua dolores Christi in sua ipsius carne perferret. Dum namque per quoddam Cœnobio contiguum nemus obambularet, vidit fortuito arborem in crucis modum pene bifurcam, (quam) altissimo noctis silentio succidit, & propriis ad Cœnobium pertulit humeris &c. inq; cella defixit, positis ex utraque brachiorum parte chordularum nodis, quibus brachia immitteret; dum in arbore, crucifixi instar, se suspenderet. Ipsam ergo arborem omni die indubie ascendens, tamdiu dejecto & demisso corpore toto in ea pendebat, brachiis intra funes immissis, quamdiu Pater noster decies recitaret; at ita tractim, ut in unoquoque alter decem persolvere quiret, unde centies Orationis Dominicæ spacium adimplens, instar crucifixi pendebat in arbore. Quantus vero fuerit iste cruciatus, maxime cum nihil pedibus suppositum haberet, quivis sapiens apud se pertractet. Præterquam namque, quod in tam horrendo supplicio seipsum Deo mactabat integrum, in tantum ut non guttas, sed undas ejus oculi emitterent lachrymarum; omnia ejus membra ita sudore diffluebant, ut rivos diceres aquarum: sed & tantis divinis consolationibus perfundebatur, ut miraculo divino in corpore sustentatus, ægre animam propriam, ne emigraret, detinere posset.*

22. Idem in Agonistic. pag. 51. *Si ejusmodi cingulum* (funiculum scilicet eumq; in formam flagelli complicatum) *Christus gestavit, absq; scelere opinari possumus, illud Christo eum quoque in usum serviisse, de quo Prædicantes æqua mente cogitare nequeunt.*

Et postea: *Nihil affirmo, tantum ostendo, causæ nihil suppetere Prædicantibus, cur præ admiratione quasi extra se rapiantur, quando audiunt, tale quid à Christo factitatum esse.*

Pag. 48. *Si ego assererem, Christum, ut alia pœnitentiæ opera, ita & hoc, de quo disputamus* (flagellationem spontaneam) *suscepisse, quo argumento me refelleres?*

Pag. 50. *Prædicantes, licet ringantur, ostendere non possunt, Christum disciplinam non fecisse.*

(Contra. Joh. 2. v. 14. & 15. docemur, quod Christus non cingulum, quo præcinctus erat, flagelli loco arripuerit; sed in templo demum flagellum qualecunque ex funiculis ibi abjectis, illis fortasse, quibus mercatores antea oves, bovesque adduxerant, simpliciter contexuerit, ut particula ὡς in quibusdam exemplaribus addita innuit. Nam si antea flagello isto pro cingulo usus fuisset, non demum in templo ex funiculis id fecisset.

23. Henricus Henriquez in Summa Theol. moralis Libro totius operis 6. de Pœnit. Sacram. Lib. 3. c. 19. §. 5. docet, *sigillum confessionis nequaquam resignandū esse, quamvis ageretur totius orbis salus, aut ipsius pœnitentis utilitas; nec pro vitando ullo gravissimo damno innocentis, aut quod esset totius orbis conflagratio, aut perversio religionis & omnium Sacramentorum intentata demolitio.*

Isaacus Casaubonus in Epist. ad Frontonem Ducæum memorat, se ex ore Jesuitæ Bineti excepisse hoc dictum, *præstare Reges omnes interire, quā si vel semel sigillum Confessionis violaretur.*

Eudæmon Johann. Apol. pro Garneto pag. 335. docet, *tantam esse sigilli Confessionis religionem, ut in nullo casu propter nullum finem, etiam pro tuenda tota Republ. ab ingenti malo temporali aut spirituali, violari illud liceat.* Pro qua sententia citat Suarez Jesuit. de Pœnit. Disp. 33. sect. 1. num. 2. qui dicit, *hoc certum & indubitatum esse apud suos.*

Neque hoc solum dicunt aut docent, sed quod docent, hoc præstant eorum nonnulli majore flagitio. In Anglia pulveariæ conjurationis conscii erant Garnetus & Oldicornius Jesuitæ, qui comprehensi, postquam per dies complures solitis æquivocationum artibus judices essent ludificati, tandem videntes nullum superesse subdolis mendaciis mantellum, confessi sunt, *se conscios facinoris fuisse, sed rem sub sigillo confessionis revelatam patefacere veritos.*

Idem Casaubonus in Responsione ad Cardinalem Peronium, *hominem quendam Iesuitici Ordinis in Gallia impio & profano ore asseruisse* memorat, *Si Dominus noster Iesus Christus in terris versaretur morti obnoxius, & aliquis sibi in confessione dixisset, se illum velle occidere, priusquam Confessionem revelaret, passurum se, ut Christus ipse occidatur.*

24. Tolet. de Instruct. Sacerd. Lib. 1. capite 13. asserit, *eos, qui tenentur obnoxii vinculo fidelitatis vel juramenti alicui, liberari à tali vinculo, si is inciderit in excommunicationem.*

(Atqui ut Evangelium non abolet politias, ita censura Ecclesiastica non tollit obligationes civiles.)

25. Idem d. tr. Lib. 2. cap. 5. asserit, *contritionem habere venialium peccatorum non esse necessarium, quod ipsa absque contritione remitti queant.*

(Atqui venialia peccata sunt proprie dicta peccata. Ergo contritio de illorum admissione requiritur.)

26. Pontifex propter delicta Magistratuum excommunicationis fulmen vibrat in eorum subditos, ut patet ex Bullis, quibus Reges, Principes aut alios Magistratus, excommunicantes, eodem anathemate subditos eorum illaqueant. Sed huic excommunicationis processui opponendum dictum Leonis Episcopi Romani in Epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, quæ est 67. (quod adducit Alphonsus de Castro Lib. 6. adversus hæreses, verbo Excommunicatio) ubi sic loquitur: *Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionē invitus & dolens quodammodo debet animus vindicantis. Cognovimus enim pro commissis & levibus verbis, quosdam à gratia communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, Diabolicis incursibus, ut facile caperetur, objectam. Certe, si quando talis causa emerserit, ut pro commissi criminis qualitate aliquem juste faciat communione privari, is tantūm pœnæ subdendus est, quem reatus involvit, nec particeps esse debet supplicii, qui consors non docetur commissi.*

27. Raphaël Volaterranus Lib. 7. Geograph. agens de Saxonia. *Alberstadii templum Carolus extruxit cum amplissimis & proventibus & officiis, ubi quotannis institutum conspicere licet inauditum. Die namque cinerum, peracto sacrificio, facinorosum quempiam sordidatum, &, operto capite, templo ejiciunt, quem Adamum appellant. Is die noctuque discalceatus urbem sacraque templa salutando perambulat, tantum post mediam noctem in plateis aliquantulum quiescit; deinde invitatus (omnes enim eum invitant) quicquid apponitur, taciturnus vescitur. Demum in die Cœnæ Dominicæ in templum accersitus, absolvitur, pecuniāque collata cumulatur.*

28. Ut Indulgentias statuminent, disputant, *unicam guttulam sanguinis Christi fuisse sufficiens λύτρον pro peccatis totius mundi propter personæ infinitatem.* Pontifex in cap. Unigenitus. Extravag. commun. de Pœnitent. & remiss. Atqui hic respiciendum ad Dei decretum & consilium, quod Christus pro redemtione humani generis copiosum sanguinem effundere debuerit. Barradius tom. 4. Lib. 6. c. 10. Harmon. *Voluit Christus hominibus indicare, quanti constiterint, quam gravi dolore, mæstitia, horrore empti sint. Duplicem habere voluit passionem (si tamen duplex dici potest) alteram internam animi, alteram externam corporis. Externa corporis omnibus manifesta erat, internam animi externis signis patefacere opus fuit, nempe verbis illis: Tristis est anima mea usq; ad mortem, & stupendo sudore sanguineo. Voluit copiosam esse redemtionem, tum propter copiosum dolorem internum, tum propter copiosum externum. Non solum enim attendit, quantam vim dolor ipsius haberet, ex divinitate unita: sed etiam quantus dolor sufficeret secundum humanam Naturam ad tantam satisfactionem.*

29. *Contritionem* Bellarminus Lib. 2. de Pœnit. cap. 2. dicit esse *carnis emollitionem*, allegans ad id probandum Hieronymum in cap. 23. Jerem. Atqui contritio non est ipsa emollitio cordis lapidei, ut fiat molle & carneum, sed significat dissolutionem ejus, quod durum est, ut accedente alio agendi principio, possit fieri *molle & carneum*, ac habilius sit ad recipiendam mollitiem, quam si contritum non fuerit. Malleus legis conterit quidem *cor lapideum* Jerem. 23. v. 29. sed non donat cor carneum. Hieronymus loquitur de successione emollitionis ad contritionem, quod tempore soleant se invicem consequi. *Cordis carnei* seu novi datio nequaquam est contritio, sed efficacis Dei gratiæ effectus, actu salutaris, Ezechiel. 11. v. 18. 19. cap. 18. v. 31. cap. 36. v. 25. 26. 27. qualis contritio non est.

30. Gregorius de Valent. in opusc. de Satisf. cap. 3. ad 3. quando de valore humanarum satisfactionū disputat, ad objectionem *de inutilitate nostri meriti, si Christus perfectissime satisfecit,* sic respondet: *Hoc tamen ex hac re consequi negandum non est, nempe compensationem pro offensa per aliquid amplius Deo fieri, quam alioqui secundum rigorem justitiæ oportuisset, siquidem absque nostra satisfactione potuisset sola Christi satisfactio abundantissime satisfacere. Cæterum postquam ipsi Christo, ex voluntate etiam æterni sui Patris, ad majorem utilitatem nostram visum est, non solum per suam, sed etiam per nostram satisfactionem (quatenus hanc etiam ipse obtulit) æterno Patri suo debitum illud solvere,*

non

non est ullo modo injustus Pater æternus, quod etiam satisfactionem nostram ex ejusmodi quasi pacto sibi debitam exigat.

(Hac ratione homo plenius Deo satisfaciet, quam ipse Christus, cum ipsi non solum applicata sint Christi merita perfectissime ex rigore justitiæ Deo satisfacientia, sed etiam *de suo & ex propriis insuper Deo satisfaciat*, ut loquitur Bellarminus lib. 4. de Pœnit. cap. 7. §. Illud tamen. Mirum ergo nemini videri debet, Bellarminum ibidem §. Primum enim &c. disputare, *quod opera nostra, ut à Spiritu Sancto in nobis habitante procedunt, quandam habeant infinitatem, ac per hoc quandam æqualitatem cum injuria Deo illata.* Item lib. 1. de Purgatorio cap. 14. *Hominem seipsius Redemtorem & Salvatorem rectè appellari posse.*)

31. Excommunicatos licite occidi posse statuunt.

Urbanus II. c. Excommunicatorum 47. caus. 23. q. 5. *Non eos homicidas arbitramur, quos adversus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes aliquos eorum trucidasse contigerit.*

Bellarminus lib. 1. de Laicis cap. 21. §. Probatur ultimo. *Hæretici excommunicari jure possunt. Ergo & occidi. Probatur consequentia, quia excommunicatio est major pœna, quã mors temporalis.*

(At hæc est turpissima confusio fori Ecclesiastici & politici.)

32. In Jure Canonico c. Medicina 76. caus. 33. quæst. 3. dist. 1. de Pœnit. *Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus; pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venũdatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua, vilis pecunia, sed preciosa est misericordia.*

(Atqui unicum pro peccatis λύτρον Scriptura novit, quod à Christo in ara crucis præstitum.)

Lib. 2. Decret. Gregor. tit. 2. c. Conquestus est 16. *Iniquum est, ea, quæ collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis &c. aliis usibus applicari.*

Lib. 3. Decret. tit. 19. c. Injustum est 4. *Mancipia, quæ fideles Deo & Sanctis ejus pro remedia animæ suæ consecrarunt.*

Lib. ejusd. tit. 26. c. Requisivisti. 15. *Requisivisti de his, quæ Testator pro anima sua legat in ultima voluntate.*

(Atqui unicum peccatorum remedium & salutis consequendæ medium est fides, Christum apprehendens.)

33. c. Firmissime tene 3. caus. 15. quæst. 1. *Firmissime tene & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam fidemq; conversus, & per Sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per Baptismum liberatus.*

(Ergo Martyres sine pœnitentia & fide salvantur. Contrarium testatur tota Scriptura.)

34. Thomas Hardingus in Confutat. Apolog. Anglic. part. 2. cap. 5. *Sacerdos per claves Ecclesiæ homines absolvit & orationis & rationis impotes, ut eruditus, antiquus & sanctus Pater Leo docet in Epistola ad Theodorum Episcopum Forojuliensem scripta.*

Resp. Sermo est de illis, qui in excommunicatione, postquam pœnitentiæ signa minime dubia edidissent, mente capti & morti vicini erant, non autem de quibusvis furiosis.

Concilium Carthagin. IV. cap. 76. *Si is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audiverunt, & accipiat pœnitentiam.*

35. Extat liber Germanice excusus in ipsa urbe Roma Anno 1500. tempore Alexandri VI. in quo litera C. iij. b. hæc leguntur: Item der H. Pabst Gregorius hat die Kirche (Johann Lateran) andermal geweicht / nach dem als sie verbrent und gebrochen ward von den Arian und Ketzern: und er gab so viel Tage Ablas zu der Kirchen / als es drey Tag und Nacht Tropffen regnet / und es geraw ihn / daß er so tieff in den Schritt der Barmhertzigkeit gegriffen hatt / da erschein ihm der HErr JEsus und sprach: Nicht las dich gerewe / Gregori, gib mehr / ich erlaub dirs / wann viel Volcks bedarff der Gnaden / und Gregorius bestetiget allen Ablas der Kirchen. Hasce Indulgentias Ecclesiæ Lateranensis in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, quod Anno 1532. Venetiis edidit Fr. Alphonsus de Casarrubios Hispanus, Provinciæ S. Jacobi, & Francisco de S. Angelis, Generali Ministro totius Seraphici Ordinis Minorum dedicavit, pag. 118. b. ita describit: *Item Bonifacius dixit: Indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis numerari non possunt, nisi à solo Deo; & ego omnes illas confirmo.*

ARTICULUS XVII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

THESIS. Extrema unctio non est proprie dictum Novi Test. Sacramentum.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de ritu unctionis, quem *Apostoli* in sanatione ægrotorum olim adhibuerunt, sed de unctione, quam *Pontificii* morituris hodie adhibent.

2. Non est quæstio *de generali significatione vocis Sacramenti*, sed *de propria ac stricta ejusdem significatione*, in qua Baptismo & Eucharistiæ tribuitur.

Antithesis. Concilium Tridentinum sic fulminat: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere & proprie Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Apostolo Jacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus aut figmentum humanum, anathema sit. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec allevare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.*

Bellarminus lib. de Sacramento extremæ unctionis cap. 1. *Ecclesia Catholica palam affirmat, unctionem extremam Sacramentum esse vere & proprie dictum. Id enim expresse habet* Concilium *Florentinum in Instructione Armenorum; & Tridentinum sess. 14. can. 1.* Describit autem illud hoc modo, quod sit *vere & proprie dictum Novi Testamenti Sacramentum à Christo Domino nostro apud Marcum insinuatum, per Jacobum autem Apostolum fidelibus commendatum & promulgatum, in quo organa sensuum, oculi aures, nares, labia, manus, pedes & renes oleo exorcizato in morituris inunguntur*, cap. 2. & seqq. *Materiam ejus esse oleum olivæ ab Episcopo benedictum, ita ut consecratio & benedictio Episcopalis in hoc Sacramento sit de essentia materiæ; formam esse illa verba: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum &c.* cap. 7. *Effectus illius Sacramenti duos esse, unum, quod sanet corpus, si ita expediat animæ saluti; alterum, quod abstergat reliquias peccatorum* cap. 8. *Ministrum esse Presbyterum, id est, Sacerdotem & consequenter Episcopum, si is velit*, cap. 9. *Ceremonias esse duas, ut recitentur Litaniæ, & ut septem corporis partes ungantur*, cap. 10.

Suarez tom. 4. Disp. 39. sect. 1. n. 2. *Dicendum est, extremam unctionem esse verum Sacramentum à Christo immediate institutum, unumq; ex Septem novæ legis Sacramentis, quæ assertio est de fide.*

Nostram sententiam probamus.

Unctio illa 1. destituitur *verbo mandati & promissionis.* Ubi enim illa morti vicinorum unctio mandata? ubi exprimitur Elementum externum? ubi habentur Exorcismi, quib. oleum illud consecrandum? ubi tribuitur unctioni illi remissio peccatorum? ubi à defunctis sanctis animæ sanatio peti vel sperari jubetur? ubi exprimuntur partes corporis inungendæ?

2. Si extrema unctio esset Sacramentum, effectum infallibilem haberet. Sed talem effectum non habet, cum sanitas corporalis, quæ est unctionis illius effectus, raro consequatur. Omnium Sacramentorum hæc est Natura & conditio, ut ex sese semper operentur & efficiant illud, propter quod instituta sunt. Si ergo sanitas corporalis est hujus Sacramenti effectus, infallibiliter consequetur.

3. Si ex eo, quod Apostoli in unctione olei in miraculosa infirmorum sanatione usi fuerunt, colligitur Sacramentum unctionis infirmorum, debet etiam colligi Sacramentum ex eo, quod Dominus Jesus *luto & sputo & aqua Siloe* curavit cœcum, & ex aliis similibus Ceremoñs. Consequens dici nequit. Ergo.

4. Unctionis Ceremonia extra donum curationis partim ab hæreticis, partim ab Ethnicis originem trahit. Primi illa usi sunt Valentiniani, ut patet ex Irenæo lib. 1. cap. 18. Præterea Ethnici consueverunt ungere mortuos, unde illud *ultimum lavacrum* Apulejus vocat. His Ethnicis superstitionibus similia sunt, quæ narrat Dionysius cap. 7. de Eccles. Hierarch.

5. Progressus ejus docet, unctionem infirmorum non esse Sacramentum. Nam initio Apostoli oleo simplici ungebant ad curandum. Cessante dono curationũ, adhibitæ sunt consecrationes, quibus rara etiam miracula ederentur, cum horum nulla amplius essent. Ne oleum sine usu esset, id institutum fuit, ut ad relevationem peccatorum ungerentur morituri. Postea progressu temporis subinde alia atq; alia addita sunt, donec tandem Sacramentum illud Pontificium cum omni sua structura inde extructum, quod hodie *pro novæ legis Sacramento* à Christo institutum venditatur.

6. Non extant *exempla antiqua*, quod sancti viri in extremis agentes, vel ungi voluerint, vel alios ungi præceperint aut suaserint.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, esse tantum duo Novi Testamenti Sacramenta vere & proprie sic dicta, Baptismum scilicet & Eucharistiam.

(Ergo

(Ergo extremam unctionem non agnoscunt pro Sacramento proprie sic dicto.)

Verba eorum adduximus superius artic.11.cap.3.

2. Quod quidam agnoscunt, extremam unctionem non esse Sacramentum proprie dictum.

Glossator Decretalium Lib.4.cap.3.de secund.nupt. Vir autem.tit.21. *Quid impediret*, inquit, *extremam unctionem iterari, cum non sit Sacramentum, sed oratio super hominem?*

Matthæus Galenus Professor Duacensis & Academiæ Cancellarius in Catech. à Croquetio edit. Catech.181. *Quid mirum, raram contingere sanitatem, cum vix habeatur nunc ratio partium male affectarum, quas nostri majores totis septem diebus inungebant? adhibebant validas preces, suppetebant merita, nec deerat fides in Deum, seu fiducia, quibus rebus quidvis poterat impetrari. Jam vero, cum vel ea ignoremus, vel contemnamus, mirari non oportet, si nihil sequatur, ubi vix necessariæ preces intelliguntur, aut leguntur attente.*

(At Sacramentorum proprie dictorum vis non pendet à meritis, fiducia, ignorantia vel contemtu administrantium. Ergo extrema unctio non est Sacramentum proprie dictum.)

3. Quod quidam agnoscunt, primitivæ Ecclesiæ, Apostolis vicinæ, hoc Sacramentum ignotum fuisse, prout scilicet hodie in Papatu administratur.

Gregorius Homil.38. in Evangel. duo morientium exempla recenset, in quorum altero *præsidia salutis adhibita, ad signum usque crucis* recenset, nec tamen *unctionis*, quæ locum ibi maxime habuisset, vel verbo mentionem fecit.

Johannes de Vesalia Concionator Wormaciensis (qui floruit circa Annum 1470.) reprobavit extremam unctionem.

Georgius Cassander in Consult.art.22.pag.985. *In forma verborum, quæ inter ungendum usurpantur, fatendum est, veterum morem, qui adhuc in vetustis libris divinorum Officiorum extat, nonnihil immutatum. Nam olim, cum æger oleo, quod infirmorum seu Energumenorum dicebatur, tum in cæteris membris, tum præcipue in loco, ubi vis doloris maxime incumbebat, inungeretur, hæc verborum forma adhiberi solet: Ungo te de oleo sancto in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini ac Dei nostri, ut fugatis omnibus doloribus & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem ac nostram deprecationem virtute Sanctæ Trinitatis medicatus pristinam & magis robustam recipere merearis sanitatem per Dominum nostrum.*

(Similes formas recitat idem Cassander in Scholiis ad Hymnos Eccles.p.288.edit.Paris.)

Ex qua forma & precibus ante & post usitatis constat, hanc unctionem non modo ad remissionem peccatorum & animi corroborationem adversus insultus Diaboli, sed etiam ad corporalis morbi levationem pertinere, id quod forma quoque *benedictionis olei* Ambrosiana & Romana significat, in quarum (Romana) inter cætera oratur, *ut prosit febribus & dysenteriis laborantibus, paralyticis, simulque vexatitiis, id est, Energumenis seu Dæmoniacis.*

Idem declarat Hymnus, post unctionem à Clero decantari solitus, cujus initium:

> *Christe, cœlestis medicina Patris,*
> *En ob infirmos tibi supplicamus,*
> *Quos nocens pestis valetudo quassat,*
> *Ut pios morbo releves jacentes,*
> *Quo quatiuntur.*

Quin & Sententiarum Magister duplicem causam institutionis hujus Sacramenti adducit, videlicet *ad remissionem peccatorum & corporalis infirmitatis allevationem.*

Quapropter olim hæc unctio non, ut hodie fere fit, ad extremum usq; vitæ periculum & valetudinem jam deploratam differebatur, sed graviore aliquo morbo invadēte, hujusmodi orationes & unctiones per septē aliquādo dies cōtinuabantur.

Idem illud veteribus in more positum fuit, ut post officium unctionis, si periculum imminebat, corporis & sanguinis Dominici communicatio, quæ τὸ τέλος & *perfectio omnium Sacramentorum* habebatur, subjiceretur, à quo veteri more licet hodie nonnihil variatū sit, hæc tamen tanti esse nō debent, ut propterea pax Ecclesiæ perturbetur. Hactenus Cassander.

Fevardentius in Comm. Epist. Jacob. cap.5. *Effectus hujus olei erat, ut à morbis corporis sanarentur, quod in initio nascentis Ecclesiæ frequens accidisse legimus in Tertulliano ad Scapul. in curatione Imperatoris, in Hieronymo, in vita Hilarii à serpentibus percussos agricolas ad sanitatem restitutos fuisse.* Et S. Clemens Rom. Pont inter *sacras constitutiones refert hanc formam benedictionis sacri olei: Deus creator sanctifica per Christum hoc oleum, & tribue illi vim sanandi & depellendi morbos.*

Flacius in Confut. Catech Sidonii sic scribit: *In Agenda Moguntiæ edita est oratio haud dubie vetustissima, quæ clare hujus Ceremoniæ veterem verissimumq; usum indicat, sic habens: Respice, Domine, propitius super hunc famulum tuum, & opem ferre dignare super lectum doloris ejus. Impone manum manui nostræ & impera ægritudini ejus, ut nostram peccatorum dextram spernat infirmitas, sed ad invocationem nominis tui vereatur & fugiat, ut sanitati pristinæ restitutus exurgat, ac sanctæ Ecclesiæ tuæ præsentetur incolumis per Christum Dominum nostrum, Amen. Item illa oratio, quæ in plerisque Agendis est: Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & hunc famulum tuum à lecto tua potentia erigat ad salutē. Sunt & aliæ consimiles precationes in vetustis ac Manuscripticis Agendis, quæ clare indicant, usum hujus ritus fuisse olim, sanare miraculose per preces ægrotū, non autem, ut peccata per eū remitterentur.*

Et postea: *Adhuc hodierna die extant veteres Missales, quos me vidisse juro, in quibus ægrotus statim à principio morbi ungitur, ac pro ejus valetudine septē dies orare Ecclesia jubetur. Postea præcipiunt Rubricæ disertis verbis in iisdē Missalibus, eis dari corpus & sanguinem Christi, unde apparet, unctionem fuisse eis olim valetudinis impetrandæ gratia institutā, & non fuit extrema, id est, in extremo agone data unctio.*

Huc referri potest, quod institutionem unctionis, quatenus ut Sacramentum ad finem spiritualem usurpatur, tribuant Felici IV. (qui Anno Domini 526. ad Sedem Papalem evectus fuit. Concil.tom.2.pag.533.)

Fascic. Temp. *Felix, Romanus Pontifex, jussit infirmos ante transitum ungi.*

Polydorus Vergilius Lib.5.de Rerum Invent. cap.4. pag. 366. *Felix IV. jussit morituros inungi.*

Philippus Bergomensis in Supplem. Chron. scribit, *Felicem IV. instituisse ut morituri jam inungerentur ad solatium & præsidium ipsis in morte præstandum.*

Durandus Lib.1.Rational.cap.8.§.25. *institutionem extremæ unctionis Felici IV. attribui* testatur.

Bellarminus Lib. de Extrem. unction.cap.4. in traditionem facta inquisitione inter Pontifices antiquitatis testē laudat *Innocentium I.* (qui vixit Anno 402.) & *Innocentium II.* (An. 1198.) inter Patres *Alcuinum, Amalarium, Petrum Damianum & Hugonem*, (qui omnes octavo & sequentibus seculis vixerunt.)

4. Quod agnoscere coguntur, finem propriū unctionis in Apostolica & primitiva Ecclesia usitatæ fuisse corporis sanitatē.

(Ex quo sic inferimus, præeunte ipsomet Bellarmino Lib. de Extrema unctione cap.2. §.3. Omnia Sacramenta ordinaria & perpetua per se ad animam pertinent, secundario & per accidens ad corpus. At unctio in Apostolica & primitiva Ecclesia usitata ad corpus aut solum, aut præcipue pertinuit. Ergo unctio illa non fuit Sacramentum ordinarium & perpetuum, de quo hic proprie & unice quæritur.)

Jodocus Coccius tom.2.Thesauri Lib.7.cap.6. adducit dictum Simeonis Metaphrastis ex Commentario rerum gestarum à S. Jacobo Apostolo. *Eos, qui sunt sereno & tranquillo animo, ut se muniant oratione: eos, qui ægrotant, ut oleo utantur cum oratione Sacerdotis ad unctionem, & id habeant pro morbi medicina.*

Item dictum Cyrilli Alexandrini de adoratione in Spiritu Lib.6. *Tu vero, si qua tibi pars corporis dolet & vere credis hæc verba, Dominus Sabaoth & alias hujusmodi appellationes, quas Deo, qui secundum Naturam est, divina Scriptura tribuit, vim habere putas pellendi malum illud, pro teipso preces fundens, hæc verba pronuncia: sic enim rectius, quam illi facies, neque impuris Spiritibus, sed Deo gloriam tribues. Commemorabo etenim divinitus inspiratam Scripturam: Infirmatur quis in vobis &c.*

Item illud Augustini (vel alterius autoris) in Tractatu de rectitudine Catholicæ conversationis: *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non divini, non sortilegi, non carcarii, neque per fontes aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundum Apostolum, oratio fidei salvabit infirmum & allevabit eum Dominus, non solum corporis, sed & animæ sanitatem accipiet.*

Item illud Gregorii Magni Lib. Sacramentorum de feria 5. in Cœna Domini. *Emitte, Domine, Spiritum Sanctum paraletum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere*

ducere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis ad elevandos omnes dolores, omnesq; infirmitates, omnem ægritudinem corporis, unde unxisti Reges, Prophetas, Martyres, Chrisma tuum perfectum Domini, à te benedictum, permanens in visceribus nostris, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Idem Coccius memorat ex Hieronymo, *Hilarionem Constantiæ sanctæ fœminæ generum & filiam de morte liberavisse unctione olei, quin & universos agricolas & pastores à venenatis animalibus & serpentibus percussos, ad eum confugisse, quo benedicto oleo, vulnera tangente, certam salutem resumserint.*

Guillaudus in c.5. Jac. *Mallem vocare hoc Sacramentum unctionem ægrotantium. Non enim est Sacramentum morientium, sed ægrotantium, non sepulturæ, sed salutis recipiendæ gratia concessum. Unde in primitiva Ecclesia multi, cum ungerentur sanabantur.*

Quin & in Constitutionibus Apostolicis sub nomine Clementis benedictionis olei infirmorum formula his verbis habetur lib. 8. cap. 35. Domine Sabaoth creator &c. *Sanctifica hoc oleum & da virtutem sanitatis effectricem, ægritudinem expultricem.*

Huc pertinet, quod unctio illa quibusvis ægrotis promiscue olim fuerit adhibita, cum tamen hodie non nisi desperate ægrotis illam administrent.

Idem Coccius d.l. hæc ex veteribus adducit. Fortunatus Pictaviensis in vita S. Germani. *Mulier quædam nomine Favonia, sancto viro oblata est; Hæc velut ferro opposito, nulla lege poterat jungere dentes aut labia, quam in oratorio sacro perungens oleo, palpato undique capite sine tarditate sanitati restituit.*

Gregorius Turonensis lib. 6. Historiæ Francorum c. 7. *Hospitius apprehensa manu cæsarie, attraxit caput illius (surdi & muti) in fenestram, assumtoq; oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam ejus, ori verticique capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Jesu Christi aperiantur aures tuæ, reseretq; os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine surdo & muto noxium ejecit Dæmonium.*

5. Quod agnoscunt, huic unctionis Sacramento jam olim fuisse contradictum.

Jodocus Coccius tom. 2. thesauri lib. 7. art. 6. p. 875. *Armenii negant Sacramentum extremæ unctionis Guido hæresi Armeniorũ 21.*

Waldenses dicunt, quod extrema unctio sit Sacramentum maledictionis, non benedictionis. Guido de Waldensibus.

Albigenses dicunt, extremæ unctionis Sacramentum nihil esse. Antonius part. 4. Summæ tit. 11. c. 7. §. 5.

Lollardi Sacramentum extremæ unctionis irridebant, interrogati super eo quid sentirent, responderunt, nos credimus, quod olera, quanto fuerint plus oleo condita, tanto sint meliora. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

Flagellantes nullum Sacramentum extremæ unctionis agnoscunt. Bernhardus Lutzemburg de hæresibus.

Johannes Wiclevus l. b. 4. Trialogi c. 25. contendit, hoc Sacramentum neq; à Christo, neque ab Apostolis institutum, & propterea non esse vere Sacramentum.

Thaboritæ de extrema unctione nihil sentiunt. Æneas Sylvius Epist. 130.

Bellarminus de Sacram. Extr. unctionis c. 1. *Hæretici permulti ritum unctionis infirmorum è numero Sacramentorum auferre conati sunt.*

Primo Waldenses, ut referunt Æneas Sylvius lib. de orig. Bohem. c. 35. & ante eum Guido Carmelita in Summ de hæreticis.

(Waldenses circa Ann. 1160. multos articulos Papales, & inter hos etiam extremam unctionem repudiarunt.)

Secundo Albigenses, teste Antonino in Summ Theol. part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.

Tertio Johannes Wiclephus, teste Thoma Waldensi tom. 2. de Sacramentis c. 163. & satis ipse de se id testatur in 4. lib. Trialogi c. 25. ubi contendit, hoc Sacramentum neq; à Christo, neq; ab Apostolis institutum, proinde nec vere Sacramentum esse.

In Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum ex Guilielmo Widefordo Anglo, qui aliquot theses Wiclephi impugnavit, de Wiclepho commemoratur, quod dixerit: *Si corporalis unctio foret Sacramentum (ut modo fingitur) Christus & ejus Apostoli ipsius promulgationem non tacuissent.*

(Nec sufficit dicere, eos fuisse *hæreticos*, sed ex Scriptura probandũ, illos in hoc doctrinæ capite errorem amplexos fuisse.)

Gregorius de Valentia in lib. de Num. Sacram. c. 3. & c. 7. *Catholici alii negant Matrimonium; alii Confirmationem; alii Extremam unctionem esse univoce Sacramentum.*

Suarez tom. 4. Disp. 39. sect. 1. n. 2. *Quidam Catholici olim negarunt extremam unctionem.*

Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, multi ex Pontificiis fatentur, *Sacramenta Novi Test. ab ipso Christo ratione formæ & materiæ esse instituta.*

Thomas p. 3. q. 64. art. 2. *Virtus Sacramenti est à solo Deo; ergo solus Deus est Sacramentorum institutor.*

Catech. Rom. p. 322. *Omnia sacra mysteria humanæ Naturæ vires superant, nec ab alio, quam à Deo institui possunt.*

(Plura hujus generis adduximus superius art. 11. de Sacram. c. 3. membro. 4. Subsumimus. Nec ex loco Jac. 5. nec ex aliis Scripturæ dictis probari potest divina institutio hujus Sacramenti, nec consecratio olei, nec forma verborum, quibus hoc Sacramentum administratur, nec forma administrationis, quod quinque sensuum organa oleo unguntur, quæ tamen omnia ad Sacramenti hujus essentiam pertinere Bellarminus disputat.)

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram part. 15. Lombardus 4. sent. dist. 23. & ibid Bonaventura, cum non reperirent in Evangelica Historia hujus Sacramenti institutionem à Christo factam, *ab Apostolis illud institutum fuisse* existimarunt.

Inde Suarez tom. 4. Disp. 39. sect. 1. n. 2. *Inter Catholicos nonnulli negarunt, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum, ex quo consequebatur (ipsi vero consequens non admittunt) non esse verum Sacramentum.*

Secundo Bellarminus lib. de Extrem. unct. ca. 8. sic scribit: *Qui statuunt, proprium & præcipuum hujus unctionis effectum esse remissionem peccatorum venialium, non facile possunt probare, eam esse Sacramentum, cum ad tollenda venialia non requiratur nova infusio gratiæ, quæ est effectus omnium Sacramentorum.*

Subsumimus. Quidam inter Theologos Pontificios statuunt, *hunc esse proprium hujus unctionis effectum*, teste ibidem ipsomet Bellarmino. Ergo illi difficulter probare possunt, extremam unctionem esse Sacramentum.)

Tertio, Catech. Tridentinus de Sacram. in genere p. 165. edit. Colon. 1570. *Sacramenta novæ legis formam verborum ita præscriptam habent, ut si forte ab ea discedatur, Sacramenti ratio constare non possit.*

(Subsumimus ex eodem Catechismo. p. 343. *Quibus verbis concipienda sit oratio seu verbum Sacramenti unctionis, quod forma ipsius est, fideli patrum traditione ad nos promanavit, ita ut omnes Ecclesiæ eam formæ rationem retineant, qua omnium mater & magistra sancta Ecclesia Romana utitur:* Inde sic colligimus: Si unctionis forma non habetur præscripto, sed tantum ex traditione, ergo non est Sacramentum novæ legis proprie dictum.)

6. Dissensiones Pontificiorum.

Primo, Innocentius I. Epist. ad Decentium, hanc unctionem appellat non Sacramentum, sed *genus Sacramenti.*

At hodie proprie dictis Sacramentis accensetur.

Secundo, quidam statuunt, *quod sanitas corporis sit absolutus & infallibilis hujus Sacramenti effectus*, ut Dominicus à Soto 4. sent. dist. 23. q. 1. art. 2. ubi dicit, *non promitti, nec dari per hoc Sacramentum integram sanitatem, sed certam quendam gradum auxilii supernaturalis, qui interdum satis erit ad sanandum, interdum non erit satis, semper autem cæteris paribus sanandum citius inunctum quam non inunctum.*

Sed hæc sententia Bellarmino lib. de Extr. unct. cap. 6. non placet, contra vero statuit, *promissionem absolutam sive absolute intelligendam non esse sanitatem corporalem, sed remissionem peccatorum & auxilium spirituale, quod semper est utile, nunquam noxium, sanitatem autem corporalem pertinere quidem ad hujus Sacramenti promissionem, sed conditionatam, id est, si ea fuerit animæ utilis.*

Gregorius de Valent. tom. 4. col. 2024. de Soto sic judicat: *Sotus in hac re plus videtur sapere voluisse quam oportet sapere.*

Tertio, quidã statuunt, *per reliquias peccatorum, quas hoc Sacramento abstergi, dicunt, intelligenda esse peccata venialia.* Catech. Rom. p. 505.

Sed Bellarmin. d. l. c. 8. disputat, *hoc improbabiliter dici, cum ea sine Sacramento deleri possint.*

Quarto, quidam nomine reliquiarum intelligunt *pronitatem sive habitum ex peccato relictum.*

Sed Bellarm. d. l. statuit, *illos adhuc improbabilius loqui, cum de ejusmodi habitu non possint intelligi verba Jacobi.*

Ipse igitur statuit, *reliquias peccatorum dici, tum peccata, quæ interdum remanent post omnia alia Sacramenta, sive sint mortalia, sive venalia: tum torporem, mærorem & anxietatem, quæ ex peccato*

relinqui solet, & quæ maxime hominem, morte vicinum, vexare potest.

Quinto, Innocentius I. in Epist. 1. cap. 8. dicit, *oleo sancto posse uti non solum Sacerdotes, sed etiam Laicos.* (Verba sic habēt: *Quo*, scil. sancto oleo, *ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed & omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.*)

Reliqui vero statuunt, *solos Presbyteros ac, si velint, Episcopos posse hoc Sacramentum administrare.*

Varie igitur locum Innocentii explicant. Thomas Waldensis lib. 2. de Sacramentis cap. penult. verba Innocentii intelligenda esse dicit *de loco & tempore, ubi nulli adsunt Sacerdotes, tunc enim licere etiam Laicis hoc Sacramentum administrare.*

Dominicus à Soto dist. 23. q. 7. art. 1. intelligit Innocentium *de usu olei sancti extra Sacramentum ad curandos morbos.*

Cornelius Jansenius in cap. 6. Marc. & eum secutus Bellarm. d. l. c. 9. dicunt, *Innocentium loqui de recipiente, non de Ministro.* (Quæ responsio verbis Innocentii directe adversatur. Nunquam in dubitationem vocatum erat, an quibuscunq; Christianis liceret unctionem illam suscipere, quorsum ergo Pontifex illud definivisset? Sed & Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 7. art. 6. citat dictum Bedæ in cap. 5. Jacobi. *Nec solum Presbyteris, sed uti Innocentius Papa scribit, etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo in sua aut suorum necessitate ungendo.* Bonaventura 4. sent. dist. 23. q. 1. art. 2. definit, *posse dispensari unctionem in casu necessitatis à non Sacerdotibus.*)

Sexto, Quidam putant, *non esse de essentia hujus Sacramenti, ut septem corporis partes, videlicet oculi, aures, nares, os, manus, renes & pedes ungantur, sed sufficere, ut quovis loco ungatur ægrotus, quoad Sacramenti essentiam, reliqua ad ritum & solennitatem pertinere.*

Sed Bellarminus d. l. inquit, *hanc opinionem esse singularem & ideo minus tutam.*

Quidam putant, *omnes illas unctiones esse de essentia.*

Thomas statuit, *ad essentiam solum pertinere unctionem quinque sensuum.*

Septimo, Triplicem habent unctionis hujus formam. 1. Gregorianam, quæ sic habet: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti, per visum, auditum &c.* 2. Ambrosianam, quæ sic habet: *Ungo oculos tuos oleo sancto, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut quicquid visu illo peccasti, dimittantur per hujus olei unctionem, idq; per Dominum nostrum Jesum Christum.* 3. Tertiam in Germania & Gallia ex utraque compositam, teste Eccio Homil. 92. de Sacramentis.

Octavo, Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 3. statuit, *hoc Sacramentum ab Apostolis esse institutum,* (quod de Hugone fatetur Pesantius in Thom. fol. 855.)

Eccius *à Jacobo institutum* asserit. Utrumq; graviter castigat Valentianus tomo 4. col. 2014. *nec ullo modo audiendos esse* monet.

Maldonatus in cap. 6. Marc. & Disput. de Extrem. unct. acriter disputat, *Christum Marc. 6. v. 13. instituisse Sacramentalem unctionem, eamq; omnino esse eandem cum illa Jacobi cap. 5. v. 14.* Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 9. cap. 14. num. 22. pro hac sententia citat Euthymium, Theophylactum, Bedam, Dionysium Carthusianum, Thomam Waldensem, Alphonsum de Castro &c.

Ipse vero cum Jansenio, Toleto, Estio, Contzenio in Com. h. l. Dominico Soto in 4. sent. dist. 24. q. 1. Gregorio de Valentia in part. 3. Thom. Disp. 8. q. 1. punct. 1. Suarez tom. 4. Disp. 39. sect. 1. num. 4. Tannero tom. 4. Theol. Schol. Disp. 7. q. 1. dub. 1. num. 7. Bellarmino de Extrem. unctione cap. 2. & aliis putat, *non fuisse institutam illic Sacramentalem unctionem, sed tantum insinuatam,* quo modo plerique canonem 1. Concili Tridentini sess. 14. locutum allegant.

Sed Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis lib. 5. de Repub. cap. 10. num. 8. memorat, canonem Tridentini Concilii ita fuisse à Concilio conceptum, ut diceret, *Sacramentum unctionis à Christo institutum*, atq; ita hic canon 1. de Extr. unct. legitur in editionibus tribus Plantinianis correctis & approbatis. Ita legitur in editione Concil. Binii. Ita legit Canisius in opere Catechistico & Catechismus ipse Tridentinus cap. 6. q. 8. ut mirum sit, Jesuitas ad hunc canonem provocare.

Quinimo, etsi in canone diceretur *Sacramentum insinuatum*, uti cap. 1. ejus sess. dicitur, esset tamen ex hypothesi Bellarmini lib. 1. de Sacram. in genere cap. 23. & aliorum immediata Christi institutio demonstratu necessaria, quam aliūde habere non possunt, quam ex loco illo Marci. Quia ergo Jesuitæ tam acriter pugnant, *non haberi institutionem hujus Sacramenti Marc. 6. sed tantum præfigurationem*, utique immediatam à Christo ipso, non per Apostolos factam, institutionem ipsis deesse manifestum est.(

Petrus Suavis lib. 4. Histor. Concil. Trident. pag. 410. hac de re sic scribit: *Si cui mirum videatur, cur primo capite doctrinæ de Sacramento extremæ unctionis dictum sit, Sacramentum hoc à Christo Domino nostro esse apud Marcum insinuatum, & per Jacobum Apostolum fidelibus commendatum, cum verborum antecedentium & consequentium contextus requireret potius institutum, quam insinuatum; sciat, principio quidem sic fuisse scriptum, sed, monente quodam Theologo, mutationem factam. Monuerat enim ille, Apostolos, quos D. Marcus ait, unxisse infirmos, ea tempestate nondum ordinatos Sacerdotes, Ecclesia Romana eam opinionem tenente, Sacerdotium non nisi in ultima Domini Cœna in ipsos collatum: ideoq; pugnare inter se hæc; unctionem, quam illi ministrabant, esse Sacramentum, & solos Sacerdotes ejus esse Ministros. Et quamvis nonnulli, & illam esse Sacramentum, & à Christo tum temporis institutam credentes, responderent, Christum, quo tempore Apostolis imperaverat unctionis ministrationem, eodem Sacerdotes, quoad hunc solum actum instituisse, perinde ac si Papa simplicem Sacerdotem Sacramentum chrismatis ministrare jubens, Episcopum, quoad hunc actum, illum crearet: tamē quod ista assertio audax nimis & periculosa videret, placuit in vicem verbi institutum, subrogare, insinuatum.*

Nono. *Benedictionem olei per Episcopum ordinarie ad hoc Sacramentū requiri* asserit Gregorius de Valentia tom. 4. col. 2019.

Contrarium statuunt Victoria & alii. Cajetanus quoque hac de re dubitat.

Decimo, non conveniunt in expositione loci Marc. 6. ut paulo post ostendemus.

Argum. Adversariorum.

1. *Marc. 6. v. 12. Ungebant oleo multos ægros.*

Resp. 1. Pontificii non conveniunt in explicatione hujus loci. Quidam putant, illam Apostolorum unctionem fuisse *Sacramentalem*, ut Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 163. Alphonsus de Castro lib. de hæresibus, in verbo Extrema unctio.

Maldonatus Jesuita tam in Commentario h. l. quam in Disput. de Sacramento extremæ unctionis contendit, quantum potest, *Apostolos in prima illa sua missione, dum ægros unxerunt oleo & sanarunt, administrasse Sacramentum unctionis extremæ.* Nec probat suorum Catholicorum sententiam, qui dicunt, *non agi de Sacramento, sed tantum insinuari quasi figura quadā præcedente.*

Quidam verò statuunt, *tantum figuram quandam & adumbrationem hujus Sacramenti fuisse*, ut Ruardus Tapperus in explic. art. 12. Lovan. Jansenius in cap. 6. Marc. Dominicus à Soto 4. sent. dist. 23. q. 1. art. 1. Illis sese adjungit.

Gregorius de Valētia in part. 3. Disp. 8. q. 1. punct. 1. ubi dicit, *quoad modum, & efficaciam, & significationem non eandem, sed diversam esse unctionem, de qua loquitur Jacobus, ab ea quæ apud Marcū recitatur.* Fatetur insuper, *unctionem apud Marcum fuisse tantum Symbolum curationis miraculosæ per donum sanitatum & ad tempus debuisse durare sicut ipsum etiam donum sanitatis ad tempus duravit in Ecclesia, saltem ita frequens.*

2. Bellarminus de Extr. unct. cap. 2. aliquot argumentis probat, *unctionem illam non fuisse Sacramentalem. Primo, quia illa referebatur solum vel præcipue ad curationem morbi corporalis. Secundo, quia Apostoli tunc nondum erant Sacerdotes. Tertio, quia promiscue ungebant quosvis ægrotos. Quarto, quia non quærebant, an essent baptizati, qui inungendi erant, nec ne.*

(At si unctio illa non fuit Sacramentalis, non poterit unctionis Sacramentum ex ea probari. Si vel maxime dicatur, *eam fuisse figuram & adumbrationem hujus Sacramenti*, illud tamen nondum sufficit, sed *ex sensu literali* institutio hujus Sacramenti probanda, quippe ex quo solo *ducuntur firma argumenta* Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.)

3. Maldonatus in cap. 6. Marc. *Idem, quod Lutherus & Calvinus docent,* (videlicet non agi hoc loco de Sacramento extremæ unctionis) *nonnulli nuper Catholici docuerunt. Mitto vetustiores, quos prohibet reverentia nominare.*

(Fuerunt autem Hugo Victorinus, Altisiodorensis, Lombardus, Bonaventura, Alensis, negantes, *unctionem hanc à Christo esse institutam* apud Tannerum Theol. Scholast. tom. 4. Disput. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 7. quo ipso negarunt esse Sacramen-

cramentum. Quicquid enim tale est, *à Christo ipso institutum* est, Concil. Trident. sess. 7. can. 1. & quidem *immediate*, ut Bellarminus interpretatur lib. 1. de Sacram. in genere cap. 23.)

4. Rayhingius in Enchir. Cathol. contra D. Hoë pag. 564. itidem concedit, *quod hic locus non agat de unctione Sacramentali, sed de dono sanationis*, interim tamen addit, *unctionem illam fuisse figuram unctionis Sacramentalis.*

Idem statuit Jacob. Tirinus Jesuita ad h. l. sic commentatus: *Theophylactus, Beda, Lyranus, Richelius & Franciscus Lucas volunt, hanc unctionem esse eam, de qua S. Jacobus agit c. 5. suæ Epistolæ, nempe Sacramentum extremæ unctionis. Verum istius Sacramenti minister solus est Sacerdos. Atqui Apostoli tunc necdum erant Sacerdotes. Et Apostoli promiscue quosvis ægros ungebant, etiam non moribundos, non baptizatos. Dico ergo, hanc Apostolorum unctionem non fuisse Sacramentum, sed typum seu figuram Sacramenti extremæ unctionis, ut Tridentinum insinuat. Erat enim (sicut & Baptismus Johannis) nuda Ceremonia ad hoc solum adhiberi jussa à Christo, ut congruo Symbolo testatum facerent Apostoli, se missos à Messia seu Christo, id est, uncto, virtutemq́; , qua ægrorum corpora curabant, ab eo promanare, quem unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Huic Ceremoniæ pro illo tempore Christus annexam volebat miraculosam curationem morborum omnis generis.*

(At Christus non venit, ut figuras institueret, sed impleret. Nec potest figura locum habere, si figuratum non habet fundamentum in sacris literis.)

Argument. 2. Jac. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.*

Resp. 1. Cajetanus in cap. 5. Jacobi sic commentatur: *Nec ex verbis, nec ex effectu colligi potest, quod hæc verba loquantur de Sacramentali unctione extrema, sed magis de unctione, quam instituit Dominus Jesus in Evangelio à discipulis exercendam in ægrotis. Textus enim non dicit: Infirmatur quis ad mortem, sed absolute, infirmatur quis, & effectum dicit infirmi allevationem: & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur, cum extrema unctio non nisi prope articulum mortis detur, & directe, ut ejus forma sonat, tendat ad remissionem peccatorum. Præter hoc, quod Jacobus ad unum ægrotum multos Presbyteros tum orantes, tum ungentes mandat vocari, quod ab extremæ unctionis ritu alienum est.* Confer Sixt. Senens. lib. 6 Biblioth. annotat. 339.

2. Pontificii docent, *unctionem extremam non esse adhibendam, nisi illis, qui tam graviter ægrotant, ut de vita periclitentur.* Bellarmin. lib. de Extr. unct. cap. 9. §. Jam vero. Jacobus autem de tali unctione agit, cujus finis & fructus sit sanitas corporalis.

Fevardentius in cap. 5. Jacob. *Effectus hujus olei erat, ut à morbis corporis sanarentur.*

3. Bellarminus de Extrem. unct. cap. 2. probat, *unctionem Apostolorum Marc. 6. non fuisse Sacramentalem, quia referebatur solum aut præcipue ad curationem morbi corporalis.* Jam vero etiam Jacobus de ejusmodi unctione agit.

Sic igitur progredimur: De eadem omnino unctione loquuntur Marcus cap. 6. & Jacobus cap. 5. Quod si ergo unctio apud Marcum non est Sacramentalis, ut concedit Bellarminus, utique etiam unctio apud Jacobum non est Sacramentalis. Antecedens probatur ex ipsis Pontificiis.

Gorranus in cap. 6. Marc. *Ex quo loco extrema unctio originem traxit, similiter & ex illo, quod dicitur Jacobi ultimo.*

Dionysius Carthusianus ibid. *Ex hoc elicitur, quod Extrema unctio infirmorum fuit instituta à Christo.*

Lyranus ibid. *Ex hoc loco patet, quod unctio extrema, quæ est infirmorum, fuit instituta à Christo.*

Erasmus ibid. *Hinc natum apparet, quod hodie sacro oleo unguntur periculose laborantes.*

Guilliaudus in cap. 5. Jacobi. *Sacri Doctores sacris innitentes constanter asserunt, Ecclesiam veritatis columnam & firmamentum ex loco Marc. 6. tanquam ex ipsius Christi institutione hanc sacram unctionem, ut verum Sacramentum, accepisse.*

Eadem est sententia Alphonsi de Castro advers. hæres. lib. 14. Lindani l. 4. Panopl. cap. 96. Eccii de Sacramentis homil. 92. Polygranii in Assertionibus, Horantii Locorum Catholicorum lib. 7. cap. 9. Petri Aurati paradoxo 99. &c.

Cumprimis vero vehemens in hanc partem est Maldonatus in cap. 6. Marci. *Hoc loco*, inquit, *agendum non solum contra hæreticos, qui pertinaciter contendunt, hic non esse sermonem de Sacramento Extremæ unctionis, sed etiam contra quosdam Catholicos, qui pene idem videntur docere, quos tamen magna ex parte ætas, nondum novas experta hæreses, excusat. Quid autem jam attinebat, vigente jam Lutheranorum & Calvinianorum hæresi, quosdam autores dicere, scriptúq́; mandare, oleum istud ab Apostolis, non tanquã Sacramentum ad sanandos animos, sed tanquam medicamentum ad curanda corpora adhibitum fuisse, neque hic de Sacramento, quo nunc utitur Catholica Ecclesia, Extremæ unctionis agi? quod idem Calviniani & Lutherani docent.*

Et paulo post. *Enimvero, qui hic de Sacramento Extremæ unctionis agi negat, ad tollendum hoc omnino Sacramentum, aut maligne, si hæreticus; aut imprudenter, si Catholicus est, gradum facit.*

(Vidit Maldonatus, Bellarminum in concedendo nimis liberalem fuisse, quando nobis largitur, *unctionem*, cujus mentio fit Marc. 6. *non esse Sacramentalem*, cum enim de eadem unctione, quæ Marci 6. describitur, etiam Jac. 5. agatur, inde immote colligitur, etiam Jacobi 5. non describi unctionem Sacramentalem. Inde Maldonatus Bellarmini argumenta quatuor sigillatim refellit, & subjungit;)

Miror, quosdam autores tam levi ratione in re tanti momenti à vera communiq; sententia dissidere.

4. Concilium Tridentin. sess. 14. cap. 1. itidem suppeditat nobis hanc propositionem. De qua unctione Jacobus agit, illa est à Christo Marc. 6. insinuata, & ut in quibusdam editionibus habetur can. 1. à Christo instituta. Jam vero fatetur Bellarminus d. l. c. 2. unctionem illam, de qua Marc. 6. agitur, non esse Sacramentalem. Ergo etiam ea, de qua Jacobus loquitur, non erit Sacramentalis.

5. Res ipsa ostendit, inter unctionem, de qua loquitur Jacobus, & inter Pontificiorum Extremam unctionem esse magnum omnino discrimen. Prior illa unctio Apostolica primo non tantum lethaliter ægrotantibus, sed etiam *quibusvis ægrotis* fuit adhibita. Posterior non nisi in extremo agone constitutis adhibetur. Secundo, ad priorem *plures Presbyteri* orationis causa adhibiti fuere. Posteriorem unus administrat, & quidem ordinarie Sacerdos. Tertio, Apostoli & Presbyteri *simplici oleo* usi fuere. Pontificii nõ nisi consecrato & exorcizato oleo utendum censent. Quarto Apostoli ægrotos *simpliciter* oleo unxerunt. Pontificii oculos, aures, nares, os, manus, pedes, ac in sexu virili etiam renes inungunt. Quinto, Jacobus mentionem facit *orationis ex fide*, pro impetranda sanitate & remissione peccatorum, quibus morbum sibi contraxit. Pontificii certas precationum formulas in cujusque membri inunctione adhibendas præscribunt, in quibus nulla fit mentio corporalis sanitatis, sed tantummodo condonationis peccatorum per illa membra commissorum. Sexto, Jacobus sanitatem tribuit *orationi fidei*. Pontificii statuunt, unctionem illam prodesse ex opere operato. Septimo, Apostolorum unctio & oratio præcipue spectabat *sanitatem corporalem*, ac simul orabatur pro remissione peccatorum, quibus morbus forte erat contractus. Pontificii sanitatem corporalem pro accidentario unctionis suæ effectu habent, utpote qui raro & fere nunquam sequatur, peccatorum autem remissionem præcipuum & infallibilem hujus Sacramenti effectum esse statuunt. Octavo, apud Iacobum mentio fit orationis *ad Deum* directæ. Pontificii autem in precibus, quas circa unctionem adhibent, etiam sanctos invocant.

Argument. 3. Augustinus lib. 2. de Visitat. infirm. cap. 4. *Roges de te, & pro te fieri, sicut sanctus dixit Apostolus Jacobus, imo per Apostolum suum Dominus. Ipsa videlicet olei sacri delibutio intelligitur Spiritus Sancti typicalis unctio.*

Resp. Bellarminus ipse lib. de Script. Eccles. agnoscit, libros hosce *ad dubios & incertos Augustini libros* pertinere.

Erasmus tom. 9. August. fol. 957. de illis sic judicat: *Sermo loquutuleji nec docti, nec diserti. Quid habuerunt vel frontis, vel mentis, qui talia scripta obtruserunt nomine Augustini?*

Croquetius Catechet. Explicationum Catech. 118. *librum hunc Augustino nec scriptum, nec lectum esse* fatetur.

(Sed nec unctio illa vocatur Sacramentum, ac verba accipi possunt *de signo non operante, sed significante.*)

Argum. 4. *Deus providit Sacramenta ingredientibus Ecclesiam & progredientibus. Ergo etiã egredientibus. Antecedens patet ex Baptismo & Eucharistia. Ratio consequentiæ demonstratur, quia nunquam magis homo indiget auxilio & præsidio, quam in articulo mortis*, Bellarm. de Extremã unct. cap. 5.

Resp. 1. Ex eodem principio inferri posset, etiam in Veteri Testamento præter *Circumcisionem* & *Agnum paschalem* institutum fuisse Sacramentum pro egredientibus, videlicet hanc

hanc ipsam unctionem, vel aliud quoddam Sacramentum, quod tamen Pontificii non concedunt.

2. Negant ipsi Pontificii, hoc Sacramentum omnibus egredientibus conferendum.

Altensteig in Lexico. *Non debet dari damnatis etiam ad mortem, quia sunt infames coram Ecclesia: nec debet dari qualitercunque exposito periculo mortis, quia non debet dari ei, cui imminet mors ex periculo extrinseca violentia, ut armorum & submersionis, vel hujusmodi.*

3. Sacramentum Eucharistiæ ipsimet Pontificii appellant *salutarem viaticum.* Ergo illud non solum pro Christianis progredientibus, sed etiam egredientibus institutum.

ARTICULUS XVIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Thesis. Ordo sive ordinatio Ministrorum Ecclesiæ non est Sacramentū Novi Testam. proprie ac stricte sic dictum.

Exthesis. 1. Concedimus, Ordinationem vocari posse Sacramentum, vocabulo *in generaliore & latiore significatu* accepto. Si vero *proprissime* loqui velimus, ita ut Sacramentum dicatur duntaxat illud, *quod habet Elementum externum sive Sacramentale Symbolum ab ipso Christo in Novo Testamento institutum, cui annexa sit promissio gratiæ ad remissionem peccatorum exhibendam, applicandam & obsignandam,* quo sensu & qua significatione Baptismus & Eucharistia dicuntur Sacramenta, eo sensu, significatione & respectu Ordinationem Sacramentum esse negamus.

2. Concedimus, *manuum impositionem* in Pastorum Ordinatione ab Apostolis & viris Apostolicis in signum benedictionis fuisse adhibitam, per quam sicut Dei ministerio consecrabantur, ita iis quoque Deus dona ad muneris functionem necessaria largiebatur. Sed negamus, hanc Ceremoniam in Pastorum Ordinatione usurpari solitam, esse Sacramentum proprie sic dictum, cum non sit Symbolum Sacramentale ab ipso Christo institutum, annexam habens promissionem gratiæ justificantis per hoc Symbolum conferendæ, sed sit *oratio super hominem,* ut loquitur Augustin. lib. 3. de Bapt. contra Donat. c. 16.

3. Negamus etiam, ob prolationem certorum verborum vel numeratam gesticulationem gratiam quandam in ordinatos descendere.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 14. de Sacramento Ordinis c. 3. *Dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

Can. 3. *Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere & proprie Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi Ministros verbi Dei & Sacramentorum &c. anathema sit.*

Bellarm. lib. de Sacram. Ord. c. 2. *Quod Ordinatio sit Sacramentum vere & proprie dictum, demonstrari potest ex sacris literis.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex defectu Symboli externi ab ipso Christo instituti.* Quicquid destituitur Elemento externo ab ipso Christo instituto, non est Sacramentum proprie ac specifice sic dictum. Ordinatio destituitur Elemento externo ab ipso Christo instituto. Ergo. Manuum impositionem Apostoli quidem adhibuerunt, sed ut Ceremoniam liberam, qua personam ad Ministerium Ecclesiasticum electam, precibus Deo commendarent, sacro officio manciparent & electionem legitime factam esse omnibus publico signo testatum facerent, non autem ut Sacramentale aliquod Symbolum divinitus institutum, ac determinatū ad applicandam promissionem gratiæ Evangelio propriam.

2. *Ex defectu promissionis gratiæ.* Quicunque ritus destituitur annexa promissione gratiæ Evangelio propriæ de applicatione & obsignatione remissionis peccatorum, ille non est proprie & specifice sic dictum Sacramentum. Ordinationis ritus destituitur annexa promissione gratiæ Evangelio propriæ de applicatione & obsignatione remissionis peccatorum. Ergo.

3. *Ex Ordinationis conditione.* Omne Sacramentum N. Test. præcise ac proprie sic dictum, est N. Test. proprium. Ordinatio non est N. Test. propria, sed utique tam V. quam N. Test. communis, cum Sacerdotes Levitici itidem certis ritibus ad Ministerium fuerint consecrati, Exo. 29. Ergo. Item: Omne Sacramentum est bonum totius Ecclesiæ. Ordinatio non est bonum totius Ecclesiæ, sed certi alicujus status, videlicet Ministrorum Ecclesiæ propria. Ergo.

4. *Ex Scripturæ silentio.* Qui Ordines à Christo & Apostolis ne quidem nominantur, illorum in Ecclesiam introductio non potest esse Sacramentum proprie & specifice sic dictum, siquidem omne Sacramentum oportet esse à Christo institutum. Jam vero plerique Ordines Papales ne quidem à Christo & Apostolis nominantur. Confer Marcum Anton. de Dominis lib. 2. de Reipubl. Eccles. c. 4.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quod quidam agnoscunt, *duo tantum esse N. T. Sacramenta proprie & specifice sic dicta, Baptismum scil. & Eucharistiam.*

(Ergo Ordinem non agnoscunt pro Sacramento proprie sic dicto.)

Verba eorum adduximus superius art. 11. c. 3.

2. Quod quidam negant, Ordinem esse Sacramentum.

Altensteig in Lexico. f. 538. *Ordo secundum Scotum lib. 4. dist. 24. art. 4. proprie loquendo de Sacramento, non est Sacramentum.*

(Marcus Antonius de Dominis Archiep. Spalatensis lib. 2. de Repub. Christ. c. 4. n. 4. & seqq. demonstrat præter Scotum ex Patribus Clementem, Dionysium Areopagitam, Cyprianum, Hieronymum & alios non habuisse Ordinem pro vero Sacramento, *quia in omnibus non operetur.*

Bellarminus lib. de Sacr. Ordin. c. 5. §. Ac primum &c. *Quidam Scholastici in 4. sent. dist. 24. & ex recentioribus Dominicus Sotus lib. 10. de Justitia & jure q. 1. art. 2. & in 4. sent. dist. 24. q. 3. negant, Ordinem Episcopalem esse Sacramentum vere ac proprie dictum.*

Similia occurrunt apud Gregorium de Valentia tom. 4. Comm. Disp. 9. sect. 1.

(Fallit ergo & fallitur Tannerus tom. 4. Theol. Schol. Disp. 7. q. 2. dub. 1. scribens: *Ante tempora Lutheri à nullo neq; Catholico, neq; hæretico expresse negatum esse, Ordinem vere & proprie dictum novæ legis Sacramentum esse.*)

3. Quod novitatem hujus Sacramenti tacite concedant.

Bellarm. lib. de Sacram. Ordin. c. 3. ex antiquitate unicū *Dionysium Areopagitam* producit, (cujus scripta sunt dubiæ fidei.) *Innocentium I.* (qui vixit anno 402.) *Leonem I.* (anno 440.) *Anastasium II.* (anno 497.) & *Gregorium Magnum* (Anno 600.) Patres, quos cum Chalcedonensi Concilio adducit, non probant, Ordinem esse Sacramentum proprie dictum, nec de antiquitate tempus ipsorum antegressa quidquam testantur.

4. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Gregorius IX. in c. Presbyter. de Sacramentis non iterandis expresse dicit, *impositionem manuum esse ritum ab Apostolis introductum.*

(Ergo non est Symbolum Sacramentale ab ipso Christo institutum. Excipit quidem Bellarm. lib. de Sacram. Ordin. c. 9. *Pontificem non hoc velle, quod hæc Ceremonia primum ab Apostolis & non à Christo sit instituta, sed quod in praxi ab Apostolis primum sit usurpata.* Verum Vasquez tom. 3. in p. 3. D. 239. cap. 6. n. 59. vocat hanc glossam, *interpretationem extortam,* eamque repudiat, cum per eandem Glossam dici possit, *Confirmationem, Extremam unctionem, Sacramentum pœnitentiæ, esse Ceremonias ab Apostolis introductas, quia primi eas usurparunt.* Fatetur igitur Vasquez, *Pontificem,* in adducto capitulo *loqui de accidentaria Ceremonia in Ordinatione, quam Apostoli introduxerint.* Probat id ex eo, quod alias Pontifex non statuisset, *Ordinationem esse Sacramentum absque impositione manuum, ac Ceremoniam illam tantum postea supplendam, non autem Sacramentum iterandum.* Quod si ergo juxta decretum Pontificis Ordinatio absque impositione manuum fieri potest, utique impositio manuum non est Symbolum Sacramentale ab ipso Christo institutum, ac per consequens Ordinatio non est Sacramentum proprie dictum.)

Secundo, Bellarminus lib. de Ordine c. 5. §. 3. sic scribit: *Si Ordinatio Episcopalis non est Sacramentum, non possumus ex Scripturis aperte probare, Ordinationem esse Sacramentum.*

§. 4. *Amittemus etiam loca Patrum, quæ pro Sacramento Ordinationis adducuntur, si Ordinatio Episcopalis non est Sacramentum.*

Subsumimus. Quidam ex veteribus Scholasticis & ex recentioribus Dominicus à Soto negant, *Ordinationem Episcopalem esse Sacramentum,* fatente ibidem Bellarmino. Ergo faciunt, ut non possit ex Scripturis aperte probari, Ordinationem esse Sacramentum.

Tertio, idem Bellarm. lib. ejusd. c. 9. §. 9. sic scribit: *Si impositio manuum non est de essentia Ordinis, non possumus convincere hæreticos*

reticos, *Ordinationem esse Sacramentum proprie dictum, quia non possumus in Scriptura demonstrare Symbolum externum hujus Sacramenti.* Idem fatetur Lorinus in Act.6.v.6.

(Subsumimus. Thomas, Richardus, Durandus, Paludanus, Biel, Sylvester, Angelus, Capreolus, Major, Tapperus, Gregor. de Valentia, Dominicus Sotus &c. negant, *impositionem manuum esse de essentia Sacramenti Ordinis,* provocantes ad consensum Concilii Florentini apud Tannerum tom.4. Theol. Schol. Disp.7.q.2.dub.4. num.76. Idem habet Altensteig ex Brulifero & Scholasticis aliis, in Lexico in verbo Ordo. Imo Bellarminus ipse cogitur id negare, quia statuit, *Ordinem Sub-Diaconatus esse Sacramentum* cap.7. §.2. *qui tamen confertur sine manus impositione.* §.1. Ergo non potest convincere *hæreticos,* quos ita vocat, Ordinationem esse Sacramentum proprie dictum.)

Quarto, idem Bellarminus d.l. cap.9. §. ultimo sic scribit: *Credibile est, Dominum instituisse omnes materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim, monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per Ceremonias instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.*

(Atqui, si hi Ordines pro vere dictis Sacramentis deberent agnosci, necessarium foret, materiam eorum in particulari esse à Deo institutam, *quia omnia Sacramenta vere & proprie sic dicta, tam formæ, quam materiæ ratione divinam habere debent institutionem,* fatentibus Pontificiis. Bellarminus ipse sic scribit Lib. de Sacram. Ordinis c.2. §. Quod autem &c. *Non potest ullus homo gratiam alligare certo signo.* Quid quod necilla generalis monitio ex Scripturis probari potest? ut Bellarminus tacendo confitetur.)

Quinto, Bellarmin. Lib. de Ord. cap.2. §. ultimo fatetur, *non esse scriptum, ordinatos à Christo Apostolos per manuum impositionē.*

(Ex eo colligimus, manuum impositionem non esse materiam hujus Sacramenti divinitus institutam, alias in Ordinatione Apostolorum ea à Christo non fuisset prætermissa, Scriptura non deficit in necessariis. Symbolum Sacramentale est de necessitate Sacramenti. Quare si impositio manuum esset Symbolum Sacramentale proprie sic dictum & eo fine à Christo adhibitum, ut gratiam illi alligatam esse ostenderetur, utique Evangelistæ, aliquam ejus mentionem fecissent.)

Sexto, idem Bellarminus d.l. cap.9. §.3. memorat, *Dominicum Sotum & alios statuere, manuum impositionem non esse partem essentialem, sed tantum accidentariam Ceremoniam in Sacramento Ordinis; porrectionem vero calicis & patinæ esse veram materiam & externum corporale Elementum in hoc Sacramento, per quam potestas sacrificandi certis verbis sacrificulo detur.* Hanc sententiam suam confirmant ex Concilio Florentino, Jure Canonico & Romanæ Ecclesiæ Agendis.

(Subsumimus. Porrectio illa calicis & patinæ nusquam in Scripturis proponitur. Ergo Scriptura nihil habet de externo hujus Sacramenti Elemento. Bellarminus quidem illam Dominici Soti & aliorum opinionem conatur refellere, sed hæc refutatio nititur confictis glossis. Cogitur interim fateri, *quod potestas Sacerdotalis sacrificandi non per manuum impositionem, sed per porrectionem calicis & patinæ conferatur, quodque una cum impositione manuum etiam porrectio istorum instrumentorum essentialiter ad hoc Sacramentum requiratur.* Ubi vero porrectio illa in Scripturis instituta vel mandata? ubi peculiaris gratiæ promissio ei annexa? Ibidem etiam Bellarminus sententiam suam vocat *longe probabiliorem & veriorem, quam Soti.* Ergo, si Bellarmini sententia tantum probabilis, non est de fide.)

Septimo, idem Bellarminus Lib.1. de Sacram. in genere cap.26. resp. ad 2. argum. statuit, *per verba, Accipite Spiritum Sanctum Ioh.20. dari à Christo Apostolis potestatem remittendi peccata, quæ possit esse sine gratia gratum faciente.*

(Ergo non potest ex illo loco demonstrare, in Sacramento Ordinis conferri gratiam Sacramentorum propriam, sive gratiam gratum facientem, quod tamen facere nititur cap.2. Quinimo confer ea, quæ habet Bellarm. Lib.1. de Sacram. c. 26. cum illis, quæ habet Lib. de Sacram. Ordin. c.4. & videbis eū totis viribus sibiipsi contradicere in hac quæstione, an per Sacramentum Ordinis conferatur gratia gratum faciens.)

Octavo, idem Bellarminus Lib. de Sacram. Ordin. cap.2. fatetur, *Ordinationem non ad gratiæ justificantis collationem, sed ad alium potius finem institutam esse.*

Lib.1. de Sacram. in genere c.26. *gratiam, quæ in Ordinatione confertur, dicit non esse justificantem, sed characteristicam.*

(Ex eo sic colligimus: Omne Sacramentum proprie dictum, institutum est, ut promissionem gratiæ applicet & obsignet, sive ut Bellarminus loquitur, ut gratiam justificantem conferat, ut patet ex fine omnium Sacramentorum proprie sic dictorum. Ordinatio, fatente Bellarmino, non est eo fine instituta, ut gratiam justificantem conferat. Ergo.)

Nono, Becanus in Disputat. de vocat. Ministr. thesi 41. fatetur, χειροθεσίαν ad varios effectus in Novo Testamento adhiberi solitam, videlicet *ad sanandos ægrotos, ad impertiendam benedictionem, ad felicem comprecationem, ad SS. conferendum, ad conferendam gratiam in Ordinatione Ministrorum.*

Bellarminus de Sacram. Ordin. cap.9. §. Neque valet &c. statuit, *impositionem manuum in Sacramento Confirmationis esse de necessitate.*

(Ergo impositio manuum non potest esse Symbolum Sacramentale Sacramenti Ordinis, quia illud cuilibet Sacramento debet esse peculiare & proprium.)

Decimo, agnoscunt, unctionem Episcoporum & Sacerdotum ex Vet. Test. descendere.

(Inde sic colligimus: Omne Sacramentum N. Testamenti præcise ac proprie sic dictum, est N. Test. proprium. Ordinatio non est N. Test. propria, sed utrique, tam V. quam N. Testam. communis, cum Levitici Sacerdotes itidem olei sacri unctione & aliis ritibus fuerint consecrati, à quibus ritus illos Ecclesia Romana est mutuata. Ergo.)

Durandus Lib.1. Rational. cap.8. §.15. *Sciendum est, quod Episcoporum unctio à Veteri Testam. sumsit originem. Extra. de sacr. unct. c.1. Nam Levit.21. dicitur Pontifex, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus sunt in Sacerdotio consecratæ.*

Polydorus Vergilius Lib.5. de Rer. Inventoribus cap.5. pag.391. *Cum Moses tabernaculum ædificaret, fuit illi à Deo præceptum, ut sacrum conficeret unguentum, quo ipsum opus una cum vasis, ac simul Sacerdotes ac Reges perungi possent, qui vocarentur ad Sacerdotium vel regnum. Ita mos inolevit, ut hoc deinde modo tam Reges, quam Sacerdotes consecrarentur.*

5. Dissensiones Pontificiorum multiplices. Dissentiunt enim invicem

Primo, *de numero Ordinum,* ut ostendimus superius artic.6. de Clericis cap.2. membro 3.

Secundo, *de origine istorum Ordinum,* ut ostendimus ibidem membr.1.

Tertio, *de Natura horū Ordinum,* an omnes sint Sacramenta. Multi *solum Presbyteratum Sacramentum esse* contendunt, quorum agmen ducit Durandus.

Ejus sectatores *magna reprehensione dignos* non judicat Soto.

Victoria *probabilem* censet *sententiam;* Josephus Angles in 4. sentent. *non erroneam.*

Imo *quæstionem nondum esse ab Ecclesia definitam, ne de Diaconis quidem,* fatetur Estius in 4. sent. 24. sect.8.

Sunt, *qui tres majores Ordines Sacramentum constituere, quatuor minores sine erroris periculo Sacramenta esse, negari posse putant, siquidem vox Sacramenti proprie intelligatur pro illo Sacramento, quod det gratiam & characterem imprimat.* Quæ fuit sententia Dominici Soti, Medinæ, Angles & aliorum.

De minoribus Ordinibus, ut etiam de Sub-Diaconatu agnoscit Petrus Soto de Sac. Ord. lect.1. *ex sacra Scriptura nō haberi, nec de ipsis aut eorū nominibus fieri in omnibus antiquis mentionē.*

Præterea sunt, qui negant, *Episcopatum esse Sacramentum vere & proprie dictum, & imprimere characterem novum,* ut Dominicus à Soto de Justit. & jure q.1. art.2. & alii, fatente Bellarmino d.l.

Contra vero Gabriel Biel Lib.4. sent. dist.8. q.1. art.3. dub. 3. statuit, *Sacramentum Ordinis sub se continere septem vel octo Sacramenta à seipsis invicem distincta.*

Bellarminus Lib. de Sacram. Ordin. cap.5. §.1. de hisce sententiarum divortiis. *Convenit inter omnes Catholicos, Ordinem Presbyterorum esse vere & proprie Sacramentum, de aliis non omnino convenit. Dicam igitur de singulis, quid verius ac probabilius videatur. Ac primum Ordinatio Episcopalis Sacramentum est vere & proprie dictum. Hæc sententia, etsi à quibusdam veteribus Scholasticis negetur, in 4. sentent dist.24. & ex recentioribus à Dominico Soto Lib.10. de Iustitia & jure quæst.1. artic.2. & in 4. sentent. dist.24. quæst.2. artic.3. tamen asseritur ab omnibus antiquis Patribus & ex recentioribus à Petr. Soto lect.4. de Sacr. Ord. & à Cajetano tom.1. opusc.11. nec non ab antiquis nonnullis Scholasticis, ut Altisiodorensi, Majori, Scoto, Durando & Paludano, licet Durandus idem Sacramentum esse velit cum Sacramento pœnitentiæ.*

Lib.

Lib.ejusd.cap.6.§.1 *De Diaconis est valde probabile & omnino tenendum, eorum Ordinationem esse Sacramentum, licet id non sit certum ex fide, quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto vel tradito, neque extat ulla Ecclesiæ determinatio, unde Durandus asserit, solum Sacerdotium esse Ordinis Sacramentum 4 sent.dist.24.q.2.cum Cajetano tom.1.opusc.11.*

Ibidem §.10.*Cyprianus fortasse fuit in ea sententia, Diaconatum non esse à Christo institutum, fortasse etiam voluit dicere, Christum non ordinasse ullos Diaconos.*

Lib.ejusd.cap.7.§.1.*De Sub-Diaconatu non est tanta certitudo, quanta de Diaconatu. Nam nec in Scripturis de eo fit mentio, nec Ordinatio habet manus impositionem, nec Sub-Diaconi ministrant Eucharistiam, aut alia facere possunt, quæ Diaconi, & deniq; non pertinent proprie ad Hierarchiam, nisi ut ministri Hierarcharum. Est tamen valde probabile, etiam hunc Ordinem esse Sacramentum.*

Et postea. *Quod Magister dicit, Sub-Diaconos ab Ecclesia introductos, non sic debet intelligi, quasi Ecclesia eum Ordinem instituerit, sed videtur Magister existimasse, usum horum Ordinum non cœpisse tēpore Apostolorum, sed postea quod videlicet antea ob fidelium paucitatem non essent tot Ordines necessarii. Sed neque hoc videtur esse verum. Nam S. Ignatius, qui tempore Apostolorum floruit, fere omnium Ordinum meminit.*

Lib.ejusd.cap.8.§.1. *De minoribus Ordinibus minus probabile est, quod sint Sacramenta, quam de Sub Diaconis. Nam neque est ita communis sententia, sicut de Diaconatu & Sub-Diaconatu. Et certum est leviora esse munera horum Ordinum, quam superiorum, absolute tamen probabilis est sententia, quæ Ordines omnes Sacramenta esse docet, quam ea, quæ id negat. Id videtur sensisse Concilium Florentinum, nec dissentit Tridentinum.*

(Quod si quidam negant, *Ordinationem Episcopalem esse Sacramentum; si non potest evidenter ex verbo Dei scripto vel tradito deduci, nec est certum ex fide, Ordinationem Diaconorum esse Sacramentum; si de Sub-Diaconatu non est tanta certitudo quanta de Diaconatu, quod sit Sacramentum; si de minoribus Ordinibus minus probabile est, quod sint Sacramenta, quam de Diaconatu*, quomodo probabilior potest haberi sententia, quæ statuit, *omnes Ordines esse Sacramenta*, quam ea, quæ id negat? Num potest aliquid tribui Ordinibus omnibus conjunctim sumtis, quod non competit singulis? quomodo sub anathemate Ecclesiæ potest hoc decretum obtrudi, *quod Ordo sit Sacramentum à Christo institutum?*)

Idem Bellarm.lib.de Sacr.Ord.cap.5.affirmat, *quod Ordinatio Episcopalis sit Sacramentum, ut reliqui sint ministeriales Ordines.* Est igitur gradus à reliquis distinctus, atque ita sunt octo Ordines.

Porro, si octo sunt Ordines, & quilibet ex illis est Sacramentum, ut Bellarminus tradit, tum habebimus octo Sacramenta Ordinis præter reliqua sex. Nam omnes hi distincti Ordines non possunt unicum solum constituere Sacramentum, cum differant ab invicem, tum in forma verborum, tum in externis signis seu Ceremoniis, quæ usurpantur.

Gregorius de Valent.tom.4 col.2067.de quæstione, *An omnes septem Ordines, excepto Episcopatu, sint verum Sacramentum? tres habentur sententiæ. Durandus solum ordinem Sacerdotii dicit esse Sacramentum. Michael Medina & Navarrus tres Ordines majores ex illis esse Sacramentum. Tertia sententia est Ordines illos omnes majores & minores esse Sacramentum.* Similia occurrunt apud Maldonatum tom.2.de Sacrament.pag.223.

Cæterum, quod Bellarminus dicit, *non ita communem esse sententiam, quod minores Ordines sint Sacramenta, sicut de Diaconatu & Sub-Diaconatu*, illud paulo plenius deducendum, ut dissensio sit evidentior.

Alphonsus de Castro lib.11.adversus hæref.titulo de Ordine. *Omitto hic minores Ordines, quoniam etsi de illis apud vetustos autores non parva fiat mentio, tamen plures Theologi non admittunt minores Ordines intra Sacramentorū numerum, quapropter nec etiā vocantur Ordines sacri; imo de Sub Diaconatu Hugo de S. Victore censet, non esse Sacramentum.*

Valquez in part.3.Thom.disp.237 in eandem abit sententiam, negans *quatuor minores Ordines esse à Christo institutos.*

Ejusdem sententiæ fuit Durandus 4.sentent.dist 24.quæst.2.uti etiam Cajetanus, teste Lindano lib.4.Panopl.capite 67.

Colonienses in Enchiridio cap. de Ordine. *An autem hosce minores Ordines proprie Sacramentum dixeris, non definimus Certe Presbyterium & Diaconatus sola habent certum Scripturæ testimonium.*

Dominicus Soto 4.sent.dist.24.itidem in eam abit partem.

Sed Lindanus d.l. *De hoc inter Catholicæ Ecclesiæ filios discorditer docetur, sed salva fidei pace. Verum D.Thomæ, quam Cajetani atque Durandi opinio ad veritatem est proclivior.*

Quarto, ad quæstionem, *quomodo septem Ordines specie distincti unum possint constituere Sacramentum?* diversimode respondent.

Scotus 4.sent.dist.24.sic progreditur: *Quartus articulus est, quomodo Sacramentum Ordinis est unum. Dico, quod est unum genere sicut dicuntur in genere, (forte legendum unæ genere) tres virtutes, scilicet justitia, fortitudo, temperantia: tamen forte multæ in speciali. Sic primaria divisio Sacramenti est in septem: quorum unum est Ordo, & habet sub se septem species contentas convenientes in unitate generis ut Ordinis.*

Idem statuit Petrus de Aquila. *Dico, quod est unum unitate generis propinqui, sicut virtutes morales dicuntur esse tres secundum genus, scil. justitia, fortitudo & temperantia, tamen in speciali qualibet in multa dividitur.*

Alii vero ad unitatem finis confugiunt.

Altensteig in Lexico. *Licet sint septem Ordines, est tamen unum Sacramentum, ut scribit Thomas Argentinensis & alii, ratione finis, qui est unire fideles Christo, mediante Eucharistia, quæ est Sacramentum unionis.*

Bellarminus utramque sententiam conjungit de Sacram. Ord.cap.8. *Omnes Ordines, licet sint per se singula Sacramenta, tamen unum Sacramentum censentur, quia unum sunt vel genere, vel quia ad unum finem omnes referuntur.*

Bonaventura 4.sentent.dist. 24.statuit *partes quasdam potestativas, quæ participent Naturam & partium integralium & partium subjectivarum. Sacramentum*, inquit, *Ordinis unum est, multas tamen habet partes, quæ Sacramentum non plurificant, pro eo, quod non sunt omnino partes subjectivæ, & tamen recipiunt prædicationem totius, quia Naturam habent quodammodo partium subjectivarum, & tales sunt partes potestativæ, quæ maxime conveniunt Ordini: tum quia Ordo dicitur ordinata potestas, quæ ex Ordinatione multorum ad unum redditur perfecta, & quodlibet illorum participat rationem potestatis, licet non perfecte, tum etiam, quia Ordo concernit distinctionem in partibus, sicut numerus. Unde quemadmodum partes numeri quodammodo habent Naturam partium integrantium, in hoc, quod simul convenientes per ordinem reddunt numerum perfectum, ut partes senarii constituunt senarium, & tamen qualibet pars numeri est numerus: sic omnes gradus Ordinum faciunt Sacramentum perfectum, & tamen quilibet gradus Ordo dicitur.*

Durandus ibid. quæst.2.sic explicat: *Vel quia in Ordinibus solum Sacerdotium sit Sacramentum, reliqui tantum Sacramentalia quadam antecedentia de congruitate & non de necessitate, quemadmodum Sacramento Baptismi adjuncta sunt Exorcismus & Catechismus: vel quia unitas sit non indivisibilitatis, ut in puncto, aut continuationis, ut in linea; sed perfectionis, quando concurrunt omnia, quæ requiruntur ad perfectam consecutionem finis, ad quam res ordinatur. Sacramentum autem Ordinis ordinari ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum, in quo requiritur ejus confectio, quæ pertinet ad Sacerdotem, & præparatio materiæ & ejus oblatio, quæ ad Diaconum, & dispositio populi, quæ ad minores. Sic igitur esse Sacramentum unitate perfectionis & unum Ordinem unitate attributionis. Et hoc sufficere.*

(Sed non possunt effugere, quin agnoscant, Sacerdotium esse speciem à Diaconatu, Diaconatum ab Hypo-Diaconatu distinctam, & sic deinceps, cum unus Ordo ab altero differat formaliter, proinde septem Ordines non poterunt esse unum Sacramentum.)

Quinto, *de materia istorum Ordinum.* Cum in Ordinatione Presbyteri & Diaconi duplicia signa adhibeantur, videlicet impositio manuum & porrectio instrumenti, ut calicis & patinæ in Presbyteratu, & libri Evangeliorum in Diaconatu, inde quæstio oritur, *Utrum horum signorum sit essentialis materia Sacramenti?*

Quidam existimant, *manus impositionem esse accidentariam, & solam instrumentorum porrectionem esse essentialem.* Ita Dominicus à Soto dist.24.q.1.art.4. & alii.

Contra vero reliqui statuunt, *non solum instrumentorum porrectionem, sed etiam manus impositionem esse materiam essentialem*, quam posteriorem sententiam Bellarm.de Sacram.Ord. cap.9.judicat *longe probabiliorem ac veriorem.*

(Atqui si manus impositio est essentialis materia hujus Sacramenti, utique Ordinatio Sub-Diaconorum non erit Sacramentum, cujus contrarium idem Bellarm. asserit cap.7. vel

si Ordinatio Sub-Diaconorum, quæ fit sine manus impositione, est Sacramentum, consequens est, manus impositionem non esse essentialem hujus Sacramenti materiam, hujus contrarium statuit in d. cap. 9.)

Dissensum hunc fatentur Gregorius de Valen. tom. 4. col. 2078. & Maldonatus tom. 2. de Sacram. pag. 228. *De materia*, inquit, *& forma Ordinis duæ sunt sententiæ.*

Sexto, denique in ipso Concilio Tridentino variæ disceptationes de hoc argumento fuere.

1. Petrus Soto longa oratione usus est, ut ostenderet, *Christum, dum inter mortales ageret, hos septem Ordines gradatim ad Sacerdotium, qui ultimus est, exercuisse. Atque ut tota Christi vita ad ultimum illud sacrificium tendebat, ita sine dubio omnes Ordines reliquos nihil aliud, quam gradus esse quosdam, quibus ad culmen Sacerdotii ascendatur.*

At F. Hieronymus Bravo, qui & ipse Dominicanus, retulit, *affirmare Thomam, in Ecclesia primitiva multos immediate ordinatos Presbyteros, per inferiores Ordines consensione nunquam facta: Ecclesiamq; transitum hunc per omnes Ordines ad Sacerdotium non alia fini constituisse, nisi ad homines humiliandos. Satis constare ex Actis Apostolorum, Matthiam immediate ordinatum fuisse Apostolum, neque per Ordines minores & Sub-Diaconatum septem Diaconos transiisse. De se narrare S. Paulinum, cum apud animum suum constituisset, sese cultus divino in Clero mancipare, & humilitatis affectu per omnes gradus Ecclesiasticos ire, principio ab Ostiario facto, dum Laicus adhuc tempus opportunum captaret, derepente Barcinone à populo raptum & tractum ad Episcopum, Presbyterum per saltum ordinatum, quod minime contigisset, nisi id temporis fuisset usitatum.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Concil. Trid. p. 686.

2. Idem Hieronymus Bravo *in quæstione de septem Ordinibus, an sint Sacramenta divinitus instituta, magnam fassus est esse inter Theologos opinionũ varietatem, e quibus vix invenias duos, quibus inter se conveniat; quod perspicientem Cajetanum jam senem hoc scriptum reliquisse: Si collecta fuerint, quæ Pontificales Codices, quæ veratio autoritasq; doctrina tradidit, incerta valde apparebit, Presbyteratu excepto, reliquorum Natura Ordinum, Magistrum certe tenere minores Ordines & Sub-Diaconatum constitutos ab Ecclesia. Diaconatum in Scriptura institutum Mensarum ministerium videri, non, ut nostrum, altaris. Jam varietatem, quæ circa minores Ordines in vetustis Pontificalibus conspicitur, in uno hoc, in altero omnia alia, satis indicare, Sacramentalia hæc esse, non Sacramenta. Imo huc ipsam rationem nos ducere, dum quæ facit ordinatus, eadem ipsa potest & non ordinatus facere, nec minus valide, eodemq; effectu & perfectione. Ipsum S. Bonaventuram, utcunque omnes septem Ordines pro Sacramentis habeat, duas tamen alias opiniones probabiles æstimasse. Unam, solum Sacerdotium esse Sacramentum: at minores & alios etiam duos, cum circa res corporales versentur, cujusmodi sunt aperire portas, lectiones legere, lumina accendere, non satis cerni, quomodo nos Deo conformes reddant. Itaq; solummodo dispositiones esse ad Sacerdotium. Alteram, tres sacros esse Sacramenta.* Petrus Suavis lib. 7. Hist. Concil. Trid. p. 686.

3. *Magna etiam fuit in Concilio Tridentino sententiarum discrepantia, de Episcopatu, contendentibus nonnullis eum esse Ordinem; aliis nihil aliud Presbyteratui superaddere, quam jurisdictionem, quibusdam Thomam & Bonaventuram citantibus, aliis denique mediam opinionem sectantibus, nempe esse dignitatem quandam eminentem aut officium in ordine. Quin etiam adductus celebris D. Hieronymi locus & S. Augustini autoritas in hujus rei confirmationem, qui Patres agnoscunt quidem, Episcopatum esse antiquissimum, sed tamen Ecclesiasticam constitutionem &c.*

4. *De Hierarchia Doctores pari numero in duas sententias scindebantur, aliis constituentibus eam in solis Ordinibus, idq; Dionysio autore laudato, qui in Hierarchis nominandis non nisi Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum meminit. Aliis Franciscum Forjerum Dominicanum Lusitanum sequentibus, quibus videbatur in jurisdictione collocanda. Enata est tandem tertia opinio in utriusque commixtione consistens, quæ quidem post communiter approbata. Nam in Ordine eam constituendo non constabat ratio, quomodo includerentur Archiepiscopi, Patriarchæ, & quod caput est, Papa: cum omnes consentiant, hosce gradus non esse Ordines Episcopatu superiores, tametsi nonnulli communem sententiam in contrarium asserebant, Ordinem Episcopalem esse quadripartitum in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis & Papa. In jurisdictione rursus eam collocando, omnes Ordines sacri excludebantur. Magna erat inter eos disceptatio, quænam esset Hierarchiæ forma, aliis caritatem statuentibus, aliis fidem informem, aliis unitatem ex sententia Cardinalis Turrecrematæ. Sed huic opponitur, unitatem esse passionem genericam in eo omni, quod est unum, & esse effectum formæ eam producentis. Qui caritatem asserebant, innumerabiles locos citant è Patribus, qui unitatem Ecclesiæ ei attribuunt. Verum objiciunt alii, hanc esse hæresin Wiclefi. Quod si ita esset, Prælatus, amissa caritate, esset extra Hierarchiam, & amitteret autoritatem. Nec tamen ponendo fidem informem hanc evitabant difficultatem, cum Prælatus in animi abdito infidelis fidem extrinsecus possit simulare. Quod si is ad Hierarchiam non pertineat, populum Christianum fore incertum, cui obediendum habeat, cum de omnibus dubitari possit, nec interdum sine causa. Atque ut solent Theologi, maxime Fratres, in exemplis allegandis esse liberi, adducebant etiam in medium Pontificem Romanum, asserentes, si ipsum incredulum esse contingeret, ejus defectu totam Hierarchiam perituram. Ita si quis formam statuat fidem, non minus esse periculi, quam si caritatem. Unde hi Baptismum ponebant. Sed ab ejusdem incertitudine eædem difficultates oriebantur, quandoquidem ad ejus essentiam ex Concilii determinatione requiritur intentio Ministri, non minus aut etiam magis occulta, quam illæ aliæ duæ, adeo ut vix possit de aliquo certò affirmari, quod sit baptizatus.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Conc. Trid. p. 691.

5. Fr. *Petrus Ramirius Franciscanus, secutus doctrinam Johannis Scoti in Concilio Tridentino monuit, non dicendum, Ordinem esse Sacramentum, quia res est invisibilis & permanens, cum Sacramenta omnia visibilia sint & præter Eucharistiam in actione consistant. Quare, ut omnes difficultates vitentur, dicendum, non Ordinem, sed Ordinationem esse Sacramentum. Huic sententiæ vehementer reclamatum est, quod omnes Theologi dicant, Ordinem esse Sacramentum, & in quo non minus momenti est, Concilium etiam Florentinum: magnæq; audaciæ futurum, improprietatis taxare omnes Doctores, generale Concilium, & universam, quæ ita vulgo loquitur, Ecclesiam.* Petrus Suavis lib. 7. Concil. Trident. pag. 693.

6. *Licet inter omnes conveniebat, Spiritum Sanctum & dari & accipi in Ordinatione, alii tamen dicebant, in propria persona dari, alii in dono gratiæ, qua de re multa fuit disceptatio. Sed inter eos, qui gratiam asserebant, acrior erat contentio, utrum daretur gratia justificationis, an vero donum officii exercendi. Illi sententiæ suæ fundamentum in eo ponebant, quod omnia Sacramenta conferant gratiam justificationis. Isti è contrario disserebant, eam ab impœnitente recipi non posse, qui tamen recipit Ordinem.* Item Petrus Suavis d. l.

8. *Quoad characterem, ut omnes concordes censuere, eum in Sacerdotio inprimi: ita cæteroqui erant opiniones variæ, aliis in sacris tantum, aliis in omnibus septem id fieri asserentibus, quæ utraque sententia S. Bonaventuræ visa est probabilis. Aliis placebat distinctio hæc Durandi: Si per characterem intelligatur potestas producendi aliquod effectum spirituale, ita solius esse Sacerdotii, (solus enim Sacerdos potest effectus spirituales producere consecrandi & remittendi peccata) aliorum Ordinum non item: quorum operationes corporales sunt, nec minus recte fiunt à Laicis, quam ab ordinatis, etiam sine minimo peccato veniali. Quod si per characterem intelligatur deputatio ad officium speciale, ita cuilibet Ordini characterem esse proprium. His opponebatur, in primo contineri opinionem Lutheranam, itaque necessarium esse affirmare, in omnibus esse characterem proprium & indelebilem. Non deerant, qui eum in prima etiam tonsura reperiri vellent, hoc argumento nixi, quod non reiteretur, ne in iis quidem, qui de gradu dejiciuntur, quod fieri oporteret in iis, quæ characterem non relinquunt impressum. Tum quod per hanc in Clerum quis adscribatur & particeps fiat exemtionum & immunitatum Ecclesiasticarum. Neque ullo modo sustineri posset, Clericatum & immunitatem esse de jure divino, nisi hoc quoque dicatur, primam tonsuram institutionem esse divinam.* Petrus Suavis d. l.

8. Melchior Cornelius Lusitanus dicebat, *Apostolos in Ordinationibus usos esse manuum impositione, adeo ut nulla unquam in divina Scriptura Ordinatio sine hac Ceremonia facta legatur, etiam succedentibus temporibus adeo essentialem habitam, ut eo nomine Ordinatio ipsa nuncuparetur. Quanquam Gregorius IX. ritum dicit introductum ab Apostolicis, & multi Theologi eam non habent pro necessaria, quicquid alii aliter sentiant. De unctione itidem constare ex Decretali Innocentii III super hac re, in omnibus Ecclesiis non fuisse usurpatam. Etiam celebres Canonistas Hostiensem, Johannem Andream, Abbatem & alios affirmare, Papam verbo solo Presbyterum ordinare posse, dicendo: Esto Sacerdos: quodq; plurius est: Innocentium omnium Canonistarum parentem, universe asserere, nisi formulæ illæ recens adinventæ obstarent, abunde futurum, si ita diceret Ordinator: Esto Sacerdos: aut verbis tantundem valentibus uteretur; nam formulas, quæ observantur, ab Ecclesia post constitutas.* Petrus Suavis lib. 7. Conc. Trid. p. 694.

Argum. Adversariorum.

1. *Insti-*

1. *Institutionem hujus Sacramenti* sive mandatum divinum probant ex Act. 13. v. 2. *Segregate mihi Paulum & Barnabam.* c.20.v.28.*in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos* Ephes.4.v. 11.*Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores.* Quidam addunt Joh.20.v.21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.*

Resp.1. Alia est quæstio, *an ministerium sit à Deo institutum*, alia iterum quæstio, *an sit institutum, ut esset Sacramentum.* Apostolatum æque ac Presbyterium & Diaconatum à Christo institutum esse, Pontificii agnoscunt, iidem tamen negant, *Apostolatum esse Sacramentum.* Salmero tract.36. in Acta. Ac res ipsa docet, quod ministerium Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, non habeant pro Sacramento, cum *septem* tantum *Ordines* Sacramentis annumerent.

2. Durandus 4.sent.dist.24.q.1.sic distinguit: *Ordo tripliciter accipitur, uno modo, pro relatione vel habitudine ordinatorū; alio modo pro gradu, qui Ordinem primo modo acceptum facit; tertio modo pro eo, quod exterius sensibiliter geritur circa aliquem, ut in aliquo gradu super alios constituatur &c. Ordo primo modo acceptus est sola relatio: Secundo autem modo acceptus est spiritualis potestas vel deputatio ad dispensationem Sacramentorum. Et neutro istorum modorum est Sacramentum, ut de se patet, sed tertio modo est Sacramentum.* Similia occurrunt apud Altensteig in Lexico & alios.

(Atqui dicta allegata loquuntur de Ordine secundo modo accepto, id est, de gradu, qui Ordinem facit in Ecclesia. Ergo ex illis probari nequit, Ordinem esse Sacramentum.)

Arg.2. *Promissio gratiæ datur in hoc Sacramento* 1.Tim.4.v.13. *Noli negligere gratiam, quæ in te est,* 2.Tim.1.v.6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam.*

Respond.1. Gratia, quæ in Sacramentis promittitur, est *gratia justificans.*

Catechismus ad Parochos de Sacram. *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.*

Et postea. *Quod ad propositam Sacramenti definitionem attinet, divinarum rerum Scriptores sacræ rei nomine Dei gratiam, quæ nos sanctos efficit, ac omnium divinarum virtutum habitu exornat, demonstrant.*

Bellarminus lib.1.de Sacram.cap.11.§.Quinta, laudat hanc definitionem. *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.*

(Atqui gratia illa, de qua Paulus loquitur, non est gratia justificans. Salmero & Justinianus exponunt eam de autoritate docendi. Cajetanus de ἐπισκοπῇ.)

2. Clemens Romanus lib.7. Constitut.c.20 in consecratione Diaconissæ sic precandum docet: *Ipse etiam nunc respice hanc ancillam tuam electam ad ministerium, & da ei Spiritum Sanctum, & mundam effice ab omni inquinatione carnis ac Spiritus, ut opus sibi impositum digne perficiat.*

(Si ex collatione gratiæ inferri posset, Ordinem esse Sacramentum, sequeretur, etiam Diaconissarum Ordinem Sacramentum esse.)

3. Gratia, quæ in Ordinatione datur, non est gratia *gratum faciens*, ut loquuntur, sed gratia *gratis data*, cum pertineat ad aliorum utilitatem, nec semper eum sanctificet, cui datur.

In Pontificali Romano Deus rogatur, *ut benedicat Ostiario, Lectori, Acolytho, Exorcistæ, Hypo-Diacono, ut suis muneribus satisfaciant.*

4. Bellarminus ipse fatetur lib.1.de Sacramentis in genere c.26. *autoritatem conferendi Sacramenta non esse gratiam gratum facientem, sed gratis datam, nec ita pugnare cum improbitate vitæ, ut simul cum ea esse nequeat.*

(Ergo non est gratia justificans, quæ non consistit cum vitæ improbitate.)

5. Argumenta, quibus Pontificii probare nituntur, *dari per hoc Sacramentum gratiam*, desumta sunt ex *impositione manuum*, per quam volunt ordinarie & semper conferri gratiam, quo fine adducunt dicta Act.6.v.6.c.13.v.3.c.14.v.22. 2.Tim.4.v.13. 14.c.5.v.22. 2.Tim.1.v.6. At impositio manuum juxta ipsos *non est forma, sed materia sacramenti*, Bellarm. de Ord. c.9. Materia autem non agit, nec gratia, si quæ est, ex materia, sed ex forma Sacramenti, tanquam causa proxima profluit, ut ipsi Pontificii passim docent.

Arg.3. *Symbolum externum in hoc Sacramento est impositio manuū. Ejus mentio fit Act.6.v.6. in ordinatione Diaconorum, c.13.v.3. in ordinandis Episcopis Paulo & Barnaba, cap.14.v.23. in constituendis Presbyteris; at huic Symbolo externo impositionis manuum annexa est promissio illa gratiæ,* 1.Tim.4.v.13. 2.Tim.1.v.6.

Resp.1. Gregorius IX. c. Presbyter ext. de Sacramentis non iterandis, docet, *Ordinationem esse Sacramentum absq; impositione manuum.*

(Ergo impositioni manuum non est annexa promissio gratiæ.)

2. Dominicus à Soto & alii, referente Bellarmino lib. de Sacr.Ord.c.9. statuunt, *impositionem manuum non esse partem essentialem, sed tantum Ceremoniam accidentariam in Sacramento Ordinis.*

(Illi non possunt dicere, manuum impositioni annexam esse promissionem gratiæ.)

3. Bellarminus ipse d.l.c.7. statuit, *Ordinem Sub-Diaconatus esse Sacramentum*, qui tamen sine manus impositione confertur.

In Ordine Romano Sub-Diaconi manus impositionem non accipiunt. Quinimo non possunt impositionem manuum habere pro Symbolo Sacramentali, quia Symbolum Sacramentale est pars Sacramenti essentialis.

(Ergo non possunt asserere, promissionem gratiæ esse manuum impositioni annexam.)

4. Vasquez tom.3.in 3.p.D.236.c.4. negat, *Ordinationem Diaconorum Act.6.v.6. fuisse Sacramentum.* At in illa adhibita fuit manuum impositio.

(Ergo manuum impositioni non est annexa gratia.)

5. Idem Vasquez d.l.D.235.c.3. statuit, *non fuisse Sacramentum administratū, quando Act.13.v.4. Paulus & Barnabas fuere ad certū Ministerium ordinati, cum jam ante fuerint in Ministerio Ecclesiastico.* Atqui in illa Ordinatione fuit adhibita manuum impositio.

(Act.14.v.22. fit mentio Ordinationis sine manuū impositione, quia χειροτονία proprie est manuū elevatio, nō impositio.

Erasmus in annot. ad illum locum. *Ut intelligamus suffragiis delectos.*

Salmero ibid. *χειροτονεῖν creationem Magistratus significat, eò quod cum illa Ceremonia elevationis manuum fieret, & ita moris erat olim Græcis suffragia sua alicui tribuere.*

Et postea. *Paulus & Barnabas dederunt credentibus facultatem, ut nominarent ac eligerent in sua quaque civitate Episcopum, quem ipsi postea orationibus & jejuniis & manuum impositione, quanquam hujus hoc loco non fiat peculiaris mentio, consecrabant.*

Significatur ergo ritus, quo populus suum testatus fuit suffragium. Ergo promissio gratiæ non annexa manuum impositioni.)

6. Loquitur Apostolus de impositione manuum, quæ ipsi communis fuit cū reliquis Presbyteris in Ordinatione. 1.Tim. 4.v.13. Jam vero de ea fatetur Vasquez d.l. quod non sit pars essentialis ac Sacramentalis, sed tantum accidentaria.

(Adde, quod particula *per* non semper notet causam instrumentalem, ut apparet ex illo ipso loco Apostolico 1.Tim.4.v. 13. *per prophetiam* 1. Tim.1.v.18. explicatur per *juxta*.)

7. Symbolum Sacramentale oportet institutionem habere ab ipso Christo.

Altensteig in Lexico. *Secundum quod requiritur in signo Sacramentali, quod sit actualiter à Deo institutum. Nam solus ille potuit instituere Sacramenta, qui potuit suo signo dare sanctificationis certitudinem & efficaciam: hanc autem solus Deus potest dare, qui solus potest gratiam infundere & gratuitum effectum causare.*

(Atqui nuspiam legitur impositio manuum ad Ordinationem à Christo instituta. Imposuit ipse manus pueris Matthæi 19.v.15. imposuit ægrotis Marc.6.v.5. Luc. 4.v. 40. nec ipse tantum manus illis imposuit, sed etiam Apostolos imponere jussit Marc.16.v.18. sed nunquam ulli ordinando manus imposuit vel imponere jussit.)

Præterea aliud est *Symboli alicujus usurpatio*, aliud vero *institutio*, nec ex illa statim potest hæc inferri. Christus insufflatione usus, quando Apostolis ministerium commisit, nec tamen insufflationem pro Symbolo Sacramentali instituit.

8. Apud Clementem lib. 8. Constitut.c.19. *De Diaconissa ego Bartholomæus constituo, ut manus ei, Episcope, imponas.*

(Atqui Diaconissarum Ordinationem Pontificii non habent pro Sacramento.)

9. Concludimus ergo hoc: Aut impositio manuum est necessaria in Sacramento Ordinis, aut non est necessaria. Si non est necessaria, tum non habet institutionem divinam, quod tamen in hoc argumento præsupponitur. Si est necessaria, tum Sub-Diaconatus & minores Ordines non erunt Sacramenta

Argum.4

Arg. 4. *In Ordine dari gratiam gratum facientem, ac proinde Ordinem esse Sacramentum Bellarminus probat hoc modo: Deus, cum dat potestatem, dat etiam ea, quæ requiruntur ad ejus legitimum & congruentem usum. In Ordinatione Sacra datur homini potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta, quæ certe à peccatore recte exerceri non potest. Dabit igitur Deus simul cum ea potestate etiam gratiam justificantem & perficientem animam, ut rite fungatur tanto ministerio.*

Resp. 1. Etiam in Veteri Testamento consecrationes fuere institutæ ad varios Ordines. In Pontificali Romano asseruntur, *Diaconi ortum habuisse ex Levitis; Sacerdotes vero ex Sacerdotibus*. Ergo consequens fuerit, *etiam in Veteri Testamento Ordinem fuisse Sacramentum*, quod tamen Pontificii non admittunt.

2. Requiritur ad Sacramentum, *ut gratia gratum faciens detur per Symbolum externum divinitus institutum*. Atqui tale Symbolum externum Pontificii non possunt in Ordine monstrare.

3. Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 26. recte disputat, *non requiri fidem aut probitatem Ministri, ut Sacramenta efficacia esse possint*. Quomodo igitur h. l. disputat, *potestatem conficiendi & ministrandi Sacramenta à peccatore recte exerceri non posse?*

APPENDIX HUJUS ARTICULI.

CALUMNIAS ET OPINIONES ERRONEAS AC ABsurdas *Adversariorum complectens.*

I. Calumnia.

Bellarm. de Sacram. Ord. c. 1. scribit, *Lutherum, Illyricum & Chemnicium negare, quod Ordinatio sit Sacramentum proprie dictum. Sed Philippum in Locis editis Ann. 36. 52. & 58. Item in Apol. August. Confess. art. 13. satis aperte docere, Ordinationem esse Sacramentum proprie dictum, unde Chemnicium accusat, quod in hac controversia repugnet præcipuis Lutheranis, seq; adjungat paucioribus & obscurioribus.*

Resp. Vox Sacramenti à Philippo in Locis & in Apolog. sumitur in significatione laxiore. Verba Apologiæ sic habent: *Si Ordo de ministerio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus Ordinem Sacramentum. Nam Ministerium verbi habet mandatum Dei & habet magnificas promissiones Rom. 1. Esa. 55. Si Ordo hoc modo intelligatur, neq; impositionem manuum Sacramentum vocare gravabimur. Habet enim Ecclesia mandatum de constituendis Ministris, quod gratissimum esse nobis debet, quod scimus, Deum approbare Ministerium illud & adesse Ministerio &c.*

(Ex his quilibet intelligit, non tam de ritu Ordinationis, quam de ipso verbi & Sacramentorum ministerio; nec de propriissima & specialissima significatione, sed de generaliore quadam Sacramenti significatione Apologiam agere. Unde statim additur:)

Si omnes res annumerari Sacramentis debent, quæ habent mandatum Dei & quibus sunt additæ promissiones, cur non addimus orationem Dominicam, quæ verissime potest dici Sacramentū? habet enim & mandatum Dei & promissiones plurimas. Possunt hic numerari etiam eleemosynæ. Item afflictiones, quæ & ipsæ sunt signa, quibus addidit Deus promissiones.

(Inde sic colligimus: Sacramenti nomen Apologia eo modo accipit, ut complectatur orationem, eleemosynas & piorum afflictiones. Atqui Sacramenti nomen eo modo acceptum, nondum obtinet propriissimam & specialissimam significationem. Ergo Apologia non accipit Sacramenti nomen in propriissima & specialissima significatione.)

II. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Toletus lib. 1. Instruct. Sacerdot. c. 55. *Si conferretur Ordo etiam ante usum rationis, Ordo teneret & character inprimeretur. Etiam Presbyteratum posse conferri infantibus nondum rationis usum habentibus, est communis doctrina Theologorum & Canonistarum.*

Franciscus de Victoria relect. 2. *Non video, cur non possit puer in Episcopum consecrari.*

(Contra Claudius Espensæus Comm. in 1. Tim. 4. Digress. lib. 2. c. 12. *In Conciliis cautum est, ne quis ad Ministerium neophytus ordinetur.*

Salmero tract. 20. in Parab. *Ab ordinandis pueris maxime abstinere debent Ecclesiarum Rectores. Nam pueri nesciunt regere seipsos, nedum alios. Nec satis est dicere, quod est nobilis & illustris familiæ, quia propter Ecclesiam est Minister, non propter Ministrum Ecclesia.*)

2. c. Licet. ext. de Translat. Episc. *Episcopus non dicitur, nisi sit consecratus.*

(Contra. Hunc rigorem ne ipsi quidem Pontificii Episcopi vel Archiepiscopi in Germania admittunt, cum præsto sint exempla natorum ex illustribus familiis, qui consecrati non sunt, nec consecrationem recipere voluerunt, ac nihilominus titulum & nomen Archiepiscopalis & Episcopalis dignitatis usurpant.)

3. Bellarminus lib. de Sacram. Ordin. c. 9. §. Denique &c. ex Metaphraste memorat, *cum Episcopus Antiochenus Chrysostomo manus imponeret, continuo descendisse in eum visibiliter Spiritum Sanctum in forma columbæ.*

4. Idem d. l. c. 12. *Unctionem, quæ in Ordinatione adhibetur*, dicit *esse vere Sacramentalem Ceremoniam, hoc est, non signum duntaxat, sed etiam medium spiritualis & invisibilis unctionis.*

(Atqui, ut Ceremonia aliqua sit vere Sacramentalis, requiritur divina institutio, quæ non potest de hac unctione ostendi. Durandus lib. 6. Ration. div. offic. c. 74. n. 4. *Alii dicunt, quod oleum infirmorum Apostoli instituerunt, qui cum illo ægrotos ungebant; oleum vero chrismatum & Catechumenorum Apostolici viri constituerunt; ideo consecratio olei infirmorum prior est tempore, quam chrismatis, & etiam quam olei sancti, quia prior & major & venerabilior est doctrina Apostolorum, quam Papæ.*

ARTICULUS XIX.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

De genere Matrimonii, an sit Sacramentum.

Thesis. Matrimonium non est proprie dictum N. Test. Sacramentum.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de generali quadam significatione vocabuli Sacramenti, an scilicet Conjugium dici possit Sacramentum generali quodam respectu, *quia est sacræ rei signum*, quo sensu concedimus, Conjugium vocari posse Sacramentum. Sed an sit proprie & accurate sic dictum Sacramentum eo sensu ac modo, quo *Baptismus* & *Eucharistia* dicuntur Sacramentum, quod negamus.

2. Nec est quæstio de divina Conjugii institutione, an scilicet Conjugium sit ordo vitæ sanctus divinitus institutus, in quo pii conjuges bona conscientia vivere, Deo placere & vitæ æternæ participes fieri possunt, quod itidem concedimus, imo totis viribus propugnamus.

3. Nec est quæstio, an Deus precibus ex fide profectis invocatus piis conjugibus adesse, iisq; suam gratiam & benedictionem impertiri velit. Id enim itidem docemus.

4. Sed hoc est in quæstione, *An Conjugium sit Sacramentum proprie & accurate sic dictum, adeoq; medium, per quod divinæ gratiæ Evangelio propriæ possint ac debeant conjuges fieri participes.*

5. Neque quæstio est de tempore Veteris Testamenti, an in eo conjugium fuerit Sacramentum, quod Pontificii nobiscum negant, sed unice quæritur, *de tempore Novi Testamenti*, an in eo Conjugium cœperit esse Sacramentum proprie sic dictum, quod Pontificii affirmant, nos negamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neq; gratiam conferre, anathema sit.*

Bellarm. lib. de Matrim. c. 1. §. ultimo. *Concilium Tridentinum anathema dixit iis, qui negant, Matrimonium Sacramentum esse proprie dictum aut à Christo institutum, aut gratiam conferre. Quam sententiam ut verissimam esse non dubitamus, sic etiam ex divinis literis confirmare aggredimur.*

Ib. *Cum quærimus, Sitne Conjugium Sacramentum proprie dictum N. Test. id quærimus: Utrum Conjugium præter civilem contractum viri & fœminæ ad propagandam & educandam prolem institutum, sit etiam signum seu symbolum externum religionis, cui sit annexa promissio gratiæ justificantis, idq; ex divina institutione.* Respondet affirmate, quod etiam facit Eccius in homil. p. 215. in Enchir. p. 70. Consterus in Enchr. p. 137.

Idem Bellarm. d. l. c. 5. resp. ad 9. *Videmus, etiam ante Constantiense & Florentinum Concilium pro hæreticis vel de hæresi suspectos habitos, qui matrimonium è numero Sacramentorum excluderent.*

Nostram sententiam probamus.

1. *Ex requisitorum essentialium Sacramenti carentia.* Quod destituitur essentialibus Sacramenti requisitis, illud non est proprie dictum Sacramentum. Conjugium destituitur essentialibus Sacramenti requisitis. Ergo. Minor probatur. Primo, Omne Sacramentum N. Test. proprie sic dictum, habet externum aliquod materiale seu corporale & visibile Elementum seu signum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur & usurpetur. At Conjugium non habet tale Elementum sive

five signum. Ergo. Secundo, omne Sacramentum N.T. proprie sic dictum, habet expressum mandatum seu institutionem divinam externo illi ac visibili signo sive Elemento Sacramentali additum. Conjugium non habet talem Sacramentalem institutionem. Non negamus, Conjugium habere institutionem divinam, sed negamus, habere talem institutionem, qua N.T. Sacramentum fuerit ordinatum, sicq; acceperit novum esse Sacramentale præter illud esse, quod in V.Test. obtinuit. Ergo. Tertio, omne Sacramentum N. Test. est institutum & mandatum in N. Testamento, adeoq; N.Test. proprium. Conjugium non est in Novo demum Testam. institutum, sed etiam in V.Test. locum habuit. Ergo. In statu ante lapsum Sacramenta proprie dicta locum non habent. Conjugium in statu ante lapsum jamdum locum habuit. Ergo non est proprie dictum Sacramentum. Quinimo etiam apud infideles extra Ecclesiam Conjugium locum habet, ex quo nascitur tale argumentum: Sacramenta proprie dicta, sunt bona Ecclesiæ propria. Conjugium non est bonum Ecclesiæ proprium. E. Quarto, omne Sacramentum proprie sic dictum, habet annexam promissionem divinam de gratia seu fructu Sacramenti divina ordinatione signo Sacramentali additam, & eo quasi vestitam. Sed Conjugium non habet talem promissionem divinam de gratia Sacramenti divina ordinatione signo Sacramentali annexam. E. Quinto, in quolibet Sacramento proprie dicto, est promissio aliqua, non de quibusvis donis sive corporalibus, sive spiritualibus, sed *promissio gratiæ* seu justificationis, h.e. gratuitæ reconciliationis, remissionis peccatorum, & in summa de toto beneficio redemtionis. Ac promissio illa nō in genere tantum vel significatur, vel annunciatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, applicatur & obsignatur singulis, qui fide Sacramentis utuntur. Talis promissio gratiæ & promissionis applicatio non invenitur in conjugio. Ergo.

2. *Ex mandati deficientia.* Sacramento proprie dicto additum est mandatum, quod omnes eo uti debeant ad fidei confirmationem & beneficiorum spiritualium participationem, Matth. 26. v. 26. cap. 28. v. 19. 1. Corinth. 11. v. 26. At tale mandatum generale & universale de matrimonio ineundo non habetur. Ergo.

3. *Ex Sacramentorum Natura & efficientia.* Primo, Sacramenta sunt salutaria organa, quæ per homines in Ecclesiasticam & spiritualem societatem invicem colligantur, 1. Cor. 12. v. 13. cap. 10. v. 17. Galat. 3. v. 27. Ephes. 4. v. 4. 5. Sed conjugium non est tale organum ac medium, per quod in Ecclesiasticam & spiritualem societatem homines copulentur. Ergo. Secundo, Sacramenta sunt media, per quæ spirituales liberi & filii gratiæ generantur, ideoque ad efficiendam & promovendam vitam spiritualem, cœlestem & æternam immediate spectant, Tit. 3. v. 5. Johan. 3. v. 5. Johan. 6. v. 51. 54. Sed in conjugio ac per conjugium generantur liberi carnales ac terreni, Eph. 2. v. 3.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, duo tantum esse Novi Testamenti Sacramenta proprie sic dicta, Baptismum scilicet & Eucharistiam.

(Ergo Conjugium non agnoscunt pro Sacramento proprie sic dicto.)

Verba eorum adduximus superius artic. 11. cap. 3.

3. Quod quidam negant, Conjugium esse Sacramentum proprie sic dictum.

Primo, Canonistæ & JCti,

Canonistæ (quos Durandus dicit, *sententiam Ecclesiæ optime intelligere* in 4. sentent. dist. 26. quæst. 3. quos Canus dicit *esse Theologos practicos & sine eorum adminiculo non esse Theologiæ officinam satis instructam* lib. 8. Locor. cap. 6. quos Espensæus lib. 2. Digress. in 1. Timoth. cap. 2. itidem *de rebus Theologicis consulendos* censet,) matrimonium non habent pro vero Sacramento, ut diserte Cardinal. Hostiensis post Papam Innocentium V. & Goffredus scribunt in Summa tit. X. de Sacramentis non iterandis, provocantes ad Magistrum sententiarum 4. sent. dist. 2. quomodo & Durandus fecerat. Confer Alexandr. Carterium scriptorem Pontificium lib. 5. de Matrim. cap. 1.

Glossa ad c. Sunt, & ad c. Quicquid 1. q. 1. *Nota*, inquit, *conjugium non esse de his Sacramentis, quæ consolationem cœlestis gratiæ tribuunt.*

Eadem Glossa in c. Honorantur 32. q. 2. *In hoc Sacramento non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut fit in aliis*, c. Multi & c. Sunt, ut & c. Quicquid 1. q. 1.

Eadem Glossa in c. Alma. de sentent. excommunic. in sexto. *Non sic confertur gratia per illud, sicut per alia.*

Alexander lib. 4. Consil. cap. 56. *Quale hoc Sacramentum, cujus etiam excommunicati sunt participes?*

(Quem locum adducit Albericus Gentilis lib. 4. de Nuptiis cap. 5.)

Secundo, Scholastici.

Altisiodorensis apud Gersonem in Compend. Theologic. de Septem Sacrament. negat, *veram Sacramenti rationem & efficaciam in Matrimonio.*

Cumprimis vero Durandus lib. 4. sent. dist. 26. multis argumentis probat, *Conjugium non esse Sacramentum.*

Primo, *in Sacramentis cæteris id, quod exterius agitur, excedit dictamen rationis naturalis, nec potest reddi sufficiens illius causa, nisi per lumen fidei. At quod exterius agitur in Matrimonio, naturalem causam habet. Nam Matrimonium fit ad significandam & efficiendam unionem insolubilem viri & mulieris. Id autem naturaliter significant verba exprimentia mutuum consensum; & ideo si Ethnicus videat matrimonium celebrari, facile causam reddet, cur ita fiat.*

Secundo, *Sacramenta cætera consistunt in aliqua re sacra, quæ applicatur extrinsecus suscipienti à Ministro. At nihil tale invenitur in matrimonio, quod applicari possit vel debeat, nam voluntas conjugum signo expressa sufficit. Reliqua Sacramenta applicantur necessario ab alio. At in matrimonio ipsi Conjuges seipsos ligant. Reliqua Sacramenta non possunt conferri in absentes nec uni per alium. At matrimonium inter absentes & per procuratorem celebrari potest.*

Tertio, *Sacramenta reliqua conferunt gratiam. At matrimonii Sacramentum neque primam gratiam, quæ est justificatio à peccatis, neque secundam gratiam sive gratiæ incrementum confert.*

Quarto, *in Sacramentis cæteris ordinatio Ecclesiæ vim praecepti habere potest, sed nunquā est de necessitate Sacramenti, quia non potest Ecclesia mutare essentialia Sacramentorum. At in matrimonio Ecclesiæ ordinatio est de necessitate Sacramenti, quia cum Ecclesia prohibet conjugia in certo gradu consanguinitatis, non perficitur Sacramentū inter eas personas, etiamsi personæ illæ reipsa matrimonium contrahere conentur.*

Quinto, *Absq; Baptismo nemo est capax Sacramenti proprie dicti. Sed matrimonii capax est homo ante Baptismum, quia matrimonium ita est verum & legitimum inter infideles ante Baptismum, ut inter fideles post Baptismum.*

(Durandi consensum nobis largitur Bellarminus lib. de matrim. cap. 1. §. penultimo, sed addit, solum Durandum sic sensisse. *Ex Catholicis, inquit, solus est Durandus, qui matrimonium Sacramentum non nisi æquivoce dici posse putat, quem in suum patrocinium adducit Chemnicius, oblitus videlicet omnes alios Theologos contrarium docuisse.* Sed quid de hac claulula statuendum sit, sequentia manifestum facient.)

Hic Bellarmini assertioni opponimus Estium in 4. sent. dist. 26. §. 7. sic disserentem: *Adducit Durandus hujus opinionis consortes aliquot Doctores Canonum ac præterea Glossam. can. Honorantur 32. q. 2. quæ dicit: Ideo in Sacramento matrimonii potius, quam in aliis intervenire posse pecuniam, quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut in aliis. Item Magistrum, qui distinct 2 libri hujus docet, matrimonii Sacramentum tantum esse institutum in remedium, non autem gratiam adjutricem conferre. Idipsum autem tradit Durandi contemporaneus Guilielmus Peraldus in summa vitiorum dicens: Omnia Sacramenta Ecclesiæ, præterquam matrimonium, conferre gratiam. Et eo antiquior Jacob. de Vitriaco Romanæ Ecclesiæ Cardinalis lib. Occid. Hist. cap. 36. Imo quia quæstio hæc Ecclesiæ autoritate non erat definita, hinc est, quod S. Thomas, Bonaventura, Scotus & alii, qui veram & Catholicam docuerunt sententiam, tantum tradiderunt eam ut probabiliorem, ut mirandum non sit, quosdam Catholicos Doctores ab his diversum sensisse.* Hæc Estius.

Tertio recentiores Pontificii.

Melchior Canus lib. 8. Locorum Theolog. cap. 5. p. 244. *Nego Scholæ certo constantique decreto finitum, Matrimonium sine Ecclesiæ Ministro contractum esse vere & proprie Sacramentum. Nego eam rem ad fidem & religionem attinere. Nego omnes Scholæ Theologos id asseruisse &c. Ostendam ergo primum opinionem communem illam esse, non Scholæ dogma, firmumq; judicium. Qui hoc intelligi potest? Quia de hac re Theologi videlicet ita disserunt, ut nihil fuisse velle videantur. Lege Magistrum, D. Thomam, Scotum, Bonaventuram, Richardum, Paludensem, Durandum, cæterosque Scholæ Theologos, & nisi statim eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis, tum vero me aut stultum, aut temerarium judicato. Nam & cum quærunt, An matrimonium conferat*

gratiam,

gratiam; id quod eo loco maxime finiendum erat, non definiunt tamen, sed in his referunt, quæ in hominum opinione sunt posita. In materia item & forma hujus Sacramenti statuenda adeo sunt inconstantes & varii, adeo incerti & ambigui, ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere. Quod si in forma & materia Sacramenti, quæ res in Sacramentorum tractatione vel gravissima est, ambigue Theologi inconstanterque loquuntur, nec definiunt omnino quippiam, cur in ea quæstione, quæ & levior est, & minus ad Sacramenti hujus constitutionem necessaria, aliquid eos certi præscripsisse fateamur? Concilium certe Florentinum de materia, forma, ministro Sacramenti matrimonii præstitit nihil id quod sine dubio faceret, cum hoc in cæteris omnibus Ecclesiæ Sacramentis fecisset, si de iis rebus videret quidpiam esse à Theologis in Schola definitum. Præterea num matrimonium sine Ecclesiastico administro novæ legis Sacramentum esset, nec proprie & expresse in quæstione Theologi vocarunt, nec via & ratione, ut solent, vestigarunt, nec argumentis ullis concluserunt. Qui igitur vult, eos sine disquisitione attenta, sine diligenti tractatu, sine idoneis argumentationibus certò de rebus Theologicis pronunciasse, hic videat, ne eadem opera illis & injurius sit, & in rebus quoque gravissimis deroget fidem.

Et postea: *Tres sunt res, quibus efficitur aliquid ad fidem pertinere. Aut enim in sacris literis habetur scriptum, aut Apostolicis institutis est traditum, aut ex utrislibet plane certa complexione & consecutione colligitur. Nulla autem harum rerum efficere potest matrimonium sine Ministro prophane contractum esse novæ legis Sacramentum. Ubi ego, si Thomistæ omnes cum Scotistis existant, si cum antiquis juniores velint contra me pugnare, tamen superior sim, necesse est.*

(Neve quis excipiat, Melchiorem Canum non simpliciter negare, quod matrimonium *contractum* sit Sacramentum, sed in specie, quod matrimonium *sine Ecclesiæ ministro contractum* sit vere & proprie Sacramentum, notandum, quod de hoc Canariensi Episcopo Bellarminus sic scribit Lib. de Matrimon. c. 6. §. At quia &c. *Dum Canus totis viribus probare nititur, matrimonium, sine forma verborum à Ministro Ecclesiastico prolata celebratum, non esse Sacramentum, simul etiam probat, quantum in se est, nullum revera esse in Ecclesia Conjugii Sacramentum.*)

Erasmus in annot. 1. Cor. 7. p. 331. *Augustinus, qui tria bona in Conjugio ponit, cum tertium vocat Sacramentum, non sentit unum è septem Sacramentis, quod ipsum subnotare videtur Lombardus; imo haud scio, an hoc Sacramentum septimum veteribus fuerit cognitum. Primum quod Dionysius enumerans nominatim singula, & singulorum vires, ritus ac Ceremonias explicans, de Conjugio nullam facit mentionem. Nam quod causantur quidam, contineri sub Sacramento Ordinis, id tale est, ut efficiat, ne nihil respondere videaris, cum omnino nolueris obmutescere. Quasi vero iisdem Ceremoniis consecretur Sacerdos & Sponsus jungatur Sponsæ &c. Deinde cum tot voluminibus tractatum sit de matrimonio vel à Græcis vel à Latinis, nullus est locus, unde liqueat, illos conjugium inter septem Sacramenta connumerasse, præsertim cum Augustinus, conjugii fautor, bona matrimonii diligenter recenseat & inculcet. Quin Jovinianus sic impense favens matrimonio, ut hac de causa judicatus sit hæreticus, cum utriusque Testamenti libros excusserit, nihil non detorquens ad laudem matrimonii, non hoc tantum & plausibile & palmarium argumentum vel inprimis produxisset?*

Ibid. *Quod Paulum secuti veteres matrimonium aliquoties vocant Sacramentum, id sentiunt, opinor, in copula viri & uxoris, quoniam est arctissima amicitia, repræsentari typum quendam & imaginem Christi Sponsam Ecclesiam sibi copulantis. Et est quidem omnino res sancta sacraque matrimonium, rite servatum, & tamen potest esse typus rei sacræ, quod per se sacrum non sit, veluti Bethsabea erepta Uriæ & David juncta, & Oseæ Prophetæ fornicatio, quod palam testatur Hieronymus.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 13. p. 951. *De his quoque septem Sacramentis certum est, ne ipsos quidem Scholasticos existimasse, omnia ea æque proprie Sacramenta vocari &c. De Matrimonio non modo Petrus Lombardus negavit, in eo gratiam conferri, sed longe post eum Durandus diserte inquit in 4 sent dist. 26. q. 3. Non esse matrimonium univoce Sacramentum, sicut alia Sacramenta novæ legis, nec conferre gratiam non habentí; non esse itaque Sacramentum proprie & stricte dictum.* Confer Marcum Antonium de Dominis Lib. 5. de Republ. Eccles. c. 11. n. 24. & seqq.

Maldonatus tom. 2. de Sacram. p. 260. *Tertia opinio* (de Matrimonii Sacramento) *est aliquorum Catholicorum imprudenter errantium, qui putant, matrimonium aut non esse Sacramentum, aut saltem æquivoce esse Sacramentum, Durandus, Goffredus, Hostiensis &c.*

Pesantius in Thom. fol. 1009. Disp. 1. agnoscit, *Durandum statuisse, quod matrimonium non nisi æquivoce possit dici Sacramentum.*

Gregorius de Valentia Lib. de num. Sacrament. cap. 7. f. 452. *non tantum Durandi, sed etiam Goffredi, Hostiensis & aliorum suffragium nobis largitur.*

(Falsum ergo est, quod Bellarminus scribit Lib. de matrim. cap. 1. solum Durandum sic sensisse.)

Huc referri potest, quod quidam agnoscunt, Matrimonium esse imperfectissime Sacramentum.

(Ac proinde nomen Sacramenti non convenire æqualiter Matrimonio & Baptismo.)

Bonaventura 4. sent. dist. 26. *Matrimonium inter cætera minus habet de proprietate Sacramentorum novæ legis, & minus de se perfectum.*

Paludanus ibid. *Si isti intelligunt, quod Matrimonium non est ita perfectum Sacramentum, sicut alia, verum dicunt. Sed æque proprie est Sacramentum novæ legis, sicut aliquod aliorum; sicut asinus est ita proprie animal, sicut homo, licet non sit æque perfectum animal, sicut homo.*

Supplementum Bielis. *Est enim imperfectius Sacramentum inter cætera Sacramenta, licet sit vere & univoce Sacramentum.*

Altenstaig in Lexico. *Ultimo loco ordinatur inter Sacramenta, quia minus habet de spiritualitate, ut vult S. Thomas.*

(Reliqui vero statuunt, esse proprie dictum Sacramentum, & æqualiter Matrimonio cum reliquis Sacramentis nomen Sacramenti competere.)

3. Quod agnoscunt, non posse ex Scripturis probari, matrimonium esse Sacramentum.

Guilielmus Estius in 4. sent. dist. 26. §. concedit quidem, *Matrimonium in statu innocentiæ & toto tempore legis Naturæ ac V. T. fuisse Sacramentum, quantum attinet ad significationem rei cujusdam sacræ, quale etiam apud infideles & excommunicatos, quibus non est pars in Sacramentis Ecclesiæ, sit & fuerit.* Sed

Ibid. §. 6. *Quod vere & proprie novæ legis Sacramentum sit, id ex verbis Apostoli ad Eph. 5. probari posse,* diserte negat cum Cardinali Cajetano non solum in comment. hujus loci, sed & comment. in d. dist. 26. §. 7. efficaciter probat, *neque his Apostoli verbis, nec illis Christi Matth. 19. Quod Deus conjunxit &c. nec istis Pauli. 1. Tim. 2. Salvabitur autem mulier per filiorum generationem; nec aliis 1. Cor. 7. Unusquisque donum suum habet ex Deo &c. aut consimilibus effici posse, quod matrimonium sit verum & proprium novæ legis Sacramentum,* ac deinde concludit: *Cum igitur hujus doctrinæ non possit ex Scripturis haberi probatio, saltem aperta & evidens, consequens est, articulum hunc, matrimonii Sacramento gratiam conferri, unum esse ex traditionibus Ecclesiæ non scriptis & ad verbum Dei non scriptum, sed traditum pertinere.*

4. Quod novitatem hujus doctrinæ tacite concedunt.

Cum Bellarmino objiceretur, *neminem ante Gregorium M. vidisse, quod matrimonium pro Sacramento fuerit datum*, objicit *Augustinum*, qui jam in quarto seculo vixerat Lib. 1. de Sacram. cap. 4. §. septimum.

(At Sacramenti nomine in *generali significatione* pro mysterio utitur.)

5. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Leo. 1. Epist. 92. (in aliis est Epist. 70.) ad Rustic. Narbon, cap. 4. sic disserit: *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.*

(Si conjugium vi primævæ institutionis est Sacramentum, utique etiam in V. T. fuit Sacramentum, quia etiam in V. T. fuit institutum. Sed non fuit in V. T. proprie dictum Sacramentum. Ergo nec in novo. Item, Etiam infidelium conjugium est verum conjugium. Ergo & Sacramentum, non autem proprie dictum.

Secundo, Innocentius III. c. Gaudemus. de divortiis. confirmaturus, conjugia infidelium non dissolvi per Baptismum, in principio ponit hæc verba: *Cum Sacramentum conjugii apud fideles & infideles exsistat &c.*

(Jam vero conjugium ut Sacramentum proprie dictum, id est, ut signum effectivum gratiæ sanctificantis non habet locum apud infideles. Ergo Innocentius non loquitur de Sacramento proprie dicto, sed in significatione latiore. Sacramenta proprie dicta non habent locum extra Ecclesiam, & vicissim, quod habet locum extra Ecclesiam non est Sacramentum

mentum proprie dictum. Conjugium habet locum extra Ecclesiam. Ergo.)

Tertio, in jure Canonico negatur in Conjugio offerri & conferri gratia Spiritus Sancti, quinimo negatur in copula conjugali adesse Spiritus Sanctus.

c. Connubia. caus.32.q.2. *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, Spiritus Sanctus dabitur, etiamsi Propheta videatur esse, qui generationis officio obsequitur.*

c. Quicquid.caus.& quæst. iisdem. *Nondatur præsentia Spiritus Sancti tempore eo, quo conjugales actus geruntur.*

c. Sciatis. caus.33.q.4. *Quicunque uxori debitum reddit, non potest vacare orationi, nec de carnibus Agni comedere debet.*

(In omni Sacramento proprie sic dicto offertur Spiritus Sancti gratia & credentibus etiam confertur. Quare cum copula carnalis sit pars Sacramenti hujus integrans, deberet in ea & per eam Spiritus Sancti gratia dari, vel certe cum ea consistere, si conjugium esset proprie dictum Sacramentum. Sed ex hypothesi adductorum canonum, gratia Spiritus Sancti nec datur nec consistit cum copula conjugali. Ergo Conjugium non est Sacramentum proprie dictum.)

Quarto, Pontificii dicunt, quod Conjugium sit *immundities, pollutio & carnales sordes*. c. Decernimus. dist. 28. c. Proposuisti. c. Plurimos. dist. 82.

Bellarminus de matrim. cap. 5. §. Adde. *Si in actu matrimonii turpitudinem & immunditiem aliquam esse diceremus, ratione concupiscentiæ & rebellionis membrorum, nihil diceremus divinis literis repugnans.*

Et postea: *Non male dici potest de conjugatis. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Cujus generis plura inferius in Appendice afferentur.

(De Sacramento proprie dicto affirmari nequit, quod sit immundities, pollutio & carnales sordes. Aut ergo Pontificii ab hisce Conjugii criminationibus sibi temperent, aut Conjugium proprie dictum Sacramentum esse negent.)

Quinto, Pontificii cælibatum ac continentiam virginalem præferunt matrimonio *tanquam statum excellentiorem ac magis meritorium coram Deo*, ut inferius demonstrabitur, Bellarm. Lib. 2. de Monach. cap. 9.

(At si matrimonium est Sacramentum, & confert gratiam justificationis, utique erit præstantius cælibatu, quippe qui non est Sacramentum, nec confert justificationis gratiam.)

Sexto, Pontificii Clericos in majoribus Ordinibus constitutos arcent à matrimonio, ut ostendimus superius in articulo 6. de Clericis cap. 4. Anglo-Rhemenses in annot. 1. Cor. 7. sect. 8. *Conjugium Ministrorum est pessimum genus incontinentiæ & fornicationis.*

(At si matrimonium esset proprie dictum Sacramentum, non pugnaret cum Sacramento Ordinis, sed possent hæc duo Sacramenta uni eidemque objecto applicari. Item. Si matrimonium esset Sacramentum proprie dictum, Clerici non deberent ab eo arceri, quia Sacramenta sunt bona totius Ecclesiæ, quæ omnibus ea petentibus & requisitis necessariis ad ea instructis sunt dispensanda. Excipiunt quidem, *conjugium non prohiberi Clericis, quatenus est Sacramentum, sed quatenus curas mundanas habet, sicque impedit, quo minus quis indivulse Domino adhæreat* 1. Cor. 7. v. 32. 33. 34. Resp. curæ illæ atque impedimenta non sunt causa sufficiens, ob quam Clericis in universum conjugio interdicatur, quia Apostolus statim addit v. 35. *hæc dico ad utilitatem vestram, non ut laqueum vobis injiciam.* Talis vero laqueus est matrimonii prohibitio, respectu sc. illorum, qui continentiæ dono destituti sentiunt ustiones.)

Nec potest negari, Clericos Papales ab ipso Conjugii Sacramento arceri. Ruardus Tapperus ad art. 18. p. 215. *Sacerdotes non solum à coitus libidine, sed à Sacramento ipso arcentur, ut non liceat eis contrahere.*

Bellarm. Lib. de matrim. cap. 5. *Arcentur plane Sacerdotes non à coitu tantum, sed etiam à matrimonii Sacramento, non quidem ratione Sacramenti, sed ratione eorum, quæ Sacramentis sunt annexa.*

Septimo, Thomas part. 3. q. 64. art. 2. sic disputat: *Successoribus Apostolorum non licet instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce profluxerunt, dicitur esse fabricata Christi Ecclesia.*

(Jam vero materia Conjugii non profluxit ex latere Christi. Ergo conjugium non est proprie dictum Sacramentum.)

Octavo, Alphonsus à Castro Lib. 11. contra hæres. in verbo Nuptiæ, hæres. 3. & Petrus à Soto lect. 2. de Matrimon. statuunt, quod *Matrimonium non in N. demum T. cœperit esse Sacramentum, sed jam inde à primæva institutione tale fuerit.*

(Atqui omne Sacramentum N.T. proprie sic dictum est institutum & mandatum in N.T. adeoque Novi T. proprium. Quare cum Matrimonium non sit in Nov. demum T. institutum, sed etiam in V.T. locum habuerit, non poterit esse proprie dictum N.T. Sacramentum.)

Nono, Bellarminus Lib. de Matrim. c. 3. §. 10. statuit, *matrimonia gentilium esse vera, legitima & largo modo Sacramenta.*

(At Sacramenta proprie dicta non nisi in Ecclesia locum habent, cum sint bona Ecclesiæ propria. Ergo matrimonium non est proprie dictum Sacramentum.)

Decimo, idem Bellarm. d. Lib. c. 5. §. Et denique &c. probat ex eo, *matrimonium non fuisse Sacramentum in V.T.* quod *non legatur ulla matrimonii institutio facta in V.T. nisi ante lapsum Gen. 2. sed tantum restrictio quædam quoad personas contrahentes.*

(Eodem argumento probare possumus, Conjugium non esse Sacramentum N.T. quia non legitur nova institutio in Nov. Test. facta, sed tantum repetitio & confirmatio Institutionis. Matth. 5. & 19.)

Undecimo, idem Bellarminus d. Lib. cap. 20. resp. ad 1. scribit, *matrimonium clandestinum ante Concilii Tridentini definitionem fuisse verum matrimonium & Sacramentum, sed à Concilio Tridentino irritum fuisse pronunciatum.*

(At quod à Concilio irritum pronunciatur, non est nec esse potest verum & proprie dictum Sacramentum.)

Undecimo, Bellarminus Lib. de Matrim. cap. 5. §. Et denique &c. agnoscit, in statu innocentiæ Sacramenta proprie dicta non habuisse locum. *In statu innocentiæ, inquit, nulla fuit necessitas gratiæ Sacramentalis, cum nulla esset concupiscentia vel difficultas, neque ullo remedio contra peccatum opus esset.*

(Jam vero ex Gen. 2. manifeste constat, Conjugium in statu innocentiæ ante lapsum fuisse institutum. Ergo non est Sacramentum proprie dictum.)

Duodecimo, *Si nuda significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia in matrimonio proposita sufficit, ut matrimonium sit Sacramentum*, utique etiam in Baptismo ablutio externa erit duntaxat signum ablutionis internæ, & in sacra Cœna manducatio panis & vini externa erit duntaxat signũ manducationis corporis Christi & bibitionis sanguinis Christi interius peractæ, cum tales significationes ad Sacramentum aliquod N.T. proprie sic dictum sufficiant, ex hypothesi exceptionis Bellarminianæ, quam habet Lib. de matr. cap. 5. Ac consequens Bellarminus ipse refellit Lib. 2. de Sacrament. in gen. cap. 1. & seqq.

Decimotertio, Catech. Tridentinus jussu Pii V. Pontificis editus p. 158. *ad Sacramentum novæ legis requiri docet, ut sit res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habeat.*

P. 154. *Ut salus & justitia per illud comparetur.*

P. 159. *Ut præter justitiam nostram etiam Christi passionem & vitam æternam declaret, adeoque triplicem significandi vim habeat; quia primo rei præteritæ memoriam afferat, secundo aliam præsentem indicet, tertio aliam futurum pronunciet.*

P. 165. *Ut certam formam verborum præscriptam habeat, sine qua ratio Sacramenti non constat.*

P. 164. *Ut habeat Elementum, materiam sensibilem.*

P. 165. *Ut divinam & admirandam in se contineat.*

P. 171. *Ut effectum habeat gratiam justificantem.*

P. 175. *Ut sit divinum, cœleste ac perfectissimum munus admirabili & certa curandarum animarum virtute præditum.*

(At hæc omnia simul sumta non poterunt applicari conjugio.

Nam. 1. excellentiæ ejus non parum detrahitur, quando dicitur p. 374. *Optandum esset Pastoribus, Volo omnes homines esse, sicut meipsum, nimirum ut omnes continentiæ virtutem sectarentur, nihil enim beatius in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus nulla mundi cura distractus, & restincta omni carnis libidine, in uno pietatis studio conquiescat &c.* Nam cujus optanda esset omnimoda remotio, quodque impedit pietatis studium, quomodo id erit divinum, cœleste ac perfectissimum Dei munus?

2. Certa materia & certa forma Sacramentalis in matrimonio non potest ostendi.

3. Nullus alius spiritualis effectus p. 384. matrimonio tri-

buitur, quam quod *illius gratia efficitur, ut vir & uxor mutuæ caritatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque amores non quærat.* At hoc non congruit cum Natura & effectibus Sacramentorum modo enumeratis.)

Decimo quarto, Bellarminus Lib. de Matrimonio cap. 2. §. Posteriore &c. sic disserit: *Posteriore modo Matrimonium à Deo institutum esse* (ut refertur ad rem aliquam sacram significandam, & homines, qui ita junguntur, sanctificandos,) *nonnulli laboriose probare nituntur ex obscuris quibusdam Scripturæ locis, ut ex illo Matth. 19. Quos Deus conjunxit, homo non separet, sed non est opus in hac re laborare. Nam si probemus, matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit annexa certa promissio gratiæ, sequetur inde necessario à Deo esse institutum, etiamsi locum Scripturæ non habeamus, ubi expressa mentio fiat hujus institutionis, neque enim potest ullus homo vel Angelus ejusmodi signum instituere.*

(Ex illis sic concludimus: Omne Sacramentum proprie dictum habet institutionem Sacramentalem expressis & disertis verbis in Scriptura propositam. Conjugium non habet ejusmodi institutionem Sacramentalem expressis verbis in Scriptura propositam, fatente Bellarmino. Ergo. Excipit quidem Bellarminus, *non opus esse in hoc probando laborare. Nam si probetur, matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit annexa certa promissio gratiæ, sequitur inde necessario à Deo esse institutum.*

Atqui matrimonium etiam in V. T. fuit signum rei sacræ, & eidem addita fuit promissio gratiæ, nec tamen fuit Sacramentum. Omnino ergo institutio Sacramentalis in N. T. demonstranda.

Viderunt hoc alii, ideo *laboriose*, ut Bellarminus loquitur, probare conati sunt, institutionem hujus Sacramenti. Lorichius in Fortalitio hæresi 1. de matrimonio, adducit dicta Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. Hebr. 13. 1. Tim. 4. & 5.

Sed respondemus ex Bellarmino d. l. *Esse à Deo matrimonium institutum duobus modis potest intelligi, Uno modo, ut intelligamus à Deo esse conjunctionem masculi & fœminæ, ut ea refertur ad genus propagandum. Altero modo eandem conjunctionem esse à Deo, ut refertur ad rem aliquam sacram significandam, & homines, qui ita junguntur, sanctificandos.*

Dicta illa à Lorichio adducta probant matrimonium institutum modo priore, non autem modo posteriore.

Dominicus à Soto in 4. dist. 26. sic argumentatur: *Christus Ioh. 2. hac forte de causa, si conjectari licet, nuptias sua præsentia honestare voluit, & primo, quod in mundo edidit, miraculo insignire, ut illo facto ipso insinuaret, illud quod antea solum erat officium in remedium, per suam legem celebrandum fore ut Sacramentum.* Addit etiam allegorias. *Per conversionem aquæ in vinum futuram gratiam Sacramenti designatam esse, & admonitos conjugatos, ne matrimonialia fœdera in bonis caducis fundarent, quæ facile dilabuntur, sed in sola virtute, quæ perpetuæ lætitiæ & amicitiæ conjugalis custos est.* Sed fidei articuli non possunt probari ex allegoriis, multo minus ex conjecturis. Quo fine Christus nuptiis in Cana celebratis interesse voluerit, exponit Bellarminus d. l. §. Rursus. *Nec alia de causa, inquit, Ioh. 2. nuptiis interesse Dei Filius, easque insigni miraculo ornare voluit, nisi ut indicaret, quod in eum locum S. Augustinus notavit, se fecisse nuptias.* Ergo hæc præsentia Christi tantum probat, matrimonium priore modo à Deo institutum esse.

Toletus, Maldonatus, Jansenius, Salmero, varias colligunt causas, cur Christus nuptiis interesse voluerit, sed Sacramenti instituendi causam non attingunt.

Alterum Dominici argumentum hoc est: *Quando Christus Matth. 19. confirmationem conjugii proposuit, subjunxit: Quod Deus conjunxit, homo non separet; quo quod antea erat in officium & remedium, fecit esse Sacramentum, ut per suam deinceps passionem vim novam divinæ conferendæ gratiæ obtineret.*

Resp. ex Cornelio Jansenio cap. 96. Concord. *Matthæus primum dicit ex primæva conjugii institutione ostendisse conjugum inseparabilitatem &c. Et postea, Dominus vicissim illis proponit antiquiorem Dei circa propositam quæstionem constitutionem.* Ergo Christus nihil novi addit, tantum veram conjugii Naturam demonstrat ex prima institutione. Quare cum non possit Conjugii Sacramentalis institutio demonstrari, consequens est, aut conjugium non esse Sacramentum, aut etiam in V. T. fuisse Sacramentum.)

Decimo quinto, gratiam hujus Sacramenti statuunt eam, quod *sit remedium contra concupiscentiam.* Atqui matrimonium etiam in V. T. fuit remedium contra concupiscentiam. Ergo aut hæc gratia non efficit, ut matrimonium sit Sacramentum, aut concedendum, quod matrimonium etiam in V. T. fuerit Sacramentum.

Enchiridion Coloniense cap. de Matrimonio. *Tertius institutionis finis, qui proprie statum hominis post lapsum respicit, est, ut infirmitas incontinentiæ nostræ honestate nuptiarum exciperetur. Nam cum constet, nisi cecidissent primi parentes, homines futuros atque etiam liberos sine carnis incentivo ac absque fervore libidinis, atque adeo non tantum sine peccato, sed etiam cum merito procreaturos fuisse, post peccatum vero lethalis concupiscentiæ lex membris nostris inhæserit, sine qua carnis commixtio non fit, necesse erat, ut institutum quoddam Dei haberemus, quod carnis commixtionem, alioqui ob concupiscentiam reprehensibilem, excusaret. In quam sententiam dixit Apostolus, propter fornicationem vitandam unusquisque propriam suam uxorem habeat. Augustinus duo propria officia matrimonio ante hominis lapsum, tertium jam lapso tribuit. Quod, inquit, sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium.*

Bellarm. de Matrim. cap. 5. *S. Thomas scribit, matrimonium institutum fuisse in officium Naturæ, in statu innocentiæ; deinde in statu Naturæ corruptæ fuisse illi additum, ut esset in remedium, & tandem in lege nova à Christo institutum fuisse in Sacramentum.*

(Ergo institutum esse in remedium competit matrimonio etiam in V. T.)

Decimo sexto. Si Matrimonium esset proprie dictum Sacramentum, sua Natura & Universali instituto Sacramentum esset, non varians secundum tempora & subjecta.

At juxta hypothesin Pontificiorum variat. Nam *in V. T.* ab aliquibus dicitur non fuisse Sacramentum, Bellarm. de matrim. cap. 5. ad 2. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 203. n. 16. *nec gentilibus*, Tannerus tom. 4. Theol. Schol. Disp. 8. q. 2. dub. 3. *nec Christianis clandestine contrahentibus*, Claud. Espencæus de clandest. matrim. cap. 15. f. 650. *nec sine Ecclesiæ Ministro contractum* Melchior Canus Lib. 8. Locor. cap. 5. ad 3.

Decimo septimo. Bellarm. Lib. de Matrim. cap. 4. §. Quarta ratio, fatetur *à quingentis demum annis Theologos omnes, Matrimonium vere Sacramentum esse, docuisse.*

(Quamvis hoc falsum sit, ut patet ex suffragatoribus nostræ sententiæ superius adductis, sufficit tamen nobis contra anathematis Tridentini fulmen, quod natales hujus dogmatis Bellarminus non potuit ultra 500. annos producere. Est ergo novus fidei articulus, quem nec ipse Melchior Canus in medio Romanæ Ecclesiæ gremio recipere voluit.)

Decimo octavo. Pontificii definiunt Sacramentum *signum sensibile*, hoc est, incurrens in sensus corporeos.

Atqui unio conjugum nullum sensum afficit externum, cum tota sit in voluntate, hoc est, in animorum consensu, unde dictum, *Non concubitus, sed consensus facit nuptias*; alioquin non scortatio tantum esset matrimonium, & per conf. Sacramentum, sed etiam bestiarum coitus, in quo reperitur, quicquid corporale est in conjugio.

6. Multiplices Pontificiorum de hoc Sacramento dissensiones. Diffident enim invicem

Primo *de genere.* Quidam statuunt, *Conjugium esse proprie dictum Sacramentum*, quidam vero negant, ut patet ex dictis. Quidam dixerunt, *esse Sacramentum imperfecte.*

Melchior Canus distinctione inter *Matrimonium privatim contractum, & sacris ac solennibus verbis à Ministro Ecclesiastico celebratum*, litem hanc componere studet, illud concedit non esse Sacramentum, hoc vero esse Sacramentum totis viribus contendit.

Sed Bellarminus Lib. de matrim. cap. 6. hanc distinctionem repudiat, ac de Melchiore Cano ejus architecto pronunciat, quod *quantum in ipso est probet, nullum revera esse in Ecclesia Conjugii Sacramentum.*

Secundo *de institutionis tempore.*

Quidam putant, *Conjugium jam inde à primo institutionis tempore etiam in Vet. Test. fuisse Sacramentum*; Quidam vero *in Novdemum Test. Sacramenti nomen & Naturam illud sortitum fuisse* censent.

Bellarminus Lib. de Matrim. cap. 5. resp. ad 2. *Non desunt Catholici, qui admittant, matrimonium non esse Sacramentum proprium novæ legis, sed fuisse in lege veteri etiam apud Iudæos & à Christo non tam institutum, quam confirmatum. Ita enim docent Alphonsus de Castro Lib. 11. contra hæres. in verbo Nuptiæ hæres. 3. & Petrus à Soto lect. 2. de matrim. & alii quidam.*

(Potuisset addere Lombardum, qui Lib. 4. sent. dist. 26. lit. A.

lit A. scribit. *Cum alia Sacramenta post peccatum & propter peccatum exordium sumserint, matrimonii Sacramentum etiam ante peccatum à Domino legitur institutum, non tamen ad remedium, sed ad officium.)*

(Neve quis causetur, *institutum, quatenus matrimonium, non quatenus Sacramentum*, subjicit: *Refert enim Scriptura Genesis in Adam misso sopore, atq; una de costis ejus sumta, & exinde muliere formata, virum in Spiritu intelligentem, ad quem usum mulier facta esset, per ecstasin Prophetice dixisse, Hos nunc os ex ossibus meis, caro de carne mea &c.* At si non aliter matrimonium considerasset, quam quatenus est matrimonium, quorsum opus erat Prophetiam tam diserte notare? Potuisset etiam Bellarminus addere Colonienses & Eccium.

Colonienses enim in Enchiridio sic loquuntur: *Respondemus, Matrimonium apud Judæos Sacramentum fuisse, quemadmodum alia quoq; veteris legis Ceremoniæ ac mysteria, futurorum nuncia & significantia, Judæorum Sacramenta fuerunt.*

Et aliquanto post. *Non possumus non demirari quosdam eò dementiæ venisse, ut ausi fuerint Matrimonium ex Sacramentorum numero impudenter secernere ac removere, quod tamen constat propterea institutum esse, ut esset Veteris Testamenti Patribus futuræ, nobis vero præsentis Christi & Ecclesiæ longe sanctissimæ unionis expressissimum signum.*

Eccius homil. 71. de Sacramentis sic disserit: *Respondebimus, etiam Matrimonium in V. T. Sacramentum fuisse, sicuti multo plura fuerunt in eo Sacramenta.*

Henricus Angliæ Rex in libr. adv. Lutherum. *De Patribus, qui sub lege & ante legem, non accedo Luthero, imo plane censeo, Matrimonium fuisse illis Sacramentum, sicut fuit & Circumcisio.*

Quinimo idem Rex memorat, *non defuisse qui contra Lutherum sentirent, etiam gentium conjugium Sacramentum esse.*

Bellarminus lib. de Matrim. c. 3. §. 10. scribit, *matrimonia gentilium esse vera, legitima & largo modo Sacramenta.*

(Atqui si conjugia gentilium sunt Sacramenta, multo magis conjugia piorum in V. T. fuere Sacramenta.)

Sed hanc sententiam, quod Conjugium etiam in V. T. fuerit Sacramentum, lib. de matrim. c. 5. Bellarminus repudiat, sic scribens: *Sed profecto non video, quemadmodum id tuto defendi possit. Nam Concilium Florentinum numerat matrimonium inter Sacramenta novæ legis &c. Et Concilium Tridentinum sess. 24. can. 1. disertis verbis tradit, Sacramentum matrimonii in nova lege esse à Christo institutum &c. quæ etiam sententia fuit veterum Theologorum Thomæ, Bonaventuræ, Scoti in 4. sent. dist 26. quod idem ex recentioribus docent Ruardus in explicat. art. 18 Lovan. Dominicus à Soto in 4. sent. dist 26. q. 2. art. 2. & alii permulti.*

Dissensum hunc agnoscit Pesantius in Thomam f. 1009.

Huc referri potest, quod quidam statuunt, *hoc Sacramentum in Cana à Christo institutum esse Joh. 2. alii post resurrectionem, cum multa loqueretur de regno Dei*, teste eodem Pesantio d. l.

Tertio, *de materia hujus Sacramenti.*

Quidam existimant, *materiam hujus Sacramenti esse verba consensum exprimentia, quatenus determinantur.*

Richardus 4. sent. dist. 26. art. 4. q. 2. *Verbum primo prolatum est materia, & verbum secundo prolatum est forma.*

Thomas 4. sent. dist. 26. q. 2. art. 2. & Canonistæ in c. penult. de Sponsalibus disputant, *verba unius conjugis habere rationem materiæ & rationem formæ respectu verborum alterius, & contra.*

Adrianus in 4. sent. dist. 27. *consensum contrahentium esse materiam hujus Sacramenti* disputat.

Alii contra statuunt, quod *ipsa corpora seu personæ contrahentium sint materia.*

(Bellarminus lib. de matrim. c. 6. hanc opinionum diversitatem agnoscit, sed nititur eam conciliare hoc modo: *Conjugii Sacramentum duobus modis considerari potest, uno modo dum fit, altero modo dum permanet, postquam est factum. Priore respectu tota ejus essentia consistit in signis mutuum consensum exprimentibus, sicque verba conjugum sunt materia & forma Sacramenti. Posteriore respectu ipsi conjuges simul cohabitantes seu externa conjugum societas & conjunctio sunt Symbolum materiale externum.*

Sed hæc distinctio Bellarmini petit principium. Sacramentorum esse in usu consistit, id est, actione Sacramentali à Christo instituta, ideoque non potest duplex ejus materia statui, prior, dum fit; posterior, dum permanet, postquam est factum.

Inde Rubio in 4. sent. dist. 26. *Nullum Sacramentum Evangelium consistit in facto esse, sed præcisè in fieri, excepto Eucharistiæ Sacramento.*

Adrianus eodem modo. *Sacramentum matrimonii est ipse contractus matrimonii, ut rationem signi habet gratiæ invisibilis seu sacræ rei. Et solum existit seu manet pro tempore contractus matrimonialis & non ultra, sicut Sacramentum Baptismi solum manet seu est pro tempore ablutionis factæ sub debita forma verborum, scilicet, Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Quod verba conjugum non sint materia hujus Sacramenti, probamus hoc modo: Nullius Sacramenti materia consistit in verbis, sed in externo & visibili Elemento. Conjugium ex hypothesi Bellarmini est Sacramentum. Ergo ejus materia non quærenda in verbis, sed in externo & visibili Elemento.

Alex. Carerius scriptor Pontificius lib. 2. de matrim. c. 1. etiam hoc urget, quod *in contractibus illud habeat rationem materiæ, circa quod versatur contractus, non autem id, per quod exprimitur contractus.*

Quod corpora Conjugum non possint commode statui materia hujus Sacramenti, probamus hoc argumento: Omne Sacramentum N. T. habet materiam propriam & peculiarem certo institutionis verbo expressam. Sed personæ contrahentes seu corpora Conjugum non sunt materia propria & peculiaris conjugii, quatenus statuitur N. T. Sacramentum, cum in V. etiam T. conjugium eandem habuerit materiam.)

Sed nec recentiores de materia hujus Sacramenti invicem consentiunt.

Sic enim Bellarminus d. l. porro scribit: *Recte mihi dixisse videtur Petrus à Soto, materiam non solum circa quam, sed etiam ex qua Sacramentum matrimonii constat, esse personas contrahentes. Theologi quoq; fere* (nota fere omnes, ergo non vere omnes) *satis indicant, corpora Conjugum esse materiam hujus Sacramenti.*

Melchior Canus lib. 8 Locor. Theol. c. 5. *matrimonium dupliciter considerandum esse dicit, ut est contractus, & ut est Sacramentum. Personas contrahentes dicit esse ministros conjugii, ut est contractus, non autem ut est Sacramentum.*

Existimat igitur, materiam conjugii esse ritus illos visibiles & externos, qui in Ecclesiastica copulatione adhibentur, quales sunt *manuum conjunctio, annuli traditio, consensus per verba solennia testificatio.)*

Sed Canum hac in parte refellit Bellarminus d. l.

Quarto, *de forma hujus Sacramenti.*

Quidam statuunt, *formam hujus Sacramenti esse verba consensum mutuum exprimentia, quatenus determinant*;

Quidam vero *ipsam Conjugum societatem & conjunctionem*;

Quidam Canonistæ in c. Tua nos. de Sponsal. volunt, quod *verba sint forma, & consensus sint materia.*

Gropperus in Enchir. Colon. in tract. de Sacram. matrim. eo inclinat, quod *forma hujus Sacramenti sit consensus in verbis illis Domini, Quod Deus conjunxit, homo non separet, fundatus.*

Cui proxime accedunt Alphonsus à vera cruce in Append. f. 13. & seqq. Johannes de Cambis in Compend. Theol. verit. lib. 6. c. 38. Melchior Canus lib. 8. Locor. Theol. c. 5. qui *verba & benedictionem Sacerdotis* statuunt *esse formam essentialem matrimonii*, quos adducit & refellit Piso Soacius part. 2. tract. de Sponsal. p. 40. *Si verba Sacerdotis* (inquit) *essent de forma, non relinquerentur arbitrio Sacerdotis, sed posita fuissent formalia, quæ nulli mutare licuisset, ut in Baptismo.*

Alex. Carerius lib. 4. de matrim. c. 1. *consensum* statuit *esse formam, cum ab eo pendeat esse matrimonii.*

Gregorius de Valentia tom. 4. Comm. Disp. 10. q. 1. quatuor *de materia & forma hujus Sacramenti* numerat sententias:

Prima est Melchioris Cani, *materiam censeri posse ipsos actus contrahentium sc. consensum mutuum explicatum per verba de præsenti, formam autem verba Sacerdotis, quibus illos, ut moris est, conjungere solet.*

Enchir. Coloniense illud fusius sic explicat: *Elementum esse illam exteriorem viri ac mulieris conjunctionem, sive illum exteriorem gestum & actum, quo conjuges in nomine Domini copulantur, ac inter copulandum profitentur, se posthac duos in una carne futuros, sibiq; mutuo conjugalem fidem perpetuo servaturos, cui cum sexuum commixtio accesserit, tum demum perfectum hujus Sacramenti Elementum perfici. Verbum autem, quo accedente ad Elementum fiat Sacramentum, id esse, quo ambo mas & fœmina non quovis modo, sed in Dei nomine conjungantur ac copulentur. Esse autem tale verbum Christi verbis nixum: Quos Deus conjunxit, homo non separet.*

Secunda est Paludani & Adriani, *ipsos contrahentes esse materiam,*

riam, *formam vero eorundem verba explicantia mutuum consensum. Sicut in quolibet contractu rerum*, inquit Adrianus, *res, quæ transferuntur per conventionem & pactum sunt materia, & ipse consensus expressus transferendi est forma, sic in Matrimonio, quod est contractus personarum, materia sunt ipsæ personæ contrahentes, quæ se transferunt in alterius potestatem, seu, ut alii volunt, ipsæ potestates corporum, quas in se invicem transferunt. Et forma est iste mutuus consensus, vel voluntas transferendi potestatem corporis in alium per verba, vel alia æquipollentia expressus.*

Tertia est Thomæ, Francisci Victoriæ, Soti &c. *contrahentium verba esse ipsa inter se mutuo materiam & formam, ita ut qui ultimo suum consensum explicet, ejus verba sint forma, quatenus per ea perficitur Matrimonium, ejus autem, qui primus loquatur, verba esse materiam.*

Soto tamen ordinem illum non esse attendendum disputat. *Respondetur*, inquit, *contrahentium verba, aut nutus, qui eorum loco substituuntur, esse materiam & formam. Neque refert, præcedentia ne sint, an subsequentia, ut illa sint materia, hæc vero forma. Sed sive vir prius consensum exprimat, sive uxor, amborum verba sunt sibi invicem materia & forma, nam utriusque verba per verba alterius informantur, vimque obtinent significandi colligandique conjugalem nodum.*

Quarta est Canonistarum, *materiam esse consensum mutuum, formam verba eum consensum exprimentia.*

Atque hanc Gregorius ille reliquis præfert, *ut maxime expeditam, secundum quam commodissime intelligi queat significatio atque essentia Sacramenti.*

Et quid multis? Melchior Canus d.l.p.392. aperte & sine circuitione fatetur, *Theologos Scholasticos in materia & forma hujus Sacramenti adeo esse ambiguos & inconstantes, ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem & exploratam conetur efficere.*

Ibid. Canus sic loquitur. *Communiter tenent Scholastici, matrimonium sine ministro, profano more, contractum, continere in se veram formam Sacramenti, in quo videntur jure à Lutheranis irrideri.*

(At si de materia & forma hujus Sacramenti nihil certi, ne quidem ex libris Scholasticorum, haberi potest, quomodo Conjugium erit proprie dictum Sacramentum?)

Quinto, de *ministro hujus Sacramenti.*

Quidam, inter quos est Bellarminus, de Matrim. cap. 6. ministros hujus Sacramenti statuunt *ipsos Conjuges. Cum ad Ministrum*, inquit, *proprie pertineat, verba formæ pronunciare & per ea Sacramentum conficere, & in hoc Sacramento verba formæ à conjugibus proferantur, necesse est conjuges ipsos esse proprios hujus Sacramenti ministros.*

Idem statuunt Rubeo, Franciscus de Sylvestris in Thom. contra gentiles Lib. 4. c. 78.

Josephus Angles in Floribus ad 4. sentent. de ministro Sacram. matrim.

Sed Melchiori Cano, Groppero atque aliis absurdum videtur, *ipsos Conjuges Sacramenti hujus ministros statuere*, ideo existimant, *Sacerdotem esse legitimum hujus Sacramenti dispensatorem. Tametsi* (inquit Canus) *Matrimonium Sacramentum est, non ideo tamen conjugium quodcunque venerari cogimur, sed id, quod formam sacram habeat, & à vero Ecclesiæ ministro consecratum sit. Videmus*, (inquit Gropperus in Enchiridio) *etiam in veteri lege quosdam fuisse, qui Dei vice conjuges conjungerent, quanto ergo magis putandum est in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Ministros esse.*

Sexto, de *applicatione hujus Sacramenti.*

Capreolus in 4. sent. dist. 26. q. unic. art. 3. ad 5. & Johannes Eccius homil. 73. de Sacram. statuunt, *debere eos conjugatos, qui convertuntur ad fidem, post Baptismum iterum contrahere inter se matrimonium, & tum demum contractum illum fieri Sacramentum.*

Sed Thomas de Argentina 4. sent. dist. 39. q. 1. art. 1. ad 1. & Paludanus Lib. 4. dist. 26. q. un. dicunt, *sine novo contractu matrimonium, quod ante Baptismum non erat Sacramentum statim post Baptismum esse Sacramentum, quia jam actu significat, quod antea solum in potentia significabat.*

Melchior Canus in priorem; Bellarminus in posteriorem inclinat sententiam.

Septimo, in explicatione loci Apostolici Eph. 5. in quo principale opinionis suæ fundamentum statuunt, itidem non conveniunt.

Bellarminus Lib. de matrim. cap. 2. §. Et quanquam. *Apostolus hoc loco magnum illud Sacramentum non ad conjugium Adami & Evæ, sed ad nuptias fidelium sine dubio refert*; quod ipsum aliquot argumentis ibidem confirmare nititur.

Contra vero Pererius in Comment. Gen. 2. *Quemadmodum*, inquit, *ex Adami dormientis latere formata est Eva: ita ex latere Christi morientis profluxit sanguis & aqua, unde condita est Ecclesia, ideo voluit Deus mulierem ex viro esse propter figuram. Etenim conjunctio Adami & Evæ continebat Sacramentum illud magnum, de quo Paulus dicit, Ego dico de Christo & Ecclesia Eph. 5.*

Octavo, Bellarm. Lib. de matrim. cap. 5. resp. ad 3. arg. *Signum Sacramentale quærit in conjunctione viri & fœminæ, quæ per verba solennia coram Ecclesia fieri solet.*

Et tamen postea cap. 6. §. 2. contra Canum disputat, qui *illud solum matrimonium* statuit *esse Sacramentum, quod à Ministro Ecclesiastico sacris & solennibus verbis celebratur.*

(At si in conjunctione illa viri & fœminæ, quæ fit per verba solennia, coram Ecclesia Sacramentale signum sive Ceremonia Sacramentalis quærenda, utique illud duntaxat Conjugium, quod sacris & solennibus verbis coram Ecclesiæ ministro celebratur, Sacramenti loco erit habendum. Ratio connexionis est manifesta, quia in conjugio absque illa Ecclesiastica benedictione contracto non invenitur illa Sacramentalis Ceremonia, & sic stat Cani sententia.)

Nono, *de effecto hujus Sacramenti* dissentiunt.

Primo, fuere, qui *ullam eo conferri gratiam* negaverunt.

Gloss. in c. Quomodo virgo 9. caus. 31. q. 1. & c. Honorantur 13. caus. 32. q. 2. fatetur, gratiam non conferri in Sacramento. *Matrimonium*, inquit, *non ducit ad vitam*. It. *In Sacramento matrimonii non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut in aliis.*

Idem agnoverunt Summistæ Godfridus & Hostiensis, uterque in Summa cap. de Sacramentis non iterandis, distinguentes *inter Sacramenta gratiam conferentia & non conferentia*, & inter posteriora collocantes matrimonium.

Inde Durandus de S. Portiano scribit Lib. 4. sent. dist. 26. q. 3. *Iuristæ, qui noverunt textum Decretorum & Decretalium, in quibus mens Rom. Ecclesiæ, cum noverint jura Canonica, & eorum dicta & scripta habentur à Papa & Cardinalibus &c. accipio tanquam verum, quod sentire, quod per Sacramentum matrimonii non conferatur gratia, non est contra determinationem Ecclesiæ.*

Gregorius de Valentia pro hac sententia citat Gaufredum sive Godfredum Hostiensem, Bernhardinum, Durandum, in Lib. de num. Sacram. cap. 7. f. 452.

Sed & Lombardum Durandus advocat in causæ societatem dicentem 4. sent dist. 2. circa princ. quod *Sacramenta nova legis alia remedia contra peccatū præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut Baptismus, alia in remedium tantum sunt, ut conjugium.*

Alii contra *gratiam in hoc Sacramento* conferri asserunt, ut Hosius, Catech. Tridentinus & alii apud Gregor. de Valent. d.l. ubi etiam p. 453. perstringit Sententiarium *tanquam minus sibi constantem.*

Eccius homil. 72. de Sacramentis, *gratiam quidem in hoc Sacramento conferri* statuit, *sed exiguam. Quartū*, inquit, *Sacramentum magnum est matrimonium, quod quamvis in se & respectu gratiæ pro minimo reputatur ex aliis significatio tamen ejus maxima est.*

Argum. Adversariorum.

1. Eph. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, dico autem de Christo & Ecclesia*. Bell. Lib. de matrimon. c. 2. Gregor. de Valent. Lib. de num. Sacram. c. 7. p. 343. Jacob. Tirinus in h.l.

Resp. 1. Cajetanus in illum locum sic commentatur: *Non habes ex hoc loco prudens lector, à Paulo, conjugium esse Sacramentum, sed mysterium. Et vere horum verborum mysterium magnum est, continent enim indivisibilitatem &c. Et hæc verba, Ego autem dico &c. referenda sunt ad Christum & Ecclesiam, mysterium secundum sensum spiritualem, ut jam retulerat dicendo, Quia membra sumus de carne ejus & de ossibus ejus.*

(Patet hoc ex ipso contextu, subjungit enim Apostolus adversativam, ἐγὼ δὲ εἰς χριστὸν, id est, περὶ χριστοῦ ut Marc. 9. v. 12. quo modo ex Syro quoque Cornelius & Estius exponunt. Ostendit igitur se de spirituali conjunctione agere.)

2. Erasmus in annot. ad h.l. p. 428. *Dico ex verbis hisce Apostoli non admodum efficaciter colligi, quod Conjugium sit Sacramentū, siquidem particula adversativa, Ego autem, satis indicat, hoc magnum mysterium ad Christum & Ecclesiam pertinere, non ad maritum & uxorē &c. Simili colore usus est Paulus in Epistola ad Corinthios priore, & propter conscientiā. Mox exclusurus errorem, subnectit, Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Tum, ut dicere cœperam, hoc loco Græca vox non proprie Sacramentum significat, cujusmodi septem vocat Ecclesia, sed arcanum ac secretum, quo verbo frequenter usus est Paulus & de aliis, quæ longe absunt à Natura Sacramentorum.*

3. Vas-

3. Vasquez in part. 3. Thom. Disp. 128. c. 1. *Quod recentiores contendunt ex illo loco Eph. 5. deducere nomen Sacramenti, ut significet non solum signum rei occultæ in universum, sed etiam speciatim res illas septem, quas nos Sacramenta Ecclesiæ vocamus, mihi non probatur.*

Inde in tract. de Matrim. Disp. 2. c. 6. argumentum ex hoc loco pro asserendo matrimonii Sacramento deductum multis refellit. *Ego vero*, inquit, *semper existimavi, hoc testimonio non solum id, quod contendunt nostri, probari non posse, verum etiam in explicatione illius aliqua ab iis pronunciari, quæ cum vera doctrina minime constare possunt.*

(In Græco enim est *μυστήριον*, quod pluribus rebus, quam Sacramentis proprie sic dictis tribuitur; Apostolus non ipsam viri & mulieris conjunctionem, sed Christi & Ecclesiæ desponsationem proprie vocat Sacramentum; *Quod in Christo & Ecclesia est magnum Sacramentum, hoc est in singulis quibusq; viris atq; uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum*, inquit Augustinus lib. 1. de nupt. & concup cap. 21. proinde non nisi in latiore significatione conjugium hic diceretur Sacramentum, videlicet quia est sacræ rei signum, hoc est, mysterium incarnationis & dilectionis Christi erga Ecclesiam præfigurat, id quod non solum in N. sed etiam in V. T. conjugio competit, ut ex verbis Mosaicis à Paulo adductis apparet.)

Ac tandem concludit Vasquez. *Quare satius fuisset Theologis nostris, hunc locum contra hæreticos prætermittere, quam ut viderentur eos Scripturæ testimonio premere, in has angustias & minus tutam sententiam incidere.*

Et paulo post. *Concedimus ergo ex Eph. 5. efficaciter probari non posse, matrimonium esse Sacramentum.*

4. Dominicus à Soto 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. *Tertia demum significatio hujus vocis* (Sacramentum) *est, qua significat sensibilia signa gratiæ, in qua utiq; significatione non modo apud Ethnicos non reperitur, verum neq; in sacra Scriptura nominantur Sacramenta.*

(Ergo nec hoc loco vox Sacramenti in stricta illa significatione accipitur, & per consequens ex hoc loco probari nequit, Conjugium esse Sacramentum proprie sic dictum.)

5. Pererius in Comm. Gen. 2. docet allegoriam Apostolicam præcipue de conjunctione Adæ & Evæ institui. *Quemadmodum*, inquit, *ut Scholastici definiunt, ex Adami dormientis latere formata est Eva: ita ex latere Christi morientis profluxit sanguis & aqua, unde condita est Ecclesia, ideo voluit Deus mulierem ex viro esse etiam propter figuram. Etenim conjunctio Adami & Evæ continebat Sacramentum illud magnum, de quo Paulus dicit Eph. 5. Ego autem dico de Christo & Ecclesia.*

Ibid. *Cum præmisisset Dominus Matth. 19. Deum in initio fecisse masculum & fœminam, & quidem Deus fecit fœminam ex masculo, eosq; conjunxit & benedixit. Ex his recte infertur, propter hoc, id est, hanc arctissimam conjunctionem & societatem, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Mysterium hoc magnum, inquit Apostolus, ego autem dico de Christo & Ecclesia.*

(Quod si ergo ex verbis Apostoli inferri posset, *Conjugium esse Sacramentum proprie dictum*, consequens foret, etiam Adæ & Evæ conjugium in V. T. fuisse Sacramentum proprie dictum, quod tamen negant Pontificii. Vicissim, si allegoria Apostolica maxime de matrimonio Adæ & Evæ ex Adamo formatæ, non pariter de aliorum conjugiis instituitur, utique mysterium hoc & Sacramentum non debet proprie ad N. T. restringi.)

6. Jansenius in Concord. Evang. cap. 96. *Satis est in Scripturarum autoritate fundatum, quod matrimonium sit Sacramentum, secundum eam acceptionem vocabuli Sacramentum, qua dicimus, Baptismum & Eucharistiam esse Sacramenta, quanquam secundum eam non accipiatur, cum dicit Paulus de conjugio loquens, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia, ubi simpliciter nomen Sacramenti pro mysterio accipitur, cum Græcis sit μυστήριον.*

(Agnoscit igitur Jansenius vocem Sacramenti Eph. 5. non sumi in ea significatione, qua Baptismus & Eucharistia dicuntur Sacramenta proprie dicta, ex quo consequitur, non posse ex Eph. 5. deduci, quod matrimonium sit Sacramentum proprie dictum.)

7. Si matrimonium est Sacramentum proprie dictum, propter ea quia repræsentat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, etiam vitis & palmites erunt Sacramenta proprie dicta, cum idem repræsentent. Joh. 15. v. 1. conjunctio quoque capitis & membrorum in homine &c. At consequens Pontificii non concedunt. E. nec antecedens ponere debent. Nimirum nō omnis rei sacræ similitudo est Sacramentum proprie dictum, alias tot habebim⁹ Sacramenta proprie dicta, quot parabolas.)

Confer, quæ superius ex Estio adducta.

8. Excipiunt, *τὸ μυστήριον τοῦτο referri ad præcedentem conjunctionem in carne una, eam v. naturalē intelligi, mysterium igitur esse.*

Resp. Jesuitæ ipsi coalitionem in carnem unam non habent pro Sacramento, neque pro materia, neque pro forma ejus. Quanquam enim inter ipsos sint variæ ac diversæ sententiæ de materia & forma hujus Sacramenti, ut constat ex Bellarmino lib. de Matrim. cap. 6. Tannero tom. 4. Theol. Schol. Disp. 8. q. 2. dub. 2. n. 30. & aliis, nemo tamen *copulam in carne una*, de qua Moses, Christus & Apostolus loquuntur Gen. 2. v. 24. Matth. 19. vers. 5. 1. Cor. 6. v. 16. (quam etiam ipsi Romani Pontifices Benedictus, Gregorius, Alexander III. & Innocentius III. cum commentatoribus h. l. intellexerunt, ut est apud Estium in h. l.) pro Sacramento habet, sed vel *signa*, vel *verba contrahentium*, exclusa à ratione Sacramenti consuetudine conjugali, ut diserte apud Altensteig in Lexico Brulifer ait: *Conjunctionem in carne una non capi pro conjunctione carnali, sed pro conjunctione animorum, quæ fit prolatione verborum de præsenti, utpote, Ego accipio te in meam.*

Sic etiam Bellarminus cap. 5. ad 5. arg. Navarrus in Enchir. cap. 22. num. 19. Non possunt igitur carnali copulæ Sacramenti rationem attribuere.

Argum. 2. 1. Tim. 2. v. 15. *Salvabitur mulier per generationem liberorum. Ergo promissio gratiæ est conjugio addita.*

Resp. 1. Vasquez d. l. agnoscit, *argumentum pro astruendo Conjugii Sacramento ex h. l. petitum, itidem parum roboris habere.*

(Docet enim Apostolus, mulieres in statu conjugali salvari posse, modo fide & sancta conversatione sint ornatæ, ex eo autem non sequitur, quod gratiam, qua se in hoc statu recte gerunt, per Conjugium tanquam Sacramentum & efficax medium percipiant. Sic Christiano Magistratui Deus piis precibus invocatus dat gratiam, quā in suo statu recte se gerat, nec tamen propterea officium Magistratus est Sacramentum proprie dictum. Piis conjugibus etiam in V. T. dedit Deus gratiam, qua in hoc statu recte se gerere potuerint, interim ipsimet Pontificii docent, *Conjugium V. T. non fuisse Sacramentum proprie dictum.*)

2. Bellarminus lib. de Matrimon. cap. 2. §. Et confirmatur &c. de hoc loco Apostolico sic disserit: *Illud, per filiorum generationem, positum est pro, in filiorum generatione Non enim significare vult Apostolus, filiorum generationem esse causam salutis, sed mulierem in statu matrimonii sive in statu generandi filios salvam fore, si permanserit in fide.*

Jacob. Tirinus in h. l. *Salvabitur mulier per generationem filiorum* (*loquitur de solis conjugatis*) *eorundemq; probam educationem, atq; in pietate & moribus institutionem, neq; permiserit se exemplo primæ Evæ per Satanam seduci & à recto deduci, sed permanserit constans, curaritq; quantum in se est, ut & filii sui permaneant in suscepta fide Christi, in dilectione Dei & proximi, in sanctitate vitæ & morum, cum adjuncta illecebrarum temperantia & cupiditatum continentia.*

Claudius Espenſæus in h. l. *Non sic eum sexum dejicimus, ut & à salute excludamus. Est illi sua functio, in qua sincere versando consors erit & salutis. Si non est, quod agat in concione, est domi quod agat, si quod olim seducto marito deliquit, liberis gignendis recteq; educandis sarciat.*

(Ergo particula *per* non denotat hoc loco causam efficientem ministerialem, sed æquipollet particulæ *in*, quo modo etiam Vasquez n. 65. eandem exponit, ac loco exempli adducit Act. 13. v. 27. ac proinde ex hoc loco probari nequit, *conjuges gratiam sanctificantem per ipsum matrimonium accipere.*

3. Quatuor illa bona, quæ Apostolus enumerat, *fides, dilectio, sanctificatio, sobrietas*, non sunt tam arcte intelligenda, ut ad solum matrimonium pertineant.

Claudius Espensæus Episcopus in h. l. *In fide, vera Christi religione & doctrina, dilectione Dei & proximi, & vivendi modo, nec enim satis est fides, nisi & caritas adsit totius vitæ fons, caput atq; summa. Et exprimit, quæ sit ejus norma, sanctificatione mentis & corporis puritate. Cum sobrietate, frugalitate, sine qua sanctitas difficile custoditur.*

Bened. Justinianus in h. l. *Indicat quatuor potissimum capita, fidem, dilectionem, sanctificationem, seu ut Ambrosius, sanctimoniam,*

niam, sobrietatem, vel ut idem Ambrosius interpretatur, pudicitiam. His enim omnis ferme Christiana disciplina continetur. Ad fidem namq; revocatur omnis divinorum mysteriorum necessaria cognitio, ad caritatem pertinet Dei proximorumq; amor, sanctificatio seu sanctimonia cultum & religiosas Ceremonias complectitur; sobrietatis nomine id omne comprehenditur, quod ad frangendas penitusq; edomandas pravas cupiditates pertinet.

Atque hæc bona omnia tam late accepta non dantur per matrimonium, neq; habet matrimonium additas sibi promissiones de illis conferendis.)

Arg. 3. *Paulus 1. Cor. 7. v. 8. matrimonium vocat donum æque ac virginitatem Et 1. Thess. 4. v. 4. hortatur conjuges, ut abstineant se à fornicatione, & vas suum possideant in sanctificatione, quam nimirum per matrimonium ante acceperunt.* Bellarm.

Resp. 1. Si ex dicto Apostolico 1. Cor. 7. evinci potest, *matrimonium esse Sacramentum*, utique ex eodem evinci poterit, *virginitatem esse Sacramentum.* Ratio consequentiæ est, quia virginitatem Apostolus æque vocat donum ac coniugium, imo ex hypothesi Pontificiorum est maius donum. Sed consequens Pontificii non admittunt.

2. Benedictus Justinianus in 1. Thess. 4. *Qui uxorem interpretantur nomine vasis, merito refelluntur à Theodoreto. Non enim tantum maritis, sed aliis omnibus, qui cœlibem vitam ducunt, præcepta tradit.*

Guillandus ibid. *Vult ergo Paulus hoc loco, ut quilibet nostrûm corpus suum proprium, quod à Deo accepit, possideat in honore ac sanctificatione.*

(Confirmatur hæc expositio ex eo, quod Apostolus dicit, ἕκαστος ὑμῶν.)

Cornel à Lapide ibid. *Quia apud Thessalonicenses multi, præsertim juniores erant adhuc cælibes & sine uxore, Apostolus autem cuivis hoc vas tribuit, generalius & melius cum Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Ambrosio, Oecumenio, Anshelmo, per vas accipiemus corpus, quod generatim phrasi Hebræa dicitur vas, id est, instrumentum hominis.*

3. *Sanctificationem illam per matrimonium conjuges accepisse*, Bell. de suo addit.

Cornel. à Lapide in 1. Thess. 4. *Vult Apostolus, ut quisque vas, id est, corpus suum possideat quasi Dominus in sanctificatione & honore, id est, sancte, hoc est, caste & honeste.*

Arg. 4. *Matrimonium Christianorum est unius tantum cum una & omnino insolubile. Ergo est Sacramentum proprie dictum & conferens gratiam.*

Resp. 1. ex hypothesi Bellarmini, *Conjugium in V. Test. nondum fuit Sacramentum.*

(Jam vero insolubilitas matrimonii communis est conjugio piorum in V. & N. T. cum dependeat ex divina institutione, uti docet Christus Matth. 19. v. 3.)

2. Ex alia hypothesi Bellarmini. *Matrimonium in sola Ecclesia est Sacramentum.*

(Jã vero insolubilitas matrimonii nõ solũ ad fideliũ in Ecclesia, sed etiã ad gentiliũ extra Ecclesiã cõstitutorũ cõjugia pertinet, cum Thomas 4. sent. dist. 33. q. 2. art. 1. doceat, *matrimoniũ ex jure Naturæ habere quandam insolubilitatem*, ac Bellarminus lib. de matrim. c. 3. §. secundo disputet, *matrimonia gentilium esse vera & legitima.* Ergo ex matrimonii insolubilitate colligi nequit, matrimonium esse propriè dictum Sacramentum.)

Arg. 5. *Jam inde ab exordio Ecclesiæ matrimonium inter res sacras habitum esse constat, & inter sacrorum solennia per Sacerdotum ministerium celebrari solitum est. Ergo est Sacramentum proprie dictum.*

Resp. 1. ex Bellarmino de matrim. c. 8. §. si de priore. *Benedictio Sacerdotalis in templo cum Missa & variis precibus secundis nuptiis non datur, quæ tamen omnium judicio sunt vera Sacramenta*, ut ibidem addit.

(Ergo ex eo, quod matrimonium inter sacrorum solennia per Sacerdotum ministerium celebrabratur, effici nequit, illud esse proprie dictum Sacramentum.)

2. Ex hypothesi Adversariorum *Conjugium in V. T. nondum fuit Sacramentum.*

(Jam vero etiam in V. T. conjugium inter res sacras fuit habitum, & inter sacrorum solennia per Sacerdotum ministerium celebratum.)

3. Pontificii Sacerdotes benedicunt navibus, campanis, vexillis bellicis, bombardis &c. consecrãt Monachos & Moniales, benedicunt aquæ, oleo, sali, templis, altaribus, crucibus &c. num hæc omnia, quia habentur pro rebus sacris, numerabunt inter Sacramenta?

Arg. 6. *Augustinus lib. de bono conjugali cap. 10 In nostrorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.*

Resp. 1. hunc locum Augustini non probare, quod Matrimonium sit Sacramentum proprie dictum, ostendit Vasquez tract. de Matrim. D. 2. c. 5. n. 30. *Postquam*, inquit, *singula loca Augustini perlegi & attente consideravi, Anno Domini 1588. manifestè deprehendi, ipsum non loqui de Sacramento proprie dicto, prout in præsenti loquimur, videlicet quatenus est signum gratiæ sanctificantis recipientes, sed de Sacramento latiore significatione, prout est signum unionis Christi cum Ecclesia, ac proinde judicavi, autoritate ipsius hac in parte contra hæreticos uti non oportere.*

2. Eccius homil. 71. de Sacramentis sic disserit: *Quantum ad conjugium pertinet gentilium, dico illud esse legitimum juxta consuetudinem & leges provinciarum, veruntamen non est Sacramentum proprie loquendo, neq; sic ratum, quod separari non possit. Sacramentum, inquam, non est proprie, nisi quod in commune potest etiam dici Sacramentum, sicut ait Augustinus, Sacramentum conjugii omnibus commune est, sanctitas tamen Sacramenti non est nisi in civitate Dei nostri & monte sancto ejus. Ita & Innocentius tertius inquit ad Episcopum Tiberiadensem, Sacramentum matrimonium est apud fideles & infideles.*

Et paulo post. *Cumq; matrimonium fuerit Sacramentum etiam in veteri lege Naturæ, fit ut etiam matrimonium infidelium, quod ex illo defluxit, veniat appellatione Sacramenti.*

(Aut ergo concedendum, Augustinum & alios veteres Sacramenti nomine uti in latiore significatione, aut concedendum, etiam infidelium & piorum in V. T. matrimonium esse Sacramentum proprie dictum. Consequens Pontificii non admittunt. Ergo antecedens admittant.)

3. Durandus de S. Portiano lib. 4. sent. dist. 26. q. 3. art. 2. dicit *matrimonium esse Sacramentum univocum cum aliis, juxta definitionem generalem, qua Sacramentum definitur sacræ rei signum, non autem secundum definitionem, in qua conveniunt omnes, quod Sacramentum novæ legis est aliquod signum corporale vel sensibile extrinsecus homini appositum ad effectum sanctificationis spiritualis, & quantum ad hoc, matrimonium non videri habere perfectam univocationem cum Sacramentis novæ legis.*

(Juxta hanc distinctionem Augustini & aliorum veterum dicta sunt intelligenda.)

4. Ægidius de Coninck de matrim. Disp. 24. dub. 2. docet, *Patres accipere Sacramẽtũ lato modo, pro quovis signo rei sacræ à Deo instituto, quia dicunt, matrimonium esse Sacramentum, non quia significat aliquam sanctitatem, quam suo usu conferat, sed quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia.* Hinc etiam dicunt, *matrimonium in lege Naturæ simili modo esse Sacramentum.*

CAPUT II.

De solutione Matrimonii.

THesis. Propter adulterium pars innocens non solum *quoad thorum*, sed etiam *quoad vinculum* à parte nocente sese separare, & aliud matrimonium inire potest.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio tantum *de tempore V. T.* in quo divortia licita fuisse Pontificii plerique concedunt, sed etiam *de tempore N. T.* in quo divortium etiam quoad vinculum propter adulterium fieri posse asserimus, Pontificii autem negant.

2. Non est quæstio tantum *de matrimonio infidelium*, quod solvi posse, etiam quoad vinculum, Pontificii concedunt, sed etiam *de matrimonio fidelium*, an illud quoad vinculum propter adulterium solvi possit, quod nos affirmamus, Pontificii vero negant.

3. Non est quæstio tantum *de matrimonio fidelium rato*, nondum consummato, an illud etiam quoad vinculum solvi possit, quod Pontificii concedunt, sed etiam *de matrimonio consummato*, an illud quoad vinculum solvi possit, quod nos affirmamus, Pontificii negant.

4. Non est quæstio tantum de solutione matrimonii *quoad thorum & mensam*, quam Pontificii concedunt, sed etiam de solutione *quoad vinculum*, an illa propter adulterium fieri possit, quod nos affirmamus, Pontificii negant.

5. Non est quæstio de adulterio tantum *incestuoso*, sive cum incestu conjuncto, an propter illud solutio quoad vinculũ fieri possit, sed *de quovis adulterio* etiam sine incestu, an propter illud divortium sive solutio quoad vinculum fieri possit, quod nos affirmamus, Pontificii negant.

Anti-

Antithesis. Alexander 3. in c. Ex literis. extra. de divort. *diremto propter adulterium conjugio, innocentem, si alteram duxerit, non modo à posteriore uxore separandum, verum etiam ad priorem uxorem redire compellendum* statuit.

Concilium Florentinum super unione Jacobinorum & Armeniorum num. 5. *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

Concilium Tridentinum sess. 24. can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alteri nupserit, anathema sit.*

Bellarminus Lib. de matrim. c. 16. §. 1. *Probandum jam nobis est, matrimonii inter fideles contracti & consummati vinculum adeo esse indissolubile, ut nec causâ fornicationis dirimi possit, & ideo vivente priore conjuge nunquam esse licitum ad secundas nuptias aspirare.* Similia occurrunt apud Tapperum tom. 2. art. 18.

Nostram sententiam probamus, 1. *ex disertis Christi verbis* Matth. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. in quibus notandum, particulas illas παρεκτὸς καὶ εἰ μὴ, quæ à Christo inseruntur, *esse exclusivas*, ut constat ex Matth. 11. v. 26. cap. 12. v. 4. cap. 17. v. 8. & 21. cap. 21. v. 9. Act. 26 v. 29. & aliis Scripturæ locis; ac proinde etiam Christi sententiam exclusive esse accipiendam, sensu eo, quod sola fornicationis causa vinculum matrimonii solvat; exceptionem illam de πορνείᾳ ἀπὸ κοινοῦ etiam in seq. membro repetendam, & ad totam Christi sententiam referendam; exceptionis istius vim esse eam, ut si causâ fornicationis uxor dimittatur, hoc est, divortium instituatur, non possit dici maritus mœchari, si aliam duxerit; fundamentum hujus explicationis, qua excipitur causa adulterii à generali prohibitione divortii, ex collatione aliorum Scripturæ locorum, & ex ipsa adulterii Natura demonstrari posse Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 6. 1. Cor. 6. v. 16. denique locum Marc. 10. v. 11. & Luc. 16. v. 18. in quo non habetur exceptio fornicationis adjecta, ex Matthæo supplendum esse. Ex quibus omnibus sic colligimus: Quam causam Christus ipse, tanquam primus autor institutionis conjugii ac optimus ejusdem interpres à generali prohibitione divortii excepit, propter eam divortium proprie dictum esse licitum merito judicatur. Sed causam adulterii Christus ipse duobus in locis & quidem diversis temporibus, quando ex professo materiam hanc in suis concionibus tractavit, à generali prohibitione divortii excepit. Ergo propter causam adulterii divortium proprie dictum merito judicari debet licitum.

2. *Ex dicto Apostoli* 1. Cor. 7. v. 10. 13. 15. in quo notandum, scopum Apostoli esse, quod velit coërcere levitatem in divortiis quacunque ex causa temere institutis, tum gentilibus tum Judæis eo tempore usitatam, ideo ex primæva conjugii institutione à Christo repetita ostendit, conjugium esse vinculum indissolubile, extra scil. fornicationis causam, hanc enim limitationem ibidem Christus addit in illo ipso loco, ad quem Apostolus respicit, atque ex hoc principio hasce regulas deducit: *Uxor à viro non discedat. Vir uxorem non dimittat. Discedens à viro uxor aut maneat innupta aut viro reconcilietur.* Idem ad virum accommodari posse ac debere patet ex regula præcedente: Vir dimittens uxorem aut abstineat à matrimonio, aut dimissam recipiat. Ratio est, quia vinculum conjugii non solvitur nisi per solum adulterium. Ergo quæcunque incidere possint causæ, propter quas conjuges invicem discedant, tamen, nisi adsit adulterium, ipsi conjugali unitati à diametro oppositum, propter nullam earum debet utrique vel alterutri dari potestas novum matrimonium incundi. Duo ergo ex hoc loco Apostolico nascuntur nobis argumenta. Prius sic habet: Tum demum atque eo tantum in casu mulier à viro discedens debet manere innupta, si ob aliam aliquam causam, quam propter adulterium discesserit. Ergo à contrario sensu, si ob adulterium mariti discedat, non tenetur manere innupta, sed post factum à marito adultero divortium novi matrimonii potestas ipsi competit. Antecedens nititur illo fundamento, quod Apostolus hoc loco non agat de casu excepto, sed de generali regula, quod non liceat quibusvis ex causis divortium facere. Posterius sic habet: Si personæ innocenti competit potestas novi matrimonii in casu desertionis, multo magis in casu adulterii eadem innocenti personæ competet. Ratio est, quia adulterium ipsis substantialibus matrimonii & unitati conjugali magis repugnat, quàm desertio. Sed Apostolus in casu desertionis concedit parti innocenti potestatem novi matrimonii. Ergo.

3. *Ab adulterii conditione.* Quodcunque ipsam conjugii formam tollit, propter illud separatio conjugum quoad vinculum fieri potest, sublata enim rei forma tollitur res ipsa. Atqui adulterium ipsam conjugii formam tollit, quia solvit unitatem carnis, fidem conjugalem evertit, adeoque ipsa substantialia matrimonii abolet.

4. *Ex deductione ad absurdum.*

Primo, si parti innocenti, facto propter adulterium divortio, non esset permissum aliud conjugium, ipsa privaretur suo jure præter meritum & culpam. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Connexio probatur, quia in commisso adulterio tantum una pars deliquit, cujus culpam tam non potest nec debet luere pars innocens, quam pars injuste deserta culpam desertoris vel desertricis, quam negat Apostolus servituti esse subjectum. 1. Cor. 7. v. 15. Assumtum probatur ex regula juris Canonici, c. *Sine culpa.* de reg. Juris in 6.

Secundo, si non liceret parti innocenti uxorem ducere, divortium à Filio Dei concessum in causa fornicationis, nihil aliud esset, quam laqueus conscientiæ conjiciens homines in ustiones & fornicationes, adeoque in iram & judicium Dei. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Connexio probatur. Nam forte persona illa innocens non habebit donum continentiæ, ideo in perpetua ustione versabitur, quæ impedit invocationem Dei, aut etiam in fornicationes & adulteria præcipitabitur.

Tertio, si non liceret parti innocenti facto propter adulterium divortio novum matrimonium, Christus cogeret aliquem esse cœlibem. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Connexio probatur, quia Christus in causa fornicationis divortium permisit Matth. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. At si facto divortio non liceret aliam ducere, pars innocens cogeretur ad cœlibatum. Assumtum probatur ex. Matth. 19. v. 12. & ex loco Apostolico. 1. Cor. 7. v. 9.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, parti innocenti dari posse novarum nuptiarum potestatem. Ad hanc classem pertinent,

Primo, Pontificum quorundam scripta.

Leo Epist. 85. (al. 87. ad Episcopos Africæ c. 1. Sacerdotem, qui dimissa uxore aliam duxerat, tantum ab ordine removet, non autem matrimonium ejus dirimit, aut eum ab Ecclesiæ communione repellit.

(Bellarminus excipit, *non fuisse Leoni propositam quæstionem, nisi de ordinatione.* At si Leo judicasset, tale matrimonium esse simpliciter improbandum, utique Sacerdotem illum non tantum ab ordine sacro removisset, sed etiam matrimonium ipsum diremisset, cum ex hypothesi Pontificiorum legibus Christi & Pauli illud directe adversetur.)

Zacharias Papa decrevit, ut uxor repudiato marito, qui sororem constupraverat, alteri viro nuberet, si continere nollet. c. Consuluisti. caus. 32. q. 7. *Concubuisti cum sorore uxoris? Si fecisti, neutram habeas, & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit. Tu autem & adultera sine spe conjugii permaneatis.*

Excipit Bellarm. lib. de matrim. c. 17. respons. ad 11. object. §. Tertius canon, *intelligendum hoc esse de conjugio, quod parti innocenti conceditur post mortem prioris conjugis.*

At hujus exceptionis plane nullum in decreto extat vestigium. Neque ea de re Pontifici proposita erat quæstio, nec ulla requirebat necessitas, rem ex Scripturis notissimam, videlicet quod post mortem conjugis adulteri nuptiæ sint licitæ, definire.

Bellarminus ipse c. 16. §. Non probatur &c. refellit Durandum, qui statuit, *Christum loqui apud Matthæum præsupposita lege veteri, quæ jubebat adulteras occidi, hac enim lege servata licebat in causa fornicationis uxorem dimittere, & aliam ducere. At*, inquit Bellarminus, *non poterat esse quæstio, an liceret uxore ob adulterium lapidata aliam ducere.*

Eodem modo nos respondemus Bellarmino. Non poterat esse quæstio, an liceret uxore post adulterium mortua aliam ducere. Sed & ipsa decreti verba Bellarmini exceptionem refellunt. Quomodo enim de conju-

gio post mortem adulteri repetendo intelligi potest, quod conceditur parti innocenti *nubere in Domino*, dum adulter incestuosus manet *sine spe conjugii*? Num adulter manere jubetur sine spe conjugii, postquam desiit posse matrimonium contrahere in sepulchro? Consideretur etiam legis ratio. *Si se continere non potest, nubat*. Atqui fieri potest, ut se continere nequeat, dum adulter adhuc in vivis est.

Canonistæ excipiunt, *non de adulterio simplice, sed incestuoso sermonem esse, in quo licitum sit parti innocenti matrimonium*. At nihilominus firmum manet, quod aliquando vinculum matrimonii solvatur, ac proinde fundamentum opinionis diversæ, quod in absoluta vinculi indissolubilitate & Sacramenti firmitate consistit, erit subrutum.

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 81. victas dat manus, & Zachariam accenset illis, qui tale repudium *quoad vinculum* permiserunt, & interdum jusserunt, promulgatis super hæc sanctionibus & decretis, non quidem generalibus & perpetuis, sed *ad tempus*, idque *certis nationibus ac gentibus, & in incestibus tantum atq; aliis quibusdam atrocibus flagitiis*, ne longe pejora turpioraque perpetrarentur ab his, qui tam fœda conjugia tolerare non poterant.)

Gregorius 3. in Epist. ad Bonifacium concedit secundum matrimonium cuidam viro ob ægritudinem prioris conjugis. Ergo non judicavit matrimonii vinculum esse penitus indissolubile. Decretum extat c. Quod proposuisti. caus. & quæst. iisd. *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat conjugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui non poterit se continere, nubat magis, non tamen ei subsidii opem subtrahat, quam infirmitas præpedit, non tamen detestabilis culpa excludit.*

(Nos hanc Gregorii decisionem nequaquam approbamus, sed cum Gratiano dicimus, *illam sacris Canonibus ac Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus inveniri adversam*. Sed illud tantum ex eo colligimus, quod Gregorius judicaverit, conjugii vinculum in quibusdam casibus dissolvi posse, ita ut parti innocenti, quæ se continere nequit, aliud matrimonium contrahere sit licitum.

Bellarminus excipit, *Doctores hunc canonem intelligere de ægritudine, quæ reddit mulierem ineptam ad conjugium, & proinde sit impedimentum dirimens matrimonium contractum*. Atqui aliud est frigiditas & inhabilitas, aliud vero infirmitas. Quicquid sit, manet interim illud, Gregorium judicasse, quod in quodam casu vinculum conjugii dissolvi possit.

Lib 4. de Rom. Pont. c. 12. eandem exceptionem Bellarm. repetit, sed videns ejusdem infirmitatem, mox subjicit: *Sed contra hoc est, quod Gregorius videtur judicare, primum fuisse verum matrimonium & non tam solvendum, quam ei secundum superaddendum. Scribit enim, non debere virum à priore uxore subsidium auferre, hoc est, debere eam adhuc ut uxorem alere & sustentare, ideo posset etiam dici cum Glossa*, in caus. 32. q. 7. *Pontificem dare consilium, non præceptum; ut eam, quæ videbatur fuisse uxor, adhuc sustentet, si providentia ipsius indigeat.*

In prioribus editionibus additur, *Gregorium ex ignorantia hic errasse*, sed in editionibus posterioribus illud fuit omissum. Ex quo apparet, Bellarmino aquam hic hæsisse.)

Secundo, Conciliorũ decreta in jure Canonico approbata.

Gratianus c. Quædam. caus. 32. q. 7. adducit capitulum cujusdam Concilii, quod ipse non nominat, cujus decretum sic habet: *Quædam cum fratre viri sui dormivit, decretum est, ut adulteri nunquam conjugio copulentur, illi vero, cujus uxor struprata est, licita conjugia non negentur.*

(Excipit Bellarminus, *hunc canonem posse contemni, cum non extet nomen Concilii, ex quo desumtus sit.*

Sed resp. Gratianus eum in ius Canonicum retulit, nec expunxit eum in correctione sua Gregorius XIII. Pont. Romanus. Sixtus Senensis d. l. judicat esse *Concilii Elibertini* canonem.)

c. Si quis caus. & q. iisd. adducitur decretum Concilii Tiburiensis, vel ut alii legunt, Triburtini. *Si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire, sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere si se continere non potest. Similiter si quis cum filiastra sua; vel cum sorore uxoris suæ dormierit, observandum est.*

(Excipit Bellarminus, *duos illos posteriores canones à Dd. recte exponi de conjugio post mortem prioris conjugis*, quod probare conatur ex c. Hi vero. caus. & quæst. iisd.

Resp. verba utriusque canonis sunt manifesta, citra ullam omnino limitationem ac restrictionem posita. Nec dubitari poterat, an, mortua priore conjuge, licitum sit parti innocenti aliam ducere, quia de eo non nisi hæretici contra expressos Scripturæ textus unquam dubitarunt.

Ex c. Hi vero, Bellarminus contrarium non potest probare, quia novum non est, Gratianum canones sibi invicem repugnantes adducere, quinimo in rhapsodia illa hic scopus ipsius fuit primarius discordantium canonum conciliationem instituere, quæ omnia expendens Sixtus Senensis d. l. concedit, *Patres illorum Conciliorum separationem quoad vinculum approbasse*. Sed addit, *illos non generali ac perpetua sanctione, sed ad tempus, idq; certis nationibus ac gentibus permisisse*, quod sententiæ nostræ confirmandæ sufficit.)

In Decreto Burchardi lib. 6. adducitur canon Concilii Wermaciensis, vel ut alii Codd. legunt, Euormaciensis, qui sic habet: *Si qua mulier cum aliis viris in mortem mariti consiliata est, & ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam uxorem accipere. ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subjecta absque spe conjugii maneat.*

(Eodem modo legit decretum Reginonis. Sed Gratianus lib. 4. Decretalium tit. 19. c. 1. hunc canonem falsavit inserendo tria verba, *post mortem uxoris*. Sed illud fraudis ac falsi crimen nimis manifestum est. Quid enim necesse erat, ea de re canonem condi, quod post mortem uxoris liceat marito, cujus vitæ uxor insidiata erat, aliam ducere, cum hac de re nullum unquam extiterit dubium? Ipsa etiam adversativa ostendit, verba illa, *post mortem uxoris*, esse supposititia & adjectitia. Quæ enim hæc connexio? Maritus, cujus vitæ insidiæ ab uxore structæ, post mortem uxoris potest aliam uxorem accipere, sed ipsa insidiatrix pœnitentiæ subjecta absque spe conjugii maneat. Imo vero ideo hæc gratia ducendi aliam conjugem marito conceditur, quia ipse est pars læsa; uxori vero denegatur, quia ipsa est pars lædens & offendens.)

Tertio, dicta Patrum in jus Canonicum relata.

c. Uxor. caus. & quæst. iisd. adducitur dictum Ambrosii: *Uxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis. Quod si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro suo, & vir similiter non dimittat uxorem, ideo non subdit de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam.*

(Excipit Bellarminus, Gratianum d. l. & Lombardum 4. sent. dist. 35. contendere, *ea verba inserta fuisse commentario hujus autoris ab aliquo falsario.*

At hac exceptione elidi possent omnia, quæcunque ex Patrum scriptis ab Adversariis contra nos proferuntur. Stylus horum verborum ad amussim congruit cum reliqua orationis compage, ac si à falsario dicantur addita, textui Apostolico commentarii vice nihil adscriptum fuisse consequetur.

Alii respondent, *loqui autorem de lege politica Cæsarum, quod videlicet liceat viris, non autem fœminis per leges Cæsarum repudiata conjuge aliam ducere.*

Atqui non juris civilis, sed suam Ambrosius adducit sententiam, eamque ex textu Apostolico probare conatur.

Quidam Canonistæ respondent, *Apostolum loqui de casu incestuosæ fornicationis.*

Alii eò abeunt, *quod post mortem adulteræ viro hoc licere censeant*, sed nihil horum in textu adducitur, ideo Bellarminus tandem eò abit, quod *commentarii illi non sint Ambrosii, neq; alicujus ex celebratis Patribus.*

Atqui Bellarminus ipse lib. 4. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 5. & lib. 4. de Justif. c. 8. statuit, *autorem horum commentariorum fuisse Damaso & Hieronymo σύγχρονον*, & sub nomine *Ambrosii* eosdem sæpius allegat.

Sixtus Senensis Ambrosio eos tribuit, ac sufficit nobis contra adversarios, quod à Gratiano sub nomine Ambrosii in jus Canonicum sint relata.)

Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. ann. 81. p. 465. Tertullianum & Ambrosium refert in classem eorum, qui *certa & indubitata assertione utriusq; repudii quoad thorum & vinculum licentiam approbarunt*, ac diserte addit, *In hac sententia plerique veterum fuisse putantur.*

Covarruvias multos ex veteribus enumerat, qui nostram amplectuntur in hac quæstione sententiam.

Quarto, Ecclesia Græca hodierna docet, licitum esse novum

novum matrimonium, facto ob causam fornicationis divortio, (quam sententiam procul dubio ex veteribus Ecclesiæ suæ Doctoribus accepit.)

Bellarminus lib. de matrim. cap. 15. §. sentiunt. *Græci sentiunt, in causa fornicationis posse conjugem innocentem non solum separari quoad thorum, sed etiam quoad vinculum, à conjuge, & aliud matrimonium inire. Id enim inter eorum errores numerat Guido Carmelita in Summ. de hæreticis. Et in Concilio Florentino sess. ult. Pontifex ipse Eugenius Græcis dixit, eos graviter à Latinis accusari, quod matrimonia dissolverent, neque illi negare ausi sunt, sed rationes suas se habere responderunt. Denique notum est, hoc tempore Græcos reipsa matrimonia dissolvere, & conjugibus alia matrimonia ineundi potestatem facere in causa adulterii.*

(Ergo Græcæ Ecclesiæ suffragium Bellarminus nobis largitur.)

Benedictus Justinianus in comm. cap. 7. Rom. *Præterea, quod magis mirandum est, Græcorum consuetudo etiam nunc in lege Evangelica propter fœminæ adulterium ita divortium probat, ut innocenti fas esse putetur secundum jure connubium.*

Quinto scriptores quidam recentiores.

Thomas de Vio Card. Cajetanus in comm. Matth. 19. *Intelligo ex hac Domini JESU CHRISTI lege, licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Nam Decretales Pontificiæ de hac materia non sunt definitivæ fidei sed judiciales facti. Profitentur autem ipsimet Pontifices, ut patet in cap. 4. de Divortiis, & in cap. Licet, de sponsa duorum, Romanos Pontifices aliquando in his judiciis matrimoniorum errasse. Nec ego sum primus, qui sic intellexi Evangelii textum, quoniam ante annos mille B. Ambrosius sic intelligens idem docuit.* Similia occurrunt in comm. cap. 5. Matth.

Ambrosius Catharinus Episcopus Compsanus scripsit integrum librum de hac quæstione, in quo inter cætera sic loquitur: *Stat sententia Domini apud Matthæum his verbis: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Hæc una oratio, nisi vim literæ afferamus, profecto duarum orationum vim habet. Una est affirmativa continens hujusmodi regulam: Si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit & aliam duxerit, mœchatur. Altera est negativa, quæ continet exceptionem à regula propter particulam illam Nisi; & est: Si quis uxorem ob fornicationem dimiserit & aliam duxerit, non mœchatur. Si igitur sic intelligatur hæc Domini sententia, ut verba ipsa quam manifestissime videntur porrigere, jam est decisa quæstio. Cum ergo ad verba Domini non sit hactenus ulla expositio, quæ afferat quietem, si volumus sustinere esse illicitã cum altera copulam etiam ex causa fornicationis, videtur satis justificari Cajetanus, qui putavit, ex hac Domini lege, ut litera plane sonat, licere Christiano dimittere uxorem suam ex causa fornicationis & aliam ducere, quod & aliis rationibus videtur posse persuaderi. Est inprimis magna illa ratio, quam ipse Cajetanus affert, & alii ante illum cogitaverunt, & potest cuiq; parum cogitanti facile occurrere, videlicet. Omnis responsio sapientis debet aptari atque interpretari ad mentem & sensum interrogantis, alias non esset respondere, sed verba dare. Quando igitur Dominus rogatus est à Pharisæis, An liceret uxorem dimittere? rogatus est de dimissione perpetua ac perfecta cum licentia ducendi aliam. Hujusmodi rationes plures postea subjicit.*

In Comm. 1. Epist. Corinth. cap. 7. scribit, *videri sibi rem esse impendiò duram & iniquam, ut vir innoxius, interim ætate virens & in Venerem proclivi, nullo suo delicto, imo ex aliena culpa & in seipsum illata injuriã cogatur mutare statum, & perpetuo cœlibem ac luctuosam vitam ducere, libidinis incendio & orbitatis molestiæ conjunctam, cum nec sit fas cum adultera conjungi, nec appetere alienam.*

(Circa hoc Ambrosii Catharini suffragium observa, quod alias Catharinus acerrime solitus fuerit insectari scripta Cajetani & errores ex illis colligere. Sed in hac quæstione suum ipsi adjicit calculum, quod arguit à clara & liquida veritate ipsum fuisse victum.

Fatetur enim lib. annot. in Comment. Cajetan. & in Comment. 1. ad Corinth. citante Sixto Senensi lib. 6. Bibliothec. annot. 81. & Bellarmino de Sacram. matrim. cap. 5. *nihil posse ex Evangelio vel Apostolorum Scriptis adferri, quare marito uxorem ob adulterium repudianti aliam ducere non liceat; durumq; ac iniquum existimat, hominem innocentem in ætatis suæ flore ad perpetuum cœlibatum ac concupiscentiæ flammas cogi, neq; ei remedium per aliud conjugium permitti.*

Quod v. uterq; sententiam suam subjicit *Romanæ Ecclesiæ*, h. e. Pontifici Romano, de eo quid statuendum sit, in prooemio hujus Tractatus fuit expositum.)

Erasm. in annot. ad c. 19. Matth. p. 62. *Divortii illud genus, quod ita dirimit consuetudinem domesticam, ut nihilo secius maneat Conjugii vinculum, nomen duntaxat habet divortii, quod cum à nobis sit repertum, de hoc non percontatos Judæos per se liquet, quibus prorsus erat ignotum.*

(E. nec Christus in responso suo de illo divortio quoad thorum tantum agit.)

Idem in 1 Cor. 7. p. 325. *Non defuerunt, qui ita senserunt, à recte diremto matrimonio licuisse cum alia copulari, ne quis protinus hanc propositionem, velut inauditam & modis omnibus absurdam, existimet explodendam & indignam, quæ vocetur in disputationem. Siquidem Origenes homil in Matth. 7. testatur, sibi notos fuisse quosdam Episcopos, qui permittunt uxoribus, quæ cum viris divortium fecerant, aliis nubere viris, ac fatetur hoc ab eis factum adversus præceptum Domini ac Pauli, sed tamen factum non damnat, quod existimet, illos probabili causa adductos id permisisse, ne quid deterius committeretur, nimirum obsecutos duritiei cordis, quo consilio Paulus permiserit & viduis incontinentibus secundas nuptias. Quod exemplum ita confert Origenes, ut durius videri velit, viduæ, quæ libidinis, non prolis gratia maritum alterum desideret, permittere novas nuptias, quam viro permittere, ut rejecta uxore adultera ducat se digniorem. Deinde non videtur addubitare, quin viro liceat, cui permittit Evangelium ob adulterium repudiare; nec Paulus huic præcipit, ut uxori reconcilietur, sed annotavit Origenes, hoc etiam ab Episcopis uxoribus permissum, quod Paulus nominatim videtur prohibere. Ejusdem opinionis fuit Pollentius quidam, vir, ut apparet, gravis & eruditus, contra quem libris duobus agit Augustinus. Sed agit non ut cum hæresiarcha, sed ut cum antagonista. Itaq; refellit ejus sententiam, ut hæreseos crimen non intentet. Quin & D. Ambrosius sine controversia vir non orthodoxus modo, verum etiam probatæ sanctimoniæ, tribuit viro jus ducendi alteram uxorem ubi priorem ob culpam admissam repudiarit. Neq; dubium est, quin is Episcopus exercuerit in suis, quod recte jureque fieri scripsit &c.*

Postea adducit locum ex comm. Ambrosii in 1. Cor. 7. & addit: *Sane frigidum est, quod Petrus Lombardus, adducens enim locum ex Ambrosio, sic diluere conatur, ut dicat, hæc verba à falsariis indita libris Ambrosianis, cum & stylus ad unguem congruat, neque quidquam alioqui sit illic adscriptum vice commentarii. Nihil negotii fuerit, quemvis nodum ista ratione dissolvere, si quis recipiat &c.*

Et paulo post. *Nemo poterit inficiari, leges Christi multo æquissimas esse, longeq; præcellere, sive cum lege naturali, sive cum humanis legibus conferantur &c. An igitur æquum videtur, ut maritus cum uxore flagitiis operta, quibus neq; causam dedit neq; mederi possit, cogatur vivere, cum qua vivere non sit vivere, aut si divertat, compellatur omnem ætatem orbus, destitutus ac velut eviratus degere? Sit æquum ei, qui divortio causam dedit, adimi jus iterandi conjugii; cur is plectitur, qui nihil est commeritus, nisi quod parum feliciter duxit uxorem: aut quis unquam audivit fortunam puniri, si absit culpa, præsertim lege divina? Quid est hoc aliud, quam afflicto afflictionem addere, cui subventum oportuit &c. Si facit adulteram, qui sine legitima causa repudiat uxorem, & non facit adulteram, qui vetat inire matrimonium, cum eo sit habitu corporis, ut castitas non sit exigenda? Quod si res palam pugnat cum æquitate naturali, videndum est, an secus interpretanda sint, quæ super hac re leguntur in Evangelicis & Apostolicis literis. Liceat enim hic, quod in aliis Scripturæ locis facere non veremur. Excutiamus quando, quibus, qua occasione dictum sit, & fortassis veram germanamq; sententiam deprehendemus.*

Post respõdet ad dicta scripturæ, & rationes à veterib⁹ adductas.

(Horũ trium videl. Cajetani, Catharini & Erasmi suffragium nobis largitur Jacobus Tirinus Jesuita in comm. Matth. 19. 9.)

In Concilio Tridentino, *in eo canone, ubi de divortio per causam adulterii tractatur, abstinuerant Canonum formatores uti voce anathematis, non temere damnandam putantes illam opinionem, quæ S. Ambrosii fuit, multorumque Patrum Græcæ Ecclesiæ. Verum aliis existimantibus, articulum esse fidei, & in id concurrentibus omnium pene Patrum sententiis, reformatus est canon, addito anathemate, Si quis diceret adulterio dissolvi vinculum matrimonii, & unum conjugum vivente altero aliud matrimonium contrahere posse; qui Canon postea aliam mutationem passus est.* Petrus Suavis lib. 8. Hist. Conc. Trident. p. 869.

In eodem Concilio *Oratores Veneti postulatum quoddam suum recitandum curarunt super anathemate de divortiis, cujus hæc summa: Quandoquidem ipsorum Respublica habeat in potestate regna Cypri, Cretæ, Corcyræ, Zacynthi, Cephaloniæ à Græcis habitata,*

habitata, quibus ab antiquissimo tempore in more positum est, uxorem adulteram repudiare, aliamque ducere, de quo ritu toti Ecclesiæ notissimo nunquam ab aliquo Concilio damnati aut reprehensi sunt, iniquum esse illos absentes, nec ad hoc Concilium vocatos, condemnare. Idem Suavis Lib. eod. p. 879.

Nævizanus Sylv. nuptial. Lib. 1. n. 144. itidem defendit *divortium quoad vinculum.*

Salomonius JCtus Pontificius in repetit. l. Gallus. §. Quidam. de Lib. & posthum. idem statuit.

Duarenus de divort. probat, *Carolum Magnum, Ludovicum, Lotharium statuisse, quod post divortium propter adulterium factum liceat aliud matrimonium contrahere.*

Addit etiam, *non esse verisimile, quod tempore Iustiniani locus Evangelii, quo uno Canonistæ nituntur, aliter intellectus fuerit, quam ut cum Evangelio staret Iustiniani legislatio.*

Bellarminus Lib. de matrim. cap. 15. §. 1. *In quæstione de solutione matrimonii consummati quoad vinculum, multos habemus adversarios, Græcos, Latinos, hæreticos & Catholicos.*

2. Quod quidam negant, Matrimonium esse Sacramentum proprie dictum, quorum testimonia in cap. præced. sunt allata.

(Ex hac enim hypothesi deducunt matrimonii *quoad vinculum* inter conjuges viventes absolutam indissolubilitatem.)

Bellarminus Lib. de Matrim. cap. 12. §. penult. *Magnum est discrimen inter conjugia contracta in infidelitate, & conjugia contracta post Baptismum. Priora enim, etsi rata sint & firma ex Natura sua, tamen Sacramenta non sunt, & ideo deest illis potissima ratio insolubilitatis. At posteriora Sacramenta sunt, & proinde duplicem habent rationem insolubilitatis. Quod ergo Apostolus docuit de matrimoniis in infidelitate contractis, non debet extendi ad matrimonia contracta post Baptismum, & idcirco si alter conjugum convertatur ab hæresi, & alter nolit cohabitare sine injuria creatoris, non solvitur matrimonium quoad vinculum, nō quia hæresis non sit species infidelitatis, sed quia matrimonium illud post Baptismum contractum fuerat, & ea de causa Sacramentum erat; & similiter si alter conjugum Christianorum fiat non tantum hæreticus, sed etiam apostata ethnicus, tamen nunquam solvitur matrimonii vinculum, quia Sacramentum est.*

Lib. ejusd. cap. 16. § accedat. *Rationem à Sacramento ductam pro omnimoda matrimonii insolubilitate valde urget Augustinus.*

3. Quod veterum quorundam suffragium nobis largiuntur.

Bellarminus Lib. de matrim. cap. 16. §. Seculo tertio &c. & ex eo Bailius in Catech. controv. tract. 3. q. 16. opponunt nobis dictum Tertulliani Lib. 4. contra Marcionem cap. 34. ubi objicienti Marcioni, *Christum contrarium esse Mosi, quia prohibuit divortium, quod ille concesserat,* respondet his verbis: *Dico conditionaliter illum nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat.*

Sed Sixtus Senensis Lib. 6. Biblioth. annotat. 81. Tertullianum numerat inter eos, qui *certa & indubitata assertione utriusque repudii, nempe tori & vinculi, licentiam probaverunt.*

Ac Pamelius annot. 537. ad Tertull. sic scribit: *Quidam putant errorem esse in Tertulliano, quod hic dicat, Christum conditionaliter fecisse divortii prohibitionem, sed salvo meliori judicio, non tam in illo videtur errare, quam in eo, quod infra sequitur, ubi videtur velle divortium ex causa adulterii ita licere, ut possit vir alteram uxorem ducere.*

(Tertullianus in loco citato hoc vult, *non esse legitimam divortii causam amorem alterius mulieris,* non autem dicit, *si divortii causa sit adulterium, tum non licere aliam uxorem ducere,* quod ipsum dicere Bellarminus fingit.)

Idem Sixtus Senensis d. l. p. 463. sic scribit: *Thomas Cajetanus in commentariis Matthæi, ad locum cap. 19. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; ita differit, ut videatur decernere, quod liceat uxorem adulteram repudiare & aliam ducere &c. In cujus sententia plerique veterum Patrum fuisse putantur, quorum testimonia partim à Catholicis, partim ab hæreticis ad cōfirmationem hujus dogmatis usurpata hæc sunt: Ambrosius in cap. 7. prioris ad Corinthios: Tertullianus Lib. adv. Marcionem quarto: Hilarius canone in Matthæum quarto: Autor operis imperfecti homil. 32. in Matthæum: Chrysostomus homil. 17. in Matthæum: Euthymius Chrysostomi abbreviator in Matthæum cap. 5. Theophylactus in cap. 16. Luc. & in cap. 5. Matth. Augustinus Lib. de fide & operibus cap. 19. Chromatius Aquilejæ Episcopus in comment. Matth. 5. Zacharias Papa primus apud Gratianum caus. 32. q. 7. Elibertinum Concilium apud Gratianum ead. quæst. Concilium Moguntiacum & Triburiense apud eundem Gratianum. Ambrosius Compsæ Episcopus in comm. 1. ad Corinth. & in quinto præsertim Annotationum volumine &c.*

Horum omnium verba formalia adducit Sixtus & addit: *Atque hæc sunt, quæ apud Catholicos autores animadversioni digna legi.*

Et postea: *Verum his omnibus obviat immobilis Ecclesiæ fides, cujus autoritate statutum est, matrimonium ubi semel coiit, nullo pacto posse dirimi, nisi morte alterius &c. Nec quis ergo scrupulus ex allatis Patrum sententiis &c. animo lectoris insideat, sciendum est, Catholicos autores duplici ordine distingui: Ex his prior illos complectitur, qui maritis quidem concedunt, consulunt, ac interdum præcipiunt, ut adulteras uxores & præsertim incorrigibiles domo ejiciant, ac repudient, sed alteram accipere conjugem nec suadent, nec permittunt. Complectitur etiam eos, qui viros quidem à concubitu & convictu adulteræ conjugis dirimunt, sed à jure matrimonii, à fœdere nuptiarum, & à vinculo Sacramenti neminem conjugatum altero vivente absolvunt. In hac serie sunt Hilarius, Chrysostomus, Chromatius, Autor operis imperfecti, Euthymius, Theophylactus & præcipuè Augustinus.*

(Sed hæc Sixti responsio adversatur Naturæ divortii legitimi, per quod ipsum matrimonii vinculum solvitur, ac proinde novis nuptiis aditus conceditur, tum ipsis veterum verbis. Hilarii verba sic habent: *Cum lex libertatem dandi repudii ex libelli autoritate tribuisset, nunc marito fides Evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam reatum coacta in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis causa nubenda sit, nullam aliam causam desinendi à conjugio præscribens, quam quæ virum prostitutæ uxoris societate pollueret.*

Sixtus pro verbo desinendi, substituit verbum *detinendi,* contra omnium Codicum fidem, & contra contextus seriem. Chrysostomi verba in 1. Cor. 7. sic habent: *Quando vir dimiserit uxorem absque causa stupri, quando alter ejectam vivente viro duxerit, cum ejecta illa punietur;* ubi manifestum est, de tali dimissione sermonem esse, quæ novi matrimonii potestatem includit. Illud manifestius est ex eo, quod Chrysostomus ibid. homil. 19. in 1. Cor. 7. causam explicans, quare divortium permittatur ob adulterium, non autem ob idololatriam, sic differit: *Quoniam hic spes reliqua est, posse per conjugem servari partem pereuntem, at illic, jam solutum est matrimonium. Præterea illic quidem post fornicationem maritus non est maritus, hic autem mulier licet sit cultrix idolorum, non amittitur jus mariti.* Nota, solutum esse matrimonium in causa adulterii, & maritum non esse maritum. Chromatii verba hæc sunt: *Excepta causa fornicationis dicens uxorem non licere dimitti, aperte demonstras, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam libidinis voluptatem absque fornicationis causa dimissis uxoribus in alia volunt transire conjugia &c.* ubi itidem manifestum, de tali dimissione sermonem esse, quæ transitum ad alia conjugia includit. Autor operis imperfecti sic loquitur: *Fatuus & injustus est, qui retinet meretricem, nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. Imitatores ergo debemus esse Dei, ut, sicut ille agit cum Ecclesia, sic nos agamus cum conjuge. Ille enim nunquam derelinquet, nisi ad gentilitatem & ad hæresin voluntarie transierit, sic & vir meretricem quidē dimittat, alias autem male morigeratam castiget & teneat.* Subsumo: Deus ita dimittit Ecclesiam spirituali adulterio se polluentem, ut aliam sibi Ecclesiam in sponsam assumat. Ergo etiam maritis jus competit novi matrimonii post adulterarum conjugum divortium.

Euthymius & Theophylactus itidem loquuntur de vero divortio, quod solutionem *quoad vinculum* complectitur: Augustinum *adversæ sententiæ* addictum fuisse fatemur, interim d. l. ejus verba sunt manifesta: *Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus iis, qui excepta causa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Sic ergo Sixtus contra mentem veterum dicta ipsorum detorsit. Pergit vero:)

In posteriore ordine collocantur, qui utrumque docent divortium, hoc est, à contubernio & connubio, & hi quoque in tres classes dirimuntur, quarum prima continet eos, qui hanc positionem proponunt, non ut firmæ determinationis sententiam, sed ut probabilem opinio-

opinionem, doctorum disputationibus excutiendam, & Ecclesiæ autoritate judicandam. quales ætate nostra fuere Thomas Cajetanus Presbyter Cardinalis, & Ambrosius Compsæ Archiepiscopus.

(Uterque sententiã hanc probat ex verbis Christi, quod nobis sufficit. Quod enim Christus docet, illud citra Ecclesiæ definitionem ratum est & firmum.)

Secunda habet eos, qui hujus modi repudia permiserant, & interdum jusserunt, promulgatis super hac sanctionibus & decretis. non quidem generalibus & perpetuis, sed ad tempus, idq; certis nationibus & gentibus, & in incestibus tantum atq; aliis quibusdam atrocibus flagitiis, ne longe pejora, turpioraq; perpetrarentur ab his, qui tam fœda conjugia tolerare non poterant. In horum numero ponendi sunt Episcopi illi, qui tempore Origenis repudia concesserunt. Zacharias item Papa primus atq; omnes ii Patres, qui in Synodis provincialibus Elibertina, Moguntina ac Triburtina idem provincialibus suis pro eo tempore constituerunt.

(Atqui nisi Christi autoritate edocti essemus, adulterio solvi conjugii vinculum, nulla autoritate humana ejusmodi conjugia solvi potuissent.)

Tertia demum classis concludit illos, qui certa & indubitata assertione utriusq; repudii licentiam probarunt, ceu Tertullianus & Ambrosius, quanquam Magister sententiarum lib. 4. dist. 35. existimet, Ambrosii commentaria eo loco à falsariis corrupta.

(Sed hæc Lombardi conjectura nullo plane nititur fundamento. Si pro arbitrio liceret fingere corruptelas invectas, promtum foret, ad omnia eodem modo excipere.)

Benedict. Justinianus in comm. cap. 7. Rom. *Præterea, quod magis mirandum est, Græcorum consuetudo etiam nunc in lege Evangelica propter fœminæ adulterium ita divortium probat, ut innocenti fas esse putetur secundum inire connubium, quod quidem simpliciter licere plerique canones apud Burchardum indicare videntur.*

4. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Canonistæ in c. Quod proposuisti. c. Concubuisti. c. Quædam. caus. 32. q. 7. concedunt personæ innocenti adulteram dimittenti secundas nuptias, *si adulterium fuerit incestuosum, cum reconciliatio locum habere nequeat.*

(Ergo matrimonii vinculum non esse simpliciter indissolubile agnoscunt.)

Canones autem illi necessario intelligendi veniunt de contrahendo matrimonio parte incestuosa adhuc vivente, quid enim alias opus foret permissione post mortem? Est igitur inane Canonistarum subterfugium, quod non potuit approbare Sixtus Senensis, fatetur enim à veritate coactus lib. 6. Biblioth. annot. 81. quod *Papæ hujusmodi repudia non solum permiserint, sed interdum etiam jusserint, promulgatis super hac re transactionibus & decretis, non quidem generalibus & perpetuis, sed ad tempus, idq; certis nationibus ac gentibus, ne longe pejora turpioraq; perpetrarentur.*

Secundo, Bellarminus lib. de matrim. cap. 12. §. 8 *licitum esse* asserit *marito ad fidem converso uxorem infidelem dimittere, etiamsi illa velit cohabitare.*

(Si licet dimittere uxorem infidelem, multo magis licebit dimittere uxorem adulteram. Quamvis enim infidelitas in se ac per se sit gravius delictum, quam adulterium, tamen vinculo conjugali magis directe opponitur adulterium, quam infidelitas, cum ipsis substantialibus matrimonii & unitati Conjugali magis repugnet.

Agnoscit hoc Bellarminus ipse lib. de matrim. cap. 17. resp. ad 3. *Etiamsi fornicatio spiritualis, videlicet idololatria, infidelitas &c. sit majus peccatum absolute, tamen magis repugnat conjugio fornicatio corporalis, & ideo si fornicatio spiritualis solveret vinculum, solveret etiam corporalis.*)

Tertio, idem Bellarm. d. l. cap. 17. resp. ad 9. scribit: *tempore Augustini non fuisse hoc dogma de matrimonio etiam per adulterium indissolubili ab aliquo generali Concilio determinatum.*

(Ergo tempore Augustini nondum fuit pro dogmate Catholico in Ecclesia habitum, cui non licuerit ulla ratione contradicere, sicut Patres Tridentini sub anathematis fulmine illud determinarunt.)

Quarto, idem Bellarminus d. l. in resp. ad object. 14. statuit *per libellum repudii ipsum vinculum matrimonii in V. T. fuisse solutum, ac post repudium permissum fuisse novum matrimonium,* quod ipsum aliquot argumentis confirmat.

(Ergo quando Christus Matth. 19. de divortio cum Pharisæis loquitur, non intelligit divortium *quoad thorum & mensam tantum*, sed etiam *quoad vinculum*, quia prius illud *Judæis plane fuit ignotum*, ut monet Erasmus in annot. 1. Cor. 7. Jam vero Christus in causa fornicationis sive adulterii divortium adhuc in Nov. Test. licitum esse docet. Ergo de divortio quoad vinculum hoc est intelligendum.)

Quinto. Concilium Tridentinum *vulgatam versionem* pronunciavit *authenticam, ut nemini liceat quovis prætextu ab ea discedere.*

(Atqui vulgata illa versio Matth. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. particulas παρεκτὸς καὶ εἰ μὴ exposuit *exceptive*. *Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, nisi ob fornicationem.* Quod si particulæ illæ exceptive accipiuntur, dictum Christi manifeste probat nostram sententiam, quod scilicet ob fornicationem liceat dimittere uxorem & aliam ducere. Quo referri etiam potest illud, quod Bellarminus lib. de matrimonio cap. 17. resp. ad object. 1. agnoscit, *Christum concedere dimissionem restrictam ad fornicationis causam.*)

Sexto Bellarminus d. l. propositionem Christi cap. 17. resp. ad 3. object. §. Ponit &c. *Qui uxorem dimiserit excepta fornicationis causa, mœchatur;* confert cum illa propositione, *Qui, nisi ob inopiam, furatur, peccat.*

(Ut ergo ex hac posteriore propositione à contrario sensu recte infertur, ergo qui ob inopiam furatur, non peccat: ita quoque idem judicium esse debet de propositione Christi, *Qui, nisi ob fornicationem, dimittit uxorem, mœchatur:* Ergo qui ob fornicationem eam dimittit, non mœchatur. Negat quidem Bellarminus propositionem illam. *Qui, nisi ob inopiam furatur, peccat,* esse exclusivam, sed redarguit eum usus loquendi.)

Septimo, ibidem Bellarm. propositionem Christi confert cum illis, Apoc. 9. *Præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ neq; omne viride, neq; omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus.*

Et cap. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ.*

(At in illis exemplis vis exceptionis manifesta est, siquidem sensus est, quod tantum illi homines læsi sint, qui non habuerunt signum Dei in frontibus suis, ac quod illi tantum in cœlestem Hierosolymam intrabunt, qui scripti sunt in libro vitæ.)

Octavo, Cornelius Jansenius in Harm. c. 96. concedit, Christum Matth. 19. loqui de separatione quoad vinculum, *Dominus* (inquit) *hic loquitur de ea separatione, quæ tollit vinculum conjugale, qua scilicet fit, ut mulier non sit alligata legi viri, sed vivente viro sine crimine adulterii possit conjungi.*

(Ex illo sic concludimus, Soluto matrimonii vinculo datur potestas novi matrimonii. Atqui in divortio propter adulterium facto solutum est matrimonii vinculum. Ergo in divortio propter adulterium facto datur potestas novi matrimonii.)

5. Variæ illæ ac diversæ Adversariorum expositiones, quibus clarissima Christi verba Matth. 5. & 19. detorquent.

Bellarminus de matrim. cap. 16. §. Cur autem &c. *Cur id non debeat inferri,* (quod propter adulterium uxorem dimittens & aliam ducens non peccet) *cum plane sequi videatur,* (notetur hoc, quod vis veritatis ipsi expressit) *multæ causæ reddi solent.*

Durandus dicit, Christum loqui apud Matthæum præsupposita lege veteri, quæ jubebat adulteras occidi, hac enim lege servata licebat in causa fornicationis uxorem dimittere & aliam ducere, quia nimirum propter adulteræ supplicium extremum dirimebatur vinculum conjugii. Hæc solutio mihi non probatur &c.

Hac ergo solutione omissa aliqui dicunt, verbum mœchatur, referendum esse divisim ad utramq; partem sententiæ hoc modo: Quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur; & qui aliam duxerit, mœchatur, Bis enim mœchatur, qui uxorem ducit priore dimissa extra casum fornicationis, semel quidem adulterio uxoris, cujus ipse causa fuit per injustam dimissionem, & semel adulterio proprio, per novæ uxoris, vivente priore, conjunctionem.

Alii dicunt, nec minus probabiliter, illud, nisi ob fornicationem, non pertinere nisi ad dimissionem, cum qua immediate conjungitur, & esse per parenthesin pronunciandum, & aliquid subintelligendum, hoc modo: Quicunq; dimiserit uxorem, quod non licet nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Sunt & aliæ explicationes minus probabiles, quas Abulensis, Alphonsus de Castro & alii excogitarunt. Sed optima est Augustini lib. 1. de adult. conjug. cap. 6. ubi docet, illud, nisi ob fornicationem, accipiendum esse negative, non exceptive.

(Hæc

Hæc omnia Bellarminus, quæ irritum eorum conatum, qui à proprietate & perspicuitate literæ discedentes peregrinas explicationes quærunt, satis manifeste comprobat. Pii ac moderati animi est, non operose quærere, quomodo Scriptura variis modis torqueri possit, sed quæ sit propria & genuina cujusque loci sententia.)

Salmero tom. 8. tract. 48. excipit, *in forma argumenti esse fallaciam consequentis, quæ tunc committitur, cum ab opposito antecedentis oppositum consequentis deducitur. Ut si quis argumentum nectat: Si homo est, animal est, sed homo non est, ergo nec animal. Vel, si fumus est, ignis est. Sed fumus non est, ergo ignis non est. Ita hic, excepta causa fornicationis non licet dimittere uxorem, ergo non excepta licet dimittere.* Affert instantias in simili modo loquendi: *Interficiens uxorē non fornicantem peccat, ergo adulteram occidens non peccat.*

(At nulla est in argumento nostro ex verbis Christi deducto consequentis fallacia, ac longe diversi generis sunt exempla, quæ pro similibus inducuntur. Nam hoc genus exceptionum, quale in verbis Christi proponitur, non est *simplex modificatio* ut loquuntur, sed est *de rebus diversis ejusdem attributi affirmatio & negatio*, v. g. Matth. 11. v. 26. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque quisquam Patrem novit, nisi Filius.* Hic non significatur tantum pars affirmans de Patre & Filio, quasi dictum sit, Pater novit Filium, Filius novit Patrem: sed etiam simul definitur, non nosse Filium nisi quicunque sit Pater. Quod si rem recta æstimamus via, non tam consequentia est, quam ex verbis Christi deducimus, quam diserta positi axiomatis expressio. Ac res ipsa testatur, exempla à Salmerone opposita esse aliena. Ut enim cōcedimus, non sequi, *Interficiens uxorē non fornicantem peccat, ergo adulteram occidens non peccat*; ita negamus quenquam sanæ mentis dicturum: *Omnis occidens uxorem nisi fornicantem,* peccat, quæ tamen est forma axiomatis, de quo disputamus.

Latomus lib. de matrimon. & Lindanus lib. 4. panopl. cap. 95. repetunt Augustini explicationem, quod *Christus voluerit hic majus adulterii genus damnare, non generaliter omne. Magis enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante alteram ducere, quam si fornicantem quisquam dimiserit, & tunc alteram duxerit? Non quia istud etiam adulterium non est, sed quia minus est.*

(Sed hæc expositio Augustini ne ipsi quidem Salmeroni probari potuit. *Addidit præterea,* inquit, *divus Augustinus aliam solutionem, exceptam causam fuisse fornicationis, in qua mœchia, præ illa, quæ est extra dictum casum, non est vocanda mœchia. Sed dura profecto explicatio videri posset, quia Dominus occasionem dedisset existimandi, non esse mœchiam, si quis in causa fornicationis aliam acciperet uxorem, maxime cum exceptio sine comparatione negandi vim habeat.*

Alii excipiunt, *Christum loqui de separatione thori, non de solutinoe vinculi, quia si intelligas de dimissione quoad vinculum, frustra & superflue additum fuisset, & aliam duxerit, quia hoc inclusum erat in tali dimissione, posse aliam ducere. Idem confirmat verbum Domini apud Marcum, Adulterium committit super eam vel adversus eam, id est, in injuriam illius. Non ergo dimissum est vel solutum vinculum viri sui antiqui secum, sed adhuc perseverat.* Salmero.

(Atqui solutionem thori & solutionem vinculi in legitimo divortio distinguere, recens est Scholasticorum inventum. Nec superflua censenda additio. Non enim idem est dimittere priorem & aliam ducere, cum possit is, qui priorem dimisit, illa dimissa viduam vitam colere. Quando Christus dicit, *eum, qui dimiserit, uxorem, mœchari adversus eam*, loquitur de eo, qui repudiat non adulteram; eum vero, qui adulteram repudiat, mœchari adversus adulteram, Christus nunquam dixit. Ac probe notandum, Pontificios docere, *non solum ob adulterium, sed etiam ob alias causas, cum primis propter votum solenne ex mutuo consensu factum, posse solvi thorum.* Quod si ergo Christus tantum de solutione thori esset locutus, falsum foret ejus enunciatum exclusivum, non licere dimittere uxorem nisi propter fornicationem. At hoc consequens est absurdissimum. Sed & ex Erasmo paulo ante monuimus, *Christum hic respondisse Pharisæis inquirentibus de divortio, quod apud Judæos nullum erat, nisi vinculi.* De eodem ergo divortio etiam Christi verba intelligenda.)

Sed nec Bellarminus invenit, ubi pedem figere velit vel etiam possit. Verba Christi modo *exceptive*, modo *negative* accipienda esse disputat. *Verba Matthæi*, inquit lib. ejusdem cap. 17. resp. ad 3. object. *nisi ob fornicationem, possunt accipi vel exceptive vel negative. Si accipiantur exceptive, respondendum est, Christum non loqui de dimissione quoad vinculum, sed solum quoad thorum, quando concedit dimissionem in causa fornicationis &c. Si cum Augustino accipiamus illa verba, nisi ob fornicationem, non exceptive sed negative, tunc admittimus, Christum loqui de dimissione quoad vinculum. sed negamus, concedi istam dimissionem in causa fornicationis. quia illud, nisi ob fornicationem, non est exceptio, sed negatio. Negat Dominus, licitam esse talem dimissionem sine causa fornicationis, sed non dicit esse licitam si adsit causa fornicationis.*

(Atqui posterior expositio repugnat priori. Si enim loquitur Christus tantum de dimissione *quoad thorum*, quod in priore explicatione Bellarminus evincere voluit, falsum est, eum loqui de dimissione non tantum *quoad thorum*, sed etiam *quoad vinculum*. Si verborum Christi hic est sensus, quod liceat propter fornicationem dimittere uxorem, non tamen aliam ducere, quod in priore explicatione evincere voluit Bellarminus, falsum erit, Christum non dicere, quod sit licita dimissio, si adsit causa fornicationis.)

Argum. Adversariorum.

Arg. 1. *Christus Matth. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9. non dicit si dimissa nupserit, mœchatur, sed, qui dimissam duxerit, mœchatur. Cujus rei non alia potuit esse causa, quam quod Christus de uxore etiam propter fornicationem dimissa loqueretur, de qua, quia jam adultera erat, noluit dicere mœchatur, quia nihil novi dixisset, sed dixit fore, ut quicunque eam duceret, mœcharetur, ut significaret, nec dimissæ licere alteri viro nubere, neq; alteri viro uxorem eam ducere.* Maldonatus in cap. 19. Matth.

Resp. 1. Cajetanus ad hæc verba Christi annotat: *Et qui dimissam, non fornicariam, ducit.*

(Ergo de alia muliere loquitur Christus, quam quæ sit dimissa propter adulterium, quod ipsum etiam verba contextus evidenter probant.)

2. Franciscus Lucas Brugensis in h. l. *Virum alloquitur potius quam dimissam, quod viro, utpote libero, ad ducendam aliam quamcunq; facilius sit persuadere, ut non ducat mulierem ab alio dimissam, quam mulieri dimissæ ut nemini nubat, quæ si non intemperantiæ, certe honoris recuperandi causa, votis omnibus desiderat, esse qui eam velit & ducat.*

(Ergo non est necesse, hanc esse potius causam, quam relictis omnibus Maldonatus affert, quare Christus non dixerit, si illa nupserit, mœchatur, sed *qui eam duxerit, mœchatur.*)

Arg. 2. *Verba Christi: Qui dimissam duxerit, mœchatur, vel universe accipienda sunt, vel cum exceptione illa, nisi ob fornicationem. Si universe, ergo qui dimissam duxerit etiam ob fornicationem, mœchatur, itaq; non fuerat dimissa quoad vinculum, sed solum quoad thorum: Si cum exceptione; Ergo qui fornicariam à viro dimissam duxerit, non mœchatur. Quare melior est conditio fornicariæ, quam innocentis & castæ, nam fornicaria libera est & nubere potest: innocens vero nec priorem habere, nec alteri potest nubere, quod est absurdum.* Bellarm. l. d.

Resp. Eodem absurdo premi posset Pontificiorum sententia, *de matrimonio propter infidelitatem solubili quoad vinculum.* Nam quis non statim inferat ex eodem principio, meliorem esse conditionem infidelium, sive ii maneant infideles, sive post professionem redeant ad vomitum, quam fidelium, qui post Baptismum conjunguntur. Illis enim Pontificii permittunt post divortium nubere, istis vero minime, nec tamen concessuri, illos meliore loco esse apud Deum, quam istos.

(Adde, quod ad pudicam matronam, sine causa à marito desertam, pertineat illud Apostolicum. 1. Cor. 7. vers. 15. *Non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi.* Ergo etiam illi patet aditus ad novas nuptias. Loquitur quidem Apostolus de desertore infideli, sed idem Apostolus docet 1. Tim. 5. v. 8. *eum, qui suis & maxime domesticis non providet, fidem abnegasse & esse infideli deteriorem.*)

Argum. 3. Marc. 10. v. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam & duxerit aliam, mœchatur adversus eam; & si mulier dimiserit virum suum & nupserit alteri, mœchatur. Luc. 16. v. 18. Quisquis dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur: & qui à viro dimissam ducit, mœchatur. Hæc verba*, inquit Bellarminus d. l. *universaliter docent, nunquam dissolvi matrimonium inter fideles contractum & consummatum, ut liceat ad alias nuptias transire. Si* velimus respondere, *addi ab ipso Christo exceptionem in causa adulterii* Matth. 5. vers. 22. & cap. 19. vers. 9. *& ab Apostolo, desertionis*, 1. Cor. 7. vers. 15. regerit Bellarminus, *Evangelistas omittere quidem interdum aliquid aut addere, quod alii Evangelistæ*

gelista aut omiserunt, aut non addiderunt, sed nunquam ita, ut sententia reddatur falsa, quia alioquin decepissent homines, quibus Evangelia sua tradidissent, nulla mentione facta aliorum Evangelistarum.

Resp.1. Bellarminus ipse addit universali propositioni Christi exceptiones, & quidem non ex aliis Evangelistis desumtas, sed à se assumtas. Cum enim Christi verba sint generalia vel certe indefinita, Bellarmin. ea contraxit tum *ad matrimonium inter fideles contractum*, tum *ad matrimonium consummatum*, ne scilicet ex litera sententia falsa inferretur.

2. Ipsimet Pontificii agnoscere coguntur, quædam ex aliis Evangelistis supplenda, quæ in uno concisius proponuntur. Sic quod Luc. 9. v.2. dicitur, *misit eos prædicare regnum Dei & sanare infirmos*, illud supplendum ex Matth.10.v.5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*; ne quis inde colligat, jam tum Apostolos ad gentes fuisse missos.

3. Pontificii concedunt, per *infidelitatem solvi matrimonium etiam quoad vinculum.* Atqui si nulla plane in verbis Christi vel limitatio vel exceptio concedatur; consequens fuerit ne quidem per infidelitatem solvi matrimonium.

Arg.4. Rom.7.v.2. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi. v.3. igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cũ alio viro.*

Ex hoc loco Bellar. lib. de matr. c.16. §. Tertius locus &c. colligit, *nunquam solvi vinculum conjugale nisi per mortem, & quia non solvitur, manere etiam post divortium quacunque de causa factũ.*

Exceptioni nostræ, *quod verba Apostoli accipienda sint regulariter, non autem de casu quodam extraordinario*, opponit

Primò, *perspicuitatem verborum. Quid planius*, inquit, *illo, Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro? Et certe mirum est, Apostolum nunquam addidisse exceptionem si ea addenda esset, cum tam sæpe hæc repetiverit & inculcaverit.*

Secundò, *autoritatem veterum Interpretum.*

Tertiò, *rationem similitudinis, quam Apostolus adducit.*

Resp.1. Cajetanus & Erasmus nobiscum statuunt, *Apostolum loqui de regula ordinaria, non de casu extraordinario*, ut sit sensus, *vinculum viri cum uxore ordinarie & regulariter, nisi scil. aliunde solvatur, durare usq; ad mortem, & tunc demum solvi.*

2. Estius in h.l. ita scribit: *Apostolus non negat indissolubilitatem matrimonii habere aliquam exceptionem, sed ab eo, quod ordinarium est, in lege matrimonii comparationem assumit. Neque hic attinebat exceptionis alicujus meminisse, præsertim cum rari sint & privilegiati casus, ut cum infidelis cum conjuge conversa cohabitare non sustinet, absq; injuria Christi & cum inconsummato adhuc matrimonio alter ingreditur religionem, quarum exceptionum priorem ipse Paulus ostendit, 1.Cor. 7. posteriorem habemus ex Apostolica traditione.*

3. Sic ergo ipsi Pontificii quasdam exceptiones addunt regulæ huic Apostolicæ, & quidem ex incerta traditione, quanto ergo minus ipsius Christi exceptio in Evangelio annotata per eam excluditur?

Arg.5. *Matrimonium fidelium signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, Eph.5. At illa unio indissolubilis est. Igitur & vinculum conjugale est indissolubile.*

Resp.1. Argumentum nititur hac hypothesi, quod conjugium sit *Sacramentum propriè dictum.* At hanc hypothesin quidam ex ipsis Adversariis negant, ut vidimus in cap. præced.

2. Erasmus in annot. Matth.19. argumento sic respondet: *Non protinus tollitur matrimonii Sacramentum, si in paucis conjugium male initum bene dirimitur, quanquam hanc rationem de Sacramento nullus veterum, quod sciam, adduxit, cum tamen super his crebra ac prolixa sit disputatio, præsertim Augustino & Hieronymo.*

3. Pontificii concedunt, *per mortem solvi matrimonium.*

(Atqui spirituale conjugium Christi & Ecclesiæ non dissolvitur per mortem, Os.2 v.19.)

4. Pontificii concedunt, *licitum esse divortium quoad thorum & mensam.*

(Atqui Christus Ecclesiam suam non deserit, nec præsentiam suam ullo tempore ei subtrahit.

Concedunt etiam, *Christi cum Ecclesia conjunctionem co significari, quo vir & uxor sunt unum in carne una.*

At Bellarminus statuit, *conjuges esse unum in carne una per carnalem copulam, quæ pertinet ad thorum.* lib. de matr. cap.5. §. His præmissis.

Ergo nec ratione separationis quoad thorum conjugium est solubile, quod est contra Bellarminum.

5. Non fidelium tantum matrimonium, sed matrimonium quorumcunque hominum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quia Paulus hanc significationem deducit ab ipsa conjugii institutione Eph.5. vers.31. in quem locum sic commentatur Justinianus: *Sensus igitur est, hoc, quod modo ex libro Geneseos commemoravi, præterquam quod veram Historiam continet, mysticam habet significationem & sensum quendam Propheticum, estq; velut typus aut allegoria conjunctionis Christi cum Ecclesia.*

(Atqui matrimonium infidelium non esse simpliciter indissolubile, ipsimet Pontificii concedunt.)

Argum.6. *Si licitum esset aliud matrimonium post divortium, injuria afficeretur proles. Nam filiis jam natis male consuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre novercam habere inciperent.* Bellarm. lib. de matrim. cap.16. §. Secundò.

Resp.1. ex eodem principio inferri posset, *ne quidem mortua uxore licitum esse transire ad secundas nuptias*, quippe per quas itidem liberis ex priore matrimonio natis inducitur vel pro patre vitricus, vel pro matre noverca. At consequens hoc Pontificii non admittunt.

2. Posset ex eodem principio inferri, *ne quidem per infidelitatem solvi matrimonium*, quia uxore propter infidelitatem repudiata & alia ducta itidem liberis pro matre noverca inducitur. Sed ne hoc consequens admittunt Pontificii. Ergo

Argum. 7. Provocant ad *Patres*, qui negant *ob adulterium solvi conjugale vinculum, ut liceat innocenti contrahere aliud matrimonium.*

Resp.1. Ostendimus superius, ipsosmet Pontificios quorundam veterum Ecclesiæ Doctorũ suffragium nobis largiri.

2. Augustinus, magnus sententiæ contrariæ Patronus, lib. de fide & operibus cap.19. de rigore remittit: *In divinis*, inquit, *sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quemadmodum existimo, venialiter ibi quisq; fallatur*, (tantum abest, ut dissentientibus dicat anathema.)

3. Pontificii fatentur, *Patrum suffragia demum efficaciter probare, quando sunt consentientia.* Sed unanimem Patrum in hac quæstione consensum nunquam poterunt Adversarii monstrare.)

Argum. 8. Canon Apostolicus 48. *Si quis Laicus sua ejecta uxore aliam acceperit, vel ab alio solutam, segregetur.*

Resp. quidam ex ipsis Pontificiis autoritatem canonum horum repudiant, ut ostendimus lib.1. part. cap.6.

2. Theodorus Balsamon ad hunc canonem sic annotat: *Qui suam uxorem præter rationem ejicit, aliam accipere non potest, vel potius etiam segregabitur: & qui liberam non accepit, sed solutam (est autem soluta, quæ non ex lege à suo marito est separata) ut adulter condemnatur, convenienter ei, quod dixit Dominus, & qui solutam duxerit, mœchatur.*

Et post: *Antiquitus quoque non fiebat libere divortium, nisi cum cognitione judicis. Qui eam ergo uxorem ducit, quæ non sic dimissa est, adulteravit.*

(Loquitur ergo canon de repudio illegitimo, quod in usu erat tum *apud Judæos*, tum *inter gentes* ex quibuscunque causis. Illud vero non præjudicat divortio legitime propter adulterium facto. Eadem responsio multis veterum dictis à Bellarmino allatis adhiberi potest.)

CAPUT III.

De Consensu Parentum in nuptiis liberorum.

Thesis. In nuptiis liberorum necessario requiritur consensus parentum.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio tantum *de honestate*, hoc est, an filiisfamilias matrimonium inituris parentum consilium & voluntatem explorare decens sit ac honestum, quod Pontificii concedunt, sed *de necessitate*, hoc est, an parentum consensus in nuptiis liberorum tam necessarius sit, ut absque eo liberorum matrimonia non sint legitima, rata ac firma, quod Pontificii negant, nos affirmamus.

2. Non est quæstio de parentibus furiosis, vel in regione longe dissita captivis, multo minus de parentibus mortuis, quasi illorum etiam consensus à nobis absolute necessarius statuatur, sed de parentibus vivis, sana mente præditis ac præsentibus.

3. Neque quæstio est de parentibus duris & acerbis, qui ex avaritia, ἀστοργίᾳ &c. matrimonia liberis prohibent, illorum enim consensum nequaquam dicimus absolute necessarium, sed eo in casu agnatos proximos, vel etiam Magistratum compellan-

pellandum eſſe dicimus, qui cum in locum parentum ſuccedant, ne eo quidem in caſu parentum conſenſus plane deficit.

4. Neque quæſtio eſt, an in particularibus quibusdam caſibus parentibus ſit ſuadendum, ne jure ſuæ poteſtatis ſevere utantur, ſed quæſtio eſt de generali regula, quid ordinarie requiratur in nuptiis liberorum, ac de jure patriæ poteſtatis, quid ſcilicet parentes poſſint, ſi ſtrictum jus urgere velint.

5. Solum liberorum conſenſum ad matrimonium firmum ac ratum efficiendum ſufficere, duplici ſenſu dici poteſt; vel ita, *ut actu non adſit voluntas parentum*, vel ita, *ut ſit contra actualem parentum conſenſum*. Priori modo dicimus non debere liberos conjugia inire de ſola ſua voluntate, non conſulta autoritate parentum, poſſe tamen in certis quibusdam caſibus illud fieri. Poſteriori caſu cenſemus, non poſſe liberos, utpote qui non ſunt ſui juris, matrimonium contrahere contra voluntatem & autoritatem parentum. Aliud eſt, *an abſque parentum conſenſu* liberi contrahere poſſint, quod in quibusdam caſibus fieri poſſe concedimus; aliud vero, an *contra parentum* voluntatem liberi contrahere poſſint, quod negamus.

Antitheſis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. in Decret. de reform. matrimon. cap. 1. *Sancta Synodus anathemate damnat eos, qui falſo affirmant, matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentis contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.*

Gloſſa in c. Tua x. de Sponſal. impub. ſtatuit, *voluntatem parentum requiri ad decorum nuptiarum magis quam neceſſario, ita ut ſi parentes conſentire nolint, filii tamen ſint liberi & pro ſuo arbitratu matrimonium contrahere poſſint.*

Palæotus lib. de Spur. cap. 8. n. 3. *neminem Canoniſtarum ſe reperiſſe* dicit, *qui contrarium hac in parte ſentire auſus fuerit.*

Canoniſtis aſſentiuntur *Scholaſtici*, qui in 4. ſent. diſt. 28. diſputant, *filiumfamilias habere dominium quoddam in ſuum corpus, nec parentibus ita obſtrictum eſſe, quin poſſit ſuo arbitrio per matrimonium de illo tranſigere.*

Canoniſtas & Scholaſticos ſequuntur recentiores Scriptores Pontificii. Bellarminus lib. de matrimonio cap. 19. §. Bucerus. *Catholici Doctores adeo non dubitant, matrimonia ſine conſenſu Parentum contracta eſſe rata & firma, ut neque unquam inter impedimenta matrimonii numeraverint defectum conſenſus paterni.*

Toletus lib. 5. Inſtruct. Sacerd. cap. 1. *Poſſit filius uxorem ducere ſe dignam invitis parentibus ſine peccato mortali.*

Noſtram ſententiam probamus ex *jure divino & humano.* Ad jus divinum pertinet

1. *Divina conjugii inſtitutio*, Gen. 2. Conjugium primorum parentum merito cenſetur norma ac forma, juxta quam legitima conjugia ſunt inſtituenda. Jam vero conjugium primorum parentum eo modo fuit inſtitutum, ut nec Adamus ſuo arbitrio ſibi Sponſam eligeret, nec Eva ſuo conſilio Sponſum ſibi quæreret, ſed ut DEI voluntas intercederet, qui parentis locum obtinuit, Luc. 3. verſ. 38. Proinde Evam, utpote filiam ſuam, Adamo adduxit & ampla cum dote eandem ipſi elocavit. Ergo juxta hanc normam legitima Conjugia adhuc hodie ſunt inſtituenda. Matrimonium legitimum ac ratum talis debet eſſe conjunctio, ut ejus autor & conciliator Deus ipſe haberi poſſit. Matth. 19. v. 6. Atqui matrimonia, quæ inſciis ac invitis parentibus contrahuntur, non ſunt tales conjunctiones, cum contra primæ inſtitutionis regulam contrahantur. Ergo.

2. *Divina juſſio*, tum *generalis*, tum *ſpecialis*. Generalis proponitur in *quarto præcepto*, Ex. 20. verſ. 12. Deut. 5. verſ. 16. Matth. 15. verſ. 4. Eph. 6. verſ. 2. Coloſſ. 3. v. 20. ex qua tale formamus argumentum: Si juxta quarti præcepti præſcriptum liberi tenentur honorem, obedientiam & ſubjectionem parentibus in omnibus, quæ divinæ legi non repugnant, præſtare, utique etiam voluntatem parentum in matrimonio ineundo citra hujus præcepti violationem, poſtponere non poſſunt. Sed verum prius. Ergo etiam poſterius. Specialis proponitur in illis Scripturæ dictis, in quibus parentibus dantur præcepta de liberis in matrimonio elocandis, Ex. 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. Jerem. 29. v. 6. Sirac. 7. v. 27. 1. Cor. 7. v. 38.

3. *Divini juris deciſio*, eaque duplex: Prior proponitur Ex. 22. v. 16, 17. Deut. 22. v. 29. Si patriæ poteſtati relictum, filiæ jamdum conſtupratæ matrimonium ratum vel irritum facere, multo magis idem permittitur patri, quando res adhuc integra eſt. Sed illud. Ergo & hoc. Poſterior extat, Num. 30. verſ. 4. 5. 6. Si pater votum filiæ Deo factum contradicendo poteſt irritum reddere, multo magis promiſſionem matrimonialem à filia alteri factam poterit irritam facere. Sed verum prius. Ergo & poſterius.

4. *Exemplorum probatorum collatio.* Divinæ huic inſtitutioni, juſſioni ac deciſioni conformia ſunt exempla parentum, qui liberos ſuos elocarunt, & piorum liberorum, qui parentum conſenſum in matrimonio ineundo requiſiverunt, ut Iſmaëlis Geneſ. 21. verſ. 21. Iſaaci Geneſ. 24. verſ. 3. Rebeccæ verſ. 51. Jacobi Geneſ. 28. verſ. 1. Rachelis Geneſ. 29. verſ. 19. Heris Geneſ. 38. verſ. 7. filiæ Calebi Judic. 1. verſ. 12. filiorum & filiarum Abeſan. cap. 12. verſ. 9. Simſonis cap. 14. verſ. 3. Benjaminitarum cap. 21. verſ. 1. Thamaris 2. Sam. 13. verſ. 13. Saræ Tob. 6. verſ. 13. cap. 7. verſ. 15. ex quibus ſic concludimus: Quæcunque exempla inſtitutioni & mandato divino ſunt conformia, ea introducunt imitationis neceſſitatem. Sed exempla requiſiti à liberis conſenſus paterni in matrimonio ineundo ſunt inſtitutioni & mandato divino conformia. Ergo introducunt imitationis neceſſitatem.

Ad *jus divinum* pertinet etiam *jus naturale*, quod itidem parentum conſenſum in nuptiis liberorum requirit, ac primum quidem *ob poteſtatem patriam*. De jure Naturæ omnes liberi naſcuntur ſub poteſtate paterna. Qui vero ſub aliena poteſtate ſunt, per ſe nihil poſſunt, proinde etiam liberi ſub patria poteſtate conſtituti abſque ea per ſe nihil poterunt, & ſi quid citra eam ſuſcipiunt, erit irritum.

2. *Ob conſenſus matrimonialis Naturam.* Cauſa efficiens conjugii eſt legitimus, juſtus ac plenus contrahentium conſenſus. Atqui ſine parentum conſenſu contrahentium conſenſus non eſt legitimus, plenus ac juſtus, quia cum filiifamilias ac filiæfamilias ſint alieni juris, nec jus ſuæ perſonæ habeant, ideo ſolus ipſorum conſenſus non ſufficit.

3. *Ob gratitudinis curam.* Jure Naturæ obligantur liberi ad gratitudinem parentibus præſtandam, quia ab ipſis in lucem editi, ſolicite educati & innumeris beneficiis affecti ſunt. Jam vero extremæ ἀχαριστίας foret, ſi in matrimonio ineundo parentum autoritas & conſilium negligeretur, cum per illud liberi in alienam familiam tranſeant, ac de ſtatu perſonæ ſuæ diſponant.

4. *Ob conſenſum omnium gentium.* Quod paſſim apud omnes gentes uſu receptum, id ad jus naturale ſecundarium merito refertur. Jam vero conſenſum parentum in liberorum nuptiis eſſe neceſſarium, non ſolum jure Romano, ſed apud omnes fere gentes uſu receptum, quod teſtantur Poëtæ, Comici, Hiſtorici, Politici, Legumlatores.

Jure civili conſenſum parentum in nuptiis liberorum tanquam neceſſarium requiri, conſtat ex Inſtit. de Nupt. l. Nuptiæ 2. ff. de rit. nuptiar. l. Nuptiæ 18. eod. l. 35. eod. l. ſi nuptiis 2. C. de nupt. l. Nec filium 12. eod. l. 20. eod. l. 16. ff. de ſtatu hom. l. unic. C. de rapt. virg. l. ul. C. de repud. & judic.

Utimur denique argumento *deductione ad abſurdum*. Per matrimonia liberorum ſine parentum conſenſu inita,

1. Lex divina de honorandis parentibus violatur.
2. Patri invito heres adnaſcitur.
3. Pax domeſtica turbatur, quia nurus apud ſocerum debebat eſſe loco filiæ, quæ contra ipſius voluntatem in ædes introducitur.
4. Salus liberorum, qui per ætatem ſibi nondum poſſunt conſulere, in præſentiſſimum diſcrimen adducitur.
5. Cum ſpe matrimonii multæ ad ſtupra illiciantur, feneſtra libidinibus aperitur.
6. Autoritas parentum labefactatur.
7. Honeſtas publica ex lege Naturæ promanans conculcatur.
8. Leges civiles autoritate ſupremi in terris Magiſtratus latæ deſpectui habentur.
9. Id quod furto pejus eſt ac deterius, juſtum pronunciatur.
10. Quod conſenſu omnium gentium damnatum, approbatur.
11. In ſumma & inextricabilia pericula animæ conjiciuntur.
12. Conſcientiæ conjugum illaqueantur, quia non poſſunt ſtatuere, ſe divinitus conjunctos eſſe, ideoque in adverſis deſtituuntur ſolida ac neceſſaria conſolatione. Ergo talia conjugia ſunt illegitima atque irrita.

Noſtræ ſententiæ ſuffragatur,

1. Quod

1. Quod quidam agnoscunt, consensum parentum in nuptiis liberorum esse necessarium. Huc pertinent

Primo, quidam Canones Juris Pontificii.

c. Aliter. caus. 30. q. 5. ex Evaristo. *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur & à parentibus & propinquioribus sponsetur &c. Ita per acta legitima scitote esse conjugia, aliter vero præsumpta non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitatur.*

(Excipit Bellarminus lib. de matrim. cap. 20. & ex eo Binius in notis ad tom. 1. Concil. in Epist. Evaristi. *Qua ratione ad legitimum matrimonium requiritur, ut sponsa à paranymphis ad Ecclesiam deducatur, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & ut postea biduo aut triduo orationi vacent, eadem ratione consensum parentum ad legitimum & verum connubium exigi, scilicet quod in foro externo licitum ac validum esse non debeat præsumi, sed potius pro adulterio haberi, nisi cum prædictis conditionibus sit conjunctum. Cum ergo in foro conscientiæ ad veritatem & essentiam matrimonii prædictæ conditiones non requirantur, utique nec consensum parentum ad verum matrimonium contrahendum ita necessarium esse, quasi sine hoc matrimonium inter duas personas habiles contractum, in foro conscientiæ nullum sit.*

Resp. in decreto Evaristi conjunguntur ea, quæ diversimode sese habent. Consensus enim parentum nititur expressâ lege divina, ideoque non solum in *foro externo*, sed etiam in *foro conscientiæ* necessarius est censendus; quomodo n. conscientia statuere potest, esse ratum ac legitimum matrimonium, quod contra divinam legem, quæ est norma conscientiæ, fuit contractum? Sacerdotalis autem benedictio non propter expressum & speciale quoddam Dei mandatum, sed propter Ecclesiasticam εὐταξίαν est necessaria, ideò non eodem necessitatis gradu requiritur, quo consensus parentum. Proinde quod Evaristus addit, *aliter præsumta matrimonia non esse vera conjugia, sed adulteria & fornicationes*, id ratione diversorũ subjectorum distinctè est accipiendum. Si enim quæstio sit de conjugiis liberorum absque parentum consensu contractis, ea nec in foro conscientiæ, nec in foro externo sunt legitima, quia destituuntur aliquo requisito divinitus instituto ac mandato. Sin vero quæstio sit de conjugio absque Ecclesiasticis illis ritibus celebrato, illud non in foro conscientiæ, sed in foro duntaxat externo censendum est illegitimum, quia destituitur aliquo requisito ab Ecclesia instituto ac mandato.)

Esto sane, quod Bellarminus urget, *non omnes conditiones esse necessarias, & mentem Evaristi hanc esse, ut si earum nulla adsit, matrimonium non possit censeri legitimum.* Poterunt igitur aliquæ conditionum illarum abesse salva matrimonii essentia, sed non poterunt omnes abesse. Quas igitur censebimus abesse posse? utique illas extrinsecas & accidentarias, videlicet, ut paranymphi custodiant, ut propinqui comitentur, ut dotetur, ut Sacerdotaliter benedicatur. Reliquæ igitur potiori jure erunt, ut ab iis, qui in eam dominationem habent, petatur, ut à parentibus desponsetur. Quare de his saltem Evaristo concedet Bellarminus, ut verum dixisse videatur.

c. Sponsus. caus. & quæst. iisd. ex Concilio Carthaginensi quarto. *Sponsus & Sponsa cum benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus vel paranymphis offerantur in Ecclesia Sacerdoti.*

c. Qualis. caus. & quæst. iisd. ex Leone. *Qualis debeat esse uxor, quæ habenda est secundum legem, virgo casta & desponsata in virginitate, & dotata legitime, & à parentibus tradita sponso, & à paranymphis accipienda, & ita secundum legem & Evangelium publicis nuptiis in conjugium liquidè sumenda.*

c. Nostrates. caus. & quæst. iisd. ex Nicolao ad consulta Bulgarorum. *Nuptialia fœdera consensu eorum, qui hæc contrahunt, & horum, in quorum potestate sunt, celebrantur.*

c. Honorantur. caus. 32. q. 2. ex Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. ult. *Consulitur puella non de sponsalibus, illa enim judicium expectant parentum. Non est enim virginalis pudoris eligere maritum, sed jam desponsata de profectionis die consulitur &c. unde illud Euripidæum: Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.*

Et postea: *Si qua mulier amisso cito marito adolescentula in laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult, nubat, tantum in Domino, ita ut electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ procacioris æstimetur autor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet. Expetita enim magis videri debet à viro, quam virum ipsa expetiisse; verecundiam præmittat, antequam nubat, quod ipsum conjugium plus commendet verecundia.*

c. Hoc sanctum. caus. & quæst. iisd. ex Concilio Toletano III. *Viduæ illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec extra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere.*

c. Non omnis. caus. & quæst. iisd. ex Leone. *Paterno arbitrio fœminæ junctæ viris careant culpa.*

c. De raptoribus. caus. 39. q. 1. ex Concilio Aurelianensi. *Si puellam, quæ rapitur, Patrem habere constiterit, eaq; raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor Patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.*

c. Apud omnipotentem caus. ead. q. 2. ex Gregorio. *Cum rapta patriæ potestati fuerit restituta, & raptor suæ rapinæ pænitentiam egerit, cum voluntas parentum utriusque in unum convenerit, non prohibentur ad invicem copulari.*

c. Tria legitima. caus. & quæst. iisdem. *Filia per vim copulata viro, si non fuerit voluntas patris, trahet eam à prædicto viro, & tradet eam alii.*

c. Placuit. caus. & quæst. iisd. citantur ex jure civili hæc sententiæ. *In contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat. In conjunctione filiarum in sacris positarum patris expetitur arbitrium. Consistere non possunt nuptiæ, nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt & quorum in potestate sunt. Filiifamilias consensum parentum habeant, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ordo persuadet.*

(Excipit Bellarminus d. l. *in hisce canonibus non definiri, quod conjugium absq; parentum consensu contractum sit irritum, sed tantum præscribi liberis, quod parentibus judicium de nuptiis permittere debeant, ac quibus ritibus nuptias celebrare debeant.*

Item, *aliud esse raptum, aliud conjugium invito patre celebratum.*

Resp. 1. Quæ constitutio nititur expresso Dei mandato, illa inducit necessitatem in foro conscientiæ obligantem. Atqui constitutio de parentum consensu in nuptiis liberorum nititur expresso Dei mandato. Ergo.

2. Honestas, quæ à pietate & expressa Dei lege dependet, conjunctam etiam habet necessitatem. Atqui honestas illa, quæ requirit parentum consensum in nuptiis liberorum, pendet à pietate & expressa Dei lege. Ergo.

3. Conjugia, quæ eo modo sunt illegitima, ut pugnent contra legem divinam, sunt ipso jure nulla. Conjugia liberorum citra parentum consensum contracta sunt eo modo illegitima. Ergo.

4. Si in Domino nubere est electionem mariti parentibus deferre, utique parentum consensus jure divino requiritur, & per consequens nuptiæ contra parentum consensum contractæ, contra jus divinum contrahuntur, proinde sunt ipso jure nullæ.

5. Si non licet parenti invito filiam eripere, utique nec blanditiis eam licebit inducere, ut absque ejus consensu nuptias contrahat, ac seipsam patriæ potestati eripiat. Ut raptor filiam per vim parenti eripit, sic filia seipsam parentis potestati subtrahit, si invito parente nuptias contrahat.)

Hisce Canonibus Juris Pontificii addendus canon. 43. ex Epistola Basilii ad Amphilochium, qui sic habet: *Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec Domino, ii, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint, tunc enim accipit firmitatem conjugium.* In quem locum Balsamon sic annotat: *Dicit, quod si filiafamilias vel ancilla matrimonium cum aliquo contraxerint, sine voluntate eorum, qui ipsas habent in potestate, hoc existimatur fornicatio, utpote quod non possit consistere. Quare & tanquam fornicatores puniuntur, & matrimonium, tanquam quod non possit consistere, solvetur.*

Idem Basilius eadem Epistola can. 38. *Puellis, quæ præter patris sententiam fornicatores secutæ sunt, reconciliatis parentibus videtur res remedium accipere.* At quem canonem Balsamon sic annotat: *Dicit, quod si aliquæ puellæ tradant seipsas amatoribus præter suorum parentum sententiam, & ab illis vitium illis illatum sit, etiamsi matrimonio sibi conjunctæ esse videantur, matrimonium ejus, quæ est in parentum potestate, non possit consistere sine paterna voluntate. Sin autem parentes ipsarum eis reconciliati fuerint, & eas cum amatoribus cohabitare voluerint, ei rei illa ratione videtur remedium afferri. Quod enim ab initio male factum est, parentum postea consensus reparare videatur, ut fornicatio in matrimonium deducatur.*

Iidem Canones Basilii recitantur in Jure Græco Romano, in responsis matrimonialibus Matthæi Monachi. *Qui in aliena potestate sunt, eorum pacta nihil habent firmi. propterea, quæ citra voluntatem nuptiæ fiunt eorum, penes quos potestas est, pro scortationibus habentur.*

Secundò, Testimonium Gratiani. c. Non omnis. caus. 32. q. 2. *Cum dicitur, paterno arbitrio fœmina juncta viris &c. datur intelligi, quod paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur.*

Idem Gratianus c. Placuit. caus. 36. q. 2. *Legitime post pœnitentiam peractam raptor poterit sibi copulare quam rapuit, nisi pater puellæ illam raptori detrahere voluerit.*

(Confer C. lib. 5. tit. de Nupt. *Nec filium quidem familias invitum ad ducendam uxorem cogi, legum disciplina permittit. Igitur, sicut desideras, observatis juris præceptis, sociare conjugio tuo, quam volueris, non impediris, ita tamen, ut in contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat.*

Item in eodem: *In conjunctione filiarum in sacris positarum, patris expetitur arbitrium.*

Item ff. de rit. Nupt. *Consistere non possunt nuptiæ, nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt, & quorum in potestate sunt.*

Item Instit. lib. 1. de Nuptiis. *Justas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, sive patresfamilias sint, sive filiifamilias, dum tamen filiifamilias consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt, nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet.*)

Tertiò, recentiorum quorundam Scriptorum suffragium.

Beatus Rhenanus in Schol. ad verba Tertulliani lib. 2. ad uxorem, *Nam nec in terris filii sine consensu parentum rite & jure nubunt.* pag. 612. sic annotat: *Elegantissima vox aureis literis scribenda. Utinam Theologi & Jurisconsulti hac de re Pontificem Rom. ac reliquos Reges & Principes admoneant, ut concorditer & rite huic malo obviam eatur, seducendi teneras & simplices puellas, inconsultis, imò invitis parentibus! Raptus virginum legibus est prohibitus, & istas insidias clandestinarum nuptiarum ferre cogimur.*

Barthol. Chassanæus part. ult. Catal. gloriæ mundi cap. 35. scribit, *mundum & cœlum & totam machinam literatorum contra nuptias absque parentum consensu initas, clamare.*

Erasmus in Colloq. in Misogamo. *Definiunt quidam, matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam per verba de præsenti contractum est. Atqui istud dogma nec Naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moses ipse, nec Evangelica aut Apostolica doctrina.*

Idem in lib. de Institut. Christ. matrimon. *Nullum opinor in sacris literis exemplum inveniri, filiosfamilias aut pupillos clam iis, in quorum potestate sunt, contraxisse matrimonium, quod illis reclamantibus valuerit.*

Idem in annot. 1. Cor. 7. pag. 324. *Sentit Paulus de parentibus elocantibus nuptum filias, citra quorum autoritatem non erat ratus matrimonii contractus; quod utinam & his temporibus servaretur, præsertim in ea ætate, cui nondum satis constat vel consilium, vel judicium!*

(De hoc Erasmo scribit Bellarmin. lib. de matr. c. 19. quod statuat, *dogma illud, quod matrimonium inter puerum & puellam, insciis, vel etiam invitis parentibus contractum, ratum sit, nec Naturæ sensu, nec veterum legibus, nec ab ipso Mose, nec Evangelica aut Apostolica doctrina approbari.* Largitur ergo nobis Erasmi, quem Leo X. *dilectum suum* vocabat *filium*, in hac quæstione suffragiũ.)

Ludovicus Vives in lib. de officio mariti. *Vetera omnia conjugia gentilium ac Judæorum ita coierunt: Parentes sua autoritate utrinque rem transigebant, liberis nefas erat ab eo discedere, quodcunq; visum esset parentibus de ipsis statuere.*

In Concilio Tridentino quidam asserebant, *rescindenda esse non solum matrimonia clandestina, sed etiam publice facta à filiisfamilias sine parentum consensu, & his rationes validas asserebant duas, E quibus prior erat, quod ex his non minora sequerentur incommoda, amplis & honestis familiis per matrimonia imprudenter ab adolescentibus contracta subversis. Altera, quod lex divina, præcipiens obedire parentibus, complectatur etiam hunc casum, tanquam præcipuum, obedientiæ in matrimonio contrahendo. Legem Dei hac autoritate nominatim Patrem donare, ut filiam nuptum det, ut est apud Paulum, & in Exodo aperte videre est. Extare exempla sanctorum Patriarcharum in V. Testam. quibus omnibus à Patribus uxores datæ. Leges etiã humanas civiles matrimonia sine parentibus contracta, irrita dixisse. Itaque, sicut tum expedire judicabatur, clandestina matrimonia pro infectis habere, cum cernerent, non sufficere prohibitionem Pontificiã, per quam vetita sunt, nisi accederet etiam facti nullitas; multo æquius esse his temporibus, cum malitia humana abnuit obedire legi divinæ, matrimonia sine parentum consensu prohibenti, Synodum nullitatis notam ejusmodi matrimoniis apponere &c. Hæc opinio tanquam honesta & pia, nec minus firmis fundamentis subnixa, quam altera (quæ clandestina matrimonia rescindenda statuit) magnæ Patrum parti placuit, unde in eam sententiam præscriptum etiam decretum, etsi ob eas rationes, quæ suo loco commemorabuntur, ab eo publicando sit cessatum.* Petrus Suavis lib. 7. Histor. Conc. Trident. pag. 782.

Cardin. Lotharingius in Concilio Tridentino statuit, *irrita declaranda esse matrimonia à filiisfamilias sine parentum consensu contracta, citatis Scripturæ locis, qui patribus potestatem attribuunt filiis uxorem dandi, in exemplum adductis nuptiis Patriarcharum Isaaci & Jacobi, additis etiam legibus Imperialibus Institutionum & Codicis, à Principibus etiam Christianis, & laudatissimæ memoriæ sancitis, Canone etiam quodam sub nomine Evaristi & alio Concilii Carthaginensis à Gratiano comportatis.* Petrus Suavis lib. 7. Hist. Concil Trident. p. 879.

Claudius Espenæus peculiare Consilium *de clandestinis matrimoniis* scripsit, quod extat fol. 633. operum, in quo probat, liberorum conjugia esse in potestate parentum.

1. *Ex locis Vet. Testamenti*, in cap. 1. 2. *Ex locis N. T.* in cap. 2. 3. *Ex gentilium exemplis*, in cap. 3. 4. *Ex legibus civilibus*, in cap. 4. 5. *Ex decretis summorum Pontificum*, in cap. 5. 6. *Ex Canonibus Conciliorum*, in cap. 6. 7. *Ex sacrorum Dd. testimoniis*, in cap. 7. In cap. 8. proponit *externorum ritus & Grammaticorum loquendi formulas*. In cap. 9. *brevem ad Mosaicas & civiles leges responsionem*, simul etiam expendit *D. Thomæ Aquinatis sententiam*. In cap. 10. *Gratiani* & *Lombardi* sententias excutit. In c. 11. quæstionem explicat, *an mutuus partium consensus matrimonium faciens, parentum consensum excludat*. In cap. 12. *Alexandri, Lucii, Innocentii Decretales cum superioribus decretis* componit. In cap. 13. *viris consuetudinis legibus & canonibus contraria* expendit. In cap. 14. *suum votum super innovando Evaristi canone* proponit. In cap. 15. tract. quæstionem, *An matrimonium clandestinum sit Sacramentum*. In cap. 16. *A thesi proposita ad hypothesin* transit. In cap. 18. *conjecturam, consilium & perorationem*; in cap. 19. & ultimo *totius operis recapitulationem* proponit. Verba ultimi illius capitis sic habent:

In Vet. Test. præter sanctorum Patrum morem unus Esau, invitis parentibus, uxorem duxit. De puella autem cognita patre lex clare dicit: Si noluerit, dotabit eam seductor, non etiam ducere poterit vel volens volentem. Et filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.

In Novo Testamento præter præceptum de honorandis per omnia parentibus, confirmatum, Paulus videtur in eorum potestate ponere, ut liberos elocent, vel non elocent.

Cum nihil magis sit de jure Naturæ vel gentium, quam maris & fœminæ conjunctio, liberorum successio &c. non potest gentilium hac in re judicium contemni, multo minus Jurisconsultorum & legumlatorum, qui ab his matrimoniis adeò abhorruerunt, ut prolem inde susceptam pro legitima non habuerint.

Præsertim cum eos secuti sint Imperatores, non tantum Ethnici, sed etiã Christiani, legibus hac de re latis, in quibus à sanctissimis Episcopis tã sibi contemporaneis, quã eos secutis, minime reprehenduntur.

Quin potius iidem summi Ecclesiæ Pontifices adeò patrium consensum requisiverunt, ut aliter præsumta matrimonia, contubernia, adulteria, stupra, & quidvis potius vocent, quam matrimonia.

Quin etiam Concilia inter raptorem & raptam ne posse quidem confici nuptias voluerunt, & raptam interpretantur non tantum ex partium, sed etiam parentum parte; adeò ut patri jus faciant, raptæ etiam raptori consentientis ab eodem raptore abducendæ.

Prisci, sacri & Orthodoxi Dd. hujusmodi matrimonia peræque improbant, tantum abest, ut Sacramenti titulo honorent.

Recentiorum Pontificum Decretales vetustis superiorum Decretis, nisi in casu carnalis copulæ, clare non abrogant, vel certe digito commonstrentur.

Gratianus, cum ne unum quidem pro talibus matrimoniis canonẽ, quin potius multos contra talia alleget, pro talibus tamen gratis concludit: sed ita, ut neq; sibi, neq; aliis conveniat, ac ne fratri quidem suo Petro Lombardo: cum ea illa vera quidem atque rata, non etiam legitima: hic autem vera, rata atque legitima esse velit.

Longe lateq; differt inter servorum, dominis; & liberorum parentibus invitis matrimonia, quod de illis Ecclesia scripto pronunciaverit, non item de istis.

Filiisfamilias, parentibus invitis, continentiam vovere potentis & matrimonium contrahere, simile, dissimilimum est, & lite, quod ajunt, litem serit, non resolvit.

Allegatio, vel Dei dicentis: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; vel Christi: Quos Deus conjunxit, homo non separet, manifesta est principii petitio.

Consensum solum ad matrimonium sufficere, cum prius dictum sit à civilis, quam à Juris Canonici peritis; non est, cur magis hi, quam illi eodem verbo parentum consensum excludant.

Hæc autem omnia, cum de filiisfamilias nec superadultis, nec emancipatis intelligantur, non dubium, ubi parentes in mora periculosa fuerint, quin eis invitis liberi superadulti sibi possint hac in re consulere, cum eo casu filiam vel nubentem, vel etiam scortantem cessator pater exheredare non possit.

An vero Magistratus talis ac tantus, ut vitæ & necis, nedum bonorum jus & potestatem in Republ. habeat, filio sit emancipationis instar, eumq; à patris (præsertim qui talem ei Magistratum permiserit, imo etiam procurarit) potestate eximat, an contra in ejus jure relinquat, mihi non liquere, ingenue fateor.

Videntur itaque filiorumfamilias neque superadultorum, neque emancipatorum matrimonia, inconsultis, irrequisitis, & invitis parentibus contracta tam divino & naturali de honorandis parentibus jure vetita, quam utriusq; juris humani, veteris scripti, novo scripto non abrogati, non tantum præsumtione, sed etiam dispositione, & decisione, nulla, invalida & irrita: ac proinde consuetudo tot juribus contraria, corruptela verius est, ac merito & necessario reformanda.

(Subjicit quidem, *salvo semper & incolumi sanctæ matris Ecclesiæ & Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio.* Sed quid de hac protestatione statuendum, expositum fuit in prooemio.)

Gropperus in Institut. Colon. *Evaristi canonem plane sanctissimum cuperemus in Ecclesiam Concilio generali revocari ob clandestina matrimonia tollenda.*

Alexander JCtus lib. 4. Consil. ult. *Papa non est Dominus morum, sed docet reverentia, non honeste fieri a filio, qui aliter (quam consentiente patre) contrahit nuptias; honestas, quæ spectat pietatem, habet etiam necessitatem.*

Quartò, leges provinciales.

Senatus Norinbergensis seculo 15. ante Lutheri tempora leges quasdam promulgavit, quæ in quibusdam Bibliothecis ManuScriptæ extant. Inter illas ll. etiam hæc est: *Matrimonium absq; parentum sive propinquorum consensu vel consilio contrahentes, relegationum pœna ad quinquennium ac possessionis hereditariæ privatione puniantur.*

Leges Hispaniæ non tantum pro irritis habent matrimonia sine parentum consensu contracta, sed etiam gravissimas pœnas contrahentibus imponunt.

Galli semper recusarunt decretum Synodi Tridentinæ de nuptiis liberorum sine parentum consensu contractis admittere, ac *Curiæ* tam *Parisiensis*, quam *Tolosana* contrarium definierunt, adjecta gravi pœna, si quis vel quæ parentum consensum contemserit, vel contemtus autor extiterit (ut ex Guiberto & Corasio docet Arnisæus de jure conn. c. 3. sect. 10. n. 44.)

Ann. 1557. Cal. Martii Rex Galliæ edictum promulgavit, quo decretum, *nuptias à filiisfamilias ante tricesimum ætatis annum & filiabus ante vicesimum quintum contractas, consensu parentum, eorumve in quorum potestate sunt, non accedente, illicitas ac irritas esse.* Petrus Suavis lib. 5. Histor. Conc. Trident. p. 474.

In Concilio Tridentino in quadam Congregatione Oratores Galli petitionem quandam nomine Regis sui legendam curarunt, *ut filiifamilias sine parentum consensu matrimonium aut sponsalia contrahere non possent. Id si filii tentarent, tum in potestate parentum esset, contractum ratum aut irritum pro arbitrio suo facere.* Idem Petrus Suavis lib. 8. p. 870.

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Lombardus lib. 4. sent. dist. 36. lit. B. adducit canonem Concilii Cabilonensis. *Conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos Dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes, Dominis serviant. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit & per voluntatem Dominorum.*

(Hæc ultima verba Lombardus monet, *probe esse attendenda, cum videatur illis innui, præter voluntatem Dominorum inter servum & ancillam non posse contrahi matrimonium, vel si contrahitur, non esse ratum.* At si in conjugio servorum requiritur consensus Dominorum, multo magis in conjugio liberorum requiritur consensus parentum, quo modo videlicet, *à conjugio servorum ad conjugium liberorum* concludit ipse Bellarminus lib. de Matrimon. cap. 19.

Secundò, Concilium Tridentinum sess. 24. can. 1. dicit, *sanctam Dei Ecclesiam ex causis justissimis matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, semper esse detestatam.*

(Conjugium, quod est detestandum, non potest esse ratum ac firmum, inde enim atque ideò est detestandum, quia non est conforme divinæ institutioni & legibus matrimonialibus divinitus sancitis. Et vicissim, nullum verum ac ratum conjugium est detestandum, quia omne verum ac ratum conjugium est sancta Dei ordinatio.)

Tertiò, Bellarminus lib. de matrim. c. 6. §. Quod igitur &c. docet, *quod consensus conjugum verbis expressus, seu verba consensum exprimentia sint materia & forma conjugii, quatenus consideratur in fieri.*

(Ex eo sic colligimus: Ubi deest quippiam ad materiam & formam necessario requisitum, ibi deest aliquid ad ipsam rei essentiam pertinens, quia materia & forma sunt essentiales & constitutivæ rei partes. Jam vero in conjugio liberorum citra parentum consensum contracto, deest aliquid ad materiam & formam necessario requisitum, quia consensus ille conjugum necessario requirit consensum parentum, absque quo non est integer ac legitimus.

Ulterius; In quocunque conjugio deest aliquid, ad ipsam conjugii essentiam pertinens, illud non potest esse legitimum, ratum ac firmum. Sed in conjugio liberorum citra parentum consensum contracto, deest aliquid ad ipsam conjugii essentiam pertinens. Ergo.)

Quartò, idem Bellarminus lib. ejusd. c. 19. propos. 3. agnoscit, *præceptum de matrimonio liberorum parentibus potius dari, quam liberis*, quod recte probat ex Exod. 34. & Deuter. 7. & ex eo porro infert, *ut plurimum peccare filios, cum non sequuntur hac in re parentum voluntatem.*

(Si præceptum de conjugio liberorum parentibus potius datur, quam liberis, utique conjugia liberorum sine parentum consensu contracta, pugnant cum lege divina, ac proinde divinæ voluntati non sunt conformia.)

Quintò, idem Bellarm. lib. ejusd. c. 20. §. Respondeo, non probat &c. concedit, *liberos illos male facere, qui matrimonium contrahunt insciis vel invitis parentibus*, nimirum, quia peccant contra legem divinam de honorandis parentibus.

(Ex eo sic colligimus: Illud duntaxat matrimonium est legitimum, ratum ac firmum, quod contrahitur secundum divinam institutionem ac jussionem. Atqui matrimonium citra parentum consensum contractum, non contrahitur secundum divinam institutionem ac jussionem. Ergo.)

Sextò, idem Bellarminus ibidem. §. Ad ultimum scribit, *liberos, qui sine parentum consensu contrahunt, non posse certo pronunciare, suum conjugium Deo placere.*

(Ex eo sic colligimus: Omne matrimonium verum, ratum ac legitimum, est etiam in se ac per se Deo gratum, utpote ab ipso institutum. Matrimonium liberorum sine consensu parentum contractum, non est Deo gratum. Ergo.)

Septimò, idem Bellarm. ibidem concedit, *rationem naturalem docere, quod nuptiæ non debeant injussu parentum celebrari.*

(Lex Naturæ est lex Dei. Quod si ergo matrimonium liberorum sine parentum consensu contractum, contrahitur contra legem Naturæ, utique etiam contrahitur contra legem Dei. Jam vero matrimonium, quod contrahitur contra legem Dei, non est verum & legitimum matrimonium.)

Octavò, idem Bellarminus ibidem concedit, *jure Naturæ filium subjici patri.*

(Si jure Naturæ filius subjicitur patri, utique etiam jure naturali consensus parentum in nuptiis filii erit necessarius, atque ita quidem necessarius, ut absque eo nuptiæ constare nequeant. Sed verum prius. Ergo etiam posterius.)

Nonò, idem Bellarminus d. l. cap. 23. propos. 3. statuit, *matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum contractum, esse irritum, ex more populi Christiani vim legis obtinente, cum tamen nec jure divino, nec naturali, nec positivo, nec certa aliqua lege Ecclesiastica irritum sit*, ut prop. 2. disseruerat.

(At si tantam vim habet consuetudo populi Christiani, ut per eam ac propter eam matrimonium inter fidelem & infidelem sit irritum, quanto magis lex divina de honorandis parentibus tantam vim obtinere debet, ut propter illius transgressionem matrimonia liberorum sine parentum consensu contracta, pronuncianda sint irrita. Perquam enim absurdum est, ad irritanda matrimonia majorem vim habere morem populi Christiani, quam expressam legem divinam.)

Decimò, Cornelius à Lapide in Comment. Num. 30. p. 925. agnoscit, *quod omnium omninò filiarum vota irrita facere potuerit parens, etiamsi fuerint grandævæ, sicut omnia uxoris vota irritare potuit maritus.* Sequitur hac in parte Lyranum, qui in cap. 30. Num. sic commentatur: *Non intelligitur ista lex de puellis, quæ non attigerunt annos discretionis, quia illæ non possunt vovere: nec etiam de illis, quæ sunt maritatæ, licet adhuc maneant cum patre, quia sunt emancipatæ: sed de illis, quæ attigerunt annos discretionis, nec sunt maritatæ viro seu affidatæ, & ideò sunt simpliciter sub cura patris, & illæ non possunt aliquid vovere, quod sit stabile seu obligatorium absque consensu patris expresso vel tacito.*

(Si pater votum filiæ etiam majorennis Deo factum contradicendo potuit irritum facere, multo magis promissionem matrimonii à filia alteri factam, potuit irritam facere. Sed illud. Ergo & hoc.)

Undecimò, Bellarm. d.l. cap. 32. §. Secundò, etiamsi &c. scribit, *matrimonium esse rem conscientiæ, quæ ex legibus divinis pendeat, & ad pastores animarum sine dubio pertineat.*

(Ergo non potest asserere, quod in matrimonio contrahendo filius de re sua disponere possit, sicut in aliis mere civilibus contractibus. Quomodo igitur cum hac assertione congruit, quod d.l. cap. 20. §. Ad probationem &c. scribit? *Matrimonium non solum ut Sacramentum esse ratum, sed etiam ut contractum civilem, licet contra præceptum patris contrahatur, quia filius, etsi teneatur patris directionem sequi, cum de statu vitæ suæ disponit, remq; suam, non alienam donat, quare dispositio ac donatio rata & firma est, quamvis non sine peccato transacta sit.*

Atqui 1. quod est Sacramentum & res conscientiæ, illud non est contractus mere civilis. Matrimonium ex hypothesi Bellarmini est Sacramentum & res conscientiæ. Ergo.

2. Quod est sancta consociatio divinitus instituta ad Ecclesiæ propagationem, gerens typum spiritualis conjugii inter Christum & Ecclesiam, quodque est *fœdus Dei*, Prov. 2. v. 17. Malach. 2. v. 14. certis ac peculiaribus legibus divinis circumscriptum, illud non est contractus mere civilis. Matrimonium fidelium est tale. Ergo.

3. Si juxta legem divinam in voluntate parentis relictum, an filiam constupratam stupratori elocare velit, utique liberis non est relictum citra parentum consensum inire matrimonium, & hac ratione de re sua proprio arbitrio disponere. Sed verum prius. Ergo.

4. Omnis contractus illegitimus, & contra legem divinam inter partes contrahentes initus est per se irritus, & à judice Christiano irritus pronunciari potest. Conjugium à liberis citra parentum consensum contractum, est contractus illegitimus & contra legem divinam inter partes contrahentes initus. Ergo.

5. Si filiusfamilias in potestate parentum constitutus, non potest bona parentum alienare, multo minus seipsum per conjugium citra parentis consensum abalienare poterit. Sed illud legibus civilibus cautum. Ergo.

6. Si filius in civilibus contractibus absque parentum consensu nihil agere potest, utique etiam in matrimonio contrahendo nihil agere poterit, cum matrimonium non solum sit contractus, sed etiam res conscientiæ. Sed illud legibus civilibus cautum, ut patet ex tit. de Mutuo ad Senat. Maced. Ergo.

7. Si servus, invito Domino, non potest uxorem ducere, utique nec filius, invitis parentibus, uxorem ducere poterit. Ratio connexionis est, quia filius majori vinculo obstrictus est patri, quam servus Domino, quia à Natura obstrictus filius, servus autem vi obligatus.

Duodecimò. Azorius part. 2. Inst. moral. lib. 2. cap. 2. q. 6. statuit, *ubi mos & consuetudo vel lex patria est, ut filii matrimonium non contrahant inconsultis parentibus, servanda est; & peccatum erit matrimonium aliter contrahere, eò quod consuetudo vel lex patria negligatur, & quod parentibus insciis ac minime consultis ad nuptias transierint se indignas, cujusmodi sunt, quæ non decent eorum parentes, cognatos & familiam; vel quæ pariturę sunt lites, dissidia, inimicitias, odia, vel aliquod certe alicujus momenti malum.*

(At si tanta vis est legis vel *consuetudinis humanæ specialis*, quanto major hac in parte vis debet esse *legis divinæ generalis*, ex qua superius nostram confirmavimus sententiam.)

Argum. Adversariorum.

1. *Esau, Jacob, Tobias &c. duxerunt uxores absque parentum consensu, & tamen Scriptura eas vocat uxores.* Bellarm. lib. de Matrim. cap. 19.

Resp. 1. Ex eo, quod uxores Esavi dicuntur, *animum Isaaci & Rebeccæ offendisse*, non potest infallibiliter probari, priora duo Esavi matrimonia, invitis parentibus, fuisse contracta, sed hoc duntaxat significatur, uxores Esavi socero & socrui post contractas nuptias immorigeras fuisse.

Pererius in cap. 26. Genes. *Hebræa sonant ad verbum, eas fuisse amaras, vel exacerbantes Spiritum Isaac & Rebeccæ, vel ut habent Septuaginta, cum illis contendentes & altercantes. His porro verbis notatur earum mulierum adversus Isaac & Rebeccam irreverentia, petulantia, procacitas & contumacia. Videtur itaque offensio Isaaci & Rebeccæ accidisse ob impietatem, quod more illius gentis deditæ essent idololatriæ.*

(Demus vero, Esavum hominem prophanum & filium immorigerum, invitis parentibus, matrimonium contraxisse, ex eo nondum inferri potest, conjugia absq; parentum consensu legitime contrahi. Neque enim exemplis judicandum de regula, sed ex regula de exemplis.)

2. Bellarminus d.l. sic scribit: *Isaacus & Jacobus in ducendis uxoribus secuti sunt autoritatem parentum, ac præceptum de matrimonio liberorum parentibus potius datur, quam filiis.*

(Ergo contraria exempla potius ad imitationem proponenda, quippe quæ congruunt regulæ, ex qua de exemplis judicandum.)

3. Ex eodem Bellarm. lib. 1. de Sacram. Eucharist. cap. ult. resp. ad 3. loc. *Scriptura vocat ordinarie res, ut apparent exterius. Sic serpentem æneum vocat serpentem, Angelos, qui apparebant in forma humana, vocat viros, boves æneos, malogranata aurea, & similia ornamenta templi simpliciter vocat boves &c.*

(Ergo ex eo, quod Scriptura Esavi uxores vocat *uxores*, non potest inferri, eas fuisse coram Deo legitimas uxores, & Esavi conjugium fuisse divinæ ordinationi & voluntati conforme.)

4. Ex eodem Bellarmino lib. 1. de Missa cap. 23. resp. ad 2. *Illa argumenta, non habetur expresse in Scripturis, ergo non est factum, jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.*

(Ergo ex eo, quod Scriptura non commemorat in nuptiis quorundam Patriarcharum intercessisse consensum parentum, non potest colligi, illos sine parentum consensu matrimonium contraxisse, sed de exemplis judicandum est ex regula divinæ legis.)

Argum. 2. c. Sufficiat. caus. 27. q. 2. ex Nicolao. *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorū conjunctionibus agitur.*

Resp. 1. Glossa ibidem addit, *dictionem solus non excludere consensum parentum, qui secundum leges requiritur, sed tantum alias solennitates, quæ sunt circa matrimonium.*

(Rectius dicitur, quod particula illa excludat *copulam carnalem*, quod illa non pertineat ad matrimonii essentiam. Requiritur consensus secundum leges sive *legitimus*. Jam vero consensus liberorum, destitutus consensu parentum, non est secundum leges sive legitimus.)

2. Claudius Espenæus d.l. de clandest. matrim. cap. 11. sic respondet: *Cum leges civiles peræque velint nuptias nudo seu solo illorum, de quorum conjunctione agitur, consensu contrahi, & nihilo velint minus ac requirant parentum consensum, quo cum ore, qua ve fronte, quo loci genere, qua vel cujus argumenti sede iisdem verbis à legibus Ecclesiasticis excludi probemus? Consensu igitur nuptias facit, sed eorum modo, qui juris sui sunt, qui in aliena potestate non sunt: ii, inquam, sine alieno consensu, consentire possunt: sunt autem contra liberi omni jure, naturali, divino, humano in parentum manu & autoritate.*

Argum. 3. Thomas in additionib. ad partem 3. q. 45. art. 5. tale format argumentum: *Sicut filia monasterium potest ingredi, absq; parentum consensu, cum sit persona libera, sic & nubere.*

Resp. Claudius Espenæus dict. lib. cap. 9. pag. 645. *Quid hoc aliud, quam litem lite resolvere? ignotum per ignotius, vel certe per atq; ignotum? Sit id sane verum, sed argumentum non uno, quod ajunt, pede claudicat, idq; tanto magis, quanto simile hoc dissimilius. Nec enim religionis ingressu, ut nuptiarum contractu, aut in domum atque familiam meam aliena, eademq; ingrata & inimica persona inferitur: aut invito mihi atq; reclamanti avo adnascuntur liberi, nepotes, heredes: interest autem nostra, ex qua nuru vel uxore nobis generentur, qui juris nostri erunt, quiq; nostræ familiæ & sanguini inseruntur.*

CAPUT IV.

De Impedimentis Matrimonii.

Thesis prima. Votum continentiæ non est absolutum prorsus Matrimonii impedimentum.

Ἔκθεσις. 1. Pontificii duplex statuunt votum continentiæ, *Simplex*

Simplex & solenne. Simplex votum appellant *promissionem cælibatus perpetui factam Deo privatim liberâ voluntate, excellentioris alicujus boni gratia.* Per illud existimant *impediri matrimonium contrahendum, non autem dirimi contractum.* Solenne votum appellant *promissionem castitatis sive perpetuæ à conjugio abstinentiæ, factam in conspectu Ecclesiæ, cui se vovens post magnam deliberationem & diuturnam probationem sponte subjicit, ut ipsi Deo, & hoc ipso statum vitæ mutat, ascendens ab imperfecto statu ad perfectum.* Per illud & *contrahendum matrimonium impediri & contractum dissolvi* arbitrantur. Nos nec simplex, nec solenne votum continentiæ esse prorsus absolutum matrimonii impedimentum statuimus.

2. Non est quæstio de quibusvis personis, quæ votum continentiæ emiserunt, sed de illis, quæ, postquam votum illud incautè emiserunt, sentiunt, se dono continentiæ destitui, seque perpetuis ustionum flammis, periculo fornicationis & pollutionibus corporis esse expositas. Qui ergo perpetuam continentiam voverunt, aut instructi sunt dono continentiæ, aut eodem destituti. Si prius, servent promissionem Deo factam, nec temeraria quadam levitate ab ea recedant. Si posterius, expendant mandatum Dei 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam & unaquæque virum suum;* ac consilium Apostoli v. 9. *Melius est nubere, quàm uri,* cui mandato non possunt præjudicare vota temeraria facta de illis, quæ non sunt in nostra potestate.

3. Dicimus ergo, à cœlibatu, quem deliberato animi proposito, tanquam Dei vocationem, semel quis elegit atque ad eum sese astrinxit, non esse *temerè ac leviter* absque urgente & gravi causa discedendum, ac cum publico Ecclesiæ scandalo resiliendum, interim tamen addimus, propositum ac votum cœlibatus nemini debere esse *laqueum,* quo ita constrictus teneatur, ut etiamsi postea gravissimis Satanæ tentationib. propter incontinentiam subjectus, ustionis flammis, periculo fornicationis, pollutioni corporis, & quæ ex immunditie consequitur, perditioni animæ & corporis sese expositum videat, tamen non possit ex eo liberari & extricari, sed si perpetuum ustionis malum ac præsens fornicationis periculū eos premat, qui cœlibatum incautè ac viribus suis nondum satis exploratis voverunt, ad conjugium illos admittendos esse statuimus.

4. Concedimus, peccare eum, qui prævia sufficiente deliberatione votum absolutum continentiæ emisit, si postea votum violet. Quantum vero *ad sufficientem deliberationem* requiratur, potest ex vetustis canonibus perspici, quorum alii *quadragesimum,* alii *sexagesimum ætatis annum* requisiverunt, antequam velentur Moniales. c. Sanctimoniales. & c. Juvenculas. dist. 28. qui posteriores congruūt cū loco Apostol. 1. Tim. 5. v 9

5. Qui ergo incautè ac temerè cum usurpatione nominis divini & obligatione ad æternam damnationem in cœlibatus professione conjugium abjurarunt & postea sentiunt propter ustiones & fornicationes vitandas remedium conjugii sibi esse necessarium, illos monemus, ut agnoscant & deplorent suā temeritatem, quod viribus nondum satis exploratis votū cœlibatus emiserint, ac *nomen Dei in vanum assumserint.* Petant etiam sibi propter Christum illud condonari, dicentes cū Apostolo 1. Tim. 1. v. 15. *Ignorans feci:* ac impetratā per fidē in Christum temeritatis suæ condonatione matrimonium ineant.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit, cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos, supra id, quod possumus, tentari.*

c. Unic. de voto & voti redemtione in 6. cautum est, *quod Monialis, quæ semel, per susceptionem habitus, ordinem professa est, matrimonium ex eo tempore legitimè contrahere non possit,* quod probare etiam conantur Didacus Covarruvias in Epit. 4. Decretal. part. 11. cap. 7. §. 4. & Nicolaus Everhardus consil. 306. *Qui Monialem in uxorem ducit, cum* Paulus Griland. de pœnis omnif. coitus q. 1. n. 17. & Canonistæ dicunt *tria committere flagitia, Incestum, Adulterium & Sacrilegium. Incestum committit, quia Monialis Sponsa Dei est, qui pater noster est.* c. Qui abstulerit. caus. 12. q. 2. *Adulterium, quia Monialis est Sponsa Christi. Sacrilegium, quia est persona sacra.* c. Adulterii. caus. 32. q. 7. c. Decernimus. dist. 28. & c. Decianus. Consil. 29. n. 9. *Quid si Monialis Monasterium exeat & Matrimonium servatis servandis contrahat, an dicetur sacrilegium committere, & punietur simul cum marito sacrilego? Et textus c. ult. dist. 27. ait, quod virgines illæ nuptæ non tam adulteræ sint, quàm incestæ, in tantum, ut ne quidem cum dispensatione Pontificis matrimonium contrahere queant.*

Bellarminus lib. de Matrim. cap. 21. propos. 1. *Votum perpetuæ continentiæ est licitum. Ergo servandum. At reddi non potest votum continentiæ ab eo, qui uxorem duxit, cum teneatur illi petenti debitum reddere.*

Maldonatus in Summ. q. 12. art. 5. *Matrimonium contractum ab iis, qui votum solenne castitatis fecerunt, non est verum matrimonium, quia in Concilio Toletano Virgines post votum nuptæ, non solum adulteræ, sed etiam incestæ dicuntur.*

Costerus in Enchirid. cap. 15. p. 547. *Qui fidem Deo dederunt & solenni voto sese pudicitiæ consecraverunt, sine incestu aut adulterio, vel potius sine gravi sacrilegio fidem frangere, templumque sui corporis Deo sacratum, quibuscunque nuptiis violare non possunt.*

Nostram sententiam probamus.

1. *Ex voti hujus conditione.* Ad ea, quæ non sunt in hominis potestate, nemo potest seipsum astringere, ac si vel maxime se obstringat, tamen est votum stolidum, Deo minime gratum, nec obligatorium. Atqui continentiæ donum non est in potestate cujusvis, sed illis tantum competit, quibus à Deo peculiariter datur, ut in art. 7. cap. 4. thesi 4. ostendimus. Ergo. Non omnis voti redditio est juris divini, sed ejus, cujus materia disertum divinum mandatum aut permissionem habet, & cæteris paribus legitime emissum est.

2. *Ab Apostolica constitutione.* 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam, & unaquæque virum suum* v. 9. *Si virgines & viduæ se non continent, nubant; melius est enim nubere, quàm uri.* v. 35. *non ut laqueum vobis injiciam.* Constitutio humana non potest abolere mandatum & constitutionem divinam. Vota cœlibatus pertinent ad constitutionem humanam, cum ex Scripturis sacris nec *mandatum,* nec probatum *exemplum* de illis proferri possit. Ergo non possunt abolere mandatum & constitutionem divinam, quod illi, quibus malum ustionis ac periculum fornicationis impendet, conjugii remedio uti debeant.

3. *A personarum istarum constrictione.* Qui cœlibatum temere, nondum scilicet exploratis suis viribus voverunt, ac dono continentiæ destituti, perpetuas ustiones sentiunt, illi in duplici necessitate se constitutos & quasi constrictos deprehendunt. Vel enim remedio conjugii ipsis utendum, vel in perpetuis ustionis ac libidinis flammis ipsis est vivendum. Si prius eligunt, non peccant contra legem aliquam divinā, quia nullum extat mandatum de voto perpetui cœlibatus, quinimo, *prohibitionem matrimonii* Deus per Apostolum pronunciat esse *doctrinam Dæmoniorum,* 1. Tim. 4. v. 1. Sed si posterius eligunt, non solum contra legem divinam, sed etiam contra ipsum continentiæ votum peccant, illud enim requirit, ut non solum à conjugio abstineant, sed etiam castam virginitatem servent. Jam vero virginalis castitas, quam Apostolus *per sanctitatem corporis & animi* definit 1. Cor. 7. v. 34. locum non habet, ubi ardent flammæ libidinis, quæ in corporis pollutionem & contaminationem utplurimum desinunt.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Pontificem posse Monachis ac Monialibus continentiam solenniter professis, potestatem matrimonii concedere.

Scotus 4. sent. dist. 17. & cum eo Durandus ibid. q. 2. censent. *Papam etiam in solenni voto dispensare posse.*

Baldus in l. Si tibi filius, & l. Si paterfamilias §. in arrogationibus. ff. de adoption. Johannes Andreas in c. Actus legitimi, & in c. Semel Deo. de reg. juris in 6. Innocentius in c. Cum ad Monasterium. in verbo licentiam &c disputant, *Papam dispensare posse, ut Monacho liceat deposito ad tempus cucullo uxorem ad certum tempus ducere, nempe usque ad procreationem sobolis, ne stirps nobilis sine prole deficiat, ea lege, ut simul atque proles suscepta fuerit, tunc ad suum cucullum redeat.*

Tiraquellus in præfat. lib. de Pœnis num. 48. *Potest Papa dispensare cum Monacho & Clerico constituto in sacris, ut matrimonium contrahat,* cujus propositionis assertores & approbatores plurimos ibidem adducit.

Andradius ex Cypriani lib. 1. Epist. 11. disputat, *hujusmodi Virginibus, quæ post votum perseverare non possunt, Episcopi autoritate liberum ac integrum fieri posse, ut nubant.*

Maldonatus in Summa q.12.art.7. *Est regula generalis ex jure naturali & divino collecta, ut votum minoris boni relaxetur per votum majoris boni. Quare cum possit occurrere hujusmodi bonum multò majus, non est dubium, quin tum ipsa Ecclesia aut nomine totius Ecclesiæ Papa possit declarare, cum in hoc casu non teneri ad observationem, quod credendum est fecisse Papas cum Regibus Aragonum & Poloniæ.*

Azorius lib.12. Instit. moral. cap.7. §. Postremò. *Potest Papa dispensare cum Clerico & Monacho, ut contrahat matrimonium.*

(Si Papa potest in hujusmodi votis dispensare ergo obligatio, quæ ex illis oritur, non est juris divini, sed humani, ideoque potiori obligationi, quæ ex jure divino pariter & naturali oritur quale est matrimonium, non potest obesse. *In Jure divino Episcopi non dispensant*, scribit Bellarm. lib. de Clericis cap.18. §.ult.)

2. Quod exempla testentur, Pontificem dispensasse cum Monachis & Monialibus continentiam solenniter professis, ut matrimonium inire potuerint.

In Italia, cum res Venetorum administraret Vitalis Michael II. circa annum 1060. Nicolaus quidam Monachus ex Justinianorum ordine Monasticam vitam consensu Pontificis deseruit atque uxorem duxit Annam Ducis Venetorum filiam. Volaterran. lib.4. Geogr. p.81.

In Gallia Belgica circa Annum 1170. Matthæus filius Comitis Flandriæ contraxit cum Abbatissa Rhumeliæ filia Regis Anglorum Stephani, accepitque loco dotis Comitatum Bononiensem, teste Roberto Abbate in Auctar. Chronic. Sigeberti Gemblacensis.

In Sicilia consensu & autoritate Cœlestini III. Pont. Rom. circa annum 1192. Constantia in Monasterio S. Claræ professa Rogerii Regis Siciliæ vita functi filia Henrico VI. Friderici Barbarossæ Imperatoris filio in matrimonium data est, nuptiis Romæ magna solennitate celebratis. Jacobus de Strada in Thes. antiq. Simoneta l.5.c.85. Platina in vita Cœlestini. Nauclerus gener.40. Caranza in Summ. Conc. f.419.b.

In Hispania Ramirus II. filius Sanctii IV. Regis Aragoniæ primum Monachus S. Pontii in Gallia fuit. Postea dispensatione Pontificis fratri Petro sine prole mortuo, in regnis Aragoniæ ac Navarræ successit & unicam filiam nomine Viracam genuit. Volaterranus lib. Geograph. p.24. Robert. Abb. in Auctar. Chronic. (circa Ann. 1145.)

Rursus in Hispania Præsul Hispalensis & Abbas Vallisoleti & de caveis rubeis frater Alphonsi X. Castiliæ Regis circa Annum 1260. duxit uxorem Christianam filiam Regis Daniæ, Alphonso prius desponsatam, sed postea ab ea abdicatam. Volaterran lib.2. Geogr. p.21.

In Polonia Casimirus filius Mietzlai Regis Poloniæ ex Monasterio Cluniacensi ad regnum Poloniæ revocatus est, Anno Christi 1042. Chron. Polon.

In Britannia Constantinus è Sacerdote & Monacho factus est maritus ac Regulus. Comment. rerum Britannic.

In eadem Provincia Abbas Rhodyngensis, cognomento Sanctus, concessione Pontificis uxorem duxit.

Henricus I. Rex Angliæ Monialem duxit Mathilden, sororem Edgari Scotorum Regis. Claud. Espens. de Contr. fol.642.

In Germania quidam Crancicus Canutus, postquam septē annos in Monachatu vixisset, indultu Papæ cōjugio se addixit.

Bruschius annotat, circa Annum Domini 950. plures Monachos Cœnobii Fuldensis sub Abbate Hadamaro matrimonium contraxisse.

Cælius secundus testatur, quod Pius II. Pont. Collegia quædam Brigidanarum & Claranarum Monialium dissolverit, jubens eas exire, *ne amplius urerentur, neve sub religionis habitu meretricem celarent.*

(Plura hujusmodi exempla & seculis superioribus & Patrum nostrorum memoria edita recensent Empsychovius contra Braun. Coloniens. p.670. Claud. Espensæus lib.5. de Contin. cap.7. ex Paludano, Durando, Bionensi & aliis. Augustana Confessio art.27. exemplum Regis Aragoniæ adducit. Ex quibus omnibus sic concludimus:

1. Si votum continentiæ non posset ullâ ratione dispensationem admittere, sed esset absolutè obligatorium, Papa non dedisset, vel certè dare non debuisset Sacerdotibus ac Monachis, continentiæ voto obstrictis, potestatem matrimonium contrahendi. Sed posterius ipsum fecisse testantur Historiæ, & rectè hoc ipsum fecisse disputant scriptores Pontificii. Ergo votum continentiæ admittit dispensationem.

2. Si nuptiæ post votum solenne contractæ sunt sua Natura adulteræ & incestæ, quo jure Papa de illis dispensat?

August. Conf. in art. de votis Monast. *Si obligatio votorum nullas haberet causas, cur mutari posset, nec Romani Pontifices dispensassent, neque enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est juris divini, rescindere. Sed prudenter judicaverunt Rom. Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam esse, ideò sæpe de votis dispensasse leguntur. Nota est Historia de Rege Arragonum revocato & extant exempla nostri temporis.*

3 Si ob generis & familiæ conservationem licet Pontifici votum cœlibatus relaxare, multò magis id licitum fuerit propter ustiones & fornicationes, quippe, quibus animæ salus in discrimen adducitur.

4. Si ob Romani Pontificis dispensationem Monachis & Monialibus matrimonium contrahere fuit integrum, multò magis ob ipsius Dei constitutionem, qui per Apostolum illis, qui ustiones sentiunt & periculo fornicationis se expositos esse animadvertunt, conjugii remedium præscribit, matrimonium contrahere illis, qui se continere nequeunt, licitum erit censendum.

5. Si Romanorum Pontificum concessiones factæ Monachis professis, qui & poterant & volebant in castitate, ad quā se astrinxerant, perseverare, non fecerunt incestos nuptiarum concubitus, ut agnoscit Navarrus in Manual. cap.12. n.75. cur incestos illos putabimus, qui ex majori & urgentiori causa, quàm est familiæ alicujus conservatio, conceduntur?

6. *Si ob corporis periculum* in abstinentiæ & jejunii voto dispensari potest, multo magis *ob animæ periculum* cum eo, qui se continere nequit, in voto continentiæ dispensari potest. Sed concedunt Scholastici, *in voto abstinentiæ, si vergat in corporale periculum voventis, posse fieri dispensationem*, Thom. 2.2.q.88.art.11. Ergò.

3. Quod quidam agnoscunt, Continentiam professis ineundi matrimonii potestatem concedi posse.

Æneas Sylvius postea Pont. Rom. Pius II. in Epist. 321. ad Johan. Frund, qui post votum cœlibatus uxorem duxerat, scripta sic loquitur: *Credimus te consilio uti non inconsulto si cum nequeas continere, uxorem quæris, quamvis id prius cogitandum fuisset, antequam sacris initiareris Ordinibus, sed non sumus Dii, qui futura prospicere valeamus. Quando huc ventum est, ut legi carnis resistere non valeamus, melius est nubere, quam uri.*

Polyd. Vergil lib.7. de Rer. Inv. cap.1. *Nullum votorum vinculum* (in veterum Monasteriis erat) *ita ut integrum unicuique foret manere aut proficisci, quò terrarum vellet, vel si quem ejusmodi instituti sui pœnituisset, etiam potestas esset ad pristinam vitam redeundi, non absque tamen inconstantiæ nota.*

Erasmus in annot. 1. Tim 3. *Si quis perpendat horum temporum statum, quàm innumeri sint Monachi publicè incesti & impudici, fortassis judicabit magis expedire, ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat publici matrimonii.*

Idem in declamat. de laudibus matrimonii. *Mihi sanè non videtur pessimè consulturus rebus & moribus hominum qui Sacerdotibus & Monachis quoque, si res ita ferat, jus indulgeat conjugii.*

(Posset hoc Erasmi & aliorum judicium probari ex dicto Augustini q.61. ex V.T. *jejunia legitima in necessitate soluta, non faciunt reos, si stomachi fuerit causa aut infirmitatis febriū.* At si votū jejuniorum solvi potest ob stomachi imbecillitatem, utiq; etiam votum continentiæ solvi poterit ob carnis fragilitatē.)

4. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, quidam canones statuunt ad ea, quæ non sunt in hominis potestate, neminem posse seipsum obstringere, ac si vel maximè se obstringat, tamen votum illud esse stolidum, Deo minimè gratum, nec obligatorium.

c. Si publicis. caus.22.q.4. ex Concilio Toletano. *Tolerabilius est stultæ promissionis vota rejicere, quàm per inutilem promissorum custodiam exhorrendam criminum implere mensuram.*

c. In malis. caus. & quæst. iisd. ex Isidoro. *Quod incautè vovisti, ne facias.*

c. Si aliquid. caus. & quæst. iisd. ex Beda. *Si aliquid fortè nos incautius jurare contigerit, quod observatum in pejorem vergat exitum, libere illud salubri consilio mutandum noverimus, ac magis, instante necessitate, pejerandum nobis, quàm pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum.*

c. Unusquisque. caus. & quæst. iisd ex Ambrosio. *Melius est non vovere, quàm vovere id, quod sibi is, cui promittitur, nolit exsolvi. Non semper igitur promissa solvenda sunt omnia, ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam.*

c.Diffinitio.cauſ.& quæſt. iisdem ex Concilio Eliberti-no.*Diffinitio incauta laudabiliter ſolvenda eſt, nec eſt prævaricatio, ſed temeritatis emendatio.*

Bernhardus lib. de Diſpenſat. *Id promittere nos in noſtra profeſſione non credimus, quod certum eſt non poſſe teneri. Neceſſitas non habet legem & ob hoc excuſat diſpenſationem.*

Summa, *in omni promiſſione intelligitur generalis conditio, ſi potero*, c.Beatus.cauſ.22.q.2.& in cap.Quemadmodum.ext.de jurejurando. Viguerius Inſtitut.cap.5.§.5.v.14.

(Ex illis omnibus ſic colligimus: Quod non eſt in noſtra poteſtate, ad illud non obſtringimur. Donum continentiæ non eſt in hominis poteſtate, ſed illis tantum competit, quibus à Deo peculiariter datur. Ergo ad illud non obſtringimur, ac ſi vel maximè ad illud voto nos obſtrinxerimus, tamen non eſt votum obligatorium.)

Secundo, quidam Canones & ſcriptores Pontificii agnoſcunt, in omni voto excipi jus ſuperioris, ac conſtitutionem humanam non poſſe abolere mandatum divinum.

c.Manifeſtum eſt.cauſ.33.q.5. *Fœmina non poteſt vovere ſine conſenſu viri.*

c.Monacho. cauſ. 20. q.4.*Monachus non poteſt vovere ſine conſenſu Abbatis, ut ſuperioris.*

(Jam vero jus ſuperioris, hoc eſt, Dei omnipotentis hoc requirit, *ut qui uruntur, nubant* 1.Corinth.7.v.9.& *ut propter fornicationem habeat quiſque uxorem ſuam* v.2. Ergo in omni voto hoc intelligitur exceptum.)

Johannes Gerſon in tract. de eſu carnium. *In votis aut legibus poſitivis iſta ſemper exceptio ſubintelligitur, niſi ubi contra Dei præceptum, cujus finis eſt caritas, militarent.*

(Jam vero votum cœlibatus pertinet ad conſtitutionem humanam, cum nec mandatum, nec probatum exemplum de eo ex Scripturis proferri poſſit. Ergo non poteſt abolere conſtitutionem divinam, quæ illis, quibus malum uſtionis ac periculum fornicationis impendet, conjugium præſcribit.)

Bellarminus lib de Monachis cap.32.§.6 *Si quis defendere velit, quod nonnulli probabiliter docent, ſi ſoli eſſent in mundo Monachi & Sanctimoniales, debere eos matrimonio conjungi ad ſpeciem conſervandam, non eſſet, cur in extrema illa neceſſitate votum timeret, vota enim non poſſunt præſcribere contra legem divinam.*

(Jam vero lex divina per Apoſtolum promulgata, hoc requirit, ut, qui *uruntur*, remedio conjugii utantur. Ergo vota illi non poſſunt præſcribere Item Si *ob conſervationem ſpeciei*, nulla voti ratione habita, matrimonium concedendum, utique etiam, imo multo magis *ob conſervationem individui* ad vitam æternam, nulla voti ratione habita, Monachis uſtionem patientibus, matrimonium erit concedendum.)

Tertio, quidam agnoſcunt, votum non violari, ſi in melius commutetur.

Bernhardus Epiſt.57.*Non arbitror, Deum exigere, quodcunque ſibi promiſſum bonum, ſi pro eo aliquid melius fuerit ſolutum.*

Thomas 2.2.quæſt.88.artic.10.docet, *quod inutile & majus bonum impediens promiſſum ſervari non debeat.*

(Atqui tale eſt votum continentiæ iis, qui dono continentiæ deſtituti, perpetuis uſtionibus torquentur.)

Gregorius ad Regem Franciæ in Decretal. Gregorii lib. 2.tit.24 cap.3.*Non propoſitum vel promiſſum infringit, qui in melius illud commutat.*

(Jam vero perſonis continentiæ dono deſtitutis, matrimonium melius eſt, quàm cœlibatus, docente Apoſtolo. 1. Cor.7.v.2.& 9.)

Quartò, quidam Canones & ſcriptores agnoſcunt, conjugia poſt votum ſive ſimplex, ſive ſolenne contracta, non eſſe dirimenda.

c.Quidam.diſt.27.ex Auguſt. *Quidam nubentes poſt votum aſſerunt adulteros eſſe. Ego autem dico vobis, quod graviter peccant, qui tales dividunt.*

c. Presbyter.diſt.28.ex Conc. Neo-Cæſarienſi, *Presbyterum ſi uxorem duxerit, ab ordine ſuo deponi* ſtatuit, (nihil prætereà de matrimonii diſſolutione addit.)

In plurimis Canonibus pœnæ in transgreſſores legum cœlibatus ſunt vel depoſitio, vel etiam excommunicatio, matrimonia tamen intacta relinquuntur.

c.Quotquot.cauſ.27.q.1.ex Concilio Ancyrano.*Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt, inter bigamos cenſeantur.*

(Ergò nuptiæ eorum judicatæ fuerunt ratæ, quamvis ad Sacerdotium inhabiles fuerint judicati, quod fidem Eccleſiæ datam violaſſe viſi fuerint.)

c. Si qua.cauſ.& quæſt. iisd ex Concilio Chalcedonenſi, *excommunicandos eſſe* ſtatuit *virginem Deo dicatam & Monachum, ſi nuptiis jungantur*, interim addit, *poſſe eis fieri humanitatem, ſi ita probaverit loci Epiſcopus.*

(Ergo Epiſcopus potuit illud conjugium confirmare.)

c.Nuptiarum.cauſ.& quæſt.iisdem ex Auguſtino. *Qui dicunt, talium (poſt vota nubentium) nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acutè ac diligenter conſiderare quid dicant.*

(Bellarminus excipit, *Auguſtinum quidem voluiſſe, nuptias poſt votum contractas, eſſe veras nuptias, ſed ſimul aſſeruiſſe, graviſſime peccare eas quæ poſt votum nubunt.*

Reſp. In eo tamen ab Adverſariis diſſentit, quod nuptias illas ſtatuit eſſe ratas, quas illi nefariè diſſolvunt. Nec ideo nubentes poſt votum peccare Auguſtinus exiſtimavit, quod nuberent, alias talia matrimonia non judicaſſet eſſe rata, ſed quod à ſanctiore vitæ propoſito cum Eccleſiæ ſcandalo reſilirent & fidem datam violarent.)

Lombardus lib.4.ſent.diſt.38.lit.B. *Privata ſeu ſimplicia vota neminem ita ligant, quin matrimonium poſt vota contractum firmum ſit ac validum.*

(Excipit Bellarminus, *diſtinguendum eſſe inter votum ſimplex & ſolenne. Matrimonium poſt votum ſimplex contractum, eſſe validum, non autem contractum poſt votum ſolenne.*

Reſp. Votum ſimplex à ſolenni non differt *eſſentialiter*, ſed tantum *accidentaliter*, ratione ſolennitatum, quas Eccleſiaſtica conſtitutio addidit. Voti ſolennitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa, matrimonii verò vinculum *ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium conditore, ipſum in Paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtituente, unionem & indiſſolubilitatem accepit*, inquit Pontifex c.Unic.de vot.& voti redemt. in 6. Ac ſi matrimonium *poſt votum ſimplex* contractum, eſt validum, contractum *poſt votum ſolenne* eſt invalidum, utique non tam promiſſio ſeu votum nos ligat, quàm voti ſolennitas.)

Vaſquez in 3.Thom.Diſp.249.c.4.n.31.32.commemorat à Gregorio XIII ejuſmodi privilegiū Jeſuitarum Ordini conceſſū eſſe, *ut poſt duos annos ab emiſſo voto ſimplici poſſint retrogredi & ſeculares fieri*, in Extravag.quæ incipit, Aſcendente Domino.

(Ergo non ſimplex, ſed ſolenne votum eſt contrahendi matrimonii impedimentum.)

Idem Vaſquez prolixè probat in 1.2.Diſp.165. cap.7. *ſolennitatem nihil efficaciæ addere ad Naturam obligationis*, (adeoque ſi votum ſimplex non impedit matrimonium contrahendum, nec ſolenne impediet, utpote quod ſolis accidentibus à ſimplici differt.)

Polydorus Vergilius lib 7.de Rerum Invent. cap. 2. *Divus Auguſtinus, Baſilio æqualis, multis rationibus probavit, connubia poſt votum contracta, non debere dirimi, veluti in Decreto 27.q.1. c. Nuptiarum & c.planè extat.*

Maldonatus in Summ.quæſt.12.art.5. *Quicquid ſenſerint multi antiqui autores, an ſit verum matrimonium poſt votum, illud nunc certum eſt, matrimonium contractum ab iis, qui votum fecerunt ſolenne caſtitatis, non eſſe verum.*

(Agnoſcit igitur, multos antiquos contrarium ſtatuere, ac recentiorem Romanæ Eccleſiæ opinionem ab illis in diverſum abire.)

Quinto, quidam Canones agnoſcunt, veram coram Deo caſtitatem non conſiſtere cum internis uſtionibus ac libidinum flammis.

c.Si Paulus 32.q.2.ex Hieronymo. *Qui viderit, inquit Dominus, mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo. Perit ergò etiam mente virginitas. Iſtæ ſunt virgines malæ, virgines carne, non Spiritu.* Ac rubricæ loco huic canoni præponitur. *Virginitas carnis non ſervatur mente corrupta.*

c.Nec ſolo.cauſ.& quæſt.iisd.*Cum ſe ſibi invicem, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas de moribus.*

(Quid ergo agunt votarii illi cœlibes, qui perpetuas uſtiones interius ſentiunt? Etiamſi ſummo ſtudio cohibeant externam locomotivam, ne in externam ſcortationem incidant, aut voluntariè ſeſe exterius polluant, tamen ipſum cor immutare non poſſunt, ne flagret & ardeat internis uſtionibus; atque hæ flammæ illos diſtrahunt, perturbant, conſcientiam vaſtant, pietatis exercitia remorantur, hic certè nullum illis aliud ſupereſt remedium, ſi preci-

bus,

bus, jejuniis, abſtinentia, fuga conſortii cum mulieribus, lucta &c. nihil proficiunt, quam ut ſuam in vovendo temeritatem agnoſcant, eamque ſibi condonari petant, & remedio conjugii divinitus conſtituto utantur.)

Argum. Adverſariorum,

Nulla deſponſata, vivente ſponſo, poteſt alium ſine crimine adulterii ducere. Virgines continentiam profeſſæ, ſunt Deo deſponſatæ.

Reſp. c. Nuptiarum. cauſ. 27. quæſt. 1. ex Auguſtino. *Quia Chriſti conjugium dicuntur eligere, quæ Chriſtiana ſanctitate nubunt, hinc argumentantur quidam, dicentes: Si viro ſuo vivo, quæ alteri nubit, adultera eſt; vivit autem Chriſtus, cui mors ultra non dominabitur, quæ ergò conjugium ejus elegit, ſi homini nubat, adultera eſt. Qui hoc dicunt, acutè moventur quidem, ſed parum attendunt hanc argumentationem, quanta rerum ſequatur abſurditas! Cum enim laudabiliter, etiam vivente viro, ex ejus conſenſu continentiam fœmina Chriſto voveat, jam ſecundum iſtorum rationem nulla hoc facere debebat, ne ipſe Chriſtus (quod ſentire nefas eſt) adulterium faciat, cui, vivente viro, nubit. Deinde, cum primæ nuptiæ melioris ſint meriti, quàm ſecundæ, abſit, ut ſanctarum viduarum iſte ſit ſenſus, ut Chriſtus eis videatur quaſi ſecundus maritus. Ipſum enim habebant & anteà, quando viris ſuis fideliter ſerviebant ſubditæ non carnaliter, ſed ſpiritualiter virum, cui Eccleſia ipſa, cujus membra ſunt, conjunx eſt, quæ fidei, ſpei, caritatis integritate non in ſolis virginibus ſanctis, ſed etiam in viduis & conjugatis fidelibus tota virgo eſt. Univerſæ quippe Eccleſiæ, cujus illæ membra ſunt, Apoſtolus dicit, aptavi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Novit autem ille conjugem virginem ſine corruptione fœtare, quem in ipſa etiam carne mater potuit ſine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus conſideratam opinionem, qua putant, lapſarum à ſancto propoſito fœminarum, ſi nupſerint, non eſſe conjugia, non parvum malum, ut à maritis ſeparentur uxores, quaſi adulteræ ſint, non uxores: & cum volunt illas ſeparatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cum ſuis uxoribus vivis, alteras ducunt &c.*

Theſis ſecunda. Matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum, eſt ratum ac firmum.

Ἔκθεσις. 1. Non eſt quæſtio, an infidelitas ſit impedimentum *matrimonium contrahendum impediens*, quod certis quibusdam limitationibus adhibitis concedimus, ſed an inſuper etiam ſit impedimentum *matrimonium contractum diſſolvens*, quod Pontificii affirmant, nos negamus.

2. Perinde eſſe dicimus, ſive quæſtio ſit de infidelitate matrimonii contractum *antecedente*, ſive eum *ſequente*, hoc eſt, ſive loquamur de eo, qui ante contractũ matrimonii fuit infidelis vel hæreticus, ſive de eo, qui poſt conſummatum matrimonium à vera fide defecerit ad Judaismum, Paganismum, Turcismum, damnatam hæreſin &c. Item, ſive *alteruter tantùm* conjux à primo matrimonii principio fuerit infidelis, altero fideli exiſtente, ſive *uterque conjunx* fuerit infidelis aut hæreticus, & ex iis alter, durante matrimonio, convertatur & fidem orthodoxam ſuſcipiat, altero manente infideli aut hæretico. Utrobique enim negamus, propter infidelitatem dirimendum eſſe matrimonium, cum eadem infidelitatis ſit Natura, ſive contractum matrimonium præcedat, ſive ſequatur.

Antitheſis. Canoniſtarum de hac quæſtione ſententiam Didacus Covarruvias in Epit. cauſ. matrimon. part. 2. cap. 6. §. 11. & cap. 7. §. 5. num. 7. ac Guibertus de matrimon. cap. 138. & ſeqq. ſic explicant: *Aut Chriſtianus vult ex gente Judaica, vel Turcica ducere aliquam, hoc illi permitti non debet, & ſi contra prohibitionem Magiſtratus matrimonium cum tali conſummaverit, tunc talis apoſtata ob eam cauſam per Magiſtratum puniri debet. Aut utraque perſona addicta eſt religioni Ethnicæ vel alii idololatriæ, tunc ſi una pars ad fidem Chriſtianam converteretur, & altera pars non vellet cohabitare, vel ſi cohabitare vellet, ſed hoc non fieret abſque blaſphemia, tunc ſecundum canones fideli divortium concedi debet, c. Quando ext. de divortiis. Aut conjugati ambo ſunt Chriſtiani, tunc ſi maritus vel uxor deficeret à Chriſtiana religione ad Ethnicam vel aliam idololatriam, divortium ſecundum canones non permittitur d. c. Quando.* Quam ſententiam ex *Jure divino & Canonico* probare ſatagunt.

Bellarminus, infidelitatem eſſe impedimentum, matrimonium non ſolum contrahendum impediens, ſed etiam contractum diſſolvens, agnoſcit, ſed ex alio principio aſſertionem ſuam deducit, lib. de Matrim. cap. 23. ſic ſcribens: *Matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum non quidem irritum eſt jure divino, naturali, vel poſitivo, vel certa aliqua lege Eccleſiæ, interim tamen irritum eſt ex more populi Chriſtiani vim legis obtinente, quia ab annis ut minimum ſexcentis ſine ulla controverſia creditum eſt in Eccleſia iſta matrimonia eſſe nulla.*

Noſtram ſententiam contra Canoniſtas probamus,

1. *A defectu mandati divini.* Quæ matrimonia Deus diſſolvenda nuſpiam præcepit, ea, poſtquam contracta ſunt, diſſolvi non debent. Sed talia ſunt fidelium cum infidelibus conjugia. Ergo.

2. *A defectu probati exempli.* Non leguntur talia conjugia in Veteri vel Novo Teſtamento diſſoluta, ſed potius firmitatem ſuam obtinuiſſe.

3. *Ex Chriſti excluſiva.* Matth. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. Si ſola fornicatio eſt legitima divortii cauſa, utique ob infidelitatem alterutrius conjugis non debet fieri ſeparatio.

4. *Ex Apoſtolica ſententia* 1. Cor 7. v. 12. Si religionis diſparitas eſſet impedimentum, matrimonium dirimens, & quidem jure divino, Apoſtolus non permitteret Chriſtianos in tali conjunctione permanere. Sic & Petrus 1. Ep. 3. v. 1. non præcipit, ut mulieres fideles maritis infidelibus in matrimonio conjunctæ, ab illis diſcedant, ſed ut vitam Chriſtianâ fœmina dignâ agant, & hac ratione *maritos ſuos Chriſto lucrifacere* ſtudeãt.

5. *Ex infidelitatis ac hæreſeos Natura.* Nec infidelitas, nec hæreſis abſolutè & per ſe pugnant cum Natura conjugii, ſicut adulterium, poſſunt enim eſſe duo in carne una, licet non ſint Spiritus unitate invicem conjuncti, aliàs etiam pii mariti & impiæ fœminæ conjugium eſſet diſſolvendum.

6. *Ex incommodi ſequela.* Si ob infidelitatem ac hæreſin conjugium eſſet diſſolvendum, homines temerarii ac leves prætextum hæreſeos promtè arriperent, ut à conjugibus ſuis, quibus minus æqui ſunt, ſeparari poſſent. Item, ſi ob infidelitatem alterutrius conjugis ſeparanda matrimonia, etiam ob alterutrius impietatem ſeparanda erunt, quod abſurdum.

Contra Bellarminum his utimur argumentis:

1. Si matrimonium inter fidelem & infidelem non eſt irritum jure divino, naturali vel poſitivo, vel certa aliqua lege Eccleſiæ, utique etiam non debuit nec potuit irritum reddi more populi Chriſtiani, quia conſuetudo, fundamento mandati divini deſtituta, non poteſt introducere impedimentũ aliquod, matrimonium legitimè contractum dirimens, alias conſuetudo humana præjudicaret ordinationi divinæ. Sic ergo concludimus: Quæ conjugia jure divino, naturali & poſitivo ſunt rata, illa ſola populi Chriſtiani conſuetudine non debent, nec poſſunt reddi irrita. Matt. 19. v. 5. Conjugia fidelium cum infidelibus jure divino, naturali ac poſitivo ſunt rata. Ergo.

2. Quodcunque non adverſatur ipſi formæ & eſſentiæ conjugii, per illud conjugium jam contractum non redditur irritum; quia cauſas conſtituentes ac perimentes oportet ſibi invicem directè opponi. Infidelitas non adverſatur ipſi formæ & eſſentiæ conjugii. Ergo.

Noſtræ ſententiæ ſuffragantur quædam hypotheſes Adverſariorum.

1. Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 5. *Si quis dixerit, propter hæreſin diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit.*

Bellarm. lib. de Matrim. cap. 23. §. 1. *Communi conſenſu Catholicorum matrimonium cum hæretico non eſt irritum.*

(Si propter hæreſin non poteſt diſſolvi. Ergo nec propter infidelitatem, quia inde atq; ideo matrimonium inter fidelem & infidelem irritum ſtatuitur, quia infideles non ſunt capaces Sacramentorum, inter quæ numerant matrimonium. Jam verò à Sacramentis, quæ ſunt bona Eccleſiæ propria, non ſolum infideles, ſed etiam hæretici arcentur.)

2. Bellarminus lib. de Matrim. cap. 23. propoſ. 2. *Matrimonium inter fidelem & infidelem non eſt irritum jure divino, naturali vel poſitivo, vel certa aliqua lege Eccleſiæ.*

(Ergò etiam non potuit, nec debuit irritum reddi *more populi Chriſtiani*, alias conſuetudo humana tolleret ordinationem divinam.)

3. Idem Bellarminus d. l. prop. 3. oſtendit, *aſſertionem illam, quod matrimonium inter fidelem & infidelem ſit irritum more populi Chriſtiani, vel unicè, vel præcipuè niti hac hypotheſi, quòd conjugium ſit Sacramentum.*

(Atqui multi ex ipſis Pontificiis negant, conjugium eſſe Sacramentum propriè dictum, ut oſtendimus ſuperius capite 1.)

4. Idem Bellarminus concedit, *infidelitatem, quæ poſt matrimonium contractum ſupervenit, conjugium non dirimere*, lib. & cap. iiſd. §. At iſta ratio.

(Agnoſcat ergò, infidelitatem non adverſari ipſi formæ & eſſentiæ matrimonii, ac proinde non eſſe impedimentum matrimonium contractum diſſolvens.)

5. Idem

5. Idem Bellarm. lib. de Matrim. cap. 3. demonstrare conatur, *matrimonium fuisse Sacramentum jam inde à primis primitivæ Ecclesiæ temporibus*.

(Ergo non ex more populi Christiani per annos sexcentos usitato, sed ex ipsius Christi institutione perpetuo in Novo Testamento durante, matrimonium inter fidelem & infidelem esset irritum. Ratio est, quia Bellarminus disputat, *ideò matrimonium inter fidelem & infidelem esse irritum, quia infideles non possunt suscipere Sacramenta, quale est matrimonium.* Quo ergo cunque tempore valet hæc ratio, eo etiam tale matrimonium debet censeri irritum, si aliquid roboris ei inest.)

Denique notamus contradictionem Bellarminianam. *Infidelis non est capax Sacramenti*, inquit lib. de matr. cap. 23. propos. 3. & tamen *Pontifex potest dispensare cum fideli, ut contrahat matrimonium cum infideli*, inquit ibid. prop. 4.

(Num vero matrimonium tunc Sacramentum esse desinit? an vero Pontifex etiam dispensare potest, ut infidelis Sacramentorum capax fiat?)

Thesis tertia. Prohibitiones graduum Levit. 18. omnes ac singulæ sunt juris naturalis, quæ Christianos etiam in N. T. obligant, ac proinde dispensationi humanæ in illis non est relictus locus.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de dispensatione divina*, an in omnibus vel quibusdam gradibus, Levit. 18. prohibitis, ea locum habere possit, sed *de dispensatione Pontificia*, an Pontifici competat potestas dispensandi in prohibitis illis gradibus, vel omnibus, vel aliquibus, quod negamus, dicentes cum Cypriano Epist. 4. *Nihil cuiquam largiri potest indulgentia humana, ubi intercedit & legem tribuit divina præscriptio.*

2. Concedimus, non esse parem prohibitionis in omnibus hisce legibus, quæ ad jus Naturæ referuntur, rationem. Dupliciter enim lex Naturæ consideratur; Aliàs lex Naturæ sic dicitur ἁπλῶς seu ὅλως, *simpliciter & ex omni parte*, ut Deus est colendus; hæc lex Naturæ est planè immutabilis. Alias dicitur lex Naturæ κατά τι, seu τινὸς ἕνεκα, cum Naturæ finem intuetur, quæ est humanæ societatis incolumitas & conservatio. Hæc lex Naturæ, etsi *quoad finem* mutabilis non est, tamen si *modum, quo ad finem pervenitur*, respicis, est mutabilis. Ad priorem pertinet prohibitio conjugii inter parentes & liberos. Ad posteriorem pertinet prohibitio conjugii inter fratres & sorores, quod in primo generis humani ortu concedebatur, hodiè vero est illicitum, finis tamen utrobique manet idem, incolumitas scilicet & multiplicatio generis humani.

3. Concedimus, magis prohibitum esse conjugium filii cum matre, patris cum filia, fratris cum sorore germana, fratris cum sorore ex altero tantum parente, privigni cum noverca, vitrici cum privigna, quàm conjugium in reliquis gradibus collateralibus Levit. 18. prohibitis, contractum, interim omnes gradus jure divino & naturali sunt prohibiti, nec admittunt hominis dispensationem.

4. Lutherus in Comment. Genes. 29. fol. 409. ad quæstionem, *An Jacobi duas sorores in matrimonio habentis, misericordia non damnetur lege Mosis?* respondet hoc modo: *Alia sunt exempla heroica, alia moralia. Leges & mores simpliciter sunt servandi, nec ferenda est ulla transgressio, ne fiat confusio. Heroica exempla sunt, quæ non congruunt cum legibus. Sæpe enim vir heroicus, quem Deus singulari Numine afflavit, perrumpit & frangit regulam, sed non relinquit post se exemplum. Moralia, leges & jura sunt servanda & exempla sequenda, sed in heroicis nulla est consequentia, nullum exemplum valet, nisi sit per omnia simile. Si fueris similis Jacob, si talis casus, si talis occasio & necessitas inciderit, tum & tibi licebit, quod Jacobo licuit. Si non fueris per omnia similis Jacob, standum tibi erit in lege & moribus communibus. Non est perrumpendum temerè, nec faciendũ exemplũ & consequentia propter casum aliquem heroicum.*

5. Quemadmodum ergo omnis culpa in Labanum redundat, quod Jacobus duas sorores in thoro maritali secum retinet, quod ordinariè lege divina est prohibitũ, ipse *materialiter* tantum illegitimas nuptias contrahit, non *formaliter*: ita quoque omnis culpa ad Pontificem redit, quando Magnates in gradibus Levit. 18. prohibitis, contrahunt. Pontifex enim sibi potestatem vendicat in gradibus illis dispensandi, ac Magnates persuasi sunt, potestatem ejusmodi competere Romano Pontifici, quam etiam magna pecuniæ summa emunt. Ex ignorantia igitur duntaxat peccant, & *materialiter* tantum, non *formaliter* illegitimas nuptias contrahunt, ac per consequens tales Magnatum nuptiæ *incestæ* propriè dici nequeunt.

6. Cumprimis, si contrahantur in aliis gradibus, quàm in gradu consanguinitatis lineæ rectæ inter ascendentes & descendentes, ac in primo gradu in linea transversa, quas graduum species matrimonium jure Naturæ irritum facere, ac si in illis contrahatur, incestas nuptias esse, ipsimet saniores Pontificii concedunt.

7. Quod de polygamia & conjugiis contra legem divinã in Veteri Testamento contractis, dicitur, *filios ex illis conjugiis natos, non fuisse spurios & illegitimos*; (Quamvis enim ejusmodi conjugia secundum strictum juris rigorem non fuerint legitima, tamen moribus publice receptis, & consuetudine eorum, inter quos vivebant, legitima fuisse, ac quicquid illegitimi coram Dei judicio in eo fuit, id eo ignorantia & errore communi peccantibus fide in Messiam condonatum fuisse.) Idem etiam de conjugiis, ex dispensatione Pontificis contractis, dicimus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 24. can. 3. *Si quis dixerit, Ecclesiam non posse in quibusdam gradibus consanguinitatis & affinitatis, qui in Levitico exprimuntur, dispensare, anathema sit.*

Franciscus à Victoria Relect. 7. part. 2. disputat, *non omnes gradus prohibitos in Levitico nunc obstare matrimonio, propterea quòd lex Mosaica per Evangelium sit abrogata.*

Bellarminus lib. de matrim. cap. 27. §. Sed inprimis. *Convenit inter nos & Protestantes, præcepta Levitica non obligare nos; quatenus sunt propriè Levitica, sed quatenus naturalia. Tota igitur quæstio est, an omnia illa præcepta, quæ habentur in Levitico, de gradibus cognationis naturalia sint, an vero aliqua judicialia. Adversarii omnia naturalia esse volunt ac indispensabilia, nos contra.*

Lib. & cap. ijsd. §. Jam igitur &c. *Non obligant jure divino Christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Levitico. Jure Naturæ interdicta sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis tam in linea recta, quàm in transversa, & in primo gradu affinitatis in linea recta tantum.*

Lib. ejusd. cap. 28. §. Possumus &c. *sex species matrimoniorum jure naturali prohibitas*, recenset, *videlicet filii cum matre, patris cum filia, fratris cum sorore germana, fratris cum sorore ex altero tantum parente, privigni cum noverca, vitrici cum privigna, in reliquis prohibitorum graduum speciebus Pontificem dispensare posse* statuit.

Cornelius à Lapide in cap. 18. Levit *De fide est, quòd gradus omnes, qui in Levitico recensentur, jure Naturæ non sint ita absolutè prohibiti, ut irritent matrimonium, nec Pontifex in iis dispensare possit*, quam assertionem dicit, *probari ex definitione Concilii Tridentini & ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpè in gradibus ibi prohibitis dispensavit & dispensat. Pontifex Innocentius III dispensavit in primo gradu affinitatis in linea transversa, cap. finali de divort. Alexander VI. in secundo gradu consanguinitatis dispensationem concessit, teste Cajetano in 2. 2. q. 154. artic. 9. ubi etiam disputat Cajetanus, Pontificem justis de causis in omnibus gradibus prohibitionem relaxare posse, præterquam in connubio patris & filiæ, filii & matris.* Ibidem recenset multa exempla Pontificiæ dispensationis in gradibus jure divino prohibitis. *Quod Papa* (inquit) *possit, scilicet in gradibus illis prohibitis, dispensare, ex gestis Romanorum Pontificum patet. Nam modernus Rex Portugalliæ Emanuel duas sorores, quarum altera superest, successivè uxores habuit: ita quòd etiam cum prima consummaverit matrimonium. Moderna quoque Regina Angliæ consummaverat prius matrimonium cum olim fratre istius Regis Angliæ sui mariti. Ferdinandus quoque junior Rex Siciliæ circa Pharum sororem patris sui Johannam, quæ adhuc superest, in uxorem duxit, dispensante Alexandro sexto. Hæc autem constat esse in lege divina prohibita.*

Franciscus Lopez Historiæ Indicæ lib. 6. cap. 14. *Petrus Alvaredus ex Papæ dispensatione duas sorores duxit, Franciscam & Beatricem de la Cueva.*

Nostram sententiam probamus.

1. *Ex generali legum Mosaicarum obligatione.* Quæcunque leges ita obligant gentes, ut propter earum transgressionem divinitus puniantur, illæ non sunt mere forenses, ad Judaicam tantum politiam spectantes, sed pertinent ad jus naturale ac morale. Leges de prohibitis cognationum gradib. ita obligant gentes ut propter earum transgressionem puniatur, Levit. 18. v. 2, 3, 4, 24. 25, 26, 27, 28. c. 20. v. 22, 23. Ergo.

2. *Ex legum harum cum moralibus connexione.* Quæcunque leges in uno eodemque contextu cum moribus conjunguntur, illæ ad jus naturale ac morale pertinere censentur, nisi ex circumstantiis contrarium evidenter elucescat. Sed leges Mosaicæ de prohibitis gradibus cum moralibus legibus in uno

in uno eodemque contextu indivulse conjunguntur, Lev.18. v.19,20,21,22,23.cap.20.v.2,6,9,10,13,15. & 18. Ergò.

3. *Ex pœna in transgressores harum legum statuta conditione.* Quarum legum transgressioni imponuntur pœnæ capitales, illæ non sunt Ceremoniales sive forenses, sed morales, (nisi circumstantiæ textus & præceptorum materia contrarium evidenter ostendant.) Ratio est, quia transgressioni legum Ceremonialium plerunque imponuntur pœnæ Leviticæ. Sed transgressioni legum de prohibitis cognationis gradibus imponuntur pœnæ capitales, Levit.20. v.11,12.14,17,19,20,21. Deut.27.v.20,22,23 Ergò.

4. *Ex clausulæ Mosaicæ adjectione.* Quibus legibus clausula illa promissoria adjicitur, *Custodite præcepta mea, qui fecerit ea homo, vivet in illis*; illæ non sunt merè Ceremoniales seu forenses, sed ad legem naturalem ac moralem pertinent, Deut.30.v. 10 Matth.19.v.12.Luc.10.v.28.Rom.10.v.5.Gal.3.v.12. Jam verò legibus illis de prohibitis gradibus adjicitur ista clausula Levit.18.v.5.Ergo.

5. *Ex prophetica harum legum explicatione.* Quæ leges à Prophetis inter morales referuntur, & ex quibus gentiles peccatorum arguuntur, eæ non sunt merè forenses vel Ceremoniales, sed morales. Ratio consecutionis est, quia forenses & Ceremoniales leges ad Judaicum duntaxat populum pertinent, propter quarum transgressionem gentiles argui nequeunt. Jam vero leges de prohibitis gradibus à Prophetis inter morales referuntur, & ex illis gentiles peccati arguuntur, Ezech. 22.v.10,11. Amos 2.v.7. Ergo.

6. *Ex legum harum in Novo Testamento repetitione.* Ex quibus legibus etiam in N. Testamento peccata arguuntur, illæ non sunt Ceremoniales vel forenses, quippe quæ in Novo Testamento sunt abolitæ. Jam vero ex legibus de prohibitis gradibus etiam in Novo Testamento peccata arguuntur, Matth. 14.v.4. Marci 6.v.18. 1.Cor 5.v.1. Ergo.

7. *Ex legum harum in cordibus gentilium inscriptione.* Ea quæ lex Naturæ in omnium sanorum cordibus, quorum mens non est prorsus reproba, inscripta esse docet, non sunt Ceremonialia, sed moralia, Rom.2 v.15. Sed prohibitiones graduum in omnium sanorum cordibus, quorum mens non est prorsus reproba, sunt inscriptæ, quod probatur, tum ex legibus Imperatorum & rescriptis veterum JCtorum, in quibus iidem consanguinitatis & affinitatis gradus prohibentur, qui in lege divina sunt prohibiti, tum ex honestis aliarum gentium legibus, tum ex brutorum Historiis. Ergo.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, prohibitiones Levit.18. esse juris naturalis, ac in N. Testam. nos obligare, nec in illis locum habere posse humanam dispensationem.

Calixtus Episcopus Romanus in Epist.2. ad Episc. Gall. & citatur c. Conjunctiones. caus.35.q.2. *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibentur. Quare? quia has divinæ seculique prohibent leges. Leges ergò divinæ hoc agentes & eos, qui ex eis prodeunt, non solum ejiciunt, sed etiam maledictos appellant. Leges ergo seculi infames tales vocant & ab hereditate repellunt. Nos verò sequentes patres nostros infamiá eos notamus & infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt aspersi, nec eos viros, nec accusationes eorum (quas leges seculi rejiciunt) suscipere debemus. Eos autem consanguineos dicimus, quos divinæ & Imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant & in hereditate suscipiunt, nec repellere possunt.*

(Confer cum hoc Pontificis decreto verba Bellarmini de matrimon.cap.25. §. Adde. *Quæ Chemnitio videntur divinæ prohibitiones, & in quibus aliquando Papa dispensat, eas non esse divinas apud Christianos demonstrabimus.*)

Innocentius III. ad Bituricensem Archi-Diaconum, & citatur cap. Literas. ext. de restitut. spoliat. *Rescripto petebas Apostolico edoceri, utrum, quando aliquis consanguinitatis gradus objicitur, in quo Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit, & probationes promtæ sint & paratæ indulgenda restitutio sit, an neganda? Sanè circa solutionem propositæ quæstionis diversæ sunt sententiæ diversorum, aliis asserentibus restitutionem faciendam, aliis sentientibus in contrarium, nonnullis viam mediam eligentibus ac dicentibus, eam faciendam interdum, quandoque penitus denegandam &c. Opinioni ultimæ videtur non incongrue adaptari, ut in gradibus consanguinitatis, divina lege prohibitis, restitutioni aditus præcludatur, sed constitutione interdictis humaná restitutio locum habeat, cum in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari, sicut Gregorius & multi alii dispensarunt. Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari.*

Et postea. *Porrò, cum mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina prohibuit, non possit hujusmodi viro sine peccato mortali carnaliter commisceri, quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, & quicquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, frustra in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato, cum illa contra Deum non debeat judici in hoc obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere, sicque difficultas occurreret quasi perplexa, quia propter sententiam oporteret eam reddere debitum & propter conscientiam reddere non deberet, unde contingeret eos graviter impediri & utrique laqueus pararetur, cum inter se carnaliter conjungi non possent, nec alter alteri matrimonialiter copulari. Propterea melius videtur, quod cum opponitur consanguinitas (præsertim in gradibus divina lege prohibitis) & probationes offeruntur in continenti paratæ, in cæteris adjudicanda sit restitutio sed ad majorem cautelam juramento recepto, quod talis objectio malitiose non fiat sola, quoad commixtionem carnalem (maximè si fama consentit) est restitutio differenda, donec auditis probationibus & discussis causa sine diffugio terminetur, cum utrique sit melius taliter expediri, quàm manere taliter impeditos.*

Alexander Carerius JCtus Pontificius lib.2. de Matrim. cap.5. citat Palud. Floren. & Majorem in 4. sentent. dist.40. affirmantes, *Pontificem in nullis gradibus, qui in Levitico exprimuntur, posse dispensare.*

Anno 1320. claruit Johannes Baconthorpius Anglus in Collegio Regali Oxonii, quod Orialense vocatur, S.Theol. D. & Prof. Doctor Resolutus vulgo dictus, (quem Baptista Mantuanus hoc tetrasticho celebravit:

Iste tenebrosi damnat vestigia Scoti,
Et per sacra novis it documenta viis.
Hunc habeant, quibus est sapientia grata, redundat
Istius in sacris fontibus omne sophon.)

Is in scriptis suis constanter docuit, *Pontificem Rom. in gradibus consanguinitatis, divina lege prohibitis, dispensare minimè posse.* Jacobus Calcus Papiens. lib. de Henr. VIII. Angl. Reg. divortio. Balæus Cent.5. cap.1.

Ambrosius Catharinus adversus Cajetan. pag.221. sparsim, *Quis dubitet, inquit Augustinus, honestius hoc tempore, etiam consobrinarum prohibita esse conjugia, etiam, qui nescio, quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale* (nota) *atque laudabile, ut, cui debet causa propinquitatis honorem verecundum, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem. Ambrosius in Epist. ad Paternum consulentem, an liceret neptem ex filia filio suo conjungi, quia putabat jure divino non esse prohibitum ita rescribit: Ego autem jure divino prohibitum esse assero, quia cum leviora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc, quod arctioris est necessitatis, interdictum arbitror. Quod si ideò permissum esse putas, quia non est prohibitum in lege, non est ideò licitum? minimè; interdictum enim est inviolabili Naturæ lege* (nota) *scripta in cordibus titulo necessitudinis. Ista connubia qualia sint, ipsa Natura, Deo ita volente, videtur attestari, quæ plerunque in talibus connubiis sobolem non patitur succrescere, sicut B. Gregorius observatum esse testatur. Nos etiam vidimus ejusmodi nuptias infaustos & infelices exitus in magnis Principibus habuisse, quod utinam saltem non cum magno scandalo ac Christianæ Reipublicæ detrimento nunc videremus. Denique, ut ad Scripturas ascendam, clare confutatur contraria opinio Levit.18. ubi plures gradus prohiberi videmus, in quibus nuptiæ non possunt consistere, & ratio prohibitionis adjicitur, quia incestus (aut ut alii) scelus est, & in calce capitis concluditur, ne polluamini in omnibus his &c. Quare magnopere miror, quomodo ausus est Reverendissimus* (Cardin. Cajetanus) *non solum contra Theologos & sanctos, verum etiam contra rationem & verba textus dicere, quod ista præcepta sint abrogata.*

Cornelius à Lapide in cap.18. Levit. *Quæres, an hi gradus omnes, qui hoc capite recensentur, jure Naturæ ita sint absolutè prohibiti, ut irritent matrimonium, nec Pontifex in iis dispensare possit? Affirmavit Henricus VIII qui hanc legem prætendit suo divortio cum Catharina. Affirmarunt idem eodem tempore nonnulli Doctores in variis Universitatibus.* (Addit quidem Cornelius, quod *illi Doctores Angelottis Henrici fuerint corrupti*, sed dicit hoc, non probat.) *Ratio eorum erat, quod Cananæi contra has leges peccantes, puniti sunt à Deo, ut habet v.24. Atqui Cananæi non habebant aliam legem, quàm Naturæ. Ergò hæ leges sunt leges Naturæ.*

(Hùc

(Hûc referri poteſt, quod jam olim quidam Epiſcopi diſpenſationes Papales in prohibitis Lev. 18. gradibus improbaverint, ac proinde judicaverint, *prohibitiones illas eſſe juris naturalis, adeoque diſpenſationi humanæ minimè ſubjectas.*

Ranulphus in Polychronico lib. 5. capite 29. & Chronicon Hirſaugienſe, *Cum Fridericus in Epiſcopum Trajecti eſſet conſecratus, & in prandio Ludovicus Pius Imperator ad dextram ei aſſidens, monuiſſet illum, ut recentis profeſſionis memor ſine ullius perſonæ reſpectu jus Dei in ſua vocatione adminiſtraret, reſpondit ille: Rectè me mones Imperator, ſed quæſo, Tua Majeſtas dicat, utrum honeſtius ſit, piſcem hic appoſitum à capite, an à cauda aggredi? Ille ſtatim inquit, Caput præſtantius membrum eſt, inde fiat initium. Epiſcopus ergò ait: Bene dixiſti, ergo & tu renuncia inceſto matrimonio, quod cum Juditha contraxiſti. Hoc ſermone Imperator motus, uxorem à ſe dimiſit. Re ad Pontificem Romanum delata, alia pronunciata fuit ſententia, quod nimirum pœnitentiâ præſtita, quæ erat ſatisfactio aliquot millium aureorum, Imperator cum uxore deinceps legitimo poſſit uti connubio. Juditha indignè ferens Epiſcopi libertatem in veritate dicenda, per ſicarios eum in templo ad aram curavit interfici.*

2. Quædam hypotheſes Adverſariorum.

Primò, Bellarminus lib. de matrimon. cap. 27. concedit, *omnia illa præcepta de gradibus cognationis Levit. 18. eſſe naturalia aliquo modo, nimirum ſi nude ac ſolitariè ſumantur gradus cognationis, ſine circumſtantiis, quæ ſufficiant ad matrimonia in illis gradibus honeſtanda.*

Ibid. *Plerique Theologorum veterum, in 4. ſent. diſt. 40. ut Bonaventura, Richardus, Paludanus & alii concedunt, omnia præcepta Levit. 18. eſſe naturalia.*

(Atqui Bellarminus nudè aſſerit, nulla autem ratione probat, *ob certas quaſdam circumſtantias præcepta Levitica fieri ab hominibus diſpenſabilia ac matrimonia in prohibitis gradibus contracta, ex circumſtantiis quibuſdam honeſtari.* Exempla enim, quæ affert, illud non probant, cum non *ex exemplis* de regula, ſed *ex regula* de exemplis judicandum ſit. Nos ex conceſſis à Bellarmino ſic concludimus: Quæ jure naturali ſunt prohibita, nullâ circumſtantia fiunt licita & honeſta, quia *naturalia ſunt immutabilia.* §. Sed naturalia. Inſtit. de jure Nat. gent. & civili. Jam verò præcepta de gradibus cognationis Levit. 18. ſunt naturalia, fatente Bellarmino. Ergo ſunt immutabilia, & per conſequens diſpenſatio humana in illis non habet locum.)

Secundo, idem Bellarminus d. l. in reſp. ad 1. argum. ſic ſcribit: *Propoſitio illa generalis Levit. 18. Ad proximam ſanguinis ſui nemo accedat, jus Naturæ complectitur, & ideò etiam in ſingulis præceptis repetitur vocabulum turpitudo, quia turpe eſt cum cognata matrimonium contrahere, cum Natura ipſa dictet, reverentiam quandam illis deberi, cum qua pugnat copula carnalis, & quia gentes illæ ſine delectu miſcebantur conſanguineis, peccabant haud dubiè in ſingulis contra jus Naturæ, & ideo meritò puniebantur.*

Hûc pertinent dicta eorum, qui concedunt, leges Levit. 18 obligaſſe etiam infideles populos, Ægyptios, Cananæos &c. ac eoſdem illos populos propter transgreſſionem iſtarum legum divinitus fuiſſe punitos.

Gloſſa ordinaria Levit. 18. *Ille Dei populus neceſſario fuerat præmonendus, ut malitiam ubique diffuſam attentius evitaret, ne aut priſtina ſua conſuetudine traheretur, aut habitatorum regionis, ad quam vocabatur, perverſitatem imitaretur.*

Lyranus ibid. *Et juxta morem &c. Quia in terra eorum habitaturi erant, & homines de facili accipiunt mores terræ, in qua habent habitare, ut potiſſimè, quia Ægyptii & Chananæi erant vitioſi in his, quæ poſtea prohibentur.*

(Ex illis ſic colligimus: Nullius Ceremonialis legis transgreſſio gentiles efficit peccati, iræ ac pœnæ divinæ reos, quia ipſis non eſt lata, Rom. 4. v. 15. Atqui, fatente Bellarmino, ſingulorum præceptorum Levit. 18. propoſitorum transgreſſio gentiles fecit reos peccati, iræ ac pœnæ divinæ. Ergo. Præterea, ſi gentes contra gradus Levit. 18. contrahentes, in ſingulis peccabant contra jus Naturæ, utique ſingulæ prohibitiones ſunt juris naturalis. Quod ſi vero ſunt juris naturalis, nulli homini in illis conceſſa eſt diſpenſatio.

Excipit Bellarminus, *gentes non eſſe punitas & è terra ejectas propter hæc crimina ſingula, ſed propter omnia in illo capite enumerata præſertim propter crimen idololatriæ, adulteria & flagitia illa prodigioſa cum maſculis & brutis.*

Sed enim hanc ipſam ſolutionem Bellarminus in aliis repudiaverat. *Reſponderet, inquit, aliquis fortaſſe Deum punire voluiſſe gentiles non propter transgreſſionem præceptorum de gradibus cognationis, ſed propter adulterium, propter concubitum cum maſculis & jumentis, & propter idololatriam, quam gentes illæ exercebant in idolo Moloch. At non videtur ſolida ſolutio. Nam etiamſi cap. decimo octavo Levitici pœnæ in gentiles ſubjiciantur immediatè poſt illa quatuor ſcelera, tamen cap. 20. ſubjiciuntur eædem pœnæ in eoſdem gentiles immediatè poſt prohibitiones graduum cognationis.* Aliter igitur excipit, *Peccaſſe quidem gentiles in ejusmodi conjugiis contrahendis, non tamen ita graviter, ut propter illa ejiciendi eſſent è terra.* Sed præterquam, quod textus Moſaicus contrarium teſtatur, ſufficit, quod conceditur, gentiles harum legum transgreſſione peccaſſe. Ergo hæ leges non ſunt Ceremoniales vel forenſes, ſed morales.)

Tertio, idem Bellarminus d. l. cap. 28. §. His notatis &c. *ex capitali ſupplicio* prohibitioni conjugiorum in primo conſanguinitatis gradu tam in linea recta, quàm in transverſa, & in primo gradu affinitatis in linea recta Levit. 20. adjecto, colligit, *talia conjugia eſſe jure Naturæ interdicta.*

(Jam vero etiam aliis prohibitionibus Lev. 18. promulgatis, capitis pœna adjungitur, quinimo generalis clauſula additur, quod propter violationem harum prohibitionum *terra Canaan evomet habitatores ſuos.* Ergo omnes illæ prohibitiones ſunt juris naturalis.)

Quarto, Bellarminus d. l. cap. 28. *conjugia in primo gradu conſanguinitatis tam in linea recta, quàm in transverſa, & in primo gradu affinitatis in linea recta jure Naturæ interdicta eſſe* probat ex eo, *quod omnes gentes aut à conjugiis prædictis naturaliter abhorruerint, aut ſi quæ gentes iis indulgent, ab aliis feræ & barbaræ judicantur.*

(Atqui etiam reliquæ prohibitiones Levit. 18. propoſitæ in ſaniorum gentilium, quorum mens non eſt prorſus reproba, cordibus ſunt inſcriptæ. Ergo etiam illæ prohibitiones ſunt juris naturalis.)

Quinto, Bellarminus d. l. cap. 29. rat. 1. *Reverentia, quam parentibus, conſanguineis & affinibus deberi ipſa Natura docet, repugnat actus conjugalis.*

(At hæc reverentia locum habet in omnibus gradibus Levit. 18. prohibitis. Ergo omnes gradus jure Naturæ ſunt prohibiti.)

Sexto, Lovanienſes in annot. margin. Matth. 14. v. 4. ubi Johannes Baptiſta arguit *Herodis cum fratria conjugium,* remittunt lectorem ad Levit. 18. v. 16.

(Ergo agnoſcunt, Johannem Baptiſtam ex fundamento legum iſtarum Herodis cum fratria conjugium taxaſſe, & per conſeq. judicaſſe, eas non eſſe merè forenſes vel Ceremoniales, ſed morales in N. Teſtamento adhuc obligantes.)

Septimo, edita eſt ſuperiore ſeculo in Anglia *Tumultuaria* (ut habet titulus) *Apologia pro diſpenſatione de matrimonio Regis Henrici VIII & uxoris ſui fratris defuncti.* In ea multorum ex veteribus & recentioribus ſuffragium nobis conceditur.

Fol. 4. §. Et ut. *Ut faciamus, ſeptem illas Academias omninò conſentientibus calculis noſtræ cauſæ adverſari, tamen ſi æqui æſtimatores eſſe velimus, parum aut nihil id cauſæ noſtræ officere debet, cum contra paucas iſtas Academias à nobis ſtet orbis univerſus.*

(Quaſi verò ſeptem illæ Academiæ non ſint pars quædam univerſi orbis.)

Fol. 20. §. Jam &c. *ad illud, quod Chryſoſtomus exiſtimavit, Philippum Herodis fratrem mortuum fuiſſe, & tamen matrimonium Herodis cum fratria illicitum judicaſſe,* reſpondet, *Chryſoſtomus unicus & ſolus eſt, nec ſibi, ſi viveret, tot contra conſentientibus, credi poſtularet.*

Fol. 35. §. Primum igitur &c. *ad dicta Baſilii & Ambroſii* ſibi oppoſita reſpôdet. *Ex uſu ipſis erat ſic abuti Scripturâ pro tempore.*

Fol. 37. § Hieronymus, & fol. 38. §. Igitur videtur &c. in genere *ad dicta Patrum* reſpondet, *Maneat ſanè Patribus ſuus honor, ſua majeſtas, ſint, ut merentur in ſumma veneratione ac precio, attamen audeo dicere, recentiores Doctores multis in locis Patribus excuſſiores & vigilantiores ac perſpicaciores eſſe.*

Fol. 46. §. De noverca, ad dictum *Gregorii Pont. Rom.* adeoque Patris Patrum ſibi objectum reſpondet: *Gregorius hic non eſt audiendus, neque quantum ad jus Naturæ, neque quantum ad honeſtatem attinet.*

Fol. 45. §. Poſthæc. *Qui pro ſtudio, nempe publicam utilitatem juvare volens, Scripturas obtorto collo ad ſuum inſtitutū protrahit.*

(Egregium verò elogium Pontifici attributum?)

3. Frigidæ Adverſariorum ad argumenta noſtra reſponſiones.

(Illæ enim ſententiæ noſtræ firmitatem, oppoſitæ opinionis vanitatem arguunt.)

Ad primum nostrum argumentum, *quod præcepta illa sint juris naturalis, ac proinde humanæ dispensationi minime obnoxia*, excipit Bellarm. lib. de matr. c. 27. *Tribus modis aliquod præceptum dici naturale, 1. Cum res prohibita intrinsece mala est, ita ut semper & apud omnes sit mala, nec possit per mutationem circumstantiarum fieri bona, qualia sunt mentiri, mœchari &c. hæc sunt omnino indispensabilia. 2. Cum res prohibita est mala semper & apud omnes, excepta extrema necessitate, quale est tollere alienum, invito domino. 3. Cum res est mala, si absolute & nude sumatur, quæ tamen possit mutatis circumstantiis variis modis honestari ac fieri bona, quale est occidere hominem, item juramentum præstare. Hoc tertio modo aliqua præcepta Levitica, solitarie considerata, naturalia sint, si nude sumantur, sed cum circumstantiis accepta, vim juris naturalis non habent.* Hanc dicit esse *probabilissimam Cajetani & aliorum expositionem.*

Sed eidem jampridem respondit Ambrosius Catharinus in annot. adv. Cajetanum §. De copulis &c. ubi urget verba legis divinæ indeterminate posita, *Scriptura dicit, ne reveles turpitudinem &c. mater tua est, soror tua est &c.* ibidem etiam respondet ad distinctionem quandam Cajetani, *Reverentia & honoratio quædam est per se & immediate consequens conjunctionem carnalem, quæ sola reddit personas inhabiles ad matrimonium. Alia reverentia mediata est & per accidens, ut est illa inter cæteras personas, quæ non inhabilitat conjugia, nisi lege aliqua positiva prohibeantur.* Respondet Catharinus: *Sed quid, si ego nunc negem Cardinali ob hanc rationem reverentiam deberi, quia non per se, sed per accidens, id est, non immediate, sed propter Pontificem reverentiam Cardinalibus debeam?*

(Quod Catharinus Cardinali Cajetano respondet, idipsũ nos Cardinali Bellarmino respondere possumus. Conjugium in gradibus jure divino prohibitis contractum, minus recte confertur cum juramento, juramentum enim non pugnat cũ lege Naturæ, quia lege divina non prohibetur, sicut gradus illi cognationis lege divina prohibentur. Nec valet collatio inter homicidium, quod Magistratus maleficis infligit & inter dispensationem Pontificis in prohibitis gradibus, Levit. 18. quia illud fit autoritate divina. Deus enim in sua lege Magistratui *gladium* tradidit Roman. 13. v. 4. sed Pontifici Romano nusquam in tota Scriptura potestas dispensandi contra divinas prohibitiones invenitur concessa. Adde, quod pœnam maleficorum extrema necessitas pacis ac tranquillitatis publicæ requirat, talem vero necessitatẽ in matrimoniis personarum, quæ in gradibus divina lege prohibitis conjunguntur, occurrere, nondum fuit demonstratum. Praxis testatur in ejusmodi dispensationibus non tam ad honestatem, quam Pontificis utilitatem respectum haberi, cum non nisi interventu summæ pecuniariæ obtineri possint.)

Ad argumentum nostrum secundum, *quod pronunciet Deus, se puniturum gentes ob conjugia, Lev. 18. prohibita*, excipit Bellarm. d. l. *Omnia illa præcepta, si nude spectentur sine circumstantiis, esse naturalia*; (hoc nostram potius confirmat sententiam, ut paulo ante ostendimus. Subjungit igitur) *At cum circumstantiis accepta, non sunt naturalia.*

(Sed huic coccysmo opponimus illud Catharini ex Thoma p. 214. *Levitici 18. dicitur: Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus, & idem postea dicitur de aliis. Ubi ergo lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, inquit Vega in opusc. de grat. & fide q. 1.)

Ad tertium argumentum nostrum, *quod Paulus reprehendat matrimonium cum noverca*, excipit Bellarminus, *probabile esse, primum gradum affinitatis in linea recta simpliciter esse prohibitum jure Naturæ.* (At hoc nostram potius confirmat sententiam. Eadem enim ratio est aliorum graduum expressa lege divina ibidem prohibitorum. Subjungit igitur) *Probabile esse, Apostolum loqui de aliquo, qui patre adhuc vivente, concubinæ loco, novercam haberet, 2. Corinth. 7. non propter eum, qui passus injuriam.*

(At sufficit nobis, quod Bellarminus ibid. concedit, *incestum esse, si quis novercam suam etiam post mortem patris ducat.* Incestus enim committitur contra legem Naturæ. Ergo lex prohibens conjugium cum noverca, pertinet ad legem Naturæ. Incestuosus ille, si cũ matre germana se commiscuisset, quamvis patre defuncto, diceretur nihilominus patris sui turpitudinem discooperire. Cum ergo noverca æq; ac mater ejus, patris sui uxor propria fuerit, utiq; incestuosus ille æq; patris turpitudinem revelasset, si post patris mortem novercam duxisset.)

4. Quod res ipsa testetur, dispensationes Pontificias in gradibus prohibitis nihil aliud esse, quam retia pecuniaria.

Taxa Pœnitentiaria sub tit. de causis matrimonialibus. *In causis matrimonialibus pro contractu quarti gradus taxa est Tur. septem, ducatus unus, Karlini sex.*

De contracto matrimonio in tertio consanguinitatis vel affinitatis gradu taxa est turon. 14. ducat. 3. Karl. 4. Et præterea componendum semper est cum Datario.

In secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu dispensatur tantum per signoriam Papæ, aut Sede vacante per summum Pœnitentiarium, & taxa est turon. 50. ducat. 12. Karl. 6.

In primo gradu affinitatis dispensatur in foro conscientiæ tantum, & taxa est tur. 30. duc. 7. Karl. 6.

Laurentius Capella lib. 1. ejusmodi recitat Historiam. *Fuit Arragoniæ Rex Ferrandus. Is quanquam incredibili amore Mariam de Foix illustrem virginem prosequebatur; non audebat tamen inhibente conjugium propiore sanguinis communione, quod in votis habebat, agere. Dominum ergo de Wick Ambassatorem suum Papam adire jussit, qui tum Julius secundus erat, ut ille discerneret atq; dispensaret. Sed ille quinquaginta millia ducatorum pro venia nubendi danda postulavit. Verumenimvero considerans auri vim Rex, atq; eam in multo potiora conferri posse judicans, egregie sibi consuluit pariter, atq; Juuium induxit. Curavit supplicationem fieri: Sanctissime Pater, Ferrandus de Arragonia & Maria de Foix nimium sibi affines sunt, proinde petunt dispensationem, qua jure matrimonium inire possint &c. Ilico subscripsit Papa, decemque numerari ducatos postulavit. Dati sunt illi confestim. Rex nuptias celebravit, tantiq; eas emi à Pontifice potuisse, non mediocriter sibi atq; ærario suo est gratulatus. Innotuit autem Julio, quod Arragoniæ Rex cum agnata sua thalamũ inisset, nondumq; illi ac minime sese annuisse, animum induxit. Vocatq; ad se Dominum de Wick, & iratus, Heus tu, inquit, quænam furiæ Dominum tuum Regem in illicitum hoc matrimonium conjecêre? Cui ille, Tua id venia, Pater, est factum, protulitque literas summam dispensationis continentes, quas alicui privato pauperi, ac minime Regi tam diviti pro decem tantummodo ducatis exposuisse se Papa existimabat. Intelligens ergo fraudem, recte, inquit, nobiscum actũ est.*

Gravamina nationis Germanicæ ab Imperii Ordinibus Legato Pontificis An. 1523. exhibita grav. 1. *Hæ atq; his similes complures humanæ constitutiones) de tam multis gradibus consanguinitatis & affinitatis matrimonium prohibentibus) eousque ligant homines, donec pecuniâ sibi harum legum gratiam à statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis sit prohibitum. Illicitisque his legum ac constitutionum humanarum retiaculis non modo magna nummorum copia à Germanis expiscata, è Germania & trans Alpes lata, sed & maxima inter æque Christianos orta iniquitas, plura offendicula, simultates, dum tenues hisce laqueis vident se allaqueari non ob aliud, nisi quod spinas Evangelicas (ita enim Christus divitias non semel appellat) non possideant.*

5. Dissensiones Adversariorum.

Primo, Bellarminus lib. de matrim. c. 28. *sex species matrimoniorum jure naturali prohibitas* recenset, 1. *Filii cum matre.* 2. *Patris cum filia.* 3. *Fratris cum sorore germana.* 4. *Fratris cum sorore ex altero tantum parente.* 5. *Privigni cum noverca.* 6. *Vitrici cum privigna.*

Sed ibidem mox addit: *De his quatuor gradibus posterioribus non desunt, qui negent, eos jure Naturæ prohibitos esse, in quibus est Cajetanus 2. 2. q. 154. art. 9. tamen sententia communior & verior habet contrarium.*

Rubeus in 4. sent. dist. 41. *Commistio inter patrem & filiam, & inter filium & matrem jure prohibetur Naturæ, cætera vero commistiones ab illa consanguinitatis, & tanto minus affinitatis, minime jure prohibentur naturali.*

Et post: *Solus primus gradus consanguinitatis in linea recta impediet & dirimet matrimonium jure Naturæ, adeò, quod inter parentes & liberos nullo modo poterit cadere dispensatio aliqua humana, ut inter eos matrimonium esse possit; at inter reliquos omnes consanguineos, Pontificia autoritate, si sibi placeret dispensare, posset esse: & si non dispensaret, non esset ex impotentia, sed quoniam aliqua de causa nobis occulta Pontifici summo non liberet.*

Secundò, idem Bellarminus d. l. §. Est autem &c. scribit, *Communis sententia est, inter ascendentes & descendentes omnia conjugia esse prohibita.*

Sed cap. 24. §. Ex quo &c. diserte addit, *id à multis* (inter Pontificios) *negari.*

Tertiò, Cajetanus d. l. negat, *conjugium fratris cum sorore jure Naturæ prohiberi.*

Corn. à Lap. in Comm. Lev. 18. *Communis Doctorum sententia est, solos gradus consanguinitatis lineæ rectæ inter ascendentes & descendentes, & ut summum, primum gradũ in linea transversa, qui est fratris cum sorore, jure Naturæ irritum facere matrimonium.*

Inde

Inde etiam Pontifex Martinus V. dispensavit cum fratre, ut sororem germanam in matrimonium duceret.

Antoninus in Summa part.3.tit.1.cap.11.§. Quòd Papa. *Martinus V. habita cum suis Doctoribus & Theologis consultatione, cum quodam dispensavit, ut sororem suam germanam impunè in matrimonio haberet.*

Angelus de Clavisio in Summa, in verbo Papa fol.220. *Dominus Archiepiscopus Florentinus in Summa dicit, se audivisse à fide dignis, quod Papa Martinus V. habita consultatione cum multis doctissimis viris in sacra Theologia & jure Canonico, dispensavit cum quodam, qui acceperat germanam suam sororem in uxorem propter multa mala & scandala, quæ evenissent, si eam dimisisset, & quæ evitari non poterant, nisi sic dispensaretur. Et idem ego dico de similibus.*

Idem referunt Nicolaus Boërius in Consilio 20. Utrum Papa num.26.& Almain de potest. Ecclesiastica cap.13.

De Comite quodam Armeniaco refert Paulus Æmilius in Ludovico XI. *eum falso Pontificis diplomate sororem germanam sibi matrimonio conjunxisse.*

(Sed si fuit illud diploma falsum, cur excommunicationis pœnæ non fuit subjectus, cur conjugium illud non fuit irritum pronunciatum?)

Contra vero conjugium fratris cum sorore germana Bellarm. lib. de matrim. c.28. numerat inter *species matrimoniorum jure naturali prohibitas, in quibus Pontifex dispensare non possit.*

Inde etiam lib. ejusdem cap.25. præfractè negat, Martinum V. in tali matrimonio dispensasse. *Martinus V. Pontifex* (inquit) *omnium consensu sapientissimus & optimus non permisit conjugium cum sorore germana, ut Beza mentitur, sed cum sorore ejus, quam antea cognoverat per fornicationem.*

Quartò, idem Cajetanus d.l. negat, conjugium privigni cum noverca esse jure naturali prohibitum. *Pontifex*, inquit, *justis de causis in omnibus gradibus prohibitionem relaxare potest, præterquam in connubio patris & filiæ, filii & matris.*

Sed alii rectius statuunt, ejusmodi conjugium esse jure naturali prohibitum, in quo Pontifex dispensare nequeat.

Thomas de Aquin. in 1.Cor.5. *Hoc scelus horribile erat, etiam apud gentiles, utpote contrarium naturali rationi existens. Ideo Lev.18. turpitudinem uxoris patris tui ne discooperias, turpitudo enim patris tui est.*

Lyranus ibid. *Erat hoc à principio mundi exclusum, tanquam illicitum propter naturalem reverentiam, quæ debet haberi ad patrem & matrem.*

Arias Mont. ib. *Scelus apud gentes ne fando quidem auditum.*

Ambrosius Catharinus adv. Cajetan. pag.113. *Cum novercæ admisceri, inquit Gregorius, grave est facinus, quia lege scriptum est, turpitudinem patris tui non revelabis. Nam qui turpitudinem novercæ, quæ est una caro cum patre, revelare præsumserit, profectò patris turpitudinem revelavit.*

Alfonsus Salmero in 1.Cor.5. *Quantum Ecclesia detestetur hoc facinus, testatur satis, dum Concilium Taberiense statuit, ut habetur 32.quæst.7.c. Si quis. Si quis, inquit, cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire. Quantum horreat Natura ejusmodi commixtionem, exemplis possit probari.*

Bellarm. lib. de matrim. cap.28. inter matrimonia jure naturali prohibita, recenset *conjugium privigni cum noverca.*

Argum. Adversariorum.

1. Ex pœnarum diversitate. Conjugium in primo gradu affinitatis in linea recta Deus punit morte & conjungit hoc peccatum cum adulterio & cum Sodomia, quæ sunt manifestè contra jus Naturæ, & eadem est ratio vel potius major de consanguinitate in primo gradu in linea recta. Deinde eandem pœnam mortis lex statuit in eos, qui junguntur primo gradu consanguinitatis in linea transversa ut cum frater accipit sororem. At conjugium in secundo gradu consanguinitatis in linea transversa, ut nepotis cum amita vel matertera non punitur morte, sed pœna leviore &c. Bellarm. lib. de matrim. cap.27.

Resp.1. Idem Bellarminus in resp. ad 4. nostrum argumentum disputat, *ex pœnarum qualitate non posse colligi, quæ præcepta sint naturalia, cum judicialibus ac Ceremonialibus legibus similes pœnæ addantur.*

(Ergò ex pœnarum diversitate non debet ipsemet colligere, quasdam illarum prohibitionum esse forenses. Nimirum ex pœnarum inæqualitate rectè colligitur, peccatorum inæqualitas, sed minus rectè ex illa inæqualitate colligitur, quædam istorum peccatorum non pugnare contra jus Naturæ, cum nihil prohibeat peccata contra jus Naturæ esse inæqualia. V.g. blasphemia gravior est mendacio, adulterium gravius fornicatione, homicidium gravius furto, ac pœnæ horum peccatorum sunt inæquales, interim omnia illa peccata pugnant contra jus Naturæ.)

2. Idem Bellarminus d.l. § Secundò &c. *Tollere alienum invito Domino, excepta causa extremæ necessitatis, semper est malum & contra jus Naturæ, estque indispensabile.*

(Et tamen Deus in legibus judicialibus, huic peccato nullam mortis pœnam imposuit. Ergo ex eo, quod prohibitioni alicui non est addita pœna mortis, non potest colligi, prohibitionem illam non esse juris naturalis.)

3. Diversitas pœnarum arguit diversos peccatorum gradus, non autem diversam juris speciem.

Bellarminus ipse concedit, *gravius coram Deo peccatum esse incestum filii cum matre, vel filiæ cum patre, quàm privigni cum noverca, vel vitrici cum privigna*, & tamen *omnes illas quatuor species matrimoniorum jure naturali prohibitas esse* asserit lib. de matr. cap.28. §. Sextum.

Argum.2. *ex contrariorum exemplorum varietate. Si omnia illa præcepta essent naturalia, semper obligassent, etiam ante legem datam. Si autem leges illæ semper obligassent, nunquam sancti viri & amici Dei contra leges illas matrimonia contraxissent, quod tamen factum novimus. Jacobus duas sorores viventes simul accepit uxores Gen.29. Judas Patriarcha dedit filio suo secundogenito uxorem defuncti primogeniti Gen.38. Amram accepit uxorem Jochabed amitam suam Exo.6.* Bellarminus d.l.

Resp.1. Bellarminus ipse in cap.28. §. Jam vero &c. adducit quædam exempla *matrimoniorum in gradibus jure naturali prohibitis contractorum*, & ad ea respondere conatur. (Agnoscat ergo, etiam exemplis, quæ pro sua opinione adducit, responsionem commodam adhiberi posse.) *Fieri potest*, inquit, *ut Deus cum filiis Adæ dispensaverit, ut sororibus jungerentur. Non enim requirebatur externa aliqua dispensatio per vocem aut Scripturam, sed satis erat interna inspiratio, fortè etiam Deus per Adamum significavit ac declaravit ejus filiis voluntatem suam. Neque absurdum est, quod ab ipso mundi initio in ea lege Deus dispensaverit; quandoquidem voluit rerum autor omnes homines ab uno procedere, neque bonum judicavit plures simul masculos pluresq; fœminas procreare.*

(At hac ratione unâ litura delet omnia, quæ contra nostram sententiam ex quibusdam exemplis disputat. Si enim divina dispensatio in conjugio fratris cum germana sorore semel facta non impedit, quo minus jure Naturæ ejusmodi conjugium censeatur prohibitum, utique etiam in reliquis exemplis divina dispensatio non efficiet, quo minus graduum illorum prohibitio sit juris naturalis.)

2. Ambros. Catharinus in annot. advers. Cajet. *Olim, inquit Cyprianus, multa licebant, quæ etiam lex Naturæ minus probabat.*

(Ergo ex dispensatione colligi nequit, prohibitiones illas non esse juris naturalis.)

3. Pererius in cap.29. Genes. *Tradit Augustinus serm.80. de temp. actum conjugii Jacob cum Lea figuram Judaici populi facere, cum Rachel gentium.*

(Ergo potest dari illius dispensationis in conjugio Jacobi cum duabus sororibus causa, videlicet mysterii significatio, quod Bellarm. h.l. negat.)

4. Quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt, *non posse in primo gradu affinitatis in linea transversa dispensationem hodie fieri.*

(Ergo exemplum Jacobi debuisset omitti. Si Bellarminus ex Jacobi exemplo evincere velit, *conjugium cum duabus sororibus non pugnare cum jure Naturæ*, concedere cogetur, Pontificem etiam in polygamia cum duab. sororibus simultanea Jacobi exemplo comprobata, dispensare posse.)

5. Amram non duxit *amitam* sive patris sororem, qui gradus Lev.18.v.12. prohibitus, sed *patruelem* sive amitæ filiam, ex patris sorore natam, qui secundus cognationis in linea collaterali æquali gradus divino jure non est prohibitus, Gen.13.v.8. Jer.32.v.12. Hanc expositionem Bellarminus non potest repudiare, ne incurrat anathema Conc. Tridentini, quod vulgatam versionem pronunciavit authenticã. Sic vero reddidit Latinus Interpres: *Accepit Amram uxorem Jochabed patruelẽ suam.*

6. Cornelius à Lapide in cap.2. Exodi v.1. sic commentatur: *Abulensis putat, Jochabed verè & propriè fuisse filiam Levi, & amitam Amram mariti sui &c. Verum verius est, Jochabed non fuisse filiam, sed neptem Levi; nec amitam, sed consobrinam Amram. Id enim expressè docet noster Interpres cap.6.v.20. ubi eam vocat patruelem Amram, & Septuaginta ibidem, qui eam vocant patrui Amram filiam, & Chaldæus, qui eam vocat amitæ Amram filiam. Quod*

ergo hic & Num.26. vocatur filia Levi, intellige fuisse Levitidem, sive oriundam è stirpe Levi, ut r... noster Interpres sic enim vocantur filiæ Juda, quæ ex Juda sunt oriundæ. Ita Vatablus, Pererius & alii &c. Facessat ergò Calvini convitium, Mosen incestuoso matrimonio progenatum esse.

7. Torniellus in Annalibus anno mundi 2464. num. 2. *Lyranus & Thoringus in suis Replicis & alii nituntur defendere, Jochabed non amitam, sed patruelem, hoc est, consobrinam fuisse viri sui Amram. Et pro his facit editio vulgata Exod. 6. v. 20. ut & LXX. Interpretum versio. Huic etiam opinioni ex parte favet Paraphrasis Chaldaica. Nam licet non omninò consentiat cum LXX. Interpp. (Dicit enim, Jochabed fuisse filiam sororis non fratris ipsius Amram) tamen tenet, eandem fuisse consobrinam, non amitam viri. Ego autem Lyrani Thoringique sententiam veriorem puto, nimirum, quod ipsa Jochabed fuerit patruelis mariti sui, id est, filia fratris Amram. Ita enim expresse habent sacri textus emendatiores &c.* n. 3. respondet contrariis argumentis Abulensis, Eugubini, Oleastri, Cajetani.

8. Bellarminus de matrim. cap. 10. disputat, *polygamiam pugnare cum prima conjugii institutione*, idque inter cætera probat hoc argumento: *Si Deus voluisset, matrimonium esse unius cum multis, creâsset Adamo non unam tantum, sed multas fœminas, quas in uxores ducere potuisset. Nam non poterat Adam uxorem habere, nisi quæ cum illo creata fuisset à Deo, repugnat enim omnino Naturæ, ut pater ducat filiam aut neptem, omnes autem fœminæ præter Evam, filiæ aut neptes fuerunt. Itaque coëgit Deus Adamum monogamum esse.*

(Quod autem pugnat cum prima conjugii institutione & cum creatione unius fœminæ in uxorem ab Adamo ducendæ, illud etiam pugnat cum jure Naturæ. Polygamia pugnat cum prima conjugii institutione. Ergo etiam cum jure Naturæ, unde in eod. cap. §. Tertio probatur ex Apostolo &c. Bellarminus disertè scribit, *Licet minus repugnet rationi ac Naturæ, ut vir plures uxores, quàm uxor plures maritos habeat, utrumque tamen rationi repugnat. Et præterea, quicquid sit de jure Naturæ, jure Evangelico pares sunt vir & fœmina quantum ad fidem & debitum conjugale.* §. Quarto, polygamia &c. subjungit. *Polygamia tum ex parte viri, tum ex parte uxoris juri Naturæ & rationi matrimonii repugnat &c.* §. Quod vero. *Innocentius Pontifex cap. Gaudemus. de divortiis, & Theologi plerique in dist. 33. lib. 4. sentent. docent, etiam illam polygamiam, quâ unus vir multas uxores habet, juri Naturæ repugnare.* lib. ejusd. cap. 11 §. Præterea &c. disertè scribit. *Si solo jure Evangelico positivo; non autem jure naturali prohibita esset polygamia, liceret hoc tempore infidelibus plures uxores habere.* ibidem tamen §. Est igitur &c. statuit, *juxta communem Scholarum sententiam, Patriarchis ex divina dispensatione licuisse plures uxores ducere.* Agnoscat igitur, ab exemplis Patriarcharum non posse probari, gradus illos non fuisse jure divino prohibitos, in quibus, divina dispensatione accedente, contraxerunt, & amici Dei fuerunt.)

Argum. 3. *ex divina sanctione, Deut. 25. v. 5. præcipit Deus, ut frater ducat fratris defuncti uxorem. Ergo prohibitio de non ducenda fratria non est juris naturalis.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. ex Cajetano in Comm. Lev. 18. *Non prohiberi in Levitico matrimonium cum uxore fratris defuncti, nisi accipiendo tale conjugium nudè & solitariè, quemadmodum accipitur homicidium in Decalogo. Quæ lex non impedit, quò minus fiant leges positivæ particulares, quæ conjugium cum uxore fratris cum aliqua circumstantia prohibeant, cum aliqua jubeant, ad quem modum non impedit lex Decalogi: Non occides, quo minus fiant leges particulares, quæ jubeant occidi latronem & maleficum, & contra jubeant non occidi eum, qui casu vel seipsum defendendo alium occiderit.*

(Qua de conciliatione, quam Bellarminus magno sententiæ suæ incommodo probat *ut verisimilem*, quid statuendum sit, ex dictis patet. Nos statuimus, legem de ducenda fratria Deut. 25. v. 5. esse plane peculiarem, soli Judaico populo propositam in casu speciali, si scilicet frater absque liberis decederet, eamque spectasse ad conservandam distinctionem tribuum ac familiarum, ut cognosci posset, ex qua familia Messias esset expectandus, in Novo igitur Test. Christo jam nato, & rationem legis & legem ipsam penitus exspirasse. Ex hac autem lege inferri nequit, prohibitionem de non ducenda fratria esse mere positivâ ac judicialem, id quod demõstramus.)

2. Ex ipsius Bellarmini hypothesi. Bellarminus ipse concedit, *Deum in omnibus gradibus in Levitico prohibitis dispensare posse.* lib. de matrim. cap. 28. §. Tertio &c. *Putamus à Deo dispensabilia esse conjugia in quovis gradu &c.* & in eodem cap. in resp. ad 1. argum. *Fieri potest, ut Deus cum filiis Adæ dispensaverit, ut sororibus jungerentur.* Ac nihilominus in principio illius capitis format hanc propositionem: *Jure Naturæ interdicta sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis tam in recta linea, quàm in transversa, & in primo gradu affinitatis in linea recta tantum.*

(Si divina dispensatio locum habere potest in gradibus jure Naturæ prohibitis, utique ex speciali illa lege de ducenda fratria, hoc est, uxore fratris sine liberis defuncti, non potest colligi prohibitionem Lev. 18. de non ducenda fratria non esse juris naturalis. Ratio est, quia specialis illa lex nihil aliud est, quàm in certo quodam casu divina dispensatio. Sed verum prius, ut constat ex Bellarmino. Ergo & posterius, & per consеq. falsa est argumenti Bellarminiani hypothesis, quod ubi intercedit divina dispensatio, ibi ipsa prohibitio non sit juris naturalis.)

3. Regerit quidem Bellarminus. *Si exceptio Deut. 25. est judicialis, etiam legem Lev. 18. esse judicialem.* Sed negamus, legis generalis & exceptionis specialis esse eandem rationem, id quod ex ipsius Bellarmini hypothesibus demonstrari potest. Nam Bellarminus lib. de matrimonio cap. 11. disputat, *divinâ dispensatione, quæ per internam inspirationem Patribus fuerit nota, licuisse plures simul uxores ducere.*

(Illa dispensatio erat aut naturalis, aut judicialis. Si naturalis, ergò adhuc hodie servari potest. Si exceptio est judicialis, ergò etiam lex polygamiam prohibens, erit judicialis. Quicquid hic Bellarminus respondere velit, suo etiam responsum statuat argumento. Falsum est, legis naturalis non posse esse exceptionem non naturalem. Contrarium potius dicendum, legis naturalis non posse esse exceptionem naturalem. Ratio est, quia lex & exceptio sibi invicem opponuntur, ut prohibitio & permissio, ut negatio & affirmatio, ergo non potest utriusque idem jus esse. Si juris est naturalis, fratriam leviro non nubere, non potest esse juris naturalis fratriam leviro nubere, & vice versa.)

4. Bellarminus d. l. cap. 27. sic scribit: *Si lex de non ducenda fratria est naturalis Lev. 18. etiam exceptio de ducenda fratria absq; liberis relicta Deut. 25. erit naturalis, qualis est illa, quod in ultima necessitate liceat fratri sororem ducere.*

(Ex eo sic colligimus: Exceptio illa de sorore in ultima necessitate ducenda, aut est naturalis, aut judicialis. Si naturalis, etiam hoc tempore servari posset, quod absurdum. Si judicialis, ergo & ipsa lex, prohibens conjugia fratrum & sororum, est judicialis, quod tamen Bellarminus negat, quia ejusmodi conjugium jure Naturæ interdictum statuit.)

5. Ambrosius Catharinus adv. Cajet. p. 221. *De Leviro & fratria nunquam invenies copulam hanc permissam, nisi fratre defuncto sine liberis ad suscitandum ei semen, & quoad abrogatum est hoc legis præscriptum, utputa purum judiciale & typum gerens futuri (Christi) ut omnes Catholici sentiunt.*

(Postquam igitur Messias jam exhibitus, causa illius legis Mosaicæ Deut. 25. penitus exspiravit, sublatâ non solum tribuum & familiarum Judaicarum distinctione, sed etiam *diruta* inter Judæos & gentes *maceria*, Ephes. 2. v. 14. Ergo nec pietatis in fratrem prætextu, nec externorum commodorum intuitu ducere quisquam fratriam poterit, vel ducendi eam potestas cuiquam fieri, contra expressam juris naturalis prohibitionem *de non ducenda fratria* Lev. 18. v. 16. cui non potest alia, quàm divina dispositione derogari.)

6. Urget Bellarminus, *non videri hanc ullam esse legis exceptionem.* Rationem affert, *quia exceptionem addere post legem conditam & maximè alio tempore locoque non sit Dei, qui omnia novit, sed hominum, qui experimento paulatim discunt, suas leges non posse servari, nisi aliud excipiatur.*

Resp. ex Salmerone tom. 8. tract. 38. *Non inconvenit, Dominum aliquid in lege sua posuisse, quod postea egeret declaratione vel additione, quia hoc non factum est ob defectum sapientiæ vel providentiæ ejus, sed ob nostram minus capacem & perfectam mentem, qui non possumus omnia simul capere, sed paulatim edocti, sicut lex de successione hereditatis aucta est propter filias Salphaad; quæ explicatum est, quid sit faciendum, quando non sunt filii, sed filiæ.*

Thesis quarta. Per susceptionem ex Baptismo non contrahitur spiritualis ejusmodi cognatio, quæ matrimonium contrahendum impediat.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de spirituali & Ecclesiastica illa propinquitate, quæ cõmunis est omnibus verè piis ex uno eodemque Dei verbo & initiationis Sacramento regenitis, cã enim non esse matrimonii contrahendi impedimentum, ipsimet Pontificii nobiscum statuunt; sed de speciali propinquitate inter susceptos ex lavacro Baptismi, & Susceptores, inter

ter eum, qui Sacramentum Confirmationis confert, & eum, qui illud suscipit, adeoq; etiam inter testes horum Sacramentorum. Ex hac spirituali propinquitate speciali impedimentum matrimonii contrahendi oriri Pontificii affirmant, nos verò negamus.

2. Spiritualem illam cognationem sic definiunt, *quòd sit attinentia quadam, proveniens ex Sacramenti* (Baptismi & Confirmationis) *collatione vel ad Sacramentum detentione, vel quod sit vinculum ex eo contractum, dum quis alii munus Baptismi vel Confirmationis impendit, seu, dum impenderetur, ei tanquam pater assistit.*

3. Contrahitur hæc cognatio jure Decretalium inter baptizatum, & illum, qui eum ex Baptismo suscepit, ac inter eundem baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante suscipientem carnaliter cognitam ab eodem, imò etiam inter suscipientem patremq; baptizati & matrem, quin & quæ de suscipiente dicuntur, eadem transferuntur & ad baptizantem, ac iisdē omnino modis ex Sacramento Confirmationis spiritualis cognatio oritur, unde tres spiritualis hujus cognationis species statuunt, *Compaternitatem, paternitatem* & *fraternitatē.* *Compaternitas* attenditur inter suscipientem ex Baptismo, parentesq; baptizati. *Paternitas* contrahitur inter baptizantem & baptizatum, & inter suscipientem, vel patrinum & susceptum. *Fraternitas* contrahitur inter filios naturales patrini & baptizatum.

4. Effectum hujus cognationis spiritualis statuunt duplicem, Prior, *quod cognatio spiritualis per Baptismum vel Confirmationem inducta, inter illas personas, inter quas contrahi dicta est, non tantum impediat matrimonium contrahendum, verū etiam dirimat contractū.* Posterior, *quod cognatio spiritualis per Catechismū cōtracta, non rescindat matrimoniū contractū, sed impediat contrahendū.*

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. statuit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summū unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.*

Et postea. *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiusq; patrem & matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.*

Catechismus Trid. cap. de Baptismo. *Sanctissimè à sancta Ecclesia constitutum est, ut non solum is, qui baptizat cum baptizato, sed etiam susceptor cum eo, qui suscipit, & cum ejus veris parentibus affinitate devinciatur, ita ut legitima nuptiarum fœdera inter hos iniri non possint, atque inita dirimantur.*

Bellarminus lib. de matrim. cap. 30. *Cognatio spiritualis meritò ab Ecclesia inter impedimenta matrimonii refertur.*

Huc pertinent quidam Canones Juris Pontificii.

c. Ita diligere. caus. 30. q. 3. ex Nicolao Papa. *Est inter fratres* (patres) *& filios spirituales gratuita & sancta communio, quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas, unde inter eos, arbitror, non posse fieri quodlibet legale conjugium, quandoquidem nec inter eos, qui Natura, & eos, qui adoptione filii sunt, veneranda Romana leges matrimonia contrahi permittunt.*

c. Pyctacium. caus. & quæst. iisdem ex Zacharia Pontifice. *Sciscitari voluisti, si liceat filio, cujus pater alterius filiam ex sacro Baptismate susceperit, susceptam, id est, spiritualem ejus patris filiam, quod dici crudele est, in matrimonio suscipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus præcepit Mosi, dicens, Turpitudinem patris tui vel matris, vel sororis non revelabis, turpitudo enim tua est. Cum ergo à propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis à spiritualis nostri patris filia, omni excusatione aut argumento seposito, sub nimia districtione nos cavere convenit: ne in iram divina examinationis incidat, si quis tali facinore mixtus, minimè restrinxerit frena luxuriæ, unde etiam omnes cavendi sunt à tali sceleris commixtione, ne in perpetuum pereant.*

c. Non oportet. caus. & quæst. iisd. ex Zacharia & Deus dedit. *Non oportet filiam suam, quam de sacro fonte susceperit, aliquando filio suo in matrimonium tradere, quia in divina sententia germani esse inveniuntur. Si quis tali facinore commixtus, non restrinxerit frena luxuriæ, ab Ecclesia Catholica abominabitur.*

c. Sciscitatur. caus. 30. q. 4. ex Nicolao Papa. *Sciscitatur à nobis Sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres habere valeat unam post alteram, in quo meminisse debet scriptum esse, Erunt duo in carne una. Itaque cum constet, quia vir & mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum, virum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumta uxor commater esse videbatur, & idcirco liquet, virum illi fœmina non posse conjungi in copulam, quæ commater ejus erat, cum qua idem fuerat una caro effectus.*

c. Quod autem. caus. & quæst. iisd. ex Urb. 10 Papa. *Quia piaculare flagitium commisit, qui duabus commatribus velut duabus sororibus nupsit, magna juxta modū culpæ pœnitentia sibi debet injūgi.*

Johannes de Turrecremata tractans hanc quæstionem, concludit, *ex hac spirituali cognatione viginti personas prohiberi posse contrahere matrimonium, nempe quandoque ex persona baptizantis; quandoque ex persona levantis in Baptismate; quandoque ex persona confirmantis; quandoque ex persona tenentis in confirmatione, quia contrahatur cognatio inter baptizantem & baptizatum, & dicitur paternitas: secundò, inter baptizantem & parentes baptizati, & dicitur compaternitas: tertiò, inter baptizatum & filios baptizantis, & dicitur fraternitas: quartò, inter baptizatum & uxorē baptizantis prius cognitam, & dicitur maternitas: quinto, inter parentes baptizati & parentes uxoremq; baptizantis prius cognitam.*

In c. Martinus IV. lib. 4. Decretal. tit. 11. de cognatione spirituali, ἐπιγραφὴ sic habet: *Inter patrem baptizati & uxorem levantis prius ab eo cognitam, contrahitur compaternitas efficax ad matrimonium dirimendum.*

In c. Veniens lib. & tit. iisd. ἐπιγραφὴ sic habet: *Inter patrem baptizati & levantem seu tenentem baptizatum contrahitur cognatio spiritualis valida ad impediendum & dirimendum matrimonium post contractum.*

c. Ex literis. lib. & cap. iisdem ἐπιγραφὴ, *Inter baptizatum & filium baptizantis oritur cognatio spiritualis, impediens & dirimeos matrimonium inter eos contrahendum.*

Similia occurrunt apud Lombardum lib. 4. dist. 42. In Concilio autem Tridentino huic prohibitioni certi præfixi fuere limites, ne cuiquam nocere queat *prater baptizantem, baptizatum, suscipientes, baptizatique parentes*, ut apparet ex canone paulò ante citato.

Nostram sententiam probamus.

1. Prohibitio illa destituitur legitimi & veri nomothetæ autoritate. Quæcunque propinquitas matrimonium impedire debet, illam oportet niti vel divinæ Majestatis decreto, vel Magistratus præcipientis interdicto. Sed spiritualis illa cognatio non nititur Majestatis divinæ decreto, nec Magistratus præcipientis interdicto. Ergo.

2. Caret rationum pondere & æquitate. Quæcunq; constitutio rationum pondere destituitur, legis obligantis honorem tueri nequit, quia ratio est pondus & anima legis. Jam vero Pontificia de spiritualis cognationis impedimento constitutio destituitur justæ ac necessariæ rationis pondere. Ergo.

3. Non habet suffragium à pia antiquitate. Susceptores in Baptismo adhiberi, ab Higino Ann. 140. vel ut alii volunt An. 154. institutum fuit. Ergo in Ecclesia primitiva Apostolicæ vicina ante illam Higini constitutionem impedimentum spiritualis cognationis ignotum fuit.

4. Evidenti laborat absurditate. Si cognatio spiritualis matrimoniū impedit, inter homines pios & Christianos non poterit constare matrimonium. Ratio connexionis est, quia omnes verè pii & Christiani à Spiritu Sancto per verbum & Baptismum regeniti, unum patrem in cœlis, & unam in terris matrem Ecclesiam habent, ideoq; omnes invicem fratres & sorores sunt. At consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

5. Evertitur multiplici ratiocinatione. Primo, *ab iniquo.* Officium & opus Christianæ caritatis à Christiano proximo suo præstitum nuptiis aditum intercludere iniquum est. Atqui Susceptoris partibus fungi & pro aliis in Baptismo spondere est Christianæ caritatis opus atque officium. Ergo. Secundo, *à susceptorum instituto.* Institutum humanum matrimonio divinitus concesso non potest nec debet impedimentum aliquod objicere. Officium Susceptorum est institutum humanum. Ergo. Tertio, *ex vulgato axiomate: Evangelium non abolet politias, nec ordinationes Christi in regno gratiæ evertunt honestas leges in regno mundano ac Natura.* Jam vero administratio Baptismi pertinet ad Evangelium, cum beneficia Evangelii per eum, tanquam salutare organum, distribuantur, & est salutaris ordinatio Christi in regno gratiæ. Ergo per eam non evertitur politia, nec impedimentum aliquod infertur civilibus constitutionibus de libertate matrimonii in regno mundano ac Naturæ. Quarto, ex Circumcisione non fuit orta cognatio impediens matrimonium. Ergo nec ex Baptismo, qui in Circum-

cisionis locum successit. Quintò, ex Eucharistiæ communicatione non oritur cognatio impediens matrimonium. Ergo nec ex Baptismo. Sexto, ex catechesi inter catechetam & catechumenum non oritur cognatio matrimonium impediens. Ergò nec ex Baptismo.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quòd quidam agnoscunt, hoc matrimonii impedimentum esse nullum.

In Concilio Tridentino *multis videbatur hoc impedimentum* (spiritualis cognationis) *omninò tollendum, non quod à principio non esset justis de causis institutum, sed quod sublata penitus institutionis causa, effectum quoque cessare æquum esset. Nam eo tempore, quo ii, qui infantes ad Baptismum sistebant, eosque de sacro fonte suscipiebant simul fidejussores erant apud Ecclesiam de ipsorum fide futurâ, adeoque ad eos instituendos obligati: consentaneum fuisse, ut ad eos, cum licebat per ætatem catechizandos, sæpè & familiariter cum persona baptizata, parentibus ejus, aliisque etiam Sponsoribus versarentur. Inde natam inter ipsos cognationem quandam, quæ non immeritò in reverentia habita & conjunctionem conjugalem prohibebat, perinde sicut cæteræ omnes, quibus reverentia debetur, cognationes. Verum, sequutis temporibus, postquam usu quicquid erat solidi, abolevisset, & susceptor baptizatum vix unquam cerneret, neque vel minima de ejus institutione cura tangeretur, cessante reverentiæ causa, cognationi huic nihil loci esse relictum.* Petrus Suavis lib. 8. Hist. Concil. Trident. pag. 871.

Lorichius Inst. Cath. pag. 80. a. *Proximitatis spiritualis vanum est commentum.*

2. Quod pro astruendo hoc impedimento nec dicta Scripturæ, nec Patrum antiquiorum suffragia, sed jejunas tantum ratiunculas, vel potius solam Ecclesiæ autoritatem afferunt.

Bellarminus lib. de matrimon. cap. 30. demonstraturus, *cognationem spiritualem meritò ab Ecclesia inter impedimenta matrimonii referri,* non profert, nec proferre potest vel Scripturæ dicta, vel Patrum suffragia, vel peculiares quasdam rationes, sed quatuor illas, quas in cap. præced. pro stabilienda Ecclesiastica prohibitione usque ad septimum primò, deinde ad quartum cognationis naturalis gradum extensa produxerat, etiam in hac spirituali cognatione vim ac locum habere asserit.

(Sed quilibet primo statim intuitu deprehendit, quàm frivolæ & inanes sint illæ ratiunculæ. Reverentia impediens matrimonium, ex carnis propinquitate duntaxat oritur, unde etiam *sanguinis reverentia* notanter appellatur. Atqui inter baptizantem ac baptizatum, ac Baptismi testes sive susceptores ex actione illa Sacramentali nulla oritur carnis propinquitas in consanguinitate vel affinitate consistens. Ergo etiam reverentia matrimonium impediens inter eos nulla. Et quam præposterè disputat Bellarminus? Proposuit sibi demonstrandum, *cognationem spiritualem meritò ab Ecclesia referri inter impedimenta matrimonii*; interim asserit, *eam rem pendere ex Ecclesiæ solius arbitrio*, lib. & cap. iisdem. §. Sed facilè.)

4. Quod Susceptorum officium & Confirmationis Sacramentum Ecclesiæ primitivæ, Apostolicæ vicinæ, ignotum fuisse agnoscunt.

(Ergo etiam spiritualis cognatio ex officio Susceptorum & Confirmationis Sacramento orta illi fuit ignota.)

Platina in vita Higini memorat, *ab Higino circa annum* 140. *vel ut alii volunt* 154. *institutum fuisse, ut Susceptores seu ἀνάδοχοι in Baptismo adhiberentur.*

Alexander Alensis p. 4. quæst. 24. artic. 1. *Confirmationis Sacramentum nec à Christo, nec ab Apostolis, sed ab Ecclesia in Concilio Meldensi circa annum* 846 *fuit institutum.*

4. Quod agnoscunt, hanc constitutionem non habere autores Apostolos, sed Pontifices Romanos.

Bonifacius Germanorum Apostolus dictus, Zachariæ Pontificis Legatus, ad quendam Anglicum Episcopum, nomine Nothelimum, sic scribit: *Homo quidam (sicut multi solent) alterius filium de sacro Baptismi fonte elevans, adoptavit sibi in filium, cujus matrem postea viduatam marito duxit uxorem. Quod Romani peccatum esse asserunt & capitale peccatum, ita ut in talibus divortia facere præcipiant, & affirment, regnantibus Christianis Impp. illius matrimonii scelus capitali sententia mulctandum, vel peregrinatione perpetuâ delendum: ut si hoc in Catholicorum Patrum decretis vel canonibus, vel etiam in sacro eloquio pro tam magno peccato computatum esse inveneritis, indicare mihi curetis, ut & ego intelligendo cognoscam cujus autoritas sit in illo judicio: quia nullatenus intelligere possumus, quare in uno spiritualis propinquitas in conjunctione carnalis copula tam grande peccatum sit, quando omnes in sacro Baptismate Christi Ecclesiæq; filii & filiæ, fratres & sorores esse comprobemur &c.*

(Noluit esse contentus Papæ decreto, sed & alios Episcopos de sacrarum literarum sententia & veteri Ecclesiæ more sibi consulendos esse judicavit.)

Platina in vita Deusdedit sive Theodati. *Constituit vir optimus, ne filius patrimi puellam è sacro fonte à patre levatam, ducere in uxorem posset.*

Polydorus Vergilius lib. 5. de Rerum Inventor. cap. 5. pag. 409. *Est modus inter cognationem, quam dicunt spiritualem copulatos, positus à Theodato Pontifice, qui primus sanxit, ne quis eam puellam duceret uxorem, quam ex Baptismi fonte levasset pater.*

(Theodatus ille in suo Diplomate, quod legitur apud Baronium Anno 617. §. 2. & quo vetustius aliud hac in re non invenitur, manifestè ait, *suum hoc esse decretum publicum*, siquidem illud non fundat in publico Ecclesiæ statuto jam olim recepto, sed in privatis tantum actis Antecessorum, qui in quibusdam propositis casibus consulti, conjugium prohibuerunt, testantibus Paparum archivis. Nominat vero Antecessores tantum è seculis quarto & quinto, Julium I. Ann. 337. Innocentium I. Anno 402. Cælestinum I. Anno 424. sedentes.)

5. Quod Proceres Imperii in Comitiis Norinbergensibus inter Gravamina hoc impedimentum nuptiarum retulerunt. Sic enim conqueruntur:

Grav. I. *Inter reliqua onera vel illud minimè postremo loco est collocandum, quod constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta sunt, vel imperata. Quod genus sunt matrimoniorum tam innumera excogitata obstacula ex affinitatis, publicæ honestatis, cognatione spirituali legalique & consanguinitatis tam multis gradibus originem trahentia &c. Hæ nimirum atque his similes complures humanæ constitutiones eò usque ligant homines, donec pecuniâ sibi harum legum gratiam à statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis sit prohibitum. Illicitisque his legum ac constitutionum humanarum retiaculis, non modò magna nummorum copia à Germanis expiscata, e Germania & trans Alpes lata, sed & maxima inter æquè Christianos orta iniquitas, plura offendicula, simultates, dum tenues hisce laqueis vident se illaqueari, non ob aliud, nisi quod spinas Evangelicas (ita enim Christus divitias non semel appellat) non possideant.*

6. Multiplices Pontificiorum dissensiones.

Primo, in Jure Canonico severissimè interdicitur conjugium inter personas spirituali cognatione ex Baptismi & Confirmationis Sacramento invicem conjunctas, c. Pyctacium caus. 30. q. 3. *Sciscitari voluisti, si liceat filio, cujus pater alterius filiam ex sacro Baptismate suscepit, susceptam, hoc est, spiritualem ejus patris filiam, quod dici crudele est, in matrimonio suscipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse.*

Et postea. *A spirituali filia cavere convenit, ne in iram divinæ examinationis incidat, si quis tali facinore mixtus, minimè restrinxerit frena luxuriæ, unde etiam omnes cavendi sunt à tali sceleris commixtione, ne in perpetuum pereant. Item hunc, qui autor hujus perniciosæ temeritatis animæ suæ salutem despiciens, impiosè miscuit matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, & pœnitentiæ dignè submittere, quatenus ab æterna erutam damnatione animam ejus lucreris.*

Sed hanc severitatem temperavit Concilium Tridentinum, unde Daniel Venatorius in anal. Juris Canon. lib. 4. tit. 11. enumeratis spiritualis cognationis effectis, quod scilicet impediat matrimonium contrahendum & dirimat contractum, subjungit: *Hi tamen effectus tunc demum locum sibi vendicant, cum consuetudo absque Ecclesiæ scandalo in contrarium non sit observata. Ubi enim loci consuetudo fuerit, ut nuptiæ inter spirituali cognatione sibi devinctos in Ecclesia permittantur, matrimonium legitime contractum ob hoc temerè non erit turbandum vel rescindendum. c. 1. §. Nisi consuetudo. c. Super eo §. Verum. si de consuetudine. ext de cognat. spirit.* At taxa pœnitentiaria dispensationem in spirituali cognatione pecunia redimi posse statuit.

Secundo, c. Si quis. caus. 30. quæst. 1. ex Concilio apud Vermeriam statuitur. *Si quis filiastrum suum vel filiastram suam ante Episcopum tenuerit ad Confirmationem, separetur ab uxore sua & nunquam aliam accipiat. Similiter & mulier.* Ac Pontifex Deusdedit, cum ad se relatum esset, *à quibusdam imprudenter præ magno populorum concursu proprios filios susceptos ex sacro lavacro,* respondit, *olim à prædecessoribus suis, Julio, Innocentio, Cælestino decretum, ut nullo modo se in conjugio reciperent mulieres ac viri, quicunque alia ratione susceperint natos proprios, sed separarent se, ne, suadente Diabolo, tale vitium inolescat.*

Con-

Contrarium decrevit Nicolaus c. De his. eod. *De his, qui filiastros suos ad Confirmationem coram Episcopis tenent, id est, qui filios uxoris suæ de viro priori, cum chrismantur ab Episcopis, super se sustinent, si inscientia fiat, licet sit peccatum, non tamen usque ad separationem conjugii puniendum est.*

c. Nosse desideras. eod. *Nosse desideras, utrum mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum, de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari, quos ideò conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.*

Tertiò, Pontifex Urbanus c. Super quibus. caus. 30. q. 3. statuit, *quod spiritualium parentum filii vel filiæ ante vel post compaternitatem genitæ, possint legitimè conjungi præter illam personam, per quam compatres sunt effecti.* Quam sententiam defendit Alex. Caterius lib. 2. de matrim. cap. 9.

Sed contrarium statuit Paschalis secundus c. Post susceptum. eod. *Post susceptum de fonte filium vel filiam spiritualem, qui ex compatre vel commatre nati fuerint, matrimonio conjungi non possunt, quia leges seculi non emancipatos adoptivis prohibeant copulari.*

Quartò, Pontifex Deusdedit c. Pervenit 30. q. 1. *Viri ac mulieres, qui pro magno populorum incursu nescientes filios proprios susceperunt ex lavacro sancto, separent se, nec ullo modo in conjugium se recipiant.*

Contrarium definitum in Concilio Triburiensi cap. 48. *Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuitò & ita contingente rerum casu in conjugium duxerit, consilio maturiori servato habeat, atque honestè legitimo conjugio det operam.*

Quintò, quærunt, *an cognatio spiritualis contrahatur per Procuratorem?*

Affirmant Abbas & Cardinalis in c. Veniens. de cognat. spirit. in 6.

Negant vero reliqui omnes. Bartol. in 29. §. Forsit. de lib. & posthum. Romanus in singul. c. 53. Tholosan. decis. 157.

Sextò, quærunt, *an ille dicendus cognatus spiritualis, qui suscepit quidem de fonte, sed non respondit nomine baptizandi?*

Negant hoc plerique. Romanus sing. 54. Joh. Andr. d. c.

Affirmat Covarruvias p. 2. c. 6. §. 4. num. 7. de Sponsal.

Plures ejusmodi contradictiones & dissensiones colligi possunt ex Summa Angelica in verbo Matrimonium. Impedim. 7. ubi aliquoties hæ occurunt responsiones: *Tene hanc opinionem, & non cures de contraria. Tene hoc, quamvis alii teneant contrarium &c.*

Argum. Adversariorum.

Impedimentum hujus cognationis non est ex jure Naturæ, sed pendet ex arbitrio Ecclesiæ. Voluit autem Ecclesia non quamlibet spiritualem cognationem impedimentum esse matrimonii, sed eam solam, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione, & subesse huic causam rationabilem, quia unus ab altero recipiat esse spirituale, & ideò debeat illi peculiarem reverentiam. Bellarm. d. l.

Resp. 1. Circulus committitur in hac argumentatione. Ecclesia merito cognationem spiritualem retulit inter impedimenta matrimonii, & tamen impedimentum hujus cognationis est legitimum, quia pendet ex arbitrio Ecclesiæ.

2. Probatio est angustior quæstione probanda. Spiritualem cognationem statuunt non tantum inter suscipientem & susceptum, sed etiam inter suscipientes invicem. Item inter hos & suscepti parentes. Atqui neque suscipientes à suscipientibus, neque suscepti parentes à suscipientibus accipiunt esse spirituale. Ergo illorum saltem respectu prohibitio illa non est rationabilis.

3. Argumentum hoc potest everti manifesta ἐνςάσει. Catechumenus à Catecheta recipit esse spirituale, nec tamen Pontificii statuunt, ex hac reverentia oriri impedimentum conjugii.

CAPUT V.

De Cœlibatu.

Thesis. Cœlibatus non eo fine eligendus & conjugio præferendus, ut per illum satisfaciamus pro peccato & mereamur regnum cœlorum.

Ἔκθεσις. Nostram de Cœlibatu sententiam complectimur hisce propositionibus.

1. Cœlibatus purus & castus in personis ad eum idoneis nequaquam est improbandus.

2. Cœlibatus *absolute & in se* bonū opus non est, sed est status boni operis & ex eorum genere, quæ ad aliud referuntur.

Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat. *Castitas non est bonum, nec ex virtute, nisi fiat propter dilectionem in Deum.*

3. Cœlibatus non nisi in personis idoneis probandus & laudandus est. Idoneas personas intelligimus eas, quæ dono continentiæ sunt instructæ, nec sentiunt interiores ustiones & flammas.

5. Cœlibatus quatenus conjugio præferendus sit, non nostro definiendum est arbitrio, sed ex Scriptura sacra, & quidem ex propria hujus doctrinæ sede, 1. Cor. 7. deducendum. Ibi Apostolus docet, cœlibatum in personis idoneis conjugio præferendum, tum *propter instantem necessitatem*, quia cœlibatus expeditior & commodior est ad ferenda exilii onera & persecutionum molestias; tum *propter majorem vitæ tranquillitatem*, quia cœlibatus liber est à multiplicibus adversitatibus & molestiis, quæ in conjugio solent objici; tum *propter majorem Deo serviendi opportunitatem.*

6. In cœlibatu practice præferendo vitæ conjugali vigere debet recta intentio, doni cuilibet dati exploratio, & diligens omnium circumstantiarum consideratio.

7. Nullus cœlebs, etiamsi castissime vivat, piis conjugibus apud Deum sese præferat, ac si apud Deum in majori gratia sit propter suum cœlibatum.

Antithesis. Petrus à Soto in refut. Conf. Wirtenb. *Cœlibatus est satisfactio peccatorum maxima & meritum regni cœlorum.*

Bernhardinus in Rosario scribit, *virginitatem præservare ab interitu damnationis æternæ & in ejus figuram præcepisse Deum, Num. 31. v. 17. Jud. 21. v. 11. Mulieres, quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reservate.*

Item: *Monachos & Moniales in suis substantialibus votis, inter quæ est perpetuus cœlibatus, non tantum pro suis, verum etiam sanctorum & aliorum fundatorum peccatis satisfacere.*

Alphonsus de Castro lib. 14. adversus hæreses, verbo Virginitas. *Meritò virginitas similari solet ebori, quod propter nimiam vetustatem vertitur in colorem rubeum, cum tamen à Natura sit album, quia virginitas diu conservata, æquivalet Martyrio, & est quædam quasi sanguinis effusio.*

Albertus Piggius in Controv. c. 14. de votis. *Monastice, cujus præcipua pars votum perpetui cœlibatus, assumitur à profitentibus, quia creditur valere ad satisfaciendum pro peccatis, utq; per eam impetremus divinam gratiam. It. Monachi castrant se propter regnum Dei assequendum & gratiam Dei promerendam.*

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 9. *Continentiam esse vere meritoriam gloriæ singularis in vita æterna.*

Communiter Pontificii statuunt, *quod cœlibatus sit opus quoddam supererogationis, per quod Evangelica consilia impleantur, & aliquid supra & ultra Dei præcepta præstetur, quo & sibi & aliis cœlibes meritum aliquod proprie sic dictum acquirere, & pro suis ac aliorum peccatis coram Dei judicio satisfacere possint.*

Nostram sententiam probamus.

Opinio illa, quod cœlibatus sit satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ, 1. *Est in Christi meritum & honorem injuria.* Ipse enim est, *qui delet iniquitates nostras* non propter nostrum cœlibatum, sed propter seipsum & sanctissimum suum meritum, Esa. 43. v. 25. *ipse torcular calcavit solus,* Esa. 63. v. 3. *purgationem peccatorum nostrorum fecit per seipsum,* Hebr. 1. v. 3. *Sanguis ejus emundat nos ab omnibus peccatis,* 1. Joh. 1. v. 7. &c.

2. *Gratuitæ justificationi per fidem in Christum extremæ adversa.* Non cœlibatu, nec conjugio, sed gratia Dei propter solum Christi meritum, vera fide apprehensum, justificamur & salvamur; Beatitudo hominis tam cœlibis, quam conjugati in eo consistit, quod Deus justitiam imputat sine operibus, Roman. 4. v. 6. ac tam cœlibum, quam conjugatorum respectu vita æterna est χάρισμα τοῦ Θεοῦ in Christo Roman. 6. v. 23. In Christo vero, ut non est *mas, nec fœmina,* Gal. 3. v. 28. sic nec virgo, nec conjux, ac nulla hic προσωποληψία sive cœlibum, sive conjugatorum, Act. 10. v. 34. Eph. 6. v. 9. &c. Ne quidem illis operibus, quæ fiunt à renatis juxta normam legis divinæ, hoc tribui potest, quod sint satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ, quanto minus cœlibatui, qui si vel maxime sit purissimus & castissimus, tamen minus donum est, quam caritas, 1. Cor. 13. v. ult.

3. *Multis modis absurda.* Si enim cœlibatus est satisfactio peccatorum & meritum vitæ æternæ, *Christus gratis mortuus est,* Galat. 2. v. 21. Si cœlibatus est per se cultus Dei & satisfactio pro peccatis, ergo etiam Ethnici cultus Deo gratos præstare & pro peccatis suis ex parte satisfacere potuerunt, cum apud ipsos quoque virginalis continentiæ studium viguerit. Si continentia virginalis est satisfactoria & meritoria, etiam conjugium suo modo, licet inferiore gradu, erit satisfactorium &

meritorium. Ratio est, quia cœlibatus statuitur satisfactorius & meritorius propter castitatem. Atqui castitas non solum est in cœlibatu, sed etiam in pio ac legitimo conjugio.

4. *Naturæ cœlibatus opposita.* Nulla dona specialia, sive gratiæ gratis datæ Deo nos commendant, sed *fides, quæ per caritatem est efficax,* Gal. 5. v. 6. At virginitas est donum speciale, 1. Corinth. 7. v. 7. Sicut *regnum Dei non consistit in cibo ac potu,* Rom. 14. v. 17. ac sicut *esca non commendat nos Deo,* 1. Cor. 8. v. 8. ita quoque nec in cœlibatu, nec in conjugio consistit regnū Dei, nec virginitas vel conjugium Deo nos commendant, sed fides, caritas & mandatorum divinorum observatio in cœlibibus & conjugatis Deo probatur. Cœlibatus est ex eorum numero, quæ vocantur τὰ μέσα, quibus & bene & male uti possumus: Qui in cœlibatu pie & caste vivit, ac propter fines in sacris literis propositos cœlibatum eligit, illi bonus atque utilis est cœlibatus. Sin minus, frustra de cœlibatu in se ac per se gloriabitur.

5. *Superbiæ nutricula.* Quid magis posset fastum spiritualem in animis cœlibum alere, dignitatem conjugii & virginalem orthodoxæ fidei de gratuita propter Christum justificatione integritatem labefactare, quam asseverare, quod cœlibatus sit satisfactio peccatorum maxima & meritum regni cœlorum?

6. *Sibiipsi repugnans.* Nullus homo sive cœlebs, sive conjugatus sit, Deo placet, nisi vera in Christum fide. Atqui persuasio illa, quod cœlibatus sit satisfactio peccatorum & meritum vitæ æternæ evertit veræ in Christum fidei Naturam. Vera enim fides non aliam agnoscit peccatorum satisfactionem, nec aliud vitæ æternæ meritum, quam passionem, mortem & obedientiam Christi Mediatoris unici.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, cœlibatum coram Dei judicio non esse conjugio præstantiorem.

Thomas opusc. 17. cap. 6. *Cœlibatum & Conjugium* vocat *media, per quæ ad communem Christianismi finem pervenitur, qui est Dei & proximi dilectio.*

Dantes Aligerius (circa Ann. 1300.) in Convivio amatorio *æquat conjugium cœlibatui.*

S. Brigitta (quæ vixit circa An. 1380.) lib. 4. Revelat. cap. 71. q. 316. in persona Christi sic loquitur: *Acceptior est mihi conjugata humilis & devota, quam virgo superba & impudica, æqualis meriti esse possunt conjugata & virgo.*

Johannes Gerson in opusc. de perf. relig. Christian. propos. 3. *Religio Christiana potest absque voto obligante ad consilia perfecte, imo perfectissime observari. Patet de Christo, qui non legitur vovisse consilia, qui fuit tamen suæ legis perfectissimus observator. Patet insuper de Apostolis, & discipulis & Christianis in primitiva Ecclesia, quorum multi erant uxorati, multi possessiones habuerunt, quidam in communi, quidam in proprio.*

(Apostolorum quidam fuere uxorati. Apostolis non potest denegari perfectio Christiana. Ergo perfectio Christiana non consistit in cœlibatu.)

Erasmus ad verba Augustini, quibus virginitatem à Joviniano conjugio adæquatam fuisse memorat, in margine annotavit *ô scelus!* (innuens veros Scripturæ limites in cœlibatus encomiis facilè transiliri & pios conjuges non minus, quam cœlibes Deo placere.)

Idem in lib. de milit. Christ. p. 31. *Non ausim explicare, quantulum intersit inter cœlibatum & castum matrimonium.* (Coram Dei judicio, ac si cœlibatus & conjugium non amplius in abstracto, sed in concreto spectentur.)

Bellarminus lib. de Monachis cap. 32. resp. ad 6. *Virginitas absolute considerata, ut solum dicit negationem quandam conjugii, non est virtus, sed ut est perfecta quædam refrenatio concupiscentiæ.*

Idem d. l. cap. 34. resp. ad 19. *Potest fieri, ut virginitas conjuncta sit in uno homine cum minore caritate, humilitate, aliisque virtutibus, quam conjugium in altero homine, idcirco non possumus virginem anteponere conjugato, nisi constet in cæteris virtutibus illos esse pares.*

2. Quod quidam agnoscunt, pium conjugium non esse perfectionis Christianæ (qualis in hac vita fidelibus obtingere potest) impedimentum.

Johannes Baptista Mantuanus de Hilario sic canit:

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitima conjuncta toro.

Claudius Espensæus in Comm. 1. Timoth. 3. *Nuptiæ, licet plurimum difficultatis habeant, si tamen assumi possunt, ut vitæ perfectiori impedimento non sint.*

Bartholomæus Chassanæus in Catal. gloriæ mundi part. 3. consider. 41. refellit eos, *qui matrimonium homini in consequenda salute impedimento esse* volunt, ac laudat librum Augustini Dathi *de connubiis sanctorum.*

Georgius Cassander in Consultat. art. 23. de Cœlibatu Sacerd. p. 987. *Res in plerisque Sacerdotibus ita comparatæ sunt, ut conjugum piarum consortio non modo ad functiones Ecclesiasticas obeundas non impediantur, sed etiam ad earum procurationem adjuventur ab eis. Quemadmodum de patre suo Gregorio & matre Nomia Gregorius Nazianzenus testatur. Sunt & contra plerique cœlibes, qui usq; adeò cœlibatu suo ad ea, quæ Dei sunt, expeditius curanda, non incitentur, sed etiam contra curis hujus seculi supra reliquos homines immergantur & obruantur.*

3. Quod quidam agnoscunt, fiduciam remissionis peccatorum & vitæ æternæ non esse collocandam in cœlibatum.

Conradus Clingius in Loc. Comm. c. 118. *Hoc cavendum est, ne ponatur justitia, id est, salus in hujusmodi observationibus Monasticis, id est, ne quis putet, se promereri justitiam & remissionem peccatorum & gratiam hujusmodi servandis ritibus. Nam justificationem & gratiam impetrare fit per fidem in Christum. Igitur Monachus, si servata sua regula sentiat se propterea justitiam coram Deo consequi, is errat, juxta illud Christi: Matth. 15. Frustra me colunt mandatis hominum.*

Idem: *Vitâ Monastica non quæritur alia justitia, quæ salvet, præter unicam Christi justitiam, qui sanguine suo nos lavit, ac justos ac filios regni fecit. Igitur illa justitia carnis est sub justitia fidei seu Christi, & infinitum distant, non enim illi, sed priori Christi justitiæ tribuimus justificationem & salutem.*

Georgius Cassander in Consult. art. 25. cap. de Monachatu pag. 1007. *Alterum genus operum est, quæ tametsi non omnibus mandentur, tamen si sponte suscipiantur, à Deo laudem & mercedem propositam habent &c. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. De Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do, quæ opera consilii & supererogationis dicuntur, non quod aliquid supra finem mandatis Christi præscriptum præstent, sed quod ad finem illum consequendum peculiarem quandam & expeditiorem viam ingrediantur. De quibus Gerson lib. de Consil. Evang. Consilia, inquit, Evangelica faciunt ad perfectionem vitæ spiritualis, sicut instrumenta promoventia, vel expedientia, vel manuducentia ad illam, vel sicut removentia prohibens.*

Et postea: *Tantummodo removenda est falsa opinio & præpostera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in solo Christi merito collocanda est, quam falsam opinionem & præposteram fiduciam ab omni externorum operum & Ceremoniarum observatione abesse oportet. Quid autem, quod eruditiores & saniores Monachi de hisce Monasticis exercitiis idipsum sentiant & publicis scriptis profiteantur. Ita enim quidam Concionator celebris Franciscani instituti hac nostra ætate scriptum reliquit.* (Intelligit Conradum, cujus verba modo citata, subjicit, & concludit,) *Neq; dubitamus, hanc omnium piorum Monachorum de suis operibus esse sententiam.*

4. Quod quidam agnoscunt, cœlibes se non debere coram Deo præferre conjugatis.

c. Si quis propter. dist. 30. ex Concilio Gangrensi. *Si quis propter Deum virginitatem professus, in conjugio positos per arrogantiam vituperavit, anathema sit.*

c. Si quis vel virginitatem. dist. ead. ex eod. *Si quis vel virginitatem vel continentiam professus, in conjugio tanquam abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc solum, quod continentiæ & virginitatis bonum ac sanctum propositum sit, anathema sit.*

c. Si quis nuptias. dist. ead. ex eodem. *Si quis nuptias in accusationem duxerit, & mulierem fidelem ac religiosam cum viro suo dormientem abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tanquam non posse conjugatos in regnum Dei ingredi, anathema sit.*

c. Si quis virorum. dist. ead. ex eod. *Si quis virorum putaverit, sancto proposito, id est, continentiæ convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo justitiam habiturus, & reprehendat vel judicet alios, qui cum reverentia birris utuntur, & alia veste communi, quæ in usu est, anathema sit.*

c. Nuptiarum. caus. 27. q. 1. ex Augustino. *Ecclesia Christi conjux, fidei, spei & caritatis integritate non solum in virginibus sacris, sed etiam in conjugatis fidelibus & viduis tota virgo est, universa quippe Ecclesia, cujus omnia membra illa sunt, Apostolus dicit: Optavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

Bernhardus Hom. 1. super missus est. *Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, hæc præcipitur.*

Argum. Adversariorum.

1. Esai. 56. v. 3. *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hac*

hæc dicit Dominus Eunuchis v. 4. Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, v. 5. Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus. Hæc de illis Eunuchis sunt intelligenda, qui se castrarunt propter regnum cœlorum, & propter excellentioris sanctitatis studium à mulierum consortio se revocarunt, his pollicetur Deus in Ecclesia egregium ac præcipuum locum. Andradius, Bellarmin. &c. Tirinus in h.l.

Resp. 1. Lyranus in h.l. sic commentatur: *Hic consequenter removetur error, oriens circa prædictam dispositionem, videlicet salutis. Iste autem error primus procedit ex defectu naturali, scilicet generis & prolis. Ex hoc enim, quod gentiles conversi ad Judaismum non admittebantur in cœtum Judæorum æqualiter, quia recipiebantur ad legis observantiam, non tamen admittebantur statim ad ea, quæ erant honoris, sed aliqui in tertia generatione & aliqui in decima, aliqui nunquam, & ex hoc credebant, quod in præmio beatitudinis esset tanta distantia, hoc removetur, cum dicitur, & non dicat filius advenæ. Similiter, quia defectus prolis in lege erat vituperabilis, aliqui simplices prole carentes, quamvis essent de populo Israël, æstimabant se deficere in præmio justorum, eò quod non multiplicaverunt populum; & hoc removetur, cum dicitur: Et non dicat Eunuchus, id est, impotens ad generandum, Ecce ego lignum aridam, & non faciens prolis fructum, & subintelligitur diminutio mercedis, vel ablatio. Quia hæc dicit Dominus &c. Hic consequenter contraria veritas asseritur, videl. quod Eunuchus & gentilis veniens ad fidem, tantum bonum consequitur gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro, cæteris tamen paribus, quantum recipiet Judæus natione & donatus multa prole.*

2. Sanctius in h.l. *In Eunucho non solum spado, sed etiam gentilis populus intelligitur, qui sterilis fuit bonorum operum, quæ fœtus quidam sunt & soboles animi bene constituti &c. Eadem metaphora usus est Propheta cap. 54. ubi gentilitas sterilis dicitur. Est autem allusum ad præceptum, quod legitur Deut. 23. ubi neq; alienigenæ, neq; Eunuchi intrare permittuntur in Ecclesiam. Quare non solùm Deus hic cum gentibus loquitur, sed cum illis etiam, qui cum nati essent parentibus Judæis, propter naturalem illam deformitatem arcebantur à templo. Ac si dicat Deus, neminem quantumcunque lege repulsum antiquà à templi, sive ingressu, sive ministeriis esse excludendum in Ecclesia nova, quam novis legibus & consiliis in novissimo seculo constituet Deus.*

Et postea: *Hæc multi accipient de his Eunuchis, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, id est, de his, qui cœlibem, cœlo nempe dignam vitam instituerunt &c. quæ puto accommodate ad virginum statum dici posse, Historice verò, ut plerisque Interpretum visum est, ad illos, quos antiqua Hebræorum religio à templo sive à civium convictu respiciebat.*

(Ergo sensus, quem Pontificii urgent, est tantum allegoricus & accommodatitius.)

3. Hector Pintus in h.l. *Ostendit Propheta, tam posse beatitudinem consequi Eunuchos, quam viros. Imò Eunuchus Reginæ Candacis, cujus meminit Lucas in Actis, vir eo in loco appellatur &c. Dabo eis nomen melius, quam id, quo gloriantur Judæi, qui legem meam non custodientes & Abrahami opera non sectantes, filii Abrahami vocantur. Hoc ideò ait Deus, quia quicunq; Christum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri &c. Hoc est nomen de quo Deus hic loquitur.*

(Ergo loquitur Propheta de Eunuchis per Naturā talibus.)

Confer ea, quæ dicta in art. 7. de Monachis c. 3. arg. 2.

Arg. 2. Sir. 26. v. 20. *Non est ponderatio digna animæ continētis.*

Resp. Barradius agnoscit, *de continentia matrimoniali* Siracidem loqui tom. 3. Comm. in Concord. Evang. lib 8. c. 15. (id quod ex toto contextu manifestū. Conf. v. 16, 17, 18, 20. & 21.)

Argum. 3. Matth. v. 12. *Sunt Eunuchi, qui se castrant propter regnum cœlorum.*

Resp. dedimus art. 7. de Monachis cap. 3. arg. 5. & cap. 4. thesi 4. arg. 3.

Argum. 4. 1. Cor. 7. v. 34. *Innupta cogitat, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & Spiritu.*

Tirinus in h.l. *Virgines instar Angelorum uni Deo, divinoq; obsequio totaliter intendunt.*

Resp. 1. Lombardus in h.l. *Hæc innupta, de damnatione non timens & de salute secura, cogitat tantum, quæ sunt Domini, scilicet, ut sit sancta corpore, id est, actionibus, quæ geruntur ministerio corporis: & Spiritu, id est, voluntate. Hoc etiam & nupta fidelis & casta facit: quæ non modo Spiritu, sed etiam in corpore sancta est: non enim potest fieri, ut non sit sanctum corpus, quo sanctificatus utitur Spiritus: sed amplius innupta hoc facit, quæ libera à necessitatibus mundanis, quibus constricta est nupta, intentius vacat cœlestibus præceptis.*

(Mutuatus est hæc Lombardus ab Augustino, in quibus docet, inter nuptam & innuptam in hoc quidem capite differentiam duntaxat esse secundum plus & minus, non ergo secundum cœlibatum, nam hoc quidem discrimen esse potius totius generis.)

2. Claudius Espensæus, Doctor Sorbonicus, in Comment. Tit. 2. lib. 3. c. 14. *Quod Apostolus dicit, innuptam cogitare, quæ sunt Dei, ut sit sancta corpore & Spiritu, non sic accipiendum est, ut putemus, non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam, omnibus quippe fidelibus dicitur, eorum corpora esse membra Christi, Dei vivi & Spiritus Sancti templa: Non enim, inquit, non sanctum corpus esse potest, quo sanctificator utitur Spiritus: Sed & Petrus ibidem conjugatas sanctas mulieres & Paulus utriusq; sexus fidelium corpora Christi membra, Dei templa vocat. Aude dicere, Christi membra sancta non esse & conjugatorum corpora à Christi corpore separare.*

(Hoc congruit Scripturæ dictis Rom. 12. v. 1. 1. Cor. 6. v. 19, 20. 2. Cor. 7. v. 1. 1. Tim. 2. v. 15. ac Sanctorum, Abrahæ scilicet & Saræ, Isaaci & Rebeccæ, Zachariæ & Elisabethæ &c. exemplis. Verba igitur Apostoli non sunt accipienda *exclusive*, sed *comparate*.

3. Georgius Cassander d. l. *Sunt plerig; cœlibes, qui usque adeò cœlibatu suo ad ea, quæ Dei sunt, expeditius curanda, non incitentur, sed etiam contra curis hujus seculi supra reliquos homines immergantur & obruantur.*

(Ergo verba Apostoli non sunt accipienda *generaliter*, sed *respectu certarum personarum*, quæ scilicet dono continentiæ instructæ sunt & cœlibatu rectè utuntur. Cumprimis vero respicit Apostolus *ad conjugia imparia* inter maritum fidelem & uxorem infidelem, vel inter uxorem fidelem & maritum infidelem, in quibus multa impedimenta pietatis exercitiis objici solent.)

4. Salmero ibid. *Ad quintum dicimus, Paulum describere cœlibi legem, qua se gerere deceat erga Dominum, quomodo scilicet illi placeat pulchritudine spirituali & interiori virtutum ornamento, secundum illud: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Non autem asserit, quid vitio hominum contingat. Nam multi cœlibes sui officii immemores in multas curas & vanas solicitudines & carnis & honoris ac bonorum fortunæ distrahuntur, longe absunt ab eo, quod profitentur. Quemadmodum etiam interdum matrimonio conjuncti & in timore Domini viventes, & custodia mandatorum & misericordiæ operibus vacantes, superare videntur continentium vocationem, & ea præstare, quæ non arctabantur & longe superant conjuges.*

(Legendum videtur *cœlibes*. Aliud ergo est loqui de ipso cœlibatu, aliud de cœlibum officio. Quia quidam cœlibes minus curant, quæ sunt Domini, quidam conjugati magis curant, quæ sunt Domini, utique Apostolus non loquitur de eo, quid cœlibes semper faciant, sed quid facere debeant.)

Argum. 5. 1. Cor. 7. v. ult. *Beatior erit, si sic permanserit.*

Resp. 1. ex Bened. Aria Montano in Comm. illius loci. *Beatior, utpote quæ minus molestiarum minusq; impedimenti habitura est, & Spiritu & corpore sese totam in pietatis exercitationem tradat.*

2. Nec Salmero, nec Justinianus quidquam hic annotarunt *de beatitudine futura*.

(Ecquis enim sibi persuaderi patietur, cum Apostolus in accurata illa & prolixa disputatione ne verbo quidem mentionem fecerit futuræ beatitudinis in cœlis, quod subito eam in conclusione induxerit? quin potius, quo sensu καλὸν dixerat cœlibatum propter præsentem necessitatem, eodem etiam cœlibem dicit μακαριώτερον.)

Argum. 6. *Hieronymus & alii ex veteribus virginitatem summis ornant laudibus.*

Resp. 1. Erasmus in scripto Hieronymi adversus Jovinianum desiderat *modestiam & majora Scripturæ pondera.*

In argumento lib. adversus Jovinianum de Hieronymo sic loquitur: *Hoc argumentum non illibentur arripuit* (Hieronymus) *impendio favens virginitati, & ob id nuptiis iniquior, quam Episcopi quidam esse volebant.*

In præfat. Hilarii: *Hieronymus tanto ardore pugnat adversus eos, qui matrimonium efferebant cum injuria virginitatis, ut ipse sub iniquo judice vix possit suam tueri causam, si reus fiat parum reverenter tractati conjugii ac digamiæ.*

2. Idem Erasmus in lib. adversus Piggium de Virginit. *Hieronymus fervido quodam affectu ita interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis etiam viris videretur lædere matrimonium. Sit hoc vanum, nisi in Hieronymi scriptis inveniantur ea verba, quæ sunt apud Tertullianum eo nomine damnata.*

3. Idem in annot. Tit. 2. p. 487. *Hieronymus, quicquid potest, ad virginitatē detorquet, cui favit non sine suspicione, nec sine calumnia.*

4. Lu-

4. Ludovicus Vives in Comm. lib. 16. de Civit. Dei c. 34. *Hieronymus non modo secundas nuptias abominatur, sed primas etiam parum probat contra Jovinianum disputans, homo cælebs & conjugio parum æquus.*

5. Beatus Rhenanus in arg. lib. Tertull. Exhortat. ad Cast. *Veteres omnes, atque adeò Hieronymus ipse matrimonio parum æqui fuere.*

6. Josephus Acosta lib. de Christo revelat. cap. 20. *Hieronymus videtur aliquantò iniquior matrimonio.*

7. Virvesius in Confess. Augustanæ art. 23. *Imo nec bonum quidem est conjugium, tantum abest, ut sit præceptum, si Hieronymo credimus. Illi enim est minus malum in remedium majoris permissum. At iniquior fuit Hieronymus? non negamus. Fortassis hanc severitatem illius temporis lascivia & Joviniani hæretici petulantia requirebat. Nos in neutram partem ab Evangelica doctrina declinantes dicimus, bonum esse conjugium, sed meliorem cœlibatum.*

8. Espensæus de Continentia lib. 1. cap. 9. *Græcos sequuntur Latini. Sed mirum, quam pro continentia vehementes, & sibi nihil non indulgentes, omnium vero maxime Hieronymus.*

Et postea: *Multa viro sancto in virginitatis favorem exciderunt coacta & violenta.*

(Ostendit hoc res ipsa. Sic enim scribit Hieronymus adversus Jovinianum: *Bonum est,* inquit, *homini, mulierem non tangere. Si bonum est, mulierem non tangere, malum est ergo tangere. Nihil bono contrarium est, nisi malum. Si autem malum est, & ignoscitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat. Quale autem illud bonum est, quod conditione deterioris conceditur? Nunquam enim subjecisset: Unusquisq; uxorem habeat, nisi præmisisset: Propter fornicationes autem. Tolle fornicationes, & non dicet: Unusquisq; uxorem suam habeat. Velut, si quis definiat: Bonum est triticeo pane vesci & edere purissimam similam. Tamen ne quis compulsus fame comedat stercus bubalum, concedo ei, ut vescatur & hordeo. Num idcirco frumentum non habebit puritatem suam; si fimo hordeum præferatur? Bonum est illud naturaliter, quod comparationem non habet mali, quod prælatione alterius non obumbratur. Simulq; animadvertenda est Apostoli prudentia. Non dixit, bonum est, uxorem non habere; sed bonum est, mulierem non tangere; quasi & in tactu periculum sit, quasi, qui illam tetigerit, non evadat, quæ virorum preciosas animas rapit, quæ facit adolescentium evolare corda, unde & noster Joseph, quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit ex manibus ejus: & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virum serperet, pallium, quod tetigerat, abjecit.*

Ibid. *Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipi non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani. Jubet idem Apostolus in alio loco, ut semper oremus. Si semper orandum est, nunquam ergo conjugio serviendum. Quotiescunq; uxori debitum reddo, orare non possum. Petrus Apostolus experimentum habens conjugalium vinculorum, vide quomodo informet Ecclesiam, quid doceat Christianos. Similiter viri, cohabitantes juxta scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri tribuentes honorem, & sicut cohæredibus multiplicis gratiæ, ut non impediantur orationes vestræ. Ecce eodem sensu, quia eodem Spiritu, impediri dicit orationes conjugali officio.*

Et paulo post: *Cernis, quale conjugium inter viros, uxoresq; præcipiat? Cohabitantes juxta scientiam, ut noverint, quid velit, quid desideret Deus, ut tribuant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos à coitu, honorem tribuimus uxoribus: si non abstinemus, perspicuum est, honori contrariam esse contumeliam.*)

9. Inde Marianus Victorius, magnus ille Hieronymi adulator & interpolator, dictum illud, *Quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani,* mutare fuit coactus: *Christiani incontinentis. Et ita,* inquit, *ex emendatioribus Codicibus emendavimus: pravo enim ac hæretico sere sensu legebatur: quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani, veluti conjugium copula Christianorum non sit.*

(Bene factum, quod crassum errorem agnovit, sed quod de emendatioribus Codicibus addit, penes eum fides esto. In Apologia ad Pammachium ita repositum, sive ab ipso Hieronymo, sive à describentibus, sed non videtur certa fides: nam & autor in Apologia non pauca inflectit, ut sint minus odiosa, & Scribæ multa subinde peccant. Hoc sane loco disputationis ardor & series textus postulat simpliciter legi *Christiani,* non cum *προσθήκῃ incontinentis.*)

10. Sed & Salmero tom. 9. tract. 50. ex professo refellit argumentum Tertulliani lib. de monogamia cap. 3. quod ab eo mutuatus est Hieronymus adv. Jovinianum. *Si bonum est homini, mulierem non tangere. Ergo malum tangere. Neque valet,* inquit, *argumentum Tertulliani &c. quia bonum & malum non immediate opponuntur, ita ut ex negatione unius liceat inferre positionē alterius.* Illustrat hoc exemplo: *Non valet, bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum: ergo malum est edere & bibere.*

Benedictus Justinianus in Comment. 1. Cor. 7. *Hieronymus sic interpretatur, perinde quasi in eo bonorum genere conjugium collocetur, quæ non nisi vitio opponuntur. Atqui id, cum acerbius dicitur, tum non omnino vere; nisi fortasse quis interpretetur bonum quidem commodum atque utile, malum autem incommodum.*

Et post: *Verosimilius videtur, quod ait Chrysostomus, simpliciter affirmare Apostolū, commodū ac laudabile esse, usu conjugii abstinere,*

(Confer Augustinum de bono conjugali cap. 8. ubi ex professo hoc Hieronymi argumentum refellit: *Honorabiles,* inquit, *nuptiæ in omnibus & thorus immaculatus. Quod non sic dicimus bonum, ut fornicationis comparatione sit bonum: alioquin duo mala erunt, quorum alterum pejus: aut bonum erit fornicatio, quia pejus adulterium. Pejus est enim alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere. Et bonum adulterium, quia est pejor incestus, pejus est enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere. Et donec ad ea perveniatur, quæ, sicut Apostolus ait, turpe est etiam dicere, omnia bona erunt in comparatione pejorum. Hoc autem falsum esse quis dubitet? Non ergo duo mala sunt, connubium & fornicatio, quorum alterum est pejus, sed duo bona sunt, connubium & continentia, quorum alterum est melius. Sicut ista temporalis sanitas & imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus: sed ista sanitas & immortalitas duo bona sunt, quorum alterum melius. Item scientia & vanitas non duo mala sunt, quorum vanitas pejus: sed scientia & caritas duo bona sunt, quorum caritas est melius.*)

Appendix Articuli de Matrimonio

Querelas, Calumnias & Opiniones erroneas ac absurdas Adversariorum continens.

I. Querelæ.

1. Conqueruntur, falso sibi tribui, *quod dispensent cōtra prohibitiones divinas, Levit. 18. in primo gradu lineæ collateralis, id est, in conjugio fratrum & sororum.* Bellarm. lib. de matr. c. 25.

Resp. Antoninus in sua Summa part. 3. tit. 1. c. 11. *Martinus V. habita cum suis Doctoribus & Theologis consultatione, cum quodam dispensavit, ut sororē suam germanā impune in matrimoniū haberet.*

(Idem de Martino Papa commemorat Angelus de Clavisio, in Summa, in verbo Papa, & Nicolaus Boërius in Cons. 20. Utrum Papa. Verba adducta sunt superius c. 4. thesi 3. membr. 4. diff. 3.)

2. Conqueruntur mendaciter sibi tribui, quod *Conjugium vocent pollutionem.* Bellarm in Judicio de libro Concordiæ.

Resp. sequetur in memb. 3. §. 2. & 4. Conferantur etiam, quæ adducta sunt in Appendice articuli de Clericis membro 3. §. 9, 10, 11, 12, 13. & 14.

Hoc loco expendantur sequentia:

1. c. Decernimus. dist. 28. de Sacerdotibus, continentiam professis, Pontifex sic loquitur: *Cum ipsi templum & vasa Domini & sacrarium Spiritus Sancti esse debeant, indignum est, eos ducendo uxores cubilibus & immunditiis deservire.*

c. Nuptiæ. caus. 32. q. 1. *Scriptura in primo & tertio & quarto & quinto die, & sexto, expletis operibus singulorum dierum, dixit: Et vidit Deus, quod bonum esset. In secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam tribuens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat & præfiguret fœdera nuptiarum. Unde & in arca Noë omnia animalia, quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt, impar numerus est mundus.*

c. Nervi 2. dist. 13. *Paulus, cum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut majora declinarent, dicens: Propter fornicationem autem unusquisq; uxorem suam habeat. Et quia tunc solum conjuges in admissione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur, ut hoc etiam, quod concesserat, sine culpa (quamvis minima) non esse monstraret, illico adjunxit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim est sine vitio, quod ignoscitur, non præcipitur. Peccatum profecto vidit, quod indulgeri posse prævidit.*

c. Hospitiolum 17. dist. 32. *Non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit &c. Si bonum est, mulierem non tangere, malum est ergo tangere.*

c. Proposuisti 2. dist. 82. de conjugio affert Apostoli sententiam: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

c. Quod à te 3. lib. 3. Decretal. tit. 3. de Clericis conjugatis Pontif ex

Pontifex sic pronunciat, *quod, cum simul voluptatibus ac carnalibus desideriis ac divinis & Ecclesiasticis Sacramentis indigni tractandis, Ecclesiasticis procul dubio beneficiis sint privandi.*

c. Ex parte tua 9. lib. & tit. iisd. *Clerici conjugati non militant Domino, sed mundo, ut cæteri uxorati.*

c. Si Laicus 7. dist. 31. *Si Laicus & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio cõjugali, Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum.*

c. Connubia 4. caus. 32. q. 2. *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur, etiamsi Propheta esse videatur, qui generationis officio obsequitur.*

2. Censura Coloniensis fol. 71. *Matrimonii doctrinâ impudicitiæ janua aperitur, ac animis libidinis faces subministrantur.*

3. Bellarminus lib. de matrim. cap. 5. *Non male dici posset de conjugatis: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

4. Idem lib. de Monachis cap. 9. test. 9. pro stabiliendo Monachorum cœlibatu adducit locum Apoc. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.*

(Ex quo sequitur à contrario sensu, conjugatos cum mulieribus inquinari.)

5. Michaël Medina lib. 1. de Continent. cap. 57. scribit, *Conjugatos ipso vitæ instituto & necessitate mundo implicitos esse & in media concupiscentia versari.*

3. Bellarm. lib. de Matrim. cap. 25. Chemnicium mendacii accusat, quod scribit, *Romanum Pontificem velle conscientias Pontificiis prohibitionibus non minus teneri, quam divinis. Hoc mendacium esse, inquit, perspicuum est, cum summus Pontifex in Pontificiis prohibitionibus sæpe dispenset, in divinis nunquam.*

Resp. 1. Qui dispensat in prohibitionibus, Lev. 18. propositis, ille eodem loco habet divinas & Pontificias prohibitiones. Ratio est, quia prohibitiones, Levit. 18. sunt divinæ, ut paulo ante ostendimus, Pontifex dispensat in gradibus Lev. 18. prohibitis.

2. Bellarminus lib. de matrim. cap. 28. statuit, *non solum matrimonium filii cum matre, patris cum filia, sed etiam fratris cum sorore germana, fratris cum sorore ex altero tantum parente, privigni cum noverca, vitrici cum privigna esse naturali jure prohibitum.* At Cajetanus 2. 2. q. 154. artic. 9. disputat, *Pontificem justis de causis in omnibus gradibus prohibitionem relaxare posse, præterquam in connubio patris & filiæ, filii & matris.* Ergo Pontifici tribuit potestatem dispensandi in gradibus juxta Bellarmini concessionem naturali jure prohibitis.

3. Qui potestatem sibi arrogat dispensandi, ut matrimonium aliquod contrahatur, quod jure divino est irritum, ille arrogat sibi potestatẽ dispensandi in prohibitionibus divinis. Jam vero Pontifex arrogat sibi potestatem dispensandi, ut matrimonium aliquod contrahatur, quod jure divino est irritum. Nam Bellarminus lib. de matrim. cap. 23. format has duas propositiones: *Non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hæreticis jungere matrimonia,* quod probat ex verbo Dei, Deut. 7. 1. Reg. 11. 1. Cor. 7. 2. Cor. 6. postea aliam subjungit propositionem, & quidem talem: *Potest summus Pontifex, si causa id postulet, cum fideli dispensare, ut cum infideli matrimonium contrahat.*

(Ex eo sic colligimus: Si Pontifex potest dispensare, ut fidelis poterit contrahere cum infideli, poterit dispensare contra verbum Dei, ac proinde etiam contra jus divinum. Ratio est, quia matrimonium fidelis cum infideli ex hypothesi Bellarmini pugnat contra verbum Dei, ac proinde etiam contra jus divinum. Ergo [& posterius, ac per conseq. Pontifex dispensat in prohibitionibus divinis.)

4. Mendacium esse clamant, *quod secundæ nuptiæ improbare dicuntur.*

Resp. 1. c. De his 8. caus. 31. q. 1. allegantur canones Concilii Neo-Cæsariensis, *quod tempus pœnitentiæ constituendum sit illis, qui frequenter uxores ducunt, quodque Presbyter convivio secundarum nuptiarum interesse minime debeat.*

2. c. Hac ratione 9. caus. & quæst. iisd. *Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundum præceptum Apostoli licitum est, secundũ autem veritatis rationem verè fornicatio est. Sed cum, permittente Deo, publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio.*

c. Quomodo 10. caus. & quæst. iisdem. *Virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias & excusabile facit, quod per se non appetitur: ita ob eandem fornicationem vitandam, concedit viduis secunda matrimonia. Melius est enim, licet alterum & tertium, unum virum nosse, quam plurimos, id est, tolerabilius est, uno homini prostitutam esse, quam multis. Siquidem & illa in Evangelio Johannis Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur à Domino, quod non sit vir ejus. Ubi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui propriè unus est, esse desiit. Una costa à principio in unam uxorem versa est, & erunt, inquit, duo in unam carnem, non tres, neque quatuor, alioqui jam non duo, sed plures.*

3. Eum, qui plures uxores successive duxit, non admittunt ad Ordines sacros, c. Si quis. dist. 34. c. Quisquis. dist. 84. cujus statuti Bellarminus lib. de Clericis. cap. 24. duplicem tradit rationem, *moralem unam, mysticam alteram.* Ac diserte ibidem addit, *majus impedimentum est ad electionem Episcopi, si bis maritus fuerit, quam si adulterium aut scortationem commiserit.*

Item: *Secundas nuptias ex sua Natura magis diuturnæ innocentiæ signum esse, quam adulterium & concubinatum.*

4. Secundis nuptiis *Ecclesiasticam benedictionem* denegant, c. Vir autem. ext. de sec. nupt.

5. Qui *duas uxores successive ducunt, eos perfectione quadam Sacramenti carere* censent, Bellarm. de Cleric. cap. 24. §. Altera.

6. Salmero. tom. 4. tract. 21. p. 196. *Christus peccata hujus fœminæ* (Samaritanæ Joh. 4.) *detegit, nempe objiciens, quod quinq; viros habuerit, quod signum erat evidentissimum maximæ simul & incontinentiæ & impudentiæ.*

5. Mendacium esse clamant, *quod in Corpore doctrinæ Philippi Pontificiis tribuitur, quod defendant vagas libidines ac capitalibus pœnis puniant conjugium.*

Resp. 1. Tolerant publica lupanaria, in quibus vagæ libidines exercentur.

Hardingus Confess. p. 162. lupanaria vocat, *malum necessarium ad alia vitanda, quæ pejora & graviora essent futura.* Adducit etiam ad hujus rei defensionem illud Augustini lib. 2. de Ordine cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

(At cum Augustinus ista scriberet, nec sanctus, nec Episcopus, nec Presbyter, nec denique Christianus erat.)

Maximilianus Sandæus, Jesuita Herbipolensis, in Castigat. de prodiga Jesuit. liberalit. adversus Laurentium p. 277. disputat, *rectè meritoque meretricum genus, quæstumque meretricium posse permitti*; imo & salubriter debere. *Nam si meretrices, inquit, ab hominum cœtibus alicubi ablegarentur, eodem tempore in illas civitates stupra, incestus, adulteria, sacrilegia aliaque innumera flagitia infunderentur.*

2. Puniunt conjugium in Sacerdotibus. Anno 1525. Petrus Sponglerus *condemnatus fuit ad mortem non aliam ob causam, quam quod uxorem duxisset.*

Claudius Espensæus lib. 1. de Continent. cap. 12. fol. 696. exempla commemorat *Sacerdotum ob conjugium combustorum.*

3. Concubinatum Clericis lubentius permittunt, quam conjugium. Papa Pelagius Diaconis post obitum conjugis concessit *usum ancillæ.* Qua de re extat peculiaris canon sub hoc titulo: *Qui post mortem uxoris habuerit de ancilla filios, Diaconus fieri permittatur.*

c. Is qui. dist. 34. *qui non habet uxorem, & pro uxore concubinã habet, à communione nõ repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus:* ad quem canonem glossa sic annotat: *Ecce casus, ubi plus juris habet luxuria, quam castitas, quia castus repellitur, si contraxisset cum secunda, sed fornicator non!* Confer Append. de Cleric. cap. 1. de querel. membr. 1.

4. Innocentius III. lib. 1. Decret. Constit. 86. *Sane postulasti per sedem Apostolicam edoceri, si Presbyteri plures concubinas habentes, bigami censeantur? ad quod duximus respondendum, quod, cum irregularitatem non incurrerint bigamiæ cum eis, tanquam simplici fornicatione notatis, quoad executionem Sacerdotalis officii poterit dispensari.*

5. In publico scripto duo præcipui Doctores Pontificii invicẽ disceptarunt, *an Sacerdotibus concubinæ possint concedi.* Henricus Cuyckius, Episcopus Ruremundensis, & Georgius Eleutherius in scripto A. 1602 Coloniæ per Gualtherum edito. Confer Speculum Concubinariorum A. 1599. Colon. editũ.

6. Claudius Espensæus in Epist. ad Titum cap. 67. *Turpissimum, quod & hos cum concubinis, pellicibus & meretriculis cohabitare, liberosq; procreare sinunt, accepto ab eis, atque adeo alicubi à continentibus, certo quotannis censu. Habeant, ajunt, si velint.*

7. Johannes Wesselus Groningensis Th. D. (ob trium linguarum

guarum cognitionem Lux mundi dictus) in lib. de Indulg. Papalibus, de Sixto IV. Pont. Rom. memorat, *quod domesticæ familiæ Cardinalis D. Luciæ, qui Paulo II. à venationibus fuerat, in tribus mensibus anni calidioribus Junio, Julio & Augusto masculino coitu frui permiserit, cum hac clausula: Fiat, ut petitur.*

8. Erasmus in Enchir. militis Christ. c. 14. *Bona pars eorum, quos vulgus integros & incorruptos appellat, simplicem fornicationem & moderatum voluptatis usum, ut leve commissum, neutiquam refugiunt.*

9. Alphonsus de Castro lib. 5. adversus hæres. *Græci, ut Guido illis impingit, dicunt, simplicem fornicationem non esse peccatum. Martinus de Magistris in suo libro de temperantia quæstione secunda de luxuria dicit, se fateri, fornicationem simplicem esse peccatum mortale: tamen dicit insuper, quod oppositum credere non sit hæreticum, quia, ut dicit, testimonia sacræ Scripturæ eam in rem non sunt expressa. Sed cum pace illius dixerim, Ego credo, Martinum, alioqui virum doctum in hac parte errasse.*

10. Glossa in c. Presbyter. dist. 81. *Dicunt, neminem hodie propter fornicationem esse deponendum, nisi in ea perduret.* In margine notatur: *Fornicationis causa nemo hodie est deponendus.*

Eadem Glossa in c. Maximianus. dist. eadem. *Communiter dicitur, quod pro simplici fornicatione Clericus deponi non debet, quia pauci sine illo vitio inveniuntur.*

Panormitanus ad c. Non debet, ext. de Consanguin. & affinit. *Ad varietatem temporum debent mutari statuta humana, ideò hodie ex simplici fornicatione Clericus non deponitur.*

II Calumniæ. I. Generales.

1. Pontificii comparant nos *cum Joviniano*, propterea, *quod matrimonium exæquemus virginitati.*

Resp. 1. Jovinianus & ejus Complices clamabant, *Virgines oportere nubere, filios facere, similiter & viduas; etiamsi se continere possint; errare illas, quæ nolint iterare copulam. Virginitatis*, dicebant, *nullam esse gratiam, pari omnes æstimari precio, castimoniam nullius esse utilitatis, nullum esse præmium virginitatis, nullum fructum viduitatis, nullum honorem castitatis.* Ambrosius lib. 10. Epist. 82. At hisce hypothesibus expresse contradicimus & ex Scriptura docemus, bene illos facere, quibus datum est, si *propter regnum cœlorum*, ut paratiores sint ad cultum divinum, Virgines maneant, Matth. 19. v. 12. 1. Cor. 7. v. 25.

2. Qua de re Apologia Augustanæ Confess. pag. 243. edit. Lips. Ann. 612. sic disserit: *Neque tamen æquamus conjugio Virginitatem. Sicut enim donum dono præstat, prophetia præstat eloquentiæ, scientia rei militaris præstat agriculturæ, eloquentia præstat architectonicæ: ita Virginitas donum est præstantius conjugio. Et tamen, sicut Orator non est magis justus coram Deo propter eloquentiam, quam architectus propter architectonicam: ita Virgo non magis meretur justificationem virginitate, quam conjux conjugalibus officiis, sed unusquisque in suo dono fideliter servire debet ac sentire, quod propter Christum fide consequatur remissionem peccatorum, & fide justus coram Deo reputetur.*

2. Andreas Fabricius in Harm. Augustanæ Confess. & Alphonsus Virvesius Philip. 18. odiose perstringunt, quod Apolog. August. Confess. dicit, *Genesis docet, homines conditos esse, ut sint fœcundi. Absurdum est*, inquiunt, *generationem hominum esse finem creationis, cum ea brutis quoque competat.*

Resp. Non simpliciter dicimus, generationem esse finem creationis hominis, sed potius statuimus, virtutem generandi esse hominis à Deo ipsi inditum adjunctum. Neque aliud indicat particula *UT* in Augustanæ Confessionis Apologia. Neque vero absurdum est, creationis fœminæ finem dicere generationem, id enim satis manifeste innuitur, Gen. 2. v. 18. 20. 22. ut cum quæritur, *Cur Deus hominem marem & fœminam crearit?* Genes. 1. v. 27. recte respondeatur, propter generationem & multiplicationem generis humani.

3. Gulielmus Baiius Jesuita in Catechismo controv. q. 1. propterea, *quod negamus, Matrimonium esse Sacramentum*, cum *Carpocrate & Gnosticis hæreticis* impurissimis nos conjungit.

Resp. 1. Nullus veterum Carpocrati vel Gnosticis hæreseos loco hoc objecit.

2. De Carpocratianis sic scribit Augustinus lib. de hæres. cap. 7. *Carpocratiani sunt à Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemq; adinventionem peccati, nec aliter evadi atque transiri principatus & potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superius perveniri. Hic etiam Jesum hominem tantummodo & de utroq; sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quæ sciret ea, quæ superna essent, atq; nunciaret. Resurrectionem corporis simul cum lege abjiciebat. Negabat, mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat Imagines Jesu & Pauli & Homeri & Pythagoræ adorando, incensumque ponendo.*

3. De Gnosticis idem d. l. cap. 6. sic scribit: *Gnostici propter excellentiam scientiæ sic appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur, cum sint superioribus hæreticis vaniores atque turpiores. Denique, cum ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter atq; aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur &c. Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmentis; etiam ipsi Principum vel Angelorum nominibus terribilius* (terribilibus) *infirmas animas capiunt, & de Deo rerumq; Natura fabulosa & à sanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum substantiam Dei dicunt esse Naturam, earumq; adventum in hæc corpora cum aliis aëreis animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur, nam illas animas, quæ ex Dei procedunt substantia, reverti ad Deum immaculatas.* Similia de Carpocrate & Gnosticis referunt Epiphanius, Philastrius & alii.

(Ecquid vero nostræ Confessioni cum his errorum & blasphemiarum portentis commune?)

II. Speciales.

1. Bellarminus lib. de Monachis cap. 6. Lutherum accusat, *quod sibi contradicat, dum statuit, virginitatem quidem præstare conjugio, tamen mulierem conjugatam meliorem esse coram Deo, quam sit virgo.*

Resp. Lutherus in 1. Corinth. 7. sic scribit: *Idem coram Deo valet matrimonium & virginitas. Nam utrumq; est donum & creatura Dei, tametsi alterum alteri antecellat, si quis inter se conferat.*

2. Ibidem accusat Lutherum, *quod mulieres non nisi ad matrimonium creatas fuisse dicit, Nam ita nullas fore in cœlo mulieres aut sexuũ differentiã, & frustra fuisse tot sanctissimarũ virginum millia.*

Resp. Lutherus loquitur non *de fine ultimo*, sed *intermedio*; nec *de statu futuræ*, sed *hujus vitæ*; nec *de certarum personarum exceptione*, sed *de ordinaria regula.*

3. Ibidem mendacium vocat, quod Lutherus dicit, *Mosen præcepisse omnibus Judæis matrimonium, ita ut nullo modo licuerit in V. Test. carere uxore.*

Resp. Verba Lutheri in 1. Corinth. 7. sic habent: *In Judaismo neminem non conjugatum esse oportuisse.* id quod etiam R. Salomon in cap. 9. Genes. & R. D. Kimchi in cap. 56. Esai. docent. Sed ex eo inferri nequit, nullas fuisse ab ordinaria regula exceptiones.

4. Idem Bellarm. lib. de matrim. cap. 10. Pistorius in septicip. Luthero, Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 9. artic. 2. p. 1001. Ungersdorff. in gratulat. ad Austriac. p. 91. Sandæus in themate seculari de Secta Protest. deferenda thes. 132. Luthero tribuunt, *quod polygamiam in N. Test. approbarit.*

Gulielmus Baiius Jesuita in Catechismo Controv. tract. 1. q. 9. *Lutherus in Commentariis in Genesin scriptis, magnam aperuit januam, ad eorum emancipationem, qui plures uxores ducere vellent, cum scripsit, polygamiam expresso textu in lege Evangelica non prohiberi, & liberum esse eam usurpare, cum id Abrahamo, Davidi & multis aliis viris magnis in usu fuerit.*

Resp. In Commentariis in Genesin Witebergæ An. 1561. editis, illud, quod Luthero objicitur, non habetur, sed in Commentariis Anno 1525. emissis, (quod ipsum Jodocus Coccius fatetur.) At de primis illis suis scriptis Lutherus ipse in præfat. tom. 1. operum præfixa, petit, *ut quilibet ea legat cum magna commiseratione, & meminerit, autorem fuisse aliquando Monachum & Papistam insanissimum.* Fuerunt in regno Pontificio, qui ita senserunt, inter quos fuit Cardinalis Cajetanus, cujus, teste Ambrosio Catharino adversus Cajetani nova dogmata pag. 196. fuerunt *hæc dogmata nova*, inquit ille, *& spurca: Primum, quod jure divino pluralitas uxorum licita est. Secundum, quod etiam naturali jure nullam habet indecentiam. Tertium, quod etiam Sacerdotibus id liceret præter Episcopos, nisi Ecclesiastica probiberētur censura.* Alia omnino Lutheri mens fuit, nam in Commentariis in Genesin, postquam facti Saræ ancillam marito adjungentis, ut sibi vendicaret prolem, rationes perpendit, hæc prudenter adjecit in cap. 17. Genes. tom. 6. *Porro ex hoc facto non est constituendum exemplum, quasi nobis eadem liceat facere. Hæ circumstantiæ apud te non habent locum. Igitur singulare hoc factum neutiquam in exemplum est trahendum, præsertim in N. Test.* Et in eodem libro, cum de Jacobi & aliorum polygamia mentio incidisset, *Hæc traduntur*, inquit, *non in exemplum, sed ut abstineamus*

mus

mus ab exemplo & imitatione. Admiremur eos, sed non imitemur. Alia enim sunt, quæ imitari; alia, quæ admirari debeamus. Spera, crede, invoca, sicut Lea; non autem quatuor uxores ducas, sicut Jacob. Id n. ad solũ Jacob pertinet & ad eos, quos voluit Deus exemtos à regula.

2. Lutherus in scriptis suis posterioribus mentem suam clarissimè exposuit, quod polygamias cuiquam autor neutiquam esse velit, ac Christi in N. Testam. ordinationem mutare. Priora ergo scripta à posterioribus distinguenda.

3. In propos. de bigamia Episcoporum, ad quas provocant, Lutheri scopus est, demonstrare, *quod bigamia non simultanea, sed successiva Ministris Ecclesiæ sit licita.*

4. Disputat [illegible] & [illegible].

5. In Comment. Gen. 16. pag. 102. disertè scribit, *polygamiã in Evangelio esse sublatam verbis Christi Matth. 19. & Pauli 1. Cor. 7.*

5. Idem Bellarm. lib. de matrim. c. 6. Luthero tribuit, quod statuat, *matrimonium æquè sanctum esse apud fideles & infideles.*

(Resp. 1. Lutherus non dicit, matrimonia fidelium & infidelium esse *æquè sancta*, sed *æquè vera*. Sic enim loquitur lib. de capt. Babylon. cap. de matrim. tom. 2. Lat. p. 279. *Cum matrimonium fuerit ab initio mundi & apud infideles adhuc permaneat, nullæ subsunt rationes, ut Sacramentum novæ legis & solius Ecclesiæ possit dici. Non minus enim erant matrimonia Patrum sancta, quàm nostra, nec minus vera infidelium, quàm fidelium, nec tamen in eis ponunt Sacramentum.*

2. Bellarminus ipse lib. de matrim. cap. 3. §. 10. scribit, *Matrimonia gentilium esse vera, legitima & largo modo Sacramenta.*

3. Innocentius Pontifex c. Gaudemus. de divortiis, *infidelium matrimonium vocat Sacramentum.*)

6. Gretserus in Athlet. spirit. p. 180. scribit, *Lutherum ausum fuisse corrigere & supplere orationem Dominicam, quasi mutilam, quia addiderit: Domine Deus, da uxorem & panem quotidianum.*

Resp. Lutherus in cap. 24. Genes. sic scribit: *Si vis divina benedictione contrahere matrimonium, primum omnium require consilium Domini, & ora: Domine Deus, da uxorem & panem quotidianum; illis verbis favet Deus.*

(In his verbis quilibet videt, nihil esse vel absurditatis, vel impietatis, cum pia uxor donum Dei sit & panis quotidiani nomenclatura comprehendatur.)

7. Lutherum vehementer accusant, quod in lib. de capt. Babylon. suadeat, *si mulier impotentem habeat maritum, ut cum consensu viri alteri misceatur, vel si vir consentire nollet, contracto matrimonio cum altero confugiat in locum remotum.*

Resp. 1. Hæc verba hodie non leguntur in Luthero.

2. Scribit autem lib. de vita conjug. tom. 2. Jen. Germ. fol. 147. b. 148. a *sibi à quibusdam objectum fuisse, quasi docuisset, mulierem, cui maritus in opere conjugali satisfacere non posset, ad alium se conferre debere.* Sed vocat *mendacium & perversionem verborum suorum.* Ita vero se scripsisse ait: *Si mulier ad conjugium apta impotentem maritum nacta, nec tamen ab ustionibus libera esset, à marito suo postulare debere, quia ab ipso fuerit decepta, nec verum inter ipsos sit conjugium, ut concedat sibi se conjungere cum alio viro, ex quo suscipiat liberos mariti sui nomine, ne hereditas perveniat ad alios; maritum quoque annuere debere; sin minus, tunc demum suadet, ut clam ab ipso mulier discedat in loca peregrina, & ibi cum alio matrimonium contrahat.*

3. Fuit hoc Lutheri consilium, primis illis annis, ubi vigebat adhuc Papæ potestas, quæ in causa erat, quod nõ nisi longis processibus & magnis sumtibus matrimonii talis dissolutio, cuj9 causa justa erat impotẽtia naturalis impetrari poterat.

4. Habuit pro se Lutherus exemplum Augustini, à cujus partibus non libenter discessit. Is ad quæstionem, *an in casu desperatæ sterilitatis cum consensu conjugis liceat ex alia prolem suscipere*, modestè respondet lib. de bono conjug. cap. 15 *planè uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem jure & potestate, apud antiquos patres fas erat, utrum & nunc fas sit, non temerè dixerim.*

5. Fuit istud Lutheri consilium privatum, quo cum postea aliqui abuterentur, neglexit illud, sicut expressè scribit in lib. de vita conjug. Solchen Rath hab ich zu der Zeit geben/ da ich noch schew war. Eamque ob causam consilium istud in tomis ejus hodie non amplius legitur. Quod ergo Luthero ipsi postea displicuit, nobis hodie immeritò objicitur.

8. Luthero passim objiciunt, *quòd marito, cui uxor denegat conjugale debitum, permiserit scortari cum ancilla.* Lorinus in Commentario 2. Petr. 2. v. 2. Jodocus Coccius tom. 2. Thes. lib. 9. art. 2. pag. 1001.

Resp. 1. Lutherus nequaquam hoc voluit, quod Jesuitæ ipsi per calumniam affingunt, quasi uxore debitum conjugale quovis modo denegante, maritus cum ancilla concumbere citra adulterii crimen possit, sed quod pertinax, constans & perpetuò durans conjugalis debiti denegatio sit species desertionis, quodque proinde maritus post privatas & publicas admonitiones frustra adhibitas, Magistratus autoritate desertricem illam repudiare & aliam Estheram loco fastuosæ illius Vasthi legitimo matrimonio sibi copulare possit, non ergo loquitur de promiscuo viri cum uxore & ancilla concubitu, sed de legitima refractariæ uxoris separatione. Sic enim habent Lutheri verba in lib. de Vita conjugali Anno 1522. edito tom. 2. Jenens. German. fol. 152. a. Wenn sich eins dem andern selbst beraubet vnd entzeucht/ daß es die eheliche Pflicht nicht zahlen noch bey jhm seyn wil/ als man wol findet so ein halßstarrig Weib/ das seinen Kopff auffsetzet/ vnd solte der Mann zehenmal in Vnkeuschheit fallen/ so fragt sie nicht darnach. Hie ists Zeit/ daß der Mann sage: Wilt du nicht/ so will ein andere/ will die Frawe nicht/ so komme die Magd. So doch/ daß der Mann jhr zuvor zwey oder dreymal sage/ vnd warne sie/ vnd laß es für andere Leute kommen/ daß man öffentlich jhre Halßstarrigkeit wisse/ vnd für der Gemeine straffe. Will sie denn nicht/ so laß sie von dir/ vnd laß dir eine Esther geben/ vnd die Vasthi fahren/ wie der König Ahaßverus thet. Loquitur Lutherus de illo casu, 1. quando marito uxor denegat conjugale debitum. 2. pertinaciter, 3. ut periculum sit, ne maritus in scortationem incidat. In hoc casu consilium dat Lutherus, 1. Ut maritus uxori refractariæ significet, se illam repudiaturum, nisi officium fecerit. 2. atque sic eam semel atque iterum admoneat. 3. si per admonitiones non emendetur, ad alios causam deferat, ut publica evadat uxoris pertinacia, quæ nec aliorum increpationibus se patitur moveri. 4. faciat eam publicè reprehendi coram toto cœtu Ecclesiastico. 5. Si ergò nec Ecclesiam audierit, ejusque contumacia infracta persistat, dimittat eam, ut quæ recusat facere, quæ sunt uxoris, ne amplius audiat uxor. 6. Aliam sibi uxorem copulari faciat. 6. quemadmodum Ahasverus, dimissa Vasthi, Estheram sibi junxit. Hoc ergo egit Lutherus, ut marito consuleretur, ne in scortationem incidat, ac jussit virum sequi ordinem actionis à Christo præscriptum Matth. 18. v. 15. nequaquam verò permisit marito in illicitos ancillæ amplexus ad quamvis debiti conjugalis denegationem protinus ruere.

2. Inde Selneccerus in præfat. Colloq. mensal. D. Lutheri lit. a. iiij. sic scribit: Der abtrünnige Staphylus vnd bißweilen auch andere getrewe Brüderchen haben aus D. Luthers Büchern erwischt vnd herfür gebracht die Wort vom ehelichen Leben/ vnd dardurch hohe Personen/ vnd andere auch fromme einfältige Leute zum öfftern bereden wollen/ sie solten in des Luthers Büchern nicht lesen etc. Es redet D. Luther an selbigem Ort/ den sie so vnverschambt anziehen/ von der Ehescheidung/ vnd setzet drey Vrsachen/ darumb man die Ehescheidung hat zugelassen/ als natürliche Vntüchtigkeit/ Ehebruch/ vnd so eins das andere selbst verlest/ beraubet/ vnd sich jhme muthwillig vnd halßstarrig entzeucht/ da spricht er vnter andern: Wiltu nicht/ so wil eine andere/ nemlich nicht zur Hurerey vnd Ehebruch/ sondern zum ehelichen Weibe/ wann die Scheidung ordentlicher Weise geschehen ist. Wil die Fraw nicht fromm seyn/ sondern sich halßstarrig jhrem Mann entziehen vnd jhn verlassen/ so komme die Magd in Ehestand/ nicht zum Ehebruch/ oder zur ehelosen Beywohnung/ sondern wenn die halßstarrige Fraw sich nicht will warnen lassen/ alsdenn/ wenn sie ja in jhrer feindseligen Halßstarrigkeit verharret/ so laß sie/ spricht D. Luther/ nach vorgehender Erkäntnis von dir/ vnd laß dir eine Esther geben/ vnd die Vasthi fahren/ wie König Ahaßverus thet. Solches redet D. Luther auß freyem gutem Geist/ wie die Ordnung der Rede mit sich bringet/ wider halßstarrige Eheleute Mann vnd Weib. Aber da kommen die nasewеisen Säwe/ vnd mit jhren Rüsseln wählen sie in den Worten/ wil die Frawe nicht/ so komme die Magd/ vnd sehen nicht/ oder wollen nicht sehen/ daß D. Luther nicht vom Ehebruch/ sondern vom Ehescheiden/ vnd dann von einem rechten Christlichen Ehestand rede.

3. Lutherus in lib. de caus. matrim. Ann. 30. edit. tom. 5. f. 255. duas tantum divortii causas enumerat, *adulterium* scilicet ac *desertionem*. Ergo loquitur de pertinaci illa debiti conjugalis denegatione, quæ conjuncta est cum desertione.

9. Jodoc. Coccius tom. 2. Thesauri lib. 2. art. 8. Lutherus in lib. de vita conjugali. *Crescite & multiplicamini, non est præceptum,*

ptum, sed plus quàm præceptum, quod nos non possumus impedire vel prætermittere, sed perinde necessarium est, quàm edere, bibere, ludere, expuere, purgare dormire & vigilare.

Lorinus in Comm, 2. Pet. 2. v. 2. *Lutherus religiosi ordinis Apostata, quod faciebat, docebat etiam, æquè concubitum esse necessarium ac edere, bibere, dormire; & plus quàm præceptum esse omnibus, à quo nullus omninò eximi possit, Crescite & multiplicamini.*

Resp. 1. Virginitatis donum quibusdam datum esse non negat, sed in cujusvis hominis arbitrio id esse negat. Vide Commentarium B. Lutheri in 1. Cor. 7.

2. Osiander in Comm. 1. Cor. 6. sic scribit: *Audivi hominem Pontificium, virum apprimè nobilem in præsentia magnorum virorũ dicere: hominem scortatione non magis carere posse, quã cibo & potu.*

III. Opiniones erroneæ & absurdæ.

1. Pererius tom. 1. in Genesin lib. 4. pag 657. negat, *datum esse præceptum de conjugio.*

Becanus in lib de Judic. controvers. pag. 70. negat Gen. 1. v. 28. *proponi præceptum de matrimonio contrahendo, sed duntaxat benedictionem pro matrimonio contracto.*

(Pugnat hoc cum textu Apostolico 1. Cor. 7. v. 2. *propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.* Merito igitur Bellarminus lib. de Clericis cap. 21. hac in parte discedit à Pererio & Becano, ac secutus Lombardum 4. dist. 26. & Thomam 2. 2. quæst. 152. artic. 2. concedit, *esse præceptum*, sed addit, *non obligare omni tempore, cùm sit affirmativum.* Quod rectè quidem dicitur, sed rectè explicandum est. Tempus enim, quo præceptum de ineundo conjugio obligat, non solum illud est, quando periculum imminet, ne genus humanum intereat, sed etiam, quando ustiones sentiuntur & sic periculum imminet, ne in scortationem homo prolabatur, 1. Cor. 7. v. 2. & 9.)

2. Bellarminus lib. de Clericis cap. 19. §. Jam vero &c. *Etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam & turpitudine non exerceri, satis testatur rebellio membrorum & verecundia humana in illo actu, quæ secretum quærit. Actus conjugii maximè hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora & perturbat, & animam ipsam carnalem quodammodo facit.*

cap. 18. præced. §. Probatur primo in initio. *Actus conjugalis hominem reddit totum carnalem & ineptum ad divina.*

Idem Bellarminus lib. de matrim. cap. 5. *Si in actu matrimonii turpitudinem & immunditiem aliquam esse diceremus ratione concupiscentiæ & rebellionis membrorum, nihil diceremus divinis literis repugnans.*

(Contra Hebr. 13. v. 2. ἡ κοίτη ἀμίαντος. Concilium Nicenum Paphnutii sententiam secutum, statuit, quod συνουσία *cum propria uxore sit castitas*, Socrat lib. 1. Histor. cap. 8. c. Nicena dist. 31. Bellarminus ipse in eodem cap. 19. lib. de Clericis asserit, *quod castitas etiam conjugatis sit communis.* Quinimo idem Bellarmin. lib. de Matrim. cap. 5. §. 41. dicit, *per actum conjugalem acquiri posse gratiam Spiritus Sancti, quando actus iste est actus justitiæ vel obedientiæ, vel caritatis.* At si in actu conjugali est turpitudo & immundities, quomodo per illum acquiri potest gratia Spiritus Sancti? Ibid. scribit, *copulam carnalem secundum quosdam Catholicos esse partem Sacramenti integrantem.* Quomodo vero de parte Sacramenti integrante dici posset, quod sit turpitudo aliqua & immundities? Peraldus in tract. de temperant. *Conjugii usus dicitur immaculatus.* Ribera in Comm. Hebr. 13. *Torus immaculatus & impollutus dicitur, cum nullo adulterio fœdatur.* Distinguendum igitur inter actum conjugalem & vitium ex peccato illi adhærens.)

3. c. Is, qui, dist. 34. ex Concilio Toletano I. *Is, qui non habet uxorem & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris, aut concubinæ conjunctione sit contentus*, ubi glossa addit, *Luxuria quandoque plus juris habet, quam castitas, quia castus repelleretur, sed fornicator non.* Ac Summa illius canonis sic habet: *Qui non habet uxorem, loco uxoris concubinam debet habere.*

c. Christiano, dist. ead. *Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum uxorem, aut certè loco uxoris, si conjunx deest concubinam.*

4. c. Quicquid. caus. 32. q. 2. *Non datur præsentia Spiritus Sancti, tempore quo conjugales actus geruntur.*

c. Connubia. caus. & quæst. iisd. *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus Sancti dabitur, etiamsi Propheta videatur esse, qui officio generationis obsequitur.*

c. Sciatis, caus. 33. q. 4. *Quicunque uxori debitum reddunt, vacare non possunt orationi, nec de carnibus Agni comedere debent.*

c. Vir cum propria. caus. & quæst. iisd. *Vir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aquâ Ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversæ hominum nationes de hac re diversa sentiant, atque alias custodire videantur leges, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ uxoris & lavacri purificationem quærere, & ab Ecclesiæ ingressu paululum temperare.*

In Revelationibus Brigittæ lib. 1. cap. 26. Christus dicit ad Conjuges. *Cum conjuges veniunt ad lectum, tunc statim discedit ab eis Spiritus meus & appropinquat Spiritus impurus.*

Gretserus in Virgidemia p. 48. adducit & approbat verba Sixti Papæ ex lib. de castit. *Nubere omnium penè hominum est. Nihil gentile* (excellens) *est, id te exercere velle, quod cuncti; & illud habere, quod etiam pessimi consequuntur; sed ut de hominibus taceam, luxuriantur & feræ pecudes & volucres quoque nubunt, nihil magnum, cum porcis & canibus aliquid habere commune! Dei potius & Angelorum ejus vitam sectare.*

(In his verbis sancta conjugum cohabitatio *porcorum & canum commixtioni* non obscurè comparatur.)

5. Cajetanus in Comm. super N. Test. p. 196. defendit hæc pronunciata: *Jure divino non fuit prohibita uxorum pluralitas. Multi in primitiva Ecclesia habebant duas uxores, imitantes Patres V. T. Jure Naturæ pluralitas uxorum non est prohibita.*

(Contra Matth. 19. v. 4. 1. Corinth. 7. v. 2.)

6. Gregorius III. c. Quod proposuisti. caus. 32. quæst. 7. *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum esset, si sic permaneret, sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.*

(Contra Matth. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. Quæ Bellarminus pro defensione vel excusatione Pontificii hujus decreti affert, ad ea responsum fuit superius art. 19. cap. 2. membr. 1.)

7. Bellarm. de Matrim. cap. 6. *Personæ contrahentes sunt materia matrimonii & ministri, forma sunt hæc verba: Accipio te &c.*

(Atqui 1. ministri verbi divini sunt tantum *dispensatores mysteriorum Dei*, 1. Corinth. 4. v. 1. Ergo personæ contrahentes matrimonium non possunt esse ministri matrimonii, quod ex ipsorum hypothesi est Sacramentum. 2. Non quodlibet verbum sanctificat, sed verbum Dei 1. Tim. 4. v. 5. Sed hæc verba, *Accipio te*, non sunt verbum Sacramentale à Deo institutum.)

8. Glossa, c. Absit 11. quæst. 3. *Si Clericus amplectitur mulierem, Laicus interpretabitur, quod causa benedicendi hoc faciat.*

9. Bellarminus lib. de matrim. cap. 5. *Instituere filios in fide & religione Dei est finis extrinsecus matrimonio piorum in Veteri, intrinsecus verò matrimonio in Novo Testamento.*

(Pii conjuges in V. T. æquali jure & lege obstringuntur ad filiorum in fide & religione institutionem Gen. 18. v. 19. Deut. 6. v. 7. 20. cap. 11. v. 19. Psal. 44. v. 2. Prov. 1. v. 8. cap. 3. v. 1. cap. 4. v. 1. cap. 13. v. 24. Ergo etiam illorum conjugio finis ille non est extrinsecus, sed intrinsecus. Eadem quoque est necessitas illius institutionis tum in Veteri, tum in N. Testamento.)

10. Bellarminus lib. de Matrim. cap. 14. *Solutio matrimonii consummati, quoad thorum & cohabitationem, manente vinculo conjugali, propriè dicitur divortium à Theologis.*

Contra Erasmus in 1. Corinth. 7. pag. 329. *Quod nos interpretamur divortium, cum dirimitur domestica consuetudo, manente conjugii vinculo, quis unquam veterum vel Theologorum vel Jurisconsultorum appellavit divortium?*

11. c. Judæi. caus. 28. quæst. 1. statuitur ex Concilio Toletano, separandum esse matrimonium Judæi & Christiani. *Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti fuerint, & noluerint, separentur, quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Christianam translata est fidem.*

(At pugnat hoc cum constitutione Apostolica 1. Cor. 7. v. 13.)

12. Toletus in Instruct. Sacerd. lib. 7. cap. 5. *Fideles, si sint in gratia & ob debitum finem actu conjugali utantur, merentur in ipso actu, sicut in alio bono opere.*

(Quomodo hoc congruit cum pronunciato Bellarmini lib. de Clericis capite 18. *Actus conjugalis hominem reddit totum carnalem & ineptum ad divina.* cap. 19. *Actus conjugii maximè hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora & perturbat, & animam ipsam carnalem quodammodo facit?*)

13. Abulensis in cap. 19. Matth. Cajetanus ibidem, Eccius Homil. 74. de Sacram. Petrus à Soto lect. 13. de matrimon. & Bellarminus de matrimonio cap. 17. resp. ad object. 14. statuunt, *Judæis concessum fuisse repudium, non ut minus malum, sed ut aliquid per se coram Deo licitum*: Statuunt hoc eo fine, ut obtineant, *Christum esse novum legislatorem, qui divortium in Veteri Testamento licitum abrogaverit, ac novam legem tulerit, quæ matrimonii vinculum penitus indissolubile fecerit.* Sed redarguuntur illi à suis complicibus Innocentio in c. Gaudemus. de divortio, Azorio lib. 6. Instit. moral. cap. 13. quæst. 3. Covarruvia part. 2. de matrimon. cap. 7. § 4. Lombardo 4. sentent. dist 34. Bonaventura, Richardo, Paludano, Dominico Soto atque aliis, qui temerarium illud divortium extra casum adulterii perpetuo ac semper illicitum fuisse, a Mose verò tantum evitandi majoris mali causa permissum asserunt.

Alphonsus de Castro lib. 12. adversus hæreses, verbo Peccatum, hæresi 7. hac de re sic disserit: *Christus Redemtor noster apud Matthæum Judæis loquens, ait: Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Ecce divortium viri & uxoris permissum à Mose. At tale divortium esse malum ostendit Christus, dicens: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et in his verbis, ut testatur ibidem Hieronymus, non dedit novum præceptum, sed antiquum novavit & instauravit. Et Christus ipse satis aperte expressit, dicens: Ab initio non fuit sic. Quo verbo docuit, matrimonium ex sua institutione fuisse indissolubile. Quod si matrimonium ex sua institutione fuit à Deo statutum indissolubile, malum est, illud dissolvere. Verum Moses conspiciens gentem suam ad illecebras pronam & timens, ne cum aliqua viro suo non placeret, occideretur à viro, ut ille aliam pulchriorem habere posset, permisit illis, ut possent uxores suas repudiare, cum vellent, ut uxoricidium vitarent. Permisit, inquit Christus, vobis Moses ad duritiem cordis vestri dimittere uxores vestras. Si permisit, ergo nunquam tale facinus probavit, quoniam, ut ibidem admonet Chrysostomus, illa permittimus, quæ non probamus.*

14. Bellarminus in lib. de Matrimon. cap. 5. ad 12. ut Canonistarum negantium, *Matrimonium esse Sacramentum*, autoritatem elevet, scribit, *notasse Navarrum in Enchirid. cap. 19. num. 22. quod communis sententia in Rubricam de Sponsalibus & matrimoniis sit in contrarium.* Sed falsum hoc est. Allegat quidem Navarrus cap. 22. num. 19. in margine Rubricam de Sponsalibus & matrimoniis; sed quod *communis in hoc Interpretum sententia sit, ac si matrimonium conferret justificantem gratiam & proprium Novi Testam. Sacramentum sit*, neque Navarrus dicit, neque Interpretes, quos Glossa ad hunc titulum, tam in Decretalibus, quàm in Sexto allegavit, quicquam ejus meminerunt. Neque elevat Navarrus Canonistarum autoritatem, sed in eadem causa, *An matrimonium nondum consummatum à Papa dissolvi possit?* Canonistarum sententiam contra *puros*, quos vocat, *Theologos* evehit, & pro Canonistis aliquot præjudicia allegat.

15. c. Presbyter dist. 34. ex Concilio Agathensi can. 39. *Presbyteri, Diacones, Sub-Diacones, vel deinceps, quibus uxores ducendi licentia non est, etiamsi alienarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscæni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.*

Crespetius in Summa fid. Cathol. & disc. Eccles. verbo Nuptiæ, tit. *Nuptiis Clerici non intersint*; postquam hunc canonem, ut & alios ei conformes, ex Concilio Venetico sub Leone I. ex Concilio Antisiodorensi sub Deusdedit I. &c. protulisset, subjungit: *Quamvis non viderim, aliquos his monitionibus & decretis emendatiores, omnia tamen proferimus, ut antiquam Ecclesiæ disciplinam ostendamus.*

16. c. Si dicat vir. caus. 33. q. 5. Pontifex ita pronunciat: *Si dicat vir, continere jam volo, nolo autem, uxor; non potest. Quod enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? Si alii nupserit, te vivo adultera erit. Non vult tali lucro Deus compensare tale damnum. Redde debitum, & si non exigit, redde. Pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit, si non, quod tibi debetur, exigis, sed reddis, quod debetur uxori.*

(Hic invita debiti conjugalis redditio statuitur medium satisfactionis, cujus tamen doctrinæ nullum in Scripturis exstat vestigium. Gloss. edit. Gregor. ad hunc canonem sic annotat: *In aliquot Manuscriptis & apud B. Augustinum & Magistrum & Ivonem est, sanctificatione, non satisfactione.*)

17. Bzovius Ann. 1198. §. 7. de Innocentio III. Pontifice memorat, *quod meretrices ducentibus peccatorum veniam concesserit.* Instit. Juris Can. lib. 2. tit. 12. Quæ matrim. imped. §. Quia potius. *Qui scientes & prudentes mulieres publicas de lupanari extraxerint & in uxores duxerint, quod agent, in remissionem proficiet peccatorum; cum inter opera caritatis non minimum sit, errantem ab erroris semita revocare.*

(At de hoc consequendi remissionem peccatorum medio altum in Scripturis silentium.)

18. Pontifex *conjugum in uno sepulchro conjunctionem* decernit, eamque ex V. T. Historia ἀπαιδεύτως deducere satagit. c. Is, quis habens 3. lib. 3. Decret. Sexti tit. 12. de Sepultur. *Mulier, quæ plures viros habuit successivè, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet & honorem, tumulanda.*

c. Ebron 2. caus. 13. q. 2. *Ebron dicitur esse civitas quatuor virorum, quia in ea sepulti sunt tres Patriarchæ in spelunca duplici cum tribus uxoribus suis, id est, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob & Lea, præter ipsum Adam & Evam uxorem suam. Tobias dicit ad filium suum: Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus, & cum ipsa complevit tempus suum, sepelies eam juxta me in uno sepulchro. Quos conjunxit unum conjugium, conjungat sepulchrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separet.*

(At conjugale vinculum per mortem solvitur, alias conjux superstes non posset ad secunda vota transire. Inscitè ergo ex eo, quod conjuges sint una caro, & quod homo separare non debeat, quod Deus conjunxit, infertur, conjuges uni sepulchro esse inferendos.)

19. In Jure Canonico habentur quidam canones in secundas nuptias injurii, quos citavimus paulo ante membro 4. de querelis Adversariorum §. 4. Atqui ipsimet Pontificii agnoscunt, hæreticum esse, secundas nuptias damnare.

Alphonsus de Castro tit. Nuptiæ, hæresi 2. *Hæresis est, quæ primas nuptias admittit, secundas tamen damnat. Hujus hæresis autores sunt Cataphryges, quorum princeps fuit Montanus. Eundem errorem postea docuit Tertullianus, qui, etsi prius contra Cataphryges pugnaverat, postea tamen ad Cataphryges rediit, eorum defendens errorem.*

Prateolus hanc hæresin damnat in *Novatianis* lib. 1. hæresi 3. in *Cataphrygibus* lib. 3. hæresi 10. in *Græcis* lib. 7. hæresi 15. in *Montanistis* lib. 11. hæresi 38. in *Tertullianistis* lib. 8. hæresi 5.

20. Johannes Casa Archiepiscopus Beneventanus, Pontificis apud Venetos Legatus, librum scripsit de horrendo scelere, propter quod Sodomitæ igne cœlitus depluto, absumti fuere, & quod ne fando quidem audiri debebat, id verbis spurcissimis & scelerata eloquentia commendavit.

Thomas Hardingus in Confut. Apol. Anglic. part. 3. cap. 2. illud frigidè excusat, sic scribens: *Si Johannes Casa juvenis adhuc & imberbis, prius, quàm se ad Clerum contulerat, adeoque multo prius, quam vel Episcopatu, vel legatione Papæ fungeretur, amatoria quædam poëmata Italicis numeris, ad imitationem Petrarchæ composuit, (quo genere, exercitationis causa, admodum capiuntur, si qui ex Italica juventute ingeniosiores sunt;) & designato nominatim nemine, nefario facinori assentatoriè orationis fuco odium magis ademit, quam laudem attribuit: quæ tamen in re peccatum ab eo esse fatemur, & cum eximiis alioqui animi dotibus esset præditus, ob idipsum nihilo secius adolescentiæ erratum Cardinalitii honore per omnem deinde vitam exclusus est: hæc omnia si concedamus, quid hinc Ecclesiæ Christi deperit honoris vel dignitatis? &c.*

ARTICULUS XX.

DE GRATIA PRIMI HOMINIS

CAPUT I.

De Nomine divinæ Imaginis.

Thesis. Imaginis & similitudinis nomine unum idemque Gen. 1. v. 26. significatur.

Ἔκθεσις. Non est quæstio, an in generali consideratione Imago à similitudine distingui possit, sed an Scriptura hac quæstione de imagine Dei in primo homine Imaginem à similitudine distinguat. *Similitudinem* quidam veterum latius patere dicunt, quam *Imaginem*, à qua ferè differat, sicut genus à specie. *Imago enim habet similitudinem ejus rei, cujus imago est, similitudo autem non semper habet ejus imaginem, cui similis est*, ait Cassiodorus in Psal. 38. *Ubi igitur est imago, ibi continuo est similitudo*, dicente Augustino lib. octog. trium quæstion. q. 73. sed non contra ubi similitudo, ibi statim imago. *Ovum namq; dicitur simile ovo, non tamen ovum est ovi imago*, ut Beda ex Augustino in 2. Cor.

2. Cor. 4. recitat. Quod alicui simile & ad illud expressum est, hoc imago dicitur, adeoque ad quamvis imaginem duo requiruntur, similitudo & expressio ad rem similē. Atque hæc quidē suo loco rectè se habent, sed non conveniunt cum modo loquendi, quo utitur Scriptura, quando *hominem ad imaginem & similitudinem Dei conditum esse* dicit, ibi enim hæc duo vocabula ἐξηγητικῶς conjunguntur.

Antithesis. Censura Colon. contra Monheim. p. 46. *Imago refertur ad Naturam, similitudo ad pietatem. Consistit enim potissima imaginis ratio in Natura, non in qualitatis repræsentatione, potius igitur in intelligendi & volendi Natura, quàm in justitia &c.*

Bellarminus de gratia primi hominis cap. 2. §. Prima igitur &c. *Imago ad Naturam intelligentiæ & voluntatis, similitudo ad sapientiam & justitiam refertur.*

Ibid. §. Ex his &c. *Ex his tot Patrum testimoniis cogimur admittere, non esse omninò idem imaginem & similitudinem, sed imaginem ad Naturam, similitudinem ad virtutes pertinere.*

Stapletonus in Explic. Catech. Luc. C p. 4. *Factus est homo ad imaginem Dei & similitudinem secundum mentem, qua irrationalibus antecellit. Sed ad imaginem secundum memoriam & intelligentiam & dilectionem; ad similitudinem autem secundum innocentiam & justitiam, quæ in mente rationali naturaliter sunt. Atque idcirco similitudo quædam imaginis perfectio vocatur, quoniam gratia perficit Naturam.*

Idem p. 5. *Aliud est imago, aliud similitudo. Imago namque substantialia & naturalia refert: Similitudo autem qualitatem sive gratiam, aut donum huic Naturæ datum significat.*

Gregorius de Valentia tom. 1 Comm. in Thom. Disp. general. sept. q. 2. punct. 2. col. 1438. *Ad imaginem intelligitur factus homo secundum Naturam & ad similitudinem secundum gratiam.*

Adamus Contzen in Defens. Bellarm. de grat. primi hominis pag 80. *Vulgatus Interpres & LXX. duas istas voces Imaginis & similitudinis in cap. 1. Genes. ut diversas accipiunt.*

Camillus Cautius in Scholiis pro relig. art. 1. p. 5. adducit & approbat dictum Archi-Diaconi in c. Sapiens de pœnit. dist. 2. *Similitudo attenditur quoad gratuita, sed imago quoad naturalia.*

Nostram sententiam probamus,

1. *A decreti divini executione.* Ut se habet decretum divinum de homine creando, sic etiam se habet ejusdem decreti executio, propter simplicitatem & immutabilitatem divinæ essentiæ. Sed in decreto divino utrumq; vocabulum imaginis & similitudinis habetur, Gen. 1. v. 26. in executionis descriptione vocabulum *similitudinis* reticetur, contra vero vox *imaginis* bis repetitur v. 27. cum utrobique unum & idem significetur.

2. *A vocabulorum permutatione.* Scriptura utrumq; vocabulum Imaginis & similitudinis ad unam eandemque rem declarandam sine ulla significationis differentia connectit, inde fit, ut interdum in eodem casu, interdum in diverso conjungantur, quin & ordo vocum permutetur. Gen. 1. v. 26. ponitur nomen *imaginis & similitudinis* in eodem casu. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sap. 2. v 23. utrumque nomen ponitur, sed in casu diverso. *Creavit Deus hominem ad imaginem similitudinis sui.* Genes. 9. v. 6. omittitur nomen similitudinis, posita tantum voce imaginis. *Ad imaginem Dei factus est homo.* Gen. 1. v. 26. præcedit imago & sequitur similitudo. Genes. 5. v. 1. præcedit similitudo & sequitur Imago.

3. *Ab unius vocabuli in altero inclusione.* Sicut Genes. 1. v. 27. nomen similitudinis in voce imaginis includitur, ita alibi similitudo sub imagine, ut Genesi 9. v. 6. & vicissim imago sub similitudine comprehenditur, Gen. 5. v. 1. Jac. 3. v. 9.

4. *Ab hominum ante & post lapsum conditione.* Sicut Adam Sethum *ad imaginem* & similitudinem *suam genuit* Genes. 5. v. 3. sic Deus hominem *ad imaginem & similitudinem suam creavit.* Genes. 1. v. 26. Atqui Adam eâ ratione genuit Sethum ad imaginem & similitudinem, ut hæc non significaret rem ab ista diversam. Ergo.

5. *Ab hominis renovatione.* Quod notat imago Dei in homine renovato, id etiam significat in homine recens creato. Atqui in homine renovato non significat animæ substantiam, sed novas qualitates seu similitudinem, quæ in donis & virtutibus cognitione scilicet Dei, justitia & sanctitate consistit, 1. Cor. 15. v. 49. Ephes. 4. v. 23. Col. 3. v. 10. unde etiam Apostolus indifferenter ad novum hominem accommodat vocem *imaginis*, non minus, quā *similitudinis*, Rom. 8. v. 29. 2. Cor. 3. v. 18. Col. 3. v. 9.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam disertis verbis concedunt, Imaginem & Similitudinem in hac quæstione Mosi unum idemque significare.

Benedictus Pererius lib. 4. in Genes. p. 474. multis argumentis probat, *imaginem & similitudinem non ita distingui, ut illa ad animæ essentiam, hæc ad sanctitatem, justitiam, Dei cognitionē &c. in homine referatur, sed unum idemque utroque vocabulo exprimi.*

Primo, *ut Gen. 1. v. 26. dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei: sic Genes. 5. v. 3. legitur Adam genuisse filium Seth ad imaginem & similitudinem suam, ubi distinctio illa non habet locū.*

Secundo, *Paulus vocem imaginis sæpe usurpat pro similitudine, quæ in donis gratuitis & supernaturalibus consistit 1. Corinth. 15. v. 50. Col. 3 v. 16.*

Tertio, *Scriptura promiscuè hac in parte loquitur. Aliquando ponit utrumque nomen imaginis & similitudinis in eodem casu. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Gen. 1. v. 26. aliquando ponit utrumque nomen sed in casu diverso. Creavit Deus hominem ad imaginem similitudinis suæ, Sapient. 2. v. 23. aliquando omittit nomen similitudinis, posita tantum voce imaginis, ut ad imaginem Dei factus est homo, Gen. 9. v. 6.*

Tandem sic concludit: *Manifestum est, harum vocum, Imaginis & Similitudinis, eandem esse vim & significationem, easque hoc loco ad idē significantius, expressius & illustrius declarandū esse positas.*

Emanuel Sa in notis ad Gen. 1. v. 26. *ad imaginem nostram, ad similitudinem nostram, hoc est, ad imaginem nobis perquam similem.*

(Exempla hujus phraseos passim occurrunt 1. Paralip. 22. v. 5. 2. Paral. 16. v. 4. Psal. 119. v. 138. &c.)

Johannes Steph. Menochius Jesuita in annot. ad Gen. 1. v. 26. *Nihil diversum significat imago à similitudine, quia sacra Scriptura de hac re loquens, promiscuè his vocabulis utitur, aliquando utrumque vocabulum conjungens, ut hic & Genes. 5. v. 3 aliquando alterum solum ponens, ut Gen. 5. v. 1. & Gen. 9. v. 6. & Coloss. 3. v. 10.*

Cornelius à Lapide in Comm. cap. 1. Gen. p. 25. *Imaginem hic multi à similitudine distinguunt. Verum dico, non distingui, esseque hendyadyn, q. d. ad imaginem & similitudinem, id est ad imaginem similitudinis, ut habetur Sap. 2 v. 24. hoc est, ad imaginem similem vel simillimam. Hinc Scriptura hæc nomina promiscuè usurpat, modo unum, modo alterum, modo utrumque, ut jam dicat, hominem esse factum ad imaginem Dei, ut Gen 9. v 6. modò ad similitudinem Dei, ut Genes. 5. v. 1. modo ad imaginem & similitudinem Dei, ut Gen. 1. v. 27.*

Idem in cap. 4. Ephes. p. 538. *Imaginem & similitudinem multi distinguunt. Sed dico, esse hendyadyn, q. d. Faciamus hominem ad imaginem similitudinis nostræ, ut loquitur Sapiens cap. 2. v. 24. hoc est, ad imaginem valde similem, aut simillimam nobis, ex quibus & similibus aliis Scripturæ dictis Gen. 5. v. 1. Eccl. 17. v. 1. Col. 3. v. 10. colligitur, imaginem à similitudine non distingui.*

Guilielmus Estius in 2. sent. dist. 26. §. 6. fol. 160. *Certe non improbanda videtur eorum sententia, qui arbitrantur, hic frustra quæri discrimen inter Imaginem & similitudinem, quod utroque nomine rem eandem significare Moses voluerit.* Hanc suam sententiam Estius prolixè probat ex collatione locorum Scripturæ, ejusdemque styli & phraseωr Naturæ, ac tandem concludit: *Quæ omnia satis ostendere videntur, eandem esse vim & significationem utriusque vocabuli, nec ideò ineptè utrumque positum &c.*

2. Quod quidam imaginem Dei etiam in qualitatibus sive virtutibus statuunt.

(Ergo non constituunt imaginem tantum *in hominis substantia,* similitudinem *in qualitatibus*, quod tamen communiter alii volunt.)

c. Princeps. dist. 2. de Pœnit. *Adam ad imaginem Dei factus, pudicitia ornatus, temperantia compositus, caritate splendidus.*

c. Similem. dist. ead. *Similem Dei esse est habere justitiam, sapientiam & in virtute Dei esse perfectum.*

Lombardus 2. sent. dist. 16. lit. D. postquam ex Hugone dixerat, *hominem factum ad imaginem Dei secundum memoriam, intelligentiam & dilectionem; ad similitudinem secundum innocentiam & justitiam;* subjungit: *Vel imago consideratur in cognitione veritatis, similitudo in amore virtutis, vel imago in aliis omnibus, similitudo in essentia, quia & immortalis & indivisibilis est.*

Thomas p. 1. q. 93 art. 7. *Imago Dei consistit primario in actionibus animæ, & consequenter in potentiis.*

Art. 8. *Imago divina est in homine secundum verbum conceptum de Dei notitia, & amorem inde derivatum, & sic imago Dei attenditur in anima, secundum quod fertur vel nata est ferri in Deum.*

Biel 1. sent. dist. 9. q. 10. art. 3. *Eo ipso mens imago Dei est, quo capax ejus est.*

Art. 4. *Imaginis ratio consistit radicaliter & originaliter in animæ substantia, perfectè & completivè in substantia & actibus ab ea productis.*

Ludov. Carbon. de inter. homine cap. 36. pag. 122. *Quidam inge-*

niose dixerunt, quod mihi multum placet, hominem dici imaginem Dei ob naturalem pulchritudinem, similitudinem verò ob supernaturalem, quæ species à gratia & donis supernaturalibus habetur.

(Non quidem probamus hanc distinctionem, interim quia naturalis hominis pulchritudo non tantum in animæ essentia, sed etiam qualitatibus consistit, ideo imaginis nomine etiam qualitates intelligendas esse, ex hisce colligimus.)

Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæret. tit. Adam. Error. 2. p. 44. postquam dicta quædam Patrum adduxisset, in quibus imaginem & similitudinem eo modo distinguunt, ut illam *ad animæ essentiam*, hanc *ad qualitates* referant, subjungit: *Verum imaginis nomen non semper Scriptura capit juxta eam differentiam, ita ut imago semper tribuatur nudæ Naturæ, sed aliquando juxta animæ qualitates, ut patet in Epist. ad Coloss. Exspoliantes vos, inquit Apostolus, veterem hominem cum actibus suis & induentes novum, qui renovatur in agnitione secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Ex quo loco manifestè patet, hanc esse datam à Paulo differentiam inter veterem & novum hominem, ut vetus homo, qui ad peccatum pertinet, non habeat imaginem Dei, quia scilicet bonitate caret, novus autem homo, qui ad gratiam per Christum recuperatam, pertinet, gerat Dei imaginem. Juxta quod oportet, ut ibi imago non solum consistat in nuda animæ substantia, sed in gratia etiam, per quam homo Deiformis fiat. Et B. Ambrosius super Epist. Pauli exponens hunc locum ex Epist. ad Col. proximè citatum, sic ait: Imago hæc in conversatione bona vitæ intelligenda est, sicut dicit 1. Cor. 15. Quemadmodum portavimus imaginem ejus, qui de terra est, ita & portemus imaginem illius, qui de cœlo est. Ipse est ergo creator hominis, cujus imaginem portare nos jubet in sanctitate & bonis operibus, quæ de Filii Dei agnitione descendit. Ex quibus manifestè colligitur, imaginis nomen non solum capi in sacris literis juxta id, quod in Natura situm est, quod etiam nunquam perditur, sed aliquando etiam capi juxta quasdam animæ qualitates.*

Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. cap. 1. Genes. tom. 1. pag. 94. ad locum, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram*, sic annotat: *Hebraicā hendyadi, id est, ad imaginem nobis simillimam.*

Et postea. *In anima duplex est imago Dei, una naturalis & essentialis homini, quæ nullo casu, nullo peccato deperditur. Hæc consistit in ipsa animæ substantia & potentiis, præsertim in mente, in libertate arbitrii, in dominio &c. Altera imago est supernaturalis & accidentalis homini, & consistit in gratia justificante, quā teste Petro 2. Epist. 1. v. 4 anima fit consors divinæ Naturæ. Hæc imago, quoties mortaliter homo peccat, prorsus deperditur ac deletur: sed eodem pœnitente tota redditur atque restauratur.*

Bellarminus ipse lib. de gratia primi hominis cap. 3. §. Similis. divinam imaginem de agnitione Dei, justitia & sanctitate exponere videtur. *Homo*, inquit, *qui renovatur in agnitionem secundum imaginem Dei, ad quam initio conditus fuerat, animus noster est, qui per Christi gratiam quotidiè proficit in agnitione Dei & sanctitate & justitia, & eo modo renovatur in eo divina imago, quæ per peccatum obscurata fuerat. Ex quo sequitur, ut ante vetustatem & obscurationem istam fuerit in homine agnitio Dei & sanctitas, atque adeo nova & splendidissima Dei imago.*

Maldonatus in cap. 15. Luc. v. 15. *Ambrosius, quemadmodum & multi veteres autores* (nota) *imaginem Dei non Naturam ipsam, sed morum conformitatem appellant; & Divus etiam Paulus solet appellare, 1. Cor. 15. v. 44. 2. Cor. 3. v. 18. Coloss. 3. v. 10.*

Gregor. de Valentia lib. de peccat. orig. cap. 5. etsi *imaginem Dei inprimis in mentis Natura vel essentia statuendam* contendit, concedit tamen, *eandem in justitia & sanctitate quoq; fuisse positā.*

Disp. general. sept. q. 3. punct. 1. col. 1453. *ob hanc quoque rationem & imaginis & similitudinis Dei Genes. 1. v. 27. mentionem factam esse ait, ut perfectio quædam imaginis istius significetur.*

Ibid. fatetur, *Augustinum nonnunquam rationem imaginis ad rectitudinem fidei & aliarum virtutum referre.*

Confer Bonavent. in Hexaem. tom. 1. oper. p. 18.

Vasquez in 1. 2. Th. tom. 1. Disp. 137. n. 14.

3. Quod quidam concedunt, imaginem divinam per lapsum esse amissam.

(Ex quo sponte sequitur, eam non esse in ipsa animæ essentia, quæ per lapsum non est deperdita, statuendam.)

Dicta illa adducentur inferius in c. ult.

4. Quod agnoscunt, Scripturam duo substantiva ἐξηγητικῶς conjungere.

(Quod enim illud etiam hoc loco fiat, ostendunt argumenta pro confirmatione nostræ sententiæ superius adducta.)

Genebrardus in exposit. Psal. 107. pag. 446. *Hebræi duo substantiva ejusdem significationis conjungunt, ad declarandam ipsorum excellentiam.*

Mercerus Profess. Parisiens. in Genes. pag. 32. *Sæpe ita fieri videas Hebraicè, ubi duo vocabula conjunguntur, ut alteri* ב, *alteri* כ *præponatur,*

(Idipsum hoc loco fieri agnoscit Pererius lib. 4. in Genes. p. 472. *Zelem significat propriè umbram vel similitudinem umbratilem, id est, deficientem & transeuntem, Demuth autem assimilationē.*)

Arg. Bellarm. d. l. cap. 2. *Coguntur* (Protestantes) *Patrum autoritatibus, ut admittant, imaginem ad Naturam, similitudinem ad virtutes pertinere.*

Resp. Lombardus 2. sent. dist. 16. lit. B. C. Bonavent. tom. 4. oper. pag. 200. Pererius in Genes. lib. 4. p. 122. fatentur, & res ipsa luculentè ostendit, Patres in hac quæstione inter se non convenire.

(Ergo dissentientium autoritate cogi non possumus.)

CAPUT II.

De Justitia Originali in primo homine.

THesis. Justitia originalis in primo homine non fuit donum aliquod supernaturale, sed interna & concreata totius hominis perfectio.

Ἔκθεσις. 1. Imago Dei & justitia originalis habent se, ut *totum & pars.* Nam imago Dei in primo homine fuit excellens quædam conformitas cum Deo archetypo. Hæc conformitas fuit gemina, Una πρώτη, *primaria*; altera vero δευτέρα, sive *minus principalis.* Primaria conformitas sita fuit in anima, & quidem partim *in intellectu*, partim *in appetitu*. In intellectu erat perfecta Dei & voluntatis divinæ notitia, summaque rerum omnium scientia, qua in parte homo conformis fuit sapientiæ Dei. Appetitus duplex est, *rationalis & sensitivus.* In appetitu rationali seu voluntate erat primo naturalis ad bonum propensio, secundo voliti libera & expedita executio. Isto Dei sanctitas, hoc libertas repræsentabatur. In appetitu sensitivo erat conformitas tum cupiditatum, tum affectuum cum recta ratione, quibus Dei αὐτάρκεια, castitas, puritas & integritas figurabatur. Hæ tres excellentiæ uno *justitiæ originalis* nomine efferuntur. Minus principalis hominis cum Deo conformitas partim in conditione corporis, partim in externo dominio fuit posita, proinde subjectum imaginis fuit totus homo & totum hominis. Conditio illa corporis impassibilitatem & immortalitatem complectitur.

2. Quidam sic progrediuntur: Imago Dei consideratur vel σχετικῶς, vel ἁπλῶς. σχετικῶς considerata est *in prædicamento relationis*, sicq; potentiarum illa integritas dicitur imaginis Dei *materiale, formale* vero gratiosa Dei in homine habitatio, gratuita personæ acceptatio & summi boni communicatio. Consistebat ergo imago Dei in primo homine, tum in εὐδοκίᾳ Dei benevolentia, favore & amore singulari, tum in εὐταξίᾳ sive perfecta cum Deo conformitate & similitudine, adeoque in gratia & veritate. ἁπλῶς & absolute consideratur Dei imago, quatenus est *in categoria qualitatis*, & sic omnium facultatum & virium εὐταξία, integritas & cum Deo conformitas ejus formale statuitur. Conformitas illa est duplex: *Principalis ac minus principalis.* Principalis juxta animæ rationalis potentias, in quibus sita erat, distinguitur, & communiter originalis justitia nuncupatur. Minus principalis conformitas consistit primo *in anima*, tum *quoad substantiam*; ut enim una est anima, etiamsi tribus facultatibus sit instructa, sic Deus unus est essentia, sed in personis trinus; tum *quoad attributa*, scilicet sapientiam politicam, & reliquias divinæ imaginis. Secundo, *in corpore*, ratione impassibilitatis & immortalitatis. Tertio, *in toto homine*, respectu externi dominii super omnia.

3. Justitia ergo originalis in primo homine fuit admiranda humanæ Naturæ concreata συμφωνία, veram Dei cognitionem & sapientiam in mente, perfectam & liberam consensionem cum lege divina in voluntate, inque cæteris potentiis omnium motuum rectitudinem complectens. Fundamentum seu *materiale* fuit δύναμις φυσικὴ, seu potius ἕξις καὶ διάθεσις, non ἐπίκτητος, sed ἔμφυτος, cujus respectu proximi subjecti tres possunt statui gradus, Primo, *in mente* fuit θεογνωσία, agnitio essentiæ & voluntatis divinæ, sapientia, creaturarum intelligentia, firma assensio de Deo, de providentia &c. Secundo, *in voluntate* libera sanctitas juxta divinam agendi normam, sancta libertas, Dei & proximi dilectionem complectens. Tertio, *in corde* affectuum & appetituum plena conformitas cum recta ratione. *Terminus* fuit sapientia & sanctitas Dei, seu trium מרוח hoc est, totius Trinitatis, Genes. 1. v. 26. *Relatio* seu formalis ratio fuit exacta convenientia sapientiæ & sanctitatis pro-

protoplastorum cum sapientia & sanctitate Dei, omniumque animæ facultatum, congruens ad voluntatem divinam, πα-[illegible]ία. *Subjectum* duplex est, Unum ὑπάρξεως, *inhæsionis*, quod est ipsa anima rationalis, non facultates, cum accidens non sit in accidente, sed in substantia. Alterum, τελειότητος, *perfectionis*, suntque omnes animæ humanæ facultates tam inferiores, quàm superiores, quas justitia originalis perficiebat. Quidam addunt *subjectum denominationis*, quod est totus homo ab originali justitia perfectionem suam sortitus.

4. Dicitur justitia originalis, Primo, *ratione sui*, quia in homine fuit omnium prima. Secundo, *ratione primi hominis*, quia is ab origine sua naturalem illam affectionem per modum habitus concreati habuit. Tertio, *ratione discriminis*, ut à justitia Ethica, Pharisaica, imputata & inchoata distinguatur. Quarto, *ratione propagationis in posteros*, quia nisi homo per peccatum à Deo sese avertisset & justitiam illam concreatam amisisset, in posteros fuisset propagata.

5. Naturale dicitur quinque potissimum modis. Primo, *constitutivè*, pro eo, quod ipsi Naturæ dat esse. Sic naturalia homini dicuntur principia essentialia, corpus & anima. Secundo, *consecutivè*, pro eo, quod Naturam specificam necessariò consequitur, ita ut ex rei essentia seu forma essentialiter fluat. Sic homini naturalis est risibilitas. Tertio, *subjectivè*, pro eo, quod Naturæ arctissimè est infixum. Sic naturale quibusdam abhorrere à caseo. Quarto, *perfectivè*, pro eo, quod Naturam promovet & perfectiorem reddit. Sic quibusdã naturalis εὐφυΐα. Quinto, *transitivè*, pro eo, quod cum Natura simul in alios propagatur. Sic generositas in liberos propagatur. Quando justitiam primo homini naturalem fuisse dicimus, non primo, vel secundo, sed tertio, quarto & quinto sensu naturalem fuisse intelligimus, ob inhæsionem scilicet, perfectionem & propagationem.

6. Non negamus, justitiam originalem *donum Dei vel gratiam* dici posse, *ratione originis*, quia integritatem illam primus homo non à seipso habuit, sed ex conditionis gratia accepit. Si vero *de modo inhærentiæ* quæratur, dicimus, justitiam originalem donum fuisse non externum & superadditum, sed homini concreatum, quod postquam per peccatum amisit, naturalia ejus non manserunt integra.

7. Nec quæritur, an nulla prorsus supernaturalia dona in protoplastis ante lapsum fuerint, qualia sunt gratiosa Spiritus Sancti inhabitatio, singularis Dei circa hominem providentia & cura &c. sed controversia tantum est de justitia originali, num illa quoque donum hujusmodi supernaturale, externum & Naturam intrinsecè tantum circumstans fuerit, quod negamus.

8. Quando justitiam originalem homini integro naturalem fuisse dicimus, hoc sentimus, quod justitia illa non Naturam ipsam, quæ nunc omnibus communis est, sed Naturam integram constituerit, ei tanquam subjecto ordinario inhærens, eamque perficiens.

Antithesis. Bellarminus lib. de gratia primi hominis cap. 5. §. Quarta &c. *Rectitudo illa, cum qua Adam creatus fuit & sine qua post ejus lapsum homines nascuntur, donum supernaturale fuit.*

Ibid. de statu primi hominis sic differit §. Sciendum &c. *Sciendum est, hominem naturaliter constare ex carne & Spiritu &c. & quidem ratione carnis & communionis cum bestiis, habere propensionem ad bonum corporale & sensibile; ratione Spiritus & communionis cum Angelis, habere propensionem ad bonum spirituale, & intelligibile &c. Ex his autem diversis vel contrariis propensionibus existere in uno eodemque homine pugnam quandam, & ex ea pugna ingentem bene agendi difficultatem &c. Sciendum secundo, divinam providentiam initio creationis ut remedium adhiberet huic morbo seu languori Naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur, addidisse homini donum quoddam insigne, justitiam videlicet originalem, qua veluti aureo quodam freno pars inferior parti superiori, & pars superior Deo faciliè subjecta contineretur.*

Et postea §. Nos verò. *Nos existimamus, rectitudinem illam etiam partis inferioris fuisse donum supernaturale &c. quo remoto Natura humana sibi relicta, pugnam illam experiri cœpit partis inferioris cum superiore, quæ naturalis futura erat, id est, ex conditione materiæ secutura, nisi Deus justitiæ donum homini addidisset.*

Ibid. §. Primum igitur &c. asserit, *hominem in puris naturalibus conditum, habiturum fuisse rebellionem illam carnis ad Spiritum, quam nunc post amissum justitiæ originalis donum omnes experimur, quandoquidem obedientia carnis ad Spiritum, non fuit in primo homine naturalis, sed supernaturalis.*

Et postea §. Idem. *Fuissent in homine inordinati motus, nisi donum supernaturale accessisset.*

Item §. Neque his. *Futuram fuisse in primo homine concupiscentiam transcendentem limites rationis, non ut bonum aliquod naturale, sed ut languorem & vitium Naturæ ex conditione materiæ consequens.* In quam sententiam allegat testimonia Driedonis, Tapperi & Andreæ Vegæ.

Lib. ejusdem cap. 6. §. Denique. *Justitia, cæteræque virtutes, quarum jacturam primus homo peccando fecit, non erant insitæ & impressæ ipsi Naturæ, ut sunt dona naturalia, sed extrinsecus assutæ ac superadditæ &c.*

§. Prima ratio. *Quod primi parentes ante peccatum pugna ista diversarum appetitionum carerent, donum erat supernaturale, non conditio naturalis.*

Pererius lib. 5. in Genes. Disput. de quarta excellent. quæst. 4. pag. 598. *Profectò hæc rebellio* (partis inferioris adversus superiorem, quæ excitat in membris & in ipso appetitu indecentes & inordinatos motus, præter judicium & voluntatem partis superioris,) *qualis est in nobis, talis omnino esset in homine, si in puris naturalibus conderetur.*

Disput. de secunda excellent. pag. 556. justitiam originalem vocat *donum sanans Naturam.*

Disput. de tert. excell. p. 576. *donum simpliciter & absolutè supernaturale.*

pag. 584. & seqq. *Donum compescens concupiscentiam, ejusque rebellionem & corruptionem prohibens.*

Gregorius de Valent. Disput. general. sept. q. 2. punct. 2. col. 1435. *Convenit inter Theologos, dona illa, quæ ante peccatum habuit Adam, fuisse supernaturalia.*

Statuunt ergo Jesuitæ, justitiam originalem non primum concupiscentiæ actum è Natura sustulisse, sed secundum duntaxat actum impedivisse & prohibuisse, nam rebellionem virium ex ipsa materiæ conditione necessariò fluere, ideoque naturalem esse; vitiosos motus in ipso etiam integritatis statu fuisse, licet à justitia originali cohibiti, dominiũ obtinere non possent, cum justitiam originalem freno & remedio comparent; justitiam originalem fuisse tantum tegmen supernaturale vitiis naturalibus & medicinam palliativam, per quam non Natura purgata, sed morbus tantum ejus contectus, & languor ex contrariarum propensionum pugna ortus, aliquo modo curatus fuerit, ne in actum erumperet, ita tamen, ut radix ejus in Natura ipsa maneret, ex quo porro inferunt, donum illud supernaturale sine ulla corruptione Naturæ sublatum esse, adeoque *naturalia post lapsum mansisse integra*; Itemque morbos, miserias, motus inordinatos & inclinationem ad vitia, corruptionem denique & mortem ipsam sequelam esse Naturæ per se, pœnam verò peccati per accidens.

Nostram sententiam probamus.

1. *Ab hominis ad imaginem Dei creatione.* Quicquid primus homo per creationem accepit, id fuit ipsi naturale, quia Natura & naturalia primi hominis ex ipsa creatione æstimanda sunt quippe quæ homini integro erat ipsa nativitas, quod autem ex creatione inhæret & est homini concreatum, illud est ei naturale. Jam vero primus homo justitiam originalem per creationem accepit, ac imago Dei est quiddam homini concreatum, Gen. 1. v. 27. Ergo.

2. *Ab humanæ Naturæ in imagine Dei perfectione.* In quocunque omnis accidentalis humanæ Naturæ perfectio consistit, illud est homini naturale, Gen. 1. v. 31. Atqui in imagine Dei omnis accidentalis humanæ Naturæ perfectio consistit. Ergò.

3. *A rectitudinis κατὰ φύσιν perpetua inhæsione.* Quod jam inde à creationis primordio Adamo secundum Naturam actu inerat, illud fuit ei naturale. Justitia originalis jam inde à creationis primordio Adamo secundum Naturam actu inerat, quia *Deus fecit hominem* rectum Eccl. 7. v. 30. non prius factum rectitudine ornavit.

4. *A divinæ legis naturali cognitione.* Si reliquiæ imaginis divinæ, nempe aliqualis legis divinæ notitia, hominum cordibus per Naturam sive naturaliter sunt inscriptæ, utique etiam integra ac perfecta legis divinæ notitia ad justitiam originalem pertinens, homini fuit naturalis. Sed verum prius Rom. 2. v. 14. Ergo & posterius.

5. *A peccati originalis contraria oppositione.* Contrariorum eadem est ratio. At peccatum originis est naturalis qualitas Naturæ humanæ intimè inhærens, non autem ὑπερφυσικόν τι Eph. 2. v. 3. Sap. 12. v. 10. Ergo etiam originalis justitia ante lapsum fuit homini naturalis.

6. A na-

6. *A naturali imaginis divinæ propagatione.* Quicquid ex nativitate hereditarium est, illud naturale fuisse necesse est. Sed imago Dei ex nativitate hereditaria fuisset Ergo.

7. *A glorificandorum conditione.* Sicut se habet imago Dei in statu gloriæ, ita se habuit in statu innocentiæ. At in statu gloriæ erit interior & φυσικὴ corporis glorificati qualitas, 1. Cor. 15. v. 42. Ergo.

8. *Ab absurdi consecutione.* Si justitia originalis fuisset donum supernaturale & externum, sequeretur, pravam carnis concupiscentiam etiam in statu integritatis fuisse naturalem futuram, quod absurdum & creatoris bonitati, sapientiæ ac potentiæ adversum.

9. *Ex finis, propter quem homo conditus, consideratione.* Finis naturalis supponit etiam media naturalia. Æterna beatitudo est finis hominis naturalis, quia homo non ad hanc potissimum, sed etiam ac cumprimis ad vitam æternam conditus fuit, Sapient. 2. v. 23. Ergo etiam ad finem illum media naturalia habere debuit, alioqui rebus creatis omnibus inferior & abjectior esset. Atqui nullum dari potest medium, quod homini ad finis istius consecutionem naturale & concreatum fuerit præter justitiam originalem.

10. *Ab exemplo Christi.* Quicquid Christo quoad humanam Naturam fuit naturale, idem primo quoque homini ante lapsum naturale fuit, Nam primus Adam τύπος est τοῦ μέλλοντος futuri, Rom. 5. v. 14. At vera justitia & sanctitas Christo, quoad humanam Naturam, fuit naturalis. Ergo eadem quoque Adamo naturalis fuit.

11. *Ab Angelorum cum Deo conjunctione.* Quemadmodum se habet in Angelis, ut cum Deo conjungantur eique adhæreant: sic quoque se id habet in primo homine. Nam & Angeli & homines sunt creaturæ rationales ad agnoscendum Deum in rectitudine conditæ. At in Angelis se id habet ut donum aliquod Naturæ. Ergo.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam justitiam originalem vocant primo homini naturalem.

Leo Episc. Rom. serm. 15. de Pass. Domini. *Innocentiam primi hominis diserte vocat naturalem.*

(Bellarm. excipit c. 7. *Ideò sic dici, quia ab initio conditionis cum ipsa Natura tributa, & per modum Naturæ in posteros propaganda fuerat.*

Resp. vere hæc dicuntur, sed non sufficienter. Nam inprimis sic vocatur *ratione inhærentiæ*, quia scilicet à Natura primi hominis divinitus sic fuit condita, ut vi insita esset sancta & innocens, perinde ut hodie post lapsum *peccatum originis* dicitur homini *naturale*, non solum quia per generationem propagatur, sed etiam ac inprimis, quia totam hominis Naturam infecit ac pervasit.)

Bernhardus serm. 1. in annunc. B. Mariæ. *Ego divinam arbitror esse imaginem quæ nimirum non assuta, sed insita atq; ipsi impressa Naturæ dividi, scindique non potest.*

(Videtur quidem Bernhardus ibidem hanc imaginem ad ipsam animæ essentiam referre. Sed ostendimus superius ex Alphonso de Castro, Scripturam eandem ad animæ perfectionem intrinsecam referre.)

Lombardus lib. 2. dist. 16. lit. D. ex Hugone part. 6. de Sacram. c. 2. *Factus homo ad similitudinem Dei secundum innocentiam & justitiam, quæ in mente rationali naturaliter sunt.*

Henricus Gandavensis quodlib. 6. q. 11. tradit, *per justitiam originalem datam fuisse hominis voluntati rectitudinem quandam naturalem, per quam poterat voluntas appetitui sensitivo dominari &c. cui rectitudini opponitur curvitas naturalis & pronitas ad malum inflicta voluntati propter peccatum. Quod ejusmodi rectitudo ponenda sit*, probat ex eo, *quod ex sententia omnium Theologorum homo propter Adæ peccatum non modo spoliatus est donis gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus.*

Bellarm. lib. de gratia primi hominis c. 5. §. Quare &c. fatetur, *viros alioqui insigniter eruditos inter ipsos Pontificios statuere, Jesuitas sententiam illam, quod justitia originalis fuerit donum aliquod supernaturale ex uno Dominico à Soto accepisse, neque esse hanc communem Scholasticorum veterum & recentiorum sententiam.*

(Quod non sine ratione ab illis dictum fuisse, patet ex præcedentibus.)

Ibid. §. Sciendum & seqq. fatetur, *justitiam originalem in primo homine posse dici naturalem,*

Primò, quia à nativitate habebatur.

Secundò, quia Naturæ fuit consentanea, eamque ornavit & perfecit.

Tertiò, quia Naturam in operibus perficit naturalibus.

(Subjungit quidem, *primam & secundam significationem huc non pertinere*, sed falsò. Nam justitia originalis utraque etiam de causa naturalis primo homini fuit, tum quia illam à creatione traxit, quæ fuit ei nativitas, tum quia Naturam ejus perfecit, ex quo colligimus, justitiam originalem eo modo fuisse primo homini naturalem, quo peccatum originale post lapsum est ejus posteris naturale.)

Bened. Pererius lib. 5. in Genes. Disputat. de secund. excell. q. 3. p. 557. *gratiam primo homini collatam quodammodo naturalem dici posse* fatetur, *quod ab origine Naturæ affuisset homini & simul cum Natura data fuisset.*

(Subjicit quidem, *simpliciter & absolutè fuisse supernaturalem, quia dabatur homini non per Naturæ & facultatis generatricis, sed per solius Dei potentiam.* Sed in eo distinctas quæstiones de origine & modo inhærendi confundit, ac sibi ipsi contradicit. Si enim *aliquo modo naturalis* dici potest, non potest nec debet *simpliciter* dici *supernaturalis.*)

Idem d. l. Disp. de tert. Excell. p. 568. *Justitia originalis faciebat hominem usquequaq; rectum. Ex hac rectitudine existebat naturalis* (nota) *& vehemens hominis ad omne bonum morale propensio.*

p. 570. *Hominem in naturalibus ideò vulneratum dici* scribit, *quia justitia originalis habebat vim rectificandi & perficiendi omnia naturalia in ordine ad omne bonum connaturale homini, qua justitia propter peccatum amissa, illa quoq; perit perfectio naturalium potentiarum.*

p. 571. *Voluntas hominis in statu innocentiæ quasi pondere & impetu naturali* (nota) *ferebatur ad diligendum Deum super omnia.*

p. 576. & seqq. *Justitiam originalem aliqua ratione donum naturale appellari posse* scribit, *quia propriè & per se non perfecerit hominem in ordine ad finem supernaturalem, neque ad actus supernaturales, sed suppleverit defectus Naturæ & naturalem* (nota) *homini integritatem, rectitudinem & perfectionem præstiterit.*

p. 578. Inter *gratiam gratum facientem & justitiam originalem ita distinguit, quod illa perfecerit hominem in ordine ad finem supernaturalem hac verò ad naturalem* (nota) *finem, perfectionem & integritatem hominis, quippe quæ fuerit donum Naturæ* (nota) *ad complendam ejus integritatem, & perfectionem datum.*

Disp. de quart. Excell. q. 4. p. 593. fatetur, *non defuisse viros doctos, qui putarunt, justitiam originalem fuisse donum quoddam humanæ Naturæ quodammodo debitum, h. e. licet à solo Deo concessum homini, ad naturalem tamen* (nota) *hominis integritatem & perfectionem omnino pertinens.*

lib. 4. in Genes. in digress. morali p. 388. fatetur, *Deum obsignasse hominem sigillo suæ imaginis tam alte ac tenaciter impressæ, ut salva hominis Natura signaculum illud auferri nullo modo posset.*

(Falsum igitur est, amissa justitia originali naturalia in homine mansisse integra, & per conseq. etiam falsum est, justitiam originalem non fuisse primo homini naturalem.

Gregor. de Valent. Disp. general. septim. q. 5. punct. 3. assert. 1. *justitiam illam simpliciter quidem donum supernaturale fuisse* scribit, interim tamen q. 2. punct. 2. inter *gratiam gratum facientem & justitiam originalem* eodem modo, quo Pererius, distinguit, quod scil. *per illam tunc perficiebatur homo in ordine ad finem supernaturalem, per hanc vero solum in ordine ad rectum humanæ Naturæ statum, quoad ipsam vitam naturalem & naturales operationes, propter quod*, inquit, *dici solet justitiæ donum pertinuisse ad integritatem quandam Naturæ.*

Estius tom. 2. in 2. sent. dist. 26. n. 6. fol. 301. postquam contendentium de hac quæstione, *an justitia originalis fuerit, donum naturale*, utriusque partis argumenta adduxisset, subjungit: *Utri vero parti potius sit assentiendum, difficile est dijudicare, cum pro priori stet communis sententia Scholasticorum, adeoq; ipsius S. Thomæ cum rationibus non contemnendis: posteriorem verò probare videntur rationes & numero plures & efficacia concludendi non impares &c.*

Ibidem solvit argumentum Bellarmini inferentis, *hominem ex diversis Naturis esse compositum, ideoq; cum rebellione virium creatum.* Sed contrarium potius inde sequi Estius erudite demonstrat. §. Videtur etiam solvi.

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Lombardus 2. sent. dist. 24. lit. A. scribit, *primum hominem in creatione accepisse rectitudinem & bonam voluntatem, atq; auxilium, quo stare poterat.*

lit. D. *Adjutorium datum homini in creatione, quo poterat manere, si vellet, fuit libertas arbitrii ab omni labe immunis atq; voluntatis rectitudo, & omnium naturalium animæ potentiarum sinceritas.*

(At si in ipsa creatione homo rectitudinem illam accepit, utique fuit homini concreata & naturalis.

Secundò, idem Lombardus lib. ejusd. dist. 25. lit. H. *Per peccatum originale naturalia bona in homine sunt corrupta & gratuita detracta. Vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatio, spoliatus vero gratuitis, quæ per gratiam naturalibus addita fuerant. Hæc sunt data optima & dona perfecta, quorum alia sunt corrupta per peccatum, id est, naturalia, ut ingenium, memoria, intellectus; alia subtracta, id est, gratuita, quanquam & naturalia ex gratia sint, ad generalem quippe Dei gratiam pertinent.*

Eadem est sententia Thomæ 1. 2. q. 85. art. 1. & q. 82. art. 1.

(Atqui si naturalia bona per peccatum in homine sunt corrupta, utique naturalia non manserunt integra, ac per conseq. falsum est, justitiam originalem in primo homine fuisse supernaturalem.)

Tertiò, Bonaventura 2. sent. dist. 19 art. 1. q. 1. *Adeò verum & certum est, hominem esse factum ad participandam summam beatitudinem, ut nullus de eo dubitet, nisi cujus ratio est omninò subversa.*

(Si primus homo ideò à Deo conditus est, ut Deum creatorem suum rectè agnosceret, & agnitum in beatitudine æterna coleret, utique beatitudo fuit finis hominis naturalis, & per conseq. etiam debuit habere media naturalia sive vires naturales ad finem illum obtinendum, alias homini id fuisset denegatum, quod reliquis animantibus ad finem suum obtinendum, propter quem condita sunt, fuit concessum.)

Quartò, Concilium Tridentinum sess. 5. de peccat. orig. agnoscit, *Adamum peccando non sibi tantum, sed omnibus etiam posteris sanctitatem & justitiam perdidisse.*

Ex quo apparet, inquit Pererius l. b. 5. in Genes. Disp. de secunda Excellent q. 3. p. 556. *Si Adam non peccasset, justitiam originalem fuisse posteris donandam in ipsa generatione carnali.*

(Atqui quæ per generationem propagantur, illa sunt homini naturalia.)

Quintò, Idem Concilium can. 1. dicit, *primum hominem in justitia & sanctitate à Deo constitutum fuisse*; can. 2. *justitiam & sanctitatem à Deo accepisse.*

(Incertum est, num intelligat, justitiam & sanctitatem Naturæ primi hominis concreatam, an vero ei tanquam accidens superadditam esse. Ventilatur igitur hæc inter Pontificios quæstio, & secundum sententiam Bannezii in Thom. p. 1. q. 95. art. 1. *à Concilio non est definita.*)

Sextò, Idem Concilium d. l. decret. 1. sic statuit: *Si quis non confitetur, totum Adamum per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.*

(At quomodo supernaturalis doni ablatio Naturam corrumpere potuit? Qui commutatur secundum corpus & animam, utique privatur tali qualitate, quam intrinsecam, connaturalem & non adventitiam fuisse oportet.)

Septimò, Salmeron tom. 1. p. 216. *Homo per peccatum spoliatus est donis spiritualibus & gratuitis, vulneratus in naturalibus.*

(Ergo naturalia in homine post lapsum non manserunt integra.)

Octavò, Bellarminus de gratia primi hominis c. 2. prop. 1. *Homo non fuit creatus qualis nunc nascitur, sed creatus est rectus, justus, sapiens.*

(Si homo creatus est rectus, adeoq; in creatione & per creationē accepit rectitudinem, utiq; rectitudo fuit illi naturalis.)

Idem lib. ejusd. cap. 7. §. Septima objectio &c. fatetur, *totum hominem secundum corpus & animam propter peccatum originis in deterius esse mutatum.*

(At hoc ex sola doni supernaturalis privatione fieri non potuit.)

Nonò, lib. & cap. iisd. in resp. ad dictum Leonis scribit, *innocentiam eum vocare naturalem, quia per modum Naturæ in posteros fuerat propaganda.*

(Ex eo inferimus. Quæ naturaliter propagantur & ex nativitate sunt hereditaria, illa etiam sunt naturalia. Jam vero imago Dei fuisset naturaliter propagata ab Adamo in posteros, & ex nativitate fuisset ipsis hereditaria, si Adamus in statu integritatis perstitisset. E. imago Dei fuit homini naturalis.)

Decimo, Idem d. l. resp. ad 13. object. fatetur, *beatitudinem fuisse primi hominis finem naturalem.*

Ergo etiam justitia originalis, utpote medium ad finem illum obtinendum necessarium, fuit homini naturalis. Excipit quidem Bellarm. *beatitudinem fuisse primo homini naturalem quoad appetitum, non quoad consecutionem, quemadmodum animæ hominum solutæ corporibus, naturalem habent ordinem & propensionem ad corpora, nec tamen in sine supernaturali auxilio iterum conjungi poterunt.* Sed juxta hanc distinctionem appetitus primi hominis fuisset prorsus vanus & frustraneus, ac homo brutis omnibus, quæ naturalibus mediis finem suum naturalem consequuntur, fuisset deterior, quod absurdum. Instantia de anima à corpore soluta planè est aliena. Hic enim quæstio est de homine primo non morti obnoxio, sed in statu suo integro ad vitam æternam condito. Animæ corporibus solutæ non amplius sunt in eo statu, ad quem primitus conditæ fuerunt, corporique unitæ, cum per peccatum mors sit introducta, Rom. 5. v. 12. mirum ergo non est, quod sine supernaturali auxilio corporibus rursus conjungi nequeant. Alia vero ratio primi hominis, cujus finis non solum appetibilis, sed etiam possibilis, adeoque naturalis fuit æterna beatitudo.)

Undecimò, lib. ejusd. cap. 7. resp. ad 2. object. scribit, *naturalem quandam rectitudinem in primo homine non quidem fuisse, sed tamen esse potuisse, si scil. in puris naturalibus fuisset conditus. Natura enim creata sine justitia & sine peccato suam quandam habet rectitudinem, quatenus videlicet nullam habet vitii curvitatem.*

(Atqui status ille in puris naturalibus est merum humanæ rationis figmentum, quia in eo humana Natura nunquam extitit, nec est, nec erit unquam. Omnes hominis actiones oriuntur à Natura, non qua Natura, sed quatenus in certo statu posita est. Quapropter etsi aliud est Natura humana, aliud imago Dei, tamen quando de Naturæ humanæ conditione & propensione ante lapsum disputatur, quales actiones ediderit vel edere potuerit, & num lucta appetituum in ea extiterit vel existere potuerit; non potest nec debet excludi imago Dei, quippe quæ ad ultimatam Naturæ perfectionem pertinuit, & non nisi bonorum motuum ac propensionum origo fuit.)

Duodecimò, lib. ejusd. cap 2. probat, *imaginem Dei esse homini naturalem*, ex eo, quod *Deus hominem ad imaginem suam creasse dicitur.*

(Atqui Deus etiam ad similitudinem suam, per quam Bellarminus justitiam & sanctitatem originalem intelligit, hominem creasse dicitur. Ergo etiam similitudo fuit homini naturalis.)

Decimò tertiò, Gregor. de Valent. Disp. general. 7. q. 5. punct. 3. assert. 1. *justitiam illam simpliciter quidem donum supernaturale fuisse* scribit, interim tamen fatetur, *si Adam non peccasset, illam per generationem ad posteros fuisse propagandam, quia Adamo secundum communem Naturam speciei data fuerit ut accidens quoddam Naturæ, sicut peccatum originis, quod justitiæ illi privative opponitur, vocatur peccatum Naturæ.*

(Opposita sunt sub eodem genere proximo. Quare cum peccatum originis sit qualitas naturalis, ipsique Naturæ penitissime infixa, Gen. 8. v. 21. Ps. 51. v. 7. Eph. 2. v. 3. utique etiam justitia originalis, cui peccatum illud adversatur, itidem naturalis fuit. Quemadmodum nunc post lapsum peccatores nascimur, ita Adam ante lapsum justus & sanctus creatus est, & omnes ejus posteri justi & sancti nati fuissent. Quemadmodum post lapsum homini naturalis est caligo mentis, ignorantia Dei, aversio voluntatis & rebellio appetitus Rom. 8. v. 7. 1. Cor. 2. v. 14. &c. ita primo homini Dei ac divinæ legis notitia & approbatio fuit homini naturalis. Sicut hominis corrupti nativa indoles est Deum odisse ac fugere, ita homini naturale fuit Deum amare, eiq; firmiter adhærere.)

Decimò quartò denique huc referendum, quod quidam agnoscunt, *immortalitatem fuisse primo homini naturalem.*

(Si enim immortalitas fuit primo homini naturalis, utique etiam justitia originalis eidem naturalis fuit, cum utraque sit pars divinæ imaginis, ac immortalitas à justitia originali dependeat.)

Dicta illorum adducentur in cap. proximè sequente.

Argumenta Adversariorum.

1. Gen. 3. v. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris, hoc est, ex Natura tua eras pulvis, mortalis, fragilis, doloribus obnoxius &c. quia ergo dono meo superaddito tua culpa spoliatus es, & in statum tuum naturalem recidisti, ideò nunc etiam pulvis es.* Bellarm.

Resp. Leonhardus Marius ad locū illum sic commentatur:

Sensus

Sensus est: Ego quidem destinaveram vos, licet Natura viles & terreos ad majora subvehere, sed per vos ipsos id mihi nunc minus licet. Itaque esse quod estis: de terra estis terrei, de pulvere pulverei. Mementote conditionis vestræ, quia in pulverem revertemini.

Homo dicitur *pulvis*, non ratione animæ, quæ justitiæ originalis propria sedes, sed ratione primæ corporis originis, quod sumtum erat ex pulvere, vel *solo*, ut vult Toletus in cap. 9. vel *ex eodem cum aqua permixto*, ut Barradius tom. 3. comm. lib 2. Harm. Evang. cap. 4. disputat. Ergo non agitur de animæ vel corporis animæ uniti naturali conditione, sed de ejus origine. Etsi corpus ex limo terræ formatum & sic δυνάμει remota mortale fuit, tamen quia animæ rationali ad imaginem Dei, cujus pars est immortalitas, conditæ essentialiter & inseparabiliter unitum erat, ideo actu ipso immortale fuit.

Argum. 2. Psal. 8. v. 6. *Gloria & honore coronasti eum. Gloria sine dubio aliquid extrinsecum notat.*

Resp. Glossæ interlin. & ord. Lyranus &c. hunc Psalmum recte de Christo in sensu literali accipiunt. (1. Cor. 15. v. 27. Eph. 1. v. 22. Hebr. 2. v. 9.)

Argum. 3. Psal. 49. v. 21. *Homo, cum in honore esset, non intellexit. At honor est aliquid extrinsecum.*

Resp. ipsimet Pontificii fateri coguntur, in Scripturis Deo sæpius tribui honorem & gloriam, quæ tamen non notant in Deo aliquid extrinsecum, sed æternam ejus majestatem & internam perfectionem.

(Honor vel de fundamento honoris, quod virtus est, vel de interna animi reverentia, vel de externo reverentiæ illius signo accipitur. Ergo non semper aliquid extrinsecum notat.)

Argum. 4. *Sirac. 17. v. 1. Deus creavit hominem de terra & secundum se vestivit illum virtute. Jam vero indumentum est aliquid extrinsecum & superadditum.*

Resp. 1. justitia nostra dicitur *vestimentum salutis*, Es. 61. v. 10. quam inhærentem & intrinsecam esse summis viribus stabilire conatur Bellarminus: *Habemus*, inquit lib. 2. de Justif. cap. 11 *similitudinem indumenti non necessario requirere imputationem justitiæ Christi, cum satis apte conveniat in justitiam inhærentē.*

2. Ostendimus lib. 2. artic. 1. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, *librum Siracidis esse Apocryphum.*

3. Pererius lib. in Genes. p. 548. locum hunc enarrans scribit, *hominem ad similitudinem Dei suo modo virtute ornatum, hoc est, præditum acumine ingenii, quo per omnia animo & cogitatione penetrare, multaq; præclara potenter efficere valeret.*

(At hæc fuerunt homini naturalia etiam ex ipsius Pererii hypothesibus.)

4. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. sic annotat: *Secundum se, Græce secundum ipsos, id est, secundum eorum Naturam & conditionem, vestivit illos virtute, id est, circumdedit eos robore seu fortitudine.*

Argum. 5. *Luc. 10. v. 30. latrones hominem in Jericho proficiscentem primum spoliaverunt, deinde plagas imposuerunt.*

Resp. 1. ex Bellarm. lib. 3. de verbo Dei, cap. 3. *ex solo sensu literali peti possunt efficacia argumenta.*

2. Spoliatio à vulneratione diserte distinguitur. Denudatio ergo non est ipsa vulneratio. Spoliatus est homo justitia concreata, & insuper vulneratus in omnibus animæ & corporis viribus.

CAPUT III.

De Immortalitate primi hominis.

Thesis. Immortalitas primi hominis non fuit donum supernaturale extrinsecum, sed naturalis conditio & proprietas.

Ἔκθεσις. 1. Quando immortalitatem primo homini naturalem fuisse dicimus, creatoris gratiam & beneficium eandem fuisse neutiquam negamus. Ut enim totam imaginem Dei, ita quoque immortalitatem, ejusdem partem, homo ex creatoris gratia accepit, nihilo tamen minus *ratione inhærentiæ ac propagationis* naturalis hominis proprietas fuit.

2. Non de Natura corporis humani seorsim, sed de conditione totius hominis ante lapsum proprie hoc loco quæstio est. Corpus primi hominis quod attinet, etsi illud non simpliciter & absolute fuit ἄφθαρτον, Natura tamen immortale fuit, quatenus animæ immortali essentialiter unitum nullam habuit propinquam ad moriendum potentiam, nullisque naturalibus caussis ante lapsum actu ipso corruptum fuisset.

3. Mortale aliquid dupliciter dicitur,

Primò, *κυρίως* ac *proprie*, quod ad mortem secuturam certò propensè, & ad corruptionem naturaliter per successivam partium absumtionem inclinatur. Hoc modo corpus primi hominis nequaquam fuit mortale.

Secundò, ἀκύρως & *abusivè*, quod qualicunque δυνάμει & potentia moriendi etiam remotissima, & tali, quæ stante Natura & per Naturam nunquam in actum traducitur, est mortale. Hoc sensu corpus Adæ fuit mortale.

4. Immortalitas quatuor modis accipitur,

Primò, pro *impotentia moriendi absoluta & omnimoda*, quo sensu *solus Deus* ἀθάνατος & per Naturam *immortalis* dicitur 1. Tim. 6. v. 16.

Secundò, pro *impotentia moriendi ex gratia creationis & propter essentialem à materia segregationem*, quo pacto Angeli & animæ hominum sunt immortales.

Tertiò, pro *impotentia moriendi ex dono & singulari ordinatione* Dei. Sic beatorum & damnatorum corpora erunt incorruptibilia, non ex proprietate Naturæ, sed Dei tum gratia, tum dispositione peculiari.

Quartò, pro *potentia non moriendi*, quo sensu illud immortale est, quod actu non moritur, mori tamen potest certa conditione posita. Sicut aliud est posse non peccare, aliud vero non posse peccare: sic aliud est posse non mori, aliud v. non posse mori. Prior immortalitas moriendi actum tollit, potestatē omnē non excludit, posterior utrumq; abolet. Quando corpus primi hominis dicitur fuisse immortale, tunc in quarta & ultima significatione immortale dicitur, non enim aderat *impotentia moriendi*, quia hæc statui glorificationis propria, sed tamen aderat *potentia non moriendi*, quæ per lapsum in necessitatem moriendi est cōversa. Alia ergo est immortalitas carnis, quam in Adamo accepimus, alia, quam in resurrectione per Christum speramus. Ille factus est homo immortalis, ut posset non mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret; filii vero resurrectionis non poterunt ultra peccare, nec mori.

August. lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 25. *Corpus ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam caussam dici poterat, id est, mortale, quia poterat mori; immortale, quippe quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam Naturas immortales Deus creavit, aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis.*

Bonaventura 2. sent. dist. 19. *Immortale dupliciter dicitur, Uno modo, prout privat actum & habitudinem moriendi, & sic dicitur immortale, quod non est potens mori, & hoc modo directe opponitur ei, quod est mortale, & impossibile est esse circa idem. Alio modo prout privat actum solum, & tunc dicitur immortale, id est potens non mori, & hoc modo mortale & immortale non habent oppositionē.*

Antithesis. Scotus 2. sent. dist. 19. *Habuit tunc & habuisset* (homo) *partes fluxibiles & deperdibiles, non tamen fuisset corruptus, quia fuisset translatus ante mortem.*

Item. *Dico, quod stante illo statu, si Deus non transtulisset homines, si fuissent mortui, mors non fuisset plus pœna in hominibus, quam in brutis, & fuisset conditio vel passio consequens Naturam.*

(Unde apparet, sententiam Scoti fuisse, *corpus hominis in statu innocentiæ morbis etiam fuisse obnoxium & perpessurum eos, nec moriturum tamen, quia prius ad cœlos eveheretur, quam caderet. Sed si relinqueretur diutius in terra, haud dubie tabe confectum iri*, quemadmodum Ludov. Vives quoque animadvertit in lib. 13. August. de Civ. Dei cap. 15.)

Thomas p. 1. q. 97. art. 1. *Corpus Adami non erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ ejus vis quædam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset.*

Vim illam animæ Pererius lib. 5. in Genes. Disp. de quart. Excellent. q. 3. p. 591. exponit *de scientia rerum omnium, quæ Adamo prodesse vel obesse poterant, & prudentia eas discernendi, supernaturaliter ipsi donata.*

Ibid. q. 1. p. 587. *Hæc potentia non moriendi non proveniebat intrinsecus ex Natura Adami, quippe secundum Naturam suam mortalis erat & patibilis.*

q. 2. *Adam ante peccatū secundum Naturam suam fuit mortalis.*

q. 3. *Adamus potentiam non moriendi habuit non naturaliter & intrinsecus, sed ex supernaturali Dei dono & extrinsecus propter continuatam Dei custodiam.*

q. 4. *Certum nobis est, donum illud immortalitatis fuisse supernaturale.*

Et

Et postea: *Ejusmodi immortalitas non naturali modo, sed prater naturalem ordinem & speciali quadam atque extraordinaria ratione contigisset homini.*

Bellarm. de gratia primi hominis c.9. §.1. *Immortalitas fuit supernaturale quoddam primi hominis donum, non autem naturalis quadam proprietas.*

lib. ejusd. c.5. §. Nec minus &c. asserit, *mortem esse à Natura ut à causa per se.* cap.6. §. Primum &c. *hominem primum ex Natura sua fuisse pulverem mortalem, fragilem &c.* ibid. contendit, *corruptionem & mortem ipsam ex conditione materia & Natura ex contrariis composita consequi.*

Nostram sententiam probamus,

1. *A justitia originali.* Qui Natura sanctus & justus est, omnisque peccati expers, idem Natura quoq; est immortalis, quia immortalitas dependet à justitia originali. Primus homo Natura fuit justus & sanctus, omnisq; peccati expers. Ergo.

2. *A modo inhærentiæ.* Quod per creationem primo homini fuit inditum, ipsique concreatum, illud ipsi fuit naturale. Immortalitas primo homini per creationem fuit indita. Ergo.

3. *A propagatione in posteros.* Quod hereditarium est & ad posteros propagatur, illud est homini naturale. Immortalitatis donum fuisset hereditarium & ad posteros propagatum, si homo in statu integritatis perstitisset. Ergo.

4. *A mortalitatis miseria.* Quod est pœna peccati & Naturam per se destruit, ejus contrarium primo homini fuisset naturale. Mortalitas proprie sic dicta est pœna peccati & Naturam per se destruit. Ergo.

5. *A corporis conditione.* Quod constitit exactissima qualitatum primarum & secundarum harmonia, quod fuit animæ ad immortalitatem conditæ essentialiter & indissolubili vinculo unitum, & à quo omnis causa mortalitatis abfuit, illud sua Natura est immortale. Corpus primi hominis constitit exactissima qualitatum harmonia, fuit animæ ad immortalitatem conditæ essentialiter unitum &c. Ergo.

6. *Ex absurdorum consecutione.* Si homini in puris naturalibus condito mors fuisset naturalis, sequeretur immortalitatem ipsi tantum per accidens competere.

7. *Ex oppositione.* Sicut posteri Adæ post lapsum sunt φύσει *filii iræ* & mortis, i. e. morti obnoxii sive mortales Eph.2.v.3. sic Adamus ante lapsum fuit φύσει filius gratiæ & vitæ, i.e. immortalis. Sicut mortalitas post lapsum est genuina hominis proprietas, sic immortalitas ante lapsum fuit genuina primi hominis proprietas.

8. *Ex collatione.* Sicut corpus Christi, utpote omnis peccati expers, Natura sua nulli corruptioni fuit obnoxium Act.2.v.24.27. sic corpus primi hominis, utpote itidem peccati expers, fuit incorruptibile & immortale.

9. *A conservatione in vita.* Quod per media naturalia à morte fuisset præservatum, illud ipsum quoque Naturaliter immortale fuit. Sed corpus primi hominis per media naturalia à morte præservatum fuisset. Ergo. Cui nec externa nec interna principia mortem afferre potuerunt, is Natura fuit immortalis. Homini integro nec interna nec externa principia mortem afferre potuerunt. Ergo.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, justitiam originalem fuisse primo homini naturalem.

(Ex eo enim promte inferri potest, etiam immortalitatem fuisse primo homini naturalem, cum justitiæ originalis & immortalitatis eadem fuerit ratio, atque hæc ab illa originem duxerit, quod agnoscit Bonaventura 2. sent. dist.19. art.3.q.1. *Innocentia*, inquiens, *erat causa immortalitatis, secundum quod importat originalem justitiam, merito cujus erat in anima vis totius corporis contentiva.*)

Dicta illa in cap. proxime præcedente sunt enumerata.

2. Quod quidam agnoscunt, primum hominem fuisse Natura immortalem.

Lombardus 2. sent. dist. 19. lit. F. fatetur, *aliquos dicere, quod Adam immortalitatem de Natura habuerit, qua poterat non mori &c. quod videtur Augustinus sentire super Genesin dicens: Hoc quoq; addo, talem cibum illam arborem* (vitæ) *præstitisse, quo corpus hominis stabili sanitate firmaretur.*

Thomas 2. sent. dist.19.q.1. *Patet, quod quamvis homo in statu innocentiæ aliquo modo mortalis, & aliquo modo immortalis dici potuerit, verius tamen immortalis, quia immortalitas competebat ei absolute & mortalitas sub conditione, si peccaret.*

Bonaventura 2. sent. dist.19. art.3.q.1. *Mors non poterat inesse homini, nisi præcedente culpa. Sed culpa non poterat inesse homini, nisi deordinaretur Natura. Si ergo mors inerat homini contra Naturam, immortalitas inerat ei per Naturam.*

3. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Bonaventura 2. sent. dist.19. art.1.q.1. concedit, *animam naturaliter immortalem esse.* Ad quæstionem vero, *utrum immortalitas primi hominis, quantum ad conjunctum, esset à Natura vel gratia*, per distinctionem ibid. art.3.q.1. respondet: *Immortalis*, inquit, *quantum ad statum innocentiæ dici poterat homo per Naturam, immortalis etiam per gratiam, quia à Natura habebat aptitudinem, sed à gratia habebat completionem. Tripliciter enim potest mors homini contingere, aut per Elementorum pugnam & dissolutionem, aut per humidi consumtionem, aut per extrinsecam læsionem. Immortalitas ergo dicit privationem hujus triplicis modi moriendi, quantum ad actum & potentiam in beatis, quantum ad actum vero solum in hominibus institutis, qui dicuntur immortales, quia poterant non mori hoc triplici genere moriendi, habebant enim aptitudinem evadendi hoc triplex genus mortis per id, quod habebant à Natura &c. sed complementum habebant à gratia seu justitia originali.*

(Hæc facile reduci possunt ad bonum sensum, si distinguatur inter *potentiam* moriendi *remotam & proximam*; Item inter immortalitatem consideratam *ratione originis* & ratione *modi inhærentiæ*. Si originem immortalitatis spectemus, immortalis homo fuit per *gratiam*; si modum inhærentiæ, immortalis fuit per *Naturam*.)

Secundo, Bellarm. de grat. primi hominis c.8. Pererius lib. 5. in Genes. Disput. de quart. Excellent. q.1. p.587. concedunt, quod *homini integro nec interna nec externa principia mortem afferre potuerint.*

(Ex eo sic colligimus: Cui nec externa, nec interna principia mortem afferre possunt, is Natura est immortalis. Homini integro nec externa nec interna principia mortem afferre potuerunt. Ergo.

Tertiò, idem Bellarm. lib. ejusd. cap.18. § 1. fatetur, *Scholasticos Augustinum secutos statuere, lignum vitæ institutum fuisse ad arcendam mortem, quæ contingere solet ex senio, fuisse enim eum ligni vitæ usum, ut vim nutrientem roboraret, & eo modo hominem à senectute & morte defenderet.* Idem statuit Pererius in Genes. p.415.

Joh. Stephanus Menochius in c.2. Genes. ad v.9. sic annotat: *Lignum vitæ, id est, arbor vitalis, seu vivifica, cujus illa erat naturalis facultas, ut ex ejus fructibus comedenti vita diutissime ac sine morbis prorogaretur.*

Ad v.23. *Vivat in æternum, quam illi vim fructus arboris largiri poterant.*

Jacob. Tirinus in comm. Gen.2. tom.1. p.96. *Lignũ vitæ fuit arbor excellenter vivifica, cujus fructus, vel semel degustatus, vitam hominis ad plures centenos annos prorogasset, idque vi naturali sibi à Deo insita: & subinde repetitus prorogasset etiam in æternum, quoad nempe Deo placuisset, hominem sine morte in cœlum transferre. Neq; solum reddidisset hominem longævum, sed sanum insuper, & valentem.*

Corn. à Lapide in comm. Ex.15. v.25. *Si lignum vitæ innata sua vi poterat homini prorogare vitam in æternum, quidni lignum aliquod dare possit Deus, quod innata sua vi ingentem aquæ copiam dulcorare possit?*

(Atqui quod conservatur per media naturalia, illud ipsum quoque est naturale. Immortalitas primi hominis juxta hanc hypothesin conservata fuit per media naturalia. Ergo fuit homini naturalis.)

4. Dissensiones Adversariorum.

Thomas p.1.q.97. art.1. disputat, *hominem in statu integritatis non fuisse moriturum vi animæ, ex qua in corpus transitura fuerit plenitudo sanitatis & perpetuæ incorruptionis vigor.*

Scotus 2. dist.19. negat, talem immortalitatis vigorem ab anima in corpus potuisse transfundi, sed *futurum quidem fuisse corpus dissolubile, nunquam tamen moriturum fuisse hominem, quia Deus prævenisset tempus dissolutionis, transferendo eum ex hac vita in cœlestem absque morte.*

Alii libero hominis arbitrio id tribuunt, quod à Deo ita fuerit munitum, ut, si vellet, posset omnia cavere & avertere, quæ vel intus vel foris mortem & corruptionem hominis afferre possent.

Argum. Advers.

Corpus hominis Natura ex contrariis Elementis atque humoribus constabat, proinde intrinsecam potentiam ad corruptionem habebat. Bell. de grat. primi hominis cap.9. Perer. lib.5. in Genes. Disp. de quarta excell. p.595.

Resp. Bonaventura 2. sent. dist. 19. art. 1 q. 1. *Dicendum, quod alio modo se habent contraria in compositione corporis secundum statum Naturæ lapsæ, aliter secundum statum Naturæ institutæ. Secundum statum enim Naturæ lapsæ non solum agunt in aliquod extrinsecum, sed etiam ad invicem mutuò agunt & patiuntur, non solum in ipsa constitutione, sed etiam post constitutum esse. In statu autem innocentiæ taliter commixta fuerunt & proportionata in prima compositione & ad tantam cordiam reducta, ut illo statu manente mutuò non repugnarent, & ideò propter illam compositionem corpus illud dissolvi necesse erat.*

CAPUT IV.

De Paradiso, primi Hominis habitaculo.

THesis. Paradisus terrenus non amplius superest, sed aquis diluvii obrutus fuit ac devastatus.

Ἔκθεσις. 1. Triplex gratia primo homini fuit collata; *gratia animæ*, id est, justitia originalis; *gratia corporis*, id est, immortalitas; & *gratia loci*, id est, inhabitatio Paradisi.

2. Triplex Paradisus statui potest, *terrestris, spiritualis & cœlestis*. Paradisus terrestris fuit locus in Oriente, aëris salubritate, soli amœnitate & pretiosissimorum fructuum ad vitæ sustentationem & oblectationem pertinentium ubertate ornatus. Paradisus ille terrestris, de quo Moses loquitur Gen. 2. fuit παράδειγμα Paradisi cœlesti, de quo Luc. 23. v. 43. 2. Cor. 12. v. 4. Apoc. 2. v. 7. & speculum quoddam interioris ac spiritualis Paradisi, hoc est, summæ tranquillitatis & lætitiæ in homine.

3. Locus Paradisi procul dubio adhuc extat circa Tigrin & Euphraten, sed hortus ipse, in quo primi parentes ante lapsum fuere, vel per diluvium, vel singulari aliquo Dei judicio sublatus est.

Antithesis. Bellarminus lib. de grat. primi hominis cap. 14. §. Quia. *Nullum unquam ex veteribus legi, qui Paradisum terrestrem vel aquis diluvii vel alia de causa periisse scripserit, & contra legi plurimos, qui illum extare affirmant.*

Et postea §. 4. *Accedit ratio probabilis, cur Paradisus conservari debuerit, videlicet ut Henoch & Helias, quos certum est in suis corporibus vivere, congruentem suo statui sedem haberent, donec tempus esset, ut cum Antichristo congredientes vitam cum morte commutarent.*

lib. ejusd. cap. 12. §. ultimo. *Certum est, Henochum in cœlestem Paradisum non transcendisse. Nemo enim inde descendet, ut det gentibus pœnitentiam.*

Gregorius de Valent. Disp. general. sept. q. 6. punct. 2. *In hac re, quæ neutram in partem satis certo ac firmiter argumentis à ratione ductis probari ac definiri potest, apud me præponderat consentiens autoritas Patrum & Theologorum.*

Jacob. Trinus in comm. Gen. 5. v. 24. *Paradisum adhuc superesse statuunt Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. Delrio in cap. 3. Genes. Bellarminus & Adamus Conzen de gratia primi hominis, Gregorius à Valentia, Malvenda de Paradiso, Suarez tom. 2. part. 3. Disp. 55. sect. 1. & fere omnes, tum veteres, tum recentiores Theologi.*

Nostram sententiam probamus,

1. Scriptura nusquam docet, terrenum Paradisum adhuc superesse.

2. Contra vero Scriptura testatur, *aquas diluvii cooperuisse omnes montes excelsos sub omni cœlo*, Gen. 7. v. 9. ac inundationem illam aliquot menses durasse super terram, v. 19. & 20. Si ab isto aquarum impetu liber fuit hic hortus, statuendum fuerit, pensilem eum in aëre sub sphæra Lunæ fuisse.

Plura argumenta colligi possunt ex seqq.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Paradisum terrenum aquis diluvii obrutum fuisse.

Bened. Pererius lib. 3. in Genes. Disp. de Paradiso pag. 302. *Sententiam hanc rationi ac divinis literis satis consentaneam esse, sibique multo probabilissimam videri* scribit, idque propter *duas rationes,*

Prima: *Paradisus in iis fuit regionibus, per quas Tigris & Euphrates suos agunt cursus, nempe circa Mesopotamiam vel Armeniam. Sed in his locis nusquam invenitur Paradisus. Relinquitur igitur, nullum esse nunc Paradisum.*

Altera ratio: *Moses Gen. 7. tradit, omnes montes, qui erant sub cœlo, aquis diluvii esse opertos. Sed Paradisus erat in hac nostra terra. Ergo fuit illa generali totius orbis eluvione obrutus ac dissipatus.*

p. 308. *eandem sententiam doctissimis quibusq; hujus nostri seculi maxime approbari* affirmat.

(Ad posterius Pererii argumentum excipit Bellarminus, *credibile esse, aquas illas diluvii in Paradisum minime penetrasse; Quod Moses dicit Gen. 7. in diluvio omnes montes, etiam altissimos, aquis coopertos fuisse, id intelligendum esse de omnibus montibus ejus terræ, quæ à peccatoribus incolebatur, quæque habitationi hominum post lapsum Adæ data erat, non de montibus aut regione Paradisi.*

Et addit, *similem esse locum in eodem capite. Mortui sunt universi homines, remansitq; solus Noë, & qui erant cum eo, quæ propositio non minus Universalis est, quam illa, cooperti sunt omnes montes. At certum est, illam propositionem mortui sunt universi homines, intelligendam esse de hominibus qui vitam mortalem degebant, non de omnibus omnino, siquidem Henoch mortuus non est, quamvis non esset in arca.*

Sed huic ratiunculæ Bellarminianæ jam olim respondit Pererius lib. 7. in Genes. q. de Henocho. *Quod Henoch, inquit, excipiendus sit ex generali interitu hominum facto per diluvium, evidenter colligitur ex ipsa Scriptura, quæ indicat, eum non fuisse mortuum, sed esse translatum & in vita servari. At nusquam Scriptura indicat, Paradisum non fuisse destructum diluvio, quare non est similis ratio exceptionis Henochi, atque ipsius Paradisi. Adde quod Henoch septingentis annis ante diluvium translatus fuerat, nec postea apparuit in terris, unde perinde se habebat, quantum ad habitationem suam & conversationem, ac si non esset in terris. Quocirca Scriptura dicit, illum fuisse è terra translatum & receptum, & Augustinus dicit, eum esse in alia vita, quam est hæc nostra.* Hæc Pererius Bellarmino nostro loco respondens.

Omnes montes sub universo cœlo aquis diluvii coopertos fuisse Moses asserit, ex qua universalitate Spiritus Sanctus hortum Paradisiacum nuspiam excipit. Quinimò Pererius d. l. tribus argumentis probat, *hortum Paradisiacum non posse ab illa Mosaica assertione excipi*, quæ argumenta Bellarminus, qui primum tomum Pererii Romæ An. 1589. editum videre potuit, suppresso nomine refellit:

Prima ratio Pererii hæc est col. 799. *Generalem illam de diluvio sententiam Scripturæ restringere, adhita exceptione, quæ non potest ex aliquo Scripturæ loco colligi, & quæ sine ulla necessaria ratione adhibetur, non modo non est licitum, sed etiam valde periculosum. Sic enim omnium generalium propositionum fides & veritas dubia redderetur.*

Regerit Bellarminus, *exceptionem Paradisi optima ratione esse inductam, tum ob conservationem Henoch, tum quia diluvium terris immissum fuerat propter hominum peccata, proinde ea solum, quæ usui talium hominum serviebant, destruere debuisse.*

(Resp. Enochus in cœlestem Paradisum translatus fuit, cui nullum ab aquis diluvii periculum impendit. Urgemus igitur, quod Spiritus Sanctus diserte asserit, *aquas replevisse omnia in superficie terræ, ac montes omnes operuisse.*)

Secunda ratio Pererii hæc est: *Si Paradisus intactus fuit diluvio. Ergo in illo loco servari potuisset Noë cum animalibus. Supervacaneum igitur fuit tanto tempore & labore arcam condere.*

Regerit Bellarminus, *Paradisum non esse locum hominum peccatorum, & humanis calamitatibus subjectorum, sed eorum tantum, qui communibus hujus vitæ miseriis non sint obnoxii.*

(Resp. Noë æq; erat *vir justus* ac Henoch cum à Deo transferretur, proinde eodem jure Deus illum cum suis in Paradisum transferre, ibique conservare potuisset, donec diluvium transiisset. Adde quod ex hypothesi Pontificiorum Elias & Henoch adhuc morti sint obnoxii.)

Tertia ratio Pererii sic habet: *Aquæ diluvii secundum Scripturam excesserunt altissimos montes terræ quindecim cubitis. Ergo necesse fuit omnem superficiem terræ ab illis operiri, nisi velimus credere, Paradisum tantæ fuisse altitudinis, ut supereminéret supremam regionem aëris, aut etiam cœlum contingeret, quod est tamen prorsus incredibile & absurdum. Quod si dicatur, aquas diluvii miraculosè prohibitas esse à Deo, ne Paradisum attingerent, & juxta ipsum immobiles constitisse, quoad duravit diluvium, id non modo non juvat opinionem istam, sed valde improbabilem reddit, utpote quam isti non possint tueri, nisi confictis arbitratu suo miraculis. Confugere autem sine causa ad miracula & ad omnipotentiam Dei, reprehenditur à Patribus & Theologis.*

Regerit Bellarminus, *miraculum necessario affirmari, quia Scriptura testetur, Henoch non periisse tempore diluvii, nec tamen fuisse in arca.*

(Resp. præsupponitur, quod est in quæstione, videlicet Henochum in terrenum Paradisum fuisse translatum, inque eo diluvii tempore conservatum.)

Tandem igitur Bellarminus infirmitatem exceptionum suarum animadvertens subjungit: *Sed fac in Paradisum aquas diluvii penetrasse, & Henoch à Deo in mediis aquis conservatum, non inde efficies necessario, Paradisum omnino destructum.*

Diluvium

Diluvium siquidem non mutavit situm loci, neque aëris temperamentum, nec arbores omnes eradicavit vel arefecit &c.

(Resp. juxta hanc exceptionem miracula priora omnia abolentur, ac Henochus per aliquot menses aquis innatasse fingitur. Repetimus ergo verba Pererii d.l.p.801. *Quis credat, nisi qui quodlibet, quantumvis incredibile, possit credere, locum Paradisi delicatissimum, ornatissimumque per unum ferme annum altissimis undiquaque aquis obrutum sine decoris, venustatis ac pulchritudinis suæ detrimento durare potuisse, cum tanto tempore etiam firmissimum & amplissimũ ædificium aquis submersum durare non posset?*)

Gregorius de Valentia dict. Disp. q.6. punct.3. col. 1484. ad quem Bellarminus sub finem libri de gratia primi hominis lectorem ablegat, repudiata hac Bellarminiana exceptione, ad argumentum Pererii ab aquis diluvii petitum aliter respondet. Concedit, *locum Paradisi aquis diluvii obrutum, ejusque venustatem & amœnitatem diuturna illa inundatione deletam, sed postmodum tamen recuperasse naturaliter (magna saltem ex parte) venustatem suam existentem ex ubertate & dispositione arborum & plantarum ac ipso situ loci, idq; tum efficacia virtutis seminalis ad repullulandum, tum efficacitate Solis & aliarum superiorum causarum naturalium.* Addit etiam, *minime opus esse eò recurrere, ut putemus, miraculose aquas fuisse detentas, ne illum locum operirent: aut fuisse sub aquis sine corruptione divinitus servatam illius amœnitatem.*

(Sic ergo Gregorius de Valentia, ad quem Bellarminus lectorem remittit, Bellarmino contradicit. Admissa autem hac Gregorii de Valentii exceptione, nondum sequitur, *Paradisum primitus à Deo plantatum adhuc superesse*, sed necessario concedendum, *& venustatem loci & viarum dimensiones & ordinem arborum & stirpium dispositionem, & herbarum varietatem & soli bonitatem diluvio fuisse destructam ac devastatam.*)

Præter Pererium etiam alii nostræ suffragantur sententiæ.

Antonius Possevinus tom.1. Apparatus p.156. *Cum asseruisset Augustinus Eugubinus Paradisum post primi hominis lapsum penitus desiisse, atque Henoch & Eliam non esse in eo Paradiso, non videtur esse reprehendendus. Probabilior enim hæc videtur sententia, quam Benedictus Pererius noster suis in Genesin commentariis validis comprobat argumentis, quicquid Sixtus Senensis* (adde etiam, quicquid Bellarminus & Gregorius de Valentia) *hanc sententiam impugnent.*

Blasius de Viega in comment. cap.11. Apocal. p.446. *Quæstio illa, utrum Paradisus adhuc existat, est una ex iis, quæ ad fidem minime pertinent, salvaque fide in alterutram partem disputari possit.* Adductis deinde multorum Patrum proparte affirmante sententiis, tandem concludit, *negantem quæstionis partem, quæ asserit, aquis diluvii Paradisum esse obrutum, atque adeò Enochum & Eliam in eo non amplius esse, probabilem & divinis literis esse consentaneam, eiq; nihil obesse debere novitatem, quo minus ut probabilis defendi possit, ut eam, inquit, defendunt,*

Augustinus Eugubinus in Recogn. V.T. in cap.2. Genes.
Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap.143.
Hieronymus ab Oleastro in cap.2. Genes.
Ambrosius Catharinus ibid.
Genebrardus lib.2. Chronolog.
Naclantus Clugiensis Episcopus in medull. Script. tract. de opere sex dierum.
Pererius tom.1. in Genes. lib.3. Disp.1.q.5. & lib.7.q.ult. cui consentit
Suarez part.3. Thom. q.59. art.6 Disp.55. sect.1.

(Hæc omnia Blasius de Viega octo illustrium Pontificiorum scriptorum suffragia nobis largitus.)

Idem Viegas d.l. comm.5. sect.5.n.5. *Constituto, Paradisum terrestrem conditum fuisse in Oriente circa Mesopotamiam & Armeniam, ducitur ad hanc sententiam ratio in hunc modum sane firmissima: Universæ illæ Mesopotamiæ & Armeniæ regiones ac provinciæ cultæ hodie sunt ac habitatæ, nec earum regionum his temporibus vel minimam partem poterit aliquis assignare, quæ jam lustrata non fuerit, & tamen nulla apparent vel obscura Paradisi terrestris vestigia. Videtur igitur eum non extare, sed obrutum cataclysmi aquis periisse.*

Maldonatus in Matth.27.v.44. *Quid Christus Latroni dedisset beneficii, quod eo in loco possessurus esset ubi nil esset nunc percepturus voluptatis, Paradiso jam deserto atque vastato?*

Cornelius à Lapide in comm. cap.5. Genes. *Henoch ante diluvium translatus est in Paradisum, post diluvium vero, quo inundatus & sublatus videtur Paradisus, agit in loco aliquo amœno, quem Deus illi sive in aëre, sive in terra præparavit.*

Idem in cap.3. Genes. *Ablatus est hic gladius Cherubim, quando Paradisus desiit, puta in diluvio.*

Idem in 1. Petr.3.v.31. *Henoch ex Paradiso vel potius ex æthere (Paradisus enim cum fuerit in terra, videtur obrutus diluvio) spectabat diluvium.*

Idem in 2. Pet.3.v.10. *Improbabile est, quod censet Moses in Barcepha lib. de Parad. cap.18. Paradisum terrestrem ab igne conflagrationis mundi fore immunem, quamvis vacuum & nulli usui futurum, nam Paradisus aquis diluvii obrutus interiit.*

Bellarminus d.l. *Recentiores illi, quos capite superiori nominavimus,* (Augustinus Eugubinus, Hieronymus ab Oleastro, Franciscus Vatablus ad cap.2. Genes. Cornelius Jansenius in Concord. cap.143. & alii) *omnino contendunt, nusquam in terris nunc extare Paradisum illum, in quo Adam habitavit, quod probant ex cap.7. Genes. ubi aquæ diluvii dicuntur cooperuisse omnes montes excelsos sub omni cœlo, tum quia Paradisus in Mesopotamia situs erat; quæ regio notissima est, nec in ea ullus cernitur Paradisus.*

Augustinus Tornellus in Annal. lib. mundi die 3.n.25. *Quod Paradisus diluvio interierit, fuit quorundam recentiorum, nempe Augustini Eugubini, Hieronymi Oleastri in Genes. Francisci Vatabli in annot. ad cap.2. Genes. Et Cornelii Jansenii in cap.34. Concord. suæ Evangel. sententia, quam late admodum defendere & confirmare conatur Pererius lib.3. comm. in Genes. Contra vero Bellarminus tom.3. contr. de grat. primi hominis cap.10. & seqq. hanc opinionem nititur infringere & sustinere priorem, quam dicit fuisse veterum Patrum, Irenæi, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Bedæ & aliorum, & præterea omnium fere Scholasticorum, & quod majus est, videtur quodammodo defendere, eam esse de fide, quod si verum esset, oporteret utique eidem sine ulla mentis hæsitatione subscribere. Sed quoniam id nullibi ab Ecclesia determinatum invenimus, & manifestum est, præcitatos Doctores, qui oppositum sentiunt, esse Catholicos, ipsorumque libros passim absque ulla hæresis suspicione admitti tanquam à sacris Inquisitoribus subscriptos & approbatos, idcirco supposito, quod hæc sit quæstio ad utramque partem disputabilis, dicimus, priorem quidem sententiam esse tutiorem, quia communior est & magis recepta, nihilominus etiam alteram valde probabilem videri, præsertim si rationes, quæ pro ipsa faciunt, accuratius perpendantur. Cum autem hæc dubitatio adeo perplexa sit, ut nihil certi definiri posse videatur, satis esse duximus, potiora tantummodo quædam argumenta, quæ utrinq; afferri solent, hic breviter recensere, judicium vero Lectori reservare.*

n.26. affert argumenta pro priore opinione, quæ statuit, *Paradisum adhuc superesse*, sed levia ac tenuia.

n.27. producit argumenta pro posteriore opinione, quæ statuit, *Paradisum aquis diluvii destructum non amplius extare. Si Paradisus terrestris,* inquit, *proprius erat locus hominum in statu innocentiæ permanentium, certe eo sublato, non videtur inconveniens arbitrari, quod Deus simul cum reliqua terra ipsum quoque Paradisum diluvio interire permiserit, cum præsertim finis usus q; ipsius jam cessasset. Quin etiam ex eodem fundamento deduci potest, non esse admittendum, quod asserunt primæ opinionis defensores, nempe Paradisum terrestrem conservatum fuisse propter Henoch & Eliam, quos in eo vitam agere pro certo habent. Scimus namque eos in peccato originali sicut cæteros Adæ filios esse conceptos, unde videtur locum illum eis convenire minime potuisse. Si enim aliquis post Adæ peccatum ibi transferendus fuisset, convenientius videbatur, Jeremiam aut Johannem Baptistam in eo loco debuisse collocari, quos in matris utero sanctificatos novimus. Quid igitur? ergone quod Henoch & Elias adhuc vivant, in dubium vocamus? nequaquam. Sed quod sint in illo Paradiso, de quo ejectus est Adam, ex præmissis negari posse asserimus. Nam licet Ecclesiastici cap.44.v.16. dicatur, Henoch translatum esse in Paradisum, ut habet lectio vulgata, cui credimus, non tamen Scriptura explicat, se loqui de hoc Paradiso: & scimus, Paradisi vocem non semel in sacris libris usurpari pro aliquo delicioso loco seu horto fructiferis arboribus consito, ut patet Cant. 4. v.13. Eccles.2. v.5. in Græca lectione & Chaldaica Paraphrasi. Unde nihil repugnat Scripturæ si dicamus, ipsum Henoch non in hoc Paradiso, de quo agimus, sed in alio delicioso loco, qui Paradisi nomine significatus sit, fuisse collocatum &c.*

n.28. *Quod autem amplius non supersit memoratus Paradisus, illud etiam persuadere potest. Nam cum in nulla orbis plaga à quoquam adhuc per tot secula non modo inveniri non potuerit, sed neque ipsius ullum aliquod vestigium vel minimum ullo in loco apparuisse prodatur, profecto satis probabiliter credi posse videtur, ipsum non amplius superesse, sed aquis diluvii Deo permittente fuisse abolitum. Dicere enim, quod in loco prorsus inaccessibili positus sit, adversatur Scripturæ dicenti, Deum collocasse Cherubim ante Paradisum voluptatis, & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Signum est ergo, quod locus ille non erat per se inaccessibilis, alioqui ad quid illa custodia apposita? Ne igitur frustra à Deo positam fuisse illam*

illam custodiam dicere compellamur, necesse est fateri, quod ante diluvium aliquos ab ejus ingressu illa averterit, redireq; compulerit: quod si aliquando etiam post diluvium contigisset, profecto sciri hoc indicio saltem posset, in quanam orbis parte situs esset iste Paradisus. Praterea ex descriptione fluminum Paradisi, Gen. 2. sive sequamur communiorem sententiam dicentium, per Phison, & Gehon debere intelligi Gangem & Nilum: sive aliam, qua putat debere accipi duo alia flumina ab Euphrate Tygriq; olim derivata, videtur posse deduci, non amplius superesse Paradisum ibidem descriptum. Nam primâ sententia posita sic argui potest: Moses dicit, quod fluvius eundem Paradisum qui irrigabat, dividebatur in prædicta quatuor flumina. At nunc si Geographorum tabulis ac libris credimus, certissimum est, eadem flumina non ab uno eodemq; amne, ut ita dicam, ramificari, sed habere singula proprias origines seu fontes, eosq; in oppositis fermè orbis terrarum partibus, atq; inter se per infinita propemodum spacia distantes. Nilus namq; in extremis ferè Australibus Africæ regionibus exoritur, ac deinceps longissimo cursu contra Aquilonem defluens, tandem in mediterraneo mari demergitur. Contra vero Euphrates & Tygris ab Aquilonari orbis plaga, hoc est, ab Armenia egredientes ad Austrũ per multas circuitiones properantes, postremo in mare Persicum exonerantur. Ganges autem remotissime à prædictis, nempe in Orientalibus Indiæ provinciis prodiens, easq; longis itineribus alluens, demum in Indicum Oceanum devolvitur. Cum igitur (supposito quod Phison & Gehon sint Ganges & Nilus) certissime tenendum sit, prædicta quatuor flumina ante diluvium ab uno Paradisi fluvio originem habuisse, ut sacra testatur Historia; nunc autem perspicue & quodammodo ad sensum pateat, rem longe aliter se habere, atq; ad subterraneos occultosq; meatus recurrere, (quemadmodum facere coguntur omnes prioris sententiæ Sectatores) in tanta præsertim ac tam immensa locorum distantia, res sit adeò incerta & obscura ut vix imaginari, nedum astrui posse videatur; quid aliud rationabilius cogitare aut proferre possumus, quam Paradisum illum terrestrem in sacra Scriptura descriptum (Deo ita permittente) cum aliis terrarum partibus fuisse aquis diluvii obrutum & omnino eversum? Valde etenim rationabile est credere, vastissimas illas aquarum inundationes hinc atq; illinc per annum integrum tanta vi recurrentes, seu, ut dicitur Gen. 8. v. 3 euntes & redeuntes totam fere ipsius terræ superficiem dimovisse, neq; solum ædificia cuncta penitus diruisse arboresq; eradicasse, sed etiam alicubi ingentes foveas excavasse, alicubi magnos terrarum aggeres congessisse, colles plurimos humili solo æquasse, valles replevisse, veteres fontes obturasse, novos aperuisse, fluminum alveos, cursusq; in diversa commutasse, &, ut uno verbo dicam, universam pene ipsius terræ faciem à priore valde differentem reliquisse. Ita ut mirum non sit, si præcipua illa quatuor Asiæ, Africæq; flumina, quæ prius ab uno eodemq; Paradisi fluvio initia sua mutuabantur, postmodum (quantum attinet ad eorum originem & cursum) adeò inter se disjuncta & variata fuerint, ut præter nomina nullam cum prioribus similitudinem retinuisse videantur, & quodammodo potius alia à primis esse dici possint.

n. 29. *Si vero concesserimus, ut alii sentiunt, per Phison & Gehon non Gangen & Nilum, sed alia flumina debere intelligi, quæ etiam tempore Mosis ex Tygri & Euphrate in unum coëuntibus tanquam rami ab uno fluvio deducerentur, eo modo, quo in Genesi describuntur, etiam hoc supposito potest eadem inferri conclusio, scil. non amplius extare Paradisum. Nam cum clarum sit, eas regiones per quas hæc flumina pertransibant, communiter fuisse satis cognitas atq; ab expleto diluvio semper valdè habitatas, procul dubio, si post diluvium Paradisus remansisset illæsus, facile fuisset illis gentibus ipsum adinvenire. Et si in eo ingredi non potuissent ob custodiam ibi à Deo positam, saltem in quanam illarum regionum parte esset, exquirere atque aliquo modo comperire seu probabiliter conjectari valuissent. Cum igitur è converso constet, à nemine proditum esse quod ullo unquam tempore post diluvium Paradisi locus aut ullum ipsius vestigium à quoquam reperiri potuerit, certe fit consequens, ipsum diluvio esse deletum &c. Neque vero est, quod quis opponat, columbam statim post diluvium attulisse ramum olivæ virentibus foliis in ore suo, idque signum esse, quod aquæ diluvii non modo tantas in terris mutationes non reliquerint, sed neq; oleæ plantam eradicaverint: quoniam nemini mirum videri debet, quod inter montium Petras aliquæ olearum plantæ reservatæ fuerint, quæ post 47. dies à discoopertis montium cacuminibus virentia folia ramosque tenellos protulerint, è quibus unum columba debili licet rostro avellere atque ad arcam portare potuerit.*

Guilhelmus Estius in annot. ad c. 2. Genes. v. 8. *Paradisum debere adhuc extare, videtur docere Ecclesiasticus cap. 44. ubi dicit, Enoch translatum in Paradisum. Atq; idem de Elia similiter testantur multi Patres, Justinus ad Orthod. q. 75. 76. & 85. Irenæus lib. 5. adv. hæreses & Tertullianus in Apolog. contra gentes, Resp. quod ad Scripturam Eccles. 44. attinet, in Græco Codice non nominatur Paradisus, imò nec additur locus aliquis, in quem fuerit translatus. Unde & S. Thomas de hac re agens non simpliciter affirmat, Enoch & Eliam degere in illo Paradiso, sed fere addit; (ut dicitur) vel (ut creditur.) Ad Justini, Irenæi & Tertulliani sententias respondeo, eos quadam alia iisdem locis adjungere, quæ Ecclesia non recipit, ut quod in illum terrestrem Paradisum ductus sit latro, quodque in eo demorentur omnes justorum animæ usq; ad diem judicii, proinde non temere nos facere, si etiam in hoc, quod volunt, Paradisum adhuc extare, ab iis recedamus. Asserunt quidem, vel potius referunt & alii Patres hanc sententiam, sicut & Scholastici pleriq; sed nullo modo tanquam de fide.*

Lorinus in comm. 2. Pet. 3 v. 10. *Moses Barcepha lib. de Parad. cap. 18. credit, Paradisum terrestrem à generali exustione liberum futurum &c. Sed nulla ratio suadet, ut à generali conflagratione eximatur lege Paradisus terrestris, nisi jam tamen diluvio perriit ut existimant aliqui tunc periisse, in quibus potissimum Pererius lib. 5. in Genes. q. 5. lib. 7. q. 7.*

2. Quod dubitanter thesin suam asserunt.

Caspar Sanctius in lib. 2. Reg. cap. 2. p. 1359. dubitative loquitur: *Si extat nunc Paradisus, quod aliqui verum esse putant, neq; fortasse falso, ibi nunc agere Henochum, neque ego dubitarem, neque ullus, nisi opinando audatior foret.*

Bellarm. lib. de grat. primi hominis cap. 14. *Paradisum adhuc superesse probat ex eo, quod hæc sit communis Patrum & Scholasticorum fere omnium opinio, à qua non facile ausit recedere, præsertim cum Augustinus hoc videatur ad fidem Catholicam referre.*

(Si hoc dogma ad fidem Catholicam pertinet, cur Bellarminus illud *Patrum & Scholasticorum opinionem* vocat?)

Gregorius de Valent. dict. Disp. q. 6. punct. 2. *In hac re, quæ neutram in partem satis certo ac firmiter argumentis à ratione ductis probari ac definiri potest, apud me præponderat consentiens Patrum autoritas.*

Sebastianus Barradius tom. 4. Conc. lib. 8. cap. 14. *Verisimile est, animas ex limbo eductas in Paradiso terrestri* (post resurrectionem Christi) *permansisse, Christumque in eodem Paradiso noctes diesque transegisse. Est hæc sententia Anshelmi in Elucidario. Quærit, ubi mansit Dominus illis quadraginta diebus? respondet, in Paradiso terreno, ut creditur, cum Elia & Enoch, & cum iis, qui cum eo surrexerunt. Est etiam D. Thomæ 3 sent. dist. 22. q. 3. in resp. ad 3. q. ad 3. & D. Bonaventuræ in vita Christi c. 81. & 91. Est rationi consentanea. Animæ enim illæ non vagabantur huc atq; illuc, certum ergò habebant locum; nullum autem habere potuerunt digniorem, quam Paradisum terrestrem, ubi Elias est & Enoch. Ubi autem animæ manebant, ibi & Christus. Quod si quis cum recentioribus quibusdam autoribus velit Paradisum terrestrem jam non extare, sua fruatur opinione.* Hæc Barradius ἐπαμφοτερίζων.

Jacob. Tirinus in comm. Gen. 5. v. 24. *Probabile est, Paradisum terrestrem, & in eo arborem vitæ etiamnum superesse. Cur enim nobilissimum arboris genus Deus perdidisset, aut interire permisisset, qui virentem olivam & alias arborum etiam vilissimas species à diluvio tanta cura conservavit?*

3. Quod opinio de Henocho, in Paradisum terrenum adhuc superstitem translato, varias & ἀπεράντους peperit quæstiones.

Primò enim quærunt, *an Henochus habeat corpus glorificatũ?*

Negat Lessius de Antichr. Disp. 15. *quia si corpus ejus glorificatum, etiam anima suam consecuta esset gloriam, sicque corpore & anima beatus fuisset ante Christi mortem, quod falsum. Sic enim Christus non esset primogenitus in multis fratribus.*

(At si fruitur visione Dei beatifica, quod alii affirmant, quomodo non habebit corpus glorificatum? Proinde etiam Ambros. Catharinus in opusc. de consummata gloria Christi, & Augustinus Eugubinus in recogn. V. T. super cap. 2. Gen. statuunt, *Enochum & Eliam in corporibus gloriosis in cœlo regnare.*)

Secundò quærunt, *quid in Paradiso agat?*

Lorinus in comm. Epist. Jud. respondet, *similem habere satietatem quadraginta illis diebus, quibus Elias sine cibo vixit.*

Caspar Sanctius in 2. Reg. 2. putat, *ipsum ab Angelis de rebus humanis edoceri, nec ignorare, quis sit rerum in mundo status, solicitum esse de salute Sanctorum in mundo, & secum perpendere, cur adhuc in terris detineatur?*

Tertiò quærunt, *An divino fruatur aspectu?*

Eugubinus & Catharinus d. l. *eum in conspectu Dei beatifico collocatum* ajunt.

Sanctius d. l. cum Suarez tom. 2. in p. 3. Thom. Disp. 55. s. 1. statuit, *eum quidem visione Dei beatifica nondum esse illustratum, esse*

tamen ei concedendum aliquid, quod non assequitur humana ratio & terrena conditio, cum alia sit illi vivendi ratio, status alius longe dissimilis.

Eandem sententiam concedit etiam Lorinus d.l.

Quartò quærunt, *de ipsius alimento.*

Sanctius d.l. *Angelorum ministerio aut alio quodam miraculoso modo allatos esse cibos, quib. tamdiu vitam sustentat, non est improbabile. Sed est mihi multo verisimilius, in eo statu nullo uti humano cibo Enochum, sed impastum tamdiu vegetam & robustam vitam miraculose conservare.*

Eodem abit Suarez tom.2. in p.3. Thomæ Disp.55. s.1.

Jac. Tirinus. Jes. in comm. Gen.5.v.24 hanc dissensionem fatetur: *Quidam*, inquit, *dicunt, Henochum & Eliam usu arboris vitæ & aliarum fruipro libito, atq; ita continuo vitam prorogare. Alii dicunt, sine esu aut potu, aut eorum appetentia vel indigentia, suspendente Deo actionem caloris naturalis consumtricem humidi radicalis, integros incorruptosque manere.*

Quintò quærunt, *de ipsius vestibus.*

Sanctius d.l. *De vestib. aliisq; necessariis subsidiis blandimentisq; Naturæ omnia sunt incerta, qualia sunt tondere comas, resecare ungues & similia.*

Sextò quærunt, *an sit adhuc in statu merendi positus, & an revera in Paradiso mereatur?*

Quidam *illum toto abhinc tempore meruisse, & usque ad finem meriturum* asserunt.

Alphonsus Tostatus in Epist. Judæ q.24. & in c.25. Matth. q.556. Blasius de Viegas in Apocal. comm.5.s.4.p.445. Henriquez lib. ult. de fine hominis cap.23. Tenasius in c.11. Epist. Hebr. Disp.4 s.3. Malvenda lib.9. de Antichristo c.5.

Alii vero omninò negant, *quia licet non assecutus fuerit terminum vitæ, sic tamen sint sedati turbidiores animi motus, ut nulla sit reliqua vincendi seu pugnandi materia.* Vasquez 1.2. Disp.216. c.1. Suarez tom.2. in part.3 q.59. art.6. Disp.55. s.1. Loysius Turrianus in 2.2. Thom. q.2. art.9. Disp.31. dub.2.

Suarez addit, *ipsum fuisse in bono confirmatum & impeccabilem redditum.*

Lorinus in Epist. Jud. ait, *longè satius esse Enocho constituto penitus extra hominum societatem merita augendi facultatem intercisam asserere, donec huc remittatur, cum tamen etiam magni meriti fuisse videatur tam longam glorificationis suæ dilationem, quando ei denunciata est, adeò patienti, promto, libentique animo pro gloria Dei, aliorumque utilitate tulisse.*

Pererius lib. 7. comment. in Genes. Disp. de Henoch. q.5. *utramque quæstionis partem* statuit *esse probabilem.*

4. Dissensiones Adversariorum.

Primò, Sixtus Senensis lib.5. Biblioth. annot.36. audacter scribit, *dicere Henoch & Heliam non esse translatum in illum Paradisum terrestrem, ibique versari, esse contra Scripturam & à recta fidei regula exorbitare.*

Quò pertinet, quod Bell. de gratia primi hominis cap.14. scribit, *Augustinus hoc dogma (Paradisum adhuc superesse,) videtur ad fidem Catholicam referre lib. 2. de peccato orig. contra Pelag. & Cœlestin. cap.23.*

Alii vero *rem quæstionis* esse statuunt, quæ neutram in partem satis certo ac firmiter argumentis à ratione ductis probari ac definiri possit, ut vidimus superius §.2. Quo pertinet, quod idem Bellarm. d.l. vocat *communem Patrum & Scholasticorum ferè omnium opinionem.*

Secundò, Bellarm. d.l. disputat, *aquas diluvii in Paradisum minimè penetrasse.*

Jacob. Tirinus Jesuita in comm. Gen.5. v.24. sic scribit: *Thomas Malvenda lib. de Paradiso cap. 84. & P. Jacob. Bonfrerius dicunt, probabile esse, Paradisum, in quo est Henoch tempore diluvii ab aquis imbribusque servatum immunem, aquis undique ad latera sese attollentibus & quasi in murum solidatis, ut contigit Israelitis in mari rubro & in Jordane; & Josepho nostro Anchieta in mari Brasilico & quibusdam aliis sanctis.*

Sed Gregorius de Valentia d.l. concedit, *locum Paradisi aquis diluvii obrutum, ejusque venustatem & amœnitatem diuturna illa inundatione deletum*, ut vidimus superius membr.1.

Sanctius in 2. Reg.2. Gregorio de Valentia suffragatur, sic scribens: *Quod generalis illa terrarum inundatio splendorem terræ & amœnitatem abstulerit; & tradunt è recentioribus multi, & docet ipsa rerum Natura. Quomodo enim cum terra tamdiu esset aquis operta, conservare potuit speciem antiquam, aut quomodo non esset ab aliquo tam rara illa amœnitas deprehensa, maxime cum fluvii, qui suas in Paradiso scatebras habent, ad illum locum deducere potuerint?*

Subjicit tamen: *Licet illustris illa species & amœnitas generali totius mundi vastatione perierit, tamen verisimile est, vixisse ibi Henochum, etiam postquam splendorem pristinum amisit.*

(Sic ergo pro salute & vita Henochi magis solicitus est Bellarminus, quam Gregorius de Valentia & Sanctius. Ille enim *aquas ita cohibitas* existimat, *ne in Paradisum penetrarent*; hi vero non cogitant, *ubi Henochus Paradiso aquis obruto suum habuerit domicilium?* Quamvis etiam Bellarm. tandem eò abeat, *ut Henochum in mediis aquis conservatum fuisse* asserat.)

Tertiò, Bellarm. de situ Paradisi nihil certi affirmat. Nam & Origenis & Ephremi, & Bedæ & eorum, qui Paradisum in Mesopotamia fuisse statuunt, sententiam rejicit. Ipse v. generatim tantummodo in ἐπιγραφῇ c.12. scribit, *Locum terrestris Paradisi esse à cognitione humana remotissimum.*

At si porrò quæras, *num Paradisum in orbe habitabili, an extra eum collocet?* nihil certi ex ejus disputationib. colligi potest.

cap.12. §. Alia &c. *satis compertum esse*, scribit, *multorum navigationibus, neque ab Oceano cingi omnem terram, neque esse ultra Oceanum aliam terram.*

Sed in cap.14. resp. ad arg. ab aquis diluvii, scribit, *eam tantum terrã, quæ à peccatoribus incolebatur, aquis diluvii opertã fuisse.*

(Quo ipso innuere videtur, Paradisum in terra prorsus sancta, & à peccatorum consortio remota, esse positum. Ubi v. terra illa sit, num intra globum terrenum orbis habitabilis, an extra eum? nusquam explicat. Sed nec explicare salvis suis hypothesib. commode potest. Si enim extra terram habitabilem, quam nos incolimus, Paradisum esse dixerit, rata erit Ephremi & Bedæ sententia, quam ipse repudiat. Si vero globo terreno contineri responderit, erit vel in parte terrarũ cognita, vel adhuc incognita. Non in terra cognita, nusquam enim terra à peccatorum commercio remota hactenus ulli uspiam apparuit. Nec in terra incognita, quia ultra Oceanum aliam terrã nondum cognitam esse negat.)

Argumenta Adversariorum,

1. *Patres, Irenæus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Beda &c. affirmant, Paradisum adhuc extare.*

Resp. 1. ex Pererio lib.3. in Genes. c.2. q.5. p.305. *Videtur*, inquit, *de hoc genere argumentandi, quod ex multorum autorum consensione ducitur, illud in universum vere dici posse, licet plurimi Doctores in unam aliquam conveniant sententiam, si ea non pertineat ad fidem Catholicam, sed versetur in eo genere rerum, quæ salva fide Catholica in utramque partem tractari possunt, non ideò tamen eam opinionem argumentum facere in Theologia firmum certumque, nec unius aut paucorum sententiam contrariam hoc ipso, quod multitudini scriptorum adversetur, damnandam esse &c.* tum ad testimonia Justini & Irenæi sigillatim respondet, quos *ea de Paradiso docere*, ait, *quæ partim incerta sint, partim damnata jam ab Ecclesia, quædam etiam Scripturæ contraria, puta quod justorum animas usq; ad diem judicii in eo commorari dicunt.*

Item, *quod verba Christi, Luc.23. Hodie mecum eris in Paradiso &c. nec non Paradisum, ad quem raptus est Paulus, de terrestri Paradiso interpretantur.*

Postea sibiipsi objicit, *Irenæus affirmat, se, quod de Paradiso tradit, à Presbyteris Asiæ discipulis Apostolorum accepisse.*

Respondet autem, *Sed quid tũ postea? an ideo quodcunq; ab istis Presbyteris proditum est, tanquam indubitatum doctrinæ Christianæ dogma haberi debet? nonne constat, istos ipsos Presbyteros eodem referente Irenæo quædam falsa & divinis literis contraria docuisse?*

Ad locum Augustini (lib.2. de peccat. originis contra Pelag. & Cœlestin. cap.23. *esse illum Paradisum fides Christiana non dubitat*) respondet, *Augustinum ibi non hoc dicere, quod secundum fidem Catholicam statuendum sit, Paradisum adhuc extare, sed hoc tantum significare voluisse, Paradisum, quem descripsit Moses, intelligendum esse locum quendam corporatum & terrestrem, non autem tantummodo spiritualiter esse accipiendum. Nam quod secundum fidem Catholicam sentiendum sit, Paradisum nunc extare, non voluit dicere Augustinus. Ubi enim aut quomodo id fides Christiana docet? an quia persuasum est multis, Henoch & Eliam in Paradiso versari? at enim illo eodem loco* (lib.2. de peccat. orig. contra Pelag. & Cœlest. c.23.) *dubium & incertum hoc facit Augustinus.*

Ad Scholasticorum autoritatem respondet, *eos opinionem suam non tenuisse tanquam certam & quæ secundum fidem Catholicam omninò teneri debeat*, ac subdit: *Ex his apparet, Paradisum nunc non existere, videri satis probabile, nec hujus opinionis fidem tam ullis Scripturæ testimoniis & argumentis, quam novitate ejus aut paucitate autorũ, qui adhuc eam sequuntur, elevari. Posset igitur, si ea publicè doceri posse videatur, ut probabilis doceri ac defendi.*

Similia

Similia habet lib. 7. in Genes. Disp. de Henoch. q. 7. p. 804. & seqq. ubi addit: *In dijudicandis quæstionibus non pertinentibus ad fidem, non tantum spectari debere, qui aut quot auctores aliquid sentiant, aut dicant; sed etiam æstimanda & examinanda rationum momenta &c. Dixerint*, inquit, *plurimi autores, Paradisum terrestrem nunc existere &c. verum hoc illi nulla probabili vel Scripturæ autoritate, vel historia, vel experientia, vel humana ratione aut conjectura confirmarunt.*

2. Ex Blasio de Viegas in comm. Apocal. cap. 11. p. 446. qui adductis multorum Patrum, Paradisum adhuc superesse affirmantium, dictis subjungit, *negantem quæstionis partem, quæ asserit, aquis diluvii Paradisum esse obrutum, probabilem & divinis literis consentaneam esse, eiq; nihil obesse debere novitatem, quo minus ut probabilis defendi possit.*

3. Ex eodem Blasio de Viegas d. l. *Cyprianus lib. de montib. Sion & Sina, Theodoretus q. 45. in Genes. cap. 23. docent, quæstionem illam, utrum Paradisus adhuc existat, esse unam ex iis, quæ ad fidem minime pertinent, salvaq; fide in alterutrā partem disputari possunt.*

4. Ex Estio in annot. ad cap. 2. Genes. v. 8. *Ad Justini, Irenæi & Tertulliani sententias respondeo, eos quadam alia iisdem locis adjungere, quæ Ecclesia non recipit, ut quod in illum terrestrem Paradisum ductus sit latro, quodq; in eo demorentur omnes justorum animæ usq; ad diem judicii: proinde non temere nos facere, si etiam in hoc, quod volunt, Paradisum adhuc extare, ab iis recedamus. Asserunt quidem, vel potius referunt & alii Patres hanc sententiam, sicut & Scholastici plerique, sed nullo modo tanquam de fide.*

Argum. 2. *Enoch & Elias translati sunt in Paradisum, ex quo expulsus est Adam. Sir. 44. Ergo Paradisus adhuc superest.*

Resp. 1. Pererius lib. 3. in Genes. Disp. de Paradiso q. 5. & lib. 7. Disp. de Enoch. q. 7. agnoscit, *hoc esse commentum Judaicum*, & ad testimoniū Siracidis prolixe respondet, hoc modo:

Primò, *locus ille Græce, qua lingua liber ille primum ab autore scriptus est, non habet vocem Paradisus, sed præcise sic habet: Henoch placuit Deo & translatus est, ut det gentibus pœnitentiam.*

Secundò, *Augustinus lib. 2. de grat. contra Pelag. & Cælestin. cap. 23. docet, sicut certum est, Henoch & Heliam nunc vivere, ita ubi nunc sint, an in Paradiso, an alibi, incertum esse, nec spectare ad fidem. Similiter Chrysostomus homil. 21. in Genes. nesciri ait, quo sit Enoch translatus, ideoque id non curiose scrutandum.*

Tertiò, *si maxime concedatur, Enochum esse in Paradiso, ex eo tamen concludi non potest, eum esse in Paradiso illo terrestri, quem descripsit Moses. Vox enim hæc Paradisus in sacris literis non est nomen proprium unius loci, sed est generale nomen, significans quemvis locum amœnissimum, quin etiam non semel in Scripturis dicitur de Paradiso spirituali & cœlesti. Sit igitur Henoch in Paradiso, sed non est tamen necesse eum esse in illo Paradiso, unde ejectus est Adam, verum in alio aliquo loco &c. quod ipsum testimoniis Ruperti lib. 3. de Trinit. cap. 33. & Gregorii hom. l. 29. in Evang. confirmari potest.*

Quartò, *Vulgata translatio non habet, Henochum nunc esse in Paradiso, sed tantum habet, translatum fuisse Henochum in Paradisum, quod ad quæstionem præsentem non pertinet. Cum enim translatio illa Henochi amplius sexcentis annis ante diluvium facta fuerit, fieri potuit, ut tunc Henoch ductus fuerit in Paradisum illum terrestrem, quem nos durasse usque ad diluvium non negamus, hinc tamen non licet argumentari illum Paradisum intactum fuisse diluvio & nunc etiam existere, & in eo commorari Henochum & Heliam.* Hæc omnia Pererius.

2. Malvenda lib. 9. de Antichristo c. 5. ex Michaële Psello Christiano Philosopho refert, *Henocho ab hac vita in statum diviniorem translato corpus extenuatum in æthera esse sublevatum.*

(Sir. 49. v. 16. *Henoch de terra assumtus*, & Hebr. 11. v. 5. *translatus vel transpositus fuisse* dicitur, *ne videret mortem*. Ergo non fuit translatus in Paradisum terrenum, sic enim non fuisset *assumtus de terra*, sed in Paradisum cœlestem.)

3. Cornelius à Lapide in comm. cap. 5. Genes. ad dicta Patrum, quæ Henochum *in cœlestem Paradisum* translatum esse testantur, respondere conatur, sed nec lectori, nec sibiipsi satisfacit. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 3. dicit, *Henochum raptum esse in cœlum.*

Cornelius à Lapide id detorquet, hoc modo, quod *Henoch de terra sublatus sit in aëra & per aëra in Paradisum translatus.*

Tertullianus lib. de resurr. carnis c. 58. dicit: *Henoch & Eliam de orbe esse translatos.*

Cornelius à Lapide illud sic detorquet, quod *per orbem intelligatur terra hæc ab hominibus habitata & culta.*

Procopius & Eugubinus dicunt, *Henochum & Eliam frui visione Dei & gloriosa habere corpora in cælo.*

Cornelius respondet, *eos errare.* Tandem igitur concludit: *Henoch ante diluvium translatus est in Paradisum, post diluvium vero, quo inundatus & sublatus videtur Paradisus, agit in loco aliquo amœno, quem Deus illi sive in aëre, sive in terra præparavit, ad quem post diluvium raptus est Elias.*

(Agnoscit ergo Cornelius à translatione Enochi & Eliæ non posse firmum argumentum peti, quo probetur, Paradisum adhuc existere.)

4. Thomas de Aquin. non simpliciter audet asserere, *Enochum & Eliam in Paradiso terrestri adhuc vivere*, sed ubi de hoc loquitur, solet id dicere cum adjectione, *ut dicitur*, vel *ut creditur*, veluti q. 102. art. 2.

Similiter Gregor. de Valent. dicta Disp. 7. col. 1484. *id non plane certum esse* ait.

5. Estius in annot. Gen. 2. v. 8. sic respondet: *In Græco Codice, Eccles. 44. non nominatur Paradisus, imò nec additur locus aliquis, in quem fuerit translatus.*

Confer quæ dicta superius artic. 3. de Pontif. Rom. c. 6. arg. Adv. 3. demonstr. 3.

Arg. 3. *Si aquæ diluvii omnes arbores eradicassent, ac Paradisum etiam devastassent, ubi invenit columba ramum illum oleæ, quem ad Noahum attulit, Gen. 8. v. 11.*

Bell. d. l. *Probabile est, Paradisum & arborem vitæ adhuc superesse. Cur enim nobilissimum arboris genus Deus perdidisset, aut interire permisisset, qui virentem olivam & alias arborum etiam vilissimas species à diluvio tanta cura conservavit?* Jac. Tirinus in comment. Gen. 5. v. 24.

Resp. Pererius d. l. *Aliud est loqui de universo loco Paradisi & iis omnibus, quæ in eo erant, & aliud de una vel altera arbore, quæ vel propter Naturam loci, quo erat, vel propter robur & firmitatem suam sub aquis diluvii durare potuerit, qualis est olea, cui nunquam folia decidunt, & quā tradit Plin. lib. 16. c. 44. ducentos annos vivere.*

(Si hoc folium è Paradiso aquis intacto allatum fuisset, quomodo Noachus inde colligere potuisset, aquas diluvii defecisse? Moses diserte addit, *alleviatas seu diminutas jamtum fuisse aquas* & per dies aliquot arcam in montibus Ararat stetisse.)

CAPUT V.

De Amissione Divinæ Imaginis.

Thesis. Imago Dei in homine per lapsum protoplastorum est amissa.

Ἔκθεσις. 1. Si divina imago sumatur pro ipsa essentia animæ, pro intellectu, voluntate & reliquis facultatibus, de qua quidam veterum divinæ imaginis appellationem accipiunt, dicendum non est, eam per lapsum periisse, siquidem quoad essentiam eadem mansit anima Adæ post lapsum, quæ fuit ante lapsum.

2. Si imago Dei accipiatur pro generali quadam congruentia & ἀναλογίᾳ, qua anima hominis quædam τὰ θεῖα exprimit, ut quod umbram quandam mysterii Trinitatis ostendit, quod est incorporea, spiritualis, intelligens & liberæ voluntatis in rebus suæ potestati subjectis, itidem non est dicendum, eam per lapsum periisse, siquidem hæc omnia animadvertuntur in anima hominis etiam post lapsum.

3. Si accipiatur imago Dei pro dominio in creaturas reliquas, præsertim animantia, in quo ὁμοίωσις imago Dei constitit, itidem dicendum non est, hoc sensu & hoc respectu imaginem Dei penitus in homine periisse. Etsi enim illa imperii dignitas multis modis est diminuta ac labefactata, tamen aliqua adhuc ejus supersunt vestigia.

4. Si imago divina accipiatur pro principiis nobiscum natis, quæ sunt tenues quædam reliquiæ imaginis divinæ in mente & voluntate hominis, fatemur itidem, imaginem Dei non esse respectu harum tenuissimarum reliquiarum penitus amissam, cum adhuc *opus legis scriptum sit in cordib.* non renatorum, Rom. 2. v. 15.

5. Sed si juxta Scripturæ explicationem ac determinationem imago Dei accipiatur pro *justitia & sanctitate illa vera*, ad quam homo conditus, Col. 3. v. 10. Eph. 4. v. 23. 2. Cor. 3. v. 18. ac pro concreata illa omnium virium integritate & rectitudine, quæ in homine ante lapsum fuit, dicendum, imaginem divinam per lapsum protoplastorum esse amissam.

Antithesis. Bellarm. lib. 4. de Eccles. c. 9. §. Origenis &c. *hæreseos* dicam illis scribit, qui *imaginem Dei amissam esse* docent.

lib. de gratia primi hominis cap. 2. §. Ex his &c. *Adamus peccando non imaginem Dei sed similitudinem perdidit.*

lib. 5. de amiss. gratiæ & stat. peccati c. 3. §. Ad illud. *Renovatio*

vatio mentis humanæ, quæ est imago Dei, significat imaginem illam obscuratam fuisse, non deletam.

lib. 5. de grat. & lib. arbitrio cap. 25. §. Et adhuc &c. *Imaginem Dei extinctam esse post peccatum, neq; Irenæus neq; Paulus unquam scripsit. Reformatur v. in nobis imago, quoniam obscurata fuerat, licet non extincta.*

Gregorius de Valent. lib. de peccat. orig. cap. 5. *Doctrina orthodoxa habet divinam imaginem non fuisse divinitus positam in aliqua hominis parte vel substantiali vel accidentali, quam ille per peccatum amittere potuerit, sed in ipsius hominis Natura, quæ per peccatum abolita non est.*

Camillus Cautius in scholiis pro relig. art. 1. (Venet. Ann. 1559. excusis) p. 5. *Quis unquam tam fatuus atq; humano generi inimicus hæreticus fuit, qui tam severam de peccato Adæ sententiam ferre non dubitavit? (quod per illud imaginem Dei amiserit.) Amissa imagine Dei, quid amplius nobis cum Deo est? Si imago Dei dicatur amissa, nihil aliud id portendit, quam hominem superna illa rationali anima carere, qua à brutis differimus, in qua tamen Christus æternam vitam contineri docuerit.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex imaginis divinæ restitutione.* Quod nova ipsius Dei creatione in nobis restituendum, illud in nobis penitus est amissum. Imago Dei, id est, justitia & sanctitas veritatis, adeoq; interior mentis, voluntatis & omnium virium perfectio, ac cum lege divina conformitas nova ipsius Dei creatione est in nobis restituenda. Eph. 4, 23. 24. Coloss. 3, 10. 2. Cor. 3. v. 18. E.

2. *Ex hominis ante lapsum & post lapsum collatione.* Primus homo ante lapsum fuit justus, sanctus, rectus &c. in mente ejus fulsit lux sapientiæ in voluntate fuit conformitas cum lege Dei. Sed de homine post lapsum dicitur, quod sit *tenebræ*, Eph. 5. v. 8. quod *non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei*, 1. Cor. 2. v. 14. quod *omne figmentum cordis ejus tantummodo malum omnibus diebus ab infantia*, Gen. 6. v. 5. cap. 8. v. 21. quod *sit in peccatis mortuus & Natura filius iræ*, Eph. 2. v. 3. unde sic colligimus. Sublatis illis, ex quibus tanquam partibus integrantibus, constitit imago Dei, ipsa quoque imago Dei sublata intelligitur. Atqui in homine post lapsum non amplius locum habent ea, ex quibus, tanquam partibus integrantibus, constitit imago Dei, quæ sunt lux sapientiæ in mente, conformitas cum lege divina in voluntate, rectitudo & perfectio omnium virium. Ergo.

3. *Ex Apostolica assertione*, Rom. 3. v. 23. *Non est distinctio, omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.* Qui destituuntur gloria Dei, in illis etiam imago Dei est amissa, quia gloria illa Dei, juxta interpretationem Apostolicam 2. Cor. 3. v. 18. est Dei imago. Homines post lapsum destituuntur gloria Dei. Ergo.

4. *Ex oppositione.* In quibus hæret peccatum originis, in illis imago Dei non amplius locum habet, quia peccatum originis opponitur imagini divinæ, ad quam homo conditus, ac definitur carentia justitiæ originalis & totius Naturæ humanæ corruptione. In hominibus post lapsum hæret peccatum originis. E.

5. *Ex corruptæ Naturæ propagatione.* Gen. 5. v. 3. Adam post lapsum *genuisse* dicitur *filium ad imaginem & similitudinem* (non Dei, sed) *suam*, peccato scil. corruptam & deformatam; ex quo sic colligimus. Quod à parentibus in posteros non propagatur, illud per Naturam in posteris non habet locum. Imago divina non amplius à parentibus in posteros propagatur, sed imago propria peccato corrupta & deformata.

Quo etiam pertinet, quod Paulus 1. Cor. 15. v. 49. asserit, nos non Dei & Adami cœlestis, sed imaginem Adæ terreni, à Deo aversi, concreata innocentia & justitia destituti, omnisq; generis calamitatibus, morbis & morti obnoxii gestare. Ergo.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1 Bernhardus, qui in tract. de grat. & lib. arbitr. col. 1061. scribit: *Sufficiat in hoc corpore mortis atq; in hoc seculo nequam ex libertate consilii peccato non obedire ex concupiscentia &c. sic profecto Dei in nobis reparamus imaginem, sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam præparamur.*

(Si imago Dei in nobis reparanda, ut per illam reparationem antiquam honori, quem per peccatum amisimus, præparemur, utique imago Dei est amissa.)

2. Jus Canonicum.

c. Quomodo. dist. 2. de pœnit. ex Augustino: *Hanc imaginem* (de qua Coloss. 3.) *in Spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum.*

c. Princeps. dist. ead. ex eod. *Princeps vitiorum omnium, dum vidit Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, caritate splendidum, primos parentes illis donis ac tantis bonis exspoliavit pariter, ac peremit.*

3. Scholastici.

Thomas 2. sent. dist. 16. q. 3. distinguit: *Ad imaginem pertinet aliquid dupliciter, uno modo quasi ei essentiale. Altero sicut completivum ejus, quantum ad bene esse. Essentialiter imago Dei in nobis consistit in mente & in his, quæ eam consequuntur naturaliter &c. Sed perfectio imaginis quantum ad bene esse consistit in hoc, quod anima Deum actualiter capit, quod fit per gratiam & virtutes. Quantum ad primum, imago semper manet in creatura rationali, sed quantum ad secundum, amittitur per peccatum.*

(Quando imaginem divinam amissam dicimus, non in priore, sed in posteriore significatione nomen divinæ imaginis accipimus.)

Hugo in cap. 5. Gen. sic commentatur: *Sicut Adam factus fuerat à Deo innocente & immortali innocens, immortalis, id est, potens non mori: ita ipse factus peccator & mortalis genuit peccatorem & mortalem.*

(Qui gignit peccatorem & mortalem, ille non Dei, sed suam imaginem peccato corruptam in filium propagat.)

4. Recentiores Pontificii. Alphonsus de Castro lib. 2. adv. hæres. tit. Adam, error. 2. *Epiphanius in Epistola ad Joh. Episc. Hierosol. tribuit Origeni hunc errorem, quod asseruerit, Adamum post peccatum perdidisse imaginem Dei &c. Inprimis illud mihi dubium est, an Origenes senserit hominem per peccatum aliquid de sua substantia perdidisse, an solum qualitates animæ aliquas, vel ut sub aliis verbis dicam, an imaginem perdiderit, an solam similitudinem &c. Si Origenes dicat, Adamum post peccatum perdidisse imaginem, accepto imaginis nomine juxta eam significationem, ut imago in Natura consistat, manifestus est error, justeque eum ob hanc causam accusat Epiphanius &c. Verum imaginis nomen non semper Scriptura capit juxta eam differentiam, ita ut imago semper tribuatur nudæ Naturæ, sed aliquando juxta animæ qualitates, ut patet in Epist. Col. 3. &c. Ex quo loco manifeste patet, hanc esse datam à Paulo differentiam inter veterem & novum hominem, ut vetus homo, qui ad peccatum pertinet, non habeat imaginem Dei, quia scil. bonitate caret; novus autem homo, qui ad gratiam per Christum recuperatam pertinet, gerat Dei imaginem: juxta quod oportet ut ibi imago non solum consistat in nuda animæ substantia, sed in gratia etiam, per quam homo Deiformis fiat. Et B. Ambrosius super Epist. Pauli exponens hunc locum ex Epist. ad Coloss. proxime citatum, sic ait: Imago hæc in conversione bona vita intelligenda est. Sicut dicit ad Corinth. in Epist. 1. cap. 15 Quemadmodum portavimus &c. Ipse est ergo creator hominis, cujus imaginem portare nos jubet in sanctitate & bonis operibus, quæ de Filii Dei agnitione descendit. Hæc Ambrosius. Ex quibus manifeste colligitur, imaginis nomen non solum capi in sacris literis juxta id, quod in Natura situm est, quod etiam nunquam perditur, sed aliquando etiam capi juxta quasdam animæ qualitates. Quod si forte ita Origenes cepit imaginis nomen, ut imaginem pro similitudine usurpaverit, quis non videt ibi nullam esse hæresis suspicionem?*

Pererius lib. 4. in Genes. Disp. de Imagine Dei q. 7. p. 121. n. 54. *Dupliciter de imagine Dei loqui possumus, vel prout ea consideratur secundum dona naturalia, & posita est in eo, quod est habere Naturam rationis compotem, & hac ratione non magis peccato perditur imago Dei, quam perditur ipsa Natura rationalis: aut consideratur imago secundum dona supernaturalia, scil. divinæ gratiæ & cœlestis gloriæ, quæ quidem est naturalis imaginis absolutio & consummatio. Et hujusmodi similitudo & imago Dei peccando penitus deletur atq; destruitur.*

(Similitudinem & imaginem illam amissam esse nostræ sententiæ conforme est; *imaginem illam in primo homine fuisse donum supernaturale*, nec Scripturis sacris, nec nostræ sententiæ est conforme.)

Vasquez in 1. 2. Thomæ tom. 1. Disp. 137. n. 14. *Respondeo, imaginem Dei aliam esse naturaliter impressam in intellectu, nempe memoriam & voluntatem, & hujus nihil minus intrinsece, sed tantum extrinsece, & ideò nunquam deleri, quantumvis extrinsece minuatur: aliam vero esse imaginem Dei homini per gratiam & caritatem impressam, his enim qualitatibus Deo similes efficimur, & hæc omnino amittitur per peccatum, & de hac intelligendi sunt Origenes & Augustinus.*

(In hac significatione etiam à nobis nomen imaginis accipitur, quando illam amissam esse dicimus.)

Maldonatus in cap. 15. Lucæ. *Solent plerique per substantiam, quam prodigus dicitur perdidisse, liberum arbitrium, cæterasque naturales facultates interpretari. Sic Augustinus, Beda, Euthymius, Bernhardus, quæ tamen sano ab iis sensu dicta sunt; alii per eam substantiam*

tiam perditam imaginem & similitudinem significant. Ambrosius: omnia, inquit, *ornamenta Naturæ consumsit.*

Villagudus in c. 3. Joh. *Adam per inobedientiam amisit imaginem Dei & factus est imago Satanæ, mancipium peccati, mortis & inferni; & quod maxime est dolendum, impotens factus suis viribus, quibus ad amissam effigiem resurgere nequit. Tales ergo habet posteros.*

Concilium Tridentinum in decreto de peccat. origin. can. 1. dicit, *primum hominem, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.*

(Atqui Apostolus imaginem divinam, ad quā primus homo fuit conditus, definit per justitiam & sanctitatē veram, Eph. 2. v. 24. Ergo homo per peccatum amisit divinam imaginem.)

Joh. Ferus in cap. 1. Matth. p. 1. *Adam caput generationis humanæ genuit filios ad imaginem suam & carnaliter & post peccatum, h. e. iræ, peccato & morti obnoxios. Eam enim imaginem post amissam innocentiam in se gerebat Adam, & secundum hanc imaginem omnes nati sumus.*

(Atqui peccatum, ira & mors testantur, non amplius superesse imaginem Dei in homine post lapsum.)

Bellarm. lib. de gratia primi hominis c. 5. §. Sanct⁹ Ambrosius &c. adducit & approbat dictū Ambr. lib. 6. hexaēm. c. 7. *Ubi lapsus est Adam, deposuit imaginē cœlestis, sumsit terrestris effigiē.*

Idem lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 5. §. Ad illud &c. *Sciendum est, imaginem Dei tribus modis considerari posse, secundum Naturam, secundum habitum, & secundum actum. Ex quibus modis secundus & tertius nihil sunt aliud, nisi perfectiones imaginis primo modo consideratæ. Nam quemadmodum imago depicta, si solum sit lineis adumbrata, vera erit imago, sed rudis; si addantur colores reddetur perfectior; si exprimantur venæ, musculi, minutissimaque partes perfectissima judicabitur: sic etiam ipsa substantia animæ rationalis imago Dei est, sed addito habitu gratiæ & sapientiæ perficitur & ornatur: cum vero actus Deum cognoscit & diligit perfectissima & ornatissima est. Ac peccatum quidem substantiam imaginis de medio tollere non potuit, sustulit tamen perfectionem illam & eximiam similitudinem, quæ in habitu & actu cognitionis & amoris posita erat: Itaq; imago non perit, sed obscurata ac deformata est quasi coloribus extinctis, & ideò reformari dicitur, cum gratia & sapientia reparantur in nobis, quomodo imago depicta renovari dici posset, si colores ferme extincti eidem imagini iterum adderentur.*

(Hæc facile ad bonum sensum reduci, & ad nostram sententiam accommodari possunt, si observetur

1. Nos imaginem & similitudinem pro ἰσοδυνάμοις juxta ductum Scripturæ in hac quæstione habere.

2. Imaginem non accipere de animæ essentia, sed perfectione accidentali.

3. Esse distinctionem vocis in sua significata, quando imago Dei considerari posse dicitur *secundum Naturam, secundum habitum & secundum actum*, non autem distributionem totius in partes integrantes.

4. Renovationem illam, per quam imago divina in nobis restituitur, præsupponere ejusdem amissionem. Quod enim per renovationem demum acquiritur, per carnis vetustatem non habetur.)

Argumenta Adversariorum.

1. *Gen. 5. v. 1. Adam genuit filium imaginem suam. E. imago Dei in ipso mansit.*

Resp. Alphonsus de Castro d. l. *Hoc testimonium* (ab Epiphanio Origeni oppositum) *nihil conferre proposito, est adeò apertū, ut non sit opus refellere, quoniam ibi dicitur, Seth fuisse genitum ad imaginem & similitudinem Adæ, non autem ad imaginem & similitudinem Dei. Neq; etiam Adam juxta similitudinem Dei filium gignere poterat, retenta illa similitudinis significatione* (qua pro animæ qualitatibus accipitur.)

Argum. 2. *Gen. 9. v. 6. prohibetur hominis sanguis effundi, quia ad imaginem suam Deus hominem fecit. Sap. 2. v. 23. Fecit Deus hominem ad imaginem propriæ similitudinis Jac. 3. v. 9. Lingua benedicimus hominibus, quia ad similitudinem Dei facti sunt.*

Resp. Alphonsus de Castro d. l. *Ex autoritate, Gen. 9. nihil aperte convincitur, nisi hominem ad imaginem Dei factum, non autē in ea perseverasse. Idem etiam penitus sonat testimonium ex Sapientia Salomonis. Neque aliud etiam probat testimonium ex Epistola B. Jacobi &c. Quod autem hæc autoritas homines dixit, non hominem, videtur ex illa colligi, non solum Adam, sed cæteros homines post peccatum genitos, factos ad similitudinem Dei. Cur responderi posset, alios homines tunc dici esse factos, quia tunc ille plasmatus est, à quo omnes erant deducendi. Neque hunc modum loquendi horrent sacræ literæ. Nam in Genesi legimus, post perfectā mundi fabricam secundum specierum & formarum diversitatem: Hæ sunt generationes, quas fecit Dominus, in die, quo creavit Deus cœlum & terram. Tunc enim omnes generationes factas esse Scriptura asserit, cum tamen postea per dierum volumina & successus factas esse referat, quasdam primo die, aliquas secundo, & sic usq; ad septimum diem. Dicuntur tamen omnes creaturæ factæ in die, quo creavit Deus cœlum & terram, quia illo die facta est universalis massa, ex qua omnes corporeæ substantiæ derivatæ sunt. Ad quem modum possit etiam dici, quamvis aliquanto coactius, omnes homines tunc dici esse factos, quando Adam factus est, nam tunc sicut ipsum Adam, sic etiam cæteros omnes ad imaginem Dei factos esse.*

(Homo post lapsum ad imaginem Dei creatus dicitur, non simpliciter, sed *secundum quid*, nimirum quod attinet reliquias quasdam divinæ imaginis, quales sunt conformitas illa generalis cum Deo quoad intelligentiam & usum rationis in rebus externis & rationi subjectis, justitiam aliqualem in operibus externis multipliciter tamen contaminatam, ac dominium aliquale in creaturas adhuc residuum.)

Appendix hujus Articuli I.

QUERELAM, CALUMNIAS ET OPINIONES Absurdas ac Erroneas Adversariorum complectens.

1. *Querela.*

Conqueruntur, *falsò sibi tribui Pelagianismum, propterea quod naturalia in homine doceant mansisse integra.*

Resp. 1. Bellarminus de grat. primi hominis cap. 1. scribit, *Pelagianorum olim sententiam fuisse, per Adami peccatum nihil omnino homines perdidisse, talemque nunc quoque esse humanam Naturam, qualem initio primus homo de manu conditoris accepit.*

Id. dicit Pererius lib. 5. in Gen. de art. excell. p. 566. *Peccatū Adami nihil de his, quæ naturalia sunt homini, perdidit aut diminuit.*

Discrimen in eo est, quod Pelagiani locuti sunt de homine vero, qualis initio à Deo conditus fuit & qualis nunc est; Jesuitæ vero de larva hominis digladiantur, hominem sc. talem futurum fuisse, si Deus in puris naturalibus eum condidisset.

2. Illud quoque Pelagianismo perquam affine, quod peccatum originis non in prava aliqua qualitate, sed in sola justitiæ originalis doni illius supernaturalis amissione constituunt.

3. Bellar. d. l. c. 5. asserit, *mortem esse à Natura, ut à causa per se.*

Pererius d. l. Disp. de quarta excell. q. 4. p. 595. *Cum Adamus ex materia, quæ habet potentiam contradictionis, & ex quatuor Elementis constaret, ex his naturali consequentia existebat naturalis potentia & necessitas aliquando moriendi.*

(Atqui si mors est à Natura, ut à causa per se, utique mors ipsius Naturæ, non peccati, effectus per se erit.)

2. Calumniæ.

1. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 9. *Origeni & Protestantibus* hæresin hoc nomine tribuit, quod statuant, *imaginem divinam per lapsum esse amissam.*

Resp. Alphonsus de Castro d. l. *Si forte Origenes ita accepit nomen imaginis, ut imaginem pro similitudine usurpaverit, quis non videt, ibi nullam esse hæresis suspicionem?*

Et postea: *Non reperio aliquem, qui hoc impingat Origeni præter unum Epiphanium. Nam Theophilus Alexandrinus Episcopus, qui in libro illo suo, cui Paschalis nomen indidit, Origenis errores recenset, nullam de hoc facit mentionem. Beatus etiam Hieronymus, cum in pluribus locis de erroribus Origenis mentionem faciat, nusquam hujus meminit. Quod fortè ideò factum puto, quod verba illa, quæ Epiphanius tribuit Origeni, etiamsi in libris Origenis reperirentur, aliquem pium & Catholicum patiebantur sensum, quem scil. proxime retulimus. Sunt tamen aliqui Zelo & non secundum discretionem impulsi, qui omne illud, quod à sensu suo abest, statim hæresin esse clamant, qualis forte fuit Epiphanius,* (ac qualis est Bellarminus.)

2. Idem Bellarm. lib. de grat. primi hominis c. 5 falsò nobis tribuit, quod statuamus, *justitiam originalem dici naturalem eo sensu, quia fuerit pars Naturæ aut fluxerit à principiis Naturæ.*

(Quo sensu justitiam originalem dicamus naturalem fuisse, exposuimus superius cap. 2. Illud *τὸ fluere ex principiis Naturæ integræ* supponit Naturam ordine & tempore priorē, quam originalis justitia sit, cum tamen Scriptura testetur, *hominem creatū esse rectū*, Eccl. 7. v. 30. non creatum cū tali Natura, quæ habilis sit ad recipiendum justitiæ supernaturale donum. Justitia enim donum est Naturæ concreatum & ingenitum, non à Natura ordine priori productum, quo modo etiamsi propagata in posteros fuisset, non tamen *ex principiis* Naturæ, sed *cum principiis* Naturæ integræ producta fuisset.)

3. Idem Bellarm. ibid. nobis tribuit, quod *nulla supernaturalia dona in primo homine agnoscamus.*

(Falsum hoc est, etsi enim negemus, justitiam originalem fuisse donum supernaturale, ex eo tamen inferri nequit, nulla in primo homine fuisse dona supernaturalia. Fuit enim in homine ante lapsum supernaturalis Dei gratia & favor, quo Deus eum sibi gratum & acceptum faciebat, ac præ cæteris creaturis amabat; supernaturalis SS. fulgor hominis animam efficaciter irradians, ut is in concreata integritate perseverare, Deique voluntati obtemperare potuisset, si voluisset; supernaturalis beatitudinis & vitæ splendor, qui in communione cum tota Sacrosancta Trinitate consistebat.

4. Idem Bellarm. d. l. c. 6. hanc nobis tribuit sententiam. *Naturam humanam, qualis nunc est, remota culpa malam esse & naturalia Adæ seclusa gratia fuisse saniora, quam nostra sunt.* cap. 7.

(Neutrum vero statuimus. Nam nec à Natura integra gratiam, nec à corrupta culpam abstrahimus, sed illam quidem ex Dei gratia & beneficio integram, hanc vero & propter peccatum corruptam asserimus, & hanc corruptionem non sola externi & supernaturalis doni amissione, sed naturalium virium destructione, malæq; qualitatis accessu definimus.

5. Idem Bellarminus d. l. c. 8. nobis tribuit, quod *immortalitatem primo homini debitam, h. e. non gratuitam asseramus.*

(Naturalem primo homini immortalitatem fuisse dicimus, interim ex gratia benignissimi creatoris concessam.

3. Opiniones erroneæ & absurdæ.

1. Tostatus in Genes. cap. 3. & Ambros. Catharinus ibid. affirmant, *justitiam originalẽ simul cum peccato mortali esse potuisse.*

(Sed hanc opinionẽ ceu absurdã reliqui merito repudiãt.)

2. Pererius lib. 4. in Genes. Disp. de Imag. Dei q. 3. *Potest simpliciter & absolute dici homo similior Deo, quam Angelus, in eo scil. quod in genere hominum sit Deipara semper virgo Maria, quæ secundum gratiam & gloriam omnes Angelos longissime superat.*

(Contra Greg. de Valent. tom. 1. in Thom. Disp. gener. sept. q. 3. punct. 1. ex Thoma statuit, *in Angelis perfectiorem esse Dei imaginem, quia Natura intellectualis in eis est perfectior.*)

3. Bellarm. de grat. prim. hominis c. 6. *rebellionem carnis ad Spiritum ex conditione materiæ originem trahere, eandemque in homine in puris naturalibus condito futuram fuisse* asserit.

(At hac ratione Deus, utpote materiæ illius autor atque opifex, statuitur causa peccati saltem oblique. Rectius idem Bellarm. d. l. c. 7. negat, *rebellionem carnis ad Spiritum, seu corruptionem, quæ nunc est in Natura humana, à Deo & ex Deo esse.*)

4. Idem d. l. c. 5. & 7. *homini in puris naturalibus condito morbum & languorem, imo concupiscentiam malam & odio dignam*, tribuit, ac diserte asserit, *morbum istum Naturæ ex conditione materiæ ortum, & propterea pugnam carnis & spiritus naturalem futuram fuisse, nisi Deus supernaturale justitiæ donum homini, ceu tegumentum, frenum ac remedium addidisset.*

Ibid. *Apertissima ratio docet, talem omnino fuisse futurum hominem in puris naturalibus, ut in eo esset preceps illa in vitium inclinatio.*

(At hoc pugnat cum rectitudine & justitia hominis concreata.)

Rectius ergo idem Bellarm. d. l. c. 7. *naturalem quandam rectitudinem in primo homine, non quidem fuisse, sed tamen esse potuisse* asserit, *si scilicet in puris naturalibus conditus fuisset. Natura enim*, inquit, *creata sine justitia & sine peccato (id enim vocamus in puris naturalibus) suam quandam habet rectitudinem, quatenus videlicet nullam habet vitii curvitatem.*

5. Idem Bellarm. d. l. c. 5. Durandi verba allegat & approbat, qui in 2. sent. dist. 20. q. 5. *Ergo*, inquit, *justitia originalis non fuisset transfusa à parente in prolem, sed fuisset proli à Deo infusa, sicut parentibus fuit à Deo gratis collata.*

(Atqui sicut hodie post lapsum peccatum originis, quod est justitiæ originalis carentia, à parente in prolem propagatur, ita quoq; ante lapsum justitia originalis à parente in prolem fuisset propagata. Inde Bellarm. ipse d. l. c. 7. in responsione ad dictum Leonis scribit: *Innocentiam primorum parentũ vocari naturalem, quia ab initio conditionis cum ipsa Natura tributa & per modum Naturæ in posteros propaganda fuerat, quemadmodum nunc peccatum originis à nativitate trahitur.*)

Idem Bellarm. d. l. c. 5. asserit, *corruptionem Naturæ non ex alicujus doni naturalis carentia, neq; ex alicujus malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis amissione profluxisse.*

(At Scriptura docet, totam hominis Naturam peccato esse corruptam ac depravatam, quod ipsum agnoscit Bellarminus, quando d. l. c. 7. vi veritatis convictus scribit, *totum hominem secundũ corpus & animam propter peccatũ originis in deterius mutatum esse*, quod ex sola privatione doni supernaturalis citra accessum habitus justitiæ originali contrarii fieri nequaquam potuit.

7. Idem Bellarm. d. l. c. 7. *concupiscentiam seu rebellionem carnis ad Spiritum, quam in statu purorum naturalium fuisse* asserit, *proprie peccatum esse negat.*

(Sed lex divina & Apostolus Rom. 7. contrarium docent. Concedit ipse Bell. d. l. *concupiscentiam illam non esse ex Deo, esse malam & odio dignam, Naturæ contrariam.* Quomodo igitur negare potest, esse peccatum, cum sit mala & propterea odio digna concupiscentia?)

8. Bellarmin. d. l. *concupiscentiam homini in puris naturalibus condito sine dubio naturalem fuisse* ait, *quia scil. ex materiæ conditione orta fuisset.*

(Sed rectitudo primo homini concreata ostendit, concupiscentiam illam sive rebellionem non fuisse homini naturalem, unde ipse Bellarm. ibidem eam vocat *Naturæ contrariam.*)

9. Augustinus Eugubinus in Cosmop. & Hieronymus Oleaster in c. 1. Genes. fingunt, *Deum cum hominem conditurus esset, formam quandam corporis nostri induisse, ut cum homine à se creato instar hominis in illo mundi primordio colloqui posset, & de illa forma assumta intelligendum esse oraculum divinum. Faciamus hominem ad imaginem nostram.*

(Quem errorem refellunt Pererius lib. 4. in Genes. p. 372. Greg. de Valent. dict. Disp. generali 7. q. 3. punct. 1. col. 1451.)

10. Cajetanus in cap. 2. Gen. *Adamum cœlorum & Elementorum notitiam habuisse* negant.

(Illum Pererius & Greg. de Valentia d. l. refellunt.)

11. Pererius lib. 5. in Genes. Disp. de tert. Excell. p. 566. *Peccatum Adami nihil de his, quæ naturalia sunt hominis, perdidit aut diminuit.* Disp. de quart. Excell. p. 596. *Propter peccatum, quæ naturalia sunt hominis, nec ablata, nec diminuta sunt, siquidem etiam Dæmonibus naturalia eorum remanserunt.*

Bellarm. d. l. c. 1. *Docent Catholici Dd. per Adæ peccatum hominem nec liberum arbitrium, nec alia naturalia dona, sed solum supernaturalia perdidisse.*

cap. 5. *Non magis differt status hominis post lapsum Adæ à statu ejusdem in puris naturalibus, quam differt spoliatus à nudo, neque deterior est humana Natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia & infirmitate laborat, quam esset & laboraret in puris naturalibus condita.*

cap. 6. *naturalia etiam in Dæmonibus post lapsum integra mansisse* contendit.

(At quia justitia originalis per lapsum amissa homini fuit naturalis, ut superius demonstratum, ideò dici nequit, naturalia in homine mansisse integra. Naturalia hominis dicuntur vel illa, quæ & integræ & corruptæ Naturæ sunt communia, cujusmodi sunt omnia essentialia, facultates & operationes, quæ in primo homine fuere per creationem, in posteris sunt per generationem; vel ea quæ Naturæ integræ erant propria, videlicet concreata mentis sapientia, voluntatis justitia, appetitus puritas &c. Prioris generis naturalia post lapsum mansisse negamus, sed posterioris generis naturalia amissa esse dicimus. Lombardus ipse 2. sent. dist. 25. lit. H. fatetur, *per peccatum naturalia bona in homine corrupta & libertatem arbitrii perditam non quidem omnem, sed libertatem à miseria & à peccato.*

12. Hieronymus ab Oleastro in cap. 3. Genes. arbitratur, *si non peccasset primus homo, fore ut statim proles concepta ederetur in lucem, in pœnam autem peccati tempus illud per novem menses protractum.*

(Sed hoc velut absurdum & ridiculum rejicit Pererius lib. 6. in Gen. p. 678.)

Bellarm. d. l. c. 3. docet, *renovationem hominis in hoc mundo fieri ad eam solam innocentiam, quæ fuit in mente primi hominis, non ad eam, quæ fuit in ipsius carne.*

(Contra 1. Cor. 6. v. 20. Col. 3. v. 5.)

14. Pererius lib. 5. in Gen. Disp. de secunda Excell. q. 5. p. 564. statuit, *plus gratiæ dari hominibus in statu legis Evangelicæ, quam eis in statu innocentiæ datum fuisset.*

(Contra renovatio imaginis divinæ in hac vita tantum inchoatur, ut perpetua in homine maneat *lucta carnis & Spiritus.*

Greg. de Valent. d. Disp. q. 2. punct. 2. Col. 1437. asserit, *nos in hac vita non restitui plane per gratiam primævæ illi integritati Naturæ, quæ per justitiæ donum constabat, sed tantum sanari aliquo modo per gratiam, ne plane sit undequaque in nobis corrupta illa Naturæ integritas.*

ARTI-

ARTICULUS XXI.

DE AMISSIONE GRATIÆ ET STATU PECCATI.

CAPUT I.

De Peccato Veniali.

Thesis. Nullum est peccatum, quod sit sua Natura veniale.

Ἔκθεσις. Non tollimus discrimen peccati mortalis ac venialis: sed hoc tantum dicimus, nullum esse peccatum, quod sit veniale, id est, *venia dignum* ex suo genere, vel ex imperfectione operis. Quod autem quædam peccata dicuntur venialia, quædam mortalia, id

1. Non fit propter peccatorum ipsorummet Naturam in se consideratam, sed propter misericordiam Patris, meritum Filii, & Spiritus Sancti in renatis gratiosam inhabitationem & eorum sanctificationem.

2. Nec respicit hæc divisio omnes homines in genere, sed tantum renatos.

3. Nec desumenda est *ex lege*, quæ omnia peccata quantacunque & qualiacunque sunt, accusat & damnat: sed *ex Evangelio*, quod ostendit, credentibus in Christum peccata infirmitatis & ignorantiæ ac pravas concupiscentias in carne ipsorum adhuc reliquas non imputari, si in vera pœnitentia eis resistant, hoc est, si hæc mala in carne sua habitantia agnoscant, de illis serio doleant, merito Mediatoris velut umbraculo eadem tegi petant ac credant, frena eis nequaquam laxent, sed Spiritu eis resistant *crucifigentes carnem cum concupiscentiis*. Gal. 5. v. 24.

B. Lutherus in comm. cap. 5. Galat. *Peccatum distinguitur in mortale & veniale, non ob substantiam facti, sed personam; non juxta differentiam peccatorum admissorum, sed peccatorum admittentium.*

4. Denique si venialia peccata dicantur, quæ sunt remissibilia, tum omnia omnino peccata, solo peccato in Spiritum Sanctum excepto, sunt venialia, id est, remissibilia. Pulchrè Athanasius in lib. de communi essentia. Οὐκ ἔστιν ἁμαρτία ἀσυγχώρητος παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐν τοῖς γνησίως ἐξ ἀξίας μετανοοῦσι. *Nullum peccatum est non veniale apud Deum, iis, qui sincerè & pro rei gravitate pœnitentia tanguntur.*

Antithesis. Bellarminus lib. 1. de amiss. grat. & statu pecc. cap. 4. §. His omnibus. *Theologi Catholici communi consensu docent, peccata quædam ex Natura sua, nulla ratione habita ad prædestinationem vel reprobationem aut ad statum renatorum vel non renatorum, esse mortalia, quædam venialia, & prioribus quidem indignum reddi hominem amicitia Dei & mortis æternæ reum: Posterioribus temporalis tantum supplicii, paternæque castigationis hominem reum constitui.*

Cap. 3. præced. proponit partitiones quasdam peccati venialis. Prima partitio est trimembris. *Peccata venialia à causa, ab eventu, ex Natura & ratione peccati* (sic dicuntur.) *Peccatum veniale à causa dicitur peccatum, quod ex ignorantia vel infirmitate committitur, quod genus peccati non dicitur veniale, ut distinguitur contra quodcunque mortale, sed contra peccatum mortale ex malitia.* 1 Tim. 1. *Peccatum veniale ab eventu dicitur id, quod per pœnitentiam expiatur &c. Hæc quoque venialia non opponuntur absolutè mortalibus, sed iis, quæ reipsa nunquam remittuntur, ac per hoc ad mortem perducunt æternam. Peccata venialia ex Natura & ratione peccati dicuntur ea, quæ non sunt contraria, caritati Dei & proximi, quæque propriè & absolutè mortalibus opponuntur. De venialibus* (inquit) *primi & secundi generis nulla est quæstio, sed de venialibus tertii generis, quæ rursus in duo genera dividuntur; Alia enim dicuntur venialia ex genere suo, alia ex imperfectione operis. Venialia ex genere suo dicuntur ea, quæ habent pro objecto rem malam & inordinatam, sed quæ caritati Dei vel proximi non repugnat, qualis est verbum otiosum, risus nimius & alia id genus, & his contraria sunt peccata mortalia ex genere suo, ut perjurium, adulterium & similia, quæ apertè cum caritate Dei & proximi pugnant. Venialia ex imperfectione operis ea sunt, quæ tametsi ex genere suo mortalia esse possent, tamen ob imperfectionem operis venialia efficiuntur, quia videlicet sola imperfectio operis facit, ut cum caritate non pugnare judicentur. Illa rursus in duo membra secari solent; Alia enim dicuntur venialia ex subreptione, alia ex parvitate materiæ. Ex subreptione dicuntur ea, quæ non sunt perfectè voluntaria, quales sunt subiti motus cupiditatis, iræ, invidentiæ & alii similes, qui prius in animo existunt, quàm ratio plenè deliberare potuerit, essent nec ne admittendi. Ex materiæ parvitate dicuntur ea, quæ in re parva ac levi committuntur, quale esset furtum unius oboli, quod neque proximum notabiliter lædit, neque ejusmodi est, ut apud æquos homines amicitiam tollere queat.*

lib. 4. de Eccles. cap. 9. *Pelagianam hæresin propterea* nobis tribuit, *quod statuamus, omne peccatum esse sua Natura mortale*

lib. 5 de Justif. cap. 14. & 17. disputat, *peccata venialia non esse peccata simpliciter, sed imperfectè.*

lib. 1. de amiss. grat. cap. 11. §. Quintum &c. *non esse contra, sed præter legem.*

lib. 5 de Justific. cap. 5. §. Sed etiam si &c. *Deum justo judicio non posse ea nisi temporaria pœna afficere.*

Azorius tom. 1. lib. 4. Instit. moral. cap. 8. in princ. *Peccatum veniale* definit, quod *sit parva noxa, exiguum & leve erratum, quod à Deo remittitur ob materiæ levitatem.*

Lindanus lib. 3. Panopl. cap. 19. de peccatis, quæ renatis adhuc in hac vita adhærent mollissimè sic loquitur: *Isti vitiorum atque lapsuum quotidiani nævuli, licet Christiani hominis vitam quasi pulvisculo aspergant leviter, haudquaquam tamen defœdant turpiter.*

Sandæus in castigat. conscient. Jesuit. p. 134. *Peccatum veniale est, quod venia dignum est, seu quod habet aliquid in se, cur mortem animæ non mereatur vel adferat.*

Card. Toletus in Instruct. Sacerd. hasce *peccati venialis species* recenset, *non tamen sanctificare Sabbathum.*

lib. 1. cap. 25. *velle vindictam ex animi passione.*

lib. 3. cap. 13 *convitium aliquod ex ira & cum deliberatione injectum.*

lib. 5. cap. 9. *desiderium habendi pollutionem nocturnam.*

lib. 5. cap. 13. Thomas Stapletonus lib. 3. doctrinal. princip. cap. 7. *Stultiloquium, scurrilitas, risus immodicus, non sunt contra legem Dei, sed venialia.*

Ludovicus Granatensis homil. 1. in Domin. 5. post Trinit. *Leviter irasci & in vocem iræ indicem sine gravi tamen fratris injuria prorumpere, venialia peccata sunt.*

Paulo post. *Otiari, ludere scurram agere, mensuram vel in edendo vel in bibendo minus tenere, capitalia crimina non sunt, non adferunt animæ mortem, sed ægritudinem &c.*

Idem in Duce peccatorum lib. 2. part. 1. cap. 11. *Verum est, quando quis ex improviso & non deliberato judicio falso jurat non esse peccatum mortale.*

Paulo post, cap. 12. *Quod si autem scire velis, in quibus hæc peccata committantur, dico: in parva ira, aut gula, aut vana gloria, in verbis in cogitationibus otiosis, in nugando præter modum, in tempore sine fructu transacto, in dormiendo ultra tempus, in parvis mendaciis, in adulando circa res leves & similibus rebus.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex appellatione.* Quodcunque Scriptura absolutè & simpliciter vocat peccatum, id veram & propriam peccati Naturam, videlicet reum mortis facere, retinet. Jam verò venialia peccata absolutè & simpliciter in Scripturis vocantur peccata & debita. 1. Johan. 1. v. 8. Jac. 3. v. 2. Psal. 32. v. 6. Matth 6. v. 12. Luc. 11. v. 3.

Quemadmodum Augustinus lib. de prædest. & grat. cap. 7. rectè & firmiter contra Pelagianos concludit, propter nulla opera nec præterita, nec præsentia, nec futura nos esse electos ex eo, quia generaliter dictum est, *non ex operibus, sed ex vocante*. Rom. 9. v. 12. sic rectissimè concludimus, omnis *peccati stipendium esse mortem* Rom. 6. v. 23. seu, quod idem est, omne peccatum esse mortale, cum de omni peccato in genere, nullo speciatim definito, vel expresso, Spiritus Sanctus hanc ferat sententiam.

2. *Ex definitione* Cui competit propria peccati definitio, illi quoque propria peccati Natura competit. Atqui etiam veniali peccato competit propria peccati definitio, videl. quod sit ἀνομία. 1. Joh. 3. v 4. Ergò.

Quæ Pontificii inter peccata venialia numerant, de illis extant expressa Dei interdicta, utpote *de non temerè jurando* Lev. 19. v. 12 Sirac. 23. v. 13. 14. Matth. 5. v. 37. *de non profanando Sabbato*, Ex. 31. v. 13. & seq. *de non irascendo, invidendo, conviciando* Levit. 19. v. 17. 18. Matth 5. v. 22. 23 26. & 44. &c.

3. *Ex objecti conditione.* Quodcunque committitur contra æternam & immotam Dei justitiam in lege revelatam, illud sua Natura est mortale peccatum. Atqui etiam venialia peccata committuntur contra æternam & immotam Dei justitiam in lege revelatam. Ergò. Omnis vis & obligatio legis non est æstimanda *ex materia*, id est, ex re, quæ præcipitur & prohibetur, sed *ex causa efficiente*, hoc est, ex autoritate legislatoris. Ergò etiam peccati gravitas & meritum

non est æstimandum ex gravitate rei, quæ in legem posita est, & in quam peccatum commissum est, sed ex dignitate & majestate legislatoris, contra quem peccatum est commissum. Quare cum omne peccatum non contra hominis vel Angeli, sed contra summam Dei majestatem committatur, ideo meretur mortem & damnationem.

4. *Ex addita comminatione.* Quodcunque sub pœna maledictionis temporalis & æternæ à lege prohibetur, illud sua Natura est mortale peccatum. Atqui etiam venialia peccata sub maledictionis temporalis & æternæ comminatione prohibentur. Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10.

5. *Ex judicii divini rigore.* De quocunque peccato posset Deus etiam à renatis exigere rationem in suo judicio & revera eam exiget à non renatis, illud est sua Natura mortale peccatum, quia judicium Dei non solum temporales, sed etiam æternas pœnas complectitur, quando in non renatos fulmen ejus vibratur. Atqui etiam de venialibus peccatis posset Deus exigere rationem à renatis, & revera eam exiget à non renatis, Matth. 12. v. 35. Ergo.

6. *Ab effectorum enumeratione.* Cui propria peccati effecta tribuuntur, illud est sua Natura peccatum mortale. At venialibus peccatis propria peccati effecta tribuuntur. Exod. 34. v. 7. Job. 15. v. 14. Psal. 19. v. 13. Psal. 130. v. 3. Psal. 143. v. 2. Esa. 64. v. 6. Matth. 5. v. 22. cap. 15. v. 19. Luc. 21. v. 34. Rom. 1. v. 29. 30. & 31. Galat. 5. v. 19. 20. 21. Ephes. 5. v. 3. & seqq. Coloss. 3. v. 5. & 6. 1. Joh. 2. v. 9. 10. & 11. Ergo.

7. *Ex erroris hujus origine.* Opinio illa, quod quædam peccata sint sua Natura venialia, ac tam minuta, ut non sint contra legem, ut Pharisaicus error à Christo repudiatur Matth. 5. v. 18. 19.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, nullum peccatum esse sua Natura veniale.

Sixtus III. Episcopus Romanus de malis doctoribus & operibus fidei, tom. 5. Biblioth. sanctæ col. 826. demonstrandum suscipit, *non solum impietatis crimen, verum & quæ minima videntur esse delicta, novi etiam Testamenti definitionibus condemnari.*

Tum ita disputat: *Quod ergo minimum putamus esse peccatum? Credo illud, quod dum pro sua parvitatis despectione contemnitur, per negligentiæ vitium à nobis sæpius exercetur. Quod tamen illud est? Ego aliud, quod aut levius judicemus, aut crebrius incurramus non invenio, quam aut otiosum sermonem ducere, aut fratrem quemlibet fatuum vocitare. Hæc namque satis modica & exigua videntur esse delicta. Nunc ergò cujusmodi supplicio censeantur, attentius consideremus, ut ex inferiorum meritis, quæ ampliorum sit mensura, noscamus. Dicam nempe de illo, qui otiosi sermonis reus est. Pro omni sermone otioso quemcunque dixerit homo, reddet Deo rationem in die judicii. Quæ extra judicii examinationem culpa esse jam possit, penitus non invenio, quandoquidem nec otiosi sermonis noxam inultam fore perscribitur. De illo autem qui fratri suo stultitiæ convitium exprobaverit, quid censeat audiamus: Qui dixerit fratri suo Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si igitur gehennæ ignis reus erit, qui fratrem suum fatuum sit locutus; quod peccatum sit; quod extra gehennam esse possit legentis arbitrio derelinquo. Ego interim ex minimis majora perpendo & ex parvis ampliora conjicio, & nullam impunitam culpam fore existimo, quando nec quæ leviora existimantur, multa reperiuntur.*

Ibid. *Nolo tantum consideres, quid præceptum sit, sed à quo præceptum sit. Neque quale sit mandatum, quod pro nihilo judicas spernendum esse, sed cujus sit. Omnipotentis Dei scilicet, qui se in præceptorum suorum qualitate aut honorari ducit, aut pro nihilo computari.*

Anshelmus in lib. de miser. hominis: *Forsan parvum quid putas peccatum aliquod? Utinam districtus judex parvum existimaret aliquod peccatum? Sed heu me! nonne omne peccatum per prævaricationem Deum exhonorat? Quid ergo peccatum peccator audebit dicere parvum? ô lignum aridum & inutile æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus vitæ tibi impensum, qualiter fuerit à te expensum! Tunc quippe condemnabitur quicquid inventum fuerit in te operis vel otiosi sermonis & silentii usque ad minimam cogitationem, etiam quod vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Væ quot peccata ibi prorucnt ex improviso, quasi ex insidiis, quæ modo non vides? Certè plura & fortassis terribiliora his, quæ nunc vides. Et quæ non esse mala, putas, & quæ nunc esse bona credis, nudata facie ibi apparebunt nigerrima peccata.*

Johannes Gerson Cancell. Paris. part. 3. de vita Spir. anim. lect. 1. *Omne peccatum pro quanto est offensa Dei & contra legem ejus æternam, est de sua conditione & indignitate mortiferum secundum rigorem justitiæ & à vita gloriæ separativum. Ratio est, quia omnis offensa in Deum potest juste ab ipso judice Deo puniri pœna mortis tam temporalis, quam æternæ, imò annihilationis pœna. Est igitur de se mortifera. Assumtum deducitur ex hoc quod nulla pœna talis est ita mala, quam mala est ipsa offensa. Et ex alio, quia potius toleranda esset omnis mors pœnalis & annihilatio, quam committenda esset, quantumlibet parva offensa in Deum. Da oppositum, jam offensa Dei licite fieri deberet in casu. Præterea quælibet offensa Dei, nisi remitteretur, repelleret à gloria Dei, perpetuo & absque termino puniretur: alioquin maneret dedecus culpæ sine decore justitiæ. Quod autem offensa dimittitur aut remittitur, est ex pura liberalitate Dei remittentis, & non amplius imputantis.*

Et paulò post. *Ex radicibus argumentorum videtur esse sufficienter deductum, quod omnis offensa Dei est mortifera ex sui conditione & indignitate.*

Coroll. 1. *Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodò per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud possit justissime. Et ita concluditur, quod peccatum mortale & veniale in esse tali non distinguuntur intrinsece & essentialiter, sed solum per respectum ad divinam gratiam, quæ peccatum istud imputat ad pœnam mortis, & aliud non.*

Coroll. 3. *Obligamur Deo ad gratificationem & gratiarum actionem ex hoc, quod peccata nostra venialia non imputat ad mortem, sicut tenemur ex remissione mortalium.*

(Gersonis suffragium nobis largitur Vasquez Disp. 142. in Thom. n. 8.)

Biel 4. sent. dist. 16. q. 2. art. 1. approbat hanc dissertationem Gersonis, & addit: *Non habet hic locum quorundam verbalis concertatio, quod veniale non sit offensa, nec contra Deum, quia omne peccatum est contra Deum.*

Jacobus Almain vel Almarius Parisiensis Theologus Moral. tract. 3. cap. 20. itidem sequitur Gersonis sententiam.

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis (Lutheri adversarius acerrimus, de quo Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. sanct. tit. Johannes, sic judicat: *quod eruditionis copia, pietatis sinceritate, & animi constantia cuique ex sanctissimis & acerrimis Ecclesiæ Romanæ propugnatoribus meritò comparandus sit*) art. 32. *Quod peccatum veniale solum ex Dei misericordia veniale sit, in hoc tecum sentio. Sed quoniam & nos, mortale quoque peccatum per Dei misericordiam veniale fieri posse credimus, vellem apertius nobis exponeres, quid ipse discriminis arbitreris inter mortale venialeque peccatum statui debere. Nec opinor te dicturum, quando mortale protinus ut fit, effuget ab animo gratiam, & in odio Dei constituat ipsum peccatorem. At veniale non ita. Quod si mortale gratiam adversetur, non autem veniale; profectò palam est, non mediocre discrimen esse venialis à mortali, nec exiguum inter ipsa repositum intervallum. Hactenus convenire te par est, ut opinor, nobiscum de veniali mortalique.*

(Roffensem propterea perstringit Estius 2. sent. dist. 42. §. 5. fol. 438.)

Michael Bajus Professor Lovaniensis idem statuit, referente Vasquez loco mox citando.

Idem de hoc Michaele ostendit Bulla Pii. V. ac Bulla Gregorii XIII. edita Anno 1579. quæ extat apud Possevinum in Apparatu, artic. 22. in qua hic articulus recitatur. *Nullum est peccatum ex Natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

(Hujus Michaelis Baji in hac quæstione suffragium nobis largitur Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 4. q. 5. dub. 1. n. 6.)

Hinc Catholicorum quorundam in hac quæstione suffragium nobis largiuntur.

Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ & statu pecc. cap. 4. §. ultimo, cum scripsisset, *Catholicos Theologos communi consensu docere, esse quædam peccata sua Natura venialia*, subjungit: *Excipiuntur Johannes Gerson, Jacobus Almain, & Johannes Episcopus Roffensis, qui nonnihil à communi Theologorum sententia deflexerunt; sed absque pervicacia & longè alia ratione, quam hostes fidei faciunt.*

Vasquez in Thomam tom. 1. Disp. 142. n. 4. *Ex Doctoribus Catholicis nonnulli graves etiam & pii, Gerson, Almain, Roffensis dicunt omnia peccata ex se mortalia esse, & sola misericordia ad æternam pœnam non imputari. Idem docet Michael Baius,*

Jaco-

Jacobus Bayus lib. 1. Institut. cap. 335. *Lutherus opinatus est, omnia peccata Natura sua esse mortalia, sola verò Dei misericordia esse venialia. Idem censuerunt nonnulli Catholici, ut Gerson part. 3. Theol tract. de vita Spirit. animæ lect. 1. Almain tract. 3. c. 20. Roffensis in refut art. 32. Luth.*

2. Quod agnoscunt, eum, qui in uno offendit, propterea omnibus mandatis teneri reum, quia est unus omnium mandatorum autor.

(Jam verò etiam is, qui venialiter peccat, in uno offendit, proinde omnibus mandatis reus tenebitur.)

Cajetanus in cap. 2. Jac. *Ideo omnibus tenetur, qui in uno offenderit: quia omnium mandatorum unus idemque autor est Deus.*

Guillandus ibid. *Qui in uno offendit, factus est omnium reus, id est, universæ legis autorem offendit. Id est, quod dicit in textu. Qui dixit, id est, qui præcepit, Non mœchaberis, is dixit, Non occides.*

3. Quòd agnoscunt per τὸ *minimum vocari in regno cœlorum*, idem esse, quod nullum fore in regno cœlorum.

(Jam verò etiam is, qui venialiter peccat, mandatum Dei transgreditur, si vel maximè respectu reliquorum id videatur minimum. Ergò peccatum sua Natura mortale & è regno cœlorum excludens committit.)

Maldonatus in cap. 5. Matth. *Minimus vocabitur in regno cœlorum. Non erit nullo loco, quia & ipse resurget, & judicabitur, sed erit ultimo, quia ejicietur in tenebras exteriores.*

Franciscus Lucas in h. l. *Minimus vocabitur. Ultimus habebitur, ultimus, id est, nullus erit, nullus fiet, nullo erit loco, indignus erit, qui admittatur, ejicietur denique, ut legis Dei, quam nunquam transituram Deus, immutabilem atque æternam statuit, adversarius.*

Emanuel Sa ibid. *Minimus vocabitur in regno cœlorum. Scilicet indignus, qui eò admittatur, quasi dicat, non erit inter eos, qui omnes magni sunt.*

Sequuntur hi omnes Glossam ordinariam, quæ in hunc locum sic commentatur: *Minimus vocabitur in regno cœlorum, qui erit in eo* (vel potius eo) *indignus, in quo nullus minimus, sed omnes magni.*

(Vidit hanc consequentiam Bellarmini abbreviator Baptista Desbois, proinde ab omnibus Interpretibus, tum veteribus tum recentioribus discedens, statuit, *minimum fortasse dici in regno cœlorum non exclusum à gloria, sed qui minimum gradum gloriæ habeat.*)

4 Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Gregorius Episcopus Rom. lib. 1. in Ezech. homil 2. *Omne peccatum grave, quia non permittit animum ad sublimia elevari.*

(Si omne peccatum grave, ergo nullum ex sua Natura est leve & veniale.)

Secundo. c. Serpens. dist. 1. de pœnit. ex Ambrosio. *Venialis culpa est, quam sequitur professio delictorum.*

(Ergo peccata non aliter sunt venialia, quam per condonationem & remissionem.)

Tertio, Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 1. §. Rursum &c. Calvinũ accusat, quasi docuerit, *in Christo fuisse peccatum ex eo, quod in comment super cap. 26. Matth. scribat, Christum sua verba castigasse ac correxisse: quia peccatum revera fuit, si corrigi debuit.*

(Ex eo sic concludimus. Si peccatum veniale corrigi debet, utiq; verè, propriè & univocè peccatum est & per conseq. etiam sua Natura est mortale, cum omne peccatum verè, proprie & univoce dictum sit mortale peccatum.)

Quarto, idem Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 3. §. 5. *verbum otiosum* refert inter *peccata venialia*.

Jam vero Christus docet Matth. 12. v. 35. quod de *verbo otioso homines rationem reddituri sint in judicio.* Ex quo sic inferimus. De quocunque peccato potest Deus etiam à renatis rationem in judicio exigere, & revera etiam à non renatis eam exiget: illud est sua Natura mortale peccatum. Atqui de illis peccatis, quæ Pontificii venialia statuunt, Deus potest rationem exigere in judicio. Ergo.

Quinto, idem Bellarminus fatetur lib. ejusd. cap. 12. §. Altero modo &c. *fieri non posse, ut quis cum talibus sordibus* (venialium peccatorum) *ingrediatur regnum cœlorum.*

(At quicquid ex regno cœlorum etiam ad tempus solum hominem excludit, illud est sua Natura mortale peccatum. Quod ejusmodi peccata purgantur, non habent à Natura, sed à divina misericordia, quia quod non excludunt à regno Dei, id non procedit ex peccati Natura, sed à Dei misericordia.)

Sexto, idem Bellarminus concion. 3. de cruciat. gehennæ circa init. sic disserit: *Quamlibet culpam in Deum commissam scelus esse tam immane, ut de pœna ei culpæ debita jure optimo dicere possimus: Oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt supplicia & tormenta, quæ præparavit Deus offendentibus se.*

Rationem hujus pronunciati affert eam. *Si offensionis magnitudinem ipsius offensi dignitate ac nobilitate metiri oportet, certè peccatum, quod infinitam dignitatem nobilitatemque lædit, malum infinitum atque immensum erit.*

(At de quolibet peccato etiam veniali hoc verè dici potest, quod bonum infinitum lædat.)

Septimo, Azorius lib. 4. Instit. moral. cap. 8. *Dicitur veniale, potius quod venia dimitti soleat semper in justis.*

(Ergo potius quod *soleat*, quam quod *debeat*, hoc Naturæ meritum innuit, illud misericordiæ donum.)

Octavo, idem Azorius lib. ejusd. cap. 10. *Absque dubio, nisi Dei beneficio condonetur, homo ob peccatum veniale pœna sempiterna puniendus est, non quod veniale per se æterno dignum est supplicio quia per se Dei gratiam & caritatem non aufert, sed ex eo, quod quamdiu Deus non remittit, tamdiu homo in culpa est, quæ culpa dum permanet, debita pœna punitur.*

(Si homo extra gratiam propter peccatum veniale à Deo, nunquam illud remittente, debita pœna sempiterna punitur, tum illud fit vel justè vel non. Si justè, tum homo per peccatum veniale non tantum pœnam temporalem, sed etiam æternam meretur. Si injuste, tum Deus, quod absit, injustus erit, qui ultra demerita vindictam exigit.)

Nono, Pontificii communiter statuunt, *peccatum originale per se & sua Natura ac merito promereri æternam mortem, quia infantes sine Baptismo mortuos omnes ad infernum relegant.*

(Ex eo sic concludimus: Si Pontificii statuunt, peccatum originale per se & sua Natura mereri mortem æternam, etiam coguntur agnoscere, omne peccatum per se ac sua Natura esse mortale. Ratio connexionis est, quia statuunt, *peccatum originale esse omnium peccatorum minimum ac quovis veniali levius*, ut suo loco fuit demonstratum. Sed verum prius. Ergo & posterius.)

Decimo, Jacobus Bayus lib. 1. Institut, cap. 336. sic scribit: *De plerisque peccatis an mortalia vel levia sint, difficilimum est invenire, periculosissimum definire, adeo ut Augustinus Senex scribat lib. 21. de Civit. Dei cap. ult. Ego certè usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.*

In Enchirid cap. 78. *Sunt, quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis opinione graviora esse commonstrarentur. Quis enim dicentem fratri suo fatue reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?*

(Si periculosissimum est definire, quæ peccata sint venialia, utique tutissimum est, coram Dei judicio omnia peccata sua Natura mortalia esse agnoscere. Si peccatum mortale committit, qui proximo dicit, *fatue*, utique ea, quæ hominum judicio sunt venialia, sua Natura & coram Dei judicio sunt mortalia.)

Undecimo, Gloss. ordin. in cap. 27. Deuteronom. *Hæc sententia* (*Maledictus, qui non permanserit in omnibus &c.*) *generaliter & præsentia & præterita & dicenda legis mandata complectitur, tantò gravior, quanto generalior. Quis enim potest sine transgressione in omnibus sermonibus legis permanere cum & Paulus dicat: Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt? Nemo hanc maledictionem evadere potuit, nec legislator* (Moses) *nisi Christus: unde Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.*

(Ex illo sic colligimus. Quodcunque sub pœna maledictionis temporalis & æternæ à lege prohibetur, illud sua Natura est mortale peccatum. Atqui etiam venialia peccata sub maledictionis temporalis & æternæ comminatione à lege prohibentur. Ergo.

Duodecimo, Baptista Desbois Bellarmini abbreviator ad caput 11. lib. 1. de amiss. gratiæ & statu peccati *Certè si quis dicat, aliquod non esse peccatum, veniale, quod tamen tale est, non est credibile propterea damnari.*

(Ergo si quod in hac controversia nostrum est peccatum, ipsis Pontificiis judicibus spes est, nobis facile condonatum iri.)

Decimo tertio, *Tertiam peccati venialis speciem* Bellarm. lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 3. statuit eam, *quæ peccatum veniale dicitur ex materiæ parvitate, quale est furtum unius oboli, quod neque proximum notabiliter lædit, neque ejusmodi est, ut apud æquos homines amicitiam tollere queat.*

(Atqui

(Atqui si hoc valet, ut peccatum pro quantitate damni proximo illati mortale vel veniale æstimandũ sit, id quod in hunc hominem commissum veniale fuerit, idem commissum in aliũ mortale fiet. Ut si quis viduæ illi, cujus tota substantia duobus obolis constabat Luc. 21. v. 2. unum furatus esset, notabili utiq; damno eam affecisset, ac proinde peccatum mortale commisisset ex ipsius Bellarmini hypothesi, & simul non mortale, quia ex ejusdem hypothesi furtum unius oboli Deus æterna pœna punire per justitiam non potest.)

Decimo quarto, idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 1. §. 3. agnoscit, definitionem peccati Johannæam 1. Epist. 3. v. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία esse generalem. *Hæc definitio*, inquit, *generalissima est & convenit in peccata omnia.*

(Ex eo sic colligimus: Quodcunque peccatum est legis transgressio, illud est sua Natura mortale peccatum, ut patet ex Deut. 27. v. 27. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*; & ex Jac. 2. v. 10. *Quisquis totam legem servaverit & offenderit in uno, omnium reus est.* Atqui etiam veniale peccatum est transgressio legis, ut constat ex confessione Bellarmini modo adducta. Ergo etiam veniale peccatum est sua Natura mortale.)

Decimo quinto, Guilielmus Estius in 1. Tim. 1. v. 10. sic scribit: *Dicuntur adversari sanæ doctrinæ non quæcunque peccata, sed ea solum, quæ hominem simpliciter injustum ac legis transgressorem constituunt: non quasi peccatum aliquod non sit contra ullam Dei legem, sed quia venialia sicut imperfectam habent peccati rationem, ita & legi Dei imperfectè repugnant, quatenus non extinguunt dilectionem Dei ex toto corde, unde nec simpliciter ab illis quisquam legis transgressor vocatur.*

(Inde sic colligimus: Quæcunq; peccata contra legem Dei committuntur, illa sunt sua Natura mortalia. Venialia peccata contra legem Dei committuntur. Ergo sunt sua Natura mortalia. Minorem concedit Estius, quamvis addat, ea imperfectè repugnare legi. Major probatur ex voce legis. Maledictus, qui non permanserit in omnib. &c. Quamvis ergo venialia peccata in renatis non extinguant dilectionem Dei, sed cum fide, gratia & dilectione Dei consistant, tamen impediunt, quo minus dilectio assequatur perfectionem dilectionis in lege præscriptam, quove minus sit tam pura & munda, qualem quidẽ eã esse oportebat, propter quod vitium adhærens omnes, ac ipsi etiam renati, sunt peccatores, teste tota Scriptura.)

5. Dissensiones Pontificiorum.

Primo, Bonaventura 2. sent. dist. 42. q. 2. n. 47. negat *per veniale peccatum Deum offendi.*

Sed Bellarm. lib. 1. de amiss. grat. cap. 9. §. 1. concedit, *veniali peccato Deum offendi, quamvis non usque ad amicitiæ dissolutionem.*

Secundo, Cajetanus in Summula disputat, *peccatum veniale mereri veniam à Deo amico, quemadmodum in humanis amicitiis, si quid displicens amico, salvo tamen amicitiæ fœdere, acciderit, facilè remittitur.*

Contra Altensteig in Lexico: *Dicitur peccatum veniale, non ideò, quia meretur veniam, hoc enim est falsum, quia nullum peccatum potest habere rationem ad merendam veraciter veniã, imò demeretur.*

Tertio, Biel 4. sent. dist. 16. q. 5. art. 2. dicit, *ad remissionem peccati venialis non requiri pœnitentiam propriè acceptam, nec actualem, nec habitualem, nec Sacramentalem.*

Toletus lib. 3. Instruct. Sacerd. cap. 3. *Venialia omnia possunt sine pœnitentia remitti.*

Contra vero plerique recentiores Scriptores *inter remedia venialium peccatorum* numerant. *Contritionem & Confessionem, eademque jejunio, flagellis, aspersione aquæ benedictæ &c. expiari posse & debere* asserunt.

Quarto, Scotus 4. sent. dist. 21. statuit, *quod remissio venialis peccati nihil aliud sit, quam solutio temporalis pœnæ pro eo debitæ.*

Alii contra statuunt, *quod remissio cujuscunque peccati distinguatur à remissione pœnæ, ideoque remissionem peccati venialis fieri per aliquem actum, qui Deo magis sit acceptus, quam veniale peccatum displiceat.*

Quinto, quidam statuunt, *etiam venialia peccata in Confessione Sacerdoti esse manifestanda*, quidam vero negant.

Bonaventura statuit, quod *teneatur quis ad Confessionem venialium ratione præcepti Ecclesiæ per c. Omnis utriusque sexus.*

Sed Biel hoc improbat & statuit *capitulum illud loqui de solis mortalibus peccatis.*

Thomas 4. sent. dist. 17. recitat opinionem quorundam, quod *tunc quis teneatur ad confessionem venialium, si non habeat mortalia*, cui concordat Richardus dist. ead.

Sed contrarium statuunt Scotus, Durandus, Petrus de Palude &c.

Sexto, Quidam numerant *sex remedia peccatorum venialium* comprehensa, hoc versiculo: *Orans* (Dominicam orationem recitans) *tinctus* (aqua benedicta) *edens* (Eucharistiam) *confessus* (Sacramentaliter vel Confessione generali) *dans* (eleemosynam corporalem) *benedicens* (sumens benedictionem Episcopalem.)

Quidam *octo remedia peccatorum venialium* agnoscunt, quæ seqq. includuntur versiculis:

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per hæc venialia pono,

Alii numerant *duodecim modos* impetrandi remissionem venialium, videlicet, *dignam communionem, aquæ benedictæ aspersionem, eleemosynarum largitionem, injuriarum remissionem, orationem, præsertim Dominicam, Confessionem generalem, Episcopalem, Sacerdotalem, ut & Monasticam benedictionem, devotam pectoris tunsionem, cordis contritionem, extremam unctionem, patientiam flagellorum & quodlibet bonum opus.*

Septimo, Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 9. scribit: *Veteres Theologi Alensis, Thomas, Bonaventura, Ægidius, Richardus & alii docuerunt, veniale peccatum non esse contra, sed præter Dei legem.*

(Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. *Peccatum veniale non est contra legem, quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit.* Consentit Thomæ Angelus de Clavisio in Summa.)

lib. ejusd. cap. 11. Bellarm. suo id comprobat suffragio.

Stapletonus lib. 3. de doctr. princ. cap. 7. *Etiam stultiloquium, scurrilitas, risus immodicus, non sunt contra legem Dei, sed venialia.*

Contra vero Johannes Major in 2. sent. dist. 42. *peccatum* asserit *dici de veniali & mortali univocè, ut animal de homine, esseque contra legem DEI utrumque.*

Abbreviator Bellarmini Baptista Desbois hac in parte itidem discedit à Bellarmino. Ad marginem enim notavit: *Si verè peccata sunt* (venialia) *quomodo non contra legem aliquam? cum peccatum sit prævaricatio legis.* Et in contextu: *Sive veniale sit supra legem sive contra: nunquam justus, dum venialiter peccat, legem dicetur implere.*

Maxim. Sandæus in castigat. Conscient. cauteriat. contra Laurentium p. 134. *Licet peccata venialia sint contra legem, venia tamen ex se suaque Natura sunt digna.*

Idipsum probamus ex hypothesibus quorundam Pontificiorum.

Toletus, Vasquez in Thom. 1. 2. Disp. 143. cap. 4. num. 8. *Negari non potest, peccatum veniale esse contra aliquod præceptũ legis.*

Probat hoc duobus argumentis: *Si verbum otiosum vel furtum parvum non esset contra præceptum aliquo modo, sed præter illud, sequeretur non fore contra judicium rationis rectæ, neque disconveniens creaturæ rationali. Hoc autem est falsum.*

Item. *Qui præter legem operatur, nec ei aliquo modo opponitur, potius videtur opus indifferens ex se operari quam peccatum. Ergo vel omnia peccata ex se dicemus esse mortalia, vel venialia etiam contra legem esse fatendum est.*

Josephus Angles in 2. sent. dist. 37. q. 3 dist. 4. *Durandus & alii sententiam Thomæ impugnant, qua tenetur, peccatum veniale esse præter, non contra legem, & affirmant cum aliis, peccata venialia esse contra mandata. Et hæc opinio videtur multo in Scholis communior. Conclusio. Veniale peccatum est contra legem.*

Toletus in Instruct. Sacerd. lib. 5. c. 13. lib. 5. cap. 9. ad peccata venialia refert, *non bene sanctificare Sabbatum, convitium aliquod ex ira, etiam cum deliberatione injectum, volitio vindictæ ex animi etiam passione.*

(At quis non videt hæc omnia esse non solum præter, sed etiam contra legem?)

Azorius lib. 4. Instit. moral. cap. 8. §. Dicendum. *Dicendum est, ut docuerunt Durandus, Cajetanus, Vega, veniale peccatum esse quidem contra legem Dei, id quod argumenta adversariorum* (Lutheranorum) *comprobarunt: at non est contra speciale Dei præceptum de amicitiã ejus nunquam violanda.*

(Inane hoc est subterfugium. Nam si quis ex Zelo & amore erga Deum, ut ex alicujus falsi miraculi assertione, ad nominis Jesu majestatem celebrandam magis & colendam, perjurium commiserit, si sua Natura conser-

vat amicitiam cum Deo, tum perjurium non est mortale peccatum; si violat, tum amicitia præcepto Dei repugnans Dei amicitiam conservat.)

Estius in comm. 1. Tim. 1. v. 10. *Venialia peccata sicut imperfectam habent peccati rationem, ita & legi Dei imperfectè repugnant, quatenus non extinguunt dilectionem Dei ex toto corde.*

(Sufficit nobis, quòd repugnent legi, sive perfectè sive imperfectè legi repugnare dicantur.)

Octavo. Peccata venialia modo extenuant, modo exaggerant.

In articulo de peccato docent, quod *venialia facilè indulgeantur*, Lombard. 2. sent. dist. 42. B.

Quod *nō sint contra, sed præter legem*, Tho. 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1.

Quod *ratio peccati imperfectè & secundum quid sit in venialibus*, Thomas 2. sent. dist. 42.

Quod *vocabulum peccati non prædicetur univocè de mortalibus & venialibus peccatis*, Bellarm. lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 12.

Quod *venialia mereantur veniam à Deo amico, quemadmodum in humanis amicitiis, si quid displicens amico, salvo tamen amicitiæ fœdere, acciderit*, facilè remittitur, Cajetanus in summula.

Quod *venialia de se non obligent ad pœnam æternam* Bonavent. 2. sent. dist. 42. q. 3. art. 3.

Quod *ad eorum remissionem non requiratur pœnitentia propriè dicta*, Biel. 4. sent. dist. 16. q. 5. art. 2.

Quod *benedictio Episcopi, oratio Dominica, tunsio pectoris, aqua benedicta & similia sine quocunque alio bono motu sufficiant ad venialia remittenda*, Francisc. de Victoria summ. Sacram. pœnit. num. 100. p. 63.

Sed in articulo de purgatorio venialia peccata sic exaggerant, ut propterea piè defunctos igni purgatorii sola duratione à cruciatibus infernalis ignis distincti adjudicent, & à conspectu Dei beatifico ad tempus eosdem excludant.

Nono. Quidam *peccata venialia quoad culpam non in purgatorio, sed vel in hac vita, vel in mortis articulo remitti* docent, ut Scotus 4. sent. dist. 21. & alii, quos refert Thomas 4. sent. dist 21. q. 1. art. 2.

Alii contra disputant & asserunt, *quædam peccata venialia quoad culpam in purgatorio demum remitti, & propter hæc ipsa purgatione illa ignis vel maximè opus esse.* Thom. d. l. Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 14. & Peltanus cap. 6. de purgatorio p. 273. 274.

Maldonatus modò affirmat, *quædam venialia quoad culpam remitti in purgatorio* tom. 2. Disp. de Sacrament. p. 151.

Modo statuit, *culpas veniales in hac vita remitti, ut propter eas non sit opus purgatorio* tom. eod. p. 174.

Argum. Advers.

1. Matth. 5. v. 22. *Qui irascitur fratri suo &c. ibi tres gradus iracundiæ statuit Christus, iisdemque tres reatus opponit. Iracundia, sono vocis expressa, sed ad malum convitii non pertingens, facit reum Concilii, id est, non constat, an mereatur gehennam, sed aut eâ pœna, aut minore digna est &c. Iracundia, quæ nullo signo externo foras prorumpit, non facit reum Concilio, sed judicio, hoc est, non constat, an mereatur pœnam aliquam vel nullam*, Bellarmin. lib. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 9.

Resp. 1. Christus in eodem cap. sic loquitur: *Audistis, dictum fuisse veteribus: Non occides. Quisquis autem occiderit, reus erit judicio*; in quæ verba sic commentatur Maldonatus: *Quid sit reum esse judicii, Interpretes non consentiunt. Quidā idem esse putant, quod dignum esse, ut in judicio ejus exploretur causa, ut Augustinus & Gregorius. Alii melius, ut Euthymius & Poëta Juvencus, reum esse pœnæ capitalis, quæ contra homicidas in judicio decernebatur. Hanc interpretationem ideò priori præfero, quia capitalis homicidæ pœna non judicum decernebatur arbitrio, sed constituta erat, quam judices mutare non poterant. Et quia videtur Christus significare voluisse eum, qui in Evangelio sola occidit voluntate, non minori dignum esse pœna, quam qui reipsa occidebat in lege, levissimamque Evangelii pœnam gravissimæ, id est, capitali legis pœnæ æqualem esse.*

(Ergo per *judicium* hic intelligitur pœna non qualiscunque, sed æqualis ei, quæ homicidæ in lege denunciatur.)

2. Idem Maldonatus super verba: *Qui irascitur fratri, reus erit judicio. Etiam in inferno pœnarum gradus distinguuntur, & ut apud Judæos quatuor sunt capitalium pœnarum genera, strangulatio, gladius, lapidatio, combustio: sic Christus significat tria peccata eadem inferni pœna, licet non eadem gravitate digna puniri.*

(Ergo vocabula, *Concilii, judicii & gehennæ*, significant hoc loco pœnas non civiles, sed supplicia capitalia, quæ pro ratione delictorum aggravabantur quidem & exasperabantur, omnia tamen erant capitalia; Christus igitur ab usu forensi ea transfert ad descriptionem judicii divini adversus peccata, & concedit, sicut peccata omnia non sunt paria, ita etiam pœnas coram Dei judicio non fore per omnia æquales, sed simul contra Pharisæos ostendit, in judicio Dei, si non facta fuerit remissio, omnia etiam, quæ minutissima à nobis censentur peccata, obnoxia esse judicio damnationis æternæ.)

3. Salmero tract. 22. tom. 5. *Intellige verbum illud, reus erit judicio, non solum temporariæ mortis, sed etiam damnationis & interitus æterni divino judicio, quomodo Dominus dixit apud Johannem: Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

(Ergo nomine *judicii* non intelligitur judicium humanum, quippe quod de ira in nullam vocem erumpente, judicare non posset, sed judicium divinum.)

4. *Reum esse judicio*, perquam absurdè Bellarminus sic exponit, *non constare, utrum aliquam mereatur pœnam, an verò nullam.* Hoc enim idem est, ac si diceret, *non constare, utrum peccatum sit, nec ne.* Quod si enim peccatum est, meretur pœnam. Si non meretur pœnam, non est peccatum. Aut ergò neget Bellarminus, iram in vocem non erumpentem esse peccatum, aut concedat, certum esse, quod mereatur aliquam pœnam. Quomodo etiam conciliabitur Bellarmini interpretatio, cum eo, quod in præcedentibus dicitur: *Quisquis occiderit, reus erit judicio.* Num etiā homicidium ita comparatū est, ut non constet, utrum aliquam mereatur pœnam, an vero nullam? Absurdum.

5. Sebastianus Barradius in h. loc. sic commentatur: *In tertio gradu, quia peccatum crevit, peccato graviori tribuitur gravior gehennæ pœna. Dices, ergò reliquis duobus non tribuitur hæc pœna, non igitur sunt mortifera. Respondetur, tres hos gradus supplicii pœnam significare gehennalem cuilibet lethifero crimini destinatā, sed quia iracundiæ genera disparia sunt, etiam dispariter significata supplicia.*

(Præiverant Barradio Autor Glossæ ordinariæ & Hugo Cardinalis. Ille ad h. l. sic annotat: *His tribus diversæ mansiones in æterna dānatione signanter exprimuntur.* Hujus verò hæc sunt verba: *Nota, quòd judiciū, conciliū, gehenna, significēt infernalem pœnam.*)

Argum. 2. Luc. 12. v. 58. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. Per novissimum minutum Patres intelligunt peccata minuta & levissima, pro quibus in carcere Purgatorii satisfaciendum est, nisi in hac vita purgata ac relaxata fuerint. At ea peccata, pro quibus in purgatorio satisfaciendum est, non sunt mortalia. Nam qui cum mortali decedit, continuò stipendium peccati, mortem sempiternam, recipit. Sunt ergò venialia. Jam igitur, cum debitum unius minuti minimum sit, neque in ullo tribunali pro tam exiguo debito ullus damnari possit ad mortem, si tali debito peccata venialia rectè comparantur, sequitur sua Natura mortem æternam ea nulla ratione mereri.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Cornelius Jansenius Concord. Evang. cap. 40. *ubi justo judici traditus fueris, non est, quod ullam ab eo veniam speres; id quod justum est, judicabit, nullam concedens debiti relaxationem: sed exigens, ut ad plenum persolvas debitum, quod fiet in inflictione æterni supplicii, & cruciatus æterni ignis, debiti his, qui fraternam caritatem violarint.*

(Ergo non de purgatorio temporali, sed de gehenna æterna hic agitur.)

2. Lucas Brugensis in cap. 5. Matth. *Sensus est, summo jure agetur, non liberaberis à carcere, donec pœnas lueris extremas, tantas, quantas exiget extremus justitiæ rigor, sive æternas pro offensa gravi, sive temperarias pro levi.*

(Ergo per novissimum quadrantem non peccata, sed peccatorum pœnæ intelliguntur.)

Confer ea, quæ de hoc loco in art. de Purgatorio sunt dicta.

Argum. 3. 1. Joh. 5. v. 16. *Qui scit, fratrem suum peccare non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis &c. Ergo non omne peccatum est ad mortem, adeoque nec omne peccatum est sua Natura mortale.* Cotonus lib. 3 Instit. cap. 6. Bailius in Catech.

Resp. 1. Salmero in h. l. negat, *hoc dictum appositum esse ad probandam distinctionem peccati mortalis & venialis.*

(Rectissimè. Negat enim Johannes pro eo orandum, qui peccat ad mortem, sed Christus & Apostoli docent, orandum esse pro illis, qui mortaliter peccant. Proinde peccata, quæ Johanni dicuntur *ad mortem*, non sunt simpliciter ea, quæ merentur mortem æternam.)

2. Cajetanus in h. l. *Innuit, quod peccatum ad mortem non est species peccati, sed aliunde habet, quod sit ad mortem. Habet autem ex parte peccantis, si tam affectus sit ad peccatum aliquod (puta forni-*

fornicationem, usuram, Tyrannidem) ut velit in eo perseverare usque ad mortem. Ac si apertius dixisset, quod pro eo, qui propositum habet perseverandi in peccato usque ad mortem, non dico, ut roges.

3. Lorinus in h. l. *Hoc inprimis certum duco, peccatum, pro quo posse orari Johannes scribit, non esse veniale duntaxat, imò nec de illo Johannem loqui.*

4. Mariana h. l. intelligit de eo, *qui in peccato manifesto obiit, qui nec sepeliri in Ecclesia debet.* (Sed Apostolus non loquitur de mortuis, sed de viventibus, ut patet ex toto contextu. Magis ad rem faciunt aliæ expositiones, quas in Scholiis suis ad hunc locum adjicit.) *Aut, inquit, si quis obstinatus est & peccat in Spiritum Sanctum, nulla spe pœnitentiæ, aut agit de excommunicatis, qui privantur Ecclesiæ suffragiis.*

5. Bartholomæus Petrus Prof. Duacenus, qui absolvit Esthi commentarios in 1. Johannis. *Peccatum*, inquit, *ad mortem nonnulli accipiunt, ut idem sit, quod à Theologis dicitur peccatum mortale. Unde secundum eos peccatum non ad mortem debebit intelligi peccatum veniale, mortali ex adverso oppositum. Hæc expositio facile refellitur ex verbis Apostoli, ubi dicit, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Ergò peccatum non ad mortem Apostolo nuncupatum abstulerat vitam animæ, & proinde non est Apostolo veniale, sed mortale certi generis.*

(Intelligit autem ille, agi utrobique de peccatis mortalibus, sed peccatum ad mortem illud esse, de quo non agitur pœnitentia: peccatum non ad mortem contra, quod est quidem mortale, sed de quo agitur pœnitentia. Quam expositionem illustrat verbis Christi Joh. 11. *Infirmitas hæc non est ad mortem*, nempe quia Lazarus à morte ad vitam revocari debuit: ita peccatum est ad mortem, à quo non resurgit quis per pœnitentiam; non ad mortem, à quo quis resurgit.)

6. Jacobus Tirinus Jesuita ad hunc locum sic commentatur: *An est peccatum aliquod ad mortem? Est sanè, nempe quod ob sui enormitatem & conjunctam obstinationem est quasi immedicabile, saltem juxta præsentem rerum statum & communem Dei legem & per ordinariam gratiam, quæ cælitus dari solet. Sicut vulnus vel morbus ad mortem vocatur, qui ægrotanti mortem corporalem via ordinaria infert, cujus proinde desperata est curatio. Tale peccatum dici potest omne illud, in quo quis obstinatè perseverare intendit usque ad mortem propriè tamen S. Johannes notat hic apostasian à fide ad hæresin, vel ad idololatrian; quod ut enorme peccatum est, ita, quia ex certa fit scientia & malitia, opponens se directè Christo & Deo, à quo solo speranda est curatio, meritò peccatum incurabile, ideoque ad mortem vocatur.*

(Si per peccatum ad mortem propriè hic intelligitur peccatum irremissibile, utique ex hoc loco probari nequit, quædam peccata esse sua Natura venialia.)

CAPUT II.

De Primo Primorum parentum peccato.

Thesis. Primum primorum parentum peccatum fuit incredulitas.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an peccatum primorum parentum fuerit superbia, quod concedimus, sed an superbia illa fuerit primum ipsorum peccatum, quod negamus.

2. Lapsus primi hominis potest considerari dupliciter, *ratione intentionis* & *ratione executionis*. Nos hic non quærimus scrupulosè de intentione primi hominis, sed Mosaici textus simplicitatem ac perspicuitatem secuti statuimus, primum actum commissionis sive executionis fuisse infidelitatem, sive discessionem à verbo Dei.

3. Superbia accipitur vel *in genere* pro quacunq; inobedientia, quo sensu Scholastici dicunt, *in quolibet peccato virtualiter superbiam & contemtum Dei concurrere, licet non formaliter*; *propriè* autem superbia notat speciale quoddam peccatum, in qua significatione hoc loco accipitur.

Antithesis. Bellarminus lib. 3. de amiss. gratiæ cap. 4. § At sententia &c. *Sententia Theologorum Catholicorum communis est, primum peccatum Evæ fuisse superbiam.*

Nostram sententiam probamus.

1. *Ex lapsus descriptione.* Diabolus primò sollicitat hominem ad dubitationem de verbo Dei v. 1 *Nunquid præcepit Deus?* postea ex responso Evæ interdictum Dei non ritè recitantis audacior factus, prorsus negat Dei verbum v. 4. *Nequaquam moriemini*, & tum demum v. 5. ad superbiam solicitat: *Eritis sicut Dii.* Hinc voluntatem Evæ à verbo aversam, occupat cupiditas prava, quæ in externum tandem factum prorumpit. Ex hac tentationis serie manifestum, Evam jamdum incredulitate peccasse, cum in superbiæ gurgitem abri peretur.

2. *Ex tentationis & seductionis collatione.* Quem ordinem Diabolus observavit in tentatione, eundem quoq; ab Eva observatum esse constat in seductione. Is verò ordo sic habet: Primo, Diabolus persuadebat. Secundo, persuadenti intellectus credebat. Tertio, illud tanquam bonum voluntati offerebat. Quarto, hæc assensum præbebat. Quinto, appetitum excitabat. Sexto, hic locomotivam inclinabat. Septimo, unde tandem homo in actum peccati externum prorumpebat. Primum ergò peccatum fuit aversio à Dei verbo.

3. *Ex necessaria consecutione.* Quamdiu homo verbum & fiduciam erga Deum retinet, non potest adversus eundem superbire, siquidem obedientia erga verbum & contumax superbia è diametro invicem pugnant.

4. *Ex lapsus & reparationis comparatione.* Quemadmodum primi homines, relicta verbi luce, in tenebras incredulitatis primum prolapsi, postea in superbiam, inobedientiam & varia peccata sunt à Diabolo præcipitati, atque hoc modo pulcherrima divinæ imaginis structura in ipsum est diruta: ita reparaturus Deus hoc templum proponit homini verbum suum, per quod Spiritus Sanctus accendit fidem, quæ est fundamentum omnis boni operis. Ut ergo radix atque initium conversionis post lapsum est fides Hebr. 11. v. 6. ita radix atque initium lapsus & omnis injustitiæ est incredulitas, Joh. 3. v. 18. & 36. cap. 16. v. 8. & 9.

Nostræ sententiæ suffragantur 1. quædam hypotheses Adversariorum.

1 Hugo & Lombardus 2. sent. dist. 21. statuunt, *primum Evæ peccatum fuisse, quòd τὸ fortè quasi dubitans addiderit Dei præcepto, dicens: Ne fortè moriamur.*

(At hæc dubitatio pertinet ad incredulitatem.)

2. Bonaventura 3. sent. dist 2. n. 4. sic disserit; *Sicut Diabolus tentavit mulierem, ut eam pertraheret ad dubitationem, & per dubitationem ad consensum & lapsum: sic Angelus annunciavit Virgini, ut nunciando excitaret ad fidem, & per fidem ad consensum, & per consensum ad concipiendum Dei Filium per Spiritum Sanctum.*

Glossa ordinaria Luc. 1. *Mulier ab Angelo seducta, mortem intulit, mulier ab Angelo edocta, salutem edidit.*

(Quemadmodum ergo Maria verbis Angeli fidem habendo, Filium Dei in virginali utero concepit, per quem sumus à peccatis redemti: sic Eva verbis Satanæ fidem habendo, Adamum in peccati consortium abduxit, per quem peccatum in mundum intravit. Hoc argumentum Bonav. 2. sent. dist. 22. q. 1. sibi ipsi objicit, in hanc formam redactum: *Salus respondet per oppositum prævaricationi Atqui salus incepit à fide Mariæ, Luc. 1. Beata, quæ credidisti. Ergo etiam prævaricatio incepit ab infidelitate Evæ.* Respondet Bonaventura. *Etsi fides in conceptione Filii Dei non modicum tenuerit locum, habuit tamen humilitatis usum præambulum, ratione cujus dicitur Virgo Deo placuisse, sicut ipsa dicit: Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Atqui aliud est ταπείνωσις, aliud ταπεινοφροσύνη. Illud notat *conditionis statum*, hoc vero *mentis affectum*. Non gloriatur Maria de merito suæ humilitatis, sed prædicat benignitatem Dei humilia respicientis. Cornelius à Lapide in cap. 29. Genes. pag. 201. *Lea dicit Gen. 29. v. 32. Vidit Dominus humilitatem meam, id est, afflictionem & abjectionem meam. Huc respexit B Virgo, canens: Respexit humilitatem* ταπείνωσιν, *id est, exiguitatem, vilitatem, abjectionem ancillæ suæ quia dedit mihi filium, non Ruben, sed Jesum Christum. Non ergo prædicat virtutem suæ humilitatis, hoc enim fuisset superbiæ, sed agnoscit & confitetur suam vilitatem, quod reipsa erat actus humilitatis.* Hæc omnia Cornelius. Manet ergo inconcussa vis argumenti, quod Bonaventura sibi ipsi objecit.)

Tertio, Lyranus in cap. 3. Genes. *Stante statu innocentiæ, non potuit esse deordinatio in viribus inferioribus, nisi prius esset in ratione, ideò non tentavit primò de comestione ligni, sed de restrictione præcepti. Cur præcepit Deus, q. d. istud præceptum non fuit conveniens, cum sitis liberæ conditionis & superiores omnibus lignis, & per hoc mulier, mota quadam inclinatione, inclinata fuit ad præcepti displicentiam, & ulterius ad dubitationem de pœna mortis comminata.*

(Atqui illa præcepti displicentia & dubitatio fuit actus incredulitatis.)

Quarto, Cornelius à Lapide in cap. 3. Genes. pag. 45. *Astutè serpens conatur evertere finem præcepti, ut evertat ipsum præceptum, q. d. Non apparet justa ratio & causa, cur Deus vetuerit usum hujus arboris. Ergò reverà & seriò eum non vetuit, sed quod dixit, Non comedetis ex eo, ludens & joco dixit.*

(Si Diabolus primo solicitavit Evā ad dubitationē de verbo Dei, utique etiam Eva primum peccavit incredulitate.)

Bellar-

Bellarminus d.l. §. Incipiamus &c. concedit, *primum actum superbiæ hominis apparuisse in illa defectione primi hominis, qui à Deo, qui eum recens creaverat, sponte recessit.*

(Atqui defectio à Deo nihil aliud est, quam incredulitas. Qui enim à verbo Dei discedit per incredulitatem, is hoc ipso à Deo discedit.)

2. Dissensiones Scholasticorum.

Primò, Lombardus 2. sentent. dist. 22. lit. D. *Adamus non fuit seductus eo modo, quo mulier. Non enim putavit esse verum, quod Diabolus suggerebat. In eo tamen fuisse seductum credi potest, quod commissum veniale putaverit, quod peremtorium erat, sed nec prior seductus fuit, nec in eo, in quo mulier, ut crederet, Deum ideò illud lignum tangere prohibuisse, quoniam si tangerent, fierent sicut Dii.*

Scotus 2. sent. dist. 22. itidem statuit, *primum Adæ peccatum fuisse inordinatum amorem erga conjugem, amorem scilicet non carnalis concupiscentiæ, sed humanæ amicitiæ.*

Contra Thomas 2.2. q. 163. *utriusq; parentis primum peccatum superbiam fuisse* asserit.

Secundò, Bonavent. 2. sent. dist. 22. q. 1. concedit, *principale peccatum hominis, per quod lapsus est, fuisse inobedientiam.* Sed addit, *superbiam fuisse primum gradum illius inobedientiæ.*

Huic sententiæ, cum adversetur dubitatio Evæ, præcedens solicitationem Satanicam ad superbiam, illi satis frigide respondet Bonaventura, *particulam forte esse notam eventus, non dubitationis.*

Sed cum Lombardus expresse dicat, *esse notam dubitationis,* ideò addit aliam responsionem, *mulierem non dubitasse de veritate præcepti, sed verum ejus intellectum ignorasse.*

(At hæc fuisset ignorantia non puræ negationis, sed pravæ dispositionis, quæ in statu integritatis locum non habet.)

Thomas p. 3. q. 8. art. 7. *Diabolus à principio hominem ab obedientia divini præcepti removere tentavit, ipsa autem aversio à Deo habet rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis.*

(Atqui illa ipsa aversio ab obedientia præcepti divini præsupponit vel includit incredulitatem.)

Tertiò, Bellarm. d.l. opponit nobis locum Augustini lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 30. *Quomodo his verbis crederet mulier à bono atque utili re divinitus fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumtio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda?*

Sed Franciscus Maronis ad illum locum sic annotavit: *Primum hoc notabile est, quod hodie non tenent Theologi, quia dicunt, quod in statu innocentiæ non potuit peccatum esse, quin ab illo statu caderent.*

CAPUT III.

De Animæ humanæ origine.

Thesis. Propagatio peccati originalis ostendit, animas humanas non immediate à Deo creari, sed à parentibus in liberos propagari.

Ἔκθεσις. 1. Modum propagationis, quem in Scripturis propositum esse nondum invenire potuimus, non definimus, sed propagationem animarum defendimus. Neque enim ob id neganda animarum propagatio, quia modus propagationis non est conspicuus.

2. Nequaquam dicimus cum Apollinaristis & Luciferianis, *animam humanam è semine & corporea materia educi ac corpoream esse, animam ex transfusione generari, eandemque de carne esse & carnis esse substantiam*, sed simpliciter dicimus, animam propagari.

3. Nec dicimus, seorsim corpus & seorsim animam produci, sed totum hominem à toto homine generari & animam à parentibus in sobolem propagari dicimus.

4. Nec dicimus, *animas hominum eo modo è potentia materiæ educi, quo brutorum animæ, interitui obnoxiæ & materiæ penitus immersæ, ex potentia materiæ educi dicuntur,* sed agnoscimus hic mysterium nondum satis cognitum & explicatum.

5. Quod si ergo per productionem animæ è potentia materiæ hoc intelligatur, quod anima ex semine corporeo oriatur, eidemq; actum sit, negamus, hoc modo animam è potentia materiæ educi. Si verò phrasis illa hoc modo explicetur, quod homo vi benedictionis divinæ simile secundum speciem generet, ac proinde animam in sobolem propaget, modo nobis forte inexplicabili, statuimus, *animam è potentia materiæ educi,* hoc est, non creari à Deo immediate, sed à parentibus in liberos propagari.

Antithesis. Bellarm. lib. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 1. §. Nos igitur &c. *Efficaciter demonstrare conabimur, animas non propagari ex parentibus, sed creari primum traditione Ecclesiastica, deinde rationibus evidenter ductis ex fidei principiis.*

Ibid. §. Nos tamen &c. *Nos subscribimus sententiæ, quæ docet, hominibus singulis animas singulas non ex propagine, sed ex nihilo tunc primum creari atque infundi, cum in uteris matrum fœtus concepti atque ad animationem præparati sunt.*

Pazmannus lib. 3. Hodeg. scribit, *animæ immortalitatem à nobis negari, cum animam hominis ex parentibus generari, hoc est, ex traduce esse doceamus.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex divina benedictione.* Deus in prima creatione non solum brutis animantibus, sed etiam homini *benedixit,* ac singulis ad multiplicandam & propagandam speciem suam vim atque virtutem omnipotenti suo verbo & ordinatione contulit, Gen. 1. v. 28. Ut ergo vi & efficacia illius benedictionis leo leonem, equus equum &c. generat: sic ejusdem benedictionis virtute homo hominem non corpore solum, sed etiam anima rationali constantem generat.

2. *Ex Evæ productione.* Animam Evæ Deus non immediate ex nihilo creavit, sed ex Adamo in Evam transtulit, quando ex animata Adæ costa Evam ædificavit. Cum enim anima tota sit in toto corpore, & in qualibet ejus parte tota, ideò costa animata fuit, ex qua Eva divinitus est formata, proinde etiam Eva non per inspirationem ac immediatam ex nihilo creationem, sed per propagationem animam ab Adamo accepit. Pari ratione, quia posteri Adæ & Evæ ex animatis parentibus nascuntur, ideò etiam animæ à parentibus in ipsos propagantur.

3. *Ex justitiæ originalis ante lapsum & peccati originalis post lapsum propagatione.* Propagato eo, cujus πρῶτον δεκτικὸν, sive principale subjectum est anima, ipsam quoque animam propagari necesse esse. Sed ante lapsum justitia originalis à parentibus in liberos fuisset propagata, & hodie post lapsum peccatum à parentibus in liberos propagatur, cujus utriusque πρῶτον δεκτικὸν seu principale subjectum est anima. Ergo. Inde Adamus post lapsum dicitur *genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam,* Gen. 5. v. 3. in quibus verbis imago Adæ peccatoris opponitur imagini Dei, ad quam Adam principio erat creatus, sed per lapsum eadem privatus. Cum ergo concreata Imago & corruptio Naturæ per lapsum introducta, nec solum, nec principaliter in corpore, sed in anima quærenda sit, utique etiam principale illud corruptionis subjectum à propagatione excludi nequit, quando Adamus Naturæ corruptionem per generationem ad suam imaginem in filium propagasse dicitur.

4. *Ex hominis reparatione.* Quod secunda nativitate seu spirituali regeneratione in homine instauratur, illud totũ prima nativitate à parentibus in hominem propagatur, Johan. 3. v. 6. Jam verò Scriptura docet, totum hominem corpore & anima in secunda nativitate seu spirituali regeneratione instaurari, Eph. 4. v. 23. Consequens ergo est, totum hominem corpore & anima ex parentibus procreari, adeoq; non solum corpus, sed etiam animam prima nativitate ab illis sortiri.

5. *Ex absurdorum consecutione.* Primò, nisi propagationem animarum defendamus, vel quomodo peccatum originis in omnem posteritatem propagetur, nunquam explicare; vel Deum ab injustitia nunquam sufficienter vindicare poterimus. Si enim animæ non per traducem propagantur, sed singulis hominibus singulæ immediate ex nihilo creatæ infunduntur, utique illæ vel puræ, vel impuræ à Deo creabuntur. Si impuræ, ergo Deus peccati autor. Si puræ, ergo Deus injustus, qui puras & sanctas animas impuro corpori immittit primo momento ab eodem contaminandas. Sed nec dici potest, animas à corpore peccati labem trahere, cum prima peccati scaturigo non redeat à corpore ad animam, sed potius ab anima in corpus. Secundò, nisi totus homo totum generat hominem corpore & anima rationali constantem, nostra per Christum reparatio non erit in salutem totius hominis facta. Quod enim à Filio Dei ex nobis non est assumtum, illud etiam in nobis non est sanatum. Si igitur carnem ad redimendam carnem nostram ex substantia nostra assumsit, eandem certe ob causam etiam animam ex substantia matris assumserit, necesse est: vel si animam ex nobis non assumsit, tum nec illa particeps facta est redemtionis, sed solum corpus, ipsa verò adhuc obnoxia manet veteri peccato, quo in primis nostris parentibus & tota eorundem posteritate cumprimis graviter est vulnerata. Tertiò, si nova & immediata animarum creatio statuitur, consequens est, hominis generationem reliquorum animan-

tium generationibus esse imperfectiorem; benedictionem divinam in homine expirasse; Deum ab immediata creatione nondum quievisse Genes. 2. v. 2. *animas* filiorum *è femoribus Jacobi* perquam incommode *egressas dici*, Genes. 46. v. 26. cum synecdoche partis pro parte forte nunquam, vel certe non nisi rarissime occurrat.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod Thomas 1. 2. q. 83. art. 2. fatetur, *animam esse primum subjectum peccati originalis*.

Hæc assertio Thomæ stabilitur ex eo, quod Bellarminus, lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 11. resp. ad 1. object. agnoscit, *imaginem Dei proprie residere in anima*.

(Quia vero imaginis Dei & peccati originalis, quod in ejus deperditæ locum successit, oportet esse idem subjectum, ideò ex hac hypothesi sic colligimus: Propagato eo, quod proprie & principaliter residet in anima, ut in proprio subjecto, & extra animam in homine locum non habet, ipsam quoque animam propagari necesse est. Jam vero propagationem peccati originalis Pontificii concedunt. Ergo.)

2. Quod Biel 2. sent. dist. 17. fatetur, *rationes, quæ pro creatione animarum formantur, probabiles tantum esse, non apodicticas*.

(Ergo etiam non pariunt certam & immotam fidem.)

3. Quod quidam concedunt, *nullum fortasse inveniri Scripturæ locum, in quo perspicue doceatur, animas non propagari, sed creari*.

Alphonsus de Castro lib. 2. advers. hæreses, verbo Anima, errore 5. *Augustinus cum Tertulliano errorem illum (quod anima filii fiat ab anima patris, quemadmodum corpus ex corpore) tribuat, dicit tamen non propter hanc assertionem clamatum esse hæreticum, sed quia ad Cataphrygarum sectam accedens, secundas nuptias velut adulteria damnaverit. Nam idem B. Augustinus sæpissime anceps est & dubius, quid de animæ origine sentiendum sit. Credit enim, ut ipsemet fatetur in Epistolâ de hac re ad Hieronymum per Orosium Presbyterum missa, & in Epistola ad Optatum, animas à Deo creari, & non ex traduce, velut corpus, generari; an autem ad hoc credendum fides Catholica nos cogat, ipse dubitat, quoniam, ut ait, nullus est Scripturæ apertus locus, qui hoc convincat. Si enim quis afferat illud Psal. 32. Qui fingit Spiritum hominis in ipso; & illud: Qui finxit sigillatim corda eorum: his duobus testimoniis responderi potest, quod fingere dicimus eum, qui ex præexistente materia aliquid facit, sicut solemus appellare figulos eos artifices, qui ex massa terrea vasa conficiunt, ac proinde, quamvis ex illis autoritatibus optime convincatur hæresis, dicens, animas non creari à Deo, sed ab Angelis, ut dixerunt Seleucus & Hermias; non tamen convincitur, eas à Deo produci ex nihilo, quoniam id fingere non sonat. Magis siquidem est creare, quam fingere, & tamen non semper creare in sacris literis sumitur pro eo, quod producere ex nihilo, quod vel ex eo loco Psalmi patere potest, ubi dicitur: Cor mundum crea in me Deus. Nam ibidem creari petit animam, quæ jam existit. Et in alio loco dicit: Emitte Spiritum tuum & creabuntur. Si ergo jam existens creatur per novæ justitiæ receptionem, quid prohibet, ut jam existens fingi dicatur, eò quod aliquid novum acquisierit? Quod autem in Ecclesiaste legitur: Et revertetur pulvis in terram suam, sicut erat, & Spiritus revertetur ad Dominum suum, qui dedit illum, hic locus etiam manifestissime convincit, animam produci à Deo, sed quod anima ab eodem ex nihilo producatur, non ostendit, imò ut Augustinus ait, facile huic objectioni respondetur, corpus in terram, de qua factum est primum hominis corpus, reverti, sed Spiritum ad Deum, à quo facta est prima hominis anima. Dicent enim hi, qui hunc tutantur errorem, quod sicut nostrum corpus, quamvis ex illo primo corpore propagatum sit, eò tamen redit, unde ipsum primum corpus effectum est: sic anima nostra, quamvis ex prima anima propagata, non ad nihilum, quia immortalis est, sed ad Deum redit, à quo prima anima facta fuerat.*

Et postea: *Quamvis Augustinus credat, animas non fieri ex traduce, sed ex nihilo à Deo produci, ad hoc tamen credendum dicit, nullam esse sacræ Scripturæ cogentem autoritatem. Et B. Eucherius Lugdunensis Episcopus, qui Augustino centum annis & aliquanto amplius posterior fuit lib. 1. super Genes. exponens illud, Et ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, sic ait: Quæritur, utrum fœmina de latere viri formata, ex ejus anima acceperit animam? Et utrum, sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur? An novæ semper creentur à Deo ex nihilo? quæ quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil est à sanctis viris, vel Scripturarum autoritate manifestius pronunciatum.*

Bellarm. lib. 4. de amiss. gratiæ capite 11. §. Quare &c. *Observandum est, hunc locum, Gen. 2. Inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vitæ, satis efficaciter demonstrare, animam primi hominis non esse eductam ex materia, sed à Deo ex nihilo fuisse creatam; cæterum non cogere, ut idem de animabus reliquis judicemus. Posset enim responderi, quemadmodum Deus primi hominis corpus ex limo terræ formavit, reliqua vero corpora non per se ex limo terræ, sed per generationem ex parentum corporibus procreat: ita primi hominis animam à Deo proprie atque ex nihilo fuisse creatam, nunc vero ex illa prima reliquas propagari. Quare ut S. Augustinus disputat, in Epist. 28. ad Hieron. nullus fortasse Scripturæ locus invenietur, in quo perspicue doceatur, animas non fieri ex propagine, sed creari. Nam loca illa, Qui fingit sigillatim corda eorum, Psal. 23. Et Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum Eccl. ultimo. Et, Flatum omnem ego feci, Esa. 56. probant quidem, animarum omnium conditorem esse Deum, tamen non indicant modum, quo à Deo sint conditæ, utrum per creationem ex nihilo, an per generationem ex anima primi hominis.*

(Ex eo sic colligimus: Quæ sententia non potest refelli ex sacris literis, ea non debet hæreseos accusari. Sed sententia de propagatione animæ non potest refelli ex sacris literis. Ergo.)

4. Quod Bellarminus d. l. §. Quarta sententia &c. fatetur, *multos ex veteribus sententiæ de propagatione animæ favere*. Verba sic habent:

Hieronymus in Epistola ad Marcellinum & Anapsychiam testatur, in eadem sententia cum Tertulliano de animæ traduce fuisse maximam partem Occidentalium.

Lombardus lib. 2. dist. 18. lit. H. *Cyrillum* cum *Luciferianis* conjungit, quos *creationem animarum* repudiasse certum est.

(Ex eo sic colligimus: Quæ sententia in Patribus non damnatur hæreseos, ea non est hæretica censenda. Sententia de traduce animæ in Patribus non damnatur hæreseos. Ergo.)

Benedictus Justinianus ad Hebr. 12. v. 9. sic annotat: *Animus* (anima hominis) *quicquid olim hæretici & nonnulli Catholici senserint, à solo Deo ex nihilo profertur*.

(Agnoscit ergo, quosdam Catholicos nobiscum sentire.)

5. Quod Bellarminus d. l. §. Porro &c. pro astruenda immediata animarum creatione non producit Scripturæ sacræ oracula, sed testimonia quædam Patrum, *Leonis primi rescriptum, Leonis decimi decretum, consensum Theologorum*, id est, Scholasticorum, *qui proximis quingentis annis floruerunt, & rationes egregias à Theologis excogitatas*.

(At hæc omnia, etiam conjunctim sumta, non possunt aliquem fidei articulum introducere.)

6. Quod non audent sententiam de traduce inter hæreses referre.

Alphonsus de Castro lib. 2. adversus hæreses, verbo Anima, errore 5. *Quamvis B. Thomas dicat, esse errorem, animas ex propagine velut corpora derivari, non tamen dicit, esse hæresin. Lata est differentia inter errorem & hæresin, quoniam etsi omnis hæresis sit error, non tamen vice versa oportet, ut omnis error sit hæresis censendus.*

Et postea: *Hinc ergo colligere hoc unum valebimus, hanc assertionem Tertulliani & Apollinaris, si aliquis sit sacræ Scripturæ locus apertus, aut Ecclesiæ definitio, cui repugnare ostendatur, esse hæresin censendam: si autem nullus Scripturæ locus, aut Ecclesiæ definitio in hac parte reperiatur, cui repugnet, etsi non sit hæresis appellanda, dicetur tamen error, cum constet ex physica ratiocinatione, eam longissime à veritate distare.*

Denique, allato argumento aliquo physico, subjungit: *Verum, etsi hæc collectio maxime persuadeat, vehementerque urgeat, non tamen cogit, ut ex ea oporteat dicere, istorum assertionem esse hæreticam, quoniam in causa fidei efficaciores sunt autoritates, quam quæcunque physica argumentationes.*

7. Quod controversiam hanc dicunt esse rem quæstionis, non quæstionem fidei.

Gregorius lib. 7. Registr. Epist. 53. ad Secundinum, *De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi. Quia, si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc sit incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri Baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.*

(Citat & approbat Petrus Crespetius Cælestinus Paris. in Summa fidei Cathol. & discipl. Eccles. verbo Baptismus, tit. *Baptismi gratiâ privati infantes quò tendunt*.)

8. Quod in concilianda immediata animarum creatione cum peccati originalis propagatione sententiis invicem non conveniunt.

Bel-

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati lib. 12. primum refellit sententiam eorum, qui statuunt, *animam in corpore, tanquam in vase vitiato corrumpi.*

Deinde eorum etiam sententiam repudiat, qui existimant, *carnem destitutā originali justitia ac rebellem rationi effectā animā deorsum trahere, eandemq; hoc modo obliquam & distortam efficere.*

Tandem suam proponit sententiam, hisce theorematis comprehensam: 1. *Ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiritur, quam ut homo per veram generationem ab Adamo descendat.* 2. *Anima non polluitur, cum creatur à Deo, sed cum per conjunctionem cum carne ex Adamo tracta, pars hominis efficitur.* 3. *Sufficit ad trahendum ex Adamo peccatum, animam esse partem hominis, qui vere trahitur ex Adamo, licet ipsa non propagetur ex anima Adami.* 4. *Vere & proprie homo generat, tametsi anima à Deo inspiretur, cum generatio non terminetur ad productionem formæ vel materiæ, sed totius compositi. Quamvis igitur homo non propaget animam, tamen per generationem materiam ita disponit, ut infallibiliter anima consequatur, & sic animam cum carne conjungit, cum ipsæ bestiarum animæ non aliter fiant ex propagine, quam quod parentes generando disponunt materiam usq; ad animationem.*

(Multa in hoc Bellarmini discursu desiderari possunt. Hoc loco monemus illud 1. quod Bellarminus ipse d. l. cap. 11. scribat, *imaginem Dei proprie in anima residere.* Ergo etiam peccatum originis, utpote imagini divinæ oppositum, proprie in anima residet. Quomodo ergo peccatum originis propagatur, si illud, in quo proprie residet peccatum originis, non propagatur? 2. Quod Conimbricenses 1. de generat. & corrupt. c. 4. quæst. 12. art. 2. concludunt, *generationem esse actionem momentaneam, cum formæ introductio sit momentanea; proinde ad salvandum Aristotelis pronunciatum, quod homo generet hominem, non sufficere, quod satis præparetur ab eo materia, in quam, ubi perfecte disposita est, Deus animam infundat, ac corpori uniat, sed dari in generatione humana ex parte hominis generantis actionem terminatam intrinsece ad animam rationalem, non secundum se, ut absolute accipit esse, sive ut est creabilis, sed ut accipit esse in materia & cum ea copulatur, sive prout est corpori unibilis.* Cum illis Bellarminus prius transigat, ac duobus illis argumentis, quibus suam sententiam confirmant, satisfaciat.)

CAPUT IV.

De Peccati originalis subjecto.

THesis. Beata Virgo Deipara non fuit sine peccato originali concepta.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de illa conceptione, qua B. Virgo Christum Salvatorem mundi in utero virginali concepit, an illa sine peccato facta sit, quod totis viribus propugnamus; sed de illa conceptione, qua B. Virgo in utero matris Annæ concepta est, quam sine peccato factam fuisse negamus.

2. Per assertionem illam, quod Maria non fuerit sine originali peccato concepta, nihil detractum cupimus sanctitati ac dignitati B. Deiparæ, quam Scriptura ipsi tribuit, quod ab omnibus generationibus beata & θεοτόκος sit prædicanda.

3. Si vel maxime cum Bernhardo Epist. 174. ad Lugdun. dicatur, *Maria in utero prius sanctificata, quam nata*, quod Scriptura Johanni Baptistæ & Jeremiæ tribuit, ex eo tamen minime sequitur, quod à peccati originalis contagio plane immunis fuerit. Sanctificatio enim peccati reatum tollit, ac fomitem peccati minuit, non autem plane extinguit.

4. Mariam nullis illicitarum ustionum flammis unquā obnoxiam fuisse, sed potius anima & corpore virginitatis decus perpetuum obtinuisse, & sic perfecto modo virginem fuisse, pie credimus.

5. Concedimus & hoc, Mariam majore gradu dona sanctificationis accepisse, quam reliquos sanctos, qui tamen major gradus propter conditionem hujus vitæ, defectum moralem non excludit.

Antithesis. De conceptione B. Virginis gravis concertatio fuit orta circa annum Christi 1370.) inter Monachos *Ordinis Prædicatorum* sive Dominicanos, & Minorum seu *Franciscanos.* Illi asserebant, Mariam æque ac alios homines esse in peccatis conceptam, hi vero illud pernegabant. Ambrosius Catharinus memorat, cum in Concilio Tridentino deliberatum esset, *an B. Virgo sit in peccato originali concepta?* aliis aliud visum fuisse, atque interim tum illi ea de re consultant, à Magistro sacri palatii & aliis quibusdam Theologis ac Monachis editum fuisse librum Cardinalis de Turrecremata, olim contra incontaminatam B. Virginis conceptionem scriptum. Quare ipse paulo post aspero & prolixo scripto Romæ edito, incontaminatam Virginis conceptionem propugnavit, in cujus præfatione sic loquitur: *Nam hunc festum immaculatæ conceptionis diem sub alio nomine celebrare, quam sacrosancta Romana Ecclesia, & aliæ cunctæ universi orbis Christiani consueverunt (id quod hic solus Ordo Dominicanorum, non tamen universus, sed ex parte facit) quid rogo aliud est, quam Petri cathedræ derogare, atq; ausu temerario illam reprehendere, & se solos sapientes prædicare? &c. Quod sacrosancta Romana atque universali Ecclesia celebrare jam olim certo decreto, etiam cum plenissimo Indulgentiarum favore suscepit, & elapsis aliquot seculis cum magna omnium plebium consensione celebravit, ambo hi spinæ contra Evangelii veritatem pugnare & (quod horreo meminisse) impietatem atque humanum commentum esse, & inde quinquaginta & octo errores in fide educere ausi sunt, falsissime atque impudentissime asserere nihil verentes, Apostolicæ Sedis anathema in Xistinis decretis in eos pronunciatum, qui ejusmodi blaterarent, aut potius blasphemarent.*

Jodocus Clichtovæus itidem peculiare scriptum edidit *de puritate conceptionis B. Mariæ Virginis.* In primo libro confirmare conatur immaculatam illam conceptionem, 1. *Ex formatione primorum parentum*, cap. 2. 2. *Ex maledictione illata serpenti & terræ*, cap. 3. 3. *Ex arca Noahi, ex arca fœderis Mosaica & ex tabernaculo fœderis*, cap. 4. 4. *Ex splendido Salomonis templo & domo ædificata à divina sapientia*, cap. 5. 5. *Ex Canticorum & libri Sapientiæ testimonio*, cap. 6. 6. *Ex Psalmorum & Evangelii testimonio*, cap. 7. 7. *Ex honoratione, quam filii debent parentibus*, cap. 8. 8. *Ab exemplo Reginæ Esther & libertate civili uxoris regiæ*, c. 9. 9. *Ex actualis culpæ immunitate*, cap. 10. 10. *Ex dignitate sanctissimæ Virginis super Angelos*, cap. 11. 11. *Ex quadruplici ratione contrahendi peccatum originale & nobiliore redemtionis ratione*, cap. 12. 12. *Ex sanctorum Patrum autoritatibus*, cap. 13. 13. *Ex autoritate & decreto Concilii Basileensis*, cap. 14. 14. *Ex divina revelatione & miraculis*, c. 15. 15. *Ex summi Pontificis decreto & concessa remissione peccatorum celebrantibus id festum*, c. 16. 16. *Ex Parisiensium Theologorum & totius Ecclesiæ determinatione*, cap. 17. In secundo libro omnia argumenta, quæ in contrarium afferuntur, solvere conatur. Franciscanos, Ambrosium Catharinum, & Jodocum Clichtovæum sequuntur *Jesuitæ.*

Bellarm. lib. 4. de amiss. grat. c. 15. primo dicit, *non haberi apud Catholicos pro re certa & explorata, ac Catholica fide tenenda, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam.* Secundo, *sententiam de immaculata Virginis conceptione nec hæreticam, nec erroneam esse, cum nec Dei verbo, nec Ecclesiæ declarationi sit contraria.* Tertio, *non temere, sed pie ac recte existimari, B. Virginem singulari Dei privilegio ab omni peccato immunem fuisse, cum probabiles ac congruentes rationes ex Scriptura, ex Patribus, ex consensu Ecclesiæ, & ex ratione afferri possint.* lib. ejusd. c. 16. quarto loco vim argumentorum, quæ in contrarium afferuntur, infringere laborat.

Jodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 3. art. 1. *Christi mater Maria omni peccato caruit.*

Suarez in Thomam p. 3. q. 27. art. 1. *Est hoc privilegium B. Virginis speciale in prima sua conceptione immunem à peccato fuisse.*

Costerus in Christ. Instit. lib. 5. ad Mariam. *Nunquam vel nævum habuisti peccati, sive quod à primis humani generis parentibus propagatum, sive quod aliqua culpa tua commissum esset, etiam levissimum & venia facile dignum; nihil, inquam, vel opere, vel verbo, vel cogitato admisisti, quod non usquequaque Deo gratissimum.*

Idem in Postill. Dominica Oculi pag. 174. *Quod mulier illa & ventrem & ubera castissimæ Mariæ Virginis nominatim exprimit, non ex levitate, sed Spiritus Sancti inspiratione factum est. Hinc disce, non fuisse in D. Virgine inordinatas ullas passiones, quæ ex ventre originem trahunt, sed quod à Deo instar primorum parentum nostrorum Adami & Evæ procreata, voluntatem suam cum divina virtute semper unitam habuerit, omnesque vitiorum inclinationes rectæ rationi subjectas, ita quod nec originalis, nec actualis peccati labe, sive veniale, sive mortiferum illud fuerit, unquam fuerit contaminata.*

Pererius Disp. 6. in cap. 3. Rom. scribit, *indubitatum & certum esse in Ecclesia Catholica, B. Virginem omnis peccati etiam levissimi ac minimi per omnem vitam fuisse expertem.*

Ludovicus à Ponte lib. 2. in Cant. Canticorum Exhort. 19. §. 2. Mariam sic alloquitur: *Tota formosa es secundum corpus & secundum animam, secundum partem infimam & supremam, secundum omnem statum, tempus & locum, in omni ætate; ex quo primum cœpisti esse & usque in finem, & in æternum, nulla macula, nihil nigredinis aut fœditatis unquam fuit, est vel erit in te.*

Quia vero Pontifex Romanus Adversariis est authenticus & infallibilis, audiamus ipsorum Pontificum de hac quæstione sententiam.

Henricus Spondanus in Anctuario Annalium Baroniano-rum in anno 1622. memorat, *Paulum V. Pont. Rom. omninò prohibuisse, ne qui ausint in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus & aliis quibuscunq; actibus publicis asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.*

Decretum illud Pauli V. successor Gregorius XV. extendit ad privata colloquia & scripta, præcipiens, *ne etiam in sermonibus & scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere vel tractare.*

Inde factum, ut paucos ante annos Clerici in regno Neapolitano à Pro-Rege coacti fuerint, immaculatam B. Virginis conceptionem corporali juramento astruere.

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex generali Scripturæ assertione.* Scriptura in genere pronūciat omnes carnali generatione ex Adamo propagatos, peccato originali obnoxios nasci, Joh. 3. v. 6. Rom. 3. v. 22. c. 5. v. 12 Ubi vero Scriptura non distinguit, nec nos distinguere debemus.

2. *Ex solius Christi exceptione.* Scriptura soli Christo hoc privilegium tribuit, quod sine peccato originali sit conceptus & *à peccatoribus separatus,* Psal. 45. v. 3. Dan. 9. v. 24 Esa. 53. v. 6. 2. Cor. 5. v. 21. Heb. 7. v. 26. &c.

3. *Ex actualium Mariæ peccatorum annotatione.* Scriptura testatur, B. Mariam non caruisse actualium peccatorum nævis & infirmitatibus, Matth. 12. v 46. Marci 3. v. 20. Luc. 2. v. 23, 43, 49. cap. 8. v. 20. Johan. 2. v. 4. &c.

4. *Ex Mariæ oratione.* Maria *perseveravit cum Apostolis in precatione,* Act. 1. v. 14. procul dubio præscripta à Christo, Matth. 6. v. 12. Luc. 11. v. 28. petiit ergo debita sua sibi remitti, ac per consequens peccatorum debitis haudquaquam caruit.

Tertullianus de oratione cap. 7. *Sciebat Dominus, se solum sine delicto esse. Docet itaque, petamus dimitti debita nostra. Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur.*

5. *Ex Mariæ testificatione.* Maria vocat Deum *Salvatorem suum,* Luc. 1. v. 47. includit ergo seipsam in numero peccatorum, & agnoscit, se non minus ac alios homines indigere beneficiis Filii sui, qui *salvum facit populum suum à peccatis eorum,* Matth. 1. v. 21.

9. *Ex beatitudinis ratione.* Maria prædicatur *beata*, non quia sine peccato concepta est, vel quia Christum peperit, sed quia *in Christum credidit,* Luc. 1. v. 45. quia *verbum audiit, & in puro ac bono corde custodivit,* Luc 8. v. 21. cap. 11. v. 28.

7. *Ex Mariæ in hac vita conditione.* Beata virgo in hac vita fuit cruci & morti, quæ sunt pœnæ peccatorum, subjecta. Ergo & originali peccato. Ratio consequentiæ est, quia aut calamitates ac mors ipsius fuerunt λύτρον quoddam pro peccatis nostris, aut consequens proprii peccati. Prius dici nequit. Manet ergo posterius.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscant, Mariam esse in peccato originali conceptam, utpote

Primò, Bernhardus serm. 78. in Cant. *De cæteroūnus omnibus per omnia introitus est, electis dico & reprobis. Non enim est distinctio: Omnes peccaverunt & omnes capitium suæ verecundiæ portant.*

Idem Epist. 174. ad Canonic. Lugdunenses, qui festum immaculatæ conceptionis B. Virginis introduxerant col. 903. *Miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore, quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, patrum quiverit omninò diligentiam præteriisse &c.*

Et postea: *Potuit sane illa, quæ in jam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum, qui sequebatur, transire natalem; redire vero retrorsum ad conceptum, qui præcesserat, jam omnino non potuit. Unde ergo conceptionis sanctitas? an dicitur sanctificatione præventa, quatenus jam sancta conciperetur? An forte inter complexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul & sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat, de Spiritu Sancto eam & non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum Lego denique Spiritum Sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente Angelo: Spiritus Sanctus superveniet in te. Et si licet loqui, quod Ecclesia sentit, (& verum ipsa sentit) dico gloriosam de Spiritu Sancto concepisse, non autem & conceptam fuisse; dico peperisse Virginem, non tamen & partam à virgine. Alioquin ubi erit prærogativa matris Domini, qua singulariter creditur exultare & munere prolis & integritate carnis, si tantundem dederis & matri ipsius? Non est hoc virginem honorare, sed honori detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; restat, ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamen & conceptionem. Quamobrem, etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi, ut uni servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absq; peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jesus de Spiritu Sancto conceptus, quia solus, & ante conceptum, Sanctus Quo excepto de cætero universos respicit ex Adam natos, quos unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur; In iniquitatibus, inquiens, conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum hæc ita se habeant, quænam jam erit festivæ ratio conceptionis? quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam, de peccato est: aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas.*

Ibidem festum immaculatæ conceptionis Mariæ annuatim celebratum *præsumtam novitatem, matrem temeritatis, sororem superstitionis, levitatis filiam* nuncupat.

Secundò, quidam ex Scholasticis.

Lombardus 3. sent. dist. 3. lit. A. *Sane dici potest & credi juxta Sanctorum attestationem, ipsam Verbi carnem, priusquam conciperetur, peccato fuisse obligatam sicut reliqua Virginis caro, sed operatione Spiritus Sancti mundatam, ita ut ab omni contagio immunis uniretur Verbo.*

Lombardum hac in parte sequuntur Thomas de Aquino, Bonaventura & Capreolus super 3. sent. dist. 3.

(Thomas 1. 2. q 81. art. 3. *Secundum fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivati, peccatū originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemtione, quæ est per Christum, quod est erroneum.*)

Alexander Alensis p. 3. q. 9.

Gregorius de Arimino 2. sent. dist. 30. quæst. 2.

Inde Costerus in Apolog. part. 3. c. 6. scribit: *Fateor, Scholasticos in hac quæstione gravissimis concertationibus in diversas partes fuisse distractos.*

Tertiò, Glossa Juris Canonici in c. Pronunciandum. de consecr. dist. 3. in voce Nativitas, *Festum conceptionis Mariæ non est celebrandum, sicut in multis regionibus fit, quia in peccatis fuit concepta, sicut & cæteri sancti, excepta unica persona Christi.*

(Hanc Glossæ assertionem improbat Sixtus IV. in Extravag. lib. 3. tit. 12. cap. 1.)

Quartò, Monachi Dominicani Franciscanorum in hoc dogmate adversarii.

Ludov. Vives in lib. 20. Aug. de Civ. Dei cap. 26. ad verba: *Nemo mundus à sorde. De D. Virgine venit posteriore ætate in contentionem, quam auxerunt, incenderuntque duo hominum Ordines, qui se in certamen transversi, propter antesignanos vehementi conjecerunt impetu, Dominicani, ductore Thoma Aquinate, & Franciscani, ductore Johanne Scoto &c. Minoritæ Dominicanos impietatis arcessebant &c. res magnis animis exitura videbatur in rabiem, ni decreto suo Pont. Rom. Sixtus maturè subvenisset, quo alterutram in partem eā de re vetabat disputari.*

De Monachis Dominicanis sive Prædicatoribus refert Legatus Hispanicus (in sua super hoc controversiæ puncto ad Paulum V. jussu Philippi III. Hispaniarum Regis suscepta legatione) quod publice docuerint, *qui tenent, B. Mariam esse sine peccato originali conceptam, esse hæreticos.*

Ibidem in orat. 5. citatur tractatus cujusdam Bandelli, qui non solum *omnes Patres & Doctores* pro hac sententia allegaverat, sed etiam contrariæ sententiæ absurda demonstraverat.

De hac Dominicanorum & Franciscanorum concertatione (orta Anno octogesimo octavo seculi decimi quarti in Universitate Parisiensi, ut Annales Francorum testantur) sic canit Johannes Baptista Mantuanus lib. 12. Fastorum:

Pullulat hac radice gravis discordia rixæ.
Sunt etenim, qui conceptus contagia in istos
Lapsa velint, magnamque putent traxisse parentem
Fomitis antiqui vitium, cui fecit Origo
Nomina. Sunt alii, quibus hæc absurda videntur.
Sicque duæ veniunt ista in certamina Sectæ,

Non-

Nonnunquam magno implentes subsellia risu.
Æquanimes autem volumus si vera fateri,
Vanus uterq; labor, pietas temeraria, praeceps
Religio, levitas velata scientiæ amictu,
Nec Natura potest illuc extendere visum,
Nec Deus hoc docuit, nec re dependet ab ista
Nostra salus. Quæ nos igitur dementia torquet?
Ut studeamus in his consumere litibus annos?

Sane Valentinus Gerardus in Triumpho B. Virginis part. 1.tract. 14. sententiam, quæ statuit immaculatam B. Virginis conceptionem, appellat *magis communem, fereque ab omnibus acceptam, etiam à Carthusianis, imò & Dominicanis, teste Michaële ejusdem Ordinis viro & quidem Provinciali.*

Sed de Dominicanis contradicit Vasquez in 3. part. Thom. Disp. 117, cap. 2. ac testatur, *hos in sua opinione semper perseverare.*

Salazar præfat. tract. de concept. Mariæ Tragicas effundit querelas *de pertinacia Monachorum Dominicanorum immaculatam Mariæ conceptionem credere nolentium.*

Dominicanis in hac quæstione assurgit Guido de Perpiniano Carmelita in Harm. Evangel. quam vocat Quatuor unum in annot. ad Luc. 1. v. 35. p. 18. *Aliter Christus sanctus nascitur, aliter alii, quia Christus sic sanctus nascitur, quod nullam in conceptione culpam originalem contraxit: alii autem, etiam Virgo Maria, quamvis in utero matris sanctificati, sic sancti nati sunt, quod tamen contraxerunt culpam originalem.*

Et postea p. 19. *Augustinus lib. de Nat. & grat. tractans illud Rom. 3. Omnes peccaverunt & egent gloria Dei, nullum excipit, nec Beatam Virginem, imò omnes includit sub peccato, & gratia Christi egere.*

Et iterum: *Sed objicitur, quia, ut dicit Anshelmus lib. de Conc. Virg. Decuit, ut Virgo illa tanta puritate niteret, quâ major sub Deo nequit intelligi. Ergo decuit eam concipi propter sui puritatem sine peccato. Ergo fuit concepta sine peccato originali. Istud antecedens B. Bernhardus in Epistola ad Lugdunenses elidit, ubi tenet, quod non decuit eam concipi sine peccato, nec hoc est Virginem honorare, quæ falso non eget honore, honor enim Reginæ judicium diligit. Unde non est honor matris, ubi honori Filii detrahitur, aut Filii privilegia subtrahuntur. Privilegium est Filii, quod sit omnium Redemtor, & omnes ejus gratia egeant ad emundationem culpæ, ut patet Rom. 3. quod privilegium aufertur, si aliquis vel aliqua absque peccato concipi astruatur. Privilegium fuit Filii, ut de Virgine sine viro conciperetur, & sic, secundum sanctos, absque culpa originali. Igitur sicut non decuit B. Mariam concipi ex Virgine sine viro, ut hoc privilegium soli Christo servaretur: sic non decuit eam concipi sine peccato. Unde dicit Bernhardus, quia ipsa ex viro & muliere concepta fuit, ideò in peccato originali fuit concepta. Consequentia etiam nulla est, non enim sequitur: Decuit, ergo fuit: quia sicut Deus potest multa facere, quæ non facit, sic multa potest decenter facere, quæ non facit. Deus enim nihil facit, nec facere potest, nisi cum decentia, & in operibus ejus multa sunt decentia, quæ latent nos: nec arctatur ad unum modum decentiæ, quia multa decentia in sapientia ejus consistunt. Et Anshelmus, qui dicit, quod decuit, ita tanta puritate &c. non dicit, æqualiter Deo, sed sub Deo Christo: quia non potuerit peccare mortaliter, nec venialiter, quod nulli sanctorum credimus esse concessum. Per hoc tamen non excludit Anshelmus eam à culpa originali, qui lib. 2. Cur Deus homo, cap. 16. dicit: Licet hominis Christi conceptio munda sit, tamen mulier illa, de qua assumtus est, in iniquitatibus concepta. In peccatis concepit eam mater sua: in Adam ipsa peccavit, in quo omnes peccaverunt, sed citò ab hac culpa fuit emundata, quia fuit in matris utero sanctificata.*

(Hæc omnia Guido de Perpiniano Carmelita, Episcopus Majoricensis & Elvensis, qui claruit An. Christi 1320.)

Quintò, Pontificii scriptores recentiores.

Cajetanus in Thomam 3. sent. dist. 3.

Dominicus Bannes 2. sent. q. 1. art. 10.

Ambrosius Catharinus d. l. memorat, *cum in Concilio Tridentino deliberatum esset, an D. Virgo sit in peccato originali concepta, aliis aliud visum fuisse.*

Johannes Capetius in tract. de Indulgentiis (edit. Insulis Ann. 1595.) cap. 10. fol. 128 *Augustinus in libro de Natura & gratia cap. 36. multa tradit ad rem præsentem* (ad quæstionem de immaculata conceptione Virginis) *pertinentia. Inprimis approbat distinctionem, quam posuimus inter B. Mariam & cæteros sanctos. Secundò confitetur, eam subjectam fuisse concupiscentiæ, ac proinde conceptam in peccato originali. Nam alioqui non eguisset singulari dono gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatum. Ubi enim nulla est pugna, nulla speranda est victoria. Si igitur omni ex parte vicit peccatum, pugna ipsi fuit adversus peccatū, fiebatq; in ea, quod in aliis sanctis, ut caro concupisceret adversus Spiritū & Spiritus adversus carnē.*

Bellarm. lib. 4. de amiss. gratiæ capite 15. *Multi ex Catholicis sine peccato originis B. Deiparam conceptam fuisse contendunt.* (Si multi, ergo non omnes.)

Idem fatetur Surius in Comm. rerum gestarum pag. 25. Colon. Ann. 1566.

Anno 1624. Lovanii editus est liber sub hac inscriptione: *Legatio Philippi III. & Philippi IV. Catholicorum Regum Hispaniarum, de definienda controversia immaculatæ conceptionis B. Virginis Mariæ per Illustriss. & Reverendiss. Dom. D. Fr. Antonium à Trejo ex Ordine Minorum descripta per P. Fr. Lucam Waddingum.* In eo dogma de maculata Virginis Mariæ in peccato originali conceptione judicio Dominicanorum, est

1. In sacris literis fundatum & contentum. Ita enim inquit Orator orat. 9. pag. 262. *Quia semel & faciliter re prius non diligentius perpensa, in principio controversiæ in hanc sententiam abeuntes* (Dominicani) *eam rigorosa harum universalium locutione firmarunt, sub eaque comprehendi Mariam asseruerunt, ne causa cedant, aut aliter sententiæ labenti magis præjudicent, semper eam in Scriptura contendunt haberi & Scripturæ sententiam esse confirmant.*

2. Communi Patrum consensu confirmatum. *Adversarii* (Dominicani) *continuo instabant, suam sententiam omnium sanctorum Patrum esse unanimem doctrinam,* pag. 116. respondit ipse Papa Paulus V. Oratori Hispaniæ.

3. Contrarium dogma de immaculata B. Mariæ Virginis conceptione est hæreticum, imò blasphemum, & contradicit Scripturæ sacræ & fidei.

Pro illa, quam sustinent (Dominicani scilicet) *opinione, tot ac tanta congesserant, ut eam, quam nunc arbitror veritatem, pene blasphemiā existimarē.* Verba sunt Catharini, quæ p. 120. allegantur.

Vincentius de Bandellis in libris de conceptione B. Mariæ editis, scribit, *opinionem, quæ negat Virginem in peccato conceptam, esse insanam opinionem, falsitate plenum quid, & fidei, divinisq; literis contrarium. Consequens est,* scribit idem, *ut quicunque dicit, B. Virginem nullum unquam habuisse peccatum, sit hæreticus appellandus. Opinio illa contradicit Scripturæ & est impia, contradicit autoritatibus sanctorum, contradicit antiquæ fidei omnium Catholicorū. Sancti & Doctores famosi dicunt esse erroneum & hæreticum. Qui fovent illam opinionem de immaculata conceptione, contradicunt Conciliis, adeoque sunt hæretici.*

Quod contradicit S. Scripturæ & sanctorum Doctorum autoritatibus & antiquæ fidei & demonstrationi Ecclesiæ, & repugnat dignitati & veritati Christi, non est licitum illud credere. Sed positio, quæ dicit, B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali est hujusmodi. Ergo non est licitum credere vel tenere, ipsam non habuisse peccatum originale.

At nos, relicto populari errore, amplectemur veritatem, quam nobis Apostoli & alii Doctores sanctissimi in suis Codicibus tradiderunt. Opinio de conceptione immaculata est fidei divinisq; literis adversatissima, resistit fundatissimæ fidei, Christianæ fidei fundamenta subvertit. Hæc & alia his similia ex Bandello referuntur à pag. 133. usque ad pag. 147.

4. *Dogma de immaculata conceptione defendentes, Scripturas sacras perniciose depravant, & errorem Pelagii, Calestini & Juliani suis perversis oppositionibus impie defendunt.* Ex Bandello p. 137. & p. 146.

5. *Dogma de maculata conceptione est determinatum per Sedem Apostolicam & per Concilia generalia. Statuere, sine peccato originali conceptam esse B. Virginem, est asserere oppositum ejus, quod est determinatum per Sedem Apostolicam & per Concilia generalia.* Ex Bandello citatur p. 140.

Cum autem libri Bandelli sint scripti An. 1475. & 1481. ejusdem tamen sententiæ sunt moderni Dominicani. Nam eadem est omnium vox, eadem semita & modus loquendi priorum ac posteriorum, præteritorum ac præsentium hujus sententiæ fautorum, uno ore tenaciter dicunt suam sententiam veriorem, famorem & tutiorem, alteram è regione falsam, erroneam, imò & hæreticam plurimi dixerunt, inquit Orator p. 395.

Idem Waddingus Orator Hispanicus pag. 105. allegat verba Catharini dicentis, Dominicanos in hac quæstione cum Lutheranis sentire. *Quod si patimur,* inquit, *ô Patres, hanc persecutionem* (Dominicanorum) *invalescere, & apud eos etiam vigere, qui se maxime Catholicos profitentur, certe quod cum dolore dico, dicam tamen, quia veritas est, Lutheranæ sectæ, imo communi omnium hæreticorum errori perniciosissimè favemus. Nam ad hanc petram in omni suo dogmate impingunt, omnia respuentes, quæ ab ipsis fiunt, sine verbo, ut ipsi ajunt, expresso. Hactenus Catharinus.*

Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trident. p. 205. sic differit:

Circa annum 1136. Canonici Lugdunenses ausi primum in officia Ecclesiastica opinionem de immunitate B. Mariæ à peccato originali introducere. D. Bernhardus, qui tum temporis floruit, pietate & doctrina ante omnes sui seculi Theologos illustris, & in laudibus B. Virginis eo usq; profusus, ut eam vocet alicubi collum Ecclesiæ, quasi per eam à capite omnis gratiæ influxus dimanet, invehitur tamen acerbe contra Canonicos istos, qui absque ratione, absque exemplo prisci temporis novitatem periculosam invexissent. Fatetur, non deesse laudandæ B. Virgini materiam, sed ei placere non posse novitatem ambitiosam, temeritatis parentem, germanam superstitionis & levitatis filiam. Sequentis seculi Doctores Scholastici utriusque Ordinis tam Franciscani, quam Dominicani, scriptis suis opinionem hanc refutarunt ad annum usque 1300. quo tempore Johannes Scotus Franciscanus, re in quæstionem vocata & rationibus diligenter excussis, ad divinam tandem potentiam recursans ait, Deum potuisse efficere, ut in peccato nunquam fuerit, aut momento solum temporis, aut etiam ad tempus peccato obnoxia fuerit. Deum solum scire, quod è tribus his ei acciderit, primum tamen Mariæ probabiliter tribui posse, nisi cum Ecclesiæ & Scripturæ autoritate pugnet. Doctrinam hujus suo seculo percelebris, secuti plurimum Fratres Franciscani, sed in hoc articulo singulari de conceptione, fores ab autore suo patefactas audenter ingressi, absolute simpliciterq; verū pronunciarunt, quod ille fieri posse dixerat, & quasi probabile proposuerat, sub conditione dubia atque incerta, nisi orthodoxæ fidei repugnaret. Dominicani constanter obluctantur auspiciis D. Thomæ, celebris etiam ex eo Ordine Theologi, tum propter excellentem doctrinam, tum ob Johannis Pontificis XXII. ejus nominis elogiū. Ille enim ad deprimendum Ordinem Franciscanorum, qui maximam partem adhærebant Ludovico Bavaro Imperatori à se Ecclesiæ communione ejecto, Doctorem eum ad cœlum extulit & doctrinam ejus maximi fecit. Fecit pietatis ac religionis species, ut acceptior plerisque omnibus esset opinio Franciscanorum, ab Academia Parisiensi, quæ præstantis doctrinæ opinione alias anteibat, mordicus arrepta: dein à Concilio Basileensi post multam ventilationem & disquisitionem approbata, vetitumq; contrariam opinionem prædicare aut docere, quod quidem in iis nationibus, quæ Concilium illud probabant, plane obtinuit. Papa denique Sixtus ejus nominis IV. Franciscanus ipse, duo super ea re emisit diplomata, quorum priore Anno 1476. novum officium à Leonardo Nogarolo Protonotario compositum confirmavit, Indulgentiarum gratia illud celebrantibus & præsentia sua foventibus concessa; altero falsitatis & erroris damnavit eorum assertationem, qui vel conceptionis propugnationem hæreticam dicerent, vel ejusdem celebrationem peccatum ducerent, tam Prædicatoribus, quam aliis sacrorum usu interdictis, qui vel eam opinionem, vel contrariam hæreseos insimularent, quod ab Ecclesia Romana, Sedeque Apostolica ea controversia nondum esset determinata. Neque tamen hic contentionum finis, odiis inter duos hosce Fratrum Ordines magis magisq; intumescentibus, & quotannis mense Decembri renovatis, adeò ut Leo X. Pontifex medicam manum huic malo admovere cupiens, litem determinandam censuerit, eaque gratia ad diversos scribendum curarit. Sed religio in Germania innovata, Leonis cogitationes ad alia graviora convertit &c. Dominicani in Scriptura sacra, doctrina Patrum & veterum Scholasticorum opinionis suæ fundamenta ponebant; alteri, cum ne apicem quidem unum Scripturæ causæ suæ propugnandæ reperirent, ad miracula & consensum multitudinis confugiebant. Contra quos Fr. Johannes de Udine Dominicanus hoc dilemmate pugnabat. D. Paulus, inquiebat, & Patres aut crediderunt istam vestram B. Virginis à communi mortalium lege exemtionem, aut non crediderint. Si crediderunt, neque tamen unquam nisi universe locuti sunt, nulla facta exceptionis hujus mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si contra crediderunt, tunc vestra opinio novitatem redolet. At Fr. Hieronymus Lombardellus Franciscanus affirmabat, non minorem esse Ecclesiæ hujusce temporis autoritatem, quam fuerat primitivæ. Itaque, si Ecclesiæ veteris consensu factum, ut Patres sine exceptione tum loquerentur, consensionem Universalem, quæ hisce temporibus celebratione festivitatis illius, sese prodit, ad eam à communi sorte excipiendam debere nos invitare.

2. Quod quidam fatentur, dogma hoc non posse expressis Scripturæ dictis probari.

Melchior Canus lib. 7. Locorum Theolog. cap. 3. pag. 222. *Beatam Virginem à peccato originali penitus fuisse liberam e libris sacris juxta germanum literæ sensum nusquam habetur. Quinimo lex generalis in eis traditur, quæ universos filios Adam, carnali scilicet propagatione creatos, sine ulla exceptione complectitur.*

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 15. §. Quod attinet. *Non est expectandum, ut expressum Dei verbum adferamus, aut certam aliquam Ecclesiæ definitionem (qua probemus, B. Virginem singulari Dei privilegio ab omni omnino peccato fuisse immunem.)*

3. Quod fatentur, Patres quamplurimos nobiscum statuere, B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam.

Nicolaus de Orbellis in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. *Fuit antiquorum Doctorum communior opinio, quod sic, (h. e. quod concepta fuerit in peccato originali.)*

Biel 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. testatur, *sententiæ isti, quod Maria in instanti animationis non fuerit præservata à contagione peccati originalis, assensum præbere Augustinum de fide ad Petrum cap. 23. lib. 2. contra Julianum cap. 36. de perfect. justit. circa finem, de Natura & gratia circa med. lib. 10. in Genes. cap. 14. Ambrosium super Lucam, Leonem sermon. de Nativ. Domini, Damascenum, Anshelmum de concept. Virgin. lib. 2. Cur Deus homo cap. 16. &c.*

Johannes de Turrecremata de Consecrat. dist. 4. ad can. Firmissime, q. 3.ª cum recitasset ex Bonaventura, *hunc dicendi modum esse communem* (quod Maria in peccato originali concepta) tum addit: *Plane verum dicit hic clarissimus Doctor, quod hæc communior sit inter Doctores, qui clarissimi in Theologia floruerunt; quod apertissimum erit, si quis voluerit excellentiorum Doctorum tam scribentium super sententias, quam exponentium sacram Scripturam dicta perquirere, reperiet quasi omnes hoc tenere.* Et nomina subjicit: *Magistrum sententiarum, Hugonem, Gulielmum Antisiodorensem, Præpositum, Gulielmum, Cancellarium Parisiensem, Alexandrum de Halis, Albertum Magnum, Thomam, Bonaventuram Cardinalem, Petrum de Tarantasia, Durandum, Petrum de Palude, Egidium de Roma, Johannem Teutonicum, Bartholomæum Brixiensem, Hugutionem Archiepiscopum, Raimundum, Hostiensem, Gulielmum Durandum, Andream Johannem.*

Johannes Baptista Mantuanus lib. 1 Parthenices, licet sententiæ recentiorum immaculatam B. Virginis conceptionem propugnantium assurgat, testatur tamen, plurimos contrarium olim docuisse. Sic enim canit:

Sunt tamen audentes contra sentire, nec illos
Incusamus, habent quo se tueantur, & olim
Ista hominum communis erat sententia, verum
Jam senio exsanguis frigens sua robora sensim
Perdit, & amissa jam Majestate recedit
Sponte sua, ceditq; novo Latonia Phœbo.

Melchior Canus lib. 7 Locor. Theolog. cap. 1. p. 217. *Sancti omnes, qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverarunt, B. Virginem in peccato originali conceptam, hoc videlicet Ambrosius asseruit super Psal. 118. conc. 6. Hoc Augustinus super Psal. 34. in illum versiculum, Ego autem, cum mihi molesti essent. & lib. 2. de Bapt. parvul. cap. 24. & 10 super Genesim ad lit. cap. 18. & lib. 3. contra Julianum cap. 9. Hoc Chrysostomus super Matth. hoc Eusebius Emissenus in conc. 2. nativ. Dom. hoc Remigius super Ps. 21. & Maximus in serm. de assumt. B. Virginis astruxere. Idem quoque affirmat Beda in Homilia super Missus est. Anshelmus in lib. Cur Deus homo cap. 16. Bernhardus in Epist. ad Lugdunenses 174. Erardus Episcopus & Martyr in concione quadam de nativitate B. Virginis, S. Antonius Paduanus in concione etiam de nativitate ejusd. Sanctæ Virg. S. Bernhardinus in sermonum suorum opere 3. in tract. de B. Virg. conc. 4. Divus Bonaventura 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. D. Thomas p. 3. q. 27. art. 2. D. Vincentius in serm. de Concept. B. Virg. Antoninus part. 1. tit. 8. Damascenus lib. 3. sententiarum suarum, Hugo de S. Victore de Sacramentis part. 2. cap. 4. lib. ejusd. cap 3. pag. 222. Nec dici potest, per traditionem Apostolicam id* (dogma de immaculata conceptione Virginis Deiparæ) *in Ecclesiam descendisse, cum hujusmodi traditiones non per alios, quam per Episcopos illos antiquos & sanctos autores Apostolis succedentes ad nos usque pervenerint. At constat, priscos illos scriptores non id à majoribus accepisse. Traderent enim bona fide & ipsi posteris suis. Non igitur ad fidem illud attinere potest, quod neque in sacris literis aut Apostolorum traditionibus invenitur, neque ex certa valet connexione confici.*

Salmero Disp. 51. in cap. 5. Rom. §. Deinde. *Quidam proferunt ducentos Patres, alii, unde Bandellus, fere trecentos, Cajetanus quindecim, & illos quidem, ut ait, irrefragabiles.*

Huic argumento inter cætera sic respondet: *Multitudini Doctorum* (qui privilegium immaculatæ conceptionis Beatæ Mariæ negant) *opponimus aliam multitudinem, ut clavus clavo trudatur, & universa pene Ecclesiæ consensum opponimus, & Universitatum omnium concordem sententiam, præsertim ejus, quæ primaria est, Parisiorum &c.*

(Agnoscit ergo multitudinem veterum Doctorum sibi in hac quæstione adversari.)

Suarez in Thomam p. 3. q. 27. artic. 1. *Antiqui Patres pauca de hoc privilegio Beatæ Virginis locuti sunt, tum quia Spiritus S. Ecclesiam paulatim instruit, tum etiam, quia illi in altis gravioribus*

mysteriis explicandis distinebantur. Postquam verò ante quingentos annos veritas hæc cœpit clarius doceri, ita incendit fidelium animos, crevitq; paulatim ejus fides, ut jam ferè omnium consensione recepta sit, & præsertim ab hinc ducentis annis Ecclesiastici scriptores, omnes universæ Academiæ huic sententiæ subscripserunt.

Huc pertinet, quod Estius in 3. sent. dist. 3. §. 5. fol. 11. scribit, *Scholasticos antiquiores admodum dubios fuisse in affirmanda immaculata B. Mariæ conceptione.*

4. Quod agnoscunt, solum & unicum Christum ex omnibus hominibus esse à peccato immunem.

(Contradictoria enim sunt, solum Christum esse à peccato immunem; Et, Mariam una cum Christo esse à peccato immunem.)

Leo Magnus Episcopus Rom. serm. 1. de Nativit. *Una cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati, mortisq; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.*

Bernhardus serm. 78. in Cant. *Sine quo generalis velamine confusionis nemo filiorum hominum intravit in hanc vitam, uno sane excepto, qui ingreditur sine macula, Emanuel is est.*

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 15. §. Ad hæc &c. scribit, *non deesse inter Catholicos, qui propensiorem ad veritatem existiment viam illam, quæ præter Christum neminem excipit à communi lege peccati originalis.*

5. Quod agnoscunt, Christum etiam B. Mariæ matris suæ Redemtorem ac Salvatorem esse.

(Si enim Christus etiam B. Mariæ matri suæ salutem morte sua peperit, utique etiam ipsa peccato obnoxia fuit Matt. 1. v. 21. Zozimus Episcopus Romanus apud Augustinum Epist. 157. *Nullus, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemtus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est: Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*)

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ capite 16. §. Quæ sententia. *Inter Catholicos convenit, Beatam Virginem per Christi sanguinem verè fuisse redemtam, & quod Apostolus ait, Christus pro omnibus mortuus est, posterioris ad Corinthios quinto, sine ulla exceptione esse accipiendum.*

(Sublumimus ex eodem Bellarmino lib. ejusdem cap. 7. §. Quinta ratio. *Dominus pro injustis passus & mortuus est, Esa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Rom. 5. Christus secundum tempus pro impiis mortuus est. 1. Petr. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis.* Conclusio sponte emergit: Ergò etiam Maria fuit in numero ac censu peccatorum. Adde, quòd idem Bellarminus neget, *Christum fuisse Mediatorem hominum ante lapsum, nimirum, quia homines ante lapsum immunes fuere à peccato.* Aut ergo negandum ipsi erit, Christum esse Mediatorem Mariæ, aut concedendum, ipsam fuisse peccato obnoxiam. Verba Bellarmini sic habent lib. 5. de Christo cap. 8. §. Respondeo &c. *Respondeo, Christum, ut Deum, fuisse etiam ante lapsum Angelorum & hominum, caput eorum, sed non ipsum solum, verum etiam Patrem & Spiritum Sanctum. Mediatorem autem Angelorum fuisse Christum, aut etiam hominum ante peccatum, falsum est, alioqui etiam Patrem & Spiritum Sanctum faceremus Mediatores.* Et paulò post. *Augustinus autem in Enchiridio cap. 108. addit, quod si homo non peccasset, Christo Mediatore non eguisset. Et in cap. 3. ad Galat. dicit, Christum non esse Mediatorem Dei & Angelorum, sed Dei & hominum tantum, eò quod Angeli, qui peccaverunt, nunquam reconciliandi sunt; qui autem non peccaverunt, Mediatore non egeant.*)

6. Quòd agnoscunt, pios veteres Mariæ peccata actualia tribuere.

(Ubi autem peccata actualia, ibi etiam originale, quippe quæ originalis sunt soboles, exceptis primis parentibus, in quibus actuale peccatum præcessit originale.)

Thomas part. 3. quæst. 27. art. 4. *Dicit Basilius Epistola ad Optimum, quod B. Virgo adsistens cruci & aspiciens singula post testimonium Gabrielis, post ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat, ex una scilicet parte videns eũ pati abjecta, & ex alia parte considerans ejus mirifica.*

Salmero tom. 3. tract. 43. pag. 394. adducit dictum Chrysostomi in Psal. 13. *Quando Christus fuit crucifixus, non fuit, qui faceret bonum, Discipuli omnes fugerunt, Johannes nudus recedit, Petrus negat, ipsius Mariæ matris animũ gladius dubitationis pertransiit.*

ibid. largitur nobis suffragium Autoris libri quæstionem Vet. & N. Test. qui creditur Augustinus.

ibid. adducit dictum Origenis in Lucam Homil. 17. *Quid? putamus, quod scandalizatis Apostolis mater Domini à scandalo fuerit immunis? Si scandalum in passione Domini non est passa, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt & egent gloria Dei, justificati gratia ejus, & redemti, utique & Maria illo tempore scandalizata est &c. Pertransibit infidelitatis gladius & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diversa lacerabũt.*

Item Theophylacti in cap. 2. Luc. *Fortassis autem & dolorem, quem in passione tulit, fortassis autem & scandalum dicit romphæam, quo offensa fuit, quam interpretationem etiam amplectitur Amphilochius Homil. de occursu Domini.*

Subjungit quidem Salmero, *vel hos Patres liberius suo tempore locutos fuisse, quo non satis comperta atque explorata erat Beatæ Virginis sanctitas atque constantia fidei: vel Origenem verba Evangelica in injuriam Mariæ detorsisse & cæteros omnes Patres Origenem secutos fuisse.* (Interim manet illud, Patres B. Virgini nævos peccati tribuere non fuisse veritos.)

ibid. Salmero sic scribit: *Chrysostomus in verba illa Joh. 2. Vinum non habent, affectus quosdam carnis tribuit B. Virgini, in quo tamen prudenter dicitur excessisse à B. Thoma.*

Quinimò non solum veterum suffragium nobis largitur, sed etiam tom. ejusd. tract. 47. pag. 435. super verba Luc. 2. *Quid est, quod quærebatis me?* sic commentatur: *Christus his verbis nequaquam reprehendit eos, quasi deliquissent quærendo eum: nec rursus reprehendit, quod eum quæsissent inter cognatos & notos; cum scire deberent, eum esse in templo, sic enim exponit Gagneus.*

(Ergò etiam Gagnei Pontificii commentatoris suffragium nobis largitur.)

Et postea *Verba ipsa haud sunt omninò blanda, verum aliquantisper aspera ac subacerba. Loquitur enim tanquam illis superior & magna cum autoritate, ut præsentes judicare possent, se plus quam hominem esse, quasi dicat: Quæ causa est vobis me requirendi, nisi quia me hominem esse novistis, quem parentum affectu persequimini, neque de Natura divina nunc humanæ præferenda cogitatis? Et insolitam libertatem assumens, sub parentum bonorum persona omnes filiorum creatores & adolescentum institutores occultè admonuit, in negotio Dei parentum rationem non esse habendam.*

(Atqui, si verba sunt aspera & subacerba, utique subest aliquod ἔγκλημα in parentibus. Verba enim aspera & subacerba non possunt usurpari, nisi in deflectentes ab officio, aut à moroso aliquo, quod posterius de Christo non cogitandum. Item: Si Maria non cogitavit de divina Natura humanæ præferenda, de quo tamen cogitare debuisset, utique peccavit quadam incogitantia. Item: Si hoc exemplo Christus docuit, *Deo magis obediendum, quàm hominibus*, utique Virgo voluit sibi potius obediri, quam Deo.)

Excipit quidem Valentinus Gerardus Jesuita in Triumpho B. Virginis tract. 10. partis 2. *Dubitationem illam, quam Patres B. Virgini tribuunt, esse dubitationẽ admirationis & naturalis pietatis.*

Sed Salmero d. l. pag. 394. agnoscit, effugium hoc esse vanum. *Dura profectò* (inquit) *est interpretatio eorum, qui dicta horum Patrum intelligenda volunt de eo dubitationis genere, quod non ex infidelitate procedit, sed de hæsitatione stuporis, quæ ingentem admirationem comitari solet, quod certè violentum est. Nam apertam faciunt mentionem de dubio infidelitatis & de scandalo, quod in cruce perpessa est. Commodius est dicere, vel hos Patres liberius locutos &c.*

B. Rhenanus ad librum Tertulliani de carne Christi (in cujus cap. 7. sic legitur: *Fratres Domini non crediderunt in illum &c. Mater æquè non demonstratur adhæsisse illi, cum Martha & Maria aliæ in commercio ejus frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum &c.*) sic annotat: *In hoc libro sunt, quæ evarient à placitis recentium Theologorum, ut quod de fratribus loquens dicit, matrem quoque non adhæsisse Christo, cum ab initio statim omnem illi felicitatem tribuant Theologi isti, quos Scholasticos appellant. Quanquam à Tertulliani sententia præter Origenem non ita abhorrent Aurelius Augustinus & Johannes Chrysostomus.*

(Quæ verba Rhenani Renatus Laurentius descripsit, nec contradixit: At Pamelius calumniæ insimulat.)

Jodocus Clichtovæus in Scholiis Damasc. lib. 3. c. 2. adducit dictum Bedæ in cap. 1. Luc. *Quia Spiritus Sanctus cor illius cum implevit, ab omni æstu concupiscentiæ carnalis temperavit: emũdavit à desideriis temporalibus, ac donis cœlestibus mentem illius consecravit, simul & corpus.* (cui strenuè sese Clichtov. opponit.)

7. Quod agnoscunt, Mariam fuisse baptizatam.

(Quicunque enim baptizatur non aliis, sed pro seipso, ille indiget remissione peccatorum, cum Baptismus sit *lavacrum regenerationis & renovationis*, eo fine institutum, ut per illud à peccatis mundemur. Jam vero Maria baptizata est non pro aliis, sed pro seipsa. Ergo indiguit peccatorum remissione.)

Gabriel Biel lib.4.sent.dist.6.quæst 2.dub.6. *Creditur, Virgo gloriosa baptizata, licet non legatur ubi, vel à quo.*

Bellarminus lib.1.de Baptismo cap. 9. §. Tertium argumentum. *Christus sine dubio aliquem, vel aliquos baptizavit. Evodius, Apostoli Petri successor, in Antiocheno Episcopatu scribit, B. Virginem & S. Petrum ab ipso Christo baptizatos, ut refert Nicephorus lib.2. Histor.cap.3.& Euthymius in cap.3. Johannis.*

Valentinus Gerardus in Triumpho B. Virginis assertionem de Baptismo Mariæ vellicat, (quippe quam videt opinioni de immunitate ejus à peccatis repugnare) interim fatetur, *Canisium Jesuitam statuere, quòd credi par sit, Mariam fuisse baptizatam.*

Sebastianus Barradius tomo 1. Conc. Evang. lib.10. cap. 6. pag.470. *B. Virgo Baptismum suscepit.*

8. Quòd agnoscunt, Mariam fuisse calamitatibus & morti obnoxiam.

(Mors in hominibus est effectus peccati vel proprii, vel alieni, sed imputati. Mors in Maria non est effectus peccati alieni. Ergò proprii.

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ capite 3. §. Tertiò refellitur &c. *Cum Apostolus addidit, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, explicat, per mundum se intellexisse omnes homines. Colligit enim ex eo, quod peccatum est causa mortis, ideò in omnes homines mortem transiisse, quia per unum hominem in omnes homines peccatum transierat. Quare cum ait per unũ hominem peccatum in hunc mundum intravit, idem est, ac si dixisset, per unum hominem peccatum in omnes homines intravit.*)

Baronius ad annum Christi 48 § 11. *Catholica Ecclesia nullam de obitu Dei genitricis dubitationem admittit, sed quam novit humanæ Naturæ fuisse consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat.*

Confer ea, quæ allata sunt in Appendice articuli de Beatitudine sanctorum membro 3.

9. Dissensiones Adversariorum.

Primò, quidam hanc assertionem de immaculata B. Virginis conceptione habent pro dogmate creditu necessario, adeoque *pro fidei articulo*, ut in Appendice demonstrabitur.

Quidam vero statuunt, esse *rem quæstionis, non fidei*, ac probabilem tantum assertionem.

Bellarm. lib.4. de amiss. gratiæ cap.15. *Non habetur apud Catholicos pro re certa & explorata & fide Catholica tenenda, Beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam.*

Sixtus Papa in Constitutione, quæ incipit, *Grave nimis*; disertis verbis *excommunicationis pœnam* statuit in eos, *qui alterutram sententiam, ut hæreticam, damnare audent.*

Concilium Tridentinum sess.6. c. 23. permittit *opinandi libertatem* circa hanc quæstionem.

A Gregorio XV. Anno 622. hoc duntaxat definitum, *ne quis in privatis etiam sermonibus & scriptis audeat disserere, tractare & aliquo modo agere de maculata B. Mariæ conceptione, donec articulus hujusmodi fuerit definitus, nisi cui super hoc ab illo simpliciter fuerit indultum*, Waddingus in Legat. Regum Hispan. p.447.

Similia occurrunt apud Melch. Canum lib.7. Locor. c.1.

Coster. in Instit. Christ. lib.5.

Salmeron. Disp.51. in cap.5. Rom.

Suarez in Thomam part.3. q.27. art 1.

Mirum vero, quod dogma hoc ad fidem non pertineat, cum Scripturæ dictis illud stabilire nitantur, & ad explicationem dicti Apostolici Rom.5. v.12. omnino ejus decisio requiratur.)

Secundo, *de modo*, quo B. Virgo à peccato originali fuerit præservata, plurimum variant.

Quidam enim existimant, *B. Virginem ne quidem in Adamo potentia peccasse*, quam sententiam Bellarminus lib.4. de amiss. gratiæ cap.19. dicit, *minus tutam esse*, cum & ipsa Virgo Christi sanguine sit redemta. Verba Bellarmini dicto loco §. Jam igitur &c. sic habent: *Non desunt, qui existiment, B. Virginem non peccasse in Adamo. Dicunt enim, legem de non gustando ligno scientiæ boni & mali datam fuisse primo parenti pro se & omnibus posteris, excepta Virgine Maria. Proinde illam, ut erat in lumbis Adæ, gustasse cum illo cibum vetitum, non tamen peccasse, quia prohibitio ad eam non pertinebat.*

(Ita statuit Valentinus Gerardus in Triumpho B. Virginis, ubi pro hac sententia adducit Catharinum Senensem, Galatinum Franciscanum, Vignerium Tholosanum.

In eandem propendere videtur Nicolaus Cusanus Rom. Ecclesiæ Cardinalis sic scribens lib.8. Exercitat. *Hoc cedit ad laudem Dei & Virginis Mariæ matris, quod ipsa sub principatu authoris mortis nullo unquam tempore fuit: non indiguit Virgo liberatore, qui ipsam absolveret à sententia in Adam & in posteros lata. Maria non est deleta de libro mortis, quia nunquam in eo scripta fuit &c.*

Sed Bellarmino hæc sententia non probatur, subjungit enim. *Quæ sententia nobis non admodum tuta esse videtur, & contraria omninò subscribimus. Quod si enim B. Virgo neque actu, neque potentia, neque in se, neque in parente suo peccavit, quomodo, quæso, redemta dici potest?*)

Quidam verò dicunt, *primam Mariæ conceptionem, quâ fœtus informis ac inanimis in utero existere incipit, similem fuisse aliorum conceptioni, sed animam Mariæ in primo instanti creationis & infusionis animæ sine peccati originalis macula fuisse, ita ut nunquam persona illa actu existens, peccatum habuerit, atque in hoc differre Mariam à cæteris Sanctis, qui per gratiam Dei ac meritum passionis Christi à peccato originali liberantur, quod illi communiter liberentur post nativitatem, alii pauci ante nativitatem, sed post animationem, sola autem Maria in ipso instanti animationis*, quam sententiam defendit Bellarm. d.l.

In Legenda quadam Sanctorum narratur, *non ex congressu conjugali, sed ex osculo, quod Joachimus conjugi suæ Annæ fixerat, Mariam conceptam esse.*

Galatinus lib.7. de arcanis refert, *materiam Mariæ virginis ab initio productam & membro Adæ insertam ac conservatam, quæ postea emanarit ad Seth, deinde ad Enos, deinde succedaneo jure ad reliquos usque ad sanctum Jojakim, ex qua materia Maria virgo sit formata.*

(Ex quo sequeretur, etiam primam illam, quam Bellarminus ita vocat, conceptionem fuisse ab omni peccati labe immunem.)

Biel 3. sent. dist 3. q.1. conclus 3. statuit, *Mariam post sui animationem esse in utero sanctificatam, priusquam in hujus seculi lucem edita.*

(Ex quo sequeretur, non in ipso animationis instanti, quod vult Bellarminus, sed post animationem ante nativitatem Mariam fuisse à peccato originis liberam, quod tamen Thomas p.3. quæst.27. art.1. *rationabiliter tantum concludi* dicit, ac *nihil hac de re in Scriptura Canonica tradi.*)

Tertio, quidam statuunt, *fomitem in B. Virgine penitus ablatum & extinctum esse*, de qua sententia Thomas p.3. q.27. artic. 3. pronunciat, *quod videatur hoc pertinere ad dignitatem matris, sed revera dignitati Christi aliquid deroget.*

Quidam verò existimant, *per gratiæ plenitudinem fomitem illum ita fuisse debilitatum, ut non potuerit ad peccatum inclinare.*

Argumenta Adversariorum.

1. *Adamus est figura Christi. Ille ex terra nondum maledicta à Deo conditus. Ergò etiam secundus Adam ex Virgine, quæ omnis peccati & maledictionis expers, à Spiritu S. formatus.*

Argum.2. *Heva fuit typus B. Virginis. At Heva fuit sine peccato primum formata. Ergo etiam B. Virgo fuit sine originali peccato concepta.*

Argum.3. *Cantic.3. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cant.4. Tota pulchra es. Hortus conclusus, fons signatus.*

Resp. 1. Ostendimus superius membr.2. fateri ipsosmet Adversarios, *hoc dogma non posse expressis Scripturæ dictis probari.*

2. Bellarminus lib.3. de Verbo Dei capite 3. agnoscit, *ex solo sensu literali firma argumenta duci posse.*

3. Idem Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ cap.15. fatetur, *in Cantico Canticorum de Christo & Ecclesia agi.*

Eodem quoque modo de quavis fideli anima hoc ipsum dictum Cant.4. exponit Gregorius Episcopus Rom. in Comment. Cant 5. *Cum scriptum sit, inquit, nemo vivit sine peccato, nec infans, cujus vita est unius diei super terram, quid est, quod Sponsa tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur. Alibi quippe scriptum est: Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Et alibi: In multis offendimus omnes &c. Sed dum sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit & à majoribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiem suam assiduè conservat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper sint vestimenta tua candida. Et illud: Justus ex fide vivet. Quamvis enim mox, ut peccat, à justitia deviet, tamen dum semper credit in eum, qui justificat impium, & assiduè sub ejus fide peccata sua deflet, per assiduas suas ablutiones justitiam suam retinet.*

(Quod si ergo ex his dictis elici posset, Mariam à peccato originali immunem fuisse, consequens foret, quamvis animam fidelem ab eo immunem fuisse.

4. Si esset quædam vis concludendi in hisce argumentis, possem eodem modo concludere: *David fuit figura Christi. David fuit natus ex matre peccato originali obnoxia. Ergò etiam Christus natus ex matre peccato originali obnoxia.* Sed conclusionem Pontificii non admittunt.

Item: Adam fuit figura Christi. Adam non est natus ex muliere. Ergò nec Christus natus ex muliere.

Item. Eva fuit figura B. Virginis. Eva non fuit concepta vel nata. Ergo nec Maria fuit concepta vel nata.

It. Evæ prima initia peccato prorsus caruerunt. Ergò etiam prima Mariæ conceptio, quæ animationem præcessit, peccato prorsus caruit. Nec has conclusiones Bellarminus admittit.

Argum. 4. Valentinus Gerardus in Triumpho B. Virginis tract. 1. part. 3 Mariam non esse conceptam in peccato originali probat ex eo, quia contrivit caput serpentis, Gen. 3. v. 15. Rationem connexionis dat hanc, quia conterere caput serpentis propriè est eximi à peccato, neque ullo modo subjici potestati Diaboli.

Resp. 1. Leo Magnus Episcopus Romanus serm. 2. de Nativ. Dom. legit, Ipsum conteret tibi caput. Statim, inquit, ut nos Diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret.

2. Franciscus Georgius Venetus problem. 55. de mundi fabricatione: Quis contrivit caput serpentis & cujus calcaneo insidiatus est serpens? Ex falsa traductione, qua habetur, Ipsa conteret caput tuum, Latini communiter attribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum.

3. Augustinus Steuchus in Recognitione: Ipsum conteret tibi caput. Non refertur itaque ad mulierem, sed ad ejus semen, quâ interpretatione plerique decepti, malam expositionem invexerunt in hunc locum.

4. Melchior Canus lib. 2. Locorum cap. 15. Hieronymus legendum ait: Ipse conteret caput tuum, non ipsa. Cum enim apud Hebræos neutro genere ad semen referatur, Interpres rem significatam perpendens, in masculino genere transtul. ipse, quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt ipsa.

5. Andradius Payva Defension. Trident. lib. 4. Ipsa conteret caput tuum. Quod quamvis Deiparæ Virgini multi piè & religiosè accommodent, tamen cum in vetustissimis quibusdam Latinis exemplaribus reperiatur ipse, & cum Hebræis id voluminibus conspiret, ita esse legendum non dubito.

6 Wilhelmus Lindanus lib. 4. Panopl. cap. 2. Serpenti isti antiquo Deus optimus miserrimam nostram calamitatem miseratus, jam inde ab ipso usque, ut ita dixerim, nostri interitus ovo comminabatur per mulieris semen, sive sobolem caput olim contusum iri. Ipse, inquiens conteret tibi caput. Hanc autem Dei Opt. Max. promissionem ad mulieris semen propriè pertinere Moyses indubiis Hebraicæ Dialecti indiciis expressit. הוא ipse, quod non nisi ad masculos, sicut & verbum ישופך conteret, referri potest. Ipsum itaque mulieris semen, sive seductæ illius misellæ Evæ quidam nepotulus dolosi serpentis caput tandem aliquando contereret, profligaret, atque in nihilum pulvisculi modo redigeret.

7. Benedictus Arias Montanus & Pagninus reddiderunt: Ipsum conteret tibi caput.

8. Citat Valentinus pro hac lectione in fœminino genere Chrysostomum. Sed respondemus ex Pamelio in librum 2. Cypriani contra Judæos, Chrysostomus quidem juxta priorem Interpretem legit Ipsa, sed Græcum illius contextum aliud legere annotavit Dn. Philippus Montanus, & præsertim in Commentariis, ubi quodam in loco Græcè ἐκεῖνο legitur.

9. Qui legunt, Ipsa conteret, statuunt, Mariam inde atque ideo dici contrivisse caput serpentis, quia peperit Christum serpentini capitis contritorem.

Lyranus in cap. 3. Genes. Quia per ipsam, mediante filio suo, potestas Dæmonis est contrita.

Franciscus Lucas Brugensis in annot. in h. loc. Ut serpentis caput contrivisse dicatur, quia eũ genuit, qui contrivit. At hac ratione dici posset, Davidis matrem, uxorem Isai prostravisse Goliathum, quia peperit eum, qui Goliathum prostravit.

Argum. 5. Luc. 1. v. 28 dicit Angelus ad Virginem [illegible]: Ave gratia plena, benedicta in mulieribus. At quomodo esse potuit gratia plena, si defuit hæc gratia, nempe immunitas à peccato, quæ tamen dari poterat, quam etiam Christus promeruit, ut in aliquem eam dispensaret. Aut in quam personam magis, quàm in matrem, quæ tam honorificè ab Angelo fuit salutata? Quomodo etiam benedicta in mulieribus, si non vincat illas omnes privilegio præservationis ab originali peccato. Gregorius de Valent. de pecc. orig. cap. 3. Valentinus Gerardus in Triumpho Beatæ Virginis &c.

Resp. 1. Vocem κεχαριτωμένη Didacus Stella in cap. 1. Luc. explicat, beneficiis à Domino affectam, indulgentiis & immunitatibus decoratam, majores favores & gratias à Domino consecutam, quàm omnes, quæ fuerunt, quæque in posterum sunt futuræ.

Ibid. Interpres, qui hic vertit, Ave gratiosa, rectè transtulit &c. Et hic sensus, qui germanus & genuinus est literæ, nihil à Virginis honore detrahit, imò ipsius honor maximè hac explicatione augetur, quia dicere illam esse gratia plenã, si solum de gratia gratum faciente intelligamus, etiam de quolibet justo dici potest, vel de infantulo solum octo diebus nato, qui jam Baptismum suscepit. At quod dicat Angelus, magnum favorẽ illam obtinuisse erga Deum, maximum quiddam est.

(Sic ergò Didacus Stella nostram approbat versionem, ex qua immunitas à peccato originali colligi nequit, alias sequeretur, omnes fideles esse ab eo immunes, Eph. 1. v. 6.)

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 3. eodem modo. Quod nos habemus, gratia plena, Græcè est κεχαριτωμένη, participium passivum, à verbo χαριτόω, quod est gratifico, vel gratum facio, proinde ad verbum sonat gratificata, hoc est, quam Deus singulari & gratuito suo favore sibi gratam fecit & gratam habet.

Salmero tom. 3. tract. 5. Κεχαριτωμένη est, quam gratuita sua bonitate Deus gratam & caram & acceptam habuit.

2. Ideò eam plenam gratia dictam fuisse asserunt, quia Verbum ex ea & in ea carnem accepit.

Durandus lib. 7. Rational. cap. 7 Quando eam Angelus salutavit, de Spiritu Sancto concepit, facta gratia plena.

(Quod congruit cum dicto Hieronymi in Expositione Psal. 44. ad Principiam. S. Maria, quia conceperat eũ, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.)

3. Eandem etiam causam reddunt, quod dicatur benedicta in mulieribus.

Thomas Cajetanus in cap. 1. Luc. Hoc quoque imprecatoriè dictum est, Benedicta sis tu inter mulieres, & significatur, quod laudata eris super omnes mulieres, quod implendum esse ex conceptione Filii Dei, ipsamet B. Virgo postea explicavit, dicens: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Dionysius Carthusianus in h. l. Quia magis electa, majoribus gratiæ donis referta, & quodammodo quasi infinita dignitate mox sublimanda in Filii Dei conceptione.

Toletus in h. l. Tertiam causam gaudii & mysterii partem pronunciat. Benedicta, inquit, tu in mulieribus: fiet enim ex hoc, quod Dominus sit tecum, ut Filium concipias & parias, quo cunctas benedictiones prolificas fœminis factas, exsuperes & antecellas.

Cornelius Jansenius d. loc. comparans Judith & Mariam, Illa benedicta in Deo dicta est propter singularem illam gratiam & fortitudinem, qua Holofernem perdidit. Hæc vero singulare privilegium nulli unquam præstitum mulieri, nec unquam præstandum, quo scilicet Deum parere meruit, & virgo simul esse & mater.

Argum. 6. Luc. 1. v. 49. Quia fecit mihi magna, qui potens est. At quæ ista essent magna sive magnalia, si essent communia cum aliis? Salmero.

Resp. Maldonatus in h. l. sic commentatur: Ita solent LXX. Interpretes miracula vocare ex Hebræorum imitatione. Magnum vero miraculum erat, ut sine viro Deum hominemq́, Virgo conciperet. Similia apud alios Interpp. passim occurrunt.

Arg. 7. Tam honor, quàm ignominia matris redundat in prolem.

Resp. 1. ex Thoma p. 3. q. 27. art. 3. Videtur id pertinere ad dignitatem matris, quod fomes totaliter sit ex ea sublatus, sed tamen derogat in aliquo dignitati Christi.

2. ex Bonaventura lib. 3. sentent. dist. 3. quæst. 2. Cavendum est, ne dum matris excellentia amplietur, Filii gloria minuatur, & sic in illo mater provocetur, in quo magis vult Filium extolli & honorari, quàm seipsam utpote creatorem creatura.

Argum. 8. Revelationes Brigittæ idipsum probant.

Resp. 1. ex Antonino part. 3. tit. 24. cap. 11. §. 3. pag. 315. S. Brigitta revelationem, ut asserit, habuit, Virginem Mariam conceptam sine originali peccato. B. Catharina de Senis non minoris, ut creditur, sanctitatis & canonizata, habuit revelationem in contrarium. Et cum Spiritus Prophetarum non sit contrarius, quia unus & idem est, nec sibi contradicens, dicere oportet, quod una earum habuit revelationem à Deo Propheticam, altera verò somnium & phantasian secundum affectum suum.

2. Cajetanus de Concept. Virginis memorat, Dominicanos jactare contrarias revelationes Catharinæ Senensis.

3. Si revelationem Brigittæ pro certò & indubitate divina Pontificii haberent, utique dogma de immaculata conceptione Virginis, tanquam certum & indubitatum fidei articulum propugnare deberent. Confer, quæ de revelationibus dicta sunt lib. 1. cap. 16.

Argum. 9. Immaculata conceptio Beatæ Mariæ confirmata est miraculis.

Resp. Baraletta serm. 18. de Concept. Beatæ Virg. fol. 170.

Hujus-

Hujusmodi miracula fortè fiunt arte Dæmonum, ut Dæmones decipiant homines & in hoc errore teneant, ut suscitet discordias inter viros Religiosos. Confer, quæ de miraculis dicta sunt lib. 2. artic. 5. cap. 4. thesi speciali 11.

Argum. 10. Augustini dictum de Natura & gratia omnes in ore habent. *Excepta sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Respondet Dominicus à Soto de Natura & gratia lib. 3. cap. 4. *Mirandi sanè sunt, qui illic Augustinum meminisse putant de peccato originali. Tractat enim in illa parte ejus libri idem argumentum, quod & in libris de perfectione justitiæ, de Spiritu & litera: scilicet, quod non possit homo vivere sine peccato, contra Cœlestium dicentem, Potest homo non peccare, si vult. Originale autem non est in nostra voluntate. In cujus exemplum proferebat ille hæreticus longum catalogum V. T. puta Abel, Enoch, Abraham & reliquos justos, quos ajebat nullum fecisse peccatum, inter quos referebat & B. Virginem. Ubi si intelligeret de originali, non posuisset illos particulariter, nam secundum Pelagianos nullus mortalium illud contrahit. Ex quibus Augustinus recensitis justis solam beatissimam Virginem excipit. Neq; tamen affirmans, sed nolens facere de illa mentionẽ, propter honorem Domini.*

Et paulò post. *In eo, quod dicit vincendum, manifestissimè loquitur de actuali, quoniam originale non vincitur, & ideò notanter & discretè de illa dixit vincere, de Christo verò nullum habuisse.*

(Adde, quod Augustinus alibi suam disertè exponat sententiam, quando solum Mediatorem Christum à peccati originalis labe eximit.)

Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ capite 15. §. Ad hunc &c. *Ad hunc Augustini locum responderi solet* (à Soto & aliis) *Augustinum non de originali sed actuali peccato esse locutum.*

Argum. 11. Adducunt *Concilium Basileense.*

Resp. Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 7. §. Sextum, de eo sic judicat: *Hujus Concilii nihil est ratum & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia Ecclesiastica, quæ à Concilio factæ fuerunt, quas (pacis & unitatis gratia) Nicolaus V. Pontifex approbavit. Concilium verò ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo sess. 11.*

Idem lib. 2. de Concil. cap. 11. §. Tertiò &c. *Concilium Basileense sess. 2. unà cum Legato Pontificis communi consensu statuit, Concilium esse supra Papam, quod certè nunc quidem judicatur erroneum.*

lib. ejusdem cap. 19 §. ultimo. *Concilium Basileense legitimè inchoatum, sed illegitimè terminatum.*

lib. 3. de Eccles. cap. 16. §. Ad sextum. *Basileense Concilium initio quidem fuit legitimum &c. at quo tempore Eugenium deposuit & Felicem elegit, non fuit Concilium Ecclesiæ, sed conciliabulum schismaticum, seditiosum & nullius prorsus autoritatis.*

Argum. 12. Urgent *festum Conceptionis.*

Bellarminus lib. 4 de amiss. gratiæ capite 15. §. Deinde Concilium. *Totus ferè orbis Christianus celebrat festum diem Conceptionis virginis Mariæ, eamque conceptionem immaculatam vocat.*

Resp. 1. Thomas part. 3. quæst. 27 art. 2. & Quodlibeto 6. art. 7. *Romanam Ecclesiam & plurimas alias non celebrare id festum, tolerare tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud celebrantium.*

2. Durandus in Rational. lib. 7. c. 7 *Quidam faciunt quintum festum, scilicet de conceptione Beatæ Mariæ* (Ergo non omnes.)

3. Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 4 *Conceptio sanctæ Dei genetricis Mariæ non quidem ex generali Ecclesiæ institutione, sed ex speciali quorundam devotione in plerisque Ecclesiis celebratur.*

(Ergò non est Universalis Ecclesiæ consensus.)

4. Nec illi quidem, qui hoc festum celebrant, ob immaculatam Virginis conceptionem illud celebrari statuunt.

Durandus d. l. *Quidam faciunt quintum festum, scilicet de conceptione B. Mariæ, dicentes, quod sicut celebratur de morte sanctorum, non propter mortem, sed quia tunc recepti sunt nuptiis æternis. Similiter potest celebrari festum de conceptione, non quia sit concepta, quia in peccato est concepta, sed quia mater Domini est concepta, asserentes, hoc fuisse revelatum cuidam Abbati in naufragio constituto, quod tamen non est authenticum, unde non est approbandum, cum concepta fuerit in peccato, scilicet per concubitum maris & fœminæ.*

5. Turrecremata in cap. 3. dist. 4. de consecrat. *Per hoc, quod ab aliquibus festum conceptionis B. Mariæ celebratur, non datur intelligi, quod in sua conceptione fuerit sancta, sed quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis ejus potius, quàm Conceptionis in die conceptionis ejus.*

6. Bernhardus, cùm primum audivisset apud Lugdunenses suos vicinos id festum induci, prolixè admonuit, *violari pietatem*; in Epist. ad Lugd. Canonicos, cujus magnam partem descripsit Cardinalis de Turrecremata, & quædam ex ea superius sunt adducta.

7. Glossa Decreti in c. 1. dist. 3. de consecrat. sic habet: *De festo conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est sicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia. Et hæc est ratio, quia in peccatis concepta fuit, & sicut cæteri sancti, excepta unica persona Christi.*

CAPUT V.

De Peccati Originalis Natura & quidditate.

Thesis prima. Prava concupiscentia post Baptismum in renatis adhuc reliqua, est verè & propriè peccatum, etiam antequam ad eam accedat consensus.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an concupiscentia illa prava sit peccatum, ad quam accedit consensus, delectatio & prosecutio ejus rei, ad quam pravi motus inclinant. Eam enim peccatum esse concedunt Pontificii.

2. Neque quæstio est, an pravi illi concupiscentiæ motus actu secundo fuerint in homine ante lapsum. Illud enim itidem Pontificii nobiscum negant.

3. Neque quæstio est, an rebellio illa carnis contra Spiritum sit pœna originalis peccati. Illud enim itidem concedunt Pontificii.

4. Neque quæstio est, an illæ peccati originalis reliquiæ & pœnæ, videlicet ignorantia, difficultas, propensio ad malum, prava concupiscentia possint dici *vulnera Naturæ* & *materiale peccati*, languor Naturæ & fomes peccati. Illud enim itidem concedunt Pontificii.

5. Neque quæstio est, an primi illi concupiscentiæ motus, quibus nondum accedit consensus, reddant homines renatos coram Deo iræ & mortis æternæ actu reos. Id enim disertè negamus, & cum Apostolo dicimus, *nullam esse condemnationem his, qui sunt in Christo*, Rom. 8. v. 1.

Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 6. distinguit inter *reatum concupiscentiæ eum, quo concupiscens reus fit; & eum, quo ipsa rea est iræ & damnationis divinæ.*

Quando enim Julianus concludebat, *Quia in Baptismo homo absolvitur à reatu concupiscentiæ, ideò concupiscentiã ipsam à reatu absolvi, ut in se res non amplius mala, sed bona sit*, resp. Augustinus. *Si hoc sentirem, profectò non dicerem, eam malam esse, sed fuisse.*

6. Neque quæstio est de concupiscentia in primo homine *ante lapsum*, quæ fuit naturalis appetitus ab ipsa creatione inditus, sed *de concupiscentia prava*, quæ est in homine *post lapsum*.

7. Neque quæstio est de concupiscentia, ut significat facultatem illam naturalem concupiscendi, quà talis est, insitam à Deo, qui est autor omnium animæ facultatum & potentiarum, quæ pertinent ad Naturæ constitutionem, eam enim in se & per se peccatum esse, nemo nostrum dicit.

8. Neque quæstio est de omnibus concupiscentiæ illius motibus & actionibus, quia multæ sunt in se consideratæ, sive suo genere bonæ, multæ indifferentes.

9. Neque quæstio est de *concupiscentia illa spirituali* de qua Galat. 5. v. 17. dicitur, *quod Spiritus concupiscat adversus carnem.* Ut enim naturalis concupiscentia, quando fertur ad debitum objectum, & debito modo in se ac per se non est peccatum: ita multò minus spiritualis concupiscentia peccati nomine appellanda.

10. Tota igitur quæstio est de concupiscentia carnis, sive concupiscentia carnali, quæ adversus Spiritum & legem Dei concupiscit, an scilicet illa concupiscentia prava, quæ post Baptismum in renatis adhuc reliqua est, hoc est, tum *concupiscentia habitualiter inhærens*, tum *primi ejus motus* sint *ex se & sua Natura* remoto gratiæ umbraculo peccatum, hoc est, quoddam malum culpæ pugnans cum lege divina, etiamsi ex accidenti, videlicet propter Christum renatis non imputetur, hoc est, non constituat eos actu reos coram Deo & morti æternæ obnoxios? Affirmamus nos, Pontificii negant.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 5. *Concupiscentiam illam, quam aliquando Apostolus peccatũ vocat, sancta Synodus declarat, Ecclesiã Catholicam nunquam intellexisse peccatũ appellari, quod verè & propriè in renatis peccatũ sit, sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Bellarminus lib. 5. de amiss. gratiæ capite 5. §. 1. *Errant Lutherani, statuentes, corruptionem Naturæ sive concupiscentiam, quæ is remanet in hominibus post justificationem, esse peccatum ex Natura sua verè & propriè, quamvis credentibus non imputetur.*

§. 3. Ca-

§.3. *Catholici docent, sanata voluntate, per gratiam justificantem, reliquos morbos, non solum non constituere homines reos, sed neque posse constituere, cum non habeant veram peccati rationem.*

lib. ejusdem cap.7.§.2. *Asserimus, Naturæ corruptionem sive concupiscentiam, qualis remanet post Baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solum quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum ex se, vel sua Natura sit peccatum.*

lib. ejusd. cap.10.§. Itaque. *Non concupiscentia carnis, sed cordis, h.e. voluntaria est prohibita in lege, non concupisces.*

Pererius Disput.8. in cap.7. Rom. *Heretici censent, motus concupiscentiæ ad res illicitas, quibus incitatur homo ad concupiscendum aliquid contra legem Dei & regulam rationis, vere ac propriè peccata esse, etsi eis non adsit rationis & voluntatis consensus. Catholici verò id pernegant, affirmantes, tantum prohiberi concupiscentiam ex deliberata ratione & voluntatis electione provenientem.*

Tannerus in 1.2. Thom. Disp. 11. thes. 85. pag. 312. *Non minus falsa & damnata est communis illa hæreticorum hujus temporis opinio, qua dicunt, concupiscentiam sive illam ipsam Naturæ nostræ corruptionem, quæ & qualis etiam in renatis reperitur, esse verè ac propriè peccatum originale, licet fidelibus non imputetur ob fidem.*

Costerus in augm. Enchir. pag 168. *In baptizatis relinquitur quidem concupiscentia & fomes ad pugnam, ea tamen propriè nominis peccatum non est, tametsi ab Apostolo impropriè nominetur peccatum, tum quia ex peccato nobis inest, tum quia ad peccatum inducit.*

Inde Molanus Theolog. practic. tractat. 3. cap 27. concl. 1. prop. 4. audacter pronunciat, *multas cogitationes contra fidem, & imaginationes impuras non esse peccata, non solum, quia renatis non imputantur, sed etiam, quia imputari non possunt, cum peccata non sint ex se & Natura sua*, ut declarat Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati cap. 7.

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex appellatione.* Quicquid Scriptura in propria sede hujus articuli vocat peccatum, illud est vere & proprie dictum peccatum. Atqui Scriptura concupiscentiam in propria sede vocat peccatum. Apostolus enim in 6.7. & 8. cap. Epistolæ ad Romanos, non semel, sed aliquoties concupiscentiam carnis vocat peccatum. Rom. 6. v. 2. 6, 7, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 19. cap. 7. v. 5, 7, 8, 9, 11, 13, 14, 17, 20, 23, 25. cap. 8. v. 2, 3. & 10. Ergo.

2. *Ex appellationis declaratione.* Quicquid Scriptura ipsa proprie accipiendum esse docet, illud utique in propria significatione accipiendum. At Scriptura ipsa docet, concupiscentiam proprie peccatum dici. Apostolus enim concupiscentiam vocat aliquid *non bonum*, Roman. 7. v. 15. sed *malum*, v. eod. ac illud malum describit tum *privativè, perficere bonum non invenio*, v. 18 tum *positivè, quod odi malum, illud ago*, v. 19. Appellat tale malum, *quod odio dignum, quod crucifigendum*, Rom. 6. v. 6. *mortificandum ac destruendum*, v. eod. quod nos coram Deo *miseros* reddit, Rom. 7. v. 24. & à quo *liberari* quisque pius seriis gemitibus orat, v. 25. Ergo concupiscentia est propriè dictum peccatum.

3. *Ex definitione.* Cui propria peccati definitio competit, illud est propriè dictũ peccatũ. Concupiscentiæ competit propria peccati definitio, 1. Joh. 3. v. 4. Rom. 7. v. 7. cũ sit ἀνομία. Ergo.

4. *Ex cap. 7. Rom. attestatione.* Illam concupiscentiam peccatum esse & lege prohiberi Apostolus asserit, per quam & propter quam adhuc erat *carnalis* & contra suam voluntatem *sub peccatum venundatus*, Rom. 7. v. 14. Atqui illa est concupiscentia carnis, per quam nondum accedente voluntatis consensu, imò contra voluntatem homo peccator constituitur, ut patet ex v. 15. *quod odi, illud facio*, v. 16. *quod nolo, illud facio*, v. 19. *non quod volo bonum, hoc facio.* Ergo etiam concupiscentia carnis, hoc est, primi concupiscentiæ motus, si vel maximè non accedat consensus, sunt peccata, & lege Dei prohibentur. Mens D. Pauli per Spiritum renata & lex Dei idem volebant, Rom. 7. v. 16. Atqui mens D. Apostoli nolebat sentire motus concupiscentiæ. Ergò etiam legi Dei motus illi repugnabant. Conqueritur Apostolus, *volenti facere bonum, sibi malum adjacere*, Rom. 7. v. 21. Utiq; ergo concupiscentia est tale malum, quod perfectam legis impletionem excludit, & per consequens est peccatum. Quicquid repugnat legi mentis per Spiritum regeneratæ, & captivat hominem in lege peccati, illud utique peccatum est. At talis est concupiscentia, Rom. 7. v. 23. Ergo est peccatum. Quicquid homines in vita spirituali coram Deo miseros reddit, & à quo non nisi per Christum liberamur, illud est peccatum. At concupiscentiæ competit illud, Roman. 7. v. 24, 25. Ergò & hoc. Qui bonum facit, non autem perficit, nondum perfectè implet legem. Atqui Apostolus de se & omnibus renatis testatur, quod bonum quidem *faciant*, non autem *perficiant*, Rom. 7. v. 18. Ergo nondum perfectè implent legem, videlicet propter adhærentem concupiscentiam, & per consequens concupiscentia illa perfectam legis impletionem impediens, est peccatum. Quicquid est inimicitia adversus Deum & mors, hoc est, mortis causa, illud est peccatum. At φρόνημα τῆς σαρκὸς est *inimicitia adversus Deum & mors*, Rom. 8. v. 6. & 7. Ergò.

5. *Ex aliorum Scripturæ locorum collatione.* Si figmentum cordis humani tantum malum omni tempore: utiq; prava concupiscentia à peccati accusatione non poterit absolvi. Sed verum prius, Gen 6. v. 5. cap. 8. v. 21. Ergo & posterius Psal. 19. v. 13. conqueritur Psaltes, *delicta quis intelligit? ab occultis munda me.* Psal. 51. v. 12. *cor mundum sibi creari* petit. Ergo agnoscit adhærentes peccatorum sordes & numerum delictorum suam effugere notitiam fatetur. Jer. 17. v. 9. & 10. tanta cordis pravitas ac perversitas in homine statuitur, quam ne ipse quidem satis pernoscere queat. Eam verò peccatum esse quis negabit? Joh. 15. v. 2. Christus dicit, *discipulos esse purgandos*, quos tamen dixerat *esse mundos*, Johan. 13. v. 10. Ergo munditiés inhærens in hac vita nondum est perfecta, sed concupiscentia in renatis adhuc reliqua, est quædam immunditiés coram Deo. Si in renatis *caro adhuc concupiscit adversus Spiritum*, utique peccatum in ipsorum carne adhuc habitat. Sed illud, Galat. 5. v. 17. Ergo & hoc. Ephes. 4. v. 23. renati jubentur *renovari Spiritu mentis suæ.* Ergo ex parte adhuc sub peccato & carnis vetustate sunt. Coloss. 3. v. 5. renati jubentur *mortificare membra veteris Adami.* Utique ergo peccatum adhuc in ipsorum carne habitat. Hebr. 12. v. 1. jubentur renati *deponere circumstans peccatum.* Ergo peccatum in ipsorum carne adhuc habitat. 1. Johan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Ergo in omnibus renatis adhuc hæret peccatum, licet remissum & mortificatum.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Baptismũ non ita tollere peccatum, ut in baptizatis nullæ ejus maneant reliquiæ.

(Ad illas enim peccati reliquias in renatis pertinet etiam prava concupiscentia.)

Dicta illa adducta sunt superius lib. 2. art. 12. de Baptismo cap. 3. thesi 1.

2. Quod quidam agnoscunt, pravam concupiscentiam in renatis adhuc reliquam, esse peccatum.

Bernhardus serm. 6. de Advent. Dom. col. 12. *Alio in loco ait idem Apostolus: Scio, inquit, quod non est in me bonum, hoc est, in carne mea, & alibi: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. Sciebat nimirum, non prius liberandum se esse à pessima illa radice, quæ carni infixa est, à lege peccati, quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solveretur, unde & cupiebat dissolvi & esse cum Christo, sciens quod peccatum separans inter nos & Deum, penitus auferri non potuit, donec liberemur à corpore. Audistis de quodam, quem Dominus curavit à Dæmonio, quoniam collidens & multum discerpens eum, Dæmon exivit ab illo. Itaque dico vobis genus illud peccati, quod toties conturbat nos concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet & potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis, nec demus membra nostra arma iniquitati peccatis peccato, & sic nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu, sed non ejicitur, nisi in morte.*

Item serm. 56 in Cant. *Unicuiq; nostrum, qui desideramus adventum ipsius, puto illum nihilominus post parietem stare, dum corpus hoc nostrum, quod certè peccati est, abscondat interim nobis faciem ejus & præsentiam intercludat. Demq;, quamdiu sumus in hoc corpore, inquit, peregrinamur à Domino. Non quia in corpore, sed quia in corpore hoc, quod utique de peccato est, & sine peccato non est. Et ut scias, quoniam obstant non corpora, sed peccata, audi Scripturam: Peccata nostra, inquit, separant inter nos & Deum Et utinam unus mihi tantum obster paries corporis, solumq; obicem patiar id, quod est in carne peccatũ, & nõ multæ intersint maceriæ vitiorũ. Vereor n. ne etiam præter illud, quod in Natura est, quamplurima de propria iniquitate adjecerim.*

Idem serm. 58. super Cant. *Credite mihi (vitia illa) & putata repullulant & effugata redeunt & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergò semel putasse, sæpe putandum est, imò si fieri possit semper, quia semper, quod putari oporteat (si non dissimulas) invenis, quantumlibet in hoc corpore manens, profeceris. Erras si vitia putas emortua & non magis suppressa.*

Lombardus 2. sentent. dist. 21. lit. E. *Interior tentatio est, quando invisibiliter malum nobis intrinsecus suggeritur. Et hæc tentatio*

tatio aliquando fit ab hoste, aliquando à carne. Nam & Diabolus invisibiliter mala suggerit, & ex carnis corruptione suboritur motus illicitus & titillatio prava: ideoque tentatio, quæ ex carne est, non fit sine peccato: quæ autem est ab hoste, nisi consentiatur, non habet peccatum, sed est materia exercendæ virtutis.

lib. ejusd. dist. 30. ex Augustino. *Quæ autem est concupiscentia, cum qua nati sumus? Vitium utique est, quod parvulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit.*

Subjungit Lombardus: *Ex his datur intelligi, quid sit originale peccatum, scilicet vitium concupiscentiæ, quod in omnes concupiscentialiter natos, per Adam intravit, eosque vitiavit.*

(Adeò igitur hoc vitium intellexit esse peccatum, ut etiam concupiscentiam existimarit esse ipsum originale peccatum.)

lib. 3. dist. 17. lit. B. *In Christo caro non concupiscebat contra Spiritum, quia ut Augustinus ait, non nullum est vitium, cum caro concupiscit adversus Spiritum.*

lib. ejusd. dist. 19 lit. C. *Adhuc expectamus redemtionem corporis: secundum animas verò jam redemti sumus ex parte, non ex toto; à culpa, non à pœna; nec omninò à culpa, non enim sic ab ea redemti sumus, ut non sit, sed ut non dominetur.*

Thomas part. 3. quæst. 41. artic. 1. ad 3. rationem reddens, *cur Christus non sit passus internas tentationes à carne & concupiscentia progredientes*, respondet: *Tentatio, quæ est à carne, non potest esse sine peccato, quia fit per delectationem & concupiscentiam; & sicut dicit Augustinus lib. 9. de Civit. Dei cap. 4. Non nullum peccatum est, cum caro concupiscit adversus Spiritum, & ideo Christus Dominus tentari voluit ab hoste, sed non à carne.*

Johannes Gochius Presbyter Mechliniensis (qui floruit seculo decimo quinto) docuit, *verè peccatum remanere in piis, sed non imputari eis, sed remitti propter Christum*, ac refellit Sophistas peccatum in sanctis remanens extenuantes.

Cajetanus in Epist. Rom. cap. 7. v. 8. ait, *Concupiscentiam, de qua ibi Apostolus, peccatum etiam esse formaliter, pro quanto est pars peccati originalis.*

Georgius Cassander in Consultat. art. 2. tit. de Concupiscentia manente in renatis pag. 910. *Magna controversia hactenus extitit de vitiosa illa concupiscentia, quam constat etiam post Baptismum esse reliquam, sitne propria ratione peccatum, etiam postquam Baptismo remissa est? Sed hæc vocis magis, quam rei contentio esse videtur. Nam primum ex Augustino & reliquis Ecclesiasticis Scriptoribus convenit, eam concupiscentiam etiam post Baptismum reliquam, rem esse malam, contra quam pugnandum sit, quam Apostolus legem membrorum appellat, repugnantem legi mentis, quæ ab Apostolo & eum secuto Augustino peccatum nonnunquam appellatur, non modo, quia peccato facta est, sed quod fomes sit, & incentivum peccati, & dominationi mentis resistit. Si igitur peccati rationem in vitio illo & iniquitate, languore, infirmitate ac morbo constituas, cui Spiritu resistendum sit, ne actus illicitos gignat, non inepte peccatum dicitur. Certè insignis quidam Theologus aperte asserit, etiam in regeneratis manere peccatum, tametsi non imputetur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei & reatu, cui ex hoc adverso pœna & damnatio respondet, si tam intelligas, certum est, in regeneratis non esse peccatum, utpote in quibus facta est remissio peccatorum & reatus omnis solutus. Infirmitas vero illa reliqua, quamvis mala & vitiosa sit, tamen ad peccatum non deputatur, nisi illi ad illicitos actus inclinanti consentiatur. Ita Augustinus aperte dicit, Concupiscentiam in renatis non esse peccatum, quando illi ad illicita opera non consentitur, (quam tamen eandem concupiscentiam alibi iniquitatem esse contendit) ideò verò peccatum non esse, quod ab ejus reatu homo liberatus sit & nulla damnatione detineatur.*

Postea subjicit Formulam Concordiæ de peccato originis & concupiscentiæ initam Wormatiæ Anno 41. inter Eccium & Mensingum; Item Bucerum & Philippum Melanchthonem, quæ sic habet: *Fatemur unanimi sententia, omnes ab Adam propagatos secundum legem communem cum peccato originali & ita in ira Dei nasci. Est autem peccatum originale carentia justitiæ originalis debitæ inesse cum concupiscentia. Consentimus etiam, in Baptismo reatum originalis peccati remitti cum omnibus peccatis per meritum passionis Christi. Manere autem non solum Apostolicus Scripturis, sed ipsa etiam experientia docti sentimus, concupiscentiam, vitium Naturæ, infirmitatem, morbum. De quo quidem morbo in renatis inter nos convenit, quod maneat materiale peccati originis, sublato formali per Baptismum. Materiale autem vocamus peccati, quod sit à peccato & quod ad peccatum inclinat, quod repugnat legi Dei, quemadmodum & Paulus appellat. Ad eandem etiam rationem in scholis compendio dici solet, manere in Baptizato originis peccati materiale, formale verò rectius est auferri.*

Antonius Marinarius Carmelita in Concilio Tridentino monuit, *D. Augustinum jam senem de hoc argumento* (de concupiscentia post Baptismum in renatis adhuc reliqua) *scribentem ad Bonifacium, clarè enunciasse, concupiscentiam non esse peccatum, sed ejus causam & effectum. Eundem verbis non minus apertis contra Julianum scripsisse, eam & esse peccatum & causam, effectumque peccati. Neque tamen in Retractationum libris contrariarum istarum propositionum vel meminisse, quod argumento esse debeat, Patrem illum arbitratum, ad fidem quæstionem eam non pertinere, in utramq; partem de ea probabiliter posse disputari, & controversiam prope verbalem esse. Aliud enim esse, quærere, an res aliqua ex se sit peccatum, an vero ratione personæ, quæ excusari mereatur. Exempli causa, si quis venatum proficiscens, idque vitæ sustentandæ gratia, dum feram perimere cogitat, per ignorantiam insuperabilem interimat hominem, Jurisconsulti dicunt, actionem eam esse delictum & homicidium; sed venatorem esse excusabilem, ut in eo peccatum censeri non debeat, propter adjunctam ignorantiæ circumstantiam. Ad eundem modum concupiscentiam, quæ eadem est & ante & post Baptismum, ex se quidem esse peccatum, attestante Divo Paulo, eam etiam in renatis pugnare cum lege Dei, cui quicquid repugnat, peccatum esse necesse est; baptizatum nihilominus excusari, qui Christum induerit, eoque vestiatur. Articulum igitur uno sensu verum esse, altero falsum; neque fas esse damnare propositionem, quæ possit in bonum sensum accipi, nisi distinctione prius facta*, Petrus Suavis in Histor. Concil. Trident. lib. 2. p. 200.

Johannes Ferus in cap. 26. Matth. *Sancti & pii homines loti sunt, hoc est, per Christum abluti & sanctificati, verum ea sanctificatio nondum perfecta est, manent enim reliquiæ peccati, quas subinde purgare oportet, pedes igitur, hoc est, affectus animæ, quamdiu in hoc pulvere gradimur, ex toto mundos servare non possumus, quin aliquando voluptati, vanitati aut curiositati animus cedat, plusquam oportet.*

Et paulò post. *Mundi quidem sunt credentes in Christo, scilicet per fidem mundati, unde & nihil damnationis est ipsis. Sed tamen in seipsis adhuc sunt peccatores; ob id Scriptura eos & sanctos & peccatores nominat, sed diverso respectu: in quantum Christi membra, sancti sunt: in quantum homines, peccatores & purgatione ulteriori indigent.*

(Si in renatis post Baptismum adhuc *manent reliquiæ peccati*, propter quas adhuc sunt *peccatores*, utique prava concupiscentia in illis reliqua est peccatum. Viderunt hoc Censores, unde in Indice Expurgatorio verba illa in sententia posteriore, *sed tamen in seipsis adhuc sunt peccatores*, sic legenda esse jubent; *sed tamen in seipsis, unde peccare possunt, habent*; & rursus, verba illa, *Ob id Scriptura eos & sanctos & peccatores nominat*, per hæc corrigunt, *Et ob id Scriptura eos sanctos, & in quibus inhabitat, quod ad peccandum incitat, nominat.* Index Expurgatorius lit. I. tit. Johannes Ferus.)

Ludovicus Vives in Commentar. lib. 1. August. de Civitate Dei cap. 9. *Tam potentissime visceribus nostris inhæret rei Venereæ cupiditas, ut ne cogitare quidem de explenda libidine possimus, quin voluptate, nescio qua, occulta tangamur, quam plerique nimium veniale peccatum esse volunt.*

Ludovicus à Ponte in cap. 1. Cantic. lib. 2. Exhortat. 27. pag. 499. *Tentatio interna, quæ à carne & concupiscentia progreditur & ad peccatum allicit, vix contingit sine aliquo peccato, aut sæpius trahit illud. Propter quod Christus Dominus, qui tentatus dicitur per omnia pro similitudine absque peccato, non passus est has internas tentationes, sed omnis ejus tentatio, ut notat Gregorius Hom. 16. in Evang. foris fuit, non intus.* Postea adducit dictum Thomæ paulò antè pro nostra sententia citatum.

2. Quòd Patrum suffragium nobis largiri coguntur.

Azorius tom. 1. moralium lib. 4. cap. 30. *Augustinus concupiscentiam hanc frequenter appellat malum & peccatum.*

(Nimirum non metonymicè & impropriè, quia est peccati causa, sed propriè, *quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis*, quam rationem tradit lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi etiam verbis disertis docet, illam non solum esse *peccati causam* & *pœnam*, sed etiam *peccatum*.)

Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. cap. 22. §. 15. *Ambrosius eam vocat vitium, iniquitatem & delectationem, mandato Dei adversam.*

(Atqui, docente ipsomet Bellarmino, definitio peccati Johannæa, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία est generalis, omni peccato competens, & peccatum propriè est legis transgressio, lib. 4. de Justificat. cap. 13.)

3. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 9. §. Denique &c. *Dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in divinis literis.*

Tropi

Tropi enim locum habent vel in propheticis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quæ præcise credi aut servari debent.

Ibid.§. Ultimò probatur &c. *Communis regula Scripturæ explicandæ hæc est, ut nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab alia aliqua Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi totius Ecclesiæ explicatione, alioqui enim peribit fides & remanebit sola opinio de rebus divinis, & aperietur porta infinitis erroribus.*

lib.ejusdem cap.11.resp.ad 8.argum. *Non negamus, in verbo* Calix (in verbis Cœnæ) *esse tropum, sed tropum ibidem clarissimè explicatū: quod de tropo, qui constituitur in voce corpus, dici nō potest.*

lib.ejusdem cap.12.§.Sed tota &c. *Sensus proprius & literalis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium. Neque debent à nobis petere Adversarii, cur sequamur proprium verborum sensum. Simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem & tritam, nemo enim sanus id quærit, vel cur ingrediamur per portam, non per fenestram.*

(Ex illis sic concludimus: Quod Scriptura in propria sede hujus articuli vocat peccatum, illud est vere & proprie dictum peccatum. Ratio connexionis patet ex allegatis Bellarmini verbis. Jam verò Scriptura in propria sede hujus articuli Rom.6.7.& 8.concupiscentiam vocat peccatum.

Bellarminus lib. 5.de amiss.gratiæ cap.5.§. Johannes &c. *Apostolus concupiscentiam carnis, quam in se quoque ipse, quamvis justificatus & sanctus experiebatur, peccatum frequenter appellat.*

Pererius Disput.8.in cap.7.Rom. *Vocabulo peccati Apostolus intellexit fomitem sive concupiscentiam è peccato natam & incitantem ad peccatum.*

Cajetanus ibid. *Nomine peccati significatur fomes internus h.e. inferior pars animi tendentis ad bonum delectabile secundum sensum seu mundum.*

Salmero ibid. *Voce peccati Ambrosius intelligit Dæmonem, qui homini causa fuit & initium peccati: sed revera hæc significatio longè à sua proprietate vocem distrahit. Quare Augustinus rectius fomitem intelligit, seu habitualem concupiscentiam in carne hominis habitantem, quæ inordinatè tendit ad bonum delectabile secundum sensum & mundum, & ad omne malum impellit.*

Stapletonus in Antidoto h.l. *Peccatum, id est, pravitas vitiosa cordis humani.*

Ribera in Comment.Hebr.12.v.1. super verba: *Deponentes circumstans peccatum &c. Concupiscentiam carnis adversus Spiritum intelligit, quam Apostolus sæpe solet appellare peccatum.* Conclusio sponte emergit. Ergò concupiscentia est vere & proprie dictum peccatum.)

Secundo, Tannerus in Exam. relat. Hunn. cap.13.§. Sed quia &c. *Sceleratum est, modum loquendi, & quoad rem ipsam verum, & per se Scripturas imitantem, tanquam blasphemum & inauditum portentum traducere.*

(Subsumimus. Modus loquendi, quo concupiscentiam in renatis post Baptismum reliquam, vocamus peccatum, per se imitatur Scripturas, quia Apostolus eam aliquoties peccatum vocat, ut ex Bellarmino, Riberâ & aliis audivimus. Ergo)

Tertiò, Bellarminus in disputatione de Concupiscentia passim fatetur, *Concupiscentiam esse legem membrorum, repugnantem legi mentis, esse peccati fomitem, esse tentationum fontem, esse vitiatam animi potentiam, assimilari canibus rabiosis, esse iniquitatem in carne materialiter, in mente formaliter, esse peccatum, esse vitium, repugnare virtuti, esse illicitum, odio haberi à Deo, repugnare legi Dei, non solum in carne, sed etiam in mente sedem habere, contra Spiritum usque ad mortem pugnare, impedire rationem, longe pejorem esse bestiarum concupiscentiâ &c.*

Vide Indicem generalem tom.4.in voce Concupiscentia.

Salmero in Prolegom.in Epist.Pauli parte 3, Disp.31. concupiscentiam sic describit, quòd sit *defectus & deordinatio seu deformitas quædam Naturæ humanæ, atque de illa loqui Apostolum 1. Joh.1.v.8. Si dixerimus, quod peccatum non habemus; nec non Paulum Rom.5.v.13. Usque ad legem peccatum erat in mundo.*

Benedictus Pererius Disp.7. in cap 8. Johan. num.18. *de concupiscentia exponi posse* scribit *illud Christi, Joh.8. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.*

Idem Disputat.1. in cap.8. Rom. num.3. *primos concupiscentiæ motus indeliberatos atque involuntarios* vocat *pravos & illicitos.*

(At si hæc vera sunt, ut sunt verissima, quomodo negari potest, concupiscentiam in se & sua Natura esse peccatum?

Quartò, concedunt omnes, concupiscentiam esse languorem Naturæ.

c.Illud relatum.caus.15.quæst.1. *Sive voluntate, sive ex infirmitate peccata procedant, palam est illa imputari. Sed carnis infirmitas dupliciter intelligitur, est enim languor Naturæ, qui carnis concupiscentia appellatur, quæ verius animæ infirmitas dici potest. Sed ideò carnis infirmitas dicitur, quia accidit animæ ex conjunctæ carnis corruptione. Porrò alia est infirmitas, quæ propriè carnis dicitur, qua Elementorum seu humorum concordia turbata ipsa caro afficitur & tandem dissolvitur. Similiter animi infirmitas duplex est, Una, quæ vitium appellatur, qua anima à Deo separatur, ut est ira, odium & alia hujusmodi. Alia infirmitas animi, quæ cum ipsa non sit peccatum, est tamen pœna & causa peccati, ut oblivio & ignorantia.*

Lombardus 2.sentent.dist.30.G. *Quid ergò originale peccatum dicitur? fomes peccati, scilicet concupiscentia vel concupiscibilitas, quæ dicitur lex membrorum sive languor Naturæ, sive Tyrannus, qui est in membris nostris, sive lex carnis.*

(Languor ille Naturæ ex peccato relictus sive prava concupiscentia est morbus quidam animi. Utique ergo peccatum est. Languor enim ille est privatio sanitatis inesse debitæ. Illa sanitas animæ erat rectitudo, integritas & plena cum lege conformitas. Qualis ergò morbus, quale malum sit iste languor, ex opposito habitu rectissimè cognosci potest. Morbus corporis est tantum malum pœnæ, sed animæ morbus est, & *malum culpæ & malum pœnæ.*)

Quintò, concedunt, peccata ex concupiscentia orta, imputari ad pœnam.

(Utique ergò concupiscentia est peccatum.)

c.Quod autem. caus.15.quæst.1. *Peccata alia penes voluntatem animi, alia circa Naturæ infirmitatem videntur &c. Ex voluntate itaque peccata procedunt, quæ libero mentis arbitrio & delinquentis proposito committuntur. Porro infirmitas animi est ignorantia. Carnis infirmitas est ejus concupiscentia. Ex utraque autem infirmitate quæ procedunt, imputantur ad pœnam &c. Ex carnis infirmitate procedunt, quæ Naturæ languore fiunt, quæ nisi imputarentur ad pœnam, nequaquam Apostolus lege carnis gravatus diceret: Infelix ego homo &c. Sive ergò penes voluntatem sive penes infirmitatem peccata consistant, semper imputantur ad pœnam.*

Sexto, Stapletonus in Antidot. Epist. Roman. cap.7.pag. 363. *Aliquo sensu etiam ipsis renatis hæc ipsa in se concupiscentia, quoad primos ejus motus pravaq; desideria, in hoc præcepto, Non concupisces, continetur, non quod sub pœna peccati mortalis aut venialis obliget hoc præceptum, sed quod doceat Naturæ morbum & quærere Medicum, & quod ad quotidianum profectum docendo incitet.*

(Si concupiscentia præcepto Dei prohibetur, quomodo non erit peccatum? Frustra elabi conatur per distinctionem inter prohibitionem *per modum doctrinæ* & *per modum obligationis*, quo effugio etiam Bellarminus utitur, cum omnis prohibitio legalis non per modum nudæ doctrinæ, sed per modum efficacis obligationis nos coerceat.)

Septimò, idem Stapletonus lib.3. de Concup. in renatis cap.2. scribit: *Fatemur, concupiscentiam esse quandam iniquitatem & aliquando obliquitatem, non modo contra dominatum mentis, verum etiam contra legem Dei*: cum quo congruit illud Wilhelmi Lindani lib.3.Panopliæ cap.19. sub finem: *Donec desideria ista mala Spiritum vexant, & ad carnis delicias solicitant; non impletur, quod prohibetur, non concupisces.*

(Subsumimus ex Bellarmino lib.4. de Justificat. cap.13. *Non quod est præter, sed quod est contra legem Dei, est mortale peccatum: nec enim aliter peccatum intelligi potest, quam quod sit legis transgressio.*

Proinde ἀσύςατον prorsus, quod Andradius in Defens. Concilii Trident lib.5.pag.791. scribit, *Concupiscentiam ἀνομίαν, hoc est, divinæ legi contrariam dici quodammodo posse, quæ prohibet non concupiscere, & tamen non esse verè proprieque peccatum.*

Octavo, idem Stapletonus in Antid.Rom.7.pag.364. *Judæi homines valde literales & crassi, non intelligebant mentalem mœchiam, homicidium & furtum etiam cum consensu rationis conjunctum, esse peccatum.*

Ibid.pag.362. *Magni peccatores absque prohibente lege nesciunt voluntarios illos concupiscentiæ motus esse peccata.*

(Atqui Apostolus Paulus etiam ante suam ad Christum conversionem non erat adeo literalis ac crassus, nec tantus peccator, ut voluntaria illa delicta interiora non agnosceret esse peccata, Philip.3.v.6.2.Tim.1.v.3. Act.23.v.1.

Stapletonus in Antidot. pag. 369. *Apostolus conversatus est in omni conscientia bona coram Deo, ergo veram coram Deo non externam tantum justitiam coluit.*

pag. 370. *Qui in omni conscientia bona conversatur ante Deum, ejus intima cordis pravitate non scatent, sed plane pura sunt.*

Proinde quando dicit: *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces*, non loquitur de voluntariis concupiscentiæ motibus, quos saniores gentiles ex lumine Naturæ agnoverunt esse peccata, & quos non nisi homines literales & crassi & magni peccatores pro peccatis non habent; sed loquitur de primis concupiscentiæ motibus, ad quos nondum accedit consensus, qui non possunt, nisi ex lege pro peccatis, agnosci.)

Nono, Thomas Aquinas lect. 1. in cap. 8. Rom. testis est, *Nonnullos ex loco Rom. 8. v. 1. Nihil est damnationis his, qui sunt in Christo Jesu: concludere, quod in infidelibus, qui non sunt in Christo Jesu, etiam primi motus sint peccata mortalia, quamvis eis non consentiant.*

(Atqui, si in non renatis sunt peccata actu mortalia, utique etiam in renatis erunt sua Natura peccata: quamvis ipsis non imputentur, sed propter Christum remittantur & fiant venialia.)

Denique ipsa Concilii Tridentini verba, si purè, prout jacent, spectentur, non videntur ulterius quidquam exigere, *quam concupiscentiam non esse peccatum renatos damnans, aut iræ divinæ reos faciens.* Damnat enim sess. 5. can. 5. eos, qui negant, *reatum originalis peccati per Baptismum remitti, aut non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed tantum radi aut non imputari.*

(Ubi videntur peccati nomine reatum sive culpam intellexisse, quam peccatum sua Natura infert: in qua significatione vox peccati usurpatur 2. Sam. 12 v. 13. 1. Reg. 1. v. 21. atq; hoc velle: Si quis reatum illum non plane remitti, sed partem remitti, partem retineri, & quatenus retinetur, haberi solum pro non retento asserat, eum anathema fore: quod ipsum etiam nos rejicimus. Hanc expositionem confirmat, quod Concilium sublationem omnis peccati, quod vocat, frequenter ita interpretatur, *propter quod nihil damnationis renatis inferatur, Deus in renatis nihil oderit, quanquam odisse aliquid possit, quod in renatis est, & tamen in iis non odit, quod non remoretur renatos ab ingressu cœli, quod non noceat non consentientibus*, quæ singula planum est non *de reatu peccati in se*, sed *de reatu subjecti*, in quo concupiscentia habitat, intelligenda esse.

4. Dissensiones Adversariorum.

Primò, Granatensis Domin. 1. Advent. conc. 1 *Servitus ex peccato originali orta & Rom. 7. v. 23. descripta, in piorum mentibus vix habet locum, quos unicus Dei Filius in libertatem asseruit.*

Renatus Benedictus in Panoplia. *Hec loco* (Roman. 7.) *abutuntur ignoranter, qui ex eo colligunt, adhuc in regeneratis manere vere peccatum, ipsumq; concupiscentiæ fomitem peccatum esse contendunt. Nam manifestum est ex ipso textu, Apostolum loqui de homine nondum justificato, qui quidem duce Natura & lege docente, vult facere & amat bonum, quod exequi non valet, quia adhuc est sub potestate peccati. Secus autem longe est de homine justificato, in quo non dominatur peccatum. Hanc expositionem confirmat finis capitis, in quo ita habetur: Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Sequitur responsio: Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Eandem etiam confirmat initium octavi capitis: Nihil ergò damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Unde collige, quod in fine præcedentis capitis loquebatur de homine non regenerato in sua persona, ut nunc de justificato in eadem sua persona.*

Eadem est sententia Peltani in lib. de Peccat. origin. tract. 14. Argumenti loco adducit illud, *quod cum summa illa perfectione, vitaq; integritate & sanctimonia, qua Paulus cumulatissimè ornatus erat, parum admodum convenire videatur, peccatum in se operatum esse omnem concupiscentiam, se esse carnalem, venundatum sub peccato &c.*

Contra Stapletonus in Antidot. ad cap. 7. Rom. *Ego carnalis sum, ait in sua & hominis regenerati persona Apostolus.*

Bellarm. lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 10. itidem scribit, *quosdam ex veteribus statuere, quòd Apostolus loquatur non de seipso & aliis regeneratis, sed in persona impiorum, qui ab ipso peccati fomite in varia flagitia pertrahuntur, interim tamen rationis lumine ea quodammodo agnoscunt ac detestantur.* Sed huic exceptioni non multum tribuit, verum aliam eidem subjungit ac præfert, (Præsertim cum priori illi renunciarit August. lib. 6. contra Julian. cap. 11.)

Secundò, Bellarminus d. l. latè disputat, *etiam primos concupiscentiæ motus aliquo modo lege Dei prohiberi.*

Sed mox subjungit, *probabile etiam esse, quod alii docent, præcepto: Non concupisces, non prohiberi ullo modo motus involuntarios, sed assensum tantum.*

Tertiò, idem Bellarminus dicto loco in exceptione ad nostrum argumentum, *quod motus concupiscentiæ involuntarii legi Dei repugnent, quia mens Apostoli legi divinæ conformis eos sentire nolebat*, tria affert, quæ sibi invicem adversantur:

Nam 1. dicit, *motus concupiscentiæ prohiberi à lege ratione finis, non autem ratione mediorum.* 2. *Consensum Apostoli cum lege in eo consistere, non quod rem eandem velint aut nolint Paulus & lex; sed quod Paulus velit aut nolit id, quod lex jubet eum velle, hoc est, concupiscentiis resistere.* 3. *Et Apostoli mentem & legem nolle concupiscentiam ut objectum, interim Apostolum concupiscendo legem non transgredi, cum non voluntarie concupiscat; perinde ut cædes involuntaria non est peccatum.*

(At si primi concupiscentiæ motus etiam involuntarii lege prohibentur, non potest consensus ille legis & mentis statui ἐν τῷ *resistere concupiscentiis*: & sic responsio secunda tollit primam. Vicissim, si mens Apostoli & lex Dei nolunt concupiscentiam ut objectum; utique rem eandem nolunt, & sic responsio tertia evertit secundam. Præterea si illud solum, quod actu voluntarium, est transgressio legis, tollentur omnia ignorantiæ & infirmitatis peccata: si illud solum, quod actu voluntarium, est peccatum, negabitur in universum originale peccatum. Neutrum consequens admittunt Pontificii. Ergo nec antecedens asserere debent.)

Quartò, idem Bellarminus d. l. c. 11. in responsione ad dictum Apostoli Galat. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum &c.* scribit, *Concupiscentiam illam non esse proprie peccatum, dum ei Spiritus reluctatur, cum non sit, nisi in carne, quæ sedes peccati esse non potest.*

Sed idem Bellarminus lib. 5. de amiss. gratiæ cap. in resp. ad argumentum 2. sic scribit: *In multis locis divinæ Scripturæ sine dubio per carnem intelliguntur omnes potentiæ tum inferiores, tum superiores per peccatum corruptæ: unde etiam videmus ad Gal. 5. inter opera carnis hæreses referri.*

(Si per carnem, cui Spiritus reluctatur, Galat. 5. intelliguntur omnes potentiæ tum inferiores, tum superiores: quomodo dici potest, concupiscentiam illam, cui Spiritus reluctatur, non esse peccatum, cum non sit, nisi in carne, quæ sedes peccati esse nequit?)

Idem Bellarminus d. l. cap. 15. §. Cæterum &c. *Negandum non est, etiam in parte superiore simile vitium* (pravæ concupiscentiæ) *inveniri. Nam ea quoque animæ pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam, & alias vanitates, & etiamsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria. Quocirca B. Paulus, cum dixisset Gal. 5. carnem concupiscere adversus Spiritum, statim enumerans opera carnis, nominavit non solum fornicationem, ebrietatem & alia id genus, sed etiam idololatriam, hæreses, inimicitias &c. quod diligenter notavit Augustinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 2. 3. & 4. ubi demonstrat, carnem interdum sumi pro toto homine, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adæ. Itaque concupiscentiæ vitium, licet præcipuè in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet. Sanctus autem Augustinus in libris contra Pelagianos ideo pene ubique loquitur de vitio sensualitatis, quia in sensualitate magis hoc vitium se prodit, non quod ignoraret etiam in mente locum habere.*

(Quomodo cum his conciliari potest, quod concupiscentia, adversus quam Spiritus concupiscit, non sit propriè peccatum, cum non sit, nisi in carne, quæ sedes peccati esse non potest?)

Ad argumentum ex cap. 7. Rom. ductum, *Concupiscentia in renatis reliqua, vocatur mala, Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet. Ergò est peccatum*, excipit Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati cap. 10. resp. ad 3. *Augustinum lib. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 10. satis commodum hujus loci sensum indicasse, in quo nihil subintelligi debeat. Vult enim illud bonum conjungi cum lege, non cum verbo facere; ut hic sit sensus: Invenio igitur legem bonum quoddam esse mihi volenti facere, id est, volenti bene operari, & secundum legem velle vivere: ideo autem legem invenio esse quoddam bonum, quoniam malum concupiscentiæ adjacet mihi. Dum enim ab una parte malum adjacens incitat ad peccatum, ab altera lex Domini bona retrahit à peccato. Itaque non potest ex hoc loco effici, non posse legem servari, aut concupiscentiam involuntariam esse peccatum.*

Resp.

Resp. Toletus in hunc locum sic commentatur: *Mihi illa est visa legitima* (expositio) *ut haec lex non sit illa, de qua dictum prius, Lex spiritualis est, & sancta: sed ea, de qua paulò post adjungit, Invenio legem in membris meis Nam quae sequuntur, declarant hanc sententiam. Legem ergò appellat legem carnis & vim concupiscentiae impedientem à bono perficiendo & in malum impellentem. Est ergò sensus: Invenio legem mihi facere bonum volenti: haec autem lex est malum, quod mihi adjacet, quo trahor ad peccandum, & ad legem, quam confessus sum, mente esse bonam, transgrediendam.*

Eandem expositionem probat Dominicus à Soto.

(Illa verò argumentũ nostrũ liquidissimè confirmat. Quinimò nec Augustini expositio illud enervat: manet enim oppositio inter bonum & malum, ex qua vis argumenti pendet.)

Argum. Adversariorum.

1. Jacob. 1. v. 15. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: Ergo concupiscentia, id est, potentia prona & primus ejus motus absque consensu nondum est peccatum.*

Resp. 1. Si verũ est hoc Bellarmini argumentũ, consequens fuerit, concupiscentiam non solum in renatis, sed etiam in non renatis non esse peccatũ, loquitur enim Apostolus de concupiscentia *in genere*, non restricta ad fideles, sed generalissimè considerata. At consequens hoc vix admittent Pontificii.

2. Quinimò possem vi hujus argumenti penitus negare peccatum originis. Labes originalis parit peccatũ, scilicet actuale. Ergò ipsa non est peccatum. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, Rom. 5. v. 19. Ergo illius inobedientia non fuit peccatũ. Consequens Pontificii nõ admittũt.

(Distinguit Apostolus peccatorum gradus, & de peccato actuali mortali quaerit, unde illud oriatur. Respondet autem, ex concupiscentia prava, non à Deo oriri. Quamvis igitur in renatis concupiscentia habitualiter inhaerens & primi concupiscentiae motus, quibus per Spiritum resistitur, non sint *actualia mortalia peccata*, ex eo tamen inferri nequit, *quod nullo modo sint peccata*: alias procederetur à negatione unius speciei ad negationem totius generis.)

3. Per *generationem mortis*, quam Jacobus peccato tribuit, non intelligitur mortis meritum simpliciter, quod etiam aliis gradibus tribui debet, sed ipsius extremi supplicii inflictio, per peccatum autem consummatum intelligitur consuetudo & perseverantia peccandi, cui assuescunt, qui negligunt priora illa reprimere, & tandem impoenitentes in mortem incidunt.

Agnoscit hoc Estius, in locum illum Jacobi sic commentatus: *Quia, postquam semel quis abjecto Dei timore, quo deterrebatur, in opus peccati proruperit, non contentus est illud semel fecisse, sed audacior factus subinde repetit, unde in frequentationem & consuetudinem peccandi venit, quo fit, ut tandem ducatur ad mortem.* Addit: *Non enim dicitur peccatum consummatum generare mortem, quia facit hominem dignum morte, sed quia hominem reipsa ducit ad mortem, quod de peccato nondum consummato non perinde verum est, nempe, quia, ut antea dixit, facilius sanatur.*

(Ex quo apparet, locum illum nihil facere ad distinctionem peccatorum mortalium & venialium, sensu Pontificio acceptam.)

4. *Peccati* nomen quandoque sumitur *generaliter* pro omni eo, quod est contra legem justitiae: quandoque verò *strictius* pro actibus singularibus recedentibus sigillatim à singulis praeceptis, quales sunt homicidium, furtum, mendacium. Negamus, Jacobum disparasse concupiscentiam à peccato *universaliter*, sed à peccatis singularibus. Dicimus autem, Jacobum nomine peccati intellexisse strictè singularia illa peccata, quae verè sunt ejus concupiscentiae effecta in singulis hominibus, tum baptizatis, tum non baptizatis. Non est autem necessarium, si non sit concupiscentia peccatum, qualia peccata sunt singularia, ideò nullum esse peccatum.

5. Non tantum disparatur concupiscentia à peccato constituto in ultimo gradu, sed etiam reliqui gradus, nimirum suggestio & delectatio. At ipsi Pontificii *delectationem*, id est, *consensum imperfectum* non diffitentur *esse peccatum saltè veniale.*

Bellarm. lib. 1. de amiss. gratiae & statu peccati cap. 3. *Venialia peccata ex subreptione sunt, quae pleno voluntatis assensu carent.*

Si igitur disparatur delectatio à peccato postremò nominato apud Jacobum, & tamen est peccatum. Ergo non potest statui, quicquid apud Jacobum à peccato disparatur, illud non esse peccatum. Jacobus nominatim appellat peccatum, quod erumpit foras & se aperit opere. Quod si peccatum illud duntaxat sit, quod concupiscentia peperit, sequetur, peccatum non esse, quod illa concepit, nedum ut pro peccato habeatur, quod abstrahit & inescat. At ne ipsi quidem Pontificii negant, peccatum conceptum esse veri nominis peccatum, quia conceptio fieri nequit sine consensu.

Argum. 2. Rom. 17. v. 18. *dicit Apostolus, concupiscentia malum non in se, sed in carne esse, constat autem, carnem non esse capacem peccati propriè dicti.*

Resp. 1. Repetantur ea, quae ex Bellarmino lib. 5. de amiss. gratiae cap. 7. & 15 sunt adducta, ubi disertis verbis Bellarminus fatetur, *nomine carnis omnes potentias, tum inferiores, tum superiores per peccatum corruptas, adeoque totum hominem, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adae, intelligi.*

2. Adamus Conzen in cap. 7. Rom. v. 18. quaest. 1. *In confesso est crebro in sacris literis carnem accipi pro omnibus potentiis, tum inferioribus, tum superioribus peccato corruptis, ut constat Gal. 5.*

3 Antonius Marinarius Carmelita in orat. habita in Concilio Trident. Domin. 4. in Quadrages. Anno 1546. *Atque hic graviter errant, qui in carnis appellatione nil intimius considerant, quam eam hominis partem, quae sensibus ornata nobis cum brutis communis est; quasi spiritualis nostra regeneratio ad inferiorem & non ad superiorem potius partem pertineret. Altius itaque carnis ingenium concipiendum est, ut spectans ad mentem, rationem, voluntatem, totum denique hominem quem carnis concupiscentia & originis peccato maculatum esse scimus, quamobrem Paulus eum carnem esse statuit, dum illum vocat animalem, qui non recipit, ac etiam pro derisu & summa ducit stultitia ea, quae sunt sapientiae Dei, in qua repraesertim sita est sapientia carnis.*

4. Benedictus Arias Montanus in arcano sermone cap. 82. *Caro humana audacia corruptelaq;, omnis Spiritus puritati & legis divinae integritati repugnans, atque ut una complectamur definitione, hominem Adami veteris filium, paternaeq; nequitiae heredem.*

5. Scapletonus in Antidot. Rom. 7. pag. 94. *Caro vel ipsum inferiorem & carnalem appetitum, qui mente & superiori rationi repugnat, vel carnalem aliquem & inordinatum affectum in ipsa mente ac superiori ratione significare posse videtur.*

(Excipiunt quidem, *in aliis Scripturae locis Johan. 3. Galat. 5. non autem Rom. 7. carnis nomine omnes potentias & totum hominem intelligi*; sed argumenta, quibus hoc probare conantur, non sunt efficacia. Opponit Apostolus seipsum Spiritu renovatum peccato in carne adhuc habitanti, ac *mentis nomine* intelligit animam totam, quatenus renovata est: *carnis nomine* eandem totam, quatenus adhuc sub carnis vetustate constituta est.)

6. Bellarminus dicto loco §. Adde ultimò &c. subjungit: *Etiamsi cogeremur nomine carnis intelligere omnes animae potentias, tamen omninò dicendum esset, nomen carnis in justificatis non pertinere ad voluntatem sive mentem, nisi quoad primos quosdam motus indeliberatos, sed nec superior animae pars peccati propriè dicti capax, ut praevenit suo motu judicium rationis, cum non possit esse justitia in parte animae inferiore, vel etiam superiore, ut praevenit judicium rationis. Ergò nec peccatum propriè dictum in ea erit.*

(Atqui originalis justitiae pars erat promtissima illa inferioris partis erga superiorem subjectio, atque omnium virium cum lege conformitas. Ergò peccatum originali justitiae oppositum, etiam in illa virium superiorum & inferiorum repugnantia statuendum.)

7. Maldonatus in caput 3. Johan. v. 6. sic commentatur: *Totus homo dicitur ex carne nasci & totus caro esse, quamvis animus, altera ejus pars nec ex carne nascatur, nec caro fit, quia ex sanguinibus & voluntate carnis & ex voluntate viri, hoc est, carnali & humano more natus est, quo qui nascuntur, peccatores, hoc est, carnales, nascuntur. Et animus ipse, licet substantia spiritualis, peccato inquinatus, carnalis est. Contra verò caro, cum peccato libera est, Deoque conjuncta, Spiritus dicitur.*

8. Estius in cap. 1 Jac. *Falluntur, qui concupiscentiam volunt pertinere ad solum appetitum sensitivum, cum Paulus inter opera carnis recenseat inimicitias, contentiones, haereses, ad quae vitia appetitus sensitivus non attingit. Quamvis etiam ex hac ipsa Apostoli Jacobi sententia, quae peccati tentationem ad propriam cujusq; concupiscentiam refert, refelli possunt. Loquitur enim universè de peccatis sive quae carnalia dici solent, sive quae spiritualia, adeò ut ex hoc loco probabiliter statui possint haec duo: Post lapsum primi parentis omnia peccata committi ex tentatione carnis, seu concupiscentiae; & non omnia committi ex tentatione Diaboli.*

Argum. 3. *Reatus est omninò inseparabilis ab eo, quod sua Natura dignum aeterna damnatione. Quia ergo nulla damnatio est in renatis Rom. 8. v. 1. ideò esse nullum peccatum.* Tapperus, Roffensis, Soto, Bellarminus.

Resp.1.Reatus non tollitur à concupiscentia, sed ab homine renato, qui per fidem est in Christo.

Bellarminus concedit, *Deum odisse concupiscentiam, & tamen non odisse renatos, in quibus est concupiscentia.*

Pari ratione nos dicimus, concupiscentiam esse rem sua Natura damnatione dignam, & tamen renatos propter eam non damnari.

Bernhardus serm. de Cœna Dom. *Licet damnationem abstulerit Christus, tamen ad humiliandos nos peccatum adhuc patitur in nobis & graviter nos affligere, ut sentiamus, quid gratia nobis præstet, & semper ad illius gratiæ auxilium recurramus.*

2.Benedictus Justinianus in Commentar.Rom.8.locum hunc παραφραστικῶς sic explicat: *Nulla ratione motus illi impuri, qui à Natura depravata ortum habent, vitio vertuntur, nullaq; propterea imminet condemnatio.* Hoc est, ut idem in annotat. *Quanquam revera etiam in justis insunt, non tamen iis feruntur impensa, sed per Christi fidem condonantur.*

3. Bellarmini abbreviator Baptista Desbois argumento Bellarminiano addidit limitationem, *Quamdiu proximum manet fundamentum hujus relationis, nec variatur correlatum, sed suo modo est; tamdiu relatio manet.*

(Jam vero reatus relatio est peccatoris ad legem, cujus fundamentum est ipsum peccatum. Sed reatus non est relatio peccatoris ad gratiam, imò remissio potius, quæ ipsa habet idem fundamentum, nemoe peccatum, quod necessario supponitur. Quid mirum ergo, si manente eodem peccato, mutatur relatio, quandoquidem mutatur terminorum alter? mutari autem terminum manifestum est, tum ex hoc ipso Apostoli dicto, tum ex c.6.Rom.v.14.*Non estis sub lege, sed sub gratia.*)

4.Τὸ κατάκριμα in Scriptura *actum & sententiam condemnationis* significare, non *qualitatem subjecti condemnandi* agnoscunt in h.loc. Contzen quæst.1. Toletus annot.11. Sic Joh.12. v.31.*Nunc judicium est mundi*, significat actum. Nunc mundus judicatur, non qualitatem, nunc judicabilis est mundus. Sic Rom.5.v.16.2.Corinth.5.v.9.1.Timoth.5.v.12.Jac.3.v.1.

Argum.4.*Si concupiscentia est verum peccatum & semper manet in homine, quantumvis justificato sequitur, Christum non verè, sed imputativè tantum nos à peccatis redemisse & liberasse, esseque Diabolum Christo potentiorem, cum ille verè potuerit inquinare, Christus non potuerit verè mundare. Consequens absurdum, ergò & antecedens.* Bellarm.

Resp.Posset quis eodem modo argumentari. Renati adhuc morti sunt obnoxii, ut Pontificii concedunt & experientia testatur. Ergo Diabolus potentior Christo, cum Diabolus hominem reipsa morti subjecerit, quem Christus nondum liberaverit.

Arg.5. *Patres negant, concupiscentiam in renatis esse peccatum.*

Resp.1.ex Bellarmino lib.2.de grat. & lib. arbitr. cap.14. *Patres, cum ad populum verba facerent, ea dicebant, quæ utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera.*

2.Ex Georgio Cassandro in Consult.art.2.pag.910.*Si peccati rationem in vitio illo & iniquitate, languore, infirmitate ac morbo constituas, cui Spiritu resistendum sit, ne actus illicitos gignat, non inepte peccatum dicitur &c. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei & reatu, cui ex hoc adverso pœna & damnatio respondet, sitam intelligas, certum est, in regeneratis non esse peccatum.*

Argum.6.*Concupiscentia est effectus & pœna originalis peccati. Ergo non est ipsum peccatum originis.*

Resp.ex Bellarmino lib.2.de amiss.gratiæ & statu peccati cap.14.*punit Deus peccata peccatis.*

(Concupiscentia est pœna peccati respectu actualis peccati ab Adamo commissi; interim ipsa quoque est peccatum, quia ut in nobis hæret, legi divinæ repugnat. August. libr.5. contra Julianum cap.3.)

Argum.7. *Non est in potestate nostra, non habere primos illos concupiscentiæ motus.*

Maximilianus Sandæus in Castigat. Cauteriatæ Conscient. pag.155. *Nihil propriè est contra legem, quod vitatu est impossibile, talis verò est concupiscentia.*

Ibid. *Lex ut nihil vetat vitatu impossibile: ita nihil præcipit factu impossibile.*

Resp. Hac ratione penitus tollitur peccatum originale, cum non sit in nostra potestate, an cum peccato, an sine peccato originali nasci velimus. At Pontificii nolunt videri, quod negent peccatum originis. Ergò nec utantur tali hypothesi, quæ peccatum originale penitus tollit.

Thesis secunda. Peccatum originis non est nuda privatio, sed etiam vitiosa qualitas.

Ἔκθεσις. 1.Quando concupiscentiam pravam dicimus esse *positivam qualitatem*, non intelligimus hoc secundum ἀκρίβειαν Metaphysicam. Metaphysici subtiliter distinguunt inter rem ipsam & malum rei adjacens, quod semper dicunt esse privativum, non autem positivum quid. Scriptura quando peccatum originis describit, non nudâ tantum privatione, sed etiam per pravam concupiscentiam, adeoque per vitiosam qualitatem, imitatur modum loquendi Ethicis usitatum. Illi enim agnoscunt vitiosos habitus & malas actiones.

2. Juxta Metaphysicam ἀκρίβειαν malum considetatur dupliciter, vel *abstractivè*, sive in abstracto: vel *concretivè*, sive in concreto. Concretivè acceptum malum complectitur simul illud, quod deformat seu vitiat; sive sit actio, sive passio, sive habitus, sive substantia, unde dicitur *actio mala, passio mala, habitus malus.* Abstractivè acceptum malum nihil aliud est, quam ipsa privatio boni seu perfectionis alicujus. Priori sensu peccatum est aliquid positivum non per se & formaliter, sed per accidens & materialiter, sive ratione subjecti, cui inest, seu quod concernit.

3.Quando peccatum originis dicimus esse vitiosam qualitatem, opponimus illud Pontificiis, qui statuunt, *peccatum originis esse tantum doni alicujus supernaturalis privationem, ac ipsam interim hominis Naturam adhuc esse talem, qualis fuit primò condita.* Nos contra pronunciamus, per peccatum originis non tantum concreatam justitiam esse deperditam, sed ipsam quoque hominis Naturam miris ac miseris modis esse corruptam & depravatam. Illam Naturæ corruptionem, quæ complectitur omnium animæ virium ad malum pronitatem & impetum, vocamus *positivam qualitatem*, non quasi vis aliqua agendi in se ac per se sit peccatum, sed quia illa vis agendi in homine est tantum ad peccatum prona atquè prompta: interim non prohibemus, quin inter ipsam agendi vim & inter vitium istius potentiæ subtiliter distinguatur: sicut *inter ipsam actionem* & *vitium actionis* distinguitur.

Antithesis. Bellarminus lib.5.de amiss.gratiæ cap.15.*Concupiscentiam non esse positivam qualitatem probamus primo testimoniis Augustini: secundo, rationibus.*

Nostram sententiam probant dicta illa Scripturæ, quæ testantur per lapsum Naturam humanam non solum esse justitia originali spoliatam, sed etiam miserè corruptam ac depravatam, Genes.6.v.5.cap.8.v.21.Psal.51.v.7.Job 14.v.4. Jerem.17.v.9.Joh.3.v.6.Roman.7.v.23.Ephes.2.v.3. quo etiam pertinet parabola de eo, qui incidit in lattones, à quibus non solum *spoliatus* fuit ac *denudatus*, sed etiam *graviter vulneratus*, Luc 10.v.30. Hanc vitiosam qualitatem & Naturæ corruptionem Scriptura exprimit nomine *concupiscentiæ*, Rom.7.v.7.Galat.5.v.17.&c. per quam non intelligitur aliquod accidens Naturæ concreatum, nec tantum corruptio qualitatum corporis, sed prava & inordinata conversio ad carnalia, ac Deo adversa tam in superioribus, quam inferioribus hominis viribus, ut sunt *carnalis securitas, contemtus Dei, odisse judicium Dei &c.* Talis inclinatio in mente est propensio ad cogitationes vanas & falsas de Deo, ad comminiscendos errores, ad dubitationes de Dei verbo: in voluntate est propensio ad securitatem carnalem, ad diffidentiam erga Deum; in corde est impetus ad iram, livorem, odia; in reliquis membris ad libidines, immundiciem &c.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1.Quidam ex Scholasticis.

Thomas 1.2.quæst.82.artic.2.peccatum originis, utpote *morbum animæ*, confert *cum morbo corporis*, qui non solum est privatio sanitatis, sed etiam morbida quædam qualitas.

Sicut ægritudo corporalis, inquit, habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas temperamenti & sanitas, & aliquid positivum, ut ipsos humores inordinate dispositos; ita peccatum originale non est pura privatio, sed corruptus quidam habitus.

Lombardus lib.2.dist.30.G. *Quid ergò originale peccatum dicitur? fomes peccati, scilicet concupiscentia vel concupiscibilitas, quæ dicitur lex membrorum sive languor Naturæ, sive Tyrannus, qui est in membris nostris, sive lex carnis.*

lit.H. *Nomine autem concupiscentiæ non actum concupiscendi, sed vitium primum* (Augustinus) *significavit, cum eam dixit legem carnis. Unde idem in tractatu de verbis Apostoli ait: Semper pugna est in corpore mortis hujus, quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest, quamdiu vivimus: quotidie minui potest, finiri non potest. Quæ autem est concupiscentia, cum qua nati sumus? vitium utique est, quod parvulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concu-*

concupiscentem reddit. Sicut enim in oculo cæci in nocte vitium cæcitatis est, sed non apparet, nec discernetur inter videntem & cæcum, nisi luce veniente: Sic in puero vitium esse non apparet, donec ætatis provectioris tempus occurrat.

(Ergò juxta Lombardum 1. peccatum originis est prava concupiscentia. 2. Prava illa concupiscentia est vitiosus habitus.)

Similia occurrunt apud Durandum 2. sent. dist. 30. quæst. 3. & Ægidium 2. sentent. dist. 30.

Bonaventura 2. sentent. dist. 34. agnoscit, vitium contrariari virtuti non modò *privativè*, sed etiam *positivè*, tanquam oppositum habitum. *Vitium*, inquit, *quod contrariatur virtuti, non tantum dicit privationem, sed etiam dicit aliquem habitum substratum, quo aliquis redditur facilis ad perpetrandum illud peccati genus; & hoc modo acceptum vitium non omnino nihil est. Alio modo accipiendo vitium, prout tantum est privatio boni, non contrariatur virtuti secundum rem, imò opponitur sicut privatio & habitus. Si autem dicatur alicui vitium hoc modo contrariari virtuti, accipitur largo modo contrarium pro qualibet oppositione & repugnantia. Nihilominus tamen est dicendum, quod malum est in eodem genere cum bono, sed hoc non est propriè & secundum rectam ordinationem, sed per quandam reductionem.*

2. Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis (circa Annum 1429.) qui agnoscit, *vitium originale esse impotentiam ad malum & potentiam ad bonum.*

3. Quidam recentiores scriptores Pontificii.

Cajetanus in Thomam 1. 2. quæst. 82. artic. 1. disputat, *inordinatam pronitatem primæ partis animæ non absolutè, sed ut illa prima pars aliis inordinatis cohæret, qualitatis, quæ est habitus, rationem habere.*

Et postea. *Corruptio contra puram privationem distinguitur in litera. Privatio enim dat negationem in subjecto apto nato. Corruptio vero addit positivum contrarium, fundans illam negationem.*

(Cajetanum hoc nomine perstringit Azorius lib. 4. Instit. cap. . fol. 207.)

Pesantius in Thomam fol. 394. sic scribit: *Thomas, Alensis, Bonaventura, Richardus, Scotus, Sotus, Cajetanus, Conradus &c. statuunt, concupiscentiam pertinere ad rationem peccati originalis, ut materiale. Idem statuit Hugo de S. Victore & Driedo: sed hæc videtur hæresis Lutherana & Calviniana esse.*

Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 4. quæst. 2. dub. 1. num. 15. perstringit *Cajetanum, Medinam, Zumelem & Thomistas recentiores, peccati malitiam positivam* statuentes.

4. Quotquot agnoscunt, peccatum originis non tantum definiendum *per carentiam justitiæ originalis*, sed etiam *per pravam concupiscentiam.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 2. de Peccato origin. pag. 910. approbat definitionem, quæ habetur in libro Cæsar. Majestat. Ratisbonæ oblato, nempe, *peccatum originale esse carentiam seu defectum originalis justitiæ debitæ inesse cum concupiscentia. Eodem quoque modo* (inquit) *peccatum originis definitur in definitione Cæsar. Majest. quæ vulgò Interim dicitur, nempe peccatū hoc esse carentiam justitiæ originalis cum vitioso concupiscentiæ habitu, quæ Spiritui & superiorib. animi viribus perpetuò repugnat &c.*

Et postea. *Ex hac explicatione magis apparet notio peccati originalis, quod in carentia illius originalis justitiæ consistit, addita vitiosa concupiscentia, quæ legi mentis repugnat, & ad illicitos motus & actus perpetuò inclinat. Hæc itaque definitio peccati originis doctrinæ veterum & recentiorum magis est consentanea.*

Pag. 911. adducit Formulam Concordiæ de peccato originis & concupiscentia initam Wormatiæ Anno 41. inter Eccium & Mensignum; item Bucerum & Philippum Melanchthonem. In ea inter cætera etiam hoc habetur: *Est autem peccatum originale carentia justitiæ originalis debitæ inesse cum concupiscentia.*

Cunerus Petri in Controversiis statim ab initio. *Hoc est juxta Patres, quod originale peccatum dicimus, iniquitas videlicet, & ex Adam contracta impietas, & injustitia, pravaque hominis dispositio, quâ perperam & male in Deum & creaturas affectus est, aversus à Deo & ad seipsum & creaturas inordinatè conversus.*

5. Suffragatur etiam hoc nostræ sententiæ, quod Bellarminus lib. 5. de amiss. gratiæ cap. 15. quorundam Pontificiorum suffragium in hac quæstione nobis largitur.

Refutanda (inquit) *est incommoda sententia quorundam Catholicorum, quæ videtur etiam error nominari posse, eorum scilicet, qui docent, duas esse in homine malas qualitates, unam in carne, alteram in anima, quarum posterior à priore oritur,* (*animam enim ex contactu carnis pollui existimant*) *utramque autem concupiscentiam dici posse censent, sed solam posteriorem statuunt esse originale peccatum. Itaque peccatum originis nihil aliud esse volunt, nisi concupiscentiam, hoc est, morbidam in anima qualitatem prava desideria perpetuò excitantem. Ita docet Lombardus lib. 2. sentent. dist. 31. §. 2. & 3. quem secuti sunt Henricus Quodlib. 2. quæst. 11. & Gregorius Ariminensis 2. sentent. dist. 30. quæst. 1. & ex recentioribus Johannes Driedo lib. 1. de Grat. & lib. arbit. Hæc sententia, tametsi convenit ex parte cum errore Lutheranorum, tamen in eo differt, quod Lutherani non agnoscunt ullam superadditam qualitatem.*

(Imò verò, sicut latrones dicuntur vulnera superaddidisse homini spoliato ac denudato, ita quoque vitiosam qualitatem privationi justitiæ originalis superadditam esse, sano sensu affirmare possumus.)

6. Quod Bellarminus ipse tales hypotheses amplectitur, ex quibus nostra sententia confirmari potest.

lib. ejusdem cap. 10. §. Sed opportunè. *Concupiscentia, quamvis non sit propriè peccatum, tamen est corruptio quædam, incitans ad malum, & ideò rectè dicitur non bonum & malum, & malum privativum & positivum, & crucifigendum ac destruendum.*

lib. d. cap. 17. §. ult. *Peccatum originis* dicit *esse habitualem aversionem & obliquitatem voluntatis, quæ & macula mentem Deo invisam reddens, appellari possit.*

§. præced. 6. *Quemadmodum in Adamo præter actum peccati actualis fuit etiam perversio voluntatis & obliquitas ex actione relicta, per quam peccator propriè & formaliter dicebatur & erat, donec ei per pœnitentiam remitteretur: ita quoque in nobis omnibus, cum primum homines esse incipimus, præter imputationem inobedientiæ Adami dicimus esse similem perversionem & obliquitatem unicuique inhærentem, per quam peccatores propriè & formaliter dicimur, donec per Baptismum talis iniquitas remittatur.*

§. 3. præced. *Quemadmodum calefactio & calor per calefactionem acquisitus, non sunt duo calores, sed unus, qui calefactio dicitur, cum acquiritur & fit; calor autem dum factus & acquisitus permanet: sic etiam peccati perversio sive obliquitas, ut est in motu, dicitur peccatum in priore significatione, ut autem permanet in anima peccantis, dicitur peccatum in significatione posteriore.*

(Atqui, si peccatum est habitualis aversio & obliquitas voluntatis, similis calori per calefactionem acquisito: utiq; erit positiva quædam qualitas.)

lib. ejusdem cap. 19. §. 1. agnoscit, *vitiosum aliquem habitum, qui est qualitas quædam positiva.*

lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 9. resp. ad S. Chrysost. loc. *Peccatum originale non tam est offensa, quàm macula. Nihil enim parvuli propria voluntate egerunt, unde Deum offendere possent, sed ideò peccatum habere dicuntur, quia carent justitia, & animam inquinatam atque à Deo aversam habitualiter gerunt.*

(Atqui macula inest per modum vitiosæ qualitatis.)

lib. 4. de amiss. grat. cap. 2. §. Ex his &c. *Propagatur ab Adamo habitualis quædam ab ipso Deo aversio.*

7. Deniq; notandum etiam illud, quod Bellarminus suam opinionem non probat dicto aliquo Scripturæ, sed solâ tum Augustini impertinenter citati, tum humanæ rationis autoritate.

(Jam verò docente eodem Bellarmino lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur.*)

CAPUT VI.

De Pœna Originalis peccati.

THesis. Pœna originalis peccati non remissi juxta strictum justitiæ divinæ rigorem est damnatio æterna.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de peccato originali, vel *ordinariè* in Baptismo & per Baptismum, vel *extraordinariè*, id est, speciali & extraordinaria Dei gratia in casu necessitatis citra & extra Baptismum remisso, sed de peccato originali nondum remisso.

2. Non est quæstio *de infantibus natis ex Christianis parentibus*, qui per preces parentum & Ecclesiæ Deo offeruntur: illos, si vel maximè extinguantur, priusquam Baptismi copia illis fieri possit, non damnamus, cum Deus suam gratiam & salutarem efficaciam non ita alligarit Baptismo, quin in casu necessitatis extraordinariè in illis agere & velit & possit.

3. Non est quæstio *de actuali omnium omninò infantum ex gentilibus, vel Turcis, vel Judaicis parentibus extra Ecclesiæ pomæria natorum damnatione.* Ut enim illos omnes actu salvandos esse, certò affirmare non possumus; ita nec simpliciter asseverare audemus, illos sine discrimine omnes actu damnandos esse: proinde Dei judicio & arbitrio illos committimus, an cum omnibus vel quibusdam juxta strictum justitiæ rigorem agere, an verò omnibus, vel quibusdam speciali quadam miseri-

cordia subvenire velit. Illud verò non dubitanter asserimus, peccati originalis non remissi pœnam juxta strictum justitiæ divinæ rigorem esse damnationem æternam.

4. Neque quæstio est *de gradu pœnæ*: fatemur enim, illorum, qui ob solum originale peccatum damnantur, dolorem fore mitissimum, sed *de pœna ipsa*, an ea futura sit, vel etiam esse possit infernalis, si Deus ex rigore justitiæ cum illis agere velit.

5. Quamvis Pontificii nobiscum videantur in eo consentire, quòd ordinariè infantes non possint fieri salutis æternæ participes, nisi per Baptismum: tamen in aliis punctis circa hanc quæstionem nobiscum discrepant. Neque enim distinguunt inter infantes natos *ex parentibus Christianis* & inter infantes natos *ex infidelibus*, sed omnes promiscuè è regno cœlorum excludunt. Deinde infantes, quos extra regnum cœlorum collocant, promiscuè omnes *in limbum* ablegant: nos verò infantes non baptizatos aut *in regnum cœlorum* collocandos, aut *in gehennam* ablegandos dicimus. Denique nos causam, quod vel quidam, vel omnes infantes non baptizati liberentur à damnatione, in misericordia Dei & merito Christi statuimus: Pontificii verò causam statuunt in peccati originalis qualitate, quòd illud sua Natura non mereatur æternã damnationẽ.

Nostram sententiam probamus,

1. Pœnam originalis peccati esse *mortem*, docet Spiritus Sanctus, Genes. 2. v. 17. Rom. 5. v. 12. Jam vero mortis nomine in hac pœnæ determinatione non tantum *mortem Naturæ*, sed etiam *gratiæ* & *gloriæ* intelligendam esse idem Spiritus Sanctus docet, Rom. 6. v. ult. Apocal. 20. v. 14. &c.

2. Qui nascuntur in & cum peccato originali, sunt *Natura filii iræ*, Ephes. 2. v. 3. Qui autem Natura sunt filii iræ, illi morti æternæ & damnationi sunt obnoxii, cum ira Dei pœnas temporales & æternas secum trahat.

3. Omne peccatum propriè dictum, reddit hominem maledictioni, ac proinde etiam damnationi obnoxium, Deuter. 27. v. 6. Galat. 3. v. 10. Peccatum originis est peccatum propriè dictum.

4. *In Hierosolymam cœlestem nihil intrabit immundi*, Apocal. 21. v. 26. Qui nascuntur in & cum peccato originali, sunt immundi. Ergo si Deus juxta rigorem justitiæ cum illis agere vellit, non intrabunt in Hierosolymam cœlestem, & per consequens, damnabuntur, *neque enim est ullus ulli medii locus, ut non possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo*, Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 28.

5. *Qui non inventus fuerit scriptus in libro vitæ, mittetur in stagnum ignis*, Apocalyps. 20. v. 15. Infecti peccato originali, qua tales, id est, nisi vel *ordinariè*, vel *extraordinariè* illius peccati remissio ipsis obtingat, non sunt scripti in libro vitæ. Ergo mittentur in stagnum ignis.

6. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marci 16. v. 16. *Qui credit in Filium, non judicatur. Qui verò non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei*, Joh. 3. v. 18. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum*, v. 36. ubi intelligitur, incredulitas non solum *positiva*, ut loquuntur, quæ præsupponit gratiæ & meriti oblationem, & includit oblati contemtum & neglectionem; sed etiam *privativa*, quæ meram fidei negationem includit, quia nullum aliud medium datur, per quod beneficiorum Christi participes fieri possumus, quàm fides. Jam vero peccato originali infecti, quatenus sunt & manent tales, sunt increduli. Ergo non videbunt vitam, sed ira Dei manet super ipsos, & damnabuntur, nisi scilicet Deus vel ordinariè, vel extraordinariè fidem in illis accendat.

Antithesis. Contarenus Cardinalis in libro de Prædestinat. *Originale peccatum perpetuæ damnationi hominem non addicit, & quamvis illum divino conspectu & ea, quæ supra Naturam est, felicitate privet, in eo tamen fine, eaque cognitione relinquit, cujus capax est eorum hominum Natura, qui in originali peccato sine Baptismate decesserunt.*

Ambrosius Catharinus in libro de statu puerorum sine Baptismo decedentium, Albertus Pighius in prima controversia, & Hieronymus Savanarola in lib. de Triumpho crucis docent, *infantes sine Baptismo morientes, futuros post judicium beatos naturali beatitudine & in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuò feliciterq; victuros.*

Bellarm. lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 1. §. ultimo, hæreticis tribuit illam sententiam, *quod parvuli non baptizati aut in cœlum cum beatis sint locandi, aut igni sempiterno addicendi.*

lib ejusdem cap. 4. §. 1. scribit, *sententiam illam, quæ parvulos non baptizatos è regno cœlorum exclusos, omni genere pœnæ tum damni, tum etiam sensus & in animo & in corpore puniendos esse statuit, rejici passim in Scholis & sibi quoque improbabilem videri.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, pœnam originalis peccati esse æternam damnationem.

Gregorius lib. 9. Moralium cap. 12. *Perpendit adhuc in præsentis vitæ itinere constitutus, humanis actibus exactor operum quàm districtus appareat, qui quosdam tunc reatu culpæ originalis adstrictos, etiam sine operibus damnat. Unde rectè vir [illegible] ex humani generis voce protinus adjungit, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Nonnulli enim prius à præsenti loco subtrahuntur, quàm ad proferenda bona mala ve merita activæ vitæ proveniant; quos quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto ejus justoq; judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

(Ad hunc locum Salmero tract. 48. in Epist. Rom. nihil aliud respondet, quàm *Gregorium vel tormenta appellasse privationem visionis, vel cum Augustino per excessum esse locutum.* Utrumque est frigidum & ineptum.)

Gregorius Ariminensis in 2. sentent. dist. 33. quæst. 3. & Johannes Driedo lib. 1. de Grat. & libero arbitrio tract. 3. capite 2. satis apertè in eam propendent sententiam, quæ docet, *parvulos propter originale peccatum utroque genere pœnæ, damni scilicet & sensus in gehenna perpetuò cruciari*; fatente Bellarm. lib. 6 de amiss. grat. & statu peccati cap. 1 §. Quinta sententia.

2. Quod statuunt, infantes non baptizatos in die judicii ad sinistram Christi collocandos.

(Quotquot enim in die judicii ad sinistram Christi collocabuntur, illi ibunt in ignem æternum, Matth. 25. v. ult.)

Maldonatus in cap. 25. Matth. *Solet quæri, ubi infantes futuri sint, qui sine Baptismo ex hac vita discesserunt, cum non sint propter opera, sed propter vitiosam originem condemnandi. Certus & minime hæsitans respondeo, ad sinistram futuros esse, sicut ad dextram alios infantes, qui non propter bona opera, sed propter suscepti Baptismi gratiam salvandi sunt.*

Postea proponit objectionem. *Illa verba, Esurivi enim & non dedistis mihi manducare; & illa his contraria, Esurivi & dedistis mihi manducare, non possunt ad omnes homines pertinere. Multi enim damnandi sunt, qui esurientem Christum non viderunt, cum illum penitus ignorarent, nec scirent, pauperes ejus per Xnam gerere: deinde infantes, qui aut salvandi aut damnandi sunt, nec propterea salvabuntur, quia Christum esurientem paverunt, nec propterea damnabuntur, quia non paverunt: ergo non sunt venturi in judicium. Respondet autem hoc modo: Una est hujusmodi ad omnes objectiones & expedita responsio, Christum unam speciem pro toto genere posuisse, sicut in exemplis facere consuevimus, nec enim omnibus qui salvandi sunt, dictum est, Esurivi enim & dedistis mihi manducare; nec omnibus, qui damnandi; Esurivi & non dedistis mihi manducare, sed quibusdam. Hoc enim exemplo tantum docere voluit, se neminem temerè aut salvaturum, aut damnaturum esse, sed justissima de causa, eaq; publicè & coram hominibus declarata, quemadmodum in forensibus sententiis fieri solet, unde videtur Christus metaphoram sumere voluisse. Ergò & infantes & infideles omnes judicabuntur: sed illis, cur aut salventur, aut damnentur, alia reddetur causa.*

Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 5. resp. ad 4. object. ex Matth. 25. *Judicium universale erit, & omnes omninò aderunt, pusilli cum magnis, fideles cum infidelibus, justi cum peccatoribus.*

(Atqui, si judicium erit Universale & pusilli etiam aderunt, consequens est, illos vel ad dextram, vel ad sinistram collocandos. Si prius, *ibunt in vitam æternam*, si posterius, *ibunt in ignem æternum.* Falsum igitur est, quod Bellarminus subjungit, *hunc locum non pertinere ad parvulos.* Quotquot enim continentur nomine *gentium*, illi omnes ad hoc judicium congregabuntur, & vel ad dextram, vel ad sinistram judicis collocabuntur, ut manifestum est ex v. 32. illius capitis, & consentiunt ipsimet Pontificii Interpretes.

Emanuel Sa in cap. 25. Matth. *Omnes gentes. Intelligo scilicet omnis temporis, omnis conditionis, omnis sexus, omnis ætatis.*

Franciscus Lucas Brugensis ibidem. *Omnes citra exceptionem, quæ tunc supererunt, & quæ unquam fuerint, aut extiterint. Gentes, id est, homines. Non tantum enim omnes gentes, sed etiam omnes ac singuli homines omnium gentium, adeoq; homines prorsus omnes.*

mnes, omnis temporis, omnis nationis, omnis conditionis, omnis ætatis, sexus utriusque ab Adam & Eva protoplastis ad hysterogenem usque, sive antea mortui, sive tunc vivi reperti fuerint. Omnino enim nullus poterit judicium istud effugere.

Maldonatus ibidem. *Scriptura ubique omnes homines staturos esse dicit ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.*

Ex veteribus hunc locum Augustinus diserte ad infantes non baptizatos accommodat & ex eo colligit, illos in ignem æternum ituros. Vidit hoc Bellarminus, ideò subjungit:)

At, inquies, Sanctus Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli, ex hoc loco Matth. 25. probat adversus Pelagianos, parvulos sine Baptismo defunctos, ituros in ignem æternum, eò quod ad sinistram pertineant, cum in dextra nulli sint nisi justi, & nullus sit tertius locus præter dextram & sinistram. Respondeo ex loco Evangelii Matth. 25. tantum colligitur forma in specie, qua judicabuntur mali Catholici: tamen potest etiam colligi, omnes omnino peccatores futuros in sinistra & sententiam damnationis accepturos. Nam judicium universale erit & mali Catholici ideò erunt in sinistra, quia ibi erunt Dæmones infideles, & omnes operarii iniquitatis &c. Atque hoc solum probare volebat sanctus Augustinus in serm. 14. de verb. Apost. nimirum parvulos non habituros vitam æternam, sed futuros in sinistra & damnandos.

(Atqui, si ex hoc loco colligitur, parvulos non baptizatos futuros in sinistra & damnandos, falsum est, *hunc locum non pertinere ad parvulos.* Ulterius. Si parvuli non baptizati in judicio statuentur ad sinistram, utique ibunt in ignem æternum. Quid ad hoc Bellarminus? subjungit:)

Itaque cum dicit Augustinus, eos ituros in ignem æternum, accipit ignem æternum pro loco inferni, ubi est ignis æternus, sive pro damnatione, non autem propriè pro certa pœnæ specie, sive qualitate. Nam disertis verbis lib. 5. in Julianum cap. 8. scripsit, se definire non posse, qualis & quanta sit futura pœna, qua plectentur parvuli, sine Baptismo Christi morientes.

(Atqui hæc sunt Bellarmini somnia, non autem Augustini sententia. De gradu pœnæ nihil quicquam definire voluit Augustinus, interim infantes non baptizatos pœnæ infernali propter peccatum originis diserte adjudicat. Præterea si infantes baptizati erunt in illo inferni loco, in quo est ignis æternus & damnatio cum Diabolis, quomodo erunt in certo quodam limbo à loco inferni & damnationis distincto?)

3. Quod statuunt, infantes non baptizatos esse damnandos, nec tantum *pœna damni*, sed etiam *pœna quadam sensus* plectendos esse.

(Ubi enim damnatio & pœna non solum damni, sed etiam sensus, ibi etiam pœna infernalis & æterna, quamvis mitior respectu aliorum damnatorum, qui ob peccata actualia graviora durius puniuntur.)

Bellarm. lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 1. §. Quarta sententia. *Petrus Lombardus 2. sentent. dist. 33. lit. E. docet, parvulos non baptizatos à cruciatu quidem ignis & vermis, de quo legimus Marci 9 qui propriè dicitur pœna sensus, fore liberos, non tamen liberos ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis. Lombardū nonnulli alii secuti sunt, ut refert S. Thomas, S. Bonaventura, Gregorius Ariminensis & alii in Comm. ejusd. loci.*

Hanc sententiam Bellarminus ipse amplectitur lib. ejusd. c. 6. §. 1. sic scribens: *Sententia illa, quæ statuit, parvulos (non baptizatos) ab omni dolore tum interno, tum externo fore liberos, probabilis quidem est propter autoritatem Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum multorum illustrium Theologorum, sed altera sententia, quæ statuit, parvulos non baptizatos passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum, probabilior nobis videtur, propter autoritatem sanctorū Patrum, Augustini, Fulgentii, Gregorii & aliorum, quos nonnulli etiam Scholasticorum Theologorum secuti sunt. Dicimus igitur, parvulos sine Baptismo decedentes, dolorem animi habituros, quod intelligent se beatitudine privatos, à consortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detrusos & in tenebris perpetuis vitam acturos.*

Et postea: *Augustinus lib. 1. de orig. animæ cap. 9. Parvulis non baptizatis nemo promittat quietis aut felicitatis cujuslibet atque ubilibet inter damnationem, regnumq; cœlorum, quasi medium locum. Negat hoc loco S. Augustinus, parvulos habere locum ullum quietis aut felicitatis cujuslibet. At si nullo omnino dolore, nulla tristitia tangerentur, nec interna, nec externa, neque corporis, neque animi, certè magna & perfecta quiete fruerentur.*

Idem Augustinus Epist. 106. ad Paulinum. Nempe fatebuntur, parvulos non baptizatos, quamvis tolerabilius omnibus, qui etiam propria peccata committunt, tamen æterna morte mulctari. At vox illa tolerabilius, manifestè requirit, ut parvuli aliquid habeant pœnale tolerandum, non dicitur autem tolerare, nisi qui sentit dolorem & laborat in perferendo &c.

Idem Epist. 28. ad Hieronymum, in verb. Apost. & alibi docet, parvulos in inferno pœnam vel supplicium esse passuros, quæ nomina vix intelligi possunt sine aliquo dolore.

Fulgentius in lib. de fid. ad Petrum capite 3. dicit, parvulos sine Baptismo decedentes, interminabilia gehennæ sustinere supplicia. At supplicium sine dolore esse non solet.

Gregorius lib. 9. Moralium cap. 16. non semel repetit, parvulos perpetua gehennæ tormenta percipere. Quis autem tormenta sine dolore esse contendat?

(Sic ergo Bellarminus ex dictis veterum probat, *infantes non baptizatos dolorem aliquem sensuros.* Atqui ex iisdem dictis potuisset probare, *dolorem illum fore infernalem.* Erit enim *dolor cum damnatione & æterna morte conjunctus*, erit *supplicium in inferno*, ut loquitur Augustinus; *parvuli sustinebunt interminabilia gehennæ supplicia*, ut loquitur Fulgentius; *perpetua gehennæ tormenta percipient*, ut loquitur Gregorius. Inde etiam Bellarminus parvulos non baptizatos cum damnatis conjungit.)

lib. ejusdem cap. 2. §. 1. *Fide Catholica tenendum est, parvulos sine Baptismo decedentes, absolutè esse damnatos, & non sola cœlesti, sed etiam naturali beatitudine carituros.*

§. Primum. *Cum parvuli non baptizati nullo modo respiciant in serpentem, id est, non credant in Christum, neque per se, neque per alios, neque actu, neque habitu, quid sequitur, nisi ut non habeant vitam æternam, ut pereant in æternum, ut non videant vitam, ut ira Dei maneat super illos. Rectè enim animadvertit Augustinus sermone 14. de verb. Apostoli, Non esse dictum, ira Dei veniet super eos, sed manet super eos, ut intelligeremus, fidem in Christum necessariam esse, non solum ne incidamus in iram Dei, sed etiam, ut liberemur ab ira, in quam incidimus per inobedientiam primi hominis, de qua dictum est Ephes. 2. Eramus enim & nos Natura filii iræ.*

§. His accedit &c. *His accedit illud ejusdem Apostoli ad Rom. 5. Per unius delictum in omnes homines in condemnationem. Sunt igitur parvuli sine Baptismo decedentes, secundum Scripturas à Deo condemnati, & iratum contra se Deum habent, & non videbunt in æternum vitam beatam ac felicem &c. resurgent ad mortem, ut perpetuò sint miseri.*

§. Denique &c. *Parvuli non baptizati non habent partem in resurrectione prima, nec sunt scripti in libro vitæ, igitur in eos mors secunda habet potestatem, & missi sunt in stagnum ignis.*

(Atqui si infantes non baptizati absolute sunt damnati, si pereunt in æternum, si ira Dei manet super illos, si sunt filii iræ, si resurgunt ad mortem, ut perpetuo sint miseri, si mors secunda in eos habet potestatem, si mittuntur in stagnum ignis, quomodo à pœna sensus erunt immunes?)

§. Hoc solum &c. *Patres Concilii Florentini in Decreto, quod habetur in ultima sess. simpliciter definiunt, animas eorum, qui in solo peccato originali vel mortali actuali descendunt, in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

§. S. Fulgentius &c. *S. Fulgentius in libro de fide ad Petrum cap. 27. inter regulas fidei numerat, quod parvuli sine Baptismo decedentes, in gehenna locum æternum sint habituri.*

lib. ejusd. c. 3. §. Sed esto. *Theologi Scholastici in eo ferè conveniunt, ut (quod) parvuli sine Baptismo decedentes, non patiantur pœnam sensibilem ignis corporalis: tamen aperte docent, eos in inferno esse, & pœnam damni perpetuò luere, ac per hoc non assignant illis medium locum inter gehennæ supplicium & cœlorum regnum, sed in ipsa gehenna mitiore pœna, quam cæteros puniendos esse confirmant.*

(Atqui si infantes in ipsa gehenna mitiore pœna, quam cæteri damnati puniendi, quomodo à pœnis inferni erunt prorsus liberi? Quo ergo tandem abit Bellarminus? Excipit lib. ejusd. c. 5. resp. ad 5. object. *Parvulos mittendos esse in stagnū ignis, hoc est, in locum, ubi est ignis, nec tamen inflammandos illo igne, aut cruciandos, vel quod sit in parte altiore ejus loci, vel quod ignis vim habeat illos detinendi, non urendi. Siquidem ignis post diem judicii non habebit vim urendi, nisi ut instrumentum divinæ justitiæ, & propterea alios magis, alios minus, alios etiam nihil lædet.* Sed quis non videt, hæc pro arbitrio fingi & excogitari. Sicut alibi statuit, *accidentia panis nutriri, si in magna copia sumantur*: ita hoc loco somniat, infantes in stagnum ignis conjici, & tamen non inflammari, sed tantum in eo detineri.)

4. Quod statuunt, infantes non baptizatos propter solum peccatum originale non remissum, extra regnum cœlorum fore constitutos.

(Atqui non datur locus quidam medius inter regnum cœlorum & gehennam inferni.

August. lib. 1. de Pecc. merit. & remiss. c. 28. *Necesse ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo.*

lib. 5. hypognost. *Primum locum fides Catholicorum divina autoritate regnum credidit esse cœlorum, unde non baptizatus excipitur. Secundum, gehennam, ut omnis apostata vel à Christi fide alienus, æterna supplicia experiretur. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis sanctis invenimus.*

Quæ Augustini dicta citat & approbat Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 2. §. Docent.)

Bellarminus dicto loco multa adducit Conciliorum & Patrum dicta, quæ infantes non baptizatos *è regno cœlorum & vita æterna* excludunt, ac *hæreticam* vocat illam sententiam, *quæ regnum cœlorum infantibus non baptizatis promittere audet.*

5. Quod statuunt, quosdam ex Patribus pœnam etiam sensus, adeoque damnationem propriam infantibus non baptizatis tribuere.

De Augustino sic scribit Dominicus à Soto lib. 1. de Natura & gratia cap. 14. *Augustinus plus justo videtur torquere parvulos, unde, qui ejus sententiæ subscribunt, perpauci sunt, & tortores parvulorum nuncupantur.*

Johannes Antonius Delphinus de Peccat. orig. dub. 9. *Augustinus ubiq; docet, parvulos sine Baptismo decedentes, pœnam luere non solum damni, verum etiam sensus, atq; interminabilia gehennæ supplicia sustinere ac pati.*

Salmero tract. 48. in Epist. Rom. contra Augustinum negat, *sententiam de medio loco inter dextram & sinistram esse Pelagianam: Augustinum vero à Soto & Bonaventura taxari, tanquam qui excesserit.*

De Fulgentio sic scribit Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccat. cap. 5. *Videntur sancti isti Patres* (Augustinus & Fulgentius, quando dicunt, *parvulos sempiterno igne cruciandos*) *significare voluisse, parvulos cruciandos igne sempiterno per detentionem, non per ustionem. Nam id unum, tanquam certum, ubiq; tradit Augustinus, parvulos sine Baptismo defunctos, futuros in eo loco, ubi est ignis æternus cum Diabolo & Angelis ejus. Quæ autem, qualis & quanta pœna eorum futura sit, se definire posse, aperte negat. Quod si B. Fulgentius forte aliter sensit, non facimus illi injuriam, si B. Gregorium Nazianzenum cum universa schola Theologorum* (*Scholasticorum*) *sequi malumus.*

(Et tamen illos ipsos Scholasticos non consentire fatetur, sic enim scribit,

lib. 6. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 1. §. Tertia sententia: *Thomas in q. 5. de malo artic. 1. 2. & 3. & alii aliquot Scholastici Doctores docent, parvulos sine Baptismo decedentes, damnari apud inferos æterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœna damni, ut nullum patiantur omnino dolorem, neq; internum, neq; externum.*

Petrus Lombardus in 2. lib. sentent. 33. lit. E. & alii nonnulli ipsum secuti, docent, parvulos à cruciatu ignis & vermis, quæ proprie dicitur pœna sensus, fore liberos, non autem ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis.

Gregorius Ariminensis in 2. sentent. dist. 33. quæst. 3. in eam propendet sententiam, quæ docet, parvulos propter originale peccatum utroq; pœnæ genere, damni scilicet & sensus in gehenna perpetuò cruciari.)

lib. ejusdem cap. 2. §. Altera ratio &c. cum dixisset, *locum infantium non baptizatorum esse carcerem inferni, docent inprimis ferè omnes Theologi Scholastici, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Capreolus & alii in 2. sentent. dist. 33. vel in 4. dist. 45. & præterea Alex. Alensis in 2. part. Summa quæst. 122. membro 10. §. 1. & Albertus in 2. part. Summa quæst. 113.* subjungit,

§. seq. *Hoc solum inter veteres istos Theologos interest, quod alii constituunt infantes in parte inferni altiore, quam limbum puerorum appellant, alii cum cæteris damnatis eos locum habere pronunciant.*

(Illi fumo, hi vero igne eos cruciari, vel certe in eo detineri asserunt. Dubium quinam majoribus doloribus eos subjiciant.)

Argum. Adversar. 1. *Si pueri patiantur pœnam sensus, ergo omnes resurgerent vel in vitam æternam, vel in opprobrium æternum. At non omnes resurgent vel in vitam æternam, vel in opprobrium. Dan. 12. Multi de his, qui dormiunt. Multos dixit, non omnes. Ergo voluit pueros exclusos, qui nec in vitam æternam, nec in opprobrium sempiternum resurgent.* Salmero d. l.

Resp. 1. Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 3 resp. ad 2. object. sic disserit: *Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap 23. & Theodoretus in Comment. h. l nos admonent, vocem illam, multi, positam hoc loco pro voce, omnes, quia revera multi erunt, qui resurgent, cum omnes resurgent. Simile est illud Rom. 5. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. Quos multos vocavit, etiam omnes vocat, cum ait: In quo omnes peccaverunt. Et: Per unius delictum in omnes homines in condemnationem. Simile est etiam, quod habetur Genes. 17. Patrem multarum gentium constitui te. De quibus gentibus rursus dicitur cap. 18. & 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Adde quod sanctus Augustinus loco notato, Sanctus Ambrosius in Psalm. 1. & S. Hieronymus in cap. 26. Esaiæ dicunt, locum istum Danielis idem omninò significare, quod multo post Dominus expressit Johan. 5. cum ait: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Ubi videmus, à Domino ipso declaratum esse, per multos dormientes in terræ pulvere intelligendos esse omnes, qui in monumentis sunt, id est, omnes mortuos. Non igitur irrefragabiliter hic locus contra eos concludit, qui negant, parvulos extra cælum & gehennam Sedem quandam tertiam post judicium habituros.*

2. Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. Dan. 12. *Multi dormientes, id est, omnes mortui, qui erunt valde multi, è pulvere terræ evigilabunt, id est, redivivi resurgent; omnes enim resurgemus, 1 Corinth. 15. & omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis &c. Joh. 5.*

Argum. 2. *Matth. 25. textus est, ubi, qui noluerunt exercere caritatis opera, in ignem mittuntur æternum, qui vero illam præstiterunt, ibunt in vitam æternam. Cum igitur pueri non sint cum illis connumerandi, qui potuerunt & noluerunt: neque cum illis, qui potuerunt & voluerunt illa opera præstare, necessario dandus est medius locus inter illa duo extrema gloriæ & inferni.* Salmero dicto loco.

Resp. Maldonatus in cap. 25. Matth. *Christum unam speciem pro toto genere posuisse, sicut in exemplis facere consuevimus. Nec enim omnibus, qui salvandi sunt, dicturus est: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, nec omnibus, qui damnandi: Esurivi & non dedistis mihi manducare, sed quibusdam; hoc enim exemplo tantum docere voluit, se neminem temere aut salvaturum, aut damnaturum esse, sed justissima de causa, eaq; publice & coram hominibus declarata, quemadmodum in forensibus sententiis fieri solet, unde videtur Christus metaphoram sumere voluisse. Ergo & infantes & infideles omnes judicabuntur: sed illis, cur aut salventur, aut damnentur, alia reddetur causa.*

Argum. 3. *Peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum per donum gratiæ supernaturale. Igitur æquum est, ut pœna peccati sit privatio boni supernaturalis, qualis est carentia visionis Dei, non autem inflictio pœnæ sensibilis, quæ Naturam ipsam lædit,* Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 4. §. Prima ratio.

Resp. Ex hoc principio probari posset, infantes peccati originalis reos non debere esse subjectos miseriis hujus vitæ & morti naturali, quippe in quibus non est tantum privatio doni supernaturalis, sed etiam inflictio pœnæ sensibilis. Consequens Bellarminus non admittit, Ergo nec antecedens statuere debet.

Argum. 4. *Cum Deus pronior sit ad miserendum, quam ad puniendum, derogat ejus bonitati, quod aliquem pro eo, quod vitari non potuit, cruciet. Quare actuali peccato pœna debetur, non originali, quod nullam habuit delectationem.* Salmero d. l.

Resp. Ex hoc principio inferri posset, nullam plane pœnam, nullumve cruciatum deberi propter peccatū originale. Cons. Pontificii non concedunt, E. nec antecedens statuere debent.

Appendix hujus Articuli

QVERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ABsurdas atque erroneas Adversariorum complectens.

1. Querelæ.

1. Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 15. scribit, *impudenter à Bugenhagio affirmari, quod conceptio immaculata Virginis in Ecclesia Romana defendatur, tanquam articulus fidei.*

Resp. 1. Biel 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. *Ecclesia statuit festum conceptionis generaliter celebrandum. Est autem Ecclesiæ autoritas major autoritate cujusq; sancti saltem post Canonicos scriptores. Determinatum est in Concilio Basileense & sub plumbo publicatum in sess. 36. in hæc verba: Doctrinam illam, quod Dei genitrix immunis semper fuerit ab omni originali & actuali culpa, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & Scripturæ sacræ, ab omnibus Catholicis approbandam fore tenendam & amplectendam definimus, nulliq; de cætero licitū esse in cōtrariū docere vel prædicare.*

(Quod

(Quod ut cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & Scripturæ Sacræ consonum ab omnibus ita definitur amplectendum, ut nulli liceat contrarium docere, id pro articulo fidei habendum definitur. At immaculata Virginis conceptio eo modo fuit à Concilio Basileensi definita. Ergo.)

2. Idem Biel. ibidem *impudentes* vocat eos, qui, *ut suam defenderent temeritatem, Dominam nostram inhonorantes dicere ausi sunt, Basileense Concilium non fuisse legitime congregatum*; ac notari jubet, quod *Sixtus IV. Pontifex* (ann. 1466.) *Historiam de hoc festo sua ordinatione editam, in qua expresse continetur, Mariam virginem sine originali peccato conceptam, repetitis vicibus approbaverit, & omnibus eam in festo conceptionis in Ecclesiis publice cantantibus, dicentibus aut interessentibus largas Indulgentias sit largitus.*

(Habetur hæc constitutio Sixti c. Cum præcelsa. extra de reliq. & venerat. sanct.)

3. Bernhardinus de Busto Ordinis Seraphici Francisc circa An. 1503. in Mariali part. 1. serm. 5. lit. V. memorat, quod *in celeberrima Parisiorum Academia nullus Magistri titulo dignus habeatur, qui prius etiam jurisjurandi religione non se adstrinxerit ad hoc Virginis privilegium tuendum & propugnandum.*

Idem probaturus, *Deiparam non esse conceptam in peccato originali affert dictum Elisai, 2. Reg. 6. v. 16. plures sunt nobiscum quam cum illis*, quod sic applicat: *Hanc enim opinionem tenet caput Ecclesiæ summus Pontifex cum Cardinalibus & Curia Romana, qui in die Conceptionis devote canunt in ejusdem diei officio: Immaculata conceptio est hodie. Idipsum omnes confitentur Episcopi & Sacerdotes Catholici & fideles, id Abbates & quicunque Ecclesiastica dignitate decorati. Id ordo S. Benedicti & Canonici Regularis; id Ordo Eremitarum S. Augustini atque Ordo Carmelitarum atque servorum. Id Ordo fratrum Minorum &c.*

2. Trithemius Abbas sub finem lib. de S. Anna. *Mihi visum est à Sancta Romana Ecclesia nullatenus abhorrere purissimæ conceptionis fidem, quam illa credit & veneratur, quod hodie multis documentis ostenditur. Denique cum Doctoribus Gymnasiorum Parisiensis, Coloniensis, Heidelbergensis, Erfordiensis, Wienensis, Lipsiensis, Tübingensis, Ingolstadiensis, Basileensis, Moguntinensis, aliorumque multorum &c. conceptionem Virginis Mariæ puram venerari non timeo.*

5. Nicolaus Baselius in Additionibus ad Naucletum memorat, *Anno nono seculi decimi sexti prid. Cal. Junii Bernæ apud Helvetios Priorem, Sub-Priorem, Lectorem & Custodem Conventus S. Dominici captos, per torturam examinatos, degradatos, ad ignem condemnatos, ac combustos, propter quasdam dolosas, falsas, impias & Diabolicas machinationes, quas in odium immaculatissimæ Virginis Mariæ conceptionis occasionaliter excogitarant.* Illos Baselius nunc *hæreticos*, nunc *hæresiarchas* appellat.

6. Almain in 3 sent. dist. 3. *Circa hanc quæstionem, an virgo fuerit aliquando in peccato originali & postea sanctificata, vel ante fuerit per speciale auxilium præservata, ne illud contraheret, fuit duplex modus dicendi temporibus antiquis, sed nunc unus est, & alter prohibitus per Concilium Basileense.* Addit *determinatum fuisse & sub plumbo publicatum.*

7. Jodocus Clichtovæus duos *de conceptione immaculata B. Virginis* conscripsit libros, in quibus eam non solum *ex Scripturis & Patribus*, sed etiam *ex Ecclesiæ determinatione* probare conatur, (ut vidimus superius in antithesi c. 4.)

Nam lib. 1. c. 14. provocat ad Conciliū Basileense quod sess. 36. decrevit, *quod hæc sententia de immaculata conceptione ab omnibus Catholicis approbari debeat, utpote quæ sit Scripturæ cōformis.* lib. ejusd. cap. 17. dicit, *hanc esse universalis Ecclesiæ determinationem.*

(Certe quod ex his principiis legitime deducitur, id apud Pontificios pro articulo fidei habetur.)

8. Idem Clichtovæus in Comm. Damasc. lib. 3. c. 2. p. 168. scribit, *contrarium dogma, videlicet Mariam contagio primaræ culpæ fuisse contaminatam, non modo Ecclesiæ Catholicæ determinationi & puritati fidei, sed etiam sacris literis esse contrarium.*

9. Ambrosius Catharinus in præfat. libri de immac. Virg. concept. *Cathedræ Romanæ eum derogare & anathema incurrere* asserit, qui *immaculatam Virginis conceptionem negat.*

(Verba adducta sunt superius in antithesi capitis 4.)

At si anathema incurrit & cathedræ Romanæ derogat, qui immaculatam Virginis conceptionem negat, utique illa est fidei articulus.

10. Surius in Comm. rerum gestar. refert p. 20. quod *in Academia Moguntina nulli promoveantur in Doctores Theologiæ, nisi juramento interposito se immaculatam Virginis conceptionem credere affirment, atque hoc dogma se propugnaturos polliceantur.*

Idem *in Academia Parisiensi observari* scribit Salmeron Disp. 51. in cap. 5. Rom. §. Deinde. *In Academiis Hispaniæ* idipsum usitatum esse memorat Petrus Canisius lib. 1. de Virg. Deipara c. 7. f. 46. *Extat,* inquit, *decretum Scholæ Parisiensis, quo planissime definitur, quod mater Domini Maria per nullum instans vel momentum originali culpæ subjecta, sed speciali privilegio ab omni macula immunis fuerit præservata. Cujus decreti observandi Parisienses tanto studio tanquam religione tenentur, ut in ordinem Theologorum coptari neminem sinant, nisi sancte jurantem, se in asserenda Virginis matris illibata conceptione constanter perseveraturum. Nec solum apud Gallos, sed etiam in Hispania, & utraque Germania, qui nomine Catholico censentur, quam sententiam Romana jam Ecclesia tanquam magis piam & probabilem amplexa est, eandem nullo contradicente profitendam ac perpetuo defendendam recipiunt, ac mordicus tenent.*

Similia occurrunt apud Suarez in Thomam part. 3. q. 27. art. 1. (cujus verba adducta sunt superius c. 4. membr. 3.) ubi postquam dixisset, *universas Academias huic sententiæ de immaculata Virginis conceptione subscripsisse,* subjungit, *adeo ut in Academiis nulli ad Doctoratus gradum pateat aditus, qui prius sub juramento non promiserit, nunquam se veritatem hanc oppugnaturum. Non est autem credibile, Spiritum S. permissurum fuisse, universam Ecclesiam in re tanti momenti graviter errare.*

11. Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 4. q. 7. dub. 2. n. 51. *In nulla Academia, exceptis Dominicanis, defendi permittitur sententia de negata conceptione immaculata Mariæ. In Academia Valentiana & Parisiensi nullus ad Doctoratus gradum admittitur, nisi qui subscripserit huic sententiæ.*

12. Salmeron Disp. 52. in Epist. Rom. tom. 13. p. 477. enumerans multas graves ac solidas vias & rationes immaculatæ Conceptionis Virginis, addit sexto loco; *Gravissimi ponderis est autoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ sub nomine sanctæ conceptionis celebrat, sicut & omnis orbis, id est, omnes Episcopi Catholici & fere omnes religiones. In quo quidem cultu si errare posset Ecclesia Sponsa Christi, ubi Spiritus adjuvans infirmitatem nostram & docens orare.*

Et in principio illius Disputationis p. 475. *Qui aliter opinati sunt, plane sunt deserendi, tum quia opinione sua derogare Christi gloriæ & honori matris suæ videntur: deinde quia declinant à sensu Ecclesiæ, quæ hoc privilegium in cultu Dei protestatur.*

13. Valentin. Gerard. in Triumpho B. Virginis & recitat & laudat versus Apollonii Collatii ad Virginem, qui sic habent:

Te, dum conciperes, culpæ quicunq; negarit
Immunem, brutis nil sapit ille magis.
Huic aut vipereo mens est infecta veneno,
Aut illum teter Spiritus exagitat.

Quid quod Bellarminus ipse tomo 7. qui est 19. Opusculorum libro, qui inscribitur Explicatio doctrinæ Christianæ c. 5. *puritatem Mariæ à peccato originali ponit assertive, tanquam dogma Catechetium & articulum fidei.*

15. Pererius Disp. 6. in cap. 3. Rom. scribit, *indubitatum & certum esse in Ecclesia Catholica, B. Virginem omnis peccati etiam levissimi ac minimi per omnem vitam fuisse expertem.*

16. Andreas Capitel Jesuita Friburgensis An. 626. hanc sententiam publica disputatione conatus est defendere, respondente Fratre quodam Eremitano Bernhardo Ungimout, Ordinis S. Benedicti, & quidem *non ut quæstionem probabilem*, sed *ut talem, quæ partim à Gregorio XV. Ann. 622. 2. Junii edita Bulla ita sit definita, ut de contraria opinione nullo modo liceat agere, partim in Scriptura sacra sit fundata, ita ut licet nunquam expresse ea Deiparam à communi sorte hominum peccatorum eximat, tamen generatim tantam gratiæ plenitudinem illi tribuat, ut non irrationabiliter hinc inde deducatur.* th. 123.

2. Idem Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. & lib. arb. c. 18. conqueritur, per *calumniam Scholasticis in Apolog. Aug. Conf. in art. de pecc. orig. tribui, quod docuerint, humanam Naturam integras habere vires ad diligendum super omnia, ad facienda præcepta Dei quoad substantiam actuum, & in artic. de Ecclesia, quod sentiant Pontificii, homines sine Spiritu Sancto posse diligere Deum & præcepta Dei facere.*

Resp. 1. Durandus 2. sent. dist. 28. q. 3. docet, *Naturæ integritatem, quæ homini naturalis est, eandem post originale peccatum remanere, ut quemadmodum gratia in statu innocentiæ data erat duntaxat ad meritum, sic Natura jam corrupta non indigeat gratia non sanante, sed solummodo sublevante, atque idcirco hominem in Natura corrupta posse sine gratia & peccata omnia vitare, & omnia juris naturalis opera exequi.* Addit insuper, *hominem, qui*

est

est in peccato mortali, quoad solum reatum posse vitare (quocunque casu consequente) omne peccatum, quod est contra preceptum juris divini.

2. Biel in 2. sent. dist. 28. q. unic. art. 3. *Homo per liberum arbitrium ex suis naturalibus potest divina præcepta, quoad substantiam actus, implere.*

Idem in 3. sent. dist. 21. & 27. quæst. unic. art. 3. *hominem facientem, quod in se est, sufficienter disponi ait ad infundendam gratiã: perfectissimus autem faciendi modus est dilectio Dei super omnia.*

3. Similia habet Nicolaus de Orbellis in 2. sent. dist. 28. q. 8. Antoninus part. 3. tit. 11. cap. 3.

4. Ex recentioribus idem habent Cochlæus in art. 18. August. Confess. (ubi non probat, *damnari eos, qui hominem propriis Naturæ viribus doceant posse præcepta Dei facere, quoad substantiam actus. Videri enim hominis Naturam & mentem nimis deprimere atq; à naturali bonitate, quam habet à Deo, dejicere. Imò ipsum Deum optimum maximum summa bonitate, clementiaq; & misericordia privare, dum imputant ei, quod imposuerit præcepta factu impossibilia; quod sit Tyrannicum.*) Becanus in Disput. de justitia bonorum operum cap. 1. th. 6. ubi in eandem sententiam citat Thomam Quodlibet. 1. art. 8. Scotum in 2. sent. dist. 28. & in 3. sent. dist. 27. Cajetanum 12. q. 109. art. 3. Molinam Disput. 14. memb. 3.

5. Daventria, qui *Catholicis magnam injuriam fieri scribit, quod cum Pelagianis in hoc genere conferuntur, crassius adhuc aliquid docet, videlicet fomitem illum peccati (sic vocat pravam concupiscentiam in renatis) non modo non proprie peccatum esse, sed & si recte ei homo moderetur, meriti causam.* Harm. Conf. Fabric. p. 292. Ex quo judicari potest, quid statuendum sit de eo, quod Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. scribit: *Quod homo ex puris naturalibus possit Deum diligere super omnia, scripserunt Scholastici quidam pauci: sed non debet Ecclesiæ Catholicæ tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures & graviores refellunt.*

6. Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disp. 6. q. 4. dub. 3. n. 81. *Actum dilectionis Dei super omnia & perfectæ contritionis &c. haberi posse per vires Naturæ, in eo erravit Cajetanus.*

3. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, *quod originale peccatum extenuent.*

Resp. 1. Jacobus Faber Stapulensis in comm. Rom. 5. docet, *nihil nos ex Adamo trahere, nisi obligationem ad mortem.* (quem hoc nomine refellit Didacus Alvarez lib. 6. de auxil. gratiæ Disp. 45. pag. 380.)

2. Albertus Piggius statuit, *peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantum reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primævam sine vitio aliquo proprio & inhærente Naturæ pravitate devincti teneantur.* Sic enim scribit controv. 1. de peccat. orig. *Relinquitur unicum illud esse peccatum ipsius, nempe originis nostræ, hoc est, Adæ quod sonat vocabulum: & non suum uniuscujusq; proprium. Quanquam etiam unum illud nostrum quoq; sit, ut in quo uno etiam nos omnes, etiam priusquam essemus, qui peccare possemus, suo quodam modo peccavimus tamen, & peccati illius vinculo & reatu constringimur.*

3. Eadem fuit sententia Ambrosii Catharini lib. de lapsu hominis & peccat. orig. c. 6. quem Bellarm. lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccat. c. 6. mollissime vocat *minus rectam.*

Ruard. Tapperus Dec. Lovan. in art. de pecc. orig. de hac sententia sic disserit: *Quomodo, & an hæc quatuor, aversio à Deo, conversio ad creaturam, macula & reatus, ut manent post transitum actus peccati, inter se differant, & quid in peccatore maneat, à quo dicitur peccator, variè sentiunt Doctores Scholastici, atque hinc nascuntur variæ opinationes de peccato originali, quid sit & in quo consistat. Nam Johannes Scotus, Gabriel & multi sequaces 4. sent. dist. 14. opinantur, nihil manere in peccatore, nisi ordinationem ad pœnam propter peccatum admissum.*

Et postea: *Albertus verò Piggius & Ambrosius Catharinus considerantes hæc non propriè esse peccata, credebant ab his nec dici posse aliquem peccatorem, nec esse peccatorem, & ideò ponebant peccatum Adæ, quo prævaricatus est mandatum Domini, esse peccatum originale, & ita actuale peccatum Adæ omnium nostrûm esse originale, & ipsum proprie & univoce esse peccatum.*

Et paulo post: *Qui tamen in hoc defecisse videntur & errasse, quod nihil in parvulo intrinsece existens agnoscebant, propter quod esset odio dignus, considerantes duntaxat, quod in Adam peccavit & ob solum ejus peccatum, in quo communicabat, esset Deo odibilis.*

4. Idem vero Tapperus art. 2. p. 79. edit. Colon. An. 82. itidem nimis extenuat hoc peccatum, de eo sic disserens: *Patet, omnium peccatorum etiam venialium minimum esse peccatum originis, minimumq; habere culpabilitatis, nec eadem ratione dici peccatum, qua peccata alia:* & ex Capreolo repetit, *hoc peccatum non univoce, sed æquivoce dici peccatum cum peccatis actualibus.*

p. 78. prop. 11. *Peccatum originale, per quod nascimur peccatores, sicut non est actio, ita nec alicujus legis transgressio, quamvis sit deviatio à lege, secundum quam ad Dei imaginem homo institutus.*

p. 77. prop. 10. *Quamvis carentia gratiæ, sicut & concupiscentia & virium hominis corruptio secundum se & ut in parvulo considerare* (videtur legendum considerata) *nullam, ut diximus, habere possint peccati rationem: si tamen referantur ad Adæ transgressionem, quam sequuntur peccati rationem habent & peccata dici possunt. Hinc natus error Ambrosii Catharini & Alberti Pighii, quod solum peccatum transgressionis Adæ originale est peccatum, quod nascendo secundum eos contrahimus, non transfusione, sed extrinseca tantum denominatione, quodque nihil est in parvulo recenter nato, quod odit Deus, vel rationem habere peccati possit. Considerant enim justitiæ carentiam, concupiscentiam & alia, quæ illam sequuntur, solum in relatione ad nascentes, secundum quam nec pœnæ, nec culpæ rationem habere possunt.*

5. Cornelius Canonicus Coloniens. tom. 2. animadv. disputat, *peccatum originale non esse proprie peccatum, cum non sit defectus perfectionis homini necessariæ ad beatitudinem, pravitatem non esse hereditariam, nec à parentibus in liberos transmitti posse, cum ipsi sint purgati, solos eos, qui usu rationis ac liberi arbitrii præditi sunt, lege obligari, insanum esse & in Deum blasphemum, si dicatur, originalis peccati pravitatem omnes Naturæ nostræ partes ita pervasisse, ut omnibus flagitiis & criminibus sit fœcunda, nec possit aliud quam Deo & legi repugnare.*

6. Alphonsus Salmero Disp. 46. in Epist. ad Rom. à Pighio mutuatur eadem ferme vocabula: *Breviter,* inquit, *attendendum est, illud ipsum peccatum, quod fuit in Adam actuale, id est, inobedientiam esus ligni vetiti, in nobis esse originale.*

Et postea: *Peccati veram divisionem esse* asserit, *in peccatũ actuale, id est, cujusq; proprium: & originale actuale commune omnibus.*

(Quamvis Pighius peccatum dividat in *originale* & *personale,* Salmero vero in *actuale & originale actuale,* tamen in reipsa nihil est discriminis. Uterque enim consentit, *originale esse commune omnibus, illud autem quod originali ἀντιδιαιρεῖται sive personale dicatur sive actuale, esse proprium cujusq;.*)

7. Quomodo per Scholasticorum ac Pontificiorum hypotheses in genere ac Bellarmini in specie peccatum originale vel plane negetur, vel certe extenuetur, late ostensum fuit in tract. de pecc. orig. §. 58. & 59.

Franciscus de Mayro sic argumentatur: *Tantum habet aliquid de ratione peccati, quantum habet de ratione voluntarii. Atqui peccatum originale in particulari, nempe in protoplastis, solum fuit voluntarium, sed in universali, h. e. in nobis, est involuntarium.*

8. Pighius & Catharinus docuerunt, *peccatum originis non esse aliud nisi peccatum Adami per imputationem posteris communicatum.*

Hanc sententiam Vega, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Vasquez, Zumel & alii ex Pontificiis refellunt, tanquam Concilio Tridentino adversam. Sed Ægidius Augustinianus recentior Theologus, (quem Ferdinandus Quirinus à Salazar S. literarum in Collegio Complutensi interpres, Defens. pro immacul. Mariæ concept. cap. 1. §. 3. num. 1. vocat *gravissimum & doctissimum virum,*) eandem Pighii sententiam propugnat, quem propterea dictus Ferdinandus castigat, quod *nempe ad castra Pelagii transeat,* cap. 1. §. 4. n. 14. quod *contra B. Anshelmũ statuat,* n. 14. *contra Thomam* n. 16. quod *cum Pelagio faciat,* n. 17. quod *contra Concilium Tridentinum statuat,* n. 18. quod *Apostolum Rom. 5. male explicet &c.*

2. *Calumnia.* 1. *Generales.*

1. Bellarmin. lib. 1. de amiss. grat. c. 4. lib. 4. de Eccles. c. 9. *Joviniano* & *Pelagio* nos conjungit, propterea quod statuamus, *omnia peccata esse sua Natura mortalia.*

Panigarola Disc. 12. *Calvinus audacter affirmat, nihil peccatũ à peccato differre, æqualia esse omnia. Isthuc ipsum asseruit Lutherus, hocque inter illos convenit, ut statuerent, peccata paria esse omnia.*

Edmundus Campianus rat. 8. itidẽ nostris Ecclesiis errorẽ *Joviniani* & *Stoicorũ* affricare conatur, quod statuamus, *omnia peccata esse paria, ita ut hac trutina,* inquit, *non levius in Deum deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceũ, quando non opus est occiderit, quã infamis ille sicarius, qui Gallũ Heroa Guisiũ displosa fistulâ interemit, atq; hoc ideò, quia docent omne peccatũ suâ Naturâ esse mortale.*

Resp.

Resp. 1. ex Bellarmino d. l. *Jovinianus docuit, peccata omnia esse paria.*

(At nos nequaquam docemus, omnia peccata esse paria, sed retinemus discrimen inter *peccata venalia & mortalia* in renatis, ac gradus peccatorum in ipsis etiam non renatis agnoscimus. Nec ulla consequentia ex eo, quod omne peccatum sua Natura mortale esse statuimus, inferri potest, quod *omnia peccata paria esse* statuamus, cum in pœnis æternæ mortis sint gradus.)

2. Ex eodem Bellarm. lib. 3. de Justificat. cap. 16. §. 1. *Lutherani non dicunt, quod sciam, virtutes esse pares, aut paria esse peccata, quod docuit olim Jovinianus.*

3. Azorius tom. 1 lib. 4. Instit. cap. 9. art. 5. sic disserit: *Quidam* (videlicet Sotus, Vega, alii,) *dicere non dubitant, Gersonis opinionem, quod omnia peccata sint sua Natura mortalia, accedere Stoicorum sententiæ, omnia peccata æqualia esse dicentium, quia si omnia æternam pœnam merentur, omnia sunt paria, quod certe illi autores male contra Gersonem inferendo concludunt, quia unum peccatum etiam mortale gravius & acerbius, quam alterum mulctari & puniri queat.* Similia occurrunt apud Costerum in Enchirid. cap. 2. p. 96.

(Sicut ergo ibi Azorius ostendendo, hanc consequentiam esse nullam, ab hoc Stoicorum errore vindicat ac liberat Gersonem, à Soto, Vega & aliis Dd. Pontificiis eodem crimine gravatum: ita Protestantes idem cum Gersone in hac quæstione statuentes ab eodem crimine merito absolvuntur.)

4. Gerson ipse contra hanc calumniam satis suam, proinde etiam nostram munivit sententiam. Sic enim disserit de vit. Spirit. animæ lect. 1 *Nullam esse Dei offensam venialem de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud possit justissime. & ita concludi, quod peccatum mortale & veniale in esse tali non distinguuntur intrinsece & essentialiter, sed solum per respectum ad divinam gratiam, quæ peccatum illud imputat ad pœnam mortis & aliud non.*

5. Quemadmodum ergo damnati omnes æternæ mortis pœnas sustinent, & tamen sunt gradus pœnarum infernalium: ita quoque etsi omnia peccata sint sua Natura mortalia, tamen dantur peccatorum gradus, ita ut alia aliis sint graviora. Ipsimet Pontificii inter ea ipsa peccata, quæ mortalia constituunt, aliud alio majus esse agnoscunt: non ergo statim sequitur, paria esse peccata, quæ simul mortalia sunt.

Sonnius in Demonstrat. tract. 9. c. 3. *Nequaquam paria sunt omnia peccata mortalia, sed inæqualis malitiæ, demeriti & offensæ.*

6. Roffensis in Confutatione assertionis Luther. art 5. *Neque enim opinor, te velle cum Joviniani sectatoribus asserere, cunctas animas parem immunditiem contraxisse, atq; in lutum peccatorum æqualiter esse collapsas.* In margine illud sic explicat: *peccata esse paria.*

(Absolvit ergo Lutherum ab hoc errore.)

2. Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 2. probare conatur, *Lutheranos cogi negare peccatum originis, cum non agnoscant, justitiam originalem fuisse donum Naturæ superadditum.* Idem repetit Coppensteinius in Spongia pag. 43. 44.

Resp. 1. ex ipso Bellarmino lib. de grat. primi hominis c. 5. *Adversarii* (Lutherani) *censent, rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc modo, quod fuerit velut quædam sanitas debita Naturæ, aptaque nasci ex ipsa Natura bene constituta, id est, non corrupta, & nunc hominibus, qui eam rectitudinem amiserunt in Adamo, deesse aliquod donum naturale.*

(Ergo non negamus fuisse in primo homine justitiam originalem, & in posteris Adæ carentiam illius doni: sed hoc negamus, quod justitia originalis fuerit donum aliquod extrinsecum & supernaturale, quodque carentia justitiæ originalis in posteris Adæ sit carentia doni supernaturalis.)

2. Adversarii approbarunt articulum 2. Aug. Confess. in quo diserte docetur, *peccatum originis esse carentiam justitiæ originalis.*

Johannes Cochlæus in Harm. p. 22. *De hoc articulo non foret difficile concordiam invenire, si ex animo pax & unitas quæratur.*

Joh. Hoffmeisterus ibid. pag. 25. *Articulus hic secundus non habet, unde à candidis Theologis vel rejici vel vituperari possit.*

3. Vega Interpres Concilii Tridentini lib. 2. de Concilio Tridentino cap. 6. dicit, *Lutheranos in hoc articulo nihil à Pontificiis dissidere,* quod ipsum etiam testatur Cassander in consult. art. 2. ubi addit, *Eccium idem testari.*

3. Idem Bellarminus lib. 5. de amiss. gratiæ cap. 2. Lutheranos accusat *Manichæismi*, propterea quod statuant, *peccatum originis esse vitiosam qualitatem.*

Resp. superius cap. 5. thesi 2. nostram sententiam de hac quæstione satis perspicue exposuimus, eandemque ex ipsorum Adversariorum suffragio confirmavimus.

4. Idem Bellarm. lib. ejusd. cap. 4. nos accusat, quod *peccatum originale cum actuali confundamus, propterea quod Aug. Conf. art. 2. dicat, peccatum originis esse, quod homines sint sine metu & fiducia Dei.*

Resp. 1. Joh. Hoffmeisterus in Harm. August. Confess. Fabricii Leodiensis art. 2. sic scribit: p. 26. *Quod hic Adversarii dicunt de metu & fiducia, non de actuali, sed potius de aptitudinali effectu intelligimus.*

p 25. *Non inepte loquuntur Adversarii, hominem nasci cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum & cum concupiscentia, id quod tamen Germanice explicatius dixerunt.*

2. Inde Georgius Cassander in Consult. art. 2. p. 909. tale fert judicium: *Articulus de peccato originis* (prout in Conf. August. explicatur.) *Catholicæ traditioni consentaneus est, qua confitetur, post lapsum Adæ omnes homines secundum Naturam propagatos nasci cum peccato & concupiscentia, quodq; hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans eos, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum. Quanquam explicatio seu definitio, quæ additur, voci peccati, nempe esse sine metu, sine fiducia erga Deum, à nonnullis reprehensa fuerit, existimantibus hæc ad actuale potius peccatum, quam ad originis vim pertinere. Sed hæc definitio ingenue excusatur & probatur ab eruditissimo & modestissimo viro Johanne Hoffmeistero, qui in excutiendis & explicandis his articulis Augustanæ Confessionis præter eximiam eruditionem, summum quoq; candorem & moderationem adhibuit, quæ moderatio & æquitas multò plus ad Ecclesiæ pacificationem conducet, quam nonnullorum rigor atque severitas, qui odium potius partium, quam concordiæ studium præ se ferunt. Recte itaq; Hoffmeisterus articulum hunc nil habere ait, cur à Theologis candidis rejici debeat, maxime si interpretatio ex Apologia repetatur, in qua testatur Autor, se non actus solum, sed etiam potentiam seu dona efficiendi timorem & fiduciam erga Deum adimere iis, qui Natura ex Adam propagati sunt. Nam si originale peccatum,* inquit, *est carentia seu defectus justitiæ originalis inesse debitæ, & si homo secundum Naturam natus iis virtutibus caret, quibus privatus est Adam, per quem peccatum intravit in mundum: non inepte loquuntur, hominem nasci cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, cum concupiscentia.*

5. Idem Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. cap. 9. & lib. de Bapt. cap. 13. *hæresin Procli* propterea nobis tribuit, quod statuamus, *Concupiscentiam in renatis esse peccatum.*

Resp. ex ipso Bellarmino lib. 5. de amiss. gratiæ cap. 10. *Dicunt Protestantes concupiscentiam in renatis esse peccatum, licet non regnet.*

(At Proclus docuit, *peccatum in renatis semper vivere*, h. e. regnare, ut constat ex Methodio apud Epiphanium hæresi. 64.)

6. Idem Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. c. 9. *Messalianorum* hæresin nobis tribuit, propterea quod statuamus, *post Baptismum in renatis manere peccatum.*

Resp. 1. Ex Alphonso de Castro lib. 3. adv. hæres. tit. Baptismus. *Messaliani tantam vim tribuebant orationi, ut Baptismo derogarent, dicentes, nullam utilitatem baptizatis ex Baptismo accedere, sed solam orationem studiosam Dæmonem inhabitantem effugare.*

(Sed Lutherus docet, *omnia peccata in Baptismo remitti*, fatente Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 13. §. Hoc nostro.)

2. Ex Sixto Senensi lib. 6. Biblioth. annot. 317. *Adversus ignavos Monachos, qui tū in Africa errorem hunc &c. à Messalianis hæreticis erratum fovebant, Augustinus scripsit librum de opere Monachorum, quo tria potissimum demonstrat, primum ut Monachi, qui nullo Evangelico negotio, nulla Ecclesiastica cura occupantur, non vitam sine ullo labore manuum transigant otiosam &c.*

(Ergo Monachi in Papatu potius Messalianorum errori sunt affines.)

7. Idem Bellarm. d. l. art. 45. Protestantibus *hæresin Pelagianam* tribuit, propterea quod doceant *parvulos non perire, quibus, subita morte abreptis, demta est facultas Baptismi.*

Resp. 1. Superius art. 12. de Bapt. cap. 1. ostendimus Bielem, Cajetanum & alios Pontificios idem nobiscum docere, quod fatetur etiam Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 4. §. Quartum argumentum.

2. Bel-

2. Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 9. Gregor. de Valent. lib. de pecc. orig. cap. 2. docent, *Pelagianorum proprium errorem fuisse, quod negaverint peccatum originis.*

(Illud vero neutiquam negamus. Vega Concilii Tridentini Interpres dicit, Lutheranos in articulo de peccato originis à Pontificiis non dissentire.)

3. Bellarm. ipse lib. 5. de amiss. gratiæ c. 4. §. 1. *Videntur Lutherani prima fronte non dissidere ab Ecclesia* (in articulo de peccato originis. Subjungit quidem duo, *in quibus à doctrina Catholica*, id est, Rom. Ecclesiæ *dissideant*, sed ea non concernunt hæresin Pelagianam, quæ peccatũ originis negabat, sed duntaxat certas quasdam circumstantias, ac pertinent non ad quæstionem, *an sit*, sed *quid sit* originis peccatum.)

4. Cassander in Consult. art. 2. *Articulus de peccato originis Catholicæ doctrinæ consentaneus est.*

Et postea: *De hoc articulo agnoscit ipse Eckius nullam esse controversiam.*

5. Joh. Hoffmeisterus in Consid. Aug. Conf. *Articulus hic secundus non habet, unde à candidis Theologis vel rejici vel vituperari possit.*

6. Alphonsus Virvesius Philipp. 3. *Nihil differt Confessio* (Augustana) *de peccato originis à fide Catholica.*

8. Idem Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 11. scribit, *ideò nolle quædam peccata dici venialia, quia sunt involuntaria, quædam verò mortalia, nimirum, quia sunt voluntaria; ex quo colligi possit, reipsa nos affirmare quod verbis negamus, videlicet ad ipsam peccati Naturam mortalium & venialium peccatorum discrimen esse referendum, cum voluntarium esse ad propriam peccati rationem pertineat.*

Resp. non est perpetuum, quod ea peccata sint *mortalia*, quæ voluntaria; & vicissim *venialia*, quæ involuntaria; cum peccatum originale in infantibus non baptizatis sit mortale, etiamsi non sit voluntarium. Ideò autem quædam in renatis dicuntur *mortalia*, quia libera & plena voluntate contra conscientiã admissa excutiunt fidem & Spiritum Sanctum, quod non fit per peccatum inhærens, quamdiu illi resistitur.

9. Idem Bellarm. lib. de Baptismo c. 13. lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 13. & alii passim accusant nos *criminis falsi, quod Augustino tribuamus, ipsum dixisse, Concupiscentiam ita manere in renatis, ut sit peccatum, sed non imputari, nec reos facere.*

Ulenbergius caus. 14. apostasias addit, *Philippum hunc suum errorem in Conventu Wormatiensi confessum fuisse.*

Resp. Augustinus utrumque dicit, *& manere in renatis Concupiscentiam, & sua Natura peccatum esse, licet in peccatum non imputetur.*

lib. de nupt. & concup. c. 25. *Dimittitur concupiscentia carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.*

(In peccatum nihil imputari potest, nisi quod est peccatum. Agnoscit ergo concupiscentiam esse in se & sua Natura peccatum, sed tamen non imputari.)

In eod. lib. & cap. concupiscentiam vocat *affectionem malæ qualitatis.*

(Affectio autem malæ qualitatis est omnino peccatum.)

lib. ejusd. cap. 23. dicit, *non fieri à nobis, quod scriptum est, Non concupisces.*

(At qui legem transgreditur, is utique peccat, cum ἡ ἁμαρτία sit ἀνομία.)

Inde etiam concupiscentiam pravam in renatis adhuc reliquam disertis verbis non solum vocat *pœnam peccati* & *peccati causam*, sed etiam *peccatum*. lib. 5. contra Julianum cap. 3. lib. 6. & c. lib. 6. contra Julian. cap. 5. & 6.

2. *Speciales.*

1. Bellarm. lib. 2. de amiss. gratiæ c. 1. Luthero tribuit, quod *Deum statuat autorem peccati, quia art. 36. scribit, neminem habere in potestate, ut cogitet bonum vel malum.*

Respond. Bellarm. d. l. statim subjungit: *Lutherus sententiam retractavit, vel* (quod rectius dicitur,) sententiam suam in scriptis sequentibus clarius exposuit, & ab adversariorum calumniis vindicavit tom. 3. Germ. Jen. f. 102. *Nullum apud me dubium, quin me calumniaturus sit* (meus adversarius) *quasi dixerim, Deum velle peccatum, ad quod respondeo, injuriam mihi ab ipso fieri, & ut alias mendaciis scatet, ita quoq; hoc loco veritati adversari Dico Deũ prohibuisse peccata, eadẽq; nolle.* Conf. tom. 6. f. 366. 444. 515.

2. Stapletonus lib. 11. de Justificat. c. 4. *Lutherus etiam illud velle, quo Judas voluit Christum prodere, fuisse opus Dei asserit. Ergo Deum autorem peccati statuit.*

Resp. 1. ex Vega lib. 2. Exposit. Conc. Trident. cap. 15. *Quemadmodum malæ ambulationis in homine claudo in detortam tibiam vitium rejicimus, & vitium Scripturæ exaratæ ab optimo Scriba in malam papyrum aut male temperatum calamum: ita mala nostra non debent imputari Deo, quod auxilio generali ad ea concurrat, sed nobis, qui deflectimus & claudicamus ab ipsius lege, & influxum ejus in malum detorquemus, quamobrem licet nobiscum faciat actus, qui intrinsecam & inseparabilem habeat malitiam, nequaquam tamen, ut antiquiores Theologi probe monuerunt, peccati autor censeri debet.*

2. Barradius tom. 1. lib. 4. Concord. Evang. cap. 6. *DEUS non est autor peccati, inquit Augustinus, quia peccatum privatio est, at ad faciendum peccatum concursus causæ moralis necessarius est: at Dei concursus cum homine est naturalis & Universalis.*

3. Vasquez in Thomam 1. 2. tom. 1. q. 79. art. 2. cap. 5. *In peccato duo sunt: operatio & illius defectus. Operatio quidem secundum rationem operationis in Deum referenda est, sed defectus nullo modo: quia defectus solum in causam deficientem reduci potest, Deus autem non est causa deficiens.*

(Eadem distinctione etiam Lutheri assertio explicari debet.)

4. Longe durioribus vel certe æque duris loquendi formulis utuntur quidam Pontificii.

Azorius tom. 1. Moral. lib. 4. c. 22. *Quidam ingenue fatentur, Deum non quidem peccare, sed esse & mali operis autorem & boni.*

ibid. *Gabriel, Occam, Major & alii respondent, Deum facere actum, qui malus est, sed non peccare, & dici posse, Deum esse causam peccati, at non peccare: quoniam peccare non est idem, quod facere actum qui malus est, sed facere actum malum male, Deus autem non facit male, sed homo.*

ibid. *Gregorius* (Ariminensis) *quem sequitur Capreolus, sentit, Deum facere cum homine actum malum &c.*

Verba Greg. illius hæc sunt 2. sent. dist. 28. q. 1. art. 3. *Deus concurrit cũ voluntate ad actum malũ, partialiter illum conficiendo,*

Pererius in cap. 11. Exodi Disp. 8. *Facit Deus multa intra eum, qui obduratur, quibus vitio suo is fit deterior, excitat in eo varios affectus vel metus vel spei ac fiduciæ, vel cupiditatis, vel iræ: varias item imaginationes & perplexas ac dubias cogitationes immittit, etiam somnia & visa nocturna injicit, quibus ille nimio plus credulus incitatur ac præcipitatur in malum.*

Vasquez apud Tannerum tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 1. dub. 5. n. 151. asserit, *Deum posse actum erroris infundere per se & inducere*, &c. Tannerus hoc nomine meritò refellit ac per *hanc assertionem infallibilitatem divinæ revelationis labefactari* asserit n. 150.

Melchior Canus lib. 2. Locor. Comm. cap. 4. Cajetanum *falsitatis & erroris* arguit, quod *Deum concurrere ad peccatum, quatenus sit pœna peccantis*, statuat.

Didacus Alvarez de auxiliis gratiæ Disp. 31. pag. 196. excusat *Calvinum*, eumque *non errasse* judicat, asserendo, *voluntatem moveri à Deo ad operandum & se habere instar serræ & securis vel baculi, respectu ejus à quo trahuntur.*

Bellarm. lib. 2. de amiss. gratiæ cap. 13. §. ex Hugone scribit, quod *Deus malas etiam voluntates occulta & invisibili operatione ad suum arbitrium temperat & inclinat.*

§. 8. *Deus non solum permittit impios agere mala multa, nec solum deserit pios, ut cogantur pati, quæ ab impiis inferuntur, sed etiam præsidet ipsis voluntatibus malis, easq; regit & gubernat, torquet ac flectit, in eis invisibiliter operando, ut, licet proprio vitio malæ sint, tamen à divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud non positive sed permissive ordinentur* (ubi *torquendi* verbum per quam durum.)

Suarez in opusc. in relect. de libert. volunt. div. Disp. 1. sect. 2. n. 14. *Deus verè & propriè operatur non solum ea, quæ per seipsum facit, sed etiam ea omnia quæ operantur creaturæ & humanæ voluntates, quatenus vera & realia opera sunt, quia in ea verius ac perfectius influit, quam ipsæ causæ secundæ.*

Et postea: *Hæc etiam opera non fiunt, nisi Deo volente, neq; ipse influit in illa, nisi voluntarie, quod etiam verum est de operibus peccatorum, quatenus à Deo fiunt, vel in ea Deus influit. Nam quatenus est Universalis provisor, sapienter judicat expedire tales actus permittere & ad illos concurrere, & justissime hoc ipsum vult: oportet tamen in peccando distinguere aliquid, quod à Deo fit; & aliquid, quod ab ipso non fit: operatur enim Deus actũ peccati, non malitiã ejus.*

5. Quam ergo æquitatem in incommodioribus suorum dictis explicandis adhiberi postulant; eandem etiam Luthero præstent.

Melchior

Melchior Canus in Locis Theol.lib.12.c.8.ad 3.arg.adducit dictum Hilarii: *Sensus, non sermo fit crimen.*

Maldonatus in Joh.1.v.3.n.62. *Legimus aliquando apud graves autores phrases quasdam, quæ Arianorum errorem sapere videntur: in eas cum lector inciderit, potius in bonam partem interpretetur, quam condemnet autores.*

Jacobus Gretzerus lib.2.de jure & modo prohibendi libros noxios c.10. *Horridius dicta, quæ licet, veritasq́ finit, bonam in partem explicamus.*

(Quod de Tertulliani & Origenis dictis respondet.)

6. Quod de Cajetano respondet Melchior Canus in Relect. de pœnit. parte.6.§. Denique &c. idem respondemus de Luthero. *Tantum Scholæ debet homini de Republ. Christiana maxime merito, ut quoad fieri per pietatem licet, parcere ei jure optimo, summisq́, rationibus debeamus.*

3. Bellarminus lib.3.de amiss.gratiæ c.1. *Luthero* tribuit, quod neget *primos parentes peccasse, cum hoc fluat ex principiis doctrinæ Lutheri, quod justo non sit lex posita.*

Resp. Lutherus in Comm.c.2. Genes. perspicue & diserte, imo magna vehementia illos refellit, qui peccatum primorum parentum negant. Si ex principio confessionis nostræ satis apte hoc paradoxum probari posset, ex Scriptura illud satis apte probari posse consequens foret, quod est absurdissimum.

4. Idem Bellarminus lib.4.de amiss.gratiæ c.17. *Chemnicium* mendacii accusat, quod *scripserat, tempore Lombardi ignotam fuisse adhuc opinionem de immaculatæ Virginis conceptione.*

Resp. ex Lombardo 3.sent.dist.3.lit.C. *Dici potest & credi oportet juxta Sanctorum attestationem, ipsam Verbi carnem fuisse prius, antequam conciperetur, peccato obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed operatione Spiritus Sancti mundatam, ita ut ab omni contagio immunis uniretur Verbo.*

5. Idem Bellarm.lib.5.de amiss.gratiæ cap.1. *Luthero* tribuit, quod *cum Flacio docuerit, peccatum esse ipsam hominis substantiam.*

Resp. ex Luthero in c.3 Genes. *Manet Natura post lapsum, sed multis modis corrupta. Manent in Natura membra eadem, sed quæ antea nuda cum gloria conspiciebantur, nunc tanquam turpia & inhonesta velantur.* In c.4. Genes. *Spirituales homines distinguere debent inter peccatum originale & creaturam.* In cap.25. Gen. *Necessario ἀταξία seu deformitas discernenda à creatura.*

6. Idem Bellarm.lib.5.de amiss.gratiæ c.6.§. Martinus &c. vocat *incredibile paradoxum ac Manichæi delirium*, quod *Chemnitium scripserat, ipsum embryonem nondum animatum habere veram & propriam peccati rationem.*

Resp.1.ex ipso Bellarmino, qui lib.4.de amiss.gratiæ c.4. sic disserit: *Si solus Deus potest mundare hominem de immundo conceptum semine, sequitur, eundem hominem ab ipsa conceptione esse immundum.*

Et postea. *David se miserum ab ipsa conceptione fuisse dicit. Verbum* חוללתי *refertur ad formationem corporis, quæ post parentum concubitum à Deo fit, ac voces* עון & חטא *significant proprie verum peccatum.*

Item, *verbum* יחמתני *calefecit, refertur ad illud tempus, quo fœtum jam formatum & animatum mater in utero fovet ac forendo calefacit. Certum autem est, nullum intervenire peccatum parentem vel cum proles concepta formatur, vel cum jam formata in utero confovetur.*

(Si homo ab ipsa conceptione est immundus, si fœtus peccato obnoxius est eo etiam tempore, quo corpus ejus formatur, utiq; embryo nondum animatus habet veram rationem peccati.)

2. Ex eod. Bellarm. lib. ejusd. quarti c.16. *Dicuntur in peccato concipi omnes filii Adæ, cum primum fœtus in utero matris existere incipit, quamvis informis & inanimis*, quod ipsum multis ibidem probat, & de prima illa conceptione exponit dictum Psal.51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.*

Ib. *Tametsi peccatum proprie non possit esse nisi in anima rationali & fœtus conformari incipiat longo tempore ante animationem, tamen quia tunc revera incipit homo existere ratione unius suæ partis, & pars illa ex corrupta Natura originem habet, & vitiata recte nominari potest.*

Hisce conformis est querela Bernhardi serm. 4. in nativ. col.43. *In ipsa origine & radice mea infectus & inquinatus sum, immunda est conceptio mea.*

7. Idem Bellarminus lib.5.de amiss.gratiæ c.5.§. Martinus &c. *Chemnitio* tribuit, quod statuat, *non solum concupiscentiam, sed ipsam etiam molem carnis, quamvis nondum formatis organis esse vere proprieq́, peccatum.*

(At nuspiam dicit Chemnicius massam illam peccatum esse, sed *peccato contaminatam*, quæ contaminatio juxta Davidis confessionem, veram rationem peccati habeat. Bellarminus hæc duo, peccatum esse & peccato contaminatum esse, contra conscientiæ suæ testimonium confundit, cum alibi passim inter *peccatum ipsum & peccati subjectum* recte distinguat.)

3. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Anglo-Rhemenses annot.Rom.7.sect.10. *Motiones carnis in perfecto quibus mens non consentit, non possunt vel tantillo viliores reddere operationes Spiritus, sed magis eas meritorias faciunt propter continuam luctam.*

2. Bellarm.lib.1.de amiss.gratiæ c.11. *Voluntarium esse ad propriam peccati rationem pertinet, adeo ut plane non sit peccatum, quod nullo modo voluntarium.*

Lib.2.de amiss.gratiæ cap.7. *Peccatum in se & distinctum non potest esse, nisi fuerit volitum & intentum in se.*

Augustini dictum, quod *omne peccatum sit voluntarium*, de solis actualibus, & ne de omnibus quidem, sed de solis peccatis malitiæ intelligendum, alias ipsum originale peccatum, uti etiam ignorantiæ & infirmitatis peccata negabuntur.

Rectius igitur Thomas.1 2.q.21.art.9. concedit, *peccatum nihil aliud esse, quam aberrationem à regula & scopo.*

Ac Bellarminus lib.1.de amiss. gratiæ c.1. scribit, *peccatum esse à regula declinare & recedere.*)

3. Bellarminus d.l. *Præcepta de re minima non sunt proprie & in rigore præcepta, siquidem constituuntur de re, quæ parum admodum ad finem præcepti, videlicet caritatem pertinet.*

(Atqui obligatio præcepti non dependet à quantitate objecti, sed à majestate præcipientis.

4. Tilemannus Smeling. Ordinis prædicatorum c.4. de Sacram.pœnit.p.304. *Johannem Baptistam sine originalis labe natum esse, omniq́, nævo & labe peccati caruisse* asserit.

5. Tannerus tom.2. Theol.Schol Disp.4.q.9. dub.4. n.72. reprehendit Vasquezium, qui vocat *peccati causam Deum ipsum per accidens remote.*

Ibid.dub.5.n.79. perstringit Cajetanum asserentem, *Deum esse causam malitiæ positivæ.*

Ibid.n.94. cum Cajetano vapulat Canus dicens: *Deum esse causam peccati.*

N.95. culpantur à Tannero *Occam & Gabriel* concedentes hanc propositionem, *Deus vult malum.*

N.96. Matthæus de Risspolis erroris arguitur & Ripa astruentes, *Deum ipsam causam physice prædeterminare, quantumvis effectus ille sit causa peccati actus*, quæ sententia. n.97. ex Concilio Tridentino à Tannero refutatur.

N.98. refellit socios suos Tannerus, qui dicunt, *Deum esse autorem ipsius materialis peccati.*

Causam, propter quam *Angelorum malorum in peccatum prolapsorum voluntas non sit reflexa ad bonum*,

Aureolus apud Marsil.2.sent.q.5.art.2.& Major dist.7.q.1. statuunt eam, quod *infusus sit ipsis à Deo intentissimus malitia habitus inclinans necessario ad odium Dei.*

Occam 2.sent.dist.7.q.19.& quodlib.1.q.19. Gabr.q.1. eam, quia *produxerit & producat in illis actum odii Dei.*

(Quas opiniones Lorinus in comm. 2.Petr.2.v.4. merito vocat absurdissimas, rectius vocasset blasphemas, cum per illas Deus directe statuatur peccati causa.)

Andreas Vega in Expos. Concil. Trident. Lib.2.cap.15. *Quemadmodum malæ ambulationis in homine claudo in detortam tibiam vitium rejicimus, & vitium Scripturæ exaratæ ab optimo Scriba in malam papyrum aut male temperatum calamum: ita mala nostra non debent Deo imputari, quod auxilio generali ad eam concurrit, sed nobis, qui deflectimus & claudicamus ab ipsius lege, & influxum ejus in malum detorquemus. Quamobrem licet nobiscum faciat actus, qui intrinsecam & inseparabilem habent malitiam, nequaquam tamen, ut antiquiores Theologi probe monuerunt, peccati autor censeri debet, quia in moralibus ille alicujus operis causa judicatur, qui præcipit, consulit, suadet, præmiat, approbat. At Deus, ut Theologi probabilius sentiunt, cum voluntate & consensu velit & faciat nobiscum peccata, nihil horum facit,*

(Similitudo claudicationis, & distinctio inter actum & actus vitium recte se habet: sed assertio illa, quod Deus nobiscum velit & faciat peccata, approbari nequit.)

Bellarminus Lib. 2. de amiss. grat. & statu peccati cap.13. statuit, *Deum non solum permittere, impios agere multa mala,*

nec solum deserere pios, ut cogantur pati, quæ ab impiis inferuntur: sed etiam præsidere ipsis voluntatibus malis, easque regere & gubernare, torquere ac flectere, in eis invisibiliter operando, ut licet proprio vitio mala sint, tamen à divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud non positive, sed permissive ordinentur.

(Postrema illa verba continent oppositum in apposito: nam torquere & gubernare ac flectere permissive est non torquere, nec flectere, nec etiam gubernare.)

Postea ex Thoma addit: *Deum non solum permittendo, sed etiam positive inclinare voluntates malas, inclinando ad unum & avertendo ab alio, occasionaliter & moraliter, immittendo videlicet cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat judicandi, melius esse huic nocere, quam illi.*

6. Albertus Piggius controv. 1. de peccat. orig. Ambrosius Catharinus lib. de lapsu hominis & peccat. orig. c. 6. statuunt, *peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantum reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primævam sine aliquo vitio proprio & inhærente Naturæ devincti teneantur.*

Costerus in Augm. Enchir. p. 173. *Discimus sexto, peccatum hoc originis latissime quidem patere: attamen esse omnium peccatorum reatu minimum, quia minimum habet ex voluntate, quæ est fons & causa peccati.* Confer dicta superius art. 1. Appẽdicis mẽbr. 3.

7. Gregorius de Valentia tom. 2. Disp. 6. q. 18. p. 842. *Regula optima ad discernendum inter peccata mortalia & venialia continetur inprimis judicio proborum & sapientum, ut scilicet id peccatum mortale reputetur, & id veniale, quod pro tali ducitur ab his, qui & eruditione & probitate sunt præstantes.*

Binsfeldius in Enchirid. Theolog. Pastor. p. 193. *Si Doctores Ecclesiæ & pii viri unanimi consensu docent aliquid esse mortale, pro mortali habendum est; si veniale, pro veniali judicandum. Si vero dissentiunt & dubitant in aliquo; securior pars in conscientia eligenda est. Securior autem pars est, agnoscere culpam, ubi non est.*

(Hæc regula non est certa & infallibilis.)

8. Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 7. *Recte ad effectus supernaturales efficiendos & significandos utimur aqua, oleo, pane, cereis, cineribus, ramis, aliisq; rebus benedictione consecratis. Inprimis autem iis utimur ad deletionem peccatorum venialium, ad fugandos Dæmonas & curandos morbos, ut ex precibus patet, quibus consecrantur.*

(Hujus remedii contra peccata Scriptura nuspiã meminit.)

9. Vitus Miletus in discussione errorum D. Heshusii p. 73. edit. Mogunt. Ann. 604. inquit, *Consensus in concupiscentiam carnis, non ipsa prohibetur concupiscentia* (in verbis, *Non concupisces*, *hæc enim non magis prohiberi potest, quam ipsa caro vel Natura: ne tamen concupiscentiis hujusmodi involuntariis mente consentias, vel opere perficias, hoc est quod prohibetur.*

10. Bellarminus. Postquam lib. 5. de statu peccati cap. 9. 10. 11. 14. & 15. varias enumerasset peccati originalis pœnas, tandem subjungit: *fere omnes calamitates humani generis potuisse esse naturales, si nimirum Deus hominem sine originali justitia in puris naturalibus condere voluisset.* Qua una appendice omnia reddit Pelagio, quæ antea videbatur ipsi solidis argumentis ademisse.

ARTICULUS XXII.

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

CAPUT I.

De Natura Gratiæ Justificantis.

THESIS. Gratia gratum faciens seu justificans non est qualitas per modum habitus in homine permanens, sed gratuitus Dei favor.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an in quibusdam Scripturæ dictis vocabulum *Gratia* usurpetur pro donis ex gratia datis, quod libenter fatemur, sed quæstio est, quæ sit genuina & propria significatio vocabuli gratiæ in articulo Justificationis, quæ scil. sit illa Dei gratia, qua justificamur & salvamur. Gratiæ vox in Scripturis accipitur *active & passive*. In priore significatione *activa* & ἐνεργητικῇ accipitur pro benigna Dei voluntate & inclinatione ad nobis benefaciendum, & ea omnia gratis largiendum sine ullo merito nostro, quibus nobis opus est. Itaq; Dei gratia nihil aliud est, quam bonitas, favor & misericordia Dei. In posteriore significatione usurpatur nomen gratiæ pro donis gratis à Deo datis, sive internis, sive externis, sive communibus sive singularibus. In articulo justificationis, quando gratia Dei statuitur justificationis causa, accipitur in priore significatione.

2. Non est quæstio, an renovatio per Spiritum Sanctum sit Christi beneficium credentibus ex gratia donatum, illud enim itidem haud inviti fatemur, sed hoc in quæstione est, num illud renovationis beneficium vel solum vel una cum reconciliatione ac peccatorum remissione denotetur, quando dicimur *gratia justificari & salvari*, quod negamus.

3. Non est quæstio an gratuita misericordia Dei credentes propter Christum in gratiam recipientis, & donum renovationis per Spiritum S. semper sint conjuncta, illud enim itidem à nobis conceditur, cum certum sit, neminem Deo per fidem in Christum reconciliari, quin simul renovetur; sed hoc in quæstione est, an propter illud renovationis donum à Deo in gratiam recipiamur, & ad vitam æternam acceptemur, sive quod idem est, an donum illud renovationis intelligendum sit, quando gratiã justificari & salvari dicimur, quod negamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 11. anathema dicit illis, qui statuunt, *gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei.*

Catechismus Rom. cap. de Baptismo p. 310. *Gratia est divina qualitas in anima hærens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasq; animas pulchriores & splendidiores reddit.*

Colonienses in Censura p. 26. disputant, *gratiam Dei in Christo, qua justificamur & salvamur, hoc esse, quod Deus servantibus legem promiserit vitam æternam.*

Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. §. At sententia &c. *Theologorum communis est sententia, gratiam esse habitum supernaturalem à Deo nobis infusum, quo anima exornatur & perficitur, adeoq; justa, Deoq; grata & accepta redditur.*

Lib. ejusd. cap. 6. §. Accedit &c. *Certe si gratia justificans à Theologicarum virtutum habitibus distingueretur, jure Concilium Tridentinum reprehendi posset &c. gratia ergo justificans non distinguitur ab habitu caritatis.*

Lib. 2. de Justif. cap. 3. §. Præterea &c. *Gratia justificans non est solum favor Dei, sed donum in anima inhærens.*

Costerus in Enchirid. cap. de Justificat. p. 231. *In hominis peccatoris justificatione immittit Deus, pro sua misericordia, in animam divinum quoddam & admirabile Spiritus Sancti donum, videlicet gratiam, quæ est qualitas quædam infusa animæ, per quam non aliter fugantur peccata, quam tenebræ adventu luminis.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex* συνωνυμίᾳ. Justificatio & salvatio nostra in Scripturis tribuitur *gratiæ* Rom. 3. vers. 24. Tit. 3. vers. 7. *misericordiæ* Eph. 2. vers. 4. Tit. 3. v. 5. 1. Petr. 1. v. 3. Matth. 18. v. 27. 33. *philanthropiæ* Tit. 3. v. 4. *electioni & caritati Dei* Joh. 3. v. 16. Eph. 2. v. 4. 1. Joh. 4. v. 9. &c. Ergo in articulo justificationis hæc sunt ἰσοδυναμοῦντα.

2. *Ex oppositione.* Gratia in tractatione Apostolica hujus articuli opponitur *operibus, debito, merito, legi* &c. Rom. 11. vers. 4. cap. 4. v. 4. 5. 16. Eph. 1. vers. 5. &c. Rom. 3. v. 21. cap. 6. v. 14. Gal. 2. v. 21. cap. 5. v. 4. &c. cumprimis Eph. 2. v. 8. Ergo in articulo justificationis non significat infusum habitum. Ratio connexionis est, quia infusus ille habitus ex hypothesi Pontificiorum est causa efficiens & principium bonorum operum, ac donum renovationis & sanctificationis nihil aliud est, quam donatio Spiritus Sancti, per quem Deus *legem suam in corda nostra scribit* Jerem. 31. v. 33. quin & infusum illum habitum Pontificii describunt potissimum à caritate, jam vero caritas est summa & impletio legis Matth. 22. v. 37. Rom. 13. v. 11.

3. *Ex* ἐτυμολογίᾳ. Hebræum חנן significat *gratificari, in gratiam recipere*, ac sæpe exponitur per verbum *miserendi*. Confer Ex. 33. vers. 19. cum Rom. 9. vers. 15. Item Genes. 6. vers. 8. cum Hebr. 11. v. 7. Item 2. Reg. 13. vers. 23. ubi Targum reddit per רחם quod uterinum misericordiæ affectum significat. Quo etiam pertinent conjugata hujus verbi χάρις, χαρίζομαι, χαριτόω *gratificor, condono, gratis acceptum habeo.* Luc. 7. vers. 42. 2. Cor. 2. v. 9. cap. 12. vers. 13. Eph. 1. vers. 6. c. 4. vers. 32. Coloss. 3. v. 13. &c. in quibus & similib. locis χαριτοῦν non potest accipi pro infusione justitiæ. Ergo nec χάρις ita accipi debet.

4. *Ex effectis & proprietatibus illius gratiæ.* Gal. 1. 15. tribuitur ei *vocatio*. At illa est opus misericordiæ divinæ. 2. Tim. 1. v. 9. 10. &c. Eph. 1. 5. tribuitur illi *electio*. Atqui illa est opus misericordiæ divinæ Rom. 9. 11. Eph. 1. 4. &c. Hebr. 4. 16. *accedere jubemur ad thronum gratiæ.* At thronus ille gratiæ nihil aliud est, quam

qua misericordia Dei in Christo propitiatorio nostro nobis obvia, Joh.1.v.16.&17. gratia illa dicitur *ex plenitudine* meritorum Christi ad nos descendere; opponitur *iræ*, quam denunciat lex Mosaica; dicitur pro *gratia*, hoc est, nullo nostro merito nobis contingere, vel quod idem est, propter Christum, qui est *unicus homo in gratia*, dicimur & nos in gratiam à Deo recipi.

5. *Ex consequente absurdo.* In quibusdam locis non sine insigni absurditate gratia exponi potest pro infuso habitu. Rom. 5.v.20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Finge gratiam significare infusam justitiam, & habebis in abundantia delicti abundantiam inhærentis justitiæ. Rom.6.v.15. *Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?* Si in hac tractatione Apostolica gratia significaret infusum habitum, nullus foret isti objectioni locus.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quidam ex Scholasticis.

Lombardus in gloss. ordin. Epist. Rom. cap.1. super verba: *Gratia vobis & pax. Gratia vobis sit, inquit, id est, remissio peccatorum. Ea enim est gratia, qua justificatur impius, hoc est, fit justus, qui erat impius. Et ideo hujus percipiendæ gratiæ nulla merita præcedunt, quia meritis impii non gratia, sed pœna debetur.*

Thomas part.2.q.27.art.1.& eum secutus Richardus mentionem faciunt quorundam, qui docuerunt, *gratiam gratum facientem accipi debere pro bene placito & gratuita dilectione Dei, qua homines eligit vocat, adoptat & justificat.*

(Quamvis vero alteram significationem, qua gratia accipitur de novis qualitatibus, præferant, tamen

1. Fatentur, Paulum Apostolum in priore significatione vocem *gratiæ* accipere Eph.1.v.6. Tit.3.v.4.

2. Nituntur tantum Philosophicis speculationibus. Thomas 1.2.q.150.art.2. probaturus, *gratiam esse qualitatem*, adducit glossam Psal.103. At si potuisset hanc sententiam vel Scripturæ vel Patrum testimonio confirmare, utique ea adduxisset. Quia vero in solius Glossatoris verbis hæret, ex eo apparet, opinionem hanc enatam ex hominum ingeniis sine Scripturæ testimonio.

3. Sufficit nobis, receptam adhuc in Ecclesia tum temporis fuisse sententiam, quod gratia in Disputatione Apostolica significet gratuitam Dei misericordiam.)

Idem in 1.2.q.110 art.1. *Quandoque gratia Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio, secundum quod dicitur etiam gratia prædestinationis, in quantum Deus gratuito & non ex meritis aliquos prædestinavit sive elegit. Dicitur enim ad Eph.1. prædestinavit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ suæ.*

(At huic gratiæ non tantum tribuitur nostra electio, sed etiam adoptio per Christum & consequenter justificatio.)

Idem in cap.2 Hebr. super verba: *Christus per gratiam Dei gustavit mortem pro omnibus. Describit, inquit, passionem primo ex causa, ut gratia Dei &c. Ex ipsa enim factum est, quod Filium suum unigenitum dedit Ioh.3. Sic Deus dilexit &c. Rom.5. Commendat Deus caritatem suam &c.*

(Ubi agnoscit gratiam Dei, esse ejusdem dilectionem.)

Biel.2.sent.dist.26.q.unic. *Gratia accipitur*

1. *Active, pro gratiosa Dei voluntate dante omnibus liberaliter, gratis non ex debito. Ita accipitur Act.15. Credimus per gratiam Dei salvari. Rom.3. Iustificati gratis per ipsius gratiam.*

(Nota quomodo Biel vocem gratiæ in propria sede doctrinæ de Justificatione accipiat.)

2. *Passive, pro dono aliquo gratis dato.*

Art.2. addit, *conclusionem illam, quod gratia, qua Deus ad vitam æternam acceptet animam & ejus actum, sit aliquid positivum in anima, non posse sufficienter demonstrari, licet ad hoc plerique Doctores multum laborent.*

2. Quidam ex recentioribus Scriptoribus.

Albertus Piggius Lib.5. de Lib. arbitr. *Gratiæ acceptionem variam non ex Scholis, sed ex divinis Scripturis petemus, quandoquidem in illis fere imaginantur, gratiam Dei qualitatem aliquam increatam animæ nostræ à Deo, vel eandem cum caritatis habitu, vel distinctam ab eodem, quæ commentitia universa existimo, nec ex Scripturis ullam autoritatem habere.*

(Piggii suffragium in hac quæstione largitur nobis Bellarminus Lib 1.de grat.& Lib.arbit.cap.4. sed respondet, *ipsum ex lectione librorum Calvini misere seductum esse.*)

Benedictus Pererius Disp.13. in cap.3. Rom.n.53. *Nomen gratiæ, cum hic dicit, justificati gratis per gratiam ipsius, licet possit significare supernaturalem & divinam illam qualitatem à Deo infusam animæ hominis & in ea inhærentem, qua est justus & gratus Deo; videtur tamen potius hoc loco significare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga hominem. Opponit enim Paulus operibus hominum gratiam Dei, significans non meritis hominum quasi debitam reddi justitiam, sed nullis præcedentibus hominum bonis meritis, imo pluribus malis meritis propter infinitam tantum Dei benignitatem ac misericordiam gratuitam dari justitiam homini.*

Cornelius à Lapide & Guilielmus Estius in comment. Tit. 3. agnoscunt in verbis Apostoli, *ut justificati ipsius gratia, vocem gratiæ non significare donum infusum, sed opponi nostro merito atque idem esse, quod gratis.*

3. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo, Bonaventura 2.sent.dist.26.dub.2. sic disserit: *Dicendum, quod Magister ubi dicit, gratiam esse virtutem, non intendit in illo verbo notificare gratiam gratum facientem, quantum ad sui essentiam, sed quasi per posterius & quodammodo per effectum, quia in illos actus non exit gratia, nisi mediantibus habitibus virtutum, videlicet fidei & caritatis: ideo notificans gratiam dicit, quod gratia nihil aliud sit, quam fides cum dilectione pro eo, quod per illos habitus dicitur gratia in actus exire, per quos nobis innotescit.*

(Si habitus virtutum sunt effectus gratiæ justificantis, utique gratia justificans non est infusus habitus, cum causa & effectus non debeant invicem confundi.)

Secundo, Gregorius de Valentia tom.1. Disp.8.q.1.punct. 1. agnoscit, *gratiam in Scripturis quandoque sumi pro divina benevolentia, qua donum nobis gratis communicatur*; & ad illam significationem accommodat locum Apostolicum Rom.4.v.5. *Credenti fides imputatur ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.*

(At in qua significatione vocabulum gratiæ usurpatur Rom.4. in eadem usurpatur Rom.3. *Iustificati gratis per ipsius gratiam.*)

Tertio, Bellarminus itidem agnoscit, *significationem illam vocabuli gratiæ, qua de gratuita Dei misericordia accipitur, non esse à Scripturis sacris alienam.*

Sic enim scribit Lib.1.de grat.& Lib.arbitr.cap.7.§. Quod autem &c. *Quod attinet eas Scripturas, quæ faciunt caritatem posteriorem gratia, dicimus eas intelligendas esse de gratia, ut significat benevolentiam Dei erga nos, non autem aliquam qualitatem, quæ sit in nobis.*

(Subsumimus. In tractatione Apostolica de nostra coram Deo justificatione agitur de gratia, quæ est prior caritate, ut ex serie textus manifestum. Ergo in tractatione Apostolica de nostra coram Deo justificatione gratia significat benevolentiam Dei erga nos.)

Quarto, quamvis idem Bellarminus Lib.1.de grat.& Lib. arbit.cap.1.§. Porro tres &c. gratiam simpliciter *pro dono gratis dato* accipiat, sequenti tamen cap.2. sui quasi oblitus gratiam in *æternam & temporariam* distinguit: illam definit per *amorem, quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa æternitate dilexit, in cujus gratiæ laudem & gloriam nos à Deo prædestinatos esse Apostolus testatur*; hanc vero vocat *beneficia vocationis & justificationis, quæ ex æterna gratia, ut effectus ex causa, derivantur.*

(Subsumimus. Eadem est gratia justificationis & salvationis, quæ est electionis, 2.Tim.1.v.9. Jam vero gratia electionis, utpote æterna, est gratuitus Dei favor, fatente Bellarmino. Ergo etiam gratia justificationis & salvationis est gratuitus Dei favor. Una perpetuo est Dei gratia, qua & ab æterno nos dilexit, & in tempore nos diligit. Cum ergo gratia, qua ab æterno nos dilexit, significet gratuitum Dei favorem; utique etiam gratia temporaria, qua nos in tempore diligit, significat gratuitum Dei favorem. Distingui quidem potest inter ipsam *gratiam* & *gratiæ manifestationem.* Ab æterno Deus nos dilexit, verum hanc dilectionem non statim ab æterno manifestavit, sed in tempore demum mittendo Filium & nos propter illum salvando. Distingui item potest inter *gratiam & opus gratiæ.* Gratia ipsa est æterna; opera gratiæ externa in tempore initium cœperunt, interim gratia ipsa non variatur nec duplicatur, sed ab æterno fuit, & nunc etiam est una atque eadem.)

Quinto, Biel Lib.1.sent.dist.17.q.1.art.2. sic disserit: *Ideo salus nostra tribuitur divinæ gratiæ, quia posita quacunque forma supernaturali in anima posset Deus eam non acceptare ad vitam æternam. Neque enim posita forma necessitatur Deus ad producendum id, sine quo illa forma potest stare. Ergo Deus quemcunque beatificat, mere contingenter, libere & misericorditer beatificat, ex gratia sua, nisi quod Deus misericorditer ordinavit, quod, habens tale donum, mereatur vitam æternam.*

(Si positâ quacunque formâ supernaturali in anima humana posset Deus eam non acceptare ad vitam æternam, utique gratia, quâ justificamur & salvamur, non significat formam aliquam supernaturalem in anima sive infusum aliquem habitum, sed gratuitum Dei favorem. Ratio connexionis est, quia posita causa propria & adæquata, eademque non impedita semper sequitur effectus. Proinde forma illa supernaturalis est conditio subjecti, hominis scil. qui salvatur, quia Deus sic ordinavit, ut in justificandis & salvandis renovatio cum regeneratione sit conjuncta, non autem causa justificationis & salvationis, quippe quarum utraque est merè gratuita, ideoque gratia nos justificans & salvans est gratuitus DEI nos justificantis & salvantis favor.)

4 Dissensiones Adversariorum.

Dissentiunt invicem Pontificii primò, in expositione dictorum Scripturæ, quæ de gratia Dei agunt.

Locum Apostolicum Eph. 1. v. 6. *prædestinavit nos in laudem gloriosæ gratiæ suæ.*

Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 2. §. 1. exponit *de favore Dei*, & rectè, quia non potest dici, quòd Deus nos prædestinaverit in laudem infusi habitus.

Sed Gregorius de Valentia tom. 2. Disp. 8. q. 7. punct. 1. exponit eum *de gratia inhærente*, ac confert cum loco Apostolico Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per ipsius gratiam.*

(Collatio ipsa est legitima, sed expositio utriusque loci, qua pro gratia inhærente sive infuso habitu accipitur, est absurda.)

In eodem loco Apostolico Eph. 1. v. 6. *prædestinavit nos in laudem gloriosæ gratiæ suæ, in qua ἐχαρίτωσεν dilectos & gratos nos habuit in dilecto*: verbũ ἐχαρίτωσεν Stapletonus in Antid. Rom. 3. p. 97. exponit, *multis gratiarum donis replevit.* Quomodo etiam Estius in Comm. exponit.

Sed Salmeron Disp. 3. in Epist. Eph. in verba illa sic commentatur: *Græcum verbum est ἐχαρίτωσεν, id est, caros & gratos sibi reddidit. Nam latinè propriè gratificari est aliquem in alterius gratiam aliquid facere. Quanto verò in precio habenda sit hæc tanta Dei gratia, id ostendit, si tantopere gratiam Principum & ambimus & quærimus. Certè Deus eos, quos sic caros habet, oblivisci unquam non potest, quos instar filiorum habet.*

(Ubi observa, Salmeronem agnoscere, quòd ἐχαρίτωσεν hîc significet, *caros nos habuit*, quodque conferat gratiam illam Dei cum gratia seu *favore principis*. Ergò agnoscit per gratiam hîc significari gratuitũ Dei amorem. Thomas 1. 2. q. 110. art. 1. *Secundum communem modum loquendi tripliciter gratia accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus, sicut consuevimus dicere, quòd iste miles habet gratiam Regis id est, Rex habet eum gratum. Secundò sumitur pro dono aliquo gratis grato, sicut consuevimus dicere, hanc gratiam facio tibi. Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati, secundum quod dicimur agere atias beneficiorũ.* Ostendit etiã res ipsa per τὸ ἐχαρίτωσεν non posse hîc intelligi infusionem habituum, quia Apostolus loquitur de prædestinatione ex gratia in Christo & propter Christum facta ante mundi constitutionem. v. 4.)

Secundò, in quæstione *de subjecto hujus gratiæ.*

Quærunt, *utrum gratia gratum faciens hæreat in essentia animæ?*

Negat Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 6. Affirmant Becanus in Disput. de auxil. gratiæ cap. 1. thesi 4. & Gregorius de Valent. d. l. q. 2. punct. 3. An vero *in potentiis animæ?* Affirmat Bellarminus, negat Becanus & Gregorius de Valentia.

Tertiò, in quæstione, *an gratia gratum faciens realiter distinguatur à caritate?*

In Concilio Tridentino inter Franciscanos & Dominicanos acris fuit concertatio *utrum habitus gratiæ idem esset cum habitu caritatis juxta Scotum, an distinctus secundùm Thomam.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Concil. Trident. p. 226.

Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 6. *quatuor apud Theologos de hac quæstione sententias dicit occurrere.*

1. Quidam volunt, *gratiam gratum facientem esse habitum re & ratione à caritate distinctum, & gratiam quidem in ipsa animæ substantia tanquam in subjecto sedem habere, caritatem in voluntate. Ita docet Thomas 1. 2. q. 110. art. 3. & q. 27. de verit. art. 2. in 2. sent. dist. 26. q. 1. art. 3. Capreolus in 2. sent. Cajetanus in Comment. ad 1. 2. Ferrariensis in explic. libr. contra gentil. Dominicus à Soto lib. 2. de Nat. & gratia cap. 17. & alii.*

2. *Alii distinctionem inter gratiam & caritatem non realem, sed formalem constituunt, ut Alexander Alensis p. 3 q. 69. memb. 2. art. 4. Albertus 2. sent. dist. 26. art. 3.*

3. *Alii gratiam & caritatem neq; reipsâ neq; formaliter, sed tantùm ratione distinguunt, docent enim unum atq; eundem habitum, quâ parte subjectum respicit atq; hominem ipsum, in quo inest, exornat, Deoq; gratum & amabilem reddit, gratiam nominari, quâ parte respicit opus & voluntatem promptam efficit ad Deum super omnia diligendum dici propriè caritatem. Hæc est sententia Alensis, qui fortè mutavit opinionem in Summ. Theol. q. 12. de pœnit. membr. 3. Richardi 2. sent. dist. 26. q. 4. Scoti, Mayronis, Gabrielis, Majoris & aliorum ibid. & ex recentioribus Andreæ Vega lib. 7. in Conc. Trident. cap. 25. Gratia gratum faciens* (inquit Biel 2. sent. dist. 26 q. un.) *& caritas differunt in connotato, licet realiter sint indistincta & substractivè idem significent.*

4. *Alii denìq; nihil omninò interesse volunt inter gratiam & caritatem, soloq; nomine distingui affirmant. Ita Durandus 2 sent. dist. 26. q. 1. n. 8. Tertiam opinionem, quòd rationis tantùm discrimen sit inter gratiam gratũ facientem & infusum caritatis habitum*, amplectitur Bellarm. d. l.

Becanus de Justific. cap. 5. *parum referre* scribit *sive dicas cum Thoma realiter distinctam esse gratiam à caritate, sive idipsum neges cum Scoto: quia neutrum ex Scripturis aut Concilio Tridentino efficaciter convinci aut condemnari possit.*

(At si ne ipsi quidem Pontificii inter se consentiunt, an gratia gratum faciens distinguatur, an verò eadem sit cum caritate; non poterunt immota fide statuere, gratiam gratum facientem esse infusam qualitatem. Regerit quidem Bellarm. *hanc controversiam non pertinere ad fidem Catholicam.* At quid magis ad fidem pertinet quàm scire, quidnam sit illud, per quod formaliter coram Deo justificemur, sitne ipsa caritas, vel aliud à caritate distinctum?)

Quartò quærunt, *an gratia proveniens & operans sint distinctæ species?* Bellarminus affirmat lib. 1. de gratia cap. 2. Sed Suarez lib. 3. de auxiliis div. gratiæ cap. 5. vult unum & idem esse.

Quintò quærunt, *an gratia excitans sit auxilium divinum omnibus commune, an verò solis electis peculiare & gratiâ, quam vocant, congrua?*

Bellarminus sibi hic non constat. Excitantem gratiam modò *communem omnibus hominibus* facit lib. 2. de grat. cap. 5. modò *solis prædestinatis competentem*. lib. 6. de grat. cap. 5. propos. 4.

Argumenta Adversariorum.

1. Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per ipsius gratiam, per redemtionem, quæ est in Christo &c. Causa efficiens justificationis, videlicet Dei gratia, jamdum sufficienter exposita erat per particulam δωρεάν. Ergò quando Apostolus dicit, nos justificari per Dei gratiam, exprimit causam justificationis formalem, quæ est justitia à Deo nobis data & infusa*, Bell. lib. 2 de Justif. cap. 3.

Resp. Pererius in illum locum sic commentatur: *Nomen gratiæ, cùm hic dicitur, Justificati gratis per gratiam ipsius, licèt possit significare supernaturalem & divinam illam qualitatem à Deo infusam animæ hominis, & in ea inhærentem, quâ est justus & gratus Deo, videtur potiùs tamen hoc loco significare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga hominem. Opponit enim Paulus operibus hominũ gratiam Dei, significans non meritis hominem quasi debitam reddi justitiam, sed nullis præcedentibus hominum bonis meritis, imò plurimis malis meritis, propter infinitam tamen Dei benignitatem ac misericordiam gratuitò dari justitiam homini.*

(Particula δωρεάν non tàm exprimit causam efficientem veram, quàm rejicit falsam scil. merita illorum, qui justificantur.)

Argum. 2. Rom. 5. v. 5. *gratia justificans* dicitur *diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, quod accipiendum de caritate, quâ nos Deum diligimus.*

Resp. 1. Pontificii non consentiunt in explicatione hujus dicti. Cajetanus & Toletus exponunt de *caritate passiva*, quâ Deus nos complectitur.

Cajetani verba sic habent: *Hujusmodi firmitas, ut possimus assequi gloriam Dei, pendet ex amore Dei erga nos. Certum est enim quòd Deus potest & scit communicare gloriam suam nobis, sed in hoc pendet totum, an velit illam nobis, quod est amare nos ad illam. Et propterea solidum spei fundamentum ex dilectione Dei erga nos manifestat, dicendo, quia dilectio Dei diffusa est &c.*

Toleti hæc sunt: *Probat Paulus efficaci argumento spem non confundere, sed certissima esse, quæ speramus, nec Deum defuturum promissis suis. Probatio a. & argumentum tale est, quòd quia ex fide justificati sumus, habemus jam caritatem Dei effusam in cordibus nostris, quâ non inimici Dei, ut antè, sed amici & cari, dilectiq; sumus à Deo.*

Et post-

Etpostea. *Caritatem Dei appellat, qua diligit nos Deus & ab ipso dilecti sumus.*

ibid. *Quamvis utroq; modo accipiatur simul nempe caritas Dei, quâ diligimur & diligimus, tamen ad mentem Pauli & ad efficaciam argumenti magis accipitur pro caritate Dei, quâ diligit nos & dilecti sumus ab eo. Nam si caritas accipiatur pro ea, quâ diligimus Deum, non complectitur omnia dona Spiritus Sancti, quia caritas una est virtus. At si accipiamus caritatem pro ea quâ diligit Deus nos, omnia complectitur, nam effusa dicitur hac caritas in nobis propter effectum.*

Eandem expositionem amplectitur Bened. Justinian. in paraphrasi sic scribens: *Porrò spes nullo unquam tempore pudore afficit, aut rubore aliquo suffundit, sed potiùs pudorem illum, qui ex reb. adversis coram hominibus oriri nonnunquam solet, penitus expellit: propterea quòd divina illa caritas, quâ nos Deus ipse complectitur, in corda nostra effusa est.*

Et in comm. *Certum est, his verbis rationem contineri superioris sententiæ cur videl. spes ruborem non afferat, quia, inquit, caritas Dei diffusa est in cordib. nostris, h. e. eximium illud donum accepimus, quo Deum, supra omnia creata diligimus. At videtur argumentatio, ut levissimè dicam, prorsus frigida. Unde enim constare potest, nos esse divinâ caritate præditos? Neq; enim, ut aliàs docebimus, potest quis sibi certò persuadere, citra divinam revelationem, sibi caritatis habitum inhærere, seq; ideò infusâ & supernaturali caritate Deum amare: quam vim igitur habere possunt hæc, quæ sunt prorsus ignota, ad erigendam spem nostram, eamq; roborandâ & confirmandam? Itaq; Verosimilior videtur interpretatio Chrysostomi, Theophylacti, Ambrosii, Hieronymi & aliorum, qui de divina in nos caritate verba Pauli accipiunt.*

(Hæc expositio confirmatur ex *serie textus*. Apostolus confirmat hanc propositionem, quòd *spes non confundat*, argumento eo, quòd *caritas Dei*, qua nos ut filios diligit, amplissimum habeat testimonium in cordib. nostris per Spiritum S. nobis donatum. 1. Joh. 4. v. 13. & 16. At nostra caritas non est immotum illud spei nostræ fundamentum, sed spes nostra fundatur in Dei caritate, quâ nos diligit in dilecto Eph. 1. v. 6.)

Eandem expositionem amplectitur Glossa ordinaria & *communiter omnes Interpp.* teste Dominico à Soto in h. l. Concilium Tridentinum exponit de *caritate activâ*, quâ nos Deum diligimus.

Cornelius à Lapide in comm. utramq; expositionem conjungit.

Idem facit Thomas in h. l. *Caritas Dei*, inquit, *dupliciter accipi potest, uno modo pro caritate, quâ diligit nos Deus: alio modo potest dici caritas Dei, quâ nos Deum diligimus.*

Thomam sequitur Pererius Disp. 2. in cap. 6. Rom. n. 9. *Et verò*, inquit, *utraq; expositio, sive Pauli in hoc loco consilium & propositum spectes, sive contextum orationis & verborum tàm præcedentium hanc sententiam, quàm subsequentium consideres, est admodùm probabilis.*

Jacob. Tirinus in comment. h. l. *Caritas Dei hic intelligitur tàm illa, quæ est in Deo, quâ nos ipse diligit, & de hac exponunt S. Chrysostomus, Ambrosius, Cajetanus & Toletus: quàm quæ in nobis est, quâ nos Deum diligimus, ut S. Augustinus, Conc. Tridentinum & SS. Patres ac Doctores passim interpretantur. De utraq; caritate junctim hæc exponunt Origenes, Theodoretus, Oecumenius & S. Thomas.*

2. Neque verò nostræ interpretationi adversatur, quòd hæc caritas Dei dicitur *diffusa in cordibus nostris*, dicitur enim diffusa non quoad subjectivam inhæsionem vel inhærentiâ, sed quoad effectum vel *propter effectum*, ut loquitur Toletus in h. l. Pererius d. l. n. 8. *Sive legamus diffusa, sive effusa, non aliud ea voce significatur, nisi quòd caritas Dei aperte & evidenter declarata est per multa & varia dona Spiritus Sancti, quæ in nos effudit, id est, large, copiose ac abundanter contulit.*

Benedictus Justinianus in h. l. *Neque obest huic interpretationi, quod ait Apostolus, caritatem in cordibus nostris esse diffusam. Nam si spectemus vim Græcæ vocis, effusam potius ac liberalissimè declaratam, idq; concessi Sancti Spiritus muneribus significare voluit.*

Salmero quamvis diversam sententiam amplectatur, tamen hanc expositionem sic explicat: *Dicitur caritas Dei diffusa, eâ loquendi ratione, quâ causa per effecta diffunditur, quemadmodum Principis in cives liberalitas effundi dicitur per beneficia, quæ supra omne meritum illis communicat.*

3. Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 8. *Commentarius, qui inscribitur Ambrosio, explicat hunc locū de caritate Dei erga nos.*

(Sed si vel maximè concedamus de caritate activâ, quâ nos Deum diligimus, verba Apostoli accipienda esse, nihil tamē nostræ decedit sententiæ. Apostolus enim non dicit, gratiam justificantem esse illam caritatem, vel per & propter illam caritatem nos justificari.)

Argum. 3. *Gratia comparatur luci*. 2. Cor. 6. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, quæ societas luci ad tenebras. Eph. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino. 1. Joh. 2. Qui dicit se in luce esse & fratrem suum odit, in tenebris est. At certè lux non facit opus lucidum, nisi inhæreat, neq; patitur secum tenebras. Quomodo igitur potest homo justificatus non tantùm lucidus dici, sed etiam lux in Domino, cùm antè tenebrosus esset, si adhuc peccatorum tenebræ in eo hærent, & gratia lux extrinsecus manet*, Bellarm.

Resp. 1. per *lucem* in his dictis non intelligitur *gratia justificationis*, sed *sanctificationis*, quæ in spirituali illuminatione ac renovatione consistit.

Cornel. à Lapid in c. 5. Eph. *Virtus & bona opera dicuntur lux,*
Primò, quia amant lucem, Dei hominumq; conspectum.
Secundò, quia manant à luce, id est, dictamine fidei & prudentiæ.
Tertiò, quia eandem lucem adaugent.
Quartò, quia alios illuminant, & quasi lux sancti exempli coram aliis resplendent.
Quintò, quia oriuntur à Deo, qui est prima lux.

2. Si per lucem sive gratiam sanctificationis peccatorum tenebræ prorsus fugantur, ut in piis fide illuminatis nullæ amplius tenebræ supersint, sequetur nulla in renatis ampliùs esse peccata ne quidem venialia. Consequens nec ipsi Pontificii admittunt.

Estius in 1. Joh. 1. v. 8. *Aperta est sententia Innocentii tertii l. 5. myster. Missæ cap. 28. Hominem dum in hac vita consistit, semper esse in aliquo peccato.*

Argum 4. *Non potest Deus remittere peccatum originis aut actionis sine infusione doni, solâ acceptatione extrinsecâ ad justitiam, aut solâ condonatione, vel non imputatione.*

Resp. 1. Gabriel Vasquez in 1. 2. tom. 2. Disp. 205. cap. 1. & 2. notat, ex sententia Durandi *hominem esse Deo carum, acceptum & dilectum, priusquam habeat caritatem & justitiam sibi inhærentē.*

Secundò, ex illa acceptatione Dei, quâ ab ipso prius diligimur, & quâ ei grati sumus, non oriri necessariò hoc donum & habitum justitiæ & gratiæ inhærentis, quia potest Deus hominem diligere & ei velle summum bonum, nempe vitam æternam, ad quam ipsum acceptat, etiamsi ei non infundat aliquod donum & habitum.

Tertiò, ex lege & voluntate Dei statutum esse, ut ex tali dilectione, quâ Deus priùs acceptat homines & charos habet, oriatur donum & habitus justitiæ inhærentis.

Quam sententiam etiam tribuit Occamo & Antonio Pantussæ, *ad quam dicit, Dominicum Sotum videri inclinari.*

Et certè Sotus affirmat in 4. sent. dist. 1. q. 3. art. 1. *aliquem Deo gratum esse posse absq; ullo, quod in nobis sit, accidente. Nam*, inquit, *Deo aliquem esse gratum nihil aliud est, quàm ab ipso esse dilectū atq; ad cœlestem felicitatem acceptum. Et inter homines ego non sum amico meo gratus per aliquam, quæ in me sit, qualitatem, sed quia ab illo diligor, ac subinde objectum sum dilectionis, quâ me prosequitur. Pariter ergò fieri possit inter nos & Deum: scilicet ut ipse per suum amorem, ut rei veritas est, me diligeret, & ego ipsum per meum, absq; ulla qualitate, à qua denominarer gratus. At verò quoniam Deus eum, quem diligit, participem, consortemq;, ut ait Petrus, facit suæ Naturæ, confert illi formam illam, quâ ad esse divinum elevatur.*

Ex quib. apparet ex Durandi, Occami, Pantussæ & Dominici à Soto sententia *gratiam gratum facientem* non *esse qualitatem aliquam inhærentem*, sed ipsam Dei dilectionē & favorem.

Quam sententiam Vasquez non negat, *multùm nobis favere, qui solâ imputatione pūtamus nos justificari & gratos fieri coram Deo.*

Quam tamen Occamus, *tanquam sui temporis Theologorum communem* refert.

2. Scotus, & qui Nominales appellantur Scholastici, apertè docent, *sine aliqua infusione doni & mutatione hominis intrinseca abstergi & ablui posse maculam peccati, vel per solam condonationem peccati sine acceptatione hominis, qui ipsum reddat justum, vel altero modo homine justificato per extrinsecam solum acceptationem & benevolentiam Dei erga ipsum, sine ulla ipsius mutatione*, quam sententiam *non solùm fuisse Scoti, sed & Occami, Gabrielis, Bielis, Petri de Alliaco & Gregorii Ariminensis*, fatetur idē Vasquez Disp. 206. c. 1.

Idem Johannis Medinæ & Alexandri, concedentis, *posse Deum nobis remittere peccatum sine medio, h. e. sine gratia inhærente, & sine ea posse hominem acceptum Deo fieri solâ Dei ipsius voluntate.*

Imò Medina asserit. 1. 2. q. 110. art. 2. *ex sententia omniū Theologorum Deum rectissime posse justificare hominem absq; habitibus infusis.*

 3. Hanc

3. Hanc Scoti sententiam adversus Thomam & ejus asseclas plurib. tuetur Johannes Rada Episcopus Pactensis in suis inter Scotum & Thomam controversiis part. 2. contr. 19. p. 499. ubi distinguit hoc modo; *remissionem culpæ esse duplicem, aliam perfectam & integram, per quam homo recuperat omnia, quæ per peccatum amiserat: aliam esse per quam remittitur culpa, quoad pœnam & inimicitiam ac deordinationem tantum, quam dicit.*

Et concludit p. 500. *Possibile esse, tolli culpam originalem quoad pœnam & deordinationem, quam dicit, absq; gratiæ infusione, ac idem judicium habendum esse de omni peccato.*

Probat illud hoc modo: *Quando alicui uni repugnant plura circa idem subjectum, positionem cujuslibet illorum potest ab illo subjecto excludi: sed culpæ originali repugnat rectitudo naturalis seu justitia originalis sine gratia & ipsa gratia. Ergo per positionem solius justitiæ originalis sine gratia potest expelli peccatum originale. Sed Deus potest tribuere homini justitiam originalem sine gratia. Ergo potest tollere culpam sine gratia.*

(Sic ergo ipsis Pontificiis non convenit de hac necessitate vel secundum *Dei potentiam absolutam*, vel secundum ejus *potentiam ordinatam*.)

3. Statuimus, justificationem sive remissionem peccatorum & renovationem semper esse conjuncta; ac Deum neminem justificare, nemini etiam peccata remittere, quem Spiritu suo non moverit ad seriam pœnitentiam, & cui non dederit fidem in Christum, quemq; non renovare cœperit, etsi illa renovatio nondum statim sit perfecta. Interim fundamentum justificationis & acceptationis in gratiam non est justitia illa nobis inhærens, sed meritum & satisfactio Christi, cui, tanquam membra capiti, per fidem unimur, & sic in Christo justitiam coram Deo valentem obtinemus, unde *Deus dicitur nos gratos sibi habere in Christo dilecto suo Filio* Eph. 1. v. 6.

Arg. 5. *Gratiam justificantem non esse solum favorem Dei, sed donum in anima inhærens intelligitur ex variis ejus attributis & nominibus Rom. 5. accipientes abundantiam gratiæ & donationis. Joh. 1. Gratia & veritas per Jesum Christum facta est Eph. 4. Unicuiq; nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi. At favor Dei neq; accipitur neque dicitur factus, neq; datur ad mensuram.* Bellarm.

Resp. 1. Estius in 1. Epist. Joh. 3. v. 1. super verba: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater &c.* sic commentatur: *Sensus est, etiam atq; etiam cogitate, quantam caritatem nobis exhibuerit, quantoq; beneficio nos affecerit Pater cœlestis, ut filii ipsius, id est, filii Dei nominemur &c. Igitur Dei caritas significatur, qua nos ipse diligit, cujus tamen caritatis effectus in nobis est ea caritas, qua nos ipsum diligimus, sine qua certe ipsius filii non essemus.*

(Si caritas, qua Deus nos diligit, dicitur nobis dari, utique etiam favor Dei dicitur nobis dari.)

2. Salmero Disp. 41. in Epist. Rom. super verba Apostoli, *abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes &c.* sic scribit: *Opponuntur ab Apostolo peccatum gratiæ, vita mors, vita regnum mortis regno, denique, Adæ Christus. Pro gratia tamen, quæ opponitur delicto, posuit gratiæ effectum sive abundantiam & donationem justitiæ. Non enim Græce est abundantiam gratiæ donationis & justitiæ, ut legit Ambrosius & Interpres: sed abundantiam gratiæ & donationis justitiæ, ut sint duo membra non tria.*

(Justitia illa non est Dei favor, sed ejus effectum sive donum, Non est enim nostra, sed Christi justitia, itaq; donari eam oportet, ut fiat nostra.)

3. Erasmus in c. 1. Joh. super verba: *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est &c. Ne quis frustra hic somniet mysterium in facta est. Idem est verbum, quod primum vertit facta sunt, & factum est: deinde fuit homo: rursum, ante me factus est. Ergo facta est hoc loco, magis est, cœpit esse, sive orta est, aut, quod verbum arridet Vallæ, extitit.*

Ergo ἐγένετο hic usurpatur pro verbo substantivo, sicut & Syrus reddidit per הוה.)

4. Bened. Justin. in c. 4. Eph. super verba: *Unicuiq; nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Potuissent Ephesii objicere Apostolo, non videri unum in omnibus eundemq; Spiritum, neque unum omnium fidelium esse corpus, unamve Ecclesiam, quandoquidem varia & multiplicia cernantur in fidelibus Spiritus Sancti charismata. Occurrens igitur Apostolus ait, data esse quidem alia atq; alia dona, non tamen pro cujusque merito & dignitate, sed pro eo largitionis modo, qui ipsi Deo maxime placuisset.*

Salmero ibid. χάριν itidem exponit per χαρίσματα.

(Ergo Apostolus ibi non agit *de gratia justificationis*, sed de ejus effectis, videl. variis χαρίσμασι, quibus nomen χάριτος μετωνυμικῶς tribuitur.

CAPUT II.

De Electione & Reprobatione.

Thesis 1. Prædestinatio est actus divinæ voluntatis.

Ἔκθεσις. Non est quæstio, *an prædestinatio sit etiam actus divini intellectus, sed an formaliter, & tantum sit actus divini intellectus, & non etiam voluntatis.* Item, *an magis sit actus divini intellectus, quam voluntatis.*

Antithesis. Gregorius de Valentia Lib. de prædest. & reprobatione, *prædestinationem dicit nihil aliud esse, quam divini intellectus operationem, & in ea operatione propriam prædestinationis rationem consistere, quanquam ei conjungatur operatio voluntatis, quæ quod ante prædestinatum est, exequatur.*

Didacus Alvares de auxiliis div. gratiæ Libr. 5. *prædestinationem essentialiter & formaliter in actu intellectus consistere asserit.*

Bellarminus Lib. 2. de grat. & Lib. arbit. cap. 9. §. Ex quo. *Disputant Theologi, utrum prædestinatio magis ad intelligentiam, quam ad voluntatem pertineat. Sed nobis placet sententia D. Thomæ & Cajetani Cardinalis part. 1. q. 23 art. 1. qui docent, prædestinationem esse potius intelligentiæ, quam voluntatis.*

Nostram sententiam probamus,

1. Prædestinatio dicitur facta secundum εὐδοκίαν *divinæ voluntatis* Eph. 1. v. 5. κατὰ πρόθεσιν *secundum propositum ejus, qui omnia efficit, ex consilio voluntatis suæ.* v. 11. Atqui hæc εὐδοκία, hæc πρόθεσις pertinet ad voluntatem.

2. Dilectio est actus voluntatis. Prædestinatio est eorû, quos Deus salvare ab æterno constituit, dilectio, ut constat. Ergo.

3. Providentia juxta definitionem Damasceni Lib. 2. orth. fid. cap. 29. *est voluntas Dei, per quam omnia convenientem deductionem sortiuntur.* Prædestinatio est species providentiæ divinæ. Ergo pertinet ad voluntatem.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt prædestinationem vel formaliter vel præcipue esse actum voluntatis.

Scotus in 1. sent. dist. 40. *præscientia proprie sumta dicit actum divinæ voluntatis.*

Bonavent. in 1. sent. dist. 40. art. 1. q. 2. *Cum prædestinatio significet divinam essentiam, ut causam gratiæ & gloriæ, & hoc secundum ordinatam distributionem gratiæ & gloriæ, quantum est de se, non tantum importat scientiam, sed etiam voluntatem & potentiam. Sed quoniam causalitas gratiæ & gloriæ attribuitur proprie voluntati ut efficienti; sed scientiæ ut disponenti, & potentiæ ut exequenti, ideo etsi prædestinatio importet illa tria, tamen principalius est in genere voluntatis.*

Johannes à Bononia in Lib. de prædest. & reprobat. *Prædestinatio est ordinatio creaturæ rationalis per media congrua ad vitam æternam, procedens à libera & gratuita voluntate divina.*

Johannes Antonius Delphinus de salutari progressu Lib. 2. *Prædestinatio sumitur pro æterna illa præordinatione, qua divina voluntas præordinavit ex æternitate aliquos.*

Johannes Arboreus Lib. 14. Theosophiæ cap. 7. *Prædestinatio est Dei voluntas, qua ab æterno aliquos prædestinavit.*

Bellarm. Lib. 2. de gratia & Lib. arb. cap. 9. §. Ex quo &c. *Prædestinatio partim ad intellectum pertinet, partim ad voluntatem. Nam præscire, disponere, dirigere, opera sunt intelligentiæ: seligere, velle, misereri voluntatis. Quod etiam in divinis literis observare licet. Nã ad intelligentiã pertinet illud Apostoli Rom. 9. Non repulit Deus plebẽ suã, quam præscivit. Et illud 2. Tim. 2. novit Dominus, qui sint sui. Ad voluntatẽ vero illud Rom. 9. Ut secundum electionem propositum Dei maneret. Et illud Luc. 11. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

(Atqui ad intelligentiam tantum *dispositive*, ad voluntatem vero *formaliter* pertinet, ut res ipsa ostendit.)

2. Quod agnoscunt, prædestinationem esse factam juxta Dei propositum & beneplacitum erga quosdam.

(Illud n. propositum & beneplacitum ad voluntatem pertinet, Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. *Propositũ est actus volũtatis deliberatæ.*

Idem Thomas in cap. 1. Eph. super verba: *cum essemus prædestinati secundum propositum ejus, qui efficit omnia in consilio voluntatis suæ. Ponit voluntariam Dei prædestinationem, de qua dicitur Rom. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit. Cujus quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas propter quod subdit: secundum propositum ejus. Ad Romanos nono. Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quod autem secundum propositum prædestinaverit, probat, quia non solum hoc, sed etiã omnia alia, quæ Deus facit, operatur secundum consilium voluntatis suæ &c. Non autem dicit secundum voluntatem, ne credas, quod sit irrationabilis, sed secundum consilium voluntatis suæ, id est, secundum*

volun-

voluntatem suam, quæ est ex ratione: non secundum, quod ratio importat, discursum, sed secundum quod designat certam & deliberatam voluntatem.

Altensteig in Lexico in verbo de prædestinatione. *Prædestinatio dicit, aliquem firmiter velle facere.*

Ibid. *Propositum nihil est, nisi velle aliquid facere, unde ille proponit, qui firmiter aliquid vult facere.*

Salmero lib. 1. in Epist. Pauli p. 2. Disp. 2. *Prædestinatio est propositum DEI & beneplacitum erga quosdam.*

Suarez de prædest. lib. 1. cap. 7. *Divus Thomas, Alensis & fere omnes Scholastici referunt ex Augustino libr. de prædest sanctorũ, quod prædestinatio sit propositum miserendi. Quæ tamen verba in Augustino formaliter non reperiuntur, sed inde sumta videntur, quod præparatio idem videtur esse quod propositum.*

3. Quod agnoscunt, prædestinationem esse speciem divinæ providentiæ.

(Providentia enim est voluntas Dei, præsertim si circa bona consideretur.)

Biel in lib. 1. sent. dist. 40. *Patet, quod prædestinatio est quasi species providentiæ. Nam providentia Dei est omnium gubernandorum; prædestinatio solum respectu beatificabilium,*

Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 9. *Prædestinatio est providentia Dei, qua certi homines ex massa perditionis in vitã diriguntur æternam. Et dicitur providentia, quoniam prædestinatio est species providentiæ, & rectissime ponitur genus initio bonæ definitionis.*

4. Quod rem in medio relinquunt.

(Ex eo n. colligitur, quod in hac quæstione non sint certi.)

Suarez lib. 1. de prædest. cap. 17. enumeratis tribus opinionibus illorum, qui *ad intellectum*, & qui *ad voluntatem*, & qui *ad utrumq;* referunt, ipse tandẽ nihil certi concludit, subjungens: *Hæc controversia multum habet de usu vocum, seu de nomine: & ideo unicuiq; liberum relinquimus, ut loquatur, prout libuerit: omnes enim revelatæ opiniones probabiles sunt.*

Argum. Adversariorum.

Scriptura prædestinationem indicat per actus intellectus. Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit: ubi unum verbum per aliud explicatur, cap. 11. v. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit, id est, prædestinavit, ut exponit Augustinus de bono perseverantiæ cap. 18. Sic Act. 2. v. 23. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquas affigentes, interemistis, illud cap. 4. v. 27. & 28 sic exponitur: Convenerunt Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, facere, quæ manus tua & consilium decreverunt fieri. Eph. 1. v. 11. prædestinati secundũ propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. At consilium pertinet ad intellectũ.*

Resp. hæc omnia probant, prædestinationem esse actum intellectus, non autem probant esse *tantum* vel *præcipue* actum intellectus. Vocula καὶ Rom. 8. v. 29. non est ἐξηγητικὴ connectens Synonyma, sed connectit potius distinctos gradus, ut sit sensus: *Quos præscivit, eosdem etiam prædestinavit.*

Dominicus a Soto in h. l. *Sensus est: Quos prænovit simplici intelligentia, hos & adjuncta voluntate prædestinavit.*

Sadoletus ibid. *prædefinivit ergo Deus, quos prænoverat.*

Salmero ibid. *Contexit catenam quinq; articulorum, quorum primus est præscire, secundus prædestinare.*

Pererius ibid. *Omnino videtur aptior & planior & fortior fore probatio, si illud præscivit, significet scientiam approbationis, ut sit hic sensus: Quos Deus præcognovit & elegit, ut fierent conformes imaginis Filii sui, eosdem & prædestinavit.*

Toletus ibid. *Deus hos, antequam essent, præscivit & præscitos destinavit ab æterno.*

Benedictus Justinianus in h. l. *Nam quos admirabili sua providentia ante omnem æternitatem approbavit, eosdem incredibili benevolentia prædestinavit* Sed ad gravioris momenti controversiam transitum faciamus. Sit ergo,

Thesis secunda. Electio ad salutem non est facta ex prævisis hominum meritis, sed ex sola DEI gratia.

Ἐκθεσις. 1. Quando ex sola Dei gratia electionem factam dicimus, particulam illam exclusivam non opponimus Christi merito, sed hominum meritis.

Gratia enim Dei & meritum Christi in hac quæstione sunt subordinata, cum Deus neminem speciali sua dilectione ita complectatur, ut ad vitam æternam eum eligat, nisi in Christo & ipsius merito; sed gratia Dei & hominum merita hic sunt opposita, quod enim gratis sive ex gratia homini obtingit, illud ob propria merita ipsi obtingere dici nequit.

2. Non est quæstio de τεκμηρίοις electionis, an ex bonis operibus in fide factis colligi possit, qui sint in electorum numero? quod libenter concedimus: quo respiciens Petrus fideles exhortatur, *ut electionem suam firmam faciant* 2. Epist. 1. v. 10. sed de causa meritoria electionis, an ad eam bona opera pertineant.

3. Non solum negamus, bona opera esse *merita*, sed etiam *rationem motivam* electionis.

Antithesis. Thomas p. 1. q. 23. art. 5. *Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis.*

Bonaventura lib. 1. sent. dist. 41. art. 1. q. 1. & 2. removet quidem *causam meritoriam*, concedit tamen *rationem motivam*, adeoque *electionem cum respectu meritorum factam esse* contendit. Nam in resolutione q. 2. sic scribit: *Causam congruentiæ in generali dare est, bona scil. vel mala opera.*

Gabriel Biel secutus Occamum 1. sent. dist. 41. q. un. art. 1. *Causa quandoq; denotat rem aliquam, ad cujus esse sequitur aliud tanquam effectus, quandoq; notat quandam prioritatem unius propositionis ad aliam secundum consequentiam, priore modo nulla est causa prædestinationis in homine, sed tantum posteriore.*

Art. 2. *Alicujus prædestinationis est aliqua causa, quia aliqui ideo prædestinantur, quia prævidet in eis Deus bonum usum liberi arbitrii & merita; sed alicujus prædestinationis nulla est causa vel ratio totalis; quia aliqui ex gratia speciali ordinantur ad vitam æternam, ita quod sibi ipsis non sint derelicti, sed præventi, ne ponere possint obicem, & ne possent peccare, vel in peccatis permanere, ut B. Virgo, Paulus; in illis nõ est bonus usus liberi arbitrii, quia gratia prævenit usũ liberi arbitrii.*

Art. 3. *proprie effectus prædestinationis est vita æterna, si tamen etiam ad media extendas, dico, quod in multis præcedat gratiam bonus usus liberi arbitrii tanquam meritum de congruo.*

Albertus Piggius lib. 8. de usu lib. arbit. cap. 2. scribit, *Deum in electione non personas, sed merita respexisse.*

Martinus Becanus in Disp. de prædest. Cathol. cap. 3. th. 5. *Tertia quæstio, an electio ad gloriam facta sit ex prævisis meritis, patitur etiam duplicem sensum, Unum de condignis meritis liberi arbitrii, alterum de condignis meritis gratiæ: Prius meritum, quod asserebant Pelagiani, jampridẽ explosum est. De posteriori est controversia. Scholastici divisi sunt & in utramq; partem citant Augustinum, de cujus mente non satis constat. Si regula superius data teneatur, facile negotium expedietur. Constat enim ex Scripturis vitam æternam dari ex meritis, & ideo vocari mercedem, bravium, stipendium, coronam. Ergo dubitari non potest quin ab æterno præparata sit ex prævisione meritorum, quod aperte colligitur ex illo Matth. 25. Venite possidete regnũ, esurivi enim &c. Quid est paratum esse regnum à constitutione mundi, nisi quosdam ab æterno electos esse ad cœleste regnum? Et quare ab æterno hi electi sunt, non illi? causam addit, quia hi fecerunt bona opera, illi non fecerunt, scilicet in præscientia Dei.*

Ibid. th. 6. *Omnes ex meritis consequuntur vitam æternam &c. ergo juxta regulam assignatam omnes ex prævisis meritis ad vitam æternam prædestinati sunt.*

In Theol. Scholast. part. 1. tract. 1. c. 14. p. 146. itidem multis disputat, *electionem factam esse ex prævisis hominum meritis, sive propter prævisa hominum merita, ac præter Scholasticos hujus assertionis patronos producit Piggium, Osorium, Tapperum, Driedonem, Eccium Turrianum, Stapletonum, Molinam, Gregorium de Valentia, Lessium &c.*

Jacob. Hackerus Professor Friburg. Disp. de prædest. th. 23. *His tamen non impedientibus opposita sententia, quæ prævisionem meritorum prædestinationi, gloriæ præmittit, ita ut Deus neminem æterna & efficaci volunte ad gloriam elegerit, nisi prævio meritorum, quæ ex gratia facturus erat, respectu, ut solandis & in spem salutis liberiorem excitandis hominum mentibus aptior est, ita semper verior mihi visa est. Eam,* inquit, *ne arbitraria existimetur, tradunt Occam, Gabriel, Catharinus, Guilielmus de Rubione, Bartholomæus, Camerarius, Osorius, Franciscus Turrianus, Gabriel Vasquez &c. quam nescio cur quispiam debeat aspernari, si quibus nitatur fundamentis, intentius velit dispicere.*

Francisc. Amicus Consentinus tom. 1. Cursus Theolog. Disp. 15. sect. 4. proponit quæstionem, *an electio ad gloriam decreta sit dependenter ab operibus gratiæ in genere causæ meritoriæ, Negant,* inquit, *Scotus, Lychetus, Mayronus, Richardus, Ægidius, Capreolus, Bassolus, Cordubensis, Ferrariensis, Arrubal, Consalez, Suarez, Bellarminus. Affirmant Alensis, Bonaventura, Albertus, Occam, Rubio, Lessius, Becanus, Catharinus, Turrianus, Molina.* Affirmativam probare conatur ex *Scriptura, Patribus, rationibus*: *Controversiam*

troversiam hanc non levem esse testatur fol. 288. §. 61. sic scribens: *Ego ad quam partem gravissimæ hujus controversiæ assensum darem, diu cogitavi &c.*

Et sanè quibuscunque tandem colorib. quidam Pontificii suam de electione opinionem pingant, ut à Pelagiana hæresi de electione facta ex prævisis meritis eam absolvant, tamen quamdiu propugnant *meritum de congruo* in justificatione, & *meritum de condigno* in salvatione, non possunt prævisionem meritorum excludere ab electione. Nam quo modo & propter quas causas Deus in tempore nos justificat & salvat, eo modo & propter easdem causas ab æterno nos justificare & salvare decrevit; cùm propter divinæ voluntatis immutabilitatem sit exactissima inter decretum & decreti executionem convenientia. Proinde si in justificatione & salvatione, quæ fit in tempore, bona opera tanquã merita Deus respicit, utiq; etiam eadem ab æterno tanquam merita respexit, & propter ea homines ad vitam æternam elegit. Inde est, quòd Pontificii quamvis verbis videantur alicubi negare, *electionem factam esse ex prævisis meritis*, tamen reipsa illud dogma propugnent.

Gregorius de Valentia tom. 1. Disp. 1. q. 23. punct. 4. §. 3. refellit Pelagium & Semi Pelagianos & omnes eos, *qui causam prædestinationis dicunt esse merita, sive antecedentia, sive subsequentia gratiam*, sed mox col. 524. & seqq. prolixè defendit, *Deum neminem prædestinare, nisi cum respectu quodam ad cooperationem liberi arbitrii & bona opera.*

Eadem est sententia Francisci Suarez p. 1. Summ. tract. de prædest. lib. 2. Wimpinæ lib. 1. de prædest. cap. 10. Stapletoni in Antidot. Apostol. p. 526.

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex appellatione.* Ipsa eligendi vox in hac quæstione complectitur in se gratuitam dilectionem, à qua originem ducat. Deut. 4, 37. cap. 7, 6. 7. 8. cap. 10. 15. &c. Vocatur *electio gratiæ* Rom. 11. v. 5. at *si ex gratia, jam non ex operib. aliàs gratia non esset gratia* v. 6. Electi dicuntur *filii promissionis* Rom. 9. v. 8. at promissio non apprehenditur operibus, sed fide.

2. *Ex causis electionis* Elegit nos Deus *in Christo* Eph. 1. v. 4. Ergò in nobis nihil invenit, propter quod nos eligeret. Elegit nos Deus in Christo. Christus apprehenditur fide, non operibus. Ergò in fide nos elegit, non autem in operibus vel propter opera. Deus prædestinavit nos *in seipso* Eph. 1. 5. Ergò in nobis ipsis nihil invenit vel prævidit, propter quod nos prædestinaret. Prædestinavit nos *secundum propositum voluntatis suæ.* Eph. 1. v. 5. Ergò illud est causa prædestinationis, non propositum voluntatis nostræ. Elegit nos Deus *in laudem gloriosæ gratiæ suæ* Eph. 1, 6. Ergò non propter opera nostra. *Sin ex gratia, jam nõ ex operibus.* Rom. 11. v. 6. Illa Dei gratia est electionis nostræ causa, quâ nos Deus *sibi gratos habuit in dilecto suo* Eph. 1. v. 6. Atqui ille Dei favor est planè gratuitus.

3. *Ex fine electionis.* Finis non ingreditur rei actũ. Bona opera sunt ex parte finis nostræ electionis Eph. 1. v. 5. *elegit nos, ut essemus sancti.* Ergò bona opera non ingrediuntur actum electionis.

4. *Ex electionis tempore.* Elegit nos Deus *ante jacta mundi fundamenta.* Eph. 1. v. 4. Ergò opera nostra non moverunt ipsũ, ut nos eligeret. Typus electionis proponitur in Jacobo, de quo Rom. 9. v. 11. *Cùm nondum nati essent* (Jacob & Esau) *aut aliquid boni vel mali fecissent, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, nõ ex operibus, sed ex vocante dictũ est, major serviet minori.*

5. *Ex convenientia decreti & executionis.* Elegit nos Deus ab æterno καθὼς *sicut* in tempore *nobis benedicit in Christo* Eph. 1. v. 3. & 4. Atqui benedicimur in tempore ex mera & gratuita Dei gratia. Vocamur, justificamur, & salvamur gratis, non ex operibus. Ergò etiam gratis sumus electi, non ex operibus.

6. *Ex bonorum operum Natura.* Nec opera *ante justificationem*, nec opera *post justificationem* possunt esse causa electionis. Non illud, quia opera non placent Deo, antequam persona Deo placeat; nec hoc, quia illa opera sunt dona gratiæ, non a. merita gratiæ. Bona opera sunt jam ante Deo debita, sunt imperfecta & labe peccati contaminata. E. nec justificationis nec electionis esse possunt causa meritoria.

Nostræ sententiæ suffragantur,

1. Quædam assertiones & hypotheses Scholasticorum.

Lombardus 1. sent. dist. 41. lit. A. *Obdurationis meritum invenimus, misericordiæ autem meritum non invenimus, quia nullum est misericordiæ meritum, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur &c. Cùm gratia, qua apponitur homini, ad justificationem nulla sint merita, multò minùs & ipsius prædestinationis, quâ ab æterno elegit Deus, quos voluit, aliqua præexistere possunt merita: ita nec reprobationis, quâ ab æterno quosdam præscivit futuros malos & damnandos. sicut elegit Jacob & reprobavit Esau, quod non fuit pro meritis ipsorum, quæ tunc habebant, quia nulla habebant, quoniam nec ipsi existebant, nec propter futura merita, quæ prævideret, vel illum elegit, vel illum reprobavit. Si Jacob propter futura merita electus esset, jam non ex gratia esset electus. Non ergò ideò electus est à Deo, quia talis futurus erat, sed ex tali electione talis est factus. Non ergò propter fidem vel aliqua merita elegit Deus vel apposuit gratiam justificationis. Gratuitâ bonitate suâ elegit, ut boni essent.*

(Si prædestinationis nulla præexistere possunt merita, utique prædestinatio non est facta ex prævisis hominũ meritis.)

Thomas p. 1. q. 23. art. 5. *Prædestinatio est ex gratia &c. Ratio prædestinationis sumitur ex ipsa bonitate divina &c. Si consideretur genus humanum, velut universitas quædam, voluit Deus quosdam salvare per misericordiam, quosdam reprobare per justitiam &c.*

Item, *Prædestinatio, cùm sit æterna, ex parte actus prædestinantis nullam habet causam.*

(Si ex gratia, bonitate & misericordia Dei est prædestinatio, utique non ex hominum meritis. Subjungit quidem Thomas ibidem distinctionem, quâ putat *sine Pelagianæ hæreseos contagio ex prævisis hominum meritis electionem esse factam dici posse*, qua etiam Jesuitæ hodiè utuntur, sed per illam non potest obtineri, quod intenditur. *Effectus*, inquit, *prædestinationis considerari potest, primò in particulari, & sic aliquis effectus prædestinationis est causa & ratio alterius, posterior prioris, secundùm rationem causæ meritoriæ, sicut si dicamus, quòd Deus præordinaverit, se daturum alicui gloriam ex meritis, & quòd præordinaverit, se daturum gratiam, ut mereretur gloriam. Secundò in communi, & sic impossibile est, quòd detur causa totius prædestinationis effectus ex parte nostra, quia quicquid comprehenditur sub effectu prædestinationis, fit per auxilium divinum, etiam ipsa præparatio ad gratiam: habet tamen hoc modo prædestinatio pro ratione divinam bonitatem.* At si vel maximè tantùm in particulari aliquis effectus prædestinationis statuatur causa & ratio alterius secundùm rationem causæ meritoriæ; tamen prædestinatio respectu illius effectus statuetur non ex gratia, sed ex meritis facta, quod est Pelagianum. Adde, quòd præordinatio prioris effectus, quâ Deus præordinavit se homini daturum gratiam, ut mereretur gloriam, non est sine prævisione meriti facta ex hypothesi adversariorum. Concurrit enim meritum de congruo, proinde nec hic prædestinationis effectus est merè gratuitus.

Idem Tomas in c. 15. Johan. super verba: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Hic ponit amicitiæ causam. Consuetum est autem apud homines, ut unusquisque sibi attribuat causam amicitiæ. Eccles. 27. Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam copulavi: Et sic multi attribuunt sibi divinæ amicitiæ causam, dum sibi principium bonorum operum attribuunt & non Deo. Et Dominus hoc excludens dicit: Non vos me elegistis. Quasi dicat: Quisquis ad hanc dignitatem amicitiæ vocatus est, non sibi causam amicitiæ tribuat, sed mihi eum ad hoc eligenti.*

Et postea. *Sunt autem aliqui dicentes, electionem Dei temporalem ex meritis electorum causari. Sed hoc est contra illud, quod hic dicitur. Nam si ideò elegit te, quòd bonus eras, non autem poteras bonus esse, nisi bonum eligeres: hoc autem bonum potissimè est DEUS. Ergò primò elegisti bonum, quod est DEUS, quàm eligereris.*

(Si bona opera non sunt causa electionis ad gratiam, ergò nec electionis ad gloriam.)

Idem in cap. 9. Roman. cum recitasset eorum sententiam, qui verba: *Miserebor, cujus miserebor*, sic exponebant: *illius miserebor vocando & gratiam apponendo, cui præscius ero, quòd misericordiam daturus essem, sciens illum convertendum & apud me permansurum*, subjungit: *Sed videtur, quòd nec hoc convenienter dici possit. Manifestum est enim, quòd nihil potest poni, ut ratio prædestinationis, quod est prædestinationis effectus, etiamsi accipiatur, prout est in Dei præscientia: quia ratio prædestinationis præintelligitur prædestinationi, effectus autem in ipsa includitur. Manifestum est autem, quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus. Divinum autem beneficium non solum extendit se ad infusionem gratiæ, qua homo justificatur; sed etiam ad gratiæ usum: sicut etiam in rebus naturalib. non solum causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus & operationes formarum, eò quòd DEUS est principium omnis motus, cujus operatione cessante à movendo, ex formis nullus motus vel operatio sequitur.*

Et

Et paulò post: *Sic igitur non potest esse, quòd merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam aliquos misericorditer liberat.*

Idem Thomas in cap. 1. Ephes. super verba: *in quo electi sumus, cum essemus prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Ponit voluntariam Dei prædestinationem, de qua dicitur Rom. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit. Cujus quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas, propter quod subdit, secundum propositum ejus.*

(Si prædestinationis ratio non sunt merita nostra. Ergò prædestinatio non est facta juxta prævisa merita.)

Idem in cap. 2. Ephes. super verba: *Conditi sumus in bonis operibus. Quia ipsa bona opera sunt in nobis à Deo.*

Ibid super verba: *Quæ præparavit Deus, ut in iis ambularemus. Nihil enim aliud est prædestinatio, quàm præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipsa bona opera nostra.*

(Effectum prædestinationis non potest esse ejusdem causa. Bona opera sunt effecta prædestinationis. Ergò non sunt ejusdem causa.)

Idem lib. 3. adv. gentes c. 163. *Quòd electio & prædestinatio non habent causam ex aliquibus humanis meritis, fit manifestum, quòd gratia Dei, quæ est prædestinationis effectus, meritis non prævenitur.*

Idem lib. 3. contra gentiles cap. ult. duabus rationibus probat, *electionis causam non esse quærendam in bonis operibus.*

1. Quia omnia nostra opera bona sunt divinæ prædestinationis effecta.

2. Quia divinæ voluntatis, tanquam causæ primæ nulla potest esse causa.

2. Quædam assertiones & hypotheses recentiorum scriptorum.

Cajetanus in cap. 2. Eph. *Ne errares ex supradictis, quòd non ex operibus salvati sumus, ne quis glorietur: declarat, quomodo opera nostra concurrunt ad salutem nostram. Et consistit sententia in hoc, quòd opera nostra concurrunt consequenter.*

(Si opera consequenter concurrunt ad salutem credentibus præparatam, utique prævisa opera non sunt causæ prædestinationis.)

Villagudus in cap. 15. Joh. super verba: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ut intelligatis; inquit Christus, quanto honore sum vos dignatus, neq; vos me, ut populus Regem, aut milites Ducem, aut discipuli præceptorem elegistis: neq; vestris officiis me ad amicitiam provocastis, ut debiti sit redamare: sed ego ex gratuita gratia & misericordia, cum adhuc essetis servi servitutem servientes, imò inimici, & ab amicitia Dei prorsus alieni, volens & ultro vos nihil adhuc promeritos, selegi ab omnibus electione tùm æterna tùm temporali.*

(Si Deus nihil promeritos electione tum æterna, tum temporali elegit, utique electio non est facta juxta prævisa merita.)

Conradus Clingius Summ. doctr. Christ. tit. 149. pag. 362. *Electio non habet aliam causam nisi Christum, non nostra merita aut opera legis.*

Radulphus Ardentius homil. 1. in cath. Petri p. 90. *Electi estis non secundum merita vestra vel secundum parentum vestrorum merita, sed secundum præscientiam Dei, qui vos sola sua gratia ab æterno prædestinavit.*

Alphonsus de Castro lib. 9. adv. hæreses, verbo libertas. *Verba Pauli, Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis; Et iterum, Ergò cui vult, miseretur & quem vult, indurat; solum accipienda sunt de voluntate prædestinationis & reprobationis divinæ, quoniam toto illius capituli discursu de nulla alia re disserit, quàm de prædestinatione & reprobatione divina. Dicit enim Paulus, prædestinationem illam divinam, quâ aliquos ab æterno præordinavit ad vitam æternam, non pendere ex nostris meritis, sed ex sola misericordia divina, quæ sine nostris meritis ad tam grande bonum nos elegit.*

Salmero tom. 16. Disp. 1. in 1. Petri 1. p. 53. *Electio prior* (ad finem vitæ æternæ possidendum) *firma est & certa per seipsam & à nostris operibus non pendet.*

Franciscus Horantius lib. 3. Locor. cap. 6. *Dico igitur, nullam in divina præscientia, nostra ex parte, causam inveniri præter divinam misericordiam & Dei nostri gloriam, quæ maximè hic perlucet, quare Deus in præfixo & certo numero ab æternitate sua sanctos sibi elegerit: & sicut non alia ratio quærenda est, cur homines nos Deus & non boves creaverit, cum in Dei manu esset, canes nos fingere, quos ad imaginem suam formavit, non ob aliud, nisi quia ipse voluit; sic in eadem voluntate quiescendum est, quoties de æterna prædestinatione sermonem fieri contingat.*

Pererius in cap. 8. Epist. ad. Rom. Disp. 22. & 23. *Græci Patres nec pauci Latinorum Doctorum arbitrati sunt, idq; in scriptis suis prodiderunt, causam prædestinationis hominum ad vitam æternam esse præscientiam, quam Deus ab æterno habuit vel bonorum operum, quæ facturi erant; vel fidei, quâ credituri erant. At præscientiam fidei non esse rationem prædestinationis hominum, nullius negotii est multis & apertis Scripturæ testimoniis ostendere. Item præscientiam bonorum operum & bonum usum liberi arbitrii esse causam prædestinationis, contrarium videtur divinæ Scripturæ, præcipuè autem doctrinæ Pauli &c.*

(*Præscientiam operum* rectè negat esse electionis causam, sed minus rectè *præscientiam fidei* ab electionis actu excludit.)

Idem in cap. 9. Rom. Disp. 5. *Multò probabilior est, & Pauli doctrinæ convenientior sententia B. Augustini & S. Thomæ aliorumq; Theologorum, qui primam prædestinationis causam censent nullo modo peti ex prævisis hominum operibus posse, sed referri oportere ad summam divinæ voluntatis libertatem justissime alios eligentis, alios reprobantis.*

Ex prævisis hominum operibus causam prædestinationis peti posse rectè negat, sed non statim ad absolutum decretum recurrendum.)

Franciscus Sonnius Episcopus Buscoducensis in art. de electione & reprobatione asserit, *tam prædestinationis, quam reprobationis nullum prorsus esse meritum neque Christi, neq; nostrum.*

(Rectè negat prædestinationis causam esse meritum nostrum, sed minus rectè asserit, *meritum Christi non esse prædestinationis nostræ causam, ac mala merita non esse causas reprobationis.*)

Toletus in cap. 8. Rom. *Causam electionis non in proposito hominum, sed in proposito Dei consistere Paulus cap. proximo docet, ubi exponens vere propositum non hominis, sed Dei esse, secundum electionem, inquit, propositum Dei manet.*

(Si ex Dei, non hominis proposito facta est electio, ergo ex Dei gratia, non ex hominum meritis.)

Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 9. *Prædestinationis divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest. Dicimus autem nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solum merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut gratiæ, aut utriusq; simul à Deo prævisum, etiamsi non dicatur esse meritum, nisi de congruo, & etiamsi non dicatur veri causa sed tantum conditio sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur.*

Ibid. *Nihil invenit Deus in iis, quos elegit ad gloriam, nisi meritum mortis & propterea misericorditer eos liberat, non reddens eis debitam pœnam, sed donans indebitam gratiam.*

lib. ejusd. cap. 10. *Prædestinationis nullam esse in nobis causam probatur*

Primò ex divinis literis.

Secundò, ex traditione Ecclesiastica.

Tertiò, ex ratione, quæ in Scripturis & Patribus fundamentum habet.

Scriptura docet, quosdam electos esse ex omni genere humano &c. ex mera Dei gratia & misericordia. Hoc docet inprimis Dominus Luc. 12 Complacuit patri vestro dare vobis regnum. Certè vox illa, complacuit, indicat puram Dei benignitatem. Sed manifestiùs Joh. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Non igitur elegit Deus homines, quia videt se eligendum ab eis, ipsosq; boni operis fructum allaturos, & in bono opere perseveraturos, sed eligit, ut faciat benè operantes & in bono opere perseverantes. Et adhuc manifestiùs Apostolus Paulus Rom. 11. reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Non dicit, relicti sunt aut remanserunt, sed ego reliqui mihi, & ideò reliquias dicit salvari secundùm electionem gratiæ, hoc est, non debitam, sed gratuitam. Et clariùs Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. Et. Qui prædestinavit nos in Adoptionem filiorum Dei secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriosæ gratiæ suæ. Non ait, elegit nos, quia sanctos vidit futuros, sed ut essemus sancti. Neq; ait, elegit nos propter bonum usum liberi arbitrii aut gratiæ, sed secundùm propositum voluntatis suæ, & hoc in laudem gloriæ gratiæ suæ, ut laudaretur & glorificaretur gratia ipsius. Addit etiam in eodem capite. In quo nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum ejus, ubi ostendit, vocationem electorum respectu ipsorum hominum dici posse fortuitam, quoniam ipsi nihil agebant, ut vocarentur, ac ne cogitabant quidem de vocatione Dei, sed respectu Dei non esse sortem, sed determinatam electionem & propositum. Esse denique electos

non solum gratis, sed etiam absq; ulla praevisione operum, docet idem Apostolus Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent &c.* Rom. 11. postquam dixerat, *Reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt*, addit continuo, *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* 2. Timoth. 1. *Deus liberavit nos & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quae data est nobis in Christo ante tempora secularia.*

(Haec omnia Bellarminus totidem verbis, qui l. ejusd. cap. 15. insuper demonstrat, *non solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam homines gratis eligi.*

Quamvis vero lib. ejusd. cap. 14. resp ad 3. subjungat, *electionem duobus modis considerari posse: primo modo, ut est intentio dandi gloriam, secundo modo ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divina; priore modo electionem esse mere gratuitam & nullam praerequirere operum praevisionem; posteriore modo praexigere operum praevisionem, cum Deus vitam aeternam sub ratione praemii dare non disposuerit, nisi iis, quos bene operaturos praevidit*; nostrae tamen sententiae confirmandae sufficit, quod Bellarminus non solum fatetur, sed etiam multis Scripturae dictis probat, *electionem non esse factam ex praevisis meritis.* Cum enim Scriptura nuspiam electionem *pronuda intentione dandi gloriam* accipiat, sed benevolam illam Dei de salute hominum voluntatem ab electione diserte distinguat Rom. 8. v. 28. Eph. 1. v. 5. 9. 10. ideo vim argumentorum nostrorum, quae ipse Bellarminus pro gratuita electione asserenda formavit, nunquam poterit conficta hac distinctione effugere vel enervare. Electioni includitur πρόγνωσις Rom. 8. v. 28. ut ostendatur, τάξιν mediorum, & praevisionem fidei in Christum, adeoque dispositionem executionis ipsi electioni semper & essentialiter inclusam esse, & per conseq. considerari non posse nec debere, ut nudum propositum vel nudam intentionem dandi gloriam.)

Barradius tom. 4. Harm. lib. 4. cap. 18. p. 162. *Elegit Deus hominem non propter opera aut sanctitatem habitam, sed ut habeat; unde Rom. 11. reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem ex gratia, jam non ex operibus Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti: in quem locum D. Hieronymus scribit; Non ait Paulus, elegit nos cum essemus sancti & immaculati, sed elegit nos, ut essemus sancti & immaculati, hoc est, qui sancti & immaculati non fuimus, ut postea essemus. Sic Hieronymus & D. Augustinus lib. de praedest. sanct. cap. 17. Elegit Deus fideles ut sint, non quia jam erant.*

Tannerus Disp. 2. th. 34. 35. 36. 37. de *ordine ac progressu praedestinationis* aliquot enumerat opiniones & demum quartae, quae haec est, subscribit: *Quarta ac nostro judicio probabilior sententia, universim praedestinationem seu electionem ad gloriam respectu omnium tam hominum seu adultorum seu parvulorum, quam Angelorum, factam asserit ante praevisionem meritorum seu mediorum, quibus cum iidem salvandi essent.*

Guilielmus Estius in 1. sent. dist. 41. f. 173. *nullum meritum* agnoscit *praedestinationis causam esse*, imo *praevisionem usus liberi arbitrii* plane excludit, f. 177. & fol. 178. ostendit, *praevisam gratiae acceptationem non esse praedestinationis causam.*

Idem in Comm. 1. Petr. 1. v. 2. *Electos dicit secundum praescientiam Dei, hoc est electos aeterna Dei praeordinatione & dilectione, ut omnis cogitatio meritorum qualiumcunque hanc electionem praevenientium, quae ex parte nostra fingi possent, excludatur, utq; cum gratiarum actione fideles intelligant, se sola Dei gratia ad salutem esse praedestinatos.*

Ibid. in v. 3. *Electio non est ex meritis.*

Cosmas Magalianus Jesuita in Opere Hierarchico sive comment. in Epistolas Pauli ad Timotheum & Titum, in 1. Tim. 1. sect. 6. annot. 1. p. 157. *Multum abhorret à Pauli doctrina & omnino à fide Catholica, dicere, aliquem ob praecedentia merita electum esse à Deo, juxta Augustinum in lib. de praedest. cap. 2. 3. & 20. Ait enim cum aliis in locis, tum potissimum lib. 5. contra Julianum cap. 3. Nullum DEUS elegit dignum, sed eligendo effecit: & tract. 2. in Johann. Nec enim diligeremus DEUM, nisi prius diligeremur ab eo, cui concinit Johannes 1. Epist. cap. 4. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed ipse prior dilexit nos &c.*

Et postea. *Idem sensus est D. Hieronymi, exponentis illa verba ad Eph. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Non enim dixit, quia eramus, aut quia praevidit opera nostra sancta, sed ut essemus sancti, ubi declaratur, opera nostra non esse causam praedestinationis, sed effectum Vide Gregor. 16. moral. cap. 10. Chrysost. tom. 3. hom. 1. in illa verba Johannis: Vos amici mei eritis.*

Et postea p. 158. *Constat igitur, cum Paulus inquit: Fidelem me existimavit &c. nequaquam sentire, se merito fidelitatis suae esse vocatum aut praedestinatum. Nec enim fides ejus fuit causa praedestinationis, sed effectus, ut ipse 1. Cor. 7. ait, misericordiam à Domino consecutus sum, ut sim fidelis &c.*

Estius in Comm. 1. Tim. 5. vers. 21. *Elegit Angelos Deus ab aeterno, non ex praevisis eorum meritis, sed ex solo beneplacito suae voluntatis, quemadmodum & homines, uti certis rationibus & tam Scripturae, quam sanctorum Patrum testimoniis ostendimus ad dist. 41. libr. sentent.*

3. Dissensiones Adversariorum.

Primo, Ambrosius Catharinus docuit, *Apostolos & B. Mariam sine praevisione operum, alios vero cum praevisione meritorum ab aeterno ad gloriam esse praedestinatos*, quam sententiam Sixtus Senensis aliquandiu secutus est, sed deinceps deseruit, *quia una est salvandorum ratio*, ut ipse fatetur l. 6. Biblioth. sanct. annotat. 248.

Secundo, quidam dicunt *electionem factam ex praevisione meritorum.* Stapletonus, Becanus & alii, quorum verba superius in antithesi sunt adducta.

Tertio, quidam distinguunt *inter meritum congrui & condigni. Praedestinationem factam esse ajunt, juxta meritum congrui, non autem condigni.* Chrysostomus Javellus in 1. part. Thom. q. 23. cap. 7. Johannes de Bacchone in 1. sent. dist. 41.

Quarto, quidam dicunt, *electionem non ex praevisione meritorum, sed ex gratia esse factam*, ut Bellarminus & alii, quorum verba membr. 2. praeced. sunt adducta.

Argum. Adversariorum.

1. *Rom. 8 v. 29. Quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Id sic interpretantur: *Quos praescivit conformes futuros imagini Filii sui per bona scil. merita, illos praedestinavit.* Gregor. de Valent. Becanus &c.

Resp. 1. τὸ conformem fieri imagini Filii, refertur ab Apostolo ad praedestinationem, non ad praescientiam. Thomas Aquinas in h. l. *Convenientius sic ordinatur litera. Quos praescivit, hos & praedestinavit fieri conformes imagini Filii sui.*

Toletus in h. l. *Deus hos, antequam essent, praescivit, & praescitos destinavit ab aeterno, ut essent conformes Filii sui imagini.*

Sadoletus in h. l. *statuit ipse aeterno ex principio, quos erat vocaturus in suam justitiam & gloriam, eosq; praedefinivit, ut essent fratres & consortes Jesu Christi.*

2. Sensus ergo est, praedestinationem tum *ad gloriam*, tum ad conformitatem illam, hoc est, ad finem & ad media ex gratuita Dei bonitate descendere, interim tamen ex praescientia dependere.

Dominicus à Soto in h. l. *Scire Deum, quosdam conformes fieri imaginis Filii sui, hoc Natura non antecedit, sed subsequitur praedestinationem: quandoquidem haec jam est scientia futurarum rerum & eventuum praesupponentium voluntatem Dei, quae est eorum causa.*

Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. Rom. 8. v. 29. *Quos praescivit Deus per ductum gratiae suae & consensum liberae voluntatis tales futuros, praedestinavit ad ulteriora bona, ad excellentiores honores, nempe ut conformes fiant imagini, id est, exemplari à Deo justis omnibus proposito, scil. Christo, Filio Dei, qui omnibus exemplar est sanctitatis, gratiae & virtutum in hac vita, & gloriae ac felicitatis in altera vita. Conformes, inquam, fiant justi Christo tum in his omnibus jam dictis bonis, quae in ipso, quasi primario exemplari repraesentantur: tum in modo, quo haec bona obtinuit, fovit, ornavit, nempe per multas passiones, obloquia & cruces.*

Argum. 2. Matth. 25. v. 14. & 15. *Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinq; talenta, alii autem duo, alii vero unum: unicuique secundum propriam virtutem.*

Resp. 1. Cornelius Jansenius in h. l. per *talenta* intelligenda vult *ea dona, quae dicuntur gratiae gratis datae, non vero quae gratiam gratum facientis.*

2. Maldonatus in h. l. illud, *secundum propriam facultatem*, censet additum *non ad aliquid in parabola significandum, sed ad explendam narrationem ex consuetudine hominum, ex quibus parabola sumebatur. Quia ergo solent homines bona sua servis, non temere & aequaliter, sed pro cujusq; virtute ac fide distribuere: dixisse Christum, hominem illum peregre proficiscentem, alii quinq;, alii duo, alii unum talentum tradidisse, unicuiq; secundum propriam virtutem, non quod Deus secundum propriam cujusq; virtutem gratiam distribuat, in eo enim non esse parabolam ad rem significatam accommodandam: sed quod id homines, de quibus Christus loquebatur, facere soleant: voluisse enim Christum, ut saepe alias, in parabolis verosimilia & fieri solita narrare, etiamsi nihil ad finem parabolae pertineret.*

3. Joh.

3. Joh.Ferus in h.l. *Unicuique secundum propriam virtutem, neque enim omnia omnibus conveniunt; diversa membra & diversas operationes exigit corpus, si omnia oculus, ubi manus, ubi pes?*

(Sensus ergo est, distribui *talenta*, id est, dona Dei spiritualia, non eadem omnibus mensura, sed varia ac diversa, prout constat ex facultate, quæ non est in omnibus eadem, nec est tamen ab iis, in quibus est, sed ab eo, qui eadem talenta distribuit.)

4. Jacob.Tirinus in h.l. *unicuique secundum propriam virtutem, id est, potestatem & vires, id est, prout videt quemque ferendo esse & egere pro statu suo. Neque enim deest in necessariis; & alia dat subsidia Regibus quam rusticis, alia Episcopis quam nautis.*

Argum.3. 1.Tim.1. v.13. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ergo Deus propterea misertus est Pauli, ipsumque prædestinavit, quia ignorans fecit.*

Resp.1. Salmero in h.l. negat, illud, *quia ignorans feci*, additum *ad minuendum*, sed potius *ad exaggerandum peccatum*, ut sit sensus: *Veniam obtinui de eo, quod ignorans feci per incredulitatem; sive veniam obtinui erroris & infidelitatis meæ. Reddere igitur rationem, cur misericordiam consecutus sit, ex magnitudine peccati sui, Quasi diceret: Deus vidit me per incredulitatem cæcatum, ut mala mea non agnoscerem, adeo mera sua misericordia prævenit me. Peccatum enim causam esse summæ bonitatis, ut subveniat.*

Comparat etiam hunc locum cum dicto Gen.8.v.21. *Non ultra maledicam terræ propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona &c.*

2. Jacob.Tirinus ad h.l. sic commentatur: *Non erat hæc justificationis Pauli causa proprie dicta vel meritoria, seu de condigno, seu de congruo, sed solum improprie dicta, nec nisi occasionalis & removens quædam impedimenta. Peccare enim ex ignorantia, item minus peccare, quam alii, neminem facit dignum aut altero digniorem venia, facit tamen minus indignum.*

3. Estius in h.l. *Fecisse per ignorantiam respectu misericordiæ ac veniæ à Deo impetrandæ non allegatur ad exaggerationem peccati, neque ad ejus extenuationem &c. sed adfertur ut ratio objecti maxime convenientis, circa quod Deus misericordiam suam exercet. Nam objectum seu materia misericordiæ est miseria; unde quanto miseria major, tanto magis nata est misericordiam commovere &c. Quod igitur Apostolus dicit, tale est, Ideo misericordiam consecutus sum, quia magna erat miseria mea; hæc nimirum, quod tanta mala facerem per ignorantiam & incredulitatem, instar ægroti, qui per insaniam Medicum cædit, quemadmodum pulchre explicat Augustinus serm.8. de verb. Apostoli.*

Argum.4. *Si Deus aliquos prædestinaret ad vitam absque prævisis meritis, esset προσωποληπτης. At consequens est falsum Actor.10. v.34. Rom.2.v.11. &c.*

Resp. Thomas in 2.Rom. *Opponitur personarum acceptio justitiæ distributivæ, per quam aliquis distribuit unicuique secundum dignitatem personarum: ergo acceptio est, quando præter dignitatem datur alicui plus vel minus.*

Summa Angelica in voce persona. *Acceptio personarum est injustitia, qua persona personæ præfertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito justitiæ alteri est conferendum, ratione alicujus conditionis transitoriæ, non congruentis ad ipsam rem, existentis circa personam.*

Thomas Cajetanus in. 2.Rom. *Acceptio personarum vitium est contrarium justitiæ, & non habet locum in liberalibus donis.*

(At cum de prædestinatione ad salutem agitur, non de actu justitiæ, sed misericordiæ agitur, nulla igitur hic προσωποληψίας suspicio locum habet.)

Augustinus Lib.2. contra duas Epist.Pelagianorum c.7. *Si quispiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere; cui vult, donat, sed neminem fraudat; nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.*)

Argum.5. 2.Tim.2.v.21. *In magna domo sunt vasa non solum aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem. Ergo prævisio operum est causa, ut quis sit vas in honorem, hoc est, electus.*

Bailius in Catech. controv. tract.4. q.6. *Apostolus dicit, nos posse nos ipsos reddere vasa ad honorem.*

Resp.1. Bellarminus Lib.2. de grat. & Lib. arbit. cap.13. *Non dicit Apostolus, vasa in contumeliam fieri per emundationem vasa in honorem, sed ostendit, quo signo possint cognosci vasa in honorem, ac dicit, vasa in honorem habere duo signacula, unum internum, quod à nobis in hac vita cerni non potest, notitiam videlicet divinæ approbationis: alterum externum, vitationem iniquitatum & errorum. Cum enim Deus ita prædestinaverit homines, ut per bona opera eos pervenire velit ad gloriam, signum est prædestinationis, diligenter vitare peccata & præsertim hæresium inquinationem.*

Ibid. *Apostolus non dicit, si quis emundaverit se ab eis, fiet vas (multo minus faciet seipsum vas) in honorem, sed erit vas in honorem, id est, cognoscetur esse vas in honorem.*

2. Estius in h.l. *Apostolus prædestinationem per vas honoris significatam pro effectu posuit, eoque præcipuo, id est, vita æterna, quam & Rom.2. nomine gloriæ & honoris expressit &c. Unde male ex hoc loco nonnulli probare nituntur, prædestinationem esse ex operum prævisione.*

Argum.6. 2.Petr.1.v.10. *Satagite, ut per bona opera firmam faciatis electionem vestram. Ergo electio pendet ex operibus.*

Resp. Estius ad illum locum sic commentatur: *Non est ex verbis Petri consequens, electionem pendere ab operibus bonis.*

(Subjungit quidem Estius, *nisi tantum secundum aliquid, quatenus scilicet æterna felicitas, ad quam electi sumus, non datur adultis nisi mandata Dei servantibus, & quatenus ea pendet à bonis operibus tanquam merces à merito.* Sed sufficit nobis, concedi ab Estio, ex verbis Petri colligi non posse, electionem pendere ex operibus bonis, quod ipsum evidenter confirmant dicta ab Estio ibidem allegata. *Elegit nos, ut essemus sancti. Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Eph.1. & 2.*)

Thesis tertia. Potest homo fidelis de electione sua esse certus.

Ἔκθεσις. 1. Non dicimus, certitudinem electionis esse *absolutam*, hoc est, ex absoluto Dei decreto dependentem, sed *ordinatam*, hoc est, dependentem à Dei proposito per Christum in Evangelio nobis manifestato.

2. Hoc Dei propositum totum salutis nostræ ordinem complectitur, qui dupliciter consideratur, tum *ex parte Dei*, tum *ex parte nostra*. Ad utrumque ordinem respicere debet, qui de electione sua certus esse cupit.

3. Quando veteres *prædestinationem cognosci posse* negant, loquuntur de *cognitione à priori*, ut est in mente divina, sine revelatione, sine verbo, extra Christum &c. interim cognosci ea potest ex verbo Dei generatim, ex effectis speciatim; de nobis, *fidei & spiritus testimonio infallibili*; de aliis fidelibus, *caritatis judicio probabili.*

4. Distinguendum etiam inter *fiduciam Spiritus*, quæ conjuncta est cum timore filiali, & *securitatem carnalem*, quæ excludit Dei timorem. Illam stabilimus, hanc improbamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess.6. cap.12 statuit, *neminem, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usq; adeo præsumere debere, ut certo statuat, se esse omnino in numero prædestinatorum, cùm non nisi ex speciali revelatione sciri possit, quos Deus sibi elegerit.*

Hanc electionis incertitudinem propugnant Gregorius de Valentia tom.1. dist.1. q.23. punct.6. ass.4. Sebastianus Heissius in Recognit. volum. Acath. art.5. §.6. p.54. Bellarm. Lib. 3. de Justif. cap.12. Becanus tract.1. cap.14. q.6. §.6. & alii statuentes, *in genere quidem affirmari posse, quod perseveranter credentes & bene operantes sint electi, sed in specie neminem certo scire posse, an sit in numero electorum?*

Cornelius à Lapide in cap.16. Lev. explicans tropologice typum hirci emissarii, & hirci pro peccato, sic scribit: *Hircus pro peccato sunt electi & salvandi; hircus emissarius sunt reprobi & damnandi. Sors est divina reprobatio & prædestinatio, de qua dicitur Psalm.30. In te speravi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ, q.d. Cujus sortis ego sim, necdum scio, tuæ tamen potestatis hoc esse scio, ut tibi sors mea exeat, & in electorum tuorum partem me transferat.* Egregia vero expositio!

Nostram sententiam probamus,

1. Ex *dicto Apostolico* 2.Petr.1.v.10. *Studete fratres firmam facere vocationem & electionem vestram.* Qui electionem suam possunt & debent firmam facere, illi possunt esse de electione sua certi. Vere credentes possunt ac debent electionem suam firmam facere.

2. *Ex ordine salutis nostræ divinitus sancito & in verbo revelato.* Quando consideratur ordo salutis nostræ *ex parte Dei* tria continet fundamenta.

Primo, *bonam Dei voluntatem.* Phil.2.13.

Secundo, *Dei virtutem & potestatem.* 2.Tim.1.v.12.

Tertio, *Dei fidelitatem.* 1.Cor.1.v.9. cap.10.v.13. Jam vero Deus *vult* vere credentes in Christum, nec ab eo per spontaneam malitiam sese iterum avertentes, servare, quia illud promi-

promisit; *potest* eos servare, quia est omnipotens; revera eos per fidem in gratia inchoata *conservabit*, quia quæ promisit, fideliter præstat. Ordo electionis *ex parte nostra* requirit, ut conformiter nos geramus Dei proposito in Evangelio revelato, quod fit, quando in Christum credimus & pie vivimus, unde electi in Scripturis θετικῶς sic describuntur: quod *maneant in sermone Christi* Joh. 8. v. 31. quod *permaneant in fide fundati & stabiles* Col. 1. v. 23. quod *retineant fidem & bonam conscientiam*. 1. Tim. 1. vers. 19. quod *fideles maneant usque ad mortem*, Apoc. 2. v. 10. quod *initium fidei usque ad finem firmum retineant*, Hebr. 3. v. 6. quod *persistant in bono*, Rom. 11. v. 22. ἀρνητικῶς sic describuntur: quod *se iterum non subducant* Hebr. 10. v. 38. quod *se non avertant iterum à sancto præcepto*. 2. Petr. 2. v. 21. Sic ergo ex hoc salutis ordine colligit vere fidelis ac pius: Deus vult per verbum & Sacramenta fidem ex gratia mihi datam conservare 1. Petr. 1. v. 5. quod *in me cœpit opus bonum perficere* Phil. 1. v. 6. cap. 2. v. 13. Hebr. 12. v. 2. *me confortare* cap. 4. v. 13. *à malo custodire* 2. Thess. 3. v. 3. Ergo datam mihi fidem non eripiet, nisi petulanter incipiam & pergam ei reluctari, non autem ei contumaciter reluctabor, sed potius Deum Patrem in Christi nomine rogabo, ut me in fide custodiat, quæ meæ preces certo exaudientur. Joh. 16. v. 23.

3. *Ex fidei certitudine. Explorate vos ipsos*, inquit Apostolus, 2. Cor. 13. v. 5. *an sitis in fide*. Utique ergo scire quis potest, se veræ fidei & per conseq. etiam beneficiorum Christi esse participem. Potest autem aliquis esse certus de sua fide, tum *à priori*, videl. ratione causarum, quæ sunt gratia Dei in ordine causæ principalis, verbum & Sacramenta in ordine causarum instrumentalium, illis in actu positis & non impeditis, id est, quando verbum audimus & Sacramentis utimur ac obicem Spiritui Sancto non ponimus, sequitur effectus, ipsa sc. fides; tum *à posteriore*, videlicet ab effectis & consequentibus conversionis ac fidei, quæ sunt, renovatio interior, quæ cognoscitur ex lucta carnis & Spiritus, peccatorum displicentia & detestatio, Spiritus Sancti testificatio & studiosa legis divinæ observatio, dilectionem Dei & proximi, patientiam in cruce & alia bonorum operum exercitia complectens.

4. *Ex perseverantiæ certitudine*. Qui certi esse possunt de perseverantia, illi etiam certi esse possunt de salute. Vere credentes possunt esse certi de perseverantia non quidem absolute, sed suo modo. Fundamenta illius certitudinis sunt, *infallibilis Dei promissio*, (Quia promisit Deus, se non tantum velle in nobis bonum incipere, sed etiam perficere, inde certi esse possumus, quod in fide nos sit conservaturus;) *seria invocatio*, (Quia promisit Deus, se preces nostras exauditurum, & quæ sunt ad salutem necessaria nobis daturum, ideo petentes à Deo perseverantiam de ea possumus esse certi;) *continuata mediorum usurpatio*, (per quæ media Deus primum in nobis fidem accendit, per eadem media, videl. per verbum & Sacramenta, eandem in nobis augebit & conservabit, proinde ex usu illorum mediorum de perseverantia certi esse possumus;) *seriū Spiritui S. non resistendi nec mortaliter peccandi propositū*. (Possunt renati per gratiā Spiritus S. cavere peccata mortalia, ergo per firmū ea cavendi propositum de perseverantia possunt esse certi.)

5. *Ex certitudine electionis in aliis*. Si ex fructibus & testimoniis fidei aliorum electio sciri potest *probabiliter*, *judicio caritatis*, multo magis propria electio sciri potest *certitudinaliter*, *judicio veritatis*. Sed illud 1. Thess. 1. 4. 1. Petr. 5. 12. Ergo & hoc.

Nostræ sententiæ suffragantur quædam assertiones & hypotheses Adversariorum.

c. Firmum. dist. 2. de pœnitent. *Firmum Dei fundamentum stat immobile, habens signaculum hoc: Scit Dominus, qui sint ejus. Horum fides, quæ per dilectionē operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequā vita ista finiatur, & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, ad finem perseverantiæ deputatur.*

(Qui fidem suam per dilectionem testantur, & ab iniquitate discedunt, illi sunt Domini. Qui sunt Domini, illorum fides non deficit. Quorum fides non deficit, illi de perseverantia possunt esse certi.)

Bernhard. serm. 3. de fragm. septem panum. *Tria sunt, quæ sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis ab altitudine spei dejicere possit in ea firmiter radicatum.* Illud postea sic declarat: *Tria considero, in quibus tota mea spes consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? aut quanta est illa gloria tua, quibus meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio, cui credidi, & certus sum, quia in caritate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione &c. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque demissum firmiter, obsecro, teneamus, ut ipse nos sublevet, ipse trahat, & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei.*

Serm. 2. in octav. Paschæ. *Quando sine testimonio electos suos deserit Deus? Quænam consolatio inter spem & metum, si nullum omnino electionis suæ testimonium? Fidelis proinde sermo & omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur &c.*

Serm. 1. de ascens. Dom. *Non est difficile, nosse signa indubitatæ credulitatis, ac per hoc & salutis.*

Serm. 3. in fest. Pentecost. verba Apostoli Rom. 8. v. 38. *Certus sum, quod neq; mors, neq; vita &c.* ad omnes ac singulos vere credentes transfert. *Sitis certi*, inquit, *quia neq; mors, neq; vita, neque cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter quā audacter enumerat, poterunt nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

Serm. 5. in dedic. Eccles. de gemina consideratione sui. *Qui poterit salvus esse, dicunt discipuli Salvatoris? Et ille, apud homines hoc est impossibile, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra est, hæc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus amore, an odio? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? hic jam plane fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum revelетur, & Spiritus ejus testificans persuadeat Spiritui nostro, quod filii Dei simus. Persuadeat autem vocando & justificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem.*

Idem Bernhard. serm. 1. Septuag. *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero electorum?*

(Hæc Bernhardi verba contra certitudinem gratiæ objicit Bellarm. Lib. 3. de justif. cap. 13. sed quilibet videt, Bernhardum illis verbis improbare præsumtionem & jactantiam carnalem, id quod verbosa illa reiteratio: *Ego sum de electis, ego de prædestinatis, ego de numero electorum*, manifestum facit Dan. 4. v. 27. Subjungit autem Bernhardus,)

Certitudinem non habemus (absolutam scil. & carnalem) *sed spei fiducia consolatur nos.*

(Postea addit, quod Bellarm. omittit;)

Ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur, propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit, (nota) *eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint.*

Idem Epist. 107. ad Thomam Præpositū. *Agnosce consiliū Dei in justificatione tui. Confitere & dic: Consilium meum justificationis tuæ. Præsens namq; justificatio tui & divini est consilii revelatio, & quædam ad futuram gloriam præparatio. Aut certe prædestinatio ipsa potius præparatio est, justificatio autem magis jam appropinquatio.*

(Ergo ex justificatione possumus esse certi de electione & salute.)

In eadem Epistola colligit multa τεκμήρια divinæ gratiæ & electionis. Primo dicit, *hanc esse partem optimam, quæ non auferetur in æternum*. 2. *quam non caro & sanguis, sed solus Spiritus revelat per Spiritum Sanctum*. 3. *idq; revelari non inimicis, sed amicis Christi*. 4. *qui habent in se manentem Spiritum, qui scrutatur etiam profunda Dei*. 5. *Denique quid ignorent, quos unctio docet de omnibus?* 6. *Quibus & loquitur: Noli timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Qui sunt hi? utique quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini Filii Dei, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Novit Dominus, qui sunt ejus, sed quod notum erat Deo, manifestatum est hominibus*. 8. *Misericordia Domini ab æterno & usque in æternum. Ab æterno propter prædestinationem; in æternum propter beatificationem, siquidē quos ab æterno prædestinat, in æternū beatificat, intercedente sane media vocatione una cū justificatione*. 9. Et hinc concludit, *emergere hoc Sacramentum absconditum à seculis de prædestinatis & beatificandis, dum quisque vocatus per timorem, justificatus per amorem, sciat, se quoque esse de numero beatorum, siquidem quos justificaverit, illos & magnificaverit*. 10. *Exclamat, O bone Pater, homo vermis vilissimus & odio dignissimus, tamen confidit amori & se amari præsentit, quippe qui paternum erga se divinæ bonitatis experiatur affectum*. 11. *Nemo se amari diffidat, qui jā amat. Nā quomodo redamare pigebit, quos amavit & necdū amantes. Amavit, inquā, amavit*. 12. *Habes dilectionis pignus, Spiritū habes & testē fidelē Jesū & hunc crucifixū*. 13. *Dicit hoc sacrū & secretū consiliū Sp.*

San-

Sanctum suis justificando communicare & communicando justificare, ut quando id quisque accipit in sui justificatione, incipiat & ipse precognoscere & præsentire aliquid de sua ipsius firma beatitudine. Tandem autem hanc totam dissertationem concludit distinctione spei & securitatis, inquiens: *De qua tamen jam percepta sumet ex parte notitia, interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate.*

Ibid. *Habes homo hujus arcani indicem, Spiritum justificantem, eoq; ipso testificantem Spiritui tuo, quod filius Dei & ipse sis.*

Udalricus Pinder in Speculo passionis Ann.1507. Norimb. edito, fol.76. de Prædestinatione sic differit: *Prædestinatio Dei fit conditionaliter, ita quod nihil sine aliqua conditione prædestinatum est. Prædestinatum enim est, ut salvetur mundus, sed per aquam Baptismatis & mortem Filii Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, caritatem, humilitatem, patientiam, misericordiam, pietatem & his similia habuerint. Tales enim eos futuros prævidit, quos Deus ad vitam prædestinavit, & quasi prædestinando eis diceret: Ego quidem ad vitam vos prædestino si tamen tales & tales fueritis, si mandata mea custodieritis, & reliqua. Qui talis esse non vult, ad prædestinationem non venit, quia conditionem ejus non servat. Noli igitur attendere ad prædestinationem Dei, quam ignoras, sed potius attende ad verba, quæ audis & intelligis. Sicut enim in prædestinatione sua verus est Deus & mutari non potest: ita & verba ejus vera sunt & mutari non possunt. Sed audiamus, quæ sint hæc verba: Peccator, inquit, quacunq; hora conversus fuerit & ingemuerit, vita vivet & non morietur. Similiter in Evangelio: Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. Et iterum: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater. Nec aliam quærat prædestinationem &c.*

Johannes Ferus in cap.9. Matth. lib.2. pag.162. *In Ordine justificationis primum est prædestinatio, quæ est æternum Dei consilium & decretum, vel electio, qua aliquos ab æterno elegit, in quibus ostenderet misericordiam & bonitatem suam &c. Vis autem certo scire, te esse de numero salvandorum? adhære Christo, qualis in Christo inventus fueris, talem te habebit Deus. Pater enim judicium omne dedit Filio. Fieri enim potest, ut qui non videtur electus eligatur tamen, si in Christo vera vitæ fructum ferat.*

Idem in Comment. Johan. 17. v.6. p.411. *Prædestinatio occulta quidem est in se, sed in Christo manifestatur. Occurrit autem iste locus egregie curiositati carnis de prædestinatione. Quid enim profuerit, etiamsi multa diligentia inquiras, num à Deo sis electus, quando Dominus omnes electos Christo dederit? Proinde noli primum te in Deo quærere, sed in Christo intueri, in quo, si te per fidem & dilectionem inveneris, certus esto, te à Deo esse prædestinatum.*

Dominicus Soto propterea Ferum impugnat apud Sixtum Senensem lib.6. Biblioth. annot.215.)

Ambros. Catharinus, referente Bellarmino, lib.3. de Justif. c.9. ex dicto Apostolico, *Accepistis Spiritum adoptionis, docuit, fideles in persuasione de sua salute non posse falli.*

Benedictus Pererius in cap.14. Joh. Disp.19. pag.381. adducit & approbat dictum Bernhardi serm.2. de Pentecost. *Ne de absentia mea vel murmures vel contristeris, mittam Spiritum paracletum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Pignus salutis, ut ipse Spiritus reddat testimonium Spiritui tuo, quod Filius Dei sis, qui certissima prædestinationis tuæ signa cordi imprimit & ostendit, qui donet lætitiam in corde tuo & de rore cœli, si non continue, saltem sæpissime mentem tuam impinguet &c.*

Estius in Comment. Rom. 8. v.38. concedit, *quod homo vere credens & pius cœtui electorum se annumerare possit ac debeat, idq; tãto majori fiducia, quãto plura ac majora in se percipit signa electiõis.*

Plura hujus generis adducentur inferius in articulo proxime sequente cap.5.

Argum. Adversar. *De perseverantia nemo potest esse certus, Ergo nec de electione.*

Resp. ex Salmerone tom.8. tractat.19. pag.149. *Dubitare quispiam de seipso poterit, num perseveraturus sit? Sed hic scrupulus vincendus est fide tanti Regis (Christi) salutis nostræ fitientissimi, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; & de quo idem Paulus testatur: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usq; in diem Jesu Christi: Phil.1. Et in alio loco: Qui & confirmabit vos usque in finem, sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi, 1. Cor.1. Ut enim gloriosum est Advocato, vincere causas suorum clientulorum, & Medico, sanare infirmos, quos curandos suscepit, & Pastori, servare oves fidei suæ creditas: ita honorificum est Domino Jesu, suos servare & custodire, qui Advocatus est noster apud Patrem, & Medicus missus propter male habẽtes, & Pastor ille bonus ponens animã suã pro ovib⁹ suis.*

Thesis quarta. Reprobatio non pendet ab absoluta Dei voluntate, sed ex prævisa finali hominum incredulitate.

Ἔκθεσις. Quidam Pontificii legentes vestigia Calvinianorum distinguunt inter *reprobationem negativam & positivam*. *Reprobationis negativæ* causam afferunt esse solam Dei voluntatem; *positivæ reprobationis* causam concedunt esse *hominum incredulitatem & demerita* (ut loquuntur) sive mala opera. Atqui tum positivæ, tum negativæ reprobationis causam esse dicimus finalem hominum incredulitatem.

Antithesis. Bellarminus lib.2. de amiss. gratiæ c.12. *Hujus discretionis* (inter electos & reprobos) *nulla causa assignari potest, nisi Dei voluntas, quemadmodum etiam illius, qua figulus ex eadem massa aliud vas deputat cibis, aliud sordibus excipiendis, & illud ornat auro & pictura, hoc luteum, ut est, relinquit.*

Idem lib.2. de grat. & lib. arbitr. c.8. resp. ad sept. testim. *Credimus, Deum absoluta voluntate velle salvare multos tum parvulos, tum adultos, & absoluta voluntate alios non velle salvare tum parvulos, tum adultos.*

Libr. ejusd. c.16. §.3. *Reprobatio duos actus comprehendit, alterum negativum, alterum positivum, siquidem reprobi opponuntur electis contradictorie & contrarie. Primùm enim non habet Deus voluntatem illos salvandi, deinde habet voluntatem eos damnandi. Et quidem quod attinet priorem actum, nulla datur ejus causa ex parte hominum, sicut nec prædestinationis. Posterioris autem datur causa prævisio peccati.*

Franciscus Lucas Brugensis in annot. ad Matth. 11. v.26. p.170. *Nec reprobationis, nec prædestinationis hominum ex damnata progenie natorum, horum præ aliis, causa quærenda est alia, quam Patris cœlestis voluntas per se ipsa rectissima.*

Ib. ad v.21. p.168. *Quæritur hic, quare Deus, iis posthabitis, quos convertendos miraculis illis noverat, apud illos ea fieri voluerit, quos noverat illis nihilo meliores, imo vero deteriores, effectum iri? Non est autem aliud, quod respondeatur, quam quod ait Apostolus Rom 9. v.18.20. Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. O homo, ut quis es qui respondeas Deo? Quoscunq; misericordia sua non dignatur, justo exitio destinat: qui, si quibusdam verbum suum fe lucens, eos perire sinit; alios vero, ut magis inexcusabiles reddat, etiam hoc vel illo modo ad pœnitentiam sollicitat & hortatur, quis eum propterea iniquitatis insimulet?*

Anno 1616 prodiit scriptum cum approbatione Pastorum Ecclesiæ Sedanensis autore Paulo Ferrio Metensi Calviniano hac ἐπιγραφῇ: *Scholastici orthodoxi specimen hoc est, salutis nostræ Methodus analytica ex ipsis Scholasticorum veterum & recentiorum intimis adornata & instructa.* Hujus scripti pag.315. *doctrinam prædestinationis Calvinianam de absoluto electionis* & reprobationis decreto ex lacunis Scholasticorum & quorundam recentiorum scriptorum Pontificiorum Autor his confirmat verbis: *Hæ autoritates* (Scholasticorum) *sufficient, quarum centonem non ideo contexuimus, ut dimicare numero videamur, sed ut præstemus, quod fumus ab initio polliciti, nos videlicet ex ipsis Scholasticorum fontibus doctrinam nostram asserturos.*

Ib. p.408. postquam *Richardum Scholasticum* pro stabilienda sua thesi citasset, mox subjicit: *Moriar, si esset in vivis, nisi Calvinista censeretur. Quid? etiam Gregorius de Valentia tom.1. Disp.1. q.23. puncto 3. dicit, sententiam Magistri, Durandi, Gregorii Ariminensis, Marsilii, Capreoli, Ferrariensis, Cajetani, Bannis, esse etiam sententiam Calvini, Bezæ & aliorũ Calvinistarũ.* Hæc omnia Ferrius.

Benedictus Pererius in Comm. Rom.9. n.31. *Deum aliquos reprobare & excludere à vita æterna, non quidem propter prævisa eorum merita, sed quia ipse vult non dare illis vitam æternam, est Augustini sententia. Est etiam hæc sententia Thomæ, quam alii quoque complures Theologi sequuntur.*

Johannes Klein Jesuita Græcensis in thesibus de Prædest. & gratia. *Porro tam primi illius decreti, quo Deus quibusdam præ cæteris statuit efficacia suppeditare media, quibus ad gloriam reipsa pertingerent, quam ejus voluntatis, qua reliquos ordinare tantum per sufficientia proposuit, quibus ad finem cum effectu non essent perventuri, absolute simpliciter nulla assignari potest causa ex parte creaturæ mente præditæ, sed tota ratio convenit ex beneplacito Dei.*

Coppensteinius in Spong. contra Bn. D. Himmelium p.38. *Reprobationis negativæ, qua non vult Deus quosdam salvare, causa est sola Dei voluntas, positivæ autem reprobationis seu damnationis causa est in solis hominibus.*

Pag.35. distinguit inter *voluntatem absolutam beneplaciti & conditionatam signi. Hac quidem Deum velle omnes salvos fieri, non autem illa.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex benevola & benefica Dei erga totum genus humanum voluntate*, quam Scriptura verbis, Christus lachrymis, Deus ipse juramento testatum fecit. Quos Deus vult ad se converti & salvari, eos absoluto quodam odio vel decreto neutiquam à se rejicit & ad æternam damnationem destinavit. Jam vero *Deus omnes homines vult* ad se converti & *salvari*, Deut.5.v.29. Matth. 23.v.37. 1.Tim.2.v.4. cap.4.v.10. 2.Pet.3.v.9. Joh.3.v.15. Rom. 11.v.32. Lachrymæ Christi Luc.19.v.41. manifestum sunt indicium, & temporali & æterna Judæorum perditione Christum minime esse delectatum. Juramentum Dei de benefica sua erga omnes homines voluntate graviter attestantis idem confirmat, Ezech.33.v.11. Hebr.6.v.16.17. Ergo.

2. *Ex primæva hominis ad imaginem Dei creatione.* Quos Deus ad imaginem suam condidit, illi non sunt absoluto quodam odio rejecti & ad æternam damnationem destinati. Ratio est, quia pars illius imaginis divinæ fuit donum immortalis, Sapient.2.v.23. Jam vero Deus in Adamo omnes homines condidit ad imaginem suam, quia dona in creatione primis hominibus collata, non solum ipsorum personam, sed etiam posteritatem spectabant. Ergo.

3. *Ex universali Christi pro peccatis totius mundi satisfactione.* Pro quibus Christus mortuus est & pro peccatis eorum satisfecit, illi non sunt absoluto aliquo decreto rejecti. Hæc enim immediate sibi invicem repugnant. Jam vero Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est, & pro omnium hominum peccatis satisfecit, Rom.5.v.8. 2.Cor.5.v.14. 1.Tim. 2.v.6. Hebr.2.v.9.&c. Joh.1.v.29. c.3.v.9. c.4.v.42. 1.Joh.2.v. 2.&c. Rom.14.v.15. 1.Cor.6.v.15.16. c.8.v.11. 2.Pet.2.v.1. Ergo.

4. *Ex universali ad regnum Christi vocatione.* Quos Deus per verbum Evangelii ad regnum Christi vocat, illos non reprobavit ex absoluto quodam decreto. Atqui Deus omnes homines per verbum Evangelii ad regnum Christi vocat, ubi notandum, quod prædicatio Evangelii fit universalis, tum *ratione divinæ intentionis & voluntatis antecedentis*, qua Deus vult omnibus suum verbum & in verbo suam gratiam offerri, Ezech.3. v.11. 1.Tim.2.v.4. tum *ratione mandati*, quia præcipit verbum in toto orbe prædicari, Matth.28.v.19. Marc.16.v.15. tum *ratione promissionis*, qua omnibus suam gratiam & misericordiam pollicetur, Matth.11.v.28. Roman.11. v. 31. Quod autem hoc tempore prædicatio Evangelii non fit actu Universalis, est ex accidenti, videlicet propter ingratitudinem hominum, quam Deus in posteris punit.

5. *Ex collatione.* Electio non est facta ex absoluto quodam decreto, sed intuitu *Christi* Mediatoris Ephes. 1. v. 4. & *fides* 1. Tim.1.v.16. 2.Thess.2.v.13. Jac.2.v.5. Tit.1.v.1. Rom. 8.v.28. Ergo etiã reprobatio nõ est facta ex absoluto quodã decreto.

6. *Ex reprobationis descriptione.* Scriptura in homine statuit causam interitus, Os.13.v.9. Act.13. v. 46. Rom.11.v.20.2. Thess.2.v.10.11. Ergo ea non est referenda ad absolutum aliquod reprobationis decretum.

Distinctioni inter *reprobationem negativam & positivam* opponimus hæc fundamenta: 1. Distinctio illa non solum est extra Scripturam, sed etiam contra Scripturam excogitata, quia negativa illa reprobatio, sive præteritio, sive non electio nihil aliud est, quam ipsum decretum damnationis. Deus enim neminem præterit in sua ad vitam æternam electione, qui non sit propter suam impœnitentiam & incredulitatem damnationi adjudicatus. 2. Non satisfacit hæc distinctio Scripturæ dictis, quæ ostendunt, causam exitii tantum in homine ipso quærendam. Sicut Deus in tempore non ex absoluto quodam odio, sed propter finalem impœnitentiam & incredulitatem homines damnat, ita ab æterno propter easdem causas quosdam damnare constituit, hoc est, reprobavit, sive actum negativum non eligendi, sive actum positivum pœnis adjudicandi nomine *reprobationis* intelligere velimus.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quod quidã agnoscunt, Deũ serio velle omne salvos fieri.

Bernhardus serm.5. in Natali Domini. *Deus ex se sumit seminarium miserendi, quod judicat & condemnat nos, eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere videatur.*

Idem serm.1. in Purif. Mariæ. *Omnibus offertur & in communi posita est Dei misericordia, nemo illius expers est, nisi qui renuit.*

Gerson l. de Remed. contra Pusillan. *Verissima est Chrysostomi sententia, Deus quasi dolet, cum hominem per suam justitiã damnare debet propter hominis injustitiam, ex quo homo est imago Dei tam nobiliter creatus & tam preciose redemtus.*

Sixtus Senensis lib.6. annot.52. testatur, *Thomam Cajetanum hoc nomine, quod statuerit, homines absoluto decreto reprobari in cap. 11. Matth. v.26. castigari ab Ambrosio Catharino Compsæ Episcopo his verbis: Quod hic ait respectu reprobationis, falsum est atque impium, quoniam non ex puro beneplacito Deus reprobat ullum, sed ex meritis, quoniam reprobatio & rejectio præsupponit culpam rejecti & reprobati. Deus enim vult omnes homines salvos fieri.*

Eundem errorem Cajetani suppresso tamen nomine castigat Adamus Contzen in locum illum Matthæi, asserens, *agi ibi de vocatione ad gratiam, negatq; posse absolutum decretum reprobationis ex illo loco demonstrari.*

Johannes Ferus in cap.12. Johan. v 33. *Deus omnes homines, quantum in se est, trahit, quia omnes vocat & omnibus salutem offert, nam vult omnes homines salvos facere. Et ipse propitiatio nostra est non solum pro peccatis nostris, sed & pro totius mundi. Quod autem non omnes salvantur, eorum efficitur culpa, qui renituntur trahenti, neq; ejus tractum sequuntur. Fascibus enim peccatorum se deprimunt, pondereq; malorum pressi Domino ad salutem se vocanti contrantuntur ponentes obstaculum, ne salvi fiant.*

Idem Ferus in cap.2. Joh. v.25. *Hic vides causam, cur Deus vasis iræ non confert gratiam. Ipse, inquit, novit omnes, quod idem est, ac si quis dicat de provido aliquo homine. Noluit vasculis illis vel illis vinum suum infundere, eo quod illa sciret cœno plena esse, & non erat opus, ut quis pro illo iret inspicere, ipse enim per semetipsum ea perspexit. Non igitur dicat figmentum fictori suo, Quid me ita finxisti? Sed sibi imputet, si Dei dona non habet, imo emundet se ab omni iniquitate & fiet vas honoris, ut Paulus ait.*

Huc referri potest illud, quod Scholastici distinctionem *inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem* amplectuntur.

Thomas part.1. quæst.19. artic.16. Bonavent.1. sent. dist.47. art.un. quæst. unic. *Voluntate prima Deus vult omnem hominem salvum fieri, at voluntate secunda non vult reprobũ salvum, in quantum ipse talis est.*

Didacus de Ruis Disp.19. sect.6. & 7. de voluntate Dei fol. 205. *Gregorium Ariminensem* refutat, qui negat, *Deum voluntate antecedente omnium hominum salutem velle, nec voluisse reprobis dare media sufficientia ad salutem.*

Sect.8. fol.206. perstringit recentiores, contendentes, *Deũ vere non intendere salutem damnatorum, sed solummodo salutẽ prædestinatorum*, & probat, *eosdem illud male ex Augustino concludere*,

(Si Deus voluntate prima sive antecedente omnes homines vult salvos fieri, utique neminem absoluto decreto reprobavit.)

Becanus in Disp. de Officiis Angelorum, quæ extat in tom. 1. Opusc. Theol. *Semper vera est & manet regula generalis, Deum, quantum ex se est, velle omnes homines salvos fieri. Ergo semper verum est, Deum ex sua parte non deesse ulli homini, quo minus salvus fiat. Ergo ex sua parte præbet illi media ad salutem necessaria, quia qui proponit alicui finem, debet etiam providere de mediis, quæ ad finem consequendum requiruntur.*

2. Quod agnoscunt, Christum pro omnibus omnium hominum peccatis sua passione & morte satisfecisse.

(Si enim Christus pro omnibus hominibus mortuus est, & pro omnium hominum peccatis satisfecit, utique neminem eorum Deus ex absoluto decreto reprobavit.)

Leo Epist.83. *Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad precium, ut si universitas captivorum in Redemtorem suum crederet, nullum Tyrannica vincula retinerent.*

Agapetus Papa Epist.1. quæ est ad Anthymum idem repetit. *Effusio sanguinis Christi tam fuit dives ad precium, ut si universitas captivorum in Redemtorem suum crederet, nullum Diaboli vinculum retineret, quoniam sicut Apostolus ait, ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum donum libertatis, quam debitum servitutis.*

Becanus in Opusc. c.1. *Triplici sensu verum esse dicit illud, Christum pro omnibus esse mortuum. Primo, quia suscepit causam totius humani generis. Secundo, quia tam cumulata sunt ipsius merita & satisfactio, ut sufficiant pro omnibus. Tertio, quia neminem ipse excludat à suis meritis.*

Windeck de Efficacia mortis Christi c.14. *Christum ex æterno proposito suo & Patris pro omnibus omnium hominum peccatis in ara crucis perlitasse.* class.3. *Christũ in ara crucis pro singulorũ hominũ salute perlitasse,* & class.7. *elisisse virus sævi Draconis & universas ejus imperii vires confregisse, in libertatẽ asserto omni genere humano.* class.11. *Nonnullos per Christũ libro vitæ cõsignatos, deleri posse & dãnari, & sæpe reprobũ per pœnitentiã merito Christi dimitti peccata.*

Maldo-

Maldonatus in c.20.Matth. *Cur Christus hoc loco,sicut & apud Marcum non dixit se venisse,ut daret animam suam in redemtionem pro omnibus,sed pro multis? Probabilis est responsio quorundam, omnes multorum nomine significatos, quia πολλὰς multos Græci vocant,non tam nomine plurali,quam infinito,quemadmodum Latine omnes homines multitudinem appellant. Sed magis credo, voluisse Christum non voluntatem suam, sed mortis suæ fructum declarare. Nam si ejus quidem voluntatem spectes, pro omnibus hominibus,nemine excepto, mortuus est. Si spectes fructum, non ad omnes pervenit, sed ad multos,quia non omnes percipere voluerunt.*

Huc pertinet,quod Scholastici dicunt, *Christum esse mortuũ pro omnibus sufficienter,licet non efficienter*, id est, Christum, quantum est in ipso, pro omnibus sufficiens pretium obtulisse, quod autem non omnes fiant illius meriti ac beneficii participes, ejus rei causam non esse quærendam in absoluto quodam reprobationis decreto, sed in propria hominum culpa, quia fide non adhærent Mediatori.

Lombardus 3.sent.dist.20.lit.C. *Christus se Deo obtulit pro omnibus,quantum ad pretii sufficientiam;sed pro electis tantum,quantum ad efficaciam*

Idem in 2.Cor.5. *Si unus.scil.si solus sufficiens sine omnibus legalibus mortuus pro omnibus est. Vel ita: Si unus pro omnibus,id est, si Christus, quantum ad se pro omnibus mortuus est, etsi omnibus non profuit.*

Thomas in c.5.Rom.super verba, *Per unam justificationem beneficium redundavit in omnes homines. Sed videtur hoc falsum. Non enim omnes homines justificantur per Christum,sicut omnes homines moriuntur per Adam. Sed dicendum, quod intelligendum est, quod sicut omnes homines,qui nascuntur carnaliter ex Adam, incurrunt condemtionem per ejus peccatum:ita omnes,qui renascuntur spiritualiter per Christum, adipiscuntur justificationem vitæ,quia dicitur Johannis tertio:Nisi quis renatus fuerit denuo ex aqua & Spiritu &c.Quamvis possit dici,quod justificatio Christi transit in justificationem omnium hominum,quantum ad sufficientiam,licet quantum ad efficientiam procedat in solos fideles.*

Idem in 1.Tim.2. postquam adduxisset locum ex 1.Joh.2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris*, subjungit, *pro aliquibus efficaciter,sed pro omnibus sufficienter,quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet efficaciam, nisi in electis propter impedimentum.*

Idem in c.2.Hebr.super verba: *Ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret.Pro omnibus,ecce utilitas. Pro omnibus autem dupliciter potest intelligi,vel ut distributio accommoda,scil.pro omnibus prædestinatis,pro istis enim tantum habet efficaciam: vel absolute pro omnibus,quantum ad sufficientiam.Sufficiens enim,quantum ad se omnibus est,prioris ad Timotheum quarto: Qui est Salvator omnium, maxime autem fidelium.Chrysostomus:Pro omnibus hominibus generaliter mortuus est,quia omnibus pretium sufficit.Etsi omnes non credunt,ipse tamen,quod suum est,implevit.*

Idem Thomas in c.5.Apoc. *De redemtione facta per passionem Christi est loqui dupliciter, aut secundum sufficientiam, & sic passio redemit omnes,quia quantum est de se,omnes liberavit, omnibus enim redimendis & salvandis sufficiens est,etiamsi essent infiniti mundi, ut dicit Ansbelmus libro secundo;aut secundum efficientiam.& sic non omnes redemit per passionem,quia non omnes adhærent Redemtori.*

Lyranus in 2.Cor.5. *Pro omnibus mortuus est, scilicet Christus, pro salute omnium,quantum ad sufficientiam.*

In 1.Tim.2. *Unus,qui passus est pro salute omnium, quantum ad sufficientiam,non tamen quantum ad efficaciam.*

In c.2.Hebr. *Et dicit pro omnibus,quia licet ejus efficacia non se extendat,nisi ad justos,ejus tamen sufficientia extendit se ad omnes.*

In 1.Joh.2.super verba: *Christus est propitiatio non tantum pro nostris,sed etiam pro totius mundi peccatis.* Scilicet, *quantum ad sufficientiam,sed pro electis tantum, quantum ad efficaciam nam alii ponunt obicem.*

Biel.3.sent.dist.19.q.un.art.2. *Christus Adæ & toti posteritati sufficienter meruit gratiam & apertionem regni. Defectus,quod non omnes salvat,non est ex inefficacia meriti Christi,sed ex indispositione subjecti,causa salutis non debitè approximati.*

Dionysius Carthusianus in c.20.Matth. *Sed quare non ait, dare animam suam redemtionem pro omnibus? Respondendum, quod Christus dedit animam suam redemtionem pro omnibus sufficienter, pro solis autem efficienter,seu efficaciter,quoniam non omnes,sed multi fructum Dominicæ passionis consequuntur.*

Cajetanus in 2.Cor.5. *Quantum ad sufficientiam unus pro omnium salute mortuus est.*

In 1.Joh.2. *Magnum excessus justitiæ,ut satisfecerit non pro peccatis electorum tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi, quamvis non omnibus profuerit,quoad ultimũ effectum, qui est æterna felicitas.*

Dominicus à Soto in c.8.ad Rom. *Quia non solum pro prædestinatis, in quibus obtinet efficacia suæ passionis, verum quantum ad sufficientiam pro omnibus peccatoribus,peccatisq́,ut ait Johannes,totius mundi passus est.*

Soncinas 3.sent.dist.20.concl.2. *Christus per suam actionem interiorem & passionem exteriorem condigne satisfecit pro tota Natura humana.*

concl.3. *Meritum vero & satisfactio Christi non habet ultimatam efficientiam,nisi in illis,qui eidem uniuntur per fidem & Sacramenta.*

Guilielmus Estius in Comm.1.Tim.2. v.6. *Quod ait,pro omnibus,universaliter accipiendum videtur,sicut illud,quod supra monuit,pro omnibus hominibus orandum esse:ad id enim probandum hæc pars cum præcedentibus est referenda. Si quæras, quomodo pro omnibus hominibus redimendis Christus semetipsum dederit, cum tamen multi sint & fuerint omnibus seculis in captivitate & morte relicti, ac proinde redemtionis hujus expertes: Respondet in Commentario Pelagius: Ille se pro omnibus dedit,si omnes redimi vellent. At multo melius,magisq́, Catholice quæstionem ita dissolvit B. Prosper in responsione ad primam objectionem Vincentianam. Quod ad magnitudinem, inquit, & potentiam precii,& quod ad unam pertinet causam generis humani,sanguis Christi redemtio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi,& sine regenerationis Sacramento pertranseunt,redemtionis alieni sunt. Cum itaq́, propter unam omnium Naturam,& unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redemti,& tamen omnes à captivitate sint eruti,redemtionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus Princeps mundi missus est foras,& jam non vasa Diaboli,sed membra sunt Christi &c. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute divina,habet quidem in se,ut omnibus prosit,sed,si non bibitur,non medetur &c.*

(Subjicit quidem Estius: *Veruntamen sciendum, nulla necessitate nos cogi ad hunc intellectum, quo illud pro omnibus,ad omnes omnino & singulos homines referatur. Potest enim convenienter & secundum morem Scripturæ sic accipi,pro omnibus,id est,pro hominibus omnium gentium,seu pro hominibus toto orbe dispersis.* Sed Calvinianæ huic expositioni refragatur series textus. Et sufficit nobis, quod Estius Prosperi expositionem nostræ per omnia conformem non repudiet.)

3. Quod quidam agnoscunt, auxilium sufficiens ad salutem omnibus dari.

(Quod si enim Deus dat omnibus sufficiens auxilium ad salutem, utiq; neminem absoluta voluntate reprobavit.)

Salmero in 1.Joh.2. *Salvator quidem omnium hominum est in potentia & in causa, & in merito præteritorum, præsentium & futurorum: actu vero tantum est salutem acceptantium.*

Censura Colon. contra Monheimium p.36. *Deus est, qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: quod utiq; non posset dici velle, nisi gratiam omnibus uberem, quo illuc contendant, largiatur sine personarum acceptione.*

Bellarminus lib.2.de Grat.& lib.arbit.c.5.§.5. *Quando Psal. 24. dicitur: Universæ viæ Domini misericordia & veritas; videtur Spiritus Sanctus significare, omnibus hominibus primum à Deo exhiberi misericordiam, deinde si ea non utantur, exhiberi judicium. Non potest autem rectè dici, agi cum aliquo misericorditer, quod attinet ad salutem, nisi detur ei auxilium sufficiens ad salutem; neq; juste puniri potest, qui ex divino auxilio non proficit, si auxiliũ non fuit sufficiens.*

Ibid. *Illa invitatio Matth.11. ne sit frustra, requirit omnino, ut sicut vocatio est generalis, ita & auxilium, quo possint homines venire, sit generale.*

Et postea. *Deus vult omnes salvos fieri, quia dat omnibus, unde possint velle credere & salvari, sic tamen, ut si ipsi noluerint, non salventur, sed ad supplicia destinentur æterna.*

Item. *Quomodo potest verum esse, Christum pro omnibus esse mortuum, si non datur omnibus aliquid, unde Christi mortis participes fieri queant? nam cum non possit ullus sine præveniente dono particeps esse mortis Christi & pretii redemtionis hujus, frustra Christus pro omnibus pretium solvit, si noluit omnibus viam aperire qua ad redemtionem pervenire possent.*

4. Quod Patrum suffragium de prævisione fidei in electione nobis largiuntur.

Pererius in c.8.Epist.ad Rom. Disp.22. & 23. *Græci Patres, nec pauci Latinorum Doctorum arbitrati sunt, idq́, in scriptis suis prodiderunt, causam prædestinationis hominum ad vitam æternam esse præscientiam, quam Deus ab æterno habuit, vel bonorum operum, quæ facturi erant, vel fidei, qua crediturì erant.*

5. Dissensiones Pontificiorum.

Primo, Becanus in Disp. de auxiliis gratiæ part. 2. cap. 3. thes. 6. causam, *quod gratia Dei non semper sit efficax, neq; omnes convertantur*, ponit *in libero hominis arbitrio, cum sit in viribus humanis gratiæ assentiri, vel non. Qui ergo vi liberi arbitrii gratiam acceptet, eum converti; qui vero non acceptet, illum non converti. Proinde si quaratur*, inquit thesi 7 *prima radix, quare hac gratia sit efficax, recurrendum est ad liberam cooperationem voluntatis.*

Sed Bellarminus lib. 1. de Gratia & libero arbitr. cap. 12. ac lib. ejusdem cap. 13. aperte dissentit, ac refellit eos, qui censent, *gratiam ideo sortiri effectum, quia voluntas humana cooperetur*, & addit *rationem insolubilem* ex 2. Cor. 4. v. 6.

Secundo, Bellarminus lib. 1. de Gratia & libero arbit. cap. 1. 12. & 13. ex Scripturis, Patribus & ratione probare conatur, *Deum largiri nonnullis gratiam sufficientem ad eorum conversionem, quæ non est efficax ad eos convertendos.*

Sed Paulus Bennius in lib. de effic. gratiæ, Pontifici Clementi VIII. dedicato, c. 14. & alibi passim in illo libro scribit: *Hanc distinctionem religiosissimi Jesuitarum Patres non modo, quod cum Dominicanis illis commune est, usurpant & amplectuntur, verũ etiam summo studio, tanquam fide certam tuentur ac profitentur. Quam distinctionem recentiores Scholastici, ut gratiam sufficientem contra Calvinum tuerentur, in Scholam introduxerunt &c. Sed per inconsiderantiam isthac permiserunt nostrates Theologi quidam, atque in varias salebras incaute inciderunt. Nam dicere per sufficientem gratiam habere nos posse tantum, actu vero converti habere ab efficaci, nil aliud est, quã posse sine posse largiri & pugnantia loqui, in quo faciunt sufficientem gratiam puerilem quandam ludificationem. Nec enim hoc, inquit Ozorius, quidquam dici possit absurdius, & Johannes Antonius Delphensis insignis Theologus, qui Tridentino Concilio magna cum laude interfuit, illam distinctionem explosit & improbavit.*

(Quamvis vero & Jesuitæ & Dominicani distinctionem illam *inter gratiam sufficientem & efficacem* amplectantur, tamen de ejus explicatione & applicatione nondum inter se conveniunt, qua de re sic differit)

Johannes Matthæus Rispolis Dominicanus lib. 2. de Divin. auxil. q. 1. pag. 236. *Tota quæstio in eo posita est, quod ipsi* (Jesuitæ) *etsi concedant auxilium efficax, hoc tamen volunt non esse aliud à sufficienti. Nos autem credimus, quod sit realiter ab eo distinctum, & quod solis prædestinatis Deus de facto confert.*

Item: *Punctum difficultatis est, quia nos volumus physice eum trahere hoc auxilio eos, quibus misericorditer illud confert, quia ita trahit, sicut causa physica solet producere effectum per veram & realem actionem, atque adeo illa motio talis est Naturæ, ut faciat voluntatem consentire in actu, & non solum ut voluntas possit velle, sed etiam, ut determinate velit, licet libere, ad quod per tale auxilium movetur: quod auxilium ita tenemus esse necessarium ad supernaturalem consensum, ut sine illo impossibile sit, voluntatem actum suum supernaturalem efficere; & hinc deducimus, hoc auxilium se habere antecedenter ad actum ex ipsa voluntate eliciendum, unde prioritate Naturæ prius intelligendum est auxilium movere, quam voluntatem moveri. Adversarii autem tenent, quod hæc vocatio efficax est moralis, scilicet per inspirationes, consilia, internas exhortationes, per ostensionem objecti declarando & exponendo rationes illius & conditiones, utilitatem, dignitatem & pulchritudinem; & vocant istam determinationem moralem, quia non physice voluntatem immutat & determinat. Nam sola voluntas ejusmodi persuasionibus allecta & inclinata, seipsam determinat. Et hic est modus proportionatus Naturæ voluntatis ajunt.*

CAPUT III.

De operibus Non-renatorum.

Thesis. Sine gratia & fide nulla vere bona opera fieri possunt, ac proinde omnis vita infidelium est peccatum, nec datur aliquod meritum de congruo.

Ἔκθεσις. 1. Concedimus, homines non-renatos externam disciplinam & civilem justitiam aliquo modo præstare & externam locomotivam regere posse, quæ externa opera, utpote cooperire nudum, subvenire periclitanti &c. *ex se & genere actus* non sunt peccata, interim tamen *per accidens* fit, ut peccata sint & Deo non placeant, nimirum, quia persona nondum est Deo reconciliata per fidem in Christum.

2. Quamvis ergo quædam hominum non-renatorum actiones per se, & quoad substantiam actus non sint vitiosæ, per accidens tamen fiunt vitiosæ, videlicet, quia destituuntur requisitis verè bonorum operum coram Deo. Proinde opera illa non-renatorum dicuntur peccata, non *quoad substantiam actus*, sed respectu *causæ efficientis, formalis & finalis.*

August. Lib. 3. ad Bonifacium cap. 5. *Justos ab injustis non operum, sed ipsa fidei lege Catholica fides discernit, sine qua, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.*

Schegkius in Lib. 2. Topic. Arist. q. 176. *Bona opera incredulorum privative, non etiam positive Deo displicent & peccata sunt.*

3. Quædam actiones infidelium *civiliter bonæ* sunt, ideo ut societas humana conservetur, temporali benedictione à Deo remunerantur, sed ex eo non efficiuntur *vere & spiritualiter coram Deo bonæ.*

4. Virtutes Ethnicorum νομικῶς consideratæ *ratione quidditatis suæ internæ*, quatenus cum lege conveniunt, formaliter & per se non sunt peccata; eædem vero εὐαγγελικῶς consideratæ, recte dicuntur peccata, tum *ratione fidei deficientis*, *absque qua Deo placere impossibile*, Hebr. 11. v. 6. tum *ratione finis*, quia non ad Dei, sed propriam gloriam diriguntur, tum *ratione imperfectionis*, quæ ipsis semper conjuncta; tum *ratione subjecti*, quod est persona non-renata & infidelis, quæ cum Deo displiceat, ipsum etiam opus Deo displicet.

5. Bona dicuntur non-renatorum opera vel *ad Deum*, vel *ad homines. Ad homines*, quæcunque accommodata sunt justitiæ, cujus capax est hominis ingenium, etiam peccato venditum in servitutem, quomodo multa præclare à Philosophis de κατορθώμασι disputata, ac de justitia civili à legislatoribus sancita. *Ad Deum* autem quæ congruunt regulæ legis divinæ. Priore respectu quædam *non-renatorum opera* possunt dici *bona*, non autem posteriore.

6. Quando quæritur, an præcepta Dei, *quoad substantiam actus*, possint impleri ab homine nondum renato, tum phrasis illa, *quoad substantiam actus*, recte explicanda, videlicet, quod non solum notet convenientiam in quantitate quadam materiæ, utpote, quando fidelis & infidelis erogant ejusdem quantitatis eleemosynam, sed convenientiam formæ inesse debitæ, seu *propriam & essentialem rationem specificam actus*, ut loquitur Suarez Lib. 3. de auxil. div. gratiæ cap. 1. num. 3. & *bonum morale cum omnibus circumstantiis, quæ necessariæ sunt*, ut loquitur Bellarminus in definitione boni moralis, cum substantia rei non sola ejus materia, sed præcipue forma perficiatur. Talem actum, *quia materia & forma bonus* sit, negamus solis Naturæ viribus posse perfici.

7. Aliud est loqui *de operibus infidelium*, aliud *de operibus ex speciali Dei gratia factis ante consummatam tamen justificationem.* Quamvis enim nec in notione fidei, nec justificationis cum Pontificiis conveniamus, concedimus tamen, conversionem hominis ejusque motionem ad justificationem non fieri *in instanti*, sed *successive*, adeoque illa opera, quæ fiunt ex instinctu Spiritus Sancti moventis hominem ad peccati odium, misericordiæ divinæ implorationem, ac fiduciam &c. quatenus fluunt ex hoc principio, nequaquam esse peccata, sed tantum ratione carentiæ ejus congruentiæ cum lege Dei, quæ inesse debebat.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7. anathematizat, si quis dixerit, *opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata.*

Hanc Concilii sententiam Andradius sic explicat: *Licet infidelium virtutes non sint perfectæ & æternis præmiis dignæ, tamen posse aliquando humanas vires vel peculiaribus divini auxilii subsidiis,* (per quæ intelligit *heroicos in non-renatis motus, quibus ad res arduas impelluntur,*) *vel generalibus tantum auxiliis fultas & sustentatas, omnem peccati turpitudinem vitare.*

Censura Colon. contra Monhemium pag. 28. *Durum profecto est tale aliquid docere,* (quod omnia non-renatorum opera, quamvis videantur speciosa, inter peccata recenseantur) *nec satis accommodum his, quæ Dd. hac tempestate asseverant.*

Pag. 29. vocant *dogma nimis paradoxum.*

Bellarminus Lib. 5. de Gratia & Lib. arbit. cap. 9. disputat, *posse aliqua bona opera ab infidelibus fieri, sive cum auxilio Dei speciali, sive sine illo solis Naturæ viribus.*

Maldonatus in Matth. 7. v. 18. *Etsi bona arbor, id est, homo justus, manens bona, non possit malos fructus facere, tamen mala manens mala, aliquos bonos fructus facere potest. Neque enim sequenda illa opinio est, quam Tridentinum Concilium nuper merito damnavit, omnia peccatorum, aut etiam infidelium opera esse peccata.*

Costerus in Enchirid. cap. 6. pag. 276. *Infidelium opera non ex infidelitate oriuntur, sed aliunde, velut ex naturali instinctu & rectæ rationis judicio, & hæc nemo dixerit esse peccata.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Dictis Scripturæ.* Matth. 7. v. 18. *Mala arbor non potest fructus bonos*

bonos facere. Rom. 14. v. ult. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est.* Tit. 1. v. 15. *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum.* Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est Deo placere.*

2. Rationibus. Primo, *ex statu eorum, qui ejusmodi opera faciunt.* Infideles Christo veræ viti nondum sunt insiti Joh. 15. v. 4. ergo non possunt fructus salutares proferre. Nondum renati sunt *inimici mente in operibus malis,* Col. 1. v. 13. Sunt *filii iræ,* Eph. 2. v. 3. quid autem ab inimicis potest proferri gratum? Sunt *oleastri,* Rom. 11. v. 22. quis vero ab oleastro sperandus fructus utilis & gratus? Personâ nondum reconciliatâ, opera personæ Deo non possunt placere, unde *ad Abel & ad sacrificium ejus Deus respexisse* dicitur Genes. 4. v. 4.

Secundo, *ex conditione istorum operum.* Deus non secundum aspectum externum, sed secundum veritatem judicat, cor respicit, & officia non ex actibus, sed ex mandato suo, causa vera, forma & finibus pensat. Bona ut sint opera, bene à bonis & bono fine fieri oportet. Opera illa infidelium, etsi videantur speciosa, tamen quia non sunt *in Deo facta,* Joh. 3. v. 21. ideo in judicio Dei sunt peccata. Opera illa non procedunt *ex fide,* non *ex corde per fidem purificato,* non *ex conscientia bona,* fiunt nō *in novitate literæ, sed in vetustate Spiritus,* referuntur *non ad veram veri Dei gloriam,* sed ad inanem jactantiam. Quomodo enim opera sua ad Dei gloriam referrent, quibus verus Deus non est cognitus? *Qui Filium non honorat, is nec Patrem honorat,* Joh. 5. v. 23. Quomodo illorum opera non essent immunda & inquinata, quorum cor est immundum? quomodo opera illorum Deo placere possunt, qui ipsi Deo displicent?

Tertio, *ex comparatione.* Sacrificia in Veteri Testamento erant divini cultus pars non postrema, & tamen sacrificia impiorum sine fide oblata, Deo non placebant. Prov. 15. v. 8. Esa. 1. v. 12. c. 66. v. 3.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, absque fide in Christum non posse fieri ab infidelibus & non renatis opera vere bona & Deo grata.

Gregorius Magnus Episc. Rom. lib. 2. moral. c. 25. *Si fides non prima in corde nostro gignitur, reliqua quæq; bona esse non possunt, etiamsi bona videantur. Virtutes nostræ in habitaculo fidei sacri eloquii cibo satiantur. Scriptum quippe est. sine fide impossibile est Deo placere. Tunc ergo virtutes nostræ veras vitæ epulas sumunt, cum nutriri fidei Sacramentis incipiunt.*

Idem lib. 6 in 1. Reg. 16. *Qui in fide Redemtoris illuminatus non est, in se dirigentem Spiritum habere non potest* (ac proinde nec bona opera facere.)

Idem lib. 22. Moral. c. 12 *Iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis, idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt &c. Mundari debet prius animus, qui eleemosynam præbet, quia omne, quod Deo datur, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaq; malitiæ macula ab interiori nostro homine cogitationis immutatione tergenda est.*

Glossa Ordinaria Bibl. in c. 14. Rom. *Omnis infidelium vita est peccatum.*

Bernhardus serm. 22. in Cant. *Quid vobis Philosophis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis?*

Ib. *Frustra hujus seculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierint, qui factus est nobis à Deo sapientia, docens prudentiam; & justitia delicta donans, & sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter vivens; & redẽtio in exemplũ patientiæ fortiter moriens.*

Et postea. *Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? unde vera justitia, nisi de Christi misericordia? ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo, qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quam à Domino virtutum.*

Serm. 31. in Cant. *Origo fontium mare est, virtutum autem ac scientiarum Dominus noster Jesus Christus.*

Serm. 4. de Ascens. *Quicquid sine fide præsumitur, nulla est animi solida virtus, sed ventosa quadam inflatio & tumor inanis.*

C. Cum Paulus. caus. 1. q. 1. ex Gregorio. *Cum Paulus dicat, Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, consequenter probatur, quia ubi Christus non est fundamentum, nullum boni operis est superædificium.*

(Absque fide ergo non datur opus bonum.)

C. In gravibus caus. 3. q. 7. ex eodem. *Scriptum est: Victimæ impiorum abominabiles Deo sunt, vota justorum placabilia. Neq; enim in omnipotentis Dei judicio quid, sed à quo datur, inspicitur. Hinc est, quod scriptum est: Respexit Deus ad Abel & ad munera ejus; ad Cain vero & ad munera ejus non respexit. Dicturus quippe, quia Dominus respexit ad munera, præmisit solicite, quia respexit ad Abel, ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Dona quippe iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis. Item, longe est Dominus ab impiis & orationes justorum exaudiet.*

Bellarminus d. l. cap. 10. regerit, *multum interesse inter sacrificia & opera moralia, cum ad illa requiratur peccatorum detestatio & conscientia pura, quæ ad hæc non requiruntur.* Atqui ad opus verè bonum & Deo gratum itidem requiritur peccatorum detestatio & conscientiæ puritas. Quomodo enim purum erit, quod ex impuro fonte profluit? *Finis præcepti est caritas ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta,* 1. Tim. 1. v. 5. Ergo, ubi cor nondum purificatum & conscientia emundata per fidem in Christum, nō proficiscitur opus ex vera caritate, quam lex requirit.)

Thomas in cap. 15. Joh. super verba: *Sine me nihil potestis &c. Ora obstruit superborum & præcipue Pelagianorum, qui dicunt, bona opera virtutum & legis sine adjutorio ex seipsis facere posse.*

Lombardus Lib. 2. sent. dist. 41. lit. A. *Non irrationabiliter à quibusdam astruitur, quod omnes actiones & voluntates hominis sine fide malæ sint, quæ fide habita bonæ existunt, unde Apostolus ait: Omne, quod nō est ex fide, peccatũ est, quod exponẽs Augustinus ait: Omnis vita infidelium peccatum est, & nihil bonum est sine summo bono. Ubi deest agnitio æternæ veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus. Et Jacobus in sua Epistola Canonica ait: Qui offendit in uno, scilicet in caritate, factus est omnium reus. Qui ergo fidem & caritatem non habet, omnis ejus actio peccatum est, quod ad caritatem non refertur.*

Henricus de Heuta (al. Henricus de Jota, qui circa Annum 1371. Viennæ in Austria docuit, & à Johanne Gersone honorifico elogio ornatur,) in suis Propositionibus affirmat, *omnes in mortali peccato, seu extra gratiam existentes, etiam optime agendo, peccare mortaliter.*

Nicolaus de Clemangis (qui floruit circa Annum 1420.) Epist. 60. pag. 169. *Quomodo veræ virtutes esse poterant in Philosophis, qui illam umbraticam virtutum, quam proferebant, speciem, non in Deum, non in propriam atque proximorum salutem referebant, evanescentes in cogitationibus suis, & servientes creaturæ potius, quam creatori, nec ipsi quidem creaturæ creatoris intuitu, alioqui non potius creaturæ, verum creatori servisse probarentur.*

Jacobus de Guitrode Carthusiensis (qui floruit circa Annum 1440.) in libro de erroribus modernorum Christianorum hæc habet: *Homines quidem accipiunt ac diligunt alios propter ipsa eorum opera sibi grata aut utilia: Deus vero opera accipit propter hominem. Quare prius debet homo esse Deo reconciliatus, postea speret, opera sua ipsi placitura esse.*

Erasmus in annot. Rom. 14. *Quicquid non proficiscitur à fide, cum vitio conjunctum est.*

Georgius Wicelius Domin. 19. post Trinitatis fol. 325. *opera omnia sine fide facta, quantumvis specie bona splendeant, ne tanti quidem æstimanda ait.*

Georgius Cassander in Consult. art. 6. cap. de Operibus impiorum pag. 925. *De operibus impiorum uno ore pronunciant omnes, nil illis inesse meriti & virtutis ad gratiam Dei, qua justificantur, conciliandam, eò quòd non oriantur ex fide & gratia, qui fons est bonorum operum, & quia non referuntur ad verum Deum, qui finis est, ad quem omnia bona referri debent, ideoque non solum inutilia, sed etiam mala & peccata plerunque dicuntur, ut Augustin. in Psalm. 31. bona opera extra fidem confert cursui celerrimo extra viam, & ad Sextum: Si nihil, inquit, possunt habere boni meriti peccatores, certe mala sunt merita & peccata, quæcunque peccatores operantur, etiam quæ videntur in specie bona. Idem de Natura & gratia. Nam necesse mortua opera faciat, donec gratia Dei reviviscat. Prosper in Epigrammatis: Omne etenim pietatis opus, nisi semine recta Exoritur fidei, peccatum est. Item libro de vocat. gentium: Sine cultu enim veri Dei, etiam quod videtur esse virtus, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest. Chrysostomus: Nil extra fidem bonum est, ac ut quadam similitudine utar, similes mihi videntur, qui operibus bonis florent & Deum pietatis ignorant, reliquiis mortuorum pulchre quidem indutis. Vide Basilium serm. 2. de Baptismo cap. 1. An possibile, an acceptum Deo sit, eum, qui peccato servit, facere justitiam? Adfert quæstionis explicationem ex Veteri Testam. dicente Deo: Peccator, qui vitulum mihi immolat, perinde est,*

de est, atque qui canem mactat; & in Novo Testamento dicit Dominus: Qui facit peccatum, servus est peccati, & nemo potest duobus Dominis servire. Propterea hortandum est, ut faciamus arborem bonam & fructus ejus bonos, & repurgemus primum, quod inter poculum est & patinam, & tunc quod extra erit, mundum erit totum. Vide Augustinum adversus Julianum lib. 4. c. 3. Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri deberet, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

Ibid. in cap. de Operibus præparatoriis p. 927. *Sectatores Thomæ rejiciunt sententiam Scoti existimantis, hominem ex puris naturalibus & auxilio generali posse se ad gratiam de congruo præparare, & respondetur, neminem facultate humana posse sufficienter se ad gratiam disponere, nisi speciali auxilio subnixus ea dispositione, quam infallibiliter & certa lege subsequitur gratia. De hac quoque præparatione gratiæ pulcre disserit doctissimus Theologus Parisiensis Johan. Driedo de concord. lib. art. & prædest. Hominem nondum credentem, sed sibi derelictum in solis vitiatæ Naturæ talentis se ad accipiendam fidei gratiam præparare non posse. Nam absq; gratuito auxilio Dei crucem mortemq; Christi revelantis intusque docentis, atque trahentis, nemo incipit credere. Idem Doctores, cum dicunt, Deum homini, quantum in se est facienti, super iis, quæ illi ad salutem sunt necessaria nunquam deesse, intelligi debere de homine, quod in se est faciente jam cœlitus attracto, ad accipiendam gratiam Dei.*

Johannes Ferus lib. 1. in Matth. ad cap. 7. p. 125. super verba: *Mala arbor facit fructus malos*, edit. Ann. 1559. *Ex hoc consequitur, quod nullum bonum & Deo gratum opus est extra fidem, imo soli fideles bona opera faciunt. Ratio hujus est, quia sine fide & gratia homo nihil aliud est, quam infructuosa & mala arbor, non igitur potest bonos fructus ferre. Virtutes igitur Philosophorum bonæ non sunt; quia etsi speciem boni habeant, non tamen è bona arbore prodeunt, aut enim ex amore vel spe laudis, aut timore vituperii hæ processerunt. Nec solum bonos fructus ferre non potest Natura nostra citra gratiam, sed & malos* (Curatores editionis Lugdun. Ann. 609. per crimen falsi addiderunt, *malos sæpius*) *producit, juxta illud: Sensus & cogitatio hominis prona est ad malum. Item: Omnes hypocritæ sunt, & omne os locutum est mendacium. Item: Vani sunt omnes, vana opera eorum, vanaq; omnia consilia eorum. Item: Omnes erravimus, unusquisq; in viam suam. Vides igitur, nedum non bonum, sed malum esse, quicquid extra fidem fit.*

Idem Ferus in c. 1. Joh. super verba: *Vita erat lux hominum. Ratio, lumen quidem est à Deo datum, quo scimus, bona esse facienda & mala fugienda, plerunq; tamen, imo nunquam nō in electione fallitur, nisi adsit lumen divinum. Monemur igitur hoc verbo, ut non rationi nostræ, sed Dei verbo, quæ vera lux est, obtemperemus.*

Idem in illud eiusdem cap. *Qui non ex sanguinibus &c. Hoc igitur*, inquit, *verbo damnat in totum veterem nativitatem, atq; adeo & omnes vires Naturæ, quæ naturali propagatione transfunduntur in sobolem.*

Idem in illud ejusdem capitis. *De cujus plenitudine omnes accepimus. Maledicta sunt non solum, quæ nos agimus, sed & quæ in nos aguntur. Maledicta est cordis nostri cogitatio, ratio, os, manus, pedes. Maledicta sunt nobis omnia contingentia, sive læta, sive tristia. Hinc est, quod in lætis intumescimus, in tristibus frangimur & desperamus.*

Idem in illud ejusd. c. *Lex per Mosen data est. Quamvis ipsa lex in se bona sit, tamen si non adsit gratia, nihil facit, nisi hypocritas.*

Idem in c. 3. Joh. super verba: *Lux venit in mundum. Christus primo manifestat, omnia nostra esse meras tenebras & peccata.*

(Hæc ex Fero adducens Sixtus Senensis lib. 6. annot. 40. subjungit: *Hos atq; hujusmodi autoris hujus locos Dominicus Soto idcirco vitandos censet, quod ii favere videantur Lutheranis hæreticis, docentibus, Naturam humanam sine peculiari justificantis gratiæ auxilio non posse nisi malum eligere & facere, & ob id omnes infidelium actiones, atq; etiam ipsas virtutes peccata, & omnia Christianorum opera, quantumlibet bona, si absq; speciali gratificantis gratiæ bono fiant, esse mala & hypocritica. Michael Medina in Apologia, quam pro Fero scripsit, has sententias à Soti reprehensionibus defendens, inquit, autorem, cum diceret, opera, quæ sine gratia fiunt, esse mala & peccata non respexisse ad Lutheranorum dogma, sed ad phrasin & loquendi morem vetustis Patribus usitatum, qui universa opera, quæ seclusa divinæ gratiæ ope fiebant, nedum bona dicebant, sed frequentissime & mala & vitia & peccata & tenebras appellabant: non quod ea vere ac simpliciter mala ac peccata esse crederent, sed quia scirent, ipsa nec ad acquirendam Christianam justitiam prodesse, nec ad comparandum æternæ felicitatis bonum proficere.*)

Ambrosius Catharinus in Concil. Trident. tuebatur hanc sententiam, *hominem absq; singulari Dei ope nullam actionem posse peragere, quæ vere bona dici possit, ne moraliter quidem, sed peccatum solummodo. Ideo omnia opera infidelium, qui à Deo non excitantur ad credendum, & omnes actiones fidelium, sed peccatorum, antequam à Deo excitentur ad conversionem, utcunque honestæ, imo heroicæ videantur, vera esse peccata. Quod si quis eas magni facit, eum in genere eas spectare, & externam modo speciem intueri; at qui singulares uniuscujusq; actionis circumstantias introspexerit & expenderit, earum pravitatem ac perversitatem facile deprehensurum. Itaq; hoc nomine Lutherum minime damnandum &c.*

Petrus Suavis lib. 2. Histor. Conc. Trident. p. 222. *Ad sententiæ hujus confirmationem D. Thomæ doctrinam citabat: ut opus aliquod sit bonum, necessario requiri omnium circumstantiarum concursum, unius vero defectum sufficere, ut sit malum. Ideo, etsi actionibus in genere consideratis, aliquæ sint indifferentes, in individuo tamen nullum esse medium inter hæc, habere omnes circumstantias & destitui aliqua. Ea propter particularem quamq; actionem vel vere bonam esse, vel vere malam, neq; indifferentem ullam dari. Et quoniam inter circumstantias finis obtinet suum locum, omnia opera, quæ ad malum finem referuntur, pravitatis ejus infectione inquinari. Cum igitur infideles actiones suas omnes ad finem improbum referant, sectæ suæ propositum, utcunque heroicæ videantur iis, qui finem ipsis propositum non attendunt, esse nihilominus peccata. Neque quicquam interesse, utrum relatio ad malum finem sit actualis, an habitualis, quandoquidem justus meretur, etsi opus suum ad Deum actualiter non referat, sed habitualiter. His, Augustinum citans, addebat, non modo peccatum esse, referre actiones ad malum finem, sed illud quoque non referre ad bonum finem, ubi id fieri oportuit, eoque, cum arcte teneret, hominem absque speciali Dei auxilio præveniente, non posse actionem ullam referre ad Deum, inde colligebat: nullum bonum opus morale posse ab eo prius proficisci. Neque solum Augustinum in eam rem citabat, sed & Divum Ambrosium, D. Prosperum, S. Anshelmum aliosqui è Patribus. Item Gregorium Ariminensem & Cardinalem Roffensem, qui in libro suo contra Lutherum sententiam illam diserte tueatur. Existimabat longe melius esse, Patrum vestigiis insistere, quam Scholasticorum invicem pugnantium, & Scripturarum potius fundamento inniti unde vera Theologia est petenda, quam Philosophorum argutiis, quibus Scholæ sunt refertæ. Olim se in ea fuisse opinione, sed Scriptura & Patribus diligenti studio perlectis veritatem attigisse. Duobus autem maxime Scripturæ locis utebatur, uno ex Evangelio, arborem malam non posse bonum fructum facere, eo addito, quod & Christus subjunxit, Aut facite arborem bonam &c. altero admodum efficaci ex D. Paulo, Infidelibus nihil esse mundum, quorum mens & conscientia inquinatæ sunt.* Petrus Suavis d. l.

Salmero tom. 9. tract. 56. p. 437. *Docet Christus, Ethnicorum virtutes minime veras virtutes fuisse, aut saltem dignos Deo non protulisse fructus, cum ab hominibus proficiscerentur, qui Christo insiti non erant.*

Suarez. lib. 3. de auxil. gratiæ c. 1. n. 3. contra Thomam & alios Scholasticos concludit, *quia finis præceptorum Dei supernaturalis sit, ideo & principium & medium observationis eorumdem oportere, ut sint supernaturalia.* Cum enim Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 3. & discipuli ejus antiquiores *majore ex parte*, ut Suarez loquitur, doceret, *actus fidei, spei & caritatis, quoad essentiam & entitatē suam, esse naturales*; monente eodem Suarezio, recentiores Theologi, præsertim hi, qui Conciliorum & Patrum testimoniis eorumq; rationibus expendendis, attentiores insudarunt, docuere, *quod illi actus, ad quos gratia Dei simpliciter necessaria est, in substantia & entitate sua sint supernaturales, nec Concilia, cum addunt particulam illam, sicut oportet*, (quod homo non possit solis Naturæ viribus credere, sperare, diligere, sicut oportet, ut loquitur etiam Conc. Trident. sess. 6. can. 3.) *accidentalem modum horum actuum declarant, sed essentialem rationem & proprietatem convenientem ipsis ex vi naturalis objecti & principii, & ut hos actus separent ab aliis actibus imperfectis atque analogis, quos solet homo circa eadem objecta materialia exercere, qui actus soleant propter similitudinem, quoad substantiam, tales appellari. Atque hac ratione dixisse quosdam Theologos, quod actus spei, caritatis &c. quoad substantiam possint elici solis Naturæ viribus, scilicet, ut substantia dicit communem rationem & convenientiam actus, non ut dicit propriam & essentialem rationem specificam. Eosq; falsam quidem sequi opinionem, non tamen errare in doctrina fidei.* Hæc omnia Suarez.

Lorinus in Comm. 2. Petr. 1. v. 3. p. 609. *Cum vel Patres, vel Concilia dicere videntur, nos nihil posse, nisi peccatum sine gratia, volunt, perinde referre quidvis aliud fiat, quamvis naturaliter, moraliterque bonum sit, ac si esset peccatum, quod attinet ad pietatem & vitam æternam, sc. quia est extra ordinem eorum, quæ per se ad hæc conducunt.*

Pesantius in 1. 2. q. 109. art. 2. D. 2. *Altisiodorensis, Alensis & Capreoli* suffragia nobis largitur.

Bellarminus lib.5.de Grat.& lib.arbit.cap.1. *Gregorii Ariminensis & Casparis Cassalii sententiam nobis favere agnoscit.*

Tannerus tom.2.Theol.Schol.Disp.6.quæst.3.dub.3.num. 76.&tom.3.Theolog.Schol.Disp.1.quæst.8.dub.4.num. 45. fatetur, *Ariminensem, Capreolum, Michaelem Bajum, Cassalium &c. statuere, quod opera infidelium sint peccata*, quorum sententiam ibidem refellit.

Maldonatus in cap.7. Matth.v.18.fatetur, *sententiam illam à Concilio Trid. damnatam, quod omnia peccatorum, aut etiam infidelium opera sint peccata, ex Catholicis aliquando Theologis suos habuisse defensores.*

2. Quod suffragium Augustini & aliorum Patrum nobis in hac quæstione largiuntur.

Thomas Bradwardinus (Cantuariensis Archiepiscopus suo tempore *profundus* dictus, à Cassandro laudatus artic.18. Consultat. & Epist.19.ad Molinæum.) lib.2.de causa Dei adversus Pelagium cap.5.fol.486.adducit locum Augustini lib. 4.contra Julian.cap.3. (*Absit,ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit. Quis porro eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit Diabolo mancipatum?* Et postea cap.5. *Acerbissimi genere immunes exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ solum est Naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solius libertatis ingenitæ viribus & misericordes crebro & modesti & casti inveniuntur & sobrii:*) & ex eo probat, *tales infideliū actiones non fuisse veras virtutes, quia vera causa efficiente & finali, quæ solet in moralibus formam præstare, destituantur*; id in specie ex cap.10.& 12. ejusdem libri Augustiniani de continentia gentilium confirmat, *nequaquam* scilicet *eam fuisse virtutem, quia fine vero caruerit*, idem etiam comprobat autoritate Bedæ, quem *contra eundem Julianum specialiter unum fecisse librum* ait, cujus c. 13. Juliano objicienti: *Quam multos Philosophorum audivimus & legimus, & ipsi vidimus castos, modestos, patientes! &c.* sic respondet: *Hi nullam veram virtutem, nec veram sapientiam ullam habere potuerunt. In quantum vero, vel gustum sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginationem habebant, desuper hoc totum acceperunt.*

(Idem Bradwardinus d.l.cap.7.fol.491.illud, quod Bellarminus lib.5.de Grat.& lib.arbitr.cap.9.ab init.& alii asserunt, *posse non renatum, si nulla tentatio urgeat, bonum aliquod morale perficere*, ex professo refellit, dicens, *nullum etiam non tentatum ullum peccatum vitare posse.* Ratio ejus est, *Aut vitabit agendo aliquid, & tum Deum fore causam illius actionis*, ut cap.3.& 4.libri 1. probaverit: *aut non agendo, ac tum ejus non actionis similiter Deum causam fore*, id quod cap.13.primi libri probatum dederit, unde concludit, *ad quodcunque peccatum vitandum Dei gratiam necessariam esse.*)

Censura Coloniens. contra Monheimium pag. 28. *Docere, quod omnia non renatorum opera inter peccata recenseantur, non est satis accommodum his, quæ Doctores hac tempestate asseverant. Quamvis enim veteres quidam aliquando idem dixisse visi sunt, Scriptura tamen, quibus hoc probari putatur, non multum sane momenti ad hoc declarandum habent.*

(Distinguunt Colonienses inter Doctores veteres & recentiores, illos ita docuisse concedunt.)

Georgius Cassander d.l. Augustini, Prosperi, Chrysostomi, Basilii &c. testimonia eam in rem affert.

Salmero Disp.9.libri 4.in Epistolam ad Rom. fatetur, *Augustinum sæpe uti testimonio Apostoli Rom.14. Quicquid non fit ex fide, peccatum est; ad probandum, omnem infidelium actum esse peccatū.*

Ibid.notat, *non deesse alios Patres, qui fidem hoc loco non pro conscientia, quæ regula est actionum humanarum, sed pro assensu fidei Catholicæ, sive assertione dogmatum accipiendam esse doceant, & in ea sententia esse Augustinum, ut oppositam fidei acceptionem tanquam novam & inauditam non probarit.*

Maldonatus d.l. *Opinio illa, quam Concilium Tridentinum nuper merito damnavit, omnia peccatorum, aut etiam infidelium opera esse peccata, maximum autorem Augustinum lib. 4. contra Julian. cap.3. & lib.3.contra duas Epistolas Pelagian.cap.5.& Prosperum sent.106. habuisse videtur.*

(Non solum *videtur* Augustinum habuisse autorem, sed etiam revera habuit, ut verba manifesta in adductis locis testantur, lib.4.contra Julian.cap.3. *Non officiis, inquit, sed finibus à vitiis discernendæ sunt virtutes, non actibus, sed finibus pensantur officia. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Veræ virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Quicquid igitur boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi ab officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est &c. Nulla potest esse vera virtus, nisi in eo, qui justus est, justus autem nemo esse potest sine fide.*

Lib.3.ad Bonifac. cap. 5. *Sine fide quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur, quicquid enim ex fide non fit, peccatum est.*

Similia occurrunt lib.5.de Civit.Dei cap.12.& 19.lib.19.de Civ.Dei cap.25.lib.1.de Nupt. & concupisc.cap.3. in Psal.31. in Psal.67.&c.

Prosper in sent.106. *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis voluntatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.*)

3. Quædam hypotheses Adversariorum.

Concilii Tridentini decretum sess.6. can.7. sic habet: *Si quis dixerit, opera omnia ante justificationem, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri &c. anathema sit.*

In his verbis Concilium non videtur loqui *de operibus infidelium ante omnem fidem*, sed de operibus prima Dei gratia præventorum, nondum tum justificatorum. Ex Pontificiorum enim opinione, fides, quæ secundum ipsos *in notitia & assensu articulorum fidei* consistit, tempore prior est justificatione, præterquam quod dubium sit, an Justificationis vocabulum *de prima*, an vero *de secunda*, quam vocant, *justificatione* sit accipiendum. Videtur ergo, consensisse Concilium cum Catharini opinione, de qua diximus superius, quem Concilii sensum expressit Bellarminus lib.5 de Grat.& lib.arbitr.cap.4.§. Neque definit &c. *Non definit Concilium, opera infidelium non esse peccata, sed non esse peccata opera omnia, quæ justificationem præcedunt. Præcedunt enim justificationem etiā illa opera, quæ fiunt à fidelibus, postea quam in peccatum ceciderunt &c. Neque definivit idem Conciliū, opera fidelium peccatorum absolute non esse peccata, sed addidit, quocunque modo facta; ut intelligeremus definiri solum à Concilio, quædam opera fidelium peccatorum, non esse peccata, illa videlicet, quæ fiunt cum auxilio speciali Dei. De his enim solis proprie Concilium definire voluit, quoniam propositum illi erat, agere de justificatione & iis operibus, quæ ad justificationem disponunt, ut in eodem Concilio habetur, quæ initium sumunt à gratia Dei excitante.*

(Hoc sensu si Concilii verba intelligantur de operibus ex speciali Dei gratia factis, ante consummatam tamen justificationem, non simpliciter ea repudiamus, sed cum declaratione in ἐκθέσει tradita recipimus.

Quamvis vero Andradius in Concilio scribens, Concilii mentem etiam *ad opera ante omnem Dei gratiam facta* extenderit, quia tamen in præfat. Defens. Concil. Trident. sub finem testatur, *non fuisse sibi injunctum aliquod scribendi munus à Synodo, sed hominum gravissimorum hortatu suos de orthodoxis explicationibus libros, dum Concilium ageretur, composuisse*, ideo Andradii explicatio non potest pro ipsa Concilii decisione accipi.)

Idem Andradius l.3.Orthodox.explic. *Quo genere infidelium opera censenda sint, nondum est ab Ecclesia, sacrisq; Conciliis, ut arbitror, definitum.*

(Ergo nō possunt nostrā sententiā, ut hæreticam, repudiare.)

Bellarminus lib.3.de Eucharist.cap.9.§.penult. *Opera bona sine fide non prosunt.*

(Ergo etiam sine fide non sunt vere bona opera.)

Idem Lib.5.de Grat.& lib.arbitr.cap.11. resp.ad 8. argum. *Omnia opera infidelium vocantur peccata, quia fere omnia fiunt ob malum finem, ut in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam.*

(Atqui illud *fere* nec à Scripturis, nec ab Augustino additur, sed opera infidelium *simpliciter* omnia dicuntur esse peccatum, tum quia sine fide fiunt, tum quia non fiunt ob finem debitum.)

Lib. ejusdem cap.5.§. Neque responderi potest &c. *Observatio secundum substantiam operis requirit, ut sic præceptum observetur, ut peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob præceptū non impletum. Scripturæ autem allegatæ apertissime docent, non posse legem sine gratia Dei ita servari, ut non peccetur, ideo enim vocant legem sine gratia adjuvante, legem peccati & mortis, virtutem peccati & literam occidentem, & ideo ad Galat.3. Apostolus dicit: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus: loquuntur igitur testimonia allegata de observatione secundum substantiam operis.*

(Atqui non renati non possunt præceptum ita observare, ut peccatum non committant, & non fiant rei ob præceptum aliquod non impletum. Ergo non renati non possunt legem secundum substantiam operis observare.)

Lib.1.de justificat.cap.21.§. Ad illud &c. agnoscit, *ante fidem nihil boni fieri posse.*

Lib.4.de Justificat,cap. 17.§.ultimo. *Opera bona ex genere sive ex objecto, sed mala ex circumstantia non sunt bona simpliciter, sed mala, quoniam bonum non existit, nisi ex causa integra, malum vero ex quolibet vitio. Quare Dominus Matth.6.& 7. orationes, jejunia & eleemosynas, quæ sunt bona, ex genere suo simpliciter damnat, & mercede apud Deum carere dicit, si fiant intentione captandæ auræ popularis.*

(Subsumimus de bonis operibus infidelium aut non renatorum, quod sint bona *ex genere*, sed mala *ex circumstantia.*)

Censura Coloniensis pag.47. *Fatentur veri Christiani, nihil posse quenquam operari, quod bonum sit,* (nota) *quodq; rationem habeat veræ virtutis, nisi nō generale tantummodo divinum auxiliū præsto sit, sed peculiari gratia fulciatur, roboretur, ac omnino adjuvetur.*

(Stante hac hypothesi, negari nequit, opera infidelium esse peccata.)

Except. Adversariorum.

Quando ex Matth.7.& Luc.6.colligimus hoc modo: *Arbor mala non potest fructus bonos facere. Omnis homo post lapsum ante conversionem est arbor mala, utpote filius iræ, peccato infectus & damnationi obnoxius. Ergo sua Natura, id est, viribus liberi arbitrii solis non potest fructus bonos facere;* excipit Bellarminus lib.5.de Grat. & lib.arbitr.cap.9.resp.ad 7. *non esse idem testimonium Matth.7. & Luc.6. sed diversa & alia occasione prolata. Nam apud Lucam ponitur doctrina generalis ad dignoscendos omnes hypocritas; apud Matth.cap.7.ponitur signum cognoscendorum falsorum Prophetarū tantum. Rursus apud Lucam spinæ opponuntur ficubus & rubi uvis; apud Matthæum contra spinæ uvis & tribuli ficubus. Denique ea, quæ scribit Lucas cap.6.scribit Matthæus cap.12. Necesse est igitur, ut quæ scribuntur Matth 7.diversa sint ab iis, quæ scribuntur Luc. 6. nisi quis velit Matthæum bis eadem sine causa repetivisse.* Ex hoc fundamento respondet, *Matth.7.per arbores bonas & malas non intelligi voluntates hominum bonas vel malas, sed doctrinas veras vel falsas, vel ipsos homines, quatenus docent sanam doctrinam, aut corruptam & perniciosam.* Atqui Bellarmino hac in parte non suffragatur Salmero tract.64. tom.5.nec Maldonatus in h.l.respondent etiā argumentis Bellarmini. *Multa* (inquit Maldonatus) *Lucas in medio omisit, cum hunc sermonem breviter describeret. Non magni refert* (inquit Salmero) *scire quid horum dixerit Dominus, cum idem sit utriusq; literæ sensus.*

Argum. Adversariorum.

1.Matth.5 v.46. *Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti. Ex his Christi verbis colligitur, infideles facere, aut posse facere aliqua bona opera, cum possint ostendere signa benevolentiæ erga suos, quod est opus bonum.* Bellarm.

Resp.1.idem Bellarminus lib.3.de Grat.& lib. arbitr.cap.9. *Potest servari præceptum,* inquit, *secundum substantiam operis, etiam cum peccato.*

(Concedimus, infideles facere bona opera *secundum operis substantiam,* quando agunt ea, quæ sunt rectæ rationi conformia, sed non possunt facere bona opera, *quoad rationem boni,* cum nulla opera faciant bona voluntate & debita intentione.)

2.Maldonatus in hunc loc. sic commentatur: *Non negat mercedem habituros, quicunque amicos diligunt, cum amicos diligere caritatis sit. Sed negat mercedem habituros, si ut publicani tantum id faciant. id est, si non propter Deum, sed, aut propter naturalem in amicos propensionem, aut propter utilitatem suam faciant. Quisquis autem inimicos non diligit, satis declarat, se amicos non propter Deum, sed propter se diligere. Si enim propter Deum diligeret, etiam diligeret inimicos, qui non minus, quam amici imago Dei sunt.*

(Ergo cum hoc faciunt infideles, faciunt bonum non bene: quia non debito fine, ergo peccant.)

Argum.2. Luc.19.v.26. *Omni habenti dabitur & abundabit. Ergo congruum est, ut bene utenti bono Naturæ propter Deum, Deus, qui est maxime munificus, bona gratiæ largiatur, quod est ipsum meritum de congruo.*

Resp. Non constat, illa Christi verba dicta esse de homine in puris naturalibus, sive nondum renato.

Thomas in Catena. *Significat per hos, qui minas recipiunt, suos discipulos.*

Lyranus in h.l. *Vocatis decem servis suis, id est, fidelibus universis.*

Cajetanus in h.l. *Intellige per decem minas universa dona, quæ Jesus distribuit Ecclesiæ suæ.*

Maldonatus in cap.25. Matth. *Christum de fidelibus tantum videri locutum* pronunciat.

Argum.3.Act.10.v.4. *Cornelius adhuc gentilis præstitit opera quædam Deo grata.*

Resp.1.Salmero Disput.11,in Epist.ad Gal,tom.15.pag.41. *Cornelius erat justus, religiosus, ac timens Deum, quod non contigit sine fide. Ejus orationes ascenderunt ad Deum delatæ per Angelos. Ergo in fide orabat &c. Hieronymus in cap.3.Gal. tribuit Cornelio justificationem ex fide & jam justum fuisse. Ita etiam B. Thomas 2.2. quæst. 10.art.4.ad 3.tradit, Cornelium prius credidisse in Deum, sed postea explicite in Christum, ut potentius assequeretur salutem.*

2. Glossa ordinaria in h.l. ex Gregorio. *Cornelius, cujus eleemosynæ ante Baptismum, Angelo testante, laudantur, non operibus ad fidem, sed fide venit ad opera.*

Locus Gregorii integer sic habet, Homil.19.in Ezechielem: *Cornelius Centurio, cujus eleemosynæ ante Baptismum, Angelo attestante, laudatæ sunt, nō operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera, nam & ei per Angelum dicitur: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Dei. Si enim Deum vere & ante Baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat. Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod ejus omnipotens Filius incarnatus esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset. Scriptum namque est, sine fide impossibile est Deo placere. Fidem ergo habuit, cujus operationes & eleemosynæ placere potuerunt.*

3.Jacobus Tirinus in Comment. Act.10.v.1. *Cornelius primo erat religiosus ac timens Deum; secundo, curabat, ut & omnis domus, id est, tota familia sua talis esset; tertio, faciebat eleemosynas multas plebi; quarto, deprecabatur Deum semper &c. Ex his, ni fallor, contra S. Basilium, Chrysostomum, Oecumenium & Stapletonum constat, Cornelium, antequam Petrum accerseret, justum fuisse, & in statu gratiæ, quod & v.22. & 34 diserte affirmatur, & est pene communis Doctorum sententia. Colebat ergo Deum Cornelius, sicut olim Job ejusq; amici &c.*

Argum.4. *Nulla peccata Deus remuneratur. At quædam opera infidelium Deus remuneratur. Ergo quædam opera infidelium non sunt peccata.* Minor probatur ex Exodi 1.v.21.Ez.29.v.20. Dā.4 v.24.

Resp. Bellarminus l.5.de Grat.& libero arbitr.cap.11. resp. ad 8.argum. sic disserit: *Vocantur omnia infidelium opera peccata, quia fere omnia fiunt ob malum finem, ut in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam.*

Et paulo post *Damnat igitur rectissime Augustinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab eis referebantur.*

(Atqui Augustinus Lib.5. de Civitate Dei cap.12.& 15. totus in eo est, ut doceat, *Romanos ad inanis laudis cupiditatem sua omnia retulisse laudabilia facta, & tamen à Deo mercedem tulisse & laudem & Imperii amplitudinem.* Idem docet Prosper contra Collatorem. Sic ergo colligimus: Quæcunque infidelium opera fiunt ob malum finem, illa sunt peccata, fatente Bellarmino. Atqui opera illa gentilium, quæ Deus remuneratus est, facta ab ipsis fuerunt ob malum finem, docente Augustino & Prospero. Ergo opera illa gentilium, quæ Deus remuneratus est, fuerunt peccata, non quidem ipso suo genere, sicut adulteria, furta, cædes, blasphemiæ &c. sed quia non fuerunt ab ipsis bene & sine peccato facta.)

CAPUT IV.

De viribus Liberi arbitrii.

Thesis. Homo post lapsum in spiritualibus non habet liberum arbitrium.

Ἔκθεσις. Si per liberum arbitrium intelligitur *ipsa mens & voluntas hominis,* quæ sunt facultates animæ rationalis, quarum illa cognoscendo & judicando, hæc eligendo & repudiando suum facit officium, in homine post lapsum liberum arbitrium superesse, neutiquam negamus.

Augustinus Lib.3.Hypognost. *Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negarit, Catholicus non est.*

2. Si per liberum arbitrium significatur *ἱκανότης,* sive *potentia passiva,* quod mens & voluntas hominis per ordinariam Dei gratiam ad accipienda Spiritus Sancti dona converti possit, itidem concedimus homini liberum arbitrium. Datur enim in homine aliqua *ἱκανότης,* qua non quidem seipsum convertere, à Deo tamen converti potest, unde vocatur *potentia* non activa, sed *passiva,* qua nihil aliud innuitur, quam hominem non esse conversionis prorsus incapacem, modo mediis divinitus ordinatis utatur, & Spiritui Sancto non ponat obicem.

3. Si per liberum arbitrium intelligatur non quidem facultas, quæ ad utrumque oppositorum bonum & malum libere se habeat, sed tantum *internum principium,* seu inclinatio illa, qua facultas in appetendo ducitur, itidem concedimus

mus, in homine superesse adhuc liberum arbitrium, quo hodie post lapsum sponte & quodam impetu ad malum, adeoq; non nisi ad malum fertur.

4. Si per liberum arbitrium intelligatur potentia illa in voluntate hominis, qua *in externis & civibus rebus* potest eligere malum vel bonum, vel etiam idem bonum jam non eligere, sed aliud, quod videbatur melius, præferre & appetere, itidem homini concedimus liberum arbitrium.

5. Sin vero per liberum arbitrium intelligatur vis quædam naturalis, qua se possit *ad gratiam Dei præparare, oblatæ in verbo gratiæ assentiri, conversioni cooperari ac motus spirituales edere*, negamus, in homine post lapsum ejusmodi liberum arbitrium in spiritualibus superesse.

6. Non est hoc loco quæstio *de statu integritatis*, in quo hominem non solum in civilibus & externis, sed etiam in spiritualibus libero arbitrio præditum fuisse, libenter concedimus, sed de statu hominis post lapsum.

7. Neque quæstio est *de statu reparationis vel restaurationis*, post factam conversionem. Quando enim in conversione voluntas hominis per Spiritum Sanctum est liberata, tunc etiam est libera & cooperatur, non tamen suis naturalibus, sed novis à Spiritu Sancto donatis viribus.

8. Neque quæstio est *de statu glorificationis*, in quo liberum arbitrium perfectissime liberatum & liberum fore concedimus, sed de statu corruptionis ante conversionem & in conversione, an possit homo naturalibus liberi arbitrii viribus Spiritui Sancto in conversione cooperari?

9. Neque quæstio est *de mediis* ad conversionem divinitus ordinatis eorumq; *usu externo*, an possit homo verbum Dei audire, vel non audire; legere, vel non legere; Sacramentis uti, vel non uti &c. in illis enim actionibus externis homini libertatem quandam relictam esse concedimus.

10. Neque quæstio est, an homo in Ecclesia educatus & ab ea informatus, *literalem quandam & Historicam fidei cognitionem* per vires liberii arbitrii sibi comparare possit, etiamsi non sit interius per Spiritum Sanctum regeneratus & renovatus. Id enim fieri posse concedimus.

11. Neque quæstio est, an in conversione locum habeant quædam actiones mentis & voluntatis, ita ut in ipsa conversionis inchoatione mens assentiatur & voluntas desideret; concedimus enim, conversionem non fieri sine actionibus mentis & voluntatis. Illud vero in quæstione est, unde mens & voluntas hoc habeant, ut spirituales motus proferant, & oblatæ in verbo gratiæ assentiantur, id quod unice per gratiam ipsis præstari, non autem per vires naturales adhuc reliquas, vel ex toto, vel ex parte præstari posse dicimus.

12. Cum liberum arbitrium versetur circa *bonum & malum*, ideo hi termini accurate sunt distinguendi. Malum, sive in actionibus externis, sive internis, consideratur vel *absolute in se*, vel *comparate ac relative*. Absolute & in se malum est, quod à Deo prohibitum. Comparate autem malum appellamus, quod etiamsi suo genere bonum sit, vitium contrahit ex defectu in principio suo, in suis circumstantiis & in fine, ad quem refertur. Bonum etiam distinguitur, quatenus est *naturale vel morale, ad hujus vitæ rationem pertinens*. Vel, *quatenus morale est divinitus, hoc est, ad Deum & supernaturalem vitam, relatum*. Juxta hanc distinctionem agnoscimus in homine post lapsum liberum arbitrium, sive potentiam naturalem liberam & electivam *ad bonū naturale & civile*, ad *bonum etiā morale primi generis*, cum opus bonum morale accipitur pro ipso opere in se considerato sine respectu *principii*, à quo fluit, & *finis*, ad quem refertur: etsi in eo vires humani arbitrii sint debilitatæ, quia magis inclinat ad malum, quam ad illud bonum, quantumvis imperfectum. Quod vero spectat verum bonum morale, quod omnibus modis tale est, ratione non solum *generis sui*, sed *principii, circumstantiarū, & finis*, quod supernaturale & salutare bonum appellamus, dicimus ex Apostolo, *animalem hominem non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei, nec posse intelligere* 2. Cor. 2. v. 14. Si intelligere non potest, aut percipere, certe ea non potest velle, quia electio à cognitione pendet.

13. Distinguendum inter *libertatem non peccandi*, & inter *libertatem non specificandi hoc peccatum*. Concedimus homini non renato libertatem à necessitate specificandi hoc vel illud peccatum, v.g. adulterium, homicidium, furtum &c. Ejusmodi peccatum in voluntate hominis non renati necessario specificari, quando eligitur, negamus: sed libertatem à necessitate planè non peccandi in homine nondum renato dari negamus, ideo quod non renatus, fide salvifica carens, nihil possit Deo placens, adeoque nihil non peccaminosum committere.

14. Præsuppositis bene agendi viribus, h.e. *posse & velle*, libertatem in homine taliter disposito non negamus; sed hoc negamus, quando Deus homini vires bene agendi contulit, quod libertas bene agendi ex Natura hominis superadd atur his viribus, ut volunt Pontificii.

15. Etsi non singuli ex populo Dei actu sint renati, habent tamen libertatem eligendi bonum *in causa*, h. e. habent oblatam sufficientem gratiam, quam possunt admittere, si non perseveranter excitanti gratiæ repugnent, atq; per admissam illam gratiam à peccati servitute se liberare. Etsi proinde non habeant libertatem immediate sufficientem ad electionem salutaris boni, habent tamen *libertatem resistendi*, quam dispositionem negativam, quæ & ipsa primæ gratiæ opus est, indubitato major gratia, & deniq; spiritualis libertas sequitur. Quod si hac ratione nempe ob præsentem & sufficientem Dei gratiam Pontificii libertatem etiam irregenitis tribuerent, *quam nempe habent in causa, etsi actu liberi non sint*, ut Tannerus videtur concessisse tom. 2. in Thomam Disp. 2. q. 1. dub. 1. num. 19. non magnopere repugnaremus.

16. Pontificii itidem dicunt, *hominem, non nisi Dei gratia motum & excitatum, cooperari Deo*. Interim non eodem sensu, quo nos, illud asserunt. Pontificii motum & excitationem Dei, liberam hominis in bonum propensionem solum *ratione ordinis & causæ elicientis* præcedere ajunt, negant vero esse principium influens in voluntatem hominis, hactenus, ut ideo solum, quia Deus voluntatem hanc ex gratia liberam fecit, & non ex congenita sibi facultate moveatur ad supernaturale bonum, adeoq; *libertatem in Natura sitam, à gratia Dei tantum provocari*, docent. Bellarm. lib. 6. de Grat. & lib. arbit. c. 15. Nos vero dicimus, Dei gratiam non elicere facultatem homini insitam, aut obstacula solum removere, sed omne id, quod post conversionem homo operatur, cum operari dicimus, pro modo & quantitate divinæ influentiæ, nihil omnino ex se, juxta illud Salvatoris Joh. 15. v. 5. *Sine me nihil potestatis facere*. Pontificii non omnem potentiam ad supernaturale bonum, sed potentiam solum exercitii & exercitio proximam homini nondum renato adimunt, dicunt enim: *Naturā inesse homini libertatem & potentiam activam ad eligendum bonum supernaturale, sed eam impediri, donec Dei gratia Naturam adjuvet*. Nos contra omnē bene agendi potentiam solius divinæ gratiæ beneficio tribuimus.

Anthitesis. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo excitanti atq; vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit*.

Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissū & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sinē re, figmentum deniq; à Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit*.

(Involvitur quæstionis status, cum nec de ipsa voluntate, nec de libertate voluntatis à coactione, nec de qualicunq; ejus libertate in externis, nec de renovatæ voluntatis libertate, hic sit quæstio: sed de potentia ad efficiendas actiones spirituales, an eam voluntas hominis ex se habeat, ut ante renovationem gratiæ prævenienti cooperari possit?)

Andradius lib. 4. orthod. explic. mentem Concilii sic explicat: *Liberum arbitrium non posse sanè efficere actiones spirituales sinē auxilio Spiritus Sancti, sed illud non ideo fieri, quasi mens & voluntas, qualis est in homine ex prima nativitate ante conversionem, prorsus non habeat ullam potentiam, ullas vires aut facultates, quæ ad inchoandas & efficiendas spirituales actiones necessariæ sunt, sed ideo, quia naturales illæ vires ac facultates, licet nec deletæ, nec extinctæ, adeo tamen peccatorū laqueis implicatæ sint, ut homo non possit se propria virtute ex illis extricare, quod declarat similitudine ejus, qui ferreis soleis devinctus insitam ambulandi vim exercere nequit; ac ægroti, cujus vires morbo fractæ ac debilitatæ*.

Censura Col. f. 35. *Non in moralibus officiis tantum & actionibus plurimum momenti habet arbitrium humanum, verum etiam in rebus ad salutem pertinentibus*.

Alphonsus de Castro adversus hæreses, in verbo Libertas, hæresi 2. *Si hominis arbitrium ex se & sua conditione liberum est, non potest per quodcunque adveniens peccatum suam libertatem amittere, & per consequens etiam, qui in peccato fuerit, poterit sicut peccare, ita &*

ita & peccatum vitare, & bonū opus, quamvis non meritoriū, operari.

Franciscus Romæus de libertate operum & necessitate, Lib. 1. vertit. 6. disputat, *non tantum hominem ita esse libero arbitrio, ut humana quæque opera illius imperio ac dispositioni subdantur: liberumque arbitrium nihil aliud esse, quam voluntatē expeditam ad eligendum, utpote indifferentē ad utrumlibet*: sed etiam addit: *Duo ex præmissis præcipue volumus cuilibet innotescere Christiano, vel etiam gentili; Primum quidem, quod absque ulla tergiversatione vel glossa liberum homini manet arbitrium: alterū vero, quod opera quæq; humana sive bona, sive mala, quomodolibet fuerint, illius subjacent potestati, præsertim quantum ad liberum operandi exercitium.*

Et vertit. 11. *Illud potissimum insinuare concedimus, quod licet omnium hominum sensus & cuncta cogitatio humani cordis prona sint in malum ab adolescentia sua, ut sacræ testantur literæ: in hominum tamen potestate repositum est, ebullientes à pronitate ejusmodi passiones & suscitatum Leviatan comprimere & humiliare, ne scilicet passiones peccatorum operantes in nobis, fructificent morti.*

Clingius Lib. 1. Locor. cap. 8. *Tametsi caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, quinto ad Galat. attamen in medio est ipsa voluntas libera, & utrique parti, cui voluerit, assentire & obedire potest.*

(In medio, inquit, quasi nihilo magis ad carnem vergeret, quam ad Spiritum.)

Gregor. de Valentia in Comm. Theol. super Thom. Disp. 6. general. *Sola Catholica & verissima sententia est, hominem habere liberum arbitrium ad omnes omnino actiones, ita tamen, ut ad illud non per solas suas naturales vires ad omnes actiones sufficiat, sed ad quasdam supernaturali adjutorio gratiæ indigeat, atque inprimis ad eas, quæ sunt spirituales, & quibus homo assequitur proxime divinam gratiam, ut ad fidei, caritatis, pœnitentiæ motum.*

Bellarminus Lib. 4. de Grat. & Lib. arbit. cap. 15. §. 3. concordiam divinæ cooperationis cum libero hominis arbitrio declarat simili *à duobus viris, qui simul portant ingentem lapidem, quem unus ferre non posset, ubi uterque concursum suum libere adhibet, & si alter nolit concurrere, opus non fiet; Quia ergo etiam in opere conversionis voluntatem humanam divinæ gratiæ cooperari statuit*, ideo *duas partiales conversionis facit causas, gratiam Dei & voluntatem hominis.* Quin imo *primam*, quoad prioritatem *ordinis causam conversionis facit voluntatem humanam*, quia in eod. cap. scribit, *voluntatem Naturæ prius operari, quam Deum, ac proinde Deum operari, quia voluntas operatur, non contra.*

Lib. 6. cap. 10. 11. & 12. evincere conatur, *homini post lapsum superesse liberum arbitrium in actionibus piis & spiritualibus.*

Cap. 15. disputat, *quod homo ante omnem gratiam liberum habeat arbitrium non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia; quod habeat homo ante omnem gratiam, potentiam remotam & imperfectam ad opera pietatis facienda; quod conversio hominis ad Deum, ut etiam quodlibet aliud opus pium, quatenus opus, à libero arbitrio est tantum, non tamen secluso auxilio generali, quatenus pium, à sola gratia est; quatenus opus pium, à libero arbitrio & gratia siml.* Utitur ibidem §. Doces &c. simili *à potentia videndi. Absente specie sensibili, habet homo potentiam & libertatem videndi, non enim ea species causa est libertatis, aut potentiæ videndi, tamen potentia remota est, & libertas ligata, donec accepta specie, potentia perficiatur & in actum prodire possit.*

(Ut ergo in homine est potentia naturalis videndi, quæ perficitur objecto visibili, ut in actum prodeat: ita ex sententiā Bellarmini in arbitrio hominis post lapsum superest potentia naturalis ad conversionem, quæ perficitur & in actum prodit, excitata motione & impulsu Dei.)

Costerus Domin. 3. Quadrag. conc. 3. *Per peccatum nullo modo liberum arbitrium totaliter conquassatum ac deperditum est, ut post Simonem Magum, Manichæos, Priscillianistas, veteres hæresiarchas, nunc Lutherani, juxta ac Calvinistæ non solum adversus Scripturarum veritatem, sanctorumq; omnium Patrum doctrinam: verum etiam contra rectam rationem, ipsamq; adeo quotidianam experientiam insaniunt. Per liberum quippe arbitrium possumus multis in rebus decernere, quid facere aut eligere velimus.*

In Enchirid. cap. de Lib. arb. p. 211. *Potestatem suscipiendi divinos influxus humanæ voluntatis viribus* tribuit, ac confert vires liberi arbitrii in non-renatis *cum homine in foveam prolapso & secure dormiente; Spiritum Sanctum cum amico, qui illius misertus è somno excitatum moneat, & manum ei vel funem porrigat. Quemadmodum igitur homo ille amici admonitioni locum relinquit, funem apprehendit, tenet, & quicquid in se est, pro viribus præstat, non patiendo tantum, sed & cooperando donec tandem è fovea extractus, lumine Solis collustretur*: ita ex sentētia Costeri *liberum arbitrium, ut è tenebricosa fovea per conversionem homo educatur, non suscipit tantum, patitur & agitatur, sed cooperatur ac præparat se.* Confert hominem peccatorem *cum semimortuo, ad quem desiderantem auxilium & connitentem amicus accedit cum lumine, ut jumento imponatur*; confert eum *puero, qui pomo trahitur*; ac *filio, qui à patre trahitur munusculis & blandimentis ad discendas literas. Spiritum Sanctum* confert *ductori, qui præeunte lucerna debilem manu trahit &c.* ac diserte scribit, *voluntatem hominis post lapsum retinuisse hanc libertatem, ut gratiam oblatam recipere vel non recipere possit, ut gratiæ admissæ cooperetur libere, gratiam Dei & liberum arbitrium esse causam spiritualis liberationis.*

Ibid. §. Fatendum &c. Costerus sic scribit: *Cum Natura voluntatis bona sit, cur non velit & operetur bonum, quandoquidem omnis arbor bona bonos fructus facit? & tametsi cogitatio peccatoris prona sit ad malum omni tempore, est tamen in eo igniculus virtutum.*

(At pari ratione etiam Diabolo & damnatis tribui poterunt bona opera, cum Natura voluntatis eorum in se sit bona.)

Guilielmus Bailius in Catech. Controv. tract. 4. q. 3. *Qui libertate arbitrii hominem spoliant, animantibus eum similem reddunt, sine peccato, sine virtute, sine inferno, sine Paradiso. Argumentum ad vos convincendum erit perspicuum. Qui negant liberum arbitrium, negant vitium & virtutem, Adversarii nostri illud rejiciunt. Negant ergo actiones omnes ad virtutem aut vitium spectantes. Vitium non est vitium & peccatum, nisi sit voluntariū, nec virtus est virtus, nisi sit voluntaria. Peccato infernus debetur, virtuti Paradisus Sic utrumque abolent.*

Nostram sententiam probamus primò *ex dictis Scripturæ.*

1. Quæ docent, hominem peccato penitus esse corruptum, ut nil sit, nisi *caro*, Joh. 3. v. 6. Rom. 5. v. 19. cap. 8. v. 6. Gal. 5. v. 19. Eph. 2. v. 3. &c. Utique ergo in spiritualibus non habet liberum arbitrium, quia *caro* & *Spiritus* sunt opposita, ubi caro dominatur, ibi nulla possunt esse opera spiritualia.

2. Quæ hominem post lapsum in statu corruptionis adhuc jacentem, non nisi male agere posse docent, Genes. 6. v. 5. cap. 8. v. 22. Psal. 14. v. 1. Matth. 7. v. 18. Luc. 6. v. 43. 44. Rom. 3. v. 9. Cum arbitrium hominis post lapsum non sit, nisi mala arbor, utpote per peccatum penitus infectum, utique non potest proferre bonos ac laudabiles fructus.

3. Quæ testantur, intellectum hominis in spiritualibus esse cæcum, 1. Cor. 2. v. 14. 2. Cor. 3. v. 5. unde *tenebris* comparatur, Luc. 1. v. 79. Act. 26. v. 18. Eph. 4. v. 17. 18. & 19. cap. 5. v. 6. Si intellectus hominis in spiritualibus cæcus est, utique non intelligit spiritualia, multo minus iis assentitur.

4. Quæ testantur, voluntatem hominis esse aversam, contumacem & refractariam, Gen. 6. v. 5. Joh. 3. v. 6. Rom. 3. v. 11. Eph. 2. v. 3. Si voluntas hominis post lapsum est à Deo aversa, utique non vult, nec velle potest se ad Deum convertere & in Christum credere.

5. Quæ testantur, hominem non posse seipsum propriis viribus ad Deum convertere, Jer. 13. v. 24. Matth. 12. v. 34. Joh. 6. v. 44. cap. 15. v. 5. 1. Cor. 12. v. 3. &c.

6. Quæ conversionis opus soli Deo tribuunt, Deut. 29. v. 3. Psal. 51. v. 12. Psal. 119. v. 34. Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26. Act. 26. v. 17. 2. Cor. 4. v. 6. &c.

7. Quæ testantur, Deum in conversione non tantum tollere externum aliquod libertatis impedimentum, sed *frangere corda* 1. Reg. 10. v. 26. *immutare corda* Job. 12. v. 24. *emollire corda* 2. Paral. 34. v. 27. *aperire corda* Act. 16. v. 14. *convertere corda* Luc. 1. v. 17. *circumcidere corda* Deut. 30. v. 6. *conterere corda* Ez. 6. v. 9. *creare cor novum* Psal. 51. v. 19. *auferre cor lapideum & dare cor carneum* Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26. *excitare à mortuis* Ephes. 5. v. 14. *vivificare* Eph. 2. v. 5. *regenerare* 1. Pet. 1. v. 3. *ut corrumpatur externus homo* 2. Cor. 4. v. 16. unde renati dicuntur *ipsius factura, creati in Christo Jesu* Eph. 2. v. 10. Ergo ingeneratur homini ista *δύναμις* de novo.

8. Quæ hominem non-renatum vocant *mortuum in spiritualibus* Joh. 5. v. 25. Ephes. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13. Ubi spiritualis mors, ibi nulla superest vis vitalis in spiritualibus, per quam homo ad sui vivificationem concurrere possit.

9. Quæ homines non renatos vocant *peccati servos* Joh. 8. v. 24. Rom. 6. v. 16. 19. 2. Pet. 2. v. 19. ergo non sunt liberi ad edendas actiones spirituales.

10. Quæ ostendunt, hominem non posse, nec debere gloriari, ac si conversionis suæ fuerit autor vel concausa, 1. Cor. 1. v. 31. cap. 4. v. 7. At si homo viribus naturalibus liberi arbitrii ad conversionem concurreret, posset gloriari.

Secun-

Secundo, *ex rationibus* in Scriptura fundatis.

1. *A necessitate petendæ à Deo conversionis.* Conversio singulariter est à Deo petenda Psal. 119. v. 34. 73. 125. 144. Jer. 17. v. 14. c. 31. v. 18. Thren. 5. v. 21. Ergo nō est in hominis potestate.

2. *A renovationis imperfectione.* Homines renati agnoscunt, quod ex propriis viribus nō possunt in fide permanere ac bonum opus perficere, Rom. 7. v. 14. & seqq. Ergo multo minus non-renati ex propriis viribus se ad Deum possunt cōvertere.

3. *A conversionis appellatione.* Nostra conversio vocatur *regeneratio, cordis novi creatio, immutatio, vivificatio.* At homo non potest seipsum regenerare; creatio est solius Dei opus, ac rerum Naturas nemo potest mutare, nisi creator Naturarum; vivificare seipsum nequit, qui in peccatis mortuus est.

4. *A carnis & Spiritus oppositione.* Ut caro non est Spiritus, ita quoque nequit spiritualia opera edere.

5. *Ex comparatione.* Homo non-renatus comparatur mortuo, duro lapidi, trunco, limo &c. Confer D. Meisnerum p. m. Anthropol. sacræ Dec. 3. Disp. 22. q. 6. ubi singula membra latius illustrantur.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, hominem post lapsum non habere liberum arbitrium in spiritualibus.

Innocentius I. Pont. Rom. (seculo quinto) in rescripto ad Epistolam Concilii Carthaginensis tom. 1. Concil. Colon. Anno 1567. excusorum p. 544. *Liberū arbitriū olim ille homo) perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda, demersus est, & nihil; quomodo exinde surgere posset, invenit, suaq; in æternum libertate deceptus, huic ruinæ sua subjacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam relevasset adventus.*

Idem ad Concil. Milevitanum. *In omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legimus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus auxiliis destitutam.*

Idem Epist. 25. (quæ itidem extat tom. 1. Concil.) *Cum putes te Deo debere, quod vivis, quomodo te non putas illi debere, quod* (quotidianam ejus consequendo gratiam) *taliter vivis?*

Paulo post dicit: *Ad resistendum humanis erroribus, nequaquam nos pares facere liberum arbitrium, sed magnis precibus impetratam gratiam, Deique auxilium.*

Cælestinus I. Pontifex Rom. in Epistola ad Episcopos Galliæ asserit, *quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus boni voluntarius ex Deo sit &c.*

Concilium Arausicanum circa tempora Leonis I. celebratum, capitula habet à Romano Pontifice transmissa, quæ Episcopi in illo Concilio congregati, manibus suis subscripserunt. Extant in dict. tom. 1. Concil. Colon. p. 722.

Capitulum primum sic habet: *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum (id est, secundum corpus & animam) in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ, dicenti, Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Et: Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis, cui obeditis. Et à quo quis superatus, ejus & servus addicitur.*

(Ergo statuit, animam hominis per peccatum læsa libertate, factam esse servam peccati, ac proinde etiam arbitrium esse servum.)

Capit. 3. *Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri* (ita enim legendum esse patet ex sequenti oppositione & ex Summa Conciliorum edita Antverp. Ann. 1559. à Bartholomæo Caranza) *non autē ipsam gratiā facere, ut invocetur à nobis, contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum à non quærentibus me, palā apparui his, qui me nō interrogabant.*

(Ergo non dantur opera præparatoria, quibus se homo ad conversionem & recipiendam gratiam justificationis disponere possit.)

Capit. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino; & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.*

(Ergo, ne ipsum quidem velle regenerari est à voluntate humana nondum regenerata immediate elicitum, sed per gratiam Dei in ipsa excitatum & effectum.)

Capit. 6. *Si quis, sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus: non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & operationem Spiritus S. in nobis, fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo, dicenti 1. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti? & cap. 15. Gratia Dei sum id, quod sum.*

Cap. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit: Si Filius vos liberaverit, tum vere liberi eritis.*

Gregorius Magnus Episc. Rom. Lib. 6. Indict. 15. Epist. 33. *Muneris sui largitate non frustratur Deus, sed vires obtinendi prorsus indulget, qui velle concessit. Nam jam ipsum desiderantes appetere, donum erit.*

Idem Lib. 7. Indict. 2. Epist. 54. *Quia ad supernorum desiderium anhelare sine divinæ misericordiæ gratia nullus valet, oramus Dominum omnipotentem, ut hæc nobis & eligendi velle & posse tribuat obtinendi.*

Lib. 3. in 1. Reg. cap. 7. *Omne, quod à nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divinæ gratiæ adscribitur.*

Bernhardus Homil. 1. de annunc. Mariæ col. 105. *Si stare non potuit humana Natura adhuc integra, quanto minus per seipsam potuit resurgere jam corrupta?*

Idem serm. 1. in Cant. col. 494. *Quomodo lux incassum circumfundit oculos cæcos vel clausos: ita animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.*

Serm 30. in Cant. *Cum mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est. Itaq; pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus.*

Serm. 32. in Cant. *Certa nobis præfigitur regula ne quod Dei est in nobis, demus nobis, putantes, Verbi visitationem esse nostram cogitationem. Sufficientia igitur cordis est ex Dei gratia: Dei vox & bonum quod cogitatur, non cordis proles existit.*

Serm. 81. in Cant. col. 738. *Solus homo inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato, patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate, non à Natura, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium est liberum. Et quidem peccato factum est, ut corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio, quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem: nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam premendo blandiens & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat &c.*

Ib. *Premebatur jugo, non alio tamen, quam voluntariæ cujusdam servitutis, & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se, cum esset libera, servam fecit peccati peccato assentiendo Voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntarie serviendo.*

Col. 739. *Ita anima miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate & ancilla tenetur libera; ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem, & quod magis mirum magisq; miserum est, eo rea, quo libera, eoq; ancilla, quo rea, ac per hoc eo ancilla, quo libera.*

In tract. de Grat. & lib. arbitr. col. 1053. *Itane oblitus es, qui dixerit: Sine me nihil potestis facere? Et neque currentis, neq; volentis, sed Dei miserantis est. Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter respondeo, salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur. Tolle gratiam, non erit, unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, uno, à quo fit; altero, cui, vel in quo fit Deus autor salutis, liberum arbitrium tantum capax; nec dare illam, nisi Deus, nec capere valet, nisi liberum arbitrium. Quod ergo à solo Deo & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse non potest accipientis, quam absq; gratia dantis. Et ita gratiæ danti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur. Consentire enim salvare est. Proinde pecoris Spiritus salutem hujuscemodi minime capit, eò quod illi voluntarius consensus desit, quo salvanti videlicet Deo placide obtemperet, sive jubenti acquiescendo, sive pollicenti credendo, sive reddenti gratias agendo.*

Col. 1055. *Liberum refertur ad voluntatem, arbitrium ad rationem. Sed sane liberum, non illa libertate, de qua dicit Apostolus: Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Est enim illa libertas à peccato, sicut alibi dicit: Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc autem*

liberati

liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem &c. Quis vero in carne peccati à peccato sibi vendicat libertatem? Hac ergo libertate merito nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Est item libertas à miseria, de qua idem Apostolus: Et ipsa, inquit, creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sed nunquid & istam sibi quisquam in hac mortalitate præsumit? Ex hac itaque liberum nominari arbitrium non immerito abnuimus. Est vero, quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eo quod necessarium voluntario contrarium esse videatur &c.

Col.1058. *Velle inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse, quod volumus. Non dico, velle bonum, aut velle malum, sed tantum velle. Velle etenim bonum, profectus est; velle malum, defectus. Velle vero simpliciter ipsum est, quod vel proficit, vel deficit. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit. Ut proficiat, salvans gratia fecit. Ut deficiat, ipsum se dejicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. Quemadmodum namque aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum; & aliud amare simpliciter, aliud amare Deum; quippe timere & amare simpliciter quidem prolata, affectiones; cum additamento autem virtutes significant: ita quoque aliud est velle, aliud bonum velle.*

Et postea: *Bonam facit* (voluntatem) *qui liberam fecit & ad hoc bonam, ut simus initium aliquod creaturæ ipsius &c. Itaque libera voluntas nos facit nostros, mala Diaboli, bona Dei.*

Col.1060. *Corruit homo, dum peccavit, de posse non peccare in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate. Itemque de posse non turbari in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad pœnam libertas arbitrii, per quam utique cæteras amisit, ipsam amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem servus peccati factus, merito perdidit libertatem consilii. Porro per peccatum debitor mortis factus, quomodo jam libertatem valebat retinere complaciti? de tribus ergo libertatibus, quas acceperat abutendo illa, quæ dicitur arbitrii, reliquis sese privavit.*

Col.1063. *In lapsu corruit homo de posse non peccare in non posse non peccare, amissa ex toto consilii, sive à peccato libertate, & hoc abutendo libertate arbitrii &c. Lapsus ex voluntate non æque ex voluntate resurgere jam liberum habet, cum jam, etsi velit, non possit non peccare &c. Nemo proinde putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur, cum cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli, cum ita sint boni, ut non possint esse & mali; nec prævaricatores item Angeli, cum ita sint mali, ut jam, non valeant esse boni, liberi arbitrii esse dicuntur &c. Ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æque liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali jam ratione non incongrue dicetur ad bonum se & ad malum habere æqualiter, quod utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas.*

Col.1066. *Infirmitas voluntatis à seipsa est, sanitas vero non à se, sed à Domini Spiritu. Sanatur autem, cum renovatur &c. Conatus liberi arbitrii ad bonum & cassi sunt, si à gratia non adjuventur; & nulli, si non excitentur. Cæterum in malum sunt proni, dicente Scriptura, sensus & cogitationes hominum.*

Col.1067. *Hoc ergo totum liberi arbitrii opus, hoc solum ejus est meritum, quod consentit est prorsus. Non equidem, quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est, quam consentire, aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est, cogitare & velle & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, id est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis, primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit; ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.*

Col.1068. *Crearis, sanaris, salvaris, quid horum tibi ex te homo? Quid horum non impossibile libero arbitrio? Nec creare, qui non eras; nec justificare peccator; nec mortuus poteras teipsum resuscitare.*

Et postea: *Qui recte sapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso, sive de ipso. Prima creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo namque in Christo creati sumus in libertatem voluntatis; secundo, per Christum reformamur in Spiritum libertatis; cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis.*

(Omittit statum secundum, sive eum, qui est post lapsum, quandoquidem is nullam habet operationem arbitrii in spiritualibus, sed est mera servitus.)

Ibid. *Quod à sola gratia cœptum est, pariter à libero arbitrio & gratia perficitur, ut mixtim, non sigillatim; simul non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc & totum ex illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*

Richardus de S. Victore (qui floruit circa Annum 1140.) Lib. de statu hom. inter. cap. 16. *Liberum hominis arbitrium, quod ex seipso nihil boni potest, incipit posse, quando & quantum voluerit ille, qui omnia potest. Quæ enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Incipit ergo posse ex divino adjutorio, quod non potest ex seipso, & quod jam non potest per Naturam, accipit bonum posse per gratiam.*

c. Resuscitatus. dist. 1. de Pœnit. ex Augustino. *Cum Deus sit vita animæ, anima vero corporis, sicut corpus vivere non potest, absente anima, ita non nisi Deo præsente anima vivere valet.*

(Jam vero ante conversionem homo destitutus est gratiosa Dei inhabitatione. Ergo etiam spirituali vita, ac proinde etiam viribus liberi arbitrii in spiritualibus.)

Lombardus Lib. 2. sentent. dist. 25. lit. G. *Possunt in homine notari quatuor status liberi arbitrii: Ante peccatũ enim ad bonum nil impediebat, ad malũ nil impellebat. Non habuit infirmitatẽ ad malũ, & habuit adjutoriũ ad bonũ. Tunc sine errore ratio judicare & volũtas sine difficultate bonũ appetere poterat. Post peccatũ vero ante reparationẽ gratiæ premitur à concupiscentia & vincitur, & habet infirmitatẽ in malo, sed non habet gratiã in bono, & ideo potest peccare & non potest non peccare etiã damnabiliter.* (Nota, *non potest non peccare*, ergo in homine nondũ renato est peccandi necessitas, nõ ratione *coactionis*, sed ratione *immutabilitatis*.) *Post reparationem vero ante confirmationẽ premitur à concupiscentia, sed non vincitur, & habet quidem infirmitatẽ in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatẽ & infirmitatem, & possit non peccare propter libertatẽ & gratiam adjuvantem; nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare propter infirmitatẽ nondum perfecte absorptam, & propter gratiam nondũ plene consummatam. Post confirmationem vero infirmitate penitus consumta & gratia consummata, nec vinci poterit, nec premi, & tunc habebit non posse peccare.*

Lit. H. *Per peccatũ naturalia bona sunt corrupta & gratuita detracta, incurrit enim homo pro peccato pœnã in corruptione & depressione liberi arbitrii. Corrupta est ergo libertas liberi arbitrii per peccatũ & ex parte perdita, unde Augustinus in Enchiridio: Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum. Cũ enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissũ est & liberũ arbitriũ, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Ecce, liberũ arbitriũ dicit hominẽ amisisse, nõ quia post peccatũ nõ habuerit liberũ arbitriũ, sed quia libertatẽ arbitrii perdidit, nõ quidẽ omnẽ, sed libertatẽ à miseria & peccato.*

Lit. I. exponit, *tres modos libertatis*, scilicet *à necessitate, à peccato & à miseria, ac per lapsum* dicit *perditam libertatem à peccato, non autem à necessitate.*

(Probe autem notandum, necessitatem illam sic intelligendam, ut magis respiciat peccatum *in genere*, aut *in specie*, quam particulares & singulos actus peccandi. Nam in singularibus actibus voluntas non est determinata ad unum malum. Intelligenda etiam necessitas eo modo, ut non includat *coactionem, vel naturalem & externam necessitatem*, unde lit. K. ibid. Lombardus ex Augustino subjungit: *Servi addicti peccato, scilicet quæ potest esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccandi servus est.*)

Lib. ejusdem dist. 26. lit. A. *Hæc est gratia operans & cooperans. Operans enim gratia præparat hominis voluntatẽ, ut velit bonum: gratia cooperans adjuvat, ne frustra velit. Unde August. in Lib. de Grat. & Lib. arbitr. Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit, quia ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus, operatur; cum autẽ volumus, & sic volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur, & tamen sine illo vel operante, ut velimus; vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Ecce his verbis satis aperitur, quæ sit operãs gratia & quæ cooperans. Operans enim gratia est, quæ prævenit voluntatẽ bonam, ea enim liberatur & præparatur hominis voluntas, ut sit bona, bonũq; efficaciter velit; cooperans vero gratia voluntatẽ jam bonã sequitur adjuvando.*

(Hic Lombardus clare affirmat, *initium omnis boni motus, conatus & actionis divinæ gratiæ tribuendum esse*, quæ dat aut efficit in nobis bonum velle.)

Lib. ejusdem dist. 27. *A sanctis locus Apostoli Eph. 2. exponitur, quod*

quod scilicet fides non est vi Naturæ nostræ, quia donum Dei pure est. Si gratia ex libero arbitrio vel ex parte est, jam non solus Deus sine homine eam facit.

Johannes Sarisberiensis in Polycratico lib. 2. cap. 20 fol. 81. *Peccare & non peccare potuit* (Adamus) *mera præditus libertate arbitrii, qui nulla dispositionis violentia nullo fatorum impulsu, nullo conditionis stimulo, nullo adhuc Naturæ defectu urgebatur ad culpam, quæ indubitata parens pœnæ hominem sponte lapsum impegit in mortem. Verum, quia justitiæ frena laxavit arbitrio, sic in eo oppressus & obrutus jacet, ut justo Dei judicio, quia tunc noluit à peccato abstinere, cum potuit, modo nequeat abstinere, cum velit; in eo tamen solo adhuc liberum arbitrium viget, ut sibi ad bonum non nisi à gratia præventus & adjutus assurgat. Sic justitiam per se deserens, traductus est in regnum peccati & mortis, ut jugo servitutis pressus, necessitati delinquendi & moriendi subjaceat.*

Thomas 1.2. quæst. 189. artic. 3. *Homo in statu Naturæ corruptæ non potest Deum ex puris naturalibus super omnia diligere.*

Id. 2. 2. q. 4. a. 4. *Fidem facit gratia non solum quando fides de novo incipit esse, sed etiam quamdiu fides durat. Deus semper operatur justificationem hominum, sicut sol semper operatur illuminationē aeris.*

Idem 2. 2. quæst. 6. art. 1. *Quantum ad assensum hominis in ea, quæ sunt fidei, potest considerari duplex causa, Una quidem exterius inducens, sicut miraculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem, quorum neutrum est sufficiens causa. Videntium enim unum & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem quidam credunt, & quidam non credunt. Et ideo oportet ponere aliam causam interiorem, quæ movet hominem interius ad assentiendum his, quæ sunt fidei. Hanc autem causam Pelagiani ponebant solum liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant, quod initium fidei est ex nobis, in quantum scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum his, quæ sunt fidei, sed consummatio fidei est à Deo, per quam nobis proponuntur ea, quæ credere debemus. Sed hoc est falsum, quia cum homo assentiendo his, quæ sunt fidei, elevetur supra Naturam suam, oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus; & ideo fides, quantum ad assentiendum, qui est principalis actus fidei, est à Deo interius movente per gratiam.*

(Si assensus fidei non est à viribus liberi arbitrii, utique nullæ sunt vires liberi arbitrii in spiritualibus.)

Idem quæst. 24. de Verit. *Liberum arbitrium sine gratia faciendo, quod in se est, non potest se disponere vel præparare ad habendam gratiam.*

In Comm. Rom. 6. *Liberum arbitrium semper* dicit *esse servum aut gratiæ, aut peccati.*

In Comment. Ephes. 2. affirmat, *fidem & omnino accessum aut conversionem ad Deum, non liberi arbitrii esse, sed singulare donum Dei.*

Guilielmus Parisiens. distinctionem in quæstione de libertate arbitrii maxime necessariam inter *justitiam civilem & spiritualem* satis commode explicat.

Gregorius Ariminensis Professor Parisiensis, qui vixit seculo decimo tertio, lib. 2. sent. dist. 26. & seqq. accusat Scholasticos reliquos, *quod in doctrina de libero hominis arbitrio hæresi Pelagianæ sint addicti*, & honorifice loquitur de Thoma Bradenardino (alii eum vocant Bradevardinum) Collegii Sorbonici Lutetiæ Professore, qui annis ante Gregorium decem, videlicet anno circiter 1330. *Opus tripartitum de gratia Dei* contra liberum arbitrium ediderat.

De eodem Bradevardino sic scribit Flacius lib. de Sectis & dissens. Pontif. 124. *Habeo Thomæ Bradevardini prolixum volumen de peccato originali & libero arbitrio, in quo acerrime accusat plerosque omnes Sententionarios Pelagianismi, & contra eos gratiam Christi asserit. Facit ejus mentionem etiam Gregorius Arimenensis super sententias scribens, Volaterranus item, ac Picus Mirandulanus. Satis quoque ille ipse Bradevardin clare indicat, complures tunc ingruentem Pelagianismum acriter reprehendisse, sed non sine gravissimo periculo, cum altera pars multo esset valentior & numerosior.*

Nicolaus de Orbellis lib. 2. sent. dist. 28. quæst. 1. *Liberum arbitrium non potest se disponere ad gratiam gratum facientem, nisi per aliquam specialem motionem factam per se immediate, vel mediante aliqua creatura.*

Dionysius Cisterciensis lib. 1. sent. dist. 17. artic. 3. asserit, *nihil simpliciter esse bonum, quod arbore mala & à radice vitiosa progignitur.*

(Ad hunc Dionysium Cisterciensem & Gregorium Ariminensem provocavit B. Lutherus in Disput. Lipsiensi, sed Eccius respondit, *hos duos Doctores non teneri.*)

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis lib. contra Lutherum eandem cum Gregorio Ariminensi accusationem Scholasticis intentat. *Hoc*, inquit, *dixi propter Patres, quorum sententiam sequi malui, quam Scholasticorum, qui hac in re mutuo secum pugnant. Patres enim asserunt, neminem posse quicquam boni velle sine speciali auxilio Dei, nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contra Scholastici sic contendunt, hunc sufficere, ut quis absque illo auxilio bene moraliter agere & bonum facere possit, non solum ex genere, verum etiam, quod debitis undique circumstantiis ornatum sit.*

Inter articulos, quos Ambrosius Catharinus contra Dominicum à Soto defendit, etiam hic est, *quod nemo in statu Naturæ lapsæ absque auxilio Dei speciali possit ullum bonum facere, quod vere bonum etiam moraliter dici possit, ut propterea quodcunque homo talis ageret, malum recte dici possit & peccatum.*

Idem Catharinus pro hac sua sententia allegat *Roffensem & Capreolum*, Itemque *Gregorium Ariminensem.* Verba ejus hæc sunt:

Rogo te, mi frater, (Dominicum à Soto intelligit) *cogita hæc: Nam & ego, ut tibi ingenue verum cōfitear, aliquando cum minus essem in Scripturis & lectione Sanctorum Patrum assuetus, ac propterea illius primi peccati malignitatem minus considerassem, magnificabam Naturam fere, ut ipse facis & B. Augustini sententiis perturbabar, quod libero arbitrio nimium detrahere videretur.*

Johannes Driedo Theologus Parisiensis lib. de Concordia liberi arbitrii & prædestinat. *Homo nondum credens, sed sibi derelictus, in solis vitiatæ Naturæ talentis se ad accipiendam fidei gratiam præparare non potest.*

Johannes Ferus cathredalis templi Moguntin. Concionator in cap. 1. Johan. v. 23 scribit, *veterem nativitatem, atque adeo omnes vires Naturæ, quæ naturali propagatione transfunduntur in sobolem, in Scriptura damnari, maledictam cordis nostri cogitationem, rationem, os, manus, pedes, peccato & tenebris involuta in nobis omnia.*

(Unde Index Expurgatorius Hispan. fol. 121 ex Feri Commentariis deleri jubet hæc axiomata: *Non alios, quam malos fructus profert Natura ex se. Voluntas nostra mala & omnium malorum radix &c.*)

Idem Ferus in cap. 4. Matth. pag. 101. *Observa, Christum non docuisse nos orare, ut nos ad regnum Dei veniamus, sed ut adveniat nobis regnum Dei. Siquidem gratia & regnum Dei ad nos venire oportet, nunquam enim nostris viribus ad illud venire possumus, quemadmodum & Christus advenit è cœlo, & non nos è terra ad eum conscendimus.*

pag. 104. *Dimitte nobis debita nostra. Per hoc miseriæ nostræ nos admonet. En quid ex teipso habeas, aut possis, nempe nihil, nisi peccatum. Nostrum est peccatum, & quæ sequuntur ex peccato. Quicquid alias habes, ex Dei dono habes. Nunc jacta vires tuas blandire tibi ipsi, erige cristas.*

Georgius Cassander in Consult. art. 6. cap. de operibus præparatoriis pag. 927. allegat dictum Thomæ 1. 2. q. 109. artic. 6. *In præparatione voluntatis ad consequendum gratiæ donum oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animum moventis, ideo quod homo convertatur ad Deum, non posse fieri, nisi Deo ipsum convertente.* Et addit. *Hanc sententiam sequuntur ejusdem Thomæ Sectatores, à quibus sententia Scoti rejicitur, existimantis, hominem ex puris naturalibus & auxilio generali posse se ad gratiam de congruo præparare &c.* Locum integrum adduximus in cap. proxime præcedente.

Idem in artic. 18. c. de lib. hominis arbitrio p. 960. *Orthodoxi semper contra Manichæos & Pelagianos contenderunt, justitiam, qua justificamur coram Deo, attribuendam esse non virtuti liberi arbitrii, seu voluntatis per peccatum vitiatæ, sed singulari gratiæ Dei, non quam habemus ex Natura, in qua creati sumus, quæ nobis cum infidelibus & impiis communis fit, sed ea gratia, quæ est per fidem Jesu Christi, quæ tantummodo eorum est quorum est ipsa fides, qua gratia non nova voluntas creatur, neque invita voluntas cogitur, sed infirma sanatur, depravata corrigitur, & ex mala in bonam convertitur, ac interiore quodam motu trahitur, ut ex nolente volens efficiatur & divinæ vocationi libenter consentiat, & postea eadem cooperante divinæ voluntati obediat, & in bonis operibus per eandem gratiam perseverando, ex eadem gratia hereditatem regni cœlestis adeat. Summa hujus orthodoxæ doctrinæ breviter comprehenditur in Concilio Arausicano II. quod quasi compendium est omnium eorum, quæ passim apud Augustinum & alios diffuse leguntur. Atque utinam in hac simplici explicatione, quæ divinis literis & orthodoxæ doctrinæ consentanea est, & ad pietatem sufficit, permaneatur, & inutiles ac infinitæ quæstiones de necessitate & ἀνάγκῃ e medio auferantur. Hanc enim doctrinam de*

de gratia Dei & libero arbitrio saniores quoq́, Scholastici adversus Pelagianos defenderunt, in quibus est Thomas Bradevardinus suo tempore Doctor profundus appellatus, qui egregium volumen (quod Summam appellat) adversus Pelagianismum sua ætate invalescentem conscripsit.

Et postea. *Si qui vero ex Scholasticorum numero incommodius de hac arbitrii libertate & rebus humanis locuti sunt, hæc inter privatas opiniones sunt ponenda, & iis saniora aliorum ejusdem ordinis hominum scripta sunt opponenda. Quantum autem pleriq; ex iis tribuerint divinæ gratiæ, vel unus Bonaventura testatur. Hoc, inquit, piarum mentium est, ut nil sibi tribuant, sed totum gratiæ Dei, unde quantumcunque aliquis det gratiæ Dei, à pietate non recedet, etiamsi multa tribuendo gratiæ Dei, aliquid subtrahit potestati Naturæ vel liberi arbitrii. Cum vero aliquid gratiæ Dei subtrahitur, & Naturæ tribuitur, quod gratiæ est, ibi potest periculum intervenire.*

Georgius Wicelius in Compend. de Semit. antiq. *De libero arbitrio docent Catholici, quod voluntas mere humana libertatem habeat quidem cogitandi, dicendi, proponendi, faciendi, sed quæ hominis sint, hoc est, carnalia, profana, secularia. At voluntas ejus hominis, qui est ex aqua & Spiritu renatus, qui nova creatura factus, per gratiam restitutus, jam spiritualis verius, quam carnalis, eò quod Spiritu Dei agitur, libertatem habet cogitandi, quæ Dei sunt & eadem faciendi, agitante enim illo, calescimus ad omne opus bonum perficiendum.*

Et postea. *Præceptis Dei morem gerere difficillimum foret homini tam nato, quam renato (ut quod est verissimum, confiteamur) nisi Apostolo docente, Deus ipse esset, qui operaretur in nobis credentibus ipsum velle, hoc est, voluntatem hanc ad bonum omnino liberam. Et nisi Dominus in Evangelio diceret, sine ipso nihil nos facere posse. Quod si sine ipso nihil possumus facere, cum ipso & cooperante ipso, instigante ipso, quod boni non fecerimus, modo velimus? Deus operatur in nobis ipsum operari seu facere bonum, quidni igitur per ipsum & cum ipso, quod bonū est, facere, quod malū est, omittere? Nō est à nobis ipsis, inquit Apostol⁹, nec est virium humanarum, Deo placere posse; desuper datur, usque adeò verū manet, nihil nos habere, quod non divinitus acceperimus, ne de carne nostra glorienur, in qua videlicet bonū aliquid esse Paulus negat. Sicque consistit illud, nihil accipere hominem, nisi fuerit desuper donatum. Nolle bonum, nolle Deo obedire, aut etiam posse; malum autem velle, Naturæ simpliciter humanæ est; velle bonum, nolle malum, velle legem Christi servare, Christi verbum audire, cordi affigere, factis exprimere, Christi vestigia per crucem sequi, non Naturæ humanæ est, sed gratiæ divinæ. Nihil fructus tulerit palmes extra vitem, sed palmes manens vegetus, vividus, floridus in vite fructum multum & fert & ferre potest. Hic vides radicem omnis rei, quæ est nimirum è Spiritu Sancto, qui datus est nobis credentibus. Eo sane pacto habet homo, non præcise homo, sed Christianus liberum arbitrium &c.*

Cum Ruardus Tapperus Decanus Lovaniensis in publicum ederet explicationem articulorum ejus Collegii, illa non modo à nostris, sed etiam à Caspare Casalio Episcopo Leirinensi Lusitano, uno ex Patribus Tridentinis, tum in doctrina de libero arbitrio, tum in doctrina bonorum operum fuit damnata ac Pelagianismi convicta. Sic enim scribit Casalius:

Cum ille Doctor (Tapperus) *positis his principiis in voluntate, seu in homine non requirat auxilium speciale gratiæ Christi, ut voluntas velit secundum illa principia operari & operetur, atque dicat generalem influentiam ad id sufficere, manifestum est, quod ad opera voluntatis & illorum principiorum excludat necessitatem gratiæ Christi immediatæ. Nos autem talem doctrinam nequaquam recipimus, quinimo illam fugimus & fugiendam declaramus, quia revera ad talia opera indigemus gratia Christi immediata.*

Vega in Concilio Tridentino dicebat, *inter Theologorum* (Pontificiorum) *& Protestantium doctrinam vix quidquam esse discriminis, quod hi etiam nunc libertatem concedentes operandi justitiam Philosophicam, non autem supernaturalem; Item ad obeunda opera legis externa, non autem interna & spiritualia, perinde faciant, ac si dicerent cum Ecclesia opera spiritualia ad religionem spectantia, sine auxilio divino præstari non posse.* Petrus Suavis lib. 2. Histor. Concil. Trident p. 236.

Cornelius Jansenius in Concord. Evangel. c. 59 pag. 452. postquam recitasset ex Augustino locum, *Ramum ostendis ovi & trahis illam; nuces puero demonstrantur & trahitur*, subjungit: *Sciendum tamen, quod hæ similitudines non plene declarant, quomodo Pater trahat ad Filium. Non enim tantum trahit ostendendo & docendo, quod omnes desiderant; aut suadendo & persuadendo, sicut homo: sed etiam efficaciter excitando mentem hominum ad credendum in Christum, & amandum. Eo enim distinguitur ab homine, qui sermone & prædicatione trahit ad Christum. Unde Salvator postea repetens hanc sententiam, pro eo, quod hic dixit: Nisi Pater meus traxerit, dicit: Nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ergo, quem Pater trahit ad Christum, illi dat, ut veniat ad Christum, hoc est, ut credat in eum. Excitat ergo ejus mentem infundens illi fidem. Unde Augustinus lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. cap. 19. trahitur miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Et postea. *Verbo trahendi significatur & gratuita Dei benignitas, omnem nostram voluntatem & meritum præveniens, & gratiæ divinæ efficacia, quæ ex nolentibus facit volentes, & nostræ Naturæ infirmitas ac gravitas ad inferiora semper deprimens. Proinde sicut corpus grave ut ascendat, sursum trahi debet: ita & nos, ut ad Christum & cœlestia elevemur, trahi debemus cœlesti gratia.*

Folengius in Comment. ad Psalm. 5. v. 4. *Mane adstabo tibi, hoc est, non amplius jacebo, non amplius in luto sordescam, non amplius resupinus ottabor; sed mane, hoc est, cum me statim tuus ille matutinus afflaverit splendor, divinoque calore irradiaverit, adstabo erectus. Pene hic dixi, nostrum arbitrium nullum. Nam cum hominis dignitatem, Naturæque ejus sublimitatem intueor, eum video maximis undequaque suffultum à Deo donis, & imprimis libero arbitrio. Quis hoc, nisi in animarum cognitione omnino nonstupidus sit, in homine esse non asserat? Cum vero vicam ipsius animadverto ad malum proclivitatem, atque, ut cum vulgo dicam, necessitatem, totus exhorresco, ac pene adducor, ut illud vel nullum omnino, vel quā minimū, esse suspicer adeo nullam in me cerno esse firmam, liberamque in deligendo bono voluntatem, sed totus mei dissimilis factus, vix horæ momento in boni propositi optione persevero. Ita profecto ad hujuscemodi me adegit infirmitatis meæ considerata opinione malus mos, malus habitus, malaque in peccatis consuetudo, ac quasi obductum callum. Atque hinc de me propterea dictum illud Esaiæ vaticinium vereor, Quod si, inquit, non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux, sed corruent & esurient, & cum esurient, irascentur & maledicent Deo suo & ecce tribulatio, tenebræ, dissolatio, angustia & caligo persequens, & non poterunt avolare ab angustia sua. Cur, quæso, non expavescam, cum lego, quod non poterunt avolare ab angustia sua? Si non poterunt, ubi arbitrium, cum arbitrium nihil aliud sit, quam sui libertas? nusquam opinor, si à Sole justitiæ remotum fuerit, alioqui neque ipsa salus æterna aut beatitudo firma esse poterit, & æterna absque matutinæ hujus lucis beneficio & dono. Itaque cum arbitrium, tum cætera illa bona, quibus hominem à beluis distare cernimus, fateor esse, ut per se aut parum, aut nihil ad consequenda cœlestia valeant, cum ipsa vero luce atque ipsi æterno bonorum fonti unita, omnia & velle & posse. Omnia inquit Paulus, possum: sed in quo, aut qua alia ab re? num à Naturæ dotibus? num à viribus illis plane confractis, quas cum homine nasci, cum ipso ve crescere & enutriri videmus? haudquaquam, ait, sed in eo, qui me confortat.*

(Ad hos autores procul dubio respicit Maldonatus in c. 15. Joh. v. 5. sic scribens: *Non solum novi hæretici, sed etiam nonnulli Catholici negant, quidquam nos quocunque modo bonum sine actuali Christi gratia per solum illud generale, quod vocant, auxilium, omnibus hominibus commune, facere posse, quib⁹ ego nequaquam assentior.*)

2. Quod agnoscunt, peccatum esse homini post lapsum naturale, & homines esse naturaliter peccatores.

(Qui enim naturaliter injusti & peccatores nascuntur, illis peccatum est naturale. Omnes homines per carnalem generationem post lapsum protoplastorum propagati naturaliter injusti & peccatores nascuntur. Ergo omnibus hominibus per carnalem generationem post lapsum protoplastorum propagatis, peccatum est naturale. Ulterius. Quicquid est homini naturale, illud est homini inevitabile, nisi per divinam potentiam. At peccatum est homini naturale. Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ c. 10. resp. ad 7. *Peccatum originis aliquo modo naturale dici potest.* Ergo peccatum est homini inevitabile, nisi per divinam potentiam. Et assumtū & conclusio extant Jer. 13. vers. 24. Assumtum vero illud etiam Adversarii agnoscunt esse verissimum.

Bellarminus lib. 2. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 17. resp. ad alteram rationem: *Factū asserimus omnino naturaliter, ut primo homine cadente genus humanum universum caderet. Naturam enim in se primus homo vitiavit, cum justitiam illam originalem amisit, quam Deus illi pro se & pro toto genere humano donaverat. Quare qui per naturalem propagationem filii Adami efficiuntur, naturaliter injusti & peccatores nascuntur, quod Apostolus docet, cum ait, Ephes. 2. Eramus & nos Natura filii iræ. Idem passim docet Sanctus Augustinus, qui etiam tract. 44. in Johann scribit, omnes homines Natura esse filios iræ, quia peccante primo homine, vitium pro Natura inolevit.*

Cornelius Jansenius in Conc. Evangel. c. 20. *Cum spirituale & cœleste regnum Dei caro & sanguis possidere nequeat, ut habet Di-*

rus Paulus, necesse est, ut id, quod ex carne natum, tantum caro natum sit: deinde etiam ex Spiritu nascatur Spiritus, ut sic regnum Dei ingredi possit. Cum autem hic dicitur, caro est, Spirit⁹ est, caro accipi debet pro re vel homine carnali, quem Paulus vocat hominem animalem, qui non percipit ea, quæ sunt cælestia & spiritualia, sed tantū ea, quæ sunt carnis.

Villagudus in c.3. Joh. *Pergit Christus Nicodemum erudire, adducens ætiologiam seu causæ redditionem ejus, quod præmisit: Nisi quis renatus fuerit &c. Nam omnis natus ex carne prima illa & naturali nativitate nihil est, nisi caro, hoc est, nihil sapit, nisi carnem. Carnales sumus venditi sub peccato.*

Et paulo post. *Jam Adam per inobedientiam amisit imaginem Dei factus est imago Satanæ, mancipium peccati, mortis & inferni: & quod maxime est dolendum, impotens factus suis viribus, quibus ad amissā effigiem resurgere nequit. Tales ergo habet posteros. Quare omnis homo ex Adam natus, præter carnalia nihil capit, sapit, intelligit ac potest.*

Salmero tract.5. tom.8. *Quod natum ex carne, caro est, id est, ex generatione carnali non nisi carnales, bruti, ferini & mortales prosemi-nantur homines.*

Et post. *Deniq; nihil aliud est homo secundum carnem, quam universa vanitas vel vanitas, vanitatum. Omnis enim caro ut fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Hoc est, servus est peccati, omnibus bonis dispoliatus, Diaboli mancipium, mortis & inferni captivus, expressaque similitudo Satanæ, cujus & filii nominamur & sumus.*

Contarenus Cardinalis in tract. de lib. arbitr. *Redeundi ad universum bonum post lapsum facultate privari, & à non vero fine sese referre non posse, id demum est veram libertatem penitus amittere & servam omnino reddere voluntatem. Manet tamen liberum arbitrium, sed in servitutem redactum. Manet etiam illa naturalis animæ facultas manet cognitio & ad bonum universum propensio. Quare, qui in ea servitute constitutus aliquid agit, non à Natura, quemadmodum bruta animantia, sed proprio judicio movetur.*

Hæc omnia libenter concedimus, modo concedatur servitus illa peccati, à qua homo non nisi per gratiam Dei liberari potest.

3. Quod agnoscunt, intellectum hominis per peccatum esse vitiatum & corruptum.

(Si enim intellectus hominis est vitiatus & malus, utique liberum arbitrium non est bonum, & si non est bonum, ergo nec liberum à malo. Ratio connexionis est, quia liberum arbitrium est facultas intellectus & voluntatis. Tale ergo necesse est esse liberum arbitrium, quales sunt intellectus & voluntas.

Cornelius Jansenius in c.6. Matth. super verba: *Si oculus tuus simplex fuerit &c. Hæc mens si fuerit pura, erit etiam totum corpus lucidum, hoc est, etiam omnes vires & operationes hominis erunt claræ & à peccato puræ. Si vero mens ipsa, quæ reliquis viribus ex sese tenebrosis lumen præbere debet, quæque omnium operationum est causa, fuerit vitiata, omnes animæ vires tenebrosæ erunt, quia nihil recte agent, omnesque operationes tenebrosæ, quia tenebris peccatorum involutæ & lumine rectæ rationis destitutæ.*)

Cajetanus in c.4. Lucæ super verba: *Ut prædicem cæcis visus recuperationem. Dictio Græca proprie significat redditum visum. Humanum enim genus privatum erat spirituali visu, quem Jesus prædicabat restituendum, imo & restituit. Aperuit enim illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & venit lux mentium, quamvis homines dilexerint magis tenebras, quam lucem.*

Cornelius Jansenius in c.12. Joh. super verba: *Ego lux in mundum veni, ut nullus, qui credit in me, in tenebris maneat. Non maneat in tenebris errorum & peccatorum, in quibus totum mundum deprehendi, sed fugatis spiritualibus illis tenebris veræ lucis participatione fruatur.*

Maldonatus in eundem locum: *Ac si diceret, antequam ipse veniret, totum mundum in tenebris fuisse.*

Guillaud. in 1. Petr.2. super verba: *Vocavit vos è tenebris in admirabilem suam lucem. Quemadmodum Israel ex Ægypto vocatus è tenebris & servitute in libertatem est asscitus: Ita qui Christum profitentur, è tenebris errorum & peccatorum in libertatem Christianam & admirabile lumen fidei vocantur.*

Salmero in eundem locum. *De tenebris peccatorum ac errorum, de tenebris quoque Dæmonum, atque adeo de potestate tenebrarum eripiens, transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, hoc est, ad lumen Evangelii.*

(Si omnes homines per Naturam sunt in tenebris, imo ipsæ tenebræ Ephes.5. v.8, utique omnium hominum intellectus est vitiatus, corruptus, excæcatus, obtenebratus.)

4. Quod agnoscunt, voluntatem per peccatum esse vitiatam ac depravatam.

(Si enim voluntas hominis est vitiata & mala, utique liberum arbitrium non est bonum, nec à malo liberum. Ratio connexionis est, quia liberum arbitrium est facultas intellectus & voluntatis. Tale ergo necesse est esse liberum arbitrium, quales sunt intellectus & voluntas.

Franciscus Lucas in cap. 6. Matth. super verba: *Si oculus tuus simplex &c. Si cor tibi fuerit simplex, mundum, purum ac pravarum cupiditatū dominio liberum, ad cælum & solos in cælo thesauros erectum, omnes affectus tui suas habebunt actiones, ita ut decet, compositas, apta, dignaque erunt opera tua, quæ ab omnibus videantur. Si cor tuum fuerit avaritia aliave cupiditate excæcatum, depravatum, inquinatum; si operibus aut voluptatibus terrenis addictum, affixumque omnes affectus tui tenebris involventur peccatorum, nihil agent recte, in varia cæci vitia ferentur, indigna luce.*)

Salmero in c.1. ad Rom. super verba: *Tradidit illos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem. Ex quo uno apparet hominis corruptio, qui in sordidissimis & homine indignissimis cupiditatibus sibi ipsi relictus versatur.*

5. Quod agnoscunt, hominem in conversione se habere passive.

(Utique ergo in ea non agit naturalibus liberi arbitrii viribus.)

Scholastici non ignobiles apud Josephum Angles Florum Theolog. q. in 2. sent. dist. 24. & 25. de lib. arbitr. potest. cōcl. 1. id nobiscum agnoscunt: *Initium, inquiunt, nostræ justificationis non est à libero arbitrio, sed est solum ab ipso Deo, nobis mere passive nos habentibus. Et probatur, quia nostræ justificationis initium est à gratia præveniente & à vocatione Dei, Joh.15. Non vos me elegistis: & à prædestinatione, quæ est initium finalis justitiæ, quæ est etiam solius DEI. Rom.9. Non est volentis, neque currentis.*

Andreas Vega lib.6. in Conc. Trident. c.8. *gratiam operantem* ex Augustino describit, *ad cujus productionem solus Deus physice operatur, homo autem passive omnino se habet.*

Huc etiam pertinet quod Thomas 1.2.q.111. art.2. *talem effectum* itidem Deo tribuit, *in quo mens nostra est mota non movens, solus autem Deus movens.*

(Hæc tamen non sunt eo modo accipienda, ac si in effectibus gratiæ in nobis mens & voluntas hominis non se moverent, sed tantum ducerentur & moverentur ut instrumenta inanimata: sed sensu eo, quod Deus voluntatem nostram Spiritu regenerationis ac renovationis reformet, ut deinceps quæ facultatem suam naturalem ad malum inclinabat & applicabat, ad bonum feratur. Habet se homo passive in operatione gratiæ, qua mutatur ejus perversitas, non quod ipse non agat, dum agitur.

Bernhardus tract. de Grat. & lib. arbit. *Deus immittendo bonam cogitationem nos prævenit, immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit, ministrando & consensus facultatem foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.*

6. Quod agnoscunt, totum conversionis opus divinæ gratiæ tribuendum esse.

Bernhardus serm.2 in Pentecost. *Quicquid boni in te inveneris, illi tribuas, à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam.*

Id. tract. de lib. arbit. *Ecce enim jam ex Dei munere mihi adjacet velle, perficere autem non invenio. Sed nec aliquando me inventurum confido, nisi qui dedit velle, det & perficere pro bona sua voluntate.*

(Plura hujus generis superius membro 1. sunt adducta.)

Estius 2. sent. dist.26. §.29. *Ab ea sententia, qua dicitur, in bono opere totum esse dandum Deo, quidam propterea abhorrent, quod per eam existiment nihil relinqui libero arbitrio ac meritis nostris &c. Simili ratione motus quidam hujus seculi Scriptor alioqui Catholicus in libro, quem de libero arbitrio composuit, agens de bonis operibus, dicit f. 89. non omnia in nobis à Deo fieri, sed aliquid à nostra quoque voluntate proficisci, quasi scilicet hæc duo non consistant, omnia à Deo fieri, & aliquid à nostra voluntate fieri; & alio loco ejusdem libri fol. 218. quod nullo modo posset esse virtutum inter homines distantia, si omnia ex illo gratiæ Dei fonte manarent. Alii vero sententiam toties & tam expresse à Patribus enunciatam non ausi rejicere, in diversum sensum eam interpretari conati sunt.*

Idem Estius d.l. fol.147. *se non videre scribit, quomodo illi autores ita sentientes, possint excusari ab errore Pelagiano.*

7. Quod concedunt, hominem se non posse disponere ad fidem & conversionem.

(Utique ergo non habet in spiritualibus liberum arbitrium.)

Suarez lib.2. de causis Prædestin. cap.7. fol. 241. *Homo*

(pec-

peccator) *non potest se disponere ad fidē, quia adhuc est in passiva dispositione. At nec justificatus disponit se ad auxilia gratiæ supernaturalia.*

Ibidem fol.238. *Deus nullo modo* (neque in credente, neque in infideli) *expectat bonum motum, vel conatum pravium voluntatis humanæ, vel actum solius liberi arbitrii, imo nec dispositionem praviam in homine expectat.*

num. 19. *Deus non expectat, ut conatus liberi arbitrii eum præveniat.*

Ibidem fol.246. multis confirmat, *dispositionem hominis nullo modo inclinare Deum ad vocationem.*

Vasquez tom.2. in 1. Thom. Disp.228. num.3. *Nemo ex propriis viribus ad gratiam disponi potest.*

Estius 2. sent. dist.26. num. 30. 31. 33. probat, *non posse se hominem ad gratiam disponere.*

Driedo de Concord. lib. arbit. & prædest. *Homo nondum credens, sed sibi derelictus in solis vitiatæ Naturæ talentis se ad accipiendam fidei gratiam præparare non potest.*

8. Quod articulum 18. August. Conf. quidam Adversariorum suo suffragio confirmarunt, qui sic habet:

De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas, sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus Sanctus concipitur. Hæc totidem verbis dicit Augustinus lib.3. hypognosticon: Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum in iis, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certe peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis &c. Damnant Pelagianos & alios qui docent, quod sine Spiritu Sancto solis Naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere. item præcepta Dei facere, quod substantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere Natura possit, potest enim continere manus à furto, à cæde; tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam.

(Qui hunc articulum approbant, illi nostræ sententiæ in hac de libero arbitrio controversia suffragantur. Id vero faciunt Adversarii.)

Judicium Cæsaris & Principum Romano-Catholicorum de hoc articulo sic habet: *In hoc articulo decimo octavo confitentur liberi arbitrii virtutem, quod habeat libertatem ad efficiendam civilem justitiam, sed non habeat vim sine Spiritu Sancto efficiendæ justitiæ Dei, quæ Confessio acceptatur & approbatur.*

Johannes à Daventria commendat hunc articulum, *tanquam per omnia cum doctrina Catholica consentientem. Dispeream, inquit, si plus à nostris libero arbitrio attributum sit, quam isti* (Confessores) *tribuunt..*

Johannes Hoffmeisterus in Censura. *Nihil, inquit, offendit nos hic articulus, nec quicquam in malam partem interpretabimur, quoniam ex monumentis piorum Patrum, imo & ex sacris Scripturis videtur desumtus.* Postea inter cætera recitat sententiam Augustini ex lib.3 contra duas Epistol. Pelagii c.8. *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet, ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum, adjutumque non valet.*

Georgius Cassander in Consult. art.18. pag.960. *Articulus decimus octavus de libero hominis arbitrio plane cum Ecclesiastica doctrina consentit, cum docet, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas: sed non habeat vim sine Spiritu S. efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis, sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus Sanctus concipitur. Summa autem hujus controversiæ, quæ & olim & hodie de libero arbitrio extitit, in eo consistit, quid valeat liberum arbitrium, seu voluntas ad justitiam coram Deo consequendam.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Si idem sentit liber propositus* (Augustanam Confessionem intelligit) *ut videtur cum orthodoxis sentit & nos libro adstipulamur, dextramque jungimus. Gratiæ tribuimus plurimum, ac nihil non, Naturæ minimum. Si quid minimum tamen tribuimus, Aurelius Augustinus judex inter nos esto, non solum in hac controversia. Cum illo loquimur, cum illo tacemus & sacris Scripturis confidentes, nos rectissima via ire scimus, quicquid ante nos garrierint novæ, hoc est, Scholasticæ Theologiæ fabri, quorum iras facilius feremus, quam Dei, qui est benedictus Deus veritatis.*

9. Quædam hypotheses Adversariorum.

Alphonsus de Castro lib.7. advers. hæreses, verbo Gratia, hæresi 1. *Sic gratiæ necessitatē defendamus, quod (ut) non derogemus libero arbitrio: sic rursum libertatem voluntatis asseramus, ut eam egere gratia convincamus. Ut autem hoc melius faciamus, admonere prius oportet, triplicem esse libertatem; Quædam est libertas à culpa, de qua Apostolus ait: Cum enim servi essetis peccati, liberi facti estis justitiæ. Et alibi: Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Hæc libertas non est illa, qua dicimus, liberum esse omne hominis arbitrium. Est alia libertas, quæ opponitur contra servitutem miseriæ, de qua etiam Apostolus ait: Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei. Neque hæc libertas nostro proposito deservit, quoniam non ab illa dicitur arbitrium hominis liberum. Tertia libertas est, quæ opponitur contra necessitatem aut verius coactionem, quoniam aliqua necessario sunt, ut gratia exempli: productio Spiritus Sancti, dilectio mutua personarum divinarum, quæ libere fiunt, quamvis necessario, non tamen ex coactione aut violentia, quia non nituntur in oppositum. Ab hac libertate vocamus hominis liberum arbitrium.*

Libertatem *à coactione & violentia* hominis voluntati adhuc post lapsum competere libenter concedimus, vicissim nobis concedatur *libertatem à culpa* ante regenerationem & *libertatem à miseria* in hac vita homini non competere.)

Ibidem *quinque assertiones Catholicas* format, Prima hæc est: *Liberum arbitrium ex se & ex sua conditione potest eligere quamlibet volitionem malam.* Secunda. *Liberum arbitrium ex sola sua Naturæ conditione (non excludo hic aut in prima assertione illam Dei generalem concausationem) potest eligere quodlibet opus medium, quod videlicet nec est bonum, nec malum, (qualia sunt velle fricare barbam, aut deambulare, nullo considerato fine, ad quem hæ operationes diriguntur.)* Tertia. *Liberum hominis arbitrium ex sola sua potestate, addita etiam illa communi & generali Dei concausatione, non potest sine aliquo speciali Dei auxilio bonum aliquod operari, quoniam semper circa illud præcedit quædam monitio, aut attractio, aut inspiratio, aut aliquod donum Naturæ superadditum, quod ipse Deus mere gratis, quibus illi placet, donat.* Quarta. *Postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo monenti & inspiranti consentiat aut dissentiat.* Quinta. *Postquam voluntas nostra cum Dei adjutorio cœpit agere aliquod bonum, non potest sine ejusdem Dei speciali adjutorio bonum inceptum prosequi & in eo perseverare.*

(Hasce assertiones nos inviti admittimus, modo in quarta assertione illud recte explicetur, quod postquam Deus voluntatem nostram excitavit sit in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo monenti & inspiranti consentiat aut dissentiat. Per illam enim *excitationem* non externum duntaxat aliquod auxilium, sive extrinseca excitatio virium in homine latitantium intelligenda, sed ut in assertione tertia recte exponitur, donum aliquod Naturæ superadditum, id est, novarum virium ad bonum eligendum necessaria collatio, quibus postea homo uti vel non uti potest.)

Et postea. *Non tam facile quis potest exire de vovea, quam facile in eam potest labi. Ita etiam, quamvis sola voluntate in foveam peccati quis cadat, non tamen inde sola voluntate sine Dei gratia eum adjuvante exire potest. Sed dices. Quid ergo? Nunquid per peccatum perdimus liberum arbitrium? absit. Verum perdimus per peccatum gratiam divinam, cujus auxilio liberum nostrum arbitrium bonum poterat operari, qua jam sublata, amplius non potest bonum operari, quod ad vitam perducat æternam.*

(Hæc recte dicuntur, modo gratia illa adjuvans, non de externa duntaxat excitatione & monitione, sed de interiore voluntatis corruptæ renovatione, ac novarum virium spiritualium collatione explicetur.)

Lib.9. adversus hæreses, titulo, libertas, hæresi 1. *Quoniam nomen libertatis æquivocum est in sacris literis, ne talis æquivocatio nobis aliquam errandi occasionem præbeat, oportet, ut varia illius vocis significata ostendamus. Aliquando enim libertas significat gratiam, per quam liberamur à servitute peccati, cui opponitur. De hac dicit Apostolus: Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Et alibi: Cum enim servi essetis peccati, liberi facti estis justitiæ. Et de hac libertate non loquimur; quoniam nec de illa dicimus, omne hominis arbitrium esse liberum. Alia est libertas, quæ sola habetur in gloria, vel est ipsamet gloria. Et de hac libertate ait etiam Apostolus, Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Neque ab ista libertate dicitur hominis liberum arbitrium. Alia est adhuc libertas, quæ opponitur necessitati, vel ut verius dicam, coactioni. Quando ergo dicimus, hominis arbitrium esse liberum, de hac libertate intelligimus, ita ut ea ratione dicamus, eum esse liberum, quia videlicet, cum operatur, potest non operari, & cum nihil operatur, potest operari.*

Liber-

(*Libertatem à coactione* homini post lapsum competere libenter concedimus, detur nobis vicissim, *libertatem à servitute peccati* ante regenerationem ipsi minime competere.

Ibid. *Liberum arbitrium, ut bene agat, speciali quodam indiget auxilio divino, sine quo etsi agere posset, non tamen bene.*

Censura Coloniensis contra Monhemium p.35. *Quamvis nos à divina misericordia pendeamus, quamvis nihil boni operetur fidelis, quod non efficiat Deus; quamvis non solum gratia conferatur, ut converti possimus, sed etiam, ut convertamur, etsi gratia hæc, quæ ad operandum necessaria est & velle facit, non sit quæcunque inspiratio, aut cogitatio sancta, seu boni propositi suggestio, sed efficax Dei operatio,* (nota bene) *quamvis hæc omnia admittamus, & ex Divi Augustini variis libris elici posse concedamus: homini tamen semper liberum relinquitur, divinæ operationi præbere impedimentum, eamque vel admittere, vel etiam respuere.*

(Hæc facile ad bonum sensum reduci possunt, si illud *admittere* sic intelligatur, quod homo illud non possit suis naturalibus, sed novis à Spiritu Sancto donatis viribus.)

Salmero tom.9. tract.51. p.405. *Quamvis homo cum Deo concurrat in actibus fidei, spei, amoris, timoris contritionis, quibus justificamur, assensum & efficientiam aliquam habendo, tamen multa in justificatione sine nobis facit, ut primos motus & excitationes Dei nos ad se vocantis, atque adeo ipsos habitus fidei, spei, caritatis & gratiæ, in quibus forma justificationis consistit, solus Deus producit & homo tantum passive se habet eos recipiendo.*

(Si Deus primos motus & excitationes, atque adeo ipsos habitus fidei, spei, caritatis & gratiæ sine nobis solus producit, & homo tantum passive se habet eos recipiendo, utique liberum arbitrium & gratia non sunt duæ concausæ nostræ conversionis.)

Idem tom. ejusd. tract.56. p. 438. *In Christo Mediatore constituimus concursum specialem ad ea omnia opera, quæ supra Naturæ facultatem sunt posita, sive spectent ad præparandum hominem ad divinæ gratiæ susceptionem & justificationem, sive ad divinorum observantiam mandatorum.*

(Si concursus ille specialis ad opera supra Naturæ facultatem posita in Christo Mediatore statuitur, non potest concursus ille in viribus liberi arbitrii naturalibus statui.)

Michael Bajus Professor Parisiensis docuit, *liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere, ac Pelagianismi esse si dicas, liberum arbitrium valere ad vitandum peccatum.*

It. *liberum arbitrium, quale nunc est, ex se neque bonum facere posse, neq; tentationem ullam superare,* lib. de libero arbit. c. 10.

(Tannerus tom.2. Theol. Schol. Disp.6. q.3. dub.3. n.71. hoc nomine Bajum perstringit. At Baji sententia Scripturæ sacræ conformis est, qua stante vires liberi arbitrii in spiritualibus nullæ supererunt.

Bellarm. lib.1. de grat. & lib. arbit. c.12. §.2. diserte negat, *gratiam reddi efficacem per liberum arbitrium*, contra vero acceptionem *gratiæ tantummodo a Deo provenire* asserit; *ne quis glorietur.*

Lib. ejusd. c.13. §.2. *Multum omnino interest inter gratiam internæ suasionis & concionem externam. Nam concio externa admovetur auribus cordis. Deinde concio externa solum proponit objectum, sed non infundit lumen menti ad illud cognoscendum, neque aspirat affectum ad illud diligendum. At interna ac divina suasio semper lumen infundit & afflat initium bonæ voluntatis. Denique gratia non solum excitat per illustrationem & aspirationem boni desiderii, sed etiam adjuvat voluntatem, eiq; cooperatur etiam physice ad eliciendum actum voluntatis deliberatæ, quanquam gratia magis dicitur efficax ex illa excitatione, quæ proprie vocatio dici solet, quam ex cooperatione physica.*

Ibid. *Vere non potest fidelis adversus infidelem gloriari aut inflari, quia qui eum principaliter discernit ab infideli, non est ipse per liberum arbitrium*, sed *Deus per gratiam efficacem, quam ei dedit, & alteri non dedit.*

Lib.5. de grat. & lib. arb. c.10. resp. ad 3. *Libenter fatemur, omnes homines esse in statu peccati & inutiles ad opera facienda, quæ Deo placeant, nisi prius per Dei gratiam reconcilientur.*

(Hoc parum convenit cum eo, quod lib. ejusd. c.9. disputat, *non renatos posse opus moraliter bonum & Deo placens præstare.*)

Lib. ejusd. cap.13. §. Tertius &c. ad errorem, quam Heshusius annotavit: *Homo ex puris naturalibus potest Deum super omnia diligere*, respondet: *At hoc scripserunt Scholastici quidam pauci, sed non debet Ecclesiæ Catholicæ tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures & graviores rejiciunt.*

Lib.6. de grat. & lib. arb. c.9. §. Hoc igitur &c. cum dixisset: *à nobis doceri, voluntatem nostram nihil omnino boni spiritualis & salutaris efficere posse sine auxilio gratiæ Dei*, subjungit: *Atque in hac re recte sentiunt, sed non recte contrariam sententiam Catholicis attribuunt.*

Lib. ejusd. c.11. §. Tomo tertio. *Quis nostrûm exponit, consentire esse propriæ voluntatis, id est, ex propriis viribus? Non hoc dicimus, sed consentire ad voluntatem pertinere docemus, posteaquam præventa est à Domino & sic accepit consentiendi potestatem.*

Lib. ejusd. c.13. §.5. *Hæc autem vis media & naturalis, quando per peccatum talis est, ut dicatur cor lapideum, non habet ex se potestatem, qua se convertat ad Deum & fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei prævenientem. Liberum enim arbitrium per gratiam prævenientem excitatum & præparatum potest per vires, quas à Deo recipit* (nota) *cooperari ad suam ipsius conversionem. Neque obstat similitudo lapidis, non enim similitudines convenire debent in omnibus. In eo tantum similitudo locum habet, quod sicut lapis ex se non habet, ut cooperetur, si forte convertatur in carnem, sic etiam liberum arbitrium ex se non habet* (nota) *ut cooperetur ad suam ipsius conversionem, potest tamen à Deo recipere potestatem operandi* (nota) *per gratiam prævenientem, quod non potest lapis.*

Et paulo post. *Ex qua solutione detegitur deceptio vel fraus Kemnitii. Scribit enim Catholicos in ea sententia esse, ut liberum arbitrium per gratiam excitatum exerat vires, quas habebat, etiam antequam excitaretur, & per illas suas vires vocationi divinæ consentiat, ita ut gratia præveniens non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet.* (Nota) *At non hoc sentiunt Catholici, sed agnoscunt quidem liberum arbitrium in homine, etiam antequam eum gratia divina præveniat, quia liberum arbitrium est res naturalis, quæ per peccatum non amittitur, sed tamen non dicunt, nec sentiunt,* (nota) *liberum arbitrium habere ex se potentiam ullam, saltem proximam, ad actus pietatis, sed eam accipere* (nota) *à Deo per gratiam prævenientem.*

(Si per liberum arbitrium intelligit *ipsam voluntatem*, concedimus eam per lapsum non esse amissam, neque enim *voluntatem*, sed *voluntatis sanitatem* homo per lapsum perdidit.)

Costerus in Enchirid. p.204. *Peccator viribus suis non modo à peccato liberari non potest, sed neque ab illo potest resurgere, neque de peccato dolorem concipere, neque ad gratiam aut peccatorum remissionem se disponere, neque pie erga Deum affici, aut pro affectu de Christo ut redemtore suo loqui sine divina motione & gratia præveniente.*

p.205. *In homine peccatore tanta est intellectus cæcitas, tantaque voluntatis & cordis duritia, ut nisi misericors gratia Dei præveniat & mentem illustret, affectumque moveat, nunquam serio pœniteat, vel ad Deum revertatur.*

p.206. *Hanc Dei motionem appellant gratiam prævenientem & operantem, quod illam nullis meritis nostris exigentibus, nobisque nihil agentibus, sed in peccato secure quiescentibus Deus pro sua misericordia in nobis sine nobis* (nota) *operetur, cor moveat & mentem illustret.*

Barradius tom.3. lib.3. Concord. Evang. c.20. *Quemadmodum perdita ovis longinque à grege aberrans redire non potest, nisi à Pastore reducatur: sic homo perditus longinque à Deo peccati turpitudine separatus reverti nequit, nisi à Deo reducatur.*

(Hæ assertiones cum hypothesibus de merito congrui, de dispositionibus ad gratiam, de viribus liberi arbitrii in spiritualibus &c. non possunt ea ratione conciliari, ut plenarius appareat per omnia consensus.)

Quinimo dum Bellarminus & ejus asseclæ videri volunt libertatem arbitrii totis viribus asserere, reipsa eam penitus evertunt;

1. *Per necessitationem voluntatis & ejus adstrictionem ad parendum ultimo judicio rationis.*

Disputat enim Bellarminus lib.3 de grat. & lib. arbitr. cap. 8. & 9. *quod intellectus eligendum judicaverit, id necessario & inevitabiliter à voluntate perfici, & hanc esse libertatem, quod voluntas intellectum ad judicandum applicet, & judicium ejus necessario sequatur.*

Sed per hanc hypothesin veram libertatis rationem everti prolixe probat Suarez in Opusc. de concursu Dei cum voluntate lib. 1. cap.3. num. 4. & 5. cap.10. n 11. cap. 11. num. 20. *Quia*, inquit, *si judicium rationis vi sua voluntatem determinat, necessitatem illi imponit, quia ipsum judicium sine libertate profertur. Si ergo voluntas omnino esset adstricta ad illud sequendum, periret libertas.*

Verissime hoc à Suarezio dici res ipsa ostendit. *Rationem enim nullo modo esse liberam,* Bellarmin. diserte affirmat & operose probat d. l. cap. 8. propos. 5. §.3. Objecto enim evidenter proposito non potest dicere album nigrum, malum bonum

num, ter tria esse octo, sed necessario verum dicit. *Voluntas autem necessario eligit id, quod ultimum judicium practicæ rationis determinavit esse eligendum*, ut idem Bellarminus pugnat cap. ejusdem propos. 6. *& voluntas non potest non operari proposito objecto per ultimum judicium rationis*, ait cap. 9. ad 8. *accipiuntur pro uno & eodem conclusio ultimi judicii practici & actus voluntatis, qui necessario sequitur.* ibid ad 4. confirm. Ergo si judicium rationis necessario dependet à qualitate objecti, actus voluntatis autem necessario dependet à judicio rationis, quod utrumque Bellarminus asserit, irrefragabiliter sequitur voluntatem neque *quoad specificationem*, neque *quoad exercitium* esse liberam, ut Suarez contra Bellarm. colligit.

2. *Per necessitationem voluntatis ad gratiam congruam prædestinatis peculiarem.*

Vocant *gratiam congruam, quæ modo & tempore, quod Deus hic & nunc huic homini aptum fore prævidit, proponit objectum eligibile cum his rationibus & argumentis, à quibus intellectus non potest non moveri & per intellectum voluntas.*

Bellarminus lib. 4. de grat. & libero arbitr. cap. 16. §. Atque hinc fit, ex Thoma in 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. *Posita Dei motione impossibile est, ut voluntas non moveatur, absolute autem non est impossibile, quia videlicet potest voluntas non se disponere per negativam determinationem ad motionem Dei recipiendam.*

Non hoc tantum vult Bellarminus quod fieri nequeat, quin data motione ex parte gratiæ fiat etiam aliquis motus in hominis voluntate, quod recte affirmatur: verum etiam hoc vult, admissa vel non repudiata aliqua Dei motione; non resistere enim primo gratiæ motui vocat *determinationem negativam*, protinus consequi motum ultimum, qui est immediate ipsa conversio, quod falsum est. Talem autem motum ultimum, qui est immediate ipsa conversio, Bellarminum intelligere, quando de operatione efficacis seu congruæ gratiæ loquitur, patet ex eo, quod lib. 6. de grat. & libero arbitrio cap. 15. sent. 8. & libro 4. cap. 11. §. Tertio objective &c. dicit, *gratiam illam talem esse, ut non rejiciatur unquam, neque possit rejici, non ideo, quia de facto non rejicitur, neque ideo, quia in sensu composito tunc, quando operatur, non rejicitur*, quomodo juxta Boethium *omne, quod est eo ipso quod est & quando est, necesse est esse*, hanc enim notionem efficacis gratiæ refutat lib. 1. de grat. & libero arbitrio cap 12. ab initio; sed ideo juxta ipsius hypothesin non rejicitur, *quia Deus ea utitur ad exequendum infallibile prædestinationis decretum*, quam rationem ipse passim allegat lib. 1 de grat. cap. 11. § ultimo cap 12. §. denique lib. 6. c. 2. §. Postremo &c.

Inde Bannes, Cumel, Ledesma, Alvarez &c. d. l. contendũt, *voluntatem humanam non solum moraliter à divina gratia determinari, sed etiam physice per subordinationem & dependentiam voluntatis humanæ à divina, quæ necessitatio voluntatis ad gratiam congruam omnino tollit arbitrii libertatem*, ut prolixe probat Suarezius lib. 3. de auxiliis div. gratiæ.

Confer Dn D. Hulsemannum in Manuali Aug. Conf. contra Jesuit. Hagerum Disp. 16. q. 2.

10. Dissensiones Adversariorum.

In genere Scotus Defens. p. 226. sic scribit: *In causa liberi arbitrii magna est non tantum inter Catholicos & hæreticos, sed etiam inter ipsos Catholicos sententiarum diversitas.*

In specie.

Primo, Bellar. lib. 3. de grat. & lib. arbit. c. 7. & seqq. *sex opiniones* suorum hominum de libertate arbitrii recitat.

1. *Libertatem esse actum ipsum liberum, non habitum.*

2. *Esse habitum naturalem consurgentem ex conjunctione rationis & voluntatis.*

3. *Esse habitum rationi & voluntati per Naturam superadditum.*

4. *Esse potentiam quandam Universalem & genericam, cujus quasi species sint reliquæ potentiæ animæ intelligentis.*

5. *Esse potentiam particularem distinctam à ratione & voluntate.*

6. *Esse ipsas potentias rationis & voluntatis, sed rationis præcipue, quæ sit magis libera quam voluntas.*

Cuilibet opinioni famosissimos ex Scholasticis adjungit, ipse vero singulas refutat, & suam tandem subjicit; cap. 8. & 9. *Libertatem in eo consistere, quod propositis multis intelligibilibus & appetibilibus voluntas intellectum applicat, nonnunquam etiam cogit contra motionem totius suppositi, ad dispiciendum de his objectis, sive omnibus, sive aliquibus, & judicandum, quodnam ex his eligendum voluntati sit, tum quod intellectus eligendum judicaverit, id necessario & inevitabiliter à voluntate perfici. Et hanc esse libertatem, quod voluntas intellectum ad judicandum applicat, & judicium ejus necessario sequitur.*

Sed hæc opinio Bellarmini tanquam sine dubio falsa refutatur à Suaresio, in opusculis de concursu Dei cum voluntate lib. 1. c. 2. n. 5. & 13. cap. 3. n. 2. 3. 4. c. 11. ad 10.

Gregorio de Valentia tom. 2. in Thomam Disp. 2. q. 4. punct. 1. Becano Theol. Schol. part. 2. tract. 1. c. 2. q. 4. Pesantio in 1. 2. q. 8. art. 1. Disp. 2. & aliis.

Suarez præterea *duas alias* Theologorum Pontificiorum *opiniones* refutat, Unam, quæ dicit, *libertatem consistere in indifferentia passiva, quod potest ad hoc & illud objectum eligendum ab alio determinari humana voluntas.* d. l. cap. 2. num. 1. 2. aliam, quæ dicit, *libertatem in opinione consistere, quando homo putat, se hoc libere agere, quanquam nesciat, sese à DEO ad hoc determinatum esse.*

Hanc Theologis Lovaniensibus tribuit & dicit *errorem esse in fide.* d. l. c. 12. n. 14.

Ipse tantem libertatem definit, quod *sit indifferentia tam facultatis, quam exercitii, qua potest homo positis omnibus ad agendum requisitis agere vel non agere.* d. l. c. 3. n. 1. quæ etiam est sententia Pesantii & Tanneri.

Secundo, Franciscus Suarez lib. 3. de auxil. divin. gratiæ c. 7. disputat adversus Dominicum Bannes in 1. Thom. q. 23. art. 5. ad 7. Franciscum Cumel ibidem & 1. 2. q. 111. Medinam 1. 2. quæst. 109. art. 10. & alios, qui statuunt, quod *arbitrium hominis motum per Dei gratiam libertatem quidem habeat dissentiendi in sensu diviso, id est, quando abstrahitur a divina gratia, sed hac posita non inesse porro libertatem dissentiendi in homine: verum consensum esse illum effectum, qui necessario à divina gratia producitur*, & contrariam sententiam, quæ *posita Dei gratia arbitrio indifferentiam tribuit*, Bannes, *Pelagianam* vocat, apud Suarez d. l. num. 2. Eadem est Guilielmi Estii in 2. sent. dist. 26. num. 3. & Francisci Sylvii in explic. doctrinæ S. Thomæ part. 4. art. 3. quorum uterque fuit Duacensis Professor, Didaci Alvarez Tranensis Antich. Episcopi lib. 6. de auxil. div. gratiæ Disputat. 32. Gasparis Ram Professoris Oscensis de divinis præmotionibus p. 111. Petri Ledesma Professoris Salmaticensis de auxil. div. grat. quæst. unic. art. 12. Johannis Matthæi Rispolis de divinis auxil. lib. 2. quæst. 1. pag. 236. Pauli Bennii de efficacitate gratiæ cap. 14. & recentiorum Thomistarum communis sententia, ut loquitur Tannerus tom 2. Theolog. Schol. Disput. 6. quæst. 2. dub. 3. num. 43.

Franciscus Sylvius Professor Duacenus in Explicat. doctr. S. Thom. part. 4. art. 3. contra Jesuitarum sententiam tale profert argumentum: *Si ad rationem libertatis requiritur, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit agere & non agere, ergo necesse est, ut liberum arbitrium posita quacunque gratia adhuc possit esse bonum vel malum, ac proinde si bonum fiat, erit ex se non ex gratia, quia non obstante gratia æque poterit esse bonum ac malum. Ergo quod potius sit bonum quam malum, erit ex seipso & non ex gratia, quod est impossibile.*

Sic ergo plurimi Pontificii Thomæ Sectatores in Hispania præsertim & Belgio adversus Jesuitas asserunt, *Deum hominum voluntates ad suos actus prædeterminare & prædefinire, maxime in operibus gratiæ*, idque ostendunt non pugnare cum libero hominis arbitrio, si recte intelligatur. Illi acriter disputant adversus Molinam, Suaresium, Fonsecam, Vasquezium & alios, eorumque dogmata de *præscientia conditionata, sive de scientia media, de prædestinatione secundum prævisionem consensus liberi arbitrii, de meritis sub conditione prævisis*, & si quæ talia sunt, quantum possunt refellere nituntur, *in conversione hominis talem gratiæ Dei operationem* statuentes, *qua posita infallibiliter sequatur effectus à Deo prædeterminatus & præfinitus, quem etiam Physice*, ut loquuntur, *operatur id est, reali & vera efficientia.*

Jesuitæ contra, inter quos non ita pridem causam illam suscepit Leonhardus Lessius Doctor Lovaniensis in tract. de grat. effic. Antuerp. apud Moretum Anno 610. *liberi arbitrii indifferentiam*, asserunt, *etiam posita gratia & motione divina inter prærequisita, ita ut omnibus cujusvis generis prærequisitis positis liberum arbitrium possit agere & non agere accipere vel rejicere, consentire aut repugnare.*

Tertio, Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbit. cap. 15. *concursum gratiæ & liberi arbitrii* declarat similitudine *duorum ferentium lapidem, aut trahentium navem.*

Sed Azorius hanc similitudinem repudiat, lib. 1. Institut. moral. cap. 21. quæst. 8. *Ideo dici videtur causa secunda, quia movetur à prima,*

à prima, alioquin enim solum esset causa eum prima, sicut cum duo simul trabem portant, ubi quia unus ad portandum non movetur & applicatur ab altero, dici non potest causa secunda alteri comparata, sed est simul cum altero causa. At vero Deus non sic agit cum causa secunda.

Quarto, quidam asserunt, *voluntatem nostram physice prædeterminari ad bene operandum.*

Gregorius Ariminensis & recentiores quidam teste Tannero tom. 1. Theol. Schol. Disput. 2. q. 11. dub. 1. tom. 2. Disp. 6. q. 1. dub. 4. n. 50. Idem tamen negat, *hanc sententiam esse veram.*

Et Bellarm. lib. 1. de gratia & lib. arbitr. cap. 12. *hanc sententiam* docet *cum errore Lutheri & Calvini congruere.*

Contra vero Estius lib. 2. sent. dist. 28. §. 2. fol. 386. perspicue asserit, *gratiam efficacem constitui in gratuita & benigna Dei operatione, qua proprie in libero hominis arbitrio operatur ipsam conversionem seu alium quemcunque actum veræ pietatis, scilicet ipsum voluntatis motum efficienter attingendo, hoc est, voluntatem ipsam applicando & determinando ad volendum & eligendum, quæ operatio physica vocatur, id est, proprie dicta.* Et hanc sententiam Estius *quadraginta rationibus* confirmat.

Quinto, Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 13. disputat, *requiri in conversione hominis gratiam internæ suasionis, quæ lumen infundat & afflet initium bonæ voluntatis, quod sit quasi semen unde postea oriatur fructus voluntatis.*

Lib. 6. cap. 15. *Gratia excitans interna necessario præcedere debet hominis conversionem, sive ab infidelitate ad fidem, sive à peccato ad justitiam, neque sufficit gratia adjuvans. Hæc* (propositio) *est contra quosdam, qui existimant, sufficere externam excitationem per Evangelii prædicationem vel lectionem cum auxilio Dei concurrente ad eliciendum actum conversionis.*

Hanc propositionē postea inter cætera confirmat ex Concilio Tridentino, & addit: *Hoc ipsum clarissimè docuit Concilium Tridentinum, quod illi non spernunt, sed explicare conantur contra quos in præsentia disputamus.*

(Ergo Pontificii sunt, quos in hac propositione habet adversarios. In illorum numero est etiam Costerus, qui in Enchir. p. 206. statuit, *gratiam prævenientem non esse internam motionem & voluntatis inclinationem, sed duntaxat externum Spiritus adhuc foris degentis impulsum, quem admittere vel rejicere homo liberè possit.*

Sexto, idem Bellarmin. lib. 4. de gratia & lib. arb. cap. 6. in ἐπιγς. disputat, *non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi, quo nomen liberi arbitrii in servum mutetur.*

Atqui idem Bellarminus lib. 6. cap. 15. §. dices &c. fatetur, *libertatem arbitrii esse ligatam*

(Quod vero ligatum, nihil aliud quam servum est. Confer Joh. 8. v. 34. Rom. 6. v. 37. & 70.

Septimo, Bellarm. lib. 5. cap. 5. §. 1. *Potest aliquis* (solis Naturæ viribus) *ad brevissimum tempus omnia Dei mandata servare, cum fieri possit, ut aliquando nullum occurrat præceptum affirmativum, & nulla adsit tentatio provocans ad violenda præcepta negativa.*

cap. 6. §. 14. *Potest aliquis servare omnia mandata ad breve tempus.*

Contra cap. 5. §. 1. *Sententia Thomæ, qui docet in 1. 2. q. 109. art. 4. & 8. sine gratia justificationis non posse impleri omnia mandata, nec posse vitari longo tempore lethale peccatum, verissima nobis videtur.*

§. 7. *Inter omnia mandata moralia quædam sunt, quæ sine dubio servari non possunt sine gratia Dei.*

Octavo, idem Bellarm. lib. 5. cap. 5. §. 6. *Observatio secundum substantiam operis requirit, ut sic præceptum observetur, ut peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob præceptum non impletum.*

Contra lib. ejusd. cap. 9. §. 2. *Potest servari præceptum secundum substantiam operis, etiam cum peccato, ut si quis amico restituat depositum, ut illo ipse à furibus spolietur.*

Nono, *An homo in statu Naturæ corruptæ possit aliquid bonum morale peragere sine gratiæ auxilio*, alii affirmant, alii negant, apud Tannerum tom. 2. Theol. Schol. Disp. 6. q. 3. dub. 3. n. 38.

Argum. Adversariorum.

1. *Multa in Scripturis continentur præcepta. Præceptum est regula bene vivendi, frustra autem datur regula ei, qui non potest deficere, aut non potest non deficere; solum liberum arbitrium est, quod in via morum potest deficere & non deficere, igitur frustra homini præceptum à Deo datur, si caret libero arbitrio.* Bellarmin. lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 18. Pighius lib. 4. de lib. arb.

Resp. 1. ex ipso Bellarmino lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 16. §. Sed hæc. *Scripturæ, dum hortantur homines ad conversionem, id monent, ut cum à Deo vocantur & excitantur, non resistant Spiritui Sancto juxta Psalmum: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

2. Idem lib. ejusd. cap. 3. ad dictum Christi, *Venite &c.* respondet, *Christum invitare omnes ut veniant, non quod possint homines solis Naturæ viribus venire, cum scriptum sit Joh. 6. Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; sed ut admoneat, ut gratiæ prævenienti cooperentur & non resistant Spiritui Sancto.*

(Si præceptum frustra datum est, quod datum est ei, qui servare non potest, responsiones istæ Bellarminianæ ad argumenta Pelagianorum erunt frustraneæ.)

3. Si præceptum vim efficiendi semper inferret, sequitur, quod homo ex solis liberi arbitrii viribus possit in Deum credere, Deum super omnia diligere, ac legem perfecte implere. Ratio connexionis est, quia hæc omnia homini præcipiuntur. Consequens non admittunt Pontificii.

Sic enim scribit Bellarm. lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 18. §. Posterior &c. *Lex sola non facit justos, sed contra potius per gratiam justificati faciunt legem.*

(Atqui si tantum à justificatis lex impleri potest, sequitur, quod nequeat à viribus naturalibus liberi arbitrii, quæ sunt omnibus hominibus communes, impleri. Itemque quod quædam præcepta non fuerint frustra data, licet data fuerint iis, à quibus servari non possint. Pulchre Prosper adv. Collatorem. *Ignorat, id se suo vitio perdidisse: & non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet, idoneus non est.*)

Argum. 2. *In multis Scripturæ dictis præmittitur aliquid nobis sub conditione si volueritis* Esa. 1. v. 19. *Amos* 5. v. 14. *Matth.* 19. v. 17. *Aut ergo est in potestate nostra præstare conditionem oblatam, aut non est. Si datur primum, demonstratur liberum arbitrium; si secundū, illa non est vere sub conditione promissio, sed manifesta irrisio.* Bellarm. d. l. c. 19. Pighius d. l.

Resp. Bellarm. lib. 6. de grat. & lib. arb. c. 5. agnoscit, *conversionem ad Deum esse opus Dei.*

(Atqui de illa etiam verbis conditionatis loquitur Scriptura. Sic Rom. 10. v. 9. inquit Apostolus: *Si credideris in corde tuo, quod Deus Dominum Jesum excitavit à mortuis, servaberis.* Hic salus & medium salutis, vera scil. in Christum fides conjunguntur; At num ob additam conditionem concludemus, fidem esse opus liberi arbitrii? & sic ipsam conversionem? minime vero.)

Argum. 3. *Dicta quædam Scripturæ testantur, per homines stetisse, quo minus bene agerent & peccata vitarent. Num.* 14. v. 43. *Deut.* 30. v. 11. *Esa.* 5. v. 4. *Jerem.* 7. v. 28. *cap.* 32. v. 23. *Matth.* 23. v. 37. *Act.* 7. v. 52. *Vel potest is, qui peccat, non peccare; vel potest. Si potest, habet igitur liberum arbitrium; si non potest, igitur Deus frustra queritur de homine, quasi per illum steterit, quo minus bene ageret, cum ipse aliter facere non potuerit.* Bell. d. l. cap. 20.

Resp. 1. Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæres. cap. 8. *Pelagius dicit, hominem sola liberi arbitrii potestate posse & vitare peccata & gloriam mereri. Nam si non potest, inquit, vitare peccata, jam non sunt ei peccata, quia nullus peccat in eo, quod vitare non potest.*

(Est ergo hoc argumentum ex Schola Pelagii petitum.)

2. Si huic argumento vis concludendi inest, consequens fuerit, hominem posse ex Naturæ viribus credere & converti, cum Deus passim conqueratur de hominibus, quod noluerint credere & converti. At consequens, utpote plane Pelagianum, non concedunt Pontificii.

(Merito igitur conqueritur Deus de hominum ἀδυναμίᾳ ad bonum, cum suapte culpa & vitio in eam se præcipites dederint.)

3. Bellarminus in explicatione loci Deut. 30. sibi contradicit. Nam lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 6. §. 2. duplicem illius textus Mosaici attulit explicationem: Primum *legem Domini non esse supra vires hominum, non quorumlibet, sed eorum, qui per gratiam sanati sunt ab amore proprio, Deumque toto corde diligunt.* Deinde, *Mosen non loqui de facilitate observandæ legis, sed de facilitate cognoscendæ*, quæ expositio ipsi *maxime literalis & propria* videtur, eamque confirmari statuit Rom. 10. Hisce vero contradicit, quando lib. ejusd. cap. 20. scribit: *Licet Moses loquatur de facilitate cognitionis, tamen ex facilitate cognitionis colligi vult, in potestate populi fuisse mandata servare, vel non servare.* Et addit. *Calvinum merito scripsisse, solutionem istam, quod Moses loquatur de facilitate cognitionis, non observationis, esse cavillatoriam.*

(In

(In priore loco omnino negat contra Pelagianos, loqui Mosen *de facilitate observationis*, ne concedere cogatur, *omnia præcepta moralia, ex solis Naturæ viribus impleri posse*. In posteriore loco contra nos disputans idipsum revocat, & ait: *nulla ratione negari posse, loqui Mosen etiam de præceptis servandis, & docere, esse in potestate hominum illa servare & non servare: ex quo liberum sine ulla dubitatione demonstretur arbitrium.*

3. Eodem loco, videlicet lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 20. §. Tertia &c. sic scribit: *Ne populus responderet, se non posse implere præcepta &c. adjungit Moses, Circumcidet Dominus cor tuum, ut timeas eum: ubi promittitur auxilium gratiæ contra excusationem impotentiæ.*

(Agnoscit ergo Bellarminus in homine nondum renato *impotentiam benè operandi*, cui nullum sit remedium nisi à gratia. Quod si in populo Israelitico fuit impotentia præstandi legem ac necessarium fuit auxilium gratiæ ad eam præstandam; utiq; merito negamus Mosen docuisse, populo sufficere arbitrii sui vires ad præstanda mandata.)

4. Cajetanus & Salmero fatentur locum Deut. 30. in sensu literali & proprio ab Apostolo Rom. 10. accommodari ad doctrinam Evangelii.

Argum. 4. *Quædam dicta testantur, Deum interdum reducto gratiæ suæ subsidio explorare homines, & expectare quorsum convertant sua studia. Deut. 8. v. 2. Adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, & nota fierent, quæ in animo tuo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. cap. 13. v. 3. Tentat vos Dominus Deus vester, ut videat si diligatis eum toto corde. Os. 5. v. 15. Vadam ad locum meum, donec ponant in corde suo & quærant faciem meam.*

Ex his locis Bellarminus tale nectit argumentum: *Frustra exploraret Deus, quid homines facere velint, nisi possent rem eandem facere & non facere. Nemo enim prudens explorat eventum rei determinatæ ad unum.* Bellarm. d. l. cap. 21.

Resp. Si ex his dictis evinci posset, hominem naturalibus liberi arbitrii viribus præstare posse, quod Deus tentatione sua expectat, ut præstet: consequens foret, gratiam homini ad id præstandum non esse necessariam. Probatur consequentia quia Deum secedere ab homine & experiri, quod possit, non significat eum ipsum hominem adjuvari ab eo, qui recedit, sed hominem sibi, suisque, viribus relinqui. At consequens illud negat ipse Bellarminus. Ergò antecedens statuere non debet.

Argum. 5. Genes. 4. v. 6. *Quare iratus es, & cur concidit vultus tuus? &c. v. 7. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi.*

Ex hoc loco Bellarm. lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 42. Cornel. à Lapide Leonh. Marius in Comm. illius loci, liberum arbitrium probare conantur. Cens. Colon. p. 32. Hebr. תמשל *talem subjectionem vult, qua vix major est.*

Resp. 1. Si ab exhortatione velimus argumentari ad liberum arbitrium, sequetur, totam hominis pœnitentiam in propriis ejus viribus sitam esse. Consequens nolunt videri concedere Pontificii. Ergo nec antecedens ponere debent.

2. Si à præcepto ad vires nostras argumentari velimus, sequetur hominem non renatum legem perfectè implere posse. Consequens Pontificii non concedunt. Ergo. Pulchre Bernhardus serm. 5. de quadrag. *Hoc erat, quod quærebat Dominus; hoc erat, ad quod nos perducere satagebat, ut videntes defectum nostrum, & quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus.*

3. Dominium illud in peccatum intelligendum ratione subjectæ materiæ de dominio in fratricidium, à quo poterat omnino Cainus manum abstinere. Estius dicit, *tribui homini h. l. dominium in suas actiones*, quod libenter concedimus.

4. Latinus Interpres, à quo Pontificii decreto Concilii Tridentini prohibentur discedere, vertit in futuro, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi.* Ergò Cainus tum temporis non habebat in potestate sua peccatum, sed habiturus erat.

Argum. 6. Alphonsus à Castro lib. 9. advers. hæres. tit. Libertas. hæresi. 1. libertatem arbitrii inter alia probat ex Ps. 119. v. 109. *Anima mea in manibus meis semper. Quid est*, inquit, *animam meam esse in suis manibus? hoc est, in sua potestate, ut eam, ad quod voluerit, flectat.*

Resp. 1. Lyranus in Comment. *Animam in manibus habere, in Scriptura significat in periculo esse Jud. 12. & 1. Reg. 19. (Job. 13.) Per hoc ergo, quod dicitur hic, anima mea in manibus meis semper, intelligitur periculum animæ de lapsu ex carne aggravante continue, propter quod homo indiget ad divinum auxilium implorandum recurrere.*

2. Lorinus ad h. l. sic commentatur: *Gabriel lect. 59. in can. colligit ex hoc loco, inesse nobis liberum arbitrium, ut sit animam esse in manibus nostris, esse in nostra potestate, ut quod placet, faciat &c. Verum habere vel portare animam in manibus parœmialiter dicitur ad significandam periclitationem, & quod quis in omni opere, quod manus innuunt, præsens ac præ oculis habeat periculum mortis & recordetur novissimorum.*

Et paulò post. *Hieronymus epist. 135. tradit, hunc communem esse sensum Græcorum Ecclesiasticorum Interpretum, ac si dicat David: quotidie periclitor, & quasi in manibus meis sanguinem meum porto, & tamen legem tuam non obliviscor. Consentiunt fere omnes, qui recipiunt lectionem nostram, in qua est pronomen primæ personæ.*

(Ergo hæc est communi Interpp. consensu recepta expositio.)

3. Jacobus Tirinus ad h. l. *Anima mea, id est, vita mea periclitatur quotidie, ac si eam in superficie manus meæ hostium direptioni expositam gestarem.*

Argum. 7. Sirac. 15. v. 14. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui &c.* Cens. Colon. p. 33. Bellarm. d. l. & alii passim.

Resp. 1. multi ex Pontificiis agnoscunt, *librum Siracidis non esse in canone*, ut ostendimus lib. 2. art. 1. cap. 1. sect. 2. th. 7.

2. Thomas 2. 2. q. 109. art 8. ad 3. *Sicut Augustinus dicit in hypognosticon, verbum illud intelligitur de homine secundum statum Naturæ integræ, quando nondum erat servus peccati.*

(Illud probat πρωτόπλαστος, ἐξ ἀρχῆς Matth. 19. v. 4.)

3. Johannes Driedo lib. 2. de grat. & lib. arb. tract. 2. itidem agnoscit, Siracidem loqui de statu primi hominis ante lapsum, *Quod Pelagiani, inquit, afferunt ex Eccles. 15. verissimum quidem est. Nam Deus ab initio instituens genus humanum, talem fecit hominem & reliquit in manu consilii sui: nunc autem omnis homo nascitur malus, filius iræ, donec liberetur per gratiam Dei miserentis.*

4. Idem agnoscit Cornelius Jansenius in Comm. h. l.

5. Jacobus Tirinus in h. l. sic commentatur: *Deus ab initio constituit hominem, hoc est, creavit & plasmavit hominem. Hoc fateor, & est verum. Sed non creavit peccatorem, vel hominem infectum peccatis, sed liberum ab omni peccato, ornatum gratiâ & justitiâ & tot aliis donis. Nec aliud optabat, quam ut perpetuo maneret in isto felici statu tam ipse quam omnes posteri ipsius. Noluit tamen ad id cogere & violenter necessitare eum, qui ex Natura sua liber erat. Ergò reliquit illum in manu consilii sui, & liberam Naturam permisit libere agere, quicquid posset & vellet.*

(Ergò agitur in hoc dicto de homine ante lapsum.)

6. Bellarminus ipse agnoscit dictum Sirac. cap. 15. v. 14. agere de homine, qualis ab initio fuit creatus. Sic enim scribit lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 7. *Postremo addantur testimonia, quæ probant, primum hominem ante lapsum præditum fuisse libero arbitrio, quale est illud Eccl. 15. Deus creavit hominem & reliquit eum in manu consilii sui.*

7. Josephus Angles in Floribus in 2. sent. dist. 24. & 25. q. unic. different. 4. de subjecto lib. arb. *In statu innocentiæ habuit homo liberum arbitrium. De fide est & expressè habetur Eccl. 15. Deus ab initio &c.*

(Urget quidem Bellarmin. verba sequentia, *quæ ad omnes pertinere* dicit. At non poterit dicere, eandem esse rationem primi status in integritate, & status corruptionis, ac vires utrobique esse easdem: inde Jansenius in Comment. illius loci, agnoscit, *hominem quidem ante lapsum habuisse pleniorem potestatem ad bonum quam post lapsum habet: Scripturam tamen sæpe de ejus voluntate sic loqui, quasi in eo situm sit bene & velle & facere, tum quod respiciat ad eam voluntatis potestatem, quam in creatione accepit à Deo, dissimulando illud, quod peccato facta est, tum quod ex creatione sua adhuc habeat, ut tamen velle & facere possit, etsi non per se, hoc est, ex his, quæ in se habet, sicut tunc &c.* Ex quo apparet, in homine, qualis est post peccatum, non reperiri tale liberum arbitrium, quale hic describitur; etsi ab eo exigantur ea, quorum debitor est vi primæ originis suæ. Quod Jansenius addit *de potentia, quam homo post lapsum adhuc habet à creatione*, verum est *de bono civili*, non autem *supernaturali*, nisi intelligatur *de potentia passiva*, quod homo sit subjectum δεκτικὸν divinæ gratiæ, per quam potest bene velle.)

8. Thomas part. 1. q. 22. art. 2. ad 4. *In hoc quod dicitur Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à divina providentia, sed ostenditur, quod non ei præfigitur virtus operativa determinata ad unum,*

unum, sicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum quasi ab altero directæ in finem, non autem seipsa agunt quasi dirigentia in finem, ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur & eligunt.

(Si nihil aliud per hanc phrasin intelligatur, *dereliquit eum in manu consilii*, quam *libertas in subjecto*, ut loquuntur, facile concedimus, etiam de homine post lapsum hoc posse dici.)

9. Estius in 1. sent. dist. 40. sect. 10. ad 2. *Reliquit Deus hominem in manu consilii sui non eum removendo à sua providentia, sed quia non ei præfixit operativam facultatem ad unum aliquid determinatam, sicut brutis & aliis rebus naturalibus, verum indito ei libero arbitrio dedit ei potestatem deliberandi de agendis & eligendi quæ vellet.*

(In rebus scilicet civilibus & externis, non autem in spiritualibus.)

10. Si, ex hoc loco inferri posset, hominem libero arbitrio in spiritualibus esse præditum, sequeretur, *in hominis non renati potestate esse totam legem implere.* Consequens Pontificii non admittunt. Ergò nec antecedens statuere debent.

Argum. 8. Sirac. 31. v. 11. *Quis potuit transgredi & non est transgressus, & facere malitiam & non fecit?*

Ex hoc loco Bailius in Catech. Controv. tract. 4. q. 3. liberum arbitrium probat & conqueritur, *punctum interrogativum ab hæreticis esse additum, ut loci illius sensum obscurarent.*

Resp. 1. Punctum interrogativum additur in omnibus Codicibus Græcis, ne Hispanicis quidem & Antuerpiensibus Regiis exceptis.

2. Eodem modo legit Cornelius Jansenius in Comm. & notat, *significari raros esse, qui in auro probati perfecti inveniantur, hoc est, integri & inculpati, id est, raros esse, qui cum habeant occasionem peccandi, ut sunt quibus adsunt divitiæ, non peccent abutendo eis*, Et tandem concludit: *Ex his patet, cum dicitur, potuit transgredi & facere mala, non potissimum id dictum esse propter potestatem liberi arbitrii, quod ad bonum & malum liberum est, sed propter potentiam & vires peccandi, quas divitiæ suppeditant.*

(In textu Græco Siracidis cap. 17. v. 13. al. 16. extat evidens locus, quod homo post lapsum non habet liberum arbitrium in spiritualibus. Πᾶς ὁ ἄνθρωπος ἐκ νεότητος ἐπὶ τὰ πονηρά, καὶ οὐκ ἴσχυσαν τὰς καρδίας αὐτῶν ἀντὶ λιθίνων ποιῆσαι σαρκίνας. *Omnis homo à juventute ad mala scil. propensus est, & non valuerunt corda sua pro lapideis facere carnea.*)

Argum. 9. Luc. 2. v. 14. *canunt Angeli, Pax hominibus bonæ boluntatis Ergò homo habet arbitrium ad bonum.* Anglo-Rhemens. in annot. ad h. l.

Resp. 1. Cornelius Jansenius in Conc. Evang. cap. 8. p. 60. sic scribit: *Cum apud Græcos non intercedat conjunctio ET inter has duas partes, Pax in terra, in hominibus bona voluntas vel beneplacitum, sicut intercedit inter, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax; apparet convenientissimè duos illos nominativos, pax & bona voluntas, conjungi per appositionem, ut iste sit sensus: In terra pax, id est, bona voluntas Dei erga homines. Nihil enim aliud est pax Dei cum hominibus, quam beneplacitum illius erga eos, quibus prius offensus erat. Itaque nostra litera non potest intelligi, ut significetur pax promitti hominibus habentibus bonam voluntatem, hoc est, bene vivendi propositum bonum, sed ut habeat nostra litera sensum Græcæ lectionis, genitivus bonæ voluntatis construi debet cum nominativo pax, & accipi pro bona Dei erga nos voluntate.*

2. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 11. §. sic etiam &c. præfert textum Græcum, argumento eo, quo *εὐδοκία ut plurimum non est bona voluntas hominis, sed bona voluntas Dei erga homines.*

3. Maldonatus ad h. l. sic commentatur: *Putant* (quidam veterum ac recentiorum) *bonæ voluntatis homines appellari, qui bonam habent voluntatem & ad recipiendam divinam misericordiam, & pacem illam, quæ annunciabatur, propensam, quales illi Pastores erant, quibuscum angeli loquebantur &c. Sed εὐδοκία non hominum, sed Dei erga homines bonam voluntatem significat. Itaque sensus est: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, id est, iis, quod Deus amavit, qui Deo placuerunt, quos bona Deus prosecutus est voluntate. Quibus verbis prædestinati designantur, non quod non omnibus hominibus Christus pacem attulerit &c. sed quod ejus pax atque redemtio non omnibus, sed solis prædestinatis, qui eam recipere voluerunt, profutura esset. Potius ergo significatur, non hominum meritis, sed sola Dei misericordia atq; liberalitate, &, ut ipsius prædestinationis verbo utar, εὐδοκίᾳ beneplacito hanc inter Deum & homines reconciliatam esse pacem.*

4. Lorinus in Comment. 2. Petr. 1. v. 16. *Qui in doxologia Angelica legunt, hominibus bona voluntas, ut Græci Expositores, Theophylactus & Euthymius, item Eusebius 4. demonstrat. cap. 10. Nazianzenus orat. de pasch. Epiphanius hæres. 30. Basilius orat. de nativ. Athanasius de pass. & cruce, Nyssenus orat. de nativ. Andreas Hierosolymitanus orat. de laudib. B. Virginis. Nicephorus lib. 1. Histor. cap. 12. & qui Græce scripsit, Clemens Romanus, Syrique Codd interpretantur, hominibus bona voluntas, hoc est, pax, quæ est bona voluntas erga illos, nempe Patris dantis Filium & nos sibi per eum reconciliat.*

5. Cornelius à Lapide in Comment. 2. Petr. 1. vers. 7. *Hominibus bonæ voluntatis, erga quos scilicet Deus per Christum suam εὐδοκίαν, hoc est, beneplacitum, summumque amorem exhibere decrevit, donando eis suam gratiam, amicitiam, gloriam, hereditatem & felicitatem æternam. Unde Syrus, Nyssenus, Theophylactus & Euthymius pro εὐδοκίας, id est, bonæ voluntatis legunt, εὐδοκία, hoc est, bona voluntas, hymnumque faciunt trimembrem; Gloria in altissimis Deo, in terra pax, hominibus sit bona voluntas, hoc est, benevolentia Dei, ut scil. per Christum jam natum eos salvet & in filios sibi adoptet. Sic Eph. 1. v. 9. & alibi homines bonæ voluntatis vocantur filii dilectionis, hoc est, filii voliti, electi & dilecti à Deo.*

6. Jacobus Tyrinus Jesuita in Comment. h. l. Pax, id est, prosperitas, felicitas, omne bonum, hominibus bonæ voluntatis, id est, hominibus. quibus bene vult Deus. Nam Græcum εὐδοκία, sicut & Hebræum Razon in Scripturis soli Deo tribuitur, & significat Dei beneplacentiam seu benevolentiam erga homines. q. d. Jam pax erit certa hominibus, quos tam bona voluntate, tantaque benevolentia prosequitur Deus, ut Salvatorem eis dederit, qui pacem inter ipsos & Deum componet & omne bonum illis afferet. Ita qui hic homines bonæ voluntatis, Eph. 1. v. 9. vocantur filii dilectionis, id est, dilecti à DEO. Ita Nyssenus, Theophylactus, Euthymius & alii.

Argum. 10. Luc. 10. v. 30. *Viator à latronibus sauciatus semivivus relinquitur. Viator ille est typus humani generis à Diabolo sauciati & spoliati. Hominem ergò relictum esse semivivum significat liberum arbitrium non esse extinctum,* Salmero tom. 7. tract. 16 in Comm. hujus parabolæ.

Resp. 1. Bellarminus nos docet lib. 3. de verbo Dei cap. 3. *ex solo sensu literali duci posse firma argumenta. Literalis sensus is est, quem autor intendit*, docente Thoma part. 1. q. 1. art. 2. At *Christus autor hujus dicti intendit docere, quis sit habendus proximus*, fatentibus Cajetano, Jansenio, Maldonato in h. l. Ergò alter ille, quo hæc parabola ad lapsum & reparationem generis humani applicatur, est allegoricus.

2. Lyranus ad h. l. *Sublata est vita gratiæ, manente vita Naturæ.*

(Rectissime, nam quod ad vitam spiritualem ac vires ad eam inchoandam necessarias attinet, hominem non semivivum, sed plane *mortuum* Scriptura pronunciat Joh. 5. vers. 25. Ephes. 2. v. 5.)

3. Maldonatus ad h. l. sic annotat: *Meminisse lector debes id, quod sæpe monui, non omnes hujusmodi Parabolæ partes subtiliter esse explorandas, sed ex fine parabolæ colligendum esse, quæ sint ejus partes necessariæ, quæ vero ut supplementa aut ornamenta narrationis adhibeantur &c. Quod dicitur, semimortuum esse relictum, nihil aliud significat, quam eum in statu maximè miserabili esse relictum. Nam ita relictum esse, ut semimortuus esset, miserabilius est, quam si fuisset mortuus, quo magis miseriam sentiebat suam.*

4. Cornelius Jansenius in cap. 81. Concord. Evang. *Multis nominibus Dominus hunc notat miseratione dignum, nempe quia homo, omnibus exutus, quia graviter vulneratus, quia mox periturus, quia ab omnibus desertus, postremum quod sibi succurrere non valeret.*

(Ergò contrarium potius ex hoc loco colligitur.)

Argum. 11. Alphonsus de Castro lib. 9. adv. hæres. tit. Libertas. hæres. 1. pro astruenda arbitrii in spiritualibus libertate urget locum Joh. 1. v. 12. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri. Hæc potestas, inquit, non solis justis data est, quoniam hi cum justi sunt, jam in filiorum numerum redacti sunt, quare non erat opus eis nova potestate, qua fierent filii Dei, cum jam essent. Peccatoribus ergò hæc potestas est collata &c. quoniam si juxta vires suas se ad gratiam suscipiendam præparaverint, Deus non subtrahet se ab illis, quinimo dabit illis gratiam, per quam in filiorum adoptionem recipiantur.*

Resp. 1. Salmero tom. 2. tract. 14. postquam itidem h. l. pro stabiliendo libero arbitrio adduxisset, subjungit: *Quia verbum Græcum ἐξουσία, quo utitur Evangelista, non tantum potestatem, sed & dignitatem & excellentiam sive autoritatem denotat, idcirco quidam alii hunc locum sic intelligunt: Dedit eis hanc excellen-*

excellentiam, ut fiant & sint filii Dei, non posteaquam receperunt, sed eo ipso, quo recipiunt Christum prædicatione propositum.

(Ergo non insistit argumento ex hoc loco deducto.

2. Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 1. adductis & repudiatis aliorum expositionibus (inter quas etiam ea est, quæ vim liberi arbitrii hic commendari statuit) suam tandem subjungit, eandemque verissimam: *Dictio ἐξουσία*, inquit, *non significat solum potestatem vel facultatem alicujus rei faciendæ vel acquirendæ, sed etiam autoritatem, dignitatem & jus. Deinde verbum γενέσθαι non tantum per fieri, sed & per esse verti potest, ut jam hic sit sensus: dedit eis eam autoritatem, jus & dignitatem, ut sint filii Dei. Atque hoc modo accepisse Christum dictionem ἐξουσίαν patet cum ex aliis, tum ex his maxime verbis. Cum potestatem ipsis datam & servi naturum filio enodaverit, & adoptionem ac gratiam per potestatem hanc intellexerit, tutissime postea intulit: ex Deo nati sunt &c.*

Et postea. *Sensus est nostræ literæ. Dedit eis hanc excellentiam & dignitatem, ut sint filii Dei, non quidem posteaquam eum receperunt, sed eo ipso, quod eum recipiunt. Itaque etiam secundum hunc sensum nihil ex his verbis, dedit eis potestatem, colligere licet de libero arbitrio.*

3. Cajetanus existimat, *Evangelistam hic loqui non de ea filiatione, quam consequimur per fidem & Baptisma, sed de gloriosa adoptione filiorum Dei, quæ erit in novissima corporum resurrectione, de qua Paulus loquitur Rom. 8.*

Idem tamen in Jentaculo suo quinto etiam ostendit, quomodo de priori adoptione filiorum Dei accipi possit, nempe *ut intelligamus, iis qui recipiunt & credunt, dari potestatem, non qua postea fiant filii Dei, sed qua eo ipso tempore vel momento, quo credunt, sunt filii Dei. Fides enim ex se non potest nos filios Dei facere, sed ex gratuito Dei dono habet hanc potestatem, ut mox filios Dei faciat: proinde credentibus data dicitur potestas; qua fiant & fiendo sint filii Dei.*

4. Toletus ad h. l. sic annotat: *Chrysostomus homil. 9. in Joh. asserit, dictum esse, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ut significetur motus liberi arbitrii, sic enim homo adultus fit Dei filius, ut libero arbitrio concurrat ad credendum, ut fiat filius Dei. At hoc verbis Evangelistæ minus congruum est. Potestas enim arbitrii præcedit arbitrium, at hic dicitur potestas hæc dari, ut fiat filius Dei, cum dicendum foret, posuit in potestate eorum fieri filios Dei.*

5. Estius ad h. l. sic annotat: *Græcè non est δύναμις, sed ἐξουσία, quod potestatem cum autoritate significat & dignitatem quandam. Itaque h. l. non videtur significari potestas quæpiam ab actu remota, quasi potestatem quidem acceperint, ut fiant filii Dei, nondum tamen facti sint, sed potius quod à Deo acceperint dignitatem illam, ut sint filii Dei. Cum enim dicit eos ex Deo natos esse, ut sequitur, consequens est jam esse filios Dei, & non tantum esse posse.*

6. Jacobus Tirinus Jes. in Comment. h. l. postquam dixisset *Chrysostomum, Theophylactum & Euthymium ἐξουσίαν vertere per potestatem, & inde probare vim liberi arbitrii*, subjungit: *Posset alioquin etiam verti, dignitatem & præeminentiam, qua participative fiant etiam ipsi filii Dei, nempe adoptivi, si credant in nomine ejus.*

Argum. 12. 1. Cor. 3. v. 9. *Dei sumus συνεργοί. Ergo in actu conversionis Deo cooperamur.* Bajus in Catech. controv. & alii.

Resp. 1. Estius in Comm. sic exponit: *Respicit Apostolus quod dixerat, eum qui plantat & qui rigat unum esse: quandoquidem, inquit, cooperatores sunt Dei ad unum eundemq; scopum, id est, fructum Evangelii; qua in re tanquam ministri Deo velut agri colendi Domino, qui solus incrementum dare potest, subserviunt.*

(Ergo Apostolus non agit de nostra ad Deum conversione, sed de opere ministerii.)

2. Idem ibid. rectè monet, *nostram cooperationem respectu Dei, non esse talem, qualis est cooperatio Dei respectu nostri, quia tota nostra cooperatio etiam ipsius Dei operatio est, facientis ut faciamus.*

(Hoc sensu non multum pugnabimus, si quis συνεργὸς Dei nos dicat in opere salutis nostræ.)

3. Cornelius à Lapide, & Benedictus Justinianus itidem agnoscunt, *hic proprie non agi de opera, quam quisque Christianus ponit in sua ipsius salute promovenda, sed de opera Ministeriali Doctorum Ecclesiæ, quam in ædificatione auditorum ponunt, ut ex toto contextu manifestum.*

(Quicquid sit, si vel maxime ad operam cujusque vere pii hoc transferatur, concedendum tamen erit, de renatis sermonem esse.)

Argum. 13. 1. Cor. 15. v. 10. *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum. Ergo liberum arbitrium gratiæ cooperatur.*

Resp. 1. Erasmus in annot. ad h. l. sic scribit: *Corrigit Paulus quod modo dixerat, se plus omnibus laborasse: imo, inquit, non ego is sum, qui hoc feci, sed gratia potius Dei, quæ mihi adfuit, ut intelligamus, totum hoc Deo acceptum ferri.*

2. Ambrosius Catharinus legit, *ἡ εἰς ἐμὲ, quæ in me collata est.*

3. Estius exponit. *abundantius omnibus laboravi in gratia muneris Apostolici.*

(Ergo non agitur de cura, quam quivis Christianus de sua salute agit, sed de laboribus in Ministerio Ecclesiastico.)

4. Benedictus Justinianus in paraphrasi. *Divinæ gratiæ vi atque efficacitate plus cæteris omnibus laboravi, aut, ut verius dicam, non ego quidem, (nam quid, aut quantulum hac mea tenuitate efficere possem?) sed gratia Dei, quæ mecum est.* In comm. refellit eos, qui *omnem boni efficientiam divinæ gratiæ adeo tribuunt, ut nobis oscitantibus, aut etiam dormientibus, nedum nihil agentibus justificationem, cæteraque omnia bona divinitus tribui mentiantur, eam porro esse divinæ gratiæ vim atque efficacitatem, ut ei liberum arbitrium reluctari, refragarique non queat.*

(Atqui alia quæstio est, an liberum arbitrium ex se suis viribus possit gratiæ cooperari, quod negamus; alia vero an possit ei reluctari, quod concedimus.)

Argum. 14. Apoc. 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum. Ergo in hominis potestate est pulsanti DEO cordis januam aperire.* Blasius de Viegas in h. l.

Resp. Ludovicus de Pont. in locum parallelum Cant. 5. v. 2. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror &c.* Sic commentatur. lib. 8. in Cant. Cant. exhortat. 8. *Advertere oportet, vocem dilecti, aperi mihi, bifariam sumi posse juxta duplicem modum auxilii & vocationis, quam Theologi vocant efficacem vel sufficientem. Post illam semper sequitur consensus & effectus. Post hanc non semper, etsi vires præbeat, rationesque adducat sufficientes, ut quis, si velit, consensum præstet. Priori modo vox illa, Aperi, accipienda est per modum imperii efficacis, ad modum, quo Christus Dominus homini surdo & muto dixit, Ephatah, quod est adaperire, & statim apertæ sunt aures ejus Marc. 7. v. 34. Cum autem Dominus per miracula sua totum hominem foris & intus sanare consueverit, efficacitas illius vocis erga corpus indicabat efficacitatem vocis æternæ erga animam, cui etiam dixit adaperire ad audiendum & loquendum quæ tibi jubeo, virtute cujus* (nota) *statim anima etsi liberè, voce Domini obedivit & implere jussa decrevit. Efficacia autem hujus vocis ostenditur, cum Christus Dominus tres mortuos unica voce suscitavit, dicens: Puella vel adolescens surge &c. Mortuus erat Matthæus, cum ei dixit: Sequere me, & hac unica voce ei largitus est vitam, quia mox gaudens consensum præstitit. Vix etiam Saulo dixit, Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris, cum aperuit ostium cordis, dicens, Domine quid vis me facere. Sic igitur cum Deus efficaciter peccatori inquit: Aperi mihi, mox aperit ostium cordis. Ita enim vox illa sonat in corde ipsius, ut sine mora velit aperiri. Unde ita homo aperit januam, quod ipse Deus dicatur etiam aperire, quoniam homo non nisi per auxilium gratiæ à Deo proveniens aperit, sicut D. Lucas insinuavit loquens de muliere Lydia nomine Act. 16. v. 14. Cujus Deus, inquit, aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur à Paulo.*

(Ergo homo ostium cordis aperit non naturalibus liberi arbitrii viribus, sed novis per gratiam prævenientem & excitantem donatis viribus, sicut resuscitati ex morte naturali non suis, sed novis in resuscitatione datis viribus resurgunt.)

Posteriori autem modo vox illa, Aperi, dirigitur ad animam per modum exhortationis, suadens quidem apertionem, rationesque sufficientes & de se valde efficaces adducens, ut consentire velit, quibus tamen multoties resistit vel obedire pigrescit & differt. Et ideo Dominus in Apoc. dixit: Si quis mihi aperuerit: insinuans aliquos id nolle.

(Postquam homo novas vires accepit, ipsum & velle & nolle assentire posse concedimus, sed naturalibus viribus non potest nisi nolle.)

Argum. 15. *Impossibilitas benè operandi non consistit cum libero arbitrio, sed hæc duo se mutuo excludunt.*

Resp. 1. Bernhardus lib. de gratia & lib. arbitrio sic disserit: *Nemo putet ideò dictum liberum arbitrium, quod æquâ inter bonum ac malum facultate versetur, cum cadere quidem per se potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum: alioquin nec DEUS, nec Angeli sancti, qui ita sunt boni, ut non possint esse & mali; nec prævaricatores Angeli, cum ita sint mali, ut jam non valeant esse boni, liberi arbitrii esse dicerentur; sed & nos post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alii bonis, alii*

mali

malis admixti fuerimus. Cæterum, nec Deus caret libero arbitrio, nec Diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas ac voluntaria obstinatio.

Idem ibid. *Humanæ voluntatis consensus sponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum, quam spontaneum constituit, sua utique voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus sit. Et sicut cœlestis Angelus aut etiam Deus ipse permanet libere bonus propria videlicet voluntate: sic profecto Diabolus æque libere in malum & corruit & persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu. Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis tam plena quidem in malis, quam & in bonis: sed in bonis ordinatior.*

Et postea. *Quid ergo? Forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis, quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntas? Est plane, sed si cogi ab alio potuit, quam se ipsa. Quod si se ipsa cogit, compulsa & compellens, ubi amittere, ibi & recipere visa est voluntatem.*

Idem serm. 81. in Cant. *Homo interveniente peccato patitur quandam vim & ipse: sed à voluntate, non à Natura, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium & liberum, & quidem peccato factum est. ut corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius facit; ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam premendo blandiens & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec tamen excusare ullatenus de ratione queat. Unde querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus: Domine, inquit, vim patior, responde pro me. Sed rursus sciens, quod non justè causaretur adversus Dominum, cum voluntas sua ipsius potius in causa foret, attende quid secutus intulerit: Quid dicam? aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim. Premebatur jugo, non alio tamen quam voluntaria cujusdam servitutis, & erat pro servitute quidem miserabilis. Voluntas enim est, quæ se cum esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet, voluntariè serviendo.*

Et post pauca. *Anima miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quadã ac male libera necessitate & ancilla tenetur & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea, quo libera eoque ancilla, quo rea: ac per hoc eo ancilla, quo libera.*

2. Bonaventura in 2. sent. dist. 25. q. 8. *Cum duplex sit necessitas, coactionis & immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat libertati arbitrii, necessitas verò immutabilitatis non item.*

3. Salmero tom. 9. tract. 56. p. 439. *Stat liberum arbitrium cum necessitate bene operandi vel male faciendi, &, ut sic dicam, cum impossibilitate. Nam in Angelis & beatis tanta dignitas liberi arbitrii non abest, sed cum necessitate bene operandi & cum impossibilitate malè faciendi conjuncta. Cacodæmones damnatique omnes liberum arbitrium, quod naturale est ac proinde amitti nequit, habent, sed cum impossibilitate benè faciendi & cum necessitate malè operandi annexum.*

4. Johannes Antonius Delphinus de salutari progressu lib. 4. de libero arbitrio capite: Quarum rerum sit liberum arbitrium. *Dupliciter considerari potest liberum arbitrium, Primo quidem, ut liberum est: deinde, ut deliberans. At illud sanè, ut liberum est, non solum potest contingentium esse, verum quoque necessariorum; id quod planè videre est in Deo, in Christo, in Angelis atque in beatis hominibus. Cum sit enim duplex necessitas, una coactionis, altera immutabilitatis, necessitas coactionis omnino repugnat libero arbitrio, sed ea, quæ immutabilitatis est, nequaquam.*

Et postea: *Haud enim liberum arbitrium eò dicitur, quia sic istud non velit, aut nolit, ut oppositum queas velle: sed quoniam ad imperium sui, quod expetit, illud etiam vult ac prosequitur, quandoquidem sic vult aliquid, ut id velit te velle, aut quoniam pro libito suo id expetit, proindeque in actu volendi seipsum movet, sibique ipsum dominatur, atque idcirco liberum dicitur, quamvis ad illud etiam ordinetur immutabiliter.*

Et paulò post. *Actus liberi arbitrii deliberantis, quanquam potest esse circa necessarium objectum, semper tamen formaliter est contingens. Actus vero liberi arbitrii, ut liberum est, non solum potest esse circa necessarium objectum, sed ipse quoque in se formaliter est necessarius.*

5. Franciscus Cumelius in Disputat. de volunt. hominis cap. de lib. arbit. *Non est de ratione liberi arbitrii posse velle bonum & malum, aut posse nunc velle unum & postea mutare illud & nolle: sed satis est, si quis habet diversarum rerum, quod electio fiat cum pleno & perfecto rationis judicio inter eas.*

6. Bellarminus lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 16. rectè disputat, *in Deo dari liberum arbitrium & quidem plenissimè ac perfectissimè.*

(Atqui Deus non potest non velle bonum, ac proinde necessario & immutabiliter vult bonum. Ergò non omnis necessitas pugnat cum arbitrii libertate.)

7. Idem Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 14. §. Itaque &c. *Ista Propositio Calvini, Dæmones semper necessario malè agunt, in aliquo sensu falsa est, in aliquo vera. Verum siquidem est in genere, eos non posse nisi malè agere; falsum tamen est in particulari, omnia mala, quæ faciunt, illos necessario facere, possent enim multa non facere, quæ faciunt; & ideo non necessitate, sed voluntate peccata committunt.*

(At, quando dicimus, peccatum esse homini nondum renato necessarium, nihil aliud volumus, quam hoc, quod infideles necessario malè agant, non tamen negamus, quod quoad speciales & particulares quasdam actiones omnino sint liberi etiam à necessitate specificationis, non secus ac Diaboli.)

8. Idem lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 8. ut suam sententiam à Pelagianæ hæreseos suspicione liberet, scribit: *Pelagium statuisse, hominem omnia & singula peccata posse vitare, Pontificios autem dicere, non posse vitari ab homine, libero arbitrio rectè utente.*

(At peccatum illud, quod vitari nequit, est nihilominus verum peccatum. Ergo consequentia illa est nulla. Si peccatum necessarium est, peccatum non erit.)

9. Tapperus Decan. Lovan. artic. 7. statim initio: *Necessitari voluntatem à DEO, qui autor est Naturæ, quamvis cogi ab eo non possit, nihil vetat: nam tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo eam ceu brutam pecudem, quod nunquam facit lege communi.*

(Si potest voluntas à Deo autore Naturæ necessitari, utique necessitas immutabilitatis non pugnat cum arbitrii libertate.)

10. Michael Baius de lib. arbitr. cap. 4. *Voluntas duobus modis libera. Uno cum habet in sua potestate, ut quod vult, etiam possit nolle, aut contrà: altero, quia in eis, quæ vult aut facit, nulli servituti est obnoxia. Servitutem constituit aut involuntaria necessitas, aut noxia & insipiens animi propensio.*

11. Suarez Metaph. Disp. 19. sect. 2. art. 9. *liberum* docet *ita opponi necessario, ut totidem modis utrumque dicatur. Dici ergo actionem liberam, quæ coacta non sit, hocque genus libertatis non excludere omnem necessitatem.*

12. Estius 2. sent. dist. 24. sect. 5. *Non est de ratione liberi arbitrii posse benè agere, quod patet in Dæmonibus & hominibus damnatis.*

13. Vasquez in part. 3. tom. 1. Disp. 61. cap. 6. docet, *unionem hypostaticam tollere & impedire omnino potentiam peccandi in Natura humana, imo etiam tollere libertatem peccandi.*

(Utique ergo impossibilitas malè operandi consistit cum libero arbitrio, proinde etiam impossibilitas benè operandi consistit cum libero arbitrio.)

14. Denique *si nullum necessarium est peccatum*, ut supponit argumentum Pontificium, consequens fuerit, Dæmonum nullum esse peccatum, quia illi necessario malum faciunt, hoc est, ita faciunt malũ, ut non possint facere bonum. Item, si nullum est peccatum, nisi quod voluntarium, penitus negabitur peccatum originis. Atqui Pontificii nobiscum agnoscunt, dari peccatum originis.

Argum. 16. *Si non datur liberum arbitrium, frustraneæ erunt admonitiones, correptiones, exhortationes &c.*

Resp. Ad hanc objectionem idem responderi potest, quod Pontificii, qui post Thomam Aquinatem *necessarias esse prædeterminationes divinas, ut voluntas determinetur*, asserunt, aliis Pontificiis, qui eas negant, respondent.

Fran-

Franciscus Sylvius Professor Duacenus in Explicat. doctrinæ S. Thomæ de motione primi motoris part. 4. art. 3. *Petes, si necessaria est prædeterminatio, quare peccator, qui fraternè corripitur, non potest se excusare, dicens: se non accepisse prædeterminationem, quæ ipsi est necessaria, nec tamen est in ejus potestate; & consequenter quomodo non tolluntur consilia, præcepta & correptiones fraternæ? Inania sunt hæc. Similiter enim potes petere, si necessaria est gratia, quare peccator non excusabit se, dicens: Rectè corriperer, si eam mihi possem dare vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem. Nunc autem cum voluntas præparetur à Domino, cum nisi eo dante non accipiatur, quid me corripis, si præcepta non impleo, si sanis consiliis non acquiesco, cum hanc gratiam non acceperim? Verum quemadmodum similibus Pelagianorum ratiocinationibus respondet Augustinus lib. de corrept. & gratia per plura capita, correptionem tunc salubrem esse, & ideo corripiendum esse peccatorem, ut strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellante, DEUS in illo intrinsecus occulta operatione operetur & velle: sic nos dicere possumus, admonendos esse peccatores, consulendum esse bonum, quia peccator quisque à peccando potest resilire & bona agere, quamvis hæc non possit, nisi operetur DEUS in illo velle & perficere. Petes secundo, si DEUS semper prædeterminat, ergo ipse est, qui totum facit. Ut quid ergo nobis prædicatur aut præcipitur bonum agere, si hoc non agimus, sed id velle & operari DEUS operatur in nobis? Similem objectionem videbis apud S. Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 2. ad quam ex illo sic respondetur, homines à DEO aguntur, ut agant, & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est &c. accepisse se gaudeant: quando autem non agunt, orent, ut quod nondum habent, accipiant. Sed præterea advertendum est, quod opus bonum non fit partim à gratia, partim à libero arbitrio, sed totum à singulis opere individuo peragitur, ut dixit Bernhardus in fine lib. de grat. & lib. arbit. & similiter dicendum de omni re. Illa enim fit tota à DEO & tota à causa secunda.* Hæc ille, quibus argumentum aliorum Pontificiorum diluit.

Argum. 16. *Patres sæpius confirmant vires liberi arbitrii.*

Resp. 1. Toletus in cap. 6. Johan. annot. 20. *Chrysostmus & Euthymius respondent DEUM dare, ut credant iis, qui aliqua præparatione se faciunt dignos, ut hoc eis à patre detur &c. Eadem est doctrina Christi. Est autem hæc doctrina, non istorum tantum, sed aliorum Doctorum maximè Græcorum, qui libero arbitrio humano multum tribuebant, nondum Pelagiana tum hæresi grassante, maxime Chrysostomi temporibus.*

2. Idem Toletus in Comm. cap. 9. Rom. addit *Photium & Ambrosium, quod ipsi quoque magnificentius, quam par est, de libero arbitrio fuerint locuti.*

3. Maldonatus in cap. 6. Joh. *Etiam Theophylactus, Euthymius,* (Chrysostomi discipuli) *Arnobius ita loquuntur, ac si homo, antequam per gratiam ad gratiam trahatur, possit gratiam mereri, sed hæc eorum doctrina nimis affinis est hæresi Pelagianorum. Caveat lector, si Chrysostomum in hunc locum legat, ne in hæresin Pelagianorum incidat.*

4. Idem Maldonatus in cap. 2. Luc. v. 15. *Ambrosius his verbis* (Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis) *significari dicit, pacem non debiti esse, sed meriti, quasi pax non quibusvis hominibus, sed bona eam voluntate merentibus promittatur. Quod à summo licet profectum autore, imitari lectorem nolim.*

5. Sixtus Senensis in præfat. lib. 5. Biblioth. *Chrysostomus impetu dicendi cum Manichæis, qui fati necessitatem defendebant, Naturæ vires plus æquo extollit.*

Idem lib. ejusdem annotat. lib. 6. annot. 184. & 201. annot. lib. 5. varios recenset locos, in quibus Chrysostomus suspectus est, & postquam eos utcunque excusavit, ad extremum subjungit: *Dicendum est, sicut etiam Anianus in præfatione commentariorum Chrysostomi in Matthæum annotavit, Chrysostomum interdum Naturæ nostræ vires plus æquo extulisse, ex contentione disceptandi cum Manichæis & Gentilibus, qui hominem asserebant vel Natura malum, vel fati violentia ad peccandum compelli.*

6. Pererius in Comm. 9. v. 33. *Doctrina Theodoreti, Oecumenii & Hieronymi contraria videtur iis, quæ in hoc loco disputat Apostolus. Sententia Augustini doctrinæ Pauli est convenientior.*

7. Duræus contra Wittakerum fol. 131. de Augustino scribit, quod *nemo acrius liberum arbitrium negantes oppugnaverit*: ac Campianus rat. 5. hoc habet: *Qui captivam hominis voluntatem invexerunt, eruntne placabiles Augustino, qui de libero arbitrio tres libros exaravit?*

Sed contra Sixtus Senensis in præfat. lib. 5. Biblioth. Sanctæ de Augustino sic scribit: *Dum toto Spiritus & verborum ardore pro defensione divinæ gratiæ pugnat adversus Pelagianos, liberum arbitrium cum injuria divinæ gratiæ extollentes, in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum tribuere quam par sit liberæ hominis voluntati.*

Albertus Pighius lib. 2. de lib. arbitr. cap. 3. *Unus ferè Augustinus (ob ferventem tum disputationem Pelagii & Cœlestii, qui tantum tribuebant libero arbitrio, ut divinæ gratiæ injuriam facerent) si quisquam omnium hac in re variè & perplexè loqui visus est: ita ut adversus illos eidem alicubi videtur iniquior: eo quidem consilio, quod sequuntur ii, qui curva lignorum ad rectitudinem conantes reducere ea ultra rectitudinem flectunt, & incurvant in oppositum.*

Auratus Paradoxo 48. *Nec est, quod Augustinum dicant Adversarii* (nos intelligit) *suis patrocinari erroribus. Is enim ob ferventem disputationem Pelagii & Cœlestii, qui tantum tribuebant libero arbitrio, ut divinæ gratiæ injuriam facerent, vehementius gratiam ipsam attollit, quasi videatur elevare arbitrium hominis, eo quidem consilio, quod sequuntur ii, qui curva lignorum ad rectitudinem conantes reducere, ea ultra rectitudinem flectunt, & incurvant in oppositum.*

Jacobus Sadoletus lib. 3. Epist. 5. de libero arbitrio & de Gratia. *Ego & Pelagium graviter accuso, qui dari nobis præmium pro meritis nostris sine gratia voluit, & Augustino non usquequaque assentior. Nimium enim extremè ex contraria parte is diversam mihi causam videtur defendisse, cujus ratio si vera sit, in maximas difficultates & impeditissimas actiones consiliorum ac voluntatum hominum mentes incidere necesse est, ut nequeant explicare, quod optimum sit factu.*

Bellarm. lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 30. *Augustinus propter insidias Pelagianorum, qui ex libertate Naturæ colligebant libertatem à peccato, vix unquam audet liberum arbitrium asserere.*

8. Idem Bellarmin. lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 12. accusat Protestantes, quod *Chrysostomum in quæstione de libero arbitrio repudient*; ac lib. 5. cap. 26. quod *Chrysostomus ipsis nimius videatur, in viribus liberi arbitrii explicandis.*

Idem facit Campianus d. l. subjungens: *Istis hæreticis nihil non immodicum videtur.*

Sed contra Sixtus Senensis d. l. Maldonatus d. l. etiam Toletus in cap. 6. Johan. agnoscunt, *Chrysostomum nimium tribuere libero arbitrio.*

Verba Toleti sic habent: *Chrysostomi doctrina hæc est, hominem per liberum arbitrium seipsum dignum facere gratia. Eadem est doctrina Cyrilli, nec istorum tantum, sed etiam aliorum Doctorum maximè Græcorum &c. Augustinus multo aliter quam isti. Docet enim à DEO nobis dari non modo gratiam, ut credere possimus, verum etiam ut velimus. In hoc igitur prædicti Doctores non probantur.*

9. Cornelius Jansenius in Concil. cap. 59. pag. 453. *Dicta Euthymii & Theophylacti (illis Pater dat, in quibus præcedit bona voluntas) à Chrysostomi locutione in variis locis ferè desumta, nisi cautè legantur & intelligantur, præbere possunt occasionem erroris Pelagii, qui asseruit initium justificationis & fidei esse ex nobis, consummationem verò ex DEO, ac Chrysostomi variis sententiis, malè tamen intellectis, suam conabatur stabilire sententiam &c. Itaque Augustinus exorta jam hæresi Pelagiana exactius & expressius locutus est de gratia Dei &c.*

Idem monet Didac. Alvares de auxil. gratiæ divinæ lib. 3. Disp. 22.

APPENDIX HUJUS ARTICULI

QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ERRONEAS Adversariorum complectens.

1. Querelæ.

1. Bellarminus lib. 6. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. Chemnitium accusat, *quod malâ fide Pelagianum errorem Pontificiis tribuat, cum negent voluntatem nostram nihil omnino boni spiritualis & salutaris habere posse sine auxilio gratiæ Dei.* Idem repetit Pazmannus lib. 3. hodegi.

Resp. 1. notæ sunt Scholasticorum assertiones de *merito congruo*, de *præparatione ad gratiam*, de *possibilitate Deum diligendi super omnia ex puris naturalibus.*

Biel lib. 3. sent. dist. 27. qu. unic. art. 3. dub. 2. *Viatoris voluntas humana ex suis naturalibus potest Deum diligere super omnia.* Hanc propositionem dicit esse *juxta opinionem Scoti, Occami & Petri de Alliaco*, quam probat hoc modo: *Omni dictamini recta rationis potest voluntas se conformare. Sed diligere DEUM*

super omnia est dictamen rectæ rationis. Ratio enim dictat inter omnia diligenda esse aliquid summe diligendum. Item homo errans potest diligere creaturam super omnia. Ergo etiam Deum.

2. Mutua collatio ostendit, Pontificios in hoc articulo πελαγιανίζειν, tum in assertionibus, tum in argumentis tam ἀνασκευαστικοῖς quam κατασκευαστικοῖς. Assertiones Pelagianorum fuerunt hæ; *Omnibus hominibus liberum arbitrium naturaliter inesse, neque id per Adæ peccatum perire potuisse.* Idem docet Concil. Trid. sess. 6. can. 5.) *hominem habere possibilitatem utriusque partis à Deo insitam, quæ possit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sensibus horrere vitiorum*, referente August. de gratia contra Pelag. cap. 18. (Idem docet Bellarm. lib. 5. cap. 9.) *liberum arbitrium posse obtemperare Deo vocanti*, referente Prospero in lib. de ingratis. (Idem docet Bellarmin. lib. 1. c. 14.) *tres causas concurrere in conversione hominis, nempe verbum, voluntatē & auxilium Dei*, referente Prospero d. l. (Idem docent Pontificii) *humano studio & labori adjungendum esse gratiæ adjutorium, quæ pariter sociata reliqua perficiant opera.* Maxent. contra Epist. Hormisdæ. (Idem docet Bellarmin. lib. 6. cap. 14.) Plura collationis membra vide apud Dn. D. Meisnerum Disput. 22. ἀνθρωπολ. q. 2.

3. Expendantur pronunciata isthæc Bellarminiana, lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 15. *Homo ante omnem gratiam non solum liberum habet arbitrium ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia.*

Lib. ejusd. cap. 8. *Dilectio Dei super omnia naturalis est, quod attinet ad inclinatinationem Naturæ, quæ manet in homine per modum actus primi.*

Lib. 5. cap. 29. *Absolute potest homo, si velit, omnia mandata Dei, sicut oportet, observare, quia potest exuere cor vetus & induere novum, si velit vocationi Dei acquiescere, seq. ad Deum ex toto corde covertere. Scriptum est enim, facite vobis cor novum & Spiritum novum.*

Quinimo diserte scribit, lib. 4. cap. 15. *Licet in eodem momento temporis & Naturæ Deus & voluntas operari incipiant, tamen Deus operatur, quia voluntas operatur, non contra. Et hoc est, quod aliqui dicunt, voluntatem prius Naturâ operari, quam Deum, non prioritate instantis in quo, sed à quo.*

4. Gregor. de Valent. tom. 2. Col. 1083. b. & 1086. a. memorat, *quosdam Theologos statuere, quod præcepta moralia omnia, quoad substantiam servari possint per solas Naturæ vires.*

(Sunt vero Durandus, Scotus, Abulensis.)

Contra negat Estius in 2. sent. dist. 26. §. 40. fol. 365. & *Pelagianum hoc esse dogma* ostendit.

5. Vasquez tom. 1. in 1. Thomæ Disp. 91. n. 61. *Ego existimo, hos Doctores* (Driedonem & Ruardum) *cum Semi-Pelagianis facere.*

6. Guilielmus Estius in 2. sent. dist. 26. §. 22. prolixe disputat contra quosdam Catholicos, qui docent, *gratiæ habitum semel infusum deinceps sine speciali auxilio & operatione Dei posse ad singulos actus sufficere homini justificato, & requiri solum generale Dei auxilium. Quos non attendere Ecclesiæ definitionem jam olim contra Pelagium super hac re factam* candide fatetur, & eorum argumenta refellit.

2. Conqueruntur, per calumniam sibi tribui, quod *cum Pelagianis doceant, gratiam dari juxta nostra merita.*

Resp. Bellarm. lib. 5. de Justific. cap. 22. §. Præterea &c. sic scribit: *Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis. Opera autem illa non ex Dei promissione aut gratia, sed ex seipsis valida & meritoria esse* docet.

Lib. 1. de Justif. cap. 21. §. Ad illud autem &c. *Nos existimamus, potius fundari meritum de congruo in aliqua dignitate operis, quam in promissione.*

(Idem vero docebant olim Pelagiani August. Epist. 46. *Hæretici Pelagiani dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari.*

Idem lib. 1. de gratia contra Pelag. cap. 22. *Forte ut daretur nobis caritas, præcedentia nostra merita fecerunt, sicut iste* (Pelagius) *de gratia Dei sensit.*

Confer lib. 2. de bono perseverantiæ cap. 2. & præfat. hypognostic.)

Prateolus lib. 14. hæres. 14. *Pelagius Christianæ gratiæ hostis suum diu coxit sub Monachali pallio venenum, quod variis Patrum Conciliis fuit damnatum, hominem naturalibus liberi arbitrii viribus sese ad gratiam disponere ac præparare posse.*

2. Calumniæ. 1. Generales.

1. Bellarminus in præfat. librorum de grat. & lib. arb. de nobis sic scribit: *Non conquievit eorum rabies, donec etiam, ut se ac suos, totamque Naturam generis humani violarent, arbitrii libertatem nobis omnibus suis sententiis detraxerunt, seque ipsi non beluarum similes, sed beluas plane rationis expertes profiteri non dubitarunt.*

Feuardentius in cap. 1. Jac. *Lutherani hominem omni libero arbitrio exutum in beluarum sortem traducere conantur.*

(Atqui multi ex Pontificiis approbarunt 18. Conf. Aug. articulum, ut ostendimus superius cap. ult. membr. 2. Vega lib. 2. de imbecill. Naturæ cap. 12. *Concedunt Protestantes libertatem ad justitiam Philosophicam atque civilem, sed non ad spiritualem atque divinam, hoc est, quoad opera legis externa non interna.*

2. Idem Bellarm. lib. 4. de Eccles. cap. 9. §. Manichæorum &c. propter negatas liberi arbitrii vires *Manichæismi* nos accusat. Johannes Hayus q. 88. *Sublato libero arbitrio, inductaque absolutâ necessitate, qua ratione purgabitis vos damnoso errore, quem primus inter Christianos sevit Simon Magus, deinde admiserunt Manichæi, aliaque hujusmodi monstra?*

Franciscus Romæus de libertate operum & necessitate verit. 14. *Plane manifestissimum est, quantum aberrarint à veritatis via & Manichæi olim & hac nostra tempestate Lutheranorum temeritas, qui omnes dogmatizare contendunt atque præscribunt, liberum hominis arbitrium sibi dimissum cum generali Dei influentia nihil posse nisi solum peccare.*

Maldonatus in cap. 27. Matth. v. 38. *Docebant Manichæi, hodieque Lutherani & Calviniani docent: nullam in homine esse arbitrii libertatem, omnia aut Natura aut divina effici gratiâ.*

Resp. 1. Idem Maldonatus in cap. 7. Matth. sic scribit: *Manichæi arbitrium in utramque partem liberum tollunt. Calvinistæ liberum tantum in bonum, non in malum.*

(Lutherani hac in quæstione à Calvinianis non discedunt.)

2. Vega lib. 2. de imbecill. Naturæ cap. 12. *Concedunt Protestantes, libertatem ad justitiam Philosophicam ac civilem &c.*

(Illam vero Manichæi sustulerunt.)

3. Bellarminus potius Manichæorum errori affinis est, quando scribit lib. de gratia primi hominis cap. 7. *Nos dicimus, rebellionem carnis adversus Spiritum futuram fuisse in homine ex Naturæ conditione, si homo in puris naturalibus extitisset.*

(Hac enim ratione Naturæ primæ vitiositas cum Manichæis adscribitur.)

4. Manichæi docebant, *hominum corpora non à Deo, sed à Diaboli Angelis creari, quos gentem tenebrarum appellabant: duas autem in homine inesse animas, quæ pugnantes & contrarias inter se Naturas haberent, alteram de Dei essentia, alteram vero de Diaboli; animarum autem utramque in eadem conditione permanere, neque immutari posse, hoc est, bonam illam, malam fieri nunquam posse, neque malam illam bonam.* Ab hac mente adesse homini liberum voluntatis arbitrium negarunt. August. de continent. cap. 9. de hæres. ad Quod vult Deum &c. Quid cum hisce errorum monstris nobis commune?

2. Speciales.

1. Bellarm. lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 15. Lutherum accusat, *quod negaverit Deum esse liberi arbitrii.*

(Atqui Lutherus in illo ipso, quem Bellarminus citat, loco sic scribit: *Superna spectantibus, omnia sunt necessaria, nimirum non necessitate Naturæ, sed immutabilis præscientia divinæ.*)

2. Idem Bellarmin. lib. 4. cap. 5. Lutherum accusat, *quod omnem omnino etiam in externis & civilibus actionibus voluntatis humanæ libertatem tollat.*

Alphonsus à Castro lib. 11. advers. hæres. verbo, Oratio, hæres. 3. *Lutherus docuit, omnia absolutâ fieri necessitate.*

Idem lib. adv. hæres. tit. Futurum contingens. *Petrus Abailardus docuit, nihil contingens in rebus evenire, sed omnia, quæ fiunt, necessitate absolutâ fieri. Eundem errorem tutatur nunc Lutherus, dicens: omnia, quæ fiunt, tam absolutâ necessitate fieri, ut impossibile sit, aliter fieri, quàm fiunt.*

(Atqui Lutherus in cap. 26. Genes. mentem suam clarius exposuit. Tantum *respectu generalis gubernationis divinæ* libertati voluntatis humanæ vim omnem adimit, quia *regit Deus omnia etiam libertatem nostram, nec ulli nostrum in manu sua est quippiam cogitare aut boni aut mali, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus, nisi quantum permittit aut facit ipse*, ut in assert. 36. se declarat. Tom. 4. Jen. Germ. f. 345. sic disserit: *Habet homo ex propriis viribus liberam voluntatem faciendi opera externa vel omittendi, impellitur enim minis legis, potest ergo politice bonus esse viribus propriis divinitus ei concessis, quam Paulus justitiam carnis appellavit.* Confer tom. 2. Jen. Germ. f. 312.

3. Idem Bellarm. lib. 4. cap. 6. disputat, *non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi, quo Lutherus nomen liberi arbitrii in nomen servi mutavit.*

Resp. 1. repetatur dictum Bernhardi serm. 81. in Cant. superius allegatum; quod consentit cum dicto Augustini in Enchir. cap. 30. *Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est &c.*

2. Soto in Concilio Tridentino non inscite monebat, *libertatis vocem vel derivari à nomine liber, vel à verbo liberare. In primo sensu libertatem opponi necessitati, in secundo sensu opponi servituti. Quod igitur Augustinus affirmat, amissum esse liberum arbitrium, non aliud innuere, nisi factum esse servum peccati & Diaboli.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trid. p. 237.

3. Bellarm. lib. 6. cap. 15. fatetur, *libertatem arbitrii esse ligatam.* Quod autem ligatum, nihil aliud est quam servum.

4. Idem lib. 4. cap. 8. *Valla optabat nomen liberi arbitrii è medio tolli.*

5. Idem lib. 4. cap. 30. *Augustinus propter insidias Pelagianorum, qui ex libertate Naturæ colligebant libertatem à peccato, vix unquam audet liberum arbitrium asserere.*

6. Adde, quod non vereamur uti nomine *liberi arbitrii* rectè exposito ac declarato, ut ostendunt nostrorum scripta.

3. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Bellarm. lib. 2. de gratia & lib. arbitr. cap. 16. §. 1. *reprobationem prædestinationis speciem* constituit, ac *unam prædestinationem ad vitam, alteram ad interitum esse* innuit. *Reprobatio,* inquit, *quam S. Augustinus prædestinationem ad interitum vocat, duos actus comprehendit, alterum negativum, cujus nulla est causa ex parte hominum, alterum positivum, cujus causa est peccati originalis actualisve prævisio.*

Rectius Becanus part. 1. Theol. Scholast. cap. 14. sub fin. q. 1. p. 134. *Nusquam in tota Scriptura habetur nomen prædestinationis, nisi in Epistolis D. Pauli & semper in bonam partem.*

2. Idem Becanus d. l. q. 2. *duplicem* facit *electionem*, unam *ad finem seu gloriam*, alteram *ad media seu gratiam.* Sed Scriptura ignorat distinctionem inter *electionem ad gratiam & ad gloriam,* si sensu Pontificio accipiatur, cum omnes & soli electi glorificentur. Rom. 8. v. 29. & 30.

3. Bellarmin. lib. 3. de grat. & lib. arbitr. cap. 17. *Angeli sancti gratis prædestinati ad vitam; Angeli vero mali partim ex sola Dei voluntate, partim ob prævisa peccata.*

Similia occurrunt apud Thomam p. 1. q. 23. art. 1. ad 3. Scotum in 1. sent. dist. 40. q. 1. & in 3. dist. 7. q. 3. Bonavent. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Durandū in 1. dist. 41. q. 1. Becanum tract. 1. c. 14. q. 2. p. 135. & q. 3. p. 162. Contra Electio facta est *in Christo* tanquam electionis fundamento Eph. 1. v. 3. & 4. Christus autem non Angelis, sed hominibus Mediator datus 1. Tim. 2. v. 5.

4. Ambrosius Catharinus Compsæ Episcopus in Comm. Rom. 8. v. 28. *omnes homines ad vitam æternam eligi ac destinari* docuit, quem hoc nomine refellit Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 248. & Dominicus Sotus in Epist. ad Romanos.

5. Cajetan. in cap. 11. Matth. v. 26. statuit, *homines ex absoluto Dei decreto reprobari,* teste Sixto Senensi lib. 6. Bibl. annot. 52. Refellit hoc nomine Cajetanum Ambrosius Compsæ Episcopus his verbis: *Quod hic ait, respectu reprobationis falsum est atque impium: quoniam non ex puro beneplacito Deus reprobat ullum, sed ex meritis, quoniam reprobatio & rejectio præsupponit culpam rejecti & reprobati, Deus enim vult omnes homines salvos fieri.*

Eundem errorem Cajetani suppresso nomine castigat Adamus Conzen in h. l. Matth. asserens agi de *vocatione ad gratiam,* negatq; *posse absolutum decretum de reprobatione ex hoc loco demonstrari.*

6. Idem Cajetanus statuit, *quod Deus nonnullis auxilium gratuitum subtrahat,* quem ideo reprehendit Ambrosius Catharinus teste Sixto Senensi lib. 6. annot. 97. *In parabola,* inquit, *vineæ, quod exponit peregrinationem esse subtractionem gratuiti auxilii servantis illos à malo, puto falsum & periculosum, quoniam si hoc fecisset, injuste fructus peteret.*

7. Bellarm. lib. 4. de gratia & libero arbitrio cap. 3. §. Illud vero &c. pertractans quæstionem, *an viribus Naturæ cognosci possit, Deum esse, & unum esse,* de loco Joh. 1. *Lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt,* sic disserit: *Possent ea verba hunc sensum habere, lux divinæ sapientiæ lucet etiam in tenebris, cum appareat in iis rebus, quæ omni luce sapientiæ carent, id est, in animantibus rationis expertibus, in arboribus, in lapidibus, in rebus cæteris, quæ quod ratione careant, tenebræ dici possunt, & de iis rectè scriptum esse intelligitur, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Sed de hac expositione sic scribit Salmeron in Comm. ill. loci. *Ridiculus sensus est Cajetani exponentis per tenebras sensibilia lumine rationis carentia, quæ tenebræ non apprehenderunt verbum. Sed certe vilis est sensus & indignus Spiritu Apostolico, nec dixisset Evangelista, non comprehenderunt, verum, non valuerunt comprehendere.*

(Sic ergo Jesuita vapulat à Jesuita, Bellarminus à Salmerone, & duo Cardinales à Presbytero.)

8. Quotquot præter generalem DEI influxum in actiones omnes naturalas *physicam DEI prædeterminationem & causarum secundarum in voluntariis etiam motibus à prima dependentiam* statuunt, non possunt effugere, quin Deum causam peccati statuant, ut ostendit Suarez lib. 2. de aux. div. gratia cap. 2. n. 13. Illud vero asserunt plerique ex Hispanis & omnes Belgici Theologi Pontificii, Dominicus Bannes in 1. Thom. q. 23. art. 5. ad 7. Franciscus Cumel. ibidem & 1. 2. q. 111. Medina in 1. 2. q. 109. artic. 10. Didacus Alvarez Tranensis Archiepiscopus lib. 6. de aux. div. grat. Disp. 32. Caspar Ram Professor Oscensis de divinis præmotionibus p. 111. Petrus Ledesma Professor Salmanticensis de div. grat. aux. q. unic. art. 12. Johannes Matthæus Rispolis de div. auxil. lib. 2. q. 1. p. 236. Paulus Bennius de efficacitate gratiæ cap. 14. Guilielmus Estius in 2. sent. dist. 26. n. 3. & seqq. Franciscus Sylvius in explic. doctrinæ S. Thomæ part. 4. art. 3. Neque hos solum Suarez reos agit illius blasphemiæ, sed præterea etiam Cardinalem Cajetanum Jent. c. 6. q. 2. & Com. in 2. Reg. ult. Cardinalem Roffensem artic. 7. contra Luther. Thomam Stapletonum lib. 11. de Justificat. Waldensem lib. 1. de doctr. fidei cap. 2. & 3. atq; alios. Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 6. quæst. 9. præter hos etiam Gabrielem in 2. sent. dist. 37. q. un. art. 3. dub. 1. Occamum in 2. dist. 47. q. 1. Ripam p. 1. q. 19. art. 8. Disp. 1. & alios. Sed & Melchior Canus lib. 1. Locor. cap. 4. ad 7. pag. 22. *ejus peccati, quod præcedentis est pœna, autorem Deum esse* dicit, & hujus sententiæ asseclas complures recenset.

9. Guilielmus Estius in 1. sent. dist. 40. §. 4. f. 142. *Quidam novo commento duo genera velut duas classes statuunt eorum, qui ad salutem perveniunt. Unum genus eorum, quos Scriptura electos & prædestinatos & oves Christi nominat &c. In altera classe reponunt reliquos omnes salvandos, quibus dari quidem sufficientem gratiam ad salutem consequendam confitentur, non tamen ita efficacem, ut qua indeclinabiliter ad salutem perveniat &c. Hujus opinionis assertor hoc seculo fuit Ambrosius Catharinus. Quanquā jam olim Pelagianos tale aliquid sensisse apparet ex libro 7. hypogn. apud Augustinum &c. Verū eam doctrinam è Scriptura & Patribus tam non est difficile refutare, quam est ipsa à communi Catholicorum sensu aliena, imo Catholicæ fidei contraria. Certe Dominicus Bannes manifestam hæresin vocat.* Hæc Estius de Catharino. Eandem sententiam in Catharino damnat Didacus Alvares lib. 5. de aux. grat. Disp. 37. p. 333.

10. Suarez lib. 2. de causa prædestin. cap. 24. *Non desunt moderni Theologi docentes, sicut potest purus homo justus mereri alteri donā gratiæ: ita posse mereri alteri prædestinationem totam, etiam quoad ipsam electionem ad gloriam.* Eandem sententiam ibidem refellit n. 2. & seqq.

11. Tannerus tom. 1. Theol. Scholast. Disp. 3. q. 4. dub. 2. n. 1. *Non sunt ullo modo audiendi Capreolus, Ferrariensis, Adamus Sasbot, Driedo & Sonnius, qui asserunt, fidem & alias dispositiones ad justificationem, non ex meritis Christi, sed ex sola Dei voluntate nobis concedi.* Eundem errorem refellit Vasquez in 1. Thom. Disp. 94. cap. 1. fol. 683.

ARTICULUS XXIII.

DE JUSTIFICATIONE.

CAPUT I.

De Fidei Justificantis Natura.

THESIS I. Fides justificans non solum est assensus, sed etiam notitia.

Ἔκθεσις 1. Distinguendum est inter γνῶσιν καὶ ἐπιςήμην. Illa notat cognitionem rei *in genere*, qualiscunque illa sit, hæc cognitionem *in specie* rerum duntaxat necessariarū per demonstrationes à priori. Quamvis igitur fides non sit talis ἐπιςήμη, cognitio per demonstrationes à priore, tamen est γνῶσις, cognitio à posteriori.

2. Quamvis fides non sit notitia ex principiis humanæ rationis deducta, vel illis superstructa, quam Apostolus vocat *sapientiam*

pientiam hujus mundi 1.Cor.3.v.19. *humanam* 1.Cor. 2.v.13. *carnalem* 2. Cor. 1. v. 12. ex eo tamen inferri nequit, quod nullo modo sit notitia, sed ignorantia: cum ne Philosophica quidem fides, licet à sententia & sapientia distinguatur, per ignorantiam definiatur, quinimo est spiritualis quædam notitia ex illuminatione Spiritus Sancti & revelatione Evangelii in mente hominis accensa.

3. Cognitio versatur, vel circa quæstionem *an sit*, vel circa quæstionem *quid sit & propter quid*. Ibi rei *existentia*; hic rei *essentia, causa & modus* cognoscitur. Illam vocant *notitiam certitudinis*, quia res certo quoad existere suum cognoscitur; hanc *evidentiæ*, cum præterea ejus quidditas vel per sensum vel per rationem apodicticam innotescit. August. lib. de utilit. credendi cap. 11. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, autoritati.* Quamvis ergo fides non sit *notitia intuitiva & evidentiæ*, omnes causas & proprietates objecti rationis lumine attingens: est tamen *notitia certitudinis*, tantum de objecto sibi proposito cognoscens, quantum ad salutem in via hujus vitæ requiritur.

4. Alia est notitia τοῦ ὅτι, alia τοῦ διότι. Illa simpliciter tenet rem esse, quæ creditur & qualis creditur: hæc ulteri' progressa causas videt, cur sit & cur talis sit. Cognitio τοῦ ὅτι duplici ratione obtinetur, vel *testimonio vel experientia*. At cognitio τοῦ διότι tantum per *ratiocinationem*. Cognitio τοῦ ὅτι, omnino ad fidem necessaria. Quod attinet ad cognitionem τοῦ διότι, notandum dogmata fidei Christianæ alia *esse prima*, alia *à primis deducta*. Illa utpote principia, quæ ab aliis dogmatibus nõ pendent, & à quib' alia pẽdent, nõ possunt sciri, nisi per cognitionẽ τοῦ ὅτι, & quidem ex testimonio divino: quæ autem dogmata à primis deducuntur & pendent, ea utroque modo sciri possunt.

5. Quamvis notitia fidei suos habeat gradus, ut in quibusdam hominibus sit *illustrior & clarior*, in quibusdam vero *obscurior ac tenuior*: tamen cum magis & minus non varient speciem, ideo etiam infirma & languida fides non per ignorantiam, sed notitiam est definienda.

6. Fatemur, non omnia fidei mysteria explicate à nobis sciri, quamdiu in hoc mundo peregrinamur, non solum quia multa nos latent, sed etiam errandi periculo obnoxii, nõ omnia assequimur, ne quidem κατὰ τὸ ὅτι. Sed hoc quicquid est implíciti, defectus est fidei. Longe autem aliud est de fidei Natura disputare, quam credentiũ imperfectionem considerare. Neque ex hac fidei imperfectione distincta quædam species fidei fabricari potest.

Antithesis. Bellarm. lib. 1. de Justificat. cap. 7. §. 2. *Probatur igitur fidem non esse notitiam, sed assensum. Nam inprimis Esaias cap. 7. aperte protestatur, Nisi credideritis, non intelligetis; ubi videmus fidem non esse intelligentiam, sed viam & gradum ad intelligendum.* Sub finem capitis scribit: *Mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus; ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam quam per notitiam definitur.*

Similia occurrunt apud Anglo-Rhemenses in annot. ad cap. 12. Luc. v. 11. n. 3. *Idiota Catholicus*, inquiunt, *cum pro tribunali steterit de causa fidei examinandus, etsi tantum responderit, se esse virũ Catholicum, & Ecclesiam ipsam, quam profiteretur, posse fidei rationem reddere, neque quicquam propterea aliud responderit, satis viri Catholici muneri faciet. Nam ejusmodi* (parum sciens Catholicus) *coram judicibus citatus dicit satis, ac respondet sufficienter, ubi respondet se esse verum Catholicum, seque velle vivere & mori in illa fide, quam Ecclesia Catholica habet ac docet in omnibus finibus Christianitatis, & quod hæc Ecclesia possit rationem reddere omnibus de quibus ipse interrogatur.*

Hæc omnia eò tendunt, ut *fidei implicitæ sive carbonariæ* in Papatu cõmendatæ fundamentum poni possit, de qua Biel 3. sent. dist. 25. q. un. sic disserit. *Fides implicita est fides habitualis aut actualis assensus alicujus propositionis generalis multas particulares veritates in se includentis, ut omne contentum in Scriptura sacra est verum.*

Et postea. *Fides implicita, qua fidelis credit, quicquid Ecclesia credit, utilissima est fideli. Nam si fuerit in corde, defendit ab omni hæretica pravitate, ut tradit Occam in tract. de Sacram. cap. 1.*

De eadem Bellarm. d. l. sic scribit: *Maxima pars fidelium vix quicquam animo comprehendit præter sonum verborum, & tamen inter fideles merito numeratur, cum fatetur, se credere Deum esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum juxta sensum Ecclesiæ.* Atque hæc est fides illa carbonarii, cujus exemplum Laicis præsertim & mulierculis ad imitandum proponitur, qui interrogatus *quid crederet?* respondit, *se credere, quod credit Ecclesia; & Ecclesiam itidem credere, quod ipse crederet*, atque ita hoc circulo totam fidei suæ confessionem conclusit, de qua vide Claudium Espensæum in 2. Timoth. 3. ubi testes hujus Historiæ citat Erasmum lib. de præparat. ad mortem, Piggium lib. 1. Hierarch. Eccles. cap. 5. Hosium in Confut. Prolegom. Brentii de autor. Script. lib. 3.

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex manifestis Scripturæ dictis.* Job. 19. v. 25. ידעתי *Scio* vel certus sum, quod *Redemtor meus vivit*. Præmittitur conjunctio ו vel ad significandum consensum cum aliis fidelibus, si sumatur copulativè, *Et ego scio*, cum reliquis: vel ad affirmationem stabiliendam, cui particula isthæc nonnunquam inservit initio sententiæ, ut recte vertatur, *Certo scio*, quæ certitudo magis confirmatur tam per pronomen אני *& ego scio*, optime, scientia mihi familiari ac tam certa, ac si oculis usurparem, vel ipso experimento didicissem; tum per propriam significationem verbi ידע quod omnem dubitationem excludit, & notat firmam mentis adhæsionem ad rem satis superque exploratam, Gen. 22. v. 12. cap. 48. v. 19. Psal. 138. v. 2. Psal. 143. v. 3. &c. Esa. 53. v. 11. *In scientia sui servus meus justificabit multos*, ubi itidem habetur vocula ידע Joh. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna*, ἵνα γινώσκωσι, *ut cognoscant te verum Deum*, ubi Syrus idem habet verbum ידע. Huc pertinent dicta, in quibus fides definitur per γνῶσιν, Luc. 1. v. 77. 1. Cor. 1. v. 5. 2. Pet. 1. v. 5. ac per ἐπίγνωσιν, Col. 1. v. 9. Tit. 1. v. 1. &c.

2. *Ab etymologia.* Πίστις deducitur à πείθω, quod significat *doceo ac persuadeo*. Act. 19. v. 8. Ergo ut πείθειν notat actum docentis videlicet promulgationem & inculcationem doctrinæ: ita πίστις notat ejus effectum, id quod docendo ac suadendo in cordibus hominum efficitur, notitiam scilicet quandam ac persuasionem in animo discentis, ex actu illo docentis ortam. De obscuris ac non intellectis persuaderi nequaquam possumus, requiritur igitur, ut lux notitiæ in mente prius accendatur.

3. *Ex fidei Synonymis.* Fides describitur per spiritualem σύνεσιν Matth. 13. v. 19. ac νόησιν Hebr. 11. v. 3. πίστει νοοῦμεν, *fide intelligimus, aptata esse secula.*

4. *A conjugatis.* Homo vel animus fidelis vocatur *illuminatus, intelligens, sapiens, illustratus &c.* ac fideles dicuntur *cognoscere & intelligere*, Ose. 4. v. 10. Matth. 13. v. 23. Joh. 6. v. 69. Gal. 4. v. 9. Eph. 1. v. 17. 18. cap. 5. v. 8. Col. 1. v. 9. &c.

5. *A fidei oppositis.* Incredulitas vocatur *ignorantia*. Act. 17. v. 23. & 39. *tenebræ* Esai. 9. v. 1. Matth. 4. v. 15. Luc. 1. v. 79. Joh. 1. v. 5. *cæcitas* Rom. 11. v. 25. Eph. 4. v. 18. *insipientia ac stultitia* Luc. 24. v. 25. Rom. 10. v. 19. &c.

6. *A fidei Naturâ.* Ubi assensus, ibi etiam notitia, quia assensus præsupponit notitiam. In fide est assensus. Ergo & notitia. Cuicunque tribuitur consideratio & arctissima persuasio, illud non est potius ignorantia, quam notitia, siquidem in ignorantia nec consideratio, nec plenissima persuasio locum habet. Atqui fidei competit consideratio & certissima persuasio, Roman. 4. v. 19. & 21. Ergo. Fides est ἔλεγχος, definiente Apostolo Heb. 11. v. 1. πᾶσα ἀπόδειξις est ἐκ προϋπαρχούσης γνώσεως, teste Philosopho in princ. poster. anal. Ergo etiam fides est ex præexistente cognitione. Fides nos in corde certos, pacatos & quietos reddit, utique ergo requiritur, ut fundamentum, cui innititur, perspectum atque cognitum habeat, 2. Tim. 1. v. 12. Fide recumbimus in divinas promissiones. Ergo requiritur, ut earum vim ac sensum pernoscamus.

6. *A deductione ad absurdum.* Si fides salvifica non est notitia, sequetur, eam esse inferiorem fide Diabolorum, quia fides illa, quæ est vacua omni notitia, est inferior illa, quæ est vestita notitia. Fides autem Diabolorum habet notitiam Jac. 2. v. 17. Si fides est ignorantia, quis erit usus ministerii? quis fructus prædicationis? quæ necessitas institutionis? Si fides est ignorantia, quorsum jubemur *scrutari Scripturas* Joh. 5. v. 39. Act. 17. v. 21. *probare Spiritus* 1. Joh. 4. v. 1. *cavere Pseudoprophetas* Matth. 7. v. 15. *omnia probare, & quod bonum est, tenere* 1. Thess. 5. v. 21. *solius Christi vocem sequi, alienam vero fugere* Joh. 10. v. 4. & 5. *parati esse ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe* 1. Pet. 3. v. 15. *meditari in lege Domini die ac nocte* Psal. 1. v. 2. prospicere, *ut verbum Christi in nobis habitet abundanter in omni sapientia* Col. 4. v. 16. &c.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fidem definiunt per notitiam ac scientiam. Bernhard. serm. 2. de trib. Mag. *Cognoscite & intuemini, quàm oculata sit fides, quàm lynceos habeat oculos, diligentius considerate!*

Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt, iste clavis infixum, hi pannis involutum.

Idem Epist. 190. ad Innocent. Pont. *Fides non conjectando vel opinando habetur in corde, in quo est, ab eo cujus est, sed certa scientia, acclamante conscientia.*

Lombardus 3. sent. dist. 24. C. *Cum visio alia sit interior, alia exterior, non est fides de subjectis exteriori visioni; est tamen de his, quæ visu interiori utcunque capiuntur. Et quædam sic capiuntur, ut intelligantur, etsi non ut in futuro, quædam autem non, quia cum fides sit ex auditu non modo exteriori, sed etiam interiori, non potest esse de eo, quod omnino ignoratur &c. Quædam ergo fide creduntur, quæ intelliguntur naturali ratione, quædam vero quæ nō intelliguntur. Unde Propheta: Nisi credideritis, nō intelligetis. Quod Augustinus aperte distinguit. Alia sunt, inquit, quæ nisi intelligamus, non credimus, alia quæ nisi credamus non intelligemus. Nemo tamen potest credere in Deum, nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu prædicationis.*

Et postea. *Unde colligitur, non posse sciri & intelligi credenda quædam, nisi prius credantur: & quædam non credi, nisi prius intelligantur, & ipsa per fidem amplius intelligi: nec ea, quæ prius creduntur, quam intelligantur, penitus ignorantur, cum fides sit ex auditu. Ignorantur tamen ex parte, quia non sciuntur.*

Biel 3. sent. dist 23. q. 2. *Fides est notitia adhæsiva, certa & firma veritatis ad religionem pertinentis per revelationem accepta.*

Ibidem disputat, *fidem habere pro objecto verum, quod est objectū intellectus, at definiri vel assensum veritatis revelatæ, vel cognitionem revelatam illuminantem mentem ad cognoscendum summā veritatē.*

Altensteig in Dictionario. *Intelligere uno modo large, idem est quod cognoscere aliquid, quod per nomen dicitur. Isto modo præcedit assensum fidei, quæ est ex auditu, nec aliquid creditur, quin isto modo prius intelligatur.*

Toletus in cap. 17. Joh. v. 8. *Quod dicitur cognoverunt & crediderunt, eandem fidei notitiam significat.*

Dominicus à Soto in cap. 1. Rom. *Per fidem apprehendimus, i.e. cognoscimus, unde depēdeat & in quo consistat justitia & salus nostra.*

Jacobus Faber Stapulensis in cap. 14. Joh. *Quæ omnem comprehendendi modum excedunt, sola fide cognoscuntur. O nobilissimus cognoscendi modus, quo supra omnem modum cognoscimus!*

Idem in Comment. super Richardi lib. 1. de Trinit. cap. 1. *In fide ratiocinationem quærere est debili oculo umbraculum subtendere, ne perstringatur ab insigniori lumine. Ergo, qui potest absque ratiocinatione illa, quæ sunt fidei, intueri, longe insignius videt & cognoscit, quam qui ratiocinationem efflagitat & quærit, ut is sincerius Solem agnoscit, quem tantus fulgor non hebetat ex adverso contuentem, quam qui, ut illum videat, manum visui opponit ac obumbrat.*

Catechismus Romanus jussu Concilii Tridentini & Pii V. Pontif. editus part. 1. cap. 1. q. 1. *Cum finis, qui ad beatitudinem hominum propositus est, altior sit, quam ut humanæ mentis acie perspici possit, necesse ei erat, ipsius à Deo cognitionem accipere. Hæc vero cognitio nihil aliud est, nisi fides.*

Ibid. cap. 2. q. 2. *Nemo existimare debet, fidei notitiam minus certam esse, quod ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit, etenim divinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem non afferat, nos tamen de his dubitare non sinit. Deus enim, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ut non sit nobis opertum Evangelium, sicut iis, qui pereunt.*

Censura Coloniensis Dial. 4. pag. 88. *Fidei ratio in firma notitia consistit, quam ob id intellectui voluntas imperat, quia Dei verbo innititur.*

pag. 90. *Fides certitudine sua omnem prorsus notitiam superat tam scientiæ, quam opinionis.*

Salmero tom. 9. tract. 76. p. 569. *Fides est quædam cognitio spiritualis, sed obscura & ænigmatica, ut Paulus ait, sed quia tollit omnem dubitationem, & ce parat in eo, quod credit, ideo dicitur cognitio.*

Canisius in Catech. *Fides est donum Dei & lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit.*

Pererius lib. 5. in Genes. q. 4. tribuit fidei *lumen & contemplationem Dei*, quam confert *cum visione Dei in patria*, ex Thoma 2. 2. q. 5. art. 1.

Gropperus in initio Enchiridii. *Fidem Paulus describens, consistere asserit in earum rerum, quæ non videntur, cognitione, assensioneque longe omnium certissima.*

Alvares de auxiliis gratiæ lib. 6. Disp. 49. num. 6. *Quarto supponendum, apud omnes esse certissimum, ad assensum fidei prærequiri ex parte Dei, ut per seipsum immedite proponat interius objectum credendum, vel ministerio Prædicatorum exterius explicet credibilia sufficienter.*

Matthæus Galenus in Catechesi definit fidem *donum Dei, quo illustratus homo adhæret atque assentitur iis, quæ divinitus ad credendum proponuntur, sive ut postea sub finem Catecheseos loquitur, revelantur.* Deinde disertius explicans illud, adhæret atq; assentitur, *Sic igitur*, inquit, *cognitione Dei verorumque bonorum instructa voluntas mentem impellit, ut adhæreat, non impetu bruto, planeque stolido (ut ii solent, qui nesciunt, de quibus vel negent, vel affirment quicquam, cujusmodi videmus hæreticos,) sed rebus vere cognitis, tametsi non proprie scitis.* Et statim, *hanc adhæsionem non esse pertinaciam, sed cum fiducia & cognitione firmam sententiam.* Et post. *Habet enim cognitionem & constantiam, nec interim nititur assertionibus antegressis.*

Villagudus in cap. 17. Joh. super verba: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant. Vita est in hoc, quo per fidem vivam cognoscunt te.*

Maldonatus ibid. *Quid est causæ, cur in sola cognitione, id est, in sola fide vitam æternam ponere videatur?*

Cornelius Jansenius ibid. *Vita æterna inchoative & imperfecte hic habetur, cognoscendo Deum per fidem.*

Estius in Comm. 1. Petri 2. v. 9. *Lumine fidei Deus resque divinæ cognoscuntur, quæ cognitio, licet obscura sit, propter inevidentiam, lumen tamen atque adeo lumen Dei recte vocatur ob certitudinem revelationis divinæ. Quanquam alioqui omnis cognitio lumen quoddam est. Rursum fides ipsa lumen est admirabile, quia notitia est eorum, quæ a sensibus nostris remotissima sunt, & quorum rationes assequi mente non possumus.*

Costerus in Enchir. cap. 1. p. 164. edit. Colon. Ann. 612. *Fides est species quædam cognitionis, non minus atque scientia & opinio, sicut Apostolus ait: Fide intelligimus, aptata esse secula.*

Ibid. cap. 4. p. 170. *Quæ fide tenemus, certissimè cognoscimus, longè etiam certius, quam res eas, quas sensu percipimus.*

Pineda in Comm. Job. 19. v. 25. q. 96. n. 1. *Fidei cognitio & obscura hæc scientia divinorum, sola visione beata inferior est claritate, æqualis certitudine, reliquis omnibus aliis scientiis longè superior atque certior.*

Gregorius de Valentia tom. 1. Disp. in Thom. Disp. 1. qu. 1. puncto 3. col. 28. *In aliis Scripturæ locis illa, quæ cognoscuntur per fidem, hoc ipso solum, quod certa sunt, sciri dicuntur, ut Job. 19. Scio, quod Redemtor meus vivit.*

Benedictus Justinianus in cap. 10. Rom. super verba: *Quomodo credent absque prædicante? Duo, quæ hoc loco à Paulo recensentur, ad mentē atque intelligentiam pertinent, ut audiat, hoc est, ut percipiat, & ut credat, i. e. auditis & cognitis præbeat assensum. Itaq; necesse est, rerum divinarum notiones primum menti objici: & cœlesti ac divino lumine illustrari, quod fere accidit, dum Evangelicæ prædicationi aures præbentur, mox divinitus mens collustrata fidem concipit.*

(Si ad fidem requiritur, ut rerum divinarum notiones primum menti objiciantur, ac deinde cœlesti & divino lumine mens illustretur, utique fides est notitia.)

Vasquez in 1. 2. q. 109. cap. 3. adducit dictum Augustini lib. de Prædest. Sanctorum. *Credere nihil aliud est, quam cum consensu aliquid cogitare*; illudq; sic explicat: *Vult Augustinus nihil esse aliud, hoc est, nullam esse aliquam aliam rem aut Entitatem, præter eam cogitationem, qua postquam objectum credendum mente apprehendimus, jam illi assensum præstamus, ut inde efficeret contra Semi-Pelagianos, cum non simus idonei cogitare aliquid ad pietatem pertinens ex nobis, multo minus posse nos credere sine gratia Christi: nam & fidem præcedere debet cogitatio de re credenda, quæ quidem ad pietatem spectat, & fides ipsa cogitatio quædam est.*

(At si fides est quædā cogitatio, utiq; etiam est notitia, quomodo n. aliquis cogitare potest, quod ne esse quidem novit?)

2. Quædam Bellarmini hypotheses.

Bellarm. lib. 1. de Baptism. cap. 11. *infantibus fidem* hoc argumento *detrahit, quod in illis non sit cognitio.*

Lib. 1. de Justific. cap. 5. fatetur, *actum fidei in Epist. ad Hebr. 11. v. 3. per vocem intelligendi describi.* Item, *fidem repræsentare res sperandas.*

Lib. ejusd. cap. 6. tribuit fidei *considerationem intellectus, firmissimam scientiam, & quidem certitudinem scientiæ ex cap. 4. Rom.*

Item, *fidei proprium esse dicit, plenissimè scire.*

Lib. ejusdem cap. 7. in ἐπιγραφῇ dicit, *fidem non tam esse notitiam, quam assensum*: quod etiam in principio capitis repetit.

(At hæc enunciatio non est *exclusiva*, sed *comparativa*, ac concedit, fidem esse aliquo modo notitiam.)

Argum. Adversariorum.

1. *Esai.7.v.9. Nisi credideritis, non intelligetis. Ergo fides non est intelligentia, sed gradus ad intelligentiam.*

Resp.1. Peccat Bellarminus contra decretum Concilii Tridentini sess.4. ubi prohibetur, *ne quis quocunque prætextu à vulgata versione discedat.* At vulgata versio sic habet: *Si non credideritis, non permanebitis.*

2. Sanctius in Comm.h.l. sic scribit: *Quicquid sit de translatione LXX. Interpretum,* (Si non credideritis, non intelligetis) *& de illo sanctorum Patrum dogmate, quod ideo Judæi Scripturam non intelligunt, quia non credunt, dicam nunc, quod juxta nostram translationem* (Latinam) *videtur magis promtum. S.Hieronymus, quem sequitur S.Thomas, Haymo, Hugo & plures alii sic exponunt: Si non fidem adhibetis meis verbis, quibus salutem vobis & libertatem; Samariæ autem & Syriæ vastitatem denuncio, non eritis stabiles in regno: sed in captivitatem ducemini. Quæ explicatio omnino mihi placet, sed credo paulò latius patere &c. Cum imminerent duo Reges potentissimi, Rex domesticis viribus diffidens, externas advocare meditabatur. Propheta ab eo consilio Regem deducit, sperareque jubet à DEO omnia secunda, docetque nullum alium posse in illis rerum angustiis laboranti populo subvenire. Ait ergo in extrema illa clausula, nisi Deo credant, in eoq; fiduciam locent, nequicquam ab Assyriis salutem sperant.*

3. Hector Pintus in illum locum: *Rectè vertit Interpres noster, Si non credideritis, non permanebitis. Et quoniam qui firmi certique sunt in re aliqua, eam intelligere censentur; ideo adducti hac ratione verterunt LXX Interpp. Si non credideritis, non intelligetis. Quasi illis dicat Propheta: Nisi Dei verbis fidem adhibueritis, vera intelligentia carebitis, ubi aspicis, infideles omnes esse vera intelligentia, sapientiaque destitutos &c. Divus Augustinus inquit, intellectum esse præmium fidei. Et rectè quidem. Est enim perspicuum fide illuminare, admirabilemque intelligentiam tribuere.* (Quæ expositio nostram potius confirmat sententiam.)

4. Cornelius à Lapide in Comm. illius loci. *Si non credideritis, mea opera vos liberandos ab excidio, quod vobis intentant Rasin & Phaces, non permanebitis in regno vestro, sed æque ut ipsi captivi abducemini cum decem tribubus.*

5. Jacobus Tirinus ad hunc locum sic commentatur: *Si non credideritis, supple, hos punitum, vos ope mea ereptum iri, non permanebitis etiam vos in terra vestra, sed æque ut ipsi, abducemini captivi, q.d. Si nolitis mihi credere & fidere, sed confugiatis ad opem Assyriorum, non juvabo vos; juvabo, si mihi fidatis. Ita ferè S. Hieronymus, Rupertus, Haymo & alii. LXX. vertunt: Si non credideritis, non intelligetis. Quo modo sæpe citant S.Augustinus, Chrysostomus, Cyprianus & alii SS. Patres, q.d. Non est, quod humano judicio & vulgari trutina metiamini hæc mea dicta, fide opus est, sine hac nunquam capietis, quomodo, quod hominibus impossibile est, Deo sit facillimum.*

(Neutra expositio confirmat Bellarmini opinionem.)

Argum.2. *1.Cor.13.v.2. Si habuero omnem scientiam & noverim mysteria omnia & omnem fidem. Ergo Apostolus distinguit notitiam mysteriorum à fide, tanquam duo diversa dona.*

Resp.1. Thomas in hunc locum sic commentatur: *Non hic accipitur pro fidei virtute, quia hoc commune est omnibus membris Christi, secundum illud ad Hebr.cap.11. Sine fide impossibile est placere Deo: sed accipitur pro sermone fidei, prout scil. homo potest rectè proponere ea, quæ fidei sunt, vel pro certitudine fidei, quam præ aliis habet excellenter secundum illud Matth.15. Mulier magna est fides.*

(At quomodo potest fieri, ut qui potest rectè proponere ea, quæ fidei sunt, ipse nullam notitiam habeat?)

2. Estius in Comment.h.l. sic scribit: *Observat Thomas, Paulum hoc loco ordine repetere quatuor dona ad cognitionem pertinentia quæ posuit cap.superiore v.8.9.10. nempe sapientiam, scientiam, fidem & prophetiam, nisi quod hic à prophetia incipiat.*

(Ergò fides non opponitur cognitioni, sed est ejus species.)

Ibidem dicit, *scientiam eandem hic intelligendam esse, de qua in præced.cap.dictum,* ubi scientiam sic explicat: *Sermo scientiæ gratia est disserendi de rebus Christianæ religionis ex iis, quæ sunt humanæ scientiæ vel ignorantiæ, quod fit, dum ad explicandam & illustrandam fidei nostræ doctrinam adhibetur philosophia secularis. Item exempla, comparationes, & qualiacunque argumenta à rebus humanis ad captum rudium & carnalium hominũ accommodata.* (Non autem sequitur, fides non est talis scientia. E. nullo modo est notitia.)

3. Salmero Disp.20. in 1. ad Corinth. *Fides non est communis illa omnibus Christi membris necessaria, quæ habet pro objecto, quodcunque revelatum est in Ecclesia: sed de fide practica est sermo, qua impetramus sive dona, sive signa fieri in nobis, vel in aliis, qua Petrus ornatus ambulavit super aquam, ut veniret ad Jesum, & de qua, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.*

Et Disp.21. *Non est hic sermo de communi & ordinaria fide, tanquam ad eos loqueretur, qui increduli erant, ut admonent Græci Patres: sed sermo est ad discipulos suos jam credentes, & loquitur de dono fidei, quam omnem, id est, perfectam vocavit, quam præcedenti capite inter divisiones donorum enumeravit, cum dixit: Alii fidem in eodem Spiritu. Nam erat peculiare quoddam genus fidei, quæ cum voce communi fidei conveniebat, quod ad manifestationem præsentiæ Spiritus multis eo tempore tribuebatur, de quo Dominus dixit: Si habueritis fidem sicut granum sinapis.*

(Ergo fides hoc loco non significat illam fidem, quæ est communis omnibus fidelibus, de qua hoc loco disputamus: sed peculiare aliquod donum collatum in aliquos fideles.)

Arg.3. *2 Cor.10.v.5.* dicit Apostolus, *se per Evangelii prædicationem in captivitatem redigere omnem intellectum sub obsequium Christi. At certe non est necesse captivare intellectum, ubi est notitia veritatis.* Bellarm.

Resp.1. Benedictus Justinianus in h. l. sic commentatur: *Quod noster Interpres dixit, omnem intellectum, Græce est νόημα quod significat id, quod mente & cogitatione versatur, humani siquidem ingenii commenta fidei nostræ argumentis, quasi quibusdam laqueis irretita tenentur.*

(Tribuit hanc captivationem argumentis, quæ non esse possunt absque aliqua cognitione, proinde illa intellectus captivatio non potest opponi notitiæ.)

2. Jacobus Tirinus Jesuita ad h.l. sic annotat: *Iisdem armis* (*gratia & vi verbi, sapientia cœlesti, miraculis, caritate cæterisq; virtutibus*) *vincimus & captivamus omnem intellectum & ingenium humanum, quantumcunque excellens & scientiis instructum in obsequium non nostri, sed Christi, id est, ad obsequendum, obediendum & humiliter subjiciendum se Christo per fidem.*

(Hæc sapientia cœlestis non est sine spirituali notitia.)

Argum.4. *Assensus duplex est, alter sequitur rationem sive evidentiam rei; alter autoritatem proponentis. Prior dicitur proprie loquendo notitia, posterior fides.*

Resp.1. Thomas 2.2.q.44. art.8. concludit, *quod fides certior sit aliis virtutibus intellectualibus, cum innitatur divinæ veritati, reliquæ verò rationi humanæ; aliæ tamen certiores sunt, quoad nos, quia intellectus plenius eas assequitur.*

2. Jacobus Faber in Comment. super Richardum docet, *perfectius cognosci ea, quæ fide, quam quæ ratione cognoscuntur.* Verba paulò ante sunt adducta.

(Quamvis igitur fides non sit talis notitia, quæ rationem & evidentiam rei sequitur, ex eo tamen inferri nequit, quod nullo modo sit notitia.)

THESIS secunda. Fides non solum est notitia & assensus, sed etiam fiducia.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de fide Historica*, sed *de fide justificante & salvifica.*

2. Subjectum aliud est *inhæsionis*, aliud *perfectionis*. Subjectum inhæsionis fidei est anima rationalis vel cor humanum, ut Scriptura loquitur. Habet autem subjecta duo *perfectionis*, nempe *tum intellectum*, qui per notitiam & assensum; *tum voluntatem*, quæ per fiduciam instruitur ac perficitur.

Antithesis. Bellarminus lib.1. de Justif. c.4. §. Catholici &c. secutus Concilium Tridentinum negat, *fidem definiendam esse per fiduciam, cum in intellectu solum, non autem in voluntate sedem habeat;* Ex Thoma monet, *fiduciam nihil aliud esse, quam spem roboratam, ideo fidem cum spe confundi, si per fiduciam definiatur.*

Lib.ejusdem c.5. *Probatur igitur ex divinis literis, fidem justificantem non esse fiduciam misericordiæ, sed solum assensum firmum ac certum ad ea omnia, quæ Deus credenda proposuit.*

Lib.ejusd.c.6 §.2. *Fidem non esse fiduciam probatur ex Rom. 4.*

Ibid. *Argumenta omnia, quæ fecimus hactenus, aperte demonstrant, fidem esse in intellectu, ac per hoc ad eam nullo modo pertinere fiduciam quæ est in voluntate.*

Lonchius in Fortalitio c.de Fiducia. *Habens fidem formatam & vivam, quæ sine vitæ sanctitate non invenitur in homine, potest nonnullam fiduciam seu spem concipere de misericordia Dei, sed fides ista non est ipsamet fiducia.*

Nicol. Sanderus in lib. de Justificat. statum quæstionis sic informat: *Utrum assensionis, quæ verbo Dei præbetur, aut etiam fidei Christianæ ulla pars existat, ut quis absque speciali revelatione DEI confidat & certò statuat, sibi remissa esse peccata, aut se filium Dei esse, necne?* respondet autem his verbis: *Assensionis nulla pars est, ut quis id, quod non audivit, verum esse confidat, à fide vero alienum est, ut certò statuat, sibi remissa esse peccata & se filium Dei esse.*

Albertus Piggius eò progreditur, ut scribat, *fidem justificantem à nobis definitam esse monstrum & chimæram, cum pro subjecto ei intellectum & voluntatem tribuamus.*

Ruardus Tapperus in explicat. art. 9. *Fides, qua quis firmiter credit & certo statuit, sibi propter Christum remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imo iisdem adversatur.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex etymologia.* Fides ac fiducia πίστις καὶ πεποίθησις unam eandemq; habent originem; πίστις à πέπεισμαι, πεποίθησις à πέποιθα, utrumq; à πείθω descendit, quod non solum significat *doceo*, sed etiam *suadeo*, *ac persuadeo*, & cognationē habet cum radice בטח *suasus, persuasus, inductus fuit.* Ergò, cum in verbo Evangelii offeruntur cordibus contritis beneficia Christi Mediatoris, inde persuasionem & fiduciam concipiunt de misericordia Dei propter Christum, ac Deo veraci beneficia spiritualia & cœlestia propter Christum promittenti ex animo credunt, 1. Joh. 3. v. 19. Hebræum אמונה descendit à radice אמן *certus, firmus, stabilis fuit.* In Hiphil. *certo credidit, fidem habuit, confidit.*

2. *Ex conjugatis.* Πιστεύειν significat *confidere*, πιστὸς *fidelis*, Matth. 24. v. 45. Luc. 16. v. 11. Joh. 2. v. 24. Rom. 3. v. 2. Ergò πίστις notat fiduciam. Sic & apud prophanos Scriptores, Phocil. λαοῖς μὴ πίστευε. Aristot. in Polit. sæpe repetit, *proprium esse Tyrannidis, μὴ πιστεύειν τοῖς πολλοῖς.*

3. *Ex συνωνυμίᾳ.* Fides Esai 26. v. 3. vocatur יֵצֶר סָמוּךְ *figmentum fultum*, quod fulcit se ac nititur in Christo Salvatore & ipsius verbo. Heb 11. v. 1. fides vocatur ὑπόστασις, παρὰ τὸ ὑφίστασθαι, quia firmiter stat, non cadit aut fugit, certissima & immota fiducia in Dei promissionibus acquiescens, quam significationem huic voci competere patet ex Hebr. 3. v. 14. & 6. 1. Cor. 9. v. 4. c. 11. v. 16. LXX. usurpant pro spe & expectatione, Ruth. 1. v. 12. Ps. 39. v. 8. Ezech. 19. v. 5. Fides etiam vocatur πεποίθησις, *confidentia, fiducia*, 2. Cor. 3. v. 4. Eph. 3. v. 12. Synonymon fidei etiam est παῤῥησία, Eph. 3. v. 12. 1. Joh. 3. v. 21. cap. 4. v. 14. Item πληροφορία, *certa persuasio*, metaphora ducta à navibus, quæ plenis velis incitatæ feruntur, Rom. 4. v. 20. & 21. Col. 2. v. 2. Hebr. 10. v. 22. &c.

4. *A collatione locorum parallelorum* Vet. & Novi Testamenti. Quæ in Veteri Testamento *confidentibus & fiduciæ*, ea in Novo Testamento *credentibus & fidei* tribuuntur. Quod Psal. 2. v. ult. dicitur, *Beati omnes, qui confidunt in eo*, id Marc. 16. v. 16. sic exprimitur: *Qui crediderit, salvus erit.* Confer Esai. 26. v. 3. cum Rom. 5. v. 1. Item Prov 3. v. 5. cum Act. 8. v. 37. Item Ps. 35. v. 1. cum Rom. 10. v. 11. Item Ps. 62. v. 9. cum Matth. 21. v. 22. Jac. 1. v. 6. Item Joh. 16. v. ult. cum 1. Joh. 5. v. 4.

5. *Ab exegetica declaratione*, qua fides per fiduciam explicatur, Psal. 78. v. 22. Mich. 7. v. 5. Job. 39. v. 14. & 15. 1. Joh. 5. v. 13. & 14. &c.

5. *Ex oppositis.* Opponitur fidei τὸ διακρίνεσθαι, Rom. 4. v. 20. Jac. 1. v. 6. Matth. 22. v. 21. Marc. 11. v. 23. τὸ διστάζειν, *in bivio versari*, Matth. 14. v. 31. τὸ μετεωρίζεσθαι, *in suspenso esse, hinc illinc agitari*, sicut naves fluctibus agitatæ, & sicut meteora in aëre, Lucæ 12. v. 28. & 29. ἡ ὀλιγοπιστία, *parva fiducia*, Matth. 6. v. 3. cap. 8. v. 26. cap. 14. v. 31. cap. 16. v. 8. Luc. 12. v. 28. φόβος, *timor & metus*, Luc. 8. v. 50. Marc. 5. v. 36. Esai 28. v. 16. Atqui hæsitatio, diffidentia, dubitatio, solicitudo, ὀλιγοπιστία sunt in voluntate. Ergo & fides illis opposita.

7. *Ab objecto fidei*, quod est promissio gratiæ in Christo Mediatore. Fides justificans complectitur promissionē Evangelicam de beneficiis Christi Mediatoris, eandemque sibi applicat. Nuda notitia non amplectitur illam promissionem. Ergò fides justificans non est nuda notitia. *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio* Rom. 4. v. 16. non est firma nobis, id est, nostri respectu, nisi apprehendatur fide.

8. *A Natura, effectibus & proprietatibus fidei.* Forma & quasi anima justificantis fidei est fiducialis Christi cū omnibus beneficiis in verbo Evangelii oblatis apprehensio, Joh. 1. v. 12. Rom. 5. v. 11. Gal. 3. v. 14. Hebr. 4. v. 16. c. 9. v. 15. Tribuitur etiam fidei καύχησις Rom. 5. v. 2. Phil. 3. v. 3. θάρσος Matth. 9. v. 2. ὑπόστασις, πληροφορία, παῤῥησία, πεποίθησις, ut constat ex dictis superius citatis. Ad hæc omnia non nudam aliquam notitiam, vel assensum notant, sed vel ipsam fiduciam, vel fiduciæ qualitatem & insignia effecta. In concione Christi Joh 6. fidei tribuuntur ὁρᾷν, *videre*, θεωρεῖν, *cognoscere*, πιστεύειν, *credere*, & φάγειν καὶ πίνειν, *edere ac bibere*; ὁρᾷν exprimit notitiam, θεωρεῖν assensum, πιστεύειν fiduciam, φάγειν vero specialem applicationem. ὁρᾷν est ea, quæ verbo Dei patefacta sunt, certa persuasione verissima esse statuere, non aliter, quam si propriis oculis eadem vidisset; θεωρεῖν est ea, quæ audimus vel videmus perpendere; πιστεύειν est confidere, ut usus vocabuli in Scripturis & profanis autoribus ostendit; φάγειν est cibum vitæ, ac panem cœlestem speciali applicatione intro assumere. Cuicunque fidei non competunt illi effectus, quos fidei justificanti Scriptura tribuit, illa non est justificans. Sed fidei, quæ tantum est notitia & assensus, ac non simul fiducia, non competunt effectus, quos Scriptura fidei tribuit, quales sunt *remissio peccatorum* Act. 10. v. 13. *justificatio* Rom. 10. v. 4. υἱοθεσία Joh. 1. v. 12. *tranquillitas conscientiæ* Rom. 5. v. 1. *liberatio à damnatione legis* Rom. 8. v. 1. *securitas spiritualis* Roman. 10. v. 11. *benedictio cœlestis* Gal. 3. v. 9. *purificatio cordis* Act. 15. v. 9. *victoria Satanæ* Eph. 6. v. 16. 1. Pet. 5. v. 9. *victoria mundi* 1. Johan. 5. v. 4. *patentia in adversis* Rom. 5. v. 3. *accessus ad Deum* Rom. 5. v. 2. *obsignatio veritatis* Joh. 3. v. 33. *dilectio Dei & proximi* Luc. 7. v. 47. Gal. 5. v. 6. *spes futuræ gloriæ* Rom. 5. v. 1. *confessio veritatis creditæ ac cognitæ* 2. Cor. 4. v. 13. *invocatio* Gal. 4. v. 6. Rom. 10. v. 14. *obedientia ergo Deum* Hebr. 11. v. 8. *vita & salus æterna* Joh. 3. v. 16. & 36. Marc. 16. v. 16. Ergo fides justificans non est nuda notitia & assensus.

9. *A typicis & metaphoricis descriptionibus.* Fides est perspicacissimus cordis intuitus, quo Christum in ara crucis exaltatum respicimus, certo statuentes, propter illum nobis contingere liberationem à vulneribus, quæ infernalis serpens nobis inflixit, Joh. 3. v. 33. est *sigillum*, per quod obsignamus, quod verax sit Joh. 3. v. 33. est spiritualis pastus animæ Esa. 55. v. 1. Joh. 4. v. 14. cap. 6. v. 22. 29. 35. 51. Apoc. 21. v. 6. cap. 22. v. 17. At hæc non conveniunt nudæ notitiæ.

10. *Exempla fidei justificantis* ostendunt, eam non esse nudam notitiam & assensum, sed etiam fiduciam, ut Abrahæ Rom. 4. v. 18. 19. 20. & 21. Hæmorrhousæ Matth. 9. v. 21. Cananææ Matth. 15. v. 28. Mosis Hebr. 11. v. 24. & 25. & aliorum in illo cap. 11. Hebr. allatorum.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fidem definiunt per fiduciam.

Dominicus à Soto lib. 2. de Natura & gratia cap. 6. disputat quidem, *fidem non esse fiduciam*, interim tamen fatetur, *nomine fiduciæ exprimi certam firmamque fidem.*

Cajetanus in enarrat. dicti Mosaici Gen. 15. *Credidet Abraham Deo &c. Moses non dicit, Abrahamum credidisse Deo, sed in Deo, hoc enim plus est. Nam credere Deo est fidem habere illius verbis, ut veracibus: credere autem in Deo insuper addit fiduciam in Deo.*

Erasmus in Exposit. Symboli Catech. p. 44. *Deum crediderunt & Philosophi plerique; Deo credunt & Dæmones, sed soli pii credunt in Deum, sive in Deo, nihil enim refert, qui totam fiduciam, totamque spem fixerunt in Deo.*

Idem Jacob. 1. v. 6. *fidem* vertit per *fiduciam*, quam versionem Pontifex Leo. X. commendavit.

Idem in annot. Luc. 12. pag. 155. *Fides est fidentis, sic enim nos abutimur Christiani.*

Idem in cap. 1. Rom. *Fidem frequenter sacræ literæ usurpant pro fiducia erga Deum, ut non multum differat à spe.*

Jacobus Veldius concion. in Evang. Domin. 2. Quadragesi. de fide Syrophœnissæ dicit, *in ea attendenda esse* 1. *suæ ipsius nuditatis agnitionem.* 2. *Dei benignitatis certam persuasionem.* 3. *insatiabilis fidei orationem.* 4 *oris claram confessionem.*

Nausea Viennensis Episcopus lib 1. cap. 12. Catechismi. *Fides est constans firmaq; animi per Spiritum Sanctum de Dei majestate omnipotentia, bonitate, deque illius promissis indubitata persuasio, qua ut verbis ejus certam fidem habet, ita & de ejus erga se bonitate omnia sibi indubitato pollicetur, cum demerendo quoslibet, tam ipsi gratificari, quam referre gratias studet.*

Idem lib 3. cap. 1. contendit, *summam cognitionem, summamq; similitudinē esse inter spem & fidem, adeo ut non benè distingui queant.*

Claudius Guillandus in cap. 6. Joh. scribit, *opus Dei vocari à Christo fidem, quæ est certa de bonitate Domini persuasio, confidensque salutis ab eo expectatio.*

Et postea. *Credere in Christum non est res à Christo gestas novisse, has enim novit Satan, qui tamen illa fide non est justificatus: nec est meminisse, aut mente revolvere, Christum natum esse, passum esse, resurrexisse, & cœlos ascendisse; nam & impii horum omnium meminerunt, & de his cogitant nihilo meliores effecti. Sed credere in Christum, est certo apud se statuere, per Christum contingere justitiam & vitam æternam, eiq; toto corde, tota anima, totis viribus adhærere. Hoc qui fecerit, omnia Christi bona complectitur, illique ex animo adhærescit.*

Ludovicus Granatensis Dominic. 18. post Pentecost. conc. 1. tom. 4. pag. 322. *Rectissime, ut apparet, dicitur, nomen fidei in Evangelius, cum ei tribuitur salus aut consecutio omnium, quæ volumus, complecti utrumque, nempe & assensum illum firmum in credendis*

dendis de Deo & Christo, ac fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi ratio ad credulitatem & assensum illum mentis, in quibusdam vero ad ipsam fiduciam. Ita enim duo hæc ad invicem cohærent, ut nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas sine fiducia quidquam impetret à Deo, utque fiduciæ magnitudo ex credulitatis perfectione nascatur. Certe dum dicimus, confido huic verbo Dei: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; in verbo Confido illa duo simul comprehendi videntur. Est enim sensus, adeo persuasus sum, illud esse verum, ut inde etiam mihi certo sperem per Sacerdotes remissionem peccatorum.

Guilielmus Budæus in Lex. ex Laurentio Valla de etymologia vocis πίςις sic scribit: Laurentius persuasionem proprie vocari posse contendit, quam Latini Christianam fidem, Græci πίςιν appellant, hoc est, certam quandam opinionem & sententiam, quam nobis persuasimus, id quod mihi Laurentius recte censuisse videtur, cum à verbo Græco πέπεισμαι, persuasi mihi, πίςις apud nos dicatur, quam nos fidem dicimus.

Georgius Cassander in Consult. art. 4. p. 914. Ad justificationem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahæ ad promissionem Dei non hæsitet per diffidentiam, sed præter spem in spem credat, Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem, & peccata non imputaturum, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiritum Sanctum vivificaturum. Hujus rei exemplum est in sanatione corporalium morborum, quæ internæ sanationis imaginē gerit: ibi enim à Christo requiritur fides, non qua homo credat, se jam sanatum, sed qua credat, Christum ea potentia præditum, ut sanare possit, & confidat eam ejus esse bonitatem, ut sanare velit, qua fide sanitatem consecuti sunt, ipsam vero sanitatem jam sibi donatam sensu perceperunt, quare ad eam cognoscendam fide opus non erat. In sanatione vero interior, quæ occulta est, solaque Spiritus Sancti inspiratione cognoscitur, fide opus est, qua huic Spiritus Sancti testimonio assentiamur.

De Johanne Fero sic scribit Sixtus Senensis lib. 9. annot. 43. Ferus lib. 2. in Matth. alludere videtur ad errorem eorum, qui docent, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ. Ibid. testem hujus sententiæ citat Dominicum Sotum, qui eandem sententiam in Fero reprehenderit & improbarit, quod sentiat contra Concil. Trident.

Idem Johannes Ferus in c. 3. Joh. v. 5. sic scribit: Fides est baculus senectutis nostræ firmissimus, quo solo possumus Jordanem tentationum pertransire, cujus figura in Jacobo præcessit Gen. 32.

Cornelius Jansenius in Harmon. Evangel. c. 32. p. 206. verba Ludovici Granatensis paulo ante adducta, sine ullius syllabæ mutatione repetit. Ibidem sic disserit: Cum Salvator in Evangelio toties fidem commendat, rectissime dicitur, nomine fidei, cum ipsi tribuitur salus & consecutio omnium, quæ volumus, complecti utrumque, nempe assensum illum firmum in corde credentis de Deo, de Christo, & fiduciam ex illius omnipotenti bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi respectus ad credulitatem & assensum illum mentis in quibusdam vero ad ipsam fiduciam. Ita enim hæc duo ad invicem cohærent, ut nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas sine fiducia quicquam impetret à Deo. Sic ergo hoc loco accipitur fides, cum dicitur, Deum vidisse eorum fidem.

Idem in c. 30. Harm. pag. 147. Fides communiter hic & in similibus locis accipitur pro fiducia, ut intelligantur discipuli ideo vocari ὀλιγόπιςοι hoc est parum fidentes & modicæ fidei, quia non satis confidebant, se esse tutos Christo dormiente, nec habuerunt perfectam illam in Deum fiduciam, quam habere debuissent.

Idem in c. 234. Harm. pag. 931. Cum Christus fidem in se exigit, non simpliciter eam fidem requirit, qua credatur esse Christus Filius Dei & verax in sermonibus suis, sed & qua fiducia in se collocetur, tanquam eo, qui etsi secundum corpus esset eos deserturus, sua tamen eos divinitate nunquam esset derelicturus. Hæc est inquit, victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Hæc est fides, quæ timorem & turbationem pellit à corde, juxta illud Psalmistæ: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Gropperus in Enchirid. c. 9. de Pœnitent. Nec hoc omittendum est, inquit, fidem secundum priores credendi rationes in intellectu consistere, secundum tertiam vero etiam in voluntate, quod actio fidei sic accepta, quod est credere, fidere & adhærere Deo non solo intellectu, quem fides illuminat, sed & voluntate, quam accedente caritate inflammat, perficiatur.

Ibid. Fides certissima quadam fiducia est, qua totos nos Deo submittimus, totique à gratia & misericordia Dei pendemus.

Sadoletus Epist. ad Genevenses. Est enim amplum & plenum vocabulum fidei, nec solum in se credulitatem & fiduciam continet, sed spem etiam.

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis in Fer. D. Andreæ conc. 2. p. 4. Est nimirum fides non solum agnoscere unicum illum verumque Deum ac Dominum: sed & credere constanter, misericordiam, opemque ipsius omnibus æque hominibus ipsi fidentibus paratam esse per Christum, ideoque unice eo niti, ac in omnibus necessitatibus ipsum invocare, atque ab ipso solo omnem expectare gratiam.

Idem Conc. 1. in Evang. Fest. D. Thomæ p. 104. Vera fides non solum credit, Dominum & Deum vere Dominum & Deum esse, sed & insuper credit, illum esse suum & Dominum & Deum, hoc est, eundem sibi bene velle, omniaque bona sua in credentium usus sponte liberaliterque profundere. Talis fuit Thomæ fides & confessio, formula nimirū veræ fidei & confessionis ut brevissima, sic & longe absolutissima.

Stapletonus in Promt. morali Domin. Pentecost. loco 6. Creditis in Deum, etiam in me credite, hoc est, in Deum fiduciam habete & in me.

Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 1. col. 7. lit. C. Frequenter fiducia quædam seu firma spes futurum esse, quod est promissum, nominatur fides.

Et paulo post. Atque etiam à Latinæ linguæ autoribus nonnunquam videri potest, accipi id vocabulum in ea significatione, ut à Terentio in Heautontimor. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum.

Benedictus Pererius tom. 3. in Gen. p. 736. ex Ribera multis probat, credere Deo & credere in Deum ex consuetudine linguæ Hebrææ non differre, nihilominus tamen ex usu Theologorum differentiam & probat & agnoscit & laudat.

Costerus part. 1. conc. p. 521. Ad fidem hanc, qualem Christus vidit Matt. 9. v. 2. non sufficit credere, quod vera sint, quæ in Scripturis Deus dixit, hoc enim & peccatores Catholici faciunt, sed oportet promissionibus ejus inniti, & quod promisit generatim, firmiter credere te accepturum.

pag. 525. Confidebat paralyticus, sed ad majorem fiduciam hortatur eum Christus, quia Deo non possumus nimium fidere.

Bellar. lib. 1. de Justif. c. 6. §. 2. & c. 11. resp. ad 2. object. concedit, diffidentiam Rom. 4. positam esse pro incredulitate.

(Vi igitur oppositionis fiducia ponitur pro fide.)

Jacobus Tirinus Jesuita in Comm. Esai. 7. v. 9. Si non credideritis, non permanebitis, q. d. si nolitis mihi credere & fidere, sed confugiatis ad opem Assyriorum, non juvabo vos; juvabo, si mihi fidatis. Ita fere S. Hieronymus, Rupertus, Haymo & alii.

2. Quod talia tribuunt fidei, quæ non competunt nudæ notitiæ & assensui, sed includunt fiduciam sive fiducialem Christi apprehensionem.

c. Ut quid dist. 2. de consecrat. ex Augustino Credere in eum, hoc est, panem & vinum manducare. Qui credit in eum, manducat eum, invisibiliter signatur, quia invisibiliter renascitur.

(At per nudam notitiam & assensum non fit spiritualis illa manducatio, sed per fiducialem Christi apprehensionem.)

Lombardus lib. 3. sent. dist. 19. lit. A. Dicimur & aliter per mortem Christi justificari, quia per fidem mortis ejus à peccatis mundamur, unde Apostolus: justitia Dei est per fidem Jesu Christi. Et item: Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine illius, id est, per fidem passionis, ut olim aspicientes in serpentem æneum in ligno erectum, a morsibus serpentum sanabantur. Si ergo rectè fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli solvimur, id est, à peccatis, & ita à Diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat.

(At spiritualis ille fidei intuitus absolvitur nuda notitia & assensu, sed oportet accedere fiducialem meriti Christi apprehensionem.)

Lib. ejusd. dist. 23. lit. D. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.

(At per nudam notitiam & assensum non incorporamur Christo & ejus membris.)

Lyranus in c. 11. ad Hebræos testatur, fidei objectum non esse tantum verum, sed etiam bonum in quod feratur.

Alphonsus Tostatus q. 127. in c. 21. Matth. monet, particulam illam, si non hæsitaveritis, in verbis Christi (Si fidem habueritis & non hæsitaveritis) non esse quandam additionem, cum non hæsitare includatur in ratione fidei, sed esse potius expositionem, sicut definitio explicat definitum. Nam hæsitare non facit fidem solum esse imperfectam, sed prorsus facit, fidem non esse, cum sit luminatio distrahens,

ficut mortuus ad hominem. Et ratio est, quia alias opinio non differret à fide, nam opinio facit assentiri cum formidine ad oppositum. Si autem fides adhæc dubitationem haberet, cum formidine assentiretur, & esset opinio.

(Si τὸ *non hæsitare* includitur in ratione fidei, ac hæsitare facit prorsus non esse fidem, utique fiducia includitur in ratione fidei.)

Georgius Cassander in Consult. art. 4. de Justificatione p. 913. ex Enchiridio Christianæ religionis in Concil. Colon. Ann. 36. edito, allegat hæc verba: *Fatemur, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat, non tantum generaliter, quod propter Christum vere pœnitentibus remittantur peccata, sed &, quod ipsi homini remissa sint propter Christum per fidem.*

Ghislerius in Cantic. Cant. c. 3 v. 4. expos. 2. *Apud omnes Scholasticos pro confesso est, istiusmodi distinctionem (inter credere Deum, credere Deo & credere in Deum) revera non esse actuum reipsa diversorum, sed tantum secundum diversas rationes & modos credendi. Unicus enim, qui perfectus est, actus fidei, hos omnes in se continet credendi modos. Neq; recta censenda est atque perfecta fides, nisi omnibus tribus his modis credatur per eam.*

Si fides recta & perfecta hæc est, non tantum *credere Deum*, per notitiam; & *credere Deo*, per assensum; sed etiam *credere in Deum*, utique fides recta & perfecta includit *fiduciam*, quia fiduciæ est in Deum credere, sicut notitiæ est, Deum credere, & assensus, Deo credere.)

Nicolaus Sanderus, lib. 2. de Justificat. c. 1. Hoffmeisterus in artic. 4. August. Confess. concedunt, *fidem apprehendere in actu justificationis.*

Eisengrinius in fine concionis, cujus tit. Daß wir allein durch Christi Verdienst gerecht werden, asserit, *fidem sibi applicare omnia bona à Christo parata.*

(At hæc apprehensio & applicatio beneficiorum Christi non fit sola notitia & assensu, sed requiritur etiam fiducia.)

Johannes Ferus in c. 1. Joh super verba: *Quotquot receperunt eum. Non satis est, Christum tecto recipere, cibum & potum ministrare, hoc enim & impii possunt. Item, hoc modo sola Christi caro recipitur. Christus autem non tantum caro est, sed & verbum. Et quia verbum est, ideo non recipitur, nisi fide. Potestas igitur, filios Dei fieri, non his data est, qui Christum ut hominem tantum recipiunt, sed his, qui eum, ut vivum Dei verbum, vera fide suscipiunt. Hinc est, quod fidei attribuitur justificatio, quia fides Christum vere recipit. Non tamen simpliciter dicit, qui credunt in eum, sed qui credunt in nomine ejus. Nomen autem Christi est sapientia, justitia & redemtio. Si igitur quis se crediderit Christi justitiæ, aut redemtioni, jam non remanebunt peccata, mors evanescet. Nam tales fiunt homines, qualis Christus est, si ei totos se crediderint &c.*

Idem ibidem p. 14. *Credere est semen verbi Dei amore susceptum impregnata mente portare, quod tantæ virtutis est, ut anima substantiam in suum vigorem transferens ex hominibus, Deos; ex filiis iræ filios gratiæ faciat &c.*

(At hoc non competit nudæ notitiæ, sed includit simul fiduciam.)

Cornelius Jansenius ad c. 3. Joh. v. 16. *Sola fides, res scilicet facillima hic exigitur, ut Christo incorporemur, & meritorum ejus reddamur consortes.*

(At hoc non potest tribui fidei ratione solius notitiæ & assensus.)

Cardinalis Contarenus in tract. de Justificat. *Debetur fidei justificatio, non quod mereamur justificationem per fidem, & quia credimus, sed quia accipimus eam per fidem. Sic enim Apostolus ad Galat. Accipientes pollicitationem Spiritus per fidem. In Epist. ad Hebr. Accedentem ad Deum oportet credere eo, quod credendo accedimus ad hunc accessum. Hanc acceptationem ab Apostolo dictam B. Thomas in 3. parte appellat applicationem, inquiens: passionem Christi esse veluti medicinam communem, quam quisque sibi applicat per fidem, & Sacramenta fidei.*

Item. *Fide justificamur, non formaliter, quod scilicet fides inhærens nobis, efficiat justos, sicut albedo efficit parietem album, aut sanitas hominem sanum &c. Sed vera est propositio, si capiatur efficienter, sicut lumtio efficit parietem album & medicatio efficit sanum. Sic, vel non dissimili ratione fides efficit hominem justum. Neq; per fidem intelligimus habitum, sed actum.*

Benedictus Pererius in cap. 5. Roman. Disput. 1. sect. 3. *Nec profecto legendum est oscitanter, quod Paulus ait: nos habere accessum ad gratiam Dei per fidem: ostendit enim gratiam & justitiam, qua fit homo justus & gratus Deo, non esse ipsam fidem, sed fidem esse quasi medium quoddam, per quod apprehenditur justitia, & tanquam organum, per quod virtus sanguinis & mortis Christi in nos derivatur.*

(At vis illa apprehendendi non competit fidei, quatenus est notitia vel assensus; sed quatenus est fiducia.)

Benedictus Justin. in Comm. Rom. 3. v. 2. fidem vocat *manum & instrumentum, quo primum nobis Christi merita applicantur.*

(At hæc applicatio meritorum Christi non fit per nudam notitiam & assensum.)

Bellar. lib. 2. de Grat. & lib. arbit. c. 3. §. Cæterum &c. & lib. 1. de Justif. c. 15. §. Denique. *Credere est Christum recipere.*

(Hoc vero non fit nuda notitia & assensu, sed fiducia.)

Idem lib. 1. de Justif. c. 11. *Non esset absurdum si quis diceret, Jacobum* (quando fidem in precibus requirit c. 1. Epist.) *loqui de fide, quæ gignit fiduciam, ac per hoc non solum incredulitatem, sed etiam diffidentiam excludere.*

(Si Apostolus requirendo fidem, excludit diffidentiam, utique in fide includitur fiducia.

Idem lib. ejusdem cap. 11. §. In Epistola &c. ac c. 13. §. Ad hæc &c. *Per fidem Christus in nobis formatur.*

(Atqui per solam notitiam & assensum Christus non formatur in nobis, ut gratiosa sua præsentia & Spiritu suo in cordibus nostris habitet.)

Lib. 1. de Justif. c. 16. §. Dicente &c. fateri cogitur, *fidem justificare per modum actionis instrumentalis. Ut actio*, ait, *apprehendit justitiam, si ullo modo eam apprehendit.*

Benedictus Pererius Disp. 18. in c. 3. Rom. num. 86. *Paulus, cum ait, per fidem justificari hominem, nihil aliud significat, quam per fidem pervenire ad justitiam & ipsam apprehendere, ut ex verbis ejus, quæ sunt in capite nono hujus Epistolæ, non obscure potest colligi. Ait enim, gentes, quæ non sectabantur justitiam legis Mosaicæ, per fidem apprehendisse justitiam Dei.*

(Atqui illa apprehensio justitiæ non fit per nudam notitiam & assensum, sed per fiducium, quæ propterea etiam fiducialis apprehensio vocatur.)

Costerus in Enchirid, pag. 313. *Credere est fide apprehendere.*

Apprehensio illa includit omnino fiduciam credentis.

Plura hujus generis c. seq. adducentur, in quibus talia tribuunt fidei, quæ non habent locum in nuda notitia & assensu sed requirunt etiam fiduciam sive fiducialem Christi apprehensionem.

3. Quod quidam agnoscunt, hominem per fidem posse ac debere esse certum de remissione peccatorum, gratia Dei & reconciliatione, illi enim omnes coguntur etiam agnoscere, fidem esse fiduciam.

Dicta ejusmodi postea suo loco adducentur.

Argum. Adversariorum.

1. *Impossibile est, ut una eodemq; numero æqualitas diversis insit subjectis. Ergo una eademq; virtus non potest esse in duabus potentiis genere distinctis. Jam vero fides est in intellectu. Ergo nullo modo pertinet ad voluntatem.*

Resp. 1. Ipsimet Scholastici fidem quodammodo referunt ad voluntatem.

Thomas 2. 2. q. 4. art. 2. *Credere est actus intellectus, secundum quod movetur à voluntate ad assentiendum. Procedit autem hujusmodi actus & à voluntate & ab intellectu, quorum utrumque natum est per habitum perfici, & ideo oportet, quod tam in voluntate sit aliquis habitus, quam in intellectu, si actus fidei debet esse perfectus.*

Id. 1. 2. q. 66. art. 4. *Credere est alicui propria voluntate assentiri.*

Idem 2. 2. q. 4. artic. 2. *Cum fides sit quædam virtus, oportet, quod ejus actus sit perfectus. Ad perfectionem autem actus, qui ex duobus activis principiis procedit, requiritur, quod utrumq; activorum principiorum sit perfectum: non enim bene potest secari, nisi & secans habeat artem, & serra sit bene disposita ad secandum: Dispositio autem ad bene agendum in illis potentiis animæ, quæ se habent ad opposita, est habitus: & ideo oportet, quod actus procedens ex duabus talibus potentiis sit perfectus habitu aliquo præexistente in utraque potentiarum. Dictum est autem supra, quod credere est actus intellectus, secundum quod movetur à voluntate ad assentiendum; procedit autem hujusmodi actus à voluntate & ab intellectu, quorum utrumq; natum est per habitum perfici secundum prædicta: & ideo oportet, quod tam in voluntate sit aliquis habitus, quam in intellectu.*

Huc etiam pertinet, quod 2. 2. q. 5. art. 4. disputat, *fidem, si cõsideretur secundum participationem subjecti, dupliciter esse majorem, primo, ex parte intellectus propter majorem certitudinem, secundo, ex parte voluntatis propter majorem promtitudinem.*

Bonaventura 3. sent. dist. 23, quæst. 2. art. 1. *Licet fides respiciat actum potentiæ cognitivæ, non tamen ipsum respicit omnino pure, sed in quantum habet affectionem concomitantem & quodammodo*

post

post sequentem, & ideo etiam necesse est ponere, quod fides quodammodo sit in affectione, & hoc, quia est habitus voluntarius & amor ordinatus.

Item: *Quod autem rationes sibi invicem non obvient* (videlicet quæ pro intellectu sunt, quæque pro voluntate) *sed utraque verum concludant, satis clare potest videri, si quis potest capere, quod ad esse fidei virtutis concurrit actus rationis, simul & voluntatis: quod bene innuit Apostolus in ipsa notificatione fidei, cum dicit, fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium, tangens quod est in ea cognitionis, & quod est affectionis.*

Idem lib.4.sent.dist.9. *Fides respicit intellectum & affectum.*

Biel.3.sent.dist 23.quæst.2.art.3.dub.4. *Fides est virtus intellectualis, quia causatur ab actibus intellectus elicitis, scilicet assentire verbo certo ex autoritate testis; est tamen ex parte moralis, quia acquiritur ex actibus voluntatis imperatis. Nam apprehenso vero certo, sed inevidenti, & ita non sufficienter probato, non cogitur intellectus assentire, sed quantum de se est, potest non assentire, & ideo, si assentit firmiter, volens assentit, & ita ex imperio voluntatis.*

2. Idem ex recentioribus statuit Zacharias Boverius tom.2. in Demonstrat. secundi Symboli c.6. sic scribens: *Fides, quæ Catholicorum est, non in sola intellectus notitia, quæ tametsi necessaria sit, ea tamen non sola sufficit, sed etiam in duplici, tum intellectus, tum voluntatis actu constituitur.*

Et post. *Pius voluntatis affectus accedere debet, sine quo ipse intellectus perfecte, & ut oportet, divinæ veritati assentiri non potest.*

Cajetanus in cap.10. Rom. *Attribuitur cordi credere, tam ad excludendam fictionem simulantium se credere: tam ad significandum, quod à voluntate imperatur credere conferens justitiam.*

Salmero ibid. *Ait corde credere, ad excludendam fictionem, cum qua multi accedunt ad Baptismum, & ad indicandum, quod fides conferens justitiam à voluntate imperatur, ad differentiam fidei coactæ, qualis est in Dæmonibus, & erat in illis, qui crediderunt in eum à signis coacti, ipse autem Christus non credebat seipsum eis. Nam hæc fides justitiam non affert. Nam ut scientia virtute rationis demonstrantis gignitur: ita fides non demonstratur, sed virtute suscipitur voluntatis captivantis intellectum in obsequium Christi, qui illam infundit.*

3. Altensteig in Dictionario Theologico, verbo Fides scribit, *actum fidei, qui est credere, esse actum intellectus vero assentientis, procedentem ex voluntatis imperio, quia nullus credat, nisi volens: & habere non solum pro objecto verum, quod est objectum intellectus: sed etiam finem vel bonum, quod est objectum voluntatis.*

4. Franciscus Cordubensis Annot. artic.1.c.48. *Quanto evidentiora sunt testimonia, tanto ex cordis majori affectu Deo habemus fidem & plus obedientiæ illi exhibemus. Nam quod fidei testimonia (non propter eorum insufficientiam, sed quia homini sunt obscura) non efficiunt, id voluntas religiose erga Deum affecta simul illis facit, quia persuadet intellectui, ut firmiter assentiat verbo Dei.*

5. Cornelius à Lapide in c.10. Rom. p.147. *Corde credere, est mente & voluntate credere. Licet enim fides sit actus intellectus, tamen ob ejus invidentiam actusque difficultatem, necessarius est concursus & imperium piæ voluntatis, quæ intellectui imperet, ut tam obscura & difficilia credat, eoque actus hic fit liber & meritorius. Cor ergo hic & voluntatem & intellectum significat.*

6. Durandus lib.1.sent. dist.3.q.4. aliquot argumentis evincere conatur, *voluntatem & intellectum non esse potentias reipsa distinctas, sed unam eandemq; entitatem absolutam, quæ tamen propter ordinem & relationem ad diversos actus, videlicet ad functiones intelligendi & volendi duarum potentiarum rationem sortiatur.*

Aureolus apud Capreolum 1.sent. dist.2. quæst.3. probare nititur, *Aristotelem in eadem fuisse sententia.*

Scaliger exerc.307. sect.3.4.& 15. idem statuit.

(Quomodo igitur doctrina de fidei Natura & essentia ex immotis Scripturæ oraculis deducta, everti potest principio aliquo, quod nequidem apud Philosophos est satis certum?)

7. Qui statuunt, intellectum & voluntatem esse realiter distinctas potentias, pronunciato illi, quod una virtus non possit esse in duabus potentiis, non tribuunt absolutam Universalitatem.

Thomas 1.2.q.56.art.2. *Aliquid dicitur esse in duobus, primo sic, quod ex æquo sit in utroque. Sic impossibile est, unam virtutem esse in duabus potentiis; secundo, ordine quodam, & sic una virtus potest pertinere ad plures potentias, ita quod in una sit principaliter & se extendat ad alias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis.*

(Eodem modo dicere possumus, fidem in esse intellectu per modum dispositionis. Notitia enim illa Historica nondum absolvit fidem justificantem, sed oportet accedere fiducialem apprehensionem & specialem promissionum Evangelicarum applicationem, unde fides justificans à quibusdam sic definitur, quod sit *ex agnita divini verbi veritate per Spiritum Sanctum divinæ gratiæ sive misericordiæ per Christum redemtorem in promissione Evangelica fiducialis apprehensio ad vitam æternam.*)

Gregorius de Valentia tom.3.c.70. *Falso asserit Scotus, ad assensum fidei non esse necessariam liberam motionem voluntatis, sed satis esse, ut voluntas non resistat intellectui.*

8. Disputant Scholastici & recentiores scriptores Pontificii, *liberum arbitrium esse mentis & volutatis facultatem mixtam ex intelligentia & appetitu rationali*, Thom.p.1.q.83.art.3.

(Nemo autem inventus, qui per hanc liberi arbitrii definitionem Chimæram quandam introduci dixerit.)

9. Bellarminus lib.3. de Justif. cap.11. §. Quod autem, spem in intellectu & voluntate collocat. *Quamvis* (inquit) *absolutam certitudinem spes non requirat ex parte intellectus, tamen habet etiam ex parte intellectus duplicem certitudinem. Prima oritur ex fundamento spei primario, quod est promissio Dei &c. Altera certitudo spei ex parte intellectus oritur ex caritate &c. Habemus igitur spem Christianorum certissimam esse, tum ex parte voluntatis, tum ex parte intellectus.*

(Quod si spes sine ulla absurditate in intellectu & voluntate collocari potest, quidni etiam fides?)

10. Suarez in Metaph. disp.44. de Habit. sect.55. & 57. agnoscit, *præter unitatem indivisibilem, quam habent aliqui habitus per simplices qualitates, dari in aliquibus unitatem compositam per collectionem & subordinationem plurium qualitatum, alioqui non posse salvari modum loquendi de unitate scientiarum, ut verbi gratia, Geometriam non tantum genere, sed etiam specie unam esse scientiam. Quod etiam in genere qualitatis verum esse in dispositionibus corporis* ostendit, *quia sanitas & pulchritudo, quæ in communi modo loquendi una qualitas censentur, sunt tamen ex proportione plurium resultantes. Sic unam liberalitatem conflari ex habitu voluntatis & appetitus sensitivi, vel unam virtutem fidei ex habitu intellectus & piæ affectionis voluntatis, non tamen simpliciter dicit sub nomine habitus, eamq; esse in utraque potentia, sed nomen specificum* (*exempli gratia nomen fidei*) *sæpe magis admittere & significare illam compositionem quam genericum.*

11. Caspar Contarenus Cardinalis in tract. de Justif. eodem modo, quo nos, de fide justificante loquitur. *Interdum*, inquit, *actus ille, quo credimus, consuevit appellari fides, qui actus, quamvis sit elicitus ab intellectu, est tamen imperatus à voluntate, idcirco Apostolus dicit: ad obedientiam fidei. Credimus enim, quia volumus Deo obedire. Fides etiam quandoq; appellatur fiducia, qua confidimus promissioni nobis facta à quocunque: verum nos contrahimus hanc fidem ad promissionem divinam, quæ est in Deo, quatenus promissa servat. Sic in Psalmo: Fidelis Deus &c. In nobis vero est hæc fides, prout fidimus promissioni divinæ. Hæc fidei significatio pro fiducia, conjuncta est significationi ni spei, quamvis spes proprie respiciat futura, fiducia vero etiam præsentia & præterita. Attamen propinqua est hæc fiducia spei, quamobrem sæpenumero una pro altera sumitur. Damascenus ait lib.4. orth. fid. c.11. fidem duobus modis accipi, quorum alterum dicit esse assensum; alterum autem dicit esse spem eorum, quæ nobis sunt promissa. Ex Apostolo Paulo in pluribus locis habemus hanc acceptionem fidei pro confidentia. Sufficiat nunc unus locus ex Epist. ad Rom. cum loqueretur de Abraham, cujus exemplo maxime nititur: Apostolus, inquit, non infirmatus est diffidentia, sed confortatus. Ecce opposuit diffidentiæ fidem, id est, confidentiam.*

Et postea fidei officium sic describit in Justificatione: *Primus, inquit, animi motus in justificatione est motus fidei, quem motum seu actum appellamus fidem. Hic autem motus incipit à voluntate, quæ obediens Deo & fidei efficit, ut intellectus assentiatur absq; hæsitatione traditis à Deo: & ideo promissionibus divinis confidat & concipiat ex illis firmam fiduciam, quæ pertinet ad voluntatem, ut quasi circulo quodam incipiat à voluntate hæc fides, & desinat in voluntatem. Promissio autem Dei, cui firmiter credit, est, ut inquit B. Thomas, quod Deus remittat peccata & justificet impium per ministerium Christi. Ipse enim factus est autor salutis omnibus credentibus in eum.*

(Hæc habentur apud Contarenum etiam post Censuram & repurgationem, ut vocant, operum ejus in postrema editione Veneta, quæ ex asse nostræ sententiæ congruunt.)

Argum. 2. Fidem non esse fiduciam probare conatur Bellarminus ex Heb.11.v.1. ubi fides definitur *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, quod sic explicat: *Fides est quasi vita & anima rerum, quæ sperantur, quoniam eas apprehendens, ac menti repræsentans, facit eas quodammodo esse præsentes ac vivere. Est etiam demonstratio sive convictio eorum, quæ non apparent, quia intellectum facit assentiri illis, quæ non intelligit.*

Quare

Quare cum fides definiatur per assensum, non erit fiducia, lib. 1. de Justific. c. 5. Jacobus Tirinus in Heb. 11. v. 1.

Resp. 1. Ex positione unius partis non potest procedi ad exclusionem sive negationem partis alterius.

Cornelius Jansenius cap. 32. Harmon. *Rectissime dicitur, nomen fidei in Evangeliis, cum ei tribuitur salus aut consecutio omnium, quæ volumus, complecti utrumque, nempe & assensum illum firmum in credendis de Deo & Christo, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi respectus ad credulitatem & assensum illum mentis, in quibusdam vero ad fiduciam.*

2. Alphonsus de Castro lib. 7. advers. hæreses, verbo Fides, hæresi 1. dubitat, an hæc sit definitio fidei justificantis. *Quæ Pauli verba*, inquit, *sive ad fidei definitionem spectent, sive ut Erasmo in annotationibus placet, laus quædam fidei & non definitio dicenda sint, hoc certum erit Paulum de fide pronunciasse.*

3. Erasmus monet, *Paulum loqui non de ea fide, qua ea, quæ credenda sunt, credimus, sed de fide, qua alicui fidimus, id est de fiducia*: quem hoc nomine Alphonsus de Castro loco dicto perstringit.

CAPUT II.

De Objecto fidei Justificantis.

THESIS. Fidei justificantis, quatenus est fiducia, proprium & adæquatum objectum est specialis Dei misericordia, sive quod idem est, promissio de gratuita peccatorum remissione propter Christum.

Ἔκθεσις. 1. Fidei, ut est *notitia*, objectum proprium & adæquatum est verbum Dei in Scripturis Propheticis & Apostolicis propositum; fidei, ut est *fiducia*, objectum proprium & adæquatum sunt promissiones Dei gratuitæ, cum inter verbum promissionis & fidem, quæ verbo illi innititur, sit perpetua relatio.

2. Cum vero promissiones gratuitæ sint variæ, ideo dicimus fidei justificātis proprium objectum esse *promissionem Evangelicam de Christo Mediatore*. Vera & justificans fides apprehendit etiam reliquas promissiones de bonis spiritualibus & corporalibus, sed eatenus non justificat, justificat autem quatenus Christi meritum in verbo Evangelii sibi oblatum apprehendit.

Antithesis. Censura Coloniensis pag. 118. *Objectum fidei justificantis est omne id, quod in verbo Dei revelatum.*

Gothardus Canonicus Patav. in Defens. Eccles. Cath. pag. 115. *Lutherani præter fidem Historicam novam quandam specialem invenerunt, qua meritum Christi apprehendimus, ac nobis peccata remissa esse certo statuamus. Eam nos secus atque pestem execramur.*

Bellarminus lib. 1. de Justif. c. 4. *Catholici fidem tam late patere volunt, quam late patet verbum Dei, certam autem promissionem specialis misericordiæ non tam ad fidem, quam ad præsumtionem pertinere contendunt.*

Lib. ejusd. c. 8. §. 1. *Fidei justificantis objectum, non est specialis Dei misericordia, sed omnia, quæ Deus revelare dignatus est.*

Ibid. § Apostolus &c. *Abrahamus non credidit, sibi per specialem misericordiam remissa fuisse peccata, sed patrem se futurum multarum gentium ex filio, quem sibi centenario uxor nonagenaria & sterilis præter solitum ordinem cursumque Naturæ paritura esset. Illud credere nihil aliud erat, quam credere Deum, qui promiserat, omnipotentem ac fidelissimum esse.*

Lib. ejusd c. 11. resp. ad 4. *Fides Abrahæ non respexit promissionem de remissione peccatorum, sed de vocatione gentium & multiplicatione generis.*

Similia occurrunt apud Stapletonum in Antidot. super c. 4. Rom.

Nostram sententiam probamus.

1. Ubicunque in Scripturis ex professo & velut in propria sede de fide justificante, qua tali, agitur, ibi proprium & adæquatum ejus objectum statuitur Christus cum suo merito; passio & mors Christi; misericordia patris cœlestis in Christo nobis oblata; promissio Evangelica de gratuita peccatorum remissione propter Christum, quæ omnia eodem redeunt, Rom. 3. v. 24. & 25. c. 4. v. 24. & 25. c. 10. v. 4. & 9. Act. 10. v. 43. &c. Ergo illud ac non aliud fidei justificantis objectum est agnoscendum.

2. Illud, quo apprehenso coram Deo justificamur & à peccatis absolvimur, illud, inquam, & nihil aliud est proprium & adæquatum fidei justificantis objectum. Atqui gratia Dei in Christo, vel, quod idem est, Christus in officio Mediatoris, sive obedientia & satisfactio Christi est illud ipsum, quo apprehenso coram Deo justificamur, Act. 4. v. 12. Johan. 3. v. 18. 1. Cor. 1. v. 30. Ergo.

3. Quod peccata nostra arguit, accusat, damnat, & ex quo non est justificatio, illud non est proprium fidei justificantis, qua talis, objectum, siquidem fides quærit peccatorum remissionem & condonationem, quam nunquam inveniet in doctrina arguente, accusante & damnante peccata. Atqui lex peccata arguit, accusat & damnat, Rom. 3. v. 20. c. 4. v. 15. Gal. 3. v. 22. ex lege & operibus legis non est justificatio, Rom. 3. v. 20. & 22. Gal. 3. v. 10. & 11. Ergo.

4. Si passio & meritum Christi non est proprium & adæquatum fidei justificantis, qua talis, objectum, consequens erit, fidem, quatenus fertur in Christum, non aliter, nec magis justificare, quam quatenus fertur in doctrinam de Diabolis & inferno, cum & hæc in Scripturis sit revelata. Item, qui credit, verum esse illud Mosaicum, *Maledictus, qui non permanserit in omnibus &c.* esse coram Deo justificatum. Sed consequens est absurdum. Ergo.

5. Rom. 4. v. 16. dicit Apostolus, *propterea ex fide, ut sit per gratiam, quo firma sit promissio universo semini*. Fides igitur per gratiam recumbit in promissione, ac proinde promissio est proprium fidei justificantis, qua talis, objectum. In eodem cap. v. 20. *Abraham adversus promissionem Dei non disceptavit infidelitate, sed robustus factus est fide, dans gloriam Deo, certo persuasus, quod ubi quid promisit, possit etiam præstare.* Ergo fides justificans est fiducia promissionis, qua scilicet fidelis certo persuasus est de Dei promissione.

6. Sicut Israelitarum à venenatis serpentibus vulneratorum intuitus directe ferebatur in æneum serpentem è ligno suspensum, Christi crucifixi typum, nec in aliud quicquam dirigebatur: sic fides justificans est perspicacissimus intuitus solum Christum in cruce exaltatum & maledictionem pro nobis factum respiciens, Joh. 3. v. 15.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fidei justificantis, qua talis, ἐνέργειαν ita describunt, ut in solius Christi meritum ac promissionem Evangelicam de peccatorum remissione propter Christum eandem unice ferri doceant.

Bernhardus serm. 1. in Annunc. B. Mariæ col. 101. *Necesse est primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per Indulgentiam Dei, deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse. Postremo, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa.*

Et postea. *Verum hæc, quæ nunc diximus, non omnino sufficiunt, sed magis initium quoddam & velut fundamentum fidei sunt habenda. Ideoque si credis, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti & in quem peccatum non cadit, bene facis, sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem. Ita de meritis quoque. Si credis non posse haberi, nisi per ipsum, non sufficit, donec tibi perhibeat testimonium Spiritus veritatis, quia habes ea per illum. Sic & de vita æterna habeas necesse est testimonium Spiritus, quod ad eam divino sis munere perventurus. Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat. Porro, testimonia ista credibilia facta sunt nimis &c.*

Serm 61. in Cant. col. 675. *Revera ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur, non cado, fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamq; efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri &c. Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latusque lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus.*

Plura hujus generis passim apud Bernhardum occurrunt.

Lombardus lib. 3. sent. dist. 19. lit. A. *Si recte fidei intuitu in Christum respicimus, qui pependit in ligno, à vinculis Diaboli solvimur, id est, à peccatis, & ita: Diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam inveniat in nobis, quod puniat.*

(Locus integer adductus fuit in c. præced. th. 2. memb. 2.)

Georgius Cassander in Consult. art. 4. de Justificat. p. 913. *Quod additur in Confessione* (Augustana, *homines justificari gratis per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi & peccata remitti propter*

propter Christum) merito ut impium rejici non debet, cum eruditissimorum virorum ex iis, qui Catholici nomen retinent, sententiæ & scriptis consentiat, ut patet in Enchiridio Christianæ religionis, in Concilio provinciali Coloniensi Anno 36. edito, qui liber ab omnibus eruditioribus Theologis, etiam per Italiam & Galliam, summopere fuit collaudatus, ut qui summam sententiæ veterum de Christiana religione (ex quorum scriptis quasi confirmatus est) pulcerrimè referat. In eo itaque sic legitur: Dicimus hominem per fidem donum justificationis tum demum accipere, cum & perterrefactus & concussus in pœnitentia rursus erigitur per fidem, credens sibi remissa esse peccata propter meritum Christi, qui in se credentibus remissionem peccatorum pollicitus est, & cum novū in se sentit affectum, quo detestans malum & carnis infirmitati resistens, ad bonum faciendum intus accenditur, tametsi affectus nondum perfectus sit. Et post pauca: Fatemur, inquit, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat, non tantum generaliter, quod propter Christum vere pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsi homini remissa sint propter Christum per fidem. Hæc etiam explicatio posita est in libro Cæsar. Majest. Ratisbonensi, cujus formam loquendi, utpote non satis Scholasticam, quamvis Eccius non per omnia probarit, rem tamen ipsam, in quam Collegæ ejus consenserunt, non improbavit. In eo libro ita scriptum est: Firma & sana doctrina est, per fidem vivam & efficacem justificari peccatorem. Vocamus autem fidem vivam motus Spiritus Sancti, quo vere pœnitentes veteris vitæ eriguntur ad Deū, & vere apprehendunt misericordiam in Christo promissam, ut jam vere sentiant, quod remissionē peccatorum & reconciliationem propter meritum Christi, gratuita Dei bonitate acceperunt, & clamant: Abba, Pater.

Postea subjicit Cassander: *Ad justificationem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahæ ad promissionem Dei non hæsitet per diffidentiam, sed præter spem in spem credat; Deum videlicet, credenti in eum, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem, & peccata non imputaturum, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiritum Sanctum vivificaturum &c.*

Idem pag. 917. *Hoc extra controversiam est, justitiam illam, qua justificamur, consistere in remissione peccatorum, hoc est, cum propter meritum passionis Christi, quam suscepit nostri causa, peccata nobis non imputantur, quod nil aliud est, quam ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputari. Atque hoc est, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad justitiam, eam videlicet fidem, qua credimus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

Johannes Ferus in cap. 1. Rom. super verba; *ex fide in fidem. Cum de fide justificante loquimur, tria objecta concurrunt: Promissio Dei, & quidem gratuita, & meritum Christi, tanquam pretium & propitiatio. Promissio accipitur fide, gratia excludit merita. Christi merita sunt precium, ex quo sequitur, fides justificans est assentiri promissioni Dei, in qua gratis offertur remissio peccatorum, & gratia propter Christum, imo est velle & accipere oblatam remissionem peccatorum.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 6. in Epist. festi D. Andreæ pag. 13. *Credentes Christum pro peccatis nostris & mortuum esse & resurrexisse, consequimur per hanc fidem remissionem peccatorum & justificationis donum. Credentes quoque per solum Christum salutem nobis contingere, consequimur etiam, quod credimus, nempe salutem & vitam æternam.*

Benedictus Pererius Disput. 2. in c. 4. Roman. n. 7. *Dicere licet, fidem Abrahæ, quam in illo Genesis loco laudat Scriptura, non solum fuisse de carnali multiplicatione seminis, verum fuisse eam præcipue de uno illo semine ipsius Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, id autem semen erat Christus, ut interpretatur Paulus in Epist. ad Galat. Atque idem sentiebant veteres Hebræi, unicum illud semen, per quod benedicendæ erant omnes gentes, non aliud fore, quam Messiam intelligentes atque interpretantes. Abrahamum porro explicitam atque expressam habuisse fidem Christi dubitare nos minime sinunt verba illa Domini nostri Johan. 8. Abraham exultavit, ut videret diem meum, & vidit & gavisus est.* Hæc Pererius, quæ repetiit ex illis, quæ in Genesin scripsit Disp. 4 in cap. 15. num 50. ubi etiam non obscure fatetur, *se illa ex alterius Pontificii Scriptoris (Thomæ Anglici) Commentariis in Genesin fuisse mutuatum.*

Idem Pererius Disp. 11. in cap. 3. Roman, numero 49. objectum fidei justificantis sic describit: *Principalis materia, seu ut vocant, objectum fidei est Christus, id est, ejus humanitas & divinitas & mysteria ejus, maxime vero incarnationis, passionis & resurrectionis.*

Chemnitius in Theolog. Jesuit. pag. 53. memorat, *Jesuitarum cuidam Catechismo insita fuisse verba: Fide apprehendimus misericordiam Dei, deinde expuncta esse. Illud* (inquit) *non possum præterire, quod artificium Jesuitæ ostenderint in Catechismo suo in Austria edito. Inprima enim editione f. 58. hæc erant verba: Fide apprehendimus misericordiam & bonitatem Dei in Christo partam: illa verba expunxerunt & alia substituerunt.*

Cornelius à Lapide in Comment. c. 4. Rom. agnoscit, *fidei Abrahæ objectum speciale fuisse benedictum semen, videlicet Christum.*

2. Quod quidam agnoscunt, credentes posse sibi generales promissiones per fidem applicare.

(Utique ergo objectum fidei justificantis erit specialis misericordia.)

Bellarminus lib. 1. de Justicat. c. 11. §. Denique. *Recte dicunt* (Lutherani) *posse unumquemque promissiones generales sibi applicare per fidem. Nam quemadmodum fide Catholica credo, Christum mortuum esse pro omnibus: ita eadem credo mortuum esse pro me, qui sum unus ex omnibus.*

(Eadem omnino ratione, quemadmodum fide Catholica credo, Christum sua passione & morte genus humanum Deo reconciliasse, & credentibus in ipsum remissionem peccatorum & vitam æternam promeruisse, ita eadem fide credo, me quoque per Christi passionem esse Deo reconciliatum, & mihi in specie propter ipsum remitti peccata, cum promissionem generalem fide mihi applico.)

Benedictus Justinianus in c. 5. Rom. super verba: *Gloriamur sub spe gloriæ Dei.* In paraphrasi: *Gloriæ Dei munere ac beneficio consequendæ.* In explanatione: *Non enim spes nostra divinam gloriam, qualis in ipso est, proprie spectat: sed qualem nobis suo divino munere impertit, tanquam filiis ad hereditatem adoptatis.*

3. Quod quidam agnoscunt, fidem esse fiduciam.

(Quotquot enim agnoscunt fidem justificantem, qua talem esse fiduciam, coguntur etiam statuere, proprium & adæquatum ejus objectum non esse omnia in verbo revelata, ac proinde etiam legem accusantem & terrentem, sed promissiones Evangelicas de Christo & remissione peccatorum propter ipsum ex gratia nobis oblatas.)

Dicta illa in cap. præced. thesi 2. sunt allata.

4. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primo Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. ait: *Excitatos & adjutos divina gratia fidem ex auditu concipere, libere moveri in Deum, & credere, vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud inprimis: à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu.*

(Si illud inprimis est fidei justificantis objectū, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu: utique fidei justificantis proprium & primarium objectum est promissio de gratuita peccatorum remissione propter Christum.)

Secundo, Thomas in Catena, Cajetanus, Justinianus, Estius, Cornel. in Comment. c. 3. & 4. Rom. concedunt, dictis illis Apostolicis (Rom 3. v. 24. *Justificamur gratis ex ipsius gratia, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu.* v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius &c.* c. 4. v. 23. *Non scriptum est propter Abrahamum solum, quod ei sit imputatum ad justitiam, sed etiam propter nos, quibus imputandum est credentibus in eum, qui suscitavit Christum Jesum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*) *objectum fidei justificantis constitui Christi sacratissimum meritum & inde natam peccatorum remissionem.*

(Restringunt quidem Jesuitæ hoc objectum tali modo, *quatenus Christi meritum & remissio peccatorum tantum apprehenduntur, tanquam vera & nobis applicabilia.* Sed textus Apostolicus ostendit, meritum Christi & remissionem peccatorum proponi, ut *objectum fidei justificantis, quatenus apprehenduntur tanquam actu applicanda & applicata*, quo modo Abraham, cujus justificatio & fides fuit exemplar nostræ justificationis & fidei Rom. 4. v. 24. *justitiam fidei* non credidit sibi esse applicabilem, sed actu applicatam, idque citra specialem revelationem, quam Jesuitæ ad hanc certitudinem requirunt.)

Tertio, Vasquez in 1. 2. tom. 2. Disp. 209. cap. 1. & 4. distinguit fidem *in dogmaticam seu Historicam*, quam *Catholicam* etiam appellat; & *in fidem peculiarem, quæ sit donum Dei*, quam iterum distinguit *in fidem miraculorum, qua certò, hoc est, sine hæsitatione & formidine credimus, miraculum aliquod eventurum, vel nos obtenturos à Domino tale beneficium*; & fidem etiam *peculiarem, quæ sit donum*

num Dei, tum quæ credit aliquis, se justificandum, vel justificatum esse apud Deum; tum ex peculiari revelatione, qua alii credunt, privatim sibi aliqua revelata.

Refellit etiam alios Pontificios, qui, ut contra Chemnicium ostenderent, *objectum fidei non esse solam misericordiam, sed etiam mysteria & miracula*, probare voluerunt, *eandem esse fidem dogmaticam & fidem promissionum, etiamsi peculiaris, seu privata sit.*

Ipse vero contendit Disput. 210 c. 4 *esse diversos habitus, quia non esset hæreticus secundum eum, qui non crederet fide miraculorum, & qui non crederet mysteria revelata*, ubi addit: *Similem etiam existimo fidem, qua quis credit, se justificatum esse & sanctum apud Deum, non quia hoc revelatum sit à Deo, & ratione revelationis tanquam proprii objecti: sed per alias conjecturas id credat, impellente ad hoc Spiritu Sancto.*

Hanc fidem agnoscit *esse donum Dei*, addit tamen, *hanc credulitatem non pellere omnem formidinem.*

(Ne scilicet suis dogmatibus præjudicet. *Sed cum a Spiritu impellente procedat*, ut ipse fatetur, testetur autem Scriptura, *Deum non dedisse nobis Spiritum timiditatis* 2. Tim. 1. v. 7. ac *servitutis* Rom. 8. v. 15. ac *timorem non esse in caritate* 1. Johan. 4. v. 18. nempe quo dubii simus de Dei gratia, accipimus, quod dat, *esse fidem peculiarem de propria justificatione*, quod ex Scriptura evicimus; fidem autem esse dubiam & hæsitantem rejicimus, quia Naturæ fidei & veritati repugnat.)

Quarto, Montanus in elucidat. Psalmor. pœnitent p. 38. a. *Justitia, de qua loquitur Apostolus Rom. 4. consistit in remissione peccatorum, quam justitiam apprehendit Abraham.*

(Utique ergo objectum fidei Abrahæ patris omnium credentium fuit promissio de gratuita peccatorum remissione propter Christum.)

Estius in Comment. Hebr. 6. v. 14. explicans illud Gen. 22. v. 17. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, subjungit: *quod semen Apostolus Christum interpretatur Gal. 3. Idcirco promissionem hanc non de solis beneficiis terrenis ac posteritate carnali debemus accipere, sed etiam præcipue de beneficiis à Deo per Christum præparatis atq; exhibitis, non uni populo Israelitico secundum carnem ex Abraham genito, sed omnibus Abrahæ fidem imitantibus, tanquam promissionis filiis, sicut id plenius Rom. 4. & 9. Paulus Apostolus exponit.*

(Ergo Christus est nucleus promissionis Abrahamo datæ, idemque proprium fidei justificantis objectum.)

Argumenta Adversariorum.

1. *Fides, quam Christus exigebat, & in cujus confirmationem miracula faciebat, fides erat justificans. At hæc erat fides omnipotentiæ, non specialis misericordiæ. Matth. 9. Creditis, quia hoc possum facere vobis. Tum respondentibus: Utique Domine, subjecit: Secundum fidem vestram fiat vobis. Matth 16. laudatur fides Petri, qui tamen nihil credidit, nisi Christi divinitatem. Luc. 7 fides Centurionis ita laudatur, ut dixerit Christus, se tantam fidem non invenisse in Israel, & hæc non fuit, nisi omnipotentiæ. Sic Johan. 1. fides Nathanaelis; cap. 6. Apostolorum; cap. 11. Marthæ; cap. 14. docet objectum fidei, Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite; cap. 20. cum Thomas exclamasset, Dominus meus, & Deus meus, audiit à Christo: Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt & crediderunt. Denique ibidem: Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, ut credentes vitam habeant æternam. Act. 2. 4. 13. 17. nullum fit verbum de speciali misericordia, nec c. 4. Rom. cum laudatur fides Abrahæ.* Bellarm. lib 1. de Just. c. 8.

Resp. 1. Bellarminus recitatis hisce testimoniis, subjungit: *Hæc testimonia probant, fidem justificantem habere pro objecto aliquid aliud præter misericordiam specialem.*

(Ergo hoc argumentum est à quæstione alienum. Fuerat enim à Bellarmino hæc thesis posita: *Fidei justificantis objectum non esse specialem misericordiam, sed omnia, quæ Deus revelavit.* At argumentum allatum hoc non probat, sed probat, *aliquod esse objectum ejus præter hanc misericordiam.* Si hæc misericordia specialis non est objectum fidei, ergo non erit aliquod aliud ejus objectum præter eam; & si est aliquod aliud præter eam, tum hæc etiam est ejus objectum, quod nos statuimus. Sic ergo Bellarminus suum argumentum ipsemet refellit.)

2. Bellarminus ex antecedente particulari infert universalem conclusionem. Non enim sequitur, *in his enumeratis locis specialis misericordia non statuitur objectum fidei justificantis. Ergo illa nuspiam in tota Scriptura fidei justificantis objectum statuitur.*

3. Quinimo nec in illis ipsis locis, quæ Bellarminus adducit, specialis misericordia excluditur.

Guillaudus in cap. 20. Johan. de fide Thomæ sic scribit: *Vehementissimam emphasin Confessionis Thomæ insinuat vox illa. Meus. Qui enim ex animo, quemadmodum Thomas, confitetur Deum suum, omnia sua abnegat: & quæ Dei sunt, possidet. Nam is in Christo est, quem viva fide induit, & Christus in eo: ut ipse supra monuit. Qui credit in me, in me manet, & ego in eo.*

4. De fide Abrahæ res manifesta, ut suo loco ostenditur.

Argum. 2. Luc. 18. *Pharisæus confidebat, se esse justum, & ideo orans dicebat: Gratias tibi ago Domine, quia non sum, sicut cæteri homines. At contra publicanus non audebat oculos ad cœlum levare, sed à longe stans & pectus percutiens, orabat: Deus propitius esto mihi peccatori. Et tamen descendit hic justificatus præ illo. Ergo Pharisæus fidem habuit specialis benevolentiæ, & tamen repulsam passus est: publicanus caruit fiducia illa, & justificatus est.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Bernhard. in Annunc. Mariæ serm. 1. sic disserit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ; non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta & seductrice cogitatione testimonium perhibens de seipso, & testimonium ejus verum non erat: sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet Spiritui nostro.*

(Ergo Pharisæus non habuit fidem specialis benevolentiæ. In propria merita, non in Dei misericordiam fiduciam collocavit.)

2. Maldonatus in c. 18. Luc. sic commentatur: *Stetisse in templo Pharisæus ille dicitur, quasi superbe & arroganter de propria justitia cum Deo disserens, quasi Deum non timens, quasi ad certamen & judicium quodammodo provocans.*

(Ergo non habuit fidem specialis benevolentiæ in Christi merito recumbentem, sed operibus se coram Deo justum esse falso credidit.)

3. Vera fides justificans non excludit agnitionem peccatorum & serium de illis dolorem, sed eum potius præsupponit.

Bernhardus serm. 36. in Cant. *Ego quamdiu in me respicio, in amaritudine moratur oculus meus: si autem suspexero & levavero oculos ad divinæ miserationis auxilium, temperabit mox amaram visionem mei, visio læta Dei.*

(Ergo ex agnitione & confessione peccatorum, atque ex eo orta seria coram Deo humiliatione non potest concludi, publicanum fide specialis misericordiæ fuisse destitutum.)

4. Jacobus Tirin. Jesuita ad h. l. sic annotat: *Pharisæus stans superbo & erecto animo, quasi Deum ad judicium provocans: non sum sicut cæteri hominum. En aliorum omnium contemtum & præsumtionem ejus, quod non est! Jejuno bis in Sabbatho. En jactantiam inanium meritorum, quasi Deus multum illis debeat, & quasi obstringatur!*

(Ergo Pharisæus non habuit fiduciam specialis misericordiæ, sed inanem meritorum propriorum confidentiam & jactantiam.)

Argum. 3. *Fides miraculorum est una & eadem cum fide justificante Marc 16. v. 15. & seq. At fides miraculorum non respicit objecti loco specialem misericordiam remissionis peccatorum, sed omnipotentiam & divinitatem Filii Dei. Ergo nec fides justificans.*

Resp. 1. Ex Stapletono Domin. 24 post Pentecost. in Promt. moral. p. 627. *Etiam vera miracula non solum Antichristus ipse, ejusque proximi præcursores, sed quilibet hæretici non secus, quam Magi Deo permittente, operari poterunt.*

(Inde nascitur tale argumentum: Fides miraculorum est in Antichristo & ejus præcursoribus. Ergo fides miraculorum non est fides justificans.)

2. ex Maldonato in c. 9. Marci pag. 765. super verba: *Vidimus in nomine tuo ejicientem Dæmonia &c. Potuit nec corpore, nec animo, id est fide, doctrinaque secutus Christum Dæmones expellere.*

(Quorum unum potest esse sine altero, ea non sunt essentialiter unum. Fides miraculorum potest esse sine fide justificante. Ergo.)

3. Vasquez tom. 2. in 1. 2. Disp. 210. c. 4. ex professo refellit hanc hypothesin Bellarminianam.

4. Bellarminus ipse lib. 1. de Grat. & lib. arbit. cap. 10. quæst. 2. scribit: *Gratia gratis data* (id est, charismata illa peculiaria Spiritus Sancti, quæ recensentur 1. Cor. 12. & sic etiam fides miraculorum) *à gratia gratum faciente separari possunt.*

(Quomodo igitur vera & justificans fides erit eadem cum fide miraculorum?)

Argum. 4. *Fides in nihil aliud collimare debet, nisi in verbum Dei. At in verbo Dei nusquam reperitur annunciata salus, vel remissio peccatorum mihi aut illi in particulari, exceptis quibusdam paucis.* Bellarmin. d. l.

Resp. Pontificii statuunt, Encratitas & Tacianos damnari in loco Apostolico 1. Tim. 4. v. 1. & seqq. quamvis κατ᾽ ὄνομα ibi

ibi non exprimantur. Nimirum quia *Universale* continet *omnia particularia*, *genus* continet *omnes species*. Jam vero Scriptura in genere pronunciat, credentibus in Christum obtingere peccatorum remissionem, justitiam & vitam æternam. Bellarminus ipse recitat dictum Christi Johan.3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternã*; & dictum Apostolicum Rom.3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.*

Argum.5. *Fides illa specialis misericordiæ tollit è medio orationem, Sacramenta, opera bona & quicquid aliud ad salutem nostram Deus instituit. Non igitur fides est justificans, sed fides justificationem impediens, & ad exitium ac perditionem inducens, jure nominari potest. Antecedens probatur. Nam si certo atq; ex fide credere debeo, mihi peccata esse remissa per Christum, quomodo possum cum publicano dicere: Deus propitius esto mihi peccatori, aut cum Apostolis & Ecclesia universa: Dimitte nobis debita nostra, nisi hæsitem in fide & Deum mendacem efficiam.* Bellarminus d.l.

Resp. Pontificii concedunt, peculiarem gratiam & proinde certitudinem de remissione peccatorum fuisse quibusdam extra ordinem revelatam, sic enim scribit Bellarminus Lib.1. de Justific.cap.11.in resp. ad 4.object. *Si Deus alicui manifeste diceret, remittuntur tibi peccata, ut revera dixit Paralytico & Magdalenæ, sine dubio credere & confidere is deberet, sibi vere remissa esse peccata, alioqui mendacem faceret Deum, ut S. Iohannes dicit.* Ergone dicemus, fidem paralytici, Zacchæi, B. Virginis, Pauli &c. de medio sustulisse orationem, Sacramenta, opera bona & quicquid ad salutem est necessarium?

Argum.6. *In Symbolo Apostolico de speciali misericordia ne verbum quidem continetur.*

Resp.1. Selneccerus in orat. Historica de August. Confess. memorat de Luthero, quod sæpenumero dicere solitus fuerit, se grato animo prædicare dexteritatem fratris cujusdam senioris in Monasterio Erphordiensi, qui talem verborum Symboli paraphrasin ipsi tradiderit: *Credo remissionem peccatorum. Non satis est, te in genere credere, Deum quibusdam, Davidi, Petro & aliis sua peccata remittere, talem enim fidem etiam Dæmones habent, sed Dei mandatum immotum est, ut credas, tibi tua peccata remitti, & certus sis de justitia tuæ fidei & salute tua.*

(Desumsit hoc procul dubio ex Bernhardo serm.1. de annunc. Mariæ, quod dictum paulo ante fuit allatum.)

2. Bellarminus d.l. disputat, *illud Symboli Apostolici, Credo remissionem peccatorum, explicari in Symbolo Constantinopolitano: Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

(Ergo ut quilibet ex fide potest statuere, verum Baptismum sibi esse collatum, ita quoque ex fide statuere potest, sibi peccata esse remissa.)

Argum.7. *Assumtio illa, Ego credo in Christum, non extat in Dei verbo, sed in opinione mea. Opinio autem illa mea, non solum non est verbum Dei, sed etiam fallax esse potest, ut testatur exemplum hæreticorum.* Bell.d.l.c.10.

Resp.1. Lombardus Lib.3. sent.dist.23.lit.C. ex Augustino colligit, *fidem ipsam in corde hominis ab ipso homine videri, non corporaliter, non imaginarie, sed intellectualiter.*

(Ergo fides non nititur nuda opinione.)

2. Estius in Comment.2.Corinth.13.v.5. *Si volueritis vos ipsos explorare ac probare, cognoscetis in vobis esse Christum per fidem.*

Et postea: *Non videtur intelligi posse de fide, quæ omnibus Christianis est communis, & à caritate separari potest &c. quia scire poterant Corinthii sine nova probatione, se talem fidem habere, testatur enim Augustinus Lib.13. de Trinit.cap.1. nos habere certissimam scientiam fidei, quæ in nobis est, & Thomas in 2. quæst.112. art.5. ad 2. Quisquis, inquit, habet fidem, certus est, se eam habere &c. quocirca vel de fide per dilectionem operante loquitur Apostolus, hanc enim ut humana quadam & conjecturali certitudine quisque se habere sciat, probare seipsum debet ex operibus & intentione &c. vel certe loquitur de fide miraculorum efficaci & cum dono prophetiæ & linguarum conjuncta.*

(Sufficit nobis, quod concedit Estius, posse aliquem esse certum, se habere fidem veram & vivam per caritatem efficacem. Quod enim hæc certitudo non sit *humana & conjecturalis*, patet ex eo, quod pendet ab interno Spiritus Sancti testimonio, quod absit, ut *humanum & conjecturale* velimus dicere, cum sit *divinum & infallibile.*)

CAPUT III.

De fidei Iustificantis effectu.

Thesis prima. Fides sola justificat.

Ἔκθεσις. Quando dicimus, *fidem solam justificare*, tunc exclusiva *Sola* 1. non opponitur *gratiæ Dei*, quæ est causa efficiens principalis justificationis.

2. Nec opponitur *merito Christi*, quod est causa meritoria justificationis.

3. Nec opponitur *verbo ac Sacramentis*, quæ potius vi relationis appellatione fidei comprehenduntur. Ut enim fides *ex parte nostra* est medium apprehendens & recipiens: ita verbum & Sacramenta *ex parte Dei* sunt media exhibentia & offerentia. Ergo ut fides habeat, quod recipiat, necesse est per verbum Evangelii & Sacramenta illud offerri.

4. Sed opponitur operibus. Æquipollet enim hæc propositio, *Fides sola justificat*, propositioni Apostolicæ: *Fide, sine operibus justificamur.*

5. Excluduntur autem opera non ab actu præsentiæ, sed à communicatione efficientiæ; non ut adesse fidei & justificatis, sed ut fidei in actu justificationis cooperari negentur.

6. Neque enim sensus hujus propositionis hic est, quod fides justificans sit sola & à reliquis virtutibus separata, siquidem vera fides est viva, non mortua; est efficax per caritatem, non ἀργὸς & otiosa; sed sensus est, quod fides sit unicum illud organum, quo Christi justitiam nobis applicamus; vel quod idem est, quod sola Christi justitiã, cujus apprehendendæ vis soli fidei competit, coram Deo simus justi. Quamvis sola fides Christi meritum apprehendat, & hac ratione sola justificet, non tamen sola existit; nulla hic fingenda separatio *quoad existentiam*, quamvis urgenda semper sit distinctio *quoad essentiam & officium.* Solius fidei hoc munus est, non operum, ut justificet; hæc ipsa vero fides justificans in nullo subjecto datur, quod non simul Deum diligat & bene operari studeat.

7. Proinde non negamus, Spiritum Sanctum in renatis accendere novos motus, in justificandis prærequiri quosdam actus aut qualitates, & justificatos debere ambulare in bonis operibus, quin potius diserte dicimus, ubi non sunt illi novi motus, ibi veram & vivam fidem nondum esse accensam; diserte etiam dicimus, bona opera debere sequi in justificatis, hoc vero est, quod negamus, vel *novos illos motus esse habitualem coram Deo justitiam*; vel *bona opera esse actualem illam justitiam, qua coram Deo niti & confidere possimus.*

8. Actus illos & antecedaneas qualitates non dicimus esse *causam* vel *meritum* justificationis, sed necessarium *adjunctum* justificandorum. Et bona opera justificatorum non dicimus esse causam salutis, sed necessarium adjunctum salvandorum, non ad salutem, sed ante salutem; nec ad justificationem, sed in justificatis ea dicimus esse necessaria.

9. Actus spei, timoris, pœnitentiæ &c. requiri ad justificationem ambigue dicitur: Vel enim sensus est indeterminatus, quod quocunque modo requirantur vel ut antecedentia, vel ut consequentia; & sic sano sensu concedi potest, actus illos requiri ad justificationem. Quia enim ad justificationem requiritur fides, quæ non potest esse absque illis actibus, ideo etiam summo modo actus illos ad fidem justificantem requiri admitti potest. Vel sensus est determinatus, quod requirantur ad justificationis efficientiam, quod eodem modo & ob eandem causam requirantur quo fides, & sic negandum, actus illos ad justificationem requiri.

10. Diversimode consideratur fides, *in persona justificati & in actu justificandi.* In persona justificati sola non est, cum verarum omnium virtutum radix sit & initium, easque producat. In actu autem justificandi est instrumentum recipiens. Itaque sola recipit.

11. Neque enim hic est quæstio de *sanctificatione* seu *justitia inhærente*, sed de *justificatione & justitia imputata.* Ad sanctificationem & justitiam inhærentem non concurrit sola fides, sed aliæ etiã virtutes, spes, caritas, patientia &c. sed ad iustificationem & iustitiam imputatam concurrit sola fides, quippe quæ sola & unica vim habet beneficia Christi in verbo Evangelii proposita, apprehendendi & Christi iustitiam sibi applicandi.

12. Urgemus ergo particulam exclusivam *in merito, in applicatione & in forma justificationis*, ne scilicet opera statuantur vel *meritum*, vel *medium* applicationis, vel *forma*, aut *pars* nostræ iustificationis coram Deo, sed *sola Dei gratia propter solũ Christum*, quem *fides sola* apprehendit, nos iustificari confitemur.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess.6. can.12. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificemur, anathema sit.*

Can.14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis absolvi & justificari ex eo, quod se absolvi & justificari certo credat, aut neminem vere*

esse justificatum, nisi qui credit, se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit.

Bellarminus lib. 1. de justificat. cap. 12. §. ultimo. *Catholici, ac præsertim Synodus ipsa Tridentina, quam omnes Catholici ut Magistram sequuntur, sess. 6. cap. 6. septem actus enumerat, quibus impii ad justitiam disponuntur, videlicet fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, propositi suscipiendi Sacramenti, & propositi novæ vitæ atque observationis mandatorum Dei.*

cap. 13. §. 1. *Hominem non justificari sola fide, quinque argumentis principalibus demonstrare conabimur.*

Lib. 4. de Justificat. cap. 7. §. 3. *Nos* (Catholici Romanenses) *dicimus, bona opera homini justo esse necessaria ad salutem non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt salutem & sine ipsis sola fides non efficit salutem.*

Lib. 4. de Eccles. cap. 9. hæresi 1. cum profligatissimis hæreticis *Simonianis ac Eunomianis* propter hanc doctrinam *de sola fide justificante* nos conjungit.

Fevardentius præfat. Comment. in Epist. Jacobi *dogma hoc*, scribit, *minime Apostolicum esse: sed Simonis Magi, Eunomii, Basilidis, Joviniani ac Pseudo Apostolorum hæresin teterrimam.*

Alii propterea nos vocant *Fidesolarios.*

Petrus Hansonius contra libr. Concord. pag 121. *Fidem Lutheranorum oportet esse fidem superbam & fastuosam, cum sola justificet & socios non admittat.*

Conradus Clingius in Summ. doctr. Christ. tit. 9. pag. 18. *est summa ignominia & contumelia adversus Dei & Christi misericordiam, dicere, hominem sola fide justificari.*

Costerus in Enchir. pag. 266. *Fides sola non satis est ad justificationem obtinendam: neque fieri potest, ut sola hæc fides, qua quis Christum pro suorum peccatorum remissione passum esse & mortuum, apprehendit, eamq; mortem pro peccatis acceptat, sine alia voluntatis motione peccata eluat.*

Alphonsus de Castro lib. 7. adversus hæreses, verbo Fides, hæresi 2. contra propositionem illam, *quod sola fides justificet,* sic rhetoricatur: *Si sola fides justificat, nunquam ergo per alicujus Sacramenti susceptionem homo justificabitur. Ecce jam vides omnem Sacramentorum virtutem periisse. Pœnitentia enim nihil prodest peccatori, si sola fides justificet. Confessio peccatorum nihil juvat, sed sola fides. Eleemosyna, jejunium, oratio & reliqua hujusmodi nullius sunt momenti, quia sola fides, juxta Lutherum, justificat. Nullum quantumlibet lethale crimē obest, modo credat, quia sola fides sufficit ad salutem. Quis hæc ferre poterit? Non certe Christianus homo, imo vel parum pius Philosophus Ethnicus tolerare non poterit. Quis enim Ethnicus non abominabitur furtum? quis non horret homicidium qualecunque? quis non execratur parricidium? quis non odit adulterium? Quis unquam perjurus non male audivit? Quis unquam laudavit justi fœderis violationem? Omnia tamen hæc, & si qua sunt alia pejora, habenti fidem Lutherus permittit. Excommunicatio ideo ab eo contemnitur, quia solam fidem sufficere putat: quapropter si credit, quantumlibet & quomodolibet excommunicetur, nihil putat illi obesse excommunicationem &c.*

(At hæc ἐγκλήματα omnia in fumum abeunt, si quæstionis status rite formetur & observetur.)

Johannes à Daventria apud Andream Fabricium in Harmon. pag. 53. *fidem solam* vocat *Diabolicum figmentum.*

Frater Nass in libro contra Formulam Concordiæ Ann. 1581. edito cap. 29. Nun muß ich uber die weiten / seiten / alten / längst vermaledeyeten ketzerischen Pantoffel und Grundfest des gantzen Lodderthumbs und aller Schwermerey / das ist der newe Glaube / allein der Glaube / oder der alte zäuberische Simonis Aberglaube.

Item suola fide, und vielleicht heist er darumb suola auff Welsch / soln Teutsch / sola Lateinisch / weiln die Soln der Pantoffel und Schue nur in Dreck und unter die Füsse gehören.

Item: Dieser Pantoffel ist nicht erster Schuster gewesen Phil. Melanchthon oder Luder / sondern zu der Apostel Zeit hat sie der verfluchte Simon der Zäuberer uber den Ketzerleisten geschlagē.

Idem in libro dicto *fidem solam* vocat einen Fastnachts glauben / Würsteglauben / Solnglauben / fast Suldanischen Glauben / Affterglauben / einen newē Unglauben ꝛc. Sollenglauben ꝛc.

Maximilianus Sandæus Jesuita quondam Herbipol. in Castigatione Cauteriatæ Jesuit. Conscient. contra Laurentium pag. 60. *Quis tam peregrinus in sacro Codice, qui non deprehenderit, sicut fidei tribuitur justificatio, ita & multis aliis virtutibus, timori, dilectioni, eleemosynæ, spei, humilitati, orationi, obedientiæ, Baptismo &c. Quis autem dicat, harum singulas solas justificare?*

Quinimo non solum negant, *fidem solam justificare*, sed etiam negant, *fidem præcipue justificare*, cum charitati ex ipsorum hypothesi hoc competat.

Bened. Pererius in cap. 15. Gen. *Tantum abest ut sola fides hominem justificet, ut ad justificationem ejus non modo necessaria sit caritas, verum etiam potiores ac præstantiores partes habeat.*

Franciscus Turrianus pro Epistolis Decretal. lib. 4. cap. 4. *Fides, neque quando sola est justificare potest, neque quando cum caritate est, sua tantum ratione justificat, sed ratione caritatis, quæ eam perficit & sanat & facit, ut sit virtus Deo placens.*

Osorius Domin. 23. Pentecost. Conc. 2. *Verbum certe Dei est, Fides justificat, sed solam eam justificare, adinventio est humana, fidei rectæ repugnans. Fides ergo justificat, sed non sola. Sicut homo generat hominem, sed non solus, quia etiam Sol concurrit in omni generatione: & præterea, cum de fide absolute loquitur Scriptura, intelligitur de fide viva caritate informata, sicut cum absolute dicitur homo, intelligitur vivus, non mortuus.*

Alphonsus de Castro lib. 7. adversus hæreses, verbo Fides, hæresi 2. *De fide etiam formata caritate non admittimus, quod sola justificet. Nam si fides, ut justificare possit, opus habet caritate, multo verius caritas dicenda est justificatrix, à qua habet fides, ut justificet, quam ipsa fides, quæ per caritatem justificat. A forma enim, quæ rei perfectionem præstat, capitur ipsius rei ut substantia, ita & proprietas & denominatio.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex oppositione Apostolica.* Aut fides & opera simul justificant, aut opera sola, aut fides sola. Non primum, quia in propria sede hujus doctrinæ opera excluduntur à justificatione, Rom. 3. v. 28. cap. 4. v. 5. cap. 11. v. 6. Gal. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. & 9. Tit. 3. v. 5. Quamvis vero *extra actum justificationis* bona opera non opponantur fidei, cū vera fides non sit absq; bonis operibus, nec vere bona *opera* absque fide, tamen *in actu justificationis* diserte ab Apostolo sibi invicem opponuntur. Jam vero oppositorum ea est Natura, ut posito uno tollatur alterum. Posita ergo justificatione per fidem, negabitur justificatio per opera, ac proinde fidei & operibus simul non potest tribui justificatio. Nec secundum dici potest, videlicet, quod opera sola justificent, ut ipsimet Pontificii concedunt. Manet ergo tertium, videlicet, quod fides sola justificet.

2. *Ex solius fidei denominatione.* In quibusdam Scripturæ dictis sola fides nominatur, cæteris omnibus operibus vel dispositionibus prætermissis, Matth. 9. v. 22. Luc. 7. v. 50. cap. 8. v. 50. Johann. 1. v. 12. cap. 3. v. 36. Roman. 5. v. 1. ex illis sic colligimus: Ubicunque describitur modus & ratio nostræ justificationis, quantum ad applicationem, seu quod idem est, instrumentum apprehendendi Christum, ibi nominatur fides, nec quicquam aliud. Ergo sola fides apprehendit Christum, & per consequens sola fide justificamur.

3. *Ex gratuita justificatione.* In quibusdam dictis homo dicitur coram Deo gratis justificari, Rom. 3. v. 24. cap. 4. v. 4. cap. 11. v. 6. Eph. 2. v. 8. & 9. Idem autem est, nos justificari gratis & justificari sine operum merito, sive illud dicatur *meritum congrui,* sive *meritum condigni.* Inde sic colligimus: Qui justificantur gratis, illi sola fide justificantur, quia gratis justificari & propter opera justificari sibi mutuo opponuntur. Credentes gratis justificantur. Ergo.

4. *Ex universali enunciatione.* In quibusdam Scripturæ dictis habetur, omnes, qui credunt, justificari & salvari, Johan. 3. v. 16. Act. 10. v. 43. cap. 13. v. 39. Rom. 1. v. 16. cap. 10. v. 11. 1. Joh. 5. v. 1. Ex illis sic colligimus: Si omnes in Christum credentes justificantur, & quidem credendo, sive fide in Christum justificantur, utique fides est unicum illud medium, per quod justitiam, in Christo nobis propositam, apprehendimus. Sed illud. Ergo & hoc.

5. *Ex verbi commendatione,* id est, ex illis dictis, quæ efficaciam verbi commendant, Joh. 15. v. 3. Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 15. v. 1. Jac. 1. v. 21. ex illis sic colligimus: Si promissionem Evangelii propriam de gratuita peccatorum remissione, in Christo & propter Christum obtinenda, sola fides recipit, utique etiam sola justificat. Ratio connexionis est, quia remissio peccatorum, in promissionibus Evangelicis oblata, est ipsa justificatio, docente Apostolo Rom. 4. v. 6. Sed illud, quia vim apprehendēdi illam promissionem non habet ulla virtus, aut ullum opus. Ergo & hoc.

6. *Ex quadam ad absurdum deductione.* Si promissio lege aut operibus nitatur, & non sola fide accipiatur, erit irrita ac nobis inutilis, Rom. 4. v. 14. & 16. Galat. 3. v. 22. cap. 5. v. 4. Sed consequens est absurdum, Ergo.

Summam

Summam omnium argumentorum nostrorum complectimur hoc Syllogismo: Si ipse Spiritus Sanctus expresse utitur particulis exclusivis, & ab actu justificationis diserte removet opera, & res ipsa ostendit, opera non posse justificare, soli autẽ fidei id competere, consequens erit, sola fide nos justificari.

Atqui 1. Spiritus Sanctus expresse utitur particulis exclusivis Marc. 5. v. 36. Lucæ 8. v. 50. Gal. 2. v. 16. 1. Joh. 5. v. 5. & c. 2. Diserte removet opera ab actu justificationis Rom. 3. v. 29. cap. 4. v. 5. Gal. 2. v. 16. & c. 3. Res ipsa ostendit, opera non posse justificare, sunt enim imperfecta, immunda & jam ante debita. Ergo non justificant *meritorie*. Destituuntur vi apprehendi justitiam in verbo Evangelii oblatam. Ergo non justificant *instrumentaliter*. 4. Soli fidei competit justificatio, quia inter verbum promissionis & fidem est perpetua relatio, sola fides apprehendit ac recipit Christum, ipsa sola excludit omnem gloriationem, & conscientiam de favore Dei reddit certam. Ergo sola fide justificamur.

Huic nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam disertis verbis concedunt, solam fidem justificare, vel, quod idem est, fidem sine operibus iustificare.

Leo primus Epist. 70. *Sola fides Catholica vivificat & sanctificat.*

(Fatemur tamen, particulam *solam* hic opponi aliis sectis, ideoque huic Leonis testimonio, quod Bellarminus pro nostra sententia adducit, solitarie accepto, non multũ tribuimus.)

Gregorius Episcopus Rom, in cap. 3. Jobi lib. 4. moral, cap. 2. *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides &c.*

Carolus Magnus lib. 1. de Imaginibus cap. 15. (circa Annum 794) *Propitiatorium superponitur, quia scilicet legalibus sive Evangelicis præceptis, quæ in eo fundata sunt, supereminet misericordia ejusdem Mediatoris, per quam non ex operibus legis, quæ fecimus nos, neque volentes, neque currentes, sed ejus miseratione salvamur.*

Lib. 3. cap. 19. *Abraham non ex operibus, sed ex fide justificatus est.*

Glossa Bibl. ordinaria (quæ prodiit circa Annum 840. autore, ut existimatur, Strabo Fuldensi, quæ magnæ semper in Ecclesia fuit autoritatis) in cap 3. Rom. *Sequuntur opera justificatum, non præcedunt justificandum, sed sola fide sine operibus præcedentibus homo fit justus,*

In cap. 10. Hebr. *Vivit vita æterna, quam meretur fide, quasi non solum qui patitur, sed qui & solam fidem habet, si non imminet passio, salvabitur. Ecce quantum valet fides, quæ sola salvat, & quod ex fide vivat, probat per contrarium, quia si subtrahit se à fide, non vivit.*

In cap. 2. Jacobi. *Abraham per opera, quæ fecit, justus non fuit, sed sola fide: oblatio vero ejus est opus & testimonium fidei & justitiæ.*

Smaragdus, Abbas in Britannia (circa Annum 972.) in Postill. ab Hedione conversa & in cap. 3. Galat. *Necesse est, sola fide, Christi salvari credentes.*

In cap. 8. Rom. *Secundum quod proposuit: Non ex operibus legis, nec legalibus sacrificiis, sed sola fide & sanguinis sui effusione salvare, quos præsciverat credituros, & quos gratis vocavit ad salutem, multo magis glorificavit operantes.*

In cap. 3. Philipp. *Quia perfecti estis in fide, perfecti estis in conversatione, in sola Christi fide spem ponentes & in conversatione cœlesti conversantes.*

Giselbertus (circa Annum 1090.) in libr. de Altercat. Synag. & Eccles. cap 1. *Quid de salute illorum conjectare possumus, qui vel ante diem 8. mortui sunt, vel in deserto infra 40. annos nati mortui sunt? credendum est, quia sola fide salvati sunt.*

Lib. eiusdem cap. 10. *Manifeste cognoscimus, non justificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Domini nostri, h. e. non litera, sed Spiritu, non lege operum, sed lege fidei.*

Lib. eiusdem cap. 13. *Manifestum est, Abrahamum patrem nostrum prius placuisse per fidem, quam per circumcisionem, dum videmus infinitum numerum periisse, circumcisos & alios absque hoc signo, etiam ante Christi adventum sola fide gratiam Christi promeruisse.*

Bruno Carthusianus (qui floruit circa Annum 1100.) in c. 3. Rom. edit. Colon. Ann. 611. pag. 24. *Vere per fidem excluditur gloriatio tua, nam fides sola justificat sine omni opere legis: Et huic loco inserit autoritatem, dicens: Ego & justi mecum arbitramur, justificari hominem per solam fidem sine operibus legis, id est, licet nulla præcesserint opera legis, sola tamen fides sufficit ad hominis justificationem.*

Bernhardus (circa Annum 1120.) serm. 1. in Vigil. nativ. col. 36. *Sit in corde justitia, & justitia, quæ ex fide est, hæc enim sola habet gloriam apud Deum.*

Serm. 22. in Cantic. col. 554. *Quisquis pro peccatis compunctus, esurit & sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium, & solam justificatus per fidem pacem habebit ad Deum.*

Epist. 77. col. 827. *Librum Ambrosii de morte Valentiniani legat, si non legit; recolat, si jam legit; non dissimulet, si recolit, & advertet sine dubio, sanctum hominẽ, non baptizato & mortuo fidenter de sola fide salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati. Ab his duabus columnis (Augustinum loquor & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor, cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens & ipse, sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi Sacramentum, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviaverit. Vide etiam, ne forte ob hoc Salvator cum diceret: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, caute & vigilanter nõ repetierit, Qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Quapropter, etsi Martyrium vicem Baptismi implere posse conceditur, non plane hoc facit pœna, sed ipsa fides. Quæ ergo Martyrio præstat, ut absq; ulla dubitatione pro Baptismo reputetur, ipsa ita infirma & imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere?*

(Excipiunt, *Bernhardum tantũ excludere necessitatem Baptismi.* Resp. in epist. 77. sed non serm. 22. in Cant. Deinde excludit necessitatem Baptismi hoc argumento, *quod fides sola justificet*, at hoc argumentum sumtum à Paulo latius patet, quam Baptismi necessitas.)

Rupertus Abbas Tuitiensis Bernhardi σύγχρονος lib. 2. in libros Regum cap. 39. *Sola fides Christi Jesu justificare potest.*

Hugo Cardinalis in Prologo ex verbis Doctorum collecto, super Epist. Pauli. *Deinde pluribus modis ostendit, justitiam & salutem æque utrique esse, non per legem, sed per fidem Jesu Christi, ut à lege eos tollat & in sola fide Christi eos constituat.*

In cap. 3. Rom. *Ubi est gloriatio tua? nulla est, ex quo sola fides justificat & non lex.*

In cap. 4. ad Rom. *Sine meritis præcedentibus fides ejus sola reputabitur.*

Ibid. *Et sit pater non his tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & his, qui sectantur vestigia fidei; qui imitantur fidem, quæ est in præputio, id est, quam habuit, dum adhuc esset in statu præputii. Et ita patet, quod tam Judæi, quam gentiles justificantur per fidem solam.*

In cap. 5. Rom *Justificati igitur ex fide. Principium hujus capituli est conclusio præcedentis, in quo probaverat, quod per legem non est justificatus Abraham, nec aliquis alius, sed per solam fidem.*

In c. 13. Rom. *Ergo tunc per solam fidem digni sumus vita æterna.*

In cap. 2. Jacob. 1. *Sola illa fides poterit salvare, quæ per dilectionem operatur.*

In c. 7. Luc. (in exemplaribus MStis) *Tam Pharisæus, quam peccatrix debebant, attamen nihil habentibus, unde redderent, peccatrix gratis veniam meruit ex sola fide, nullo respectu operum. Pharisæus vero, quia suam fragilitatem non cognovit, ideo damnatus cum omnibus operibus suis.*

c. Caritas est aqua, dist. 2. de Pœnitent. *In Christum credere, est amando in ipsum contendere. Hæc est fides, ut definit Apostolus, quæ per dilectionem operatur, huic duntaxat remissio peccatorum promittitur. Quod si caritas à fide Christianorum sejungi nequit, cui scilicet soli venia promittitur, quomodo qui caritatem non habuerit, fidem Christianorum habuit, hoc est, in Christum credidit?*

Ibid. *Hoc est enim manducare panem vivum, quod credere in Christum, hoc est amando tendere in ipsum. Cum ergo reprobus in eum non credit, quem non manducavit, & ita fidem Christianorum, quâ solâ peccata relaxantur, non habuit, quomodo judicium perpetuæ damnationis effugiet?*

c. Quod autem, dist. 4. de Consecrat. *Quod autem apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides.*

c. Firmissime. dist. 4. de Consecrat. *Eramus enim & nos Natura filii iræ, sicut & cæteri, à qua iræ nullus liberatur, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominum, hominis Jesu Christi.*

c. Sine pœnitentia dist. ead. *Gratia Dei in Baptismate non requirit gemitum, non requirit planctum, vel opus aliquod, sed solam fidem, & omnia gratis condonat.*

Lombardus lib. 4. dist. 1. *Unde Gregorius: Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides.*

In cap. 3. Rom. *Arbitramur, hominem justificare fide absq; operibus legis. Sequuntur opera justificatum, non præcedunt justificandum, sed sola fide sine operibus præcedentibus fit homo justus.*

In c. 4. Rom. *Credenti autem in eum &c. id est, si credit in Christum, qui gratis peccata impio dimittit, fides ejus sola reputabitur ad justitiam, id est, sufficit ad justitiam, quam opera non meruerunt, & ita sufficit ad salutem.*

In cap. 10. Hebr. *Ecce quantum valet fides, quæ sola salvat!*

Thomas in cap.3.Rom.lect.4. *Ostendit Apostolus hic, Judæos & gentes esse æquales, quantum ad statum gratiæ, ostendendo, sola fide Christi fieri justificationem.*

Idem in cap.4.Rom. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputabitur fides ejus, scilicet sola sine exterioribus operibus ad justitiam.*

Idem in cap.2.ad Galat.lect.4. *Si qui autem in veteri lege justi erant, non erant justi ex operibus legis, sed solum ex fide Jesu Christi, quem Deus proposuit Propitiatorem per fidem, ut dicitur Rom.3.*

In cap.3.ad Galat.lect.9. *Si ergo filii Dei estis per fidem, quare vultis esse servi per legis observantias? Nam sola fides homines facit homines filios Dei adoptivos. Nullus siquidem est filius adoptivus, nisi uniatur & adhæreat filio naturali.*

Idem in 1.Timoth.1.lect.3. *Non est in operibus spes justificationis, sed in sola fide, Rom.3. Arbitramur &c.*

In Catena aurea super cap.9. Matth. ex Hilario. *Fides enim sola justificat.*

In eadem super cap.23.Luc. ex Chrysostomo. *Erat ergo videre Salvatorem in medio latronum, trutinam justitiæ trutinantem fidem & infidelitatem. Expulit Diabolus de Paradiso Adam, Christus latronem impulit ante totum orbem & ante Apostolos: nudo verbo, sola fide in Paradisum introivit, ne quis post errores introitũ desperaret.*

Bonaventura 4.sentent.dist.4. *Ex his patet, quare in lege sufficiebat sola fides.*

Idem in 4.sent.dist.15.quæst.1. *Quia homo non potuit pro tanta offensa satisfacere Deo, ideo Deus dedit ei Mediatorem, qui satisfaceret pro offensa, unde in sola fide passionis Christi remittitur omnis culpa & sine fide ejus nullus justificatur.*

Petrus de Tarantasia Dominicanus, qui postea Innocentius quintus dictus, in Glossa super cap.3.Rom. *Arbitramur, hominem justificari fide absq; operibus legis. Sequuntur enim opera justificatum, non præcedunt justificandum, sed sola fide sine operibus præcedentibus fit homo justus.*

Idem in cap.4.Rom. *Ei vero, qui non operatur, id est, qui non habet tempus operandi, sicut Abraham habuit, credenti autem in eum, qui justificat impium, id est, si credit in Christum, qui gratis peccata dimittit impio, fides ejus sola reputabitur ad justitiam, id est, sufficit ad salutem.*

Gritsch Postillator fer.2.post Palmarum. *Ecce, quam bona & potens est fides nostra, valens sola animam ornare & eam Christo Sponso inseparabiliter copulare! Quare dicitur Hebr.11. Sine fide impossibile est Deo placere.*

Quadragesimale Bernhardini de Christiana religione serm. 1.artic.2.cap.1. *Sola Christiana fides ad spem veniæ, gratiæ & gloriæ sublevat humana corda, dum prædicat immensam magnitudinem misericordiæ Dei, & tam immensam, quod miseriam nostram assumere dignatus est. Sola fides seu credulitas est, quæ corda subversa erigere, portare & fulcire sufficit. Sola Catholica fides ad veram & vivificam caritatem inflammat.*

Idem serm.4.artic.1.cap.2. *Bernhardus in Epistola quadam. Sola fides & mentis ad Deum conversio sine effusione sanguinis & sine perfusione aquæ salutem sine dubio operatur volenti.*

Petrus de Alliaco Cameracensis l.4.sent.quæst.2.art.2. *Fides, quæ per dilectionem operatur, est principium sufficiens ad salutem &c. Et per hoc multa similia intelligenda sunt, ut cũ dicitur: fides justificat.*

Lyranus in cap.15.Genes. *Fides formata per caritatem illa sola est, quæ justificat mentem.*

In procem. super Epist. Pauli. *Deinde pluribus modis ostendit, justitiam & salutem æque utrique esse non per legem, sed per fidem Christi, ut à lege eos tollat, & in sola fide Jesu Christi constituat.*

In cap.3.Galat. *Ad quid lex fuit utilis? quasi diceret: Si lex non justificavit, sed sola fides, quare ergo posita est & data?*

Ibid. *Ex quo patet, quod justitia justificans est ex sola fide.*

Nicolaus de Gorram sacræ paginæ Professor, Ordinis Prædicatorum in Postilla elucidativa & Magistrali super Epistol. S Pauli in Prologo. *Deinde modis pluribus ostendit justitiam, scilicet in præsenti; & salutem, scilicet in futuro, æque utrisque esse non per legem, sed per fidem Jesu Christi, ut à lege eos tollat, scilicet quoad observantiam ritus carnalis, & in sola fide Jesu Christi eos constituat, id est, firmos & stabiles faciat.*

In cap.4. Rom. *Ei vero, qui non operatur, id est, qui non habet tempus operandi, sed tamen credenti in eum, qui justificat impium, id est, in Christum, quasi dicat: si solum credit in Christum, licet non operetur, reputatur ideo fides ejus sola ad justitiam sufficientem, ut patet in latrone, Luc.23.*

In fine cap.10 Hebr. ex Glossa ordin. *Ecce quantum valet fides, quæ sola salvat!*

Johannes Gerson serm.1. de Spiritu Sancto part. 4.f.39. *Quid salvavit Noe tempore diluvii? Sola credulitas. Quid divisit mare rubrum & fluvium Jordanis, ut transirent filii Israel & salvarentur? sola credulitas. Quid victoriam dedit Josuæ, Judæ Maccabæo, fratribusq; ejus & aliis compluribus? sola credulitas. Quid sanitatem dedit imminere multitudini infirmorum tempore Jesu Christi? apparet per textum Evangelii, fuisse firmam fidem & solam credulitatem.*

(Ita legitur in edit. operum Gersonis Lugdunensi Anno 1485. sed mutatum hoc est in editione Argentoratensi Anno 1502. ubi pro sola legitur firma.)

Johannes Altensteig in Lexico, in verbo Fides, pag.330. col.2. *Fides, quæ per caritatem operatur, ut scribit Cameracensis quæst.2.art.2.lib.4. est principium sufficiens ad salutem, ideo habens eam baptizari tenetur, cum ex hoc præcipiat, & per hoc multa similia intelligenda sunt, ut idem ait, cum dicitur: Sola fides sufficit.*

Simon de Cassia lib.6.de gest. Salvat. cap.22. *In parabola de duobus filiis à parente in vineam ablegatis, reprobatio populi Judaici & gentilis electio patefiunt. Illius per incredulitatem & inobedientiam fidei; istius duntaxat per fidei justitiam emundati.*

Idem de Relig. Christiana lib.10. cap.7. *Abrahamo credulitas solum sibi ad justitiam deputata est.*

Pelbartus de Themiswar serm.2.in Domin.3. Adventus. *Quia sine fide impossibile est placere Deo, & quia per solam fidem in Christum habetur beatitudo cœlestis, ideo Christus dicit: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.*

Johannes de Vesalia Concionator Wormatiensis & Moguntinus docuit, *hominem ex mera gratia sola fide in Christum salvari; Indulgentias vero, jejunia, extremam unctionem, Confirmationem, battologias, peregrinationes & similes hominum traditiones penitus rejecit.* Quam ob causam Anno 1479. à Dominicanis Monachis *hæreticus* fuit proclamatus, quæ damnatio duobus doctissimis Theologis D. Johanni Keisersbergio, & D. Engelino Brunsvicensi vehementer displicuit, qui judicarunt, *eum invidia Monachorum oppressum.*

Wilhelmus Episcopus Lugdunensis, Doctor Parisiensis; vel, ut alii volunt, Guilhelmus Episcopus Parisiensis, patria Alvernus, lib.de Fide & legibus part.4.cap. 4. *Manifestum igitur est, quia sola ista fides vivifica est. Amplius, quia sola ista fides fulcimentum spei præstat contra ruinam desperationis, & funem amoris nectit, quo ad Deum trahimur, contra pondus propriæ corruptionis. Manifestum est quia hac sola fide præstantur nobis & fulcimentum, ne cadamus; & adjutorium, quo ad Deum ascendamus.*

Alphonsus Tostatus in cap.15.Matth. *Dicendum tamen, quod licet omnes virtutes apparuerunt in muliere, Christus non commemorat, nisi fidem &c quia sola fides hic fuit propter se & cætera fuerunt propter ipsam. Et ista est causa potissima, quare de sola fide mentio facta est à Christo.*

Claudius Guillaud Billigerensis, insignis Eduorum Ecclesiæ Præpositus, in c.4.Rom. *Justificationis mentionem faciens, nõ meminit operum legis aut circumcisionis, quæ nõ erat, sed fide tantũ.*

Henricus Ludovici Ordinis Herem. S. Augustini (qui Erphordiæ Anno Christi 1488. in vigilia assumtionis Mariæ mortuus est anno ætatis 88.) in Epist. Roman. lect. *Arbitramur enim, hominem justificari fide absque operibus legis. Ubi Apostolus, ut dixi Psalmo secundo pœnitentiali confirmat suum propositum, & ostendit veritatem inductam, scilicet quod sola fides justificat.*

Lect.30. *Arbitramur, hominem justificari fide absque operibus legis, ostendit, quod sola fides justificat.*

Ibid. *Ibi Apostolus, ut dixi, pro secundo principali confirmat suum propositum, & ostendit, quod sola fides justificet.*

Lect.31. *Ei vero, qui non operatur, id est, qui non habet tempus operandi credenti autem, id est, si credit in eum, qui justificat impium, id est, in Christum, licet non operetur, imputatur ei sola fides ad justitiam sufficientem, ut patet in latrone.*

Lect.70. *Fides Jesu Christi potens est salvare & sola.*

Johan. Huss. in enarr. cap.2. Epist. Jacob. *Marci ultimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Ergo sola fides etiam sine opere sufficit ad salutem. Ad hoc dicitur, quod illa autoritas intelligitur de fide perfecta per dilectionem operante.*

Nicolaus Cusanus Cardinalis in libro de pace fidei cap.15. probat, *nos sola fide justificari, non ex merito operum, multoq; minus per traditiones humanas.*

Verba sic habent: Paulus. *Oportet, ut ostendatur, non ex operibus, sed ex fide salvationem animæ præstari. Nam Abraham pater fidei omnium credentium, sive Christianorum, sive Arabum, sive Judæorum, credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Anima justi*

ma justi hereditabit vitam æternam, quo admisso non turbabunt varietates illæ rituum. Nam ut signa sensibilia veritatis fidei sunt instituta & recepta, signa autem mutationem capiunt, non signatū. Tartarus. *Declara quomodo fides salvat?* Paulus. *Si Deus promitteret aliqua ex mera sua liberalitate & gratia, nonne ei, qui potens est dare omnia & verax est, credendum?* Tartarus. *Certe, quandoquidem nemo potest decipi ei credens & qui ei non credit, indignum esset, ut quidquam gratiæ assequeretur.* Paulus. *Quid igitur justificat eum, qui justitiam assequitur?* Tartarus. *Non merita, alias non esset gratia, sed debitum.* Paulus. *Optime ais, sed quia non justificatur ex operibus in conspectu Dei omnis vivens, sed ex gratia, dat, cui vult, id, quod vult omnipotens, tum si quis dignus esse debet, ut assequatur promissionem, quæ ex pura gratia facta est, necesse est, ut credat Deo. In hoc enim justificatur, quia ex hoc solo assequetur repromissionem, quia credit Deo & expectat, ut fiat verbum Dei.* Tartarus. *Postquam Deus promisit, justum est, quod promissa serventur. Justificatur igitur Deo credens potius per repromissionem quam fidem.* Paulus. *Deus, qui promisit Abrahæ semen, in quo omnes benedicerentur, justificavit Abraham, ut assequeretur promissionem. Sed si Abraham non credidisset Deo, neque justificationem fuisset assecutus, neque repromissionem.* Tartarus. *Ita est.* Paulus. *Fides igitur in Abraham tantum fecit, quod adimpletio repromissionis justa fuit, quæ alias nec justa fuisset, nec adimpleta.* Tartarus. *Quid igitur repromisit Deus?* Paulus. *Deus promisit Abrahæ, quod daret ei semen unum in Isaac, in quo semine benedicerentur omnes gentes. Et hæc promissio facta est, quando secundum cursum communem Naturæ impossibile fuit, Saram uxorem ex eo concipere & parere sed quia credidit, assecutus est Isaac filium. Tentavit deinde Deus Abraham, ut offerret & interimeret puerum Isaac, in quo facta est repromissio seminis. & Abraham obedivit Deo, nec tamen minus credidit, repromissionem futuram etiam ex mortuo filio post resuscitando, ex quo Deus tantam fidem reperit in Abraham. Tunc justificatus est Abraham & adimpleta promissio in uno semine, quod ab eo per Isaac descendit.* Tartarus. *Quod est illud semen?* Paulus. *Christus. Omnes enim gentes in ipso assequuntur divinam benedictionem.* Tartarus. *Quæ est illa benedictio?* Paulus. *Divina benedictio est ultimum desideriorum seu felicitas, quæ dicitur æterna vita, de quo satis supra audisti.* Tartarus. *Vis igitur Deum in Christo nobis benedictionem repromisisse vitæ æternæ.* Paulus. *Sic volo, Quapropter oportet credere Deo, prout Abraham credidit, ut sic credens justificetur cum fideli Abrahamo ad assequendum repromissionem in uno semine Abrahæ, Christo Jesu, quæ repromissio est divina benedictio, omne bonum in se complicans.* Tartarus. *Vis igitur, quod sola fides illa justificet ad perceptionem vitæ æternæ?* Paulus. *Volo.* Tartarus. *Quomodo dabis simplicibus Tartaris intellectum hujus, ut capiant, Christum esse in quo assequi poterunt felicitatem?* Paulus. *Audisti, non tantum Christianos, sed Arabes fateri, Christum esse altissimum omnium, qui fuerunt aut erunt in hoc seculo, vel in futuro, & faciem omnium gentium. Si igitur in uno semine est omnium gentium benedictio, non potest esse, nisi Christus.* Tartarus. *Quale signum adducis?* Paulus. *Adduco testimonium tam Arabum, quam Christianorum, quod Spiritus vivificans mortuos, est Spiritus Christi. Si igitur est Spiritus vitæ in Christo, qui potens est, quos vult, vivificare, tunc ille Spiritus est sine quo non potest quisquam mortuus resuscitari, aut quicunque Spiritus æternaliter vivere. Inhabitat enim Spiritum Christi plenitudo divinitatis & gratiæ, de qua plenitudine omnes salvandi recipiunt salvationis gratiam.* Tartarus. *Placet, ista à te Doctore gentium audiisse, quia cum iis, quæ supra audivi, satisfaciunt proposito, & video, fidem istam necessariam ad salutem, sine qua nemo salvabitur. Sed quæro, si fides sufficit?* Paulus. *Sine fide impossibile est quenquam placere Deo. Oportet autem, quod fides sit formata nam sine operibus est mortua.* Tartarus. *Quæ sunt opera?* Paulus. *Si credis Deo, mandata servas. Nam quomodo credis Deum esse Deum, si non curas adimplere ea, quæ præcipit &c.*

Lib. 2. Concordant. Cathol. cap. 34. *Consideravi enim primo legem Christianam liberrimam, ad quam nullus, nisi sponte absque coactione, accedit. Unde cum via vitæ nostræ sit ipse Christus, non est in ipsis ad salutem necessarius aliud, quam ipse Christus & ad eum liberrimus accessus.*

Sigismundus Grimm (circa Ann. 1502.) in præfat. super Evang. Johann. *justificationem per solam fidem* confirmavit.

Jacobus Faber Stapulensis in cap. 3. Rom. *At, inquies, cum Paulus dicat: Arbitramur igitur, hominem fide justificari sine operibus legis, quis unquā sine operibus legis, aut scriptæ dico, aut Naturæ justificatus est? Si etiam innumeros dixero, non forte mentiar. Certum est, è gentibus etiam publicanis ad Baptismi gratiam confugientibus, solam fidē Christo habentes & sancti nominis ejus confessionem, ubi continuo ex sancto lavacro emerserunt, justificatas esse.*

Ibid. *Et quis nescit, latronem sola fide justificatum?*

Johannes Staupitius Augustinianus von der Liebe Gottes Anno 1518. Derhalben jagt uns Gott in Erkäntniß unsers Unvermögens / in Furcht / in Verzweiffelung an uns selbst / damit wir / wie die kleinen Kinder / zu ihm / als dem einigen Erlöser / fliehen / uns zu nit / ihn allein gros machen. Wenn diß geschicht / so kömpt uns aus grosser Liebe Gottes der Anfaher Liebe zu grossem Nutz / und empfinden so viel grössern Trost zu Gott / wie viel wir mehr an uns verzagt werden / vertrawen uns gar nimmer unsern Kräfften / unterstehen uns nicht mehr zustreiten / sondern sehen allein auff die eherne Schlange am Holtz / wie es in der Figur tröstlich fürgezeiget ist / da die Kinder von Israel in der Wüsten von den Schlangen vergifftet und hochbeschädiget worden / da gab ihnen GOTT eine eherne Schlange an ein Holtz / eine Schlange die kein Gifft hatte / von Ertz gemacht / welcher dieselbe allein ansahe / der ward gesund / und flohen die Schlangen von ihm ohne alle sein wehren / in der Bedeutung / daß der Mensch von teuffelischer Anfechtung vergifftet / auffs allerbaldeste erlediget werde / wenn er an seinem eigenem Streit verzaget / und siher allein an das Creutz / vertrauet sich allein dem Streit / den Christus am Holtz ohne Sünde wider die menschliche Sünde / die teuffelische Gifft zuvertreiben / gehalten hat / und darinnen überwunden und triumphiret. Pucht also allein auff Christum / und verzagt an ihm selbst 2c.

Johannes Trithemius Abbas Spanheimensis l. 8. Quæstionum quæst. 2. *Neminem excepit, nullam conditionem admisit, quoniam pro cunctis venerat pati. Per solam fidem omnium providerat saluti.*

In Epist. ad Jacobum Kymolanum. *Veram quæramus salutem & sapientiā, quæ in sola fide Dōmi nostri Jesu Christi formata consistit.*

Paulus Ricius lib. 1. Cœlestis agriculturæ in Dial. Symb. Apostol. Philalethes. *Si ergo felicitas, quæ in lubrica hac vita dari potest, nō omnino postulat argumentandi disciplinā, sed per solā credulitatem & fidem facilis & valde communis admittitur, consequens est, & ipsā futuri seculi felicitatem (quæ veram hujus vitæ felicitatem sequitur) facilem & communē fieri per solam fidem & credendi actum.*

Lib. 3. Cœlestis agricult. *Deus enim, cum Spiritus sit, sola fide & veritatis Spiritu, inquit Johannes, adorandus est, propterea arbitratur Apostolus, hominem justificari sine operibus legis.*

Ibid. *Apostolus solam fidem extollit & carnalia opera legis ad modicum utilia & minime justificantia multis quidem modis ostendit. Pari pacto gentibus condonat (prout & veritas ipsa testatur) quod, stante libertate & absq; externo opere legis mandatorum, sola fidei puritate participes fieri possint æternæ salutis.*

Erasmus in argum. Epist. ad Rom. *Paulus docet, veram justitiam ac perfectam salutem citra legis auxilia per Evangelium ac solam fidem in Christo conferri ex æquo omnibus.*

In Paraphr. cap. 3. Rom. *Defertur & gentibus salus & justitia. At per quam legem? num veterem Mosaicam, quæ Ceremonias præscribit? nequaquam, imo per novam legem, quæ nihil exigit, nisi fidem.*

In Paraphrasi, cap. 4. Rom. *Christus gratis perfectam justitiam confert etiam impiis, quorum universa scelera sua morte sustulit. His, inquam, ad exemplū Abrahæ hoc præstat, ut pro justis habeantur nulla legis observatæ commendatione, sed solius fidei.*

In Paraphrasi cap. 8. Matth. *Jesus ad Centurionem ait: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi, nimirum declarans, sanitatem non tribui nec generi, nec aliis meritis, sed soli fidei, quam in plerisq; Judæis desiderabat.*

In Paraphrasi Joh. 7. *Fides sola purificat corda &c.*

(Natalis Beda Theologus Parisiensis Lib. 3. Annot. in Paraphr. Erasmi super quatuor Evangelia Col. Ann. 1526. prop. 87. allegat hoc dictum, sed in hodiernis exemplaribus non extat.)

Ibidem Erasmus in Annot. ad N. Testam. in cap. 13. Epist. prioris ad Corinth. *Sed quosdam offendit, si quis dicat, sola fide contingere homini justitiam, hoc est, remissionem peccatorum, qui nimirum mihi videntur aut ignorare, aut non meminisse has voces, Solus, singularis & unicus, sic frequenter tum ab Ethnicis, tum ab Orthodoxis usurpari, ut declarent non solitudinem, sed eminentiam.*

Ibidem. *Itaque qui dicit, homines sola fide justificari, non protinus excludit caritatem, neque caritatis opera.*

Ibidem. *Apud Paulum quidem non additur dictio sola. Quid refert, cum tot locis inculcet, Abraham pronunciatum justum sine operibus, nos omnes justificari per fidem & non ex operibus.*

In cap. 2. Ephes. adducit dictum Scholiastis (Hieronymi) *per solam fidem justificans.*

In Paraphrasi cap. 8. Johan. *Sola credulitas via est ad immortalitatem.*

In Act. Apost. cap. 15. *Nunc igitur, cum Deus palam declararit voluntatem suam, ut gentes absque legis onere per solam fidem reciperentur ad Evangelii consortium &c.*

Ibidem cap. 16. *Paulus Timotheum circumcidit, non quod crederet, Circumcisionem conferre salutem, quam sola fides adferebat.*

In cap. 3. Galat. *Gratuitum erat Dei promissum, solaque fidei conditione ratum erat. Eam quisquis præstat, promissi jus habet.*

In cap. 5. Galat. *Beneficii Christi participes esse non possunt, qui diffidunt. Nam soli fidei datur, non meritis.*

In cap. 3. Ephes. *Per me patefactum, gentes absque legis Mosaicæ præsidio per solam fidem Evangelicam consequi salutem.*

In 1. Timoth. 3. *Christus prædicatur, quod tantam acceperit potestatem, ut abolitis omnium peccatis per solam fidem contulerit & conferat justitiam, quam lex præstare non poterat.*

In 1. Petr. 2. *Et populus, quem Deus rejecerat, ut indignam sua misericordia, nunc expertus est Dei misericordiam absque Circumcisionis aut legis adminiculo per solam fidem Evangelicam receptus in consortium Filii Dei.*

In Ecclesiast. sive de ratione concionandi Lib. 3. pag. 798. *Remittuntur tibi peccata tua. Non enim, inquit, paralyticum peccasse aliquid accepimus. An non palam dicitur peccasse, cui dicitur: Remittuntur tibi peccata? Ille bene annotavit à Christo per fidem remissum, quod lex laxare non poterat.*

Et addit: *Fides enim sola justificat. Atque hæc est vox tot clamoribus hoc seculo lapidata, quæ in Hilario reverenter auditur.*

Pag. 858. *Itidem cum audiunt, sola fide justificari hominem, ex operibus nostris nullam esse justitiam, nec referre, qualia sint opera nostra, modo credamus, Christum esse justitiam nostram, vulgus eò rapit, quasi non oporteat studere bonis operibus, cum Apostolus vix aliud magis inculcarit, quam qui Christo commortui sunt in Baptismo, cum eo & resurgant in novitatem vitæ.*

Idem in Supputat. errorum Bedæ Parisiensis prop. 47. *Quid enim aliud in omnibus Epistolis suis clamat Paulus? gratis justificati estis per gratiam ipsius. Non erat satis dicere, gratis justificati, sed addit, per gratiam Iesu Christi. Ubi non inculcat gratiæ aut misericordiæ nomen? ubi non excludit fiduciam operum legis? Si ex gratia, jam non ex operibus; & si ex operibus, jam non ex gratia. Et hanc vocem totics resonantem in divinis literis & omnibus, qui diligunt Dominum Iesum, amabilem iste pietatis Doctor Beda appellat hæreticam & vocem delicatorum militum.*

Et postea: *Quid operum attulit in crucem latro ad promerendam vitam æternam? quid aliud, quam fidem?*

Alphonsus Virvesius Canariensis Episcopus Philip. 4. *Ecclesia fatetur, nullis nos meritis aut operibus præcedentibus, quibus justitiam meriti sumus, justificari, sed solius esse fidei.*

Philip. 7. *Est autem frequens fidei prædicatio, ut omnis gloriandi nobis occasio adimatur, dum consideramus, nullis nos præcedentibus meritis, nullis nostris operibus, sed sola Christi gratia per fidem, addo etiam per solam fidem, ad justitiam esse perductos.*

(Alibi tamen disertis verbis illud repudiat ac refellit.)

Seraphinus Cumiranus Feltrensis Minorita part. 2. Conciliationum locorum communium totius Sacræ Scripturæ (edit. Antverp. Ann. 1558.) fol. 141. *Sicut nemo vivit vere, nisi justus & credens: ita nemo justificatur & vivit ex meris operibus legis, sed ex sola fide, quæ per dilectionem operatur.*

Jacobus Sadoletus Cardinalis in cap. 3. ad Roman. Lib. 1. Comment. Lugdun. Anno 1536. *Faciet mi frater. Nam & ipse dixit: Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hac fide in Deum frequenti, inquam, asseveremus primum illud, quod indubitatum certumque retinemus, sola fide erga Deum per Iesum Christum posse nos salvos fieri, neque aliud nomen sub cœlo esse, ut Lucas inquit, in quo salus mundo sit proposita.*

In cap. 4. Roman. Lib. 1. *Fidei ergo justitia divinæ, non humanæ nobilitatis est, in qua & ejus, qui credidit, gloriatio tota ex Deo est, & ad Deum rursus revertitur, ut neque initium, neque exitus hujus gloriæ aliud quippiam sit, quam ipse Deus. Gloriæ autem talis fundamentum est fides, quandoquidem in fidem solam hæc Dei excellens justitia transmittitur. Igitur patere omnibus necesse est, quantopere sit fides fideique justitia operibus legis, aut humanis justitiæ actionibus anteponenda.*

Johannes Ludovicus Vives Lib. 2. de Verit. relig. Christ. cap. de Tormentis & morte Christi pag. 274. *Quid magis universis hominibus conducit, quam certos esse nos in extremis nostris rebus ac pene deploratis, salutem esse paratam per solam fiduciam in Christum, si nos illi, vel puncto uno temporis, vere ac ex animo commendemus! Datum est ejus rei certissimum signum ac manifestũ exemplum in altero latronum. In altero vero ostensum est, nihil proficere societatem laborum & crucis, nisi adsit etiam fiducia in illum.*

Gerardus Lorichius Hadamarius in Institut. Catholicæ Orthodoxæ fidei in loco de utilitate fidei Catholicæ, *Scripturã eam Apostolus Rom. 4. declarans, ostendit, mera & sola fide Abrahamum justificatũ. Nam cum dicitur, Abrahæ imputatam esse ad justitiã fidem, non est locus merito proprio, in quo gloriari possit Abraham.*

Isidorus Clarianus Brixianus in Annot. in Nov. Testament. cum textu Antverpiæ excusis in cap. 3. Rom. *Solus Deus justitiam præstare potest, cum solus sit justus. Exclusa est gloriandi ratio & lex fidei id præstitit, ut disceremus, eum, qui gloriaretur, frustra gloriari, & fidei lex ostendit homini, quantum per se nihil sit, & sola nititur Dei beneficentia.*

In cap. 4. Roman. *Secundum gratiam idẽ esse hoc pacto dicitur; Ex fide justificari est sine operibus, (hoc ait Paulus) sine operibus vero est secundum gratiam. Iustificari ex fide est secundum gratiam. Item. Quod si cogitaretis, nõ tanti faceretis circũcisionẽ, perinde quasi salutẽ & justificationẽ illa adferat, quam sola fides etiã ipsi Abrahæ contulit.*

D. Conradus Clingius Ordinis Francisc. in Catech. cap. 7. *Hoc jam certamen Ecclesia habet: Nam sinceriores docent, quod promissioni divinæ sit credendum & assentiendum. Et hanc fidem Deus acceptat & ex sua misericordia nos justos pronunciat. At sunt, qui hoc operibus tribuunt, scilicet, quod propter illa & non propter fidem promissionis divinæ justi pronunciantur. Ergo audienda est sententia Pauli, qui arbitratur, fide & assensione promissionis divinæ justificari & nullis operibus nec ante, nec post fidem. Credere ergo verbo Dei, ac promissioni divinæ facit, quod justi pronunciamur, non opus operatũ nostrum.* Nota. *Fides vera justificat, id est, principio apprehendit, cupit promissam misericordiam in Christo, sed sola non manet, nam statim post apprehensam Dei misericordiam per fidem in Christum datur Spiritus Sanctus, quo incipit per caritatem operari fides.*

Idem cap. 6. *Sed Deus fidem in re justificationis exigit primo, propter quam vult credentem peccatorem justum pronunciare, cujus causa est: quia tota salus nostra atque justificatio dependet à Dei bonitate, misericordia & gratia, tanquam à causa & non ab operibus nostris. Dei promissio atque voluntas est, quod propter Christum vult nos reputare justos & salvos, & non propter opera nostra, merita, justitiam & dignitatem nostram. Huic ergo promissioni oportet assentiri & credere, antequam aliquod opus fecero. Fides ergo est aliud nihil, nisi assentiri & credere, & velle sibi exhiberi hanc promissionem gratiæ propter Christum. Hæc sola accipit* (amplectitur) *hanc promissionem Dei, ideo dicit Apostolus, quod fide justificamur.*

Idem in Summa doctrinæ Christianæ tit. 37. *Sed hoc caute notandum, quod sola viva fides est medium, per quod apprehenditur gratia Dei.*

Ibid. *Fides sola ante opera apprehendit justificationem.*

Tit. 50. *Fides quidem primo sola apprehendit justificationem Spiritus sine operibus, sed propter solum Christum.*

Cornelius Jansenius in Comment. in Concord. Evangel. cap. 20. *Quod vere dicitur: Qui credit in eum, ostendit quanta facilitate fructum hunc maximum consequamur, cum sola fides, res scilicet facilima, exigitur, ut Christo incorporemur & meritorum ejus reddamur consortes. Hæc est enim summa Dei benignitas, ut tali medio dignetur nos suæ gratiæ participes facere.*

Fridericus Nausea Episcopus Viennensis im Kelch-Buch cap. 4. §. 3. Von Adams Zeit biß auff Abraham sind die ersten Menschen rechtfertig worden allein durch ihren Glauben.

Wilhelmus Comes Ilenburgicus Ordinis Teutonici, im Begriff/ daß die Werck des wahren lebendigen Glaubens Gott gefallen. Aus diesem ist nun zu verstehn / daß uns der Glaube seelig mache ohne alle Zuthuung unserer eignen Werck / wie Christus spricht gemeiniglich zu allen/ denen Er geholffen hat: Dein Glaube hat dich gesund gemacht / und nicht dein Werck oder Verdienst/ auch nicht durch Fürbitte/ sondern allein dein Glaube/ wie Christus Matthäi 15. sprach zum Cananeischen Fräulein: O Weib/ dein Glaub ist groß/ dir geschehe/ wie du wilt.

Ibidem. Darumb soll niemands verzweiffeln an Gottes Barmhertzigkeit. Denn er ist ein milder/ barmhertziger Vergeber aus Gnaden/ ohne alle unsere Wercke/ allein wenn wir ihm vertrauen und von Hertzen umb Gnade bitten.

Idem im kurtzen Bericht/ aus heiliger Schrifft / wie GOtt in seinen Heiligen zu loben. Aber die allergröste Gnade und Gabe ist es/ daß der Mensch Gottes Barmhertzigkeit also vertrauet und glaubet/ daß ihm GOtt werde gerne vergeben/ so ists ohne Zweiffel/ Gott wird ihme gerne vergeben/ allein umb des Glaubens und Vertrauens willen.

Idem

Idem in seiner Verantwortung auff die Beschuldigung des Theologen (Jacobi Hochstratens) als solte er unchristlich geschrieben haben wider den Christen Glauben. So halten wirs nun/ daß der Mensch gerechtfertiget werde / ohne Zuthuen der Wercke des Gesetzes/allein durch den Glauben.

Ibidem. So denn der Sünder allein wird gereiniget/das ist/ gerechtfertiget durch den Glauben wie Petrus spricht Actor. 15.

Ibidem. Es ist gewiß/daß die Seligkeit durch kein Werck des Gesetzes erlanget wird/sondern allein durch den Glauben / auff daß sich niemand berühme.

Johannes Wild/ Thumprediger zu Meintz / in seiner Postill zu Meintz durch Franciscum Behem Anno 1558. gedrückt/ in der ersten Predigt am Newen Jahrstage. Von Christo oder in Christo haben wir Erlösung vom Gesetz/ dieweil er sich so willig unter das Gesetz gegeben hat/dem ER doch nichts schuldig war. Auß Christo habē wir Verzeihung der Sündē/dieweil er eine solche Busse auff sich genommen und für uns getragen hat. Aus Christo haben wir Gottes Gnad und Gunst/ dieweil er in allen Dingen dem Vater vollkommen Gehorsam geleistet hat. Aus Christo haben wir auch die Kindschafft Gottes / dieweil er eines Menschen Kind und unser Bruder ist worden. Und das alles mögen wir uns gewißlich zu GOTT und Christo vertrösten. Da gehöret aber ein Glaube zu/denn allein mit dem Glauben müssen wir solches fassen. Derselbige Glaube wird uns denn mit GOTT und Christo vereinigen/und uns einleiben in die Versamlung der Gläubigen.

In der dritten Predigt am Tage trium Regum fol. 120. Allein durch den Glauben an Christum werden wir zu Gnaden auffgenommen / werden uns unsere Sünde verziehen und uns die Gerechtigkeit und Verdienst Christi zugeeignet / unangesehen/ wer und wie wir darvor gewesen sind.

Am andern Sontag in der Fasten in der vierden Predigt fol. 281. Allein mit dem Glauben handelt dieses Weib gegen Christo/ kein Verdienst hatte sie/darauff sie sich könte vertrösten/ denn sie war eine Heydin. Allein mit ihrem Glauben und Hoffnung handelt sie gegen Christo.

In der andern Predigt am ersten Sontag nach Epiphan. fol. 134. Denn zum ersten ist gewiß und wahr / daß wir durch den Glauben an Christum gerechtfertiget sind worden und noch werden. Das ist so viel geredt/ohne alle unsere vorgehende Verdienste aus lauter Gnaden/allein darumb/ daß Christus für uns gestorben ist/und wir dasselbige gegläubet haben und gläuben/ sind wir anfänglich zu Gnaden auffgenommē/ Verzeihung der Sünden empfangen/ Gott angenehm und bey ihm für fromm geachtet worden.

In der dritten Predigt am vierden Sontag nach Ostern fol. 144. Es sol sich niemand verwundern/ daß an Christum nicht gläuben den Menschen verdammen sol. Denn allein durch das Verdienst Christi werden wir selig. Solches Verdiensts aber werden wir allein durch den Glauben theilhafftig. Probat ex Joh. 1. v. 12. Potestatem dedit &c.

In der andern Predigt am Pfingst Montag fol. 166. Zum vierden wird dem Glauben auch derhalben das Heyl zugeschrieben. Den der Glaube allein gibt GOtt die Ehre / helt festiglich/ ER sey gros/barmhertzig und warhafftig. Und was ist denn Wunder/daß ein solcher Glaube alle Ding von GOTT erwirbet/so doch GOtt selber sagt: Wer ihn ehre / den wolle ER wieder ehren.

In der ersten Predigt am Pfingst Montag. Mit der leiblichen Hand lesset sich Christus nicht fassen/ sondern mit der Hād des Hertzens. Das ist nu der Glaube. Derhalben so wirst du allein in Christo durch den Glauben erfüllet/und Ersättigung deines Hertzens finden/darumb/daß er allein den gantzen GOtt bey ihm hat und mit sich bringet mit allen seinen Gütern.

Ibidem. GOTT fordert für diese grosse Gutthaten / daß er uns seinen einigen Sohn zu unserm Heyl gegeben hat / nichts grössers oder schwerers/ sondern allein/daß wir gläuben an den/ den er gesand hat.

Idem Ferus in cap. 16. Johan. *Solis meritis Christi salvamur. Horum autem meritorum per solam fidem participes efficimur.*

(De hoc loco Johannis Feri sic disserit Sixtus Senensis in Biblioth. sancta lib. 6. annot. 212. *In hac sententia Dominicus Sotus particulam illam, per solam fidem, cavendam esse admonet, quoniam ex ea colligi possit, solam fidem sufficere ad salutem, qui Lutheranorum est error. Huic censuræ occurrens Michael Medina sic scribit : Verum quam sit hæc Catholica phrasis, in præcedentibus ex multis autoribus in lucem produximus, unde quod ex dicto autoris concludit, quod per solam fidem salvemur, libenter concedimus, dū de fide Christiana &c. id intelligat.*)

* Confer eundem Ferum in Comment. Johan. 1. v. 7. & in c. 16. Rom, Sixtum Senensem lib. 6. Biblioth. annot. 178.

Titelmannus Elucidat. paraphr. in cap. 2. Epist. ad Galat. *Cum igitur credamus firmiter, quod ex operibus legis nemo potest coram Deo justificari, sed tantum per fidem in Christum &c.*

Adamus Sasbout in eundem locum, existimat, *esse phrasin Hebraicam, quia more Hebræorum repetenda est negativa non, ex præcedentibus. Non justificatur homo ex operibus, non nisi per fidem Jesu Christi.* Ubi addit, *si quæras, an ex propositione ista: Homo justificatur non nisi ex fide, recte inferatur, ergo sola fide justificamur? dicendum, quod sic.*

Et paulo post. *Hac nostra tempestate Catholici Scriptores nullo modo propositionem illam ferunt, putantes, venenum esse in illa vocula* (Sola) *& propterea abstinendum. Veteres tamen non ita abhorrent à vocula Sola. Sed nec Thomas abhorrere videtur. Si qui, inquit, in veteri lege justi erant, non erant justi ex operibus legis, sed solum ex fide Jesu Christi. Verus sensus Pauli est, non nisi ex fide, id est, nullis meritis.*

Johannes Fischerus Roffensis Episcopus artic. 1. adversus Luther. *Non inficior, quin fides absque partu bonorum operum, hoc est, cum opera nondum peperit, justificet.*

Caspar Contarenus Cardinalis in cap. 4. Roman. *Notandum, quod hanc imputationem justitiæ Scriptura nulli alteri rei tribuat, quam fidei.*

Johannes Hoffmeisterus, Augustinianus, Prior & Ecclesiastes Colmariensis in Harmon. Confess. August. Fabricii pag. 46. edit. Col. Ann. 87. (in Germ. exempl. Constant. edito est pag. 29.) *Ante exortum hunc in Ecclesia Dei tumultum nemo fuit offensus particula illa* Sola, *quam jam teneræ quorundam aures ferre vix possunt, nemo siquidem unquam in jus vocavit D. Ambrosium, quod affirmarit, hominem sola fide justificari,*

Ibidem pag. 45. *Quod Adversarii docent, hominem non posse justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis propter Christum per fidem, non gravatim accipimus.*

pag. 46. *Quod Paulus Apostolus fidei, addam & soli fidei, modo recte intelligatur, justificationem adscribit, neminem hactenus offendit.*

Idem in Commentar. Philip. 3. *Hanc cognitionem (Christi) soli Christiani habent, qui ipsam per Spiritum Sanctum acceperunt. Huic cognitioni nihil sub Sole conferri potest, ut in qua sola salus nostra consistit.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 4. de Justificat. p. 916. *Quod Protestantes passim urgent, sola nos fide justificari, tolerabilius est, cum interpretantur, se in fidei nomine gratiam, quæ ei ex adverso respondet intelligere, ut idem sit, sola fide justificari, quod sola gratia, non ex operibus justificari Item, cum ab hac fide non excludunt pœnitentiam, timorem Dei, fiduciam, dilectionem, deniq; obedientiam erga legem Dei propositam &c. Habet etiam hæc locutio exempla vetustatis. Nam Origenes in Epist. ad Roman. demonstrat, fide sola absque operibus aliquos esse justificatos. Et Hilarius de paralytico: A Christo (inquit) per fidē remissio est, quod lex laxare non poterat, fides autem sola justificat. Per hanc autem solam fidem intelligunt haud dubie, solum meritum & confidentiam operum excludi, ut gratia stabiliatur, quomodo Paulus inquit: Si ex operibus, jam non ex gratia &c. Illud autem accurate observetur, si sola fide apud populum homo justificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem, tametsi sola justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessario pœnitentiam & vitæ melioris propositum adjunctum habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam imaginem fidei pro solida & expressa fide amplectamur. Providit hoc quoque Lutherus in Visit. Saxon. Multi (inquit) dum audiunt, ut solummodo credatur, omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem, & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi. Hujusmodi autem carnalis securitas pejor est omni errore, qui ante hoc tempus unquam fuit. Hac ille. Quare multis eruditis & piis viris satius videtur, ut in concionibus popularibus vox illa sola prætermittatur, sed Scripturæ tantum verba usurpentur, ut Gratia salvi facti estis per fidem absque operibus. Justificati gratis per gratiam ipsius, Arbitramur, hominem justificari fide, non ex operibus legis.*

Idem artic. 6. de Bonis operib. p. 923. *Exempla suppetunt, ubi quoque justificatio, quæ est post regenerationem, sola fide constare dicitur, ut est illud Bernhardi: Quisquis pro peccatis compunctus esurit ac sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium, & solam justificatus per fidem pacem habebit ad Deum.* (Serm. 22. in Cant.)

Ibidem pag. 924. adducit & commendat dictum Basilii in concion. de Humilit. *Hæc est integra & perfecta gloriatio in Deo, quando ne quidem propter justitiā suam quis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram justitiam, fide autem sola in Christum justificari.*

Addit Cassander: *Valet autem hic Basilio sola fide justificari idem, quod sola misericordia justitiæ nostræ imperfectionem non imputante.*

(Hæc omnia opponenda sunt Bellarmino, qui Lib.1. de Justificat.cap.25. excipit, *Patres, quando sola fide nos justificari dicunt, fidem solam opponere vel operibus Ceremonialibus, vel ex vi Naturæ sine gratia factis, vel operibus quidem ex gratia factis, sed tamen externis duntaxat.* Atqui Cassander agnoscit, etiam operibus post regenerationem, ac proinde ex gratia factis, solam fidem à veteribus opponi. Verba enim sunt generalia, & faciunt antithesin *inter opera & fidem.* Ergo omne id, quod non est fides in usu organico spectata, id est, omnia opera tam Naturæ viribus, quam per gratiam facta, ab actu justificationis excludunt.)

Melchior Canus (Episcopus Cantariensis, primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi olim Præfectus, cui Pererius ejusmodi elogium tribuit, Lib.12. in Daniel.cap.6. *Mysteria sacrarum literarum nullus post magnos illos Doctores Magistro Cano plenius ac planius docuit*) in Relect.de Sacramentis parte 2. *Totius Epistolæ ad Romanos præcipuum argumentum, atque adeo scopus est, ostendere, nec Naturæ, nec Scripturæ legem justitiam præstitisse, sed solam fidem.*

Cardinalis Hosius Epist.17. ad Ruardum Tapperum. *Non solum Augustinus & Ambrosius, sed etiam Bernhardus & alii multi Doctores usi sunt loquendi genere, quod sola fides justificet.*

Adolphus Mersburgensis Episcopus, cum quidam doctrinam *de justificatione per solam fidem, ut novam,* traducerent, respondit: *Quid? vosne hanc doctrinā novam perhibetis? an non meministis in Psalmo dictū? Non justificabitur in cōspectu tuo omnis vivens?* Joachimus Camerarius in Vita Georgii Princip. Anhaldini.

Pererius Disputat.4. in cap.15. Genes. pag.742. num.43. *Paulus Roman.3. probat, neminem justificari coram Deo ex suis operibus, sed tantum gratis per fidem Christi.*

Huc pertinet insigne Typographi Martini Cæsaris sub calcem libri Unionis dissidentium dicti Rodii Anno 1527. excusi, cum hac inscriptione: *Sola fides sufficit.*

2. Quod agnoscunt, *bona opera non esse absolute & simpliciter ad salutem necessaria.*

(Ergo etiam ad actum Justificationis non erunt necessaria.)

Dicta illa adducentur inferius cap.6. thesi 6.

3. Quod Patrum suffragia nobis largiuntur.

Erasmi Hoffmeisteri & Georgii Cassandri dicta jam ante recitavimus, quæ hoc loco repetenda.

Salmero Disputat.10. ad Galat. *Quod olim Patres & alio tempore liberius & securius loquebantur, dicentes: hominem justificari per solam fidem, hoc, inquam, Patrum dictum Catholicè intelligendum est & ad bonum sensum trahendum.*

Benedictus Justinianus in cap.4. Galat. adducit locum ex Chrysostomo in Psalm.14. *Justitia constatur ex multis virtutibus, & una virtus activa non facit justitiam, quemadmodum nec una tabula perficit navigium, nec unus lapis domum. Una sola virtus justificat, fides, quæ est virtutum vestigium.*

Jacobus Hochstratus hæreticæ pravitatis Inquisitor Lib.2. Disput.1.cap.12. *Sed objicit Adversarius Ambrosium in Lib. Comment.ad Roman.4. solam fidem quater aut quinquies justificare posuit. Ad quod facilis & rationabilis est responsio. Loquitur enim illic Ambrosius conformiter ad textum Apostolicum, quem exponit.*

Alphonsus Virvesius Philipp.4. *Citantur tamen Ambrosii verba quædam, quibus dicit, constitutum esse à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum. Quidni dicat Ambrosius, quod in Paulo iisdem pene verbis, quibus ipse usus est, legerat?*

Hermannus Bodius in Unione dissidentium formulam illam, *Sola fide justificamur,* probat adductis aliquot *Patrum testimoniis.*

Jodocus Coccius tom.2. Thesauri Lib.3. art.1. adducit & approbat sequentia Patrum dicta.

Origenes in cap.3. Roman. *Dicit sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum &c.*

Basilius Homil.22. de Humil. *Ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter suam ipsius quis justitiam extollitur, sed agnoscit, se quidem vera destitui justitia, verum sola in Christum fide justificatum esse.*

Chrysostomus serm. de fide & lege Naturæ. *Latro credidit duntaxat & justificatus est à misericordissimo Deo. Atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo juste viveret & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego, sed illum unum asseveraverim, quod sola fides per se salvum fecerit. Nam si supervixisset & operum fuisset negligens, à salute excidisset.*

Theodoretus in cap.3. Roman. *Sola fide allata peccatorum remissionem accepimus &c. Dominus Christus & verus Deus est, & Propitiatorium & Pontifex & Agnus, & in suo sanguine salutem nostram procuravit, solam à nobis fidem exigens.*

Photius ad cap.4. Epist. ad Roman. *Vides, quod nihil omnino habeat Abraham, ne vestigium quidem operum ad ejusmodi beneficia, quæ à Deo accepit. Unde ergo dignus habitus est? ex sola fide.*

Arnobius Lib.2. contra Gentes. *Nemo seu operibus, seu precibus commendatitiis aut sacrificiis salvus fit, sed solo auxilio Christi.*

Hilarius can.8. in Matth. *Fides sola justificat.*

Autor in Commentar. in Epist. Pauli apud Ambrosium in caput 3. Epistolæ. *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei.*

In cap.4. Rom. *Sine operibus legis credenti impio, hoc est, gentili in Christum reputatur fides ejus ad justitiam, sicut Abrahæ. Quomodo ergo per opera legis Judæi justificari se putant, cum videant, Abraham non ex operibus legis, sed sola fide justificatum.*

Petrus Chrysologus serm.34. *Et quid plura? Christus mulieris docuit exemplo, quam fides sola totam proficiat ad salutem.*

Claudius Marius Victor Lib.3. in Genes. de Abrahamo,

At ille
Credidit & nudæ fidei confessio sola
Plenam ad justitiæ & meriti reputata coronam est.

Primasius in cap.2. Galat. *Non ex operibus, sed sola fide per gratiam vitam habere te nosti. Si gentes fides sola non salvavit, nec nos, quia ex operibus nemo justificabitur.*

Beda in Psalm.77. *Per justitiam factorum nemo salvabitur, sed per solam justitiam fidei.*

Haymo in cap.3. Galat. *Lex non completur fide, sed opere. Evangelium autem completur fide magis, quam operibus, quia sola fides salvat.*

Bernhardus serm.22. in Cant. *Quisquis pro peccatis compunctus esurit ac sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium & solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum.*

4. Quod Græci etiam recentiores nobiscum hic consentiunt.

Anno 1582. 4. Aprilis Gotham venit Gabriel Calonas Græcus, Presbyter Corinthius, collecturus λύτρον Turcico Sultano persolvendum. Is 5. Aprilis ab Ecclesiæ Ministris in Refectorio interrogatus: *Πῶς δικαιούμεθα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ,* respondit, *πίστει.* Rursus interrogatus: *Πίστει καὶ ἔργοις:* respondit, *οὐδὲν, ἀλλὰ μόνῃ πίστει.* Wolfferamus Minister Eccles. Gothanæ in Centur.5. testimonior. de Sola fide, lit. Aa iiij. fac.1.

Anno 1584 12. Decembr. duo Græci ex Situni Macedoniæ oriundi, Gotham venerunt, Stamus Calophetis, & Theodorus Moscopulus, quorum unus, videlicet Stamus Calophetis hanc edidit fidei confessionem: *Χριστός ἐστιν ἀρχὴ καὶ τέλος τῆς δικαιοσύνης ἢ σωτηρίας ἡμῶν. αὐτὸς ἐσταύρωται ὑπὲρ ἁμαρτημάτων ἡμῶν. πίστει δὲ μόνον λαμβάνομεν τὴν δικαιοσύνην, οὐκ ἔργοις. ἡ δὲ πίστις ἐστὶ θεμέλιον τῶν καλῶν ἔργων. καὶ ἄνθρωπος δικαιωθεὶς καλὰ ἔργα ποιεῖ, ὡς δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλούς.* Idem d.l. fac.2.

Jeremias Patriarcha Constantinopolit. in 1. Resp. ad Augustan. Confess. *Quod ad justitiam attinet, quæ ex fide est, dicimus ex Chrysostomi sententia, quod per fidem sit cognitio, & absque fide non possit Christus cognosci. Ecce resurrectionem & nativitatem nulla ratio humana astruit, sed sola fides eam comprehendit.*

5. Quod tales concedunt hypotheses, ex quibus firmiter colligi potest, nos sola fide, Christi meritum apprehendente, coram Deo justificari.

Leo Magnus Epist.81. ad Monachos Palæstinos. *Fides vera justificans impios & creans justos ad humanitatis suæ tracta participem in illo acquirit salutem, in quo solo se homo invenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.*

(Si per fidem in solo Christo homo se invenit innocentem, utique sola fides justificat.)

Thomas in cap.4. Roman. lect.4. *Arbitramur nos Apostoli veritatem à Christo edocti, hominem quemcunque sive Judæum, sive gentilem justificari per fidem. Act.15. fide purificans corda eorum; & hoc sine operibus legis, non enim solum sine operibus Ceremonialibus,*

sed

sed etiam sine operibus moralium praeceptorum, secundum id ad Tit.3. Non ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus.

(Si justificamur sine operibus, etiam moralibus, utique etiam sola fide.)

Idem in cap.23.Lucæ citat dictum Chrysostomi. *Erat ergo videre Salvatorem in medio latronum trutinam justitiæ trutinantem fidem & infidelitatem. Expulit Diabolus de Paradiso Adam. Christus latronem impulit ante totum orbem & ante Apostolos, nudo verbo, sola fide in Paradisum introivit, ne quis post errores introitum desperaret.*

(Si conversus latro sola fide in Christum justificatus est, utique & nos eodem modo justificamur, cum una atque eadem sit justificationis ratio.)

Idem Thomas in cap.3.Galat. *Secundum glossam hoc dicitur: Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, intelligendum est de operibus Ceremonialibus, vel dicendum, quod loquitur hic Apostolus de omnibus operibus tam Ceremonialibus, quam moralibus, opera enim non sunt causa, quod aliquis sit justus apud Deum, sed potius executiones & manifestationes justitiæ.*

Idem: *Dicendum, quod nemo justificatur ex lege, id est, per legem. Nam per eam quidem cognitio peccati habebatur, sed non habebatur per eam justificatio. Ex operibus enim legis nullus justificabitur apud Deum.*

(Si opera non sunt causa, quod aliquis sit justus apud Deum, sed potius executiones & manifestationes justitiæ. Itemq; si ex lege & legis operibus nemo coram Deo justificatur, utiq; justificamur absq; operibus, & per conseq. sola fide.)

Lombardus Lib.3.sentent.dist.23.lit.D. *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere & ejus membris incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.*

(Si per fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari, utique sola fides absque operibus justificat.

Nicolaus de Orbellis Lib.4.sentent.dist.2.quæst.1. *Homini facto inimico Dei per culpam disposuit Deus non remittere illam, nec dare aliquid adjutorium ad beatitudinem, nisi per aliquod oblatum sibi magis gratum, quam illa offensa erat displicens. Sed bona opera non sunt magis grata Deo, quam peccatum est displicens. Ergo nec justificant, nec aliquod adjutorium præstant ad justitiam. Major est Scoti. Minor sic probatur: Si bona opera magis Deo placent, quam peccatum displicet, tunc unum bonum opus placaret Patrem pro totius mundi peccatis. Ergo frustra mortuus est Christus.*

(Si opera non justificant, nec adjutorium aliquod præstant ad justitiam, utique fides sine operibus, adeoq; sola justificat.)

Bernhardus de Busto serm.14.citat dictum Augustini. *Una sola est fides Deo grata & hominibus salutifera, in qua omnes salvantur, qui salvari debent, & extra quam salvari impossibile est.*

(Si una & sola fides est salutifera, in qua omnes salvantur, qui salvari debent, utique sola fides justificat.)

Lyranus in cap.3.Galat. dicit, *proscribi, hoc est, condemnari Christum per falsos Apostolos, asserentes, quod fides in Christum non sufficiat ad salutem sine legalibus.*

(Si fides sufficit ad salutem sine legalibus, utique etiam sine legis operibus.)

Nicolaus Gorram in cap.4. Roman. *Sufficit ad justificationem, quod aliquis credat, nec exigitur, quod operetur ad hoc.*

Guilielmus Parisiensis serm.1. de S. Andrea super verba Rom.9. *Omnis, qui credit in eum, non confundetur. Ostensio,* inquit, *est, quod habens fidem cordis, justus sit, quia in judicio, ubi Dominus justitias judicabit, & ubi, quæ sit vera justitia, apparebit, qui crediderit in Christum, à confusione immunis erit, quod non esset, nisi per fidem justificatio fieret.*

(Si habens fidem cordis justus est, utique soli fidei justificatio competit.)

Anno 1512. cum quidam Vicarius in templo arcis Grimmensteinensis rhythmos quosdam sacros componere juberetur, hosce protulit:

Sind daß Christus ist gebohren/
Ist keine gläubige Seele verlohren/
Wüste das die gantze Christenheit/
Das wär uns München und Pfaffen leyd.

Autores libelli oblati à Cæsare Collocutoribus Protestantibus in Comitiis Ratisbonensibus dicunt: *Tantum per imputationem justitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam Dei, atque justitiam Christi propter meritum Christi, nos justificari coram Deo.*

(At quando dicimus, *sola fide nos justificari,* idipsum & nihil aliud volumus.

Franciscanus quidam Monachus, natione Hispanus, qui Carolo V. Imperatori erat à Confessionibus, in Comitiis Augustanis Anno 1530. dixit Melanchthoni, *se mirari, quid causæ sit, quod in Germania homines de eo tam acriter contendant, utrum fide, an vero operibus oporteat vitam æternam consequi, se idem cum Luthero jam ante statuisse, & de eo cum multis contulisse.*

Gerardus Busdragus Episcopus Argolicensis in Epistola ad Cardinalem quendam Anno 1558. scripta (quam recitat Wolffius præfat.tom.1.Lectionum memorab.) & Chytræus in orat.funebri Caroli V. memorant, *Carolum V. articulum de gratuita justificatione per fidem amplexum, pie & placide in hac fide discessisse.* Inde

Secretarius Pauli IV. Pontificis act.2. an decreta Concilii Tridentini armis imperanda fol.108.edit. Pfortzh. sic scribit: *Metuo, ne sit oleum camino additum, cum ad Sanct.V. Toletanus Episcopus scripserit, ipsum Carolum morientem dixisse, sibi videri, veram esse Lutheranorum de Iustificatione sententiam. Fama idem statim per universam Europam tulit, & simul, quod Sanct.V. dixerit, se nolle ipsi propterea, quod cum Lutheranis in præcipuo religionis capite sensisset, ullas exequias celebrare.*

Ex quo etiam factum, quod referente Jacobo Augusto Thuano Lib.23.Histor. *Augustinus Cacalla & Franciscus Biverus ambo Concionatores Caroli V. simul ustulati fuerint Valdolidi, Constantinus vero Pontius, qui eidē à sacris Concionibus & solitudinis, tolerantiæ, devotionis usq; ad mortem consors fuerat, brevi tempore post ad Inquisitorum tribunal raptus, in fœdo squalore carceris vitam exspirarit, cumq; cadavere ipsius viginti octo alii ex præcipua regionis nobilitate, spectante Philippo Rege palis alligati & cremati fuerint.*

Albertus Piggius (teste Vega Lib.7.de Justificat.cap.21.) &

Quidam Catholici doctrina & pietate insignes (teste Stapletono Lib.7.de Justificat.cap.9.)

Canonici Colonienses & dicti autores libelli oblati à Cæsare Protestantibus in Comitiis Ratisbonensibus (teste Vega Lib 15. c.21.) statuunt, *tantum per imputationem justitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam Dei propter meritum Christi, nos justificari coram Deo.*

(Atqui idem & nihil aliud volumus, quando nos coram Dei judicio sola fide justificari contendimus.)

Salmero Disputat.27. in Epist.ad Rom. *Aliquid dicitur fieri gratis, quando is, in cujus gratiam fit, indignus est munere, quod accepit, vel dignum pretium non obtulit, qua ratione justificari gratis, est justum fieri à Deo sine ullo debito suo vel pretio nostro sibi exhibito.*

(Si justificari gratis est sine pretio nostro justificari, utique etiam justificari gratis est sine operū meritis justificari, neque enim meritum cogitari potest sine pretio. Inde pretium & opera opponuntur τῷ δωρεὰν ab ipsis Pontificiis scriptoribus.

Lucas Brugensis in cap.10. Matth. super verba: *Gratis accepistis, gratis date. Non eam potestatem vobis, aut pretio, aut labore comparastis, non vestris promeruistis præclaris operibus.*

Atqui, si justificamur sine operum meritis, utique sola fide justificamur.)

Michael Medina in Apologia contra Dominicum à Soto pro Defensione Johannis Feri. *Libenter concedimus, quod Ferus asserit, hominem per solam fidem salvari, dum de fide Christiana, quæ dilectionem & opera includit, de qua semper autor loquitur, id intelligatur. Lutherani autem non de hac fide, sed de infœcunda & informi credulitate loquuntur, quando hæretici justitiam aut felicitatis consecutionem fidei attribuunt.*

(Atqui Medina per calumniam nobis tribuit, quod de infœcunda & informi credulitate loquamur, quando fidei justificationem tribuimus. Quamvis enim negemus, opera ad actū justificationis concurrere, tamen à fide justificante opera minime separamus, sed diserte potius dicimus, fidem veram, vivam & justificantē non esse sine bonis operibus. Quamvis etiā negemus, caritatē esse formam fidei justificantis, tamen non propterea informem credulitatem justificare dicimus. Vera fidei justificantis forma est fiducialis apprehēsio meriti Christi, caritas est veræ illius fidei effectus. Pergit vero Medina:)

Quin & autor, scilicet Johannes Ferus, *ut ex ejus verbis colligitur, hoc sensu per solam fidem participes meritorum Christianos fieri docet, quod nec Naturâ, nec alio præter Christi fidem eorundem parti-*

participatio contingat. Sola enim fides Christi est, per quam Christo inserti & unum cum ipso effecti, ejus virtutem & merita participamus.

(Atqui, si sola fides est unicum illud medium, per quod Christo inserti, ejus merita participamus, utique etiam sola fide justificamur, quia non nisi merito Christi coram Dei judicio justificamur.)

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. I. super Epistolam in festo D. Andreæ pag. 2. *Per fidem justificamur & salvamur. Hoc autem non eo pacto intelligi debet, quasi fides per se tantū possit, aut quod sit justificationis, salutisq; causa, sed quod nulla alia re gratiam ejus nos purgantem ac innovantem possimus accipere. Fides in solam Dei misericordiam ac gratiam respicit, quare nimirum, quod justificare & salvare dicitur, perinde est ac si dicamus, misericordia & gratia Dei nos justificat & salvat. Quod si hoc animadverterent quidam, non adeo offenderentur, uti nunc videmus.*

(Si fides justificat non meritorie, non dispositive, sed organice, apprehendendo gratiam Dei & meritum Christi, utique sola justificat, quia sola apprehendendi vim obtinet.)

Bellarminus Lib. 2. de Sacramentis capite 13. §. 2. *Etsi veteres Patres non habuerunt gratiam per Sacramenta, tamen habuerunt eam per fidem, ut etiam nunc adulti per fidem & contritionem veram justificantur, antequam reipsa ad Sacramentum accedant.*

Et postea §. ultimo. *Iustificati fuere veteres ex merito passionis Christi, ut nos justificamur, sed hoc meritum nobis applicatur per Sacramenta, Hebræis autem per solam fidem, quæ tamen fides requirebat, ut conditionem sine qua non operabatur Sacramentum Circumcisionis.*

(Si pii Veteris Testamenti per solam fidem justificati sunt, utique etiam pii Novi Testamenti per solam fidem justificantur, cum unus sit justificationis modus. Quamvis vero particulam exclusivam Bellarminus opponat, *Sacramentis* non *operibus*, tamen cum agnoscere cogatur, infantes Veteris Testamenti non fuisse justificatos ex meritis vel operibus propriis, ideo etiam operibus eam oppositam esse fateri cogitur.)

Idem Bellarminus Lib. 2. de Pœnitent. cap. 14. resp. ad 8. object. *Fides, quæ per dilectionem operatur, dicitur sola valere, quia sola perfecte justificat & salvat.*

(Tolle peregrinum illud assumentum, *quod fides, quæ per dilectionem operatur, sit fides formata*, quod Apostolo non venit in mentem, & rectissime dicitur, *fidem, quæ per caritatem sese exerit, solam justificare.*)

Idem Bellarminus Lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 3. §. 3. *Christum venisse, ut tolleret peccatum originis, & propter Christi justitiam omnes justificari &c. æque valet in majoribus ac parvulis. Christus enim venit omnia peccata tollere &c. propter ejus justitiam omnes, non solum parvuli, sed etiam adulti justificabuntur. Nam judicium quidem ex uno, scilicet delicto, in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem, inquit Apostolus Rom. 5.*

(Atqui parvuli propter justitiam Christi eo modo justificantur, ut fide absque operibus justificentur. Ergo etiam adulti fide absque operibus iustificantur.

Idem Bellarminus Lib. 1. de Justificat. cap. 16. §. sic differit: *Solent Adversarii perpetuo jactare verbum Dei expressum, atque ad hoc unum caput dogmata sua omnia revocare. Sed in hac causa destituuntur isto præsidio, nusquam enim hactenus ostendere potuerunt in sacris literis particulam Sola, cum de fide justificante agitur. Nos autem expressum verbum proferimus, ubi habetur negatio ejus vocis aut Synonyma. Videtis, inquit Iacobus, cap. 2. quia operibus justificatur homo & non ex fide tantum.*

(Ex eo sic colligimus: Si in sacris literis est expressum verbum tale, quod cum verbo *Sola* est synonymum, utique in sacris literis est expressum verbum *Sola*. Sed illud. Ergo & hoc. Connexio propositionis patet ex verbis Bellarmini. Quia enim ex Apostolo Jacobo expresse ostendit, negationem vocis *tantum*, quam cum voce *Sola* dicit esse synonymam, ideo inde concludit, se *expressum verbum* ex sacris literis protulisse, ubi habetur negatio ipsius vocis sola. Assumtum probatur ex verbis Christi Luc. 8. v. 50. *Crede tantum*, quæ vox, docente ipsomet Bellarmino, cum voce, *Sola*, est Synonyma. Ergo in sacris literis datur expressum verbum de voce sola, & per consequens recte facimus, quod in articulo de Justificatione voce illa utimur.)

Cornelius à Lapide in Commentar. cap. 3. Roman. scribit, *justitiam ab Apostolo fidei præ aliis virtutibus tribui, eò quod fides clare ostendat, homines justificari non propria virtute aut merito, sed Christi, in quem credentes salvi fiunt.*

(Si credentes salvantur solo Christi merito, utique etiam sola fide, quia sola fides Christi meritum apprehendit.)

Meierus in octo controvers. part. I. pag. 20. *Salus impenditur omni, qui cum fide & dolore peccatorum ad Agnum recurrerit, etiamsi nullum bonum opus in vita sua fecerit.*

Pag. 21. *Quando dicitur, fide & non ex operibus salvamur seu justificamur, sensus est, etiamsi nullum bonum opus in vita tua feceris, sed tantum peccatis Deum offenderis, dummodo cum vera fide, spe remissionis peccatorum, vera pœnitentia & dilectione ad Christum Agnum in hac vita existens recurreris, salutem consequeris.*

Pag. 33. *Peculiariter ad D. Chrysostomum respondetur, verum esse, latronem sine operibus regnum cœlorum consecutum esse, quia, facta confessione & obtenta reconciliatione statim extinctus est, sicque salvatus, licet non constet de ullo bono opere ejus, quod toto vitæ suæ decursu ante extremam gratuitam reconciliationem peregisset. Neque vero negamus, aliquos sine ullis bonis operibus salvari, ut pueros & etiam adultos, qui, licet toto transacta vitæ tempore nullam omnino legem servaverint, nullum bonum opus fecerint &c. salvantur.*

(Si non solum infantes, sed etiam quidam adulti salvantur, qui nullum bonum opus fecerint, utique fides sine operibus justificat, ac proinde etiam sola justificat. Non est, quod distinguant inter opera interna & externa, quia Apostolus absolute & simpliciter dicit, nos justificari fide absque operibus legis, & quia opera interna æque ac externa destituuntur vi apprehendendi justitiam Christi.)

Dissensiones Adversariorum.

Primo, Bellarminus Lib. I. de Justific. cap. 19. fatetur, *Georgium Ederum & alios Pontificios per opera, quæ à justificatione Apostolus Roman. 3. excludit, intelligere opera tantum Ceremonialia.*

Lombardus in cap. 3. Rom. *Opera legis dicuntur, quæ cum lege instituta & terminata sunt, at erant Ceremonialia & figurativa, quæ nunquam valuerunt conscientiam mundare, etiamsi cum caritate & devotione fierent.*

Daventria ad artic. 4. August. Confession. *Paulus non omnia opera excludit à justificatione, sed tantum opera legalia, quæ ad mortem Christi omnia mortificata sunt & enervata.*

Alphonsus Virvesius Philipp. 5. *Non de morali lege Decalogo contenta, sed de Mosaica pronunciat Paulus.*

Philippica 6. *Nos respondimus & nunc demum respondemus, non ibi agi de lege morali, quæ & naturalis est, sed de lege Ceremoniali, quæ peculiariter solis est data Iudæis.*

Similia occurrunt apud Renatum Benedictum in Panoplia. Alphonsum de Castro adversus hæreses, tit. Fides, hæresi 2. Ederum in Oeconom. Bibl. p. 645.

(Illorum tamen quidam etiam alteram addunt distinctionem.)

Dominicus à Soto in cap. 3. Roman. quamvis hanc sententiam non approbet, tamen profert hujus distinctionis fundamenta. I. *Non esse verisimile, Paulum negare, inesse justitiam apud Deum mandatis illis, quæ ad ipsius cultum pertinent, fraternamque inter mortales caritatem fovent, atque adeo, quibus proposita est vita æterna: sed solis illis, quæ jam obsoleverant, Ceremoniis.* 2. *Quia cap. 4. Abrahamum dicat justificatum ante Circumcisionem. At hæc fuit inter Ceremonias. Ergo & hic Ceremonias denotat appellatione legis.* 3. *Quia ad Galat. 2. reprehensi Petri causam exprimat: Scientes, quod non justificetur homo ex operibus legis, & tamen reprehendebat tantum, quod nimius esset Ceremoniarum observator.* 4. *Ab autoritate Ambrosii, quam addit Virvesius. Gentilem dicit hominem pro certo haberi, quod justificetur credens, nulla faciens opera legis, id est, sine circumcisione, aut neomeniis, aut veneratione Sabbati.*

Alphonsus de Castro adversus hæreses, verbo Fides, hæresi 2. *Paulus Rom. 3. Galat. 2. loquitur de operibus legis veteris, puta de Ceremoniis & aliis ritibus, quæ omnia fuerant per Christi mortem deleta, ut nullam penitus virtutem habentia, quapropter nec justificare quenquam poterant. Non autem loquebatur de operibus aliorum præceptorum Decalogi &c. Certum enim est, Paulum in illis duabus Epistolis circa hoc versari, ut ostendat, legem Mosaicam, quæ solis Iudæis data fuerat, iam cessasse, legemque Christi novam esse omnibus communem.*

Et postea: *Scio, aliter hæc loca ab aliis exponi & aliter objectioni responderi ab iisdem, mihi tamen hic sensus magis placet, quoniam magis germanus est literæ.*

Iohannes Paulus Windeck in Disputat. de Iustificatione Friburgi habita Anno 610. thes. 33. & seqq. itidem aliquot argumentis probare conatur, *hanc explicationem, quæ per opera legis tantum Ceremonialia intelliguntur, non esse improbabilem.*

Sed quia Apostolus simpliciter excludit opera, nulla facta mentione legum Ceremonialium, ideo Bellarminus hanc suorum complicum sententiam deserit, quamvis idem Bellarminus Lib. 1. de Justificatione cap. 16. §. Est etiam &c. alternative scribat, *non omnia opera ab Apostolo excludi, sed certum genus operum, id est, opera facta solis viribus Naturæ, vel ex sola cognitione legis Mosaicæ, vel si quo alio modo opera legis hoc loco intelligenda sunt.*

Cornelius à Lapide in cap. 3. Roman. pag. 62. *Cum Apostolus hic passim fidem ab operibus separat & distinguit, opera intelligit legis non solū Ceremonialia & judicialia, sed etiam moralia sive Decalogi.*

Idem statuunt Dominicus à Soto, Toletus, Pererius, Estius, Salmero, Justinianus in cap. 3. Roman.

Verba Pererii sic habent in cap. 15. Genes. fol. 724. num. 44. *Non intelligit Apostolus, opera legis Ceremonialis aut forensis solum à justificatione excludi: sed cujuscunque legis, sive positivæ, sive humanæ*; idem repetit fol. 744. num. 5. in Genes.

Dominicus à Soto in cap. 3. Roman. postquam sententiam (intelligi opera Ceremonialia) proposuisset, subjungit: *Hæc veruntamen argumenta nihil obstant, quo minus sancti omnes enarratores & cumprimis Augustinus de Spiritu & litera cap. 4. consentiant, præceptiones hic etiam subnotari morales, nempe Decalogum ipsum, cujus opera per se non justificant.*

Conforme hoc est doctrinæ Thomæ Aquinatis, qui in cap. 3. Galat. sic disserit: *Loquitur hic Apostolus de omnibus operibus, tam Ceremonialibus, quam moralibus. Opera enim non sunt causa, quod aliquis fit justus apud Deum, sed potius sunt executiones & manifestationes justitiæ.*

Secundo, idem Bellarminus Lib. 1. de Justificatione cap. 19. §. Excludi &c. scribit, *id, quod operibus gratiæ redditur, non esse simpliciter mercedem, sed etiam gratiam, imo magis gratiam, quam mercedem.*

At cum hac assertione conciliari nequit, quod Lib. 5. de Justificatione cap. 1. §. ultimo disputat, *opera bona justorum esse vere & proprie merita, & quidem ipsius vitæ æternæ.*

Lib. ejusdem cap. 2. §. Denique, *mercedem & meritū esse relativa, mercedem enim reddi meritis, sicut contra gratia gratis datur.*

Lib. ejusdem cap. 5. respond. ad 6. *se non contendere salutem inchoatam haberi per merita, sed gratis eam donari*, (quæ oppositiones meritorum & gratiæ sunt evidentissimæ.)

Lib. 2. de Pœnitentia cap. 12. *Meritum ex condigno sive ex justitia opponitur gratiæ.*

Tertio, idem Bellarminus Lib. 1. de Justific. cap. 21. §. 2. scribit, *particulam gratis opponi merito de condigno.*

At hoc non potest conciliari cum hypothesi *de justificatione secunda per merita operum*, quam idem Bellarminus totis viribus propugnat Lib. 4. de Justificatione cap. 18.

(Apostolus nullam aliam novit justificationem, quam quæ fit *gratis* Rom. 3. v. 29. Atqui justificatio secunda ex hypothesi Bellarmini oritur *ex merito operum proprie sic dicto*, hoc est, ex merito condigni. Ergo justificatio secunda Apostolo fuit ignota.)

Quarto, Dominicus à Soto Lib. 2. de Natura & gratia cap. 4. secutus Capreolum 4. sentent. dist. 14. quæst. 2. artic. 3. negat *dispositiones illas*, de quibus Pontificii disputant, quod ad justificationem requirantur, *posse vocari merita*, & *justificari hominem gratis*, statuit *idem esse, quod justificari sine ullo merito, sive de condigno, sive de congruo; sive præcedente ex auxilio Dei speciali, sive ex viribus solis Naturæ*; quod ipsum firmissimis rationibus confirmat: *Si meam, inquit, licet conscientiam exercere, quo penitius hoc congrui meritum considero, eò minus videre ipsum videor congruere rationi gratiæ justificantis. Neque solum de nomine, sed de re quoque quæstionem subesse intelligo.*

Vega Lib. 8. de Justificatione cap. 8. & in opuscul. de meritis quæst. 7. pag. 821. *Doctissimos & pientissimos quosdam viros adhuc video in ea sententia persistere, ut credant, Patres antiquos solum agnovisse meritum de condigno, & eò propendeant, ut Ecclesia hoc meritum, quod ajunt congrui, repellat ut recens inventum.*

Suarez Lib. 2. de Causa prædestinat. cap. 6. num. 39. fol. 229. *Meritum de congruo primæ gratiæ esse contra rationem gratiæ quidam asserunt.*

Num. 53. *Peccator non potest mereri de condigno remissionem peccatorum.*

Idem Suarez dicto loco fol. 231. *Et si illa sententia de merito de congruo primæ vocationis fundato in opere, ex solis viribus naturalibus non sit aperta hæresis vel error in fide, tamen censeo, esse omnino falsam & vitandam doctrinam, & quæ in præsenti tempore multorum aures offendit, nec sine magno fundamento.* In margine addit: *Censura Semi-Pelagianæ doctrinæ.* Et in sequentibus hoc monstrum *meriti de congruo* penitus jugulat.

Ibidem num. 51. *Dicendum est, sensum Concilii* (Tridentini) *esse, per vocem gratis, excludi omne meritum fundatum in solis Naturæ viribus & non in gratia, nec distinxisse in hoc quicquam inter meritum de congruo & de condigno, sed eodem modo intellexisse, quo Paulus revera locutus est.*

Latomus in Libr. de Fide & operibus non tantum *primam salutem* negat *cadere sub meritum operum, sed etiam opera præcedentia fidem & justificationem quicquam mereri, nisi pœnam. Sunt enim*, inquit, *mala aut imperfecte bona. Quæ mala sunt, merentur supplicium; quæ autem utcunque bona, quia non perfecte bona sunt, nullum merentur præmium.*

Hosius Confessionis cap. 37. *Neque tamen defuerunt viri docti, qui meritum hoc, quod congrui vocatur, prorsus rejiciendum esse putarunt, ne quid cum Pelagianis habere commune videremur.*

Gregorius de Valentia in Lib. de Divina gratia. *Nec probamus*, inquit, *sententiam eorum, qui tametsi non ex condigno, ex congruitate tamen dicunt, nos gratiam primam promereri per actus illos, quibus nos ultimo ad illam disponimus.*

Quidam nomen meriti de congruo non quidem repudiant, interim καταχρηστικῶς ita appellari agnoscunt.

Gropperus in Enchiridio Colon. *Vix hic cernere est ullam ex nobis meriti causam, nisi meriti vocabulo per catachresin propemodum abutamur, ut dicamus, hominem credentem mereri justificationem, non quidem ex obligatione, seu ex operibus, quæ fecimus nos: cum ante justificationem ad peccandum solum ex nobis valeamus, sed tantum ex condecentia, quod meritum congrui appellant.*

Andradius Explicat. orthod. Lib. 6. *Vel ipsum congrui nomen indicat, non vere ac proprie meritum esse, cui quicquam jure debeatur, sed quod Dei misericordia magis, quam justitia innititur.*

Bennius de Efficacit. gratiæ cap. 5. §. Quanquam; & cap. 17. §. Venio. *Non ex ullo merito prima gratia profluit, ne de congruo quidem, quia impar est, & infinitis partibus impar peccatoris conatus & labor ac largitas gratiæ.*

Stapletonus Lib. 2. de Peccat. orig. capite 14. *Meritum congrui jam olim explosum esse dicit è Scholis Theologorum.*

Bellarminus ipse Lib. 5. de Justificatione cap. 5. resp. ad 2. *Fatemur, gratiam Dei non acquiri per merita, sed gratis dari.*

Sed idem Bellarminus Lib. 1. de Justificatione cap. 21. §. Jam vero. *dispositiones illas* statuit esse *merita de congruo*, ac rationes Dominici à Soto, quæ sunt invictæ, labefactare conatur.

§. 2. Justificatio gratuita, inquit, *non excludit opera, quæ dicuntur ad justificationē concurrere ut dispositiones, vel ut merita de congruo.*

Ibidem negat, *se videre, cur hoc meritum non admittatur*, quod tamen paulo ante notavit, *à Concilio Tridentino neque assertum, neque negatum.*

Lib. 2. de Pœnitentia cap. 12. §. 4. *Theologi Scholastici in eo dissentire videntur, quod nonnulli volunt, actum pœnitentiæ, ut etiam actum fidei & dilectionis esse dispositionem ad remissionem peccatorum, sed non meritum, neque de condigno, neque de congruo remissionis peccatorum. Et hujus sententiæ sunt Iohannes Capreolus in 2. sentent. dist. 40. quæst. unic. Dominicus à Soto Lib. 2. de Natura & gratia cap. 4. Sed alii, iique plurimi non solum dispositionem, sed etiam meritum de congruo justificationis esse volunt ejusmodi actus, quæ sententia est Magistri sententiarum Lib. 2. dist. 27. Thomæ, Alberti, Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Gabrielis & aliorum in 2. dist. 28. & ex recentioribus Andreæ Vegæ Libr. 8. in Concil. Trident. decem ultimis capp.* quam posteriorem sententiam Bellarmin. ibidem *veriorem, & Scripturis ac Patribus conformiorem* judicat.

Vasquez Tom. 2. in 1. 2. Disp. 218. cap. 1. multis probat, *dispositiones illas recte vocari merita de congruo.*

Estius in cap. 2. Joëlis vers. 13. *Hoc est, quod Scholastici docent, opera bona de condigno mereri vitam æternam, opera vero pœnitentiæ de congruo duntaxat mereri veniam.*

Vide Librum Holderi, cujus titulus: Bericht von zweyen alten vor Jahren gut Catholischen und bey der Römischen Kirchen wohlverdienten/ jetzo aber in der Jesuiten Calender außgesetzten und verworffenen Päbstischen Heiligen/ dem H. Merito S. Condigni und S. Congrui, Tubing. Anno 1590.

Quinto, quidam statuunt, meritū de congruo fundari in sola promissione & acceptatione Dei, non in operis dignitate.

Biel 2. sentent. dist. 27. quæst. unic. *Meritum de congruo est actus libere elicitus, acceptatus ad aliquid retribuendum, non ex debito justitiæ, sed ex sola acceptantis liberalitate.*

Bellar-

Bellarminus lib.2.de Pœnitent.cap.12.§.ultimo.*Meritum de congruo non in justitia,sed in liberalitate fundatur.*

Idem lib.5.de justificatione cap.5.respond.ad 2.negat, *intercedere quandam commutationem inter gratiam justificationis & hominis dispositiones.*

Quidam contra asserunt, meritum de congruo potius fundari in aliqua operis dignitate,quam in Dei promissione & acceptatione.

Bellarminus Lib.de Justificatione cap.21.§.Ad illud &c.*Ad illud,quod objiciebatur, meritum de congruo non fundari in dignitate operis,sed in sola promissione Dei,respondemus,contrariū esse verum.*

Et postea. *Nos existimamus,meritum de congruo potius fundari in aliqua dignitate operis, quam in promissione.*

Costerus in Enchirid.cap.7.de merit. oper. *Omne meritum innititur justitiæ propter æqualitatem, quæ inter mercedem & meritum esse debet.*

Sexto, sunt, qui *meritum de congruo* tribuant *operibus non renatorum,etiam sine gratia factis ex viribus naturalibus*, cujus sententiæ fuerunt Scotus, & qui eum secuti sunt Gabriel Biel, Adrianus,Durandus,& ferme Nominales, ut ait Dominicus Sotus,quam sententiam idem Sotus lib. 2. de Natura & grat. cap.4.oppugnat multis argumentis, & ostendit, *non posse cum gratia divina consistere.*

Pugnat etiam Sotus adversus aliorum sententiam, qui *meritum congrui* constituunt *motionem illam,qua homo per auxilium speciale disponitur ad gratiam, & omne omnino meritum ante justificationem* excludit,quod etiam facit Petrus à Soto de Sacerd. Instit.lect.9.de Pœnitent. qui dicit, *malle se concedere hæreticis, nulla esse opera,quæ aliqua ratione sint meritoria justificationis.*

Gregorius de Valentia libr.de divina gratia part 4. cap.6. Bellarmini & Vasquetii sententiam improbat, qui tametsi *non ex condigno,ex congruitate tamen* dicunt,*nos gratiam primam promereri per actus illos, quibus nos ultimo ad eam disponimus. Non est ita. Meritum enim ex congruo etsi in hoc à merito ex condigno differat,quod non perinde ex obligatione alicujus promissionis divinæ compensetur secundū aliquam æqualitatem in hoc tamen cum eo convenit, quod quia tale est opus,congruenter,seu decenter illius perfectiōe qualicunque Deus movetur ad aliquod præmium conferendum,licet non ex justitia,sed ex beneplacito.*

(Sic diserte negat, quod Bellarminus affirmat de merito congrui in actibus dispositionis ad justificationem ex auxilio speciali.)

Septimo, Bellarminus lib.1.de Justificatione cap.13.*septem dispositiones ad justitiam* numerat, quæ sunt, *fides,timor, spes,dilectio,pœnitentia,id est,dolor ac detestatio peccati,propositum ac desiderium suscipiendi Sacramenta, propositum novæ vitæ & observationis omnium mandatorum.*

Sed septenario illo numero Censura Coloniensis non est contenta,cum pag.117.sic disserat: *Fides hoc in nobis agit,ut præparentur atque accommodentur animi ad justificationem primam in se recipiendam, neque tamen fides sola id efficit, sed præterea caritas, sed misericordia & eleemosyna,sed timor Domini, multaq; id genus alia,quæ longum foret enumerare.*

Costerus in Enchiridio *tres* duntaxat *præparationes* numerat, *fidem,spem & pœnitentiam.*

Stapletonus *sex* numerat, *fidem, amorem Dei,odium peccati & status præteriti, pœnitentiam,spem veniæ & caritatem.*

Octavo, Bellarminus lib.1. de Justificatione cap. 2. dispositiones illas refert *ad causam justificationis materialem*,cum *materiam præparent ad recipiendam formam.*

Costerus in Enchir.p.261.eas refert *ad justificationis formā.* Alii eas *ad causam efficientem* reducunt.

Nono, *Fidem Historicam,miraculorum & promissionum esse unam eandemq; fidem* statuit Bellarminus libr. 1. de Justificat. cap. 4. & 5.& hanc unam dicit *esse fidem justificantem.*

Maldonatus in cap.9.Matth.*Ista triplex fides,quam isti nuper invenerunt,figmentum est,somnium est, portentum est, Chimæra est. Et,si unam haberent fidem, omnem haberent, quia triplicem habent, nullam habent.*

Contra vero Gabriel Vasquez in 1.2.tom.2.Disput.209. cap.4.dicit primo,*duplicem esse in universo fidem, alteram Catholicam,qua omnes credunt ea,quæ omnibus proposita sunt;alteram vero privatam, quæ non convenit omnibus,sed aliquibus.* Hanc privatam iterum dicit esse triplicem,Primam,*qualis fuit Prophetarum credentium,quæ sibi specialiter erant revelata,non omnibus fidelibus.* Secundam *miraculorum,quâ aliquis certo statuit,Deum facturum aliquid præter consuetum ordinem,de qua Matth.17.Si habueritis fidem, sicut granum sinapis.* Tertiam *huic similem,qua quis credit,se à Deo consecuturum aliquid, quod tamen sibi soli speciatim promissum non est,ut cum quis credit,se habiturum auxilium congruum ad justificationem & perseverantiam &c.cujus generis est fides, qua aliquis credit,se justificatum esse.*

Ibidem Disputat.210.cap.4.adversus quosdam Catholicos negat, *omnes illos actus credendi pertinere ad eandem fidem, h.e. ad eundem habitum atq; ad eundem modum credendi; vel nos eodem habitu credere mysteria & credere privatim miracula & promissiones peculiares,quæ non nitimur eodem principio credendi.*

Quod vero dicitur ad Ephes.4. *Una fides*, dicit, *non ita intelligi,quasi sit unus modus credendi, sed quia fides Catholica & dogmatica una est apud omnes fideles,hoc est,per illam eandem omnes credimus,nec unus credit unum,alius vero aliud.*

Ibidem num.26.agnoscit, *esse aliquam fidem, qua quis credit, se justificatum esse & sanctum apud Deum,non quia hoc revelatum sit à Deo,& ratione revelationis, tanquam proprii objecti, sed per alias conjecturas id credat,ad hoc impellente Spiritu Sancto.*

(Hæc fidei acceptio ipsa est, quam justificantem appellamus,& qua credimus, nobis remissa esse peccata.)

Decimo. *Justificari hominem per fidem,sed caritate formatam,* communis est Pontificiorum doctrina.

Sed Benedictus Justinianus in cap.3. Roman. v. 28. scribit: *Illi audiendi non sunt,qui formatam fidem justificare ajunt, quia hæc justificatione posterior est.*

Undecimo, Salmero Disputat.3.in cap.2.Jacobi dicit, *Jacobum in capite 2.agere de justificatione secunda, Paulum de prima.*

Sed hoc refellunt Vasquez tom.2.in 1.2.Disputat.210. cap. 8.Cornelius à Lapide in Commentar. Roman.4. Estius in Commentar.Jacob.2.v.21. *Quod aliqui,*inquit Estius, *pro conciliatione dicunt, Paulum agere de prima justificatione, Jacobum de secunda,parum solide videtur dici. Nam & ad primam justificationem opera fidei requiruntur,de quibus loquitur Jacobus,& ad secundam justificationem inutilia sunt opera legis,de quibus Paulus.*

Duodecimo, Bellarminus lib.1.de Justificatione cap.16.sic scribit: *Fides non dicitur proprie apprehendere. Apprehensio enim, cum refertur ad intellectum, est cognitio rei, prout in spem repræsentatur & distinguitur à judicio,quod rem apprehensam discernit & judicat.Illa autem cognitio apprehensiva præexigitur quidem ad fidem, sed non est ipsa proprie fides.*

Contra Pererius Disputat.18.in cap.3.Rom. scribit: *Paulum, cum ait per fidem justificari hominem, non aliud significare, quam per fidem pervenire ad justitiam & ipsam apprehendere.*

Bellarminus lib.2.de grat. & lib. arbitrio cap. 3. & lib. 1. de Justif. cap.15. *Credere est Christum recipere.*

Costerus in Enchirid.p.313. *Credere est fide apprehendere.*

Decimo tertio, Bellarminus *meritum fidei* passim *per acquisitionem,impetrationem, efficientiam* explicat. Ipse tamen docet lib.1.de bon operibus cap.9. ab init. *Multum interesse inter meritum & impetrationem,nam comprehensores dici impetrare.*

Cassander in Consult.pag.59. *impetrare* τῷ *mereri* opponit.

Decimo quarto, Bellarminus lib.1.de Justif. cap.17. *Fides non justificat relative & apprehendendo, sed meritorie.*

Contra Schopperus Presbyter Coloniensis in concione 1. super Epist.in festo Andreæ pag.2. *Per fidem justificamur & salvamur, hoc autem non eo pacto intelligi debet, quasi fides per se tantum possit, aut quod sit justificationis salutisq; causa, sed quod nulla alia re gratiam ejus nos purgantem ac renovantem possimus accipere.*

Toletus in cap.3.Roman. *Advertendum est,fidem ex se non habere efficaciam ullam,ut actus quidam noster est, remittendi & reconciliandi,sed virtutem totam procedere ex objecto ipso, nempe Christo, cujus virtutem & meritum disposuit Deus per fidem in ipsum applicare peccatori ad justificandum.*

Exceptiones Adversariorum.

1.Ad locum Apostolicum, *justificamur fide sine operibus legis,* Rom.3.v.28.

1.Quidam excipiunt, *Apostolum excludere solius legis Ceremonialis opera.* Sed ostendimus superius,hanc exceptionem à plerisque Pontificiis,præsertim Jesuitis recentioribus non solum deseri,sed etiam impugnari.

2.Quidam excipiunt, *Paulum loqui de operibus ante fidem sine gratia Dei factis,quæ ex vi legis eliciuntur.*

Resp.1.Salmero, quando in c.3.Rom. contra eos disputat, qui opera Ceremonialia duntaxat ab Apostolo excludi statuunt, inter cætera sic scribit: *Paulus opera legis excludit à justificatione,neq; debemus limitare, quod ipse non limitavit.*

(Atqui

(Atqui limitatio illa, *quod loquatur de operibus sine gratia factis*, æquè non additur ab Apostolo, ac illa prior.)

2. Pontificii concedunt, *absq; gratia & fide neminem implere legem*, ex quo sic inferimus: Apostolus docet, eum, qui justificari velit ex operibus legis, debere universam legem implere. Quod si rejiciuntur ab actu justificationis opera duntaxat illa, quæ ex solis Naturæ viribus fiunt, eò tantùm, quod non facta sint per fidem, supponendum erit, *quosdam implere legem sine fide & gratiâ*, adeoque *solis Naturæ viribus*, quod ipsimet Pontificii absurdum esse agnoscunt. Agnoscant ergò, Apostolum non loqui de ejusmodi operibus.

3. Pontificii concedunt, *neminem in hac vita esse sine peccato*, ex quo immotè sequitur, *neminem perfectè implere legem*, ex quo elicimus, argumentum, quo probat Apostolus, *nos justificari fide sine operibus legis*, æquè valere adversus opera, quæ fiunt *post fidem*, ac adversus opera, quæ fiunt *ante fidem*, ac proinde de utrisque conclusionem esse intelligendam. Argumentum enim Apostoli tale est: Nemo transgrediens legem, justificari potest ex operibus legis. Atqui omnes homines transgrediuntur legem. Ergò nulli homines justificantur ex operibus legis. Assumtum complectitur etiam eos, qui post fidem benè operantur. Ergò conclusio etiam ad eosdem pertinet.

4. Lex non solum opera, sed etiam fidem requirit, docente Bellarmino lib. 1. de Justificatione c. 19. *Lex Mosis*, inquit, *quæ maximè requirit opera, requirit etiam fidem*. Ergò nulla opera legis bona dantur absque fide. Ratio est, quia ex regula legis, *qui peccat in uno, reus est omnium*. Peccat autem in uno, qui non credit, quia hoc unum est ex iis, quæ lex imperat. Ergò qui operatur ex lege, hunc necesse est credere, aut non bene operari. Ergò Paulus excludens opera legis à justificatione, excludit etiam ea, quæ fiunt cum fide.

5. Benedictus Justinianus in cap. 4. agnoscit, Paulum non fuisse justificatum ex Circumcisione. *Ita videas*, inquit, *totam Pauli argumentationem rectè fuisse conclusam, non esse ex legis operibus, sed ex fide expectandam justificationem. Nam apparet, Abrahamum non ex Circumcisione justificatum, qui tanto, antequam circumcideretur, divino testimonio justus prædicatur.*

(Ex eo sic colligimus: Apostolus ab actu justificationis excludit Circumcisionem. Atqui Circumcisio est opus factum ex fide, est enim signum fœderis divini, imò signaculum justitiæ fidei. Ergò Apostolus etiam ab actu justificationis excludit opera facta ex fide.)

6. Exceptionem illam, quod Apostolus excludat tantùm opera facta ex solis Naturæ viribus, deserunt quidam ex ipsis Pontificiis, quia ut ait Vasquez in 1.2. tom. 2. Disputat. 210. c. 8. n. 73. *nusquam Paulus concessit talia opera, neq; ideò ea exclusit à nostra justificatione, quia nullius valoris & efficacitatis apud Deum sunt, ut aut per se justificent, aut impetrent justificationem.*

Idem etiam refutat alios Pontificios, ut Vegam & qui eum sequuntur, dicentes, *Paulum exclusisse opera à prima justificatione, non autem à secunda*, & fatetur, *de justificatione egisse Paulum omni tempore*, quod confirmat exemplo Abrahami, quem negat, justificatum fuisse ex operibus, quando ei dixit Deus Genes. 15. *Suspice cœlum & numera stellas, si potes &c. Quis enim*, inquit, *dubitet, Abrahamum multò ante fuisse justificatum prima justificatione?*

Refellit præterea eos, qui censent, *Paulum excludere opera à justificatione, tantùm ratione meriti, non autem per modum cooperationis*, quam interpretationem dicit *esse sine fundamento & à Concilio Tridentino confutari.*

Ipse igitur sic interpretatur Paulum, quod intellexerit, *opera legis ex sola legis notitia facta sine Spiritu gratiæ*. Subdit, *talia opera fieri non posse, nec Paulum concedere aliqua fieri.*

(Mirum verò si contendat, hominem per talia opera justificari? Annon penitus improbabile est, Paulum excludere à justificatione id, quod nunquam esse potest? Sed cum vi veritatis coactus fuerit fateri, *Abrahamum etiam à Paulo negari justificatum fuisse ex operibus, postquam donatus fuisset Spiritu gratiæ*, hoc commentum excogitavit de operibus in rerum Natura nunquam existentibus, ut illustrem locum Apostolicum eluderet. Sed Paulus disertè negat, *Abrahamum justificatum fuisse ex operibus, etiam cum dictum fuit, Credidit Abraham Deo &c.* qui tamen multo antea fuerat justificatus, quod agnovit Vasquez. Ergò loquitur de operibus Abrahami Spiritu gratiæ donati.)

7. Paulus negat, Abrahamum justificatum ex operibus eo tempore, quo de ipso dictum... *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam*. Gen. 15. v. 6 Rom. 4. v 3.

Jam verò juxta calculum Ariæ Montani in Chronologia jam tū *decennio antè* à Deo in gratiā receptus & justificatus erat.

8. Cum Ambrosius Catharinus Compsæ Episcopus ad dictum Salomonis Prov. 20. *Quis potest dicere, Mundavi cor meum* excepisset, *non omnem justificationis certitudinem eo negari, sed superbiam reprehendi eorum, qui suis viribus se posse justificari existimabant*, respondet Bellarminus lib. 3. de Justif. c. 4. ad 1. *id nullum Judæorum existimasse, sed apud Hebræos constantem fuisse fidem, quod purgatio peccatorum à solo Deo fiat.*

(Quod ergò Judæi jam antè constanter credebant, suis sc. viribus, adeoque operibus sine gratia factis neminem justificari, id neque Apostolus in ipsis redarguit, proinde hoc solum, *quod crederent se operibus auxilio gratiæ factis salutem mereri posse*, Apostolus unicè refellit.)

9. At, inquiunt, *Paulus vocat legem fidei*. Rom. 3 v. 27. *Si lex est fidei, igitur requirit opera ex fide facta ad justificationem.*

Resp. 1. Salmero Disp. 28. in Epist. Rom. Estius in annot. ad Rom. 3. v. 27. agnoscunt, *vocem legis vi nominis solùm significare normam seu regulam imperantem aliquid, abstrahendo quid & quale imperet.*

(Falsa igitur hæc collectio: *Fidei dicitur lex quædam esse, ergò quomodo lex Mosis* opera requirit, etiam hæc requirit opera. Invertendum potius argumentum: *Lex factorum* ideò talis dicitur, quod facta requirit, ideò *lex fidei* talis dicitur, quod fidem requirit. Quod enim legis factorum proprium dicitur facta exigere, id non fit vi vocis *legis*, sed vi attributi, nempè *factorum*.)

2. Si vel maximè detur, Apostolum dixisse, quod tamen nusquam dixit, fidei legem requirere opera, nondum tamen probatum esset, ea à lege fidei requiri ad actum justificationis. Contrarium docet tota illa Apostolica disputatio, cumprimis exempla Abrahæ & Davidis, quæ exemplificandæ regulæ causa cap. 4. subjiciuntur.

10. At, inquiunt, *si Paulus opera moralia ex fide facta ab actu justificationis excluderet, ipsam etiam fidem, utpote bonorum istorum operum radicem & fundamentum, excluderet.*

Respondet Card. Cajetanus in cap. 3. Rom. *Si quæris, quo pacto lex fidei distinguitur à Paulo contra legem operum, etiam moralium, cum etiam fides in genere operum comprehendatur, credere enim opus est nostrum. Solutio est, quod credere in eum, qui justificat impium, innititur justitiæ alienæ, scil. Dei per Christum, reliqua verò opera innituntur justitiis propriis, ut scil. quodlibet opus secundum se bonum est, & bonum reddit habentem & ideò justitia fidei distinguitur contra justitiam operum.*

11. Judæi, quibus *eloquia Dei erant concredita*, non ignorabant nec negabant, quod ad justificationem Dei gratia & promissa sit & requisita, ut ex infinitis Scripturæ locis constat. Nequaquam igitur voluerunt operibus absque Dei gratia factis justificari, quod agnoscit etiam Bellarm. lib. 3 de Justif. cap. 4. §. Catharinus &c. quorsum igitur hanc opinionem Apostolus refelleret, quæ ipsi nunquam venit in mentem?)

12. Omnes Interpp. Pontificii consentiunt, *Abrahami exemplum Rom. 4. v. 2. proponi ad confirmationem regulæ ab Apostolo traditæ in c. 3. v. 27. quod per opera legis nemo justificetur.*

(Ex eo sic concludimus. Quæ opera Abrahamum non justificarunt, ea neminem justificant. Ratio est, quia Abraham proponitur in exemplum universorum. Atqui opera ex adjuvante Dei gratia facta Abrahamum non justificarunt. Ratio est, quia quæcunque Abraham benè operabatur eo tempore, quando testimonium accepit, *quod fides ei imputata sit ad justitiam* Gen. 15. vers. 6. ea operabatur per adjuvantem Dei gratiam, jamdudum antea cap. 12. v. 3. receptus in gratiam *ædificaverat Deo altare, invocaverat nomen Dei, acceperat promissionem de benedicto semine &c.* At hæc opera omnia, quæ toto illo tempore egit, ab ejus justificatione ab Apostolo excluduntur, ut patet ex dilertis Apostoli verbis Rom. 4. v. 2. & 3.

2. Ad argumentum, *quod in plurimis Scripturæ locis nihil nominetur præter fidem, cum à Deo conferuntur in homines tùm alia beneficia, tùm præcipuè justificatio & salus*, excipiunt. 1. *in quibusdam non agi de salute spirituali justificationis, sed de salute corporali.* Matth. 9. Luc. 8.

Resp. Hanc exceptionem refellit ipse Bellarm. lib. 1. de Justif. capit. 19. *Matth. 15. & Marc. 7. apertè tribuitur fidei efficacia impetrandæ sanitatis. Neque respondere debet, aliud esse loqui de justificatione aliud de curatione morbi corporalis. Nam Dominus iisdem planè verbis tribuit fidei utramque sanitatem. Peccatrici enim dixit, fides tua te salvam fecit Luc. 7. & mulieri curatæ à fluxu sanguinis similiter dixit, Fides tua te salvam fecit.*

Matth.9. & cæco illuminato etiam dixit, Fides tua te salvum fecit. Marc.10.

Maldonatus in cap.9. Marci, cum negasset, *omnes quibus sanitas corporalis miraculo reddita fuerat, etiam animo fuisse curatos exemplo Malchi*; tamen *Cæteros*, inquit, *qui fide curati sunt, non sola, sed eadem tamen fide, quâ corpore sanati sunt, animo credimus esse sanatos.*

2. *In quibusdam agi de fide aliena.*

Maldonatus in cap. 9. Matth. *Quæ igitur amentia est, ad probandum, nos sola fide justificari, ea producere testimonia, in quibus non de propria, sed aliena fide agitur. Et tamen soli hodie multorum judicio, maximè vero suo, isti asini sapiunt.*

Resp. Per pronomen relativum αὐτῶν non tantum *portatores*, sed ipsum etiam *paralyticum* intelligendum, ex ipsis Pontificiis scriptoribus ostendimus superius art. 12. cap.2. in respons. ad arg. adversar.

3. *Intelligi fidem vivam. Eam verò non esse sine operibus.*

Resp. Aliud est, fidem justificantem non esse sine operibus, aliud justificationem esse ex fide & operibus. Bellarm. lib.4. de Justif. cap.7. *Adversarii in eo conveniunt, ut* (quod) *opera bona non sint necessaria ad salutem, nisi necessitate præsentiæ, cujus propositionis hic sensus est, ut* (quod) *opera bona fieri debeant, quia alioqui fides non esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis non est ignis, nisi calefaciat, tamen opera bona non habeant ullam relationem ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones.*

4. *Fidem solam nominari, sed non excludi alias virtutes.*

Resp. In propria hujus articuli sede, quando de modo justificationis agitur, solius fidei fit mentio & ab omni genere causæ opera excluduntur. Contarenus in cap. 4. Rom. *Notandum etiam, quod hanc imputationem justitiæ Scriptura nulli alteri rei tribuat, quam fidei.*

Huc pertinet, quod quidam ex ipsis Pontificiis agnoscant; *fidem justificare apprehendendo.* Atqui vim apprehendendi promissiones habet sola fides.

3. Ad argumentum ex dicto Prophetico, *Justus sua fide vivit*, excipiunt,

1. *Illa verba, non significare ad literam, justum hominem fieri aut reputari ex fide, sed justum ex fide, quam habet, constanter expectare, quæ Deus promisit, & non frangi aut deficere, etiamsi promissiones tardari videantur.* Bellarm. lib.2. de Sacr. c. 9. Vasquez in Thom. p.3. Disp.131. c. 5.

Resp. Paulus ad Romanos & Galatas non agit de expectatione promissionum per patientiam, sed de justificatione, eamque fidei & quidem soli tribuendam, probat ex hoc dicto Prophetico,

1. Benedictus Justinianus in cap.1. Rom. *Quæ si admittatur sententia* (Prophetam literali sensu agere de Judæorum liberatione & expectatione ejus beneficii,) *necesse est fateri, Paulum Apostolum vel Prophetæ vaticinio abusum, vel fidei nomen hoc loco nihil à fiducia & confidentia differre. Sed longè verisimilius est, vaticinari Prophetam de Christo venturo, ut existimavit Eusebius, & apertissimè docuit Hieronymus: &, ut cætera desint testimonia, unius Pauli autoritas est instar omnium.*

2. Cornelius à Lapide in cap.1. Rom. statuit, *Prophetam loqui de fide, quâ Deo quavis in re credimus, ac sententiam Prophetæ applicari fidei in Christum, tùm quia fides vera est illa, quam Deus sanxit & instituit, jam verò Deus sanxit fidem veram esse fidem in Christum Redemtorem, tùm quia fides de Cyro allegoricè repræsentabat fidem de Christo. Intendit*, inquit, *Spiritus Sanctus per Cyrum Cyri ve liberationem repræsentare Christum, Christiq; redemtionem, quâ suis fidelibus Christus vitam, justitiam, gratiam, gloriam impertit, adeò ut in Christo verissima sit hæc sententia: Justus ex fide Christi vivit.*

Et postea: *Licet Habacuc hanc sententiam ad literam applicet Judæis in Babylone captivis credentibus Deo promittenti Cyrum liberatorem, tamen affert eam quasi generalem sententiam & commune quoddam axioma aut proverbium, quod proinde rectè à Paulo Christianis quoq; applicatur.*

(Non quidem per omnia potest approbari hæc expositio. Scopus enim Prophetæ est, ostendere, qua ratione pii in quibusvis adversis sese sustentare possint & debeant, videlicet verâ & unica in Messiam fide, qua cum sciant se esse justificatos & apud Deum in gratia constitutos, omnia adversa magno animo perferant, imò contemnant: ac consequenter monet, ut in specie in malis per Chaldæos inferendis Israelitæ fide sese sustentent. Interim nobis sufficit, quod Cornelius concedit, *dictum Propheticum rectè accipi de fide Christi beneficia sibi applicante.* Dicti Apostolici Hebr. 10. v.38. ad quod Bellarminus provocat, est disparratio. Ibi enim Apostolus non allegat Propheticum dictum *ad stabiliendam fidei justitiam*, ut Rom.1. v. 17. & Gal. 3. v. 11. sed tantùm verbis Prophetæ Hebræis vitam æternam promittit ex fide, si eam retinuerint, & patienti adversitatum toleratione demonstraverint.)

2. *Prophetam non loqui de vita justitiæ, sed de vita spei, quæ justum patienter expectare facit, vel commendari illa, unde initium ducit vita justorum.* Bell.1. de Justif. c.16.

Resp.1. Thomas 2.2. q.12. art.1. sic disserit: *Fides est vita animæ. Sicut sublata vita corporali omnia membra & partes hominis à debita dispositione recedunt: ita sublata vita justitiæ, quæ est per fidem, apparet inordinatio in omnibus actibus.*

(Ergò vita justorum spiritualis non tantùm initium accipit à fide, sed etiam complementum.)

2. Cornelius à Lapide in cap. 1. Rom. quamvis evincere conetur, *justum non solùm ex fide, sed etiam spe, caritate & aliis virtutibus vivere*, tandem tamen concludit, *Prophetam Habacuc & Apostolum loqui tàm de inchoatione vitæ spiritualis, quam de incremento justitiæ & vitæ spiritualis, cum hæc sententia, Justus ex fide vivit, sit generalis & Universalis pertinens tàm ad Judæos, quàm ad Christianos, tàm ad peccatores, qui primo justificantur, quam ad eos, qui jam justificati sunt. Omnis enim horum vita spiritualis incipit, conservatur & crescit per fidem.*

Et postea: *Cum in Hebræo dicitur, Justus fide sua vivet, τὸ sua significat causam tàm inchoantem, quam conservantem vitam, ut sit sensus: Justus in fide sua vivere pergit, ut in eadem vivere cœpit.*

Disting. ergò *inter vitæ spiritualis causam & effecta.* Fides est vitæ spiritualis causa, quia Christum, qui est ipsa vita, & vitæ spiritualis causa efficiens & meritoria, apprehendit, vel quod idem est, Christus fide apprehensus & justitia Christi fide apprehensa est vita nostra spiritualis. Bona opera sunt vitæ spiritualis effecta & indicia.)

3. Idem Cornelius ibid. *Habacuc loquitur non de vita corporis, sed animæ; non naturali, sed supernaturali, gratiæ scilicet & justitiæ, quâ justus, quatenus est justus, vivit. Opponit enim hæc duo, scil. vivere, quod tribuit justo & fideli, & non habere rectam animam sive displicere Deo, quod tribuit incredulo & injusto.*

Ribera in cap.2. Habac. n.16. agnoscit, *Apostolum hic agere de vita gratiæ, quæ nulli contingit nisi fide in Christum.*

(Utique ergò agit de vita justitiæ & gratiæ.)

3. *Sensum esse, quod justus ad fidei normam vitam dirigat, sicut Medicè vivere dicitur, qui ex præscripto Medicinæ vivit; ex ratione vivere, qui rationi obsequitur.* Domin. à Soto super hunc locum, Costerus in Enchir. p. 197. Panigarola lect.9.

Resp. hac ratione loqueretur Apostolus *de vitæ in his terris conformatione*, cum loquatur *de vitæ spiritualis in his terris & æternæ in cœlis consecutione.*

Salmero Disp. 11. ad Rom. *Et si hoc loco & ad Gal 3. & Hebr. 10. de præsenti legamus, vivit, non tamen pugnat cum Hebræis vel Græcis fontibus, qui habent de futuro, vivet. Et ratio in promtu est, quia vita gloriæ futura quasi præsens possidetur per fidem, quæ est substantia rerum sperandarum, & alio loco, convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. Fide enim tenemus futurum, quia qui credit in Filium Dei, habet vitam æternã, & jam spe illam vitam vivit, interim reipsa vivit vitam gratiæ.*

4. Ad Argumentum ex Gal.2.v.16. Justificatur homo non nisi per fidem, excipiunt, per τὸ *non nisi, causam necessariam quidem, minimè verò totalem significari.*

Gretserus lib.2. de jure & more prohibendi libros noxios c. 12. contra Joh. Pap. Theol. Argent. sic disserit: *Objicit Prædicans, esse idem omninò, non justificat nisi per fidem, cum isthoc, sola fides justificat. At, inquit, quis hoc præter Prædicãtes dicit? Homo non vivit nisi per respirationem, ergò per solam respirationẽ. Homo non vivit nisi per potum, ergò per solum potum. Domus non subsistit nisi per muros, ergò per solos muros. Non pervenitur ex media Germania in Britanniam, nisi per mare, ergò per solum mare, ut alia hujus generis infinita prætercam, quæ Prædicantium insipientiam manifestissimè redarguunt.*

Resp.1. Phrasin illam, *non nisi*, non semper significare simpliciter aliquam necessitatem rei, sed aliquando etiam necessitatem totalem, sive quod idem est, tantundem valere, ac solùm, probare possumus ex ipsis Adversariis. Johann. de Turrecremata in Summ. Eccles. lib. 2. capit. 17. scribit, *in hoc etiam Apostolos cæteros Divo Petro fuisse inferiores, quod à CHRISTO acceperint Apostolici muneris autoritatem, non nisi per ipsum Petrũ,*

ubi

ubi verba *non nisi* tantundem valent, ac si dixisset, *per solum Petrum.*

(Quia soli Petro hanc eminentiam tribuunt, quod *Apostolici sui muneris autoritatem immediatè à Christo acceperit, reliqui verò Apostoli per Petrum.* Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 23.)

Similiter Maldonatus in Matth. 27. vers. 64. verba illa sua, *Christo non nisi rudes & imperitos homines credere*, sic in marg. ibidem explicat, *solos rudes & imperitos homines Christo credere.*

Costerus in Enchir. c. 17. p. 522. ex Hieronymo memorat, *Vigilantium hæreticum docuisse, non esse Diaconos ab Episcopis ordinandos, nisi prius duxissent uxores.*

Illud Bellarm. lib. 4. de Eccles. c. 9. sic explicat: *Vigilantium docuisse, Ecclesiasticos debere esse uxoratos.*

Lib. de Clericis c. 19. §. 1. *Oportere Clericos, antequam ordines suscipiant, uxores ducere.*

2. Cumprimis verò ex ipsa Scriptura hoc probari potest Marc. 13. v. 32. *De die illa vel hora nemo scit, nisi Pater*; pro eo apud Matthæum legitur cap. 24. v. 36. *nisi solus Pater.* Sic Marc. 2. v. 26. *non licebat panes propositionis manducare, nisi Sacerdotibus*: pro eo apud Matthæum legitur c. 12. v. 4. *nisi solis Sacerdotibus*, unde etiam apud Marcum in versione Latina editionis Sixtinæ additur exclusiva, *nisi solis Sacerdotibus.*

3. Quod autem in loco Apostolico *non nisi* idem significet, quod *tantum*, patet ex oppositione Apostolica in locis parallelis, ubi fides & opera, gratia & opera, credere & operari &c. in articulo Justificationis sibi invicem opponuntur.

4. Inde, quod probè notandum, Salmero Disp. 25. in Epist. ad Galat. agnoscit ἐὰν μὴ in loco Apostolico Gal. 2. vers. 16. esse exclusivam particulam. *Si petas*, inquit, *an ex ista propositione, Homo justificatur non nisi per fidem, rectè inferatur; ergò solâ fide justificatur, admittendum est, Sola enim fides hoc loco nec excludit bonos mores liberi arbitrii ad justitiam disponentes &c. nec excludit opera fidei & Spiritus &c. sed tantùm excludit opera legis & merita &c.*

(Non jam quærimus, quæ opera solius fidei inclusione excludantur, sed nobis sufficit, quod Salmero fatetur, ex propositione Paulina, *Homo justificatur non nisi per fidem*, rectè inferri, *ergò solâ fide justificatur.*)

5. Autor Indicis operum Augustini, judicavit, hæc duo (*Homo non justificatur nisi per fidem, & Homo justificatur solâ fide*) esse ἰσοδυναμοῦντα, pro eo enim quod Augustinus ex Apostolo dicit, Epist. 200. *Homo non justificatur, nisi per fidem*, in Indice posuit, *Homo justificatur sola fide.*

6. Vis veritatis Maximiliano Sandæo extorsit, ut in Castigat. Conscient. cauteriat. contra Laurentium p. 84. scriberet, *partitulam, Nisi, ut alias in Scriptura, in loco Gal. 2. v. 16. sumi adversativè, ut idem valeat, quod, sed tantum.*

(At hoc ipsum nostræ sententiæ sufficit.)

Argum. Adversariorum,

1. Jac. 2. v. 24. *Videtis, hominem justificari ex operibus & non ex fide tantùm. Ergò sola fides non justificat.*

Resp. 1. Glossa ordin. in h. l. *Quoniam Abraham per fidem sine operibus justificatus dicitur, de operibus, quæ præcedebant, intelligitur, quoniam per opera, quæ fecit, justus non fuit, sed solâ fide. Hic de operibus agitur, quæ fidem sequuntur, propter quæ amplius justificatur, cum jam per fidem fuisset justus. Unde Paulus. Fide Abraham obtulit Isaacum, cum tentaretur. Hæc oblatio est opus & testimonium fidei & justitiæ, Paulus in Abrahamo fidei constantiam, Jacobus laudat operum magnificentiam, quoniam utroq; fuit perfectus Abraham, & de utroq; in exemplum proponitur.*

(Ergò per oblationem Isaaci Abrahamus non fuit justificatus apud Deum, sed amplius justificatus, hoc est, justus cognitus apud homines, quibus oblatio illa serviebat in testimonium fidei & justitiæ Abrahami & in exemplum imitationis.

Unde Folengius Monachus verbum *justificatus* Jacob. 2. exponit, *justus ostensus, & qualis jam esset in cœlo, declaratus.*)

2. Thomas in cap. 3. Galat. *Dicendum, quod nemo justificatur ex lege, hoc est, per legem. Nam per eam quidem cognitio peccati habebatur, sed non habebatur per eam justificatio. Ex operibus enim legis nullus justificabitur. Sed contra Jac. 2. dicitur: Nonne Abraham ex operibus justificatus est? respondeo, dicendum, quod justificare potest accipi dupliciter, vel quantum ad executionem justitiæ & manifestationem, & hoc modo homo justificatur, id est, justus ostenditur ex operibus operatis.*

Idem in cap. 2. *Jac. Hic loquitur de operibus sequentib. fidem, quæ dicuntur justificare, non secundum quod justificatio dicitur justitiæ infusio, sed secundum quod dicitur justitiæ exercitatio vel ostensio, vel consummatio.*

3. Bellarminus lib. 2. de justificat. c. 16. §. Tertium testimonium, respondens ad dictum 1. Joh. 3. *Qui facit justitiam, justus est*, inter cætera sic scribit: *Hoc testimonium non docet, quid faciat hominem formaliter justum, sed unde possit cognosci, an aliquis sit justus. Ille enim justus est, qui justitiam facit, sicut ille vivens est, qui movetur, & illa est arbor bona, quæ fructus facit bonos, nec ideò vivit aliquis, quia movetur, sed contra, ideò movetur, quia vivit; & ideò facit fructus, quia est arbor bona. Sic igitur qui facit justitiam, justus est, sed non ideò justus, quia facit justitiam, sed ideò justitiam facit, quia justus est.*

(Hæc possumus applicare ad Jacobi locum hoc modo: Bona opera justificant, hoc est, tanquam effectum ostendunt, hominem esse justificatum, sicut motus arguit vitam & fructus arborem.)

4. Salmero in h. l. *Accedit Apostolus ad confutandum eorum, errorem qui inani tantùm fidei vocabulo gloriantur, & Christianam libertatem suorum peccatorum velamentum faciunt, & sibi & mundo, non autem Christo vivunt, ut canes redeuntes ad vomitum.*

(Ergò urget operum præsentiam, non autem efficientiam.)

5. Vasquez in 1. 2. Disp. 210. *Aliqui dixerunt, solâ fide sine ullis operibus homines justificari, hoc est, ex eo solum, quod credant mysteria fidei, eos justificari & salvari, etiamsi ex hac fide legem non observent & opera habeant.*

(Hanc fidem Historicâ non sufficere etiam nos statuimus.)

6. Quod *fides* dicitur *cooperata Abrahæ operibus*, id Thomas d. loco sic exponit: *quod cooperata fuerit non in actu justificationis, sed in exercitio & declaratione justitiæ acceptæ, quia fides eum duxit ad opera.*

Pererius Disp. 1. in cap. 4. Rom. n. 4. *Cuicunq; operanti fides cooperatur, & docens quid agendum sit, & incitans ad agendum, & moderans in agendo, & dirigens actionem in eum finem, ad quem referri res oportet, & fulciens & sustentans agentem, ne deficiat & ab agendo desistat.*

7. *Quod ex operibus fides Abrahæ dicitur consummata*, Dionys. Carthusianus ibid. sic exponit: *quia magnitudo fidei, qua tunc Abraham credidit Deo, postmodum est approbata Deo ac aliis declarata per hoc, quod Filium suum paratus fuerit Deo offerre, tunc itaque publicè & consummatè innotuit, quod antea Deo & Abrahamo ferè soli notum erat, Abrahamum nimirum tantopere Deo fidere posse.*

Gloss. ord. ad h. l. *Per opera fides est augmentata & approbata.*

Lyran. ad h. l. *Et ex operibus fides consummata est. Habitus enim firmatur & manifestatur per opera. Et similiter magnitudo fidei Abrahæ apparuit ex ejus obedientia offerendo Filium, propter quod dictum fuit sibi à Domino: Nunc cognovi, quod timeas Dominum, id est, cognoscere feci alios, notitia enim Dei nihil accrescit de novo.*

Thomas ad h. l. *Fides ex operibus est consummata, id est, augmentata & comprobata & ostensa.*

8. Quod *fides sine operibus* dicitur *mortua*, Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 15. §. ad quartum &c. sic exponit: *Vita non est de essentia fidei quemadmodum est de essentia hominis, sed per metaphoram dicitur fides viva cum operatur, mortua cum non operatur.*

Cajetanus citante Salmerone Disp. 3. in Epist. Jac. p. 20. per *Spiritum* intelligit (non animam, sed) *flatum sive respirationem.*

9. Pontificii in explicatione hujus loci non consentiunt.

Toletus & alii dicunt, *Paulum loqui de justificatione prima, Jacobum de secunda.*

Vasquez tom. 2. in 1. 2. D. 210. c. 8. & Cornelius à Lapid. in c. 4. Rom. dicunt, *utrumq; Apostolum de utraq; justificatione loqui, Paulum excludere opera, quæ fiunt solis liberi arbitrii viribus absq; fide in Christum; Jacobum verò includere opera facta ex fide, iisdemq; tribuere vim justificandi, in prima justificatione per modum dispositionis, in secunda per modum meriti.*

10. Quinimò Bellarm. sibi ipsi in expositione hujus loci contradicit lib. 4. de Justif. c. 18. §. Nos igitur non. Statuit enim *de justificatione secunda Jacobum loqui*, & tamen *Rahabam justificatam esse* sic explicat: *quod ex infideli facta fuerit fidelis, & ex meretrice bona*, lib. & cap. iisd. §. Quartò ex eo &c.

11. Occasio hujus disputationis apud Jacobum est προσωποληψία divitis præ paupere, quam negat Apostolus cum præstatione *legis regiæ* consistere, nisi tàm pauperi misericordia, quam diviti honor deferatur à vers. 1. usque ad vers. 14. Hanc connexionem probant Lorinus & Estius in Comm. h. l. Quia v. objici poterat, posse hanc προσωποληψίαν cum fide consistere, negat hoc Apostolus, opponens τὸ dicere & τὸ esse, ac per

 sermo-

sermocinationem refellens eos, qui fidem putabant consistere sine animo aut facto benefaciendi. Id quod clarius explicat, quando subjungit: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus*. Proinde & scopus & totus contextus ostendunt, Apostolum agere *de modo probandi hominem justum* sive *de justitia declaratione apud homines*, non de modo justificationis coram Deo.

Argum. 2. Joh. 16. v. 27. *Pater amat vos, quia vos me dilexistis. Ergò amor Christi est dispositio ad justificationem & causa amoris divini.*

Resp. Barradius tom. 4. lib. 5. Conc. Evang. c. 12. p. 197. *Fatemur, Christum dixisse, Patrem amare discipulos, quia ipsi amaverunt & crediderunt, sed negamus dixisse, amorem discipulorum fuisse priorem amore Patris. Respondemus ergò, illum amorem & fidem discipulorum fuisse effectum amoris Dei, quo illos prior prosecutus est, atq; adeò fuisse posteriorem amore Dei.*

Arg. 3. Rom. 2. v. 13. *Factores legis justificabuntur. Ergò obedientia legis est nostra coram Deo justitia.*

Resp. Bellarm. lib. 2. de justificat. c. 16. tres hujus loci affert interpretationes.

1. Quidam intelligunt *de augmento justitiæ, id est, de justificatione secunda, ut sit sensus: Factores legis augmentum justitiæ merebuntur.* Staplet. in Antid. h. l.

Sed hanc interpretationem Pererius Disp. 7. in c. 2. Rom. ut ἀπροσδιόνυσον rejicit.

(Neque id immeritò, quia opera renatorum sunt imperfecta & *ipsa justificari indigent*, ut loquitur Luth. in artic. Schmalc. id est, opus habent, ut merito Christi eorum imperfectio & immundities tegatur, nihil ergò merentur.)

2. Quidam exponunt *de nota eorum, qui legi obedire possunt, hoc sensu: qui cupiunt verè legis esse factores, dent operam, ut justificentur.* Augusti. de Spiritu & lit. c. 26.

(Hæc sententia vera quidem est, sed non accommodata textui.)

3. Quidam exponunt *de declaratione justitiæ, ut sit sensus: In judicio divino justi judicabuntur.*

(Stante hac expositione nihil accedit opinioni de merito operum & justitiæ actualis.)

4. Simplicissimè respondetur, quod sit *dictum legale*, promittens justificationem & vitam, sed cum conditione perfectæ obedientiæ, quæ cum in hujus vitæ infirmitate non detur, ideo promissiones legis nobis fiunt inutiles, ut non possit ex illis justitia coram Deo & vita obtineri. Inde Glossa ordin. in ill. loc. per *factores legis* intelligendos esse dicit *credentes in Christum, quem lex promisit.*

Arg. 4. *Fides justificat ut dispositio. Ergo non sola justificat. Ratio consequentiæ est, quia plures requiruntur dispositiones, quam fides. Antecedens probatur ex Joh. 1. v. 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Apertè docetur, eos, qui per fidem Christum recipiunt, non esse filios Dei, sed posse fieri, si pergant ulterius, ut etiam sperare & diligere incipiant.* Bellar. lib. 1. de Justif. c. 13.

Resp. 1. Si fides est tantum dispositio & præparatio ad justificationem, utique propriè loquendo fides *nec ex toto*, nec *ex parte* justificat. Ratio consequentiæ est, quia aliud est præparare, aliud efficere, proinde quantum actus differt à potentia, tantum præparatio justificationis à justificatione. Consequens Pontificii non admittunt, E. nec antecedens statuere debent.

2. Bened. Justinian. in c. 3. ad Galat. ad verba: *Omnes filii Dei estis per fidem &c.* sic annotat: *Quicunq; fidei assensum præbuerunt, Christoq; adhæserunt, inter Dei filios jure numerantur.*

3. Cornelius Jansenius in h. l. perpensâ verborum ἐξουσίας & γενέσθαι proprietate concludit: *Est sensus nostræ literæ: Dedit eis hanc excellentiam & dignitatem, ut fiant filii Dei, non quidem posteaquam eum receperunt, sed eo ipso, quod eum recipiunt.*

4. Jansenio suffragatur Pererius ibid. *Sextus modus*, inquit, *qui supradictis aliis quinque modis videtur probabilior, est Jansenii, sumtus à Cyrillo super illa verbis: Dedit eis potestatem, pro illa voce potestatem Græcè legi ἐξουσίαν, qua vox etiam significat autoritatem & jus & dignitatem. Præterea in illis verbis, filios Dei fieri, pro illo fieri Græcè est γενέσθαι, etiam significans esse. Ergò plana & germana horum verborum sententia est hujusmodi: Qui receperunt Verbum, illis tanta collata est autoritas & dignitas, tantumque datum est jus, ut sint filii Dei.*

Rectissimè, sequitur enim, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* At quomodo potest aliquis esse ex Deo genitus, qui non sit Dei filius?)

5. Johannes de la Haya in Quadrig. Evang. c. 2. adducit & approbat dictum Bedæ in h. l. *Consideremus, quanta virtus est fidei, cujus merito potestas datur hominibus filios Dei fieri! Unde benè scriptum est, quia justus ex fide vivit. Vivit enim justus ex fide, non illa, quæ labiorum tantùm confessione profertur, sed eâ, quæ per dilectionem operatur.*

6. Johannes Ferus in h. l. *Observa quod non dicit, fecit eos filios Dei, sed dedit eis potestatem &c. Primò, ut ostenderet multâ nobis opus esse diligentia, ut adoptionis nobis per Baptisma impressam imaginem puram servemus & intactam, contra eos, qui putant satis esse, quod in Baptismo filii Dei effecti sunt, interim autem per totam vitam stertunt, imò impiè vivunt. Deinde ideò dicit, dedit eis potestatem, quia his, qui nunc per fidem Christum recipiunt, datur potestas filios Dei fieri, filiatione gloriæ consummatâ in patria. Præterea ideò dicit, Dedit eis potestatem, quod nemo nobis potest auferre hanc potestatem, nisi primum nobis ipsis abstulerimus. Hinc Paulus, Quis nos separabit à caritate Dei? &c.*

(Hæ longè aliæ causæ sunt, quam quod illi, qui Christum fide recipiunt, possint fieri Dei filii, si pergant ulterius.)

Confer dicta superius in articulo de gratia & libero arbitrio c. 4. resp. ad arg. 11.

Argum. 5. *Non fidem solam, sed etiam timorem præparare ad justificationem* probat Bellarminus ex Eccl. 1. v. 28. *Qui sine timore est, non poterit justificari. Fides, inquit, justificat, quia sine fide est impossibile placere Deo. At similiter Ecclesiasticus de timore pronunciat.*

Resp. 1. Cornel. Jansenius in illum locum sic commentatur: *Iracundus mox, ut quid acciderit contra animi votum, offendetur, indignabitur atque ex impatientia in quævis vitia, retinaculo timoris Dei destitutus, prolabetur; unde de eo rectè dicitur, quod non poterit justificari, hoc est, justè vivere.*

(Ergò justificari hoc loco est justè vivere, non verò Deo reconciliari vel remissionem peccatorum consequi.)

2. Jacob. Tirinus ad h. l. sic annotat: *Qui sine timore est non poterit justificari neque Deo placere.*

(Ergò justificari h. l. est Deo placere.)

Arg. 6. *Dilectionem esse præparationem ad justificationem* probat Bellarm. ex Eccles. 2. *Qui timetis Dominum, diligite illum & illuminabuntur corda vestra*

Resp. Cornel. Jansenius ad h. l. sic annotat: *Quæ sequitur quarta sententia, Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra, nunquam est in Græcis. Videtur autem ab aliquo adjecta, ut sententiis de fide & spe adderetur sententia de tertia virtute Theologica, nempe de dilectione.*

(Ergò hæc sententia est adjectitia.)

Porrò rectè intelligitur de lumine recreationis, ut sit sensus: Qui timetis Dominum, sic diligite illum, ut etiam in tribulationibus non relinquatis eum, & certè aliquando corda vestra consolationis lumine illustrabuntur.

(Ergò non agit de justificatione.)

De reliquis dictis, ex quib. Bellarm. institutum suum probare conatur, egimus superius art. 16. c. 3. th. 2.

Thesis secunda. Non est corruptio textus, quando in versione Germanica Rom. 3. v. 24. à Luthero inserta fuit exclusiva, *sola*.

Ἔκθεσις. 1. Lutherus ipsos fontes, videlicet *textum Græcum*, inviolatos retinuit.

2. Nec *versioni Latinæ* quicquam adjecit.

3. Quæstio igitur tantùm est de *versione Germanica*, quam non ut authenticam habemus, sed de ea æquè, ut de aliis versionibus, ex fontibus judicamus.

Antithesis. Bellarm. lib. 1. de Justificat c. 16. §. Quod attinet. *Edidit Lutherus Biblia Germanica cum voce Sola Rom. 3. Sed citò fallacia deprehensa fuit inspectis Codicibus Græcis & Latinis, & qui circumferuntur, omnibus.*

Pistorius in Hodeg. p. 214. *crimen falsi, hoc nomine Luthero tribuit.*

Adamus Tannerus in Dioptra fidei lib. 1. c. 5. p. 79. *Lutherus est falsator Bibliorum, quia textui inseruit particulam Sola.* Idem repetit tom. 2. Disp. 6. q. 4. dub. 3. n. 73.

Becanus tom. 1. opusc. p. 226. *Lutherus cum illam particulam* (Sola) *non posset uspiam in sacris literis reperire, ujus est sua autoritate, & audacter illa posuit in c. 3. Rom. Et cum postea de hac re monitus esset, nihil aliud, quam hoc responsi dedit: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Cornelius à Lapide in 2. Epist. ad Corinth. p. 355. *Falsificavit Lutherus illud Rom. 3. v. 28. addendo sola*: inde etiam Lutherum in eorum ordinem redigit, qui 2. Cor. 4. vers. 2. dicuntur δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.

Petrus Cutsemius in Hyperaspist. pag. 196. scribit, *Lutherum de hoc crimine falsi in adulterando Scripturam, à suis Collegis modestè reprehensum, non semel erubuisse, sed perfricta fronte omnibus illudendo in has verba prorupisse: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Nostram sententiam probamus,

Quæcunque versio, 1. genuinam, propriam & nativam Apostoli sentiam exponit.

2. Eamque puro idiomate pro ejus linguæ proprietate exprimit.

3. Nec destituitur aliarum versionum exemplis, illa non est repudianda, multò minus calumniis deformanda. Versio B. Lutheri Germanica particulam exclusivam *Sola* Rom. 3. v. 24. addentis

1. Genuinam, propriam & nativam Apostoli sententiam exprimit. Quod enim Apostolus hoc loco dicit, *justificari nos fide sine operibus legis*, idem est cum eo, quod Gal. 2. v. 16. dicitur, *nos non justificari* ἐὰν μὴ *nisi per fidem Jesu Christi*. Atqui ἰσοδυναμοῦντα sunt, *non nisi per fidem justificari & sola fide justificari*, ut apparet ex Matth. 19. v. 9. conjuncto cum Matth. 5. v. 32. Item ex Marc. 13. v. 32. conjuncto cum Matth. 24. v. 36. Item ex Joh. 15. v. 4. Gal. 6. v. 14 Apoc. 21. v. 27. 2. Reg. 5. v. 17. ac reliquas exclusivas omnes, quas Apostolus in hoc argumento adhibet, particula sola brevissimè & nervosissimè exprimit. Quid enim aliud est justificari *sine lege, sine operib. non ex lege, non ex operib. legis, fidem imputari ad justitiam sine operibus*, quam solâ fide justificari? Ab *exceptiva negativa* ad *exclusivam affirmativam*, & vice versa ab hac ad illam valet consequentia. v. g. 2 Reg 9. v. 35. *Non invenerunt in filia Regis nisi calvariam, pedes & volas manuum.* E. tantùm calvariam, pedes & volas manuum invenerunt. 1. Paral 15. v. 2. *Non fas est, ut portent arcam Domini nisi Levitæ.* Ergò tantùm Levitæ portare debent arcam Domini. Confer Matth. 14. v. 17. Item Marci 13. v. 32. cum Matth. 24. v. 36. Item Marc. 2. v. 26. cum Matth 12. v. 4. & Luc. 6. v. 4. Qua consequentiæ firmitate & veritate hæc omnia concludunt, eadem etiam ex Gal. 2. v. 16. concludi potest, *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem*. E. tantum per fidem.

2. Eadem versio Apostolicam sententiam puro idiomate pro nativa linguæ Germanicæ proprietate exprimit. Est enim hoc Germanicæ linguæ idioma, ut in oppositione duarum vel plurium rerum ei, quæ affirmatur, majoris emphaseos & perspicuitatis gratia exclusiva adjiciatur. Jam verò hoc loco non agitur de numero dictionum, sed de phrasi ac genuina ejus loci sententia. Unde meritò observata fuit regula Augustini lib. de vera relig. c. 50. *Locutio divinarum Scripturarum secundum cujusq; linguæ proprietatem accipienda est.* Confer B. Lutherum tom. 5. Jenens. Germ. f. 140.

3. Non destituitur hæc versio similibus exemplis, Hebraicæ, Syriacæ, Græcæ & Latinæ versionis.

Primò, Deut. 4. v. 35. sic habetur: *Ut scias, quod Dominus est Deus & non est alius præter eum. Ego sum solus Jehova, Dominus ipse, Deus non amplius præter eum.* Hic locus Deut. 32. v. 39. sic exponitur: *Videte quod ego ego, id est, ego solus ipse & non Dii mecum.*

Secundò, in Syriaca versione Rom. 4. v. 5. in hoc ipso argumento exclusiva additur, quæ in textu Græco non habetur. *Ei, qui non operatur*, sed בִּלְחוֹד *tantum credit in eum, qui justificat impium.*

Tertiò, eadem exclusiva habetur ibidem Rom. 4. v. 5. in versione Arabica.

Quartò, LXX. Interpp. locum Gen. 3. v. 11. sic reddunt: *Edisti de ligno, de quo præceperam tibi* τούτου μόνου μὴ φαγεῖν *ne de eo comederes*, ubi exclusiva in Hebræo non habetur. Deut. 6. 13. αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, ubi exclusiva non habetur in Hebræo & tamen additur à LXX. Interpp. quam versionem Christus ipse confirmat Matth. 4. v. 10.

Quintò, de versione Latina paulò post dicetur.

Nostræ huic sententiæ suffragatur,

1. Quod in versione Latina, quam Concilium Tridentinum pronunciavit authenticam, pluribus in locis exclusiva additur, quæ tamen in fontibus ibidem non extat.

Levit. 21. v. 2. *Non contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis.*

Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20. Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies.*

(Maldonatus in Matth. 4. v. 10. *Non est in Hebræo, illi soli servies, LXX. tamen Interpp. & Latinus addiderunt soli, ut sententiam exprimerent.*)

Deut. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito.*

Deut. 22. v. 27. *Sola erat in agro.*

Deut. 32. v. 39. *Ego sum solus, & non est alius Deus mecum.*

1. Sam. 10. v. 19. *Abjecistis Deum vestrum, qui solus salvabit vos.*

1. Sam. 18. v. 8. *Quid ei superest, nisi solum regnum?*

1. Sam. 21. v. 6. *Neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis.*

1. Sam. 30. v. 17. *Non evasit ex eis quisquam, nisi tantùm quadringenti viri.*

2. Reg. 5. v. 15. *Verò scio, quod non sit alius Deus in universa terrâ, nisi tantùm in Israel.*

2. Reg. 7. v. 7. *Animas tantùm suas salvare cupientes.*

2. Reg. 14. v. 4. *Nisi hoc tantùm, quod excelsa non abstulit.*

2. Reg. 19. v. 11. *Tu ergò solus poteris liberare.*

2. Reg. 23. v. 9. *Sed tantùm comedebant infermentata.*

2. Paral. 2. v. 6. *Ad hoc tantùm, ut adoleatur incensum coram illo.*

2. Paral. 20. v. 12. *Hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

Esth. 3. v. 2. *Solus Mardochæus non flectebat genua.*

Cap. 4. v. 13. *Quod animam tantùm tuam liberes.*

Jobi. 17. v. 1. *Solum mihi superest sepulchrum.*

Cant. 8. v. 1. *Quis mihi det &c. ut inveniam te solum foris.*

Jerem. 17. v. 4. *Et relinqueris sola ab hereditate tua.*

Dan. 11. v. 4. *Hæ autem sola salvabuntur de manu ejus.*

Zach. 8. v. 19. *Veritatem tantùm & pacem diligite.*

2. Quod in versione Chaldaica, (quam Pontificii non repudiant, sed magnificiunt) exclusiva alicubi additur, cum tamen non habeatur in textu Hebræo.

Gen. 32. v. 10. Targum Jonathan sic habet: *Cum baculo meo solo transivi.*

Huc pertinet, quod Syriaca & Græca LXX. Interpp. versio, (quarum utramque Pontificii approbant) exclusivam alicubi addunt, cùm tamen non habeatur αὐτολεξεὶ in textu authentico, ut paulò antè in confirmatione nostræ sententiæ demonstravimus.

3. Quod in versione Bibliorum Italica exclusiva additur in loco parallelo Gal. 2. v. 16.

Anno 1546. edita sunt Venetiis Biblia Italica, in quibus verba Apostoli Gal. 2. v. 16. quod *non justificetur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi*, sic reddita sunt:

Noi per Natura Judæi & non de la genti peccatori, sapendo che l'huomo non si guistifica de le opere de la legge ma solo per la fede di Giesu Christo (*per solam fidem Jesu Christi*) & noi in Christo Giesu credamo.

M. Gian Francesco Virginio Bresciano hoc scripsit ex Epistola Pauli ad Romanos 3. & inscripsit Madamæ Renatæ Ducissæ Ferrariensi di Bolognia Anno 1551. Venetiis. Hovi io pure homai scoperti per impii & iniqui: è fatto chiaramente videre, che non per la osservatione della lege, ma sola per la fiducia nei meriti de Gieſu Christo, potere giustificarvi presso à Dio è salvarvi. *Demonstravi hactenus, nos esse impios & injustos & clarè ostendi, quod non per observationem legis, sed per solam fidem & fiduciam in meritum Christi coram Deo possitis justificari & salvari.*

4. Quod in versionibus quibusdam Germanicis ante B. Lutherum editis exclusiva habetur.

Frater Nass in virulento scripto contra Formulam Concordiæ fol. 248. fatetur, *in lingua Germanica particulam* nur *æquipollere particulæ* allein.

Atqui locus parallelus Gal. 2. v. 16. in Bibliis Germanicis ante Lutheri versionem editis, videlicet in Bibliis excusis Augustæ Ann. 1477. in Bibliis excusis Herbipoli Ann. 1483 per Antonium Koberger/ in Bibliis excusis Augustæ Vindelicorum Anno 1507. per Johan Otmarn sumtibus Rimmani ab Otingeri; in Bibliis excusis Augustæ Ann. 1518 per Sylvanum Otmarn; sic fuit redditus: Wenn wir wissen/ daß der Mensch nicht wird gerechtfertiget aus den Wercken der Ehe/ nur durch den Glauben Christi/ und wir gläuben in JEsu Christo/ daß wir werden gerechtfertiget aus dem Glauben Christi/ und nicht aus den Wercken der Ehe.

Rayhingius (adhuc Pontificius) in Manuali Catholico contra Dn. D. Hoe p. 392. fatetur, *in Bibliis Germanicis ante Luthe-*

rum Anno 1483. Norinbergæ apud Antonium Coburgerum impressis extare exclusivam allein.

D. Mentzerus in Exeg. Aug. Confess. art. 4. pag. 144. (al. edit. p. 181.) *Inspexi Confluentiæ in Bibliotheca Jesuitarum antiqua Biblia Germanica, ante Lutherum edita, in quibus habetur, Rom. 3. particula exclusiva* allein durch den Glauben ohne die Werck der Ehe. *Veteres enim Germani legem vocarunt* die Ehe / *ut multis exemplis demonstrari potest.*

In *Bibliotheca Senatus Spirensis* duo habentur exemplaria Bibliorum Germanicorum vetustissima, quorum utrumque particulam εἰ μὴ Gal. 2. v. 16. reddidit per nur/quod in vernacula nostra lingua idem valet quod allein.

In Bibliis Germanicis Augustæ per Hansen Schößperger/ Ann. 1490. excusis, locus Apostolicus sic redditur: Wenn wir meinen daß der Mensch gerecht gemacht werde durch den Glauben ohne die Werck der Ehe.

5. Quod & Eccius & Dietenbergerus in versione sua Germanica Ingolstadii impressa per Alexandrum & Samuelem Weyssenhorn Ann. 1550. loca illa, quæ habent particulas ἐὰν μὴ, εἰ μὴ nisi, expresserunt per vocem allein.

4. Reg. 5. v. 15. *Verè scio, quod non sit alius Deus in universa terra nisi in Israel.* Eccius ita vertit: Warlich weiß ich / daß kein GOtt in allem Land/ denn allein in Israel.

Ibid. v. 17. *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* Eccius ita vertit: Denn dein Knecht wird forthin nicht Brandopffer oder Opffer opffern frömbden Göttern/denn allein dem HErrn.

Marc. 13. v. 32. *De die illa vel hora nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius, nisi solus Pater.* Eccius. Von dem Tage und Stunde weiß niemand/auch die Engel nicht im Himmel/auch der Sohn nicht/ sondern allein der Vater.

Apoc. 21. v. ult. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Eccius reddidit. Und wird nicht hinein gehen irgend ichtes Befleckes/sondern allein/die/so geschrieben sind in dem lebendigen Buch des Lambs.

6. Quod quidam agnoscunt in illis dictis, quæ fidei justificationem tribuunt, subintelligendam esse particulam exclusivam.

c. Caritas est aqua. dist. 2. de pœnit. *Soli fidei venia promittitur.*

Et postea: *Sola fide peccata relaxantur.*

Benedictus Pererius Disp. 9. in c. 3. Rom. ad illa verba, *per legem cognitio peccati*, addit: *Oportet in hac Pauli sententia intelligere ac supplere adverbium tantùm, hoc modo: Per legem fit cognitio tantùm peccati*, idq; haud dubiè ideò fecit, quia Rom. 7. dicitur, *peccatum non cognovi nisi per legem.*

(Cur ergò B. Luthero vitio vertitur, quod Rom. 3. v. 24. addiderit exclusivam *tantùm*, cum Apostolus similiter dicat Gal. 2. v. 16. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem tantùm?*)

Benedictus Justinianus in c. 3. Rom. tom. 1. f. 129. *Cum lex solùm præstet* (*sic enim accipiendum est*) *cognitionem peccati, non potest ullo modo justitiam impertiri. Nec enim dubium est, subaudiendum esse tantùm, q. d. Apostolus, legem nihil præter peccati cognitionem præstare posse, atque idcircò justitiam nequaquam tribuere, cum ad justificationem multò plura requirantur, quocirca Hieronymiani commentarii: Per legem non remissio peccati est, sed cognitio tantùm.*

Huc referri possunt omnia, quæ in thesi præcedente membr. 1. allata.

7. Quod Augustinus Hunnæus in prodidagm. Dialectic. f. 31. agnoscit, *quod exclusiva tantùm aut sola æquivaleat locutioni de aliquo aliquid affirmanti, & de alio idem neganti.*

(Jam verò de fide Apostolus affirmat, quod justificet, de operibus idem negat, quod justificent. Ergò perinde est sive dicam, fidem justificare absque operibus, vel fidem solam justificare.)

8. Titelmannus in sua paraphrasi voculam ἐὰν μὴ Gal. 2. v. 16. expressit per hæc verba: *sed tantùm.* Fatetur ergò illud ἐὰν μὴ adversative positum æquipollere exclusivæ.

Guilielmus Estius ad eundem Pauli locum sic annotat: *Constat, voculam nisi frequenter in Scripturis adversativè sumi, ut idem valeat, quod sed tantùm, quemadmodum etiam superiore capite admonuimus ad illa verba, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant. Sic autem intelligi debere hoc loco, non modò doctissimi quiq; Interpretes, Græci & Latini, consentiunt, verum etiam satis colligitur ex his, quæ Pauli post sequuntur.*

9. Melchior Canus lib. 2. Locor. Theol. c. 11. §. Quod si objicias &c. sic scribit: *Negatur ista collectio, si ab Interprete proficiscitur, extra sacras literas est. Nam Particula, quæ ad servandam vel congruitatem vel intelligentiam in sacrarum literarum interpretatione additur, non censetur à sacris literis aliena.*

(Atqui ita comparatum est cum particula *sola* in c. 3. Rom. Ergò non est assumentum erroneum.)

10. Idem Canus lib. ejusd. c. 18. §. Ad illud &c. de LXX. Interpp. sic scribit: *Certum est, quæ detraxerint, bonâ fide hac & prudenti fortasse consilio detraxisse; quæ adjecerint, ea sine dolo adjecisse: constat enim eos nonnullis locis magis paraphrasin, quam interpretationem edere.*

Lib. ejusd. cap. 13. in fine. *Hieronymus in libro de ratione interpretandi Horatianum præceptum illud, Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres; etiam in sacris literis interpretandis magnopere commendat, & in Epistola ad Augustinum asserit, sensuum potius veritatem, quam verborum se ordinem observasse. Et ad Suniam & Fretellam boni Interpretis regulam ponit, non verba verbis quasi paria & demensa respondeant, sed sensus sensui. Quid quod Cicero in libro 3. de finibus ait, verbum è verbo exprimere indisertos Interpretes solere.*

(Idipsum pro versione Lutheri responderi potest, videlicet quod in translatione hujus loci magis paraphrasin, quàm interpretationem edere voluerit.)

Thesis tertia. Quamvis sola fides justificet, tamen non est sola, sive à bonis operibus separata.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio de inani fidei persuasione, vel falsa de fida gloriatione, nec de fide Historica in nuda notitia consistente, sed de vera, viva, justificante & salvifica fide, illam dicimus non posse à bonis operibus separari.

2. Non est quæstio, an fides definitione distinguatur à reliquis virtutibus, ad quas singulæ pertinent operationes bonæ, sed an separari ab illis possit.

3. Non est quæstio de bonis operibus externis, sed de interiore renovatione. Quamvis enim verè credens non semper nec statim proferat bona opera exteriora, tamen interioris renovationis beneficium, ex quo bona opera externa oriuntur, cum beneficio justificationis ac regenerationis semper est conjunctum.

4. Bona opera, sive caritatem, sive interiorem renovationem non dicimus formam fidei justificantis, sed ejus immediatum consequens, effectum & inseparabile adjunctum.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. *Infidelitate ipsa fides amittitur. Sed quocunq; alio mortali peccato non amittitur fides.*

Et postea: *Divina legis doctrina à regno Dei non solùm infideles excludit, sed & fideles quoq; fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosq; omnes, qui lethalia admittunt peccata.*

Dominicus à Soto lib. 2. de Natura & gratia capit. 7. cum posuisset, *fidem, spem & caritatem esse virtutes non ratione modò, sed re objecto & subjecto discretas*, subjunxit, *fidem, spem, caritatem adeò non ratione modo, sed re etiam sejungi, ut possit esse fides, possit esse spes absq; caritate.*

Alphonsus à Castro lib. 7. advers. hæreses, verbo Hæreticus, hæres. 3. *Super quodlibet peccatum mortale amittitur fides, ergò omnis, qui mortaliter peccat, est infidelis. Si infidelis est, oportet necessariò, ut aut Judæus, aut Saracenus, aut paganus, aut hæreticus sit, quoniam nulla alia infidelitatis species huc usq; à viris doctis assignata est.*

Bellarminus lib. 1. de Justificat. c. 3. §. 2. *Dissentimus ab ipsis* (Lutheranis) *in eo, quod ipsi fidem, quam dicunt solam justificare, docent nunquam esse posse solam; nos contra dicimus, non justificare solam, sed tamen posse esse solam.*

Lib. ejusd. c. 10. *Adversarii fidem negant esse veram, nisi sit viva & fructus bonorum operum pariat*, quam sententiam lib. ejusd. c. 15. variis argumentis impugnat, demonstrare conatus, *veram fidem posse à dilectione aliisq; virtutibus separari.*

Franciscus Costerus in Enchirid. p. 178. *Sicut optimi nobilissimiq; Medici, cum non ignorantia, sed fragilitate Naturæ præcepta artis, quam callent, intemperanter vivendo violant, juxta illud, Video meliora proboq;, deteriora sequor; scientiam medendi non amittunt: ita Christianus, qui contra conscientiæ dictamen in leges fidei peccat, nec fidem amittit, nec desinit esse Christianus. Nam hoc ipsum conscientiæ dictamen, quo peccator metu gehennæ terretur, est opus fidei, sicut interna Medici admonitio ab arte proficiscitur.*

Nostram

Nostram sententiam probamus,

1. Ex Christi per fidem in nobis habitatione. Ubi Christus adest per gratiosam inhabitationem, ibi quoque Spiritus Sanctus habitat. Jam verò *per fidem Christus* gratiosè *habitat in cordibus nostris* Eph. 3. vers. 17. Ergo etiam Spiritus Sanctus. Ubi verò Spiritus Sanctus habitat, ibi etiam apparent *fructus Spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia &c.* Gal. 5. v. 23. & 24.

2. Per fidem Christus *in nobis vivit* Gal. 2. v. 20. Quæ verò Christi vita? caritas, mansuetudo, patientia, humilitas. Ergò ubi vera fides, ibi etiam Christi vita per ejusmodi virtutes sese exerit.

3. Fides est vera & salutaris Dei cognitio. Jam verò omnis, qui *peccat, non vidit eum nec cognovit eum* 1. Joh. 3. v. 6. *In hoc scimus, quod cognovimus eum, si jussa illius observamus.* 1. Joh. 2. v. 3. & 4. *Qui repellunt bonam conscientiam circa fidem naufragium faciunt.* 1. Tim. 1. v. 19.

4. Fides est spiritualis *lux* animæ. Eph. 5. vers. 8. At ubi hæc spiritualis lux, ibi spargit bonorum operum radios. Matth. 5. v. 16.

5. *Fides est victoria, quæ vincit mundum.* 1. Joh. 5. v. 4. *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* 1. Joh. 2. vers. 16 Ubi securè adhuc illis indulgetur, ibi mundus non est victus & per conseq. ibi non est vera fides.

6. *Fide purificantur corda.* Act. 15. v. 9. Ubi ergò securè indulgetur peccatorum sordibus, ibi non habet locum interior cordis puritas & per conseq. nec vera fides.

7. Luc. 7. v. 43. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* v. 50. *Fides tua te salvam fecit.* Ergò fidei, per quam remissio peccatorum obtingit, consequens & effectum est Dei dilectio.

8. *Fide datur Spiritus Sanctus*, Eph. 1. v. 13. Gal. 3. v. 2. & 26. cap. 4. v. 4. At Spiritus Sanctus *impellit ad omnis generis bona opera.* Rom. 8. v. 14.

9. 1. Tim. 5. v. 8. *Qui non habet suorum curam, fidem negavit & est infideli deterior.* Ergò qui dilectione destituitur, etiam fide destituitur. *Fides est efficax per dilectionem.* Gal. 5. v. 6. Ergò qui fidem justificantem habet, etiam dilectionem habet & non potest non suorum curam habere.

10. 1. Joh. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.* Joh. 1. v. 12. *dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus.* v. 13. *qui ex Deo nati sunt.* 1. Joh. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ejus manet in ipso, & non potest peccare, quia ex Deo natus est & cognoscit Deum.* v. 8. *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas est.* Ex illis sic colligimus: Qui credit in Christum, ex Deo natus est. Qui ex Deo natus est, peccatum non facit, id est, non indulget peccatis, nec permittit eis dominium. Ergò qui credit in Christum, peccatum non facit.

Item. Qui ex Deo natus est, Deum diligit. Qui fide Christum recipit, ex Deo natus est. Ergò qui fide Christum recipit, Deum diligit. *Qui Deum diligit, is etiam proximum diligit.* 1. Joh. 4. v. 20. Qui fide Christum recipit, Deum diligit. Ergò qui fide Christum recipit, etiam proximum diligit, & per conseq. vera & salvifica fides à dilectione DEI & proximi non potest separari.

11. Hab. 2. v. 4. *Justus fide sua vivit.* Ergò fides est vita spiritualis animæ. Jam vero ubicunque est vita, ibi exerit se per vitales operationes.

12. *Fides sine operibus est mortua* Jac. 2. v. 17. nec potest justificare, cum sit inane & mortuum fidei simulachrum. Ergò fides justificans est viva, per studium bonorum operum sese perpetuo exerens.

13. Si fides cum peccatis contra conscientiam consistit, ac adulteri, fures, masculorum concubitores, avari, quos Apostolus *extorres regni cœlestis* pronunciat, 1. Cor. 6. v. 9. & 10. Gal. 5. v. 21. per peccata mortalia non amittunt fidem, sed veram fidem adhuc retinent, consequens fuerit, etiam vivam fidem habentes esse vitæ æternæ extorres. Consequens repugnat manifestis Scripturæ dictis. Joh. 3. v. 15. & 36. c. 5. v. 24. Rom. 10. v. 11. 1. Joh. 5. 12.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fidem cum bonis operibus indivulso nexu conjungunt.

Gregorius Episc. Rom. homil. 22. in Evang. *Quantum credimus, tantùm diligimus.*

Homil. 26. in Evang. *Ille verè credit, qui exercet operando, quod credit.*

Idem homil. 29. in Evang. *Fortasse unusquisq; apud semetipsum dicat, Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit, Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Johannes ait: Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vita nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. Itaq; unusquisq; vestrûm ad considerationem suam mentis oculos reducat, & si servat post Baptismum, quod ante Baptismum spospondit, certus jam, quia fidelis est, gaudeat.*

Bernhardus serm. 2. de resurrect. col. 133. *Fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est, opera, quæ dedit mihi pater, ipsa testimonium perhibent de me. Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam esse asserit in semetipsa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaq; vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit, vita verò fidei caritas est, quia per illam operatur.*

Idem. serm. 15. in Ps. nonag. *Hic fructus notitiæ Domini clamor orationis, porrò fructus clamoris exauditio Salvatoris.*

Idem sermone ad Pastores in Synodo. *Neminem vestrûm credo esse hæreticum. Omnes creditis in Deum trinum & unum, quia passus sit & sepultus: quia descendit & ascendit. Facit tamen hæc fides Catholicum? Hac fide utiq; Dæmones essent Catholici, quia (ut dicit Jacobus) credunt & contremiscunt. Verum utiq; Catholicum facit non fides communis Dæmonibus & hominibus; sed ea tantùm, quæ communis est hominib. & Angelicis Spiritibus. Quæ est illa? quæ per dilectionem operatur.*

Idem Epist. 42. ad Archiepisc. Senonensem *fidem aliam dicit mortuam esse, aliam fictam, aliam probatam. Mortuam* illam vocat, *quæ non operatur per dilectionem.*

Idem sermon. in octava Paschæ. *Putasne filium Dei reputat Jesum, quisquis est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis attemperat, nec consiliis acquiescit? nonne is, etiamsi fateatur se nosse Deum, factis tamen negat?*

c. Ubi sana. caus. 24. q. 1. ex Augustino. *Ubi sana fides non est, non potest esse justitia, quia justus ex fide vivit.*

(Si itaque fides est vita justi, & hic vivit per fidem, tùm habet suam justitiam, quæ est ejus vita per fidem. Jam verò ex fide mortua & bonis operibus destituta nec justitia, nec vita, haberi potest.)

c. Caritas est aqua. dist. 2. de eodem. *Dominus dicit: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Qui ergo non habet vitam æternam, in Christum non credit. In Christum verò credit, qui caritatem habet. In Christum quippe credere est amando in ipsum tendere. Hæc est fides, ut definit Apostolus, quæ per dilectionem operatur. Huic duntaxat remissio delictorum promittitur. Quod si caritas à fide Christianorum sejungi nequit, cui scil. soli venia promittitur, quomodo, qui caritatem non habuerit, fidem Christianorum habuit, id est, in Christum credidit? quomodo ergò veniam delictorum accepit? quam si non accepit, quomodo non omnia prorsus opera æternis sunt ferienda suppliciis? Item Dominus, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui ergò non vivit in æternum, non manducavit panem vivum, sed qui non manducaverit, in eum non credidit. Hoc est enim manducare panem vivum, quod credere in Christum, id est, amando tendere in ipsum.*

Lombardus lib. 3. sent. dist. 23. lit. D. *Aliud est credere in Deum, aliud credere Deum, aliud credere Deo. Credere Deo est credere vera esse, quæ loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini sed non in hominem. Credere Deum, est credere, quod ipse sit Deus, quod & mali faciunt. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & ejus membris incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.*

Thomas 1. 2. q. 66. art. 4. *Fides & spes sine caritate possunt quidem aliqualiter esse, perfectæ autem virtutis rationem sine caritate non habent. Cum enim fidei opus sit credere Deo, credere autem sit alicui propria voluntate assentiri; si non debito modo velit, non erit opus fidei perfectum; quod autem debito modo velit, hoc est, per*

caritatem, quæ perficit voluntatem. Omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit.

Stephanus Brulifer q. 3. prolog. sentent. *Fides sic est in intellectu, ut quantum in se est & de sui ratione nata sit movere affectum, ut Deum diligat & ut bonus quis fiat.*

Joh. Taulerus conc. 1. in die ascens. Christi. S. Augustinus spricht/das ist nicht ein wahrer Glaube/ der nicht mit lebendiger Liebe und mit den Wercken eingehet mit GOtt/ so man allein gläubet mit dem Munde.

Nicolaus Cusanus Cardin. lib. 5. Excitat. *Non potest mens scire Deum & non diligere; non potest esse vera scientia Dei, ubi non est caritas.*

Georgius Cassander in consult. art. 4. de Justif. pag. 916. *Illud accuratè observetur, si sola fide apud populum homo justificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem, tametsi sola justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessario pœnitentiam & vitæ melioris propositum adjunctum habere, ut videlicet inanem quandam & adumbratam imaginem fidei pro solida & expressa fide amplectamur. Providit hoc quoq; Lutherus in Visit. Saxon. Multi (inquit) dum audiunt, ut solummodò credatur, omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi. Hujusmodi autem carnalis securitas pejor est omni errore, qui ante hoc tempus unquam fuit.*

Joh. Ferus in cap. 1. Joh. p. 14. *Credere est semen verbi Dei amore susceptum impregnata mente portare, quod tantæ virtutis est, ut animæ substantiam in suum vigorem transferens, ex hominibus Deos; ex filiis iræ filios gratiæ faciat: vel aliter credere in nomine ejus est illum credere Salvatorem mundi, & pro Salvatore colere & monitis ejus acquiescere.*

Idem in c. 3. Joh. v. 18. *Fidei promittitur vita æterna, ut radici bonorum operum; operibus autem ut fructibus radicis. Item incredulitati, ut radici; peccatis autem ut fructib. adscribitur damnatio.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Approbamus hanc orationem libri* (Aug. Confess.) *nempe obedientiam erga legem Dei necessariam esse in reconciliatis, puta renatis & Evangelio credentibus, & quod existere fides non possit aut valeat, nisi in pœnitentibus, cum nos nihil diversum sentiamus. Præterea quod ait, inter bona opera præcipuum est, summus cultus Dei ipsa fides, nec enim colitur aut invocatur Deus, si absit Dei cognitio, & nisi adsit fides, quâ creditur esse Deus. Verba valdè pia sunt, ubi inquit: Cum fide agnoscimus misericordiam Dei, confugimus ad Deum, diligimus, invocamus, speramus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia jam scimus, non esse filios Dei & placere Deo nostrum sacrificium, nostras afflictiones.*

Et postea: *Subjungemus plura libri verba. Et hac fide, quæ consolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum Sanctum, qui datur, ut gubernet & adjuvet nos, ut peccato ac Diabolo resistamus, & magis infirmitatem nostram agnoscamus, & in nobis crescat agnitio Dei, timor, fides &c. Posthac pulcrè dicunt; De hac obedientia etiam docemus, eos, qui admittunt peccata mortalia, non esse justos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut resistamus vitiosis affectibus. Qui autem non repugnant, sed obtemperant eis contra mandatum Dei & admittunt actiones contra conscientiam, hi sunt injusti, & neq; Spiritum Sanctum, neq; fidem, id est, fiduciam misericordiæ retinent. Nam in his qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, ne potest quidem fiducia existere, quæ quærat remissionem peccatorum.*

Gropperus in Enchiridio c. de pœnitentia. *Tertia fidei ratio est, quâ in Deum credimus, solis piis peculiaris, quæ certissima quædam fiducia est, quâ totos nos Deo submittimus, totiq; à gratia & misericordia Dei pendemus. Hæc & spem complectitur & caritatem individuam comitem habet.*

Sadoletus Epistola ad Genevenses. *Est enim amplum & plenū vocabulum fidei, nec solùm in se credulitatem & fiduciam continet, sed spem etiam & studium obediendi Deo, & illam, quæ in Christo maximè perspicua nobis facta est, principem & Dominam Christianarum omnium virtutum caritatem.*

Johannes Rivius lib. 2. de religione, pag. 357. operum edit. Basil. allegat locum quendam ex Sadoleto Cardinali. *Quin lapsu & titubatione aliquando fidelis possit offendere, nos nihil contradicimus; habitus, propositum, deliberatio delinquendi à vera fide alienissima sunt.*

Frider. Nausea Viennensis Episcopus Cent. 1. homil. 66. *Sine fide nemo unquam vitam æternam habebit, vel quamlibet moraliter bonus, nempe quæ sit illa fides, quâ & in qua, ex qua & per quam solam Deus ipse solus maximus nos justificat, perinde atq; instrumento ad justificationem imprimis necessario, bona opera necessario secum afferente.*

Jacob. Schopperus Presbyter Coloniensis in explicat. Epist. in festo Andreæ p. 2. *Audivimus ex adductis à Paulo Scripturæ testimoniis Rom. 10. fidem invocationem nominis Dei operari. Per invocationem verò non solùm oratio & confugium ad Deum intelligi debet, sed & Dei glorificatio. Item gratiarum actio, & quicquid deniq; ad cultum Dei pertinet. Non est igitur otiosa vera fides, sed cognitum Deum invocat, hunc laudat, huic gratias agit, huic servit, ad hujus beneplacitum totam vitam componit, hoc est, ad hujusmodi effectus credentes impellit. Qui verò hisce carent, horum fides mortua est, imò inane fidei simulachrum.*

Idem conc. 6. in Epist. festi D. Andreæ p. 12. *Fides hæc includit obedientiam, peccati fugam & vitæ novitatem. Nam qui verè credit, Jesum esse Dominum, huic quoq;, ut servus Domino suo, obaudit. Qui autem credit, Jesum pro se mortuum esse & resurrexisse, is quoq; peccatis moritur & justitiæ vivit.*

Idem conc. 6. in Evang. festi D. Thomæ p. 119. *Usq; adeò peccatum est incredulitas, ut hanc vel solum unicumq; peccatum vocet Dominus Jesus in Evangelio. Joh. 16. non quod non alia præterea peccata sint, sed quod illa omnium aliorum scelerum sit & fons & fomes. Si enim crederemus ex animo, & justos juxta Dei verbum manere præmia, & flagitiosis æterna parata esse supplicia, aut nunquam certè aut rarò admodum peccaremus. At quia neutrum ferè seriò credimus, tàm liberè & citra metum ullum in quævis scelera proruimus eheu, sumusq; proin non tàm incredulo Thomæ similes, quàm eo pejores.*

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 3 Joh. v. 16. *Fidem Johannes memorat, non quod sola nudaque sufficiat, sed quod fidem, si sincera est, cætera facilè consequantur, & ex ea tanquam radice nascantur.*

2. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. *fidem* dicit *esse initium, fundamentum & radicem omnis justificationis.* Et tamen *anathema* dicit iis, *qui per peccata mortalia veram fidem amitti sentiunt.*

(Contra sic concludimus: Quod est fundamentum & radix omnis justificationis, id non potest cum omni injustitia consistere. Fides est fundamentum & radix omnis justificationis. Ergò non potest cum omni injustitia consistere, quod tamen asserit Concilium c. 15. & can. 28.)

Secundò, Hieronymus Natalis Jes. in meditat. super Evangelia, quæ in Missæ sacrificio leguntur, Dom. 17. post. Pentec. p. 545. *Habet hanc vim vera & firma de Deo fides, ut pariat primum Dei intelligentiam, deinde progrediatur cum Dei auxilio ad effectum fidei consentaneum. Cùm igitur illa prima pars fidem Dei proponit, concipitur extemplo in mente pia Dei illustris intelligentia, & integer animus totâ fertur voluntate, & totus homo ad id amandum, quod per fidem in ejus mente viget. Neq; verò ad salutem intelligi absq; errore potest, ut verus Deus, infinita bonitas, potentia, veritas, essentia non debeat toto affectu, totâ mente & intellectu, totâ animâ, omnibus viribus & virtute, toto homine amari,*

(Si vera fides habet hanc vim, ut pariat amorem Dei, utiq; non potest à Dei amore separari.)

Tertiò, Joh. Ferus in c. 1. Joh. v. 9. docet, *fidem amitti per quodcunq; peccatum mortale,* quem hoc nomine, tanquam contra Conc. Trid. sentientem, refellit Dominicus Soto, sed Censuram Dominici ut ineptam refellit Michael Medina, apud Sixt. Senens. lib. 6. annot. 179.

(At si fides non consistit cum peccato mortali, utique non est sine bonis operibus.)

Quartò, Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 15. object. 1. *Improbi fidem negant non corde vel ore, sed opere, & de iisdem scribit Gregorius homil. 29. in Evang. eos non veraciter credere & non habere veram fidem, qui non benè operantur.*

(Si non habent veram fidem, qui non benè operantur, utique vera fides à bonis operibus separari nequit.)

Quintò, idem lib. 1. de Justif. cap. 13. *per fidem Christus formatur in nobis.*

(Si per fidem Christus in nobis formatur, utique fides non poterit esse sine bonis operibus.)

Sextò, Benedict. Perer. Disp. in c. 4. Rom. *Cuicunq; operanti fides cooperatur, & docens quid agendum sit, & incitans ad agendum, & moderans in agendo, & dirigens actionem in eum finem, ad quem referri res oportet, & fulciens & sustentans agentem, ne desistat & ab agendo desistat.*

(Si fides incitat ad benè agendum ac benè agenti cooperatur, utique non potest à bonis operibus separari.)

Septimò, Michael Ghislerius in Cant. Cantic. cap. 2. v. 14. exposit.

exposit. 2. p. 561. *Corde creditur ad justitiam, inquit Apostolus; dum credere, quod est actus fidei & intellectus, assignat cordi, quod est subjectum amoris, indicat profectò fidem bonam, per quam Ecclesia dignoscitur, esse cum caritate, atq; cum virtutib. reliquis, quod confirmat verbum, quod ultimò adjecit, ad justitiam. Justitia quippe, prout ibi sumitur, est in consummata omnium virtutum perfectione.*

(Si bona fides est cum caritate & reliquis virtutibus, utiq; vera fides non potest à bonis operibus separari.)

Argumenta Adversariorum,

1. Joh. 12. v. 42. de Principib. Judæorum dicitur. *Veruntamen multi ex Principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Hic Evangelista testatur, in illis Principib. fuisse fidem absq; caritate.* Bellar. lib. 1. de Justif. cap. 12. Barrad. Salmer. Maldon. in h. l. Censur. Colon. p. 109.

Resp. 1. Aut hi Principes metu fuere repressi, quo minus libere & publice Christum confiterentur, sicque ex infirmitate peccarunt, ac nihilominus veram fidem, licet infirmam, in corde suo retinuerunt; & tunc respondemus ex Thom. 2. 2. q. 3. art. 3. *Confiteri fidem non semper neq; in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scil. per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo & utilitas proximis impendenda*: aut ex ambitione & præpostero honoris proprii studio in casu necessariæ confessionis eandem scientes ac volentes suppresserunt, non ex *infirmitate*, sed *malitia* contra conscientiam peccantes, quod verbis textus magis congruit; & tunc respondemus ex editione Bibliorum Lugdunensi, quæ in notis marginalibus hujus loci remittit nos ad verba Christi Joh. 5. v. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?*

(Ergò illos ipsos, quos Evangelista dicit in Christum credidisse, Christus negat posse credere, cum gloriam hominum divinæ gloriæ præferant. Ne igitur contradictio statuatur in verbis Christi & Evangelistæ, statuendum omninò est, in verbis Evangelistæ haudquaquam veram & salvificam fidem, sed Historicum duntaxat assensum Principibus illis Judæorum tribui.)

2. Toletus in Comm. h. l. statuit, agi hic *de fide Historica, & ea quidem imperfecta.*

3. In eandem sententiam concedit Lorinus in Comm. Act. 9. v. 4. *Non est, inquit, perpetua illa differentia Scholasticorum petita ex Augustino, credendi Deo, Deum, in Deum, vel in Deo &c. Et certum est, concedi ab ipso Augustino de fid. & operibus cap. 14. quod fideles omnes etiam peccatores credunt in Deum, quod concedit quoque Bernhardus serm. 24. in Cant. aliiq;. Quis etiam credat, Principes illos, qui dicuntur credidisse in Christum, sed non ausi sunt confiteri &c. caritate præditos fuisse?*

(Si non fuere præditi caritate. Ergò nec justificante fide, quia *vera fides per caritatem est efficax* Gal. 5. v. 6.)

Arg. 2. Joh. 15. v. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit eum. Ergò potest esse aliquis per fidem palmes in Christo vite, ut tamen non ferat fructum bonorum operum.*

Resp. 1. Villagudus in h. l. sic commentatur: *Quomodo est palmes in Christo, qui non adfert fructum? Respondeo. Hic loquitur de eo, qui nominetenus est Christianus, qui secundum externam speciem videtur palmes, non autem ex fide viva est. Is est sicut Zizania in regno Dei, hoc est, in Ecclesia, & putres pisces in reti Evangelico, & carens veste nuptiali in nuptiis Christi.*

(Per palmites in se non ferentes fructum Christus intelligit primò apostatas, qui à vera & viva fide, per quam Christo prius insiti fuerant, deficiunt, ut colligitur ex v. 6. cumprimis etiam vers. 5. Secundò hypocritas, qui sunt in externa visibilis Ecclesiæ societate, ac sua & aliorum opinione videntur Christo insiti.

2. Cornel. Jansenius in Conc. Evang. cap. 135. *Hinc discendum, quosdã esse in Christo velut inutilia sarmenta, nihilque prodesse homini, quod sit in Christo, nisi in eo etiam fructum proferat Christo dignum, hoc est, non sufficere credidisse in Christum & in eo baptizatum esse, si non etiam per caritatem proferuntur fructus Evangelici.*

(Hæc necessariò accipienda de fide Historica, quia vera & salvifica fides est efficax per caritatem, Gal. 5. v. 6.)

3. Estius ad h. l. sic annotat: *Ergò sunt aliqui palmites in Christo, fructũ tamen non ferentes, & proinde amputandi à vite Christo. Sunt ergo etiam mali in Ecclesia.*

(Mali non sunt verè credentes, nec vera & viva Ecclesiæ membra. Christus hîc loquitur de malis. Ergò non loquitur de verè credentibus.)

Arg. 3. 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Ergò fides haberi potest sine caritate.* Bell. d. l. Cens. Colon. p. 109. Tirinus in h. l.

Resp. 1. Ex Vasquez tom. 2. in 1. 2. Disp. 210. cap. 4. *Vox illa omnem non denotat gradum intensionis aut extensionis in eodem fidei habitu, nec ullus ita intellexit Paulum, sed significat totam & integram fidem, hoc est, sine hæsitatione & incredulitate ulla, sicut in præced. Disp. c. 4. explicavimus.*

Ibi verò n. 27. locum hunc hisce verbis explicat: *Theophylactus rectè exponit illud 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c. ut per omnem fidem intelligatur tota, integra & sincera fides, nempe quæ omnem dubitationem & formidinem pellat. Sic enim videtur integra & tota, cum alias admixta formidine dici possit non integra, sed mutila & decurtata. Hoc autem planè declaravit Dominus Matth. 21. & Marc. 11. cum de fide miraculorum ita loquitur. Amen dico vobis, si habueritis fidem & non hæsitaveritis, non solùm de ficulnea facietis, sed etiam si monti huic dixeritis, tollere & mittere in mare, fiet.*

(Ergò ex vocabulo πᾶσα non potest colligi, Apostolum loqui *de fide justificante*, sed loquitur tantum *de fide miraculorum*, à qua bona opera separari posse concedimus.)

2. Bened. Justinianus in h. l. *Multa hoc loco in unum congerit Apostolus, quæ absque caritate nihil prorsus esse affirmat; idque ex hypothesi, sive illa à caritate sejungi possint, sive secus.*

(Cum quo congruit expositio Basilii Epist. 75. ubi dicit, *Apostolum hyperbolico modo voluisse excellentiam caritatis describere.*)

3. Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 15. test. 2. concedit, *hanc locutionem Apostoli esse hyperbolicam, ac argumentum ductum à conditione impossibili.*

Ibid. concedit, *fidem miraculorum separatam esse posse reipsa à caritate.*

(Fides justificans non est separata à caritate. Fides miraculorum est separata à caritate. Ergò fides miraculorum non est fides justificans.)

4. Salmero Disp. 21. in 1. Cor. 13. *de fide non communi, non ordinaria, sed miraculosa* locum exponit.

(Pari ratione Chrysostomus homil. 29. in 1. Corinth. Oecumenius, Theophylactus, Theodoretus in h. l. non de fide δογμάτων sed σημείων eum accipiunt. Oecumenius notanter dicit, Apostolum non intelligere καθολικὴν πίστιν, ἀλλ᾽ εἶδος χαρίσματος ὁμωνύμως τῇ πίστει λεγόμενον.)

Arg. 4. Jac. 2. v. 14. & seqq. docet Apostolus, *fidem sine operib. non justificare, & tamen sine operibus inveniri posse.*

Resp. de hoc loco egimus in thesi. 1. proximè præcedente.

CAPUT IV.

De causa formali justificationis.

THesis. Causa formalis nostræ coram Deo justificationis consistit non in *inhærente justitia*, sed in *imputatione justitiæ Christi & peccatorum remissione.*

Ἔκθεσις. 1. In voce *justitiæ imputativæ*, prout Pontificii eâ utuntur, est æquivocatio. Imputativum enim potest accipi vel *tanquam definitivum ejus justitiæ*, ut veritatem justitiæ neget; vel *attributum externum veræ justitiæ.* Posteriore modo significat justitiam, quæ imputabilis est aliis, v. g. si dicerem, *reatum Adæ esse imputativum*, id est, imputabilem aliis & imputari. Priore modo significat non *veram*, sed *putativam justitiam.* Atque hæc est mens Jesuitarum, quando justitiam, quâ justificamur, vocant imputativam, ut pro *putativa & falsa* eam ducant.

2. Quando fides sumitur *pro actu credendi*, dicitur ea *imputari ad justitiam* tanquam causa instrumentalis, & ratione ordinis, quem Deus in justificatione vult observari, ut ipse sit dans, fides accipiens. Quando verò fides *pro re credita seu objecto fidei* sumitur, dicitur ea imputari ad justitiam tanquam materia justificationis, quia tale objectum est pretiosissimum Christi meritum.

3. Quamvis gratuita peccatorum remissio & justitiæ per Christum partæ imputatio docendi gratia *duæ quasi partes justificationis* à quibusdam vocentur, illæ tamen vel realiter à se invicem non differunt, vel certè à se invicem separari non possunt cum Apostolus unum eorum de altero directè affirmet, & unum per alterum reciproca affirmatione probet Rom. 4. v. 4. & 5.

4. Duo sunt in quovis peccato, à quo in judicio Dei justificandi seu absolvendi sumus, *vitium & supplicium*, ut loquitur Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 24. illud tollitur *imputatione justitiæ*

justitiæ Christi, hoc *remissione peccatorum*, propriè enim pœna remittitur, quando culpa non imputatur.

5. Justificatio duo complectitur, *absolutionem à pœna & acceptationem in gratiam*. A pœna absolvimur, quia imputatur nobis per fidem Christi satisfactio; in gratiam acceptamur, quia imputatur nobis per fidem Christi obedientia.

6. *Unus est imputationis actus, sed modus ejus geminus*, στερητικὸς scilicet ac θετικός. Nam peccata, quæ in nobis sunt, non imputantur, & hæc vocatur *remissio peccatorum*; vicissim justitia Christi, quæ in nobis non est, nobis accepta fertur, & hæc vocatur *Dei acceptatio*. Cum quo congruit illud, quod quidam dicunt, *formam justificationis esse imputationem tum negativam*, peccatorum videl. nobis inhærentium non imputationem seu remissionem Psalm. 32. v. 1. Luc. 1. v. 77. Rom. 3. v. 25. 2. Cor. 5. v. 19. tùm *affirmativam*, justitiæ videlicet Christi nobis non inhærentis imputationem seu applicationem Jer. 23. v. 6. Rom. 4. v. 5. 1. Cor. 1. v. 30. 2. Cor. 5. v. ult.

7. Causa formalis vel notat *ipsam totam rei quidditatem*, vel *causam quidditatis eam, per quam res est id, quod est*. Si totam quidditatem notat, dicimus justificationis formam esse remissionem peccati, seu absolutionem à pœna peccati, & acceptationem in gratiam ad vitam æternam propter Christi meritum fide apprehensum. Si per formam intelligatur præcisè non tota quidditas, sed id duntaxat per quod res est, id quod est, dicimus, hoc nihil aliud esse, quam meritum Christi per fidem imputatum vel meriti Christi fide apprehensi imputationem.

8. Proinde non est quæstio, an putativè tantùm & κατὰ δόξαν justificemur, quod nobis falsò tribuunt Pontificii. Imputativa enim justitia non est putativa & imaginaria, sed vera justitia, licet non inhæreat.

9. Neque hoc in quæstione est, an cum remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi interior renovatio semper sit conjuncta, quod libenter concedimus. Christus enim sua passione & obedientia non tantùm nobis promeruit *peccatorum remissionem*, sed etiam *Spiritus Sancti donationem*, hæc beneficia Filii Dei dicimus esse perpetuo conjuncta, ita ut quando remissionem peccatorum fide accipimus, simul etiam detur Spiritus renovationis, sed tamen in illa interiore renovatione, utpote peccatorum remissionem sequente, & in hac vita adhuc imperfecta, non potest statui vel meritum vel causa formalis nostræ coram Deo justificationis.

10. Neque quæstio est, an interior illa renovatio & quæ ex ea profluunt, bona opera possint vocari *justitia*, quod libenter concedimus, cum disertis verbis hoc doceat Apostolus 1. Joh. 3. v. 7. & 8. Sed justitiâ illa vel habituali in interiore renovatione; vel actuali in bonis operibus consistente nos coram Deo consistere posse, & formaliter justos esse, id verò negamus, cum utraque sit imperfecta & multis peccatorum sordibus contaminata.

11. Punctum igitur quæstionis hoc est: An propter meritum Christi fide apprehensum, an propter virtutes nobis infusas & inhærentes coram Dei judicio justificemur, adeoque à pœnis peccatorum nostrorum absolvamur, & in gratiam ad vitam æternam acceptemur? Prius affirmamus nos, posterius Pontificii. Illi enim justitiam Christi pro nobis legi Dei tàm vitæ sanctitate, quam passione præstitam in actu justificationis faciunt tantùm *causam meritoriam*, & ut ipsi nominant, *moralem*, negant verò eam esse *objectum imputationis*, & quando nobis imputata est, *causam formalem justitiæ*, quâ coram Deo consistimus, quorum utrumque à nobis affirmatur.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Unica formalis causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisq; secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

Et postea: *Id in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atq; ipsis inhæret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & caritatem.*

Petrus à Soto in Scholiis ad Confess. Wittenberg. cap. de Justificat. *Propter has virtutes, (fidem, spem & caritatem) intrepidè Catholica fides hominem justum esse coram Deo confitetur.*

Salmeron. tom. 15. p. 20. *Revera nullibi Scriptura, aut Ecclesia, aut Patres, aut ullum œcumenicum Concilium tradit, quod ipsa Christi passio, mors & obedientia ita nobis imputentur ad justitiam per fidem, ut sit ipsa res, qua nos coram Deo justificamur.*

Bellarm. lib. 2. de Justificat. c. 2. §. 3. scribit, *nos justificari formaliter propter novitatem nobis inhærentem, non propter meritum Christi, quod inhærere non potest.*

Ibid. *Si formalis causa justificationis est justitia inhærens, non igitur justitia Christi imputata vel sola remissio peccati sine renovatione hominis interioris. Etsi justitia inhærens est formalis causa absolutæ justificationis, non igitur requiritur imputatio justitiæ Christi, quæ justificationem alioqui inchoatam & imperfectam absolvat.*

Lib. ejusd. cap. 7. *Nuspiam legimus, Christi justitiam nobis imputari.*

Ibid. argum. 4. *Fieri non potest, ut justitia Christi nobis imputetur.*

Costerus in Enchirid. p. 341. *Cur Dæmones Dæmonumque ministri hanc impiam de justitia, continuisq; in hominis anima sordib. peccatorum doctrinam in hunc orbem invexerint, non alia causa est, quam ut homines vitio suo ad malum satis ex se propensi, virtutibus operam non darent. Neq; multum soliciti essent de purgandis animis à peccatis, quandoquidem nec ipse Christus hoc efficere potuerit, ut anima mundaretur, sed sibi persuadeant, parum referre, qualiacunq; peccata habeant, modò Christi justitiam fide apprehensam sibi prætendant, & quasi altero velo peccata sua tegant.*

Summa ergò doctrinæ Pontificiæ de causa formali justificationis in eo consistit,

Primò, *imputationem justitiæ* Christi negant, imò exsibilant. Andradius in defens. fid. Trident. p. 477.

Staplet. in Antidot. Apostol. p. 97. vocat *amentissimam insaniam & spectrum cerebri Lutherani.*

Wilhelmus Rainoldus lib. contra Witaker. p. 324. vocat *Mathematicum solifidianum commentum.*

Cornel. à Lapide in c. 4. Ephes. *larvatam justitiam.*

Forerus in laq. Luther. p. 46. *Nonne ridiculum est, hominem esse justum & nihil intrinsecæ justitiæ habere? fornacem esse calidam & nihil in ea caloris esse?*

D. Michael Bentzius im Gegenbericht von Rechtfertigung deß Sünders für GOtt. Es liegt oder fehlet ihnen (den Evangelischen) allein an dem / daß sie noch nicht gar droben im Himmel sind / sondern erst hinauff fahren müssen. Ich trüge aber Sorge / weil Christus sonst alle Ding für sie verrichtet hat / weil er für sie gehorsam / geduldig und demütig gewesen / für sie gefastet / gebüsset / gebetet / die Gebot Gottes gehalten ꝛc. Also und der Gestalt / daß sie davon gefreiet weren / er würde auch mit der Weise für sie gen Himmel gefahren seyn / und sie ihres Theils auch nicht drein fahren dürffen / sondern mit ihrer schönen consequentz, argumentiren oder schliessen herunden und heraussen in nobis Hauß bleiben müssen.

Bailius Jes. in Catech. controv. tract. 4. q. 2. *Justitia imputata est justitia incrustata, similis sepulchris dealbatis, quæ extra nitent, intus fœtent.*

Et postea: *Dicimus, justitiam imputativam esse meram Chimæram & somnium Calvini. Dissimulationem Deo tribuit, quia dicit, Deum quidem agnoscere peccatum, quod in animabus nostris residet, quod tamen nobis non imputat. Est Deum mendacii accusare, quia nobis imputaret, quod nostrum non est, sed Filii sui.*

(Atqui an non posset idem affirmari de imputatione peccatorum nostrorum Christo facta?)

Et postea: *Quis audebit dicere claudum aliquem Vulcanum rectâ incedere alienis tibiis? Quis deformem & gibbosum Thersitem formoso Absoloni comparabit propter imaginariam pulchritudinem, quæ in eo non residet! Quis fumosum Cyclopem & fuliginosum Timotheo Atheniensi æquabit in faciei albedine & cæsariei flavo colore per aliquam albedinem mutatam ab alio solius phantasiâ operâ?*

Censura Coloniens. Dial. 5. p. 155. adducit versiculos cujusdam Poetastri, quibus justitiæ imputationem exsibilat:

Ponis justitiam tibi imputatam,
Non quæ ponitur orthodoxe inhærens,
Cur hoc? es malè conscius tibi ipse,
Cui ut justitiæ nihil, sed ingens
Contra injustitiæ lues inhæret.
Hinc spes omnis abest tuæ salutis,
Ne quis justitiam det imputatam.
Esto justitia imputetur absens,
Ut respondeat ergò condecenter
Jus causæ, meritoq; retributum,

Sic

Sicut justitia est tibi imputata,
Sic mercede frueris imputata
Proq; injustitia, quæ tibi inhæret,
Est & pœna tibi futura inhærens.

Secundò, statuunt, ut in omnib. mutationib. naturalibus antecedunt quædam, quæ subjectum præparant ad suscipiendam formam: ita etiam in hac spirituali mutatione hominis peccatoris præcedere quasdam dispositiones, quibus homo præparetur ad suscipiendam novam justitiæ formam. Illas dispositiones statuunt esse *meritum de congruo justificationis.*

Tertiò, postquam homo sese ad justificationem disposuit ac præparavit, tùm dicunt *Deum infundere homini justitiæ habitum*, quo peccata penitus extinguantur & homo formaliter justus reddatur & ad vitam æternam accepte tur. Hanc vocant *justificationem primam.*

Quartò, ex illo infuso justitiæ habitu profluunt omnis generis bona opera, per quæ hominem justificari dicunt *meritoriè* & quidem *ex condigno.* Hanc vocant *justificationem secundam.* Habitualem illam & infusam justitiam dicunt esse eam, per quã *formaliter* justi nominemur & simus; actualem verò justitiam sive opera bona dicunt nos justificare, sed *meritoriè* non formaliter.

Inde etiam Quintò, *sanctificationem à justificatione* minimè distinguunt. Conc. Trident. sess. 6. can. 7. *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus.*

Nostram sententiam confirmant.

1. Dicta illa Scripturæ, 1. quæ hominem justificari docent *sine operibus* Rom. 3. v. 20. cap. 4. v. 2. Galat. 2. v. 16. Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 5. Phil. 3. v. 9. Operum enim nomine non solùm ab actu justificationis excluduntur opera externa, sed etiam virtutes interiores, id quod patet ex oppositionibus Apostolicis. Quod ex lege est, illud non justificat Rom. 3. v. 21. c. 4. v. 13. Gal. 2. v. 21. Omnia opera omnesque virtutes sunt ex lege, vel pertinent ad legem, quia lex est doctrina operum. Ergò opera & virtutes non justificant. Justificatio est *ex Evangelio* Rom. 3. v. 21. c. 4. v. 12. Fides, non opera pertinent ad Evangelium. Ergò. Quod Abrahamum non justificavit, id nec nos potest justificare. Virtutes & opera, sive justitia inhærens & actualis non justificavit Abrahamum Rom. 4. v. 3. Ergò nec nos potest justificare. Justitia fidei est vera coram Deo valens justitia. Rom. 10. vers. 4. Phil. 3. vers. 9. Virtutes & opera non pertinent *ad justitiam fidei sed legis.* Phil. 3. vers. 9. Ergò non sunt justitia coram Deo valens.

2. Quæ testantur, nos *gratis & ex gratia* justificari Act. 15. v. 10. Rom. 3. v. 24. c. 4. v. 16. cap. 5. v. 15. 17. & 21. c. 11. v. 6. Gal. 2. v. 2. cap. 5. v. 4. Eph. 1. v. 5. 6. & 7. cap. 2. v. 8. Tit. 3. v. 7. Quod gratis datur, ejus rei nullum potest esse in accipiente fundamentum. At justificamur gratis. Ergò justificationis causa formalis vel meritoria in nobis non datur.

3. Quæ testantur, nos *sola fide justificari*, quæ enumerata sunt superius. Si virtutes seu infusus habitus nos justificaret, justificatio non tribueretur soli fidei. Apostolus omnes justificationis causas accuratè exponit Rom. 3. 4. Gal. 2. sed nuspiam eis annumerat caritatem, spem ac reliquas virtutes, sed solo Christi merito fide apprehenso nos justificari docet.

4. Quæ testantur, justificationem consistere *in remissione peccatorum & imputatione fidei.* Rom. 3. v. 25. cap. 4. v. 5. & seqq. 3. Cor. 5. v. 19. Act. 13. v. 38. & 39. Luc. 18. v. 13. &c. Si tota hominis justificatio consistit in remissione sive non imputatione peccatorum & imputatione justitiæ Christi; tùm non virtutes inhærentes, sed imputatio justitiæ Christi per fidem, vel quod idem est, remissio peccatorum propter Christum erit causa formalis nostræ justificationis. At verum prius. Ergò.

5. Quæ docent, *Christum esse nostram justitiam* Jer. 23. 6. 1. Cor. 1. v. 30. 2. Cor. 5. v. ult. Rom. 5. v. 19. cap. 10. v. 3. & 4. Act. 15. v. 10. cap. 19. v. 38. ex quibus sic concludimus: Quæ justitia à DEO nobis donatur, ut per eam justificemur, illa est formalis nostræ justificationis causa. Atqui justitia Christi; quam sua obedientia & passione nobis acquisivit, à Deo nobis donatur, ut per eam justificemur. Ergò justitia Christi est formalis causa nostræ justificationis.

2. Rationes. 1. Justitiam, quæ coram Deo consistere debeat, oportet esse perfectam & puram. Atqui justitia inhærens est imperfecta ac reliquis peccati commixta, ut testatur imperfectio & immundities operum, quæ sunt justitiæ inhærentis effectus. Ergò.

2. Reconciliatio nostra cum Deo præcedit infusionem virtutum, quia homini nondum reconciliato nullæ infunduntur virtutes, utpote quæ proveniunt à gratiosa Spiritus Sancti inhabitatione. Atqui reconciliamur Deo per justificationem. Ergò etiam justificatio præcedit virtutum infusionem, & per conseq. virtutes nequeunt esse forma justificationis, cum consequens non possit esse forma antecedentis.

3. Justificatio nostra ita comparata est, ut excludat omnem gloriationem. Justificatio per infusum justitiæ inhærentis habitum non excludit omnem gloriationem. Ergò.

4. Si per inhærentem justitiam coram Deo justificari deberemus, conscientia nostra nunquã posset esse quieta & tranquilla, quippe innitens infirmo fundamento, justitia scil. inhærente, quæ est imperfecta.

5. Cui peccatum, quod habet, non imputatur, & justitia, quam non habet, imputatur, ei non imputatur justitia propria, sed aliena, certo modo applicata.

(Ubi enim peccatum adhuc inhæret; ibi non potest esse inhærens justitia perfecta; qualis ad justificationem coram Deo requiritur: & si justitia perfecta nobis inesset, non opus esset peccati deprecatione & remissione.)

At credentibus in justificatione peccatum, quod habent, non imputatur, & justitia, quam non habent, per fidem imputatur. Ergò credentibus in justificatione non propria, sed aliena justitia imputatur.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, justitiam Christi per fidem nobis imputari.

Leo Episcopus Romanus Epist. 70. ad Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum: *Ut repararet omnium vitam, recipit omnium causam & vim veteris chirographi, quod plus inter omnes non debuit, pro omnibus solvendo vacuavit, ut sicut per unius reatum omnes facti fuerũt peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante justitia, ubi est humana suscepta Natura.*

Anshelmus in 2. Corinth 5. *Deus fecit Christum peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Ipse factus est peccatum sicut nos justitia, non nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso; sicut ipse factus est peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum.*

(Ex Augustini Enchiridio cap. 41. cùm quo congruit illud Nazianzeni, de Filio orat. 2. τὸ μὲν ἀνυπότακτον ἑαυτοῦ ποιεῖται, ὡς κεφαλὴ τοῦ σώματος &c. τὴν ἀφροσύνην ἡμῶν, καὶ τὸ πλημμελὲς οἰκειοῦται.

Bernhardus serm. 43. in Cant. Col. 625. *Pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare volui; collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, periculorũ in falsis fratribus. Et mihi hic salutaris fasciculus servatus est, nemo eum tollet à me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum &c.*

Idem serm. 61. in Cant. col. 675. *Quid non boni in petra? in petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Ubi tuta firmaq; securitas, nisi in vulnerib. Salvatoris? Tantò illic securius habito, quantò ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur; non cado; fundatus enim sum supra petram firmam. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur; quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tàm ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Ego fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quia misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus & pedes ejus, latusq; lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi surgere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo &c. Meum proinde meritum miseratio Domini; non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit inops. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim si multorum mihi conscius delictorum? nempe ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno & usq; in æternum, ego quoq; misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid justitias meas? Domine, memorabor justitiæ tuæ*

tua solius, Ipsa est enim & mea, nempe factus es mihi tu justitia à Deo. Nunquid verendum, ne non una ambobus sufficiat? non est pallium breve, quod secundum Prophetam non possit operire duos. Justitia tua justitia in æternum & te pariter & me operiet larga & æterna justitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem Domine, quid nisi pietatis thesauros, divitias bonitatis.

(Quæ Bernhardi verba adducit & approbat Corn à Lapide in 1. Petr. 3. 23.)

Idem Epist. 190. ad Innocentium Papam Col. 920. *Justè homo (Diabolo) addictus, sed misericorditer liberatus. Sic tamen misericorditer, ut non defuerit justitia quadam & in ipsa liberatione, quoniam hoc quoq; fuit de misericordia liberantis, ut (quod congruebat remedio liberandi) justitia magis contra invasorem quam potentia uteretur. Quid namq; ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus Diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit suâ, & ipsa sic est: Venit Princeps hujus mundi, & in Salvatore non invenit quicquam, & cum nihilominus innocenti manus injecit; justissimè, quos tenebat, amisit, quando is, qui morti nihil debeat, accepta mortis injuria, jure illum, qui obnoxius erat & mortis debito, & Diaboli solvit dominio. Quâ enim justitia id secundò homo (ab homine) exigeretur? Homo siquidem qui debuit, homo qui solvit. Nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit, nec alter jam inveniatur, qui fortè fecit, alter qui satisfecit, quia caput & corpus unus est Christus. Satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis &c.*

Et postea: *Subjecit me illi* (infernali Labani) *causa secretior peccati, subduxit me illi ratio occultioris justitiæ. Aut si gratis venundatus sum, gratis non redimar? &c. Quod si dixerit, Pater tuus addixit te, respondebo, sed frater meus redemit me. Cur non aliunde justitia, cum aliunde reatus? Alius, qui peccatorem constituit alius qui justificat à peccato. Alter in semine, alter in sanguine. An peccatum in semine peccatoris, & non justitia in Christi sanguine? Sed justitia, inquiet, sit, cujus est, quid ad te? Esto. Sed sit etiam culpa cujus est, quid ad me? An justitia justi super eum erit & impietas impii non erit super eum? Non convenit filium portare iniquitatem patris, & fraternæ fieri exsortem justitiæ. Nunc verò per hominem mors, & per hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; quoniam non sic illi attineo, ut non & isti. Si illi per carnem, & per fidem huic &c.*

Ibid. col. 921. *Justum me dixerim, sed illius justitia. Quænam ipsa? Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Deniq; qui factus est nobis, inquit, justitia à Deo Patre. Quæ ergò mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta justitia? Et sanè mihi tutior donata quam innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum, illa autem cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi, nisi in Domino &c. Hæc est justitia hominis in sanguine Redemtoris.*

Ibid. *Patet, quantum humana Sacramento salutis* (Abailardus) *invideat, quantum, quod in ipso est, evacuet alti dispensationem mysterii, qui totum de salute tribuit devotioni, gubernationi nihil: qui nostra gloriam redemtionis & summam salutis non in virtute crucis, non in precio sanguinis, sed in nostra constituit conversationis profectibus.*

Idem serm. ad milites templi capit. 11. col. 408. *Qua ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille jam solvit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando justitiam, ipse mortis debitum solvit & reddidit vitam. Sic namq; mortua morte revertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit justitia. Porro mors in morte Christi fugatur & Christi nobis justitia imputatur.*

Ibid. col. 409. *Quid enim? unus peccavit, & omnes tenentur rei, & unius innocentia soli reputabitur uni? Unius peccatum omnibus operatum est mortem, & unius justitia uni vitam restituet? Itane Dei justitia magis ad condemnandum, quam ad restaurandum valuit? aut plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono! Adæ peccatum imputabitur mihi, & Christi justitia non pertinebit ad me? Illius me inobedientia perdidit & hujus obedientia non proderit mihi?*

Guilielmus lib. 1. Vitæ Bernhardi c. 13. col. 1886. *Infirmabatur aliquando homo Dei & velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore fluebat. Unde exhausto corpore usquequaq; deficiens paulo minus ad extrema devenit &c. Cumq; extremum jam trahere Spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Affuit autem & Satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi verò ille omnia fuerat prosecutus, & viro Dei pro sua parte fuit dicendum, nil territus aut turbatus ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum, cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vindicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, & homo Dei in se reversus est.*

Johannes Taulerus Concion. Argentin. in præfat. super Evang. Joh. An. 1502. Augustæ Vindelicorum per Sigismundum Grimm publicata: Wenn du gläubest / daß Christus von deiner wegen Mensch ist worden / zu Erfüllung der Zusagung Abraham / und seinem Samen geschehen / im Gesetz und Propheten.

Item. Daß er von deiner wegen gelitten / gestorben und begraben ist / sich selber als ein wahrer Bischoff zur Abtilgung der Sünden auffgeopffert.

Item. Daß er vom Tode aufferstanden / und als ein eingeborner Sohn GOttes allen/die an seinen Namen gläuben / daß er GOttes Sohn sey/verliehen Gottes Kinder zuwerden / und das ewige Leben zubesitzen/ so hastu warlich alles/ daß du gläubest/ und wird dir durch solchen Glauben zugeeygnet was Christus hat. Also erfüllest du das Gesetze/daß es dich nicht beschuldiget/ sterbest der Sünde/ daß sie dir nicht schade / erstehest der Gerechtigkeit/die du hoffest/und wirst neugeboren in ein göttlich Leben.

Et postea: Also ist aus Krafft des Glaubens durch Wirckung Gottes alles das dein/was Christus hat/ und das Christi/ was du hast. O wie grosser Wechsel! Hieraus kömpt es / daß dir keine Sünde schaden / kein Gesetz dich beklagen mag / denn GOtt nimt das Leben und Sterben Christi an / gleichsam wäre es dein eygen.

Idem in meditat. vitæ Christi à Surio editis cap. 7. pag. 61. *Christus omnia mundi peccata in se recepit, tantumq; pro illis ultro assumsit dolorem cordis, ac si ipse ea perpetrasset.*

P. 64. in persona Christi. *Quandoquidem peccatum Adæ inultum abire non potest, obsecro te, Pater cœlestis, ut ipsum in me vindices, ego enim omnia illius peccata in me recipio. Si hæc iræ tempestas propter me orta est, mitte me in mare amarissimæ passionis &c. atq; ita omnia mundi peccata in se Agnus innocens recipit.*

Caspar Ulenbergius in libro, qui continet causas, cur ad Romanam Ecclesiam sit redeundum, causa 14. refert, in Sacrario Parochiali Ecclesiæ Coloniensis haberi librum Ann. 1475. scriptum, quo semper ab eo tempore, nimirum ab annis centum & amplius in visitandis & ad mortem præparandis ægrotis usi sunt Presbyteri. In eo quæstiones aliquot reperiri, quas Anshelmo tribuunt, proponendas illis hominibus, qui ad mortem feliciter obeundam præparantur. Inter illas quæstiones hanc esse postremam: *Credisne te non posse salvari, nisi per mortem Christi?* respondet infirmus, *Etiam. Tum dic illi: Age ergò dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, in hac morte totum te involve. Et si Dominus Deus te voluerit judicare, dic: Domine mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & tuum judicium, aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic: Mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine mortem D. N. J. C. obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusq; merita offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo. Si dixerit, quod tibi est iratus, dic: Domine mortem D. N. J. C. oppono inter me & iram tuam.*

Similia occurrunt in Hortulo animæ edit. Ann. 1518. & in Speculo artis moriendi edit. Ann. 1512.

(At quid aliud est, credentes involvere se in morte Christi & merita Christi offerre pro merito, quod habere debuissent, quam credentibus Christi justitiam imputari?)

Ante cœptum reformationis opus B. Lutherus in mediis Papatus tenebris ad Georgium Spenlein Augustinianum Eremitam in Conventu Memmingensi feria 3. post Misericordias Domini Anno 1516. sic scripsit: *Quid agat anima tua, scire cupio, utrumne suam tandem pertæsa propriam justitiam, discat in justitia Christi respirare atq; confidere? Fervet enim nostra ætate tentatio præsumtionis in multis, & iis præcipue, qui justi & boni esse omnibus viribus student, ignorantes justitiam Dei, quæ in Christo est nobis effusissime & gratis donata, quærunt in seipsis tamdiu operari benè, donec habeant fiduciam standi coram Deo velut virtutibus & meritis ornati, quod est impossibile fieri. Fuisti tu apud nos in hac opinione, imò errore, fui & ego. Sed & nunc quoque pugno contra istum errorem, sed nondum expugnavi. Igitur, mi dulcis frater, disce*

Christum

Christum & hunc crucifixum, disce ei cantare & de teipso desperans dicere ei: Tu Domine Jesu es justitia mea, ego autem sum peccatum tuum; tu assumsisti meum & dedisti mihi tuum; assumsisti quod non eras, & dedisti mihi, quod non eram. Cave, ne aliquando ad tantam puritatem aspires, ut peccator tibi videri nolis, imò esse. Christus enim non nisi in peccatoribus habitat. Ideò enim descendit de cœlo, ubi habitabat in justis, ut etiam habitaret in peccatoribus. Istam caritatem rumina, & videbis dulcissimam consolationem ejus. Si enim nostris laboribus & afflictionibus ad conscientiæ quietem pervenire oportet, ut quid ill eo rtuus est? Igitur non nisi in illo per fiducialem desperationem tui & operum tuorum pacem invenies. Disces insuper ex ipso, ut, sicut ipse suscepit te, & peccata tua fecit sua, & suam justitiam fecit tuam. Si firmiter hoc credas, sicut debes, maledictus enim qui, hoc non credit ita & tu fratres tuos indisciplinatos & adhuc errantes suscipe & patienter sustineas, atq, ex eorum peccatis facias tua, & si quid boni habes, illorum esse finas. Extat hæc Epistola tom. 1. Epist. fol. 11.

Albertus Piggius Cardinalis & Autores Antididagmatis Coloniensis in artic. de Justificat. agnoscunt, *justitiam nostram unquam posse esse talem, ut judicium Dei sustineat, ideò necessariam esse imputationem justitiæ Christi;* quam esse ipsorum sententiam fatetur Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 1.

Ac Gretserus p. 91. Labyrynthi scribit: *Piggius & Antididagma Coloniense impegerunt in vestrum errorem de imputativa justitia.*

Sed Piggius expresse dicit, *in Ecclesia Catholica sic doceri.*

Autores Antididagmatos Theologi Colonienses contra Reformationem Hermanni Archiepiscopi tit. de Justific. per quas causas justificemur, asserunt, *consummatam Christi justitiam esse eam, quâ primò justificamur, non quomodo extra nos in ipso est, sed sicut & quando eadem nobis imputatur ad justitiam, dum tamen fide apprehenditur. Hæc ipsa,* inquiunt, *nobis imputata justitia Christi præcipua est & summa justificationis nostræ causa.*

Verba autem Piggii de fid. & justif. contr. 2. pag. 47. sic habent: *Dissimulare non possumus, hanc vel primam doctrinæ Christianæ partem* (de Justificatione) *obscuratam magis, quàm illustratam à Scholasticis, spinosis plerisq, quæstionibus & definitionibus, secundùm quas nonnulli magno supercilio primam in omnibus autoritatem sibi arrogantes & de omnibus facile pronuntiantes, fortassis etiam nostram hanc damnarent sententiam, quâ propriam, & quæ ex suis operibus esset coram Deo, justitiam derogamus omnibus Adæ filiis & docuimus unâ Dei in Christo nos niti posse justitiâ, unâ illâ justos coram Deo, destitutos propriâ, nisi hoc ipsum astruxissemus aliquantò diligentiùs.*

Idem. *In illa* (Christi justitia) *justificamur coram Deo, non in nobis; non nostrâ, sed illius justitiâ, quæ nobis cum illo jam communicantibus imputatur. Propriæ justitiæ inopes extra nos in illo docemur justitiam quærere. Eum, inquit, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, hoc est, hostiam peccati expiatricem, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Non nostrâ, sed Dei justitiâ justi efficimur in Christo. Quo jure? amicitiæ, quæ communionem omnium inter amicos facit, juxta vetus & celebratissimum proverbium. Christo insertis, conglutinatis & unitis & sua nostra facit suas divitias nobis communicat, suam justitiam inter Patris judicium & nostram injustitiam interponit, & sub ea, velut sub umbone ac clypeo à divina, quam commeruimus, irâ nos abscondit, tuetur ac protegit, imò eandem nobis impertit & nostram facit, quâ tecti ornatiq, audacter & securè jam divino nos sistamus tribunali & judicio, justiq, non solùm appareamus, sed etiam simus. Quemadmodum enim unius delicto peccatores esse nos factos affirmat Apostolus: ita unius Christi justitiam in justificandis nobis omnibus efficacem esse; & sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per unius obedientiam justi,* inquit, *constituentur multi. Hæc est Christi justitia ejus obedientia, quâ voluntatem Patris sui perfecit in omnibus, sicut contrà nostra injustitia est inobedientia & mandatorum Dei prævaricatio. In Christi autem obedientia quòd nostra collocatur justitia, inde est, quòd nobis illi incorporatis, ac si nostra esset, accepta ea fertur, ita ut eâ ipsa etiam nos justi habeamur. Et velut ille quondam Jacob, cùm nativitate primogenitus non esset, sub habitu fratris occultatus atq, ejus veste indutus, quæ odorem optimum spirabat, seipsum insinuavit Patri, ut sub aliena persona benedictionem primogenituræ acciperet: ita & nos sub Christi primogeniti fratris nostri preciosa puritate delitescere, bono ejus odore fragrare, ejus perfectione vitia nostra sepeliri & obtegi, atque ita nos piissimo Patri ingerere, ut justitiæ benedictionem ab eodem assequamur, necesse est.*

Et paulò post. *Justificat ergò nos Deus Pater bonitate sua gratuitâ, quâ nos in Christo complectitur, dum eidem insertos, innocentia & justitia Christi nos induit, quæ una ut vera & perfecta est, quæ Dei sustinere conspectum potest, ita unam pro nobis sisti oportet tribunali divini judicii, & veluti causæ nostræ intercessorem eidem repræsentari, qua subnixi etiam hic obtinemus remissionem peccatorum nostrorum assiduam, cujus puritate velatæ non imputantur nobis sordes nostræ, imperfectionum immunditiæ, sed velut consepultæ conteguntur, ne in judicium Dei veniant, donec confecto in nobis & planè extincto veteri homine divina bonitas nos in beatam pacem cum novo Adam recipiat.*

Ibid. *Si formaliter & propriè loquamur, nec fide (ut est opus) nec caritate nostra justificamur, sed una Dei in Christo justitia, una nobis communicata justitia.*

Caspar Contarenus, Cardinalis edidit librum de Justificat. Anno 1541. in quo inter cætera sic scribit: *Attingimus ad duplicem justitiam, alteram nobis inhærentem, qua incipimus esse justi & efficimur consortes divinæ naturæ, & habemus caritatem diffusam in cordibus nostris; alteram verò non inhærentem, sed nobis donatam cum Christo, justitiam, inquam, Christi & omne ejus meritum. Quòd autem Deus donaverit nobis Christum & omnia cum eo, est textus Apostoli ad Romanos. His reor nullum posse contradicere. Restat inquirere, utrâ debeamus niti & existimare nos justificari coram DEO. Ego prorsus existimo, piè & Christianè dici, quòd debeamus niti, niti, inquam, tanquam re stabili, quæ certò nos sustentat, justitia Christi nobis donata, non autem sanctitate & gratia nobis inhærente. Hæc etenim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assiduè peccemus, ac proinde indigeamus oratione, quâ quotidie petamus dimitti nobis debita nostra. Idcirò in conspectu Dei non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni, quemadmodum oporteret filios Dei esse bonos & sanctos, sed justitia Christi nobis donata est vera & perfecta justitia, quæ omninò placet oculis Dei, in qua nihil est, quod offendat Deum, quod non summopere Deo placeat. Hac ergò sola, certa, stabili nobis nitendum est, & ob eam solam credere nos justificari coram Deo, id est, justos haberi & esse. Hic est pretiosus ille Christianorum thesaurus, quem qui invenit, vendit omnia, quæ habet, ut emat illum. Hæc est pretiosa margarita, quam qui invenit, omnia linquit, illam habeat. Dicit Apostolus, omnia alia detrimenta putavi, ut Christum lucrifacerem non habens justitiam meam, sed eam, quæ est per fidem Christi. Illis verò, qui nituntur sanctitate sua, dicitur in Apocalypsi, quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, dicis enim dives sum & nullius egeo, & non vides nuditatem tuam &c. Et alibi item in Apocalypsi. Dabo tibi calculum novum, in quo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Hoc nomen est nomen Christi & verè nullus scit, nisi qui accipit. Inde est, quod experimento videmus, viros sanctos, qui quantò magis in sanctitate proficiunt &c. tantò minùs sibi placent, ac propterea tantò magis intelligunt se indigere Christo & justitia Christi sibi donata, ideoque se relinquunt & soli Christo incumbunt. Hoc non ob eam causam accidit, quod facti sanctiores minùs videant, quàm priùs, neque quoniam facti sunt animo demissiori & viliori, imò quantò magis in sanctitate proficiunt, tantò majori sunt animo, tantò sunt perspicaciores. Quamobrem facti perspicaciores magis intuentur sanctitatis & justitiæ inhærentis tenuitatem, cum qua perspiciunt multas maculas, quæ eorum oculos factos perspicaciores magis offendunt, ac propterea agnoscunt, non sibi nitendum esse sanctitate, caritate & gratia sibi inhærente, sed confugiendum sibi esse ad Christum & gloriam Christi ipsi donatam, qua nituntur & incumbunt. Repetamus exemplum de rustico, qui in gratiam filii Regis factus sit civis & aulicus Regis, & qui jam cœperit imbui moribus regiis, utique hic, cùm in eo maneant vestigia ruris, quamvis cœperit institui moribus regiis, nihilominùs habet eum tanquam aulicum & familiarem ob gratiam & merita filii, quæ rustico illi donavit. Dicit B. Thomas, cùm loquitur de Baptismi Sacramento, quod eo abluuntur omnia pecata & omnis rea-*

reatus culpa & pœna cujuscunque, & reddit rationem, eò quod unusquisque baptizatur in mortem Christi & cum eo sepelitur, ut inquit Apostolus. Idcircò ita se habet baptizatus, ac si ipse gerens personam Christi mortuus fuisset, passus & consepultus cum Christo, & cum Christo resurrexisset in novam vitam. Ecce quàm præclarè dicit doctissimus pariter & sanctissimus vir, mortem Christi, passionem & meritum nobis donari, nobis communicari in Baptismate, quod est fidei Sacramentum. Credo satis illustratum fuisse hactenus locum de justificatione apud Deum, utra debeamus niti, niti inquam, an justitia nobis inhærente, an justitia Christi nobis donata & communicata.

Denique addit, *Catholicos & Protestantes in hac sententia convenire.*

(Hic Contareni tractatus de Justif. denuò editus est Venetiis Ann. 1589. cum hac Censura. *Hic tractatus ante Concilium Tridentinum editus fuit, nunc verò post commemoratum Concilium expurgatus prodit. Approbarunt Parisiis Ann.* 1571. *6. Aprilis Michael Ferre & Franciscus Gorraceus Doctores regentes & Joh. Maldonatus Jesuita.* Pleraque tamen hactenus adducta à correctorum corruptione in eo manserunt integra.)

Conradus Clingius libr. 2. Locor. cap. 25. & 26. distinguit justificationem *primam* sive *imputativam*: & *secundam*, sive *activam*, sic enim appellat: *Utramque haberi à nobis per Christum, sed illam totam in Christo esse sic offerente se Patri, ut ejus justitia nobis imputetur, & peccata propter ipsam remittantur. Secundam tùm haberi, cùm idem replet nos omnibus gratiis & fructibus, donis ac virtutibus Spiritus Sancti, per quæ dona nos etiam intrinsecè & realiter facit magis justos, quia sic vitia purgentur, novaque vita acquiratur.* Et disertè addit. *Fides solum apprehendit & retinet justitiam imputativam.*

(Si per *justificationem primam & imputativam* intelligatur justificatio in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi consistens; per *justificationem secundam & activam*, sanctificatio in renovatione consistens, tum hæc Clingii sententia nostræ exactissimè congruit.)

In Concilio Tridentino *cùm quibusdam vocabulum Imputare ita invisum esset, ut illud sublatum cuperent, alii putabant, cùm de re ipsa satis constaret, non esse de verbis litigandum, maximè cùm hac voce idem præcisè quod aliis significetur, eaque etsi non ab omnibus Patribus, neque adeò frequenter, à nonnullis certè adhibita reperiatur, nominatim à Bernhardo Epist.* 109. *Vega quoque asserebat, vocem eam, licèt in Scripturis non inveniatur, esse tamen admodùm propriam & Latinam, verissimeque dici, justitiam Christi imputatam generi humano in meritum & satisfactionem, perpetuoque etiam imputari omnibus justificatis propter propria peccata satisfacientibus; sed illis neutiquam probabat, sic imputari, ac si nostra esset. Cui cùm objiceretur, quod D. Thomas dicere solitus, baptizato passionem Christi in peccatorum remissionem sic communicari, tanquam ipse eam sustinuisset, aut mortem oppetiisset, de verbis D. Thomæ multùm diuque certatum.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trident. p. 226.

Georgius Cassander in Consult. artic. 4. de Justificat. pag. 917. *De ipsa justitia, quâ justificamur, magna hactenus certamina extiterunt, aliis in sola Christi justitia nobis imputata, aliis in justitia nova vitæ nobis communicata, justificationis formam ponentibus, etiamsi postea à doctissimis viris observatum sit, ex Apostolica doctrina & Patrum traditione utramque justitiam in justificationis ratione conjungi debere. Et quidem de justitia, id est, merito & satisfactione Christi nobis imputata, hoc est, nobis, ac si propria esset, attributa, Scripturæ satis apertè loquuntur, per eam enim justitiam, i. e. meritum & intercessionem sanguinis Christi peccata nobis remittuntur, i. e. non imputantur. Ita Apostolus loquitur, Christum esse perfectionem legis ad justitiam omni credenti. Item eum, qui non novit peccatum pro nobis peccatum factum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Item Christum nobis à Patre factum justitiam, sapientiam & sanctificationem & redemtionem. Pulchrè hanc justitiam explicat Bernhardus. Assignata, inquit,* (Epist. 119.) *est homini justitia aliena, qui caruit suâ &c. Nam si unus pro omnibus mortuus est, igitur omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium delicta portavit. Ibid. Justum me dixerim, sed illius justitiâ. Quænam ipsa? Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Denique qui factus est nobis, inquit, justitia à Deo Patre. Quæ ergo mea justitia facta est, mea non est? Idem in Cantic. Ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid justitias meas? Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Ipsa enim est mea, nempe factus es tu mihi justitia à Deo. Nunquid mihi verendum est, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod secundùm Prophetam, non potest operire duos. Et hoc quidem extra controversiam est, justitiam illam, quâ justificamur, consistere in remissione peccatorum, hoc est, cùm propter meritum passionis Christi, quam suscepit nostri causa, peccata nobis non imputantur, quod nihil aliud est, quàm ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputari. Atque hoc est, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad justitiam, eam verò fidem, quâ credimus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra & resurrexit propter justificationem nostram.*

(Subjungit quidem Cassander, *justitiam, quâ justificamur, non in sola remissione peccatorum, sed etiam in renovatione interiore hominis esse positam, cùm per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus nostris &c.* Sed Albertus Piggius & Caspar Contarenus uterque Cardinalis rectissimè hoc explicant, videlicet quod beneficium justificationis & renovationis, justitia imputata & inhærens sint quidem perpetuò & inseparabiliter conjuncta, interim tamen coram Dei judicio justitiâ illâ inhærente, utpote nec purâ, nec perfectâ, nos non justificari nec niti debere, sed solâ justitiâ Christi per fidem nobis donatâ & imputatâ. Unde etiam ipse Cassander adducit & approbat dicta Andreæ Fricii & Collocutorum in Conventu Ratisbonensi, qui justitiam imputatam & inhærentem quidem conjungunt, interim tamen inhærenti justitiæ coram Deo confidendum, eâque nitendum esse negant, ac in sola justitia Christi nobis donata innitendum esse docent. Sic enim addit)

Ibid. pag. 919. *In Conventu Ratisbonensi hic articulus justificationis ad eam, quam diximus, formam conciliatus est, in quam illorum Collocutores consenserunt, quam conciliationem Bucerus quoque accuratè tractavit & ad eam subinde provocat. In eo autem Conventu ita articulus iste explicatus legitur. Id quod tamen nulli contigit, videlicet ut remissionem peccatorum accipiat, nisi etiam simul infundatur caritas sanans voluntatem & voluntas sanata (quemadmodum ait Augustinus) incipiat implere legem. Fides ergò viva est, quæ & apprehendit misericordiam Dei in Christo, & credit justitiam, quæ est in Christo, sibi gratis imputari, & quæ simul pollicitationem Spiritus Sancti & caritatem accipit, & sic qui justificatur, justitiam accipit & habet per Christum, etiam inhærentem, sicut dicit Apostolus, abluti estis, sanctificati estis, justificati estis, tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli justitiæ Christi nobis donatæ. In qua explicatione nil video, quod etiam gratiæ Dei studiosissimus desiderare possit.*

Andreas Fricius in defens. de justit. Christ. referente Cassandro d. l. *Concedimus*, inquit, *non sola Christi* (*justitiæ*) *imputatione, sed verè realiter inhærente nobis justitiâ nos esse justos. Item. Non nego, nos verè justos esse, justitia nobis inhærente, &c. hancq; justitiam præclarum esse Dei donum affirmat, quâ regeneramur, & quâ nova Christiani hominis vita constet. Verùm quia illa in hac vita cœpta & imperfecta est, multasque habet admixtas maculas, propter adhærens peccatum, ideò nobis Christi justitia imputatur perfecta & numeris omnibus absoluta, propter quam & peccata nobis remittuntur & vita æterna donatur.*

Idem Fricius lib. 4. de Rep. emend. cap. 11. *Necessariò faciendum est, ut in illa Christi justitia, quæ perfecta est, omnes acquiescant, quicunque de remissione peccatorum, adoptione sui in filios Dei ac donatione vitæ æternæ certi esse volunt.*

Joh. Ferus in cap. 9. Job. *Inprimis scire oportet, omnes homines peccatores esse, & nullum justitia sua coram judicio DEI subsistere posse, ac nostram justitiam, quantacunque illa sit, nulla ratione justitiæ Dei æquari posse.*

Postea. *Itaq; semper cum Jobo nos dicere oportet: Verè scio, quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo. Ideoque & cum Davide dicendum est: Ne intres in judicium cum servo tuo Domine. Et, Deus meus miserere mei, si iniquitates observaveris, quis sustinebit.*

Item. *Hujusmodi autem justitiam à se homo non habet, sed à CHRISTO mutuatur, DEUS hujusmodi justitiam per gratiam suam largitur, eò quòd in Christum credamus fide,*

quæ

quæ per caritatem operatur, atque hoc pacto coram Deo possumus consistere.

Idem in cap. 4. Matth. p. 49. *Facta Christi consolationem præbent, sunt enim nostra. Nativitas ejus, regeneratio nostra; victoria ejus triumphus noster; oratio ejus, reconciliatio nostra; & quod nostra opera minus habent, id supplent opera Christi, imò sola Christi opera merita nostra. Omnes enim justitiæ nostræ sine merito Christi, quasi pannus menstruatæ.*

Idem in cap. 18. Matth. lib. 3. p. 87. *Dupliciter induimus Christum. primò internè, cùm sc. per fidem eum apprehendimus, ei agglutinamur, adhæremus, imò & appropriamus, hoc enim pacto à peccatis, morte, damnatione &c. quæ Adami vestis est, eximur, & innocentiâ, justitiâ, sanctitate, gratia &c. quæ Christi vestis est, induimur. In hac veste audemus apparere coram Deo. Agnoscit enim tunicam filii sui Joseph, h. e. justitiam & merita Christi, quæ gratissima illi sunt. Quem autem videt veterem illum hominem adhuc spirantem, hunc summè aversatur ac damnat. Id quod pulchrè in servo illo decem millium talentorum debitore monstratum est, à quo statim, ubi coram Rege sistitur, debitum exigitur, deinde & damnatur sine ulla clementia. Cùm autem de seipso ac propria justitia desperans misericordiam imploraret, quam per Christum toti mundo exhibuit DEUS, statim in mansuetudinem versus Pater agnovit merita ac vestem Christi, dimittit debitorem, imò & debitum ipsi, sicque per Christum excitus, debitisque donatus justitiâ & gratia, jam audet coram Rege apparere, non ampliùs timet & fugit. O verè splendida vestis, cui nihil non bonorum adhæret! Quid enim non habet, qui Christum habet? &c. Neq; tamen sufficit sic Christum internè induisse, nisi & externè eum induas per imitationem, id quod apertissimè vides in hoc servo, qui Christum quidem internè induerat, h. e. per Christum justificatus erat, quia tamen non etiam externè induerat, h. e. bonitatem ejus non imitabatur, denuò iratum Deum sensit & magis quàm prius.*

(Hæc externa induitio est justificationis, quæ in interna Christi induitione consistit, consequens.)

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis Conc. 4. in Epist. festi D. Johannis Evangelistæ pag. 159. *Justitia, de qua hic fit mentio, non illa justitia est, quâ justus est Deus, aut quâ justitiam exercet, sed quâ nobis donat, ut justi simus per Christum Filium suum. Ea verò justitia contingit nobis gratis per fidem. Per fidem enim apprehenditur Christus cum omnibus bonis suis. Hujusmodi ergò fides ex timore Dei supradicto accenditur. Nam cùm agnoscimus nostram imperfectionem, timemusque ob id nostris operibus, impellimur hoc metu, ut aliud quippiam extra nos quæramus, quo nitamur & salvemur. Id autem bonitas & misericordia Dei est, nobis in Christo promissa, oblata & exhibita. Cùm hanc itaq; jam amplectimur, hoc est, credimus, Christum esse velle Salvatorem, eiq; proinde fidimus ex animo, justificamur & reddimur omnium Christi bonorum participes; ita ut ipsius justitia, nostra sit justitia; ipsius probitas, nostra probitas; ipsius redemtio, nostra redemtio. Sic justitia Dei se habet.*

Ad hos autores dubio procul respiciunt Vega lib. 7. de Justif. cap. 21. lib. 15. de justif. cap. 20. & Stapletonus lib. 7. de justif. cap. 9. quando testantur, *quosdam Catholicos doctrina & pietate insignes statuere, tantùm per imputationem justitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam atque justitiam Christi, propter meritum Christi nos justificari coram Deo.*

Idem Staplet. d. l. sic scribit: *Colonienses Canonici & Autores libelli oblati à Cæsare Collocutoribus Protestantibus in Comitiis Ratisbonensibus apertè dicunt, tantùm per imputationem justitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam atq; justitiam Christi, propter meritum Christi nos justificari coram Deo, à qua doctrina quoq; non abhorrent Stapulensis, Ferus & Peraldus.*

2. Quòd tales concedunt hypotheses, ex quibus inferri potest justificationem nostram in imputatione justitiæ Christi consistere.

Primò. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 11. tale decretum fecit. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum exclusa gratia & caritate, anathema sit.*

(Negat Concilium, nos justificari solâ imputatione justitiæ Christi, exclusâ gratia & caritate. Concedit ergò, nos quidem justificari imputatione justitiæ Christi, sed non solâ. Neve quis dixerit, *à Patribus Concilii imputationem justitiæ Christi prorsus excludi*, ac proinde *verba decreti accipienda esse exclusivè, non inclusivè*, notandum, quòd eodem modo loquantur de justitiæ Christi imputatione & peccatorum remissione. Jam verò peccatorum remissionem non prorsus excludunt à justificatione, sed eam solam sufficere negant sess. 6. cap. 7. Ergò etiam imputationem justitiæ Christi non excludunt.)

Secundò. Ruardus Tapperus tom. 2. art. 8. Lovan. pag. 36. sic disserit: *Sicut Christo nostra scelera ob spontaneam eorum assumtionem & corporis mystici intimam unionem imputantur: ita ejus justitia quasi capitis nobis ejus membris ad justitiam & vitam æternam imputatur. Posuit enim Pater super eum volentem & spontaneum omnium nostrûm iniquitates. Et oblatus est, quia voluit, & maledictum & peccatum factus est pro nobis. Justitia itaq; Christi à Patre nobis imputatur, ut propter eam nos formaliter justos faciat à justitia inhærente, sine quâ nemini Christi justitia quasi meritum imputatur, sicut ad reconciliationem non imputatur, nisi amicis & acceptis & reconciliatis.*

(Stabilire quidem conatur Tapperus *justitiam inhærentem*, interim non negat *justitiam Christi imputatam*.)

Ibid. p. 27. agnoscit, *Chrysostomum, Theophylactum & Oecumenium textum Apostolicum 2. Cor. 5. v. ult. sic interpretari: Christus factus est pro nobis peccatum, hoc est, insignis peccator.*

(Quo modo Christus factus est pro nobis peccatum, eo modo reddimur nos justitia in illo. Atqui Christus factus est pro nobis peccator, non per *inhæsionem*, sed per *imputationem*. Ergò etiam nos reddimur justitia in illo per imputationem.)

Hûc referri potest illud Thomæ Cajetani in 2. Cor. 5. super verba: Deus erat in Christo &c. *Ecce gratuita reconciliatio absq; exactione satisfactionis propriæ, solâ non imputatione delictorum illorum. Et signanter dicit, illis, quia imputavit delicta hominum Christo. Voluit enim Jesum Christum pati pœnas debitas aliorum peccatis & pro illis satisfacere.*

Tertiò, in articulis, juxta quos ex mandato Hispaniar. Regis Inquisitores in inferiori Germania Anno 1550. examinarunt, etiam hic habetur num. 6. *Num sentiat, justificationem hominis constare ea sola fide, quâ quis credit, sibi non imputari peccata, propter Christum? an potiùs nobiscum credat, justificationem esse communicationem justitiæ Christi, nec solùm ejus imputationem, sed actualem regenerationem & renovationem mentis per Spiritum caritatis, quo demum per fidem accepto ex injustis justi efficimur, & quæ justa & sancta sunt, operamur, peccatis ex Christi merito condonatis.*

(Renovationem ad justitiam requirunt, sed tamen imputationem justitiæ Christi ab ea non excludunt.)

Quartò, Ludolphus Granatensis in meditat. de vita Christi cap. 33. pag. 567. *In hoc manifestè liquet differentia laborum & dolorum Christi & aliorum Sanctorum. Alii enim Sancti laborarunt & passi sunt pro seipsis, Sancti fuêre sibi, Christi verò sanctitas & passio ita ejus fuerunt, ut magis etiam nostra sint & dici possint, quod & ipse manifestè declarat, cùm dicit: Ego sanctifico meipsum pro eis, ut & ipsi sint sanctificati in veritate.*

(Si Christi sanctitas & passio ita ejus fuerunt, ut magis etiam nostræ sint & dici possint, utique Christi sanctitas & justitia nobis imputatur.)

Quintò, Cornelius Jansenius in cap. 28. Conc. Evang. p. 191. *Non eodem modo dictum Esa. 53. de morbis animi & de morbis corporis intelligi potest. Nostras enim infirmitates spirituales, h. e. peccata Christus tulit, quia in se ea suscepit pro eis Deo in cruce nostro nomine satisfaciens. Sic & dolores nostros ipse portavit, quia quæ nos merebamur supplicia, ipse pro nobis pertulit & perferendo persolvit. Cùm verò de morbis corporis intelligitur secundùm Matthæi citationem hæc autoritas, intelligendum est, Christum eas infirmitates accepisse, non quia eas in se suscepit, sed quia eas à populo abstulit curando eas.*

(Observa, quòd Jansenius distinguat non solùm inter susceptionem morborum corporis & morborum animæ sive iniquitatum nostrarum, sed etiam inter susceptionem iniquitatum nostrarum & persolutionem suppliciorum illis debitorum. Agnoscit igitur, Christum dici *pro nobis factum esse peccatum* 2. Cor. 5. v. ult. non solùm quia pœnas peccatorum nostrorum in se suscepit ac pro illis satisfecit, sed etiam quia ini-

iniquitates nostras in se suscepit, videlicet per imputationem. Quo autem modo Christus pro nobis factus peccatum, eo modo nos reddimur justitia, videl. per imputationem.)

Sextò, Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 5. §. Quarta ratio. *Si nullam justitiam Deus acceptat, nisi suam essentialem, ac propterea per illam nos inhabitat, ut justos efficiat, certè sequitur, ut Christi justitiam, quâ is pro nobis Patri satisfacere patiendo & moriendo voluit, Deus non acceptet. Quod si Christi justitia Patri non satisfecit, quorsum ille carnem suscepit? quorsum tanta pati voluit.*

(Urget Osiandrum deductione ad absurdum, sicque ponit consequens, ut tollat antecedens. Credit ergò Bellarminus verum esse, *Deum acceptare justitiam, quâ Christus pro nobis moriendo satisfecit.* At hæc ipsa est justificatio per imputationem, quam asserimus.)

Idem lib. 2. de Justificat. cap. 10. §. 4. *Dicitur Christus justitia nostra, quoniam satisfecit Patri pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cùm nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit. Nam etiamsi per justitiam nobis inhærentem verè justi nominemur & simus, tamen non per eam satisfacimus Deo pro culpis nostris & pœna æterna, sed est illa justitia inhærens cum remissione culpæ & sempiternæ pœnæ effectus satisfactionis Christi, quæ, ut dicit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. nobis in justificatione confertur & applicatur. Et hoc modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam & merita, cùm nobis donentur ac applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfecissemus, modò non negetur, esse in nobis præterea justitiam inhærentem, eamq; veram & absolutam esse justitiam, cui justo Dei judicio non debeatur pœna & gloria. Sic enim loquitur S. Bernh. in Ep. 190. ad Innocentium. Nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, ut videl. satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit.*

(Aufer vitiosam illam caudam, *quòd inhærens justitia sit absoluta justitia*, id est, perfecta & pura, quâ coram Dei judicio niti possimus, cujus contrarium inferius ex ipsis Adversariis demonstrabitur, & verba illa Bellarmini nostram manifestè confirmabunt sententiam. Quòd si enim Christus dicitur justitia nostra, quoniam satisfecit Patri pro nobis & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cùm nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit, utique Christi justitia nobis imputatur. Si per justitiam inhærentem non satisfacimus Deo pro culpis nostris & pœna æterna, utique etiam in ea non consistit nostra coram Deo justificatio. Nam quando justificamur, coram Dei judicio à peccatis & peccatorum pœnis absolvimur. Inhærens justitia, fatente Bellarmino, hoc non præstat, ut per eam Deo pro culpis & pœnis satisfaciamus. Ergò in justitia inhærente non consistit nostra coram Dei judicio justificatio. Si Christi satisfactio in justificatione nobis confertur & applicatur, ac hoc modo non est absurdum, si quis dicat, justitiam & merita Christi nobis imputari, cùm nobis donentur ac applicentur, ac si nos ipsi DEO satisfecissemus, utique justitia Christi nobis imputatur.)

Idem lib. & cap. iisd. resp. ad 3. argum. *Imputantur Christo peccata nostra, quoad debitum satisfaciendi, quod ille sponte suscepit: sic igitur & nobis imputatur justitia ejus, quoad satisfactionem, quam pro nobis præstitit &c. Justitia Dei dicimur, non in nobis, sed in Christo, quia ipse est caput nostrum & quod convenit capiti, convenit etiam membris, non ut sunt distincta à capite, sed ut fiunt & sunt unum cum ipso capite.*

(Per fidem unimur Christo capiti. Qui verò Christo capiti tanquam membra uniuntur, illis justitia Christi imputatur. Ergò per fidem Christi justitia nobis imputatur.)

Lib. ejusd. cap. 11. resp. ad 2. argum. *Potest sano modo accommodari hæc similitudo* (indumenti) *ut etiam exemplum Patriarchæ Jacobi* (qui indutus vestibus primogeniti ac pro primogenito reputatus, benedictionem & hæreditatem à Patre obtinuit, Gen. 27.) *justitiæ imputatæ, si quis dicat, oportere, ut induamus Christi merita, & illis quodammodo tecti, petamus à Deo indulgentiam peccatorum. Nam solus Christus pro peccatis nostris satisfacere potuit, & re ipsâ ex justitia satisfecit, & illa satisfactio nobis donatur & applicatur, & nostra reputatur, cùm Deo reconciliamur & justificamur. Itaque si exemplum illud referatur ad justitiam satisfactionis pro culpa, admitti potest.*

Lib. ejusd. cap. 7. argum. 4. *Si Adversarii* (Lutherani) *solùm vellent nobis imputari Christi merita, quia nobis donata sunt, & possumus ea Deo Patri offerre pro peccatis nostris, quoniam Christus suscepit super se onus satisfaciendi pro nobis, nosq; Deo Patri reconciliandi, recta esset eorum sententia, quamvis modus loquendi in Scripturis & Patribus aut nunquam aut rarissimè inveniatur.*

(Si merita Christi nobis imputantur, utique etiam ipsius justitia, siquidem non solùm passiones, sed etiam actiones ejus meritoriæ fuerunt. Si Christi satisfactio ideò nobis imputatur, quia in se onus satisfaciendi suscepit, utique etiam Christi justitia inde atque ideò nobis imputatur, quia onus implendi legem pro nobis, in se suscepit. Sed illud, fatente Bellarmino. Ergo & hoc.)

Septimò, Ludovicus à Ponte lib. 5. in Cant. Cant. Exhort. 24. col. 1255. *Intra per foramina petræ, ut quasi unum cum Christo fias, & tunc ipsius merita ac satisfactiones tanquam propria reputabis; & veniam, quam tuis operibus, ut à te procedentibus, non mereris, ex Christi meritis tibi applicitis impetrabis.*

Ibidem allegat & approbat illud Augustini in Meditat. cap. 6. *Intuere Pater dulcem natum toto corpore extensum, cerne manus innoxias promanantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ perpetrarunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde fluxisse credo &c. Vide Redemtoris supplicium & dimitte redemti delictum. Attende in Filio, quo propitieris in servo. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant obsecro scelera mea. Magna est mea injustitia, satis verò major justitia Redemtoris. Quanto namque superior est Deus homine, tanto mea malitia inferior est ejus bonitate, in qualitate & quantitate. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit Dei Filius factus homo?*

(At hæc omnia probant, peccata nostra Christo fuisse imputata, ac Christi justitiam nobis imputari.)

Octavò, Blasius de Viega in Comm. cap. 5. Apoc. pag. 243. inter causas, propter quas Christus dicatur *Agnus*, etiam hanc recenset, *quòd Christi meritis tanquam Agni vellere induamur, quæ ratio*, inquit, *est Nazianzeni orat. in sanctum Pascha. Hieronymus in cap. 53. Esa. Non solum sanguine suo* (*Christus*) *nos redemit, sed etiam lanis operuit, ut infidelitate algentes sua veste calefaceret, juxta illud Gal. 3. Quotquot baptizati estis, Christum induistis.*

(Si Christi meritis, tanquam Agni vellere, induimur, utique justitia Christi est vestis illa, quæ coram Dei judicio peccata nostra tegit, adeoque nobis imputatur.)

Idem in cap. 11. Apocal. pag. 465. verba Psalmi 22. in vulg. vers. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, sic explicat: *Quòd dicta sint à Christo in persona omnium hominum, quodque appellet delicta sua nostra ipsorum delicta, quæ in se ad satisfaciendum susceperat, quæ expositio*, inquit, *est D. Augustini Epist. 120. de gratia Novi Testam. cap. 6. Nazianzeni orat. 36. Damasceni libr. 3. cap. 25. & lib. 4. cap. 19.*

Joh. Ferus in cap. 3. Matth. p. 43. *Christus ideò baptizari voluit, ut ostenderet, se peccata nostra in sese recepisse. Ut enim verum se sponsum Ecclesiæ declararet, cum propria non haberet, nostra suscepit peccata, atq; cum eis egit, ac si propria essent, orando, laborando, deflendo, patiendo, moriendo, juxta illud: Ipse peccata nostra portavit.*

Salmero in Comm. 1. Petr. 3. v. 1. *Christus non desiit à peccatis suis, sed à nostris, quæ tamen in corpore suo super lignum expianda portavit, nolens ultra ea in se suscipere, ut iterum moriatur &c.*

Pererius Disput. 46. in cap. 1. Johannis pag. 126. *Licet Christus etiam figuratus sit in lege veteri per hircum, animal scilicet male olens ac turpe, non tamen propter conditionem propriæ personæ Christi, sicut agnus fuit Christi figura, sed propter fœtorem tuorum peccatorum, quæ Christus in se suscepit & propria morte purgavit.*

(Atqui si Christus ita suscepit in se peccata nostra, ut ea appellet sua delicta, sicque nostra peccata ipsi efficaciter sunt imputata, utique etiam ipsius justitia nobis imputatur.)

Nonò, Barrad. tom. 4. Conc. Evang. lib. 6. cap. 3. in sept. passionis præcellentia. Paulus Heb. 9. v. 28. dicit de Christo. *Apparebit secundò sine peccato, h. e. in primo adventu apparuit*

Chri-

Christus nostris onustus peccatis, ut illa expiaret suo sanguine, in secundo autem adventu apparebit sine ullo peccato, hoc est, nullo onustus peccato. In primo adventu cum sceleratis reputatus, peccatorque existimatus est: at in secundo sine peccato apparebit.

Et postea. *Fecit Deus Christum peccatum, id est, fecit illum sacrificium pro peccato, vel fecit illum peccatorem, hoc est, fecit illum peccatorem non peccatis propriis, sed alienis peccatis conceptis. Fecit illum quodammodo peccatorem alienis peccatis onustum, vel fecit illum peccatum, hoc est, sic eum cruciatibus, doloribusq; exposuit, ac si ipsummet peccatum esset.*

Ibid. cap. 9. circa fin. *Anima Christi erat obsessa & circundata mœrore, quia obsessus erat Christus ab omnibus omnium hominum peccatis, quæ ante oculos habebat. Hi milites crudeles circundabant animam, magnoque dolore ac mœrore sauciabant. Ut Lunam terræ umbra obscurat, sic Christi animam peccatorum nostrorum obscurissimæ umbræ, crassissimæque nubes tristitiâ obscurarunt.*

Ludovicus à Ponte lib. 2. in Cant. Cantic. Exhort. 19. §. 3. adducit & approbat dictum Gregorii Nysseni homil. 2. in Cant. in quo Ecclesiam sic loquentem introducit: *Cùm nigra essem peccatis & per opera affinis essem & conjuncta tenebris, me pulchram fecit per dilectionem, suâ pulchritudine commutatâ cum mea turpitudine. In se enim translatis sordibus peccatorum meorum suam mihi impertiit puritatem, efficiens participem suæ pulchritudinis, qui ex deformi primus fecit amabilem.*

(Ex illis iterum sic concludimus: Quo modo Christus pro nobis factus peccatum, eo modo reddimur in ipso justitia, docente Apostolo 2. Cor. 5. v. 21. Sed Christus factus est pro nobis peccatum per imputationem. Ergò & nos in ipso reddimur justitia, sive perfectè justi, per imputationem.

Augustinus, vel quicunque alius autor Enchiridii cap. 41. *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei sumus: nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit.*)

Decimò, Costerus in Enchirid. p. 292. fatetur, *Christi satisfactionem nobis imputari. Valet enim*, inquit, *solutio amici pro amico, & maximè talis ac tantæ dignitatis.*

(Atqui si satisfactio Christi nobis imputatur, utique etiam Christi justitia nobis imputatur. Nam Christus non solùm pœnarum perpessione pro nobis satisfecit, sed etiam obedientiâ suâ activâ legem perfectè pro nobis implevit.)

Undecimò, Cornelius à Lapide in cap. 3. Gen. p. 54. *Adam vestitus typus fuit Christi, qui licet purus esset & sanctus, indui tamen voluit pellibus, hoc est, vestiri nostris peccatis.*

(Sicut Christus indutus fuit nostris peccatis, sic suâ vicissim nos induit justitiâ. Sicut pro nobis factus est peccatum, ita nos reddimur justitia in ipso.)

Duodecimò, Leonh. Marius in Comm. Ex. 12. pag. 368. *Christus non solùm est agnus, sed etiam hœdus, quia licet non fuerit in eo inventum peccatum proprium, fuerunt tamen in ipso omnia peccata nostra ad hoc ab ipso assumta, ut pro eis in corpore suo satisfaceret.*

(Si Christus ideò figuratur per *hœdum*, quia in ipso fuerunt omnia peccata nostra, utique etiam nostra peccata fuêre Christo imputata & Christi justitia nobis imputatur.)

Decimò tertiò, Ludovicus à Ponte in Cant. cap. 3. tom. 2. p. 140. Zach. 3. v. 1. *Satan stat à dextris Josuæ Sacerdotis magni, hoc est, Christi, quia vera hominum peccata, quæ Christus Dominus super se ferebat, coram Deo accusabat, eorum redemtionem impedire gestiens.*

Et postea. *Jesus indutus dicitur vestimentis sordidis, quoniam peccata nostra suscepit, ut Origenes homil. 14. in Luc. Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. & Hieronymus in c. 3. Zachar. indicant.*

Michaël Ghislerius in Comm. Cant. 4. v. 11. Exposit. 3. p. 607. *Ad id, quòd sanè pia anima orationem reddit & illustriorem & Deo jucundiorem, illud est, quòd ipsamet anima hasce effundens preces & seipsam & orationes pariter suas, induit Dominum Jesum Chr. exhibens se humilem & interiùs & exteriùs Christo Jesu in justitia & sanctitate, nec non & ipsas, quas fundit, preces, Patri simul ac Sponso offerens, veluti indumento opertas, gloriosissimis meritis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui super altare crucis seipsum obtulit in holocaustum maximè omnium acceptabile, ad instar Jacobi, qui hœdinis pellibus manus collumque operuit, sicque ea cooperta palpanda obtulit Isaac patri.*

Ibid. Exposit. 4. p. 614. *Apud Theodoretum vestimenta animæ haud alia sunt, quàm Christus. Quia enim, inquit, Sponsa Christum induta est, qui Deus est & homo, ideò benè, inquit, dici ei: Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, Divinitatem enim indicat thus.*

(Sicut Christus peccatis nostris indui voluit, ita vicissim suâ justitiâ coram Dei judicio nos induit.)

Decimò quartò, Pontificii communiter statuunt, *Monachorum merita aliis communicari posse.*

Patet hoc tùm ex praxi, quia peculiaria de hac meritorum communicatione eriguntur pacta & conficiuntur diplomata, tùm ex scriptis recentiorum.

Adrianus Florentius 4. sent. dist. 20. concl. 4. *Quamvis Indulgentiæ solùm prosint his, qui sunt in statu gratiæ, nihilominùs existens in peccato mortali potest pro alio mereri, quando formâ Indulgentiarum permittit.*

Conclus. 1. *Nemo potest gratiam remissionis in alium transferre, quamvis possit pro alio eam promereri.*

Stanislaus Hosius lib. de expresso Dei verbo tom. 2. p. 21. *Mercaturam quandam docere nos Paulus videtur. Abundatis, inquit, vos pecuniâ & estis inopes justitiæ; contrà illi abundant justitiâ & sunt inopes à pecunia. Fiat quædam commutatio. Date vos piis egentibus pecuniam, quæ vobis affluit, & illis deficit, sic futurum est, ut illi vicissim justitiam suam, quâ abundant, & quâ vos estis destituti, vobis communicent.*

Bellarminus lib. 1. de Indulgent. cap. 14. §. Vera igitur. *Suffragia viventium per modum meriti de congruo aliis applicari posse* disputat.

Idem libr. de Monach. cap. 6. §. Dicimus &c. *Religiosos posse alios participes facere suorum operum.*

Ibid. §. B. Bernhardus &c. disputat, *laborem Monasticum esse genus quoddam martyrii.* Jam verò *merita Martyrum communicari possunt pœnitentibus*, docente eodem lib. 1. de Indulg. cap. 3. §. Illud quoque.

Gregor. de Valent. lib. de Indulg. cap. 5. *Prælati Religiosorum possunt aliis accommodare bona opera & satisfactiones suorum subditorum, ut cùm faciunt participes omnium bonorum operum eos, qui de ordine suo sunt benemeriti.*

Gretserus lib. 3. de discipl. cap. 1. disputat, *flagellationem esse opus meritorium & satisfactorium, cujus fructus aliis non tantùm de congruo, sed etiam de condigno applicari possit.*

Idem lib. 2. cap. 11. *Licitè aliquem constitui, qui pro alio disciplinam faciat, eundemq; precibus, imò & munusculo inductum alteri suam satisfactionem applicare posse.*

(Atqui si Monachorum merita possunt aliis interventu pecuniæ applicari, cur non possent Christi merita per fidem nobis applicari? Num vis major erit pecuniæ in applicandis meritis Monachalibus, quàm fidei in Christi merito applicando?)

Decimò quintò, Vasquez in 1. 2. tom. 2. Disp. 222. cap. 2. *Hoc ipsum genus imputationis & applicationis meritorum Christi* (quâ peccata dicuntur tegi per imputationem & propter Christum nos justos reputari) *fateri debent, quotquot ex Catholicis asserunt, justitiam nobis inhærentem nobis reddere gratos Deo, non autem suâ naturâ, sed ex Dei favore & acceptatione, nempe quia Deus vult nos diligere habentes talem formam, quos posset non diligere. Hanc autem applicationem & imputationem ipsos fateri necesse est ad hoc, ut nos justi reddamur. Similiter & illi, qui censent, qualitatem nobis inhærentem esse quidem veram justitiam & sanctitatem, tamen suapte natura non purgare nos à peccatis, nisi accedente nova voluntate & favore Dei condonantis peccatum, velint, nolint, coguntur concedere novam imputationem meritorum Christi.*

(Judice ergò Vasquezio, positâ imperfectione justitiæ inhærentis, necessariò sequitur imputatio meritorum Christi ad justitiam. Atqui imperfectionem illam justitiæ inhærentis fatentur nobiscum multi ex Pontificiis, ut suo loco demonstrabitur.)

Idem Vasquez Disput. 204. cap. 1. & 2. probat, *non paucos Scholasticorum conspirasse in hanc sententiam, nihil nobis inesse sive habitum, sive operationem, quod suapte naturâ possit justificare animam & à peccatis eam purgare, sed ad hoc necessariò indigeat favore Dei acceptantis illud, & condonantis aut remittentis nobis peccatum, quo quidem favore accedente*

justi-

justitiæ intrinsecæ & inhærenti nobis nostra justificatio impleatur.

Nominat autem pro hac sententia Richardum, Scotum, Gabrielem, Occamum & Medinam. Deinde contendit, *in eadem sententia esse debere Theologos omnes, qui docent, gratiam expelli à peccato vel contrà expelli peccatum à gratia solùm demeritoriè, non autem physicè ex natura rei, quales fuerunt Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus, Paludanus, Conradus & Gabriel. Tertiò alios Doctores, qui de nostra justitia loquuntur tanquam de moneta, comparantes metallo, ex quo illa conflatur, justitiam inhærentem, rationem autem gratiæ aut justitiæ, per quam Deo placemus, comparantes valori, quem Rex lege & voluntate sua monetæ imponit, quam fuisse sententiam Occami, Gregorii, Gabrielis & Petri Alliacensis fatetur. Imò ex Schola Thomæ eidem consensisse Victoriam & Canum, aliosq; recentiores Thomistas.*

Colligit autem, ex sententia Nominalium, sicut ex sententia hæreticorum, sequi, *totam justificationem nostram in favorem, ut in formalem causam, revocari.*

(Habent ergò Adversarii inter suos, quorum principia eos necessariò deducunt ad idem nobiscum sentiendum, etsi aliter loquantur.)

Pergit Vasquez d. l. cap. 2. *Non possum non mirari antiquos Scholasticos, quos hactenus memoravi, quòd de justitia nobis inhærente ita abjectè senserint, ut veram ei adscribere formidaverint rationem justitiæ & sanctitatis inhærentis, quæ suapte naturâ Deo necessariò placeat. Recentiores verò Theologos multò magis miratus sum, quòd post præclaram Concilii Tridentini definitionem tàm exilem justitiam inhærentem justis concesserint, ut ex se non habeat virtutem tergendi maculas peccatorum, nec eas purgare valeat, nisi favore & condonatione Dei relaxentur.*

(Mirum verò potiùs, Jesuitam antiquos illos Scholasticos & recentiores, quos carpit, Theologos tot Ecclesiæ Romanæ Proceres criminari, quòd in articulo tàm necessario cum hæreticis impegerint.)

Quin imo Vasquez ipse, etsi à nobis & suis dissentiat in dignitate & perfectione inhærentis justitiæ, contendit tamen in 1. 2. tom. 2. Disp. 122. cap. 1. adversus Andream Vegam, *æquè dici posse imputari nobis merita Christi, quàm applicari; & falsum esse, quod Vega dicit, Patres non usos esse voce imputandi.* Tandem subjicit, *Concedimus, imputari quidem nobis ad aliquem effectum non solùm ea, quæ nobis insunt, ut peccatum, fidem & justitiam: sed etiam aliqua nobis extrinseca, ut merita & obedientiam Christi, quia non modo ea, quæ nobis insunt, sed etiam aliena, intuitu quorum nobis aliquid donatur, computari dicuntur inter nostra ad aliquem effectum, ac si revera nostra essent.*

3. Quòd agnoscunt, justificationem nostram in remissione, h.e. non imputatione ac tectione peccatorum nostrorum coram Dei judicio consistere.

(Si enim in peccatorum tectione ac non-imputatione nostra coram Deo justificatio consistit, utiq; non potest ea statui in justitia inhærente & infusa modis omnibus pura & perfecta.)

Glossa ordin. in cap. 8. Rom. *Justificavit, scil. remissione peccatorum.*

Bernhardus in vigil. nativ. Domini serm. 2. *Itaq; Juda & Jerusalem nolite timere, si perfectionem, quam desideratis, nondum potestis adipisci, sed, quod minus habet, imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis, & imperfectum vestrum viderunt oculi Dei. Propterea enim mandavit sua mandata custodiri nimis, ut videntes imperfectionem nostram desiceere, & non posse implere, quod debet, fugiamus ad misericordiam & dicamus: Quoniam melior est misericordia tua super vitas, & qui non possumus in vestitu innocentiæ seu justitiæ, appareamus vestiti confessione.*

Idem serm. 22. in Cant. *Christus factus est nobis sapientia, in prædicatione; justitia, in absolutione peccatorum.*

Ibid. *Ignorantias meas non memineris, & justus sum.*

Serm. 23. in Cant. *O solus verè beatus, cui non imputavit Dominus peccatum! Nam quis non habuerit peccatum? nemo; omnes enim peccaverunt & omnes egent gloriâ Dei. Quis accusabit tamen electos Dei? sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi.*

Et postea. *Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, Dei indulgentia est.*

Id. Epist. 19. *Ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum; & quid ipsa, nisi justificatio.*

Thomas 1. 2. q. 113. art. 7. *Justificatio impii non est successiva, sed momentanea.*

(Subsumimus ex Anshelmo in Comm. 2. Cor. 4. *Renovatio interioris hominis inchoatur à fide, bonisq; moribus augetur & roboratur de die in diem. Non enim momento uno fit ipsius conversationis renovatio, sicut uno momento in Baptismo fit peccatorum remissio.*

Thomas in eundem locum. *Quia sancti quotidie proficiunt in puritate conscientiæ & in cognitione divinorum, ideò dicit, de die in diem.* Ex quo inferimus, sanctitatem illam inhærentem utpote inchoatam, non perfectam, non posse nos coram Deo justificare, sed nostram coram Dei judicio justificationem consistere in peccatorum remissione.)

De Mechtildi (circa ann. 1410.) in Prophetia ipsius cum aliis Prophetiis jam olim rythmicè scriptis edita inter cætera sic legitur: *Tunc cognovit, quòd omnia bona opera, quæ neglexerat, sanctissimâ Christi conversatione & operibus ejus perfectissimis essent impleta, omnisq; ejus imperfectio Filii Dei perfectione altissimâ perfecta. Cùm enim Deus oculo misericordiæ animam respicit & se ad miserandum illi inclinat, cuncta ejus crimina perpetuæ oblivioni traduntur. Itaq; cùm à Deo tam eximium percepisset donum, scil. omnium peccatorum remissionem & omnium meritorum suppletionem, exinde securitate accepta & audacia reclinavit se in sinum dilectoris sui Jesu.*

Albertus Piggius Cardinalis de Justif. *Nam quòd non in operibus nostris, non in justitia nostra, sed in una ignoscente iniquitates nostras misericordia, benevolentiæ erga nos divinæ & salutis à Deo assignandæ nobis spes sit, Davidis testimonio Apostolus ad Romanos comprobans, non aliâ justitiâ niti nos posse, nisi quam imputari nobis, absq; nostris operibus, affirmat. Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Non dicit, beati, qui ex operibus suis justi coram Deo sunt, beatus vir, qui non commisit, nec fecit injustitiam, sed beati, quorum à Deo misericorditer remissæ sunt iniquitates, quorum ipse suâ justitiâ tegit & abscondit peccata. Beatus vir, cui Dominus jam peccatum, quo vix carere quis potest, certè nunquam caret, non imputat. Hanc ille præcursoris pater cognitionem salutis prædicat, non in nostra ipsorum justitia, quæ nulla est, sed potiùs in nostræ injustitiæ aut peccatorum nostrorum remissione positam, quam ipsam etiam Paulus in ea, quam apud Antiochenos concionem de salutis summa habuit, sic connectit cum justitia, ut idem prorsus esse ostendat. Notum, inquit, vobis sit, viri fratres, quòd per hunc vobis remissio peccatorum annuntietur ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Mosis justificari. Hoc ergò nobis justificari est, quòd peccata nobis misericorditer à Deo remitti in Christo. Quoniam quidem, inquit, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans hominibus sua delicta, & posuit apud nos verbum reconciliationis.*

Hieronymus Oleaster in Esa. 53. v. 11. *Justificandi modus erit portando iniquitates seu pœnam iniquitatum eorum.*

Dominicus à Soto in cap. 4. Rom. *Acceptum ferre, quod ad præsentem attinet expositionem,) remissionem significat debitorum. Cùm enim creditor debitum remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre, unde verbum juris dimanavit, acceptilatio, ubi scil. debitor, qui non est solvendo, interrogat suum creditorem, utrum acceptum habeat, quicquid illi debebat, hoc est, pro accepto & soluto deputet, tunc enim si creditor respondeat, habeo quidem, acceptumq; tibi fero, remissio illa & condonatio dicitur acceptilatio, quæ è regione opponitur justæ solutioni. Pulcherrimâ ergò hic accommodatissimâq; oratione explicat Paulus tùm id, quod dixerat, reputatur fides ad justitiam, tùm clarissimè rationem nostræ justificationis. Cùm enim nos solvendo non simus Deo, acceptum fert ipse nobis nostrum debitum, hoc est, pro accepto ducit, si modò fidem illi pollicenti adhibeamus. Quocirca magis perspicua esset, fateor, versio cui Deus acceptum fert justitiam sine operibus, hoc est, sine debiti solutione.*

Georg. Cassander in Consult. art. 6. p. 924. adducit & commendat dictum Hieronymi libr. 1. contra Pelag. *Tunc justi sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non in proprio merito, sed in Dei consistit misericordia.*

Itemque illud Augustini lib. 19. de Civ. Dei cap. 29. *Justitiam nostram potius remissione peccatorum constare, quàm perfectione virtutum.*

Ludo-

Ludovicus Vives in Commentar. loci ex Augustino modò adducti (qui integer sic habet: *Ipsa nostra justitia quamvis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tanta tamen est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quàm perfectione virtutum*) monet: *Particulam potiùs non notare comparationem, sed diversarum specierum oppositionem.*

Et addit, *Magna ex parte boni sumus, non quòd bene vivimus, sed quòd commissorum scelerum nobis fit à Deo gratia.*

Johannes Ferus lib. 1. in Matth. cap. 5. pag. 78. *Duplex est justitia, coram mundo scilicet & coram Deo. Non enim omnis coram mundo justus, itidem coram Deo justus est. Justus coram mundo est, qui nihil agit, quòd lege in eo puniri possit, non adulteratur, pacificè vivit, obedit superiori &c. De hac justitia scripserunt Philosophi. Bona quidem est, laudabilis, imo & necessaria ad salutem, sed non sufficit ad salutem, alioquin & gentiles salvi essent. Est igitur alia justitia coram Deo, scilicet, quâ homo Deo gratus* (acceptus) *est, non trahitur ad pœnam, tecta sunt peccata ejus, diligit eum Deus. Quomodo autem pervenies ad hoc, ut gratus Deo sis & diligaris ab eo per Christum? &c. Qui credit in Filium Dei, non judicatur. Unde & Paulus Christum nominat justitiam nostram, hoc est, per quem coram Deo justi efficimur &c.*

Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 10. §. promissionem &c. *Quid est remissio peccatorum, nisi justificatio?*

Lib. 2. de Justif. cap. 13. §. 3. *Jam sæpe diximus, justificationem esse remissionem peccatorum & remissionem peccatorum esse justificationem.*

Lib. 4. de Justif. cap. ult. resp. ad 6. disputat, *nævos illos, qui renatis in hac vita adhuc adhærent, ita comparatos esse, ut per se & sua Natura, si non misericorditer remittantur, impediant ab ingressu regni illius, in quod nihil coinquinatum intrare potest.*

(Ergo justificatio nostra non consistit in infusione habitualis justitiæ, utpote imperfectæ, sed in gratuita peccatorum adhærentium condonatione.)

Benedictus Justinianus Jesuita in cap. 4. Epist. ad Rom. fol. 144. *Verbum imputare est ab humana consuetudine ductum. Dicitur enim creditor acceptam referre pecuniam debitori, cum eam fatetur habere pro soluta, quæ actio à Jurisperitis acceptilatio dicitur, quæ est imaginaria solutio, quæ fit sine rei interventu, quæque solutioni comparatur. Quæ ratio locutionis justificationi gratuitæ mirificè congruit. Nam quemadmodum, si creditor pecuniam acceptam referat debitori, hic obligatione solvitur: ita is, cui Deus acceptam refert justitiam, liber est à reatu supplicii sempiterni, nam ipse peccator ex se solvendo non est, nulloque modo potest pro culpa satisfacere. Deus autem Christi merita spectans divinæ suæ gratiæ beneficio pœnitentiam in animo excitat fidelium, & ita liberaliter peccata condonat.*

Salmero Disp. 7. ad Galat. *Imputare sive verbum Græcum λογίζω nihil aliud est, quàm gratis aut ob aliquam injustam causam id, in quo res vel persona deficit, perinde habere atque æstimare, sive ad mercedem, sive ad vindictam, ac si aliud, quod revera non adfuit, verè adfuisset, servatâ aliquâ proportionis lege, ut id nunquam alicui vel adscribatur, vel imputetur, vel ad præmium consequendum vel ad pœnam subeundam, quod adesse nec debuit, nec potuit. Quam verbi significationem expressit Pauli interpres alia voce simili, etsi Græca semper sit eadem. Ait enim ad Romanos. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Est enim acceptum ferre apud Jurisconsultos id habere pro persoluto, quod revera non est persolutum.*

(At si id quod imputatur, revera abfuit, quomodo potuit dici inhærere? Quia proinde Apostolus dicit *justitiam credenti imputari*, non potest ea ipsi inhærere, hoc est, non potest illa justitia imputata accipi de inhærente. Notandum tamen, quod hæc descriptio sit insufficiens, quia non tantùm ea dicuntur imputari, quæ non adfuerunt, sed etiam quæ revera adfuerunt, ideo rectiùs dicitur, imputari duobus modis in Scripturis usurpari, vel, ut significet id, quod in quoque est verè, ejusdem esse agnoscere: vel ei tribuere, quod tamen non est ejus nec ei inest.)

Idem in cap. 4. Epist. ad Roman. de phrasi, *acceptum ferre*, quâ vulgatus Interpres pro imputatione utitur. *Acceptum ferre est debitum remittere & habere pro soluto, quod solutum non est. Hinc vox est Jurisperitorum, acceptilatio. qua interrogatione & responsione fit, ut debitor, qui non est solvendo, dicat creditori, id omne quod tibi debebam, habesne acceptum? quo respondente, Habeo, acceptumque fero, tunc debitor à debito absolvitur, & habetur pro solutore, etiamsi nulla interveniat solutio & ita acceptilatio opponitur justæ solutioni.*

(Ex eo sic colligimus: Acceptilatio est solutionis imputatio. Justificatio fit per acceptilationem. Ergò per solutionis imputationem ac per consequens, justificatio fit per debiti non-imputationem sive remissionem ac per justitiæ imputationem.)

4. Quod quidam agnoscunt, verbum justificandi esse forense (ac proinde justificationem nostram coram Deo non consistere in infusione justitiæ habitualis, sed in absolutione à peccatis & eorum pœnis.)

Lombardus lib. 3. sent. dist. 19. lit. A. *A Diabolo & à morte per Christi mortem liberati sumus, quia, ut ait Apostolus, in sanguine ipsius justificati sumus, & in eo, quòd sumus justificati, hoc est, à peccatis soluti, à Diabolo sumus liberati, qui nos vinculis peccatorum tenebat.*

Pineda in cap. 4. Jobi. *Justificare, significans justum declarare, est verbum forense. Rom. 8. Deus est, qui justificat impium, quis est qui condemnet?*

Vega lib. 5. de Justif. cap. 3. *Aliquando justificari idem est, quod pronuntiari justum, ut Rom. 6. ubi dicit, eum, qui mortuus est peccatis, per Baptismum justificatum esse à peccatis, quod est, absolutum esse,* (vocabulo forensi.)

Censura Colon. p. 146. *Negandum non est, sæpiùs in Scripturis justificationem idem valere, quod justum pronuntiare, tam in veteri, quàm in nova lege. Psal. 50. Prov. 17. Matth. 22.*

Toletus in cap. 8. Rom. *hanc significationem* in Scripturis dicit esse *frequentissimam. Justificandi*, inquit, *verbum in hoc loco in ea significatione accipitur, quæ est opposita antitheto, nempe condemnationi, ut idem sit hoc loco justificare ac justum pronuntiare, sicut Judex suâ sententiâ innocentem absolvit & pronuntiat, qua significatione accipitur etiam in multis Scripturæ locis.*

Adamus Sasbout. in eundem locum. *Deus est, qui justificat, id est, qui à peccatis & ab intentata accusatione absolvit.*

Tiletanus in Confutat. Confess. Antverpiensis in capite de Justificatione fatetur, *Verbum justificandi plerumque significare absolvere, non autem infusis novis qualitatibus re ipsa justum facere.*

(Addit quidem, *ex cap. 5. Rom. manifestum fieri, quòd apud Paulum significet re ipsâ justum facere.* Sed, hanc hypothesin esse falsam, suo loco docetur.)

Alphonsus Salmeron tom. 3. pag. 342. agnoscit, præter *primam & secundam* (quam alii Pontificii statuunt *significationem*) *esse adhuc tertiam, cùm quis sententiâ judicis absolvitur & pronuntiatur justus.*

(Addit quidem, *quòd non nisi post hanc vitam justis hoc obtingat.* At cùm in hac vita detur peccatorum remissio, utique etiam datur illa justificatio sive absolutio.)

Idem Disput. 9. generali in omnes Epist. Pauli §. Præterea. *Justificare, ut est vox forensis, damnationi opponitur, & idem est ac pronuntiare justum, quo modo usurpatur Roman. 2. factores legis justificabuntur.*

Pererius Disp. 7. in cap. 2. Rom. pag. 163. *Verbum justificare sæpenumero usurpatur pro eo, quod est habere, vel æstimare, vel declarare sive pronuntiare aliquem esse justum. Cum enim judex quempiam accusatum alicujus criminis bene cognitâ causâ pronuntiat innocentem & absolvit, dicitur (more loquendi Scripturæ) justificare eum, id est, declarare eum justum esse atque innocentem &c. Ad hunc ipsum intellectum dixit Job: Verè scio, quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo &c. Et paulo post: Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Cujus simile est illud Eccl. 5. Non te justifices ante Deum. Ad eandem quoque significationem ejus verbi pertinent illa. Ex verbis tuis justificaberis & ex verbis tuis condemnaberis. Et publicani justificarunt Deum &c. Et item illud Pauli: Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est qui justificat, quis est, qui condemnet?*

Johannes à Gorcum Epitomator Guilielmi Estii & Cornelii à Lapide in cap. 8. Roman. *Deus est qui justificat, id est, à peccatis & ab intentata adversarii actione electos suos absolvit, justosque pronuntiat.*

Dominicus à Soto ad eundem locum. *Allusio est ad tribunal supremi judicii; Cum enim prætor reum justificat, puta justum pronuntiat, non omnis misero abstergitur metus, ne Rex,*

si ad

si ad ipsum appelletur, eum condemnet: quem vero Rex absolverit, ei sanè nullus sit amplius reliquus metus.

Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 9. §. Solùm &c. *Habet analogiam exterior absolutio, quæ ore pronuntiatur* (in Sacramento pœnitentiæ) *cum interna justificatione, quæ à Deo efficitur.*

(Atqui minister absolvens non infundit justitiæ habitum, sed forensi significatione justificat, hoc est, absolutum pronuntiat pœnitentem. Ergò ut sibi constet analogia, etiam interior justificatio, quæ à Deo efficitur, in absolutione à peccatis, non in justitiæ infusione consistit.)

Idem lib. 2. de Justif. cap. 3. §. Ad secundum &c. scribit, *posse aliquem fieri justum, tum intrinsecè per adeptionem justitiæ, tum extrinsecè per declarationem.*

Idem lib. 1. de Justif. cap. 1. §. Quartò &c. *Nomen justificationis revera sæpe sumitur pro declaratione.*

(Addit quidem, quòd in Epist. ad Roman. *Non sit ejus usus forensis, ut Protestantes volunt, quod est justum declarare, sed quod significet justum facere.* At confessiones aliorum Pontificiorum modò adductæ contrarium testantur.)

Maldonatus in c. 18. Luc. v. 14. concedit, *justificare esse idem quod justum declarare; & publicanum justum declaratum esse.*

5. Dissensiones Pontificiorum.

Sive *theoriam* sive *praxin* apud Pontificios respicias, maxima de causa formali ac meritoria justificationis animadvertitur inter ipsos dissensio.

Quòd ad praxin attinet, quidam sese vocant *Religiosos*, reliquos verò *seculares.* Inter Religiosos totidem diversæ sunt de Justificationis causa opiniones, quot extant Monachorum ordines. Quilibet enim in sui ordinis operibus ac Ceremoniis suam quærit justitiam, quâ de re sic differit.

Erasmus in Moria: *Magna Monachorum pars in tantum suis nititur Ceremoniis & hominum traditiunculis, ut putet, unum cœlum parum dignum esse tantis meritis præmium. Alius ostentabit aqualiculum omni piscium genere distentum. Alius Psalmorum centum effundet modios. Alius jejuniorum myriadas annumerabit, & toties uno prandio penè disruptam imputabit alvum. Alius tantum Ceremoniarum acervum proferet, quantus vix septem onerariis navibus vehi possit. Alius gloriabitur sexaginta annos nunquam attactam pecuniam, nisi digitis duplice chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret adeo sordidam & crassam, ut nullus nauta suo dignetur corpore. Commemorabit alius, se plusquam undecim lustris spongiæ vitam egisse, semper eidem affixum loco. Alius raucam assiduo cantu vocem adducet, alius lethargum solitudine contractum, alius linguam jugi silentio torpentem. At Christus, undenam hoc, inquiet, novum genus Judæorum? unicam ego legem verè meam agnosco, de qua sola nihil audio, & olim palam nulloque parabolarum involucro utens paternam hereditatem pollicitus sum non cucullis, preculis aut inediis, sed fidei & caritatis officiis. Nec eos agnosco, qui sua facta nimis agnoscunt. Isti qui me quoque sanctiores videri volunt, Abraxasiorum cœlos, si libet, occupent, aut ab his sibi novum extrui cœlum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis anteposuerunt.*

Secularium aliqui pro justitia sua habent *Missas*, alii *literas Indulgentiarum*, alii *passiones Martyrum*, alii *opera supererogationis Monachorum & Monialium*, alii *battologias precum*, alii *jejunia*, alii *peregrinationes.*

Multi *hypocriticam & Pharisaicam* tantùm sectantur *justitiam* in externis operibus consistentem, quâ de re sic disserit Johannes Ferus in comment. cap. 5. Matth. lib. 1. pag. 79. *Si vitam nostram attendamus, ferè nostra justitia nihil aliud, quàm Pharisaica est. Atque utinam tantam diligentiam adhiberemus, ut coram Deo justi essemus, quantam adhibemus in externa justitia! vix enim est, qui veram justitiam amplectatur, præpostero ordine omnia fiunt. An non præpostera res est, vestem humilem præferre, & animum superbum habere; veste profiteri se à mundo exivisse, cum totus mundanus sis? &c. Justos se arbitrantur Laici, si externi operis quippiam faciant, interim mentiuntur, decipiunt, odio torquentur &c. Quid prodest idolum non adorare corpore, si animo idola habeas? non occidere, cùm virulenta lingua occidas? non furari, cùm famam fratris auferas? Et sic vides, quòd ferè nihil aliud sumus, quàm Pharisæi.*

Justitiam *actualem* in caritate communiter collocant. Atqui apud plurimos de caritate multa gloriatio, ipsius verò operis exigua demonstratio, inde quidam Pontificios in scripto suo sic alloquitur: *Vos enim caritate vestra justi estis? quanam? an erga Deum? Atqui eum quotidiè cultu idolorum vestrorum offenditis, irritatis, præ caritate scilicet. An erga Christum? Atqui hunc quotidiè in Missa vestra verè & realiter sacrificatis, mortificatis, destruitis. O eximiam caritatem! An in Angelos & Sanctos? Atqui hos quotidiè vestro cultu & adoratione Deo & Christo, quantum in vobis est, redditis invisos, quasi prævaricatores, adorationis religiosæ appetentes, læsæ majestatis reos. An in homines mortuos? Atqui horum alios detruditis ad inferos, alios in purgatorium ignem, unde absque sufficiente λύτρῳ, quo focus luculentus vobis instruatur, neminem dimittitis. An in vivos Clericos? Atqui de vobis jam dudum illud frequentatum sæpiùs audivistis haud dubiè. Conveniunt sine notitia, vivunt sine amicitia, moriuntur sine tristitia. An Laicos, Catholicos scilicet vestros? Atqui hos præ amore excluditis ex spiritualium numero, ex choro vestro, ex cœlo denique, nisi ad nutum & votum vestrum vel confitentes vobis manus impleverint, vel morituri propter legata vestra hæredes suos fraudaverint. An denique nos miseros hæreticos? Atqui præ amore quotidiè nos Diabolo traditis, ferro & gladio tollendos vociferamini. Hæc igitur est caritas justificatio vestra, hypocritæ.*

Dissensiones de *causa formali & meritoria* justificationis, quæ in scriptis Adversariorum occurrunt, numero vix comprehendi possunt.

Primò, Albertus Piggius & Autores Antididagmatis Coloniensis, referente Bellarmino lib. 2. de Justificat. cap. 1. *Duplicem justitiam* statuunt, *quâ formaliter coram Deo justificemur*, unam *imperfectam*, quæ *in virtutibus nobis inhærentibus sit sita*; alteram *perfectam*, *quæ est ipsa Christi justitia nobis imputata.*

Sed hanc justitiæ Christi imputationem alii manifestè repudiant & *putativam justitiam* vocant.

Secundò, quidam ex Pontificiis, referente Bellarmino lib. 2. de Justif. cap. 15. statuunt, *justitiam, quâ coram Deo formaliter sumus justi, esse actualem.*

Quidam verò, quorum major pars, statuunt, *actualem justitiam seu bona opera non formaliter, sed meritoriè nos justificare, habituali autem justitia formaliter hominem justificari.*

Tertiò, *dispositiones ad justificationem* plerique Pontificii, Scholasticorum opinionem secuti, vocant *merita de congruo.*

Sed Dominicus à Soto præfractè negat, *illas esse merita ex congruo*, cujus rationes solvere conatur Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 21.

Quartò, Ad dispositiones illas quidam *speciale Dei auxilium* statuunt esse necessarium, quidam verò negant.

Joh. Fischerus Episcopus Roffensis in lib. adversus Lutherum. *Scholastici hac in re* (de præparatione ad gratiam) *mutuò sibi pugnant. Patres enim asserunt, neminem posse quicquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contrà Scholastici sic contendunt, hunc sufficere, ut quis absque illo auxilio bene moraliter agere & bonum facere possit, non solum ex genere, verùm etiam quod debitis undique circumstantiis ornatum sit.*

(Notat autem Roffensis Scotum, Occamum, Bielem & alios.)

Plures hujusmodi de dispositionibus ad justificationem dissensiones recensuimus superiùs c. 3. th. 1 §. 4. memb. 4. 5. 6. & 7.

Quintò, Latomus, in scriptis suis contra nostram confessionem editis, statuit, *Homines primùm per legem Naturæ justificatos & salvatos esse, postea per legem Mosis in monte Sinai promulgatam, denique per legem Christi, nec Abrahamum aliam de Christo doctrinam habuisse, quàm Socrates, Plato vel quisquam Ethnicus habuit.*

In eandem opinionem propendent Erasmus, Andradius, Ludov. Vives &c.

Sed reliqui eam, uti par est, repudiant.

Sextò, Nicolaus Sanderus lib. 2. de Justif. cap. 1. pag. 170. sic differit: *Causa formalis nostræ justificationis est justitia. Hujus initium & inchoatio prima est fides.*

Pag. 171. *Sed non tota formalis justitia in fide sola consistit, vel per solam fidem apprehenditur, sed oportet etiam nos uti caritate in apprehendenda justitia.*

Pag. 172. *Justitiam non minùs apprehendit dilectio, quàm fides, imo longè magis.*

Johannes Hoffmeisterus eodem ferè modo scribit in artic.

4. Con-

4. Confess. August. *Fidem justificare, quâ, tanquam instrumento, remissio peccatorum & renovatio interioris hominis & vita accipiuntur & retinentur.*

At Bellarmini hypothesibus hoc minimè congruit. Sic enim scribit lib. 1. de Justificatione cap. 16. circa med. *Fides non dicitur propriè apprehendere. Apprehensio enim, cum referatur ad intellectum, propriè est cognitio rei, prout in specie repræsentatur &c. Eadem ratio est de fiducia, si per fidem fiduciam intelligi velint. Confidere enim non est apprehendere, sed firmiter adhærere rei apprehensæ.*

Lib. ejusdem cap. 17. *Non apprehendit fides justitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est justitia.*

Et posteà. *Justificatur homo ex fide, non quia fides tantùm respicit promissionem, & illam credendo apprehendit, sed quia remissionem impetrat & suo quodam modo meretur.*

(Confer dicta superiùs cap. 1. thesi 1. §. 3. memb. 8. Quærimus autem ex Sandero, *quid apprehendat fides in actu justificationis?* Certè non inhærentem justitiam, sed Christi obedientiam, quæ est proprium ejus in actu justificationis objectum. Cur ergo negant justitiæ Christi imputationem?

Præterea, si fides & caritas justificant *apprehendendo justitiam*, certè infusus ejus habitus non erit ipsa formalis justitia. Si fides apprehendendo justificat, ergo non ut inhærens qualitas.)

Septimò, Toletanus in Confut. Confess. Antverp. cap. de Justificat. statuit, *ob justitiam Christi excitari in mente nostra quandam delectationem & dilectionem justitiæ, atque hanc esse formaliter justitiam, quâ justificamur.*

(Hæc opinio non congruit cum communi illa hypothesi, *quòd per infusionem habitualis justitiæ formaliter justificemur.*)

Octavò, Ruardus Tapperus artic. 8. de Justificat. pag. 8. *Justitia fidei est multiplex. Est enim justitia fidei habitualis, quæ à Deo infunditur per Spiritum inhabitantem, & facit Naturæ divinæ consortes ac filios Dei; alia est, quæ acquiritur ex operum fidei frequentia, & ideò dicitur justitia acquisita, manens in peccatore; est & actualis, quæ est rectitudo operum justitiæ. Omnis autem justitia est operum, quia ex operibus perficitur & gignitur, ex operibus autem, quæ ex Spiritu Dei procedunt, sed retributio fiet secundùm justitiam operum, parvulis autem & adultis, qui tempus operandi non habuerunt, retribuetur juxta merita Christi, juxta proportionem tamen ad ejus imaginem, hoc est, Deiformitatem.*

(Atqui Scriptura unicam tantùm coram Dei judicio consistentem justitiam novit, videlicet justitiam fidei sive justitiam Christi fide apprehensam. *Omnem justitiam esse operum justitiam*, ne ipse quidem Bellarminus concedet, qui inter *habitualem & actualem* justitiam operosè distinguit.)

Nonò, cùm imperfectio & habitualis & actualis justitiæ ex Scripturæ & propriæ piorum experientiæ testimonio satis sit conspicua, ideo varia quærunt effugia ac remedia.

Lombardus, cùm animadverteret, caritatem nostram non posse sustinere formam justitiæ coram Deo, finxit, *caritatem in nobis esse ipsum Spiritum Sanctum*, lib. 1. sentent. dist. 17. lit. B. & seqq.

Ex hac hypothesi Lombardi procul dubio profluxit argumentum Johannis Cochlæi. *Certum est, Deum nos justificare, sed Deus est caritas, non fides. Ergo caritas, non fides nos justificat.*

(Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 8. Lombardi sententiam sic interpretatur, quòd statuerit, *causam sive principium proximum dilectionis Dei esse in nobis Spiritum Sanctum, immediatè agentem, non autem habitum aliquem creatum.* Fatetur tamen, *hanc Lombardi sententiam ab omnibus Scholasticis, præsertim Thoma in 2. 2. q. 23. art. 3. acriter refelli.*

Occamus Lombardi sententiam sic interpretatur, quòd statuerit, *rationem formalem, propter quam actus dilectionis dicatur meritorius, esse gratuitam Dei voluntatem, quæ est Spiritus Sanctus.*)

Gropperus fatetur, *opera caritatis nostræ esse imperfecta, ac proinde in illis non posse constitui causam formalem justitiæ coram Deo, considerandam igitur esse caritatem ut donum Dei & Spiritus Sancti, & hoc modo esse formalem justitiam.*

Sic & Hosius scribit, *Opera caritatis esse imperfecta, sed habitum caritatis in credentibus esse perfectum, & illam esse formam justitiæ nostræ.*

(Atqui habitus caritatis spectat ad *renovationem*, quæ in hac vita nunquam est tam perfecta, quin quotidiè crescere debeat 2. Cor. 4. v. 16. Præterea, si opera caritatis sunt imperfecta, quomodo justificatio secunda in illis poterit quæri? Agnoscunt hoc recentiores, ideo disputant, *non solùm habitum caritatis, sed etiam opera caritatis sive actualem justitiam esse perfectam*, in quorum numero est Bellarmin. lib. 2. de Justif. cap. 14.)

Diversimodè autem illud explicant. Quidam dicunt, *justitiam habitualem, quamvis aliquo modo sit imperfecta, propter admixtionem venialium delictorum, tamen non desinere esse veram justitiam, & suo etiam quodam modo perfectam & absolutam.*

(Nimirum in se ac per se, cùm ex ipsorum hypothesi venialia peccata non sint *propriè dicta* peccata, nec *contra legem*, sed *præter legem* fiant.)

Quidam verò disputant, *quod operibus nostris deest, illud suppleri per Christi satisfactionem*, ac proinde *bona opera justificare, non per se, sed quatenus tincta sunt Christi sanguine.*

(At Christus non est passus *pro bonis nostris operibus*, ut illis meritum & vim justificandi impetraret, sed *pro peccatis nostris*, ut gratuitam illorum remissionem fide obtinendam nobis promereretur. Nec opera nostra sunt tincta sanguine Christi, ut nos justificent, sed ut Deo placeant propter meritum Christi, quod à sanguinis ipsius effusione pendet. Nec justificamur propter opera sanguine Christi tincta, sed propter sanguinem Christi opera tingentem & nos à peccatis mundantem.)

Decimò, Pistorius de Justific. thes. 65. *Semel verum est, justificationem afferre remissionem omnium peccatorum antegressorum, sicut Paulus ait Rom. 3. v. 21. sed hoc non sufficit, nec oportet propter declarationem unicæ partis alteram omitti.*

Thesi 66. *Quòd autem vocabulum justificationis non tantùm remissionem peccatorum significet, sed etiam renovationem mentis & vivificationem interioris totius hominis, aliquot dictis Scripturæ ostendemus.*

Thesi 88. *Hæ duæ operationes, scilicet remissio peccatorum & infusio gratiæ, quæ ut privatio & forma, sive corruptio & gratia opponuntur, producunt unum effectum, qui in Scriptura dicitur justificatio, quâ homo non tantùm remissionem peccatorum, sed etiam virtutem impetret peccatis resistendi, & quâ formaliter in ipso justus fit.*

(Sed quod Bellarminus Piggio opponit lib. 2. de Justificat. cap. 2. *formalem causam justificationis esse unicam secundùm decretum Concilii Tridentini, ergò non posse esse duplicem*, idem etiam Pistorio opponimus. Præterea remissio peccatorum non est privatio, seu corruptio, ut vult Pistorius, sed ipsum peccatum privatio est justitiæ, unde peccati remissio non privatio, sed privationis ablatio est, neque est corruptio, sed spiritualis regeneratio. Nec potest ex privatione & forma conjunctis unus produci effectus, imò qui fieri potest, ut privatio & forma conjungantur, cùm sint opposita, quorum posito uno alterum tolli necessum est?)

Undecimò, Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 2. sic disserit: *Sicut aër, cùm illustratur à Sole, per idem lumen, quod recipit, desinit esse tenebrosus, & incipit esse lucidus: sic etiam homo per eandem justitiam sibi à Sole justitiæ donatam atque infusam, desinit esse injustus, delente videlicet lumine gratiæ tenebras peccatorum; & incipit esse justus, succedente nimirum tenebris peccatorum ipsâ justitiæ luce.*

Statuit igitur Bellarminus, *in justificatione priùs fugari peccata, posteà succedere infusionem gratiæ.*

Sed Costerus in Enchiridio affirmat, *priùs infundi gratiam, quâ deinde expellantur peccata*, quâ in parte sequitur Thomam, qui 1. 2. quæst. 113. art. 8. scribit: *Ordine Naturæ prior est infusio gratiæ, quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis; secundò, motus ipsius mobilis; tertiò, terminus motus. Dei moventis motio est gratiæ infusio, motus mobilis est duplex motus liberi arbitrii, terminus est remissio culpæ.*

Duodecimò, Bellarminus lib. 4. de Justific. cap. 18. scribit: *Paulum loqui de prima justificatione, quâ homo ex impio fit justus; Iacobum de secunda, quâ justus efficitur justior, & docet, illam non fieri merito operum nostrorum, sed hanc; proinde Paulum opera hinc excludere, Iacobum verò ea non excludere.*

At Leonhardus Marius super caput 15. Genes. pag. 152. Cornelius à Lapide in cap. 15. Genes. pag. 166. & super caput 4. Rom. pag. 61. & Adamus Conzen in idem cap. 4. Roman. pag. 207. Bellarmino contradicunt & asserunt, *Mosen & Paulum etiam loqui de justificatione secunda.*

Verba Cornelii à Lapide in cap. 4. ad Rom. hæc sunt: *Quæres, an Paulus hic de eadem justificatione loquatur, de qua loquitur Iacobus cap. 2. vers. 23. cum ait: Abrahamum ex operibus justi-*

justificatum esse. Negat Toletus & alii nonnulli. Putant enim, Paulum loqui de prima justificatione, quæ non est ex operibus, id est, ex merito operum: Jacobum vero loqui de secunda justificatione, sed de justitiæ augmento, hoc enim meremur per opera bona. Verùm meliùs censent alii, tam Paulum, quàm Jacobum de utraque Justificatione, primâ scilicet & secundâ loqui.

Decimo tertiò, Bellarminus lib. 1. de Justificat. cap. 20. dictum illud Genes. 15. v. 6. Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, accipit *de Justificatione secundâ. Illud denique*, inquit, *quod Calvinus adducit ex cap. 15. Genes. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam, significat, Abrahamum justum ex novo quodam actu fidei factum esse justiorem.*

Idem inculcat lib. 4. de Justific. cap. 18. *Abrahamum jam ante fuisse justum, cùm opera justa facere potuerit, eaque fide non esse factum justum ex impio sed justiorem ex justo.*

At Balthasar Hagerus Jesuita Herbipolensis in Coll. August. Confess. & Concil. Tridentin. artic. 6. *de prima Justificatione* dicta illa accipit. Cui expositioni fortissimè adversatur, quòd quando de Abrahamo Moses dicit: *Credidit Deo & hoc ei imputatum est ad justitiam*, juxta Pagnini computationem in Chronol. Bibl. 52. annis jam ante conversus erat Abraham ab idolis ad Deum, & per fidem in promissum Messiam justificatus.

Decimo quartò, Pontificii Scriptores communiter statuunt *duplicem justificationem*, primam *habitualem*, quâ *ex injusto aliquis fit justus, ex peccatore bonus*; secundam *actualem*, quâ *justus majori justitiâ augetur.*

Sed Alphonsus Salmero Disput. 9. in Epist. Rom. pag. 95. novam quandam justificationem introducit. *Justificari*, inquit, *est justum fieri, sive ex justo, quomodo Christus & Angeli & primi parentes extiterunt, sive ex injusto, ut omnes nos, qui concipimur & nascimur in peccato originali.*

Et posteà addit: *B. Virgo medio quodam modo justificata est, non enim ex justo, ut Christus & alii dicti, justificata est, neque ex injusto, ut omnes nos, quia actu peccatum non habuit, ex quo contractio sublevaretur ad justitiam, sed ex debito peccati contrahendi erecta fuit in justitiam, quod est medium inter illa duo dicta.*

Idem tom. 13. pag. 342. alio quodam respectu tertiam justificationis speciem adjicit, eam nempe, *cùm quis sententiâ judicis absolvitur & pronuntiatur justus, quæ non nisi post hanc vitam justis contingat, & ad illam respexisse Paulum Paulum Rom. 2. v. 13. quando inquit de futuro: Factores legis justificabuntur.*

Decimo quintò, *An habitus caritatis, quo formaliter in prima justificatione nos justificari statuunt, realiter differat à gratia gratum faciente, an secus*, de eo opinionibus plurimùm discrepant, ut ostendimus superiùs art. 22. cap. 1. membr. 4. §. 3.

Exceptio Adversariorum.

Ad argumentum ex Rom. 10. v. 3. (ubi justitiæ Dei negantur subjecti, qui suam stabilire satagunt justitiam) excipiunt, *vocari justitiam propriam, quam præstat homo ex naturalibus liberi arbitrii viribus, non autem, quam à Deo donatam, sibique inhærentem habet.*

Resp. Quando Ambrosius Catharinus ad verba Salomonis Proverb. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* sibi objecta respondet, *Salomonem negare solùm, quòd mundatio viribus propriis non possit fieri*, rejicit id Bellarminus lib. 3. de Justific. cap. 4. §. Catharinus &c. asserendo, *apud Hebræos constantem fuisse fidem, purgationem peccatorum à solo Deo fieri.* Eandem responsionem opponimus Pontificiis, quando *justitiam Dei* Rom. 10. v. 3. & 4. dicunt *esse illam, cui præstandæ Deus vires largitur, propriam verò justitiam, quam Judæi suis viribus præstare conabantur.* Neque enim Judæi confidebant, *sine gratia Dei se legem impleturos, sed Dei gratiam & auxilium ad impletionem illam necessariam* esse agnoscebant. Justitia ergo Dei est *justitia fidei*, sive *justitia Christi per fidem nobis imputata*, sicut Apostolus non solùm alibi, sed etiam hoc ipso in loco declarat, subjungens: *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*; non dicit, *in justitiam omni operanti*, sed *credenti*, proinde justitia operum huic justitiæ Dei, sive ei, quæ coram Deo valet, opponitur.

Argum. Adversariorum, quibus justitiæ inhærentis infusionem, per quam coram Deo justificemur, confirmare, imputationem vero justitiæ Christi evertere satagunt.

1. Rom. 5. v. 18. *Collatio instituitur inter Christum & Adamum. Ex quo loco habemus* (inquit Bellarminus lib. 2. de Justific. cap. 3.) *justificari per Christum non esse, haberi aut pronuntiari justum, sed verè fieri atque constitui justos per adeptionem inhærentis justitiæ*, quod probat, *tum* ex illis verbis, *justi constituentur multi*; *tum* ex oppositione *Christi & Adami. Sicut enim per Adamum inhærenter sumus injusti, ita per Christum inhærenter justi.*

Jacobus Tirinus in cap. 5. Roman. v. 18. *Sicut peccatum Adami non imputatur nobis solùm extrinsecè, sed reverâ & intrinsecè inest unicuique nostrûm: ita quoq; gratia & donum Christi non tantùm imputatur nobis, sed intrinsecè inhæret: alioquin efficacius esset peccatum Adami, quàm gratia Christi, utpote quæ peccatum non tolleret, sed tantùm absconderet.*

Resp. 1. Bellarminus lib. 1. & cap. dict. §. Ad secundum &c. concedit, *posse aliquem fieri justum, tum intrinsecè per adeptionem justitiæ, tum extrinsecè per declarationem.*

(Ergo ex voce *constituendi* non potest inhærentem justitiam probare, cùm possit aliquis fieri & constitui justus, vel per justitiæ infusionem, vel per imputationem, vel per declarationem.)

2. Idem Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 10. §. Si quem &c. asserit, *peccatum Adæ ita posteris omnibus imputari, ac si omnes idem peccatum patravissent*, ibidem recitat dictum Bernhardi: *Nostra est Adami culpa, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto.*

(Ergo imputatio à communicatione peccati ab Adamo commissi, excludi nequit. Quamprimùm enim peccârunt primi parentes, ipsorum transgressio reputata fuit totius humani generis transgressio, utique ergo nobis omnibus imputata.)

3. Idem lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 17. de actuali peccato Adami sic loquitur: *Peccatum actuale Adami nobis communicatur per generationem, eo modo, quo communicari potest id, quod transit, nimirum per imputationem. Omnibus enim imputantur, qui ex Adamo nascuntur.*

(Cur igitur Christi justitia nobis non poterit imputari, aut per imputationem communicari?

4. Salmero in loco paulò antè citato de B. Virgine pronuntiat, *quòd ex debito contrahendi peccati erecta fuerit in justitiam.*

(Hoc debitum non negabit commune esse omnibus hominibus ex Adamo per carnalem generationem descendentibus. Nec inficias ibit, debitum illud esse pœnam peccati ab Adamo commissi. Quomodo verò peccati ab Adamo commissi pœnam B. Virgo luet, si ei non imputetur? Falsum igitur est, *non imputari posteris injustitiam Adæ.*)

5. Si collatio inter Christum & Adamum extenderetur *ad modum communicationis*, sequeretur, sicut omnes homines ab Adamo descendentes, nascuntur peccatores: ita quoque omnes homines inhærentes esse justos; Item sequeretur, sicut per carnalem generationem injustitia in nos derivatur: ita quoque per carnalem generationem justitiam in nos propagari. Utrumque consequens absurdum esse Pontificii ipsimet agnoscunt. Ergo etiam agnoscunt, collationem illam non esse latiùs extendendam, quàm eam extendi voluit Apostolus.

6. Rectè igitur Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus in Comment. Rom. 5. explicans hæc verba, *sed non sicut delictum, ita & donum*, ex tota præcedente similitudine concludit; *Similitudo igitur est quoad rem inter hæc, sed non quoad modum.*

Ibidem. *Id molitur Apostolus: alieno peccato infecti sumus, alienâ justitiâ resanamur.*

Nimirum propositum est Apostolo, monstrare fontem & amplitudinem utriusque extremi, injustitiæ scilicet & justitiæ, quarum illa ab Adamo, hæc à Christo originem trahit. De *acquisitione* igitur loquitur, non de *applicatione*, ac communicationis modo; confert rem cum re, non modum cum modo.)

7. Regerit Pererius Disput. 17. in cap. 5. Roman. *Non dixisse Paulum, per inobedientiam Adami constitutos esse peccatores, ne quis putaret per inobedientiam imputatam, sed dixisse, per inobedientiam, videlicet per peccatum intrinsecè manens in ipsos ab Adami inobedientia profectum. Similiter ergo, non quòd Christi obedientiâ constituantur justi, quasi fiant homines justi non per justitiam inhærentem, sed per imputatam; sed per obedientiam Christi constitui justos, quia hæc fuit causa meritoria.*

Resp. Bellarminus lib. 2. de Justific. cap. 3. sic scribit: *Justificamur, inquit Apostolus, per gratiam ipsius, id est, per justitiam ab illo donatam & infusam, & hæc est causa formalis.*

Et

Et postea. *Præpositio, Per, non rectè accommodatur favori & benevolentiæ, sed causæ formali, aut meritoriæ, aut instrumentali.*

(Falsum igitur est, *phrasin illam, per injustitiam, non nisi meritoriè significare.* Neque quidquam obstat, quò minùs illud *per justitiam unius multi constituentur justi*, sic intelligamus dictum, ut justitia illa Christus sit non tantùm *meritoria* causa justificationis, sed etiam *formalis*, per quam simus justi apud Deum.)

Argum. 2. Rom. 4. v. 25. *Apostolus nomen justificationis tribuit potiùs renovationi internæ, quàm remissioni peccatorum, ac per hoc docet, justificationem non modo non constare sola remissione peccatorum, sed neque præcipuè eâ constare. Neque enim dubitari potest, quin Apostolus velit, mortem Christi fuisse exemplar mortis peccatorum, hoc est, remissionis & deletionis peccatorum, resurrectionem autem exemplar renovationis & regenerationis internæ, per quam in novitate vitæ ambulamus.* Bellarminus lib. 2. de Justif. cap. 6. Pererius Disp. 10. in cap. 4. Rom. th. 48. Stapleton. in Antid. Epist. Rom. pag 259.

Resp. 1. Suarez tom. 2. Comment. in part. 3. Thom. Disp. 44. pag. 478. dictum Apostolicum sic exponit: *Christus per passionem suam sufficienter destruxit peccatum, tamen ut nos justificaremur & efficaciter remitteretur nobis peccatum, oportebat passionem Christi nobis applicari per fidem vivam. Resurrexit ergo Christus propter nostram justitiam, hoc est, ut fides nostra confirmaretur & sic efficaciter justificaremur.*

2. Toletus in cap. 4. Rom. statuit, *Resurrectioni Christi ideo tribui justificationem, quia Christus ex mortuis resuscitatus, beneficia passione & morte sua parta, nobis applicat.*

(Conjungit Apostolus per solutionem pœnæ per Christi mortem pro nobis factam, *tanquam causam* & justificationem, hoc est, remissionem peccatorum in resurrectione Christi partam, *tanquam effectum*; sicut in bello pugnam sequitur victoria, cui libertatis assertio tanquam consequens & effectum tribuitur.)

3. Cornelius à Lapide illam explicationem judicat omnium optimam, *qua Præpositio, Propter, dicitur significare causam quasi meritoriam. Christus enim officium suum & meritum passionis in resurrectione, quasi in termino suo absolvit, resurrectio enim fuit terminus & complementum passionis, meritorum & totius Oeconomiæ Christi. Unde resurrectio & passio censentur unum opus redemtionis & una actio moralis Christi completa, qua simul & semel meruit Christus tum remissionem peccatorum, tum justificationem.*

(Non hoc loco, sed in cap. 6. demum Apostolus *mortem* & resurrectionem considerat, tanquam causam exemplarem.)

4. Estius in hunc locum inter cætera sic scribit: *Cajetanus sic interpretatur: Qui traditus est morti propter delicta nostra delenda, resurrexit autem propter justificationem nostram, id est, resurrexit, ut crederemus, & credentes justificaremur, quia nisi homo ille mortuus resurrexisset à morte ad vitam immortalem, mundus in eum non crederet. Sed quia resurrexit, credidit mundus, & per hoc pervenit ad mundum justificatio. Sensus hic etiam Sasboldo & Pererio probatur, potestque ad ejus confirmationem adduci, quod Petrus scribit 1. Epist. 1. Qui regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Et infra: Qui resuscitavit eum à mortuis & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo. Est & alia expositio, quam huc affert Toletus ac legitimam censet, ideo videlicet dictum, Christum resurrexisse propter justificationem nostram, quia quamvis in morte Christi pretium esset persolutum pro redemtione generis humani, tamen applicatio precii ad hominum justificationem generaliter non erat futura, Deo nimirum sic ordinante, nisi post resurrectionem Christi missis in mundum Apostolis annuntiatoribus salutis, & idcirco Christum tam cito resurrexisse, ne remedii salutaris applicatio dilata multorum hominum damnationis esset occasio. Probabilis est hæc expositio, quemadmodum & præcedens.*

(Subjungit quidem Estius eam, *quâ Christus ideo propter justitiam nostram dicitur resurrexisse, ut sua resurrectione typum quendam nobis præferret resurgendi ad justitiam, vel certè, ut nobis reconciliatis ipse jam redivivus & immortalis justificationem nostram, quâ scilicet mens nostra renovetur de die in diem, &, quæ inde sequitur, salutem apud Deum promoveret.* Sed res ipsa testatur, Apostolum hîc nondum agere *de renovatione*, de qua demum cap. 6. agere incipit, sed *de justitia imputatione*, ut tota capitis series ostendit.)

5. Jacobus Tirinus ad hunc locum sic annotat: *Qui traditus est ad expianda & abolenda delicta nostra, & à mortuis resurrexit ad procurandam, conferendamque nobis justificationem nostram. Et si enim hanc non meruerit Christi resurrectio præcisè, seu per se sumta, quia sic non erat opus viatoris: meruit tamen illam, quatenus resurrectio fuit ultimus terminus mortis & omnium passionum Christi, & cum illis quasi unum idemque opus morale redemtionis generis humani constituit. Unde quod morti proprium est, subinde resurrectioni adscribitur.*

(Ergo hîc non agitur de causa formali justificationis, sed de causa meritoria & efficiente.)

Argum. 3. Rom. 4. v. 11. *Abraham signum accepit Circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* Ex hoc loco Sanderus lib. 6. de Justificatione cap. 3. cupit evincere, *justificationem consistere in justitia inhærente. Habemus,* inquit, *manifestissimam propositionem in Scripturis sacris, quòd justitia fidei erat in Abrahamo, erat, inquam, in illo & non aliunde imputabatur illi. Aut enim Paulus, justitia fidei erat in præputio Abrahæ, id est, in Abrahamo nondum circumcisio.*

Resp. 1. Illud *in præputio*, non est Apostolo idem, quod in Abrahamo, sed temporis potiùs circumstantiam denotat, ut manifestum est ex textu Græco.

Dominicus à Soto in h. l. *In præputio, antequam Circumcisionem acciperet.*

Cornelius à Lapide in h. l. *Adeo Abraham non est justificatus in vel ex Circumcisione, ut Circumcisionem post justitiam acceperit, ad hoc ut esset signum justitiæ, quam adeptus est ipse per fidem ante Circumcisionem, cum adhuc esset præputiatus.*

Tirinus eodem modo.

2. In Abrahamo nondum circumciso fidem justificantem fuisse concedimus, sed hanc fidem beneficia Messiæ promissi apprehendentem, ad justitiam illi imputatam fuisse, vel quod idem est, Christi justitiam per fidem ipsi imputatam fuisse, cum Apostolo dicimus.

Estius in h. l. *Sensus est, Abraham jam ante justificatus per fidem, postea accepit signum Circumcisionis, id est, ipsam Circumcisionem, quæ pro signo data fuit illi & ejus posteritati. Accepit,* inquam, *Circumcisionem, quæ esset signaculum, id est, sigillum ejus justitiæ, quam perceperat ex fide, tunc quando adhuc erat in præputio, id est, nondum circumcisus.*

Argum. 4. Rom. 6. v. 7. *Qui mortuus est, justificatus est à peccato. Docemur, quòd per justificationem, quâ morimur peccato & resurgimus justitiæ, repræsentemus Christi mortem & resurrectionem. At Christus non putativè, sed verè mortuus est & verè resurrexit. Ergo & nos non putativè, sed verè morimur peccato & resurgimus ad justitiam, cum per Baptismum justificamur,* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Nemo nostrûm negat, nos verè mori peccato & resurgere ad justitiam, sed negamus hoc ipsum mori peccato & resurgere ad justitiam, esse nostram coram Deo justificationem, dicimus autem, esse hoc *nostræ justificationis effectum*, ut ex ipsis verbis Apostoli in principio capitis manifestum. *Quid igitur dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat?*

Cornelius à Lapide in hunc loc. *Vivere peccato est opera peccati vitalia facere & exercere, scilicet cum homo rationalis per voluntatem, amorem, desiderium, gaudium, obedit, delectatur, sequitur, fruitur concupiscentiis & appetitibus, qui sunt contra legem Dei, nec divinæ, sed suæ voluntati indulget. Sic è contrario peccato mortuus dicitur, cùm hæc opera vitæ, hos amores non habet, sed à se præscindit & abdicat.*

2. Nec potest contrarium ex v. 7. probari, in quem Toletus sic commentatur: *Causam reddit sententiæ prioris præcedentis, nimirum veterem hominem crucifixum, ut non serviamus ultra peccato. Confirmat autem ex mortis effectu, qui ab actionibus hujus seculi liberat hominem. Et sicut, qui civiliter servus est, morte liberatur & absolvitur à servitute illa, ut amplius non serviat: ita & nos à servitute peccati, quâ tenebamur, per Baptismum mortui, liberati sumus, ut amplius peccato non serviamus. Qui enim mortuus est, jam amplius non peccat, sed liber est per mortem à peccato.*

Cornelius à Lapide in h. l. *Specialiùs & profundiùs Chrysostomus & Theodoretus sic explicant, tanquam alludat Paulus ad servum, qui, dum vivit, servituti astringitur, sed in morte ab eadem absolvitur & liberatur. Hanc enim metaphoram servi v. 16. & seqq. urget Apostolus, q. d. Sicut servus mortuus per mortem justificatus, id est, absolutus & liberatus est à jure & dominio heri,* pu-

puta à servitute, ita ut herus in eum nullum jus herile vel imperium habeat: pari modo & nos à servitute peccati justificati, id est, liberati & absoluti sumus hoc ipso, quo eidem mortui sumus per Baptismum, ut proinde amplius peccato vacare & servire non debeamus.

Estius in h. loc. *Quod ait, justificatus est, sumta phrasis à judiciis forensibus, ubi, qui absolvebatur, justificari dicebatur, hoc est, liberari, sive à crimine sibi imposito, sive à domino, volente eum sibi vendicare in servum.*

(Ergo τὸ δικαιοῦν Apostolus h. l. alio sensu usurpat, quàm quo superiùs in cap. 5. v. 1. dixerat, δικαιωθέντες ἐκ πίστεως.)

3. Jacobus Tirinus ad hunc loc. sic annotat: *Qui peccato mortuus est, is justificatus, id est, jure merito absolutus & liberatus est à peccato seu servitute peccati, cui subjectus fuerat, q. d. Sicut mancipium per mortem liberat. à servitute heri sui: ita & nos per mortem spiritualem in Baptismo vel pœnitentia, liberamur à servitute peccati, ut proinde non amplius debeamus ei parere vel servire. Ita Chrysostomus & Theodoretus.*

(Ergo per justificationem hic intelligitur liberatio à peccati servitute.)

Argum. 5. Rom. 8. v. 10. *Spiritus dicitur vivere propter justificationem, sive ex Græcis ad verbum: Spiritus vita propter justitiam. Justificatio seu justitia, quæ facit vivere & per hoc operari, non potest esse sola remissio peccati, sed aliquid internum & inhærens.* Bellarminus.

Resp. 1. Toletus in h. l. *Vitam dicit accipi de ea, quæ est post resurrectionem, quâ corpus surget immortale.*

(Quam expositionem probat antithesis. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum,* ubi loquitur de morte naturali, non spirituali. Ac sequitur, *vivificabit mortalia corpora vestra.* Quòd si verò mors non significat inhærentiam peccati. Ergo nec vita ei opposita inhærentiam justitiæ.)

2. Cajetanus in hunc locum negat, nostram intelligi justitiam. *Brevitati,* inquit, *studens Paulus, similes nos Christo describit ex Christo inhabitante in nobis, ut quemadmodum Christus habuit corpus mortale & Spiritum vivum: ita corpus nostrum est mortuum, hoc est, mortale, Spiritus verò vivus. Sed dissimilitudo est penes causam, quòd corpus nostrum est mortuum propter peccatum proprium, peccatum enim originale est commune peccatum omnium hominum, excepto Christo. Spiritus vero vivit pro vita, propter justificationem, pro, justitiam. Et hîc quoque est dissimilitudo penes causam, quia vita Spiritus Christi non pendet à justitia, sed ab initio beata fuit, vita verò Spiritus eorum, in quibus habitat Christus, est propter justitiam Christi, quâ satisfecit Deo solvendo pretium redemtionis humanæ, propter illam enim justitiam extrinsecè & per participationem ejus intrinsecè est vita eorum, in quibus habitat Christus.*

3. Estius in h. l. *Juxta nostram versionem sensus est: Si Christus in vobis est, tunc, etsi corpus vestrum mortuum est propter peccatum, Spiritus tamen vester, sive mens vestra vita gratiæ per justitiam, quam in ea efficit Christi Spiritus in vobis habitans &c. In Græcis ac Syriacis Codicibus pro vivit legitur vita &c. Qui hoc modo legunt, ferè Spiritum intelligunt non hominis, sed Dei, hoc sensu: Si Christus in vobis est, igitur Spiritus ejus vita vestra est, id est, vitam vobis tribuit ac vivere vos facit per justitiam, quam in vobis effecit &c. Alii tamen, inter quos Cajetanus & Oecumenius Græcus, etiam hac lectione retenta, malunt intelligi Spiritum hominis propter antithesin corporis & Spiritus, quam hîc facit Apostolus, & propter illud, quod mox sequitur. Vivificabit & mortalia corpora vestra &c. Dicitur autem Spiritus hominis esse vita propter justitiam, quia non tantùm ipse per justitiam vivit, sed etiam hominem, cujus est Spiritus, per eandem justitiam vivere facit, tanquam ipsius hominis vita quædam spiritualis.*

(Nulla harum interpretationum efficit id, quod Bellarminus ex hoc textu colligit, videlicet *justificationem consistere in justitia inhærente,* aliud enim est *justificatio,* aliud *sanctificatio,* de qua Apostolus hîc loquitur.)

Argum. 6. Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit, etiam prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui &c.* 1. Cor. 15. v. 50. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Ex eo sic concludit Bellarminus: *Christus non est justus per imputationem, neque per solam inhabitationem justitiæ increatæ, sed justus verè ac propriè etiam ut homo per creatam & inhærentem sibi justitiam, ex qua justissima opera faciebat. Igitur & nos, si similes, si fratres, si imagines ejus esse debemus, justitiam veram & inhærentem habere necesse est. Si enim re ipsa injusti & putativè solùm justi simul, magis Diaboli, quàm Christi imaginem geremus: ac si terreni hominis veram imaginem portavimus, quoniam verè, non putativè peccatores fuimus, igitur & Christi veram imaginem geremus, ideoque verè, non putativè justi erimus.*

Resp. 1. Si eodem modo justi sumus, quo Christus, consequens erit, nos *originaliter & perfectissimè* justos esse *omnibus etiam venialibus peccatis carentes.* Sed consequens Pontificii non admittunt. E. nec antecedens statuere debent, sed agnoscant, *à re ad rei modum non semper legitimè concludi.*

2. Imago & conformitas illa non est quærenda in Justificatione, sed in alio potiùs tertio. Toletus eam statuit *in adoptione. Prædestinavit eos, ut sint conformes imagini Filii sui, id est, ut essent conformes Christo Filio suo, qui est imago Patris, ut sint filii, sicut & ipse est Filius, ac habeant filiorum hæreditatem, sicut & ipse habet.*

Eodem modo exponit Pererius. *Si lector cupit brevem & apertam & prorsus eandem horum verborum interpretationem, accipiat hanc: Prædestinati sunt sancti conformes fieri imaginis Filii Dei, secundum quandam imaginem & similitudinem, quam habent ipsius Filii Dei. Ea verò est hujusmodi, ut sicut ipse est naturalis Dei Filius, divinâ gloriâ plenus: ita sint etiam ipsi, per adoptionis gratiam filii Dei, divinæ gloriæ participatione pleni.*

Ita quoque exponit Justinianus in Commentar. *Simpliciter in præsentia Chrysostomo assentior, qui filii similitudinem positam in eo censet, ut prædestinati quandam filii rationem & similitudinem referat, & quemadmodum Christus est Natura Filius: ita ipsi adoptione Filii Dei nuncupentur, ut omnino apertè subdat Apostolus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Cajetanus cum hac expositione conjungit eam, quâ conformitas illa refertur *ad futurum seculum, in quo participatione gloriæ similes erimus Christo primogenito nostro fratri.*

Vasquez. part. 1. quæst. 23. refert *ad conformitatem in passionibus. Quos Deus præscivit sibi amicos & dilectos per gratiam suam futuros, hos etiam prædestinavit ad hoc, ut paterentur & fierent conformes Filio suo in patientia, utpote qui pro nobis tot labores & ærumnas sustinuit.*

Cornelius à Lapide in h. loc. *Quos Deus præscivit, eos etiam prædestinavit, ut sint conformes Filio suo tam in gratia & patientia, quàm in gloria.*

Estius in h. loc. *Conformitatem imaginis Filii Dei, ad quam prædestinatos dicit, similitudinem intelligit nostram cum Filio Dei, non qualemcunque, qualis etiam in hac vita per mentis renovationem & inchoatam adoptionem habetur, ut quidam intellexerunt: sed quam in fine seculi expectamus, id est, adoptionem filiorum Dei consummatam, quæ nimirum consistit in glorificatione totius hominis, ut sicut dixit 1. Corinth. 15. Qualis cœlestis, id est, Christus jam glorificatus, tales sint & cœlestes, videlicet omnes ejus electi. Sic enim eam conformitatem idem Apostolus exponit Philip. 3. Coloss. 3. & Johannes 1. Epist. 3. Confirmatur hic sensus ex sequentibus, ubi prædestinationis effectus perducit Apostolus usque ad hanc, quam dixi, conformitatem, id est, glorificationem nostram.*

Et postea: *Sensus est, nos ita conformandos Filio Dei, ut simus ejus quædam imago. Sic enim & 1. Cor. 15. portaturi dicimur imaginem cœlestis, id est, Christum in nobis repræsentari tanquam ejus imago, quod futurum est in beata resurrectione, de qua Paulus ibi disserit: Ex quo loco etiam Thomas hunc sensum probat in Commentario.*

(Quamcunque expositionem amplectamur, non potest ex hoc loco Apostolico probari, imaginem illam esse nostri justificationem. Confer dicta superiùs de hoc ipso loco.)

Argum. 7. 1. Corinth. 6. v. 11. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri. Si justificatio est ablutio & sanctificatio. Ergo non est sola remissio peccatorum sine interna justificatione,* Bellarminus.

Resp. 1. Benedictus Justinianus in Comment. h. l. *Apostolus his verbis mirificè extollit Dei munificentiam ac liberalitatem, qui non solùm Corinthios peccatis solverit, sed etiam cœlestibus, planeq; divinis muneribus locupletarit, ornaritque.*

Et postea: *Priora illa, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Baptismum indicant, qui Christi nomine, hoc est, autoritate atque imperio tribuitur, & præterita vitæ maculas peni-*

nitus abluens, gratiam & justitiam largitur; posteriora vero, & Spiritu Dei nostri, referuntur ad Spiritum Sanctum, qui olim fidelibus non sine externo signo sua charismata tribuebat.

(Ergo distincta sunt beneficia, sanctificatio per Spiritum Sanctum, & justificatio seu ablutio per Baptismum, nec potest ex hoc loco inferri, justificationem in sanctificatione formaliter consistere, sed justificationi sanctificationem esse connexam.)

2. Cornelius à Lapide in h. loc. *In Baptismo hæc beneficia conferri* statuit.

(Atqui Baptismus est *lavacrum regenerationis & renovationis*, Tit. 5. v. 5. Ergò regenerationis beneficium à beneficio renovationis est distinctum, quamvis Spiritus Sanctus per Baptismum utrumque conferat: ac proinde etiam Paulus 1. Corinth. 6. v. 11. distincta beneficia enumerat.)

Argum. 8. Galat. 4. v. 6. *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Certè mittere Spiritum in corda nostra designat quippiam, quod à Deo in nos proficiscatur & in nobis sit, proinde justitia nobis non imputatur, sed infunditur.* Ita colligit Balthas. Hagerus Jesuita in Colleg. Augustan. Confess. & Concil. Trident. art. 4.

Resp. 1. Benedictus Justinianus, Cornelius à Lapide, Guilielmus Estius agnoscunt, *Spiritum Sanctum non dici hîc mitti, ut nos filios Dei faciat, sed ut filios jam factos doceat clamare: Abba, Pater, atque esse hunc clamorem signum seu effectum justificatorum.*

2. Non omne, quod intrinsecum, statim proficiscitur ex habitu infuso.

3. Christus ideo dicitur *factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei acciperemus.* Adoptio autem illa accipitur non operibus, sed fide. Ergo etiam justificatio non fit ex operibus, sed per fidem.

4. Estius in Comment. rectè monet, *Particulam ὅτι non esse rationem formalem, sed notam consequentis, ut sit sensus: Postquam estis filii, misit Deus Spiritum suum &c. non ad justificandum, sed ad sanctificandum & confirmandum de gratia.*

Argum. 9. *Justificatio propriè mutationem significat ad justitiam. Justificare, justum facere, seu justitiam dare; calefieri, calidum fieri, seu calorem recipere. Similis ratio est de frigefactione, dealbatione, similibusque motibus vel mutationibus, quibus omnibus aliquid datur actione & recipitur passione, habentque nomen à termino ad quem, hoc est, à forma vel qualitate, quæ acquiritur.* Costerus in Enchir. cap. 6. pag. 217.

Resp. 1. Idem Costerus ibidem sic disserit: *Nomen justificationis à prophanis Scriptoribus non legimus usurpatum, sicut nec verba ipsa justificare & justificari. Sunt enim hæ voces Christianorum propria, utpote qui soli justificantur, & quid justificatio sibi velit, soli cognoscunt & experiuntur.*

(Atqui si vox justificandi à profanis Scriptoribus in sensu Ecclesiastico usurpata, non invenitur, utique ejus vis ex Natura vocum profanarum calefaciendi, dealbandi, frigefaciendi &c. non est æstimanda.)

2. Bellarminus lib. 2. de Justific. cap. 3. §. Ad tertium &c. sic disserit: *Autores linguæ Latinæ non habent hanc vocem in ulla significatione, & non est mirum, si non possimus ostendere in Terentio vel Cicerone justificare positum esse pro eo, quod est justum facere.*

(Ergo ex profanis Scriptoribus non faciant judicium de significatione hujus vocis Ecclesiastica.)

3. Ostendimus superiùs in hoc ipso capite memb. 4. multos ex ipsis Pontificiis agnoscere, *verbum justificandi esse forense*, ac proinde nostram coram Deo justificationem non consistere in infusione justitiæ habitualis, sed in absolutione à peccatis & eorum pœnis.

4. Dicimur in Scripturis *Deum magnificare*, ex quo nequit inferri, quòd eum magnum faciamus per inhæsivam quandam mutationem.

Toletus in cap. 1. Luc. *Homo Deum magnificat, non quidem eum magnum faciendo, nihil enim homo Deo conferre potest, quo major fiat, sed magnificat laudando, prædicando magnitudinem, quæ in illo est.*

5. Horatius lib. 7. Locor. Catholicor. cap. 1. sic disserit: *Necessitate coacti Christus ipse atque sancti Apostoli & ipsa Ecclesia multis nominibus usa est per solam accommodationem, non juxta ipsarum vocum germanam proprietatem, ut in nominibus fidei, fidelis, Spiritus Sancti, hypostasis, persona & aliis similibus.*

(Idem dicimus de verbo Justificandi.)

4. Suarez de Sacram. tom. 1. in præfat. *Fuit necessarium Theologis ad explicanda propria nostra fidei mysteria propriis etiam ac specialibus vocibus ea exprimere ac significare, & ideo sicut in aliis mysteriis incarnationis aut Trinitatis novas voces adinvenerunt: ita hîc in Sacramentis non communem & analogam vocem adoptarunt & accommodarunt.*

(Idem dicimus de termino Justificationis.)

Argum. 10. *Qualibet res denominantur ab iis, quæ ipsis inhærent. Ergo justificati denominantur à justitia inhærente.* Tappers, Sanderus, Bellarminus.

Resp. 1. Res quandoque denominatur à qualitate non inhærente, sed extrinseca.

Benedictus Justinianus in cap. 5. Ephes. super verba: *Dies mali sunt. Quoniam multa in hac vita mala moliuntur homines, inde dies mali appellantur, siquidem ab hominum moribus varias sortiuntur appellationes.*

Estius ibidem. *Dies malos vocat Apostolus non à temporis vitio, sed hominum, qui in tempore vivunt. Interdum vero mali dicuntur dies propter afflictionem & miseriam, quæ hominibus in tempore accidit. Sic enim Jacob Patriarcha Genes. 47. dies vitæ suæ malos appellavit.*

2. Ezech. 16 v. 50. de Hierosolyma dicitur, *justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es*, in quæ verba sic commentatur Cornelius à Lapide: *Ostendisti, Sodomam & Samariam te esse justiores, id est, impias, ita ut tecum comparatæ justæ videantur.*

(Atqui si datur justitia comparativa, quæ non est inhærens, quidni etiam dari possit justitia imputativa, quæ tamen non sit inhærens.)

CAPUT V.

DE CERTITUDINE JUSTIFICATIONIS & gratia.

THESIS. Homo pœnitens ac verè in Christum credens potest ac debet esse certus, sibi propter Christum remissa esse peccata, ac se esse apud Deum in gratia.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio *de fide hæreticorum*, qui errores cum fundamento pugnantes, pertinaciter defendunt. Cum enim hæreses numerentur inter *opera carnis* Gal. 5. v. 20. quæ excludunt homines è regno cœlorum, ideò vera fides in illis locum non habet; id quod etiam ex eo manifestum, quòd fiducia præsupponit ac prærequirit veram Dei notitiam, ut juxta normam patefacti verbi Deus à nobis agnoscatur.

2. Non est quæstio *de fide mortua*, testimonio bonorum operum destituta, qualis fides est in hominibus impœnitentibus, qui in peccatis securè viventes, fidem & gratiam Dei sibi falsò pollicentur, cùm vera fides *per caritatem sit efficax* Gal. 5. v. 6. & *per opera bona* sese exerat, Jac. 2. v. 14.

3. Neque quæstio est *de fide Historica & assensu generali*, qui non solùm in hypocritas, sed etiam Dæmonas cadere potest Jac. 2. v. 19. sed de vera, viva ac speciali fide, quæ beneficia Christi, in verbo Evangelii oblata, amplectitur, ac per fiducialem apprehensionem eadem sibi applicat, cujus anteambulo est *contritio*, pedissequa *bona opera.*

4. Neque quæstio est *de inani fidei persuasione ac falsa fidei gloriatione*, sed de vera fide, cui Spiritus Sanctus testimonium in cordibus nostris præbet.

5. Neque quæstio est *de certitudine electionis.* Quamvis enim cognatæ quæstiones sint, an quis possit esse certus de gratia Dei, & an possit esse certus de electione? tamen distinctè de utraque disserendum, cùm certitudo electionis plura complectatur, quàm certitudo gratiæ & remissionis peccatorum.

6. Neque quæstio est *de certitudine perseverantiæ & salutis futuræ*, sed de certitudine remissionis peccatorum & salutis præsentis. Quamvis enim & hæ quæstiones sint cognatæ, an quis possit esse certus de Dei gratia, & an possit esse certus de futura perseverantia? tamen de utraque itidem distinctè disserendum. Certitudo de perseverantia non est *absoluta*, sed *hypothetica*, quatenus media perseverantiæ non negliguntur, sed usurpantur, eatenus de perseverantia certi esse possumus. Quamvis homo verè credens, dum talis est, ex sua parte nullam dubitandi de perseverantia rationem habeat, quia & *posse & velle* nunquam sibi ademtum iri novit ex divina promissione Philip. 1. v. 6. cap. 2. v. 13. nisi ipse Spiritui Sancto resistat, quod ne faciat aut facere velit, satis habet virium ab inhabitante Spiritu

Sancto: tamen quia non impossibile est non obstantibus his divinæ gratiæ fulcimentis, ut homo renatus expellat regenerantem pariter & renovantem Spiritum Sanctum, absolutæ impossibilitatis certitudinem nemo sibi promittere potest aut debet.

7. Neque quæstio est *de carnali securitate*, quâ excusso Dei timore homines peccatis securè indulgent, sed de fiducia spirituali, quæ filialem Dei timorem, vigilantiam & studium pietatis perpetuò conjunctum habet, Phil. 2. v. 12.

8. Neque quæstio est *de robore vel infirmitate fidei*, an in cordibus renatorum firma & omnis dubitationis expers fiducia perpetuò regnet. Fatemur enim ipsimet, quòd fides in hac carnis infirmitate non sit perfecta, sed sæpius tentetur multis ac variis dubitationibus, ita ut in tentationibus quandoque sit languida & infirma; interim addimus: fidem contra illas dubitationes debere pugnare, easdemque per Dei gratiam superare posse.

9. Neque quæstio est, an fiduciæ illius fundamentum sit *in nostris qualitatibus ac virtutibus*. Item, an *operum justitia* firmam gratiæ fiduciam in nobis pariat, quod itidem negamus. Neque enim propter nostra opera, vel propter nostram dignitatem Deo nos caros & acceptos esse statuere debemus, sed unicè propter Christum Mediatorem, qui est nostra justitia & *dilectus ille, in quo & nos dilecti sumus*, 1. Cor. 1. v. 30. Eph. 1. v. 6.

10. Neque quæstio est *de certitudine objecti*, quam ita vocant, quæ consistit in rei ipsius, quæ creditur, constanti veritate, quam certitudinem Pontificii concedunt, sed *de certitudine subjecti*, quam ita vocant, quæ fit in proprio cujusque fidelis sensu, quem Pontificii negant, nos verò asserimus.

11. Tota ergò quæstio est *de Iustitia fidei*, quæ in peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione consistit, an illa firmam gratiæ divinæ fiduciam in cordibus credentium parere possit ac debeat, quod affirmamus. Pulchrè B. Lutherus in cap. 4. Galat. *Evangelium jubet intueri nos non bene facta & perfectionem nostram, sed ipsum Deum promittentem, ipsum Christum Mediatorem. E contra Papa jubet respicere non Deum promittentem, nec Christum Pontificem, sed nostra opera aut merita. Ibi necessariò sequitur dubitatio ac desperatio, illic vero certitudo & gaudium Spiritus, quia in Deo hæreo, qui mentiri non potest, dicit enim: Ecce trado Filium meum in mortem, ut te sanguine suo redimat à peccatis & morte, ibi non possum dubitare, nisi prorsus velim Deum negare. Atque hæc est ratio, cur nostra Theologia certa sit, quia rapit nos è conspectu nostro & ponit nos extra nos ut non nitamur viribus, conscientiâ, sensu, personâ, operibus nostris, sed eo nitamur, quod extra nos est, hoc est, promissione & veritate Dei, quæ fallere non potest.*

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. *Quamvis necessarium sit, credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divinâ misericordiâ propter Christum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, imo nostrâ tempestate sit & magnâ contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur, vana hæc & ab omni pietate remota fiducia.*

(At non est quæstio *de fide hæreticorum*, nec *de superba fiducia jactantia ab omni pietate remota*, quæ est spectrum fidei, non vera fides.)

Et posteà. *Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque à peccatis absolvi & justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum & justificatum esse; atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet.*

Et posteà. *Quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum; se gratiam Dei esse consecutum.*

Stanislaus Hosius Cardinalis de hæresibus nostri temporis l. 1. *Ex quo videre licet, quàm falsum sit Lutheranum illud axioma, cuivis homini ad peccatorum remissionem assequendam necessarium esse, ut firmiter credat, certoq; statuat, absq; ulla dubitatione propriæ infirmitatis & dispositionis, esse peccata sibi remissa.*

Et paulò post. *Nulla potest esse apud Deum major abominatio, quàm sit hæreticorum tanta præsumtio.*

Panigarola lect. 9. part. 2. pag. 78. asserit: *Si quis dicat, confido, me salvatum iri per sanguinem Christi, esse stultitiam & grave peccatum.*

Lovanienses artic. 9. *Fides, quâ quis firmiter credit & certò statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imo eisdem adversatur.*

Bellarminus lib. 3. de Justificat. cap. 3. §. His erroribus &c. *Sententia communis ferè omnibus Theologis est, quòd docent, non posse homines in hac vita habere certitudinem fidei de sua justitia, iis exceptis, quibus Deus speciali revelatione hoc indicare dignatur. Videtur autem hæc esse sententia non solùm particularium Theologorum, sed etiam ipsarum Academiarum, & quod longè majus est, ipsius Concilii Oecumenici* (Tridentini.)

Cap. 2. proximè præced. statum quæstionis sic informat: *Utrum debeat aut possit aliquis sine speciali revelatione esse certus certitudine fidei divinâ, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata*; ad quod respondet negativè.

Franciscus Costerus in Enchirid. cap. de fide pag 182. *Movetur quæstio, debeatne Christianus certa fide tenere, peccata sibi esse remissa, se justificatum, sibi præparatam salutem æternam, se regni cœlestis hæreditatem aditurum? Doctrina Catholica habet, nihil horum ad fidem pertinere, primò quidem, quòd illa sola credenda sint, quæ Deus revelavit & credenda proposuit. Nusquam autem in verbo Dei de privati hominis justificatione quicquam legimus, utpote cujus in sacris literis nulla fiat mentio. Non est ergo fide cuiquam tenenda peccatorum suorum remissio vel justificatio.*

Anglo Rhemenses confidentiam, quam habent fideles de sua salvatione, vocant *infidelem persuasionem*, *damnabilem, falsam illusionem & præsumtionem* in annot. Roman. 8. sect. 9. *fictionem* in annot. Rom. 4. sect. 9. dicunt, *quòd non sit fides Apostolorum, sed Dæmoniorum*, in annot. 1. Cor. 9. v. 9.

Petrus à Soto in Confut. Confess. Würtenb. *Fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit Christus in nobis esse.*

Nimirum negant Pontificii, *quempiam debere vel posse firmiter statuere, quòd sit apud Deum in gratia*, Bellarmin. lib. 3. de Justificat. cap. 11. §. Respondeo, posset. Gregor. de Valentia tom. 2. Disp. 4. q. [illegible]. punct. 4. pag. 1257. a. negant, *quempiam debere vel posse de testificatione & consolatione Spiritus Sancti esse certum*, Becan. tom. 1. Opusc. de Justif. Calv. cap. 11. p. 255. de Justif. Cathol. cap 8. pag. 274. negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quòd sit verè baptizatus*, Colloq. Ratisb. sess. 12. pag. 279. 280. edit. Monach. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quod vel unum Sacramentum verè acceperit*, Bellarmin. lib. 3. de Justif. cap. 8. §. Dicent fortasse &c. cap. 11. §. Itaque non sunt. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quòd sit à Deo ad regnum ejus vocatus*, Bellarm. lib. 3. de Justif. cap. 11. Gregor. de Valentia tom. 1. quæst. 23. punct. 6. pag. 532. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quod peccata sibi sint remissa*. Bellarmin. lib. 3. de Justific. cap. 3. §. Lovanienses. Gregor. de Valent. tom. 2. Disp. 8. quæst. 4. punct. 4. pag. 1251. d. pag. 1267. a. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quòd sit coram Dei judicio justificatus*, Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 9. Bellarm. & Valentia dd. ll. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quòd sit verè ad Deum conversus*. Gregor. de Valent. tom. 2. Disp. 8. quæst. 4. punct. 4. pag. 1265. 1267. b. pag 1283. Negant *quempiam debere vel posse esse certum, quod salutarem pœnitentiam egerit*, Gregor. de Valent. d. l. pag. 1266. & seqq. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, quod veram salvificam fidem consecutus sit*, Bellarm. lib. 1. de Justificat. cap. 10. §. Deinde peccant. cap. 12. §. Quid quod ipsi. Becan. Manual. lib. 1. cap. 16. quæst. 5. §. 2. Negant, *quempiam debere vel posse esse certum, an æternæ beatitudinis particeps sit futurus*, Becan. in Manual. lib. 1. cap. 16. §. 16.

Nostram sententiam probamus.

1. *A fidei justificantis Natura.* Fides est firma & immota animi fiducia promissiones in verbo Evangelii oblatas sine dubitatione apprehendens, ut ostensum fuit superiùs cap. 1. thes. 2. & cap. 2. Ergo verò credens certitudine fidei certus esse poterit de gratia Dei & peccatorum remissione.

2. *Ex manifestis Scripturæ dictis.* Rom. 5. v. 1. & 2. Ephes. 3. v. 12. Jac. 1. v. 6. 1. Joh. 3. v. 14. ex quibus sic concludimus: Qui habent pacem & tranquillitatem mentis ac quibus conceditur talis accessus in gratiam, ut in illa stent & glorientur ob spem gloriæ, illi sunt certi de gratia Dei & peccatorum remissio-

sione. Justificati habent pacem &c. Ergo. Ubi est πληροφορία & πεποίθησις, ibi exulat omnis anxietas & dubitatio. Pii in Christo habent προσαγωγὴν &c. Ergò. Ubi excluditur hæsitatio, ibi ponitur certitudo. A quovis fideli Jacobus exclusam vult hæsitationem. Ergo. Quod aliquis probè scit & cognoscit, de eo est certissimus. Fideles probè sciunt & cognoscunt suam justificationem & in filios adoptionem. Ergo.

3. *A testimonio Spiritus Sancti interno.* Quicquid Spiritus Sanctus, qui est ipsa veritas, obsignat & in cordibus fidelium suo testimonio confirmat, illud sine omni dubitatione certissimè credi debet. Sed gratiam Dei, peccatorum remissionem & in filios Dei adoptionem Spiritus Sanctus in cordibus piorum confirmat & obsignat. Rom. 8 v. 15. & 16. 1. Corinth. 2. v. 12. 2. Corinth. 1. v. 21. 22. & 23. Gal. 4. v. 6. Ephes. 1. v. 13. & 14. cap. 4. v. 30. 1. Johan. 5. v. 10. & 11.

4. *Ab exemplis Sanctorum*, qui de sua justitia & Dei gratiâ fuere certi. Quod plurimi Sancti certitudine fidei crediderunt & in eo ipso ad imitandum nobis proponuntur, de illo etiam nobis sine dubitatione certissimè confidendum. Sed plurimi Sancti gratiam Dei & peccatorum remissionem certitudine fidei crediderunt & in eo ipso nobis ad imitandum proponuntur, utpote *Abrahamus* Rom. 4. v. 12. 16. 18. 19 20. 21. 22. 23. & 24. *Jobus* cap. 19. v. 25. *Paulus* Rom. 8. v. 38. & 39. *Johannes* 1. Epist. 3. v. 14. cumque ibidem Paulus & Johannes alios fideles includant ac in numero plurali loquantur, ex eo firmiter colligitur, quòd alii verè fideles hanc certitudinem cum illis communem habeant.

5. *Ab exauditionis certitudine.* Qui promissionem certam habet, quòd in precibus suis semper sit exaudiendus, ille potest certâ & firmâ fiducia boni illius, quod petit, consecutionem sibi polliceri. Pii certissimam habent promissionem, quòd in precibus suis semper sint exaudiendi, Matth. 18. v. 19. cap. 21. v. 22. Marc. 11. v. 24. Joh. 16. v. 23. Jac. 1. v. 6. 1. Johan. 5. v. 14. & 15. Ergo possunt certâ & firmâ fiduciâ boni illius, quod petunt, consecutionem sibi polliceri, & per conseq. cum remissionem peccatorum in fide petunt, de ea dubitare minimè debent.

6. *A promissionum divinarum veritate.* Qui credere debent promissionibus divinis, illi etiam certi esse debent de bonis promissis & quidem fidei certitudine. Atqui omnes verè pii credere debent promissionibus divinis, cum hic sit finis promissionum, ut de gratia Dei certi reddamur; cum Deus verax sit & fallere non possit, Rom. 3. v. 4.; cùm Evangelicæ promissiones in eo à legalibus differant, quòd non habeant annexam conditionem perfectæ obedientiæ, sed sint merè gratuitæ, cùm promissionum divinarum hæc sit proprietas, quòd non sunt lubricæ & fallibiles, ut promissiones humanæ, nec dubiæ & ambiguæ, sed certæ & immotæ. Ergò omnes verè pii certi esse debent & quidem fidei certitudine de bonis promissis, & per consequ. cùm in promissionibus Evangelicis peccatorum remissio ipsis offeratur, de ea certi esse debent.

7. *A Dei juramento.* Quod Deus non solùm simpliciter promisit, sed etiam juramento confirmavit, de eo debemus esse certissimi & quidem certitudine fidei, Hebr. 6. v. 16. 17. Atqui gratuitam peccatorum remissionem verè pœnitentibus & credentibus Deus non solùm promisit, sed etiam juramento confirmavit, Ezech. 33. v. 18. Joh. 5. v. 24.

8. *A Sacramentorum efficacia.* Quicquid Deus certus sigillis confirmavit & obsignavit, de eo certi esse omninò debemus. Gratuitam peccatorum remissionem in verbo Evangelii promissam, Deus certis sigillis confirmavit & obsignavit, videlicet Sacramentis eo fine inter cætera institutis, ut essent divinæ gratiæ *sigilla*, Rom. 4. v. 11. 1. Pet. 3. v. 21. Idipsum probant omnia dicta, quæ de salutari Baptismi & Eucharistiæ fructu loquuntur.

9. *A Ministrorum verbi absolutione.* Cui Minister Ecclesiæ loco Dei peccata remittit, ita ut hæc remissio in cœlis rata sit, ille de peccatorum remissione potest & debet esse certissimus. Verè pœnitentibus Minister Ecclesiæ loco Dei peccata remittit, ita ut hæc remissio in cœlis sit rata, Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23. Ergo.

10. *A pronominibus applicationem exprimentibus.* Qui gratiam DEI & meritum CHRISTI sibi in individuo possunt ac debent applicare, illi etiam possunt ac debent esse certissimi de peccatorum remissione ex gratia propter Christi meritum obtingente. Atqui verè pœnitentes gratiam Dei & meritum Christi in individuo sibi possunt ac debent applicare, Gal. 1. v. 3. cap. 2. v. 20. cap. 3. v. 13.

11. *A dubitationis deformitate.* Dubitatio est peccatum contra primam Decalogi tabulam, oppositum fidei in defectu, cujus proprium est non tribuere Deo laudem veritatis, adeoque eum mendacii & perjurii arguere, 1. Johan. 5. v. 10. pugnans cum fide, cujus propria est fiducia, Matth. 21. v. 21. 1. Tim. 2. v. 8. Jac. 1. v. 6. & 7. pugnans cum pace & tranquillitate conscientiæ, cum gaudio Spiritus, cum sensu divinæ gratiæ, cum gloriatione in afflictionibus, quæ omnia fide justificatis Scriptura tribuit. originem trahens ex corruptione nostræ naturæ, quia post lapsum homini naturale est Deum fugere, aversari, de voluntate ejus dubitare &c. impediens specialem promissionis Evangelicæ applicationem, Dei dilectionem, veram invocationem &c. Ergo contra dubitationem totis viribus pii meritò pugnant.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quòd quidam agnoscunt, pios de gratia Dei & peccatorum remissione posse ac debere esse certos.

Bernhardus serm. 1. de Annunt. *Si credis, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccâsti, & in quem peccatum non cadit, bene facis, sed adde adhuc, ut credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus gratis justificari hominem per fidē.*

Idem serm. 3. de fragm. septem panum. *Tria considero, in quibus tota mea spes consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis.*

(Locus integer adductus fuit superiùs art. 22. cap. 2. thesi 2.)

Serm. 2. in Pentecosten. *Spiritus Sanctus donat animæ primò pignus salutis, scilicet testimonium, quòd filius Dei sis. Secundò, robur vitæ, ut in laboribus, vigiliis & in omnibus observantiis delectabiliter incedas. Tertiò, scientiæ lumen, ut cùm omnia benefeceris, te servum inutilem putes, & quicquid boni in te inveneris, illi tribuas, à quo omne bonum est.*

(Hoc Bernhardi dictum citat & approbat Cornelius à Lapide in Roman. 8. v. 16.)

Serm. 3. in festo Pentec. verba Apostoli Roman. 8. *Certus sum &c.* in genere ad singulos fideles transfert. *Sitis certi*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter, quàm audacter enumerat, poterunt nos separare à Dei caritate, quæ est in Christo Jesu.*

Serm. 8. in Cant. *Quæ in vobis anima sensit aliquando in secreto conscientiæ suæ Spiritum Filii clamantem, Abba, Pater, ipsa paterno se diligi præsumat affectu, quæ eodem se Spiritu, quo & Filius affectam sentit. Confide, quæcunque es illa, in Spiritu Filii filiam cognosce te Patris, sponsam Filii & sororem.*

Serm. 61. in Cantic. *Re verâ ubi tuta firmaque securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? tantò illic securior habito, quantò ille potentior est salvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur. Non cado, fundatus enim sum super petram firmam, peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor, vulneratus enim est propter infirmitates nostras.*

Epist. 107. *Justus quis est, nisi qui amanti se Deo vicem rependit amoris? Quod non fit, nisi revelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super salute sua futura.*

(Nullus ergò Deum verè amat, qui prohibetur fidem habere huic revelationi Spiritus.)

Epist. 190. ad Innocentium Pontificem contra Petrum Abailardum. *Nonne si fluctuat fides, inanis est spes nostra? Stulti ergo Martyres nostri sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium &c. Ipse postremo Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere æstimationem, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet &c. Tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius. Sed Augustinus aliter. Fides, ait, non conjectando vel opinando habetur in corde, in quo est, ab eo cujus est, sed certâ scientiâ, acclamante conscientiâ. Placet mihi, fateor, illius (Apostoli) definitio: Fides est rerum sperandarum substantia. Substantiæ nomine aliquid certum, fixumque præfigitur, non est enim fides æstimatio, sed certitudo.*

Ibidem. *Absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubiâ æstimatione pendulum & non magis totum, quod in ea est, certa & solida veritate subnixum, oraculis divinitùs persuasum.*

Vincentius lib. 30. cap. 107. refert, *Anno Christi* 1210. *Parisiis doctrinâ & pietate clarissimum vixisse virum Almericum Gallum, qui docuerit publicè, quemlibet Christianum debere firmiter & indubitatò credere, se esse membrum ex Christi corpore, & hoc esse articulum fidei, sine quo salutem nemo consequi possit,* ob quam doctrinam Innocentius III. Rom. Pont. ipsum *excommunicavit.* Platina in vit. Pontif. ac apud Parisios, tanquam hæreticum, *igne cremari* jussit. Funccius in Chron.

(Hujus Almerici etiam meminit Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disput. 6. q. 4. dub. 5. num. 107.)

Johannes Gerson lib. 1. de Consolat. Theol. prosa 4. *Si particularius aliquid exigis, invenitur quadruplex meditatio, quæ velut in tetragono firmissimo gestat spem. Una meditatio est divinæ jussionis, ut speres: Altera divinæ promissionis, si speres: Tertia immensæ Dei pietatis, ne desperes : Quarta propriæ fragilitatis, ne speres vel in te, vel in propriis viribus.*

Johannes Wesselus Gröningensis in lib. de Incarnat. & Passion. in cap. *Quomodo operamur cibum, qui non perit ? Quis usus in sigillo legitimus, nisi credere? propterea sigilla testimoniorum loco adhibentur, ut eis tanquam testimonio fideli fidatur ; ita quoque, qui accipit hoc testimonium Spiritus, signavit, quòd Deus verax sit, Joh. 3. v. 33.*

(Jam verò Sacramenta sunt sigilla promissionum divinarum de gratia Dei & peccatorum remissione. Ergo nos certos faciunt de gratia Dei & peccatorum remissione.

Lutherus, cum Anno Christi 1507. in lectione Scholasticorum ex obedientia Superiorum occupatus esset, incidit in difficillimos spiritualis tristitiæ paroxysmos, ex quibus sese priùs extricare non potuit, quàm à quopiam pio fratre sene Monacho, qui ceu rosa inter spinas eminuerat, in confessione erectus, & ad gratuitam peccatorum remissionem secundùm verba symboli reductus, & ita confirmatus fuisset, ut sæpissimè canendo lætus repeteret illud Gregorii: *O beata culpa, quæ talem meruisti Redemtorem !* Ac solitus est Lutherus sæpenumero prædicare illius Senioris fratris dexteritatem & pietatem, ac inprimis commendavit explicationem verborum Symboli. *Credo remissionem peccatorum,* ab illo traditam hoc modo: *Non satis est, te in genere credere, Deum quibusdam, Davidi, Petro & aliis sua peccata remittere (talem enim fidem etiam Dæmones habent) sed Dei mandatum immotum est , ut credas, tibi tua peccata remitti , & ut certus sis de justitia fidei & de salute tua.* Nicol. Selneccerus in orat. de initiis & progress. Aug. Confess.

Fridericus Myconius in libro, cui titulus, *Somnium,* refert de parente suo, quòd sub mediis superiorum temporum tenebris dixerit, *sanguinem Christi esse precium pro peccatis mundi, & cuilibet Christiano esse necessariam hanc fidem. Quòd si tantùm tres homines deberent salvari per sanguinem Christi, tamen se certissimè statuere debere, se esse unum ex illis tribus, & contumeliam esse in sanguinem Christi hac de re dubitare.* D. Probus in vita Myconii E. 2. Wolffius tom. 2. memorab. pag. 1.

Enchiridion Coloniense (cujus autor existimatur fuisse Gropperus) editum Ann. 36. fol. 170. *Fatemur, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo credat, non tantùm generaliter , quòd propter Christum verè pœnitentibus remittantur peccata, sed &, quòd ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum per fidem.*

(Hæc fides specialis conjuncta est cum certa & immota fiducia gratiæ.)

Andreas Fricius lib. 4. de Rep. emend. cap. 11. *Necessario faciendum est, ut in illa Christi justitia, quæ perfecta est, omnes acquiescant, quicunque de remissione peccatorum, adoptione sui in filios Dei, ac donatione vitæ æternæ certi esse volunt.*

(Ergo qui in imputata illa justitia Christi acquiescunt , de his beneficiis remissionis peccatorum *adoptionis* & salutis certi esse possunt.)

Catechismus Romanus part. 4. quæ est de orat. cap. 7. qu. 3. *Fides est quæ preces fundit. Preces faciunt, ut omni dubitatione sublatâ, stabilis ac firma sit fides.*

Et paulò post. *Sperare & magnopere confidere debemus, nobis omnia, quæ per Christum rite petierimus, concessurum Deum.*

(Jam vero oramus remissionem peccatorum. Ergo omni dubitatione sublatâ, statuere debemus, nos eam consecuturos.)

Jacobus Veldius (quem Ægidius Topiarius *virum in re Theologica omnibus numeris absolutissimum* vocat) in Epilogo concionis in Epistol. diei cinerum , *duas pœnitentiæ partes* constituit, *nempe tum contritionem & confessionem Adami interni lugentis & plangentis peccata, tum fidem in Deum firmam & certam fiduciam gratiæ divinæ.*

Claudius Guillandus Bellioensis Eduorum Ecclesiæ quondam Præpositus in cap. 6. Joh. scribit, *opus Dei vocari à Christo fidem, quæ est certa de bonitate Domini persuasio , confidensque salutis ab eo expectatio.*

Et postea. *Credere in Christum est certò apud se statuere, per Christum contingere justitiam & vitam æternam, eique toto corde, tota anima, totis viribus adhærere. Hoc qui fecerit, omnia Christi bona complectetur, illique ex animo adhærescet.*

Similia apud eundem occurrunt in 2. Timoth. cap. ult. unde Alphonsus à Castro lib. 7. adversus hæreses, in verbo Gratia, cum *inter Lutheranos* computat.

Censura Coloniensis Dial. 4. pag. 106. *Justi & boni infernum non metuunt, sed summa fiducia de Dei bonitate confidunt, æternam salutem sibi donandam firmiter sperant &c. Confidunt magna animi alacritate, Christum venturum expectantes, & de ejus benignitate nihil diffidentes,* (nota *summa fiducia confidunt, nihil diffitentes*) *faciunt tamen, quod in se est, ne temeraria securitate diffluant & fallantur.*

(Addunt quidem, *Sperant firmiter & magno animo, non tamen credunt, fides enim falli nequit, spes autem subinde fallitur.* Atqui fiducia illa firma est actus fidei, ac de spe piorum æquè dicit Apostolus, ac de fide, *quòd non confundat,* ac proinde etjam non fallatur, Rom. 5. v. 5. aliud enim est spes humana, quæ est incerta, aliud spes divina à Spiritu S. accensa, quæ est certa.)

Et paulò post. *Hæc securitas, quæ cum reverentia aut sacro timore Domini conjuncta est, in Sanctis invenitur.*

(At qualis potest esse securitas absque certitudine?)

Pag. 105. *Hæc securitas est operatio spei, & talis utique spei, quæ non confundit , quamdiu caritas Dei in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusa est.*

(At si spes illa non confundit, quomodo fallitur?

Dial. eod. pag. 120. postquam Autores Censuræ recitassent verba Monheimii , *Magnam ex hoc articulo fidei securitatem accipiunt pii, cùm intelligunt, se non ad aliud tribunal sistendos, quàm capitis sui, advocati ac redemtoris. Caput enim non condemnabit sua ipsius membra, nec advocatus suos clientes, nec Redemtor eos, quos tam carè, pretioso scilicet sanguine suo ac durissima morte redemit* subjiciunt : *Hæc sententia, si ad solos verè pios pertineat, est verissima, modò enim in pietate suscepta persistant, non est quòd de Christi clementia dubitent, aut ejus judicium metuant.*

Georgius Cassander in Consult. art. 4. de Justif. pag. 914. *Rectè & divinis literis consentaneè dicitur, hanc esse Naturam justificantis fidei, ut sensum illum divinæ gratiæ, quem in nobis efficit Spiritus Sanctus, percipiat. Dicit enim Apostolus : Spiritum Sanctum, quem accipiunt credentes, testimonium reddere Spiritui ipsorum, quòd sint filii Dei. Verùm, si res diligentiùs consideretur, hæc certitudo fidei , quæ ex hoc Spiritus Sancti testimonio concipitur, Naturâ ipsam justificationem & remissionem peccatorum consequitur. Nam donum est Spiritus Sancti, quod justificatis infunditur , quo de remissione peccatorum & gratuita Dei Patris erga se benevolentia certi redduntur. Ad justificationem autem consequendam requiritur talis fides, quâ homo exemplo Abrahæ ad promissionem Dei non hæsitet per diffidentiam, sed præter spem in spem credat, Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem & peccata non imputaturum & eum , qui mortuus erat peccato , per Spiritum Sanctum vivificaturum.*

Et posteà. *In hac doctrina de fide, qua accipitur remissio peccatorum & justificatio, duo observanda & cavenda sunt. Primùm, ut pavidis conscientiis occurratur, quæ hoc testimonium Spiritus obscuriùs sentiunt. Alterum, ne timor Dei excutiatur, securitas alatur, beneque operandi studium remittatur. Utrumque in libro Ratisbonæ proposito* (à Cæsarea Majest.) *breviter fit. De priore enim sic loquitur : Quoniam perfecta certitudo in hac imbecillitate non est, suntque multæ infirmitates & pavidæ conscientiæ, quæ cum gravi sæpe dubitatione luctantur, nemo est à gratia Christi propter illam infirmitatem excludendus, sed convenit tales diligenter admoneri, ut his dubitationibus promissiones Dei fortiter opponant, augeri sibi fidem sedulis precibus orent. Ob hanc dubitationem, quæ ex consideratione propriæ infirmitatis nata, semper hæret etiam in sanctissimis viris. Item,*

quia

quia persuasio hæc falsa & inanis esse potest in impiis videlicet, Spiritu Dei destitutis, ideo nonnulli senserunt, hanc certitudinem non fidei proprie, in qua dubitatio hæreticum facit, sed fiduciæ potius, quæ ex sensu quodam divinæ benevolentiæ nascitur, esse tribuendam, cui opposita aliquanta hæsitatio infirmitatem fidei arguit, cum qua hæsitatione fidelibus animus est luctandum. Veteres sanè in hoc loco inter spem & fidem non admodum distinxerunt, ut patet ex Hilario (can. 6. in Matth. in illud: Nonne anima plus, quàm corpus.) Ergò regnum, inquit, cœlorum, quod Prophetæ prædixerunt, Dominus noster in se positum esse confessus est, vult absque aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari, alioqui justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fuit ambigua. Certè nemo est Ecclesiasticorum, nec ex Scholasticis quidem, qui non hanc fiduciam & certitudinem de gratia & misericordia Dei & glorificatione futura diligenter urgeat, & dubitationi ac diffidentiæ opponendam doceat. Tradit autem Bonaventura, hanc certitudinem haberi per quandam bonæ voluntatis confidentiam, quæ consurgat ex conscientia bona, (in 3. sent. dist. 26. q. 5.) Consentiunt hæc cum verbis Apostoli: Glorificatio nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Item Johannis: Nos scimus, inquit, quoniam translati sumus ad vitam, quia diligimus fratres &c. Si cor nostrum non reprehenderit nos, habemus fiduciam ad Deum. Quamvis hæc fiducia quâ confidimus, nos in misericordia Dei salvatos, & regni Dei hæreditatem consecutos, non soli huic testimonio conscientiæ, sed divinis quoque promissionibus inniti debet. De quo præclarè Bernhardus (serm. 6. de dedic. templi.) Quis poterit salvus esse, dicunt discipuli Salvatori? & ille: Apud homines hoc est impossibile, sed non apud Deum. Hæc sola fiducia nostra, hæc sola consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus odio, an amore? quis novit sensum Domini? &c. hic jam planè fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere pietatem, ut quod in nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum reveletur. Spiritus ejus testificans persuadeat Spiritui nostro, nos esse filios Dei. Idem: Tria, inquit, considero, in quibus spes mea tota consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Ad hæc Doctores hujus ætatis non se dubitationem docere dicunt, qua de misericordia Dei dubitetur & diffidatur, sed timorem Dei, quo solicitudo bene operandi & acceptam gratiam conservandi in nobis excitetur & augeatur, de quo Apostolus: Cum timore & tremore vestram salutem operemini. Eum timorem castum & filialem appellant, quem perfecta caritas non pellit, sed retinet & fovet, qui timor semper fiduciam & spem paternæ benevolentiæ adjunctam habet. Vide, si lubet, Augustinum. Hæc cum in Ecclesia Catholica etiam hodie tractantur, non rectè Protestantes Ecclesiam præsentem incusant, quòd doceat & jubeat de gratia Dei & vita æterna dubitare, atque hanc blasphemam, ut ajunt, doctrinam inter præcipuas causas ponunt, cur ab ea discedendum sibi putent. Etenim, quomodo dubitare jubeant, qui jubent confidere, omnemque hæsitationem & diffidentiam ex animo profligare?

(An hæc sit communis omnium Pontificiorum sententia, quòd omnis hæsitatio ex animo profliganda sit, nec ne, patet ex illis, quæ in Antithesi adducta sunt superiùs, & quæ in Appendice inferiùs afferentur.)

Rivius lib. 3. de superstitione pag. 234. adducit locum ex Jacobo Sadoleto Cardinali. *Sine firma spe atque fiducia in summum Deum fides vera non est.*

Item. *Quanquam fidei fundamentum sit credere, tamen spes ipsa continet in se fidem & absque spe fides inanis tota est.*

Rursus. *Nos, inquit, qui Scripturarum more loquimur, fidem Christi, cum pronuntiamus in uno hoc fidei verbo, totum id intelligimus, quod est credere Deo & Christo, illique confidere. Non enim fides nostra simplex est credulitas (quanquam fides & fundamentum fidei credere est) sed fides in Deum plena atque integra est ita credere, ut confidamus.*

Alphonsus de Castro lib. 7. adversus hæreses, verbo Gratia, testatur, *multos viros doctissimos certitudinem fidei de præsente gratia adstruxisse.*

Ibidem pag. 422. testatur, *Doctrinam de incertitudine gratiæ non placuisse omnibus Synodi Tridentinæ Patribus, siquidem multi eorum certitudinem salutis defendere voluerint*, quos pag. 423. refellere conatur.

Antonius Marinarius in orat. in consessu Patrum Concilii Tridentini Dominicâ 4. Quadragesimæ Anno 1546. habitâ, dubitationem ex professo refellit, inter alia sic disserens: *Proinde qui suis operibus fidunt, de divina erga se benignitate dubitare solent, & per intervalla & vices huc atque illuc alternando fluctuare, ut nusquam eis portus, nusquam fidæ stationis spes appareat, facileque ad desperationem in gravibus periculis infelicissimâ ratione tendunt. Qui autem suis diffisi viribus, suorumque operum rejecta fiducia, in Dei benignitate & clementia conquiescunt, nec cogitare unquam possunt, se a Deo rejectos esse, illumque præstiturum non esse, quod eis pro sua misericordia promisit. Nec est, quòd illos propriæ indignitatis ratio ad dubitandum provocet. Legis est hæc doctrina: DEUS benedictionem dignis, hoc est, justis; maledictionem indignis, hoc est, injustis confert. unde nec aliquem potuit lex Dei benedictione donare, quòd neminem reperit justum & dignum. Quid nobis cum legis maledictione & ira, qui per Christum redemti sumus? Adversus itaque legis furorem sublevemur & consolemur nosipsos lætâ Evangelii promissione, nempe quòd indignissimis benedictionem & gratiam Deus effundit, si resipiscant & viva fide se ei committant. Est certè hoc vivæ fidei ingenium, nos in Deum, ut filios in patrem, erigere; Christum, nostrum; nosq; vicissim Christi facere, ut cum eo unum corpus simus, eodemq; vivamus, regamur, lætemur & gloriemur Spiritu.*

Et paulò post. *Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Christum adepti sunt justitiam, sed in securitate mentis, in pace conscientiæ, in lætitia cordis edocti Spiritu illo, qui illis testimonium reddit, quòd sint filii Dei, audent dicere: Abba, Pater, quanquam interim inest illis sanctus ille timor, ne cadant ab eo, ad quem evecti sunt, filiorum honore. Quamobrem exultant, quòd Christum tenent; tremunt, ne illum amittant, quemadmodum Propheta monuit: Exultate ei cum tremore.*

Et statim subjicit: *At verò caro & Satan nunquam non solicitant ad diffidentiam pectora justorum, quibuscum perpetuum est certamen. Nunc eos temeritatis accusant, quòd scilicet divini consilii conscios & participes sese faciunt, dicentes: Scimus, quòd nos diligit Deus. Sed illi sese purgant, nempe quòd temerarii essent, si divinæ erga se caritatis tot argumentis declaratæ, præsertim Filio ad crucem demisso, ancipites essent. Nunc gravia superioris vitæ commissa memorant, quorum non potuerunt condignam exhibuisse satisfactionem. Sed illi respondent: Gratis per Christum nobis remissa sunt peccata, quia satisfacere non poteramus. Non est, quod cogitemus, quia solvendo nos sumus, ne dignitati mortis Christi detrahamus. Nunc quotidianos vitæ errores, quibus nemo non subjicitur, ante oculos illorum sistunt, ut vel sic dubitent de benignitate Dei. Sed illi exclamant: Clementissimus ille pater ad hos infirmæ Naturæ lapsus connivere solet, cujus clementiæ non convenit illos ad vindictam imputare. Nunc ex occultis majoribus delictis, quæ homo (cujus est cor, ut pravum, ita retrusum) non intelligit, argumenta sumunt, quibus divino favore illos destitutos esse convincant, sed illi excipiunt. Integra est peccatorum remissio, & cùm donat Deus manifesta, quæ novimus, donat etiam occulta, quæ ignoramus delicta. Nunc prospera commemorant, velut quibus in hoc seculo eos remuneret Deus, ne in alio expectent felicitatis gloriam. Sed illi fatentur, Deum sæpe præsentibus bonis ornare justos, ut proximorum necessitatibus consulentes, ad futuram vitam aptiores fiant. Nunc calamitates, quibus plerumque justi affliguntur, ut aperta iratî Dei signa, commemorant, sed illi asseverant, eas esse manifesta paternæ dilectionis argumenta, ut sub disciplina crucis eruditi filii Dei reddantur. Vexatum pectus pium supra omnes tandem difficultates emergit, in corde suo sic loquens: Quis me separabit à caritate & fiducia Dei mei, qui potentiâ suâ omnia continet, suo imperio omnia regit, suâ sapientiâ omnia moderatur, suâ mente omnia complectitur, suo arbitrio omnia flectit, cujus tanta fuit erga me caritas, ut unicum, quem unicè diligebat, Filium ad horribilem tradiderit crucem, quò essem illius sanguine aspersus atque redemtus, & illum honoris gradum assequerer, nempe ut ipse sit mihi Pater & Christus frater. Quæ autem major aut dilectio, aut solicitudo, quàm Patris erga Filium, præsertim ejus Patris, qui tanto est aliis clementior, quantò sublimior? Quamobrem neque hujus seculi blanditiæ, neque hujus carnis illecebræ, neque ulla Satanæ fulmina, neque hæreticorum fraudes, neque amicorum deliciæ, neque necessariorum preces, neque parentum pietas, neque populorum furor, neque Tyrannorum crudelitas, seu minis perterrere, seu in carcerem detrudere, seu fortunis pri-*

vare, seu in exilium ablegare, seu quolibet mortis genere perdere voluerit, à Deo Optimo Maximo à Domino omnipotente, à Patre indulgentissimo ullo unquam tempore me divellent. Si cœlum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur præceps, ego in eum erectus ero. Si Angelus de cœlo aliud mihi persuadere contendat, dicam ei anathema. O felicem Christiani pectoris fiduciam! O beatam Evangelici cordis pietatem! O securam Christianæ mentis fiduciam!

(Extat hæc oratio Marinarii in Actis Concilii Tridentini editis Lovanii Anno 1567. apud Petrum Zangium in folio pag. 43.)

Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Minoriensis & Dominicus à Soto *de certitudine gratiæ* publicis scriptis invicem controverterunt, de quo dissidio Dominicus sic scribit: *Dissensio, quam inter tuam meamque mentem nullam extra verba esse existimas, hæc est in re maxima. Porro quòd tu arbitraris, posse fieri hominem certum suæ gratiæ certitudine, quæ licet non sit æqualis fidei Catholicæ, sit tamen vera fides, hoc est, omnem prorsus dubitationem excludens, atque id quidem lege communi, nempe testimonio illo, quod, autore Paulo, Spiritus Sanctus reddit Spiritui nostro, quòd simus filii Dei; hoc ego verò salvâ pace & autoritate tuâ credo omnino falsum esse.*

Contrà Ambrosius Catharinus in scripto contra Dominicum à Soto inter cætera sic loquitur: *Deduco, contra hanc nostram sententiam nihil pronuntiasse Synodum Tridentinam, quod ego in primo meo detexi libello, quem ad Præsidentes ipsi Concilio (quorum alter Dei gratiâ summus est Pontifex Julius III.) & ad ipsam sacrosanctam Synodum destinavi, eos alloquens his planè verbis: Addo, quòd sæpiùs protestati sint ambo Præsidentes & specialiter in hac controversia tum in Conventu Patrum, tum verò in congregatione Theologorum, & ambos audivimus contestantes, non videri sibi hanc quæstionem satis esse discussam ad decisionem. Imo ipsamet sacrosancta Synodus bis declaravit, hujus rei definitionem tunc omittendam esse & in aliud tempus servandam, sicut in actis possit apparere. Denique ipse titulus noni capitis hoc manifestat abundè, qui sic habet: Contra inanem hæreticorum fiduciam.*

Idem dicit: *Universos Patres hanc certitudinem contestari.*

Petrus Suavis lib. 2. Histor. Concilii Tridentini pag. 221. *Ambrosius Catarinus in Concilio Tridentino asserebat, plerisque Patribus ad illius opinionem accedentibus &c. justum posse, imo debere pro certo statuere, se esse in gratia.*

Idem Petrus Suavis d. l. pag. 253. *Catarinus cum Marinario in Concilio Tridentino ajebant, quoties in Evangelio Christus deprehenditur remisisse peccata, toties dixisse: Confide, remissa tibi sunt peccata, absurdumque videri, Christum cuivis temeritati aut superbiæ occasionem ministrare voluisse, aut omnes privare eo, quod utile aut meritum foret. (Hoc opponebant illis, qui dicebant intolerabilis arrogantiæ esse præsumtam de certitudine gratiæ opinionem; ac incertitudinem gratiæ esse utilem, imo meritoriam.) Scripturam etiam nos obligare ad gratias Deo agendas de justificatione nostra, quam nisi nos accepisse certi simus, quâ fronte retribuemus gratias? cum ineptum sit beneficium agnoscere, quod datum sit, nec ne, non intelligas. Certè Divum Paulum certitudinem asserere satis manifestò, cum vult Corinthios sentire, Christum esse in ipsis, nisi sint reprobi, & cum ait, nos à Deo Spiritum ideo accepisse, ut per eum intelligamus, quid à Deo nobis datum sit. Et adhuc clariùs, Spiritum Sanctum testari Spiritui nostro, nos esse Dei filios. Impudentiæ quoque immanis esse, temeritatis eos arcessere, qui Spiritui Sancto credant ipsos compellanti, dicente Ambrosio: Spiritum Sanctum nunquam nos alloqui, quin simul nobis notum faciat, ipsum esse, qui loquitur: & Christo apud Johannem, mundum non posse recipere Spiritum Sanctum, quod eum nec videt, nec cognoscit, discipulos autem suos eum agnituros, quòd in ipsis futurus sit & mansurus. Ex quibus acutè admodum concludebat Catarinus, somniare illum, qui asserat, gratiam voluntariè accipi, neque tamen sciri, an eam habeat, quasi ad rem motu animi voluntario accipiendam non sit necessarium, ut qui eam sponte accipit, sciat & rem sibi datam & se verè eam accipere & acceptam possidere.*

Inde Pesantius in Thomam part. 1. fol. 137. de hoc Ambrosio Catharino scribit, quòd statuerit, *insigniter electos habere tantam certitudinem de gloria futura, ut quilibet possit dicere cum Apostolo: Certus sum, quòd neque mors &c.*

De Johanne Fero testatur Sixtus Senensis lib. 6. annotat. 210. quòd docuerit, *justos esse de gratia Dei certos*, quem proinde, *ut Lutheranis adblandientem*, Dominicus à Soto perstrinxerit. Confer annot. 215. ubi itidem Ferus hoc nomine perstringitur.

Sic verò habent verba hujus Feri in cap. 8. Matth. pag. 139. *Vera fides fiducialiter accedit, non dubitat, Deum posse aut velle, proponit necessitatem suam, effectum autem Deo ipsi commendat, denique & verbo Dei contenta est, nec ab eo se avelli patitur.*

In cap. 3. Johan. pag. 110. *Vera fides, etsi omnia adversa & contraria videantur, tamen non dubitat de verbo, sed certa est, aliquando implendum Dei verbum, potiusque cœlum & terram perituram, quam unum Dei verbum.*

In cap. 14. Johan. pag. 359. *Spiritus Sanctus dicitur consolator, etiam ob id, quod credentes certificat velut arrhabo & pignus, quod sint filii Dei.*

Cornelius Mussus Bitontinus Episcopus in cap. 5. Roman. *Habet ergo spem, & gloriatur in hac spe, quam habet, cum securitate omnino ad illam gloriam perveniendi. In hac enim gloriatione, & ut ita dixerim, in hac sancta superbia propter spem cœlestis felicitatis ostenditur, quòd qui justificatus est, non hæsitat, utrum sit beandus, vel non: sed firmissimè tenet, se divino munere salvandum esse.*

Idem in cap. 8. Rom. *Qui in Christo Jesu sunt, nihil habent, unde timere debeant, siquidem securi sunt de salute.*

Martinus Eysengrein prolixo scripto hanc materiam tractavit, in quo non tantùm dubitationis monstrum improbat, sed insuper etiam constanter negat, unquam à Pontificiis hanc opinionem fuisse traditam. Negat etiam, canonis Tridentini hanc esse sententiam, *quòd verè credentibus dubitandum sit de gratia Dei.* Et ut ab hac opinione liberet Pontificios, contendit, *hanc fuisse Patrum, qui in Tridentina Synodo congregati fuerunt, sententiam, quòd hypocritæ, Epicuræi, hæretici destituti verâ fide, perseverantes in atrocibus delictis contra conscientiam, & similes, non debeant certò statuere, quòd sint in gratia.*

(At de tali certitudine nos minimè pugnare, patet ex illis, quæ superiùs in ἐκθέσει sunt adducta.)

Petrus de Ribadeneira Hispanus in libro, quem nominat *Fontem vitæ & consolationis* (quem Egidius Albertinus Secretarius Bavaricus ex lingua Hispanica in Germanicam transtulit ac cum licentia Superiorum Monachii edidit Anno 1600.) in cap. cui titulus, *quòd omnis nostra fiducia fundata esse debeat in merito Christi, & quàm valida sit hæc motiva ad nostram consolationem*, sic differit: *Id, quod nos in similibus tentationibus & ærumnis maximè affligere solet, est, quòd omnino scimus, Deum quidem misericordem & bonum esse, attamen quod simul etiam sit justus & vindex peccatorum. Et quia peccata nostra tam enormia sunt & multiplicia, quod nos non sit amaturus, nec respecturus sereno vultu; sed sicut objectum amoris bonum est, in nobis autem, in nostro corpore & anima nihil boni est, sed fœtens sterquilinium & fons peccatorum, sequitur, Deum, qui certè cæcus non est, non posse errare, aut illud amare, quod non amore, sed odio dignum est. Et ex hac causa solent se animulæ torquere, & subnasci multæ querelæ, curæ, diffidentiæ & desperationes. Figunt enim oculos suos in seipsos & non in omnium exundantem bonitatem Domini, neque in omnium locupletissimum thesaurum meritorum benedicti Filii sui, per quæ nobis nostra peccata remittit. Et hoc ipsum est, quod in hoc capite exponere volo, quia est fundamentum & clavis omnis nostræ fiduciæ & consolationis. Annotabo etiam mirabilem discursum, quem Dn. Johannes de Avila fecit, & quàm pulcherrimè locutus est de dilectione Christi erga homines. Pro meliori autem declaratione mensuræ, quâ mensurare debemus dilectionem Christi erga nos, oportet nos oculos nostræ considerationis à nobis ipsis avertere & dirigere eos in Christum. Nam dilectio ipsius erga nos non nascitur ex perfectione, quæ in nobis hæret, sed quæ in ipso inest, neque nascitur ex eo, quod ipse in nobis videt, sed quod videt in cœlesti suo Patre.*

Et paulò post. *Hoc est fundamentum nostræ spei, anchora nostræ navis, scopus nostræ navigationis, tutissimus portus, ad quem in quavis tempestate confugimus. Christus diligit me propter Patrem suum, & ut Patri obediat, moritur mei causâ. Et æternus Pater condonat mihi propter meritum & obedientiam Filii sui. Quia ergo sic se res habet, cur non vellem fidere tali Filio*

Filio & tali Patri? Tota causa, cur nos Filius diligat, est, quod obediat suo Patri; & causa, cur nobis condonet Pater, est, quia Filius suus meritus est & eum propter hoc orat. Et siquidem Filius cor Patris sui intuetur, promanat inde, quòd nos diligat, nam ita requirit obedientia ipsius. Et quia Pater vulnera & desiderium Filii sui intuetur, oritur inde nostrum remedium, auxilium & salus. Ita enim exigit suum meritum. Ab hoc intuitu Filii ad Patrem & Patris ad Filium oriuntur omnes influentiæ gratiarum, quibus Ecclesia regitur, perinde ut Astrologi dicunt, mundum regi aspectibus Planetarum. Quapropter, ô Pater & Fili, intueamini vos perenniter sine fine. Nam ex hoc infinito & ineffabili intuitu consistit tota nostra salus. O te pulcherrimum intuitum, à te prosiliunt radii divinæ gratiæ, remissiones peccatorum, corroborationes Dei in nostra imbecillitate, societas ipsius in nostra solitudine, consolatio ipsius in nostris ærumnis, & ipsius fiducia & constantia in nostra desperatione.

Et postea *Hoc est maximum & præsentissimum remedium in omnibus nostris afflictionibus, ut nempe confugiamus ad hunc Dominum, & nos abscondamus subter alis ipsius. Et ut sequamur regium suum vexillum, & ut in omnibus nostris fragilitatibus & ærumnis oculos elevemus in altum, Christum intueamur in cruce pendentem & recordemur sui meriti, suæ obedientiæ, & sui placiti, quod Pater habet de tali Filio. Siquidem Pater Filium suum hoc modo sponte dedit isto tempore, quo adhuc inimici ipsius eramus, & licèt nos id non desideraremus, multò minùs cogitaremus, rem talem fieri posse, qui ergò nobis jam nunc denegaret, quod petimus? Quid is mihi poterit denegare, qui Filium suum unicum mihi non denegavit? Quia proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donaret? Circundent nos præterita peccata, metus futurorum nos premat; circumeant nos Diaboli, accusent nos & laqueos nobis sternant, terreant & persequantur, aperiat infernus fauces, quàm ampliter & quàm maximè queat, scimus tamen & confirmati sumus, quòd quando oculos deflectimus in bonum, morigerum, misericordem & nos in mortē usq; diligentem Christum, Dominus Deus non deserturus sit propter Filium suum, maximè quòd tanti fecit nostram salutem, ut benedictum Filium suum pro nobis dederit & in cruce mori passus sit. Nam quia hic in terris parentes liberos tantopere amant, ut quando vel eos intuentur, statim iram suam contra ipsos conceptam, remittant, quid ergò non faciat intuitus talis Filii in corde talis Patris, qui ipsum intuetur in cruce ex mera obedientia pendentem?*

(Hæc omnia Ribedeneira, quæ certitudinem gratiæ mirificè confirmant.)

Hieronymus Oleaster in cap. 7. Esaiæ super verba: *Nisi crediderítis, non estis stabiles*, col. 171. *Magni momenti res fiducia est, quæ omnia nostra firma & stabilia constituit. Nam tantò res nostræ firmiores sunt, quantò majori fiduciâ adhæserimus Deo. Qui enim Deo adhæret, unus Spiritus fit cum eo, & necesse est ejus firmitate teneri. Cùm ergo te videris Deo diffidere & caducis rebus hærere, habeto id signum in malum, signum utiq; ruinæ tuæ, quoniam si diffideris, stabilis non eris. Cùm Dominus vult aliquem ruere, sinit eum fiducia destitui.*

Ludov. Vives in præpar. animi ad orandum n. 21. *Christi fiducia erit lapis firmissimus ædificii.*

Victor Giselinus ad preces Aurelii Prudentii sub finem ἀναγνώσεως. *Non posco beatâ*
In regione locum &c.
Saltem mirificos incendia lenta vapores
Exhalent &c. sic annotat:

Itane, ô Prudenti, tam abjecto quempiam esse animo? aliud certè nobis spondent suaves illæ Evangelii voces, siquidem propositis divinæ gratiæ obtinendæ instrumentis strictè imperant, vocationem nostram certam faciamus, certoq; & indubitato æternæ vitæ gloriam expectemus. Docentq; è contra, infernum ignem aut gravius supplicium deprecari servorum esse semper metuentium ac penè desperantium, cùm Christus onus suum dixerit esse leve & jugum suave, nullaq; nunc sit condemnatio his, qui in Jesu Christo ambulant, utpote qui factus sit nobis sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio.

(Hæc ille, quæ ideò magis sunt notanda, quòd Antonius Possevinus in recensione operum Prudentii Giselini laborem cæteris omnibus præferendum censet.)

Guilielmus Pepinus Theologus Parisiens. Ordinis Prædicat. Concionat. Domin. 22. post Trinit. *Ecce quàm severus erit tunc Judex Christus! Quale igitur remedium Carissimi, ut evadamus tantam securitatem, qui in multis peccavimus omnes? Profectò aliud non video, nisi quod recurramus ad ipsum Christum cum Magdalena, quamdiu tempus misericordiæ ejus duret, id est, quamdiu sumus adhuc in hac mortali vita. Quod ubi fecerimus, indubiè dimittet nobis universum debitum.*

D. Feucht part. 1. post. p. 326. Starcken Glauben/ Hoffnung und Zuversicht sollen wir zu Christo haben.

Cæterùm, quia uti modò vidimus, multi ex ipsis Pontificiis certitudinem gratiæ & remissionis peccatorum nobiscum docent, inde est, quòd quorundam suffragium haud inviti nobis largiuntur.

Vega lib. 3. de incertitud. gratiæ cap. 36. *Quidam Catholicus tanto affectu fidem conjecturalem oppugnabat, ut eam Lutherana opinione detestabiliorem diceret. Quia*, inquit, *cùm Lutherani multùm fidei tribuant, hæc opinio derogat.*

Ibid. *Guillandus certitudinem gratiæ defendit prorsus ut Lutherani, cap. 7. & talem certitudinem consequentem fidem multi Catholici ante decretum Concilii Tridentini probabilem esse censebant, & eam compluribus argumentis suadere conabantur.*

(Quin imò etiam post Concilium Tridentinum Ambrosius Catharinus & alii eam docuerunt, ut ex dictis constat.)

Bellarminus lib. 3. de Justificat. cap. 1. §. ultimo, *incertitudinem justitiæ & gratiæ non solùm contra hæreticos* (quos ita vocat) *sed etiam contra Catholicos quosdam sibi probandam esse* scribit.

Lib. ejusdem cap. 3. §. 1. *Autor Enchiridii Coloniensis in tract. de Justificat. vult necessarium esse ad justificationem, ut certò credat unusquisque, sibi remissa esse peccata. Ambrosius Catharinus asserit, posse hominem fidelem habere certitudinem fidei de sua gratia.*

Lib. ejusdem cap. 11. §. Tres &c. *Ambrosius Catharinus non solùm dubitationem omnem excludit, sed etiam addit, posse justos habere de sua justificatione certitudinem fidei divinæ.*

Benedictus Pererius in Comm. Rom. 8. v. 27. & Vega lib. 9. de Justificat. cap. 46. de Ambrosio Catharino sic scribunt: *Catharinus inter Theologos hujus temporis minimè incelebris docuit certitudinem fidei, quâ pii certò statuunt, sibi peccata esse remissa.*

Idem Pererius d. l. *Quidam Catholici certitudinem eam docent, cui non potest subesse falsum.*

Gregor. de Valentia tom. 2. col. 1255. *Sententia aliorum Theologorum communis* (in quæst. de incertitud. gratiæ) *planè est contraria tum sententiæ Sectariorum, tum sententiæ Catharini.*

(Ergò Catharinum in hac quæstione nobis potiùs ὁμόψηφον fuisse agnoscit, quàm Romano-Catholicis.

Adamus Tannerus tom. 2. Disp. 6. q. 4. dub. 5. num. 108. itidem *Catharinum* ex Concilio Tridentino refellit.)

Idem Gregorius de Valentia d. l. col. 1253. refert, *quòd Vega lib. 9. cap. 46. super Concil. Trident. viris quibusdam spiritualibus certitudinem salutis omnis hæsitationis expertem assignaverit.*

Cornelius à Lapide in Comment. Roman. 8. v. 16. disputat contra Catharinum & Cajetanum, qui voluerunt, *testimonium Spiritus Sancti, quo nobis testatur, nos esse filios Dei, esse certum certitudine infallibili, ac statuit, idem esse certum certitudine conjecturali*: interim subjicit; *Andream Vegam, Ruardum & eos secutum Pererium existimare, aliquos viros valdè sanctos sine speciali Dei revelatione ex signis & effectibus Spiritus Sancti, quos valdè crebros & claros & efficaces in se experiuntur, habere certitudinem non quidem infallibilem, ita ut ausint jurare, se esse in Dei gratia, sed talem & tantam, quæ omnem metum & formidinem oppositi excludat, non solùm ab affectu & fiducia, sed etiam ab intellectu & persuasione, ita ut tales tam certò sciant, se esse in gratia Dei, quàm certò scimus & credimus, Constantinopolim vel Alexandriam esse, ex eo, quod passim omnes dicunt, illas urbes esse & existere.*

Ibidem adducit Cornelius dictum Basilii interrog. 296. in brevioribus: *Qua ratione persuaderi possit anima cuipiam, quòd à peccatis sit libera?* (addit Cornelius, *& expurgata, ac consequenter, quòd Dei sit amica & filia*, ac respondet:) *Si quis in seipso animi affectionem illam similem Davidi inesse animadverterit, apud quem est. Iniquitatem odio habui & abominatus sum: aut assecutum esse præceptum illud Apostoli, qui dixit: Mortificate igitur membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam, quæ est simulachrorum servitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, ut verè dicere possit illud: Non ad-*

hæsit mihi cor pravum; declinantem à me, malignum non agnoscebam &c. Quandocunq, quis eo modo animo se affectum esse animadverterit, tunc sine dubio credat, se esse liberum à peccato, (addit Cornelius, *ac consequenter se esse in gratia, adeoque esse filium Dei.*)

Sed hanc sententiam Vegæ, Ruardi, Pererii, Cornelii à Lapide &c. Bellarminus improbat lib. 3. de Justificat. cap. 11. §. De qua sententia.

De quodam *Almerico* Doctore Parisiensi & *Baccone* Commentatore Magistri Justinianus in 2. Cor. 13. v. 5. & Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 6. q. 4. n. 107. 108. testantur, *quòd fidei de gratia & justificatione præsente certitudinem docuerint.*

2. Quòd quidam docent, *posse hominem fidelem de electione & salute sua esse certum.*

(Quòd si enim verè fidelis de electione & salute certus esse potest, utique etiam de gratia Dei & remissione peccatorum certus esse potest, cùm absque Dei gratia & peccatorum veniâ nec electio, nec salus in hominibus post lapsum locum habeat.)

Dicta illa recensuimus superiùs articulo 22. cap. 2. th. 2.

3. Quòd quidam agnoscunt, *fidem esse firmam fiduciam.*

(Si enim fides est firma fiducia, utique dubitationi & hæsitationi resistit, ac in promissionibus de gratia Dei & peccatorum remissione certò ac tranquillè acquiescit.)

Dicta illa recensuimus in hoc ipso articulo cap. 1. th. 2.

4. Quòd quidam agnoscunt, *fidei justificantis, quatenus est fiducia, objectum proprium & adæquatum esse specialem Dei misericordiam, sive quod idem est, promissionem de gratuita peccatorum remissione propter Christum.*

(Quòd si enim fides in specie sibi applicare potest & debet promissionem de gratuita peccatorum remissione propter Christum, utique etiam per fidem homo potest esse certus de gratia Dei & peccatorum remissione.)

Dicta illa recensuimus in hoc ipso articulo cap. 2.

5. Quòd quidam agnoscunt, *solam fidem justificare.*

(Quòd si enim sola fides beneficia Christi, in verbo Evangelii oblata, apprehendens, absque operum nostrorum meritis justificat, utique etiam ex fide & in fide certi esse possumus, nos esse coram Deo justos & cum ipso reconciliatos.

Bartscius in Postill. Domin. 2. Advent. pag. 96. *Quæstio illa* (de certitudine gratiæ) *tota pendet ex illa altera de fidei vel solius, vel non solius justificatione. Nam si sola fides justificat, idq, eo ipso ac solo, quod merita passionis Christi sibi fide sua quisque tanquam propria apprehendit & applicat, quicunque eam habet, nihil profectò habet, quod amplius metuat in illo judicio.*

Bellarminus libr. 3. de Justificat. cap. 6. *Si certitudo justificationis pendet ex operibus, utique non erit homo de ea certus, mox atque justificatus est*; *nec ex sola fide, sed etiam ex operibus certitudo ista pendebit, ac proinde erit tantummodo conjecturalis.*

Ergò à contrario sensu, si certitudo justificationis non pendet ab operibus, sed ex sola fide, homo erit de justificatione certus.)

Dicta illa recensuimus in hoc ipso articulo cap. 3. thesi 1.

6. Quòd quidam agnoscunt, *causam formalem nostræ coram Deo justificationis consistere non in inhærente justitia, sed in imputatione justitiæ Christi & peccatorum remissione.*

(Quòd si enim nostra coram Deo justificatio nec in habituali sive inhærente; nec actuali operum nostrorum justitia, sed in imputatione justitiæ Christi & peccatorum remissione consistit, utique fide meritum Christi apprehendente certi esse possumus de gratia Dei & peccatorum remissione.)

7. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. *Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamq, propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

(Hoc decretum Concilii, quoad priorem partem, nostræ suffragatur sententiæ. Si enim nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet, utique etiam nemo dubitare debet de remissione peccatorum gratuitâ propter Christum, cùm generales illas promissiones vera fides in specie sibi applicet, cùmque Sacramentorum usus quemlibet verè credentem confirmet, ad ipsum quoque promissionem Evangelicam & oblata in ea Christi beneficia pertinere. Non negamus, quòd si propriam nostram infirmitatem ac indispositionem respiciamus, formidandum sit, interim cùm promissiones divinæ sint certæ & infallibiles, cumque gratia Dei & meritum Christi sit efficax, cum Sacramenta fidem firmissimè stabiliant, ideò firmâ cordis fiduciâ hisce fulcris firmissimis inniti & gratuitam peccatorum remissionem sine dubitationis ambiguo credere possumus ac debemus. Fides enim non respicit nostram dispositionem vel indispositionem, sed gratiam Dei in verbo Evangelii oblatam, ut ex Ribadeneira & aliis superiùs audivimus. Inde etiam est, quòd quamvis Bellarminus libr. 3. de Justificatione cap. 3. pro asserenda gratiæ incertitudine Concilii Tridentini autoritatem urgeat, tamen Ambrosius Catharinus fortiter neget, hac de re quicquam in Concilio Tridentino esse definitum, ut superiùs ex Catharini verbis percepimus.)

Secundò, Bellarminus lib. 3. de Justificatione cap. 10. resp. ad 1. Cypr. testim. fulgore dictorum Antiquitatis convictus, sic scribit: *Fatemur, apud omnes pios vigere spei robur & fidei firmitatem, & animam de Deo suo semper esse securam.*

Et paulò post. *Non negamus, oportere fidem certissimam, quæ dubitationem prorsus excludat, haberi de divinis promissionibus, & spem etiam talem ac tantam, quæ desiderium moriendi pariat. Deniq, divinæ promissioni etiam in particulari fides habenda est, quoniam pertinet ad veritatem promittentis &c.*

Benedictus Justinianus in 2. Timoth. 1. super verba: *Novi, cui crediderim. Quod ait Paulus, Scio, cui credidi, indicat certitudinem quandam ac spei Christianæ firmitatem, ut maximè nititur divinâ potentia.*

(Hæc cum incertitudine justitiæ & gratiæ nunquam solidè conciliari poterunt. Si enim fidem certissimam, quæ dubitationem prorsus excludat, haberi oportet de divinis promissionibus, ac divinæ promissioni etiam in particulari fides habenda, utique ex promissione Evangelica de gratuita peccatorum remissione propter Christum de eadem certi esse possumus.)

Tertiò, Benedictus Pererius in cap. 14. Joh. p. 380. sic disserit: *Spiritus Sanctus efficit in animis piorum certam quandam persuasionem & fiduciam, quòd ipsis à Deo remissa sint peccata, & quòd ipsi in gratia Dei sint, & quòd per mortem ad æternam & beatam vitam perventuri sint.*

Idem citat & approbat dictum Bernhardi serm. 2. in fest. Pentecost. *Spiritus Sanctus est pignus salutis, quia testimonium reddit Spiritui tuo, quod sis filius Dei, qui certissima prædestinationis tuæ signa cordi tuo imprimit & ostendit.*

(Si certa illa fiducia, quòd simus in Dei gratia, oritur à testimonio Spiritus Sancti, utique est infallibilis & immota.)

Quartò, fidem, statuunt, dubitationi esse oppositam.

Sixtus Pontifex Epist. 1. quæ habetur in tomo 1. Concil. *Dubius in fide, infidelis est.*

c. Dubius lib. 5. Decretal. Gregorii tit. 7. ex Epistola Stephani Papæ. *Dubius in fide, infidelis est.*

Glossa decreti c. Satis dist. 69. super verba: Seu potiùs &c. *optimè corrigit se, quia quæstiones non debent fieri super fide dubitando.*

Eadem glossa c. Quæ dignior caus. 24. q. 1. *Dubius in fide, est hæreticus.*

Thomas part. 2. qu. 4. art. 8. *Major est fidei certitudo, quàm scientiæ.*

Pesantius in Thomam fol. 508. *Quòd dicitur fides argumentum, distinguitur ab opinione & dubitatione, à quibus intellectus non argumentatur, id est, determinatur ad unum.*

Catechismus Tridentinus part. 1. quæ est de fide & Symbolo cap. 1. quæst. 1. *Nulla fidelibus potest accidere dubitatio in iis, quorum Deus est autor, qui est ipsa veritas.*

Ibidem cap. 2. quæst. 2. *Credendi vox, ut docent sacræ literæ, certissimæ assensionis vim habet, quamobrem is credit, cui aliquid sine ulla hæsitatione certum & perspicuum est.*

Costerus in Enchirid cap. 4. fol. 171. *In illo non est vera fides, qui dubitat.*

Bellarminus lib. 1. de Justificat. cap. 2. §. penult. *Certitudo fidei, quia nititur sola Dei autoritate, omni ex parte dubitationem excludit.*

Lib. ejusdem cap. 11. resp. ad 3. argum. *Fides certissima est. Neque ullus unquam Catholicus dixit, fidem non esse certam, aut posse*

posse dubitari, vel cum formidine assentiri in iis, quæ ad fidem pertinent.

Lib. 6. de gratia & libero arbitr. cap. 3. §. Ad hæc omnia &c. *Credere, ut oportet, includit hanc conditionem, ut firmiter credatur ex parte subjecti, hoc est, ut homo nihil dubitet & malit, potiùs mori, quàm articulum fidei non credere.*

Idem tom. 7. operum in explic. doctr. Christ. col. 1237. Τò credere ita explicat: *Credo firmiter & indubitatè omnia illa, quæ in duodecim articulis comprehensa.*

Et postea. *Credo multò firmiùs res illas, quàm quas vel oculis videam, vel manibus contrectem.*

(Aut ergò nulla erit fides de peccatorum remissione gratuitâ propter Christum, aut certa esse debet & absque dubitatione.)

Quintò, Becanus tract. de lib. arbitr. quæst. 10. num. 12. dictum Apostolicum, *Quicquid non fit ex fide, peccatum est*, sic exponit: *Quicquid non fit ex fide, i. e. cum conscientiæ certitudine.*

(Ergò ex fide conscientiæ certitudo oritur, ea verò non est, nec esse potest, absque certitudine gratiæ.)

Sextò, Pontificii communiter docent, *renatos legem Dei perfectè implere posse*, ut videbimus inferiùs cap. 7. thes. 3. in Antithesi.

(Inde sic colligimus: Qui legem Dei perfectè implere potest, ille etiam potest esse certus de sua salute. Galat. 3. v. 12. *Qui fecerit ea homo, vivet in eis*, quæ promissio est certæ & immotæ veritatis. Renati legem perfectè implere possunt ex hypothesi Pontificiorum. Ergò)

Septimò, communiter docent, *peccatum originis in Baptismo & per Baptismum non tantùm remitti, sed etiam penitùs expurgari & exstirpari, ut in baptizato nihil maneat, quòd veri & propriè dicti peccati rationem habeat*, ut vidimus superiùs art. 12. cap. 3. in Antithesi.

(Inde sic colligimus: Ubi nullum peccatum, ibi perfecta justitia, cum ἁμαρτία sit ἀνομία. Ubi perfecta justitia, ibi nullus dubitationi de gratia Dei relinquitur locus.)

Octavò, Johannes à Daventria in Harmon. Augustanæ Confess. ex Scholasticis, præsertim Biele lib. 2. sentent. dist. 27. q. 4. docet, *Deum homini facienti, quod in se est, dare gratiam necessariò, nempe necessitate immutabilitatis.*

(Potest homo facere, quod in se est. Facienti, quod in se est, Deus dat gratiam necessitate immutabilitatis. Ergò faciens, quod in se est, immutabiliter accipit gratiam. Cur ergò de gratia dubitaret?)

Nonò, Scholastici, præsertim Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 7. docent, *omnem actum caritatis, seu quodlibet opus bonum ex caritate promanans, absolutè mereri vitam æternam.*

(At cùm tot actus & opera caritatis faciant, quibus singulis vitam æternam sese mereri sibi persuadent, cur de ea adhuc dubitant?)

Decimò, communiter docent, *Monachos habere opera quædam supererogationis, quæ in meritum vitæ æternæ aliis communicare possunt*, ut ostendimus artic. 7. de Monachis, in Appendice.

(At si Monachi possunt aliis communicare opera supererogationis in meritum vitæ æternæ, cur ipsimet de gratia Dei & possessione vitæ æternæ dubitarent?)

Undecimò, *ingressionem religionis*, hoc est, susceptionem Monastices docent *æquiparari Baptismo, ac hominem tam purum ab omnibus peccatis reddere, quàm est infans Baptismi aquâ recens tinctus*, ut ostendimus d. l.

(Atqui de salute infantum baptizatorum, qui statim post Baptismum moriuntur, non dubitant. Ergò nec de salute eorum, qui statim post susceptam Monasticen moriuntur, in tanta puritate & sanctitate dubitare debent.)

Duodecimò, Sacrificuli ac Monachi, cùm eis aliquid datur, vel Testamento legatur, solent *oppignorare animas suas* pro salute eorum, à quibus beneficia accipiunt, ut testantur instrumenta hac de re confecta.

(At si de eorum salute certi non sunt, cur animas pro ea oppignorare audent?)

Decimò tertiò, Romanus Pontifex, missis per omnia regna & provincias literis ac diplomatibus, certò pollicetur remissionem plenariam peccatorum omnibus, qui Romam excurrunt & Papales Indulgentias emunt.

(Atqui is hac in parte, ex hypothesi Pontificiorum, non potest fallere, nec pro certa pecunia incertas Indulgentias dare dicendus est, nec claves possunt errare, ut quod ille in terra solverit, non sit solutum in cœlis, hoc enim dicerent pugnare cum promissione Petro & ipsius Successoribus in Sede Romana data Matth. 16. v. 19. Ergò qui tales emunt indulgentias, de remissione peccatorum & gratiâ Dei possunt esse certi.)

Decimò quartò, Rom. Pontifices, ut patet ex Bulla Clementis VI. in Jubilæo promulgata, *Angelis præcipere consueverunt, ut viatorum, Romam Indulgentiarum gratiâ peregrinantium, si illos in itinere mori contingat, animas protinus exceptas in cœlum rectâ deportent.*

(Utique ergò de illorum salute certi sunt, quibus tam magnificis promissis cavent. At si Pontifex de illorum salute certus est, cur non ipsimet viatores, qui Indulgentiarum causâ Romam cogitantes, in itinere moriuntur, de sua salute essent certi, cùm Pontifex errare non possit?)

Decimò quintò, Papa nonnunquam canonizat Sanctos, & in hac canonizatione non errat, ut plerique volunt.

(Certus ergò est de eorum salute. Sed cur non & de sua salute certus est? Si de sua salute certus non est, quomodo infallibilem certitudinem de illorum, quos canonizat, salute habere potest? Vicissim, si nemo certus est in hac vita, *se esse apud Deum in gratia, & habere vera merita*, quomodo Pontificii certi sunt, Dominicum, Franciscum, Xaverium, & reliquos, quorum meritis confidunt, fuisse apud Deum in gratia & habuisse vera merita? Quod ipsi totâ vitâ nescierunt, quis post mortem eorum id Papistis revelavit?)

Decimò sextò, Jesuitæ vocant se *Jesu socios.*

(At nemo dubitat, an socio suo carus sit; nec dubitat filius, an à Parente diligatur.)

Decimò septimò, Sacrificulus, auditâ peccatorum confessione, absolvit confitentem à peccatis.

(Atqui incertitudo gratiæ & tranquillitas conscientiæ ex absolutione orta, sese mutuò tollunt, cùm tranquillitas conscientiæ dubitationem & incertitudinem illam excludat. Si Confessionarius verè absolvit confitentem, & hic absolutionem illam censere debet ratam & firmam, quomodo dubitare potest, num peccata sibi sint remissa?)

Decimò octavò, Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 4. sic scribit: *Communis Theologorum sententia est, omnes animas, quæ in purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis. Ita enim definivit Leo X. in sua Bulla contra Lutherum art. 28.*

(Quanta verò absurditas est, majorem salutis certitudinem tribuere animabus, quæ in purgatorio à Diabolis torquentur, quæ justitiam Dei vindicem potiùs, quàm gratiam sentiunt, quæ puniuntur igne solâ duratione ab infernali differente, quæ non ampliùs sunt in statu merendi &c. quàm piis in hac vita, quibus in verbo Evangelii gratia Dei, remissio peccatorum & vita æterna offeruntur, qui justificati fide, pacem habent apud Deum, quibus Spiritus S. interno testimonio confirmat, quòd sint filii Dei & hæredes vitæ æternæ!)

Decimò nonò, Ad Deum quotidiè clamant, *Pater noster, qui es in cœlis*, & preces suas claudunt voce *Amen*, quæ denotat certam de exauditione precum fiduciam.

Benedictus Justinianus in cap. 4. Galat. super verba, *Emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater. Per quem id etiam assecuti estis, ut ipsum Deum parentis nomine verè appellare possitis.*

Cajetanus ibidem. *Non dicit, in quo dicimus, quod est commune omnibus Christianis, sed in quo clamamus, magnitudine affectus, quod est proprium verè filiorum.* Et addit: *Testimonium hoc non est de possibili, sed de facto, hoc est, non est de hoc scilicet, quòd possimus esse filii Dei, sed est de hoc, quòd filii Dei sumus.*

Johannes Ferus in cap. 6. Matth. pag. 96. a. *Ideò adhibemus hoc initium* (Pater noster) *ut nosmetipsos excitemus, attentos faciamus, affectum erigamus & de benevolentia divina certam fiduciam concipiamus. Potissimùm autem excitatur & erigitur affectus, fiduciaque concipitur ex consideratione caritatis summæ, quâ nobis bene vult, ob id patrem se compellare jubet, ex benevolentiæ & liberalitatis meditatione, qua seipsum nobis donat, unde dicitur, noster.*

(Quomodo ergò de favore Dei, quem Patrem suum vocant, interim dubitant? quomodo petentes peccata sibi remitti & de exauditione confirmati, de remissione peccatorum interim dubitant?)

Huc pertinet insignis locus ex Ludovico de Ponte in Duce spiri-

spirituali tract. 1. cap. 16. pag. 123. ubi fatetur, *quòd Christus fiduciam nostram in excellenti suâ filiatione fundaverit, quòd Deo confidentes putamus Patrem nostrum, sicut ipsemet Filius naturalis* (at in Christo fiducia certissima, omnis dubitationis expers) *quæ est suprema fiducia; quòd in nomine Christi orare nihil aliud sit, quàm si sibi ipsi Christus aliquid petat.*

Pag. 124. dicit: *In hunc modum te constitues coram æterno Patre indutus fiduciâ unigeniti ejus Filii.*

Et mox. *Pater æterne, fiducia, quâ huc venio, non est solùm adoptivi filii, sed naturalis & unigeniti Filii tui, quod peto, ejus nomine peto.*

Pag. 125. explicat hanc fiduciam, *quòd sit fiducia pauperis, quæ innitatur non propriis meritis, sed alienis, eadem tamen tibi, propter unionem, quam habes cum eo, cujus illa sunt, appropriando.*

Et mox. *Fiducia Sponsæ est, quæ tota innitatur unioni ex spirituali conjugio ob caritatem perfectam exortæ.*

Pag. 126. *Ex hac cum Domino nostro Jesu Christo unione provenit heroica illa fiducia, quæ tantâ efficacitate ac securitate petit, atque si, quod petit, obtinuisset, ac propterea quasi pro jam obtento gratias agit.*

Et mox. *Cùm Pater Filium semper exaudiat, quid mirum, si tantam interdum fiduciam iis tribuat, qui cum ipsius voluntate sunt uniti?*

Vigesimò, Vasquez in 1. 2. Disputat. 200. postquam recitâsset varias exceptiones ad locum Apostolicum Rom. 8. *Certus sum &c.* utpote *quòd Apostolus loquatur de prædestinatis in genere, quòd Paulus de sua salute certus fuerit per peculiarem revelationem, quòd verbum πέπεισμαι non significet certitudinem fidei divinæ, sed moralem quandam persuasionem & probabilem existimationem &c.* tandem subjicit, *sibi videri altiorem esse hujus loci sensum. Nimirum loqui Paulum de caritate Dei, non quâ nos diligentes Deum simus apud eum justi, sed quâ potiùs paratus sit Deus per merita Christi dona gratiæ suæ nobis elargiri. Paulum certò credidisse, neque viventes, neque mortuos, neque Angelos & cætera posse hanc impedire caritatem Dei, quam habet per Christum in suos justificatos.*

(Idem etiam nos volumus. Nam nec salutis, nec certitudinis fundamentum & causam putamus quærendam in justitia nostra, sed in Dei misericordia in Christi merito fundata. Hæc si certa est & tam certa, ut nullo modo aut mutari, aut impediri possit, profectò & nostra sal9, quæ inde pendet, est certa.)

Vigesimo primò, agnoscunt, dubitationem fidei & fiduciæ oppositam reprehendi.

(Utique ergò à contrario sensu certitudo fidei commendatur.)

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 6. Matth. super verba, *Si fœnum agri, quod hodie est, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, nonne magis vos, ô exigua fide præditi? Causam ipsam anxiæ sollicitudinis hominum exponit, fidei scilicet, & quæ hinc sequitur, fiduciæ exiguitatem, quod minùs altè de Deo sentiant, quòd æquè minùs credant, fidantq́; Deo. Diffidentia sive fiduciæ exiguitas è fidei exiguitate nascitur, idcircò hujus, ut matris nomine, utramque Salvator notat.*

Cornelius Jansenius in cap. 8. Matthæi super verba, *Quid timidi estis, modicæ fidei? Modicæ fidei, vel, ut habent Græca, ὀλιγόπιστοι, hoc est, parum fidentes, increpativum est, quo ostendit, vulgarem sollicitudinem nasci ex diffidentia divinæ providentiæ intolerabili, ut sic objurgatos confunderet, ac fidentiores faceret sollicitudine excussâ.*

Lucas Brugensis in annotat. Luc. 1. πληροφορεῖσθαι *ad personam relatum, est, ita certiorem de re aliqua fieri, ut nulla restet dubitatio.*

(Subsumo. Paulus Rom. 4. v. 21. de Abrahamo credente promissioni divinæ utitur verbo πληροφορηθείς.)

Vigesimò secundò, Pontificii *obicem gratiæ perceptionem impedientem* communiter definiunt *peccatum mortale, vel propositum peccandi mortaliter.* Bellarm. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 9. §. Est autem hîc &c.

Statuunt etiam, *absolutionem ex opere operato conferre gratiam.* Si quis igitur absolutionem suscipiat post confessionem peccatorum mortalium & sine proposito pergendi, utique ex Papistarum hypothesi necessariò remissionem peccatorum percipiet, & per conseq. de gratia Dei percepta certus esse poterit. Ut verò aliquis certus sit, se non habere propositum peccandi mortaliter, exiguum judicii requiritur eo modo, quo Pontificii peccatum mortale definiunt.

Vigesimò tertiò, Salmero Disput. 15. in Epist. Rom. exponens verba Apostoli, *Ipse Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filii Dei &c.* prolixè probat, *illud testimonium nequaquam posse intelligi de possibilitate filiationis nostræ, sed necessariò intelligendum esse de filiationis statu præsenti: quod testimonium* negat quidem *esse Catholicum, id est, tale, quod præter me de me teneantur omnes Catholici credere,* concedit tamen, *credi à fidelibus quibusdam fide divina, ab aliis imperfectioribus fide probabili,* idque testimonio Augustini serm. 6. de verb. Apost. Ambrosii lib. 1. de Sacrament. cap. 5. Bernhardi serm. 1. in annunt. serm. 2. in Pentec. serm. 5. in dedicat. Eccles. & Epist. 107. Gregorii Magni lib. 1. Dialog. c. 1. Dionysii Carthusiani in sent. dist. 18. q. 5. & Cardinalis Cajetani Comment. in Rom. 8. comprobat.

(Sic ergò Salmero pro certitudine propriæ fidei & gratiæ apud Deum provocat ad consensum Patrum.)

Vigesimò quartò, Benedictus Justinianus ad locum Pauli Rom. 4. v. 14. & seqq. sic annotat: *Si illi, qui ex lege sunt, heredes sunt,* (hoc est, si ob legis cultum atque observationem hæreditas tribuitur) *exinanita est fides, abolita est promissio* (*planè efficitur, fidem prorsus inutilem, ipsam verò pollicitationem irritam atque inanem videri*) *ideò ex fide, ut secundùm gratiam, ut firma sit promissio omni semini, non ei solùm, quod ex lege est, sed etiam ei, quod ex fide Abrahami est, qui est Pater omnium nostrûm.* (*Explosâ alterâ justificationis ratione, quæ ex lege petenda videbatur; alteram statuit, quæ ex fide pendet, idq́; ex eo colligit, quòd quæ fidei beneficio tribuuntur, ea sine accipientis merito, sed solâ largientis liberalitate gratuitò conceduntur.*)

Hæc omnia Benedictus Justinianus, quibus similia occurrunt apud Estium in Comment. h. l. *Ideò ex fide,* inquit, *ut promissio agnoscatur gratuita & indebita.* Justinianus hæc verba, *ut firma sit promissio,* in paraphrasi & Comment. explicat, *ut constet esse firmam*; ita quoque Toletus in illum locum.

(Hi certè firmitatem promissionum Dei *non objectivam* solùm intelligere potuerunt, sed & *subjecti* certificationem de his promissionibus. Id enim verba exigunt, *constare alicui, ratum esse alicui,* quæ relativa sunt, & significant *firmitatem rei non in se tantùm, sed firmam ejus à subjecto apprehensionem,* quem sensum etiam ipsa Apostoli verba requirunt.)

Vigesimò quintò, agnoscunt, quòd credens non probabiliter opinetur, sed certò sciat, se credere.

(Utique ergò etiam scit, se esse Dei filium & vitæ æternæ hæredem.)

Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 2. *Quisquis habet fidem, certus est, se eam habere.*

Bonaventura 3. sent. dist. 23. dub. 4. contendit, *unumquemq́; certitudine, cui non potest subesse falsum, imò etiam certitudine evidente scire posse, se credere divina fide, hoc est, assensu divinæ fidei mysteria Christianæ religionis.* Rationes sunt: 1. *Quia omnis fidelis Christianus paratus esse debet ad negandam omnem rationem, priusquam ab eo, quod credit, discedat. Ergò habet certitudinem de sua fide supra omnem certitudinem.* 2. *Quia alioqui dubitare posset, an fidei suæ posset subesse falsum, quod esset genus infidelitatis, nam dubius in fide infidelis est.*

Vasquez in 1. 2. tom. 2. Disput. 201. cap. 2. agnoscit, *quemlibet fidelem ita debere credere, se habere fidem Catholicam necessariam ad salutem, & mysteriorum, quæ à Deo revelata sunt, ut de eo nec dubitare, nec formidare possit.*

Item, *Credere debere fide divina, eam fidem, quâ credit mysteria divina &c. esse ex dono gratiæ Dei per Christum.* Imò agnoscit, *cognitionem illam, quâ quisque certò novit, se credere mysteria, esse evidentem.*

(Quæ omnia consentiunt cum dicto Augustini lib. 13. de Trinit. cap. 1. *Suam quisque fidem in semetipso videt.*

Et Epist. 112. *Videt ipse fidem suam, quâ se credere sine cunctatione respondet.*)

Vigesimò sextò, Vasquez in 1. 2. tom. 2. Disp. 213. cap. 7. *Omnis spes, quæ est desiderium futuri, eo differt à simplici desiderio, quia desiderium potest esse sine existimatione & fide, quòd res desiderata sit futura, spes autem semper est cum fide de eventu rei, quam speramus.*

(At speramus vitam æternam, quod concedunt Pontificii, eamque speramus quisque pro seipso, ergò credimus etiam futu-

futuram. Quam enim speramus tanquam bonam, eandem credimus tanquam veram juxta promissionem divinam.)

Vigesimò septimò, Estius in cap. 3. Eph. v. 12. super verba, *In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius. Hic*, inquit, *agitur de libero & intrepido accessu ad Deum cum fiducia impetrandi, quam fides in nobis parit, quia per fidem cognoscimus, Christum à Patre nobis datum, ut propitiatorem.*

(Ut autem aliquid à Deo impetremus, excutienda est omnis dubitatio Jac. 1. v. 6. *Qui hæsitat, non existimet se quicquam accepturum à Domino.*)

Vigesimò octavò, Alphonsus à Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 10. *Ut aliquid fides verè appelletur, certitudinem exigit & firmitatem in eo, qui eam tenet, alioqui si certitudo aut firmitas absit, & scrupulus aliquis urget, ea non fides, sed opinio aut dubitatio censebitur. Hac enim sola ratione fides separatur ab opinione, quod qui credit, tenaciter adhæret, à nullo impellitur, ut eum in oppositam partem deflectere valeat. Qui autem opinatur, sic accedit suæ sententiæ, ut aliquantulum hæsitet & mobili intellectu assentiat. Quo fit, ut fides & opinio minimè in unum coire possint, multò ergo difficilius coibunt fides & dubitatio, cùm hæc magis pugnent inter se. Ideo Apostolus Jacobus ait: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd aliquid accipiat à Domino. Colligitur ergo manifestè, eum, qui dubitat, minimè credere.*

Et postea. *Cùm Petrus ex præcepto Christi super aquas ad eum iret, cœpissetq; mergi, auxiliumq; imploraret divinum, dictum est ei à Domino: Modicæ fidei quare dubitâsti? Quod exponens Theophylactus, ait: Non omninò autem dubitabat Petrus, sed secundùm quid, hoc est, ex parte: nam juxta id, quod dubitavit, incredulus fuit: juxta id autem, quod clamavit, Domine, serva me, curavit incredulitatem: ideo parvæ fidei dicitur, non incredulus. Hæc ille. Et Paulus in Epistola ad Rom. commendans eis fidem Abrahæ, ait: in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide. Ex quibus verbis manifestissimè ostendit Paulus eum, qui hæsitat, minimè fidem habere.*

(Aut ergò nullam planè fidem habemus de peccatorum remissione, aut certò & indubitanter eam credere debemus.)

Vigesimò nonò, Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 20. §. Primum testimonium &c. de loco Apostolico 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus & signavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, sic disserit: *Pignus Spiritus est testimonium bonæ conscientiæ, quod sequitur justificationem, & est quasi arrhabo figuræ* (futuræ) *gloriæ. Nihil enim in hoc mundo jucundius testimonio bonæ conscientiæ, hæc est enim pax, quæ exuperat omnem sensum.*

(Atqui si justificationem sequitur pignus Spiritus, hoc est, testimonium bonæ conscientiæ, quod est quasi arrhabo futuræ gloriæ, utique justificati sunt certi de gratia Dei, quia arrhabo confirmat Sponsam de amore Sponsi & secutura deductione in domum.)

8. Dissensiones Adversariorum.

Primò, Bellarminus lib. 3. de Justific. cap. 11. scribit, *tres de hac quæstione numerari inter Catholicos sententias.*

Una, inquit, *quæ est Ambrosii Catharini, non solùm dubitationem omnem excludit, sed etiam addit, posse justos habere de sua justificatione certitudinem fidei divinæ.*

Altera sententia non docet quidem certitudinem fidei divinæ, affirmat tamen posse, imò etiam solere homines perfectos ad eam securitatem venire, ut nullam habeant de sua securitate formidinem.

Tertiam in Ecclesia communiorem esse ait, quâ non tollatur omnis formido & concedatur aliqua certitudo, sed moralis tantum & conjecturalis.

(Sic ergò in Ecclesia Romana quidam certitudinem *omnibus justis*, quidam *solis perfectis*, quidam *nulli prorsus Christiano* tributam volunt.)

Secundò, de concertatione inter Ambrosium Catharinum Archiepiscopum Minorensem & Dominicum à Soto diximus superiùs.

Catharinus certitudinem justificationis multis argumentis defendit, Dominicus à Soto eandem acerrimè impugnavit, ac inter cætera Catharino sic respondit: *Dissensio, quam inter meam tuamq; mentem nullam extra verba esse existimas, hæc est in re maxima. Porrò, quòd tu arbitraris, posse fieri hominem certum suæ gratiæ certitudine, quæ licet non sit æqualis fidei Catholicæ, sit tamen vera fides, id est, omnem prorsus dubitationem excludens, atq; id quidem lege communi, nempe testimonio illo, quod, autore Paulo, Spiritus Sanctus reddit Spiritui nostro, quòd sumus filii Dei, hoc ego verò, salva pace & autoritate tuâ, credo omninò esse falsum.*

Tertiò, Ambrosius Catharinus posuit, *contra hanc suam de certitudine gratiæ sententiam nihil pronuntiasse Synodum Tridentinam, quin imò ipsammet Synodum declarasse, hujus rei definitionem tunc omittendam esse & in aliud tempus servandam.*

Sed Bellarminus lib. 3. de Justificatione cap. 3. contra Catharinum urget *Concilii Tridentini decisionem & autoritatem.*

Quartò, Enchiridion Coloniense Anno 36. editum fol. 170. hæc habet: *Fatemur, verum esse, ad justificationem hominis omninò requiri, ut homo credat, non tantùm generaliter, quòd propter Christum verè pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum per fidem.*

Hanc Enchiridii Coloniensis sententiam ac librum ipsum vehementer commendat Georgius Cassander in Consultat. artic. 4. de Justificat. ubi inter cætera scribit, *librum illum ab omnibus eruditioribus Theologis, etiam per Italiam & Galliam summopere fuisse collaudatum, ut qui summam sententiæ Veterum de Christiana religione, ex quorum scriptis quasi confirmatus sit, pulcherrimè referat.*

Sed Bellarmino libr. 3. de Justific. cap. 3. hic liber *Censurâ Ecclesiastica dignus* videtur.

Quintò, quidam Pontificii statuunt, *Paulum fuisse certum de prædestinatione, peccatorum remissione & salute ex peculiari quadam revelatione.*

Duræus lib. 8. contra Witakerum fol. 259. *Paulum ex peculiari revelatione scivisse, quod sit Deo dilectus.*

Pistorius in Hodeget. pag. 201. *Paulum fuisse certum de sua prædestinatione ex peculiari revelatione.*

Sed Bellarminus libr. 3. de Justificatione cap. 9. concedit, *Paulum Rom 8. v. 34. loqui de prædestinatis in genere.* Addit autem per illud, *certus sum, non intelligi certitudinem fidei divinæ, sed persuasionem quandam & confidentiam, ad quam gignendam satis sit certitudo conjecturalis.*

(Deserit ergò illorum Pontificiorum sententiam, qui Paulum de certitudine ex peculiari quadam revelatione orta, ac sibi soli propria loqui autumant. Neque id immeritò. Apostolus enim seipsum manifestè cum aliis conjungit, dicens: *Certus sum, quòd neque vita, neque mors possint nos separare à dilectione Dei.*

Sextò, Bellarminus lib. 3. de Justificat. cap. 2. propugnat *certitudinem conjecturalem*, quam *tertium gradum obscuræ certitudinis* constituit, ac hoc modo definit, *quòd si eorum, quæ tot signis & conjecturis nituntur, ut securum hominem reddant, non tamen formidinem omnem expellant.*

Sed hæc certitudo conjecturalis nihil aliud est, quàm implicatio contradictionis ac incerta opinio. Definit enim ibidem Bellarminus certitudinem in genere, *quòd sit firmitas quædam & immutabilitas veritatis, cùm non nisi illud dicatur certum, quod exploratè & immobiliter sit verum.*

At certitudo conjecturalis non est firmitas & immutabilitas veritatis, sed nuda opinio solis conjecturis, iisque fallacibus, superstructa. Ergò certitudo conjecturalis non est certitudo.

Præterea *omne certum est exploratè verum*, juxta ipsius Bellarmini descriptionem. Sed quæ ex conjecturis opinamur, illa non sunt exploratè vera. Ergò nec sunt certa, ex quo iterum sequitur, quòd certitudo conjecturalis non sit certitudo.

Item, Qui formidat & formidare debet, quòd fortè contrarium sit verum, ille non potest non fluctuare & anxius esse. At verò, qui certitudinem habet conjecturalem, ille semper formidat & formidare debet, quòd fortè contrarium sit verum. Ergò, qui certitudinem habet conjecturalem, non potest non formidare & anxius esse, & per conseq. ἀντίφασιν implicat, quòd Bellarminus scribit, *certitudinem conjecturalem excludere quidem anxietatem, sed non formidinem.* Ubi enim non excluditur metus, ibi nec anxietas, cùm metus nihil aliud sit, quàm angor animi formidantis id, quod displicet & dolorem afferre potest. Manet igitur, quòd certitudo conjecturalis hominem securũ reddere non possit, sed quia metum contrarii

non

non expellit, mera ſit dubitatio & incertitudo, unde ſequitur, eum, qui de ſalute ſua non niſi conjecturaliter certus eſt, ſemper dubitare, adeoque incertum eſſe.

Exceptio Adverſariorum.

Ad argumentum noſtrum *de certitudine divinarum promiſſionum* excipiunt, *fidei quidem certas eſſe Dei promiſſiones, ſed fidei ipſius præſentiam homini incertam eſſe.*

Reſp. 1. Benedictus Juſtinianus in Comment. 2. Cor. 13. v. 5. num. 14. operosè probat, *Apoſtolum in his verbis, Vos ipſos tentate, an ſitis in fide, loqui de fide ſalvifica,* & refellit eos, qui per *fidem* intelligunt *fidem miraculorum,* (ut Bellarminus lib. 3. de Juſtificat. cap. 9. Pererius Diſp. 8. in cap. 8. Rom.) argumento eo, *quòd ex fide miraculorum non poſſit gratioſa Chriſti apud nos præſentia deprehendi, quæ tamen ex hac fide, de qua Apoſtolus loquitur, deprehendi debeat.*

(Ex eo ſic inferimus: Qui jubentur ſeipſos tentare, an ſint in fide, illi etiam omninò poſſunt experiri, an ſint in fide. Atqui Chriſtiani jubentur ab Apoſtolo ſeipſos tentare, an ſint in fide. Ergò.)

2. Eſtius in eundem locum commentans, demonſtrat, *per fidem non poſſe intelligi aſſenſum ad articulos fidei, quia hunc aſſenſum ſine novo quodam experimento ſe doctrinæ fidei præbere, Corinthii jam ante noverant: tum quia per talem aſſenſum non protinus ſit in nobis Chriſtus: igitur de fide per dilectionem operante loqui Apoſtolum, quam conjecturali certitudine ſciri poſſe* concedit.

(Sufficit nobis, quòd concedit, hominem verè credentem ſcire poſſe, quòd credat. Quæ de conjecturali certitudine annectuntur, oppoſitum continent in appoſito, ut ſuperiùs oſtendimus: nec congruunt textui Apoſtolico. Quâ enim certitudine volebat Apoſtolus conſtare Corinthiis, quòd ipſe loqueretur per Spiritum Dei, eâdem volebat ipſis conſtare, num eſſent in fide, ut patet ex connexione textus, & ab Eſtio conceditur. At non præſumi ſolùm, ſed certò credi volebat Apoſtolus, ſe per inhabitantem Spiritum loqui. Ergò.)

3. Salmero Diſp. 14. in 2. Corinth. evidentiùs nobis adſtipulatur, non ſolùm *fidem miraculorum* hîc rejiciendo & diſcernendo *fidem à Deo infuſam à credulitate naturali,* ſed reſpondendo quoque ad dicta Eccleſ. 9. v. 2. Job. 9. v. 21. *quòd cognitionem præſentis fidei nequaquam improbent.* Ipſe tandem concludit, *poſſe hominem per certas conjecturas ſcire, an verè diligat, multò magis, qui intus in corde ſentiat, vel quid ipſi Spiritus S. loquatur, maximè ſi conteſtetur Spiritus, quòd ſimus filii Dei. Nunquid,* inquit, *hoc teſtimonium non erit ſolidum ad ingenerandam fidem?* Provocat ad Ambroſii in hunc locum Commentarium, quem rectè dixiſſe ait: *Qui fidei ſuæ ſenſum in corde habet, hic ſcit, Jeſum Chriſtum in ſe eſſe.* Et poſtea. *Dominus quoque Johan. 14. hoc ſciri poſſe oſtendit, illis verbis loquens de Spiritu Sancto: Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit. Ubi B. Auguſtinus hæc verba interpretans, ait: Et hoc ad majus donum Spiritus S. pertinebat, ut eis innoteſceret, quod habebant: de quo munere loquens Apoſtolus, ait: Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui eſt ex Deo, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, 1. Corinth. 2. v. 12.* Hæc Salmero.

4. Verba Chriſti Joh. 14. v. 20. 21. *Vos cognoſcetis, quòd Spiritus S. apud vos manet, & in vobis eſt. In illo die cognoſcetis, quòd ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis;* Thomas in Catena. Villagudus in illum locum, Janſenius cap. 134. Concord. Evangel. Cajetanus & Toletus Cardinales, Salmero tract. 52. Barradius, Maldonatus, Contzenius in illum locum, tempus hujus cognitionis *ad tempus N. Teſtamenti poſt reſurrectionem Chriſti ad fideles omnes* promiſcuè referunt. Ne enim quis hoc ſolorum Apoſtolorum privilegium eſſe ſuſpicaretur, ſubjecit Salvator: *Qui habet mandata mea & ſervat ea &c. eum diligam & manifeſtabo me ei.*

(At quid poterat dici evidentius pro cognitione propriæ fidei, quàm uti cognoſcitur Chriſtus eſſe in Patre, quòd ità à nobis cognoſcatur eſſe in nobis & nos in ipſo? nullus hîc ſtatuitur diverſus cognitionis modus, non major aut minor certitudo. Quamvis verò cognitionem illam inhabitantis nos Chriſti quidam interpretentur *de cognitione inhabitationis in Eccleſia,* nempe *quoad dona & miracula,* ut Bellarm. lib. 3. de Juſtificat. cap. 9. alii *de inhabitatione quidem ſingulorum fidelium,* ſed *hoc diſcipulorum Chriſti privilegium fuiſſe* aſſerant, ut Contzen in Comm. h. l. quæſt. unic. tamen manifeſtum eſt ex textu, Salvatorem *de gratia ſingulis fidelibus conferenda,* loqui, ex connexione v. 21. idque concedunt reliqui, Barradius tom. 4. Conc. lib. 4. cap. 4. ex Chryſoſtomo, Theophylacto, Haymone, Euthymio, eſſe Chriſtum in fidelibus ratione auxilii & roboris, atque talem cognoſci.)

2. Janſenius in Concord. cap. 134. *de ſpirituali unione fidelium cum Chriſto* intelligit, *ejusq; cognitione,* allegans illud 1. Joh. 4. *In hoc cognoſcimus, quòd in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.*

Salmero d. l. ſic commentatur: *Alterum cognoſcendum ab Apoſtolis myſterium eſt unio Eccleſiæ cum Chriſto per vinculum Spiritus Sancti, quaſi Sponſæ cum Sponſo & membrorum cum capite. Et ego in vobis tanquam caput in membris, vitis in palmitibus & dilectus in amantibus. Habitat enim Chriſtus per fidem in cordibus noſtris, ut teſtatur Apoſtolus. Cognoſcetis etiam, quòd ſicut nulla res me poteſt à Patre divellere, nec ipſa mors: ita me quoque vobis conglutinatum, nec ipſa mors poterit diſtrahere. Vos tamen curate, ne culpâ veſtrâ divellamini.*

Ambroſius Catharinus Compſæ Epiſcopus & Johannes Ferus in Comment. h. l. diſertè exponunt *de certa cognitione inhabitantis nos Chriſti.*

(At qui cognoſcere poteſt, ſe eſſe Chriſto ſpiritualiter unitum & conglutinatum, ille etiam cognoſcere poteſt, ſe verè credere, cùm fides ſit ſpiritualis illius unionis vinculum.)

Ad argumentum ex verbo πέπεισμαι Rom. 8. v. 38. deductum, reſpondent, *verbum* πέπεισμαι *non ſignificare certitudinem fidei, cui non poſſit ſubeſſe falſum, ſed quamcunq; moralem & conjecturalem certitudinem, quod probant ex Rom. 15. v. 14. 2. Timoth. 1. v. 5.*

Reſp. 2. ex Guilielmo Eſtio in Comment. 2. Tim. 1. v. 5. *Vocabulum* πέπεισμαι *eſt generale ad ſignificandam perſuaſionem, quâ quid ut certum habetur, ſive morali, quam vocant, certitudine, ſive eâ, quam divina facit autoritas, id eſt, certitudine fidei. Nam fide certus erat Apoſtolus, Deum eſſe potentem ſervare depoſitum 2. Tim. 1. v. 12. At hoc modo non noverat, fidem non fictam in Timotheo habitare, ſed id longâ experientiâ didicerat, ideoq; humaniùs certum tenebat.*

(Aliter ergò accipitur vox πέπεισμαι, quando de aliis hominibus accipitur, videl. non de fidei infallibili certitudine, ſed de caritatis perſuaſione; aliter verò, quando verè fideles de ſemetipſis eâ utuntur, videlicet de certitudine fidei immoto promiſſionum divinarum fundamento & Spiritus S. interno teſtimonio innitente.)

2. Hoc coguntur ipſimet Pontificii agnoſcere. Quidam enim ex ipſis ſtatuunt, *Paulum per peculiarem aliquam Dei revelationem de Dei gratia & ſua ſalute fuiſſe certum.* Duræus contra Witak. fol. 259. Piſtorius in Hodeg. p. 201. Ergò, quando Paulus de ſeipſo utitur verbo πέπεισμαι, Rom. 8. v. 38. omninò in alia ſignificatione eo utitur, quàm Rom. 15. v. 14. 2. Tim. 1. v. 5.

Argumenta Adverſariorum.

1. Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Si ignorat homo puritatem cordis ſui, quomodo poterit eſſe certus de gratia Dei & remiſſione peccatorum?* Bellarminus lib. 3. de Juſtificat. cap. 4.

Reſp. Vasquez tom. 2. in 1. 2. D. 200. adducit explicationem Bedæ in h. l. *Stulta namq; eſt propriæ laudis jactantia, temerarium de ſua quemq; innocentiâ vel juſtitiâ gloriari.* Et addit. *Ex quibus verbis conſtat, Bedam non intelligere hunc locum de incertitudine gratiæ, ob quam nullus affirmare poſſit, ſe eſſe mundum, ſed de temeraria & inani laude, quâ quis auderet, ſe juſtum pronuntiare, ut ſit ſenſus: Quis jure & absq; temeraria & inani laude audeat dicere, ſe eſſe mundum?*

Et paulò antè fatetur, *hunc locum non eſſe ſatis efficacem ad probandam juſtitiæ incertitudinem, cùm verbum dicere ponatur pro gloriari, quomodo reddiderunt LXX. Interpp. & dictum hoc eodem modo allegetur ab Auguſtino lib. de S. Virginit. cap. 28. Quis gloriabitur ſe mundum eſſe à peccato?*

Eadem eſt ſententia Salazar, Cajetani & Catharini.

(Confirmatur hæc expoſitio ex textu Hebræo, in quo ſic habent: *Quis poteſt dicere, mundavi & purificavi cor meum?* ex quo apparet, Phariſaicæ & hypocriticæ opinioni de propriæ juſtitiæ perfectione hæc eſſe oppoſita.)

Argum. 2. Eccleſ. 9. v. 1. *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit. Ergò gratia Dei in hac vita eſt incerta, ultimo autem demum die quivis cogniturus eſt, an ſit ſub gratia, an ſecus.* Bellarminus d. l. Tirinus in hunc locum.

Reſp.

Resp.1. Alphonsus de Castro advers.hæreses,cum in primis editionibus hunc ipsum locum putasset *apertissimum testimonium*,postremâ tamen recantavit & agnovit, sensum esse, *Nemo aliquid horum* (sitne eiectus,an non) *scire potest ex consideratione rerum externarum,sive prospera sint,sive adversa,quia hæc omnia possunt justo perinde ac peccatori contingere.*

Et post.*Rejecto ergo illo testimonio,propterea quod dubium est, & non convenit inter omnes de sensu illius,oportet, aliunde capiamus testimonia.*

2. In Concilio Tridentino Catharinus, Marinarius & alii,qui certitudinem gratiæ propugnabant,*autoritatem Salomonis non facere ad hanc rem* respondebant: *Qui verba illa; Nemo scit,amore,an odio dignus sit,ad hoc institutum trahere velit,concludere inde,sceleratissimum quemque peccatorem in peccatis perseverantem,nescire,an Deo sit invisus.* Petrus Suavis lib.2.Histor. Conc.Trident.p.234.

3.Johannes Ferus in cap.9.Eccles. *Non potes ex facie hominis judicare,an electus sit,vel non,nec ex prosperitate externa, nec etiam ex adversitate.*

4. Jacobus Augustus Thuanus in Paraphrasi sua aliter exponit:

Cæcus homo interea,tanta est inscitia rerum
Oderit,aut amet ille,sui non novit amoris
Eventus, odiiq; sui, nec quatenus,aut quò
Evadant &c.

(Sequitur illorum expositionem, qui *amoris & odii* voces μετωνυμικῶς accipiunt pro rebus ipsis dilectis aut odio habitis, *cognoscendi* autem verbum pro potestate disponendi pro autoritate de re,quam cognoscimus,Job.38.v.33.cap.39.v.4. ut sit sensus, *neminem posse disponere & ad voluntatem suam uti rebus,quas amat,aut quas odit.*)

5. Benedictus Arias Montanus alio sensu hominem cognoscere posse negat amorem,aut odium omnium,quos corá se habet.Sic enim in Paraphrasi sua metrica cap.9.canit:

Sed neque novit homo cunctorum quos habet idem
Coram se invidiam,nec certum novit amorem &c.

Eodem modo Mariana Jesuita in Paraphrasi Elegiaca:

Hoc quoque cognovi,nescit justus,sapiensve,
Diligat ecquis eum,quisve inimicus ei est ?

6.Salmero in Comment.1.Corinth.12.Disput.14.§. Sed objiciunt.*Hic locus nequaquam probat, quod aliqui inde accipiunt, hominem nescire amorem Dei erga se,quia sequitur in textu : Nescit, an odio dignus sit. At impii propter maxima sua scelera norunt,se maximè dignos esse odio Dei.*

7.Mercerus Professor Parisiensis in Comment.hujus loci.*Cavendum est lector,ne cum vulgato Interprete aut erres, vel cum Sophistis errandi occasionem sumas, qui docent, non debere nos esse certos in conscientia de amore Dei; hoc est apertè contra Scripturas & fidei nostræ caput de remissione peccatorum.*

8.Cajetanus in hunc locum.*Significat Salomon,ex rebus externis nos non posse discernere bonum aut malum.*

9.Pineda in cap.21.Jobi v.26. *Significat Salomon his verbis, omnia in futurum sunt incerta, magnam rerum humanarum confusionem,cum bona malis & mala bonis permisceantur.*

10. Bellarminus ipse lib.3.de Justific. cap.2.*conjecturalem quandam certitudinem* de gratia Dei piis concedit.

(At Salomon simpliciter pronunciat: *Nescit homo, an amore,vel odio dignus sit.* Ergò,si de incertitudine gratiæ loqueretur,etiam conjecturalis certitudo neganda esset.)

11.Pagninus ex Hebræo locum sic reddidit: *Justi sunt & sapientes,& servitia eorum in manu Dei. Etiam amorem, etiam odium non sciens homo,omnia ante facies eorum.*

(Vel ergò notatur incertitudo justitiæ alienæ, vel negatur,hominem ex eventibus externis scire posse, an sit sub gratia.Quam expositionem confirmant verba sequentia v.2. *Omnia sic eveniunt,tanquam esset unus omnibus eventus justo & impio, bono & malo &c.* Conferatur de hoc dicto Johannes Ferus in Johan.14.v.16.cap.17.v.6.Medina Hyperaspistes,& Ambrosius Compsæ Episcopus in Assertionib.& Apologia apud Bellarmin.lib.2.de Justific.cap.4.)

12.Bernhardus serm.5.de dedic. Eccles. *Quis scit,si est dignus amore,vel odio ? Hic jam planè fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem,ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per Spiritum ipsius reveletur,& Spiritus ejus testificans persuadeat Spiritui nostro,quod filii Dei sumus. Persuadet autem vocando & justificando gratis per fidem,in quibus nimirum velut medius quidam transitus est,ab æterna prædestinatione,ad futuram magnificationem.*

(Non ergò sequitur. Ex eventibus externis non potest cognosci,an homo sit in gratia vel odio Dei. Ergò simpliciter hoc sciri nequit, & per consequens fides etiam ex verbo Dei debet esse incerta.)

Argum.3. Sirac.5.v.5.*De propitiato peccato noli esse sine metu.Hic locus mirificè pungit hæreticos hujus temporis. Ipsi enim propriè illi sunt,qui,ubi fide sibi visi sunt Christi justitiam apprehendisse, nullo deinceps metu tanguntur.* Bellarmin.

Resp.1.Quidam ex Pontificiis agnoscunt, *librum Siracidis non esse in Canone*,ut ostendimus superius lib.2.art.1.cap.1.sect. 2.thesi 7.

2.Arias Montanus reddidit: *De propitiatione ne sine timore sis in abundantia ad addendum peccata super peccata.*

3.Vatablus ad hunc locum sic annotat: *Locus ex Græco sic vertendus:De venia ne sis nimium securus,ut peccata peccatis cumules.*

(Oppositum ergò est hoc dictum carnali securitati.)

4.In Concilio Tridentino Ambrosius Catharinus, Antonius Marinarius, & alii, qui certitudinem gratiæ propugnabant,negabant dictum illud huc applicandum, *& fallaciam esse in voce Græca* ἱλασμὸς, *quæ non significat peccatum jam remissum,ut est in vulgata traductione,sed expiationem & veniam peccati,verbaque illa monere peccatorem de peccatis non accumulandis ex nimia veniæ consequendæ confidentia, non autem veniæ jam acquisitæ, neque super hallucinatione Interpretis fidei articulum fuisse fundandum.* Petrus Suavis lib.2.Hist.Concil.Trident.p.235.

5.Cornelius Jansenius in hunc loc. *Græcè legitur, De propitiatione noli esse sine metu, & intelligitur de obtinenda remissione peccati perpetrandi contra præsumtionem,non de propitiato perpetrato, ut habet vulgata,cui textus repugnat.*

Ibidem *Quam lectionem* (translationis vulgatæ,de propitiato peccato) *contra hæresin nostri temporis,quâ docetur,hominem certo credere debere,sibi remissa esse peccata,plerique citant,ex ea contrarium ostendere conantes: sed argumento non satis firmo,tum quod ea non sit lectio verior; tum quod dici posset, sapientem securitatem prohibere propter recidivi periculum,cui magis convenit, quod sequitur,neque adjicias peccatum super peccatum.*

6.Sacroboscus part.3.Defens.Bellarmin. cap. 6. §. Rursus. *Jansenius intelligit hunc locum de peccatis futuris, Bellarminus de præteritis.Sed Jansenii expositio est probabilior.*

(Nisi veritatis evidentia id Sacrobosco expressisset, Bellarminum,cujus patronum ex professo in libro illo agit, non deseruisset. Addit autem:)

Intelligitur hic locus de propitiatione futura,tum quia Græca ad verbum expressa ita habent: De propitiatione noli esse sine metu, ut adjicias peccata peccatis; tum quia sequitur: Ne dicas: Deus peccatorum meorum miserebitur.

7.Jacobus Tirinus in Commentar. quamvis statuat, *Ecclesiasticum utramque præsumtionis speciem hic reprehendere, nempe de propitiatione seu remissione peccatorum præteritorum, quasi certo certius obtenta,ac de certò obtinenda remissione peccatorum quantocunque numero patrandorum*: fateri tamen cogitur, Græcum textum,qui est originalis,ac Cornelium Jansenium nostræ interpretationi favere. *Hæretici,inquit, ne stultæ suæ præsumtioni noceat hic locus,legunt cum Græco,de propitiatione scilicet futura; & ita intelligit etiam Jansenius.*

Argum.4. Job.9.v.11,12,20,21,28.cap.31.v.14.*Ex his locis colligitur, Jobum dubitasse de sua salute,nec certitudine fidei de ea certum fuisse.* Alphonsus de Castro lib.7. adversus hæreses, verbo Gratia,hæresi 3. Bellarminus d.l. cap.5. Costerus in Enchir. cap.4.Rayhing.in Enchir.contra D.Hoe pag.454.

Resp. *Fiduciam justitiæ propriæ*, non autem *certitudinem gratiæ* excludunt hæc Jobi pronunciata, ut ostendit Vasquez tom.2.in 1.2.D.200.cap.5. & ex verbis ac serie textus manifestissimum.

Dictum Job.9.v.21. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*,Pagninus sic reddidit: *Consumtus sum,non novi animam meam.*

Argum.5.Psal.19.v.13.*Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me &c.* Bellarminus dicto loco,Rayhingius d.l.

Resp.Vasquez d.l.*Ambrosius Catharinus & Vega ex professo illos refellunt,qui ex verbis hisce Davidis,& præcedentibus Jobi verbis incertitudinem gratiæ probare volunt.*

(Cùm contrarium probari possit ex Psal.31.v.5.Psalm. 105.v.3.)

Argum.6. 1.Corinth.4.v.4. *Nihil mihi conscius sum,sed in hoc non sum justificatus.*

Resp.1.Vasquez dicto loco. *Ex hoc loco Pauli efficax argumentum desumi non posse ad probandam incertitudinem gratiæ,cum contrarium probari possit ex 2.Corinth.12.v.2.*

2.Bellar-

2. Bellarm. d. l. c. 8. ipsemet addit limitationem, neminem posse esse certum de salute, *nisi cui Deus id revelare dignetur.*

(Jam verò multi ex Pontificiis statuunt, *Paulum fuisse certum ex peculiari revelatione*, ut ostendimus paulo antè. Ac si cuipiam alteri, certè Paulo certitudo gratiæ, remissionis peccatorum, & salutis peculiaribus revelationibus fuit manifestata. Ergò, cum in illo dicto de se loquatur, non poterit ex eo dubitatio de gratia Dei stabiliri.)

3. Ambros. Cathar. ad hunc locum sic excipit: *Intelligendum eum esse non de justificatione coram Deo in foro conscientiæ interno, sed de justificatione coram hominibus in foro sanctimoniæ externo.*

(Quam tamen expositionem non approbamus, sed dicimus, Paulum nihil aliud velle, quàm quod operibus suis se coram Dei judicio justificari neget, quæ est omnium sanctorum communis confessio.)

4. Qui in Conc. Tridentino certitudinem gratiæ defendebant, ad locum 1. Corinth. 4. v. 4 respondebant, *eum pro se facere, si de justificatione esset accipiendus. Nam quod ait, se nullius defectus conscium, neque tamen idcircò justificatum, facilè inferat quis, illum alia via justificatum, quæ certitudinem confirmet. Verum autem verborum sensum esse, D. Paulum loquentem de defectu in munere Evangelii prædicandi, dicere, conscientiam non arguere eum alicujus omissionis; neque tamen adeo esse præsidentem, ut audeat dicere, se omnibus officii partibus satisfecisse, sed Deo omne arbitrium permittere.* Petrus Suavis lib. 2. Histor. Concil. Trident. p. 235.

Argum. 7. *Quædam dicta de gratia Dei & remissione peccatorum dubitanter loquuntur,* Daniel. 4. v. 24. Joel 2. v. 14. Jon. 3. v. 9. Actor. 8. v. 22. Bellarminus dicto loco cap. 6.

Resp. 1. Ipsi Pontificii fateri coguntur, *particulam fortè in quibusdam Scripturæ dictis non esse dubitativam, sed assertivam*, Proverb. 24. v. 18. Eccl. 5. v. 5. *ac particulam quis scit? esse bene sperantis*, patet ex 2. Sam. 12. v. 22.

Voculæ enim *forte, forsan, forsitan*, in vulgata versione, quæ Pontificiis authentica, usurpantur quandoque, ubi nulla dubitatio, sed firma & certa persuasio. Jos. 14. v. 12. dicebat Josua: *Forsitan Jehovah erit mecum, ut expellam filios Enakim.* Et tamen adeò non erat incertus, ut continuò subjiceret; *quemadmodum prædixit Jehovah*, uti revera prædixerat & citra dubitationem eventurum erat Num. 14. v. 24. 25. Sic Jonathan de Philistæis dicebat 1. Samuel. 14. v. 6. *Forte faciet Dominus pro nobis.* Et tamen adeò de victoria non dubitabat, ut eam certo etiam signo asseveraret, v. 10. Sic David certus erat, se Regem moriturum ex 2. Sam. 7. v. 10. nihilominus in exilio suo dicebat 2. Samuel. 16. v. 12. *Fortassis respiciet Jehovah ad afflictionem meam, & reducet me &c.*

2. Cornelius à Lapide in cap 32. Genes. pag 218. *Forsitan, id est, utique. Est enim τὸ forsitan non dubitantis, sed affirmantis & continuantis, uti est τάχα apud Homerum. Sic Christus inquit: Si me sciretis, forsitan, id est, utiq; & Patrem meum sciretis,* Joh. 8. v. 19.

3. Locum Dan. 4. v. 24. Benedictus Arias Montanus sic reddidit: *Ecce erit prolongatio paci tuæ.*

(Particula dubitandi posita quidem est in versione Græca & Latina, sed in textu Chaldaico est manifesta asseveratio.)

4. Idem Arias in utroq; loco Prophetico Jonæ 3. v. 4. & Joelis 2. v. 14. ita verba Prophetarum accepit, ut nihil planè faciant ad dogma Adversariorum. *Quis scit*, inquit, *si convertatur; ut id referatur ad homines*, concluditque, *omnem illam non dubitantis, sed spem facientis orationem esse apud Jonam. Et apud Joelem: Qui scit, non affert, sed prohibet dubitationem. Sic Chaldæus Interpres accepit.*

5. Sanctius & à Castro dicta Prophetica Jon. 3. v. 4. Joel. 2. v. 14. accipiunt *de mitigatione afflictionum aut castigationum, quas Deus suis, etiam post reconciliationem, immittit ad emendationem & probationem.*

(Cui expositioni favent sequentia. Apud Jonam, *& non evertamur*, videlicet juxta comminationem Prophetæ. Apud Joelem, *& relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Deo nostro!* In talibus autem fidelem dubium esse posse non negamus, quia nulla est absoluta promissio, exemtum iri temporalibus castigationibus, quem delicti pœnitet. Alia est ratio reconciliationis & remissionis peccatorum, de qua extat promissio, omnes in Christum verè credentes eam accepturos.)

6. Salmero tom. 1. Prolegom. 16 pag. 320 sic differit: *Forsan vel forsitan plerunque abundat, & non est adverbium dubitandi, nisi homine loquente, qui nescit, ut ait Augustinus tract. 37 in Johan. Ubi vero Deus loquitur, non est dubitantis, vel opinantis, sed sæpe capitur pro sanè, haud dubiè, prorsus certè, utique, & expletiva est particula ἄν, quæ verbis Græcis additur, juxta illud Psalm. 50. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique Et Psal. 54. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, ὑπήνεγκα ἄν, sequitur. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, ubi Græca pro forsitan habent eandem particulam ἄν, ἐκρύβην ἄν ἀπ' αὐτοῦ, abscondissem me utique ab eo. Dominus etiam apud Matthæum cap. 11. Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem. Et apud Johannem cap. 4. Si scires, inquit, donum Dei & quis &c. forsitan petiisses ab eo, pro eo, quod est, utique vel certè petiisses. Et infra cap. 5. Si crederetis Mosi, crederetis forsitan, pro utique, & mihi. Et inferius cap. 8. Si me sciretis forsitan & Patrem meum sciretis. In quibus tribus locis ἄν particulam expletivam ponit, non autem τάχα, vel ἴσως.*

7. Jacobus Tirinus Jesuita ad locum Joelis 2. v. 14. sic annotat: *Quis scit, si convertatur à decreto & sententia sua de pœna temporali per Chaldæos vobis infligenda? Licet enim certus sim, Deum pœnitentibus remissurum omnem offensam, quoad culpam & pœnam æternam, non tamen ausim pro indubitato idem asserere, quoad pœnam temporalem, quam justas ob causas sæpe non omnem remittit, ut patuit in Davide pœnitente 2. Reg. 12. v. 10. & tot aliis. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Ruffinus & Rupertus. Spero tamen, quòd serio conversis ignoscet etiam hanc temporalem pœnam &c.*

(Atqui libenter concedimus, de calamitatum temporalium sublatione non haberi eandem certitudinem, quæ de remissione peccatorũ & sublatiõe æternæ pœnæ potest haberi)

Argum. 8. *Quædam dicta monent, ut non simus nimium securi, quasi certissimus de justitia adepta*, Prov. 28. v. 14. 2. Cor. 10. v. 12. Phil. 2. v. 12. 1. Petr. 1. v. 17. 2. Petr. 1. v. 10. &c. *Si certitudo justificationis pendet ex operibus, utique non ex sola fide, ac proinde erit tantummodo conjecturalis*, Bellarminus d. l.

Resp. 1. Georgius Cassander in Consultat. artic. 4. de Justificatione pag. 916. *Rectè docet Enchiridion*, (Coloniense à Groppero Anno 36. editum) *loca illa divinæ Scripturæ, Beatus homo, qui semper est pavidus Prov. 28 Item: Cum metu & tremore vestram salutem operamini Phil. 2. non respicere justificationem, nec fiduciæ de misericordia Dei quicquam detrahere, sed respicere jam justificatos. Hi enim, si sentiant, se Dei beneficio innovatos, absit, ut posthac sibi vivant & suis viribus posthac legem implere contendant, quin potius suæ infirmitatis sibi conscii toti à gratia Dei pendebunt, & filiali timore semper solliciti esse debebunt, ne in vacuum gratiam Dei receperint, neve à gratia recepta sua injuria & arrogantia rursus cadant in priores sordes. In quam sententiam dixit Apostolus: In fide stas, noli altum sapere sed time &c.*

(Ergo hæc dicta requirunt timorem filialem, qui cum certitudine gratiæ consistit, & excludunt carnalem securitatem, non autem fiduciæ firmitatem & gratiæ certitudinem.)

2. Estius in 2. Corinth. 7. v. 15. ad verba, *cum timore ac tremore*, sic annotat, *id est, cum solicitudine metuentes, ne quid in vobis esset, quod eum offenderet.*

(Hæc expositio etiam accommodari potest dicto Apostolico Phil. 2. v. 12.)

Ibid. annotat, *per hæc verba significari solicitudinem operis cum metu offendendi.*

3. Ambrosius Catharinus, Antonius Marinarius & alii, qui in Concilio Tridentino certitudinem gratiæ propugnabant, ad dictum Apostolicum, *Cum timore & tremore operemini salutem &c.* respondebant, *phrasin esse Hebraicam, quæ ambigendi studium non adstruat, sed reverentiam; quod timorem & tremorem servi etiam deferant heris, quibus cari sunt & accepti.* Petrus Suavis lib. 2. Histor. Concil. Trident. pag. 235.

4. Quidam ex Pontificiis, ut ostendimus superius, docent, *Paulum per peculiarem quandam revelationem, adeoq; certitudine non conjecturali, sed infallibili, imò certitudine fidei fuisse de gratia DEI certum.*

Sed de hoc Apostolo sic scribit Gregorius Episcopus Romanus Epist. 186. quæ est libri sexti 22. ad Gregoriam cubiculariam Augustæ. *Certè Paulus Apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in Paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret, & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum & servituti subjicio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cœlum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur?*

(Quem locum Gregorii nobis opponit Cornelius à Lapide in Comment. Rom. 8. v. 16. Atqui si *timor filialis* in Paulo non pugnat cum *certitudine ex peculiari revelatione*, utique etiam

etiam timor filialis & præceptum, ut *cum timore & tremore salutem nostram operemur*, non pugnabit *cum certitudine infallibili* ex Spiritus Sancti testimonio in piorum animis orta.)

5. Cajetanus Cardinalis in Comment. Phil. 2. v. 12. agnoscit, Apostolum ibi non loqui *de timore Dei* immediatè, multò minus *de metu salutis*, sed de metu Philippensium, quem doctori & præceptori suo debebant.

Verba Cajetani sic habent: *Connexio verborum Apostoli: Itaque carissimi mei, sicut semper obedivistis, non in præsentia mea tantum, sed nunc multo magis in absentia mea, cum timore ac tremore salutem vestram operemini &c. ostendit, Apostolum loqui de tremore & reverentia fidelium erga se, tanquam Apostolum tam absentem, quàm præsentem, non de dubitatione præsentis gratiæ.*

6. Estius in Commentar. pro explicatione vocum timoris ac tremoris provocat ad dicta 1. Corinth. 2. v. 5. 2. Cor. 7. v. 1. & 11. Ephes. 6. v. 5. quæ nullum timorem de incertitudine salutis, sed reverentiam & timorem partim Deo, partim Superioribus exhibendum proponunt.

7. Salmero Disput. 5. in Epist. ad Philipp. §. Secundo modo, ex Chrysostomo Homil. 8. in hanc Epist. *Timor est futurorum malorum, tremor externus est & ad corpus se diffundit.*

Et postea. *Timorem peccandi exegit Paulus, qui ex virtute & caritate est, ideò alias monet: Si quis existimat, se stare, videat, ne cadat.*

(Intelligit ergò Apostolus metum de salute quoad perseverantiam ex parte hominis futuram, non quoad præsentem gratiam.)

Argum. 9. 2. Cor. 10. v. 18. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Dominus commendat. At certe, qui certitudine fidei sciret, se justum esse, posset utique se commendare, quia sine dubio minimè falleretur.* Bellarminus d. l.

Resp. 1. Bened. Justinianus in hunc locum sic commentatur: *Seipsum commendare is dicitur, qui suas laudes quasi suas celebrat, nec quicquam Deo bonorum omnium autori tribuendum putat.*

(At qui certus est, se per solam Dei misericordiam justum esse, nihil sibi tribuit, sed omnia gratiæ Dei.)

2. Cornelius à Lapide in hunc locum. *Sancti* (Ezechias Esa. 38. & Paulus 2. Corinth. 11. & 2. Timoth. 4.) *seipsos quidem commendant, sed omnem commendationem in Dei, Deiq; gratiam, quasi primam causam tacitè simul referunt, dicuntque: Gratia Dei sum id, quod sum. Secundò, hæc ipsorum sui commendatio non ab ipsismet, sed à Spiritu Sancto, qui per os illorum loquebatur, manabat, eisq; suggerebatur.*

(Idem verò de illis dici potest, qui justitiam suam in Dei misericordia & Christi merito unicè constituunt.)

3. Estius in hunc loc. *Sensus est: Non statim in veritate probatus est & gloria dignus, quisquis seipsum commendat. Multi enim commendant seipsos à bonis non suis, sed falsis aut alienis, sicut faciebant Pseudo-Apostoli. Multi quoque se commendant à suis, tanquam non aliunde acceptis, sicut Judæi & Pelagiani; sed ille demum probatus est, quem Deus commendat, id est, commendabilem ex iis, quæ verè per eum operatur, ostendit. Nam Deus, ut annotat Thomas, est causa totius boni operis per hominem facti. Vel, quem Deus commendat, i. e. cui Christus per meritū suū vere communicat ea, per quæ commēdatur*

(Atqui utrumque de illis, qui fide in Christum sese justos esse statuunt, dici potest, videlicet, quòd Christus per meritum suum verè illis communicet ea, per quæ commendentur, quodque ex iis, quæ Deus per ipsos operatur, commendabiles ostendantur. Ergò hic locus certitudini justitiæ per fidem & gratiæ opponi nequit.)

Argum. 10. *Scriptura hortatur omnes fideles ad timorem. Rom. 11. v. 20. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. 1. Corinth. 10. v. 12. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Apoc. 3. v. 11. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Resp. Ipsimet Pontificii concedunt, quosdam ex peculiari revelatione fuisse certos de Dei gratia: At hi servire potuerunt & servierunt Deo in timore. Ergò hic timor non opponendus est certitudini gratiæ.

(Timor filialis & fiduciæ certitudo non sunt pugnantia, sed subordinata.)

Argum. 11. Philipp. 3. v. 11. *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.*

Cornelius à Lapide ad hunc locum sic annotat: *Nota contra fidem specialem Novantium incertitudinem gratiæ & perseverantiæ, hanc enim significat conjunctio SI, quæ dubitantis est.*

Similia occurrunt apud Benedictum Justinianum.

Resp. 1. Idem Cornel. in Comment. Eph. 3. v. 2. sic scribit: *Si tamen, non dubitantis est, sed asseverantis;* & Eph. 4. v. 21. *Vocula Si non est dubitantis, sed affirmantis hoc loco, ut & 2. Thessal. 1. v. 6.*

2. Salmero Disput. 6. in Epist. Philipp. tom. 15. pag. 306. ad hunc locum sic annotat: *Cum ait: si quo modo occurram, non est verbum dubitantis, sed modestè de se loquentis; nemini enim esse dubium debet, configuratum morti Christi configurandum iri vitæ ejus, quæ est æterna. In eo autem dubitatio cadere potest, si illa configuratio cum Christo in hoc stadio & cursu possit cessare per negligentiam vel ingratitudinē. Nam scriptū est: Si quis se existimat stare, videat, ne cadat; & rursus: Ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Et insinuatur hoc falsum in Paulo fuisse, cui salus fuerat revelata.*

3. Hoc argumentum Salmeronis est evidens, *Paulus per peculiarem revelationem de sua salute erat certus*, ut plerique Pontificii statuunt. Ergò particula εἴπως hoc loco non potest esse dubitantis.

CAPUT VI.

De Bonorum Operum necessitate.

Thesis prima. In Ecclesiis Evangelicis non negatur bonorum operum necessitas, multò minus bona opera prohibentur.

Ἔκθεσις. Inter alia ἐγκλήματα, quæ Pontificii nostris intentant Ecclesiis, non postremum est illud, *quod bonorum operum necessitatem à nobis negari, studium eorum labefactari, quin & bona opera à nobis prohiberi* calumniantur. Ut igitur ab hoc crimine nos liberemus, contrarium ex ipsorummet Confessione demonstrandum erit.

Antithesis. Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 1. *Quicquid sit de modis loquendi ipsorum* (Lutheranorum) *cum excutiuntur ipsorum principia & pleraque dicta & scripta Lutheri, videntur omninò existimare, posse hominem salvari, etiamsi nulla bona opera faciat, nec mandata divina custodiat.*

lib. ejusd. c. 8. cum perditissimis hæreticis *Simone Mago & Eunomio* nos comparat *propter negatam operum necessitatem.*

Jesuitæ Colonienses in Censura pag. 169. asserunt, *Evangelicos sua doctrina frena ad omnem impietatem laxare & facultatem flagitiosis hominibus facere, quævis etiam scelera, quò plures in suam sententiam pertrahant, committendi.*

Ibid *Non dubium, quin pessimè sibi conscii, metuant, ne, si operibus vitam illam cœlestem homines promereri dicerentur, tā sibi, quam suis asseclis ab omni pietate alienissimis nullus illic relinqueretur locus.*

Stapletonus in Promt. morali Domin. Septuag. p. 318. *Apud horum temporum hæreticos* (Lutheranos) *omnis pietas, justitia, virtus, timor Dei, religio, non exulat tantum & jacet, verum etiam exploditur & irridetur. Quod enim de gentibus nullam futuræ gloriæ spem habentibus Paulus scribit, hoc illis accidit, desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.*

Gregorius de Valentia in anal. p. 213. *Apud Lutheranos ita sunt omnia comparata, ut in eorum religionis ratione vix aliquod Christianæ disciplinæ signum reliquum sit, quo eos ab Ethnicis nullâ veri Dei cognitione imbutis, discernere queas.*

Caspar Ulenbergius de causis apostas. cap. 5. & Leonhardus Lessius in Consult. pag. 18. vocant nos *Opericidas*.

Pazmannus lib. 3. Hodegi sic scribit: *Lutherani, quicquid ad bonum nos incitare possit, radicitus subvertunt; quicquid retrahere potest à bonis operibus, acriter urgent; quicquid à peccatis abstrahere potest, id omne seponunt.*

Becanus conclus. 4. de Eccles. reform. n. 22. *Lutherum damnare bona opera* asserit.

Gretserus in Agonist. th. 219. pag. 241. & 244. *omnia bona opera simpliciter à nobis repudiari* scribit.

De Luthero scribit Justus Baronius in Pseudojubil. *Non solum tale doctrinæ genus de solius fidei absq; operibus justificatione in vulgus sparsit, quo tanquam Epicuræa tuba omnes à sanctitate ad licentiam ac profanitatem avocati convolarunt: verum & de ipsis operibus bonis tam contemtim ac perniciosè locutus est, ut nihil aliud, nisi escam impietatis proponere hominibus voluisse videatur.*

Johannes Rasch Viennensis Astrologus. *Lutherani adulteria & alia scelera adeò fovent, & illis patrocinantur, ut multò tutius & excusabilius sit, esse Turcam, quam Lutheranum.*

Majerus in octo controvers. in præfat. pag 4. *Quando Lutherani simulant subinde, se commendare bona opera, legisq; observationem, patet, quod tunc non loquantur juxta propriam animi sui sententiam, sed quod hoc tantum eo fine proferant, ut faciant fucum plebeculæ, ne scilicet ob istam solam suam fidem, destitutam omni verò bono opere & permittentem habitare secum omne scelus, illudq; etiam velantem, seu (quomodo ipsi loquuntur) tegentem, proclamentur quales sint, nimirum eversores omnis veræ custodiæ legis divinæ & humanæ, omnisq; studii verè sanctæ actionis.*

Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 8. cap. 5. *Ut æternam salutem consequaris & jus sanctus, ajunt omnes Protestantes, nihil est necesse boni aliquid velis, moliaris aut facias. Christo fidas, impune quidvis audeas & ad exitum perducas.*

Hadrianus Jungius de doctrina, moribus & fructibus Evangelicorum. *Quocunq;* (dicit ad Lutheranos) *in loco vestigium ponitis, cernitur repente major flagitiorum licentia, minor ad omne facinus verecundia; multò audacius temeritas, impudentia, libido volitat: intolerabilis superbia & arrogantia magis, quam ante confirmatur, prisca religio atque sanctitas in contemtum adducitur; pudor, metus, diviniq; judicii formido labascit ac imminuitur; contentiones & dissidia augentur; denique multorum scelerum colluvies, vel saltem horum scelerum malorumq; incrementa cum ista nova vestra disciplina importantur.*

Balthasar Hagerus in Collat. August. Confess. & Concil. Trident. cum verbo Dei art. 20. §. 4. pag. 222. *Bona opera ex Confessionistarum judicio sunt peccata sua Natura mortalia, Dei solum misericordia venialia, igitur prohibent bona opera.*

Similia occurrunt apud Bellarminum in Judic. de libro Concord. mendac. 7. Campianum rat. 8. Fridericum Staphylum advers. turr. Babylon. Lutheri pag. 45. Heisium in refutat. volum. Acatholici art. 2. pag. 13. Prateolum in Elench. hæretic. lib. 10 pag. 286. Jacob. Rayhing in Muris Civit. sanctæ fundam. 3. pag. 69. & fundam. 8. p. 193. Delrio in suo Mariano Polemic. 3. p. 847.

Liberat nos ab hoc crimine 1. Ecclesiarum nostrarum doctrina. 2. Praxis.

Docemus enim 1 quòd fides illa, qua justificamur, sit efficax per caritatem & demonstret se per bona opera. 2. Quòd tam non possit separari à bonis operibus, quàm lux à Sole, vel calor ab igne 3. Quod justificatis & renatis nulla à Deo detur peccandi licentia, sed quòd hæc sit seria & immota Dei voluntas, ut ipsi in bonis operibus serviamus.

August. Confess. artic. 6. *Docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera mandata à Deo facere.*

art. 20 *Docent nostri, quod necesse sit bona opera facere.*

Apolog. Confess. sub tit. resp. ad argum. Adversar. *Facienda sunt bona opera propter mandatum Dei Item ad exercendam fidem. Item propter confessionem & gratiarum actionem. Propter has causas necessariò fieri debent bona opera.*

Ibid. *Nos sentimus ac docemus, bona opera necessariò facienda, debet enim sequi fidem inchoata legis impletio.*

Ad praxin pertinent 1. *Conciones*, in quibus proponitur & urgetur lex divina, repetuntur promissiones & comminationes, exempla pœnarum & præmiorum in Scripturis proposita, quibus Ministri Ecclesiæ homines excitant, hortantur, invitant, adeoque impellunt ad bona opera, ac causæ longè gravissimæ inculcantur, propter quas studium bonorum operum sit necessarium. 2. *Disciplina Ecclesiastica*, ad quam pertinet *excommunicatio*, tum *minor*, per quam à communione Eucharistiæ arcentur, qui in peccatis securè pergunt; tum *major*, per quam ex communione Ecclesiæ notorii & impœnitentes peccatores ejiciuntur. 3. *Supplicia*, quæ Magistratus facinorosis irrogat.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam fatentur, operum necessitatem à nobis haudquaquam negari.

Georgius Cassander in Consultat. artic. 4. de Justificat. pag. 916. *Quod Protestantes passim urgent, sola fide nos justificari, tolerabilius est &c. cum ab hac fide non excludunt penitentiam, timorem Dei, fiduciam, dilectionem, denique obedientiam erga legem Dei propositam.*

Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 9. hæresi 1. §. Lutherus &c. *Brentius & alii quidam dicunt, opera bona esse necessaria, tanquã effectus fidei; sed posita ista necessitate, docent, opera non mereri ullo modo vitam æternam, etiamsi Deus ea requirat, tanquam fidei testimonia.*

Idem lib. 3. de Justificat. cap. 6. §. Hæc & similia &c. *Adversarii* (Lutherani) *tametsi dicant, remissionem non pendere à conditione operum, neque pœnitentiam, aut fidem, aut ullum actum nostrum esse causam aut meritum justificationis, tamen non negant, requiri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam & pœnitentiam seriam, & sine his neminem justificari.*

Idem lib. 4. de Justificatione cap. 1. §. 1. *Non desunt* (inter moderatiores Pontificios) *qui clament, injuriam fieri Lutheranis, cum dicuntur opera bona, tanquam non necessaria ad salutem contemnere. Nam Confessio ipsa Augustana artic. 20. falsò dicit accusari suos, quod bona opera negligant vel prohibeant. Philippus quoque Melanchthon in Locis, Brentius in Catechismo, Chemnitius in Examine Concilii sess. 6. prope finem, & ipse etiam Lutherus in libr. de Visitatione Saxonica docent, opera bona esse facienda, & aliquo modo indicant esse necessaria, cum affirmant, veram fidem non esse, quæ non parit bona opera, & quæ caritatem comitem non habet.*

Idem lib. ejusdem cap. 5. §. Dicent &c. *Videtur Lutherus docere, libertatẽ Christianã in eo consistere, quod pia conscientia libera sit ab omnibus operibus non faciendis sed accusantibus & defendentibus.*

Idem lib. ejusd. cap. 7. *Adversarii in eo conveniunt, ut* (quod) *opera bona non sint necessaria ad salutem, nisi necessitate præsentiæ; cujus propositionis hic sensus est, ut* (quod) *opera bona fieri debeant, quia alioqui fides non esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis non est ignis, nisi calefaciat, tamen opera bona non habeant ullam relationem ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones &c.*

Vega lib. 15. de Justificatione cap. 5. *Protestantes justificationem & sanctificationem tam conjunctas, tamque cohærentes esse asseverant, ut non possit alterum ab altero divelli.*

Gregorius de Valentia tom. 2. Disp. 7. quæst. 6. pag. 991. refert, *Lutherum contra Antinomos apertè disputasse, quod Christianis bona opera sint necessaria.*

Rayhingius fundam. 8. Civit. sanct. pag. 197. *Plerique Lutherani bona opera ad salutem esse necessaria asserunt*

2. Quod agnoscunt, à nobis doceri, veram fidem non posse sine operibus bonis existere, vel ab illis separari.

Georgius Cassander dicto loco adducit dictum Philippi in argumento Epist. Rom. & Coloss. *Fides nil est sine pœnitentia, nisi inane somnium.*

Et postea. *Illud autem accuratè observetur, si sola fide apud populum homo justificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem, tametsi solam justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessariò pœnitentiam & vitæ melioris propositum adjunctam habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam imaginem fidei pro solida & expressa fide amplectamur. Providit hoc quoque Lutherus in Visitatione Saxonica. Multi* (inquit) *dum audiunt, ut solummodo credatur, omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem & putant, se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi. Hujusmodi autem carnalis securitas pejor est omni errore, qui ante hoc tempus unquam fuit.*

Bellarminus lib. 1. de Justificat. cap. 3. §. Primum igitur &c. *Dissentimus ab illis* (Lutheranis) *quod ipsi fidem, quam dicunt, solam justificare, docent nunquam posse esse solam.*

lib. ejusdem cap. 10. §. Adde &c. *Adversarii negant, fidem esse veram, nisi sit viva & fructus bonorum operum pariat.*

Idem lib. 4. de Justificatione cap. 1. *Dicent fortasse*, (Lutherani) *mala opera non posse cum fide consistere, quia qui habet propositum peccandi, non potest concipere fiduciam remissionis peccatorum, & ideò vera fides semper est cum caritate conjuncta &c.*

Toletus in Comment. Johan. 13. annot. 6. *Nostri temporis hæretici* (Protestantes) *docent quidem, fidem ad salutem sufficere, negant tamen, fidem illam sine operibus esse posse.*

Vega lib. 9 de Justificatione cap. 7. *Protestantes ad unum omnes dicunt, fidem, quæ justificat, & vivam & operantem per caritatem, aliaque bona opera.*

Stapletonus in Antidot. Rom. 1. v. 17. *Non enim justificat, imò ne fides quidem est juxta Bezæ verba, quæ bonis operibus caret.*

Ibidem ex verbis Bezæ sic argumentatur: *Si ad salutem necessaria est fides, & fides nulla est, quæ bonis operibus caret, manifestè sequitur, quod bona opera sint ad salutem necessaria.*

(At cum Beza in hoc doctrinæ capite omnes Protestantes consentiunt.)

Maldonatus in cap. 3. Joh. v. 15. *Dicunt Protestantes, fidem justificantem non posse esse sine bonis operibus.*

3. Manifestissima Lutheri dicta tomo 4 Lat. Jen. pag. 165. *Æquè necessarium est, ut pii Doctores tam diligenter doctrinam de bonis operibus urgeant, quàm doctrinam de fide. Satan enim utrique infensus est & acerrimè resistit, fides tamen primùm plantanda est, sine ea enim impossibile est intelligi, quid bonum opus sit, quid Deo placeat*

P. 109. *Extra causam justificationis nemo potest bona opera à Deo præcepta satis magnificè commendare. Quis enim vel unius operis, quod Christianus ex fide & in fide facit, utilitatem & fructum satis prædicare potest? Est enim preciosius quàm cælum & terra, ideò neque totus mundus in hac vita potest dignam mercedem reddere vel pro uno tali bono opere, neque mundus hanc gratiam habet, ut bona opera piorum magnifaciat, multò minus, ut ea compenset.*

In lib. de vot. Monast. *Opera legis divinæ in Decalogo mandata non justificant, nec sunt necessaria ad salutem & justitiam, cum Pau-*

lus

lus dicat: Ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Tamen necessaria sunt, neque omitti possunt, etiam præsente fide, quæ sola justificat, cum sint fructus fidei justificantis.

In lect. in feriis Johannis Evangelistæ. *Fides, tanquam Johannes, pectus Christi possidet; bona opera, velut Petrus, Christum sequuntur. Ita tamen fidem & opera intelligamus, ut in nullo homine separentur, sic ut neutrum sine altero esse possit.*

Ibid. *Bona opera nequaquam prohibemus, sed falsis bonis operibus conscientias solvimus, non ut homines licentiâ diffluant, sed ut Christo vero Domino adducti & subjecti sincerè bonis operibus studeant.*

Argum. Bellarmini & aliorum.

1. *Lutherus in libr. de libert. Christiana scribit, Bona opera non faciunt bonum virum, nec mala malum. At si bona opera non faciunt bonum hominem, quare non possint omitti?*

Resp. idem sibi vult Lutherus, quod Bellarminus, quando lib. 2. de justif. cap. 16. respondens ad dictum 1. Joh. 3. *Qui facit justitiam, justus est*, inter cætera sic disserit: *Hoc testimonium non docet, quid faciat hominem formaliter justum, sed unde possit cognosci, an aliquis sit justus. Ille enim justus est, qui justitiam facit, sicut ille vivens est, qui movetur, & illa est arbor bona, quæ fructus facit bonos, nec ideò vivit aliquis, quia movetur, sed contra ideò movetur, quia vivit; & ideò facit fructus bonos, quia est arbor bona. Sit igitur, qui facit justitiam justus est, sed non ideò justus quia facit justitiam, sed ideò justitiam facit, quia justus est.*

2. Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de Bapt. scribit. *Vides quàm dives sit Christianus homo vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas.*

Alphons. de Castro lib. 7. adv. hæreses verbo Fides. hæresi 2. cum hunc Lutheri locum adduxisset, subjungit: *O vocem impiã & totius nequitiæ fomentum! O serpentis sibilum venenatum.*

Censura Colon. Dial. 1. p. 169. *Lutherus quondam nulla prorsus flagitia quenquam ab æterna salute excludere, præter infidelitatem, docebat, quia nihil gratius fore sciebat, quàm si impune liceat in quævis ruere flagitia.*

Resp. idem Lutherus in lib. contra Regem Angliæ tom. 2. Jen. Germ. f. 144. mentem suam sic exponit: *Qui credit, non potest adulterium vel aliud peccatum committere, quemadmodum Johannes ait, nam verbum Dei, à quo dependet, est omnipotens Dei virtus, quæ sustentat ipsum, ne cadat. Si verò labitur & peccat, jam certò fides est deperdita & infidelitas successit. Ubi autem infidelitas est, ibi & fructus ejus, adulterium, homicidium, odium &c. Ergo priusquam externa peccata perpetrantur, jam capitale peccatum infidelitas adest. Verissimum itaque est, nihil peccatum esse quàm infidelitatem, ea & peccatum est & peccatum facit. Et si infidelitas ab odio vel alio peccato separari posset, certè odium peccatum non esset. Quemadmodum ergo sola fides justitia nostra est & justa operatur: ita infidelitas solum peccatum est.* Confer tom. 7. fol. 185.

Nimirum per τὸ credere Lutherus non intelligit externam fidei Catholicæ professionem, sed fiducialem apprehensionem meriti Christi & certam de remissione peccatorum fiduciam. Hæc vera fides non est absque vera pœnitentia. Ubi autem vera pœnitentia, ibi homo peccatum detestatur ac deserit; non autem in peccatis contra conscientiam pergit.

3. Lutherus in cap. 2. Galat. scribit: *Quando sic docetur, fides in Christum justificat quidem, sed simul servari oportet mandata Dei, ibi statim Christus negatus est, & fides abolita, quia mandatis seu legi tribuitur, quod est solius fidei.*

Resp. idem Lutherus in lib. de votis Monasticis mentem suam sic explicat: *Opera legis divinæ in Decalogo mandata non justificant, nec sunt necessaria ad justitiam & salutem, cum Paulus dicat, ex operibus legis non justificabitur omnis caro, tamen necessaria sunt, dicente Christo, si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Neque enim omitti possunt, etiam præsente fide, quæ sola justificat, cum sint fructus fidei justificantis.*

Idem in Comm. cap. 5. Galat. *Difficile est & periculosum, docere, nos fide justificari sine operibus, & tamen simul exigere opera. Hic nisi sint prudentes dispensatores mysteriorum Dei, qui rectè secant verbum veritatis, statim fides & opera confunduntur. Uterque locus & fidei & operum diligenter doceri & urgeri debet, sic tamen ut uterque intra suos limites maneat, alioqui si opera sola docentur, ut in Papatu accidit, fides amittitur; si fides sola docetur, statim somniant carnales homines, opera non esse necessaria.*

4. Lutherus in lib. de Missa: *Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus & operibus bonis, tantum attendamus Dei promissionem & fidem.*

Resp. idem Lutherus in cap. 3. Galat. mentem suam clarissimè exponit, quando distinguit inter *opus per se, quod sine opinione justitiæ coram Deo nihil obsit, & fiduciam ac opinionem justitiæ operi adjectam.*

(Ergò non absolutè & simpliciter cavenda opera dicit, ut negligantur, sed certo respectu, ne justificationis meritum illis tribuatur, ac fiducia in ea collocetur.)

5. Lutherus tom. 2. Witteb. contra Latomum f. 254. scribit. *fortiores esse cogitationes malas piorum quam impiorum, non tamen polluere, non damnare, quia licet utrobique idem sit peccatum, pii tamen antidotum habent, impii non habent.*

Resp. in eodem libro contra Latomum tom. 2. Jen. Lat. f. 406. mentem suam clarissimè exponit, videlicet *pios à Diabolo fortius ad peccandum instigari quàm impios, cum impii utpote à Diabolo jamdum plenè captivati sponte ruant ex uno peccato in aliud pii vero cogitationibus tantum malis, quas tamen in actum non deducunt, tenentur. Sed quo minus hæ malæ cogitationes eos damnent, Deum providisse eis duo robustissima munitissimaq; firmamenta: Primum ipsum Christum propitiatorium, ut sub hujus gratia tuti sint, non quia credunt & fidem aut donum habent, sed quia in gratia Christi habent. Nullius enim fides subsisteret, nisi in Christi propria justitia niteretur & illius protectione servaretur. Alterum est, quod dono accepto non ambulant secundum carnem nec obediunt peccato &c. Sed prius illud principale & robustissimum est.* Hæc ibidem Lutherus.

6. Lutherus scribit, *non alia via homini cum Deo convenire posse, quàm per fidem, opera ipsum nihil curare; Item bona opera liberè facienda esse.*

Resp. Bellarm. lib. 4. de Justif. c. 5. *Videtur Lutherus docere libertatem Christianam in eo consistere, quod pia conscientia libera sit ab omnibus operibus, non faciendis, sed accusantibus & defendentibus.*

Hanc explicationem suppeditant ipsa Lutheri verba in libr. de votis Monast. *Libertas Evangelica*, inquit, *est libertas conscientiæ, qua solvitur conscientia ab operibus, non ut nulla fiant, sed ut in nulla confidat.*

ibid. *Pia conscientia dictat, peccasti. Responde, peccavi. Illa, ergo lex te damnabit. Responde, quid mihi cum lege? quia habeo Christum liberatorẽ, quia nulla est condemnatio iis, inquit Apostolus, qui sunt in Christo Iesu, qui non ambulant secundum carnem sed secundũ Spiritũ.*

Idem in cap. 4. Gal. *Christus spiritualiter nos a lege liberavit, non frangendo aut tollendo legem, sed cor nostrum mutat & legem ita delectabilem facit, ut cum gaudio & delectatione novus homo in ea exerceatur.*

7. Lutherus in assert. art. 31. scribit, *opus bonum esse mortale peccatum secundum justitiam Dei.*

Resp. 1. Gregorius Episcopus Rom. in c. 9. Jobi. *Sanctus Job videbat omnia opera nostra esse mera peccata, si judicantur à Deo.*

2. Lutherus in cap. 5. Galat. *Extra causam justificationis nemo potest bona opera satis magnificè commendare. Quis enim vel unius boni operis, quod Christianus ex fide & in fide facit, utilitatem & fructum satis prædicare potest? est enim preciosius quam cœlum & terra.* Confer tom. 2. Jen. Lat. 309.

3. *Bona opera esse peccata*, Lutherus non asserit simpliciter, sed certo respectu. Sic enim habent verba art. 32. *Omne opus bonum, etiam optime factum, est mortale peccatum, in rigido Dei judicio consideratum.*

art. 35. *Nemo dubitet, omnia bona opera nostra esse peccata mortalia, si secundum rigorem judicii divini æstimentur, & non ex mera Dei gratia pro bonis æstimentur.*

art. 36. *Justus in bono opere peccat mortaliter.*

(Bona opera non dicuntur à Luthero *formaliter & suâ Naturâ* peccata, multò minus *mortalia peccata*, sed *secundum quid & certo respectu*, quatenus scil. sunt adhuc imperfecta, & quatenus à reliquiis peccati in carne adhuc hærentibus contaminantur, unde non possunt rigorem legis & justitiæ divinæ sustinere, si districto Dei judicio, remota misericordia, examinanda essent. Inde notanter dicit Lutherus, *justum in omni opere bono peccare.* Non dicit, justum omni opere bono peccare, sed in omni opere bono peccare, eò ipso satis manifestè declarans, quòd non bona opera, sed aliquid iis adhærens sit peccatum. Idipsum in exegesi illius articuli latius explicat, inter cætera sic disserens: Obsecro, qui *universas nostras justitias immundas* dicit (quod facit Esaias cap. 64. v. 10.) nonne omne opus bonum peccato pollutum asserit?

8. Lutherus scribit, *ubi fides adest, ibi peccata nihil nocere.*

Resp. idem Lutherus in artic. Schmalcald. mentem suam sic exponit: *Necesse est scire & docere, quando sancti labuntur in*

mani-

manifesta peccata, ut David, quod tunc amissa fuit fides & amissus Spiritus Sanctus. Nam Spiritus Sanctus non permittit peccatum dominari, ut perficiatur, sed repugnat; quando verò peccatum facit quod vult, tunc non adsunt Spiritus Sanctus & fides.

9. Lutherus in cap. 2. Galat. *Sola fides necessaria est, ut justi simus, cætera omnia liberrima sunt, neq; præcepta neq; prohibita.*

Resp. 1. idem Lutherus in cap. 3. Genes. *Habet libertatem homo non talem, ut si Deus præceperit, possit illud facere vel non. Quod enim ad præcepta Dei attinet, non est homo liber, sed debet obedire voci Dei, aut sustinebit sententiam illorum. Libertas autem est illorum, quæ Deus non præcepit in externis functionibus.*

(Loquitur ergò d. l. non de operibus, quæ ad legem moralem pertinent, sed de rebus Ceremonialib. Natura sua indifferentibus, nisi accedat casus scandali.)

2. Idem in lib. de votis Monast. *Quicquid non est mandati divini, abrogatum est & libertate donatum. Evangelica libertas, non est posse omittere mandata Dei, sed est libertas conscientiæ, qua solvitur conscientia ab operibus, non ut nulla fiant sed ut in nulla confidat.*

3. Idem in cap. 3. Galat. *Abutuntur lege primum omnes hypocritæ & justitiarii, qui somniant, homines lege justificari. Deinde abutuntur lege, qui Christianos prorsus ab ea absolvere volunt, ut Sectarii tentabant, & illa occasione seditionem rusticorum movebant; & hodie multi ex nostris etiam somniant, libertatem Christianam esse carnalem licentiam faciendi quidvis. Tertiò abutuntur etiam lege, qui terrores ipsius sentientes non intelligunt, eos tantum durare debere ad Christum.*

4. Idem in præfat. Epist. Rom. *Libertas sive liberatio à lege non est carnalis libertas nihil faciendi, sed est spiritualis libertas, quæ non tollit legem, sed id quod à lege requiritur donat & præbet, ut scil. cum delectatione & dilectione, sine coactione legali, bona faciamus.*

5. Idem in lib. de libert. Christ. *Non liberi sumus per fidem in Christum ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est, à stulta præsumtione justificationis per opera requisita.* Confer dicta superius ad argum. 6.

10. Lutherus docet, Baptismum liberare nos ab obedientia divinæ legis, lib. de libert. Christiana. *Nullo opere, nulla lege Christiano homini opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege.*

Resp. intelligit ad justificationem non esse opus nobis operibus aut lege, cum fide simus justi & à legis damnatione liberi. Non autem dicit, obedientiam legis renatis non esse necessariam, sed eam ubique urget.

Thesis secunda. Quamvis opera dicamus esse necessaria, negamus tamen ea necessaria esse ad salutem efficiendam.

Ἔκθεσις. 1. Duplex potest statui operum necessitas. *Præsentiæ* nimirum & *efficientiæ*. Illa significatur duntaxat, necesse esse eum, qui salvandus sit, benè operari; hæc verò aliquid amplius, videlicet etiam causa illius necessitatis, nempe quòd bona opera *ad salutem efficiendam* necessaria sint. Nos priorem tantum necessitatis sive speciem, sive modum asserimus, Pontificii verò utramque.

2. Distinguendum est inter opera *externa & interna*. Opera externa necessaria esse in illis, qui statim post perceptum Baptismum ex hac vita decedunt, negamus interim tamen opera interna, videl. interiorem renovationem ipsis necessariam esse docemus, cum Baptismus sit *lavacrum regenerationis & renovationis* Tit. 3, v. 5. interiorem autem renovationem ad operum classem referendã esse docet Apostolus, quando hominem *fide sine operibus legis justificari* pronunciat Rom. 3. v. 27.

3. Alia necessitas est *βιαστικὴ violentiæ*, alia *προστακτικὴ, ἡγεμονικὴ καὶ κυριευτικὴ præceptionis*, quæ ἀβίαστος est. Priore sensu bona opera non sunt necessaria, quia proficiscuntur à Spiritu spontaneo, sed tantum posteriore. Augustinus in Psal. 77. *Non tanquam ex necessitate, sed voluntariè legibus Dei serviunt.* Damasc. lib. 4. orth. fid. cap. 20. *ἀβίαστον εἶναι φύσει τὸ καλόν.*

4. Id ipsum Dn. Chemnicius part. 3. Locor cap. de bon. operibus q. 4. p. 49. paulò plenius sic effert: *Scriptura necessitatis vocabulo quatuor potissimum modis utitur, quantum quidem ad hanc quæstionem attinet;*

Primò pro eo, quod tanquam ad justitiam & salutem necessarium exigitur. Act. 15. v. 5. Galat. 2. v. 4. cap. 6. v. 12.

Secundò, vocula necessitatis in quibusdam Scripturæ locis significat vel coactionem vel involuntarium aliquid, quando vel ab invitis, vel ab involuntariis præter animi sententiam aliquid externi operis extorquetur. 2. Cor. 9. v. 7. ad Philem. v. 14.

Tertiò, utitur Scriptura vocabulo necessitatis pro eo, quod non est adiaphorum seu arbitrarium, sed debitum ratione mandati & voluntatis divinæ. Act. 14. v. 46. cap. 15. v. 21. Rom. 13. v. 5. 1. Cor. 9. v. 16.

Quartò, sæpius generaliter usurpatur pro necessitate consequentiæ, quam vocant immutabilitatis, Hebr. 7. v. 12. Item pro eo, quod certas & graves causas habet, cur non sit omittendum, sed faciendum. Phil. 1. v. 24. Quamvis bona opera non sint necessaria dicenda primo & secundo modo, tamen tertio & quarto modo sunt necessaria.

5. Bona opera dicimus esse necessaria non solum *necessitate interna*, quia vera & viva fides non est sine bonis operibus, quam rationem solam hujus necessitatis à nobis tradi dicit Bell. 1. de justif. c. 7. sed etiam propter *necessitatem externam*, mandati sc. divini, quod jubet bonis operibus studere.

Antithesis. Bell. lib. 4. de Justif. cap. 7. §. 2. *Adversarii in eo conveniunt, ut (quod) opera bona non sint necessaria ad salutem, nisi necessitate præsentiæ, cujus propositionis hic est sensus, ut (quod) opera bona fieri debeant, quoniam alioqui fides non esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis non est ignis, nisi calefaciat, tamen opera bona non habeant ullam relationem ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones &c. §. 3. Nos contra dicimus, bona opera homini justo esse necessaria ad salutem, non solum ratione præsentiæ sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt salutem & sine ipsis sola fides non efficit salutem.*

Nostram sententiam probamus.

1. *Ex Apostolica disputatione.* Rom. 3. & 4. Gal. 2. Ephes. 2. Apostolus in propria sede doctrinæ de justificatione justitiam & salutem conjungens, ex sententia Mosis & Davidis, hoc est, legis & omnium Prophetarum, pronunciat, *nos justificari & salvari gratis fide, sine operibus; beatitudinem esse illius hominis, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus; beatum esse eum, cui non imputat Deus peccatum, gratiâ nos salvari per fidem, & hoc non ex nobis, Dei hoc esse donum, non ex operibus, ne quis glorietur.* Sed Apostolicis hisce pronunciatis directè adversatur, si opera ad salutem efficiendam statuuntur esse necessaria.

2. *Ex legis & Evangelii distinctione.* Justificatio & salus *non est ex lege, sed ex Evangelio.* Gal. 3. v. 11. & 21. cap. 5. v. 4. Jam verò Evangelium proponit justitiam & salutem credentibus in Christum gratis sine conditione operum Rom. 4. v. 5. & 6.

4. *Ex sufficiente enumeratione.* Si bona opera essent necessaria ad salutem efficiendam, vel *meriti* vel *causæ* rationem haberent in salutis negotio. Atqui non sunt merita nostræ salutis, ut suo loco inferius demonstrabitur; nec sunt causa efficiens vel instrumentalis nostræ salutis, quia gratia Dei, remissio peccatorum, justitia & vita æterna in solo Christo Mediatore nobis proponitur, illum verò non apprehendimus nostris operibus, sed sola fide. Joh. 3. v. 36. 1. Joh. 5. v. 11. nec sunt causa conservans salutis, quia salutis conservatio in Scripturis non tribuitur operibus nostris, sed virtuti Dei & fidei 1. Petr. 1. v. 5. & 9. Rom. 11. v. 20. Marc. 16. v. 16.

4. *Ex absurdorum consecutione.* Si opera statuuntur ad salutem efficiendam necessaria, promissiones Evangelii non amplius relinquuntur gratuitæ, sed conditionem operum includere dicuntur; incerta redditur promissio salutis, cum conscientiæ pavidæ ac sensu iræ divinæ perterrefactæ perpetuò dubitare cogantur, num sat bonorum operum habeant, quibus salutem efficere possint Act. 15. v. 24. aliæ justificationis & salutis constituuntur causæ, vel certè plura ad justificationem requiruntur, cum tamen in propria sede doctrinæ de justificatione eædem causæ & justificationis & salutis statuantur, utpote gratia Dei & meritum Christi Act. 4. v. 12. cap. 15. v. 11. fides 1. Petr. 1. v. 5. non opera Ephes. 2. v. 8. 2. Tim. 1. v. 9. Tit. 3. v. 5.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, solam fidem justificare.

(Si enim sola fides justificat, utique opera non sunt necessaria ad salutem efficiendam. Connexio probatur ex ipsis Bellarmini verbis lib. 4. de Just. cap. 7. §. 3. *Nos, scil. Romano-Catholici, dicimus, bona opera homini justo esse necessaria ad salutẽ, non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt salutem & sine ipsis sola fides non efficit salutem.*)

Dicta illa enumerata sunt superius cap. 3. thesi. 1.

2. Quod ipsimet Pontificii agnoscunt, bona opera non esse absolutè & simpliciter omnib. salvandis necessaria.

(Si enim opera essent necessaria ratione efficientiæ, utiq; omnibus salvandis essent necessaria, siquidem effectus non habet locum, ubi causæ necessariæ ad illum producendum non adsunt.)

Thomas de Vio Cajet. Cardin. in cap. 2. Jacob. *Constat, nos justificari per fidem, etiam sine operibus, sicut patet in infantibus baptizatis & in adulto baptizato, si statim moriatur.*

(Illi

(Illi vero non solum justificantur, sed etiam salvantur absque operibus.)

Jacobus Faber in c.2. Jacob. *Sufficit sola fides, ubi non est tempus operandi, parvulis sola fides sufficit ad justitiam.*

Roffensis art. 1. contra Luther. oper. col. 318. scribit, *se non inficiari, quin fides absq; partu bonorum operum, hoc est, cum opera nondum peperit, justificet, continere tamen potestate in se bona opera, quæ, cum occasio adsit, edat.*

Bellarm. lib. 1. de Just. c. 25. §. Primo loco. *Origenes docet, posse hominem interdum justificari, etiamsi nullum opus externum faciat. Ponit enim exemplum peccatricis & latronis, qui non leguntur jejunasse aut eleemosynas fecisse, antequam justificarentur. Itaq; per vocabulum sola excludit Origenes necessitatem operis externi, quando videlicet aut potestas aut occasio deest ejusmodi operis faciendi.*

(Idem etiam de salute dici potest. Notandum vero quod Vasquez in 1.2. Disp. 210. responsionem illam Bellarmini repudiet, ac *interna etiam opera, quæ sint in præcepto, Origenem excludere* asserat.)

Id. lib. & cap. iisd. resp. ad 5. *Chrysostomus docet, fidem solam, id est, sine opere externo interdum sufficere, opus externum sine fide nunquam sufficere. Et rationem reddit, quia fides parit opera, opera non pariunt fidem.*

lib. 4. de Justif. c. 7. §. Nos contra. *Intelligimus, bona opera esse necessaria hominibus rationis usum habentibus, & qui tamdiu post adeptam remissionis gratiam supervivant, donec ocasio implendæ legis occurrat. Non enim negamus, quin infantes & etiam adulti recens baptizati salventur, si continuo ex hac vita decedant. Censentur enim totam legem implere, qui post justificationem adeptam legis præcepta non violarunt & qui caritatem, quæ est legis plenitudo, saltem habitualiter in corde gerunt.*

(Caritas perfecta est etiam perfecta legis impletio & salutem efficit. Talis vero caritas perfecta in neminem hominum in hac vita cadit. Ergo ad salutem efficiendam est inefficax.)

lib. 5. de Justif. c. 5. §. At si filius. *Tametsi parvulis, qui mox à Baptismo decedunt, vita æterna donetur solo jure hereditatis, tamen voluit Deus filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus & meritis illam acquirere, ut duplici titulo illis vita æterna deberetur, titulo videlicet hereditatis, & jure mercedis.*

(Si parvuli baptizati non acquirunt vitam æternam propriis laboribus & meritis, sed solo jure hereditatis vita æterna eis donatur, consequens est, bona opera non esse ad salutem efficiendam simpliciter necessaria.)

Anglo-Rhemenses in annot. margin. Apoc. 20. *Qui nulla bona opera faciunt, si per ætatem possint, & tempus illis suppetat, non inveniuntur scripti in libro vitæ.*

Majerus in controv. p. 33. *Peculiariter ad Chrysostomum respondetur, verum esse, latronem sine operibus regnum cœlorum consecutum esse, quia facta confessione & obtenta reconciliatione statim extinctus est, sicq; salvatus, licet non constet de ullo bono opere ejus, quod toto vitæ suæ decursu ante extremam gratuitam reconciliationem peregisset. Neque vero negamus, aliquos sine ullis bonis operibus salvari, ut pueros & etiam adultos, qui licet toto transacta vitæ tempore nullam omninò legem servaverint, nullum bonum opus fecerint &c. salvantur.*

Argumenta Adversariorum,

1. *Si promissio vitæ æternæ est conditionata, utique necessarium est implere conditionem, si quis velit salvus fieri. Sed illud. Ergo & hoc*, Bellarm. lib. 4. de Justif. c. 7.

Resp. 1. quidam ex Pontificiis agnoscunt, Evangelium proprie & specifice acceptum non esse doctrinam operum, ut in cap. 7. proxime sequente th. 1. ostendemus.

(Ergo promissiones Evangelii non sunt conditionales, nostrorum operum conditionem includentes, sed sunt mere gratuitæ.)

2. Bellarminus ipse d. l. §. Adversarii &c. agnoscit, *aliam esse necessitatem præsentiæ, aliam efficientiæ.* Ergo non sequitur, si bona opera sunt necessaria, quod statim sint necessaria ad salutem efficiendam, alias distinctio illa esset frustranea.

3. Ex eadem distinctione responderi potest ad alterum Bellarmini argumentum. *Si justus non est liber ab obligatione divinæ legis, certe nisi eam impleat, non salvatur.*

Nimirum Bellarminus denuò procedit *à non distributo ad distributum, ab est secundi adjecti, ad est tertii adjecti, à genere ad speciem.* Concedimus, justum esse legis debitorem, sed ex eo nondum potest inferri, justum ideò & hac ratione esse legis debitorem, ut suâ obedientia salutem efficiat; concedimus, bona opera esse justificatis necessaria; sed negamus, ea esse ad salutem efficiendam necessaria.

Argum. 2. Heb. 10. v. 36. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Ergo patientia, quæ est actus virtutis à fide distinctæ, necessaria est non solum ratione præsentiæ, sed etiam relationis ad salutem.* Bell. d. l.

Resp. 1. recurrit idem Sophisma. *Patientia est necessaria. Ergo ad salutem efficiendam necessaria.*

Atqui Bellarminus ipse agnoscit, aliam esse necessitatem *ratione præsentiæ*, aliam *ratione efficientiæ*. Pro necessitate ad efficiendam salutem substituit Bellarminus *relationem ad salutem.* At hæc non sunt ἰσοδυναμοῦντα, cum in necessitate ratione præsentiæ etiam sit quædam relatio ad salutem, sicut Bernh. in lib. de grat. & lib. arbit. dicit, *bona opera esse viam regni, non autem causam regnandi.*

2. Cornelius à Lapide in h. l. sic commentatur: *Pro patientia Græcè est ὑπομονὴ, id est, sustinentia, longanimitas & patiens expectatio liberationis & præmii, qua duramus in persecutionibus, ærumnis & rebus adversis ac meliorem sortem longanimiter expectamus, unde subdit: Adhuc modicum sustinete. Hæc sustinentia necessaria est ad hoc, ut retineatur confidentia jam dicta. Qui enim admittit hanc sustinentiam, amittit & confidentiam, ac consequenter & repromissiones, melioremq; substantiam, quam se adepturum confidebat.*

(Ergo sustinentia non est necessaria ad salutem efficiendam, sed ad confidentiam retinendam.)

Et postea: *Ut voluntatem Dei facientes reportetis promissiones, hoc est, ut cum feceritis & compleveritis usque ad finem voluntatem Dei, quæ est, ut perseveretis & crescatis in fide, patientia & caritate Christi, tunc reportetis promissam vobis substantiam & opes in cœlis.*

(Conditio ergo salvandorum exprimitur, non causa efficiens salutis.)

3. Salmeron tom. 15. Disp. 10. in Epist. Hebr. in hunc locum sic commentatur: *Vita hæc instar stadii est, & ideò iis qui eniti ad vitam conantur, plura se opponunt obstacula & impedimenta, quæ nos morantur & cursum omnino abrumpunt, nisi ingens sit animi magnitudo ad eluctandum.*

(Ergo permanens patientia requiritur ut *conditio subjecti*, quia scil. salvandis multa obstacula & impedimenta occurrunt, non autem *ut conditio causæ efficientis*. Præmittit quidem Salmero, *non solam fidem apprehendere regnum, sed etiam permanentem patientiam sive tolerantiam in bonis operibus.* Sed quilibet videt, hoc non posse ex superioribus probari. Aliud enim est salutem apprehendere, aliud verò est necessarium esse ei, qui per fidem salutem vult apprehendere.)

4. Jacob. Tirinus ad h. l. sic annotat: *Patientia ad finem usq; vitæ continuata vobis planè necessaria est, ut reportetis seu compotes reddamini cœlestium bonorum certantibus ac vincentibus promissorū.*

(Ergo qualitas ac conditio salvandorum describitur, non autem salutis causa.)

Argum. 3. 1. Tim. 2. v. 15. *Salvabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide, dilectione & sanctificatione cum sobrietate; ubi perseverantia non in sola fide, sed in fide, dilectione, sanctificatione, & sobrietate, ponitur necessaria ad salutem, ut conditio quædam, sine qua mulier salvari non potest.* Bellarm. d. l.

Resp. de hoc dicto Apostolico agetur inferius cap. 8. thesi 2. argum. 15. hoc loco monemus, aliud esse loqui *de conditione subjecti*, aliud vero *de causa effecti*. Ergo ex eo, quod perseverantia requiritur, ut conditio quædam, non potest inferri eandem requiri, ut causam efficientem salutis.

Argum. 4. Phil. 2. v. 12. *Cum timore & tremore operamini salutem vestram. Si actiones bonæ salutem operantur, non sunt necessaria solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ.* Bell. d. l.

Resp. Apostolus non dicit, *bonas actiones* salutem operari, sed *fideles* jubet salutem operari, id est, occupare se in iis, quæ salvandis sunt necessaria. Nam κατεργάζεσθαι σωτηρίαν non est actionib. bonis salutem efficere & promereri, sed occupatum esse summo studio in iis, quæ sunt ad salutem necessaria & sine quibus salus constare non potest, sicut ἐργάζεσθαι γῆν, Gen. 2. v. 15. & ἐργάζεσθαι θάλασσαν, Apoc. 18. v. 17. non significat operari terram vel mare, sed occupatum esse in iis, quæ pertinent ad terram vel mare, quo sensu phrasis illa etiam in vulgata versione ibi accipitur.

Argum. 5. 2. Cor. 7. v. 10. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Hic etiam videmus rationem efficientiæ. Tristitia enim pœnitentiam, pœnitentia salutem stabilem operatur.* Bell. d. l.

Resp. 1. Cornelius à Lapide ad h. l. sic annotat: *Tristitia, quæ concipitur propter Deum offensum, hac est contritio, & parit pœnitentiam, id est, sui castigationem, in salutem stabilem, id est, salutarem, firmam, solidam, græce ἀμεταμέλητον, impœnitibilem, & ut Augustinus, impœnitendam. Unde rectè Chrysostomus & Erasmus stabilem referunt ad pœnitentiam, non ad salutem.*

(Nimirum Apostolus non dicit, tristitiam secundum Deum efficere salutem, sed κατεργάζεσθαι pœnitentiam, & hanc pœnitentiam esse εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον, id est, esse salutarem illam pœnitentiam, quæ dicitur μετάνοια εἰς ζωὴν, Act. 11. v. 8. Dicitur autem pœnitentia εἰς σωτηρίαν καὶ ζωὴν non ratione prioris partis, puta *contritionis*, sed respectu posterioris partis, videlicet *fidei in Christum.*)

2. Estius in h. l. sic commentatur: *Tristitia, quæ secundum Deũ est, parit pœnitentiam salutiferam, ideoq; minime pœnitendam, nam boni ac fructuosi operis neminem rectè pœnitet. Vel secundum Theophylactum & Latinos, parit pœnitentiam, quæ causa est salutis semper mansuræ nunquam pœnitendæ.*

(Quo vero sensu pœnitentia sit causa salutis, modo exposuimus.)

Arg. 6. 2. Cor. 4. v. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur. Si patientia tribulationis operatur pondus æternæ gloriæ, quis negare poterit relationem aliquam esse inter patientiam & salutem?* Bell. d. l.

Resp. de hoc loco agetur itidem inferius cap. 8. th. 2. arg. 12. hic monemus, consequens non attingere quæstionis statum. *Relationem quandam esse inter patientiam & salutem* concedimus, quia patientia salvandis est necessaria, ea vero non est talis relatio, qualis est *causæ efficientis ad effectum.*

Arg. 7. Rom. 8. v. 13. *Si Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis, ubi mortificationem carnis necessariam esse ad salutem, ut conditionem & causam, ac per hoc relationem habere ad ipsam salutem ostendit primum particula conditionalis, deinde antithesis. Secundum carnem enim vivere est causa mortis* Bell. d. l.

Resp. 1. denuò repetimus, aliud esse necessarium *ratione præsentiæ*, aliud *ratione efficientiæ.*

2. Ostendemus suo loco ex ipsis Pontificiis, non esse parem rationem *bonorum & malorum operum*, respectu *vitæ & mortis æternæ. Mala opera*, inquit Dionysi. Carthusianus in cap. 8. Eccl. *pure mala sunt & nostra sunt, bona autem nec pure bona sunt, nec nostra sunt.*

Argum. 8. Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Videmus hoc loco, non sufficere fidem ad salutem, quæ vera & integra in corde esse non potest, nisi accesserit etiam externa confessio.* Bell. d. l. Tirinus in h. l.

Resp. 1. *Necessitas* tantum concluditur, non *efficientia*. At Bellar. ipse agnoscit lib. 4. de Justif. c. 7. §. 2. hæc esse distincta.

2. Bellarm. lib. de Bapt. c. 11. §. Tertiò &c. sic scribit: *Si Deus miraculum facit in mente infantuli, ut corde credat ad justitiam, cur non facit etiam in lingua, ut ore confiteatur ad salutem?*

(Ex defectu confessionis probare conatur ἀπαιδεύτως defectum actualis fidei in infantibus. Statuit ergo, infantes baptizatos infuso fidei habitu absque externa confessione salvari. Agnoscat igitur, confessionem externam non esse absolute & simpliciter ad salutem necessariam.)

3. Confessionem externam *in adultis* & quando gloria Dei & salus proximi eam exigit, necessariam esse concedimus. Sed confessio illa non ingreditur fidei essentiam, neque cum fide justificat & salvat, sed ex vera fide oritur, Ps. 116. v. 4. 2. Cor. 4. v. 13.

Salmero in h. l. sic annotat tom. 13. Disp. 32. in Epist. Rom. *Sermo hic est de confessione veritatis divinæ, quam cogitur peculiariter confiteri justus, sub pœna amittendæ salutis, vel quando a persecutore fidei exigitur, quam confitendo proprio sanguine Martyres celebrant, vel quando est necessaria subditis imminente periculo hæreseos &c. vel denique quando omnes conveniunt in templum ad laudes Deo concinendas &c.*

(Si ob pœnam amittendæ salutis, certis duntaxat temporibus ac casibus, necessaria est confessio, ergo nec ad salutem efficiendam, nec absolute & simpliciter est necessaria.)

Et postea: *Quod distinxit inter confiteri ore Dominum Jesum & corde credere illum resurrexisse, ideò fecit, ut utroque alterum exprimeret, & ut admoneret, quod ut confessio oris vana est, nisi ex corde proficiscatur: ita fides cordis sterilis & infructuosa est, nisi ubi ratio exigeret, flores, id est, vocalem confessionem fidei fructusq; bonorum operum proferret.*

(Ergo confessio necessaria est propter necessarium & indivulsum veræ fidei & confessionis nexum, non autem ad efficiendam salutem.)

4. Estius ad h. l. sic annotat: *Corde creditur ad justitiam, id est, ut quis justus fit, ore fit confessio ad salutem, id est, ut quis salvus fit &c. Posset quidem fortassis in hac bimembri sententia repetitio ejusdem intelligi diversis verbis facta more Hebræo, quandoquidem & oris confessio sit actus fidei & justitiam salus consequitur, ac proinde etiam dici posset, corde creditur ad salutem &c. Rectè tamen in utroque membro peculiare aliquid ab Apostolo significatum intelligimus, dum fidei justitiam adscribit, confessioni salutem, istud nimirum, quod fides ad justitiam consequendam prorsus est necessaria, sed tamen homo per fidem justificatus ad salutem vitæ æternæ non perveniet, imò nec ipsam salutem inchoatam, quæ in justitia consistit, tueri poterit ac retinere, nisi cum res postulaverit, fidem, quam animo tenet, ore confiteatur.*

(Describitur ergo *ordo*, non autem *causa efficiens salutis*, Describitur *conditio* salvandorum, non autem salutis *causa meritoria.*)

Argum. 9. Matth. 25. v. 34. *Venite, possidete regnum &c. esurivi enim & dedistis mihi cibum, ubi ratio addita luculenter ostendit, bona opera esse aliquo modo causam æternæ salutis.* Bell. d. l.

Resp. de hoc dicto itidem agemus inferius c. 8. th. 2. arg. 6.

Argum. 10. Jac. 1. v. 25. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus erit in facto suo At quomodo beatus in facto suo, si facta nullam habent relationem ad beatitudinem, sed solum præsentiam suam otiose exhibent?* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Repetimus distinctionem à Bellarmino concessam inter necessitatem *ratione præsentiæ* & *ratione efficientiæ*. Contextus ostendit, bona opera *relationem habere non ad beatitudinem hominis* tanquam causæ efficientis ad effectum, sed ad *hominem beatum* tanquam adjuncta necessaria ad subjectum.

2. Salmeron Disp. 2. in Epist. Jacob. tom. 16. p. 18. ad h. l. sic annotat: *Ut arbor maxime placet ob fructus, quos edit in tempore suo, non autem ob solam radicem, aut truncum, aut ramos, aut folia: ita etiam renati non tantum placent Deo ob folia verborum, aut viriditatem ramorum, id est, professionem externam fidei, sed maxime ob id, quod fructus dignos sua vocatione edant.*

(Describitur ergò qualitas salvandorum, non autem causa efficiens salutis. Quod enim Salmeron addit, *ejusmodi hominem justum esse in merito & spe beatum, quia operi justo debeatur beatitudo*, illud & contextui & fidei analogiæ adversatur.)

CAPUT VII.

De Norma Bonorum Operum.

Thesis prima. Evangelium propriè & specificè acceptum non est doctrina operum; ac Christus in officio suo Mediatorio non est novus legislator.

Ἔκθεσις. Primò de *propria Evangelii doctrina* hæc notanda.

1. Vox Evangelii accipitur primò γενικῶς de toto Nov. T. ministerio, quod non solum doctrinam gratiæ, sed etiam legis complectitur, Marc. 16. v. 15.

Secundò, ἰδικῶς ac κυρίως pro doctrina de gratuita peccatorum remissione per fidem in Christum, Matth. 11. v. 5. Ad hanc posteriorem significationem reduci possunt illæ acceptiones, quando vel pro publico exhibiti Messiæ præconio ac solenni N. T. promulgatione usurpatur Marc. 1. Rom. 1. 2. vel tribuitur hæc appellatio Historicis Evangelistarum scriptis, quibus nativitatem, vitam, doctrinam, miracula, passionem & resurrectionem Christi exponunt, 2. Cor. 8. v. 18. Hoc loco *de propria & specifica hujus vocis acceptione* agitur.

2. Proinde non est quæstio, an Christus & Apostoli in ministerio suo una cum Evangelii doctrina (specificè & propriè sic dicta) de gratuita peccatorum remissione etiam legem proposuerint, quod libenter concedimus.

3. Neque quæstio est, an in scriptis Evangelistarum & Apostolorum tantum contineatur doctrina Evangelii propria, sed etiam præcepta ad legem moralem pertinentia, quod itidem concedimus: sed unicè illud quæritur, Quæ sit propria ac genuina Evangelii doctrina.

4. *Conditiones in contractibus* sunt duorum generum. Quædam vocari possunt *antecedentes*, quædam *consequentes*. Antecedentes dant causam contractui ex formula, *do ut des*. Ut si quis agrum vendat certa pecuniæ summa. Consequentes adduntur præcedentibus tanquam ab iis pendentes. Ut si quis fundo donato vel vendito imponat pensionem annuam pecuniæ in pauperes erogandæ. Prioris generis condi-

conditiones non tantum defectu suo contractum rescindunt, sed etiam fundamentum ejus constituunt & velut essentiam, Posterioris generis conditiones defectu suo irritum faciunt contractum, non tamen efficiunt contractum. *Lex* igitur *operum* exigit impletionem legis tanquam conditionem antecedentem, sine qua nulli hominum jus ad vitam æternam competat. Hoc conditionis sensu *lex fidei* opera non admittit, sed tantum altero, nimirum ut ex vi donatæ per fidem vitæ necessaria sint bona opera, nec tamen opera sint causa vitæ donandæ.

Secundò, de Christo legislatore hæc observanda:

1. Non negamus, Filium Dei una cum Patre & Spiritu Sancto legem cordibus hominum in prima creatione indidisse, mandatum de non comedendo vetitæ arboris fructu edidisse, ac solenni legis promulgationi in monte Sinai adfuisse.

2. Nec hoc negamus Christum in executione muneris sui Prophetici etiam legem auditorib. suis proposuisse eandemque à corruptelis Pharisaicis vindicasse.

3. Hoc vero est quod negamus, Christum novas quasdam leges promulgasse ac legem Mosaicam perfectiorem reddidisse.

4. Non negamus, posse aliqua exercitia, qualia sunt certa jejunia, ordinariæ precum & lectionum formulæ, certi labores, certæ eleemosynæ &c. ab illis, qui credunt Evangelio, consulto & libere suscipi, sed negamus, ea esse *partem cultus divini*, cum ratione specialium tantum circumstantiarum cultui divino accidant.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 21. *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum esse, ut Redemtorem cui fidant; non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

Censura Colon. p. 204. *Evangelii propria doctrina est, si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Salmeron tom. 4. Comment. p. 20. *Totius Evangelii summa est verbum illud, pœnitentiam agite.*

Barradius tom. 1. Concord. Evang. lib. 10. c. 20. p. 73. *Si Moses Legislator fuit, cur Messiæ Legislatoris nomen detrahetur? multò quidem major fuit Messiæ etiam ex hac parte honor, quam Mosis. Moses enim acceptam à Deo interventu Angelorum legem uni tantum populo tradidit, at Messias à se conditam legem non uni populo, sed universo orbi tradidit.*

Bellarminus lib. 1 de verbo Dei c. 3. §. ult. *Christus novas quasdam leges tulit, ut de Baptismo, de Eucharistia, de Sacramentis cæteris vel exhibendis vel suscipiendis.*

Et postea: *Christus ad vetera morum præcepta saluberrimas illas leges adjungendas putavit.*

lib. 4. de Justif. c. 2. §. Neque de hac &c. *Nos contendimus, Evangelio contineri illa omnia, quæ Adversarii soli legi tribuunt, quæ sunt præcipue tria, leges propriè dictæ, comminationes & promissiones cum conditione obedientiæ.*

Ibid. asserit, *nomen Evangelii nuspiam aliter accipi, quam pro doctrina in Evangelistarum & Apostolorum scriptis contenta.*

Inde est, quod lib. ejusd. cap. 3. & 4. octo legis & Evangelii discrimina exponens, ne in unico quidem membro *promissionis gratuitæ de Christo & ejus beneficiis, ac de reconciliatione nostra cum Deo* mentionem faciat, sed Evangelium semper accipiat *pro tota doctrina, quam Christus & Apostoli prædicarunt*, (quam generalem Evangelii significationem ut suo loco non negamus, ita non esse propriam & specificam dicimus.) In primo legis & Evangelii discrimine inter cætera disputat; *morales leges, quæ perpetuæ sunt, easdem ferè habere legem & Evangelium; sed in hoc præstare Evangelium legi, quod quædam graviora, quæ à Judæis propter infirmitatem ipsorum à lege non exigebantur, à Christianis in Evangelio exigantur, ut patet de libello repudii & polygamia; quasdam etiam expressius legantur in Evangelio, quæ obscurius habebantur in lege*, ex quo infert, *non omnia, sed vere omnia, quæ ad mores pertinent, Evangelium cum lege habere communia, siquidem consilia quædam perfectionis legi à Christo sint addita.*

In secundo legis & Evangelii discrimine disputat, *legem per Mosen datam esse, qui fuit tantum legislator, Evangelium per Christum, qui non fuit solum legislator, sed etiam redemtor, proinde legem venire solam, Evangelium vero non solum, sed cum gratia.*

lib. ejusd c. 5. §. Secundo. *Idem* (videlicet quod Christus verus fuerit legislator) *probamus ex testimoniis, quæ docent; Evangelium esse quandam legem. Nam Esa. 2. & Mich. 4. dicitur: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem &c. Et Matth. 11. cum Dominus ait: Jugum meum suave est &c. nonne aperte legem aliquam se attulisse testatur? neque enim promissio, exhortatio, instructio, jugum & onus dici possunt; sed lex, quæ obligat & obligando premit & gravat, recte dicitur jugum.*

Nostram sententiam probamus,

1. Quod Evangelium propriè & specificè acceptum non sit doctrina operum, sed læta concio de gratuita peccatorum remissione, justitia & vita æterna credentibus in Christum promissa, sive in V. sive in N. T. proponatur, patet

1. *Ex etymologia.* Evangelium ex vi nominis est bonum & lætum nuncium, ab εὖ & ἄγγελος vel ἀγγελία. Respondet illi Hebræum בשׂר quod LXX. reddiderunt per εὐαγγελίζειν, qua voce utitur Spiritus Sanctus, quando hostes, à quib. magnum & anceps imminebat periculum, fugati, & pax restituta nunciatur, 1. Sam. 31. v. 9. 2. Sam. 1. v. 20. c. 18. v. 19. vel quando alicui nunciatur natus filius, Jerem. 20. v. 15. vel quando captivis nunciatur liberatio, lugentib9 consolatio, Es. 61. v. 1. vel quando hostis exitium ac interitus nunciatur, 2. Sam. 4. v. 10. quæ omnia ad propriam Evangelii εἰδικῶς accepti materiam pulchre accommodari possunt.

2. *Ex συνωνυμίᾳ.* Vocatur enim *bonum Dei verbum, promissio, scientia salutis, sermo gratiæ, promissio vitæ, Evangelium Christi, testimonium Christi, Evangelium regni, sermo vitæ, Evangelium salutis, Evangelium pacis, lex libertatis, Evangelium gloriæ beati Dei, verbum fidei, auditus seu prædicatio fidei lex fidei, bonus odor, fons aquæ salientis in vitam æternam, aqua refectionis, calix exuberans &c.*

3. *Ex prima concione Evangelica* N. T. Luc. 2. v. 10. *Annuncio εὐαγγελίζω vobis gaudium magnum.* Atqui gaudium magnum non est concio iræ.

4. *Ex concione Johannitica*, Marc. 1. v. 15. *Pœnitentiam agite & credite Evangelio*, ubi pœnitentia vel contritio ab Evangelio distinguitur, ac proprium fidei objectum Evangelium constituitur.

5. *Ex Prophetia, Es. 61. v. 1.* quæ repetitur Luc. 4. v. 18. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionē &c.*

6. *Ex promissione* Rom. 1. v. 1. *Evangelium dicitur ante promissum per Prophetas.* Promissi largitas semper lætificat. Evangelium est promissio gratiæ & vitæ.

7. *Ex revelatione justitiæ divinæ sine lege*, Rom. 1. v. 17. *justitiam Dei per Evangelium patefieri ex fide in fidem*, inquit Apostolus. c. 3. v. 21. *absq; lege justitiam Dei manifestari legis & Prophetarum testimonio comprobatam*, v. 22. *justitiam scilicet Dei per fidem J. C. in omnes credentes.*

8. *Ex oppositione.* Credere & operari sibi invicem opponuntur Rom. 4. v. 4. Jam vero Evangelium est *verbum fidei*, Rom. 10. v. 8. 1. Tim. 4. v. 6. Ergo non est doctrina operum. Gratia & opera sibi invicem opponuntur Rom. 11. v. 6. Evangelium est *sermo gratiæ*, Act. 20. v. 24. *verbum gratiæ*, Luc. 4. v. 22. Ergo non est doctrina operum. Promissio non est facta per legem Rom. 4. v. 13. Evangelium est *promissio vitæ in Christo*, 2. Tim. 1. v. 1. *promissio vitæ æternæ*, 1. Joh. 2. v. 25. Ergo lex sive operum doctrina propriè non pertinet ad Evangelium. Evangelium est *promissio benedictionis ex fide in semen Abrahæ, quod est Christus*, Gal. 3. v. 8. Jam vero ex lege non est benedictio Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Ergo lex sive operum doctrina propriè non pertinet ad Evangelium.

2. Quod Christus in officio suo Mediatorio non sit novus legislator, patet,

1. *Ex oppositione*, Joh. 1. v. 17. *Lex per Mosen data, gratia autem & veritas per Christum nobis facta.* Si Christus in officio Mediatoris est novus legislator, non amplius locum habebit illa oppositio. Lex per Mosen data propter Naturæ nostræ corruptionem & ἀδυναμίαν legem implendi *iram operatur*, Rom. 4. v. 15. & est *ministerium mortis*, 2. Cor. 3. v. 7. sed per Christum Mediatorem gratia & veritas non solum in Evangelio, verbo gratiæ & veritatis, prædicata, sed etiam nobis facta, quia passione sua cœlestia bona promeruit & acquisivit.

2. *Ex legis perfectione.* Perfecto nihil potest addi. Lex est perfectissima bonorum operum regula, cum requirat totius Naturæ integritatem, dilectionem Dei ex toto corde &c. E.

3. *Ex legislatoris descriptione.* Omnis legislator est *minister peccati*, quatenus scilicet ponit occasionem peccati per legem Rom. 7. v. 7. 8. & 11. Sed Christus non fuit minister peccati, Gal. 2. v. 17. Solus vero Moses est minister peccati. Ergo.

4. *Ex adventus Christi fine.* Christus eo fine in mundū venit,

ut

ut à *maledictione* & condemnatione legis *non liberaret*, Gal. 3. v. 13. cap. 4. v. 5. ut *non amplius essemus sub lege, sed sub gratia*, Rom. 6. v. 14. Ergo non venit, ut novas leges promulgaret. Christus *non venit, ut judicet mundum*, Joh. 3. v. 17. aut *ut accuset apud Patrem, cum jam ante Moses accuset*, Joh. 5. v. 45. Ergo non venit, ut novas leges ferret, siquidem omnis legislator perfectam requirit obedientiam, quam ubi non invenit, justam denunciat & infligit transgressionis pœnam.

5. *Ex proprio Mediatoris officio.* Christus in officio Mediatoris est τέλος *finis & impletio legis*, Matth. 5. v. 17. Rom. 10. v. 4. quia resolvit debitum perfectissimæ obedientiæ à nobis per legem exactæ. Ergo hactenus non est legislator, quippe cujus est exigere obedientiam & legis impletionem.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Evangelium propriè & specificè acceptum esse lætum nuncium de gratuita peccatorum remissione propter Christum,

Carolus Magnus lib. 4. de Imaginib. cap. 10. *Evangelium est bonum nuncium, & revera bonum nuncium, quoniam qui id suscipiunt, filii Dei vocantur. Est enim amnis quadrifluus ab uno ineffabili Paradisi fonte progressus, & in quatuor amnes insigniter derivatus, & ad arentia corda irriganda salubriter transmissus. Est via quæ ducit ad vitam, est lux à tenebris vitiorum reducens, & inoffenso calle gressus mortalium ad cœlestia dirigens; est urbis florentissimæ munimentum, in quo firmiter stare; præstantissimum vitæ emolumentum, à quo recedere periculosissimum detrimentum; sunt fluenta veritatis, quæ fallere, fallique nesciunt.*

Gloss. ordin. in cap. 1. Act. *Evangelium est bona annunciatio, in qua annunciatur requies post laborem, regnum post servitium, vita post mortem.*

Bernhardus serm. 30. in Cant. *Non sicut gratia, ita & lex, quia dissimili vultu ad omnem conscientiam se offerunt suavitas hujus & austeritas illius. Quis sane ex æquo respiciat condemnantem & consolantem; reposcentem & ignoscentem; plectentem & amplectentem; non pari perfectò acceptabitur voto umbra & lux, ira & pax, judicium & misericordia, figura & veritas, virga & hereditas, frenum & osculum.*

Jacobus Faber Stapulensis in præfat. commentar. in quatuor Evang. *Verbum Christi verbum Dei est, Evangelium pacis, libertatis & lætitiæ, Evangelium salutis, redemtionis & vitæ. Pacis, inquam, ex bello perpetuo; libertatis ex durissima servitute; lætitiæ ex luctu indeficiente; salutis ex summa perditione; redemtionis ex miserrima captivitate & denique vitæ ex intermina morte. Et hinc nomen Evangelium traxit, quod sit hujusmodi & infinitorum in supernis nos manentium bonorum nuncium.*

Johan. Ferus in cap. 1. Matth. p. 8. *Evangelium bonum nuncium est, indicans Christum natum, passum &c. nobisque bona omnia donasse, patrem reconciliasse. Hæc omnia includit Angelus hoc verbo: Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Peccatum enim occasio omnis mali nostri, solo peccato à Deo disjungimur.*

Idem in cap. 2. Matth. p. 18. *Fructus & effectus verbi Dei* (Evangelii) *est, quod gaudio nos replet, non carnali, sed gaudio conscientiæ, quod summum gaudium est, scire scilicet, se cum Deo pacem habere, sicut è contra summa miseria inquietam habere conscientiam, non est dolor, qui huic possit comparari. Ubi autem illuxerit Evangelium, lux illa cœlestis, redit lætitia conscientiæ & tranquillitas. Ex Evangelio enim audit conscientia Christum dicentem. Venite ad me omnes, Item. Non veni vocare justos. Item. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua &c.*

Idem in cap. 9. Matth. p. 173. *Cum conscientia te angit &c. illuc curre, ubi de Christo audire quippiam possis, illud enim solum te consolabitur & animum reddet, ob id enim Evangelium dicitur, id est, bonum nuncium. Deinde, quæ de Christo audieris, fide complectere, nihil hæsitans, Christum tibi talem futurum, qualis prædicatur. Verbi gratia. Audis, Christum incarnatum, passum, mortuum &c. firmiter crede, tibi esse incarnatum & mortuum Christum, ut sua conceptione emundaret tuam, sua morte auferret tuam.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 2. in Evangel. festi D. Nicolai p. 41. *Evangelium lætum nuncium est, quo nobis gratia, favor & consolatio annunciatur.*

Idem conc. 4. Epist. festi Innocentum p. 220. *Evangelium nobis lætum promulgat nuncium, quod scilicet Deus nos adeò dilexerit, ut Filium suum unigenitum dederit pro nobis in mortem, quodq; idem Filius sua passione & morte nos liberavit à morte, peccato, Satana & æterna maledictione, & reconciliaverit nos patri suo, feceritq; nos filios Dei & heredes vitæ æternæ, & pro tantis omninò beneficiis nihil tamen à nobis requirat aliud, quam ut sibi ex animo fidamus, & nos suæ attemperemus voluntati. Cum huic læto nuncio fidem habemus &c. tum fit conscientia pacata, tranquilla & lætabunda.*

Ibid. conc. 5. p. 222. *Evangelium nihil aliud est, quam prædicatio & oblatio gratiæ & misericordiæ Dei per Jesum Christum, quemadmodum & Johannes Baptista inquit Joh. 1. Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 3. Sed quanquam &c. fatetur, *Testamentum novum per se ac propriè leges non adferre.*

(Si Novum Test. per se ac propriè non adfert leges, utique etiam Evangelium, quod est substantia N. T. per se ac propriè non adfert leges. Subjicit quidem Bellarminus, *Novum Test. duplici ratione complecti leges. Primum enim eas omnes leges, quæ ad bene beateq; vivendum referuntur, gratia N. T. non destruit, sed confirmat, quippe quæ humanæ infirmitati ad eas implendas vires præbet. Rom. 3. legem stabilimus per fidem, cap. 8. Quod impossibile erat legi. Secundò, quia Christus novas quasdam leges tulit, ut de Baptismo, Eucharistia ac cæteris Sacramentis vel exhibendis vel suscipiendis.* Sed quod ad prius attinet, respondemus, aliud est novas leges promulgare, aliud gratiam & vires ad leges veteres implendas suppeditare. Quod ad posterius attinet, Sacramenta propriè loquendo non sunt leges, sed salutaria media gratiæ offerendæ, conferendæ & obsignandæ ac promissionum Evangelicarum signacula.)

Franciscus Lucas Brugensis in cap. 1. Matth. v. 1. *Evangelium vox Græca, boni faustiq; nuncii significationem habens. In Schola Christiana pro illo fausto nuncio κατ' ἀντονομασίαν accipitur, quod magni consilii Angelus Christus Salvator humani generis attulit, vitæ salutisque æternæ, quo nullum lætius, nullum jucundius, nullum gratius nuncium esse possit &c. Hoc illud est Evangelium quod dulcissimis epithetis Matth. 4. v. 23. Evangelium regni, Act. 20. v. 24. Evangelium gratiæ Dei, Rom. 10. v. 15. Evangelium pacis, 1. Tim. 1. v. 11. Evangelium gloriæ beati Dei agnominatur.*

Conzenius prooem. quæst. in quatuor Evang. q. 2. probat, *verbum* בשר *semper usurpari in bonam partem pro eo quod est, læta annunciavit.*

Ibidemque Evangelium definit, *quod sit nuncium salutis æternæ credentibus dandæ per Redemtoris meritum exhibitum.*

Ibidem recitat & approbat dictum Chrysostomi. *Evangelium annunciat in tenebris sedentibus pœnarum remissionem, delictorum veniam, justitiam & redemtionem, adoptionem in filios Dei, cum filio Dei fraternitatem, immortalitatem vitæ, Angelorum societatem, communicationem Spiritus, cœlestem beatitudinem.*

(Addit quidem, *etiam Evangelium habere conjunctam operum conditionem.* Sed aliud est requiri opera ad fidei veræ testimonium, aliud ad salutis efficientiam.)

2. Quod quidam agnoscunt, Christum in officio suo Mediatorio non esse novum legislatorem, sed potius legis impletorem.

Bellarminus d. l. §. Deinde &c. fatetur, *Christum non ideò ad nos venisse, ut, tanquam alter Moses, novæ legis pondere nos premeret, sed ut jacentes sub onere legis auxilio gratiæ sublevaret.*

(Subjicit quidem Bellarminus, *Christum ad vetera morum præcepta saluberrimas illas leges de Sacramentis adjungendas putavisse, quæ dum ad Sacramenta nos ducunt, & per Sacramenta ad gratiam nos producunt, non solum non premunt onere ponderum, verum etiam attollunt vice pennarum,* ut loquitur Augustinus lib. de perfect. justit. Sed si novæ illæ Christi leges ad Sacramenta & per Sacramenta ad gratiam nos producunt, utique non sunt propriè leges prementes, sed media salutaria gratiæ nos sublevantia.)

3. Quod quidam agnoscunt, Christum in Nov. Test. non promulgasse nova perfectionis consilia.

(Illorum enim respectu Christum novum legislatorem constituunt.)

Dicta illa recensuimus lib. 2. art. 7. de Monachis cap. 3.

Argum. Adversariorum.

1. *Quod in Evangelio contineantur leges propriè dictæ, probatur ex Matth. 5. ubi Dominus confirmat, explicat & perficit legem Mosis de homicidio, adulterio, perjurio & similibus rebus, ac quod revera Dominus eam legem à se explicatam servari velit, variis rationibus probari potest. Bellarm. lib. 4. de Justificat. cap. 2.*

Resp. 1. Bellarminus in eodem capite scribit, *nomen Evangelii non videri in Scripturis uspiam aliter accipi, quam pro doctrina, quam Christus & Apostoli prædicarunt, & quæ in libris Evangelistarum, aliisque Apostolorum scriptis continetur.*

(Quod si Bellarminus suo isthoc argumento comprobatum voluit, legem moralem à Christo & Apostolis in N. T. expli-

explicari, repeti & urgeri, ac proinde à Ministris N.T. itidem explicandam, repetendam & urgendam esse, neminem nostrû contradicentem habet. Sed præter hanc generalem vocis Evangelii significationem dari adhuc specialem & propriam, qua pro læto nuncio de gratuita peccatorum remissione propter Christum accipitur & à lege sive operum doctrina distinguitur, superius fuit confirmatum, cujus contrarium ex cap. 5. Matth. demonstrari nequit. Nam)

2. Bellarminus ipse lib. 4. de Justif. c. 3. agnoscit & luculentis argumentis confirmat, *Christum Matth. 5. non tradere nova consilia perfectionis, sed corruptelas Pharisaicas, quibus legem depravabant, removere & veram legis sententiam explicare.*

(Locû integrum adduximus superi⁹ lib. 2. art. 7. c. 3. arg. 1.)

3. Idipsum agnoscunt Autor Gloss. ordinariæ, Salmeron & Emanuel à Saa in annot. illius loci.

4. Maldonatus in h.l. super verba, *Nisi abundaverit justitia vestra. Legis observatio, quam Christus ipse justitiam appellat, quia observatione mandatorum Dei justificamur.*

5. Franciscus Lucas Brugensis in h.l. *Sunt igitur hæc, quæ Salvator proponere statuit, aliquid legis, nec servat legẽ, qui ea non servat.*

(Ergo Christus hic agit de lege operum, quam vindicat à corruptelis Pharisæorum.)

6. Neve quis putet, Bellarminum hac in parte non serio discedere à Scholasticis, qui præcipuum robur pro astruendis perfectionis sive Evangelicis consiliis ex cap. 5. Matth. petebant, notandum, quod idem aliis in locis repetat; lib. de Monachis cap. 9. concedit in §. Quarta expositio &c. & §. At hæc. *verba Christi de præbenda percutienti maxilla altera præceptum continere, quod tamen intelligendum sit de præparatione animi.* Cumque in eodem capite argumenta ex Scripturis colligat, pro assertione Consiliorum Evangelicorum, hanc Christi concionem prætermittit. lib. de Laicis cap. 13. sic scribit: *Dominus, qui dicit, Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, non reprehendit legem veterem, nec prohibet Magistratum infligentem pœnam talionis, sed reprehendit pravam Pharisæorum interpretationem & prohibet privatis hominibus desiderium vindictæ.*

Argum. 2. Joh. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Ergo Christus novas dedit leges.*

Responsionem dedimus superius lib. 2. art. 7. cap. 3. arg. 10.

Argum. 3. Rom. 2. v. 16. *In die, cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum. Ergo ad Evangelium etiam pertinent comminationes, quippe quod testatur impiis imminere iram & judicium.* Bellarm.

Resp. 1. Dominicus à Soto ad h.l. sic annotat: *Secundum quod evangelizare, docereque vos soleo.*

2. Salmero ib. *ut soleo prædicare.*

3. Toletus ib. *Hoc est enim quod docet & aperte tradit Evangelium, judicium hoc Universale futurum per Christum.*

4. Justinianus in paraphrasi. *Ut traditur in Evangelio.*

(Quamvis ergo Evangelium testetur judicatum iri impios, tamen non sequitur, Evangelii proprias esse comminationes, sed legis, cui testimonium redditur ab Evangelio. Sicut verissimum est, remitti peccata credentibus in Christum, cui lex perhibet testimonium, nec tamen ex eo sequitur, remissionem peccatorum esse legis propriam.)

Arg. 4. *Evangelii promissiones conditionatas probat* Bellarm. ex Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Et Luc. 10. v. 28. *Hoc fac & vives.*

R. promissio hæc non est Evang., sed legalis. Neq; enim simpliciter quærebant interrogantes, qua ratione & via possent vitæ æternæ participes reddi, sed *quid boni faciendo* eã acquirerent. Christus igitur jure ac merito eos remittit ad legem, perfectam illam bonorum operum normam, in qua promittitur vita æterna, sed cum conditione perfectæ impletionis.

Salmero tom. 7. Disp. 51. interrogantem illum vocat *Judæum ad opera attendentem.*

Stapletonus in Promtuario Domin. 12. post Pentecosten. *Quærebat, quid faciendo, id est, per quæ tandem opera vitam æternam possideret?*

Thesis secunda. Lex Dei est perfecta bonorum operum norma ac proinde ἐθελοθρησκεῖαι sive cultus electitii ac opera ex bona tantum intentione suscepta Deo minimè probantur.

Ἔκθεσις. 1. Distinguendum inter cultus *voluntarios & electitios.* Cultus voluntarios juxta præscriptum legis divinæ factos Deo gratos esse, docent Scripturæ dicta Psal. 54. v. 8. Psal. 110. v. 3. 2. Cor. 9. v. 7. sed cultus electitios proprio arbitrio excogitatos Deus repudiat.

2. Non requirimus, ut opera dilectionis in specie præscripta in lege monstrentur, sed sufficere dicimus, si *ratione generis* in lege divina contineantur.

3. Distinguendum inter *regulam ordinariam & extraordinaria sive singularia exempla sanctorum*, qui ex peculiari Spiritus Sancti instinctu & familiari ejusdem alloquio hoc vel illud fecerunt.

4. Quæstio inter nos & Pontificios non est absolutè hæc, An nullum opus sit bonum, nisi cujus species à Deo sigillatim definita sit, sed an opus aliquod cultus seu meriti, ut Pontificii vocant, à nobis justè Deo exhiberi possit, quod speciatim à Deo præceptum non sit.

5. Non omnium pietatis operum tempus, locum, objectum circa quod & circumstantias alias in verbo Dei limitatas & circumscriptas esse concedimus, sed ista omnia non variant operis divinitus præcepti speciem.

Antithesis. Gregor. de Valent. in Apolog. contra Heerbrand. cap. 18. *Nihil minus Deum generatim jussisse, quam ut ea tantum, quæ ipse præcipit, usurpemus ad cultum. Distinguendum igitur esse inter cultus, quorum quidam tantum non sint à Deo præcepti, ideoque liciti: quidam vero repugnantes verbo Dei, & hos esse illicitos, à Scripturæ enim phrasi non esse alienum, ut id simpliciter dicatur non esse ex præcepto, quod etiam est contra præceptum.*

Bellarm. lib. 2. de Sanct. imagin. cap. 7. *Nunquam intelligitur prohibitum id, quod nullo modo adversatur fini legis.*

Idem lib. 2. de Sacramentis cap. 32. *in verbis Propheticis à Christo repetitis, Frustra me colunt &c. agitur tantum de illis, qui omisso Dei mandato docent doctrinas hominum.*

Jacob. Gretserus in Apol. lib. de discipl. lib. 1. cap. 5. p. 53. lib. 3. cap. 1. p. 3. scribit, *esse fatuum dogma & cuculi vocem, quod Deus cultu sponte electo coli nolit.*

Bratscius in postill p. 222. *Absque præcepto multa fecit Johannes. Ergo licitè assumuntur ad obsequia Dei, etiam quæ præcepta non sunt &c. modo præceptis servandis commoda sint.* Inde in Papatu magna reperitur congeries eorum, quæ licet in lege divina nuspiam sint mandata, tamen sub opinione *necessitatis, cultus ac meriti*, ut vere bona opera & Deo grata hominibus obtruduntur & inculcantur, quinimò majus fere pietatis momentum in illis ἐθελοθρησκείαις, ut Epiphanius adv. hæres. Pharis. electitios illos cultus appellat, quam in operibus lege divina mandatis statuitur. Carnes feria sexta qui manducaverit, pœnam incurrit; inebriari impune ipsi licet. Concubinatus in Sacerdotibus toleratur, conjugium eorum damnatur.

Nostram sententiam probamus,

1. *A Dei præcipientis majestate.* Ipse est unus noster *Dominus, judex & legislator*, cui soli competit cultus in Ecclesia instituere. Esa. 32. v. 22. Jac. 4. v. 12. unde in promulgatione Decalogi procemii loco præmittit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, Ex. 20. v. 5. cui scilicet soli competit normam cultus & bonorum operum tradere, Ezech. 20. v. 19. Inde etiam ipse dicitur *præparasse bona opera, in quibus pii ambulare debent*, Eph. 2. v. 10. non solum, quia *elegit eos* ab æterno, *ut essent sancti*, Eph. 1. v. 4. & in tempore per Spiritum Sanctum eos ad bona opera renovat & impellit, sed etiam perfectam normam in verbo præscripsit, ex quo factum, ut Apostolus doctrinam de bonis operibus tractaturus Rom. 12. v. 2. præmiserit, *ut probemus, quæ sit bona Dei voluntas, beneplacens ac perfecta*, ac seq. cap. monstraturus, quomodo bona illa Dei voluntas sit probanda, recitarit summam Decalogi.

2. *A legis divinæ proprietate.* Lex divina est perfecta bonorum operum norma ac regula. Psal. 19. v. 8. Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. Prov. 30. v. 5. Gal. 6. v. 26. 2. Tim. 3. v. 17. Ergo non debent excogitari novi cultus. Verbum Dei *est lucerna pedum nostrorum*, Ps. 119. v. 105. Ergo ejus ductum in via hujus vitæ unicè sequi debemus. *Quicquid fit sine fide peccatum est*, Rom. 16. v. 23. Atqui omnis cultus arbitrarius fit sine fide, quia fit sine autoritate verbi divini, Rom. 10. v. 17. Ergo omnis cultus arbitrarius est peccatum.

3. *A prohibitionis electitiis cultibus oppositæ perspicuitate.* Solis radiis scripta sunt oracula ἐθελοθρησκείας repudiantia. Num. 15. v. 39. 40. Deut. 4. v. 8. Psal. 106. v. 36. Esa. 1. v. 12. c. 29. v. 13. Jer. 7.

Jer. 7. v. 31. Zach. 7. v. 5. & 9. Amos. 5. v. 25. Mich. 6. v. 7. & 8. Matth. 15. v. 9. Col. 2. v. 20.

4. *A peccati per cultus electitios commissi gravitate*, de qua testantur μοσχολατρεία Israëlitica, Ephod Gideoniticum, cultus Moloch &c.

5. *A rationis humanæ in spiritualibus cæcitate.* Humana ratio, vel verbi luce penitus destituta, vel ab ea aberrans in tenebris versatur & non potest non impingere. 1. Cor. 2. v. 14. 2. Cor. 3. v. 5. Eph. 5. v. 8. Ergo ex illius impulsu & dictamine præter & citra verbum non sunt instituendi novi cultus.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, Scripturam esse perfectam.

(Perfectio enim illa consistit in eo, quod sit credendorum & agendorum perfecta regula.)

Dicta illa enumerata sunt lib. 1. part. 1. cap. 1.

2. Quod quidam agnoscunt, cultus electitios Deo non probari.

Johannes 22. in Extravag. tit. 7. cap. 1. in fine. *Adulterinas plantationes, quas non Pater cœlestis, sed humanæ temeritatis audacia plantat, Apostolici culminis censura divellat.*

Taulerus in conc. de Magis. *Multi homines non sunt contenti myrrha illa, quæ eis à Deo datur, sed plus sibi ipsis imponere volunt, & debilitant caput & phantasiis obruuntur, & diu multumq; passi sunt, nec tamen rectè faciunt & parum gratiæ ad eos redundat, nam suis innituntur institutis vel in pœnitentia, vel in abstinentia, vel in oratione, vel in devotione. Hic Deus ipsorum otio laborare cogitur, donec ipsi sua perficiant, sed nihil fit. Nam Deus certò sic facit, ut nihil remuneretur, nisi suum ipsius opus. In cœlo nihil in æternum coronat nisi suum opus & non tua opera.*

Joh. Ferus in c. 4. Matth. p. 49. b. *Tunc opera nostra placent, si è Spiritu fiant, id est, si consona sint præceptis divinis & Scripturæ. Non enim bonum est omne, quod tibi videtur bonum. Hujus exemplum habes in Saule, qui ex Amalec reservaverat boves ad sacrificia Dei, cui dictum est: Nunquid vult Deus holocausta? Huic similes sunt, quibus meliora videntur ea, quæ ipsi sponte eligunt, quam præcepta Dei, imò præcepta Dei negligunt, propter suas adinventiones. Summa, nihil bonum, quod præceptis Dei repugnat. Voluntas enim divina regula est justitiæ, præceptum autem signum voluntatis. Non igitur facias, quod tibi bonum videtur.*

3. Quod quidam agnoscunt, traditiones ἀγράφους esse repudiandas.

(Quædam enim traditiones de fide, quædam de moribus agunt, atq; illa quoq; opera ἐθελοθρησκειῶν loca habenda, quæ juxta traditiones humanas extra Scripturam fiunt.)

Dicta illa enumerata sunt lib. 1. part. 2. cap. 5.

4. Quod agnoscunt, ἐθελοθρησκείας ab Apostolo Col. 2. v. 23. improbari.

Benedict. Justinianus in illum locum. *ἐθελοθρησκεία voluntaria religio superstitionem & impietatem, aut etiam pium & religiosum cultum sponte susceptum significare potest. In præsentia sine dubio superstitionem significat, vel, ut ait Ambrosius, simulatam religionem.*

(Posterius verum, prius falsum, quia ἐθελοθρησκεία non significat voluntarium cultum, quod nomen est ἑκούσιον, necessarium vero cultui, sed arbitrarium, id est, ex arbitrio ejus, qui se colere profitetur.)

5. Quod agnoscunt, cultū N. T. esse spiritualem, non alligatum certo loco, nec in externis Ceremoniis consistere.

(Quia enim ἐθελοθρησκεία non est spiritualis, ideò non potest esse verus & proprius N. T. cultus.)

Cajetanus in cap. 4. Joh. *Adorabant in Spiritu, non in monte, non in Hierosolymis, non in loco aliquo, non cultu temporali, non lingua, sed interiore cultu consistentem in Spiritu, id est, in animo, quatenus officium habet, quatenus spiritualibus intendit.*

Cornel. Jansenius Concord. cap. 23. *Cum dicit Dominus, venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem, significare voluit, omnem illum externum cultum Dei, certū locum requirentem, ac situm in externis illis sacrificiis abolendum.*

Maldonatus in cap. 4. Joh. *Jam enim venisse tempus, quo tempore neutri certo loco deberent adorare. Tollendum enim pristinum illum cultum, qui, ut hominibus carnalibus accommodatus, addictus erat loco.*

Et postea: *Ut sensus sit, venisse tempus, quo tempore veri adoratores neque certo loco, neque legalibus illis Ceremoniis & sacrificiis, quæ umbræ tantum erant rerum futurarum, Deum adorabunt, sed veritate, id est, rebus ipsis, quæ per umbras illas significabantur.*

Exceptio Adversariorum.

Contra argumentum petitum ex Rom. 14. v. 23. excipit Bellarminus, *fidem sumi pro conscientia, ut sensus sit, peccatum esse id omne, quod fiat contra conscientiam.*

Resp. 1. Bened. Justinianus ad h. l. sic annotat: *Quicquid fit hæsitante conscientia, neq; certa persuasione præeunte, qua putetur licere quod fit, peccatum est.*

(Atqui hæc certa persuasio sive πληροφορία haberi non potest, nisi ex fide, quatenus significat cognitionem voluntatis divinæ & fiduciam gratiæ divinæ in Christo promissæ. Ergo fides hic non simpliciter significat conscientiam, sed bonam conscientiam, id est, fide instructam.)

2. Salmero in h. l. rectè monet, *aliud esse operari contra fidem, aliud operari non ex fide.*

(At hic Paulus disertè dicit, quod non fit ex fide, minime autem quod fit contra fidem.)

Argumenta Adversariorum.

1. *Abel & reliqui Patriarchæ obtulerunt Deo sacrificia absq; expresso quodam mandato, quæ tamen Deo placuerunt.* Bellarm. lib. 2. de Sacr. in genere c. 31. Salmero Disp. 8. in 1. Tim. 2. circa finē.

Resp. 1. Bellarm. in lib. de Confirm. c. 2. §. Restat &c. sic disserit: *Pro mandato damus mandati executionem. Nunquam enim Apostoli ita ordinariè & securè imposuissent omnibus baptizatis manus, ut veniret super eos Spiritus Sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset. Quemadmodum etiam hic in terris cum famulus aliquid agit, quod non potest nisi jussu Domini, & non est stultus; omnes intelligunt, eum habere mandatum, etiamsi is non dicat se habere mandatum, ut si lictores capiant magnum aliquem virum in medio foro, aut si viatores indicant Senatoribus tali die habendum Senatum &c.*

(Ex eodem principio probari potest, Patriarchas ex divino mandato sacrificia obtulisse.)

2. Pontificii concedunt, *Sacrificia etiam ante Mosen fuisse typos sacrificii à Messia aliquando offerendi.*

(Atqui tam non potuerunt Patriarchæ illum typum in sacrificiis invenire & ob finem illum sacrificia offerre, quam ipsam de Messia promissionem suo arbitrio excogitare. Quare sicut promissio de Messia divinitus revelata, ita quoque præceptum de sacrificiis divinitus fuit datum. Quæcunque Ceremoniæ significant & confirmant gratiam, eas oportet esse à Deo institutas, quod εὔδηλον.)

3. Pererius in Genes. c. 4. v. 2. n. 13. p. 233. docet, *potuisse Abelem cognovisse sibi sacrificandum ex patre Adamo, qui id à Deo doctus itidē filios suos docuerat.* Cōsentit Capnio in Cabala lib. 3. p. 620.

4. Ægidius de Coninck Jes. in tractatu de Sacram. q. 83. art. 1. dub. 1. p. 299. *Ad secundam respondent multi, in lege Naturæ omnes primogenitos fuisse Sacerdotes; Abel vero, qui primogenitus non erat, ex particulari Dei instinctu & ordinatione sacrificasse. Vide D. Hieronymum in qq. Hebraicis.*

5. Sacrificia non fuissent oblata *in statu integritatis*, quia sacrificia fuerunt typi Messiæ pro peccatis mundi seipsum in sacrificium oblaturi.

Andreas Eudæmon, Joh. Cretensis Jes. in Defensione Annalium Baronii lib. 1. c. 3. p. 20. citat & approbat dictum Thomæ 2. 2. q. 2. art. 7. *Post peccatum fuit explicitè creditum mysterium incarnationis Christi, non solum quantum ad incarnationem, sed etiā quantum ad passionem & resurrectionem, quibus humanum genus à passione & morte liberatur. Aliter enim non præfigurassent Christi passionem & ante legem & sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant. Minores autem sub velamine illorum sacrificiorum credentes ea divinitus esse disposita, de Christo venturo quodammodo velatam habebant cognitionem.*

Quod si sacrificia non fuissent futura in statu integritatis, ubi lumen Naturæ clarius fulsit, utiq; non ex instinctu luminis Naturæ primi parentes ad sacrificia processerunt.

6. Greg. de Valentia lib. 1. de Missa c. 2. §. Tertio &c. sic disserit: *Veri nominis sacrificium patet latius, quam sacrificium divinitus institutum ac legitimum. Consistit enim ejus essentia in hoc, ut res aliqua externa divino Numini ex instituto offeratur aliquo modo confecta & immutata. Quod opus etsi per se atq; e ex suo genere consideratum, malum non sit, sed potius aptum, ut nisi quæ conditio vitiosa adjuncta fuerit, officium sit religionis, nondum tamen in ipsius ratione exprimitur, quod sit officium divinitus institutum, vel legi sive instituto religionis alicujus consonū, sed id tanquā accidens quoddam est.*

(Ex illo sic colligimus. Quodcunque sacrificium est legitimum, illud etiam divinitus institutum, docente Gregorio de Valentia. Atqui sacrificia Abelis & aliorum sanctorum fuerunt legitima. Ergo fuerunt divinitus instituta.)

7. Boul-

7. Bouldoucus lib. 1. de Ecclesia ante legem cap. 1. adducit & approbat dictum Hugonis in Genesin. *Credimus, Deum docuisse Adam cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumq; docuisse filios suos dare Deo decimas & primitias.*

8. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2. §. ultimò. *Deus primus sine dubio inspiravit Abeli & aliis sanctis viris usum sacrificiorum.*

(Ergò cultus hic ex Dei revelatione, non autem ex lumine Naturæ originem traxit.)

Argum. 2. Psal. 54. v. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.*

Hunc locum adducit Salmero in cap. 2. Coloss. pro *electitiis cultibus.*

Resp. 1. Dionys. Carthusianus in illum locum sic commentatur: *Sponte atq; ardentissimâ caritate Dei & proximi offeram meipsum in ara crucis*, (interpretatur enim locum de Christo.)

2. Aiguanus ib. *Voluntariè sacrificare est gratis & non propter aliud sacrificare.*

3. Bellarminus ib. *Promtissimo animo offeram sacrificiũ laudis.*

4. Jacob Tirin. in Comm. illius loci. *Voluntariè, id est, non coactus, sed sponte meâ & perlibenter.*

Thesis tertia. Legem Dei ne renati quidem perfectè in hac vita implere possunt.

Ἔϰθεσις. 1. Non est quæstio *de statu innocentiæ*, an in eo primi parentes legem Dei perfectè implere potuissent, quod libenter concedimus.

2. Neque quæstio est *de beatis in vita æterna*, quos legem Dei perfectè implere, itidem concedimus.

3. Neque quæstio est, *an renati summis viribus contendere debeant, ut omnes suas actiones juxta normam divinæ legis instituant, & à peccatis summo studio caveant*, quod itidem concedimus.

4. Neque quæstio est *de inchoata legis impletione*; quam itidem renatis non denegamus. Docemus enim, legem Dei à renatis duobus modis impleri, primò *fide & imputatione* Rom. 8. v. 3. & 4. cap. 10. v. 4. deinde *inchoatione seu novâ obedientiâ ex fide ortâ*. Ideo enim credentibus imputatur perfectissima legis obedientia à Christo præstita, non ut secundùm carnem liberè vivant, sed ut in præceptis Dei ambulent. Hæc renatorum nova obedientia non tantum in externis operibus consistit, sed etiam interiorem obedientiam complectitur, siquidem interiores pravas cõcupiscentias & desideria carnis mortificat, ac novos motus cum lege Dei consentientes inchoat interim tamen obedientia illa à perfecta legis impletione, quã Deus requirit, procul adhuc abest.

5. Neque quæstio est de hominibus infidelibus & non renatis, sive sint in externa Ecclesiæ societate, sive extra eam constituti. Illi enim quamvis externam disciplinam præstare possint, quam Scriptura vocat *justitiam carnis* Heb. 9. v. 10. tamen interiorem & spiritualem obedientiam sine fide & Spiritu Sancto non possunt præstare, multò minus legem Dei perfectè implere.

Antithesis. Concil. Trident. sess. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

Censura Colon. p. 48. *An non videtur Deo maximam inferre contumeliam, qui eum tam iniquum reputat, ut jussisse dicat aliquid, quod nemo implere possit? Nemo tantam impietatem in homine ferat, ut servo alicui imperet, quod absolvere non possit, & tamen nisi præcepto obtemperet, supplicia interminetur?*

Petrus à Soto in Methodo Confess. Ann. 64. Dilling. edit. p. 77. *Adeò sunt divina mandata dulcia, adeò suavia, maximè amanti & humanæ Naturæ quasi cognata & congenita, ut difficilius multò sit ea transgredi quàm observare.*

Idem in Assert. Cathol. de Lege p. 59. *Non tantùm homo in hac vita legem implere potest, sed etiam plura, majora & sanctiora opera, quàm lex præscribit, præstare, supererogamus enim non nihil his, ad quæ ex necessitate tenemur.*

Collocutores Pontificii in Colloq. Ratisbonensi An. 1546. *Is, cui remissa sunt peccata, potest auxilio gratiæ Dei sic implere Dei præcepta, ut Deo & proximo reddat, quod debet; quod dum facit, non solum non peccat mortaliter, sed potius est justus apud Deum & legis impletor, & ejusmodi homines verè sunt justi apud Deum & legem ejus implent, quia gratiam habent omnia omninò peccata delentem & suggerentem vires ad implendam legem.*

Staplet. in Promt. Catholic. Dom. de nuptiis Cananæis. *Locus tractandi contra hæreticos ex verbis Mariæ, quod dixerint vobis, facite, integram & plenam omnium mandatorum Christi observationem, quam illi blasphemo ore impossibilem esse ajunt.*

Bellarminus lib. 3. de Pont. Rom. cap. 23. antith. 6. *Non timemus asserere, posse hominem per gratiam Dei justificatum ejusdem gratiæ adjutorio & legem implere, & eâ impletione vitam æternam promereri.*

Idem lib. 2. de Monach. cap. 13. *Si lex non posset impleri, sequeretur, hominem nunquam peccare. Non enim peccat, qui non facit, quod non potest; & Deus esset omninò Tyranno iniquior & crudelior, quippe qui tributum peteret, quod nemo solvere posset, & hoc peteret à suis amicis.*

Ibid. *Patrum consensus est, nihil impossibile est nobis à Deo mandatum.*

Idem lib. 4. de Justif. cap. 10. §. Porrò. *Legem Dei justis hominib. esse absolutè possibilem, fatentur omnes Catholici, non quidem per solas liberi arbitrii vires, ut hæretici nos dicere calumniantur, sed per auxilium gratiæ Dei & Spiritum fidei & caritatis in ipsa justificatione nobis infusum.*

lib. ejusd. cap. 13. §. Prima ratione &c. *Potest homo plus facere, quàm Deus præcepit, igitur multò magis potest implere præceptum Dei.*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 81. nostram de ἀδυναμίᾳ legem perfectè implendi sententiam vocat *blasphemam doctrinam & impiam in Deum blasphemiam.*

Costerus in Enchirid. cap. 6. p. 244. *Mandata Dei ab homine impleri non posse non modo falsum est, sed etiam cum gravi in Deum blasphemia conjunctum, quia expressè dicitur, mandata Dei non esse gravia.* 1. *Joh.* 5. v. 3.

Binsfeld. in libr. recept. conclus. sect. 4. p. 880. *Justus cum auxilio speciali & adjutorio Dei potest diu, imò usque ad finem vitæ, cavere omnia peccata mortalia, & implere omnem legem obligantem sub culpa mortali.*

Petr. Cudsem. in viv. Spec. loc. 11. p. 105. *legem Dei & mandata Christi non modò esse factu non impossibilia sed volentibus & Deum diligentibus usq; adeò possibilia, ut sint ipsis suavia & facilia, levia non graviora &c.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex manifesta Scripturæ asseveratione.* Scriptura manifestis ac perspicuis verbis asserit, legem Dei requirere adeò perfectam ac numeris omnibus absolutam obedientiam, ut plena ejus persolutio nobis in hac vita sit impossibilis Joh. 7. v. 19. Actor. 7. vers. 53. cap. 13. vers. 38. cap. 15. vers. 10. Rom. 8. vers. 3. & 7. Gal. 3. vers. 21. &c.

2. *Ex Natura legis.* Lex *spiritualis* est Rom. 7. v. 14. non externam tantùm, sed internam etiam Spiritus obedientiam, adeoque talem integritatem ac perfectionem postulat, ut nihil carnale sit aut sentiatur in viribus nostris, quod vel aliò inclinet & trahat, vel impediat, quò minùs totus homo sit spiritualis & motus dilectionis ardentissimus. Deut. 6. v. 5. proponitur summa legis moralis, *quòd Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima ex omnibus viribus; & proximum, sicut nos ipsos diligere debeamus*: ubi requiritur perfectio tum *essentialis*, ex tota anima & omnibus viribus, tum *integralis* juxta omnia & singula mandata; tum *accidentalis* omni tempore. Exigitur ibi triplex dilectionis *totalitas*,

Primò *objecti diligibilis*; ejusque tùm *primarii*, ut diligamus Deum & omnia quæ ad ipsum pertinent; tum *secundarii*, ut diligamus proximum, inimicum pariter ac amicum 1. Joh. 4. vers. 21. Matth. 5. v. 24. & quidem juxta integrum Decalogum Jac. 2. v. 10.

Secundò, *modi ex parte diligentis*, ut nostra erga utrumque dilectio ex limpido & puro totius cordis, quod affectuum sedes, fonte derivetur, ut toti juxta omnia membra, omnes omninò animæ & corporis vires sincerissimè diligamus & impensissimè, adeo ut omnes cogitationes, omnis vita & intellectus in illum conferatur, à quo habemus ea ipsa, quæ conferimus; ut omnes cordis actus, motus & affectus ad eum diligendum concurrant.

Tertiò, *temporis*, ut Deum & proximum diligamus perpetuo & indesinenter. Deut. 6. vers. 12. cap. 11. vers. 1. Hoc præceptum *de dilectione Dei* est regula & mensura obedientiæ *in præceptis affirmativis*; quemadmodum præceptum *de non concupiscendo* est regula & mensura obedientiæ *in præceptis negativis*. Quòd si vel maximè mandatis Dei obedire in hac vita incipimus, tamen deficimus in primo & ultimo præceptis.

3. *Ex sanctorum confessione.* Omnes sancti confitentur, se coram Deo peccatores esse, contra verò à perfecta legis impletione procul adhuc abesse, Exod. 34. vers. 7. 1. Reg. 8. vers. 46. Job. 9. vers. 2. 3. & 28. (in vulg. vers.) cap. 15. vers. 15. Psal. 19.

vers. 13.

vers. 13 Psalm. 32. vers. 6. Psalm. 130. vers. 2. Psalm. 143. vers. 2. Prov. 20. vers. 9. Esai. 6. 64. vers. 6. Daniel. 9. v. 5. 7. & 18. Rom. 7. vers. 14. 18. & 23. 1. Cor. 4. vers. 4. 1. Johan. 1. vers. 8. Jacob. 3. vers. 2. ex quibus sic concludimus: Ubi peccatum, ibi ἀνομία. Ubi ἀνομία, ibi non est perfecta cum lege conformitas, pugnant enim inter se aberratio à lege, & perfecta legis impletio Jacob. 2. vers. 10. Jam verò in omnibus sanctis hæret adhuc peccatum in hac vita. E. Qui carnalis est, nondum perfectè implet legem, quæ est spiritualis. Renati sunt adhuc ex parte carnales, manet in eis lucta carnis & Spiritus Galat. 5. vers. 17. Ergò. Qui veretur justitiâ suâ coram Dei judicio niti, is nondum implevit legem, cur enim dubitaret suâ justitiâ niti, si perfectè legem implevisset? Sancti verentur suâ justitiâ coram Dei judicio niti. Ergò.

4. *Ex negata justificatione per legem.* Qui perfectam & integram obedientiam legi præstare potest, is potest etiam per legem justificari & salvari. Lev. 18. v. 5. Ezech. 2. v. 11. Luc. 10. v. 23. Rom. 7. v. 10. Gal. 3. v. 12. At nullus homo per legem justificari & salvari potest, Gal. 3. v. 11. Rom. 3. v. 20. unde etiam operaà justificationis actu excluduntur, Rom. 3. v. 28. Gal. 3. v. 11. Ergò.

5. *Ex fine adventus Christi.* Si homo perfectè posset legem implere, nō opus ei foret Christi merito. Gal. 2. v. 21. quò pertinent omnia Scripturæ dicta, quæ de fine incarnationis ac passionis Dominicæ, itemque de causa formali nostræ justificationis loquuntur. Act. 13. v. 38. Rom. 8. v. 3. & 4.

6. *Ex piorum in hac vita conditione.* Pii in hac vita *primitias tantum Spiritus* accipiunt Rom. 8. v. 23. manet in eis *lucta carnis & Spiritus* Gal. 5. v. 17. *renovatio crescit de die in diem.* 2. Cor. 4. v. 16. indigent quotidianâ peccatorum remissione. Matth. 6. v. 12. ergò inchoata eorū obedientia non est talis quædam perfecta legis impletio, qua coram Dei judicio consistere & vitam æternam mereri possint.

Pulchrè Tertullianus lib. de anima cap. 23. *In optimis nonnihil est pessimi. Solus enim Deus est sine peccato.*

7. *Ex propria renatorum experientia.* Quis in dilectione Dei se satis fervidum esse sentit? quis in timore Dei quandoque remissum seipsum fieri non sentit? quis tali ac tanta patientia afflictiones sustinet, qualem ac quantam lex Dei exiget? quis in precibus semper est attentus & assiduus? cui non obrepunt dubitationes de exauditione? quis omnibus officii sui partibus quotidiè satisfacit? quis legem caritatis proximo debitæ juxta omnes partes perfectè implet? quis non quandoque pravas concupiscentias sentit? At hæc omnia non præter, sed contra legem fiunt.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quòd quidam agnoscunt, legem in hac vita non posse perfectè à nobis impleri.

Carolus Magnus lib. 1. de imagin. cap. 15. *Deus jugum legis homini imponit, homo ferre non valet.*

Ib. *Quia lex à quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper, ad hoc enim opus est, ut propitius sit Deus; & ideò desuper ponitur, quia superexaltat misericordia judicio.*

lib. 3. cap. 25. *Lex peccata tantummodò ostendit; gratia autem quæ per Christum data est, peccata, quæ lex monstraverat, curavit,*

Bernhardus serm. 2. in vigil. nativ. Col. 37. *Propterea mandata sua mandavit custodire nimis, ut videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, confugiamus ad misericordiam & dicamus, quoniam melior misericordia tua super vitas.*

Serm. 50. in Cantic. col. 642. *Est caritas in actu, est & in affectu. Et de illa quidem, quæ operis est, puto datam esse legē hominibus mandatumq́ formatum. Nam in affectu quis ita habet, ut mandatur? Ergò illa mandatur ad meritum, ista in præmium datur, cujus initium profectumq́ vitam quoque præsentem experiri divinâ posse gratiâ non negamus, sed planè consummationem, defendimus futuræ felicitati. Quomodo ergò jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? aut si placet tibi magis de affectuali caritate datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quod minimè in vita ista ab aliquo hominum possit vel potuerit impleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit præceptorem præcepti pondus hominem excedere vires, sed judicavit utile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, ut scirent sanè, ad quem justitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergò mandando impossibilia non prævaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur & subditus fiat omnis mundus coram Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum & sentientes defectum clamabimus in cœlum, & miserebitur, nostri Deus, & sciemus in illa die, quia non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.*

Hugo de S. Victore Abbas Parisiensis (circa ann. 1130.) in cap. 4. Rom. *Si homo non peccasset, haberet omnimodam justitiam, quæ consistit in omnimoda præceptorum Dei impletione, ut nihil omninò concupisceret contra rationem, & ut Deum toto corde diligeret, sed post peccatum & propter peccatum homo non potuit hanc perfectam justitiam habere. cui meritò debetur æterna beatitudo, sed Deus per gratiam suam dat homini fidem &c.*

Thomas in explanat. cap. 3. Gal. lect. 4. *Nullus potest legem servare hoc modo, quo lex præcipit.*

Et paulò pòst. *Implere totam legem est impossibile, ut dicitur Act 15. Ut quid tentatis imponere jugum, quod neq́ nos, neq́ Patres nostri portare potuimus.*

(Ubi nota, dictum Apostolicum Act. 15. non tantùm de *lege Ceremoniali*, sed de *tota lege* accipi.)

Synodus Tridentina in decreto secundæ sessionis, *fideles Tridenti congregatos hortatur, pœnitentiam agentes, delicta confitentes & Eucharistiæ Sacramentum sumentes præcepta Dominica adimplere, quantùm quisq́ poterit. At hæc modi adjectio foret impia, si justificatus ea posset absolutè servare.* Petrus Suavis lib. 2. Hist. Conc. Trid. p. 260.

2. Quòd præceptum dilectionis ita explicant, ut ejus impletionem perfectam in hac vita impossibilem esse ex eo deduci possit.

Lombardus illud consequens disertis verbis concedit. Sic enim disserit lib. 3. sentent. dist. 27. lit. E. *Dilectionis Dei modus insinuatur, cùm dicitur, Ex toto corde, id est, ex toto intellectu; ex tota anima, id est, ex tota voluntate; ex tota mente, id est, memoria, ut omnes cogitationes & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers illi. Hæc dicens nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, sed quicquid venerit in animum, illuc rapiatur, quò dilectionis impetus currit.*

lit. F. *Illud autem præceptum non penitus impletur ab hac mortali vita, sed ex parte, non ex toto, quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus, in futuro autem implebitur ex toto. Unde Augustinus* (lib. de perfect. just.) *Cùm adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Caro autem non dicitur concupiscere, nisi quia anima carnaliter concupiscit. Cùm autem venerit, quod perfectum est, ut destruatur quod ex parte est, id est, ut jam non ex parte sit, sed ex toto, caritas non auferetur, sed augebitur & implebitur. In qua plenitudine illud præceptum caritatis implebitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Tunc erit justus sine peccato, quia nulla erit lex repugnans legi mentis. Tunc prorsus toto corde, totâ animâ, totâ mente diliges Deum, quod est summum præceptum.*

lit. G. *Sed cur præcipitur homini ista perfectio, cùm in hac vita eam nemo habeat? quia non rectè curritur, si, quò currendum est, nesciatur. Ecce habes, cur illud præceptum est, quod penitus impleri non potest. Impletur tamen ex parte, scilicet secundùm perfectionem viæ, alia enim est perfectio currentis, alia pervenientis.*

Thom. 2. 2. q. 44. art. 5. *Quando jubemur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute diligere, designantur quatuor potentiæ principales in homine, scilicet intellectiva, volitiva, sensitiva & motiva. Per cor intelligitur voluntas, quia omnibus imperat, sicut cor vitæ influxum communicat; per mentem intellectus; per animam vis sensitiva; per virtutē vis motiva corporalium membrorū.*

Alphonsus de Castro lib. 3. adv. hæreses verbo beatitudo, hæresi 4. *Deus non potest perfectè amari in hac vita, quia non potest in eadem perfectè cognosci. Quæ enim minus cognoscimus, minus etiam amari necesse est, quoniam ea, quæ non cognoscuntur, amari non possunt &c. Paulus ait: Videmus nunc per speculum in ænigmate.*

Johan. Ferus in cap. 22. Matth. p. 178. *Diliges Dominum ex toto corde, id est, affectu & cogitatione: ex tota anima, id est, vita, ut nunquam cesses diligere per omnem vitam: ex tota fortitudine tua, id est, ex omnibus viribus tuis quicquid potes.*

Ibid. p. 170. *Deus primo hoc præcepto exigit, ut ipsum credas esse Deum, hoc est, summè bonum, summè veracem, summè justum, summè sapientem, summè potentem, hoc enim est esse Deum. Contra præceptum igitur hoc facit, quicunq́ vel de ejus bonitate ac misericordia dubitat, vel promissis non credit, qui peccatorum impunitatem sibi pollicetur, qui Deum non omnia sapientissimè ordinasse ac agere arguit, qui de omnipotentia ejus dubitat &c. Et tamen caro non agnoscit hæc esse peccata, nemo hæc confitetur, aut conscientiam super hoc format &c. Secundò non satis est, ipsum agnoscere ac credere Deum, nisi agnoscas & unicum Deum, hoc est, eum, à quo solo omnia, & per*

quem

quem solum omnia: hoc est, vult, ut credas te omnia accipere ab ipso, utpote vitam, corpus, animam, escam, potum, vestimenta, sanitatem, pacem, tutelam, divitias, sapientiam, justitiam, etiamsi quicquam horum per homines aut creaturas tibi obveniat, ipse n. est, qui per creaturas nobis benefacit, in ipsum igitur omnia referenda. Deinde vult, ut omnia etiã mala & adversa, qualia sunt, paupertas, infirmitas &c. ut ab ipso immissa accipias &c. Contra præceptum igitur hoc faciunt, quicunq; propter sapientiam, justitiam, divitias, fortitudinem superbiunt, ac aliòs non habentes despiciunt, hi enim ignorant omnia à Deo & Dei esse, alioqui neminem contemnerent, non superbirent, sed grati essent &c. Non minùs a. & hi, qui adversa non ut à Deo, sed ab hominib. vel Diabolo accipiunt, propter quod & indignantur, ac vindictam parant &c. Tertiò vult Deus, ut nedum credas, ipsum esse Deum & unum solumq; Deum, sed etiam ut credas in ipsum, hoc est, ut omnem fiduciam tuam in illum colloces, ac omnia bona de ipso speres, idq; semper, nedum in prosperis, sed & in adversis, imò in ipsa morte &c. Contra hoc igitur præceptum peccant, qui in horrore peccati & damnationis de Dei bonitate desperant &c. Item qui in adversis constituti animum à Deo abjiciunt, quasi nihil ampliùs boni de ipso sperandum sit. Quoties a. hæc fiant, quis non videt? Et tamen quotusquisq; est, qui in hoc peccare se credit? Quartò exigit hoc præceptum, ut Deum sic cognitum diligamus. Juxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Contra hoc faciunt, qui seipsos, filios, cognatos, possessiones &c. plus diligunt, quod tunc fit, cùm propter ipsa Deum negligunt, quod proh dolor; frequentissimũ est. Quintò exigit hoc præceptum timorem. Dominum Deum timebis, non perditionem honoris, favoris, vitæ, rerum &c. Impius igitur est, qui harum rerum timore recedit à Deo, & facit, dicitve, quod contra verbũ Dei est, nec excusatur. Quoties a. id fiat, quis non videt? Vides igitur quàm arduum sit hoc præceptum, quod vel solum omnes nos peccatores convincit. Hoc si diligenter inspexeris, invenies, ni fallor, quæ lugeas, confitearis, emendes.

Ibid. p. 178. b. *Vides quam arduum sit præceptum* (de diligendo Deo.) *Certè hic invenies in te, nisi hypocrisi excæceris, diversum cor, diversam vitam tuam, diversas & contra reluctantes vires tuas; quid ergò hic audis, nisi damnationem tuam, non solùm non facis, quod lex Dei jubet, sed & contrà facis &c. Summà; hæc duo præcepta* (de diligendo Deo & proximo) *omnes nos convincunt peccatores & damnatos, nisi misericordiâ liberemur.*

Georgius Wicelius in Domin. 18. post Trinit. Ludovicus Vives in Comm. lib. 10. Aug. de Civ. Dei cap. 5. Ludovicus Granatensis conc. 2. in XII. post Pentecosten, agnoscunt, *intensionem dilectionis; quæ à lege præscribitur, quando Deum ex toto corde, totâ animâ, totis viribus diligere jubemur Deut. 6. v. 5. in hanc vitam non cadere.*

Stapletonus in Promt. morali Domin. 12. post Pentecost. p. 294. *Diligendus est Deus toto corde, id est, totâ voluntate, quæ est actionum omnium in anima principium, sicut motuum omnium in corpore principium est cor. Totâ animâ, id est, toto appetitu inferiori seu sensitivo, quo sensu scriptum Gen. 2. Factus est homo in animam viventem, id est, vitâ animali & sensibili cœpit vivere, quem etiam appetitum movet voluntas, sicut sphæra superior suo motu orbes inferiores movet. Ex totis viribus, id est, per omnes potentias motivas & executivas ejus, quod voluntas imperat, sic ut illæ omnes Deo serviant in sanctificationem justitiæ, sicut in impiis serviunt iniquitati ad iniquitatem. Denique ex tota mente, id est intellectu, qui per voluntatem caritate informatam movetur ad credendum de Deo, quæ sunt credenda, ad meditandum de Deo dilecto, ad ea investiganda, quæ ad Dei cultum & gloriam faciunt. Sic ergò Deus diligendus, ut tota nostra voluntas, appetitus, actio, intellectus in eum feratur, nec horum quippiam mundo, carni, Diabolo, aut peccato serviat.*

(At quis verè gloriari potest, se præceptum hoc caritatis perpetuò & continuè implere? Excipit Vega lib. 11. de justif. cap. 16. p. 378. & lib. 15. cap. 21. *Absit ut primum & maximum præceptum tam hyperbolicè nobis traditum putemus.* Sed hoc procedit ex eo, quòd legem non æstimant *respectu Naturæ institutæ,* in qua perfectè impleri potuit, sed *respectu Naturæ destitutæ*, in qua perfecta illa impletio propter corruptionem per peccatum introductam est impossibilis.

Toletus Cardin. lib. 4. Instruct. Sacerd. cap. 9. aliter excipit. *Quantùm ad intentionem dilectionis*, inquit, *non tenemur sub præcepto Deum plus omnibus diligere.*

Sed huic exceptioni adversantur Stapletonus lib. 6. de justific. cap. 10. & Gregorius de Valentia lib. de votis cap. 3. qui concedunt, *hoc esse in lege præceptum.* Utuntur autem aliâ exceptione, videlicet *esse hoc præceptum doctrinale, non obligatorium.* At hæc exceptio oppositum habet in apposito, cùm omne præceptum sit obligatorium.

Becanus de justit. bon. operum. th. 32. excipit, *nos diligere Deum super omnia, cùm præferimus eum rebus aliis, & nullius creaturæ timore vel amore Deum offendimus, nec ab illius amore recedimus.* At hæc explicatio vera quidem est, sed non sufficiens. Dilectio enim Dei omnium virium rectitudinem, officiorumque Deo debitorum promtitudinem requirit, qualis in corruptam Naturam omni tempore perfectè non cadit.)

Bellarminus lib. de Monach. cap. 13. resp. ad 1. arg. fatetur, *Gregorium Nyssenum lib. de creat. hominis cap. 8. Anshelmum in cap. 22. Matth. Augustinum lib. 1. de doctr. Christ. cap. 22. Bernhardum serm. 20. in Cant. præceptum de dilectione Dei sic interpretari, ut per animam significetur pars animæ vegetativæ; per cor facultas sentiens; per mentem intelligens, vel aliquid hujusmodi.*

(At quis gloriari potest, se juxta omnes animæ facultates Deum quovis tempore ardentissimè diligere? Subjicit quidem, *præceptum hoc esse affirmativum, ideò solùm præcipi, ut exerceamus istas animæ potentias propter Deum, quando id necessitas gloriæ ejus procurandæ requirit, alio autem tempore, si id fiat, opus esse consilii & supererogationis.* At quando incidere posset tempus ejusmodi, quo nulla nos urgeret promovendi divinam gloriam necessitas? 1. Cor. 10. v. 31. Præceptum de Deo diligendo perpetuò nos obligat, cum nullo unquam tempore summi boni amore nos destitutos esse conveniat.)

Ibid. §. Patres citati &c. Bellarminus concedit, *illud ex toto corde ab Augustino & Bernhardo sic exponi, ut significetur imperari nobis omnes gradus caritatis, quos vel in hoc mundo, vel in alio habere possumus, ita ut semper Deum amemus, nec ullus sit in nobis contrarius cupiditatis motus sive voluntarius, sive involuntarius, cum amore Dei pugnans, ex quo rectè deducant, mandatum hoc in hac vita perfectè impleri non posse.*

(At si mandatum dilectionis, in quo summa legis consistit, in hac vita impleri nequit, quomodo de lege dici poterit, quòd in hac vita perfectè impleatur? Regerit quidem Bellarminus, *tantùm indicari finem, ad quem contendere debeamus, non autem præcipi, quòd sine peccato intermittere non possimus, hoc est, præceptum hoc esse doctrinale, non obligatorium,* ut loquitur Stapletonus lib. 6. de Justif. c. 10. Gregorius de Valent. lib. de votis cap. 3. Sed conficta hæc distinctio evertit Naturam legis, cujus quasi anima est, eum, cui datur, obligare, &, quid sine peccato omitti nequeat, præscribere. Omne præceptum est particula legis. Lex autem *ab obligando* nomen habet. Ergò absurdum est, ullum dari præceptum, quod non obliget eos, quibus latum est. Omne præceptum ideò datur, ut impleatur, Deut. 6. v. 1. *Hæc præcepit Deus, ut facias.* Ergò omne præceptum est obligatorium.)

3. Quòd agnoscunt, in renatis adhuc superesse peccata, quamdiu in hujus vitæ ergastulo concluduntur.

(Ubi peccatum, ibi ἀνομία. Ubi ἀνομία, ibi non habet locum perfecta ἐννομία, sive perfecta legis impletio.)

Clemens Episcopus Romanus lib. 2. Constitut. cap. 18. ἀναμάρτητος μὲν ἀνθρώπων οὐδεὶς πάρεξ τοῦ γενομένου δι' ἡμᾶς ἀνθρώπου. *Absque peccato nemo est hominum, excepto eo, qui propter nos factus est homo.*

Gregorius lib. 21. moral. cap. 9. *In hac vita multi sine crimine, nullus verè esse sine peccatis valet. Unde & prædicator Sanctus, cùm virum dignum gratiâ Sacerdotali scriberet, nequaquam dixit: si quis sine peccato, sed si quis sine crimine est. Quis verò esse sine peccato valeat, cùm Johannes dicat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est? in qua videlicet peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt.*

Idem Homil. 22. super Ezechielem. *Quis in hac vita valeat post fidem sine culpa vivere, cùm Johannes dicat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos seducimus, & veritas in nobis non est? cujus verbis Jacobus concordans, ait: In multis offendimus omnes. Si peccata præterita in fidei perceptione dimissa sunt, & adhuc post fidem ad peccata declinatur, quæ nobis erit præsumtio justitiæ, quæ spes vitæ permanentis?*

lib. 4. Epist. 31. ad Mauritium Imperatorem. *Et quia omnipotenti Deo incessanter quotidiè delinquo, incessantibus quotidiè plagis ferior.*

Idem Homil. in Epiphan. Domini. *Peccata nostra præterita in Baptismatis perceptione mundata sunt, & tamen post Baptisma multa committimus, sed lavari iterum Baptismatis aquâ non possumus. Quia ergò & post Baptismum inquinamus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam.*

Bernhardus serm. 23. in Cant. *Stat propositum Dei, stat sen-*

tentia pacis super timentes eum, ipsorum & dissimulans mala, & remunerans bona, ut miro modo eis non bona tantùm, sed etiam mala cooperentur in bonum. O solus verè beatus, cui non imputavit Dominus peccatum: Nam quis non habuerit peccatum? nemo. Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei. Quis accusabit tamen adversus electos Dei? Sufficit mihi ad omnem justitiam, solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne, quod ipse mihi non imputare decreverit, sic est, quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est: hominis justitia, indulgentia Dei.

Idem serm.73.in Cant. *Si iniquitates observaverit, etiam electorum, quis sustinebit? Opus itaque habent & sancti pro peccatis orare, ut de misericordia salvi fiant propriæ justitiæ non fidentes, omnes enim peccaverunt & egent misericordiâ Dei.*

Idem Epist.24.in fine. *Orari pro me instanter postulo, quia incessanter pecco.*

c. Apostolus. dist.81.ex Augustino. *Apostolus nō dicit: Si quis sine peccato est, ordinetur, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur.*

c. Adhuc. dist.3. de Pœnit. *Oportet enim Ecclesiam sic credere, quæ confitetur, se sæpè peccare. Negant enim veritatem seducti, qui se absque peccato audent jactare. In multis enim offendimus omnes, & nec infans unius diei absque peccato super terram esse potest. Quapropter eliminandus est ab Ecclesia, qui unquam pœnitentibus negat Indulgentiam. Non enim inquirit, quid Apostolus senserit, qui dixit: Nihil mihi conscius sum, sed nō in hoc justificatus sum. Sciens enim, etiam justis peccata solere contingere, non se confirmabat absque peccato qui se cognovit indissolubili vinculo caritatis Christo conjunctum. Nisi enim sciret, justos sæpè venire ad veniam, quomodo dubitaret se peccare, qui sciebat, se Spiritum Dei habere, & intentione mundissimâ ei servire? Cur enim Dominus Petri pedes lavisset & Ecclesiam hoc idem docuisset, nisi quia (quoniam quotidiana est offensio) oportet, ut quotidiana sit remissio. Cur docuisset orantes dicere: Dimitte nobis debita nostra, nisi ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere?*

Clemens V. lib.5. Clement. tit.3. cap 3. condemnat hæresin Beguardi, *quòd homo in hac vita talem perfectionis gradum possit acquirere, quòd reddetur omninò impeccabilis.*

Glossa in c. Unum. dist.25. *Contra Naturam pene est, ut aliquis sine peccato sit.*

Johannes Gerson in tractatu de Statuto Carthusiensium. *Vix facimus aliquid, ubi non possimus venialiter formidare de peccato veniali.*

Alphonsus de Castro lib.7. adversus hæreses, verbo Gratia, hæresi 2. adducit & approbat Canones Concilii Milevitani, cap. 6. *Placuit, quod ait Sanctus Johannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema, sit. Et cap. 8. Placuit, ut quicunque verba ipsa Dominicæ orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ita volunt à sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quasi sibi dimittantur, debita non habere?*

Johannes Ferus in cap.6. Matth. pag 104. *Admirari licet divinæ miserationis immensitatem. Semel per lavacrum regenerationis suâ largissimâ bonitate nobis condonavit omnia peccata, abluit nos & sanctificavit per nomen Domini Jesu: sed quia, proh dolor, contingit in hac infelici peregrinatione, ut post innocentiam acceptam, post Spiritus Sancti arrham plurimùm delinquamus, hic quoque misericordiæ suæ divitias ostendens, quotidianis filiorum suorum delictis certum ac paratum remedium demonstrat, nempe ut humiliter nos peccâsse fateamur, & dimitte nobis debita nostra, supplices fidentesq; postulemus.*

Idem in cap. 2. Johan. *Non probo eos, qui nimia superstitione sanctorum errata excusant, quasi prorsus quicunque sanctorum nomine censentur, sine omni peccato fuerint.*

Bellarminus lib.2. de Justificat. cap.13. §. Altera, adducit & approbat dictum Augustini, *justitiam nostram in hac vita potiùs constare remissione peccati, quàm perfectione virtutis.*

Ibidem adducit & approbat verba Augustini: *Civitas Dei, quæ pergerinatur in terris per omnia membra sua clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra &c.*

Idem lib.1 de Bonis operib. in particul. cap. 6. petit. 5. fatetur, *rectè à Patribus ex orationis Dominicæ verbis, Dimitte nobis debita nostra, colligi, neminem in hac vita sine peccato esse.*

Cornelius Jansenius in Psal.143. *Pro hac, inquam, justitiâ exaudi me, & ne contendas judicio cum servo tuo, summo jure mecum agendo. Nam si judicium nobiscum inire velis, non ego solus, sed nullus omninò super terram vivens, quantumvis apud homines justus & irreprehensibilis, justus deprehendetur apud te, cùm nullus sit, in quo non multa reprehendere possit, & multò plura exigere, quàm præstite rit.*

Estius in 1. Joh.1. v.8. super verba Apostoli. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, ipsi nos seducimus. Multis modis peccatum habere quis dicitur, Primò, propter affectum peccati, quo quidem modo veritatem habet hæc Apostoli sententia, quatenus in hoc seculo nemo reperitur, qui plenè purgatus sit ab omni inordinato & vitioso affectu &c. Leo Magnus serm.7. de Epiphan. Domini: Quis invenietur ita immunis à culpa, ut in eo non habeat justitia quod arguat? &c. Et generalis est sententia Job.14 Nemo mundus à sorde. Secundo modo propter reatum peccati, ut habere peccatum sit reum esse propter primum opus commissum, ita definiente B. Augustino lib.1. de nupt. & concup. cap. 26. Atque hoc etiam modo intellecta vera est B. Johannis sententia. Nam durante hac vitâ, nunquam sumus ab omni reatu liberi. Semper enim est, unde dicere Deo debeamus: Dimitte nobis debita nostra &c. Hunc sensum passim attendunt Patres, & probant ex dictis verbis orationis Dominicæ, per quam, ut ait Augustinus lib 21. de Civ. Dei cap. 27. nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet justè in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittendis debeamus orare. Sed & Leo sermone jam citato de Epiphania Domini docet, neminem ita inveniri immunem à culpa, ut in eo non habeat Dei misericordia, quod remittat. Aperta quoq; sententia est Innocentii III. lib.5. mysteriorum Missæ cap.28. Hominem dum in hac vita consistit, semper esse in aliquo peccato, quod & probat ex hoc loco Johannis. Tertio modo propter actum peccati, non quidem præsentem, sed frequentem & quotidianum & quodammodo continuum. Quem modum attenderunt Hieronymus, Augustinus & alii Patres, qui contra Pelagium scripserunt, cujus erat doctrina justum hominē vivere posse sine peccato, ac multos fuisse, qui sine peccato vixissent.*

Et postea. *Ex testimonio Jacobi c.3. In multis offendimus omnes, satis apparet, quem modum ex tribus prioribus supra dictis Johannes potissimùm spectavit, nempe illum, secundùm quem nemo est, qui peccatum non habeat, quia non vivit sine quotidianis ac frequentibus peccatis:* quod ipsum multis veterum dictis ibidem confirmat.

Didacus Stella in cap.11. Luc. ad verba: *Scimus, Deum peccatores non exaudire,* sic annotat: *Hoc non est simpliciter accipiendum, alioqui nullos homines non exaudiret Deus, quia omnes Naturâ sumus peccatores, & omnes eramus: Dimitte nobis debita nostra, nec quisqū gloriari potest, castū se habere cor, imò si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. In cujus gratiam est advertendū, duplices esse peccatores: Resipiscentes, ut sunt illi, qui dolent de peccatis præteritis, & hos exaudit Deus. Alii verò sunt peccatores non resipiscentes, sed manent in complacentia peccatorū, hos non exaudit Dominus.*

Estius in annot. ad cap.3. Matth. v.14. *Augustinus Johannem* (Baptistam) *vult comprehendi inter eos justos, qui non vivunt sine peccatis. Quòd si ille, quo, veritate teste, nemo surrexit major inter natos mulierum, non caruit peccatis, à quibus opus habebat ablui, quis alius à generali regula excipietur?*

Communiter omnes Pontificii fatentur, *venialia peccata adhuc in renatis locum habere, ac neminem in hac vita peccatis penitùs carere, vel certè non diu absque peccato vivere posse.* Cur ergò perfectam legis impletionem, quæ omne peccatum penitùs excludit, propugnant?

(Excipit Bellarminus lib 2. de Monachis cap. 13. §. Ad ultimum &c. *neminem quidem esse, qui non habeat venialia peccata, sed illa non impedire, quò minùs homo sit justus & multa bona opera faciat.*

Resp. Venialia illa peccata non quidem tollunt vel impediunt *justitiam fidei,* siquidē renatis ea agnoscentibus, deplorantibus, in Christum credentibus, & carnem suam cum concupiscentiis crucifigentibus non imputantur; interim tamen *propriam nostram justitiam* tum *habitualem,* tum *actualem* omninò impediunt, quò minùs sit perfecta, eâdemque in judicio Dei niti possimus. Ubi verò justitia non est perfecta, ibi quoque impletio legis perfecta non est.

Idem Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 14. §. Solida &c. excipit, *venialia peccata non esse peccata simpliciter, sed imperfectè & secundùm quid, neque esse contra legem, sed præter legem.*

Resp. Imò verò omne peccatum, quantumcunque vel qualecunque tandem sit, est ἀνομία, aberratio à lege, transgressio legis, non tantùm præter, sed etiam contra legem, quod Durandus, Cajetanus, Vega lib.11. Concil. Trident. cap.20. Azorius lib.4. Instit. moralium cap.8. Vasquez in Thomam Disput. 143. cap.4. n.1. concedunt, cum quibus Bellarminus priùs transigat. Inde etiam omnes sancti peccatorum remissione indigere dicuntur Ps.32. v.6. At si peccata venialia nō essent peccata simpliciter, sed imperfectè, tum etiam remissione peccatorum non simpliciter, sed imperfectè indigerent.)

4. Quæ

4. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Thomas in explanat. cap. 3. Galat. lect. 4. *Lex justificare non potest.*

(Si lex perfectè impleri posset, utiq; etiam justificaret. *Qui enim fecerit ea homo, vivet in eis.* Quia ergò justificare non potest, utique etiam post lapsum perfectè impleri non potest.)

Secundò, Altensteig in Lexico, in Verbo, Præceptum, ex Gersone lect. 5. de vita spirituali anim. & tract. 9. super Magnificat Cameracensi quæst. 2. art. 2. lib. 1. Bonaventura in dist. 37. quæst. 2. docet, *Peccatum committi, quando intentioni præcipientis, quam jure quisque subditorum scire debebat, non satisfit, etsi ex operantis opinione litera præcepti satisfiat.*

(Atqui intentio Dei præcipientis in singulis mandatis est obedientia ex dilectione Dei super omnia, omni omninò pravæ concupiscentiæ labe carens, quam intentionem nemo hominum assequitur.)

Tertiò, Stapletonus in Antidot. p. 325. *propter adjunctam legem moralem Ceremoniarum multitudinem fuisse onus difficile* disputat Act. 15. v. 10.

(Ergò dictum illud nō de sola Ceremoniali lege agit, quod tamen evincere conatur Bellarminus lib. 4. de Justificat. c. 14. Præterea si *lex Ceremonialis* fuit jugum importabile, multò magis tale jugum fuit *lex moralis*, siquidem Luc. 11. v. 24. & Matth. 23. v. 23. ubi Christus inter se confert opera legis Ceremonialis & moralis, hæc illis *βαρύτερα graviora esse* pronunciat.)

Quartò, Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 14. ad dictum Augustini lib. 1. retract. cap. 19. *Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur*; respondet, *ipsum loqui de summa perfectione implendi legem, ad quam non perveniamus in hac vita.*

(Idem & nos dicimus, non enim negamus, inchoari legis impletionem, sed in summo perfectionis gradu eam in hac vita absolvi negamus, quia peccatorum remissione adhuc indigemus. Regerit Bellarminus, *per pœnitentiam impetrari prævaricationis veniam, & hac ratione mandata deputari impleta.*

Resp. Ubi pœnitentia requiritur, ibi peccata adhuc locum habent, quorum remissio necessaria. Illa peccatorum remissio non contingit per opera legis, nec per nostras satisfactiones, sed ex fide in Christum ex Evangelio.

August. quæst. 105. in Exod. *Quia lex à quovis proficiente non omni ex parte completur, propitiatorium desuper est.*

Idem Epist. 29. ad Hieron. *Plenissima caritas, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic vivit homo, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm esse debet, ex vitio est, ex quo vitio non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, propter quod vitium si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos fallimus.)*

Quintò, Becanus in Disput. de Justit. bonor. operum cap. 1. thes. 35. concedit, *amare Deum ex toto corde reipsâ idem esse, ac mandata Dei custodire, aut certè alterum cum altero necessariò connexum, siquidem fieri non possit, ut qui diligat Deum ex toto corde, non etiam servet omnia ejus præcepta.*

(Atqui Deum ex toto corde diligere in hac vita post lapsum non possumus, ut superiùs fuit demonstratum. Ergò nec mandata ejus perfectè implere.)

Sextò, Didacus Stella & Cornelius Jansenius agnoscunt, *in verbis Christi Lucæ 17. v. 10. illud, cùm omnia feceritis, dici ex hypothesi, proinde ex eo non posse colligi, ac si quis hominū omnia faciat.*

(Atqui si renati perfectè legem implerent, hæc non dicerentur ex hypothesi.)

Septimò, Johannes Driedo lib. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 5. non audet concedere, *posse hominem ad breve tempus esse sine peccato*, (teste Pesantio in Thomam fol. 431. At si non possumus esse sine peccato, ne quidem ad breve tempus, quomodo perfecta impletio legis nobis poterit tribui?)

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad dictum Psalmographi Psal. 143. v. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ex quo probamus, *neminem justificari ex lege, ac proinde etiam neminem servare legem*;

1. Excipit Lindanus lib. 3. Panopl. cap. 19. *sensum esse, quòd nullus hominum in conspectu Dei justus sit justitiâ illâ perfectâ, quæ ut Dei est, ita hominum in hac vita non est.*

Resp. 1. Dionysius Carthusianus, postquam hunc locum recitaverat, subjungit: *Sed si hæc ita se habent, quid est, quòd Ezechias, Jeremias, Esther, Judith & alii multi leguntur suas coram Deo justitias atque perfectiones præcipuas allegâsse? Et respondendum, quòd non simpliciter, sed humano modo se justos dixerunt, scientes utique, quòd omnes eorum justitiæ essent coram Deo sicut pannus menstruatæ.*

2. Dominicus à Soto in hunc loc. *hinc haberi* dicit, *quòd nulla persona justa ita justificabitur in conspectu divinæ majestatis, in qua ipse, quem nullum latet secretum, non videat multa opera mala, quæ nobis sunt abscondita.*

3. Jansenius in hunc locum sic commentatur: *Ut intelligatur, quomodo hæc Prophetæ sententia non contrarietur aliis Scripturæ locis oppositum asserentibus secundùm apparentiam, ut præter alia, dum dicit Paulus: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur: advertendum est, hunc locum posse in Catholico sensu dupliciter intelligi: Primùm, ut sit sensus: Non justificabitur in conspectu tuo, id est, si ad summam tuam justitiam comparetur, ut juxta eam exquiratur.*

(Hæc erat Lindani solutio, sed quam comiter Jansenius repudiat, subjungens:)

Verùm hic sensus acuto Lectori fortasse proposito Prophetæ convenire non videbitur. Proinde dicendum, non simpliciter intelligendum, quod dicit: Non justificabitur coram te omnis homo, sed cum conditione, quæ petenda est è præcedenti parte. Non enim dicit: Non justificabitur omnis homo coram te; sed: Non justificabitur, si scilicet cum ipso volueris in judicium venire. Sicut enim dicitur is in judicio, quod est illi cum altero, non justificari, qui ab illo in multis justè accusari potest, quæ alius refellere nequit: ita & Deo nobiscum expostulante, vel nobis judicibus inveniemur non esse justi. Nam præter ea debita gratitudinis, quæ Deo nemo satis exolvere potest, etiam ea debita, ad quæ præcepto divino obligamur, nemo est, qui plenè satisfaciat, sed Deo expostulante, omnes invenientur fecisse multa, quæ facta non oportuit: & rursum multa non fecisse, quæ facta oportuit.

(Ergò nemo justificabitur in conspectu Dei, si is cum ipso velit in judicium intrare. Judicium autem Dei est secundùm legem. E. ex lege nemo potest justificari, nimirum, quia nemo implet legem.)

4. Jacobus Tirinus ad hunc loc. sic commentatur: *Nemo est, qui per omnia & semper sit justus, nam nullus est homo, qui toto tempore vitæ suæ non admittat aliquod peccatum.*

2. Salmero Disp. 7. ad Galat. ad idem dictum aliter excipit; *hominum alios vivere in Adam & peccatores esse, in aliis Christum vivere. De illis verum esse, neminem justificari coram Deo, & de illis loqui Prophetam: ast istos non formidare tribunal Christi. De illis loqui Prophetam, quia Psalmus sit pœnitentialis, ideoq; loqui Davidem indutum personā peccatoris. Pœnitentialē esse* probat *autoritate LXX. Interpretum, qui prænotaverunt, Psalmus David, quando persequebatur eum filius suus, nimirum ob peccata adulterii & homicidii.*

Resp. 1. Glossa interlinearis. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia etsi qui hominibus sancti videntur, non tamen Deo, qui videt intus.*

Glossa ordinaria. *Non Apostolus, non Propheta, non Angelus, non throni, non cæteræ virtutes.*

Lyranus h. l. *Nullus homo justificabitur &c. quia quantumcunque sibi caveat, tamen frequenter labitur, saltem venialiter peccando.*

2. Cornelius Jansenius ad hunc Psalmum sic annotat: *Si judicium nobiscum inire velis, non ego solùm, sed nullus omninò super terram vivens, quantumvis apud homines justus & irreprehensibilis, justus deprehendetur apud te, cùm nullus sit, in quo non multa reprehendere possis & multò plura exigere, quàm præstiterit.*

Ibidem. *Cavendum est, ne ea oratio intelligatur secundùm Dialecticorum regulas, secundùm quas non omnis valet idem, quod aliquis; non enim vult Propheta, aliquem viventem non justificari coram Deo, sed omninò neminem.*

(Ergò pronunciatum Davidis de omnibus omninò hominibus accipiendum.)

3. LXX. Interpp. prænotatio non congruit textui Hebræo. Genebrardus in hunc loc. *Reverà argumentum est generalius, quàm ut ad persecutionem Saulis vel Absolon coerceat.*

2. Ad argumentum *à perfectione caritatis* in lege requisita petitum, excipiunt, *præceptum hoc non esse obligatorium, sed informatorium.* Staplet. lib. 6. de Justificat. cap. 10. in Antidot. Rom. 7. v. 16. Bellarm. lib. 2. de Monachis c. 13. Lindanus lib. 3. c. 19.

Resp. 1. Johannes Ferus lib. 3. in Matth. cap. 22. pag. 171. b. *His verbis Deus ceu stimulis nos excitat, ne præceptum hoc contemnamus aut parvipendamus, id quod plerique faciunt, qui ne peccare quidem se in hoc credunt, si non totos Deo offerant, nimirum persuasi à quibusdam Scripturæ perversoribus, qui dicunt, Deum non exigere, ut præceptum hoc hic impleatur. Et quid hoc aliud est, quàm pulvillos consuere sub cubitis peccantium, id est, peccata defendere, excusare? Ezech. 13. imò hujusmodi homines dissolvunt manus ac remittunt*

genua strenuorum bellatorum ac securos faciunt homines, ut sine timore incedant, quasi certi, quòd Deus minimè requirat Psal. 9. Sic autem sentire periculosissimum est. Qui enim non agnoscit, se praecepto obligatum, nec peccatorem se agnoscit, si non servet illud. Qui autem non agnoscit se peccatorem, quomodo timebit judicium Dei? qui judicium Dei non timet, quomodo humiliabitur? qui humiliatus non fuerit, quomodo gratiam consequetur ac gloriam?

2. Paulus Brugensis in addit. ad Deuteron. jam olim huic commento solidum opposuit fundamentum. *Contra praedicta, inquit, solet objici, quòd frustra daretur hoc praeceptum, si impossibile esset illud adimpleri, praecepta enim dantur ad dirigendos homines in via salutis, ad quod respondetur, quòd ideò praecipitur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat de communi lege, quia non rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur; neq; quò currendum est, sciretur, si nullis ostenderetur praeceptis. Sed etiam hoc non videtur ex toto sufficere Nam si sic, non deberet dari per modum praecepti, cum non datur, nisi solùm ad ostendendum terminum, ad quem curritur, ad quod suffecisset dicere, sicut Apostolus dicit: Deus erit omnia in omnibus; in quibus verbis Apostolus procedit non ut praecipiens, sed ut pronuncians, unde salvâ semper sanctorum reverentiâ videtur dicendum, quòd hoc praeceptum de dilectione Dei non fuit impossibile, ut impleretur perfectè etiam in hac vita universaliter loquendo. Implevit istud praeceptum Christus, etiam quando fuit in hac vita, in qua fuit verus viator, si & verus comprehensor: & ideò à primo instanti suae conceptionis hoc praeceptum, in quo plenitudo legis consistit implevit, cujus respectu principaliter in lege praemissum est, hoc praeceptum tanquam possibile, saltem per ipsum Christum totaliter adimpleri. per alios verò imperfectè & quasi participativè &c.*

Argumenta Adversariorum.

1. Deuter. 30. v. 11. *Mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, non est supra te.*

Resp. Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 6. *Moses non loquitur de facilitate observandae, sed cognoscendae legis.*

(Jam verò ad legis impletionem non sufficit cognitio eorum, quae à lege requiruntur, sed etiam requiruntur vires sufficientes ad praestandum illud, quod in lege praescribitur.

Bernhardus in lib. de gratia & lib. arbitr. *Non ejusdem facilitatis scire, quid faciendum sit & facere; quoniam diversa sunt caeco ducatum ac fesso praebere vehiculum. Non quicunq; ostendit viam, praebet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet, qui facit ne deviet; & aliud qui praestat, ne deficiat in via. Ita nec quivis doctor, statim & dator erit boni, quodcunque docuerit. Porrò duo mihi sunt necessaria, doceri ac juvari.*

Praetereà ex Rom. 10. v. 5. & seqq. manifestum est, Mosen *non de lege, sed de Evangelio* ibidem loqui.)

Argum. 2. Marc. 10. v. 21. *dicit juvenis de praeceptis legis: Haec omnia servavi à juventute mea; quem Christus aspexit & dilexit at odisse debebat, nisi verum fassus fuisset.* Paz man. lib. 12. Hodeg.

Resp. 1. Thomas 2. 2. quaest. 189. artic 1. *Mentitur adolescens. Si enim hoc, quod positum est in mandatis, diliges proximum tuum, sicut teipsum, opere complevisset, quomodo postea audiens, vade, vende, quae habes, tristis recessit?*

(Addi potest, quòd Christus Matth. 19. v. 17. observationem mandatorum ei praecipiat, ex quo colligit Irenaeus lib. 4. adversus haereses cap. 16. *ipsum ea nondum fecisse.*)

2. Pontificii communiter concedunt, *sine cognitione & fide Christi legem non posse perfectè impleri.*

(At juvenis ille ignorabat Christum Mediatorem.)

3. Jacobus Tirinus in Comment. h. l. dicit, *Christum candorem animi hujus adolescentis intuitum eum dilexisse.*

Argum. 3. *Scriptura docet, quosdam fuisse perfectos in hac vita Gen. 6 v. 11. cap. 17. v. 1. Matth. 5. v. 48. Matth. 19. v. 21. Phil. 3. v. 15., 1. Johan. 4. v. 32. utique ergò perfectè diligunt & legem implent.*

Resp. 1. Antonius Sucquet in Via vitae aeternae per Stengelium Jesuitam in linguam Germanicam versa, part. 3. c. 1. p. 594. Die Vollkommenen nenne ich nicht zwar allerdings oder allerseits/ denn wer würde doch dieser seyn? Ja freylich spricht Bernhardus Epist. 34. Keiner ist vollkommen/ welcher nicht vollkommener zu seyn wünschen und begehren thut/ sondern diejenigen/ welche nemlich in der Tugend/ allermeist aber der Demüthigkeit und der Liebe guten Fürfahrt und grossen Fortgang gemachet habe.

(Alia perfectio est *absoluta sive graduum*; alia verò *respectiva & conditionata, sive partium*. Illa est, quae summum obedientiae gradum in lege requisitum assequitur, haec est sincera renatorum secundùm totam legem obedientia in hac vita inchoata, in futura demùm consummanda. Illa non tribuitur renatis, sed haec posterior, quae *perfecta* dicitur, *ratione omnium mandatorum*, quibus renati obedire student, ratione ἀνυποκρίσεως & *sinceritatis*, ratione *probabilis & sanctae conversationis*, ac ratione *aliorum*, qui nondum pervenerunt ad illum cognitionis & obedientiae gradum.)

2. Estius ad 1. Johan. 2. v. 5. sic annotat: *Perfecti juxta modum perfectionis, quam viatores essequi possumus. Alioqui nullius hominis in hac vita caritatem omninò perfectam esse, remotâ scilicet omni imperfectione, jam antè docuit Johannes, quando testatus est, neminem hic vivere sine peccatis.*

Ibid. docet, *caritatem perfectam ab Apostolo intelligi eam, quae est vera, sincera, Christiana, legi Dei conformata.*

3. Johannes Stephanus Menochius ad cap. 6 Genes. v. 8. *Justus & perfectus, perfectione, non patriae, sed viae, quae excludit omne peccatum, non veniale, sed mortale, quaeque in assiduo studio & profectu virtutum consistit.*

4. Michael Gislerius in Cantic. cap. 4. v. 7. expositione 3. *Anima, quae non peccat peccato, quod Dei amicitiam & gratiam tollit, tota pulchra dicitur, quamvis levioribus adhuc obfuscetur peccatis &c. sanctitate & pulchritudine illâ, quae haberi in via potest & in vita praesenti, secundùm quam quotquot justi sunt, dicuntur perfecti & immaculati in sacris literis, Gen. 6. v. 9. Phil. 3. v. 15. &c. quam certè pulchritudinem, quamve admodũ imperfectam justitiae ac sanctitatis perfectionem in se optimè ipsamet recognoscit, quae Sponsa est Dei, dumq; de ea gloriatur in Domino, ne quis, ut de se ait Apostolus 2. Cor. 12. v. 6. existimet ipsam super id, quod videt in ipsa, aut audit aliquid ex ipsa, quomodo cum imperfectione admixta illa sit, contestatum omnibus esse voluit, cùm in principio hujus Cantici dicit: Nigra sum, sed formosa filiae Jerusalem. Et: Nolite me considerare, quòd fusca sim.*

(Cum quo convenit illud Augustini ad Bonifacium l. br. 3. cap. 7. *Virtus, quae nunc est in homine justo, hactenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam imperfectionis & in veritate agnitio & in humilitate confessio.*)

Argum. 4. Gal. 5. v. 23. *Adversus eos, qui edunt fructus Spiritus, non est lex. Qui fructus Spiritus edunt, illi non sunt sub lege. Qui non sunt sub lege, illi non accusantur à lege. Qui non accusantur à lege, illi implent legem. Ergò qui fructus Spiritus edunt, quod faciunt omnes verè renati, illi implent legem.*

Resp. 1. Pii non sunt sub lege *ratione condemnationis*, interim sunt sub lege *ratione debiti obsequii & subjectionis.*

Benedictus Justinianus in cap. 5. Galat. *Ii, qui hisce divinis muneribus praediti sunt, atque ornati, legi minanti ac saevienti nequaquam subsunt.*

Salmero ibidem. *Sensus est, adversus eos, qui tales sunt, & qui haec & hujusmodi bona operantur, non est lex accusans aut damnans, quae contra iniquè facta tantùm datur.*

2. Estius in hunc locum sic commentatur: *Potest dupliciter intelligi illud hujusmodi tam in Graeco, quàm in Latino, vel de fructibus Spiritus jam enumeratis, adversus quos non est lex, quia fructuum hujusmodi opera lex non punit: vel de hominibus talia agentibus, sicut 1. Tim. 1. v. 9. Lex justo non est posita, id est, non est contraria justis, ut eos premat ac puniat, sed injustis. Quanquam & prior intellectus in eandem redit sententiam.*

(Atqui stante hoc intellectu, nulla in argumento vis superest.)

Argum. 5. *Qui justi sunt, sicut Christus, illi perfectè justi sunt, & per consequens implent legem. Atqui renati justi sunt, sicut Christus 1. Joh. 3. v. 7. Ergò perfectè justi sunt, & per consequens implent legem.* Lindanus 3. Panopl. cap. 19.

Resp. 1. Idem Lindanus ibidem disertè addit: *Et si renati mandata Dei custodiant, est tamen eis ad unum omnibus cum D. Jacobo agnoscendum, in multis offendimus omnes.*

(At quomodo perfectè justus est, qui in multis offendit?)

2. Guillaudus in hunc locum adducit & approbat explicationem Augustini tract. 4. in Epist. Johan. *Nunquid, quando audivimus, quòd justi sumus, sicut & ille, aequales nos debemus putare Deo? Debetis nosse, quid est, sicut jamdudum dixit: Castificat semetipsum, sicut ipse castus est. Jam ergò patet: Aequalis est castitas nostra castitati Dei, & justitia nostra justitiae Dei? Quis hoc dicat? sed, sicut, non semper ad aequalitatem dici solet.*

Et postea. *Justi sumus, sicut & ipse justus est, sed ipse in ipsa incommutabili perpetuitate, nos justi credendo in quem non videmus, ut aliquando videamus. Et cùm perfecta fuerit justitia nostra, cùm facti aequales Angelis fuerimus, nec tunc illi aequabitur.* (Ex eo idem Augustinus rectè concludit lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 7. *Nunc ergò similes esse jam coepimus, primitias habentes Spiritus, & adhuc dissimiles sumus per reliquias vetustatis.*)

Argum. 6. 1. Joh. 3. v. 9. *Qui ex Deo natus est, non peccat.* Inde sic con-

sic concludunt: *Qui non peccat, non prævaricatur, sed implet legem. At nati ex Deo, non peccant.* Ergò. Bellarm. Valent.

Resp. 1. Bellarminus lib. 3. de Justific. cap. 15. hunc locum appellat *omnium difficilimum* & ejus varias interpretationes colligit, ac tandem non nisi *cum restrictione* admittit.

(Ergò hic locus secundùm analogiam fidei explicandus, non contra eam torquendus.)

2. Bellarminus ibidem *interpretationem Augustini*, qui tract. 15. in hanc Epistolam existimat, *Apostolum non de quocunque peccato dixisse, sed de peccato contra caritatem*, vocat omnium optimam, *& eâ doceri* existimat, *Johannem loqui de peccatis lethalibus, non autem de venialibus.*

At Salmero Disp. 22. in Epist. Johan. hanc Augustini interpretationem sugillat. *Non rarò*, inquit, *contingit, baptizatos & prædestinatos Dei filios caritatem fraternam violare, & postea per pœnitentiam ablui & redintegrari.*

3. Si is, *qui natus est ex Deo, peccat venialiter*, ut concedit Bellarminus, consequens est, eum non implere legem, quia ἀνομία est ἁμαρτία.

4. Bernhardus lib. de Natura & dignitate amoris divini c. 6. locum hunc Apostolicum *reduplicativè* accipiendum esse docet. Verba sic habent: *Dicit Apostolus: Ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; & rursum, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Itaque quisquis ille est, sicut dicit B. Johannes, secundùm hoc, natus est ex Deo, id est, secundùm hominis interioris rationem, in tantum non peccat, in quantum peccatum, quod corpus mortis foris operatur, odit potiùs quàm approbat, semine spiritualis nativitatis, quo ex Deo natus est, eum intertus conservante. Quod si interim aliquando incursu peccati læditur & atteritur, radice tamen caritatis in altum defixâ non perit.*

Et postea. *Notanda vis verborum. Non*, inquit, *peccatum facit, quod patitur potiùs, quàm facit, qui natus est ex Deo, & non potest peccare, perseverando scilicet in peccato, dum legi Dei mente servit, etiam carnem festinat subigere, qua tentatione & peccato incurrente legi peccati videbatur servire.*

(Aliud ergò est, peccato nō delectari, quatenus quis ex Deo natus est; aliud peccatū non habere & perfectè legē implere.)

5. Eodem modo, *reduplicativè* scilicet hunc locum, accipiunt scriptores recentiores.

Cajetanus in hunc loc. *Hoc est, omnis, qui est membrum ejus, qui manet in eo, ut membrum in corpore, ut sic, non peccat. Est enim sermo formalis, significans, quòd membrum Christi, quatenus membrum Christi, non peccat.*

Salmero Disput. 22. in 1. Epist. Johan. *Dicendum quarto loco nobis est, verum sensum hujus loci capiendum esse à formali ratione loquendi. Nam natus ex Deo, in quantum talis est, non peccat, & homo, quamdiu est in justitia & gratiâ adoptionis, ex qua est hæc nativitas ex Deo, non peccat.*

Emanuel Sa in hunc locum. *Peccatum non facit, scilicet quatenus ex Deo natus est, seu quādiu Dei semen, id est, gratia in eo manet.*

(Quamvis verò pii, quatenus ex Deo nati sunt, non peccent, tamen quatenus adhuc *carnales* sunt, *& sub peccatum venundati*, Rom. 7. v. 14. eatenus nondum ab omni peccati labe sunt immunes.)

6. Inde Salmero d. l. subjungit: *Perpende hominem in Christo renatum, etiam secundùm mentem, in qua semen gratiæ & verbum Dei, & lex justitiæ & caritatis, non tantâ perfectione pollere, ut non resideat in eo aliquid vetustatis propter amorem carnis & suspitus. Ita ut in hominis parte superiore duplex affectus & amor insit, secundùm quem, etsi sit filius Dei, ex parte tamen quoque sit filius seculi. Nam illud semen, quod dicitur fermentum, non perfectè totum hominem fermentat, sed in eo viget adhuc aliqua affectio, ut sit unus & idem quasi duo homines. Qui ergò peccat, alius est, id est, ille idem, alio tamen semine naturali concretus, idcircò tanquam & alius cogitatur.*

7. Bellarminus lib. 1. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 6. respondens ad argumentum Pelagianorum ex Augustino profert, *justos in hac vita partim esse filios Dei ratione fidei justificantis, partim filios hujus seculi, ratione carnalis concupiscentiæ, quæ ex peccato primi hominis in nobis relicta est; & quidem, ut filios Dei non peccare, sed perfici quotidiè magis, tamen ut filios hujus seculi, ratione infirmitatis, nondum omninò sublatæ, aliquando labi.*

Ex Bernhardo serm. 1. de Septuag. respondet, *non peccare, i. e. non permanere in peccato, quia conservat eum, utiq; ut perire non possit, quia falli non potest generatio cœlestis.*

(Neutram interpretationem improbat, alterutrâ autem stante, cadit argumentum, quod ex hoc loco nectunt.)

8. Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus in cap. 5. Epist. ad Rom. *Non potest peccare, ut talis est, sive quatenus semen Dei habet, nempe ex vi ejus justificationis, sicut ignis ex vi caloris non potest infrigidare.*

9. Gagnejus in Comment. 1. Johan. 3. id refert *ad peccatum infidelitatis adfectatæ, quia semen Dei, scilicet verbum Dei aut Filius Dei in eo est, & non potest peccare, non per Naturam, sed per Dei gratiam, quæ illum retinet, ne in hujusmodi detestandum peccatum prolabatur, cùm electos in gravia alioqui flagitia labi sinat Deus, ut suæ fragilitatis conscii uni Deo fidere, ab eoq; uno pendere discant.*

10. Jacobus Tirinus Jesuita in Comment. hujus loci. *Qui natus est ex Deo, id est, Dei filius & justus est, non potest peccare graviter & mortaliter, puta in sensu formali, seu quantū est ex vi illius status.*

(Hanc interpretationem admittimus, sed non probat id, ad quod probandum in argumento hoc dictum applicatur.)

Argum. 7. 2. Pet. 1. v. 10. *Studete, vocationem & electionem vestram firmam facere per bona opera, quia hæc facientes, non peccabimus aliquando.*

Ex hoc loco colligit Bailius in Catech. Controv. tract. 4. quæst. 4. renatos posse legem Dei implere, & opera eorum esse perfecta & pura.

Resp. 1. Cajetanus ad hunc locum sic annotat: *Hoc faciendo non labemini, quod est contrarium firmitati; non labemini à vestra vocatione & electione, sed firmi perseverabitis in illa.*

2. Serarius ad eundem locum sic annotat: *Non peccabitis, peccato scilicet, non quolibet, sed majore, ait Beda; neque quolibet majore, sed perseverante usque ad mortem, quia Græcè est, non cadetis, seu à vocatione vestra non excidetis.*

Argum. 8. *Si lex esset impossibilis, sequeretur Deum omni Tyranno esse crudeliorem & stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo solvere posset, & leges ferret, quas sciret à nemine observandas.* Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 13.

Resp. 1. Pontificii communiter docent, *homines infideles ac nondum renatos non posse legem Dei perfectè implere.*

(Atqui lex Dei pertinet ad omnes omninò homines, etiam non renatos. Quòd si connexum argmuenti esset satis firmū, sequeretur, aut homines non renatos itidem legem Dei perfectè implere posse, quippe quibus non minùs, quàm renatis proponitur, aut illorum respectu Deum esse quovis Tyranno crudeliorem, quorum neutrū Adversarii concedere poterunt.

Cæterùm hoc argumentum suū Pontificii à Pelagianis mutuati sunt, de quibus Augustinus in lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. sic scribit: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod sciret ab homine non posse fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideò jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab ipso petere debeamus.*)

Argum. 9. *Doctrina de impossibili impletione legis præbet occasionem peccandi. Si enim præcepta Decalogi sunt impossibilia, frustra de eorum observatione solicitus sum, frustra caveam à furtis, homicidiis, adulteriis*, Martinus Becanus tract. de Ecclesia q. 3. concl. 2. n. 6.

Resp. 1. Repetimus nostram instantiam *de infidelibus & non renatis*, quibus perfectam legis impletionem impossibilem esse ipsimet Pontificii concedunt, & tamen nolint concedere, hanc doctrinam ipsis dare occasionem peccandi.

(Abusus doctrinæ à vero ejus usu distinguendus.)

2. Eum verò monstrat Bernhardus sermone 2. in vigil. nativ. col. 37. *Propterea mandata sua mandavit custodiri nimis, ut videntes imperfectionem nostram deficere & non posse implere, quod debet, confugiamus ad misericordiam, & dicamus, quoniam melior misericordia tua super vitas.*

(Dicimus ergò cum Hieronymo ad Algasiam: *Hæc dicentes*, videlicet neminem posse perfectè implere legem, *non adulamur vitiis, sed autoritatem sequimur Scripturarum, quòd nullus homo sit absque peccato, sed conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur.*)

Caput. VIII.

DE PERFECTIONE ET MERITIS OPERUM.

Thesis prima. Bona opera renatorum in hac vita non sunt perfecta, nec omni labe peccati adhærentis pura.

Ἔκθεσις. 1. Bellarminus de perfectione bonorum operum contra nos disputaturus lib. 4. de Justificat. capiti 10. ejusmodi titulum præfigit: *Proponitur quæstio de veritate justitiæ operum.* Sed in voce *veritatis* latet quædā ambiguitas. Ea enim vel opponitur *imperfectioni*, vel *hypocrisi*. Priori modo negamus, *justitiam actualem esse verām*, hoc est, modis omnibus perfectam & omni labe peccati vacuam; posteriori modo concedimus, *actualem renatorum justitiam esse veram*, hoc est, ἀνυπόκριτον, ex sincero & simplici corde profectam.

Augustinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 27. *Ipsa nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut magis peccatorum remissione constet, quàm perfectione virtutum.*

2. Bona opera considerantur vel νομικῶς, *legaliter*, vel εὐαγγελικῶς, *Evangelicè*. Conformitas cum lege est vera & propriè dicta bonorum operum absolutè consideratorũ forma, sed cùm perfecta illa cum lege conformitas in hac vita ne quidem in renatorum operibus inveniatur, ideò in Evangelio ostenditur, propter Christum Mediatorem fide apprehensum, renatorum opera Deo placere atque ab ipso acceptari.

3. *Forma* ergò *intrinseca* bonorum operum est ἐννομία, ipsa convenientia cum lege Dei; *extrinseca*, à qua denominantur Deo accepta, est fides, per quam opera nostra Deo placent in Christo & propter Christum. Illa ratione habent *esse absolutum, hac respectivum.* Ἐννομία *est forma constituens*, πίστις est quasi *forma assistens.*

Antithesis. Ruardus Tapperus ad Lovanienses art. 8. qui est de Justificatione. *Hæc justitia, quia vera est & recta, quamvis imperfecta, ferre potest severum Dei judicium, eiq́ opponi, nec solùm habitualis, per quam Naturæ divinæ sumus consortes, & Christo conformes, verùm etiam actualis, opera scilicet justa, quæ in Deo sunt facta, merentur à justo judice justam mercedem, quam ab eo exigere possemus.*

Ibid. *Non solùm igitur opera justorum severum Dei judicium sustinent, ut reprehendi non possint, etiam diligentissimè examinata, discussis circumstantiis ac Diaboli accusatione auditâ, Nihil enim culpæ, nihil deformitatis habent. Nam in Christum & Spiritum ejus blasphemia est dicere, opera justorum optimè facta Spiritu Christi & in Deo, esse peccata. Quapropter nullâ ratione reprehendi possunt, severissimè etiam discussa, cùm solum peccatum Deo displiceat & ab eo arguatur: verùm etiam mercedem secundum justitiam & non merè ex gratia recipiunt.*

Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 10. §. Secundò &c. *à Catholicis summâ consensione doceri* scribit, *opera justorum esse simpliciter & absolutè justa, ac suo etiam modo perfecta, quamvis non eâ perfectione quin crescere possint, & quin non admisceantur interdum operibus bonis opera aliqua mala, non quidem mortifera, sed venialia, quæ non impediunt, quò minùs justi maneant, qui justi erant; Item operibus justis hominem verè justificari non primâ, sed secundâ justificatione, quæ non facit justos ex impiis, sed justiores ex iis.* Utrumque dicit haberi *in Concilio Tridentino* sess. 6. cap. 10. & 11. seque utrumque sigillatim probaturum pollicetur.

Idem lib. ejusdem cap. 15. §. 1. *Opera bona justorum non sunt peccata, sed perfectè justa, ut etiam justitia actualis dici possint.*

Et postea §. 4. *David non solùm opera sua justitiæ nomine ornanda censebat, sed etiam confidebat ea, in judicio Dei posse consistere.*

Nostræ sententiæ confirmatio.

Primò, *imperfectionem operum nostrorum* demonstramus 1. *ex legis perfectione.* Renatorum opera non assequuntur summum perfectionis gradum in lege præscriptum. Etiamsi enim sinceram, spiritualem & interiorem obedientiam inchoemus, tamen deficimus in primo præcepto *de Deo ex toto corde, totâ mente, totâ animâ diligendo*, ut & in ultimo præcepto *de non concupiscendo.* Ergò bona opera nostra non sunt perfectè bona.

2. *Ex cognitionis nostræ imperfectione.* Ubi non est perfecta summi boni agnitio, ibi etiam non habet locum perfecta ejus dilectio, siquidem dilectio præsupponit agnitionem. Atqui in hac vita non est perfecta summi boni agnitio. 1. Corinth. 13. v. 9. Ergò nec locum habet perfecta ejus dilectio, & per consequens in hac vita etiam non habet locum perfecta legis impletio, quia summa & finis præcepti est caritas 1. Tim. 1. v. 5. ac in præcepto dilectionis tota lex ἀνακεφαλαιοῦται, Matt. 22. v. 22. Rom. 13. v. 9.

3. *Ex denegata renatis perfectione.* Renati in hac vita non sunt perfecti, 1. Cor. 13. v. 10. Phil. 3. v. 12. Ergò nec opera eorum sunt perfecta. Consequentiæ ratio est satis manifesta, quia nulla perfectio potest tribui effectui, quæ non sit in causa vel *formaliter*, vel *virtualiter.*

Præclarum est illud Hieronymi ad Cresiph. tom. 2. pag. 254. *Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos se esse noverint. Et vos, inquit, cùm omnia feceritis, dicite: servi inutiles; quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis est, qui fecit omnia, quid de eo dicendum est, qui explere non potuit? unde & Apostolus ex parte accepisse, & ex parte comprehendisse se dicit, & necdum esse perfectum: præteritorum oblivisci & in futurum se extendere. Qui semper præteritorũ obliviscitur & futura desiderat, ostendit, se non præsentibus contentum esse.*

4. *Ex bonorum operum qualitate & conditione.* Bona opera renatorum non procedunt totaliter & perfectè ex Spiritu, hoc est, ab illis, qui toti sunt spirituales, omni vetustate carnis abolitâ, Rom. 7. v. 14. Ergò etiam non sunt totaliter & perfectè bona. Ratio connexionis est, quia *lex est spiritualis*, hoc est, requirit spiritualem, integram & perfectam obedientiam, non qualemcunq; externam, sed etiam internam, nec inchoatam tantùm, sed consummatam & perfectam, quæ non nisi ab homine penitùs spirituali proficisci potest. Absoluta perfectio requirit tum *universitatem omnium partium*, Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Jac. 2. v. 10. tum *totalitatem graduũ*, ut homo ex toto corde, totâ animâ & cunctis viribus Deum diligat & præceptis ejus obediat, Deut. 6. v. 15. Matth. 22. v. 37. tum *universalitatem temporis*, ut ista impletio sit continua & non interrupta, Gal. 3. v. 10. Talem autem perfectionem nemo renatorum in hac vita præstare potest, tum ob reliquias peccati originalis; tum ob imperfectionem renovationis; tum ob perpetuam pugnã carnis & Spiritus &c. Gal. 5. v. 17.

Secundò, *immunditiem bonorum operum* demonstramus 1. *ex Prophetica assertione.* Esa. 64. v. 6. *Omnes nostræ justitiæ sunt instar panni menstruatæ.*

2. *Ex necessaria peccatorum remissione.* Quibus perpetuâ & quotidianâ peccatorum remissione opus est, illorum opera non sunt penitùs munda ac pura. Sancti in tota vita perpetuâ & quotidianâ peccatorũ remissione indigent, Psalm. 32. v. 6. Ergò.

3. *Ex piorum deprecatione.* Qui deprecantur Dei judicium, illi agnoscunt, opera sua non posse rigorem illius judicii sustinere, ac proinde non esse prorsus munda ac pura. Quorsum enim aliàs judicium Dei deprecarentur, si ad judicium illud opera sua afferre, eidemque ea opponere auderent? Atqui sancti deprecantur Dei judicium, Exo. 34. v. 7. Job. 9. v. 2. & 3. cap. 15. v. 15. Psal. 19. v. 13. Psal. 130. v. 2. Psal. 143. v. 3. Dan. 9. v. 18. 1. Corinth. 4. v. 4. &c. Ergò.

4. *Ex peccati adhæsione.* Qui eo modo faciunt bonum, ut simul etiam peccent & peccatum ipsis adhæreat, illorum opera non sunt perfectè munda. Atqui *non est homo justus, qui faciat bonum & non peccet*, 1. Reg. 8. v. 16. Eccles. 7. v. 21. ac *volentibus nobis facere bonum, adjacet malum*, Rom. 7. v. 21. Ergò.

5. *Ex imperfecta renovatione.* Quorum cor nondum est perfectè mundum, illorum etiam opera non sunt perfectè munda, quia cor phrasi Hebraicâ notat omnes animæ facultates, quæ sunt actionum principia Matth. 12. v. 35. Luc. 6. v. 44. Renatorum cor non est perfectè mundum, quia *renovatio de die in diem perficitur* 2. Cor. 4. v. 16. Facultates animæ nostræ, quæ sunt actionum humanarum causæ, non sunt penitùs spirituales, nec caro, h. e. nativa peccati labes est ab illis penitùs abstersa, nec Spiritus & caro separatas sedes in nobis habent, vel separatim operantur, sed mixtim, consequitur igitur, nullum esse quantumvis præstans cujusquam regenerati opus, quòd sit ab omni carnis vitio purum, cui non sit aliquid carnis admixtum. Quò pertinent dicta Prov. 20. v. 9. Job. 10. v. 14. cap. 14. v. 4. cap. 15. v. 14, 15. & 16. Matt. 15. v. 19. & 20. Marc. 10. v. 14.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quòd quidam agnoscunt, bona opera renatorum esse imperfecta & immunda, ac proinde coram severo Dei judicio non posse consistere.

Gregorius lib. 5. moral. cap. 8. *Ipsa justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione judicis, quod in æstimatione fulget operantis. Unde Paulus, cùm diceret, nihil mihi conscius sum, protinus adjunxit: sed non in hoc justificatus sum. Qui causam mox, cur non sit justificatus, insinuans ait, qui judicat me, Dominus est; ac si dicat, justificatum me abnego, quia ab eo, qui me judicat, examinari me subtiliùs scio &c. Quia & ipsa nostra perfectio culpâ non caret, nisi hanc severus judex in subtili lance examinis misericorditer penset.*

lib. ejusdem cap. 18. *Districti examinis flagella metuenda, quia & ipsa nostra perfectio culpâ non caret, nisi hanc severus judex in subtili lance examinis misericorditer penset.*

lib. ejusdem cap. 26. *Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est, quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in Solis radiis tenebratur.*

lib. 8. moralium cap. 9. in med. *Justorum mens semper solicita, venturo examini intendit. Omne enim, quod agunt, metuunt, dum cautè considerant, ante quem judicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, & pensant, quanto reatu constricti sint propria infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, & contra hæc exaggerant*

bona

bona gratiæ conditoris. Considerant prava, quàm districtè judicet; bona opera, quàm subtiliter penset, & perituros se absque omni ambiguitate præsciunt, si remotâ pietate judicentur, quia hoc ipsum quoque, quod justè videmur vivere, culpa est. si vitam nostram cùm judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est, astra non sunt munda in conspectu ejus. Quia apud eum districtè judicati, ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Benè ergò dicitur: Oculi tui in me, & non subsistam, ac si apertè justi voce diceretur: Si subtili examinatione discutior, ad perferendum judicium non assurgo, quia ad pœnam vita non sufficit, si hanc immanitas justæ retributionis premit.

lib. ejusdem cap.21. circa finem. *Quantâlibet justitiâ polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districtè requirantur. Sed hoc nunc ad solatium suæ ereptionis inveniunt, quòd nequaquam se posse sufficere humiliter sciunt.*

lib. 9. moral. cap.2. in princ. super verba: *Verè scio, quòd non justificabitur homo compositus Deo. Sanctus vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio distinctè judicetur, rectè subjungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit responderi ei unum pro mille &c. Quid hoc loco unius appellatione, nisi benè vivendi initium; quid millenarii numeri amplitudine, nisi ejusdem bonæ vitæ perfectio designatur?*

lib. ejusdem cap.8. (in aliis est cap.11.) in princ. super verba: *Si repentè interroget, quis respondebit ei? Repentè Deus interrogat, cùm nos ad districtionem sui examinis inopinatos vocat. Sed interrogationi illius homo respondere non sufficit, quia, si remotâ tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit.*

lib. ejusdem cap.11. (in aliis cap.14.) in princ. super verba: *Etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. Omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districtè judicetur. Prece ergò post justitiam indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, ex sola judicis pietate convalescat &c. Mens humana & comprehensa vix peragit, & valdè extrema sunt, quæ comprehendit. Dicat ergò: Qui etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor, velut si apertiùs fateatur, dicens: Etsi ad opus virtutis excrevero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco. Preci itaq; innitendum est, cùm recta agimus, ut omne, quod justè vivimus, ex humilitate condiamus.*

lib. ejusdem cap.13. exponens illud. *Et si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*, multis modis illustrat hanc justitiæ imperfectionem. *Plerumq;, si scimus bona*, inquit, *quæ agimus, ad elationem ducimur; si nescimus, minimè servamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientiâ non quantulumcunque superbiat? aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat?*

Et postea. *Sæpè recto studio contra delinquentium culpas accendimur, & cùm ultra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum justæ districtionis æstimamus. Sæpè officium prædicationis assumimus, ut per hoc fraternæ utilitati serviamus: sed nisi placeamus, cùm loquimur, nequaquam libenter accipitur, quod prædicamus, cumq; placere mens utiliter studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit: & quæ à captivitate vitiorum alios curabat eruere, ipsa suis favoribus incipit captiva servire. Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumq; proposita utilitatis intentio ad studia privata deducitur, horrendo modo unum idemq; opus culpa peragit, quod virtus inchoavit. Sæpe & ab ipsis exordiis aliud cogitatio expetit* (al. expedit.) *aliud actio ostendit. Sæpè se fidelem sibi nec ipsa cogitatio exhibet, quia aliud ante oculos mentis versat & longè aliud ex intentione festinat.*

lib. ejusdem cap.17. (in al. est cap.16.) in med. super verba: *Verebar omnia opera mea. Quid ergò vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? quid ergò est, quòd mira opera faciens, hæc ipsa etiam veretur pavens, cùm dicit: Verebar omnia opera mea, nisi quod in sancti viri actibus verbisq; colligitur, ut si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subigimus, ipsa in nobis etiam benè gesta timeamus. Duo quippe sunt, quæ in bonis operibus necesse est ut studiosè formidentur, desidia scilicet & fraus. Desidia per torporem nascitur, fraus per privatam dilectionem. Illam namque minor amor Dei exaggerat, hanc autem malè mentem possidens proprius amor creat.*

Et postea. *Verebar omnia opera mea &c. ac si humili confessione diceretur: Quæ apertè egerim video, sed quid in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpè enim bona nostris actibus terrena concupiscentia subjungunt. Sæpè desid. à intervemente, deficiunt, quia à fervore, quo capta sunt, frigescente amore, tabescunt. Quia ergò culpæ surreptio vel in ipso virtutis actu vix vincitur, quid ad securitatem superest, nisi ut studiosè semper & in virtute timeatur?*

lib. ejusdem cap.18. in princ. *Si remotâ pietate discutimur, opus nostrum pœnâ dignum est, quod remunerari præmiis præstolamur.*

lib. ejusdem cap.19. in princ. *Sciendum est, quia mundos nos ad perfectum reddere, vel vita, vel lachrymæ non volent, quousque nos mortalitas nostræ corruptionis tenet.*

Et postea. *Notandum, quòd vir sanctus non ait: Fulserint mundissimæ manus meæ, sed velut mundissimæ manus meæ, quia quousque pœnâ correptionis adstringimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram munditiem nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Unde & apertè subjungitur: Tamen sordibus intingis me. Deus nos sordib. intingere dicitur, h. e. intinctos sordibus demonstrare, quia quantò ad illum veriùs per bona opera surgimus, tantò subtiliùs vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus. Intentam quippe Deo animam ipsa adhuc corruptibilis caro diverberat, ejusq; amoris pulchritudinem obscenis & illicitis cogitationum motibus fœdat.*

lib. 35. moral. cap.16 post med. *Fatendum est, quòd rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minùs recta, quæ de bonis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his divinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanebit salutis locus? quando & mala nostra pura mala sunt & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquã possunt.*

Idem Homil. 4. in Ezech. *Quantumlibet sancti sint viri in hac adhuc vita, habent tamen, quod ante oculos Dei operire debeant, quia omninò est impossibile, ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione non delinquant.*

Gregor. II. (Episc. Rom. seculo octavo) in Epist. 3. ad Episcopos Bavariæ (prout eam recitat Aventinus lib.3. Annal. nam in 3. Concil. tomo non nisi corrupta extat.) *Nemo se perfectum, nemo justulum, nemo sanctulum esse confidat. Tota vita Christiani pœnitentia est & bellum, imbecilli & homines sumus, omnes egemus clementiâ Dei optimi maximi.*

Glossa ordinaria in cap. 9. Jobi repetit dictum Gregorii. *In bonis operibus duo timenda, desidia scilicet & fraus. Desidiam facit minor amor Dei, fraudem facit proprius amor sui.*

Bernhardus serm. 1. in festo omnium Sanctorum col. 224. *Quid potest esse omnis nostra justitia coram Deo? nonne juxta Prophetam, velut pannus menstruatæ reputabitur? Si districtè judicetur, injusta invenietur omnis nostra justitia & minus habens. Quid ergò de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia? propterea obnixè cum Propheta clamantes: Non intres in judicium cum servo tuo Domine, totâ humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras.*

Serm.5. de verb. Esai. col.250. *Nostra, si qua est humilis justitia, recta forsan, sed non pura, nisi fortè meliores nos esse credimus, quàm Patres nostros, qui non minùs veraciter, quàm humiliter ajebant, Omnes nostræ justitiæ tanquam pannus mulieris menstruatæ. Quomodo enim pura justitia, ubi non potest adhuc culpa deesse? Recta proinde interim videri potest justitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis justitia in initio quidem non modò recta, sed etiam pura fuit, quamdiu ei datum est nec sentire peccatum.*

Serm. 5. in dedic. Eccles. *Si ipsæ quoq; justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod est in nobis, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?*

Serm. de verbis Origen. *Qui me judicat, Dominus est. Illius enim prorsus nequeo declinare judicium. Et si justus fuero, non levabo caput, quoniã omnes justitiæ meæ tanquam pannus menstruatæ coram illo. Non est, qui in conspectu ejus justificetur, non est usq; ad unum.*

Ibid. de Paulo agens. *Ut nec in se quoque peccati conscius haberetur: sed non in hoc, inquit, justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est. Illius enim prorsus nequeo declinare judicium, & si justus fuero, non levabo caput, quoniam omnes justitiæ meæ tanquam pannus menstruatæ coram illo. Non est, qui in conspectu ejus justificetur, non est usque ad unum. Cæterorum siquidem nemo est, quem non oporteat dicere Deo: Tibi peccavi; sed magnus, qui in veritate dicere potest: Tibi soli.*

Serm. de interiori domo col.1214. *Nec hoc quidem, quod laudabiliter vixi, sine aliquo reatu est. si remotâ pietate discutiatur.*

lib.1. de vita ejus cap. 13. de ipso memoratur, *quòd Monachos docuerit, ut, quamvis nihil sibi essent conscii, tamen non propterea se justos existimarent. Deum enim ipsum judicare eos, quos justificat, & perfectissimum quemque districtum divini judicii examen ignorare.*

Johannes Gerson, lib.4. de consolat. Theol. prof.1. *Quid Esaias se cum cæteris involvens, sibiq; vilescens, humili confessione protulerit legimus, Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. Quis ergò justitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo plus quam pannum confusionis suæ mulier viro?* Diony-

Dionysius Carthusianus in Psal. 142. *Quid est, quod Ezechias, Hieremias, Esther, Judith, alii multi leguntur, suas coram Deo justitias atque perfectiones præcipuas allegâsse? Et respondendum, quòd non simpliciter, sed humano modo se justos dixerunt, scientes utique quòd omnes eorum justitiæ essent coram Deo, sicut pannus menstruatæ.*

Johannes Taulerus in meditat. vitæ Christi c. 15. pag. 130. *Verè humiles, quia in bono deficiunt, delinquere se fatentur, in eo, quod benè faciunt.*

Adrianus de Trajecto in 4. sentent. referente Cassandro in Consult. pag. 924. *Quasi pannus menstruatæ sunt omnes nostræ justitiæ. Jugiter enim super pannum vitæ, quem justitiæ operibus texímus, stillamus saniem diversorum criminum. Quæ igitur ex eis poterit esse fiducia apud Deum qui neminem diligit, nisi ex toto corde conversum? Rectè igitur suasit Salvator; Cùm feceritis omnia &c.*

Autor Oneris Ecclesiæ cap. 2. §. Initiali. *Nulla anima in hoc seculo est adeò perfecta, quin ampliùs in amore quotidiè crescere aut decrescere valeat.*

Johannes Hoffmeisterus in Harmon. August. Confess. art. 6. pag. 121. *Non arbitror quenquam tam stolidum, qui dicere ausit, opera nostra coram Deo propter suam ipsorum bonitatem & ex sui Natura accepta esse, nec ipsâ egere misericordiâ & propitiatore Christo.*

Ludovicus Vives in lib. 19. Augustin. de Civit. Dei cap. 27. *Magnâ ex parte boni sumus, non quòd benè vivimus, sed quòd commissorum scelerum fit nobis à Deo gratia.*

Johannes Ferus in cap. 12. Matth. super verba: *Progenies viperarũ &c. Etiam in operibus bonis nonnihil mali occurrit. Quamvis enim, qui in Christo sunt baptizati, Christum induerunt, Christus autem justitiam secum affert, tamen nondum planè interiit Adam ille vetus, unde fit, ut cùm Christus gratiâ suâ ad bona opera extimulat, ipse Adam, id est, perversa Natura adjicit vel aliquid propriæ complacentiæ, vel proprii commodi &c. quo fit, ut opus ipsum nunquam sit perfectum, quamvis ex misericordia Dei non imputetur piis.*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 6. pag. 924. adducit & approbat dictum Bernhardi serm. 1. de omn. Sanct. *Quid potest esse omnis justitia nostra coram Deo? nonne juxta Prophetam, velut pannus menstruatæ reputabitur?*

Et paulò antè sic scribit: *De hac justitia, quæ in obedientia mandatorum divinorum seposita est &c. illud ab universa Ecclesia asseritur, eam potissimùm in fide remissionis peccatorum & Dei misericordiâ per intercessionem sanguinis Christi consistere, cùm per se ipsa impura & imperfecta sit.*

Salmero tom. 7. tract. 32. pag. 207. *Justitiæ nostræ (etiam illæ, quas Dei gratiâ homo perficit) non sunt puræ & integræ, sed admixtæ multis maculis, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

Idem in cap. 1. Rom. v. 7. fatetur, *sanctitatem piorum in hac vita non esse perfectam & integram, nec in corpore ob fomitem concupiscentiæ, nec in animo, quia non est perfecta caritas.*

Didacus Stella in cap. 11. Lucæ fol. 45. *Nos coram Deo immundi, mille maculis coinquinati.*

Idem in cap. 17. Lucæ. *Sibi se servos inutiles reputare debent, qui omnia impleverunt præcepta, quid nobis incumbit, qui in tam multis offendimus, & ea ipsa, quæ forsan implemus, præcepta, tam imperfectè implemus, ita ut, juxta Esaiam, universæ nostræ justitiæ sint quasi pannus menstruatæ?*

In cap. 18. Lucæ fol. 196. multis probat, *justitias nostras nec puras, nec stabiles esse.*

fol. 261. *Operum nostrorum imperfectionem volo indicare, si ad divini judicii examen conferantur.*

Hieronymus ab Oleastro in cap. 64. Esai. col. 1255. *Fatemur, nos omnes esse immundos, quoniam nullus est, qui non peccet, saltem leviter. Fatemur, omnes nostras justitias mixtas esse multis immunditiis & peccatis.*

col. 1249. *Omnis homo quædam habet opera justitiæ & quædam injustitiæ.*

Et mox: *Omnes justitiæ vel opera nostra justa sunt immunda, si divinæ puritati comparentur, quoniam, ut dicit Job. cap. 4. v. 10. Ecce, qui ei serviunt, non sunt mundi.*

Stapletonus in Promtuar. moral. Domin. 2. Advent. num. 3. laudat dictum Hugonis. *Mala mea purè mala sunt & mea sunt: bona autem mea nec purè bona sunt, nec mea sunt.*

Petrus Cotonus in Institut. pag. 804. *Semper aliquid hominis est in actionibus nostris, hoc est, aliquid imperfectionis & miseriæ, admixtum. Nec ullus est in terra, qui sibi tribuere possit immunitatem à peccato, quantumvis obediens mandatis divinis, cùm certissimum sit, justum septies in die cadere.*

Ibidem pag. 904. *Cùm Calvinus scribit, omnia opera nostra, quantumvis bona, peccata esse coram Deo, dicere noluit, id quod à Deo in nobis est, bonum non esse; sed voluit, aut debuit docere, id, quod in nobis vel actionibus nostris à nobis est & non à Deo, nihil esse præter sordes. Quoniam autem ordinariè aliquid nostri semper admixtum est cum opere Dei, quemadmodum videmus scoriam metallo admixtam, propterea justitias nostras comparari panno maculato. Et dici potest, quòd si considerentur separatim à meritis Filii, vel sine misericordia examinentur, vindictam potius peterent, quàm remunerationem.*

Suarez in 3. tom. 3. Disput. 74. quæst. 83. art. 1. *Hæreticorum judicio omnia opera nostra, quantumvis bona, sunt aliquo modo coinquinata & immunda, quod licet ita universè dictum, verum non sit, sæpè tamen ita accidere non est dubium.*

Guilielmus Estius in Comment. 1. Petri 4. v. 18. *Quare justus vix salvatur, nisi quia vix est justus, hoc est, quia imperfectam habet justitiam, cùm delinquat in multis, & ipsa justitiæ opera, quæ facit, plerunque sordium aliquid habent admixtum, vel ex intentione non pura, vel ex alia circumstantia.*

2. Quòd quidam agnoscunt, *legem Dei non posse in hac vita perfectè impleri.*

(Si enim legem Dei non possumus perfectè implere, utique etiam opera nostra bona non sunt perfecta. Agnoscit ipse Bellarminus, argumentum hoc esse efficax; unde sic concludit lib. 4. de Justificat. cap. 10. *Si renati perfectè possunt implere legem, utiq; etiam ipsorum opera erunt perfecta.*)

Dicta illa enumeravimus cap. 7. præced. thesi. 3.

3. Quòd agnoscunt, *renatis in hac vita adhuc peccata adhærere.*

(Ubi labes peccati, ibi non potest locum habere plena operum munditics.)

Gregorius lib. 4. moralium cap. 22. *Stellæ hujus noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magis jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent, ut etiam magnâ vitæ claritate luceant, & tamẽ adhuc noctis reliquias nolentes trahant.*

Lombardus lib. 2. sentent. dist. 25. lit. K. *Istam libertatem, quæ est à peccato, illi soli nunc habent, quos Filius per gratiam liberat & reparat, non ita, quòd penitus sint sine peccato in hac mortali carne, sed ut in eis peccatum non dominetur neque regnet.*

Pomerius serm. 3. de Trinit. *Sancti viri non sunt omnino boni, id est, omni parte boni, quia multos habent defectus.*

Ludovicus Vives lib. 14. August. de Civit. Dei cap. 9. *Augustinus docet, sine crimine homines esse posse, sed sine peccato minimè.*

Plura hujusmodi adduximus cap. præced. thesi. 3. membr. 3.

4. Quædam hypotheses Adversariorum.

Primò, Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 8. §. 2. concedit, *neminem esse in hac vita absolutè perfectum; & sanctos non solùm humiliter, sed etiam veraciter dicere, dimitte debita nostra.*

(Ergò etiam opera renatorum non sunt perfecta.)

Secundò, idem Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 10. §. penult. concedit, *bona opera non esse perfecta eâ perfectione, quin crescere possint.*

lib. ejusdem cap. 11. §. At nos &c. scribit: *Fatemur, dilectionem in hac vita imperfectam esse, quia potest crescere.*

(Si dilectio est imperfecta, etiam opera bona ex dilectione profluentia erunt imperfecta. Si bona opera possunt & debent crescere, utique sunt imperfecta. Posset quidem pro Bellarmino responderi; quòd statuat, *non esse necessarium, ut bona opera summam perfectionem in lege præscriptam assequantur, cùm quædam in lege præcipiantur, non ut indicetur, quid faciendum sit, sed ut indicetur solùm finis, ad quem oporteat aspirare.* Sed hanc exceptionem esse nugatoriam in cap. præced. ostendimus.)

Tertiò, idem Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 10. concedit, *admisceri bonis operibus peccata venialia.*

(Utique ergò non sunt penitus munda ac pura. Posset quidẽ pro Bellarmino responderi, *peccata venialia non esse verè & propriè dicta peccata, cùm non fiant contra, sed tantùm præter legem, ac sint suâ Naturâ venialia.* Sed contrarium ostendimus ex ipsis Pontificiis lib. 2. art. 21. cap. 1.)

Quartò, idem Bellarminus lib. 4. de Justificat. cap. 20. resp. ad 3. object. concedit, *sensum dicti Salmonai; Non est homo justus, qui faciat bonum & non peccet, hunc esse, quòd nemo tam justus sit, qui semper bonum faciat, cùm omnes aliquando peccent.*

(At si nemo tam justus est, quin aliquando peccet, actualis justitia in hac vita non erit perfecta, & per consequens etiam bona opera non erunt perfecta. *Qui enim peccat in uno, reus est omnium*, Jacobi 2. v. 10.)

Quintò, idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 21. in resp. ad 6. dictum Gregorii, concedit, *peccata venialia, si non misericorditer remittantur, impedire ab ingressu regni cœlestis.*

(At si

(At si peccata venialia impediunt ab ingressu regni cœlestis, nisi remittantur, utique etiam justitiam operum reddunt imperfectam & impuram.)

Sextò, idem lib. & cap. iisdem ad 1. dictum Augustini concedit, *certo respectu etiam renatorum bona opera largo modo peccata esse, ob imperfectionem ex indelebili concupiscentia iis annexam.*

(Si bona opera renatorum certo respectu sunt peccata, utique non sunt perfecta, nec penitus munda.)

Septimo, idem Bellarminus in concione 2. de extr. judic. §. Sed sc. *Oculi Domini ejusmodi sunt, ut stellæ non sint mundæ coram eo, & ibi sæpe reperiat pravitatem, ubi nos nihil, nisi sanctitatem, videmus.*

(Ergo opera nostra corã Dei oculis non sunt penitus munda.)

Octavo, Osorius tom. 5. Concion. pag. 441. agnoscit, *imperfectiones multas reperiri etiam in bonis operibus.*

Tom. 2. pag. 429. *bona opera plena esse imperfectionibus* scribit.

(Quomodo ergò erunt perfecta?)

Argumenta Adversariorum.

1. Joh. 3. v. 9. *Omnis, qui ex Deo natus est, non peccat. Si non peccat, ergò opera ejus sunt perfecta & carent peccato.*

Resp. De hoc dicto in cap. præced. latè fuit dictum. Hic urgemus illud, renatum non peccare, quatenus ex Deo natus est, nã quicquid adhuc habet peccati, id est ex reliquiis carnis. Proinde ex hoc dicto evinci nequit, *renatos planè omni carere peccato*, alioquin sequeretur, renatos non peccare in ullo opere, quod nec ipsi Pontificii admittunt.

Argum. 2. Psal. 7. v. 9. *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, & secundum innocentiam super me.* Psal. 17. v. 1. *Exaudi Domine justitiam meam.* Psal. 18. v. 21. *Retribuit mihi Dominus secundũ justitiam meam &c. At si sanctorum opera in judicio Dei consistere possunt, utique sunt vere justa & perfecta.*

Resp. 1. Aliud est *judicium stricti rigoris*, aliud *judicium misericordia temperatum.* Item aliud est loqui *de justitia causæ*, aliud *de justitia personæ.*

Cornelius Jansenius ad Psalmum 7. *Itaq; quoniam tibi competit judicium, quæso Domine, ut pro me contra hostes meos facias judicium secundum justitiam meam, qua erga illos me gessi.*

(Judicium stricti rigoris David deprecatur Ps. 143. v. 3.)

2. Jacobus Tirinus Jesuita ad Psal. 7. v. 9. sic annotat: *Judica me secundum justitiam meam, quia scilicet nunquam nocui Sauli. Ita Hieronymus.*

(Ergo agit de justitia causæ.)

3. Caspar Contarenus Cardinalis, postquam in libr. de Justificat. multis demonstrasset, *non esse coram Dei judicio nitendum justitia inhærente, objicit sibi dictum Psal. 17. v. 1. & subjicit: Ecce, quam clarè, inquiunt, hi, qui ad pauca respiciunt, quod David innititur suæ justitiæ & suæ innocentiæ. Certè, si David ea intellexisset, quæ hi intelligunt, ita quòd propterea putasset, se justificatum coram Deo, nõ tantum hæc, quæ dicit, essent dicta arroganter & superbè, ac propterea magis reprehendenda, quam oratio Pharisæi in Evangelio, qui longe minora de se dicit, sed essent mera mendacia. Quo etenim pacto (ut relinquam quotidiana peccata) is, qui fuerat adulter, qui propinquissimum sibi amicum interfecerat, ut uxore ejus potiretur, potuit verè dicere, quòd non impiè gessisset à Deo suo, quo, quòd habuerit omnia judicia ejus in conspectu suo, & cætera, quæ ibi dicuntur? Ideo ne impingamus in hanc arrogantiam, hæc mendacia, mansuetissimo & mitissimo Regi propius accedamus & benè ejus sensum perspiciamus. Psalmum illum 17. David composuit & cecinit, ut ex titulo Psalmi comprehenditur, post debellatos ejus hostes, quorum præcipui fuerant Saul & Absolon, quos David semper humaniter tractavit, nihil unquam contra ipsos est machinatus, quin potius in potestatem ejus traditos servavit, utriusq; interitum magno animi dolore accepit. Idcircò omnia, quæ dicuntur in illo Psalmo, ad hos ejus hostes sunt dirigenda, id est, ad ejus benè merita & ad omnia ejus opera erga ipsos, non autem ad suam justitiam inhærentem ipsi coram Deo & in conspectu oculorum ejus. Hæc sententia plana est, in qua nullus hærere potest. At cum secum ipse loquitur David, & ad animam suam verba facit, adverte, quid dicat: Benedic anima mea Domino & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui coronat te in miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, quoniam sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quanto distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras &c. Confer hæc, te oro, cum his, quæ adducit de Psalmo 17. & videbis, quantum distent.* Hunc Contareni locum allegat Balthasar Lydius in Waldensibus p. 339.

Argum. 3. 1. Corinth. 3. v. 12. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Hic indicantur, esse quædam opera supra fundamentum veræ fidei ædificata, adeò bona, ut nihil omnino habeant vitii, quod patet tum à comparatione auri, argenti, lapidis pretiosi: tùm quòd illa opera in igne judicii divini manere dicantur & mercedem accipere. Nam peccata neque aurum dici possent, nec ignem judicii divini sustinere.*

Resp. *Opus* hîc accipitur non *pro operatione transeunte*, sed *pro effecto ex operatione sequente & manente.*

Salmero in hunc loc. *Duplex Doctorum ordo; alter ædificantiũ aurum, argentum, lapides pretiosos, id est, doctrinam sacram, salutarem & promoventem ad fructus fidei & Spiritus.*

Benedictus Justinianus in hunc loc. *Nimirum hi sunt probi atque Evangelici Doctores, qui, ut ait Ambrosius, bonã doctrinam tradunt, quæque Christiana dogma confirmet.* Et eos, qui aliter explicant & operationes intelligunt, disertè improbat. *Fateor, inquit, hanc explanationem vix posse antecedentibus & subsequentib. aptari.*

(Illam vero explicationem nostram probat ipsa metaphoræ, quâ Apostolus utitur, Natura. Neque enim quisquam dixerit, fundamento superædificari ab architecto suam operationem, sed lapides, & alia, quæ non sunt architecti opus, nisi in sensu posteriore. Stante illa explicatione, concidit argumentum. Non enim sequitur, si *aurum, argentum, lapides preciosi* significent aliquid absque ullo peccato, propterea dari opera justorum absq; ullo peccato, sed tantum dari doctrinam, quæ non sit ipsorum prædicatorum opus, nisi in sensu posteriore, puram & sanam absque ullis adinventionibus humanis, qualis erat illorum, de quibus Paulus agit Philipp. 1. v. 15. qui tamen ex æmulatione prædicabant, sicque illorum operatio non erat pura.)

Argum. 4. *Multæ sunt persuasiones in Scriptura, quibus admonemur, ne unquam peccemus.* Joh. 5. v. 14. *Noli amplius peccare.* 1. Cor. 15. v. 34. *Evigilate justè & nolite peccare.* 1. Joh. 2. v. 1. *Hæc scribo vobis, ut non peccetis.*

Resp. 1. Si ex his cohortationibus inferri posset, hominis renati opera esse perfecta, posset ex iisdem inferri, renatum in tota vita non peccare, quod tamen nec ipsi quidem Pontificii concedunt.

2. Jacobus Tirinus Jesuita ad 1. Joh. 2. v. 1. sic annotat: *Hæc, quæ dixi in fine præcedentis capitis, nempe omnes peccare, non ideo scribo, ut negligatis cavere peccata, sed ut majori studio illa evitetis, & saltem à gravioribus peccatis, aut omnino non voluntarie peccetis imposterum.*

Thesis secunda. Bona opera renatorum vere & propriè loquendo, non sunt vitæ æternæ meritoria.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, an bonis renatorum operibus ex fide ad gloriam Dei factis, proposita sint *præmia in hac & futura vita*, id quod ex Apostolo & cum Apostolo 1. Tim. 4. v. 8. disertis verbis docemus.

2. Bellarminus ipse lib. 5. de justificat. c. 1. nostram sententiam rectè explicat, sic scribens: *Confessio Augustana & Apologia art. 20. dicunt, bona opera justorum placere Deo & esse meritoria præmiorum. Sed ne videantur omnino consentire Papistis, addunt duo temperamenta, quorum unum est, opera bona esse meritoria præmiorum temporalium & spiritualium in hac vita & futura, sed non ipsius vitæ & salutis æternæ. Alterum temperamentum est, opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, quasi revera sint justa & legi satisfaciant, sed ex fide & indulgentia Dei, quia videlicet Deus iis, qui credunt, sibi remissa esse peccata, indulgentia sua tegit operum fœditatem, & sic accipit, quasi justa essent.*

3. Nomen *meriti* quandoque *generaliter ac laxè* usurpatur, ut sit idem, quod præstare opera Deo grata, idque ex ipsius gratia, & gratuitam eorum remunerationem accipere, quo sensu eadem voce utuntur *Augustana Confessio*, *Apologia Confessionis & Confessio Wirtenbergica.* In hac generali significatione *merendi* verbo utitur Plinius lib. 1. Epist. 8. *Nec idcirco, quòd gloriam non meruit, minus pulchrum est:* ad quem locum Casaubonus sic annotat; meruit, ἔτυχε. *Verbum mereri sæpe τυγχάνειν significare, & factum notare, non jus, notius est, quam ut probatione egeat.* Sed hoc loco quæstio est de merito *propriè & strictè* sic dicto, ut ipse Bellarminus agnoscit, unde statum quæstionis d. l. sic format: *An opera bona justorum sint verè ac propriè merita, & merita non cujuscunque præmii, sed ipsius vitæ æternæ.*

4. Meriti nomen sumitur vel *activè*, pro re illa, quæ aliquid mereri dicitur vel obtinere; vel *passivè*, pro ipsa retributione aut re, quæ datur consequenter post opus, quæ propriè merces dicitur. Augustinus, & qui post eum hac voce usi sunt, quandoque eam usurpant pro opere simpliciter, sive bono, sive malo. August. Epist. 64. *Non, quòd non sit aliquod meritum aut bonum, fidelium; aut malum, impiorum, hoc est, aliquod opus bonum vel malũ.*

5. Me-

5. *Merendi* vocabulo solent Latini *moralem causam* significare, propter quam aliquid alicui accidit, & quatuor terminos simul consignificant, primum, *eum, qui meretur*; secundum, *eum, apud quem ille meretur*; tertium, *id, quo meretur*, quod solet *meritum* appellari; quartum, *id, quod meretur, quod merces meriti* vocari consuevit. In hac controversia primus terminus est *homo*; secundus, *Deus*; tertius, *bona opera*; quartus, *salus & vita æterna*.

6. *Obligatio* sive *debitum* non reciprocatur *cum merito*, illa enim latius patet. Potest aliquis seipsum obligare sponte promittens absque ullo ejus merito, cui promittit. Sic dives tenetur virginem pauperculam ducere, quam se ducturum promisit, nec tamen ex merito eam sibi desponsavit. Meriti autem obligatio duplici nititur fundamento, *libertate & æqualitate*. Primò enim oportet id, quo apud alium mereri cupimus, eidem non deberi ullo alio titulo. Secundò, debent meritum & præmium sibi æqualitate quâdam respondere.

7. *Compensatio* duplex est, prior, quâ *pro uno redditur aliud*, ut pro afflictione solatium, pro labore quies, pro bono malum, aut contrà. Posterior, *quâ propter unum redditur aliud*, ut ager propter depensum aurum. Circa bona piorum opera locum habet compensationis species prior, non autē posterior.

8. *Justitia* alia est *veritatis & constantiæ*, alia verò *permutationis*. Illa jubet stare promissis, etiam propter solam promissionis rationem, sive ex vi solius promissionis, atque ea non præsupponit meritum, sed tantùm justitia permutationis. In redditione autem præmiorum divinitus promissa locum habet *justitia veritatis & constantiæ, non justitia permutationis*. Infantibus baptizatis promisit Deus salutem, ac proinde Deus sese fecit illis debitorem, non aliquid ab illis accipiendo, sed gratis ipsis aliquid promittendo: nemo tamen dixerit, *infantes ex meritis salvari*.

9. Distinguendum est inter *merita damnationis* & inter *merita salvationis*. Mala opera esse merita damnationis, concedimus, quæ propterea à Scholasticis vocantur *demerita*: Bona opera esse merita salvationis, negamus.

Antithesis. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. *Atque ideò bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

can. 32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum (cujus vivum membrum est) fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.*

Ibidem decernitur, *renatorum operibus nihil deesse, quò minus legi divinæ pro hujus vitæ statu plenè satisfecisse & vitam æternam verè promeruisse censeantur.*

Censura Coloniensis fol. 183. *Vita æterna merces est & retributio operum nostrorum. Si merces est, igitur meritum præcessisse necessarium est.*

fol. 185. *Cedo, nonne æternos cruciatus pro malitia quemque mereri fateris, cur ergò nō pari jure regni cœlestis præmia pios mereri cōcedis?*

fol. 186. *De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumq́; est aliquid ex proprio.*

Ruardus Tapperus in explicat. artic. Lovan. tom. 2. art. 9. *Potiuntur sancti vitâ æternâ non tanquam petitores, sed tanquam triumphatores; non tanquam pauperes, sed tanquam victores.*

Stapletonus in Promt. morali pag 312. *anathemate* illos feriendos censet, *qui operum negant merita, & opera appellant Eucharistica.*

Ludovicus Granatensis tom. 4. Concionum Domin. 13. post Pentecosten de emundatione lepræ Luc. 17. sic scribit: *Non ergò solus nobis ad emundationem sufficit sacrificii sanguis, nec sola sufficit hyssopus, hoc est, non solùm sufficiunt nobis labores & opera nostra, (ut Pelagiani falsò jactitant) nec sola sine ullo studio nostro Christi Salvatoris merita (ut infelices ætatis nostræ hæretici blaterant) quæ alioqui ex se sufficientissima sunt, quod in Baptismo parvulorum liquet, sed utrumque simul necessarium est, hoc est, ut laboribus Christi labores nostros, operibus opera, lachrymis lachrymas, precibus preces, atque denique sanguinem sanguini, hoc est, dolores doloribus conjungamus. Id enim est, quod hyssopus tingi præcipitur sanguine passeris immolati, ut quemadmodum ille pro nobis, ita nos propter illum laboremus; sicut ille pro nobis carnem suam crucifixit, ita nos propter illum nostrā crucifigamus, non quòd nostri per se labores quicquam apud Deum valeant, sed quòd meritò laborum ejus æternâ vitâ digni habeantur, ut salutis & redemtionis nostræ autor ipse habeatur.*

Jodocus Coccius tomo 1. Thesauri lib. 5. artic. 1. inter errores refert illam Lutheri sententiam serm. de Inventione S. Crucis. *Non cogites tuâ afflictione & cruce te salutem consequi, si patienter & lætè toleres, sicut vecordes aliqui seductores suadent. Quemadmodum enim nos opera nostra non faciunt salvos: ita nec cruce, nec afflictionibus nostris salus nobis constat.* Ipse contrà asserit, *tolerantiam tribulationum ad gaudia æterna promerenda valere.*

Pererius in cap. 6. ad Roman. Disput. 10. num. 53. *Per liberum nostrum arbitrium cooperamur gratiæ Dei, & verè sumus causa operum, quæ facimus, & opera nostra verè nostra sunt, & merita sunt apud Deum.*

Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 14. §. Secundo &c. *Homo justus adultus sub duplici titulo jus habet ad gloriam, uno ex meritis Christi, altero ex meritis propriis.*

lib. 2. de gratia & lib. arbitr. cap. 15. §. Ad alteram &c. *Respondeo, vitam æternam verè propriéq; esse mercedem & meritis operum bonorum acquiri.*

lib. 5. de Justificatione cap. 1. *Communis Catholicorum omnium sententia habet, opera bona justorum verè ac propriè esse merita, & merita non cujuscunque præmii, sed ipsius vitæ æternæ.*

lib. ejusdem cap. 14. §. Quòd si quis &c. disputat, *substantiam divini judicii fore secundùm justitiam distributivam, quia Deus ut summus judex pro meritis præmia distribuit; modum ejusdem judicii fore secundùm justitiam commutativam, quia Deus constituet absolutam æqualitatem inter opera & mercedes, ut unusquisque non minorem mercedem habeat, quàm justo judicio meretur.*

lib. ejusdem cap. 16. ἐπιγρ. *opera justorum ex caritate facta, esse meritoria vitæ æternæ ex condigno.*

In Judic. de lib. Concord. mendac. 49. *Bona opera non solùm merentur pœnæ remissionem, sed etiam coronam gloriæ.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 7. quæst. 20. *Omnia opera, quæcunque exercent aut exercuerunt unquam fideles, qui sunt membra Ecclesiæ, præter vim merendi habuerunt etiam vim satisfaciendi pro pœna.*

Costerus in Enchrid. cap. 7. proposit. *Non minùs bonis operibus æternam felicitatem, quàm malis & flagitiosis promeremur mortem æternam.*

Nostram sententiam probamus,

1. *Ex gratuita electione.* Electio ad vitam æternam est ex gratia & non ex operibus. Ergò etiam vita æterna datur ex gratia, nō ex operibus. Connexio est manifesta. Nam propter quod Deus ab æterno homines elegit seu salvare constituit, propter illud in tempore eosdem salvat. At non constituit Deus, homines salvare propter opera, ut ostendimus art. 22. cap. 2. Ergò nec in tempore eos salvat propter opera.

2. *Ex gratuita justificatione.* Justificatio est ex gratia, non ex operibus, ut ostendimus in hoc ipso articulo cap. 3. thesi 1. Ergò glorificatio seu vita æterna itidem est ex gratia, non ex operibus. Connexio probatur, quia utrobiq; eædem causæ justificationis & salvationis, ut ex propria sede hujus doctrinæ Roman. 4. Ephes. 2. manifestum.

3. *Ex typo.* Terra Canaan non propter operum merita, sed ex gratuita Dei benignitate Israelitis fuit data. Deuter. 9. v. 4. 5. 6 & 7. Ergò etiam vita æterna per terram Canaan præfigurata, non ex operum meritis, sed ex gratuita Dei benignitate spiritualibus Israelitis datur.

4. *Ex voce hereditatis.* Vita æterna datur credentibus ut hereditas, Johan. 1. v. 12. Roman. 8. v. 16. Galat. 3. v. 26. 1. Joh. 3. v. 1. Item Rom. 8. v 17. Colofs. 3. v. 24. Ergò non obtinetur ex operum meritis. Quemadmodum enim filius nascitur heres, ac particeps fit hereditatis, non propter servitia, sed respectu filiationis ac nativitatis: ita quoque per fidē renascimur; ideoque respectu illius υἱοθεσίας, non autem propter operum nostrorum merita hereditas cœlestis nobis obtingit.

5. *Ex necessaria peccatorum remissione.* Quotidiè peccamus & debita contrahimus. Ergò operibus nostris non meremur vitam æternam. Cum in oratione Dominica ex Christi institutione agnoscamus & fateamur, nos esse Dei debitores, Matth. 6. v. 12. ac præterquam, quòd decem millia talentorum debemus Matth. 18. v. 24. debitum quotidiè augere, quomodo possumus ullum Dei beneficium promereri? cùm peccata nostra capillos capitis nostri numero superent, Psalm. 38. v. 5. adeoque incomparabiliter plura sint, quàm bona opera nostra, quomodo opera nostra erunt ex condigno vitæ æternæ meritoria?

6. Ex me-

6. *Ex meriti proprietate & conditione.* Bonis operibus nostris non competunt proprietates meriti. Meriti enim Natura ac ratio hoc postulat; primò, ut opus illud, quod meremur, *sit nostrum.* Secundò, ut sit *opus indebitum.* Tertiò, ut *sit commodum atque utile illi, cui præstatur.* Quartò, ut sit *precio & dignitate æquale* illi, quod pro opere nostro redditur. Atqui opera nostra non sunt propriè nostra, sed Dei per Spiritum suum efficaciter in nobis ac per nos agentis, Psal. 119. v. 36. Philipp. 2. v. 13. Joh. 15. v. 5. 2. Corinth. 3. v. 5. Eadem jam antè multis nominibus Deo sunt debita, *jure creationis, conservationis, dominii, redemtionis, sanctificationis,* Luc. 17. v. 10. nec ullam utilitatem Deo afferunt, Job 22. v. 3. cap. 35. v. 7. Psal. 50. v. 12. nulla quoque æqualitas inter opera nostra & vitam æternam, quæ est bonum infinitum, Rom. 8. v. 18. &c.

7. *Ex nostra obligatione.* Non possumus sufficientes Deo referre gratias pro beneficiis acceptis, Psal. 116. v. 11. & 12. Rom. 11. v. 35. & 36. Ergò non possumus nova beneficia nostris operibus promereri. Ratio connexionis est manifesta, quomodo enim ad nova beneficia obstringeretur, cui præcedentia non sunt compensata? Ethnici ex lumine Naturæ agnoverunt, neminem posse reddere Deo, quod ei debetur, imò nec iis, qui nos genuerunt.

Aristot. lib. 8. Ethic cap. 16. οὐδεὶς γὰρ τὴν ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη (τοῖς θεοῖς καὶ τοῖς γονεῦσι.)

8. *Ex panis quotidiani petitione.* Non possumus nostris operibus promereri panem quotidianum, Matth. 6. v. 11. Gen. 32. v. 10. Ergò multo minus vitam æternam.

9. *Ex electorum confessione.* Electi in novissimo die ad vitæ æternæ possessionem vocati, non agnoscunt, opera sua esse tantæ dignitatis, ut propter ea sint vita æterna donandi, Matth. 25. v. 37. Apoc. 4. v. 10. & 11. &c.

10. *Ex gratiæ appellatione.* Præmia bonorum operum piis ex gratia dantur, Psal. 103. v. 4. Esa. 55. v. 1. &c. Ergò non propter nostra merita.

11. *Ex meriti negatione,* Luc. 17. v. 7. *Si omnia feceritis &c.* Si opera nostra jam antè jure dominii Deo sunt debita, non poterimus illis quippiam mereri. Sed illud: Ergò. Si conferimur servo, cui imperata Domini sui sedulo facienti nulla debetur gratia, quæ erunt nostra erga Deum merita? Si jubemur, nos inutiles servos profiteri, cum omnia, quæ mandata nobis sunt, fecerimus, nulla poterit esse de meritis nostris opinio. Si inutilis servus est, qui fecit omnia, quid de eo dicendum, qui explere non potuit? At nemo nostrûm gloriari potest, se fecisse illa omnia, quæ facere debuit.

12. *Ex oppositione.* Rom. 6. v. 23. mors vocatur *peccati stipendium,* quia ex merito peccatis redditur, sed vita æterna dicitur *gratia,* seu gratuitum Dei donum in Christo. Si vita æterna datur ex gratia, ergo non ex meritis, Rom. 4. v. 4. cap. 11. v. 6. &c. *ubi gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas,* inquit Hieronymus ad Demetriadem.

13. *Ex dignitatis negatione.* Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus mundi ad futuram gloriam &c.* Si passiones non sunt dignæ futurâ gloria, multo minus opera ex condigno vitæ æternæ meritoria erunt. Ratio est, quia pati est majus quid, quàm agere, unde *Martyres* reliquis sanctis præferuntur.

14. *Ex meriti Christi perfectione.* Si Christus sua obedientia ac passione promeruit nobis vitam æternam, nullus locus erit nostrorum operum meritis. Vicissim, si nostris meritis locus datur, meritum Christi non erit perfectum. Jam vero meritum Christi est infinitæ personæ infinitum precium.

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, bona opera non esse propriè dicta merita vitæ æternæ.

Gregorius lib. 7. Epist. 30. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum in fine. *Peto, ut in sanctis orationibus vestris mei memores esse dignemini, quatenus à peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, vestris intercessionibus me Dominus absolvat.*

lib. 5. moralium cap. 23. *Recta egisse me recolo,* inquit Paulus, *attamen de meritis non præsumo, quia ad ejus examen vita nostra ducitur, sub quo nostræ fortitudinis &* (etiam) *ossa turbantur.*

lib. 9. moralium cap. 11. (in al. 14.) *Etsi ad opus virtutis excrevero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.*

In explanat. Psalmi 7. pœnitent. super verba: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam. Si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, ubi erit, quod scriptum: Et tu reddes unicuique, secundum opera sua? Si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimatur? Sed aliud est secundum opera reddere, aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim, quod secundum opera* dicitur, *ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint opera bona, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ, in qua cum Deo & de Deo benè vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari.*

(Opponenda est hæc distinctio Bellarmino, qui lib. 2. de Verbo Dei cap. 12. scribit: *Nemo, qui Græcæ linguæ vel tenuissimè peritus est: negare potest, quin κατὰ ἔργα significet Latinè pro meritis operum.*

Ibidem. *Constat ergò, quia quibus misericorditer* (Deus) *tribuit, ut in hac vita bonum operentur, eis misericordiam largitur, ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc est gratia, quam pro gratia dandam Sanctis Dei Apostolus perhibet, ut quibus in hac vita divinitus datur gratia sanctificationis, eis ex hac quoque in futuro detur gratia æternæ felicitatis.*

Margarinus Bignæus tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum inseruit S. Marcum Eremitam, qui peculiarem scripsit tractatum, quo illos, *qui operibus se justificari posse putant,* confutat. sentent. 24. dicit: *Qui vacat precationibus, ab incredulitate & diffidentia alienus est, Confessor à negatione, Martyr ab idololatria. Vides ergò, quemadmodum omnis virtus, quæ ad mortem usque perficitur, nullum aliud opus, quàm peccati abstinentia sit. Porrò autem peccati abstinentiam Naturæ opus esse certum est, quod regni permutatione nequaquam pensandum. Homo vix, quæ Naturæ opera, servat. Christus autem per crucem adoptionem filiorum largitur.*

Anshelmus in Meditat. *Ecce plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo, non debentur bona, sed multa mihi debentur & exquisita supplicia. Ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui. Domine, me, cui propria merita lethabilem minantur sententiam, pretiosa ad dextram tuam sedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam &c.*

Bernhardus serm. 1. de Annunciat. col. 106. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, non quidem tale testimonium, quale superbus ille Pharisæus habebat, qui seducta & seductrice cogitatione testimonium de seipso perhibebat, & testimonium ejus non erat verum, sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet Spiritui nostro. Porrò hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse est enim primo omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei; deinde, quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse; postremò, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Quis enim potest mundum facere de immundo conceptum semine? &c.*

Ibidem. *Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat.*

(Si redonat, ergo novo munere donat, ut distincta sit donatio operum & donatio vitæ.)

Ibid. *De vita æterna scimus, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quod merita omnia Dei dona sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior est Propheta, cui Dominus ipse tam insigne testimonium perhibuit, dicens: Virum inveni secundum cor meum? Veruntamen & ipse necesse habuit dicere: Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Nemo igitur se seducat, quia si benè cogitare voluerit, inveniet procul dubio, quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.*

(Tribus argumentis evidentibus probat, neminem posse mereri vitam æternam. 1. Quod ipsa opera sint ex Dei gratia. 2. Quod maxima inæqualitas sit meritorum & præmiorum. 3. Quod propter adhærens peccatum justitia sit imperfecta.)

Idem serm. de Nat. Mariæ col. 213. *Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum &c. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Consulite conscientias vestras & videte, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit.*

Serm. 9. in Psal. Qui habitat col. 303. *Tu Domine es spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus, jejunare bis in Sabbatho dicat, postremò, non esse sicut cæteros homines glorietur, mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Sperent in aliis alii &c. Propter te omnia detrimenta feci & ut stercora arbitror, quoniam tu Domine es spes mea &c. Planè non derelinquit sperantes in se, adjuvabit eos, & eruet à peccatoribus & salvabit eos. Quare? quibus meritis? Audi, quid sequitur. Quia speraverunt in eo. Dulcis causa, attamè efficax, attamè irrefragabilis. Nimirum hæc est justitia, sed quæ ex fide est, non quæ ex lege.*

Serm.10.in eundem Psalm.col.305. *Dicit fides, parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes, mihi illa servantur, nam tertia quidem caritas, curro, ait, ad illa.*

Serm.15.in eundem Psalm.col.321. *Hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominē salvum facit.*

Serm.14.in Cantic.col.228. *Exaggera, quantum vis, merita, & extolle sudores. Melior est misericordia Domini super vitas. Fateor, non sustinui pondus diei & æstus, sed jugum suave & onus leve pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix unius est horæ, & si plus, præ amore non sentio. Judæus proprias exercitet vires, mihi probare licet, quæ sit voluntas Domini bona & beneplacens & perfecta; ex ea sanè operis ac temporis damna resarcio. Ille pacto conventionis, ego placito voluntatis inito credo.*

Serm.22.in Cantic.col.555. *Passio tua, Domine, ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientiâ, justitiâ non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Quis enim de sua vel sapiētia, vel justitia, vel sanctitate præsumat sufficientiam ad salutem &c. Nisi interpellet sanguis tuus pro me, salvus non sum.*

Serm.27 in Cant. *O solus verè beatus, cui non imputavit Dominus peccatum! Nam quis non habuerit peccatum? nemo. Omnes enim peccaverunt & omnes egent gloria Dei? Quis accusabit tamen adversus electos Dei? Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne, quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est, quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est, hominis justitia indulgentia Dei.*

(Ergò non ex hypocritica quadam humilitate & incertitudine gratiæ merita ignorat, sed ex serio sensu corruptionis & certitudine suæ injustitiæ.)

Serm.61.in Cantic.col.675. *Non pertinebat ad illum* (Cainum) *de Christi merito, ut suum præsumeret, suum diceret, quod illius esset tanquam rem capitis, membrum. Ego verò fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo ex visceribus Domini &c. Meum proinde meritum miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego sum in meritis &c. Et si misericordia Domini ab æterno & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid justitias meas? Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Ipsa enim & mea &c.*

(Ergò non quærit abundantiam meritorum in suis operibus, sed in Christi justitia & Dei misericordia.)

Serm.67.in Cantic.col.696. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi. Cur ita? nempe, ut tunc magis gratia plena se præbet, cùm totum gratiæ dederit, & primas scilicet illi partes adscribens & ultimas, alioquin quomodo gratia plena, si quid habuerit, quod non sit ex gratia? non est quo gratia intret, ubi jam meritum occupavit. Ergo jam plena confessio gratiæ ipsius gratiæ plenitudinem significat in anima confitentis. Deest gratiæ, quicquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat &c. Gratia reddit me mihi justificatum gratis, & sic liberatum à servitute peccati.*

Serm.68.in Cantic.col.698. *Nam & de meritis quid solicita sit* (Ecclesia) *cui de proposito Dei firmior suppetit securiorq; gloriandi ratio? &c. Sic non est, quod jam quæras, quibus meritis speremus bona, præsertim cum audias apud Prophetam, non propter vos, sed propter me ego faciam, dicit Dominus. Sufficit ad meritum, scire, quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis, de meritis non præsumere, sic carere meritis* (operibus bonis) *satis ad judicium est. Porro infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita, quibus se tamen indignos reddunt si sua jungere non nequiverint, sed neglexerint, quod quidem periculum jam adultæ ætatis est.*

Serm.37 in Cantic. *Etenim si iniquitates observaverit etiam electorum, quis sustinebit? astra non sunt munda in conspectu ejus, & in Angelis suis reperit pravitatem. Audi sanctum & electum, quid dicat Deo. Tu, inquit, remisisti iniquitatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Opus igitur habent & sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salvi fiant, propria justitia non fidentes.*

Serm.1.in Psalmum, *Qui habitat*, dicit, *periculosam esse habitationem illorum, qui in meritis suis sperant, quia ruinosa. Quid stultius, ait, quam habitare in domo vix adhuc inchoata? consummasse te putas? At cum consummaverit homo, tunc incipit. Denique ruinosa omnino est hæc habitatio, & quæ sustentari magis opus habeat & fulciri, quam inhabitari.*

Serm.4.de verb.Esaiæ, *Vidi Dominum &c. Initium meum solius gratiæ est &c. porrò consummatio quidem & ipsa solius gratiæ est, nec est mihi in hac parte vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator.*

Tract.de gratia & libero arbitr.col.1053. *Loquente me coram aliquando & Dei in me gratiam commendante, quod scilicet ab ipsa me in bono & proventum agnoscerem, provehi sentirem & sperarem perficiendum. Quid tu ergò* (ait unus ex circumstantibus) *operaris, aut quid mercedis speras vel præmii, si totum facit Deus? quid enim, inquam, tu consulis? da gloriam Deo, qui gratis te prævenit, excitavit, initiavit, & vive digne de cætero, quo te probes & perceptis beneficiis non ingratum & percipiendis idoneum. Et ego, Bonum, inquam das consilium, sed & si dederis, posse teneri, &c. Ubi ergò, ait, sunt merita nostra, aut ubi est spes nostra? Audi, inquam, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos nos fecit? &c. Quid igitur, ait, agit liberum arbitrium? breviter respondeo. Salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur? tolle gratiam, non erit, unde salvetur.*

Sub finem illius tractatus col.1069. *Si propriè appellentur ea, quæ dicimus nostra merita, spei quædam sunt seminaria, caritatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, viæ regni, non causa regnandi. Denique quos justificavit, non quos justos invenit, hos & magnificavit.*

Tract.de gradibus humilit. *Quid est omnis homo mendax? Omnis homo infirmus, omnis homo miser & impotens, qui nec se, nec alium possit salvare, sicut dicitur, fallax equus ad salutem, non quod equus aliquem fallat, sed quia is seipsum fallit, qui in fortitudine ejus confidit. Sic omnis homo dicitur mendax, id est, fragilis, mutabilis, à quo salus non possit vel sua, vel aliena sperari.*

lib.1.de vita Bernhardi cap.13. *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis meritis possum regnum obtinere cœlorum. Cæterum Dominus meus duplici jure illud possidet, hereditate Patris & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat.*

c.Ut evidenter. caus.1.quæst.1.ex Augustino. *Ut evidenter hoc ostenderet Dominus, à Spiritu Sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait &c.*

(Exulat ergò meritum congrui in prima *justificatione*, ac proinde etiam meritum condigni in *glorificatione*.)

Thomas de Aquino 1.2.quæst.114.artic.1. *Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis, ita scilicet, ut id homo consequatur à Deo per suam operationem, quasi mercedē, ad quod Deus ei virtutē operandi deputavit.*

(Ad hunc Thomæ locum Conradus Kœllin, qui sub initium superioris seculi primam illam partem commentando exposuit, sic annotat: *Nota verba Doctoris sancti, cum dicit, quasi mercedem, quia homini propriè non datur merces, quia deficit ratio debiti & justi: sed præsupposita divina ordinatione, qua ordinatum est, ut homo taliter agens, consequatur talem fructum, ibi est quasi merces, in quantum aliquid consequitur pro labore: sed quia non ex justitia hominis absolutè & secundum se, ideò non est propriè merces.* Subjicit Thomas:)

Quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis, non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur. (*Qua ordinatione non stante*, ait Kœllin, *nihil mereretur homo, nec aliquid sibi deberetur.*)

Idem Thomas in cap.2. Ephes. super verba: *Gratia salvati estis, non ex operibus. Scilicet præcedentibus, hoc donum meruimus aliquando, quod salvati sumus, quoniam hoc ex gratia, secundum illud: Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Subdit autem rationem, quare Deus salvet homines per fidem absque meritis præcedentibus, ut ne quis glorietur in seipso, sed tota gloria in Deum referatur.*

Idem lect.1.in cap.3.Tit. *Cum dicit, non ex operibus, ponit rationem salvandi, & primò excluditur ratio præsumta; secundò, ostenditur ratio vera. Ratio præsumta est, quod propter merita nostra sumus salvati, quod excludit, cum dicit, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos. Deut.9. Non propter justitias tuas & æquitates cordis tui ingredieris, ut possideas terram, sed vera ratio est misericordia Dei.*

Honorius Augustodunensis Presbyter (circa annum 1220.) in Psal.5. *Fideles sunt misericordiâ tua, id est, non suo merito, sed tua salvati gratia.*

Idem in Psalm. 6. *Salvum me fac propter misericordiam tuam, non propter meum meritum.*

Idem in Dialog.de Prædestinat.& libero arbitr. *Regnum cœlorum non secundum merita, sed secundum gratiam datur. Quid enim meretur homo, nisi malum? vel pro quo merito expectat quis à Deo præmium?*

Albertus Magnus in cap.1.Lucæ. *Prudentia justorum est, non de legis operibus justitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere, ut quamvis in lege positi legis jussa perficiant, gratia tamen Dei se salvandos per Christum intelligant.*

Nico-

Nicolaus Lyranus (circa annum 1330.) in cap. 10. Joh. *Gloria cœlestis non propriè dicitur merces, sed tantummodò largè, in quantum omne, quod redditur in præmium laboris, dicitur merces. Ratio autem hujus est, quia hereditas distinguitur à mercede propriè dicta, sicut filius, cui debetur hereditas, distinguitur ab operario conductitio, cui debetur merces. Gloria autem cœlestis redditur fidelibus, sicut hereditas liberis, propter quod non habet rationem mercedis.*

Idem in exposit. Tit. 3. *Salus æterna excedit totaliter facultatem humanæ Naturæ, propter quod non potest eam attingere, nisi ex largitate divinæ misericordiæ.*

Simon de Cassia (qui obiit Anno Christi 1348.) lib. 6. de vita Christi cap. 21. in illud Matth. 20. *Voca operarios & redde eis mercedem*; *Temperato, ait, verbo locutus est Dominus, cum non addit suam, quia nemo meretur præmia ex adsumtis operibus, neq; summam mercedem: idcircò non addit suam, sed mercedem tantum, illam videlicet, quam ab æterno justis operariis ipse donare disposuit.*

Idem Simon de Cassia lib. 12. cap. 15. *In Christi nomine oratio porrigatur, non in nomine Angelorum, non in nomine aliquorum sanctorum, non in nomine ipsorum petentium, non in nomine bonorum operum. Nomen autem Christi est meritum incarnationis, nativitatis, vitæ, passionis, crucis, orationis & mortis.*

Anno Christi 1353. Guido quidam, qui librum Sententiarum Parisiis interpretatus fuerat, *juxta Ordinationem Domini Cancellarii Parisiensis ac cæterorum Magistrorum Reverendorum Theologicæ Facultatis* revocare coactus est, quòd dixerat: *Homo meretur vitam æternam de condigno, id est, quòd si non daretur ei, fieret sibi injuria, & quod Deus faceret sibi injuriam. Istam, ait, propositionem revoco, tanquam falsam, hæreticam & blasphemam.*

(Revocatio hæc una cum aliis legitur in veteri editione Sententiarum, adjunctas habente Disputationes sive commentationes Bonaventuræ.)

Thomas Argentinas Eremitanorum Augustinianorum Prior Generalis (qui obiit Viennæ in Austria Anno Christi 1357.) diversam à reliquis Scholasticis de meritis sententiam amplexus, 1. sentent dist. 17. quæst. 1. artic. 2. conclus. 2. sic scribit: *Omnia merita non sunt condigna gloriæ, ut eis tanquam debita reddatur, sed gratis tantummodò donatur, ita quòd gratia gratiæ additur, sicut dicit Augustinus: Ulterius infero, quod nedum vitæ æternæ, sed nec alicujus alterius præmii æterni vel temporalis, aliquis actus hominis ex quantacunque caritate elicitus est de condigno meritorius apud Deum.* Et explicans illud Apostoli 2. Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ &c. Vita æterna, inquit, ita dicitur corona justitiæ sicut operanti debita est pro talibus operibus meritoriis. Eis autem non est simpliciter debita, nec ex Natura ipsorum, sed solum ex gratuita ordinatione Dei, qui ex abundantia misericordiæ suæ statuit, tales actus vita æterna præmiare, propter quam statutam gratiæ legem sibi debita dicitur & justè retribui.*

Brigitta (circa annum 1380.) lib. 1. revelat. cap 53. introducit Christum conquerentem. *Sic homines per superbiam suam volunt ascendere in cœlum & non confidunt in me, sed in se, facientes voluntatem suam & meam relinquentes.*

lib. 4. cap. 20. *Sunt quidam, qui meritis suis obtinere credunt cœlum, quibus Deus parcit à Diaboli tentationibus ex occulta dispensatione sua. Alii sunt, qui operibus suis satisfacere Deo putant pro excessibus suis, quorum omnium error omninò damnabilis est, quia etiamsi quilibet homo centies suum corpus occideret, non posset Deo unum pro mille respondere.*

Absolon Abbas in festo S. Victoris fol. 141. *Nemo, quantumcunque justus, potest futuram gloriam promereri, & ideò totum illud bonum, quod sancti in alia vita expectant, totum est de gratia & de merito passionis Christi. Nemo, quicquid boni faciat, quicquid supplicii patiatur, mereri potest futuram gloriam, ita quod ei quasi de jure debeatur, vel quasi Deus ei injuriam faciat, si non dederit, quod hac ratione ostendi potest. Omnia bona, quæ facimus, dona Dei sunt, & ideo per ea nō obligatur nobis Deus, sed nos potius Deo. Nā cū aliquis dona tribuit alicui, certum est, non illum, qui dat, sed illū, qui accipit, obligari*

Thomas Waldensis (Carmelita, qui obiit Anno Christi 1430.) contra Wiclefum. *Quid dignum facimus, ut participes cœlestibus fieri inveniamur, Apostolo dicente: Existimo, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis? Reputo igitur saniorem Theologum, fide liorem Catholicum & Scripturis sanctis magis concordem, qui tale meritum simpliciter abnegat, & cum modificatione Apostoli & Scripturarum concedit, quia simpliciter quis non meretur regnum cœlorum, sed ex gratia Dei aut voluntate largitoris.* Inde prolatis Scripturæ & Patrum testimoniis, precum quoque Ecclesiasticarum è Canone Missæ, *intra quorum (beatorum) nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte*; Itemque, *ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed misericordiam consequi mereamur*, concludit: *Meritum nostrum in hoc articulo minimè Deus attendit, sive rationem congrui, vel condigni, sed gratiam suam, aut voluntatem suam, aut misericordiam suam. Quomodo ergo non ad injuriam Salvatoris, & gratuiti coronatoris accedit, quod gratiâ ejus tacita tantum disputamus de meritis?*

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis (circa annum 1426.) in 4. sentent. quæst. 1. *Quia causa est illud, ad cujus esse sequitur aliud, dupliciter aliquid potest dica causa, Uno modo propriè, quando ad præsentiam esse unius virtute ejus & ex Natura rei, sequitur esse alterius: & sic ignis est causa caloris: alio modo impropriè, quando ad præsentiam esse unius sequitur esse alterius, non tamen virtute ejus ex Natura rei, sed ex sola voluntate alterius, & sic actus meritorius dicitur causa respectu præmii.*

Idem in Psalm. 51. *Peto hoc non propter aliquam justitiam, quæ sit in me, sed propter magnam misericordiam, quæ est in te, & multam miserationem, quæ est à te. In te enim est misericordia naturaliter in affectu & à te miseratio multipliciter in effectu. Ut ergo misericorditer ignoscas, non justitiæ meæ meritum allego, sed malitiæ meæ peccatum agnosco.*

Johannes de Vesalia Concionator Wormaciensis (circa annum 1464.) docuit, *gratis meraque gratia per fidem in Christum nos salvari.*

Eandem gratuitam justificationem & salvationem contra operum merita docuerunt, Waldenses, Wiclefus, Johannes de Argentina (circa ann. 1220.) Comes quidam de Henstein Eglerus nomine (circa annum 1228.) Jacobus de Altavilla dictus à Trithemio in Catal. Illustrium viror. *decus Gymnasii Parisiensis & Doctor insignis*, Marsilius Patavinus, Henricus de Heuta, Wandelinus, Johannes Hussus, Hieronymus Pragensis & alii complures.

Sed & ante illos omnes (Lyranum, Simonem de Cassia, Guidonem, Thomam de Argentina, Brigittam, Petrum de Alliaco, Thomam Waldensem, Johannem de Vesalia &c.) Guilielmus Occam & Durandus de S. Portiano contra merita operum disputarunt. Uterque floruit circa annum 1320.

Occamus in 4. sent. quæst. 3. ad dubium 2. statuit, *Deum post opera dilectionis &c. posse non dare vitam æternam, sed pœnam æternam sine injuria.*

Durandus lib. 2. sentent. dist. 28. quæst. 2. sic differit: *Patet, quod reddere præmium pro merito non pertinet ad justitiam distributivam, sed commutativam, quæ respicit æqualitatem quantitatis, quæ nullo modo est inter opus nostrum quantumcunque gratia informatum, & gloriam propter quod nondum apparet, qualiter possimus gloriam mereri de condigno.*

Item. *Tale meritum de condigno invenitur inter homines, sed non hominis ad Deum. Nullus potest reddere Deo æquivalens, teste Philosopho 8. Ethic. & sentire seu dicere oppositum est temerarium & blasphemum, propter quod, si decedenti in gratia Deus non redderet gloriam, nihil injustum faceret, & si habenti gloriam, auferret eam, non esset injustus. Quinimo si quis conquereretur de hoc, posset ei dicere Deus illud Evangelicum: An non liceat mihi facere, quod volo? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? & ille, qui hoc pateretur, deberet dicere illud Jobi: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum; quia cum omne bonum sit ex gratuito Dei dono, ex hoc, quod dat Deus quædam, non obligatur ad dandum alia.*

(Durandi suffragium largitur nobis Bellarminus lib. 5. de Justificatione cap. 16. §. Quod verò. *Durandus videtur omnino velle, merita nostra ex gratia Dei præcedentia, & posita promissione adhuc non esse talia, ut eis ex justitia debeatur merces, sed ex sola Dei liberalitate, in quo sensu refellitur à Theologis communi ferè omnium consensu, & merito, pugnant enim contra eam sententiam omnia argumenta, quæ fecimus adversus hæreticos.* Observa autem, Bellarminum addere particulam *ferè*, quia Durando etiam alii hac in parte suffragantur.

Pesantius in part. 3. Thom. Disp. 5. fol. 768. *Durandus docet, nullum esse meritum de condigno apud Deum, quodlibet esse ex acceptatione divina, quod etiam docet Scotus in 1. dist. 17. qu. 2. Gabr. q. 3.*

Idem Pesantius fol. 455. *Durandus vult, promissionem factam nostris operibus non significare obligationem ullam, sed liberā dispositionem Verū errat sine dubio, & non intelligit, quid sit promissio.*)

Stephanus Brulifer Doctor Parisiensis (circa annum 1470.) publicè docuit, prælegit & disputavit magna auditorum frequentia, *doctrinam, quæ meritis hominum justificationem adscribit, mendacem, imo Diabolicam esse, cum Agnus immaculatus pro nobis satisfecerit, Johanne clamante: Ecce Agnus Dei,*

In Canone Missæ sub finem ita orat Sacerdos: *Intra quorum* (sanctorum) *consortium non æstimator meriti, sed veniæ largitor nos admitte per Christum &c.* in quæ verba sic commentatur Jodocus Clichtovæus: *Quid meriti apud Deum poterimus obtendere, cui debemus omnia? cum feceritis, inquit, omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Quid nobis de bonis operibus poterimus applaudere, cum universæ nostræ justitiæ sint quasi pannus menstruatæ ante Deum. Nulla igitur sunt nostra ad Deum merita, cui debita sunt omnia, quæ præstamus, cum non ex nobis, sed sola sua bonitate, si quæ sunt opera nostra, accepta sunt & grata, à quo ut præcipuo autore profecta sunt.*

(Quæ verba adducit & approbat Georgius Cassander in consult. art. 6.)

Aurea Legenda de omnibus sanctis patt. festivat. fol. 144. Wen kein Mensch kam nie gen Himmel/ noch kömpt nimmermehr dar/ denn mit dem verdienen unsers HErrn Jesu Christi/ und wenn eine Seele zu Himmel fährt/ so ist unser HErr selber Thorwärter/ und thut jhr die Himmelspforten auff/ und empfehet sie frölich mit der süssen Engelsang.

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in Hortulo animæ recenset hanc precationem morituris recitandam. *Deus meus, piissime Pater, miserere mei Domine &c. Paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum, sed in virtute & efficacia benedictissimæ tuæ passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi Paradisum precio tui sanguinis emere dignatus es.*

De Rudolpho Agricola sic scribit Philippus Melanchthon in oratione de ipsius vita: *Memini huc scribere Josquinum Groningensem senem pietate & gravitate excellentem, se adolescentem interfuisse sermonibus Rodolphi & Wesseli, in quibus rejecerint Monachorum opinionem, quæ fingit, homines operibus justos esse.*

In libro, cui titulus: *Ordo baptizandi cum modo visitandi ægrotos*, recuso Venetiis apud Johannem Guariscum & socios Anno 1575. Inquisitores Hispani expunxerunt hæc verba: *Credis, non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Jesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Item: Credis, quod Dominus noster Jesus Christus pro nostra salute mortuus sit, & quod ex propriis meritis, vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ipsius?* Vide Indicem Expurgat. Cardinalis Quirogæ excusum Madriti Ann. 1584. fol. 149.

In Officio defunctorum pro agonizantibus talis habetur precandi formula: *Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vultu iræ tuæ? quia peccavi nimis in vita mea. Commissa mea pavesco & ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare, sed secundum magnam misericordiam tuam miserere mei Deus.*

In Agend. Moguntin. Ann. 1551. edit. fol. 71. Es sind nicht allein deine/ lieber Bruder/ sondern auch aller Menschen Verdienst viel zu klein und zu gering darzu/ daß ein Mensch sich der Seligkeit auff seine Werck vertrösten möge.

Caspar Ulenbergius in lib. de causis apostasiæ suæ Coloniens. Anno 1589. edito caus. 14. *Invenio librum quendam in Sacrario Parochiali Ecclesiæ nostræ* (Coloniensis) *scriptum Anno salutis 1475. quo semper ab eo tempore in visitandis & ad mortem præparandis usi sumus. In eo quæstiones aliquot reperiuntur in linguam Germanicam conversæ &c. morituris proponendæ. Postrema inter eas hæc est: Credis, te non posse salvari, nisi per mortem Christi. Respondet infirmus: Etiam. Tum illi dicitur: Age ergò, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, in hac morte totum te involve. Et si Dominus Deus voluerit te judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & tuum judicium. Si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusq; meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo.*

Integer ille Dialogismus extat in Hortulo animæ, & apud Anshelmum Cantuariensem Episcopum, qui Anno 1106. mortuus est, & sic habet:

Cùm frater aliquis laborare videtur in extremis, pium est & consultum, eum per Prælatum, sive alium Sacerdotem subscriptis interrogationibus & exhortationibus exerceri. Et interrogetur primò:

Frater, lætaris, quod in fide morieris? Et respondeat: Etiam.

Fateris, te non tam benè vixisse, sicut debuisses? Fateor.

Pœnitet te? Etiam.

Habes voluntatem emendandi te, si spacium vivendi haberes? Etiã.

Credis, quod propter te mortuus est Dominus Jesus Christus Filius Dei? Etiam.

Credis, non posse salvari, nisi per mortem ejus? Etiam.

Agis de hoc ex corde gratias? Etiam.

Age ergò, dum in te superest anima tua, ei semper gratias, & in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue. Huic morti te totum committe; hac morte te totum contege, eique te totum involve. Et si Dominus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me, te & tuum judicium, aliter tecum non contendo. Si dixerit, quod merueris damnationem, dic: Mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & mala merita mea, ipsiusq; dignissimæ passionis meritum offero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo.

Dicat iterum: Mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter me & iram tuam.

Deinde dicat ter: In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum. Et conventus sui adstantes respondent: In manus tuas, Domine, commendamus Spiritum ejus. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum.

Dn. D. Georgius Calixtus Theologus eximius in Digressione de arte nova Epitomes Theolog. moral. part. 1. subjecta pag. 444. memorat, esse sibi ad manum quandam *Summulam Raimundi* commentario illustratam & impressam Coloniæ per Henricum Quentel Anno 1498. in ea, ubi de extrema unctione agitur, poni aliquos casus, inter quos septimus: *Si quis infirmus dicat Sacerdoti: Domine, dicite mihi viam, per quam valeo venire ad regnum cælorum, tunc dubitatur, quam viam Sacerdos debet ei manifestare.* Responderi autem, *proponendas esse ei nonnullas quæstiones, quibus si affirmativè responderit, procul dubio securè moriturum.* Quæstiones sunt: 1. *An credat articulos fidei?* 2. *An gaudeat mori in fide Catholica?* 3 *An doleat, quod Christum offenderit?* 4. *& de peccatis commissis?* 5. *Si evaserit mortem, num velit peccata sua plangere, emendare & amplius non peccare?* 6. *Et ultimò, quærat Sacerdos, An credat pervenire ad regnum Dei non meritis suis, sed per merita Jesu Christi, & per ejus amarissimam passionem? Et si infirmus omnibus istis firmiter adhæret confitendo & credendo, tunc Sacerdos dicat sibi eum consolando: Si adversarii tui ad te veniant in exitu animæ tuæ, recordare Christi passionem & eris securus de vita æterna.* Ibidem Dn. D. Calixtus etiam sequentia adducit:

Anno 1512. fecit Godscalcus ab Aleteld Slesvicensis Diœceseos Episcopus Agendam Ecclesiasticam Parisiis excudi, ejusque exemplaria inter Parochos distribui & in templis reponi, in qua omnia illa, quæ ex Anshelmo, Hortulo animæ & Summula Raimundi adducta sunt, habentur.

Anno sequente edita est Agenda Moguntina, in qua descriptioni Extremæ unctionis hæc subjunguntur: *Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defen†dat. Intra te sit, ut te refi†ciat. Circa te sit, ut te conser†vet. Ante te sit, ut te dedu†cat. Post te sit, ut te confor†tet. Super te sit, ut te undique muniat & bene†dicat. Spiritus Sanctus descendat & maneat super te, Amen. Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, Amen. Et sanet omnes languores tuos, Amen. Redimatq; de interitu vitam tuam, Amen. Et faciat in omnibus bonis desiderium tuum; qui solus in Trinitate Deus vivit & regnat in secula seculorum, Amen. Pax tecum.*

Posthac Sacerdos imaginem crucifixi infirmo ostendat & eum ad devotionem provocet, instruatq; eum, ut Christi passionem in mente sua jugiter retineat.

Interrogationes faciendæ infirmo morienti.

Credis omnia, quæ sunt fidei Christianæ? Respondeat: Credo.

Gaudes te mori in fide Christiana? Respondeat: Gaudeo.

Recognoscas, te Deum multum offendisse? Resp. Recognosco.

Doles de omni offensa? Respondeat: Doleo.

Proponis de cætero ab omni offensa peccati mortalis abstinere? Resp. Divino auxilio mediante propono.

Credis, te meritis passionis Redemtoris nostri & non propriis ad gloriam pervenire? Credo.

Ultimò dicat: Si occurrerit tibi inimicus Diabolus, semper ei opponas merita passionis Christi Redemtoris & Salvatoris nostri.

In recentioribus Agendis Moguntinis Anno 1551. & 1599. editis Quæstiones & Responsiones illæ Latinæ non inveniuntur, interim tamen, ubi administratio extremæ unctionis describitur, inseritur Exhortatio lingua vernacula concepta iisdem æquipollens, quæ sic habet: Lieber Bruder/ lasse dich nicht verdriessen/ ob du gleich in dieser Kranckheit dein zeitliches Leben verlassen müstest/ allein lasse dir angelegen seyn/ und richte dich dahin/ wie du diß Leben mit einem guten End in der Gnade Gottes schliessen/ und jenes ewige Leben unverhinderlich ergreiffen mögest. Nun seynd aber nicht allein deine/ sondern auch aller Menschen Verdienst viel zu klein und zu gering dar-

zu/ daß

zu/daß ein Mensch sich der Seligkeit auff seine Werck getrösten möchte. Do es aber an unsern Wercken und eigen Verdiensten mangelt/ da haben wir uns an die Verdienst Christi unsers gemeinen Heylandes zu halten / den Gott auß Göttlicher Lieb gegen uns darumb in die Welt geben hat/ daß / wer an jhn glaubet/nicht verderben/sondern das ewige Leben haben soll. Auff den hat Gott zuvor deine und aller Menschen Sünd geleget / und jhn umb deine Sünde lassen verwundet und schmertzlich geschlagen werden. Und die Straffe/ die du für deine Sünde nach strenger Gerechtigkeit Gottes billich gedulden soltest/ die hat Gott zuvor an seinem einigen und geliebten Sohn erholen/ und jhn schmertzlich leiden lassen für deine Sünde/ auff daß er dein verschonen möchte. Auff diesen gnädigen und erbarmenden GOtt soltu dein Vertrawen stewren/ ein frölich getrost Hertz fassen/und dich für nichts fürchten/sondern eine steiffe Hoffnung und ungezweiffelte Zuversicht haben. Denn weil sich Gott umb dein Heyl so viel angenommen/daß er seinen einigen Sohn für dich in Todt gegeben/und durch sein thewres und heiliges Blut dich von Sünden/Todt/ Teuffel und Höll erlöset/und dich zur heiligen Tauff/ darinn du in die Gemeinschafft Christi eingeleibet bist/aus Gnaden hat kommen lassen/ so wird er dich auch noch nicht aus seiner Huld und Gnade verstossen/sondern nochmals mit seiner väterlichen Lieb und Gnade zu dir setzen/und dir auch aus dieser deiner letzten Noth außhelffen/und entweder dir deine Leibes-Gesundheit bald wieder geben/wo es zu seiner göttlichen Ehr und zu deinem Heyl dienstlich seyn sol/oder dich durch den leiblichen Todt in jenes Leben hinführen/da deine liebe Seele bey Gott mit jhrem lieben Erlöser und allen seinen Außerwehlten sich erlustigen / und in der Aufferstehung am Jüngsten Tag mit diesem deinem sterbenden Leib sich wiederumb vereinigen/ und du alsdenn an Leib und Seel ewigen Lust und Frewde ohne einige Trawrigkeit empfangen würdest.

Ex Sacerdotali Romano Cardinalis Hosius in Confess. fidei Petricov. cap. 73. similia adducit. *Vidimus*, inquit, *& Sacerdotale Romanum, in quo & ipso habetur hæc interrogatio: Credis, non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Jesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Respondet infirmus: Credo. Iterum Sacerdos: Credis, quod Dominus noster Jesus Christus pro nostra salute mortuus sit: & quòd propriis meritis vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ejus? respondet infirmus: Credo. Et in fine Sacerdos dicit: Si Dominus Deus voluerit te secundum peccata tua judicare, dicas: Domine Deus, ego pono mortem Domini nostri Jesu Christi inter me & judicium tuum: & quamvis meruerim æternam mortem propter peccata mea, interpono tamen meritum passionis ejusdem, loco meriti, quod ego miser deberem habere & non habeo. Item: Domine, pono eandem passionem & mortem Domini nostri Jesu Christi inter me & iram tuam; & in manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum &c.*

Non ita pridem, Anno scilicet Christi 1627. editus est Sammielli, sumtib. Francisci du Bois & Jacobi Francisci libellus, cui titulus: *Rituale Monasticum, justorumq; infirmantibus, moribundis, nec non vita functis persolvendorum ratio ex optimis quibusq; Romano præcipuè & antiquiori Benedictino depromtum.* In eo pleræq; omnes quæstiones & responsiones ex Anshelmo, Hortulo animæ, Agendis Moguntinis, Sacerdotali Romano &c. hactenus adductæ repetuntur.

Sacerdos. Credis, non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Jesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Respondeat infirmus: Credo.

Sacerdos. Credis, Dominum nostrum Jesum Christum pro nostra salute mortuum, & propriis meritis, vel alio modo nullum posse salvari, nisi merito passionis ejus? Respondeat infirmus: Credo.

Sacerdos. Reddisne ei gratias toto corde, quantum potes, & te ipsius passioni commendas & ipsam corde cogitas, & ore, quantum potes, nominas? Respondeat infirmus: Reddo.

Sacerdos. Doles, te non posse recordari omnium peccatorum tuorum, quibus Dominum Deum offendisti in quocunque loco, & cum qualicunque persona: quæ si recordareris, confitereris integraliter? Resp. infirmus: Doleo.

Sacerdos. Doles, quod postquam veniam de peccatis tuis à Domino Deo consecutus es, recidivans reversus es ad eadem, vel similia, vel majora peccata? Respondeat infirmus: Doleo.

Sacerdos. Si occurrerit tibi Diabolus, ei semper oppone merita passionis Christi. Respondeat infirmus: Opponam.

Sacerdos. Si te tentaverit de fide, dices, te omnia credere & confiteri, quæ credit & confitetur Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia. Respondeat infirmus: Dicam.

Sacerdos. Si Dominus Deus voluerit te secundum tua peccata judicare, dicas: Domine Deus, ego pono mortem Domini Jesu Christi inter me & judicium tuum: & quamvis meruerim æternam mortem propter peccata mea, interpono tamen meritum passionis ejusdem, loco meriti, quod ego miser deberem habere & non habeo. Item: Domine, pono eandem passionem & mortem Domini mei Jesu Christi inter me & iram tuam, & in manus tuas, Domine, commendo Spiritũ meũ.

In Monasterio Francisci apud Mantuanos extat tale monumentum, referente Nathane Chytræo in hodæporico.

Quæso animi fidelis,
Ah quid respondere velis,
Christo venturo de cœlis?
Cum à te poscet rationem,
Ob boni omissionem,
Et mali commissionem.
Dies illa, dies iræ,
Quam conemur prævenire,
Obviamq; Deo ire,
Seria contritione,
Gratiæ apprehensione,
Vitæ emendatione,
Dies iræ, dies illa,
Solvet seclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando judex est futurus,
Cuncta strictè discussurus!
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit & Natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergò cum sedebit,
Quicquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tum dicturus?
Quem patronum rogaturus,
Cum nec justus sit securus.
Rex tremendæ majestatis,
Qui salvandos salvas gratis
Salva me fons pietatis.
Recordare Jesu pie,
Ne me perdas illâ die,
Quòd sum causa tuæ viæ.
Quærens me sedisti lassus,
Redemisti cruce passus,
Tantus labor ne sit cassus.
Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.
Ingemisco verè reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bone fac benignè,
Ne perenni premar igne.
Inter oves locum præsta,
Et ab hædis me sequestra,
Statuens me parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Ut consors beatitatis,
Vivam cum justificatis,
In ævum æternitatis.

Theolog. Germanica ante. B. Lutherum scripta cap. 42. *Magna est stultitia, quod homo aut creatura opinatur, se scire vel posse ipsam, & præsertim, si opinatur, se scire aut posse aliquid bonum, quo plurimum mereri aut impetrare valeat apud Deum, Deo sit hac ratione contumelia juxta eum, qui hæc rectè intelligit.*

Alphonsus de Castro lib. 3. adversus hæreses, verbo Beatitudo, hæresi 5. disputans adversus eos, qui statuunt, *omnem intellectualem Naturam seipsa naturaliter esse beatam*, inter cætera sic disserit: *Paulus dicit, Gratia Dei vita æterna. Et iterum. Justificati gratis per gratiam Dei. Si ergò gratis justificamur, multo magis & gratis beatificamur.*

(Atqui si gratis beatificamur, vita æterna non datur nobis ex nostris meritis.)

Jacobus Faber Stapulensis in cap. 11. Joh. p. 195. *Hic Spiritus, hic sapientia, nosse, Christum omnia esse, & in quo uno, soloque Deus omnibus, quibus parcit & qui de numero sunt salvandorum, omnia peccata remittit, de quo & in quo promissio ad Abraham veridici Dei impletur. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. In eo enim est omnis redemtio nostra, salvatio nostra, liberatio nostra, quæ est universa omnium gentium terræ benedictio. Nonne scriptum est: Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum? Si solus, & non est de gentibus vir cum eo, qui est ergò, qui se adjungere illi ausit & dicere: Pro peccatis meis piis officiis, suffragiis, pœnitentiis, etiam quibuscunque, satisfaciam aut satisfeci? Nonne seipsum faceret sui Salvatorem, redemtorem, liberatorem & Christum negaret? O quam ergo ingrati sumus, si id de Christo non sentimus, nimirum quod in ipso solo salvati, redemti & liberati sumus? &c. Ubi ergò sunt nunc, qui se credunt propriis operibus liberare à peccatis? hanc gratiam intelligant, se soli Christo Domino, debere & desinant meritorum opera jactare. Sit Christus & gratia ejus tota gloria & gloriatio nostra, & sciamus, quòd ex nobis & ex operationibus nostris non possumus esse, nisi servi. proinde quod liberi sumus, uni Christo acceptum referamus, quem oportuit pro omnium liberatione mori, ne omnes servitute peccati & æterna quidem pertremus, acceptante Deo illum unicum pro pignore & pro peccatis salvandorum omnium satisfactione. Exiguum profectò, pusillum & inhonorificum, si cuivis particulari di-*

mittat Deus in ipso peccata, sed grande, magnificum & gloriosum, si omnibus illa dimittat in Filio suo pro me & omnibus aliis passo, ut illum semper suspiciamus, jugiter admiremur, & toti amore ejus accendamur, inflammemur, ardeamus, tantam & tam incomprehensibilem Patris in Filio sapientiam & erga nos benignitatem & clementiam adorantes, cujus unius mortem voluit sic expedire & esse necessariam, ut illa satisfaceret omnibus salvandorum peccatis & justitia ejus omnes salvandos justificaret.

(Hujus generis plura in illis commentariis occurrunt, inde Index Expurgatorius Hispanicus de illis sic pronunciat: *Quia commodè expurgari non possunt, omninò deleantur.*)

De Alberto Piggio Cardinali Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 1. §. In eandem &c. sic scribit: *In eandem sententiam* (quæ statuit, *justitiam in virtutibus inhærentibus sitam esse imperfectam, nec unquam esse posse talem, ut judicium Dei sustineat*) *incidit Albertus Piggius in secunda controversia.*

De Caspare Contareno Cardinali Patricio Veneto ac Pontificis ad Comitia Ratisbonensia Ann. 1541. Legato refert Flacius in præfat. libri de dissens. Pont. ad Senatum Venetum pag. 44. *quòd admiserit, vitam æternam esse merum donum Dei, ac ex sola gratia, favoreq; cœlestis Patris peccatoribus propter Christum contingere, nec ullo modo ulla nostra bona opera verè esse aut dici posse meritoria vitæ æternæ*, id quod ex impressa ejus Epistola ad Alexandrum Farnesium Cardinalem & Nepotem Papæ cum ipso ea de re expostulantem Anno 1563. Basileæ edita manifestè pateat.

Johannem Ferum Minoritam Concionatorem Moguntinensem Dominicus à Soto sexaginta septem locis virgula censoria notat, præcipuè, *quod præter aliorum sensum in commentariis suis de justificatione & meritis operum locutus sit.* Eum Michael Medina Minorita Hispanus libro in hanc scripto tutari non est veritus. Sic autem scribit

Ferus in cap. 47. Genes. *Quoties cum Deo agere volumus, non jactemus nos, nec propria merita æstimemus, sed Deo æstimanda permittamus, unde & Christus docet: Cum feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus; & Paulus: Non meipsum judico, qui me judicat, Dominus est. Veram modestiam & humilitatem ostendebat publicanus ille, qui nec oculos levare audebat in cœlum, & Cananæa illa, quæ se canem agnoscens, nihil aliud, quàm micas petebat. Et mulier illa, quæ cupiebat tantum tangere fimbriam vestimentorum. Et peccatrix illa, quæ retrò ad pedes Domini accessit. Et Centurio, qui dixit: Non sum dignus, ut intres tectum. Et latro, qui nihil petere ausus tantum dixit: Memento mei:*

Idem in cap. 10. Matth. v. 8. *Si Dei gratiam & favorem conservare cupis, nullam meriti fac mentionem.*

Idem in cap. 18. Matth. *Deus ad tempus sinit homines vitio suo prolabi, ut agnito errore sentiant, se non suo merito, sed gratuita misericordia servatos esse, ne possint insolescere.*

Idem in cap. 20 Matth. *Docet hæc parabola, gratiam esse, non debitum, quicquid à Deo nobis datur. Omnes enim justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ, imo ne ipsæ quidem passiones hujus temporis sunt condignæ ad futuram gloriam. Quòd si aliquando mercedem audimus polliceri scire debemus, non ob aliud potissimum esse debitam, quam ex promissione divina. Gratis promisit, gratis & ex justitia reddit. Si igitur Dei gratiam & favorem conservare cupis, nullam meritorum fac mentionem.*

(Adducit hunc locum Johannis Feri Sixtus Senensis lib. 6. Bibl. annot. 89. atque addit, *Hieronymum Veron. Episcopum in comm. Epist. ad Hebr. hoc nomine Ferum taxasse, quod in hoc & plerisque aliis locis evertat merita bonorum operum.*)

Idem Ferus in cap. 26. Matth. *Gratis promisit, gratis & ex justitia reddit.*

(Conjungit gratiam & justitiam. Ergò non intelligit justitiam, quæ operum dignitatem respicit, sed promissionis veritatem.)

Idem in cap. 1. Joh. *Omnem gloriam operum nostrorū hoc verbo damnat. Si enim Johannes se indignū fatetur, quid tu gloriaris de meritis tuis? mera igitur gratia, mera misericordia est, accepisse ut servias.*

Idem in cap. 2. Joh. *Ex hoc loco petenda est vera orationis Christianæ forma. Primò enim veniendum est fiduciâ solius misericordiæ Dei & nequaquam prærogativa meriti nostri, Dan. 9.*

Idem in cap. 14. Joh. *Non propter opera nostra in se nos gratos habet Deus, sed propterea, quod in Christum credimus. Gratos, inquit, nos sibi fecit in dilecto Filio suo.*

Idem in cap. 1. Rom. *Paulus negat, per opera nos mereri remissionem peccatorum, alioqui si operibus meremur, jam non est gratia, gratia excludit merita.*

In cap. 3. Roman. *Blasphemia est, eligere opera hac & spe opinione, ut per ea justificemur.*

Idem in cap. 16. Rom. *Sola fide in Christum & nullis meritis nostris justificamur.*

Idem Domin. 1. post Pascha serm. 4. *Illi* (Christo) *hoc transscribendum est, non nostris meritis.*

Domin. Cantate serm. 3. *Per solam fidem nullo merito nostro nos salvari* docet.

Domin. Vocem Jucunditatis serm. 6. *Non meritorum nostrorum gratiâ nos diligit.*

Domin. 12. post Pentecost. serm. 1. *Ne jactes bona opera, ne dicas, gloriabimur hæc & hæc bona opera fieri, sed simpliciter implora misericordiam Dei.*

(Vide Indicem Expurgatorium Hispanicum à fol. 123. usque ad folium 135. ubi plurimas ejus generis sententias ex Fero expungere jubent. Quamvis verò Dominicus à Soto hæc & alia plusquàm 60. in Johannis Feri scriptis loca obelisco notet, & in Indice Expurgatorio, uti modò diximus, tales sententiæ expungi jubeantur, tamen Michael Medina Minorita Hispanus non dubitavit Johannem Ferum peculiari scripto defendere, ex quo Sixtus Senensis in Bibliothec. sancta multa passim allegat. Inter cætera Medina in 1. 2. quæst. 114. art. 3. sic scribit: *Deus sine dubio præstabit, quod promisit propter veritatem, non propter obligationem. Quòd si non præstet, mendax erit, non injurius.*)

Fridericus Nausea Episcopus Viennensis Cent. 2. Homil. pag. 373. *A misericordia Dei nobis est, quicquid sumus & habemus; & quicquid agimus, est perinde atque signum gratitudinis.*

Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 12. multis refellit opinionem eorum, *qui operum condignitatem non regeneratorum saltem operibus, ut ea à libero arbitrio absque gratia Dei procedunt, per Paulum derogari fingunt*, ac eos prolixè redarguit, *qui condignitatem attribuunt meritis sanctorum, vel ex promissione Dei, vel ex gratuita acceptatione divina ad quodvis præmium, vel ex pacto & conventione.*

Tandem sic concludit: *Nos verò, exclusa dignitate, ab operibus nostris submittamus nos potenti Dei manui, ad promissiones divinas, benignitatemq; largitoris nos convertendo. Si quam dignitatem optamus, eam in Dei misericordia quæramus; si perfectionem, eam in miserationibus Domini perscrutemur; si gloriationem, eam ex cruce Domini nostri Jesu Christi petamus, qui factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctitas & liberatio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Andreas Vega (de quo Canisius in præfat. in libr. Vegæ de Justificatione sic judicat, *quod fuerit vir cumprimis eruditus & in primariis Concilii Tridentini Theologus doctorum judicio numeratus*) in opusc. de merit. quæst 4. pag. 782. adducit & approbat dictum Thomæ Waldensis. *Ille est sanior Theologus, fidelior Catholicus & sacris Scripturis magis consentiens, qui merita simpliciter abnegat & cum modificatione Apostoli & Scripturarum agnoscit, quòd simpliciter nemo meretur regnū cœlorū, sed ex gratia Dei & voluntate largitoris. Loquitur autem Wadensis de operibus justificatorum.*

(Hunc Waldensem Staplet. l. de consig Script. c. 13. vocat *virum, cujus laus magna est in Ecclesia & autorem nobilissimum.*

Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. de ipso dicit, *quod fortia & erudita emiserit volumina.*)

Idem Vega lib. 10. de Justificat. cap. 7. *Gloria cœlestis, quoad substantiam suam, quæ est visio Dei æterna, absq; relatione ad opera datur. At gradus gloriæ pro diversa proportione gratiæ infusæ confertur.*

Conradus Clingius Locor. commun. cap. 22. *Opera justificatorum, quamvis ex fide Christi ad laudem & gloriam Dei atq; dilectionem proximi fiant, quia tamen nos ex carne & sanguine polluti sumus, hinc est, quod opera nostra in sua bonitate, Natura & dignitate considerata, sint impura & imperfecta ex se & propria sua virtute. Et quoniam omnia opera nostra etiam post fidem facta sunt imperfecta & immunda & involuntaria, ideò non possumus contendere cum Deo, quasi nobis aliquid debeat & teneatur ex condigno, sicut mercenarius pro suis laboribus cum Domino. Et in eum finem dicimus, quod opera nostra non merentur vitam æternam, nec apprehendunt, sicut mala & imperfecta moneta nihil emi potest.*

Claudius Espensæus in 2. Epist. ad Timotheum Digress. 22. pag. 157. adducit & probat dictum Augustini serm. 2. de verbis Apostol. *Te quidem coronat Deus, sed in misericordia. Non enim dignus fuisti, quem vocaret, vocatum justificaret, justificatum glorificaret, & si merita tua præcesserunt, dixit tibi Deus: Discute merita tua, & videbis, quia dona mea.*

(Nullum igitur meritum est, nec ante nostram vocatio-

nem

nem *ad justificationem; nec post justificationem nostram ad glorificationem.)*

Georgius Cassander in Consultat. artic. 6. de bonis operib. pag. 921. *Quod subjicitur, propter Dei voluntatem, non verò ut confidamus, per ea justificationem coram Deo mereri, bona opera ex fide facienda, rectè & Ecclesiasticæ doctrinæ consentaneè dicitur. Omnes enim uno ore profitentur, remissionem peccatorum & gratiam justificationis neminem suis, quamvis in speciem bonis, operibus mereri. Notum enim est illud Augustini de fide & operib. Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.*

Postea adducit & approbat dictum Buceri. *Si Deus judicaturus est unumquemque secundum opera sua, certè bona opera in vera fide & caritate facta ad salutem sunt necessaria, ut suis Deus respectu bonorum operum temporariam & æternam mercedem largiatur, non quidem ex dignitate operum in se, sed ex gratia propter meritum Christi, qui hæc ipsa opera in suis operatur & sua in illis dona coronat, ut inquit Augustinus. Nec hoc igitur inficiandum est, hujusmodi opera vitam æternam mereri, non illa quidem ex sua dignitate, sed ex divina acceptatione, promissione & pacto.*

Ex eodem Bucero adducit etiam illud: *Si sancti Patres aut alii intelligant per mereri facere ex fide gratiæ Dei bona opera, quibus Deus mercedem promisit & rependet, hoc sensu usurpare illud verbum minimè damnabimus. Quo autem sensu hoc vocabulo meriti & merendi usi sint, obscurum non est, nempe ut per illud gratiæ Dei, ex qua merita omnia oriuntur, nil detrahatur.*

Et postea. *Scriptores Scholastici & recentiores Ecclesiastici omnem vim meriti hujus justitiæ in sola gratuita Dei acceptatione & liberali promissione constituunt, cùm & hæc ipsa qualiscunque justitia donum sit Dei & jure servitutis Deo debeatur. Videatur Thomas 1. 2. quæst. 114. artic. 1. Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis. Præclarè hac de re disserit Durandus in 2. sentent. dist. 21 quæst. 2.* (cujus verba superius sunt adducta) *& Adrianus de Trajecto, postea Pontifex maximus in 4. sent.* (cujus verba thesi sequente adducentur.)

Idem Epist. 19. ad Johannem Molinæum pag. 1109. *Restat extremus locus de meritis, ubi scribis, tradere me, bona opera non esse causam vitæ æternæ, sed signum, occasionem, vel viam, cum ego ibi nil tradam, sed bona fide sententiam veteris cujusdam ex Scholasticorum numero scriptoris exponam, cujus verba, ut ea in pervetusto Manuscripto libro reperi, adscribam. Nota, quod cum dicitur, Deus pro bonis meritis dabit vitam æternam, pro primò notat signum, vel viam, vel occasionem aliquam, sed si dicatur propter bona merita* (opera bona, quo sensu pii veteres hac voce utuntur) *dabit vitam æternam, Propter, notat causam efficientem. Ideò non recipitur à quibusdam, sed hanc recipiunt: pro bonis meritis & consimiles earum, assignantes differentiam inter pro & propter. Adjeci autoritatem Thomæ Bravardini, qui inter Scholasticos profundi nomen invenit. Is in laudatissima illa summa contra Pelagianos copiosè & eruditè disputat, meritum non esse causam æterni præmii. Cumq; Scriptura & Doctores confirment, Deum præmiaturum bonos propter merita sua bona, propter, non significare causam propriè, sed impropriè, vel causam cognoscendi, vel ordinem, vel denique dispositionem subjecti. Quid autem clarius dicto Bernhardi, qui in libro de gratia & libero arbitrio sic loquitur: Alioqui si propriè appellentur ea, quæ dicimus nostra merita, spei quædam sunt seminaria, caritatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi? Igitur cum regnum dicitur tradi propter merita, propter non causam, sed viam significat. Indicavi quoque Scholasticos causam hic intelligere non propriè dictam, sed causam sine qua non, quæ verè & propriè causa non est. Hic autorem habeo Petrum de Alliaco, cujus eximia est inter Scholasticos autoritas, cujus hæc sunt verba in 4. quæst. 1. artic. 1. Quia causa est illud, ad cujus esse sequitur aliquid, dupliciter potest aliquid dici causa, Uno modo propriè, quando ad præsentiam esse unius virtute ejus ex Natura rei sequitur esse alterius, & sic ignis est causa caloris: alio modo impropriè, quando ad præsentiam esse unius sequitur esse alterius, non tamen virtute ejus, nec ex Natura rei, sed ex sola voluntate alterius. Et sic actus meritorius dicitur causa respectu præmii. Subdit autem. Causa sine qua non debet simpliciter & absolutè dici causa, quia propriè non est causa. Quid quod Scholastici omnes penè dignitatem, æqualitatem & commensurationem meriti & præmii non in reipsa & intrinseca bonitate actus, sed in divina acceptatione, pactione & ordinatione constituunt. Quamvis autem nonnulli sint, qui hic æqualitatem quandam & justitiam ex divina pactione & conventione statuant, affirmantes, Deum homini jure promissionis ad reddendum præmium obligari, hæc tamen ipsa obligatio principium habet gratuitum; neque ullam operibus intrinsecam virtutem addit, sed omne jus consequendi præmii in gratuita promissione consistit. Quid quod nonnulli insignes Scriptores hoc ipsum negant, Deum videlicet sua promissione nobis obligari, in quibus est Durandus inter Scholasticos celebris, cujus hæc est ratio: Quicquid habemus boni, totum nobis inest ex liberalitate divina, cum autem ex dono gratuito nullus obligetur danti, ideò ex bonis habitibus & actibus nobis à Deo datis, Deum non obligari nobis ex aliquo debito justitiæ ad aliquid amplius dandum, & sentire seu dicere oppositum esset temerarium sive blasphemum. In hanc sententiam clarissimè scripsit F. Bernhardus de annunciatione. Non enim, inquit, talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam, quod merita omnia DEI dona sunt, ita ut homo magis propter ipsa Deo debitor sit, quàm Deus homini, quid enim sunt merita omnia ad tantam gloriam?*

Idem Cassander Epist. 34. pag. 1127. *Merita vocant* (Patres) *rectè facta sanctorum, qui merito & precio sanguinis Christi redemti, & in filios & heredes vitæ æternæ per fidem sanguinis Christi adoptati sunt, quæ inhabitans in iis Christi Spiritus operatur, quibus factis ex divina pactione & institutione merces & corona in futura cœlesti vita decreta est, quæ tamen ipsa vita æterna non virtute & dignitate meritorum comparatur, sed sola dignitate & precio sanguinis Christi donatur. Ut autem merces ipsa in Scripturis sanctis gratia, ita Patres & ipsa merita sanctorum Dei dona esse tradunt, quæ Deus nonnullis electis insigniter contulit, non ad illorum modo sanctificationem, sed ad reliquorum quoq; membrorum utilitatem, primum in dilecto suo Filio gratificatos, tamen ob ea ipsa dona acceptos quoque carosq; habet, dignosq; quos aliis donis cumulet, quosque pro aliis suppliciter deprecantes exaudiat, & in illorum gratiam pietate illorum & precibus adductus multa Ecclesiæ & aliis infirmioribus membris tam ad præsentem, quam futuram vitam pertinentia largiatur.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis concione 5. in Evang. festi Divi Nicolai pag. 55. *Vult Deus remunerare opera nostra bona, verum non est, quod putemus hinc sequi, quod bonis operibus nostris aut gratiam, aut vitam æternam mereri possimus. Merita enim & præmia gratia Dei sunt. Deus, inquit Augustinus, sua merita in nobis coronat. Imo Psalmista ait Psal. 103. Dominus coronat te misericordia & miserationibus. Ideò nimirum clamat Johannes, de plenitudine Jesu omnes accepimus gratiam pro gratia. Et Paulus dicit Rom. 6. stipendium peccati mors, donum autem Dei vita æterna per Jesum Christum Dominum nostrum. Quare cum fecerimus etiam omnia, quæ præcepta sunt nobis, dicemus: Servi sumus inutiles, Luc. 17. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ps. 113. Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei. Baruch. 3. Dan. 9.*

Idem conc. 2. in Epist. festi Magnorum p. 214. *Sub Jerusalem appellatione omnes illi tum Judæi, tum gentes intelliguntur, qui habent visionem pacis, hoc est, qui credunt, se, alioqui condemnatos, pacem & reconciliationem consecutos esse apud Deum Patrem per Jesum Christum, qui omnibus suis & operibus & meritis diffisi, solum Christum agnoscunt suam justitiam, suaque merita.*

Id Conc. 2. in Epist. festi convers. Pauli pag. 255. *Sunt non pauci, qui quidvis potius credant & admittant, quàm per solum Jesum, perque fidem in hunc salutem omnem & vitam æternam contingere. Etsi autem verbis id maximè testantur, ipsis tamen factis negant. Nam si isthuc crederent ex animo, non opem & auxilium quærerent apud creaturas, non suis meritis & operibus fiderent, non adeò ad nomen encomiumque Jesu horrerent, demitterentque caput, ut in plerisque jam videmus.*

P. 253. *Quemadmodum ante conversionem suis ipsorum meritis & operibus, aliisque creaturis fidebant: ita nunc solius Jesu meritis & justitia* (conversi) *nituntur.*

Idem concion. 5. in Epist. festi convers. Pauli p. 285. *Si dicere velimus, mereri bona opera vitam æternam ex sui dignitate, obscuramus beneficia & merita Christi. Nam si nostris operibus vitam & præmia mereri verè possumus, ergò frustra mortuus est Christus. Sciendum igitur nobis est & unicè observandum, vitam æternam in Scripturis mercedem appellari bonorum operum, non ut putemus, benefacta nostra esse digna vita æterna, seu deberi illis vitam æternam propter ipsorum operum dignitatem, sed quod Deus fidei nostræ, quam per bona opera in nobis exercet, vitam æternam gratuito sit pollicitus. De plenitudine enim Christi, inquit Johannes, omnes accepimus, gratiam pro gratia, hoc est gratiam vitæ æternæ pro gratia justificationis indebitæ. Ergò, inquam, merces est bonorum operum vita æterna, non quia his debetur, sed quia promissa est. Tanta nimirum est Dei erga nos bonitas, ut opera, quæ ipse in nobis facit & quæ sua sunt, appellet nostra, idque tantum propter imbecillem illum assensum & conatum nostrum, quem tamen non sine eo adhibemus. Credemus*

itaque & statuemus, bona nostra opera placere Deo, sed propter Christum: secuturam illa vitam aeternam, sed ex gratuita promissione, ex mera misericordia. Verum nunquam nostris meritis fidere debemus, nunquam ipsi dignitati bonorum nostrorum debemus salutem ferre acceptam. Hic cogitandum est, scriptum esse, Qui gloriatur, in Domino glorietur, & donum Dei est vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. Sentiendum cum Divo Bernhardo: Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita, & hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominum salvum facit.

Episcopus Wintoniensis morti jam vicinus de Justificatione fidei admonitus, *rem periculi plenam* dixit *populo hanc rimam aperire, sibi tamen suique similibus, quibus imminente morte fastuosae praesumtiones de meritis operum facile excutiantur, tutò doctrinam illam Lutheranam revelari posse.* Foxus in Martyrologio.

Joh. Hoffmeisterus tom. 2. Homiliarum Domin. II. Trinitatis. *Graviter & diligenter fac bona opera, quantum poteris &c. & tamen in orationibus tuis dic cum publicano, Deus propitius esto mihi peccatori, sicque fiet, ut justificatus per Dei misericordiam intres in vitam aeternam.*

Fr. Johan. Croendonch Franciscanus ober die Epistel an S. Thomae Tag p. 555. Ingolstadt An. 614. Der Weg ist breit/ alle Hindernissen beyseit gethan/ die Leiter stehet allda. Wer nun die Leiter den Mittler Jesum Christum nicht leyden kan/ und wil mit seiner eignen Gerechtigkeit/ Wercken und Verdiensten ohne Christum ihm eine eigne Leiter machen und gen Himmel steige/ der sehe zu/ daß er nicht in des Teuffels Namen herabfalle und den Hals stürtze. Denn Christus sagt: Ich bin der Weg.

Schultingus tom. 2. Biblioth. adversus c. 11. lib. 3. Instit. *Quod ad meritum condigni attinet, aboleri finimus, aut certe Scholis remittimus, ut sine quo subsistere potest orthodoxae fidei veritas, cum nec ipse persuaderi potuerit Origenes, ullum esse opus nostrum posse, quod ex debito Dei remunerationem deposcat. Cum neque etiam hoc ipsum, quod sumus, quod agere, quod proloqui possumus, ex Dei dono & largitione fit,* (hic videtur luxata sententia defectu negationis) *nec etiam existimavit Apostolus condignas passionis his ipsis, etiam ipsorum, qui Christo incorporati sunt, ad futuram gloriam.*

Benedictus Justinian. in c. 4. Epist. ad Rom. f. 145. *De verbis Davidis sic plane sentio, ex iis Paulum colligere, justitiam gratuitam esse, quia à Deo imputatur, non autem ex operibus cujusquam nascitur, reputat enim Deus justitiam non vi operũ, sed ex sua liberalitate.* Et mox: *Plane ostendit David, non haberi rationem meritorum, sed quicquid in ea cernitur, ab unius Dei liberalitate pendere.*

Huc pertinet, quod quidam negant, utendum esse his vocibus, *Meritum condigni.*

Thom. Waldensis tom. 3. de Sacr. c. 7. Paulus Brugensis in additionib. ad Lyran. Ps. 35. Durandus in 2. dist. 27. q. 2. Ariminensis. 1. sent. dist. 17. q. 1. art. 2. Eccius ipse vocem *condigni ut nimis superbam & insolentem* adversatur. Vide Holderum in libro de merito congrui & condigni p. 107.

Idem, quod Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 1. & lib. 5. c. 16. perstringit Durandum, Piggium & Autores Antididagmatis Coloniensis hac de causa, quod *posita promissione divina bona opera ex gratia facta adhuc dicant esse imparia vitae aeternae, seu non digna, ut eis ex justitia debeatur merces.*

(Intellige, *ex justitia commutativa*, quae aequalem proportionem actionis & meriti attendit, non ex aequitate servandi promissum, quam autores illi non negant.)

2. Quod quidam agnoscunt, *bona opera renatorum non esse perfecta & pura.*

(Ergo etiam non possunt esse vitae aeternae meritoria. Consequentiam ipsimet Pontificii concedunt.)

Dicta illa enumeravimus thesi proximè praecedente.

3. Quod quidam agnoscunt, *fidem solam justificare.*

(Atqui si opera non justificant, utique etiam non sunt merita propriè dicta. Quod si enim justificarent, utique meritoriè justificarent. Praeterea eaedem sunt causae justificationis & salvationis, ut docet Apostolus Rom. 4. v. 5. & seq. Quod si ergo bona opera non sunt causae *justificationis*, utique etiam non sunt causae *salvationis.*)

Dicta illa enumeravimus superius cap. 3. th. 1.

4. Quod quidam agnoscunt, *neminem posse per sua opera pro peccatis vel peccatorum poenis satisfacere.*

(Quod si enim bona opera non sunt *satisfactoria*, utiq; etiã non sunt *meritoria*. Consequentiam ipsimet Pontificii concedunt.)

Dicta illa enumeravimus lib. 2. art. 16. cap. 5. th. 3.

5. Quaedam hypotheses Adversariorum.

Primò, c. cum creatura. lib. 3. Decret. tit. 41. de celebr. Miss. *Creatura non habet, quod pro meritis respondeat creatori.*

(Ergo etiam nullum potest esse creaturae coram judicio creatoris meritum.)

Secundò, Lombardus lib. 1. sent. dist. 41. lit. A. *Nullum est misericordiae meritum ne gratia evacuetur, si non gratis donetur, sed meritis redditur. Gratia gratis datur, judicium meritis redditur.*

c. Gratia. caus. 1. q. 1. ex Leone. *Gratia si non gratis datur vel accipitur, gratia non est.*

Salmero Disp. 35. in Epist. ad Rõ. *Pugnat aliquid gratis donari & operibus reddi sicut gratuitum & justum, debitum & indebitum. Et hanc eandem inferendi rationem secutus est Apostolus cap. quarto in hujus Epistolae principio.*

Dominicus à Soto in cap. 4. Rom. *Pugnat secum, gratis quicquam donari & operibus reddi: est enim hoc justitiae opus, utpote merces vel praemium, quam quidem justitiae rationem gratia excludit, cujus opus est mera donatio.*

Benedictus Justinianus ibid. *Atithesis est operum & gratiae: perinde ac si quod est ex operibus, nequeat esse ex gratia, & quod ex gratia procedit, non pendeat ex operibus.*

(Jam verò vita aeterna est *χάρισμα gratuitum Dei donum*, ut Cornel. à Lapide exponit, donum ex gratia datum Rom. 6. v. ult. Ergo gratis datur, non meritis redditur.)

Tertiò, Arnoldus de villa nova Hispanus (circa ann. 1290.) recitat Epistolam Jacobi Aragonum Regis ad fratrem Fridericum Siciliae Regem, quae sic incipit: *Laudamus Dominum de coelis & benedicimus nomini sancto ejus, & quas digne non possumus, cum creatura non habeat, quod pro meritis aequaliter respondeat creatori, in humilitate Altissimo gratiarum exolvimus actiones.*

(Si non possumus sufficientes Deo gratias referre pro beneficiis acceptis, utique non possumus nova beneficia operibus nostris promereri.)

Quartò, Salmeron tom. 9. tract. 77. p. 572. sic scribit: *Non liberat nos Deus à peccato, sive à difficultatibus & molestiis hujus vitae propter ulla nostrae justitiae merita, sed ad nomen suum illustrandũ, quemadmodum ipse per Prophetam dicit, Non propter vos ego faciam, sed propter nomen meum sanctum.*

(Si Deus non liberat nos à difficultatibus & molestiis hujus vitae propter ulla nostrae justitiae merita, utique etiam non salvat nos propter ulla nostrae justitiae merita.)

Quintò, Stapletonus in Promt. morali Dom. 2. Adv. p. 19. *In bonis operibus non est dicendum, Ego hoc feci, sed Deus fecit. Bonorum enim operum potissimam partem Deus facit. Hugo dicere solebat: Mala mea purè mala sunt & mea sunt, bona autem mea nec purè bona sunt, nec mea sunt. Dionys. Carthusian. in cap. 18. Eccles.*

(Si bona nostra nec purè bona sunt nec nostra, utique etiam non possunt esse merita propriè sic dicta.)

Sextò, Greg. de Valentia tom. 3. c. 1626. refellit Medinam affirmantem, *Deum ex debito justitiae exaudire orationem debitas conditiones habentem. Perperam* (inquit) *Johannes Medina in tract. de oratione q. 18. in fine dicit, quando Deus exaudit orationem habentem debitas conditiones, illum exaudire ex debito justitiae, quia audit ex promissione. Falsum est hoc & contra illud Dan. 9. Non in justificationibus nostris &c.*

(At si Deus non exaudit preces nostras ex debito justitiae, utiq; etiam vitam aeternam non donat ex debito justitiae.)

Septimò, Bellarm. lib. 2. de poenit. c. 12. *Meritum ex condigno sive justitia opponitur gratiae.*

(Atqui tota Scriptura clamat, *vitam aeternam dari ex gratia*, quod Bellarminus negare nequit, nisi negare velit, Solem lucere in meridie. Ergo agnoscat, bona opera non esse meritoria vitae aeternae ex condigno.)

Octavò, Idem Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 10. multis probat, *electionem esse merè gratuitam & pendere ex mera Dei gratia & misericordia absque ulla operum praevisione.*

Maximil. Sandaeus in Castig. Cauteriat. conscient. p. 129. *Qualibet operatio meritoria gratuitae destinationi est contraria.*

(Jam verò electionis & justificationis hac in parte est eadem ratio, docente Apostolo Rom. 11. v. 5. & 6. Itemq; electionis & glorificationis docente eodem Rom. 8, 29. Ergò ut electio est gratuita, ita justificatio, ita quoq; glorificatio est gratuita. Ut operatio meritoria est gratuitae praedestinationi, ita quoque gratuitae justificationi contraria.)

Nonò, idem Bellarm. lib. de grat. & lib. arbitr. c. 13. resp. ad 5. dicit, *opera esse viam perveniendi ad regnum.*

Ibid. *Deus ita praedestinavit homines, ut per bona opera eos pervenire velit ad gloriam.*

(At

(At per viam, non ut per *meritum*, sed ut per *medium sine quo non*, terminus viæ acquiritur.)

Decimò, idem Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 19. §. Excludi &c. sic scribit: *Quod bonis operibus ex gratia factis redditur, non est simpliciter merces, sed etiam gratia, imò magis gratia, quam merces.*

(Quod magis est gratia quam merces, non est propriè merces. Vita æterna est magis gratia quam merces. Ergo non est propriè merces. Ulterius, ubi non est propriè merces, ibi non est propriè meritum. Vita æterna non est propriè merces. Ergo in operibus non est propriè meritum. Frustra excipiunt, *esse meritum ex pacto*, quia in Scriptura nulla fit mentio meriti ex pacto, unde ipse Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 16. 17. & 18. disputat. *bona opera justorum non solum ex pacto, sed etiam ratione ipsorum operum propter dignitatem & proportionem meritoriè esse vita æterna digna, ut de jure Deus teneatur operibus vitam æternam dare.*)

Undecimò, idem Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 3. §. At sit &c. *Parvulis, qui mox à Baptismo decedunt, vita æterna datur ex solo jure hereditatis, & non jure mercedis.*

(Atqui una est justificationis & salvationis ratio in omnibus justificatis & salvatis, Marc. 10. v. 15. dicit Christus: *Amen dico vobis, qui non recepit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.*

Recognoscat Bellarm. sua verba lib. 6. de amiss. gratiæ c. 3. §. 3. *Propter Christi justitiam omnes justificari, æque valet in majoribus ac parvulis. Christus enim venit, omnia peccata tollere. Dedit seipsum precium redemtionis pro omnibus, 1 Tim. 2. Et ipse est propitiatio pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. propter ejus justitiam omnes non solum parvuli, sed etiam adulti justificabuntur.*)

Duodecimò, idem Bellarm. lib. ejusd. c. 14. §. Huc etiam &c. adducit & approbat hæc testimonia Patrum. Athanasii in vita S. Antonii. *Nec universo orbi renunciantes dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus*;

Eusebii Emisseni homil. 3. ad Monach. *Totis licet animæ & corporis laboribus desudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœlestibus compensare & offerre valebimus*;

Bernhardi serm. 1. de annunc. *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?*

(At hæc dicta cum *merito de condigno* nunquam solide conciliari poterunt.)

Decimò tertiò, idem Bellarm. lib. & cap. iisd. §. Tertia ratio. *Cum simus omnes conditione servi & mancipia Dei, non posset esse justitia inter nos & Deum, nisi ipse liberali conventione operibus nostris alioqui debitis, etiamsi nulla merces illis reddenda esset, præmium constituere voluisset. Atque hoc significavit Dominus, cum ait: Luc. 17. Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus.*

(Si bonis operibus ex liberali Dei promissione merces redditur, ergo bona opera non sunt ex condigno & inhærente quadam dignitate meritoria.)

Decimò quartò, idem Bellarm. lib. & cap. iisd. §. Quinta ratio &c. *Hoc ipso, quod incipimus esse filii Dei, incipimus jus habere ad heredes, Rom. 8. incipimus autem esse filii antequam incipimus bene operari, imò etiam baptizati infantes per solam eam gratiam ante omnia opera bona salvantur.*

Benedictus Justinianus in cap. 8. Rom. *Aptè hereditatis nomine utitur Apostolus, quippe alludens ad jus adoptionis. Qui enim in alienam familiam adsciscuntur, jure adoptionis ad hereditatem adoptantis vocantur.*

(Si sumus heredes vitæ æternæ antequam incipimus bene operari, utique per operum merita non consequimur vitam æternam. Excipit quidem Bell. *vitam æternam duplici jure, videl. hereditatis & mercedis nobis dari.* Sed hæc exceptio petit principium & ex oppositis facit subordinata.)

Decimò quintò, idem Bellarm. lib. ejusd. cap. 17. sic disserit, §. Porro &c. *Porro bona opera non requiruntur ad vitam æternam acquirendam ut hereditatem, sed requiruntur, ne filius excidat ab adoptione & jure mereatur exheredari. Proinde filius Dei adoptivus per bona opera sine alio pacto non meretur vitam æternam acquirere ut hereditatem, sed meretur eam non amittere, quod patet, tum ex eo, quod hæreditas ante omnia nostra bona opera jure adoptionis illi debetur: tum quia infantes baptizati ex hac vita migrantes vitam æternam accipiunt in hereditatem, cum tamen nulla habeant operum merita.*

(Si bona opera non requiruntur ad vitam æternam acquirendam ut hereditatem, sed requiruntur, ne filius excidat ab adoptione, & jure mereatur exheredari, utique bona opera non sunt vitæ æternæ meritoria. Ratio est, quia Scriptura testatur, vitam æternam dari credentibus ut hereditatem, Matt. 25. v. 34. Col. 3. v. 24. Sane adoptatus in heredem debet omne genus obsequii adoptanti deferre, ac diligenter cavere, ne per inobedientiam adoptione & hereditate excidat, interim certum est, quod ejusmodi obsequiis nec adoptionem nec hereditatẽ promereatur, sed ab adoptione hæc obsequia oriũtur.)

Decimò sextò, idem Bellarminus lib. ejusd. c. 20. §. 3. *Primum igitur de vita æterna solum quæstio est. Utrum ipsa vita æterna, an gradus tantum in ea præstantiores cadant sub meritum de condigno. Sunt enim qui sentiant, vitam æternam sive primum ejus gradũ non cadere sub meritum, cum debeatur jure hereditatis omnibus filiis Dei hoc ipso quod sunt filii Dei.*

(Agnoscit ergò, quod quidam Doctores Pontificii negent, bona opera esse ipsius vitæ æternæ meritoria.)

Decimò septimò, idem Bellarminus in Testamento suo merita operum rejicit. Verba illius Testamenti, recitante ac recensente Auberto Miræo Bruxellensi S. Theol. Lic. Protonotario Apostolico in Auctuario Commentarii de bello Bohemico p. 11. hæc sunt: *Ego Robertus Bellarminus, Presbyter Cardinalis è Societate Jesu assumtus petii à S. mem. Clemente VI. facultatem condendi Testamentum ad pias causas tantum &c. Primum igitur Spiritum meum in Dei manus commendatum toto corde exopto, cui ab adolescentia servire desideravi, & precor ut me inter Sanctos & electos suos, non æstimator meriti sed veniæ largitor admittat.*

Decimò octavò, idem Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 16. concedit Durando, *si opera quantumvis bona ad absolutam Dei justitiam exigantur, tum non fore digna mercede vitæ æternæ, ideò etiam non solum ad id, ut opera acceptabilia fiant, sed ut ex sua parte etiam satis valida fiant, pactum Dei requirit.*

(Agnoscit ergò, bonis piorum operibus, si ad accuratam justitiæ divinæ normam exigenda sint, non posse sine impudentia justam proportionem ad eandem divinæ justitiæ normam tribui. Confingit igitur moderatam quandam justitiam, seu normam tolerabiliorem, ad quam bona opera exactè congruere sibi persuadet. Sed de stricto justitiæ rigore propter humana somnia Deus nihil remittit.)

Decimò nonò, Pererius Disp. 26. in c. 14. Joh. p. 401. docet, donum perseverantiæ non cadere sub meritum. *Non potest*, inquit, *homo propriè ac dignè mereri perseverantiam in bono usq; ad finem, sed quemadmodum prima gratiæ donatio gratuita est, nec propter ullum hominu meritum propriè dictum, ita & conservatio ipsius gratiæ usque ad finem donum Dei est, meritis hominis nequaquam comparabile,*

Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 22. §. 1. *De reparatione post lapsum & perseverantia usque in finem concors est sententia Theologorum, non cadere ea sub meritum de condigno.*

(At si donum perseverantiæ non cadit sub meritum, utiq; etiam vita æterna non cadit sub meritũ. Connexio probatur, quia absq; dono perseverantiæ nemini contingit vita æterna.)

Vigesimò, Becanus tom. 1. opusc. 7. cap. 3. p. 344. agnoscit, *quod bona temporalia non possimus mereri.*

(Ergo multo minus bona æterna infinitis modis preciosiora & majora poterimus mereri.)

Vigesimò primò, Adamus Tannerus tom. 1. Theol. Schol. Disp. 3. in Synopsi prædest. col. 1059. th. 21. sic scribit: *Hæc est abyssus humanæ miseriæ, quod solam miserendi materiam habere potest, non causam.*

(At si in nobis est tantum miserendi materia, non causa, utiq; non dantur in nobis merita propriè sic dicta.)

Vigesimò secundò, Didacus Stella tom. 2. in Luc. cap. 21. f. 202. *Opera, quæ nobis hic supererogationis & heroica videntur esse, coram judicio Dei parvi momenti erunt.*

(Si opera supererogationis & heroica coram Dei judicio parvi momenti erunt, quomodo bona opera vulgaria esse poterunt vitæ æternæ meritoria?)

Vigesimò tertiò, Idem in cap. 11. Luc. f. 67. *Uno solo mortali peccato omnia opera extinguuntur.*

In c. 15. Luc. f. 144. *Qui triginta vel quadraginta annis jejunavit, omnia bona opera perdit & merita uno peccato mortali.*

(At quis vere gloriari poterit, se nunquam in omni vita peccatum mortale commisisse?)

Vigesimò quartò. Id. in c. 15. Luc. f. 134. *Nisi Deus peccatores in gra-*

in gratiam reciperet, desperandum nobis esset, sicut David confitetur, Si iniquitates observaveris Domine &c.

In cap. 14. Luc. f. 128. *Nullus per sua merita potest pervenire ad regnum, nisi justitia Dei per misericordiam temperetur.*

(At merita ex condigno & misericordia sibi invicem opponuntur, docente Bellarmino lib. 2. de pœnitent. c. 12.)

Vigesimò quartò, Idem in cap. 17. Luc. f. 183. *Ex mandatorum observatione nullo præmio sumus digni, sicut nec servus dignus est præmio, propterea quod servit suo Domino.*

(Ergo nec bona opera sunt præmiorum meritoria.)

Vigesimò sextò, Confirmatur argumentum ex eo, quod agnoscunt, Christum Luc. 17. non asserere, fieri à quoquam omnia, quæ sunt mandata, sed tantum ponere hypotheticôs. Quod si enim etiam tum futuri sumus servi inutiles, si impleremus omnia, quantò magis, cum non implemus?

Idem Didacus Stella in c. 17. Luc. *Docemur hic, omnem præsumtionem & vanam gloriam vitare. Si enim hi se servos inutiles reputare debent, qui omnia impleverunt præcepta, quid nobis incumbit, qui in tam multis offendimus, & ea ipsa, quæ forsan implemus præcepta, tam imperfectè implemus, ita ut juxta Esaiam, universæ justitiæ nostræ sint quasi pannus menstruatæ?*

Cornelius Jansenius in Concord. Evang. cap. 98. *Quod autem præcipit, ut dicamus nos servos inutiles, cum omnia præcepta adimpleverimus, non sic accipiendum, quasi quis sit, qui omnia adimpleverit (in multis enim, inquit Jacobus, offendimus omnes) sed sensus est: etiamsi feceritis omnia, tamen agnoscite vos servos inutiles. Quo significatur, quam inutiles nos debeamus reputare & nos deprimere, cum adverterimus, nos omnia nobis præcepta non implevisse.*

Vigesimò septimò, agnoscunt, bona opera non esse propriè nostra, sed Dei per Spiritum Sanctum in nobis efficaciter agentis opera.

(Ex eo eo enim Bernhardus serm. 1. de annunc. rectè infert, quod homo magis propter ista Deo debitor fiat, quam Deus homini.)

Bernhardus serm. 32. in Cant. *Cum mala in corde nostro versamus, nostra cogitatio est; si bona, sermo Dei est. Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterum homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ, & his similia de corde exeunt, nec audimus ea, sed dicimus &c.*

Egidius Rom. in hexaëm. lib. 2. cap. 22. *Omnia opera bona sunt opera ipsius Dei, juxta illud Esa. 26. Omnia opera nostra operatus es Domine. Nam secundum Apostolum non sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est. Opera itaque nostra bona non debent appropriari nobis, & non sunt propria nobis, sed magis ipsius Dei.*

Dionysius Carthusianus in cap. 8. Eccl. *Mala opera pure mala sunt & nostra sunt, bona autem nec pure bona nec nostra sunt.*

Censura Colon. Dial. 5. p. 183. *Si operamur justitiam, in nobis operatur Dei gratia: si quid sustinemus adversitatis, Dei gratiâ ad ferendum roboramur. Quicquid denique efficimus, quod bonum sit, Dei hoc gratia suffulti facimus, ut ex nobis tanquam ex nobis nihil prorsus habeamus, quod pro beneficiis divinis rependere valeamus.*

Ludov. Vives in lib. 19. Aug. de Civ. Dei c. 23. *Nihil nos Deo damus, cum rectè vivimus, neque ipse major aut beatior fit, sed bene nobiscum agitur: ita non nobis debetur gratia, quod boni sumus, sed eam nos potius Deo debemus, cujus beneficio sumus boni.*

Balthasar Paës in cap. 1. Jac. adducit & approbat illud August. Soliloq. cap. 25. *Quod cecidi, fuit ex me; quod surrexi, ex te; quoniam si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est.*

Vigesimò octavò, agnoscunt, vitam æternam esse gratuitum Dei donum.

(Ergo non est condignum operum nostrorum meritum.)

Nicolaus Cusanus expendens locum Apostolicum, Rom. 6. v. ult. sic scribit: *Notandum est hic, quod innuit Apostolus, ex justitia peccato deberi mortem (nomen enim stipendii videtur hoc significare) vitam autem æternam esse ex dono Dei gratuito.*

Cajetanus in eund. loc. *Non dicit, quod stipendia justitiæ vita æterna: sed donum Dei vita æterna, ut intelligamus, non ex nostris meritis, sed ex gratuito Dei dono assequi nos pro fine vitam æternam.*

Vigesimò nonò, agnoscunt, vitam æternam esse coronam misericordiæ, id est, datam ex gratia & misericordia. (Ergo non ex meritis.)

Lombardus in Psal. 103. super verba: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Coronat te jam incorruptum, quod non est nisi ab ejus misericordia.*

Aiguanus ibid. *Nos redemptos coronat in gloria, & hoc facit misericordia & miserationibus, quia corona gloriæ excedit merita nostra.*

Trigesimò, Thomas Stapletonus, Benedictus Justinianus in Comment. Eph. 2. v. 10. super verba: *Creati sumus in Christo Jesu,* agnoscunt, *Apostolum non loqui de prima creatione, qua facti sumus homines, sed de gratia Dei in Christo, qua sumus nova creatura.*

(Ex eo nascitur tale argumentum: Creati sumus, id est, regenerati & justificati sumus ad bona opera, ut in iis ambulemus. Ergo bona opera sequuntur justificationem. Justificatio prior est bonis operibus. Ergo non justificamur ex bonis operibus. Quod si opera non justificant, utique etiam non sunt meritoria salutis.)

Trigesimò primò, Adamus Conzen in Comm. Rom. 1. q. 1. p. 30. multis docet, *servitutē, qua Deo obstricti sumus, esse justissimā ratione creationis, singularis providentiæ, dominii, ἀπολυτρώσεως.*

(Ergo merces illi servituti non redditur ex debito. Si enim merces esset debita, servitus esset indebita, & vice versa. Luc. 17. v. 10.)

Trigesimò secundò, Estius in Comm. 1. Tim. 1. v. 15. sic scribit: *Hesselius rectè docet, quomodo quisque nostrûm debeat veraciter judicare, se esse maximum peccatorem, quia nimirum ad eum pertinet, sua peccata præ oculis habere & ponderare; de aliis autem meliora præsumere & eorum peccata vel extenuare vel non attendere.*

(Atqui nemo, nisi hypocriticè, potest se maximum peccatorem vocare, qui se operum meritis abundare sibi persuasum habet.)

6. Dissensiones Adversariorum,

Primò, Thomas 2. sent. dist. 27. q. 3. *Quidam dicunt, quod aliquis vitam æternam non potest mereri ex condigno, sed ex congruo. Alii verò dicunt, quod quis etiam ex condigno vitam æternam mereri possit per actus virtutum. Illi tamen, qui dicunt,* inquit Thomas, *nos ex condigno vitam æternam mereri posse, verius dicere videntur.*

Utramq; sententiam conjungit Antonius part. 4. tit. 9. c. 1. §. 1. *In gratia constitutus meretur per opera sua vitam æternam, ex condigno, ex parte gratiæ; ex congruo, ex parte liberi arbitrii.*

Bellarm. lib. de Justificat. cap. 16. §. 2. sic disserit: *Catholici omnes agnoscunt, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ, sed tamen aliqui censent, non esse utendum his vocibus, de condigno & de congruo; sed absolutè dicendum, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex gratia Dei. Ita docet Thomas Waldensis tom. 3. de Sacramentalibus cap. 7. cui subscribere visus est Paulus Burgensis in additione ad commentarium Nicolai Lyrani in Psal. 35. Alii volunt, bona opera justorum esse meritoria de condigno largo modo, ita ut hoc condignum respectu congrui propriè sumti, possit dici condignum. Ita docent Durandus 2. sent. dist. 27. q. 2. Et Gregorius 1. sent. dist. 17. quæst. 1. art. 2.*

(Durandus meritum de condigno geminum describit; Unum *largè sumtum pro quadam dignitate, quam Deus ex ordinatione requirit in operibus nostris, ad hoc, ut remunerentur vitâ æterna. Hanc esse in nobis per gratiam & caritatem habitualem.*

Aliud *strictè & propriè esse actionem voluntariam, propter quam alicui debetur merces ex justitia, sic, quod si non reddatur, ille, ad quem pertinet reddere, injustè facit, & est simpliciter & propriè injustus.* Hujusmodi meritum inveniri inter homines, sed non esse hominis ad Deum.

Negat igitur Durandus *opera bona justorum esse merita de condigno nisi priore modo.* Sed Bellarmino hæc moderatio non probatur, ideò subjungit:)

Communis autem Theologorum sententia admittit simpliciter meritum de condigno, quæ sententia verissima est.

Inde etiam d. l. c. 16. hanc præfigit ἐπιγραφὴν *Opera justorum ex caritate facta esse meritoria vitæ æternæ ex condigno.*

Secundò, Thomas 1. 2. q. 5. art. 7. disputat, *habere perfectum bonum sine motu proprio, esse proprium Dei; habere illud uno motu, esse Angeli proprium; habere illud multis motibus meritoriis, esse proprium hominis.*

Idem tamen. 1. 2. q. 114. art. 7. resp. ad 3. disputat, *quod omnis actus caritatis mereatur absolutè vitam æternam.*

Tertiò, Bonaventura 2. sent. dist. 27. rationem meriti deducit *ab operis arduitate ac hominis voluntate.*

Sed Thomas 1. 2. q. 114. art. 6. contra disputat, *opus nostrum habere rationem meriti ex duobus, primò ex vi motionis divinæ, & sic mereri aliquem de condigno: deinde secundum quod procedit ex libero arbitrio, & hinc meritum congrui.*

Lorinus in Comm. super Acta f. 158. refellit Scotum docentem, *quod vis omnis meriti sit ab interna voluntate.*

Quartò,

Quartò, Thomas 1.2. q.114. art.7. negat, *eum qui justus est, reparationem lapsus mereri ex congruo.*

Sed illud ipsum concedere videtur lect. 3. in cap.6. Hebr. ut etiam aperte concedit Bonaventura 2. sent. dist.28.

Bellarminus lib.5. de Justif. cap.22. *optimis rationibus id probari posse* statuit.

Quintò, Gulielmus Altisiodorensis lib.3. tract.12. cap.1. q.2. statuit, *quod meritum per prius & principalius à fide quam à caritate pendeat.*

Illum sequi videtur Pistorius in hodeg. p.165. scribens: *Fidem omnium primam præ cunctis cæteris esse antegredientem operationem gratiæ Dei in nobis, adeoque radicem & fundamentum totius insequentis justitiæ & beatitudinis.*

Sed Antoninus part.4. Summæ tit.9. cap.1. §.3. & alii statuunt contrarium.

Bellarminus lib. 5. de Justif. cap.15. *Argumenta omnia, quæ probant, formalem causam justificationis esse fidem caritate formatam, probant etiam, meritum principaliter ex caritate pendere.*

Ibidem scribit, *sententiam Altisiodorensis non parum favere erroribus hujus temporis hæreticorum, miraturq; egregium illum virum ea in relabi potuisse.*

Sextò, Johannes Picus Mirandulanus in Apolog. q.8. scribit: *Robertum Holcot sensisse, quod libertas arbitrii non sit ad meritum necessaria.*

Contrarium statuit Thomas 1.2 q.114. art. 1. & alii. Confer Tannerum tom 2. Theol. Schol. Disp.6 q.6 dub.[illegible]

Septimò, Cajetanus in 1.2. q.114. art.3. docet, *opera justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno, ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio.*

Ibid. *Ex hoc ipso, quod actus sit bonus, disputat, ordinatum esse à Deo ad præmium idq; quantum ex ratione actus, adeò ut non oporteat aliam ordinationem superaddi.*

Alii contra existimant, *opera bona ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno, ratione operis, sed tantum ratione pacti & acceptationis divinæ.* Ita docet Scotus 1. sent. dist.17. q.2. quem Vega in opusc. de Justif. q.5. & alii sequuntur.

Verba Scoti sic habent: *Ratio meriti non habetur complete, nisi habeatur ratio digni vel digne ordinabilis ad præmium, quod est beatitudo: & hoc digne secundum justitiam commutativam vel retributivam. Sed quicunq; actus ex solis intrinsecis agentis non habet hunc ordinem: tunc enim DEUS non posset ei, qui sic operatus est, non retribuere beatitudinem, nam injuste eam sibi retraheret, hoc autem est falsum. Ergo talis ordo secundum justitiam est ex sola voluntate divina gratuite ordinante. Et ita ratio meriti completi erit ex ordinatione voluntatis divinæ illius actus ad præmium.*

Marsilius ab Ingen Professor quondam Heidelbergensis 2. sent. q.18. art.4 duas de operum meritis format conclusiones; Prior hæc est, *quod considerando opera nostra secundum se, vel etiam prout sunt ex gratia cooperante, non sunt meritoria vitæ æternæ de condigno,* quod multis probat argumentis, *sed ejusmodi dici possunt,* & hæc est conclusio posterior, *ex acceptatione divina originaliter procedente ex merito passionis Christi. Nam hæc Dei acceptatio,* inquit, *principaliter significat opera nostra ex fide & merito ipsius. Probatur, quia finaliter in gratia persistentes digni sunt vita æterna. Vel ergo pro qualitate operum & hoc non, per conclusionem præcedentem; vel per Dei acceptationem, & habetur propositum.*

Gabriel Biel Professor quondam Tübingensis 2. dist. 27. q.un. art. 1. *Condignitas,* inquit, *attenditur in proposito ex divina acceptatione, qua ab æterno voluit actum sic ex gratia elicitum esse dignum tali præmio, incomparabiliter excedente actus bonitatem secundum se, sine acceptatione divina consideratam.*

Item. *Debitum justitiæ in præmiando actum ex gratia procedentem tali præmio æterno, non innititur bonitati actus, quam habet ex Natura sua intrinseca & principiis suis naturalibus, sed divinæ ordinationi, quæ est quædam promissio, sive conventio & pactum.*

Dominicus à Soto lib. 3. de Nat. & gratia cap.9. *Opera & passiones, ut ex parte objecti, hoc est, secundum substantiam considerantur, ut pati sitim, famem, elargiri stipem pauperi, etiam qua ratione procedunt ex gratia, non sunt æquabilia acervo illi æternorum bonorum, qui nos manet in patria. At ex lege statuta Dei conventis cum cultoribus vineæ suæ ex denario diurno dignitatem induunt & justitiam ad æternum præmium.*

Bellarmino lib. 5. de Justif. cap.17. media sententia *probabilior* videtur, quæ docet, *opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno, ratione pacti & operis simul, non quidem quod sine pacto vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamvis par & æquale mercedi, nisi conventio interveniat.*

Vasquez in 1.2. tom.2. Disp.214. tota per 13. capita, adversus omnes Scholasticos disputat, qui docent, *vel justorum opera sine pacto & acceptatione Dei non esse digna vita æterna;* vel qui dicunt, *opera justorum aliquam ex se habere dignitatem, magnam autem ex meritis & gratia Christi habere;* vel qui asserunt, *opera justorum ex se habere totam dignitatem, rationem tamen meriti in ipsis ex promissione compleri.*

Probabilius autem judicat & Catholicæ doctrinæ magis consentaneam, primum *valorem & dignitatem vitæ æternæ absq; ullo pacto & favore operibus justorum adscribendam esse; hoc ipso quod in statu justitiæ per auxilium gratiæ moventis facta sunt. Deinde operibus justorum nullam accessionem dignitatis provenire ex meritis Christi, aut ex ejus persona, quod alius eandem non haberet ex eadem gratia a solo Deo liberaliter collata. Postremò quamvis operibus justorum divina promissio accesserit, eam tamen aut ullum aliud pactum, aut favorem ad rationem ullam meriti nullo modo pertinere.*

Idem etiam negat: *Christum operibus nostris jam factis, ullum favorem apud Deum acquirere, nec patitur, si quis dicat, ex conjunctione nostra cum Christo, opera nostra crescere dignitate.*

Dictum autem illud commune, *opera nostra, quatenus aspersa sunt sanguine Christi, digna sunt tanto præmio,* dicit *intelligendum [illegible], non ratione favoris & imputationis meritorum Christi, quæ accedat operibus ex gratia factis, sed quia antequam fiant opera, datur nobis per Christum gratia ad bonum operandum,* quam tamen gratiam extra Christum dari posse, non veretur asserere. In his autem omnibus disputat primò, contra Scotum, Gregorium Ariminensem, Gabrielem, Occamum, Alphonsum à Castro, Andream à Vega, Canonicos Colonienses, Theologos Senonenses, Bunderium & Wilhelmum Parisiensem. Secundò, contra Alphonsum Virvesium, Ruardum Tapperum, Stanislaum Hosium, Wilhelmum Lindanum, Andradium, Horantium & Cajetanum. Tertiò, contra Bonaventuram, Martinum Pistorium & Cardinalem Hosium.

Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disp.6. q.6. dub.3. recentiores *Cumelem, Vasquetium atque alios idem cum Cajetano & Dominico Soto statuere* refert (videlicet quod *quemadmodum mala opera per se, etiamsi Deus nullam pœnam iis interminatus esset, pœnam tamen merentur: ita vicissim bona opera per se, etiamsi pactum acceptilationis seu promissionis divinæ non accesserit, mereantur justitiam & vitam æternam;*) ipse verò suam sententiam his exponit verbis; *ipsa opera hominis justi, quatenus ex motione gratiæ procedunt, etiam seclusa promissione divina, habent condignitatem quandam proportionis, seu valorem proportionatum & proportione æqualem ad promerendam vitam æternam.*

Sed qui ante Tannerum & Vasquezium scripsit Alphonsus de Castro moderatior est. Is enim lib. 10. adv. hæreses; verbo Meritum, sic disserit: *Etsi nostra opera ex se sint indigna gloria, & nos per illa nullum jus habere poteramus ad gloriam æternam, nec gloria unquam fuisset nobis debita, tamen quia misericors Deus promisit servanti mandata sua, se daturum illi vitam æternam, post talem promissionem debet Deus dare gloriam servanti sua mandata. Quod debitum in Deo non oritur ex nostris operibus, sed ex benigna ejus voluntate, qui promittens nobis seipsum obligare voluit. Et juxta hunc modum intelligendi meritum, constat nos nihil derogare majestati divinæ, cum dicimus, opera nostra esse meritoria vitæ æternæ, quia hoc modo non dicimus eum obligari aut esse debitorem nostris operibus, sed dicimus eum obligari ex promissione sua, & esse debitorem promissioni suæ. Quod autem ipse promiserit, simpliciter & absolute est tribuendum gratiæ.*

(Hæc non conveniunt cum hypothesibus illorum, qui *proportionem aliquam* statuunt *inter nostra opera & vitam æternã; qui in ipsis operibus causam quærunt, quare Deus propter ea det vitam æternam & non in sola Dei promissione, eaque gratuita.*)

Octavò, quidam recentior Theologus statuit, *bonis operibus vitam æternam deberi ex eo, quod sint vera legis obedientia, non quia fiant à persona elevata per gratiam ad statum filiorum Dei.*

Contrariam sententiam *esse communem* docet Bellarminus lib.5. de Justif. cap.13.

Nonò, idem recentior Theologus statuit, *opera bona ex Natura sua esse meritoria vitæ æternæ, ita ut non requiratur pactum aliquod vel gratuita promissio ad hoc, ut ex justitia merces vitæ æternæ bonis operibus reddatur.*

Contrarium docet Bellarm. lib.5. de Justif. cap. 14.

Deci-

Decimò, Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 16. §. Communis &c. *Merita nostra rectè dicuntur esse ex gratia Dei, sicut etiam verè dicuntur munera Dei, tamen non minus rectè dicuntur esse ex justitia & ex condigno.*

(Vitam æternam ergo dicit dari ex gratia & tamen esse meritum justitiæ ex condigno & debito.)

Idem lib. ejusd. cap. 5. resp. ad 1. dicit: *beatitudinem tribui misericordiæ, ac nihilominus esse verum mercedem meriti.*

Contra lib. 2. de pœnit. cap. 12. *Meritum ex justitia* (sive ex condigno) *opponitur gratiæ, non autem meritum ex congruo, quod non in justitia, sed in liberalitate fundatur.*

Undecimò, Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 14. §. Modum &c. *Deus non solum proportionalem, sed etiam absolutam æqualitatem inter opera & mercedem constituit.*

Contra verò lib. ejusd. c. 19. statuit, *Deum remunerare opera ultra condignum;*

Ac lib. 5. de Justif. c. 3. in resp. ad dictum Rom. 8. concedit, *opera & passiones sanctorum, quod ad ipsorum substantiam attinet, non esse digna seu æquabilia futuræ gloriæ, esse tamen proportionem inter has passiones & illam gloriam propter caritatis dignitatem, unde procedunt.*

(Atqui si ratio meriti tantum in proportione quærenda, utique non potest statui in absoluta æqualitate.)

Duodecimò, Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 20. *Sunt, qui sentiant, vitam æternam, sive primum ejus gradum non cadere sub meritum, cum debeatur jure hereditatis omnibus filiis Dei, hoc ipso, quod sunt filii Dei.*

Sunt etiam, qui existimant, vitam æternam, sive primum ejus gradum, reddi meritis operum, si dilectio illa Dei, quæ est ultima dispositio ad justificationem, oriatur ex ipsa gratia justificationis, alioquin meritis non reddi.

Nos existimamus, vitam æternam, tum quoad primum gradum, tum quoad cæteros, reddi bonis meritis filiorum Dei, nec multum ad rem facere, utrum illa ultima dispositio procedat ex gratia justificante, vel eam præcedat.

Decimò tertiò, Bellar. lib. 1. de Indulg. c. 2. §. Secunda propositio &c. scribit, *opus bonum, qua parte meritorium est, non posse aliis applicari, siquidem fieri non possit, ut ex eo, quod unus bene operatur, alter bene operari censeatur, ut dignus præmio habeatur.* Et infert: *Non igitur meritum suum cum aliis communicari potest.*

Idem lib. 2. de Indulg. c. 5 §. Præterea &c. *Negamus superfuisse* (sanctis) *merita vel ipsa merita in alios redundare.*

lib. ejusd. c. 9. §. ultimo. *Illa opera, quamvis supererogationis fuerint, tamen suo præmio non caruerunt, atque ideò nulla ratio sinit, ut aliis applicari possint.*

Contrarium statuit lib. 1. de Indulg. c. 3. §. Illud quoq; &c. ubi dicit, *merita Martyrum communicari posse pœnitentibus.*

lib. ejusd. c. 14. §. Vera igitur. *Suffragia viventium* (quæ sunt jejunia, preces, eleemosynæ, Missæ) *possunt juvare defunctos per modum meriti de congruo.*

Decimò quartò, Vega statuit, *bona opera non accipere in die judicii ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur.*

Contrarium statuunt reliqui, videlicet *Deum remunerari bona opera supra condignum.*

Decimò quintò, Pererius Disp. 26. in c. 14. Joh. c. 401. & Bellarminus lib. 5. de Justif. c. 22. §. 1. statuunt, *donum perseverantiæ non cadere sub meritum.* Verba ipsorum paulo ante membro præced. 5. §. 19. sunt adducta.

Sed Becanus tom. 1. opusc. de merit. bonor. oper. ex sententia Catholicorum p. 337. sic scribit: *Homo justus potest variis actibus de condigno mereri auxilia gratiæ actualis, quibus perseverare possis in gratia, si velit, usq; in finem.*

Decimò sextò, Non consentiunt de quæstione, *an Deus nobis sit & dici possit debitor?* dum alii illud affirmant, alii negant, apud Tannerum tom. 2. Theol. Schol. Disp. 6. q. 6. dub. 1. n. 19.

Decimò septimò, Si conferantur ea, quæ de loco Apostolico Rom. 8. v. 18. Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 17. 18. & 19. disserit, manifestum fiet, ea non posse invicem conciliari.

Nam cum cap. 17. probare voluisset, *opera bona justorum meritoria esse ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum, ita ut in opere bono ex gratia procedente, sit quadam proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ;*

Et cap. 18. in principio sibiipsi hunc locum Pauli objecisset, ad eum sic respondet: *Intelliguntur illa omnia loca de meritis secundum substantiam operum, non ut à Spiritu Sancto & gratia Dei proficiscuntur.*

Sed mox subjicit, *Quod si velimus locum universaliter intelligere de bonis operibus omnibus, etiam ut à Spiritu Sancto & gratia Dei proficiscuntur, ut S. Fulgentius intellexit lib. 1. ad Monimum, promtum erit respondere, non requiri ad meritum ex condigno absolutam æqualitatem, inter meritum & præmium, sed satis esse proportionabilem.*

Et postea cap. 19. probaturus, *Deum remunerare bona opera supra condignum,* inter alia sic scribit: *Fortasse etiam huc pertinet illud Apostoli Rom. 8. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quamvis & aliter hoc testimonium exponi possit.*

(Hæc omnia Bellarminus, diversas sibique adversas dicti Apostolici explicationes pro lubitu fingens ac pingens, ut veritatis luci nebulas qualescunque obducere possit.)

Decimò octavò, Dissentiunt de quæstione; *an homo de condigno mereri possit augmentum gratiæ.*

Pesantius in Thomam f. 458. sic scribit: *Sanctus Bonaventura in 2. sent. dist. 27. art. 4. q. 2. negat, hominem, de condigno mereri posse augmentum gratiæ, sed sine fundamento.*

(Dissentit ergo Pesantius à Bonaventura. Greg. de Valent. tom. 2. col. 1417. Bonaventuræ argumenta refellit.)

Decimò nonò, *Quomodo bona temporalia cadant sub meritū,* variè disceptant, ut constat ex iis, quæ habet Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 6. q. 6. dub. 10. n. 243. & seqq.

Vigesimò, disputant, *utrum omnia, an tantum quædam opera sint meritoria?*

Vasquez Disp. 217. in 1. 2. *à non paucis affirmatum* observat, *omnia, sed ea tantum, quæ aliquo modo à caritate imperantur,* ... autem mavult *omnia esse meritoria.*

Vigesimò primò, *Qualis relatio actus ad Deum, ad meritum requiratur,* variis modis disputant. Duas sententias extremas recenset Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 6. q. 6. dub. 4. n. 73. Confer Gregor. de Valent. lib. de div. gratia cap. 6. f. 202.

Vigesimò secundò, *An ad meritū requiratur certa intentio actus?*

Tannerus d. l. dub. 5. n. 103. dicit, *quosdam affirmare, sed illorum sententiam asserit esse falsam, nec posse probari ex Conciliis.*

Vigesimò tertiò, Quærunt, *an meritum duret solum ad terminos vitæ mortalis?* quidam affirmant, quidam negant apud Tannerum d. l. dub. 2. n. 44. 45.

Vigesimò quartò, quærunt, *An meritum beatitudinis supernaturalis de absoluta Dei potentia possit esse sine gratia sanctificante?* Quidam affirmant, quidam negant apud Tannerum d. l. n. 38.

Vigesimò quintò, quærunt, *an ad meritum remissionis venialium requiratur virtualis relatio actus ad Deum per caritatem?* De hac quæstione tres diversas sententias recenset Tannerus d. l. dub. 7. n. 161.

Exceptiones Adversariorum.

1. Ad argumentum formatum ex dicto Christi Luc. 17. v. 10. *Cum omnia feceritis &c. dicite, servi inutiles sumus,* variis modis excipiunt.

1. Bellarmin. lib. 5. de Justif. cap. 5. §. Quartò &c. excipit, *Christum non dicere, cum omnia feceritis, servi inutiles estis, sed, dicite, servi inutiles sumus, ubi vult, nos de bonis post benefacta humiliter sentire.* Quam exceptionem etiam urget lib. 2. de Monachis cap. 13. & lib. 2. de Indulg. cap. 10.

Atqui, quando Ambrosius Catharinus eadem exceptione in alia controversia utitur, dicens: *Sanctum Johum non ignorasse se justum esse, sed noluisse jactare suam justitiam, nec sibi aliquid superbe arrogare,* Bellarm. ipsi respondet, lib. 3. de Justif. c. 5. §. 4. *Sancti humiles esse debent, non mendaces.*

(Idem etiam sibi ipsi Bellarminus h. l. respondeat, quando dictum Christi, Luc. 17. v. 10. ad solam humilitatis admonitionem detorquet.)

2. Quinimò Bellarm. ipse hanc confictam glossam refellit lib. 2. de Indulg c. 10. §. Nec tamen &c. scribens: *Non dicit Dominus Luc. 17 cum feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus, sed ait, cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Itaque illi dicuntur inutiles, qui nihil faciunt, nisi quod eis præceptum est, & quod facere debent, ex quo sequitur, ut qui faciunt aliquid amplius quam teneantur, ut qui se castrant propter regnum cœlorum, & qui dant omnia pauperibus, vel alia id genus non imperata faciunt, servi utiles dici debeant.*

(Ex illis Bellarmini verbis sic concludimus: Aut uterque, qui scil. tantum imperata fecit, & qui ex hypothesi Pontificia aliquid amplius non imperatum fecit & opera supererogationis præstitit, revera est servus inutilis, & sic habemus, quod volumus; aut uterque tantum per humilitatem dicere debet,

debet, se esse servum inutilem, & sic Bellarminus distinguendo non distinguit; aut alter reverà *est* servus inutilis, alter tantùm *dicitur* servus inutilis. Jam verò ex his duobus non qui supererogationis opera præstitit, servus est inutilis, dici enim debet utilis juxta Bellarmini hypothesin; relinquitur ergò, quod is, qui imperata tantùm fecit, reverà sit servus inutilis. Vis clarius? Admonitio humilitatis pertinet non solùm ad eum, qui imperata fecit, sed etiam qui aliquid supererogavit, alias sequeretur, posse aliquem esse sanctum & non humilem. Ergò si verba Christi Luc. 17. continent tantummodo admonitionem humilitatis, etiam pertinebunt ad eum, qui aliquid supererogavit. Antecedens asserit Bellarminus lib. 5. de Justif. c. 5. Ergò consequens lib. 2. de Indulg. c. 10. negare non debuit.)

3. In Concilio Milevitano (quod citatur in jure Canonico) can. 6. *Placuit, quod ait S. Johannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus & adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui remittat nobis peccata & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cùm ait, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.* Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 8. §. 2. citat & approbat hunc canonem Conc. Milevit.

(Idem ad dictum Christi, *Cum omnia feceritis &c.* applicari potest, videlicet quod non solum contineant instructionem humilitatis, sed etiam doctrinam veritatis, jactantia cohibetur propter negationem rei.)

Rectè igitur Vasquez de hoc Christi dicto disserens sic scribit: *Cum humilitas non debeat mendacio foveri, non videtur conveniens medium ad humilitatem comparandam dicere, servi inutiles sumus, quando reverà aliquid utilitatis præstamus.*

4. Sed & aliis modis in explicatione hujus dicti dissentiunt.

Maldonatus negat, per servum intelligendum esse *mancipium, quod quantum quantum sit, Domini sui sit, sed mercenarium*, idque probare conatur duobus argumentis. Primò, *vulgari Scripturarum more servorum nomine non mancipia modò, sed etiam mercenarios intelligi. Secundo, ex ipso textu parabolæ. Cum enim dicit, Dominum nullam servo suo gratiam habiturum, quia nihil fecisset ultra, quam debeat, indicat, de eo agi servo, qui aliquid plus quam debeat, agere potuisset, quod si fecisset, gratiam illi Dominus esset habiturus.*

Contra verò Barradius in eund. locum: *Non est Deus similis hominibus, qui servis sive mancipiis suis neq; habent, neq; referunt pro operibus gratiam*; (ubi servos & mancipia pro iisdem usurpat.) Eodem modo Toletus in h. l.

Salmeron ibid. *Hoc loco servum, non conductitium famulum & mercenarium, qui locat operas suas sub certo precio &c. intelligere debemus; sed de propriè servo, ut erant olim & modò sunt mancipia jure belli capta vel pecunia nostra redemta.*

Hagerus Jesuita in Coll. August. Conf. art. 6. itidem usus erat Maldonati distinctione, sed robori ejus diffisus, eam deseruit pag. 82.

5. Bellarm. etiam hac utitur exceptione: *Ex nobis prorsus servi inutiles sumus, inepti prorsus ad ea implenda, quæ Dominus præcipit: tamen per ejus gratiam utiles efficimur.*

Atqui multi ex ipsis Pontificiis hanc parabolam cum præcedentibus connectunt, utique ergò vi illius connexionis non ille tantùm servus, qui est *in puris naturalibus*, sed etiam, qui est positus *in gratia*, est servus inutilis.

Thomas in catena ex Theodoreto. *Quia fides proprium possessorem facit divinorum mandatorum observatorem, vivificis eum exornans operibus, exinde videbatur, hominem incurrere posse superbiæ vitium, unde præmonuit Dominus Apostolos, ne superbiant in virtutibus suis per exemplum conveniens.*

Salmero in h. l. *Subjunxit præsentem parabolam, ut cùm tali fide ornati viderint se illa præstare, non superbiant, nec efferantur, sed se dejiciant, & in officio humilitatis & modestiæ se contineant.*

Didacus Stella in h. l. *Quia Salvator suis electis excellentissima gratiarum charismata promisit & contulit, præstaturusq; fuit tàm in donis gratiæ gratum facientis, quàm gratiæ gratis datæ, ideò post prædicta saluberrimè instruit eos de profunda & inconcussa humilitate semper in omnibus conservanda, ut omne bonum omnipotenti creatori jugiter adscribatur, & tanto plus ei regratiemur, quanto copiosiora gratiæ dona ab ipso sortiti fuerimus.*

(Adde argumentum evidens. Quicunque implet omnia mandata, is hoc loco vocatur servus inutilis. At quicunque implet omnia mandata, est in gratia. Ergò quicunque est in gratia, est servus inutilis.)

6. Idem Bellarm. ex Soto excipit, *inutiles ejusmodi servos dici Deo, sed non sibi. Exponit Beda*, inquit, *juberi nos agnoscere, nihil nos Deo utilitatis afferre, sed quicquid boni faciamus id nobis utile esse non Deo, qui bonorum nostrorum non eget.*

Sed Alphonsus de Castro hanc exceptionem refellit: *Scio*, inquit, *alios verba Christi aliter interpretari, dicentes ideò nos servos inutiles esse, quia nullam Deo utilitatem ex nostris meritis præstamus. Et huic interpretationi favet Beda &c. Sed longe à litera discedit, propterea quod non convenit parabolæ, ad cujus exemplar nos admonuit, ut diceremus, non esse servos inutiles. Nam servus, qui homini servit, Domino utilis est, quamvis sibi non sit. non ergò de utilitate, quæ provenit domino, sed de utilitate propria ipsorum servorum Christus intellexit, cùm admonuit nos, ut diceremus, nos servos inutiles esse. Inutiles ergò nobis sumus, quia nihil ex Natura operum nostrorum, quantumlibet & bonorum, meremur: sicut nec servus meretur ex servitio, quod impendit domino suo: quia facit, quod ratione servitutis facere obligatur.*

Maldonatus in h. l. *Alii, ut Beda & Lyranus, servos nos, etiam cum omnia fecerimus, inutiles existimare debere, quia nihil utilitatis Deo attulimus, qui bonorum nostrorum non indiget. Cæterum non id, opinor, agebatur, ut probaretur, nihil nos utilitatis Deo afferre posse, sed nihil nobis præter constitutam debito ministerio deberi mercedem. Nam servus quidem ille, qui in parabola proponitur, aliquid Domino suo utilitatis attulit. Et, si nos nullam Deo utilitatem afferre possemus, non impotentia nostra, qui aliquid certè facimus, sed Dei nulla re indigentis Natura sit. Neq; concludit Christus, Dicite, servi inutiles sumus, quia nihil Deo utilitatis attulimus, sed quia, quod debuimus facere, fecimus, quod aliud esse dubium non est.*

(Adde quod Christus disertè addat, *Num gratiam habebit ei?* quod non potest utilitatem Domini significare, sed potius servi, cum gratia sit à domino in servum.

Dionys. Carthusianus in h. l. *Quasi dicat, quæ merces à Deo præstanda? utiq; nulla de condigno.*

Toletus in h. l. *Id est, nihil in eo facitis dignum, pro quo vobis gratiæ ullæ habendæ, agendæ aut referendæ sint, quasi diceret, retributionem à Deo non habebitis. Gratiam appellat retributionem, quæ ex gratitudine etiam datur his, qui de Deo bene meruerunt & propter cum opera fecerunt.*

7. Idem Bellarm. sic excipit: *Servi inutiles dici possumus, cum omnia mandata divina servavimus, quoniam nihil facimus ultra id, quod debemus, & nihil inde justæ mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisset.*

Sed Vasquez in in 1. 2. Disp. 213. cap. 2. agnoscit, illud liberale pactum non statim includere vel inferre meritum. *Si enim* (inquit) *quispiam non intuitu alicujus meriti aut operis quicquam alteri promitteret, id, quod promissum redderetur, nunquam haberet rationem mercedis, sed simplicis donationis.*

8. Salmeron excipit hoc modo: *Loquitur Dominus de his, qui non sua sponte & charitate Deo serviunt, sed inviti & coacti necessitate præcepti, qui dicunt, quod debuimus facere, fecimus, quomodo sibi Paulus præmium non deberi, si invitus evangelizaret, ostendit.*

Sed Didacus Stella in h. l. fatetur, *agi de electis, quibus excellentissima gratiarum charismata & promisit & contulit Deus.*

(De illis dici nequit, quod non sponte & caritate Deo serviant, sed inviti & coacti necessitate præcepti. Adde quod Christus disertè dicat: *Cùm omnia feceritis, quæ mandata sunt.* Atqui in mandatis primum & summum est amare Deum toto corde)

Notandum verò contra Pontificios alio sensu inutilem servum dici Luc. 17. v. 10. alio verò Matth. 25. v. 30. Priore loco catenus aliquis dicitur inutilis servus, eoque solum nomine, quod, cum debuerit quæcunque fecit, non potuerit sibi ex suo opere aliquid acquirere tanquam sibi debitum, id est, nihil hac ratione potuerit mereri: id tamen effecit, ut herus non habeat causam in eum animadvertendi, si fecerit, quæcunque fuerant imperata. Sed alter inutilis servus dicitur, qui jussa non fecit, proinde non solùm nullam operis mercedem meretur, sed etiã pœnam sibi sua negligentia & inobedientia attraxit. Prior potest dici inutilis *negativè*; posterior inutilis *privativè*; prior inutilitas non est in culpa, posterior est damnabilis.

2. Ad argumentum ex Esa. 55. v. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, vos quibus non est argentum, venite, emite & comedite. Venite, emite absq; argento & absq; precio vinum & lac*, excipit Bellarm. *per vinum & lac non gloriam sempiternam, sed gratiam hujus temporis significari, se autem fateri gratiam Dei non acquiri per merita, sed gratis dari.*

Resp. 1. Glossa ordinaria ad h. l. sic annotat: *Et qui non habetis argentum. Gratiâ salvi facti estis.*

Et alibi: *Gratis accepistis, gratis date.*

2. Lyranus ibid. *Omnes sitientes, scilicet gratiæ in præsenti, & gloriæ in civitate cœlesti per ipsum Christum donandæ, secundum quod ipse Johannis quarto, Qui autem biberit ex aqua, quam ego dab ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et qui non habetis, quasi dicat, ista non cadunt sub precio temporali, sed dantur ex mera liberalitate divina.*

Paulò post. *Et vivet anima vestra vitâ gratiæ & posteà gloriæ. Et unde ista proveniant, postea subditur: Et feriam vobiscum pactum sempiternum, id est, legem Evangelicam cui alia non succedit.*

3. Ad argumentum ex Eph. 2. v. 5. *Gratiâ salvati estis per fidem & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*, excipiunt, *agi tantùm de salute sive gratia prima, quæ sine meritu datur, non autem de secunda, quia Deus per gratiam suam dederit nobis eam mereri.*

Resp. Salmero ad h. l. sic annotat: *Hoc autem obtinuimus, tùm quod præcipua pars hominis sit mens sive Spiritus, qui hic reparatur & renovatur per fidei & caritatis virtutes, & animus liberatur à miseria tenebrarum & ignorantiæ, & à proprii amoris vitio, quo nos, supra Deum ipsum diligimus, & à pernicioso odio aliorum, tùm etiam quod per gratiam certam spem æternæ salutis, & jus ad gloriam & arrham Spiritus Sancti, & gustum quendam futurorum bonorum habemus.*

(Duo ergò beneficiorum gradus *salutis* nomine ab Apostolo comprehenduntur. Alia *præsentia* sunt, alia *futura*. Illa, quæ reipsa in hac vita conferuntur, quorum sensus est potius quam spes. Ista, quæ hîc obtineri non possunt, sed præstabuntur post hanc vitam, & horum spes est, nec spes tantùm, sed jus jam acquisitum, ex cujus cum spei, tum juris certitudine dicimur salvati. Cum verò utraque beneficia salutis nomine continentur, ideo de utrisque intelligendum illud Apostolicum: *Gratiâ salvati estis.*

4. Ad argumentum ex parabola Matth. 20. v. 1. & seq. ubi *inæqualiter laborantibus æqualia dantur præmia, ac proinde non ex merito, sed ex gratia*, excipiunt, *nullam hic esse inæqualitem operarum. Qui enim primi venerant, minus laboraverant, quam postremi, qui una hora tantum confecerant, quantum illi toto die. Ac si quis eorum opus fecisset tantùm dimidia diei, procul dubio dimidium duntaxat denarium abstulisset.*

Resp. 1. Cajetanus ad h. l. sic annotat: *Acceperunt singulos denarios, pro singulis denarium. Hoc est tantum præmii, quantum debetur toti labori unius diei, ubi manifestè liquet gratia patrisfamilias dans novissimis supra condignum.*

2. Franciscus Lucas Brugensis ibid. super verba: *Quod justum fuerit Denarius integer non his jure debebatur, quod dies non esset integra, sed quadrans jure demi poterat.*

Et postea de postremis vocatis ad recipiendam mercedem: *Cum minimum fiderent meritis suis, solamq; expectarent Domini gratiam, denarium, mercedem labori totius diei debitam, præter suam & aliorum omnium expectationem accipiunt.*

(Ergo non fuere omnium operæ æquales.)

3. Paterfamilias ad jus provocare potuisset, si omnium operæ fuissent æquales, id tamen non facit, sed gratiam considerandam illis proponit.

Joh. Ferus in h. l. *Ubi nullum debitum est, sed omnia ex gratia præstantur, ibi nulla fit injuria, nemo quicquam conqueri potest.*

4. Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 19. asserit, *his verbis: Non facio tibi injuriam, nonne denario mecum pactus es &c. significari, non ex justitia, sed liberalitate factum.*

(At si fuissent omnium æquales operæ, ex justitia factum fuisset.)

5. Ad argumentum à salute infantum petitum, excipiunt, *infantes solis Christi meritis, adultos verò & Christi & suis meritis salvari.*

Resp. Bellarm. lib. 6. de amiss. gratiæ c. 3. sic scribit: *Propter Christi justitiam omnes justificari, æquè valet in majoribus ac parvulis. Christus enim venit omnia peccata tollere. Dedit semetipsum precium redemtionis pro omnibus. 1. Tim. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi 1. Joh. 2. propter ejus justitiam omnes non solùm parvuli, sed etiam adulti justificantur. Nam judicium quidem ex uno delicto, videlicet ad condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem, inquit Apostolus Rom. 5.*

(Ex illis sic colligimus: Si propter justitiam Christi æque justificantur majores ac parvuli, utique non solum parvuli, sed etiam adulti solâ Christi justitia sine propriis meritis coram Deo justificantur. Sed illud. Ergo & hoc.)

6. Ad argumentum petitum ex illis Scripturæ locis, in quibus negatur condignitas vel proportio inter opera nostra finita & vitam æternam, utpote præmium infinitum, excipiunt, opera nostra sortiri quandam infinitatem ex gratia Dei, merito Christi & operatione Spiritus Sancti. Cens. Colon. Dial. 5. p. 181 *Christus, quod operibus nostris deerat, passionis suæ acerbitate compensavit, quæ, meritum immensum nobis comparans, omnem humanam facultatem multis parasangis exuperat. Hæc nostris actionibus hanc omninò virtutem tribuit, ut quod prius illis deerat, nunc facilè consequantur: addita enim gratia sua hoc eis præstitit, ut facultate essent præditæ promerendi vitam æternam, gratia siquidem illa cùm immenso Christi merito innitatur, & ab infinita Spiritus Sancti virtute in ipso homine habitantis, eundemq; ad agendum impellentis proficiscatur, suo etiam modo infinita est, ut mirum non sit, opera ejus adminiculo adjuta infinitam assequi posse mercedem.*

Resp. Dicuntur hæc ἄτερ γραφῆς, quippe quæ nusquam dicit, Christum pro bonis nostris operib. esse passum, ut illis infinitatem quandam & vim meritoriam conciliaret, sed pro peccatis nostris, ut ea expiaret & gratuitam illorum remissionem nobis impetraret. Urgemus ergo,

1. Quod agnoscunt, *Deum præmiari ultra condignum & punire infra condignum*, ut habet vulgatum Scholasticorum axioma. Atqui si opera nostra ex gratia Dei, merito Christi & operatione Spiritus S. acciperent quandam infinitatem, Deus non præmiaretur ultra condignum.

2. Quod negant, *ex unione personali & per unionem personalem assumtæ carni Christi communicari infinitam gloriam & potestatem*, ut constat ex dictis art. 2. Atqui si ne quidem unio personalis & hypostatica, quæ est summus unionis gradus tam efficax est, ut carni Christi, utpote finitæ, infinitam gloriam & potestatem conferre possit, quanto minus unio spiritualis & mystica tàm efficax erit, ut nostris operibus infinitatem quandam acquirat.

3. Quod Scotus, Vega & alii docent, *bona opera ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantùm ratione pacti & acceptationis divinæ.* Atqui si operibus nostris per gratiam Dei, meritum Christi & operationem Spiritus Sancti conciliaretur quæpiam infinitas, tùm utique ratione operis essent ex condigno meritoria, & non tantùm ratione pacti & acceptationis divinæ.

Argumenta Adversariorum pro *nomine meriti*.

1. Eccles. 16. v. 14. *Omnis misericordia faciet locum unicuiq; secundum meritum operum suorum.* Bellarm. lib. 5. de Justificat. c. 2. & ante eum Alphonsus de Castro lib. 10. adv. hæreses cap. de merito, It. Porsanus in responsione ad Salvæum. Jacob. Tirinus in h. l.

Resp. 1. Ex Gregorio Episcopo Romano in Psal. 7. pœnit. *Misericordia Domini ab æterno usque in seculum super timentes eum. Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est & non meritis acquiritur, ubi erit quod scriptum est, Et tu reddes unicuiq; secundum opera sua? Si secundum opera redditur, quo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundum opera reddere, aliud secundum merita operum, sive propter opera reddere. In eo enim, quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint opera bona, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namq; beata vita, in qua cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cùm dicat Apostolus: Non sunt condignæ passiones.*

(Hanc responsionem Bellarminus repudiare non poterit, cum omnib. *Ecclesiæ filiis satis abunde sufficere* scribat, *Pontificis maximi autoritatem* lib. 5. de Justif. c. 14. §. 3. ac ipsam *infallibilitatem statuat in solo Pontifice*, lib. 4. de Pont. Rom. c. 2. Congruit etiam ista responsio dictis illis Scripturæ, in quibus vita æterna vocatur χάρισμα Rom. 6. vers. 23. & quibus particula *secundum*, non significat causam, sed qualitatem, Matth. 23. v. 3. *secundum opera eorum nolite facere*, id est, talia opera nolite facere, qualia illi faciunt. Quando vero particula *secundum* significat causam, tùm Scriptura expresse negat, *nos secundum opera salvari.* 2. Timoth. 1. vers. 9. Tit. 3. v. 5. Exactissimè notetur locus Apoc.

22. v. 12.

22.v.12. ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται. Vocula igitur secundum usurpatur de *qualitate*, non de *aequalitate*.)

2. Ex Benedicto Aria Montano, qui juxta fontes Graecos locum sic vertendum esse docet: *Omni eleemosynae fac locum, unusquisq; enim secundum opera sua inveniet.*

3. Multi ex Pontificiis agnoscunt, *librum Ecclesiastici non esse Canonicum*, ut ostendimus lib.2.art.1.sect.2.c.7.

4. Multi etiam ex Pontificiis agnoscunt, versionem vulgatam Latinam non esse authenticam; ut ostendimus d.l. cap. 2.th.5.

(At hîc in versione habetur nomen meriti, non in fonte Graeco.)

Arg.2. Hebr.13.v.10. *Beneficentiae & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Bellarm. d.l. Lindanus lib.3. Panopl. c.20. in margine. *En meriti vocabulum in Scripturis.*

Anglo-Rhemenses in annot. ad h.l. *Caecutiunt Protestantes, cùm non vident Primasium Augustini discipulum legere, promeretur Deus.*

Salmero in h.l. *Vide, haeretice, merita & satisfactiones ad abluenda peccata.* Et ad marginem: *Impie Lutherane contra satisfactiones quid etiam oblatras? nunc tandem tace & obmutesce.*

Jacobus Tirinus ad h.l. εὐαρεστεῖται, *id est, conciliatur, placatur Deus & consequenter inducitur ad remunerandum, quod idem est atq; promereri.*

Resp. 1. Ludovicus Vives in comm. lib. 10. Aug. de civ. Dei c.5. *Graeca vox* (εὐαρεστεῖται) *revera significat, delectatur Deus, aut placetur Deo, utrumq; melius quam quemadmodum vulgo habemus, promeretur Deus.*

(Docet idipsum collatio cum aliis locis. Paulus Tit.2. v.9. servos jubet dominis ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, cum tamen certum sit, eos nihil posse servitio suo mereri, ut omninò necesse sit placere, non cum merentur, sed cum ea faciunt, quae debent. Psal. 116. v.9. εὐαρεστήσω ἐνώπιον κυρίου ἐν χώρᾳ ζώντων, *Placebo in conspectu Domini in regione viventium.* In quem locum Bellarminus sic commentatur: *Ubi omnes ab omni parte vivunt & ideò placent omnibus modis Deo viventi.* Et tamen in regione illa viventium ne Pontificii quidem agnoscunt merita. Quod si ibi nulla merita, ubi maximè placetur Deo, necesse est aliud esse placere Deo, aliud mereri.)

2. Benedictus Arias Montanus sic reddidit: *Talibus hostiis beneplacet sibi Deus.*

3. Vulgata versio, quae in Concilio Tridentino pronunciata est authentica, verbum εὐαρεστέω & εὐαρεστέομαι Hebr. 11.v.5.&6. reddidit per τὸ *placere*; εὐάρεστος per τὸ *acceptum, placens, beneplacens, beneplacitum.* Rom.12.v.1.c.14.v.18.2.Cor.5.v.9.Eph.5.v.10.Phil.4.v.18.Coloss.3.v.20.Tit.2.v.9.Hebr.13.v.21. nuspiam verò per τὸ *mereri* vel *meritum*. Ergò etiam hoc loco non intelligitur meritum propriè sic dictum; sed illud, quod Deo placens est & acceptum. εὐαρεστεῖσθαι hic poni pro εὐαρεστεῖν *placere, delectari*, casus tertius facilè probat, cum quo solet hoc verbum construi tùm in ead. Epistola Hebr.11. v.5. & 6. tùm apud probatos autores, Basilium, Plutarchum, Diodorum &c. quos Thesaurus Stephani allegat.

Estius in h.l. *Rectius illi, qui verterunt, delectatur Deus; placetur Deo. Nam Graecum verbum non placari significat, sed delectari.*

Postea dicit. *Non posse dari Graeca vocabula, quae Latinis promerendi & merendi propriè respondeant.*

4. Bellarm. ipse lib.2. de verbo Dei c.14 §. Dicimus. *Graeca vox revera significat, delectatur Deus, aut; ut Erasmus reddidit, placetur Deo.*

(Plura autem requiruntur ad meritum, quam ut officium alicui praestitum eidem placeat, eundemque delectet.)

5. Excipit quidem Bellarm. lib.5. de Justif. c.2. *perinde esse, sive dicatur Deus placari talibus hostiis, sive Deo iisdem placeri. Propriissimè enim dicimus Latinè unum apud alterum mereri, & eum sibi obstringere, qui facit aliquid, quod ei placeat, eumq; delectet.*

Sed respondemus ex ipso Bellarm. lib 5. de Justif. cap. 3. §. Calvinus &c. *Vita aeterna habet conditionem mercedis & haereditatis, datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis propriũ, & non datur nisi filiis, quod est proprium haereditatis.*

Ibid. *Voluit Deus filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus & meritis vitam aeternam acquirere, ut duplici titulo illis vita aeterna deberetur, titulo videlicet haereditatis & jure mercedis.*

(Atqui si omne, quod alteri placet, eundem ad mercedem propriè sic dictam, & ad mercedem meriti obstringit, & est propriè meritorium, utique etiam filialis obedientia erit meritoria, & per conseq. *titulus hereditatis à jure mercedis* non differet, cujus contrarium statuit Bellarminus. Nimirum sic verum est placere qui bene meretur, ut tamen non vicissim mereatur, quicunque placet. Potest herus servi officiis εὐαρεστεῖσθαι, nec tamen servus apud eum meretur. Idem dicendum de filio, cujus obedientia placet patri, nec tamen per eam meretur hereditatẽ.)

Argumenta pro meritis operum.

1. *Vita aeterna nominatur merces*, Matth 5. v.12. & c. 20. v.8. *Ergò redditur meritis operum.* Bellarm. d.lib.5. Justif. c.3.

Resp. 1. Lyranus in c.10. Joh. *Gloria coelestis non propriè dicitur merces, sed tantummodo largè; in quantum omne, quod redditur in praemium laboris, dicitur merces &c.*

(Distinguendum igitur inter *mercedem propriè dictam & impropriè, ac per quandam similitudinem sic appellatam.* Inter mercedem propriè dictam & meritũ est perpetua relatio, non autem inter mercedem impropriè dictã & meritũ. Gen.30.v.18. *Dedit Deus mercedem meam, eò quod dederim ancillam meam viro.* Atqui in eo opere nullum potuit esse meritum apud Deum. Ps 127.v.4. *Ecce hereditas Jehovae, filii; merces, fructus ventris*, in quem locum Vatablus sic commentatur: *Repetitio idem bis dicit, quasi dicat, quod à Deo tanquam jure haereditario accipimus, sunt liberi, & donum, quo afficit pios Jehova, quodque ab ejus liberalitate proficiscitur, est soboles.*

Genebrardus ibid. *Merces sive donum Domini nempe fructus ventris.*

Joh. Ferus in Comment. Matth.20.v.8. editis An.1559. *Quod si aliquando mercedem audis polliceri, scias, non ob aliud esse debitum, quam ex promissione divina, gratis promisit, gratis reddit &c.*

Curatores editionis Lugdunensis Ann. 609. non potuerunt dicti hujus claritatem sustinere, ideò pro iis verbis, *non ob aliud esse debitum*, per manifestum crimen falsi substituerunt, *non ob aliud potissimum est debitum*; exclusivam mutantes in comparativam.)

2. Stapletonus in Antidot. cap. 5. Matth. p. 45. *Est quidem promissio Dei gratuita, promissione autem semel facta retributio non est gratuita, sed debitoria, non quia Deus nobis aliquid debet, sed quia ejus, quod gratuito promisit, debitor factus est, & seipsum negare non potest.*

(Quod congruit cum dicto Augustini in Psal. 32. *Fidelis Dominus, qui se nobis debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia promittendo.* Evertit autem haec distinctio argumentum ex *mercedis* nomine desumtum. Si enim merces, quae bonis operibus redditur, tantum respectu gratuitae promissionis est debita, utique non erit merces propriè sic dicta, ac proinde non erit *merces meriti*, sed *gratiae*.)

3. Pererius Disp.11. in cap.6. Rom. n.54. *nulla est proportio inter opera nostra in se considerata, & vitam aeternam.*

(Ergo quando bonis operibus promittitur merces, nõn intelligitur merces in sensu strictiore, ubi proportio est inter mercedem & meritum; sed in sensu latiore, ubi notat gratuitam compensationem profectam à promissione Dei, unde etiam vocatur merces haereditatis Col.3. v.24.)

4. Idem Pererius in Comm. Gen.15.v.1.tom.3.p.727. scribit, *verba illa: Ego sum merces tua magna valde*, posse intelligi tàm *causaliter*, quam *substantialiter*. Causaliter hoc sensu: *Ego tuos labores & merita cumulatissimè remunerabor.* Substantialiter hoc sensu: *Ego ipse futurus sum merces tua.*

(At si inter Deum & opera nostra nulla est proportio, consequens erit, hîc non intelligi mercedem propriè & strictè dictã sive ex debito, sed mercedem gratiae. Verum prius. Ergò & posterius.)

5. Bellarm. lib.1. de Justif. c.19. §. Excludi &c. *Operibus, quae fiunt ex gratia, qualis est ipse actus fidei & quae inde consequuntur, id quod redditur, non est simpliciter merces, sed etiam gratia, imò magis gratia quam merces.*

(Si id, quod redditur operibus, non est simpliciter merces, sed etiam gratia; imò magis gratia quam merces, utique est merces gratiae, non merces meriti. Nam de mercede propriè sic dicta sive mercede meriti Bellarminus ipse sic scribit lib.5. de justificat. cap. 2. §. Denique. *Merces meritis datur, sicut gratia gratis datur.*)

6. Idem Bellarm. lib.5. de Justif. c.19. *Merces dicitur, ubi opus remuneratur supra condignum.*

(Atqui, quando opus remuneratur supra condignum, non est meriti, sed merces gratiae)

7. Idem Bellarm. lib.5. de Justif. c.3. §. Quod verò, sic scribit: *Non est idem finis & merces. Nam finis relationem habet ad me-*

dia, sive sint merita, sive non sint. Merces (debita scil. & propriè sic dicta) *relationem habet ad sola merita.*

(Subsumimus. Petrus 1. Epist. 1. v. 9. *salutem animarum* vocat *finem fidei*. Ergò salus animarum non est merces meriti.)

Arg. 2. *Esai. 40 v. 10. Ecce merces ejus cum ipso.*

Resp. 1. *Mercedem gratiæ* non negamus, ut ex dictis constat, sed *mercedem meriti*.

2. Locus ille Propheticus variè ab Interpp. exponitur. Simplicissima expositio est *de mercede, hoc est, amplissimis donis, quæ Christus in primo adventu secum attulit*; quam expositionem Sanctius in Comment. illius loci n. 56. approbat. Erit ergò sensus expeditus & facilis, admoneri utramque Sionem tàm propriã quam mysticam, suo quamq; modo, ut excipiat jam venientem Salvatorem locupletem & ditatum amplissimis donis, quæ Evangelii sui sectatoribus impertiat.

(Atqui concedunt ipsimet Pontificii, dona, quæ Christus in primo adventu secum attulit, non cadere sub meritum.)

Arg. 3. *Jerem. 31. v. 16. Erit merces labori tuo:*

Resp. 1. per *laborem* juxta plerosque Interpp. etiam Pontificios, intelligitur *pœnitentia populi in captivitate constituti.*

(Jam verò ipsimet Pontificii fatentur, *pœnitentiæ non deberi meritum ex condigno*, de quo propriè in quæstione de meritis operum agitur. Inde etiam toties in loco Prophetico fit mentio *gratiæ*. v. 2. 3. & 20.

2. Per *laborem* juxta quosdam intelligitur afflictio, miseria, tristitia populi in diuturna ista captivitate, per *mercedem* recreatio & reductio, ut ipse textus explicat.

Sanctius in paraphr. vers. 16. *A lachrymis tibi atq; à ploratu tempera quia populus, qui tanquam mercen trius duros trahit apud Babylonios & ærumnosos dies, revertetur in patriam, ubi diuturni mœroris solatium & quasi* (nota) *operæ longæ mercedem accipiet.*

Idem in Comment. n. 39. *Hic ego translationem agnosco aut à mercenario, qui suam alteri locavit operam, aut ab eo, qui in militiam profectus, ærumnosam trahit & difficilem vitam, imò quotidie duræ mortis imaginem intuetur. Labores & ærumnosum statum in militari vita aut in mercenarii opere significari, proverbiali specie satis est notum.*

Jacobus Tirinus in h. l. *Operi, id est, labori tuo, quem sustines serviendo Chaldæis, subdendo parvulos gladio Herodiano, est multa merces respondens, nempe pro servitute libertas, pro infanticidio gloria Martyrii, pro luctu gaudium.*

(Jam verò reductio populi Israelitici ex captivitate Babylonica in terram patriam, facta est ex mera gratia. Ergò non est merces meriti. Inde est, quod Sanctius ipse terminum diminuentem adjicit, *quasi operæ longæ mercedem accipiet.*)

Arg. 4. Matth. 20. v. 2. *Per denarium diurnum significatur vita æterna, ut communi consensu Patres docent, Illa verò vocatur merces.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Suarez in Thomam tom. 4. 88. art. 4. sect. 1. Disp. 13. *Monet Chrysostomus in exponendis parabolis, præcipuè attendendum esse finem parabolæ, nec singula verba accommodanda esse, sed solùm quatenus ex iis per quandam analogiam declaratur, quod intenditur, ut Luc. 16. Dominus laudavit villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset, non quod laudavit factum, sed solertiam tantùm, non ut eam imitemur in tali materia, sed in altiore.*

Ruizius regul. 25. *Non oportet in parabolis nimiâ in singulis verbis curâ perangi, sed cum quid per parabolam intendatur didicerimus, inde utilitate collecta nihil ulterius anxio conatu est investigandum.*

Maldonatus in cap. 2. Luc. v. 9. *Non sunt parabolæ partes singulæ subtilius explorandæ, adhibendum est judicium & ex fine parabolæ colligendum, quæ ejus partes necessariæ sunt, quæ verò tanquam emblemata & ornamenta adhibentur.* Idem repetit in c. 11. Matth. v. 6. & alibi passim.

(Intuendus igitur principalis hujus parabolæ scopus, qui ex antecedentibus & consequentibus perspicuè elucet, videlicet, illos qui se existimant primos, qui confidunt, se perfectè legem implevisse, ac suis operibus vitam æternam promereri posse, coram Dei judicio esse novissimos. Proinde hæc parabola meritis operum directè est opposita, tantùm abest, ut eadem stabilire judicanda sit.)

2. Cornelius Jansenius in conc. Evangel. cap. 101. *Scopus à Domino in parabolæ propositione præcipuè intentus, videtur is esse, ut intelligamus, in novissimo die, cum finis erit hujus dici, in quo operari licet in vinea Domini, ex Dei benignitate futurum, ut qui hic reputati sunt novissimi, tunc præferantur his, qui hic habiti sunt primi in vinea Domini laboratores, utq; contra sine omni injustitia & justa querimonia, qui hic primas tenere visi sunt, tunc postremas teneant, hoc est, ut Apostoli & abjecti homines Scribis & Pharisæis præferantur, & gentiles Judæis, qui primò vocati fuerunt à Domino, ut primas partes in vinea Dei & regno cælorum sibi vendicaverunt.* (At hic scopus Dei benignitatem, non autem operum merita commendat. Postea addit Jansenius) *Hunc parabolæ scopum animo retinentes, quicquid eorum, quæ in parabola ponuntur, aliquid facit ad id, quod per parabolam intenditur, diligenter est annotandum, reliqua verò prætereunda sunt, velut quæ tantùm propter exempli, unde sumitur parabola, commodam narrationem sunt posita.*

Postea subjungit, *significari hac parabola, Judæos planè velut mercenarios Deo servisse, gentes verò magis illius confisas gratiæ quam Judæos, propter quod etiam prælatæ Judæis non suo quidem merito, sed solo Dei beneplacito significantur, dum novissimi dicuntur à patre familias sic prælati primis, ut & reciperent ante illos mercedem, & mercedem longe excedentem laborem, cum illi tantùm pactam & debitam reciperent. Illo enim significatur, tùm quod gentes ex cauda mutandæ essent in caput, primosq; habendos, qui novissimi venerunt in vineam Dei, tùm quod mercedem acceptura essent labores longè excedentem, felicitatem scilicet vitæ æternæ, cum Judæi tantùm mercedem temporalem eis promissam consequerentur. Quanquam ergò in parabola novissimi & primi eandem dicuntur accepisse mercedem, nempe denarium, non tamen in re per parabolam significata intelligendum, novissimos & primos eandem accepturos à Deo mercedem; sed hoc tantùm intelligendum est significari, quod dictum est, id verò, quod non convenit scopo intento, omittendum est, tanquam tantùm conveniens ipsi humano exemplo. Itaq; nec inquirendum est quid per denarium mysticè significetur &c.*

Et postea: *Hinc nobis discendum, non debere nos otiosos esse in vinea Domini, si velimus benignitatem illius in nos experiri, sed strenuè operibus bonis vacandum, nec tamen de his ita confidere, ut non magis gratiæ Dei confidamus.* Similia occurrunt apud Vasquez tom. 1. in 1. Thom. D. 47. c. 4.

(At juxta hanc expositionem merita operum per hanc parabolam potius excluduntur, quam stabiliuntur.)

3. Bellarm. lib. 3. de Justif. c. 16. §. At inquit &c. sic scribit: *Non facit Deus injuriam ei, cui debitam mercedem reddidit, si parem vel majorem alteri ex benignitate donaverit.*

Lib. 5. de Justif. c. 19. §. Ad hæc &c. *Matth. 20. in parabola vineæ manifestè videmus, multis dari integrum denarium diurnum, cùm tamen non integrum diem in opere fuissent.*

(Atqui id non ex justitia, sed ex liberalitate factum esse, indicat Dominus his verbis: *Volo huic dare, sicut & tibi.*)

Lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 3. §. Itaque &c. *Si Deus alicui majus præmium aut minorem pœnam dare voluerit, non erit acceptor personarum etiamsi id non cum omnibus servet, quoniam hoc non est justitiæ, sed liberalitatis, juxta illud, Amice, non facio tibi injuriam.*

(Si ex hypothesi Bellarmini per denarium in hac parabola intelligitur vita æterna, consequens est, si vel maximè primis operariis vita æterna detur, ut merces debita, respectu tamen eorum ad minimum, qui unam duntaxat horam laboraverant, vitam æternam esse gratuitum Dei donum, non autem laboris meritum ex justitia debitum, ac proinde nec mercedem propriè & strictè sic dictam. Operariis ergò *merces ex gratia* datur, non autem operibus redditur *ex debito justitiæ*. Si operibus redderetur, inæqualibus operibus inæqualis merces reddi debuisset ac reddita fuisset. Sed parabola testatur inæqualibus operibus æqualem mercedem esse datam.)

4. Rectè ergò Ludovicus Granatensis in Epist. conc. pag. 124. *Tota parabola hùc potissimum spectat, ut liberalitatem & libertatem Domini in donorum suorum distributione demonstret.*

Argum. 5. *Deus dicitur unicuiq; redditurus secundum opera.* Psalm. 61. v. 13. Matth. 16. v. 27. *Luc. 6. v. 38. Rom. 2. v. 5. & 6. 1. Cor. 3. v. 8. Gal. 6. v. 8. Apoc. 22. v. 12. Ergò in præmio conferendo non habetur ratio solius promissionis vel liberalitatis vel indulgentiæ Dei, sed etiam dignitatis & efficaciæ ipsorum operum.* Bellarm. d. l.

Pererius Disp. 5. in c. 2. Rom. n. 39. p. 279. ubi *secundum opera* sic exponit: *quod Deus propter bona opera seu pro qualitate ac merito dignitateq; operum unicuiq; sit retributurus.*

Resp. 1. Repetimus distinctionem Gregorii Episcopi Romani in Psal. 7. pœnit. *Aliud est secundum opera reddere, aliud secundum merita operum vel propter opera reddere.*

(Evidenter confirmatur hæc distinctio Apoc. 22. vers. 12. ubi illud κατὰ τὰ ἔργα sic exponitur, ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται.

2. Bellarminus ipse lib. 5. de justific. c. 19. §. Probatur &c. dictum

dictum Luc. 6. v.38. eo fine adducit, ut probet, *Deum remunerari opera bona supra condignum.*

(Si Deus supra meritum & supra condignum bona opera remuneratur, utique bona opera ex condigno non erunt vitæ æternæ meritoria.)

3. Bellarminus d.l. cap.3.§. Itaque.dictum Apostolum 1. Cor.3. v. 8. applicat *ad differentias graduum gloriæ in vita æterna. Si vera*, inquit, *esset hæreticorum sententia, sicut justitia eadem est in omnibus justis, nec major in uno quam in alio ita esset eadem beatitudo in omnibus beatis, nec major in uno quam in alio. At certè longè aliud Scriptura docet, cum ait: Unusquisq; mercedem accipiet secundum suum laborem.*

(Ergò ex hoc loco probari nequit, vitam æternam tanquam mercedem meriti bonis operibus dari. Verissimè proinde respondetur, in hoc & aliis dictis eidem parallelis præmia temporalia & æterna bonis operibus ex gratia danda astrui, nequaquam verò opinionem de meritis, qua finguntur bona opera non solum cœlestium præmiorum, sed etiam ipsius vitæ æternæ verè & propriè ex condigno meritoria esse, stabiliri. Duplex in operibus considerari potest proportio, vel operum bonorum ad opera mala, & mercedis ad mercedem: vel operum ad mercedem, videlicet bonorum operum ad vitam æternam, malorum ad exitium æternum. Priori modo significatur diversum esse exitum malorum & bonorū, ita ut nec omnes damnentur, nec omnes salventur, nec mali salventur, nec boni damnentur, sed boni salventur & mali damnentur. Posteriori modo significatur, non tantùm diversos esse exitus, sed etiam eodem modo proportionata esse bona opera ad vitam æternam, quo modo proportionata sunt mala opera ad exitium æternum. Priorem proportionem concedimus, posteriorem negamus, secuti evidens dictum Apostoli Rom. 6. vers. ult.)

Argum. 6. *Ipsa ratio, cur vita æterna detur, in operibus ponitur. Matth. 25. v.34, Venite, possidete regnum, quia esurivi & dedistis mihi cibum:*

Item, v.21. *Quia super pauca fidelis fuisti, ideò intra in gaudium. Apoc. 7. vers. 14. venerunt ex magna tribulatione, ideò sunt ante thronum.* Bellarm. d. l.

Resp.1. Salmeron tom. 1. pag. 327. *Quia, quoniam, conjunctiones sunt causam reddentes vel à priori, ut frequenter faciunt, vel à posteriori, juxta illud, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: Probat, remissionem peccatorum factam ab effectu dilectionis magnæ.*

Jacobus Tirinus Jesuita in tractatu de Idiotismis Linguæ Hebraicæ & Græcæ præmisso Commentariis in Vet. & Nov. Testam, num.12. tom. 1. pag. 86. *Particulæ quia, propter, quod, propterea, sæpe non causam, sed solùm eventum seu consecutionem significant.*

(Pari ratione etiam hoc loco Matth. 25. v.34. particula γὰρ non denotat causam rei sed consequentiæ, non enim causa vitæ æternæ, sed qualitas eorum, qui ad regnum cœleste vocandi sunt, exprimitur. Causa in præcedentibus jamdum erat exposita. *Venite benedicti, possidete regnum, quod paratum vobis à constitutione mundi.*)

Maldonatus in c.8. Joh. v.29. *Hæc vocabula quia & quoniam, non causam aliquando significare, innumera vel in solis Psalmis exempla sunt.*

2. Idem Salmeron in Comm. Eph.1. Disp. 3. *Voculæ quia & quoniam usurpantur, ubi nulla est meritorum ratio.*

(Ergò ex illis voculis non possunt statim probari operum merita.)

Quod ergò Bellarminus dicit, *ipsam rationem cur vita æterna detur, in operibus poni*, ambiguè dicitur. Rationis enim nomen interdum significat *causam propriam*, à qua pendet effectus, aliquando *consequentiam quamcunque*, id est, nexum antecedentis & consequentis. Posteriori sensu assertionem Bellarmini concedimus, priori negamus.

3. Johannes Ferus in Comment. Matth.25. *Verè secundum fidem Christus judicabit, Matth.16. v.16. Joh.3. v. 36. Quia autem opera caritatis sunt indicia fidei, ideò etiam secundum opera judicaturus est.*

4. Glossa ordin. in cap. 25. Matth. *Dicunt hæc*, (electi) *non diffidentes de verbis Domini, sed vel stupentes præ magnitudine majestatis Regis, vel quia parum illis videtur omne opus bonum, quod fecerunt.*

(At si in hac vita, opera sua esse vitæ æternæ ex condigno meritoria credidissent, ac fine & intentione cœlum promerendi eadem fecissent, nequaquam in illam admirationem prorumperent. Quando enim intentioni finis respondet, id non fit præter expectationem.)

5. Bellarm. lib. 5. de justificat. c.19. §. Item Luc. 19. parabolam de talentis Luc. 19. parallelam parabolæ Matth. 25. eò accommodat, ut probet, *quod Deus bona opera ultra condignum remuneretur.*

(Ergò non potest ex ea inferri, quod bona opera ex condigno sint vitæ æternæ meritoria.)

6. Quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt, Græcum novi Testamenti textum esse authenticum, ut ostendimus lib. 2. art. 1. c. 2. thesi 5.

(Atqui in parabola de talentis Matth. 25. in textu Græco non habetur particula quia, sed simpliciter dicitur: *Super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.*

Franciscus Lucas Brugensis in h.l. *Quia, non legitur aut Græcè, aut Syriacè, decetq; ejus omissio & sermonis concisio majestatem Domini. Servo enim Dominus omnis monosyllabus est.*

Adducitur ergò fidelis illius servi industria, non ut meritum Luc 17. v.10. sed ut veræ fidei testimonium, juxta quod judicatur, & collatio super plura, non est debita quædam merces, sed gratuita remuneratio.)

7. Bellarminus lib. 5. de Justificat. cap. 20. negat, *vitam æternam esse mercedem, quatenus est hæreditas.* Atqui Matth. 25. v.34. vita æterna disertè vocatur *hæreditas*, κληρονομήσατε inquit Christus, *hæreditatis jure possidete regnum.* Ergò vita æterna non proponitur electis ut merces ex debito, sive per meritum obtenta.

8. Pontificii negare non possunt, *particulam Quia, usurpari ubi non est ratio meriti, sed tantum significatio ordinis.*

Sic Lea Gen. 30. v. 18. dicit, quod *concepisset Isaschar, id esse mercedem, quia ancillam suam marito in uxorem dederit*, ubi vox mercedis sumitur impropriè & abusivè, qua tamen eadem Lea v.16. utitur propriè in sensu justitiæ commutativæ. Sic 1. Timoth. 1. v. 13. dicit Apostolus, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans fui.* At nemo poterit dicere, delicta infidelium ex ignorantia commissa, mereri divinam misericordiam. Sic Christus Matth. 6. v. 14. quintam petitionem explanaturus dicit: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*; non quod condonatio fraterna mereatur remissionem apud Deum, sed quod hæc sese invicem consequantur, ut patet ex ipsa petitione. *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Pari ratione in hoc dicto Christi non notatur per particulam *enim* causa meritoria, sed aliquid ratione ordinis præmium gratuitum antecedens. Nam Spiritus Sanctus justificationem & vitam æternam nostris operibus, ut causæ meritoriæ, planè derogat, & soli Dei misericordiæ adscribit. Phil. 3. v. 9. Eph 2. v. 8. Tit 3. v. 5. &c.

9. Locus Apoc. 7. truncatè à Bellarmino citatur. Integer sic habet: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine Agni, ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.*

In quem locum Haymo sic commentatur: *Ac si diceretur, propterea ad numerum pertinent electorum, propterea thronus Dei, propterea templum Dei sunt, propterea in templo Dei sanctam illi exhibent servitutem, quia talibus vestimentis induti, quia sanguine Agni videntur abluti.*

(Ergò fide in Christum, non autem meritis operum obtinuerunt, ut sint ante thronum Dei.)

Arg. 7. *Præmium bonis operibus ex justitia dicitur esse reddendū.* 2. *Thess. 1. v. 4. 6 & 7. 2. Tim. 4. v. 7. & 8. Hebr. 6. v. 10. Jacob. 1. v. 12. Apocal. 2. v. 10 Prov. 19. v. 17 1. Cor. 9. v. 24. 2. Tim. 1. v. 12.* Bellarminus d. l. Cens. Colon. p. 176. &c. Jacobus Tirinus in 2. Tim. 4. vers. 8.

Resp. 1. Basilius de Viegas in Comm. Apoc. 3. pag. 196. ad quæstionem, *cur Episcopo Laodiceno, qui caritatem amiserat, suadeatur, ut emat caritatis aurum, cùm prima gratia atque adeò prima caritas non cadat sub nostrum meritum, & per conseq. emi nequeat*, respondet hoc modo: *Utrumq; verum est, & gratis dari primam gratiam & simul emi. Etenim si respiciamus ad nostra merita, quæ nulla sunt, gratis confertur. Si autem ad merita Christi, qui nobis vel ipsam primam gratiam de justitia meruit, verè eam Christus nobis conferendam emit. Atque in hunc sensum*, inquit, *concilianda est apud Esaiam illa in speciem contrarietas, cum ait cap. 55. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum,*

tum, properate, emite. Quomodo enim si ad emendum homines invitantur, sine precio admittuntur, & qui fieri potest, ut gratuita & liberalis donatio, quippe quæ sine precio & commutatione perficitur, emtio appellari possit? nimirum sine argento nostro gratiam emimus, quæ tamen ex argento Christi, id est, meritorum ejus infinito precio confertur. Itaque comparatione nostri liberalis est donatio, comparatione verò Christi vera emtio, quam expositionem affert Ambrosius lib. de Joseph Patriarch. capit. 7. Emite, inquit, sine argento, neq; enim precium quæsivit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui precium solvit.

(Quod Viegas de *prima gratia* dicit, idem nos de *vita æterna* dicimus, quæ itidem vocatur χάρισμα Rom. 6. v. ult. *Respectu nostri* gratis datur; *respectu Christi* ex merito & justitia datur.)

2. Confirmat hanc nostram responsionem Bernhardus serm. 14. in Psalm. 91. *Salvus factus es gratis, quod ad te pertinet, & pro nihilo, sed quod ad illum* (Christum) *planè non gratis, non de nihilo.*

3. Dicitur etiam præmium dari bonis operibus *ex justitia*, quia DEUS gratuitam promissionem dedit, quod bona opera renatorum temporalibus & æternis præmiis ex gratia afficere velit, quod promissum actu præstare est justitiæ.

Bernhardus lib. de grat. & lib. arbitr. *Promissum ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.*

Ibid. *Est ergò, quam Paulus expectat, corona justitiæ, sed justitia DEI, non suæ. Justum quippe est, ut reddat, quod debet, debet autem quod pollicitus est. Et hæc est justitia, de qua præsumit Apostolus, promissio Dei.*

Joh. Ferus in c. 20. Matth. *Gratis promisit, gratis & ex justitia reddit.*

(Ubi intelligitur non fidelium, sed Dei justitia; & quidem illa justitia, quæ respicit *promissionis veritatem*, non autem *operum dignitatem*. Hæc justitia non opponitur gratiæ, ut meritum ex condigno gratiæ opponitur, sed eidem subordinatur, unde Glossa ordin. in 2. Tim. 4. dicit: *Quia fides gratia est & vita æterna est gratia, per gratiam ergò reddet.*

4. Bellarm. in Psal. 23. v. 5. *Vita æterna ac regnum cœlorum Christo justitia, fidelibus ejus misericordia est.*

(Ergò respectu meriti Christi dicitur vita æterna dari ex justitia, sed respectu nostri ex misericordia, quia χάρισμα Θεοῦ vita æterna Rom. 6. vers. ult. quod dictum ibidem Bellarminus allegat.)

Joh. Lorinus in 2. Petri. 1. vers. 1. *Admittitur appellatio coronæ justitiæ, quam reddet Dominus justus judex. Sed quia illud, quicquid est, etiam fundatum in infiniti precii meritis Christi, à divina pendet voluntate, ac pacto, estque semper creaturæ ac DEI interstitium infinitum, exacta & rigorosa justitiæ ratio locum hunc habere nequit in isto veluti contractu, ut idcirco satis benè Thomas appellet non exigentiam, sed condecentiam divinæ bonitatis.*

5. Dictum Salomonis Proverb. 19. vers. 17. Bellarminus lib. 3. de bonis operibus in part. cap. 4. refert ad præmia hujus vitæ beneficentiæ erga pauperes promissa. *Eleemosyna, inquit, sæpe causa est majoris abundantiæ temporalium bonorum, id enim utplurimum divina providentia ordinare solet, ut qui sunt eleemosynæ studiosi, quo magis erogent, eò magis abundent, id quod affirmat Sapiens Proverb. 19. vers. 17. cum ait: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.*

(Ergò ex hoc dicto probari nequit, bona opera esse ex condigno vitæ æternæ meritoria.)

Argum. 8. *Vita æterna est promissa bonis operibus. Matth. 19 vers. 17. & 29. 1. Tim. 4. vers. 8. Jacob. 1. vers. 12. At promissio facta cum conditione operis non solùm debitam facit rem promissam, sed etiam facit, ut qui opus impleverit, meruisse rem promissam camq; ut mercedem jure suo exigere posse videatur.* Bellarm. 5. de Justit. cap. 3.

Resp. 1. Bernhardus in declamat. de loco Matth. 19. sic scribit: *An quis dubitat instantis esse temporis centupli promissionem? manifestè id quidem ipsa verborum consequentia probat, ubi centuplum accepturi & possessuri dicimur vitam æternam.*

(Promissioni ergo centupli, quæ ad hanc vitam pertinet, additur promissio vitæ æternæ, quia quamvis propter Christum fide apprehensum vita æterna ex gratia detur, unde in Græco dicitur κληρονομήσει *hæreditate consequetur vitam æternam*, illa tamen simul est largissima compensatio omnium laborum & ærumnarum, quas propter confessionem Evangelii electi in hac vita sustinuerunt.)

2. Idem Bernhardus serm. 68. in Cantic. *De meritis quid solicita sit Ecclesia, cui de proposito Dei firmior securiorq; gloriandi ratio suppetit? non potest seipsum negare Deus, neque non facere, quæ jam fecit &c. Sic non est quod quæras, quibus meritis speremus bona, præsertim cum audias apud Prophetam, Non propter vos, sed propter me ego faciam, dicit Dominus.*

(Ergò promissa est vita æterna benè operantibus ex gratia, non autem ipsis operibus ex merito & justitia.)

3. Pontificii concedunt, *renatos in hac vita nondum esse ab omni peccato immunes.* Ex hac hypothesi sic inferimus. Quicunque adhuc sunt peccatores, illi non implent opera, quibus promittitur vita æterna. Renati sunt adhuc peccatores. Ergò non implent opera, quibus promittitur vita æterna, & per consequens, suis operibus non merentur vitam æternam. Cum enim promittitur merces operaturo, hoc est, impleturo conditionem additam promissioni, & tamen datur etiam non implenti, tùm qui accipit mercedem, non potest dici eandem meruisse, sed accipere duntaxat ex gratia.

Arg. 9. *Pii dicuntur digni vita æterna Luc. 20. 2. Thess. 1. Apoc 3. Sap. 3. At dignum esse præmio, & mereri præmium idem sunt Luc. 10. v. 7. Dignus est operarius mercede sua.* Bellarm. d. l.

Resp. 1. Vulgata versio, quæ in Concilio Tridentino facta est authentica, Luc. 20. v. 35. 2. Thess. 1. v. 5. reddidit, *digni habentur.*

(Ergò non intelligitur *dignitas activa* ex operum merito, sed *dignitas passiva* ex gratiæ beneficio.)

2. Eadem versio Latina dignitatis nomen usurpat, ubi nulla potest esse meriti suspicio. Esth. 1. v. 7. *Vinum quoq; ut magnificentia Regis erat dignum, abundans.* Esai. 32. v. 8. *Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit.*

(At nec vini in Regem ulla erant merita, neque cogitationum in Principem. Nimirum dignitas longè latius patet quam meritum. Est enim meritum ex ipsa definitione adversariorum *opus liberum*; at dignitas invenitur absque ullo opere.)

3. Τὸ κατ' ἀξίαν eadem vulgata versio reddit per *meritum*, ubi tamen opus nullum. Sirac. 10. v 31. *Fili in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum* κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτῆς, in quem locum sic commentatur Jansenius, *Non enim hic locus accipiendus est de merito operum, sed de dignitate ipsius animæ quam habet ex sua conditione.*

Cap. 38. v. 18. *Fac luctum secundum meritum ejus*; in quem locum sic commentatur Jansenius: *Non significat pro merito vitæ & operum mortuum plangendum esse, sed secundum dignitatem ejus, est enim Græcis* κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ, *hoc est, prout dignus est defleri à te.*

4. Cajetanus expendens illud καταξιωθῆναι τῆς βασιλείας 2. Thess. 1. v. 5. *Non dixit, inquit, digni sitis, quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futurum regnum, sed ut digni habeamini ab ipso Deo.*

(Quæstio est non de personarum dignitate, sed de operum meritis & dignitate &c. Fatemur enim, fideles habitos & factos dignos vita æterna, sed negamus, dignitatem illam ex operibus eorum procedere. Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 17. *Aliud est loqui de merito personæ, aliud de merito operis.*)

5. Salmeron Disput. 2. in Comm. Coloss. 1. *Digni dicimur, ubi hereditas nullis nostris meritis nobis obvenit.*

6. Bellarminus lib. 5. de Justificat. cap. 3. *Parvulis, qui mox à Baptismo decedunt, vita æterna donatur solo jure hereditatis, non ex propriis meritis.*

(Atqui etiam illi locum habent inter eos, qui digni habentur futuro seculo & resurrectione ex mortuis ad vitam æternam. Ergò ex voce dignitatis non possunt colligi merita propria.)

7. Idem Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 5. resp. ad 6. arg. scribit, *istam justitiam & opera, quæ fidem & gratiam Dei præcedunt, nos quoq; despicimus, & merita vitæ æternæ non esse concedimus.*

(Atqui etiam de illis Apostolus usurpat nomen *dignitatis* Actor. 13. vers. 46. ubi de Judæis dicit, quod *si recepissent sermonem Evangelii, digni fuissent vita æterna, quem repudiantes seipsos vitæ æternæ non dignos judicarunt.* At quodnam est vel esse potest infidelium meritum?)

Arg. 10. *Deus dicitur justus judex & non acceptor personarum. Act. 10. v. 34. Rom. 2. v. 13. Gal. 2. v. 6. 1. Petr. 1. v. 17. Ergò in retributione*

tione præmiorum merita hominum considerat, & pro meritorum diversitate, vitæ æternæ mansiones assignat. Bellarm. d. l.

Resp. 1. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 3. resp. ad 6. sic disserit: *In ipso judicio quamvis acceptio personarum esset, alicui minus dare præmium, quàm justo Dei judicio mereatur, vel majori supplicio afficere quam dignus sit reus, tamen si alicui majus præmium aut minorem pœnam dare voluerit, non erit acceptor personarum, etiamsi id non cum omnibus servet.*

(Ergò Deus non est προσωπολήπτης, si vel maximè majus præmium det minoribus meritis. Propositio illa, *Qui præmium distribuit sine meritis, est acceptor personarum*, non est universalis, sed vera duntaxat de præmio dando secundum justitiam distributivam, at non secundum gratiam. Pulchrè August. lib. 2. contra duas Epistol. Pelagian. c. 7. *Non est acceptio personarum dicenda, quando iniquitas nulla est.*)

2. Idem Bellarminus lib. 5. de Justif. cap. 1. §. 2. nostram sententiam hisce recitat verbis: *Adversarii dicunt, bona opera justorum placere Deo, & esse meritoria præmiorum, sed addunt duo temperamenta, quorum unum est, bona opera esse meritoria præmiorum temporalium & spiritualium, & in hac vita & in futura, sed non ipsius salutis æternæ; alterum temperamentum est, opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, sed ex fide & indulgentia Dei.*

(Huic nostræ sententiæ argumentum illud Bellarminianum non est oppositum, proinde non ferit scopum.)

2. Idem Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 3. *Parvulis, qui mox à Baptismo decedunt, vita æterna donatur solo jure hereditatis, non ex propriis meritis.*

(Ergò Deus non est προσωπολήπτης, si vel maximè sine meritis præmia distribuat.)

Argum. 11. *Luc. 1. v. 48. Maria commendat humilitatem suam, quod per eam mater Messiæ fieri meruerit.* Blasius de Viega in Apocal. p. 567.

Resp. 1. Michael Gislerius in Comm. Cant. 1. v. 13. Exposit. 3. tom. 1. pag. 176. Mariam sic loquentem introducit: *Quòd me Deus meus virginitatis & partus ipsam virginitatem exornantis honestare dignatus es dono, haud mei profectò cujuspiam fuit meriti, sed id omne ex tua factum est miseratione, qua me in tuam eligere dignatus es matrem.*

(Ergò nulla hic intervenerunt Mariæ merita.)

2. Erasmus in c. 1. Luc. sic annotat p. 119. *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ταπείνωσιν, ut intelligas parvitatem, non animi virtutem, quam suo vocabulo Græci vocant ταπεινοφροσύνην &c. ut sit sensus. Etsi sim infima ancilla, tamen non est aversatus me.*

3. Cornelius Jansenius in Concord. Evangel. cap. 4. *Plerique humilitatem hoc loco accipiunt pro virtute contraria superbiæ, qua quis seipsum abjectum & vilem agnoscit &c. Sed hunc non esse hujus loci sensum, primum ex eo constat, quod Græcis virtus humilitatis nunquam significetur per vocabulum ταπείνωσις, quod hoc loco ponitur, sed eam virtutem semper significant per vocabulum ταπεινοφροσύνη, derivatum à ταπεινοφρονῶ, quod est, humiliter de se sentire, quemadmodum id patet ex omnibus illis locis, in quibus de virtute humilitatis loquitur Paulus. Deinde non convenit summæ modestiæ Virginis, ut dicat, Deum respexisse ad virtutem humilitatis suæ, hoc enim esset gloriari de merito virtutis suæ, quod à verè humilibus longè abest. Proinde necesse est accipiatur dictio humilitas in ea significatione, qua significat exiguitatem & abjectionem, quæ est ejus vera & propria significatio.*

Et postea: *Non solum Deum respexisse dicit ad ancillam suam, sed etiam ad infimam ancillam suam, imò quod magis aliud est, ad exiguitatem ancillæ suæ, quod intelligendum potissimum de exiguitate sua, quoad merita. Existimabat enim se nullius meriti, nullius q; virtutis. Nec id quidem fictè aut falso, quia considerabat se ex parte sui, non ex parte donorum Dei in ipsa.*

4. Maldonatus ad h. l. *Humilitatem hoc loco significare virtutem humilitatis, tanto ferè omnium veterum, novorumq; Interpp. consensu credendum est, ut nequaquam auderem, nisi & bonos ipse secutus autores veteres novosq;, dissentire.*

Et postea: *Eò minus credibile est de sua Mariam virtute locutam fuisse, quò major in ea virtus excelluit. Haud enim scio, an humilitatis sit seipsum humilem non solum agnoscere, sed etiam profiteri. Sola inter virtutes humilitas seipsam ignorat, & nescio quomodo fit, ut humillimus quisq; simul ut humilitatem suam animadvertit, ac prodit, prodat. Deinde non id agebat humillima ac sanctissima Virgo, ut doceret suis meritis tantùm se beneficium consecutam, ut mater esset Dei, sed potius ut se indignam omninò fuisse tanto beneficio declararet. Noluit ergò dicere, suam à Deo virtutem, sed potius suam humilem, abjectamque personam & conditionem, & ut uno verbo dicam, suam indignitatem respectam fuisse, quod quamvis indigna prorsus esset, Deus se tanto honore dignatus fuisset. Hoc dicere & virginem & humilem decebat. Præterea inter hæc verba & præcedentia manifesta apparet antithesis. Dixerat, Magnificat anima mea Dominum; dicit nunc, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Itaq; humilitatem suam Dei magnitudini opponit, eodemq; sensu & se humilem & Deum magnum vocat. Deum autem non vocat magnum quasi superbum, sed quasi præcellentem & supremum dignitatis gradum obtinentem. Ergò & se non vocat humilem ab opposita superbiæ virtute, sed ab objecti vilique conditione &c. Atq; in hanc sententiam Theophylactus, Euthymius & Autor ille Græcus apud D. Thomam interpretatur & nisi fallor Juvencus &c. Sic etiam nonnulli recentiores Interpp. intelligunt, quorū unus dixit, Mariam hoc loco humilitatem exercuisse, sed non significasse. Nam sive ejus facta sive verba consideremus, omnia humilitatis plena sunt; sed quò magis omnia humilitate redundant, eò minus se humilem appellavit.*

5. Inter recentiores illos Interpp. locum habent Cajetanus, Vatablus, & alii.

Lorinus ad capit. 5. prioris Epist. Petrinæ v. 5. sic annotat: *Ribera contra Erasmum, Maldonatum, Toletum, Sa, Vatablum, Jansenium, Cajetanum, Clarium, Theophylactum, Euthymium, Catenam Græcam adjunctam Psalmis Theodoreti, Bernardum, nonnullosq; alios probat in Cantico Mariæ, ταπείνωσιν sumi pro virtute humilitatis.*

(Agnoscit ergò illos omnes à se & Ribera in hac expositione dissentire.)

6. Cornelius à Lapide in cap. 29. Genes. p. 201. sic scribit: *Lea dicit: Vidit Dominus humilitatem, id est, afflictionem & abjectionem meam. Huc respexit B. Virgo canens, respexit humilitatem ταπείνωσιν, id est, exiguitatem, vilitatem, abjectionem ancillæ suæ, quia dedit mihi filium non Ruben, sed Jesum Christum. Non ergò prædicat virtutem suæ humilitatis, hoc enim fuisset superbiæ, sed agnoscit & confitetur suam vilitatem, quod reipsa erat actus humilitatis.*

7. Jacobus Tirinus in cap. 1. Luc. vers. 48. *Humilitatem, ταπείνωσιν, id est, vilitatem, exiguitatem, abjectam conditionem, quam opponit Virgo magnitudini divinæ. Quod si virtutem humilitatis superbiæ oppositam intellexisset, ut voluere Origenes, Augustinus, Bernhardus & Beda, usa fuisset verbo ταπεινοφροσύνης. Sed tunc humillima Virgo seipsam laudans, humilis esse desiisset, inquit Theophyl. & Euthymius: sola enim inter virtutes humilitas seipsam ignorat.*

Argum. 12. Luc. 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia vobis erunt munda. Ergò eleemosynæ merentur remissionem peccatorum, vel certè pœnæ relaxationem.*

Resp. Bellarm. lib. 3 de bonis operibus c. 3. quatuor istius dicti expositiones recenset.

1. Est Cajetani & aliorum, qui statuunt, *non commendari in his verbis, eleemosynam, sed redargui Pharisæos, qui existimabant, per eleemosynam mox expiari furta & rapinas, & omnia omninò peccata. Quocirca verbum Græcum δότε non reddunt date, sed datis. Vel, si reddatur date, dicunt accipiendum esse ironicè, non propriè.*

Verba Cajetani sic habent: *Adverte hic Græcam dictionem, datis, ancipitem esse ad indicativum & imperativum, ad date vel datis. Contextus ipse apud me sonat indicativum. Complet enim Jesus perversitatem Pharisaicam circa curam munditiæ his verbis, quibus significat, quod vos Pharisæi pleni malignitate & rapina datis quæ adsunt per fas & nefas eleemosynam; & hoc adjuncto ad exteriorem munditiam, omnia tam intus quàm extra munda sunt vobis, hoc est, apud vos, non munda in veritate. At si legatur date, ad eundem sensum reducendus est textus, & est increpativè & ironicè dictum.*

(Eadem est interpretatio Hieronymi, quam ex serie contextus probare conatur Erasmus in annot.

Eandem amplectitur Emanuel à Sa in h. l. sic scribens: *Quidam ironicè dictum putant, q. d. Nec verò sufficit, ut putatis, dare eleemosynam, ut omninò mundi efficiamini. Quæ mihi sententia displicet, quomodo enim isti sola eleemosyna mundarentur? Crediderim ego, istam sententiam solitam ab iis usurpari, quam Christus irrideat.*

Placet eadem expositio Didaco Stellæ, qui in cap. 11. Luc. ad verba illa, *Date eleemosynam &c.* sic commentatur: *Existimo in hoc loco Christum locutum fuisse ironicè & increpando, quasi dicat*

ducat: Vos Pharisæi, cum sitis pleni iniquitate, cum rapinæ studeatis & lucro, quæ per fas & nefas abstulistis, in eleemosynam erogatis, & cum hoc simul maximè curatis exteriorem munditiam, quæ duo cogitatis sufficere, ut omnia, quæ in vobis sunt, munda remaneant, cum reverâ magis immunda & defœdata reddantur. Nam secundum horum doctrinam omnia erant munda post datam eleemosynam.

Hanc expositionem si recipiamus, opinionem meriti potius hic locus evertit, quam stabilit. Sed Bellarminus illam repudiat.)

2. Est Augustini in Enchir. cap. 76. & serm. 30. de verb. Dom. qui docet, *Christum his verbis generatim eleemosynæ studium commendasse non solùm erga alios, sed etiam erga se. Et quoniam, qui à se incipit secundum ordinem caritatis, is primum animæ suæ eleemosynam facit, eam purgando à vitiis per conversionem & pœnitentiam, deinde proximos per eleemosynam, sive corporalem sive spiritualem, juvat.*

(Sed & hanc explicationem Bellarminus negat esse propriam & literæ inhærere.)

3. Est Basilii in qq. brevioribus q. 271. qui docet, *non loqui Dominum de expiatione omnium peccatorum, sed eorum tantùm, quæ nascuntur ex avaritia, ut furti, rapinæ, usuræ & similium, ut sensus sit: Vos Pharisæi habetis cor plenum rapinis & furtis, sed date eleemosynas ex iis facultatibus, quas habetis, & omnia vestra furta & rapinæ expiabuntur.*

Addit Bellarminus. *Basilium ibid. subjungere, peccata per avaritiam contracta mundari per largam eleemosynarum largitionem, non quidem principaliter, sed ut per fructus dignos pœnitentiæ, causam enim principalem purgationis peccatorum esse gratiam Dei & sanguinem Jesu Christi.*

(Hic προςδιορισμὸς tollit argumentum, quod pro meritis operum ex hoc loco desumitur. Eleemosynæ enim, si non sunt causa principalis remissionis peccatorum, non erunt etiam causa meritoria remissionis, cùm causa meritoria ad causam principalem reducatur.)

4. Est Euthymii & Theophylacti, quæ docet, *Dominum commendasse præcipuè studium eleemosynæ, quoniam alloquebatur Pharisæos, quorum præcipuum vitium erat avaritia. Quemadmodum enim Medicus aliquis peritus, si videat originem variorum morborum in aliquo ægroto esse repletionem, ducere poterit, adhibe inediam & integrè convalesces, quia videlicet radice principalis morbi sublata, cæteri morbi facilè tolli poterunt: sic etiam Dominus dicit Pharisæis, date eleemosynas, & omnia munda sunt vobis. Quoniam cum radix omnium malorum, præcipuè in Pharisæis avaritia esset, si ea per virtutem contrariam evulsa fuisset, facilè illi ad fidem & pœnitentiam, ac per hoc ad plenam salutem animi pervenissent.*

(Hanc expositionem Bellarminus statuit *esse omnium optimam.* Atqui stante illa explicatione, nihil quicquam pro meritis operum ex hoc loco concludi poterit. Qui enim ad fidem & pœnitentiam nondum pervenerunt, illi fatentibus ipsismet Pontificiis non possunt facere opera merita ex condigno.)

Arg. 13. *2. Cor. 4. v. 17. Id, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur. Ergò passiones nostræ sunt meritoriæ.*

Resp. 1. Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 12. *illud non ad dignitatem meritorum atq; operum, quæ fiunt à regeneratis, cœlestis gloriæ respectu, referendum esse, sed ad largam Dei voluntatem Christiq; meritum, qui & non facientibus imputat perinde atque fecissent, & leves ac breves labores nostros magna sempiterna gloria recompensat. Ipse enim Paulus condignitatem nostris operibus detrahit præ eâ gloria, quæ post hanc vitam æterna erit.*

2. Vulgata versio Pontificiis authentica, per τὸ operari cujuscunque generis causam, quinimò etiam *occasionem* exprimit, non autem duntaxat *causam meritoriam.* Rom. 4. v. 15. c. 5. v. 3. 2. Cor. 7. v. 10. Jacob. 1. v. 3. &c.

Sic Paulus dicit Rom. 4 v. 15. ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται. *Lex iram operatur*, in quæ verba sic commentatur Salmero. *Nequaquam legem immediatè efficere ex Natura & qualitate sua, tanquam sit causa efficiens, sed per occasionem, quia si lex non esset data, non esset per legem aucta prævaricatio & pœna, quia tollit omnem excusationis prætextum lex cognita & per transgressionem violata. Neq; mireris, inquit, de verbo illo operandi, multa enim dicuntur aliqua efficere non per se, sed per occasionem. Unde & Christus dicitur positus in ruinam multorum in Israel, & in lapidem offensionis & petram scandali, his qui non credunt, & Apostolus, non solùm est odor vitæ in vitam, sed etiam mortis in mortem, & simili ratione capite septimo ait. Peccatum occasione acceptâ per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Et alio loco. Virtus verò peccati lex, quasi lex præciperet peccatum, cum tamen officium præcipiat & nos occasione sumptâ, quia nitimur in vetitum semper, virtutem facimus peccatum.*

Benedictus Justinianus ibid. *Quia dum lex præcipit, quid faciendum sit, prohibetque contrarium, neq; ullum ad rectè laudabiliterque vivendum gratiæ subsidium affert, occasionem ac veluti materiam peccandi præbet, atque ita reos iræ ac damnationis homines constituit.*

Sic cap. 5. Rom. v. 3. dicit Apostolus, ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, *Afflictio tolerantiam operatur*, in quæ verba sic commentatur Salmero: *Afflictio suapte Natura non effectrix patientiæ directè, sed impatientiæ potius & indignationis & maledicentiæ, ut videmus in incredulis; at in fidelibus est materia exercendæ patientiæ & roborandæ, quemadmodum copia rerum materia est liberalitatis exercendæ. Nam veluti in belli conflictu augeri solet fortitudo bellantium, ita patientia in fornace tribulationum perficitur.*

Pererius ibid. *Tribulatio patientiam operatur, non quod tribulatio sit efficiens causa patientiæ, sed quod exercendæ patientiæ occasio & materia sit.*

Benedictus Justinianus ibid. *Tribulatio ipsa per se non est effectrix patientiæ, at ne impatientiæ quidem, sed alterutri pro hominum conditione materiam præbet.* Itaque Pauli verba vertens oppressionibus patientiam comparari dicit.

(Quamvis ergò in verbis Pauli significatur aliqua relatio inter tribulationes hujus vitæ, & pondus gloriæ in futura vita, non tamen statim sequitur esse relationem efficientiæ, unde etiam Benedictus Justinianus in paraphrasi hujus loci dixit, *efficere quodammodo*, ut improprietatem vocabuli indicaret.)

Arg. 14. Gal. 6. v. 8. *Qui seminaverit in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Ergò bona opera sunt causa vitæ æternæ.*

Resp. 1. Bellarminus lib. de Justificat. cap. 3. 5. Itaq; &c. hoc dictum *ad differentias graduum gloriæ* in vita æterna accommodat. *Longè aliud*, inquit, *Scriptura docet* (quamquam quod sit eadem beatitudo in omnibus beatis, nec major in uno quam in alio) *cum opera comparat semini & vitam æternam frugibus.*

(Ergò ex hypothesi Bellarmini non de ipsa vita æterna, sed de gradibus gloriæ in vita æterna Apostolus agit, illos verò diversis operibus diversos ex gratia dari, haud inviti concedimus.)

2. Si urgeatur, *semen esse causam frugum*, resp. ex parabolis & similitudinibus non duci argumenta apodictica, sed *ex solo sensu literali*. Bellarm. lib. 3 de verbo Dei c. 3. nec extendendas esse similitudines ac comparationes ultra illud tertium, ad quod adhibentur.

(Apostolus non respicit hoc loco dignitatem vel meritum operum, sed sequelam, Inde Hieronymus rectè monet, *Apostolum non dicere, quod ex bonis nostris operibus, sed quod ex Spiritu vitam æternam messuri simus. Illud, inquit, pariter observandum, quod qui seminat in carne, cum additamento suæ carnis ponitur. Qui autem seminat in Spiritu, non dicitur in Spiritu suo, sed simpliciter in Spiritu. Qui enim bona seminat, non in suo quippiam, sed in Dei Spiritu seminat, de quo & vitam messurus est æternam.*

3. Si ultra comparationis tertium progredi velimus, possent inferri talia, quæ ne ipsi quidem Pontificii concedunt. Quemadmodum enim semen non fert fructum, nisi prius fuerit mortuum Joh. 12. v. 24. sic posset quis inferre, bona opera non consequi præmia, nisi prius fuerint mortua. Quemadmodum spem agricolarum sæpius expectata seges vanis eludit aristis; sic posset quis inferre, incerta esse bonorum operum præmia.

Arg. 15. 1. Tim. 2. v. 15. *Salvabitur mulier* διὰ τῆς τεκνογονίας, *si manserint in fide.*

Salmeron tom. 15. Disp. 9. in 1. Timoth p. 485. *Etsi* τεκνογονία *sit opus naturale, quia tamen in eo est liberum arbitrium utriusq; viri & uxoris, & multa præterea mulier patitur in utero propter fœtum & in patiendo & educando prolem, & hæc omnia ad meritum & salutem proveniant, si in fide fiant, meritò ad vitam æternam consequendam facere testatur Apostolus,*

Et postea: *Opera naturalia, manducare, bibere &c. Christiano ex fide & gratia operanti merita æterna redduntur.*

Cornelius à Lapide in Comm. h. l. p. 755. *Particula per significat hic causam & meritum.*

Estius

Estius in h. l. *Si salus esset ex sola fide & non etiam ex operibus, Apostolus non diceret, mulierem salvari per liberorum generationem.* Bellarminus lib. 4. de Justificat. c. 7. §. Secundum testimonium &c.

Resp. 1. Thomas in Comm. h. l. voculam *per* dicit significare *non meritum, sed conditionem*, q. d. *Salvabitur mulier, etiamsi non sit virgo, sed nubat & incedat per statum matrimonii ac liberorum generationem.*

2. Vatablus vertit, *Salvabitur mulier subjecta generationi filiorum*, ut sit Græcismus, διὰ τεκνογονίας, id est, τεκνογονοῦσα *filios generans*, vel *in generatione filiorum*.

Eodem modo accipit Cornel. à Lapide in Comm. Rom. 2. v. 27. ad verba: *Per literam & circumcisionem prævaricator es legis. Nota*, inquit, *Græcismum, per literam, id est, habens literam. Sic enim sumitur à Græcis* διὰ. *Simile est 1. Tim. 2. vers. 15. salvabitur per filiorum generationem, id est, salvabitur filios generans, si permanserit in fide.*

3. Bellarminus lib. de Matrimon. cap. 2. *Non significare vult Apostolus, filiorum generationem esse causam salutis, sed mulierem in statu matrimonii sive in statu generandi filios salvam fore, si permanserit in fide. Ergò illud per filiorum generationem positum est pro eo, in filiorum generatione, quæ phrasis in Scripturis est frequentissima.* Probationis loco adducit hæc dicta Act. 15. v. 21. cap. 26. v. 11. Rom. 4. v. 11.

(Sed priora duo non satis pertinenter huc accommodantur, quia in Græco textu non est διὰ sed ἐν. Tertium dictum propriè huc pertinet. *Ut sit pater omnium credentium per præputium.* quia præputium non est causa, ut Abraham esset pater omnium credentium, sed in præputio existens, pater omnium factus est per fidem. Conjungi autem possunt alia dicta, ut Actor. 14. v. 22. 2. Cor. 6. v. 8. Gal. 4. v. 13. 1. Petr. 3. v. 20.)

Argum. 16. Coloss. 3. v. 14. *Caritas est vinculum perfectionis. Ergò caritas, sceleribus omnibus extinctis, arctissimè nos cum Deo connectit, & caritate, utpote virtutum omnium perfectissimâ, justificamur.* Andradius.

Resp. caritas dicitur *vinculum perfectionis*, vel quia ea devinciuntur omnes virtutes in anima, vel quia ea colligantur inter se omnia Christi membra.

1. Salmero in h. l. *Dicitur vinculum perfectionis, id est, integritatis & omnium virtutum, de quibus supra dixit, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, quæ omnes brevi dissolvuntur, nisi adsit caritas, quæ illas colligat. Ita enim interpretatur Chrysostomus. Alii verò dicunt vocari vinculum perfectionis tropo Hebræo, id est, vinculum perfectum & indissolubile. Probabilius tamen videtur, quod ut in corpore connectit omnia membra Spiritus, alioqui dilapsura; ita caritas colligit omnem virtutem. Vel connectit omne corpus mysticum sub uno primario capite Christo, & omnia membra vivificat & omnia opera perficit.*

2. Cornelius à Lapide in h. l. *Caritas est vinculum perfectionis vel integritatis, utrumq; enim significat Græcum* τελειότητος, *id est, vinculum connectens, integrans, perficiens benignitatem, misericordiam, humilitatem, patientiam, jam dictas, aliasq; omnes virtutes; vel simplicissimè caritas est vinculum perfectionis, id est, virtutum jam dictarum, aliarumq; omnium, in quibus perfectio & integritas Christiana consistit, q. d. Omnes jam dictæ, aliæq; veræ & Christianæ virtutes ac mandata in caritate quasi in centro colligantur & uniuntur; & nisi ea adsit, statim dissolvuntur.*

3. Estius in h. l. *Caritatem vocat vinculum perfectionis, Hebræa phrasi, vel quia vinculum est perfectum, quo homines inter se colligantur, cum alia vincula Societatum humanarum aut imperfecta sint, aut etiam noxia: vel ut aliis placet, quia vinculum est perficiens, id est, perfectè uniens fideles inter se. Facit enim caritas, ut omnes unanimiter studeant mutuis commodis, bonoque publico, qua in re consistit corporis integritas & perfectio.*

4. Benedictus Justinianus in paraphrasi. *Est enim illa, ut ita dixerim, quoddam vinculum, quo cætera omnia animi bona astringuntur.*

In Annot. *Hoc, inquit Chrysostomus, est quod vult dicere; illa, quæ paulo ante ab Apostolo nominata, misericordia, humilitas benignitas &c. nihil prosunt, dissolvuntur enim illa omnia, nisi fiant cum caritate. Ipsa omnia illa constringit; quodcunq; bonum dixeris si ab ea absit, nihil est, sed diffluit: & quomodo in navi, etiamsi magna sint instrumenta & non sint, quæ eam succingant tabulata, nihil prodest: & in domo, si non sint contignationes: & in corpore, etiamsi sint magna ossa, non sint autem ligamenta, nihil juvat.*

5. Jacobus Tirinus in Comment. h. l. *Caritas est vinculum perfectionis, seu perfectum vinculum perfectè uniens fideles inter se mutuo. Vel, si mavis, caritas est vinculum, quod connectens cæteras virtutes, hominem reddit perfectum: est enim velut anima in corpore colligans & continens singula membra, humores, sensus corporis, alioqui statim dilapsuros.*

(Hæc perfectio intelligenda pro ratione viæ, non absoluta, sed in suo genere.)

Arg. 17. Sir. 18. v. 22. *Ne verearis usq; ad mortem justificari. Ergo justificatus per infusam gratiam justificatur usq; ad mortem per operum merita.* Bell. lib. 4. de Justif. c. 19.

Resp. 1. Arias Montanus locum illum ex Græco sic reddidit: *Antequam ægrotes, humiliare continentia & in tempore peccatorum ostende advertentiam.* ἐπιστροφὴν, id est, conversionem) *Ne prohibearis votum reddere oportune* καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι *& ne expectes usque ad mortem justificari.* Sequitur. πρὶν εὔξασθαι *antequam voveas, prapara te & ne sis quasi homo, qui tentat Deum.* Arias quidem reddidit, *antequam ores, præpara te*, sed connexio facile ostendit, de qua εὐχῇ versus præcedens egit, de eadem, id est, de voto prudenter emittendo homines admoneri.

(Ostendunt igitur antecedentia & consequentia non de justificatione aut operum justitia, sed de justitia in verbis, seu fidelitate in servando voto Siraciden hic agere. Confer Deut. 23. v. 22. 33. Eccl. 5. v. 4. &c.)

2. Jacobus Tirinus ad h. l. *Græce est, ne differas justificari, seu à statu peccati per pœnitentiam transire ad gratiæ statum.*

3. Ostendimus suo loco, quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, *librum Siracidis non esse in canone.*

De dictis Dan. 4. v 24. *Peccata tua redime eleemosynis.*

Luc. 7. v. 47. *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.*

1. Ioh. 3. v. 14. *Scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.*

1. Petr. 4. v. 9. *Caritas operit multitudinem peccatorum &c.* De his, inquam, dictis egimus superius art. 16. de pœnit. capite 3. thesi. 2.

Arg. 18. *Malis operibus debetur mors æterna. Ergo etiam bonis operibus vita æterna ex debito erit reddenda.* Cens. Colon. f. 185.

Resp. 1. Dionysius Carthusianus in c. 8. Eccles. *Multa opera pure mala sunt & nostra sunt, bona autem nec pure bona sunt, nec nostra sunt.*

(Illa igitur vere & proprie sunt æternarum pœnarum meritoria, hæc vero ne quidem accidentalium, multo minus essentialium præmiorum vere & ex condigno sunt meritoria.)

2. Bellarminus ipse disputat, *Deum remunerari opera bona ultra condignum.*

(Nec tamen dicet, Deum etiam punire opera mala ultra condignum. Agnoscunt igitur, non esse parem bonorum & malorum hac in parte rationem. Rom. 6. v. ult. *Stipendium peccati mors, donum autem Dei est vita æterna in Christo.*)

3. Ipsimet Pontificii agnoscere coguntur, *non esse tandem proportionem bonorum operum ad vitam æternam, & malorum operum ad mortem æternam.* Quod si enim eadem esset ratio, tum quemadmodum ab Apostolo dictum: *Qui in uno delinquit, factus est omnium reus*, Jac. 2. v. 10. ita quoque dicendum foret: Qui unum mandatum implet, censetur omnia implevisse. Item. Sicut unum peccatum non remissum sufficit ad damnationem: sic unum quodlibet opus bonum sufficeret ad salutem. Consequens ne ipsi quidem Pontificii admittunt.

4. Deut. 9. v. 4. & 5. Spiritus Sanctus paritatem hanc consequentiæ à contrario disertis verbis evertit, dum negat, Israelitas *ob suam justitiam in terram Canaan*, ex qua gentes impiæ propter iniquitates suas expellantur *introductas esse*, ad quem locum Bonfrerius & Cornelius annotant, *negari illam contrariorum consequentiam à demerito ad meritum, & in vicem meriti nostri poni Dei misericordiam & promissionem.* Confer Rom. 6. v. ult. Ezech. 20. v. 8. & 9. c. 36. v. 22. 26. & 32. Esai. 43. v. 21. 22.

Arg. 19. *Negatis operum meritis labefactatur studium bonorum operum.* Porsanus contra Salvæum c. 3. Salmeron. Disp. 15. ad Galat.

Resp. 1. Bellarminus lib. 5. de Justific. cap. 7. propos. 3. *Propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.*

(Ergo per negationem meritorum præciditur ansa inani gloriæ, quam à fiducia meritorum facile nasci Bellarminus agnoscit.)

2. Qui

2. Qui omnem meritorum fiduciam abjiciunt, suamque infirmitatem & indignitatem agnoscunt, eo ipso magis animantur ad gratitudinem Deo pro tot beneficiis & promissis præstandam, ac proinde etiam ad studium bonorum operum.

(Idem Spiritus, qui fiduciam gratuitæ remissionis peccatorum in cordibus nostris obsignat, etiam interius cor nostrum renovat, & ad studium pietatis inflammat.)

Arg. 20. *Ubi promissio, ibi obligatio. Ubi obligatio, ibi debitum. Ubi debitum, ibi jus. Ubi jus, ibi vera justitia. Ergò Deus mercedem debet ex justitia & per conseq. ex merito.*

Resp. 1. Bernhardus lib. extremo de gratia & lib. arbitr. *Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum est. Est ergò, quam Paulus expectat, corona justitiæ, sed justitia Dei, non sua. Justum quippe est, ut reddat, quod debet: debet autem quod pollicitus est: & hæc est justitia, de qua præsumit Apostolus, promissio Dei.*

(Desumtum hoc ex August. serm. 16. de verbis Apostoli. *In his, quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem: in his, quæ nondum habemus, teneamus debitorē. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi quæ dedi tibi, & aliter, debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis, debes mihi quia dedi tibi, à te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum. Quando autem dicis, debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis. Bonitas enim ejus, qui promisit, dabit, ne in malitiam fides convertatur. Qui autem fallit, malus est.* Hæc ille. Distinguendum igitur inter debitum, quod oritur ex *vi promissionis*, & inter debitum, quod oritur ex *merito illius*, cui facta est promissio. Illud concedimus, hoc negamus.)

2. Alphonsus de Castro allegat & approbat dictum Bonaventuræ. *Debitorem se fecit* (Deus) *non quidem hominibus, quibus nihil debere poterat, sed sibiipsi, ut fidelis esset in promisso, ita ut cælum & terra transirent potius, quam promissio illius voleret inanis.*

(Ergò est debitum gratuitæ & veracis promissionis, non autem meritoriæ obligationis.)

3. Pontificii concedunt, *Deum baptizatis infantibus promisisse salutem.* Posset ergò quis eodem modo concludere: Ubi promissio, ibi obligatio. Ubi obligatio, ibi debitum. Ubi debitum, ibi jus. Ubi jus, ibi vera justitia. Ergò Deus infantibus baptizatis mercedem debet ex justitia & per conseq. ex merito. Consequens Pontificii non concedunt. Sic enim Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 3. *Parvulis, qui mox à Baptismo decedunt, vita æterna datur ex solo jure hereditatis & non jure mercedis.*

(Agnoscant igitur connexionem consequentis cum prioribus membris non esse legitimam.)

Arg. 21. *Patres merita operum docent.* Bellarm. lib. 5. de Justificat. c. 4.

Resp. 1. Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 14. §. Atq; hæc. *Patres, cum ad populum verba facerent, ea dicebant, quæ utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera.*

(Ergò in homileticis non quærenda est exacta ἀκρίβεια.)

2. Idem Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 2. *Quod nos dicimus mereri, Græci dicunt* ἀξιοῦσ.

(Jam verò aliud est mereri propriè loquendo, aliud dignum haberi ac reputari. Ergò quando Græci Patres utuntur verbo ἀξιοῦσ non denotant meritum propriè sic dictum.)

3. Verbum ἐπιτυχεῖν apud Ignatium vulgatus interpres reddidit per τὸ *mereri*. Sed Vairlemius optimus Interpretum Ignatii, judice Billio, optimè, *Deum assequi*, vertit. Aliud verò esse *impetrare & consequi*, aliud *propriè mereri* agnoscunt Bellarminus lib. 1. de bonis operibus cap. 9. Toletus in cap. 9. Johan. annot. 9.

4. In vulgata versione, quæ in Concil. Tridentino facta est authentica, merendi verbum ponitur, ubi nullum est meritum. Gen. 4. v. 13. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Jos. 11. v. 20. *Domini sententia fuerat, ut indurarentur & non mererentur ullam clementiam.*

5. c. Quia corpus. dist. 2. de consecrat. ex Eusebio Emisseno. *Teipsum, qui in Christo regeneratus es, interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia & à salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subitò initiatus, Christi legibus & salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transilisti, & de filio perditionis adoptivus Dei filius fieri occulta puritate meruisti.*

(Atqui regeneratio, quæ fit per Baptismum, non contingit ex merito condigni, fatentibus ipsismet Pontificiis, unde verbum meruisti Glossa ibid. exponit. obtinuisti.)

6. In vigilia nativitatis Dominicæ ex Gregorio Episcopo Romano in Ecclesia Romana canitur: *O beata culpa, quæ talem meruit Redemtorem.*

(Ubi nemo de merito propriè dicto cogitare potest.)

7. In precibus Ecclesiæ *mereri* simpliciter ponitur pro *consequi, obtinere &c.* ut multis exemplis ostendit Hieronymus Wittichius in libello Germanico Erphordiæ Ann. 51. edito. Dom. 1. Advent. *Excita quæsumus Domine potentiam tuam & veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi & liberante salvari.*

(Atqui mereri, ut potentia & misericordia Dei nobis subveniat, non potest aliter accipi, quam ut potens illa misericordia ac misericors potentia nos hoc beneficio dignetur.)

Domin. 2. secundum ritum Mediolan. Eccles. *Dona quæsumus, omnipotens Deus, cunctæ familiæ tuæ, hac voluntate Christo Filio tuo Domino nostro venienti in operibus justis aptè occurrere, ut ejus dextræ sociati regnum mereamur possidere cœleste.*

Domin. ead. juxta ritum Rom. Eccl. *Concede nobis, ut, sicut Jesum Christum per virginis partum in forma nostri corporis meruimus habere participem, & in regno gratiæ mereamur ejus esse consortes.*

(Ecquis verò dixerit, incarnationem Filii Dei esse propriè nostrorum operum meritum?)

In festo Circumc. Dom. *Tribue, quæsumus, ut Virginem pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus autorem vitæ suscipere &c.*

8. Georgius Cassander in Scholiis ad hymnos veterum p. 179. ad hymnum Gregorii, quo Deum precari docemur, *ut cum suis sanctis mereamur aulam ingredi cœli, simul & beatam ducere vitam,* sic annotat: *Vocabulum merendi apud veteres Ecclesiasticos scriptores fere idem valet, quod consequi, seu aptum, idoneumq; fieri ad consequendum, id quod inter cætera vel ex uno Cypriani loco apparet. Nam quod Paulus inquit 1. Tim. 1.* ἀλλὰ ἠλεήθην, *quod vulgò legitur, misericordiam consecutus sum, vel, ut Erasmus vertit, misericordiam adeptus sum, id Cyprianus ad Jubajanum legit, misericordiam merui. Et multa loca sunt in Ecclesiasticis Officiis & precibus, ubi hoc vocabulum hoc intellectu accipi debeat. Quæ vocis notio si retineatur, multa quæ durius dici videntur, mitiora & commodiora apparebunt.*

(Index Expurgat. Belg. p. 36. & 37. hæc deleri jussit.)

9. Petrus Canisius lib. 2. de Virgine Deipara c. 16. fatetur, *Sanctos Patres, præsertim Latinos, meriti vocem laxius usurpare,* cujus ἀκυρολογίας exempla aliquot ibidem adducit.

10. Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 14. ut & lib. 2. de gratia & lib. arbitrio c. 12. §. 4. *Solet Augustinus meritum appellare quemlibet actum bonum ratione cujus aliquid aliud accipimus,*

(Sic Epist. 105. & 106. *remissionem peccatorum* negat *dari sine merito, quia fides orando illam meretur.* At propriè loquendo nemo potest dici peccatorum remissionem mereri.)

11. Vega lib. 8. de Justificat. c. 8. p. 189. *Non me fugit, usurpari apud Patres nomen meriti, ubi nulla est ratio meriti neq; de congruo, neq; de condigno.*

12. Stapletonus in Promt. fer. 5. post passion. Dom. *Nemò vel veterum Interpretum vel recentium verbo promerendi usus est,* (nempe in Historia mulieris peccatricis Luc. 7.) *aut si aliquis eo usus est, non aliter intellexit, quam consecutionem de facto.*

13. Cornelius à Lapide in c. 4. Gen. p. 61. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, hoc est, quam ut ulla pœnitentia veniam possim impetrare, q. d. omninò indignus & incapax sum veniæ.*

(In hac generali & catachrestica significatione Augustana Confessio, Apologia Confessionis & Confessio Wirtenbergica verbo *meriti & mereri* aliquoties uti non reformidarunt, cujus significationis exempla etiam apud veteres occurrunt.

Ambrosius de dignit. Sacerdot. capit. 5. *Gratiam, cum non ordinareris, non suscepisti, quia gratuitò eam non meruisti.*

Augustin. lib. 12. Confess. c. 22. *aquas supra firmamentum tam sublimem locum meruisse.*

Idem in Psalm. 105. *Unam stillam dives ille Luc. 16. non meruit, id est, precariò impetravit.*

Gaudentius præfat. in tract. suos. *Obsecravit, istius pauperis tincto in aqua digito refrigerari, quod tamen promereri non potuit, id est, obtinere.*)

14. Thomas Waldensis apud Vegam opusc. de merit. q. 4. p. 782. contendit, *vocem meriti à veteribus accipi pro consecutione de facto.*

15. Tho-

15. Thomas de Bradwardino de causa Dei lib. 1. c. 41. ex Lombardo in 2. sent. dist. 26. allegat locum Augustini in Epist. ad Bonifac. ut probet, *nullam esse præmii & actionum nostrarum condignitatem. Cum fides,* inquit Augustinus, *impetret justificationem, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, voluntate comitante, non ducente &c.*

(Ubi quilibet videt, impetrare & mereri Augustino esse idem.)

Thesis tertia. Fiducia non est in propriis meritis collocanda.)

Ἐκθέσεις 1. Non negamus, fidem per bona opera se exerere, ac proinde Zelotas bonorum operum nos esse debere, atque ex bonorum operum testimonio de fide judicare, confidentes, quod Deus, qui cœpit in nobis opus bonum, idem etiam perfecturus sit, nosque per fidem justificatos & per Spiritum renovatos, tandem ex gratia glorificaturus sit.

2. Ex eo verò minimè inferri potest, quod statuere debeamus, *bona opera esse ex condigno vitæ æternæ meritoria*, ac proinde confidere, quod propter illa, tanquam merita propriè sic dicta Deus jure teneatur nobis vitam æternam dare.)

3. Distinguendum est inter *justitiam causæ sive bonæ conscientiæ & justitiam personæ*. Sancti, quando recensent opera sua, non loquuntur de justitia personæ, nec confidunt se suorum operum meritis coram Dei judicio consistere posse, nec meritum salutis sibi tribuunt, nec de bonis operibus suis gloriantur, sed loquuntur de justitia causæ & bonæ conscientiæ, enumerant Dei dona, non jactant sua merita; gratias agunt pro exhibitis submisse, non exigunt tanquam mercedem meriti exhibenda, fastuosè; nec perfectionem, sed sinceritatem ἀνυπόκριτον obedientiæ suæ exponunt.

4. Distinguendum igitur inter piæ vitæ commemorationem & fiduciam in pia vita positam. Neque enim ex priore necessario infertur posterius. Nehemias cum c. 5. v. 19. & c. 6. v. 14. Deum rogasset, *ut sui esset memor secundum omnia, quæ fecerat*, tandem c. 13. v. 14. mentem suam his verbis explicat: *Pro hoc memento mei Deus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.* At quid opus ei parci, qui suæ confidit justitiæ? & quidem secundum miserationes ei parci, cum misericordia & meritum ex justitia sibi opponantur?

5. Concedimus, bonam conscientiam peccati voluntariè non commissi, aut per pœnitentiam deleti, esse maximam justitiæ habitualis partem, ac per hoc infallibilem notam, quod simus *fide justificati* Rom. 5. v. 1. 1. Joh. 3. v. 21. sed negamus conscientiam de nullo peccandi proposito aut impœnitentia esse illam justitiam, ob quam coram Deo justi & damnationi minimè obnoxii reputamur, quia hanc justitiam oportet esse infinitam ob proportionem læsionis infinitam. Est quidem bonæ conscientiæ objectum aut materia etiam *justitia*, sed *inchoata* tantùm & *imperfecta*, quæ conscientiam non omnino tranquillat, nisi à posteriori, tanquam signum præcedentis remissionis peccatorum, unde Apostolus dicit 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.*

Antithesis. Bellarm. lib. 5. de Justificat. cap. 7. §. Sed Catholica &c. *Catholica* (Romana) *Ecclesia præcipuam quidem spem & fiduciam in Deo ponendam esse, aliquam tamen etiam in meritis poni posse docet.*

Cæterum tribus propositionib. suam explicat sententiam, Prima hæc est: *Fiducia sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascitur.*

Secunda. *In bonis meritis, quæ verè talia esse compertum sit, fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur.*

Tertia. *Propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.*

(Conditio illa, quam Bellarm. secundæ propositioni addit, continet oppositum in apposito. Ipsa enim illa confidentia in bonis meritis non potest esse absque superbia, quandoquidem de meritis supra meritum præsumit, unde si necesse sit vitare superbiam, omninò etiam necesse sit, ipsam meritorum vitare confidentiam.)

Alphonsus à Castro lib. 13. adversus hæreses, verbo Spes: *Tot sunt perversa Lutheri dogmata, ut vix sit res aliqua ad fidem aut mores pertinens, de qua non docuerit impium aliquid Lutherus. Malè quidem sentit de virtute fidei, male docet de caritate, pessimè autem docet de spe. Dicit enim, spem non procedere ex meritis.*

Et postea: *Justorum spes à meritis suis ortum habet, propterea quod illorum vita est sicut mercenariorum, qui non sperant, se suscepturos mercedem, nisi labores præcedant.*

Salomon Theodorus in Henotico dissecti Belgii p. 4. cap. 8. p. 411. *Nos Spiritus S. docuit, veram & solidam confidentiam haberi, nisi ex bonis operibus, nullo modo posse, hæreticorum autem confidentiam, quæ uni soli fidei innititur, stultam esse insaniam.*

Petrus à Soto in Assert. fidei Cathol. contra Confess. Wirtenberg. in artic. de bonis operib. *ita fidendum esse bonis operibus*, scribit, *ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam æternam consequendam necessaria sint & utilia.*

Et postea: *Propter has virtutes fidem, spem & caritatem, intrepidè Catholica fides hominem justum esse coram Deo fatetur, & meritis eorum in judicio Dei veraciter sibi confidendum esse.*

Salmero tom. 7. tract. 40. p. 208. scribit, *opera & merita nostra confidentiam in nobis operari, ita ut in illis tanquam Dei donis liceat secundario confidere.*

Tom. 15. Disp. 19. in Epist. Hebr. p. 761. *Vides hic* (Hebr. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*) *licere ad mercedem aspicere in bonis operibus, & evanescere confidentiam omnem in sola fide sine operibus sitam.*

Gregorius de Valentia tom. 3. Disp. 2. q. 1. punct. 1. *Ex qua doctrina facilè confutari potest error hujus temporis Sectariorum, qui nullo modo putant, hominem debere spem salutis collocare in ullis bonis operibus suis, sed in sola gratia Dei. Sed ex his, quæ diximus, perspicuum est, operibus etiam bonis, ut à gratia procedunt, posse quoque, ac debere niti nostræ salutis spem hoc ipso, quod ea conducunt suo modo ad salutem.*

Costerus part. 1. Concion. p. 522. *Etsi præcipuum fiduciæ fundamentum sit promissio, tamen, sicut bona opera requiruntur ad impetrandum, quod Deus promisit, sic eadem multum fovent fiduciam, ita ut hæc tantò sit major, quantò illa meliora, sicut qui Regem offendit, nihil ab eo sperat vel petit, nisi prius reconcilietur, is verò, qui ei multa & magna præstitit officia, petit fidenter; sic qui facit voluntatem Dei, aliquam in se experitur securitatem ut confidat, se exaudiendum.*

Part. 2. Concion. p. 49. *Quando Angeli in hora mortis venient ad accersendam animam, & hac nos voce compellabunt: Palatium paratum est in cœlis pulcerrimum &c. Tune es, qui illuc venturus es, an alium aliquem illud expectat? non volent sibi verba dari, operibus ibi transigendum est negotium ac respondendum: Nunciate, quæ audistis ac vidistis, hæc sunt totius vitæ meæ opera, hæc verba, hisne bravium debeatur, expendite.*

Vasquez tom. 2. Disp. 213. n. 40. *Non modò in meritis ex gratia nostram spem vitæ æternæ collocare debemus, sive fiducia universali, sive particulari; sed etiam ex meritis jam factis confidere possumus eo modo, quo credere possumus, nos esse justificatos, & rectè aliqua egisse in laudem & obsequium Dei. Aliud enim est in meritis spem constituere, aliud autem ex meritis sperare. Nam in meritis spem constituere nihil aliud est, quam spem habere consequendi vitam æternam per merita, circa quod non licet formidare, neque enim formidare debemus de consecutione gloriæ, si habuerimus merita & gratiam justificantem, neque de meritis, quod ea simus habituri, sed firmiter utrumque à Deo sperare debemus.*

Vitus Miletus in Discuss. errorum p. 256. *Qui non confidit, se accepturum vitam æternam propter opera, plane fatuus est.* Idem confirmat praxis.

Victorinus Strigelius part. 2. Locorum p. 485. *Quidam Monachus moriens Argentinæ ante annos circiter 30. exclamavit: Redde mihi, ô Deus, quod debes. Audivi, inquit, Strigelius, hanc Historiam ex fide dignis hominibus, qui vixerunt Argentinæ, & noverunt personas, qui reprehenderunt Monachum talia dicentem. Nam cum astarent ei & interrogarent, cur ita loqueretur? an postulas debitum? dicebant. Ibi respondit ille: Quid mihi narratis de vestro Evangelio? Ego tot annis vixi in Monachatu, non fui indutus vestibus usitatis, afflixi corpus meum noctes & dies variis exercitiis, cur igitur Deus non daret mihi plus, quam vobis, qui vivitis in otio, luxu & voluptatibus?*

Simile exemplum de Monacho quodam Carthusiano commemorat Simon Pauli in Enarrat. Evang. Domin. 11. post Trinit. *quod in agone meritis suis confisus à Deo regnum cœlorum præcoci insultatione postularit, orans: Da mihi, quod ego merui & tu mihi debes. Cum autem ex astantibus quærenti, quodnam esset illud debitum, superbè respondit: vitam æternam mihi debet. Quare? rogabat ille: Propter opera mea, dixit Monachus. Namque ultra 40. annos in hoc Monasterio Deo servivi, cilicio asperrimo indutus, vigiliis, jejuniis & precibus me afflixi, regulamque custodivi, sive velit, sive nolit Æternus, mercedem meritis meis rependere, & vitam æternam reddere tenetur.*

Nostram

Nostam sententiam probamus,

1. *Ab operum imperfectione & immunditie.* Justitia operum est imperfecta, nec potest coram Dei judicio consistere. Ergò fiducia salutis in eam non est collocanda.

2. *Ab operum ex actu justificationis exclusione.* Sola Dei gratia est *causa efficiens principalis*; solum Christi meritum est *causa meritoria nostræ salutis.* Opera nostra nuspiam in Scripturis vel gratiæ Dei , vel merito Christi in producendo salutis effectu subordinantur. Ergò in solam Dei gratiam & solum Christi meritum omnis fiducia salutis collocanda, Gal. 6. v. 14.

3. *Ab incommodo.* Si fiducia salutis in opera ponitur, idololatria committitur. Quando enim cultus soli Deo debitus ad creaturas transfertur, tum committitur idololatria. Atqui fiducia salutis est cultus soli Deo debitus. Esa. 45. v. 21. Act. 4. v. 12. Ergò fiducia salutis non est in opera collocanda.

4. *Ex consequente absurdo.* Si fiducia salutis in opera collocanda , consequens est ex lege & operibus legis salutem quæri posse. Consequens est absurdum, Rom. 3. v. 20. c. 10. v. 3. Gal. 3. v. 10. Ergò & antecedens.

5. *Ex sanctorum exemplo.* Sancti in justitia bonæ conscientiæ non posuerunt fiduciæ suæ fundamentum. 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* Sed coram Dei judicio sese humiliantes, & de operum suorum meritis desperantes in sola Dei misericordia propter Christum promissa, omnem fiduciam collocarunt, Job. 9. v. 2. 3. & 28. Psal. 19. v. 13. Psal. 130. v. 2. Ps. 143. v. 2. Esa. 64. v. 6. Dan. 9. v. 5. 7. 18. Rom. 7. v. 14. 1. Joh. 1. v. 8. &c.

Nostræ sententiæ suffragatur.

1. Quod quidam agnoscunt, bona opera renatorum nec perfecta, nec penitus munda, nec vitæ æternæ meritoria esse.

(Ergò etiam fiducia salutis in ea collocari nec potest , nec debet. Connexionem concedit Bellarminus lib. 5. de Justificat. cap. 7. §. Posse &c. sic scribens: *Posse in meritis spem aliquam poni, si vera sint merita, & sobriè id fiat, probari potest hac ratione, quoniam sicut misericordia Dei, ita etiam bona opera sunt vera salutis causa. Licet autem confidere in omni vera causa, quæ ad finem optatum & speratum consequendum cognoscitur idonea.* Ergò à contrario sensu, si bona opera non sunt vera salutis causa , nec sunt vera merita, non potest in illis fiducia salutis poni.)

Dicta illa enumeravimus thesi 1. & 2. præced.

2. Quod quidam docent, non esse fiduciam salutis in opera collocandam.

Gregorius Episcopus Romanus Homil. 7. in Ezech. *Justus Advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia & nos ipsos cognoscimus & accusamus injustos. Non ergò in fletibus nostris, non in actibus nostris, sed in Advocati nostri allegatione confidamus.*

Gregorii III. Pont. Rom. Epistolam ad Udilonem cæterosque Bavariæ Sacerdotes, recitat Caspar Bruschius in Chron. in qua Pontifex inter cætera sic loquitur: *Nemo se perfectum, nemo justulum, nemo sanctulum esse confidat. Tota vita Christiana pœnitentia est & bellum. Imbecilles & homines sumus , omnes egemus clementia Dei.*

Bernhard. serm. 3. de Annunc. *Si quis juxta Apostolum, ut verbum Christi verbum gratiæ in eo habitet, gratus est, si quis devotus, si quis solicitus, si quis Spiritu fervens, caveat sibi , ne suo fidat, ne suis operib. innitatur, alioqui nec ejuscemodi quidem animum intrat gratia, nimirum plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi.*

Idem serm. 5. in vigil. Nativ. *Sibi ipsi fidere nō fidei, sed perfidiæ est, nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis in semetipso habere fiduciam.*

Serm. 5. de Quadragesim. *Sed & vitam æternam aliqui fortassis non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, ut in ea quisquam fiduciam constituat impetrandi. Hoc solùm conferunt hæc promissa dona, ut ab ea misericordia, quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora &c. Ergò oratio, quæ fit pro vita æterna, sit in omni humilitate, præsumens de sola, ut dignum est, miseratione divinâ.*

Serm. 4. de verbis Esaiæ, *Vidi Dominum &c. Initium meum solius gratiæ est &c. porrò consummatio quidem & ipsa solius gratiæ est, nec est mihi in hac parte vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar & cooperator.*

Serm. 9. in Psalm. *Qui habitat &c. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstum. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.*

Serm. 15. in eundem Psalm. *Totum hominis meritum est, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum fecit.*

Serm. 73. in Cant. *Opus habent & sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salvi fiant, propriæ justitiæ non fidentes.*

In Cygnea sua cantione Ep. 310. amicis scribit: *Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneū nudū meritis.*

Thomas in Comment. c. 3. Gal. *Quicunq; ex operibus legis sunt, maledictioni obnoxii sunt. Esse in operibus legis, est in eis confidere & spem ponere.*

Albertus in c. 1. Lucæ. *Prudentia justorum est non de legis operibus justitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere.*

Brigitta lib. 1. revelat. cap. 53. introducit Christum conquerentem. *Sic homines per superbiam suam volunt ascendere in cœlum, & non confidunt in me, sed in se, facientes voluntatem suam, & meam relinquentes.*

Lib. 6. revelat c. 69. *Non in bonis nostris operibus debemus confidere, quæ quantumcunq; magna sunt, quasi nulla reputare debemus, licet necessaria sint, sed cum humilitate sperare debemus in sola misericordia Dei.*

Johan. Taulerus Ecclesiastes Argentinensis sæpè repetit, daß man ledig und blos seyn soll aller Creaturen/ significans, *pios debere penitus de se & omnibus suis operibus desperare, in solum Deum fiduciam suam collocare, atque ita ex solo Deo pendere.*

Idem in der Predigt am Mittwoch vor dem Palmtag: Die Jüden verliessen sich auff ihre Wercke und auff ihr Thun/ die hatten ihre Ceremonien und Gebot und viel Ding. Aber die Heyden hatten keinen Enthalt darauff/ sie baueten allein auff Gottes Gnade blößlichen seiner Barmhertzigkeit. Also in der Weise sol deine Ubung seyn/ daß du dich enthaltest/ anderst nindert / denn auff die grosse Gnad und Barmhertzigkeit Gottes/ und nehmest Gnade von Gottes Güte allein/ und habe nicht acht keiner deiner Bereitung noch Wirdigkeit.

In der ersten Predigt am Tage Mariæ Magdalenæ. Und diß ist der rechte Zucker wahrer Pœnitentz und Bußfertigkeit/ dardurch der Sünder mit Gott versöhnet wird / so er allen Creaturen und geschaffenen Dingen zumal Uhrlaub gibt / und sich allein auff GOttes Güte mit gantzem Hertzen verlest.

Idem. Du soltest ledig stehen aller Creaturen im Himmelreich und auff Erdreich/ und auff niemand trauen noch glauben/ denn blos lauter auff GOtt allein. Wenn du das thetest/ warlich und lauterlich / so weren alle Heiligen warlich und vollkömlich von dir geehret und gewürdiget.

M. Johannes Ibenhagen Frimariensis (circa Ann. 1480.) hominibus in Confessione dixit, *eos sanctorum neq; meritis, neq; intercessione niti debere, sed solâ misericordia Dei, qui Filium suum unigenitum pro peccatis hujus mundi dedisset, qui homines sua satisfactione Deo reconciliasset.*

Ludolphus Carthusiensis in medit. vitæ Christi in Prolog. col. 3. *Caveat prudenter fidelis peccator, ut nunquam, in quocunque statu fuerit, confidentiam in meritis suis habeat, sed tanquam mendicus pauperculus omninò nudissimus, ad eleemosynam Dominicam mendicandam semper vacuus accedat, hæc autem faciat, non quasi ex humilitate ficta merita sua abscondens, sed certissimè sciens, quod non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens.*

Savanorola in Psal. 51. *Quot justi, tot miserationes. Nullus gloriari potest in semetipso. Veniant omnes justi sive in terra, sive in cœlo, & interrogemus eos coram te (Deus) an sua virtute salvi facti sint? Certè omnes uno corde, uno ore respondebunt: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Ludovicus Vives in præparat. animi ad orandum n. 35. *Caveto etiam atq; etiam, ne tibi in mentem ullo modo veniat, posse te Deo prodesse, nec tibi de bono opere blandiaris, tanquam eo sis tibi Deum promeritus, quæ cogitatio pestilentissima est, & sæpenumero optimorum operum corruptela, ad quam tollendam Dominus noster dixit: Posteaquam hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.*

N. 36. *Non tua rectè facta tanquam ad rationem cum Deo ineundam in cogitationem revoces, & ad expensionem precis cujusq;, unde tibi vana & perniciosa fiducia nascatur, qualis Pharisæo illi Evangelico.*

Cardinalis Contarenus in lib. de Justific. *Ego prorsus existimo, pie & Christianè dici, quod debeamus, niti niti inquam, tanquam re stabili, quæ certò nos sustentat, justitia Christi nobis donatâ, non autem sanctitate & gratia nobis inhærente. Hæc etenim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri non potest, quin in multis offendamus, quin assiduè peccemus , ac propterea indigeamus oratione, qua quotidiè petamus, dimitti nobis debita nostra. Idcircò in conspectu Dei non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni, quemadmodum oportet filios Dei esse bonos & sanctos. Sed justitia Christi donata nobis, est vera & perfecta justitia, quæ omnino placet oculis Dei, in qua nihil est, quod Deum offendat, quod Deo non summopere placeat,*

ceat. Hæc ergo sola, certa & stabili nobis nitendum est, & ob eam solam credere, nos justificari coram Deo, id est, justos haberi & dici justos. Hic est preciosus Christianorum thesaurus, quem qui invenit, vendit omnia, quæ habet, ut emat illum &c.

Et postea. Credo satis illustratum fuisse hactenus locum de Justificatione apud Deum, utra debeamus niti, niti, inquam, an justitia nobis inhærente, an justitia Christi nobis donata & imputata.

Martinus Eisengrein Professor Ingolstadiensis concionem edidit sub hoc titulo Ingolstadii Anno 1565. in 4. per Alex. & Samuelem Weissenhorn. Eine tröstliche Predigt/ daß man Verzeihung der Sünden und die Seligkeit allein in dem Verdienst Christi des HERRN suchen sol. Hoc thema per totam concionem probat allatis pluribus Scholasticorum & aliorum testimoniis, videlicet Thomæ, Petri de Aliaco, Gersonis, Durandi, Alberti Magni, Ambrosii Spiræ, Bielis. Maxime vero in calce illius concionis adjecit ultimam Bernhardi agonizantis Confessionem, quâ suis se operibus meritisve salvari posse negavit, ex Guilhelmo in vita Bernh. cap. 13. & Anshelmi Cantuariensis Archiepiscopi interrogationes, ægrotis in Papatu proponi solitas, quibus fateantur, se inter Deum & peccata sua nihil, nisi mortem Jesu Christi, interponere posse. His omnibus addit Eisengrinius plurima de usu signi crucis, cujus scopum in Papatu eo collimasse docet, ut ad solum Christi meritum homines remitterentur, pag. 25. 26.

Idem Eisengrein peculiari libro (qui postea in Indicem librorum prohibitorum relatus est) de certitudine gratiæ conscripto demonstrat ex Agendis Moguntiacis fol. 71. Herbipolitanis fol. 94. Salisburgensibus fol. 10. Hosio Cardinali in propagatione solida Catholicæ doctrinæ lib. 5. sub finem, & Confessione eiusdem cap. 11. atque aliis, non posse aliter moribundos erigi, nisi rejectis operum suorum meritis sola in meritum Christi fiducia.

Andreas Vega, unus ex Patribus Concilii Tridentini, in opusc. de Justificatione quæst. 4. Verissime dicitur, non oportere quenquam in suis meritis fiduciam adipiscendæ beatitudinis collocare.

Georgius Cassander in Consultat artic. 6. pag. 923. Quod subjicitur (in August. Confess.) propter Dei voluntatem, non vero ut confidamus per ea justificationem coram Deo mereri, bona opera ex fide facienda, recte & Ecclesiasticæ doctrinæ consentaneè dicitur &c. Quod in operibus fiducia remissionis peccatorum collocanda non sit, pulchre quoque attestatur & monet Gregorius, Non in fletibus (inquit) & actibus nostris sed in Advocati nostri allegatione confidamus. Quare & hæc doctrina prætermittenda non est, quam summo consensu suveteres omnes (nota) tradant, fiduciam remissionis peccatorum, etiam eorum, quæ post regenerationem admittuntur, & spem veniæ & vitæ æternæ in sola Dei misericordia & merito Christi esse collocandam, quomodo præclare dictum est ab Augustino: Omnium (inquit lib. 3. contra duas Epistolas Pelag. cap. 5.) piorum sub hoc onere corruptibilis carnis & in vitæ istius infirmitate gementium spes una est, quod Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

pag. 924. adducit & commendat dictum Basilii in Conc. de Humilitate. Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando nequidem propter justitiam suam quis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram justitiam, fide autem sola in Christum justificari. Itemq; illud Bernhardi serm. 1. de omnibus sanctis: Quid potest esse omnis nostra justitia coram Deo, nonne juxta Prophetam velut pannus menstruatæ reputabitur? Quapropter obnixe cum Propheta clamantes: Ne intres judicium cum servo tuo, Domine, tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras.

Postea addit: Nec ab hac sententia abhorrent Scriptores Scholastici & recentiores Ecclesiastici &c. Præclara hac de re disserit ex recentioribus Theologis Adrianus de Trajecto, postea Pontifex Maximus, in 4. sentent. Sunt, inquit, merita nostra veluti baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringit & perforat manum innitentis & quasi pannus menstruatæ sunt omnes justitiæ nostræ. Jugiter igitur super pannum bonæ vitæ, quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum. Quæ igitur ex eis poterit esse fiducia ad Deum, qui neminem diligit, nisi ex toto corde conversum? Recte igitur suasit Salvator: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus,

Idem artic. 25. de Monachatu pag. 1007. Tantummodo removenda est falsa opinio & præposterâ fiducia, ne in his operibus (vitæ Monasticæ) fiducia collocetur, quæ in solo Christi merito collocetur, quam falsam opinionem & præposteram fiduciam ab omni externorum operum & Ceremoniarum observatione abesse oportet.

Johannes Hoffmeisterus in cap. 3. Philipp. Necesse est, ut qui velit Christum habere propitium, ut de semetipso plane desperet, de nullo quantumcunq; in speciem bono præsumat, omnem autem spem & fiduciam suam in unicum Christum conferat.

(Adducit & approbat hoc dictum Hoffmeisteri Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 1. art. 4. pag. 51.)

Idem Hoffmeisterus tomo 2. Homil. Domin. 11. post Trinit. Gnaviter & diligenter fac bona opera quantum poteris, & tamen in orationibus tuis dic cum publicano: Deus propitius esto mihi peccatori, sicq; fiet, ut justificatus per Dei misericordiam intres in vitam æternã.

Ludovicus Granatensis l. de disciplina vitæ spiritual. part. 3. pag. 99. scribit, fiduciam super tam fragili fundamento, uti sunt hominum merita, inniti non debere, sed super alio firmiori & stabiliori, quod sũt partim Christi merita, partim bonitas & misericordia Dei.

Georgius Wicelius in Compend. de Semit. antiq. Deploramus nos quoque hanc Ecclesiæ calamitatem, quod in humanis Ceremoniis fiduciam spemq; salutis unicam collocantes, in errorem seductæ simplicium corda, cum fiducia spesq; salutis æternæ unica poni solum debuit in Christo Jesu Servatore nostro unico. Tantum abest, ut eam poni conveniat in meritis bonorum etiam operum, quæ præcepit Deus, ut faceremus. Usq; adeo agnoscimus nos servos inutiles Domini, etiamsi fecerimus omnia, quæ ille præcepit.

Et postea. Solatium omne peccatoris in Christo quærendum est per fidem sui verbi. & ab hoc Agno immaculato, qui tollit peccata mundi, omnis peccatorum remissio perfecta expectanda est & sanitas paxq; conscientiarum & tota salus animarum. Nihilominus tamen, quæ divinitus jubemur exequi in Ecclesiæ communione, necessaria sunt, & contumaciter fastidiri, negligi ac omitti non debent, nec sine damnatione possunt, quantumlibet fiducia, spesq; omnis in Christi gratia, quam peccatori ostendit, semper collocanda est.

Antonius Marinarius Carmelita in orat. habita in Concilio Tridentino Dominica 4. Quadrages. 1546. In universis Christianæ vitæ actionibus Evangelica fides, quæ summum est sinceræ pietatis & absolutæ obedientiæ fundamentum, cumprimis exercenda est, ac solide possidenda, nimirum ut homo ab inani propriæ dignitatis confidentia abhorrens, omnino à Dei misericordia pendeat &c. Huc convenit omne mentis ac fidei nostræ studium intendere, ut per bona opera Deo Patri placeamus indulgentissimo, cæterum ab operum nostrorum gloria aversi, in illius Patris clementia & voluntate secure & in perpetuum conquiescamus.

Johannes Ferus in cap. 3. Rom. Gratiæ Dei detrahunt & Christum abjiciunt, adeoq; seipsos perdunt, qui fiduciam in opera ponunt.

Ibid. Observa, quod (Paulus) hic (in capite 3. Rom.) non damnat opera, sed fiduciam in opera. Aliud est enim bona opera facere, aliud fiduciam in opera collocare. Bona opera facienda sunt, sed fiducia in solam Dei gratiam & bonitatem collocanda. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Pius homo sua opera bona Deo æstimanda relinquit, ipse tantum ponderat mala sua & merita Christi.

Idem Ferus in Postill. Ann. 1558. per Franciscum Behem edit. conc. 4. Domin. 3. post Epiphan. Das ist nun die Art eines rechten Glaubens/ der verlest und vertröstet sich allein auff die Gnade Gottes und nicht auff eigne Reinigkeit oder Verdienst/ ja wo man sich auff eigne Verdienst vertröstet und verlest/ da wird der Glaube verhindert und die Gnad verlohren/ wie mã sihet an dem Pharißeer Luc. 18. der sich auff sein eigen Verdienst verlies und allein seine eigne Werck rühmet und derhalben von GOtt verworffen. Dargegen aber der Publican/ der seine Sünde und Gebrechen erkennt/ und sich allein auff Gottes Barmhertzigkeit vertröstet / gieng gerechtfertiget heim in sein Haus. Das ist die Art eines rechten Glaubens / daß er sich allein auff göttliche Zusagung und Barmhertzigkeit vertröstet / helt den Menschen in solcher Demütigkeit / daß wenn er schon viel gutes thut/ und alles was ihm geboten ist/ erkennt er sich doch für einen unnützen Knecht.

Georgius Gotthardus Canonicus in scripto contra D. Heerbrandum fol. 178. Firma ac solida nostra spes, qua omnes nitimur, non in nos, sed in Deum fixa esse debet, quem cum spectamus, de ejus promissione dubitare minime possumus.

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis conc. 4. in Epist. festi D. Stephani pag. 118. Omnes vere pii ac Christiani hujus sunt indolis, ut ab omni Ceremoniarum & operum fiducia se avocent, inq; unum Jesum Christum fiduciam omnem & ipsi collocent, & collocandam esse doceant.

pag. 119. Omnes sunt mundus & impii, qui credunt & docent, operibus & meritis esse fidendum, & non unum Jesum Christum omnis justitiæ ac salutis autorem esse.

Ibidem concion. 6. pag. 138. Stephanus hoc unum conabatur, ut abduceret homines ab externarum Ceremoniarum propriorumq;

 merito-

meritorum fiducia, & persuaderet illis, in unum Jesum Nazarenum crucifixum omnem fiduciam salutis collocandam esse &c. Hoc modo & omnes vere pii id student potissimum, ut, quoscunque possunt, instituant eo, quod desinant &c. in sua opera & merita fiduciam collocare, ac unius Jesu Christi operibus, ac meritis niti.

Idem Schopperus conc. 1. in Epist. festi D. Johannis Evangelistæ pag. 151. *Timens Dei is est, qui neq; sibiipsi, neque ulli creaturæ fidit, de nulla re præsumit, ne de bonis quidem operibus aut vita innocente, sed timet in his omnibus, ubique veretur peccatum, persuasum nimirum habens, si serio secum Dominus ageret & secundum ipsius justitiam, se millies & millies damnatum iri &c. Justus autem est is, qui in hac sui humiliatione, hoc timore, unius Jesu Christi justitia, misericordia, bonitate, operibus, meritis nititur, persuasus nempe, per & propter hunc se coram Deo iri justificatum & salvatum.*

Ibidem conc. 2. pag. 134. *Justus in sacra Scriptura dicitur ille, qui modis omnibus justitiæ & sanctitati incumbit, tam coram Deo, quam coram hominibus, verum non fidit justitiæ suæ aut meritis, sed solum Jesum Christum, & hujus merita pro sua justitia ac sanctitate agnoscit, habetq;.*

Ibidem conc. 5. pag. 162. *Ille timens Dei & justus tum dicitur, tum est, qui nunquam se satis timere Deum & justum esse censet, qui in omnibus operibus & justitiis suis iram Dei districtumq; ejus judicium timet, quiq; ob id sedulo quidem vitat peccata & justitiæ operibus studet, verum iis non fidit aut nititur, sed fidit solo illo, qui à Deo nobis factus est justitia, sapientia, sanctificatio & redemtio, nempe Jesu Christo & hujus meritis.*

Ibid. conc. 2. in Epist. festi Conversionis Pauli p. 276. *Diximus, non esse fidendum propriis meritis & justitiis, sed uni Jesu Christo salutis omnis autori. Hinc vero colligunt statim perversi quidam. Si propriis meritis & justitiis non debemus fidere, frustranea & supervacanea sunt bona opera, & si solius Christi gratia ac justitia salvamur, falsa est Scriptura, utpote quæ bonorum præmia passim commemoret. Sic, inquam, nonnulli perversi colligunt. Verum nos contrarium dicimus, nempe & bona opera modis omnibus esse facienda, & ea sua habitura præmia. Fiducia duntaxat prohibetur, non ipsa bona opera. Et sunt bona opera habitura sua præmia certo certius, at non ex debito, sed ex promisso.*

Ibidem concion. 3. pag. 281. *Quæstio hic oritur, An non possimus meritis & operibus nostris fidere. Certe per se minime, nam omnes nostræ justitiæ coram Deo immundæ sunt. At catenus possumus illis fidere, quatenus confidimus ea placere Deo & remunerari ab ipso propter Christum, in qua tamen confidentia non tam nostris meritis, quam meritis Christi, quorum respectu nostra aliquid valent, fidere debemus.*

Jacobus Sadoletus Cardinalis libr. 1. Comment. in Epist. Rom. pag. 11. *Spero immortalitatem consequi, quam Deus fidelibus promisit, nec id tamen meritorum meorum fiducia, sed ipsius Dei clementia & bonitate adductus.*

Antonius de Guevara im andern Theil der güldenen Sendschreibẽ fol. 121. Wenn wir mit Gott wollen abrechnẽ / sol diß unsere Maxima seyn / daß wir ihme nicht sollen vorhalten unser Verdienst / sondern die grosse Liebe / so er zu uns getragen hat.

Petrus de Ribadeneira Hispanus in libro, quem nominat *fontem vitæ & consolationis*, ab Egidio Albertino Secretario Bavarico ex lingua Hispanica in Germanicam translato, habet peculiare caput, cui hunc præfixit titulum, *quod omnis nostra fiducia fundata esse debeat in merito Christi, & quam valida sit hæc motiva ad nostram consolationem,*

D. Hafenrefferus in templo Ezechielis pag. 256. memorat, *se ex fide dignis hominibus accepisse, in Monasterio Rhorhaldensium hosce versiculos fuisse adscriptos:*

Per Christi meritum tantum salvamur abunde,
Ergo tuis factis ne fidas, optime frater.

Cornelius à Lapide in cap. 16. Levit. pag. 699. adducit & approbat dictum Abbatis Agathonis, de quo in Vitis Patrum cap. 11. sic legitur: *Abbas Agathon moriturus, tres dies mansit immobilis, oculos apertos tenens. Pulsaverunt autem eum fratres, dicentes: Abba, ubi es? Et ille respondit: In conspectu divini judicii assisto. Dicunt ei: Et tu times? Et ille dixit, Interim laboravi virtute qua potui in custodiendis mandatis Dei, sed homo sum & nescio, utrum placuerint opera mea coram Deo. Dicunt ei fratres: Et non confidis de operibus tuis, quæ secundum Deum sint? Et dixit senex: Non præsumo, nisi venero ante Deum, aliter enim sunt judicia Dei, aliter hominũ.*

Idem Cornelius à Lapide in Comm. 1. Petr. 1. v. 11. ex Vitis Patrum lib. 5. cap. 1. adducit & approbat dictum Antonii, qui Abbati Pambo poscenti monitum salutis & perfectionis hoc dederit: *Noli esse in tua justitia confidens, nec pœniteat te rei transactæ, & continens esto linguæ tuæ & ventri.*

Adamus Tannerus tom. 2. Theol. Scholast. Disput. 2. quæst. 6. dub. 5. num. 61. *Istis omnibus* (puta scrupulosis) *pariter consultum sit, ut non de sua justitia, sed ultimate de mera Dei confidant misericordia, sicq; ponderent suam negligentiam, ut præponderent Dei infinitam clementiam.*

num. 64. suadet scrupulosis, *ut humiliter dicant: Domine, non in justificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, quia nullæ sunt, & scio, quod si millies confiterer & districte discutere volueris me, non ero mundus in conspectu tuo. Sola namq; misericordia tua mundabit me.*

(Hæc Tannerus ex Gersone part. 3. tract. de remed. contra pusillanimitatem, quæ fiduciam in propria merita & iustificationẽ per opera & satisfactionẽ propriã penitus prosternunt.)

Idem Tannerus tom. 1. Theolog. Schol. Disput. 5. de Prædestin. Synops. fol. 1057. *Homo veram & profundissimam adversus Deum proximum submissionem menti inserit, non si vel an illam, qua sua quisque in seipso bona seu Naturæ, seu gratiæ, quæ à Deo accepit, ignoret, aut ignorare se simulet, hacq; ratione omnibus se inferiorem profiteatur, sed qua se nihil eorum à se habere, nec sibi ipsi ad salutem sufficere, nec suis meritis sive gratiæ largitionem, sive primam gloriæ destinationem, sed utramque soli gratuitæ ac beneficentissimæ Dei voluntati ac misericordiæ imputat, ut non in seipso, sed in Deo glorietur omnis caro. Secundo, spem solido ac firmissimo robore stabilit, dum eam non in arena, hoc est in seipso ac suis viribus vel meritis, sed in Dei infinita & gratuita bonitate ac misericordia præcipue collocandam suadet, ita ut etiam inter peccatorum lapsus, qui humana fragilitate nonnunquam accidunt, spes non fatiscat, sed eo magis in DEO firmetur, quo minus in seipso ad æternam salutem consequendam præsidii homo invenit.*

3. Quod in praxi fiduciam salutis in opera collocare quidam noluerint. Praxis illa est vel *generalis*, vel *specialis*.

Ad praxin generalem pertinet, quod Casparus Ulenbergius in libr. de causis apostas. Colon. Ann. 1589. edito, caus. 14. memorat, in Sacrario Parochiali Ecclesiæ Coloniensis inveniri librum scriptum Anno salutis 1475. quo semper ab eo tempore in visitandis & ad mortem præparandis ægrotis usi fuerint. In eo inter cæteras quæstiones etiam hæc proponitur ægroto: *Credis te non posse salvari, nisi per mortem Christi?*

(Locum integrum adduximus thesi proxime præcedente membro 1.)

Ibidem etiam monuimus, in libro, cui titulus, *Ordo baptizandi cum modo visitandi ægrotos*, recuso Venetiis Ann. 1575. Pontificios expunxisse hæc verba: *Credis, non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Jesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire?* Item: *Credis, quod Dominus noster Jesus Christus pro nostra salute mortuus sit, & quod ex propriis meritis vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ejus?* Quas interrogationes morituris olim propositas fuisse ex Ulenbergii Confessione patet.

Lyra in Interrogationibus infirmo morienti faciendis: *Primo, interrogari debet si credit omnia, quæ sunt fidei Christianæ? Et respondeat: Credo. Secundo, si gaudet se mori in fide Christiana? Et respondeat: Gaudeo. Tertio, si recognoscit, se Deum multum offendisse? Et respondeat: Recognosco. Quarto, si dolet de omni offensa? Et respondeat: Doleo. Quinto, si proponit de cætero ab omni offensa peccati mortalis abstinere? & respondeat: Divino auxilio mediante propono. Sexto, si credit, se meritis passionis Christi & non propriis ad gloriam pervenire? Et respondeat: Credo. Ultimo debet sibi dici: Si occurrerit tibi inimicus Diabolus semper ei opponas merita passionis CHRISTI.*

(Desumta hæc sunt ex Exhortatione Anshelmi ad fratrẽ.)

Dominic. Sexages. Collecta sic habet (in Eccles. Rom. usu publico:) *Domine, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus &c.*

Domin. 5. post Epiph. & Sabbath. post Domin. 2. in Quadrag. sequens Collecta canitur, ut habetur in Breviario Moguntinensi impresso Anno Domini 1507. fol. 181. *Familiam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, cœlesti etiam protectione muniatur per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.*

Ad hanc generalem praxin etiam pertinent preces Ecclesiæ pro moribundis olim factæ.

Georgius Cassander pag. 382. ex Sacerdotali Romano adducit hasce precum pro moribundis olim factarum formulas, quas non valde antiquas esse existimat: *Domine Jesu Christe, per agoniam & orationem tuam sanctissimam, quam orasti pro nobis in monte oliveti, quãdo factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quẽ præ timoris tui angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre & ostẽdere*

dere digneris DEO Patri omnipotenti,contra multitudinem omnium peccatorum, hujus famuli tui, & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus angustiis suis, quas pro peccatis suis se timet meruisse,qui cum Patre &c.

Domine Jesu Christe,qui pro nobis mori dignatus es in cruce,obsecro te,ut omnes amaritudines passionum & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, & maxime in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de corpore tuo sanctissimo, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui, & libera eum in hac hora mortis ab omnibus peccatis & passionibus,quas pro peccatis suis se timet meruisse &c.

Domine Jesu Christe,qui per os Prophetæ dixisti: In caritate perpetua dilexi te,ideo attraxi te miserans tui; *obsecro, ut eandem caritatem tuam,quæ te de cœlo ad terram, ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit,offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui,& libera eum ab omnibus passionibus & pœnis,quas pro peccatis suis timet se meruisse,& salva animam ejus in hac hora exitus sui in gloria æterna. Et tu piissime Domine Jesu Christe,qui redemisti nos preciosissimo sanguine tuo,miserere animæ hujus famuli tui,& eam introducere digneris ad semper virentia & amœna loca Paradisi,ut vivat tibi amore invisibili, qui à te & electis tuis separari nunquam potest.*

(Tales precationum formulæ in Meditationibus Augustini, Anshelmi, Bernhardi, Bonaventuræ, Gersonis & aliorum passim occurrunt; in quibus deposita omni propriorum meritorum fiducia, ad solum Christi meritum vera fide confugiunt & confugiendum esse docent.)

Ad praxin *specialem* pertinent singularia exempla tum Ecclesiæ Doctorum, tum illustrium politicorum, tum privatarum personarum.

Autor Vitæ Bernhardi lib.1.cap.13. hæc de illo memorat: *Cum extremum jam Spiritum trahere videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sui visus est repræsentari. Affuit autem & Satanas ex adverso improbis cum accusationibus eum pulsans. Ubi autem ille omnia fuerat persecutus,& viro Dei pro sua fuit parte dicendum,nihil territus aut turbatus ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplicijure illud obtinens Dominus meus,hereditate scilicet Patris & merito passionis, altero ipse contentus,alterum mihi donat; ex cujus dono jure illud mihi vendicans,non confundor. Ita hoc verbo confusus est inimicus.*

Secutus est hac in parte Bernhardus Anshelmum eodem seculo Cantuariensem Episcopum, qui in Meditationibus suis pulcherrima quadam hypotyposi ad tribunal judicii divini sese sistit,& deposita propriorum operum fiducia ad solum Christi meritum confugit. *Terres me,inquit, vita mea. Namq; diligenter discussa apparet mihi aut peccatum,aut sterilitas tota vita mea. Et si quis fructus in ea videtur sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum,ut possit aut non placere, aut displicere Deo. Certe tota aut in peccato est,& damnabilis; aut infructuosa & contemtibilis. Sed quid separo infructuosum à damnabili? Utique si est infructuosa,est damnabilis. Omnis enim arbor,quæ non facit fructum bonum,in ignem projicietur. O ergo lignum aridum & inutile & æternis ignibus dignum! Quid respondebis in illa die,cum exigetur à te usq; ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum? O angustiæ! Hinc erunt peccata accusantia, inde terrens justitia; subtus patens horrendum chaos inferni; desuper iratus judex, intus conscientia urens, foris mundus ardens. Vix justus salvabitur, peccator sic deprehensus,in quam partem sese premet? Latere erit impossibile,apparere intolerabile. Unde mihi consilium? unde salus? Quis est,qui dicitur magni consilii Angelus? Ipse est Jesus. Idem est Judex, inter cujus manus tremo. Respira ô peccator, ne desperes! Spera in eo, quem times; refuge ad eum,à quo confugisti. Jesu Christe, propter hoc nomen tuum fac mihi secundum hoc nomen tuum,respice miserum invocantem nomen tuum. Ergo Jesu esto mihi Jesus propter nomen tuũ. Si me admiseris intra latissimum misericordiæ tuæ sinum,non erit angustior propter me. Verum est, conscientia mea meruit damnationem & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem. Sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem.*

Circa Annum Domini 1170. floruit in Anglia Goldricus insignis Eremita, ad quem cum accessisset quidam Monachus Dunelmensis, sciscitans nonnulla, quæ postea literis de vita Goldrici consignaret, vultum convertens, respondit: *Vitam Goldrici, amice, talem esse agnoscas. Goldricus primo rusticus pinguis, fornicator, immundus, fœnerator, falsarius, deceptor, perjurus, adulator, discurrens, petulans, gulosus; modo pulex mortuus, canis furidus, vilis vermiculus; non heremita, sed hypocrita; non solitarius, sed mente diffusus, devorator eleemosynarum, fastidiosus, delitiarum cupidus & negligens, otiosus & stertens, prodigus & ambitiosus, & qui non esset dignus aliis servire, qui quotidie sibi ministrantes verberat & objurgat. Hæc autem & his pejora poteris scribere de Goldrico.* His dictis obticuit, & Monachus cum nonnulla confusione discessit. Matthæus Paris. in Hist. Angl.

(Hic Eremita non posuit fiduciam in sua merita, nec se perfectum esse gloriatus est, sed interiora sua peccata agnovit.)

Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis ea, quæ de mystica Theologia scripserat, his verbis concludit:

Conscius est animus meus, experientia testis,
Mystica, quæ retuli, dogmata vera scio.
Non tamen idcirco scio, me fore glorificandum.
Spes mea crux Christi, gratia, non opera,

Idem opere Tripartito de arte moriendi particula tertiâ moriturum ita jubet precari: *Domine, Paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum, sed in virtute & efficacia tuæ benedictissimæ passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi Paradisum precio tui sanguinis emere dignatus es.*

Idem Testamentum, quod paucis ante obitum suum mensibus condidit, sic obsignat:

Quæ mortalia sunt, mortalibus ultro relinquo,
Corpus humum redeat, Spiritus ad Dominum,
Spiritus iste, Jesu, meus à te suscipiatur,
Spes mea tu Jesus es; gratia, non opera.

De Carolo V. Imperatore laudatissimo referunt Bucholzerus in Chron. pag. 648. Chytræus in oratione funebri Caroli V. quam Viennæ Imperatori Maximiliano II. obtulit, & Jacobus Augustus Thuanus lib. 21. Historiar. Anno 58. edit. Oppenh. pag. 428. in aliis edit. pag. 945. (lib. 14. Histor. pag. 567. Paris. 604. in 8.) *quod circa finem vitæ D. Bernhardi lectione delectatus & toto pectore in Deum revolutus sic fuerit ratiocinatus; se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum cœlorum obtineret; sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat; & Patris heriditate & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cujus dono illud merito sibi vendicet, hac fiducia fretus minime confundatur, neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciâ poni, hanc hominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis Domino suo &c. Propriis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse* (ex Bernhard. serm. 5. in vigil Nativit.) *peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoq; credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo, cui soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum peccata nobis condonantur &c. Imaginem Christi crucifixi identidem in oculis, ulnis, ore & tota mente complexum, in eo solo se omnem salutis suæ spem collocare declarasse, sumtoq; viaticô dixisse: In me mane dulcissime Salvator, ut ego in te maneam. Usus etiam est hisce formalibus:* Ich bitte dich gütiger Gott / du wollest mir meine begangene Sünde und Missethat vergeben / und waschen in deinem unschuldigen Blute meine sündige Seele / die noch naß und befleckt ist / welche offtermals viel tausend Creaturen hat vergiessen machen von wegen der thörigen Ursachen dieser nichtigen Herrschafften und zergänglichen irdischen Güter / wollest sie empfahen in die Armen deiner Barmhertzigkeit / in die ich allein / als in meinen himlischen Vater / meine Hoffnung gesetzet habe.

(D. Polycarpus Lyserus in der Rettung der zweyen Prägerischen Predigten p. 254. memorat, hanc relationem de Carolo quinto confirmasse Generosum Dominum Carolum à Zelcking in Syrendorff, qui Carolo V. in Belgio & in Hispania fuerit à ministeriis, atque in Austria audientibus multis Baronibus, & Nobilibus isthæc retulerit. Inde dubio procul factũ, quod Philippus Hispaniarum Rex Anno 1559. è Belgio in Hispaniam solvens, ubi primum Hispalim venit, de 24. Septem. ustulari jusserit Constantini Pontii effigiem, qui à sacris Confessionibus Carolo Cæsari fuerat, eique in solitudine ad finem usque vitæ in hoc ministerii genere adfuerat, ac ulnis suis exspirantem exceperat. Pontius ille ante paucos dies in carcere diem suum obiverat, in quem statim à morte Cæsaris propter hæresis suspicionem conjectus fuerat, Petrus Suavis lib. 5. Hist. Concil. Trident. p. 486.)

Ferdinandus I. Imperat. August. Confessionario suo in mãdatis dedit, *ut imminente mortis agone, non amplius uteretur titulis dignitatum & honorum, sed diceret: Ferdinande, carissime in Christo frater, omnem tuam fiduciam hodie in Christum colloca; neq; quidquam aliud ipsi proponeret, quam meritum, sanguinem, mortem & resurrectionem Christi. In hac fiducia se velle ex hac vita discedere & in novissimo die resurgere.*

(D. Polycarpus Lyserus in concion. 2. Pragensi p. 105. ac in

Apolog earundem concionum pag.246.recenset, quod una cum aliis hoc retulerit Generosus Dominus Carolus Ludovicus à Puchheimb / Dominus in Göllersdorff & Mühlberg / qui Cæsareæ Majest.ejus à servitiis fuerit.)

Maximilianus II.sanctæ memor.Imperator, cum in agone mortis constitutus esset,atque ad ipsum Episcopus Neapolinus D.Lambertus Gruterus 12.Octobr. Ann.1576. accederet,noluit eum ad se intromitti,nisi prius polliceretur,*se de nulla alia reverba facturum,quam de Christi merito & sanguineo sudore.* Præstitit illud Episcopus,& de Christi beneficiis elegantem & plenam consolatione habuit orationem, cumque Maximilianus interrogaretur, *an in hac fide & consolatione velit ex hac vita discedere?* respondit: *non aliter faciam.* Johannes Crato in orat. funebri Maximiliani II.

Ernestus Archiepiscopus Magdæburgensis Dux Saxoniæ morti jam vicinus,duobus Monachis Franciscanis lecto astantibus in Salinis Saxonicis, cum alter diceret: *Bono animo esto, inclyte Princeps, nos omnia non tantum nostra, sed & omnia totius Minoritarum Ordinis bona opera Tuæ Celsitudini communicabimus, non est dubium,quin illis acceptis, coram Dei tribunali consistas justus & beatus,* respondit Princeps: *Nullo modo,nec meis,nec vestris operibus ego confidam,sed solius Christi opera me salvū præstare possunt, in his ego fiduciam meam fixam habeo.* Mein ich trawn ich begehre ewrer Werck nirgend zu / meines HERRN Christi Werck müssens alleine thun/darauff verlasse ich mich.

(Retulit Clemens Schaw Sacellanus, qui una cum duobus Monachis Archiepiscopo morienti adstitit,Catalog.test. verit.tom.2.lib.19.pag.903.in recent.edit.col.1912.Mornæus in Myst.Iniquit.pag.1339.Wolffius in Epist. dedicat. tom.1. lection.memorab.circa finem.)

Cum Georgius Dux Saxoniæ filium suum Johannem in extremo mortis agone videret constitutum, consolatus est eū ex articulo *de justificatione per fidem in Christum*, ipsumque monuit,*ut solum Christum intueretur,ac omnium operum & meritorum suorum oblivisceretur.* Idipsum cum audiret conjux Illustrissima Ducis Johannis,Landgravii Philippi soror (Ducissa Rochliziana postmodum dicta)ad Ducem Georgium socerum suum conversa, dixit: *Dilectissime Domine parens,cur non permittit V. C.hæc publice in provinciis suis prædicari?* cui respondit Dux Georgius: *Dilectissima filia,hæc morituris sunt proponenda non autem sanis.* Strigenicius in explicat.passionis conc.16.pag.297.

Idem Dux Georgius, referente Georgio Fabricio & (ex Josepho Bennone Thelarin Postschappel & Clingenberg, teste αὐτόπτῃ) Dn. D. Polycarpo Lysero in Rettung der Prægerischen Predigten f.255. Pastori Dresdensi Eisenbergio in agone mortis Cell.S.visitanti,ac ut patronum suum Jacobum invocaret exhortanti, respondit: *Jesum Christum invocandum esse,ut ipse intercessorem apud Patrem cælestem agere velit.* Cum vero Eisenbergius invocationem sanctorum urgere pergeret, Dux Georgius duobus Nobilibus Cubiculariis suis Iohanni à Lindenaw & Friderico ab Oelsnitz,nutu mandavit,ut Pastorem illum abducerent. Ipso digresso, prædicti duo Nobiles Evangelicæ religioni addicti,Ducem admonuerunt concionis *de justificatione hominis coram Deo,* quam ex Luthero cuculla Monastica adhuc induto,in Sacello arcis olim audiverat,eamque commendando sæpius dixerat, *se bene moriturum, si adhuc semel ejusmodi concionem audire contingeret.* Exhortati igitur sunt Ducem, *ut in Christum Jesum mundi Salvatorem omnem cordis sui fiduciam collocaret*, *ac unice per ipsius obedientiam ac meritum salutem speraret*, cui salutari consilio Dux obsecutus, animam suam in manus Patris cœlestis oratione Dominica commendans, pie placideque expiravit.

Anno 1584.mortuus est Alenconius Regis Galliæ filius, Dux novus Brabantiæ,qui nec Monachum,nec Confessionarium admittere voluit, *sed omni spe salutis collocata in solo merito Jesu Christi,placide obdormivit.* Meteran.in Annal. Belgic.

Georgius Fabricius in Supplemento Chronici Misnensis refert, *Præpositum quendam Afranum*, *vocato ad se suæ societatis Canonico,juvene erudito & bono,eum rogasse, ut sibi tria grata faceret,si forte contingeret,ut in agone sibi adesset, quod cum submisse polliceretur,se facturum, primum est, inquit, ut me admoneas sudoris Christi,quem in angustia sui pectoris copiose effudit, ne videlicet peccatorum multitudine in meo angore obruar; alterum, ut me admoneas omnium dolorum & acerbitatum,quas Christus in cruce sustinuit,ne rigorem & pœnas delictorum in mea infirmitate sentiam; ultimum, ut verborum me admoneas,quæ locutus est Christus, quibus pro crucifigentibus se oravit & latroni Paradisum promisit, ne ipse extremo Spiritu deficiam, sed ut Christus sua caritate me recipere in manum & cœlos mihi aperire dignetur,qui meis meritis servari nequeo & regnum cœleste obtinere.* Addit Fabricius: *juvenem illum hæc multis hominibus retulisse,cum alacritate præceptorem suum mori vidisse, & in pluribus postea locis inolevisse, ut is consolandi modus apud morientes servaretur.*

Johannes Gastius in Memorabilibus sequentem recenset Historiam: *In extremis agens Monialis,ad quam multæ ejusdem sanctitatis sorores confluxerant consolandi & confortandi gratia,una ex illarum numero prudentior loquaciorq́, dixit: Confide,mea optima soror,in opera tua,in jejunia, in preces,in regulam à sancta Clara institutam,& salvaberis.Cum autem hæc proferret, plura additura ejusdem generis absurda, venit Monachus,vocatus ad eam,qui cum audisset,tales voces non ferendas Christiano dixit: Abite seductrices sorores;confide,tu casta soror,in Christum Jesum, respice in corde tuo ad crucem,in qua Christus pependit propter peccata tua, quæ nec tu, nec Patres potuerunt solvere,& servaberis. Tua opera nihil momenti afferunt ad vitam æternam consequendam. Sumus nos in peccatis concepti & nati,& quotidie in omni vita nostra peccamus graviter contra Deū & proximum,& digni ob merita nostra, ut in ignem æternum conjiciamur. Christus autem est Salvator noster redemtor,liberator,& vivificator; Mediator denique apud Patrem cœlestem,qui satisfecit, ut Scriptura loquitur,pro peccatis totius mundi. Soror moribunda cum hæc audiret,dixit: O miseram me mulierculam, quam perdite vixi in hoc Cœnobio! quam nihil sunt opera mea! Christe Jesu miserere mei & dimitte peccata mea, in te solum confido. Hæc vix eloquta, tradit Spiritum Domino &c. Vera est hæc Historia, quam habeo a Nonna, quæ propriis auribus & propriis oculis hæc audivit & vidit. Monachus deinceps non est visus in Cœnobio. Conjiciunt quidam,miserum Monachum nocturnum sacrificium esse factum propter Lutheri doctrinam, quam parum gustaverat,vel potius propter Evangelii lectione sedulam, in qua omnem operam die noctuq́; dederat,ad necem esse traditum.*

De pio quodam, quamvis illiterato Monacho Martino Threnz in scribitur,quod cum in Paulino Lipsiensi Anno 1473 lethaliter decumberet & ab Abbate suo interrogaretur, *quanam in re cordis sui fiduciam in ultimo agone ponere vellet?* respondit: *se quidem ἀναλφάβητον esse, nec literas nosse, sed quando fratres cæteri horas suas cantillant,aut Psalterium legunt,se interim partem aliquam ex Historia passionis Dominicæ meditari, Christo Redemtori gratias agere, & cum Davide dicere ex Psalm 71. Non cognovi literaturam introibo in potentia Dōni, Dōne memorabor justitiæ tuæ solius.*

D.Menius in literis ad B.Lutherum datis,memorat: *Priorem quendam in Cœnobio Reinhardsbronnensi lethaliter ægrotantem,reliquis fratribus dixisse: Ab premit & angustat me totus mundus, omnes creaturæ mihi sunt adversæ. Quærentibus autem illis, quid hoc rei sit,cum arctiore vitæ instituto reliquos omnes superarit? respondit: Horum nihil coram Dei judicio subsistit, sed Christus crucifixus est meum Testamentum & justitia mea.*

(Congruit cum responso Agathonis Eremitæ Ægyptii,cujus meminit Ludovicus Granatensis Domin. 1.post Pentecost.conc.2. *Alia Dei,alia hominum judicia.*)

D.Creutzenach multas legerat Missas, plurimum jejunaverat,ædes sacras extruxerat &c. In agone mortis constitutus, singula bonorum operum genera in memoriam sibi revocabat. Animadvertens autem nullo horum conscientiam pacatam & quietam reddi posse, tandem subjiciebat, *si nihil quidquā horum auxilio mihi esse potest,auxilietur illud: Miserere mei Domine propter dilectum Filium tuum Mediatorem meum.*

D. Johan Keysersberger Concionator Argentorat.sic consolatur hominem in agone constitutum serm.fer.5.post Domin.Iudica: Lieber Mensch / schawe auff das Angesicht deines HERRN Christi / welches dein Verdienst voll ist / deiner sage ich / denn er hat sie dir gegeben / für dich hat er am Creutz gelitten. Derhalben ruffe JEsum Christum an / und zweifele nicht / wenn du gleich so viel Mord / Diebstal / Todtschlag begangen hettest / so viel Tropffen und Sand im grossen weiten Meer / und so viel Blätter und Gräßlein auff dem Felde sind: Wenn du gleich uber dieselben Sünde niemals keine Busse gethan / und auch noch nicht thun kanst. Denn auff solchen Fall ist gnung an der wahren / innerlichen / hertzlichen Rew. Gott verachtet ein verseeretes / zerschlagen / gekränckets und demütiges Hertz nicht / sondern in welcher Stunde der Sünder seuffzet / wil ihme GOtt gnädig seyn und selig machen. Nim für dich Petrum, der seinen HERRN und Meister Christum verläugnet / Paulum den Verfolger / Matthæum und Zachæum die Publicaner und Zöllner / Mariam Magdalenā die Egyptische Ehebrecherin und Mörder am Creutz / die nach den allergrösten und schweresten Sünden

vor.

von dem HErrn Christo Gnade und Barmhertzigkeit erlanget haben. Derhalben so habe in dieser deiner letzten Stunde aus Hertzen-Grund deine Zuflucht allein zu deinem HErrn Christo/ und sprich: Barmhertziger HErr und GOtt/ sey mir gnädig durch dein bitter Leiden und Sterben/ welches du umb mein und aller Sünder willen gelitten hast / stärcke mein Hertz wider die Verzweiffelung/ wie den H. Petrum/ als er dich verläugnet/ bringe mich wieder zu dir / wie S. Paulum den greulichen Verfolger deiner Christen / tröste mich/ wie den Mörder am Creutz/ und vergieb mir alle meine Sünde / wie der grossen Sünderin Mariä Magdalenä/ damit ich allhier deine Gnade erlangen/ und dort von der Hellen-Straff und Pein erlöset / in deinem Reich aber die ewige Glory durch deine Güte empfahen möge / der du lebest und regierest mit GOtt dem Vatter und dem H. Geist hochgelobt in Ewigkeit/ Amen.

In Vitis Patrum part. 2. §. 121. de Antonio (Magno olim dicto) memoratur, quod ipsi sedenti & de perfectione sua sibi placenti, vox facta fuerit; Antoni, nondum pervenisti ad mensuram Coriarii, qui est in Alexandria. Quem cum Antonius de perfectione ejus rogasset, respondit ille: Nescio, me aliquando aliquid boni perpetrasse. Unde ex cubili mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico: quod omnis civitas à minori usque ad majorem ingrediuntur regnum Dei propter justitias suas. Ego autem solus propter peccata mea pœnam heredito sempiternam, quod verbum, antequam quiescam sero, ex cordis mei recenseo veritate.

(Cornelius à Lapide in Commentar. Exod. 7. v. 21. hanc Historiam adducit & approbat.)

Bajardus exercitum Regis Galliæ Francisci servaturus, glande plumbea trajectus fuit. Hic sub quercu moriens, Christum obtestatus est, *se circumdaret, se complecteretur, se tueretur, purgataque præteritorum memoria animam ad se euntem exciperet, ablueret sua humanitate & gratia sordes, parceret misero, vultu placato intueretur seu servum, seu reum mallet; gratia se filium adoptatum ab eo, culpa reum factum, vinceret gratia culpam, ut divina clementia majore in scelere cresceret: male quidem tot annis Numen divinum cognitum: parum abesse, quin humanitas superetur sceleribus: se tamẽ, excusso Dæmonum jugo, nihil nõ beneficio sanguinis effusi, patrociniōque Christi optimi maximi sperare.* Hæc Arnoldus Ferronius Burdegalensis Lib. 7. de rebus gestis Gallorum.

Hosius Cardinalis in Testamento suo Operibus ejusdem subjuncto, sic loquitur: *Accedo ad gratiæ tuæ thronum, qui Pater es misericordiarum & Deus totius consolationis, ut misericordiam consequar & gratiam in tuis oculis inveniam. Quocunque tempore depositum tuum à me repetere tibi visum fuerit, in manus tuas commendo Spiritum meum, quem si tu contempleris, qualis est ex se, fateor, quod non est dignus, qui sub oculos majestatis tuæ veniat, cum sit omni sorde plenus. Cæterum si Filii tui sanguinem, quo lotus & emundatus est; si cruciatus inspexeris, quos longe tulit acerbissimos pro peccatis nostris, ut nos tibi redderet acceptabiles, digni certe sunt illi, propter quos tanto pretio redemtum facias eum participem gloriæ tuæ sempiternæ. Noli, Pater clementissime, noli respicere in faciem meam, quin averte potius à peccatis meis faciem tuam: & O protector noster, aspice Deus, respice Deus in faciem Christi tui; respice in faciem dilecti Filii tui pro peccatis meis in cruce pendentis & morientis: & in eorum remissionem de saucio latere copiosum sanguinem profundentis. Confiteor tibi Pater, quod gravia sunt peccata mea, quibus iram tuam promerui. Sed utinam appendas ea Domine in statera, & quam pro me calamitatem pertulit innocens Filius tuus: certe multo gravior apparebit hæc & magis digna, propter quam effundas in me misericordiam tuam, quam illa sint, ut propter ea contineas in ira tua miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis majestatis tuæ aspicias, verum interea dignissimus est ille, propter cujus passionis & mortis meritum non modo respicias me, verum & corones. Quamobrem venio ad te, Pater clementissime, venio ad te nullis meis, sed multis Filii tui, Domini & Redemtoris mei Iesu Christi meritis onustus, qui, cum pretiosa morte sua non modo pro meis; verum etiam pro totius mundi peccatis abunde tibi satisfecerit, hujus mortis meritum, in quo solo spem meam & fiduciam omnem habeo defixam, adfero ad te. Hæc est justitia mea, satisfactio mea, redemtio & propitiatio mea. Meritum meum est mors Domini mei. Non sum inops meriti, quamdiu miserationum Dominus non defuerit. Et si multæ sunt misericordiæ Domini mei, multus & ego sum in meritis meis. Quanto potentior ille ad salvandum, tanto sum ego securior. Vides igitur, clementissime Pater, quibus meritis onustus ad te veniam, iis nimirum, quibus negare nihil potes. Quamobrem quocunque tempore repetere tibi visum fuerit, accipe Pater cœlestis, accipe Spiritum meum, non incorruptibilibus auro & argento, sed pretioso Filii tui sanguine redemtum. In hoc pretium respice, propter hoc pretium esse me dignum pronuncia, quem inter oves tuas à dextris colloces, & una cum aliis electis tuis exoptatam illam vocem exaudire facias. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Hæc omnia Cardinalis Hosius.

Idem in Confess. fidei Petricoviensis cap. 73. *Non sine causa videmus in Ecclesia Catholica semper observatum, ut, qui morti jam sunt proximi, diligenter admoneantur, etiam simulachro Christi crucifixi ante oculos posito, quo propriæ justitiæ diffisi, in una Christi justitia spem suam & fiduciam omnem habeant collocatam; illam Patri cœlesti repræsentent, illi uni innitantur.*

Didacus Stella in cap. 17. Luc. fol. 183. *S. Pater Franciscus post tot insignia opera in ultimo fine vitæ dicere solebat: Laboremus & Domino serviamus, nam usque adhuc parum, aut nihil fecimus.*

(Si parum aut nihil fecit, legi non satisfecit, ac proinde suis meritis confidere noluit. Hæc omnia congruunt cum exemplis piorum veterum.

Ambrosius, referente Posidonio in vita Augustini, morti jam vicinus, dixit: *Non sic vixi, ut me vixisse pudeat; nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum.*

Augustinus in Meditat. cap. 14. *Omnis spes & tota meæ fiduciæ certitudo est in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos & nostrã salutem, in ipso respiro & in ipso confisus ad te venire desidero.*

Ephrem Syrus Lib. de Patient. & consumm. seculi fol. 164. *Nihil, quod tibi afferam, habeo, non opus bonum, neque cor mundum, verum miserationibus tuis confisus, in eas meipsum projicio.*

Bartholomæus Gernhard in conc. de extremo judicio art. 12. circa finem allegat verba Nonni Tabermensiotarum Episcopi, quibus circa vitæ finem usus: *Nudus sum tam in cœlo, quam in terra, non adimplens præcepta mandatorum tuorum. Ergo non est mihi spes ex operibus bonis, sed spes mea in misericordia tua, qua confido salvari.*)

4. Quædam hypotheses & assertiones recentiorum scriptorum Pontificiorum.

Salmero tom. 7. tract. 32. pag. 207. *Qui se exaltat, hoc est, omnis etiam justus, qui se putat esse aliquid ex seipso, vel quod habet, tribuit meritis suis, & non gratiæ Dei, vel qui sibi falso adscribit justitiam & perfectionem, quam non habet; &c. vel qui confidit in seipso & in operibus suis, hic, inquam, talis humiliabitur &c. Et qui se humiliat, evacuando seipsum, ut in se, tanquam in vas oleum divinæ gratiæ fundatur, & qui sibiipsi non fidit, vel qui denique nihil ex se esse existimat, nihil meritis suis tribuit, non jactat justitiam quam non habet, vel per eam, quam habet, aliis se non præfert, hic, inquam, qui sic se humiliat, exaltabitur.*

(Ergo ad humilitatem requiritur, non confidere in seipso, nec in operibus suis.)

Et postea: *Laudabile est, atq; adeo utile, in operibus suis bonis, quæ Dei gratia homo perfecit, non confidere. Nam si peccator esset & immunda opera haberet, nulla esset ratio nisi timendi, non autẽ confidendi. Si autẽ quis sit justus, perfectus vel sanctus, fidendum etiam non est;*

Primò, quia justitiæ nostræ incertæ sunt & ignotæ, sive per certitudinem evidentiæ, sive per assensum fidei Catholicæ. Stultum porro videtur ei certo fidere, quam certo te habere nescias.

Deinde non sunt puræ & integræ, sed admixtæ multis maculis, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Et quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Et quis non debet dicere: Dimitte nobis debita nostra? Et si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendaces sumus &c.

Tertiò, justitia nostra stabilis non est, dum vivimus, potest enim amitti &c. unde Apostolus: Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time &c. Cum ergo justitia nostra periculo perditionis sit exposita, nemo potest illi sine timore niti, & quantum accedit timoris, tantum decedit confidentiæ.

Quartò, quia nostra justitia nondum est examinata & à vero judice probata, qui ait: Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Tum multa, quæ hominibus alta sunt, erunt abominabilia apud Deum, & quæ nobis videntur argentum & aurum, erunt scoria & lutum.

(Addit quidem postmodum, *quod secundario liceat in opera confidere.* Sed argumenta adducta probant, nec primario, nec secundario illis confidendum esse.)

Toletus in cap. 16. Johan. annotat. 29. *Qui Deum orat, & non virtute propria nititur, nec justitiam propriam impetrandi causam & titulum Deo proponit, sed virtutem, justitiam, meritum, satisfactionem Christi unigeniti Filii ejus, iste in nomine Christi & quidem efficaciter petit.*

Bellarminus tom. 7. oper. tract. de arte bene moriendi de

Monachio quodam ejusmodi refert Historiolam: *Exemplum multo adhuc terribilius extat apud Iohannem Climacum, qui refert, Monachum quendam valde venerabilem nomine Stephanum, cum annos circiter 40. in eremo vixisset, jejuniis, vigiliis, lachrymis, precibus, aliisque virtutibus exornatus, ad exitum tandem pervenisse. Cum autem in extremo illo agone constitutus, à Dæmonibus multorum criminum reus fieret, ut ad desperationem impelleretur, repente obstupuisse animo, & apertis oculis clara voce respondere cœpisse, aliquando quidem, ita sane, revera ita est, sed pœnitentia & lachrymis crimen dilui: aliquando vero, non est ita, mentimini. Deinde rursum, verum loquimini, sed flevi, sed ministravi. In quibusdam tamen, vere me accusatis, & quid respondeam, non habeo. Atque ita obiit ambiguum relinquens, salvusne, an reprobatus esset. Hæc igitur & alia ejusdem generis exempla nos monent, ut ante horam illam solicite conscientiam nostram expurgemus, & nunquam de misericordia Domini diffidamus.* Hactenus Bellarminus.

(Ex quibus apparet 1. quam lubrica sit meritorum fiducia. 2. Quam facile Diabolus superare possit tentatum meritis suis innixum. 3. Quam periculosum sit dogma Pontificium, de gratia Dei in individuo dubitandum esse.)

Idem Bellarminus Lib. 5. de Justificat. cap. 6. circa finem scribit, *quod vera humilitas propria merita ignoret.*

(Hoc ex hypothesi Bellarmini non potest accipi de ignorantia *theoretica*, quasi nulla omnino sint merita, alias Bellarminus una litura totum librum quintum de Justificatione deleret, ergo accipiendum de ignorantia *practica*, sensu eo, quod non debeamus coram Dei judicio meritis nostris confidere, sicut Matth. 6. v. 3. dicit Christus: *Te faciente eleëmosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.* Quod si vera humilitas merita propria ignorat, utique superbiæ est, meritis suis confidere.)

Ibid. *Ex incertitudine propriæ gratiæ prudenter non confidebat Bernhardus in meritis suis, sed in sola misericordia Domini.*

(Ergo imprudentiæ est, propriis meritis confidere.)

Idem Lib. ejusdem cap 7. *Propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate ponere,* quod probat ex cap. 9. Daniel. *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis;* ex Luc. 17. *Cum omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus;* & ex Collect. Eccles. Dō. Sexag. *Deus, qui cōspicis, quia ex nulla actione nostra confidimus.*

Ib. dicit Propos. 2. *fiduciā poni posse in merita, quæ vere talia sunt.*

(At quæ possunt esse vere talia, cum omnes sancti fateri cogantur, se mente quidem servire legi Dei, carne autem legi peccati, Rom. 7. v. 25?)

Ibid. dicit, *superbiam in bonis operibus cavendam esse.*

(At quæ major posset esse superbia, quam meritis suis confidere, ac statuere, quod nostris operibus vitam æternam vere & proprie ex condigno mereri, eamque ut mercedem jure nostro exigere possimus?)

Idem Lib. 1. de bonis operibus in particul. c. 9. *Quarta conditio, quæ in oratione ad impetrandum requiritur, est humilitas, qua is, qui orat, non in sua justitia, sed in Dei benignitate confidat. Sed & vitam æternam, inquit Bernhardus serm. 5. de Quadrages. fortassis aliqui non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia meritorum suorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet, ut in ea constituat quisquam fiduciam impetrandi.*

Et infra: *Sit, inquit, oratio in omni humilitate, præsumens de sola, ut dignum est, miseratione divina. Igitur ut hujus conditionis necessitatem Dominus commendaret, parabolam illam publicani & Pharisæi narravit Luc. 18. dixit enim eam parabolam ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi & aspernabantur cæteros, ut ipse Evangelista testatur.*

Idem Bellarminus Lib. 5. de Justificat. cap. 7. sic scribit: *Nemo absque revelatione certo scire potest, se habere vera merita.*

(Idipsum tanquam totius Catholicæ Ecclesiæ sententiam propugnat. Quomodo igitur conscientia hominis jamjam morituri potest erigi per fiduciam in merita collocandam? Ponit Bellarminus consequens, nempe consolationem conscientiæ ob præstita bona opera, & negat antecedens, nempe certitudinem, quod quis bene operatus sit.)

Idem de ascens. mentis in Deum gradu 15. *tutissimum,* ait, *cum Deo negotiari in ratione laboris & mercedis;*

(Et tamen ex Bellarmini hypothesi nemo certus est, an recte laboraverit.)

Jacobus Bayus Professor Regius Lovan. Lib. 1. Institut. relig. Christ. cap. 337. circa fin. *Sancti morientes magis de bono Domino, quam in suis meritis confisi sunt, ut de Ambrosio testatur Possidonius in vita Augustini c. 26. Hilarius in Psal. 51. de S. Augustin. Possidonius in vita c. 31. Hieronymus lib. contra Luciferianos. Nolo vocem illam audire, fiat tibi secundum fidem tuam, alioqui peribo. Basilius Epist. 75. Non cesso lachrymas profundere. Gregorius Lib. 35. c. ult.*

Maldonatus in Matth. 25. v. 1. *Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius regnum cœlorum ideo virginibus comparari statuunt, quia virginitas summa est virtus, ut doceret Christus, neminem suis virtutibus confidere debere, quandoquidem ne omnes quidem virgines, cum præstantissima virginitatis virtute præditæ essent, ad nuptias, id est, in cœlum ingressæ fuerunt.*

Pistorius in centum mendaciis, quæ D. Hunnio affingit mend. 8. *Turpe mendacium est, Catholicos fiduciam suam collocare in propriis operibus & sanctitate, & non in Dei gratia & misericordia fide in Iesum Christum ex hac vita discedere.*

Pazmannus Lib. 4. Hodeg. in c. de mendac. August. Confess. *mendacium esse* dicit, *quod Pontificii jubeant hominem confidere in propriis operibus.* Ibidemque ex Missali & Breviario Dom. Sexag. formulas precum recitat, in quibus dicunt, *se nulla sua actione confidere, sed in sola spe gratiæ cœlestis niti.*

Thomas 2. 2. quæst. 129. art. 6. describit fiduciam, *quod nihil aliud sit, nisi spes confirmata atque perfecta;* quod Bellarminus Lib. 5. de Justificat. cap. 7. declarat ex Seneca Epist. 16. ad Lucil. *de te spem habeo, nondum fiduciam.*

Quod si ergo fiducia vel ex meritis nascitur, vel in meritis ponenda est, utique spes confirmata & perfecta ex meritis nascitur & in meritis ponenda est.

At hoc non concedet Bellarminus, qui assertionem suam sic limitat, *aliquam fiduciam in meritis poni posse.*

Majerus in octo controv. Controversia 1. cap. 5. pag. 38. *Licet vir justus ex vita sua sancte peracta, magnam æterni gaudii fiduciam concipere possit, Bellarminus tamen Lib. 5. de Iustificat. cap. 7. recte monet ex sanctis Patribus, tutissimum esse, rem totam misericordiæ committere.*

Gretserus in Labyrintho fol. 99. *Homo certo non scit, an actus caritatis, quos exercet, sint naturales, an supernaturales, certo iterum sciri nequit, num præmium actibus supernaturalibus debitum, hoc est, vitam æternam mereatur.*

(At si homo neutrum horum certo novit, utique etiam meritis suis non potest, nec debet confidere.)

Argumenta Adversariorum.

1. Tob. 4. v. 12. *Fiducia magna erit coram Deo eleëmosyna omnibus facientibus eam. Ergo fiducia coram Deo licite collocari potest in eleëmosyna facta.* Alphonsus de Castro advers. hæres. Bailius in Catech. controv.

Resp. 1. Ostendimus suo loco, quosdam ex Pontificiis agnoscere, *librum Tobiæ esse Apocryphum.*

(Atqui ex libro Apocrypho fidei dogmata non possunt confirmari.)

2. Ostendimus etiam suo loco, quosdam ex Pontificiis agnoscere, Græcum textum hujus libri præferendum esse versioni Latinæ.

(At in Græco est: Δῶρον γὰρ ἀγαθόν ἐστιν ἐλεημοσύνη πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτὴν ἐνώπιον τοῦ ὑψίστου. *Donum enim bonum est eleëmosyna omnibus facientibus eam coram Altissimo.*)

3. Bellarminus ex hoc loco probat, *non ex fide solum, sed ex bonis operibus nasci fiduciam,* & quidem postquam solicite distinxisset, *aliud esse nasci fiduciā ex operibus, aliud constitui in operibus.*

(Ergo prius tantū ex hoc loco probari potest, nō posterius.)

Argum. 2. Jobi 7. v. 2. *Vita hominis est super terram, sicut dies mercenarii. v. 3. Sicut enim mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos & noctes laboriosas enumeravi mihi. Mercenarius autem sperans mercedem laboris sui, non solum habet fiduciam in veritate & bonitate Domini, à quo fuit conductus ad laborem, sed etiam confidit in suo proprio labore, quoniam optime intelligit, se non recepturum à Domino mercedem, quamvis ille sit bonus & verax, nisi propter laborem suum.* Alph. de Castro.

Resp. 1. Si ex hoc loco evinci posset fiducia in opera, consequens foret, omnium hominum opera esse merita condigna, quibus fidere possent. Ratio est, quia Jobus loquitur non solum *de vita fidelium*, sed *hominum in genere.* At consequens nec ipsi Pontificii concedunt.

2. Comparatio non est extendenda ultra tertium, alias inferri posset, sicut mercenarius opus suum nullo jure debet domino, nisi ex compacto, ita quoque fideles opera Deo non debere: Item, sicut mercenarius non omnes suas operas,

sed

sed certas duntaxat domino promisit: ita quoque idem de fidelibus esse dicendum, quorum utrumq; absurdum esse, ipsimet Pontificii agnoscunt.

3. Pineda ad h.loc. sic annotat tom.1.pag.357. *Significantior videbitur sententia, si pars hæc potius dissimilitudinem quandam contineat priori similitudini subnexam, ad amplificationem calamitatis, qua etiam confirmet, ultimum præmium non esse in hac vita expectandum, in qua justis perinde ac improbis mala communia sunt, propterea, vitæ finem optabilem esse, cum quo finis operis optatus & expectatus conjunctus sit. Cum deberem instar mercenarii præmium expectare & percipere, longe aliter accidit, nam laboris non unum, aut alterum diem, sed menses, annosq; plures præmio vacuos, honestis tamen laboribus atque operibus refertos video.*

(Ergo Jobus non exprimit fiduciam in sua opera, sed potius conqueritur de ærumnarum suarum magnitudine.)

Argum.3. Matth.9.v.22. *Confide filia, fides tua salvam te fecit. In his verbis Christus docuit, illam licite fiduciam salutis posse habere, quia fidem tenebat, præcipit ergo, ut consideret in illo & in fide, quam de illo conceperat.* Alphonsus de Castro.

Resp. Fiducia ex fide in Christum nascitur, sed in propria merita non debet constitui.

Salmero Disput.17. in Epist. ad Galat. in resp. ad arg.8. *Dicendum est, hic non esse sermonem de fide & aliis præparationibus, quæ ad percipiendam gratiam disponunt, constat enim in illis nullum esse justitiæ meritum.*

(At si in illis nullum justitiæ meritum, utique etiam nulla in illis meriti fiducia esse poterit.)

Argum.4. *Pii apud Deum meminerunt operum suorum. Esa.38. v.3. Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim Esth.14.v.15. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signũ superbiæ & gloriæ meæ &c.2.Timoth.4 v.7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. Ergo in opera fiduciam collocarunt.* Bellarm.

Resp. Commemorant opera sua ut veræ & ἀνυποκρίτου fidei effecta, non ut fiduciæ suæ fundamenta.

1. Lyranus in cap.38. Esa. *Hoc non dixit Ezechias ad jactantiam sed magis ad gratiarum actionem, recognoscens, quod hoc processisset à bonitate divina, ut sic gratus de præcedentibus ulteriorem gratiam impetraret.*

2. Glossa Interlin. h.l. verba Ezechiæ sic explicat: *Ambulavi coram te in veritate & corde perfecto, id est, non claudicans post idola, quis enim glorietur, se mundum habere cor?*

(Nimirum Ezechias morbo lethali laborans, coram Deo meminit eorum, quæ in Judæa egerat pro reformatione cultus divini, quia omnem idololatriã aboleverat, nec pepercerat ipsi serpenti æneo, quem Moses in deserto ex mandato divino erexerat. Non deerant autem, qui eo nomine impietatis ipsum accusarent, ut testantur verba Rabsacis Esa. 36.v.7. *Quod si respondes mihi, in Domino Deo confidimus; nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dixit Juda & Jerusalem, coram altari isto adorabitis?* Quoniam itaque homines sæpe ex eventu judicant, in hac sua angustia commemorat coram Deo non quidem omnimodam vitæ suæ integritatem, sed sinceritatem suã in Ecclesiæ reformatione & idololatriæ abolitione, ut sic Deũ in suas partes traheret, cujus causa agebatur, quia si tum morte sublatus fuisset, insultassent adversarii, in præjudicium causæ Dei. Procul dubio etiam reformationis opus nondum fuerat per totum regnum penitus absolutum, cui non mediocrem remoram mors Regis injecisset.)

3. Hector Pintus in cap.38. Esaiæ sic commentatur pag. 283. *Hoc, quod hic dicit Ezechias, non ideo dicit, ut se arroganter laudet, sed ut spem suam confirmet. Pater ejus Achaz Dei cultum abstulerat & idola adoraverat, ipse autem Ezechias idola contrivit, templum Baal evertit, & divinum cultum in statum pristinum revocavit. Credibile est cogitasse Ezechiam, fore, ut morte sua hostes sui lætarentur & dicerent, ob eam causam illam è vita decessisse, quia abstulisset de medio idolorum aras, & ejus mortẽ pœnam sacrilegii falso interpretarentur. Ex quo efficeretur, ut offenderentur multi ex fidelibus, & omnes infideles superbia elati in pestilentiores errores inciderent.*

(Ergo gloriam nominis divini Ezechias in precibus urget, non autem fiduciam in merita sua collocat.)

4. Cornelius à Lapide in hunc locum sic annotat: *In corde perfecto idola destruens, templi valvas aperiens, serpentem aneum comminuens. In hoc enim unius Dei cultu insignis & perfectus fuit, in aliis tamen nonnullis deliquit, quæ luget v.15.*

(At si in nonnullis deliquit, fiduciam in merita sua ponere non potuit.)

THESIS quarta. Non debemus intuitu mercedis per operum merita obtinendæ bona opera facere.

Ἐκθεσις.1. Non est quæstio, an Deus præmiis temporalibus & æternis bona opera ex gratia remunerari velit, quod libenter concedimus.

2. Neque quæstio est, an promissiones illæ de præmiis bonorum operum in renatis studium bene operandi excitare debeant, quod itidem concedimus. Quoties enim torpor carnis nobis obrepit, consideratione præmiorum eundem excutere; quoties adversitates & persecutiones ingruunt, carnis nostræ infirmitatem consideratione futuræ largissimæ retributionis erigere possumus ac debemus.

3. Neque quæstio est, an solum vel præcipue in operibus mercedem spectare debeamus, id enim ipsimet saniores Pontificii negant.

4. Sed hoc proprie in quæstione est, an intuitu mercedis æternæ, id est, ipsius vitæ æternæ mercedis loco per merita operũ obtinendæ, bene operari debeamus? id quod negamus.

Antithesis.

Bellarminus lib.5. de Justificatione cap.8. *Licitum est, operari bona opera intuitu mercedis æternæ.*

Nostram sentiam probamus.

1. *A bonorum operum qualitate.* Bona opera in se non habent hanc vim & dignitatem, ut propter merita eorum vitam æternam obtinere possimus; insuper alii fines in Scripturis proponuntur, propter quos bona opera sunt facienda; deniq; vita æterna non propter opera nostra, sed ex sola Dei gratia propter solum Christi meritum fide apprehensum nobis obtingit, unde vocatur Dei χάρισμα in Christo Rom.6.v.23. Ergo non sunt bona opera facienda intuitu mercedis æternæ consequendæ.

2. *A piorum proprietate.* Filius non obtemperat parenti intuitu mercedis, sed ex corde filiali & sincero, alias nulla foret differentia inter filium & servum. Renati sunt filii Dei, Joh.1.v. 12. Rom.8.v.16. Gal.3.v.27. &c. Ergo. In libro Hebræo Pirke Aboth, i.e. Sententiæ Patrum cap.1. refertur dictum Antigoni inter Hebræos Doctores celeberrimi, tempora Esdræ proxime secuti, quod Scholæ suæ sæpius inculcavit: *Ne sitis sicut servi, qui ministrant Domino ob conditionem mercedis, quod accepturi sint præmium.*

(Vide Schindler. in Lexico in voce צדק Tremell. in notis ad paraph. Syriac. Matth.22.)

Paulus Fagius in paraphr. Deut.6. adducit ex Hebræis talem explicationem præcepti de Deo ex toto corde diligendo: *Tribus modis admonuit Deus Israelitas ad colendum se, timore scilicet, juxta id, quod dicitur: Dominum Deum timebis; acceptione præmii, sicut dicitur, ut bene sit tibi & prolonges dies, & dilectione, ut hic. Differunt autem hæc tria inter se. Multi enim homines sunt, qui faciunt præcepta Regis non propter id, quod diligunt Regem, neq; ut recipiant mercedem, sed quia timent Regem, ne noceat eis. Atque his similes sunt hi, qui colunt Deum, ne sibi noceat in præsenti seculo, & ne forte etiam post mortem adjudicet ipsos gehennæ. Et hæc quidem ratio bona est, ut aliquis sibi timeat à Deo, sed non est fundamentum cultus divini, quia præcipua causa, ad quam intendit, est proprium commodum. Multi quoque colunt eum ea conditione, ut benefaciat ipsis in præsenti & in futuro seculo, quæ & ipsa bona ratio est, quia creditur, quod Deus sit, qui rependat bonam mercedem. Verum nec hæc præcipua causa est colendi Deum. Nam summus gradus colendi Deum creatorem est, ut servias ei ex dilectione, & non propterea, ut mercedem seu præmium accipias. Atque hinc est, quod dixerunt Magistri: Ne sitis similes servis, qui serviunt Domino eo pacto, ut recipiant mercedem, quin potius dilige Dominum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota substantia tua.*

3. *A servitii dignitate.* Quicunque spontaneo Spiritu Deo obsequuntur, nec pœnas, nec præmia hactenus intuentur. Quod enim comminatione pænarum extorquetur, vel præmiorum promissione elicitur, id eatenus non proficiscitur *ex Spiritu spontaneo.* Renati spontaneo Spiritu Deo obsequuntur, Psalm.110.v.3. Psal.119.v.108. Ergo.

4. *Ex regula Christi.* Matth.6.v.3. *Te faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quod facit dextra tua.* Si bonorum operum nostrorum debemus oblivisci, utique non sunt facienda intuitu mercedis. Sed illud, Ergo & hoc.

5. *A Natura caritatis. Caritas non quærit, quæ sua sunt,* 1. Cor. 13.v.5.

13.v.5. Ergo etiam non quærit in operibus suis mercedem, sed libere amato obsequitur. Jamvero bona opera proficiscuntur ex caritate.

6. *Ex parabola Christi Matth.* 10, Primæ horæ operarii, qui paciscuntur cum patrefamilias de mercede, nolunt prius laborare, quam merces esset constituta, jactitant, se tolerasse pondus diei & æstum, existimant, se plus accepturos, illi, inquam, primæ horæ operarii fiunt novissimi, & audire coguntur, *Tolle quod tuum est & abi.* Contra verò undecimæ horæ operarii, qui non respiciunt mercedem in suis operibus, sed contenti sunt gratuita promissione patrisfamilias, obsequuntur vocationi & laborant in simplicititate cordis &c. illi fiunt primi, & mercedem omni opinione ac spe majorem ex gratia consequuntur.

7. *Ex responso electorum Matth.* 25. v. 34. Electi, cum audiunt, *Venite, possidete regnum &c.* immensam præmiantis munificentiam ac largitatem mirantur, atque eo ipso declarant, quod simplici corde, non autem mercedis intuitu benefecerint. Certe, si bona sua opera intentione consequendi æterna mercedem fecissent, nequaquam in illâ admiratione prorûperent.

Nostræ sententiæ suffragantur quædam hypotheses & assertiones Adversariorum.

Gregorius Episcopus Romanus lib. 9. moral. cap. 17. *Si scimus bona, quæ agimus, ad elevationem ducimur; si nescimus, minime servamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quantulumcunq; superbiat; aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra utraque quid superest, nisi ut recta, quæ agimus, sciendo nesciamus, ut hæc & recta æstimemus & minima, quatenus & ad custodiam sensificet animam scientia rectitudinis, & in tumorem non elevet æstimatio minorationis.*

(Si recta quæ agimus, sciendo nescire debemus, utique non debemus ea intuitu mercedis agere.)

Bernhardus in tract. de dilig. Deo. *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus est. Vera caritas mercenaria non est, quamvis merces eam sequatur.*

Theolog. Germanica (quam B. Lutherus præfatione ornavit) cap. 36. *Qui Christi vitam ideo habet, ut ea aliquid assequatur, aut mercatur, is eam habet ut mercenarius, non amore, vel potius omnino non habet. Qui eam non amore habet, is non habet, putet licet, eam se habere, sed fallitur. Habuit Christus vitam suam non propter mercedem, sed amore, & amor vitam reddit facilem, nõ gravem, efficitq; ut libenter habeatur & volenter feratur. Sed qui eam non amore habet, sed propter præmium se habere putat, huic est quam gravissima, ab eaq; libenter cito liberaretur, atque hoc est cujusque mercenarii proprium, ut laboris sui finem exoptet. At verus amator neque laborem, aut tempus, aut dolorem ægre fert.*

In eodem libro sæpius repetitur. *Si vel maxime nec cælum, nec infernus esset, renatos & Dei filios nihilo tamen minus bene operaturos.*

Onus Ecclesiæ cap. 15. §. 30. *Bonum opus absq; mercede & propter Deum finaliter homo facere debet.*

Johann. Ferus in cap. 3. Rom. *Blasphemia est eligere opera hac spe & opinione, ut per ea justificemur.*

(Ergo etiam non sunt facienda ea opinione, ut per ea ac propter ea salvemur?)

Idem in cap. 4. Matth. pag. 49. *Christus ductus est à Spiritu in desertum, non coactus, sed sponte. Ubi enim Spiritus, ibi sponte ad opus procedit homo, juxta illud: Justo non est lex posita. Tunc igitur opera nostra Deo placent, si è Spiritu procedant, id est, si non ex timore pœnæ, aut amore laudis vel mercedis bona agimus & mala vitamus, sed amore justitiæ.*

Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis concion. 5. in Epist. festi D. Johannis Evangelistæ pag. 160. *Is, qui semel vere amplexus est justitiam, hoc est, fide percepit gratiam & misericordiã nobis per Christum exhibitam & oblatam, tantam inde sentit dulcedinem, tantam suavitatem, tantum gaudium, ut etiamsi nullum propositum præmium sit, tamen ob solam amabilitatem ad quæcunque bona opera facienda sit propensissimus, nõ secus ac germanus filius matre sua honorabili delectatur, & ei addictus est animo, etiamsi nihil præterea ab ea accipiat: Item quemadmodum procus virginem deperit & deamat, etiamsi nullam allatura sit dotem, propter solam ejus pulchritudinem ac honestatem.*

Ludovicus de Ponte lib. 9. Comment. in Cantic. Canticor. Exhortat. 3. §. 3. pag. 457. *Maria ancillam se vocat (Ecce ancilla Domini, dicens) ut ostenderet, paratam esse ad obediendum, non solum in magnis, sed in parvis, non ex mercede, sed gratis, ex jure servitutis, non cum præsumtione, sed cum profunda submissione, ac si audisset jam, quod postea Filius dixit: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Margarinus tom. 5. Bibliothec. SS. Patrum inseruit Marcum Eremitam, qui sententia 22. sic loquitur: *Quicunq; regenerationis lavacro dignati sumus, bona opera non propter retributionem facimus, sed propter custodiam concessæ nobis puritatis & innocentiæ.*

Sententia 54. *Faciens bonum & quærens retributionem, non servit Deo, sed propriæ voluntati.*

Lorinus in 1. Petr. 5. v. 6. pag. 568. super verba: *Humiliemini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet. Non debemus in humilitate proponere nobis pro fine primario exaltationem. Hæc tamen cum illa nexum habet, potestq; quis præmii spe excitari primum sibi proponendo finem Deum solum.*

Jeremias Drexelius in Amussi, sive de recta intentione lib. 1. cap. 2. *Triplici fere modo intentionem nostram dirigimus ad Deũ, Primo, servit quis Deo & à noxis gravioribus se continet, formidine pœnæ, inferorum ignes, æternos cruciatus metuit &c. Oculus iste simplex non est, nec, si sit, diu talis est, non enim solum Deum respicit &c. Altero modo intentio ad Deum dirigitur. Servit quis Deo, quia cupit inter beatos vivere; cœlum ei dulce, merces æterna, merces magna nimis, inclinat cor suum ad faciendas justificationes propter retributionem. Intentio hæc prima multo melior est, nec tamen optima est &c. Tertio modo intentionem ad Deum rectissime dirigit, qui sic animo sentit: Servio Deo, & ideo servio, quia hic Dominus dignissimus est, ut ei serviatur ab omnibus, & quia me beneficiis eximiis, innumeris prævenit, omnia ipsi debeo. Huic placere cupio & propter hunc omnia facio, quæcunque facio. de præmio & mercede nihil omnino solicitus sum. Ego Deo servio, serviamq; dum vixero, ubi ubi demum sit remuneratio. Hæc omnium optima, hæc rectissima est intentio, non sui, sed Dei, non utilis, sed solius honesti aspectu, facere omnia.*

§. 1 *Servire Deo propter Deum hoc demum Deo vere servire est. Sic enim & Deus nos amat sic & ipse nobis servit, uti per Oseam promittens cap. 14. v. 15. Diligam, inquit, eos spontanee, hoc est, mere gratis. Idem à nobis jure exigit, neque enim vult, ut nos serviamus sibi, sicut canis servit Domino pro osse aut offa. Nam si Deo serviamus pro cælo, cœlum nobis charius esse Deo, satis monstramus. Appositissime huc Seneca lib. 4. de benefic. capit. 1. Inveniuntur, inquit, qui honesta in mercedem colant, quibusq; non placeat virtus gratuita, quæ nihil habet magnificum, si quidquam habet venale, cum virtus nec lucro invitetur, nec absterreatur damno, adeoq; neminem spe ac pollicitatione corrumpat. Calcatis utilitatibus ad illam eundum, est, quocunque vocavit, quocunque misit, nisi respectu rei familiaris: interdum etiam sine ulla sanguinis sui parsimonia vadendum, nec unquam imperium ejus detrectandum. Quid consequar, inquis, si hoc fortiter, si hoc grate fecero? quod feceris. Nihil tibi extra promittitur. Si quid forte obvenerit commodi, inter accessiones numerabis. Rerum honestarum precium in ipsis est.*

Et postea. *Hanc igitur intentionem ut optimam & purissimam probamus, qua quis facit quippiam, quia Deo sic placet, quia Deus vult, quia Deus ob immensam bonitatem suam dignissimus est, ut ejus honori fiant omnia. Quare secum quisque sic statuat: Servio Deo propter Deum, qui tantus est, ut si cœlum non sit, nec sint inferi, solus tamen dignissimus sit, cui omnes Angeli cui gens humana, cui quicquid creatum est, serviat quam accuratissime.*

§. 2. *Publius Mimus succincte quidem, sed præclare quoque dixit: Malus est vocandus, qui sua causa est bonus. Ergo non tantum non licet mihi esse malum propter me, sed nec bonum etiam propter me. Ad finẽ summi boni, ut Seneca loquitur Epist. 95. omne factum, dictumq; nostrum respiciat.*

Et postea. *Hæc ergo, ut Bernhardus loquitur in vigil. Nativit. Domini serm. 3. puritas intentionis est, ut quicquid feceris, propter Deum facias, & ad locum, unde exeunt gratiæ, revertuntur, ut iterum fluant.*

APPENDIX HUJUS ARTICULI DE Justificatione,

ADVERSARIORUM QUERELAS, CALUMNIAS & Opiniones Erroneas complectens.

I. Querelæ.

1. Bellarminus lib. 4. de Justificatione cap. 10. Chemnicium accusat, quod per calumniam Pontificiis tribuat, *quasi statuant, per solas liberi arbitrii vires legem impleri posse.*

Resp. 1. Biel 3. sent. dist. 27. quæst. 1. propos. 1. sic disputat: *Voluntas humana viatoris ex suis naturalibus potest Deum diligere super omnia, quia omni dictamini rectæ rationis potest se voluntas ex suis naturalibus conformare. sed diligere Deum super omnia est dictamen rectæ rationis. Ergo voluntas potest se illi ex suis naturalibus conformare, & per consequens Deum super omnia diligere.*

Similia occurrunt in Scoto, Occamo & Petro de Alliaco. Unde Guilielmus Estius 2. sent. dist. 26. §. 37. fol. 359. fatetur, *Durandum, Scotum, Gabrielem, imo nostro seculo Jacobum Almain & Ca-*

& Cajetanum docere, quod possit homo ex puris naturalibus Deum super omnia diligere.

(Ex quibus sic colligimus: Qui possunt Deum super omnia diligere, possunt etiam legem divinam implere. Ratio est, quia qui Deum super omnia diligit, is etiam proximum diligit sicut seipsum. Qui autem Deum super omnia, & proximum sicut seipsum diligit; is legem Dei implet. Juxta hypothesin Bielis & aliorum Scholasticorum, homines in puris naturalibus constituti, possunt Deum super omnia diligere. Ergo.)

2. Roffensis in Libr. contra Lutherum sic scribit: *Nonnulli Scholastici contendunt, generalē influxū sufficere, ut quis absq; speciali Dei auxilio bene moraliter agere & bonum facere possit, non solum ex genere, sed etiam, quod debitu undique circumstantiis ornatum sit.*

3. Latomus contendit, *homines ante Mosen salvatos esse lege Naturæ.*

(Præsupponit igitur, quod ex viribus naturalibus legem perfecte impleverint.)

4. Multi ex Pontificiis statuunt, *saniores gentiles absque Christi cognitione salvatos esse*, ut suo loco demonstravimus.

(Gentiles illi aut ex lege, aut ex Evangelio sunt salvati. Non ex Evangelio, illud enim non habuerunt cognitum. Ergo ex lege. Jam vero lex neminem salvat, nisi perfecte impleatur.)

5. Sorbona Parisiensis in quæst. Theol. pag. 20. defendit hanc opinionem: *Ad observationem præceptorum Decalogi non requiritur gratia, cum omnium gentium opera peccata non sint.*

6. Petrus Suavis in Hist. Concil. Trident. pag. 215. *Dominicus Soto & ejus asseclæ in Concilio Tridentino disputabant, posse hominem Naturæ viribus omnia legis mandata adimplere, quoad operis substantiam, licet non quoad finem, atque id sufficere ad peccatum evitandum, non quidem omne simul, sed tamen quoddam.*

Balthasar Hagerus Jesuita in Coll. August. Confess. & Conc. Trident. art. 18. scribit, *antiquos Dd. Scholasticos probabiliter docuisse, posse legem quoad operis substantiam, saltem brevi aliquo tempore, certis quibusdam conditionibus positis, viribus Naturæ observari. Ita docuisse ait Scotum, Cajetanum, Sotum & alios.*

(Excipit Bellarminus Lib. 5. de gratia cap. 13. art. 3. *Hoc scripsisse Scholasticos quosdam paucos, sed non debere Ecclesiæ tribui opinionem paucorum, quam in eadem Ecclesia plures & graviores reprehendunt.* Atqui non pauci, sed præcipui Scholasticorum hoc docuerunt, ut Scotus, Gabriel, Petrus de Alliaco, Occam, Major, Almain, Durandus, Cajetanus, ipso Tannero teste tom. 2. Theol. Schol. Disput. 6. quæst. 3. dub. 4. num. 102.)

7. Toletus in Comment. Rom. 2. annotat. 13. sic scribit: *Factores legis justificabuntur. Aliqui moderni Catholici respondent, Paulum intelligendum esse de quadam justitia legali & morali, quæ est legis observantia, quæ quidem potest esse in fideli, sed hanc responsionem refutat verbum illud, apud Deum.*

(Ergo etiam quidam moderni Catholici ita statuunt.)

8. Bellarm. Lib. 4. de Justificatione c. 13. sic concludit: *Si lex esset impossibilis, sequeretur, Deum quovis Tyranno esse crudeliorem & stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis exigeret tributum, quod nemo solvere posset & leges ferret, quas sciret à nemine observandas.*

(Atqui lex Dei non solum ad renatos & Dei amicos, sed ad omnes omnino homines pertinet. Si ergo cōnexio Majoris satis firma, sequetur, aut homines non renatos itidem implere posse legem, quippe quibus non minus quam renatis proponitur, aut illorum respectu Deum esse crudelem Tyrannum.)

9. Ex Marc. 10. v. 20. conantur probare, *legem perfecte impleri posse.*

(At Pharisæus ille destitutus fuit vera in Christum fide.)

2. Per calumniam sibi tribui conqueruntur *fidē implicitam, qualis fuit carbonarii, qui interrogatus, quid crederet, respondit, se credere, quod credit Ecclesia, & Ecclesiam credere, quod ipse credat.*

Resp. Veritatem hujus accusationis evicimus in hoc ipso articulo cap. 1. in Antithesi, ex Anglo-Rhemensibus, & Claudio Espensæo atque aliis.

3. Per calumniam in Augustana Confess. sibi tribui conqueruntur, *quod homo possit mereri gratiam justificationis, quodque non credant, gratis propter Christum & ipsius meritum contingere peccatorum remissionem.*

Bellarminus Lib. 5. de Justificat. c. 21. §. Jam vero. *Gratiam justificationis non posse obtineri neque ex condigno, neque ex congruo meritis operum solis viribus liberi arbitrii effectorum, docuimus adversus Pelagianos Lib. 5. de gratia & libero arbitrio.*

Gregorius de Valentia tract. de grat. div. part. 4. cap. ult. in fine. *Cum tantum gratia tunc detur, cum semel eæ actiones, quibus ultimo ad gratiam disponimur, ex ipsa gratia & libero arbitrio fluunt, sequitur, hominem neque ex justitia, neque ex congruitate gratiam proprie per illas promereri.*

Resp. 1. Thomas 1. 2. quæst. 2. *Creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium, unde tota actio habet rationem meriti, quod non est in aliis creaturis.*

2. Durandus 2. sentent. dist. 12. quæst. 2. *Secundum omnes Doctores* (nota) *peccator carens gratia pœnitendo de congruo meretur gratiam justificantem. Congruum enim est, ut bene utentibus donis Naturæ propter Deum det Deus bona gratiæ.*

3. Biel 2. sent. dist. 27. concl. 4. *Deus dat gratiam facienti, quod in se est necessitate immutabilitatis & ex suppositione, vel ex ὑποθέσεως, quia disposuit dare immutabiliter gratiam facienti, quod in se est.*

Concl. 1. art. 2. *Anima gratia informata per actum à voluntate simul & gratia elicitum de condigno meretur æternæ beatitudinis præmium.*

4. Vincentius Domin. 4. Adventus. *Si quis me amat, inquit Christus, diligetur à Patre meo, id est, si quis me amat per amorem naturalem, diligetur à Patre meo per gratiam.*

(Ergo aute Confess. August. Scholastici ita docuerunt.)

5. Concil. Tridentinum sess. 6. can. 7. docet, *justitiam à Deo nobis infundi secundum dispositionem & cooperationem utriusque.*

(At hæc est ipsissima descriptio meriti de congruo.)

6. Vega opusc. de merit. pag. 181. *Quæstio est, utrum dispositionibus, quibus ad gratiam justificantem adducimur, meritum ex congruo recte tribuatur? Respondeo: Roffensis non abhorret ab hac sententia, eas esse meritorias apud Deum.*

7. Pererius Disput. 16. in c. 3. Rom. n. 83. fatetur, *si meritum de congruo intelligamus, non videri negandum per fidem & alia præparatoria promereri aliquo modo justificationis gratiam*, quod probat ex Concilio Tridentino, in quo statuitur, *justitiā à Deo nobis infundi secundum dispositionem & cooperationem uniuscujusque.*

8. Bellarminus Lib. 1. de Justificatione c. 21. §. Jam vero. *Nos certo non videmus, cur dispositionibus ad justificationem, quæ ex gratia fiunt, non tribuatur nomen meriti cum additione ex congruo.*

9. Idem Lib. 5. de Justificatione cap. 22. *Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis.*

4. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, *quod dubitationem propugnent.*

Bellarminus Lib. 3. de Justificat. c. 11. in resp. ad postremam rationem. *Nullus est Catholicus scriptor, qui doceat, oportere homines perpetuo dubitare & hæsitare de sua cum Deo reconciliatione.*

Reyhing. fund. 1. civit. sanctæ p. 13. *Nec jubent nostri, nec hortantur, ut dubitet, sed ut formidet ac timeat bona conscientia.*

Resp. 1. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 9. decernit, *non esse asserendum, oportere eos, qui vere justificati sunt absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos.*

(Si ergo hoc non est absque dubitatione statuendum, utique aliquis hæsitationi locus relinquitur.)

2. Andradius in Defens. Concil. Tridentini ad illud, quod Iesuitæ scripserunt, (*Fidelis quidem firmiter sperat vitam æternam, & quod magis est, confidit etiam, non tamen certo credit, sed dubitat, spes enim fallere potest;*) responsurus inquit, *spem habere aliquam dubitationem conjunctam & implicatam.*

3. Petrus à Soto in Confess. *Tutum*, ait, *& humilimum est de Dei in me gratia atque præsentia dubitare.*

4. Hosius de autorit. Script. fol. 218. *Noli putare Brenti, quod sine causa Deus, sicut extremi judicii diem, ita justificationem quoque nostram, gratiæque consecutionem nobis non esse certissimam voluerit, imbecillioribus enim ista certitudo superbiæ quadam esset occasio. Nam si quis persuasum habet, apud Regem aliquem seu Principem se esse in gratia, quantumlibet animi sui affectibus imperare sciat, effugere tamen vix potest, quin efferatur animus. Estne verisimile, quod quivis de vulgo, si certo scire queat, se esse in gratia apud Deum, ab hoc elationis crimine sibi cavere possit?*

5. Costerus in Enchir. cap. 4. pag. 209. *Fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit in nobis Christus esse.*

6. Bellarminus Lib. 1. de Iustific. cap. 10. *Non possunt homines credere, nisi omnino temere tanquam ex verbo Dei, sibi remissa esse peccata, cum in verbo Dei nusquam reperiatur annunciata salus vel remissio peccatorum mihi, vel illi in particulari, nisi paucis quibusdam.*

7. Communiter statuunt, *spem veniæ & salutis, si non ex toto, tamen ex parte in propriis meritis esse ponendam*, ut ostendimus superius cap. ult. thesi 3. At quia merita nostra nulla, & bona opera imperfecta, ideo nihil aliud, quam perpetua fluctuatio conscientiæ inde oriri potest.

8. Communiter statuunt, *remissionem peccatorum credendam esse, sed cum formidine contrarii, nempe, quod peccata possint esse non remissa*. Atqui ubi aliquid ita creditur, ut contrarium semper metuendum sit, ibi est mera dubitatio. Nam dubitatio, definiente Isidoro, nihil aliud est, *quam metus indifferens in utramque partem contradictionis, vel acceptio utriusque partis cum formidine & ad neutram partem determinatio*.

9. Communiter statuunt, *conjecturas, ex quibus Dei gratia colligenda, esse fallaces*.

Bellarminus Lib.3. de Justificat. c.9. *Hoc ipsum, quod Spiritus S. sit, qui nos movet, cum dicimus: Abba, Pater, non constat nobis ex fide divina, sed solum ex conjecturis, quæ fallaces esse possunt*.

At quod conjecturis fallacibus nititur, meram parit dubitationem.

10. Denique Bellarminus non nisi *conjecturalem certitudinem gratiæ* concedit, quam Lib.3. de Justificat. c.2. sic describit, *quod sit opinionis potius quam fidei*. Atqui illa certitudo conjecturalis est potius incerta opinio & perpetua dubitatio.

5. Pistorius in centum mendaciis, quæ D. Hunnio affingit. *Turpe mendacium est, Catholicos fiduciam suam collocare in propriis operibus & sanctitate, & non in Dei gratia & misericordia fide in Iesum Christum ex hac vita decedere*.

Resp. Veritatem hujus ἐγκλήματος evicimus superius cap. 8. thesi 3. in Antithesi.

II. Calumniæ. 1. Generales.

1. Bellarminus Lib.3. de Justific. cap. 6. *In eo conveniunt Lutherani, ut dicant, omnes justos æqualiter esse justos, ita ut neque unus Justus sit justior alio, neque idem homo in justitia crescat. Similem errorem docuit olim Iovinianus*.

Resp. Bellarminus ipse immediate subjungit: *Iovinianus docebat, virtutes esse pares & peccata etiam esse paria. Lutherani vero non dicunt, virtutes esse pares, aut peccata paria, neque negant, posse hominem crescere in fide, spe, dilectione, aliisque virtutibus, neque dicunt, non esse unum alio majorem, quod attinet ad ejusmodi virtutes, sed affirmant, per has virtutes neminem justificari* (coram Deo) *ac per hoc crescere in fide & caritate, non esse crescere in justitia*, (quæ coram Dei judicio subsistit) *& ex eo, quod alius alio fide & caritate sit major, non effici, ut unus sit alio justior* (ratione justitiæ imputatæ) *quandoquidem una & eadem Christi justitia fide apprehensa atque à Deo imputata omnes justificari docent*.

(Sed ex eo inferri nequit, quod justitia novæ obedientiæ ac bonæ conscientiæ non crescat, nec augmentum recipiat, quod erat Joviniani paradoxum.)

Vide art.10. cap.2. membr.2.

2. Idem Bellarminus Lib.4. de Justific. cap.1. nobis tribuit, *quod negemus operum necessitatem*.

Resp. Contrarium ex ipsorum Pontificiorum testimoniis demonstravimus superius cap.6.

3. Idem Bellarminus Lib.4. de Justific. cap.8. *propter negatam bonorum operum necessitatem* cum profligatissimis hæreticis *Simone & Eunomio* nos conjungit, quam calumniam repetit Lib.4. de Eccles. c.9. & in Judic. de libr. Concord. mend.7.

Andreas Fabricius Leodius ad articulum 4. Confess. Augustanæ. *Hic articulus juxta Apologiã declaratus, ex Schola Simonis Magi contra Ecclesiæ Catholicæ consensum, est repetitus. Docuit enim ille, ut autor est Irenæus libri primi capite vigesimo, suos sectatores libere agere posse, quæ velint, perque gratiam salvari homines, non autem secundum operationes justas: eoque ipsorum mystici Sacerdotes omnem immunditiem exercere non verebantur. Autor est D. Augustinus lib. de fide & operibus, quod hujus hæreseos occasione Apostolus Iacobus suam Epistolam Canonicam scripserit, ut vanitatem fidei solius sine operibus retunderet*.

Alphonsus de Castro Lib.7. adversus hæreses, verbo Fides, hæresi 2. *Alia est hæresis, quæ sic extollit fidem, ut bonis operibus detrahat. Hunc errorem, ut Augustinus refert Lib. de hæresibus cap.54. docuit primo Eunomius quidam Arianus, qui dixit, omnes, qui fidem, quam ille docebat, tenerent, fore salvos, etiamsi quantumlibet gravia peccata committerent, & in illis perseverarent. Hunc errorem jamdiu sepultum Spiritu pythonico, aut potius Diabolico instinctu Lutherus suscitavit ab inferis, dicens: solam fidem justificare*.

Idem Lib.12. adversus hæreses, verbo Peccatum, hæresi 5. *Aërii hæresis est, nullum peccatum quantumlibet grave, imputari homini habenti fidem. Hunc eundem errorem tam diu sepultum suscitavit hoc nostro seculo Lutherus, dicens: solam fidem absque ullo alio opere esse satis ad vitam æternam consequendam*.

In operibus Augustini recentioris editionis tom.6. col.25. ubi Eunomii error recensetur, in margine adscriptum legitur: Sola fides. Sed in editione vetustiori Ann.1506. Basileæ illud glossema non habetur adjectum.

In Indice operum Augustini recentioris editionis hæc leguntur: *Fide sola & nuda justificari dicunt Eunomiani*. Sed illa non habentur adjecta in Indice vetustiore, quem Johannes Teuschlein Frickenhusanus confecit & Anno Christi 1517. in publicum edidit.

Costerus in Enchirid. cap.2. pag.78. B. *Augustinus inter hæreses Eunomii recenset doctrinam de sola fide, quam tot annorum spacio decurso rursus ab inferis suscitavit Lutherus*.

Similia habent Gretserus in Apolog. contra Lermæum c.1. pag.10. Guilielmus Bailius in Catech. contr. q.1. & alii.

Resp.1. Bellarminus ex Irenæo Lib.1. adversus hæreses cap. 20. (debebat esse cap.12.) hæresin Simonis sic describit: *quod docuerit salvari homines per gratiam ejus* (Simonis) *non secundum operationes justas*.

Sixtus Senensis Lib.2. Biblioth. sanctæ tit.5. *Docuit Simon Magus, conjugem suam esse Helenam illam antiquam, ob quam Troës & Græci ad pugnam devenerunt, & de hac allegorice scripsisse Homerum, quæcunque in Iliade haberentur*.

Ibid. *Tradidit Simon usum detestandæ turpitudinis indifferenter utendi fœminis*.

Alphonsus de Castro Lib.4. adversus hæreses, tit. Coitus. *Docuit, promiscuum fœminarum usum esse licitum, ita ut quisque, qua vellet, uti sine peccato posset*.

Eunomii vero hæresin ex Augustino de hæresibus cap.54. sic describit: *Fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset*.

(At quid cum tetris hisce hæresibus confessioni nostræ Ecclesiæ commune? Simoniani docebant *fidem in Simonem & scortum ejus Selenem*; nos docemus *fidem in Christum*. Simoniani prædicabant *gratiam Simonis Magi* impostoris pessimi; nos prædicamus *gratiam Dei in Christo nobis oblatam*. Simoniani introducebant *licentiam peccandi*, nec *legis minas pertimescendas esse docentes*, nec *Prophetis attendendum*; nos Christianam libertatem, non carnalem licentiam docemus. Eunomiani erant *bonis operibus inimici*, nos ea urgemus & inculcamus. Eunomiani docebant, *nemini obesse perseverantiam in peccatis, si fidei illius, quam prædicabat, particeps esset*, nos perseverantiam in peccatis cum fide consistere posse διαῤῥήδην negamus.)

2. Idem Bellarminus Lib.1. de Iustific. cap.12. nostram de Iustificatione doctrinam sic describit: *Docent Protestantes, hominem justificari sola fide, id est, tantum per gratiam Dei non imputantis peccata, quam gratiam fides credendo recipit*.

(At num talem fidẽ Simoniani vel Eunomiani docuerunt?)

3. Idem Bellarminus Lib.4. de Ecclesia cap.5. *doctrinam esse novam* probat ex eo, *quod Lutherus invenerit hoc dogma de justificatione per solam fidem*.

(At si Lutherus hoc dogma invenit, quomodo est antiqua Simonianorum & Eunomianorum hæresis?)

4. Toletus in Commentar. cap.13. Ioh. *Affirmavit Eunomius, fidem sufficere ad salutem, quamvis mala opera adessent. Protestantes dicunt quidem, fidem ad salutem sufficere, negant tamen, fidem illam sine operibus esse posse*.

(Agnoscit ergo Toletus, Eunomianos fidem mortuam, Protestantes vero fidem vivam profiteri.)

5. Idem Toletus Cardinalis in cap.15. Iohann. annot.6. discrimen inter Eunomii hæresin & nostram sententiam agnoscit. *Affirmavit*, inquit, *Eunomius, fidem sufficere ad salutem, quamvis mala opera adessent: at nostri temporis hæretici sufficere fidem ad salutem asserunt, negant tamen, sine bonis operibus esse posse*.

(Debuisset vero addere, quod *Eunomius dissimilem per omnia Patri asseruerit Filium, & Filio Spiritum Sanctum*, referente Augustino de hæresibus cap.54. ac proinde talem prædicaverit fidem, quam nos detestemur.)

4. Idem Bellarminus Lib.4. de Iustific. c.10. nobis tribuit, *quod statuamus, nullam esse in nobis veram actualem justitiam*.

Balthasar Hagerus Iesuita in Collat. August. Confessionis & Concil. Trident. art.16. itidem nobis tribuit, *quod statuamus, totam nostram justitiam consistere in imputatione justitiæ Christi, ac propterea ignorantiæ insertis* Confessionem Augustanam accusat, quod artic. 16. *timorem Dei & fidem* vocet *æternam cordis justitiam*.

Resp. Non negamus, dari justitiam novæ obedientiæ, nec negamus, eam esse veram, id est, ἀνυπόκριτον ex sincero corde pro-

de profectam, sed negamus, eam esse perfectam & omnibus numeris absolutam, proinde negamus, eam coram Dei judicio subsistere posse. Confer artic. 16. & 20. Confess. August.

5. Idem Bellarminus Lib. 3. de Justific. cap. 3. nobis tribuit, *quod statuamus, sola illa fide, qua credimus, peccata esse remissa, homines justificari.*

Resp. Fiducia illa, qua post acceptam remissionem peccatorum statuimus nos esse apud Deum in gratia, ac nobis propter Christum remissa esse peccata, est consequens fiducialis illius apprehensionis, qua Christum cum suo merito in verbo Evangelii nobis oblatum amplectimur & propter ipsum vera fide apprehensum justificamur, hoc est, remissionem peccatorum consequimur.

Cassander in Consult. art. 4. pag. 924. *Recte & divinis literis consentanee dicitur, hanc esse Naturam fidei justificantis, ut sensum illum divinæ gratiæ, quem in nobis efficit Spiritus Sanctus, percipiat, dicit enim Apostolus: Spiritum Sanctum, quem accipiunt credentes, testimonium reddere Spiritui ipsorum, quod sint Dei filii. Verum si res diligentius consideretur, hæc certitudo fidei, quæ ex hoc Spiritus Sancti testimonio concipitur, Natura ipsam justificationem & peccatorum remissionem consequitur, nam donum est Spiritus Sancti, quod justificatis infunditur, quo de remissione peccatorum & gratuita Dei Patris erga se benevolentia certi redduntur. Ad justificationem autem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahæ ad promissionem Dei non hæsitet per diffidentiam, sed præter spem in spem credat, Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationẽ nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem & peccata non imputaturum, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiritum Sanctum vivificaturum.*

6. Costerus Enchir. c. 6. negat, *à nobis in justificatione agnosci ullam mutationem internam, aut unquam hominem esse justum sanctumve, sed tantum haberi instar sepulchri dealbati, quod foris mundum appareat, intus vero plenum sit ossibus mortuorum.*

Et in object. 8. sic inducit argumentantes: *Christus est nostra justitia, nulla est ergo alia justitia in nobis.*

Campianus rat. 8. *eas partes nos assignare gratiæ* dicit, *ut neque infusa sit cordibus nostris, neque ad resistendum sceleribus valida, nec emendet impios, aut purget, aut illuminet, aut ditet.*

Becanus in Manuali Lib. 1. cap. 6. §. 9. pag. 416. nobis tribuit, quod statuamus, *justificatos esse similes virginibus fatuis, quæ non habent oleum justitiæ in lampadibus suis, existimantes, alienum oleum sibi sufficere; ac similes hædis fœtentibus, qui ovium numero à pastore censentur; similesque lupis, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Contra. Corde credimus & ore confitemur, regenerationi renovationem, justificationi donationem Spiritus Sancti, fidei bona opera esse indivulso nexu conjuncta.

7. Pererius Disput. 19. in cap. 3. Rom. nobis tribuit, *quod statuamus, applicationem promissionum Evangelicarum per fidem ita comparatam esse, ut discussa ex animo omni dubitatione, certo quisque persuasum habeat, sibi esse remissa peccata, & adeo quidem persuasum, ut si vel parum dubitet, aut trepidet, ne forte non sit justificatus, is non ad Deum, sed ad Diabolum pertineat.*

(Atqui non ignoramus, nec negamus humanam infirmitatem, contra quam per totam vitam fide pugnandum, nec ponimus fidem extra omnes tentationis sensus.)

8. Bellarminus dissensionem inter eos, qui Papatui nuncium miserunt in articulo de Justificatione demonstraturus, inter cætera sic differit Lib. 2. de Justificat. cap. 6. §. 1. *Quamvis Calvinus cum Lutheranis agnoscat imputationem justitiæ Christi, & non imputationem peccatorum, & inchoatam etiam renovationem ac sanctificationem: tamen contendit, justificationem proprie in sola remissione, id est, non imputatione peccatorum esse positam, cum Lutherani in imputatione potius justitiæ Christi eam proprie sitam esse contendant.*

Atqui idem Bellarminus Lib. ejusdem cap. 1. §. Johannes Calvinus &c. adducit manifestissima Calvini verba ex Lib. 3. Institut. cap. 11. §. 2. *Nos justificationem in peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus.*

Et addit ipse Bellarminus sub finem paragraphi. *Itaque cum idem Calvinus in Antidoto Concilii contendit, Iustificationem non esse positam, nisi in peccatorum remissione, non excludit imputationem justitiæ Christi, sed internam renovationem & sanctificationem.*

9. Concilium Tridentinum nobis tribuit, *quod prædicemus inanem ab omni pietate remotam fiduciam.*

Adamus Conzen in Comment. cap. 1. Rom. v. 8. *Flagitiosum est pariter & stolidum, quod suam in omni scelere confidentiam ex hac particula (Deo meo) stabilire conantur hæretici, quasi non multi sint, qui Deum nominent Deum suum & Dominum, & tamen voluntatem Patris, qui in cœlis est, non faciant.*

Et postea circa v. 16. *Corruptela est Fiduciariorum, qui ex hisce verbis, Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, summam in omni scelere imaginantur securitatem salutis.*

Stapletonus in Promptuario Catholico Domin. 18. post Pentecosten. §. Locus adhuc &c. pag. 264. *Locus hic erit docendi populum contra hæreticos horum temporum, fidem hujus Paralytici vel illorum, qui eum per tegulas in grabato demiserunt, vel aliorum quorumcunque, quos à Christo sanatos legimus, fidem, inquam, quam toties Christus laudavit, & de qua aliquando dixit: Fides tua te salvum fecit; non fuisse solam, ut hæretici hodie simplicioribus persuadent, volentes suam solam fidem ex hujusmodi Scripturis stabilire, sed fuisse cum aliis virtutibus conjunctam, ut cum spe, cum fiducia, cum dilectione, cum obedientia, cum precibus, cum lachrymis, aliisque piis & Deo gratis operibus.*

(Atqui insignem nobis fieri injuriam patet ex eo, quod fidẽ ab operibus bonis non posse separari, superius ostendimus.)

10. Salmero tom. 15. pag. 25. *Lutherani prope ad 22. opiniones de Iustificatione inter se pervenerunt.*

Hosius Cardinalis Lib. 1. de hæresibus nostri temporis ad Regem Poloniæ Sigismundum tom. 1. pag. 445. *Osiander viginti dicit esse diversas opiniones de hoc uno dogmate, ac Philippi discipulorumque ejus quatuordecim enumerat in eo libello, quem contra Nycticoracem quendam scripsit. Nam simul ut, inquit, locum aliquem in Scripturis viderunt, in quo justitiæ mentio fieret, statim novam ex eo justificationem sunt fabricati &c.*

Hadrianus Jungius Lib. 3. de doctrina, moribus & dissidiis Evangelicorum. *Falsum est, omnes Evangelicos uno fateri ore, justificatos se esse coram Deo justitia Christi, quæ nobis imputatur,* ubi itidem adducit Andream Osiandrum, *quatuordecim* inter ipsos Lutheranos de hoc dogmate enumerantem *diversas opiniones.*

(Liberant nos ab hac calumnia articulus 4. & 20. August. Confessionis.)

11. Costerus in Enchiridio cap. 6. pag. 231. nobis tribuit, *quod non alia de causa imputativam obedientiæ Christi justitiam defendamus, quam ut homines vitio suo ad malum satis ex se propensi virtutibus operam non darent, neque multum solliciti essent de purgandis animis à peccatis.*

Resp. Imputationem justitiæ Christi ideo docemus, quia Spiritus Sanctus in Codice Scripturæ eam nobis proponit & inculcat, simul tamen asserimus, quod omnes causæ nostræ coraDeo justificationis nos à peccatis revocent, & ad bona opera excitent. *Iustificamur gratia Dei.* At hæc nos erudit, *ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis sobrie & juste & pie vivamus in præsenti seculo,* Tit. 2. v. 11. 12. *Iustificamur obedientia Christi,* quam loco nostro divinæ legi præstitit. At hæc obedientia Christi ideo pro nobis præstita est, *ut Deo serviamus in sanctitate & justitia corã ipso omnibus diebus vitæ nostræ,* Luc. 1. v. 75. 2. Cor. 5. v. 15. Tit. 2. v. 14. *Iustificamur fide* ceu organo apprehendẽte gratiam Dei in Christi sanguine. At fides hæc justificans est genitrix bonorũ operum Rom. 14. v. 23. 1. Tim. 1. v. 5. adeo, ut ubi bona opera non adsunt, ibi quoq; fides sit mortua, Jac. 2. v. 26.

12. Balthasar Hagerus in Collat. Augustanæ Confess. & Concilii Tridentini art. 4. *Confessionistis* (quos ita vocat) hoc est, Augustanæ Confessionis sociis tribuit, & quidem bis repetit, eos docere, *quod propter fidẽ imputetur homini Christi justitia.* Atqui verba Confessionis diserte contradicunt, sic enim habent: *homines gratis justificari propter Christum per fidẽ.* Apologia quoque non semel protestatur, *imputari nobis Christi justitiam non propter fidem, ac si ea digna esset præmio talis imputationis, sed per fidẽ, tanquam per instrumentum ex parte recipientis necessarium, non dignũ,* pag. 70. 76. 77. 82. 103. 125. Similiter & Formula Concordiæ declarat pag. 584. 685. Pontificii vero cum Photinianis & Arminianis docent, *quod homines propter fidem justificentur, tanquam propter opus meritorium de congruo.* Bellarm. Lib. 1. de Iustificat. cap. 16. Lib. 2. de Iustificat. cap. 9. Lib. 4. de Iustific. c. 18. Becanus Manual. Lib. 1. c. 16. n. 13. Lib. 3. c. 3. n. 14.

II. Speciales.

1. Iodocus Coccius tom. 1. Thesauri Lib. 3. artic. 1. Lutherum erroris accusat, propterea quod scripserit in serm. de nativitat. Mariæ. *Sumus pares matri Dei & æque sancti, sicut illa, nisi quod non possumus esse Dei matres, sicut illa fuit.*

Resp.

Resp. Calumniæ huic satisfecimus in Appendice artic. 10. de beat. Sanct.

2. Bellarminus Lib. 2. de Iustific. cap. 2. Chemnicium accusat, *quod in formatione status de causa formali Iustificationis loquatur improprie ut confundere possit causam formalem cum meritoria. Nam voculam Per, notare causam formalem; τὸ autem Propter causam finalem vel meritoriam.*

Resp. Bellarm. ipse Lib. 2. de Iustificat. cap. 1. utitur vocula Propter ad designandam causam formalem. *Expeditis*, inquit, *iis, quæ Iustificationem præcedunt, de ipsa Iustificatione, h. e. de causa formali, propter quam homo dicitur justus coram Deo, differendum est.*

(Vocabulum justificandi est forense. Ut ergo in actionibus forensibus causa formalis absolutionis notatur termino *propter*, sicut cum dicimus, *propter hoc vel illud absolutum est*: ita etiam idē terminus hoc loco nō incommode adhibetur. Non negamus, τὸ *Propter*, notare simul causam meritoriam, verum non absolute, sed relate, prout nobis applicatur.)

III. Opiniones erroneæ & absurdæ.

1. Bellarminus Lib. 1. de Justificatione cap. 23. ex verbo *fieri* in c. 1. Joh. v. 12. colligit, *credentes eo ipso, quod credunt, non esse Dei filios, sed fieri demum, si renascantur ex aqua & Spiritu.*

Contra. Vera fides & υἱοθεσία perpetuo sunt conjuncta, cum *per fidem Christus recipiatur*, ut Evangelista ibidem testatur. Gal. 3. v. 26. 1. Johan. 5. v. 1. Vox ἐξουσίας non tantum significat facultatem aliquid faciendi vel acquirendi, sed etiam dignitatem, præeminentiam, ac jus aliquod; ac verbum γενέσθαι significat & *fieri* & *esse*, & positum est hoc loco indefinite, ut facti sint, vel ut fiant filii Dei per fidem, non ut demum aliquando fiant per spem & caritatem. Respicit etiam illud verbum γενέσθαι non tempus fidei, quasi præsente vera fide nondum adsit tempus υἱοθεσίας, sed tempus primæ nativitatis, postquam per Baptismum & fidem renascimur. Confer ea, quæ dicta sunt superius artic. 22. cap. 4. resp. ad arg. 11.

2. Stapletonus in Antidot. Apost. pag. 680. scribit, *eos, qui habent fidem sine caritate, totum quidem Christum comprehendere, sed male comprehendere.*

Contra. Omnis Christi apprehensio, quæ fit per fidem, est salutaris & bona. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ejus*, Joh. 1. v. 12.

3. Bellarminus Lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 4. §. 7. *Præcepta, Non occides & non furaberis, nihil aliud imperant, nisi voluntariam omissionem externi operis homicidii & furti. Concupiscentia enim rei alienæ & odium proximi præceptis aliis prohibentur. Itaque non prævaricatur præcepta, Non occides, & Non furaberis, sed illa observat secundum substantiam operis, qui abstinet manum à furto & à cæde, etiamsi forte prævaricetur præceptum, Non concupisces rem proximi tui, Et, Ne oderis fratrem in corde tuo.*

Contrarium docet Christus, in explicatione quinti & sexti præcepti Matth. 5. videlicet, quod in illis non tantum actus externi, sed etiam interiores pravæ concupiscentiæ prohibeantur. Ac Paulus de tota lege pronunciat, quod sit *spiritualis* Roman. 7. v. 14. adeoque non externam tantum, sed etiam interiorem & spiritualem obedientiam requirat.

4. Biel 1. sent. dist. 1. quæst. 4. art. 3. disputat, *non teneri hominem actualiter summe diligere Deum, quoties de Deo cogitat, sed sufficere habitualem dilectionem.*

Molanus in Lib. de pract. Theol. tr. 3. c. 16. concl. 1. n. 11. *esse de honestate & nō de necessitate, ut Deum super omnia diligamus.*

Toletus Lib. 4. de Instruct. Sacerd. capite 9. *Non tenemur præcepto Deum plus omnibus diligere.*

Johannes Hesselius in Catech. p. 176. *Ex ipso præcepto dilectionis tenetur homo quandoque à cogitatione de Deo abstinere, ut miro modo ex Dei amore Deum non cogitet, Deumque amet, dum ab amando cessat.*

Contra. Cuius beneficiis perpetuo & indesinenter fruimur, illum etiam perpetuo & indesinenter diligere debemus. Hinc Nazianzenus: *De Deo sæpius cogitandum, quam spirandum.*

7. Bellarminus Lib. 4. de Justific. cap. 11. *absurdissimum esse* judicat, *si statuatur, hominem justum, si statim atque unum aliquod peccatum veniale commisit, esse vere ac perfecte legis prævaricatorem, ac per hoc reum omnium cœlestium mandatorum.*

Resp. *Legalis justitia*, utpote quæ perfectam legis obedientiam requirit, quovis peccato tollitur, sed *justitia Evangelica ac fidei* per venialia peccata non tollitur.

6. Anglo-Rhemenses in annot. Gal. 6. sect. 4. *Fides non est causa instrumentalis justificationis.*

Huic assertioni toties contradicit Scriptura, quoties asserit, *nos justificari per fidem*. Item, *fidem apprehendere Christum.*

7. Anglo-Rhemenses in annot. Rom. 6. sect. 8. *Consequentia locutionis requirit, quod veluti dicebat, Mors vel damnatio est stipendium peccati, sic vita æterna sit stipendium justitiæ, & ita est.*

Resp. Hæc collectio contrariatur ipsi Apostolo, qui *mortem* quidem *peccati stipendium, vitam autem æternam* χάρισμα τοῦ Θεοῦ *in Christo esse* ibidem docet.

8. Bellarminus Lib. 2. de Monachis c. 13. *Possumus facere, plus quam debemus, si consideremus legem à Deo nobis impositam, proinde possumus facere plus, quam revera teneamur.*

Contra. Qui requirit dilectionem ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omnibus viribus, ille requirit omnia opera, omnem obedientiam, omnes actiones, quæ ex dilectione proficisci possunt.

9. Anglo-Rhemenses in annot. Jac. 2. sect. 11. *Fides mortua & vera, & ea ipsa, quæ Catholica fides vocatur, est in essentia una & eadem cum illa, quæ justificat.*

Bellarminus Lib. 1. de Baptismo cap. 14. *hominem cum vera fide damnari.*

Idem Lib. 2. de Missa cap. 22. resp. ad 4. object. *Non dubitantur multi esse fideles, qui nondum justificati sunt.*

Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. *fidem veram inveniri in adulteris, scortatoribus &c.*

Contrarium docet Scriptura, quoties cum vera fide iustificationem & salutem indivulso nexu conjungit.

10. Gretserus in Athleth. Spirit. p. 164. *Christum ea lege coronam illam* (vitæ æternæ) *nobis obtinuisse, ut & nos operam nostram cum opera ejus, & opera cum operibus sociemus.*

(Hac ratione Christi & nostrum meritum, Christi & nostra opera ceu causæ sociæ ad unum eundemque effectum, hoc est, salutem obtinendam concurrere censentur.)

11. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 7. *Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus.*

Andradius Lib. 6. Defens. fid. Trid. pag. 468. *Nulla quidem ratione sanctificationem à justificatione separare ac discernere debemus, quinimo in ipsa sanctificatione justificatio collocanda est.*

Censura Coloniensis pag. 148. *Sic profecto reipsa idem esse videntur justificatio & sanctificatio, vel saltem sanctificationem illa includit.*

(Sanctificationem à justificatione non esse separandam concedimus, sed iustificationem in sanctificatione formaliter consistere negamus, cum Scriptura doceat, eam in peccatorum remissione & iustitiæ Christi imputatione consistere.)

12. Osorius in festo Pentecost. pag. 205. *Opera justorum conservant gratiam Dei in animo.*

Becanus tom. 1. opusc. de merit. bonor. oper. pag. 337. *Homo justus potest variis actibus de condigno mereri auxilia gratiæ actualis, quibus perseverare possit in gratia si velit usque in finem.*

Contra 1. Petri 1. v. 5. *Virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo.*

Bernhardus serm. 4. in fest. annunciat. *Initium solius gratiæ, consummatio & ipsa solius gratiæ est, nec est mihi in hac parte vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator.*

13. Cajetanus statuit, *præcepta secundæ tabulæ posse impleri absque Dei gratia*, quem ideo *ut Pelagio faventem* castigat Ambrosius Compsæ Episcopus Lib. 2. ut testatur Sixtus Senensis Libr. 6. Bibliothecæ annot. 101.

14. Franc. Toletus Cardinalis Lib. 5. de Instruct. Sacerdot. c. 6. *Nobilem, si nequeat effugere injuriam notabilem inferendam, ut ligni percussionem paratam, posse tunc occidere inimicum.*

Ibid. pag. 606. *Si quis stuprum intulerit virgini, fidemque juratam dederit de ducenda illa, sufficere, si deceptam dotet.*

Idem Lib. 3. c. 1. *Cum ex aliqua vehementi passione accidit, ut in voluntate insurgat volitio vindictæ aut alicujus mali, si talis est, ut non sit pro tunc in nostra potestate non velle, non esse peccatum.*

Ibid. Lib. 8. c. 49. *Qui justo pretio non possit vendere vinum, vel propter iniquitatē judicis, vel propter emtorū malitiā, ei licere minuere mensurā, aut parū aquæ miscere & vendere pro puro vino, ac pro completa mensura justū exigendo pretiū, dummodo non dicat mendacium.*

Ibid. Lib. 4. cap. 13. *Blasphemia, quæ fit sine advertentia, ut cum homo ira aliqua aut passione motus, non advertens verba, quæ proferebat, protulit blasphemiam, non semper esse peccatum.*

Ib. Lib. 5. c. 10. *Si ebrius, nō cōpos rationis fornicaretur, nō peccaret.*

Lib. 5. cap. 37. *Neminem teneri cum vitæ periculo, aut famæ rem alterius restituere.*

Lib. 4.

lib.4. cap.12. *Præcepta Dei non obligare homines ad finem præceptorum, caritatem; sed solùm ad actum inclusum in præcepto. Verbi gratia, præceptum, Ne occidas, obligare hominem ut non occidat, non tamen ut non occidat ex caritate, unde impleatur præceptum extra caritatem.*

(Hæc omnia pugnant cum puritate, integritate & perfectione divinæ legis.)

15. Altensteig in Dictionario Theologico, in verbo Credere. *In tantum valet fides implicita, quod si quis habens eam falsò opinaretur, ratione naturali motus, Patrem majorem, vel priorem Filio, vel tres personas ab invicem localiter distare, aut simile quid, non sit hæreticus, non peccet: dummodo hunc errorem pertinaciter non defendat, & hoc ipsum credat, quia credat, Ecclesiam sic credere.*

(At hac ratione credet non tantum is, qui actu, ut loquuntur, non assentit, sed etiam qui actu dissentit.)

16. Becan. opusc.6. tom.1. c.2. *à suis doceri* scripsit, *opera esse necessaria ad salutē, ac neminē salvari posse, nisi qui legem observarit.*

(At hæc decisio omnibus infantibus baptizatis spem salutis præriperet. Rectius ergo Bellarm. lib.4. de Justif. c.7. addit quandam limitationem. *Intelligimus*, inquit, *hoc esse necessarium hominibus rationis usum habentibus, & qui tamdiu post adeptam remissionis gratiam supervivant, donec occasio legis implendæ occurrat. Non enim negamus, quin infantes & etiam adulti recens baptizati salventur, si continuò ex hac vita decedant.* Et sane utramque exceptionem admittimus, si de operibus externis quæstio sit, interim quia Baptismus est *lavacrum* non solum *regenerationis*, sed etiam *renovationis*, Tit.3.v.5. quæ interior renovatio pertinet ad operum nomenclaturam, ideo baptizatis non omninò omnia bona opera deneganda.)

17. Pererius in Comm. Gen.3. pag.200. §. Proditum &c. statuit, *quoad allegoricum tantum sensum posse hic per semen, contriturum caput serpentis, Christum intelligi, non vero per Historicum & immediatum.* Quinimò pag.219. §. Erudita &c. planè *ad naturalem & physicam quandam antipathiam inter mulieres & serpentes* refert.

(At hac ratione protevangelium de Messia in sensum peregrinum detorquetur, unde Greg. de Val. in anal. lib.1. c.15. pag.13. & lib.8. pag.97. hanc detorsionem meritò repudiat.)

18. Jesuitæ in Colloq. Ratisbon. p.71. *Si quis me cogeret, ut quid facerem contra fidem & religionem, interius tamen possem habere fidem*, ex quo principio Aaronis μοσχοποιΐαν excusant. Atqui Psaltes dicit, *Credidi propter quod locutus sum*, Psalm.116.v.10. Christus dicit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego illum coram Patre meo cœlesti*, Matth.10.v.33.

19. *Fidem formari per caritatem*, communis est Pontificiorum assertio.

Bellarm. lib.2. de Justif. c.4. *Caritas est forma fidei, & fides non justificat formaliter, nisi ab ipsa caritate formata.*

Pererius in cap.15. Genes. v.6. *Diversitas est inter actum fidei informis & actum fidei per caritatem formatæ.*

Atqui Antonius Marinarius Carmelitanus in Concil. Tridentino non probabat illud verbi, *fidem informari caritate, quod apud D. Paulum non reperiatur, sed magis illud, fidem operari per caritatem*, Petrus Suavis lib.2. Histor. Concil. Trid. pag.221.

20. Vitus Miletus in discuss. error. pag.257. ad Pontificium errorem, quem D. Heshusius ipsis objecerat, *opera bona divinitatem quandam habere*, respondet: *Per divinitatē gratiam Dei seu Spiritum Sanctum habitantem in cordibus fidelium intelligunt Pontificii. Nisi vero nostra opera divinitatem qualemcunque in se haberent, nec ad Deum hominem perducerent, neque Deos aut Divos homines efficerent, cum tamen scriptum sit Psal.71. Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.*

Atqui Scriptura nusquam docet, *bona opera divinitatem aliquam in se habere.* Locus Psalmi est ab hac quæstione planè alienus. Loquitur enim ille de Magistratibus, qui sunt Dii, non *propter suorum operum merita* coram Deo, sed *propter suum officium*, quod Dei nomine gerunt.

21. Josephus Angles in 4. sent. dist.49. art.6. concl. ultima, disputat, *quod in corporibus Virginum, Martyrum atq; Doctorum erunt insignia quædam, quibus hujusmodi aureolas in anima habere præ se ferent; quodq; Virgines in capite aliquam coronulam albam, Martyres rubeam & Doctores viridem gestabunt.*

Greg. de Valent. tom.4. Disp.11. quæst.9. p.2327. *Aureolæ nomine sive laureolæ, ut aliqui nominant, intelligitur quoddam præmium accidentale, quod accedit in quibusdam beatis ad gloriam animæ & corporis, ut eo peculiariter, tanquam aureola vel laureola coronæ remunerentur eorum quædam merita, in quibus singulariter eluxerit laus quædam victoriæ de superatis animi hostibus.*

Et postea: *Erunt pro triplici genere istorum tres peculiares aureolæ, Una Virginum; altera Martyrum; tertia Doctorum. Nam in merito tum Virginitatis, tum Martyrii, tum eruditionis aliorum ad justitiam & salutem elucet peculiariter quædam laus victoriæ de hostibus animi. In merito quippe Virginitatis, quoniam per illam integrè servatam superatur perfectè caro: in merito autem Martyrii superatur perfectè mundus, contemto & postposito amore hujus vitæ: in merito denique eruditionis aliorum ad salutem superatur peculiariter Diabolus.*

Resp.1. Gradus gloriæ in vita æterna fore concedimus.

2. Qui vero & quales illi sint futuri, exactè in hac vita definiri nequit, Es.64. v.4. 1. Cor.1. v.9.

3. Nec ipsa beatitudo, nec inæqualitas illa gloriæ adscribi debet hominum meritis, sed dispensationi divinæ gratiæ, qua piorum labores & passiones hac gloriæ diversitate Deus remunerari decrevit.

22. Balthasar Hagerus in Colloq. August. Confess. & Concilii Trident. art.5. negat, *quod per verbum ordinariè homines in Ecclesia convertantur, & quod sit instrumentum, quo datur Spiritus Sanctus, quia Act.10. v.44. dicatur quidem, loquente Petro, Spiritus Sanctus datus, sed non per verbum, tanquam per instrumentum.*

Contra 1. Verba illa, *loquente Petro*, non tantum indicant notam temporis, sed etiam medium.

2. Quia de Petri verbis dictum c.11. v.14. *Petrus loquetur tibi verba, per quæ tu salvus eris, & universa domus tua.*

3. Manifestum est dictum Apostolicum Gal.3. v.2. *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* ubi per auditum fidei intelligi *verbum* docent Estius & Cornelius à Lapide in Comment. hujus loci, id quod probatur ex loco parallelo, Rom.10. v.17. *Fides ex auditu.*

4. Cæsar & Status Catholici de 5. articulo Augustanæ Confessionis ejusmodi judicium tulerunt: *Approbatur, quod Spiritus Sanctus per verbum & Sacramenta, ut instrumentum, detur, quia sic scriptum est Act.10. Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus in omnes, qui attendebant verbo.*

23. Melchior Canus Relect. de Pœnitent. part.3. fol.842. & seqq. eumque secutus Bellarm. lib.2. de Pœnit. c.11. propos.3. præceptum de Deo super omnia diligendo sic exponunt: *quod diligendus præcipiatur non intensive, ut nihil pari vel majori gradu intensionis diligatur, quam Deus, sed appreciative, seu ita, ut si in eventum alterutrum admittendum sit, nihil paris aut majoris precii æstimetur.* Declarat hoc Canus *exemplo fœminæ delicatulæ, quæ solet catellum majori amoris intentione diligere, quam auri justam quantitatem; nihilominus precium auri majus facere, quam catellum, adeoq; ut si alterutrum perdendum sit, hunc non illud amittere malit.*

Atqui præceptum de diligendo Deo, non solum requirit, ut Deus *appreciative*, sed etiam *intensive* super omnia diligatur, requirit enim omnem dilectionis gradum, qui in Natura instituta ante lapsum homini fuit possibilis, ut agnoscunt Ludovicus Vives in lib.16. de Civ. Dei cap.5. Wicelius in post. Dom.18. post Trinit. Granatens. in 12. post Trin. Homil.2.

24. Becanus tom.1. opusc. Theolog. de Justif. Calvin. c.11. pag.255. statuit, *quod homo Christianus, quando à Spiritu Sancto movetur, certus esse non debeat, nec possit, an bonus vel malus Spiritus in corde suo operetur.*

(At hoc est interiorem Spiritus Sancti testificationem mendacii arguere.)

ARTICULUS XXIV. IDEMQUE ULTIMUS.

DE BONIS OPERIBUS IN PARTICULARI.

CAP. I.

De Horis Canonicis.

Thesis. Horæ Canonicæ non sunt essentialis & necessaria pars divini cultus.

Ἔκθεσις. Non improbamus officium psallendi, canendi, orendi &c. certis diei horis ac temporibus publicè vel privatim susceptum, quippe, quod 1. *Typo Veteris Test.* de sacrificiis matutinis & vespertinis quotidie offerendis, Num.28. v.4. 2. Et *exemplis sanctorum, Davidis* Psal.5. v.4. Psal.55. v.18. Psal.63. v.7. Psal.77. v.3. Ps.88. v.2. & 14. Psal.119. v.62. & 147. & 146. Psal.141. v.2. *Danielis* cap.6. v.10. *Ecclesiæ Israeliticæ* 1. Paral. cap.15. v.16. 2. Paral.25. v.1. *Apostolorum* Act.3. v.1. cap.10. v.9. & *Ecclesiæ primitivæ Christianæ* apud Tertullianum lib. de

jejun. adversus Psychicos cap. 10. Cyprian. serm. 6. de orat. Athanas. lib. de Virginit. Ambrosium in Psal. 18. conforme, ac pietati exercendæ utile esse agnoscimus, sed multiplicem abusum officio canendi horas Canonicas in Papatu adhærentem taxamus.

Antithesis. Bellar. lib. 1. de bonis operibus in part. c. 13. §. 1. *Antiqua & rationabilis est institutio horarum Canonicarum.*

cap. 19. §. Tertiò &c. *Si ad cætera munia certi homines ex officio destinantur, & non omnes ex officio docent & judicant, aut hanc vel illam artem exercent, cur non par sit ad munus Deum laudandi atque assiduè precandi certos homines destinare?*

Petr. à Soto contra Confess. Wirtenb. in Assert. fid. Cath. *Constat, non solum instructionem populi & doctrinam lectionibus illis quæsitam esse, sed etiam Dei iram placare, orationibus divinam impetrare gratiam, pro peccatis satisfacere &c.*

Et postea: *Instituto isto non solum hoc quæritur, ut per patientiam consolationis Scripturarum spem habeamus, sed etiam, ut iram Dei mitigemus, delicta expiemus, & pro peccatis satisfaciamus, idq; merito & efficacia orationis.*

In vita Magdalenæ fingitur, *Angelos quotidie horas illas Canonicas in cœlo decantare.*

De Severino narrant, *quod post mortem gravissimis sese affici cruciatibus responderit, quod non statis horis pensum precum, quæ horæ Canonicæ dicuntur, persolvisset, sed uno eodemq; tempore mane ita urgentibus negotiis eo officio functus esset. Unde Sacerdos, qui per oblivionem forte preces illas omittit, de eo magis propemodum discruciatur, quam si aut virgini stuprum intulisset, aut veneno aliquem sustulisset.* Vide Rivium lib. 1. de superstit. pag. 94. & 95.

Simile exemplum de Monialib. commemorat Erasmus in Colloq. & addit: *Si Sacerdos non persolvat pensum precum horariarum, paratum est ei anathema; si fœneretur, aut Simoniam admittat, impune est.*

Bell. lib. 1. de bon. oper. c. 18. *Integritas inprimis observanda est, quoad numerum, ut septem horarum diurnarum & unius, vel triū nocturnarum officium integre persolvatur. Cum enim hæ sint partes officii principales, qui vel unam ex his partibus sciens & prudens, ac non legitime impeditus omitteret, lethali crimine se obstringeret, ut docet gravis autor Antoninus part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 5.*

Inde etiam Azorius disputat lib. 10. Instit. moral. cap. 7. *intermissionem hujus Officii esse peccatum mortale.*

Hæc ergo sunt, quæ in Horis Canonicis, ut in Papatu hodie observantur, taxamus 1. *ratione causæ efficientis*, quod partes officii illius ad certum & peculiare genus hominum voto cœlibatus astrictum, & variis ritibus consecratum unice restringunt, quasi illæ reliquorum vicem hac ratione supplere, ac aliis Dei gratiam, benedictionem & vitam æternam promereri possint, ut patet ex verbis Bellarm. lib. 1. de bonis operibus c. 19. modo allegatis. Qui Ecclesiastico munere funguntur, præire quidem populo voce vel exhortatione ad precandum debent exemplo Sacerdotum, Levitarum ac Prophetarum in Vet. Testamento Exod. 15. v. 1. 1. Paral. 17. v. 16. c. 18. v. 7. Joel. 2. v. 16. & Apostolorum in N. Testam. Act. 6. v. 4. c. 16. v. 13. 1. Cor. 14. v. 15. & 16. populus tamen ipse, ut non abesse, sic ne κωφῶν προσώπων partes agere, sed sequi præeuntes debet vel tacite, vel sua etiam voce, Exod. 15. v. 1. 1. Cor. 14. v. 16. 1. Tim. 2. v. 1. Eph. 5. v. 19. Coloss. 3. v. 16. Act. 1. v. 14. & 24. cap. 4. v. 24. cap. 12. v. 5. cap. 20. v. 36. cap. 21. v. 5.

2. Quod illi, quibus hoc officium commissum, ipsimet horas illas Canonicas non observant, sed per alios, *Vicarios* scilicet & *Chorales*, illud administrant, ut praxis quotidiana testatur, cum tamen quilibet pro se Deo servire, laudes Dei prædicare, & officii sibi demandati partes administrare debeat, Roman. 14. v. 12. 2. Cor. 5. v. 10.

3. *Ratione causæ materialis*, quod in Collectis, Hymnis, Antiphonis, atque ipsa Litania sanctos & cumprimis Mariam religiose invocant & adorant, ut praxis, cumprimis usitatissima illa Antiphona, *Salve Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra &c.* testatum reddunt, cum tamen cultus religiosæ invocationis soli Deo debeatur, ut ostendimus superius lib. 2. artic 10. cap. 2.

4. *Ratione causæ formalis*, quod non nisi *in lingua Latina*, populo & ipsis psallentibus quandoque ignota, preces illas horarias recitant, uti itidem praxis manifestum facit, cum tamen administratio Sacramentorum & preces publicæ totius Ecclesiæ usitato, & auditoribus noto linguæ genere peragi debeant, ut ostendimus superius art. 15. c. 3. Quanto rectius August. in Expos. Psal. 18. docet, *quod cantamus, etiam nos debere intelligere, ut humana ratione, non quasi avium voce cantemus. Nam & meruli, & psittaci, ac corvi, & picæ & hujusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare, quos nesciunt. Scienter autem cantare Naturæ hominis divina voluntate concessum est.*

5. Quod plerunq; *sine mente & Spiritu, sine attentione & devotione*, tantum ex consuetudine & ob impetrandas, quas ita vocant, *Prabendas* illud psallendi officium peragunt.

6. *Ratione causæ finalis*, quod observationem illarum horarū *meritoriam & satisfactoriam* faciunt, ac fine eo officium illud peragunt, ut non pro suis solum, sed etiam aliorum peccatis satisfaciant, animas eorum, qui Canonicatus & Monasteria vel instituerunt, vel largis reditibus auxerunt, ex purgatorio liberent, ac sibi & aliis temporalē & æternā mercedem promereantur, ut constat ex verbis Petri à Soto paulo ante adductis.

7. *Ratione accidentis*, quod constitutiones illas de horis Canonicis divinis mandatis exæquant, ac intermissionem hujus officii peccatum mortale statuunt, ut ex illis, quæ ex Rivio & Erasmo paulo ante adducta sunt, manifestum.

8. Quod opus ipsum cantandi horas Canonicas tanti æstimant, ut licet sine actuali intentione & mentis ad Deum elevatione peragatur, tamen sit cultus Deo gratissimus.

Thomas 4. sent. dist. 15 q. 4. art. 2. *Sufficere*, scribit, *si dicens preces horarias generalem habeat intentionem servitium divinum dicendi, cæterum non referre, quamvis animus ejus ad alia divagetur.*

Bellarm. lib. 1. de bon. operib. c. 18. §. 20. *Attentio triplex est, una ad verba, altera ad sententiam, tertia ad ipsum Deum; qualibet vero harum trium sufficit, neque necesse est, ut semper sit actualis, modo ita sit virtualis, ut voluntariè nunquam interrumpatur.*

Intuitu horum abusuum Lutherus in lib. de abroganda Missa tom. 2. Lat. Jen. fol. 458. de horis Canonicis sic judicat: *Non est peccatum* (secundum Pontificios) *hodie in Sacerdotio Papistico, quod æquari possit neglectui horarum, cum revera vix sit majus peccatum hoc laborioso & tamen simulato cultu Dei, qui per horas istas boando & murmurando peragitur, ut quale est Sacerdotium, tale etiam sacrificium, Esa. 1. v. 12. & 13.*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, horas Canonicas longe post Apostolorum tempora institutas.

(Ex quo sequitur, eas non esse essentialem ac necessariam divini cultus partem.)

Tomo 1. Conciliorum extat Epistola Damasi (qui quarto post Christum natum seculo Romanæ Sedi præfuit) ad Hieronymum, in qua inter cætera sic scribit: *Peto tuam caritatem &c. ut Græcorum Psalterium ad nos dirigere tua fraternitas delectetur. Quia tanta apud nos simplicitatis imago est, ut tantum in die Dominica Apostoli Epistola recitetur una, & Evangelii capitulum unum dicatur, & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur. Peto ergo per fratrem & Com-Presbyterum nostrum Bonifacium, ut lubeat fraternitati tuæ hujus rei aperire nobis vestigia.*

(Ex his colligi potest, Ecclesiam Romanam tempore Damasi psalmodia caruisse.)

Walafridus Abbas (circa An. 830.) in lib. de reb. Eccl. c. 5. *de campanis* disserens, dicit *esse novum inventum & olim non adeò necessarium, quod tunc non ita crebrò ad templa concursarint, nec tam multiplex apud eos conventuum assiduitas fuerit, sicut modo*: scilicet dum jam ad Matutina, jam ad Missas, jam ad Horas concurritur, *sed tantum statutis quibusdam temporibus ad conciones convenerint, quæ eis etiam sine campanis satis nota fuerunt.*

Ibid. cap. 26. *de horis Canonicis* agens, aliquoties repetit, *longo tempore post Apostolos eas compositas institutasq; esse: Multa*, inquit, *post revelationem Evangelii tempora transierunt, antequam ita ordinarentur quarundam per diem ac noctem horarum solennia, sicuti nunc habentur.*

Johannes de Vesalia Concionator Wormaciensis (circa An. 1464.) inter cætera docuit, *Christum non præcepisse, ut horæ Canonicæ & septem tempora decantarentur.*

Astexanus in Summa. *Licet dicens verba* (horarum Canonicarum) *sine attentione ex sua desidia per negligentiam peccet, non tamen peccat mortaliter, quia iste modus orandi est tantum de jure positivo, scilicet Ecclesiæ, quod non obligat, nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt.*

Alphonsus de Castro lib. 7. adversus hæreses, titulo *Horæ Canonicæ*, postquam ex Scripturis utcunq; probâsset, *hora tertia, sexta, nona olim Judæos orasse & nunc Christianos orare*, subjungit: *Verum Ecclesia, quo justitia Christianorum plus abundaret, quam Pharisæorum & Scribarum ultra illas horas alias elegit, scilicet mane*

mane hora prima & vesperam & completorium, cum jam videlicet prima noctis vigilia incepit.

Polydorus Vergilius lib.6. de Rer.Invent.c.2.p.474. *Preces horarias seu Canonicas, quas vocant, Hieronymus primo Eusebio Cremonensi & plerisque aliis, qui cum eo vixerant, instituisse fertur.*

p.475. *Postea, quod satis constat, Pelagius secundus decrevit, ut ipsae septem Canonicae horae quotidie à Sacerdotibus recitarentur, velut praesens remedium humanae imbecillitati futurum, quo, sicuti justus septies in die, quemadmodum ait Salomon, forte per inconsiderantiam cadit, ita per orandi curam toties resurgat, convaleatque. Singulis autem horis Gregorius praefationem dedit initium Psalmi David, Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina; subjecitq; hymnum illum, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c. Ut totidem etiam horae in honorem Deiparae Virginis quotidie recitarentur, instituit Urbanus secundus in Concilio, quod in Galliis ad Claremontem habuit.*

(Vixit autem Hieronymus Anno 390. Pelagius Ann.578. Urbanus secundus Anno 1087.)

Platina in vita Sabiniani. *Sabiniani hoc fuisse institutum ferunt, ut horae in Ecclesiis distinguerentur officii gratia.*

(Vixit autem Sabinianus anno 605.)

Baronius An.34.n.251 *ritum certis horis orandi ab Apostolis in Ecclesiam deductum* asserit; sed non probat ab alio fundamento, quam *quod illi horis precum solennibus templum frequentarunt*, Act. 3.v.1.cap.10.v.3.30.

(Atqui Apostoli hac in re secuti sunt morem tunc temporis in Judaeis Hierosolymis receptum, quem in Ecclesiam Christianam ab ipsis fuisse deductum, & quidem constitutione perpetua, id nullo probat documento. Notandum etiam, quod Baronius ibidem tantum *tres horas Canonicas* Apostolis tribuat, unde vero reliquae quatuor extiterint, invenire non potest. Confer. n.291.252.253.)

Salmero Disp.8.in 1.Pet.tom.16.p.100 *Sacerdotes jure divino obligantur precari pro populo sibi commisso, at vero hoc modo dicendo horas Canonicas, institutum & mandatum est Ecclesiasticum.*

Bellarminus lib.1.de bonis operib.in part.c.19.§.pen. *Quod Panormitanus, insignis alioqui Juris interpres, scribit in c.1. de celebr. Missar. jure divinitus determinatum esse numerum septem horarum, & ideo non posse in horarum numero per Ecclesiam dispensari, non est magni ponderis.*

Idem Bellarm. lib.2.de verbo Dei c.16.§. At objicies. *Tunc, in Apostolica & primitiva Ecclesia, quia Christiani erant pauci, omnes simul psallebant in Ecclesia, at postea, crescente populo, divisa sunt magis officia & solis Clericis relictum est, ut communes & preces & laudes in Ecclesia peragant.*

Huc pertinet, quod agnoscunt, in Ecclesia antiquioris aevi septenarium illum horarum Canonicarum numerum non fuisse uniformiter observatum.

Durantius lib.3. de ritib. Eccles.c.1. *In divinis officiis maxima intercessit varietas pro diversitate gentium ac temporum*, quod ex Walafrido, Sozomeno, Socrate, Nicephoro &c. probat.

Bellarminus d.l.c.11.§.6. *Quod attinet ad nocturnos, varia fuit Ecclesiarum consuetudo. Alicubi apud veteres tres nocturni tribus distinctis horis, id est, tribus vigiliis nocturnis celebrabantur. Alibi tamen nocturni omnes simul, sed praecipue media nocte celebrari solebant. Alibi deniq; nocturni cum matutinis laudibus conjunguntur, & in quarta vigilia, quae & matutina dicitur, celebrantur.*

2. Quod quidam agnoscunt, in primitiva Ecclesia populo praesente & concinente officium psallendi fuisse administratu.

Bellarminus lib.1.de bonis operib. in part.c.10. §. Additur. *Officium divinum persolvitur publico nomine totius Ecclesiae pro bono communi & publico per publicos & solennes ministros, atque ea causa est, cur etiamsi dicatur interdum ab uno homine & in privata domo, tamen non omittantur voces illae, Dominus vobiscum, Oremus, Benedicamus Domino.*

Atqui ut ex illis ipsis pluralis numeri verbis colligit Georgius Cassander in Consult. art.24.p.985. *Missas solitarias primitivae Ecclesiae fuisse ignotas*, ita ex iisdem colligere possumus: *Officio psallendi in primitiva Ecclesia populum interfuisse.*

Verba Cassandri sic habent: *Missae solitariae, cum primum inolevissent, improbatae fuisse videntur, ut patet ex canone quodam Concilii Nannettensis, in quo Sacerdos solus missam celebrare vetatur, absurdum enim esse, ut dicat, Dominus vobiscum, Sursum corda, aut Gratias agamus Deo Domino nostro, cum nullus sit, qui respondeat; aut in Canone, & omnium circumstantium, cum nemo adsit; aut invitet ad orationem, cum dicit: Oremus, cum nullus sit, qui secum oret.*)

3. Quod agnoscunt, à gentilibus originem certarum horarum precibus consecrandarum profluxisse.

Polydorus Vergilius lib.6. de Rer.Invent. c.2. p.474. *Sunt, qui tradant morem celebrandi primam, tertiam, sextam & nonam horam à Daniele sumtam. Fuit vel illud priscorum* (Ethnicorum) *institutum, cum apud illos sic oraretur, teste Apulejo, qui lib. 11. ita scribit: Rebus jam rite consummatis inchoatae lucis salutationibus religiosi primam nunciantes horam perstrepunt. Matutinas precationes vocat hoc loco Apulejus non ineleganter salutationes, ostenditque modum orandi divisum in horas sacrificiis legitimas fuisse.*

Martinus de Roa de die natali c.2.p.13. postquam de matutinis vespertinisque precibus apud Ethnicos usu receptis prolixe disseruisset, subjungit: *Scio tamen ista meras nugas, addo etiam infernas fraudes dolo malo Daemonum inventas ad hominum mentes superstitionibus obligandas. Sed hoc ago, plures ejus seculi ritus ad nos derivatos. & meliores effectos atque divinos honoribus consecratos.*

Philippus Beroaldus in Comment. ad Apuleji asinum aureum. Apulejus lib.11. asin. *Rebus jam rite consummatis inchoatae lucis salutationibus Religiosi primam nunciantes horam perstrepunt.* Ad haec Beroaldus: *Sic nostri Sacerdotes, primam, tertiam, sextam, nonam horas habent sacrificiis legitimas & deputatas. Si quis curiose introspexerit novissimum hoc volumen Apulejanum, haud dubie cognoscet, pleraque omnia instituta nostrae religionis sumta esse translataque ex Ceremoniis Ethnicis.*

4. Quod ex Judaismo originem horarum Canonicarum deducunt.

(Atqui leges & constitutiones Leviticae in Novo Testam. sunt abrogatae.)

Durantus lib.3.de ritibus c.3.§.1. *Quidam officium Ecclesiasticum in octo horas dividunt, quatuor nocturnas & totidem diurnas. Horum opinio juvatur primum, quod Judaei à Babylone reversi quater in die legebant in volumine legis Domini, & quater confitebantur & odorabant Dominum, Esdr.2 cap.9. Deinde David Psalm.118. profitetur, septies in die laudem dicere; antea vero eodem Psalmo dixerat, se media nocte surgere ad confitendum Domino, atque in ipsis divinis laudibus videtur Propheta distinxisse diem à nocte, octoque vicibus Deum laudare consuevisse.*

Lorinus in Act.3.v.1 pag.149. *Ut nominatur orationis hora, commune id habet cum aliis statis apud Hebraeos ad orandum horis, ex quibus nostrae, quas vocant Canonicas, natae videntur, ut hoc ipsemet Calvinus monuit.*

5. Quod quidam abusus, qui in horarum Canonicarum officium irrepserunt, taxant.

Taboritae in Bohemia *contra abusus horarum Canonicarum* disputarunt, teste Aenea Sylvio.

De Waldensibus testatur Aeneas Sylvius in lib. de orig. Bohemorum & ex eo Alphonsus de Castro lib.7. adversus haeres. tit. Horae Canonicae, *quod docuerint, in horis Canonicis cantandis dicendisque frustra tempus teri.*

Johannes Wicleph docuit, *quod licet sit bonum orare, non sit tamen aequum, ut homo arctetur ad orandum certo & determinato tempore, quia hoc repugnet libertati Christianae, sed liberum debere esse cuilibet, ut oret, cum voluerit.*

Becelinus, strenuus alioqui regni Pontificii propugnator, referente Johanne Rivio, de abusibus Eccles. p.132 sic scribit: *Illud curetur, ut preces ac laudes istae horariae decenter, magisque pie agitentur, quam eas hactenus fuerunt frigidissimi templarii agitare soliti. Absit bonae rei turbatrix festinatio, absit taedium, absit singularis justitiae opinio. Item: Non oratur, sed sibilatur; non verba, sed vox; non sensus, sed sonus; non affectus, sed strepitus quaeritur.*

Guilielmus Lindanus lib.3.Stromat.p.55. *Canonici certe illegitimis plerunque artibus suffecti, suis vivunt ventri, suis indulgent desideriis, suo delicianter in otio, habitu comptuli, argento gemmatoque auro fulgidi. Hinc tot passim videre est, qui vitae istius fluxae dediti deliciis, plus curae alendis suis, heu dolor, Thaidibus, equis & canibus impendunt, atque corradendis quo jure, quaque injuria pecuniis student, quam suis horis Canonicis vel religiose legendis, aut scienter, aut perite intelligendis, majorem ubique ventris, quam pectoris curam gerentes.*

Bellarminus in Explanat Psal. 46.v.7. *Significatur per vocem sapienter, ut Chrysostomus & Augustinus admonent, ut qui Psalmos canit, intelligat, quod canit, & ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum: in qua re videtur hoc tempore non leviter peccari ab iis, qui officium canendi in Ecclesia susceperunt.*

Huc pertinet, quod in Musica, quae horis Canonicis adhiberi consuevit, multa desiderant.

Guilielmus Lindanus Ruremundanus Episcopus lib. 4.

Panopl. c. 78. *Lectorum vices explent non Lectores, sicut & Psalmistarum locum invadunt isti Musici, non tantum ut de choro ejiciantur dignissimi, cum propter vitæ improbitatem, qua passim nimium sunt noti tum propter impudicos amorum atque indignos bellorum modulos sacris Dei laudibus inspersos, sed etiam propter theatricam magis sonorum confusionem, quam religiosam pietatis ac devotionis moderationem, quam in plerorum animis passim gignere noscuntur. Non enim nunc suo cantu Musici auditorum animos, tam ad pietatis cultum, cælestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt & alienant. Sic enim aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissime auscultarem, ecquid fortè psalleretur, ne unū quidem potuisse intelligere verbum, ita erant omnia syllabarum repetitionibus commista, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, quam cantu obscurata. Quanquam* (inquit) *me non fugiat, quibusdam Musicam cum organis & Musicis rectius videri retinendam, quibus equidem perlibenter assentior, si una pro isto Musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, & gravius & rebus ipsis convenientius; & si non, ut oportet, pronunciationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quæ canuntur apertius & accommodatius.*

Tandem de correctione desperat, paulò post subjiciens: *Nunc cum hujus rei, quæ principem in Musica habet locum, ignorantia laborent plerique omnes, quos suo nomine vocant,* Componistæ, *quis hujus ætatis Musicam cum illa prisca componat? Num enim audire est latissimos divinæ laudis hymnos tristissimis contaminari Musicorum modulis: contra lugubres Ecclesiæ threnos lætissimo effusos modulamine. Quin & quod divinos hymnos non modo theatricis, adeoque bellicis, & si dicere fas est, Gailardicis contaminant modis, sed Venereis quoque conspurcant & amatoriis. Unde illarum, ait, magis admiror constantiam Ecclesiarum, quæ istum prævidentes divini cultus abusum, semel Musicam illam è choro maluerunt excludere, ut Trajectensis, &, quod audio, Lugdunensis: quam illarum veneror magnificam, quam ipsi putant & jactant adeo, majestatem, qua Dei chorum omni phonascorum syntagmate, vocum omnis generis discrimine, imo & tubarum clangore, cornutorum stridore, alioq; strepitu vario, ne quid prætermittere videatur, quod Cantici verba semel obscuret, sensumque sepeliat & obruat, sibi præclare videantur complesse. Deo quo plus hodie cathedrales laborant passim Ecclesiæ. (quod sane non leviter cordatis omnibus est deflendum) quam ut habeant Cantores Psalmorum intelligentes, aut Deum vita simul & voce moderata potius, quam incondito garritu laudentes. Verum hanc labem Ecclesiam inde contraxisse forsan cuiquam videatur, quod, quæ nunc passim cantantur, non tam ad populi intelligentiam erudiendam, quod priscos ubique spectasse indubitatum est, quam ad meram Dei optimi laudem quocunque modo celebrandum frequentantur: de quo ejusque remedio quid sapientioribus videatur, audire malo disciturus, quam definire, indubiam plurimorum incursurus reprehensionem.*

Cajetanus Cardinalis in 1. Cor. 14. v. 19. *Ecce exemplum proprium, unde discere debemus, eligibilius esse in Ecclesia, ut dicantur divina, horæ scilicet Canonicæ, sine Melodia & Musica intelligibiliter, quam sic, ut non intelligi possint, qualiter sunt tam particulæ, quæ sonis committuntur organorum, quam quas cantus reddit imperceptibiles, vel multitudine clamoris occupantis, vel qualiter cantus notas magis, quam verba continentis.*

De quo Cajetani loco sic judicat Alphonsus Salmero Disp. 21. in 1. Cor. 14. §. Quod si &c. *Hoc Cajetani votum non est omnino contemnendum, quia interdum clamores cantus imperceptibilia reddunt quæ canuntur, & organa plerunque partem intelligentiæ eripiunt, & tempus terendum in audienda prædicatione adimunt.*

Quid quod organorum usum Veteri Testam. potius, quam Novo convenire quidam statuunt?

Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. *Ecclesia non assumit instrumenta musica sicut cytharas & Psalteria in divinas laudes, ne videatur judaizare &c. Aristoteles docuit in 8. lib Politic. neque fistulas ad disciplinam esse adducendas, neque aliquod aliud artificiale organum, puta cytharam, & si quid tale alterum est, sed quæcunque efficiunt auditores bonos. Hujusmodi enim instrumenta Musica magis animum movent ad delectationē, quam ut per ea formetur interius bona animæ dispositio. In Veteri autem Testamento usus erat talium instrumentorum, tum quia populus erat magis durus & carnalis. Unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus sicut & per promissiones terrenas, tum etiam, quia ejusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant spirituale.*

In quem locum Cardinalis Cajetanus sic scribit: *Notandum tempore Thomæ Ecclesiam non usum organis, unde hodie in ejus rei signum Ecclesia Romana coram summo Pontifice non utitur. Et quidem, si rationem in litera allatam ex octavo Politicorum attentius meditati fuerimus, apparebit, quod in Ecclesiasticis officiis, ad quæ suscipienda divina interioris disciplinæ gratia convenimus, non sunt admittenda instrumenta Musica, tantoque magis excludenda sunt, quanto divina disciplina interior excellentior est omnibus disciplinis humanis hujusmodi instrumenta repellentibus.*

(Confer Justinum vel autorem quæst. & Resp. ad orthod. q. 107. & August. in Psalm. 150.)

Gregor. de Valent. 2. 2. Disp. 6. q. 9. §. His autem &c. col. 1691. edit. Paris. diserte scribit, *Thomæ tempore, id est, anno 1270. instrumenta Musica in Ecclesia nondum fuisse usitata.*

6. Quod ipsos met Canonicos ad psallendi officium astrictos esse agnoscunt.

(Quod tamen hodie per Vicarios & Chorales exequuntur.)

Imperator Sigismundus hoc constituit in Reformatione An. 1440. quæ extat apud Goldastum, Heimensfeld in Imperial.

In Concilio Tridentino sess. 24. decretum fuit, *ut omnes Canonici per se, non per substitutos compellantur obire & exequi officia, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè devoteque laudare.*

Azor. lib. 10. mor. Inst. cap. 11. *Distributiones quotidianæ seu fructus dantur Canonicis ratione cantus in choro, non ratione solius præsentiæ.*

Inde Rodericus Zamorensis Calaritanus Episcopus Hispanus Pauli II. Referendarius in Speculo vitæ Argentinæ An. 1507. impresso c. 15. illos his perstringit verbis: *Cantores moderni nec Deo laudes canunt, nec ut alii eas persolvunt, efficiunt, quippe verecundum hodie putant canere Domino, qui Cantores appellari gestiunt, oppositum apponunt in objecto & monstro simile tractant, cum Cantores esse volunt & cantare dedignantur. Non igitur canentes aut psallentes dicuntur, quare nec ut canentes manducent, quippe ut silentes mendicent. Magna itaque ministeria, magna calamitas, sed & magnum periculum est, id negligere quod sunt, & ita agere, ne nomen consonet rebus.*

7. Quod quidam devotionem majorem in illis, qui horas Canonicas observant, requirunt.

c. Cantantes. dist. 92. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc ii, quibus in Ecclesia est psallendi officium DEO non voce, sed corde cantandum, nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine liniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, sed in timore, in opera, in scientia Scripturarū.*

In Synodo Aquisgranensi sub Ludovico Pio Anno 820. tale decretum factum: *Psallentium in Ecclesia mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli, Psallam Spiritu, psallam & mente.*

Rodericus Zamorensis d. l. c. 19 *Cum in tribus locis Canonici versetur officium, in altari videlicet, in choro & in Capitulo; in altari reverentia exquiritur, in choro honestas & divinorum devota decantatio, in Capitulo morum correctio, atque agendorum unitas & utilitas, pro his Canonicis in altari irreverentiam vendicant, in choro dissolutionem, in capitulo lites &c. In choro canonici mente sunt vagi, oculis attoniti habitu dissoluti, prospiciunt per cancellos, non pauperculos, sed mulierculas, aliud cantant, aliud cogitant; in choro sunt corpore, in foro sunt mente, mane in theatro, sero in Ecclesia, ibique nunc intus, nunc foris exeunt inquieti.*

Autor oneris Ecclesiæ cap. 23. §. 7. *Consonum certe nomen inditum est, ut à brevi orandi more divini Officii Codices Breviaria nuncupentur. Concitato enim & prærupto oris motu Clerici orantes, feruntur cum confusa labiorum festinatione & titubatione, ac magis murmurare, quam orare videntur, ut nec ipsi quid orent, intelligant, nec astantes audiant, ac proinde eos Deus non exaudiat. Porro, licet debitæ Clericorum orationes à canendo dicantur horæ Canonicæ, raro tamen cantu, vel hora constituta persolvuntur. Quinimo absque omni attentione & æstuatione, sed cum festinatione proferuntur. Hoc modo orantes Clericos Ubertinus æquiparat locustis, quorum alarum vox erat sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, ita sonitus Clericorum divinas horas persolventium, est sicut vox curruum equorum, quia adeo tumultuose & confuse easdem horas percursitant, ac si finem horarum conarentur expugnare, quantum potius videtur rumor curruū perturbantium, quam cantus vel devota prolatio.*

Hieronymus ab Oleastro in Esa. 29. v. 13. *Hoc sane à multis annis doleo, videre in choris Clericorum & Monachorum septies Domino laudes decantari, sine ulla multorum cordis attentione, ut licuerit cuidam dicere; in Conventibus jam non audiri, nisi strepitus vocum, & paucissimi sunt, qui ea, quæ legunt, aut cantant, advertunt.*

8. Quod de numero horarum Canonicarum inter se dissentiunt. Quidam enim *octo*, alii *septem* statuunt.

Communior tamen opinio septem censet, *matutinas, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperam ac completorium.* Videatur Josephus Angles in 4. sentent. Append. ad Sacram. Pœnitent. q. 20.

Iesuita Sa in Aphorismis Confess. in voce horæ Canon. aph. 1. docet, *eos, qui valde exiguos fructus, ut octo solum ducatorum accipiunt, secundum quosdam ad horas illas non teneri.*

(Ergo non omnium est eadem de hac quæstione sententia.)

Aliorum *solum titulum ad horas dicendas obligare* statuentium opinio ipsi videtur *durior*. *Qui in minoribus Ordinibus constituti sunt, eos nonnulli existimant ad horas non teneri, nisi ex consilio.*

Aphor. 5. *Habens solum minores ordines ad nullum officium recitandum tenetur, etiamsi Episcopus præcipiat.*

Argum. Adversar.

1. Psal. 119. v. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.*

Jacobus Tirinus Jesuit. in hunc loc. *Unde constat, septem horas Canonicas non inventas aut institutas à Damaso Papa, cum S. Hieronymo & Ambrosio, ut vult Sigebertus, sed urgente Davide, in usu fuisse apud Judæos, in templo & Synagogis, & inde Apostolis translatas in Ecclesias Christianorum.*

Resp. 1. ex Ruizio de regul. intellig. Script. reg. 34. p. 27. *Cum dicitur in Psalmo; Septies in die laudem dixi tibi, nil est aliud, quam semper laus ejus in ore meo.* Ex August. lib. 3. de doct. Christ. c. 35.

2. Eandem explicationem ex Augustino adducit & probat Michael Gislerius in Exposit. Cantici Canticor. c. 8. vers. 6. exposit. 3.

3. Genebrardus in Comm. illius loci docet, *hanc loquendi formulam non esse intelligendam de numero præcise, idem autem valere ac si diceret: Te sæpissime quotidie de tuis justissimis judiciis laudavi.* Addit quidem: *Potuit interim respicere ad horas orationis septem in Ecclesia instituendas*, sed etiam potuit de iis ne quidem cogitare.

Jesuita Sa in Comment. illius loci simpliciter. *Septies, id est, sæpe.*

Jansenius ibid. *Septies, id est, multitoties.*

(Lev. 26. v. 24. Prov. 24. v. 16. Luc. 17. v. 14.

4. Bellar. lib. 1. de bonis oper. in part c. 19. *Illud Scripturæ testimonium* (Psal. 118. juxta vulg. vers.) *non præceptum sed exemplum Regis non Sacerdotis, proinde si quid efficeret, ad horas Canonicas Reges obligaret, non Sacerdotes.*

5. Lorinus in c. 11. Eccles. ex Ambrosio docet, *septem attribui veteri, octo novo Testamento propter resurrectionem.* Hic ergo locus eorum opinioni faveret, qui octo horas Canonicas statuunt.

Argum. 2. Provocant ad Patres.

Resp. 1. Hieronymus in Epistola ad Eustochium tantum quinque meminit, dicens: *Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vesperas nemo est, qui nesciat.*

In Epistola ad Lætam de filiæ suæ institutione. *Proponatur ei proba fidei ac morum & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat & assuescat exemplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum.*

Athanasii liber de virginitate est suppositititius. Tales constituit observationes, quæ non congruunt Athanasii prudentiæ, v. g. *ut virgo vestitum suum habeat fuscum, non tinctum, sed nativi coloris, ut capillos habeat circumtonsos, ut cum steterit in oratione pedes calceamentis obductos haberet, ut cum laverit faciem suam, non lavaret ambabus manibus &c.*

3. Cyprianus in tract. orationis Dominicæ *trium tantum horarum* meminit, *quibus orabat Daniel, præterea mane ac vespere.*

Quin & omnes hi autores non de *publicis*, sed de *privatis fidelium precibus* loquuntur, quib. omne tempus congruum esse dicimus Eph. 6. v. 18.

CAPUT II.

De Jejunio.

THESIS prima. Jejunium non consistit in ciborum discrimine, sed in plenaria cibi, potusve abstinentia; proinde prohibitio esus carnium sub opinione necessitatis, cultus ac meriti improbanda.

Ἔκθεσις. 1. Non est quæstio, utrum liceat abstinere *à quodam cibi genere*, sed utrum sit verum & legitimum jejunium, abstinere à quodam ciborum genere, ac reliquis interim liberius indulgere.

2. Non improbamus, si quis externæ pædagogiæ ac disciplinæ causa à lautioribus cibis quandoque abstineat, ut caro melius coerceatur, ac contritio & oratio fit ardentior, sed in ciborum discrimine peculiarem cultum & meritum statuendum esse negamus.

3. Negamus & hoc, quod à certis cibis abstinere sit jejunium proprie dictum.

4. Sed hoc negamus, quod in N. Test. discrimen ciborum sub opinione necessitatis Ecclesiæ obtrudi debeat.

Antithesis. Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in part. c. 5. *Ad rationem jejunii abstinentia à certis cibis ac potissimum à carnibus pertinet.*

Lib. ejusd. c. 3. *Protestantes existimant, in jejunio maxime à cibis lautioribus abstinendum, & proinde melius eum jejunare, qui carne fumo indurata, quam qui piscibus & variis condimentis gulam irritantibus utitur.*

Toletus Instruct. Sacerd. lib. 3. c. 4. *In jejunio abstinentes à quibusdam cibis, tamen cibis aliis vesci possunt.*

Sleidanus memorat, Ann. 1538. Tolosanum quendam nobilem adolescentem literarum studiosum Lutetiæ exustum ob solum esum carnium.

Nostram sententiam probamus.

Primo, quod jejunium sit plenaria à cibo & potu abstinentia, probamus 1. *Ab etymologia.* Jejunium Græci vocant νηστείαν à privativa particula νὴ & ἐσθίω τοῦ ἐσθίειν vel σιτεῖν, sicut Suidas exponit, *non comedere*, vel *cibum non sumere.*

2. *Ex usu Scripturæ & Scriptorum Ecclesiasticorum.* Jejunii vox accipitur vel *late* vel *stricte ac proprie.* Quando talis moderatio in cibo & potu adhibetur, ne vel corpora onerentur, vel corda graventur crapula, illa virtus vocatur proprie *temperantia*, aliquando vero sub jejunii late & genaliter accepti appellatione comprehenditur, sicut habet definitio Isidori: *Jejunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum.* Quando non in totum, vel prandio, vel cœna abstinemus, sed vel prandentes, vel cœnantes aliquid detrahimus, sive in quantitate, sive in qualitate cibi, vel non tam multum, vel non tam delicatum, & quale etiam salva temperantia fieri posset, sumimus, illud proprie vocatur *abstinentia*, quam tamen sub jejunii late & generaliter accepti appellatione comprehendi apparet Dan. 10. v. 3. Zachar. 7. v. 5. Quando autem quis in totum vel à cœna, vel à prandio abstinet, illud proprie & stricte vocatur *jejunium* Luc. 4. v. 3. *Jesus diebus quadraginta tentabatur à Diabolo, & nihil manducavit in illis diebus.* Illud Matthæus appellavit *jejunium* cap. 4. v. 2. *Et cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Esth. 4. v. 16. *Vade & congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedetis & non bibetis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter jejunabo.* Jonæ 3. v. 5. *Ninivitæ prædicaverunt jejunium* v. 7. *Homines & jumenta & boves & pecora ne gustent quicquam, nec pascantur & aquam non bibant.* Tob. 3. v. 10. *Perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus ac noctibus non manducavit, neque bibit.* Tertullian. in Apol. c. 40. *Nos jejuniis aridi & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus.* Gregorius Nyssenus orat. in princ. jejunii definit jejunium ἀποχὴν τῶν σιτίων. Nuspiam vero vel in Scriptura, vel in probatis scriptoribus Ecclesiasticis jejunium vocatur, si quis carne quidem abstinet, interim piscibus ad saturitatem, vino etiam ad hilaritatem utitur.

Prosper. lib. 2. de vita contemplat. c. 23. *Si à quadrupedibus abstinentes, phasianis, altilibus vel aliis avibus pretiosis, aut piscibus perfruantur, non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare: nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certe, quod verius est, pro stomachi nauseantis teneritudine delicatas* (rectius legitur delicata) *illas communes ac viles carnes abjicere, quo possint aliis non solum carnibus, sed etiam delicatioribus, ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere, cum, ut sicut jam supra patuit, non aliquarum carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis Natura damnandæ sint, quas Deus instituit, sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensus carnis Diabolus introduxit. Illi autem, qui parciores videri volunt, & gloriam sibi velut de abstinentia districtiore conquirunt, sic ab omnibus animalibus indicant temperandum, ut peregrinis pomis ac sorbitiunculis delicatis, cæterisque aliis immanium sui corporis impleant appetitum, cum spiritualis abstinentia non aliquorum ciborum usum, sed desiderium suadeat compescendum. Et illi magis parsimoniæ servire censendi sunt, qui sibi non aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt.*

3. *Ex jejunii Natura* Hebræi jejunium appellant *afflictionem animæ* Lev. 23. v. 27. unde etiam quidam ab Hebræo ענה vocem Latinam jejunii formant. Nam jejunium, in sacris literis descriptum, complectitur non solum voluntariam cibi potusque abstientiam, sed etiam abdicationem aliarum delitiarum seu commoditatum, quibus corpus alias solet curari, foveri & refocillari, ut & afflictionem seu castigationem corporis & humiliationem animi. Qui jejunabant, non solum cibo & potu, sed etiam aliis commodis corporis abstinebant, ut lotione, unctione, vestium mutatione, Musica & similibus; contra vero induebant

se sordidis & angustis vestibus, quas saccos vocabant, jacebant humi in cinere ac pulvere &c. Ergo sola abstinentia à carnibus cum usu vini & aliarum lautitiarum consistens, non est proprie jejunium.

Quod in Novo Testam. discrimen ciborum sub opinione necessitatis Ecclesiæ non sit obtrudendum, probamus,

1. *Ex libertate Christiana.* In Veteri Testamento ob certas quasdam causas Israelitæ ab usu & esu quorundam ciborum divino mandato prohibebantur, sed quia politia Mosaica finem suum habet, ideo illæ prohibitiones non amplius in Novo Testamento nos obligant, sed per Christum, ut ab aliis Leviticis Ceremoniis, ita quoque ab hoc Levitico ciborum discrimine sumus liberati, Math. 15. v. 11. 1. Cor. 10. v. 25. Col. 2. v. 16. Tit. 1. v. 15. &c.

2. Ex 1. Tim. 4. v. 1. & 3. Ubi Apostolus ciborum prohibitionem sub prætextu singularis cujusdam sanctitatis & sub specie cultus promulgatam vocat *doctrinam Dæmoniorum.*

3. Ex regula Apostolica prohibitioni isti opposita. 1. Tim. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. v. 5. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ubi probe observa, non addi apud Apostolum, doctrinam esse Dæmoniorum, si propterea cibi reprobentur, quia sint per se immundi, sed absolute prohibitio ciborum doctrina Dæmoniorū vocatur non prohibitionis causa.

4. *Ex defectu mandati & exempli.* Nec Christus, nec Apostoli leges tulerunt de ciborum discrimine.

5. *Ex absurdo.* Si carnis esus ideo tempore jejunii prohibitus, quia *est libidinis seminarium*, ut volunt Adversarii, consequens fuerit, carne nunquam vescendum, quia carnis concupiscentiis semper resistendum; pecora & aves non esse bonas Dei Creaturas; Deum ipsum peccati occasionem dedisse, quando carnibus vesci concessit Gen. 9. v. 2. & seqq. nec piscium, vini, condimentorum & quorundam leguminum usum concedendum esse, quippe quæ majorem sæpe vim ad libidinem excitandam habent, quam moderatus carnium esus.

Hieronymus in Epist. ad Nepotian. *Quid prodest oleo non vesci & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, pistiaca, mel? Tota cultura hortorum vexatur, ut cibario non utamur pane, & dum delitias sectamur, à regno cœlorum trahimur.* Et post ejusmodi nugarum narrationem. *Proh pudor,* ait, *non erubescimus istiusmodi ineptiis nec tædet superstitionis?*

Nostræ sententiæ suffragatur,

1. Quod quidam agnoscunt, jejunium esse plenariam à cibo & potu abstinentiam.

Bellarmin. lib. 2. de bonis operibus c. 1. § 2. *Nomen jejunii abstinentiam à cibo significare videtur. Græce enim jejunare dicitur νηςεύειν quasi νὴ ἐσθίειν, id est, non edere. Unde est nomen Latinorum, inedia.*

Baronius Ann. 1054. n. 5. *Jam ab Apostolorum temporibus viguisse in Ecclesia Catholica Occidentali jejunium sexta feria atque Sabbathi hebdomadarium constat, quod tepuisse non dubium est, cum remanserit ex eo duntaxat abstinentia ab esu carnium; revocare ipsum ad usum pristinum, ut revera* (nota, revera) *in diebus fideles per singulas hebdomadas jejunarent more majorum, si ferret ista humana infirmitas, non solum non reprehendendum, sed magnopere laudandum fuisset &c.*

Maldonatus in Summa quæst. 3. art. 2. *Quod attinet ciborum delectum, semper in jejunio observatum est, ut ab iis abstineretur, quæ maxime finem jejunii impedire poterant. Id mutatis temporibus mutatum est. Nam perfectum & verum jejunium & quasi exemplar omnium fuit aliud, quod ipso nomine declaratur, nihil comedere. Nam proprie jejunium est, nihil prorsus edere. Tale jejunium fuit Mosis, Pauli & aliorum sine cibo & potu. Secundum genus jejunii inter Monachos usitatum, nihil igni admotum edere, ne panem quidem. Tertium fuit panis & aqua. Quartum fuit magis delicatum, constans ex oleribus, leguminibus & pomis.*

Azorius lib. 7. Inst. c. 21. *Certe negari non potest, Christianorum jejunia carnium esu & vini potu caruisse. At vero jam in more positum est, ut cum piscibus, herbis, fructibus, vino similiter utamur.* (contra veteris Ecclesiæ morem in jejunando observari solitum.)

Toletus lib. 6. Instruct. Sacerd. c. 3. *Aliquando prohibentur caro & lacticinia, cum tamen non est jejunium, ut in Quadragesima Dominicis.*

) Ergo abstinentia à carnibus nondum absolvit jejunium.)

2. Quod quidam reprehendunt absurdam opinionem, qua jejunare se putant, qui à carnibus abstinent, interim vino, piscibus, condimentis liberalius utuntur.

Anastasius Episcopus tom. 1. Bibliothecæ Patrum (quam Margarinus Bignæus Sixto V. Pontifici inscripsit, ac de ea testatur, *quod nihil in ea sit non pium, non Catholicum, vel à S. Romana Ecclesia dissentiens, quod nihil fidei Apostolicæ & Romanæ contrarium habeat*) fol. 98. *Si quis à carnibus quidem abstinet, aliis autem cibis & potibus corpus alit, & adipe repletum reddit, ei nihil prodest jejunium.*

Alanus in lib. de planctu Ecclesiæ. *Hodiè gula vitium profundius se porrigit in Dominos & Prælatos, qui salmones, lucios, cæterosq; pisces, æquipollente generositate insignes variis decoctionum cruciant Martyriis, baptismi adulterantes officiū sacri piperis fonte baptizant, ut multiformem saporis gratiam consequantur. Alius ministrorum contundit, colat alius & conficit, substantiam vertit in accidens, Naturam mutat in aerem, ut saturitas transeat in esuriem.*

Hermannus Mutius in Chron. memorat, *Anno 1212. in Alsatia multos nobiles & vulgus sensisse, quod liceat quolibet die comedere carnes, modò sobriè; & quod non minor sit luxus in piscibus preciosis, aut copiose sumtis, quàm in carnibus.*

Polydorus Vergilius lib. 5. de rerum Inventor. cap. 2. *Quia sub illud tempus jejunium quadraginta sex dierum nobis anniversarium indicitur, ideo quotannis cuncti ubique gentium, in nostro Christiano orbe studiosius solito adipatis vescuntur cibis, & non parum multi, quibus præcipua ventris cura est, ad vomitum saturantur, quasi expleturi futuram famem, cum tamen eorundem intemperantior futura sit abstinentia. Nam quamvis ab esu carnium & panis abstineant, bellariis sese farciunt, & azymum panem pro fermento devorantes de jejunio gloriantur. Sic peccata undique accumulant, ne adventante Pascha, vacui aut frustra ad suos Sacerdotes adeant.*

Martinus Peresius Episcopus Guidixiensis de tradit. patr. 3. pag. 244. *Pudet certè me loqui de hac virtute* (jejunii) *sacrosancta, quæ nomine tenus hodie in Ecclesia observatur. Nam neque apud eos solum, qui jejuniorum præscriptiones damnant, neque apud nos, qui merito eas defendimus, in usu sunt sancta jejunia, nisi tantum secundum quandam externam Ceremoniam. Putamus enim, nos jejunare, si semel in die usque ad ingluviem prandium faciamus probè poti & melius pasti, sumentes cibos non pro Naturæ sustentatione, aut unius diei duntaxat, sed in tanta quantitate, ut vel Miloni olim pro tribus diebus potuisset sufficere. Taceo qualitatem & differentiam cibariorum & condimentorum. Jam enim neque mare, neque terra, neque aër, neque salsamentarii sufficiunt gulæ nostræ. Et utcunque tolerabile esset, si hæc ingluvies contagio suo solos Laicos comprehenderet, & non potius multos nostri ordinis Sacerdotes, Religiosos & Prælatos Ecclesiæ perraderet, quos video huic rei tantum invigilare, ut potius ad ventris voracitatem natos esse dixeris, quàm ad imitandam Apostolicam modestiam, in fraudem pauperum & destructionem castitatis, quæ cum sanctis jejuniis terras videtur reliquisse. Quid enim expectabitur à ventre mero, piscibus, variisq; aliis cibariis & irritatoriis pulmentis distento, nisi ut statim in fœdam libidinem despumet, & in motus illicitos prorumpat? In vanum profectò promittitur à nobis cœlibatus, si abstinentia Ecclesiastica, quæ mater limpidissima castitatis est, & penè fundamentum Christianarum virtutum, non colitur, & totis ulnis (quod ajunt) amplectitur. Verè in nos quadrat illud Esaiæ: In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, imo & gula & luxuria nostra.*

Erasmus in Epistola ad Episcopum Basiliensem An. 1522. postridie Paschatos Basileæ scripta. *Nunc videamus, quàm hic quoque verum sit, quod scripsit Paulus: Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet. Nullis diebus operosiores sunt culinæ, quàm pisculentis, nec unquam apparatus major, aut sumtus gravior. Ita fit, ut tenues esuriant, divites vivant etiam delicatius. Quis non malit silurum, quem, opinor, vulgo sturionem vocant, aut nottam, aut mærenam, quam suillam fumo duratam aut verrecinam? Atque in his etiam ea, quæ à carnium vocabulo separantur, sunt, quæ plus addant alimoniæ, quàm caro bubula aut ovilla, veluti testudines, cochleæ & colubri. Magis etiam irritant libidinem. Atque hæc reperias etiam in oleribus & arborum fœtibus. Quid prodest abstinere à carnibus ovillis, si ventrem distendas erucis, palmulis, ficis & uvis passis, tuberibus, carduis & bulbis, quæ genitalia magis accendunt tentigine, quàm pullastræ; condita myrobalanis vegetius reddit corpus, quàm bubula. Nec horum quidquam interdicitur. His rebus fit, ut, qui tenui sunt fortunâ, graventur hujusmodi constitutionibus, cum minimum egeant; qui divites sunt, ad delitias invitentur.*

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Non putatur hodie jejunium, si vel modicam portiunculam carunculæ gustes, sique ovum unicum, aut jusculum de gallina recoctum sorbeas. At vero jejunium est, si carnem variorum piscium vores, si vino totus madeas, si satur mensa lautissima surgas & insuper prandio cœnam jungas.*

Johan-

Iohannes Ferus in cap.12. Matth. Lib.2. pag.254. postquam Pharisæorum falsam de ritibus opinionem perstrinxisset, subjungit: *His similes sunt plerique nostrûm, qui tunc se leges servasse judicant, cum externe literam legis sequuntur, sicut patet de his, qui festis diebus otiantur, item de his, qui jejunare se putant, cum semel in die comedunt, sed tam laute, adeoque se ingurgitant, ut per totam diem nullam amplius esuriem sentiant: econtra cum non jejunare judicant, & præceptum transgredi, qui paupertate, vel necessitate, vel labore coactus sæpius in die, sed parce sumit cibum.*

Guilielmus Lindanus Lib.3. Panopl. c.9. *Jejunia nostra, quæ & vini copia natant, abundantiaque redundant, & piscium varietate carnium superant delicias, adeoque, quod & Hieronymus de suæ ætatis moribus conquerebatur, cum Deo ludere videntur, dum pro intercepto, qui ex ovis oritur, calore, olei flammas, vini æstum, omnisque aromatum generis ignes heluoni infarciunt stomacho, veteribus Christianis omnino fuisse non modo incognita, sed & intolerabilia, atque adeo abominanda, piis omnibus veritas cogitantibus arbitramur notius, quam ut ea de re ulla sint verba profundenda.*

Thomas Stapletonus in Promt. moral. Domin. Quinquages. in parte hyemali. *Quadragesimale jejunium jamjam incepturi nos interea totos ingurgitamus, ventrique & abdomini servimus, quasi post biduum non Christo, sed Veneri sacra facturi.*

Iohannes Maldonatus in cap.21. Ioh. v.5. ex Athenæo Lib. 1. cap.1. scribit: *inter pulmentaria, id est, προσφάγια, quæ eadem obsonia dicebantur, pisces principem habuisse locum, quod in majoribus quam carnes delitiis essent, apud Athenæum docet Myrtilus.*

(Et tamen jejunare in Papatu sese fingunt, qui carnibus abstinentes, vino & delicatis piscibus sese ingurgitant.)

Ob hanc præposteram & absurdam opinionem merito Pontificiis obvertitur, quod Augustinus jam olim opposuit Manichæis Lib.2. de moribus Manichæorum c.13. *Quæro*, inquit, *à vobis, si quis existat, quod fieri potest, ita homo parcus & frugi, ut appetitum ventris & gutturis moderans, non epuletur bis per unum diem, & huic cœnanti olusculа cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atque condita, quantum comprimendæ fami sat est, sitimque irriget propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracis potionibus, isque illi victus sit quotidianus; alius vero ex alia parte nihil gustans carnium, nihil vini, exquisitas & peregrinas fruges multis ferculis variatas & largo pipere aspersas, nona hora libenter assumat, noctis etiam principio talia cœnaturus: bibat autem mulsum, caranum passum, & nonnullorum pomorum expressos succos, vini speciem satis imitantes, atque id etiam suavitate vincentes, & bibat, non quantum sitit, sed quantum libet, idque sibi exhibendum curet quotidie, talique victu, delitiisque perfruatur, nulla necessitate, magna voluptate; quem tandem horum duorum, quod ad cibandum, potandumque attinet, abstinentius vitam ducere judicatis? Non opinor usque adeo vos esse cæcos, quin illum de parco lardo ac vino huic gurgiti præferatis. Ita quidem veritas cogit, sed vester error longe aliter canit.*

5. Quod quidam agnoscunt, in Novo Testamento nullum cibi genus esse sub opinione necessitatis prohibendum.

Eleutherius I. tempore Antonini Commodi statuit, *ne quis ob superstitionem cibi genus ullum respueret, quo humana consuetudo vesceretur*: referente Platina in vita Eleutherii fol.24.

Gregorius tom.3. Pastoralis curæ parte 3. Admonit.20. fol. 202. *Esca nos non commendat Deo. Audiant isti, quia omnia munda mundis, coinquinatis & infidelibus nihil est mundum. Audiant illi, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum. Audiant isti, discedent quidã à fide & veritate &c. Audiant illi: Bonum est non manducare carnem atq; bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizatur. Audiant isti: Modico vino utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Quatenus illi discant, cibos carnis inordinate nõ appetere, & isti creaturã Dei, quã non appetunt, nõ audeant condemnare.*

Bernhardus serm.4. in Psalm. Qui habitat, scribit: *Dominum voluisse, ut in manna cœlitus compluta omnis saporis, omnis odoris delectatio inesset, ut, liberum esse ciborum usum atque à Deo concessum, homines intelligerent.*

c. Qui Episcopus. dist.23. ex Concilio Carthagin. inter cæteras ab Episcopo requiritur, *ut secunda matrimonia non damnet, ac carnium perceptionem non culpet.*

c. Si quis carnem. dist.30. ex Concilio Gangrensi. *Si quis carnem manducantem ex fide cum religione præter sanguinem & idolo immolatam & suffocatam crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, qui eam manducat, anathema sit.*

In rubrica, c. Quisquis. dist.41. dicitur, *quod pro moribus eorum, cum quibus vivimus, etiam uti debeamus alimentis*, & mox subjicitur ex Augustino:

Quisquis rebus præsentibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est.

Et postea: *Fieri potest, ut sine vitio aliquo cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum olus ardescat, & sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esavi nepotis Abrahæ, aut hordeo jumentorũ. Nõ enim propterea continentiores nobis sunt pleraq; bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus non ex earum rerum Natura, quibus utimur, sed ex causa utendi & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum est, quod facimus.*

c. Delitiæ. dist. ead. ex Augustino. *Delitiæ qualibet, si absque desiderio percipiantur, non officiunt, & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinentiæ. David enim aquam male concupitam effudit & Elias carnes comedit.*

c. Quod dicit. dist. ead. ex Augustino. *Non interest omnino, quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruat in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum est, neque quantum sumas, interest multum &c.*

Et paulo post: *Magis ergo interest, non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum, atque personæ suæ & pro suæ valetudinis necessitate quis accipiat, sed quanta facilitate & serenitate animi careat, cum his vel oportet, vel necesse est carere, ut illud in animo Christiani compleatur, quod Apostolus dicit: Scio & minus habere, scio & abundare.*

c. Clericus. dist. ead. ex Concilio Carthagin. *Quisquis contemtis his, cũ quibus vivit, lautiora vel austeriora præ cæteris indumẽta, vel alimenta quærit, aut intemperans sui, aut superstitiosus est.*

Henricus Imperator circa Annum 1052. Goslariæ in malã crucẽ suspendi jussit quosdã hæreticos, *qui esum carnium prohibebãt*, referẽte Aventino Lib.5. Annal. ex Hermanno Cõtracto.

Waldenses *tempore Quadragesimæ carnem & ova comedebant*, dicentes, *nullum esse peccatum hoc facere*, imo dicebant: *Ecclesiam non posse talem ciborum abstinentiam præcipere, & in tali abstinentia à carnibus dicebant nullum inesse meritum.* Alphonsus de Castro Lib.3. adversus hæreses Hæresi 2. tit. Cibus. pag.88.

Hermannus Mutius in Histor. Germaniæ memorat, *circa annum Domini 1212. fuisse multos in Alsatia nobiles & ignobiles, qui affirmaverint, licitum esse usum ciborum quorumvis quavis die, nec minorem esse in piscibus, quam in carnibus luxum.*

Nigellus Wirecker Cantuariensis (circa Annum 1400.) damnavit prohibitionem esus carnium, inquiens, *carnem non esse prophaniorem pisis aut piscibus, sed abusum ejus, aliorumque ciborum malum ac prophanum esse.*

Iohannes de Vesalia Concionator Wormaciensis (circa Annum 1464.) in concionibus suis sæpe repetiit, *quod in Scriptura non est prohibitum, pro peccato non esse habendum, licitum esse, etiam die viridium capone vesci.*

Item: *Si Petrus jejunium instituisset, potuisset existimari, ideo fecisse, ut pisces suos facilius ac citius venderet. Sed Christum non præcepisse à carnibus abstinere, nec ullum unquam cibum prohibuisse.*

M. Iohannes Ibenhagen Frimariensis (circa Annum 1480.) solitus est reprehendere prohibitionem ciborum, butyri &c. Nam illis diebus, quibus in Papatu hominibus non licuit comedere carnes, ipsemet curavit suis operariis coqui carnem suillam, eisque apponi, & simul cum eis comedit, dictitans, *omnibus diebus licere Christianis vesci carnibus.* Quod sit *humanum inventum non comedere carnes*, probavit hoc modo: *Omnia in usum hominis à Deo sunt creata, & non invenitur in sacris literis ejusmodi præceptum, ideo & homines, ut id servent, non obligantur.*

Inter Gravamina Nationis Germanicæ in Comitiis Norinbergensibus Anno 1523. ab omnibus Sacri Rom. Imperii Statibus Legato Pontificis oblata, primo loco ponitur interdictus ciborum usus. *Inter reliqua onera* (inquiunt) *vel illud minime postremo loco est collocandum, quod Constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta sunt, vel imperata, quod genus sunt matrimoniorũ tam innumera obstacula excogitata &c. ciborum usus interdictus, quos Deus tamen ad hominis necessitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiscue sumendos Apostolus docuit. Hæ nimirum atq; his similes complures humanæ constitutiones eo usq; ligant homines, donec pecunia sibi harum legum gratiam à statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis sit prohibitum.*

Erasmus in Paraphrasi c.14. Rom. *Hæc vobis non debent esse*

tanti, ut ob ea scindatur fraterna concordia. Is, qui infirmior est, & vescitur quibuslibet, ita fruatur sua firmitate, ut tamen inferiorem, qui vesci metuit, non aspernat. Ac rursus, qui animi sui infirmitati obsequens abstinet à certis ciborum generibus, nec damnet ac judicet sine delectu vescentem, quicquid appositum fuerit.

Ibidem. *Hominis negotium est cibus, Dei negotium est caritas, cum alterutrum periclitatur, illud potius cedat, quod levius; non quod in illis cibis sit ullum vitium, aut alius purus sit, alius impurus, aut quod per se culpa sit cibo, quo velis, vesci.*

Idem in Epistola ad Christophorum Episcopum Basileënsem. *Gustavit aliquis carnes, clamant omnes: O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni! Nutat Ecclesiæ status, inundant hæreses. Ut cœnes, nulla opus est venia; ut fas sit vesci carnibus aut ovis, emendum est Romani Pontificis diploma. Ita quod specie propius accedit ad Judaismum & omnino tale, ut merito quis admiretur, hoc tantopere receptum à Christianis, qui Circumcisionem, cæterasq; Judæorum Ceremonias execrantur, tenemus mordicus. Ciborum delectum maximi facimus, id quod probius accedit ad Evangelicæ pietatis studia, sinimus antiquari. Cum enim peccatio Christianorum sit peculiaris hostia & hujus sodalis, comesque sit jejunium, quod in Evangelicis & Apostolicis literis hæc duo ferme copulantur, deprecatio & jejunium, (nam jejunio purgatur animus ac roboratur, ut pura, ut ardens, ut alacris sit deprecatio) tamen in ciborum delectu longe tenaciores sumus humanæ constitutionis, quam in jejunio. Quanquam & jejuniis multo crebrioribus onerantur Christiani, quam unquam Judæi. De ciborum generibus dixit Dominus: Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Et Paulus à Præceptore non dissentiens, Regnum, inquit, Dei non est esca & potus. Cæterum in ciborum delectu. quanto nostrum onus videtur durius, quam illorum! Illis licuit ex omni piscium, quadrupedum ac volatilum genere saluberrimis quibusque vesci &c.*

Ibid. *Paulatim irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris pisculentum nobis reddidit. Deinde ubi hoc successit, adjuncta est & Sabbati dies, nunc etiam Mercurii periclitatur. Ob id genus observatiunculas videmus homines affligi & denique mori, sibique Christianos videri, cum sint Judæi.*

In Epist. præposita Paraphrasi prioris Epist. ad Corinth. *Mihi purioris Christianismi, magisque consentaneum Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ videtur, si nullum certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maxime conducunt bonæ valetudini, non ad luxum, sed ad sobrietatem cum gratiarum actione ac studio bonæ mentis.*

Idem in paraphrasi cap. 8. 1. Corinth. *Approbo, quod dicis: Esca non commendat nos Deo. Cum enim Deus universa creaverit ad usus humanos, neque quidquam à nobis exigat præter vitæ pietatem, quid illius refert piscium an quadrupedum, an volatilium carnibus vescamur? Nihil enim pietati quicquam vel addit, vel demit horum delectus. Superstitiosum facere potest, pium nequaquam. Christus nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritatis sit, si quis homunculus conetur quenquam hujusmodi constitutionibus onerare. Pro suo quisque corporis affectu vescatur, quibus velit, modo sobriè parceque, super omnibus gratias agens Deo.*

Idem integrum scripsit librum *de interdicto esu carnium*, in quo adversus Parisiensium Censuram in hac quæstione se defendit. In responsione illa inter cætera sic scribit: *Arbitror autem, puriorem fuisse Christianismum temporibus Apostolorum ac Martyrum, quam nunc, quando sic refrixit hominum caritas. At illis temporibus, cum nullum esset præscriptum de ciborum discrimine, plures ultro abstinebant à carnibus, quam nunc faciunt coacti.*

Ibid. dicit, *nihil proficere ad pietatem ciborum discrimen, & esse magis Christianæ doctrinæ conforme, si talis ciborum delectus statuto Ecclesiæ tolleretur, quoniam, ut ait, Christus nullum ciborum delectum docuit.* Admittit quidem carnium abstinentiam, sed hanc liberam esse optat, *ut quisque suo arbitrio & non lege cogente à carnibus abstineat.*

Alphonsus à Castro lib. 3. advers. hæreses, tit. Cibus, hæresi 2. fatetur, *Christum non instituisse ciborum discrimen. Cæterum* (inquit) *quod Chirstum nullum docuerit ciborum delectum, forte Judæorum imbecillitas fuit causa. Judæi siquidem putabant, cibos, quos lex Mosaica interdixerat, esse Natura malos & immundos, ac proinde vetitos. Et si Christus Salvator noster adhuc pergeret carnes & alios cibos prohibere, in suo forte confirmati fuissent errore, & in alium ducerentur, ut crederent, etiam carnes esse Natura malas, quemadmodum Manichæi impie sentientes opinati sunt. Ut igitur ab hoc errore Christus Salvator noster Judæos avocaret, noluit ullum ciborum discrimē docere.*

(Subjicit quidem Alphonsus, *quod postea, cum Ecclesia ex gentibus collecta, Spiritu Sancto suggerente, fuit satis edocta, nullum cibum esse Natura malum, Christum Ecclesiam suam leges de ciborum delectu statuere docuerit.* Sed quilibet videt, hanc esse principii petitionem.)

Ibidem in præced. concedit, *in verbis Christi Luc. 11. Manducate, quæ apponuntur vobis, permitti aut indulgeri quemlibet cibum, etiam qui ante in lege prohibitus fuit, non autem esse ibi præceptum, sed liberam quandam facultatem concessam.*

(At hoc probandæ nostræ sententiæ sufficit, pugnat enim cum illa libera facultate ciborum quorundam interdictus esus.)

Idem d. l. hæresi 1. *Nulla cibus est nobis divina lege prohibitus, sed juxta licenciam nobis à Salvatore datam de omnibus cibis, qui apponuntur nobis, licebit manducare.*

Becelinus, citante Rivio, lib. de abusibus Ecclesiæ pag. 131. *Pontifices æquum est remittere aliquid de severa ista obligatione conscientiarum propter cibum, ne statim ad laminam trahatur, qui vel invitus collapsæ valetudini esu promiscuo medetur. Meminerint, Christianos non esse Agarenos, neq; omnibus opipare pisculentas mensas contingere. Valde cavendum, ne superstitiosorum Judæorum similes efficiamur, ac ne innitamur operi. (Quæ quasi retia conscientiarum fuerint illa indicta statu anni diebus atque temporibus jejunia, quanta in his exigendis Tyrannis Pontificum, quanta in observandis spes atq; fiducia salutis, satis, ut opinor, innuit.* Subjicit Rivius:

Georgius Wicelius in Compendio de semit. antiquis. *Dedocet Apostolus ineptum istum delectum Cœnæ Judaicæ, ubi vetat judicari debere vescentes quolibet cibo ac potu, perinde quasi peccarent aliqui contra fidem; esse indifferens, sive edas, sive non edas, modo tibi non blandiaris de justitia aut sanctimonia, sive quod ausus fueris edere, sive quod malueris ab esu tibi temperare. Hujusmodi quidem Judæis ad Evangelium conversis, sed nondum in fide planè firmis. At Christiani secus simus affecti oportet, si nolimus eodem lecto decumbere. Nam si eadem formidine ab esu carnis abstinuerimus, & per hanc abstinentiam similem nobis ipsis justitiam aut salutem pollicebimur, iisdem sacrorum dictorum confodiemur jaculis. Judæus non quamcunque carnem respuit, sed partem aliquam mandato Mosis vetitam. Inter nos existunt, qui ipsi sibi vetuerunt ex æquo omnem de carne usum, exceptis aviculis, idque per totam vitam; alii certis tantum diebus quippe jejunialibus: & utrobique justitia quæritur, aut certe inanis gloriatio. Illi quod faciunt, voto & religione, aut superstitione potius faciunt: hi autem constitutione humana se obligari credunt, ut cogantur pisce vesci, non carne; aut potius carne piscis, non carne quadrupedum, quasi coram DEO multum referat, utra carne ventrem oppleas, quandoquidem destruat tam ventrem, quam in ventre escam, juxta vocem Apostoli.*

Et postea. *Plusquam Judaica superstitio astrinxit conscientias ad formidines culpæ pœnam purgatilem post se trahentis, etiamsi tantum vescaris tenui lacte, si olido caseo, si putri butyro. O sanctas gentes, quibus cœlum debetur ex myrothecio illo, quod in alvum abit & in secessum ejicitur. Cur enim Evangelii verbis non utar in re tam gravi, si superis inferisque placet? His creaturis Dei non licebat vesci, nisi Quirinaliter indulgeretur, idque non Metelli, sed metalli ergo? Quæ sæva coarctatio peperit nobis licentiam hanc, qua nunc non voratur, sed ingurgitatur, excusso omni disciplinæ jugo, abjecto jejunio, sepedita temperantia & neglectis super ea re Scripturæ locis. E contra alibi reperias longe prælatam hanc constitutionem divinæ legi de non pejerando, de non occidendo, mœchando, furando ac aliis, dum magis constitutioni hominis, quam legi Dei obtemperatur, & creditur per opera jejunii, discriminis ciborum &c. elui seu expiari crimina illa adversus legem Dei commissa. Citius aliquando rapiat equum tibi, aut infestet tuam domum, aut virginem, uxoremque proximi comprimat, aut cædat innoxios, aut fraude circumveniat fratrem, aut blasphemet, aut de vero Dei verbo cultuque audire non sustineat, quam die constitutione humana vetito, non dicam de carne, sed nec de ovo gustet, dictitans, sic constitutum esse, & interim dissimulans, præcepto divino caveri, ne scelerate vivat. Usque adeo præpostera omnia debemus huic Judaismo novo & vanissimæ superstitioni, quæ tantum facit discrimen inter carnem anguillæ & carnem vitulæ. Atque eo modo iterum irritum facimus Semichristiani præceptum Dei propter constitutionem hominis, & sic ita docemus, frustraneum sineq; fructu cultum Dei docemus, obnoxii judicio Scripturæ Propheticæ, pariter atq; Apostolicæ.*

Ludovicus Vives ad verba Augustini lib. 16. de Civitate Dei c. 37. *in vescendo non cibi genere, sed aviditate immodesta quenquam culpandum*, sic annotat: *Hoc est verum ex germana illa Evangelica lege præceptum: Multa essent mihi de hoc dicenda, non ad licentiam præbendam populis, sed ad monendos populi rectores, quæ in aliud commodius tempus differentur.*

Matthias Bredenbachius in Apolog. pag. 5. *De genere ciborum, quia possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentia quicunque humani cibi indifferentur sumi, prohibet Apostolus judicare eos,*

qui

qui carnibus vescebantur & vinum bibebant, ab eis, *qui se ab hujusmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet*, Rom. 14.

4. Quod novitatem hujus instituti de discrimine ciborum ipsimet non diffitentur.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Inventoribus cap. 6. pag. 496. *Cum jejunium agitur, primum à carne & à quocunque ciborum genere, quod sapiat carnem sicut sunt, lac, caseus, ova, autore D. Gregorio, abstinendum est. Sed carnis usum multo ante interdictum fuisse iis, qui per jejunium abstinent, testatur Chrysostomus, qui Gregorium ducentis antecessit annis.*

Bellarminus lib. 2. de bonis operib. in part. cap. 5. in producendis Antiquitatis testimoniis operose desudans, non potuit invenire decretum *de abstinentia carnium in jejunio*, sed adducit duntaxat exempla Scripturarum & Patrum.

Abstinentiam carnis in Quadragesima præcepit Concilium Toletanum octavum, anno Christi 653. celebratum cujus hoc decretum apud Baronium Anno 653. n. 3. legitur: *Quisquis absque inevitabili necessitate atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum carnium præsumserit attendere, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione.*

5. Quod discrimen ciborum ex legibus Leviticis & Veter. Test. Ceremoniis (quas in Novo Test. abrogatas esse diffiteri nequeunt) imo etiam ex corrupto Judaismo probant.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Inventor. c. 6. p. 500. *Extra jejunium legitimum & duas hebdomadæ dies, feriam sextam ac Sabbatum habemus, quibus non licet vesci carnibus, prout jam ab initio Ecclesia receperat, constituerat ac sanciverat: quæ porro in hoc secuta est Dei legem, quam ille primus de ciborum delectu Judæis per Mosen dederat, uti est in Levit. cap. 11. Et quis ergo, nisi valde edax minimeque religiosus legem duorum dierum ad Dei præscriptum latam perfringere ausus fuerit?*

Idem lib. 3. c. 5. p. 216. *Josephus tres describit sectas Judæorum, Pharisæos, Sadducæos, Essæos, quorum novissimos fert ad cœlum laudibus, propterea quod ab uxoribus & vino, & ut Hieronymo placet, carnibus semper abstinuerint.*

Alphonsus de Castro lib. 4. advers. hæreses, tit. Cibus, hæresi 2. fol. 112. *In veteri lege ante promulgationem Evangelii licite quis, imo meritorie à cibis licitis abstinebat. Ergo & nunc ab iisdem licite & meritorie abstinebit.*

6. Quod agnoscere coguntur, apud gentiles & hæreticos abstinentiam à certis ciborum generibus religionis causa usitatam fuisse.

De Ethnicis sic scribit Baronius Ann. 42. n. 29. *Thebanos agnis temperasse, nec apud eosdem oves solitas immolari tradit Herodotus in Euterpe &c.*

Et postea. *Sicut ab esu ovium, ita & caprarum eos abstinuisse, his versibus testatur Juvenalis Satyra 15.*

Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

De hæreticis, puta Manichæis, Encratitis &c. sic disserit Ann. 57. n. 188. *Quinam fuerint ejusmodi hæretici, qui postea hæc docuerint, quorum Paulus doctrinam condemnat 1. Tim. 4 sententia est Chrysostomi Homil. 12. in 1. Tim. & aliorum, hos fuisse Encratitas, Marcionitas & Manichæos. Verum ante hos, ipsis Apostolorum temporibus, qui hæc docuerunt & cibos aliquos detestarentur, hæreses prodiere.*

Ann. 187. n. 1. *Montanistæ illegitimas ac superstitiosas in Ecclesiam inferre conati fuerant xerophagias.*

Ann. 57 §. 191. allegat *Pythagoram ceu primum autorem superstitiosi discriminis ciborum*, de quo scribit: *Abstinendum censuit ab animantibus.*

Idem Baronius Ann. 174. n. 4. Platina in vita Pii I. Prateolus lib. 17. hæres. 32. *de Ebionitis, Montanistis, Tatianis, Encratitis &c.* memorant, *quod cibos damnarint, quos Deus generi humano proposuit, quod carnes fuerint abominati &c.*

Prateolus lib. 3. hæresi 12. de Catharis, *dicebant, non licere vesci carnibus, adeoque ab ovorum esu abhorrebant.*

7. Quod agnoscunt, vinum æque, si non magis, accendere carnis concupiscentias.

(Eccur igitur carnis esum prohibent, atque interim vini usum permittunt?

c. Luxuriosa 3. dist. 35. ex Hieronymo. *Luxuriosa res est vinum.*

c. Venter 5. dist. ead. ex eodem. *Venter mero æstuans, cito despumat in libidines.*

c. Vinolentum 6. dist. ead. ex eodem *Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere, ne in crapula & ebrietate aggraventur corda eorum. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest. Quicquid inebriat & statum mentis evertit, fuge similiter, ut vinum &c. Sponsa Christi vinum fugiat, ut venenum: vinum & ebrietas incendium est.*

Huc etiam referri possunt querelæ de monstris libidinum in Papatu grassantibus.

(Evangelici ex libertate vescuntur carne & avibus, & omni, quod in macello venit, & tamen tot ac tanta monstrosæ & abominandæ libidinis exempla ab ipsis per Dei gratiam non audiuntur, quot & quanta ab aliis, qui ab esu carnium tempore Quadragesimali & feria sexta abstinent.)

Bernhardus de Convers. ad Clericos cap. 29. *Amputata sunt hydræ capita quinque, sed heu innumera surrexerunt. Quis reædificavit urbes flagitii, quis turpitudinis mœnia dilatavit, quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum sulphure illius incendii reliquias infelices circumquaque dispersit, execrabili illo cinere Ecclesiæ corpus adspersit, & ipsorum quoque ministrorum ejus nonnullos saniè fœtidissima spurcissimaq; respersit,*

Erasmus in Epist. ad Episcopum Basileensem. *Crevit Sacerdotum numerus ac decrevit pietas. Quot examina Sacerdotum alunt Monasteria, quot Collegia? ac præter hos etiam innumerabilis est ubiq; Sacerdotum multitudo. Et inter hos quanta raritas eorum, qui caste vivunt! De his loquor, qui domi palam alunt concubinas uxorum loco. Nec enim attingo nunc secretiorum libidinum mysteria. Magna Sacerdotum pars vivit cum mala fama, parumq; requieta conscientia tractat illa sacrosancta mysteria.*

Plures ejusmodi querelas adduximus lib. 1. part. 2. cap. 4. lib. 2. artic. 5. cap. 4. th. spec. 10.

8. Quod agnoscunt jejunium in delectu ciborum consistens, à Telesphoro Papa primum fuisse introductum.

Aphonsus de Castro lib. 8. advers. hæreses, verbo Jejunium, hæresi 2. *Telesphorus Papa & Martyr, qui septimus à B. Petro Apostolo Pontificatum tenuit, decretum edidit de abstinentia carnium in Quadragesima, ante quem etsi Quadragesima jejunaretur, ut constat ex dicto Ignatii Martyris in Epist. ad Philipp. mihi tamen non constat, an tunc ante Telesphorum tale jejunium celebraretur in abstinentia carnium, an per solam ciborum parsimoniam, ut videlicet, cum carnibus jejunarent semel in die, & minus, quã alias comedentes, de qua re, cũ mihi non constet, nihil definio.* Confer Platinam in Telesphoro.

9. Ostendit & hoc absurditatem opinionis Pontificiæ, scilicet jejunium in delectu ciborum consistere, quod apud ipsos Pontificios in hoc delectu ciborum mira occurrat varietas, de qua Chamierus tom. 3. panstr. lib. 19. cap. 3. §. 7.

Tempore Quadragesimalis jejunii non solum à carnibus, sed etiam *à lacte caseo & ovis* abstinent. Illis autem impune vescuntur feria sexta & Sabbato, quos tamen itidem vocant *jejunii dies.*

In quibusdam locis etiam carnibus Sabbato vescuntur, si Ecclesia, in qua est cathedra Episcopalis, sit dicata B. Virgini.

Butyrum apud Gallos, qui olivo abundant, severissime interdictũ, ast illis regionibus minime, quæ butyro sunt fertiles.

Hispanis in diebus jejunii permittuntur animalium intestina & pedes, & si quid est ejusmodi minutiarum.

Qui abstinent carnibus Monachi, si forte infirmentur, molliores sunt, exceptis Carthusianis, qui nullo vitæ periculo discedunt à suo more.

Lerinenses Monachi intra Insulam & qui in majori Monasterio sunt apud Turones, intra claustra nihil ausint carnium attingere, sed illis extra Insulam, his in domuncula, quam habent haud procul à Monasterio, hilarior victus permittitur.

Gregorius Magnus grandiores pisces jejunantibus interdixerat, pisciculis permissis, sed illud hodie antiquatum, unde Johan. Baptista Mantuanus lib. 2. Fastorum sic canit:

Non tamen illicitum, pisces adhibere minutos.
Gregorius grandes prohibet, sed longior usus
Obstitit, & ponti pecuaria magna per omnes.
Jam volitant Procerum mensas & prandia Regum.
Sordida Gregorii leges observat egestas,
Quæ tenues scrutatur aquas & flumina summa,
Grande ac pingue pecus fundo versatur in imo,
At sacri Proceres, qui lina capacia Petri
Altius immergunt, laqueant genus omne natantum.

Exceptio Adversariorum.

Quando contra prohibitionem certorum ciborum urgemus locum Apostolicum 1. Tim. 4. v. 3. & seqq. excipiunt,

Apostolum perstringere Tatianos, Marcionistas & Manichæos, qui existimabant, cibos esse immundos.

Resp. Eadem exceptione utebantur Montanistæ. Sic enim scribit Tertullianus in lib. de jejunio circa initium: *Paulus ad Galatas disputat contra veteres legales solennitates: sed Montani disputationes non sunt vetera, sed nova solennia. Paulus reprobat hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos, ad destruenda & despicienda opera creatoris, quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud paracletum. Quantula est enim apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas kreophagiarum nec totas, exceptis scil. Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis, quæ non rejicimus, sed differimus. Ita sciebat* (Paulus) *incusare quosdam castigatores & interdictores victus, qui ex fastidio, non qui ex officio abstinerent: probare vero, qui in honorem, non qui in convitium creatoris.* Turpiter ergo se dat Bellarminus, quando lib 2. de bonis operibus in partic. cap. 8. hunc locum Tertulliani pro se citat, qui ibi pro Montano contra *Psychicos*, hoc est, explicante Hieronymo & Beato Rhenano, *Catholicos*, Montani adversarios, de industria disputat.

Argumentum Pontificiorum pro delectu ciborum.

1. *Delectus ciborum habet autoritatem in lege Naturæ. Nam primis parentibus certum genus cibarii fuit prohibitum, puta, fructus ligni scientiæ boni & mali Gen. 2. v. 17. nec reliqua quidem cibaria fuere illis omnia permissa, sed tantum herbæ aut arborum fructus Genes. 1. v. 29. & ita fuit usque ad diluvium, cum facta est copia vescendarum carnium, Gen. 9. v. 3* Arboreus, Peresius &c.

Resp. 1. Cajetanus in Comm. Gen 9. & Dominicus à Soto lib. 5. de Justit. quæst. 1. art. 1. *carnium esum ante diluvium non solum usitatum, sed etiam licitum fuisse* asserunt, ac aliquot argumentis idipsum evincere conantur.

Estius in annot. ad cap. 4. Genes. argumenta illa Dominici vocat *bona argumenta*.

Cornel. à Lapide in cap. 9. Gen. statuit, *licitum quidem fuisse esum carnium ante diluvium, sed sanctos viros illo jure non fuisse usos.*

(Quamvis vero hypothesin illam, quod esus carnium ante diluvium fuerit licitus, non probemus, tamen ex ea ad argumentum allatum responderi potest per inficiationem.)

2. Aliud est interdici aliquid à Deo, aliud vero permissum à Deo hominibus interdici. Item aliud est simpliciter loqui de abstinentia, aliud vero de abstinentia cum opinione religiosi jejunii ac cultus.

3. Longe alio fine in statu Naturæ institutæ certæ arboris fructus fuit prohibitus, quam quo hodie Pontificii in statu Naturæ destitutæ & corruptæ certos quosdam cibos prohibent.

Argum. 2. *In lege scripta delectus ciborum Deo placuit. Nazaræi à vino & omni, quod inebriare poterat, abstinebant*, Num. 6. v. 3. Jud. 13. v. 4. Angelus, qui Samsonis conceptionem matri nunciabat, *à vino & sicera eum abstinere* jubebat. Deut 16. v. 3. Dominus *septem diebus jejunii panes azymos comedere jubet.* 1. Reg. 19. v. 6. Eliæ *panis subcinericius* traditur ab Angelo. Daniel cap. 1. v. 8. jejunans *vinum non bibit, nec carnibus, sed leguminib. vescitur.* v. 3 *Panem desiderabilem non comedit, & caro & vinum non introierunt in eos ejus.*

Resp. 1. Ipsimet Pontificii agnoscunt Nazaræorū vota azymos paschales ac ciborum discrimen in lege Mosaica præscriptum, pertinere ad leges Leviticas in N. Test. abrogatas.

2. Ipsimet Pontificii agnoscunt, *refectionem solito pauciorem in jejunio requiri.* Atqui ea non fuit Nazaræis mandata, nec impositus fuit luctus, qui jejunio in Veteri Testamento fuit perpetuo conjunctus.

3. Glossa ordinaria de Elia Rabano sic loquitur: *Elias bis pastus exprimit Naturæ nostræ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex.*

4. Pontificii in suis jejuniis *usum vini & piscium* concedunt, sed Daniel à vino & omnibus lautitiis abstinuit.

Argum 3. *Johannis Baptistæ vita fuit perpetuum jejunium. Is autem non solum à lautitiis in genere, sed in specie ab omni cibo & potu abstinebat, præterquam à locustis & melle sylvestri Matth. 3. v. 4.* Bellarminus, Alphonsus de Castro &c.

Resp. Cornelius Jansenius in cap. 13. Harmon. postquam dixerat, per ἀκρίδας quosdam intelligere *herbarum summitates*, subjungit: *Verisimilius est, Johannem locustas animalia edisse*, (quæ inter animalia munda numerantur Lev. 11. quas Parthis in deliciis fuisse testatur Plinius lib. 11. cap. 19. quasve quidam Æthiopiæ populi durarunt fumo & sale in annua alimenta, qui nullo alio cibo, quam locustarum vixerunt, teste eodem lib. 6. cap. 30. quibus etiam vescuntur Orientales & Lybiæ populi, teste Hieronymo lib. 2. contra Jovin.) *non quod hunc cibum sibi curiose proprium fecerit, sed quod hic vilis esset, minimeque sumtuosus, ac in deserto, in quo vivebat, facile parabilis, quem & alii ejusdem deserti inhabitatores ederint, quamvis præ aliis omnibus eximiam quandam abstinentiam & luxus omnis contemtum Johannes præ se ferret.*

(Ergò Johannes in hoc ciborum delectu non constituit peculiare aliquod meritum, vel religiosum cultum; nec jejunii perpetui, sed εὐταξίας causa his cibis usus est: nec potest hic delectus ad jejunium Pontificiorum, quod per abstinentiam carnium definitur, referri.)

Argum. 4. Baronius Ann. 57. n. 192. & Ann. 58. n. 121. ex Act. 21. v. 24. colligit, *Paulum à vino sibi penitus temperasse, quia una cum Nazaræis in templo omnia exhibuerit officia.*

Resp. 1. Cajetanus in cap. 21. Act. *Ex eo, quod non dicit, ut radatis capita, apparet, quod non hortantur Paulum, ut ipse, tanquam Nazaræus, radat caput. Idem quoque apparet ex eo, quod dicunt Paulo, impende illis, ut radant capita; hoc enim manifeste significat, ut Paulus tribuat sumtus ad hoc, ut Nazaræi radant capita.*

(Lucas ergo non dicit, Paulum exhibuisse omnia officia Nazaræorum, nec dicit, ipsum sibi totondisse caput, aut pro se obtulisse.)

2. Lorinus ibid. ad v. 26. etsi *tonsum* fateatur Paulum, tamen illud Baronii consequens *de abstinentia à vino perpetua* improbat. *Ego*, inquit, *de Pauli abstinentia, temperantiaque quidlibet magnum & eximium credo, tamen non assequor, qua ratione vini perpetua illa hinc probetur abstinentia, quoniam postero isto die potuit ritum Nazaræi inchoare, & abstinentiam à vino cum cæteris Ceremoniis ad certum usque tempus, quod sibi ipse præscripsisset, seu quod absolveretur una cum eo tempore, quod alii quatuor præscriptum habebant. Atque hoc est, esse purificatum, nempe purificationem inchoasse, quæ comprehendit universum illud opus religiosum.*

(Contra Lorinum observa, sanctificatos & purificatos in lege Mosaica dici etiam alios, quam qui Nazaræi votum præstarent.)

Argum. 5. Act. 15. v. 29. *prohibent Apostoli esum sanguinis & suffocatorum*, ex quo Alphonsus de Castro lib. 4. adversus hæreses verbo Cibus, hæresi 2. sic colligit: *Percontabor Waldenses & Lutherum, an Apostoli sic decernentes erraverint, an juste desinierint! Absit, ut dicant, Apostolos post receptum jam Spiritum Sanctum in re tam seria omnes concorditer errasse &c. Si ergo Apostoli tunc in unum congregati justa quadam de causa moti prohibere potuerunt esum suffocati & sanguinis, cur etiam modo Ecclesia aut Concilium generale illam repræsentans, illos eosdem, aut alios similes cibos ob aliquas causas justas prohibere non poterit?*

Resp. Ex eodem Alphonso hæresi 1. proximè præcedente. *Illa ab Apostolis pro tunc prohibita sunt, non quia ex se mala, aut quia lege divina interdicta, sed prohibita sunt propter Ethnicos, qui noviter convertebantur ad fidem. Judæi enim maximè horrebant comedere immolata simulachrorum, sive idolothyta & suffocatum. Apostoli autem timentes, ne Judæi conversi occasione cibi, quem horrebant, separarentur à communione fidelium, præceperunt fidelibus, ut ab illis cibis abstinerent, ne occasione cibi perderent fratres, quos fortè ad Dominum possent convertere, talibus cibis abstinendo.*

Similia apud aliquos Pontificios Interpp. in Comm. h. l. occurrunt.

Argum. 6. Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. q. 11. pro stabiliendo ciborum discrimine adducit locum Apostolicum Rom. 14. v. 21. *Bonum est, non comedere carnes, nec bibere vinum.*

Resp 1. Pontificii jejunio Quadragesimali non abstinent à vino. Ergo hic locus non probat ipsorum opinionem.

2. Apostolus statim subjungit, *neque quidquam facere, in quo frater tuus impingit vel infirmus est*, hoc est, secundum Thomam in cap. 14. Epist. ad Rom. *quod bonum est his non uti cum scandalo proximi, quod apparet ex eo, quod subjuitur.*

(Apostolus hoc non asserit tantum de carne & vino, sed de omnibus cibis, in quibus proximus scandalizatur. Itaque scandalum in ejusmodi rebus vult caveri, quas non prohiberet lege aliqua.)

3. Agitur ibi *de Judæis infirmis* ac libertatem Christianam ignorantibus, qui in Mosaicæ legis observatione adhuc hærebat.

4. Estius in hunc loc. *Docet, ad vitandum scandalum & offensionem fratris non solum ab iis, quæ lege prohibita fuerant, abstinendū esse, verum etiam à non prohibitis, & omnino à carnibus & vino.*

(Ergo non tam certi alicujus cibi prohibitionem, quam scandali evitationem intendit.)

Thesis

Theſis ſecunda. Jejunium Quadrageſimale non eſt à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutum, proinde non eſt obſervatu ſimpliciter neceſſarium.

Ἔκθεσις. 1. Jejunium debito modo ac fine ſuſceptum, nequaquam repudiamus, ſed utile ac ſalutare eſſe docemus.

2. Jejunium enim in genere acceptum eſt vel *ſpirituale*, vel *corporale*. *Spirituale* ſive allegoricum eſt abſtinentia à peccatis & pravis concupiſcentiis, Eſa. 58. v. 6. Illud jejunium omnib. diligenter commendamus & inculcamus. *Corporale* jejunium eſt vel *naturale*, vel *morale*. *Naturale* eſt, quando quis in carcere concluſus, vel in fuga conſtitutus, ab omni cibo abſtinere cogitur. Item quando tempore famis & caritatis annonæ pii pauperes parcè vivere & ſæpius eſurire coguntur. Hoc jejunium neceſſarium in piis eſt pars patientiæ in cruce Deo debitæ & habet inſignes promiſſiones. *Morale* jejunium eſt vel *pium & approbandum*, vel *impium & deteſtandum*. Jejunium piũ & approbandum eſt vel *ſpeciale*, vel *generale*. Speciale ad certos duntaxat homines pertinet, nec ad imitationem reliquis eſt præſcriptum. Eſtque vel *miraculoſum*, vel *Leviticum*. Miraculoſum fuit vel ψιλῶν ἀνθρώπων ac *typicum*, ut Moſis & Eliæ in Veteri Teſtamento, quorum uterque divino miraculo ad doctrinæ & officii confirmationem jejunavit, vel θεανθρώπου & *planè ſingulare*, Chriſti ſcilicet Jeſu Salvatoris noſtri, qui non ſolum ad doctrinæ & officii ſui confirmationem, ſed etiam ob ſatisfactionem pro peccatis noſtris quadraginta diebus ac noctibus ab omni cibo abſtinuit. *Leviticum* eſt, quo in Veteri Teſtamento Iſraelitæ ex mandato Dei ſpeciali Lev. 16. v. 31. *die decimo menſis ſeptimi animas ſuas affligebant ab omni cibo ad veſperam uſque abſtinentes*. Hoc jejunium pertinuit ad pædagogiam Levitici cultus, atque una cum aliis Veteris Teſtamenti Ceremonialibus in Novo Teſtamento eſt abrogatum. *Generale* jejunium eſt, quod ad omnes verè pios pertinet & in illis probatur, ſi debito fine ac modo ſuſcipiatur. Illud eſt vel *perpetuum*, vel *temporarium*. *Perpetuum* eſt, quod conſiſtit *in temperantia*, qua in cibo ac potu debitus obſervatur modus, ne *cor gravetur crapulâ* Luc. 21. v. 34.

Chryſoſtomus Homil. 10. in Geneſ. *Si ſobria mente vitam noſtram inſtituerimus, & quicquid otii datur, in ſpiritualia impenderimus, & cibos ita ſumſerimus, ut tantum ſatiemur, quantum uſus exigit, & vitam omnem in bonis operibus diſpenſemus, jam nullo opus fuerit ex jejuniis adjumento.* *Temporarium* eſt, quod conſiſtit *in abſtinentia ab omni cibo & potu* ad tempus aſſumta. Illud eſt vel *privatum*, vel *publicum*. *Publicum*, quando Eccleſia, id eſt, Chriſtianus Magiſtratus cum conſenſu Eccleſiaſtici Miniſterii indicit jejunium. *Privatum*, quando quis abſque Eccleſiæ mandato ex libertate Spiritus jejunat. Tale jejunium duplex ſtatui poteſt. *Contritionis*, quando quis in ſerio dolore & angore propter peccata à cibo abſtinet, & hac ratione ad ſeriam pœnitentiam ſeſe præparat; & *Orationis*, quando in ardenti oratione jejunium quis conjungit, ut carnem eò melius domet & mentem ad Deum fortius elevet. Utriusq; exempla in Scripturis proponuntur.

3. Quamvis igitur in Novo Teſtam. non habeatur generale mandatum, quo jejunium ad certum aliquod tempus reſtrictum indiſcriminatim omnib. Chriſtianis imponatur, tamen jejunium abſolute & ſimpliciter non eſt referendum ad traditiones humanas, cum & *teſtimonia & exempla Scripturæ non ſolum in Veteri, ſed etiam in Novo Teſtamento* habeat, ac ſuas præſtet utilitates.

4. Quod *de jejunio Quadrageſimali* diximus, illud non eſſe à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutum, ac proinde non eſſe neceſſariæ obſervationis, idem *de jejunio quatuor temporum ac feriæ ſextæ* intelligendum. Quatuor temporum jejunia celebrantur ternis diebus, videlicet *feria quarta, ſexta & Sabbato*; *quater quotannis*, nempe *prima hebdomada Quadrageſimæ: hebdomada Pentecoſtes: tertia hebdomada Septembris: tertia hebdomada Decembris.* Quanquam variatum fuiſſe agnoſcat Bellarminus, tum quia nonnullis placuit magis *prima hebdomada primi menſis, ſecunda quarti, tertia ſeptimi, quarta decimi*, quæ ratio præſcribitur in Ordine Romano: tum quia, cum olim terna fuiſſent tempora, quartum poſt adjecerit Calliſtus.

Antitheſis. Alphonſ. de Caſtro lib. adverſus hæreſes, tit. Cibus. hæreſ. 2. p. 88. *Audiamus Eccleſiæ definitionem. Concilium Toletanum octavum cap. 9 ſic definit: Et etiam, quicunq; Quadrageſimæ dies, quæ anni totius decimæ putantur, quæ & in oblatione jejunii Domino conſecrantur, quibus etiam ſaluberrime conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur, & quatuor Elementis formatur. & propter tranſgreſſionem Decalogi quatuordecies convenienter affligitur, illi, qui temerariè hæc omnia contemnunt, nec voracitatis ingluviem frenant, & quod pejus eſt, paſchalia feſta illicitorum eſuum perceptione prophanant, quibus ex hoc adeò acerrime interdicitur, ut quisquis ſine inevitabili neceſſitate atq; fragilitate & evidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumſerit attentare, non ſolum reus erit reſurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei ſancta communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Hæc Concilium, cujus definitioni quemlibet Chriſtianum magis oportet obedire, quam cujusvis Concilio malignantium Waldenſium aut Lutheranorum.*

Bellarm. lib. 2. de bonis operibus in partic. c. 14. *Jejunium Quadrageſimale ab Apoſtolis Domini inſtitutum eſt atque Eccleſiæ univerſæ traditum.*

lib. ejusd. cap. 9. dicit, *non eſſe Chriſtianos, qui carnibus veſcuntur in Quadrageſima.*

Idem lib. 4. de Verbo Dei cap. 2. *Jejunium quatuor temporum fuit ab Apoſtolis inſtitutum.*

Quanta autem ſeveritate Quadrageſimalis jejunii obſervationem urgeant, inter alia patet ex decreto Johannis Monlucii Epiſcopi Valentini in Reformatione Cleri Valent. cap. 53. *Illud præterea ſtatuimus, ne iis diebus, quibus ab Eccleſia eſu carnium interdictum eſt, caupones viatoribus carnes aut dare, aut parare audeant, niſi forte morbum viatores excuſent: & ea quidem excuſatio Medici conſilio & Epiſcopi autoritate comprobata ſit oportet. Verum quoniam accidit nonnunquam, ut qui iter faciunt, morbis corripiantur, quorum nulla ſit in vultu prædictio & ſignificatio, ſintq; nihilominus graves & periculoſi, quibus curandis carnibus veſci neceſſe ſit: tunc caupo Medicum accerſendum & conſulendum curabit; quod ſi deſit Medicus, Parochus convocetur. Is verò jurisjurandi religione interpoſita, à diverſoribus ejusmodi quæret, eone valetudinis vitio teneantur, ut ſalva & integra valetudine carnibus abſtinere non poſſint? quibus illud ipſum jurejurando affirmantibus, eo die poteſtatem faciet Parochus carnibus utendi.*

Jejunium illud Quadrageſimale, prout in Romana Eccleſia hodie obſervatur, rejicimus propter corruptelas eidem adhærentes.

1. *Ratione formæ.* Non enim definiunt jejunium per abſtinentiam à cibo & deliciis corporis, ſed in ſolo ciborum delectu illud conſtituunt; abſtinent à carnibus, interim bellariis ac vino utuntur, ut in theſi præced. vidimus.

2. *Ratione finis.* Jejunant, vel potius jejunare ſeſe ſimulant, *ut pro peccatis ſatisfaciant & vitam æternam mereantur*, ut in theſi ſequente videbimus.

3. *Ratione accidentis.* Obtrudunt Eccleſiæ jejunium *Quadrageſimale, quatuor temporum & feriæ ſextæ* ſub opinione neceſſitatis, ut mortaliter peccare judicentur, qui illis diebus non jejunant, etiamſi alio tempore jejunent; ex jejunio faciunt per ſe cultum divinum, ex diſpenſationibus jejuniorum faciunt meras pecuniarum nundinationes.

Illa ergo jejunia improbamus 1. Quæ in nudo ciborum diſcrimine conſiſtunt. 2. Pars divini cultus reputantur. 3. ad certos dies ſub opinione neceſſitatis cujusdam abſolutæ reſtringuntur. 4. in honorem ſanctorum diriguntur.

Huic errori opponimus 1. *Defectum mandati*, Nec Chriſtus, nec Apoſtoli uſpiam leguntur, Quadrageſimale jejunium inſtituiſſe. Ephrem. tom. de caritate pag. 10. *Dominus non dixit, adducite mihi oves, aut vitulos, aut hædos, aut jejunium, aut vigiliam, ut dicere queas, non habeo, non poſſum: ſed quod leve eſt, ac facile, ac compendioſum, hoc præcepit, dicens: Et tu ignoſce fratri tuo errata ſua, & ego tibi ignoſco tua.*

2. *Veram de jejunio doctrinam in Scripturis traditam.* Rom. 14. v. 17. inquit Apoſtolus, *Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed juſtitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto.* v. 18. *Qui in his ſervit Chriſto, placet Deo & probatus eſt hominibus.* 1. Cor. 8. v. 8. *Eſca non commendat nos Deo, neque enim, ſi manducabimus, plus habebimus* (apud Deum ſcilicet) *neque ſi manducabimus, quicquam nobis deerit.* 1. Tim. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia utilis, habens promiſſionem hujus & futuræ vitæ.* Hebr. 13. v. 19. *Bonum eſt gratiâ ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Ex his & ſimilibus locis Auguſtinus in lib. de bono conjugali c. 9. rectè colligit, *quædam eſſe*

per ſe

per se bona & propter se expetenda, ut est sapientia; alia non per se & propter se, sed ad aliud relata, hoc est, propter finem honestum bona & laudabilia esse. Ita jejunium per se & propter se non est cultus Dei, sed si jungatur pœnitentiæ & orationi, hoc est, si referatur ad hunc finem, ut caro coerceatur, subigatur & in servitutem redigatur, tunc Deo probatur.

3. *Libertatem Christianam.* Christus in Novo Testam. ut ab aliis Ceremonialibus, ita quoq; à lege jejunii ad certum tempus restricta Levit. 16. v. 31. nos liberavit, unde Augustinus Epist. 68. ad Casulanum scribit: *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellatur Novum Testamentum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare & quibus oporteat, præcepto Domini & Apostolorum non video definitum.*

Prosper l. 2. de vita contemplativa c. 24. *Veruntamen sic jejunare vel abstinere debemus, ut nos non jejunandi vel abstinendi necessitati subdamus, ne jam devoti, sed inviti rem voluntariã faciamus.*

Ibid. *Ipsis verò Catholicis Christianis, qui sive non valendo abstinere, sive nolendo, omnia usui nostro concessa cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiam præferamus.*

Confer Theodoretum in Epitom. decret. divin. cap. ult. & in cap. 14. Epist. Roman.

Montanus accusabatur, quòd jejunii leges præscripsisset. Nam Catholici, ut nos hodie, dicebant: *indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, neque sub lege præcepti,* ut ipsis objicit Tertullianus Montanizans adversus Psychic. cap. 2. Inde Montanus ab Apollonio pro hæretico habetur, *ideò quod conjugia dissolvere docuerit, ac jejuniorum leges præscripserit,* ὁ νηστείας νομοθετήσας apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccles. cap. 16.

Ac Socrates lib. 5. Hist. Ecclesi. cap. 21. cum diversos jejuniorum ritus, qui suo tempore adhuc inter Christianos homines pro locorum diversitate observabantur, enumerâsset, tandem subjicit: *Quia lectio nulla de hoc invenitur antiqua, puto Apostolos hoc singulorum reliquisse sententiæ, ut unusquisque agat non timore aut necessitate, quod bonum est.*

4. *Diversitatem jejunandi in primitiva Ecclesia usitatam.*

Augustinus lib. 30. contra Faustum cap. 5. *Christiani, non hæretici, sed Catholici, edomandi corporis causa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci; vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè* (nota) *omnes, quantò magis quisque vel minus voluerit* (nota) *seu potuerit.*

Irenæus in Epist. ad Victorem Episcopum Romanum apud Eusebium lib. 5. Histor. Eccl. cap. 23. *Non enim de die tantum, sed etiam de jejunii ratione & modo est ista instituta controversia. Quidam namque unum diem se jejunare oportere existimant: alii duos, non pauci plures: multi quadraginta, atque diurnis nocturnisque horis omnibus numeratis, diem suum metiuntur ac statuunt. Atq; ejusmodi eorum, qui hæc observabant jejunia, varietas & discrepantia, non jam nostra ætate cæpta est, verum etiam longè ante apud majores nostros, qui (ut conjectura assequi licet) non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata autoritate aliquid in posterum tempus statuissent, observarunt. Atqui nihilominus cum isti inter se pacem tranquillam retinuerunt, tum nos etiam inter nos retinemus, sicq; varia ac discrepans jejunii ratio, concordiam fidei plurimum commendat.* Similia occurrunt apud Socratem lib. 5. Ecclesi. Hist. cap. 21.

Denique etiam hoc nostram confirmat sententiam, quod jejuniorum præfixorum, certoque tempori alligatorum non parvum est incommodum, quòd sæpius sit jejunandum, cum Deus gaudii ac gratiarum actionis materiam suppeditat. At Christus nos docuit Matth. 9. v. 15. *Sponso sublato,* id est, tristitiæ afflictionisque tempore, *esse jejunandum.*

Nostræ sententiæ suffragatur;

1. Quod quidam agnoscunt, jejunium Quadragesimale, quatuor temporum & feriæ sextæ non à Christo vel Apostolis, sed ab Ecclesia, vel, quod ipsis idem est, à Pontifice esse institutа.

(Ex quo colligi potest, quòd non sint observationes simpliciter necessariæ, nec per se & in se cultus Dei.)

De jejunio Quadragesimali habetur tale decretum c. Statuimus, dist. 4. ex Epistola Decretali Telesphori, *Statuimus, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent, quia sicut discreta debet esse Clericorum vita à Laicorum conversatione, ita & in jejunio debet esse discretio, &c. Has ergò septem hebdomadas omnes Clerici à carne & delitiis jejunent; & hymnis & vigiliis atque orationibus Domino inhærere die noctuq; studeant.*

Telesphorus *Anno Christi 129. instituit Quadragesimale jejunium,* scribit Platina in vita Telesphori fol. 19.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Invent cap. 3. *Per Telesphorum Romanum Pontificem ex Quadragesima Quinquagesima est facta.*

Hosius in Confess. Petricov. cap. 4. *Mater Ecclesia Quadraginta dierum jejunium instituit.*

Salmero tom. 16. Disput. 8. in Epist. Petri pag. 200. *Jejunare in genere jus est divinum & naturale: hoc verò modo jejunare, nempe abstinendo à carnibus, ovis & similibus vel alio modo, vel hoc die, vel alio jejunare, jus est Ecclesiasticum.*

Cornelius Jansenius in Harm. Evang. c. 15. *Statutum est ab Ecclesia, ut ante Pascha omnes jejunium Quadragesimæ observarent.*

Ambrosius Catharinus in lib. contra Hieronymum Torrensem affirmat, *jejunium Quadragesimale non esse juris divini,* & citat Thomam, qui universaliter dicit, *ex statuto Ecclesiæ factam esse jejunii determinationem.*

(Qui negant, *jejunium Quadragesimale esse Apostolicam traditionem,* contra verò statuunt, *esse Ecclesiæ institutum,* sequuntur Cassianum Collat. 21. cap. 30. sic scribentem: *Sciendum sanè, hanc observantiam Quadragesimæ, quamdiu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti hujus necessitate, nec quasi legali sanctione constricti, arctissimis jejuniorum terminis claudebantur, qui per totum anni spacium æquali jejunio concludebantur. Verum cum ab illa Apostolica devotione descescens, quotidiè credentium multitudo suis operibus incubaret, nec eas usui cunctorum fidelium, secundùm Apostolorum instituta, divideret, sed privatim impendiis suis consulens, non servare tantum, sed etiam augere contenderet, Ananiæ & Saphiræ exemplum non contenta sectari, id tunc universis Sacerdotibus placuit, ut homines curis secularibus illigatos & penè, ut ita dixerim, continentiæ vel compunctionis ignaros ad opus sanctum Canonica indictione revocarent, & velut legalium decimarum necessitate compellerent.*)

De *jejunio quatuor temporum* sic scribit Berno Augiensis in lib. de quibusdam rebus ad Missam pertinentibus cap. 7. *Multæ consuetudines Ecclesiasticæ inveniuntur à sanctis Patribus infra Canonicæ regulæ terminos constitutæ sicut sunt, Adventus Domini, Septuagesima, Quinquagesima, Quadragesima, Litania major, dies rogationum ante ascensionem Domini, vigiliæ quorundam sanctorum, nec non & hæc ipsa quatuor temporum jejunia.*

Platina in Vita Calixti. *Calixtus Pontifex instituit, ut ter in anno jejunaretur &c. imitando annum Hebræorum more &c. tamen postea mutata sententia, in quatuor anni tempora transtulit.*

Idem in Vita Urbani I. *Sunt, qui huic attribuunt distinctionem quatuor temporum ac jejunii, quæ antea confundebantur hominum imperitia.*

Polydorus Vergilius lib. 6. de rer. Inventorib. cap. 3. *Calixtus primus instituit, ut ter in anno jejunium ageretur, inde mutato consilio, in quatuor partitum est anni tempora id jejunium, in ver, æstatem, autumnum, hyemem.*

In genere de de jejunio scribit Navarrus in Manuali c. 21. num. 11. versi. *Non obstat, non esse legem ullam Pontificiam vel Conciliorum, quæ per verba præceptiva jejunium præcipiat.* Eum hoc nomine refellit Vivaldus in Supplem. Candelabr. cap. 11. de jejunio §. 7.

Id tamen Vivaldus d. l. §. 45. sic disserit: *Ut dicam, quod sentio, ne Confessores pœnitentium animabus laqueos injiciunt, cuilibet concedi potest frustulum panis, ponderis unius unciæ cum pyro pomove uno, vel cum paucis, ficis, nucibus vel similibus.*

Huc pertinet primò, quod quidam pro Quadragesimali & feriæ sextæ jejunio, non allegant Christi & Apostolorum constitutionem, sed vel Ecclesiæ consuetudinem, vel congruentiam quandam rationis, quod scilicet dies quadraginta sint anni decimæ.

Ecclesiæ consuetudinem allegat Erasmus in Epist. ad Episc. Basileensem. *Paulatim,* inquit, *irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris pisculentum nobis reddidit.*

Idipsum, videlicet quod ab Ecclesiæ consuetudine stata jejunia deducant, confirmari potest ex illis, quæ extant apud Gratianum in c. In istis 3. dist. 4. *Illud Telesphori Papæ,* inquit, *qui decrevit, ut generaliter Clerici à Quinquagesima à carnibus & delitiis jejunent, quia moribus viventium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit,*

Idem

Idem in c. Denique 6. dist. ejusd. *Hæc quod videlicet Sacerdotes & Diaconi & reliqui omnes, quos dignitas Ecclesiastici gradus exornat, à Quinquagesima propositum jejunandi suscipere, adeoq; non sex tantum, sed septem hebdomadas jejunare debeant) etsi legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt, se non observantes transgressionis reos non arguunt, alioquin his non obedientes, proprio privarentur honore &c. nisi fortè quis dicat, hæc non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta. Decretum verò necessitatem facit, exhortatio autem liberam voluntatem excitat.*

(Ergò etiam Quadragesimale jejunium à Telesphoro omnibus præscriptum, non tam decretum est, quàm exhortatio, nec quia à divino mandato descendit, sed quia communi usu approbatum est, in Ecclesia obtinuit.)

Congruentia rationis adducitur in c. Quadragesima dist. 5. de consecr. ex Gregorio. *Quadragesima summa observatione est observanda, ut jejunium in ea (præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit) nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni.*

Et postea: *Si per 365. dies annus volvitur, deinde per 36. dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus &c. Jubemur autem & ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.*

Itemque in Concilio Toletano, ad quod provocat Alphonsus de Castro lib. 3. advers. hæres. tit. Cibus, hæresi 2. (Verba adducta sunt superius in Antithesi.)

Secundo, quod quidam agnoscunt, in Ecclesia Israelitica jejunia non fuisse ad certum tempus adstricta, præter unicum illud Levit. 16. v. 31. præscriptum.

(Ergò multò minus in Novo Testamento, quod est tempus libertatis & gratiæ, certi dies jejunii à Christo & Apostolis erunt præscripti.

Toletus in c. 5. Lucæ annot. 70. *Advertendum est, olim in veteri Ecclesia Judæorum frequentissimum fuisse usum jejunandi, ut ex tota Scriptura constat, nullum tamen tempus jejunii illis indictum fuit, sed jejunia aut sponte in pœnitentiam peccatorum, aut in carnis mortificationem, aut maximè in temporibus angustiæ & tribulationis, aut aliis de causis à majoribus Judæorum injungebantur.*

Tertiò, quod ad Ecclesiæ definitionem post Apostolorum tempora factam unicè provocant.

(Agnoscunt ergo, nec Christum, nec Apostolos certos dies jejuniis consecrasse.)

Alphonsus de Castro d. l. *Si Apostoli in unum congregati, justâ quadam de causa moti, prohibere potuerunt esum suffocati & sanguinis Act. 15. cur etiam modò Ecclesia, aut Concilium generale illam repræsentans, illos eosdem aut alios similes cibos ob aliquas justas causas prohibere non poterit? Nunquid detrudemus nunc Ecclesiam ad angustiores limites, quam ante, ut ea nunc non possit, quæ antè justè poterat?*

Et postea: *Audiamus Ecclesiæ definitionem in Concilio Toletano.*

Ibid. *Christus noluit ullum ciborum discrimen docere. Postea, cum Ecclesia ex gentibus collecta, Spiritu Sancto suggerente, fuit satis edocta, nullum cibum esse Natura malum &c. Christus, qui nobiscum est usq; ad consummationem seculi, Ecclesiam suam docuit, leges statuere, quibus aliqua ciborum genera certis aliquibus temporibus interdiceret.*

Toletus d. l. agnoscit, *præcepta jejuniorum, post Christi Sponsi ascensionem fuisse instituta.*

Bailius Jes. in Catech. controv. tract. 2. q. 13. *Unde originem sumsit abstinentia à carne diebus Veneris & Sabbathi? Veteres solebant die Veneris & Mercurii in Oriente & Africa jejunare, ut liquet ex Tertulliano in libro contra Psychicos & Epiphanio in compendiaria doctrina. Romani quoq; die Sabbati jejunabant, testante id S. Hieronymo in Epist. ad Lucinium Beticum, & Augustino Epist. 86. ad Casulanum. Tandem Ecclesia infirmitatibus nostris se attemperans, abstinentiam à carne tantùm Veneris & Sabbati die indixit.*

Quartò, quod agnoscunt, temporibus Apostolorum jejunium Quadragesimale in ciborum discrimine consistens, nondum fuisse præcepto sancitum.

Erasmus in respons. ad Censuram Parisiensium. *Arbitror, puriorem fuisse Christianismum temporibus Apostolorum ac martyrum, quàm nunc, quando sic refrixit hominum caritas. At illis temporibus, cum nullum esset præscriptum de ciborum discrimine, plures ultro abstinebant à carnibus, quàm nunc faciunt coacti lege.*

2. Quod quidam improbant leges jejuniorum ad certum tempus astrictorum.

Alphonsus de Castro, postquam lib. 8. adversus hæreses, verbo Jejunium, hæres. 2. inter hæreses numerasset hanc sententiam, *quod jejunia non debeant institui pro certo aliquo & stato tempore, sed quod quilibet jejunare debeat, cum voluerit,* subjungit: *De hoc errore suspectum se multis præbuit Erasmus Roterodamus, à qua suspicione nunquam, quod sciam, sebenè purgavit. Nam in paraphrasi 2. cap. Marci hæc ait: Tristia sunt jejunia, quæ præscribit lex, & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem. Hæc Erasmus. Quæ quidem Erasmi verba à Parisiensibus Theologis communi omnium censura sunt damnata. Horum tamen censuræ respondit Erasmus, præfatorum verborum declarationem præbens, sed illius declaratio talis fuit, ut majorem reliquerit hæreseos suspicionem. Verba illius referam, quò clariùs ejus mens possit agnosci. In responsione siquidem ad Parisienses hæc verba habet: Porrò, qui metu jejunat, non jejunaturus, nisi lex cogeret, hujus jejunium hactenus certè triste est & ingratum Deo, quod caret alacritate Spiritus, quâ præcipuè delectatur Deus. Neminem igitur revoco ab obedientia superiorum, sed ostendo, quid Deo sit gratius. Neq; enim ideò infirmi liberi sunt à constitutionibus, quod Deus cum alacritate ac spontè jejunantes præfert iis, qui legis impulsu jejunant potius, quàm ex animo. Hæc Erasmus. In quibus verbis satis apertè docet, melius esse jejunare ex arbitrio, quàm lege coactum. Ob quam causam ille optat, ut hujusmodi jejuniorum præcepta Ecclesia tolleret; non quod ille credat, Ecclesiam non posse tales leges statuere, aut sic statutas esse temerè violandas: sed quia censet melioris esse conditionis apud Deum spontè jejunantem, quam qui lege ad id faciendum cogitur: & credit plures fore, qui spontè jejunarent & abstinerent à carnibus, quam nunc faciunt coacti lege. Nam in responsione ad primam Censuram Parisiensium de jejunio & delectu ciborum hæc verba habet: Arbitror autem puriorem fuisse Christianismum temporibus Apostolorum ac Martyrum, quàm nunc est, quando sic refrixit hominum caritas. At illis temporibus, cum nullum esset præscriptum de ciborum discrimine, plures ultrò abstinebant, quam nunc faciunt coacti lege. Hæc Erasmus in præfato loco. Et in libello de ciborum delectu, supputatione 23. hæc ait: Si quis adeò firmus sit, ut perpetua sobrietate sibi temperet, huic non admodum opus sit indictis jejuniis, nisi pro tempore hujusmodi victima placanda sit ira Dei. Sed ob rudes, inquies, & crassos certi dies præscribuntur. Sit hoc sanè tolerabile. Præscribitur unica refectio, præscribitur & cibi genus. Nec hoc satis. Intentatur æterna damnatio consuetudinis humanæ violatori. Hæc Erasmus. Ex quibus verbis luce clarius constat, quod malè habet Erasmum, esse aliquot jejuniorum dies præscriptos. Sed hoc malum tolerabile censet, verùm illud intolerabile putat, quod jejunia præcipiantur sub interminatione gehennæ, & hoc durius existimat, quod in hujusmodi jejuniis certa aliqua ciborum genera prohibentur.*

3. Quod agnoscunt, jejunium esse speciem quandam luctus & afflictionis.

(Si jejunium est species quædam luctus & afflictionis, jejunia non debent esse stata & ad certos dies astricta. Ratio est, quia iisdem recurrentibus diebus ac temporibus, non semper etiam recurrit luctus, sed quandoque se occasio gaudii offert, itaque vel non jejunandum semper statis illis diebus, vel cum gaudio jejunandum, quod pugnat cum Natura jejunii, & ab ipsis Pontificiis absurdum censetur, unde ipsimet negant *jejunandum esse feria sexta, quando in eam incidit festum natalitiorum Dominicorum.*)

Cornel. Jansen. c. 33. Concord. *Sub verbo lugere comprehenditur jejunare, eò quod jejunium luctus quidam sit, & verbo jejunare omnis luctus, afflictio & inopia comprehenditur.*

Toletus in c. 5. Luc. *Jejunium ad luctum pertinet quendam, tempus ergò jejunii contrarium est nuptiarum tempori.*

Maldonatus in c. 9. Matth. *Cur non dicit, jejunare, non enim de luctu, sed de jejunio quærebatur? Ideò, ut opinor, ut in genere non solùm jejunium, sed omnes alias luctus species comprehendat, & plus quam ab adversariis interrogabatur, respondeat, & ut à negatione generis ad negationem speciei fortius argumentetur.*

Franciscus Lucas Brugensis ibid. *Jejunium lugentis est actio.*

4. Quod jejunium quatuor temporum ex Judaismo deducunt.

Calixtus Papa in Decreto, quod habetur tom. 1. Concil. pag. 100. *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut, sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic & nos quaternum solenne agamus jejunium per anni quatuor tempora. Et sicut replemur frumento, oleo & vino ad alendo corpora, sic repleamur jejunio ad alendas animas juxta Prophetæ Zachariæ vocem, qui ait: Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium.*

Durand. lib. 6. Rational. c. 6. §. 1. *Calixtus Papa jejuniū constituit quater in anno fieri. Nam & Judæi quater in anno jejunabant, scilicet ante Pascha, ante Pentecosten, ante Scenopegiam in Septembri, & ante Encænia &c. De quibus Zacharias ait: Jejunium quarti,*

quinti, sexti & decimi domui Juda & Hierusalem dies festos vertet in gaudium. Quater ergò jejunamus in anno.

§. 10. *Vocantur jejunia primitiarum, quia cum in lege preceptū sit, ut primitiæ & decimæ Deo dentur, placuit sanctis Patribus, ut dicit Augustinus in lib. de doctrin. Christiana, solvere decimas & primitias temporis, unde pro primitiis instituerunt jejunia quatuor temporum, pro decimis verò instituerunt jejunia Quadragesimæ.*

§. 11. *Jejunium quatuor temporum tractum est de veteri lege, unde agitur in illis mensibus nostris secundum numerum mensium illius temporis.*

Bellarm. lib. 2. de bonis operib. c. 19. §. Porro causæ. *Causæ præcipuæ institutionis* (jejunii) *quatuor temporum quatuor assignari possunt, Prima causa fuit, ne Christiani Judæis hac in parte remissiores viderentur, constat enim ex cap. 8. Zachariæ, fuisse apud Hebræos solenne jejunium quater in anno, id est, mense quarto, quinto, septimo & decimo. Æquum igitur fuit, ut Christiani, qui perfectiores Hebræis esse debent, haberent etiam sua quatuor tempora, quibus solenniter jejunarent.*

§. Porrò jejunia &c. *Jejunia quatuor temporum ex pia & sancta Judæorum veterum imitatione orta esse cum sancto Leone asserere non veremur. Nam etiamsi Ceremonias Judæorum, quæ significationis causa instituta fuerunt, imitari non possumus, tamen exercitia virtutum communia sunt utriq; Testamento, & magis conveniunt Christianis, quam Judæis, & ideò pati non debemus, ut in ejusmodi rebus ab illis superemur.*

5. Quod agnoscunt, jejunium quatuor temporum ex Ethnicismo originem traxisse.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Inventorib. c. 3. pag. 489. *Sunt, inquit, qui Urbano attribuant hujusmodi quatuor temporum jejunii distinctionem, quæ antea hominum imperitia confundebantur. Sic utrumq; fieri potuit, ut Calixtus primum instituerit, dein Urbanus jejunium in quatuor tempora digesserit. At ista ego à Romanis accepta esse dixerim, quos Ovidius in Fastis tribus anni temporibus fructuum gratia totidem sacrificia dicit fuisse, vinalia, robigalia, floralia: prima causa vini, altera frugum Deo, qui Robigus dicebatur, sacra septimo Cal. Maji, quoniam tunc fere segetes Robigus occupat, ut ait Plinius; tertia cunctorum fructuum, quibus Dea Flora præerat. Hinc igitur apparet, priscos Romanos Pontifices eadem quoq; anni tempora, non inani superstitione, sed jejuniis tribus ex eadem causa celebrasse, quo vanos veterum ritus in verum pietatis cultum verterent.*

6. Quod agnoscunt, in Apostolica & Apostolicæ vicina Ecclesia fuisse magnam jejuniorum varietatem.

(Ergò Quadragesimale jejunium non descendit ex Christi vel Apostolorum institutione. Si enim fuisset Christi vel Apostolorum institutione Quadragesimale jejunium introductum, Christiani nullam in eo varietatem sibi permisissent.)

c. Illa autem. dist. 12. ex Augustino. *Alii jejunarunt Sabbato, alii verò non. Totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Mater mea Mediolanum me consecuta invenit Ecclesiam Sabbato non jejunantem, cœperat fluctuare, quid ageret. Tunc ego consului hac de re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. At ille ait, cum Romam venio, jejuno Sabato, cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva.*

Ex c. Statuimus. dist. 4. paulò antè citato constat, *Telesphorum septem septimanas ante Pascha jejunio deputasse*, unde Polydorus Vergilius d. l. dicit, *quod ex Quadragesima Quinquagesimam fecerit.*

Sed in c. Quadragesima. dist. 5. de consecrat. tantùm *quadraginta dies jejunio deputantur* (cum quo hodierna praxis Romanæ Ecclesiæ congruit.) *A prima, inquit, Dominica Quadragesimæ usque in Pascha Domini sex hebdomadæ computantur, quarum videlicet quadraginta dies & duo sunt, ex quibus dum sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta sex dies remanent &c. sed ut sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Salvator noster sacro suo jejunio consecraverat, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum 40. dierum tolluntur, id est, quarta, feria, quæ caput jejunii subnotatur, & quinta feria sequens, & sexta feria & Sabbatum. Nisi enim istos dies quatuor superioribus 36. adjunxerimus, 40. dies in abstinentia non haberemus.*

(Inde Gratianus cap. In istis. dist. 4. de consecrat. subjicit: *Illud Telesphori Papæ, quia moribus utentium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit.*)

Præterea Telesphorus d. c. Statuimus. *solis Clericis septem hebdomadarum jejunium ante Pascha* injunxit.

Hodiè verò promiscuè *à Clericis & Laicis* jejunium Quadragesimale exigitur.

Baronius Anno 57. n. 197. de varietate jejunii Quadragesimalis sic disserit: *At verò non una erat eademq; omnium Quadragesimalis observatio, ut omnes totidem æquè dies transigerent jejunantes, remissior enim quorundam ejus temporis erat jejuniorum perfunctio, quos tamen tolerabat Ecclesia, de quibus hæc Irenæus scribens ad Victorem Pontificem apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccles. cap. 24. Non enim, inquit, de die Paschatis solùm, sed etiam de jejunii ratione & modo ista est constituta controversia. Quidam namque unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta, atque diurnis, nocturnisq; horis omnibus numeratis, diem suum metiuntur ac statuunt. Atque hujusmodi eorum, qui observabant jejunia, varietas ac discrepantia non jam nostra ætate capta est, verum etiam longè apud majores nostros, qui ut conjectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, vel qui simplicitate quadam, vel privata autoritate aliquod in posterum tempus statuissent, observaverunt. Atque nihilominus tum isti inter se pacem tranquillam retinuerunt, tum etiam inter nos retinemus, sicque varia ac discrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimum commendat. Hùc usque de his Irenæus. Consuevisse alios ad quintam diem tempore Quadragesimæ jejunium remittere, Augustinus testatur, scribens ad Januarium Epist. 118. cap. 4. Diversas alias fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudines Sozomenus narrat his verbis lib. 7. Hist. capit. 19. Jam illam, quæ huic præcessit, quæque appellatur Quadragesima, in qua populus jejunat, alii in sex dierum septimanas computant, ut Illyrii, qui ad Occidentem siti sunt, nec non & universa Lybia, & Ægyptus cum Palæstinis: alii septem, ut Constantinopolitani & nationes circumjacentes usque ad Phœnices: alii sparsim tres intra sex autem* (aut) *septem istas jejunant: alii tres Pascha immediatè præcedentes continuant &c. Sequitur de Montani sectatoribus dicere: sed quia ab Ecclesia exulant, dicere prætermittimus. In Ecclesia Orientali Sabbatum diem à jejunio Quadragesimæ excipiebant, quod in Occidente observare consuevit olim Ecclesia Mediolanensis, ut testatur Ambrosius lib. de Elia & jejunio cap. 10. sic dicens: Considera, Quadragesima totis, præter Sabbatum & Dominicam, jejunatur diebus, hoc jejunium Domini Pascha concludit. At de causa, cur alii non jejunarent die Sabbati, alii verò secus, dicemus paulo inferius.*

Num. 198. *Rursus etiam in Ecclesia Mediolanensi illud Ambrosius observandum admonuit, ut integri dies quadraginta duo à fidelibus jejunio transigerentur, eâ nimirum ex causa, quod, sicut populus Israel à captivitatis Ægyptiacæ jugo liberatus, totidem stationibus seu mansionibus ad terram promissionis pervenit, eodem ferè modo, eodemque numero jejuniorū, quæ, inquit idem Ambrosius, mansiones quædam nostra sunt, ad optatum Paschatis festum iidem pervenirent, unde & invenitur usurpatum apud aliquos* (Tertullianum, Cassianum & alios) *ut jejunium frequenter statio diceretur, cui sententiæ idem Ambrosius serm 25. adstipulari videtur. In Ecclesia Romana eadem ratio habebatur, dum quadraginta duos dies Quadragesima contineret, sed ex eis triginta sex tantùm diebus fideles jejunabant, alia tamen ratione, quam S. Gregorius pro concione ad populum his verbis declarat Homil. 16. in Evang. A præsenti etenim die usq; ad Paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta & sex dies remanent. Dum verò per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, & nos per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, ut qui nobismet ipsis per acceptum munus viximus, autori nostro nos in ejus decimis per Abstinentiam mortificemus &c. Sed ejusmodi usus alia itidem immutatus est ratione, dum ad explendum numerum quadraginta dierum jejunii, quatuor ex septima hebdomada dies ad jejunandum sunt coagmentati, nimirum, ut consecratum jejunio Domini tempus ab omnib. servaretur. Ex quibus omnibus manifesti erroris arguitur Socrates lib. 5. Hist. cap. 21. dum ait: Christianos, qui Romæ essent, tres tantùm septimanas jejunantes, ante Pascha consuevisse transigere. At licet de usu Quadragesimalis observationis diversæ fuerint diversarum Ecclesiarū consuetudines: omnes tamen in idipsum consenserunt, ut certa anni tempora, quæ sanctum Pascha præcurrunt, eadem jejuniis celebrarent. Cæterum nec vel in minimo lædi fidem, diversa variaque Ecclesiarum consuetudine Hieronymus Epist. 28. in fine, Augustinus Epist. 118. atque Gregorius lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum tradiderunt.*

Nauclerus Vol. 2. Generat. 2. fol. 403. & 497. itidem miram diversitatem in observato jejunio commemorat.

De jejunio quatuor temporum Azorius lib. 7. Instit. moral. cap. 14. q. 2. fatetur, *quod olim non in omnibus provinciis eodem modo servatum fuerit, postea autem Leonem I. & Urbanum constituisse, ut ubique locorum hoc modo celebrentur, primum in initio Quadragesimæ, secundum in hebdomade Pentecostes, tertium in Septembri, quartum plena hebdomada ante Natalem Domini.*

Idem Azorius lib. ejusd. c. 23. *de jejunii quadragenarii numero*

magna

magna fuit olim apud Christianos varietas, quam etiam Irenæus significat. Quidam, inquit (lib.5.c.25.) se unum diem jejunare existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta diurnis ac nocturnis horis diem suum metiuntur, quæ varietas ac discrepantia non nostra modò ætate capta est, verum etiam longe ante majores nostros.

(Locum hunc Irenæi tum à Ruffino, tum à Christophorsono, tum ab aliis *ad Quadragesimæ varietatem* relatum esse, fatetur Bellarm. lib.2. de bon. operibus c.14.§. Quamvis.)

Idem Azorius ibid. *Græci in tempore Quadragesimæ in honorem resurrectionis nefas esse dixerunt Sabbato jejunare; Latini contra in memoriam luctus Apostolorum jejunium in Sabbato observarunt.*

Bellarm. lib. 2. de bonis operibus c.5.§. ult. *Ecclesia Orientalis in Quadragesima non minus à vino, quam à carnibus abstinuit*, ut testantur Basilius orat.1. de jejun. Cyrillus Catech. 4. Theophilus lib.3. Paschali & Chrysost. Homil.6. in Genes.

(At hodierna Occidentalis Ecclesia tempore jejunii non abstinet à vino.

Idem lib.2. de bonis operibus in part. c.17.§. Contra. *Tertullianus in lib. de jejunio refert, Catholicos dicentes, jejunii feria quartæ & sextæ passive currere, non sub lege præcepti, id est, permitti, non imperari. Item S. Augustinus in Epist. 86. scribit, Romæ frequenter jejunari feria quarta & sexta & Sabbato, ubi cum dicit, frequenter, indicat non semper id fieri. Sic etiam Isidorus lib.1. de offic. div. c.24. cum scribit nonnullos feria sexta per totum annum jejunare, aperte significat, id non ab omnibus fieri.*

7. Quod quidam improbant rigidiorem jejunii Quadragesimalis exactionem.

Bernhard. ad Sororem col. 1549. *Abstinentiam plenariam omnino interdico tibi ne facias, sed quotidie secundum mensuram comede.*

Johan. de Vesalia Concionator Wormaciensis (circa annum 1464.) pro concione sæpius dixisse memoratur: Die Väter/ so die Fasten auffgesetzt/ haben sie wollen abstellen etliche Speise zu meiden/ so haben sie doch nicht gewölt/ daß der Mensch nicht esse/ wenn ihn hungert. Als dieß den Menschen hungert/ mag er essen.

Erasmus in lib. de modo confitendi. *De delectu ciborum abunde respondi Natali Bedæ, si quid pudoris esset in homine. Nullus est vere pius, qui nisi rem attente consideret, mallet in his rebus obligationem versam in exhortationem, ut nunc quidem sunt tempora, minus esset laqueorum & plus esset ex animo jejunantium, maximè si in vita Sacerdotum reluceret exemplum abstinentiæ, temperantiæq; Christianæ. In Gallia, ut scribunt, duo periclitantur, non ob aliud, nisi quia duobus Quadragesimæ diebus comederunt carnes coacti morbo. Vide, quid faciunt Ceremoniæ? nimirum, ut ob hominum constitutiones violemus præcepta Dei, levius ducentes parricidium, quam præterire constitutiones Pontificum, quanquam hoc nullus Pontifex vetuit, ne ægrotus ea sumat, quæ postulat valetudo.* (Quem Erasmi locum adducit & approbat Cassander in Consult. art. 16. p. 958.)

Idem Erasmus lib. de amabili Ecclesiæ concordia. *Delectū ciborum ac jejunia non indixit Ecclesia, nisi ad sanitatem corporis & animi. Itaq; qui piscium esu periclitantur, aut jejunio, & valetudinem corporis & animi vigorem lædi sentiunt, hos nequaquam obligat Ecclesiæ constitutio. Qui verò sentiunt, se ex abstinentia carnium & jejunio & corpore & animo melius habere, quæ rogo, contumacia est, velut in odium Ecclesiæ hoc rejicere, quod tantam adfert utilitatem?*

(Hunc Erasmi locum adducit & approbat Jodocus Coccius tom 2. Thesauri lib.3. art.10 p.320.)

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. *Plus quā Judaica superstitio astrinxit conscientias ad formidines culpæ pœnam purgatilem post se trahentis, etiamsi tantùm vescaris tenui lacte, si olido caseo, si putri butyro &c. His creaturis Dei non licebat vesci, nisi Quirinaliter indulgeretur, idq; non Metelli, sed metalli ergò.*

Huc referri potest primò, quod etiam feriæ sextæ & septimæ jejunium non esse rigidè exigendum agnoscunt.

Sigebertus Gemblacensis Monachus in Chron. memorat, *cum ejusmodi decretum à Franciæ Episcopis datum esset servari sibi subjectis populis, ut jejunium in pane & aqua omni sexta feria servarent, & in Sabbato à carne & liquamine abstinerent, Gerardum Cameracensem Episcopum restitisse ac dixisse, quod jejunium in sexta vel septima feria, non sit unum omnibus imponendum, cùm non sit una omnibus possibilitas.*

Secundo, quod agnoscunt, à legibus jejuniorum quosdam esse absolutos.

c. Non mediocriter. dist. 5. de consecr. ex Hieronymo, *Audiant, qui ea, quæ necessaria sunt, corpori subtrahunt, illud, quod per Prophetam Dominus loquitur Ego Dominus odio habens rapinam holocaustorum. De rapina vero holocaustorū offert, qui temporalium bonorum sive ciborū nimia egestate vel manducandi, vel somni penuria corpus suum immoderatè affligit. Videat itaq; quid Apostolus dicat: Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.*

Thomas in Quodlib. art.18.q.9. *Non possunt omnib eædem abstinentiæ leges præscribi, constitutio enim Naturæ non omnibus eadē est.*

Taulerus conc. 42. fol.103. Wisset/ daß Wachen und Fasten eine grosse stärcke Hülffe ist zu einem geistlichen Leben/ so es der Mensch vermag. Aber so ein krancker Mensch ist eines krancken Haupts/ und befindet der Mensch/ daß es seine Natur kräncken und verderben will/ so streich es abe/ und ob auch were ein Tag/ den man fasten soll/ so nim Urlaub von deinem Beichtiger/ und ob das Urtheil dir nicht mag werden/ so magstu von GOtt Urlaub nehmen/ und iß etwas biß Morgen/ und dir zu dem Beichtiger kömpst/ und sprech: Ich was kranck und aß/ und nim darnach Urlaub. Die heilige Kirche gemeynet nie/ daß ich jemand solt verderben.

(At multi in Papatu, præsertim superstitiosi Monachi, etiam cum valetudinis detrimento statos jejuniorum dies observant.)

Nicolaus de Clemangis in tract. de fructu Eremi pag. 129. *Si delicato es corpore, & non potes in solitudine cum majoribus Hebræorum quadraginta annos agere, nec à te hoc Deus requirit, qui aliquis illis te levans oneribus diem tibi pro anno dedit. Quod si nimis attenuatus dierum, etiam non potes Quadragesimam Christianis indictam explere, nunquid ita te cassaberis invalidum, ut saltem viam trium dierum non possis in solitudine cum Deo tuo ambulare? Quod si & hoc te posse neges, nunquid saltem ingemiscere te posse negabis? Quacunque hora, inquit Dominus per Prophetam, ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

8. Quod quidam agnoscunt, jejunium spirituale statutis illis jejuniis præferendum esse.

(Ex quo colligi potest, stata illa jejunia non esse per se cultum divinum, nec habere divinum mandatum, sed externæ pædagogiæ ac disciplinæ tantùm causa esse instituta.)

Leo serm. fer. 4. quatuor temporum. *Superfluum est suscipere esuriem & iniquam non deponere voluntatem, reciso affligere cibo, à concepto non resilire peccato. Carnale est, non spirituale jejunium, ubi soli corpori non parcitur, & in his, quæ omnibus deliciis nocentiora sunt, permanetur. Quid prodest animæ foris agere quasi dominam, & intus servire captivā? membris imperare & jus propriæ libertatis amittere?*

Gregorius Homil. Domin. 1. Quadrages. *Jejunium sanctificare est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, spolientur jurgia. Incassum enim caro atteritur, si à pravis suis voluptatibus animus non refrenatur.*

Bernhardus serm.3. de jejun. Quadrag. *Si sola gula peccavit, sola jejunet; si autem peccaverunt cætera membra, cur non jejunent & ipsa? jejunet oculus à curiosis aspectibus & omni petulantia. Jejunet auris à fabulis & rumoribus, & quæcunq; otiosa sunt & ad salutē minimè pertinentia. Jejunet lingua à detractione & murmuratione ab inutilibus, vanis atq; scurrilib. verbis. Jejunet manus ab operibus omnibus, quæcunq; non sunt imperata. Anima ipsa jejunet à vitiis & propria voluntate sua.*

c. Quid prodest dist. 86. *Quid prodest jejunare visceribus & luxuriari venatibus? abstinere à cibis & errare peccatis?*

c. Jejunium 25. dist. de consecrat. ex Augustino. *Jejunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum jejunium in hoc seculo. Quasi Quadragesimam abstinentiæ celebramus, cùm benè vivimus, cum ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abstinemus.*

c. Nihil prodest dist. eadem ex Epist. 1. Pii Papæ. *Nihil prodest homini jejunare & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.*

Theodorus Studita Auctuar. 2. Biblioth. Patrum serm. Catech. 54. *Jejunium non cibis definitur, quin omni scelerum abstinentia. Quare abstineamus, adhortor, ignavia, invidia, rixa, malignitate, ac pol noxia insuper cupidine.*

Nicolaus de Clemangis in tract. 1. de novis celebrit. non instituendis p.151. col.2. *Illud est verum jejunium, quod Dominus elegit, non tam ab esu carnalibus, quam à peccato abstinere, cum non nisi propter vitanda peccata sit ab epulis abstinentia indicta.*

Johannes Ludovicus Vives tom. 2. operum fol. 474. edit. Basil. Ann. 1555. scribit, *alimentum, quā alit & vegetat corpus, non officere menti, sed cibum immodicum ac abundantem sua qualitate afficere corpus & mentem obtundere, ne possit de Deo, de ejus cultu, de pietate & virtute cogitare. Erit ergò*, inquit, *jejunium animis conducens, ab iis se incommodis homines abstinere.*

9. Quod perpetuam temperantiam jejuniis temporariis præferendam esse doceant,

c. Non dico 18. dist. 5. de consecrat. ex Hieronymo. *Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata jejunia, sed vel singulos dies absque ciborum luxuria transfigamus.*

(Rubrica habet: *Quotidiana jejunia duplicatis vel triplicatis sunt praeferenda.*)

c. Sint tibi quotidiana 19. dist. ead. ex eod. Hieron. *Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens. Nihil prodest biduo, triduoq; transmisso vacuũ portare ventrem, si post pariter obstruatur.*

c. Sint tibi jejunia 20. dist. ead. ex eod. Hieron. *Sint tibi jejunia pura & continua, moderataq;, id est, quotidiè esurire & quotidiè prandere. Apostolus inquit: Noli adhuc aquam bibere, sed modico utere vino propter infirmitates tuas.*

10. Quod si volis rationibus jejuniorum leges probant.

Durandus lib. 6. Rational. c. 6. *Quater jejunamus in anno, ut quatuor Elementa in nobis vitiata, id est, corpus nostrum ex eis constans, in quatuor anni temporibus corrigatur. Item quaternarius numerus ad corpus, & ternarius ad animam refertur.*

Confer ea, quae pro Adversariorum opinione confirmanda paulò post adducentur, ac quae in Appendice membro 3. sequentur.

11. Quod inter se non conveniunt de Quadragesimae & aliorum jejuniorum institutione.

Primò enim quidam volunt, *à Christo Quadragesimale jejunium institutum esse.* Illi statuunt, jejunium esse *traditionem divinã.*

In Ecclesia Romana de Christo canitur:

Jesu Quadragenariae
Dicator abstinentiae,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras jejunium.

Alphonsus de Castro lib. 8. adv. haeres. verbo Jejunium, haeresi 2. scribit: *multos non infimae sortis, sed maximae autoritatis viros, eosq; non recentes, sed vetustissimos autores affirmare, jejunium Quadragesimae à Christo institutum esse*, & nominat Maximum quendam, qui ait, *se exemplis Scripturarum hunc quadragenarium numerum comprobasse.*

Stapletonus in Promt. Cathol. Dominic. Quadrages. §. 1. *Christum suo exemplo Quadragesimam nobis commendasse* asserit.

Anglo Rhemenses in annot. Matth. 4. ex Hieronymo afferunt dictum, *Christum jejunasse dies quadraginta, ut suo exemplo nobis relinqueret solennes illos dies jejuniorum.*

Quidam verò volunt, *ab Apostolis institutam Quadragesimã.* Illi vocant *traditionem Apostolicam.*

Nauclerus part. 2. generat. 2. *à Petro circa annum Christi 49. jejunium Quadragesimale institutum esse* asserit.

Alphonsus de Castro d. l. *Etsi fortè* (ex veterum testimoniis) *non satis constet, Quadragesimam fuisse à Christo institutam sub praecepto, constat tamen, ad Christi exemplum fuisse ab Apostolis observatam & sub praecepto Christianis injunctam.*

Bellarm. lib. 2. de bonis operibus in part. cap. 14. *Jejunium quadragesimale ab Apostolis Domini institutum est, atq; Ecclesiae universae traditum.*

Benedictus Pererius Disputat. 31. in c. 14. Joh. p. 414. *jejunium quadragesimale* numerat inter illa dogmata, *quae Apostoli Ecclesiae extra Scripturam tradiderunt, & de quibus nihil in sacris literis expressè proditum.*

Bailius in Catech. controv. tract. 2. q. 10. *Quis imperavit Quadragesimae observationem?* Resp. *Apostoli, testante id Hieronymo ad S. Marcellam.*

Denique quidam *ab Ecclesia quadragesimale jejunium institutum esse* asserunt. Illi volunt, esse *traditionem Ecclesiasticam.*

Dicta eorum paulò antè sunt enumerata.

Secundò, inde quidam asserunt, jejunium quadragenarium *esse juris divini*, quidam verò negant.

Hieronymus Torrensis lib. de residentia Ministrorum, *jejunium quadragesimale* censet *esse juris divini.*

Sed Ambrosius Catharinus in lib. contra Torrensem affirmat, *jejunium quadragesimale non esse juris divini*, & citat Thomam, qui universaliter dicit, *ex statuto Ecclesiae factam esse jejunii determinationem.*

Azorius lib. 7. Instit. moralium c. 12. q. 1. *Jejunium quadragenarium, quod proximè ante Pascha observatur & colitur, quidam juniores censent, esse jure divino sancitum, quia Ecclesiae Patres aliqui sic videntur docuisse &c. At communis Theologorum* (Scholasticorum) *opinio est, jejunium quadragesimale non jure divino, traditione tamen Apostolica sive mandato Canonico & generali Ecclesiae consuetudine celebratur.*

Patres, qui pro assertione prioris opinionis adducuntur, illud tantùm significasse ait, *quod ejusmodi in veteri & in nova Scriptura exempla habeat, in Christo, Mose & Elia, quae tamen non ad imitationem proposita esse censet, cum Christus non quicquid ipse fecit, nos quoque facere jusserit.*

Tertiò, *de jejunio quatuor temporum* scribit Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei c. 2. *quod fuerit ab Apostolis institutum.*

Sed idem Bellarm. d. l. cap. 3. §. Sextum mendacium &c. de eodem quatuor temporum jejunio sic scribit: *Mendacium est, quod dicunt, Calixtum Papam instituisse quatuor temporum jejunia. Ipse enim Calixtus in Epistola prima dicit, se tantùm addidisse unum jejunium ad tria, quae antè erant.*

(Si Calixtus unum jejunium ad tria, quae ante erant, addidit, adeoque quartum instituit, quomodo quatuor temporum jejunia Apostoli instituerunt?)

Damasus in Calixto Pont. 17. *Hic constituit, jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini & olei secundum Prophetiam Zachariae dicentis cap. 8. v. 18. Jejunium quinti & jejunium septimi, jejuniumq; decimi futurum est domui Judae gaudio & laetitiae & in solennitates hilares.*

Argum. Adversariorum.

1. *Christus suo exemplo jejunium quadragesimale nobis commendavit, Matth. 4.*

Resp. 1. Ostendimus paulò antè, quosdam concedere, *quod jejunium quadragesimale nec à Christo, nec ab Apostolis, sed ab Ecclesia sit institutum.*

2. Cornelius Jansenius in Concord. c. 15. *Christum tot diebus sine omni cibo atq; esurie jejunantem quis imitari possit?*

Jacobus Tirinus in hunc locum. *Christus ad instar Mosis & Eliae jejunavit 40. diebus & noctibus continuis, sine cibo vel potu ullo corporeo vivens.*

(Agnoscunt ergò, jejunium illud Christi, utpote miraculosum, neminem imitari posse. Ergò nec debent imitari. Nam *in rebus divinis*, inquit Delrius part. 1. Disquisit. Magic. lib. 2. q. 4. *quaedam sunt credenda, ut Trinitas; quaedam admiratione honoranda, ut Christi & sanctorum miracula; quaedam imitanda, ut mansuetudo & caritas Christi. Velle imitari in illis prodigiosis effectibus animi est stulti ac superbi.* Quod congruit cum dicto Chrysostomi Homil. 47. in Matth. *Non dicit, jejunium suum esse imitandum, quamvis quadraginta illos dies posset proponere: sed discite à me, quia mitis sum & humilis corde, imò verò contra, cum Apostolos ad evangelizandum mitteret, non dixit, jejunate, sed quicquid vobis apponitur, comedite.*

3. Pazmannus lib. 11. Hodeg. cap. 8. *Multa Christus instituit & fecit, quae tamen nos imitari non debemus, nisi habeamus mandatum.*

(Agnoscit ergo Pazmannus, ex solo Christi exemplo, nisi accedat mandatum, non posse argumentum efficax peti.)

4. Baronius & ejus Epitomator Bisciola statuunt, *Christum jejunium suum in deserto non mense Martio, sed sexto Januarii die incepisse.*

(Aut ergo Pontificii suam Quadragesimam in Januario inchoent, aut exemplo Christi Quadragesimale jejunium non posse probari agnoscant. Excipit Bellarm. lib. 2. de bon. operib. c. 16. §. Quaeritur. *Non jejunamus eo tempore, quo Christus Dominus jejunavit. Maluit enim Ecclesia post Christum Dominum, quam cum Christo jejunare, ut verè eius vestigia sequeretur. Jejunavit Dominus à sexta die Januarii usq; ad 14. Februarii, nos autem ibi ut plurimum incipimus, ubi ipse desiit.* Atqui idem Bellarm. in eodem c. §. Septima &c. scribit: *Quantum possumus, Christum imitamur.* Praeposterè ergo agunt. In quo non possunt, videlicet in modo jejunii, eum pro modulo imitari volunt; in quo possunt, videlicet in tempore jejunii illum imitari negligunt.)

5. Jejunium Christi à Pontificio plurimum distat. Christus *ab omni cibo* abstinuit, Pontificii tantum *à certis cibis* abstinent. Christus *semel tantum* jejunavit. Pontificii *quotannis* jejunium suum repetunt. Christus *à Spiritu S. in desertum ductus* fuit, Pontificii *propria intentione* jejunium hoc suscipiunt.

6. Fr. Arias part. 3. de mortif. c. 20. *In sanctorum exemplis quaedam miranda potius, quam imitanda sunt; imitanda nobis incumbunt ea exempla virtutum tantùm, in quibus omnes sancti uniformiter consenserunt, hinc est vulgata regula: singularia exempla non sunt imitanda sine singulari vocatione.*

(Idem etiam de exemplo Christi dici potest.)

Arg. 2. *Jejunium unum quatuor temporum, videlicet jejunium 10. mensis fuisse illud, quod describitur Act. 27. v. 9.* contendit Bellarminus lib. 2. de bonis operibus c. 19.

Resp. 1. Lyranus, Cajetanus, Salmero, Gagnejus, teste Lorino in h. l. Act. fol. 863. statuunt, *hoc fuisse jejunium profanũ sive mediũ.*

2. Arias Montanus, Emanuel Sa & Sanctius in h. l. Act. *de Judaico jejunio, ante festum tabernaculorum observato*, accipiunt.

(Quo modo etiam exponunt Syrus Interpres, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius &c. cui expositioni ridiculè objicit Bellarminus, *librum Actorum non esse scriptum Hebræis, sed Christianis.* Quasi verò Scripturæ non sint usu omnibus communes, quasi non potuerit Christianis tempus designari notâ aliquâ Judaicâ?)

3. Cornelius à Lapide dubius est, *an de Christiano, an Judaico jejunio sit accipiendum.*

4. Baronius tom. 1. Ann. 58. n. 168. id intelligit *de jejunio Zachariæ decimi mensis.*

5. Lorinus in Comment. Actor. 27. v. 9. agnoscens, *ordinationes non semper fuisse factas mense Decembri, sed aliquando in Junio, aliquando Septembri.* addit: *Si hoc jam tempore jejunium illud erat in usu inter Christianos, non prateriisset Leo Magnus tantum argumentum in sermonibus de jejunio; nec alius, quod sciam, tali argumento utitur.*

(Posset eodem artificio concludi, *etiam azymorum dies fuisse à Christianis observatos*, cum Lucas eorum mentionem faciat Act. 20. v. 6. *Post dies azymorum enavimgavius Philippis.*)

6. Mariana in eundem loc. sic commentatur: *Syrus, jejunium Judæorum. Nempe, quod die sexto mensis Marchesvam, id est, Octobris, incipiebant Judæi ob excæcatum Sedechiam. Ita pleriq; expositores. Nam de jejunio Christianorum, aut de jejunio quatuor temporum, ut intelligatur, non placet.*

Arg. 3. *Telesphorus jejunium Quadragesimale instituit, teste Eusebio in Chronico. Ergò est antiquissimum.*

Resp. Hoc non est ab Eusebio scriptum, teste Scaligeri editione, sed *ab otiosis quibusdam non bono studio insertum* Quomodo enim annotasset Eusebius, *Quadragesimam à Telesphoro institutam*, qui ab Apollonio didicerat, *Montanum illum esse, qui novas jejuniorum leges sanxerat?* lib. 5. c. 17. & ab Irenæo *Victoris tempore variam fuisse servandi Paschalis jejunii rationem, aliis unum diem, aliis duos, non paucis plures, multis quadraginta*, c. 34.

Bellarm. lib. 2. de bonis operibus c. 14. §. Tertia &c. *Fieri non potest, ut Telesphorus jejunium Quadragesimæ instituerit, cum ante ipsius tempora vixerit Ignatius, qui Quadragesimæ meminit.*

Arg. 4. *In Canone Apostolico 68. stabilitur Quadragesimale jejunium*, Bellarminus d. l.

Resp. 1. Quidam ex ipsis Pontificiis autoritatem horum Canonum labefactant, ut ostendimus lib. 1. part. 2 c. 6.

2. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. c. 27. §. At Canon &c. sic scribit: *Canon 65. Apostolorum, qui vetat Sabbatis jejunare, videtur suppositititius.*

(Quo jure Bellarminus Canonem 65. repudiat, eodem jure Canonem 68. repudiare possumus, maximè cum)

3. Idem Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei capit. 20. sic scribat: *Zepherinus Papa XV. à Petro tradit, solùm 70. fuisse Canones Apostolorum, vel ut alii Codices habent, 60. Humbertus autem in libro contra Nicetam, non agnoscit nisi 50. Et certè melius noverat Zepherinus, quot essent Apostolorum Canones, quam ulli posteriorum. Quocirca non sine causa Gelasius dist. 15. c. Sancta. Romana posuit inter Apocrypha Canones Apostolorum, quod propter aliquos vel corruptos, vel ab hæreticis additos fecisse videtur.*

4. In eodem Canone 68. non tantùm præcipitur *Quadragesima* jejunari, sed etiam *quartâ feriâ* & quidem interminata Clericis depositione. Sic enim habet Canon: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypo-Diaconus, aut Lector, aut Cantor sanctam Quadragesimam non jejunarit, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, aut quartam, vel parasceven, deponitor.* Atqui Pontificii illud non observant.

Arg. 5. Urgent locum Hieronymi Epist. ad Marcellam. *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus. Montanistæ ter in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.*

Resp. 1. Nomine *traditionis* utitur in significatione latiore, non quod propriè fuerit observatio ab Apostolis tradita & instituta, sed ab antiquis recepta, cujus cum origo ignoraretur, Apostolis tribuebatur ad majorem ei autoritatem conciliandâ. Hic sensus ab ipso Hieronymo innuitur, cùm dicit in Epist. ad Lucinum. *Unaquaq; provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.*

2. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum sic scribit: *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis totoq; instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video, præceptum esse jejuniū. Quibus autem diebus non oporteat jejunare & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.*

3. Dicimus cum Cypriano Epist. 74. ad Pompejum contra Epist. Stephani. *Unde ista traditio? Utrumne ex Evangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atq; Epistolis veniens? Ea enim facienda, quæ scripta sunt, Deus testatur.*

Thesis tertia. Jejunium non est meritorium, nec satisfactorium.

Ἔκθεσις 1. Non negamus, jejunium suas habere utilitates, si debito fine & modo à personis idoneis suscipiatur, videlicet ut caro coerceatur, subigatur & in servitutem redigatur, ne Spiritui obluctetur, & ejus actiones sua vel petulantia, vel ἀκηδίᾳ impediat & interturbet, sed ut corpus habeamus obnoxium & idoneum ad res spirituales & ad faciendum officium, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, sed ut mens admoneatur & fiat aptior ad affectus spirituales, utque Spiritus eò ardentius & liberius totum se dedere & vacare possit pœnitentiæ, orationi & reliquis pietatis exercitiis.

2. Nequaquam verò eo fine jejunium suscipiendum, ut pro peccatis nostris per illud satisfaciamus, & nobis ac aliis cœlestia præmia promereamur.

3. Quod de jejunio dicimus, illud nec *meritorium*, nec *satisfactorium* esse, idem de oratione & eleemosynis intellectum volumus, videlicet nec *meritum*, nec *satisfactionem* coram Dei judicio illis tribui posse.

Antithesis. Petrus à Soto in Assert. fid. Cathol. pag. 49. *Jejunium non solum ad carnem subjiciendam Spiritui, sed etiam ad placandum Deum & satisfaciendum ipsi pro peccatis, & Christi meritum nobis applicandum necessarium est.*

Idem. *Non igitur, quod jejunium meritum Christi nobis applicet, falsitatis argui potest, sed magis negare, jejunium opus esse, quo æternā vitam meremur & satisfacimus pro peccatis, error est manifestissimus.*

Idem. *Finis jejuniorum est, ut peccata expientur, mitigetur ira Dei, & Deo gratiores efficiamur.*

Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 11. *Jejunium est utile ad satisfaciendum Deo & ad merendum beneficia Dei temporalia & spiritualia.*

Azorius tom. 1. Instit. moral. lib. 7. cap. 14. q. 3. de jejuniis quatuor temporum scribit, *quod sint instituta, ut ea offeramus Deo ad expianda peccata.*

Toletus Instruct. Sacerdot. lib. 6. cap. 2. p. 739. scribit, *quod jejunium recuperet homini amissam gratiam.*

Jodocus Lorichius in Thesaur. Theolog. in voce Jejunium n. 3. §. 3. ait, *jejunium, ut quodlibet opus bonum, mereri gratiam & gloriam.*

Benedictus Pererius Disp. 3. in c. 14. ad Rom. n. 19. scribit, *regnum Dei eatenus consistere in cibo & in potu, quatenus per abstinentiam, quæ in Deum deliquimus in nobis ipsis vindicamus.*

Alphonsus de Castro lib. 8. advers. hæreses, verbo Jejunium, hæresi 1. *Hæresis est statuere, jejunium nullius esse meriti apud Deum. Si enim virtutes amandæ sunt & illarum veri amatores meritum habent, habebit necessario meritum aliquod jejunium, cum virtus sit & pars temperantiæ.*

Nostram sententiam probamus,

1. Ex omnibus illis argumentis, quæ ostendunt, bona opera non esse meritoria, quæ adducta sunt superius artic. 23. cap. 8. thesi 2.

2. Ex argumentis, quæ ostendunt, nec pro culpa, nec pro pœna peccatorum nostrorum nos posse Deo satisfacere, quæ adducta sunt superius art. 16. c. 5. thesi 3.

3. Ex dictis, quæ probant, jejunium in se ac per se non esse cultum Dei. Si enim in se ac per se non est cultus Dei, quantò minus erit meritum ac satisfactio pro peccatis. Dicta illa enumerata sunt thesi proximè præcedente.

4. Ex omnibus illis Scripturæ dictis, quæ soli obedientiæ Christi activæ ac passivæ hanc vim & efficaciam tribuunt, quod sit meritum & satisfactio pro peccatis nostris.

Nostræ sententiæ suffragantur.

1. Quotquot in genere negant, *bona opera esse merita verè & propriè sic dicta*, quorum suffragia recensuimus art. 23 c. 8 th. 2.

2. Quotquot in genere negant, *nostris operibus ac passionibus pro peccatis vel peccatorum pœnis nos posse satisfacere*, quorum suffragia recensuimus art. 16. c. 5. th. 3.

3. Quotquot in specie negant, jejunium esse opus meritorium ac satisfactorium.

Gregorius Pastoralis curæ part. 3. Admonit. 20. col. 202. *Per*

Prophetam Esai. 38. dicitur: Nunquid tale est jejunium, quod elegi &c. Quâ in re pensandum est, virtus abstinentiæ quam parva respicitur, quæ non nisi ex aliis virtutibus commendatur. Hinc Joel ait: Sanctificate jejunium. Jejunium quippe sanctificare est, adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.

c. Quòd dicit dist. 41. ex Augustino. Filii sapientiæ intelligunt, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & intemperantiâ per abundantiam se non corrumpendi &c.

Æneas Sylvius in Historia Bohemica de Waldensibus memorat, quòd docuerint, jejuniis ab Ecclesiis institutis nihil inesse meriti.

Idem de ipsis memorat Alphonsus à Castro lib. 3. adversus hæreses, tit. Cibus, hæresi 2. statim ab initio.

Jacobus Faber Stapulensis in Comm. Coloss. 3. Age, inquies, macerationes carnis, ut jejunia, vigiliæ, nuditas, paupertas, ærumnæ nihil facienda? Nequaquam dixerim, sed quando oportet, sunt carni multipliciter adhibenda, quandoq; ut calcar rebelli equo, ne petulescat. Verùm tunc ut equus ob verbera calcarium non pascitur, ita neque ob verbera præmia senties, sed ex gratia Christi.

Johannes Ludov. Vives tom. 2. oper. fol. 474. edit. Basil. Ann. 1555. scribit, alimentum, quâ alit & vegetat corpus, non officere menti, sed cibum immodicum ac abundantem suâ qualitate afficere corpus & mentem obtundere, ne possit de Deo, de ejus cultu, de pietate & virtute cogitare. Erit ergò, inquit, jejunium animis conducens, ab iis se incommodis homines abstinere.

Erasmus in Enchirid. militis Christiani pag. 63. edit Argent. Spiritum, pacem, amorem & libertatem passim inculcat Apostolus. Num meliorem religioni Magistrum requirimus, præsertim cum huic omnis divina Scriptura concinat? hoc erat maximum mandatum in lege Mosaica, hoc iterat & perficit in Evangelio Christus. Ob hoc potissimùm natus ac mortuus est, ut nos doceret, non Judaizare, sed amare. Post supremam illam Cœnam quàm solicitè, quanto affectu mandat Apostolis suis nō de cibo, aut potu, sed de caritate mutua servanda.

Ibidem pag. 118. Moneo, ut pietatem neque in cibo, neque in cultu, neque ullâ re visibili constituas, sed in iis, quæ tradidimus.

Idem in Paraphrasi cap. 8. prioris ad Corinth. Nihil pietati quicquam addit vel demit ciborum delectus. Superstitiosum facere potest, pium nequaquam potest.

Gregorius Cassander in Consult. art. 15. de ritibus Eccles. pag. 955. Nemo his observationibus jejuniorum, tenuioris victus seu discriminis ciborum hoc tribuit, quòd ex se mereantur gratiam, aut remissionem peccatorum, aut quòd in illis collocanda sit fiducia vel opinio justitiæ, sed ut hac disciplina caro in obsequium Spiritus redigatur, ut faciliùs legi Dei obtemperet. Ita enim Theologus quidam Italus acutus & eruditus. Patres, inquit, orthodoxi & Ministri Ecclesiæ non ordinant ritus, Ceremonias, decreta, & constitutiones, ut per illa pareatur, & propriè acquiratur justitia, quam Deus nobis gratuitò communicat per Christum, sed potiùs, ut omnia fiant cum decoro, atque ut faciliùs contineantur homines in studio religionis, & nobis quasi pædagogia quædam sint ad Deum Patrem & in Dominum nostrum Jesum Christum. Hæc ille, in quam sententiā reliquos omnes convenire video.

Et posteà: Saniores Scholastici tradunt, tum demum harum constitutionum observationem, ut abstinentiæ & jejunii, virtutis rationem obtinere, si per rationem ordinentur ad aliquod bonum honestum. Veluti jejuniū assumi primùm ad concupiscentiam carnis refrenandam, secundò, ut mens sublimiùs elevetur ad contemplanda divina Dan. 10. tertiò, ad satisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joel. 2. Convertimini ad me in toto corde, in jejunio & in fletu. Quod autem de satisfactione dicitur, referendum tantùm est ad pœnas temporarias, de quibus Paulus: Si nos ipsos judicaverimus &c. Quare consentaneè his Erasmus, rectè jejunium & delectum ciborum ad duo valere dixit, primùm ad domandam corporis lasciviam, deinde ad placandam iram divinam, ut cùm videt nos de nobis ipsis pœnam sumere, ipse remittat vindictam.

(Si hoc modo explicetur finis ille jejunii, videlicet quòd sit signum & effectus seriæ pœnitentiæ, per quam auferuntur vel mitigantur pœnæ temporariæ, non magnopere refragamur, quò minùs jejunio etiam hic tertius finis tribuatur.)

Concludit tandem Cassander pag. 957. Diffitendum non est, nonnullos fuisse homines superstitiosos & imperitos, qui his saluberrimis constitutionibus ad salutem hominum factis, ad Tyrannidem & laqueum conscientiarum abusi sunt, qui gravissimi abusus curâ Episcoporum & Ecclesiæ Præfectorum corrigi debent, atque etiam multi ex vulgo fuêre, qui in externa harum traditionum observatione justitiam & fiduciam collocârunt, neglectis interim veræ & internæ pietatis, quibus illæ servire debebant, officiis. Neque defuêre, qui præposterâ æstimatione has traditiones præceptis divinis non modò æquare, sed etiam præferre sunt ausi, ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut caritatis & misericordiæ, neglexerint, & earum, quacunque de causa, transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem judicârint, quæ certè traditiones hoc modo servatæ, mandata hominum dici possunt, & in eos rectè torqueri, quod inquit Christus Pharisæis: Frustrà colunt me &c.

Georgius Wicelius in Compend. de semit. antiq. Ad crucifigendum domandumque veterem Adamum cum concupiscentiis suis opus est jejunio, cui si detrahas fiduciam ac sanctimoniæ opinionem & ostentationem hypocriticam, bonum, utileq; tibi opus jejunium feceris. Extant ea de re tota commentarii nostri, in quibus nihil desideres, modò priori Ecclesiæ faveas. Placet & librum hoc audire loco, ubi cum Ecclesiasticis admodum facit; Vera & non simulata, inquiens, mortificatio est, tolerare crucem, versari in periculis, ærumnis & afflictionibus. Huju generis obedientia est cultus Dei & opus spirituale, sicut Deo Psalmus: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus &c. Docemus præterea, aliud genus exercitiorum necessarium esse. Quilibet Christianus etiam corporali disciplinâ, laboribus, temperantiâ, meditatione divinarum rerum & aliis exercitiis aptis ætati coercere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus esse debet, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, & ut mens admoneatur & fiat aptior ad affectus spirituales. Non est sentiendum, hæc exercitia cultus esse, qui mereantur remissionem peccatorum, aut satisfactiones esse &c. Et hæc disciplina debet esse perpetua, nec possunt præscribi certi dies pariter omnibus. De hac disciplina inquit Christus: Cavete, ne corda vestra graventur crapulâ & ebrietate. Item: hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi jejunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum & in servitutem redigo. Itaque non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones & laqueos conscientiarum in traditionibus. Porrò hæc exercitia, cùm ad illum finem referuntur, ut habemus corpora obnoxia ad res spirituales & ad faciendum officium juxta vocationem &c. Sunt in piis bona opera, ut testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera, quæ ad hunc finem requirit Deus, ut carnem coerceant. Hæc Aug. Conf. verba citat & approbat Wicelius.

Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 11. §. Nemo &c. Nos non dicimus, quòd jejunium per se sumtum sine relatione ad ullum bonum finem ex opere operato sit cultus Dei, meritum & satisfactio.

§. Tertiò. Nam jejunium per se sumtum, ut solam significat abstinentiam cibi & potus, scimus, rem esse mediam.

4. Quòd agnoscunt, patientiam in cruce & mortificationem vitiosorum carnis affectuum externo jejunio longissimè esse præferendam.

Taulerus concion. 35. f. 81. Ein Mensch soll sich lassen jagen von allen Creaturen frölich und willig / dasselbe leiden gütlich in rechter Gelassenheit und stillschweigend / und dasselbe nicht ausbreiten weder mit Worten noch mit Wercken. Dieser Gelaß in diesem Elende gienge warlich vor GOtt und allen seinen Auserwehlten uber alle Ubung des Menschen / es sey Fasten / Wachen / Beten / oder daß du alle Tage tausend Ruthen auf dir zerschützest durch Gottes Willen. Dis were dir viel nützer / und weiset dich ehe warlich in deinen Grund der Warheit / darinne du vereinet wirst mit GOtt.

Jacobus Faber Stapulensis in Comment. cap. 3. Epist. Colols. Membra Christi spiritualia sunt, membra carnis carnalia, ut carnales affectus. Et hi mortificandi sunt cum suis actibus. Sed quibusnam hæc mortificantur? nunquid per præcepta & doctrinas hominum, per privatas aut publicas carnis macerationes, in quibus homines confidunt, & se quodammodo ex operibus justos putent & deplorent alios, qui non sunt sui aselli carnifices, quasi idcircò eorum timentes saluti? hæc est humilitas sensus & terrena humilitas, non humilitas Spiritus & divina humilitas, quâ circumstant altissimum thronum Dei, procumbunt in conspectu throni in facies suas. Quid igitur mortificat? certè illa maximè, quæ Spiritus sunt, in quibus & auxilium, imò universum robur desuper habemus, non illa, quæ exteriora sunt & è deorsum veniunt. Inter quæ quidem spiritualia, quæ summum & præcipuum locum ad hanc mortificationem carnalium affectuum, ut membrorum carnis, victoriam obtinet Dei caritas & caritas proximi.

Fr. Arias Jesuita part. 3. de mortificat. cap. 4. Constat, opera caritatis longè præstare & Deo gratiora esse operibus, quamvis magnis, externæ mortificationis &c.

Idem docet, duplices in vitis Sanctorum expressas esse virtutes. Quædam sunt principales (charismata meliora) in quibus constituta est vitæ Christianæ perfectio, veraq; sanctitas, ut est interna humilitas, mansuetudo, patientia, castitas, misericordia, caritas, propriæ voluntatis, judicii & passionum mortificatio, peccatorum odium mundana

ditia cordis. In his omnes possumus imitari sanctos &c. Aliæ verò virtutes sunt minus principales, ut sunt mortificationes externæ, jejunia, paupertas, tolerantia æstus, frigoris &c. aliarumq; pœnarum temporalium, in quibus non consistit perfectio & sanctitas.

5. Quod agnoscunt, jejunium referendum esse ad corporales exercitationes, de quibus Apostolus pronunciat, quod parum prosint 1. Tim. 4. v. 8.

Thomas in 1. Tim. 4. *Corporalis exercitatio jejunii & hujusmodi in sua Natura non sunt bona, sed pœnalia; & si homo non peccasset, nihil horum fuisset, sed bona sunt medicinalia.*

Petrus Abbas Cluniacensis in Epistola ad Eugenium Papam (seculo duodecimo.) *Non præcipuè in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus vel similibus regnum Dei consistere putant* (saniores Monachi) *licet hæc discretivè facta, multum eidem regno Dei militent: sed in pietate illa, de qua Apostolus ait: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, pariter & futuræ.*

Alphonsus de Castro lib. 8. adversus hæreses, verbo Jejunium, hæresi 1. postquam multis probatum dare voluit, *jejunium esse meritorium*, conatur etiam respondere ad argumentum ex 1. Tim. 4. v. 8. *quod corporalis exercitatio, ac proinde etiam jejunium ad modicum sit utilis*, ac primò quidem negat, *jejunium referendum esse ad corporales exercitationes*, postea tamen illud concedens, subjicit: *Esto, jejunium sit exercitatio corporalis, altera adhuc erit causa, quare locus ille nostræ sententiæ non repugnabit. In illo siquidem loco Paulus non absolutè negat, corporalem exercitationem esse utilem, sed illam dicit esse inutilem aut modicum utilem, si non habeat pietatem sibi conjunctam. Et quod hic sit verborum illorum sensus, convincitur ex præcedentibus. Nam antea præmiserat, dicens Timotheo, ut exerceret seipsum ad pietatem, & continuo subdidit, corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est. Quasi diceret, non sic fidas carnis macerationi, ut hanc solam sine pietate sufficere putes, quoniam sine pietate ad modicum utilis est, ideò exerce teipsum ad pietatem, quæ multò præstantior est, quam carnis maceratio.*

(Atqui nemo nostrûm dicit, jejunium cum pietate conjunctum esse inutile, sed hoc dicimus, jejunium, cum sit corporalis exercitatio, non esse ratione utilitatis pietati conferendum, nec meriti rationem apud Deum habere.)

6. Quod agnoscunt, jejunium destitutum aliis virtutibus parum vel nihil valere.

(Atqui valeret utique plurimum, si esset meritorium.)

Gregorius Episcopus Romanus Curæ pastoralis part. 3. Admonit. 20. col. 202. *Per Prophetam (Esa 58.) dicitur: Nunquid tale est jejunium quod elegi &c. Quâ in re pensandum est, virtus abstinentiæ quam parva respicitur, quæ non nisi ex aliis virtutibus commendatur. Unde Joel ait: Sanctificate jejuniū. jejunium quippe sanctificare est adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.*

Johannes Trithemius fol. 482. oper. edit. Mogunt. *Ut Deo sint grata, quæ inchoavimus, jejunia, necessarium est, ut sint non solum aliena & remota à vitiis atq; peccatis, sed etiam virtutum plenitudine omnium decorata.*

7. Quod agnoscunt, jejunium religiosi cultus causâ susceptum, Ethnicorum more observari.

Baronius Anno 44. n. 88. enumerans collationem inter Christianorum & gentilium ritus, inter cætera sic loquitur: *Jejunia ab iisdem gentibus adhiberi solita ad divinum Numen placandum, Dionysius auctor est.*

APPENDIX HUJUS ARTICULI, de bonis operibus in particulari.

ADVERSARIORUM QUERELAS, CALUMNIAS ET OPINIONES ERRONEAS COMPLECTENS.

I. Querelæ.

1. Per calumniam in Augustana Confessione sibi tribui conqueruntur, *quod discrimina ciborū & similes traditiones humanas statuant opera utilia ad promerendam remissionem peccatorum.*

Resp. 1. Eccius & Faber in refut. Confess. August. artic. 15. scribunt, *falsum esse, constitutiones humanas ad placandum Deum & satisfaciendum pro peccatis institutas adversari Evangelio.*

2. Johannes à Daventria in sua Invectiva in August. Confess. fatetur, *doceri in Ecclesia Catholica, abstinentiam ciborum & jejunia, traditionum humanarum observantiam, ad promerendam gratiam esse utilia & pro peccatis satisfactoria.*

Item: *Si traditiones istæ & similes non conducant ad promerendam gratiam, se non videre, quorsum his facto opus sit.*

Andreas Fabricius in Harm. fol. 496. & 497. *Cum Catholici docent, abstinentiâ & jejunio similibusq; pietatis operibus promereri gratiam, & ejusmodi esse satisfactoria pro peccatis, dicimus, rectè ipsos docere, hocq; ex scriptis Propheticis & Apostolicis constare.*

2. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, *quod constitutionibus hominum obruant præcepta Dei.*

Resp. Jam olim hac de re conquestus fuit, & veritatem nostræ assertionis confirmavit Johannes Gerson Cancellar. Parisf. part. 3. de vit. spirituali lect. 4. alphabet. 62. lit. O. *Subditi simplices & timorati, quando tot traditionibus intendere compelluntur à superioribus suis, quid mirum, si minus capaces redduntur divinorum præceptorum, quia & minus in eisdem edocentur? nunquid non acerrimo supplicio, aut acerbissima objurgatione punietur, quandoque pro parvula inobedientia legis humanæ, & absq; omni reprehensione peccare quotidiè contra legem Dei enormiter permittitur? Non habemus necesse exemplis immorari, crebriora cernimus, quam vellemus.*

Georgius Cassander in Consult. art. 15. *At contra*, inquit, *diffitendum non est, nonnullos fuisse homines superstitiosos & imperitos, qui his saluberrimis constitutionibus ad salutem hominum factis, ad Tyrannidem & laqueum conscientiarum abusi sunt, qui gravissimi abusus cura Episcoporum & Ecclesiæ Præfectorum corrigi debent, atq; etiam multi ex vulgo fuere, qui in externa harum traditionum observatione justitiam & fiduciam collocarunt, neglectis interim veræ & internæ pietatis, quibus illæ servire debeant, officiis, neq; defuere, qui præpostera æstimatione has traditiones præceptis divinis non modò æquare sed præferre sunt ausi, ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut caritatis & misericordiæ, neglexerint, & earum quacunq; de causa transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem judicarent quæ certè traditiones hoc modo servatæ, mandata hominum dici possint & in eos rectè torqueri, quod Christus inquit Pharisæis: Populus hic labiis me honorat &c. Sed his erroribus saniore doctrina occurri debet, quæ verum usum harum traditionum & Ceremoniarum bonâ fide populis tradat. Erasmus alicubi conqueritur, idq; fortassis non immeritò, totam religionem hactenus redactam fuisse ad Ceremonias, & vigorem Evangelicum propemodum per eas fuisse antiquatum, remedium autem aliquod ostendit, cum ait: Nullū esse verè pium qui si rem attentè consideret, mallet in his rebus obligationem versam in exhortationem, ut nunc quidem sunt tempora, minus esset laqueorum, & plus esset ex animo jejunantium, maximè si in vita Sacerdotum reluceret exemplum abstinentiæ, temperantiæq; Christianæ.*

3. *Falsum esse* dicunt Confutatores August. Confess. *impossibile esse constitutiones servari, quia non sit crudelis mater Ecclesia, quæ manifestam non excipiat necessitatem in festos dies celebrando, in jejunando & similibus.*

Resp. Audiatur hac de re Gerson, qui serm. in die Circumcis. Domini part. 1. oper. alphab. 6. lit. F. sic scribit: *Et esset profectò in hoc loco grandis querelarum materia contra tot & tam leves excommunicationum & irregularitatum fulminationes, contra tot onera Statutorum provincialium & Synodalium, ad lucrum quale vel animæ, vel bursæ novit Deus: contra tot reservationes casuum, præsertim occultorum, quæ confessionem, supra quam dici potest, impediunt. Loquor expertus & doctus ab expertis. Sed de his alias. Christus legislator nonne legem Evangelicam dilatare potuerat? Potuerat equidem, sed humanæ fragilitati gratiosè condescendens necessaria nos docuit ad salutem, ea pro nihilo quasi deputans, quæ mortalem hanc vitam jamjam in momento perituram vel regere, vel sustentare viderentur, sciens, quod nisi lex viva, Evangelica & æterna dominetur, leges scriptæ non solùm supervacaneæ, sed crebro perniciosæ reddantur.*

Alph. 10. lit. S. de nuptiis Christi & Ecclesiæ describens *vinum Theologicum, hoc est, optimum atque salubriter inebrians, sicq; merum, purum verbum Dei commendans; Præclare*, inquit, *& divina voce fertur unus in quodam generali Concilio respondisse, dum quærerentur novæ constitutiones fieri. Quid sibi vult, inquit, talis Constitutionum multiplicatio cervicibus imponenda fidelium, Evangelio nec cognito, nec observato? Sciatur inprimis & servetur Evangeliū. Quid sonat aliud dictū tale, quam istud. Omnis homo primum bonum vinū ponit. Verè sic est, sic agere convenit Ecclesiæ Synodaliter congregatæ.*

De vita spirituali animæ Alphabet. 61. lit. I. *Fit*, inquit, *insuper (quoniam ignoratur virtus legis divinæ) frequenter irritum mandatum Dei propter traditiones hominum. Fit amplius de levi jugo Christi & lege libertatis, jugum ferreum & onus grave, premens cervices Christianorum, dum scilicet aliqui suas omnes leges, suas institutiones, suas regulas & statuta arbitrari volunt accipiendas esse, sicut præcepta legis Dei, ad æternæ mortis interitum, si prætereantur, mergentia. Has vero traditiones hominum quis cunctas dinumeret, in Canonibus summorum Pontificum, in Constitutionibus Synodalibus provinciarum aut Diœcesium, in religionum regulis, in Universitatum. Collegiorum & Ecclesiarum Statutis, in edictis Imperatorum & Principum & in plebiscitis communitatum? Quarum plures sub excommunicatione*

lata

lata sententia, alia sub interminatione divina indignationis, alia sub voto, alia & fere omnes sub juramenti aut fidelitatis debito stringunt & obligant. Si Adam vir talis & tantus, unicum disciplina praeceptum habens, in illo corruit, nos inter innumerabilia positi qualiter evademus? Vix potest imbecillitas nostra divinas leges ad numerum parvum gratuitâ suâ benignitate reductas implere. Viam igitur obsitam tot spinis Constitutionum seipsas involventium & obumbrantium, quis in offenso pede transiliet? Scimus, quid dixerit Petrus Act. 15. Quid tentatis &c. Hoc animadvertens & piâ compassione deplorans egregius Doctor Augustinus ad inquisitionem Januarii: *Ipsam, inquit, religionem nostram, quam manifestissimis & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt oneribus, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis praesumtionibus subjiciuntur. Si tuo tempore sic dolebas, ô sapiens Augustine, quid nostrâ tempestate dixisses, ubi pro varietate & motu capitum incredibilis est varietas & dissona multiplicitas onerum hujusmodi servilium & humanarum, prout loquitur, praesumtionum, inter quas velut inter laqueos animarum & ligantia retia vix quispiam securus & indeprehensus incesserit. Hac est querela, qualem olim ad devotum Bernhardum detulerunt quidam ex Monachis, & propter quam compescendam, sicut modò nitimur agere, scriptum volumen pulcherrimum de praecepto & dispensatione. Similia habet Gerson alibi plura.*

4. *Falso citari Augustinum*, dicunt *Confutatores August. Confess. qui ibidem definiat, universaliter ab Ecclesia tradita, universaliter observanda esse, in indifferentibus Ecclesiae normam observandam esse.*

Resp. 1. Gerson, ut ex dictis constat, sensu Confessorum Augustinum allegat.

2. Ipsius Augustini verba satis perspicua. Epist. 119. ad Januar. *Quod autem instituitur praeter consuetudinem (etiam illius temporis) ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa, qua in divinis libris saluberrima praecepta sunt, minus curantur, & tam multis praesumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaq; talia, qua neq; sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum* (qualia tempore Augustini legitimè celebrata erant) *statuta inveniuntur, nec consuetudine universa Ecclesiae roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omninò nunquam inveniri possint causa, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neq; hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumtionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multaq; zizania constituta multa tolerat, & tamen, qua sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

(Quod Augustinus distinguit inter Ceremonias Universales & pro diversitate locorum variantes, nobis non adversatur, 1. Quia tantum assertum fuit à Confessoribus, Augustinũ multitudinem Ceremoniarum improbare & nolle illis conscientias onerare. 2. Confutatores omnia Ecclesiae suae mandata servanda esse arguunt, quo etiam pertinent Ceremoniae particulares. 3. Tum temporis non erant tot Universales Ceremoniae, quot exhibitae Augustanae Confessionis tempore in universa Ecclesia Papistica. Et prohibitionem certorum ciborum, jejunium certò definitorum temporum, festorum, Martyrum & multorum aliorum celebrationem non fuisse tempore Augustini Universalem ex ipsis Patribus ostendi potest. Vide Chemnitium part. 4. Exam. de jejunio.)

II. Calumnia. 1. Generales.

1. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 9. Protestantes cum Aerianis haereticis conjungit, quod negent, *stata jejunia esse celebranda.*

Verba sic habent: *Docebant Aeriani, statuta jejunia non esse solenniter celebranda, sed cùm quisq; voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege. Idem docent Lutherani ferè omnes.*

Resp. 1. Ex Cassandro in Consultatione art. 15. p. 956. *In Confessione Saxonica hoc modo scriptum legimus: Non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones & laqueos conscientiarum in traditionibus.*

Idem pag. 957. *Lutherus & Bucerus apertè scribunt, se publica pacis causa non detracturos, cur minus Ceremonias & traditiones in Romana Ecclesia jam longo usu receptas communiter observent his conditionibus, ut doctrina Evangelii de justificatione gratuita per fidem Christi sincerè tradatur, nec in illarum traditionum observatione justitia & fiducia salutis collocetur, nec ut divina praecepta poenâ mortalibus proposita exigantur, & de vero illarum usu populus instituatur, atq; in numerum harum Ceremoniarum collocant non ferias modò & cantiones, sed etiam jejunia & ciborum delectus.*

2. Epiphanius in haeresi Aerii ipsum accusat, *quod totus fuerit Arianus.* Mirum ergò non est, ipsum inter haereticos fuisse numeratum.

3. Idem Epiphanius d. loc. in Aerio carpit, *quod à summo mane ad vesperam usq; ventrem carne farciret.* Justa omninò accusatio, si id fecit Aerius. At quomodo id convenit cum Philastrio, qui in libro de haeresibus dicit, *quod Aeriani escas abominentur.* Ex hac discrepantia liquet, controversum fuisse olim de haeresibus Aerio imputatis. Probabile est, quod Epiphanius nimium Eustathio Sebastensi Episcopo favens, ipsiusque conversationem & disciplinam laudans, affectu praeoccupatus, Aerium ejus adversarium accusaverit. Hic tamen Eustathius damnatus fuit, *quod à cibis ad victum necessariis & à vestibus abstineret*, narrante id Sozomeno lib. 3. Hist. c. 13.

2. Idem Bellarm. d. l. *Protestantes cum Joviniano* conjungit, *quod negent, jejunium esse meritorium.*

Maldonatus in Summ. q. 23. art. 12. *Protestantes obstinatè contendunt, nihil valere ad satisfaciendum pro peccatis, nihil ad impetrandum auxilium, nihil ad coeleste praemium promerendum, qua fuit etiam haeresis Joviniana.*

Alphonsus à Castro lib. 3. adversus haereses, tit. Cibus, haeres. 2. *Haeresis secunda asserit, quoslibet cibos quolibet etiam die, omnibus sine omni discrimine esse licitos, quantumlibet per Ecclesiasticas sanctiones fuerint prohibiti. Haec est haeresis Joviniani. Hunc eundem errorem hoc nostro tempore amplexati sunt Lutherani, qui omni feriâ sextâ & Sabbato & in omnibus diebus Quadragesima carnes effrenatè comedunt.*

Resp. 1. Ex Bellarm. lib. 2. de bonis operib. c. 11. *Jovinianus docebat, nihil ad salutem prodesse jejunia &c. Protestantes docent, jejunium utile esse ad carnis petulantiam coercendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis & poenitentia &c.*

(Num verò haec eadem doctrina?)

2. Ex Peretio in c. 14. Roman. Disputat. 3. n. 20. *Philippus Melanchthon non negat, jejunii & rerum indifferentium observationem posse homini prodesse & conducere ad cultum Dei, non tamen immediatè, sed mediatè. facit enim jejunium, ut homo sit aptior ad fundendas preces, in quibus est cultus Dei.*

3. Augustana Confessio in cap. de discrim. ciborum. *Objiciunt Adversarii, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Jovinianus. Verùm aliud deprehenditur ex scriptis nostrorum. Docent enim, quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplinâ, aut corporalibus exercitiis & laboribus sic exercere & coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, & hanc disciplinam oportet semper urgere, non solùm paucis & constitutis diebus &c. Itaq; non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, qua certos dies, certos cibos praescribunt cum periculo conscientiae, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.*

3. Per calumniam nobis tribuunt, *quod simus hostes jejuniorum.*

Bellarminus in oratione habita Romae, quae extat in praefat. tom. 4. controvers. S. Johannis. *Locusta est animal sordidum ac ventrosum, totum siquidem ejus corpus nihil est, nisi venter. Tales omninò sunt haeretici Lutherani, homines ventri addicti, hostes jejuniorum, continentiae inimici.*

Stapletonus in Promt. Catholic. Dominic. 1. Quadrag. p. 89. *Haeretici nostri temporis vel omne jejunium, ut superstitiosum cultum, rejiciunt, vel ejus praeceptum atq; observantiam ab Ecclesia mandatam, tanquam doctrinam Daemoniorum homines dementissimi condemnant.*

Salmero tom. 4. tract. 10. partis 1. p. 91. *Christus jejunium assumsit, quo facto suo testaretur, divinum & orthodoxum Evangelium ab abstinentia & jejunio initium sumere: Evangelium verò novellum ab haereticis Germania excogitatum atq; confictum ab ingluvie & ebrietate, Daemone usum vetitorum suadente, omninò exordium capit. Nam ut olim primos parentes ad gustatum vetiti fructus suis suasionibus & fraudibus pellexit, atq; ad violandum divinum praeceptum impulit atque pertraxit: haud dissimili ratione equidem hos miseros & carni deditos haereticos seduxit atq; decepit, ad Ecclesiaq; salutares leges contemnendas solicitavit. Verum hoc primis illis parentibus infeliciores*

liciores existunt, quod illorum oculi peccato admisso, aperti sunt & cognoverunt, se esse nudos: istorum verò oculi crapula gulaq; clausi sunt, ut peccatū, quæ se atq; alios misere perdant, non solùm non agnoscant, sed etiam impudentissime atq; obstinatissime defendant.

Costerus in Enchirid. c. 18. *Malignus Spiritus humani generis hostis acerrimus, cum sciat, nullum esse genus Dæmoniorum, quod non ejiciatur oratione & jejunio, omnibus viribus contendit, Christianos his armis spoliare. Impugnat igitur per hæreticos jejunium, tanquam rem superstitiosam, Scripturis, divinæq; voluntati repugnantem.*

Resp. 1. Repetantur ea, quæ ex August. Conf. à Cassandro, Pererio & ipso Bellarmino modo adducta.

2. Confessio Wittenberg. in c. de Jejunio *Jejunium sentimus utile esse, non in hoc, ut vel operis sui merito expiet peccata coram Deo, vel applicet meritū Christi jejunanti, sed ut per sobrietatem carni injiciat frenum, ne homo crapula & ebrietate impeditus, vocationi Dei minus obsequatur, & suo officio oscitanter defungatur.*

Lutherus tom. 2. Jen. Germ. fol. 345. in Comment. 1. Pet. 2. Man sol fasten/beten/arbeiten/daß man die Lust dämpffe und unterdrücke.

3. Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in part. c. 3. §. Quatuor. *Protestantes existimant, in jejunio maxime à cibis lautioribus abstinendum, & proinde melius eum jejunare, qui carne fumo indurata, quàm qui piscibus & variis condimentis gulam irritantibus utitur.*

(Si Protestantes præscribunt veri jejunii modum, quomodo possunt vocari hostes jejuniorum?)

4. Cur Pontificii non descendunt in seipsos, agnoscentes, verum & propriè dictum jejunium apud se jampridē periisse? ut constat ex illis, quæ dicta sunt superius c. 2. th. 1 membr. 2.

5. Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 2. § Primum respondemus &c. τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferens fatetur, *nostro tempore severitatem jejuniorum aliquantulum relaxatam.* Ita vero relaxatam, ut censeatur quis jejunare, etiamsi prandium cœnæ conjungat, ac bis de die comedat, ut ostendemus, paulò post membro tertio § 13.

4. Idem Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 10. *Fides illa specialis, quam Adversarii fingunt, tollit è medio rationem. Nam si certò atque ex fide credere debeo, mihi peccata esse remissa propter Christum, quomodo possum cum publicano dicere: Propitius esto mihi peccatori; aut cum Apostolis & Ecclesia universa: Dimitte nobis debita nostra, nisi hæsitem in fide & Deum mendacem efficiam?*

Lib. 1. de bonis operib. c. 3. §. 17. *Ex iis bonis, quæ precibus impetrantur, præcipuum est remissio peccatorum & justificatio. Hunc autem fructū omnes hujus temporis hæretici orationi detrahunt, cum illam soli fidei, quæ orationem præcedit, attribuant.*

Resp. 1. Invertimus argumentum. Quod ex fide petimus, de eo etiam impetrando certi esse possumus. Matth. 18. v. 19. c. 21. v. 22. Joh. 16. v. 23. 1. Joh. 5. v. 14. Atqui remissionem peccatorum ex fide petimus, Matth. 6. v. 12. Ergò.

2. Doctrina Pontificia potius impedit, quo minus peccatorum remissionem ex fide promissioni divinæ nitente petamus, eamque consequamur, Jac. 1. v. 5. 6. & 7. 1. Joh. 5. v. 10.

3. Fides specialis non tollit orationem, cum per fidem detur Spiritus Sanctus, in quo clamamus *Abba, Pater* Roman. 8. v. 15. Galat. 4. v. 6. *ac justificati fide pacem habeamus & cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus, clamantes: Abba Pater* Rom. 5 v 1. cum fides sit quasi anima orationis, absque qua oratio non est Deo grata.

4. Bellarminus igitur ex subordinatis facit pugnantia. Sacræ literæ peccatorum remissionem & *fidei* tribuunt Roman. 3. v. 28. c. 4. v. 5. &c. & *orationi* Matth. 6. v. 12. c. 21. v. 22. Luc. 18. v. 13. & 14. Jacob. 5. v. 15. 1. Joh. 5. v. 16. sed huic non nisi illa ut patæ & quasi animatæ. Fidei propterea, quia apprehendit Christum & in Christo Dei gratiam peccata remittentem. *Orationi* propterea, quia fides est orationis anima, ideoque ratione & respectu fidei, quæ per orationem sese exerit; *fidei* per se, *orationi* κατ' ἄλλο, respectu fidei; *fidei* immediatè, *orationi* mediatè, quia est actus fidei.

5. Committit etiam fallaciam causæ & consequentis. Sancti quotidiè petunt peccatorum remissionem, non quod de ea dubitent, sed quod peccati sibi adhærentis & infirmitatum carnis quotidiana remissione sese indigere ex verbo & propriæ conscientiæ testimonio intelligant.

5. Stapletonus Domin. 7. post. Trinit. in Promtuario Cath. pag. 193. *Vestimentum ovis est exhibere populo preces omnes lingua cujusque vernacula & vulgari. Lupina rabies est, quod hac ratione ab omni peccandi studio & devotione populum fraudulenter & impie diverterunt. Hæ enim, quæ in vernacula leguntur, attenti, aut cum aliis cantillare compulsi privatæ devotioni vacare, nec commodè possunt, nec à ministris permittuntur.*

Hardingus in lib. contra Ivellum art. 3. p. 5. *Linguam cognitam ac intellectam impediri devotionem* asserit.

Resp. 1. vera devotio est ex fide, fides ex auditu verbi Rom. 10. v. 17. auditus requirit, ut, quid dicatur percipiatur.

2. Lyranus in 1. Corinth. 14. *Si populus intelligit orationem seu benedictionem Sacerdotis, melius reducitur in Deum & devotius respondet Amen.*

3. Eadem est sententia Jacobi Fabri Stapulensis & Cajetani in Commentar. 1. Corinth. 14. quos propter ea insectatur Catharinus, *& hoc esse Lutheri, imò Diaboli in Luthero loquentis inventum*, blasphemè pronunciat.

4. Quinimò Bellarminus ipse lib. 2. de verbo Dei capit. 16. resp. ad object. 2. agnoscit, *in verbis Apostoli 1. Corinth. 14 orationi, quæ non intelligitur anteponi eam, quæ intelligitur. Qui enim orat linguā, quam non novit, ut cum rudes homines recitant Latinè septem Psalmos, affectu quidem & Spiritu proficiunt, tamen mens eorum sine fructu est, quia non eruditur.*

6. Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in part. c. 3. *Hæretici hujus temporis fatentur, bona, quæ petimus, orationibus impetrari, si oratio fundatur ex fide. Sed quia per fidem intelligunt fidem illam suam specialem, qua unusquisque certò credere debet, se esse Deo gratum, sibiq; non imputari peccata, quæ fides reverâ haberi non potest inde fit, ut conditionem planè impossibilem ad impetrandam requirant, & per hoc nihil omninò orationi relinquant.*

Resp. 1. Ex ipso Bellarmino lib. 1. de Justif. c. 11. resp ad 4. object. *Si Deus alicui manifestè diceret, remittuntur tibi peccata tua, ut revera dixit paralytico Matth. 9. & Magdalenæ Luc. 7 sine dubio credere & confidere is deberet, sibi verè remissa esse peccata.*

(Sublumo. Deus per ministrum Ecclesiæ ad omnes verè ac serio pœnitentes in verbo Evangelii *in genere*, & in verbis absolutionis ad quemvis verè pœnitentem *in specie* dicit: *Remissa sunt tibi peccata tua.* Ergo verè pœnitentes certo credere & confidere non solùm debent, sed etiam possunt, sibi verè remissa esse peccata, & per conseq. fides specialis non est conditio impossibilis. Assumtum negari nequit, nisi simul negetur, hoc esse verbum Evangelii, quod disertis verbis proponitur Act. 10. v. 43. ac veram esse promissionem Christi: *Quicquid solveritis in terra, solutum erit in cœlis.*)

2. Ex eodem Bellarmino d. l. resp. ad 5. object. *Quod dicunt Adversarii de promissionum generalium applicatione propter illa pronomina nobis, nostris, me & similibus, rectè dicunt, posse unumquemq; sibi promissiones generales applicare per fidem. Nam quemadmodum fide Catholica credo, Christum mortuum esse pro omnibus, ita eadem fide credo, mortuum esse pro me, qui sum unus ex omnibus.*

(Ex eo sic infermus: Si unusquisque verè fidelium promissiones generales sibi per fidem potest applicare, utique etiam fides specialis haberi potest. Sed verum prius. Ergo etiam posterius.)

3. Ex Scriptura sic concludimus: Qui ex ipsius Spiritus Sancti testimonio novit, se esse Dei Filium, is etiam fide speciali statuere potest, sibi remissa esse peccata.

(Atqui omnes verè pii ex ipsius Spiritus Sancti testimonio noverunt, se esse Dei filios, Rom. 8. v. 16. Gal. 4. v. 6. 1. Joh. 5. v. 10. Ergo.)

2. Alphonsus de Castro adversus hæreses, in verbo Oratio. *Lutheram quidam persuasi à Luthero, omnia necessitate absoluta fieri, orationem, tanquam rem inutilem, penitus rejiciunt. Nam si omnia necessario fiunt, frustra quis, inquiunt, Deum orat pro ea re, quæ si futura est, etiamsi non oret, eveniet: & si futura non erit, etiamsi oret, nunquam eveniet.*

Calumniam hanc repetit Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib 3. art. 4. p. 243.

Resp. Nec absolutam omnium rerum necessitatem statuimus, nec orationem inutilem esse docemus. Utrumque ex August. Confessione est manifestum.

II. Speciales.

1. Lutherum impietatis accusant, quod docuerit, *neminem posse Dominicam Orationem recitare, nisi simul maledicat*, Der andächtige Luther p. 9.

Resp. Verba ejus sic habent in Comment. c. 5. Matth. tom. 4. Witeberg. fol. 37. tom. 5. Jenens. fol. 385. Es kompt wol die Zeit/daß man fluchen muß oder thut unrecht. Als daß wir jetzt sollen den Segen darzu sprechen und guts wüntschen/daß Pabst/Bischoff und Fürsten mit so giftigen Practiken und bösen Stücken

cken wider das Evangelium umbgehen/frommer Leute Blut zu stürtzen und Teutschland in einander zu werffen / das gehöret nicht Christen zu/sondern sollen und müssen so darzu sagen: Lieber HErr / verfluche/ verstöre/ und stürtze alle ihre Anschläge in Abgrund der Höllen. Daher kan niemand recht das Vater unser beten/er muß darzu fluchen. Denn wer betet/geheiliget werde dein Name/dein Reich komme/dein Wille geschehe/so muß er alles auff ein Hauffen mitnehmen / was dawider ist/ und sagen/ verflucht/ vermaledeyt / geschendet müssen werden alle andere Namen/ und alle Reich/so wider dich sind/ zustöret und zurissen/ alle Anschläge/ Weißheit und Willen zu boden gehen. Das ist aber der Unterscheid / von sich selbst soll niemand fluchen noch schweren/es sey denn/daß er Gottes Wort darzu habe/daß er soll fluchen oder schweren.

2. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei c. 3. §. Sextum mendacium &c. inter *mendacia Chemnitii* numerat, *quod Papa Calixtus instituerit quatuor temporum jejunia.*

Resp. 1. Platina in vita Calixti sic scribit: *Calixtus Pontifex instituit, ut ter in anno jejunaretur, inchoando annos more Hebræorũ, tamen postea mutata sententia, in quatuor anni tempora transtulit.*

2. Polydorus Vergilius lib. 6 de rer. Inventor. c. 3. *Calixtus primus instituit, ut ter in anno jejunium ageretur, inde mutato consilio, in quatuor partitum est anni tempora id jejunium, in ver, æstatem, autumnum, hyemem.*

III. Opiniones absurdæ & erroneæ.

1. Azorius lib. 9. Instit. c. 31. §. Sextò quæritur. *Pro iis, qui obstinato animo sunt in malis, orandum est, pro hæreticis & schismaticis non est publicè orandum.*

Bellarminus, postquam lib. 2. de Missa c. 6. dictum Tertulliani ad Scapulam c. 2. & locum Apostolicum 1. Tim. 2. v. 2. adduxisset, subjungit: *Sed quamvis hæc ita se habeant, prohibuit tamen Ecclesia c. à nobis. de sentent. excommunicationis, publicè orare pro excommunicatis & consequenter pro hæreticis, qui sunt omnes excommunicati.*

Contra 1. Timoth. 2. v. 1. ad quem locum Cornelius à Lapide ex priscis Ecclesiæ Doctorib. annotat, *quod in publico Eucharistiæ sacrificio pro Regibus etiam infidelibus oraverint.*

2. Idem lib. 7. Instit. c. 7. §. Secundo quæritur. *Mos non est improbandus, quo vidua pro dignitate personæ post obitum viri causa luctus domi se continet ad annum.*

Contra Hebr. 10. v. 25.

3. Toletus lib. 4. Instruct. Sacerdot. cap. 21. *Quando judex contra justitiam petit juramentum, licet uti æquivocatione & jurare secundũ mentem suam contra mentem judicis, utputa quærenti judici, Fecisti illud? respondeat, non feci, intelligendo inter se, ut dicam tibi vel hoc tempore, vel quid simile.*

Contra Maldonatus in c. 24. Lucæ. *Quisquis fingendo fallere conatur, etiamsi aliquid præterea significare velit, haud dubiè mentitur, alioqui nullum esset mendacium, quod non defendi posset.*

4. Idem lib. 5. Instruct. Sacerd. c. 9. *Cum homo profert verbũ contumeliosum non ex plena deliberatione, non est mortale peccatum; vel si adsit plena deliberatio, tamen fit inter personas parvi momenti, ut inter mulierculas.*

Lib. 4. c. 13. *Cum homo irâ aliquâ, vel alia animi passione non advertens verba, quæ proferebat, protulit blasphemiam, non est peccatum mortale, nisi homo assuetus sit blasphemare.*

Contra Matth. 5. v. 22.

5. Idem lib. 5. c. 13. *Si quis desiderat habere pollutionem ob finem bonum, ut ob sanitatem aut ad levandas tentationes carnis, quibus interdum affligitur, non est peccatum.*

Illi conforme est, quod Navarrus gravis apud Pontificios autor docet, *lætandum esse ob pollutionem & mollitiem, idq; ob salutarem ejus effectum*, quem hoc nomine refellit Gregorius de Valentia tom. 3. col. 2167. Tannerus tom. 2. Theol. Schol. Disp. 4. q. 8. dub. 9. n. 117. introducit varias sententias, quibus disceptatur, *an etiam pollutio sit peccatum mortale.*

6. Alexander Alensis *ideò carnis esum tempore Quadragesimæ prohibitum esse* dixit, *quia Christus post resurrectionem pisces comederit, non carnem, & quia terra propter peccatum Adæ maledicta, aqua verò non, ut quæ postea sanctificata sit Baptismo Christi.*

Eodem ferè modo Durandus lib. 6. Ration. divin. officior. c. 7. n. 22. *Quia Deus maledixit terræ in operibus humanis, non aquæ, inde est, quod omne genus carnis, quod in terra versatur, tam quadrupedia, quam aves, in jejuniis non licet comedere. Et licet quædam aves circa mare versentur, & in aquis: quædam in eis vel ex eisdem nascantur, magis tamen ad Naturam terræ, à qua nutrimentum percipiunt, ad hoc pertinere dicuntur. Adhuc cum quidam pisces sint ex una parte, habentes formam quadrupedis animalis & ex altera piscis, ut biverus, in jejuniis potest comedi ex parte, qua piscis vocatur, ex alia verò minimè.*

Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 3 art. 10. p. 320. adducit & approbat dictum Ludolphi Carthusiensis part. 2. vitæ Christi c. 53. *Multi abstinent à carnibus quarta feria, quia tunc caro Christi fuit vendita.*

Renatus Laurentius ad locum Tertulliani lib. 1. adversus Marcion. c. 14. *(Marcion copias maris, hoc est, pisces sanctiorem cibum deputabat)* quasi causam Marcionis agere volens, sic annotat: *Animalia terrestria plus habent maledictionis, quam aquatilia, quia plus nutriuntur terrâ, cujus de fructu cum manducasset Adam, maledicta fuit, non autem aqua.*

(Quid verò fiet herbis, leguminibus, orizæ & fructibus arborum, quibus liberè omni tempore Pontificii utuntur?)

7. Gregorius II. Pont. Rom. Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo suo in Germania Apostolo sic scribit tomo 2. Concil. p. 434. in Ep. ad Bonifac. *Interea agrestem caballum aliquantos adjunxisti comedere, plerosq; & domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps sanctissime sinas frater, sed quibus potueris (Deo juvante) modis per omnia compesce & dignam eis indicito pœnitentiam. Immundum enim est atque execrabile.*

Zacharias Gregorii II. successor eidem Bonifacio de licitis vel illicitis cibis quærenti respondet in Epist. ad Bonifac. tom. eod. p. 452. *In primis de volatilibus, id est, graculis & corniculis & ciconiis, quæ omninò cavendæ sunt ab esu Christianorum: etiam & fibri atq; lepores, atq; equi sylvatici multò amplius cavendi.*

(En Pontificios, imò ipsos Pontifices cum Manichæis certos quosdam cibos tanquam immundos & execrabiles rejicientes.)

8. Bellarminus lib. 1. de bonis operib. in part. c. 3. §. Secundus &c. *Oratio sive impetret, quod postulat, sive non impetret, semper est meritoria majoris gratiæ & gloriæ, quando ab homine justo, & sicut oportet, funditur.*

Lib. ejusdem c. 12. circa fin. *Commune est orationi cum aliis bonis operibus, ut sit meritoria & satisfactoria.*

Contra, in oratione ac per orationem manifestamus nostrã indigentiam & necessaria à Deo humiliter petimus, quomodo igitur oratio poterit esse *meritoria?* in oratione ex fide gratuitam peccatorum remissionem à Deo humiliter petimus, quomodo igitur oratio poterit esse satisfactoria?

Bellarminus ipse d. l. c. 9. *quartam orationis conditionem* dicit *esse humilitatem, quâ is, qui orat, non in sua justitia, sed in Dei benignitate confidat.*

(*At vera humilitas ignorat merita*, inquit idem lib. 5. de justif. cap. 6.)

9. Molanus lib. de Theol. pract. tract. 3. c. 8. conclus. 3. n. 19. *Non præcipitur nobis à Deo, ut pro inimicis oremus.*

10. Idem Bellarm. lib. 4. de bonis operibus c. 4. *Eleemosynæ sunt opera meritoria & satisfactoria.*

Contra. Eleemosynæ pertinent ad opera caritatis. Jam verò caritas & omnia ejus opera sunt in lege requisita. Ergo jam antè debita, & per consequens nec *meritoria*, nec *satisfactoria* esse possunt.

11. Idem Bellarm. lib. 3. de bonis operibus c. 7. §. 6. asserit, *superfluas opes sine peccato retineri non posse, sed necessitate mandati eas pauperibus erogandas esse.*

(At hac ratione communio bonorum Anabaptistica confirmatur, ac divitias possidere Christianis illicitum esse statuitur (cum divitiæ utplurimum & propriè sint ejusmodi bona superflua) quod tamen utrumque idem Bellarminus dicto loco cap. 10. & 11. rectè negat. Ergo ut non omnia superflua pauperibus eroganda, ita ferente summa indigentium inopia de necessariis etiam cum iisdem communicandum Luc. 3. v. 11. & c. 21. v. 4. Act. 2. v. 44. & 45. c. 4. v. 35. 2. Cor. 8. v. 2. &c.)

12. Dominicus Nazarethanus ita se maceravit jejuniis, *ut ossa vix ossibus hærerent.* Gerhard à Nazareth. c. 6.

Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis *à primo Monachatus sui tempore nunquam carnes comedit, ac cum aliquando vetula ab ipso quæreret, num res ita se haberet? & ille affirmaret, respondit ista, se hoc credere non posse, cùm proprias carnes ita vorasset, ut vix ossa reliquisset.*

De Francisco in ejus Legenda cap. 6. narratur, *quod, cum aliquando ægrotus de rigore abstinentiæ parum remisisset, & post aliquantulum convaluisset, populo Assisii convocato & fune collo circumdato, nudum se trahi præcepit usq; ad lapidem, in quo malefici*

publica

publico afficiendi supplicio collocabantur, ibi oratione ad turbam conversa dixit, se non ut spiritualem honore, sed ut latronem ignominiâ afficiendum esse. Cum eidem Francisco in infirmitate accidisset, ut gustaret laridum & carnem tempore jejunii, coram toto populo hujus facti magnam testatus est pœnitentiam: quam ut non abs re susceptam probat Defensor ineptiarum & blasphemiarum sui Francisci Henricus Sedulius Antuerpiensis in Apolog. pro Francisci Conformitatibus lib. 2. pag. 243.

Bartholomæus quidam *vigiliis & jejuniis ad necem usq; se maceravit*, uti refert Gerhardus à Nazareth c. 12.

Bernhardus *orabat, stans nocte dieq; tamdiu, donec pedes corporis molem præ inedia ferre non possent & intumescerent*, lib. 1. ipsius vitæ cap. 8.

Cassianus collat. 2. c. 6. & 17. narrat, *nonnullos Eremitas immodicis jejuniis & vigiliis usq; adeò se afflixisse, ut propriorum sæpius facti sint homicidæ corporum & mortem sibi ipsis consciverint.*

(At hæc pugnant cum regula Apostolica Roman. 13. v. 14. Coloss. 2 v. 23. Ephes. 5. v. 30.)

13. Azorius lib. 7. Institut. c. 14. q. 2. ex Thoma in 4. sent. dist. 15. q. 3. art. 3. q. 1. ad 5. *unum ex iis jejuniis, quæ quatuor temporum vocantur, & incidit in septimanum Pentecostæ*, vocat *jejunium lætitiæ & exultationis, non mœroris & afflictionis.*

(Atqui de Natura jejunii est subigere corpus, non recreare, unde in Scripturis vocatur ענה seu *afflictio* Exod. 16. v. 19. Lev. 16. v. 27. ac *afflictio & jejunium* conjunguntur Psal. 35. v. 13.)

14. Bellarminus cum jejunio consistere posse existimat, si quis bis de die comedat ac prandium Cœnæ conjungat. Nam lib. 2. de bonis operibus in part. c. 2. responsurus Chemnitio, *quod Catholici non amplius horam nonam aut vesperam expectent, cum temporibus jejuniorum cibum capiant, quodq; non semel, sed bis corpus reficiant, dum sumunt prandium sub meridiem, cænulam sub vesperam*, monet. *1. Usum jejunia solvendi circa meridiem & cænulam sumendi sub noctem ab Ecclesia non imperari, sed tolerari. 2. Determinationes ejusmodi rerum, quæ non habentur ex divino jure, posse per Ecclesiasticam legem vel consuetudinem pro locorum & temporum diversitate ita variari, ut quod uno loco vel tempore non licet, alio loco vel tempore liceat. 3. Non carere probabili ratione mutationem illam horæ nonæ in horam sextam, quod attinet ad tempus solvendi jejunia. Nam quando veteres definierunt horam nonam pro solutione jejunii, tempus ordinarium cibum sumendi solebat esse meridies. Satis enim esse putaverunt ad carnis afflictionem & castigationem, si ad spacium trium horarum, id est, ab hora sexta usq; ad nonam refectio differretur. Nostro verò tempore magna pars hominum, non hora sexta, sed tertia prandere solet, ex quo sequitur, ut, si tempore jejunii cibum sumant hora sexta, h. e. ad meridiem, tribus horis serius ad reficiendum corpus accedant, quàm ordinariè soleant, ac per hoc ab antiqua consuetudine non recedant.*

(Sed ostendimus superius, jejunium verè & propriè sic dictum esse *omnimodam à cibo abstinentiam*, proinde etiam prandere, & die illo, quo prandetur, jejunare, sibi invicem opponuntur. Augustinus serm. 60. de temp. *Rogo vos, fratres carissimi, & admoneo, ut in isto legitimo at sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem infirmitas jejunare non permittit.* Jejunium sua Natura est corporis afflictio. Atqui si quis hora sexta cibum capiat, is non affligit corpus, teste ipsamet experientia. Ergò qui hora sexta cibum capit, non jejunat. Levit. 16. v. 29. *mense septimo decima die mensis affligetis animas vestras*, jejunando scilicet usque ad vesperam.

15. Peresius de Traditionibus part. 3. *Psychicos*, contra quos Tertullianus librum suum de jejuniis scripsit, peculiare quoddam genus hæreticorum fuisse statuit. *Error*, inquit, *fuit olim Psychicorum, id est, animalium hominum, qui jejuniorum præscriptiones damnabant, dicentes: suo arbitrio relinquendos esse homines in jejunio, quos Tertullianus damnat & efficaciter convincit in tractatu, quem edidit contra eos satis Ecclesiastico & erudito.*

Contra verò Pamelius in annotat. ad illum librum rectè monet, *tractatum illum à Tertulliano Montanista contra Catholicos, Psychicos ab ipso vocatos, esse scriptum.*

Bellarm. lib. 2. de bonis operib. in part. c. 2. §. Porrò. *Tertullianus in libro de jejunio scribit adversus Ecclesiam, & Catholicos vocat Psychicos, id est, animales propterea quod non admitterent novam disciplinam Montani de tribus quadragesimis & jejunio ordinario usque ad vesperam.*

(Congruit hoc cum illis, quæ habet Hieronymus in Catal. script. Eccles. tit. Tertullianus. *Hic*, inquit, *cum usq; ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ Prophetiæ meminit, specialiter autem adversum Ecclesiam texuit volumina de pudicitia, de persecutione, de jejuniis, de monogamia, de ecstasi libros sex, & septimum, quem adversus Apollonium conscripsit.*)

16. Emanuel à Sa in Aphorismis pag. 195. *Jejunium non violat potus aquæ aut vini, etiamsi quid edatur, ne potus noceat: nec quæ sumuntur per modum medicinæ, vulgò electurata, nec cibi prægustatio, ut fit à coquo, aut pincerna: nec jentaculum vespertinum pro more sumtum, vel ex causa sumtum mane dilato in vesperam prandio: nec ova aut lacticinia extra quadragesimam; nec si quia statim finito prandio parvum edas, rogatus ut fit ab amico comedente; illud enim pars prandii censetur; nec si horam prandii ex causa prævenias, ut ita facturus, aut propter hospitem.*

(Sic ergò jejunia apud Pontificios habent valdè largam interpretationem.)

17. Henricus Sedulius Antuerpiensis Franciscanus in Apol. pro Francisc. Conform. pag. 20. *ex carnibus alimentum ferinum esse & bestiis conveniens*, probat ex Musonio apud Stobæum serm. 17.

18. Bellarminus lib. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 8. ad 5. §. Dices &c. statuit, *ex fide in unum Deum (homines nondum regenitos) orare & impetrare posse fidem, qua Jesum Filium Dei & promissum Messiam esse credant.*

(Regeneratio non fit, nisi per fidem in Christum, utique ergò Bellarminus agit de hominibus nondum regenitis, quibus perquam absurdè tribuit facultatem orandi & impetrandi fidem in Christum.)

Idem lib. 1. de bonis operibus in partic. cap. 9. §. Sciendum & §. Illud est &c. docet, *ad impetrationem rei petitæ non requiri caritatem, seu bonum habitum in petente, sed sufficere, ut credat, Deum esse potentissimum, sapientissimum, fidelissimum, benignissimum &c.*

(Atqui oratio non potest esse Deo grata, nec habet vim impetrandi, nisi procedat ex fide. Ubi autem fides, ibi caritas.)

19. c. Hanc consuetudinem. caus. 9. quæst. 2. ex Damaso Papa de Laicis sic dicitur: *Qua fronte aut qua conscientia oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedum pro aliis Deo preces offerre?*

(Atqui omnes omninò fideles non solum pro se, sed etiam pro aliis preces possunt Deo offerre, unde Apostolus etiam auditorum suorum preces expetit.)

20. De ritu adorandi & templa extruendi versus Orientem sic disserit Polydorus Vergilius lib. 5. de rerum Inventorib. cap. 6. pag. 434. *Mos est, ut in orando ac salutando Deo quis in Orientem Solem convertatur. Utrumque apud priscos* (Ethnicos) *servatur, dicente Apulejo in secundo: Tunc in Orientem obversus, vel incrementa Solis augusti tacitus imprecatus &c. Quod proprium est veri Oratoris ex mystica religione, quoniam Christus est Sol justitiæ: testis est Divus Hieronymus in Ezechielem; Eâ nempe de causa templa nostra ita ædificata sunt, ut eorum Princeps altare in Orientem versus vergat, in quo Sacerdos rem divinam faciendo, semper ipsum Orientem aspiciat: unde precationes nostræ jugiter, velut instar Solis, oriantur.*

Baronius Anno 58. n. 105. *Gentilium potius, quam Judæorum fuisse consuetudinem ut ad Orientalem plagam spectantes precarentur, satis constat ex templorum situ &c.*

Et postea: *Vitruvius templorum faciem ad Occidentem ædificandam proponit; quo orantes in eis faciem conversam habeant ad Orientem.*

Johannes Savarus Chromontensis in Comment. lib. 2. Epist. 10. Sidonii Apollinaris pag. 151. *Sacræ ædes Orientem spectabant antiquitus. Vitruvius de Architectura lib. 4. c. 5. Higinus de limitibus. Postea placuit omnem religionem eò convertere ex qua parte cæli terra illuminatur. Apulejus lib. 2. Tunc Orientem obversus & incrementa Solis augusti tacitus imprecatus. Tertullianus in Apologet. dist. 84 Sed & plerique vestrûm in affectione aliquando ut cælestia adorandi ad Solis ortum labia vibratis. Et hoc, quia Solem adorabant, qui ritus Ecclesiastica traditione receptus est, sed alia de causa.*

(Sic ergò hic ritus ex gentilismo originem trahit, unde Walafridus Abbas hunc morem reprehendit de forma Ecclesiæ, sic disserens apud Wolffium lection. memorab. Centur. 9. pag. 221. *Veteres non admodum sollicitos fuisse, in quam partem vel templum, vel altaria essent conversa, quod ubique Deum esse scirent, recentiores tantùm ad Orientem convertisse.*)

21. c. Hu-

21. c. Humanæ 11. cauſ.22. quæſt.5. *Si divina judicia verba noſtra talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur, ſi intentio non debet ſervire verbis, ſed verba intentioni, patet, quod Deus non accipit ſic juramentam, ſicut ille, cui juratur, ſed potius, ſicut qui jurat, intelligit, cum recipienti non ex intimis, ſed ex his, quæ proferuntur foris, verba noſtra ſonant.*

(At hac ratione labefactatur præceptum de non dicendo falſo teſtimonio.)

22. Bellarminus lib.2. de Verbo Dei cap.16. §. Neque ſolùm &c. *Neq; ſolùm populus ex oratione alterius fructum percipere poteſt, quamvis eam non intelligat, ſed etiam ex ea, quam ipſemet pro ſeipſo ad Deum fundit.*

Lancellottus in Hæretico Quare 20. §.5. *Deo grata ſunt & virtutem impetrandi habent preces privatim, & quovis idiomate fuſa licet ab orante non intellectæ.*

(Atqui preces non intellectæ, ut ſine intellectu, ita quoq; ſine devotione & affectu funduntur.)

23. c. Si Laicus 7. diſtinct.31. *Si Laicus & quicunq; fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali, Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergò ſemper à conjugio abſtinendum.*

c. Sciatis 1. cauſ.33. q. 4. *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet.*

(Atqui conjugium, utpote ſancta Dei ordinatio, de qua Apoſtolus pronunciat Hebr.13.v.4. τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, per ſe non impedit preces.

24. Innocentius III. autoribus cædis Conradi Epiſcopi Herbipolenſis inter alias partes pœnitentiæ & expiationis ſui peccati hanc etiam impoſuit, *ut orationem Dominicam centies inter diem & noctem decantarent*, Bzovius ann.1204. n. 1.

Militi regulari imponitur, ut ſingulis diebus dicat 150. Pater noſter, Pontifical. fol. 85. fac.2.

(Hac ratione multiloquio peculiaris quædam vis in precibus tribuitur contra doctrinam Chriſti, Matth. 6. v. 7. qua de re etiam conqueritur Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Inventorib. cap.2. p. 479. *Quidam putantes fore, ut quis in multiloquio ſuo facilius exaudiretur, preces alias inſtituere, quædam mutuati ab his Canonicis, quas ad diſtinctionem ſuarum, Romanas appellarunt. Nam Benedictus ſuis Monachis certum orandi modum præſcripſit, idem Bernhardus ſuis, Dominicus ſuis. Quin & ſinguli Antiſtites provinciales idem fecerunt, ut hodie alii alias preces uſurpent; & id factum ſit, vel Romanorum Pontificum conſenſu, qui nihil reſpuere voluerunt, quod divinum augeret cultum, tametſi Chriſto brevior, non item longior precandi modus probetur.*

25. *Solennes proceſſiones & ſupplicationes* in Papatu uſitatæ à gentilibus originem duxere.

Polydorus Vergilius lib. 6. de rerum Inventorib. cap. 11. pag. 130. *Gregorius mandavit, ut ubique gentium ejusmodi Litaniarum modus ſervaretur: hodie à Sacerdotibus ob metum impendentium malorum canuntur, magnâ populi ſequente catervâ ſimul rogantis. At in re quoque læta ſæpe publicè ſupplicamus, ut qui metu malorum antea voveramus ſupplicando, poſtea optati compotes & ſecuri gaudentes ſic Deo gratias agamus. Quod vel Ethnici faciebant, dicente Virgilio de Didone ob inopinatum Trajanorum adventum gaudente. Sic memorat, ſimul Æneam in regia ducit tecta, ſimul divum templis indicit honorem; id eſt, ut ait Servius, juſſit fieri ſupplicationes. Ita Romani factitabant & aliæ pleræq; gentes, à quibus ad nos ritus ejusmodi dubio procul manavit.*

Pag.534. *Hunc & nos ritum pariter ſervamus, ſed haud ſcio, an tam rectè, quam bellè illud fiat. Vereor inquam, vereor, ne iis in rebus Diis potius gentium, quam Chriſto gratum faciamus. Nam illi ſuos cultores in ſuppliciis, ut Saluſtius perhibet, magnificos eſſe volunt, hic verò nihil magis, quam illud horret, qui inquit: Tu autem cum adoraveris, introito in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora.*

Pag. 535. *Noſtram igitur Ethnicorum æmulationem in ſupplicationum ritu fas tandem eſſet aliquando moderari.*

26. Cornelius Janſenius in cap.16. Joh.v.23. ſuper verba: *Amen, amen, dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo; Eccleſia non peccat, dum propter ſanctorum merita precatur exaudiri.*

(At cum eo ſolidè conciliari nequit, quod ibidem ſcribit: *Nihil impetrant, qui in precationibus ſuis propriis, & non potiſſimum, atque adeò ſolùm Chriſti meritis innituntur.*)

NB. *Sequentia verba operæ typothetica incuriâ omiſſa ad caput pag. 961. addenda reſtant:*

Argum. 17. Dan.7. v.9. *Fluvius igneus progrediebatur à facie ejus.* Hunc locum *ad purgatorium* applicat Panigarolla lect.2.

Reſp. 1. Lyranus ad h.l. ſic annotat: *Hic ponitur adventus Chriſti ad judicium venientis & regnum Antichriſti conterentis.*

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM QUAMMAXIME MEMORABILIUM ORDINE ALPHABETICO DIGESTORUM.

A.

Anti-

B.

Brigitta

est

Spirituale

pugnat

Q.

R.

T.

à mul-

F I N I S.